VILLANOVA COLLEGE LIBRARY
Villanova, Pennsylvania

This book was donated
3-4-49
by
Rev. M. Sullivan, O.S.A.

3094160
RECORD NUMBER
RETAIN CARD WITH BOOK
Due Date
Renewal Due Date
Fines Paid
Alpha
Numeric
Decimal Digits
Cutter No
Vol No.
Accession No.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Lyrasis Members and Sloan Foundation

http://www.archive.org/details/actasanctorum04unse

# ACTA
# SANCTORUM

PARISIIS — EX TYPIS V. GOUPY ET SOC., VIA GARANCIERE, 5




PARISIIS APVD VICTOREM PALMÉ VIA DICTA SAINT-SVLPICE. M.DCCC.LXIII.

# ACTA SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

QUÆ EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLEGERUNT AC DIGESSERUNT

SERVATA PRIMIGENIA SCRIPTORUM PHRASI ET VARIIS OBSERVATIONIBUS ILLUSTRARUNT

JOANNES **BOLLANDUS**, GODEFRIDUS **HENSCHENIUS**,

SOCIETATIS JESU THEOLOGI

EDITIO NOVISSIMA CUM ANIMADVERSIONIBUS EX TEMPORALIBUS D. PAPEBROCHII NUNC PRIMUM EX MSS. EDITIS

CURANTE JOANNE CARNANDET

## FEBRUARII TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS DIES VI PRIORES

PARISIIS

APUD VICTOR PALMÉ, BIBLIOPOLAM,

VIA SAN [illegible]

VILLANOVA COLLEGE LIBRARY

BX
4655
.A2

## SANCTISSIMO ET BEATISSIMO

PATRI AC DOMINO NOSTRO

# ALEXANDRO VII

## PONTIFICI MAXIMO.

Quod ad pedes beatissimos Sanctitatis Tuæ prostrati offerimus de Actis Sanctorum mensis Februarii opus, id dudum nomini Tuo honorique devotum fuit. Nam cum adhuc in minoribus constitutus, legatione Apostolica Coloniæ Agrippinæ, ac deinde Monasterii Westphaliæ, fungereris; ita Tuæ pietatis, sapientiæ, benignitatis, splendor oculos atque animos hominum, qui illuc ex variis gentibus ad solennes Pacis Tractatus convenerant, advertit rapuitque; ut ad nos quoque, dierum aliquot spatio disjunctos, non fama solum, sed et gratissimi quidam radii pervenirent. Ibi nos, qui pridem Sanctorum Actis conquirendis digerendisque insudabamus, rationem ita nobiscum inire; Qui antea Januarium mensem Urbano VIII Pont. Max. tomumque ejus alterum Cardinali Barberino dedicassemus, cui potius Februarium, quam Fabio Chisio inscriberemus? Antistitem esse præditum eximia religione, ut Sanctorum res gestas libenter lecturus sit, cum curæ publicæ patientur; insigni eruditione, ut æstimaturus operam, qua collectum hoc consertumque est opus; summa facilitate atque humanitate, ut minime aspernaturus ejusmodi sibi oblatum munus, tenue licet, si artificium spectetur; si materia, pretii ingentis. Ac ne diu incerti nutaremus, ipse, hujus adhuc nostræ deliberationis ignarus, ultro nos illustri illa Tua benevolentia complexus es, litteris et benefactis frequentibus testata. In his unum fuit, quod nos illico ad Summi Pontificatus auspicium vertimus.

Difficilis se nobis ad ipsum ingressum Februarii, inque primo adeo Sancto, cujus essent acta commemoranda, Cæcilio nempe Eliberitano in Hispania Episcopo, scopulus objecit. Reperta erant sub finem seculi superioris in cavernis montis Ilipulitani prope Granatam scripta quædam et alia vetera monumenta, ossaque etiam (ut ferebatur) S. Cæcilii. Minime quidem illa nobis, ut a variis descripta per manus etiam nostratium hominum jactabantur, probata; verum a plurimis gravissimisque scriptoribus Hispanis ita celebrabantur, ut obruendi eorum consensione atque auctoritate videremur : præsertim cum Archiepiscopus Granatensis eo loco, ubi hæc erant refossa, basilicam ædificasse, et Canonicorum instituisse collegium diceretur. Quid ageremus? Assentiri variæ nos et (ut quidem censebamus) solidæ rationes non sinebant : tantæ

turbæ

turbæ scriptorum repugnare, temerarium existimari poterat. Quo nos igitur verteremus? Præterire eum Sanctum, haudquaquam fas erat, quem Hispani, etiam ante ea lipsana inventa, publicis sacris essent venerati, sanctique Apostoli Jacobi discipulum prædicarent; nos ipsi a SS. Petro ac Paulo Apostolis Romæ Episcopum consecratum, missumque in Hispaniam, minime ambigeremus. Hoc e scopulo, Fabio Chisio duce sumus erepti. Latum erat a Congregatione Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis, Urbano VIII præsente et approbante, Decretum de hisce lipsanis et scriptis, quo variarum commentationum ad eorum defensionem ac commendationem editarum lectione omnibus interdicebatur. In Belgio tamen, quia fortassis minus id necessarium videri quidam volebant, vel quapiam alia ex caussa, non erat Decretum illud palam vulgatum. Coloniæ autem, ubi ejusmodi Romanarum sanctionum promulgationi intercedere nemo solet, jussu Tuo publicatum est, et ad nos missum. Continuo, non absque Numinis providentia, ostensam nobis tempestive lucem profitemur, ac salutare illud astrum Chisiæ gentis, cujus fulgore ea discussa a nostris mentibus erat caligo, veneramur. Id nobis semitas Sanctorum, quas vestigabamus, ut per eas alios secure duceremus, aperuit, ac collustravit.

Visum exinde nobis, posituram illius astri in avitis Vestris insignibus contemplari. Sex omnino Montibus imminebat. Quid ni, inquimus, ut in summo aliquando consistat rerum fastigio, et Romanæ celsitudinis apicem teneat, unde orbem alma ista luce perfundat universum, Mons additur Septimus? Et in voto omen fuisse sensimus, cum deinde voluisti Alexander Septimus dici. Luceat diu, feliciter, sacratissimum hoc sidus: et quoniam de Te, Beatissime Pater, qui in tesseris gentilitiis Montes gerebas, sanctus ille Connertensis Episcopus, a S. Bernardo laudatus, inscriptusque Fastis Romanis, creditur vaticinatus, fore ut in Summorum Pontificum serie, quæ in hoc ipsum tempus incidit, Custos montium in thronum Apostolicum eveheretur: diu ac prospere Septem illos, quos populus Quiritium inhabitat Montes, indeque orbem illumina universum. Eveniet: (neque enim occuli, aut non longe lateque conspici lux potest supra illos posita Montes) jamque adeo evenit. Fidei lucem ad remotissimas etiam oras terrarum diffundis: qua ab ultimo Septemtrione excita pertractaque Romam est, primo Tui Pontificatus anno, celeberrimi nominis Regina: quam aliunde plures viri Principes sequerentur, si diu optatæ Pacis amœnissimus nitor, tetris bellorum turbinibus dissipatis, affulsisset. Et admoves Tu quidem, Beatissime Pater, conatum omnem ac sollicitudinem, ut dura Principum corda amicabili velut propitii sideris influxu emollias. Interea lux quædam nova sanctitudinis, ab exordio Tui Pontificatus, velut ab sidere illo affusa, Urbem sanctam illustravit, inque omnium ordinum hominibus, iis præsertim qui Tibi intimius assistunt, novas quasdam pietatis flammas accendit. Atque ea res secundissima fama per longinquas nationes, etiam hæreticorum, vulgata,

vulgata, horum coryphæos, diaboli ministros, errorum seminatores, flagitiorum architectos, ita perculit, ut cum non possent famæ, plurimis virorum illustrium firmatæ testimoniis refragari, nec pro suo more quidquam de luxu vitiisque Curiæ Romanæ comminisci, variis tamen locis suos e suggesto hortati sint, caverent etiam atque etiam, ne ipsorum publicares, Satanæ videlicet regnum, detrimenti quidquam tali Pontifice pateretur. At multorum inter eos, quibus nondum omnino effascinata ipsorum præstigiis ratio est, longe alius est sensus.

Verum quæ his de rebus, deque omnium studiis virtutum, TE Pontifice, mirabiliter auctis, occurrunt, ita sunt multa, itaque illustria, ut cum ea ne satis quidem idonee complecti cogitatione, nedum pro dignitate enarrare verbis possimus, Ecclesiasticorum Annalium scriptoribus relinquere cogamur. Alia nos TUI fortunati sideris defixos tenet admiratio, et sensu jucundissimæ gratitudinis perfundit. Nam qua nos olim benignitate es prosecutus, eam retines etiamnum, in illo supremo rerum culmine : ut inter augustas curas, quibus salus nititur orbis terrarum, nostri digneris meminisse; nobisque, hominibus profecto infimis, dici salutem curare, benedictionem impertiri, Indulgentiam plenariam in tempus mortis largiri; quærere quo loco sit Februarius noster, quando proditurus.

Prodiit tandem, BEATISSIME PATER, et ad SANCTITATIS TUÆ pedes abjectus, ne se asperneris, sed solitæ benignitatis auram aspires, rogat. Gratulatur is merito sibi, quod ad reliquorum usum hominum progredi detur, Pontificis Maximi auspiciis, ac talis Pontificis, qui Sanctorum honorem amplificare, Sanctitatis sese exemplar subjectis populis præbere, ardorem Sanctitatis adipiscendæ in omnium mentibus suscitare, contendit. Nos, Sanctos omnes, quibus stylum vitamque devovimus, ut diu BEATITUDINI TUÆ, et, quam sancte administras, Ecclesiæ Catholicæ præsidio sint, obtestamur

*Sanctitatis Tuæ Humillimi servi*

JOANNES BOLLANDUS,

GODEFRIDUS HENSCHENIUS.

# FACULTAS

# R. P. PROVINCIALIS FLANDRO-BELGICÆ

## SOCIETATIS JESU,

# ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Acta Sanctorum mensis Februarii, quotquot toto orbe coluntur, vel a Catholicis scriptoribus celebrantur, ex antiquis monumentis, Latinis, Græcis, aliarumque gentium, servata primogenia scriptorum phrasi, collecta, digesta, variis Observationibus illustrata a Joanne Bollando et Godefrido Henschenio Societatis Jesu Theologis, tres ejusdem Societatis Theologi legerint, opusque laboriosum et eruditum, ac luce publica dignum judicarint; Ego infrascriptus Societatis ejusdem per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro Goswino Nickel Præposito Generali, concedo Jacobo Meursio, Typographo Antverpiensi, facultatem eadem Acta excudenti.

Cumque sacræ Cæsareæ Majestatis decreto cautum sit, ne qui libri a Societate Jesu conscripti, in provinciis Romano Imperio subjectis excudantur, aut venales proponantur, absque ejusdem Societatis consensu; hisce declaro eumdem Typographum isto privilegio legitime frui. In quorum fidem hisce officii mei sigillo munitis manu mea subscripsi. Antverpiæ 5 Aprilis CIↃIↃCLVII.

*Thomas Dekens.*

### APPROBATIO CENSORIS.

Hoc opus continens Acta Sanctorum mensis Februarii vere doctum, elaboratum, et a multis viris eruditis expetitum, hisce modis a Reverendis Patribus Joanne Bollando et Godefrido Henschenio Societatis Jesu Theologis editioni præparatum; magno lectorum fructu, nulla fidei vel bonorum morum noxa, excudendum censui. Antverpiæ, hac XVII die Aprilis CIↃIↃCLVII.

*C. Voochts Canonicus, Archidiaconus,*
*S. Th. Licentiatus ac lib. Censor.*

---

### SUMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI

Philippus IV Hispaniarum et Indiarum Rex Catholicus, ac potentissimus Belgarum et Burgundionum Princeps, Diplomate suo sanxit, ne quis Acta Sanctorum mensis Februarii, a RR. PP. Joanne Bollando et Godefrido Henschenio, Societatis Jesu Theologis, collecta, digesta, ac Notis illustrata, præter voluntatem Jacobi Meursii proximis duodecim annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa in has Germaniæ nostræ Inferioris ditiones importet, venaliave habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum et alia gravi pœna multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ XII Maii anni CIↃIↃCLVII.

Signat.

*Loyens.*

### IN TOMUM PRIMUM

# DE ACTIS SANCTORUM

## MENSIS FEBRUARII

## PRÆFATIO

### AD AMPLISSIMUM ET ADM. REVERENDUM DOMINUM AC PATREM

## GASPAREM ROGER

CELEBERRIMI MONASTERII LÆTIENSIS ORDINIS S. BENEDICTI ABBATEM,

### EJUSQUE RELIGIOSISSIMUM CONVENTUM.

Obtulimus ante annos complures, ADMODUM REVERENDE DOMINE, Januarium nostrum, sive eorum Acta Sanctorum, qui Januario mense in variarum gentium orthodoxis Fastis commemorantur, venerabili Decessori Tuo D. THOMÆ LUYTENS. Ac futurum tunc sperabamus, ut non diu post Februarium producere in lucem liceret. Vitas quippe plurimas eorum, quorum hoc mense memoria recolitur, undique collectas, jam conditas in scriniis nostris habebamus : ut id solum desiderari videretur, eas ut recognosceremus, quibusque magis elucescerent, historicas observationes adderemus. Quam enim insistere cœperamus methodum, eam continuo sensimus eruditorum plerisque probari.

Verum ad opus prosequendum denuo accinctis, plures se, quam antea rebamur, undique difficultates objecerunt. Quorumdam enim Divorum Acta ita erant implexa intricataque a variis scriptoribus, qui longo post eorum ætatem tempore ea collegerant, ex sola fortassis fama, aut minime certis solidisque monumentis, vel qui suo ea judicio temere interpolaverant, ut vix, nec nisi ingenti labore, eo redigere illa possemus, ut cum coætaneorum, aut alioquin antiquorum et ratæ auctoritatis scriptorum commentariis legitima consensione, ceu veritatis vinculo, juncta constrictaque esse viderentur. Alibi inter ipsos historicos, qui de Sanctis nonnullis scripserunt, magna nonnunquam circa locum, tempus, aliaque adjuncta, sine quibus factorum ratio haud satis constat, cernebatur discrepantia, ut quid potissimum amplecteremur, non facile esset statuere. Alias quæ ad quos Reges (Merovingicæ præsertim apud Francos stirpis) provinciæ pertinuerint, paullo operosius disquirendum fuit, ut intelligi eorum possent Sanctorum Acta, qui in iis provinciis, sub Regibus aliis quam vulgus recentiorum scriptorum existimat, vixerunt. Quorumdam etiam multiplicia Acta, edita ante hac quædam, alia adhuc in manu exaratis codicibus recondita; nonnulla ab certis, quorum nomina extent, auctoribus conscripta, alia ab gravibus quidem et doctis, sed quorum lateant nomina, nacti eramus : quæ si universa publicare vellemus, immensus esset labor subeundus; si omittere aliqua, incertus jaciendus calculus. Multorum Acta, etiam vetustissimorum, mandata litteris non erant, ut ad ea investiganda, quibus eorum vitæ ratio intelligi posset, plurima evolvere Patrum scripta oporteret. Imo ipsorummet scripta Sanctorum, et quandoque bene multa, perlegenda fuere, ut ex iis vita ipsorum delineari utcumque posset. Ita IV Februarii S. Isidori Pelusiotæ eruenda fuit ex ipsius epistolis Vita. Quædam interea aliæ subcesiva opera lucubrationes a nobis vulgatæ. Quid jam occupationes, quas ipsa religiosi instituti ratio imponit? quid spiritale auxilium, identidem proximis (in hac præsertim actuosa Domo) variis in rebus, multiplici ratione modoque adhibendum? Nonnulla quoque (ut est naturæ infirmitas) studia nostra sunt valetudine interpellata. Denique longius tempus effluxit, quam speraveramus, quamque optarant multi viri graves atque eruditi, qui quæ scripseramus scribimusque, ad Dei gloriam bonumque publicum pertinere arbitrantur.

Serus hic tamen fœtus, ut in lucem prodiit, abire ad Vos, ac religiosissimæ Lætiensi congregationi; Tibi præsertim, ADMODUM REVERENDE DOMINE, sistere sese gestiebat; et vero debebat : nimirum faustissimi velut sideris secundo afflatu, Decessorum Tuorum ANTONII WINGII ac THOMÆ LUYTENS, favore, hortatu, liberalitate, auxilio conceptus, ac Tuo. Fortunatum enim vero se vel ideo censet, quod Te illorum imitatorem ac discipulum adire nunc queat, sanctissimo illi cœtui præfectum : qui sub WINGIO Abbate, ante annos XLIII religiosum stadium ingressus; in eo monasticam disciplinam ab THOMA LUYTENS, tironum Magistro, edoctus; utriusque exemplo et adhortationibus, ad omne sanctimoniæ decus, secundum S. P. BENEDICTI Regulam, et Venerabilis, Patris itidem Vestri, LUDOVICI BLOSII Statuta, sis conformatus. Non referemus hic, quam semper fueris, ex eorum institutione,

silentii

silentii atque claustralis secessus, religiosæ quoque paupertatis, et præsertim obedientiæ, diligens ac severus custos. Quarum tamen virtutum exercitatio apud veros honestarum actionum æstimatores majorem Tibi gratiam et honorem peperit, quam (quæ merito, cum omni spe seculi, dudum sprevisti) vitæ splendide instituendæ, quibus parentum circumfluebat domus, præsidia; quodque germanus Tuus diu gessit, in amplissima et quodam regia urbe Tornaco, perquam honorificum Senatoris munus.

Jam si recensere velimus, quæ in cœnobio officia gesseris, quanta cum omnium commendatione; primum illud occurret, quod secularium hominum judicio tenue fortassis videri poterit, sed non tenuem tibi cœlestis gratiæ quæstum attulit, magnam etiam apud domesticos virtutis non raræ opinionem; quod communis horti procurandi Tibi impositum munus, tanta submissione ac diligentia gessisti. Dein eximia caritate, animique alacritate, domestico nosocomio præfuisti. Vidimus ipsi, quanto tunc nitore et cura esset hoc compositum: etsi nulli eo tempore illic ægri erant, vel Tua sollicitudine præveniente ac propulsante morborum caussas, vel id largiente Deo Opt. Max. ut quicumque Lætias incolebant, in lætitia et vacuitate corporalis molestiæ, jugum monasticum læti portarent. S. Dosithei sub S. Siridone Abbate, Sanctoque Dorotheo institutore, visus sane tunc nobis es industriam obedientiæque simplicitatem, pari in munere, præclare exprimere.

Deinceps ferale ab vicinis Gallis exortum est bellum, quod tum extimam illam Hannoniæ, quam incolitis, partem haud leviter concussit, tum religiosissimum vestrum cœtum recipere se Montes, urbem provinciæ illius primariam, coegit, ubi majori quiete in res divinas incumbere, ac religiosæ vitæ munia exequi liceret. Ad ipsius tamen monasterii custodiam designari virum aliquem prudentia et robore animi insignem oportebat; ne ea quæ ibi relicta erant, vel publici prædatores diriperent, vel occulti furunculi compilarent; aut etiam moles ipsa ædificiorum, nisi sarta tecta curarentur, sensim labefactata decideret. Ad eam rem Tu potissimum delectus es; planeque feliciter rem Lætiensem Œconomi titulo per annos septem administrasti, cum aliquot conventus Vestri religiosis.

Inde Montes revocato impositum est munus Prioris. Eo autem per aliquod tempus sapienter ac prospere gesto, intereaque Venerabili D. Thoma Luytens vita functo, Abbas es, magno Tuorum consensu, Principumque et populi universi approbatione, renuntiatus. Si nobis de Te cum alio potius quam Tecum esset sermo; libere ac verissime ostenderemus, quæ sunt a Spiritu sancto Ecclesiastici XXXII præscripta, a Te præclare esse observata. Nam postquam Tui *Rectorem Te posuerunt, non es elatus: esque in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habes... ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam.* Quamquam enim vulgo dissimulent Tui, domesticorum, etiam Præsidum, laudes, ob singularem suam modestiam, ne earum partem aliquam in se oblique derivare velle videantur; erumpunt tamen, ac se suo produnt lumine, etiam quæ abditissimo secessu studiose occuli quodammodo videntur virtutes Tuæ. Neque ignorant etiam externi, quanta Tu quoque modestia ac simplicitate converseris inter Tuos, quam sincere ac fraterne, absque fuco ullo ac simulatione: qualem etiam, quamque exactam geras monasticæ disciplinæ curam: quo zelo religionis inflammatus, eadem omnia divini cultus officia, domesticarumque exercitationum munia, æque observari jubeas in Montensi refugio, atque antea cum integer cœtus Vester Lætiis ageret: quod et Tuis omnibus, utpote viris religiosissimis, gratum est, et apud externos, qui id intelligunt, magnifice collaudatur. Perspiciunt præterea non Tui solum, sed ceteri omnes qui Te norunt, quam non ambias, imo quam sollicite devites, honorem: quam eos qui alta sapere videntur, parvi æstimes: quanto interea judicio ac prudentia de negotiis publicis patriæ, cum ceteris Hannoniæ Proceribus urbiumque Legatis, deliberes: quanta modestia simul ac gravitate sententiam dicas: quanta fide et dexteritate, quæ Tibi in communibus illis provinciæ conciliis curanda committuntur, perficias. Sed ista potissimum ornatis et illustribus viris patent: quas vero eleemosynas, in his etiam angustiis temporum, prout suppetunt facultates, multas et luculentas largiris indigentibus, ii prædicant, quorum manibus illæ in cœlestes thesauros deportantur, pauperum videlicet greges.

Verum hæc, quamvis paucula, et longe meritis Tuis inferiora, suspicamur, haud satis æquis oculis Te esse lecturum. Unum tamen adhuc reticere non possumus, neque vero Tu, Admodum Reverende Domine, neque Tui prohibere jure potestis, ne quod verissimum est pronuntiemus; quatuor, qui, Te inter ac Venerabilem Ludovicum Blosium, Lætiensi congregationi præfuerunt, Abbatum cura, ac Tua nunc industria, ita virtutum omnium studium vigere apud Vos, ut late toto Belgio, et ad exteras quoque gentes, celebretur Blosiana reformatio. Cui profecto neminem adversari posse arbitramur, qui quid sit religiosa ascesis, vel exigui temporis usu didicerit. Qui enim penitus a professione religiosa alienus, S. Benedicti Regulæ partem nullam umquam observavit, næ ille, si statuta Blosiana vel Regulæ S. P. Benedicti repugnare asserat, vel eximiam quamdam perfectionem

non

non continere; risum quibusdam, sui commiserationem pluribus moveat : qui, quamvis humanæ fortassis litteraturæ opinione inflatus, sibi multum sapere videatur, tamen quid dicat non intelligit. Scimus nos, sciunt qui vobiscum agunt familiarius, seculares, Ecclesiastici, omnium Ordinum religiosi, Episcopi quoque et Archiepiscopi: quam serio ac severe Evangelicam paupertatem colatis; quam libenter ac hilariter intra monasterii septa commoremini, firmioribus sancti propositi, quam portarum, claustris inclusi : quam assidue cœlestia meditemini; quam religiose Divina ministeria obeatis: quam arctum servetis silentium; quam sitis in omni ratione victus ac vestimentorum frugales; quam ceterarum studio virtutum, quæ in religiosis congregationibus commendantur, addicti.

Cur non igitur Lætias, ubi tam acri et indefessa opera in omnimodæ *sanctitatis* cultum incumbitur Acta *Sanctorum* venire æquum sit? Scripsit olim Stephanus Binetus noster, se Lætiis tres velut ordines Sanctorum reperisse, pictos, mortuos, viventes ; quod in templi vestri Choro, Sanctorum, qui religiosas congregationes fundarunt, pictas effigies vidisset: dein præclarum et ingentem sacrarum Reliquiarum thesaurum; ac denique Religiosorum cœtum pietate ceterisque virtutibus conspicuum. Quartam nos Sanctorum apud vos classem et coram sæpius aspeximus, et nunc eam amplificatum imus. Sunt enim in insigni Vestra bibliotheca Sancti complures, non penicillo picti, sed calamo; variorum nempe, de eorum pietate ac laboribus monumenta scriptorum. Quæ cum indefesso studio volui terique a Vestris meminerimus; eo acceptiores fore Admodum Reverendæ Paternitati Tuæ confidimus, quas nunc adportamus Vitas Sanctorum, veteres quidem plerasque, sed novo velut cultu expolitas : quarum plurimæ quondam a Vestri Ordinis scriptoribus mandatæ litteris, a nobis, Vestro favore excitatis, multo labore conquisitæ et illustratæ.

Porro, ut in Præfatione ad Januarium Decessori Tuo, qui scopus noster esset, quæ totius operis methodus, ordo, stylus, quæ singularum partium probabilitas, exposuimus; ita nunc nonnulla de iis Tecum, si annuis, conferemus : succincte tamen, quod quæ ibi prolixius sunt disputata, hic omnia repetere nihil admodum opus esse videatur, cum illa accurate perlecta a Te Tuisque noverimus. Unum nunc reverenter poscimus ac flagitamus, ut hæc studia nostra quo soles favore prosequaris, Tuisque ac Tuorum precibus nostros adjuves conatus.

## CAPUT PRIMUM.

# Hujus operis scopus : in eo contenta.

Quid hoc nostro in opere spectemus, quem ad finem omnis noster multorum annorum labor collineet, satis superque in nostra ad Januarium Præfatione videmur declarasse : nimirum ut quidquid gestum olim a Sanctis præclare, id omne lectoribus repræsentemus, non nostris tamen verbis, sed veterum scriptorum, qui eorum facta litteris tradidere, vel destinato studio in peculiarem aliquem commentarium redacta, vel aliis inserta historis. Nam fuit ea omnibus retro seculis in Ecclesia consuetudo, ut quæ Sancti egregie actitassent, aut fortiter perpessi essent, quæque a Deo ad illorum illustrandum honorem edita constaret prodigia, diligenter litteris mandarentur. *Acta Sanctorum collecta olim.* De lucubrationibus ejusmodi ad Eusebio, *ab Eusebio,* Cæsareensi in Palæstina Episcopo, conscriptis aut collectis, ac deinde sexcentis post eum annis a Simeone Logotheta, sive Metaphrastes, *Metaphraste,* illic fuse a nobis actum : deque hujus ætate, dignitate, scriptione, laudatione per Michaelem Psellum post annum ab ortu Christi millesimum composita. Actum ibidem de Jacobo Voraginensi Genuensium Episcopo, *atque aliis.* atque ejus Lombardica historia, sive Aurea Legenda : deque hujus recognitione per Claudium Rotam. De Vincentii item Bellovacensis Speculo, et S. Antonini Archiepiscopi Florentini Chronicis. De Catalogo quoque Sanctorum Petri de Natalibus Episcopi Equilini, cujus postea nobis melius comperta est ætas : non enim, ut ibi diximus, S. Antonino suppar fuit, sed longe eo antiquior. Citat namque Thadæus Donnola in *brevi tractatione de loco martyrii S. Felicis Episcopi Spellatensis, grande et antiquum* illius Catalogi exemplar, *tabules cupressinis, et corio violaceo* compactum, *studio seque asservatum in selectissima bibliotheca Illustriss. et Excellentiss. D. Joannis Angeli Ducis ab Altæmps.... manu Varilini Zordani Presbyteri Veneti, Ecclesiæ S. Raphaelis Plebani, accurate exaratum anno* MCCCCVIII, *Petri de Natalibus Ep. Equilini* qui annus S. Antonino erat ætatis XIX, ab ingressu in Ordinem nem Prædicatorum tertius, uti in hujus Vita apud Surium VI Nonas Maii videre est. *Catalogus SS* Ipse vero Petrus (ut ad calcem ejus codicis de se testatur) *Sanctorum Catalogum scribere inchoavit anno Domini* MCCCLXIX, *die festo S. Barnabæ, adhuc Plebanus existens Sanctorum Apostolorum Venetiarum, diœcesis Castellanensis : opus vero ad exitum perduxit anno* MCCCLXXII, *die* XXVI *Maii, jam creatus Episcopus Equilinus provinciæ Gradensis.* *quando scriptus?* Nicolaus V Pont. Max. postea Gradensem et Castellanensem Episcopatus (uti VIII Januarii § 3 ad Vitam B. Laurentii Justiniani dictum) ita univit, ut suppresso utroque titulo, Patriarchatus Gradensis dignitate in urbem Venetiarum translata, eumdem B. Laurentium primum Venetiarum Patriarcham crearit anno MCDLI Christi, post collectum a Petro Catalogum LXXIX. Mortuus est autem S. Antoninus anno MCCCCLIX, post eumdem conscriptum a Petro Catalogum LXXXVII, ipse annos natus LXX.

*Surii opus de SS.* Ibidem Laurentii Surii Carthusiani præclarum opus commendavimus, e quo sua hauserunt recentiores plurimi, qui Vitas Sanctorum vario modo, ac ratione styloque ediderunt. Illic quoque cap. 1 § 6 indicavimus, quale sibi Heribertus Rosweydus e Societate nostra vir doctissimus designasset opus, voluminum omnino XVIII. Quorum XVI priora Vitas complecterentur, sed nullas, quarum ipse non esset manu exaratum nactus exemplar, vel quas non ex archetypis fideliter et integre expressas sciret. *Majus designatum Rosweydo.* *Interesse* enim aiebat, *originalia Vitarum scripta semel extare, quod perparum fidei breviatoribus sit sine istis : quando scilicet quisque suo capturem delibat, et dum suo palato consulit, alterum suo gustu privat.* Illis XVI voluminibus, unum Annotationum, alterum Indicum variorum adjicere cogitabat. Quæ quidem tam ampla lucubratio ut perfici posset, festive quærebat Cardinalis Bellarminus, cautumne auctori esset, ducentos adhuc annos victurum? tot enim sibi ad eam absolvendam necessarios videri.

Latius tamen noster patet labor. Neque enim eas solum date Vitas cogitamus, quarum nacti erimus MS. exemplar, vel ex archetypo fideliter expressum. Quid enim si illustrium Sanctorum vel perierint Acta, *nostrum quale?* vel numquam plane litteris tradita; extet tamen eorum, ut sit, apud historicos memoria; non licebit quæ hi tradiderint colligere, et in lucem proferre? Quid si solum epitome extet deperditorum Actorum, eaque haud satis perite ad historiæ normam exacta, nefas erit eam lectoribus proponere? Etiam his destituti monumentis, aut legitimo scriptorum testimonio, si cujuspiam Sancti repererimus populi sermonibus miracula ac benefacta celebrari, vel ex appensis circa tumulum anathematis ac tabulis; non id qualecumque est, exponemus? Atque hæc instituti operis ratio etsi illic satis est accurate explanata; tamen quia multis illa Præfatio nostra, sive eam viderint numquam, sive olim legerint, non est nunc fortassis ad manum; breviter hic videtur repetenda : sed non, ut ibi fecimus, caussis omnium operose expositis.

Primum igitur Acta inquirimus, quæ sint ab iis conscripta, qui illa geri ab Sanctis viderunt : *continet Vitas a spectatoribus scriptas,* is enim post Divinas litteras primus maximeque legitimus gradus historiæ. Talia quinto Februarii sunt Martyrum Japoniorum Acta, a Ludovico Froio exarata : talis sexto Vita S. Amandi per Baudemundum, B. Margaritæ de Cortona XXII per Junctam Mevanatem, et aliæ complures, et quæ a publicis Notariis excepta in judicio, Martyrum Præsidumque dicta ac facta. His proximi sunt ac prope pares ii scriptores, qui non spectarunt ipsi quidem quæ narrant, saltem omnia; *aut de spectatoribus auditas,* sed ab iis qui spectarant acceperunt. Accedunt illi, quibus nec ipsi spectatores retulerunt, sed alii fide digni qui ex spectatoribus didicerant. Tum qui ex *vel aliunde collectas.* probatis documentis, publicisque transactionum, donationum, testamentorum instrumentis, aut certe historiis, quas harum trium classium auctores composuerant; sive auctorum ipsorum aut tabularum verbis, seu stylo suo commemorant. Hæc tamen omnia ut justis momentis ponderentur, discutimus, qua licet : cujusmodi illi ipsi fuerint scriptores, (etiamsi autoptas se oculatosque et auritos testes profiteantur) an viri prudentes ac probi, an non hæretici; non *omnes tamen sedulo examinatas* partibus, quas laudant, nimium addicti; non ad quidlibet credendum faciles, et in scribendo inconsiderati, ut velut certa asseverent, quæ ab levissimis hominibus audierint. Tum illud quoque indagare oportet, annon etiam probatissimorum auctorum scripta, adulterata sint a posteris, aut inepte interpolata : quod etiam in donationum instrumentis evenit, ut adjecta iis sint quædam, et quandoque integre conficta. Ac sunt propterea hæc universa ad veritatis rationem revocanda, expensis, quantumvis fastidiose, temporibus, ad locis; et nationum, apud quas ea feruntur gesta, institutis, tum hominum, qui intervenisse dicuntur, ætate ac moribus. Alia sunt sequioris notæ scripta, quæ longo post Sanctorum ætatem tempore composita sunt, quod vel abolita essent, quæ solida

*tum alias minus certis :*

fide olim fuerant exarata, vel certe numquam litterarum monumentis, quæ gesta erant a Sanctis, commendata. Hæc ergo ex fama a majoribus accepta, aut vulgaribus monumentis, nec sat certis, collecta, sæpe ab ignotis auctoribus et tempore incerto, ita prodita sunt posteris : qui tamen illa, cujuscumodi essent, meliorum defectu, amplexi sunt. Neque nos illa omnino respuimus, tamen magis etiam quam priora suis ponderibus examinamus, et ad authenticarum historiarum calculos expendimus. Eas quoque Vitas damus, quæ ex antiquioribus, et forte genuinis Actis contractæ, aut varie interpolatæ, prætermissis aut brevissime perstrictis, quæ de virtutibus Sanctorum erant scripta; miraculis vero, præsertim quæ minime vulgaria viderentur, accumulatis, ac sæpe immodice exaggeratis; intertextis etiam temporum notis, descriptionibus locorum, rerumque explanationibus superfluis : quas Vitas propterea pensiculatius examinandas et ad libram lineamque certam redigendas.

*etiam ex genuinis deperditis contractas et interpolatas.*

*In singularum Prolegomena varia examinata*

His omnibus, etiam quæ a veteribus conscriptæ sunt, Vitis præmittimus prolegomena quædam, sive observationes necessarias, ut Vitæ ipsæ quod merentur pondus obtineant. In iis quærimus quibus locis ac temporibus ii vixerint Sancti. An exploratum sit publicam iis habitam olim venerationem? Qui eorum Vitam scripserint, quo tempore, qua clari eruditionis fama? Unde exemplar nacti simus, aut etiam plura? Neque umquam dissimulamus, cujus humanitate vel ipsi nobiscum sint communicati codices, vel ex iis Vita descripta et ad nos missa. Hoc arbitramur ad testandam gratitudinem nostram, fidemque Vitis illis addendam, valere. Ipsæ tamen Vitæ, præsertim ab ignotis auctoribus compositæ, quam solidæ videantur, aperimus.

*Annotationes post singula capita.*

Post singula quæque capita (nam in certa capita ac paragraphos, Vitas longiores partimur, ut interquiescere lector possit) post illa ergo capita Annotationes, si quæ necessariæ videantur, subnectimus : non ut Rosweydus meditabatur, postquam omnes excusæ essent Vitæ. Eas Annotationes speramus lectoribus usui fore, præsertim eruditione mediocri præditis, quibus præcipue consulimus. Quamquam poterunt fortassis eædem sinistra eruditissimorum judicia sistere, qui quandoque Vitas abnormi stylo conscriptas, nullis locorum notis temporumque additis, aut vitiose expressis, temere aspernarentur, nisi his fultas veluti adminiculis viderent.

*in quibus eadem primorum scriptorum stylus, cum necesse est, explicatur*

Damus enim Acta ipsa Sanctorum eo stylo quo primitus scripta sunt, quantumvis agresti et incompto, si quidem assequi ita primigenia phrasi scripta possimus. Atque id novimus eruditis hominibus admodum probari, etiam heterodoxis. Certior inde dictorum fides, quando ipsa æqualium Scriptorum, aut certe, antiquissimorum, quos quidem consequi potuimus, verba repræsentamus. In quibus tamen si qua dictio barbara aut inusitata, quæ vel offendere possit, vel non ita commode intelligi; (quales multæ in medii ævi scriptoribus) eas in Annotationibus explanamus, nisi et nos earum fugiat notio.

Mallent nonnulli (quibus ibidem cap. 1 § 7 fuse respondimus) compto et eleganti stylo narrari quæ certiora videntur : cetera resecari, aut penitus omitti. Verum ab his longe nostra discrepat ratio : nam sic res innumeras, quæ nobis obscuræ aut incertæ videri possunt, propterea quod alios scriptores, quorum testimonio confirmentur, nondum legerimus, deberemus taciti præterire, non sine Veritatis ipsorumque Sanctorum aliqua injuria, ac piorum hominum detrimento. Quis enim nobis eam dedit potestatem, ut quia non assequimur qualis sint scripta aliqua auctoritatis, ea expungamus ac mutilemus. Nam quod aliqua omni careant sermonis elegantia, nemini mirum videri debet, cum multis ætatibus vel nulli vel perrari extiterint, quorum esset limatus et elegans stylus, aut etiam satis Latinus : unde et ipsi Regum annales a multis inscite prorsus sunt conscripti, uti a Fredegario, aliisque Gallis et Hispanis antiquis scriptoribus. Si qui politulum adepti stylum sibi videbantur, ii ad privata emolumenta, aut inanem fucum gloriæ sibi comparandum conferre operam suam maluerunt. Multi res gestas Sanctorum ita literis tradiderunt, ut vel studio humilitatis ipsam etiam sermonis munditiem devitarint, vel quæ simplici et vulgari essent stylo conscripta, facilius intelligi, ab rudibus etiam hominibus posse existimarint, ac majorem fructum allatura. De S. Hegesippo ista habet S. Hieronymus libro de illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap. 22 : *Egesippus vicinus Apostolicorum temporum, omnes a passione Domini usque ad suam ætatem Ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit sermone simplici : ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem*. Quæ verba apud Usuardum ad vii Aprilis, in Martyrologio quoque Romano de eo leguntur. Sunt tamen Vitæ insigni venustate expolitæ, et ab antiquis auctoribus Latinis ac Græcis multæ, et ab recentioribus plurimæ, tum eorum Sanctorum qui superiori seculo vixerunt, tum veterum, quorum ii ex certis monumentis Acta collegerunt, et suo stylo exornarunt.

*nam ita olim scripta*

*defectu elegantium scriptorum.*

*vel ex humilitate :*

*quædam elegantes :*

Si qualia hactenus diximus, ab aliis quocumque stylo exarata, vel eruta ex certis monumentis, Acta non reperimus; ea nos undique ex variis scriptoribus, sacris præsertim, et, quæ assequi pervestigando possumus, documentis, velut consutis centonibus, utcumque visum est, inter se invicem conserta proferimus. Ac demum quæ in nullis scriptis reperta, fama vulgique sermonibus celebrantur, iis præsertim locis ubi Sanctorum illorum reliquiæ asservantur, aut ubi illorum invocatione eduntur miracula, ea quoque non respuimus, sed nec plus quam mereantur addimus momenti.

*quædam a nobis collecta ex variis, etiam fama.*

Denique modis omnibus conamur fontem ostendere, e quo piæ doctrinæ atque exemplorum rivi promanent, ad salutem mortalium : sive fons ille suis adhuc marginibus, antiqua arte, scite ornatus sit; sive jam abditus, spississque arborum umbraculis tectus hactenus fuerit, ut operosa interlucatione ad eum pandere aditum oporteat. Si neutro modo ad ipsum pertingere fontem possumus; ab eo certe per ignotos meatus prodeuntes scaturigines scrutamur, ut ad abditum aquarum thesaurum pervenire, qui majori pollebit industria, queat, et quo volet, qualibusque volet canalibus, puros salubresque latices deducere.

*Opus hoc fons est quidam*

CAPUT SECUNDUM.

## Cur quandoque plures Vitæ Sancti unius edantur?

*Eduntur hic plures Vitæ unius Sancti a diversis scriptæ.*

Visi sunt pii quidam homines illud in nostro opere improbare, quod unius Sancti plures Vitas edimus. Nam cum ipsi eas ideo potissimum legant, ut virtutum inde colligant exempla; cupiantque prolixa lectione non distineri; mallent omnia clare ac perspicue dici, aut saltem non sæpius idem, ut aiunt. Multas tamen et graves ob caussas contrarium nobis visum est : idemque probarunt (quorum usi sapientissimo consilio sumus) præter Antonium Winghium Abbatem, Joannes Tolenarius, Laurentius Fwenus, et potissimum Jacobus Tirinus, Domus hujus nostræ Præpositi, maximo judicio

dicio viri, et scriptis clari. Probarunt ii quoque, ut plures alios prætercam, qui nostrum hoc opus recognoverunt, suoque calculo confirmarunt, et ipsi summa eruditione ac prudentia conspicui. Atque revera sunt subinde a diversis auctoribus, doctis et gravibus scriptæ Vitæ unius ejusdemque Sancti. Horum autem scriptorum duplex ex ordo : nam ambo quandoque ipso quo gestæ res sunt tempore vixerunt: et narrat fortassis unus nonnulla, quæ alter prætermisit. Qui potest igitur altera ejusmodi Vita prætermitti, absque injuria auctoris, ac historiæ fraude?

*maxime Sancto ipsi coævis.*

Edite, inquies, unam; ex altera, quod deest supplete. Quo in modo? An ut in unius narrationem ex altera verba aliquot aut integras periodos intrudamus, atque ita novam quamdam Vitam, una sic interpolata, procudamus? Alienissimum id ab nostro instituto, et doctorum hominum exspectatione, qui genuina volunt veterum scripta. An sufficere censes, ut alterutram edamus, ex altera subnectamus quæ deesse videbuntur? Quid si utraque par esse videatur, quem nos, aut qua ratione delectum adhibebimus? qui patientur lectores unam subtrahi sibi, et in æternas abdi tenebras; quam etiam fortassis, si vidissent, alteri prælatam voluissent? Nonne igitur ad fidem nobis conciliandam, Vitis ipsis auctoritatem, dari utramque expedit? Atque id valere quoque videtur, etsi una ejusmodi Vitarum (qui alter erat ordo comparatorum scriptorum) longo post tempore scripta esset, quam res gestæ, alteraque Vita edita. Habet prior quidem scriptor antiquitatis prærogativam, in qua vis inest magna, ut quæ narrat credibiliora videantur: alter tamen, etsi seculo uno alterove posterior, plura potest vetera documenta examinasse, et adjuncta rei gestæ certius explorasse.

*nec invicem commiscentur :*

*item aliquæ longo post scriptæ :*

Attamen si scriptor anonymus, nec gravi satis stylo nec methodo probabili usus, ex alterius (præsertim si et is anonymus atque ignotus) lucubrationem suam decerpat; quamvis diffusius fortassis ac phrasi mutata; non facile utramque edendam censemus : satis enim superque fecisse videmur, si lectorem monuerimus extare aliam in MSS. codicibus, re nihil, dictione aliquantulum discrepantem, aut etiam principium ejus recitaverimus. Quod multo etiam magis licere nobis videtur, si quas in secundis reponendas Vitas judicamus, eæ editæ jam sint, inque hominum manibus versentur. Neque enim plerumque tales, saltem integras, recitatamus : allegamus tamen quandoque ex iis aliqua in nostris Annotationibus, ut consulere eas, si volet, lector, quod ei promptum est, queat. Ita multas a Simeone Metaphraste, ejusve scribis, interpolatas, Latine dein editas a Lipomano ac Surio, solum citamus, quo jam diximus modo, quando antiquiores e Latinis Græcisve MSS. nacti sumus, quas iis merito præferendas censeamus. Damus tamen aliquando utrasque, si multum discrepant, etsi MSS. antiquiores videantur : quia quæ adjecit Metaphrastes, vir doctissimus, ea ex aliorum scriptis, quorum immensam copiam habebat, credi potest hausisse, quæ scripta dein abolita sunt, præsertim cum Barbari Constantinopolim ac reliquam Græciam expilarunt.

*subinde tamen altera omittitur,*

*si ab anonymo, et fere eadem,*

*aut antea edita.*

Denique non id primi in usum duximus, ut plura unius Divi Acta proferremus. Multorum id, si non omnium, fuit ante nos, estque etiamnum, eruditorum hominum institutum. S. Cypriani Martyris qui diligenter recognita edidere in lucem opera viri doctissimi, Jacobus Pamelius et Nicolaus Rigaltius, nonne plura ejus martyrii acta ex vetustis codicibus descripta præfixere? Idem S. Chrysostomo in Græca Latinaque editionibus factum : idem Gregorio Magno et recentioribus Petro Damiano, Bernardo Claravallensi, atque aliis. Nisi forte existimant, qui contra sentiunt, id solum fas esse, cum scripta cujuspiam publicantur, ut quid de eo plures senserint constet: non item si dedita opera, non scripta ejus, sed res gestæ investigentur: cum illud hic usurpari multo æquius videatur.

*Id alii quoque fecerunt.*

Quid quod veterum Patrum eadem fuit sententia? Indicio sunt quæ in hoc volumine ad diem 1 Februarii de S. Ephræm Syrio proferuntur. Post duplicem ipsiusmet de sua conversione narrationem ac luculentum Testamentum, egregiam de ejus rebus gestis orationem composuit, ediditque S. Gregorius Nyssenus, aliam Vitam antiquus quidam anonymus : alii quædam, etiam ab illis omissa, in suas historias retulerunt, ut Sozomenus Scholasticus.

*etiam sancti Patres :*

Neque nobis, quos ad singulorum Sanctorum ornandam memoriam quidquid eruere undique factorum potuimus, vulgare convenit, id non licere sentient, ut arbitramur, qui Regum regnorumque commentariis etiam plures Sancti unius Vitas inserunt, unde Regum eorumdem illustretur memoria, provinciarum urbiumque antiquitates eruantur. Andreas Chesnæus Christianissimi Galliarum Regis Geographus, vir eruditissimus, nobisque, dum viveret, amicissimus, tomo 1 Scriptorum coætaneorum historiæ Francorum, geminam S. Leodegarii Augustodunensis Episcopi Majorisque Domus Regiæ ac Martyris, Vitam edidit, et quidem integram utramque : priorem ab anonymo scriptam, dicatamque Ermenario, ipsius Leodegarii in Sedem Augustodunensem successori; alteram ab Ursino scriptam, jubente Ansoaldo Pictavorum Pontifice, qui Didoni S. Leodegarii avunculo suffectus erat.

*et alii ad profanam historiam illustrandam,*

*ut Chesnæus,*

Quis vero illustris familiæ cujuspiam, urbisve aut provinciæ, antiquitatem atque ornamenta exornare stylo conatur, qui non ad adstruendam dictis suis auctoritatem, quæ potest omnia corradat, subinde in vilibus pittaciis exarata, etiam ab ignotis et ineruditis scriptoribus, qui sæpe omnes eadem narrant, ac nonnunquam verbis iisdem, quæ ceteri a primo descripserunt, aut alioquin iisdem e tabulis acceperunt?

*alii idem agunt in vulgares notis scriptis.*

Nam quis e litteratorum grege, si opusculum aliquod reperit vetusti auctoris, sive is ante a notus extiterit scriptis, aut saltem nomine, seu plane ignotus, quæcumque opere illo tractetur materia, non continuo adlaborabit, ut typis mandetur ac lucem videat, vel seorsim vel in voluminibus antiquæ lectionis? Et hoc quidem studium publicis utilitatibus consulendi non reprehendimus. Sed idem illis qui Divorum res gestas, etiam ab aliis pertractatas, suo et ipsi stylo explicarunt, fieri debere asserimus, ac multo etiam potiori jure. Sive et enim nomen lateat, seu notum sit, auctoris, opus tamen ipsum tum sua antiquitate, tum argumento id mereri videtur. Cedo enim, si Plinii quis aut alicujus, qui ærea illa vixerit ætate, non modo antiquioris alicujus, reperiat uspiam epistolam, aut ignoti operis fragmentum, etiamsi quæ illo res narratur, ab aliis compluribus commendata sit litteris; non illico id quodcumque est volet ad eruditorum manus venire? non hi avidissime arripient? Excellentium Imperatorum, Græcorum ac Romanorum, Vitæ et elogia a quamplurimis sunt posteritati propagata. Si illorum valeret ratio qui hic contrarium ac nos sentiunt, unicum reservari, cetera discerpi, concidi, dissipari oporteret : aut saltem nefas esset unius alicujus ex illis Imperatoribus, puta Alexandri aut Africani, plura ejusmodi elogia, a variis concinnata, in unum opusculum colligere, et eo modo in publicum emittere. Quod qui affirmare velit, næ is contra eruditorum omnium opinionem, atque adeo contra communem sensum hominum pugnet.

*Vetera scripta noviter inventa avide eduntur, leguntur,*

*etiamsi res eadem ab aliis tractata.*

Quibus tamen grave sit ac molestum, ita multa de Sancto uno volvere, et sæpe res non admodum diversas referentia; egregie sane eorum fastidium sublevamus, addita ad marginem omnium, quæ narrantur, succincta synopsi: ut, quod festive olim dicebat Balduinus Cabillavius noster, die uno perlegi volumen bene vastum queat : qua ratione omne fere scriptorum genus.

*sublevatur lectoris labor per summaria marginalia*

nus, inter innumeras alias occupationes, incredibili aviditate devorarat. Si quæ res occurrent sic obiter legenti, quas discutere pensiculate velit, licebit quæ in pluribus ejusmodi Actis narrantur, invicem comparare. Ita nos nihil fere quod alicujus momenti videatur, aut in Vitis ipsis traditum, aut aliunde ad eas illustrandas accersitum, edimus; quin prius quæcumque sunt a veteribus historicis aut Patribus in eam rem scripta, examinemus. Quæ quidem nostra diligentia necesse est ut moram operi afferat, ne tam cito quam multi vellent absolvatur. At nobis ea ratione prius satisfaciamus, ut satisfaciamus et Lectoribus : quibus certe, si quas ejusmodi Vitas omitteremus, neutiquam fieret satis. Demus etenim, exempli caussa, S. Amandi Episcopi Trajectensis ad VI Februarii eam solum editam fuisse Vitam, quam Baudemundus Abbas Blandiniensis, ejus discipulus, scripsit, quæ sane omnium maximam obtinere debet auctoritatem: quid iis dicemus, qui requirent quam Philippus Abbas Bonæ Spei composuit? Est hæc quidem in manibus : at forsan paucorum. Non est perinde ea quam Milo monachus plusquam CCC annis ante Philippum versibus descripsit, in quatuor libros distributam : nec quæ de ejusdem sancti Antistitis elevatione, ac translatione Milo idem prosa aliique de miraculis ad posteros transmisere.

*nos omnia de iisdem rebus scripta pervolvere solemus,*

*plures unius Sancti Vitæ, si scriptæ sunt, gratæ lectoribus*

Nam miracula (quod quidam aliquando nobis suadere conati sunt) minime prætermittenda ducimus. Valent ea (ut alibi plenius dictum) ad augendum honorem Sanctorum, ad ingenerandam mortalibus de impetranda ab illis ope fiduciam, ad deterrendum a sceleribus impios, maximeque eos qui sacrorum hominum locorumque immunitatem violare aut quoquo modo minuere niterentur. Eadem miracula historiæ quoque, profanæ æque ac sacræ, lumen præferunt. Chesnæus certe in citato antea scriptorum Francicorum opere, non solum ex variorum Sanctorum Vitis, sed ex libris quoque miraculorum, quæ sunt eorumdem Sanctorum meritis facta, profert non pauca ad historiam Regum explanandam.

*etiam miracula, quæ utiliter eduntur.*

## CAPUT TERTIUM.

## Sanctorum Hibernorum Scotorumque Vitæ quatenus hic relatæ? versæ aliæ e linguis peregrinis.

*Vitæ sic plures editæ, sæpe populorum de SS. lites sopiunt*

Quando (ut fieri oportere capite præcedenti contendimus,) unius Sancti plura Acta a variis conscripta recitantur, illud, præter jam dicta ex iis redundat emolumenti, ut quæ inter urbes ac populos quosdam de nonnullorum Sanctorum loco natali, reliquiis, rebusque aliis ad eos pertinentibus, existunt controversiæ, neque satis perspicue ex una Vita decidi possunt, ex aliis fortassis ultro sopiantur, aut corruant. Possemus, in hoc ipso primo tomo Februarii, hujus rei exempla commonstrare, nisi metueremus vel ex eo solo alteri parti addicti videri, qui soli Veritati obnoxios nos profitemur. Quia enim multi Veritatem ad sese, velut apprehensis vestimentorum ejus laciniis quibusdam, trahere nituntur, aut eam ita exornare vario cultu, ut opertam potius ignotamque latere, quam qualis est, in propatulo conspici eam malle videantur; nos illa, quibus, quodammodo involuta tectaque est, siparia haud reducemus, ne videamur invitis eam et repugnantibus, cum maxime tamen quærere se eam clamitent, invidiose proponere. Allatis secundis tertiisve Actis, aut aliis veterum testimoniis, ipsa vultum ultro fortassis ingenue reteget, ut eam, qui volent, queant agnoscere.

*quæ aliorum SS. acta illustrant,*

Atque (ut tantisper adhuc eidem inhæreamus proposito) nonnumquam dum plures ab antiquis scriptoribus compositæ Vitæ vulgantur, non ipsorum duntaxat Acta singula ex aliis fiunt clariora, sed plurium aliorum gesta explanantur. Id licebit in S. Brigida Virgine Scota I Februarii perspicere. Ejus, præter bene longa prolegomena, quinque Vitas edidimus, ferme idoneæ molis volumen. Sed quia in iis plurimorum Sanctorum Hibernorum, sive Scotorum, mentio fit, ad horum adstruendam sanctitatem, ac res gestas illustrandas, eæ plurimum conferunt Vitæ.

*ut S. Brigidæ multorum SS. Hiberniæ.*

Tulit enimvero *Scottorum patria Hibernia*, ut eam Beda lib. I histor. Eccles. Gentis Anglor. cap. I vocat, innumerabilem olim Sanctorum multitudinem. Quam ad rem probandam unicum S. Bernardi in Vita S. Malachiæ Episcopi, ad diem III Novembris edenda, testimonium sufficiet. Ille de Benchorensi in Ultonia, ad sinum qui *Knockfergus* dicitur, monasterio ita scribit : *Ipsum quoque locum Benchor... tradidit ei Princeps, ut ædificaret ibi monasterium, vel potius reædificaret. Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo Patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus vere sanctus fœcundusque Sanctorum, copiosissime fructificans Deo : ita ut unus ex filiis sanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator exstitisse feratur. Quod idcirco dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quam ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam Scotiamque repleverunt genimina ejus, ut ea potissimum tempora Davidici illi versiculi præcinuisse videantur : Visitasti terram et inebriasti eam...... Nec modo in præfatas, sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione facta, illa se* SANCTORUM EXAMINA *effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium* etc.

*qua in insula multi olim monachi*

*et Sancti,*

Psal 64 10

*etiam ad exteros profectis*

Qui e patria, ut habet S. Bernardus, in exteras regiones abiere Scoti Hibernive Sancti, eorum præcipui, nostratium, Gallorumve aut Germanorum, vel etiam suorum gentilium, qui socii fuerunt peregrinationis, celebrati sunt scriptis. In iis porro scriptis aliorum quoque mentio fit, qui in natalibus insulis remansere : quorum nonnulli apud Anglos quoque, gentesque alias, fama celeberrimi fuere, ut *S. Patricius* Hiberniæ Apostolus, *S. Columba* abbas, *S. Brigida* Virgo, *S. Congellus* atque alii, quorum ex Vitis, aliorum Sanctorum, qui alias nobis omnino essent ignoti, nomina ac subinde gesta aliqua addiscimus.

*quorumdam ex Vitis celebriorum innotescunt gesta*

Sunt quidem a Joanne Colgano Sacræ Theologiæ professore ex Ordine Minorum, editi promiscue cœpta Sanctorum Hibernicorum, etiam qui fere sola in patria noti sunt, Acta, labore immenso : haud adhuc constat, an pari apud exteros fructu, propterea quod his ignota sunt, quibus illorum sanctitatem ac dies iis dicatos adstruit, Martyrologia, et alia quæ sequi se profitetur documenta. Suasimus aliquando, ut hæc prius vulgaret : nam cum ea amatores antiquitatis probassent, futurum ut firmiori deinde gradu ad Vitas ipsas progrederetur. Aiebat autem se complura habere Martyrologia, quædam ante annos DCCC ab sanctis et doctis viris concinnata. Concilia item Hibernica, poemata scriptaque alia miræ antiquitatis : et nobis pro sua humanitate duorum ejusmodi Martyrologiorum ecgrapha ad Februarium spectantia communicavit : unum compositum aiebat a B. Mariano Gormano Abbate Lugundensi circa annum MLXXI, alterum a S. Engusso Episcopo, qui seculo octavo vixerit, asservatumque in Tamlachtensi monasterio : iis nos haud raro usi sumus. Verum quod ei fideliter dabamus

*Vitas plurimorum edidit Colganus*

*utinam prius Hibernensia Martyrologia*

mus consilium, ei tunc sese acquiescere negabat posse : sive quod amici ac præsides vulgari prius Vitas mallent, seu quia fortassis in iis Martyrologiis aliqua reperiebat, quæ minus probatum iri nasutis censoribus putaret, cum ipse quædam posterius adjecta videri fateatur. Deo tamen supplicamus, ut ad opus de Sanctis, ut incboavit, perficiendum, vires ei subsidiaque alia largiatur. Transcribimus ex eo opere in nostrum quandoque Vitas aliquas, sed eorum dumtaxat Sanctorum, quorum in aliis Vitis vulgo notis, minimeque suspectæ fidei, mentio fit. Quorum vero incomperta alibi memoria, eorum non temere Acta, ab eo licet vulgata, proferimus; nihil tamen eorum sanctitati, aut etiam publicæ venerationi, si quam olim obtinuerunt, priusquam hæreticorum jugo Hibernia opprimeretur, detrahentes.

*sumimus ex eo quasdam :*

Eo autem sollicitius ab iis calamum abstinemus, quod fere contextæ sint ex portentosis miraculis : quæ vere fortassis olim acciderunt ob sinceram piissimæ gentis simplicitatem; tamen ita imperite nonnunquam congesta sunt, omissis iis quæ ad virtutum officia spectabant, ut risum potius movere lectoribus queant, quam Sanctos illos venerandi imitandique affectum. Nec queri quisquam merito potest, nos Sanctis illis injuriam facere, si quorum in nullis Fastis reperimus nomina, nullisque in Actis aliorum Sanctorum; ea quæ de ipsis in solis gentis illius extare monumentis dicuntur, atque eorum non pauca Scottica aliave barbara lingua conscripta, operi nostro non inseramus.

*non omnes, præsertim valde portentosas, et penitus ignotorum.*

Quamquam non aspernamur universim, quæ peregrinis linguis scripta sunt. Profitemur enim nos Acta Sanctorum edere, ut olim Latinis litteris sunt consignata; si Græce solum extant, nos ea fideliter interpretari. At si quorumdam, quos certis in Ecclesiis, urbibusque ac provinciis coli didicimus, perscrutati Acta, nulla assequamur, nisi vernaculo populi illius sermone exarata, puta Italico, Hispanico, Gallico, Teutonico; nihil nos ab instituto nostro alienum facere arbitramur, si ea Latine vertamus, aut verti ab aliis curemus, in lucemque demus, sive manu solum exarata reperiantur, sive typis vulgata. In his tamen sumimus id nobis, ut quandoque breviori epitome complectamur, quæ multis ac superfluis verbis ad fastidium exaggerata sunt. Nisi id eveniat nonnumquam, ut quæ linguis illis edita sunt, ea e Latino exemplari translata dicantur, idque nos exemplar assequi nullo modo potuerimus : tunc enim pressius illa convertimus, ut si non verba, sententiam certe omnem repræsentemus. Sed liquidior in iis ratio quæ Latine scripta, aut Græce.

*Quasdam ex aliis linguis vertimus :*

*duplici modo.*

Porro Hibernis (nam eorum occasione huc devenimus) servamus religiose; quam in Præfatione ad Januarium cap. 2, § 6 dedimus fidem : ut quam adversus Scotiæ hodiernæ incolas acriter defendere nituntur nominis Scottorum, ac patriæ possessionem, et Sanctorum, qui plerique olim Scotti appellati, possessionem iis neutiquam abjudicemus : sed nec secundum eos potius quam Scotos pronuntiemus. Quos enim Scotos, seu Scottos, in vetustis codicibus nuncupatos reperimus, Scotos vocamus : Hibernos, quos Hibernos. Neque an Hiberni ac Scoti, quorum patria (ut ex Beda diximus) Hibernia, una gens fuerit, disputamus. Litigent ipsi sane, quoad volent, inclyti illius collatione decoris, modo fidei orthodoxæ et Christianæ caritatis communione invicem devincti permaneant. Quorum tamen in Vitis mentio fit provinciarum, urbium, fluminum Hiberniæ, circa quæ Sancti, de quibus sermo incidit, habitarint, eos in Hibernia vixisse affirmamus, etsi Scoti fuisse dicantur : idem de iis statuimus, qui cum Hiberni appellentur, in Pictorum Scotorumque locis, ut in Jona, sive Hy, insula aliisque babitasse asseruntur : eos enim Scotiæ, quæ id nomen hodie sola retinet, tribuimus. De omni reliqua controversia, ob quam inter se infestissime altercantur, ne inquirere quidem nobis lubet, ut de multis in Germania monasteriis olim Scoticæ genti ædificatis, an utrisque aliquando communia fuerint.

*Litem de SS. inter Scotos et Hibernos non decidimus.*

CAPUT QUARTUM.

## De Dextri, Maximi Ep. Cæsaraugustani, Luitprandi, Juliani Petri Chronicis Hispaniensibus, judicium.

*Chronica Dextri, Maximi etc, nobis suspecta.*

Propositum etiam nobis illud antea fuit, ut Historias quasdam, Adversaria, Chronica rerum Hispaniensium, quæ nostra memoria sub Dextri, Maximi, Luitprandi nominibus edita, etsi minime nobis probarentur, tamen quia a viris eruditis laudata illustrataque commentariis essent, ipsi non impugnaremus. Verum difficile deinde visum, non indicare lectoribus, ubi occasio tulerit, cur ab iis dissentiamus : quia nempe ut plurimum veteribus scriptorum monumentis repugnent; ut etiam cum nil occurrit, quod iis contrarium sit, niti tamen sola eorum auctoritate minime ausimus, quam alibi fluxam et inanem deprehenderimus. Neque tamen definire illud possumus, sint ista necne, ante duo triave forsan secula a quopiam collecta; an nuper excogitata omnia; an potius ex levibus quibusdam lineamentis, uspiam in vetusto aliquo codice inventis, efficta et adornata. Novimus quod de iis sentiant, etiam in Hispania quidam eximia antiquitatis scientia ac singulari judicio præditi homines; atque in primis D. Nicolaus Antonius Hispalensis, vir nobilis, et in Curia Madritensi, juris scientia, ceteraque eruditione, ac virtutis existimatione clarissimus. Ludovicus Nonius, et ipse nobis, dum viveret, amicissimus, quo non multi in omni antiquitate, præsertim Hispaniarum, magis versati, quisquilias vocabat. Alius quidam vir doctissimus, inque amplissima constitutus dignitate, nobis aliquando retulit, plurima esse per omnem Hispaniam monumenta antiquitatis, tum Romanæ tum Christianæ, sed pleraque ignorata : intereaque nunc repertas sub terra tabellas, nunc alia supposititia scripta proferri in lucem, et defendi, ut ita scilicet publica approbatio tentetur. Ut ut sit, dabunt cordati homines nobis eam veniam, ut quamdiu suspecta nobis sunt, quacumque ex caussa, liceat iis non uti : etsi non certa ac solida alioquin ratio, sed nostra solum nos doctrinæ tenuitas, ingeniive tarditas revocaret. Ea sane si visa nobis non essent, tacite præterire liceret : cur non igitur liceat, quia visa sunt, quare iis niti nolumus indicare?

*et multis viris doctis.*

*etiam Hispanis.*

*non sequimur.*

Qui porro volet cur magnis illis auctoribus adscripta falso esse hæc Chronica arbitremur, summatim cognoscere (nam particulatim omnia expendere, longi esset laboris, quique operis nostri absolutionem plurimum retardaret) is de Dextro quod in Præfat. ad Januarium cap. 2, § 6 diximus, secum repetet. S. Hieronymus in libro de illustr. Eccles. scriptor. cap. 132 ita scribit : *Dexter Paciani, de quo supra dixi, filius, clarus apud seculum, et fidei deditus, fertur ad me omnimodam historiam texuisse, quam needum legi.* In illius quoque libri proœmio ad ipsum Dextrum, ista habet inter cetera idem Hieronymus : *Quod Cicero tuus, qui in arce Romanæ eloquentiæ stetit, non est facere dedignatus in Bruto, Oratorum Latinæ linguæ texens Catalogum.*

*logum*, etc. De patre vero S. Paciano (quo de agemus IX Martii) idem cap. 106, ista habet : *Pacianus in Pyrenæi jugis, Barcilonæ Episcopus, castigatæ eloquentiæ, et tam vita quam sermone clarus*, etc. Tria hæc capita sunt, ex quibus Dextri eloquentia ac styli nitor colligi possit : institutio, Ciceronis assidua lectio, scriptio cum jam esset *clarus apud seculum*, qui dein, ut alii tradunt, Præfectus Prætorio fuerit. Nemo autem vir illustris ad libros edendos facile animum solet adjicere, nisi qui stylo excellere sibi videatur : neque sane Dexter, ea præsertim ætate, qua Symmachus V. Pr. S. Ambrosius Ep. Aurelius Prudentius V. CL. atque alii eloquentia et styli venustate præstabant, scribere aggressus temere esset, et quidem ad S. Hieronymum, nisi se existimasset tum hujus masculæ facundiæ, tum suæ dignitati parem afferre orationem posse. Jam Chronici illius quam parum culta dictio! quam non respondet tanti auctoris dignitati! quam non sapit frequentem lectionem Ciceronis! Profecto irridere potius eum S. Hieronymus videri potuit verbis illis, *Cicero tuus*, si non alia pollere eum styli gratia novisset. Quid pater Pacianus, *castigatæ eloquentiæ*, et *tam vita quam sermone clarus*, non etiam filium sermone clarum fieri voluit, quem ad omne et virtutis et scientiæ decus informabat? Neque enim illud dici potest, nimis cito eum decessisse, priusquam filius disciplinarum earum capax esset, quandoquidem *sub Theodosio Principe jam ultima senectute mortuus sit*, quando et filius apud seculum clarus jam erat, uti ipso quoque tempore scripsit S. Hieronymus. Neque arbitramur virum gravem, ut Dexter fuit, ita vi quadam prætoria, Hispaniæ suæ vindicaturum fuisse quotquot vel levissimo indicio arripere posset, inque Sanctorum classem redacturum, de quibus ambigi possit an fuerint Christiani : nec illud non animadversurum fuisse, in ignominiam id potius suæ gentis, quam decus redundaturum. Illud enim taciti præterimus, quod annos ab ortu Christi, et quidem inscite, numeret, quod nulli tunc, ac ne multis quidem post seculis, fuit usurpatum. Cur non potius Consules, aut Æras Hispanicas adscripsit? Si id postea adjectum dicant, unde norunt non et alia plura adjecta, ac forsan omnia? Habeant tamen Chronicon hoc quo volent loco : nos illud neque Dextri *omnimodam historiam* esse censemus, neque ea fide scriptum, ut ejus stare auctoritate cogamur.

*Dexter vir doctus,*

*assidue legens Ciceronem,*

*a S. Paciano patre doctissimo institutus*

*tam inculpte*

*et talia non scripsisset*

*nec Maximus, laudatus a S. Isidoro,*

De Maximo ista S. Isidorus Hispalensis, ejus æqualis, libro de scriptoribus cap. 33, habet : *Maximus Cæsaraugustanæ civitatis Episcopus, multa versu prosaque componere dicitur, scripsit et brevi stylo historiam de iis quæ temporibus Gothorum in Hispaniis acta sunt, historico et composito sermone. Sed et multa alia scribere dicitur, quæ necdum legi.* Sed quod nuper editum est Maximi Chronicon Dextri Chronico superstructum, nihilo majoris est firmitatis. Fatetur auctor in Præfatione, esse *continuationem omnimodæ historiæ, quam fecit Fl. Lucius Dexter*. Multa, ut in Dextro, vana ac falsa, quæ nos vel omittemus, ne nostræ cursum scriptionis morentur, vel (si tanti erit eam operam subire) refellemus, uti tomo 3, ad 23 Februarii, pag. 394, refutata breviter sunt, quæ de S. *Celso* scripta in eo Chronico, deque Ferrando Carthaginensi in Africa Diacono, quem perperam *Hectorem* esse volunt Episcopum Carthaginis Spartariæ, qui Concilio Tarraconensi anno DXVI interfuit. Quo ex loco satis perspicue probari videtur, subdititium hoc quoque opus esse, neque a Maximo Episcopo tam inconsiderate fusum. Hugo Menardus, ut tomo 3 Februarii pag. 740 diximus, asserit *hoc Chronicon multa continere absurda, et S. Maximo prorsus indigna*. Georgius Cardosus Menardo subscribit.

*ita hallucinatus esset in rebus sua ætatis.*

*Luitprandi historia probata.*

Luitprandus Ticinensis Diaconus, ac dein Cremonensis Episcopus, scripsit *Rerum gestarum ab Europæ Imperatoribus et Regibus libros sex* : ac deinde Legationem, quam ad Nicephorum Phocam Imperatorem pro Ottonibus Augustis suscepit. Est autem opus utrumque pridem typis excusum, teriturque hominum eruditorum manibus. Ejusdem nomine *Chronicon* quoddam et *Adversaria* nuper edita sunt, quæ variarum incertarumque narratiuncularum ῥαψῳδίαν continent. Præfixa est Tractemundi Episcopi Illiberitani ad eumdem Luitprandum epistola, Luitprandique responsio : insunt autem in utraque multa, quæ alii forsan non molli calamo castigabunt. Nobis illud hic quærere liceat, quomodo in Hispanias penetrarit Luitprandus, ut potuerit Toleti Subdiaconus ordinari, aut quomodo eum, per loca acribus Maurorum septa custodiis, in manifestum servitutis periculum sese conjicere vitricus suus sit passus, sub cujus adhuc cura anno CMXLVIII Ticini degebat, ut libro 6, cap. 1, ipse indicat? Aut quando tandem Toleti Subdiaconus fuit? Ex Juliani Subdiaconi Toletani libro de ordine Archiepiscoporum, ista citat Hieronymus de la Higuera noster Prologo in Luitprandi Chronicon : *Anno* DCCCCXLVI. *Bonitus Toletanus Episcopus annis duobus : sub hoc floruit Eutrandus, sive Luitprandus, Diaconus Ticinensis, Toletanus Subdiaconus, et Tractemundus Presbyter, post Episcopus Illiberitanus, ab eodem Bonito missus.* Quid illud *sub hoc floruit*, sibi vult? Nempe quod ipse Luitprandus in Responsione ad *Tractemundum* scribit : *cum una Toleti quondam convixímus*. Hunc Juliani Subdiaconi librum necdum vidimus : neque scimus, idem sit necne Julianus Petri Archipresbyter Ecclesiæ S. Justæ Toleti, cujus Adversaria Chroniconque edita anno MDCXXVIII. Hic certe in Chronico ad annum 946 videtur paullo longius Bonito tempus Sedis tribuere, ac de Luitprando ita scribit : *Sub hoc fuit Subdiaconus Eutrandus, vel Luithprandus, Archidiaconus Ticinensis, historiarum scriptor haud ignobilis, et pariter poeta excellens..... Florebat per id tempus et Toleti Presbyter Trasemundus, post Illiberitanus Episcopus, vir sanctus ; ad quem Eutrandus scripsit Subdiaconus Toletanus, post Ticinensis Diaconus.*

*non Chronicon aut Adversaria :*

*nec videtur Toleti fuisse sub Bonito Ep.*

Videamus ea quæ certum est Luitprandum de se scripsisse, an cum his consentiant. *Hugo Arelatensium seu Provincialium Comes*, ut lib. 3, cap. 4 scribit, regnum Italiæ suscepit sub annum CMXXVI. Statim ipso regni initio, ut res suas stabiliret, *cum Reges ac Principes* (ut eodem libro, cap. 5 scribit idem Luitprandus) *amicos circumcirca acquireret, studuit nomen suum etiam Achivis longe a nobis positis notum facere. Imperabat vero his tunc temporis memoria satis et laude dignus Romanus Imperator, liberalis, humanus, prudens ac pius : cui cum propter morum probitatem, tum propter linguæ urbanitatem, genitorem meum direxit nuntium.* Ac paullo post : *magnoque ab eo genitor munere donatus, ad Hugonem Regem, qui se illuc transmiserat, rediit lætus. Post reditum vero ejus, paucis interpositis diebus, languore correptus, monasterium petiit, sanctæque conversationis habitum sumpsit ; in quo post dies quindecim mortuus, me parvulo derelicto, migravit ad Dominum.* Idem Luitprandus lib. 4, cap. 1, ista scribit, quæ circa annum CMXXX videntur contigisse : *Ea siquidem tempestate tantus eram, qui Regis Hugonis gratiam vocis mihi dulcedine acquirebam. Is enim euphoniam magnopere diligebat, in qua me coæqualium puerorum nemo vincere poterat.* Dein Rex Hugo anno CMXLVII in Provinciam reversus..... *brevi est viam universæ carnis ingressus.* Non multo ante, ac fortassis eodem ipso tempore, Berengario Marchioni Eporediæ, qui dein Longobardiæ tyrannus, postea Rex est factus, conciliatus est Luitprandus. Testatur id lib. 5, cap. 14, his verbis : *Tanta hac Berengarii fama, humanitate, liberalitate, parentes acciti mei, et ad serviendum me tradunt. Cui etiam immensis oblatis muneribus, secretorum ejus conscium, ac epistolarum constituunt signatorem. Cui cum fideliter* LONGO TEMPORE *deservirem,*

*anno 927 recens patre orbatus adhuc parvulus,*

*postea Hugoni Regi tutelæ acceptus ob cantus peritiam,*

*tu(n)c Berengario Marchioni, deinde Regis, secretarius factus.*

*deservirem, hac me, quam prosecuturus sum suis in locis, mercede donavit..... Hic* (Berengarius) *superstitibus Hugone et Lothario, magnus voraxque struthio, non bonus, sed bono similis est visus. Eis autem decedentibus, et ad regni fastigia omnibus illum promoventibus, quantum alas crexerit, quantisque diludiis nos omnes irriserit, non tam verbis quam suspiriis ac gemitibus narro.* Primum inter hæc diludia fuit, antequam Rex esset, quod lib. 6, cap. 1, narrat idem scriptor, mortuo Hugone, Lothario ejus filio regni adhuc titulum retinente, omnia interim gubernante Berengario, gestum. Nam Constantinus Porphyrogenitus Imperator, qui *dejectis* jam antea anno CMXLIV *Romano*, de quo jam egimus, *filiisque ejus, Constantinopoleos regebat imperium, audito Berengarium præstare Lothario, per Andream, qui ab officio Comes Curiæ dicebatur, litteras Berengario dirigit : in quibus continebatur, vehementer se Berengarii nuntium velle videre, cujus in reditu cognosceret, quanta eum caritate diligeret..... Berengarius itaque calliditate suffarcinatus, cogitans quem potissimum mitteret, cui nil impensæ ob itineris longinquitatem præberet, vitricum meum, cujus tunc sub cura degebam, conveniens : Quanti, inquit, esset privignum tuum Græcas litteras non ignorare? Cui cum diceret, Utinam divitiarum mearum ea gratia partem mediam distributam haberem : Non necesse, inquit, habes, neque centesimam impartiri. Constantinopolitanus Imperator litteris, ut meum ad se nuntium dirigam, orat. Quod tum ob animi constantiam nemo melius, tum ob dicendi copiam nemo commodius facere potest. Quid dicam, quam facile doctrinas ebibet Græcas, qui tam puerilibus in annis epotavit Latinas? Hac spe quam mox vitricus meus animatus, impensas omnes distribuit, meque magnis cum muneribus Constantinopolim direxit.* Ea munera cum Imperatori offerre scio nomine statuisset; atque *Berengarii ex parte nihil præter epistolam et hanc mendacio plenam, detulisset;* satius postea fore duxit, illa velut a Berengario missa offerre, *parvumque munus prout posset, verbis ornare.* Profectus est autem Constantinopolim Luitprandus, cum VIII Kalend. Septembris in feriam sextam incidit, ac per consequens cum littera Dominicalis esset A, quod inter annum 943 et 954 non nisi 948 contigit, quo Pascha inciderat in 2 Aprilis. Eo igitur anno, post obitum Hugonis, Lothario ejus filio adhuc titulo tenus regnante, illa suscepta a Luitprando legatio. Videtur porro insequenti anno reversus postquam interfuisset celebritati, qua Imperator die Palmarum aurea numismata in diversæ dignitatis Præfectos, Magistros item, ac Patricios erogabat. Sed caput 5, lib. 6, quo ista narrat, mutilum est : et desunt fortassis non solum reditus ejus historia, sed et alia complura de iis quæ sub eodem Berengario gessit, passusque est, deque fuga ad Ottonem in Germaniam.

*ab eo missus Legatus ad Constantinum Imp.*

*anno 948*

*sequenti reversus*

Hæc a nobis idcirco allata sunt, ut ostenderemus Luitprandum in Hispania anno CMXLVI et sequenti non videri fuisse, quo tamen tempore asseritur Toleti sub Bonito Episcopo floruisse : ac neque multis postea annis, cum Berengario *longo tempore deservierit.* Si enim eo exulatum abiit, inde in Germaniam; quando tandem Ticinensis Diaconus est factus, Ticinum ante historiam suam scriptam minime reversus? Si erat antea Diaconus, imo, ut Julianus habet, Archidiaconus, quomodo Toleti Subdiaconus præpostero ordine factus? Liceat hic demum nobis de eo Episcopo, cui suos ille commentarios misit, conjecturam nostram promere. Is *Raymundus* aut *Regemundus* appellatus antehac in edit. Basileensi anni MDXXXII, in *Tractemundum* transformatus est ab iis qui Chronicon illud et Adversaria cuderunt : in Chronico Juliani Petri *Trasemundus* vocatur. Quid si *Recemundus* fuit, de quo tom. 3 ad diem 27 Februarii cap. 13 vitæ B. Joannis Abbatis Gorziensis mentio fit? Is certe ab Abderrhamano Cordubensi Arabum Rege ad Ottonem Magnum missus, haud dubie Luitprando apud eumdem Regem exulanti innotuit. Erat vero, ut ibidem num. 128 pag. 714 dicitur, *adprime Catholicus, et litteris optime tam nostrorum quam ipsius, inter quos versabatur, linguæ Arabicæ, instructus :* quibus animi ejus ornamentis consentanea sane illa fuit *petitio, qua totius Europæ Imperatorum Regumque facta ponere* Luitprandum *compellebat, sicut qui non auditu dubius, sed visione certus esset.* Et congruit his quoque tempus, quo commentarios illos scripsit Luitprandus, nempe inter annum CMLVII et CMLX. Nam lib. 4 cap. 7 ita loquitur : *Duxerat idem Rex Otho, ante regni susceptionem, ex Anglorum gente nobilissima Regis Adelstani fratris filiam sibi uxorem, nomine Otgit : ex qua et filium genuit nomine Liutolphum. Cujus ob recentem jacturam quoties memoriam agimus, lacrymis sinum replemus. O si numquam natus, aut non tam mature esset defunctus!* Mortuus est autem Liutolphus anno CMLVII, ut tradunt Hermannus Contractus, Lambertus Schafnaburgensis, et alii. Ergo post eum annum commentarios illos elucubravit Luitprandus. Ante annum tamen CMLX. Siquidem lib. 3, cap. 7 ista habet : *Leo Græcorum piissimus Imperator... corporis humani debitum solvens, viamque carnis universæ ingrediens, regni sui hæredem, Alexandrum fratrem germanum, unicumque, filium Constantinum,* QUI NUNC USQUE SUPEREST *et feliciter regnat, parvulum, et, ut Græci aiunt, ἄλαλον id est, mutum et infantem dereliquit :* Hic est Constantinus Porphyrogenitus, ad quem antea a Berengario missus fuerat Luitprandus. Mortuus is est, ut alibi diximus, die IX Novembris, anno CMLIX, Indict. III, jam scilicet a Septembri inchoata. Eo autem spatio, quod inter CMLIX et CMLVI annos fluxit, illæ Abderrahmanis ad Othonem duæ legationes contigerunt : quarum una functus est *Recemundus*, Episcopus a barbaro Rege nominatus; et una ad eum Ottonis, quam obiit B. Joannes, Gorziensis postea Abbas.

*non ergo ante an. 950 fuit in Hispania,*

*per longo tempore post*

*Quis Regemundus, cui historiam dicavit.*

*scriptam post annum 957,*

*ante 960?*

Ista porro sic allata sunt a nobis, magis ut rationem lectori reddamus, cur testimonia ex illis Chronicis deprompta arbitremur ejusmodi non esse, ut necessario iis acquiescere debeamus; quam ut eos, qui magnorum illorum auctorum fetum esse putant, refellamus. Si argumenta, ob quæ tum hic generatim, tum alibi particulatim, dissentimus, claris ac certis rationibus dissolverint; ingenue illis assentiemur. Ac profecto quidem, non diffitemur Luitprandum lib. 5 cap. 1 ita scribere : *Hoc in tempore, ut ipse Pater bene nosti, sol magnam et cunctis terribilem passus est eclipsim feria sexta, hora diei tertia. Qua etiam die Abderam* REX NOSTER *a Radamiro Rege Christianissimo Galliciæ in bello superatus.* Atque ita habetur etiam in Basileensi anni MDXXXII editione. Suspicamur tamen mendum irrepsisse, ac *Rex vester* legi debere : tum ob rationes hactenus allatas, tum quia lib. 1 cap. 1 ita scribit : *Quemadmodum tuam, Pater, prudentiam latere minime reor; cum me melius scire, sicut ab ipsis, qui* VESTRI *sunt tributarii Regis Abderhamenis potestis conjicere.* Qui enim alioqui factum dicemus, ut Maurorum Hispaniensium Regem nunc *Vestrum* nunc *Nostrum* prudens scriptor appellet? Neque objici potest, tam in libri primi quam quinti primo capite potuisse errorem committi : nam ideo ait Regemundum melius scire, qui ab ipsis Regis illius tributariis potuerit intelligere. Quid ni enim, si in Hispania habitaverat Luitprandus, indeque genus ducebat, itaque erat Hispaniæ addictus, ut etiam Maurum tyrannum illic dominantem *Nostrum Regem* appellaret, etiam ipse ab illius tributariis ac subditis ea cognoscere potuit?

*Sequemur eos qui certiora afferent.*

*In Luitprandus Abdaramum Regem nostrum vocarit?*

De Juliani quoque adversariis et Chronico idem quod de prioribus nobis videtur; sincerum germanumque veteris scriptoris fetum non esse, sed ad conciliandam

*Juliani Petri Chronicon et Adversaria jam refutata paria.*

bani VIII Pontificis Maximi bullam peccasse judicaretur. Nostrum ille quidem consilium probare videbatur; negabat tamen ei se tunc posse obtemperare, aut editionem differre operis, quod concinasset, majori diligentia, quam subsidiis librorum rerumque aliarum; cum jam et typographus esset paratus, et Abbates sui Ordinis complures opus illud expectarent. Præsagiebat etiam fortassis arcano quodam instinctu naturæ, fore ut non admodum diuturna sibi vita contingeret : paullo enim post, etsi non admodum grandis natu, decessit.

*utroque hic in nova editione,*

Alterum scriptorem vehementer nostra illa, verbis quæ retulimus expressa, atque ita modesta, admonitio pupugit. Is suum illud Martyrologium anno MDCLIII recudit, *accuratius* (ut ait) *recognitum et auctum* : quæ nobis editio non nisi absoluto jam excusoque Februario, cum hanc Præfationem Indicesque moliremur, innotuit. In hac Prologum bene longum præfixit, in XXVI distributum articulos. Secundi autem articuli hic est titulus : *Minoritici Ordinis Cœlites facti atque Beati, sunt in triplici differentia. Bollandus emendatus.* Explicata ea, totidem fere verbis quot in priori editione, differentia, post alia quædam, § 11 ista scribit : *Denique in refellendis quorumdam dictis, minus veris et impune effatis adversus nos institutumque nostrum; dignum duxi abstinendum a dicacitatibus, et verbis malignis, seu provocatoriis, vel indebite prolatis. Etenim, ut D. Hieronymi verbis utar epist. ad Furium, Aut loquendum, ut vestiti sumus; aut vestiendum, ut loquimur. Mentem secuti S. Augustini lib. 1 contra litteras Petiliani cap. 29 ita nos alloquentis : Diligite homines, interficite errores : sine superbia de veritate præsumite, sine sævitia, pro veritate certate.* Ut autem declaret, quinam illi sint quorum *interficere errores* velit, immediate addit : QUAPROPTER *recedat ad se Joannes Bollandus, et calumniam iterum abstergat scribentis, velociter, (Tomo 1 Actor. Sanct. in præfatione generali cap. 4 § 9) haud sibi probatum esse, quod nullam posuerim differentiam inter Beatos nostros Minoritas. Utique illi dixissem eam apud Salvatorem similitudinem : Medice cura teipsum. Lucæ 4 versu 23. Ecquid fallacius, librum perscrutari solius Indicis inspectione? Legat, si velit, nostras Annotationes; et clare certoque sciet, quo titulo, quare de caussa quisque apud nostrum Martyrologium Franciscanum, Beati nomen jure sit adeptus : licet diverso gradu, varioque modo id evenerit : quæ differentia perspicue aderit, cum testimoniis ita probatis et authenticis, ut iis amplius requiri non possit : respective tamen circa quemlibet eorum.* Ita ille.

*pollicitus licet in reprehendendo modestiam,*

*in nos invehitur*

Haud sane improbavimus, eum hominum sanctitate illustrium nomina exemplaque posteritati tradere : verum ita id fieri optabamus, ut primo aspectu innotesceret, qui *Sancti* aut *Beati* appellari possent, pingi cum radiis, aliisque sanctitatis jam probatæ insignibus ornari; ne si quis alteri quam qui in ea classe jam locati sunt, honorem illum tribuat, Urbani VIII prohibitioni non paruisse, gravemque propterea noxam incurrisse arguatur. Præclare id discrimen Beatorum ac Venerabilium statuit Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitanico : atque in Gallicano Martyrologio Andreas Saussaius, diversa ad id usus forma characterum. Ipse quoque tandem post multa Arturus art. 22 differentiam constituere videtur, sed verbis sane implexis atque obscuris, ut nobis quidem videtur. At nihil tale indicarat in prima editione, quod quidem perspexerimus.

*ac tandem differentiam inter Beatos et Pios videtur statuere*

*nobis in scribendo præcipitantiam temere objicit,*

Quid autem sibi vult cum *abstergere* me jubet *calumniam velociter scribentis*? An me existimat præcipiti stylo Acta Sanctorum decurrere, et haud satis mature cogitata chartis illinere, præloque transmittere? Næ ille fallitur vehementer. Multi e contra viri graves, etiam Præsules, nos frequenter increpant, quod non celerius nostra edamus : posse, si quid postea addendum videatur, seorsim id fieri. Nonnulli, qui Januarium nostrum accurate legerunt, fatentur satis se perspexisse, magnum ei elucubrando laborem a nobis impensum, nec jam se mirari, quod non citius provehatur opus. In stylo quidem poliendo haud multum operæ ac temporis ponimus : Arturus tamen, ut reor, stylum non facile nobis objiciet, qui, ut jam ante professus est, *Dignum duxerit abstinendum a dicacitatibus.*

*qui lentiores forsan sumus,*

*sed utiliter.*

At cur illa nobis inculcat ex Evangelio, *Medice cura teipsum*? An nos uspiam non distinximus a Sanctis aut Beatis eos qui solum Venerabiles dicendi erant? Nam hoc erat, quod in ipso requirebamus. Certe in eo genere nimium fere religiosi sumus, quorumdam judicio. Quod autem insinuat nos libros perscrutari sola Indicum inspectione, errat profecto.

*falso item objicit, quod Annotationes suas non legerimus.*

Nos ipsius Annotationes omnes legimus : nec eas solas, sed et auctores ab eo citatos, accurate pervolvimus, quos quidem habuimus : Marianum enim Florentinum non vidimus, cum non sit typis vulgatus, neque exemplar MS. nancisci potuerimus, uti nec quosdam alios. Sed primarios omnes scriptores annalium antiquitatumque Ordinis, Bartholomæum Pisanum, Marcum Ulyssipponensem, Petrum Rodulphium, Franciscum Gonzagam, Barezzum, ac præcipue diligentissimum Lucam Wadingum, quibus locis agunt de Sanctis quos Arturus commemorat, sedulo legimus, et expendimus. Neque ex illis auctoribus, ipsiusve Annotationibus, intelligere antea potuimus, Martyrologio illi insertos esse *diverso gradu, varioque modo*, ut jam videtur profiteri. Denique quod ibi scripsimus, scimus plurimis probari : neque sane suspicari potuimus eum sic sua scripta amare, ut neminem a se dissentire pateretur. Qui namque ita est animatus, satius esset operam scriptioni non addiceret, nam illud nescio an hactenus quisquam vel consecutus sit, vel sapienter sperare possit se consecuturum.

Multa ipse congerit de sanctitate Seraphici Ordinis sui, qua præcellere cum omnibus omnino Ordinibus, omnibus in rebus, contendit. Gratulor ipsi sanctissimum suum institutum. Sed quid ad ea quæ scripseramus id spectat? Sane ipsius Ordini usque adeo nihil detractum voluimus, ut potius, ubi licuit, ejus omni studio amplificasse honorem nobis videamur. B. Odorici de Portu Naonis (quem multi ex ipso ordine, viri alias doctissimi, et præcipuis in eo muneribus perfuncti, ignorabant Utini publicam habere venerationem) primi nos Vitam, ab ipsomet conscriptam, protulimus in lucem XIV Januarii : primi item Marochiensium quinque Martyrum XVI Januarii Acta dedimus, prout videntur a Joanne Tisserando composita.

*Multas Sanctorum ipsius Ordinis Vitas honorifice edidimus*

*quasdam primi*

*ipse non videtur opus nostrum legisse.*

At fortassis illa Arturo ignota, cum non videatur opus nostrum legisse, sed quæ in ejus præfatione de eo scripta essent ab alio didicisse. Edidit enim hoc ipso anno MDCLVII, tomum alium, quem *Sacrum Gynæceum, seu Martyrologium amplissimum sanctarum ac beatarum mulierum*, inscripsit, et in eo supra mille auctores citat, quorum et catalogum præfigit, interque eos LX circiter *Jesuitas* : at non in his Joannem Bollandum aut Godefridum Henschenium. Cumque plurimas, quæ non ita pridem vel martyrii agone perfunctæ sunt, vel magna innocentiæ et sanctitatis laude vitam finierunt, illi includat Gynæceo; multarum, quas ex Martyrologiis ante mille fere annos exaratis in Januario retulimus, omnino non meminit. Nam XXVIII Januarii S. *Marinam* Martyrem recenset, annotatque : *Ita Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum hoc die ex Beda et Galesinio.* Perperam citatur a Ferrario Beda, apud quem *S. Marinæ* eo die non extat, ut illic indicavimus, memoria. At XXVII Januarii.

*id nusquam citans,*

*cum inde posset suum Martyrologium fæminarum augere.*

Januarii, vetustissimum secuti Martyrologium Romanum, quod S. Hieronymi vocatur, atque alia, eam retulimus cum *SS. Veneria, Fortunata, Tecussa, Secunda, Perpetua, Juliana, Vincentia, Victoria*, quas omnes Arturus prætermisit, aliasque quamplurimas, ut *S. Noitburgam* viduam, *Hxtumque* ejus filiam, XXVI Januarii *B. Oringam, Christianam* dictam, Virginem Etruscam etc. Non tamen ipsi suum, *Medice cura teipsum* objiciemus, qui ne ipsos quidem Indices nostros legerit, et opus citet? Potuisset alioquin ex eo opere suum locupletare : neque, opinor, neglexisset. Quis enim suspicari audeat, consulto eum noluisse a nobis ullas describere, quod aliquid in ipsius Martyrologio visi essemus reprehendisse? Non esset ille affectus sincero scriptore, nedum viro religioso, dignus. Miror tamen si nostrum opus habebat, cur cum XXIX Januarii *B. Redigundem* accepit e solo Tamaio, qui tamen *Acta SS. Bollandi* citat, tomum, diem, paginam 975, non tomum illum nostrum inspexerit : uti et priorem tomum ad VI Januarii, ubi Tamaium eumdem citat, non Bollandum, e quo ille Acta accepisse se fatetur *S. Macræ*. Illud etiam magis miramur, quod qui sæpius auctore Tamaio multas in suum opus Sanctas adlegerit, XI Januarii *S. Felicitatem* omittat, a Tamaio relatam. An displicuit, quod is Bollandum citans, dicat *ab alio amplius requirere, esse oleum et operam perdere*? Non tamen ut nos Arturus citet laboramus : nec enim nobis honorem ex laborioso hoc opere quærimus, sed Sanctis. Horum celebrentur ab mortalibus atque imitatione exprimantur benefacta : nostra vero nomina, si Deo et Sanctis ipsis ita placuerit, aboleantur; modo inscripta permaneant in libro vitæ.

*nisi alia de caussa id noluit*

## CAPUT SEPTIMUM.

# Ordo dicendorum et symmetria.

*Ordinata hic omnia*

Vastum sit licet, quod molimur, opus; ordinatum est tamen, cunctaque* in eo distincte ac distribute posita. Ne nos ipsos in ejus progressu confusio perturbaret, non modo lectores, quorum commodo consulendum, si fructum hinc aliquem percipere eos volumus. Qua igitur serie ac methodo dicenda componeremus atque instrueremus, antea mature deliberatum.

*secundum dies*

Primum quos commemoramus Sanctos, hi sunt ad eos dies collocati, quos Fasti Romani, aliive auctores (si Fastis forsan inscripti non sunt) aut ipsamet Acta assignant : aut quibus eos in propria Ecclesia aut civitate, præcipua religione coli didicimus. In eadem collocatione, temporum quoque ordinem, quoad ejus fieri potuit, secuti sumus, ut primi ii essent, quos constaret prius vita esse defunctos. Sicubi nullus erat character additus, e quo duci conjectura aliqua de tempore obitus posset; ei illos ætati adscripsimus, cui potissimum congruere videbantur.

*et tempora :*

*quoque die syllabus Sanctorum,*

Ut autem ad initium cujusque diei perspicere lector possit, quorum Sanctorum eo celebritas agatur, aut a nobis illustretur memoria: primo loco litteris majoribus nomina recensemus eorum, de quibus acturi, quorumve edituri Acta sumus, addito etiam loco, quo aut vixerunt aut præcipue coluntur, et, quam gesserunt, dignitate, aut vitæ modo et conditione. Exempli gratia, S. BLASIUS *Ep. Martyr, Sebastiæ in Cappadocia. S. Hadelinus Presbyter Viseti et Cellis in Belgio.* Cujus autem Sancti in Breviario Romano eo die feriæ aguntur, ejus illo in catalogo majoribus quadratis litteris signamus nomen : V. G. V *Februarii*, S. AGATHA *Virgo Martyr, Catanæ in Sicilia.* Non tamen, ut in Martyrologio fit, primo loco statuimus, nisi id ordo temporis postulet. Hoc tamen majorum litterarum discrimen subinde, vel oblivione nostra vel typothetarum incuria, neglectum.

*dein alio rejectorum,*

Dein Sancti in quibusdam Fastis eo die signati, a nobis in alium rejecti, aut omnino prætermissi indicantur, quaque id caussa factum sit. Nam cum sæpe a Græcis ac Latinis, et quandoque particularibus Ecclesiis, diverso die festum cujuspiam Sancti agatur; imo et ab una eademque Ecclesia aut Civitate, ob varias Inventionum, Translationum, Miraculorumve caussas; Vita tamen, ceteraque ad eam spectantia, non nisi semel dare possumus ad eum nempe diem, quo in suo Ordine, aut urbe ejus Reliquias asservante, vel ceteroquin ejus venerationi præcipue devota, maximam habet celebritatem. Indicamus tamen, cum aliis diebus ejus nomen in ullis Fastis ac tabulis Ecclesiasticis reperimus adscriptum, ut si qui eum tum colant, norint ubi valeant reperire.

*et prætermissorum*

Deinde in recentiorum quorumdam Martyrologiis Menologiis, seu quo alio nomine insignitis sacris ephemeridibus, multi inscripti sunt, quibus tamen, ut antea diximus, debiti Cœlitibus honores nusquam tribuuntur, neque illa summi honoris plenissima appellatio *Sancti* aut *Beati*, secundum Ecclesiasticas sanctiones, competit. Eorum ergo ut plurimum nomina tamen recensemus; sed monito lectore, nondum esse eos in album Sanctorum receptos, aut nobis id non constare. Nam si nuper admodum mortui sunt, neque de ulla iis decreta veneratione, vel levissima suspicio est, omnino omittimus.

*ordo in utrisque*

In his quoque ordo adhibitus. Prius enim qui ad mensem Januarium pertinent, aut alioquin Februarii eos dies, qui illum, in quo versamur, præcedunt, Sanctos ordinatim recensemus. Tum quos omnino prætermittendos ducimus, recensemus secundum cujusque ætatem. Demum qui ad sequentes Februarii dies, aut alios menses spectant, mensium ipsorum dierumque serie adnotantur.

*ad Vitas Prolegomena.*

Ad ipsa dein Sanctorum Acta accedimus. Si nulla extant, quid tamen de Sanctis ipsis exploratum sit edicimus, ac subinde nuda e variis Martyrologiis nomina proferimus. Si acta sumus adepti, iis præfigimus Prolegomena, sive prævios commentarios : in quibus, quo tempore ac loco vixerit Sanctus quisque, an publico cultu dignatus, an antiquitus semper in Divorum numero habitus, disquirimus. Tum a quo mandata litteris Acta, quam gravi stylo ac fideli : quibus e codicibus nacti ea simus, et cujus beneficio ac humanitate, quod, ut gratitudinem nostram testemur, nusquam dissimulamus. Atque id sane viris cordatis vehementer placuisse didicimus . et fuere, qui cum varia Sanctorum gesta collegissent, aut ad illa notationes confecissent, ad nos miserunt, nostro in opere edenda, uti visum nobis esset. Quod quidem adscripto eorum nomine fecimus : nisi si diserte stipulati essent, ne quam sui mentionem faceremus, quibus sat esset Sanctorum res gestas illustrari, quoquo modo id fieret.

*quandoque etiam ad historias translationis*

Si Sancti cujuspiam translatæ Reliquiæ, si miracula ad eas facta, si quæ sodalitia ad eorum amplificandum honorem erecta, templa ædificata, institutæ publicæ panegyres, de his quoque disserimus in Prolegomenis : earumque rerum narrationem, si mandata litteris, Vitæ subjicimus. Si tamen utraque longior, et Prolegomena ipsa in multos distributa paragraphos; ut lectoris commodo serviatur, quæ ad ejusmodi Translationis historiam, quæ ad illam illustrandam

strandam aliunde petenda, propria Præfatione ante ipsam narrationem posita explicamus.

Secundum ea Prolegomena, Acta ipsa Sanctorum, quo primum stylo olim conscripta fuere, ut cap. 1 explanatum, damus, certis capitibus, ut quasi respirare lector possit, distincta : quam distinctionem si scriptores ipsi fecisse videantur, plerumque retinemus; sin minus, aut certe si nimium frequentes sectiones tituli que occurrerent, aliam commodiorem adhibemus.

*Vita in capita divisæ*

Singulis capitibus Annotationes, si necessariæ videantur, subnectimus, sed perbreves : si nimirum variantes in MSS. codicibus lectiones occurrerint, si urbium locorumque explicanda nomina, si verba inusitata, si res doctrinave paradoxa, si discrepans a vulgari Chronologia, seu firmanda, seu refellenda. Et juvantur hisce Annotationibus qui mediocri præditi eruditione (nam his præcipue scribimus) et quicumque alii ; doctissimi neque iis egent, nec forte jam libris, sine quibus tamen docti non evasissent : denique Annotationes illas præterire, qui vult, potest.

*ad capita Annotationes,*

In ipso impressionis modo, quæ nostra sint, quæ aliunde transcripta, ut ex ipsa characteris forma dignosci possint, curavimus : etiam in Annotationibus, quæ tamen minori charactere excusæ. His quæ præfixa littera, eadem in margine per illius capitis decursum quæri debet : cui similis in ipso contextu expressa, locum, qui explicatione egere visus, indicat.

*litteris a b c etc. designatæ :*

In margine superiori nomen Sancti, de quo agitur, expressum, in altera dies mensis : ut libro qua parte libuerit aperto, cujus Sancti narrentur, explicenturve Acta, et ad quem is diem pertineant, intelligi possit.

*tituli paginarum*

Quia vero, ut fuse dictum cap. 2, subinde plures Vitæ Sancti unius a diversis scriptæ auctoribus eduntur, in exteriori margine summo loco adscriptum, quis eam Vitam auctor composuerit, ne plura revolvere folia lectorem oporteat, dum ab certo quopiam compositam auctore Vitam quærit. E. G. pagina 514 in supremo margine hæc sunt : *Vita B. Rabani Mauri Archiep. Moguntini* IV *Februarii*, tum in laterali margine : *Auctore Rudolpho Presbytero*, at post paginam 522, *Auctore Trithemio Abbate*. Ita die VI Februarii ad priorem S. Vedasti Vitam appositum : *Auctore anonymo, ex MSS.* Ad secundam : *Auctore Alcuino, ex MSS.* Atque ita passim factum toto opere.

*nomen auctoris in margine*

Porro quia duo simul in hoc opere desudamus, Joannes Bollandus et Godefridus Henschenius; atque communi quidem consilio omnia ordinamus, ac mutua scripta recognoscimus; singuli tamen seorsim singulas Vitas discutimus, Prolegomenis, Annotationibus, summariis marginalibus ornamus ac dilucidamus; curandum duximus, ut cujus potissimum labore singula essent elucubrata, aut e Græco versa, indicaremus, primis nominum litteris in exteriori margine appositis ad initium Vitæ cujusque aut tractatus de Sancto quopiam : ut nimirum constare lectori queat, ubi G. H. viderit, Godefridi Henschenii id esse opus, Joannis Bollandi, quando J. B. erit adscriptum.

*aut J. B. G. H.*

Quorsum hoc, inquies, cum paullo ante professi sitis, vos pro nihilo ducere, ut nomina vestra citentur? Ita est sane. Legantur hæc Sanctorum Acta, et quæ in iis plurima ac præclarissima extant exempla virtutum, imitatione exprimantur, aut ad aliorum institutionem recitentur, id satis est nobis ; ut ea nos collegisse dicamur, non est quod expetamus, aut omitti nolimus. Nomina tamen nostra apposuimus, tum quia vetat Ecclesia ita temere libros sine auctoris nomine protrudi; tum quia id maxime ad rem nostram conducere existimamus, ut submitti nobis possint quæ adhuc nos fugerunt. Eo autem posito, mihi Joanni Bollando, qui hæc nunc scribo, præcipue visum est faciendum, ut sciatur quæ ab eruditissimo collega meo scripta sint, ne eveniat, quod factum haud semel ab iis qui Januarium legerunt, ut sub nomine meo citarent quæ ab illo erant scripta. Censui igitur esse satius, ut utriusque nomen indicetur : præsertim quia, cum studii sit laborisque patientissimus, ac firmis viribus corporis, spero ab eo absolutum hoc opus iri, cum me nunc præter ingravescentem ætatem multiplex infirmitas debilitet. Hoc igitur et initio Præfationis ad quamlibet Vitam apponimus signum, et in summo exterioris marginis in unaquaque pagina, quamdiu ea durat præfatio.

*quorsum hæc?*

Ad ejusmodi porro Præfationes ac Vitas, earum succinctam quamdam epitomen in marginibus apponimus, ut cui integra quæpiam Acta evolvere non vacat, habeat tamen eorum velut breviarium, quod celeriter percurrere possit, ac si quid pensiculatius examinandum videatur, id seligere. In iisdem marginibus litteræ positæ certis intervallis ABCDEF, quarum in Indicibus usus, ut certius designetur quo quidque loco, quaque parte paginæ reperiri possit.

*summaria in margine.*

Appendicem adjecimus ad singulos tomos, in quam contulimus quæ post singulos dies excusos ab amicis suggesta erant, quæque ipsi repereramus, antea ignorata, vel non integra reperta. In eadem appendice retractamus si quid perperam prius scriptum, vel excusum. Usque adeo non pudet, ignorantiam errorumque agnoscere, seu per nos animadversum, sive ab amicis indicatum : quibus tantum abest ut irascamur, si quid monuerint, ut etiam gratiam simus habituri.

*Appendix post tomum :*

Etsi autem summa attentione legat quis ingentes ejusmodi libros; non tamen (quæ est humanæ mentis imbecillitas) recordari quo quidque loco habeatur poterit, nisi si epitomen sibi conficiat quis omnium quæ legit, quod non est unicuique opportunum. Ad sublevandam ea in re memoriam maxima est Indicum apte concinnatorum utilitas. Senos cuique tomo addidimus.

*Indices necessarii : hic sex*

Primus, qui huic Præfationi immediate subjicitur, est eorum Sanctorum, quorum sex prioribus Februarii diebus natalis celebratur, sive Acta extent, seu solum obiter consignata in Martyrologiis memoria. Præfigitur cuique Sancto dies, qui illi præcipue dicatus ; at non litteræ S, aut B, aut †, ut alibi cum omnes Sancti sint aut Beati, nec sint a quibus eo signo discernantur. Rarius quoque litteræ ABCDEF additæ ad certa paginæ spatia designanda, quia cum tituli majoribus characteribus excusi sint, inque iis Sanctorum nomina; facile est vel unico oculi conjectu hæc reperire, uti et titulos capitum, quæ raro plura incidunt in unam paginam. Hic tamen non solum conditio, dignitas, aureola cuique Sancto sua additur; sed quasi sub unum aspectum producitur quidquid de eo Sancto in hoc volumine scriptum : capita προλεγομένων æque ac Vitarum, singularumque tituli. Si nec Prolegomena sunt ulla, nec capita, quidquid tamen assequi potuimus, indicatur. An ex Martyrologio uno illius Sancti notitiam hauserimus, an ex pluribus; ex Menologio Græcorum, an Menæis. Ne tamen tot citationibus moles operis nimium exaugeatur, his fere contractionum notis utimur, ut manuscriptum v. g. ita exprimatur *MS.* manuscripta *MSS.* Martyrologium *Mrol.* Martyrologia *Mroll.* Menologium Græcorum, *Mlog. Gr.* Menæa Græcorum, *Men. Gr.* Martyr *M.* Martyres *MM.* Presbyter *Presb.* Episcopus *Ep.* Virgo *V.* Virgines *VV.* etc.

*1 SS. hujus tomi 1*

*cum synopse dicendorum.*

Hunc sequitur Index Chronologicus. Inchoamus eum a Christi nativitate. Nam qui antea vixere Sancti, non ita multi sunt, saltem Ecclesiasticis Fastis adscripti : et tamen eorum ætas ad Commentarium proprium de illorum gestis, secundum probabiliorem Chronologiam, indicatur. In annis autem ab ortu Christi computandis, vulgarem et receptam jam passim

*2 Chronologicus :*

sim

sim epocham sequimur : in Imperatorum, ac Regum Francorum per tria prima secula, annis aptandis, proprios investigamus characteres. In hoc Indice quæ ab Sanctis gesta (potissimum, qui primis sex diebus Februarii celebrantur) non omnia, sed præcipua, suis temporibus aptamus, ex certis Chronologicis notis, aut probabili conjectura, nostra aut aliorum.

Quatuor reliqui Indices in calcem cujusque voluminis post Acta Sanctorum rejecti sunt : in quibus cur appositæ litteræ a b c d e f, quæ et in singulis expressæ, antea indicatum, ut nimirum qua parte designatæ paginæ reperiri quidque possit, lectores intelligant. Tertius ergo Index historicus est, nomina complectens hominum, quotquot hoc volumine occurrunt. Sanctorum tamen nominibus † præfixa, non S aut B littera, ne earum litterarum frequenti inter alias interjectu, attentio lectoris, quidpiam celeri oculorum conjectu vestigantis, turbetur. Sanctorum autem, quorum hoc volumine natales aguntur, in primo Indice posita nomina, hic omittuntur : nisi fortassis eorum in aliorum Actis mentio fiat. Itidem ut in primo Indice, omnium status seu conditio exposita, et in iis qui vulgo minus cogniti sunt, etiam seculum quo vixerunt, aut regio, in qua versati. De notis contractarum vocum ante dictum.

*3 Historicus nominum*

Quartus Index Topographicus nomina regionum urbiumque continet : quæ si Sancti cujuspiam ortu, obitu reliquiis nobilitatæ; eorum Sanctorum apposita sunt nomina, indicata pagina qua de iisagi cœptum, etsi sæpius dein recurrant.

*4 Topographicus;*

Quintus est Index Onomasticus, seu vocum barbararum aut obsoletarum, minusve usitatarum, quæ in hoc tomo occurrunt, brevis collectio.

*5 Onomasticus*

Sextus denique Index Moralis est, non sola continens virtutum aut vitiorum vocabula, sed rerum plane omnium quarum notitia ad virtutum vitiorumque tractationem possit accommodari, ut sint velut universales quidam loci communes, sed perbreves.

*6 Moralis.*

## CAPUT OCTAVUM.

# Lectio hujus operis fructuosa, qualiter suscipienda?

*Lectio hujus operis utilis,*

Satis jam multa de symmetria omni operis hujus dicta esse videntur. Finis, ad quem id postremo refertur, Dei gloria est, ac Sanctorum. Non quasi ex solo labore nostro incrementum ea magnum immediate acceptura videatur, (etsi non ingratum tamen Cœlitibus Deoque futurum illum confidimus) sed fructu, quem lectio ejus pariet uberrimum, præcipue augescet.

Erit vero is multiplex ac varius, prout comparati animis erunt, qui ad legendum accedent. Ea etenim lectione quidam mentem suam cupient ad amorem Dei laudemque excitare, qui tantum Sanctis suis gratiæ robur contulerit, quo vim dæmonis, mundique et carnis illecebras, frangerent, ac dein immensa eos gloriæ cumularit in cœlis, et insigni apud posteros celebritate. Alii sese ad eorum pietatem factaque imitanda accendere ea lectione volent. Nonnulli hoc præcipue spectabunt, ut ad Divinæ gratiæ satus accipiendos corda præparent sua. Quamquam enim Spiritus ubi vult spirat, et sæpe nil tale cogitantes, imo ad designanda scelera tendentes cum Saulo, velut injecta manu percellit ac sistit, eorumque mollit animos atque in contraria studia convertit, uberes etiam arcano quodam ictu fontes lacrymarum e petra cordis eliciens; multo tamen frequentius id luculentiusque evenit, cum se homo, prævio tamen etiam Spiritus ejusdem instinctu, ad illum efficaciorem impulsum comparat, fundendis precibus, sacris rite obeundis, audienda concione, rebus piis meditandis legendisve : iis enim rebus invitari quodammodo ac sollicitari idem Spiritus videtur.

*præcipue si ad inflammandam pietatem suscepta.*

Alii denique non tam suum internum fructum religionis ac virtutum ceterarum spectant, quam aliorum mortalium spiritalia emolumenta. Ad eum finem excerpere et colligere virtutum exempla satagunt, quibus in publicis concionibus, catechismis, ac piis cum omni hominum genere colloquiis utantur : quibus commentationes asceticas aspergant ac locupletent : quibus dejectos mœrore aut morbo homines solentur. Estque in his omnibus ad Dei Sanctorumque amplificandum honorem vis magna : ad ea vero peragenda ingens ex horum voluminum nostrorum lectione copia suppetet.

*aut ad alios excitandos.*

Erunt alii fortassis, qui non hæc mystica sectentur, sed quo historiam quampiam, familiæve aut civitatis alicujus, vel etiam gentis, antiquitates illustrent, hinc eruere, quæ eo spectabunt, velint : aut alios quoque de honestis rebus commentarios ornare. Et sunt quidem studia omnia ejusmodi plena dignitatis, nisi prava quæpiam intentio illa dedecoret. Iis tamen ipsis magnopere suademus, ne motum Divini Spiritus, si qui interea concutiat animum, repellant. Majus inde profecto emolumentum, quam ex meditata primo lucubratione percipient : quamquam ne illam quidem propterea abjicere aut quoquo modo negligere opus sit.

*aut ad scripta elucubranda*

Legent denique hæc quidam, nullo alio fine, quam ut ea lectione tempus fallant : aut ut animum recreent, utque mœrorem, quo torquentur, leniant, ac tantisper calamitates vel proprias, vel publicas Ecclesiæ ac Reip. obliviscantur. Est id quoque multis perquam utile, etiam ultra cum modum, quem sibi præfixerunt. Meminimus Parentem nostrum Ignatium, cum de bellis rebusque aliis inanibus scriptos libros ex vulnere decumbens, poposcisset, nec ulli ejusmodi ea in domo essent reperti; oblatam Christi Vitam ac Sanctorum, non alio primum proposito, quam ut tædium levaret, legere cœpisse : inde altius assurrexisse, et sancto Spiritui obsecundantem, sensim ab eo ad sublime fastigium sanctitatis esse provectum. Neque duos illos Agentes in rebus, quos commemorat S. Augustinus lib. 8 Confessionum cap. 6 fortuito in Vitam S. Antonii incidisse, ac parte ejus lecta accensos animis, sese abrupisse a vana spe mundani favoris, nec ad Aulam Imperatoris cum Potitiano quartoque sodali reverti voluisse, sed affigentes cor cœlo illic in paupere casa mansisse; illos, inquam, arbitror principio otiosa curiositate legere Vitam illam cœpisse, quæ tamen iis sanctioris vitæ occasio fuit, nec levis postea Augustino ipsi stimulus.

*aut ad tædium levandum*

Etiam heterodoxis, si hæc aliquando, alio licet consilio, legant, illud subinde fortassis in mentem veniet : Hi omnes tantos labores susceperunt, tantas toleravere ærumnas, non suis viribus, sed Divinæ gratiæ auxilio fulti, eique adhærentes doctrinæ, quam tot jam seculis, ut vel hinc perspicimus, inconcussam retinet ac tuetur Romana Ecclesia. Nonne satius sit horum fidem amplecti ac facta imitari, quam viles aliquot apostatas contra ista blaterantes sequi ad exitium duces? Utinam sanctas ejusmodi cogitationes alte in animum demittant! Neque existiment eos, qui ista egerunt, non fuisse magna præditos mente, ut pervidērent quam vana sint hæc, quibus multi mortales se misere mancipant : quam sublimia reposita virtutem colentibus præmia sint in cœlo : quanta eos gloria,

*Hæretici in hac lectione spectare quid debeant?*

gloria, etiam in terris, consequatur: cum e contra quotquot vanitati hic servire maluerunt, ignoti jam, ac longa sepulti nocte jaceant: adeo ut vix paucorum ex iis memoria extet, et fere ex actis eruta Sanctorum, quos quidam eorum aliquando persecuti sunt.

*Lectio talis monachis usitata, super mensa,*

Atque hæc dicta sunto iis, qui privato studio ad hæc legenda animum appulerint. Sed multo illa fructuosius legentur audienturve in religiosorum hominum cœtibus, etiam in triclinio super mensa. Solent enim ab antiquissima memoria monachis ad mensam accumbentibus, tum Divinæ Scripturæ libri, tum deinde Martyrum certamina aut Sanctorum gesta legi, ut non soli corpori sed et animæ suum præbeatur alimentum; atque eo pacto ciborum appetentia, et ingluvies refrænetur, confabulandi occasio excludatur, et quæ eo præsertim tempore effervescere posset contentio. Ideoque sapienter a S. P. Benedicto præscriptum cap. 38 Regulæ: *Mensis Fratrum edentium lectio deesse non debet.* Quam diu ante S. Benedicti ætatem usu receptam fuisse, manifestum est ex iis quæ affert Julius Nigronius noster Tractatu ascetico 4 de Lectione sacra super mensam parte 1 cap. 1, et in Disquisitionibus monasticis Benedictus Haeftenus libr. 10, tract. 2.

*deni et Clericis:*

Ea consuetudo a monachis ad Clericos manavit. Ita citato primo capite num. 3 Nigronius: *Hanc laudabilem monachorum consuetudinem probabile est in Clericorum perfectionis amantiorum venisse morem, ac pedetentim in legem transiisse, non modo longinqui temporis usu, sed etiam Ecclesiæ consensu atque jussu.* Plura illi ambo et præclara in citatis tractatibus de istiusmodi lectione congerunt. Januarium certe nostrum, ut primum in lucem venit ac notitiam religiosorum hominum, accepimus non solum in nostræ Societatis collegiis, sed et aliis cœnobiis ita super mensa fuisse lectum. Illustrissimum quemdam Archiepiscopum novimus, multis gravibusque pro pietate laboribus perfunctum, eumque etiamnum legationis pro Sede Apostolica sustinentem, sibi pridem super mensa Januarium eumdem prælegi curasse, et anagnosten jussisse identidem ad Annotationes Appendicesque attendere.

*multis eorum lectus Januarius,*

*aliisque magnis viris.*

Alioquin cum in publico conventu, ut in triclinio locisve aliis ac temporibus, hæ Vitæ leguntur, minutiores Annotationes, quæ solummodo vel annos Regum Pontificumque, vel variantes lectiones continent, omitti possunt. Si in aliqua insit quidpiam majoris momenti, ad finem cujusque capitis, repetitis ex ipso narrationis contextu verbis aliquot, ad quæ illa posita annotatio, litteraque alphabeti præfixa indicata, ipsa quoque legi poterit.

*Omitti in publica lectione quædam possunt*

Cum plures sunt Sancti unius Vitæ, secundum ea quæ in propriis ad eas Vitas prolegomenis monuimus, statuere poterit qui ei lectioni moderatur, an omnes legendæ, an una præcipua, et quæ ea sit inter plures.

*an Vita una, cum plures?*

Neque metuendum arbitror, ne piis hominibus illud fastidium pariat, quod subinde de Sanctis quibusdam nihil præter Martyrologiorum verba afferatur, aut eadem in quibusdam prolegomenis operosius recitentur. Nam primum nemini tædium affert in Officio Ecclesiastico lecto Martyrologii ad Primam. Nam auditis Sanctorum nominibus, etsi Acta ignorentur, saltem ad Deum erigi animus potest, ut ei gratias agat, qui hos sibi amicos elegerit; utque Sanctis ipsis gratuletur, seque excitet ad eorum imitandam in Dei cultu perseverantiam; ut pro iis oret regionibus, quas illi vel suo sanguine perfuderunt, vel benefactis illustrarunt, quæ nunc fortassis datæ sunt in manus impiorum: ut denique sancto quodam gaudio exultet auditis tot fortissimorum Heroum nominibus, et confidat fore eos sibi Ecclesiæque Patronos ac Protectores.

*Quid cogitandum, cum sola occurrunt nomina?*

Illud ad extremum lectores, Catholicos præsertim ac religiosos, obsecramus, ut Deum pro nobis Sanctosque precentur ac saltem cum librum sumunt in manus, nobis optent gratiam, ut, quæ hic Acta Divorum collegimus, imitemur.

*quæ rogamus pios lectores,*

Viros vero eruditos et in antiquis monumentis versatos obtestamur, ut quæ nondum ad manus nostras venerunt Acta Sanctorum Latina aut Græca, ea communicent, sub suo nomine vulganda, aut unde nancisci possimus significent: tum sicubi minus accurata Actorum exemplaria secuti sumus, et si qua alia in re erratum quidpiam, moneant. Gratias iis agemus, et Sanctos, ut referant, precabimur.

*et doctos?*

PROTESTATIO

# PROTESTATIO.

Quandoquidem benevolis eruditisque Lectoribus cordate et ingenue sæpius denuntiavimus, atque adeo inculcavimus, si quæ ipsis, sinceriora quam quæ habuimus, Sanctorum Acta, monumentaque alia, occurrent, aut si in ipso nostro opere quidpiam reperient, ubi quod verum rectumque erat, haud simus assecuti; deque his admonere nos dignabuntur; nos illis maximas habituros esse gratias, et quæ perperam scripseramus emendaturos; multo sane æquius est, nos Sanctæ Apostolicæ Sedis judicio ac decretis obtemperare. Nam Cœlites omnes, Deumque ipsum, sancte testamur, nos eamdem sacrosanctam sedem, ut Veritatis (quæ unice proposita esse historiam scribentibus debet) Magistram revereri : neque ab ejus scitis jussisque vel latum unguem declinare velle.

Quare (quod est alias Urbani VIII Pont. Max. iteratis Constitutionibus vetitum) nulli, quantum quidem per imbecillitatem humani judicii provideri a nobis potuit, Sancti aut Beati appellationem adscripsimus, cui non eam vel Sedis ejusdem sententia, vel majorum religio, vel veterum Scriptorum auctoritas contulerit. Neque idem cujusquam, qui non videatur *per communem Ecclesiæ consensum vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ vel Ordinarii*, venerationem obtinere, commemoravimus miracula, prædictiones, arcanorum manifestationes. Si tamen videamur uspiam hoc in genere hallucinati : admoneat nos quivis amator Veritatis, atque illico corrigemus : et multo quidem multoque studiosius hæc, quam si quæ errata, pertinentia ad Chronologiam, Topographiam, Actaque ipsa, imprudentibus exciderint : quæ tamen ipsa moniti continuo retractabimus.

Etenim hosce Commentarios nullum habere momentum volumus, nisi Historiæ Humanæ, ab hominibus errori obnoxiis compositæ : nisi si qua ex Divinæ scripturæ libris descripta, aut Ecclesiæ Catholicæ Conciliis, Pontificiisque Bullis Canonizationum, quibus sua sacrosancta constare debet auctoritas.

INDEX

# INDEX

# SANCTORUM

## VI PRIORUM DIERUM FEBRUARII.

*Hic Index eos solum continet Sanctos, quorum (ut supra cap. 7 dictum) sex prioribus Februarii diebus natalis celebratur, sive eorum Acta extent, seu solum obiter consignata in Martyrologiis memoria sit. Præfigitur cuique Sancto dies, qui præcipue illi dicatus: at non S. aut B. vel † ut in tertio Indice, cum omnes Sancti sint aut Beati. Additur ordo, seu conditio vitæ, dignitas, aureola. Litteræ A B C etc. vix necessariæ visæ, quia tituli ac nomina majoribus characteribus expressa, facile pagina indicata in oculos incurrunt.*

*Quid de unoquoque hic edatur, an Vita, una pluresve, an Prolegomena, singulaque horum atque illarum capita aut paragraphi, cum titulis, exponuntur. An unico ex Martyrologio de natali cujusque et memoria constet, an ex pluribus, indicatur.*

*Usitatæ hic nobis et alibi, ad vitandam molem operis, notæ contractionum, quas assequi facile quivis possit. Exempli gratia,* Mrol. *Martyrologium significat.* Mroll. *Martyrologia.* MS. *manuscriptum.* MSS. *manuscripta.* R. *Rex.* M. *Martyr.* MM. *Martyres.* Presb. *Presbyter.* Ep. *Episcopus.* V. *Virgo.* VV. *Virgines.* Mlog. Gr. *Menologium Græcorum.* Men. Gr. *Menæa Græcorum ceteraque passim obvia.*


A

5 Abraamius Ep. Arbelorum in Perside M. *Commentarius historicus.* Arbela urbs. Persecutio Saporis. Natalis 472. Vita *ex Menæis* 473

2 Adalbaldus Dux maritus S. Rictrudis in Belgio et Aquitania. *Commentarius prævius*, § 1 Vita scripta. Reliquiæ translatæ, cultus sacer 297, § 2 Nobilis prosapia 296, § 3 Dominia in Belgio; Ducis titulus 299, § 4 Loca conjugii et necis in Aquitania; ætas 301

Vitæ epitome 1 *ex Actis MSS. S. Rictrudis, auctore Hucbaldo monacho Elnonensi* 302. Epitome 2 *ex Vita S. Eusebiæ prolis, auctore Elnonensi* 302. Epitome 3 *ex poemate MS. de Vita S. Rictrudis auctore Joanne Elnonensi* 303. Epitome 4 *ex poemate de Vita S. Eusebiæ* 304. Epitome 5 *ex lib. 1 Synopseos Franco-Merovingicæ auctore Andrea Silvio* 304. Epitome 6 *ex Vita et miraculis S. Rictrudis, auctore monacho Marchianensi* 304. Epitome 7 *ex Chronico Marchianensi* 305

2 Adalwinus Satelles regius M. Ebbekesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312. Miracula 318

2 Addasta Satelles regius M. Ebbekesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312 Miracula 318

5 Adelheidis V. Abbatissa Vilicensis in Germania inferiore. *Comment. præv.* § 1 Vilicense cœnobium, S. Adelheydis sanctitas 719, § 2 Acta, translatio, templum, fons 720. Vita *auctore Berta sanctimoniali.* Prologus 721 *Cap.* 1 Illustris prosapia, sancta adolescentia 722, *cap.* 2 Præfectura Vilicensis cœnobii a parentibus conditi 723, *cap.* 3 Assumpta S. Benedicti regula. Parentum obitus 723, *cap.* 4 Liberalitas præsertim in pauperes 724, *cap.* 5 Præfectura Capitolini cœnobii. Miracula 725, *cap.* 6 Obitus, Translatio 726, *cap.* 7 Miracula ad sepulchrum 726

2 Aderamus Satelles regius M. Ebbekesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312 Miracula 318

1 Æmilius Dux Lucæ in Etruria. *Ex Francotto et MS.* 78

5 Agatha V. M. Catanæ in Sicilia *Comm. præv.* § 1 Natalis, martyrii tempus 599, § 2 Celebritas ex scriptis SS. PP. 600, § 3 S. Isidori Hispalensis hymnus duplex 601, § 4 Acta Latina præferenda iis, quæ apud Metaphrasten sunt 602, § 5 Acta Græca antiquiora Metaphraste 605 § 6 Acta per Simeonem Metaphrasten qualia 606, § 7 Oratio S. Methodii Patriarchæ CP. 607, § 8 Alia a posterioribus scripta 609, § 9 Disceptatio de loco natali 610, § 10 Argumentum Panormitanorum ex Metaphraste 612, § 11 Alia horum argumenta 613, § 12 Catanensium argumenta ex PP. et scriptoribus ante annum CM 614, § 13 Aliud horum argumentum ex oratione S. Petri Thaumaturgi Ep. Argivorum 616, § 14 Pro Catanensibus citati Pontifices, Reges, Episcopi, Sancti, scriptores varii, Breviaria, traditiones 618, § 15 Iisdem favent multi recentiores scriptores 619, § 16 Nostrum de tota controversia judicium 620


Acta

Acta *ex* XVI MSS. *Latinis. Quæst.* 1 S. Agatha varie tentata, alapis cæditur 621, *quæst.* 2 Equuleo torta et mamillæ abscissione, divinitus curatur 622 *quæst.* 3 Iterum torta, expirat, sepelitur, Catanam servat 623. Alia Acta *ex* MS. *Græco. Cap.* 1 S. Agathæ patria, comprehensio, constantia blanditiis flagrisque tentata 624, *cap.* 2 Tormenta alia : mamilla abscissa, a S. Petro curata 625, *cap.* 3 Mors inter carbones, sepultura, Catana velo ejus servata. 625. Acta III *auctore Metaphraste cap.* 1 S. Agathæ patria : iter Panormo Catanam. 626, *cap.* 2 Constantia blanditiis tormentisque probata 627, *cap.* 3 Varii cruciatus : abscissa mamilla a S. Petro sanata 628, *cap.* 4 Ultimum S. Agathæ certamen : mors ejus ac tyranni. Catana servata illius ope 628. Oratio S. Methodii Patriarchæ CP. *ex* MS. *cap.* 1 S. Agathæ laus ab Divina prædestinatione, vaticinio, sexu, virginitate, nomine petita 629, *cap.* 2 Ardor properantis ad martyrium, Divinæ opis imploratione et miraculis roboratus. Primum cum turpi lena certamen 630, *cap.* 3 Inflicta tormenta gravia et multiplicia. Mamillæ ei a S. Petro restitutæ, vulnera sanata 632, *cap.* 4 Mors, sepultura, epitaphium ab Angelo appositum : hujus pars prior explicata 633, *cap.* 5 Catana ejus meritis servata, Ætnæ ignibus velo ejus repressis. S. Luciæ prædictum martyrium 635

Reliquiæ et Ecclesiæ S. Agathæ. *Comment. histor.* § 1 S. Agathæ ecclesia et reliquiæ Romæ in Suburra 636. § 2 Aliæ Romæ ecclesiæ, cœmeterium, reliquiæ in Urbe 637. § 3 Reliquiæ alibi in Italia, Hispania, Belgio, Germania 638. § 4 Tabula sepulchro imposita, Cremonam delata 639. § 5 Reliquiæ Panormi et Catanæ hinc Constantinopolim avectæ per Georgium Maniacem 640 § 6 Tempus avecti relatique corporis. Siculorum quorumdam refutata narratio 641

Histo[illegible] Translationis c[o]rporis Constantinopoli Catan[...]n, *Auctore Mauritio Ep. Catanen.* Epistola de Tra[n]slatione 642 *cap.* 1 S. Agathæ corpus Constantinopolim avectum, inde in Italiam revectum non sine miraculis 642. *cap.* 2 Catanam relatum: facta eo die miracula 644 *cap.* 3 Concursus ad corpus : quidam in itinere defensi, sanati 645, *cap.* 4 Ægri et energumeni sanati 647, *cap.* 5 Alia miracula. Historiæ epilogus 647. Miracula auctore *Blandino monacho. cap.* 1 Catana ope S. Agathæ servata, curati ægri et energumeni 648, *cap.* 2 Paralyticus curatus 649 *cap.* 3 Energumenæ mirabiliter curatæ 650

Sylloge miraculorum miscellaneorum, *cap.* 1 Spiritualia S. Agathæ beneficia : martyrium prædictum, felix obitus 651, *cap.* 2 Velo ejus Ætnæi ignes repressi an. CCLII, 652 *cap.* 3 Repressi seculo XII, XIV XV 653, *cap.* 4 Sæpius coerciti seculo XVI 654, *cap.* 5 Iterum restincti an. MDCXXXV 657, *cap.* 6 Res variæ attactu Reliquiarum salutiferæ 657, *cap.* 7 Catana a peste et fame liberata 658, *cap.* 8 Catana contra hostes defensa 659, *cap.* 9 Catanenses ab internecione liberati 659, *cap.* 10 Proles mascula obtenta : mortis periculum discussum, fugati hostes 660, *cap.* 11 Episcopatus Catanæ restitutus pulsis Saracenis: varie a Pontificibus ornatus 661

5 Agatha Hildegardis Palatina Carinthiæ. *Comment. histor* § 1 S. Hildegardis a marito præcipitata e rupe, inoxie 727, § 2 Ejus mors, templum, anniversariæ eleemosynæ, reliquiæ 728

2 Agathoderus M. Tyanæ in Cappadocia. *Ex. Menæis.* Dira tormenta inflicta 287

5 Agricolaus Ep. Trajectensis in Belgio *Ex variis.* Tempus Sedis Oratorium S. Servatii extructum. Cultus sacer 665

1 Agrippanus M. Ep. Podiensis in Gallia *Comment. prævius.* Natalis, Acta, locus et tempus Sedis, martyrium, reliquiæ 204. Vitæ duplex epitome 205. Translatio reliquiarum 205

2 Aida Satelles regius M. Ebbeckesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium veneratio 312. Miracula 318

2 Aida socius dicti Aidæ 312

5 Albinus, sive Albuinus Episc. Brixinensis in Tiroli. *Ex variis.* Sedes translata, sepultura, miracula, cultus 719

6 Aldericus subulcus Fusniaci in diœcesi Coloniensi. *Comment. præv* Cultus, tolerantia, gesta conscripta, imago 930. Vita *auctore Jacobo Polio, cap.* 1 Ortus, peregrinatio, officium subulci 931, *cap.* 2 Fons miraculosus 932, *cap.* 3 Sepultura, reliquiæ, veneratio 933, *cap.* 4 Miracula 934.

2 Alfuinus Satelles regius M. Ebbeckesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium 312 Miracula 318

6 Amandus Ep. Trajectensis Elnone in Belgio. *Comment. præv.* § 1 Aquitania S. Amandi natalibus, vita monastica, prædicatione illustrata 823, § 2 Francia piis exercitationibus, conditisque monasteriis exculta 825, § 3 In Belgio Elnonense monasterium constructum, diplomatibus Regio et Pontificio munitum 826. § 4 Ecclesiæ et monasteria erecta ad Scarpum, Legiam et Scaldim fluvios. Flandri, Antverpienses aliique instructi 828. § 5 Gandenses ad fidem conversi. Tria ibi monasteria extructa 829, § 6 Monasteria in Brachanto antiquo et Hannoio erecta. Diœcesis Cameracensis exculta 831, § 7 Trajectensis Episcopatus. Cathedra Trajecto vindicata 832, § 8 Monasteria in diœcesi Trajectensi extructa, aliaque præclare gesta 835, § 9 Sclavis in Carinthia Evangelium prædicatum. Apud Wormatienses et Argentoratenses antiqui Episcopi : aliqui Amandi appellati et Sancti 837, § 10 Chronologia stabilita a nativitate S. Amandi usque ad 636 annum 839, § 11 Chronologia firmata ab anno 636 ad 650. Triennium Episcopatus Trajectensis 840, § 12 Tertium iter Romanum. Successor S. Amandi non S. Landoaldus, sed S. Remaclus 842, § 13 Res præclare gestæ ab anno 651 ad 661 annum 843, § 14 Res in senectute gestæ 845, § 15 Tempus conditi testamenti et obitus 847, § 16 Scriptum Elnonense de obitu excusum 848, § 17 Publica S. Amandi veneratio. Reliquiæ 849, § 18 Vita a variis conscripta 851, § 19 Historia Tauslationum et miraculorum a variis scripta 852, § 20 Nantua in Beugesia monasterium an a S. Amando constructum 854, § 21 Obitus S. Amandi afflictus Nantuæ. An ea monasterium S. Amandi dicta 856, § 22 Episcopatus Castellonensis an ab eo administratus 857

Vita *auctore Baudemundo discipulo ex* MSS. Prologus 859, *cap.* 1 Vita in patria, insula Ogia et Biturigibus 859, *cap.* 2 Iter duplex Romanum. Ordinatio Episcopalis. Tempestas sedata 860, *cap.* 3 Verbum Dei Gandensibus prædicatum. Mortuus Tornaci suscitatus 861, *cap.* 4 Iter ad Sclavos, exilium : baptismus S. Sigeberti 861, *cap.* 5 Episcopatus Trajectensis Fidei doctrina instituti Calloam et Vascones 862, *cap.* 6 Monasteria extructa : miracula patrata 863 *cap.* 7 Inobedientia punita Obitus 863. Vita II ex MS. 864. Vita III *auctore Harigero Abb. Lobiensi* 866. Vita IV *auctore Philippo Harrengio Ab. Bonæ-Spei ex* MSS. Epistola dedicatoria *ad Hugonem Abb.* 867. Epistola *ad Joannem Abb.* 868, *cap.* 1

S. Amandi ortus, pueritia, vita monastica 869, *cap.* 2 Primum iter Romanum. Verbum Dei prædicatum 871, *cap.* 3 Secundum iter Romanum. Gandenses, aliique instructi 872, *cap.* 4 Conversio variorum ad vitam monasticam. Exilium et reditus S. Amandi. Baptismus S. Sigeberti 874, *cap.* 5 Episcopatus Trajectensis. Epistola ad eum S. Martini Papæ 875, *cap.* 6 Variorum institutio. Miracula patrata, monasteria extructa 877, *cap.* 7 Tertium iter Romanum. Laus monasterii Elnonensis 879, *cap.* 8 Testamentum, obitus, sepultura 881.

Vita metrica *auctore Milone mon. Elnonensi.* Epistola ad Haiminum Presb. 882 Proœmium operis 883 *Lib.* I *cap.* 1 Introductio poetica a Christo et Apostolis ad S. Amandum : hujus ortus 884, *cap.* 2 Vita monastica in insula Ogia. Serpens fugatus. Promissa patris contempta 885, *cap.* 3 Clericatus. Vita anachoretica, iter primum Romanum 886, *Lib.* II *cap.* 1 Ordo Episcopalis collatus. Captivi redempti et instructi 887, *cap.* 2 Iter secundum Romanum. Puer a submersione liberatus, Tempestas sedata 888, *cap.* 3 Gandenses conversi. Ejus discipulus Bavo sanctitate illustris 889, *Lib.* III *cap.* 1 Mortuus suscitatus 890, *cap.* 2 Fides propagata. Sclavi editi. Exilii pœna irrogata 891, *cap.* 3 Reditus ab exilio. Baptismus S. Sigeberti 892, *cap.* 4 Episcopatus Trajectensis 893. *Lib.* IV *cap.* 1 Vascones edocti : cæcus illuminatus 894, *cap.* 2 Monasteria extructa. Periculum mortis eultus depulsum 894 *cap.* 3 Cæcitate et paralysi puniti, ope ejus sanantur 895, *cap.* 4 Mors, sepultura. Elevatio corporis. Epilogus 896 Wlfaii versus in confirmatione operis 897

Sermo I Milonis *ex* MSS. Translatio corporis, ordinatio et dedicatio templi 898, Sermo II Milonis *ex* MSS. de Elevatione corporis *cap.* 1 Miraculosa corporis constitutio 900, *cap.* 2 Juris divini virtute accensus 902 Epitome Translationis et Elevationis corporis *ex* MSS. 903, Fragmentum Chronici Elnonensis *ex* MS. 904. Historia miraculorum corpore per Franciam delato *auctore Gilberto Elnonensi ex* MSS. Prologus 904 *cap.* 1 Incendium Elnonense Miracula ad reliquias Cameraci et Coccii facta 904, *cap.* 2 Miracula Landuni, Calnici, Navioni et Duaci facta 906, *cap.* 3 Captivus liberatur et suspensus suscitatur 907, *cap.* 4 Periculum mortis amotum. Clinica sanatur 908, Historia miraculorum corpore per Braglantum delato *auctore Guntero Elnonensi ex* MSS. 909, Historia mulieris suspensæ ad vitam revocatæ *descripta a Marsilia Abbatissa Rotomagensi ex* MSS. 910 Hymnus duplex *ex* MS. 912

6 Amantius Episcopus Tricastinus. *Ex Gallia Christiana Sammarthanorum.* Cultus sacer, reliquiæ a Calvinistis combustæ 971

1 Ammon M. *Ex Mroll.* MSS. *S. Hieron.* 47

6 Anatholianus M. Claromonte in Gallia. *Comment. hist.* Cultus sacer, Acta, martyrium, templum ei extructum 776

3 Anatolius Ep. Patronus Salinarum in Burgundia *Comment. præv.* § 1 Natalis, Vita, miracula 359 § 2 Episcopatus, patria 361. § 3 an Patriarcha Constantinopolitanus ? an Adanæ Episcopus ? 362 Vita *ex* MSS. 363, alia *ex schedis Petri Franc. Chiffletii.* 364.

6 Andreas Ab. Elnonensis in Belgio. *Comment. hist.* Vitæ sanctitas, regimen monasteriorum Barisiacensis et Elnonensis. Corporis elevatio ; veneratio 912.

6 Angelus a Furcio Ord. Eremit. S. Augustini Guatis-Amonii in Aprutio. *Comment. præv.* Cultus, Acta scripta. Hymnus 935 Vita *ex* MSS. *cap.* 1 Ortus ex sterilibus parentibus 926, *cap.* 2 Educatio, studia litterarum 937, *cap.* 2 Desiderium religiosæ vitæ capessendæ 938, *cap.* 4 Tirocinium vitæ religiosæ. Studia Theologica 939, *cap.* 5 Officia in religione administrata Episcopatus recusatus. Obitus 939.

1 Anonymus Belga Ep. Chami in Helvetia, *ex Henrico Murero* 249.

3 Anscharius Archiepiscopus Hamburgensis, Danorum et Suecorum Apostolus, Bremæ in Saxonia inferiore *Comment. præv.* § 1 Hamburgi erectus Archiepiscopatus. Magnitudo provinciæ 395, § 2 Bremensis Episcopatus Hamburgensi unitus. Stabilita chronologia ætatis 397, § 3 Acta conscripta Elogia variorum 398, § 4 Veneratio sacra. Templa dicata 339, § 5 Torholtana cella donata, dein ablata. An Flandri ab eo conversi. Eorum limites olim angusti, et varii Comitatus vicini 400. § 6 S. Anscharii patria. Qui Frisii ab eo edocti. Ostergaus et Dorstadum loca illustrata 401, § 7 Reges Daniæ ævo S. Anscharii male ordinati apud scriptores Daniæ 403, § 8 Emendata successio Regum Daniæ 404 § 9 Acta postrema Herioldi, hujus fratris Roruc, filiorum Godefridi et Rudolfi 405 § 10 Viri Apostolici in conversione Danorum. Templa prima erecta 405, § 11 Suecones conversi, Horum ævo S. Anscharii, Reges : Birca emporium 406, § 12 Legatio ad Aquilonares populos 406 § 13 Reliquiæ Sanctorum ab eo in suam Diœcesim illatæ. Monasteria extructa : libri conscripti 408, § 14 Epistola S. Anscharii 409, § 15 Decretum Paschalis Papæ super Missione Ebbonis 409, § 16 Præceptum Ludovici Pii super Missione S. Anscharii 410 § 17 Decretum Gregorii IV Papæ de eadem Missione 411, § 18 Decretum Nicolai Papæ 412, § 19 Epistola Nicolai Papæ ad Horicum Regem Daniæ 412, § 20 Epistola Formosi Papæ ad Adelgarium Archiep. Hammaburgensem 413.

Vita *auctore S. Remberto Archiep. ex* MSS. Prologus 413, *cap.* 1 S. Anscharii pueritia. Tirocinium monasticum. Visiones 414, *cap.* 2 Præfectura scholarum in utraque Corbeia. Visiones 415, *cap.* 3 Apostolatus Daniæ 416, *cap.* 4 Apostolatus Sueciæ 417, *cap.* 5 Archiepiscopatus Hamburgensis 418, *cap.* 6 Gauzberti Episcop. in Sueciam adventus et exilium. Hamburgum combustum 419, *cap.* 7 Ardgarii Presbyteri in Sueciam iter. Miracula et obitus Herigarii 420, *cap.* 8 Fridburgis obitus. Reditus Ardgarii e Suecia 421, *cap.* 9 Episcopatus Bremensis Hamburgensi unitus 422, *cap.* 10 Conjunctio Episcopatuum oppugnata : auctoritate Apostolica confirmata 423, *cap.* 11 Legatio S. Anscharii in Daniam resumpta : in Sueciam parata 424, *cap.* 12 Legatio Sueciæ. Ecclesia constructa 425, *cap.* 13 Incrementum Ecclesiæ in Suecia. Victoria bellica 426, *cap.* 14 Incrementum Ecclesiæ inter persecutiones. Viri Apostolici in Sueciam missi 427, *cap.* 15 S. Anscharii pœnitentiæ, preces, eleemosynæ 428, *cap.* 16 Illustrationes divinæ. Miracula 430, *cap.* 17 Morbus, obitus, sepultura 431. Alia Vita metrica *auctore Gualdone monacho Corbeiæ veteris ex* MSS. Prologus *ad Adalbertum Archiep. Hammaburgensem* 433 *Capita* XXVII *titulis prioris vitæ proposita, habentur a pag.* 434 *ad* 450.

5 Antonius Japon. puer M. in Japonia cum aliis XXV. *Acta cum iis communia a pag.* 729 *ad* 770. Alacritas in captivitate. Pietas in serviendo celebrantibus

tibus

tibus Missam 742 d 746 a martyrium 769 a
1 Antonius Peregrinus Patavii. *Comment. præv.* Nobile genus, peregrinatio, obitus, cultus, monasteria 266 Vita *auctore Bernardino Scardeonio.* Paupertas, miracula, translatio epitaphium 267
1 Apollinaris M. *Ex Mrol.* MS. *S. Hieron.* 47
2 Apronianus Commentariensis M. Romæ. *Ex Mroll.* et *Actis S. Marcelli Papæ.* Conversio, martyrium, cultus sacer 289
4 Aquilinus M. Forosempronii in Umbria. *Ex Mroll.* 463
2 Avanus Comes M. Ebberkesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312 Miracula 318
4 Aventinus Episc. Castroduni in Gallia. *Comment. præv.* Sedes Episcopalis, gesta, veneratio 483 Vita *ex Rhytmo Gallico.* Genus, Ordines sacri, miracula 484
4 Aventinus Presb. Trecis in Gallia. *Comment. præv.* § 1 S. Aventini res gestæ, habitatio 479, § 2 Festum, ecclesia, reliquiæ 481 Vita *ex* MSS. *a Camuzato edita, cap.* 1 Œconomi munus administratum non sine miraculis 481, *cap.* 2 Vita eremitica, sacerdotium 482, *cap.* 3 Ejus cum feris familiaritas 482
5 Avitus Episc. Vienn. in Gallia *Comment. præv.* § 1 Familia nobilitate et sanctitate illustris. Ejus cultus sacer, scripta ab aliis commendata 666, § 2 Captivi ab eo redempti. Epistola ad Chlodoveum R. Francorum 668, § 3 Familiaris cum Gundobaldo R. congressus. Labores impensi in eo ad fidem orthodoxam convertendo. Hæreses oppugnatæ 669. § 4 Conversio S. Sigismundi R. Synodi habitæ. Episcopi instructi 670, § 5 Sedis Apostolicæ defensio. Epistolæ ad Pontifices Romanos et Patriarchas Constantinopolitanum et Hierosolymitanum 672 Vita *ex* MSS. 674. Epitaphium 675
3 Azarias Propheta in Judæa. *ex Menæis Græc. et lib. 2 Paralipomenon* 323

B

2 Bardo Comes M. Ebbeckesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312 Miracula 318
2 Bardo Comes M. *socius dicti* Bardonis 312
2 Bardo *tertius* Comes M. *socius aliorum* 312
1 Basilius Ep. Cretensis dein Thessalonic. Conf. *Ex Menæis et Niceta in vita S. Ignatii Patriar. Constantinop.* 244
3 Berlendis V. Merbecæ in Brabantia. *Comment. præv.* Genus, ætas, natalis, gesta, 381. Vita *ex* MS. Prologus 383, *cap.* 1 Genus parentes, exhæredatio, 383, *cap.* 2 Sanctitas, miracula 384, *cap.* 3 Mors, translatio, miracula 385. Historia miraculorum *ex* MSS. *cap.* 1 Merbeca a Danis vastata, S. Berlendis sepulchro et miraculis illustrata 385, *cap.* 2 Translatio, miracula 386, *cap.* 3 Variæ ad tumulum curationes 387
5 Bertulphus Renticæ et Gandavi in Belgio *Comment. præv.* § 1 Ætas, festum, effigies 681 § 2 Translationes, prodigiosus pulsus. Acta 682. Vita *ex* MS. Prologus 683, *cap.* 1 S. Bertulphi ortus, adventus in Belgium, conversio 684, *cap.* 2 Wamberti Comitis familia ab eo administrata. Invidia repressa 685 *cap.* 3 Virtus miraculis declarata, honorata ab Wamberto Comite 685 *cap.* 4 Wamberti et conjugis obitus. Monasterium Renticæ a S. Bertulpho erectum 687, *cap.* 5 Obitus, ad sepulchrum miracula 687, *cap.* 6 Corpus Bononiam devectum inde sacrilegio sublatum, industria Arnulphi Magni Marchionis Flandriæ inventum 688, *cap.* 7 Corpus Harlebecam, inde Gandavum translatum 690, *cap.* 8 Reliquiæ ad novam aram transferendæ prius visitatæ 691, *cap.* 9 Reliquiæ Harlebecæ flammis ereptæ, Gandavum translatæ 692, *cap.* 10 Reliquiæ in novam capsam novamque aram impositæ 693
3 Blasius Ep. Oretanus in Hisp. M. *Ex variis.* Tempus et locus Sedis ac martyrii. Caput Lerinæ, an et Toleti? 324
3 Blasius Ep. Sebastenus M. *Comment. præv.* § 1 Natalis 334 § 2 Ætas. Acta quadruplicia 335, § 3 Celebritas, templa 336 § 4 Reliquiæ 337, § 5 Beneficia hominibus collata 339. Acta I *ex* MS. *cap.* 1 S. Blasii comprehensio: curationes hominum ac brutorum 340, *cap.* 2 Quæstio i etii Beneficentiæ remuneratio 341, *cap.* 3 Martyrium VII mulierum ejus sanguinem colligentium 342, *cap.* 4 Cædes S. Blasii et 2 puerorum 342. Acta II *ex* MS. *cap.* 1 S. Blasii virtutes: miracula brutis ac hominibus curandis, comprehensio 343, *cap.* 2 Tormenta: beneficentiæ remuneratio 344, *cap.* 3 Martyrium VII mulierum ob ejus sanguinem collectum 345 *cap.* 4 Martyrium S. Blasii et 2 puerorum 347. Acta III *ex* MS. Prologus 348, *cap.* 1 S. Blasii virtutes, miracula 348 *cap.* 2 Tormenta ei inflicta 350, *cap.* 3 Martyrium VII mulierum occasione sanguinis ejus collecti captarum 350, *cap.* 4 Martyrium S. Blasii et 2 puerorum 351. Acta IV *ex* MS. *cap.* 1 S. Blasii episcopatus, latebræ, captivitas 353 *cap.* 2 Miracula, tormenta 354 *cap.* 3 Martyrium VII mulierum ei devotarum 355 *cap.* 4 Martyrium S. Blasii et 2 puerorum 356
3 Blasius Armentarius M. Cæsareæ in Cappadocia. *Ex Menæis.* Illata tormenta: spiritus columbæ specie emissus 357
2 Bodo Satelles Regius M. Ebberkesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312 Miracula 318
5 Boetus Commentariensis M. Anazarbi in Cilicia. *Ex Menæis* Conversio per S. Theodulam. Martyrium 662
5 Bonaventura, alias Ventura Japon M. in Japonia cum aliis XXV. *Acta cum iis communia a pag.* 729 *ad* 770. Famulus et Dogicus 746 d. Prædicator 758 d Apostata ad Bonzios, rediens ad fidem, Martyr in cruce 768 b
2 Bonosia M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287
1 Brigida Virgo Scota Thaumaturga Kildariæ et Duni in Hibernia. *Comment. præv.* § 1 Natalis, celebritas 99, § 2 Varia Acta conscripta 101, § 3 Patria 103, § 4 A quo et ubi velata? Ejus habitus, Regula 104 § 5 Kildariense et alia ejus monasteria 105, § 6 An Glastoniæ habitarit 106, § 7 An Abernethi apud Pictos habitarit? 108 § 8 Quando obierit? 109, § 9 Ejus sepultura Translatio 110, § 10 Corporis inventio, secunda Translatio, tertia quartaque capitis 111, § 11 Perennia quædam miracula 113, § 12 S. Brigida donis Sanctorum honorata, nonnulla de S. Gilda quæsita 114, § 13 S. Brigidæ in varios Sanctos beneficia 116, § 14 Miracula suspectæ fidei eidem adscripta 117, § 15 Lectiones ex veteri Breviario Aberdonensi 118
Vita I *auctore anonymo ex* MS. *cap.* 1 S. Brigidæ genus, nativitas, infantia, præsagia sanctitatis 119, *cap.* 2 Mirifica in pauperes liberalitas, obtenta matri libertas 120, *cap.* 3 Virginitas Deo devota velo accepto: varia rerum metamorphoses 121, *cap.* 4 Miraculosa ejus curatio et aliorum per eam 122, *cap.* 5 Iter ad S. Patricium innocens defensus, conversus Gentilis, adjuti alii 123, *cap.* 6 Fiducia in Deo ope vario eventu probata 123, *cap.* 7
Itineris

Itinerispericula propulsata, annona cœlitus multiplicata 124, *cap.* 8 Leprosis aliisque sanitas ac varia beneficia collata 125, *cap.* 9 Gesta apud S. Patricium, ejus prævisa sepultura 126, *cap.* 10 Reginæ proles, Conaldo Duci securitas et victoria obtenta 127, *cap.* 11 Cædes impedita: superstitio damnata: alia miracula 128, *cap.* 12 Pervicaces repressi: alii periculis erepti 129, *cap.* 13 Annona egentibus obtenta, in via errantes adjuti 130, *cap.* 14 Angeli Custodis tutela et familiaritas. Victoriæ Regi benefico promissæ 131, *cap.* 15 Raptus, *occultorum* cognitio, *fluminum miraculosa* trajectio 131, *cap.* 16 Tentationis superatæ fructus: varia in ope miseris ferenda miracula 132, *cap.* 17 Varii generis miracula: pleraque in miserorum levamen: mors S. Brigidæ 134

Vita II *auctore Cogitoso ex* MSS. Prologus 135, *cap.* 1 Brigidæ adolescentis benignitas in pauperes; virginitas Deo devota, utrumque miraculis comprobatum 135, *cap.* 2 Varia mortalibus ejus precibus et benedictione collata 136, *cap.* 3 Alia a Deo ipsi collata beneficia, per ipsam aliis 137, *cap.* 4 Feræ cicures ad ejus obsequium 137, *cap.* 5 Cædes impeditæ Angeli præsens auxilium 138, *cap.* 6 Res variæ ejus precibus restitutæ, 139, *cap.* 7 Fluvii mutatus alveus; lapis molaris prodigiis clarus 140 *cap.* 8 Kildaria urbs: S. Brigidæ ecclesia, sepulchrum 141

Vita III *auctore Chilieno ex* MSS. *a Colgano edita.* Prologus 141 *cap.* 1 S. Brigidæ sanctitatis præsagia: virtutes et miracula in adolescentia: spretis nuptiis ac velo accepto dicata Deo virginitas 142, *cap.* 2 Hospitalitas, etiam absentibus et errantibus exhibita 143, *cap.* 3 Animorum asperitas benigne repressa 145, *cap.* 4 Egentium, reorum, ægrorum solatia 146, *cap.* 5 In feras arboresque imperium, signi Crucis efficacia 147, *cap.* 6 Pietati vacantium servatæ res: dissidentes conciliati 148, *cap.* 7 Effusa in egenos liberalitas divinitus remunerata. currus a lapsu in itinere servatus 150, *cap.* 8 Miseratio egentium. futura præscita, castigata inobedientia, annona divinitus obtenta 151, *cap.* 9 Raptus: cædes impedita: trajectio fluminum miraculosa tentatio sopita 152, *cap.* 10 futura dormienti ostensa 154

Vita IV bipartita *auctore anonymo ex* MS. Prologus 155, *Lib.* 1 *cap.* 1 S. Brigidæ genus, nativitas, educatio, varia sanctitatis præsagia 155 .. *cap.* 4 Beneficia in miseros impensa, pleraque miraculose; gesta apud S. Patricium, innocens defensus 157, *cap.* 5 Occultorum cognitio, beneficentia, austeritas vitæ: iter in Conactiam 158. *Lib.* 2 *cap.* 1 Reditus in Lageniam. Kildariæ initia. Pietati vacantium bona divinitus defensa 159, *cap.* 2 Pater periculo ereptus. Angeli præsens tutela. Blando Regi promissa victoria 160, *cap.* 3 Verbi Divini et sacrarum rerum studium divinitus comprobatum. Liberalitas in egenos præsenti fœnore munerata 161, *cap.* 4 Gesta apud S. Ibarum, mira beneficentia et mansuetudo 162, *cap.* 5 Adita Ultonia cum S. Patricio, hujus prævisa sepultura et futuræ post hæreses aliaque 163, *cap.* 6 In Midia obtenta Reginæ proles, impeditæ cædes, signa superstitiosa dissipata 164, *cap.* 7 Iter in Momoniam cum S. Erco Ep. variæ adjuti egentes, puniti contumaces 165, *cap.* 8 Reditus in Lageniam, annona sæpius a Deo impetrata: succursum in itinere errantibus 167, *cap.* 9 S. Ninnidio prædicta, S. Darlugdachæ lapsus, victoria 168, *cap.* 10 Annona cœlitus obtenta ad hospitalitatem, mira largitas, varia miracula 169, *cap.* 11 Maris, fluminum, ferarum, Angelorum obsequium ei promptum: variæ metamorphoses 170, *cap.* 12 Epilogus scriptoris. S. Brigidæ mors, sepultura 171

Vita V *auctore Laurentio Dunelmensi ex* MS. *cap.* 1 S. Brigidæ serva mater sanctitatis præsagia 172, *cap.* 2 Nativitas alia signa futuræ sanctitatis 172, *cap.* 3 Baptismus, educatio, sancta pueritia 173, *cap.* 4 Novercæ odium. Nutrix miraculo sanata 174, *cap.* 5 Mater libertate donata, beneficientia miraculis comprobata 175, *cap.* 6 S. Brigida periculo servitutis erepta 176, *cap.* 7 Virginitas deformitate defensa: velo accepto et miraculis stabilita 177, *cap.* 8 Cœnobium sanctimonialium institutum: misericordia egentibus exhibita 178 *cap.* 9 Signo Crucis producta auctaque cerevisia et lac 179, *cap.* 10 Feræ ejus nutu mansuefactæ ad miserorum levamen 180, *cap.* 11 Simplicitas miraculis illustrata 181, *cap.* 12 Curationes prodigiosæ ejus et aliorum per eam 182, *cap.* 13 Paralytico collatæ vires, infanti loquela ad innocentis defensionem 183, *cap.* 14 Annona divinitus obtenta: quæ absumpta erat, restituta 184, *cap.* 15 Mors diu ante præscita, pie obita 185

1 Brigida V. Fæsulis in Etruria. *Comment. histor.* § 1 natalis, Acta ortus 245, § 2 Ætas 245, § 3 Monachismus discussus: sepultura 246. Vita *auctore Philippo Villano* 247

2 Bruno Dux Saxoniæ M. Ebbeckesdorpii. *Ex variis* § 1 Occasio martyrii cultus sacer 312, § 2 Genus, res gestæ 313 § 3 miracula 318

5 Brynolphus Ep. Scarensis in Suecia. *Comment histor.* Sedes Episcopalis erecta S. Brynolphi ortus, studia, Episcopatus, odium et reconciliatio Regis, obitus, cultus, revelatio S. Birgittæ facta, elevatio corporis, canonizatio 933

5 Bucolus Ep. Smyrnensis. *Comment. præv.* Natalis, miracula, tempus obitus 774. Vitæ Epitome *ex Anthologio Græco* 775. Alia vita *ex Actis S. Polycarpi successoris* 775

C

1 Cæcilius Episc. Eliberitanus in Hispania. *Comment histor.* § 1 An S. Jacobi discipulus 4, § 2 An Episcopi a S. Jacobo in Hispania ordinati 5, § 3 S. Cæcilius et socii Episcopi a SS. Petro et Paulo in Hispaniam missi 7, § 4 Quando sint in Hispaniam missi? Accitani conversi 9, § 5 S. Cæcilius Eliberi quievit, non Granatæ. Apocrypha de ejus nece scripta reperta 9, § 6 Decretum Romanæ Inquisitionis prohibens scripta et alia circa Granatam reperta 10, § 7 S. Cæcilii scripta apocrypha, natalis, reliquiæ 12

2 Caius M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287

5 Caius Franciscus Japon M. in Japonia. *vide* Franciscus Japon

5 Calamanda V. M. in Catalania. *Ex Domenecco.* Cultus, reliquiæ, patrocinium pro pluvia 664

6 Calliste M. Cæsareæ Cappadociæ. *Ex Mrol. et Actis S. Dorotheæ V. M.* Veneratio 779. Conversio. Martyrium 782

6 Candidi M. Translatio reliquiarum Fossani in ditione Pedemontana ad ædem Cathedralem 944

2 Candidus M. Romæ. *Ex Mroll* 287

3 Candidus M. Romanus Volaterris in Etruria, ubi corpus adservatur 333

2 Cappa M. Romæ. *Ex Mroll.* MS 287

1 Caron M. *Ex Menæis.* Excisa lingua 48

1 Carterius Presb. apud Bituriges in Gallia *Ex Hagiologio Labbei* 187

2 Castula M. Romæ. *Ex Mrol.* MS 287

3 Celerina M. *Comment. hist.* Natalis patria, laureola 325. Avia S. Celerini 328 *a*

3 Celerinus

3 Celerinus Diac. Conf. *Comment. histor.* § 1 Natalis, patria, aureola 325 § 2 Confessio in tormentis : pro sorore lapsa sollicitudo 325, § 3 ordinatur Lector 327, § 4 Schismati Novatiani adhæret 328, § 5 Novatiano Antipapæ creato asssentitur 330, § 6 Ad Ecclesiam redit 330
3 Celsa V. Merbecæ in Brabantia. *Ex actis S. Berlendis.* An hujus neptis ? Veneratio 378. Translatio, miracula 385
6 Christi M. Cæsareæ Cappadociæ. *Ex Mroll. et Actis S. Dorotheæ.* Veneratio 771. Conversio, martyrium 774
1 Cinnia Virgo in Hibernia. *Ex Mroll.* 96. Vita *ex Joccelino de Vita S. Patricii.* Nuptiæ spretæ, vita monastica, pater a morte resuscitatus 97
3 Claudius Conf. *Ex Menæis. Græc.* 358
2 Cornelianus M. Romæ. *Ex. Mrol.* MS. 287
2 Cornelius Centurio Ep. Cæsareæ et Scepsi. *Comm. præv.* § 1 Patria 281, § 2 Episcopatus 282, § 3 Labores, miracula, Inventio 283. Vita *ex Metaphraste et* MS. *Græco. cap.* 1 S. Cornelii conversio, baptismus 283 *cap.* 2 Labores, præsertim Scepsi 284, *cap.* 3 Scepseorum conversio. S. Cornelii obitus 285, *c.* 4 Inventio, Translatio, imago 286
5 Cosmus Tachegia M. in Japonia cum aliis XXV *Acta cum iis communia a pag.* 723 *ad* 762 Ortus in Japonia, artificium acuendi machæras, martyrium 260 f
1 Cyriacus M. *Ex Mroll.* MSS. 47

D

1 Darlugdacha Virgo Scota. Kildariæ in Hibernia. *Ex Mroll. et Vita S. Brigidæ.* Pugna carnis adustis pedibus superata. Cultus sacer 186
5 Didacus Cosai Societatis Jesu Novitius M in Japonia cum aliis XXV Mart. *Comment. prævius a pag.* 729 *ad* 750 Vir pius, et humilis Passioni Christi addictus ; janitor Patrum Societatis 746 c d Reliquiæ Macaum delatæ 748 d. Veneratio decreta 748 749 *Historia martyrii auctore Ludovico Froez Soc. Jesu a pag.* 750 *ad* 770 B. Didacus petit Societatem 758 a Captivus detinetur 760 e particula auris abscissa circumducitur in carro 761 b c f. Nangasacum mittitur incommodo itinere 765, confitetur, vota devotionis emittit 768 a c. Cruci alligatus trucidatur 768 d f 769 e
1 Dionysius Martyr Smyrnæ socius S. Pionii Presbyteri. *Ex Mrol.* 37 40
5 Dominica M. soror S. Indracti M. *Ex hujus Actis.* Cædes, cultus sacer 694 695
5 Domitianus M Teate in Aprutio. *Ex Ferraria.* 664
5 Domitianus, sive Tuitianus, Dux Carinthiæ. *Comment. præv.* § 1 Milstadium oppidum. B. Domitiani ecclesia et monasterium 699, § 2 Milstadium Ordini S. Georgii, dein Societati Jesu donatum 701, § 3 B. Domitiani publica veneratio 701, § 4 Inquisitum in B. Domitiani ætatem. Occupata a Sclavis Carinthia. Forma Rex Samo 703 § 5 Duces Carinthiæ ante et post B. Domitianum 705 § 6 Ejus ætas determinata 706, § 7 Inauguratio. Gesta alia et miracula a quo descripta 707 Vita Translatio et m *auctore Milstatensi Monacho* 709 Miracula 710 Translatio m 712
4 Donata M Forosempronii in Umbria *Ex Mroll.* 463
4 Donatus M. Forosempronii. *Ex Mroll.* 463
6 Dorothea V M Cæsareæ Cappadociæ. *Comment. præv.* § 1 Veneratio 779, § 2 Acta a quo scripta 780, § 3 Reliquiæ 781, Acta *ex* MSS. *cap.* 1 Confessio, tormenta 781, *cap.* 2 Alia tormenta, cædes. Conversio Christes et Callistes, Theophilo poma et rosæ missæ 782
6 Dorothea V. Alexandriæ in Ægypto. *Ex Ruffino, Eusebio, Molano.* Ætas, certamen, fuga pro castitate. Cultus sacer 784
2 Dudo Satelles regius M. Ebbeckesdorpii in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312. Miracula 318

E

1 Ephræm Syrus Edessæ in Mesopotamia. *Comment. præv.* § 1 Vita a quo scripta? 49, § 2 Natalis, ætas 50, § 3 Patria, gradus Ecclesiasticus 51, § 4 Doctrina, scripta, Græcæ linguæ peritia 52, § 5 Amicitia cum aliis Sanctis 54, § 6 Compunctionis fontes 55. Narratio ejus ad monachos de sua conversione, *interprete Ger. Vossio, cap.* 1. S. Ephræm et duo concaptivi falso crimine accusati, etsi alterius vere rei 56, *cap.* 1 Sociis post quæstionem absolutis Ephræm ampliatur 57, *cap.* 3 Aliis tribus damnatis, iterum ampliatur, tandem absolutus fit monachus 57. Confessio et reprehensio sui ipsius, *interprete Ger. Vossio* 58. Testamentum *ejusdem interp. eodem Vossio collatum cum* MS. *Græco, cap.* 1 Timor judicii, mansuetudo, recta fides 60, *cap.* 2 Paupertas, humilitas in sepultura et exequiis 61, *c* 3 Pauperum cura. Edessæ benedictio, sepulturæ modus 62, *cap.* 4 Preces et oblationes pro mortuis 63, *cap.* 5 Benedictiones discipulorum, execratio hæreticorum 64, *cap.* 6 Fides et pia opera inculcata, detestatio hæreticorum 66, *cap.* 7 Modestia piæ feminæ inculcata, obitus 67
Oratio *S. Gregorii Nysseni Episcop. cap.* 1 Exordium, propositio, quæ in S. Ephræm laudanda 67, *cap.* 2 Virtutes ejus Theologicæ 68, *cap.* 3 Compunctio aliæque virtutes 69, *cap.* 4 Commoratio, eruditio 70, *cap.* 5 Conciones, vitæ austeritas 71, *cap.* 6 Misericordiæ opera, lucta cum hæreticis 71, *c.* 7 Imitatio sanct. Patrum 72, *c.* 8 Testamentum, mors, miracula 73. Vita *auctore anonymo interp. Ger. Vossio* 74. Excerpta *ex Vita S. Basilii Magni adscripta S. Amphilochio ex* MSS. *Latinis, cap.* 1 SS. Basilii et Ephræm congressus 75, *cap.* 2 Illorum meritis peccata cuidam condonata 76. Vita alia *ex Sozomeno* 77
2 Erlulfus Episcopus Ferdensis in Saxonia inferiore. *Ex variis.* Obitus, Veneratio 312
5 Evagrius M. Anazarbi in Cilicia igne consumptus. *Ex Menæis Græc.* 663
3 Evantius Ep. Viennæ. *Ex conciliis et Mroll.* 370
1 Eubertus Episc. Insulis et Seclinii in Flandria *Sylloge hist.* Origo, prædicatio, obitus, reliquiæ 47
6 Evellii M. Translatio reliquiarum Fossani in ditione Pedemontana ad ædem Somascorum 941
1 Eugenius M *Ex Mroll.* MSS. 47
4 Eutychius M. Romanus. *Ex Mroll. et Actis S. Secundi.* Natalis, sepulchrum, tormenta, inventio, translatio 463

F

2 Felicianus M. Romæ. *Ex Mroll.* 285, reliquiæ Placentiæ in Hispania 287
2 Felicitas M. Romæ *Ex Mrol.* MS. 287
1 Felicitas M. in Africa. *Ex Mroll.* 332
6 Felicis M Translatio reliquiarum Fossani in ditione Pedemontana ad cœnobium S. Catharinæ 941
2 Felix M. Romæ. *Ex Mroll.* MS. 287
3 Felix M. in Africa. *Ex. Mroll.* 332
Felix M. in Africa. *Ex Mroll.* 664
6 Finanus Ab. Mellifonte in Hibernia. *Ex Mroll. et Vita S. Finani Ep. Lismorensis* 913

4 Firmus

4 Firmus M. Genuæ. *Ex Kalendar. SS. Genuen.* 961
2 Firmus M. Romæ. *Ex Mroll.* 287
2 Flosculus Ep. Aurelian. *Ex Mroll. et Car. Saussaio.* 290
2 Folcuvartus Comes M. Ebbeckesdorpi in Saxonia inferiore. *Ex Actis sociorum MM.* Martyrium, veneratio 312, Miracula 318
2 Fortunatus M. Rom. *Ex Mroll.* 285. An Presbyter 287
3 Fortunatus M. Romanus Antverpiæ. Corpus servatur in templo Societatis Jesu 332
6 Francisca tertii Ordinis S. Francisci, Eugubii in Umbria *Comment. histor.* Reliquiæ et imago in altari, virtutes, miracula 940
5 Franciscus Japon M. in Japonia cum aliis xxv. *Acta cum iis communia a pag. 729 ad 770.* Faber lignaris, in famulatu PP. Franciscanorum captivorum comprehensus 765 d. Pro liberatione frustra laboratum 766 b. Martyrii desiderium 766 c Martyrium in cruce 768
5 Franciscus medicus Meacensis M. in Japonia cum aliis xxv. *Acta cum his communia a pag. 729 ad 770* An prædicator? 746 e Martyr in cruce 769 c
5 Franciscus Blancus Presb. Ordinis S. Francisci socius B. Petri Baptistæ M. in Japonia cum aliis xxv. *Comm. præv.* Adventus in Japoniam 741 Patria 741 e. Veneratio decreta 748. Historia martyrii *auctore Ludovico Froez Soc. Jesu* Prædicatio publica 750. Rex offensus, decreta mors, custodiæ appositæ domui 752, 754. Zelus a Japoniis culpatus 756 e. Particula auris abscissa, circumductio in carro 761. Iter Nangazachum 765. Martyrium in cruce 768 769 b e
5 Franciscus a S. Michaele Laicus Ord. S. Francisci M. in Japonia cum aliis xxv. Adventus in Japoniam 739 f. Ortus, zelus, affectus in Passionem Christi, miracula 742 b. Veneratio decreta 748. Pietas et humilitas 761 d. Martyrium in cruce 769


G


5 Gabriel Japon, M. in Japonia cum aliis xxv. Famulus, et Dogicus ab aliis habetur 746 d. Patria et martyrium 769 c
1 Galla Virgo Deo devota in Bageno vico Valentini agri in Gallia *Commentarius præv.* Memoria diu dum obscura, patria, ætas, variæ SS. Gallæ 948 Vita *ex* MS. *Reginæ Sueciæ.* Fuga nuptiarum, velum Virginitatis assumptum, miracula varia, obitus, sepultura, cultus 249
4 Gelasius M. Forosempronii in Umbria. *Ex Mroll.* 463
4 Gelasius alius M. Foro-Sempronii. *Ex Mroll.* 463
4 Gelasius puer Placentiæ in Ital. *Ex offic. Eccles. et Mroll.* Ætas, obitus, natalis, Translatio 470
5 Gelasius M. in Africa. *Ex. Mrol. S. Hieron.* 664
4 Geminus M. Forosempronii. *Ex Mroll.* 463
4 Geminus alius M. Forosempronii *Ex Mroll* 463
4 Gemmulus M. Gamaræ in ditione Mediolanensi *Ex Ferrario.* Martyrium cultus, patrocinium pro pluvia 567 572
2 Gerricus Comes M. Ebbeckesdorpi in Saxonia inferiore. Martyrium, publica veneratio 312 Miracula 313
4 Gilbertus Fundator Ordin. Sempringham. in Anglia. *Comment. præv.* § I Nobilis progenies. Ordo Sempringhamen. institutus 572 § 2 Institutio canonica et extinctæ, erecta monasteria 573 § 3 Vita scripta, canonizatio 574. § 4 cultus 575. Vita *ex antiqua Historia Sanctorum* 576. Alia *ex* MS. *et Capgravio* 577
5 Gonsalvus Garcia Laicus Ord. S. Francisci M. in Japonia cum aliis xxv. Adventus in Japoniam 739 f. Ingressus in Ord. 742 b Martyrium 769
2 Gosbertus Ep. Osnabrugen. *Ex variis.* Obitus, veneratio 213. Vita *ex Off. Eccl.* 958
2 Gregorius M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287
6 Guarinus Ep. Prænestinus Cardinalis. *Comm. præv.* Ortus, Ordo Canon. Regularium. Ætas, Canonizatio 923. Vita *auctore Augustino Ticinensi.* Pietas, Episcopatus Papiensis spretus, Prænestinus admissus ; obitus, miracula 924


H


3 Hadelinus Presb. Viseti et Cellis in Belgio. *Comment. præv.* § 1 Cellæ ejus situs 370 § 2 Reliquiæ Viseti : veneratio 372 § 3 Gesta a Notgero Ep. scripta 373 § 4 Vita religiosa 375 § 5 Ætas 376 Vita *ex* MS. *Præfatio* 372, *cap.* 1 Adventus in Belgium 373, *cap.* 2 Cellis cœnobium constructum 374, *cap.* 3 Miracula, obitus 375
2 Hadeloga V. Kitzingæ in Franconia. *Comment. præv.* § 1 Kitzingensis cœnobii ortus, interitus 306 § 2 S. Hadeloga alia S. Thecla 307, § 3 Illius parentes, Acta, festum 308 et 943. Vita *ex* MSS. *cap.* 1 Genus, virginitas, fuga 309, *cap.* 2 monasterium ditatum, miracula 310, *cap.* 3 morbus, obitus, sepultura 311. Vitæ Encomium *ex* MSS. Præfatio 952, *cap.* 1 Invitatorium ad contemplandam Hadelogam 950, *cap.* 2 Laus ab humilitatis gratia 954, *cap.* 3 A pudicitia 956, *cap.* 4 Ab oratione 956, *cap.* 5 A conversatione solitaria 957, *cap.* 6 A caritate vel munificentia 958, *cap.* 7. A familia 959, *cap.* 8 A misericordia et judicio 760, *cap.* 9 A sepulturæ loco 961, *cap.* 10 A Translatione corporis et signorum gloria 962, *cap.* 11 A disciplinæ zelo, etiam post obitum 964, *cap.* 12 A recapitulatione virtutum 965, *cap.* 13 Clausula 966 *cap.* 14 Oratio laudantis 966
2 Halifus Satelles regius M. Ebbeckesdorpii. Martyrium, veneratio 312 Miracula 318
1 Hilarius M. *Ex Mroll. MSS.* 47
2 Hilarius M. in Africa. *Ex Mroll.* 289
Hilarus Romæ *Ex Mroll.* MSS. 287
5 Hildegardis Palatina Carinthiæ, Agatha dicta. *Comment. hist.* § 1 A marito præcipitata e rupe, innoxia 727, § 2 Mors, templum, eleemosynæ, Reliquiæ 728
6 Hildegundis Comitissa Fundatrix cœnobii Marensis Ord. Præmonstrat. *Comment. præv.* Progenies reliquæ, miracula 925. Vita *auctore Rostio.* Conjugium, monasterium extructum, vitæ sanctitas 926. Diploma Reinoldi Archiep. Colonien. de fundatione Marensi 927. Aliud de divisione bonorum inter B. Hildegundem et sororem 928 Bulla Alexandri III de fundatione Marensi 929
9 Hilwartus Satelles regius M. Ebbeckesdorpii Martyrium, veneratio 312 Miracula 318
2 Hippolytus M. Foro-Sempronii *Ex Mroll.* 288
2 Honoratus M. in Africa. *Ex Mroll.* 289
2 Humildinus Satelles regius M. Ebbeckesdorpii. Martyrium, veneratio 312. Miracula 318


I


1 Ignatius Theophorus Episc. Antiochenus M. Romæ *Comm. præv.* § 1 Vita scripta. Nomen Theophori 13, § 2 Natalis, cultus 14, § 3 Primordium Episcopatus Antiocheni 15, § 4 Ætas, Annus obitus 18, § 5 Persecutio Trajani ob Plinii epistolas imminuta 20, § 6 Ep. tota S. Ignatii 21. Vita *e Metaphraste et* MSS. *Gr. cap.* 1 Episcopatus. Nomen apud Trajanum delatum 23, *cap.* 2 Fides coram Trajano defensa. Desiderium martyrii 25, *cap.* 3 Condemnatio ad mortem. Iter Antiochia Smyrnam

Smyrnam 26, *cap.* 4 Epistola ad Romanos scripta 26, *cap.* 5 Iter Smyrna Romam : martyrium. Translatio reliquiarum Antiochiam 27, *cap.* 6 Testimonia Patrum. Persecutio mitigata 28 Epitome *ex Men. Græc.* 28. Elogium *ex Adone et Beda* 29. Alia Vita *ex mss. Latinis*, *cap.* I Episcopatus. Trajanus Imperator reprehensus 29, *cap.* 2 *seu potius* 1. Condemnatio ad mortem. Iter Antiochia Romam 29, *cap.* 3 *seu potius* 2. Fides defensa. Dignitates et tormenta spreta 30, *cap.* 4 *seu potius* 3. Vita et lex Christianorum sancta; Gentilium spurca. Desiderium martyrii 31, *cap.* 5 Martyrium, sepultura, testimonia aliorum 32. De Translationibus. *Comm. hist.* § 1 Translatio Roma Antiochiam Pars homiliæ S. Chrysostomi de ea 33, § 2 Translatio in Templum Fortunæ 34, § 3 Iterata translatio Antiochia Romam. Reliquiæ variis in locis 35, § 4 Caput Praga Romam delatum 36

3 Ignatius M. *Ex variis.* Cultus, patria 321 Avunculus S. Celerini 328

6 Ina R. Saxonum Occident. in Britannia *Comm. hist.* § 1 Genus : sorores sanctæ : monasteria Abbendonense et Winburnense extructa 913 § 2 Glastoniense innovatum et dotatum, 915, § 3 Privilegia huic data 916, § 4 Episcopatus erecti. Australes Saxones subjecti. Leges latæ 918, § 5 Bella gesta. Fabula de Wallia subjecta 919, § 6 Opera pia in regno et Romæ 921, § 7 Regnum abdicatum. Vita Romæ finita 922

5 Indractus M. Glastoniæ. *Comm. præv.* § 1 Patria, loca peregrinatione illustrata, ætas 694, § 2 Acta, cultus, numerus sociorum 695. Vita *auctore Malmesbur.* Genus, peregrinatio Romana, cædes, corporis inventio, translatio, miracula 696

5 Ingenuinus Ep. Sabionensis Brixinæ. *Comm. hist.* § 1 Episcopatus, veneratio : misericordiæ opera 675, § 2 Schisma pro defensione Trium capitulorum 676, § 3 Pseudosynodus in Mariano 677, § 4 Quædam Synodi explicata 679, § 5 S. Ingenuini conversio, exilium, mors, translatio 680

2 Ingenuus M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287

1 Innocentia filia S. Severi Episc. Ravenn. *Ex hujus Actis.* Natalis 78, Mors, sepultura 87 89 Translatio reliq. Moguntiam 90, depositio in Alto monasterio 90

4 Isidorus Pelusiota mon. et Presb. in Ægypto. *Comm. hist.* § 1 Cultus, locus natalis, exercitatio monastica, sacerdotium 473, § 2 Defensus honos S. Chrysostomi. Monita data S. Cyrillo Alexandrino 475, § 3 Epistolæ scriptæ. Laus virginitatis. Monita ad virtutes 476, § 4 Zelus contra hæreticos, doctrina sincera, fuga mulierum, libri scripti 478

J

5 Jacobus Gisai. *Vide* Didacus Gisai.

4 Jasimus Thaumaturgus. *Ex Menæis Græc.* 497

5 Joachimus Saccachibara M. in Japonia cum aliis xxv. Cognomen varie scriptum 746 *d.* Ætas, martyrium 769

4 Joanna Valesia Regina Franciæ. Fundatrix Ord. Annuntiatarum B. Mariæ. *Comm. præv.* § 1 Stirps regia, matrimonium contractum et diremptum 579, § 2 Ordo Annuntiatarum institutus : B. Joannæ veneratio 581. Vita *Urbano* VIII *inscripta*. *Cap.* 1 Res gestæ ante Ordinem institutum 582, *cap.* 2 Ordo institutus, a Pontificibus approbatus 582 *cap.* 3 Joannæ in Deum, mor. : heroicæ virtutes 583, *cap.* 4 Obitus, miracula : corpus a Calvinistis combustum 584. Processus ad Beatificationem *ab Andrea Fremiotto Archiep. Bituric. confectus*. *Cap.* 1 Libellus supplex illi oblatus 584 *cap.* 2 Decretum triplex de instituendo Processu 585, *cap.* 3 Testimonia ad decretum 1 prolata 586, *cap.* 4 Testimonia ad decretum 2 prolata 588, *cap.* 5 Alia testimonia 590, *cap.* 6 Decretum de examinandis tabulis publicis et scripturis 592, *cap.* 7 Miracula in cœnobii extructione et morte B. Joannæ facta 593 *cap.* 8 Miracula varia 594

1 Joannes de Graticula Ep. Maclovien. Vita *e variis*, *cap.* 2 Natalis, vitæ institutum 250, *cap.* 2 Episcopatus : Sedes Translata 251, *cap.* 3 In adversis patientia 252, *cap.* 4 Zelus 253, *cap.* 5 Vita ex Officiis Eccl. 254

4 Joannes Episc. Irenopoli in Cilicia. *Ex Menæis Græc.* Cujus Sedis Episcopus? Adfuit Concilio Niceno 471

5 Joannes Soan, alias Gote, Societatis Jesu Novitius, M. in Japonia cum aliis xxv. *Comm. præv.* Ortus, ministeria sacristæ et catechistæ, mors generosa 745 e f. Veneratio decreta 748. Reliquiæ Macaum delatæ 748. Vita *ex Histor. Froez.* Petit Societatem 758 a. Captivus detinetur 760 e. Particula auris abscissa circumducitur 761 b c f. Naugasacum mittitur 765. Confitetur, vota devotionis emittit 768 a e. In Cruce moritur 768 d 769 a e

5 Joannes Chinuda M. in Japonia cum aliis xxv. Quizuya ab aliis cognominatus 746 f. Martyrium 769 c

1 Josserandus mon. Crudati in Gall. *Ex Saussaio* 93

2 Juba M. in Africa. *Ex Mroll.* 289

4 Julianus M. Autissiodori in Gallia. *Ex Mroll.* 334

6 Julianus Medicus M. Emesæ. *Ex Men. Græc.* 786

V

2 Laurentius Archiep. Cantuariensis in Anglia. *Comm. hist.* § 1 Cultus : Acta scripta, 291 § 2 Vita privata : discessus in Angliam 292, § 3 Legatio Romam : reditus in Angliam ætas 293, § 4 Vita in Episcopatu *ex Beda* 293, § 5 Miracula *ex Capgravio* 296 § 6 Epitaphium 296

5 Laurentius M. Foro-Semproni. *Ex Mroll* 288

3 Laurentius M. *Ex variis* Natali., patria 325 326 patruus S. Celerini 328 c

3 Laurentius Illuminator Ep. Spoletinus. *Comm. præv.* 366 958. Vita *ex Italico Jacobilli*. *Cap.* 1 Adventus, in Italiam, sacerdotium. Clerici regulares instituti 367, *c.* 2 Episcopatus, ejus abdicatio. Farfense cœnobium fundatum 368, *c.* 3 Obitus, memoria. Farfensis cœnobii status 368

5 Legontianus M. Teate. *Ex Ferrario* 664

5 Leo Catasumarus in M. Japonia Conciones 746 c 758 d Martyrium 769

1 Leonius Presb. Pictavis *ex Mroll. et Boucheto*, Fidei prædicatio, familiaritas cum S. Hilario 91

3 Liafdagus Ep. M. Ripæ in Dania, miraculis clarus. *Ex Adamo Bremensi et aliis* 451

3 Liberata V. apud Calvum Montem in Gallia. *Ex Mrol. et Vita S. Berthaldi.* Natalis, institutio, fons sacer 363

1 Lilnosus M. in Africa. *Ex Mrol.* MS. *S. Hier.* 37

4 Lietphardus Ep. M. Hunonis-curiæ in Belgio. *Comm. præv.* § 1 Locus martyrii. Veneratio. Vita scripta 497 § 2 Regnum Cadruchs. Tempus Martyrii 498, § 3 Episcopatus 499. Elogium *e Molano* 500, § 5 Aliud *ex off. Eccl.* 500. Vita *ex MS.* Peregrinatio, cædes, miracula, Translatio 501

2 Lutarius Comes M. Ebbeckesdorpii. Martyrium, veneratio 312 Miracula 318

6 Lucas Diac. M. Emesæ. *Comment. præv.* Cultus, tempus

tempus martyrii 785. Acta *ex Men. Græc.* 786

1 Lucianus M. *Ex Mroll.* MSS. 47

5 Ludovicus puer, M. in Japonia. Pietas in serviendo celebrantibus Missam, alacritas in captivitate, constantia 746 f 767 c Martyrium 769 a

2 Lutolfus Comes M. Ehbeckesdorpii Martyrium, veneratio 312 Miracula 313

3 Lupicinus Ep. Lugdunensis Gall. *Ex Mroll. et aliis.* Natalis, ætas, sepultura 364

M

5 Macarius M. Anazarbi in Cilicia igne consumptus. *Ex Men. Græc.* 662 663

4 Magnus M. Foro-Sempronii *Ex Mroll* 463

2 Mariæ V. Purificatio, sive Hypapante Domini, *Comment. histor.* § 1 Antiqua celebritas in Palestina et Phœnicia 270, § 2 Apud Syros, Cyprios, Asiaticos 271, § 3 In Ecclesia CP. et Coptica 272, § 4 Apud Latinos : an introducta abrogatis sacrificiis Plutonis aut Lupercalibus? 273, § 5 Particularis veneratio in variis Ecclesiis 273. Oratio *auctore S. Sophronio. Ex* MS. *Græca cap.* 1 Mysteria Christi celebranda. Hujus festi solennitas 276, *cap.* 2 Occursus Christi. Lumina collata. Dies purgationis 277, *cap.* 3 Ad occursum admittuntur orthodoxi, repelluntur hæretici 278, *cap.* 4 Simeonis et Annæ prophetiæ explicatæ 279, *cap.* 5 Mysterium turturum et columbarum oblatarum. Epilogus 280

5 Maria conjux B. Domitiani Ducis Carinthiæ. *Ex hujus Actis* 700 c 703 a 709 d e 712 c d

2 Marinus M. in Africa. *Ex Mroll* 289

2 Marquardus Epis. Hildesheimensis M. Ehbeckesdorpii. *Ex variis.* Occasio martyrii, cultus 312 gesta in Episcopatu 315 Miracula 318

2 Martialis M. Romæ. *Ex Mroll.* MS. 287

5 Martinus de Ascensione, sive de Aguirre, Presb. Ord. S. Francisci M. in Japonia *Comment. præv.* Patria, acta in Ordine 740 d 741 e Veneratio decreta 748. Vita *ex Historia Froes.* Adventus in Japoniam. Prædicatio 751. Decreta mors, custodiæ datæ 753 e f. Zelus a Japoniis culpatus 756 f 757 b Particula auris abscissa 761. Iter Nangasachium exhortatio ad constantiam 765 e f 766 a. Martyrium 765 d 769 b c

1 Martyres II pueri cum S. Theione 48

3 Martyres II pueri cum S. Blasio Christum intrepide confessi et plexi capite 334 342 343 447 347 351 352 856 357

3 Martyres VII mulieres post collectum sanguinem S. Blasii captæ, tortæ et capite plexæ 342 343 346 350 355

5 Martyres IX cum S. Indracto 694 695

1 Martyres XIII cum S. Pionio Presb. 37

1 Martyres XXIV in Africa. *Ex* MS. *S. Hieron.* 37

2 Martyres XXXIV in Africa *Ex Mroll.* 288

2 Martyres LXXIV in Africa. *Ex Mroll.* 289

2 Martyres varii Ehbeckesdorpii 312

3 Martyres varii in Africa. *Ex Mroll.* 332

4 Martyres Alexandriæ cum S. Phileа et Philoromo capite plexi 466 467

5 Martyres Anazarbi in Sicilia cum S. Theodula igne necati 662 663

5 Martyres in Ponto sub Maximiano passi. *Ex Mrol. Rom. Eusebio et Ruffino* Supplicia inflicta 664

5 Mathias M. in Japonia. An ante Martinus dictus? 746 f. Pro alio cognomine se offerens capitur 761 c. Obit in Cruce 769 b

1 Maurianus M. in Africa. *Ex Mroll* MSS. 37

2 Mauricius M. Romæ. *Ex Mroll.* MSS. 287

5 Michael Cosachi M. in Japonia. Ars conficiendi sagittas, martyrium in cruce 768

5 Modanus Ab. in Scotia. *Comment. præv.* Ætas, cultus 502. Vita *ex Breviar. Aberdon.* Austera vita, conversio multorum : miracula, reliquiæ 503

6 Mucius, aut Mocius Lector Emesæ M. *Comm. præv.* Cultus, tempus martyrii 785. Acta *ex Men.* 786

2 Mustula M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287

N

4 Nicolaus Confess. Archimandrita Studitarum Ord. Acœmetorum CP *Comm. præv.* Studium monasterium, Ætas et cultus S. Nicolai 544. Vita *ex* MSS. *Græc.* Prologus 545. *cap.* 1 Patria, educatio, studia 545, *cap.* 2 Vita monastica : sacerdotium 546, *cap.* 3 Exilium sub Leone Armeno 548, *cap.* 4 Cruciatus et verbera 549, *cap.* 5 Libertas post mortem Leonis 550, *cap.* 6 Illustre castitatis exemplum insertum 551, *cap.* 7 Recessus sub Michaele Balbo et Theophilo 552, *cap.* 8 Præfectura Studitarum. Discessus ob Photium intrusum in sedem S. Ignatii 553 *cap.* 9 Exilium et carceres : regimen monasterii resumptum 556, *cap.* 10 Miracula in vita 557, *cap.* 11 Obitus, miracula 558

3 Nithardus Presb. M. in Suecia. *Ex Actis S. Anscharii.* Occasio et tempus martyrii 395

3 Nona V. Merbecæ in Brabantia. *Ex Actis S. Berlendis.* An hujus neptis? natalis 382 Translatio, miracula 386

O

4 Obitius Conf. Brixiæ. *Comment. histor.* Occasio conversionis, miracula cultus 578

3 Oliveria V. apud Calvum-Montem Gall. *Ex Mroll. et Vita S. Bertholdi.* Fons et sacellum illi sacra 365

P

2 Papyrus M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 285

1 Paulus Episc. Tricastinus. *Ex variis* 92 934

3 Paulus M. capite plexus. *Ex Men. Græc.* 358

5 Paulus Suzuchi M. in Japonia. Conciones 746 d e 758 d Martyrium 769 c

5 Paulus Miki Societatis Jesu M. Nangasaki in Japonia. *Comment. præv.* Historia martyrii summa fide conscripta 742 Gesta B. Pauli 743. Quem is gradum in Societate habuerit 744 Sanguis post XI menses recens. Reliquiæ Macaum delatæ 748 d. Veneratio decreta 748. Vita ex historia *Ludovici Froes Soc. Jesu.* Custodia domus vicinis commendata 751. Captivus liberari renuit, martyrii cupidus 760 e f 761 a. Concionatur in carcere, quosdam convertit particula auris abscissa circumducitur : PP. Minoribus gratias agit 761 Nangazachium mittitur. Socios exhortatur ad mortem 765 e e. In itinere et Facatæ concionatur 766. Sortem suam felicem æstimat 768 b. Pacem Ecclesiæ ominatur, confitetur, vota renovat 768 a. Cruci alligatus concionatur, trucidatur, zelosus semper concionator 769 a d

5 Paulus Ibarchi M. in Japonia. An prædicator? 746 e. Ortus, conversio, martyrium 769 a

2 Perpetua M. in Africa. *Ex Mrol.* 289

1 Petrus Galata eremita in Syria, *ex Menæis* 94. Vita *ex Theodoreti Philotheo* 94

5 Petrus Baptista Presb. Ordinis S. Francisci M. in Japonia. *Comment. præv.* Adventus in Japoniam, publica prædicatio 740 a Patria, pietas miracula 741 d. Corpus delatum Manilam, miracula 746 e 748 b c. Veneratio decreta 748. Vita *ex historia Froes.* Acta in adventu cum Rege prohibente conciones : extructa ecclesia, prædicatio

tio 751 d e f. Ira Regis accensa, decreta mors, appositæ custodiæ 753 e f 754 e. Zelus ab Japoniis culpatur 756 f 757 b. Sententia mortis accepta 758 c d. Particula auris abcissa 761 b c f. Iter Nangasachum : epistola ad Rectorem Nangasachanum Societatis Jesu 765 c e. Petit veniam a PP. Societatis 767 e. Cruci alligatus trucidatur . 768 d f 769 e

5 Petrus Suchegirus M. in Japonia. Cognomen varie scriptum 746 c d in famulatu captivorum Societatis Jesu comprehensus 765 pro liberatione frustra laboratum 768 b Martyrium 768 f

4 Phileas Ep. Thmuitarum M. Alexandriæ. *Comm. præv.*, § 1 Sedes Episcopalis : martyrii locus, tempus, Acta : opuscula scripta 464, § 2 memoria in Fastis 466. Vita *auctore Gregorio coævo ex* MSS. *c.* 1 Persecutio Diocletiani. S. Phileæ captivitas, epistola ad Thmuitenses 468 *c.* 2 Illustris inter tormenta Christi confessio : martyrium 469

3 Philippus Ep. Viennæ. *Ex Conciliis et Mroll.* 369

5 Philippus a Jesu Acolythus Ordinis S. Francisci M. in Japonia. Ortus Mexici, ingressus iteratus in Ordinem 740 d 742 a Martyrium 769 b Veneratio decreta 748

4 Philoromus Tribunus militum M. Alexandriæ cum S. Philea. *Ex hujus Actis.* Veneratio 466. Defensio S. Phileæ martyrium 464 e f 469

1 Pictus Episcopus. *ex Mrol.* MS. 198

1 Pionius Presbyter, M. Smyrnæ. *Comm. præv.*, § 1 Natalis 37, § 2 Acta 38, § 3 Martyrii tempus 39, § 4 socii, scripta. Vita *ex* MS. *c.* 1 Comprehensio 40, *c.* 2 Quæstio coram Polemone 41, *c.* 3 Alia coram Proconsule : cædes 41 *Alia Vita ex Metaphraste, cap.* 1 Pionii comprehensi oratio ad Gentiles et Judæos 42, *cap* 2 Interrogatio publica in foro 43, *cap.* 3 Gesta in carcere 44, *cap.* 4 Interrogatio II, 45, *cap.* 5 Interrogatio III, tormenta, mors 46

1 Pion[illegible]us M. cum S. Pionio Presb. 37 40

2 Plac[illegible]us M. Romæ *Ex Mrol.* MS. 287

1 Polycarpus Ep. *Animadversio hist.* Veneratio An Ep. Bracharensis an potius Smyrnensis? 942

5 Polyeuctus Patriarcha CP. *Vita ex historicis Græcis collecta, cap.* 1 Veneratio : inauguratio 712, *c.* 2 Studium justitiæ. Nomen Euthymii Patriarchæ in diptycha relatum 713, *c.* 3. Manus S. Joannis Baptistæ allata. Mors Constantini Porphyrogeniti S. Polyeucto infensi : hujus cum Romano Juniore gesta 714 f. 4 Nicephorus Phocas coronatus : ob nuptias e sanctuario rejectus 715 *cap.* 5 Nicephori avaritia : tyrannicæ leges de Episcoporum electione, et occisis in bello reclamante S. Polyeucto 716, *cap.* 5 Pallii jus et in Episcopos quosdam Italos potestas usurpata 717 d. *c.* 4 Joannis Zimiscæ imperium. Obitus S. Polyeucti 718

1 Præcordius Presb. Corbeiæ et Valliaci in Gallia. *Ex* MSS. Vita et Translatio 196

2 Privatula M. in Africa. *Ex Mroll.* 289

4 Probatus Presb. Novigenti in Gallia. *Comm. præv.* Locus et ratio cultus 557. Vita *ex* MS., *c.* 1 Ordinatio virtutes, mors 557, *c.* 2 Reliquiarum inventio : miracula 558

1 Publius Mart. in Africa. *Ex Mroll.* MSS. 37

5 Puer anonymus in Carinthia *Ex actis B. Domitiani Ducis* 701 f 702 705 d e 709 d e f 712 c

R

4 Rabanus Maurus Archiep. Moguntinus. *Comm. præv.*, § 1 Vita scripta 506, § 2 Patria, varia nomina 507, § 3 Studiorum locus, tempus, socii 509, § 4 Ex discipulis Episcopi 511, § 5 Ex discipulis Abbates 512. § 6 Ætas et scripta ejus necdum Abbatis 513, § 7 Scripta ejus creati Abbatis 514, § 8 Scripta reliqua : relicta cura Abbatis 515, § 9 Archiepiscopatus Moguntinus. Concilia habita 516, § 10 Obitus. Nomen in Fastis sacris 518. Vita *auctore Rudolfo Presb.* Præfatio 518, 1 Fuldæ erectæ ecclesiæ 519, 2 Reliquiæ S. Alexandri donatæ, *miraculis claræ* 520 a 3 Prima Reliquiarum Fuldam translatio 521 4 Secunda Reliquiarum translatio. Miracula per S. Venantium facta 522. 5 Alia S. Venantii miracula. Reliquiæ a B. Rabano depositæ 523, § 6 Tertia Reliquiarum translatio : miracula 524. 7 Reliquiæ SS. Januarii et Magni. Miracula 526. 9 Abbatiale munus depositum. Libri scripti 528

Alia vita *auctore Joanne Trithemio.* Prologus 528 *Lib.* 1 Vita privata B. Rabani, *cap.* 1 Ortus, educatio, tirocinium vitæ monasticæ 530. *cap.* 2 Studia sub Alcuino 531, *cap.* 3 Sacerdotium : præfectura scholæ Fuldensis : discipuli 532, *c.* 4 Ratio docendi, scientia linguæ Græcæ 534, *c.* 5 Celebritas Ordinis S. Benedicti. Opus B. Rabani de Cruce 535. *Lib.* 2 Vita B. Rabani Abbatis, *c.* 1 Electio. Studia promota 536, *c.* 2 Dotes ad regendum. Virtutes 537, *c.* 3 Avaritia monachi punita. Mulieribus accessus ad monasterium prohibitus 538, *c.* 4 Miracula : nova monasteria erecta. Abdicatio regiminis 539. *Lib.* 3 Vita B. Rabani Archiepiscopi, *c.* 1 Archiepiscopatus Moguntinus. Concilia habita 540, *c.* 2 Persecutiones. Eleemosynæ. Zelus animarum 541, *c.* 3 Libri scripti 542. *c.* 4 Diligentia, patientia, obitus, sepultura 543

1 Raimundus Ab. Fiterii, fundator Ord. Calatravæ, *Comm. hist., cap* 1 Fiterium in Navarra an Castella 254, *cap.* 2 Calatrava defensa. Ordo militaris institutus 255, *cap.* 3 Ordinis laudes 256, *c.* 4 B. Raimundi obitus, translatio, miracula 256

4 Rembertus Archiep. Hamburgen. Bremæ. *Comm. præv.*, § 1 Cultus 559, § 2 Vita scripta 560, § 3 Patria 561, § 4 Investitura Archiepiscopalis ævo S. Remberti afflicta 562, § 5 Templa et cœnobia extructa 563, § 4 Victoria impetrata 563, § 5 Ætas et annus obitus 564. Vita *ex* MSS. *cap.* 1 Archiepiscopatus Hamburgensis institutus. S. Remberti in Clerum adoptatio 564, *cap.* 2 Familiaritas cum S. Anschario. Sanctitas ostensa 565, *c.* 3 Anima jejunio ejus ex purgatorio liberata 566, *cap.* 4 Archiepiscopatus Hamburgensis delatus. Vita monastica. Eleemosynæ 567, *c.* 5 Castitas sanctimonialibus commendata : zelus animarum 568, *cap.* 6 Captivi redempti. Mansuetudo : miracula 569, *cap.* 7 Morbus, mors, sepultura 570

3 Remedius Ep. Vapinci in Gallia *Ex Mroll.* 365 Reliquiæ Bersii in Aquitania 365

6 Revocata M. *Ex Mroll.* An in Hispania? 778

5 Revocatus M. in Africa. *Ex Mroll.* 664

2 Rhodippus Ep. Leontinis in Sicilia. *Ex Mroll. et Actis SS. Alphii, Philadelphii et Cyrini* 290

2 Rogatianus M. Romæ. *Ex Mroll.* MS. 287

2 Rogatus M. Romæ. *Ex Mroll.* MS. 287

S

2 Salustius M. Romæ *Ex Mroll.* MS. 287

1 Saturninus M. in Africa. *Ex Mroll.* MSS. 37

2 Saturninus M. Romæ. *Ex Mroll.* MS. 287

6 Saturninus M. *Ex Mroll.* An in Hispania? 778

5 Saturus M. in Africa. *Ex Mroll.* 664

2 Secundianus M. Romæ. *Ex Mroll.* MS. 287

2 Secundina M. Romæ. *Ex Mroll.* ms. 287

1 Severianus Ep. *Animadversio historica.* Veneratio. An Bracharensis Serarianus aut Serenianus? an potius Severianus Gavalitanus? 942

1 Severus in Monte-Falco in Umbria. *Comm. præv.* Sanctitas miraculis probata, secessus, obitus, reliquiæ, cultus 943. Acta *ex Vita S. Fortunati.* Ædes sacra S. Fortunato extructa 944

1 Severus Episc. Abrincen. *Comm. præv.* Natalis, ætas, Acta, reliquiæ 187. Vita *ex* ms., *cap.* 1 S. Severi ortus, equorum custodia 188, *cap.* 2 Liberalitas in pauperes, miracula 189, *cap.* 3 Conversio Corbecini Principis 189, *cap.* 4 Vita solitaria, discipuli 190, *cap.* 5 Episcopatus ejus abdicatio 190, *cap.* 6 Ultima monita : obitus 191, *cap.* 7 Miraculum 192. Translatio I et II *ex* ms., *cap.* 1 S. Severi templum a Danis combustum, restauratum 192, *cap.* 2 Corpus Rotomagum translatum 192, *cap.* 3 Aliquæ Reliquiæ ad ejus monasterium relatæ 194, *cap.* 4 epilogus hortatorius 194. Translatio III Rotomago Parisios 195

1 Severus Episc. Ravennatium. *Comm. præv.*, § 1 Natalis 78, § 2 Vita, ætas 79, § 3 Translatio reliquiarum, cultus apud Germanos 80. Vita *ex* ms. *et Mombritio ac Breviariis. Cap.* 1 Severi patria, conjugium, opificium 82, *cap.* 2 electio ad episcopatum, ordinatio 83, *cap.* 3 S. Gimeniani sepultura, ordinatio S. Herculani 84, *cap.* 4 Obitus, sepultura, miracula 84, *cap.* 5 Digressio mystica de conjugio et opificio ejus 85, *cap.* 6 Digressio altera de miraculis 86. Miraculum *ex Rubeo* 87. Aliud *ex B. Petro Damiano* 87. Alia Vita *auctore Ludolpho Presb. ex* mss. Prologus 87 *cap.* 1 Quomodo auctor Vitam sit assecutus 88, *cap.* 2 Miraculosa electio ad episcopatum 88 *cap.* 3 Mors, celebritas 89. *Lib.* 2, *cap.* 1 Reliquiæ transferuntur Moguntiam 90, *cap.* 2 Dein Erfurtum 91

2 Sicharia V. Aurelian. *Ex Mroll.* 291

1 Sigebertus Rex Francorum Austrasiorum Metis. *Comm. præv.*, § 1 Francorum origo, sedes, migrationes. Primi S. Sigeberti majores 206 § 2 Austrasiorum et Neustriorum origo. Ditiones S. Sigeberti in Belgicis et Germanicis provinciis 208, § 3 Ditiones in interiore Gallia 210, § 4 Æqualitas divisorum regnorum inter S. Sigebertum et Chlodoveum fratres. Leges subditis præscriptæ 212, § 5 Metis sedes regia Austrasiorum S. Sigeberti natalis et veneratio 212, § 6 Vita scripta : de Fredegario, Gestis Regum Francorum, aliisque historicis judicium 214, § 7 Anni regum Francorum ab ætate S. Martini numerati. Annus obitus Theodosii Magni et S. Ambrosii 215, § 8 Chronologia stabilita in successoribus S. Martini et Regibus Franc. usque ad obitum Chlotharii I 217, § 9 Ætas Regum a filiis Chlotharii I ad obitum Dagoberti, S. Sigeberti nativitas, regnum 219, § 10 anni regnorum Chlodovei II et S. Sigeberti fratrum, et Childeberti intrusi 221, § 11 Anni Chlotarii III et Childerici nepotum ex fratre S. Sigeberti 222, § 12 Regum Dagoberti filii S. Sigeberti et hujus ex fratre nepotis Theoderici, et filiorum Chlodovei et Chrodeberti tum Dagoberti III aliorumque successorum 224, § 13 Anni Christi, Imperatorum, Consulum, Indictionum a posteris intrusi 227. Vita *auctore Sigeberto Gemblacensi. Cap.* 1 Regia stirps, nativitas 228, *cap.* 2 Regnum Austrasiorum, obitus patris Dagoberti 229, *cap.* 3 Regnum Austrasiorum, obitus Dagoberti 230, *cap.* 4 Obitus B. Pippini. Major-domus Grimoaldus. Bellum Thuringicum, 230, *cap.* 5 Monasteria dotata, eleemosinæ, mors, sepultura 231

Analecta *ex variis*, § 1 S. Sigeberti uxor Imnechildis, filius Dagobertus Rex Austrasiorum, neptis S. Irmina, abnepos S. Gregorius Ultrajectinus, aliique a S. Sigeberto prognati 232, § 2 Epistola ejus et responsa, immunitas Ecclesiastica defensa 233, § 3 Monasteria extructa, dotata 235. Historia Translationis I et miraculorum, *auctore Sigeberto Gemblacensi ex* ms. Prologus 237, *cap.* 1 Translatio corporis S. Sigeberti 238, *cap.* 2 Pœna detrahentium sanctitati ejus: corpus incorruptum 239, *cap.* 3 Sanitates collatæ. Vincula pœnitentis disrupta 239. Historia Translationis II *ex* ms., *cap.* 1 Secunda Reliquiarum elevatio. Contumacia punita 240, *cap.* 2 Dæmoniacus et amentes sanati, captivi liberati 241. Translatio III et IV corporis S. Sigeberti. *Ex variis* 242. Narratio *ex Gallico Georgii Alberici* 243

6 Silvanus Ep. Emesæ M. 785. Acta *ex Men. Gr.* 786

3 Simon M. capite plexus. *Ex Men. Græc.* 358

3 Simplicius Ep. Viennæ Gall. *Comm. Hist.* Sanctitas, natalis, jus Metropolitæ controversum, obitus 358

1 Sorus Eremita apud Petracorios 199 942 Vita *ex* ms. Præfatio 199. *Cap.* 1 Ortus, seculi fuga 199 942, *cap.* 2 Vita solitaria, fiducia in Deum 200 *cap.* 3 Lepra S. Guntramni Regis depulsa, 201 *cap.* 4 Alia miracula 203

T

6 Tarcitii M. Translatio reliquiarum Fossani in ditione Pedemontana ad ædem Somascorum 941

1 Theon M. gladio occisus *Ex Men. Græc.* 48

4 Theoctistus M. capite plexus *Ex Men. Græc* 471

2 Theodericus Ep. Mindensis M. Ebberkesdorpii. *Ex variis.* Occasio Martyrii, cultus 312. Gesta in Episcopatu 313. Miracula 318

6 Theodori M. Translatio reliquiarum Fossani ad ædem Somascorum 941

5 Theodula M. Anazarbi in Cilicia 662 Acta *ex Menæis.* Tormenta inflicta. Conversio aliorum. Obitus 663

6 Theophili M. Translatio reliquiarum Fossani ad ædem Cathedralem 941

4 Theophilus Pœnitens Vice-dominus sive Œconomus Ecclesiæ, Adanæ in Cilicia *Comm. præv.*, § 1 Locus et tempus gestæ historiæ. Dignitas Vice-domini sive Œconomi 486, § 2 Acta varia pœnitentiæ S. Theophili : ejusdem memoria sacra 487. Historia *auctore Eutychiano, interprete Paulo Diacono Neapoleos ex* mss. *Cap.* 1. Theophili a vita pia discessus. Christus et Maria abjurati 489, *cap.* 2 Theophili pœnitentia. Spes veniæ a Deipara Virgine impetrata 490, *cap.* 3 Peccata remissa. Chirographum redditum, Obitus Theophili 492. Eadem historia metrica, *auctore (ut creditur) Marbodo Episc. Redonensi ex* ms. *Cap.* 1 Theophili vita pie cœpta: lapsus in scelera, Christo et Maria abjuratis 493, *cap.* 2 Pœnitentia Theophili 494, *cap.* 3 Increpatio S. Mariæ apparentis et spes veniæ impetrandæ data Theophilo 495, *cap.* 4 Theophilo peccata remissa: chirographum restitutum, ejus obitus 496

6 Theophilus M. *Ex Mroll.* An in Hispania? 778

6 Theophilus Scholasticus M. Cæsareæ Cappadociæ *Ex Mroll. et Actis S. Doroth. V. M.* Veneratio 779. Rosæ et poma per Angelum missa 780 et 782 f. Conversio, tormenta, mors 783

2 Thiotericus Comes M. Ebbeckesdorpii. Martyrium, cultus

cultus sacer 312 Miracula 318

2 Thiotrichus Satelles M. Ebbeckesdorpii 312 318

2 Thiotricus Comes M. Ebbeckesdorpii 312 318

5 Thomas Danchi M. in Japonia. Prædicatio 746 d 758 d. Martyrium 769

5 Thomas Cozachi puer M. in Japonia. Constantia 746 ministerium Missæ, hilaritas et pietas 761 ætas, martyrium 769

3 Tigrides Ep. Vapinci. *Ex Mrol.* 365

1 Timotheus. *Ex Menæis* An Studita sub S. Theodoro 94

1 Torquatus Episc. Tricastinus. *Ex Saussaio et Sammarthanis* 93

6 Trosimi M. Translatio reliquiarum Fossani in ditione Pedemontana ad ædem Somascorum 941

1 Tujanus Abbas in Brit. Armor. *Ex Breviar.* 198

U

4 Ulgisus, Ep. et Ab. Lobiensis in Belgio. *Comment. hist.* Situs monasterii, fundatio. Abbates primi Episcopi. Hujus reliquiæ, Translatio 504

2 Urbanus M. in Africa. *Ex Mroll.* 289

1 Ursicinus M. Podii. *Ex Actis S. Agrippani* 204 e 205 d

1 Ursus Presb. Augustæ Prætoriæ. *Comm. præv.* Cultus sacer. Alius S. Ursus M. Hujus miracula et Acta interpolata 97 945. Vita *ex* MS. *cap.* 1 S. Ursi Christianæ virtutes, miracula 946 *cap.* 2 Alia miracula, prædictiones, obitus 947

V

6 Vedastus Ep. Atrebatensis *Comm. præv.* § 1 Episcopatus Atrebatensis et Cameracensis uniti. An alii ante S. Vedastum Episcopi? 790. § 2 Ætas SS. Remigii et Vedasti : utriusque Episcopatus. Francorum ad fidem conversio 791, § 3 Annus obitus SS. Remigii et Vedasti 793, § 4 Natalis et cultus S. Vedasti 794, § 5 Corpus a SS. Auberto et Audomaro translatum 794, § 6 Monasterium et Templa illi sacra 796, § 7 Vita scripta, 797, § 8 Translatio corporis Bellovacum, et relatio Atrebatum 799, § 9 Reliquiæ in æde Cathedrali Atrebatensi et Cameracensi : aliæ Duaci et Lætiis 800. Vita *brevior ex* MSS. 801. Vita *ab Alcuino emendata* Prologus 803 *cap.* 1 Doctrina Christiana explicata Chlodoveo Regi 803, *cap.* 2 Miracula et virtutes 804, *cap.* 3 Episcopatus Atrebatensis 806, *cap.* 4 Obitus, sepultura 807, *cap.* 5 Translatio corporis 808. Adhortatio ad imitandas ejus virtutes 808. Epitaphium 809. Historia Translationis *ex Vita S. Auberti Ep. Camerac.* 809
Miracula *auctore Haimino Presb.* ex MSS. 810. Sermo *Haimini* de 2 parvulis sanatis *ex* MSS. 811. Apparitio et valetudo moribundo restituta *auctore Huberto Presb. ex* MS. 812 Miracula diversis temporibus facta *ex* MSS. Prologus, 813. *Pars* 1 Elevatio reliquiarum. Beneficia ægris collata. Pœna inflicta malevolis, 814, *Pars* 2 Alii injuria puniti. Miracula Bellovaci facta 816. Historia Translationis *ex* MSS. *Pars* 1 Corpus Bellovacum delatum et Atrebatum relatum 817. *Pars* 2 Energumenus liberatus. Virga arida in silvam excrescens 818. Miracula alia *ex* MSS. 820 Alia *auctore Balderico Ep.* 821. Alia seculo XIV facta 822

1 Verdiana V. Castelli-Florentini in Etruria. *Comm. præv.* § 1 Ætas, professio. Acta 257, § 2 Privata publicaque professio 258, § 3 Hymnus 259. Vita *Auctore Attone Ep. cap.* 1 Sancta adolescentia, peregrinatio ad S. Jacobum 259, *cap.* 2 Iter Romanum, inclusio, vitæ austeritas 260, *cap.* 3 Illius et serpentum convictus 261, *cap.* 4 Miracula in vita 261, *cap.* 5 Obitus miraculis illustratus 262, *cap.* 6 Funus curatum non sine miraculo 263, *cap.* 7 Miracula S. Verdaniæ templo 263 *cap.* 8 Variæ curationes 264, *cap.* 9 Miracula, quorum testis oculatus Auctor 265

4 Veronica matrona Hierosolymitana. *Comment. Histor.* § 1 Effigies Christi data S. Veronicæ 454, § 2 Romam ab ea lata. An neptis Herodis Regis? 455, § 3 Veneratio S. Veronicæ 456, § 4 Conjugium SS. Amatoris et Veronicæ : Adventus in Gallias 458, § 5 An S. Veronica sanguinis profluvio a Christo liberata, ac sub nomine Venicæ aut Venisæ colatur 459, § 6 Pietas Christianorum erga effigiem Christi a S. Veronica Romæ relictam 460, § 7 Effigies ad archetypum efformatæ et cultu celebres 461

1 Victor M. *Ex Mroll.* MSS. 47

2 Victor M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287

2 Victor M. in Africa. *Ex Mroll.* 287

2 Victoria M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287

2 Victoria alia M. Romæ. *Ex Mrol.* MS. 287

1 Vincentia conjux S. Severi Episc. Ravenn. *in hujus actis.* Natalis 78. Conjugium 82. Improbatus accessus mariti ad electionem novi Episcopi 83 88, Sepultura 85 89, Translatio reliquiarum Moguntiam 90

1 Vincentia M. in Africa. *Ex Mrol.* MS. *S. Hier.* 37

4 Vincentius Ep. Trecensis in Gallia. *Ex Actis S. Aventini, et Catalogis Epp. Trecensium :* Ecclesia S. Aventino extructa 486

1 Vindemialis eremita in Bithynia. *Ex Men.* 99

6 Vitalis M. Abulæ in Hispania. Corpus Roma eo translatum 776

5 Vodalus, Benedictus Suessione. *Comm. præv.* Ætas. Acta, cultus sacer 697. Vita *ex* MS. Prologus 697, *cap.* 1 Ortus, prædicatio apud Suessiones, fuga, reditus 697, *cap.* 2 Miracula, obitus 698

W

3 Wereburga Virgo, filia Regis Merciorum. *Comment. præv.* § 1 Stirps regia. Vita scripta. Tempus præfecturæ monasticæ 388, § 2 Reliquiæ Cestriam translatæ. Veneratio 389. Vita *auctore Goscelino ex* MS. *Cap.* 1 Ex quatuor regiis familiis progenies 391, *cap.* 2 Conversatio in Eliensi monasterio : præfectura variorum monasteriorum 392, *cap.* 3 Obedientia Anserum silvestrium : inobedientia villici punita 393, *cap.* 4 S. Wereburgæ mors, sepultura, translatio 393

2 Werinhartus Satelles regius M. Ebbeckesdorpii. Martyrium, veneratio 312 Miracula 318

2 Wigmannus Comes M. Ebbeckesdorpii 312 318

1 Wolfholdus Presb. Hohenwarti in Bavaria 249. Vita *auctore Matth. Radero* 249

Z

1 Zotreus M. *Ex Mrol.* MS. S. Hieron. 17

# INDEX

# CHRONOLOGICUS

## IN TOMUM I FEBRUARII.

*Quæ hoc tomo examinantur quæstiones Chronologicæ, strictim ordine seculorum a Christo nato ad nostra tempora observato, proponuntur, quo scilicet tempore Sancti, præcipue, quorum Acta hoc tomo, aut memoria, referuntur, diem extremum obierint, native, aut ad episcopatum, aut quid aliud evecti sint, aut eorum reliquiæ elevatæ, aut translatæ.*

*Chronologiam Regum Francorum primæ stirpis a Faramundo ad Pippinum hic damus, et inseruntur ab SS. Martino, Remigio, Vedasto, Amando, aliisque res gestæ et suis annis affixæ, ut Chronologia illa Regum solidioribus Notis firmetur.*

*Litteræ A B C etc. indicant partes paginarum, in quibus rationes Chronologicæ observantur.*


I SECULUM A CHRISTO NATO.

*Anno* 1 *Christi nati*. Purificatio Deiparæ Mariæ, sive Hypapante Christi Domini 2 *Februarii* 270
Epocha annorum æræ vulgaris Christi relata hactenus ad Consulatum C. Cæsaris et L. Æmilii Pauli, alibi adhuc examinanda 18 b 217 d
*Circiter annum* 24 S. Ignatius Ep. Antiochenus nascitur. 18 c
42 S. Petrus venit Romam 8 c 17 c S. Evodius fit Episcopus Antiochiæ. 17 d
56 S. Paulus venit Romam 8 c
58 S. Paulus in Hispaniam proficiscitur 8 d sequentibus annis S. Cæcilius et socii Episcopi in Hispaniam missi 9 b
*Sub Nerone* S. Blasius Ep. Oretanus M. 2. *Febr.* 324
*Ann.* 69 S. Ignatius fit Episc. Antiochenus. 18
*Hoc* 1 *sec.* S. Veronica matrona Hierosolymitana mortua est 4 *Febr.* 454
S. Cornelius Centurio obit 2 *Febr.* 281
*Eodem* 1 *sec.* S. Cæcilius Ep. Eliberitanus moritur 1 *Februar.* 4
Cir. 99 S. Bucolus Ep. Smyrnensis moritur 6 *Februar.* 774

II SECULUM.

*Anno* 106 Persecutio in Christianos sub Trajano cœpta 19 a
108 S. Ignatius Ep. Antiochenus M. 1 *Febr.* 13 19 d

III SECULUM.

*Anno* 249 Decius fit Imp. et alteri consulum sufficitur 600 c
250 S. Gatianus fit Ep. Turonensis 215 f
S. Celerinus Romæ capitur, torquetur 325 b
251 SS. Pionius Presb. Dionysius, alter Pionius, et 13 socii MM. 1 *Febr.* 37 39
251 S. Agatha V. M. Catanæ in Sicilia 8 *Febr.* 599
252 Ætnæi ignes velo S. Agathæ repressi 653
*Hoc* 3 *seculo* Celerina, Laurentinus et Ignatius MM. 3 *Febr.* 321
Cir. 255 S. Anatholianus M. Claromonte in Gallia 6 *Febr.* 776
*Eodem* 3 *sec.* Solennitas festi Hypapantes Christi seu Purificationis indicatur apud S. Methodium Episc. M 270 c
S. Julianus M. Antissiodori 3 *Febr.* 334
*An.* 300 S. Gatianus Ep. Turonen. moritur 215 f

IV SECULUM.

*Seculi* 4 *initio* Sancti Martyres Pontici 5 *Febr.* 664
S. Gelasius puer Placentiæ Ital. 4 *Febr.* 470
*Sub Diocletiano*, S. Apronianus Commentariensis M. Romæ 2 *Febr.* 289
SS. Theodula, Boethus, Evagrius, Macarius et alii MM., Anazarbi in Cilicia 5 *Febr.* 662
SS. Dorothea V. Theophilus, Scholasticus, Christe et Calliste MM. Cesareæ Cappad. 6 *Febr.* 779
*An.* 304 SS. Phileas Ep. Thmuitarum, Philoromus Tribunus militum, alii MM. Alexandriæ 4 *Feb.* 464
312 SS. Silvanus Ep. Lucas Diac. Mucius Lector, MM. Emesæ 6 *Febr.* 785
*Circ.* 314 S. Rhodippus Ep. Leontinis obit 2 *Febr.* 290
316 S. Martinus nascitur 215 f
*Sub Licinio Imp.* S. Blasius Ep. Sebastenus, VII mulieres et II pueri Martyres 3 *Febr.* 334
*Hoc* 4 *sec.* S. Eubertus Episcopus Tornaci et locis vicinis evangelio Christi annuntiato moritur 1 *Febr.* 47
*Cir.* 320 S. Dorothea V. Alexandriæ 6 *Febr.* 784
*Post* 325 S. Joannes Ep. Irenopoli Ciliciæ 4 *Feb.* 471
*An.* 337 Constantinus Magnus Imp. moritur. 215 f
S. Lidorius consecratur Ep. Turonensis 215 f
346 S. Severus fit Episcopus Ravennas. 80 a 83 c
348 S. Abramius Ep. Arbelorum in Perside M. 4 *Febr.* 472
371 S. Lidorio Ep. Turonensi mortuo, S. Martinus ordinatur Episcopus 215 f
378 S. Ephræm Syrus moritur æstate vel autumno 50 f. 51 c colitur 1 *Feb.* 49
379 Theodosius Magnus 19 Januarii creatur Imperator 216 c.
386 S. Cyrillus Ep. Hierosol. obit, cujus Oratio in festo Hypapantes habita 270
*Cir.* 390 S. Severus Ep. Ravennas moritur 1 *Feb.* 79 80
*An.* 393 S. Patricius fer. 4 17 Martii obit 109 f
394 An annus hic scribendus *Post Consulatum Arcadii III et Honorii II*, prioribus annis ad Epocham annorum Christi acceleratis? 216 c 395

395 Theodosius Magnus moritur 216 d
*An.* 397 S. Martinus Ep. Turonensis moritur 8 Novemb. die Dominica Attico et Cæsario Coss 217 b e 216 d e sepelitur 11 *Novemb.* 217 c
397 S. Briccius fit Ep. Turonensis 217 f
398 S. Ambrosius Ep. moritur 217 a
*Sec.* 4 *fine* S. Leonius Presb. Pictavis 1 *Febr.* 91

## V SECULUM.

*Seculi initio* S. Agricolaus Ep. Trajecten. moritur 5 *Febr.* 665
S. Simplicius Ep. Vienn. in Gall. 3 *Febr.* 358
*An.* 417 Faramundus R. Franc. constituitur 208 b
428 Clodius R. Francorum Faramundo succedit 208 b
435 S. Remigius nascitur 791 e
444 S. Eustochius fit Ep. Turonensis 217 f
*Circa* 445 S. Severus in Monte-Falco oppido Umbriæ moritur 1 *Febr.* 943
*Hoc* 5 *sec.* S. Isidorus Pelusiota Presb. et mon. Ægypti 4 *Febr.* 473
*An.* 448 Meroveus R. Franc. Clodio succedit 208 b
456 Childericus R. Franc. Meroveo patri succedit 208 c
457 S. Remigius ordinatur Ep. Remorum 791 e
*Eodem* 5 *sec.* S. Petrus Galata eremita prope Antiochiam 1 *Febr.* 94
S. Cinnia V. Hiberna 1 *Febr.* 96
*An.* 461 S. Perpetuus fit Ep. Turonensis 217 f
479 Chlodoveus I R. Franc. Childerico patri succedit, saltem sub finem anni 208 c
*Cir.* 486 S. Lupicinus Ep. Lugdunen. moritur 3 *Febr.* 364
*An.* 488 S. Mel Ep. Ardachadensis in Hibernia 6 *Febr.* 788
S. Melus frater succedit, colitur 6 *Febr.* 786
*Cir.* 490 S. Avitus ordinatur Ep. Viennen. 667 d
494 Chlodoveus I devictis Alamannis fit Christianus 208 f
*Cir.* 500 S. Vedastus consecratur Ep. Atrebatensis 792 e
S. Ursus Presb. Augustæ Prætoriæ 1 *Febr.* 97 945
*Cir.* 500 S. Flosculus Ep Aurelian. 2 *Febr.* 290

## VI SECULUM.

*Seculi* 6 *initio* S. Aventinus Presb. Trecis moritur 4 *Febr.* 479
S. Vindemianus eremita in Bithynia 1 *Febr.* 99
*An.* 504 *et* 506 Chlodoveus anno regni 25 correptus febri, biennio ægrotat *tomo* 2 *Febr.* 217
507 Gothi cum Alarico Rege cæduntur a Chlodoveo I 218
508 *aut* 509 Synodus Aurelianensis I habita 218 d
509 Chlodoveus I moritur 27 *Novemb.* 218 e
Succedunt 4 filii regno quadrifariam diviso 218 f
523 S. Brigida senior V. Thaumaturga obit Kildariæ in Hibernia 4 feria 1 *Febr.* 99 109
*Post.* 523 S. Avitus Ep. Viennen. moritur 5 *Febr.* 666 667 e
*An.* 524 S. Darlugdacha V. in Hibernia 1 *Febr* 186
Chlodomeres R. Aurelianensium moritur 218 f
*Cir.* 525 Æra vulgaris annorum Christi a Dionysio Exiguo Ab. cœpta introduci 18 a
*Ann.* 530 S. Remigius Ep. Remorum moritur 793 d
531 Synodus Aurelianensis II habita 227 a
533 Theodericus I R. Franc. Austrasiorum moritur 219 a
535 *aut* 536 Synodus Aurelianensis III habita 228 d
*Cir.* 538 S. Theophilus pœnitens Adanæ in Cilicia 4 *Febr.* 486
*Cir.* 580 S. Vedastus Ep. Atrebatensis obit 6 *Febr.* 790
*Cir.* 546 S. Vincentius Ep. Tricassinus 4 *Febr.* 486
*An.* 547 Synodus Aurelianensis V habita 228 d
*An.* 548 Theodebertus I R. Franc. Austrasiorum moritur 219 a
*Hoc* 6 *sec.* S. Aventinus Ep. Castroduni in Gallia. 4 *Febr.* 483
SS. Oliveria et Liberata sorores Virg. in Gallia 3 *Febr.* 365
S. Severus Ep. Abrincensis 1 *Febr.* 187
S. Præcordius Presb. 1 *Feb.* 196
S. Sorus eremita 1 *Febr.* 199
*An.* 555 Theodebaldus R. Francorum Austrasiorum moritur 219 *a*
558 Childebertus R. Parisiorum moritur 218 *c*
561 Chlotarius I R. Francorum 219 *b*
Annus I regnorum 4 filiorum Chlotharii I secundum Fredegarium 219 *c*
562 Annus I regnorum 4 filiorum Chlotharii I secundum Gregorium Turonensem 219 *c*
*Cir.* 570 Charibertus R. Parisiorum moritur 219 *c*
*An.* 575 Sigeberto I R. Austrasiorum interfecto Childebertus filius a die Nativitatis Christi regnat 219 *e*
*Cir.* 576 S. Laurentius Illuminator Ep. Spoletinus moritur 3 *Febr.* 366
*Cir.* 578 S. Philippus Ep. Vienn. 3 *Febr.* 369
*An.* 584 Childerico R. Francorum occiso succedit Chlotharius II filius 219 *f*
586 S. Evantius Ep. Viennen. obiit 3 *Febr.* 369
593 S. Gunthramno R. Burgundiorum mortuo succedit Childebertus R. Austrasiorum 219 *f*
*Cir.* 594 S. Amandus Episcopus Trajectensis nascitur 839 *b*
*An.* 596 Childeberto R. Austrasiorum et Burgundiorum succedunt Theodebertus II et Theodericus II filii 295 *c d*
Discedunt Roma versus Angliam SS. Augustinus, Laurentius aliique 293 *a*
597 S. Ethelbertus R. Cantii aliique convertuntur ad fidem 233 *f*
598 S. Laurentius Romam ex Anglia mittitur 293 *f*
*Cir.* 600 S. Ingenuinus fit Ep Brixinensis 675 *e*

## VII SECULUM.

*Anno* 601 S. Laurentius Roma in Angliam redit 294 b
608 S. Augustino Ep. Cantuariensi succedit S. Laurentius Ep. Cantuariensis 295 a
611 S. Apollinari Ep. Bituricensi succedit S. Austregisilus 839 d
*Cir.* 612 S. Amandus apud Bituriges includitur cellæ 839 d
*An.* 612 Theodeberto II R. Austrasiorum occiso succedit Theodericus frater 219 d
613 Theoderico II R. Burgundionum et Austrasiorum mortuo et Sigeberto II aliisque filiis Theoderici occisis Chlotharius II fit Monarcha Francorum 219 f
*An.* 619 S. Laurentius Archiep. Cantuariensis obit 2 *Feb.* 296 e
621 *aut* 622 Dagobertus I fit Rex Austrasiorum 220 c
*Cir* 627 S. Amandus prima vice abit Romam 839 *e*
*An.* 628 Chlotario II R. Francorum mortuo succedunt filii Dagobertus I et in parte Aquitaniæ Charibertus 220 c d
*Cir.* 628 S. Amandus ordinatur Episcopus 839 f
629 Gentibus prædicat fidem 840
630 Secunda vice abit Romam 840 e
S. Arnulphus secedit in eremum 220
631 S. Gertrudis nascitur 845
S. Amandus Gandavi prædicat 840
632 Mortuum suscitat, monasteria extruit 850 633

633 Sclavos adit 840 d
634 In exilium pellitur 840 d
635 Cinegelsus R. Saxonum Occiduorum baptizatur 913 f
S. Sigebertus R. Austrasiorum nascitur et baptizatur a S. Amando 220 f 839
636 S. Amandus monasteria Gandavi regit per octo annos 840 f
Charibertus R. Aquitaniæ moritur 221 c
Corpus S. Severi Ep. Ravennatis Germaniam transfertur 81 d
637 S. Remaclus Solenniaci fit monachus 374 a
638 S. Amandus Elnonense monasterium extruit 840 f
S. Sigebertus fit Rex Austrasiorum 221 a
640 S. Amandus de sacro fonte suscipit S. Clotsendem 841 a
S. Ingenuinus Ep. Sabionensis moritur 5 *Febr.* 675
S. Lietphardus Ep. M. 4 *Febr.* 497
644 Dagoberto 19 Januarii mortuo succedunt filii S. Sigebertus et Chlodoveus 221 a
S. Amandus constituit S. Florbertum Abbatem Gandensem 841 a
645 Marchianense monasterium extruit 841 b
646 SS. Eligius et Audoenus 14 Maii Dominica ante Adscensionem consecrantur Episcopi 221 c
S. Joanni Agno Ep. Trajectensi mortuo S. Amandus succedit 841 b
*Cir.* 646 SS. Remaclus et Hadelinus in Austrasiam veniunt 375 c
*An.* 647 S. Martinus creatur Pontifex Romanus 841 f
649 S. Amandus petit a S. Martino liberari ab Episcopatu Trajectensi 841 f
650 S. Amandus tertia vice abit Romam cum S. Humberto Ab. Maricolensi et Nicasio Elnonensi 842 e
*Cir.* 650 S. Lambertus Episc. Trajectensis nascitur 843 b
S. Remaclus fit Episc. Trajectensis 375 e 843 c
S. Monenna magistra S. Osithæ et Brigidæ Glastoniensis floret 107
*Post* 650 SS. Agrippanus Ep. Podiensis et Ursicinus MM. in Gallia 1 *Febr.* 204
*An.* 651 S. Amandus impetrat privilegia a S. Martino Papa et redit cum S. Landoaldo et aliis 842 e
Clericum ordinat S. Bavonem 843 e
652 S. Adalbaldus Dux occiditur 2 *Febr.* 298 e 302
S. Rictrudis et filiæ vitam monasticam assumunt 843 f
*Cir.* 653 S. Amandus oratorium S. Gisleni consecrat 844 a
*An.* 655 Includit S. Bavonem 844 c
657 S. Bavo moritur: a S. Amando sepelitur 844 c
659 S. Livinus martyrio consecratur 844 e
*Cir.* 660 S. Amandus consecrat Ecclesiam Antverpiensem 844 e
S. Remaclus relicto Episcopatu Trajectensi secedit Stabuletum et Malmundarium cum S. Hadelino 375 e
Brigida discipula S. Monennæ floret, Glastoniæ sepulta 107
*An.* 662 Chlodoveo II R. Francorum Neustriorum mortuo, succedit Chlotarius III filius 221 f
663 S. Sigebertus R. Austrasiorum obit 2 *Febr.* 222 b
Successor Dagobertus filius in Hiberniam exul mittitur 222 e 232 e
Childebertus filius Grimoaldi Majoris-domus intruditur 222 e
664 S. Gertrudis moritur 382 c 844 d
Childebertus Rex intrusus Austrasiorum pellitur 222 f
Childericus frater Chlotarii III fit R. Austrasiorum 222 d
S. Florbertus Ab. Gandensis moritur 844 e
S. Amandus creat Abbates Aldebertum S. Bavonis et Joannem Blandiniensium 845 a
665 S. Elegio Ep. Noviomensi mortuo succedit S. Mommolenus 845 b
666 S. Amandus extruit monasterium Barisiacum 845 c
667 Corpus S. Vedasti Ep. Atrebatensis transfertur a SS. Autberto et Audomaro 795 d
675 S. Autbertus Ep. Cameracensis obit 845 d
676 S. Vindicianus ordinatur Ep. Cameracensis 845 e
Chlotario III Rege Franc. mortuo succedit Theodericus frater, et hoc pulso Childericus frater R. Austrasiorum 224 a b
S. Theodardus Ep. Trajectensis M. 845 e
677 S. Lambertus consecratur Ep. Trajectensis 845 f
678 S. Wilfridus ex Episcopatu Eboracensi pellitur 225 a
679 Childerico R. Franc. occiso succedit Theodericus 224 d S. Wilfridus Episc. Eboracensis in Frisiam venit 224 S. Leodegarius Episcopus Augustodunensis captivus detinetur 225
680 S. Wilfridus invisit Dagobertum II Regem Austrasiorum Transrhenanorum 225 232 d
Interest Synodo Romanæ sub S. Agathone 225 b
681 S. Amandus consecrat Ecclesiam Elnonensem et condit testamentum 971
683 S. Amandus constituit 7 Martii Baudemundum Abbatem Blandiniensem 847 b
684 S. Amandus moritur Elnone 6 *Febr.* 882 a 887 e non diu post Vita a Baudemundo scribitur 854 a
S. Leodegarius Episc. Augustodunen. interficitur 225 e
687 Vulfoaldo Majore-domus mortuo succedit Pippinus Herstallius 225 d Ebroinus Major-domus Neustriæ interficitur 225 d
Dagobertus II R. Austrasiorum obit 225 d
688 S. Leodegarii corpus transfertur et mense Maio in monasterio S. Maxentii deponitur 225 e
Warado Major-domus Neustriæ, a filio Gislemaro supplantatur 225 e
689 Gislemaro mortuo Warado fit iterum Major-domus 225 e S. Audoenus Ep. Rotomagen 25 f Augusti obit 225 e S. Ansbertus fit Ep. Rotomagen 225 f Waradoni succedit Major-domus Bertharius 226 e
690 Pippinus Herstallius victoriam de Theoderico Rege obtinet Textricii in Veromanduis 226 c
*Cir.* 690 S. Hadelinus Presb. in Belg. obit 3 *Febr.* 370
*An.* 691 *aut* 692 Synodus Rotomagensis sub S. Ansberto 226 b
*An.* 693 Corpus S. Audoeni in festo Ascensionis transfertur 226 b S. Ansbertus in exilium pellitur 226 b Theoderico R. Francorum succedit Chlodoveus III, filius 226
*Cir.* 693 B. Andreas Ab. Elnonensis obit. 6 *Febr.* 912
*An.* 698 Chlodoveo III succedit Childebertus frater 226 e
Corpus S. Amandi a S. Mommoleno transfertur 847 e
*Cir.* 700 SS. Berlendis, Nona, Celsa VV. 3 *Febr.* 381
S. Brigida Scota floret Abernetti. Sepulta 108

## VIII SECULUM.

*Seculi* 8 *initio* S. Berthulphus Renticæ in Arthesia 5 *Febr*. 683

S. Indractus, Dominica et IX socii MM. 5 *Febr*. 694

S. Vodalus Benedictus Suessione 5 *Febr*. 697

711 Childebertus R. Francorum obit 226 d succedit Dagobertus III 226 d

714 Pippinus Herstallius Princeps Francorum obit mense Decembri 226 d

Succedit Theobaldus e filio Grimoaldo nepos, et Carolus Martellus in custodia detinetur 226 e

715 Carolus Martellus e custodia elapsus, apud Austrasios Major-domus 226 c Dagoberto III succedit Chilpericus filius Childerici 226 f

717 Chilpericus R. vincitur a Carolo Martello apud Cameracenses 21 Martii Dominica 226 f

*Hoc* 8 *sec*. S. Wereburga V. obit 3 *Febr*. 388

720 Chilperico R. Francorum succedit Theodericus 227 a

*Cir*. 728 S. Berlendis corpus elevatur 386

*Post* 728 S. Ina R. Occidentalium Saxonum moritur Romæ 6 *Febr*. 913

*An*. 737 Theoderico R. Francorum mortuo Carolus Martellus absque Rege imperat 227 a

741 Carolo Martello mense Octobri succedunt Karlomannus et Pippinus filii 227 a

743 Childericus ultimus Rex Francorum 227 a

750 Childerico deposito Pippinus in Regem a S. Bonifacio coronatur 227 b

754 Childericus e Rege monachus moritur 227 b Pippinus a Stephano Papa iterum coronatur 227 b

*Hoc* 8 *sec*. S. Hadeloga V. Kitzingi moritur 2 *Febr*. 306

S. Ulgisus Ep. et Ab. Lobiensis 4 *Febr*. 504

*An*. 785 B. Rabanus Maurus nascitur Moguntiæ 513 f

## IX SECULUM.

*Seculi* 9 *initio* BB. Domitianus Dux Carinthiæ, Maria conjux et puer anonymus 5 *Febr*. 699

*An*. 801 S. Anscharius nascitur 396 a

802 B. Rabanus mittitur ad Alcuinum Flaccum 514 a

809 Corpus S. Amandi elevatur 847 f

810 Godefridus R. Daniæ moritur 404 d

B. Rabanus præficitur scholæ Fuldensi 514 a

812 Hemmingus R. Daniæ obit 404 d

815 B. Rabanus fit Sacerdos 514 b

*Cir*. 820 S. Rembertus Archiep. Hamburgen. nascitur 564 d

*An*. 822 B. Rabanus creatur Abbas Fuldensis 514

823 S. Anscharius mittitur ad Corbeiam Saxonicam 398 d

826 Herioltus R. Daniæ Moguntiæ baptizatur 404 e

S. Theodorus Studita moritur 544 d d 556 829

S. Ascharius Sueciæ fidem infert 406 f

831 S. Anscharius consecratur Archiepiscopus Hamburgensis 396 b

834 Decreta dantur a Gregorio IV, et Ludovico Pio de Sede Hamburgi Episcopali statuta et missione S. Anscharii ad Danos et Suecos 410 411

*Cir*. 840 S. Nithardus Presb. M. in Suecia occisus 3 *Febr*. 395

Vita S. Amandi metrica a Milone Presb. scripta 884 d e

842 B. Rabanus curam Abbatialem deponit 515 f

*Cir*. 845 S. Erlulfus Ep. Verdensis M. 2 *Febr*. 316 b

847 S. Anscharius fit etiam Ep. Bremensis 397 e

B. Rabanus ordinatur Archiep. Moguntinus 516 f

Concilium I celebrat 517 a

848 Cogit Concilium contra Gothescalcum 517 c

849 Walafridus Strabo Abb. Augiensis obit 512 d

852 B. Rabanus 3 Concilium cogit 517 f

Corpus S. Vedasti Ep. Atrebatensis elevatur 799 b c

856 B. Rabanus Archiepisc. Moguntinus moritur 4 *Febr*. 518 a

Horico seniori R. Daniæ succedit Horicus junior 405 c

865 S. Anscharius Archiep. Hamburgen. moritur 3 *Feb*. 397 f

S. Rembertus ordinatur Archiep. Hamburg. 564 f.

868 S. Nicolaus Conf. Archimandrita Studitarum CP. obit 4 *Febr*. 544

*Cir*. 870 S. Basilius Ep. Cretensis dein Thessalonicensis obit 1 *Febr*. 244

*Hoc* 9 *sec*. Corpora SS. Columbæ et Brigidæ ob devastationem Normannicam Dunum translata 110

880 SS. Theodoricus Episc. Mindensis, Marquardus Ep. Hildesheimensis, Bruno Dux, Comites XI, Satellites regii XIV, aliique Mart. Ebbeckesdorpii in Saxonia inferiore 2 *Febr*. 312 313

880 Corpus S. Vedasti Atrebato Bellovacum defertur 799 e

*Cir*. 884 S. Wereburgæ V. corpus Cestriam transfertur 389 f

888 S. Rembertus Archiepisc. Hamburgen. obit 11 Junii, colitur 4 *Febr*. 559 564 e

893 Corpus Vedasti Bellavaco Atrebatum refertur 799 e

898 Corpus S. Bertulphi Bononiam transfertur 682

9 *Seculi fine* S. Brigida V. Fæsulis obit 1 *Febr*. 245

900 S. Petrus Ep. Argivorum scriptor Vitæ S. Athanasii Ep. Methonensis floret 616 b

## X SECULUM.

937 Sacellum S. Joannis, nunc ecclesia Cathedralis, dedicatur Gandavi a Transmaro Episc. Noviomensi 797 c

944 S. Polyeuctus creatur Patriarcha Constantinopolitanus 713 Richardus I fit Dux Normanniæ 187 f Sub eo transferuntur Rotomagum reliquiæ S. Severi Abrinc. 187 f 192

955 Corpus S. Berthulphi Gandavum transfertur 683 a

959 Constantinus Imp. CP. obit, succedit Romanus fil. 715

963 Romanus Imp CP. obit relictis Basilio et Constantino filiis 715 Nicephorus Phocas Imperium arripit 716

970 S. Polyeuctus Patriarcha CP. moritur 5 *Febr*. 719

*Cir*. 980 Liafdagus Episc. Ripæ in Dania M. 3 *Febr*. 451

*Cir*. 1000 Sanctus Episcopus Belga anonymus Chami in Helvetia obit 1 *Febr*. 249

## XI SECULUM.

*Cir*. *an* 1015 S. Albinus Ep. Brixinensis moritur 5 *Febr*. 719

*Cir*. 1015 S. Adelheidis V. Abb. Vilicensis 5 *Febr*. 719

*Ann*. 1024 S. Agatha Hildegardis in Carinthia obit 5 *Febr*. 728

*Cir*. 1040 Reliquiæ S. Agathæ avehuntur Constantinopolim

tinopolim 640
1073 Corpus S. Bertulphi ad aliud altare transfertur 682 d Vita ejus conscribitur a Blandiniensi monacho 683
*Cir.* 1083 S. Gilbertus Sempringhamen. nascitur 572 f

## XII SECULUM.

*Post annum* 1100 B. Wolfholdus Presbyt. Hohenwarti in Bavaria obit 1 *Febr.* 247
*An.* 1107 Corpus S. Amandi per antiquum Bragbantum delatum miraculis claret 853
1126 Reliquiæ S. Agathæ Constantinopoli revehuntur Catanam 643
*Cir.* 1135 Ordo Sempringhamensis in Anglia incipit 573
*Cir.* 1148 Ordo Sempringhamensis ab Eugenio III approbatur 573 c
*An.* 1159 S. Guarinus Ep. Prænest. Card. moritur 6 *Febr.* 914
1163 B. Raimundus Fundator Calatravæ 1 *Febr.* 254
S. Joannes de Craticula Ep. Macloviensis 1 *Febr.* 250 254
*Cir.* 1170 Vita S. Amandi a Philippo ab. Bonæ-Spei scribitur 852
*An.* 1181 S. Guarinus canonizatur ab Alexandro III 924
*Post* 1183 B. Hildegundis Comitissa moritur 6 *Febr.* 925
1185 Corpora SS. Patricii, Brigidæ et Columbæ translata 111 e
1189 S. Gilbertus Sempringhamen. moritur 4 *Febr.* 577
*Cir.* 1200 S. Obatius Conf. Brixiæ 4 *Febr.* 578
*Cir.* 1200 S. Aldericus subulcus Fusciniaci 6 *Febr.* 931

## XIII SECULUM.

*Anno* 1202 S. Gilbertus Sempringhamen. canonizatur 575 b
1242 S. Verdiana V. obit 1 *Febr.* 257
1249 Sudarium S. Veronicæ Roma Monasteriolum in Galliam missum miraculis claret 461
1267 B. Antonius Peregrinus moritur 1 *Febr.* 266

## XIV SECULUM.

*Anno* 1317 S. Brynolphus Ep. Scarensis moritur 6 *Febr* 934
1327 B. Angelus a Furcio Eremit. S. Augustini 6 *Febr.* 946
1329 Incendium Ætnæ velo S. Agathæ aversum 654
1338 Reliquiæ S. Hadelini Presb. Visetum transferuntur 372 e
1376 Sudarium S. Veronicæ ad Giennenses in Hispaniam unum delatum 462

## XV SECULUM.

*Anno* 1408 et 1444 Ætnæ incendium velo S. Agathæ aversum 654 c
1468 Reliquiæ B. Raimundi Ab. Fiterii transferuntur 254 f

## XVI SECULUM.

*Anno* 1501 Regula Ord. Annuntiatarum ab Alexandro VI probatur 582
1505 B. Joanna Valesia Regina Franciæ, moritur 4 *Febr.* 579 f
1515 B. Rabani reliquiæ transferuntur in Saxoniam 518 d
1531 Corpus B. Antonii Peregrini transfertur 266 c
1536 Ætnæi ignes per S. Agatham coerciti 654 f
1542 S. Franciscus Xaverius Goam appellit 730 f
Japonia a Lusitanis invenitur 730 f
1548 Gaspar Barsæus et Ludovicus Froez e Societate Jesu in Indias mittuntur 741 a
1549 S. Franciscus Xaverius Japoniam adit 730 f
1563 Ludovicus Froez ex Indiis in Japoniam mittitur 741 a
1568 S. Paulus Miki M. in Japonia quinquennis cum patre baptizatur 743
1580 In Japonia 20570 Christiani 738 e
1584 Taicosama Imperium Japoniæ arripuit 731 d
1585 Diploma Pontificis datur, ne ulli, non Societatis Jesu, Religiosi eant in Japoniam 739 d
1586 S. Paulus Miki, Japon mortuo patre Societatem Jesu ingreditur 743 b
1587 Taicosama R. Japoniæ movet persecutionem adversus Christianos 735 b
1588 In Japonia erant circiter cxxxv e Societate Jesu in xxv domicilia distributi, ecclesiæ cc 735 a
1593 S. Petrus Baptista et alii Ordinis S. Francisci veniunt in Japoniam 738 e
1597 Martyres xxvi in Japonia 5 *Febr.* 731 a
Ludovicus Froez e Societate Jesu testis oculatus, scriptor dicti martyrii moritur mense Julio 740
1599 Caput S. Ignatii Ep. Antiocheni transfertur e Bohemia Romam ad Domum-Professam Societatis Jesu 56 c 57 d

## XVII SECULUM.

1622 Corpus S. Fortunati M. Roma Antverpiam defertur ad ecclesiam Societatis Jesu 333
1627 Martyres xxvi in Japonia crucifixi, ab Urbano VIII sacro et officio Ecclesiastico honorantur 748
1635 Ætnæi ignes velo S. Agathæ restincti 657 a
1641 Reliquiæ SS. Theodori, Trosimi, Evelli, Tarcitii, Felicis, Candidi, Theophili MM. Ecclesiis Fossani donatæ 941

# ACTA SANCTORUM

# FEBRUARII.

*FEBRUARIUS MENSIS, gelu licet nivibusque horridus, haud tamen ita corpora hominum mentesque adstringit et torpedine glaciat, ut non quandoque magnificas, contempta vi frigorum, res gerant, ac memoriam gestarum perennibus publici plausus consecrent argumentis. Evenere sane quidem, hoc mense, veteri Romæ multa, ad quorum recordationem sacra ac ludos, solenni posterorum gratulatione celebrandos, indixit. Ita (quod Polemeus Silvius in Laterculo, Posthumiani et Zenonis consulatu, anno nimirum* CCCCXLVIII *Æræ vulgaris, conscripto, annotavit)* XIII *Kalend. Martias,* Romulus occisus a suis non apparuisse confictus est : VII *Kalend.* Regifugium *accidit,* cum Tarquinius Superbus ab Urbe expulsus : *Idibus,* Parentatio tumulorum; quo die Roma liberata est obsidione Gallorum : *ac denique ad* III *Kalendas, in beatæ spem dominationis, natus est* Constantinus.

*Neque Christiana Roma, et qui ejus nutum sanctius quam antiquæ observat orbis subjectus, aut mysteria desiderat hoc peracta mense, quæ æterna devotione veneretur; aut Sanctorum omnis ætatis, quæ imitetur, ad singulos dies consignata decora. Nam* IV *Nonas* Hypapante *recolitur, sive Occursus, deportati ad templum Hierosolymitanum JESU Salvatoris : ejusque Matris Sanctissimæ* Purificatio *; a qua religiosius fieri instaurarive Februario nomen fas est, (nam* Februm, *sive* Februum, *veteres purgamentum dixerunt) quam ab mœnium Romanorum profana lustratione. Quid, quod Christo Regi exhibita a Magis Adoratio (quam Græci* XXV *Decembris, una cum ejus Nativitate celebrant; Latini* VIII *Idus Januarii, quo die, triginta post annis, a Joanne est baptizatus) hoc mense contigit? Qui enim alioqui credibile sit, Divino monitu, nocte intempesta, summo silentio, devio itinere, abiisse Magos, et in spelunca, quam deinde S. Theodosius Cœnobiarcha (ut* XI *Januarii dictum) inhabitavit, ad modicum quietem latuisse; si dein* XXVII *dies secure Bethlehemi Deipara Mater substitit, ac demum Hierosolymam venit, Filiumque, tanta sanctæ exultationis et vaticiniorum celebritate excipiendum, Sacerdotibus stitit? Contigit igitur post hanc Oblationem Adoratio Magorum, et mox imperata tum his tum novo Regi fuga, vereque Christianum* Regifugium. *Sed hæc Divinarum litterarum interpretibus accuratius pertractanda relinquimus, minus proposito nostro congruentia : quippe qui solum Sanctorum, æterni illius Regis militum, partim tropæa sanguine inscripta, partim monumenta præclaris benefactis aggesta, proferre hic constituerimus.*

*Tu, cujus Gratia cœpta utraque et consummata sunt, CHRISTE JESU, Spiritu tuo divino nostros promove conatus. Fave Tu quoque, et cursum felicem nobis a Filio impetra MARIA Augusta ; quæque, per inhospitam solitudinem, in Ægyptum profugere hoc mense coacta es, ostende quæ legamus calamo, moribus exprimamus, Tui, Filii, Sanctorum vestigia.*

---

## I FEBRUARII.

### SANCTI QUI KALEND. FEBR. COLUNTUR.

S. Cæcilius Episcopus Eliberitanus et socii, } Martyres in Hispania.

S. Ignatius Theophorus, Episcopus Antioch. Martyr Romæ.

S. Publius,
S. Saturninus,
S. Maurianus,
S. Libosus,
S. Vincentia,
et alii XXIV } Martyres in Africa.

S. Pionius Presbyter,
S. Dionysius,
S. Pionius alter et alii XIII } Martyres, Smyrnæ in Asia.

S. Victor,
S. Lucianus,
S. Apollinaris,
S. Hilarius,
S. Ammon,
S. Zoticus, } Martyres.

S. Cyriacus,

S. Eubertus Ep. Seclinii in Flandria.

S. Carion Martyr.

S. Theïon et duo pueri } Martyres.

S. Ephrem Syrus, Edessæ in Mesopotamia.

S. Æmilius Dux, Lucæ in Etruria.

S. Severus, Episcopus, S. Vincentia ejus uxor, S. Innocentia V, eorum filia, } Ravennæ.
S. Leonius Presb. Pictavis in Gallia.
S. Paulus Ep. Tricastinus in Gallia.
S. Torquatus Ep. Tricastin, S. Josserandus monachus, } Cruciati in Gallia.
S. Timotheus Confessor.
S. Petrus Galata, Eremita in Syria.
S. Cinnia, sive Kinnia, Virgo in Hibernia.
S. Ursus Presb. Augustæ Prætoriæ in Pedemontio.
S. Vendinianus Eremita in Bithynia.
S. Brigida Virgo Scota, in Hibernia.
S. Darlugdacha, sive Dardulacha, Virgo in Hibernia.
S. Carterius Presb. in Gallia.
S. Severus Ep. Abrinc. Rotomagi in Gallia.
S. Tujanus Ab. in Britannia Armorica.
S. Præcordius Presb. Corbeiæ in Gallia Belgica.
S. Pictus Ep.
S. Sorus Eremita apud Petrocorios in Gal.
S. Agrippanus Ep. S. Ursicinus } Martyres, Podii in Gallia.
S. Sigebertus Rex Francorum Austrasiorum, Metis in Gallia.
S. Basilius Ep. Cretensis et Thessalonicen.
S. Brigida Virgo, Fæsulis in Etruria.
Sanctus Episcopus Belga anonymus, Chami in Helvetia.
B. Wolfholdus Presb. in Bavaria.
S. Joannes de Craticula Ep. Macloviensis, in Britan. Armorica.
B. Raimundus Ab. Fiterii, Fundator Ordinis Calatravæ in Hispania.
S. Verdiana Virgo, Castolli-Florentini in Etruria.
B. Antonius Peregrinus, Patavii in Italia.

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Severus Martyr Ravennæ, *hoc die refertur a Philippo Ferrario, Petro de Natalib. lib.* 3, *cap.* 66, *Richardo Witfordo. Nos, Hieronymum Rubeum secuti, cum exhibuimus supra* I *Januarii.*

S. Polycarpus Episc. Smyrnensis et Martyr, *refertur hoc die in veteri Martyrol. Rom. sive S. Hieronymi, inque aliis quam plurimis MSS. una cum S. Severiano. Illius Acta dedimus* XXVI *Januarii.*

S. Marcianus, S. Valerius } Martyres in Luca civitate. *Ita adscriptum erat ad oram Martyrologii Usuardi editi Coloniæ an.* MDXXI *cum Additionibus Hermanni Greven, quod in Carthusia Bruxellensi asservatur : additumque erat* Æmiliæ *nomen, sive* Æmilii, *de quo infra agemus. De* Marciano *nihil alibi reperimus. De* S. Valerio *egimus* XXIX *Januar.*

Severus Sulpitius Presbyter, discipulus S. Martini, *memoratur hoc die ut* Sanctus *a Petro de Natalib. lib.* 3, *cap.* 67 *et Richardo Witfordo. An in Sanctorum tabulas relatus videatur, disputavimus cum de* S. Sulpitio Severo *Episc. Bituric. ageremus* XXIX *Januarii.*

B. Annichadus Reclusus, Fuldæ. *Ferrar. De eo egimus* XXX *Januarii.*

Hypapantes Præfestum, *sive* προεόρτιον, *recolitur hoc die a Græcis, ut patet ex eorum Menæis et Horologio, itemque Molani Additionibus ad Usuardum. Inscripsit et Gallicano Martyrologio Saussaius. Agitur alicubi fortassis in Gallia* Vigilia Purificationis.

S. Patricius, S. Septentrius } Martyres, socii S. Cæcilii Ep. Eliberitani, *referuntur in laminis juxta Granatam nuper inventis, cum eo martyrii coronam adepti. Verum laminæ illæ, ut hoc ipso die ad Vitam S. Cæcilii dicemus, apocryphæ hactenus habentur.*

S. Gallenitus Martyr, qui cum S. Ignatio passus. *Ita recenti manu adscriptum Martyrologio Carthusiæ Bruxellensis ante citato. Sed cum de eo in* S. Ignatii *Actis nulla mentio fiat, omittimus, donec aliud uspiam occurrat.*

Ephraim, *sive* Ephrem, XIII Hierosolymorum post Jacobum Episcopus, *in Chronico universali Theodorici Gorcomiensis,* Sanctus *appellatur et* Martyr. *Nondum id in veterum scriptis legimus. Refertur tamen etiam a Franc. Maurolyco hoc die*

S. Mercurius puer Martyr, Carali in Sardinia *commemoratur a Dionysio Bonfant, Triumphi SS. Sardiniæ lib.* 10, *cap.* 16, *ubi ejus an.* 1630, *die* 27 *Januarii, repertas in marmoreo tumulo Reliquias tradit, cum hac inscriptione :* B. M. MERCVRIVS, QUI VIXIT ANNIS PLVS MINVS QVINQVE, QVIEVIT IN PACE K. FEBRVARIA. *Litteræ quidem B. M. potius videntur* beatæ memoriæ, *quam, quod ille scriptor aliique volunt* Beatus Martyr, *significare : tamen honorificentia illa tumuli aliquid fortassis habere momenti potest. Verum quia et Acta latent, et adhuc nobis incompertum est, quis sensus sit Sanctæ Apostolicæ Sedis de omnibus illis Reliquiis, nostra memoria in Sardinia repertis; tantisper hunc aliosque omittimus.*

S. Perpetua Virgo Martyr in Africa, *refertur a Franc. Lahierio nostro in magno Menologio Virginum. Nusquam alibi nomen ejus, nedum Acta reperimus.*

Ansalogus; *Abbas, ac deinde Episcopus Salisburgensis,* S. Vitalis *(de quo* XX *Octobris agemus) successor, obiisse traditur hoc die, et a quibusdam* Sanctus *appellatur. Non colitur officio Ecclesiastico neque adhuc de eo fere quidquam, præter nomen, habemus compertum.*

Stephanus IV Papa, *qui vulgo* III *habetur,* Sanctus *appellatur, referturque hoc die a Ferrario et Octavio Cajetano nostro : ab Hugone Menardo, eodemque Ferrario, et in Kalendario Maclovii edito,* XXXI *Januarii. Fuit omnino vir sanctissimus, ut ex Anastasio Bibliothecario et Baronio patet. Sed nedum apud eos qui Vitas Pontificum scripsere, de cœlestibus honoribus ei unquam delatis, quidquam legimus.*

Alexander Patriarcha Alexandrini *Vita extat in MS. Coptico collegii Maronitici Societatis Jesu Romæ, hoc titulo :* Festum S. Alexandri Patriarchæ Alexandrini, septimo die mensis Amschiri. *Vitæ exordium :* Hoc die requievit S. Alexander Patriarcha, etc. *Non est hic Magni Athanasii sanctus decessor, de quo agemus* XXVI *Februarii : sed Jacobitarum, sive Eutychianorum, Patriarcha, qui tempore Leonis Isaurici hoc die obiit, plurima cum ceteris Christianis, ac præcipue monachis, perpessus ab aliquot Ægypti Præfectis Saracenis : quæ in ejus Vita citata narrantur, et accuratius a Georgio Elmacino lib.* 1, *histor. Saracenicæ, ubi isti referuntur Jacobitarum Alexandrini Patriarchæ .* Benjamin, *qui tempore Heraclii ejectus, postea urbe a Saracenis, anno Hegiræ* XX *æræ Christianæ* DCXL *capta restitutus :* Agathus, Joannes, Isaacus, Simon Syrus, Alexander, Cosmas, Theodorus, Abuna Chaiil, Abuna Mina, Abuna Joannes,

A nes, Abuna Marcus novus, Jacobus, *etc. Tradit idem auctor, ex alterius historici fide, Orthodoxos annis* XCVII *caruisse Patriarcha, donec tandem Hisiami* XVII *Califæ anno* III Cosmas *Orthodoxus electus est : Ecclesias alioquin omnes occupatas a Jacobitis, constitutis ubique suæ sectæ Episcopis, in ipsa quoque Nubia, (sive Abassia, ut interpretamur) quæ ex eo tempore Jacobitica facta est. Quamobrem Nubiæ Rex* Cyriacus *cum centum millibus equitum Ægyptum versus descendit, tempore* Abunæ Chaulis *Jacobitæ Patriarchæ, ut Christianis, ab Abdulmelico, filio Mosis qui ex Judæo Mahometanus erat factus, crudelissime vexatis, succurreret. At, (quod solum huc pertinet, et necessario indicandum fuit) abesse debet a Sanctorum albo Pseudopatriarcha ille* Alexander.

S. Paulus Episcopus Trecensis, *qui tempore Ludovici Pii vixerit, in Martyrol. Romano aliisque refertur. An alius sit a Tricastino merito ambigi potest, ut, cum de hoc agemus, infra hoc ipso die, ostendetur.*

Brigitta Virgo, *Abbatissa monasterii sanctimonialium a S. Wolfgango fundati Ratisponæ, soror S. Henrici Imp.* Sancta *appellatur, referturque hoc die in Kalendario SS. Ordinis S. Benedicti recenti manu exarato Nondum aliunde comperimus ut* Sanctam *coli. Ejus meminit Raderus in vita Gislæ to. 4, Bavariæ* B *sanctæ, atque in novo S. Pauli parthenone Reginoburgi tum excitato, Antistitam fuisse : quod antea S. Wolfgangus rogante patre Hezilone, ut qua ternis liberis ad ejus genua admotis bene precaretur, futurum prædixerat.*

S. Godermundus, *sive* Goedermundus, Episcopus et Martyr in Islandia, *refertur in MS. Florario, et Molani Additionibus ad Usuardum. Nobis adhuc ignotus.* Jonas Ogmundus, *Holensis in Boreali Islandiæ plaga Episcopus, in* Islephi, *sive* Islavi, *sanctissimi Episcopi, schola educatus, mortuus an.* MCXXI III *Martii in Divos relatus dicitur anno* MCCI : *Sed ab hoc, ut remur, diversus.*

Ganfridus, Ep. Carnotensis, *vir plenus Spiritu consilii et fortitudinis, maximas pro Ecclesia res gessit, a S. Bernardo, Petro Cluniacensi, Goffrido Vindocinensi, Roberto de Monte, Jacobo Sirmondo, aliisque summis laudibus celebratus, traditur in Gallia Christiana Claudii Roberti obiisse* VIII *Kalend. Februarii; quo die inter* Pios *a Saussaio recensetur : ast in Menologio Cisterciens. Chrysostomi Henriquez hoc die, cum* Beati *titulo. Haud remur ei cultum aliquem publicum haberi.*

Winandus, *sive* Guinandus, Prior cœnobii Prædica- C torum Trajecti ad Mosam, *a Leandro Alberto* Beatus *appellatur lib. 5 de viris illustr. Ord. Prædic. ubi et tradit, eum ut vas vacuum vino divinitus repleretur impetrasse, circa annum* MCCXXXV. *Antonius Senensis scribit, multis miraculis claruisse. Refertur hoc die a Raissio in Auctario ad Natales SS. Belgii.*

Zegerus, Ordinis Prædicatorum Sacerdos, *vir sanctus, refertur hoc die ab eodem Raissio, et* Beatus *appellatur. Ejus mentio fiet in* Vita Margaritæ de Ipris
XX *Julii.*

Andreas Ord. Minorum, Cardinalis *creatus a Bonifacio* VIII, *cui erat, uti et Alexandro* IV *genere propinquus, ea dignitate ultro deposita, sanctissimam vitam egit, obiitque in loco* Pilei *dicto prope Anagniam, multis vivus ac mortuus miraculis a Deo illustratus : ideoque inter* Beatos *Ordinis Seraphici recensetur a Francisco Gonzaga, Petro Rudolphio Tossiniano, Arturo a Monasterio in Martyrol. Francisc. ad hunc diem. Statuerat Bonifacius* VIII, *si super vixisset, eum catalogo SS. adscribere, uti Pisanus lib. 1. Conformitat. fru. 8 et Ciacconius in historia Pontificum testantur. An postea* Beatus *sit solemni Romani Pontificis auctoritate appellatus, nondum comperimus.*

Dominicus Melitensis, laicus Ord. Minorum, *in vita ac post mortem miraculis clarus, inscriptus hic Mar-* D *tyrol. Franciscano ab Arturo. Gonzaga testatur corpus ejus Neeti, Siciliæ urbe, in maxima esse veneratione.*

Ægidius, laicus Ord. Minorum *Laurentiani in provincia Basilicata, in maximo honore habetur, ut idem Gonzaga testatur.*

Petrus Ferrerius, Valentinus, Ord. Minorum, *cognatus S. Vincentii Ferrerii, an.* MCCCCLXXII *monasterium sui Ordinis juxta oppidum, quod* Caceres *dicitur, (quasi* Castra Cecilii, *aut* Casa Cereris, *ut interpretatur Rodericus Mendius Silva) constituit. Caput ejus in sacrario, corporis reliquum lapideæ arcæ inclusum in primario illius Ecclesiæ sacello asservatur, maxima cum Fratrum populique devotione, ut scribit Gonzaga 3 part. provinc. S. Michaelis convent. 2. Addit Marcus Ulysippon. par. 3, lib. 8, cap. 36, multos aqua, cui sacrum illud caput intinctum, a febribus sanari. At nullus adhuc ab Ecclesia illi cultus decretus.*

Cornelius Dubenius, Episc. Dunensis et Conerensis, ex Ordine Minorum.

Patricius Larchranus, ejus Sacellanus, 1 *Februarii, ann.* MDCXII *Dublinii in Hibernia martyrium subierunt, uti partim Hugo Cavellus Primas Armacanus in Vita Joannis Scoti cap. 1, partim Lucas Wandingus* E *to. 2, Annal. Minor. ad an.* 1271 *nu.* 15 *testantur. Et hic quidem Episcopi costam unam Romæ in monasterio Aracœli inter alias Divorum reliquias asservari scribit to. 2, ad an.* 1250, *nu.* 57. *Eumdem* Cornelium *hoc die in Martyrol. Franciscano consignat Arturus, et* Beatum *vocat. Nihil adhuc de utroque decreverit Apostolica Sedes.*

S. Tigides Ep. Vapincensis *refertur hoc die a Saussaio in Martyrol. Gallicano : ab aliis* III *Febr.*

S. Severus Presbyter *hic ponitur ab Hermanno Greven Carthusiano Colon. in addit. ad Usuard. et Canisio. Martyrologium quoque S. Hieronymi, seu vetus Romanum, postquam de* S. Severo Episcopo *aliisque egit, subdit :* Item Severi Confessoris. *An illud aliquis adjecerit, nobis non constat. Petrus Equilinus lib. 3, cap. 66. Martyrem* Severum, *de quo* 1 *Januarii egimus, et hunc Presbyterum Confessorem in unum constat. De Confessore agemus* XX *Febr.*

S. Fintanus Confessor *refertur a Davide Camerario hoc die, nulla data, cur ita statuat, ratione, cum eumdem esse fateatur, qui in Martyrol. Romano celebratur* XVII *Febr.*

S. Severianus Episc. *inscriptus est Florario SS. et aliquot Martyrologiis, non cum S. Polycarpo. Arbi-* F *tradur eum esse, de quo Martyrol. Roman.* XXI *Febr.*

S. Victorinus,
S. Victor,
S. Nicephorus,
S. Claudius,
S. Diodorus,
S. Serapion,
S. Papias.

Martyres. *Galesin. et Canisius. Iidem sunt, de quibus mutatis paullum nominibus, agunt Græci* XXX *Januarii, nos cum Martyrologio Roman.* XXV *Febr.*

S. Perpetua,
S. Satyrus,
S. Revocatus,
S. Torvilus,
S. Secundus,
S. Felicitas

Martyres in Africa. *Meura At Martyrol. Romanum, diversis aliquantum nominibus* VII *Martii*

S. Vindemialis,
S. Eugenius,
S. Longinus

Episcopi Martyres in Africa. *Galesin. Molan. Canis. MS. Martyrol S. Hieronymi. Nos cum Martyrol Roman.* II *Maii*

Gisla, *sive* Gisela, *soror S. Henrici Imp. uxor S. Stephani, mater S. Emerici, Hungariæ Regina refertur, cum* Sanctæ *titulo, hoc die in MS. Kalendario Benedictino. Ast ab Hugone Menardo, Ferrario, aliisque* VII *Maii.*

S. Restituta,

A S. Restituta, Virgo Martyr Carali in Sardinia. *Ferrarius in gener. Catalogo SS. qui Kalendarium citat Eccl. Calaritanæ; et Franciscus Lahierus noster in Menol. Virginum. Nobis de Sanctis Sardiniæ, quos longe plurimos fuisse non diffitemur, absque certissimis testimoniis nil pronuntiare constitutum est. Certe Antonius Caracciolus de sacris Eccl. Neapolitanæ monumentis cap.* 15, *sect.* 1, *unicam in Sardinia* Restitutam *agnoscit, S. Eusebii Vercellen. Ep. matrem, de qua nos alibi. De Neapolitana* Restituta Virg. et M. xvii *Maii.*

S. Cathanus, *sive* Cadlanus, Episc. Hibernus *in Buta Scotiæ insula, mortuus traditur hoc die apud Colganum, qui alios citat nobis ignotos. Ut certiora sciamur, differemus eum, uti et Dempsterus, Ferrarius, Camerarius, in* xvii *Maii.*

S. Engelmundus, *sive* Ingelmundus, Martyr in Hollandia, *refertur hoc die in Florario. Ejus Vitam dabimus* xxi *Junii.*

S. Phocas, in Ponto, *Martyrol. S. Hieronymi. Hic esse videtur, qui Sinope in Ponto martyrium passus, de quo Græci* xxiii *Julii, et fortassis (ut saltem existimavit Baronius)* xxii *Septembris. Nos cum Martyrol. Romano eum dabimus* xiv *Julii.* D

S. Audoeni Episc. Rotomagensis Translatio *hoc die consignatur a Franc. Maurolyco, et MSS. quibusdam. Verum celebrior, quæ sub ejus successore contigit quarto post mortem ejus anno, agitur* v *Maii : de qua nos ad ejus Vitam* xxiv *Augusti.*

S. Birgitta vidua *refertur hoc die a Francisco Maurolyco et Constantio Felicio. Etsi alio die mortua, colitur nunc tamen* viii *Octob.*

S. Brigida, S. Helena, S. Sapientia, } Virgines Martyres, *S. Kiliani Ducis filiæ, S. Ursulæ cognatæ, Coloniæ coluntur hoc die in æde SS. Joannis et Cordulæ, uti Ægidius Gelenius est auctor. Nos de iis agemus* xxi *Octob.*

S. Tryphon Martyr *celebratur hoc die a Græcis in Menologio et Menæis; a Ferrario item, Galesinio, Molano, Canisio, et quibusdam Latinis MSS extatque in Surio Vita hoc die ex Metaphraste. Nos cum Martyrolog. Romano de eo agemus* x *Novemb.*

# DE SANCTIS MARTYRIBUS

B E

# CÆCILIO EPISCOPO ELIBERITANO

## ET SOCIIS IN HISPANIA.

### Commentarius historicus.

### § I. *S. Cæcilius an S. Jacobi discipulus.*

Idibus *Maii celebratur* natalis sanctorum Confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Cæcilii, Esicii, Euphrasii; qui Romæ a sanctis Apostolis Episcopi ordinati, et ad prædicandum verbum Dei, ad Hispanias, tunc adhuc gentili errore implicatas, directi sunt. Cumque diversis urbibus evangelizassent, et innumeras multitudines Christi fidei subjugassent, Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indaletius Urci, Cæcilius Eliberi, Esicius Cartesæ, Euphrasius Eliturgi, quieverunt. *Ita Usuardus; cui congruit. Martyrologium Romanum et alia pleraque. Brevius vetus Romanum a Rosweydo editum :* Torquati, Ctesiphontis, C Secundi, Indaletii, Cæcilii, Esicii, Eufrasii, qui Romæ ab Apostolis ordinati sunt. *Wandelbertus quoque in metrico Martyrologio eorum ita meminit :*

*Hispaniarum Apostoli septem.*

Pontifices septem Hesperiam simul Idibus ornant.

*Fusius de iis agunt Beda vulgatus, Ado, Notkerus, et alii, ut infra dicemus.*

*S. Jacobi Majoris (ut vulgo creditur) discipuli.*

2 *Hos rerum Hispanicarum scriptores S. Jacobi Majoris Apostoli discipulos tradunt fuisse, uti et recentiora quædam Martyrologia. Ita MS. Florarium :* Natalis sanctorum Confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Cæcilii, Esicii, Euphrasii : qui fuerunt discipuli S. Jacobi Majoris, et a sanctis Apostolis Episcopi ordinati, ad Hispanias directi sunt; ubi Christum evangelizaverunt. *Franciscus Maurolycus et Constantius Felicius ista habent :* Ipso die memoria novem discipulorum, ex quibus Torquatus Gadium, Ctesiphon Almeriæ, Secundus Abylæ, Indaletius Urcii, Cæcilius Heliberis, Hesychius Carthesiæ, Euphrasius Turris Juliæ, Episcopi fuere. Quos Jacobus Apostolus, Zebedæi filius, ex Hispania Hierosolymam secum duxerat : et qui Magistri ab Herode perempti corpus in Galiciam retulere : inde Romam profecti, a B. Petro ad prædictas urbes destinati, ut Callistus Papa scribit. Duo autem reliqui hujus Apo- stoli comites, Athanasius et Theodorus, in Hispania relicti, juxta Magistri sepulchrum apud Compostellam tumulati jacent, ut in epistola quadam S. Leonis legimus. Ab his primum in Hispaniis Christianæ fidei doctrina propagata est. *Eadem fere scribit Galesinius, nisi quod S. Cæcilium videatur prius ceteris Episcopum ordinatum asserere : ita habet.* In Hispania sanctorum Confessorum Cæcilii, Indaletii, Euphrasii, Secundi, Torquati, Hesychii, Ctesiphontis, Athanasii et Theodori. E quibus Cæcilius B. Jacobi Apostoli discipulus, ab Apostolorum Principe Petro Episcopus consecratus, Eliberitanæ Ecclesiæ præfuit. Reliqui item, ubi ex urbe Hierosolyma in Hispaniam ejusdem S. Jacobi, quem Herodes Agrippa necatat, corpus exportarunt, inde Romam profecti, Episcopique ab eodem facti, ad Hispaniam, gentium superstitionibus implicitam mittuntur. Ubi Indaletius Vergitanæ; Torquatus Accitanæ, Hesychius Carthesinæ, Secundus Abylanæ, Ctesiphon Almerianæ, Euphrasius Elitorgensis civitatis episcopatui F præfectus, e tenebris ingentem multitudinem, pro sua quisque regione, ad aspiciendam Evangelii lucem, revocavit. Ab illis item duobus Athanasio et Theodoro, qui ex Hispania nunquam discesserant, in multas illius provinciæ partes Christianæ religionis disciplina propagata est.

3 *S. Jacobum Apostolum* Hispaniam adiisse, et ibi aliquos ad fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ traditio est; *uti dicitur in Breviarii Romani Lectionibus, ejus festo die,* xxv *Julii. De discipulis ejus non eadem scriptorum sententia est : alii isthic ab eo conversos, alii eo, Evangelii propagandi caussa, ab eo ductos tradunt. Priorem sententiam tuetur Maurolycus in elogio jam relato. Et Breviarium; post ea quæ jam attulimus, subdit :* Ex quorum numero septem postea Episcopi a B. Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. *Lucius Marineus Siculus de reb. Hispaniæ lib.* 5. In Hispania D. Jacobus e Gallecia provincia novem discipulos elegit; quorum septem, duobus aliis in Gallecia,

*cumque Hierosolymam secuti,*

A lecia, prædicandi caussa, remanentibus, cum eo Hierosolymam perrexerunt : qui corpus ejus post passionem per mare in Galleciam deportarunt. Ex quibus, ut idem Calixtus et B. Hieronymus scripserunt, nonnulli cum B. Jacobi corpus in Gallecia sepelissent, et Romam se contulerunt, et ab Apostolis Petro et Paulo coronis Episcopalibus ornati, ad prædicandum Dei verbum in Hispaniam, adhuc errore gentilitatis implicatam, missi fuere : qui sua prædicatione innumerabilem Hispanorum multitudinem ad Christi cultum converterunt. *Joannes Vasæus in Chronico rer. Hispanicar.* D. Jacobus Apostolus, filius Zebedæi, in Hispania prædicavit Evangelium Christi, et in tota provincia novem dumtaxat ad fidem nostram convertisse dicitur. Quamvis B. Calixtus, in epistola Translationis ipsius, dicat illum plures habuisse discipulos, sed duodecim speciales, quorum novem, dum adhuc viveret, in Gallecia elegisse, *et paucis interjectis* : Apostolus vero, duobus discipulis in Hispania, prædicationis caussa, relictis, cum reliquis in Judæam rediit. *Ac paullo inferius, commemorata Apostoli cæde, et corporis illius per eosdem discipulos curata in Galleciam translatione, eos ait* inde Romam profectos, atque ab Apostolis Petro et Paulo infulis Episcopalibus B ornatos, ad prædicandum verbum Dei in Hispanias iterum missos, et ibidem pro Christi fide, quam prædicabant, martyrio affectos. *Enumerat deinde nomina eorum, et urbes in quibus vel sedem Episcopalem collocarunt, vel suorum laborum metam adepti sunt. De S. Jacobi prædicatione, et corpore in Gallæciam deportato, ac sub noni seculi initium, Alphonsi Casti temporibus, reperto, agemus ad XXV Julii; ubi et ejus miracula a Callisto II Papa descripta dabimus, et Leonis III Epistolam, quæ passim citatur, expendemus.*

*unde corpus ejus in Gallæciam advexerunt.*

4 *Triplicem habemus Translationis S. Jacobi historiam : nulla discipulos, a quibus in Hispaniam devectum est ejus corpus, Hispanos asserit fuisse, aut etiam inficiatur. Prima, cujus hoc initium est,* Nemo putet quod sit iste Jacobus, qui cognominatur Alphæi *etc. Repugnat omnibus Martyrologiis, et Hispaniensibus historiis, cum ait* : In eodem etiam loco (*in quo conditum fuerat Apostoli corpus*) tres discipulorum ejus, quorum nomina sunt hæc, Torquatus, Thesifons, Anastasius, sortem requiescendi cum dilecto Magistro habere meruerunt. Alii vero Hierosolymam reversi, hæc, quæ descripsimus, et plura alia, quæ brevitati studentes omisimus, in sancta Synodo veridicis relationibus enarraverunt. *In altera Narratione, quæ his verbis inchoatur,* C Post Passionem Salvatoris Nostri, ejusdem resurrectionis gloriosissimum tropæum, mirabilemque Ascensionem *etc. nulla discipulorum Apostoli nomina exprimuntur; illud solum sub finem habetur :* Tres autem Magistri pedisequi, pro illius reverentia, dum summo cum affectu ad præfatum sepulchrum pervigiles et indesinenter vigilarent, definito dubiæ termino vitæ naturæ debitum persolventes, felici excessu spiritum exhalarunt, cœloque animas gaudendo intulerunt.

*Eorum quosdam rursus postea redisse Hierosolymam,*

*aliquos apud corpus mansisse, nonnulli ...*

5 *Tertia extat in Bibliotheca Floriacensi Joannis Bosci, a veteri quopiam Floriacensi cœnobita ante annos sexcentos, ut censet, conscripta, hoc exordio :* Spiritum sanctum Paracletum per os David Prophetæ dudum prælocutum fuisse novimus. *In hoc non Jacobi fuisse discipuli dicuntur, neque ab eo, aut Romæ a S. Petro, ordinati Episcopi, sed Hierosolymis ab Apostolis; ita enim dicitur :* Cum totus mundus jugo dæmoniacæ servitutis teneretur depressus, tenebrisque ignorantiæ suæ esset obcæcatus, Sanctissimi Apostoli, juxta Domini salvatoris edictum, eum a perfidiæ suæ squallore eruere cupientes, universis mundi partibus, in fide Christi fortissimos et lege sancta doctissimos, evangelizare Divini Verbi gratiam, direxerunt viros. Unde factum est, ut prudentissimum omnique militia spiritali instructum eligerent virum, Ctesiphontem sanctissimum, D quem ordinaverunt Episcopum; adjunctis sibi Coepiscopis sociis in hoc opere satis strenuissimis. Hi Missi Domini, ad Hispanias delegantur : quo barbaræ gentis saxea corda, unguine sancti Spiritus delibuta, mollescerent, gratiam Christi susceptura. Qui verissimi et rectissimi Christi famuli injunctam sibi prædicationis gratiam ocyus implere cupientes, navali evectione illuc properare satagunt. Aptata itaque navicula, et quæ sibi videbantur, necessariis impositis, subito Divinæ dispensationis munere sibi collato, consilium ineunt, ut corpus sanctissimi Jacobi secum deveherent : quatenus, dum ipsi prædicationis officio sollicitius intenderent, sancto resplendente miraculis Apostolo, efferæ nationis hominum mentes, ad baptismatis fidem suscipiendam paullatim mansuescerent. Quod et factum est, ut patefaciunt sequentia. Etenim B. Ctesiphon cum sociis, ad sepulchrum properans gloriosi Apostoli, cum ingenti devotionis honore et tremore, inæstimabilis pretii pretiosissimam margaritam, a loco terræ humili sustollentes, cum magno et spirituali gaudio, in hymnis piæ jubilationis conlaudantes Dominum, decenter in navi composuerunt sua.

*ab Hierosolymis ordinatos Episcopos,*

AUCTORE I. B.

*missosque in Hispaniam,*

*corpus Apostoli secum accepisse, in subsidium prædicationis.*

6 *Verum nobis probabilius videtur, SS. Ctesiphontem, Torquatum, Cæcilium et socios, neque in Judæa ab aliis Apostolis, neque in Hispania a Jacobo Episcopos esse consecratos : sed vel ab hoc ibi conversos, ut habet Breviarium Romanum, et citati ante Auctores; ac forte quosdam eorum, ut Romanis nuncupatos nominibus, ita et Romana stirpe oriundos fuisse; vel certe e Romano Clero delectos, ordinatosque ab Apostolis Petro et Paulo Episcopos, et in Hispaniam missos.* E

## § II. *An Episcopi in Hispania ordinati a S. Jacobo?*

*Juxta Chronicon, quod Dextri dicitur,*

N*eque magnopere commovere quemquam debet Hispaniense Chronicon, quod ab homine diligenti, sed tenuis doctrinæ ac judicii, superioribus seculis collectum, temere nuper viro doctissimo Dextro adscriptum. In eo Chronico multa de S. Jacobo narrantur, quæ alibi (si tanti id videbitur) expendemus : huc transscribemus paucula, quæ ad ejus discipulos, ac nominatim, quo de hic agimus, ad Cæcilium pertinent. Ita ergo scribit ad annum Christi* XXXVI, *cum Dextri ætate neque gens ulla, (nedum Hispania, quæ adhuc multis post seculis Æras suas usurpavit) neque Ecclesia, annorum epocham per spatium ductum ab ortu Christi signaret, sed per Consules. At fuerit Dexter, auctor primus illius moris, quem nunc tenemus; ita certe habet illud Chronicon :* Anno Christi F XXXVI. Hispania prima provinciarum mundi post Galilæam, Judæam, et Samariam, in partibus Occidentalibus Christi fidem amplexa est : ejusque gentilitas ad fidem conversa fuit, veræ primitiæ ceterorum Gentilium. Nam et Jacobus sanctus Apostolus, Zebedæi filius, peragratis urbibus Hispaniæ, multisque erectis Ecclesiis, et Episcopis creatis ex advenis, Petrum Bracaræ primum reliquit Episcopum; ac templum vel oratorium Beatæ Virgini, ex ejus jussu, præsentiaque super columnam, Cæsaraugustæ erexit. Multa quoque miracula patrat, virtute vero sermonis feroces Hispanorum animos ad suave Christi jugum adducit. Multi ibidem Judæi convertuntur ex XII Tribubus transmigrationis ex Babylonia, quibus et ibi tunc prædicavit.

*S. Jacobus Episcopos in Hispania ordinat*

8 Anno XXXVII. Multos etiam discipulos, præcipuos autem numero duodecim, more Apostolico, in Hispaniam secum portat, scilicet Episcopos, Basilium, Pium, Athanasium; Maximum, Chrysogonum Presbyteros; Theodorum, Cæcilium, Thesiphontem, Iscium, Calocerum Lectores; Torquatum Exorcistam; et Secundum, Indalecium, Euphrasium Ostiarios. Ex his

*Auctore J. B.*

*magno numero*

A his Basilius successit Petro Bracarensi : Athanasius fuit primus Episcopus Cæsaraugustanus; Pius Hispalensis. Alios etiam S. Jacobus creavit Episcopos: alterum Basilium, qui primus fuit Carthaginis Spartariæ Præsul : Eugenius Valentiæ, Agathodorus Tarraconensis, Elpidius Toletanus, Etherius Barcinonensis, Capito Lucensis, Ephrem Asturicensis, Nestor Palentinus, Arcadius Juliobrigensis. Omnes hi ex profugis sunt, et in his omnibus urbibus, et in aliis Hispaniæ, mira celeritate, S. Jacobus prædicavit. Postea Calocerus profectus in Italiam, adhæsit Apollinari Ravennatum Episcopo, et ab illo factus Presbyter successit Marciano, et factus est Episcopus centenario major, vigens tamen. Septem alii a B. Petro creati Episcopi ad Hispanias remittuntur.....

*visit Gallias et Britannias*

9 Anno Christi XLI. Impleta honorifice legatione sua, ac rebus Hispaniæ sanctissime compositis, relictaque Ecclesia Theodori curæ, quæ de Columna dicitur, quam Beata Virgo sua præsentia sospitaverat, beaverat, et consecraverat, ubi et præclaram imaginem suam reliquit, (quæ cœlestis ædes eo tempore fidelium devotione frequentatur) Jacobus cum lacrymis Hispanorum Hierosolymam revertitur. Rediens Jacobus Gallias invisit, ac Britannias, ac Venetiarum B oppida, ubi prædicat; ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus Beatam Virginem et Petrum..... Anno Christi XLII..... S. Jacobus prædicans acerrime Judæis (prius interfuit hoc anno consecrationi ædis sacræ Nazareth, in qua Virgo Deum concepit, præsentibus nonnullis Apostolorum) succiso capite, ab Herode, recens Hierosolymam reversus, nobile martyrium XXV die Martii gloriose pertulit. Discipuli S. Jacobi, Dei monitu, Virginisque consilio, corpus Magistri Joppe in navem deponentes, Iriam Flaviam Gallæciæ civitatem felici navigatione pervenerunt. Altare super sacrum corpus erigunt, et more sacro Basilius, Athanasius, Chrysogonus, Agathodorus, Elpidius (qui nuntio accepto de corpore sui Parentis in Hispanias allato, mox Iriam accurrunt) sacrant et Apostolo dicant. Anno Christi XLIII. Sepulto corpore sacratissimi Magistri, Torquatus, Thesiphons, Cæcilius, Iscius, Secundus, Indalecius, Euphrasius Romam petunt : et a B. Petro consecrati Pontifices, ad meridianas Hispaniæ partes, scilicet ad Bæticam littoralem revertuntur..... Anno XLV. Cæcilius Iliberi et circumquaque prædicat, et mirabilem se præbet, doctrinaque populos sibi commissos in timore Dei ac fide promovet.

*Hierosolymis occiditur*

*corpus in Hispaniam vehitur*

*septem ejus discipuli, Episcopi a S. Petro facti*

C 10 *Hæc, quisquis ille fuit, qui rhapsodium illum Dextrinum, minime dexter, consarcinavit. De S. Jacobi in Hispaniam adventu nolumus modo disputare; nec populorum illorum convellere traditionem, quæ majus longe habet apud nos momentum, quam illius scriptoris assertio. Demus antiquam illam Judæorum, quam astruit, in Hispaniam transvectionem, Nabuchodonosoris auspicus factam, quam ne Hispanis quidem omnibus prolixa sua disputatione Franciscus Bivarius Dextri Commentator persuaserit. Sed quis credat tot a S. Jacobo ordinatos in Hispania Episcopos, tam exiguo quo illic fuit tempore? Quis, quod Julianus Petri in Chronico suo nu. 5, scribit, metropoles eum distinxisse? Possunt quidem gloriari Bracharenses Petrum sibi, primum Antistitem, ab Apostolo datum : nempe fidei Doctorem; quem postea Petrus Apostolorum Princeps, aliusve ejus auctoritate, per annos complures probata virtute, et fidei disseminandæ indefesso studio, Episcopum creavit. Quid, quod viri nonnulli eruditi, et quidem Lusitani, nulla facta Jacobi mentione, absolute Petri Apostoli discipulum Petrum illum prædicant? Ita sive Didacus de Rosario auctor, sive Stephanus Sampayus interpres Vitæ S. Gonsalvi Amaranthi 10 Janu. cap. 1, nu. 3.* Brachara Augusta, totius Hispaniæ Primas hodie cernitur, quæ S. Petrum, Apostoli Petri discipulum, primum meruit habere Pastorem et Martyrem. *Sed plenius de hoc* D *Bracharensi Petro agemus XXVI Aprilis, ubi et fabellam refutabimus, quam recitat Bivarius, quod fuerit S. Uriæ Prophetæ ac Martyris, de quo Jeremiæ, 26, agitur, filius, cumque aliis Judæis in Hispaniam deportatus, atque ibi mortuus, sed demum sexcentis fere post annis a S. Jacobo revocatus ad vitam, et Episcopus factus.*

*sed de Episcopis a Jacobo creatis non constat*

*nam S. Petrus Bracharensis S. Petri Apost. discipulus*

11 *Inquiremus alibi quoque, num Hispaniarum Episcopi fuerint* Basilius, Eugenius, Elpidius, Agathodorus, Ephremius, Capito, Ætherius, *quos Martyrologium Romanum refert IV Martii apud Chersonesum martyrio coronatos, in Hispania Dexter. At Menæa Græcorum VII Martii, memorant ob Hermone Hierosolymorum Episcopo missos, Diocletiani Imp. temporibus, in Tauroscythiam* Ephræmium, Basileum *Chersonam: hoc vero ab impiis interfecto, submissos* Eugenium, Agathodorum, Elpidium; *iis quoque palmam martyrii assecutis,* Ætherium *missum, qui Constantini edicto coerceri religionis adversarios curavit, a quibus ipse quoque in itinere interfectus est; datusque Chersonensibus Episcopus* Capito, *qui XI Kal. Januarii vitam finivit. Hæc pluribus Menæa : quæ* Nestorem et Arcadium Trimythuntinorum *aiunt Episcopos fuisse, atque in pace quievisse.* Trimethus, (τριμυθοῦς, *ut est apud Ptolemæum lib. 5, cap. 14 ast in Notitia Ecclesiastica, quam Carolus a* E *S. Paulo ex codicibus Vaticanis edidit,* τριμυθοῦντων, *nimirum* πόλις, Trimethuntiorum urbs, *sicut et Menæa habent;* Ἐπίσκοποι τριμυθοῦντων *In altera vero Notitia, quam idem e Bibliotheca Regis Christianissimi accepit, appellatur* τριμιθοῦς, Trimithus) *urbs est Cypri. Ut non facile sit conjicere, cur ad Hispanias pertinere eos existimaverit, qui Dextri Chronicon procudit. Quid quod in tabulis Episcoporum Hispaniæ, quas confecit Franciscus Padilla, neque inter Asturicenses est* Ephrem, *neque* Basilius *inter Carthaginenses, neque inter Lucenses* Capito, *neque inter Barcinonenses* Ætherius, *ignotus idem quoque Hieronymo Paulo Barcinonensi, uti et Francisco Pisano* Elpidius *Toletanus? Et diserte asserit Breviarium Toletanum, S. Eugenium primum fuisse illius Sedis Episcopum.*

*alii in Taurica Chersoneso diu post vixere.*

*quidam in Cypro.*

12 *Quam illa deinde ridicula et violenta verborum istius Chronici interpretatio apud Bivarium?* Multos dicipulos in Hispaniam secum portat, *inquit Chronicon.* Quorum verborum non est sensus, *ait ille,* eos omnes in Hispaniam deduxisse, quos nimirum ante accessum ad ipsam convertisset, hoc enim verum non est; sed eos in Hispaniam, hoc est intra Hispaniam, ab una ejus provincia ad aliam transeuntem deduxisse. F *Idem Chronicon cum* duodecim præcipuos *Jacobi* discipulos *enumerat, omnino quatuordecim conficit, ut videre hic est nu. 8. Quale deinde Jacobi iter, ut dum in Judæam parat reverti, Christi parentem omnium mysteriorum nostræ religionis apprime gnaram, et Petrum collegii Apostolici Præsidem, consulturus, in Gallias Britanniasque excurrerit? Missam facio incuriam sive commentatoris, sive typographi, dum Venetos Armoricos in Orientali Gallia locat, qui fere omnium maxime occidui sunt.*

*Alia in Chronico, et commentatore, non probata.*

13 *Omnium vel solidissime pronuntiavit, vel prudentissime dubitavit, de S. Jacobi prædicatione et discipulis, Joannes Mariana noster lib. 4 de reb. Hisp. cap. 2 ita scribens :* Jacobus Zebedæi filius, cognomento Major, Judæa atque Samaria obitis, in Hispaniam venit, auctore Isidoro. Novaque in ea provincia Evangelii luce propagata, Cæsaraugustæ Virginis Matris nomine, ejus monitu, templum constructum est, ut persuasio hominum ab antiquo per manus ducta confirmat : nobis receptas opiniones movere non erat animus. Sed ex Hispania tamen Hierosolymam cum revertisset, quam ob caussam incertum, in ea urbe ab Herode Agrippa, regnum judæorum recens a Claudio acceptum grato animo cupiente auspicari, interfectus est anno salutis quadragesimo secundo, VIII Kalendas Aprilis, quando per eos dies Judæi

*Marianæ judicium de S. Jacobi prædicatione*

*martyrio.*

A Judæi azyma celebrarunt : tempus a Luca Jacobi cædi designatum. Corpus a discipulis sublatum, navique impositum, ad Iriam Flaviam in extrema Calæcia (ei oppido hodie Padrono nomen est) constitit, ad octavum Kalend. Augusti. Unde, quo anno incertum, sed trigesimo tamen Decembris die, Compostellam migravit. Secundi et tertii diei memoria anniversaria celebritate, tota præsertim Hispania, colitur. Nam mense Martio, quo tempore occisus est, jejunii Christiani squallore situque occupatis omnibus, luctum lætitia mutare non est Patribus visum. Annum circiter octingentesimum, Rege Alfonso, qui dictus est Castus, sacrum corpus diu oblivione obrutum, cœlesti indicio est inventum, cultumque templo dicato, uti eo loco explicatur. Aucta religio est, cum paullo post Ramiro Regi ad Clavigium de innumera barbarorum multitudine victoriam concessit, et Christianos gravissimo tributo liberavit, ex quo centum lectissimas virgines quotannis Mauris tradere soliti erant. Unde cœptum est sub conflictum in bellis nomen ejus patrociniumque implorari: et voti rea Hispania facta est ex singulis jugeris pendendi modium frumenti quotannis D. Jacobi templo Compostellano. Morem hunc sæpe alternantem Romani Pontifices sæpe etiam restituerunt datis diplomatis. B

*translatione, inventione, miraculis, cultu.*

14 Paucos se discipulos D. Jacobo adjunxisse, quo tempore fuit in Hispania, fama est, qui plurimos, novem numerant, Petrum Eboræ in Lusitania Episcopum, pro quo nonnulli Thesiphontem substituunt Præsulem Bergitanum, quæ urbs non procul Almeria sita erat; Cæcilium Eliberritanum, Eufrasium Illiturgitanum, Secundum Abulensem, Indaletium Urcitanum, (Verga oppidum esse creditur in Vasconum confinibus) Torquatum Accitanum, id est, Guadixensem, Hesychium Carthesanum non procul Asturica: Athanasium demum et Theodorum, sacri sepulchri (sic fama fert) custodes, quorum ibi sepulchra dextra lævaque monstrantur. Sunt qui hos omnes Roma a Petro et Paulo Apostolis amandatos in Hispaniam putant, gratia Evangelii promulgandi. Prorsus qui historiam ante quingentos ferme annos scripsit Pelagius Ovetensis Episcopus, Jacobi discipulos facit Calocerum, Basilium, Pium Grisogonum, Theodorum, Athanasium, et Maximum. Nos, quoniam rerum antiquitas certam scriptioni derogat fidem, liberum lectori judicium de tota hac re relinquamus. *Hæc ille (ut de eo, alia occasione prædicat Baronius tom. 8 ad an. 688, num. 3)* veritatis amator, et pietatis optimus cultor, qui erudito stylo postremam manum C apposuit rerum Hispanicarum historiæ. *Verum singula, quæ hic ab eo dicuntur, neque calculo nostro comprobare necesse est, neque aliorum argumentis infirmare. Liceat de quibus homo Hispanus dubitavit, ea non undequaque exploratissima censere.*

*discipulis, quos alii a SS. Petro et Paulo Roma in Hispaniam missos volunt, qui nihil pronuntiat.*

## § III. *S. Cæcilius et socii Episcopi a SS. Petro et Paulo in Hispaniam missi.*

*Martinus Carillius lib. 2. Annal. ad* XLVI *Christi annum, scribit, falli eos, qui SS. Cæcilium, Ctesiphontem ac socios arbitrentur a sanctis Apostolis Petro et Paulo in Hispaniam missos : cum neque tunc Romæ esset Paulus, neque illuc ante* LVIII *Christi annum venerit; et vero ad Petrum, supremum Ecclesiæ caput, proprie spectaret, Apostolos et præcones doctrinæ cælestis in provincias ablegare : ob hoc igitur in Hispaniam missos septem illos, veluti rerum Hispanicarum magis peritos. Ita tradere Maurum Castellam Ferrerium et Joannem Vasæum. Asserit id Castella lib. 2 historiæ S. Jacobi cap.* 11. *Sed mirum non est eum, ac recentiores alios, ita sentire, qui Chronica Dextri certam constare fidem velint; in quo, anno Christi* XLIII *sepulto in* D *Gallæcia S. Jacobi Apostoli corpore, Romam petiisse* VII *viri illi narrantur, et* a B. Petro consecrati Pontifices, ad meridianas Hispaniæ partes revertisse. *Magis vero indubitabile id censent, postquam ex laminis, in nescio qua specu circa Granatam repertis, didicerunt, secundo Neronis anno eo ipso quo Romam captivus adductus est Paulus, martyrium subiisse Cæcilium ac socios. At nos de martyrio infra quæremus.*

*S. Cæcilius et alii Episcopi non a S. Petro solo ordinati, auctore J. B.*

16 *Joannes Vasæus (quem Carillius citat veluti suæ suffragantem sententiæ, de Episcopis in Hispaniam missis, quos diximus, antequam Romam advenisset Paulus) diserte* ab Apostolis Petro et Paulo insulis Episcopalibus ornatos, ad prædicandum verbo Dei in Hispanias iterum missos *scribit; uti supra retulimus* § 1, *num.* 3, *ubi et L. Marinei Siculi verba recitavimus idem omnino affirmantis. Franciscus Tarapha de Regib. Hispan. idem refert, sed Paulum citius facit in Hispaniam venisse, ante Neronis imperium, quod antiquis omnibus, nescio an non aperte Actis Apostolorum a Luca descriptis, adversatur. In Claudio ita scribit :* Jacobus Major Apostolus Domini his temporibus universam prædicando peragravit Hispaniam, in qua novem tantum conquisivit discipulos.... Paulus Apostolus Domini, vas electionis, per hoc tempus multis urbibus peragratis, in Hispaniam prædicandi gratia navigasse, veniensque Narbonem multos convertisse, E putatur. *Tum de Cæcilio et sociis in Nerone ista habet:* Torquatus quidam, Cæcilius, et Euphrasius, sanctissimi Christi Confessores, et ipsi uno die hoc tempore apud Hispanias, mandante Nerone, martyrio coronantur. Hi autem omnes ab Apostolis Petro et Paulo Episcopi apud Romam ordinati, confestim ad prædicandum verbum Dei Hispanis infidelibus fuerant directi. *Ita ille. Neque videm sunt nerne, quos Jacobus antea converterat, exponit. Fatetur Mariana § superiore citatus, esse nonnullos,* qui hos omnes Roma a Petro et Paulo Apostolis amandatos in Hispaniam putent, gratia Evangelii promulgandi.

*sed et a S. Paulo,*

17 *Sane hanc receptam olim, minimeque ambiguam, fuisse Hispanorum et Ecclesiæ Romanæ opinionem, liquida patet ex B. Gregorii VII Papæ Epistola* 64, *ad Alphonsum VI Castellæ et Sanctium IV Aragoniæ Reges, quam visum est hic integram dare. Ita ergo habet :* Gregorius Episcopus servus servorum Dei, Alphonso et Sanctio Regibus Hispaniæ paribus, et Episcopus in ditione sua constitutis, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum beatus Apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet; ac postea septem Episcopos ab urbe Roma ad instruendos Hispaniæ populos a Petro et Paulo Apostolis directos fuisse, qui F destructa idololatria, Christianitatem fundaverunt, religionem plantaverunt, ordinem et officium in Divinis cultibus agendis ostenderunt, et sanguine suo Ecclesias dedicavere, vestra diligentia non ignoret; quantam concordiam cum Romana urbe Hispania in religione et ordine Divini officii habuisset, satis paret. Sed postquam vesania Priscillianistarum diu pollutum, et perfidia Arianorum depravatum, et a Romano ritu separatum, irruentibus prius Gothis, ac demum invadentibus Saracenis, regnum Hispaniæ fuit; non solum religio est diminuta, verum etiam mundanæ sunt opes labefactatæ. Quapropter ut filios carissimos vos adhortor et moneo, ut vos, sicut bonæ soboles, etsi post diuturnas scissuras, demum tamen, ut Matrem revera vestram, Romanam Ecclesiam recognoscatis; in qua et nos fratres reperiatis; Romanæ Ecclesiæ ordinem et officium recipiatis, non Toletanæ, vel cujuslibet aliæ, sed istius, quæ a Petro et Paulo supra firmam petram per Christum fundata est, et sanguine consecrata. cui portæ Inferi, id est, linguæ hæreticorum, numquam prævalere potuerunt; sicut cetera regna Occidentis et Septemtrionis, teneatis. Unde enim non dubitatis

*ex Hispania reversio, Ecclesias ibi fundarunt, ordinemque Divini officii.*

, sua facere p…
runt... *Subjungit*
*…ldo Ostiensi Epi-*
*…onem simoniacum*
…æ XIV Kal. Apri-
… MLXXIV. *Gregorii*
*Maii, Indict.* XI
*…ffectus fuerit.*
*… sapientissimique*
*…tolum Hispanias*
*; quod ipse factu-*
*…manos cap.* 15 *ita*
…sci cupero, spero
…bis deducar illuc,
…fuero. *Et assere-*
…ar in Hispaniam.
*…nam scribens spe-*
*, et solide probat*
*… Pauli lib.* 13,
*…tiunt, argumenta*
*…sii Papæ ducitur*
*…ecreto* 22, *qu.* 2,
…aulus Apostolus
…ndus est, aut sibi
… ad Hispanos se
…ivina, majoribus
…otuit, quod pro-
…tis interfuit, hoc
…t efficere. Quan-
…i (quæ, ut homo,
…lens, agnoscere)
…reventus. *Ubi id*
*…minum non ivisset*
…nia per eum non
…iserat, *ut ibidem*
*…m excusat S. Tho-*
*ad Romanos, in*
*…dmisisse, S. Pau-*
*…ductus esset, post*
*…mes minus habent*
*…s, et Sigismundus*
*…auli Italice edita,*
*…ia, quibus diserte*
*profectio.*
*…s, aliqua fortassis*
*, hac imbutus re-*
*… et reversus; tum*
*…nt ad eas Episcopi*
*… ab illo ex Hispa*
*…m certo affirmatur.*
*… Dextri supra retu-*
*…mum Cæcilium ac*
*…ro Apostolo remis-*
*…em Romam Petrus*
*… de illustr. Eccles.*
*…adu anno, Christi*
*…rgo Coss. aut certe*
*…aru secundus illius*
*…, secundoque L. Vi-*
*… Christi ad fastos*
*… a ceteris; ac proinde*
*… anno Christi* MMV
*… et Largo. Sed non-*

*tatibus Apostolorum :* Natalis S. Pauli, quem beati Apostoli ordinatum urbi Narbonæ Episcopum miserunt. Quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudenteio : a quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum fidei Christi subegerat; quique ab eodem sancto Apostolo, cum ad Hispanias prædicandi gratia pergeret, apud præfatam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis coronatus sepelitur. *Et de* S. Trophimo *Episcopo Arelatensi (quem* ab Apostolis Romæ ordinatum Episcopum *scribit Ado in eodem libello; in Martyrol. vero vocat* discipulum Apostolorum Petri et Pauli) *ista habet Usuardus ad* XXIX *Decembris :* Apud Arelatem natalis S. Trophimi, cujus meminit Paulus scribens ad Timotheum : qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, præfatæ urbi primus ob Christi Evangelium prædicandum directus est. Ex cujus fonte, ut Papa Zosimus scribit, tota Gallia fidei rivulos accepit. *Quamquam inde non sequitur, ipsummet Arelati fuisse Paulum. Verum id, ex vetustiori traditione aut scriptis forte monumentis testatur Ado in Chronico ad annum Christi* LIX *qui fuit Neronis* V, *ita scribens :* Quo tempore creditur Paulus ad Hispanias pervenisse, et Arelate Trophimum, Viennæ Crescentem, discipulos suos ad prædicandum reliquisse. *De S. Crescente agemus* XXVII *Junii et* XXIX *Decemb.*

21 *Libet hic ex S. Innocentii I Papæ Epistola* 1, *ad Decentium Eugubinum Episcopum, a B. Gregorio VII superius citata, nonnulla, quæ huc pertinent, adscribere. Data est ea Epistola* XIV Kal. Aprilis, Theodosio Aug. septies et Paladio viris clarissimis Coss. *sive anno Christi* CCCCXVI. *In ea ita scribit inter cetera :* Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores, constituerint Sacerdotes? Aut legant, si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est : ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

*Omnes Occidentis et Africæ Ecclesiæ a Petri Sede fundatæ.*

22 *Ex horum Pontificum verbis existimamus manifeste concludi,* 1. *Non esse a S. Jacobo in Hispania consecratos Episcopos, certisque assignatos sedibus; sed a Sede Romana omnem isthic* Christianitatem fundatam, religionem plantatam, ordinem et officium in divinis cultibus agendis ostensum; Ecclesias denique institutas, constitutos Sacerdotes. 2. *Hallucinari eos, qui S. Cæcilium, aliosque primos Hispaniarum Episcopos, tradunt secundo Neronis anno martyrium subiisse, cum non nisi quinto ejus anno missi in Hispaniam sint.* 3. *Paulum vere, quod statuerat, in Hispaniam esse profectum. Neque illud Innocentius verbis citatis inficiatur; alioquin imperite eum B. Gregorius VII citaret, asserens*

*Paulus*

Ecclesiæ fuit, sed tantum Romanæ sub Petro extremis annis insertus est. 4 *Concluditur, septem illos Episcopos non a Paulo solo missos; sed præcipue a Petro, ex Pauli fortassis consilio a quo simul ac Petro ordinati sint.* 5 *Hinc constat Paulum ex Hispania Romam esse reversum. Unde alias Romani orbis regiones lustratum abiit, donec ultimis Neronis temporibus iterum Romam ad martyrii triumphum rediit.*

## § IV. *S. Cæcilius et socii quando in Hispaniam missi? Accitani conversi.*

*S. Cæcilius et socii post an. Chr. 58 in Hispaniam missi Episcopi.*

P*ræter eos auctores, easque rationes, quas jam attulimus, Rodericus Mendez Silva, disertus scriptor ac curiosus, in libro quem de populis et urbibus Hispaniæ anno* MDCXLV *scripsit, cap.* 5 *Descriptionis regni Granatæ, cum de Accitana urbe sive* Guadix *agit, S. Torquatum primum illius urbis Episcopum, unum e S. Jacobi discipulis eo Roma a SS. Petro et Paulo missum scribit, anno* LVI *aut* LXVI. *Arbitramur indicare voluisse post annum* LVI, *quo Romam ingressus Paulus ante tamen* LXVI *eo advenisse, nimirum post* LVII, *quo e custodia dimissus est Paulus. Quas quidem res ante* DC *annos non ignorabat Hispanorum diligentia, uti confidenter affirmat gravissimus Pontifex Gregorius VII : erantque eædem manifestæ, Innocentio teste, ante annos* MCL *et quod excurrit. Nunc de eorum in Hispaniam appulsu, et rebus ibidem gestis quærendum. Utinam vel mandata litteris Acta illorum essent, vel conservata. Paucula habemus ob certis auctoribus, nec nisi post* DCCC *annos, tradita.*

24 *Ado Viennensis in Martyrologio ad* XV *Maii ista habet :* Natale sanctorum Confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Cæcilii, Esicii, Euphrasii. Qui Romæ a sanctis Apostolis Episcopi ordinati et ad prædicandum verbum Dei ad Hispanias, tunc adhuc gentili errore implicatas, directi sunt. Cumque ad civitatem Accitanam venissent, et propter laborem itineris modicum quiescentes, caussa victus emendi discipulos in urbem misissent; mox paganorum multitudo, qui tunc forte diis suis festa celebrabant, eos usque ad fluvium persecuta est : in quo pons miræ magnitudinis et firmitatis extructus, transeuntibus Sanctis, Dei nutu, cum omni in sequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum ceteri territi, et cujusdam magnæ senatricis Lupariæ (quæ divinitus inspirata, eos benigne suscipiens, credidit) exemplum secuti, relictis idolis, Christo Domino crediderunt. Post hæc diversis urbibus evangelizantes, et innumeras multitudines Christi fidei subjugantes, Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indalecius Urci, Cæcilius Eliberri, Esitius Cartesæ, Euphrasius Eliturgi, quieverunt. Extat usque hodie illustre miraculum ad commendationem pretiosæ mortis eorum. Nam eadem solemnitate, apud præfatam Accitanam urbem, ad sepulchrum S. Torquati arbor olivæ divinitus florens, maturis fructibus onustatur.

*ab Accitanorum furore*

*miraculose cœpti, Luparia illustrem fœminam,*

*aliosque plurimos convertunt.*

*anniversarium isthic miraculum*

25 *Eadem habet B. Notkerus, MS. Martyrol. imperialis monasterii S. Maximini, vetustissimum Martyrologium Ecclesiæ Lugdunensis a Joanne Boscio parte* 2, *Bibliothecæ Floriacensis citatum, et, omisso subito flores fructusque proferentis olivæ miraculo, Beda vulgatas,*

… *Accedit etiam affirmari posse, cum longius a mari absit* Guadix, *inter mediterraneas Bastitanorum urbes relata a Ptolemæo lib.* 2, *cap.* 6 Ἄκκι, *quæ Plinio lib.* 3, *cap.* 3 Colonia Accitana *appellatur, statuiturque inter populos* LXII *Conventui Carthaginensi subjectos. Sita est inter asperas ac prope invias rupes ad flumen, quod* Fardes *dicitur, in amœnissima et fertilissima valle, patetque ejus ad leucas octo territorium, pagis* XX *distinctum, ut habet Rodericus Mendez ante citatus, qui nomen* Guadix, *quod* Flumen vitæ *significat, a Mahomado Guadix Rege Granatensi ei impositum conjicit, a quo sub annum Christi* MCCCLXXX *ampliatam ornatamque eam urbem scribit. Vetus isthic Episcopalis Sedes fuit a S. Torquato constituta, cujus Episcopus* Felix *Eliberitano concilio, Æra* CCCLXII *(ut habet Garsias Loaisa) subscripsit,* Lilliolus *Toletano III* Æra DCXXVII *sive anno Christi* DLXXXIX.

*ubi sita urbs Acci, nunc Guadix.*

*ab antiquo Episcopalis.*

26 *Porro quod Accitani, cum in eorum pomœrium venerunt sancti illi Antistites, dicuntur diis suis festa celebrasse, lucem id accipere fortassis aliquam potest e Macrobio lib.* 1, *Saturnal. cap.* 19, *ubi ita habet :* Accitani etiam, Hispana gens, simulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes. *Ita habet editio Parisiensis an.* 1585, *Lugdunobatavica an.* 1597 *et* 1628 *ex recensione Joannis Isaci Pontani. Ortelius in Thesauro geographico, verbo* Accitani *(ubi dubitat an iidem* Accitani *sint)* Necyn *ab iis vocari Martem scribit. Utra præferenda lectio sit, quærere haud lubet. Utraque vox a Græca origine deflexa videri potest : hæc a* νέκυς, mortuus, cadaver; *et unde plura quam a Marte funera et cadavera? altera a* νητός; postremus, *aut* νητός *congestus, accumulatus.*

*olim Martis cultui, Neto vel Necyos dicti, dedita*

27 *In historia Translationis S. Jacobi mentio fit alterius* Lupariæ *potentis fœminæ in Gallæcia, de qua nos suo loco. Franciscus Padilla histor. Eccles. Hisp. centuria* 1 *cap.* 17. *quod utrobique fracto ponte, vel testudine fonti superstructa submersi narrantur qui Sanctos persequebantur; quodque utrobique primas ducit Luparia, suspicatur historiam utramque ab Auctoribus confusam, et quod in primo Sanctorum adventu evenerat, dici accidisse in secundo, vel quod in secundo contigit, transferri ad primum. Si tamen revera statim a sancti Apostoli nece translatum in Hispaniam est illius corpus, et non fortassis eo tempore quo Hierosolymorum imminebat excidium. Chronicon Dextri, cuicuimodi fidem mereatur, duas Luparias agnoscit; ait enim anno Christi* LX, Vivebat S. Luparia Bætica, filia Gallæciensis alterius Lupariæ. *Franciscus Bivarius Comment. in Dextri Chronicon, ad annum Christi* XLIII *citat MS. codicem monasterii Montis Sion extramuros Toletanos, in quo historia adventus sanctorum Antistitum, rupti pontis, Lupariæ populique Accitani conversi, paullo fusius quam in Adonis Martyrologio narratur; sed partem solum illius profert, quam apud eum videre licet. Recitat quoque ibidem S. Isidori de SS. Torquato et sociis hymnum, in quo eadem omnia ac nominatim S. Lupariæ conversio ac baptismus commemorantur.*

*In duæ SS. Lupariæ?*

## § V. *S. Cæcilius Eliberi quievit, non Granatæ apocrypha de ejus nece scripta reperta.*

Q*uod septem illi Hispaniarum primi Præsules simul in Martyrologiis* XV *Maii, memorantur existimat Bi-*

*S. Cæcilii et sociorum ad*

sua facere pro-
unt... *Subjungit*
*ldo Ostiensi Epi-*
*nem simoniacum*
æ XIV Kal. Apri-
MLXXIV. *Gregorii*
*Maii, Indict.* XI
*ffectus fuerit.*
*sapientissimique*
*tolum Hispanias*
*; quod ipse factu-*
*manos cap.* 15 *ita*
sci cœpero, spero
bis deducar illuc,
fuero. *Et asseve-*
r in Hispaniam,
*uam scribens spe-*
*, et solide probat*
*. Pauli lib.* 13,
*tiunt, argumenta*
*su Papæ ducitur*
*ecreto* 22, *qu.* 2.
aulus Apostolus
ndus est, aut sibi
ad Hispanos se
ivina, majoribus
otuit, quod pro-
tis interfuit, hoc
t efficere. Quan-
i (quæ, ut homo,
lemus, agnoscere)
reventus. *Ubi id*
*mnium non ivisset*
quia per eum non
miserat, *ut ibidem*
*m excusat S. Tho-*
*ad Romanos, in*
*stimasse, S. Pau-*
*ductus esset, post*
*ones mitius habent*
*us, et Sigismundus*
*Pauli Italice edita,*
*tia, quibus diserte*
*profectio.*
*s, aliqua fortassis*
*s, fide imbutas re-*
*e et reversus; tum*
*unt ad eas Episcopi*
*re ab illo ex Hispa-*
*on certo affirmatur.*
*Dextri supra retu-*
*Romam Cæcilium ac*
*etro Apostolo remis-*
*dem Romam Petrus*
*us de illustr. Eccles.*
*ndii anno, Christi*
*argo Coss. aut certe*
*marii secundus illius*
*s, secundoque L. Vi-*
*is Christi ad fastos*
*t veteris; ac proinde*
*anno Christi* XLIV
*I et Largo. Sed non-*

*tur, ita scribit B. Ado Vi...*
*tatibus Apostolorum :* Natalis S. Pauli, quem beati Apostoli ordinatum urbi Narbonæ Episcopum miserunt. Quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium Paulum Proconsulem, virum prudentem : a quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia eum fidei Christi subegerat; quique ab eodem sancto Apostolo, cum ad Hispanias prædicandi gratia pergeret, apud præfatam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio non segniter impleto, clarus miraculis coronatus sepelitur. *Et de* S. Trophimo *Episcopo Arelatensi (quem* ab Apostolis Romæ ordinatum Episcopum *scribit Ado in eodem libello; in Martyrol. vero vocat* discipulum Apostolorum Petri et Pauli) *ista habet Usuardus ad* XXIX *Decembris :* Apud Arelatem natalis S. Trophimi, cujus meminit Paulus scribens ad Timotheum : qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus, præfatæ urbi primus ob Christi Evangelium prædicandum directus est. Ex cujus fonte, ut Papa Zosimus scribit, tota Gallia fidei rivulos accepit. *Quamquam inde non sequitur, ipsummet Arelati fuisse Paulum. Verum id, ex vetustiori traditione aut scriptis forte monumentis testatur Ado in Chronico ad annum Christi* LIX *qui fuit Neronis* V, *ita scribens :* Quo tempore creditur Paulus ad Hispanias pervenisse, et Arelate Trophimum, Viennæ Crescentem, discipulos suos ad prædicandum reliquisse. *De S. Crescente agemus* XXVII *Junii et* XXIX *Decemb.* E

21 *Latet hic ex S. Innocentii I Papæ Epistola* 1, *ad Decentium Eugubinum Episcopum, a B. Gregorio VII superius citata, nonnulla, quæ huc pertinent, adscribere. Data est ea Epistola* XIV Kal. Aprilis, Theodosio Aug. septies et Paladio viris clarissimis Coss. *sive anno Christi* CCCCXVI. *In ea ita scribit inter cetera :* Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores, constituerint Sacerdotes? Aut legant, si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est : ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

*Omnes Occidentis et Africæ Ecclesiæ a Petri Sede fundatæ.*

F

22 *Ex horum Pontificum verbis existimamus manifeste concludi,* 1. *Non esse a S. Jacobo in Hispania consecratos Episcopos, certisque assignatos sedibus; sed a Sede Romana omnem isthic* Christianitatem fundatam, religionem plantatam, ordinem et officium in divinis cultibus agendis ostensum; Ecclesias denique institutas, constitutos Sacerdotes. 2. *Hallucinari eos, qui S. Cæcilium, aliosque primos Hispaniarum Episcopos, tradunt secundo Neronis anno martyrium subiisse, cum non nisi quinto ejus anno missi in Hispaniam sint.* 3. *Paulum vere, quod statuerat, in Hispaniam esse profectum. Neque illud Innocentius verbis citatis inficiatur; alioquin imperite cum B. Gregorius VII citaret, asserens*

Ecclesiæ fuit, sed tantum Romanæ sub Petro extremis annis insertus est. 4 *Concluditur, septem illos Episcopos non a Paulo solo missos; sed præcipue a Petro, ex Pauli fortossis consilio a quo simul ac Petro ordinati sint.* 5 *Hinc constat Paulum ex Hispania Romam esse reversum. Unde alias Romani orbis regiones lustratum abiit, donec ultimis Neronis temporibus iterum Romam ad martyrii triumphum rediit.*

## § IV. *S. Cæcilius et socii quando in Hispaniam missi? Accitani conversi.*

*Præter eos auctores, easque rationes, quas jam attulimus, Rodericus Mendez Silva, disertus scriptor ac curiosus, in libro quem de populis et urbibus Hispaniæ anno* MDCXLV *scripsit, cap.* 5 *Descriptionis regni Granatæ, cum de Accitana urbe sive* Guadix *agit, S. Torquatum primum illius urbis Episcopum, unum e S. Jacobi discipulis eo Roma a SS. Petro et Paulo missum scribit, anno* LXI *aut* LXXI. *Arbitramur indicare voluisse post annum* LXI, *quo Romam ingressus Paulus ante tamen* LXVI *eo advenisse, nimirum post* LXII, *quo e custodia dimissus est Paulus. Quas quidem res ante* DC *annos non ignorabat Hispanorum diligentia, uti confidenter affirmat gravissimus Pontifex Gregorius VII : erantque eædem manifestæ, Innocentio teste, ante annos* MCL *et quod excurrit. Nunc de eorum in Hispaniam appulsu, et rebus ibidem gestis quærendum. Utinam vel mandata litteris Acta illorum essent, vel conservata. Paucula habemus ab certis auctoribus, nec nisi post* DCCC *annos, tradita.*

B

*S. Cæcilius et socii post an. Chr. 58 in Hispaniam missi Episcopi.*

24 *Ado Viennensis in Martyrologio ad* XV *Maii ista habet :* Natale sanctorum Confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Cæcilii, Esicii, Euphrasii. Qui Romæ a sanctis Apostolis Episcopi ordinati et ad prædicandum verbum Dei ad Hispanias, tunc adhuc gentili errore implicatas, directi sunt. Cumque ad civitatem Accitanam venissent, et propter laborem itineris modicum quiescentes, caussa victus emendi discipulos in urbem misissent; mox paganorum multitudo, qui tunc forte diis suis festa celebrabant, eos usque ad fluvium persecuta est : in quo pons miræ magnitudinis et firmitatis extructus, transeuntibus Sanctis, Dei nutu, cum omni in sequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum ceteri territi, et cujusdam magnæ senatricis Lupariæ (quæ divinitus inspirata, eos benigne suscipiens, credidit) exemplum secuti, relictis idolis, Christo Domino crediderunt. Post hæc diversis urbibus evangelizantes, et innumeras multitudines Christi fidei subjugantes, Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indalecius Urci, Cæcilius Eliberri, Esitius Cartesæ, Euphrasius Eliturgi, quieverunt. Extat usque hodie illustre miraculum ad commendationem pretiosæ mortis eorum. Nam eadem solemnitate, apud præfatam Accitanam urbem, ad sepulchrum S. Torquati arbor olivæ divinitus florens, maturis fructibus onustatur.

*ab Accitanorum furore*

C

*miraculose erepti, Lupariam illustrem feminam,*

*aliosque plurimos convertunt.*

*anniversarium isthuc miraculum*

25 *Eadem habet B. Notkerus, MS. Martyrol. imperialis monasterii S. Maximini, vetustissimum Martyrologium Ecclesiæ Lugdunensis a Joanne Boscio parte* 2, *Bibliothecæ Floriacensis citatum, et, omisso subito flores fructusque proferentis olivæ miraculo, Beda vulgatus. Petrus de Natalibus lib.* 5, *cap.* 3 *eadem memorat, aliis*

*mari absit* Guadix, *inter mediterraneas Bastitanorum urbes relata a Ptolemæo lib.* 2, *cap.* 6 Ἄκκι, *quæ Plinio lib.* 3, *cap.* 3 Colonia Accitana *appellatur, statuiturque inter populos* LXII *Conventui Carthaginensi subjectos. Sita est inter asperas ac prope invias rupes ad flumen, quod* Fardes *dicitur, in amœnissima et fertilissima valle, patetque ejus ad leucas octo territorium, pagis* XV *distinctum, ut habet Rodericus Mendez ante citatus, qui nomen* Guadix, *quod* Flumen vitæ *significat, a Mahomado Guadix Rege Granatensi ei impositum conjicit, a quo sub annum Christi* MCCCLXXX *ampliatam ornatamque eam urbem scribit. Vetus isthic Episcopalis Sedes fuit a S. Torquato constituta, cujus Episcopus* Felix *Eliberitano concilio, Æra* CCCLXII (*ut habet Garsias Loaisa*) *subscripsit,* Lilliolus *Toletano III* Æra DCXXVII *sive anno Christi* DLXXXIX.

*Acci, nunc Guadix.*

*ab antiquo Episcopalis,*

26 *Porro quod Accitani, cum in eorum pomœrium venerunt sancti illi Antistites, dicuntur diis suis festa celebrasse, lucem id accipere fortassis aliquam potest e Macrobio lib.* 1, *Saturnal. cap.* 19, *ubi ita habet :* Accitani etiam, Hispana gens, simulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes. *Ita habet editio Parisiensis an.* 1585, *Lugdunobatavica an.* 1597 *et* 1628 *ex recensione Joannis Isacii Pontani. Ortelius in Thesauro geographico, verbo* Acitani (*ubi dubitat an iidem* Accitani *sint*) Necyn *ab iis vocari Martem scribit. Utra præferenda lectio sit, quærere haud lubet. Utraque vox a Græca origine deflexa videri potest : hæc a* νέκυς, mortuus, cadaver; *et unde plura quam a Marte funera et cadavera? altera a* νητός; postremus, *aut* νητός; congestus, accumulatus. E

*olim Martis cultui, Neti vel Necyos dicti, dedita*

27 *In historia Translationis S. Jacobi mentio fit alterius* Lupariæ *potentis feminæ in Gallæcia, de qua nos suo loco. Franciscus Padilla histor. Eccles. Hisp. centuria* 1 *cap.* 17, *quod utrobique fracto ponte, vel testudine fonti superstructa submersi narrantur qui Sanctos persequebantur; quodque utrobique primus ducit Luparia, suspicatur historiam utramque ab Auctoribus confusam, et quod in primo Sanctorum adventu evenerat, dici accidisse in secundo, vel quod in secundo contigit, transferri ad primum. Si tamen revera statim a sancti Apostoli nece translatum in Hispaniam est illius corpus, et non fortassis eo tempore quo Hierosolymorum imminebat excidium. Chronicon Dextri, cuicuimodi fidem mereatur, duas Luparias agnoscit; ait enim anno Christi* LX, Vivebat S. Luparia Bætica, filia Gallæciensis alterius Lupariæ. *Franciscus Bivarius Comment. in Dextri Chronicon, ad annum Christi* XLIII *citat MS. codicem monasterii Montis Sion extramuros Toletanos, in quo historia adventus sanctorum Antistitum, rupti pontis, Lupariæ populique Accitani conversi, paullo fusius quam in Adonis Martyrologio narratur; sed partem solum illius profert, quam apud eum videre licet. Recitat quoque ibidem S. Isidori de SS. Torquato et sociis hymnum, in quo eadem omnia ac nominatim S. Lupariæ conversio ac baptismus commemorantur.* F

*In duæ SS. Lupariæ?*

## § V. *S. Cæcilius Eliberi quievit, non Granatæ apocrypha de ejus nece scripta reperta.*

*Quod septem illi Hispaniarum primi Præsules simul in Martyrologiis* XV *Maii, memorantur existimat Bivarius, et satis probabilibus argumentis confirmat...*

*S. Cæcilii et sociorum adventui ...*

*Al. more 4 [illegible] natalis:*

*tilium conversionis. Nam singuli proprios dies habent, quibus ipsorum martyrii triumphus celebratur. Colitur enim* Cæcilius I *Februarii;* Hesychius, I *Martii;* Indaletius *alibi* III *Martii, alibi* XXX *Aprilis; Ctesiphon* I *Aprilis; Secundus* II *Maii; Torquatus* XV, *Euphrasius* XVI *aut* XVIII *ejusdem. Ad quos dies de singulorum Episcopali urbe agemus: hic de Cæcilio.*

*S. Cæcilius Eliberi quievit.*

29 *Dextri Chronicon ad annum Christi* LIV *nu.* 4 *ista habet:* Cæcilius Iliberi, et circumquaque prædicat, et mirabilem se præbet; doctrinaque populos sibi commissos in timore Dei ac fide promovet. *Brevius, sed certius, supra Usuardus ac Martyrologium Romanum,* innumerabilem multitudinem Christi fidei subjugasse, *atque* Eliberi quievisse *Cæcilium tradit. Fuit ea Bæticæ urbs, usitatius quidem* Eliberis *appellata sed Ptolemæo lib. 2 cap. 4* Ἰλλίβερις *cui alia Volcarum Tectosagum in Gallia Narbonensi urbs* Ἰλίβερις. *Hæc Plinio lib. 3, cap.* 4 Illiberis, magnæ quondam urbis tenue vestigium. *Livius decad. 3, lib. 1* oppidum Illiberim *vocat. Aliis* Caucoliberis *dicitur: vulgo* Colibre, *vel* Colyure, *urbs maritima provinciæ Ruscinonensis. Franciscus Tarapha lib. de Regibus Hispaniæ in Nerone, alteram illam Bæticæ* Illiberim *nunc* Granatam *esse scribit; uti et Rodericus Mendez Silva, Franciscus Bermudez de Pedraza in Antiquitat. Granatensibus, ejusque hi ambo conditorem nescio quem fabulosæ vetustatis statuunt. Potius doctissimo nobisque dum viveret, amicissimo Ludovico Nonio assentiri libet, scribenti cap. 22 Hispaniæ illustratæ,* Illiberim non procul a Granata fuisse eo in colle, qui nunc Elvire vocatur, unde et urbis porta nomen sumpsit, et non a femina, ut quidam somniant. *At de Granata, quam in titulo capitis* Maurorum opus *vocat, ista subdit:* Urbs autem nova est, Pœnorum colonia, quam ita dictam volunt nonnulli a *cocco*, quem Hispani Grana vocant, qui insigni copia in hoc regno legitur; alii vero a mali Punici similitudine, quod et Granata dicitur. Nam ut illud est granosum et densissimis acinis refertum, sic et urbs hæc, dehiscentis granati in modum, confertissimas ædes habet: adde incolas pro avitis insignibus mala Punica gestare, quo nominis etymon referrent. *Hæc Nonius.*

*quæ diversa a Caucoliberi.*

*non est tamen Granata*

*quam hæc Maurorum opus.*

30 *Subscribit Carolus a S. Paulo in Geographia sacra recensens provinciæ Hispalensis, seu Bæticæ Episcopatus, ubi ista habet:* Eliberi, seu Illiberis, vulgo Elvire, cujus Sedes Episcopalis Granatam translata est, *aut potius, Eliberi eversa post septingentos septuaginta septem annos nova erecta Granatæ sedes, cum ea urbs anno* MCCCCXCII *Mauris erepta est a Ferdinando Catholico, institutusque isthic Archiepiscopus Fernandus Talavera, uti Mendez Silva tradit, et plenius Joannes Mariana noster lib. 25, cap. 18. Episcopos Eliberitanos decem, præter* S. Cæcilium, *enumerat Padilla, quorum celeberrimus est Gregorius Bæticus a S. Hieronymo laudatus lib. de illus. Eccles. Scriptor. cap.* 105, *ultimus est Centurius, qui Concilio Toletano* XVI *subscripsit Æra* DCCXXXI, *annis ante Maurorum in Hispaniam irruptionem* XXI. *An Concilium Eliberitanum, quod Garsias Loaisa habitum tradit Æra* CCCLXII, *quidam aliquot annis serius, plures aliquanto prius, in hac Eliberi celebratum, an Caucoliberi, quidam disputant: ad nos hæc nihil spectat. Disseruit de ea quæstione Martinus Carillus in historia S. Valerii cap. 15 ostenditque plures pro Eliberi Bætica stare scriptores. Pedraza ante citatus, Eliberitanos sive Granatenses (eamdem enim esse urbem putat) Episcopos viginti recenset, qui sub Mauris Granatæ rem Christianam administrarint.*

*[illegible] et quæ nuper Archiepiscopatus.*

31 S. Cæcilii *necem, ejusque tempus ac modum indicari censent Franciscus Bivarius et Rodericus Carus in Dextri Chronico an.* LXII, *ubi ista habentur:* Horum S. Jacobi discipulorum nonnulli sub Aloto, Neronis Judice, dum ad Concilium Iliberri conveniunt flammis exusti, spoliati suis suorumque bonis omnibus, generose morientes pro Christi fide coronati sunt. *Et vero cum illi cum alii recentiores rerum Hispanicarum scriptores nefas esse putant de ea re ambigere; postquam, ut scribit Carus,* sacri cineres ossaque semiustulata in ipsis martyriorum cavis fornacibus ac ustrinis a Patricio Sacerdote tunc contecta, cum plumbi tabulis litteratis, quæ eorum nomina martyriumque continent, summa Numinis providentia reperta sunt. *Et, quod huc facit, in quadam plumbea lamina hæc erant scripta litteris Latinis vetustissimis:* Anno II Neronis Imperat. Kal. Febr. passus est martyrium in hoc loco Ilipulitano D. Cæcilius, S. Jacobi discipulus, vir litteris, linguis, et sanctitate præditus: Prophetias D. Joannis commentavit, quæ sunt positæ cum aliis reliquiis in sublimi parte inhabitabilis turris Turpianæ; sicut dixerunt mihi sui discipuli D. Septentrius et Patricius, qui cum illo passi sunt. Quorum pulveres jacent in hujus sacri montis cavernis. In eorum memoriam veneretur. *Ista recitat in Comment. ad citatum Dextri locum Bivarius, et Gregorius Lopez Madera, qui tomum integrum de ea inventione, et reliquiarum illarum certitudine edidit.*

*S. Cæcilius II Neronis anno cum sociis combustus traditur in laminis repertis:*

32 *Etsi ad Sedis Apostolicæ judicium rerum similium examen revocari debeat, cum non solum ad reliquiarum approbationem, Sanctorum omni antiquitati ignotorum cultum, et fidei quoque dogmata, pertineant; tamen illud fateri licet, haud nobis probari hactenus potuisse, cum alia, tum ea nominatim quæ retulimus. Qui enim potuit S. Cæcilius secundo Neronis anno martyrium subire, qui non est Episcopus in Hispaniam missus ante quintum ejusdem Imperatoris annum, aut etiam serius, cum ex Hispania rediisset Romam Paulus; ut supra sanctissimi Pontificis Gregorii VII auctoritate probavimus.*

*at nondum erat eo anno Episcopus,*

33 *Ne plura opus sit, ad ea monumenta confutanda quæ reperta ferunt, congerere argumenta, gravissimum Romanæ Inquisitionis Decretum, Urbano VIII Pont. Max. præsente latum, ejusque auctoritate firmatum, facit. Id Fabius Chisius, Episcopus Neritonensis, ejusdem Pontificis Prælatus Domesticus, et Assistens, et Sanctæ Sedis ad tractum Rheni et alias Inferioris Germaniæ partes, cum potestate Legati de Latere, Nuntius, vir pietate, doctrina, humanitate eximius, anno a Nativitate Christi* MDCXLI, *pontificatus Urbani VIII anno* XIX, *die* XXV *Augusti Coloniæ Agrippinæ publicavit. Id hic quoque inserere visum est, ut intelligant qui hæc legent, neque opus fuisse, nec fas fortassis, ut plura a nobis de illis Granatensibus monumentis dicerentur.*

*et lamnæ apocryphæ declaratæ*

## § VI. *Decretum Romanæ Inquisitionis, prohibens scripta et alia, circa Granatam reperta.*

Feria v die v Maii MDCXXXIX in generali Congregatione Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Petrum, coram Sanctissimo Domino Nostro D. Urbano Divina providentia Papa VIII, ac Eminentissimis ac Reverendissimis DD. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

35 Sanctissimus D. N. D. Urbanus Divina providentia Papa VIII attente perpendens, quod nulla cura magis anxios et sollicitos habeat Romanos Pontifices, quam ne lolium et zizania adulterinæ doctrinæ pro sincero veritatis Catholicæ tritico in agro Domino succrescant; quodque ob id fel. record. Clemens VIII simulatque accepit, in quadam vetusta turri civitatis Granatensis Turpiana nuncupata, pro commodiore novi templi ædificatione anno 1588 dejecta, scripturam quamdam sanctissimo Apostolo et Evangelistæ Joanni adscriptam, litterisque Arabicis, Græcis, et Latinis in membrana exaratam, fuisse

*Lamnæ et scripta circa Granatam [illegible]*

A fuisse repertam; ac deinde in cavernis montis Illupulitani, dicti Sacri, prope eamdem civitatem in regno Granatensi, quosdam libros et laminas plumbeas Arabico sermone, et antiquis characteribus conscriptas, varia de rebus fidei pertractantes, partim B. Jacobi Apostolo, partim vero quibusdam aliis ejus, ut ferebatur, Discipulis attributas, anno 1595 et 1596 effossas fuisse; iteratis litteris, in forma Brevis, Petro de Castro Archiepiscopo quondam Granatensi præceperit, ut ab hujusmodi librorum, non solum judicio, sed editione etiam et pervulgatione abstineret, ac præterea omnibus et singulis quacumque auctoritate fungentibus personis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis, et censuris suo arbitrio imponendis, injungeret, et mandaret, ne circa eosdem libros, et ea quæ in illis continentur, aliquid affirmare, vel negare, vel alias de iis judicare quovis modo auderent, vel præsumerent, cum nemini præterquam Romano Pontifici de dictis libris eorumque doctrina judicare aut statuere liceret : denique ut omnia ad hæc pertinentia undique perquireret, ac ad Sedem Apostolicam simul cum ipsis genuinis exemplaribus perferenda curaret, ut matura deliberatione adhibita, tandem decernere posset, quid certo statuendum esset de dictis libris, ac

*Clemens VIII vetuit in Hispania edi,*

*sed Romam mitti jussit,*

B laminis, adeo ob linguæ antiquitatem, ac litterarum genus ab hujus seculi usu remotum, obscuris, dubiis, atque implexis, ut vel ipse Archiepiscopus fateretur se magnam interpretum varietatem, et difficultates non paucas deprehendisse. Considerans præterea alios deinceps prædecessores suos vehementi sollicitudine in eam cogitationem incubuisse, ut præfati libri, ac laminæ Romam advectæ, a peritis linguarum viris, doctisque Theologis explanari et examinari possent, probe advertentes, versiones quascumque ad examen ac judicium perfectum, ac indubitatum sine ipsis originalibus revocari non posse; Sanctitas sua eorum vestigiis insistens, in eadem pariter cura sedulo laboravit, nihilque intentatum reliquit, quatenus Romam dicti libri ac laminæ, ad præfatum finem et effectum transmitterentur.

*uti et alii Pontifices*

35 Verum cum rei eventus minime hactenus votis responderit, et passim jam a pluribus auctoribus in libris impressis, et ab aliis in publicis concionibus, etiam ad dogmata stabilienda, honorifice citentur, et majorem venerationem, tamquam Divinæ cujusdam et Canonicæ auctoritatis, in dies acquirant; licet gravissimi viri, et linguarum periti, magni in contrarium

*Urbanus VIII donec ad fin.*

C momenti exceptiones atque difficultates attulerint, asserentes non pauca in quibusdam ex dictis scripturis et laminis contineri, quæ impietatem, superstitionem, ac errores redolent; Idcirco Sanctitas sua præcavere interim volens, ne sub commentitio Apostolorum, eorumque Discipulorum nomine, adulterinæ fortasse doctrinæ in Ecclesiam Dei irrepant, post gravem et maturam consultationem, auditisque super his Eminentissimorum ac Reverendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum votis, statuit præfatos libros, scripturas, ac laminas, quocumque nomine nuncupatas, suspendendas esse, easque præsentis Decreti vigore suspendit: Illisque ac illarum versionibus seu interpretationibus, fidem aliquam adhiberi, aut venerationem sive cultum deferri, omnino prohibet : donec Sedes Apostolica definiat, quid tam de laminarum qualitate et doctrina, quam de versionum, ac interpretationum veritate et fidelitate, tenendum ac sequendum sit. Libros similiter omnes, tractatus, responsa, consulta, commentarios, glossas, additamenta, aut annotationes, et quæcumque alia, sive manu dumtaxat exarata, sive typis impressa, quæ ex professo de dictis laminis ac scripturis tractant, suspendit penitus ac prohibet,

*omnia illa,*

*et de illis ex professo scripta,*

nec legi, aut teneri posse declarat; sed statim Ordinariis locorum, seu hæreticæ pravitatis Inquisitoribus consignari mandat, donec Sedi Apostolicæ aliter statuere visum fuerit.

D

*suspendit et prohibet.*

36 Si qui vero libri sint, tractatus, aut alia quævis manuscripta, seu typis impressa, quæ ad alias quidem materias spectant, incidenter vero aut obiter de dictis laminis, vel eorum doctrina mentionem faciunt, iis omnibus pariter, quoad illam partem, omnem prorsus fidem atque auctoritatem abrogat, ac abrogatam esse decernit, talesque libros et tractatus expungi jubet; aliter inter suspensos ac prohibitos, donec expurgentur, censeantur. Præterea quia docti nonnumquam virorum Granatæ a præfato Archiepiscopo, tum alibi ab aliis ad dictas laminas interpretandas, vel comprobandas, vel aliter quomodolibet explanandas convocati dicuntur; Sanctitas sua eas convocationes, congressus, consessus, consultationes, sententias pariter ac judicia, si quæ inde secuta sunt, nullius prorsus ponderis et auctoritatis fuisse, et esse declarat; similiaque deinceps fieri districte interdicit. Denique omnibus et singulis Christi fidelibus cujuscumque status, conditionis, dignitatis et præeminentiæ, quantumvis excelsæ, et quamvis eorum specialis ac individua mentio facienda esset, præcipit, ne in posterum in ipsorum librorum, seu laminarum, approbationem quidquam

*quæ obiter alibi de iis dicta,*

*expungi jubet*

*vetat de iis consultationes fieri,*

E principaliter, vel incidenter conscribere, aut conscriptum a se vel ab aliis imprimere, sive aliter divulgare, aut scribi, imprimi, vel divulgari facere, eosdemque libros ac laminas ex Arabico, aliove quovis idiomate in aliud quodcumque de cetero convertere audeant; aut in libris, concionibus, lectionibus, congregationibus, consultis, aut responsis oretenus vel scripto datis, quidquam de iisdem, aut earum doctrina tractent, neque Auctores de ea tractantes, quoad illam partem, citent. Siqui vero dictarum laminarum, vel partis earum exemplum habuerint, Ordinariis locorum, aut Inquisitoribus, ut præfertur, illud tradere teneantur, neque posthac aliud conficere aut confici facere possint. Atque ita decrevit, et ubique terrarum inviolabiliter ab omnibus observari mandavit.

*aut quidquam ad approbationem eorum vulgari*

37 Transgressores autem, sive Ecclesiasticos, sive laicos cujuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ, quantumvis speciali nota dignæ, excommunicationi, a qua non nisi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo, absolvi possint, eo ipso subjecit. Ac præterea Regulares in suorum officiorum ac dignitatum, vocisque activæ et passivæ amissionis, perpetuæque ad illa inhabilitatis; Clericos vero sæculares in dignitatum pariter ac officiorum privationis, atque perpetuæ earumdem incapacitatis,

*pœna in transgressores, cujusvis ordinis, constituta*

F pœnas ipso facto incurrere voluit : laicos autem, præter excommunicationem, aliis Ordinariorum, seu dictorum Inquisitorum arbitrio, pro modo culpæ, infligendis pœnis, etiam pecuniariis, ac corporalibus coerceri mandavit. Quibus Typographi quoque plectantur, si ex supra prohibitis vel suspensis aliquid impresserint; ac præterea impressa omnia amittant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit ut decretum hujusmodi, seu illius exemplum, ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Joannes Thomasius S. Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Notarius.

Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, Indictione nona, pontificatus S. D. N. Urbani, divina providentia VIII anno decimooctavo; die vero decima tertia mensis Maii, supradictæ litteræ sive Decretum affixum et publicatum fuit ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis ac Principis Apostolorum Urbis et in acie Campi Floræ, ut moris est,

*Publicatum Romæ Decretum an. 1641.*

A est, per me Jo. Baptistam Riccium prædicti S. D. N. Papæ et sancti officii Cursorem.

## § VII. *S. Cæcilii scripta apocrypha, natalis, reliquiæ.*

*S. Cæcilii scripta apocrypha.*

Operæ pretium haud sit de S. Cæcilii *scriptis quærere, quæ nulli veterum citata, aut visa, magnis scriptorum Hispanorum studiis certatim a quinquaginta jam annis celebrata, Romanæ Inquisitionis Decreto ipsiusque judicio Pontificis apocrypha declarata: non ut ea quæ Gelasius Papa cum Sancta Romana, in apocryphis recenset, ita ut legi in Ecclesiis vetet, retineri vero ac privatim legi patiatur: verum illa quæ in Granatensibus cavernis reperta sunt scripta, ea ne habere quidem vel legere fas est cuiquam. Neque alia de iis ante hoc decretum nobis sententia fuit. Præjudicarat eruditissimus senex Antonius Possevinus noster in Apparatu sacro his verbis:* Cæcilii et sociorum nomine, Concilia, Apostolorum jussu, in Hispaniis habita, et lingua Arabica, sive Æthiopica, scripta, novissime apparuere, quasi inventa sint in Hispaniis (ut inde scriptum est) in monte sancto Granatæ. Unde ad Clementem VIII Pont. Max. allata B sunt, contecta plumbo et æneo filo colligata: de quorum tamen fide nondum aliquid est certi, quod sciam. Et quidem erat inter hæc Concilium prænotatum: Primum Illiberitanum; secundum Ilepulitanum, unumquodque sexdecim magna folia continens. Tertium, Vita et miracula S. Jacobi 16 foliorum. Quartum de regno, et domo Inferni 16 folior. Ejusdem de summa providentia: alter de misericordia: tertius de justitia, ac de omnibus quæ Deus fecit creans mundum; qui videntur Theologiam continere: quartus de creatione Angelorum: unusquisque 16 folia continens. Porro ab ejusdem S. Cæcilii nomine versus ex Arabico, et 22 foliis contentus est liber, inscriptus: Miracula fidei, ac de annulo Regis Salomonis, dictatus a Beata Virgine Maria S. Jacobo Zebedæi: quem esse apocryphum vix est, qui non cogitet. *Hæc Possevinus.*

*Judicio ejus Possevino.*

39 *Alios quosdam ex his libris describit Franciscus Bivarius Comment. in Dextri Chronicon ad annum Christi* LIV, *nu.* 4. De excellentiis et miraculis Christi Domini ac Matris ejus, ab Incarnatione Verbi usque Ascensionem liber 1, de summa providentia, misericordia, et justitia, quas Deus in opere Incarnationis exercuit, libri 2, de natura Angelica liber 1, de pœna et gloria liber 1, de vita, peregrinatione, et miraculis S. Jacobi liber 1. Quibus adde (*subdit idem Bivarius*) C miraculosa plane commentaria ab eodem elaborata, super Divi Joannis Prophetias, quæ in sublimi parte inhabitabilis turris Turpianæ inventa anno MDXCV, non quidem Hebraica lingua, Græca, aut Latina, sed Hispana vulgari, qua nunc post tot tantasque vocum variationem utimur. *Plura de iis vir ille egregie doctus, sed qui utilius multo in alio argumento desudasset. Quod Marci* 16 *v.* 17 *promisit Christus, qui crederent, linguis locuturos novis, id in hoc egregio opere, Prophetias, inquam, S. Joannis (an Evangelistæ, ambigit) diversas ab Apocalypsi, Hispanica lingua, quæ nondum exstabat, a S. Cæcilio interpretatis, et commentario illustratis, evenisse. Gregorius Lopez Madera contendit eamdem linguam, qua nunc Hispani utuntur, olim tempore Romanorum semper in usu fuisse, licet postea multa Gothica et Arabica verba inspersa sint: et fuse conatur refellere, quæ a viris eruditis contra illa scripta, laminas, reliquias objecta sunt argumenta. Verum ipsiusmet ingens de iis rebus volumen illo Decreto Romano prohibitum. Nos, ut ante diximus, scripta illa et habuimus et habemus in apocryphis, donec sancta Apostolica Sedes aliud decernat.*

*in his quædam sermone moderno Hispanico.*

40 *Nec certiora sunt quæ de* S. Cæcilii *morte, ejusque modo et tempore, ex iisdem hausta laminis, iidem aliique Hispani scriptores tradidere; incendio videlicet extinctos anno secundo Neronis, Christi* LVII. *Nam primum non congruunt annus secundus Neronis et Christi* LVII. *Capessivit imperium Nero* XIII *Octob.* Asinio Marcello et Acilio Aviola *Coss. anno vulgaris Epochæ Christianæ* LIV, *atque ita Kalendæ Februarii anno ejus secundo, inciderunt in annum Christi* LVI. *Secundum Baronium, qui mortem Claudii Cæsaris, et Aviolæ Marcellique consulatum statuit anno Christi* LVI, *in annum Christi* LVIII *incident eæ Kalendæ, quibus martyrium fecisse S. Cæcilium asserunt. Et nos superius ostendimus non venisse in Hispaniam Episcopos illos septem, e quibus erat Cæcilius, ante annum* X *Neronis.* D

*S. Cæcilius (incertum quo anno aut mortis genere)*

41 *Confessores quidem in Martyrologio Romano ad* XV *Maii, ut supra diximus, appellantur SS. Ctesiphon, Torquatus, Cæcilius et socii; tamen, ut in Annotat. ad eumdem diem scribit Baronius,* ex his aliquot inveniuntur dicti Martyres a nonnullis, licet eorum martyrii Acta non habeantur. *Imo de omnibus universim pronuntiat Gregorius VII supra, eos* sanguine suo Ecclesias dedicasse. *Quo vero supplicii genere, quove Christi anno id contigerit, non liquet. Joannes Marietta* S. Cæcilii *natalem consignat* 1 *Februarii. Ad eum diem ista habet Ordo recitandi Officium Divinum in Ecclesiis Hispaniæ, anno* MDCXXXV *excusus Madriti, in Kalendario Ecclesiæ et diœcesis Granatensis:* Cæcilii Episcopi Martyris et Patroni, et discipulorum ejus, dupl. 1 class. cum Octava. *Socios (ex laminarum istarum Granatensium fide) expressit Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, ita scribens:* Eliberi in Hispania S. Cæcilii Episcopi et Martyris, una cum Patricio et Septentrione. *Imo in lamina illa Granatensi supra relata, hic Setentrius appellatur. Sed cum apocryphæ declaratæ sint illæ laminæ et inscriptiones, hæc quoque duo Martyrum nomina expunximus. Uti autem cum in Hispaniam appulerunt septem sancti Episcopi, discipulos habebant, quorum aliquot in urbem Accitanam miserunt mercatum cibos; ita singuli postea aliquos sibi ex iis retinuere, vel alios adsciverе discipulos, officiorumque partim domesticorum, partim Ecclesiasticorum administros. Atque ex his fortassis fuere, aut certe alii e populo, quos martyrii ejus socios veneratur Ecclesia Granatensis.*

*Martyr tamen*

*colitur 1 Febr. cum sociis* E

*quibus?*

42 *De reliquiis eorum nihil possumus pronuntiare, donec aliquid Apostolica Sedis sanciat. Decreto Inquisitionis non diserte repudiantur: sed cum omnem probabilitatem a laminis illis acceperint, quæ tamen rejectæ sunt; quis illas audebit absque certa Sedis Apostolicæ auctoritate publicæ venerationi exponere? Ecclesias parochiales habet urbs Granatensis viginti tres, quarum una S. Cæcilio dedicata est, eaque existimatur, etiam quo tempore rerum potiebantur Mahometani, Christianorum conventibus celebrata, uti scribunt Joannes Marietta lib. 1, histor. Eccles. Hispan. cap. 14, Maurus Castella Ferrerius historiæ S. Jacobi lib. 2, cap. 16, Franciscus Bermudez de Pedraza lib. 3, Antiquitatum Granatensium cap. 15, qui toto libro 4 agit de Monte Ilipulitano, et reliquiis aliisque monumentis in eo inventis, et scriptis S. Cæcilii, quæ (ut diximus) in apocryphis sunt numeranda, donec Sedes Apostolica aliud de iis judicium ferat. Ac certe didicimus nuper, laminas illas aliaque monumenta juxta Granatam reperta, deportata Romam, ibique a viris eruditis sensim examinari. Vidimus quoque librum, an.* MDCXXXII *ab Adamo Centurione, Joannis Baptistæ F. Marci N. Marchione de Estepa, sermone Hispanico editum, dicatumque Archiepiscopo Granatensi, Castellæ Præsidi, cui libro hic est titulus:* Informatio pro historia sacri montis, dicti Vallis-paradisi, antiquitus Ilipulitani, juxta Granatam: ubi reperti cineres S. Cæcilii, S. Ctesiphontis, S. Hiscii, discipulorum Apostoli et unici Patroni Hispaniarum Jacobi, aliorumque Sanctorum, qui illorum discipuli fuere, reliquiæ, et libri in plumbeis laminis exarati. Pars prima. *An partem secundam, sive ulteriorem disquisitionem postea ediderit, haud scimus.*

*de reliquiis eorum, non liquet.*

*Ecclesia S. Cæcilio dicata Granatæ* F

*Inventiones nunc scripta Granatæ reperta*

DE

# DE S. IGNATIO THEOPHORO
## EPISCOPO ANTIOCHENO, MARTYRE, ROMÆ,

### Commentarius prævius.

**§ I.** *Vita S. Ignatii scripta. Nomen* THEOPHORI.

*Anno Chr. CVII.* *I Februarii.* *Ignatius discipulus S. Joannis Evangelistæ,*

Insignes S. Joannis Apostoli et Evangelistæ discipuli atque auditores *celebrantur in Chronico Eusebii ab S. Hieronymo Latine vulgato, ad annum* II *Trajani Imperatoris,* Papias Hierapolitanus Episcopus, et Polycarpus Smyrnæus, et Ignatius Antiochenus. *Horum duos in Februario cultu sacro veneratur Ecclesia, hisce Kalendis* S. Ignatium, et XXII S. Papiam; *in Januario* S. Polycarpum, XXVI *die. Hujus Historia martyrii (quod hic paucis repetendum duximus) continetur in* encyclica Epistola *ab* Ecclesia Smyrnensi, *mox post obitum ejus, ad plurimas Ecclesias, maxime Asiaticas viciniores, missa; e qua multa recitat Eusebius lib.* 4 *Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 14, *ut ibi dictum* § 2 *num.* 10. *Extitit ea Epistola in antiquis codicibus MSS. tam Latinis olim translata, quam Græcis primigenia, e quibus hanc etiam Latine a nobis redditam,* B *alteri conjunximus et cum reliqua Vita a Pionio postea conscripta ad dictam* XXVI *Januarii in lucem edidimus. Piam hanc Ecclesiarum consuetudinem, gloriosa martyrum certamina describendi, credimus apud primos Christianos viguisse : eaque etiam solennitate* Antiochenos *missa Epistola variis Ecclesiis indicasse, quam istic, apud se coram* Trajano Imperatore *subierat quæstionem* Ignatius : *alios dein itineris ejus Romani ex Syria comites, quæ in eo observarant pie sancteque gesta, ac præcipue Romæ glorioso martyrio vitam consummatam non omisisse aut coram referre, cum in Orientem redirent, aut litteris præmissis Epistolis nuntiare. Similes* passionis S. Ignatii litteras *allegat Galesinius in Notationibus ad* XVIII *Januarii. Has requirit* S. Polycarpus *a* Philippensibus, *in sua ad eos Epistola, cum avide ipse* Smyrnæ *illatum* S. Ignatio *martyrii genus intelligere optaret.* De ipso, *inquit,* Ignatio, et de ipsis, qui cum eo sunt, quod certius agnoveritis, significate. *De hac Polycarpi epistola infra iterum agemus.*

*ejus Vita an ex epistolis encyclicis composita.*

*Acta ex Græco Metaphrastæ,*

2 *Ex his similibusve observationibus* Acta *deinde conscripta arbitramur. Ea duplicia hic damus: alia Græce a* Simeone Metaphraste *edita, et Latine versa a* Gentiano Herveto : *quæ primum Lipomannus vulgavit tomo* 5 *operum ad* XX *Decembris, dein Surius ad Kalendas* C *Februarias. Nos eadem Græce nacti ex MS. codice Mediceo Regis Christianissimi, contulimus cum priore Herveti interpretatione : ex qua rejecimus, quæ huic codici deerant ex Evagrio sub finem adjecta, commodius cum reliqua Translationis reliquiarum historia daturi. Alia olim Græce extitisse opinamur Acta multo uberiora, ex quibus sacrorum Menæorum scriptores varia a S. Ignatio tolerata Antiochiæ tormenta, a Metaphraste non indicata, excerpserunt secundo loco danda. Aliud elogium adjungitur ex Martyrologiis Bedæ et Adonis ad majora Acta Latina securiorem viam commonstrans.*

*collata cum MS.*

*alterius Græca epitome in Menæis*

*elogium ex Martyrologiis*

*Acta Latina ex pluribus MSS.*

3 *Ipsa deinde* Acta Latina *subduntur ex pluribus, eisque vetustissimis codicibus MSS. desumpta, et cum Resweydo olim, tum nobis communicata : eorum præcipui sunt Lobiensis, Audomarensis, Ultrajectinus aliusque Burgundicus a Chiffletio nostro transmissus. Hæc Acta judicio etiam Petri Scriverii, qui eadem ex fidelissimo codice communicavit, ex Græco creduntur conversa. In his, quæ* Antiochiæ *subiit tormenta* Ignatius, Romæ *dicitur* coram Trajano *passus, eodem mendo, quod etiam descripserunt Beda, Ado, Usuardus, aliique Martyrologi Latini,* § *sequenti adducendi, Vincentius Bellovacensis lib.* 10 *Speculi Historialis, cap.* 56, *et plures alii. An lacerum seu mutilum exemplar solitis transpositis habuerit interpres Latinus? An* Epistolam encyclicam *ab* Antiochenis *missam, titulo sublato, crediderit* Romanos *exarasse? Dedimus* XV *Januarii* Vitam S. Alexandri Fundatoris Acœmetorum *ex codice MS. Græco Regis Christianissimi, præclaram admodum sed quibusdam locis mutilam : in qua foliis aliquot transpositis ordo rerum gestarum ab imperito descriptore fuerat immutatus, qui nullo verbo aut super addito, aut omisso in debitum locum reductus est. Potuit auctor Latinæ Vitæ sive interpres, in similem codicis Græci errorem incidisse, eique non observato, reliqua Acta accommodasse. Hic capita distincta duplici numero prænotantur, ut quæ transposita judicantur, facilius possint discerni commodiusque cum Metaphraste et Menæis Græcorum conferri.*

*in confuso ordine rerum gestarum.*

4 *Ex* Actis *hisce,* Epistolisque S. Ignatii *infra a nobis recensendis, contractius Vitam descripserunt* Vincentius Bellovacensis *ante relatus,* Antoninus et Boninus Mombritius *mox citandi,* Jacobus a Voragine, E Claudius a Rota, Petrus de Natalibus, Zacharias Lippelous, Franciscus Haræus; *Hispanice* Joannes Basilius Sanctorius, Alphonsus Villegas, Petrus Ribadineira, Franciscus Ortiz Lucius, *Italice* Gabriel Flamma, *Gallice* Clemens Marchantius; Jacobus Doubletius, Gulielmus Gazæus; *Germanice* Henricus Fabricius, *Belgice* Henricus Adriani, Dionysius Lamberti, *aliique innumeri, et quotquot Annales seu Chronica Ecclesiastica digesserunt, quorum princeps Cardinalis* Baronius *plurima de eo tomo* I *et* II *Annalium recensct. Ex antiquioribus Patribus elogia ejusdem tradunt* S. Polycarpus *condiscipulus et hujus discipulus* S. Irenæus, S. Dionysius *de Divinis nominibus,* S. Anacletus Papa, Eusebius Cæsariensis, S. Hieronymus, S. Athanasius, S. Felix III Papa, Theodoretus Episcopus Cyri, *et potissimum* S. Joannes Chrysostomus *doctissima Homilia in ejus solemnitate anniversaria ad populum Antiochenum habita. Ex hac plurima, cum de Translatione reliquiarum agetur, proferentur; ex aliorum doctrina varia inter viros eruditos dubia controversaque resolventur.*

*Acta ab aliis contracta.*

*et exteris linguis edita.*

*monita apud antiquiores Scriptores.*

5 *Cæleste hic apponitur visum quo Angelos in cœlo sanctissimam Trinitatem alternis cantibus celebrantes conspexit, audivitque* Ignatius, *a Socrate lib.* 6, *Histor.* F *Eccles. cap.* 8, *relatum.* Ignatius, *inquit,* Antiochiæ in Syria tertius a Petro Apostolo Episcopus, qui et cum Apostolis multum versatus est, visionem vidit Angelorum, Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium. Et formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit. Unde et hæc ipsa traditio ab omnibus Ecclesiis recepta est. *Hæc Socrates. Eadem referunt Georgius Alexandrinus in Vita S. Chrysostomi, et in hujus encomio Leo Sapiens Imperator, Nicephorus Callistus lib.* 13, *Histor. Eccles. cap.* 8, *et nonnulli Martyrologi infra adducendi. Eximium ad virtutem consequendam stimulum proponit S. Gildas Sapiens, cujus vitam illustravimus* XXIX *Januarii. Hic* Clerum Britanniæ *ita alloquitur :* Quis vestrum, ut Martyr Ignatius, Antiochiæ urbis Episcopus, qui post admirabiles in Christo actus, ob testimonium ejus, leonum molis confractus est? cujus verba, cum ad passionem duceretur, audientes, si aliquando vultus vestri rubore suffusi essent, non solum in comparatione ejus vos non putaretis Sacerdotes, sed ne mediocres quidem Christianos esse. *Hæc ergo in nobis accendant sinceram in Deum hominesque amorem, cujus ique in corde vehementius æstuante,*

*Visio cantus Angelici.*

*Vitæ hujus lectio ad virtutem utilis.*

lerio

A *levia prorsus tormenta omnia, et mortem ipsam existimarit* Ignatius : *cui ex omnibus, quæ pati gravissima in vita poterat, hoc primum erat, mortem pro Christo non pati : secundum vero non quam citissime pati; sed differri atque procrastinari : quod præclare advertit Petrus Halloix in Præfatione ad Vitam S. Ignatii, tomo* I *Ecclesiæ Orientalis Scriptorum copiosissime deductam, inexstinguibili viri erga hunc* S. Ignatium *ejusque coævos Scriptores pietatis ardore.*

*AUCTORE G. H.*

*Theophorus cognominatur*

6 *Cognomentum* Theophori, *quo semetipse sanctus Martyr passim appellat, in omnibus Epistolis evidentissimum capit argumentum ab hac similive præfatione :* Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος. Ignatius; qui et Theophorus. *Quæ Latina versio ab omnibus antiquioribus Interpretibus servata est, neque ulla immutatione facta ad redditas in alia idiomata Epistolas translata. Illud autem cognomen quam aptissime illi convenisse Acta Græca infra monent his verbis :* Τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Ἐπίσκοπος ὁ καὶ κλήσει καὶ πράγματι Θεοφόρος Ἰγνάτιος ἦν. Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus et appellatione et re ipsa Theophorus Ignatius erat : *quod miramur a Gentiano Herveto Deiferum verti. Malumus retinere* Theophorum *ea forma, qua SS.* Chrystophorum, Carpophorum, Onesiphorum, *similesque servato Græcorum verborum* B *charactere appellamus; imitati post Acta Latina et Martyrologos varios, Eusebium, Socratem, Cedrenum, Zonaram, Nicephorum, aliosque e Græco Latinos factos. Ipse* Trajanus *in Actis sciscitatur :* ὁ δὲ καὶ τί ἐστι Θεοφόρος; *Cui* Ignatius *respondit :* ὁ τὸν Χριστὸν ἐν τῇ ψυχῇ περιφέρων : qui Christum circumfert in anima : *aut secundum Acta Latina,* qui Christum habet in pectore, ille est Theophorus.

*Christum in anima circumfert.*

*an litteris aureis cordi inscriptum*

7 *Hinc arbitramur occasionem datam scribendi, in* corde S. Ignatii *inventa esse sacrosancta verba* Jesus Christus, *divino miraculo* aureis litteris *exarata. Id seculo* XIII, *post obitum S. Ignatii ultra mille et centum annos scripserunt Vincentius Bellovacensis, et Martinus Polonus. Hic in Chronico ad tempora Trajani.* Hujus, *inquit,* cor cum minutatim divisum esset, nomen Christi in singulis particulis aureis litteris scriptum inventum est. *Aliquanto accuratius Vincentius lib.* 10, *speculi Historialis c.* 57. Hujus cor cum minutatim divisum esset, nomen Domini Jesu Christi litteris aureis inscriptum, ut legitur, in singulis partibus inventum est. Dixerat enim se habere Christum in corde : *seu ut Acta habent,* in pectore, *aut* in anima. *Eadem pluribus prosecuti sunt S. Antoninus tomo* 1 *Chronici titulo* 7, *cap.* 1, § 11 *et Boninus Mombritius in Vita, eisdem uterque verbis :* Legitur autem, *inquiunt,* C quod B. Ignatius inter tot tormentorum genera nunquam ab invocatione nominis Jesu Christi cessabat, quem cum tortores requirerent, cur hoc nomen toties replicaret, ait : Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo, et ideo ab ejus invocatione cessare non valeo. Post mortem igitur ejus, qui audierant volentes hoc curiosius experiri, cor ejus ab ejus corpore avellunt, et illud scindentes per medium totum cor inscriptum hoc nomine, Jesus Christus, litteris aureis inveniunt. Unde et hoc plurimi crediderunt. *Ubertinus de Casali lib.* 2 *Arboris vitæ Crucifixi Jesu c.* 2. Cum Apostolo, *inquit,* non ostendamus nos aliquid scire, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum, exemplo B. Ignatii, et centrum et circumferentiam cordis nostri sculpentes Jesum, qui ipsum Jesum vivens et moriens eructabat de corde pleno, et mortuus reliquit intra se scriptum litteris aureis in corde corporeo. *Joannes Baptista Mantuanus lib.* 2 *sacrorum dierum Matthias Casimirus Sarbievus, aliique Poetæ miraculum illud versibus exornarunt, quibus et pictoribus addendi quidlibet æqua potestas conceditur. Nobis sufficit fontes monstrasse, e quibus hi rivuli dimanarunt. Græci silent, quod a leonibus velint carnem omnem comestam, et solidiora tantum ossa relicta : quæ nobis vel* D *ideo magis probantur, quod illustre hoc miraculum, si factum fuisset, vel maxime in Dei gloriam, et bonam tanti Martyris famam redundasset; et tamen altissimo silentio antiquorum scriptorum et Latinorum et Græcorum involvatur.*

*asserunt Martinus Polonus,*

*Vincentius Bellovacensis,*

*S. Antoninus, Mombritius*

*Ubertinus de Casali,*

*Mantuanus*

*silent antiquiores scriptores.*

## § II. *S. Ignatii dies natalis. Cultus sacer.*

O*b magnum in natalitia S. Ignatii celebritate agenda apud diversas Ecclesias varietatem, non parva oritur difficultas discernendi diem certum martyrii consummati. Antiochenos olim diem illi sacrum dedicasse postridie solennitatis S. Pelagiæ Virginis Antiochenæ et Martyris, testis est S. Joannes Chrysostomus homilia* 42 *de S. Ignatio.* Heri, *inquit,* puella plane adolescens et virgo, beata Martyr Pelagia magna cum lætitia convivium nobis exhibuit : hodie celebritatem illius beatus hic ac generosus Martyr Ignatius vicissim excepit. Diversæ quidem personæ; sed una mensa : variæ pugnæ; sed corona eadem : disparia certamina; sed idem bravium. *Colitur S. Pelagia in Martyrologio Romano, Menæis Græcorum, aliisque fastis sacris,* IX *Junii : postridie in Menologio Græcorum a Canisio edito. Extat S. Chrysostomi de ea homilia* 41, *ad quam annotat Fronto Ducæus eam homiliam Græce repertam a se fuisse* in duobus codicibus MSS. Christianissimi E Regis Henrici IV, in quorum altero adscriptus margini fuit dies Octobris VIII, hoc pacto : μηνὶ Ὀκτωβρίῳ ἡ. *quo die, uti advertit Baronius ad* IX *Junii,* agunt Græci in Menologio de alia Pelagia Antiochena, quæ, antequam teneretur a persecutoribus, orans ne dispendium pateretur virginitatis, in pace quievit. *In Menologio Canisii adduntur eodem* VIII *Octobris* Pelagia Tarsensis *sub Diocletiano passa, et* Pelagia *tertia post meretricium quæstum pœnitens. Quod huc facit, neque in Junio, neque in Octobri ulla S. Ignatii in Martyrologiis reperitur observata solennitas, si quædam annotationes MSS. excipiantur Carthusianorum Bruxellensium, in quibus* XVII *Octobris traditur* B. Ignatii Martyris translatio.

*Antiocheni colunt S. Ignatium postridie S. Pelagiæ Virginis,*

*relatæ 9 et 10 Junii,*

*et 8 Octobris.*

9 *Aliqui diem illi sacrum statuunt* XXIV *Novembris, ita Hermannus Greven in Auctario Usuardi :* Ignatii Martyris. *Ado MS. monasterii S. Laurentii apud Leodienses :* Eodem die S. Ignatii Episcopi et Martyris. *Pluribus Beda excusus, qui diem ejus natalem appellat :* VIII Calendas Decembris, *inquit,* Natale S. Ignatii Episcopi et Martyris *etc. Elogium integrum etiam habet Ado infra recitandum. In Decembri plures referunt, ac primo ad diem* XIV *martyrologium MS. Trevirense S. Martini :* S. Ignatii Episcopi et Martyris. *Ultrajectinum MS. S. Mariæ :* Eodem die F S. Ignatii Episcopi et Martyris.

*Aliqui 24 Novemb.*

*aut 14 Decemb.*

10 *At* XVII *Decembris natalem ejus celebrant Martyrologia MSS. Tornacense S. Martini, et Lætiense, ambo antiqua sub nomine Eusebii, Hieronymi et Bedæ his verbis :* Natale S. Ignatii, qui tertius Antiochiæ post Petrum Apostolum Episcopus, undecimo Trajani anno ad bestias vinctus Romam missus est. Reliquiæ tamen corporis ejus Antiochiæ jacent (*additur in Lætiensi*) extra portam Daphniticam in cœmiterio ecclesiæ. *Eadem cum Lætiensi MS. habet Rabanus Maurus in suo Martyrologio, dempto priore verbo de die Natali ab eo omisso. In Martyrologio antiquo MS. S. Maximini prope Treverim hæc leguntur :* In Antiochia natale S. Ignatii Episcopi, qui tertius post Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam, quique persecutione Trajani damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur, duodecim militibus ad custodiam datus, quos ipse in epistola ob crudelitatem leopardos vocat : cumque jam productus ad bestias, rugientes audiret leones, ardore patiendi ait : Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Passus est anno XI Trajani

*Plures diem natalem statuunt 17 Decemb.*

*Nonnulli*

A *Nonnulli apud Frontonem Ducæum supra existimant Homiliam Chrysostomi de S. Ignatio habitam illo* XVII *Decembris.*

*diem depositionis seu sepulturæ 20 Decemb.*

11 *Juxta hos auctores non improbabiliter dici potest, S. Ignatium eo die martyrii coronam adeptum esse, ac triduo postea sacrosancta ejus ossa extra urbem Romanam deposita fuisse ac terræ mandata. Qui dies depositionis cum die natali sive obitus passim confundi solitus, in sacros Ecclesiarum fastos sæpe refertur. Idem Fronto Ducæus annotat ad dictam Græcam homiliam de S. Ignatio margini codicis Regii MS. adscriptum* diem vigesimum Decembris μηνὶ Δεκεμβρίῳ κ. *Græci eo die magna illum solemnitate colunt : In Menologio Maximi Cytheræi et Horologio,* τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἰγνατίου τοῦ Θεοφόρου. *Kalendarium Græcorum apud Genebrardum.* Ignatius Martyr Theophorus. *Menologium Canisii :* Natalis sacrosancti Martyris Ignatii. *Menæa Græcorum :* Μνήμη, *seu* Memoria sancti Martyris Ignatii Theophori *etc. Petrus Halloix in Notationibus ad caput* 14 *Vitæ S. Ignatii asserit,* XX Decembris verum diem natalem esse, quem Græci solennem servant et in quo cœtus honori ejus faciunt. *Interim infra apud Metaphrasten dicuntur* qui Romæ erant fideles, *post martyrium consummatum, et theatrum dissolutum,* convenientes ejus ossa sustulisse, eaque re-
B ligiose abvoluta extra Urbem in loco insigni, vigesimo mensis Decembris deposuisse. *Græce* Κατέθεντο εἰκάδα τότε τοῦ Δεκεμβρίου ἄγοντος. *Eodem die antiquissimum Martyrologium MS. S. Hieronymi ita habet :* Romæ depositio Zephirini Episcopi et Ignatii Martyris, et Athanasii Episcopi. *Iterum in Kalendario eidem Martyrologio subjuncto :* Ignatii Martyris et Anathasii Episcopi. *Colitur S. Zephyrinus Papa illo die in pluribus Martyrologiis, de quo cum Romano aliisque agemus* XXVI *Augusti.* S. Anathasius, *in quodam Kalendario MS. S. Maximini etiam* Athanasius, Episcopus in Oriente *colitur eodem* XX *Decembris.*

*majore solennitate 1 Februarii.*

12 *Præcipua nihilominus S. Ignatii in Ecclesia Romana solennitas agitur Kalendis Februarii ad quas Notkerus :* S. Ignatii Martyris. *MS. Tornacense :* Passio S. Ignatii Episcopi et Martyris. *Vetus Romanum a Rosweydo editum :* Antiochiæ Ignatii Episcopi et Martyris. *Beda excusus. MSS. Ultrajectinum S. Mariæ et Leodiense S. Lamberti :* Apud Antiochiam passio S. Ignatii Episcopi et Martyris. *Eadem fere habet Ado hoc die, cujus elogium, in libro de festivitatibus Apostolorum relatum, infra damus. MS. Centulense S. Richarii :* Romæ passio S. Ignatii Antiochensis Episcopi, qui B. Joannis Apostoli discipulus, tertius post B. Petrum Antiochenam rexit Ecclesiam. *Alii juxta*
C *Acta Latina volunt eum Romæ,* præsente Trajano, *passum. Ita Usuardus :* Kalendis Februarii Natalis B. Ignatii Episcopi et Martyris, qui tertius post Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam, ac persecutione Trajani Romam vinctus mittitur, ubi præsente eodem, circumsidente Senatu, immanissimis pœnarum suppliciis primo affectus, dehinc leonibus objicitur; eorumque dentibus præfocatus, hostia Christi efficitur. *Eadem fere habent Bellinus et Martyrologium modernum Romanum, in quo tamen cum legeretur* præsente Trajano *passus, jam correctius* jubente Trajano *id factum dicitur.* Immania pœnarum supplicia et inaudita tormenta Romæ *eum subiisse tradunt etiam Galesinius, Auctores Violæ Sanctorum et Martyrologii MS. Bruxellensis, aliique. Maurolycus vero,* Natale *inquit,* S. Ignatii Episcopi et Martyris, qui quartus a Petro Apostolo Antiochenam rexit Ecclesiam, in qua Antiphonas decantari fecit. *Constantinus Felicius,* tertiusne *an* quartus Antiochiæ *præfuerit* Episcopus, *sub dubio relinquit : quæ infra rejicientur. De cantu hæc e Socrate desumpta adduntur in Martyrologio antiquo Coloniensi post verba ex Usuardo recitata :* Hic quodam tempore per visionem in cœlum raptus, vidit et audivit, quomodo Angeli per antipho- D
narum reciprocationem sanctæ Trinitati hymnos canebant. Qua visione edoctus instituit in Ecclesia Antiochena juxta modum visionis antiphonas decantari. *Eadem leguntur in Viola Sanctorum, et aliis Martyrologiis. MS. Bruxellense reliquo encomio addit :* nomen ejus canoni Missæ inscriptum esse, *quem eumdem exhibet antiquus liber Sacramentorum S. Gregorii Magni nuper ex MSS. ab Hugone Menardo correctius editus.*

*et 31 Januarii.*

13 *Demum quia S. Brigida Kalendis Februarii præcipuum apud varias Ecclesias obtinet cultum, pridie Kalendas seu* XXXI *Januarii venerandus proponitur S. Ignatius in Breviario Brugensi, aliisque quibusdam Belgicis; sicuti etiam in MS. Martyrologio Treverensi S. Martini. Græcos admodum celebri eum officio colere fidem faciunt eorum responsoria, antiphonæ, cantica odaria, a Petro Halloix latine reddita, atque utraque lingua edita ad Vitam S. Ignatii. Iidem Græci lectionem Evangelii desumunt ex capite* IX *S. Marci, in quo Christus puerum (quem illi S.* Ignatium *credunt fuisse,) complexus, in medio statuit. Apud Latinos quæ modo sit officii Ecclesiastici ratio, constat : qualis olim fuerit indicat Gavantus comment. in Rubricas Breviarii sect.* 7, *cap.* 4 *: ubi refert* in appendice libri Sacramentorum
E Gregoriani festum habuisse in Decembri, sed in Breviario Vaticano volumine 4751 in Februarii primo. *Consonant quæ in Actis Latinis sub finem referuntur.*

*Officium Ecclesiasticum.*

## § III. *Primordium Episcopatus Antiocheni.*

**O***rtus, adolescentia, et privata S.* Ignatii *ante susceptum Episcopatum vita, fere latent. Institutionem ejus sub S. Joanne Evangelista, opinionemque Græcorum, Evangelicum parvulum fuisse, quem Christus in medio discipulorum statuit, infra examinamus. Plura profert Halloix capite* 1, *et* 11 *Vitæ, quæ nos antiquitatis immunes omittimus. Primordium* Episcopatus *ejus* Antiocheni *inquisituri, primo, quo omnes antiqui atque orthodoxi scriptores indubitatum affirmarunt, statuimus;* S. Petrum Apostolorum Principem *prius Antiochiæ Sedem supremi Pontificii collocasse, quam inde* Romam anno II Claudii Imperatoris *profectus fuerit; uti cum reliquis Scriptoribus tradunt Eusebius in Chronico, et S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 1 *De* Cathedra S. Petri Romana *egimus* XVIII *Januarii, de* Antiochena *acturi* XXII *Februarii. An Ignatius immediatus S. Petri successor hic quærimus.*

*Pontificatus S. Petri Antiochiæ.*

15 *Primo Epistola* III *S. Anacleti Papæ, cum a S. Petro Antiochenis Episcopum datum, quocumque id*
F *tempore contigerit, requirit. In hac Epistola trium primarum sedium Episcopatuum ordo indicatur his verbis :* Prima Sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam beatissimus Petrus et Paulus consecrarunt. Sic Roma, quæ prius erat cacodæmonis artificio omnium errorum mater et altrix, excussis tenebris, et vanis superstitionum ritibus abjectis, filiorum Dei, exorto sole justitiæ facta est copiosa propagatrix. Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco ejus discipulo atque Evangelista consecrata est, quia ipse et in Ægypto primum verbum veritatis, directus a Petro, prædicavit, et gloriosum suscepit martyrium : cui venerabilis successit Abilius. Tertia autem Sedes apud Antiochiam ejusdem (id est, B. Petri) Apostoli nomine habetur honorabilis : quia illic, priusquam Romam veniret, habitavit, et Ignatium Episcopum constituit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. *Hactenus Epistola Anacleti Papæ, cui omnis deberetur auctoritas, si genuina esset, aut a posteris non interpolata. Verum in ea nonnulla leguntur traditionibus Ecclesiasticis minus congruentia. Nam in Alexandrina Sede S. Marco dicitur* successisse venerabilis Abilius, *omisso* S. Aniano, quem,

*ab eo constitutus S. Ignatius Episcopus dicitur*

*in Anacleti Epistola,*

*non genuina*

A *quem*, S. Marco VIII anno Neronis *defuncto substitutum tradunt Eusebius in Chronico, et lib. 2 Historiæ Eccles. cap. 23, S. Hieronymus de Scriptor. Eccles. cap. 8, et reliqui omnes, quorum consensus firmatur in Martyrologio Romano* XXV *Aprilis, quo die coluntur et* S. Marcus et S. Anianus in Episcopatu successor : *Hinc apud Joverium in Sanctionibus Ecclesiasticis, et deinde in Conciliis tam Venetiis, quam Coloniæ, atque Parisiis editis, hæc correctio in margine annotatur : cui S. Marco* venerabilis successit Anianus, et post hunc Abilius ; *quam successionem ad hujus Natalem* XXII *Februarii probabimus.*

*auctore ...*

16 *Eodem modo in* Antiochena sede *hæc correctio in dictis libris adscribitur, sed minus probata* : Quia illic, *S. Petrus*, priusquam Romam veniret, habitavit, et Zachæum, postea Evodium, post quem Ignatium Episcopum constituit. *De* Zacchæi Episcopatu Antiocheno *nihil alibi legimus.* Zacchæum, publicanum, *qui in domo sua* Christum *susceperat, primum* Cæsareæ Palæstinæ Episcopum *fuisse tradunt Apostolicæ Constitutiones sub nomine Clementis Romani lib. 7, cap. 46, aliis 47. Verum de variis Episcopis non debito ordine eo capite relatis infra agemus. Alius colitur* XXIII *Augusti* Zacchæus *quartus* Hierosolymorum Episcopus : *ut similis aliunde Zacchæus hic intrusus videtur. De* B Evodio *potius hæc similisve lectio esset substituenda.* Quia illic Petrus habitavit et Evodium, cui postea Ignatius successit, Episcopum constituit. *Verum hæc nomina et successionis* Abilii *in* Sede Alexandrina *et constituti* Episcopi Ignatii *apud* Antiochenos, *arbitramur a posteris adjuncta. Nam eadem verba absque* Abilii *et* Ignatii *mentione repetita in Concilio septuaginta Episcoporum Romæ habito sub Gelasio Papa ita leguntur* : Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco ejus discipulo et Evangelista consecrata est : ipseque a Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium. Tertia vero Sedes apud Antiochiam ejusdem beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis ; eo quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. *En desunt et* successio Abilii, et inauguratio Ignatii a S. Petro facta. *Eadem confirmantur in Concilio Romano sub Damaso Papa, ex cujus Canone juxta collectionem Cresconianam hæc verba proferuntur apud Baronium ad annum Christi* 39, *num.* 23. Tertia vero Sedes apud Antiochiam beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis, eo quod illic primitus, quam Romam venisset, C habitavit ; et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. *Quæ cum Epistola Anacleti prorsus consentiunt, si sola* S. Ignatii constituti Episcopi interposita mentio tollatur.

*ab aliis explorata.*

*olim interpolata.*

17 *Secundo* Ignatium S. Petri dextera ordinatum, *et* Pontificatus gratiam suscepisse *scribunt Theodoretus Cyri in Syria Episcopus, et S. Felix III Papa, qui ambo seculo quinto vixerunt. Theodoretus in Dialogo Immutabilis, qui primus tomo operum 4 legitur, ita tradit* : Ἀκήκοας δὲ πάντως Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃς διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο, καὶ τὴν ἐκκλησίαν Ἀντιοχέων ἰθύνας, τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνεδήσατο. Audivisti enim prorsus Ignatium illum, qui de Petri dextera Pontificatus gratiam suscepit, et post administratam Ecclesiam Antiochenam, martyrii coronam adeptus est. *S. Felix Papa in epistola* X *ad Imperatorem Zenonem accusat* Petrum Fullonem excommunicatum, sanctæ Antiochenæ Ecclesiæ indignissimum se ingessisse, sanctamque Sedem pontificatus Ignatii Martyris, qui Petri dextera Episcopus ordinatus est, polluisse.

*Ordinatus a S. Petro dicitur a Theodoreto,*

*et Felice in Papa.*

18 *Tertio S. Joannes Chrysostomus in memorata Homilia, qua eximie urbem Antiochenam præconio extollit, S. Ignatium laudat Apostoli Petri successorem* : Præcipua, *inquit*, Deo hujusce civitatis cura fuit, id D quod et reipsa plane declaravit. Siquidem eum, quem toti orbi præfecit Petrum, cui claves cœlorum dedit, cujus arbitrio et potestati cuncta permisit, hunc ibi longo tempore jussit commorari. Quamobrem universo orbi ex altera parte respondet civitas nostra, sed quia Petri mentionem feci, quintam ex ipso contextam coronam animadverti : quoniam illi in Episcopatus Antiochensis dignitate successit. Nam ut, si quis e fundamentis magnum lapidem eruat, alterum omnino parem in ejus loco conetur constituere, alioquin totum ædificium labascet et corruet; ita cum Petrus Antiochia esset discessurus, alterum Petro parem præceptorem gratia Spiritus substituit, ne inchoata jam ædificatio successoris contemptu fieret debilior. *Hæc Chrysostomus amplificatione oratoria adeo videtur extulisse, quasi nullus Antiochiæ Episcopus extitisset* Evodius, *cum* Ignatium *velit fuisse quem*, Πέτρου μέλλοντος ἐντεῦθεν ἀποδημεῖν, ἕτερον ἀντίρροπον Πέτρου διδάσκαλον ἡ τοῦ Πνεύματος ἀντεισήγαγε χάρις. Οὗτον μετ' ἐκεῖνον τοῦτον διαδέξασθαι τὴν ἀρχήν. *An Chrysostomus Evodium Antiochenum vivo Petro regentem Ecclesiam, quasi ab eo supremo Pastore in munere suo obeundo directum, neglexerit; et contra illi S. Ignatium solum ab obitu utriusque eam Ecclesiam gubernantem subrogarit?* Si enim, *inquit in eadem Homilia*, centum E homines vel etiam quinquaginta regere difficile est, quantæ virtutis debet existimari, tam celebrem urbem administrare, et eum populum regere, qui ducenta contineat hominum millia? *Adjungit difficultatem temporum ob persecutiones Gentilium* : si hoc tempore, *inquit*, labores, ærumnasque multas gubernatoribus præbet Ecclesiæ præfectura; quanto plures, majoresque tunc erant labores, cum pericula, et pugnæ, et insidiæ, et terrores perennes instabant : *In illud ergo tempus destinarat Petrus*, S. Ignatium, *a quo tum post suum Evodiique obitum*, Antiochiam *in Christi fide præviderat conservandam, et plurimum augendam.*

*apud Chrysostomum.*

*an ab ejus obitu?*

19 *Hanc opinionem firmat Nicephorus Callistus lib. 2 cap. 35, quo* S. Petrum, *dum* per orbem circumiens, Ecclesias ubique constitueret, *tradit plures elegisse aliis deficientibus in* dignitate Episcopali *successores.* Ἐν δ' Ἀντιοχείᾳ πρῶτον μὲν Εὐόδιον μετὰ δὲ τοῦτον τὸν ὄντως τοῦ Θεόληπτον, τὸν Θεοφόρον ἐτίθει Ἰγνάτιον. Antiochiæ, *inquit*, primo Evodium, deinde revera numine afflatum Theophorum statuit Ignatium. *Eo scilicet modo, quo ante dixerat* Romam commisisse suis successoribus, Lino videlicet, Anacleto, et tertio sacro Clementi, *ut eadem utrique Ecclesiæ sit difficultas, eademque extricandi ratio. Ac primo nonnulli confugiunt* F *ad Apostolicas Constitutiones Clementi Romano Pontifici attribui solitas, in quibus lib. 7, cap. 46, aliis 47, sub nomine S. Petri et aliorum Apostolorum ita legitur ex interpretatione Francisci Turriani.* De Episcopis vero, qui a nobis, dum viximus, ordinati sunt, certiores vos facimus. Jacobum Episcopum Hierosolymitanum fratrem Domini, et huic post mortem secundum successisse Simeonem Cleophæ filium, et huic rursus tertium Judam Jacobi filium..... Evodium Episcopum Antiochiæ a me Petro ordinatum, cui successit Ignatius a Paulo ordinatus ... Linum Claudiæ filium Ecclesiæ Romanorum Episcopum primum, a Paulo ordinatum, post mortem vero Lini Clementem, quem ego Petrus secundum ordinavi.... Aristonem primum Episcopum Smyrnæ, hujus post mortem successorem fuisse Strateam Loidis filium, cui successit tertius Episcopus alter Ariston *etc. Omittimus plura recensere. Absunt a* Smyrnensibus S. Bucolus *primus Episcopus hujusque successor* S. Polycarpus *condiscipulus* S. Ignatii; *de quibus egimus ad hujus Vitam* XXVI *Januarii, de S. Bucolo acturi iterum* VI *Februarii. Secundo* S. Simeonem Hierosolymorum Episcopum *anno decimo Trajani cruci affixum fuisse, eique tum successisse,*

*juxta Nicephorum constitutus a S. Petro post Evodium,*

*in Constitu. Apost. Clemente*

non

A *non* Judam Jacobi, *sed* Justum *ex Judæis assumptum tradunt Hieronymus in Chronico Eusebii, et idem Eusebius lib.* 3, *Histor. cap.* 29. *Verum seu Judas seu* Justus *vocetur, non potuit post obitum S. Simeonis constitutus fuisse ab Apostolis ante decimum annum Trajani cum S. Clemente Romano, cui hi libri attribuuntur, e vita sublatis. De* S. Simeone *agemus* XVIII *Februarii.*

*An plures simul Episcopi Antiochiæ.*

20 *Hæc aliaque convincunt non omnimodam esse hisce libris adscribendam fidem, neque tuto inde colligi duos tum* Antiochiæ constitutos Episcopos, *quorum* alterum iis, qui ex Gentilibus ad Christum venissent, alterum vero iis, qui ex circumcisione credidissent, Episcopum præfici oportuit, *ut legitur in Notationibus ad Martyrologium Romanum, additurque* irrepsisse errorem in citatum locum Clementis, dum Evodius a Petro, et Ignatius a Paulo dicuntur substituti Episcopi, cum potius Petrus Ignatium ordinarit. *Eadem iterum in Annalibus Ecclesiasticis attinguntur anno* 45, *num.* 14 : *ubi Baronius,* quod agat conjectura, nihil certi affirmare audet : *quæ Petrus Halloix cap.* 2 *Vitæ et adjunctis Notationibus pluribus conatur probare. Verum eadem ratione duo dicerentur Romæ aut etiam plures simul sedisse Pontifices,* Linus a Paulo, *et* Clemens a Petro *juxta Constitutiones Apostolicas* ordinatus, *eisque interponendus* Cletus *sive* Anacletus *in eisdem Constitutionibus omissus.* B *Nos eisdem argumentis ordinem succedentium apud Antiochenos Episcoporum firmabimus, quibus series Pontificum Romanorum stabilitur.*

*et Romæ*

*Utriusque Sedis successio probatur auctoritate S. Ignatii,*

21 *Baronius anno Christi* 69, *num.* 38, *auctoritate S. Ignatii successionem illorum confirmat.* Quod igitur ad veteres, *inquit*, rerum Ecclesiasticarum scriptores pertinet, cum S. Ignatius, qui eodem seculo vixit cum Apostolis, dicat Clementem successisse Cleto (*sic enim legit pro Anacleto*) plane declarat ipsum Clementem tertio loco, nempe post Linum et Cletum Romanæ Ecclesiæ Pontificem præfuisse. *Est ea* S. Ignatii *Epistola ad Mariam Cassobolitem, quæ in plerisque exemplaribus* Anacletum, *in antiqua versione ab Usserio eruta* Cletum, *in MS. Florentino* Λίνον *Græce exhibet. Si uni Ignatio tantum concedit Baronius in successione Pontificum Romanorum, quidni illi credimus in caussa proprii Episcopatus ita ad suos Antiochenos ex itinere Romano scribenti?* Παύλου καὶ Πέτρου γεγόνατε, μαθηταί, μὴ ἀπολέσητε τὴν Παραθήκην. μνημονεύσατε Εὐοδίου τοῦ ἀξιομακαρίστου ποιμένος ὑμῶν, ὃς πρῶτος ἐνεχειρίσθη παρὰ τῶν Ἀποστόλων τὴν ὑμετέραν προστασίαν. μὴ καταισχύνωμεν τὸν πατέρα, γενώμεθα γνήσιοι παῖδες, ἀλλὰ μὴ νόθοι. *Consentiunt omnia exemplaria Græca. Quæ ita apud Martialem Mestræum* C *Latine leguntur* : Pauli et Petri fuistis discipuli, ne perdatis depositum. Mementote Evodii beatissimi Pastoris vestri, qui primus vobis ordinatus est ab Apostolis Antistes. Ne simus pudori Patri, simus genuini filii, non autem adulterini. *En* Evodium *adjunctum* SS. Petro *et* Paulo, *primum Antiochenis ab Apostolis ordinatum Episcopum, Antiochenos ipsumque Ignatium ejus filios.*

*a Martyrologiis.*

22 *Baronius iterum num.* 42, *successionem prædictam confirmat* Martyrologio Romano, locuplete traditionis Ecclesiasticæ teste. *Juxta illud post* S. Petrum *Ecclesiam gubernarunt* primus Linus, secundus Cletus, tertius Clemens : *relati die singulis natali* XXV *Septemb.* XXVI *Aprilis, et* XXIII *Novemb. In eodem Martyrologio* XI *Maii ita legitur* : Antiochiæ S. Evodii, qui, ut B. Ignatius ad Antiochenses scribit, primus ibidem a S. Petro Apostolo ordinatus Episcopus, glorioso martyrio vitam finivit. *Quod anno* MDLXXXVI *excusum est Martyrologium Romanum, ita ad Kalendas Februarias S. Ignatium refert* : Natalis S. Ignatii Episcopi et Martyris, qui post S. Petrum et Evodium Antiochenam rexit Ecclesiam. *In moderno Martyrologio, omisso* Evodii *nomine, traditur* tertius *eam* Ecclesiam rexisse : *quod prorsus coincidit; consentiuntque* D *antiqua Martyrologia supra relata.*

*Februarii Tom. I.*

*AUCTORE G. H.*

*a testimonio Eusebii,*

23 *Baronius denique eamdem Pontificum Romanorum successionem stabilit auctoritate Eusebii et S. Hieronymi, a quibus hæc nobis lis melius dirimenda. Eusebius lib.* 3 *Hist. Eccl. cap.* 16 *asserit* Evodium primum fuisse Antiochiæ Episcopum, secundum Ignatium multum hominum sermone celebratum. *Iterum cap.* 35 *tradit* apud plurimos etiamnum celebratissimum Ignatium Antiochiæ secundum Petri successorem Episcopatum sortitum. Græce Πέτρου διαδοχῆς δεύτερον. *At Nicephoro Chronologo* Antiocheni Episcopi *hoc ordine referuntur*, I Petrus Apostolus, II Evodius, III Ignatius Theophorus, Martyr factus Trajani tempore. *Eo sensu S. Hieronymo de Scriptor. Eccles. cap.* 16 Ignatius *est* Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus.

*Nicephori,*

*Hieronymi :*

*ex tempore successionis,*

24 *Tempus Sedi singulis distinctum in Chronico Eusebii omnem tandem tollit controversiam. Ita ergo apud S. Hieronymum in illo Eusebii Chronico traditur* anno Claudii Imperatoris II, *Christi* XLII, Petrus Apostolus, cum primus Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans, XXV annis ejusdem urbis Episcopus perseverat *et* anno Claudii III, *Christi* XLIII, Primus Antiochiæ, Episcopus ordinatur Evodius, *postea ut* XI *Maii dicetur, Martyr* E *effectus* in persecutione Neroniana, *in qua* Petrum et Paulum Romæ gloriose occubuisse *docet idem Chronicon, successores conjungens* in Sede Romana Linum, in Antiochena Ignatium. *Ita Græce legitur.* τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας κατὰ Πέτρον πρῶτος κληροῦται τὴν ἐπισκοπὴν Λίνος. τῆς Ἀντιοχέων Ἐκκλησίας δεύτερος Ἐπίσκοπος καθίσταται Ἰγνάτιος. *Hæc ibi post relatam necem* Galbæ, Vitellii *et* Othonis Cæsarum. *Aliter in Chronico Latino ab S. Hieronymo distincto, post relatum* SS. Petri et Pauli martyrium Judæorumque rebellionem *dicitur* primus Romanam Ecclesiam tenuisse Linus annis XI. *Dein interpositis obitu Neronis, imperio ac cæde Galbæ et Othonis Cæsarum, additur* : Antiochiæ secundus Episcopus ordinatur Ignatius, ordinatur, *inquit S. Hieronymus, non ergo a S. Petro Apostolo nuper vita functo. Postremo ætas ejusdem, circa annum Christi* XXIV, *ut mox dicetur, nati, convincit, S. Petro Antiochia Romam migrante, Episcopatum Antiochenum eidem admodum juveni non fuisse collatum.*

*et ætate S. Ignatii.*

25 *S. Gregorius Magnus lib.* 2 *Registri, Indict.* 13 *cap.* 71, *sive epistola* 37 *ad Anastasium Episcopum Antiochenum, vocat S. Ignatium* discipulum S. Petri *his verbis* : Amen, Gratia, Quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, F ut de S. Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solum vester est, sed etiam noster. Sicut enim Magistrum ejus Apostolorum Principem habemus communem, ita quoque ejusdem Principis discipulum nullus nostrum habet privatum. *In Homilia S. Chrysostomi dicitur* S. Ignatius cum Apostolis conversatus, et fluenta hausisse spiritualia; a Sanctis illis dignitatem Episcopalem obtinuisse, ejusque sacrum caput beatorum Apostolorum manus attigisse. *Nomen* Apostolorum *attributum primis Christi discipulis, aliisque coævis sæpius diximus. Ex his* Titum Apostolum, Parmenam Apostolum, Timotheum Apostolum, Ananiam Apostolum *celebravimus* IV, XXIII, XXIV *et* XXV *Januarii. Supererat adhuc* S. Joannes Evangelista, *cujus discipulos numeravimus hos* Episcopos, Papiam Hierapolitanum, Polycarpum Smyrneum, *et tertio loco* Ignatium Antiochenum. *Ex his* Papiam a S. Joanne Episcopum ordinatum *scribit Petrus de Natalibus lib.* 3 *cap.* 141. *Petrus Halloix in ejus* Vita non dubitat pro vero recipere, illi a S. Joanne Apostolo curam Episcopatus, quemadmodum *et* Polycarpo, *esse commissam. Ceterum* S. Polycarpum annuente universo cœtu Ecclesiasticorum *a* laicis electum *esse, et ordinariam*

*An ordinatus ab aliis Apostolis,*

*aut S. Joan. Evangelista*

*ut SS. Papias et Polycarpus*

A consecrationem ab Episcopis manuum impositione peractam, *tradit Auctor antiquus Vitæ ejus cap.* 5. *An ordinaria ea electio et consecratio etiam apud Antiochenos peracta? In Actis utrisque S. Ignatii altum est de hoc re silentium. Ordo successionis præclare indicatur, in prioribus e Græco translatis :* Magno Petro succedit Evodus, Evodo Ignatius, *qui in Actis etiam Latinis* post Evodium suscepit Ecclesiam Antiochenam gubernandam. *Alii iterum in Polycarpi ordinatione dissentiunt. Nam Irenæo lib.* 3 *Hæreseon cap.* 32. ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς Ἐπίσκοπος, ab Apostolis constitutus est Episcopus. *Eusebio contra, lib.* 3 *Histor. cap.* 30 πρός τῶν αὐτοπτῶν, καὶ ὑπηρετῶν τοῦ Κυρίου τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος, ab iis, qui Dominum vidissent, ejusque servi fuissent, ordinatus est Episcopus. *Tertulliano libr. de Præscriptionibus adversus hæreses cap.* 32 Polycarpus refertur a Joanne conlocatus, sicut Clemens a Petro ordinatus, *hunc post* Petrum Apostolum a plerisque Latinorum secundum statui *observat corrigitque Hieronymus de Script. Eccles. cap.* 15 ; *cui Polycarpus cap.* 17 *dicitur etiam a* S. Joanne ordinatus, *ut ipse eumdem aut cum aliis Episcopis consecrarit, aut ab aliis electum suo certe suffragio approbarit. Quæ eadem an de* S. Ignatio *dici possint eruditorum judicio relinquimus. Joannes Bapt. de* B *Lezana anno Ch.* 102 *Annal. Carmelitarum num.* 4. *Marcus Antonius Alegreus statu* 2 *Paradisi Carmelitici decoris cap.* 24, *aliique Carmelitano ordini adscribunt* S. Ignatium, unum ex iis Religiosis, qui cum Baptistæ discipulis Christo adhæsere Jesu, annumerati inter septuaginta duos, *quem secundum a Joanne* Baptista *assignant omnis* Heliacæ religionis lumen et Archimandritam. *Quæ ex dictis et mox proferendis ultro corruunt, neque ulteriore refutatione indigent, nulla auctoritate antiquorum stabilita.*

AUCTORE G. H.

*non fuit discipulus S. Joannis Baptistæ*

## § IV. *Ætas S. Ignatii cum annis Imperatorum collata. Annus obitus.*

A*d historicam et chronologicam rationem continuandam, quam hactenus in Januarii Actis confirmandis adhibuimus, communiore usu receptum, quamvis multis intricatum difficultatibus, calculum annorum Christi adoptamus, quem æram seu epocham vulgarem appellamus, nonnulli* Dionysianam *indigetant, quod ea fuerit a* Dionysio Exiguo Abbate Romano *circa annum* DXXV *cœpta introduci, a qua nomine abstinemus, quod ejus ratione accurate subducta non adæquetur æra illa, quæ passim apud viros exactiori in hisce scientiis doctrina* C *illustres suum principium accipit a* Kalendis Januariis C. Cæsare et L. Æmilio Paulo Consulibus : *anno Juliano* XLVI, *urbis Romanæ conditæ e computo Varroniano* DCCLIV, *cujus præcedenti anno vulgo* Christus *creditur et in Martio incarnatus, et in Decembri natus. Hanc epocham Baronius in suis Annalibus biennio integro prævertit, cœptique* Augusto Cæsare XIII *et* M. Plautio Silvano, *et huic suffecto* C. Caninio Gallo Consulibus, *anno Juliano* XLIV, *Urbis conditæ* DCCLII. *Ne tamen perpetuo in contextu Annalium a vulgari epocha dissideret, in progressu eorumdem annos sex imperii Probi ad quadriennium contraxit, et duo paria Consulum communiter admissa neglexit; et sunt fere* Fulvius Æmilianus et Pomponius Bassus II, *itemque* Cornelius Secularis, *et* Junius Donatus, *aut horum loco* Gallienus *et* Valerianus *repetiit; referendi ad annos æræ vulgaris* CCLIX *et sequentem. Hæc de epochæ Christianorum initio, quocumque anno Christus natus fuerit, seu qui hunc immediate præcessit, seu biennium cum Baronio addendum, seu potius quadriennium, ut post Joannem Deckerum docent Dionysius Petavius, Aubertus Miræus, Ægidius Bucherius et alii. Nonnulli cum Joanne Kepplero quintum annum superaddunt.*

*Epocha vulgaris Christianorum,*

*quibus Consulibus cœpta*

*posterior Baronii calculo.*

*et vero Christi natali*

27 *Qui in epocha vulgari jam a nobis statuta annus* fuit XXXI, *Julianus* LXXVI, *Cyclo Lunæ* XIII, *Solis* XII, D *littera Dominicali G*, et Tiberio Cæsare Augusto V, et *Ælio Sejano Consulibus, redemptione generis humani illustris creditur : quippe celebrato pridie legitimo Paschate,* Christum Dominum *Martii* XXIII, *feria* VI, *Luna* XV, *in Cruce mortuum,* XXV *ejusdem Martii, feria* I *resurrexisse. Cum autem ultimo prædicationis suæ anno Apostolos de primatu contendentes* Christus *humilitatem docuerit, ostenso parvulo, quem* S. Ignatium *fuisse ejus tum etiam brachiis gestatum docent Græci posteriores, forte annum ætatis* VI *aut* VII *agentem, et circa annum æræ Christi vulgaris* XXIV *natum; cum* X *Imperii annos absolvisset Tiberius Augustus, cui* XVI *Martii anni Christi* XXXVII *defuncto successit Caius Caligula, quo quarto Imperii anno,* IX *Kalend. Februar. anno Christi* XLI *occiso suffectus est Claudius ejus patruus; cujus anno* II *S. Petrus relicta Antiochia Romam profectus, successorem habuit S. Evodium,* III *Claudii anno Episcopum Antiochenorum ordinatum : quo tempore S. Ignatius vigesimo ætatis anno a S. Joanne Evangelista instituebatur, olim Evodio in Sede Antiochena sufficiendus. S. Polycarpus a S. Joanne commendatus S. Bucolo Episcopo Smyrnensi, ordinabatur Diaconus, instruebat varia hominum genera : dein Sacerdos consecratus, sancta conversatione idoneus reddebatur,* E *qui Bucolo in dignitate Episcopali aliquando successor eligeretur. Quidni eadem ratione apud S. Evodium Ignatius per gradus Ecclesiasticos promotus, eidem tandem suffectus est? Ita et Heron Diaconus S. Ignatii eidem in sede Episcopali successit, ad quem creditur missa S. Ignatii epistola, eximiæ pii parentis in filium spiritalem sollicitudinis et amoris testis, de qua mox agemus.*

*31 hujus Christus passus,*

*ejus brachiis portatus Ignatius,*

*discipulus S. Joan. Evangelistæ,*

*an ab eo S. Evodio commendatus,*

28 *Interea* Nero *qui anno* LIV *Claudio successerat primam in Christianos movit persecutionem, in qua post* Apostolos Petrum et Paulum, *variosque Antistites, etiam martyrii palmam adeptus fuit* Evodius Antiochenus. *Post Neronem imperarunt Galba circiter septem menses, tres Otho; a quorum nece* Antiochiæ secundus Episcopus ordinatus est Ignatius *apud Eusebium in Chronico : anno scilicet Christi* LXIX, *ætatis S. Ignatii circiter* XLV. Vitellio *dein imperatori post* VIII *mensium dominatum successit* Vespasianus, *quo* II Consule *cum* Tito *filio, anno* LXX, *Hierosolymorum urbs capta est, templumque Judæorum succensum. Eos ultimos Consules in sua historia dum refert Tacitus, egregie confirmat præcedentium Consulum ordinem cum maximo nostræ Chronologiæ stabilimento.* Vespasiano *successerunt duo filii, primo* Titus *anno* LXXIX, *dein biennio elapso* Domitianus, *cujus anno circiter* XIII, *Christi* XCIII F *secunda in Christianos excitata persecutione, multi existimant* S. Ignatium *plurima perpessum, ob hæc ejus in epistola ad Cassobolitas verba :* Ego non tam mei juris quam aliorum factus, multorum adversariorum arbitrio, partim exiliis, partim custodiis, partim vinculis exagitor. Ast eorum nihil curo : quin ipsorum potius injuriis erudior, ut Christum Jesum consequar. *Quod autem in epistola indicetur* Clemens *Romanus Pontifex tum successisse* Anacleto, *seu* Cleto, *creditur ea Domitiano imperante conscripta : quod ad horum Acta plenius examinandum. Ceterum hæ videntur* persecutionum infestationes, *quas* Ignatium suis orationibus ab Ecclesia repulisse *referunt Acta Latina.*

*et succedit anno 69*

*plurima passus,*

*an sub Domitiano?*

29 *Anni dictorum Imperatorum, sub quibus vixit* S. Ignatius, *præter constantem Scriptorum antiquorum fidem, astronomica observatione muniuntur. Nam primo annum* Claudii quintum *et* Consulatum M. Vinitii et Statilii Corvini *cum anno Christi* XLV *firmat observata apud Dionem lib.* 60, eclipsis solis Kalendis Augusti, die Claudii Imperatoris natali. *Secundo* Consulatum Vipsanii et Fonteii *cum anno* VI Neronis *et annum Christi* LIX *cœpit* solis defectio pridie Kalend. Maias, hora

*Anni dictorum earum demonstrati.*

A hora diei inter septimam et octavam in Campania *conspecta apud* Plinium *lib.* 2 *cap.* 70. *Tertia* Cædes Domitiani Imperatoris XIV Kalend. Octobr. *contigit apud Suetonium* Luna in Aquario *existente, anno Christi* XCVI. *Adde* Agonem Capitolinum ab *eodem* Domitiano institutum *apud Censorinum cap.* 18 duodecimo ejus *et* Sergii Cornelii Dolabellæ Consulatu, *anno Christi* LXXXVI, Imperii *illius* V, *a qua ad annum Christi* CCXXXVIII Consulibus M. Ulpio Crinito et Proculo Pontiano, *quo Censorinus librum suum commentabatur, fluxerunt anni* CLII, *et Agon qui erat ad modum Olympicorum certaminum tetraetericus, undequadragesimus fuit instauratus. Quæ pluribus deducunt Joannes Deckerus lib.* 1, *Dissertationum de anno ortus ac mortis Domini, parte* 1 *hypothesi* 6 *sect.* 5 *et alibi. Petavius lib.* 11 *de Doctrina temporum cap.* 9, 19 *et* 20, *aliique. Quæ hic attigisse oportuit, ut nostram Chronotaxim assequeretur Lector.*

*Sub Trajano ad bestias damnatur Ignatius.*

30 Domitiano XVIII *Septemb. anni* XCVI *occiso*, Cocceius Nerva *juxta Dionem annum unum, menses* IV, *dies* IX *imperavit, cui* XXVII *circiter Januarii anni* XCVIII *subrogatus* Trajanus *Imperium capessivit. Sub hoc tertia Christianis afflictis persecutione*, S. Ignatius *ad bestias damnatus, palmam martyrii assecutus est : quo autem* B *anno dubitatur. In Actis Latinis* assignatur consulatus Attici et Marcelli : *quod par Consulum quia conjunctum non reperitur, Galesinius in suis Notationibus ad* I *Februarii, confugit ad* Surranum et Marcellum, *Consules anno Trajani* VII, *Christi* CIV, *ab ipso et Baronio ad annum Christi* CVI *retardatos : quo* Ignatium Antiochiæ Episcopum Romæ bestiis traditum *addit* in priscis annalibus prodi : *quod etiam Joannes Cuspinianus ad Consules Aurelii Cassiodori observavit. Quorum autem hi annales sint, neuter exponit. In Chronico Alexandrino*, Syriano II et Marcello Coss. anno Trajanii VII rursum Christiani cœpere vexari, ex quibus multi ob Christi professionem generose et gloriose occubuere. *Dein* martyrium S. Ignatii *ad annum sequentem refertur. Favet huic sententiæ confectum bellum duplex Dacicum post primum*, Trajanum IV Consulem *anno Christi* CI, victo Decebalo Rege Dacorum triumphasse *exhibet antiqua inscriptio apud Panvinium lib.* 2 *Fastorum. Dein eumdem iterum rebellem Decebalum strato super Danubium ponte, a Trajano devictum* Daciamque provinciam *factam, cum ipse* V Consul *esset anno Christi* CIII *docet antiquum numisma apud Baronium anno* 105, *et confirmant Eusebius in Chronico, et Dio in Trajano : apud quem anno sequenti regni ejus* VII, *Christi* CIV, Surano et Marcello Consulibus, *Tra-* C *janum in Urbem reversum, plurimæ barbararum gentium et Indorum convenere legationes : quando in foro columnam maximam, et posterorum scriptis celebratam, collocavit. Quam Romæ præsentiam post bellum Dacicum Acta Latina, et plurima martyrologia ante relata exigunt. Anno autem proximo, Christi* CV *contra Armenos et* Parthos *expeditionem suscepturus, in Græciam atque inde in Orientem profectus est, nec unquam Romam reversus.*

*non anno 104*

*aut sequenti*

*præsente Trajano.*

31 *Hac ratione ea sententia intellecta etsi non omnino improbabilis videri possit, tamen S. Ignatium diutius supervixisse* ad annum Trajani XI, *utraque Acta, aliique Historici requirunt. Primo Acta Latina tradunt* persecutionem a Trajano in Christianos motam anno regni nono, *Christi* CVI, *quo novis latis edictis compellebat* Christianos diis sacrificare. *Hinc anno sequente Trajani* X, *Christi* CVII, *ita legitur in Chronico Eusebii :* Trajano adversus Christianos persecutionem movente, Simeon filius Cleophæ, qui in Hierosolymis Episcopatum tenebat, crucifigitur, cui succedit Justus. Ignatius quoque Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus Romam perductus, bestiis traditur : post quem tertius constituitur Hero. *De S. Simeone agemus* XVIII *Februarii. Secundo Acta utraque Latina et Græca* D *requirunt* S. Ignatium Antiochiæ a Trajano ad bestias condemnatum *esse : quem circa illud tempus* Antiochiæ *moram traxisse memorat Dio, cui* Antiochiæ, *inquit*, cum esset, Augarus Osroenus munera et legationes misit. *Sit ergo* Ignatius *anno Trajani* X Antiochia Romam *missus : non mox sequitur eodem anno bestiis traditum fuisse. Hieronymus, a quo hoc Eusebii Chronicon Latine habemus passim auctum; in lib. de Scriptor. Eccles. cap.* 16 *tradit* passum esse anno undecimo Trajani, *id est Christi* CVIII, *quo consules erant* Ap. Annius Trebonius Gallus, et M. Atilius Metilius Bradua : *quorum* Consulatus *expressis solum cognominibus* Gallo et Bradua, *apud Victorium reperitur vitiosus*, anno bissexto, Periodi LXXVII, Indictione II, Cyclo Lunæ I, *cujus* Kalendæ Januarii *incidunt* in Feriam II, *et* Lunam XIX, et Paschæ dies in II Kalend. Aprilis et Lunam *itidem* XIX. *Quæ omnia conveniunt in annum Trajani* VII, *Christi* CIV, *quo* Consulatum *gerebant supra nominati* Suranus *et* Marcellus. *Potuit autem facillime commutari* Appius, *vel* Annius, *vel* Atilius *in* Atticum, *et* Metilius *in* Marcellum, *quod illa prænomina apud Victorium et Cassiodorum, in Chronico etiam Alexandrino et Fastis Siculis deessent, quæ integra exhibent Fasti Capitolini. Aliam rationem suggerit ex Hegesippo Eusebius, lib.* 3 *Historiæ cap.* 26, *cui* S. Simeon Episcopus Hieroso- E lymorum accusatus est apud Atticum virum Consularem, καὶ οὕτως μαρτυρεῖ ἐπὶ Τραιανοῦ Καίσαρος, καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ, atque ita, *inquit*, sub Trajano Cæsare et Attico Consulari fidem Christi professus est. *Eadem referuntur in Chronico Alexandrino, Breviario Romano, et alibi, ut ad* XVIII *Februarii dicemus : ut hujus* Attici ex Syria tum Romam *redeuntis, curæ custodiæque* Ignatius *traditus, forte fuerit. An idem de* Marcello *dici possit, in silentio antiquorum, nolumus conjectura agere. Denique eum* Trajano jubente, *non tamen* Romæ præsente, *passum esse supra dictum est. Ex calculo horum annorum ad annum ætatis octogesimum quartum, initi Episcopatus trigesimum nonum pervenit. Alii ad obitu S. Evodii, nullo in persecutione Sedis vacantis spatio admisso*, ab anno Neronis XIV ad Trajani XI, *numerant* annos quadraginta, *quos suspicamur in Catalogo Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani expressos fuisse, ut Græce fuerint* ἔτη μ', *non* ἔτη δ', anni 40, *non* anni 4, *qui errore istic typographico leguntur.*

*sed in persecutione anno 106 cœpta.*

*passus 107*

*AUCTORE G. H.*

*passus 108*

*absente Trajano.*

*anno ætatis 84 Episcopus 39 aut 40*

32 *Josephus Scaliger in suis animadversionibus ad Eusebii Chronicon ob* Ignatium Romam perductum, bestiisque objectum, *hoc scrupulo agitatur.* Quærendum, *inquit*, quare ex Syria Romam homo bestiis objiciendus perducitur. Nam non solum de Christianis, sed F et de Gentilibus, cognitio erat ejus, qui provinciam regebat, et in ipsa provincia secundum jurisdictionem suam supplicium de illis sumebat. Soli cives Romani provocabant ad Cæsarem, ut Paulus in Actis Apostolorum. Hoc modo si quidem civis Romanus fuit Ignatius, potuit Romam perduci. Sed civem Romanum bestiis objicere leges non sinebant. Quare hoc dubium aliis excutiendum relinquimus. Ego ingenue fateor inscitiam meam : Alioqui Christianos bestiis objici solitos et pueri vel sciunt, vel ex Martyrologiis discere possunt. Tamen quæstio illa de Ignatio Romam ex Syria perducto digna est, quæ discutiatur, ac eo nomine eam proponimus. *Hæc Scaliger, qui tempora*, Pauli et Ignatii *non satis discernit : tum nulla in Christianos lata lex erat : jam persecutio tertio renovata, in qua quæ a furore tyrannico tormenta ministrabantur, ea suo imperio sibi licita faciebant Imperatores. Aderat Antiochiæ Trajanus, cujus nutus legi cuicumque præferebatur, et ipsi Christiani quia in Deos blasphemi censebantur, quocumque tormento digni judicabantur, quasi læsæ divinæ regiæque majestatis rei. Variæ tamen* Martyrum Romam *mittendorum*

*Quo jure homo Romam missus fuerit objiciendus bestiis?*

AUCTORE G. H.

A *rum a variis caussæ proferuntur : et hæ quidem infra in Actis : ut* prolixitate itineris gravius subiret supplicium, *ut* Romanis maleficus videretur, *et ut* ne minima ejus apud Antiochenos esset memoria. *Easdem fere exaggerat caussas Chrysostomus in sua de S. Ignatio homilia. Alias proferunt Baronius ad annum Christi* 109, *num.* 9, *et Halloix ad caput* 8 Vitæ S. Ignatii *litt.* I. *Claudius Salmasius, si ad hanc Trajani persecutionem, atque in ea ad tempus martyrii S. Ignatii animum advertisset, non continuo Epistolas a S. Ignatio ultimo vitæ suæ anno scriptas, tamquam mera figmenta rejecisset, dum in libro de Episcopis et Presbyteris sub nomine Walonis Messalini cap.* 4 *effutit,* Epistolas illas natas et suppositas videri circa initium aut medium secundi seculi, quo tempore primus singularis Episcopatus supra Presbyteratum introductus fuerit. *Hæc ille. Natæ ex Epistolæ sunt sub initium secundi seculi, quo parens earum S. Ignatius vivebat. De Epistolis infra agemus. Tractatum hunc Salmasii egregie refutat Petavius lib.* 2 *de Hierarchia Ecclesiastica cap.* 8, *tomo* 3, *Dogmatum Theologicorum, et ex Heterodoxis Usserius in Dissertatione de Epistolis Ignatianis cap.* 18.

## B § V. *Persecutio Trajani ob Plinii Junioris litteras imminuta.*

*In persecutione*

P*ersecutionis hujus mitigatæ meminerunt utraque Acta : id Plinii Junioris intercessione Trajanique rescripto factum patet ex illius epistola* 97 *libri* 10, *quam cum MSS. collatam hic damus.*

C. Plinius Trajano.

*Plinius consulit Trajanum,*

Solemne est mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui numquam : ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sit ne aliquod discrimen ætatum? an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant? detur ne pœnitentiæ venia? an ei qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit? nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia nomini cohærentia puniantur? Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum : Interrogavi ipsos an essent Christiani? confitentes iterum ac tertio interrogavi : supplicium minatus, perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, (qualecumque esset quod faterentur) pervica- C ciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos. Mox ipso tractu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos aut fuisse : cum, præeunte me, Deos appellarent, et imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt re vera Christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt : fuisse quidem, sed desisse; quidam ante triennium, quidam ante plures annos : non nemo etiam ante viginti quinque : omnes et imaginem tuam, Deorumque simulacra venerati sunt, et Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris; quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere, secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent : quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad

*ubi et Christianorum constantiam,*

*a multis hominibus differentiam,*

*eorum exercitia pia.*

capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium : D quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua et hetærias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri et per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam. ideoque dilata cognitione ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus, et jam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est : quæ videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat prope jam desolata templa cœpisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus. *Hæc Plinius : ex cujus epistola discimus tum Christianorum cujuscumque generis, ordinis atque ætatis in Bithyniæ totiusque Ponticæ regionis civitatibus, vicis, et agris multitudinem, nec non eorum exercitia pia, sancta, atque ab omni spurcitia aliena; tum Gentilium atque ipsius Plinii, viri in mundana scientia sapientissimi cæcitatem atque immanitatem, qui cogeret Christianos mutis simulachris, ipsiusque Trajani adhuc viventis statuæ supplicare, Christo maledicere, ancillas, aut potius Virgines Deo sacratas quæstioni subjici.*

*et credentium multitudinem,*

E

*et suam Gentiliumque cæcitatem.*

34 *Et ita rescripsit Trajanus Imperator, epistola apud Plinium* 98.

Trajanus Plinio.

*Rescriptum Trajani*

Actum, quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis caussis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt : si deferantur et arguantur, puniendi sunt : ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est, supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in præteritus fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent. nam et pessimi exempli, nec nostri seculi est. *Hæc Trajanus, ob cujus sententiam Tertullianus sub initium Apologetici adversus Gentes, juste conqueritur, exclamatque his verbis :* O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, ut innocentes; et mandat puniendos ut nocentes : parcit et sævit : dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non inquiris? Si non inquiris, cur non et absolvis? latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur : in reos majestatis et publicos hostes omnis homo miles est. ad socios, ad conscios usque inquisitio extenditur. Solum Christianum inquiri non licet, offerri licet : quasi aliud esset actura inquisitio, quam oblationem. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requisitum, qui, puto, jam non ideo meruit pœnam, quia nocens est, sed quia non requirendus inventus est. Itaque nec in illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum : cum, si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis... Vociferatur homo, Christianus sum. quod est, dicit : tu vis audire quod non est. Veritatis extorquendæ Præsides de nobis solis mendacium elaboratis audire *etc.*

*delati Christiani puniendi non conquirendi,*

F

*sententiam ejus arguit Tertullianus*

35 *Hæc et plura ejusmodi Tertullianus qui asserit* Plinium secundum damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatum, quid de cetero ageret, consuluisse Trajanum

A num cum provinciam regeret. *Quæ eadem citata auctoritate Tertulliani refert Eusebius in Chronico, cum ante dixisset* Ignatium Romam perductum bestiisque traditum fuisse : *atque ita in Actis S. Ignatii post gloriosum ejus obitum narrantur : ad quod tempus ea referenda esse verba Plinii requirunt, quando post excitatam a Trajano persecutionem* Christiani *congregationem* facere desierunt ob edictum *ejus*, quo secundum mandata Trajani vetuerat hœterias esse. *Baronius has epistolas refert scriptas anno Imperii Trajani* v *Christi* CIV, *alii melius* CII, *quo easdem citat Petavius in suo ad Doctrinam temporum Chronico, quod* Plinius *anno præcedente Trajani* IV, *suffectus in duos menses* Consulatum *cum* Cornuto Tertullo *gessisset; a qua dignitate mox* Proconsul *missus in provinciam. Verum contra observat Rosinus lib. 7 Antiquitatum Romanorum cap. 42 a* consulatu in Urbe gesto *alios* proximo anno, *alios* quinto vel sexto vel alio in provincias proficisci. *Sed esto primo anno a vicario suo consulatu in Bithyniam iverit Plinius; unde probatur, virum natura ad lenitatem benignitatemque propensum ante edictum Christiani proposuisse, quam mandato Imperatoris persecutio fuerit indicta?*

*post martyrium S. Ignatii Plinius scripsit,*

*non anno 5 Trajani.*

36 *Demum Bithyniam fuisse provinciam non Proconsularem, sed Prætoriam, docent Alexander ab* B *Alexandro lib. 2 Genialium dierum cap. 27, et Paulus Manutius de Legibus Romanis : ille profert* Apuleium *ex lib. 4 Appiani de bello civili*, sub Bruto in Bithynia Prætorem *ejusdemque* Bithyniæ Prætores *ex epigram. 10 Catulli de Varro. Manutius adfert senatusconsultum a Cælio ad Ciceronem missum in quo inter* VIII *provincias prætorias* Bithynia, *cui* Pontus *jungebatur. Sigonius etiam lib. de antiquo jure provinciarum cap.* 13, Plinium Bithyniæ Prætorem, *appellat. Demum* Proprætorem Provinciæ Ponti *nominat vetus ejus inscriptio passim cum epistolis edita, et ex Apiano et Panvinio inter Inscriptiones antiquas a Jano Grutero relata pag. 454, An Plinius ad fidem Christi conversus fuerit, disputat Petrus Halloix.*

*Bithynia provincia Prætoria*

## § VI. *Epistolæ S. Ignatii.*

S*anctitas Ignatii eximia in variis ab eo scriptis Epistolis optime elucet.* Continent *enim* fidem, patientiam, et omnem ædificationem ad Dominum nostrum pertinentem : *ut ait S. Polycarpus, asserens in sua ad Philippenses epistola eos multum juvari illarum lectione posse; adjungitque quotquot S. Ignatii Epistolas sibi aliisque missas penes se habuit. Polycarpi verba in hi-* C *storiam Ecclesiasticam transcripsit Eusebius, sinceræ genuinæ antiquitatis approbator : apud quem Græca verba, quæ ultima Epistolæ parte mutila hactenus desiderantur, vetustissimæ Latinæ versioni accurate respondent. Ea ex lib. 3, cap. 30, huc transferimus :* Περιέχουσι γὰρ, *inquit*, πίστιν, καὶ ὑπομονὴν καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. *Eum, ut supra innuimus, S. Polycarpus Epistolam scripsit, cum necdum martyrium S. Ignatii intellexisset, rogans Philippenses, ut* de ipso Ignatio, et de ipsis, qui cum eo erant, quod certius agnoverint, significarent. *Quæ verba a Petro Halloix cap. 17 Vitæ S. Polycarpi in Epistola ejus istic relata omittuntur, alibi ubique in eadem Epistola constanter reperta : cujus eædem sunt editiones, quæ Epistolarum S. Ignatii mox recensendæ, Basileensibus typis Henrici Petri (quibus eas anno* MDL *primo Latine redditas excusasque censuit idem Halloix) multo antiquiores.*

*Ep... de S. Ignatii a S. Polycarpo commendantur.*

38 *Epistolæ S. Ignatii universim quindecim numerantur, quarum tres, dubiæ prorsus fidei, necdum, quod sciamus, in Græcis codicibus repertæ : duæ Joanni* sancto seniori, *Apostolo et Evangelistæ, inscriptæ, tertia est* ad Christi feram Mariam; *cui addi solet hujus* ad Ignatium *responsum. Non una etiam eademque auctoritas est aliis Epistolis, duas securius in classes dispartiendis.* D *Aliæ quippe certissime ab S. Ignatio conscriptæ noscuntur; aliæ si non convincentibus, probabilibus certe argumentis eumdem expetunt auctorem. Prioris generis septem sunt :* ad Ephesios, Magnesianos, Trallenses, Romanos, Philadelpheos, Smyrnæos et Polycarpum. *Ad posteriorem classem pertinent quinque sequentes* ad Tarsenses, Philippenses, Antiochenos, Heronem et Mariam Cassoboliten : *cujus itidem epistola* ad S. Ignatium *nuper vulgata extat. Omnium autem nobilissima censeri potest, quam* ad Romanos *scripsit, infra Actis a Metaphraste collectis insertam : in qua suum* Ignatius *erga* Christum *amorem, et ingens eo per fruendi desiderium verbis ac sententiis velut ex ipsa totius amoris fornace deductis, aptissime copiosissimeque effundit. Hunc zelum admiratus S. Irenæus ex S. Polycarpi discipulo Lugdunensis in Galliis Episcopus, lib. 5 adversus hæreses cap. 28 hanc* Ignatii *ad bestias damnati sententiam, ex* Epistola *ejus* ad Romanos *descripsit :* σιτός εἰμι Θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι ἵνα καθαρὸς ἄρτος εὑρεθῶ; *quæ apud vetustissimum Irenæi interpretem ita Latine leguntur.* Frumentum sum Christi, et per dentes bestiarum molor ut mundus panis Dei inveniar. *Quem hoc loco non expressit Irenæus Ignatium, ab eo intelligi docet Eusebius lib. 3, Hist. Eccl. cap. 30. Eumdem aperte profert Dionysius eximius mysticæ Theologiæ Magister, cujus opera nunc Areopagitæ attribuuntur.* E *Hic libro de Divinis nominibus cap. 4, § 12 excellentiam amoris Divini ex dicta* S. Ignatii ad Romanos Epistola *ita confirmat :* Visum est quibusdam nostris sacrarum scripturarum tractatoribus nomen amoris divinius esse, quam nomen dilectionis. Scribit enim divinus Ignatius : Meus amor crucifixus est. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Quæ omnia expuncta cupit Petrus Halloix quæstione 2 ad Vitam S. Dionysii Areopagitæ a se compositam; sed absque ullo codicis seu manu exarati seu typis excusi subsidio. Ea servarunt Photius in bibliotheca num. 1, S. Maximus et Pachymeras Græci, et qui Latine Dionysium transtulerunt aut suis commentariis illustrarunt, viri integerrimi et summæ eruditionis, Hugo a S. Victore, Albertus Magnus, S. Thomas Aquinas, Robertus Lincolniensis, Dionysius Carthusianus, Ambrosius Camaldulensis, Marsilius Ficinus aliique quorum sagaci industria opera Dionysii explicantur, edita annis Christi* MDC, MDCXXXVI, *et sequentibus : de quibus copiosius differendi alius exigitur locus. Ex hac S. Ignatii* ad Romanos Epistola *Eusebius et Hieronymus partem inserunt, ille Historiæ Ecclesiasticæ, lib. 3, cap. 30, hic tractatui de scriptor. Eccles. cap. 16, quæ pars inde ad Breviarium Romanum delata, quotannis in officio* F *Ecclesiastico recitatur.*

*auctore S. ... II.*

*præcipua ad Romanos,*

*laudata a S. Irenæo,*

*Dionysio,*

*Eusebio, Hieronymo*

39 *Hi ambo reliquarum prioris classis Epistolarum illustre testimonium nobis reliquerunt : Verba Eusebii hæc sunt :* Ut Smyrnam *Ignatius* venit, ubi erat Polycarpus, unam epistolam ad Ecclesiam Ephesinam scribit, in qua Onesimi, qui ibidem Pastor erat, mentionem facit. Aliam autem Ecclesiæ, quæ erat Magnesiæ prope Mæandrum fluvium, in qua rursum Damam Episcopum in memoriam redigit. Ecclesiæ item Trallianæ aliam, in qua Polybium, qui tum ibi præfuit, inserit. Præterea Ecclesiæ Romanæ scripsit *etc. ex qua* Epistola *cum partem, ut monuimus, attulisset, subjungit :* Jam vero Smyrna longius aliquanto profectus, ex Troade scribens, non solum cum his, qui erant Philadelphiæ, sed etiam cum Ecclesia Smyrnensi, et separatim cum Polycarpo, qui illi Ecclesiæ præerat, familiariter per litteras collocutus est. *Hæc Eusebius, quem imitatus S. Hieronymus ita eas epistolas paucis proponit :* Cumque navigans, *inquit*, Smyrnam venisset, ubi Polycarpus Joannis auditor Episcopus erat, scripsit unam Epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos, et inde egrediens ad Philadelphios, et ad

*... Epistolas referunt Eusebius*

*et S. Hieronymus,*

Smyrnæos,

Smyrneos, et proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam. *Hanc commendationem pluribus describit Eusebius additque : ὁ δὲ αὐτὸς Σμυρναίοις γράφων, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν ῥητοῖς συγκέχρηται, τοιαῦτά τινα περὶ τοῦ χριστοῦ διεξιών. Ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα etc.* Idem dum ad Smyrnenses scribit, quibusdam de Christo testimoniis (quæ unde sumpserit, plane nescio) utitur. Ego, inquit, ipsum Dominum post resurrectionem vidi *etc. Quæ priora verba dum brevitatis causa cum prædicta commendatione præterit Hieronymus, connexuit sequentia cum* Epistola ad Polycarpum, in qua, *inquit*, et de Evangelio, quod nuper a me translatum est, super persona Christi ponit testimonium dicens : Ego vero et post resurrectionem in carne eum vidi, *etc. Quæ accuratius apud Eusebium destincta sunt.*

*Inter eas Epistola ad Polycarpum*

40 *Honorius Presbyter Augustodunensis libello de Luminaribus Ecclesiæ cap.* 17, *omissa Epistola ad Polycarpum, sex solum enumerat S. Ignatii Epistolas, his verbis :* Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ post Petrum Apostolum tertius Episcopus, scripsit Ecclesiæ Ephesiorum epistolam, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos, deinde ad Philadelphios et Smyrnæos. Hic passus est sub Trajano. *Ita Honorius, et quidem, ut præfatur, S. Hieronymum secutus.* Quasi, *infert Usserius in Dissertatione de Epistolis Ignatianis cap.* 2, Epistolam ad Polycarpum Honorius in censu scriptorum Ignatii plane prætermittendam esse judicarit, ita videlicet verbis Hieronymi acceptis, ac si nulla peculiaris ad Polycarpum data, intellecta hic ab eo fuisset Epistola, sed illa ad Smyrnæos tum eis, tum ipsi præcipue, ut eorum Episcopo, conjunctim inscripta fuisset : *eamque sane Hieronymi* mentem fuisse, omnino non dubitat *Usserius : non accurate collatis inter se Eusebii atque Hieronymi verbis, cum ambo præter Epistolam Smyrnæis inscriptam, velint aliam separatim, seu proprie,* ἰδίως *Polycarpo missam. Ipse etiam Polycarpus in sua ad Philippenses, Epistolæ a S. Ignatio sibi missæ meminit :* Scripsistis, *inquit*, mihi et vos et Ignatius, ut si quis eat in Syriam, is vestras etiam perferat litteras. *Verum contendit Usserius* privatas eas fuisse litteras, neque publici juris a Polycarpo factas. *Et iterum cap.* 3, *admittit* Epistolæ ad Philippenses subjecisse Polycarpum, quotquot penes ipsum fuerant, Ignatii Epistolas, non privatas, ad se vel ad alios de rebus ad commune nihil attinentibus conscriptas, sed publicas nobilissimis Ecclesiis dicatas, in quibus res ad πίστιν καὶ ὑπομονὴν καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν spectantes continebantur : *Ita Usserius ex proprio sensu, prorsus nescius in illa Ignatii Epistola S. Joannem Chrysostomum,* πᾶσαν οἰκοδομὴν *latere, ostendisse Homilia de uno Legislatore, quæ est prima tomo 6 operum ex editione Frontonis Ducæi : ubi hæc leguntur.* Διὰ τοῦτο γενναῖός τις τῶν ἀρχαίων (Ἰγνάτιος δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ) οὗτος ἱερωσύνῃ καὶ μαρτυρίῳ διαπρέψας, ἐπιστέλλων τινὶ ἱερεῖ, ἔλεγε. Μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω, μηδὲ σὺ ἄνευ γνώμης Θεοῦ τι πρᾶττε. Propterea nobilis vir quidam ex veteribus, cui nomen Ignatius, quique sacerdotio simul et martyrio decoratus fuit, ad Sacerdotem quemdam scribens dicebat : Nihil sine tua voluntate geratur, neque item tu quidquam absque Dei facias voluntate. *Quæ verba reperiuntur in Epistola ad Polycarpum, quem Chrysostomus* Sacerdotem *allegat, non aliquam Ecclesiam. Eamdem Epistolam citat Homilia* 124 *Antiochus monachus, qui in Laura S. Sabæ floruit sub initium septimi seculi : cujus opera extant edita in bibliotheca Patrum. Hinc patet frustra assumi ab Usserio, hanc Epistolam* privatam fuisse, nec publici juris a Polycarpo factam. *Eximia de aliis Epistolis primæ classis testimonia antiquorum Patrum infra dabimus.*

*perperam a neotericis rejecta.*

*citata a S. Chrysostomo.*

*et Antiocho monacho.*

41 *Baronius tomo* 1, *Annal. Eccl. anno Chr.* 48, *num.* 25, *solum* Epistolas S. Ignatii admittit, quas Hieronymus et alii antiquiores, qui ejusdem S. Ignatii recensuerunt Epistolas, noverunt. *Quam censuram licet ipse ad tres dubias,* Deiparæ Virgini *et* S. Joanni *inscriptas restringat, non sufficienter tamen alteram excludit a nobis assignatam classem, quam Eusebius, Hieronymus aliique prioribus seculis non indicarunt. Petrus Halloix in Apologia pro Epistolis Ignationis cap.* 5, *ab* partum Virginis diabolis incognitum, *ex testimonio* S. Ignatii ab Origene et S. Hieronymo assertum, Epistolam ad Philippenses *hisce cognitam fuisse tradit. Verum ea maxime congruunt huic in* Epistola ad Ephesios *sententiæ :* Ἔλαθεν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου ἡ παρθενία Μαρίας καὶ ὁ τοκετὸς αὐτῆς. Latuit principem seculi hujus virginitas Mariæ et partus ipsius. *Quem locum exprimit Origenes Homilia* 6 *in Lucam,* Eleganter, *inquit*, in cujusdam Martyris Epistola scriptum reperi (Ignatium dico Episcopum Antiochiæ, post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias) Principem seculi hujus latuit virginitas Mariæ. *Quo autem pacto illum latuerit, deinde exponit :* Latuit, *inquit*, propter Joseph; latuit propter nuptias, latuit, quia habere virum putabatur *etc. S. Hieronymus eumdem* S. Ignatii *ad* Ephesios *locum explicat lib.* 1, *Commentar. in cap.* 1, *Matthæi, ubi ita de* desponsatione Virginis Mariæ *et* S. Josephi *loquitur :* Martyr Ignatius quartam addidit caussam, cur a desponsata conceptus sit Christus, Ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de uxore genitum.

*Partum virgineum latuisse dæmones ex epist. ad Ephesios,*

*docent Origenes,*

*et S. Hieronymus.*

42 *Non tamen carent quinque secundæ classis* epistolæ *sua probabilitate, qua merentur ad* Ignatium *ut suum auctorem referri; tum quod mixtim cum aliis in antiquis codicibus Græcis et Latinis reperiantur; tum quod materia in eis legatur rerum eo tempore gestarum, et viventium in Oriente personarum : et spiritus ab aliis prioris classis epistolis vix differat. Polycarpus de aliquibus in Syriam missis epistolis in sua ad Philippenses ita loquitur :* Scripsistis mihi et vos et Ignatius, ut si quis eat in Syriam, vestras etiam perferat litteras. Quod equidem faciam, si tempus opportunum nactus fuero, sive egomet ipse, seu is, quem mittam legatione functurum etiam pro vobis. *Quæ eadem ab Eusebio repetuntur : quibus similia* Ignatius *in sua ad* Polycarpum epistola *ante Troade missa petierat : nempe ut concilium sacrosanctum cogeretur, eligereturque aliquis* θεόδρομος *homo dilectus et impiger, qui in* Syriam *ad* Ecclesiam Antiochenam, *quam oratione* Polycarpi *intellexerat pacem obtinuisse, mitteretur. Tres ergo ejus epistolas, Philippis,* ad Antiochenos, Heronem *successorem, et his meinos* Tarsenses, *scriptas,* Philippenses *sibi ab* Ignatio *commendatus, adjunctis suis, miserunt* S. Polycarpo in Syriam *transmittendas; quod ut moneamus rescripsit aut facturum semetipsum, aut alium ea legatione functurum. Eusebius, a quo S. Hieronymus descripsit, uti iter* Ignatianum *non ultra* Smyrnam *et* Troadem *prosequitur, ita etiam epistolarum deinde Scriptarum non commode potuit meminisse. Quæ omnia, etsi evidentem harum Epistolarum certitudinem non adferant, congruis tamen argumentis induxerunt Orientales æque atque Occidentales Scriptores, ut eas ab S. Ignatio scriptas admitterent.*

*V Epistolas alias scripsit Ignatius,*

*earum tres ab a Philippensibus commendatæ Polycarpo*

43 *S. Joannes Damascenus lib.* 1, *Parallelorum ca.* 1, *hanc S. Ignatii sententiam vulgarit :* Cæsari in his rebus parete in quibus parere periculo caret. *Quæ in Epistola ad Antiochenos sic Græce leguntur.* Τῷ Καίσαρι ὑποτάγητε, ἐν οἷς ἀκίνδυνος ἡ ὑποταγή. *Ea vetus Interpres apud Usserium ita vertit :* Cæsari subjicimini, in quibus non periculosa subjectio. *Reliqua, quæ dicto loco huic sententiæ adduntur, aut ipsius Damasceni Scholium sunt, aut alterius auctoris, e quo hic descripserit, additamentum : nisi malimus eum alio exemplari usum aut magis perfecto, aut potius interpolato. Alia ratio videri potest apud Petrum Halloix in Apologia pro his Epistolis cap.* 4, *ex fragmento cujusdam* Anastasii Presbyteri,

*Eas citant S. Joan. Damascenus,*

*Anastasius presb.*

A sbyteri, *communicato a Sirmondo nostro : in hoc citari refert* Epistolam πρὸς αὐτοὺς ἐν Τάρσῳ, *locum autem reperiri in* Epistola ad Philippenses. *Aliud argumentum conferunt in Martyrologiis Usuardus. Ado, aliique in antiquissimis codicibus MSS.* VI *Maii his verbis :* Antiochiæ S. Evodii, qui ut B. Ignatius scribit, primus ibidem Episcopus ab Apostolis ordinatus est. *Locus reperitur in* Epistola ad Antiochenos, *ad quos ita scribit :* Μνημονεύσατε Εὐοδίου τοῦ ἀξιομακαρίστου ποιμένος ὑμῶν, ὃς πρῶτος ἐνεχειρίσθη παρὰ τῶν Ἀποστόλων τὴν ὑμετέραν προστασίαν. Recordamini Evodii digne beati Pastoris vestri, qui primus ordinatus est ab Apostolis in vestram prælationem. *Hæc ibi antiquissimis editionibus, de quarum diversitate ubi actum fuerit, reliqua de* Epistolarum Ignatii *certitudine clarius innotescent.*

*Usuardus, Ado,*

*Epistolæ quo ordine Latine sint in MSS.*

44 Ordo Epistolarum *hic fere legitur*, ad Mariam Cassoboliten, Trallianos, Magnesianos, Tarsenses, Philippenses, Philadelphienses, Smyrnenses, Polycarpum, Antiochenses, Heronem, Ephesios, Romanos, *quas numero* duodecim *cum antiquo MS. Monasterii Lobiensis collatas habemus, easque credimus a Vincentio Bellovacensi lib.* 10, *speculi historialis cap.* 57, *indicatas, ubi* Scripsisse S. Ignatium duodecim Epistolas *meminit. Ex his* undecim, *in itinere Romano scriptas, habemus Argentorati anno Christi* MDII *excusas : harum prima est* ad Trallianos, *ultima* ad Romanos, *reliquæ prædicto ordine interpositæ, in quas præponitur Jacobi Fabri Stapulensis argumentum, cujus meminit Possevinus in Apparatu sacro et solum quoque* undecim *exprimit. Defuit quæ ad* Mariam Cassoboliten *scripta est. Symphorianus Champerius Lugdunensis prælo Ascensiano anno* MDXVI *vulgavit* quindecim Ignatii Epistolas, *hoc ordine :* primam *et* secundam ad Joannem Apostolum et Evangelistam : tertiam ad Mariam Virginem Matrem Domini; quartam ad Mariam Cassobolitam, quintam ad Trallianos *etc.* decimam quintam ad Romanos, *cum apologia pro tribus prioribus Epistolis : quibus relatis hunc inserit titulum :* Sequuntur epistolæ duodecim B. Ignatii, quarum prima est ad Mariam Cassobolitam, *ac consuetum deinde ordinem servat numero ubique indicato, tamquam tres priores non admisisset. Cusæ mox, recusæque sæpius, quindecim epistolæ ex eadem antiqua versione Latina, tum Coloniæ una cum commentariis Dionysii Carthusiani in antiqua Dionysii opera, quæ Areopagitæ attribuuntur, anno* MDXXXVI *et* MDLVI, *tum Antverpiæ typis Stelsianis anno* MDXL, *cum Epistolis Martialis, Dionysii et Antonii; tum iterum Coloniæ anno* MDLXX *cum operibus S. Clementis Romani. Alias, quas non vidimus, editiones citant Usserius cap.* 19. *Dissertationis, Parisienses annorum* MCDXCV *et* MCDXCVIII. C *Mæstræus Augustanum anni* MDXXIX, *et Simlerus Parisiensem ac Basileensem annorum* MDXX *et* MDLI

*et excusæ anno 1502*

B

*1516*

*1536 et seqq.*

*Græce editæ a Paceo anno 1557*

45 *Quæ solum hactenus visebantur Epistolæ, una eademque versione Latina excusæ, Græce prodierunt ex* antiquissimo Ferdinandi Augusti, *sive* Augustanæ bibliothecæ codice (*ita eum citat Vairlenius mox proferendus*) *a Valentino Paceo erutæ, ac Dilingæ ad Danubium Suevorum urbe anno* MDLVII *excusæ. Plures dein eas Latine interpretati. Inter eos eminuit Gulielmus Morelius, cui privilegium Regium anno* MDLX *concessum Epistolis Græco-Latinis anno* MDLXI *editis adjungitur. Hic Græcum librum Pacei cum exemplaribus Latinis collatum, pluribusque locis restitutum præmonet, correctionibus quam plurimis adjunctis. Extant inde in tomum primum bibliothecæ Theologicæ, editæ anno* MDLXIX, *translatæ. Ediderat jam ante anno* MDLX *harum Epistolarum paraphrasin Joannes Brunnerius Tigurinus usus MS. Codice Gasparis a Nydprugck. Hujus Brunneri ab hæreticorum castris ad Catholicorum signa conversionem referunt Possevinus in Apparatu sacro et Halloix quæstione* 2 *ad Vitam S. Dionysii Areopagitæ. Novam versionem adornavit Hieronymus Vairlenius, notisque Epistolas illustratas edidit typis Plantinianis annis* MDLXVI *et* MDLXXII, *in bibliotheca Patrum* I *et* II *Parisiensis et Coloniensi annis* LXXV, LXXXIX *elapsi seculi et* XVIII *hujus seculi recusos. Easdem denuo Epistolas vertit Martialis Mæstræus Doctor Sorbonicus, notisque illustravit Parisiis anno* MDCVIII *utraque lingua editas, insertasque etiam cum Notis Vairlenii bibliothecæ Patrum Parisiensi anni* MDCXXIV.

*et Latine translatæ.*

D

*Auctore Bollando*

46 *Unicum hactenus prodierat exemplar Græcum Pacei ab omnibus recusum : cui parvam adhibendam fidem esse monuit Bellarminus de Scriptor. Eccles. et lib.* 4 *de Eucharistia cap.* 26. *Recurrendum esse ad Græcum codicem MS. Florentinum indicarunt Franciscus Turrianus lib* 2 *pro Canonibus Apostolorum et Epistolis Decretalibus Pontificum cap.* 10, *appellans* exemplar vetustissimum et emendatissimum, *Thomas Massutius lib.* 1 *Vitæ S. Pauli cap.* 9, *Mæstræus in Notationibus ad Epistolam Mariæ Cassobolitæ scriptam numer.* 1, *aliique plurimi. Hinc desiderium viris eruditis excitatum describendarum ex codice Florentino Epistolarum : quod præstitit Isaacus Vossius singulari vir humanitate et eruditione, in suo itinere Italico ad bibliothecam Medicæam admissus favore Serenissimi Principis Ferdinandi II. Magni Etruriæ Ducis, has Ignatianas Epistolas descripsit, atque ad suos Batavos reversus vulgavit anno* MDCXLVI, *adjuncta translatione* E *vetere earumdem Epistolarum ex duobus codicibus MSS. anno* MDCXLIV *Oxoniæ in Anglia editarum industria Jacobi Usserii Protestantium Armachani apud Hibernos Primatis. Rudis plerumque est hæc versio Latina, et a Græco codice subinde ob variam lectionem diversa : cui tamen prodest ad verum Græcorum verborum sensum eruendum, uti in primi Pacei exemplari Græco supra diximus a Morelio factum.*

*aliæ Græce in MS. Florentino,*

*emendatiores.*

*editæ 1646*

*cum antiqua versione Latina in Anglia repertâ.*

47 *Florentinus codex hoc ordine exhibet Epistolas :* Ad Smyrnæos, Polycarpum, Ephesios, Magnesios, Philadelphios, Trallesios, *quæ omnes ab Eusebio et S. Hieronymo relatæ ad priorem classem spectant. Ex secunda classe sunt solum* Mariæ Cassobolitidis ad S. Ignatium, *et hujus ad eamdem* Mariam et ad Tarsenses. *In utroque MS. Anglicano, teste Usserio cap.* 19. *Dissertationis sequens repertus est ordo :* Ad Smyrnenses, Polycarpum, Ephesios, Magnesios, Philadelphieos, Trallesios, Mariæ proselytæ Chassaobolorum ad Ignatium, Ignatii ad Mariam proselytam, ad Tarsenses, Antiochenos, Heronem, Romanos. *Desunt codici Florentino tres ultimæ, quas opinatur Vossius olim in eo contentas, temporis injuria periisse. Defuit utrique codici Anglicano, uti et Florentino,* Epistola ad Philippenses, *quam hactenus magis interpolatam, pluribus subditis fulcris conatur stabilire Petrus Halloix* F *cap.* 5 *Apologiæ. Usserius repertum in utroque codice MS. ordinem in editione Oxoniensi invertit hoc modo :* Ad Ephesios, Magnesios, Trallesios, Romanos, Philadelphieos, Smyrnæos, Mariam proselytam Chassanobolorum, Polycarpum, Tarsenses, Antiochenos, Heronem, *ubi miscet* Epistolam ad Polycarpum *reliquis secundæ classis, quas omnes quasi* commentitias *a S. Ignatio ablegat : quod supra abunde refutatum.*

*Ordo codicis Florentini*

*et duplicis Anglicani.*

*mutatus ab Usserio*

48 *Hunc Græcum Florentinum codicem, eique convenientem versionem Latinam commendant nonnulla, eaque non obscura, argumenta. Primum, quia continent ab antiquis Scriptoribus ex his Epistolis excerpta, eorumque inserta scriptis, quæ alibi sunt omissa. Ita in tertio* Theodoreti dialogo, *tomo* 4 *operum, indicata* S. Ignatii Episcopi Antiocheni et Martyris epistola ad Smyrnæos, *hoc testimonium ex ejus verbis adfertur :* Εὐχαριστίας καὶ προσφορὰς οὐκ ἀποδέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. *Quæ in Codice Florentino sic leguntur.* Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται, διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν *etc. quæ sensu conveniunt, varia lectione diversa. Priora apud Theodoretum ita* Latine *transferuntur.*

*In Florentino reperiuntur a Theodoreto citata,*

Eucharistias

Eucharistias et oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua resuscitavit. *Florentino Codici convenit versio Latina apud Usserium :* Ab Eucharistia et oratione recedunt, propter non confiteri Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi pro peccatis nostris passam, quam benignitate Pater resuscitavit. *Hæc ibi : desunt autem codici Græco Pacei, aliisque codicibus Latinis. Petrus Halloix cap. 7 Apologiæ aliam innuit scriptam ad Smyrnæos, ex qua hanc eruerit doctrinam Theodoretus. Quæ ejus conjectura ultro corruit.*

*sensus genuinus exhibetur, citatus ab Athanasio.*

49 *Alterum beneficium præstat codex Florentinus, quod Ignatianas nobis exhibeat Epistolas ea phrasi verborum, qua eas citarunt* Athanasius, Theodoretus, Eusebius *aliique eximiæ antiquitatis Scriptores, a quibus reliquæ editiones multum differunt, mutatæ passim et interpolatæ.* Athanasius *libro de Synodis hanc ex* Ignatio *desumit de* Christo *doctrinam :* Εἷς ἰατρός ἐστι σαρκικός καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν ἀνθρώπῳ Θεός, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή, καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ. *Quo loco allegato Dionysius Petavius tomo* 2 *Theologicorum Dogmatum lib.* 3 *cap.* 1, *sect.* 14, *addit se* haud scire, an in vulgaris illius epistolis extet. Legi *quidem* in XI, quæ est ad Ephesios, quiddam illius simile de Medico Christo, sed longe aliter expressum. Ibi ἀγέννητον appellari Patrem, non Filium. Sciri autem Ignatii epistolas variis in locis aliter ab antiquis lectas, quam hodie in codicibus habentur. *Verba in dicta* Epistola *sic hactenus lecta :* Medicus est noster solus verus Deus, ingenitus et invisibilis universorum Dominus Unigeniti pater et genitor. Habemus medicum etiam Dominum nostrum Deum; Jesum Christum, ante sæcula filium unigenitum et in principio Verbum, postea vero hominem ex Maria Virgine. Quam hæc prorsus dissita a verbis S. Athanasii! In codice Florentino ita leguntur. Εἷς ἰατρός ἐστιν σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεός, ἐν ἀθανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ. *Eadem hæc sunt si* ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή *dixerimus, quemadmodum legerunt Theodoretus Dialogo, et Gelasius Papa de duabus naturis in Christo adversus Eutychen et Nestorium, aut quisquis ejus opusculi auctor est antiquus, in Bibliotheca Patrum seculo* 5 *par.* 3, *ubi ita habetur :* Ignatii Episcopi et Martyris Antiocheni ex epistola ad Ephesios : Unicus medicus est, carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine Deus, in morte vita æterna, ex Maria et Deo. *Apud Theodoretum iterum* γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου *varia lectione est. Omittimus tædii vitandi caussa plura afferre. In solis tribus Dialogis Theodoreti tomo* 4 *operum novem loca reperiuntur, quæ conveniunt cum codice Florentino plurimum ab aliis unica dempta, diversa. In Dialogo primo perperam scribitur ex* Epistola ad Romanos ; *corrigendum,* ad Smyrnæos, *quod sufficit monuisse. Usserius hæc a Patribus citata loca, edidit, inter se collata cap.* 4 *et* 18. *Quam ante diximus partem* Epistolæ ad Romanos *ab Eusebio suæ historiæ insertam, eamdem refert Versio Latina ab Usserio edita; interpolata in aliis codicibus epistolarum, et potissimum in Actis apud Metaphrasten; ex quarum collatione Latinam fecit aliam Petrus Halloix cap.* 10 *Vitæ a se conscriptæ. Non infeliciore conatu Vossius ex eisdem Græcis collatis cum editione Usserii Latina, eamdem integram* ad Romanos *Græcam formavit, atque ad calcem notarum adjunxit, ut codicis Florentini defectum suppleret.*

*Theodoreto, Gelasio,*

*desunt aucula Theologica ab aliis intrusa.*

50 *Tertio quæ jam pridem conjectura persumpserunt viri doctiores intrusa in* Epistolas Ignatianas, *ea ab dicto codice Florentino absunt. Epistola sola ad Philadelphenos altera amplius parte auctior reddita, plures confert nævos jure expungendos. Ita post commendatam virginitatem additur.* Non detraho ceteris Beatis, qui nuptiis copulati fuerunt; opto enim Deo dignus ad vestigia eorum in regno ipsius inveniri sicut Abraham, et Isaac, et Jacob et ceteri Prophetæ; sicut Petrus et Paulus et reliqui Apostoli, qui nuptiis fuerunt sociati, qui non libidinis caussa, sed posteritatis subrogandæ gratia, conjuges habuerunt. *Quæ omnia inserta fuerunt fraude nupturientium Clericorum Græcorum, qui dum uxores cum sacerdotio cœperunt retinere, Paulum ceterosque Apostolos in defensionem suæ ipsorum incontinentiæ assumpserunt consortes; uti supra citati monuerunt Baronius, Massutius, aliique. Simile huic deinde additur his verbis :* Presbyteri et Diaconi atque omnis clerus simul cum omni populo et militibus atque Principibus, sed et Cæsares, obediant Episcopo. *Quo tempore ob odium Christi a Cæsare condemnatus erat ad bestias* Ignatius. *Quæ melius absunt in codice Florentino. Ex eadem epistola altercatio Catholicos inter et hæreticos exortæ corruit; dum hi volunt calicis sacrosancti usum in* Eucharistia *omnibus necessario communem esse; Vis omnis in Græco exemplari sita credebatur, ubi ita legitur :* Μία γάρ ἐστιν ἡ σὰρξ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἓν αὐτοῦ τὸ αἷμα τὸ ὑπὲρ ἡμῶν ἐκχυθέν, εἷς καὶ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, καὶ ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη, ἓν θυσιαστήριον πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ εἷς Ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ τοῖς διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου. *Quæ paucis in codice Florentino habentur.* Μία γὰρ σὰρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, ἓν θυσιαστήριον ὡς εἷς Ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου. *Quæ ita vetus apud Usserium interpres vertit :* Una enim caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare, unus Episcopus cum Presbyterio et Diaconis conservis meis. *Absunt ergo illa controversa verba :* Unus est panis omnibus confractus, unum poculum omnibus distributum. *De illis contra Magdeburgenses Centuriatores, Scultetum, Plessæum agunt Bellarminus lib.* 4 *de Eucharistia cap* 4 *aliique qui Plessæum oppugnarunt.*

*de conjugio Pauli et Apostolorum.*

*obedientia Cæsari præscripta.*

*calicis usu omnibus in Eucharistia dando.*

*Hactenus diversas epistolarum Pacei et codicis Florentini scriptiones perscrutati, iterum eas secernimus in distinctas ante classes, quod in prioribus, quarum meminerunt Eusebius et Hieronymus pareæ admodum proferantur sententiæ ex Scriptura sacra depromptæ, eæque ex novo fere tantum Testamento. Non ideo statim probamus arctiorem Vossii censuram, qui reliquas* falso Ignatio adscriptas, fictas, spurias, ex pseudepigraphis *censet : quas rationibus si non convincentibus et certis, saltem probabilibus ad* Ignatium *referimus.*

51 *Quæ hactenus Græce nondum repertæ tres aliæ* Epistolæ, *una ad* Deiparam Virginem, *duæ ad* S. Joannem Apostolum, *sub nomine* S. Ignatii *circumferuntur, dubiæ et incertæ a plerisque censentur, a Bellarmino, Christophoro de Castro aliisque etiam fictitiæ; quas tamen S. Ignatio adscripserunt S. Bernardus, Æneas Silvius, Dionysius, Carthusianus, Michael Cortonensis, Symphorianus Champerius et alii quos profert Halloix quæstione singulari post Apologiam pro Epistolis S. Ignatii, cujus istic judicium non displicet hac ratione moderatum, quo admittit suspectas dubiasque haberi posse, non prorsus despici debere, omnemque fidem perdere : ideoque liberam unicuique relinqui facultatem, quodcumque voluerit, opinandi. Quod stylo differant, in tempora distinctissima referendum : Nam a juvene et discipulo sexaginta ante reliquas scriptæ fuissent annis. Quænam fuerit* Ignatii διδαχή et Liturgia *apud Usserium cap.* 1 *Dissertationis pro Ignatianis Epistolis, prorsus nos latet. Forte inde excerpta apud Damascenum S. Ignatio attribuuntur.*

*tres dubiæ fidei.*

52 *Alius reperitur tractatus sub* S. Ignatii, *plane confictus, sub hoc titulo :* Regula Christiferæ Mariæ Virgini a S. Ignatio conscripta, *tum rythmico versu ea ita describitur.*

*conficta regula Deiparæ Virgini conscripta.*

Maria

A Maria sibi Regulam statuit vivendi,
Et sub isto ordine Deo serviendi.
Noctis enim tempore horæ matutinæ
Oratione jugiter vacabat hæc divinæ, etc.

*Versus sunt centum et triginta, ab aliquo viro pio, et Virgini Deiparæ dedito, exercitationis caussa conscripti, et monastico sanctimonialium generi vivendi accommodati : cui annumerat et* Deiparam *et* S. Ignatium, *Alegreus in Paradiso Carmelitico statu 2 cap. 1 et 24, quem alias sæpius rejecimus.*

# VITA

## AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, Collata cum MS. Græco.

### CAPUT I.

### *Episcopatus S. Ignatii. Nomen ejus apud Trajanum delatum.*

*Ignatius puer in exemplar humilitatis a Christo propositus.*

Cum *a* Trajanus sumpsisset sceptra Romanorum Imperii, erat Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, et nomine et re *b* Theophorus Ignatius. Nam magno quidem *c* Petro succedit *d* Evodus, Evodo autem Ignatius : fitque et *e* morum ejus et virtutis æmulator. Huic divino Ignatio, cum esset adhuc plane B puer, *f* aiunt Christum adhuc versantem in mundo, ei intemeratas manus imposuisse, et ad populum intuentem, dixisse : Nisi quis seipsum humiliaverit, ut hic puellus, non intrabit in regnum cœlorum : et qui unum ex talibus pueris susceperit in nomine meo, me suscipit : qualisnam futurus esset ætate proficiens Ignatius, hinc ostendens, et Apostolicam illius doctrinam aperte indicans.

*Matth. 18, 3 et 4.*

*discipulus S. Joannis Evangelistæ*

2 Hic ergo divinus Ignatius, simul cum *g* Polycarpo, qui Smyrnensi præerat Ecclesiæ, fuit discipulus Joannis Evangelistæ : et cum ad eum solum ventitasset, et omnem virtutis speciem, et eam maxime, quæ *h* decet Sacerdotem, diligenter exercuisset, Sacerdos deinde eligitur communi sententia omnium simul Apostolorum, et Antiochenus creatur Episcopus. Cum autem assumpsisset Ecclesiam, et multo sudore et labore in ea seminasset præconium pietatis, et zelum per omnia Apostolicum et doctrinam ostendisset, et extitisset perfectus minister Christi mysteriorum; fit quoque postea Martyr, bestiis propter illum traditus, ut paullo altius repetens declarabit oratio.

*Episcopus Antiochiæ*

*apud Trajanum impetr*

3 Trajano enim Romanorum Imperatori, quam de *i* Scythis habuerat, elato victoria, et non sustinenti suam hucusque sistere felicitatem; sed volenti eam C ulterius producere, et Romanorum imperio multos alios subjungere, adversus Christianos, seu adversus pietatem, bellum ei visum est optimum esse et expedire. Nam ille quidem modo putabat se soli prodesse reipublicæ : sic autem etiam Deos suos colere, et eos inducere, ut opem ferant adversus hostes. Gravem itaque ac difficilem persecutionem infert adversus piam fidem, et proponit edicta per universam terram, quæ ejus parebat imperio : ut vel essent cum eo omnes impietatis participes, vel adhuc manentes Christiani, afficerentur variis suppliciis et acerbis mortibus. Contigerat, ut tunc Trajanus versaretur, Antiochiæ : ut qui esset expeditionem suscepturus contra *k* Persas, et bellum ibi pararet. Hic ergo ei de Theophoro significatur Ignatio, quod et religionem teneret Christianam, et hominibus persuaderet, ut Christum tamquam Deum honorarent; idque cum fuisset a Pilato cruce condemnatus et morte, ut docent ejus acta : et fert legem de servanda virginitate, et de contemnendis divitiis et deliciis, et aliis, quæ sunt in vita jucunda : et, quod est omnium gravissimum, quod non oporteat putare esse Deos, et nullam Imperatorum ducere rationem.

*edicta contra Christianos lata*

*Imperatori accusatur*



D

a *Imperavit Trajanus ab anno Christi 98 ad 117*

b Deiferum *vertit Hervetus.*

c *De Cathedra ejus Antiochena agimus 22 Februarii.*

d *Colitur S. Evodius 6 Maii.*

e *Ad imitationem ejus adhortatur Antiochenos Ignatius in sua ad eos epistola.*

f *Nicephorus lib. 2 Hist. Eccl. cap. 35 idem asserit. In odis Menæorum hæc ita leguntur :* Adhuc admodum parvulus in manibus Domini gestatus stetisti ad nos clamantis : Estote mihi sicut hic puerulus

g *Ita et Menologium Græcorum 23 Februarii tradit fuisse* S. Polycarpum discipulum S. Joannis Apostoli et Evangelistæ una cum divino illo Martyre Ignatio.

h *S. Chrysostomus :* Omnes quidem virtutes, quæ in homine esse possunt, in Beato fuisse Ignatio, ipsi Apostoli, dum manus ei imposuerunt, testificati sunt.

i *Imo* Dacis *in aliis Actis adjunctis, quos sub Scythis enumerant Suidas, Plinius, Stephanus de Urbibus, aliique quibus* Sarmatia *Ptolemæi,* Scythia Europæa *dicitur.*

k *Imo* Parthos, *ut alia Acta habent : hos Cedrenus in interiore Perside collocat. Nam observavimus 22 Januarii ad Acta S. Anastasii Persæ § 3, Persidem proprie dictam haud adeo vastam fuisse; at paullatim vicinas circumquaque regiones, Persarum Regibus subjectas, uno Persidos nomine denotari cœptas. Ita istic* Assyria, *hic* Parthia Persidi *attribuitur.*

*AUCTORE METAPHRASTE. EX MS. GRÆCO*

*Daci Scythis annumerati*

*Parthi sub Persarum nomine relati.*

### CAPUT II.

### *Fides Christi coram Trajano defensa. Desiderium martyrii.*

Hæc postquam audivit Trajanus, Sancto statim accersito, cum una etiam adesset Senatus; Tune es, E inquit, qui diceris Theophorus; qui nostra jussa ludificaris, et omnem evertis Antiochiam; et omnes ducis post Christum, qui a te prædicatur; et nec solo quidem Deos dignaris nomine? Divinus autem Ignatius, Ego sum, inquit. Ille vero, Et quid sibi vult, inquit, illud Theophorus? Cui Martyr; Qui Christum, inquit, circumfert in anima. Imperator autem, Tu ergo, inquit, Christum in teipso circumfers? Certe, inquit. Scriptum est enim : Habitabo in eis et inambulabo. Quid vero nos? non videmur tibi Deorum assidue meminisse, et eos semper in anima circumferre, eosque inducere ad opem ferendam contra hostes, et per eos omnia facere, quæ sunt ex animi sententia? Respondens autem Divinus Ignatius; Hei mihi! inquit, simulacra gentium, o Imperator, Deos nominas. Unus enim Deus, inquit, verus, qui cœli et terræ et maris, et omnium quæ sunt in ipsis, est creator. Unus Christus Jesus, Dei filius unigenitus, cujus regni non est finis. Quem si tu agnosceres, o Imperator, et purpura ipsa, et diadema, et thronus regius, firmiora essent et stabiliora.

*2 Cor. 6. 16. Rationem reddit fidei et appellationis Theophori*

5 Imperator vero, Hæc, inquit, mittamus. Tu autem, si velis, inquit, o Ignati, meæ potentiæ rem facere gratissimam, et de cetero referri in numerum F meorum amicorum, hac mente mutata, diis nobiscum sacrifica : et statim (sciant ipsi omnes) te magni Jovis constituam Pontificem, et Patrem nominabo Senatus. Ad hæc Theophorus : Gratias quidem præbere, o Imperator, omnibus quidem est pulchrum; maxime autem Imperatoribus, quod possint ipsi : sed illius iterum gratificari, sed eas, quæ sunt omnino utrisque utiles et conducibiles : eas vero, quæ possunt lædere et maxime animam, et vehementiorem ignis gehennam ei accendere, non is qui dat solum, sed etiam qui petit, et ipse miserrimus. Admirabilis autem, o Imperator, et munifica est tua promissio. Quid enim mea refert, a te maximi Jovis constitui Pontificem, et vocari Patrem Senatus, qui sum Christi Sacerdos, et ei quotidie sacrificio sacrificium laudis, et jam totum me ipsum propero immolare, et efficere complantatum ejus mortis similitudini?

*respuit oblatum pontificatum Jovis*

6 Imperator vero, Cuinam, inquit, festinas teipsum immolare? ei ne, qui a Pontio Pilato in crucem fuit actus? Maxime, inquit magnus Ignatius, ei, qui peccatum crucifixit, et ejus inventorem destruxit diabolum, et omnem ejus potentiam per crucem abolevit. Rursus autem Imperator : Videris, inquit, mihi,

*AUCTORE METAPHRASTE, EX MS GRÆCO.*

o Ignati, omnino recto carere judicio et sana mente. Non enim tam aperte fuisses deceptus scripturis Christianorum, sed cognovisses omnino, quantum sit bonum edictis parere Imperatoriis, et diis sacrificia offerre cum omnibus. Ad hæc Sanctus, utens rursus majore dicendi libertate, Etiamsi bestiis, inquit, consumpseris, etiamsi me cruce condemnaveris, etiamsi gladio et igni tradideris, quæ sunt in tua potestate; numquam ego patiar dæmonibus offerre sacrificium: neque enim metuo mortem, neque desidero præsentia, quæ est in potestate vestra præbere fruenda; sed sola desidero futura, et a me omne adhibere studium, ut transeam ad Christum, qui pro me est mortuus.

*ultro optat atrocissimum mortis genus subire, ut adeat Christum:*

7 Propter quæ volens Senatus Martyrem arguere ignorantiæ, Quid autem tu quoque, dixerunt, confiteris Deum esse mortuum? Quomodo vero, qui subiit mortem, eamque exsecrandam, poterit prodesse aliis? Dii autem et sunt immortales et dicuntur a nobis. Cum ex hoc occasionem Divinus accepisset Ignatius, simul et irridendi illorum deos, et eis aperiendi januam mysterii susceptæ carnis dispensationis, et sic deducendi ad fidem Christi cognitionis, sic verba habuit: Meus Dominus et Deus Jesus Christus, primum quidem propter nos homo factus est, et propter nostram salutem, crucemque et mortem et sepulturam sua sponte accepit. Ceterum rursus tertio die resurrexit, inimici dejecta et prostrata potentia, et ascendit in cælos unde venerat, nos simul a lapsu peccati faciens resurgere, et rursus introducens in paradisum, ex quo male fueramus ejecti: et nos donavit bonis majoribus, quam erant ea, quæ præcesserant. Quod autem ex iis, qui a vobis censentur dii, ullus tale quid fecerit, nullus omnino asseverit. Nam cum isti fuissent homines malefici ex exitiosi, et multa fecissent ad damnum et exitium nostræ vitæ et status, valde vilem autem *a* deorum opinionem et speciem hominibus, qui sunt a ratione paulo alieniores, extra ullam rationem præbuissent, contractis postea velis deceptionis et scena ablata, deprehensi sunt id quod erant, ut qui turpiter e vita excesserint, et morti immortali traditi sint propter multorum interitum. Juppiter quidem certe, qui est vobis primus et maximus deorum, in Creta est sepultus: Æsculapius vero fulmine est percussus. Sepulchrum Veneris ostenditur in Papho, et Herculus fuit ab igne consumptus. Nam cum tales sint, immo vero longe deteriores, ea eis obtigerunt, quæ merentur.

*ostendit Christum vivere, et deos Gentilium periisse.*

a Græce μικρὰν τε τοῦ δαιμόνων, id est, parvam, seu humilem, aut vilem opinionem deorum. Gentianus vertit pravam: forte πονηρὰν vel φαύλην legit.

## CAPUT III.

### *Condemnatio ad mortem. Iter Antiochia Smyrnam.*

Cum hæc dicta fuissent ab Ignatio, Imperator simul cum Senatu timens, ne, si esset ejus sermo prolixior, res quidem Gentilium labefactarentur, et vel non crederentur, vel haberentur ludibrio; et vera quidem floreret religio, et tolleretur nubes erroris, quæ ei offundit tenebras; eum quidem conjicit in vincula, et in tutissima collocat custodia. Ipse autem cum tota nocte apud se cogitasset, quonam modo eum ulcisceretur pro meritis, et quonam modo e præsenti eum vita subduceret, statuit eum feris tradere devorandum, ut dilaniatus ab eis Sanctus interiret. Visus est enim Imperatori hic mortis modus longe gravissimus. Cum hanc rem ergo Senatui mane communicasset, ipsi quoque ejus laudarunt sententiam: sed consuluerunt, ne hæc bestiis objectio fieret Antiochiæ; Ne, aiebant, sic magis desideratum et gloriosum apud suos cives reddamus Ignatium, martyrico fine e vita excedentem. Quamobrem dicebant oportere eum Romam abduci vinctum, et illic tradi bestiis. Sic enim et prolixitate itineris gravius subibit supplicium, et simul Romanis quisnam sit ignorantibus, videbitur esse peremptus, tamquam unus ex maleficis, et nec minima quidem erit ejus apud illos memoria.

*includitur carceri, ad bestias condemnatur, Romam mittendus*

9 Cum hoc ergo placuisset, et in ipsum lata fuisset protinus sententia, Imperator eum rursus producit e custodia, hoc ejus postremum faciens periculum. Et primum quidem multis bonorum promissis crebro Sanctum deliniebat ac demulcebat, deinde etiam rursus minis magis territans. Postquam autem eum vidit nec cedere promissis, neque minas formidare, desperans omnino fore ut mutaretur, ad effectum deduxit ea, quæ decreta fuerant: et cum jussisset prioribus graviora ei imponi vincula, tradit eum cohorti militari, et mittit Romam, jubens, cum advenisset civibus dies festus, quo totus congregaretur populus, eum tradi bestiis ad communem theatri delectationem, ut convenienter ei, quod dicit D. Paulus, ipse quoque fieret spectaculum mundo, Angelis et hominibus. 1 Cor. 4. 9.

*spretis promissis et minis, traditur militibus*

10 Martyr ergo cum ultimam illam accepisset sententiam, et Deo magno clamore, ut consentaneum erat, egisset gratias, cum magna voluptate et lætitia sibi imponit vincula. Et Imperator quidem egreditur contra Persas cum suo exercitu: Theophorus autem cum Ecclesiæ prius bene esset precatus, et gregem suum Deo commendasset cum lacrymis, vinctus sequebatur milites. Deinde cum *a* Seleuciam, non cunctans, non flens, non se aliquid grave omnino pati præ se ferens, sed alacribus venisset pedibus, a militibus in navem immittitur, et cum eis appellit *b* Smyrnam. Hic salutat Polycarpum Divinum Apostolum, quem Smyrnensi præfuisse Ecclesiæ, cum Ignatii fuisset condiscipulus, superius diximus. Eum ergo salutat, glorians et magnifice sibi placens, lætusque de vinculis. Quid enim ei poterat esse majori ornamento, quam adspici pati pro Domino, qui eum sic dilexerat? Deinde cum etiam reliquis Episcopis et Presbyteris et Diaconis reddidisset eas, quas par erat, salutationes (quoniam multi concurrebant ex Ecclesiis Asiæ et civitatibus ad videndum illud spectaculum, et ut pulchro fruerentur fluento, quod fluebat ex illius lingua) ipse ea, quæ par erat, suadens, rogabat omnes, ut pro ipso orarent: ut per feras cito resolveretur ad eum, quem desiderabat; et appareret ante illius faciem.

*vinctus abit Seleuciam pedes, navigat Smyrnam, salutat S. Polycarpum, aliosque, petit pro se orari.*

a Ita Actorum cap. 13 SS. Paulus et Barnabas assumpti in Apostolos Antiochia abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum. Nomen suum debet Seleuco Nicanori conditori, sita ad mare e regione Antiochiæ.

b Smyrna urbs Ioniæ, totius Asiæ minoris olim pulcherrima: de ea ad Vitam S. Polycarpi 26 Januarii egimus.

## CAPUT IV.

### *Epistola Smyrnæ ad Romanos scripta.*

Cum videret autem eos valde perturbatos, et quodammodo pendentes ab illius anima, et non ferendum damnum existimantes separationem ejus et mortem, de iis qui sunt Romæ timens; ne ipsi quoque similiter affecti, non sustinerent eum videre tradi bestiis; sed manus eis afferrent, quibus mandatum erat, ut eum traderent, et ei clauderent apertam januam martyrii: statuit ad eos mittere, ut ii quoque pro eo orarent, ne cursus suæ exercitationis ei impediretur; sed per feras, sicut dictum est, cito resolveretur ad dilectum Dominum. Operæ pretium est autem illius quoque meminisse epistolæ, quæ sic habet ad *a* verbum:

*Scribit Romanis.*

12 Ignatius, qui et Theophorus, *b* Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ quæ est Antiochiæ, Ecclesiæ, quæ misericordiam est consecuta in majestate Patris altissimi, et Jesu Christi solius ejus filii, dilectæ et illuminatæ *c* voluntate ejus, qui *c* volunt omnia, quæ sunt secundum *d* caritatem Jesu Christi Dei nostri, quæ etiam præsidet in loco regionis Romanorum: quam

quam saluto in nomine Jesu Christi, secundum carnem et spiritum unitam omni ejus mandato, impletam gratia Dei ad lætandum in Christo Jesu Deo. Cum Deum precatus obtinuerim, ut viderem spectabiles vestros vultus, vinctus in Christo Jesu, spero me vos salutaturum, si Dei fuerit voluntas, ut dignus habear, qui sic sim usque ad finem. Meum enim rite succedit votum, si gratiam fuero consecutus, ut sortem meam accipiam sine impedimento. Timeo enim vestram caritatem, ne ea me afficiat injuria. Vobis enim facile est facere, quod vultis : mihi autem difficile est Deum assequi, si vos mihi peperceritis. Non enim volo vos hominibus placere, sed Deo, sicut etiam placetis. Non enim ego unquam habebo aliud tempus Deum assequendi, neque vos. Si silueritis de me, ego Dei efficiar. Sin vero carnem meam amaveritis, rursus ero currens. Potius autem mihi præbete, ut Deo immoler. Est enim ara parata; ut effecti chorus in caritate, canatis Patri in Christo Jesu, quod Episcopum Syriæ dignatus sit Dominus, ut inveniretur in Occidente, eum accersens ab Oriente. Pulchrum est a mundo occidere ad Deum, ut ad ipsum exoriamur. Nulli unquam invidistis, alios docuistis.

*petit non impediri sententiam latam :*

*gloriosum martyrium Episcopi orientis in Occidente.*

*ut sit a morte Christianus,*

13 Ego autem volo illa quoque esse firma ac stabilia, quæ docentes præcipitis. Solum rogate, ut dentur mihi vires a Domino, ut non solum dicar Christianus, sed etiam inveniar et dici possim : et tunc videbor esse fidelis, quando mundo non apparebo. Nihil enim quod apparet est æternum. Quæ enim cernuntur, sunt ad tempus : quæ autem non videntur, æterna. Ego scribo Ecclesiis, et mando omnibus, quod ego lubens pro Christo morior, si vos non prohibueritis. Rogo vos, ne sit intempestiva vestra in me benevolentia : sinite me devorari a feris, per quas licet Deum consequi. *e* Sum Dei frumentum, et molor per dentes ferarum, ut Christi inveniar mundus panis. Feris potius blandimini, ut fiant mihi sepulchrum, et nihil relinquant mei corporis, ne sopitus fiam gravis. Tunc ero verus Christi discipulus, quando nec corpus quidem meum adhuc videbit mundus. Pro me Christo supplicate, ut per hæc instrumenta, munda inveniar hostia. Non sicut Petrus et Paulus vobis præcipio. Illi Apostoli, ego *f* condemnatus : illi liberi, ego autem servus usque in hodiernum diem : sed si volueritis, ego libertus Jesu Christi, et exurgam in ipso liber.

*et a devoratione discipulus Christi,*

*et liber resurrecturus :*

14 Nunc disco vinctus nihil mundanum cupere aut inane, *g* a Syria usque ad Romam ipsam pugnans cum bestiis, terra et mari, noctu et diu vinctus decem leopardis, qui sunt cohors militaris : qui etiam si beneficio afficiantur, fiunt deteriores. In eorum vero injuriis magis disco. Utinam fruar bestiis mihi paratis, et opto, ut eæ mihi *h* paratæ inveniantur : quibus etiam blandiar, ut me protinus devorent, non sicut quosdam timore affectæ non tetigerunt. Quod si eæ etiam invitæ noluerint, at ego vi adigam. Ignoscite mihi, scio quid mea intersit. Nunc incipio esse discipulus, ut Jesum Christum assequar. Ignis et crux, bestiarum irruptiones, *i* dissectiones, divisiones, amputatio membrorum, trituræ totius corporis, et diaboli tormenta super me veniant, dummodo Jesum Christum assequar. Nihil mihi proderunt mundi jucunditates, neque regna hujus seculi. Melius est mihi mori in Christo Jesu, quam regnum obtinere usque ad fines terræ. *k* Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, et suæ animæ patiatur detrimentum? Illum quæro, qui pro nobis est mortuus.

*spernit omnia tormenta,*

*et delicias ob Christum,*

15 Ignoscite mihi, fratres : ne sitis mihi impedimento, quo minus vivam, neque me velitis mori. Sinite me puram lucem accipere. Cum illuc enim venero, ero homo Dei. Permittite mihi, ut sim imitator passionis Christi. Si quis ipsum in seipso habet, intelligat, quod volo : et mei moveatur commiseratione, cum sciat quæ me constringant. Princeps hujus seculi me vult diripere, et corrumpere meam in Deum sententiam. Nemo ergo ex iis, qui adsunt, ei opem ferat. Estote mei potius, hoc est, Dei. Ne loquamini Christum Jesum, mundum vero desideretis. Ne habitet inter vos invidia. Nec si ego quidem præsens vos rogem, parete mihi : iis autem parete potius, quæ ego ad vos scribo. Ex iis enim, quæ scribo ad vos, mori cupio. *l* Meus amor est cruci affixus, et non est in me *m* ignis amans mundanæ materiæ : aqua autem potius viva et in me loquens, quæ intus mihi dicit : Veni ad Patrem. Non delector nutrimento corruptionis, neque voluptatibus hujus vitæ. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Jesu Christi filii Dei, qui postea natus est ex semine David et Abraham : et potum Dei volo, ejus sanguinem, qui est caritas incorrupta, et vita perennis. Non amplius volo vivere sicut homines, hoc autem erit, si vos volueritis. Velitis ergo, ut vos quoque Deus velit. Brevibus litteris peto a vobis : mihi credite. Jesus vero Christus vobis aperiet, qui est os non mendax, quod vera dico petendo, ut consequar. Non secundum carnem ad vos scribo, sed secundum Dei sententiam.

AUCTORE METAPHRASTE EX MS. GRÆCO.

*obtestatur, ne impediant desiderium vitæ æternæ*

16 Si passus fuero, mementote in oratione vestra Ecclesiæ Syriæ, quæ pro me, pastore Deo utitur. Solus ipsam Jesus Christus visitabit, ejusque curam geret et vestra caritas. Salutat vos meus spiritus, et caritas Ecclesiarum, quæ me susceperunt in nomine Jesu Christi, non tamquam transeuntem. Etenim quæ ad me non attinebant in via, quæ est secundum carnem, me deduxerunt in civitatem. Scribo autem hæc ad vos e Smyrna per Ephesios, qui digni sunt, qui beati judicentur. Est vero mecum cum multis aliis Crocus quoque, nomen desiderabile eorum, qui mecum convenerunt e Syria ad gloriam Dei. Hæc ad vos scripsi nono Cal. Septemb. Valete perpetuo fratres in tolerantia Jesu Christi, Amen.

*commendat Ecclesiam Antiochenam*

a *De hac epistola egimus supra § 6, et varie eam a diversis interpolatam monuimus, puriorem que editam ex antiquis MSS. Oxoniæ ac deinde Amstelodami.*

b *Desunt hæc verba de Episcopatu ejus Antiocheno in vulgatis ante editionibus, a Græcis, cum prælegerentur in Ecclesia, honoris caussa adjecta.*

c *Græce* χωρίον. *Vetus interpres ab Usserio editus in loco chori Romanorum, qua phrasi alibi utitur S. Ignatius. Alii hic plurima addunt, sed fere interpolata.*

d *Alii* divinos, *Græce* ἀξιόθεα, *hic* ἀξιοθέατα.

e *Hanc sententiam descripsit S. Irenæus, ut supra dictum.*

f *Græce* κατάκριτος, *alii legunt* ἀπόκριτος, nominus.

g *Hinc ediderunt Eusebius et S. Hieronymus loco supra indicato.* h *Græce* ἕτοιμα; *Eusebius* σύντομα, veloces.

i *Hæ voces* dissectiones, divisiones, *desunt Eusebio et veteri versioni Latinæ.* k *Deest hæc sententia in vetere versione : alii plura passim addunt.*

l *Sequentia citat S. Dionysius de Divinis nominibus, quæ supra propugnavimus.* m *Vetus versio :* Ignis amans aquam, id est, refrigerium, sed vivens et loquens est in me.

## CAPUT V.

### *Iter Smyrna Romam, martyrium. Translatio reliquiarum Roma Antiochiam.*

Sed est hæc quidem epistola. *a* Ipse autem paullo post e Smyrna deductus a militibus : et cum appulisset *b* Troadam et *c* Neapolim, transiit pedes per *d* Philippos et Macedoniam, eas quæ sunt in via, invisens Ecclesias, et in eis docens; exhortans, disserens, Fratres, qui erant paullo simpliciores et imbecilliores, confirmans, et efficiens, ut omnes vigilarent et essent sobrii. Cum vero transisset *e* Epirum, et mare transmisisset Adriaticum et Tyrrhenum, appellit *f* Puteolos. Hospitio autem exceptus simul cum militibus ab iis, qui illic erant, fidelibus, cum eos quoque valere jussisset in Domino, venit Romam, et sistitur ante Præfectum Urbis. Cum is ergo Theophorum vidisset, et litteras accepisset Imperatorias, dies autem advenisset opportunus, quando erat dies festus et celebris Romanorum, ducit eum in medium theatrum, sicut jubebat improbum edictum Imperatoris.

*in itinere confirmat Ecclesias*

*venit Romam,*

*ducitur in theatrum.*

18 Cum

A AUCTORE METAPHRASTE, EX MS. GRÆCO.

*populum alloquitur,*

18 Cum ergo universa civitas sederet in theatro, cum ardenti spiritu et oculis jam spectaculum amantibus, utpote quod jam fama ubique annuntiasset, Syriæ Episcopum cum feris esse pugnaturum; conversus ille ad populum, cum quodam generoso et inflexibili animo, ut qui gloriaretur et sibi placeret propter eam, quæ pro Christo suscipi cernebatur, ignominiam; Viri, inquit, Romani, et præsentis hujus certaminis spectatores : non hæc mihi fiunt, ut luam pœnas alicujus maleficii, aut sceleratæ alicujus actionis, sed ut Deum assequar : cujus quidem teneor desiderio, et quem cupio insatiabiliter. Sum enim ejus frumentum, et molor per dentes bestiarum, ut fiam ei purus panis. Hæc dixit, et dimissi leones eum statim dilacerarunt et devorarunt, a solis *g* asperioribus illius ossibus abstinentes, ejus re vera impletis votis, ut bestiæ essent ejus sepulchrum, et nihil reliquum esset ejus corporis : utpote quod Deus pluris faceret famuli preces et amorem ferre usque ad finem, quam efficere, ut non tangeretur a leonibus, ut suo nomini tribueret gloriam.

*a leonibus devoratur, g*

*Ossa Romæ sepeliuntur*

19 Postquam autem hæc evenerunt et finem acceperunt; qui Romæ erant fideles, ad quos adhuc vivens, Divinus scripserat Ignatius, postquam dimissum fuerat theatrum, convenientes, cum ossa, id B cupientibus manibus, sustulissent, et ea honorifice ac reverenter composuissent, ea deposuerunt in loco insigni extra Urbem, vicesimo mensis Decembris. Hæc postea deportata sunt in patriam Martyris Antiochiam : et quæ intercedunt civitates, duplicem acceperee benedictionem, et prius, quando Martyr vinctus ducebatur Romam ex Antiochia, et nunc, quando cum præclaris tropæis illinc referebatur, tamquam apes favum, illum circumvolantes.

*Antiochiam transferuntur.*

*S. Ignatius Romanis apparet :*

20 Atque dicitur quidem, quod post martyricam ejus consummationem, lugentibus illius privationem iis, qui Romæ erant fideles, et nullam accipientibus doloris consolationem, et vacantibus sepulchralibus hymnis et vigiliis, ipse in somnis apparens, et eos quasi amplectens, qui scilicet se ipsos præbuerunt dignos illius consuetudine, luctum eis effecit faciliorem et leniorem, et doloris sedavit vehementiam. Alii rursus dixerunt, se vidisse eum sudore diffluentem, tamquam qui nuper respirasset a laboribus decertationis, et precantem salutem civitati et omnibus fidelibus.

*Epistolæ Smyrnæ scriptæ,*

a Alias tres epistolas etiam Smyrnæ ad Trallianos, Magnesios et Ephesios scripsit. Sunt Tralles et Magnesia urbes Cariæ ad fluvium Mæandrum, qui non procul ab Epheso in mare delabitur.

b Pars Phrygiæ minoris ad mare Agrum Troas dicitur, cujus metropolis Troas, a celebri olim Troja, Ilio, non multum distat. Troade scripsit Ignatius ad S. Polycarpum, Smyrnæos, et C his vicinos Philadelphienses, Lydiæ ad Caystrum fluvium populos ac Philadelphienses. Martyres cum S. Polycarpo Smyrnæ pa. sos celebramus 26 Januarii.

*aliæ Troade.*

*Neapolis.*

c Est hæc Neapolis in finibus Thraciæ et Macedoniæ urbs maritima. Ita SS. Paulus et Lucas Actorum 16 navigantes a Troade recto cursu venerunt Samothraciam insulam et urbem maritimam, et sequenti die Neapolim, et inde Philippos, quæ est partis Macedoniæ urbs.

*Philippis epistolæ scriptæ,*

d Philippis scripsit Ignatius ad Antiochenos, S. Heronem, et Tarsenses, S. Parmenam, unum e VII Diaconis, Philippis martyrio coronatum celebramus 23 Januarii.

e In MS. Græco τὸν ... Ἐπίδαμνον. In Latinis Actis Epirum, quæ est juxta Epidamnum.

f In MS. Græco: Εἰς τὰς ... Ῥώμη ... ubi Roma pro Italia, sive Imperio in mundo occidentali, ponitur. Sunt autem Puteoli urbs maritima Campaniæ prope Neapolim in sinu Puteolano sitam.

g Τραχύτερα ... In Latinis ... relinquerunt crassiora ejus ossa. An cordi inscripta verba Jesus Christus, supra disputatum.

## CAPUT VI.

### *Testimonia PP. Persecutio mitigata.*

a *De ea testimonia SS. Irenæi et Polycarpi :*

Hic quidem fuit exitus Theophori : hæc sunt certamina : hi sunt a conspicui ejus amores in Christum. Et fert testimonium Irenæus Lugdunensis Episcopus, vir magni faciendus, qui Theophori crebro meminit. Quin etiam Polycarpus, qui Smyrnensi præerat Ecclesiæ, qui cum eo ventitabat ad Joannem Evangelistam et Theologum; et cum captivus Romam duceretur Antiochia, eum, sicut diximus, salutavit, hæc alicubi scribens in suis epistolis : Rogo vos, Fratres, ut obediatis, et omnem exerceatis tolerantiam, quam vidistis oculis, non solum in BB. Ignatio, *b* Rufo et Zosimo, sed etiam in multis aliis ex vobis, et in ipso Paulo, et iis qui cum ipso crediderunt : quod ii omnes non in vanum cucurrerunt, neque in vanum laboraverunt, sed in fide et justitia, quæ est in Christo Jesu. Quamobrem sunt etiam in loco, qui eis debetur a Domino, cum quo passi sunt. Non enim præsens seculum dilexerunt, sed Christum, qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Sic ergo situs erat Divinus Ignatius in sacris illorum animis : et cum desiderasset bestiarum ventres sibi sepulchrum efficere, in piorum virorum magis habitat animis. D b

*Ejus mors Trajanum Christianis placat.*

22 Imperator autem Trajanus cum de Theophoro hoc Ignatio postea didicisset, et quam fortiter peregisset hoc certamen martyrii, et quod, ut ipse tulerat sententiam, a bestiis fuisset devoratus, et multa etiam audivisset *c* de Christianis, qui erant in regione, quod scilicet nihil præter leges facerent, neque rem ullam agerent impiam; sed diluculo surgentes, et Christum adorarent tamquam Dei filium, et omnem exercerent abstinentiam in cibo et in potu sumendo, et nihil tangerent ex iis, quæ Lex prohibet; cum ille, inquam, hæc audivisset, et ductus est pœnitentia eorum, quæ facta fuerant, et dicitur tale decretum proposuisse, ut gens quidem Christianorum exquireretur et omnibus esset cognita; inventi autem non interficerentur; sed neque magistratus gererent, ne ue susciperent ullam reipublicæ administrationem. Sic non vita solum Ignatii, sed jam mors etiam multorum bonorum conciliatrix, gloriatio fidei, quæ est in Christo, augmentum pietatis, adhortatio ad eos, qui sunt ex Deo, labores, et contemptio ejus vitæ, quæ est ad tempus, et continentia ab iis, quæ sunt noxia, et studium vitæ puritatis : Gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria et sancto et vivifico Spiritui nunc et semper et in secula seculorum, Amen. *d* c E

a Græce περιφανεῖς Ignatii. Gentiano Iosoni amores.

b Coluntur SS. Rufus et Zosimus Philippis martyrium passi, 18 Decembris. Lipomano Ruffinus est, Græce Ῥοῦφος. c Ex litteris potissimum Plinii supra datis, et in Vita Latina citatis. d Quæ apud Lipomanum appendix annectebatur ex Evagrio, infra dabitur.

*SS. Rufus et Zosimus.*

# EPITOME VITÆ.

### *Ex Menæis et Anthologio Græcorum.* F

Memoria sancti Martyris Ignatii.

Projiceris esca, o Ignati, leonibus ;
Leo invalescis mystica pastus dape.

a Vicena Ignatium malæ absumpsere leonum. a

Fuit hic Apostolorum successor, et Ecclesiæ Antiochenæ secundus post Evodium constitutus Patriarcha, Joannis Theologi, una cum Polycarpo Ecclesiæ Smyrnensis Episcopo, discipulus. Adductus est autem ad Trajanum Imperatorem contra Parthos proficiscentem, et multa cum eo collocutus, atque immutabilem suam in Christum fidem Imperatori professus, mox plumbeis pilis tunditur, et manibus expansis ignem suscipit, papyris oleo imminctis latera aduritur, ardentibus carbonibus imponitur, ungulis ferreis laceratur. His autem cum superior evasisset, vinctus sub decem militum satellitio Romam mittitur, futurus bestiis cibus. Confirmatis igitur singularum urbium Ecclesiis, quas præteribat, Romam perductus precabatur a bestiis devorari, ut Deo, inquiebat, panis purus efficiar. Unde productus in amphitheatrum a dimissis contra se leonibus discerptus est : qui crassiora duntaxat ejus ossa dereliquerunt : quæ collecta Antiochiam

AUCTORE ANONYMO, EX MSS LATINIS.

Antiochiam reportata sunt. Hic autem erat beatus ille, quem adhuc parvulum, ut aiunt; tenuit Dominus, et sinu complexus dixit : Nisi quis se humiliaverit sicut parvulus hic, non intrabit in regnum cœlorum et, Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Ac propterea *b* Theophorus est appellatus. Hunc et sanctus Pater noster Joannes Chrysostomus laudibus honoravit. Celebratur porro ejus conventus in sanctissima magna Ecclesia.

*Matth. 18, 3 et 4*

a *Vicena, seu vicesima, Decembris, qua a Græcis S. Ignatium coli diximus.* b *Tum Græce* Θεόφορος *quasi passive sumitur, alibi fere* Θεοφόρος *dicitur,* Deum ferens.

## *Elogium ex Martyrologiis Adonis, et Bedæ vulgati.*

Natalis S. Ignatii Episcopi et Martyris, qui tertius post Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam : qui persecutione Trajani damnatus ad bestias Romam vinctus mittitur. Ubi *a* præsente Trajano, circumsedente Senatu, pilis plumbeis scapulæ ejus primum contusæ, deinde ungulis latera ejus dilaniata, et lapidibus asperis confricata : post expansæ manus ejus et igni repletæ; papyro oleo infuso et incenso latera ejus adusta. Post super carbones pavimento aspersos, ubi sanctæ plantæ illius steterunt, post lectum flammantem, post dorsum ejus ungulis discissum, et dilaceratum, *b* post acetum et salem quibus plagæ ejus perfusæ, post vinculis ferreis beata membra illius adstricta, et pedes ejus in ima carceris ligno conclusos, ubi tribus diebus ac noctibus panem non comedens, et aquam non bibens mansit; sedente Trajano pro tribunali in amphitheatro, concurrente omni turba Romanorum, ligatus duobus objicitur leonibus. Cumque jam projectus bestias rugientes audiret, ardore patiendi ait : Viri Romani, qui hoc certamen spectatis, non sine causa laboravi, non propter pravitatem hæc patior, sed propter pietatem : frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Hæc illo dicente, adcurrerunt ad eum leones, et ex utraque parte super eum incidentes præfocaverunt eum tantummodo, et non tetigerunt carnes ejus, *c* ut reliquiæ ejus tuitio essent Romanorum, et magnæ urbis, in qua Petrus crucifixus est, Paulus decollatus, *d* Onesimus lapidatus. Passus est undecimo Trajani anno, consulatu Attici et Marcelli Kallend. Febr. Reliquiæ corporis ejus a fratribus, qui eum usque ad martyrium deduxerant, Antiochiam relatæ jacent extra portam Daphniticam in cœmiterio Ecclesiæ xvi Kalendas Januarii delatæ.

a *Hæc in Actis sequentibus deducuntur.* b *Ado* post acetum et sale plagas ejus perfusas. c *Reliqua desunt Bedæ.* d S. Onesimus *Ephesiorum Episcopus colitur 16 Februarii. Hic cum Episcopis Polybio Tralliano et Doma Magnesio Smyrnam ad S. Polycarpum venit.*

*S. Onesimus.*

# VITA ALIA.

## *Ex vetustissimis MSS. Latinis.*

## CAPUT I.

## *Episcopatus S. Ignatii. Trajanus Imperator reprehensus.*

Cum Trajanus Romanorum suscepisset Imperium, Ignatius discipulus Joannis Apostoli et Evangelistæ, vir in omnibus Apostolicus, secundus post Apostolos factus, qui post Evodium suscepit Ecclesiam Antiochenam gubernandam, quæ *a* olim a tempestatibus et persecutionibus exagitabatur; tamquam bonus Pastor atque gubernator omnes infestationes suis orationibus repellebat : et jejuniis atque doctrina assidua et labore spiritali incumbentem tempestatem sua virtute avertebat; timens ne aliquem pusillanimum aut infirmum amitteret. Denique lætabatur de Ecclesiæ immobilitate, cum quiesceret paullulum a persecutione. Considerabat autem apud semetipsum, quod numquam posset ad dilectionem Christi inplenum pertingere; neque perfectum ordinem doctrinæ obtinere, nisi per martyrii factam confessionem Domino appropinquaret. Unde et paucis annis permanens in Ecclesia lucerna Deifica, singulorum corda illuminare per Scripturarum expositionem, precibus assiduis meruit.

*S. Ignatius Episcopus, succedit S. Evodio.*

2 Postea vero *b* nono anno regni Trajani, *c* remeante eo de victoria Scytharum et Dacum, et *d* diversarum gentium, et putante quod posset suum Imperium amittere, nisi Christianorum piissimum cultum ad idololatriam inclinaret. Cum ergo universis gentibus persecutionem comminaretur, omnes Dei cultores aut sacrificare, aut certe mori compellebat. Tunc igitur timens pro Ecclesia Antiochenorum fortissimus Christi miles, ultro perrexit ad Trajanum transeuntem in illo *e* tempore per Antiochiam, et festinantem ad *f* Armeniam, et Parthos. Cumque in faciem Regis Trajani astitisset, Trajanus dixit : Quis es tu, cacodæmon, qui nostra præcepta festinas transgredi, et aliis persuades ut male pereant : Ignatius dixit : Nemo Theophorum cacodæmonem vocat. Longe enim recedunt a servis Dei dæmonia. Scio quidem, quia eis molestus sum : propterea me male cacodæmonem vocasti. Confiteor enim me Christum Regem habere cœlestem, et dissolvo eorum consilia. Trajanus dixit : Et quis est Theophorus? Ignatius dixit : Qui Christum habet in pectore. Trajanus dixit : Et nos non tibi videmur habere deos in pectore, quos habemus auxiliatores contra hostes? Ignatius dixit : Et dæmonia gentium Deos existimas? Erras. Unus est enim Deus, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt, et unigenitus Jesus Christus filius ejus, cujus amicitiam acquisivi. Trajanus dixit : Crucifixum dicis a Pontio Pilato? Ignatius dixit : Illum dico qui crucifixit peccatum et inventorem ejus, *g* et illum qui non justificat idolorum servitutem, sed qui in corde suo hunc sapit. Trajanus dixit : Tu ergo in teipso Christum gestas? Ignatius dixit : Utique scriptum est enim : Habitabo in eis, et inambulabo.

*Trajanum Imperatorem arguit.* *2 Corint. 6, 16*

a *Videtur indicari mota a Domitiano persecutio anno Imperii 13, Christi 94 : de ea supra actum § 3.* b *Is est annus Christi* 106. *Reliqua discussimus.* c *Anno* 104 *Dacia provincia facta anno* 103.
d *Addit Eusebius,* Iberos, Sauromatas, Osroenos, Arabas, Bosporanos, Colchos in fidem acceptos. e *Anno 10 Imperii, Christi 107, quo Dio lib. 68 tradit Antiochiam eum venisse.*
f *Dio,* Bellum, *inquit,* intulit Armenis, Parthisque, propterea quod, ut ipse dicebat, Rex Armeniorum non abs se, sed a Rege Parthorum diadema suscepisset; sed revera id bellum suscepit, adductus gloriæ cupiditate. g *MS. Burgundicum* : et idolorum, *forte legendum* diabolum, *ut Acta Græca habent.*

## CAPUT *a* II *seu potius IV.*

## *Condemnatio ad mortem. Iter Antiochia Romam.*

Trajanus dixit : Ignatium censui dicentem in se ipso continere Crucifixum, vinctum a militibus perduci ad magnam urbem Romam, escam bestiis pro *b* avocatione populi. Hanc sententiam audiens sanctus Martyr Ignatius, cum gaudio *c* exclamavit dicens : Gratias tibi ago, Domine, quoniam perfecte me honorasti in tua dilectione, et dignum me fecisti cum Apostolo tuo Paulo vinculis ferreis alligari. Hæc dicens, et cum lætitia suscipiens vincula, et orans primo pro Ecclesia, et eam cum lacrymis commendans Domino, sicut aries magnus, boni gregis dux, a ferocissimis militibus ducebatur crudelissimis manibus Romam, bestiis ad comestionem. Fuerunt autem custodientes eum Trajani persecutores, numero decem, immansueti quidem, et bestiarum mores habentes. Et quamquam quotidie beneficiis augeretur a Fratribus, nihil horum mitigabat eorum iracundiam; sed crudelibus oculis et manibus affligebant Sanctum; sicut et ipse in *d* epistola testatur dicens : A Syria usque ad Romam cum bestiis depugno, super terram et mare, vinctus cum decem leopardis, quod est

*adjudicatur bestiis,* *Ignatius a x militibus abducitur :*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS LATINIS*

est militaris custodia, quibus cum benefactum fuerit, pejores fiunt.

*Seleuciam navigat Smyrnamque, invisitur a S. Polycarpo*

4 Tollentes igitur B. Ignatium milites pervenerunt ad Seleuciam : unde et navigare habuerunt. Et respiciens S. Ignatius post multum laborem ad Smyrnæorum civitatem, cum multo gaudio descendens de navi festinabat S. Polycarpum Smyrnæorum Episcopum e coadjutorem suum videre : fuerunt autem ambo discipuli S. Joannis Apostoli. Ad quem adductus et spiritaliter communicans et congaudens, et vinculis ejus coexultans, rogat eum adjicere ad propositum suum. Magis autem communiter rogabat eum omnis Ecclesia per S. Polycarpum Episcopum, et per sanctos Presbyteros et Diaconos (sed et omnes Ecclesiæ Asiæ festinabant ad eum) ut participarentur de benedictione ejus spiritali : maxime autem et S. Polycarpum Episcopum hortabantur, ut eum animaret : ut consummatus a bestiis, invisibilis mundo effectus, præsentaretur oblationibus Christi.

*transit Macedoniam, navigat Romam*

5 Et exinde proficiscens, f Troiæ appropinquavit. Adductus autem Neapolim, per Philippos transivit Macedoniam pedibus : et Epirum, quæ est juxta g Epidamnum secus mare, atque exinde navim conscendens, navigavit per Adriaticum pelagus. Et cum inde ascenderet ad h Tyrannicum, et transiret insulas et civitates, ostensum est i S. Potiolo Episcopo quod ipse transiturus esset, et obviam ei exiens, festinabat sequi vestigia ejus, tamquam Apostoli Pauli, et non potuit sequi, spiritu navis proræ incumbente. Et beatificans in eo loco fratrem suum in dilectione, ita navigavit. Denique una die et ea nocte prosperis ventis usi pervenerunt ad urbem Romam.

a Præponenda esse capita 3 et 4 ob colloquium Antiochiæ, non Romæ, factum monuimus § 1. b MS. Burgund. pro advocatione. c MSS. Lobiens. et alia exultavit. d Ad Romanos supra relata. e Quædam MSS. Coadjutorem.

f In Troia, Neapoli et Philippis ante actum.

g Alia MSS. Epidamnium et Epidamnum. A Romanis ominis causa, ne in damnum ire viderentur, Dyrrachium appellatum. Hanc epistolam S. Ignatii ad Philippenses scriptam censent nonnulli, ob hunc in aliquibus codicibus MSS. repertum titulum : Ad Philippenses de baptismo, scripta de Endamo per Euphanium Lectorem; quasi pro Endamo legendum Epidamnum. Alii hæc verba S. Ignatii opponunt : Transmisi vobis hasce meas litteras per Euphanium Lectorem, virum honoratissimum ac fidelissimum, nactus eum circa Rhegium jam navigium conscendentem. Ubi alii legunt circa regionem, Græce περὶ ῥηγίου, an corrupte? Halloix corrigit, Ῥηγίου. Est autem Rhegium urbs maritima Italiæ in agro Brutiorum. Ita S. Paulus Actorum cap. 28 vinctus navigavit Syracusis Rhegium, inde Puteolos, ac tandem Romam.

h Ita MSS. corrigendum Tyrrhenum.

i MSS. alia Pontiolo, et Potiolo. Legendum potius Puteolano : nam Puteolis eum fuisse constat ex priore Vita.

## CAPUT III *seu potius II.*

### *Fides Christi defensa. Dignitates et tormenta spreta.*

*Spernit amicitiam et dignitatem oblatam*

a Et nuntiaverunt Imperatori de adventu ejus, et jussit Imperator adduci eum præsente Senatu, et dixit ei : Ignati, ob quam caussam rebellare fecisti Antiochenorum civitatem, et omnem Syriam converti de paganismo ad Christianitatem? Ignatius dixit : Atque utinam, o Rex, et te potuissem, sicuti et illos, avertere ab idololatria, et introducere ad Deum omnium Christum et constituere tibi fortissimum Principatum. Tunc Imperator ait : Si vis mihi gratiam dare, et inter meos amicos connumerari, deponens hanc sententiam, sacrifica diis, et eris princeps sacerdotum magni Dei Jovis, et b mecum regnabis. Ignatius dixit : eas gratias oportet præsentare, quæ non lædunt animam; non eas quæ perducunt ad perpetuam damnationem : istas vero, quas promittis dare promissiones, in nihilo dignas existimo, neque diis tuis sacrifico; neque Jovem, quis sit, scio; neque hujus mundi regnum attrahit me. Quid enim prodest mihi, si totum mundum lucrer et animam meam perdam?

7 Trajanus dixit : c Videbaris mihi sensatus esse vel sapiens, et non insulsus, et propterea promissa mea d annullas : unde non solum inobediens es, sed et ingratus, et non consentiens Senatusconsulto, sacrificare diis. Ignatius dixit : e Facito tu, o Rex, quod tibi videtur, ego autem diis non sacrifico. Nam neque ignis, neque crux, neque ira bestiarum, neque dissipatio membrorum persuadent mihi separari a Deo vivo. Non enim præsens seculum diligo; sed eum qui pro me mortuus est Christum, et qui a Deo resuscitatus est. Senatus dixit : Nos novimus, quoniam dii immortales sunt, tu quomodo dicis : Quia Christus mortuus est? Ignatius dixit : Meus Dominus propter aliquam dispensationem mortuus est, et post diem tertium resurrexit : vestri autem dii mortui sunt tamquam mortales, et non resurrexerunt; quod manifestum est, quia Jupiter apud Cretam mortuus est : Asclepius vero in f Cithærone monte, g fulmine percussus est : Venus autem in h Papho cum venatore sepulta est : Hercules igne consumptus est in i Tyro. Talibus igitur ultionibus digni habiti sunt dii vestri, qui fuerunt perjuri, et malorum factores, et hominum corruptores. Noster autem Christus et crucifixus est et mortuus; sed ostendit virtutem suam resurgens a mortuis : et in iuriantes se, sicut in vos, ulciscens : vestri autem dii a nostro Deo sententiam acceperunt, sicut operarii malitiæ. Noster vero Deus ab hominibus nequissimis, qui non potuerunt sufferre ejus mandata, et quibus omnia beneficia impenderat, passus est : et ipsi ei ingrati extiterunt.

*ostendit Christum vivere*

*Deos Romanorum periisse*

*docet duplicem vitam et mortem.*

8 Trajanus dixit : Ego moneo te, ut declines mortem, et ad vitam decurras. Ignatius dixit : Bene dixisti, o Rex, ut fugiam perpetuam mortem, et vitam sempiternam acquiram. Trajanus dixit : Quare? quantæ sunt mortes? Ignatius dixit : Duæ : una quidem temporalis, alia vero æterna : similiter autem et duæ vitæ sunt; Una quidem modici temporis, altera vero sempiterna. Trajanus dixit : Sacrifica diis, ut tormenta declines : quod est aptum tuæ senectuti. Ignatius dixit : Quibus diis sacrificem? ex quibus unus, id est, Mars tredecim menses propter adulteria in k dolio vinculis damnatus est : alius vero qui sibi divinitatem assignare usurpaverat, a muliere vinctus est, quam a Titanis rapuerat, quæ eum ex masculo fœminam fecerat. Nam et l Laomedonti muros ædificavit, et mercede privatus est, qui hominum et mulierum opera imitabatur. Ergo non confunderis deos dicere maleficos et m corruptores puerorum, et adulteros, qui per maleficia in draconem et taurum seipsos transfigurabant, non ad aliquid boni, sed ut alienas nuptas adulterarent, quos te oportebat abjicere, non etiam adorare? Ecce quos deprecantur vestræ mulieres, ut pudicitiam vobis conservent? Trajanus dixit : Ego tecum reus factus sum, qui tantos deos blasphemas, qui nihil te nocuerunt. Ignatius dixit : Dixi tibi et olim, quoniam paratus sum omnia tormenta et omnem mortem subire, quia festino ad Deum.

*objicit deorum nequitiam :*

*contemnit tormenta*

9 Trajanus dixit : Nisi protinus sacrificaveris, jam non parcam tibi. Ignatius dixit : Nec desidero, ut mihi parcas : neque quod imperas faciam. Trajanus dixit : Filis plumbeis scapulas ejus contundite. Ignatius dixit : Magis mihi excitasti in Deum desiderium. Trajanus dixit : Ungulis latera ejus dilaniate, et lapidibus asperis confricate. Ignatius dixit : Magis magisque sensus meus extenditur ad Deum, et de quibus patior, verbum non facio. Trajanus dixit : Sacrifica diis; nam ista præsumptio non te juvabit. Ignatius dixit : Quibus diis? forsitan Ægyptiorum jubes me sacrificare bovi, aut hirco, Ibidi, aut simiæ, aut aspidi venenosæ, lupo, cani, aut crocodilo, igni, aut aquæ marinæ, aut terræ, aut Cereri, aut Plutoni, vel Mercurio furi? Trajanus dixit : Dixi, quia ista multiloquia non te juvabunt; sed sacrifica diis, si

*irridet deos Ægyptiorum*

A si vis salutem consequi. Ignatius dixit: Dixi tibi, quia non sacrifico: neque discedo ab uno solo Deo, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt: qui habet potestatem omnis carnis: Deo spirituum, et Rege omnium sensibilium et intelligibilium. Trajanus dixit: Et quis te prohibuit, si quidem est, et illum Deum colere, et istos honorare, quos communiter omnes confitemur? Ignatius dixit: Natura et intellectus, quando fuerint munda, non commiscent veritati mendacium, et luci tenebras, et dulci amarum. Quis enim non intelligat hæc? Aut quis consensus Christo cum Belial? Aut quæ participatio fideli cum infideli? aut qui consensus templo Dei cum idolis?

*prædicat Deum verum, una cum diis falsis non colendum*

10 Trajanus dixit: Expandite manus ejus, et replete eas igni. Ignatius dixit: Neque ignis incensus, neque bestiarum morsus, neque dissipatio membrorum, neque confractio ossium, neque dilaniatio totius corporis, neque diaboli infestatio poterit me separare a caritate Christi. Trajanus dixit: *n* Papyrum in oleum infundite; incendentes, latera ejus adurite. Ignatius dixit. Videris mihi, o Rex, aberrare, quia Deus, qui est in me, vita est; qui virtutem mihi præstat, et confortat animam meam, ut possim sufferre tua tormenta. Trajanus dixit: Ferreus es, et durissimus, et plumbeus, ut tanta tormenta sustineas: B sed sacrifica diis, ne hæc patiaris. Ignatius dixit: Non quasi non sentiens tua tormenta, o Rex, sed spes Dei, quæ in me est futurorum bonorum, relevat meos dolores. Quapropter neque ignis ardens, neque aqua bulliens potest extinguere meam in Deo dilectionem. Trajanus dixit: Afferte ignem, et expergentes in pavimento carbones, stare facite Ignatium super eos, ut vel sic credat, et mihi consentiat, et diis sacrificet. Ignatius dixit: Combustio ignis tui commemorationem mihi facit verissimi ignis: iste autem temporalis nihil est. Trajanus dixit: Arbitror hoc maleficiorum esse, quod sic tormenta contemnit, et non cedit nobis, in tantis quæ a nobis pertulit. Ignatius dixit: Qui a dæmonibus discedunt, tamquam ab apostatis Dei, et idola execrantur, quomodo malefici esse possint, edicito. Vos enim magii estis, qui idola colitis et talibus maledictionibus subjacetis. In nostra autem lege positum est, ut maleficos vivere non permittamus, neque incantatores aut augures, sed et omnium illorum, qui talia opera gerunt, libros incendere consuevimus: quos et audire execramur. Propter quod non sum ego maleficus; sed vos qui dæmonia adoratis. Trajanus dixit: Per deos juro, o Ignati, laborabam tecum, ut liberari posses, sed jam C tormentis te afficiam, donec subjiciaris præceptionibus nostris. Ignatius dixit: Noli laborare, o Rex, sed si vis, igni me contrade, aut gladio me concide, aut in mari me mitte, aut bestiis trade; ut credas quia nihil horum periculosum est propter Dei amorem.

*cujus amore n varia sustinet tormenta, maleficium objectum retorquet in idololatras,*

a *Habitam Antiochiæ hanc quæstionem supra diximus.*
b *In altera Vita* et Patrem nondubio Senatus
c *Eadem*. Videris recto carere judicio et sana mente
d *MS. Burgund.* adulidas e *Alia MSS.* fac cito.
f *MS. Audon.* Citherô. *Est* Citheron *mons Bœotiæ.*
g *De* Æsculapio fulmine icto *agit Virgilius lib.* 7 *Æneid.*
h *Urbe Capri.*
i *Imo in alia monte Thessaliæ, hunc Herculis Œtæi tragœdia apud Senecam. At Tyrum etiam duci* Herculem *observat Arnobius lib.* 4 *contra Gentes, qui simili modo deos Gentilium explodit.*
k *Imo reti ferreo. Hinc Ovidius lib.* 2 *de arte* Mulciberi capti Marsque Venusque dolis
l *Regi troiano, cui suæ urbis mœnia reædificavit Neptunus.*
m *Trajanum παιδεραστία infamem fuisse tradit ex Dione Baronius anno* 100 *num.* 13.
n Papyro oleo infuso et incenso adusta latera *tradunt Ado et Beda.*

## CAPUT IV *seu potius III.*

### *Vita et lex Christianorum sancta: Gentilium spurca, desiderium martyrii.*

Trajanus dixit: Quæ est ista spes, quam exspectas, o Ignati, pro qua tanta pateris, vel tormenta sustines; non habeo scire. Ignatius dixit: Qui ignorant Deum, D qui est super omnia, et Dominum nostrum Jesum Christum, et quæ præparata sunt piis hominibus bona, ipsi nesciunt, quia *a* ex ipso solo est principium omnium rationabilium et irrationabilium. Nos vero, qui scientiam habemus pietatis, novimus: quia, cum ista vita caruerimus, resurgentes sempiternam vitam habebimus in Christo, quæ non amittitur, neque successionem habet; a qua discedit dolor et tristitia et gemitus. Divinitatem enim veri Dei, et unigeniti ejus Filii secundum carnem conversationem Moyses consequenter prædicans, veram etiam nostram religionem futuram esse ostendit. Quem enim nostrum cognovisti bellum meditari, et non potius subjectos esse Principibus, ubi non est periculosa subjectio, sed tantum in amicitiis pacifice omnibus reddentes debita: cui tributum, tributum, cui timorem, timorem, cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem: festinantes nulli aliquid debere nisi tantum invicem diligere? Docti enim sumus a Domino nostro non solum proximum diligere, sed et inimico benefacere et odientes nos amare, et orare pro inimicis, et persequentibus nos. Quis enim præcepto tuo in Christianitate non obedivit, ex quo esse cœpit, dicito: aut si aliquid novi contigit circa Romanorum Imperium, et non potius multorum regnum ad unius deductum est Principatum? E Nam Augustus *b* pro avus tuus, quoadusque Christus de Virgine nasceretur, nobis solummodo, non omni mundo regnavit? *c* Ex quo vero factus est primo Deus homo, tenens idem Augustus Romanorum Imperium, totius orbis monachiam, habuit, quomodo nullus ante eum: cui omnes gentes subditæ erant. Et primo fuit commixtio gentium; et odium contra invicem nondum fuerat solutum, nisi ex Salvatoris nostri adventu.

*AUCTORE ANONYMO EX MSS. LATINIS. Docet Christianos poti spe vitæ æternæ, n et obedire Principibus*

12 Senatus dixit: Utique hæc omnia sic se habent, quomodo dixisti, Ignati, sed illud indignamur, quia ille deorum nostrorum culturam dissolvit. Ignatius dixit: Et quid incongruum fecit, o splendidissima prudentia, si ea quæ irrationabilia erant gentium, correxit Romanorum Imperium, quod nostri sermones *d* Virgam ferream vocant? Sic et tyrannicos spiritus nequitiæ ab hominibus abegit, unum et solum annuntians super omnia Deum; et non hoc solum, sed et amara eorum servitia immutavit, qui fuerant sanguibibuli et immisericordes; qui sic mortem liberis vestris immittebant: non quasi in gentibus bellis vos contaminarent; sed cogebant vos atque mulieres vestras nudas spectari, quemadmodum in captivitate pompam exhibentes: sanguinibus terram maculabant, et communem aerem immunditiis polluentes. Interrogate Scythas, si non homines Dianæ immolabant. Omnino vos negatis, erubescentes Saturno immolatam fuisse Virginem. Græci quoque gloriantur in tali humano sacrificio, a barbaris accipientes hoc malum.

*Lege Christi d abolevit sacrificium spurcum et crudelem F*

13 Trajanus dixit: Per deos, Ignati, quia expavesco tuam doctrinam, sed tamen non laudo religionem. Ignatius dixit: Et quid intellexisti in sancta religione nostra. Trajanus dixit: Quia Dominum Solem non adoratis, neque cœlum, neque terram, neque sacram Lunam, quæ omnia nutrit. Ignatius dixit: Et quis poterit adorare solem istum figuratum, sensibilem, occidentem atque orientem, et iterum ex igne percipientem amissum calorem, eclipsim patientem, qui non potest mutare suum ordinem a sententia illius, qui ei imperat explere cursum suum? Cœlum quomodo est adorandum, quod nubibus operitur? quod sicut pellem extendit opifex, et sicut cameram confixit, et sicut cuppam collocavit? lunam vero crescentem atque minuentem, et sicut consumptibilem atque passionibus subjacentem, quis adorabit. Sed si propterea ea adorari oportet, quod splendidam lucem habent; ergo non est omnino vera ratio ut adorentur, quia ad lucendum

*non adorandos deos, Solem, cœlum, lunam,*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS. LATINIS

A cendum hominibus et non ad adorandum data sunt; et maturare atque calefacere fructus instituta, splendidum facere diem, illuminare noctem, et stellæ cœli in signa ordinatæ sunt et in tempora, ac solstitia; et pro consolatione navigantium. Nihil itaque horum adorandum est; neque aqua Neptunus vocetur, neque ignis Vulcanus, neque aer Juno, neque terra Proserpina, neque fructus Ceres. Omnia hæc ad usum nostrum facta sunt: tamen corruptibilia sunt et exanima.

*elementa*

*fructus :*

14 Trajanus dixit : Non bene dixisti in initio, quoniam prohibuisti adorare Orientem et deos. Ignatius dixit : Propterea indignaris, o Rex, quia quæ non sunt adoranda, monemus non coli, sed Deum vivum verum, factorem cœli et terræ, et unigenitum ejus filium. Sola est hæc vera agnitio fortissima : per quam confitemur sancta et spiritualia dogmata ejus, quæ in nobis redundat, doctrinæ *e*. Illa autem paganitatis e Deopolitia, ad bonum inconvertibilis, instabilis consistens, in nulla firmitate stans, incorripiens eruditio, seductrix, quomodo non est omni falsiloquio repleta, quæ nunc dicit duodecim esse per omnia et in omnibus Deos, iterum autem plurimos accipiens?

*veram scientiam in cultu unius Dei,*

15 Trajanus dixit : Jam non suffero tuam elationem : pessime enim nos provocas, nescio, quibus irrationabilibus verbis vincere nos volens. Sacrifica ergo : sufficit enim tibi quod rhetorico disputasti adversum nos. Si autem nolueris, iterum te tormentis afficiam; et sic te postea bestiis tradam. Ignatius dixit : Ex quo minaris, et non comples, quæ promittis? Christianus sum, et non sacrifico nequissimis dæmonibus, sed adoro verum Deum patrem Domini nostri Jesu Christi illuminantem me luce scientiæ, qui aperuit oculos meos ad intelligendum mirabilia ejus, hunc colo et honoro : ipse enim est Deus et Dominus et Rex et solus potens. Trajanus dixit : Lecto flammeo te *f* cruciabo, si non pœnitueris. Ignatius dixit : Bonum enim est, o Rex, a malis pœniteri, et ad meliora concurrere oportet et non ad pejora. Nihil enim melius est pietate. Trajanus dixit : Dorsum ejus ungulis dilaniate, dicentes ei : Consenti Imperatori, et sacrifica diis secundum decretum *g* Senatorum. Ignatius dixit : Ego decretum Dei timeo, qui dixit : Non erunt tibi dii alii, præter me, et qui sacrificaverit diis alienis peribit. Senatum vero et Regem iniqua monentem non audio. Non enim accipies, inquit Lex, personam Potentis : et, Noli multus esse in malitia. Trajanus dixit : Aceto et sale perfundite plagas ejus. Ignatius dixit : Omnia quæ mihi pro Dei confessione acciderint, scio quia merces bonorum mihi augetur. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Trajanus dixit : Parce tibi jam homo; et acquiesce imperantibus tibi : nam pejora tibi adinveniam tormenta. Ignatius dixit : Et quis nos separabit a caritate Dei? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an periculum, an gladius? Confido enim quia neque vita, neque mors poterit separare a pietate confidentem in virtute Christi.

B

*unguis tormentorum cruciatu,*

*profitetur fidem Christi,*

*f*

*g*

*ejusque mandata*
Deuteron. 8 19 Ibid 16. 19.

C

16 Trajanus dixit *h* Senatui : Putat quia me potest vincere tolerantia ista. Tolerabile enim animal est homo. Ignatius dixit : *i* Non puto, sed credo, quia vici et vinco, ut cognoscas quantum sit inter pietatem et impietatem. Trajanus dixit : Tollite eum et imponite ei ferrea vincula, et in ligno pedes ejus concludite, et custodite eum in imo carceris, et nemo eum neque per foramen videat, et *k* tribus diebus ac noctibus panem non comedat, neque aquam bibat : et post triduum bestiis traditus, sic vita careat. Senatus dixit : Et nos consentanei sumus hujus sententiæ : omnes enim nos injuriavit cum Imperatore, non consentiens sacrificare diis, sed esse se Christianum confirmans. Ignatius dixit : Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui multa sua benevolentia dignatus est me passionibus Christi communicare, et Martyrem verum Deitatis ejus esse, et fidelem præconem. D

*h*

*i*

*adjudicatur jejunio triduano :*

*k*

a *MS. Burgund.* quia ipse est principium.

b *Id est, prædecessor in Imperio. Hæc interpolata esse, dissensio MSS. innuit.*

c *MS. Burgund. hæc ita refert* : Ex quo Deus noster de Virgine natus est, et factus est primo Deus Verbum et homo, nobis solummodo non omni seculo regnavit omnibus quinquaginta annis et septem mensibus, et alius septem tenens Romanum Imperium et monarchiam habuit.

d *Danielis* 2, *v.* 40. Regnum quartum velut ferrum, quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia hæc, *alia regna. Ipse autem dominatus regni quarti, quod est Imperium Romanum, per virgam, seu sceptrum, indicatur : ita Psalmo* 2 *v.* 9 *dicitur* : Reges eos in virga ferrea, *et Psal.* 109 *v.* 2 : Virgam virtutis emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum.

*Virga ferrea, Imperium Rom.*

e *MS. Lobiense* polydeta, *forte* πολυθεΐα *Deorum multitudo.*

f *Idem MS.* trucidabo. *Apud Bedam et Adonem passus dicitur lectum flammeum : silent Menæa, quasi tantum minæ fuissent.*

g *MS. Lob.* Imperatoris.

h *MS. Audomar.* sane mi putant, quia *etc.*

i *MSS. aliqui interponunt* : Senatus putat, quia me potes.

k *Vita prior meminit unius noctis. Ex ea huc referendum decretum mittendi S. Ignatium Romam.*

## CAPUT V.

### *Martyrium. Sepultura. Testimonia aliorum.*

*a* Tertia autem die Trajanus convocans omnem Senatum et Præfectum, jussit convenire ad amphitheatrum, et concurrit omnis turba Romanorum; audierant enim, quia Episcopus Syriæ, cum bestiis habebat pugnare : et sedens pro tribunali, jussit adduci S. Ignatium. At ubi vidit eum, dixit ei : Ego miror quomodo vivis post tanta tormenta et famem : sed vel nunc mihi consenti, ut et de adjacentibus malis libereris, et nos de tristitia *b* amici liberes. Ignatius dixit : Videris mihi figuram habere humanam, mores autem vulpis, blandientis quidem cauda, mala autem in animo cogitantis; verba humanitatis confingens, et volens nihil sanum esse. Audi ergo jam cum iracundia, quia non est mihi ratio mortalis et temporalis vitæ propter Jesum, quem desidero : vadam ad eum : panis enim est immortalitatis, et poculum vitæ æternæ. Omnis ipsius sum, et ad ipsum extendo mentem meam; et despicio tormenta tua, et gloriam tuam respuo. Trajanus dixit : Quoniam superbus est et contemptor, alligantes eum, duos leones ad eum laxate, qui nec reliquias ejus dimittant.

*a*

E

*educitur in amphitheatrum,*

*b*

*adspirat ad Christum.*

18 At ubi dimissæ sunt ad eum bestiæ, videns eas Sanctus Dei dixit ad populum : *c* Viri Romani, qui hoc certamen expectatis, non sine caussa laboravi; non propter pravitatem hæc patior, sed propter pietatem. Triticum enim sum Dei, et dentibus bestiarum molar, ut panis mundus efficiar. *d* Hæc audiens Trajanus magna iracundia repletus est, dicens : Grandis tolerantia in Christum credentium. Quis Græcorum aut barbarorum tanta toleraret pati pro Deo suo, quanta iste pro illo in quem credit patitur? Ignatius dixit : Non humana virtute tanta toleravi, sed sola *e* prompta magnanimitate et fide *f* attrahente et adjutorio Christi. Et hæc illo dicente, accurrerunt ad eum duo leones : et ex utraque parte super eum incidentes præfocaverunt eum tantummodo, et *g* non tetigerunt carnes ejus, ut reliquiæ ejus tuitio essent Romanorum magnæ urbi, in qua Petrus crucifixus est, et Paulus decollatus, et Onesimus lapidatus.

*c*

F

*Romanos alloquitur :*

*d*

*e f*

*suffocatur a leonibus*

*g*

19 Trajanus vero *h* exurgens, admiratione perculsus, discessit. Venerunt autem ei scripta a Plinio Secundo Duce, permoto super multitudine, quæ facta fuerat, Martyrum pro fide interfectorum, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium legibus gestum, præter hoc solum quod ante lucem surgentes, caussa Christi Dei hymnos canebant : adulteria vero vel cetera hujusmodi crimina abominabantur, et omnia agebant legibus convenientia. Trajanus vero his auditis pœnitens

*h*

*Trajani decretum contra Christianos mitigatum.*

A tens de his, quæ in Beatum et Sanctum Ignatium ingesserat, (erat enim propugnator ceterorum Martyrum) tale decretum proposuit, ut Christianorum quidem genus non inquireretur; si quis tamen incideret, puniretur. Corpus autem S. Ignatii jussit, ut si quis vellet tollere ad sepeliendum, non vetaretur. Qui autem Romæ fuerunt Fratres, qui eum et usque ad martyrium deduxerant, quibus et commendaverat, non dubitaverunt corpus tollere ejus, et deposuerunt illud, ubi licebat congregari, et collaudare Deum et Dominum nostrum Jesum Christum Filium ejus in Spiritu sancto. Pro consummatione autem sancti Episcopi et Martyris fecerunt ei memoriam cum laude.

*Corpus S. Ignatii sepelitur*

20 i Novit autem martyrium ejus etiam Irenæus Lugdunensis Episcopus, et epistolarum ejus meminit, dicens : Sicut quidam nostrorum ait, propter martyrium secundum Deum ad bestias damnatus : Quoniam triticum sum Dei, bestiarum dentibus molar, ut panis mundus inveniar. Sed et Polycarpus Episcopus Smyrnæorum meminit ejus, Philippensibus scribens, ac dicens : Rogo igitur omnes vos obedientiæ operam dare, et meditari patientiam, quam oculata fide vidistis non solum in Beatis illis Ignatio et Rufo, et Zosimo, sed et in aliis, qui ex vobis sunt, et in ipso Paulo, et ceteris qui cum eo crediderunt. Quoniam B hi omnes non in vacuum cucurrerunt, sed in fide et justitia, et in debitum sibi a Domino locum abierunt, et ad eum cui commortui sunt. Non enim præsens seculum dilexerunt, sed eum qui pro nobis mortuus est Christum, et a Deo resuscitatus est. Et iterum : Habetis epistolas Ignatii, quæ transmissæ sunt vobis ab eo; et alias quascumque invenimus apud nos, transmisimus vobis, secundum quod petistis, quæ sunt subjecta huic epistolæ *k* ex quibus magne juvamini. Continent namque fidem et patientiam, quæ est in Domino nostro.

*Verba (?) testimonia SS. Irenæi et Polycarpi*

21 Passus est autem consulatu *l* Attici et Marcelli, Kalendis Februarii, quo die etiam memoria ejus a fidelibus solemniter celebratur; *m* sed translatio corporis ejus non minori obsequio decimo sexto Kalendas Januarii recolitur : præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

*a Interponendum caput 2 de Romano itinere. Quæ sequuntur absente Trajano, coram Senatu sunt gesta.*

*b MS. Lobien.* adduci. *c Ante dimissos leones hæc referuntur in priore Vita. d Reliquum colloquium in ea deest.*

*e MS. Burgund.* promptanimitate. *f MS. Lobien.* abundante et attrahente fide, et auxilio Christi. *g Juxta alia Acta devorarunt carnes relictis solis ossibus. h Juxta eadem Acta absens intellexit generosum certamen S. Ignatii. i Sequentia num. 20 desunt in aliquibus MSS. desumpta ex Eusebio lib. 3, cap. 36.*

C *k Eusebius* ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. *l Imo Attilii Metilii, sive Appii Annii et Metilii, ut supra probatum.*

*m Hæc solum leguntur in MS. Burgundico.*

# DE VARIIS TRANSLATIONIBUS

## Reliquiarum S. IGNATII.

### § I. *Translatio reliquiarum Roma Antiochiam. Pars Homiliæ S. Chrysostomi de ea solennitate.*

*Translatio ... Roma Antiochiam.*

Sacra S. Ignatii *ossa initio* Romæ *insigni loco, ut supra diximus, deposita, postea* Antiochiam *ad sedem ejus* Episcopalem *reportata fuisse docent, quæ dedimus, Acta : quibus consentit S. Hieronymus lib. de Scriptor. Eccles. cap.* 16. Reliquiæ, *inquit*, corporis ejus Antiochiæ jacent extra portam Daphniticam in cœmeterio. *Solennitatem hanc celebrant Græci* XXIX *Januarii, triduo ante Kalendas Februarias.* Latini *vero* XVII *Decembris triduo etiam ante* XX *ejusdem Decemb. qua die ipsius depositionem Græci celebrant, et hi quidem ita habent in Menologio Maximi Cytheræi*, Translatio Ignatii. *In Horologio, Anthologio, Kalendario*

*a Græcis 29 Januarii*

*Februarii Tom. I.*

*Genebrardi :* Translatio reliquiarum S. Ignatii Theophori Martyris. *Addunt Menæa :* D

> Grates cruentis, Ignati, leonibus :
> Liquere partem corporis fidelibus.
> Lux reditum Ignatii nona et vicena reponit.

Ille sanctorum Apostolorum successor, secundus Antiochiæ Episcopus creatus est, discipulus autem Joannis Evangelistæ Theologi, una cum Polycarpo Ecclesiæ Smyrnensis Episcopo fuit. Adducitur ergo ad Trajanum, et omnia ferendo expertus tormenta, et omnium victor Romam mittitur cum belluis decertaturus. Quo peracto certamine, viri quidam Christiani pretiosas et sanctas ejus reliquias Roma Antiochiam deferentes, optatum Fratribus donum dederunt. Qui omni cum honore et timore sub terram eas deposuerunt. Cujus rei gratia lætam festivitatem concelebrat Ecclesia. *Quæ subdebantur elogia et odaria, Latine a se translata et Græce exhibet Petrus Halloix ad Vitam S. Ignatii cap.* 29.

2 *Ex Latinis solus Galesinius hanc Translationem celebrat in Januario, non tamen die* XXIX *more Græcorum sed* XVIII. Antiochiæ, *inquit*, Translatio S. Ignatii Episcopi et Martyris, cujus corpus Roma eo asportatum est proximo post martyrium anno, *quem annum post martyrium ejus sequentem observat in Notationibus*, Passionis illius litteris memoriæ proditum E esse. *Quæ vero hæ sunt* Passionis *illius* litteræ, *præter* Epistolam encyclicam *si quæ fuerit, nescimus. Meminerunt Translationis hujus Acta Græca, sed anni intervallum non addunt. Alii Latini consignant hanc* Translationis *solennitatem ad* XVII *Decembris, quo die Vetus Romanum :* Translatio S. Ignatii Episcopi et Martyris Antiochiæ : *addunt Usuardus, et varia MSS. sub Bedæ etiam nomine*, qui ab urbe Roma Antiochiam delatus, jacet extra portam Daphniticam in cœmiterio Ecclesiæ : *scilicet, (ut scribit Galesinius, qui hoc iterum die Translationem recolit)* pia veneratione reconditus : ubi præstante Domino, (*sicuti addunt Martyrologium Coloniense, Viola Sanctorum, Usuardus Lubecæ excusus, et Maurolycus*) plurima ipsius meritis fiunt miracula. *Ado MS. monasterii Lobiensis et Ecclesiæ Tornacensis :* Apud Antiochiam translatio et depositio S. Ignatii Episcopi et Martyris, qui tertius post B. Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam, qui passus est Romæ Kalendis Februarii. *Ita ille qui per depositionem intelligit sepulturam reliquiarum, quando, ut ante ex Menæis diximus*, Antiocheni *eas* sub terram deposuerunt. *Græce* ὑπὸ τὴν γῆν αὐτὰ λείψανα κατέθεντο. *Ita Gregorius Turonensis lib.* 2, *Historiæ Francorum, cap.* 14. Translationem corporis F S. Martini e Condatensi vico ad urbem Turonensem, *ejusque itidem* depositionem *ad eumdem diem* III *Idus Novemb. refert, ut plenius infra ad Acta S. Sigeberti dicemus.* Florarium *MS.* Translatio S. Ignatii Martyris apud urbem Romam passi, sed Antiochiæ postea sepulti. *Clarius MSS. Centulense S. Richarii et Leodiense S. Lamberti :* Apud Antiochiam translatio et depositio corporis B. Ignatii Episcopi et Martyris, qui passus est Romæ Kalend. Februarii. *Referunt eamdem* Translationem *Beda excusus et MS. Treveri S. Martini. Romanum Martyrologium duas eo die* Translationes *conjungit. De priore ita habet :* Eodem die Translatio S. Ignatii Episcopi et Martyris, qui tertius post B. Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam, cujus corpus ab urbe Roma, ubi ipse sub Trajano passus fuerat, Antiochiam delatum, extra portam Daphniticam in cœmeterio ecclesiæ positum fuit, in qua celebritate S. Joannes Chrysostomus concionem ad populum habuit, *etc. Est hæc* Homilia 42, *tomo* 3, *operum in editione* Frontonis Ducæi *nostri, postridie festivitatis S. Pelagiæ habita. Ex ea paucula huc transcribimus.*

*a Latinis 18 Januarii.*

*et plerisque 17 Decemb.*

*etiam depositio dicta*

*concio a S. Chrysostomo habita*

3 Cum igitur illic *Romæ* vitam posuisset, imo vero

AUCTORE G. H.

*Ignatius a morte, cum majore gloria redditus Antiochenis,*

A in cœlum profectus esset, reversus est deinceps coronatus. Etenim id quoque fuit Dei benignitatis, qui disposuit eum rursus ad nos redire, et civitatibus Martyrem impartiri. Roma enim stillantem ipsius sanguinem excepit : vos autem reliquias ejus suscepistis. Vos illius Episcopatu gavisi estis : illi martyrio sunt lætati. Certantem illi, et vincentem, ac coronatum conspexerunt : vos perpetuo illum possidetis. Exiguum ad tempus eum vobis ademit Deus, sed majore cum gratia restituit. Et quemadmodum pecuniam mutuantes cum fœnore ea reddunt, quæ acceperunt; sic etiam Deus pretiosum hunc thesaurum paullisper suscipiens, ut ostenderet Romæ majore cum gloria illum vobis retulit. Emisistis eum Episcopum, et martyrem recepistis. Emisistis cum precibus et cum coronis suscepistis. Nec vero vos soli, sed cunctæ quæ interjectæ sunt civitates. Quomodo enim eas affectas existimatis, cum reportatas reliquias cernerent? Quem voluptatis fructum percipere? Quanta lætitia gestire? quam faustis undique acclamationibus coronatum amplecti? Quemadmodum pugilem generosum, qui omnes devicerit adversarios, spectatores e cavea cum plausu consurgentes sublimem statim excipiunt, nec terram

*unanimi civitatum plausu exceptus,*

B attingere patiuntur, sed humeris sublatum, innumerabilibus laudibus ornantes, domum reportant; sic utique et Sanctum illum omnes ex ordine civitates ab Urbe relatum suscipientes humerisque gestantes, Antiochiam usque sunt comitatæ, Martyrem coronatum concelebrantes, collaudantes victorem, diabolum deridentes, quod e contrario illi versutia successisset. Quod enim in Martyrem struxerat, in se recidisse animadvertebat. Et tunc quidem cunctis illis civitatibus profuit, documentoque fuit, et patriam hanc usque in præsentem diem locupletavit. Et non aliter quam thesaurus quidam perpetuus, qui quotidie exhauritur, et numquam deficit; sic etiam beatus hic Ignatius cunctis ad se accedentibus benedicens, fiducia, et strenua alacritate, magnaque fortitudine plenos remittit domum.

*beneficia confert se invocantibus*

4 Itaque non hodie tantum, sed quotidie ad ipsum confluamus, spirituales ex eo fructus percipientes. Quisquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo corpora, sed ipsi loculi, et monumenta, spirituali gratia conferta sunt. Nam si in Eliseo id contigit, ut defunctus, sepulchrum ejus attingens, mortis vincula dissolverit, et ad vitam rursum redierit; multo magis id fiet hoc tempore, quo gratia fluit uberior, quo

*4 Reg. 13, v. 21, et Eccli. 48, v. 14*

C Spiritus major est vis; ut si cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutem hauriat. Et eam ob caussam reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, ut nos ad se eorum imitatione perducat, et sint nobis velut portus quidam, et idoneum solatium eorum malorum, quæ assidue nos affligunt. Quamobrem vos omnes cohortor, fratres, si quis vestrum ægritudine animi, vel corporis morbo, vel quavis alia calamitate premitur, ut cum fide huc accedat, et ab aliis omnibus liberatus, magna cum lætitia revertetur, et aspectu solo conscientiam leviorem et tranquilliorem reportabit. Quin etiam expedit, ut non solum ii, qui ærumnis et molestiis affecti sunt, huc sese conferant, sed illi etiam qui et animi quiete, et gloria et potentia, et magna apud Deum fiducia perfruuntur. Huc enim accedentes, bona hæc efficient firmiora et stabiliora, et memoria virtutum et recte factorum hujusce sancti viri animos suos reddent moderatiores, nec conscientias suas bonis operibus efferri atque intumescere patientur. Non autem parvi momenti est, eos, quibus prosperæ atque secundæ res fluunt, eas ferre moderate, et superbiæ timore non extolli. Utilis igitur cunctis hic thesaurus est, et refugium salutare, tam illis, qui rebus duris atque

*Ad reliquias Sanctorum nobis a Deo concessas,*

*ægri et peccatores, cum fructu accedant.*

asperis, et peccatis conflictantur, ut ab iis liberentur; D quam illis qui prospere ac feliciter degunt, ut diu fruantur bonis : illis, qui morbis laborant, ut bonam valetudinem consequantur; illis qui commoda gaudent valetudine, ne in morbum aliquem incurrant. Quæ quidem omnia considerantes, cum omni gaudio, atque lætitia, sacrum hunc locum frequentemus, ut contubernii, mensæque cœlestis participes cum Sanctis fieri valeamus, precibus ipsorum Sanctorum, et gratia, ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, sanctoque Spiritui, nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen. *Hæc ibi S. Chrysostomus; in quem locum Frontonis nostri notas consule.*

5 Videas ex his, *inquit Baronius tomo* 2, *anno* 110, *numero* 7, quanti fecerint Christiani hujus temporis (omnes haud dubium Apostolorum discipuli) reliquias sanctorum Martyrum; dum, sæviente licet persecutione, nihil veriti invidiam sævitiamque gentilium, nec viarum pertæsi difficultates et longitudinem, Roma Antiochiam usque eas magna veneratione et lætitia retulerunt et loco honestissimo collocarunt. *Ac paullo ante :* Sed quod ait Chrysostomus eam translationem sic solenniter omnium plausu, concursu, et accursu esse factam; cum constet antiquo jure Romanorum, reliquias defunctorum prohibitas esse E transferri, scribatque Plinius his temporibus ad Trajanum, pro ea re impetranda, collegium Pontificum adiri solitum; dicendum est, Christianos ejusmodi licentiam, nulli parcentes impensæ, ingenti pecunia redemisse. Distrahere pecunia consuevisse Gentiles reliquias Martyrum, notavimus in Romano Martyrologio. At sicut, qui nuper, licet vinculis alligatus, cum duceretur ad bestias, magno honore (ut vidimus) a civitatibus, per quas transiret, fuit affectus; ita Deo sic disponente, cum ab iisdem, qui eum Romam ad martyrium fuerant comitati, Antiochiam reduceretur, factum est, ut eadem loca et civitates eidem occurrentes, quem vinctum magno fuerant honore prosecutæ, eumdem corona martyrii redimitum exultantes ubique susciperent. Suspensos enim omnes fuisse animo, anxie expectantes quid IGNATIO Romæ accidisset. Sed hæc avidius Polycarpum scire optasse, ipse in fine epistolæ, quam scripsit ad Philippenses, declarat. *Hæc Baronius. Extat ea Polycarpi epistolæ pars in Actis S. Ignatii supra relata.*

*eas Christiani in primitiva Ecclesia plurimum venerati,*

Plin. l. 10 epist. 73.

*magno pretio empta licentia transtulerunt*

## § II. *Translatio II Reliquiarum in templum Fortunæ.*

*Translatæ reliquiæ sub Theodosio Juniore in templum Tychæum.*

Altera Reliquiarum S. Ignatii Translatio *censetur, quando sub Theodosio Juniore, solenni ex pompa invectæ sunt in* templum Tychæum, *quod* Fortunæ *olim, tum* S. Ignatii memoriæ *est sacratum. Hanc* Translationem *referunt Evagrius Scholasticus lib.* 1, *Hist. Eccl. cap.* 16, *et Nicephorus lib.* 14, *cap.* 44. *Sed hic ob verba Evagrii perperam intellecta cum priore Translatione confudit : quod idem fecerunt Christophorsonus in sua Evagrii interpretatione, et Gentianus Hervetus ad calcem Vitæ S. Ignatii, ubi eadem ex Evagrio reperiebat adscripta, istic a nobis omissa, quod a MS. Codice Græco abessent, et hoc loco commodius proferrentur. Ita ergo Græce scribit* Evagrius. F

Τότε καὶ Ἰγνάτιος ὁ θεσπέσιος ὡς Ἰωάννῃ τῷ Ῥήτορι σὺν ἑτέροις ἱστόρηται, ἐπειδή γε, ὡς ἐβούλετο, τάφον τοὺς τῶν θηρίων ἐγκοιλίους γαστέρας, ἐν τῷ τῆς Ῥώμης ἀμφιθεάτρῳ καὶ διὰ τῶν ὑπολειφθέντων ἀδροτέρων ὀστῶν ἃ πρὸς τὴν Ἀντιόχου ἀπεκομίσθη ἐν τῷ καλουμένῳ κοιμητηρίῳ μετατίθεται πολλοῖς ὕστερον χρόνοις ὑποθεμένου τοῦ παναγάθου Θεοῦ Θεοδοσίῳ τὸν Θεοφόρον μείζοσι τιμῆσαι τιμαῖς, ἱερόν τε πάλαι τοῖς δαίμοσιν ἀνειμένον, Τυχαῖον τοῖς ἐπιχωρίοις ὠνόμαστο, τῷ ἀθλοφόρῳ καὶ Μάρτυρι ἀναθεῖναι. Καὶ σηκὸς εὐαγὴς καὶ τέμενος ἅγιον τῷ

A τῷ Ἰγνατίῳ τὸ πάλαι τυχαῖον γέγονε, τῶν ἱερῶν αὐτοῦ λειψάνων μετὰ πομπῆς ἱερᾶς ἀνὰ τὴν πόλιν ἐπ᾿ ὀχήματος ἐνεχθέντων, καὶ κατὰ τὸ τέμενος τεθέντων. Ὅθεν καὶ δημοτελὴς ἑορτὴ καὶ πάνδημος εὐφροσύνη μεχρὶ ἡμῶν τελεῖται, πρὸς τὸ μεγαλοπρεπέστερον τοῦ ἱεράρχου Γρηγορίου ταύτην ἐξάραντος. *Quæ priore parte ob claritatem parenthesi inclusa sic vertimus.* Tum etiam Divinus Ignatius (postquam, ut a Joanne Rhetore et aliis est proditum memoriæ, sepulchrum, uti ipsæ voluerat, ferarum ventres habuit Romæ in amphitheatro, et per ossa crassiora relicta, ad urbem Antiochenam in Cœmeterium, ut vocatur, asportatus est) post multa denique tempora transfertur, cum Deus benignissimus suggereret Theodosio, ut Theophorum majore honoraret veneratione, et templum dæmonibus sacratum (Tychæum ab indigenis appellatum) victori huic et Martyri dedicaret. Ita, quod olim Fortunæ templum fuit, sacrum sanctuarium et templum sanctum factum est, sacris ejus reliquiis cum sacrata pompa per urbem curru portatis, et in eo templo depositis. Unde et publicus dies festus et communis totius populi lætitia ad nostra usque tempora peragitur, quando et Gregorius Pontifex eum diem multo augustiorem reddidit. *Hæc ibi.*

*non Roma tum primum delatæ,*

B 7 *Nicephorus* Reliquias *hasce sub* Theodosio juniore *credidit* Roma Antiochiam delatas. *Ita ergo scribit :* Eisdem temporibus divinus quoque Ignatius Roma Constantinopolim delatus est. Cum namque ille, sicut optaverat, in amphitheatro Romæ in ferarum alvis sepultus esset, quæcumque superfuere firmiora solidioraque ossa, condita ibi sunt. Theodosius autem Dei optimi maximi præstantissima suggestione, magnopere ingenti atque illustri cum honore ea ad gregem suum referre studuit. Quapropter reliquias eas inde receptas, magnifico apparatu post longum tempus Antiochiam reduxit, et in eo loco, quod Cœmeterium vocatur, veneratione magna deposuit, et delubrum ingens dæmonibus olim dicatum, quod ab incolis τυχαῖον (quasi Fortunæ fanum dicas) vocabatur, in sacrosanctum templum mutatum, divino Martyri consecravit : in quo etiam reliquiarum loculus repositus est, curru Imperiali cum sacro apparatu et satellitio per urbem eam illatus, ubi anno quolibet publice et magnifice festus dies est actus, Deo diligentium se memoriam sancte, a funere etiam ipso, glorificante. *Hæc Nicephorus. Sed primo, an* Roma Constantinopolim Reliquiæ S. Ignatii *delatæ? Græce* ἐκ Ῥώμης εἰς τὴν Κωνσταντίνου ἀνεκομίζετο, *an error librariorum : isque* εἰς τὴν Ἀντιόχου *corrigendus? Ita requirit locus Evagrii ante relatus. Secundo Nicephorus hanc* Translationem *cum reductione sacrarum* Reliquiarum S. Joannis Chrysostomi *in urbem* Constantinopolitanam *conjungit, quasi utraque eisdem temporibus esset peracta. Hunc Evagrius* Joannem Rhetorem *appellat, ex cujus Homilia confirmat olim Antiochiam* Reliquias S. Ignatii *translatas. Ipse Chrysostomus in ea Homilia quam Sacerdos Antiochiæ dixit sub Theodosio Magno, testatur* Ignatium *exiguo tempore ab urbe* Antiochia *abfuisse, eo post martyrium magna cum gloria relatum. Chrysostomo coævus S. Hieronymus locum sepulturæ designat* Cœmeterium extra portam Daphniticam.

*neque Constantinopoli*

C

*sed ex cœmeterio ante portam Daphniticam.*

*Ubi Tychæum*

8 *Tertio* Tychæum, *seu* templum Fortunæ *urbi attribuit Petrus Halloix, vertens* reliquias in urbem invectas, *Græce* ἀνὰ τὴν πόλιν, *quod magis triumphalem per urbem circuitum indicat; seu templum intra mœnia fuerit, sive in suburbiis.* Ista *addit Evagrius* propterea in eo loco facta fuisse, quod Deus sacras Sanctorum suorum memorias ibi coli honorarique voluit, ubi Apollo in Daphne coli solebat. *De Daphne suburbio urbis Antiochenæ egimus* XXIV *Januarii in Translatione S. Babylæ, cujus reliquias inde ad aliud illi extra portas urbis extructum templum delatas fuisse dicto capite idem Evagrius refert. Denique qui ferias S. Ignatii augustiores reddidit* Pontifex, *dicitur a Petro Halloix cap.* 15, *Vitæ* Gregorius Magnus ; *sed quem velit, non explicat. Fuit is* Patriarcha Antiochenus, S. Anastasio Sinaitæ, *in exilium ejecto substitutus, cujus laudes lib.* 5 *et* 6, *prosequitur Evagrius, asserens se cum eo conversatum assidue, in ejusque obitu suam concludit Historiam anno Mauritii Imperatoris* XII, *Christi* DXCIV, *a cujus obitu S. Anastasius in pristinam sedem restitutus, colitur* XXI *Aprilis. Egimus de eodem Gregorio ad Vitas SS. Simeonis Stylitæ, et Domitiani Episcopi Melitenæi* V *et* X *Januarii.*

D AUCTORE G. H.

*Festum celebrius reddit Gregorius Patriarcha Antiochenus.*

## § III. *Iterata Reliquiarum translatio Antiochia Romam. Variæ particulæ in diversis ecclesiis.*

*Reliquiæ Romam relatæ non an.* 540,

Tertia *hæc est Translatio, reliquiis* Antiochia *iterato* Romam *deportatis :* De tertia, *inquit Baronius in Notationibus Martyrologii ad* XVII *Decemb.* quando Romam delatum est corpus, nihil mihi hactenus compertum est. Opinor tamen tunc inde ablatas sanctissimi Martyris reliquias, cum Justiniano imperante civitas illa a Cosrhoe Rege Persarum igni ferroque vastata est anno Domini DXL. Petrus Halloix *cap.* 15, *Vitæ eadem tempora assignat.* Tertia denique, *ait,* cum Romam constanti quidem fama, sed nullo certo scriptore asseruntur deportatæ; tum nempe cum Syria variis bellorum incursionibus, præsertim imperante Justiniano et Cosrhoe Persarum Rege ipsam Antiochiam igni ferroque vastante, sub annum Domini DXL deflagraret. *De ea Antiochiæ clade agit* Procopius *lib.* 2, *belli Persici. Verum ex supra dictis constat Reliquias in templo Fortunæ, tunc ipsi dicato, fuisse servatas tempore Evagrii sub Mauritio Imperatore, quando publica solennitas translatarum reliquiarum sub Theodosio juniore cœpta, communi populi lætitia adhuc peragebatur, a Gregorio Patriarcha multo celebrior reddita.*

E

*sed potius seculo* 7.

10 *Baronius in Annalibus ad annum* 637 *hanc Reliquiarum Translationem refert, quando sub Heraclio imperante* a Saracenis totius Orientis metropolis civitas capta est Antiochia, et sive habitatoribus in Occidentem commigrantibus, sive mercatoribus cum eisdem Gentilibus tuto versantibus, sive aliis fidelibus Christianis id curantibus, complura Sanctorum, tum Martyrum, tum Confessorum, corpora translata fuerunt in Occidentem, atque in diversis locis sive Romæ, sive Venetiis, vel alibi collocata. Romam autem translatas tunc fuisse venerandas reliquias Ignatii Martyris Antiochia constans fama, vetusque traditio potius quam scripta significant : quod et pariter dicendum de aliis pluribus Sanctorum reliquiis, quas ex Oriente advectas diversa Occidentalis orbis loca custodiunt. Hæc Baronius. Ecclesiam *vero, in qua* Romæ *deposita fuerunt sacra hæc ossa, assignat Martyrologium Romanum* XVII *Decemb. his verbis :* Postmodum vero ejus reliquiæ rursus Romam translatæ sunt, et in ecclesia S. Clementis, una cum *corpore* ejusdem beatissimi Papæ et Martyris, summa cum veneratione reconditæ sunt. *Idem tradunt Auctor antiquæ et modernæ Romæ Italice cusæ anno* MDCXLIII, *et Octavius Pancirolus in Thesauro urbis Romanæ regione* 2, *ecclesia* 23, *additque has sub Justiniano Romam reportatas Reliquias : quod jam improbavimus.*

F

*reconditæ in templo S. Clementis.*

11 *Idem Pancirolus in indice Reliquiarum Sanctorum Urbis addit* reliquiarum S. Ignatii participes *factas ejusdem* Urbis Romanæ ecclesias SS. Sergii et Bacchi, S. Marthæ prope collegium Romanum, S. Cæciliæ trans Tiberim, S. Mariæ trans Tiberim, et S. Mariæ de populo : *in hac autem servari* partem brachii. *De capite ejusdem § sequente agemus. Reliquias S. Ignatii aliquas servari Neapoli in ecclesia S. Mariæ vulgo de Sapientia cognominatæ tradit Cæsar*

*reliquiæ in variis templis Romæ,*

*Neapoli,*

Eugenius

*Eugenius Caracciolus in Neapoli sacra. Juxta Messanam Siciliæ urbem in cœnobio S. Placidi congregationis Cassinensis asservari* vertebram seu spondylum colli S. Ignatii *auctor est Halloix cap. 15 Vitæ. Earumdem reliquiarum participes factas esse ecclesias Belgicas tradit in Hierogazophylacio Belgico Rayssius. Obtinent autem Brevilenses monachi Cistertienses* os aliquod, *at* partem planetæ *Præmonstratenses Parcensis prope Lovanium monasterii.* Duas costas *habent Canonici Regulares S. Augustini cœnobii Aroasiensis in Artesia prope oppidum Bappalmum siti. Ex ejusdem* ossibus *servant Lætienses in Hannonia Benedictini monachi. De ultimis hisce reliquiis mentio facta est* XIII *Januarii in Vita B. Hildemari Aroasiensis congregationis Fundatoris cap.* 10, *et* VII *Januarii in Vita Ludovici Blosii Lætiensis reformationis Auctoris cap.* 20. *S. Bernardus Claramvallem* S. Ignatii Reliquiis *locupletatam prædicat Sermone 7 in Psalmum, Qui habitat* : Magnus ille Ignatius, *inquit*, discipuli quem diligebat Jesus, auditor Martyr noster, cujus Reliquiis nostra ditata est paupertas, Mariam quidem in pluribus, quas ad eam scripsit, epistolis Christiferam consalutat. *Monasterium S. Petri in Valle extra urbem Carnutensem Ordinis S. Benedicti* brachium S. Ignatii *possidet; ut ad Kalendas Februarii refert Saussaius in Martyrologio Gallicano.* Eadem die, *inquit*, natalis S. Ignatii Antiocheni Præsulis et Martyris illustrissimi Sanctorum plurimorum, qui Ecclesias in Galliis fundaverunt venerandi in Christo parentis ac magistri : cujus brachium in Ecclesia cœnobitica S. Petri de Valle Carnutensi, religioso cultu conditum, hodie devotis supplicibus venerandum exprimitur.

*auctore 6. in Sicilia, et variis ecclesiis Belgicis, Claravalle in Burgundia, Carnoti in Francia,*

12 *Ægidius Gelenius l. 3 de magnitudine Coloniæ Agrippinensis syntagmate* 2, § 2 *asserit in* Ecclesia collegiata S. Gereonis in XV hierotheca crystallina convexa, argenteis inauratisque compagibus conclusa, *contineri ex* Reliquiis S. Ignatii Martyris, *et syntagmate* 7, § 4 *aut in* Ecclesia collegiata B. Mariæ Virg. ad Gradus *conservari* in hierotheca XIII, *num.* XII *ex* Reliquiis S. Ignatii Episcopi et Martyris, discipuli S. Joannis Evangelistæ, *item syntagmate* 45, § 6 *ait in* Thesauro sacro ecclesiæ PP. Crucigerorum *numer.* 7 in monstrantia argentea deaurata *exhiberi particulam de brachio S. Ignatii Episcopi et Martyris. Alius refertur Ignatius Martyr inter primos Episcopos Moguntinos : num hujus reliquiæ in aliquibus templis servantur? De Moguntino Ignatio agit Serarius noster lib. 2 rerum Moguntiacarum cap.* 9, *traditque lib.* 1, *cap.* 31 ex VII Parochialibus ecclesiis Moguntinis primum S. Ignatio sacram esse, *quæ geminis turribus, quod eæ ad summum usque verticem quadris lapidibus totæ constent, insignis censeatur. Verum cum nulla in Breviariis Moguntinis reperiatur* S. Ignatii Moguntini *memoria, an per errorem ob templum* S. Ignatio *sacrum, habitus* Moguntinus Episcopus? *Solum* XVII *Decemb.* nomen Ignatii Episcopi *inscriptum est Breviario Moguntinensi anno* MDVII *Lugduni excuso : qua die supra diximus ab aliquibus etiam Natalem, a reliquis Latinis Translationem reliquiarum coli. Bruschius in Catalogo Episcoporum Moguntinensium omittit Ignatium, et plures alios, quorum memoria alibi tenuissima est. Ingolstadii in Bavaria Collegium Convictorum Societatis Jesu* S. Ignatio Antiocheno Episcopo et Martyri *dicatum est.*

*in Germania, Coloniæ, templum Moguntiæ, Collegium Convictorum Ingolstadii.*

## § IV. *Caput Pragâ Romam delatum ad templum Societatis* Jesu.

E*x illustrioribus monasteriis quæ in Bohemia Ordo Cistertiensis possidet, Osseckum eminet in boreali regni parte juxta Litomeritzium oppidum, ad Misniæ confinia, sub castro Rosembergio, quod approbante Premislao Othocaro Rege* II *fundarit Zlavcus Comes Belinensis anno Christi* MCCVII, *cujus fundationis diploma publicavit Gaspar Jongelinus lib.* 5 *Notitiæ Abbatiarum Ordinis Cistertiensis. Obtinuerunt olim dicti monasterii religiosissimi Patres venerandum* S. Ignatii caput, *quod tamen nescitur qua occasione, quibusve viris intercedentibus fuerit eo translatum. A prima monasterii fundatione cum aliis Reliquiis in maxima veneratione habitum fuisse innuitur infra in Epistola Antonii Archiepiscopi Pragensis. Varii post prædictum Primislaum Othocarum imperarunt in Boemia Reges,* IV *Venceslaus Othocarus,* V *Primislaus alius, fere Othocarus appellatus,* VI *Venceslaus alius, Othocarus Pius; singuli parentibus successores. Hic ex Elisabetha Polonica, Primislai Principis filia, alteram Elisabetham genuit regni Bohemici hæredem, quæ nupta Joanni Lucemburgensi, filio Henrici* VII *Imperatoris, eidem peperit Carolum* IV, *deinde Imperatorem, et Regem Bohemorum. Dicta Regina Elisabetha, impetravit pretiosissimum Osseckensis monasterii pignus,* caput S. Ignatii, *anno* MCCCXX, *si hic recte observatus apud Auctorem antiquæ, et modernæ Romæ, et Panciroilum regione* 14 *ecclesia.*

*Osseckii Monasterio Bohemiæ, caput S. Ignatii, seculo 13 datum seculo 14 Elisabethæ Reginæ,*

14 *Dono maternum Carolus* IV *sacras has* Reliquias, *aliasque* magnis precibus ex diversis mundi partibus obtentas, auro, argento, gemmisque pretiosissime ornatas, donavit Ecclesiæ Pragensi : *quarum prima* Allatio, solemni festo ab Innocentio VI ad instantiam dicti Imperatoris constituto, *colitur* Pragæ 11 Januarii, *ut in Appendice ad eum diem pagina* 1084 *ex MS. Martyrologio Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis diximus. Ex quo istic hæc verba relata* : Caput S. Ignatii Episcopi Antiocheni. *His autem Kalendis Februarii, post longum de martyrio S. Ignatii, et cantu Ecclesiastico ab eo instituto elogium, additur* : Caput Elizabeth Reginæ Bohemiæ, mater Invictissimi Karoli IV Rom. Imp. Aug. et Bohemiæ Regis, in monasterio Ossek diœcesis Pragensis, Ordinis Cistertiensis obtinuit, et eidem Karolo filio suo dedit : qui postmodum Karolus caput illud auro et argento ornatum donavit Ecclesiæ Pragensi, et voluit ut festum hoc sub officio duplici veneraretur cum propulsatione. *Hæc ibi. Imperavit Carolus* IV *ab anno* MCCCLV, *quo* V *Aprilis, die Paschatis, coronam Romæ accepit ab Innocentio* VI, *vita functus anno* MCCCLXXVIII. *Relatum postea ad monachos* Osseckenses caput S. Ignatii; *forte cum illud cœnobium esset mensæ Archiepiscopi Pragensis adjunctum; quod denuo Ferdinandi* II *Imperatoris gratia, et Cardinalis ab Harrach Archiepiscopi favore Ordini est restitutum. Iterum anno Christi* MDCXXII *sacrum illud pignus donatum fuisse* Wratislao Perustain *supremo*, Bohemiæ Cancellario, *ejusque conjugi* Mariæ Manriciæ *Antonius tum Pragensis Archiepiscopus suo diplomate testatur : quod ratum habuit suo testimonio Nuntius Apostolicus Clementis* VIII *Philippus Spinellus, anno* MDCIX, *cum sacrum illud pignus Romam transferretur ad templum Domus Professæ Societatis* Jesu, *dictæ Mariæ Manriciæ liberali donatione.*

*tum Carolo IV Imp. ab hoc ecclesiæ Pragensi, redditum Osseckensibus, donatum seculo 16 Mariæ Manricæ, ab hac Societati Jesu Romanæ.*

### *Diploma primum ita habet :*

Nos Antonius, Dei gratia Archiepiscopus Pragensis sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus, etc. Notum facimus tenore præsentium Universis et singulis : Nos enim R. P. D. Balthasare Abbate Osseccense diligenter revidisse Sanctorum Reliquias, a prima fundatione ejus monasterii ibidem continue in maxima veneratione habitas et ex Dei munere, ne tempore disturbii, quando Joannes Ziscæ tyrannus et Taboritarum hæresis per Boemiam grassaretur, perirent, mirabiliter custoditas, et ex illis ad devotam instantiam Illustrissimi et Magnifici Domini, D. Wratislai Perustain sacræ Cæsareæ Majestatis Camerarii et Regni Boemiæ supremi Cancellarii, qua Nos, nomine Illustrissimæ Dominæ, D. Mariæ Manricæ, dilectissimæ

*Diploma Archiepiscopi de donatione Manricæ facta*

simæ conthoralis suæ requisivit, dono dedisse, et obtulisse imaginem capitis laminæ deauratæ, in qua S. Ignatii Antiochensis Ecclesiæ post Divum Petrum Apostolum tertii Episcopi et Martyris, sanctique Joannis Apostoli et Evangelistæ discipuli capitis frustum; et alteram similiter deaurati capitis imaginem, in qua S. Julianæ Virginis et Martyris cranium inclusa sunt : cujus sancti prædicti Episcopi festivitatem nostra Metropolitana Ecclesia prima die mensis Februarii quotannis, S. Julianæ vero XVI ejusdem mensis devote commemorare et peragere consuevit. In quorum festivitatibus hæ sanctæ Reliquiæ semper ad altare majus in monasterio Ossicense expositæ fuerunt et cum omni veneratione ac debito cultu a populo frequentatæ; prout prædictus perillustris Dominus nomine dilectæ prænominatæ conjugis suæ identidem nobis promisit, nempe ut inposterum, quocumque in loco tales Reliquiæ positæ vel servatæ fuerint, debito quoque semper honore et cultu habeantur. In quorum fidem et testimonium has litteras in membrana scriptas, nostri minoris sigilli appensione, et manus propriæ subscriptione muniri jussimus. Datum Pragæ ex ædibus nostræ Metropolitanæ Residentiæ die 14 mensis Junii anno a Christo nato 1572. Ind. 15 Sanctissimi D. N. Gregorii Papæ XIII, anno primo. ANTONIUS.

*Alterum testimonium ita habet.*

*Approbatur diplomatis per Nuntium Apostolicum.*

16 Nos Philippus Spinellus ex Ducibus Seminariæ, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Colossensis, Episcopus Policastrensis, utilis Dominus Castri Sclutii, Turris Ursaiæ et Petruciæ, Cameræ Apostolicæ Clericus Præsidens, Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ VIII Prælatus domesticus et Assistens, ejusdemque Sanctitatis et sanctæ Sedis Apostolicæ ad sacram Cæsaream Majestatem Nuntius cum potestate Legati de latere per universam Germaniam, Ungariam, Boemiam etc. fidem facimus et verbo veritatis attestamur, supradictam scripturam incipientem, Nos Antonius, et finientem, Antonius. Ad instantiam Illustrissimæ Dominæ D. Mariæ a Pernstain supranominatæ nobis oblatam, jussu nostro ab Auditore et Cancellario nostris fuisse cum originali (quod in charta pergamena scriptum, sigilli Archiepiscopi Pragensis supranominati appensione cum chordulis sericis cerulei et nigri coloris in vasculo stanneo corroboratum est) collationatam et auveratam diligenter atque fideliter: qui retulerunt, concordare in omnibus et per omnia, ac proinde supradictæ scripturæ eamdem fidem quam ejus originali dandam et adhibendam esse ubique ab omnibus in Judicio et extra. In quorum fidem et testimonium, præsentem attestationem nostra manu propria subscripsimus, et sigilli nostri jussimus appensione communiri. Datum Pragæ in ædibus solitæ nostræ habitationis, de 8 Julii 1599.

Philippus ex Ducibus Seminariæ Archiepiscopus Spinellus Nuncius Apostolicus.

Augustinus de Junctis Canonicus Cancellarius.

*Loco ✠ Sigilli pendentis.*

17 *Hæc Romæ in archivio Societatis* JESU *servantur; Ceterum hisce Kalendis Februarii quotannis publico cultui exponitur sacrum* S. Ignatii caput *in herma argentea, sive statua, quæ superiorem corporis partem pectore tenus exhibet. Meminerunt harum reliquiarum Pancirolus, et Auctor antiquæ et modernæ Romæ ante citati.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS
# PUBLIO, SATURNINO, MAURIANO.
## LIBOSO, VINCENTIA, ET ALIIS XXIV.

*Memorantur sancti hi pugiles in veteri Martyrol. Romano, sive S. Hieronymi, ut adhuc citavimus, his verbis :* Et in Africa, Publii, Saturnini, Mauriani, Libosi, Vincentiæ, et aliorum XXIV. *In veteri Martyrologio Richenoviensi, sive* Augiæ-divitis *prope Constantiam ista habentur :* Africa, Publii, Santurnini, Mauriani *Carthusiani Colon. in Addit. ad Usuard.* Publium *referunt hoc die, nullo adscripto quo passus sit loco. Plures ex Africa* Vincentiæ *Martyres alibi a nobis celebratæ, Januarii* XVII, XXVI, XXVII. *At nullus adhuc* Libosus *et* Maurianus

## DE SANCTIS MARTYRIBUS SMYRNENSIBUS,
# PIONIO PRESBYTERO, DIONYSIO.
## ALTERO PIONIO, ET XIII ALIIS.

§ I. *S. Pionii natalis.*

*Quemadmodum S. Polycarpum Smyrnensem Antistitem diversis diebus Græci ac Latini venerantur, hi* XXVI *Januarii, illi* XXIII *Februarii, haud satis evidenti argumento, utro potissimum, atque adeo an alterutro, martyrium obierit; ita S. Pionium, ejusdem Ecclesiæ Presbyterum, ac socios, Græci* XI *Martii, utcumque suffragantibus Actis; Latini* I *Februarii colunt. Hujusce diversitatis* multæ, ut in aliis, *inquit Baronius in Not. ad Martyrol.* caussæ adduci possent, nempe Reliquiarum inventio, aut translatio, depositio, seu in honorem ipsorum Martyrum ecclesiæ dedicatio. *Constantius Felicius, cujus inferius verba dabimus, cum de sociis S. Pionii agemus, hos ait Kalendis Februarii, illum* XII *Martii mortem oppetiisse.*

*S. Pionius natalis diversis diebus signatus.*

2 *Quia vero, si quis certum martyrii diem annumque statuere se posse arbitratur (quod nobis non perinde, ut mox fatebimur, expeditum) variis Martyrologia aliquid fortasse ponderis allatura sunt, plerorumque hic verba sigillatim depromemus. Vetus Romanum, hactenus a nobis sub S. Hieronymi nomine citatum, ita habet :* Kal. Feb. in Smyrna civitate, natale Polycarpi Episcopi, Pionis, Dionysii, et aliorum VI. Item Pionis et aliorum V. *Aliud Romanum a Rosweydo editum :* Smyrnæ Pionii Martyris et aliorum XV. *Idem habet MS. Centulense, Bedæ nomine insignitum. Succinctius etiam MS. collegii Lovaniensis Societ. Jesu :* Apud Smyrnam S. Pionis M. *addit Martyrologii Ord. S. Benedicti pervetusta editio :* et aliorum XV cum eo coronatorum *MS. Domus professæ Societ. Jesu Antverpiæ, Bedæ præferens nomen :* Apud Smyrnam natale S. Pionii M. Passi sunt cum eo et alii XV.

*Celebratur in veteribus Martyrologiis.*

8 *Usuardus :* Apud Smyrnam, S. Pionii Martyris, qui post squallorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrii tolerantiam suis exhortationibus roboravit, cruciatibus multis vexatus, clavis confixus, et ardenti rogo superpositus, beatum pro Christo vitæ finem

*AUCTORE I. B.*

nem sortitus est. Passi sunt cum eo et alii xv. *Ado, Notkerus, Beda vulgatus, et alii* : Apud Smyrnam natalis S. Pionii M. qui persecutione Antonini Veri post insuperabilem responsionum constantiam, et post squallorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrii constantiam suis exhortationibus roboravit, ad ultimum cruciatibus multis *etc. ut in Usuardo. Romanum modernum a Baronio interpolatum* : Smyrnæ S. Pionii Presbyteri et Martyris, qui post apologias pro fide Christiana conscriptas, post squallorem carceris, *cetera itidem ut Usuardus. Brevius Bellinus de Padua* : Apud Smyrnam S. Pionii M. qui cruciatibus multis vexatus, ardenti rogo superpositus, beatum pro Christo vitæ finem sortitus est. Passi sunt cum eo alii xv. *MS. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis* : Apud Smyrnam S. Pionii M. qui persecutione Antonini Veri Imp. ardenti rogo superpositus, in Christo quievit : et cum ipso passi sunt alii xv, quos ipse ad martyrii tolerantiam roboravit. *Vetus MS. Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti* : Apud Smyrnam S. Pionii M. qui persecutione Antonini, post insuperabilem responsionum constantiam, ad ultimum ardenti rogo superpositus beato fine quievit.

4 *MS. Florarium SS.* Apud Smyrnam S. Pionis M. alias Pionii, sub Antonino Vero. Passi sunt cum eo et alii xv *anno salutis* CLXII, *persecutionis tertiæ anno* LIV. *Statuit Florarii auctor anno* II *M. Aurelii S. Pionii mortem, ac tertiæ persecutionis initium anno Trajani* XI, *Christi* CVIII *cum anno præcedenti, Trajani* X *cum signet Chronicon Eusebii; quartam, qua peremptus est S. Polycarpus,* VII *M. Aurelii. Franciscus Maurolycus ita breviter S. Pionii martyrium memorat* :

*atque recentioribus,*

Apud Smyrnam Paeonii M. qui cruciatibus vexatus, ardenti rogo superpositus, pro Christo occubuit cum aliis xv. *Galesinius* : Smyrnæ S. Pionii, et xv sociorum MM. Is carceris, ubi multos ad martyrium confirmavit, situ et squallore pene confectus, variis tormentis cruciatus, et clavis confixus, in igne denique pro Christi gloria id supplicium, Antonino Imperatore, fortiter subiens, migravit in cœlum. *Canisius, in utraque editione, eadem habet quæ Usuardus, nisi quod diserte asserat* XV *socios eodem supplicio mactatos, quod neque Usuardus, neque Acta habent.*

*in aliis 2 Febr.*

5 *Vetus Martyrol. MS. monasterii S. Martini Treviris* II *Febr. eum refert his verbis* : Apud Smyrnam Pionii M. qui post squallorem carceris, ardenti rogo defunctus est. *At Græci, uti monuimus,* XI *Martii eum celebrant, quo die Menologion a Canisio editum* S. Pionii Presbyteri Ecclesiæ Smyrnensis. Hic, Decio Imperatore, ligno affixus, et in ardentem rogum conjectus, martyrio consummatur. *Fusius Menæa* : Eodem die memoria S. P. N. Pionii Presbyteri sanctæ Smyrnensis Ecclesiæ.

*11 Mart in Græcis.*

Ut subcineritius panis percoctus,
Tostus Pionius oblatus est Domino.

Hic sancte Dei Ecclesiæ Smyrnæ Presbyter erat, Decii Imperatoris temporibus. Captus cum aliis, primum ad Polemonem Ædilem ducitur : apud quem de religione, argumentis depromptis ex Scriptura et historiis, disputat, ex iis quæ jam evenerant futura confirmans, Deum videlicet facta hominum per ignem judicaturum, qui et olim ignea pluvia regionem Sodomorum in cinerem redegerit, ac multis locis flammarum scaturigines aperuerit. Deinde ad Elpidium Præfectum, Ædilis collegam, ducitur vir sanctus. Ad extremum Quintiliano Proconsuli sistitur, atque ignis supplicio addicitur. Peragitur ejus celebritas in Lithostroto : *æde miraram quapiam Constantinopoli, in loco sita, qui quia lapidibus stratus, ita appellatus.*

*in aliis 12 Mart.*

6 *Denique* XII *Martii, quo die consummasse martyrium Acta tradunt, refertur iterum in Martyrol. S. Hieronymi, sive veteri Romano* : Smyrnæ Pionii Presbyterii. *In MS. Lætiensi et S. Martini Tornaci* : In Nicomedia Passio Pionii Presbyteri, qui passus est sub Proconsule Asiæ Julio Proclo et Quintiliano; qui post carceres et corporis dilacerationem confixus ligno, cum Metrodoro compresbytero, igni traditus est. *Ubi duo corrigenda; nam neque Nicomediæ martyrium fecit, neque debet Metrodorus, hæresis suspectus, absolute ejus compresbyter dici; eodem die Hermannus Greven Carthusianus Colonien. in addit. ad Usuard.* Pionii Martyris.

## § II. S. Pionii Acta.

Eusebius *Cæsariensis lib. 4 histor. Eccl. cap. 14, postquam ex Smyrnensis Ecclesiæ epistola S. Polycarpi gloriosum certamen enarravit; (quam epistolam nos* XXVI *Januarii integram recitarimus) de Pionio breviter nonnulla subdit, quæ Rufinus cap. 15 ita est interpretatus* : Sed in eadem epistola continebatur etiam de aliis quam plurimis ejusdem temporis Martyribus intexta narratio. In qua refertur post Polycarpum, quod etiam Metrodorus quidam ex Marcionis hæresi Presbyter igni sit traditus. Inter ceteros autem qui per idem tempus Martyres extiterunt, famosissimus inibi refertur quidam Pionius nomine. Cujus per singulas interrogationes responsionum constantiam, et pro fide nostra ad populum orationes, quamque apud Judices interritus semper adstiterit, docens et disputans in ipsis etiam tribunalibus; utque his qui in persecutione titubaverant, cohortationibus suis ad consurgendum dexteram dederit; et in carcere positus qualiter ingressis ad se fratribus animos ad martyrii tolerantiam roborarit; quosve etiam ipse pro martyrio tulerit cruciatus; utque sit clavis affixus, et ardenti rogo superpositus, et ut in his beatum vitæ fecerit finem; si quis vult plenius scire, ex illa quæ a nobis de antiquis Martyribus scriptura composita est, plenius discet. *De hoc Eusebii opere egimus in Præfatione generali in Vitas SS. cap. 1, § 3 ubi hunc ipsum locum citavimus.*

*Acta ab Eusebio citata,*

8 *Ea S. Pionii Acta, citata hic ab Eusebio uti erant a Smyrnensis Ecclesiæ fratribus conscripta, in suum opus congessit Simeon Metaphrastes; Latine a Francisco Zino Veronensi reddita vulgavit Aloysius Lipomanus tom. 7 Vitarum SS. PP. atque ex eo Surius. De iis Actis ita scribit Molanus Annot. 2 ad 1 Febr.* Hæc nobis conservavit Simeon Metaphrastes, non tam ex Eusebio Cæsariensi, quam ex epistola fratrum Smyrnensium, qui præsentes aderant. *Patet id quidem ex cap. 1, nu. 1 ubi dicitur* : Vir Apostolicus nostris temporibus fuit. *Et cap. 2, nu. 11.* Innuebat autem Asclepiadem, qui nobiscum erat. *Et cap. 5, n. 22.* Nos qui præsentes eramus, talem ipsum vidimus.

*e Metaphraste vulgata,*

9 *Ea Acta Baronius in Not. ad Martyrol. a se* diligentius cognita, legitima inventa esse atque sincera *testatur. Ac tom. 2, Annal. ad an. 169, num. 22,* sincera atque legitima esse *censet,* eaque tum ex publicis Actis Proconsularibus accepta, tum ab iis qui aderant simpliciter sine fuco conscripta. *Ad annum vero 254, num. 1, de iis ita scribit* : Extant sincerissima ejus Acta, a Christiano homine, qui tunc aderat, fidelissime scripta, atque illa ipsa, quæ in commentarium illum de Martyribus a se scriptum illata, Eusebius tradit. Esse enim eadem ipsa legitima, cum argumentum eorum ab eodem Eusebio collectum atque recitatum demonstrat, tum quam plurima alia, quæ iisdem Actis contenta, simplicissimæ veritatis candore nitent, eruditus ac prudens lector intelliget..... contempseram illa, fateor..... sicque (ut ingenue dicam) infenso primum animo ea legi, et averso vultu cognovi, atque Aristarchi statera, quo ea improbarem potius, quam probarem, expendi. Sed cum inter legendum radii quidam ex eis simplicis et minime fucatæ veritatis elucerent; ad ea accuratius cognoscenda

*aliaque ab aliis descripta, laudata a Baronio*

A scenda omne studium adhibui. At tantum abest, ut ea invenerim commentitia, ac proinde rejicienda putarim; ut eadem candida veritatis luce nitentia, et omni ex parte firma esse cognoverim. *Hæc aliaque vir ille summi judicii.*

*alia e Latinis MSS.*

10 *Eadem jam olim, ante ipsius etiam fortassis Metaphrastæ ætatem, apud Latinos extitere* S. Pionii *Acta: quæ nos e codice imperialis monasterii S. Maximini apud Treviros, a quingentis facile annis exarata, hic damus : breviata tamen fortasse quibusdam locis. Agit de* S. Pionio. *Vincentius Bellovac. lib.* 10, *cap.* 27. *Zacharias Lippelous in selectis SS. Vitis tom.* 1, *Bartholomæus Riccius in Iconibus Martyrum crucifixorum, Petrus Biverus in Sanctuario Crucis.*

## § III. *Martyrii tempus.*

*dubium an sub M. Aurelio occisus;*

De *tempore cædis* Pionii *mirum quantum discrepent Acta et Latini scriptores plurimi. Illa sub Decio qui an.* CCXLIX, *occisis Philippis, patre ac filio, imperium occupavit, tenuitque ultra annos duos, coronatum martyrio asserunt. Martyrologia complura superius nu.* 3 *et* 4 *citata, aliique graves, scriptores, cum Petavio nostro, sub M. Aurelio et L. Vero. Hi Chronicon Eusebii sequuntur, in quo ad annum M. Aurelii* VII, *qui erat Christi* CLXVII, *ista in Latinis exemplaribus habentur :* B Persecutione orta in Asia, Polycarpus et Pionius fecere martyrium; quorum scriptæ quoque passiones feruntur. *Idem asserere historiæ Eccles. lib.* 4, *cap.* 14 *videtur, uti nu.* 7 *retulimus. Adstipulatur iisdem fere verbis Nicephorus Callistus lib.* 3, *cap.* 36.

*an sub Decio*

12 *Acta utraque interemptum tradunt Decii Imp. persecutione. Et majora quidem, quæ e Metaphraste sumpta, cap.* 2, *nu.* 10, *Sabinam, quæ una cum Pionio capta est, antea imperante Gordiano, ab hera sua vinctam in montes relegatam narrant : imperavit autem Gordianus ab anno* CCXXXVIII *ad* CCXLIV. *In iisdem Actis cap.* 3, *nu.* 12, *Eutychianus quidam memoratur, ex hæresi Phrygum, in carcere jam ante clausus fuisse, cum in eum adductus est Pionius. Non id ergo accidit anno* VII *M. Aurelii, quo Polycarpus martyrium fecit; cum anno ejusdem M. Aurelii* XI, *ut idem Eusebii Chronicon refert,* Pseudoprophetia, quæ Cataphrygas nominatur, acceperit exordium, auctore Montano, et Priscilla Maximillaque vatibus. *Quid quod Euctemon Episcopus Smyrnensis idolis immolarat priusquam comprehenderetur Pionius? Non igitur eo ipso tempore quo Polycarpus coronatus, captus Pionius est, ut volunt. Qui enim in eo tumultu novum electum fuisse Antistitem, ac subito a fide excidisse, probabile fiat? Denique in Actis S. Polycarpi ita loquuntur Smyrnenses nu.* 15. C Nobis in unum aliquando coactis, concedet Deus diem martyrii ejus cum gaudio in exultatione celebrare. *At comprehensus est cum tam solemnitas ageretur S. Polycarpi; ergo non eodem saltem anno : ac nec eadem quidem persecutione, si legitima sunt Acta.*

*hoc probabilius videtur.*

*etiam Baronio*

13 *Baronius* in eam sententiam adductum *se fatetur*, ut existimet Eusebii scriptis errorem inesse potius, quam Acta veritate periclitari. *Unde vero errorem illapsum suspicetur, ita exponit :* Cum (ut idem ait Eusebius) in eodem libello Smyrnensis Ecclesiæ, post descriptum Polycarpi martyrium, cum aliorum Martyrum, tum Pionii Acta attexta essent, quibus diceretur eodem quo Polycarpus tempore Pionius esse passus; existimatum fuit (non puto ab Eusebio, qui eadem Acta satis habuit perspecta, sed ab aliis) sub iisdem Imperatoribus, quibus Polycarpus, Pionium quoque pro fide certantem fuisse martyrio coronatum. *Eusebii verba, quæ nos supra ex Rufini interpretatione, recitat, atque in hanc sententiam accipienda dicit,* quod Pionius ibidem loci, eodem quoque anni tempore, quo gentilis ejus Polycarpus, martyrium subierit. *Idem antea scripserat ad annum* CLXIX, *num.* 22. *Idem inculcat in Notis ad Martyrologium.* D

*AUCTORE J. B.*

*nec plane repugnat Eusebius in historia,*

14 *Ita Græci Eusebium accepere, ut patet ex Menæis et Menologio superius citatis. Verba Eusebii sunt :* Ἐν τῇ αὐτῇ δὲ περὶ αὐτοῦ γραφῇ, καὶ ἄλλα μαρτύρια συνῆπτο, κατὰ τὴν αὐτὴν Σμύρναν πεπραγμένα ὑπὸ τὴν αὐτὴν περίοδον τοῦ χρόνου τῆς τοῦ Πολυκάρπου μαρτυρίας. *Quæ minus apte versa a Christophorsono videntur :* Alia etiam aliorum martyria Smyrnæ eodem temporis momento, quo Polycarpus martyrium perpetiebatur, factitata, in eam de eo conscriptam epistolam congesta sunt. *Neque omnino fortassis Ruffini probanda interpretatio :* Sed et in eadem epistola continebatur etiam de aliis quamplurimis ejusdem temporis Martyribus intexta narratio. *Rectius ita reddi ea Latine possunt :* In eodem de Polycarpi rebus commentario alia conjuncta martyria erant eorum qui in illa urbe, recurrente ejusdem Polycarpi martyrii tempore, coronati sunt. *Nicephorus loco cit. ita habet.* Κατὰ δὲ τὴν αὐτὴν τῶν χρόνων περίοδον. *Langus vertit :* Eadem hac ætate. *Melius forte :* Eadem anni tempestate, *aut* temporis revolutione. *Quos autem post Pionium martyrio perfunctos Pergami Asiæ urbe, memorant locis citatis Eusebius et Nicephorus,* Carpum, Papylum, Agathonicen, *eos Acta quæ* XIII *Aprilis dabimus, et Menæa* XIII *Octobris, Decii temporibus passos tradunt, non, ut prima intuitu videtur Eusebius indicare, M. Aurelii Antonini.* E

*aut Chronico*

15 *Baronius vel non animadvertit, contrarium ejus quod ipse propugnabat, asseri in Chronico Eusebii, vel certe (quod de ejus candore suspicari fas non est) dissimulavit. Verum in Græca Chronici editione nulla Pionii mentio fit, ita enim habet ad L. Veri et Quadrati consulatum :* Πολύκαρπος ὁ ἱερώτατος Σμύρνης Ἐπίσκοπος τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρίῳ ἐτελειώθη, διωγμοῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν γεγονότος. Polycarpus sanctissimus Smyrnæ Episcopus martyrio propter Christum finitur, orta per Asiam persecutione. *An Pionii nomen S. Hieronymus adscripserit, an alius postea, quærere nihil attinet.*

*de anno ac die mortis non certo constat,*

16 *At si vere sub Decio Pionii martyrium contigit, quoto illius anno; quo mense, ac die, disputari potest. Nobis haud satis liquet. Non existimamus, quod Petrus de Natal. lib.* 3, *cap.* 68 *scribit, Kalendis Februarii id peractum. Chronicon Alexandrinum* Indict. XIV. Decio Cæsare et Decio filio ejus Coss. *qui erat annus Christi* CCL, *ista habet :* Smyrnæ, Asiatica civitate, Pionius cum aliis haud paucis Christi caussa occubuit : vir erat eruditus, et Christianarum disciplinarum sanctiore cognitione probe imbutus : Proclo Asiæ Proconsule, IV Idus Martias, hoc est, Asiaticorum calculo, sexto mense XII, sabbati hora decima, cursum confecit. F *Acta Latina cap.* 1, *nu.* 2 *habent :* Secundo die sexti mensis, qui dies est IV Idus Martii, die sabbati majore, geminum Pionium, Sabinam, *etc.* vis persecutionis invenit; *et cap.* 3, *nu.* 15 Acta sunt hæc sub Procos. Julio Proculo Quintiliano, C. Messio Quincto Trajano Decio, Vicio Grato, ut Romani dicunt, IV Idus Martii, ut Asiani mense sexto, die sabbato, hora diei decima. *Alia Acta diem quo captus est, quoque interemptus, distinguunt. Ita enim habent cap.* 1, *nu.* 2 Vigesimatertia mensis Februarii die, cum sabbatum magnum instaret, natali scilicet beati Martyris Polycarpi, vigente Decii Imp. persecutione, Pionius Presbyter, et Sabina, *etc.* comprehensi sunt. *Et cap.* 5, *nu.* 22, Hæc acta sunt Julio Asiæ Proconsule, Proclo et Quintiliano magistratum gerentibus, Consule tertium Quinto Trajano, et Deltio Grato secundum, Trajano Decio Augusto, ante IV Idus Martias more Romanorum, Asiæ autem more, septimi mensis undecimo, die sabbati, hora decima.

*captus est 23 Feb. 250 sabbato :*

17 *Verum ista minime invicem congruunt, ut nimirum* XXIII *Februarii, ac deinde eodem anno* XII *aut etiam* XI *Martii sabbatum fuerit. Nisi quis scriptorem*

putet

A *putet dupliciter hallucinatum, ut videlicet Idus Martii decimotertio die signarit, et pridie Idus vocarit* 1 Id. XI *diem* II *Id. Ita enim anno Decii* 1 *Christi* CCL. Messio Decio Augusto et Annio Grato Coss. *littera Dominicali F. dies* XXIII *Febr. incidit in sabbatum ante Dominicam Quinquagesimæ, quod Magnum hic appellatur; et* IX *Martii in sabbatum ante Dominicam* Oculi, *posito illo erroneo calculo. Sed cum situ ac squallore carceris pene confectus dicatur, diutius videtur quam* XIV *diebus in eo detentus: vixque tantillo spatio, quæ Eusebius commemorat, peragere omnia potuit. Probabile igitur est, anno Christi* CCL., *die* XXIII *Februarii, cum anniversaria S. Polycarpi solemnitas ageretur, in vincula datum: anno sequenti,* XI *aut* XII *Martii, aut alio quopiam die, absolvisse certamen.* Decio III et Grato II Coss. *Certe in libello de Romanis Pontificibus, quem a nobis acceptum Ægidius Bucherius noster in suis ad Victorii Canonem Commentariis vulgavit, dicitur S. Fabianus Papa* Decio II et Grato *martyrium passus, quod* XX *Januarii ostendimus anno Christi* CCL *contigisse. Præcedenti igitur anno, Christi* CCLIX, *una cum imperio Decius consulatum occuparat. In eodem libello dicitur S. Cornelius sedisse a* Coss. Decio IV et Decio II, *et ex illius auctoris sententia occubuisse dicendus sit Decius anno Christi* CCLII, *quo quartum jam consulatum Decius pater inierat, tertium vero an.* CCLI *gesserat cum Q.* Etrusco Decio F. Cæsare, *qui vel Annio Grato suffectus, vel eum sibi, ad bellum cum patre profecturus, suffecerat. Alii eo anno Decii senioris collegam statuunt* Rusticum: *Auctor anonymus a Cuspiniano citatus,* Decium III et Decium Cæsarem. *Certiora fortassis de Pionii et sociorum martyrii die eruet, qui accuratiore studio Canones Asiaticorum paschales expenderit, uti et de S. Polycarpi martyrio alibi diximus.*

*Mensis et quo die occisus, incertum:*

*probabiliter an. 251*

E

*tertio ejus consulatu,*

## § IV. S. *Pionii socii, scripta.*

P*ionio gloriosi martyrii socios pleraque Martyrologia, ut supra retulimus, quindecim jungunt. Haud pauca, Usuardi fere nomina præferentia,* duodecim *solum censent. Vetus Romanum nu. 2 relatum, duos ex iis nominat,* Dionysium *cum* XI *aliis, et alterum* Pionium *cum quinque sociis: quasi non simul omnes, sed diversis vel diebus vel locis, et modo fortassis martyrii, perempti sint. Nusquam alibi secundi hujus* Pionii *sive* Pionis, *aut (ut habet MS.)* Peonis *mentio fit.* Dionysium *Carthusiani Colonienses memorant his verbis,* Item SS. Dionysii et Publii. *De Publio et sociis in Africa passis seorsim agemus.* XXVI *Januarii ad Vitam S. Polycarpi* § 1, *nu. 2 diximus dubitari posse, num hi S. Polycarpi socii fuerint, an, quod potius reor, S. Pionii, cum Polycarpo solum* XII *junguntur, hic* XIII *sunt.*

*Socios habent Dionysium et Pionium, et alios 13*

F

19 *An qui in Actis recensentur cum S. Pionio comprehensi* Asclepiades, Macedonia, Sabina *sive* Theodora, ac Linus Presbyter, *martyrio quoque perfuncti sint, atque inter* XV *illius socios debeant computari, haud promtum nobis est definire. Acta Latina Martyres appellant cap.* 2, *nu.* 4 Tunc Martyribus in medio constitutis. *Nusquam in Martyrologiis eorum legimus nomina, nisi apud Felicium, qui tamen præter eos videtur* XV *alios statuere:* Peonius Presbyter, *inquit,* cum XV sociis Martyribus; qui cum Sabina, Macedonia, Asclepiade, et Lino Presbytero, et aliis, Smyrnæ Martyrium perpessi sunt sub Decio Imp. variis a Quintiliano cruciatibus affecti, atque ad extremum crucibus affixi. Dicuntur ceteri 1 Februarii, Peonius XII Martii occubuisse; sed hodie simul omnium fieri commemoratio. *Quem hic* Peonium, *Maurolycus supra* Piconium, *multa MSS.* Pionem *appellat.*

*In Asclepiadem, Sabinam, Macedoniam, Linum?*

20 *Martyrologium Roman. modernum supra nu.* 3 *tradit* apologias pro fide Christiana a *S. Pionio* conscriptas. *Erat quidem, ut nu.* 16 *habet Chronicon Alexandrinum,* vir eruditus, et Christianarum disciplinarum sanctiore cognitione probe imbutus. *At neminem veterum legimus, qui eum quidquam emisisse in lucem testaretur. Eusebius lib. 4, hist. cap.* 14 *refert illius* τὰς ὑπὲρ τῆς πίστεως ἐπὶ τοῦ δήμου καὶ τῶν Ἀρχόντων ἀπολογίας. *Rufinus vertit,* pro fide nostra ad populum orationes *etc. supra* § 2, *nu. Christophorsonus,* apologias pro fide coram populo et magistratibus recitatas. *Non aliud videtur intelligi, quam habitæ de veritate nostræ religionis disputationes, quæ in Actis exstant.*

D

*apologias pro fide non videtur scripsisse.*

21 *Vitam S. Polycarpi et martyrium ostendimus* XXVI *Januarii* § 2 *a Pionio quopiam esse conscripta, fortassis post Synodum Nicænam. Non est tamen improbabile, auctorem illum, nostrum hunc sanctum Martyrem fuisse. Ad calcem martyrii in Latinis exemplaribus ista habentur:* Exemplaria hæc ex Irenæi, discipuli Polycarpi, doctrina scripsit Caius, qui conversatus est una cum Irenæo. Ego autem Socrates ex his Caii exemplaribus scripsi. Ego Pionius memorata exemplaria investigavi et scripsi, ex revelatione quæ mihi facta est de B. Polycarpo, sicut enuntiavi in conventu reliquis, ex tempore quo laboravi cum electis, et ut me colligat Dominus Jesus Christus in regno cælorum. *In Græco exemplari ita loquitur Pionius:* Ego vero rursus Pionius ex jam memoratis exscripsi, et scrutatus juxta revelationem B. Polycarpi mihi apparentis, ut ostendam ea colligens quæ jam fere tempore erant obliterata. *Sane et laboravit cum electis sanctus Martyr, et cælesti revelatione imminentis martyrii admonitus, et candore eo præditus fuit, ut etiam in fratrum conventu libere auderet enuntiare, quæ divinitus acceperat, ut et eorum cervicibus vincula innexuit. Lege quæ ad Polycarpi Vitam dicta sunt.*

*sed S. Polycarpi Acta, per revelationem monitus,*

E

# ACTA

## e MS. monasterii S. Maximini.

## CAPUT I.

### *S. Pionii et sociorum comprehensio.*

Referre oportere ac debere memorari Sanctorum merita, Apostolus præcepit, eo quod sciat rerum gestarum memoria egregiis viris famam in pectore crescere, his ante omnia, qui imitari tales viros vel maxime student, vel præcipua æmulatione contendunt. Unde Pionii Martyris non debet Passio sileri, qui dum esset in luce, multis fratribus ignorantiæ discussit errorem, et postea Martyr effectus, quibus minus doctrinam infuderat, passus ostendit exemplum.

*SS. gesta memoranda*

F

2 Secundo itaque die sexti mensis, qui dies est quarto Idus Martii, die sabbati majore, *a* Geminum Pionium, Sabinam, Asclepiaden, Macedoniam quoque, et *b* Lemnum Presbyterum Catholicæ Ecclesiæ, vis persecutionis invenit. Sed quia bonum fidei totum Dominus ostendit; Pionius, quia imminebant supplicia, quæ non timebat, advenientia futura prævidit. Ergo cum ante diem quam natalis Polycarpi adveniret, cum Sabina, et Asclepiade devotus insisteret jejuniis, vidit in somnis sequenti die se esse capiendum. Quæ cum aperte et indubitanter agnosceret, eo quod tam lucide visus omnia aperiret; funis vincula, suo et Asclepiadis et Sabinæ collo circumdedit: ut cum ab illaturis vincula vincti invenirentur, scirent qui venerant, nil novi se facturos; intelligerentque non eos, sicut ceteros qui degustabant sacrificia, esse ducendos, cum essent vincula, priusquam juberentur, imposita, et fidei testimonio, et voluntatis judicio.

*a*

*S. Pionius cum aliis capitur*

*b*

*sed præmonitus in somnis,*

*jam vincula sibi et suis induerat*

3 Facta igitur oratione solemni, cum die sabbato sanctum panem et aquam degustassent, Polemon, sive Æditus, advenit stipatus. Qui ubi Pionium vidit, talia ore profano verba profudit: Scitis manifestum *c* Principis

*c*

AUCTORE ANONYMO EX MSS. LATINIS.

A Principis esse præceptum, quod sacrificia celebrare vos jubeat? Pionius dixit: Scimus quidem præcepta; sed illa sola quæ venerari Christum non jubent. Æditnus ait: Venite ad forum, ut pernoscatis vera esse quæ dixi. Sabina vero et Asclepiades clara voce dixerunt: Nos vero Deo obedimus. Et cum ad forum ducerentur oblati, repente vincula cervicibus eorum induta vulgus aspexit: et, ut solet in populo rationis *d* visendæ rei cupiditas inhiare, ita inter se mirantes stupebant, ut dum ipsi alios pellerent, ab aliis pellerentur. Ergo ubi ad forum ventum est, repente immensa multitudine quidquid spatii in medio fuit, et superposita paganorum ædiculis tecta completa sunt: innumeræ quoque aderant fœminarum catervæ, quia erat dies sabbati, et Judæorum fœminas ab opere diei festivitas relaxabat: omnis circumfusa undique visendi studio ruit ætas: et quos ad videndum destituebat brevitas corporis, aut ascendentes arcas, aut ascendentes sedes altas, ne subtraherentur miraculo, æquiperabant ingenio quod natura negaverat.

*ducitur ad forum.*

*et concurrente innumera turba*

a *Ita MS. An forte indicat alterum* Pionium, *de quo Martyrol. an prænomen est S. Pionii? an mendum Librarii? an alius e sociis Martyribus* Geminus? b *In majoribus Actis* Linus *appellatur* c *Non ait* Principum, *Aurelii et Veri. Ergo unicus erat, ut supra diximus, Decius.* d *Forte deest*, experte.

B

## CAPUT II.

### *Interrogatio prima coram Polemone Æditno.*

Tunc Martyribus in medio constitutis, Polemon ait: Bonum est, Pioni, et te sicut ceteros obedire, ac jussa complendo, declinare supplicia. Beatus Martyr, Polemonis sermone percepto, extensa manu, læto et alacri vultu, tali ratione respondit: Vos, qui exultatis in pulchritudine mœnium et *a* Smyrnæ civitatis decore gaudetis, et *b* Homero poëta gloriamini, et si qui ex vobis ex Judæis assunt, paucis, audite, vos alloquor verbis. Audio enim quod irrideatis eos, qui ad sacrificandum aut sponte prosiliunt, aut alio cogente non renuunt; et in illis et in istis lenitatem pectoris, ut spontaneum damnatis errorem: cum oporteret Homero doctori vestro ac magistro pariter obedire, qui asserit *c* nefas esse insultare defunctis, nec ullum conflictum cum luce cassatis, aut certamen esse debere cum mortuis. Vos autem, qui estis Judæi, decuerat Moysi obedire præceptis, qui ait: Inimici tui animal si ceciderit, oportet te prius levare quam transeas. Pari quoque sententia Salomon, similique ratione signavit: Ne exultes cadente inimico tuo, nec aliena infelicitate læteris. C Unde ego mori malo atque omnia perferre supplicia, et in quaslibet ærumnas deductus immensos sentire cruciatus; antequam pervertam aut illa quæ didici aut ea quæ docui. Nunc ergo quoniam Judæi se risu cachinnante dissolvunt, irridentes eos qui aut coacti, aut sponte sacrificant; nec a nobis quidem temperant risum, et insultanti voce proclamant, diu nos licentiæ tempus habuisse. Esto: inimici ergo sumus, attamen homines. Qui enim a nobis pertulere jacturæ, quæve per nos sensere supplicia? Quos odio persecuti iniquo sumus? Quos lingua læsimus? quos, ferina crudelitate grassati, ad supplicia traximus? Non sunt eorum peccata his similia, quæ propter timorem hominum nunc aguntur. Longa discretio est inter invitum et sponte peccantem: et hoc interest inter eum qui cogitur, et illum quem nemo compellit; quod ibi mens, hic tempus in culpa est. Quis enim coegit Judæos, aut mysteriis Beelphegor imbui, aut interesse parentalibus, et degustare sacrificia mortuorum? Quis cum filiabus allophylorum turpes coitus agere, et exercere meretriciam voluptatem? Quis suos filios concremare? Quis adversus Deum murmur exercere, aut de Moyse latenter loqui male?

*ad quam peruat*

a

b

*et insultantes Christianis, qui quidam lapsi, arguit*

c

Deuter. 22. 4

Prov. 24. 17.

*præsertim Judæos*

*quorum maiores, non, ut nostri, coacti sed sponte sua fœda patrarent*



Quis tot beneficiorum immemores, quis fecit ingratos? Quis coegit per cor suum redire ad Ægyptum aut cum Moyses legem ascendisset accipere, dicere ad Aaron: Fac nobis Deos, et vitulum qui nos præcedat, et cetera quæ fecerunt? Sed vos, Pagani, possunt forte decipere, aliqua aures vestras ambage fallentes; nobis nullus illorum poterit imponere. Recitent codicem Judicum, Regnorum, Exodum, et cetera, quibus convincuntur, ostendant. Sed quæritis, cur multi ad sacrificandum sponte descendant, et propter paucos, ceteros irridetis. Fingite vobis imaginem trituræ: palearum est acervus major an tritici? cum enim colonus bicorni furca triticum vertit, sine pondere palea vento auferente jactatur, triticum autem grave et solidum in eo loco, in quo permanserit, consistit. *d*

D

*d*

5 Repetam nunc, quod Judæi in prima ætate me posito disserebant, quod esse mendacium sequenti redarguens sermone convincam. Scriptum namque est ita: Saul interrogavit mulierem Pythonissam, et dixit ei: Excita mihi Samuelem Prophetam. Et vidit mulier ascendentem virum cum stola: Saul Samuelem credidit, et interrogavit eum quæ volebat audire. Quid ergo? *e* Vates illa poterat excitare Samuelem? Si potuisse consenserint, iniquitatem plus justitia posse confessi sunt, et sunt exsecrabiles, et maledicti: si negaverint sic mulierem reduxisse; necesse est, ut Dominum Jesum Christum non sic redisse convincantur: ita fiet, ut in hac contentione aut damnentur aut cedant. Ratio hujus verbi talis est: Quomodo mulier poterat sancti Prophetæ excitare animam, jam olim in sinu Abrahæ positam, cum semper cui minus valet, a potentiore vincatur? ergo, ut arbitrantur, Samuel in lucem reductus est? Minime. Quid est ergo? Sicut omnibus qui Deum pura mente suscipiunt, Angeli famulari festinant, ita veneficis, vel incantatoribus, vel sortilegis, vel furorem sub vaticinationis specie per devia rura vendentibus, dæmones obsequuntur. Dixit enim Apostolus: Si Satanas in Angelum lucis transformatur; nihil magnum si ministri ejus transfigurantur. Illi autem nos credere debemus, qui ordinavit circumflua terræ maria, et statuta terminorum vel littorum lege signavit.

1 Reg. 28.

e

E

*docet Christum non esse arte magica suscitatum, neque Samuelem a Pythonissa*

2 Cor. 11. 14.

6 Æditnus dixit: Tu illum dicis, qui crucifixus est? Et Pionius: Illum dico, quem pro salute orbis Pater misit. Et Judices inter se dixerunt: Cogamus eos dicere, ut Pionius posset audire. Quibus ille respondit: Erubescite, culturæ Dei et justitiæ quantulumcumque deferte. Sin vero ut vestris legibus placet, cur jura vestra culpatis, non exequendo quæ jussa sunt? Jussi enim estis contradicentibus vobis, non vim inferre, sed mortem.

*Christum asserit confitetur.*

F

a *Smyrna, ut § 1 ad Vitam S. Polycarpi diximus, habita olim totius Asiæ minoris pulcherrima.* b *Inter septem urbes, quæ Homeri ortu gloriabantur, prima memoratur.* c *Ipse Homeri versus ex Odysseæ lib. 22 exprimitur in majoribus Actis cap. 1, num. 4.* d *Hic aliquid forte deest.* e *Salianus noster non ipsum quidem Samuelem redivivum, sed animam ejus vere apparuisse existimat, non magicis carminibus coactam, at divina virtute, priusquam impia mulier suorum incantamentorum carminum absolvisset: idem probabilius censet Cornelius, ac citat uterque plures e Patribus idem affirmantes, et verba Ecclesiastici cap. 46, 23.* Et post hoc dormivit (*Samuel*) et notum fecit Regi, et ostendit illi finem vitæ suæ *etc.*

## CAPUT III.

### *Quæstio coram Proconsule. Pionii cædes.*

Post hæc verba ait Rufinus quidam, pollens eloquio et facundia, atque oratoria arte præcellens: Quiesce Pioni. Quid inanem gloriam vana jactatione præsumis? Cui Pionius: Hoc te historiarum tuarum volumen edocuit? hoc codices tui demonstrant? Tali Rufinus beati Martyris sermone suscepto, tamquam fulmine ictus conticuit.

*Rufino oratori silentium imponit*

11 8 Quidam

*Auctore anonymo, ex MSS. Latinis.*

8 Quidam vero in excelso honore hujus seculi constitutus, ait : Noli clamare Pioni. Cui ille respondit: Noli esse violentus, sed rogum constitue, ut in flammas sponte pergamus. Arreptum itaque Pionium, magna cum lætitia et exultatione, portantes juxta aram, tamquam victimam, collocaverunt eo in loco, ubi erat ille, quem dicebant paulo ante sacrificasse. Tunc Judices severa voce dixerunt : Cur non sacrificatis? Illi responderunt : Quia Christiani sumus. Judices iterum dixerunt : Quem Deum colitis? Pionius dixit : Hunc qui fecit cœlum et terram, et sideribus cœlum ornavit, qui terram statuit et floribus adornavit.

*ad aram vi portatus cum sociis, abominatur sacrificia,*

9 Rursum Proconsul : Stultitiæ præceptor eras. Respondit ille : Pietatis. Rursum Proconsul : Cujus pietatis? Ille respondit. Pietatis illius, quæ ad Deum pertinet, illum qui fecit cœlum et terram et mare. Rursum respondit Proconsul : Sacrifica ergo. Ille respondit : Ego Deum vivum et verum adorare didici. Tunc Proconsul : Omnes deos colimus, et Cœlum, et eos qui in eodem sunt. Quid autem aera adspicis? sacrifica. Ille respondit : Non aspicio aera, sed eum qui aera fecit. Rursus Proconsul : Quis fecit? Ille respondit : Non licet prodi. Rursus Proconsul : Necesse est, te Jovem dicere, qui in cœlo est, cum quo dii deæque omnes sunt. Ergo sacrifica illi, qui est deorum omnium, cœlique regnator.

*frustra casum dente Proconsule :*

10 Cumque tacuisset, Proconsul jussit eum appendi, et quod verbis non poterat, voluit extorquere tormentis. Postea ergo quam cœperat subjicere tormentis, ait Proconsul : Sacrifica. Respondit ille : Minime. Rursum Proconsul : Multi sacrificaverunt, declinantesque tormenta, luce potiuntur : quid tantum elatus ad mortem nescio qua festinatione festinas? facito quod juberis. Ille respondit : Non sum elatus; sed æternum Deum timeo.

*appensus torquetur :*

11 Post hanc beati Martyris firmam fixamque sententiam, Proconsul diu habitis cum consiliatore sermonibus, rursus ad Pionium verba convertit et ait : Perstans in proposito, si pœnitentiam nec sero agis? Respondit : Minime. Rursus Proconsul : Habes liberam potestatem, quid te facere expediat majore consilio et longa deliberatione metiri. Ille respondit : Minime. Tunc Proconsul : Quoniam festinas, inquit, ad mortem, vivus es passurus incendium; et recitari jussit in tabula : Pionium sacrilegum virum, qui se Christianum confessus est, ultricibus flammis jubemus incendi; ut hominibus metum faciat, et diis tribuat ultionem.

*jubetur vivus comburi, sententia lecta de tabula*

12 Ibat itaque vir tantus futurus Christianis exemplo, sacrilegis voluptati : nec, ut ituris ad mortem solet, lababant vestigia, titubabant genua, membra torpebant, non mens mali prascia, et cetera signa mortis relabentibus vestigiis impediebant incessum. velox pedibus, alacer corpore, mente securus, absolutæ animæ ferebatur ad mortem. Cumque ad stadium pervenisset, priusquam commentariensis juberet, corpus suum ipse nudavit. Qui postquam integra et illibata membra respexit, ad cœlum vertit aciem oculorum, agens Deo gratias, quod ita fuisset ipsius pietate servatus. Impositus itaque pyræ quam manus gentilis extruxerat, ut clavis trabalibus figerentur, membra sua ipse composuit. Quem populus cum vidisset nudum, sive misericordia sive sollicitudine commotus, Pœniteat te, inquit, Pioni, tolluntur tibi clavi si facturum te spondeas quod tibi jubetur. Tum ille, Sentio, ait, vulnera, sed utrum clavis confixus sim non intelligo. Interposito itaque tempore ait : Hæc me ducit caussa, hæc me ratio potissimum compellit ad mortem, ut populus omnis intelligat resurrectionem futurum esse post mortem.

*generose pergit ad mortem ultro se exuit, semper virgo: stipiti affigitur*

13 Post hæc Pionium et Metrodorum Presbyteros, cum eis in quibus fixi erant stipitibus, erexerunt evenitque ut Pionius ad dexteram, Metrodorus staret ad lævam, ad Orientem oculis animoque *a* conversus; sed cum allatis lignis ac subditis nutrimentis, vires ignis acciperet, et per ardentem pyram fortiter populatrix flamma crepitaret, clausis Pionius oculis, tacita Deum suum oratione poscebat. Nec multo post nimium læto vultu, ignem respexit, et Amen dicens, animam quasi eructuaret evomuit, commendans spiritum suum ei qui vicem redderet, et condemnatarum injuste animarum rationem repromisit exquirere, dicens : Domine suscipe animam meam.

*orat læte et pie moritur :*

14 Hic finis B. Pionii, hæc passio, futura vita incorrupta semper ac libera, omnique culpa vacua, pura simplicitas, fides pertinax, innocentia perseverans : cujus pectus vitia exclusit, quia Deo patuit. Ita ille per tenebras festinavit ad lucem, et per angustam gradiens portam, ad plenam et spatiosam properavit. Coronæ itaque ejus Deus omnipotens ostendit indicium : subito namque in igne, quos illuc aut misericordia aut visendi cura conduxerat, tale corpus Pionii viderunt, ut addita membra posset excedere : habebat rectas aures, mediocres crines, barbam florentem; atque ita erat omni membrorum mole compositus, ut juvenis crederetur : et corpus post quasi in minorem ætatem redactum ostenderat et illius meritum et resurrectionis exemplum. Mira præterea gratia de vultu ejus arrisit, et multa Angelici decoris signa fulserunt a Domino, ut Christianis fiducia, metus Gentilibus adderetur.

*Ejus forma nec ab igne læsa.*

15 Acta sunt hæc sub Proconsule Julio Proculo *b* Quintiliano, C. Messio Quincto Trajano Decio, Vicio Grato *c*, ut Romani dicunt, IV Idus Martii, ut Asiani mense sexto, die sabbato, hora diei decima. Sic autem facta sunt omnia, ut nos præscripsimus, imperante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria, in secula seculorum. Amen.

*a Hæc de Pionio præcipue dicta. Nam Metrodorus minimum suspectus de hæresi erat. b MS. interjicit et quasi diversi fuerint Proculus et Quintilianus, uti et apud Metaphrasten dicitur c Decii, Consulibus.*

## ALIA ACTA.

### *Ex Simeone Metaphraste,*

### Edita Lipomano et Surio.

### CAPUT I.

### *S. Pionii et aliorum comprehensio : oratio ad Gentiles et Judæos.*

Apostolus monet ut Sanctorum memoriam celebremus, minime ignorans, nos, dum eos qui toto animo in fide sana permanserant, celebramus, ad ea quæ præstantiora sunt imitanda concitari. Quod cum ita sit, Pionii Martyris memoria nobis præcipue colenda est, qui tunc etiam cum in mundo peregrinaretur, multos ab errore revocavit, et vir Apostolicus nostris temporibus fuit. Cumque martyrio coronatus ad Dominum vocatus est, admonitionis gratia hoc nobis virtutis exemplum reliquit, ut nunc etiam doctrinæ ipsius monimenta haberemus.

*S. Pionius Doctor Smyrnæorum,*

2 Vigesimatertia mensis Februarii die, cum sabbatum magnum instaret, natali scilicet beati Martyris Polycarpi, vigente Decii Imperatoris persecutione, Pionius Presbyter, et Sabina veræ pietatis studiosa, et Asclepiades, et Macedonia, et Linus Ecclesiæ Catholicæ Presbyter, comprehensi sunt. Pionius igitur pridie natalis diei S. Polycarpi futurum prævidit, ut eo ipso die caperentur. Itaque cum simul cum Sabina et Asclepiade jejunans, se postridie comprehensum iri prospexisset, sumptis tribus catenis connexis, colloque suo et Sabinæ et Asclepiadis injectis, domi expectabat. Id autem fecit, tum ne abanneis abducerentur, tum ne posset aliquis suspicari, se, ut reliquos, ad ea quæ idolis essent immolata, comedenda

*divinitus monitus se capiendum, tres catenas sibi et suis induit.*

A comedenda deduci velle: et ut omnes intelligerent, se statim in carcerem duci decrevisse.

*Captus 23 Febr. 250.*

3 Cum igitur precationibus incubuissent, et sabbatho sanctum panem et aquam cepissent, supervenit Polemo Æditus cum satellitibus suis, ut homines Christianos quæreret, eosque ad immolandum idolis, et comedendum ex iis quæ fuissent immolata, perduceret. Et Æditus, Nostis, inquit, plane decretum Imperatoris, quo vobis jubetur, ut diis sacrificetis? Cui Pionius, Novimus, inquit, mandata Dei, quibus imperat, ut ipsum solum adoremus. In forum igitur, inquit Polemo, venite, et illic obtemperabitis: At Sabina et Asclepiades dixerunt: Nos Deo viventi obtemperamus. Ducebat igitur eos, sed sine vi. Cum autem ire pergerent, viderunt omnes eos vincula gestantes. Quamobrem re nova commotus populus, celeriter concurrebat, et præ multitudine mutuo premebantur. Et cum in forum venissent, et in porticu ad Orientem sita, ad portam Duplicem constitissent, impletum est totum forum, et superiores porticus tum viris Græcis atque Judæis, tum etiam mulieribus. Nam cum magnum esset sabbatum, feriabatur. Quinetiam fundamenta arcusque conscenderant, ut spectarent.

*ducitur ad forum*

B 4 In medio igitur cum stetissent, Satius est, inquit Polemo, o Pioni, ut quemadmodum omnes faciunt, vos quoque pareatis Imperatori, et simulacris immoletis, ne puniamini. At Pionius, extensa manu, hilari vultu, caussam suam defendit: Viri, inquiens, Smyrnæi, qui et urbis pulchritudine, et melle Homerico, ut dicitis, gloriamini, et si qui sunt inter vos Judæi, audite me paucis perorantem. Audio vos risu gaudioque eos qui transfugiunt suscipere, perinde quasi ridiculum aliquid ac leve sit id quod agunt, dum idolis sponte sacra faciunt. At qui æquum erat, Græci, ut magistrum vestrum Homerum audiretis, *a* qui hominum interitu lætari pium esse negat. Vobis autem, Judæi, Moyses ita jubet: Si videris jumentum inimici tui cecidisse et sub onere jacere, ne præterieris: sed ipsum excitato. Æquum item erat, vos Salomonem audire, qui, Si ceciderit, inquit, inimicus tuus, ne gaudeas et calamitate ipsius ne extollaris. Ego enim magistrum meum audiens, mori malo, quam ab ejus præceptis discedere. Et totis viribus enitor, ne recedam ab iis, quæ primum didici, deinde etiam docui. Quid est igitur, cur nos crudeliter irrideant Judæi? Quamvis, ut ipsi dicunt, hostes eorum essemus, homines tamen sumus. Præterea injuria affecti, aiunt de nobis esse libere loquendi facultatem. Sed quos
C affecimus injuria? Quos occidimus? Quos persecuti sumus? Quos coegimus ut adorarent idola? Putantne similia esse peccata sua peccatis eorum, qui nunc humano terrore adducti prævaricantur? Atqui tantum differunt, quantum interest inter illa, quæ vi et quæ voluntate aguntur. Quis enim coegit Judæos, ut sacra facerent Beelphegor? ut comederent sacrificia mortuorum? ut scortarentur cum filiabus alienigenarum? ut comburerent filios et filias suas idolis? ut murmurarent adversus Deum? ut maledicerent Moysi? ut in bene de se meritos essent ingrati? ut corde in Ægyptum reverterentur? ut cum Moyses ad legem accipiendam ascendisset, dicerent Aaron: Fac nobis deos, et vitulum adorarent? Ut cetera taceam, quæ perpetrarunt. Vos enim possunt decipere: Sed legant vobis Exodum et librum Judicum, legant libros Regum, et reliquos omnes, in quibus coarguuntur. Objiciunt nobis, quosdam non vi coactos, sed ultro quæsitos, ad immolandum accessisse. Et vos propter paucos desertores, cunctos Christianos reprehendendos et damnandos esse judicatis? Considerare vitam præsentem areæ esse similem. Uter major acervus est, palearum an tritici? Cum venerit agricola, ut ventilabro aream expurget, palea, quæ levis est, facile

*ad Gentiles et Judæos perorat:*

*a*

*Deu. 22, 4.*

*Prov. 24, 17.*

*hos ob lapsum quorumdam e nostris insultantes reprimit*

D vento sublata rejicietur: triticum autem ibidem manebit. Præterea sagenam in mare missam considerate. Num omnia quæ colligit, bona sunt? Nequaquam. Sic etiam se habet vitæ præsentis status. Quomodo igitur vultis, ut hæc patiamur? ut sontes, an ut innocentes? Si ut sontes, qui fieri poterit, ut vos qui factis ipsis sontes esse deprehendimini, non eadem patiamini? Sin ut innocentes, ecquam vos, cum justi patientur, spem habetis? Nam si justus vix servatur, impius et peccator ubi apparebit? Mundo enim judicium adest: cujus quidem signa sunt manifesta.

*EX METAPHRASTE*

*1. Pet. 4, 18.*

5 Ego quidem cum peregre proficiscens, universam Judæam lustrassem, Jordanemque fluvium trajecissem, spectabam regionem *b* illam, quæ ad hoc usque tempus Divinam in te indignationem testatur, propter peccata quæ incolæ ipsius admiserunt, dum hospites vel occidunt vel ejiciunt, vel eis vim adferunt. Cernebam fumum ex illa adhuc ascendentem, et agros incendiis in cinerem redactos, omnium fructuum atque humoris expertes. Cernebam et mare mortuum, et aquam immutatam, et Divina formidine extra naturales terminos egredientem, quæ nec animalia potest alere, et si quid injiciatur, sursum rejicit, nec hominis corpus apud se valet retinere. Hominem enim recusat admittere, ne propter hominem rursum
E puniatur. Hæc ego commemoro, quæ procul absunt. Vos Decapolim, Lydiæ regionem, igne combustam videtis, ad impiorum exemplum usque in præsentem diem: Ætnæ item incendium, et Siciliæ, atque Lyciæ, et insularum. Quod si hæc quoque videntur vobis abesse longius; cogitate usum aquæ calidæ, ex terra scaturientis. Unde enim, nisi ex igne in intimis terræ partibus sito contrahit caliditatem? Ad hæc memoriæ proditum est, aliquas orbis partes tum igne vastatas esse, tum etiam aqua, vel tempore Deucalionis, ut vos dicitis, vel Noe tempore, ut nos asserimus. Quamobrem ex rebus singularibus possunt universa cognosci. Itaque testamur vobis et denuntiamus, judicium per ignem a Deo per Verbum ipsius Jesum Christum factum iri. Et idcirco deos vestros, et statuam aureum nolumus adorare.

*b*

*junior Judæam lustrarat, et mare mortuum*

*variis Divinæ justitiæ exemplis probat judicium per ignem futurum:*

a *Odysseæ χ sive lib. 22, cum Ulysses nutricem suam* Euryclеam *cæde procorum exultantem, et præ gaudio* ὀλολύξουσαν clamantem, *repressisset,* γνωμικῶς *addidit v. 411 a fine illius libri,*

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Non est pietas de viris interfectos gloriari.

b *Pentapolim intelligit, sive* Mare mortuum, et Asphaltiten lacum, *de quo Solinus cap. 36 et alii profani scriptores, et sacræ Scripturæ Interpretes omnes ad cap. 19 Geneseos, et in illud libri Sapientiæ* 10, v. 6: Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra.

F

## CAPUT II.

### *Interrogatio publica in foro.*

Hæc et alia multa cum sine ulla interpellatione Pionius loqueretur, attente atque incredibili silentio tum ab Æditus, ejusque satellitibus, tum ab universo populo audiebatur. Verum cum verba illa Pionius repeteret, Deos vestros, aureamque statuam nolumus adorare; duxerunt eos in medium sub dio. Circumsteterunt autem quidam homines forenses, una cum Polemone orantes atque dicentes: Nobis obtempera, Pioni, moremque gere, qui te diligimus, vitaque dignum ducimus, propter morum probitatem atque modestiam tuam. Dulce et jucundum est vivere, et lucem intueri. Ego quoque, Pionius inquit, vitam amabilem puto: sed illud longe est amabilius, quod optamus nos Christiani. Lucem hanc jucundam ac dulcem existimo: sed illam multo jucundiorem et dulciorem, quæ vera est lux, quam nos cupimus contemplari. Hæc quidem omnia sunt pulchra, neque nos damnamus, odiove prosequimur opera Dei. Sed alia sunt longe pulchriora ac præstantiora, quæ his anteponimus.

*blanditiis tentatur.*

*quæ opere refutat*

7 Circumforaneus

A 7 Circumforaneus autem quidam, nomine Alexander, homo improbus ait : Audi nos, Pioni. Cui Pionius, Tu, inquit, potius audi me. Quæ enim tu scis, sunt mihi cognita : quæ autem ego scio, eorum tu es ignarus. Volebat autem eum Alexander irridere. Itaque cum ironia; Quid sibi volunt, inquit, istæ catenæ? Cui Pionius respondit : Ne per urbem vestram iter facientes, existimemur ad immolandum idolis, aut ad edendum ea quæ sint illis immolata, proficisci : atque adeo, ut intelligatis, nos ne interrogari quidem velle, sed decrevisse non in forum, sed recta in carcerem ire : *a* et ne per vim nos comprehensos, ut reliquos, trahatis, sed cum vincula gestemus, dimittatis. Fortasse enim nos vinculis illigatos, ad idola vestra non introducetis. Sic cum Alexander illudebat. Cumque rursum illi multis verbis Pionium hortarentur, atque ipse sibi ita decretum et statutum esse responderet, eosque reprehenderet, et de iis quæ sunt eventura, dissereret; Alexander, Quid multis, inquit, opus est verbis, cum vivere nequeatis?

*EX METAPHRASTE.*

*rationem dat cur catenas ultro assumpserit* *a*

8 Sed cum populus vellet in theatro conventum fieri, ut plura illic audiret, quidam Ducis studiosi ad Polemonem Æditunm accedentes, ei persuaserunt, ne sineret in theatro populum convenire, ne tumultus fieret, et *b* panis flagitaretur. Quibus auditis, Polemo; Si non vis, inquit, Pioni, sacrificare, saltem in templum ingredere. Pionius autem, Hoc idolis, inquit, non expedit, ut illuc ingrediamur. Polemo vero, Persuade, inquit, hoc nobis Pioni. At ille, Utinam, inquit, possem vobis persuadere ut fieretis Christiani. Tunc illi risu soluto dixerunt : Tu vero ne id feceris, ne vivi comburamur. Gravius atque acerbius est, inquit Pionius, post mortem igne comburi sempiterno. Arridentique Sabina, Æditnus et satellites ejus dixerunt : Rides? Ita Deo placet, inquit illa; Christiani enim sumus : et qui fide sunt in Christum firma atque constanti, risu ridebunt perpetuo. Tu, inquiunt illi, quod non vis, patieris. Quæ enim diis nolunt sacrificare, in *c* prostibulum conjiciuntur. At illa, Sancto, inquit, Deo id erit curæ.

*b* B

*templum idolorum ingredi recusat :*

*Sabina sui risus causam reddit*

*c*

9 Pionium rursus Polemo sic allocutus est : Obtempera nobis, Pioni. Respondit Pionius; Jussisti, ut vel obtemperarem, vel plecterer. Non obtempero, jube igitur plecti. Tunc Æditnus Polemo, Sacrifica, inquit Pioni. At ille : Christianus sum. Quem, inquit Polemo, Deum colis? Respondit Pionius, Deum illum omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ sub cœlo et terra continentur, atque omnes nos : qui nobis abunde suppeditat omnia, quem per Verbum ipsius Christum, cognitum habemus. Sacrifica igitur, inquit Polemo, saltem Imperatori. Ego, inquit Pionius, homini non sacrifico : Christianus enim sum. Deinde, cuncta scribente notario, Quod, inquit, est tibi nomen? At ille respondit : Pionius. Tum Polemo, Christianus, inquit, es? Respondit : Sum profecto. Cujus, inquit Polemo, es Ecclesiæ? Respondit Pionius, Catholicæ. Nulla enim est alia apud Christum.

*Pionius fidem intrepide profitetur;*

*ejusque responsa conscribuntur :*

C

10 Tum ad Sabinam accessit. Monuerat autem illam Pionius, ut ab eo fuerat Theodota appellata; ne ex nomine cognita in manus impiæ civis jam dominæ suæ rursum incideret, quæ imperante Gordiano, cum vellet Sabinam a fide abducere, eam vinctam in montibus relegavit, ubi clam victui necessaria ei a fratribus subministrabantur. Post autem studiose curatum fuit, ut a dominæ servitute et a vinculis liberaretur : plurimum autem cum Pionio versabatur : quæ etiam in hac persecutione capta fuit. Dixit igitur huic quoque Polemo; Quo nomine vocaris? Eaque respondente, Theodota; subjecit ille : Christiana es? Næ, inquit, Christiana sum. Cujus Ecclesiæ? inquit Polemo, Sabina respondit Catholicæ. Tunc ait Polemo : Ecquem colis et veneraris? Deum, inquit illa, omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, et omnes nos; quem novimus per Verbum ipsius Jesum Christum. Mox Asclepiadem interrogavit; Quomodo, inquiens, appellaris? Asclepiades, inquit ille. Tum Polemo: Christianus es? Respondit : Sum. Quem, inquit Polemo, veneraris? Eoque respondente, Christum Jesum; ait Polemo : Estne alius? Minime vero, inquit Asclepiades; sed idem ille, quem hi dixerunt.

*Sabina dicta Theodota*

*multa jam olim passa,*

*fidem generose confitetur*

D

*uti et Asclepiades*

11 His dictis, in carcerem ducti sunt, tam ingenti multitudine consequente, ut forum impleretur. Et dicebant quidam de Pionio : Quomodo qui semper erat pallidus, nunc est facie ignea ac rubicunda? Cum autem ipsum Sabina vestimento propter multitudinis impetum teneret, quidam eam deridentes dicebant : Quam veretur, ne ab ejus uberibus depellatur? Unus autem quidam clamavit; Si nolunt, inquiens, patere, supplicio afficiantur. Cui Polemo respondit : Nobis non præcedunt fasces, neque secures, ut hanc habeamus potestatem. Alius dicebat : Ecce homunculum subducit ad immolandum : (innuebat autem Asclepiadem, qui nobiscum erat) Pionius dixit : Mendacium loqueris; neque enim id facit. Alii dicebant : Hic et ille diis immolarunt. Pionius autem : Pro suo quisque, inquit, agit arbitrio. Quid igitur ad me? Ego Pionius vocor. Dicebant alii : Quid prodest huic doctrina sua, cum ita se habeat : Hanc, inquit Pionius, vos doctrinam didicistis, per quam et famen et cædes et alias calamitates experti estis. At ipse quoque fame, quidam respondit, nobiscum laborasti. Sane, Pionius inquit, sed tamen cum spe, quam in Deo positam habeo. Hæc illo dicente, sic a turba vexati sunt, ut parum abfuerit quin opprimerentur.

*ducuntur omnes in carcerem*

*eos irridentibus apte respondet Pionius.*

E

a *Baronius legit* : et ne per vim nos comprehensos dimittatis, sed, cum vincula gestemus, trahatis. b *Observat Baronius, in tali conventu consuevisse populum* suas necessitates junctis vocibus conclamare, ac interdum in magistratus jactare convicia et turbas ciere. c *Gravissimum hoc Christianis feminis, castitatis tenacissimis, supplicium impii irrogabant, ut in Agnete, Glaphyra, Luc a, atque aliis patet.*

## CAPUT III

### *Gesta in carcere, præsertim cum lapsis.*

In carcerem igitur conjecti et custodibus traditi sunt. Ingressi autem, Catholicæ Ecclesiæ Presbyterum, nomine Linum, et mulierem ex vico Carina, nomine Macedoniam, et ex hæresi *a* Phrygum quemdam, nomine Eutychianum, illic inclusos offenderunt. Cum igitur essent eodem in loco, custodes animadverterunt, ea quæ a fidelibus afferebantur, a Pionio non recipi. Dicebat enim : Si, cum pluribus egeremus, nemini graves eramus, quanto minus accipere nunc debemus? Custodes igitur, qui ab invisentibus munera solebant accipere, eos in interiorem carceris partem conjecerunt, ne possent ullum solatium aut consolationem accipere. At illi Deum collaudantes acquieverunt, et quæ dari solita erant, ipsis præbuerunt : adeo ut carceris Præfectus admiraretur, et pristinum eos in locum vellet reducere. Ipsi vero manserunt, dicentes : Gloria Domino : hoc enim nobis prospere successit. Possumus namque libere philosophari, et precibus incumbere nocte et die. Multi tamen ex gentibus eos etiam in carcere visebant, et conabantur illos a proposito dimovere, sed eorum responsa admirabantur.

*Alios ibi captivos reperiunt.*

*a*

*oblata recusat Pionius visitatur a Christianis.*

F

*gentibus.*

13 Introibant etiam illi, qui per vim tracti fuerant ad immolandum, et magnum fletum excitabant : adeo ut in luctu et squalore singulis horis versarentur, præsertim propter illos quorum vitæ institutio proba erat atque honesta. Itaque illis visis, Pionius lugebat; Novo, inquiens, afficior supplicii genere. Membratim concidor, dum video margaritas Ecclesiæ a porcis conculcari, et cœli stellas a cauda draconis in terram detrahi. Vineam, quam dextera Dei plantavit, a filio porci

*lapsos.*

*horum casum luget Pionius,*

A porci silvestris vastatam : vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Alumni mei delicati ambulaverunt vias asperas atque difficiles. Nunc impii seniores insidias Susannæ tetenderunt. Nunc delicatam atque formosam retegunt, ut ejus pulchritudine impleantur, et falsum in illam testimonium ferant. Nunc Aman insultat : Esther autem atque universa civitas perturbatur. Nunc non panis fames, nec aquæ sitis; sed audiendi verbi Domini fames ac sitis premit. An omnino dormitaverunt omnes Virgines, et dormierunt? Impletum est illud : Si filius hominis venerit, invenietne fidem in terra? Quid quod unusquisque, ut audio, prodit proximum suum? ut illud impleatur : Tradet frater fratrem in mortem. Profecto quæsivit nos Satanas, quos cribraret ut triticum. Ignitum porro ventilabrum est in manu Dei verbi, ut purget aream. Fortasse infatuatum est sal, et ejectum est foras, et conculcatur ab hominibus. Nemo tamen, filioli, Dominum debilitatum existimet, sed nos. Num infirmata est, inquit, manus mea, quo minus apprehendat? aut auris effecta gravis, ut non audiat? Peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum. Peccavimus enim; quidam etiam contemnentes. Inique egimus, nos vicissim mordentes et accusantes. Mutuo consumpti sumus. Oportebat autem, ut Scribas et Pharisæos justitia vinceremus.

*Amos 8. 11.* — *Mat. 25. 5.* — *Luc. 18. 8.* — *Mat. 10. 21.* — *Luc. 22. 31.* — *Isa. 50. 2 et c. 59. 2.* — *et Ecclesiæ, ob peccata ortam persecutionem* — B

14 Quid, quod Judæi quosdam vestrum, ut audio, in Synagogas suas vocant? Quamobrem cavete, ne majore atque voluntario scelere vos obstringatis : et ne quis ex vobis peccatum, quod non remittitur, in Spiritum sanctum admittat; et ne vos quoque simul cum illis, sitis principes Sodomorum et populus Gomorrhæ, quorum manus sanguine sunt plenæ. Nos neque Prophetas occidimus, neque prodidimus Christum, aut in crucem egimus. Quid multis moror? Memoria repetite ea, quæ audivistis : quandoquidem non ignoratis, Judæos affirmare, Christum fuisse purum hominem, et tanquam mortalem occidisse. Dicant igitur nobis : Si simplex homo mortalis fuit, quomodo mundus universus discipulorum ejus multitudine repletus sit? Cur ejus discipuli et postea tam multi pro nomine ipsius mortem oppetierint? Quomodo simplicis hominis mortalis nomine tot annis dæmonia ejecta sint, et ejiciantur, et ejicienda sint, et aliæ multæ res admirandæ in Ecclesia Catholica fiant? Nesciunt autem eum ita fuisse mortalem, ut propria voluntate animam egerit. Dicunt præterea Christum necromantiam exercuisse, ejusque vi post crucem fuisse suscitatum. Quæ scriptura vel ipsorum vel nostra de Christo talia commemorat? Aut quis homo justus unquam hæc dixit? Nonne qui nugas ejusmodi confingunt, sunt homines flagitiosi? Quod cum ita sit, cur sceleratis potius hominibus, quam probis et justis fides habetur?

*Esai. 1.* — *monet ne Judæis se jungant* — *quorum de Christo pr. ... calumnia refutat* — C

15 Ego quidem cum adhuc essem puer, figmentum hoc Judæorum audivi. Memoriæ proditum est, Saulem ad mulierem ventriloquam accessisse, ut ab ea responsum acciperet, quæsisseque ut sibi Samuelem Prophetam excitaret. Et vidit mulier virum rectum ascendentem, et pallio indutum. Et agnovit Saul illum esse Samuelem, et rogavit ea quæ voluit. Quid igitur? Potuitne ventriloqua illa mulier Samuelem excitare, an non? Si potuisse dicunt, injustitiam plus quam justitiam valere confitentur, et sunt execrandi. Sin negant, ne Christus quidem id egit, quod isti fingunt. Hujus autem argumenti vis est ejusmodi. Quomodo potuit impius dæmon, qui in illius mulieris ventre loquebatur, sancti Prophetæ animam, in sinu Abrahæ quiescentem, in hanc vitam revocare? Quod enim inferius est, superioris imperio paret. Non igitur, ut isti suspicantur, Samuel fuit ab illa muliere Pythonem habente in hanc vitam revocatus. Sed ita sese res habet : Angeli desertores sequuntur eos qui a Deo deficiunt : et omnibus maleficis, et magis, et præstigiatoribus, et vatibus inserviunt angeli diaboli. Idque mirum non est, cum ipse satanas (ut inquit Apostolus) transfiguret se in Angelum lucis. Quamobrem et ministros ejus speciem ministrorum justitiæ suscipere est consentaneum. Alioqui quomodo Antichristus Christi personam indueret? Non igitur Samuelem in hanc lucem reduxit mulier illa ventriloqua, sed tartarei dæmones Samuelis personam atque similitudinem induentes, sese mulieri ventriloquæ et Sauli, qui a Deo defecerat, conspicuos præbuerunt. Hoc autem indicat ipsa Scriptura. Dicit enim ille, qui Samuelis formam gerebat : Et tu hodie mecum eris. Quomodo enim potest Saul Dei inimicus, esse cum Samuele? Nonne potius cum impiis dæmoniis, quæ ipsi obviam venerant, et quibus ipse serviebat, erat futurus? Non igitur erat Samuel. Quod si fieri non potuit, ut sancti Prophetæ anima tunc in hanc vitam revocaretur, quomodo Jesum Christum, quem in cœlos ascendentem discipuli conspexerunt, et pro quo mori maluerunt, quam ipsum negare, e terra hoc modo surrexisse audent affirmare? Quod si non potestis hæc illis persuadere, dicite adversum illos : Nonne vobis, qui nulla necessitate adducti, scortati estis, et idola coluistis, nos meliores sumus? Et nolite illis assentiri et animos despondere, sed resipiscite, fratres, et pœnitentiam agite, et ad Christum, qui benignus est, vosque iterum suscipet, confugite.

*1 Reg. 28.* — *pr ... certum non esse magica arte suscitatum,* — D — *EX METAPHRASTE* — *2. Cor. 11. 14.* — *sed nec Samuelem a Pythonissa* — E — *lapsos hortatur ad pœnitentiam*

a Cataphryges κατὰ φρύγας, ideo dicti sectatores Montani quod ipse erat Phrygiæ Ardaban natus. Is se Paracletum dicebat, secundas nuptias damnabat, Priscillæ et Maximillæ scripta libros propheticos appellabat. Plura de eo Theodoretus hæretic. fabul. lib. 3, cap. 2. Prædestinatus Sirmondi hær. 26 et nos infra 7 Febr. ad Vitam S. Apollinaris Ep. H. b Baron. dedicati ...

## CAPUT IV.

*Interrogatio a in carcere, foro, fano idolorum.*

Hæc ille cum dixisset, et rogaret eos ut e carcere egrederentur, Æditus Polemo, et Theophilus Magister equitum cum satellitibus et multa turba supervenerunt, atque dixerunt : Ecce a Eudæmon Præsul vester immolavit : vos item obtemperate. Interrogabunt vos in templo Lepidus et Eudæmon. Respondit Pionius : Eos, qui in carcerem conjecti sunt, æquum est adventum Proconsulis expectare. Quid vobis partes ipsius arrogatis? Cum autem multa dixissent discesserunt. Sed rursus cum satellitibus et turba reversi sunt. Et Hipparchus cum dolo; Proconsul, inquit, misit, ut Ephesum abduceamini. Veniat, respondit Pionius, ille qui missus est, et accipiat nos. Atqui Princeps, inquit Magister equitum, dignus est cui fides habeatur. Atqui Princeps, inquit, sum. Et arripiens illum, laqueumque collo ipsius injiciens, eum ita premebat, ut propemodum suffocaret. Tradidit igitur illum satellitibus, atque ita simul cum Sabina et reliquis sociis in forum ductus est. Cumque magna voce se Christianos esse testarentur, humique sese prosternerent, ne in idolorum templum inducerentur, sex ministri Pionium rapuerunt ita reluctantem, ut ejus latera genibus comprimentes, manibusque ac pedibus cædentes, vix potuerint ipsum impellere. Sublatum igitur atque clamantem gestarunt, humique ante aram deposuerunt, ubi adhuc adstabat Eudæmon, qui idolis sacrificaverat.

*Episcopi lapsi exemplo ad sacrificandum urgetur* — *a* — *cum Quæsitorem recusat :* — F — *vi in fanum pertrahitur*

17 Et Lepidus, Cur, inquit, vos, o Pioni, non immolatis? Respondit Pionius : Quia sumus Christiani. Lepidus subjecit : Quem Deum colitis? Eum, inquit Pionius, qui fecit cœlum et terram et mare et quæ in eis sunt omnia. Quis igitur, inquit Lepidus, fuit crucifixus? Is, respondit Pionius, quem Deus Pater misit ad salutem mundi. Principes hic valde clamantes riserunt, et Lepidus ipsum detestabatur. Clamabat

*Deum fidem profitetur*

autem

*Ex Metaphraste.*

A autem Pionius. Pietatem, inquiens, colite, justitiam observate, affectionis similitudinem cognoscite, legibus vestris parete. Nos puniendos censetis, quia non obtemperamus : et vos item a legum vestrarum præscripto receditis. Jubent enim, non ut cogatis nos, sed ut puniatis. Tum Rufinus quidam imprimis excellens eloquentiæ fama, Desine, inquit, Pioni, inanem gloriam aucupari. Ille autem respondit : Ista est tua dicendi facultas? Isti tui sunt libri? Nonne hæc ab Atheniensibus Socrates perpessus est? Nunc omnes sunt imperfecti, et cessatores et pigri et tardi atque ignavi. Socrates igitur, et Aristides, et Anaxarchus, et ceteri horum similes, sententia tua, inanis gloriæ studio ducebantur, quoniam et philosophiam et justitiam et fortitudinem excolebant? Rufinus his auditis obticuit. At quidam alius, qui mundi gloria præstabat, et Lepidus, Noli, inquiunt, Pioni, vociferari. Respondit ille : Ignem accendite et ingrediemur.

*Rufino oratori respondet*

18 Terentius autem quidam e turba, magna voce : Videtis, inquit, quomodo hic aliis quoque suadet ut impii sint, nec diis sacrificent? Tunc illis coronas imposuerunt, quas ipsi discerptas abjecere. At minister publicus idolis immolatum accepit, nec tamen ad quemquam ipsorum est ausus appropinquare : B sed illud in omnium conspectu comedit. Verum cum illi rursum clamarent, Christiani sumus; non reperientes quid illis facerent, eos in carcerem reduxerunt. Turba autem eos illudebat ac verberabat. Et Sabinæ nescio quis dixit : Tu non potuisti in patria mori? Cui illa respondit : Quæ est patria mea? Ego sum Pionii soror. Terentius vero, qui tunc venationes curabat, ad Asclepiadem, Te, inquit, accusabo, ut bestiis damnatum in munere gladiatorio filii mei. Cui Asclepiades : Non ob id, inquit, me perterrefacies. Atque ita in carcerem ducti sunt. Ingredienti autem Pionio quidam e satellitibus vehementer caput percussit, ac vulneravit. Atque ipse quidem patienti animo id tulit. Sed percussoris manus et latera sic inflammata sunt et intumuerunt, ut respirare vix posset. Ingressi autem, Deum collaudabant, quod adversus inimicum et simulatorem Eudæmonem fortes constantesque permansissent, et psalmis ac precibus se confirmabant.

*coronam a Gentilibus impositam discerpunt SS. idolothyta execrantur*

*In carcerem reducuntur*

*Pionium percussa dextra [illegible]*

a *Baron.* Eudemon. *al.* Aectemon.

## CAPUT V.

### *Interrogatio III, tormenta, mors.*

Post hæc autem Proconsul Smyrnam venit, et Pionius adductus in judicium, martyrio coronatus est. Quemadmodum autem res transacta sit, commemorabimus. Ante quartum Idus Martii, Quintilianus Proconsul sedens pro tribunali, sic interrogavit : C Quomodo vocaris? Respondit : Pionius. Proconsul ait : Diis immolas? Respondit : Non. Proconsul : Quam, inquit, religionem aut sectam colis? Respondit : Catholicorum. Quorum, inquit, ille Catholicorum? Respondit : Ecclesiæ Catholicæ Presbyter sum. Proconsul : Tune inquit, es doctor ipsorum? Respondit : Docui sane. Interrogavit : Cujus partis magister es? Respondit : Pietatis. Cujus, inquit, Pietatis? Respondit : In Deum Patrem, qui fecit omnia. Immola, inquit Proconsul. Respondit : Nolo : Deum enim oportet adorare. Omnes, inquit ille, adoramus cœlum et deos qui sunt in cœlo. Cur aeri preces fundis? ipsi sacrifica. Respondit : Non aeri preces fundo, sed illi, a quo factus est aer et cœlum et quæ in eis sunt omnia. Dic, inquit Proconsul, quis hæc fecit? Respondit : Non expedit dicere. Deus, inquit Proconsul, omnino, id est, Juppiter, qui est in cœlo : Rex enim est omnium deorum.

*a Proconsule examinatur*

20 Tacenti autem Pionio atque suspenso, dictum est : Immolas, an non? Respondit : Non. Ei rursum, cum ungulis torqueretur, dictum est : Resipisce, cur insanis? Respondit : Non insanio, sed Deum viventem D timeo. Proconsul, Ceteri, inquit, immolarunt, et vivunt, ac recte sentiunt. Respondit : Non immolo. Proconsul, Te ipsum, inquit, collige, et consilium muta. Respondit : Non faciam. Dictum est illi : Cur ad mortem properas? Non ad mortem, inquit, propero, sed ad vitam. Quintilianus Proconsul, Nihil, inquit, eximium facis ad mortem festinans. Nam et qui nomen dant, ac describuntur, exigui lucelli gratia morte contempta, cum bestiis pugnant. Et tu ex eorum unus es numero. Quando igitur ad mortem curris, vivus combureris. Ex tabella autem hæc verbis Romanis scripta sententia legebatur : Pionium se Christianum esse confitentem, vivum igni comburendum judicavimus.

*suspensus raditur ungulis*

*ignis sententia e tabula in eum lata.*

21 Cum igitur fidei studio alacriter in stadium venisset, ultro se vestimentis spoliavit. Deinde corporis sui castitatem ac decus agnoscens, ingenti repletus est gaudio, et in cœlum suspiciens, ac Deo, qui se talem conservasset, gratias agens, super ligno seipsum extendit, militique tradidit, ut clavis configeret. Cumque jam confixus esset, ei rursum minister ait : Resipisce, atque sententiam muta, et auferentur clavi. At ille respondit : Eos inesse sensi. Et cum paullisper cogitabundus mansisset : Idcirco, inquit, a dormire festino, ut celerius surgam, significans e mor- E tuis resurrectionem. Eum igitur ligno suffixum erexerunt. Deinde etiam Metrodorum quemdam presbyterum ex b secta Marcionistarum. Erat autem Pionius a dextris, et Metrodorus a sinistris collocatus : uterque tamen orientem versus spectabat. Cumque materiæ lignorumque cumulus undique congestus esset, et Pionius oculos clausisset, turba illum animam egisse suspicabatur; sed ipse secreto precabatur. Cumque precandi finem fecisset, oculos aperuit. Jamque flamma sublimis ascendebat, cum hilari vultu postremum Amen pronuncians, ac dicens : Domine, suscipe animam meam; tamquam eructans, quiete et sine dolore expiravit : et Patri, qui omnem sanguinem inique effusum, atque omnem animam injuste damnatam se pollicitus est servaturum, spiritum tradidit.

*clavis ligno affigitur*

*in igne orat*

*pie moritur*

22 Tali dignus effectus est exitu B. Pionius, qui vitam suam ab omni crimine ac reprehensione liberam integramque servavit : atque animum suum in Deum omnipotentem, et mediatorem Dei atque hominum Jesum Christum, semper propensum et erectum habuit. Et magno in certamine victor existens, per angustam portam in amplum magnumque lumen pervenit. Ac corona quidem ipsius in corpore etiam est comprobata. Etenim cum ignis extinctus esset, F nos qui præsentes eramus, talem ipsum vidimus, quale vigentis ornatique pugilis corpus existit. Siquidem et aures erant molles, et capilli in cute capitis inhærebant, et barba, ut juvenibus primum pubescentibus, decore florebat, et facies ejus gratia splendebat admirabili, ut et Christiani magis confirmarentur in fide, et qui erant a fide alieni, conscientiæ stimulis verberati conterritique discederent.

*ejus corpus inter flammas illæsum.*

23 Hæc acta sunt, c Julio Asiæ Proconsule, Proclo et Quintiliano magistratum gerentibus, Consule tertium Messio Quinto Trajano, et Deltio Grato secundum, Trajano Decio Augusto, ante IV Idus Martias more Romanorum, Asiæ autem more septimi mensis undecimo, die sabbathi, hora decima : ut nos autem loquimur regnante Domino nostro Jesu Christo, cui gloria in secula seculorum, Amen.

*quando martyrium passus.*

a *Baron.* Domine.

b *Ea duo statuebat principia, ut ait Prædestinatus cap. 21 immo 4 ingenitas substantias, ut Theodoretus scribit lib. 1, cap. 24*

c *Baronius* Julio Proculo Quintiliano Procos, magistratum gerente, Cos. tertium Messio Quincto Trajano Decio, et Grato secundum

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# VICTORE, LUCIANO, APOLLINARE, HILARIO, AMMONE, ZOTICO, CYRIACO, EUGENIO.

I FEBRUARII.

*Vetus MS. Martyrologium Romanum sive S. Hieronymi, ita hos Martyres recenset :* Et alibi Victoris, Luciani, Appollinaris, Hilari, Ammonis, Zotici, Cyriaci. *Vetus item MS. Martyrol. Richenoviense, sive Augiæ-Divitis ita habet :* Et alibi Victoris, Luciani, Helarii, Cyriaci, Eugenii. *Memorantur quidem in Martyrol. Romano,* XXI *Junii,* Cyriacus *et* Apollinaris : *verum ab his diversi. Nam in eodem S. Hieronymi Martyrologio alii iis junguntur ejusdem laureæ consortes,* Saturninus, Bellicus, Perseus, Chrysinus, Prima, Januarius. *Quo etiam die in MS. Richenoviensi citato,* Cyriacus, Bellicus, Chrisimus, in Africa *passi memorantur.*

# DE S. EUBERTO EPISCOPO,

## INSULIS ET SECLINII IN FLANDRIA.

SECULO CHR. IV. I FEBRUARII.

*S. Eubertus celebris in Martyrologiis,*

Insulis, *urbe Flandriæ ampla et opulenta, colitur Officio duplici, Kalendis Februarii* S. Eubertus *Episcopus. De quo Molanus in addit. ad Usuard.* Insulis S. Euberti Confessoris, qui, licet vita Deo sit nota, et hominibus ignota, creditur tamen esse meriti præclari. Cujus corpus requiescit in S. Petro. *Hermannus Greven :* Euberti Episcopi et Confess. *Canisius :* Insulis S. Euberti Confess. cujus corpus in S. Petro quiescit. *Ferrarius :* Insulæ in Belgio S. Euberti Ep. *Balduinus Willotius :* Seclinii oppido Insulis vicino, depositio S. Euberti Episc. et Confessoris, qui deinde Insulas ad collegiatam S. Petri ecclesiam translatus, ibidem hoc die colitur. *Meminerunt quoque illius hoc die Andreas Boeius noster, Ghinius in Natal. SS. Canonicor. Miræus in Fastis Belgicis et alii. Et fusius Saussaius :* Eodem die Insulis in Flandria, S. Euberti Episc. et Confess. alias Eugenii, qui ex urbe Roma, furente Diocletiano, in Gallias ad prædicandum Evangelium cum S. Quintino, Lucio, Crispino et Crispiniano, Piatone, aliisque proficiscens, Dei regnum in Belgio plurimum provexit : magnisque exantlatis pro fide laboribus, multis nobilitatus tropæis, demum feliciter obdormivit in Domino. Quiescit Insulis in collegiata S. Petri ecclesia, quam condidit Balduinus cognomento Insulanus, Flandriæ Comes : illicque, et Seclinii, celebri Flandriæ municipio, magna veneratione colitur.

*socius S. Piati,*

2 *Acta S. Euberti vel tradita non sunt litteris, vel interciderunt,* in Normannorum vastatione *fortassis, uti suspicatur Molanus. Lectiones Breviarii Insulensis an.* MDXXXIII *excusi, sumptæ sunt ex communi. Fama tenet comitem fuisse et adjutorem* S. Piati, *seu* Piatonis, *Tornacensium Apostoli, cujus Vitam dabimus* I *Octobris. Hic Beneventi natus, litterisque et pietate imbutus, cum Dionysio Parisiorum Episcopo, Quinctino, Chrysolio, Crispino, Crispiniano aliisque, missus a Pontifice Romano in Gallias, ad prædicandam Christi fidem; dein ab eodem Dionysio Episcopus ordinatus, Tornaci primus Christi religionem, ac locis vicinis nuntiavit : tandemque coronatus martyrio, Seclinii sepultus est; ubi trecentis et quinquaginta post annis corpus ejus, instrumentaque martyrii a S. Eligio Tornacensi Episcopo reperta. Hujus igitur socii tam præclaræ expeditionis* Chrysolius *atque* Eubertus *fuere. De Chrysolio agemus* VII *Februarii.* Euberti *patriam ac genus ab nullo prodi, testatur Joannes Buzelinus noster Annal. Gallo-Fland. lib.* 1, *existimari* Pontificio decore præditum fuisse.

*Tornaci et alibi prædicat,*

3 *Ceterum de rebus ab utroque gestis ita scribit :* Chrysolius Eubertusque nunc Tornaci animis hominum excolendis, rebusque ad pontificium munus spectantibus peragendis, Piatoni operam commodare : nunc extra muros ejus urbis laborem suum latius porrigere, plurimis ad Christi fidem perducendis mortalibus. *Dein memorata Piatonis et Chrysolii cæde, de Euberto subdit :* Ab vero nihil discrepat, Eubertum, Eugeniumque satellitum manus ferrumque vitasse, ut Christianis laborantibus opem ferrent, ac plerisque hominum ad Christi sacra perducendis postmodum operam darent : quandoquidem Eubertum sicca morte consumptum fuisse, ab omnibus ferme creditur; ac de Eugenii agone nihil uspiam vetera præbent monumenta. Siclinii per morbum ad cœlos Eubertum evolasse, sunt qui existiment : quod illic quondam ejus ossa, priusquam Insulam deportarentur, quieverint, cultumque meruerint eo in templo parochiali, quod ejus nomine olim claruit, nunc solis ruderibus famam retinet. An is Tornaci, vel alibi, Nerviis Pontifex præfuerit, postquam e terris ad cœlos Divus Piaton evolavit, non est mihi facile arbitrari, quod e nullis id liceat monumentis eruere. *Hæc Buzelinus.*

*manus persecutorum fugit. sepultus Seclinii. an Episcopus Tornacensis?*

4 Cur Eugenium *Piatoni atque Euberto jungant, haud reperimus caussam : neque enim aut reliquiæ ejus in Belgio uspiam, templumve, aut aliud monumentum. Joannes Cognatus histor. Tornacensis lib.* 1, *cap.* 23 *ac Miræus in Fastis Belgicis, unum eumdemque esse* Eubertum *et* Eugenium *censent. Traditur quidem inter S. Dionysii socios fuisse S. Eugenius, Toletanus in Hispania Episcopus, sed in Gallia post Dionysium martyrio coronatus; cujus reliquiarum pars e S. Dionysii cœnobio in Belgium ad Broniense monasterium allata, ut* XV *Novembris dicemus : at non fuit ille apud Tornacenses notus.*

*idemne qui Eugenius?*

5 *Quo loco Buzelinus tradit olim* S. Euberti *extitisse ecclesiam juxta egressum Seclinii oppidi, via Atrebatensi, ingentem nunc tiliam stare testatur Cognatus, et vulgo* Arborem S. Euberti *appellari. Quotidie illius in officio Divino recoli memoriam a Canonicis Seclinensibus, idem asserit; et quidem in Laudibus illum recitari versiculum .* Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. *Scribit Ghinius,* non solum festa ejus celebrare Insulenses Canonicos et Sicliniensis, sed et quotidie ejusdem habere commemorationem. *Quotidiana fit Insulis commemoratio S. Petri, ut Patroni, an etiam S. Euberti, ex Breviario non liquet. Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ S. Eubertum* cum SS. Piato et Chrysolio martyrium passum esse *scribit, quod cum iis quæ alii referunt, non congruit. Neque quod supra Saussaius, Diocletiano imperante in Galliam venisse : cum haud paullo ante, nimirum* Decio et Grato Coss. *an Chr.* CCL *venisse oporteat, si S. Dionysii et aliorum virorum Apostolicorum a Pontifice tunc in eam vineam missorum socius fuit : aut aliquot post annis; si in supplementum ejus primæ Apostolicæ cohortis submissus : nisi, quod supra insinuavimus, in Belgica fortassis aut Celtica se Piatoni socium addidit : neque vero* Euberti *nomen Romanum est. Nec* Lucius *ullus SS. Quintini, Crispini, Crispiniani comes memoratur, præterquam, ab*

*Arbor S. Euberti, Seclinii, et veneratio*

*an non Gallus?*

A *ab eodem Saussaio supra, et Miræo in Fastis Belgicis. Rectius ab aliis jungitur* S. Lucianus *Bellovacorum Apostolus, de quo egimus* VIII *Januarii.*

S. Euberti Acta latent

6 *Quo tempore, populantibus Gallias Normannis, S. Euberti Acta intercidisse suspicatur Molanus, etiam* corpus ejus avectum fuisse Boloniam, *inquit,* aut in Sithiu, aliculi legisse me memini. *Imo Audomaropolim deportatum suspicamur, intra cujus urbis muros nondum inclusum Sithiense S. Bertini cœnobium erat. In gestis Normannorum ante Rollonem apud Chesnæum, ad ann.* DCCCXLV, cum a monasterio quodam, nomine Sithiu, direpto incensoque, oneratis navibus repedarent, ita Divino judicio vel tenebris cæcati, vel insania perculsi *dicuntur fuisse,* ut vix perpauci evaderent, qui Dei omnipotentis iram ceteris nuntiarent. Anno Domini DCCCXLVI Piratæ Danorum Fresiam adeuntes, provincias et ecclesias vastaverunt, et populum in eis occiderunt. Quod audientes Flandrenses, vicinarumque urbium Pontifices et Abbates cum Sanctorum suorum reliquiis ad Sanctum venerunt Audomarum, quia muro valido et turribus atrium ejus, Divina providentia, munitum erat. Isti sunt Sancti, qui propter persecutionem illam convenerunt: S. Wandregisilus, et SS. Wlframnus, Ausbertus, Bavo, Wasnulfus, Piatus, Barcius, Winnocus, et S. Austraberta, et XL annis ibi fuerunt. *At Jacobus Meierus* B *corpora* SS. Bavonis et Pharahildis, ex castro Divi Audomari, terrore Normannorum, *anno* DCCCLIII *Laudunum translata scribit. Reliqua Divorum corpora vel isthic vel aliis munitis locis, donec ille barbaræ gentis furor detonuisset, asservata sunt. Quis ille porro* S. Barcius *est? Nisi fallimur,* Eubertus *noster. Familiare est nostratibus dividere ac dimidiare nomina propria, præsertim composita, ut sunt pleraque Teutonicæ originis, qua ratione qui* Eubertus, Bertus, *dici potuit aut,* Bertius *ac* Bartius *quoque, quia u et o invicem permutari et substitui solent, præsertim ante r litteram; quod priscis quoque usurpatum docet Arnoldus Boecop noster in Disceptatione de nomine* S. Huberti, *et hic Antverpiæ atque apud Batavos vulgatissimum est. Favet conjecturæ nostræ, quod cum Piato collocetur, cum amborum in eodem oppido tunc corpora quiescerent, ut certum videatur, etiam si id historicus sileret, ad eumdem locum simul delata.*

Reliquiæ ejus et aliorum SS. Audomarum delatæ an. 846.

in hoc forte Barcius

7 *Eodem Divorumque aliorum corpora ad templi Hasnoniensis dedicationem anno* MLXX *deportata his verbis memorat Meierus lib. 3 Annal. Fland.* Collegium Canonicorum apud Hasnonium in Ostrovandia convertit Balduinus in Benedictinum monasterium. Vetus reparavit templum, idque ab Episcopis Lietberto Cameracensi, Ratbodone Noviomagensi, Raynerio C Aurelianensi curavit dedicatum in Non. Junias. Ea in dedicatione interfuisse reperio corpora SS. Marcelli, Piatoni, Salvii, Amati, Donatiani, Vedasti, Amandi, Audomari, Gisleni, Vincentii, Bertini, D Winnoci, Wandregisili, Bavonis, Everardi, Euberti, Landelini, Hugonis, Aychardi, Eusebiæ, Rictrudis, Aldegundis, Ragenfredis, Regina, et Waldetrudis. *Meminit hujus dedicationis Buzelinus lib. 4 Annal. Miræus in Origin. Benedictin. Belgic. ex Meiero et Iperio, Ferreolus Locrius in Chronico Belg. qui tamen factam scribit in* Nonas Martias. *Situm est Hasnonium in Hannonia ad Scarpum flumen in ipsis Flandriæ limitibus, Amandopolim inter et Marchianas.*

Hasnonium ad dedicationem ecclesiæ 1070.

8 *Eodem anno idem Balduinus Montensis,* cum Aldenardæ ægrotaret, *inquit ibidem Meierus,* Sacerdotes cum Sanctorum reliquiis, Primatesque Flandriæ et Hannoniæ ad se convocavit..... vitaque excessit XVI Calend. Augusti, ac conditus est Hasnonii, maximum sui relinquens desiderium. *Fuisse eadem, quæ Hasnonium paullo ante, allata Aldenardam Sanctorum corpora, verisimile est; ac præsertim quæ haud longe dissita, uti Piatonis, Euberti, Bavonis, etc.*

Aldenardam ad Comitem Flandriæ ægrum eodem anno.

9 *Porro Insulam S. Euberti translatum est corpus,* aut bellorum tempore *inquit Molanus,* aut, ut alii putant in ecclesiæ dedicatione. *Balduinus Pius, Balduini Montensis parens, Insulam fossa ac muro cinxerat, atque ecclesia S. Petri aliisque ædificiis ornarat, sub annum* MLV, *uti probat Locrius in Chron. ex illius Ecclesiæ tabulis, in quibus* Fulcardus *primus illius Ecclesiæ Præpositus* E *obiisse traditur* pridie Non. Aprilis an. MLXXX, constitutionis hujus Ecclesiæ et suæ dispensationis an. XXV. *Quacumque vero ratione aut tempore eo allatum* S. Euberti *corpus fuerit,* cum repeteretur, *inquit Molanus,* Insulenses maluerunt Clero Siclinienſi dare celebres decimas pagi sanctæ Crucis, quam sancto corpore carere.

Insulas metu hostium.

nec redditur

10 *Anno* MCCXXIX cum Insulam venisset Tornacensium Pontifex Walterus, in templo D. Petri, *ut scribit Buzelinus,* eam capsam, volentibus Canonicis, reseravit, in qua D. Euberti Episcopi corpus continebatur. Aderant inter alios ejus rei testes Wilelmus Abbas Laudensis, Guilelmus D. Petri Decanus, Petrus Cantor ejusdem Ecclesiæ, Wilelmus ibidem Thesaurarius, et Præpositus Casletensis. Ac tum ejus Divi ossa integra sunt reperta in Idus Februarii. *Recitat Molanus ejus rei testimonium (sed non integrum) quod tunc capsæ insertum, ante annos* CXL, *cum ea reparanda esset, exscriptum tradit. Ejus rei memoria ab Insulensibus repetitur, eodem teste Molano, octavo die post Divi natalem, his verbis :* Eodem die repositio reliquiarum S. Euberti Episc. et Confessoris, a venerabili Patre Waltero Tornacensi Episcopo in præsenti ecclesia, et octava depositionis ejusdem.

visitatæ an. 1229.

11 Circumferuntur porro, *ut idem ait,* reliquiæ singulis annis, ipso die Purificationis B. Mariæ, et in F altari primario per Octavam relinquuntur. *Idem in histor. Eccl. Belgii testatur Gulielmus Gazæus.*

exponuntur quotannis.

# DE S. CARIONE MARTYRE.

Cælebratur S. Carion lingua excisa

De hoc sancto Martyre nil alibi legimus, præter breve hoc elogium, quod Græcorum Menæa exhibent : Eodem die sanctus Martyr Carion, excisa lingua, vitam finit.

Voce privaberis, lingua mutilatus, Carion :
Fallacium linguarum inanem abstinebis locutione.

*Alius* XXIV *Novembris S. Cario occurrit; sed, quantum ex subjecto disticho colligere licet, anachoreta, non Martyr.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS
# THEIONE ET DUOBUS PUERIS.

Cælebrantur SS. Theio et socii gladio peremti.

*Celebrant tres hosce Martyres, alibi ignotos, Menæa, hoc elogio.* Eodem die, sanctus Martyr Theion, cum duobus pueris, gladio occisus.

Pueros promptissime gladio occumbentes,
Summa Theion sequitur alacritate.

*Fuerint ne ii Theionis liberi, ut vertit Raderus, ex Menæis haud liquet; nam* παῖδας *solum appellant; qua voce liberi, famuli, aut quivis pueri appellari solent.*

DE

# DE S. EPHRÆM SYRO EDESSÆ IN MESOPOTAMIA.

## Commentarius prævius.

### § I. *S. Ephræm vita a quo scripta?*

*Anno CCCLXVIII. I Februarii.*

Syrus ille Ephræm Magnus, *uti S. Chrysostomus in oratione* versus impios hæreticos et de consummatione seculi, (*quam ipse postremam sibi futuram, divinitus edoctus, prædixit*) Ephræm *igitur* ille Magnus, *uti eum hic vere Maximus prædicat,* obtorpescentium excitator, afflictorum consolator, juvenum disciplina, instructor, atque exhortator, monachorum speculum, Dux pœnitentium, framea ac spiculum adversus hæreticos, virtutum receptaculum, et Spiritus sancti habitaculum atque diversorium; *ille, inquam, celeberrimus Ephræm, Ecclesiam virtutibus et scriptis illustravit, miserrimis temporibus sub Constantio, Juliano, Valente Augustis; in Mesopotamia natus ac perpetuò conversatus, extrema imperii Romani provincia, maximeque exposita Persarum Gentilium incursionibus; in qua tunc plurimi degebant immisti Catholicis hæretici, non modo Ariani impiorum Cæsarum ac Præsidum auctoritate freti, veteresque Bardesanitæ, Manichæi, Novatistæ, et recentiores Apollinaristæ, sed quidam ab ipso etiam eruditi ad pietatem, eaque abjecta adversarii veritatis effecti; quorum antesignani Paulonas atque Aranad, non vulgari instructi doctrina, telo pessimo cum manum non bonam armarunt.*

*S. Ephræm viri præstantissimi,*

*a plurimis PP. laudati,*

2 *Nactus est Ephræm non solum provinciales suos Syros admiratores, sed Græcorum etiam doctissimos, et Latinos quosdam, imitatores ac laudatores. Basilius certe viventem eum, ut scribit Sozomenus infra,* eruditionis caussa imprimis admiratus est, summeque laudavit : *alii* πάντων ἐλλογιμώτερον, omnium præstantissimum *prædicaverunt. Vita functum Basilii frater Gregorius Episcopus Nyssenus luculenta oratione celebravit : plures ejus ævi scriptores, illius laudes elucubratis a se monumentis intexuere. Nemo tamen uberius quam ipse Ephræm, cum maxime latere cuperet vetaretque se, etiam mortuum, laudatione ornari, virtutes suas propriis in scriptis prodidit : dum vel negligentiam accusans suam, Dei interim in se dona commemorat; vel excitare ad fidei constantiam, studium paupertatis, aliasque virtutes, discipulos suos volens, facta ipse sua illis proponit imitanda. Neque vero de virtutibus ita præclare scribere potuisset, (ut nemo illius nunc scripta legens possit non animo commoveri ac vehementer accendi) nisi earum ipse officia, non languida speculatione, sed usu atque exercitatione comperta probataque habuisset : quod cum in pluribus valeat scriptoribus, quorum quæ fuerit vitæ sanctimonia, ex spiritu, quem scripta declarant, facimus conjecturam; in hoc tamen præcipue elucet.*

*et a seipso præter mentem in scriptis,*

3 *Si quis igitur perfectam vitæ ejus imaginem velit exprimere, et scripta ejus omnia sedulo sunt et pensiculate revolvenda : ut non carptim mella apis instar libet e floribus, quod se fecisse S. Gregorius Nyssenus profitetur, sed integros congerat ac constipet favos. Præstitit hoc quadantenus ante annos aliquot Michael Hoyerus Augustinianus, eleganti edito de ejus vita ac virtutibus libello : videtur tamen plenius fieri id posse, si quis omnia Ephræmi scripta evolvat et expendat. Verum id neque instituti hic nostri est, neque otii. Ea igitur sola, quæ de ejus rebus gestis, vel ab ipso, vel ab aliis sunt palam et ex professo tradita litteris, proponemus.*

*ex his Vita concinnanda,*

4 *Primum erit ipsius* S. P. N. Ephræm Narratio ad monachos de sua conversione ; *quam, ex antiquissimo MS. codice Bibliothecæ monasterii Cryptæ-ferratæ juxta Tusculum descriptam, Latine reddidit Gerardus Vossius Belga, ediditque tom. 2 Operum Ephræm; qui probabili conjectura statuit, vel compositam esse hanc Narrationem ab illius discipulis, qui eam tamen ex ipsius relatione didicerant; vel ab ipsomet conscriptam, sed prima illa verba,* Sanctus Abbas Ephræm, accedentibus ad ipsum Fratribus, de seipso utilitatis caussa enarravit, dicens, *post ejus obitum illi præfixa esse Narrationi, ab ejus, vel discipulis, vel studiosis. Verum illud nobis magis probatur, alterius eam esse narrationem, qui quæ antea ab Ephræm, ejusve discipulis, audierat, ea ipse, lapsus fortassis nonnumquam memoria, scriptis mandarit, sub ipsiusmet persona; uti passim in Vitis PP. variæ eorum narrationes et apophthegmata referuntur veluti propriis eorum verbis. Ut ita sentiamus, alia præcipue ipsius Ephræmi lucubratio facit, quæ* Confessio et sui ipsius reprehensio *inscribitur, extatque tom. 3 Operum ejus : cujus primam partem, qua suæ conversionis occasionem commemorat, dabimus; et quæ deinde de genere suo, parentum conditione, adolescentiæ vitiis, subdit. Nam quæ plurima de suis peccatis, sive negligentia in religiosæ vitæ functionibus, interjicit; magis ex animi submissione, ad aliorum institutionem, proferre, quam ex veritate, censet Vossius. Probi etenim ac religiosi homines, etiam ubi culpa non est, culpam agnoscunt; non tam errore conscientiæ, quam quod minime spontaneas animi inter precandum evagationes, motus passionum, primosque impetus peccatorum, atque alia id genus, non semper aperte intelligunt culpa omni vacare, aut certe vel hoc negligentiæ suæ imputent, quod nondum eorum radices malorum exstirparint. Et sane non deliberata illa fuisse delicta, ipsemet sub finem illius Confessionis declarat, ita scribens :* Verum ea mihi sola tantis in malis reliqua est excusatio atque defensio, quod nemini offendiculum aut scandalum præbuerim. . Mendacio attrahebar quidem certe, verum non oblectabar... In psalmodia negligenter me gessi, sed non aliis mundanis rebus distrahebar. *Similia de se queritur in alia* Reprehensione sui ipsius *tom.* 1. *Sed fatetur tamen externa opera bona fuisse, intentionem fortassis non ita puram :* Hei mihi, *ait*, quod in me non est id quod latet, uti id quod apparet!

*1. ii. quæ alterius videtur :*

*2 alia, ipsiusmet :*

*dubia hic 1 Narratio de ejus conversione*

5 *Hanc igitur secundam Narrationem conversionis Ephræm, a priore aliquantulum discrepantem, dabimus hic quoque. Et subjungemus Testamentum ipsius, præclaris exemplis monitisque confertum, antea jam a Lipomano, Surio, aliisque editum ; a nobis cum Græco MS. exemplari collatum.*

*3 Testamentum ejus*

6 *Tum orationem S. Gregorii Nysseni, anniversario illius obitus die habitam, proferemus, ab eodem Vossio Latine redditam, sed in Parisina Operum Nysseni editione, ad Græcum exemplar castigatam, itemque a nobis obiter, et in capita partitam. Quinto loco brevem Vitam ponemus, ab incerto auctore Græce scriptam, versamque a Vossio, ex MSS. Vaticanis et aliis : cui in codice Cryptæ-ferratæ hanc præfixam fuisse inscriptionem testatur :* Περὶ τοῦ κυροῦ Ἐφραὶμ. ἴσ. τοῦ Ἀμφιλοχίου Ἐπισκόπου. de Domino Ephræm, forte, Amphilochii Episcopi. *Verum id et ipsi Vossio, et, qui eam quoque in Vitis PP. edidit, Rosweydo nostro haud usquequaque probatur. Aliam prolixiorem scripsit Metaphrastes, quam Latine a Gentiano Herveto versam edidit Lipomanus, et tom. 2 Operum Ephræmi Vossius. Sed cum hæc in Surio extet, nihilque contineat, quod non copiosius a S. Gregorio Nysseno descriptum, nos eam hic omittemus.*

*4 Oratio S. Greg. Nysseni*

*5 Brevis alia Vita*

7 *Sexto igitur loco partem recitabimus Vitæ S. Basilii Magni, quam vulgo autumant a S. Amphilochio scriptam; quod Bellarmino et Baronio, atque ante eos Michaeli Glycæ, Græco homini probatum non est : nos suo tempore discutiemus, cum integra Basilii Acta dabimus. Amphilochii opus habitam eam Vitam ante annos circiter 800 patet ex Ursi interpretis præfatione, edita primum a Rosweydo in Vitis Patrum. Et licet in mul-*

*6 pars Vitæ S. Basilii,*

A *tis interpolatam fateri necesse sit, nihil est tamen quamobrem Amphilochio penitus abjudicare eam cogamur. Atque eam quidem partem, qua de S. Ephræm agitur, sub nomine Amphilochii reperisse se Vossius testatur. Hic ita nunc eam tamen proferemus, ut liberum sit cuique, ac nobis ipsis postea, de auctore in alterutram partem pronuntiare. Habemus autem eam Vitam, antiquo et rudi stylo Latine olim scriptam, ex vetustis codicibus MSS. monasteriorum Marchianensis, S. Gisleni, S. Maximini, atque Ecclesiæ S. Audomari; quam Surius tersiore stylo expressam vulgavit : eamdem ab Urso, ut jam diximus, S. R. E. Subdiacono, versam e Græco : Græcam quoque MS. e bibliotheca Christianissimi Galliæ Regis, quam Latine reddidit, rogante Rosweydo, Gulielmus Gealtus noster; quamque a se versam, Græcolatine edidit Franciscus Combefis Ordinis Prædicatorum. Nos primam illam versionem, quæ quam Ursi antiquior videtur, etsi minime illi cognita, hic nunc proferemus; ex ea, inquam, capita 14 et 16, quæ de S. Ephræm agunt, apud Vossium et Rosweydum 11 et 10; in editione Combefis 13 et 16.*

*Auctore 1. p. quæ vulgo tribuitur S. Amphilochio,*

*ex veteribus MSS.*

*7 alia ex Sozomeno*

8 *Septima erit Sozomeni narratio ex historia Ecclesiastica lib. 3, cap. 15, cui congruit Nicephorus lib. 9, cap. 16. Partem vero illius postremam refert Palladius in hist. Lausiaca cap. 101, et Vicentius Bellovac. lib. 17,* B *cap. 87.*

9 *Aliane præterea apud Græcos de S. Ephræm rebus gestis scriptio extet, quærendi ansam præbet Nicephorus Callistus lib. 9, cap. 16 his verbis :* πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα πλεῖστα καὶ λόγου ἄξια, ὅτε περὶ αὐτοῦ συγγραφὴ, καὶ οἱ ἐπιχώριοι καὶ Ῥωμαίων καὶ Σύρων ἱστοροῦσι περὶ αὐτοῦ. ἃ τοῖς βουλομένοις πρόκειται ἐντυχεῖν. Plurima sane et alia memoratu digna, et qui de eo conscriptus est liber, et provinciales ejus, Romani simul et Syri de eo referunt, quæ cuique cognoscere est proclive. *Sitne hic liber de S. Ephræm scriptus, aliquod e commentariis jam citatis, an omnia hæc aut pleraque repræsentans collectio, an peculiare aliud opus, haud est in promptu definire. Mirum sane est disertissimum Metaphrasten quæ plura in antiquis extant, non omnia, ut solet, congessisse. Molanus Annotat. 3 in Martyrol. Usuar. ita scribit :* Sed et Gennadius in Catalogo attestatur, Petrum Edessenæ Ecclesiæ Presbyterum in mortem sancti Diaconi psalmos composuisse. *Verum aut mendoso codice usus est Molanus, aut ipse negligenter descripsit. Nam Gennadius habet,* more S. Ephræm Diaconi psalmos metro composuisse.

*an alia Græce scripta?*

*ejus apud alios mentio*

10 *Agit de S. Ephræm ex Latinis Vincentius Bellovac. lib. 14, cap. 86, ex* Amphilochio in Vita S. Basilii : *et cap. 87 ex S. Hieronymo etc., et lib. 17,* C *cap. 87, ex Heraclyde. S. Antoninus par. 2, tit. 10, cap. 4, § 5 et 6. Petrus de Natal. lib. 3, cap. 70, qui* Effron *appellat; at lib. 2, cap. 28, in Vita S. Basilii* Effrem.

## § II. *S. Ephræm natalis dies.*

*Cultus 1 Feb. apud Latinos*

Celebratur *Natalis S. Ephræm a Latinis* I *Februarii,* XXVIII *Januarii a Græcis. De eo ad* I *Febr. ista habent Usuardus, Beda vulgatus, Ado Notkerus aliique :* Eodem die B. Ephræm Edessenæ Ecclesiæ Diaconi : *Addit modernum Martyrol. Romanum :* qui post multos labores pro fide Christi susceptos, sub Valente Imp. Sanctitate et doctrina conspicuus quievit in Domino. *Plura alii quidam. MS. Adonis exemplar candidæ S. Laurentii Leodii :* Eodem die B. Effren Edissenæ Ecclesiæ *Diaconi*, qui librum dulcium exhortationum edidit; quique a B. Basilio maxima veneratione excolebatur. Cujus Basilii obitum ipse Effren divinitus prævidit, dum ab ipso ad se missam mulierem, quæ peccatum in charta conscripserat, ad illum festinanter remisit, monens accelerare, antequam S. Basilius transiret. Quæ reversa, S. Basilium deferri conspicit ad tumulum : et ex hoc credidit Beatum Effren veraciter prophetasse. D *Eadem fere MS. Florarium, additque :* Claruit anno salutis 369. *Maurolycus :* Eodem die B. Ephrem Edissenæ Ecclesiæ Diaconi, litteris et solitudine præclari, qui Basilium Cæsariensem Episcopum in figura igneæ columnæ vidit. *Canisius :* Item sancti et celebris Ephrem, qui Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, austeram in solitudine vitam egit : sed cum fames populum premeret, cella relicta, concionatus apud locupletiores, pecuniam ad pauperum sustentandam necessitatem corrogavit. S. Basilii (*in 2 edit.* Blasii, *mendose*) precibus, a Deo Græce loquendi gratiam impetravit : eumdem Antistitem globi igniti specie conspexit : tandem sanctimonia clarus decessit. *In margine adnotatus est annus 374. Ast ubi illud de ignito globo legit Canisius? Constantius Felicius :* Ephrem Syrus, Diaconus Edessenus, natus parentibus Christianis, floruit temporibus Magni Basilii, apprime ei carus, quem in igneæ columnæ specie vidit : vir fuit sanctissimus, verumque humilitatis et paupertatis exemplar, eversor cunctarum hæresium, omnibus propria ipsorum lingua loquens, etsi solam Syriacam calleret : hoc die decessit, estque inter Christianos percelebris. *Neque unde hic, dono illo linguis variis loquendi ornatum fuisse S. Ephræm accepit, scimus.* E

12 *Græci eum colunt, ut diximus,* XXVIII *Januarii, quo die ita habet Menologium a Canisio editum :* Natalis sancti Patris reverendissimi Ephrem Syri, ex patria Edessa, in cujus laudem extat sermo S. Gregorii Nysseni. *Plura extant de eo in Menæis, atque hæc quidem de ejus rebus gestis, quæ et in Anthologio Antonii Arcudii habentur :* Hic in Oriente natus est, gente Syrus, pietatem a majoribus edoctus, temporibus Theodosii Magni floruit, complexusque est admodum adolescens vitam monasticam : cui fertur infusa divinitus gratia, qua libros plurimos ad animi compunctionem accommodatos edidit, multosque mortales ad virtutem adduxit; atque instituendæ deinceps asceticæ vitæ exemplum factus est. Peragitur vero ejus celebritas in æde S. Aquilinæ, in loco qui Philoxenus dicitur, juxta forum. *S. Aquilina, cujus in templo, sive* μαρτυρίῳ, *S. Ephræm coli Constantinopoli consuevit,* XIII *Junii a nobis refertur. Petrus Galesinius Græcos secutus,* XXVIII *Januarii ita scribit :* Edessæ in Syria, S. Ephræm Confessoris. Hic maximis virtutibus præstans, Constantino Magno Imperatore, rem Christianam, et pie agendo, et utiliter docendo scribendoque, valde adjuvit; demum multis meritis cumulatus, extrema senectute quievit F in Domino. *Menologium Græcum, quod a Basilio Imp. collectum Baronius crebro citat, eodem die ista habet, citante et vertente Vossio :* Ephræm Edessæ in Syria, Constantino Magno Imperatore, Christianis parentibus natus, vixit ad Valentis usque tempora : ex cujus infantis ore viderunt aliquando in somnis parentes prodire vitem, quæ quaquaversus diffusa, et ramos suos ad extremam terram protendens, terram ipsam implere videbatur, de cujus fructu alerentur volucres : intellexeruntque eam somnii figuram, uberrimam rerum omnium cognitionem, quæ in filio futura esset, portendere. Nec defuit conjecturæ eventus : etenim omnibus virtutis numeris expletus, magno fuit Christianæ Reip. usui et commodo. Atque ut magis etiam mortalibus prodesse posset, cum Cæsaream venisset, a Basilio Magno creatus Presbyter, repente linguam Græcam (cujus erat, ut homo media Syria natus, prorsus rudis et expers) callere cœpit : qui postea cum præclare multa scribendo et docendo et faciendo, optime de rep. meritus esset, extrema senectute ex hominum vita migravit. *Hæc ibi.*

*apud Græcos 28 Januarii*

13 *At neque* XXVIII *Januarii, neque* I *Februarii obiisse*

A *obiisse videtur. Nam cum Palladius, ei coætaneus, scribat in historia Lausiaca cap.* 101, *cum anno integro ægris et pauperibus curandis Edessæ vacasset, jamque frugum copia successisset, ad cellam reversum, et post mensem mortuum esse, potius æstate, vel ineunte autumno, mortuus videri debet, quam media hyeme : neque enim illa frugum copia, ac fertilitas, sub finem Decembris (ut dicendum foret) cœpit, cum vel in herba, remota adhuc et incerta, spes esset messis; vel conditum a quinque aut sex mensibus frumentum; sed quam primum id meti commode potuit, aut cum spes propinqua messis fuit, et prolata vilique pretio divendita, quæ premebatur, annona. Cur tamen his diebus consignata sit ejus memoria, haud comperimus.*

*neutro mortuus verum æstate, vel autumno*

14 *Sed breviter universa illius ætas, quatenus assequi possumus, proponenda. Menologium Basilii Imp. ut jam vidimus, Constantino Magno rerum potiente natum scribit : sub ipsa igitur Imperii ejus exordia; quippe qui extrema senectute, anno tamen Christi* CCCLXXVIII *decesserit, atque anno Christi* CCCXXXVIII *Constantii I, non parvam jam tum habuerit nominis celebritatem, ut mox dicemus. Quare brevior Vita, quam quinto loco daturi sumus, solum habet* vixisse temporibus Constantini Magni Regis, et aliorum qui post ipsum regnarunt. *Certius est, temporibus Constantini monasticam vitam* B *arripuisse : quo in loco, quove magistro, supervacaneum est divinare. Monumentum secundum antiquitatis ex MSS. adjectum a Vossio ad calcem tomi tertii habet,* exercitationem egisse in diebus Magni Constantini..... floruisse autem usque ad imperium Valentis, sub quo et decessit.

*quando natus?*

15 *Postquam autem* Imperator quidem ille magnus et admirabilis, *ut in Philotheo cap.* 1 *scribit Theodoretus*, excessit e vita cum coronis pietatis; illius autem filii fuere hæredes imperii orbis terræ; tunc Rex Persarum, cui nomen erat Sapores, contemptis filiis, ut quorum potentia non esset patri æqualis, bellum movit adversus Nisibim, magnis et equitum et peditum copiis *etc. Obiit Constantinus an. Chr.* CCCXXXVII, XXII *Maii. Anno vero sequenti sive Constantii I*, Sapor Rex Persarum, *ut habet S. Hieronymus in Chronico*, Mesopotamia vastata, duobus ferme mensibus Nisibum obsedit..... Jacobus Nisibenus Episcopus agnoscitur : ad cujus preces sæpe urbs discrimine liberata est. *Id quemadmodum contigerit, ad ejusdem sancti Antistitis Vitam dicemus* XV *Julii, ex citato jam Theodoreto, qui hist. Eccles. lib.* 2, *cap.* 30, *urbem narrat* LXX *diebus, omnibus machinis oppugnatam; ac murum, Mygdonii amnis, primum oppositis aggeribus repressi, deinde subito emissi, impetu labefactatum, Jacobi precibus* C *nocte una divinitus restauratum. Dein vero, quod huc facit, ita scribit* : Eodem tempore Ephræm, vir sane admirabilis, et scriptor inter Syros facile excellentissimus, orat Jacobum, ut conscendat mœnia, barbaros intueatur, et execrationis in eos conjiciat tela. Cujus postulationi obsecutus vir sanctus in quamdam turrim ascendit : ac cum videret ingentem eorum multitudinem, non aliud est illis imprecatus, quam ut cyniphes ac culices in eos immitterentur, ut vel per minuta hæc animalcula, ipsis subvenientis potentia agnosceretur. *Eadem refert historia tripartita lib.* 5, *cap.* 45.

*Nisibi obsessa an. 338*

*ter S. Jacobi Ep.*

16 *Quando Edessam profectus sit Ephræm; quando, quave in urbe ad Episcopatum postulatus, nos latet. Probabile est longo tempore eum juxta Edessam habitasse, cum Sozomenus lib.* 6, *cap.* 34 *eum ac S. Julianum recenseat veluti coryphæos monachorum prope Edessam et vicinas urbes degentium; ipseque in Testamento, Edessenos universim, veluti suos in studio pietatis discipulos ac filios alloquatur : ut non mirum videatur Julianum apostatam celeriter prætergressum esse Edessam, ut scribit idem Sozomenus lib.* 6, *cap.* 1, odio fortassis incolarum, *inquit*, cum inde a principio ea civitas Christianam religionem professa sit; D *et tunc præsertim tanto ardore animorum eam coleret, ut cum postea Valens Imp. ecclesia isthic Catholicis ademisset, ipso spectante, in campo ante urbem conventus agerent, contemptis etiam Præfecti minis, sicut ibidem cap.* 17 *narratur. Atque ideo ipse quoque fortassis ab eodem impio Valente, a quo SS. Barses Ep. Eulogius et Protogenes Presbyteri, ejecti in exilium sunt, exagitatus est Ephræm.*

*postulatus ex... Edessæ,*

*AUCTORE J. B. duris temporibus :*

17 *Tandem extremo, ut remur, ejusdem Imperatoris anno, certe* sub Valente Principe, decessit, *ut habet S. Hieronymus lib. de illust. Eccl. scriptor. cap.* 115. *Num vero ante eum S. Basilius obierit, uti ea habet Vita quæ S. Amphilochio tribuitur, num anno insequenti, quinto post Valentis obitum mense, alibi discutiemus. S. Hieronymus lib. cit cap.* 116 *scribit S. Basilium mortuum* imperante Gratiano, *post Valentis scilicet interitum : num quod Baronius ad an.* 378, *num.* 1, *scribit noluisse S. Hieronymum referre obitum S. Basilii* ad tempus pii Imperatoris, qui eo ipso anno, extincto Valente, Orientis quoque administrandum imperium suscepit; *nullius est momenti : cur non enim et Ephræm obitum ad idem retulit imperium Gratiani? Neque vero S. Basilii scriptum ab S. Ephræm encomium, necessario hunc illi superstitem demonstrat, cum nihil in eo sit, quod non de vivente accipi possit, licet videatur interpres aliud sensisse. Potius ergo S. Hieronymo, tunc in Syria* E *agenti, quam Menæis aut Anthologio nuper edito, de mortis tempore assentimur, cum præsertim apud Græcos ante annos fere* DCCC *Basilii Imp. tempore, eadem viguerit opinio.*

*anno 378 mortuus.*

## § III. *S. Ephræm patria, gradus Ecclesiasticus.*

Q*uæ porro magnum illum virum orbi dederit civitas, in ambigue est Sozomenus, proximus illius temporibus, ut qui sub Theodosio Juniore scripserit, lib.* 3, *cap.* 15, *ista habet* : ἐκ Νισίβεως ὢν, τῶν τῇδε χωρίων τὸ γένος εἶχε. Nisibi natus, genus ex illius civitatis regione ducebat. *Ita ipse de progenitoribus suis S. Ephræm in Confessione, majores suos scribit opere manuum victitasse : avos agricolas fuisse, sed secundis rebus usos, parentes suos qui humili hoc genere orti essent, in judicio Christum confessos. Verum Christophorsonus pro* χωρίων, *legit* ἐπιχωρίων ex indigenis illius urbis. *Sozomenum in tota hac de Ephræmo narratione sequitur Nicephorus lib.* 9, *cap.* 16, ὃς Νίσιβιν μὲν εἶχε πατρίδα, *inquit*, qui Nisibin habuit patriam. *Fuit is quidem Nisibi, cum a Persis obsideretur an. Chr.* CCCXXXVIII, *ut diximus. Haud ideo tamen certo asseri potest eam illi patriam fuisse. Eo se fortassis, monasterio a Persis Mesopotamiam vastantibus everso, receperat. Baronius in Not. ad Martyrol.* F Nisibi natum *asserit*, Jacobi Ep. fuisse alumnum, eruditionis discipulum, et sanctitatis hæredem

*Nisibenus,*

19 *Edessam illi patriam fuisse tradit citatum Basilii Imp. Menologium, alterumque ab Henr. Canisio vulgatum, uti et infra brevior Vita scriptoris anonymi. Metaphrastes quoque apud Surium cap.* 1 *ait* : Natus fuit in Syria, in civitate Edessa, *et cap.* 3, venit in patriam suam Edessam. *Subscribit Hoierus. Favet S. Gregorius Nyssenus, juxta interpretationem, quam infra cap.* 4, *nu.* 15 *dabimus. Ita enim habet* : Ἐντεῦθεν τὴν ἐνεγκαμένην ὡς ὁ ἐκεῖνος κελευσθεὶς Ἀβραὰμ τῶν Ἐδεσινῶν κατειλαβε πόλιν. Inde, uti jussus divinus ille Abraam, Edessenorum urbem, quæ eum tulerat, petiit. *Vossius vertit* : Unde patriam, sicut magnus ille Abraham, relinquere jussus, Edessenorum urbem petiit. *Videtur legisse* ὡς ὁ θεῖος ἐκεῖνος Ἀβραὰμ, ἀπολείπειν κελευσθεὶς, *vel*, ὡς ὁ θεῖος ἐκεῖνος κελευσθεὶς Ἀβραὰμ, ἀπολιπών. *Verum etsi patriam repetebat, poterat tamen Patriarchæ illi comparari, qui Deo jubente domicilium, etiam extra patriam in eadem ipsa Mesopotamia, locatum, illico mutavit. De patria igitur non liquet.*

*an Edessenus, incertum*

20 *Major controversia est, num sacerdotio fuerit initiatus.*

A *tiatus. S. Hieronymus, Palladius, aliique solum* Diaconum *appellant. Sozomenus lib.* 3, *cap.* 15. καὶ ὀλίγων ἡμερῶν ἐπιβιώσας, ἐτελεύτησε, διακονίας μὲν ἄχρι κληρικοῦ τάγματος ἐπιβάς, περιβόητος δὲ ἐπὶ ἀρετῇ γεγονώς, οὐχ ἧττον τῶν ἱερωσύνῃ καὶ πολιτείᾳ ἀγαθοῦ βίου καὶ παιδεύσει θαυμαζομένων. Et cum paucis diebus supervixisset, vitam finivit, usque ad Diaconatum quidem in ordine clericali evectus, ob virtutem tamen celebratus, non minus quam qui ob sacerdotium et bonæ vitæ institutionem, ac doctrinam in admiratione sunt. *Minus etiam ei tribuere Nicephorus Callistus videtur lib.* 9, *cap.* 16. κληρικοῦ διακονίας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀξιωθείς. Clericali ministerio in Ecclesia dignatus. *Negat quoque Baronius tom.* 4 *ad an.* 377 *nu.* 14 *Sacerdotem fuisse;* cum præter alia quæ repugnant, *inquit,* haud esset Basilii juris, Syrum hominem ordinare.

*Auctore A. B. denique, an Diaconus solum fuerit,*

21 *Si foret omnino exploratum, Vitam illam S. Basilii, qua de supra egimus, a S. Amphilochio scriptam esse, haud magnum S. Hieronymi, Palladii, Sozomeni in contrarium vim verba haberent. Viderant illi opuscula ejus aliqua Græce versa,* Diaconi Edesseni *titulo, neque de sacerdotio legerant : quare Diaconum appellarunt. Nobis ipsis evenit non raro, ut quorum vidimus sub Doctorum cujuspiam academiæ nominibus, aliove titulo editas lucubrationes, etsi sint deinde ad episcopatum evecti* B *(quod facilius in hac luce litterarum nosse possumus, quam illi Ephræmum in Cappadocia Presbyterum factum) citemus tamen sub priori illo titulo dignitatis. Menologium Basilii Imp. diserte habet, a S. Basilio creatum Presbyterum : atque ut Bellonacensem omittam lib.* 14, *cap.* 86, *S. Antoninum par.* 2, *tit.* 10, *cap.* 4, § 5, *Michaelem Glycam, aliosque id asserentes; auctor anonymus de hæresibus, qui ante annos* MCC *vixit, editusque est nuper a Jacobo Sirmondo nostro sub* Prædestinati *nomine, hæresi* 57, *quæ est Messalianorum, diserte scribit :* Egit contra hos Ephrem Presbyter Syrorum.

*an Presbyter a S. Basilio creatus;*

22 *Franciscus Combefis vir doctissimus Not.* 112 *in Amphilochium, argumentum, in quo robur præcipuum inesse Baronius existimat, egregie refellit : antiqua enim jure antiquam prohibitum fuisse, ne quis in aliena natum diœcesi, ad sacros ordines promoveret; sed ne alteri obstrictum Ecclesiæ, ad suam attraheret, itaque ei ordines conferret, ut eo deinde titulo jus sibi in eum arrogaret, atque eam esse sententiam canonis* Illud quoque *et can.* Si quis *dist.* 71, *qui ex Sardicensi Nicænoque concilio sumpti, ignorari a Basilio non potuerunt. Profert Combefis exempla aliquot eorum qui ab alienis Episcopis olim ita ordinati Presbyteri sunt : plura Franciscus* C *Hallerius de electionibus et ordinationibus parte* 2, *sect.* 5, *cap.* 3, *art.* 1, § 4.

*quod tunc vetitum non erat,*

23 *Celebre est hoc in genere ipso, S. Hieronymi exemplum, quod cum a Baronio quoque referatur an.* 378 *num.* 65, *mirum est cur Basilio in Ephræm nolit licuisse, quod in Hieronymum Paulino Antiocheno Episcopo. Ita de sua ordinatione scribit S. Hieronymus Ep.* 61 *ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani, quem cap.* 16 *ita alloquitur :* Porro quod dicis te petisse ut subjicerentur Ecclesiæ Dei, et non scinderent eam, neque proprium sibi facerent principatum; de quibus dicas, non satis intelligo. Si de me, et de Presbytero Vincentio; satis multo dormisti tempore, qui post annos tredecim nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim et ego Antiochiam, et ille Constantinopolim, urbes celeberrimas, deseruimus; non ut te in populis prædicantem laudaremus : sed ut in agris, et in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi sermo est; vides eum Episcopo suo esse subjectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdum venire, non ut tuum, sed ut alienum, ejus videlicet, a quo ordinatus est. Quod si hic etiam esse voluerit, et in exilio nostro quietus in solitudine vivere; quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus Episcopis? Fac a te ordinatum : idem ab eo audies, quod a me misello homine, sanctæ memoriæ Episcopus Paulinus audivit : Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas; tu videris de judicio tuo : sin autem sub nomine Presbyteri tollis mihi, propter quod seculum dereliqui; ego habeo quod semper habui : nullum dispendium in ordinatione passus es.

*ut patet in S. Hieronymo* D *ordinato a Paulino Ep. Antiocheno.*

24 *Eadem sane quæ Hieronymus Paulino, dicere Basilio Ephræm potuit, et ipse monachus, in eremo degens, nullis obstrictus in ecclesia Edessena sacris ministeriis; habendis dumtaxat interdum concionibus, sæpius privatis colloquiis, populum erudiens ad pietatem. Joannes Trithemius lib. de scriptorib. Eccl. ista habet :* Effrem monachus eremique cultor insignis, et Diaconus Edissenæ Ecclesiæ, a B. Basilio Presbyter ordinatus, propter humilitatem ad Divina mysteria conficienda numquam accessit, quamvis apud Deum et homines dignus haberetur. *Non est quidem id a S. Ephræmi humilitate alienum, præsertim cum annis perpaucis supervixerit Ephræm; merito tamen auctorem antiquiorem Trithemio postulat Combefis. At si vere ab offerendo sacrificio abstinuit, ne innotuit quidem fortassis Edessenis, eum Presbyterum ordinatum.* E

## § IV. S. *Ephræm doctrina, scripta, Græcæ linguæ peritia.*

Per idem tempus, *inquit Theodoretus histor. Eccles. lib.* 4, *cap.* 27, Edessæ quidem Ephræm ille admirabilis, Alexandriæ vero Didymus, cum laude vixerunt, contraria veritati dogmata libris editis confutantes. Atque Ephræm quidem Syriaca usus lingua, spiritualis gratiæ radios effudit. Nam tametsi Gentilium eruditionem ne degustaverat quidem, multiplices tamen eorum errores refutavit, atque omnis hæreticæ fraudis imbecillitatem omnino denudavit. *Subjicit, quæ nos infra ex Sozomeno, qua ratione, dulce venenum ab Harmonio propinatum popularium auribus animisque, eliserit, piis cantilenis ad ejus modulos aptatus, itaque* medicinam audientibus tum jucundissimam tum utilissimam adhibuerit. *Quod et in Tripartita narratur lib.* 8, *cap.* 6, *ubi tamen non recte dicitur* tunc *Harmonius cantica composuisse, qui multo antiquior fuit, cum ejus parens Bardesanes M. Veri tempore scripserit, ut asserit Theodoretus lib.* 1 *hær. fab. cap.* 22.

*Hæreticos confutat.*

26 *Philosophiæ quoque, ac præsertim sacrarum litterarum, summa in eo peritia fuit, ipsi puero, aut ejus parentibus, mystico viso præostensa, infusaque divinitus;* F *uti infra ex S. Gregorio Nysseno et aliis liquebit : ut minime mirum videri debeat, eum ob eximiam eruditionem a S. Basilio aliisque mirifice laudatum. Georgius Cedrenus ait,* multa eum utiliter conscripta reliquisse. Multa, *inquit S. Hieronymus lib. de illust. Eccl. Scriptor.* Syro sermone composuit opuscula, et ad tantam venit claritatem, ut post lectionem scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur. *Ea vero, Nysseno teste, in Græcum versa sermonem, eamdem vim elegantiamque retinent. Subscribit S. Hieronymus :* Legi, *inquit,* ejus de Spiritu sancto Græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat, et acumen sublimis ingenii, etiam in translatione, cognovi.

*scientia divinitus infusa*

*multa scribit,*

*quæ in ecclesiis lecta, quædam Græce versa*

27 *In Latinam quoque linguam nonnulla ejus translata sunt scripta. Vincentius Bellonacensis, qui ante* CD *annos scripsit, Speculi, histor. lib.* 14, *cap.* 87 *ista habet :* Hujus *Ephræm* septem Opuscula extant apud nos, scilicet de pœnitentia, de luctaminibus seculi, de compunctione cordis, de beatudine animæ, de resurrectione, de die judicii. *Eadem ex Vincentio recitat S. Antoninus par.* 2, *tit.* 10, *cap.* 5, § 6, *sed et ipse sex solum recenset, cum septem dicat extare. Tritthemius de Script. Eccl.*

*quædam Latine,*

A *et variis temporibus edita:*

*Eccl. eadem, aliaque insuper septem enumerat, quæ apud Latinos inveniri ait*, de Spiritu sancto, de contritione cordis, de cogitationibus, de prædicatione dura, de celebratione mysteriorum, Planctum super Edessenam urbem. *Horum opusculorum quædam, alia item ab Ambrosio Camaldulensi Latine versa e Græco, edidit Coloniæ an.* MDXLVII *Melchior Novesianus, dicavitque Guilielmo Hittorpio Veteris-montis Abbati, a Carthusiano quopiam recensita, ut conjicimus ex S. Brunonis elegia et epitaphio ad calcem adjectis. Ephræmi opuscula aliquot (ut notat. 3. ad Usuardi Martyrol. 1 Febr. scribit Molanus) edita sunt Dilingæ an.* MDLXII.

*plenius a Gerardo Vossio:*

28 *Tandem Gerardus Vossius Belga, Borchlonii, primario Comitatus Lossensis oppido, in diœcesi Leodiensi natus, Præpositus Tungrensis, quæcumque Sancti Ephræm opera in insignioribus Italiæ bibliothecis, præcipue Romanis, inveniri potuerunt Latinitate a se donata, scholiisque illustrata, atque in tomos tres distributa, Romæ edidit; primum tomum an.* MDLXXXIX, *secundum* MDXCIII, *tertium* MDXCVII, *ætatis suæ* L urbicæ mansionis XXV, *ut ipse scribit. Quæ omnia an.* MDCIII *Coloniæ ab Arnoldo Quentelio recusa sunt. Ipse demum laudatissimus Interpres et Scholiastes ann.* MDCIX, XXV *Martii, Leodii mortuus est, ut scribit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica. Duo tamen in hoc præclarissimo opere optaremus a Vossio observata : 1, ut quæ antea* B *Latine extabant S. Ephræm opera, sive ab Ambrosio Camaldulensi, sive prius ab anonymo versa, addidisset, ad calcem saltem vel operis totius, vel tomi illius in quo singula extant ex ipsius interpretatione. Secundum, ut Græcolatine potius, quod illi facile erat, omnia edidisset.*

*ut non liber de Spiritu sancto,*

29 *Non omnia tamen illius opera assecutus est Vossius. Nam quem legisse se Græce versum librum de Spiritu sancto testatur S. Hieronymus, hic desideratur. Uti et commentarii in sacram Scripturam, de quibus S. Gregorius Nyssenus infra nu.* 10. Πᾶσαν γὰρ παλαιάν τε καὶ καινὴν ἐκμελετήσας γραφὴν, καὶ ὡς οὐκ ἄλλός τις τοῖς τοιαύτοις θεωρήμασιν ἐμφιλοχωρήσας, ὅλην ἀκριβῶς πρὸς λέξιν ὑρμήνευσεν, ἀπό τε τῆς κοσμογενείας, καὶ μέχρι τῆς τελευταίας τῆς χάριτος βίβλου, τὰ βάτη τῶν κεκρυμμένων εἰς τοὐμφανὲς ἀγὼν θεωρημάτων, λύχνῳ κεχρημένος τῷ πνεύματι. Nam omnem et antiquam et novam Scripturam evolvens, et, ut nemo alius, in ejus contemplationem incumbens, totam accurate ad verbum interpretatus est : atque ab ipsa mundi creatione usque ad ultimum gratiæ librum, quæ abdita et recondita erant commentariis illustravit, Spiritus lumine usus. *At neque interpretatio illa, neque commentarii usquam comparent. Sozomenus quoque lib.* 3, *cap.* 15, Λέγεται δὲ τὰς πάσας ἀμφὶ τὰς τριακοσίας μυριάδας ἐπῶν συγγράψαι. Dicitur vero universim circiter tricies centena millia carminum conscripsisse. *In his nimirum erant hymni ad Harmonii numeros facti, de quibus Theodoretus lib.* 4, *cap.* 27, ταῦτα καὶ νῦν τὰ ἄσματα φαιδροτέρας τῶν νικηφόρων μαρτύρων τὰς πανηγύρεις ποιεῖ. Istæ et nunc cantilenæ splendidiores reddunt invictorum Martyrum solennitates. *Atque hæc quoque vel delitescunt, vel omnino perierunt scripta : uti et alia quamplurima; nam Photius Tmem.* 196 *ubi Parœneses* 49, *aliaque enumeravit, subdit :* Quamquam alia quoque quam plurima sancti viri in Græcam conversa linguam opuscula circumferuntur, dicendi vi ac venustate referta. Syri vero affirmant orationes supra mille scripsisse : quibus etiam testimonium reddit (cujus gravis est in historia, non item in dogmatibus fides) Eusebius ille Pamphili cognomento. *At qui potuit scriptorum Ephræmi meminisse Eusebius? Nisi, quod supra § 2. nu. 15, jam clarus erat eruditionis fama et lucubrationibus Ephræm sub initium imperii Constantii? Quamquam in iis libris Eusebii, qui in manibus sunt, nulla ejus mentio est. Fortassis Ecclesiasticam historiam Sozomeni hic pro Eusebiana accepit, aut aliter memoria lapsus Photius.*

*commentarii in Scripturam,*

*Hymni numeri,*

C

*multæ orationes.*

D *AUCTORE J. B. quædam Græce versa humili stylo*

30 *De stylo Ephræmi, præsertim in Exhortationibus, sive* παραινέσεσι, *quæ habentur, tom.* 2, *ita idem censet Photius :* In his admonitoriis sancti viri sermonibus, jure quis admiretur, quam alte penetret persuadendi vis, quantumque ab his fluat jucunditatis, quam denique affectuum copia referti sint. Oratio tamen ejus ac figuræ nihil mirum, si ad consuetum homiliarum usum, et inelaboratum dicendi genus vergant. Non enim in auctorem sensuum, sed in horum interpretem, ea conferenda culpa. Qui namque Syriacæ sunt linguæ bene periti, verbis adeo ac tropis excellere norunt, ut ambiguum sit, ab hisne an a sensu recondito, tanta ejus dicendi vis atque elegantia proficiscatur. Quamobrem non tam dictionis humilitas admiranda, quam illud suspiciendum, quomodo per tantam verborum vilitatem, tanta salus atque utilitas in legentes velut effundatur. *De iis opusculis quæ an.* MDXLVII *edita Coloniæ diximus, pronuntiat Bellarminus lib. de scriptorib. Eccles.* magis pia quam docta esse. *Nimirum suavis ille et benignus Dei Spiritus, ut se ipse in libro Sapientiæ describit, non eget ad emolliendа hominum corda vel reconditæ scientiæ vel elaboratæ facundiæ machinis, quas tamen, si adsint, abjici minime jubet. Sed neque Ephræmo, divinitus concessæ sapientiæ latices defuisse, neque recte ornateque dicendi artificium, ejusdem Divini Spiritus magisterio haustum, testatur S. Gregorius Nyssenus, et alii infra.* E

*quædam non tam docta, quam pia et plena Spiritus.*

*Græcæ linguæ scientiam obtinet precibus S. Basilii,*

31 *Hac ergo præditus eruditione* omnes, qui ad eum videndum veniebant, *ut scribit Vincentius lib* 17, *cap.* 87, per annos plurimos docens, *vel* ædificans, *ut loquitur Palladius; ut pluribus prodesset, Græcæ linguæ peritiam S. Basilii precibus obtinuit, ut supra ex Menologio Basilii Imp. retulimus. Unde conficitur, quod Combefis annotavit, gratiam hanc in eo perdurasse, neque solum ad illud cum S. Basilio colloquium fuisse collatum. Elevat ejus rei fidem Baronius tom.* 4, *ad an.* 370 *nu.* 56, *duobus potissimum rationibus : quarum prima est,* quoniam nihil de his ipse Ephræm. 2, *quia hic* testatur, sibi Basilium per interpretem esse locutum. *Principio certe interprete opus fuit. Quid vero mirum, si omnes humiliandi sui occasiones sollicite aucupans, illud reticuit quod videbat in suam gloriam plusculum cedere? Alia quoque silentio pressit, quæ illo cum Bassilio congressu accidisse Nyssenus testatur.*

32 *Congressum illum ita ipse Ephræm describit Encomio in S. Basilium :* Ubi ergo Dominus miserendi occasione se offerente, in quadam civitate, misericordia motus est super me, illic vocem ad me dicentem audivi : Surge, o Ephræm, et comede cogitationes atque sententias. Cui respondens dixi in magna F anxietate : Unde ego, Domine, comedam? Et ait ad me : Ecce in domo mea vas splendidum est ac magnificum, quod tibi suppeditabit cibum. Super dictis autem multum admiratus, exurgens perveni ad templum Altissimi : et cum sensim ad vestibulum ascendissem, et præ desiderio in introitum prospexissem, vidi in sanctis sanctorum vas electionis coram armento ovium præclare extensum, verbisque majestate plenis exornatum atque distinctum, omniumque oculos in illud defixos. Vidi templum Spiritu vegetatum ab eo, ejusque in viduas ac orphanos potissimum commiserationem. Vidi ibi apud eum, fluminis instar lacrymarum fluenta, et vellus vitæ cunctis quasi aureos radios diffundens; ipsum autem Pastorem pennis Spiritus sursum pro nobis preces sustollentem, filumque orationis deducentem. Vidi ab ipso ecclesiam ornatam, et dilectam aptissime compositam. Prospexi ab ipso manare doctrinam Pauli, legem Evangeliorum, et timorem mysteriorum. Prospexi ibi utilem ac salutarem sermonem, ad ipsum usque cœlum fideliter se attollentem : atque, ut rem paucis complectar, universum illum cœtum splendoribus gratiæ renidentem. His vero cunctis ita religiose ex electo

*ad quem jussu divino missus,*

*quæ viderit allegorice exponit;*

A electo vase regni efflorescentibus, laudavi sapientem et benignum Dominum, qui sic ipsum glorificantes glorificat. Peracto autem auditorio, Spiritu sancto revelante, me adesse cognovit. Qui meam vilitatem accersendam curans, per interpretem interrogabat me dicens : Tune es Ephræm, qui præclare collum inclinatum jugo salutaris verbi subjecisti? Et respondens, dixi : Ego sum Ephræm, qui me ipsum a cœlesti cursu sequestravi. Cumque me apprehendisset, sancto suo osculo consalutavit; instruxitque mensam epulis sapientis ac sanctæ et fidelis animæ ipsius, non quidem corruptibilibus conditam ferculis, sed immortalibus refertam sententiis.

*ob eo agnitus, et benigne exceptus*

33 *En ut allegoricis ambagibus involvit, quæ alii splendidius narrant, ab ipso visa ac gesta? Illud vero de lingua Græca vel omnino texit silentio, vel alias aperuit; neque enim in uno eo sermone omnia explananda judicavit. Nam et de* XL *Martyribus alia oratione, quæ a S. Basilio didicerat, exposuit : fortassis et hoc ipsum de linguæ Græcæ dono, alibi scriptis mandavit. An eo non videatur spectare illa in eodem Basilii encomio, paullo ante medium?* Subtrahensque mihi viriditatem ac immaturitatem sermonis, æmulatione me cepit, demersitque me in pocula doctrinæ suæ. *Imo quod cap.* 10 B *in illud,* Attende tibi, *Vitam S. Antonii per Athanasium scriptam citet, suspicatur Vossius, Græce scriptam legisse.*

*hoc donum vel celerit* — *vel alibi,* — *aut obscure indicat*

34 *Petrus de Natal. lib. 3, cap. 70 ita scribit* : Extat liber de Spiritu sancto, quem de Syra lingua vertit in Græcum. Hunc B. Hieronymus legisse se dicit, et acumen ingenii illius etiam in translatione notasse. *Non ait S. Hieronymus eum librum ab ipso Ephræm, sed a quodam, versum de Syriaca lingua, uti* *num. 26 dictum.*

*non vertit ipse Græce librum de Spiritu sancto.*

## § V. *S. Ephræm cum aliis Sanctis amicitia.*

*Multos SS. amicos habet*

E*tsi in quovis genere hominum alliciat atque attrahat ad amicitiam morum similitudo, multo tamen citius arctiusque sancti viri amplectuntur sui similium amicitias Spiritu sancto, qui fons est honestæ benevolentiæ, unionem celeriter conciliante. Ea quoque ratione instituit S. Ephræm amicitias. Præter jam commemoratum S. Basilium, et, qui infra in Testamento nominantur, discipulos Magistro simillimos, Abbam, Abraam, Maram, Simonem, Zenobium, duos hic referemus sanctitate illustres, ipsi vero stabili necessitudine conjunctos.*

36 *Primus est* S. Julianus, *cujus vitam* IX *Junii dabimus ab ipso Ephræm scriptam, uti Sozomenus lib.* 3, C *cap.* 13, *his verbis testatur* : Per idem tempus circa Edessam Julianus accuratissimum genus disciplinæ monasticæ exercuit : qui velut corporis expers, talem vitæ institutionem ac modum secutus est, ut carne carere, atque ex ossibus solum et cute constare videretur. Quare Ephræm scriptor Syrus tractatum de ejus vita contexuit. *Clarius aliquanto Nicephorus lib.* 9, *cap.* 15. Tum etiam apud Edessam accuratiore et Angelorum simili vivendi more, Julianus ille Magnus est philosophatus : cujus tanta fuit continentia, ut ossa carnibus carentia cuti constricta habere videretur. Vitam ejus Ephræm etiam Syrus conscribendam sibi esse duxit.

*et hic S. Julianum,* — *cujus Vitam scripsit)*

37 *Edita est ea Vita Latine a Gerardo Vossio to.* 3, *Operum S. Ephræm, in qua quæ utriusque amicitiam declarant, ista habentur* : Beatus vero Julianus mortificans in se mundanas concupiscentias, quantum monastica vivendi exigebat ratio, in sua residebat cella; prope autem ejusdem cellam, etiam mea cella sita erat; num ejusdem cellam, etiam mea cella sit erat; nam ejusdem eramus congregationis ambo. Accedebat igitur is ad cellam meam, et ego vicissim ibam ad ipsum : proficiebam enim ex colloquio ac conversatione viri; mirabarque cum viderem tantam in homine barbaro cognitionem, quippe ex partibus Occi- D dentalibus oriundo : glorificabamque Deum, qui non vult quemquam perire, sed omnibus per pœnitentiam ignoscere.

*vicinus,* — *ejusque colloquio proficit*

38 *Et quibusdam interjectis* : Quando vero pulsus ad Synaxim audiebatur, ante omnes alios Fratres occurrere contendebat. Sic vero in Synaxi consistebat absque ulla oculorum distractione, quasi ipsi tribunali Domini nostri JESU Christi assisteret. Quodam autem die ad ipsum dixi : Quis, obsecro, hosce libros corrumpit? quippe in quibus ubi scriptum erat DEUS, aut DOMINUS, aut JESUS CHRISTUS, vel SALVATOR, litterarum elementa deleta reperiuntur. Beatus vero ad me, Nihil, inquit, a te penitus abscondam. Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens, lacrymis pedes ipsius rigavit, et capillis capitis sui abstersit : et ego ubicumque nomen Dei mei scriptum comperio, lacrymis meis rigo; ut et ego remissionem ab eo peccatorum accipiam. Ego vero gratiose ad eum dixi : Deus, qui benignus est et misericors, bonum illud tuum suscipiat propositum; verumtamen libris parcas, obsecro. At ille dixit : Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo. Ardenter porro in Religione se gessit, atque exercuit, ultra viginti quinque annos : et interea moritur in Domino, in E obedientia, et persecutione, quam passus est, dignus æterna factus beatitudine. Beati enim, inquit Christus in Evangelio, pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Meis sane oculis excidunt lacrymæ, super disjunctione ac separatione viri istius.

*cum monet, ne lacrymis sacros libros corrumpat :* — *ejus morte dolet :*

39 *Fuit præterea S. Ephræmo conjunctissimus* S. Abraham *Eremita, qui* XVI *Martii colitur, et* S. Maria *fratris illius filia, quorum idem Vitam scripsit, quæ tom.* 3, *Operum ejus extat, editaque est a Rosweydo nostro lib.* 1, *de Vitis PP. Alium hunc arbitramur esse ab eo Abraam, qui inter Ephræmi discipulos numeratur in ejus Testamento; is enim Ephræmo superstes fuit, alter vero ante ipsum annis pluribus decesserat, cum ejus et Mariæ, quæ quinquennio patruo supervixit, obitum describat, atque ista subjungat* : Hei mihi, dilectissimi, quoniam hi quidem dormierunt, et ad Dominum cum omni fiducia perrexerunt : quorum mens in nullo prorsus mundanis negotiis colligata est, sed in sola Domini caritate. Ego vero imparatus atque imparatus mea voluntate permansi, et ecce comprehendit me hiems, et infinita tempestas nudum me atque spoliatum absque perfectione bonorum operum inveniet.

*S. Abraham* — *(diversi ab Abraam discipulo*

40 *Fuisse porro utrumque Ephræmo amicissimum,* F *ex eadem Vita liquet, ubi Maria in fornicationem lapsa, ita loquitur* : Ubi est magisterium sanctissimi patrui mei? ubi monita collegæ ejus Ephræm? qui me docebant in mea virginitate perdurare, exhortantes, ut impollutam animam immortali sponso servarem. Sponsus etenim tuus, dicebant, sanctus et zelans est. *Ipse quoque Abraham, cum ad eamdem neptem suam, in diversorio quodam meretricie viventem, venisset, militari habitu, ne eo agnito in fugam sese illa præ pudore conjiceret; posita tandem persona, ita eam alloquitur* : Filia mea Maria, non me agnoscis? Viscera mea, nonne ego sum qui te nutrivi? Quid tibi factum est, o filia mea? Quis te interfecit? Ubi est ille habitus Angelicus, quem habebas, filia mea? ubi est continentia? ubi fletus? ubi vigiliæ? ubi chameuniæ? A celsitudine cœli in hanc foveam quomodo devoluta es filia mea? Cur, quando peccasti, non mihi indicasti? non mihi illud retulisti? Et ego certe pro te pœnitentiam agerem cum dilectissimo meo Ephræm. *Et post pauca, ut eam, ad spem erigat,* Super me, inquit, sit iniquitas tua, o filia mea. Ex manibus meis peccatum hoc Deus requirat. Solummodo audi me, et veni, eamus in

*collegam,* — *ejus neptem ad curam castitatis hortatur* — *neque ex lapsu orat :*

A in locum nostrum. Ecce enim et carissimus Ephræm pro te nimium dolet, tuique caussa sedule Dominum deprecatur.

*a quibusdam suorum desertus;*

41 *Non omnes tamen, quibuscum ille amicitiam constituerat, eam constanter coluerunt. De quibus ipsemet in suo Testamento cap.* 1, *num.* 2 *ait* : Ceterum vos, Fratres, nolite mirari super aliquibus, qui obedientiæ disciplinam complexi, a me recesserunt. *Et cap.* 5, *nn.* 22 *et* 23 *maledicit Paulonæ apostatæ et Arorandrau, qui relicto pietatis studio, hæreses proseminabant.*

*Paulinum, viri et ambitioso ingenio,*

42 *Ab hoc vero Paulona, qui a Magistro suo vivente recesserat, diversus fuisse videtur Paulinus, de quo Gennadius de illust. Eccl. Scriptor. cap.* 3, *ita scribit* : Paulinus Presbyter, discipulus B. Effrem Diaconi, homo acris valde ingenii, et in Divinis doctus Scripturis. Sed vivente Magistro clarus in Doctoribus Ecclesiasticis fuit, et maxime ex tempore declamator : post illius autem obitum, amore primatus et nominis, separans se ab Ecclesia, scripsit contraria fidei multa. Huic obiturus B. Ephræm astanti sibi dixisse fertur: Vide, Pauline, ne te submittas cogitationibus tuis, et eleveris. Sed cum te ad purum comprehendisse putaveris Deum, crede, nec intellexisse. Præsenserat enim illum ex studiis vel sermonibus B nova investigare, et in immensum intellectum hæreseon tendere : unde et frequenter Bardesanem novellum vocabat. *Hunc tamen Honorius Augustodun. Paulonam vocat, ut et MSS. a Suffrido Petri citata.*

## § VI. S. Ephræm compunctionis fontes.

Multos ac luculentos fontes compunctionis, in se aliisque excitandæ, S. Ephræm aperit. Duos solum hic commonstrabimus. Primus ex rerum humanarum consideratione promanat, ac Dei interna allocutione. Ita ipse De Timore animi, tom. 1. Ego Ephræm peccator, ignavus ac piger in certamine spiritali, in quo assidue ob negligentiam meam animique torporem vincor, vobis strenui pugiles, Deique amantissimi Fratres, ingentem animi mei timorem atque tremorem, qui quodam die me miserum atque distractum, tardumque ac desidem invasit, recensere volo. Solus sedebam in loco quodam quieto atque sublimi, et inanes hujus vitæ curas, tumultus, ac perturbationes mente revolvebam. Et illacrymans dicebam : Quomodo vita hæc nostra velut umbra fugit, et instar velocissimi cursoris pertransit, et tamquam flos matutinus marcescit! Rursusque cum dolore ac gemitu, Quomodo, inquam, seculum hoc prætereat, dum interim ignavia, C rebusque ac cogitationibus inutilibus distrahimur, nescimus. Hæc dum mecum expendo, repente oculos in cœlum sustuli, et pæne a sensibus alienatus, magno timore perculsus, oculis cordis Dominum meum summa in gloria sedentem prospexi, et sic animam meam compellantem audivi : Quamobrem, o anima, cœlestem tuum thalamum lumine gloriæ plenum contemnis? Cur, o anima, sponsa mea, me immaculatum et immortalem sponsum tuum odisti? Cur, o anima, spernis illa bona, quæ ego in lumine vitæ præparavi tibi?

44 *Et post pauca* : His ego, Fratres carissimi, in illa hora coram Domino constitutus, vehementer contremui et expavi : præsertim dum formidabilia illa Domini verba, maximamque animi mei confusionem atque turbationem animadverterem. Unde defecit præ timore atque confusione anima mea : cogitabamque ubi me absconderem, quod tantam ignominiam ferre nequirem; dicebamque apud me : Venite montes et me peccatorem impium operite. Et demisso capite confusus, alta voce me ipsum deflere lamentabiliter cœpi, dicens : Cur ergo ex utero matris prodii, ut Dominum meum sanctum et bonum atque misericordem exacerbarem? Cur conceptionem in utero matris, et corporis incrementum, donaque cœlestia, ac sancta gratiæ tuæ remedia, quæ dedisti, D Domine, contempsi? Flens tamen procidi, et cum planctu ac dolore cordis mei illacrymans, rogavi et exclamavi : Exaudi, Domine, fletum meum, et suscipe verba deprecationis meæ, quæ ego peccator timore perterritus, coram te loquor, Clementissime, mitissime, et misericordissime Domine.

*Visionis hujus memoria cohorrescit*

45 *Rursumque paucis interjectis* : Quoties in mentem mihi venit illius diei ac horæ, in qua me repente timor hic invasit, totus horreo, lacrymor, ac ingemisco. Iterum mox omnium simul obliviscor, et precum et lacrymarum et timoris, et spatii pœnitentiæ mihi largitate Divinæ gratiæ concessi. Sed unde mihi ista duritia et negligentia? unde tanta oblivio? unde ita subito fio impudens et timoris expers, elatus, et iracundus; adeo ut plane nec timor Dei nec judicium futurum mihi versetur ob oculos? Numquid injustus est Deus? Numquid dissimulat aut non intuetur opera mea? Absit. Omnes vos rogo obtestorque, amici Dei, et Fratres mei carissimi, ut pro me homine peccatore et minimo, apud Deum misericordem et benignissimum intercedere velitis. Quæ mihi acciderunt, vel ideo patefeci vobis, ut per vos misericordiam a Deo obtineam.

46 *Scripsit porro hæc Ephræm grandis jam natu, ut conjicit Vossius ex hisce ejus verbis* : Gratia tua, quæ delicta juventutis meæ tulit, et senectutis nunc errata E perferat. *Quando tamen illa ipsi visio; sive, ut idem censet, contemplatio acciderit, non exponit : verisimile est multo ante evenisse. Idem sermone de compunctione, alium hujus fontem aperit, cœli aspectum, judiciique Divini recordationem, ita scribens* :

*cælum aspiciens,*

47 Edessena ex urbe benedicta, quodam die diluculo surgens, cum duobus Fratribus egressus sum ; sublatisque in cœlum oculis, simile illud speculo, nitidum, astrisque ornatum, ac super terram cum gloria fulgens, adspiciebam. Ego vero cum admiratione tacitus mecum ista revolvens, Si hæc, inquam, tanto cum decore resplendent; justi et sancti Divinæ obtemperantes voluntati, in hora illa, quando ad judicandum Dominus venerit, quanto magis in gloria Salvatoris, ineffabili luce fulgebunt? Subito autem in memoriam mihi venit terribilis ille Christi adventus. Unde contremuerunt omnia ossa mea, corporeque simul et anima totus exhorrui. Atque sic concussus et perturbatus magno cum dolore cordis flere cœpi, et ingemiscendo dixi : Quomodo ego peccator in illa hora terribili ac formidanda inveniar? Quomodo ego coram tribunali tunc tremendi Judicis adstabo? Quomodo ego elatus et superbus cum justis atque perfectis consistam? F

*et aliis aperit fletus sui causam.*

48 *Post plura in hanc sententiam prolata, subdit* : Tunc duo illi Fratres, qui mecum erant, et ipsi illacrymantes, his me verbis interpellabant : Quid ita acerbe plangis, o Pater? Et ego ad ipsos, Meam, inquam, socordiam, o filii carissimi, defleo. Cum enim cognitionis nobis lumen tribuerit Deus ter optimus, ego quotidie illud repellere atque extinguere conor. Nam si Divinæ voluntatis mandata perfecissem, beatus sane in hora illa forem; et non solum ego, sed et omnes qui obediunt voluntati ejus. Iccirco, Fratres, nullam penitus ibi excusationem habituri sumus, quoniam scientes ac sponte peccamus cuncti. Divinam itaque providentiam et in nos munificentiam, quantaque nobis quotidie pro sua bonitate largitur Deus, sedulo consideremus universi.

A

*Auctore J. B.*

# S. P. N. EPHRÆM

## NARRATIO AD MONACHOS DE SUA CONVERSIONE.

### Interprete et scholiaste Gerardo Vossio.

### CAPUT I.

*Ephræm et duo concaptivi, falso crimine accusati, etsi alterius vere rei.*

Sanctus Abbas Ephræm, accedentibus ad ipsum Fratribus, de seipso utilitatis caussa enarravit, dicens :

*Ephræm vaccam insectando occidit.*

1 Quando adhuc puer essem, incompositis moribus extiti. Quodam igitur die parentes mei in suburbana extra civitatem miserunt me : quo dum abirem, *a* reperi per viam in medio silvæ juvencam unam, ferentem uterum, pascentem; erat autem pauperis cujusdam juvenca. Acceptis ergo lapidibus persequi cœpi juvencam per silvam. Tantopere autem eam insecutus sum lapidibus, ad profundam usque vesperam, (erat enim vicina partui) quousque in terram caderet, in interiores partes silvæ, et postremum pedum *b* crepitum ederet : rebeta igitur illa mortua secessi, noctuque feræ devorarunt eam. Obviam autem in eadem silva habuit pauperem, cujus erat juvenca quærentem illam; qui me interrogabat: Fili, num sæpe occurristi juvencæ prægnanti, in silva ista? Ego vero non solum non respondi ipsi, sed etiam *c* contumeliis illum per summam injuriam oneravi.

B

*seu eam quærenti illusit*

*pernoctans cum pastoribus,*

2 Accidit autem post mensem dierum, ut me iterum parentes mei ad suburbana mitterent : Cum igitur irem, advesperascere mihi cœpit, dum adhuc essem in via. Invenerunt autem me pastores ovium in silva, et dixerunt ad me : Frater, quo pergis hora ista? Ad quos ego : Parentes mei usque ad suburbana me miserunt, et eo proficiscor. At illi : Inclinata jam est dies, et advesperascit, quare huc ad nos diverte, et apud nos quiesce; mane reliquum viæ perficies. Ut ergo secessi ac mansi apud eos, nocte illa in caulam feræ irruerunt, quæ gregem per silvam disperserunt. Apprehenderunt autem me domini gregis, objicientes quod ego fures induxissem, qui gregem ovium invasissent, dispersissentque. Mihi vero neganti, et juranti nullam in me culpam residere, non crediderunt, sed persisterunt dicere, quod ego subfuratus essem, dispersissemque illorum oves. Demum ergo me cubito ligatum, tradiderunt Prætori, qui me detrudendum mandavit in carceres : ubi duos viros vinctos reperi, quorum alter falso insimulabatur homicidii, alter vero adulterii.

*grege a lupis dispersso ut furum ductor*

C

*conjicitur in carcerem*

3 Peregi autem in carcere dies quadraginta : post quos, mihi dormienti adstitit adolescentulus quidam, aspectu terribilis, ad me placida voce dicens : Ephræm, quid in isto agis carcere? Ad quem ego : Domine, aspectu tuo ita sum perculsus, ut omnes me vires deficiant. Ad me autem adolescentulus : Noli timere, sed dic mihi caussam tuam. Sumpta igitur majori ex mansuetis illius verbis fiducia, cum multis lacrymis dixi ad illum : Domine, Domine, missus sum a parentibus meis ad suburbana, et me vespera oppressit in via; invenerunt autem me pastores ovium, qui me apud se detinuerunt : eademque nocte ovile invaserunt feræ, quæ universum gregem disperserunt. Tenuerunt autem me domini ovium, objicientes, quod fures ego adduxissem, qui gregem ovium suarum invasissent dispersissentque : quare vinctum me tradiderunt Prætori. Ego autem insons sum, Domine, et illi injuste me calumniati sunt. Atque ille vultu subridens: Et ego, inquit, te culpa vacantem novi, quod ad hoc attinet, illamque mere calumniam esse. Scio tamen, quid paucis ante diebus egeris,

*ex Angelo intelligit se ob prius crimen id pati :*

D

quomodo lapidibus insecutus sis juvencam pauperis viri, eamque occideris. Intellige ergo non esse injustitiam apud Deum : sed judicia Domini abyssus multa. Et ut cognoscas viros quoque istos, qui tecum detinentur in carcere, extra culpam esse in eo super quo accusati sunt, et in vincula conjecti. Verum interroga illos, et intelliges illos non intempestive vinculis istis detineri : ut scias quod justus sit Dominus, et justitias dilexit. Et hoc referens, qui mihi apparuit adolescens, evanuit.

Psal 35. 7.

*concaptivorum alter falso homicidii,*

Psal 10. 8

4 Mane autem facto, vocatis ad me viris, qui mecum in carcere erant, dixi ad illos : Fratres, ob quam caussam inclusi estis carceribus istis? Respondit autem unus ex illis : Ego homicidii crimine implicor, verum hujus culpa vaco. Et alter, Detineor, inquit, caussa adulterii, et hujus quidem sum criminis expers. At ego ad ipsos plane : Verum quænam sunt a vobis gravia commissa peccata, ob quæ permissi estis a Providentia hisce criminibus et accusationibus implicari? Cui alter ille, qui ob homicidium detinebatur : Vere ego vobis peccatum meum enuntiabo. Ante paucos hos dies pertransibam pontem fluvii extra civitatem; alii autem duo viri post me veniebant, inter quos suborta est contentio, atque adeo ad manus ventum est, cumque alter in alterum invaluisset, dejecit illum ex ponte desuper in fluvium, et abiit. Cumque ego pertransirem, potuissem illi manum præbere, et extrahere eum ex fluvio, ne moreretur : at illo vociferante, et opem meam cum multis lacrymis implorante, ut illi manus porrigerem, ego nolui, sed illo relicto, abii. Ut autem multum diuque luctatus esset; nec aqua exire posset, sustulit illum unda fluvii, et periit, me adstante et inspectante. Istud meum est peccatum, et certo scio, quod illius caussa permisit me Deus calumniis premi, et in carcerem istum detrudi : non enim est injustitia apud Deum. 2 Par. 19 7.

*crimine copplus.*

E

*antea percunti noluerat succurrere*

5 Dixit vero et alter, qui accusabatur adulterii : Commemorabo et ego peccatum meum? Ante duos hos annos res contigit ejusmodi : Erant duo fratres milites, quibus magna obvenerat a parentibus hæreditas, quam cum nondum inter se divisissent, illorum soror vidua eam partem requirebat, quæ ad se pertineret. Fratres autem, cum nollent ei quidquam dare, caussam quærebant, qua illam possent de patrimonii possessione dejicere : ac proinde calumniis ambo sororem propriam obruere studebant, quod in fornicatione vixisset, asserentes se istius rei testes habere. At puella jurejurando affirmabat, se illius consciam non esse quod objiciebatur. Istis vero adseverantibus se rem eam probaturos; convenit inter illos in præsentia testium, si eam de fornicatione convicerint, protinus eam hæreditate ac patrimonio paternorum bonorum excludendam. Venerunt ergo ad me fratres ambo, rogantes ut me ante faciem sororis sisterem, eamque testimonio meo simul cum ipsis premerem atque convincerem de fornicatione revera per ipsam commissa, et quod illius conscius essem, ut possent exhæredem illam paternorum suorum bonorum et patrimonii facere, et Dabimus, inquiebant, tibi quinquaginta numismata. Ego autem accepta conditione, me ante faciem puellæ constitui, mihique vere de facto illius constare, quod scortata esset, asseveravi, licet verum non esset : et sic eam bonis paternis ejecimus, et exhæredem patrimonii sui declaravimus. Atque hoc meum est peccatum quod commisi. De adulterio autem, cujus nuper accusatus sum, et cur hoc in carcere detineor, non habeo culpam.

*alter adulterii falso accusatus,*

*antea in innocentem adulterii testis :*

F

6 Dixerunt autem ambo ad me : At tu, frater, quam ob caussam in istos conjectus es carceres? Atque ego ad illos : Ante duos hos menses miserunt me parentes mei ad suburbana extra civitatem, et quia ad vesperum inclinabat jam dies cum adhuc essem in via, detinebant me pastores ovium, urgentes

*his Ephræm crimen falso sibi impositum,*

ut

A ut manerem apud eos. Nocte vero illa lupi oves adorti, universum gregem dissiparunt. Domini autem, allegantes quod ego fures subornassem, qui raperent atque dispergerent oves gregis, me apprehensum, ac vinculis constrictum, tradiderunt Judici : atque hæc est caussa, cur isto carcere detinear. At viri ad me: Numquid aliquando delictum aliquod ipse commisisti, propter quod Divina providentia te permiserit in ejusmodi devenire periculum, et in istum detrudi carcerem? At quos ego : Ipsam rei veritatem vobis aperiam, dicamque quid egerim : Multum cum essem instabilis ac dissolutus per peccata mea, missus sum quodam die in suburbana nostra a parentibus meis: quo pergens, offendi quamdam juvencam prægnantem in pascuis silvæ, arreptisque lapidibus insequi eam cœpi per silvam, et tamdiu quidem eam lapidibus sum insectatum usque ad vesperam, quod illam in interiores recessus silvæ conjeci : erat autem partui proxima, quare cecidit ex cursu, et animam supplodendo pedibus efflavit. Erat autem juvenca pauperis cujusdam viri, quam ut jam vidi mortuam, reversus occurri in via pauperi illi, cujus erat juvenca, flenti, eamque quærenti. Atque ego interrogatus ab illo, numquid juvencam suam uterum gerentem alicubi vidissem; non solum non respondit, verum etiam
B contumeliis illum quam plurimis oneravi : et istud peccatum est quod commisi.

*et verum aliud narrat*

a *Aliter hæc narrat ipse Ephræm in sua Confessione infra*

b *De hac in animantibus pedum extensione et crepitu sub mortem, agit Vossius scholio* 3. c *Quomodo ergo in Testamento cap.* 1, *nu.* 3, *ait*, In tota vita mea nemini prorsus maledixi? *Post conversionem, inquit Vossius. Ipse quoque in Conversione fatetur se puerum* contumeliosum fuisse, percussorem, seditiosum *etc.*

## CAPUT II.

### *Sociis post quæstionem absolutis, Ephræm ampliatur.*

*torquentur socii*

Postridie autem Judice pro tribunali sedente, constituerunt coram illo *a* tripassalum, et quæcumque alia tormentorum genera : jussitque nos subjici quæstionibus. Ingressi sunt igitur carcerem apparitores, et nos ferreis *b* eculeis constrictos, et toto corpore alligatos obtulerunt Judici. Prætore autem mandante vinctos adduci, primum illum, qui homicidii accusatus fuerat, vestibus nudatum adduxerunt in medium conspectus omnium, catena ferrea ligatum. At Prætore interrogante illum, ut veritatem confiteretur, antequam tormentis subjiceretur, ac quomodo homicidium illud commisisset; constanter dixit se culpa vacare, et plane innocentem in eo cujus accusatus
C erat. Unde jussit illum tormentis subjici. Cum autem diutius in tortura fuisset, apparuissetque ejus innocentia, mandavit Prætor ipsum liberari. Deinde imperavit adduci secundum, qui delatus erat ob crimen adulterii; quem etiam vestibus exutum, mutato habitu produxerunt in medium. Quo facto ingens timor ac tremor invasit me, præsertim cum certum tenerem, quod et ego prorsus in medium producendus forem, sicut et ceteri. Unde demum plorabam atque tremebam, ac præ nimio timore animum dejiciebam. Adstantes vero populi atque apparitores, me trememebundum simul ac lacrymabundum conspicientes, irridebant, cum dicerent : Quid ploras puer? quando scelus admittebas, non metuebas; jam flere vis, quando nihil proficis? Noli timere. Jam jam et tu in medium proditurus es. Dum vero verba ista audirem, amplius liquefacta est in me anima mea.

*Ephræm flet ac trepidat*

*Illis dimissis, in carcerem reducitur*

8 Altero autem jam quæstionibus torto ac innoxio reperto, Prætor censuit eum absolvendum; me interim vinculis ferreis constricto, ejusque jussu in carceres detruso; ubi solus alios quadraginta peregi dies : et adducunt apparitores in eumdem carcerem tres alios viros vinctos, quos compedibus cum obstrinxissent, recesserunt. Egi autem cum viris illis in carcere dies alios triginta. Contigitque rursus
D assistere eum mihi secundum quietem, qui antea adhuc apparuerat, et dicebat ad me : Quid est Ephræm? Interrogasti viros illos, quos reperisti in carcere? Atque ego ad illum : Imo vero Domine, retulique ei cuncta, quæ a viris illis mihi dicta erant. Et ipse ad me : Cernis justum judicium Dei. Ut autem cognoscas, qui tres illi sint, qui tecum hodie inclusi sunt carceribus; duo ex illis sunt, qui falso sororem propriam fornicationis accusaverant, eamque sic paterna sua hæreditate spoliaverant, sicut et tibi recensuerunt. Alius vero est, qui hominem præcipitavit in flumen, ubi etiam interiit, uti ab eodem tibi relatum est : et hæc dicens, a me recessit.

AUCTORE ANONYMO, EX OPERIBUS S. EPHREM

*instruitur denuo ab Angelo*

9 Mane autem jam facto, vocatis ad me tribus illis viris, qui eodem mecum detinebantur carcere, rogavi eos, ut revera mihi caussam edicerent, ob quam in carcerem istum conjecti essent. Et duo fratres ad me : Crede Domine Frater, nos ob nostra detineri peccata; et alter quasi cædem fecerit, alter quasi adulterium commiserit, verum innocentes ambo sumus. Tertius autem; Et ego, inquit, caussa peccatorum meorum ob cædem patratam hic detineor. Atque ego ad illos : Verene homicidiorum rei estis, aut falso accusamini? Et illi ad me; Omnino, Domine
E Frater, ob nostra peccata : sed in eo reperimur innocentes, cujus accusati sumus. Ego vero cupiens certior fieri, num vera essent, quæ dixerat ille, qui in somnis apparuerat, dixi : Fratres, num alia quæpiam a vobis prius commissa erant crimina, ut justo judicio ad extremum in graves hasce accusationes incideritis? Duo autem fratres dixerunt : Crede frater, soror nobis unica est vidua, pia admodum ac Deum timens, quam cum paterna cuperemus hæreditate spoliare, falso adulterii criminis eam accusavimus : subornaveramus autem et falsum testem adversus sororem nostram, et sic ipsam hæreditate privavimus. Alius vero, Et ego, inquit, cum alio quodam flumen præteribam; et dum pontem transiremus, contentione inter nos oborta, e sublimi pontis eum præcipitavi in flumen, et periit. Ego autem cuncta ipsis, quæ mihi acciderant, enarrabam; et quæ de duobus viris in carcere repertis cognoveram, quorum alter quidem adversus sororem falso deposuerat; alter autem manum illi non præbuerat, quem in flumen præcipitaverat, ne moreretur, cum salvare eum potuisset ex aqua. Quæ viri illi audientes, magno timore correpti sunt, justumque Dei judicium suspexerunt, et collandarunt, dicentes : Unus est Deus, qui facit mirabilia solus. Ceterum flere cœpimus, magna cum anxietate finem expectantes. Psal 71. 18
F

*tres alii vetera sua crimina ei aperiunt.*

*et priore intellecto judicio, Deum laudant.*

a *Τριπάσσαλον (vocem haud alibi a nobis notatam) conjicit Vossius scholio 5 trifurcatam perticam, vel palum tricuspidem, aut simile aliquod tormenti genus, Syris proprium, fuisse.* Tripassalum

b *Multa de eculeo habet Baronius Notat. ad Martyrol.* 22 *Januarii, quibus hic locus vix congruit. At fortassis interpres* eculei *vocem non apte inseruit.*

## CAPUT III.

### *Aliis tribus damnatis, iterum ampliatur : tandem absolutus, fit monachus.*

*tortis sistuntur Judici*

Postridie ergo Judice pro tribunali publice coram populo sedente, omnibusque iterum tormentis ante eum constitutis, jussit nos in quæstionem adduci. Intrantibus autem tortoribus in carcerem, catenisque ferreis collo nostro impositis, traxerunt nos per medium civitatis, ut nos Judici sisterent. Tota autem civitas eo confluxit ad *a* spectaculi necessitatem. Unde Judex mandavit duos illos fratres nudatos adduci in medium . at lictores cum eos exuissent, et composuissent, in quæstionem adduxerunt; utrumque nostrum coram illis, qui jam torturæ subjiciebantur, statuentes. Ego vero ejusmodi cernens horrorem, flebam. Et ministri ad me : Crede puer, dicebant,

A dicebant, quamvis istud alia vice evaseris illæsus, modo non sic evadere poteris; sed tormenta ista, quæ vides, hodie experiri cogeris. Atque ego hæc audiens cernensque, animo vehementer consternatus sum, et expavi. Jussu autem Judicis, ad gyrum rotæ appensi fuerunt duo fratres : quibus per complures horas excruciatis, tandem etiam fraudem atque injuriam, quam propriæ sorori intulerant, confessi sunt, seque ambos adulterii ac homicidii reos esse. Judex autem sententiam adversus eos tulit, ut amputata manu eorum dextera, adhuc in furcam adigerentur. Atque ab his accepta sententia, mandavit Judex et alium quæstionibus subjici : quo nudo adducto, eum ad rotam appendi et torqueri jussit, eoque aliquamdiu sic appenso, acriterque extorto, etiam homicidium est confessus, quod recens patrarat, ac quomodo alium hominem in flumen præcipitasset, ubi periit. At Judex adversus eum sententiam pronuntiavit, ut ambabus amputatis illi manibus, poneretur in furca.

*AUCTORE ANONYMO, EX OPERIBUS S. EPHRÆMI. socii crimina, in quæstione fassi, et damnatu.*

11 Qui dum sententiam accepisset, dixit Judex : Exuentes juvenem, producite et eum in medium. Ministri autem detractis mihi vestibus, laceris me pannis induerunt, et sic me nudum ad Judicem adduxerunt. Ego autem amare flebam et Deum invocabam, B dicens : Domine omnipotens, salva me ex ista necessitate, ut digne fieri queam monachus, et tibi inserviam. Prætor autem mandavit ministris, ut me quatuor ex partibus distentum loris, bonum nervis cæderent. Unde Assessor Prætoris, ad ipsum : Domine, reservetur iste, si placet, in aliud judicium; quoniam et jam tempus est prandii. Prætor autem me ferreis constrictum vinculis reducendum curavit ad carceres, ubi solus egi alios viginti quinque dies.

*ipse torquendus, vovet se futurum monachum.*

12 Exhibuit autem se rursus tertio, qui mihi in somnis visus erat adolescens, et dixit mihi : Quid est, o Ephræm? certusne jam es, quod justo judicio Deus mundum gubernet, et injustitia apud ipsum non est? At ego ad ipsum : Imo Domine, certior sum factus, quod mirabilia sunt opera Domini, et investigabiles viæ ejus. Cœpi autem multis cum lacrymis obsecrare eum, dicens : Fecisti Domine magnam hanc justitiam cum servo tuo, et in visione tua consolatus es infirmitatem meam : miserere mei famuli tui, et educ me de carcere isto, ut merear fieri monachus, et inservire Domino Christo. Ipse autem vultu subridens, dixit mihi : Adhuc semel examini subjicieris, et dimitteris. At ego rursus ad ipsum : Domine pertimesco minas Judicis, ac plagas reformido. Ipseque iterum subridens vultu, ad me; Oportebat, inquit, te quidem modestum esse, neque detrudi C in istum carcerem : sed quando ob immodestiam tuam huc intrasti, quid possum tibi præstare? Veruntamen ne timeas, non multis subjicieris. Veniet alius Judex, qui te liberabit. Et hoc dicens, recessit.

*quæstio differtur :*

*ab Angelo intelligit, se liberandum*

13 Ego interim multum anxius hærebam, expectans quemnam tandem sortituræ finem essent res meæ. Post quinque itaque dies advenit alius Judex, qui erat familiariter versatus in domo meorum parentum? : alter vero, cum successorem accepisset, me solum vinctum reliquit in carcere. Peregit autem qui advenerat, Judex in civitate dies septem, et interrogavit custodiæ publicæ Præfectum, num vincti detinerentur in carcere? Illoque respondente, quemdam adolescentem certa de caussa vinctum detineri. Octavo die jussit comparari processum : eoque pro tribunali sedente, mandavit in quæstionem me produci. Apparitores autem in carcerem venientes, imposuerunt collo meo catenas ferreas, et publice me in judicium abripuerunt. Judice vero mandante, me denudarunt, et laceris pannis contexerunt. Sicque me in medium statuerunt, ac Judici præsentarunt. Videns autem me Judex, agnovit : veruntamen ex legum rigore ulterius inquisivit. Et jam cognoscens, D quod falso accusatus detinerer, jussit me dimitti. Tunc ministri solutis vinculis, quibus ligabar, redditisque vestimentis, atque iis indutum dimiserunt me. Ego autem præter expectationem salvatus, e vestigio ac sine ulla mora in montem ascendi, ad magnum venerandumque senem : ad cujus ego pedes procidens, enarratisque ei cunctis, quæ acciderant, assumpsit me in monachum. Porro ista vobis utilitatis ergo recensui, Fratres : ut et vos ejusmodi audientes, unanimiter mecum glorificetis Deum, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire. Ipsi honor et gloria, in secula seculorum, Amen.

*novo Judici sistitur :*

*cognita innocentia liberatur :*

*fit monachus.*

a Quærit Vossius Schol. 6 an tenerentur, pro more regionis, ejusmodi spectaculis interesse, ut propterea dicatur ἀνάγκη τῆς θεωρίας, sed hypallage est pro θεωρία τῆς ἀνάγκης, contemplatio tormentorum aut quæstionis : hæc enim ἀνάγκη dicitur, estque durissima necessitas.

## S. P. N. EPHRÆM SYRI
### CONFESSIO
### ET SUI IPSIUS REPREHENSIO,
### sive conversionis ejus occasio,
### *Interprete Gerardo Vossio tom. 3 Oper.*

Cum in multis, Fratres dilectissimi, prodesse vobis E videar, animæ quoque propriæ utiliter consulere debeo. Absurdum quippe est, fame illum confici, qui cibum aliis impertitur; turpeque est, siti perire me, qui reliquis potum subministro : quod sane fiet, nisi meam ipse conscientiam reprehendero : novi enim quantum mihi illud fecisse, in futuro profuturum sit judicio.

*Caussa scriptionis, proprius profectus.*

2 Nam quando adhuc in seculo versabar, inimicus oppugnavit me in juventute, qui mihi fere persuaserat, illa quæ in hac accidunt vita, fortuito casuque fieri : contigitque mihi, quod navi alicui gubernaculis destitutæ, gubernatore in prora consistente; quippe quæ vel retrocedit, vel non procedit, vel etiam evertitur, nisi aliqua vel per Angelum, vel per hominem visitatione vel providentia sublevetur. Quod ipsum et in me accidit, qui procellarum errore agitabar, nec pericula imminentia præsentiebam : quando Divina benignitas me, in *a* interioris Mesopotamiæ regione peragrantem, fecit in pastorem quemdam ovium incidere : qui cum ex me, quonam tenderem, percontaretur; egoque, quo me pedes ferrent, responderem; ad me ille : Si me, inquit, audieris, adolescens, huc ad nos diverte, quoniam ad vesperum inclinat jam dies. Quibus ego permotus verbis, remansi apud eum. F Media autem nocte lupi gregem adorti, oves dissiparunt : cum interim pastor gravi somno propter ebrietatem correptus jaceret. At domini supervenientes, me quoque tanquam reum in judicium abripuerunt. Constitutus autem ante judicium, me defendebam, et rem, uti acciderat, enarrabam. Interea vero post me adductus est quidam in adulterio (ut aiebant) deprehensus; sed mulier profugerat. Judex autem re dilata utrumque nostrum in eumdem detrudi jussit carcerem : in quo agricolam quemdam propter homicidium detentum reperimus : sed neque qui mecum ducebatur, adulter erat, neque hic agricola, homicida : sicut neque ego ovium fur atque abactor fueram : cadaver autem propter agricolam, et pastor propter me, et maritus propter adulterum in alia servabantur domo atque custodia.

*Ephræm adolescens male sentit de Divina providentia*

*a*

*falso crimine conjicitur in carcerem, ubi et alii duo :*

3 Peractis igitur *b* septem illic diebus, aspexi octava die quemdam secundum quietem, sic me compellantem : Pietatem cole, et Divinam providentiam intelliges. Expende tecum, quæ cogitaveris, ac feceris; et ex te ipso cognosces, nihil vos injuste pati : sed neque ipsi scelerum auctores impune evadent. Somno igitur solutus, quæ in visione aspexeram memoria

*b*

*ex Angelo discit, errorem illum suum plecti.*

A moria mecum repetebam: pervestigatoque lapsu et errore meo, comperi me in agro regionis illius, ubi captus fueram, pauperis cujusdam peregrini juvencam quadam malitia concitatum, media nocte e suo loco atque cubili exegisse: quam frigore languentem, atque uterum gerentem, bellua illuc adventans dilaceravit. Cum igitur somnium meum, ejusque caussam, iis qui mecum erant recensuissem; ipsi quoque permoti atque admoniti, narrare cœperunt quæ sibi acciderant: et agricola quidem ante alios incipiens, Ego, inquit, dum quemdam in flumine suffocari conspicerem, cui auxilio esse poteram, manus auxiliatrices præbere neglexi. Civis autem mulierem, quæ per calumniam accusabatur, testimonio suo falso insimulavit. Vidua enim, inquit, hæc erat, et fratres ejus hoc illi crimen inferentes, paterna eam hæreditate spoliarunt: et mihi mercedem, de qua convenerat, persolverunt.

*et antiquum aliud crimen:*

*idem de se concaptivi fatentur:*

4 Quibus ego dictis atque relationibus, cœpi compungi atque resipiscere: et nos merito pœnas luere, intelligere. Quod si solus fuissem, censuissem fortasse id casu fortuitoque accidisse; at tres eramus pariter detenti. Accedebat et quartus quidam injustus, qui nec genere cum illis qui injuria affecti fuerant, conjunctus erat; neque conscius quidem eorum extiterat: B cum nec mihi, nec sociis, quibus speciem ac formam ejus descripseram, antea unquam visus esset. Rursus autem somno captus, eumdem aspicio sic dicentem: Cras conspicietis et illos, e qui a vobis injuria affecti sunt; et calumniæ falsæque accusationis vestræ remunerationem. Experrectus, cogitabundus hærebam. Socii vero ad me: Quid, inquiunt, ita tristis es? Quibus ego caussam quidem exponebam, sed exitum rei metuebam, et jam illas de casu et fortuna cogitationes oblivioni tradideram. Illi autem magna mecum sollicitudine angebantur.

*judicii crastini eventum in somnis edocetur.*

5 Transacta igitur nocte illa, sistimur Judici, et subito adducuntur quinque vincti coram eo. Itaque qui mecum erant, multis excepti verberibus, iterum in custodiam retrusi sunt; me illic relicto. Deinde duo inprimis in judicium adducti sunt, atque isti, fratres illius erant viduæ, quæ per calumniam ab iis paterna hæreditate fuerat spoliata; unus autem eorum in homicidio, alter in adulterio deprehensus erat. Quæ dum ipsi crimina confessi essent, per tormenta coacti sunt et alia, quæ patrarant, scelera confiteri. Homicida ergo confessus est, se quodam tempore dum negotiaretur in civitate, cum muliere quadam consuetudinem habuisse; (hæc vero illa erat, cujus caussa unus ex illis, qui mecum detinebantur, in custodia servabatur) interrogatusque, quo pacto effugisset; C Accidit, inquit, ut, dum observaremur, vicinus quidam adulteræ, alia ad eam accederet via, quasi aliquid ab ipsa utendum postulaturus: quod cum dedisset illa, me jam per fenestram demisso, rogavit illum, ut se quoque per eamdem fenestram demitteret, prætexens fœneratores ad se capiendam adventare: quod cum ille jam niteretur facere, mox a marito ejusce mulieris comprehensus est, nobis interea aufugientibus. Ad hæc autem Judex, Ubi, inquit, est mulier? ille autem cum locum indicasset, jussus est ad mulieris usque adventum custodiri. Alter vero præter adulterium, cujus damnatus fuerat, etiam se hominem interfecisse confessus est, illum scilicet, quem agricola, qui mecum detinebatur, occidisse accusabatur. Aiebat autem maritum mortuum illius esse fœminæ, quæ ipsius amore capta fuerat. Nam cum, inquit, pomeridiano tempore agrum suum inviseret, fictæ salutationis prætextu propius accedens, confestim illum occidi, et aufugi. Affines autem cum ad clamorem occisi essent egressi, nullum invenerunt aut viderunt, præter hominem quemdam agrestem, quem magno labore fessum, somnoque correptum,

*homicida adulterium, uni e prioribus falso imputatum, in quæstione fatente,*

*adultero eædem, cujus alius accusabatur,*

tamquam homicidam comprehenderunt, et in vincula D conjecerunt. Quæ d cum ille retulisset, locumque pariter ac nomen mulieris indicasset, mox in carcerem abductus est.

*I. SOMET AUCTORE. d*

6 Adducti autem sunt et tres reliqui, quorum unus quod segetes combussisset accusabatur: alii vero duo, quod conscii et socii cædis fuissent: sed paucis excepti verberibus, quia nihil confitebantur, in carcerem perducti sunt: audierat enim Judex suum adventare successorem: et ego nulla de me facta quæstione, cum ipsis recessi. Eramus igitur in eadem, omnes custodia detenti. Judex vero, qui adveniebat et succedebat, e nostra erat patria: sed multo ego tempore, quis et unde esset, ignorabam. Interea autem dum plusculum nobis temporis atque opportunitatis interquiescendi tribueretur, amicitiam contraximus. Cumque priores jam facti alacriores essent, ei reliquis quæ acciderant recensuissent; in me omnes, tamquam in hominem pium atque religiosum, intendebant. Fratres autem viduæ illius, cognito homine qui contra eam patrocinatus erat, admirati sunt. Cuncti vero rogabant me, ut si qua ratione possem, aliquid fausti ac boni adnuntiarem ipsis. Ceterum multis diebus commoratus ibi, non amplius eum, qui in somnis mihi apparuerat, vidi. Quem in fine tamen dierum iterum conspexi, me sic compellantem: Ecce hi tres aliorum etiam scelerum rei, nunc justas pœnas luent. Quod ipsis cum dixissem, confessi sunt duo ex eis se flagitii cujusdam furis conscios fuisse: qui cum quemdam interfecisset propter E vineam adjacentem suæ possessioni, ei nos testimonium dedimus, hanc ipsius fuisse vineam, eumque non ab illo necatum, sed e rupe præcipitem corruisse mortuum. Alius autem tertius retulit, se ira concitatum, e tecto quemdam præter voluntatem deturbasse, quo ex casu ille interiisset.

*in carcerem reducitur, cum iis, et tribus aliis:*

*hos falso crimine captos,*

*ex Angelo intelligit veri pœnas daturos,*

*quod ipsi fatentur*

7 Postea rursus conspexi in somnis hæc mihi referentem: Tu cras liberaberis, reliqui autem justum subituri sunt judicium: fidelis igitur esto, et Divinam providentiam enarrato. Altera ergo die Judex pro tribunali sedens, quæstionem de omnibus nobis habuit, et exploratis quæ jam acta fuerant, ac fœminis, quæ paratæ aderant, interrogatis, æquisque testibus adhibitis; Judex innocentes absolvit, agricolam, inquam, et eum qui falso adulterii accusatus fuerat: fœminas autem torturæ subjecit, ut constaret an aliis etiam facinoribus reperirentur obnoxiæ: comperit igitur unam earum, odio illius qui suum adulterum prodiderat incitatam, bona ipsius incendisse: ex quo quidem incendio, agrique depopulatione, cum quidam propius fugeret, tamquam illius auctor comprehensus est: et hic nobiscum erat; quem etiam Judex quæstione habita, quia innoxium reperit, absolvit atque F dimisit. Altera vero adultera, cum in eodem esset vico, ubi duo illi comprehensi fuerant, qui in homicidio perpetrando dicebantur extitisse socii, rem omnem uti contigerat aperte confessa est: Qui necatus est, inquit, cum domi meæ ab altero viduæ illius fratre (qui meus erat amator) mecum scortari deprehensus esset, occisus ab illo est, et in bivium projectus: concursuque hominum facto, cum duo viri quemdam persequerentur, a quo sibi hœdus surreptus erat; eos alii conspicati, arbitrantesque ideo fugere, quod cædem patrassent, comprehenderunt, ac carceri tradiderunt. Judex vero cum diligenter et nomen eorum, et genus et quinam ac quales essent, explorasset, et rem omnem apertius cognovisset, illos innoxios liberavit. Erant autem hi quinque, agricola nimirum, et qui falso adulterii fuerat accusatus, et tres postremi. Porro duos fratres, et scelestas illas cum ipsis mulierculas, a feris dilaniari jussit.

*intelligit se postridie liberandum.*

*Compertis auctoribus criminum, quæ innocentibus imponebantur,*

*ii absoluti,*

*celeri bestiis objecti.*

8 Tunc vero et me Judex in medium adducendum curabat, qui licet benevolentia conjunctus mihi esset, scire tamen ex me ordine voluit, quo pacto res illa

ovium

A ovium successisset : cui dum ego id, quod vere gestum erat, retulissem, meque ex voce et nomine ille cognovisset (familiaritas enim ipsi cum meis intercesserat parentibus) quæstione de pastore habita, eoque flagris excepto, ac veritate comperta, post dies plus minus septuaginta, ab accusatione et crimine objecto me absolvit et liberavit. Nocte deinde sequenti in somnis conspexi virum mihi dicentem : Revertere ad locum tuum, et de iniquitate tua age pœnitentiam, certoque scias unum esse oculum cuncta perlustrantem : et graviter ille mihi comminatus recessit, quem ad hunc usque diem non amplius vidi. Anxius igitur, et multis lacrymis perfusus, inde abii, ignorans utrum Deo satisfecerim. Quapropter omnium me precibus adjuvari deposco : nam vulnus mihi gravissimum accidit atque incurabile. Visionibus ego non efferor sed impiis cogitationibus meis divexor et angor. Apparuit et Pharaoni Angelus futura prænuntians : sed mentem atque sententiam ejus, prophetia non mutavit. Dicit et Christus illis, qui nomine suo prophetaverant : Non novi vos, operarii iniquitatis. Scio me vera vidisse, et re ipsa expertus sum : sed excruciat me supra modum ingens mea in Deum injuria; nam qui dicit omnia casu fortuitoque fieri, is divinitatem e medio tollit. Istud cogitavi, non inficior : resipui; sed an Deum B mihi placaverim, nescio. De ipso prædicavi : sed utrum verba mea ipsi grata fuerint atque accepta, me latet. De providentia scripsi : sed an Deo placuerint mea scripta, ignoro. *Ac multis interjectis.*

*Insontem auctorem ipse quoque Ephræm absolvitur : ab Angelo jussus, pœnitentiam agit : aliorum preces implorat.* *Luc. 13, 27.*

9 Undique igitur, Fratres, angustiis premor, et ad meam ipsius conscientiam, evertor. Si inepte rursus egero, væ mihi : si impudentem atque arrogantem me gessero, ne caligine me opprimat vereor. Scimet Nabuchodonosor post actam pœnitentiam susceptum esse : sed eum defendit atque excusavit tum ignoratio, tum potentia : utraque autem hac ego excusatione careo. Eram jam gratiæ particeps factus : eram de Christo a patribus institutus : qui me secundum carnem genuerant, timorem Domini tradiderunt mihi : conspexeram vicinos pietatis studiosos : audieram multos varia pro Christo perpessos : parentes mei in judicio Christum professi fuerant : Martyribus sanguine sum conjunctus. Non habeo defensionem ullam, quæ mihi patrocinari possit. Si commune carnis genus dixero, nihil iis quos B. Job commemoravit, præstabo. Majores mei peregrini erant, arte et manu victum quærentes, et ex collationibus victitantes : avi mei secundis rebus utentes, in vita agricolæ erant : et parentes mei, cum in his versarentur humili condi- C tione erant ac genere. Qua igitur jactantia me Nabuchodonosor esse similem putabo? quave rerum copia atque magnificentia? numquid vires giganteas habeo? numquid naturam pulchritudine gaudentem? nollem hic commemorare, quæ in pueritia gesserim, ut ne me abominandum vobis proponam. Quoniam cum adhuc juvenis essem, me Christianum professus sum : veruntamen paucis illis annis contumeliosus fui, et percussor, atque seditiosus, et cum vicinis contentiosus, ac invidus, in advenas et peregrinos inhumanus, in amicos durus, in pauperes acerbus, ob res viles ac leves occurrentes pugnax, et immodestus, improbis quoque cogitationibus vacans, atque lasciviis, etiam præter tempus *e* incitamenti. At de his omnibus scio me veniam consecutum esse in *f* tribunali : sed non ita de iis, quæ postea gessi, quæque post veritatis cognitionem admisi. Ideo auxilio vestro, o amici, valde indigeo.

*Ejus parentes confessores, cognati Martyres : majores quales? peccata ejus.*

a *Ego non hæc Edessæ, ejusve pomœrio gesta, cum ea ad ipsum fere occiduum limitem Mesopotamiæ jaceat, Cappadociam verso.*

b Alias 40, *inquit Vossius, juxta nimirum præcedentem Conversionis ejus historiam.* c *Videtur potius legendum,* propter quos injuria affecti estis. *Ita mox columnæ vestræ, id est, quæ vobis erroganur.* d *Notat Vossius, ita alibi legi* : Quis vero locum indicavit? mulier, inquit. At ille : Ubi locus? Ipsa vero et nomen et locum ostendit, in alia regione non procul ab altera. e *Græce est τὰ κινήματα* commotionis *naturam ante competentem ætatem.*

f *Legit Vossius, ut hic notat,* ἐπὶ βήματος. *Sed quod illud tribunal, in quo se veniam consecutum certo scire potuerit? Confessionis? Numquid et cetera per eam expiare potuit, et parem de utrisque certitudinem consequi? Minime nobis dubium videtur, quin Græce scriptum fuerit ἐπὶ βήματος, contracte pro βαπτίσματος, quod aliquanto provectior fortassis suscepit. Ideo sollicitus est præcipue de iis peccatis,* quæ post veritatis cognitionem admisit. F

# EJUSDEM S. P. EPHRÆM
## TESTAMENTUM
### INTERPRETE GERARDO VOSSIO,
### *cum MS. Græco collatum.*
### CAPUT I.
### *Timor judicii, mansuetudo, recta fides.*

Ego Ephræm morior. Notum igitur cunctis sit, o viri Edesseni. Testamentum quippe vobis relinquo, *a* symbolum monumenti doctrinæ veritatis, ex illa, quæ mihi concessa fuit, gratia et dono : ut in sanctarum orationum commemorationibus mei memoriam faciatis, ac vos præsertim qui scitis et cognoscitis me. Hei mihi! quoniam laquei mortis prævenerunt me. Hei mihi! quoniam dies vitæ meæ defecerunt me, et vestimentum corporis detritum est, ac tela perfecta jam est et omnino sublata. Defecit oleum terrestris lucernæ : et qui demersuri sunt scapham, modo appropinquarunt. Nam mercenarius cum essem, meos implevi annos : et incola super terram, cum jam tempus meum perfecerim, hinc abeo ac migro. Utrimque circumdederunt me lictores atque satellites, severi exactores; ad subjiciendum cervices meas, tanquam hominis malefactoris, gravissimo supplicio. Quid igitur? ploremne? At non est, qui attendat, clamemne? at ubi est, qui me exaudiat? Hei mihi! ab increpatione judicii expectatio mihi gravis. Nam quando adstitero ante horrendum Domini tribunal, et ibi dijudicabunt me utrimque circumdantes, qui noverunt me; valde confundi incipiam; cum et revera horribilis ibi futura sit confusio, et væ tunc ibi confuso. Domine Jesu Christe, ne intres in judicium cum servo tuo, et ne des alteri judicium meum : sed ante gloriosum tuum tribunal fac ut digne astare possim. Nam quem Dominus judicat, misericordiam promeretur : cum et hoc, inquam, a sapientibus atque intelligentibus, sanctisque Apostolis audierim; quod scilicet quicumque Regem conspexerit, quamvis etiam peccator fuerit, talis venia dignus censebitur, et non morietur. Væ autem mihi, Fratres, ab eo quod constrinxit et coarctavit me. Plorate et ululate super contritione mea : appropinquarunt enim jam custodiis atque exculcis, qui ex spelunca me ejiciant, et F in regione quæ homines a mortali hoc seculo ad se recipit, constituant. Osee Propheta vehementer me sonora sua voce terret, dum objurgans inclamat, et dicit mihi : *b* Canicies effloruit Ephræm, et ipse non est reversus. Ac rursus : *c* Ephræm vitula furore agitata, docta diligere contentionem. Et iterum : Ephræm tanquam avis avolavit. Quod si quis de Ephræm, qui fuit filius Joseph, dicat Prophetam ista dicere, at certe ita ego sentio, quod, quando eo modo lamentabatur Propheta, non distinxit alterum Ephræm ab altero. Quin et David denuo vicissim me admonet, dicens : Ephræm fortitudo capitis mei. Et iterum : *d* Coram Ephræm, Benjamin, et Manasse. At non arrogantia aliqua elatus ista dico, neque ea ad me accedet : etenim testis mearum cogitationum atque verborum est Dominus. Et nunc volo, Fratres mei, commonefacere et adhortari vos, firmiterque constabilire, ut post meum exitum ac transitum assidue memoriam mei *e* in vestris precibus faciatis. Accedentes autem nunc claudite mihi oculos; et manus vestras super eos imponite. Defecit enim in me spiritus, jam me deficiente : et

*S. Ephræm moriturus horret Divinum judicium.* E *Osee 7, 9 et 10, 11.* *b* *c* *et 9, 11.* *Psal. 59, 9 et 79, 3.* *d* *Orat pro se orari.* *e*

A et ea quæ ad me pertinent, modo finem habent, et verus terminus advenit. Vestram enim vitam in me ponatis licet, et meam in vobis; ex hoc lectulo, quo detentus sum, non amplius descendam: nam omni ex parte langueo atque dissolvor, et ferre nequeo; doloresque me graves conficiunt. Memoriam porro vobis omnibus relinquam, ac speculum immaculatum; ut impigre semper in illud inspicientes, omneque studium adhibentes, perpetuo eam imitari atque exprimere vestris moribus diligenter conemini.

*f cum nullo Catholico unquam contendit.*

2 In tota vita mea *f* nemini prorsus maledixi, et cum nullo fideli unquam contendi. Siquidem cum apostatis omnibus, docens, eosque objurgans ac admonens, cunctis diebus meis non obtorpui in Sanctorum sententiis atque consiliis. Nostis enim et ipsi, Fratres, quod si quis paterfamilias canem habeat, qui ovile ac gregem ovium negligat; vel lupum adspiciat in ovium septa irruentem, pecoraque disperdentem, ac minime adlatret, aut ipsum etiam insequatur; omnino hunc tamquam inutilem cædit, et procul a domo sua repellit. Seitis igitur fratres, virum sapientem odio neminem persequi : si quem tamen oderit, insipientem odit. Insipiens vero neminem diligit; et si quem dilexerit, sui similem diligit. Ceterum vos, Fratres, nolite mirari super aliquibus, qui obedientiæ disciplinam complexi, a me recesserunt : nam et inter duodecim Apostolos unus erat proditor Judas Iscariotes. Nostis vero, quod etiam in vinea rubus præter imperium *g* germinare consuevit; et inter rosas spinæ quoque nascuntur, ac decerpuntur.

*semper acer in hæreticos.*

B

*g propterea et suis inculcat fidem Catholicam, quam semper tenuit.*

3 Firmamentum porro fidei in vobis corrobari optarem, tamquam in veris ac legitimis, concordibusque fratribus meis; certiores vos per jusjurandum de immutabili ac firma fide mea reddens. Cupio enim vos optime in sententia confirmari de incomprehensibili et unica principe fidelium fide. Juroque vobis per eum, qui in natura ignis in montem Sina descendit; et per eum, qui in aquæ effusione de petra durissima locutus est; et per os illud, quod ad exemplum nostrum dixit in Cruce : Eloi, Eloi, lamma Sabacthani? et omnes finium terræ renes tremore correpti ac coarctati sunt; et per illum, qui a proditore Juda in Judæa venditus fuit, et flagellatus, ac passus in medio Hierusalem; et per majestatem ejus qui ab impiis se conspurari æquo animo tulit; et per potentiam ejus, qui manu hominis impii ac scelerati alapis se cædi permisit; et per ignem illum trinonymum sanctissimæ gloriæ; et per infinitam illam ac solam unamque Dei potentiam; et per tres intelli-
C gibilis ignis subsistentias, quæ sunt altitudo, et voluntas una, et unum atque idem; in nulla unquam re ab universali fide, neque a Catholica et Apostolica Dei Ecclesia separatus fui, neque unquam de Dei potentia dubitavi. Si porro in mente mea Deum Patrem amplius quam ipsius Filium magnificaverim, ne conservetur in me miseratio pietatis. Et si ex Deo Spiritum sanctum imminui, longe ab ejus aspectu tenebrosus reddar. Et nisi, quemadmodum confiteor a principio, ita et nunc dico atque profiteor, in tenebras exteriores semperque caliginosas mittar. Et si ficte ac simulate hæc loquor, in igne gehennæ mea portio cum impiis computetur. Sin vero et assentatorie ista occulte subsemino: non mei in judicio misereatur Dominus.

a *Notat Vossius, aliter hæc efferri posse, ex aliis forlasse MSS. Græcis* Symbola monumenti documenta, ex illa quæ mihi dono concessa fuit gratia. b *Vulgata editio habet* Sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit LXX *habent*. καὶ πολιὰ ἐξήνθησεν αὐτῷ, καὶ αὐτὸς οὐκ ἔγνω Et canities ut effloruit ei, et ipse non cognovit. c LXX Ἐφραὶμ δάμαλις δεδιδαγμένη ἀγαπᾷν νεῖκος. Ephraim vitula docta diligere contentionem. *Vulgata*, triturare. d *Deest hoc in MS. Græco*. e *Congerit Vossius scholio 3. plura testimonia Patrum antiquorum, quibus refellantur hæretici asserentes non esse orandum pro mortuis. Ceterum notat aliter verba hæc efferri posse* . horum memoriam faciatis, et mei assidue in vestris orationibus recordemini. *Græcum nostrum MS. habet* : ἵνα κατὰ τὴν ἔξοδόν μου μνείαν μου ποιῆσθε συνήθως ἐν ταῖς δεήσεσιν ὑμῶν.

f *Post conversionem nimirum, ut supra diximus.*

g *Græce* : παρὰ τὴν ἀρχὴν, *quasi* injussa.

D

*Ipso auctore, ex MS. Græco.*

## CAPUT II.

### *Paupertas, humilitas in sepultura et exequiis.*

*verus amator paupertatis,*

Per vestram autem vitam, qui vere mecum perseverastis, discipuli, et per veram ipsius vitam immutabilem Filii Dei; marsupium Ephræm nunquam habuit : non baculus ei fuit, non pera, neque argentum vel aurum, aut aliam aliquam possessionem super terram aliquando acquisivi, vel possedi. Bonum siquidem magistrum in sacris Evangeliis dicentem ad suos discipulos audivi : Nihil super terram possideatis. Neque enim inordinato affectu aliquid ejusmodi unquam habui. Accedentes igitur, Fratres mei, pacem in fine præbete mihi, et dimittite me : quoniam deficiens abeo, atque e vita recedo. Reminiscamini autem mei vilis et abjecti, in sanctis vestris precibus, cunctisque deprecationibus : nam in vanitate et peccatis vitam meam complevit atque transegi.

*Matt. 10. 9.*

*valedicit suis, deinde ut pro se orent, rogat*

5 Cum timore autem ac reverentia adjuro vos, o viri sancti, et incolæ civitatis Edessæ, et per immutabilem immortalis Dei fidem; ne obliviscamini præ-
E ceptorum et exhortationum atque consiliorum parvitatis meæ : neque respuatis, tamquam parvi facientes ac contemnentes, verba mea; nam ex Divina hæc profecta ac dicta sunt gratia : et ne sinatis me *a* in domo Dei poni, aut sub altari. Si quis vero fallacibus rationibus ausus fuerit sub altari me collocare; supernum ac cœleste altare talis nunquam videat : non enim decet vermem putredine scatentem, in templo et sanctuario Domini reponi. Sed neque alio in loco templi Dei permittatis me poni : non enim dignus censendus est templo gloriæ regni cœlorum, qui contumaciter ac pervicaciter istud egerit, et in templo Domini me deposuerit. Neque enim homini peccatori atque indigno prodest vana gloria, et cui præsertim ea non congruit. Nudi quippe cuncti mortales nati sumus; et similiter resurgentes, nudi quoque apparebimus : omnesque ante Christi tribunal astantes, rationem ibi cunctorum, quæ in vita gessimus, reddemus. Quorsum igitur honore me afficitis, qui meipsum actionum appellatione non honoravi? Nam qui seipsum bonis operibus, probatisque actionibus non honoraverit, quælibet hominum vita tali adhibita existimationi, quam re ipsa non est consecutus, nihil prodesse ipsi poterit. Omne vero corpus
F sub cœlo creatum, etiam esse corruptibile, Fratres, secundum illud quod scriptum habetur, a Deo audistis. Propterea et ilens dico, Fratres, quoniam sicut audivi, et vos cognovistis, dissolvitur et corrumpitur hoc templum manufactum; et suscitatur templum spiritale, non corporale ac transitorium, quod secundum desideria carnis corrumpitur : sed ipsum corporale, spiritale atque incorruptibile suscitatur, ut amplius ad corruptionem non revertatur : quando nimirum tuba illa Christi resonans, a somno excitabit cunctos a seculo dormientes. Non enim propter lapidea templa judicium erit, neque lapides Deus judicabit; sed templa, quæ sunt in corpore, quæque naturam humanam in templis jam dictis continent. Unumquemque autem dico hominem, secundum proprias actiones, judicabit Deus; et secundum cujusque certamen atque laborem, etiam præmium pro meritis reddet.

*jubet se non sub altari, nec in templo sepeliri.* a

*accedentes suas ut reliquias servari.*

6 Attendite, Fratres mei carissimi, et viscera desiderata, ne pannos meos, velut Reliquias, monumenti gratia tollatis. Nam memoriæ præceptum Salvatoris nostri Dei habetis, quod ab ipsomet acceptum didicistis, ut ejus reditum exspectetis. Cur enim præter cetera, laborem et onus grave atque intolerandum mihi imponitis; ne quando in inquisitionis judicium

A judicium veniam, (non enim sum melior hominibus a seculo sanctis) et pœnæ atque supplicio propter vos subjiciar? reprehendensque meam dementiam Dominus, ad me dicat : O Ephræm, plus in te, quam in me, homines crediderunt : nam si a te monumenta sibi sumere velint, fortasse in mandatorum observationes, quas ipsis tradidi, non crediderunt : et ideo tua magis, quam mea memoria delectantur. Præterea vos adhortor obtestorque, o viscera mea desiderata, si quidem Christi doctrinam retinetis; ne me cum Sanctis ponatis; nam peccator ego sum, et minimus; et propter insipientiam ac stultitiam meam ipsis appropinquare metuo. Si enim lignum sarmentitium atque aridum admoveatur igni, totum combustum ab ipso consumetur. Non autem ista dico, quod societatem et conjunctionem illorum respuam; sed infinitam atque immensam peccatorum meorum multitudinem inspiciens, exhorresco, et contremisco. Prophetam enim dicentem audio, quod quidem Noe et Job et Daniel si steterint, nequaquam liberabunt filios suos ac filias. Et rursus : Frater fratrem non redimit, numquid liberabit homo hominem? Sic quoque Giesi, non liberabitur a sua lepra.

*ipso auctore, ex ms. græco.* — *aut secum SS. locari.* — Ezech. 14. 14. Psal. 48. 8.

7 Ne quis ex vobis solenni pompa ad ostentationem me circumferat : sed humeris tollentes me, et B cursim comitantes, funusque curantes, sepelite me tanquam opprobrium despectum atque abjectum : quoniam in doloribus dies vitæ meæ præterierunt. Ne quis etiam vestrum, Fratres, præconiis me celebret ac laudet : vilis enim et abjectus sum coram Deo, meisque operibus plane confusus, et valde contremisco, qui coram Domino sum instar illorum, qui præ pudore loqui non audent. Quis enim vestrum ostendet debita mea, nisi cuncti meam imperitiam stultitiamque conspuatis? Et quæ communicatio vitii cum virtute? aut quid peccatori, ut appropinquet justo? Quæ autem communicatio luci ad tenebras? Nam si actionum mearum odorem senseritis, omnes profecto fugam capietis, neque inhumatum relinquetis, non ferentes fœtorem peccatorum meorum. Qui vero me vestimento splendido amictum deposuerit, in tenebras exteriores projicietur. Si quis autem myrrha me condierit, hujus pars in ardentem fornacem et in gehennæ ignem erit. Verum in mea me tunica et pallio deponite, quibus quotidie utebar atque induebar. Siquidem peccatori *b* vermibus et putredine pleno, cultus minime convenit : sed neque lætitia afficit, neque exornat peccatores, qui sunt super terram, viventium gloria. Peccator enim ego sum, sicut dixi. Ne quis ergo beatum me prædicet : nam Deo meo C cunctæ actiones meæ notæ sunt, omnesque nequitiæ ac pravitates, quas in insipientia mea gessi. Etenim inquinatus sum ob iniquitates meas, et abjectus sum propter scelera mea. Quæ enim a me non est admissa iniquitas? aut quod in me non residet peccatum? quoniam cunctæ iniquitates et peccata assidue in meo mortali regnarunt corpore.

*ore splendide efferri.* — *ornari, condiri, sed tunica sua et pallio involvi.* — *b* — *nec laudari.*

*a* Multa hic sibi post mortem exhiberi officia vetat vir sanctus, ex humilitate, non quod ea damnet : imo vel hinc discimus, ea tunc usurpata a Christianis fuisse, ac saltem sanctis hominibus impendi solita, cum quibus se nu. 6, poni vetat.

*b* Ita restituimus ex Græco, οὐ γὰρ ἁρμόζει [illegible]. Habebat Vossius : Siquidem peccatori et vermi putredine pleno cultus minime convenit.

## CAPUT III.

### *Pauperum cura. Edessæ benedictio. Sepulturæ modus denuo præscriptus.*

D Ceterum quicumque patrum, et filiorum, ac fratrum, discipulorumque officio fungimini, *a* viri qui inhabitatis Edessam, ferte fructus justitiæ vestræ, quicumque mecum quodlibet pro indelebili vestra memoria statuistis ponere; ut ego ipse pretio his constituto, ac pretioso ex iis vase aliquo comparato, dignos opifices fructuosi vestri propositi conducam; dico autem pauperes et orphanos et viduas et egenos et peregrinos et nudos et famelicos, et cunctos labore ærumnaque confectos : ut vestrum salutis monumentum reddatur perfectum in regione viventium. Vobis enim continget in salutem, et mihi voluntaria merces computabitur propter consilium. Alia quippe est merces, quæ operibus, et alia, quæ verbis tribuitur. Major autem est, Fratres, qui dat, quam qui accipit; sicut et ab ipso Domino per Spiritum sanctum audistis. Quemadmodum igitur quilibet vestrum pro suæ voluntatis instituto voluerit, ita et expleatis. Recepi honorum gratiam, Fratres, et abundo. Adjuro porro vos, per Dominum nostrum Jesum Christum, carissimi, ut cuncta pauperibus distribuantur : satis enim superque mihi vestra est caritas; quoniam omnibus viribus ac modis me honorastis : et quamvis ego indignus sim, attamen qui E honoratus est Deus, ipse superabundantem vobis mercedem retribuat. Et sicut sapientem Præceptorem dicentem audistis : Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Ipse enim Christus munus vestrum perfectum accipiet : quoniam in spe, propter nomen ipsius, me ejusmodi honore affecistis.

*a mandat dari pauperibus, quæ in funus suum ac monumentum expendere statuerant :* — Act. 20. 35. — Matth. 10. 41.

9 Suscipiatur igitur munus vestrum, quemadmodum illud justi Noe, et illud antiqui Patris nostri Abraham susceptum est. Et benedicta vestra sit civitas, in qua habitatis. Ipsa enim sapientum est civitas et mater Edessa : quæ quidem etiam palam atque manifeste ex ore Christi Domini benedicta est per suos discipulos, nostros vero Apostolos. Nam quando Rex *b* Abagarus, *c* qui hanc civitatem exstruxit, rogabat, ut sibi liceret excipere eum, qui peregrinus in terris apparuerat, Salvatorem, inquam, universorum et Dominum Christum, dicebat : Omnia audivi, quæ a te facta sunt, et quæcumque a reprobis et aspernantibus te Judæis passus es. Veni igitur huc, et nobiscum habita : habeo enim mihi civitatem hanc exiguam, quæ tibi et mihi sufficiet. Cujus etiam F fidem admiratus Dominus, *d* mittens eo per nuntios, perpetuo civitati illi benedixit, firmans ipsius fundamenta : benedictioque illa inhabitans, *e* in ea permanebit, donec Sanctus e cœlo apparebit Jesus Christus filius Dei, et Deus ex Deo. Nemo igitur vestrum a proposito deficiens, infructuosus recedat. Nam qui aliquid afferre decreverit, et illud deseruerit, injusti Ananiæ mortem patiatur; qui quidem sanctissimum Dei Spiritum tentare voluit, Apostolos vero latere; et reprehensus cecidit ante pedes ipsorum.

*benedicit urbs Edessæ,* — *b c* — *d* — *a Christo benedictæ,* — *e*

10 Hæc porro me adhuc loquente, vir quidam ex illic adstantibus, valde illustris, ab immundo correptus spiritu, e vestigio ad lectum cecidit; et vociferans, volutabatur. Ipse autem dixi ad illum : O homo, quid a te factum sit, edicito. Et in verbi præcepto mox surgens ille, respondit : Attuleram, inquit, hoc nescio quod pretiosum indumentum, ut tecum deponeretur : at nos damnasti, vetans ornatiore te cultu sepeliri, quare cœpi mecum ipse ita reputare : Si nullo modo hisce vestibus indui velit, quid necesse est omnino vestem hanc proferre, ac prodere? quod si dari egentibus imperet, cum aliis rebus atque pecuniis abundemus, indigentibus distribuemus quantum

*cogitantem ejus monitis non parere, ideoque correptum a dæmone, sanat*

A tum opus erit. Respondens autem, dixi ad eum : Vade, et quod decrevisti, perfice. Cumque pro eo orassem, ac manus super ipsum imposuissem; sanatus est, et ab immundo spiritu liberatus.

*g vetat cereos sibi accendi.*

11 Et denuo dixi : Admoneo et interdico, ne quisquam *g* cereum mihi in exitu meo accendat ne ita æterno igne consumamini. Quid enim homini proderit gloria corruptibilis ignis, qui a proprio igne comburetur? nam quando formidabilissimus ille ignis apparebit, in eo, qui obnoxius illi erit, consumetur. Satis ergo mihi sit mei ipsius dolor : neque alia a vobis mihi pœna superinducatur. Desinat ac cesset in me, Fratres, quoniam defecerunt in dolore dies mei, et ille me circumdedit laqueus, quem non prævideram: venitque inquisitor meus: et laqueis truculenter me divexantes, abducunt festinanter *h* satellites; trahuntque me in terram mortuorum, et in regionem, quam non novi. Rogo atque obsecro te, Salvator, Dux, et Creator meus, ne me affligens, miserum reddas et conterens me condemnes. Si enim digne, ea quæ a me gesta sunt, perscrutatus fueris undique ruina me circumdabit. Nam quando hæc omnia mea opera commemoro, intolerabilis timor ac tremor super me cadens conterit me : et gravi quodam horrore B conficior, propter retributionum atque pœnarum expectationem, quæ in illo cernuntur seculo; tremoreque corripior, et ferre nequeo. Et palam dentes mei concutiunt ac perturbant me, illic propter horribilem judicii sententiam stridentes atque dolentes.

*et suffitus in funere adoleri*

12 Oro vos quoque, dilectissimi, ne cum aromatibus me sepeliatis. Non enim insipienti ac stulto conveniunt deliciæ; sed neque gloria decet inglorium, neque alius boni odoris fumus eum, qui putredo est, et pulvis terræ. At date vaporationem fumi boni odoris in domo Domini, et me orationibus potius vestris comitamini, et aromata Deo offerte : me vero fletibus sepelite, in doloribus conceptum : et pro suavi odore, aromatibusque pellucentibus, vestris me orationibus atque deprecationibus adjuvate, obsecro, semper mei in ipsis memoriam facientes. Quid enim mortuo proderit suavis odor, jam sensu carenti? Vestra porro incensa adolete in domo Dei, ad gloriam et laudem ipsius; quoniam et ipse ibi inhabitat.

13 Cur porro corpus corruptioni obnoxium, illustri et inusitata veste involvis, quæ quidem istud haudquaquam incorruptum retinebit? Quare potius terrestre corpus matri ipsius terræ relinquito, quoniam ex ea sine spiritu ipsum sumptum est, et non C consentanea est ipsi vana gloria. Virum autem inclytum ac gloriosum decent divitiæ, at pauperi humilitas convenit : et generosos quidem decet regnum, *i* infimis vero militiæ convenit consolatio, denuntians consolationis gratiam. Neque in vestris monumentis me usquam deposueritis : non enim loculi vestrorum monumentorum ex captivitatibus meis me rediment. Caussam vero ac rationem habeo, ut cum Deo meo habitem, inter peregrinos et advenas, quandoquidem et ego advena sum et peregrinus, sicut et illi. Cum iis ergo conjicite me : quoniam omnis caro, Fratres mei, ei adhæret, cujus est particeps; et quilibet homo suo gaudet simili atque consorte. In cœmeterio igitur, ubi contriti jacent corde, ibi me deponite ac tumulate : ut quando Filius Dei venerit, et resurgere illos fecerit, atque reformarit cum eis me sanet, resuscitetque.

*jubet se in cœmeterio sepeliri.*

*Edessa et Adessa.*

a *Græce est* : ἄνδρες οἱ γῆν Αἰδεσσῶν οἰκοῦντες viri Edessæam terram habitantes. *Iterum infra nu.* 9 Αἴδεσσα *legitur, apud Ptolemæum, Stephanum Byzantinum, Suidam, et alios* Ἔδεσσα.

*Epistola Christi ad Abgarum.*

b *Græce est* Ἄγαρος *apud Euseb.* Ἄγβαρος, *errore (ut opinor) librarii pro* Ἄβγαρος, *plerumque alibi* Abgarus, *et* Agabarus. *Ejus ad Jesum Salvatorem, et Jesu ad ipsum epistolas ex lingua Syriaca in Græcam versas recitat Eusebius lib.* 1 *histor. Eccles. cap.* 13 *atque ex ipso Baronius to.* 1 *ad an. Chr.* 31, *nu.* 58 *et seqq. ubi et de Jesu imagine non manu facta, ex antiquis PP. et historicis. De utraque sæpe alibi mentionem facimus. Sunt illæ* *quidem epistolæ a S. Gelasio Papa* apocryphæ *declaratæ*, quasi non hagiographæ, *inquit Baronius*, non tamen ut eas ab Ecclesia omnino proscribat, sicut nec complures alios libros, quos proxime recensuit. D

*IPSO AUCTORE, EX MS. GRÆCO. et imago non manu facta. Edessenorum prima conversio.*

c *Græce est* : ὁ ταύτην ἀνεγείρας βασιλείαν, qui hoc regnum excitavit *Dicitur Abgarus apud Eusebium*, τῶν ὑπὲρ Εὐφράτην ἐθνῶν ἐπισημότατα δυναστεύων populis ultra Euphratem præclarissime imperitans.

d *Græce* : πέμψας δὲ ἀγγέλων αἰωνίων, εὐλόγησεν τὴν πόλιν mittens per Angelos æternos, benedixit urbi, *quibus verbis intelligi videtur* Thaddæus, *qui anno a Nativitate Christi* 43 *eo missus, Abgarum ab inveterato morbo, manu imposita curavit, eumque et cives Christo adjunxit. At Vossius legisse videtur*, δι' ἀγγέλων, αἰωνίως εὐλόγησε per nuntios, æternum benedixit urbi *Quod fortassis ad Christi epistolam retulit, quam missam annotant Christophorsonus* διὰ Ἀνανίου ταχυδρόμου per Ananiam cursorem.

*Edessa an ex Christi promisso inexpugnabilis?*

e *Huc spectant quæ Evagrius scribit lib.* 4, *cap.* 26 : quo pacto Cosroes Edessam obsidere constituerit, ratus ea se falsa esse convicturum, quæ de ea civitate omnium fidelium ore ac sermone celebrantur, nempe Edessam numquam ab hostibus subjugatum iri. Quæ res in epistola a Christo Deo nostro ad Abgarum scripta non ponitur illa quidem (uti studiosi ex historia Eusebii cognomento Pamphili, apud quem hæc epistola ad verbum citata est, intelligere possunt) sed tamen eum exitum consecuta esse, a fidelibus non decantatur solum, sed etiam creditur, ratusque ejus eventus prædictionem illam veram esse confirmat. *Dein commemorat quo miraculo coactus sit ejus urbis obsidionem abrumpere Idem ex Evagrio refert Baronius to.* 7, *an.* 545, *nu.* 12.

f *Græce* : ταῦτα δὲ αὐτοῦ λέγοντος Hæc autem eo loquente *Et mox* ὁ δὲ πρὸς αὐτόν, *pro quo Vossius hic* : Ipse autem dixi ad illum, *ac deinde, quod hic effert* Respondens autem dixi ad eum, *Græce dicitur* ἀποκριθεὶς δὲ εἶπε πρὸς αὐτὸν ὁ μακάριος. Respondens autem dixit ad eum Beatus. *Congruunt alia, et nu.* 11 Καὶ πάλιν εἶπε. Et rursus dixit. *Unde conjicere licet. Hoc Testamentum a S. Ephræm antea conscriptum, postea ab aliquo interpolatum, adjectis iis quæ dum illud moriturus recitaret gesta erant, quæ ipsa deinde alius, velut a Sancto omnia scripta essent, primæ personæ aptavit.* E

g *Usum cereorum in exitu et funeribus non damnat, usitatum jam olim, ut ex variis PP. ostendit Vossius, sed præ humilitate adhiberi sibi vetat.*

h *Græce est*, παραλήπτορες susceptores, *sive* lictores, *sic nu.* 16 παραλήπτωρ Ἄγγελος.

i *Ita locum hunc exponit Vossius* : *sufficere ignobilibus, si vel in numerum militum adlegantur, quod honorificum apud Græcos et Romanos.*

## CAPUT IV.

### *Preces et oblationes pro mortuis.*

Respice, Domine, ad humilitatem supplicationis mei, et rogo te, ut miserearis mei, dignumque me facias, unigenite Fili Dei, neque pro rebus a me in vita gestis, retribuas mihi. Nam si iniquitates observaveris, Domine, Domine quis sustinebit? Et si secundum majestatem tuam reddideris nobis, quis in judicio tuo misericordia dignus censebitur? Omne *Rom.* 3 19 enim os, inquit Scriptura, obturabitur, et totus mundus subditus fiet Deo. Non autem hæc adfero, tamquam gratiam spernens; nam ea loquor, quæ scripta sunt, clementissime Christe. Quæ enim utilitas *implorat Dei clementiam.* in sanguine meo, si in ignem ardentem missus fuero? F Age igitur jugiter mecum secundum consuetudinem miserationum tuarum; et in eo gratia tuæ cognoscetur pietatis atque clementiæ. *a* At licet judicium universæ terræ feceris, sicut gratia tua declarat ac postulat, non salvabitur unus ex millibus, et ex decem millibus non redimentur duo. *a cum tam pauci salventur*

15 Quid igitur? Ego enim humilis atque abjectus Ephræm, præ dolore deficiens loquor: Si ergo aliquis persuadere volens, dicat mortalium judicium non fieri. Sed æquabuntur, inquiens, injusti et peccatores justis et probis et veridicis et humiles ac boni improbis et impiis? Non possunt ista sic inter se adæquari : *probat futurum judicium,* nam impossibile est lucem consumi, atque offuscari a tenebris. Quomodo enim fieri potest, ut justus Abel fratricidæ et injusto Cain adæquatur? Aut qua ratione id facile fieri potest, ut in eodem justi et injusti commorentur loco? Vociferantes enim, diras atque intolerabiles edent voces miseri et infelices reprobi. *b* Rogo te Salvator, non ut adæques peccatores justis, te obsecro, Fili totius bonitatis; sed ut miserationes tuas extendere digneris super me, et super humiles consortes meos. *b*

16 Quod igitur prius a me dictum est, iterum dicam, et ab eo non recedam, mi Domine; quoniam nisi

A nisi miserationes tuas præclaras super nos extenderis, nemo nostrum adspiciet vitam. Unum enim Deum esse bonum testantur omnes mortales. Non autem quia peccator ego sum, hæc dico : usitatum quippe est sacræ Scripturæ, ea quæ a me nunc dicta sunt, passim referre. Quiesce ac desine, o Ephræm, dicit mihi Angelus apprehensor meus, et redargutor : non enim continua tua suspiria tibi proderunt; quando quidem acerbi satellites qui ad te missi sunt, non mitigantur donis. Et duriter respondens, ad me dixit : Os tuum obstrue deinceps; non enim *c* consortes tui perditi sunt inter hominum generationes : peccator quippe cunctos arbitratur sibi esse similes; et qui cæcus est, similiter sibi ipsi similes existimat suos propinquos atque vicinos.

*IPSO AUCTORE, EX MS. GRÆCO* — *et multos e bonis Catholicis salvari :* — *c*

17 Accedite ad me igitur, o Fratres mei, et extendentes componite me : nam spiritus meus penitus defecit. Et comitamini me in psalmis, atque orationibus vestris, et assidue pro mea parvitate, oblationes facere dignemini : et quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis. Mortui enim, in precationibus atque oblationibus, commemorationis Sanctorum viventium beneficio alliciuntur. Et videte in rebus etiam creatis singulis aliquid simile; veluti germen vitis, racemusque acerbus in agro, et vinum expressum in doliis est. Quando igitur racemus in
B vite maturuerit, tunc vinum agitabitur, ac de sua quodammodo natura recedet, quamvis immotum domi esse videatur. Similiter etiam de cepa intelligite : cum enim in domo fuerit aliqua arida, et aliqua in agro sata eodem tempore, quo hæc suam viriditatem explicat, etiam illa domi arida germinat. Si igitur creaturarum fœtus sic inter sese consentiunt, quanto magis mortui in viventium commemorationibus atque oblationibus recreabuntur! Quod si mihi scite respondeas, hæc naturam rerum creatarum sequi, intelliges te esse primitias quasdam creaturarum Dei. Quod si adhuc non te simile convincit, nisi testimonium quoque adduxero, audi patienter quæ scripta sunt : et, si volueris prudenter etiam intelliges quæ dicuntur. Servus Dei Moyses, in benedictionibus, nonne Ruben *d* ad tertiam usque generationem benedixit? Si ergo non redimuntur mortui, qua de caussa Ruben usque ad tertiam generationem benedixit Moyses? Et si non est resurrectionis memoria, audi quid clamet Apostolus Paulus, dicens : Si omnino mortui non resurgunt, cur et baptizantur pro mortuis? Qui enim erant sub lege, ad expectationem resurrectionis in mysterio detinebantur conclusi, in eam fidem, quæ revelanda erat; sicut legistis, quod
C in oblationibus sacrificiorum, Sacerdotes in lege mundabant etiam eos, qui suis iniquitatibus in bello vulnerati erant : pleni enim operibus iniquitatis, debitores eorum quæcumque scripta sunt. Quanto autem magis Sacerdotes novi testamenti Christi delere merito poterunt delicta eorum, qui decedunt, in sanctis oblationibus et precationibus linguarum suarum!

*iterum rogat, ut pro se orent.* — *preces enim et oblationes prodesse mortuis probat :* — *d* — 1 Cor. 15. 29

18 Cum vero memoriam mei faciendam accesseritis, videte, Fratres, ne quisquam in sancta peccet; sed attente et reverenter atque humiliter et sancte nepare invigilate. Non quod graviorem damnationem promereatur peccatum ex lubricitate carnis commissum, supra cetera ipsi insita : sunt enim alia peccata longe illo graviora atque deteriora. Miserabile tamen hoc mihi impendere videtur, quod forte occasione honoris atque memoriæ, ob inordinatas vestras actiones, rationem pro vobis reddam Deo meo. Fortasse enim in judicio istud mihi objiciet, dicens : O Ephræm, horum omnium tu caussa fuisti et auctor; quippe qui, hujusmodi homines lascivos congregaveris. Scriptum est enim : Fornicatores, et adulteros judicabit Deus. Et quid dicemus ad hoc, Fratres mei carissimi? Quod paullo ante dixi timore correptus, etiam nunc dicam,

*monet ut sancte sancta tractent.* — Heb. 13. 4

quod scilicet, quem Deus judicabit, remisse atque D
indulgenter cum illo agi censendum est. Dum judicamur enim, inquit Apostolus, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo judicemur. Nam sicut modicum fermentum totam massam corrumpit, ita otium cogitationis malorum diffusum, totum corpus comburit. Et sicut ferri rubigo ipsum, consumit, ita quoque ab hominibus commissum peccatum repugnat honestioribus ipsorum membris et moribus; et jam ab eis perpetratum, consumit atque corrumpit eos, qui viam ipsius adimpleverunt. At qui *e* ejus voluntatem non fecit, est tamquam solius diei viator permanens in aliquo diversorio, unde post abit. Sic brevi tempore commoratus tandem sese in fugam proripiet. Præterit enim mortale hoc corpus, et induit immortale atque cœleste : et cum interierit, tunc efficaciter incorruptibile resurget, omnis corruptionis expers. Ecce etiam clarissima et jucundissima Ecclesiæ lucerna Paulus ante voces has nostræ imbecillitatis usurpat, aut etiam confirmat, cum ait : Quod seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

*ne sibi eorum peccata imputentur.* — 1 Cor. 11. 32 — *e* — 1 Cor. 15. 41

a *Notat Vossius, aliam lectionem ita habere* : Et licet universam terram ex gratia et misericordia judicaveris; vix tamen unus ex mille salvabitur. *Quid si igitur ex sola justitia judicium fiat?*

b *Ita MS. Græc. et alia lectio apud Vossium.*

c *Quinam hi? an monachi, ut tu. præced. exponere videtur Vossius? an universim Catholici, qui, si parata sibi gratia uti volunt, non peribunt?* E

d *Solum habet vulgata edit. Deuteron.* 33, 6 Vivat Ruben et non moriatur, et sit parvus in numero. *Fortassis Syriaca versio, qua usus est S. Ephræm, ita habuit. Chaldaica ita exponit :* Vivat Ruben in vita æterna et non moriatur morte secunda, et accipiant illi ejus hæreditatem suam juxta numerum eorum.

e *Ita ex Græco restituimus.*

## CAPUT V.

### *Benedictiones discipulorum. Hæreticorum execratio.*

Sed enim hue agite discipuli mei, quod reliquum est, sitis benedicti in fortitudine boni pastoris, sanctique Magistri, Jesu Christi Domini nostri, qui est Deus ex Deo. Et quamvis non sim ego sicut Noe, vos tamen benedicti sitis, ut Sem et Japhet. Et licet non sim ut Melchisedech, vos tamen efficiamini ut Abraham. Etsi non sim ego veluti Isaac, vos tamen accedentes sitis benedicti ut Jacob. Et tametsi non sim ut Moyses vos sitis ut Jesus filius Nave. Etsi non sim ego, ut Elias, suscipite duplicem spiritum, sicut Elisæus Propheta petiit. Incipiam autem et apud vos, mei discipuli, vobis bene precari. *a* Amba, vir admirabilis, Christus magnificet monumentum tuum super
F terram; fiatque persona tua prope Angelos majestatis Dei, et similis reddaris magno Moysi; ut omnes adspicientes te, intelligant te servum esse Dei electum. Et tu *b* Abraam, quia veniens adhæsisti mihi, exaudiat te Deus Abraham in orationibus et deprecationibus tuis, et priusquam os tuum aperias, impleat illud sapientia et intellectu quemadmodum alibi ait Propheta : Dilata os tuum, et implebo illud.

*Benedicit discipulis suis.* — *a* — *Abbæ,* — *Abraam* — *b* — Psal. 80. 11

20 Simeon, tibi dico, exaudiat te Deus, quando rogaveris eum in orationibus tuis; et in supernam civitatem ingrediaris. Impleatur ipsius Ecclesia, sicut poculum misturæ populorum, non credentium in salvationem. Veniant sponsæ in conspectum tuum, et inclusæ in doctrina tua. Quarum quidem sponsæ, sunt matres; reclusæ autem, tamquam sub jugo adversarii detinebantur *c* veniens autem Christus has liberavit, audientes a te parabolas prudentiæ, ut per te doctrinam vitæ ex Spiritu sancto perciperent, et salutem a te animarum consequerentur. Et sicut sapiens medicus *d* in parabola indigentium, ita in possessione percurrat auditus tuus. Maras vir Galilæus, mansuetus, et simplex, humilis et rectus, mansuetus, inquam, non natura, sed libera voluntate, tamquam in

*Simeon* — *c* — *d* — *Mar r*

A in spe Dei decertans, in meis adjuvisti me passionibus. Ipse igitur Deus mercedem tuam inter pios tibi reddat, quam cum Sanctis omnibus accipies.

*Zenobius e*

21 Zenobius, *e* vir Gisdrazæus, quod interpretatur venatorius, et exercitatus ac potens, validusque, bellator, fiat sermo tuus instar ignis, et iniquorum consumat multitudinem. Et sicut flamma silvas condensas pertransiens, ita tua ipsos delingat disciplina; et erudiaris omni cognitione Dei. Et sicut David, illustris, vincendo sceleratum Goliath, declaratus est, ita et tu per contemplationis excessum atque extasim, errantium animas vinces. Induere armaturam Sanctorum, et galeam spem salutis, firmamentum sanctorum Apostolorum : quæ quidem Sanctorum armatura, et Spiritus ipse sanctus; et galea ipsorum fortitudinis, est digitus Dei. Sit tibi comes et auxiliator semper ipse pius et misericors Dominus, qui numquam in ulla re deficiet.

*f maledicti Paullonæ apostatæ.*

22 Væ tibi *f* Paullona, cujus mater ex mulieribus maledicta. Væ ventri qui te peperit, quoniam perditionis omnium hæresum particeps factus es, et prædonum janua ingrederis : opera enim tua, omni nequitia atque flagitio plena sunt. Denudatus, projectus es a gratia, et tamquam Judas Iscariotes proditor B factus, et ex cunctis tuis studiis confusus. Columna enim hujus, sedes est, quam tu dereliquisti. Horribile vero prodigium ipse in tuo ostendet corpore, qui cœlum sustinet, et in quo omnis creaturæ natura constituta est atque firmata, quoniam quælibet in ipso creatura fundata est, mare et plenitudo ejus. Confisus quippe es in arundine fracta, derelinquens Crucis baculum atque armaturam, quæ infirmos consolidat, et omnem passionem ac morbum tum animi tum corporis curat sanatque.

*g et Arovandran*

23 *g* Arovandran vir effrænis atque rebellis, quia voluisti congregationes Christi Ecclesiarum a Spiritu sancto congregatas demoliri atque exterminare, ex ea quæ sub cœlo est deleatur memoria tua; et non inveniatur in libro viventium; quoniam dereliquisti vinum vitæ, Christi nimirum sanguinem, et panem cœlestem, hoc est, corpus Christi ac Salvatoris nostri, et comedisti cibum victimarum contaminatarum, et bibisti vinum peccatorum, fel turbidum. Verbum Dei, Filius Patris, in quem os tuum impium maledicta conjecit ac blasphemavit, acuta atque subtili inquisitione exquirat a te exprobrationem atque contumeliam in se factam; similiterque ex omnibus hæreticis, Arianis, inquam, et Manichæis, *h* Catharis, et *i* Ophitis, *k* Marcionistis, et *l* Eunomianis, et *m* Euchitis, atque *n* Cauchitis, *o* Paullianis, et *p* Valentinianis, *q* Vitalianis, et impuris *r* Borborianis, reliquisque C omnibus nefariis, qui ligna venerantur et lapides, Solem item ac Lunam, cujusmodi etiam sunt augures, et astronomi, qui diversimode separati sunt adversus sanctam Majestatem puræ et immaculatæ Trinitatis, Patris et Filii et sancti atque vivifici Spiritus.

*et aliis hæreticis, h i k l m n o p q r*

24 Benedictus, qui Catholicam ipsius elegit Ecclesiam, veluti sanctam agnam, quam lupus corruptor non contrivit; et immaculatam columbam, quam non est assecutus qui eam persequebatur, ut elideret atque deleret, astutus ac callidus venator accipiter. Nam poculum in manu Domini est, vini fæculenti : et ex eo bibunt cuncti apostatæ Christi, divisores sanctæ et omni principio carentis Trinitatis; et veritatis hostes, Judæorum, inquam, genus, cum bibissent, evomuerunt, crudeliterque impetum adversus Salvatorem nostrum Jesum Christum fecerunt. Et nihil mirum : nam rabidus canis furore atque insania percitus, etiam proprium mordet dominum. Eodem modo et Judæi fecerunt, et adhuc faciunt, ac quasi rabie quadam agitati, suum diffamant et blasphemant Dominum. Nos vero glorificemus superexaltatum

*IPSO AUCTORE EX MS. GRÆCO.*

Deum universorum, cui appropinquare nequeunt D apostatarum posteri. Si enim ipsis fuisset aliqua opinandi ratio, quod etiam peccatores in cœlum ascendere possent, omnino dissentientes etiam ibi discordiam seminassent, in domo, inquam, pietatis, in cœlestibus tabernaculis; quomodo antiquis temporibus, horum majores in terra Chaldæa per turris ædificationem omni studio in cœlum ascendere contendebant, et delapsi ceciderunt, a gratia repulsi, inaniter ac frustra inique agentes; atque ideo etiam confusæ, et disjunctissima separatione divisæ sunt omnium ipsorum linguæ. Si igitur illos, qui istud mali conati sunt, adeo vehemens invasit calamitas, cum vellent ascendere in locum atque regionem supercœlestium Sanctorum, ac vigilantium diversorium; et merces eorum ita aperte in ipsorum capita recidit; quomodo non magis condemnabuntur, et supplicio digni censebuntur, qui apostasiæ separationem disseminare cogitant in cordibus mortalium, adversus Deum Patrem, et unigenitum ipsius Filium, et Spiritum sanctum?

*cœlo excludendis.*

a *MS. Græc. habet,* Ἀβραὰμ, *quasi idem sit, qui mox secundo loco benedicitur. Vossius alibi legi ait :* Ambauer; *al.* Amba, *hoc tamen idem esse atque* Abba! *Non est hic S. Abbas, de quo Menæa 22 Novemb. et Theodoretus in Philotheo cap. 4. Quæri potius queat, an non hic sit Nisibenus ille anachoreta, quem Sozomenus lib. 6, cap. 33* Ἀββᾶς *appellat quamquam idem lib. 3, cap. 15, ubi quinque hos Ephræmi discipulos recenset,* Ἀββᾶν *vocat.* E

b *Vel hic Abraham alius est ab eo qui a Latinis 16 Martii colitur, a Græcis 29 Oct. cujus Vitam idem S. Ephræm scripsit, et sibi familiarem ostendit fuisse, vel aliqua ad eam Vitam ab alio post adjecta, cum ibi mors Abrahæ commemoretur, qui ipsi Ephræmo morienti hic adest.*

c *Hæc ad Græcum exemplar modice correximus.*

d Al. in castris, *inquit Vossius.*

e *Græce,* ἀνὴρ γησδρὰς, vir Gesdras. *Alii, teste Vossio, legunt* Gizaræus, *et* Zigaræus.

f *Hunc Sozomenus l. 3, c. 15; et Nicephorus l. 9, cap. 16* Παυλωνᾶν *appellant.*

g *Græc. MS.* Ἀρονανδᾶν. *Sozomenus, et Nicephorus* Ἀραναδ. *Vossius alibi ait* Ἀρονανδᾶν, Θουχὸαρ. *Anarad appellari.*

h *Minus nota hæreticorum nomina exponemus.* Καθαροὺς *se, id est, mundos, appellarunt Novatiani negantes pœnitentiam et secundas nuptias, ut habet Prædestinatus Sirmondii hæresi 46, et Baron. t. 2, an. 254, nu. 106. Hinc vir quidam eruditus Teutonicam vocem* Ketter, *quæ nobis hæreticum significat, ductam conjectat.* *Cathari hæretici.*

i Ophitæ *serpentem colebant ut Dei sapientiam, qui incantante sacerdote, e caverna egressus, altare ascendebat, oblatos panes lambebat, seque circum eos volvebat, ac deinde ad cavernam redibat. Atque hæc erat eorum Eucharistia, quam dein populo dividebant. Agit de his Baronius to. 2, an. 145, nu. 12 et seqq. qui plures PP. citat, quibus adde Prædestinatum hær. 17. Auctor hæresis fuit* Euphrates *quidam.* *Ophitæ.*

k *De Marcionis hæresi ac moribus fuse Baronius ex antiquis ad an. 146, brevius Prædestinatus hær. 21.*

l *De* Eunomii *blasphemiis adversus filium Dei ac Spiritum sanctum, et intolerabili superbia, fuse ex SS. Basilio, Nysseno, Theodoreto agit Baronius an. 360, nu. 35 et seqq.*

m Massaliani *Epiphanio dicti, Theodoreto lib. 4 hæret. fabul. cap. 11, et aliis* Messaliani, *quod nomen in Græcam linguam translatum* Euchitas, *sive precatores, significat.* πνευματικοὺς *esse, id est,* spirituales *appellabant, propterea quod nihil operis exercerent : sed ubi orationi vacarant, diei maximam partem dormiebant. Horum deliria describit Theodoretus, ob quæ* Enthusiastæ *appellati.* Egit contra hos, *inquit Prædestinatus hær. 57.* Ephrem Presbyter Syrorum, *sed et S. Amphilochius, ac Flavianus Antiochenus.* *Messaliani, sive Euchitæ.* F

n Cauchitæ *qui fuerint, haud nunc occurrit.*

o *Pauliani a Paulo Samosateno, Episcopo Antiocheno, dicti, qui Artemonem, sive Artemam, secutus, Christum solum hominem asserebat, Sede ideo dejectus, Aureliani Imp. temporibus. Theodoret. lib. 2 hæret. Fab. cap. 8. Prædestinatus hær. 44. Qui ergo* Artemoniani, *ii deinde* Pauliani *dicti, postea* Photiniani. *Pauli Samosat. hæresis.*

p Valentinus *tempore Antonini Imp. ineptas fabulas de Æonibus protrusit. Theodoret. lib. 1, cap. 7. Ab eo* Valentiniani per Orientem dispersi, graviter Dei Ecclesiam vulnerarunt, *inquit Prædestinatus hær. 11, de iis multa habet Baronius tom. 2 Annal.* *Valentini.*

q Vitalis *Presbyter Antiochenus sub S. Meletio, dein Apollinaristarum Episcopus, unde* Vitaliani. *Ita Voss. et Prateol. ex Nicephoro lib. 11 cap. 12, et lib. 12 cap. 4, de Apollinare infra agemus.* *Vitalis.*

r Barbellotæ, *ut scribit Theodoret. lib. 1, cap. 13, ad Valentini deliria, alia addiderunt : ob fœdissimas actiones* Borboriani *appellati,* ἀπὸ τοῦ βορβόρου, *a cœno ac sordibus. Agit de his Vossius quoque et Prateolus.* *Barbellotæ, sive Borboriani.*

s *Græc. MS.* μονάρχου τριάδος, *quam lectionem etiam Vossius notavit, vertitque :* quæ sola imperat et regnat ac dominatur.

A

*IPSO AUCTORE, EX MS GRÆCO.*

## CAPUT VI.

### *Fides ac pia opera inculcata, et detestatio hæreticorum.*

*Suos ad fidei constantiam hortatur, suo exemplo,*

Meis igitur præceptis atque doctrinæ sedulo operam dantes, ut mei discipuli, a Catholica ne desciscatis fide, quam et ipse a teneris annis acceptam, immobilem atque inconcussam servavi; neque ab illa in aliquo dubio ac schismate deflectatis. Si quis vero dubitaverit, aut contra Deum sanctamque ejus Ecclesiam impingens ac diffluens, separatus fuerit; spirans adhuc et vivus in infernum detrudatur, et particeps hæreditatis maledictionis Cain reddatur, gemensque ac tremens sit super terram. Et quicumque Patre Filium minorem fecerit, inhumatus et absque sepultura ipse etiam vivus in terram pariter descendat. Si quis vero adversus Spiritum sanctum dissenserit, talis in judicio misericordiam non obtineat. Et si quis adversus Catholicam Ecclesiam sese extulerit, leprosus fiat, instar dementis ac stulti Giezi. Quicumque porro rectam intelligentiæ fidem dereliquerit, constringatur iniquitatis funiculo proditoris Judæ. B Quam enim ego accepi fidem, hanc a sanctis didici Apostolis; ipsique cum eam a Deo percepissent, omni creaturæ prædicarunt. Intolerabilis ergo, et evitanda summopere iniquitas est, in Deum blasphemia; cujus vos escam atque illecebras fugite aperte, o mei discipuli. Siquidem in Deum universorum apostasiam is prædicat qui blasphemat, et fundamentum verbi fidei emovet. Nosque gravi servitute oppressi a morosa carne erigere nos facile nequimus. Ne ergo peccatis peccata cumulemus.

*atque ad Sanctorum reverentiam,*

26 Expectationem autem habeo spei in hoc, et consolationem dilectionis coram Domino, quod nullatenus Dominum in tota vita mea maledictis incesserim, et sermo stultus non prodiit ex labiis meis. Eos enim, qui oderunt te, Domine, perfecto odio habui; et inimicos tuos prorsus abominatus sum. *opera ascetica,* Verborum meorum memoriam, Fratres mei, vestris insculpite cordibus: nam et eorum ab initio auctor mihi extitit Deus. Et hæc vobis in Deum sit exercitatio; ut scilicet vigilias assiduas, psalmodiasque, ac jejunia, et fidem diligatis: et semper Dominum omnium, et Salvatorem nostrum Jesum Christum speretis atque exspectetis. *hospitalitatem,* Habere nos præterea cum caritate oportet etiam hospitum ac peregrinorum suscipiendorum curam. C Nam qui peregrinum suscipit, plane is Deum ipsum suscipit. Videte ergo, ne quis peregrinum talem dicat; sed quilibet potius vestrum eum ut proprium appellet membrum.

27 Et circa fidem maxime estote constantes, caventes vobis ab adversariis, iniquitatis, inquam, operatoribus, et vaniloquis, et seductoribus. *maxime fugam hæreticorum.* Quod quidem etiam Apostolus dicere atque docere non neglexit, ubi sic loquitur: *Act. 20, 29.* Scitote, quod post discessionem meam intrabunt ad vos lupi graves, non parcentes gregi, loquentes perversa, ut avellant discipulos post se. *Matt. 7, 15.* Et alibi in Evangelio dicit Dominus: Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem ipsi sunt lupi rapaces; verba quidem, inquit, dulcia habentes, cor autem plenum felle et amaritudine. Et veste quidem induti sunt lugubri, cum sint ipsi discipuli ab initio invidentis nobis diaboli, quapropter et illius *a* reportant zizania. Omni igitur studio atque diligentia vobis caventes, fugite istorum consuetudinem. Clarum autem vobis hujus do exemplum, carissimi: si paganus quis ac rusticus consistens inveniatur in loco regio, licet etiam nihil mali atque absurdi visus fuerit perpetrasse, nihilominus velut temerarius dedecore afficietur, et in judicium adductus examinabitur secundum leges, tamquam peregrinus nimirum talis loci. D

28 Ne igitur simul cum illis sedeatis in concilio vanitatis eorum, et ne investigetis semitam cogitationis ipsorum. *qui pejores dæmone* Parum enim interest, an cum dæmone quis habitet, an cum viro apostata et desertore iniquo: adjuratus enim dæmon, præ timore aufugiet; cum ibi permanere nequeat, ubi Christus adversus ipsum nominatur. Tu porro, o homo, cum foris in Christi corpore sis, si intus quoque in spiritu ipsius es, perfectus homo Christi es. Quoniam vir qui non accepit baptisma, similis est domui cuidam præparatæ Regi, quam nullatenus Rex inhabitavit. At si iniquum et infidelem adjuraveris; dupliciter hic sua malitia utetur, neque quidquam de sua insania remittet. Adjurati autem magis possunt impuri dæmones, quam persuaderi iniquitatis filii. Siquidem dæmones Filium Dei confitentes, dicunt: *Luc. 4, 41.* Tu es Christus Filius Dei. At principes et prædicatores apostasiæ, Judæi, inquam, et Pauliani, impii et Christum oppugnantes, pertinaciter contendunt ipsum non esse Filium Dei. Et vide effrænatos atque acerbos eorum mores. Auctor ac princeps apostasiæ ipsorum, exclamat, et dicit: *Luc. 8, 28.* Quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei? Et ipsi assidue negant. E

29 Si ergo fieri potest, ut sterilis salix in loco arido et sicco germinet, fieri quoque poterit, ut aliquando apostata erudiatur. *difficillime convertuntur: Esa. 40, 4.* Nam elatæ mentis consilia et sensus humiliabuntur, sicut Prophetæ videtur Esaiæ, prædicanti: Omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Si igitur salix sterilis in aspreto quandoque germinabit, etiam propheticus nobis sermo confirmabitur, et plura atque majora iis evenient; et accedent prædones et injusti ad discendam veritatem. Sicut autem corvus nequit unquam fieri albus, *b* et si hic inalbuerit, etiam malus efficietur bonus, et accedens, quod bonum est addiscet. Contingit vero interdum, ut hiberno tempore, decidente nive, corvus aliquandiu albus visus fuerit, licet alias sua natura is obscurus ac niger esset; simulatque enim sese ad volandum incitavit, totamque a se nivem excussit, eodem quo antea colore videntibus apparuit. Similes quoque huic sunt peccatores: quippe qui, cum ad breve tempus compuncti ostenderint temporarios pœnitentiæ fructus, futuri judicii verba formidantes, eo quod in tempore atque proposito compunctionis eorum stabiles non permanserint, paullo postea quasi omnium obliti, iterum ad pristinum vitiorum locum abripiuntur. F

30 Audite instituta atque præcepta mea, o discipuli mei, eaque semper memoria tenete: neque a via veritatis recedatis, neque traditiones et admonitiones meas declinetis. Cum autem bella audieritis, et tumultus in creatura, scitote, quod in januis adsit finis; et spem ideo vestram firmiter constanterque retinete. Scriptum enim est, fore ut cuncta fiant, quæ in Scriptura dicta sunt. Nam cœlum, (inquit,) et terra pertransibunt; iota autem unum, aut unus apex de lege præterire non poterunt, quemadmodum Dominus et magister noster per semetipsum juravit et dixit. *signa instantis judicii proponit.* Nostis autem ipsum veracem esse, et numquam mentiri. Ut ergo adstare queamus incorrupto et immutabili justissimæ sententiæ Judici, demus serio operam, ut nosmetipsos per bona opera perfectos atque integros in patientia assidue reddamus.

a *Græce est*: διὸ δὴ καὶ τῶν ἐκείνου τυγχάνουσι ζιζανίων. *Vossius vertit*: qua propter et illius sunt zizaniorum semina.

b *Simplicius et clarius MS.* Sicut autem corvus nequit unquam albus fieri, neque hi albi fient, aut malus bonus evadet.

CAPUT

A

## CAPUT VII.

### *Modestia piæ fœminæ inculcata. obitus.*

*loculum sibi fieri permittit, sed non e marmore :*

Interea vero dum ista cum lacrymis sanctus ac beatus vir præciperet atque mandaret, et totius civitatis multitudo circumstaret ac fleret; mulier quædam, nomine Lamprotate, magni Aristidæ filia, semota hinc inde virorum et mulierum turba, procidit ante pedes ejus, et dixit : Per Deum tuum, quem a juventute tua usque ad senectutem dilexisti, permitte mihi ancillæ tuæ, ut exiguum loculum, sicut præcipiendo adjurasti nos, facere possim, in quo venerabiles reliquias tuas recondam. Ille autem suscepto atque probato propositi illius fervore, dixit ad illam: Mulier, vade, fac quemadmodum tecum proposuisti, et alias hoc facere volentes ne impedieris. Ex marmore autem cave monumentum mihi feceris : nihil enim mihi vana gloria proderit.

*fœminæ ne lectica vehatur suadet :*

32 Mandatum porro hoc brevissimum tibi impono, quod vide ut serves : Ne prorsus in lecticis sedeas. Neque enim pium est ac sanctum, neque licitum, ut vir ad gestamen mulieris suas cervices reclinet; et satellites suis humeris circumferant eam, quæ nobis B interitus ac mortis caussa fuit : siquidem Christum, ad cujus adorationem accedis, ipsum jugo subjicis. 1 Cor. 11. 3. An non legisti, vel audisti, quod omnis viri caput sit Christus? Et cum quidpiam alicui metiris, memento resurrectionis universalis, et actionum nostrarum Mat. 7. 2. retributionem ibi nobis futuram a Deo. Nam in qua Luc. 6. 38 quis mensura emensus fuerit, eadem remetietur illi. Ezech. 18. 30 Quin et ipsum forte Deum audisti dicentem : Unumquemque secundum vias vestras, et juxta studia vestra, judicabo vos, domus Israel : vivo ego, dicit Dominus.

*juranti se id servaturam,*

33 Tunc juravit puella coram circumstante populo, dicens : Per Deum, cui constanter a juventute tua usque ad senectutem inserviisti, in posterum non ingrediar lecticam, et non subibit homo amplius gestaturus lecticam meam. Quod si mentita fuero, veniat in eadem hora rompbæa resolutionis atque eversionis in juventute mea : et in futuro igne, portio mea cum impiis computabitur. Et si mandata tua transgressa fuero, in exemplum proponar coram tota Dei Ecclesia. Beatus autem vir respondens, ad illam *benedicit,* dixit : O filia, priusquam deficiam ac moriar, benedicam tibi secundum propositum atque desiderium tuum. Non deficiat ex semine tuo Sanctorum doctrina C usque in secula. Cum venerit Christus ad mutandum cœlum et terram, ipse memoriam tuam in libro vitæ inscribet in regno cœlorum. Et pax Dei, quæ Sanctos sertis coronat immaculatis, in vocatione præmium tibi largiatur, secundum cor tuum. Quoniam Deo, et Patri convenit gloria, et unigenito Filio adoratio, et Spiritui sancto majestas atque magnificentia, ante omnia secula, et nunc et semper : et in generationum generationes per infinita secula seculorum, Amen.

*et pie moritur*

34 Et hæc, ac plura his alia dicens, animam Deo reddidit. Defunctusque est Beatus in Domino in optimo vitæ statu : et factum est ipsius corpori, sicut suis ipse mandaverat discipulis, ad gloriam Dei omnipotentis, Amen.

D

# DE VITA EJUSDEM S. EPHRÆM

## Oratio S. Gregorii Nysseni Ep.

## CAPUT I.

### *Exordium. Propositio. Quæ in Ephræm laudanda.*

Recondita in divinis Evangeliis similitudo me ad propositum dicendi argumentum serio cohortatur, linguamque silentii fræno constrictam solvit, ac cogitationum semitas, velut spatiosos quosdam campos, exæquat atque adornat, currumque orationis ad iter aggrediendum promptum reddit et expeditum, dum clara voce hisce quodammodo exclamat verbis : Neque Matth. 5. 15. accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Quid vero ex iis intelligendum sit, subjungit dicens : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut vi- Ibid. 16. deant opera vestra bona. Numquid igitur reprehendendi merito erimus, si negligentes atque ignavi silentio involverimus illud, in quo celebrando magnos sumere animos ipse mandavit Dominus? Cum enim *S. Ephræm prædicandus,* sancti hujus Patris vitam, tamquam illustrem ac sole splendidiorem facem, orbi accenderit, exponen- E damque vobis proposuerit, non fert, ut illam silentio prætereuntes sub modio occultemus; verum in sublimi potius Ecclesiæ vertice reponamus, ut cunctis eluceat, qui in hac totius orbis terrarum versantur domo : et qui ex illa lumen acceperint, cœlestem Patrem glorificent atque collaudent.

2 Quamobrem non sic paternum illius metuendum est vinculum *a*, ut ipsius Domini mandatum a spernatur. Quin etiam ipsius laudationis initium inde capiendum fuit; tametsi in extremam orationis partem nos istud rejecerimus. Rem enim ipsam recte inspi- *(licet ipse vetuerit,* cienti, illud haud prorsus videatur vinculum, quod humanam gloriam aversantem vetet exornare laudibus : aut sane vinculum ad solvendum facile, obligatioque ejusmodi, quæ ad hoc ipsum potius præstandum impellat amantes. Nam ex quibus ille laudes se *vel ideo laude* evitaturum arbitratus est, interdicti vinculo nostros *dignus,* conatus subvertens atque impediens, ea nobis ipsa laudandi occasionem suppeditant. Cum enim singulæ præclaræ animi ipsius dotes uberem ad laudandum materiam exhibeant, tum illud cumprimis, quod laudibus, non afficiatur. Optabat quippe non videri, sed bonus potius esse. Ex quo quidem vel solo, licet aliud nihil laude dignum præstitisset, collaudati profecto F mereretur. Adeo enim laudibus se delectari aiebat, ut eo vinculo vituperationem ex illis manantem obsignare maluerit atque evitare. Istud vero primum nostræ orationi stadium aperit, et clare metam ostendit, ad quam dirigere cursum oporteat : ne temere progredientes feramur præcipites, sed per viam incedentes regiam, consideremus admirandum illum Dei virum, prohibiturum non fuisse ne laudaretur, *suo quoque* nisi laudibus se dignum cognovisset : nam nullus, *judicio)* nisi valde insignis atque suspiciendus, cum adhuc in vita maximis virtutibus præcellat, memoriam sui oblivione apud posteros deleri jubeat. Et quemadmodum Paulus prædicator gratiæ, auspex Ecclesiæ, os Christi licet de se ipse dixerit, Non sum dignus vocari Apostolus; non tamen ideo effecit, cur minus Apostolus vocaretur : imo quanto ipse submissius de 1. Cor. 15. 9 se sensit, tanto majorem consecutus est gloriam. Sicque magnus noster hic Pater, quoniam prudenter ac caute seipsum laudibus indignum censuit, ideo deinceps laudibus celebrari promeretur.

3 Cum ergo ea Ecclesiæ nostræ consuetudo sit at- *uti fecerit,* que institutum, ut virtutis cultores, propterea quod ejus

*AUCTORE S. GREG. NYSSENO.*

A ejus partes amplexi sint, coronentur; atque illi potissimum qui ob humilem de seipsis existimationem spiritu sublimes evaserint; cum ipsum dicat Evangelium : Qui se humiliat, exaltabitur; haudquaquam sane vituperandi, vel irridendi, aut reprehendendi sunt, qui sancti hujus Patris virtutes atque encomia describentes, ipsius nobis vitam, tamquam spirantem et animatam aliquam columnam erigunt. Quæ vero commemoravimus, nequaquam falsa esse prudens auditor cognoscet, si, ubi peroratum fuerit, varia ipsius virtutum genera collegerit, ex quibus nos velut pretiosis ac diversis lapillis auroque distinctam contexentes coronam, gratum atque optatum Christi Ecclesiæ donum offeremus. Gestit quippe illa ac gaudet ejusmodi se muneribus decorari, quandocumque solennis memoria justi celebranda occurrit. *b* Quapropter cum ita circulus ferat anni, ut hodie collaudandus ac celebrandus sit nobis S. Ephræm, fieri nequit, quin ingenti cum gaudio monumentum istud, pignusque amoris suscipiat, et amplectatur.

*Luc. 14, 11.*

*ob varias virtutes.*

*b*

*die anniversario.*

4 Ephræm igitur ille mihi celebrandus est, qui cunctis Christianis versatur in ore : Ephræm, inquam, Syrus; neque enim illius nos pudet generis, cujus B illustramur moribus. Ephræm, cujus vitæ atque doctrinæ splendor universo terrarum illuxit orbi : nam in omni fere loco, qui illustratur a Sole, cognoscitur; illisque tantummodo incognitus remanet, qui magnum Ecclesiæ lumen S. Basilium ignorant. Ephræm, notus ille revera Ecclesiæ Euphrates, cujus aquis irrigata Christianorum multitudo, centuplum fidei fructum producit. Ephræm, fertilis illa Dei vitis, quæ dulcium instar racemorum, doctrinæ fructus afferens, Ecclesiæ filios divina caritate nutriens explensque, reficit atque oblectat. Ephræm, bonus et fidelis Ecclesiæ dispensator, qui virtutum rationes æqualiter conservis distribuens, Dei familiam prudentissime administrat.

*vir longe maximus.*

5 Cujus quidem genus atque nobilitatem, tum ab ipso partam, tum a majoribus susceptam, parentumque gloriam, ac ortum, et educationem, et ætatis incrementum, et corporis formam, et conditionem, et artes, et reliqua quæ ab externis scriptoribus tamquam maximi momenti in laudibus recenseri solent, nos hic in medium proferre supervacaneum arbitramur : cum neque sanctos homines ab ejusmodi laudare rebus statutum sit. Et quamquam ad hunc collaudandum, inde etiam abunde nobis argumenta suppetant; non aliis tamen viis ac rationibus, quam quibus ipse vita C et doctrina illustrem se reddidit, coronam orationis contexemus. Veræ quippe laudes in iis consistunt, quæ in nobis ipsis sunt posita; atque illis debentur præmia, quæ ex nostra proficiscuntur voluntate. Earum autem rerum, quas commemoravimus, et vituperationes sunt falsæ, et laudes ineptæ. Quo enim pacto ex genere laudari volet, qui omnem mundi nobilitatem ac pompam despexit, et per optima opera, Dei filius fieri concupivit? Quomodo ob patriam se patiatur celebrari, qui totum mundum ad se pertinere non censuit; quique materialem creaturam, tamquam inimicam, aversatus est, propter immortalem, quæ in cœlis reposita est, beatitudinem? aut quomodo majorum parentumve celebritate delectetur, qui corporis affectionem, ipsamque animalem carnis tuniculam, tamquam celerrimos ad virtutem cursus impedientem, prorsus pessumdedit? Quo denique pacto, aut ex corporis incremento, aut educatione, aut ex artibus aliisve ejus generis vitæ studiis, adjectis, se exornari sinat, qui jam inde a pueritia in sacrarum Scripturarum meditatione educatus, et excrescens, atque ex perennibus gratiæ fontibus bibens, ad mensuram ætatis Christi, ut cum Apostolo loquar, pervenire studuit?

*Omissis autem.*

*quæ primo tractant Rhetores,*

*genere patria, educatione, artibus;*

*Ephes. 4, 13.*

6 Cum ego noverimus magnum hunc nostrum D Patrem ridiculis iis laudibus, quibus homines sensui ac corpori dediti capiuntur, cumulari nolle; ex propriis eum laboribus saltem mediocriter celebrare conabimur : neque enim oratio eam habet naturam, ut supra vires intendatur. Quamobrem adnitemur, ut neque infantia præpediti, quæ de eo dicenda sunt, silentio involvamus; neque per semitam aliquam a Patrum institutis alienam incedentes, a via deflectamus regia : verum inter utramque transcurrentes, conveniens orationi nostræ temperamentum adhibeamus. Cujusmodi autem sunt illa, quæ ad contexendam ejus laudationem nobis proposuimus atque subjecimus? Actio nempe et contemplatio, quas virtutum examen consequitur, fides, spes, caritas, pietas erga Deum, sacrarum Scripturarum meditatio, animi et corporis puritas, lacrymarum assiduitas, vitæ solitudo, e loco in locum secessio, malorum fuga, doctrina perpetua, precatio continua, jejunium, et vigiliæ immoderatæ, humi cubatio, et vitæ austeritas pœne incredibilis, voluntaria paupertas cum humilitate singulari, misericordia humanam conditionem superans, zelus divinus in eos qui rabie adversus pietatem atque religionem inveherentur; cuncta denique, quibus ad Dei imaginem homo insignitur. Istis noster hic Pater decoratur laudibus : quæ commemoramus, agnoscit : prærogativas has esse proprias, eum non latet : ac sermones hosce, ut nobis, non sibi utiles, non contemnit. Nam vel exigua de ipso E enarratio, studiosis caussa complectendæ existit virtutis. Atque ista non aliunde, sed ex iis quæ in variis ipse suis disseminavit scriptis, didicimus : ex quibus, inquam, sedulæ instar apis, ex plurimis floribus utilia colligentes, favum hunc spiritualem confecimus. Nobis vero hæc ipsa conantibus nequaquam subirascetur, quando scelestum dæmonem, qui multos vel in extremo agone supplantare solet, non pertimescit amplius : jam enim ad tranquillum pervenit incorporeorum portum, ubi nullas omnino procellas reformidat atque tempestates. Age igitur, singulis eorum, quæ enumerata sunt, paullulum immorantes, qualis eximius ille vir evaserit, et in quem gradum spiritualis sanctimoniæ seipsum provexerit, his qui convenerunt ostendamus.

*solide laudantur ejus virtutes,*

*ex ipsiusmet scriptis.*

*a* Ita caverat Testamento, cap 2, nu. 7 ne quis ergo beatum me prædicet. Et paullo ante : Ne quis etiam vestrum, Fratres, præconiis me celebret.

b Græce est : Ἐφραὶμ δὲ νῦν εἰς εὐφημίαν περιήγαγε τρέχων ὁ χρόνος. Ephræmum vero nunc ad celebrationem adduxit currens tempus.

## CAPUT II. F

### *S. Ephræmi virtutes Theologicæ.*

Ad fidem ergo quod attinet, nulla ex parte procul a pietate deflectens, admodum recte sentiebat : quod cum ejus ex scriptis, tum ex Ecclesiæ de ipso existimatione probe cognovimus. Nam æque et falsam Sabellii confusionem, et insanam Arii divisionem abominabatur. Constitit autem in finibus pietatis atque religionis. Sic quippe unam, non confusam, sacrosanctamque Trinitatem, et numero personarum dividebat, et unitate substantiæ conjungebat, ut neque divinitatis inopiam Judaica contumelia afficeret, neque Deorum multitudine, more Gentilium ac paganorum, debaccharetur : quod illis contingere deprehendimus, qui in incomprehensibilem Trinitatem petulanter contumeliosi sunt. Absurdissimam porro *a* Apollinarii opinionem sic detestabatur, ut omni conatu atque sollicitudine eamdem ex quorumvis Christianorum animis evellere studeret. Quin et futiles effrænatasque *b* Anomiorum linguas variis argumentis, Scripturæque testimoniis, penitus repressit,

*Fides Catholica.*

*a*

*b*

summeque

A summeque utilia ac divina nobis adversum eos monumenta reliquit. Si quis vero in Sancti Ephræm disputationum cum c Novato, conflictu, cupiat audacissimi ejus contueri stragem, adversarii casum respiciat oportet. Ibi enim usque adeo superiores in ipso certaminis congressu nostri Doctoris vires inveniet, ut hunc pancratiasten atque certatorem invictum, illum autem mollem, ac tamquam puerum nondum ætate firmatum, dixerit. Neque vero illas dumtaxat, quæ vel tunc, vel antea zizaniorum hæreses ex malitiæ semine fuerant exortæ, fidei rectitudine propulsavit; verum et eas, quæ in futurum perniciose pullulare poterant, propheticis oculis prævidens præcidit. Quotquot enim ab eo conscripta sunt volumina, demonstrationibus sunt plena. Numquam ergo veritatis hic filius ac ipsa deflexit veritate: *scriptis defensa contra hæreticos c*

*spes* 8 Spem vero omnem in solo Deo defixam habuit, in quo qui suas spes constituunt, præmia referunt. Quapropter et illud Psalmi in cunctis suis factis dictisque usurpare solebat: In ipso speravit cor meum, et adjutus sum. Quoniam sperantem in Dominum, misericordia circumdabit. Et fiducia in Dominum, monti Sion similem reddit: inque summam beatitudinem eum qui possidet, constituit, sicut ex ipsis addiscere licet Prophetis, cum dicat David: Beatus vir, cujus B est nomen Domini spes ejus. Jeremias vero: Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus: et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit cum venerit æstus. Esaias autem: Dominus Rex noster, Dominus salvator noster, ipse salvabit nos. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. Quin et Paulus nos admonet, dicens: Teneamus spei nostræ confessionem; fidelis enim est, qui repromisit. *Ps. 27. 7. et 31. 10. et 123. 1. et 39. 5. Jerem. 17. 7. Isa. 33. 22. et 12. 2 Heb. 10. 23.*

9 Divina igitur hac, et reposita spe enutritus S. Ephræm, humana ac transitoria quæcumque spernens, sempiternam assidue gloriam concupiscebat. Amorem vero in Deum et proximum adeo servavit studiose, ut ex hoc decedens seculo hæc inter postrema referret; par enim est ipsa verba sancti illius Patris, tamquam omni demonstratione potiora, in medium producere: Nullo modo in tota mea vita, inquit, adversus Dominum contumeliosus extiti, nec sermo stultus e labiis meis egressus est, neminem in omni vita mea maledictis oneravi nec cum ullo plane Christiano hominem contentiosum me præbui. O felicem linguam, quæ confidenter ejusmodi vocem emisit, quæ solis potissimum Angelis, propter vitam ab omni ma- C teria mutationeque remotam, congruit: at nobis, carni servientibus, haud ita convenit, nostræque naturæ vires magis exuperat, quam ut facile exæquari factis queat. Et ut plurimum labores vitasque illorum explores, qui virtutibus clari fuerunt; vix tamen ullum huic simile puræ sinceræque caritatis indicium reperias. Si enim inter cunctas virtutes maxime præcellit caritas, hanc ita noster hic excoluit Ephræm, ut nullus alius magis ex Patribus. Sed quoniam digna quisque propriis factis accepturus est præmia, ne Patres Patribus videamur conferre, ista aliis consideranda potius relinquemus. Neque etiam hæc ipsa comparationis caussa a nobis sunt dicta; sed ut populo clare constet, nostrum hunc, aut verius universæ Ecclesiæ, Doctorem S. Ephræm ad supremum gradum in spiritali virtutum scala pervenisse. *amor Dei, et proximi* *plane eximia:*

*Apollinarius hæreticus*

a *Duo fuerunt* Apollinarii; *pater Presbyter, grammaticæ ludum Beryti, dein Laodiceæ aperuit, ubi et filius natus* Apollinarius, *rhetoricæ dein professor: qua ratione hæretici sint facti narrat Socrates lib. 2, cap. 36 Nicephorus lib. 9, cap. 17 et lib. 11, cap. 12, ac lib. 12, cap. 4 aliisque. Negabant hominem perfectum in Christo: huic pro anima esse divinitatem etc. ita Prædestinat. hær. 55.*

b *Ita* Eunomianos *appellat, quasi* ἀνόμους exleges *et flagitiosos potius, quam ex nomine sui auctoris* εὐνομίαν *sectantes sive* bonam legem. *De Eunomio qui agant, indicavimus ad cap. 5 Testamenti litt. l.* c Novatiani, *qui et* Cathari, *a Novatiano Presbytero Romano dicti, quem Theodoret. lib. 3 hær. fab. cap. 5* Novatum *appellat. Et vero fuit is a* Novato *Episcopo Afro in schisma impulsus. De utroque plurima tomo 2 Baronius et alii passim, ac nos 3 Feb. ad S. Celerini Acta.* D

AUCTORE S. GREG. NYSSENO.

*Novatiani unde dicti?*

## CAPUT III.

### *Compunctio, aliæque virtutes.*

Pietatem vero atque religionem in vera sapientiæ possessione comparavit, secundum illud Job: Ecce cultus Dei est sapientia. Per illam ut paullo ante illius puritatem fidei describentes ostendimus, quomodo S. Paulus in tertium ascendit cœlum, æternamque sibi nominis gloriam in Ecclesia paravit; sacrarum quoque Scripturarum huic ex Davidica lucerna accensa est meditatio, secundum istud: In meditatione mea exardescet ignis. Siquidem amor, cœlestis contemplationis igne ipsum accendens, sublimium rerum ardorem excitabat. Nam omnem et antiquam et novam Scripturam evolvens, et ut nemo alius, in ejus contemplationem incumbens, totam accurate ad verbum interpretatus est: atque ab ipsa mundi creatione usque ad ultimum gratiæ librum, quæ abdita et recondita erant, commentariis illustravit; Spiritus, lumine usus. Neque vero dumtaxat hujus nostræ divinitus concessæ sapientiæ latices hausit, aliisque impertitus est; sed etiam eas, quæ ad recte ornateque dicendi rationem, ac ad doctrinæ subtilitatem E pertinent, artes atque disciplinas, quatenus ducebat utiles, rejectis vanis stultisque rebus, æquitatis lance actionem contemplationemque ponderans, exercuit. *Job 28. 28* *religio* *2 Cor. 12* *Psal. 38. 4* *studium sacrarum Scripturarum, quas omnes exposuit, et eloquentiæ ac philosophiæ.*

11 Animi porro corporisque munditia, pro hominis natura, imo et supra conditionem quasi humanam, cum sit gratiæ donum, excelluit. Neque enim animum ab ea affectione, quæ est secundum rectam rationem, aberrare patiebatur; revera autem animo quidem imperabat, corpore autem resplendebat. Quod ex insidiis, quæ ei (sicut memoriæ est proditum), ab impudica structæ sunt muliere, satis confirmatur. Nam cum ea tamquam esca quadam malitiæ ad falleudum insignem ac rarum hunc virum homicida Belial usus esset tantum abfuit, ut quod sperarat consequeretur, ut etiam adversus ipsum insidiatorem, eam ipse decertantem in conflictu constituerit: si quidem cohortationibus, atque admonitionibus, divinarumque rationum quasi incantationibus, ipsam conversam ad meliorem frugem perduxit; et ex impudica pudicam, ex lasciva gravem, ex inquinata puram castamque reddidit. *castitas,* *insidiante meretrice conversa*

12 Jam vero diffluentes ac perpetuas ipsius lacrymas referre volenti vere oboriuntur lacrymæ: cum vix absque lacrymis ejus lacrymarum pelagus liceat F transfretare. Nam sicut cunctis hominibus citra intermissionem spiritum ducere est proprium, ita Beato Ephræm assidue lacrymas profundere, natura quodammodo videbatur insitum. Nulla quippe dies, nulla nox nulla diei noctisque pars, nullumque brevissimi temporis momentum fuit, in quo non vigiles ipsius oculi lacrymis conspicerentur perfusi. Nunc enim communes, nunc privatas, ut aiebat, calamitates, absurditatesque deplorabat, suspiriis porro oculorum flumina prudenter inhibebat, aut potius oculorum fluminibus suspiria excitabat. Eratque rei utriusque progressus admirabilis, licet alioquin utrumque alterius videretur caussa: profluebant quippe ipsi lacrymæ, multisque incognita erat caussa. Cum enim tempus illas non auferret, sed mutua quadam vicissitudine, et lacrymæ suspiria, et suspiria lacrymas exciperent, utrorumque latebat caussa. *assiduæ lacrymæ,* *et suspiria*

13 Illud vero cognoscet, quisquis ipsius scripta evolverit. Neque enim tantummodo, ubi de pœnitentia, de moribus, de rectis vitæ institutis agit, ipsum plangentem ac suspirantem inveniet; verum et in ipsis laudationibus *in scriptis vis excitandæ compunctionis,*

AUCTORE S. GREG. NYSSENO.

A laudationibus quas plerumque omnes multa aspergere solent hilaritate. Hic vero eumdem se ubique præbuit, assidueque lugendi munus, ut divitias, expetivit, unde et nunc fere cunctos ipsius sermonum auditores ad veram amplectendam vitam revocat : tantam ipsius mixta lacrymis vim continet oratio. Quis enim ita duro et adamantino est corde, qui ejus verba audiens, non mansuefiat, morumque asperitate abjecta, suis ipsius peccatis ex animo non doleat? Quis adeo ferus est et immitis, qui salutarem ejus doctrinam auribus percipiens, tempus non deploret quod perperam transegit? Quis adeo immanis atque crudelis, qui simul ac verba ejus quovis melle dulciora gustaverit, non se mox mitem amabilemque omnino exhibeat? Quis abhorrens a lacrymis ita se tradidit voluptatibus, quin vel modicis illius verbis auditis, retributionem illam, quam pro vita anteacta accepturi sumus, in memoriam reducens, non lamentetur ac lugeat?

*a* 14 In rebus quæ fieri nequeunt, illud passim usurpatur proverbium : *a* Lapidi misericordiam persuades, at istud fieri posse, nos experimento edocti didicimus. Sanctus quippe hic senex animos, quos ob malam obstinatamque duritiem lapides diceres, plane emollivit ac fregit, flexitque ut voluit. *aliarumque virtutum.* Quis enim ejus de humilitate orationem legens, non omnem mox de se B existimationem, stultamque arrogantiam deponat, ac se omnium abjectissimum confiteatur? Quis ea quæ de caritate conscripsit, lectitans, non sic accendatur, ut ad quodvis etiam subeundum periculum paratus sit? Quis illa evolvens, quibus virginitatem laudat, non se Deo castum corpore animoque offerre contendat? Quis audiens, vel legens ejus sermones, quibus judicium extremum, sive secundum illum Christi adventum describit, non ita corde et animo afficiatur, quasi ad illud judicium jam jam sistendus esset, metuque repente sic exhorrescat, ac si adversus ipsum sententia Judicis feratur? nam ita futurum Dei judicium accurate ac plene expressit, et ob oculos omnium statuit præclarus ac sanctus hic vir; ut ad ejus cognitionem aliud nihil videatur deesse, nisi ut res ipsa agatur ac coram fiat.

*a* Λίθον ἕψεις, lapidem aqua decoquis.

## CAPUT IV.

### *S. Ephræmi commoratio, eruditio.*

*solitudo expetita, Psal. 54, 8.*

Cum ergo in talibus de judicio cogitationibus Beatus ipse semper occuparetur, mundum et quæcumque in eo sunt, effugit : procul vero recessit fugiens, sicut C scriptum reperitur, et mansit in solitudine, Deo et sibi ipsi vacans, indeque virtutum præmia referens. Recte enim jam noverat, eos qui solitariam amplectuntur vitam, ex turbulentis hujus seculi perturbationibus atque procellis liberari, et ad quietis tranquillitatisque portum feliciter pervenire, ubi consuetudine perfruuntur Angelorum; mentibusque sublimes, quantum licet, rapi ad contemplationem Dei. *Deo jubente, relicta* Quando porro spiritus illum commonefaciens ad multorum ædificationem sic disponebat, ut loca mutaret, non resistebat, sed humiliter obsequebatur : erat enim jussis mandatisque Dei, si quis alius, obtemperans. *a* Inde, uti jussus Divinus ille Abraham, urbem, quæ eum tulerat, petiit. Edessenorum neque enim conveniebat, ut sub terra diutius sol occultaretur. Hisce vero de caussis eo concessit, ut loca ibi sancta inviseret, *b* tum ut sapientem aliquem conveniret virum, ac cognitionis ipse fructum vel caperet, vel aliis praberet.

16 Ad eam igitur dum appulisset civitatem, et jam portam introiret, loco sapientis viri, quem optarat, scortum sibi obvium habuit : in quod spectaculum per molestum cum præter expectationem incidisset, D tamquam spe sua dejectus, *c* oculos avertebat. At contra, improba fæmina defixis in eum oculis inspiciebat. Cui Ephræm, O mulier, inquit, dic mihi, cur me usque adeo intueris? At illa prompte; Quoniam, inquit, ex te viro ego sum : *d* tu autem me ne respicis quidem, sed in terram, ex qua sumptus es, oculos tuos retorques. *proſectus vel ex meretricis apto apophthegmate :* Quam quidem inexpectatam responsionem vehementer sibi profuisse, vir sanctus ac prudens confitebatur. Quapropter infinitam Dei potentiam laudavit, qui interdum, ea, quæ speramus, præter spem nobis elargitur.

17 Inde Cæsaream Cappadociæ Divino ductus Spiritu cum petivisset, ipsum ibi os Ecclesiæ, auream scilicet illam doctrinæ lusciniam, Basilium vidit atque cognovit : quem senex intuitus, multis faustis cœpit venerari vocibus. *visa columba, Basilio suggerens dicenda :* Siquidem perspicaci mentis oculo conspexit *e* refulgentem columbam humero ipsius insidentem dextero, verbaque sapientiæ subministrantem, atque ipsum ea populo depromentem. Ex ea quidem ardua ac veneranda columba instructus ille, sancti hujus Patris cognoverat peregrinationem, eumque esse Ephræm illum Syrum. Per opportune igitur, ambo mutua inter se fruebantur consuetudine; *mutua agnitio :* ita ut laboriosa illa peregrinatio ipsi Ephræm inutilis non exstiterit. E

18 Naturalis porro vitæ innocentia, malorum ipsi ostendebat fugam : nam ex ea discebat et meliora prospicere, et deteriora evitare, atque illas sententias ac rationes eligere, quæ puræ essent, quæque ad excolendam honestatem conferrent, et docendi usum nequaquam impedirent. *summa ejus eloquentia,* Abundanter quippe sancto seni concessum a Christo erat sermonis talentum, quod cum ad mensas cordium plurimis impertiretur, ei tamen cumprimis profuit. Fertur autem hæc ipse de se dixisse; *f* sibi, cum primum e tenera illa excederet ætate pueritiæ, arcana ejusmodi contigisse visa : *ipsi puero visione vitis præostensa,* ipsi etenim juxta linguam admodum fructifera enasci videbatur vitis, quæ quidem ita excrescebat, ut universum terrarum repleret orbem : cuncta autem cœli volatilia adventabant, et de fructu ejus comedebant : ipsa autem vitis, quanto plures volucres decerpentes fructus excipiebat, tanto amplius racemis abundabat.

19 Illud præterea, quod ad ipsum pertineret, alius *et alteri* quidam homo perspicax se comperisse testatus est : Angelorum scilicet copiam descendentem e cœlo, volumen intus ac foris conscriptum detinere manibus. Sic vero sanctam illam colloqui visam esse aciem : Quis, putas, volumen istud in manus accipiet? *conspecto libro ab Angelis data;* Et hos quidem hunc, alios illum, alios vero alium ex præstantioribus eo tempore hominibus, respondisse : deinde F autem post omnium subjecisse probationem : Isti quidem sancti ac ministri Dei sunt; sed hoc volumen in manus accipere nequeunt. Cumque jam varios ex tunc viventibus nominassent, neque quisquam ex iis placuisset, demum communi omnium consensu in eam pariter convenerunt sententiam, ut dicerent, a nullo alio istud volumen in manus posse sumi, præterquam ab Ephræm Syro. Tuncque cœlestes Angelos idem conspexisse fertur, Ephræm volumen tradere; noctuque surgens, ad ecclesiam, viso illo eruditus, perrexisse : auditoque ipso Ephræm, qui tunc insignem gratiaque plenam habebat orationem, quid visum illud designaret, cognovisse Deumque collaudasse, et tam præclarum dicendi donum viro sancto datum admiratum fuisse. Tantam enim sapientiæ abundantiam largitus illi Deus fuerat, ut quantumvis ei perpetui quasi verborum fontes suppeterent, rebus tamen explicandis pares nequaquam essent. Illudque non tam linguæ tarditate, quam cogitationis celeritate accidebat : lingua enim cogitandi aliorum vim exæquabat, attamen tardior erat, quam ut ipsius sententias adsequi posset. Unde magnus senex, singulare quoddam a Deo

eloquendi

A eloquendi donum efflagitabat, hisce verbis: *g* Largire, Domine, flumina gratiæ tuæ: siquidem doctrinæ profunditas linguam ipsius absorbebat, ut sensa animi efferre nequiret, cum muneri concionandi instrumenta ad diserte dicendum opportuna deficerent.

*vix tamen celeritati cogitationum ejus par.* *g*

a *Ita vertimus ex Græco, ut § 3 num. 19 exposuimus. Vossius habebat* unde patriam, sicut magnus ille Abraham, relinquere jussus, Edessenorum urbem petiit. *At* relinquere *abest a Græco.*

b *Addit Metaphr. ut sacras Reliquias adoraret.* c *Male ergo Metaphrastes:* constitit in eam defixis intuens oculis, et quasi emotæ mentis, tristisque et apud se perturbato animo, quod non ut precatus fuerat, sed contrarium potius evenisset ejus quod petierat. d *Item Metaphr.* Te vero non nos, sed terram potius oportet aspicere, ex qua ipse rursus sumptus es. e *Al.* albam, *ait Vossius.* f *Minor Vita habet, eam visionem parentibus ejus oblatam. Metaphrastes, uti Nyssenus, ipsimet Ephræmo.*

g *Metaphr.* Remitte, o Domine, undas tuæ gratiæ *Græce est:* ἄνες, ὦ δέσποτα, τὰ τῆς χάριτός σου ῥεύματα. *Quod ambiguam videri potest habere sententiam, quasi scilicet aut restringi velit nimis exundantem gratiam, uti ille qui clamabat,* Satis est, Domine, satis est; *aut laxari et effundi flumina eloquentiæ.*

## CAPUT V.

### *Conciones. Vitæ austeritas.*

Conciones porro ipsius, aliud nihil nisi precatio interpellabat: precationemque iterum conciones: has lacrymæ, lacrymas rursum preces excipiebant: eratque sermo sermonis, aut, ut magis proprie dicam, in B sermone assidue in Divinarum rerum contemplatione occupatus. Nam ipsum quidem corpus ita confecerat, ut rationi quasi dominæ obtemperans, non magis, quam si emortuum esset, voluptatis ullum sensum haberet. Cumque ad ea quæ non decent, obeunda, inedia atque abstinentia prius domitum, immobile languesceret, illis tamen quæ animarum conferunt saluti perficiendis, robore præstabat. Quid, quod ne noctes quidem, somniorum simulachris atque imaginibus sæpe decipientes, ei virtutis ac pietatis cursum in ullo interrumpebant? Nam quem aggredientes exceperant sobrium, eumdem recedentes relinquebant vigilantem, illudque sedulo curantem, ne manus principis istius tenebrarum ipsum somno oppressum deprehenderet. Tantum vero temporis quieti tribuebat, quantum vitæ degendæ necessarium ducebat: ne naturali penitus sublata vicissitudine, caro violentam dissolutionem sustineret. Cum autem varia essent quæ ab oculis ejus somnum depellebant, tum illud imprimis, quod asperam ac duram vitam agens, multisque modis corpus suum affligens, humi etiam cubaret. Nam hisce potissimum rationibus somni affectio excuti solet.

*Concionandi prædicandique assiduitas,* *abstinentia,* *vigiliæ,* *humi cubatio*

C 21 Paupertatem porro tantam servabat, quantam vel sanctis ipsis audis fuisse Apostolis. Quapropter si quis eum paupertatem colentium exemplar appellarit, haudquaquam a veritate aberrarit. Dulcissimam sane prorsusque beatam illam nobis vocem, velut paupertatis magistram, hinc in cœlum emigraturus, reliquit, qua aiebat: Nec crumena, nec loculus, nec pera Ephræmo unquam fuit. Numquam aurum, aut argentum aut ullam rem aliam in terra possedi. Nam bonum Regem ad suos dicentem discipulos audivi in Evangelio: Nihil in terra possederitis. Quamobrem nulla me rerum ejusmodi cepit cupiditas. Gloriæ igitur et pecuniæ contemptor cum esset, ac præstantiora amaret, ad ipsos Apostolos in eo suo cursu quam proxime accedere nitebatur.

*paupertas* *Matth. 10, 9*

22 Quid vero animi ipsius submissionem commemorem atque humilitatem; cum ea ipsa virtus passim in cunctis ejus sermonibus ac scriptis sese singulariter ab eo fuisse excultam quodammodo clamitet? Quando enim unquam ad arrogantiæ elationisque lapidem pes ejus offendit, qui lacrymas lacrymis provocabat, ac cinerem tamquam panem manducabat, et aspera atque inamœna vita (ut sacra illa personant verba) potum cum fletu miscebat? quique ab omni D vana atque mundana abhortens gloria, cum in hac adhuc peregrinaretur vita, si a quoquam se laudari animadvertebat, ægro animo ferens, aliumque alias colorem capiens, atque oculos in terram demittens, tenui ac subtili madebat sudore, altoque silentio, tamquam verecundia linguam præpediente, corripiebatur. Jam autem hinc ad beatam cœlestemque illam emigraturus vitam, gravi quodam interdicto illud ipsum vetans, dicebat: nulla Ephræm cecineritis carmina, nullamque laudationem adhibueritis. Ne me cum pretioso sepeliveritis vestimento: neve privatim corpori meo constitueritis tumulum: mihi enim cum Deo convenit, ut inter peregrinos commoret. Advena quippe sum ego, et peregrinus, sicut omnes patres mei. Sicut ergo aliarum virtutum, ita hujus etiam eximia atque præclara habes indicia.

*humilitas,* AUCTORE S. GREG. NYSSENO. *Psal. 101. 10, horror laudis,* *etiam testamento vetat*

## CAPUT VI.

### *Misericordiæ opera, lucta cum hæreticis.*

Eorum enim quæ ad eleemosynam, et commiserationis affectum pertinent, hunc non effectorem dumtaxat, sed et doctorem extitisse, veritatis præscriptio E lexque ipsa confirmat. Nam eum ex perfecta, quam amplexus fuerat, paupertate, reliquum nihil haberet quod egenis impertiretur, frequentibus tamen cohortationibus alios ad misericordiæ opera commovendo eleemosynas erogabat. Erat quippe ipsius oratio, licet vultus non conspiceretur, tamquam divinitus fabrefacta quædam clavis, divitum thesauros recludens, et indigentibus necessaria suppeditans: aspectusque ejus angelicus sufficiens erat, qui per se absque ulla oratione intuentes, etiam agrestes et inhumanos, ad commiserationem permoveret: tanta in eo conspiciebatur tum simplicitas, tum mansuetudo, tum probitas, nullusque adeo reperiebatur impudens, qui non ipsum inspiciens, rubore quodam perfunderetur atque verecundia, ac seipso melior non redderetur atque modestior.

*misericordiæ in eo affectus.* *opera alius personam,* *verbis, et solo vultu.*

24 Et quamvis ita multa in hoc viro perfecta extiterint, ne quis ob id existimet absolutam ei rerum Ecclesiasticarum defuisse cognitionem. Quid enim otii suppeteret ipsi, diceret talis aliquis, ut ad tot virtutum studia divideretur? Sane quidem non leviter rerum Divinarum cognitione erat imbutus. Neque enim catenus dumtaxat illam attigit, ut dicendo alios erudire posset, sed tam pietatis atque eruditionis instituta, quam ea, quæ illis repugnant, omnino adsecutus est: illa quidem ad instruendum populum, hæc ad coarguendos hæreticos. Bono quippe zelo in illas F pietatis inimicas bestias ferebatur. Siquidem sermone quodam, qui fama etiam potius quam scriptis ad nos devenit, unde ipsum veritatis studiosissimum extitisse facile intelligi poterat; Apollinarium levem, imo dementem atque insanum nuncupabat, qui res novas moliens, multa impia, Scripturæque sacræ adversantia duobus comprehensa libris, e suo eructans ventre, admodum insulse ac temere proloqueretur. Illos vero libros cuidam, quam in delitiis habuisse ferebatur, fœminæ ad servandos commiserat. Quæ cum magno innotuissent Ephræm, ipse ejusdem se opinionis esse confingens, fœminam, quæ istos libros profanos custodiebat, adiit: et de se, quis sit, et quam fausta ei ex eremo adferat, patefecit: nonnullaque forte id genus alia adjiciens, tandem rogat, ut præceptoris sibi scripta publicæ utilitatis caussa exhibeat, ut nobis scilicet, quos tunc hæreticos vocabat, repugnare commodius posset. Quibus capta verbis fœmina, eumque ex illis unum, qui Apollinarii sustinerent partes, reputans, libros præbuit, eos tamen sibi celeriter restitui

*zelus contra hæreticos.* *Apollinarii libri, dolo bono, glutine connexi,*

A restitui deprecans. Ceterum magnus hic Jacob, dementem supplantans Esau, ac flagitiosa illa primogenita rapiens, prudenter oppressit : nam piscis glutino *a* omnes illinens, ita folium folio connexuit, ut cum pars una ab altera ob firmam conjunctionem plane sejungi nequiret, in unam quasi tabulam singuli libri apparerent redacti. Sicque eos mulieri, a qua commodato acceperat, reddidit. Quæ quidem artificii ejusmodi, uti mulier, ignara, cum formam eorumdem exteriorem salvam cerneret, quid intersecus esset, diligentius inspicere neglexit.

AUCTORE GREG. NYSSENO. *a*

25 Dies vero haud ita multi elapsi erant, cum Orthodoxis quibusdam defert sanctus senex, ut Apollinarium accirent, et cum eo sermones conferrent. Is provocationem acceptans, impiis illis libris fretus, ad statum diem venit : ac dicere quidem pro se, quod gravi jam premeretur senio, renuit; postulavitque ideo sibi proferri libros, ut ex illis respondere posset, atque contradicere. Cum ergo ejus disciplinæ consortes in medium libros produxissent, magnifice propter eos superbientes, inveteratus ille dierum malorum, judex injustus unum ex iis in manus sumens, aperire atque explicare nitebatur. Sed quod glutino unctus non cederet; ad partem ejus mediam aperiendam est aggressus, eamque ipsam eodem conglutinatam modo invenit. Quare sua illa ex priore libro frustratus spe, ad alterum se contulit, quem quidem totum ita firmiter connexum cernens, ut prorsus explicari nequiret, tanto rubore atque pudore suffusus est, animoque usque adeo perturbatus, ut ex eo consessu abiens, quasi mentis atque consilii inops, et exanimatus, in morbum prolapsus sit : illamque ignominiæ notam ita ægre ac moleste tulit, ut parum admodum abfuerit, quin tum mortem obiret. *b*

*Ipseque eo facto delusus,*

B

*perturbatus, morboque correptus.*

*b*

*S. Ephræmi labores pro fide.*

26 Talis autem pietatis zelo extitit magnus noster Pater et Doctor S. Ephræm, nam alias mansuetum se præbens ac mitem, cum nulla decertandi necessitas urgeret, alias acerbum ac gravem, cum fidei periculum immineret, cuncta prudenter pro temporis ratione moderabatur. Et ex hoc quidem erga Deum zelo, non minus quam ob multa jejunia, ac lacrymas, continuasque preces, commendandus est : atque haud scio, an propterea etiam magis, quod ista in eo uno concluderentur, illa ad utilitatem quoque communem pertinebat. Quemadmodum enim verum insignis alicujus venatoris specimen exhibetur, cum bellicosas insequitur feras, bonique gubernatoris virtus se prodit in tempestate adversa, medici prudentis in gravioribus morbis, militis strenui in ipso pugnæ discri-
C mine; ita quoque pietatis ac religionis studiosum virum magna ac difficilia pericula ostendunt, cum et se et alios ex insidiis periculisque eximit.

*a* *Sive* Ichthyocolla, *ut habet Metaphr.* *b* *Imo diserte Metaphrastes* : Et tandem male periit, fructum suorum laborum et librorum mortem colligens. *Id si verum est, ut notavit Baron. ad an.* 373, *num.* 27, *debet de seniore Apollinario intelligi, qui, ut testatur Socrates lib.* 2, *c.* 46 *sub Juliano Imp. adhuc vixit et multa carmina scripsit. Filius vero post S. Ephræm,* sub Theodosio Imp. obiit, *ut habet S. Hieronymus de Scriptorib. cap.* 104.

## CAPUT VII.

### *Imitatio sanctorum Patrum.*

Nullum sane virtutis genus a veteribus excultum est, in quo hic etiam non excelluerit. Quare et animum ipsius utilitate, dulcedine, jucunditate scaturientem, fonti cuicumque aquarum abundantia fluenti similem dicere possumus vel prato diversis fragrantibus floribus resplendenti, vel cælo variis stellarum luminibus distincto, vel Paradiso, quem in Eden fuisse audis, innumerabili fructiferarum arborum copia decorato; (ita tamen ut serpenti maligno, communisque

*ornatione pulcherrimo*

exilii auctori, nullus omnino in eum aditus detur) D
aut si quid aliud venustum amœnumque multis variisque bonis cohonestavit natura; talem quoque beatum illum magni Ephræm animum, plurimis undique virtutum generibus exornatum puta, nam semper vir ille admiratione dignus, in eam incubuit curam, ut perfectum absolutumque cujusvis generis virtutum chorum possideret; ac quibus reliqui singulis antecelluerunt, ea cuncta solus ipse adsequeretur. Siquidem ut Sacerdos, eum qui inter justos primus recensetur Abel imitatus, non ex ovium gregibus, neque ex adipe sacrificia Domino obtulit; verum absque sanguine, rationabile obsequium, vitæ puritate sacrificavit; ea dumtaxat re Abel dissimilis, quod a nefario homicida, ut ille, peremptus non fuerit; sed inimici dæmonis evitans laqueos, superatis insidiis, ad vitam omni fine carentem, sicut ille, pervenerit. Enos porro spem sic æmulatus est, ut non solum Domini Dei sui nomen invocaverit, verum et alios, ut idem illud implorarent, edocuerit. Enoch autem ut similis redderetur, operam dedit, non quidem admirandam ejus e terra in Paradisum translationem atque secessum, sed ex materiæ perturbatione, in spiritum translationem, æmulando. Noe etiam similis extitit, non quidem modicam in arca lignea generis conservationem, at suam
E potius animi incolumitatem procurans, ut vitæ procellas tutius subterfugiens, nullum virtutis naufragium pateretur.

*Exprimit virtutes Patriarcharum.*

*Abelis,*

*Enos,*

*Enoch,*

*Noe,*

28 In plurimis quoque Abrahæ æmulator fuit; atque ut fidem, mansuetudinem, et amorem in Deum taceam, in eo potissimum, quod quemadmodum propriam terram atque cognationem ille, ita quoque hic noster Ephræm mundum effugit, et in suo corpore unigeniti sacrificium expressit, Deo seipsum consecrans, et membra, quæ super terram sunt, mortificans. Isaac vero imitator extitit, propter mortem, quam prompto tranquilloque subire paratus erat animo, non tamen inserente patre : quin, et quotidie instar Apostoli, corpore quidem fructum, quod attinet ad propositum, percipiebat, spiritu autem Deo, ob castum corporis velut in ariete sacrificium, vivebat. Jacob porro æmulator fuit, supplantando ipsum Esau, hoc est, hæresum parentem, ac primogenita, id est, recta Ecclesiæ decreta, accipiendo : in eo præterea, quod non scalam a terra ad cælum usque pertingentem, sed oblongam ignis columnam, pulchriorem mysterii profunditatem indicantem, conspexerit : quodque hic discipulis, quemadmodum ille filiis, ex hac emigraturos vita, benedictiones impertitus sit : quas qui promus excipiebat, magni illius Jacob esse, arbitrabatur. Verum ipsius Joseph similitudinem, F
vel maxime expressit vitæ integritate, et corporis castitate; multo autem magis per hoc quod sicut ille triticum, ita hic verbum salutis communicavit.

*Abrahæ,*

*Isaac,*

*Jacob,*

*Joseph,*

29 In non paucis quoque Moysi simillimum sese præbuit : nam et ipse Pharaonem diabolum fugit, et commoratus est in solitudine, Deumque vidit, quatenus contemplatione videri potest; resque admirandas peregit, ac doctrina se ducem atque magistrum populo exhibuit; Ægyptiosque decepit, eorum divitias surripiens, hæreticorum scilicet libros, de quibus ipse triumphavit : salsum quoque ac potui minime convenienş infidelitatis mare divisit, populumque fidelem in magno numero trajecit : Pharaonis vero exercitum, impiam nimirum calumniatorum progeniem, prostravit atque oppressit et Amalec (si quem hæreticorum eo nomine appellare velis) in fugam vertit ac profligavit. Legem bene Christianeque vivendi a Deo accepit et nobis universis eam tradidit : Tabernaculi exemplar in monte contemplatus est, non Moysis, sed horrendi illius judicii futuri : Sacerdotes constituit, ac de sacrificio leges præceptaque tradidit :

*Moysis,*

aquam

aquam e petra eduxit, dum corda lapidea ad lacrymas fundendas commovit: pane cœlesti, sicut ille, abunde populum pavit, caritatis nobis sermones proponens, quibus maxime corroborantur animi, et ad sumendum cum fiducia divinum ac sacrum hunc panem, qui pro nostra salute huc e sinu Patris venit, accenduntur. Coturnices quoque fidelibus, ut ille, exhibuit, ostendens quonam pacto per Dei recordationem in cœlum sese tollant, ac quæ ibi sunt pulchra, contemplentur. Et hoc quidem modo atque ratione, si quæ Pater hic graviter ac strenue gessit, priscorum actionibus conferre lubuerit, illis nullatenus inferiorem comperies.

30 Ipse namque, ut Jesus Nave, Jordanem quoque divisit, cum clausas divitum manus benignitate aperuit; ac populo terram, non quidem abjectæ hujus promissionis, verum cœlestis regni, distribuit. A sua infantia, ut Samuel, consecratus est Deo. Divinamque vocem, ut ille, audivit. Sicut Elias Sacerdotes turpitudinis coarguit, ignemque divinum orationis sacrificio, non semel, sed sæpius deduxit; igneoque virtutum curru, non in æthera, sed in ipsum cœlum sublatus est. Sicut Elisæus duplicem Spiritus gratiam consecutus est. Sicut Prophetæ, divinæ visionis munere ac gratia donatus est. Quin et ipsa me movet ratio, ut eumdem hunc, vel cum illo, quo inter natos mulierum nullus perhibetur extitisse major, comparare audeam; cum illo, inquam qui inter legem et gratiam fuit medius. Siquidem hic, ut Precursor ille, eremum coluit; et ad eum quoque factum est verbum Dei: ac præconem agens pœnitentiæ, docuit confiteri peccata accedentes ad se, sicut Paulus autem vas electionis, varias tribulationes atque tentationes pertulit; pœnitentiæque semina, ut ille fidei, sedulo sparsit.

*Samuelis. Eliæ. Elisæi. Joannis Baptistæ. Pauli.*

## CAPUT VIII.

### *Testamentum. Mors. Miracula.*

Sed quid necesse est hunc cum Sanctis sigillatim conferre, cum ejus recte factis totus terrarum orbis sit plenus? prolixior autem oratio superna canea sit, cum ipsa satis appareant opera, ipsaque verborum multitudo fidem infirmare videatur; quasi non satis ex ipsis rebus declarentur virtutes, sed sermonis adhuc auxilio indigeant. Quapropter operæpretium fuerit, tamquam suavissimum quoddam condimentum huic orationi adjungere; percelebrem nimirum, prodigioque similem ipsius ex hac mortali vita exitum. In cœlum ergo jam perrecturus sanctus hic vir, iis qui tunc ibi aderant mandabat, ne pretioso cum vestimento corpus suum sepelirent, et si quis amantior Patris tale quidpiam cogitasset aut præparasset, id ne exequeretur, sed consilio in melius commutato, hoc ipsum, quod sepulturæ cohonestandæ decrevisset, pauperibus impertiretur.

*Moriturus mandatum, de sumptu funeris dando pauperibus.*

32 Cum igitur unus eorum qui aderant, præcipuæ nobilitatis vir, magni sane pretii vestimentum parasset, quo sancti senis corpus amictum sepulturæ traderet; *a* increpatione illius audita doluit, et melius esse animo reputans, si tantum stipis, quantum vestis constiterat, ejus loco indigentibus daret, paratum vestimentum pauperibus elargiri distulit. Quamobrem mox a maligno correptus dæmone, quod mandatis non paruisset, gravissimas pœnas dabat; seque ante lectulum, in quo vir sanctus decumbebat, ore ferventes agens spumans, dilaniabat. Ad quem vir Dei clementissimus calamitosum conversus, Quidnam, inquit, admisisti, o homo, ut in hoc periculum conjiceris? Ille vero senis mandato excitatus, licet ejus menti tenebras cacodæmon offudisset, secretum, quod apud se conceperat, non obtemperandi jussis ipsius consilium patefecit. Quem confitentem benignissimus vir commiseratus, manuum sanctarum impositione et precibus hominem protinus ab illa affectione liberavit, et pristinæ sanitati restituit, eumque sic est allocutus: Perfice, homo, quæ dudum promisisti.

*Negligentis non obedire, itemque correpti a dæmone curatio.*

AUCTORE S. GREG. NYSSENO.

33 Quo quidem demonstrato miraculo, cum jam vitæ finis immineret, eos, qui tunc aderant, multis piis commonitionibus ad virtutis studium atque amorem cohortatus, ut postrema ejus declarant verba; ad tranquillum æterni regni portum feliciter emigravit, sanctaque ac Deo grata accessione, numerum Beatorum, qui ab initio fuerant seculi, cumulavit. Nam in cœlestibus anima ipsius consedit tabernaculis, ubi Angelorum sunt ordines, ubi Patriarcharum populi, ubi Prophetarum chori, ubi Apostolorum sedes, ubi Martyrum gaudium, ubi piorum lætitiæ, ubi Doctorum splendor, ubi celebres primogenitorum cœtus, ubi puræ exultantium voces, ubi illa bona patent, quæ Angeli prospicere optant. In sanctum illum locum, felicissima beati clarique Patris Ephræm anima pervenit. Arbitror vero cum in cœlum ipse ascenderet singulas, quas in hac vita excoluerat virtutes, præcessisse, ac res illas reconditas et speciosissimas, quæ mortalibus cerni nequeunt oculis, demonstrasse; omniumque excellentissimam caritatem sic ad eam accedentem dixisse: Intuere, dilecta anima, pulcritudinem, quam tibi comparavi; simulque delicias ostendisse. Moxque accurentem Humilitatem, ita eam compellasse: Aspice, anima Deo cara, cujusmodi ego tibi locum quietis exornavi. Tum ceteras omnes sigillatim recensuisse demonstrasseque præmia, quæ jam inde, cum ab ipsa adhuc in corpore excolerentur, atque exercerentur, in futurum comparabant. O decantanda, et imitatu dignissima emigratio! o mors lacrymis non indigens! o separatio, optatam societatem concilians! o transitus, cujus transeuntem minime pœnitet! o funus, omnis doloris atque molestiæ expers! Dum enim ipsius mores suspicimus, consolationem inde percipimus. Aliorum quippe hominum mors, illis qui relinquuntur, lacrymandi præbet caussam; Sanctorum autem, lætitiam nobis celebritatemque conciliat. Quare ista non dicenda mors, sed potius transitus, et ad vitam hinc meliorem emigratio.

*S. Ephræmi obitus. Animæ ejus, virtutibus comitantibus, in cœlum ingressus.*

34 Hæc sunt, quæ tibi, Patrum optime, mundique Doctor clarissime, laudum præconia audax lingua, ut vilia munuscula, offert: non ea quidem pro dignitate, neque ut indigenti tibi, (quam enim afferre queat gloriam oratio, quæ laudati meritis plane superatur?) verum propter viventium potius utilitatem: nam bonorum atque præstantiorum virorum encomia, maximam plerisque consolationem et cohortationem ad meliora adferunt. Hanc vero laudandi provinciam alacrius suscepimus, cum variis aliis adducti rationibus, præter vitæ doctrinæque tuæ famam toto terrarum orbe celeberrimam; tum cura illa; quam in homine *b* ejusdem nominis liberando adhibuisti. Illi siquidem nos ad subeundum hoc onus impulit, qui a posteris Ismael in bello captus in longius a patria diu commoratus, cum jam ad eam redire desideraret, viamque commodam ignoraret, singulari ope tua, aptam ad salutem rationem invenit, et quod diu concupiverat, adeptus est. Cum enim in maximum vitæ discrimen adductus esset, (quod omnes viæ barbarorum interclusæ copiis tenerentur) te nomine dumtaxat invocavit, dicens: Sancte Ephræm succurre mihi. Sicque tuto periculorum laqueos evasit, ac mortis metum neglexit, inopitamque consecutus salutem, patriæ, tuo munitus præsidio, præter spem est restitutus. Quare ad ista enarranda audacius aggressi, laudes tuas impuris attingere labiis non sumus veriti. Qua quidem in re, si quid profecerimus, id tuo nos adsecutos auxilio fatebimur, tibique acceptum feremus: sin vero tua dignitate

*Cur hæc scripta? captivo eum invocanti inopinato reditus ad suos concessus.*

A dignitate multo inferiores sint nostræ laudationes, te quoque (licet forte audacius hoc dictum videatur) in caussa fuisse dicemus, qui et vivens et defunctus, modestia humilitatisque studio, te collaudare cupientes impedis. Verumtamen, sive istud sit sive illud, nos quantum tulerunt vires, pietatis officio satisfecimus: teque hoc ipsum minime nobis succensurum, neque tui amantissimos aversurum, verum æquo benevoloque animo filiorum balbutientium laudes admissurum confidimus.

AUCTORE S. GREG. NYSSENO.

*Ejus patrocinium ab Auctore implorat.*

35 Tu autem divino jam assistens altari, vitæque Principi, ac sanctissimæ una cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum memineris, veniamque nobis peccatorum impetra; ut sempiterna cœlestis regni beatitudine perfrui possimus; in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria cum Patre principio carente, et sancto ac vivificante Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

a *Ita Græca, et Metaphrastes. Ast hæc ita verterat Vossius*, postposito ipsius quod audierat mandato, plurimque magis ac pauperibus præferendum honorem, quem ipse excogitaverat, arbitrans, vestimentum pauperibus elargiri distulit.

b *Id est, Ephræm, ut ex Græco patet, quod ita habet* · και υποδύτρωσις ἡ εις τον σοι γεγενημενον όρωμεν.

B

# VITA S. EPHRÆM

## AUCTORE ANONYMO,

### interprete Gerardo Vossio.

*Ephræm cujas? quando natus?*

Sanctus hic Pater Noster Ephræm, ex Oriente oriundus, Syrus genere, piis parentibus natus in Edessa. Vixit temporibus Constantini Magni Regis, et aliorum qui post ipsum seguarunt; abstinens a puero ab omni re mala. Cujus *a* parentes eo adhuc puero, per somnium videlicet visionem conspexerant, quod ex ore ipsius Ephræm vitis adscenderet valde frugifera, quæ excrescebat, et replebat omnem sub cœlo regionem; veniebantque cuncta volatilia cœli, et comedebant de fructu vitis, et præter quæ comedebant, adhuc superabat fructus. Hic ab ætate juvenili eremum incoluit, compunctionis sibi abyssum vindicans, per quam et divinam Spiritus sancti gratiam suscepit.

*a quantus futurus præostensum :*

*In eremo degit*

2 De quo, quidam divino afflatus spiritu, per somnium vidit virum terribilem, tenentem chartæ volumen, et interrogabat : Quis, putas, accipere et custodire illud poterit? factaque est vox ad eum : Nullus alius, nisi Ephræm servus meus. Quo quidem adstante, et os aperiente, illudque devorante, illico fons sermonum a Deo proficiscentium scatu- C riit, compunctione et pœnitentia plenus, timorem commemorans judicii, et secundi cum majestate adventus universorum Regis et Domini Jesu Christi, veri Dei nostri, ut reddam unicuique secundum opera sua. Præterea etiam divinorum dogmatum rectitudinem ac veritatem libris mandavit.

*scientiam cœlitus haurit,*

3 Alius autem *b* quidam sanctorum senum, rursus in visione vidit Angelorum agmina ex cœlis divino jussu descendentia, et in manibus caput, id est, volumen intus et extra conscriptum, tenentia. Et dicebant inter se : Cui debet liber iste committi? Et alius quidem hunc, et alii alios nominabant. Alii autem responderunt dicentes : Vere sancti et justi sunt isti : verumtamen nemini hoc volumen credi poterit, nisi Ephræm miti et humili corde. Viditque senex, quod Sancto Ephræm tradidissent caput. Et surgens mane, audivit ex ore ipsius aptissimos pro aliorum instructione sermones, omnis compunctionis et timoris divini, velut ex fonte aliquo scaturiente, profluentes. Et agnovit senex, a Spiritu sancto illa suggeri, quæ ex illius ore manabant.

*b*

*quia mitis et humilis ·*

4 Captus est autem desiderio Sanctus hic Pater Noster Ephræm visendæ Edessenorum urbis, oravitque Deum dicens : Domine Jesu Christe, dignare me videre civitatem illam, et cum ingrediar, obviam mihi habere merear hominem ejusmodi, qui mecum a Scriptura sermonem exordiatur. Et ingredienti jam ei in locum, et pertranseunti portam civitatis, occurrit mulier, quæ in civitate erat meretrix: quam adspiciens servus Dei Ephræm, indoluit, sic secum loquens: Domine Jesu Christe, despexisti preces servi tui Ephræm : quo pacto enim hæc de Scriptura mecum disserat? Substitit autem meretrix, instuens illum. Ad quam Sanctus : Dic mihi puella, quid subsistis, et ita intentis in me intueris oculis? Cui respondens meretrix ait ad eum : Intueor te, quia ego mulier ex te viro sumpta sum. Tu autem ne me intuearis, sed terram, ex qua tu vir sumptus es. Quæ cum audiret servus Dei Ephræm, suspexit, et glorificavit Deum, qui talem ei sapientiam dederat, ut ejusmodi ab ipsa responsum acciperet. Et cognovit suam a Deo nequaquam fuisse spretam orationem : veniensque in urbem, diversatus est ibi.

D *it Edessam.*

*institutionis spiritualis gratia*

*ab obvia meretrice docetur terram adspicere*

5 *c* Casu autem juxta ejus hospitium alia meretrix habitabat : quæ, cum ille per complures dies in urbe commoraretur, dixit ad eum : Benedic Domine Abbas. Et fixis oculis fenestram intuens, vidit illam prospicientem, aitque ad eam : Deus benedicat tibi. Ad quem illa · Quid tuo deest *d* septo atque domicilio? Cui Sanctus : Tres lapides et argilla modica, ut fenestra obstruatur, per quam prospicis. Cui ipsa respondit, dicens · Cum primum te alloquor, rejicis me · ego dormire tecum cupio, et tu vel a collocutione me excludis? Respondens autem illi servus Dei Ephræm, ait : Si mecum dormire velis, veni quo dixero tibi, ut ibi simul dormiamus. Ad quem meretrix : Dic mihi, inquit, locum, et veniam. Et Sanctus ad illam : Si condormire mihi cupias, non poteris alio in loco, nisi in urbe media. Respondens autem illa, dixit ad illum : Et non erubescimus conspectum hominum? Et respondens magnus Ephræm, dixit ei : Si homines erubescimus, multo magis Deum erubescere simul et timere oportebit, qui novit etiam occulta hominum : quoniam ipse est, qui veniet judicaturus mundum, et redditurus unicuique secundum opera sua. Hæc audiens meretrix, compuncta est ex verbis illius : et accedens procidit ante pedes ejus, plorans, dicensque : Serve Dei, deduc me in viam salutis, ut a multis meis malis, operibusque improbis liberer. Sanctus autem senex multis eam admonens ex sacra Scriptura, confirmansque illius pœnitentiam, misit ipsam in monasterium, et salvavit ejus animam ex cœno flagitiorum. F

*c aliam ad scelus invitantem,*

E

*d*

*Dei inculcata præsentia,*

*convertit ·*

6 Et discedens a civitate illa, venit Cæsaream Cappadociæ, ubi ingressus templum, repetit S. Basilium Archiepiscopum concionantem ad populum : et cœpit magna voce beatissimus Ephræm prædicare eum. Dicebant autem quidam de turba. Quis est iste peregrinus, qui sic laudat Episcopum? quippe adulatur ipsi potius, ut aliquid ei largiatur. Peracta autem jam concione, ait Basilius : Accersito ad me hominem, qui insistebat laudando me. Et accersito eo, dicit ipsi : Quid ita instanter vociferabis laudando me, Domine Ephræm? Respondens autem sanctus senex, dixit : Ideo perseverabam clamando, et laudando te; quia aspiciebam immaculatam columbam stantem in humero tuo dextero, et in aures tibi suggerentem, quæ populo concionabaris. Magnus autem Basilius Spiritu sancto plenus, ipsum agnovit, et dixit ad eum : Tune Ephræm es Syrus? Vere quemadmodum intellexi, sic et in te comperi, quietis amator. Scriptum habetur in Propheta David : Ephræm fortitudo capitis mei. Nam mansuetudo tua atque clementia et simplicitas clara est, velut lumen apparens omnibus.

*it Cæsaream.*

*videt columbam S. Basilio concionem suggerentem*

Psal. 59 et 107

7 *e* Alibi rursus transeunte Sancto Ephræm, fraudulenter

*e*

dulenter accessit ad ipsum meretrix, quæ assentatorie eum ad turpem pertrahere nitebatur commistionem sin minus, saltem ut ad indignationem ipsum commoveret, quod nemo unquam illum vidisset iratum. Qui dixit ad illam : Sequere me. Cum autem jam appropinquaret ad locum a magna civitatis turba frequentatum, dixit ad eam : Isto in loco, veni faciamus uti cupis. At illa videns turbam, dicit ad eum : Quomodo poterimus istud hic agere, in tanta hominum præsentia? nonne nos pudet? Et ait ad illam : si homines erubescis, quanto magis erubescere oportet Deum, abscondita tenebrarum redarguentem? At illa confusa, re infecta abiit, nihil perficere cum illo valens, et ne ad iram quidem eum concitare.

*alteri ad fornicationem vel iram volenti excitare,*

*Dei præsentiam inculcat*

8 Atque ista sunt certamina Magni Ephræm. Vir enim erat clemens ac patiens, mansuetus, purus ac simplex, in cognitione divina velut omni fuco carens, secundum quod scriptum est, demissus atque modestus, humilis, et compunctione plenus, supra fidem, ut etiam ipso tacente, vel ex solo aspectu intuentes ipsum docere videretur. Totus precibus ad Deum fundendis intentus erat. Hic igitur Sanctus Pater Noster, post vitam bene beateque peractam, et cum se exemplum divinæ virtutis exhibuisset, plurimosque sanctæ doctrinæ sermones exposuisset, præscius sui obitus, composuit testamentum ac discipulos, et quoscumque monachos, de futuris eos commonefaciens : et sic modicum ægrotans, quievit in Domino, a monachis eremi sepulturæ traditus.

*Job 1.*

*Etiam solo aspectu populum docet,*

*testamentum condit*

9 Precibus igitur et intercessione Sancti Ephræm, dignetur et nos peccatores Christus Deus noster facere imitatores divinæ vitæ ipsius : per quam consequi possimus misericordiam, et remissionem peccatorum nostrorum, in quæ collapsi sumus. Quoniam ipsi Christo et Deo nostro convenit omnis honor et adoratio, cum Patre, et sancto ac vivifico Spiritu, in secula seculorum. Amen.

*Auctor ejus preces implorat.*

a *S. Gregor. Nyssenus supra nu.* 18 *habet, ipsimet Ephræmo hanc objectam visionem, uti et Metaphrastes, et in Vitis PP. lib.* 5 *libel.* 18 *nu.* 3. *At Hoierus hanc Vitam sequi maluit.* b *Idem pluribus narratur a Nysseno num.* 19 *et in Vitis PP. loco cit. nu.* 6.

c *Metaphr. ait, hoc Edessæ contigisse, aliquod diebus postquam eo venisset Ephræm.* d *Metaph. tuo cibo; tunc enim Ephræm cibum sibi parabat, ut ait.* e *Idem habetur in Vitis PP. lib.* 5 *libel.* 10 *nu.* 21, *ubi dicitur meretrix* ex immissione cujusdam *cœpisse Sancto blandiri.*

# DE S. P. N. EPHRÆM

## ex Vita S. Basilii Magni.

### AUCTORE (UT VULGO CREDITUR) S. AMPHILOCHIO.

ex veteribus Latinis MSS.

### CAPUT I, IN MSS. XIV.

*SS. Basilii et Ephræm congressus.*

Fratres, enarrationem volo facere de Basilio memorabili, et Effrem Syro, a quæ sunt apud Deum de Patre nostro visore, b quæ etiam de sancto et non mentiente ejus ore audivi. Est autem sic. Effrem memorabilis, cum esset in eremo quadam, splendore sancti Spiritus illustrante, videns quemdam de amatoribus c ejus, et interrogatione discens mirabilia opera beati Patris nostri Basilii, sine intermissione postulabat revelari sibi qualis esset Magnus Basilius. In extasi ergo factus, vidit columnam ignis, cujus caput pertingebat cœlum, et vocem desuper dicentem audivit : Effrem, Effrem, quemadmodum vidisti columnam istam ignis, talis est magnus Basilius. Et continuo accipiens interpretem, eo quod nesciebat loqui Græca lingua, venit ad magnam Ecclesiam magni nominis Cæsareæ. Perveniensque in ipsa sancta festivitate sanctæ d Theophaniæ, et intrans clam, vidit procedentem in ecclesiam magnum Basilium, et dicit e sequenti se : In vanum laboravimus ut suspicor, Frater. Iste enim in tali ordine cum sit, non est quemadmodum vidi. Vidit enim eum indutum stola candida, et qui circa eum erat, sacrum Clerum candidiferum. f Et præcedente eo stans in loco occulto ecclesiæ, desperabat pro hujusmodi materia, dicens secum : Nos quia portavimus pondus diei et æstus, nihil consecuti sumus; et hic in tali cum sit stipatione, et honore humano, columna ignis est! miror.

*Ephræm videt in Spiritu S. Basilium ut columnam ignis*

*it Cæsaream*

*conspectu ejus in sacris splendore,*

*dubitat de sanctitate*

2 Ista igitur eo sic proloquente, mittit Sanctus Archidiaconem suum, dicens : Vade circa portam Occidentalem, et in angelo ecclesiæ invenies Abbatem habentem cucullam, cum altero quodam, g cum parva barba, pusillum, et cetera de vultu ejus; et dices ei : Jube, intra in h presbyterium, vocat te Pater tuus Archiepiscopus. Et dicens Beatus Effrem per interpretem quæ dicebantur, respondit dicens : Errasti, Frater : nos peregrini sumus. Et abiens Archidiaconus retulit Beato ista. Magno autem Basilio sacros libros legente, vidit Sanctus Effrem linguam igneam loquentem per os ejus. Et dicit Sanctus Archidiacono : Vade, et dic ei : Domine Effrem jube, intra i in sanctum presbyterium. Obstupuit ergo in istis Sanctus, glorificans Deum, et k genu flectens, respondit dicens : Vere magnus Basilius, vere columna ignis Basilius, vere Spiritus sanctus loquitur per os ejus. Postulavit ergo Archidiaconem excusare se, et ut magis post l ministerium in m secretario salutaret eum.

*ei divinitus innotescit*

*videt linguam igneam loquentem :*

3 Intrans itaque post completionem ministerii Basilius magnus in secretarium, vocavit Sanctum Effrem, et in Domino salutationem reddidit ei dicens : Bene venisti, o Pater filiorum eremi : bene venisti, qui multiplicasti discipulos Christi in ipsa, et dæmones n eminasti in Christo. In quibus labor tuus o Pater? Venisti videre peccatorem hominem. Det tibi Deus mercedem, secundum laborem tuum. Et respondens ei honorificentissimus Effrem, et p prædicens omnia quæ in corde ejus erant celanda, simul cum coessente suo Abbate communicavit q de sanctis manibus ejus. Et r faciente eo caritatem, dixit Sanctus Effrem : Pater honorificentissime, unam postulo gratiam apud te; annue eam dari mihi. Qui ait ad eum : Jube, dic quæ videntur tibi. Multa enim tibi debeo, maxime pro labore tuo ad meam præsentiam. Dicit ei honorificentissimus Effrem : Scio, Pater sancte, quia quantacumque postulaveris a Deo, tribuet tibi, et volo ut depreceris Deum, quatenus loquar Græce. Qui ait : Super virtutem meam postulasti : sed quia fideliter petisti, veni, Pater honorificentissime, et eremi magister, postulemus Dominum. Potest enim facere voluntatem tuam. Scriptum est enim : Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet; et salvos faciet eos. Et facientes orationem in multam horam, resurgentibus eis dixit magnus Basilius : Cur Domine Effrem non accipis ordinationem Presbyterii, quia decet te? Dicit ei per interpretem Sanctus Effrem : Quia peccator sum. Respondit ei Sanctus : Utinam peccata tua ego habuissem! Et dicit ei : Flectamus genua. Et jacentibus eis in humo, posuit manum in Sanctum Effrem magnus Sacerdos, et s dixit quæ sunt Diaconi, et dixit ei : Jube, surgere nos fac. Aperta ergo lingua ejus, dicit Sanctus Effrem Græca lingua : Suscipe, salva, miserere, et custodi nos Deus gratia tua. Tunc impletum est quod scriptum est : Tunc saliet sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum. Et loquente eo Græce, in ipsa hora glorificaverunt Deum omnipotentem, et exaudientem postulationem deprecantium et timentium se. Et spiritualiter lætantes per tres

*benigne ab eo excipitur*

*Psal. 144. 16.*

*ab eo Sacerdos ordinatur*

*Græce loquendi gratiam impetrat.*

*Isa. 35. 6*

EX VITA S. BASILII PER S. AMPHILOCHIUM.

A tres dies, atque ordinans sanctus Sacerdos interpretem Diaconem, ipsum vero Presbyterum, dimisit eos in pace, glorificantes Deum in omnibus quæ audierant, et viderant, sicut dictum fuit ad eos.

a *Deest hoc in Græco et Ursi versione. Surius ita explanat :* qui per visum didicit, qualis esset apud Deum Basilius. *MS. S. Gisleni* provisore *habet* b *Ursus :* Et quædam quidem ex Patris nostri, quædam autem ex non mentientis ore sancti et mirabilis Ephræm audivi. *Græce est : καὶ τὰ μὲν τοῦ πατρὸς ἡμῶν θεασάμενος, τὰ δὲ τοῦ ἁγίου καὶ θαυμασίου Ἐφραὶμ, ἐκ τοῦ ἀψευδοῦς αὐτοῦ στόματος ἀκούσας.* Et ea quidem, quæ Patris nostri sunt, conspexi; illa vero quæ ad sanctum et admirandum Ephræm spectant, ex veraci ipsius ore accepi. *Si καὶ expuncto, restituas δὲ efficietur eadem sententia quæ in Latinis MSS.* qui quæ Patris nostri sunt conspexit c *Id est, Basilii, ut recte Surius. Græca, ut fere etiam Ursus :* Quædam per illustrationem sancti Spiritus contemplatus, quædam ex affectu et percunctatione discens.

d *MS. S. Maximini,* Epiphaniæ. *Combefis,* Epiphaniorum. *Græce, ἑορτῇ τῶν Θεοφανίων. Est is 6 Januarii, quo Græci præcipue Christi baptismum celebrant : adorationem Magorum, ipso die Nativitatis.* e *Ursus :* sequentibus se. f *Addit MS. Gr. et Ursus :* et ei obsequentem. g *Græce, σπανόν. Ursus et Combefis vertunt* rariborbium. *Surius, non recte,* barbatulum, *quod compta barba ornatum sonat, et hoc Ephræmi socio tribuit.*

h *Græce, ἱερατεῖον. Ursus et Combefis,* sacrarium. *hic tamen veterem lectionem probat; et melior est, significat enim locum Sacerdotum in ecclesia, aut Choro.* i *Græce, εἰς τὸ ἅγιον βῆμα, vertit Ursus,* in sanctum tribunal. *Combefis et Gratius.* ad sacrum altare. *De significatione vocis βῆμα consule Rosweydum in Onomastico ad Vitas PP.* k *Græce, ποιήσας μετάνοιαν. Ursus,* faciens metanœam *Gratius,* pœnitudine quadam ductus. *Combefis,* reverentiam faciens; *exponitque Notat. 107 quo ritu μετάνοια hæc fiat, genu flexo, osculoque terræ impresso et Rosweydus Notat. 84.*

l *MS. March.* ministrationem *Ursus,* Missas. *Combefis,* post peractam rem sacram. *Græce, μετὰ τὴν λειτουργίαν.*

m *Græce, ἐν τῷ σκευοφυλακίῳ. Gratius pressius ad vim verbi,* in vasorum receptaculo aut conclavi. n *Ita MS. S. Max et Gisl.* enimiatus. *March.* eliminasti. *Aud* seminasti, *clarius Ursus et Combef.* expulisti o *MSS. March. Gisl. Aud* patet; *et connectunt cum prioribus, quasi dicat præcipue cum in expellendis dæmonibus laborasse. Græce est, τίς εἶ ὁ κόπος σου, πάτερ; Gratius :* Et quid tantum laborem suscepisti, Pater? *et Surius :* Sed quorsum Abba hunc tibi laborem sumpsisti? p *Exponit Sur.* et cum didicisset omnia, quæ in illius corde susceptenda erant *Ursus,* et dicens omnia quæ in corde suo versabantur. *Græce, Καὶ εἰπὼν πάντα τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ γεγραμμένα, καὶ διηγήσατο τῷ συνόντι αὐτῷ Ἀββᾷ. Gratius :* sigillatim omnia quæ mente cogitaverat, et cum comite suo Abbate contulerat, narravit

q *Gr. μετέδωκεν εἰς τὰς ἁγίας αὐτοῦ χεῖρας. Vertit Ursus,* communicavit in sanctas manus ejus *Combefis :* Communionem in sacras manus suas accepit. *Magis arridet antiqua versio,* de manibus, *vel* per manus. r *Gr. ποιήσαντος αὐτοῦ ἀγάπην. Gratius vertit :* Agape, seu sacro convivio absoluto. *Sur,* cumque eos convivio excepisset *Combefis :* Basiliique pro hospitii religione, excipiente convivio. s *Sur.* cumque Diaconum ordinavit *Quæ enim aliqua oratio Diaconi, inquit Combefis, nisi ordinatiua? Illa fortassis* Flectamus genua. *Cui ut responderet Ephræm, præcipiens, imposita manu simul Græce loquendi facultatem impetravit.*

## CAPUT II, IN MSS. XVI.

C *SS. Basilii et Ephræm meritis peccata cuidam dimissa.*

Mulier quædam divitiis et nobilitate ornata, et ceteris vitæ istius vanis ministrationibus omnibus superelevata, quasi viduitatem complectens, indecorosa usa est potestate, gastrimargiæ et prodigalitati seipsum inserviens, nihil placiti Deo possidens, sed porcorum more se cœno voluptatis involvens. Sero quandoque, secundum dispensationem Dei, ad mentem rediens, immensurabilitatem suorum delictorum illuminata silenter sola cogitabat, et multitudinem peccatorum suorum flebiliter suspirans, dicebat : Heu mihi peccatrici et prodigæ! Quomodo me excusabo de actis meis delictis? Templum Spiritus corrupi, et animam in corpore habitantem pollui. Heu mihi abjectissimæ! a Putas, dicunt me sicut meretricem anteriorem aut Publicanum? Sed nemo sicut ego peccavit, maxime post sanctum baptismum. Quomodo ergo certa ero quia pœnitentem suscipiet me Deus? Et hæc cogitante ea, qui omnes vult salvare, et ad agnitionem veritatis venire, in mentem ei misit, de juventute et usque in senectutem sua peccata scribere in charta. Qua præscripta, novissime omnium scripsit, quod ei erat maximum peccatum, et plumbo sigillavit eam.

*Mulier luxui dedita*

*compuncti*

*scribit totius vitæ peccata,*

*et obsignat,*

D

5 Considerans autem tempus opportunum, quando S. Basilius ad consuetas orationes ibat in sanctam ecclesiam, cucurrit clam, et projecit chartam secus pedes ejus, et super faciem jactans seipsam clamabat dicens : Miserere mihi Sancte Dei, super omnes peccatrici. Stans autem beatus Christi famulus sciscitabatur ab ea caussam doloris. Quæ ait : Ecce Domine, omnia peccata mea scripsi in ista charta, et iniquitates meas, et sigillavi eam. Tu autem Sancte Dei, sigillum ne amoveas, sed tantum per orationem tuam ea dele. Qui enim dedit mihi talem cogitationem, omnino exaudiet te pro me postulantem. Magnus autem Basilius tollens chartam, et respiciens in cœlum ait : b Domine, tibi soli est opus istud. Qui enim mundi peccatum tollis, et unius animæ istius facilius delere potes peccatum. Omnia enim nostra delicta numerata sunt apud te; misericordia autem tua innumerabilis et investigabilis est. Et hæc dicens, intrat ecclesiam tenens chartam, et prosternens seipsum, et ponens chartam secus altare, mansit per omnem vigiliam orans, et crastino c per omne sanctum ministerium deprecans Deum. Et post completionem sanctorum mysteriorum, vocavit mulierem secrete, adstantibus paucis Clericis, et ostendens ei chartam, dixit : ad eam. Audisti mulier, quia nemo potest dimittere peccata nisi solus Deus? Quæ dixit : Audivi, senior, et pro hoc admovi te ad intercessionem misericordissimi Dei. Et hæc dicens, solvit chartam, et inventa est tota inscripta. Mansit autem magni peccati scelestum opus non deletum.

*offertque S. Basilio*

*ut suis precibus ea deleat*

b

c

E

*quodin orante delentur omnia præter unum*

6 Videns autem mulier, pusillanimis effecta est. Et percutiens pectus manibus, cecidit ad pedes ejus clamans: Miserere mei, serve Dei Altissimi. Et quemadmodum pro omnibus meis iniquitatibus certasti et exauditus es, sic et pro ista postula, et omnino delebitur. Archiepiscopus autem lacrymatus est d propter indulgentiam, dicens : Surge mulier, quia et ego peccator sum, indigens indulgentia. Qui delevit tua peccata quanta voluit, potens est tollere et istud a te, qui tollit peccata mundi. Si custodieris amodo non peccare, et vias Domini ambulaveris, non tantum indulgebit tibi, sed et gloria digna eris. Vade ergo ad eremum, et invenies virum sanctum, nominatum in omnibus, nomine Effrem : isti da chartam, et postulans placabit Deum pro te. Mulier autem concite a Sancto ad eremum cucurrit, et transiens longitudinem viæ, ad prædictum sibi locum magni eremitæ pervenit. Et pulsans ostium clamabat dicens : Miserere mei Sancte Dei. Qui præsciens propter quam caussam adstiterat, dixit ei : Vade a me mulier, quia homo sum peccator, indigens et ipse auxilii. Illa autem projecit chartam, dicens : Archiepiscopus Basilius misit me ad te, ut orans ad Deum deleas meam iniquitatem, quæ in ista charta conscripta jacet; ceteras enim ipse Sanctus orans delevit. Tu autem pro una noli pigritari deprecari Deum : ad te enim missa sum. Sanctus autem dixit : Non, filia, non. Qui enim pro multis prævaluit placare Deum, et pro una poterit plus me. Vade ergo et noli stare, ut comprehendas eum ante transitum.

*mittitur ad S. Ephræm*

d

F

*hic celitus edocetur eur venerit,*

*et prædicens Basilii obitum, ad eum remittit*

7 Mulier autem concite a Sancto reversa est Cæsaream. Et intrante ea in civitatem, e obviavit corpus portantibus S. Basilii. Et videns, cœpit clamare, volvens se in humo, et caussabatur cum Sancto dicens : Heu mihi miseræ! heu mihi, Sancte Dei! Propter hoc me misisti ad eremum, ut immolestatus a me transires? Et ecce inacta reversa sum, in vanum pertransiens pelagus viæ. Videat Deus, et judicet inter me et te quia potens placare Deum pro me, ad alterum me misisti Et hæc clamans, projecit chartam super feretrum subtiliter enarrans de caussa omni populo. Unus au-

*illa funeri Sancti occurrens,*

*tacto feretro, peccatum deletum videt.*

A tem de clero volens videre quale peccatum esset, tulit chartam, et absolvens invenit eam per totum inscriptam, et clamavit voce magna dicens ad mulierem : Inscripta est charta, omulier. Quid laboras, nesciens inte factam clementiam? Multitudo, ergo populi videns admirabile miraculum, glorificavit Deum, qui dedit potestatem super terram dimittere peccata, dans gratiam etiam servis suis et post mortem sanare omnem infirmitatem et omnem languorem, sed et peccata fide accedentium dimittere.

a *Combefis ex Græco* : Num sicut meretrix illa dicam, Miserere mei; aut sicut Publicanus, Peccavi? b *Ita etiam Græce* : Κύριε σοῦ μόνου ἐστὶ τὸ ἔργον τοῦτο. Tuum, Domine, solius est opus istud, *aliter Usus* : Tibi, Domine, soli sunt opera istius manifesta.
c *Gr.* διὰ πάσης τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς. *Urs. et Combef.* per tota Missarum solennia. d *Ursus*, præ misericordia. *Sur.* præ commiseratione. e *Suspecta hæc erit narratio iis, qui S. Ephræm ante Basilium volunt obiisse : nisi iter molestum et satis longum uno alterove mense eam tenuit, tali labori insuetam.*

## VITA S. EPHRÆM

### *ex Sozomeno hist. Eccl. lib.* 3, *cap.* 15.

Per idem tempus, præter ceteros in magna laude vixisse, et Ecclesiam Catholicam cumprimis ornasse B visus est Ephræm Syrus, qui Nisibæ natus, *a* genus ex illius urbis indigenis duxit. Hic disciplina monastica vitam instituens, cum neque a quoquam didicisset, neque expectaret se talem evasurum, repente *b* tantam eruditionem in lingua Syriaca assecutus est ut sum marum philosophiæ præceptionum intelligentiam adeptus sit : et non solum facilitate ac splendore *c* orationis, sed etiam sententiarum crebritate atque sapientia Græcos scriptores facile præstantissimos superarit. Nam istorum scripta si quis in Syriacam velit, vel in aliam linguam convertere, et condimenta (ut ita dicam) Græcarum argutiarum adimere, statim deprehenduntur priorem venustatem amisisse. At vero in libris Ephræm idem minime accidit. Nam non modo cum vita ei suppeditaret, verum hoc tempore etiam, ejus scripta in Græcum sermonem vertuntur: atque orationis vis et elegantia non multo inferior est ea, in qua primum edita sunt : sed cum Græcus etiam illa Græce legat, perinde ea admiratur, atque si Syrus esset et Syriace legeret.

*a*

*b*

*S. Ephræm divinitus doctrinam adeptus,*

*c*

*præclara scripta edit, quæ etiam in alias linguas versa, æque placent*

2 Quin etiam Basilius, qui Cæsareæ, urbis primariæ Cappadociæ, postea Episcopus fuit, hunc hominem eruditionis caussa in primis admiratus est et summe laudavit. *d* Quapropter jure optimo mihi videtur Ephræm communi consensu eorum qui apud Græcos eloquentia excelluerunt, hoc testimonium retulisse, Basilii ore prolatum, quod omnium præstantissimus extiterit. Dicitur porro tricies centenas myriades carminum, si omnia simul numerare velis conscripsisse, et discipulos habuisse multos, qui studiose illius doctrinam æmulati sunt : quorum illustrissimi fuerunt Abbas, Zenobius, Abraham, *e* Meras et Simeon; de quibus tum Syri, tum quotquot doctrinæ Syriacæ diligenter operam navant, magnopere gloriantur. Pari ratione etiam Paulonam, et Aranad propter eloquentiam laudant illi quidem; tamen eos a pia doctrina per errorem descivisse memorant.

*laudatus a S. Basilio*

*d*

C

*et aliis Græcis*

*insignes instituit discipulos*

*e*

3 Neque equidem ignoro, olim quoque similiter apud Osroenos fuisse viros eloquentissimos, *f* Bardesanem, auctorem sectæ cujusdam ipsius nomine appelatæ, et Harmonium ejus filium, quem dicunt Græcorum disciplinis educatum fuisse, ac primum patrium sermonem adstrinxisse numeris, et modis musicis, cantorumque cœtibus tradidisse : ad quem modum etiam hoc tempore canunt Syri; non quod carminibus ab Harmonio scriptis, sed quod eodem genere concentus et numerorum utantur. Nam cum Harmonius neque a paterna hæresi, neque ab opinionibus, quas philosophi Gentiles de anima, de ortu corporis et interitu, et de regeneratione tenent, omnino vacuus esset, cumque ea quæ scripserat, ad lyram composuisset, et easdem opiniones suis scriptis admiscuisset; Ephræm videns Syros et verborum elegantia et numerosis modis concentus mire delinitos, atque eo pacto ad similiter cum Harmonio sentiendum assuefactos, quamvis Græcæ litteraturæ esset expers, tamen in numeris versuum Harmonii comprehendendis se attente defixit, et ad modos carminum ejus, alia carmina doctrinæ Ecclesiasticæ consentientia composuit. Qualia ab eo elaborata sunt in hymnis divinis, et encomiis proborum virorum. Ex quo quidem tempore Syri modos ab Ephræm fusos, juxta concentum Harmonii observantes canunt. Quantum igitur ingenio excelluerit, hinc facile conjectura capi potest.

*f*

*Harmonii hæretici modis musicis,*

D

*secundum Sozomenum*

*apud Syros usurpatis,*

*pia carmina aptat*

4 Quod autem attinet ad institutionem vitæ, se bonis operibus et exquisita vivendi disciplina nobilitavit, quietemque vehementer amplexatus est. Gravis præterea erat, et sibi usque eo ab hominum calumniis cavebat, ut etiam aspectum cujusque mulieris sedulo vitaret. Nam fama est, mulierem quamdam vita dissolutam, et moribus plane impudentem, seu ut hominem tentaret ipsa, seu ab aliis mercede conducta istud conaretur, quodam tempore dedita opera ei ex adverso E obviam in angiportu prodiisse, illumque intentis oculis aspexisse : eum autem acriter objurgasse mulierem, utque terram intueretur monuisse: mulierem vero respondisse : Qui possum ipsa istud facere, quæ non ex terra, sed ex te edita sum? est enim æquius, ut tu terram aspicias, ex qua ortum habes, ipsa autem ut te intuear, unde procreata sum. Itaque Ephræm mulierem valde admiratus, quod inter eos acciderat, libro quodam accurate descripsit : quem librum, qui sunt inter Syros diserti, in numerum librorum illorum qui sunt accurate ab eo elaborati, referunt.

*cavet ad speciem feminarum :*

*meretricis apophthegmate docetur terram aspicere*

5 Est etiam memoriæ proditum, illum, quamquam antea iræ moderari non poterat; tamen ex eo tempore, quo vitam monasticam excolere cœperat, numquam visum esse a quoquam ira incensum. Itaque cum multis diebus, uti solebat, jejunasset, minister, qui obsonium ei deferebat, ollam fregit. Quem cum Ephræm videret pudore et metu perculsum; Quin bono animo esto, inquit : eamus nos ad obsonium, quoniam illud ad nos non venit. Quare circiter ollæ fragmenta accumbens, cœnavit.

*iræ domitor,*

*ad ollæ fragmenta sedens cœnat*

6 Porro autem quam strenue inanem gloriam represserit, ex eo quod modo dicetur, satis potest intelligi. Quodam tempore quidam ei ad Episcopatum F gerendum suffragati, comprehendere hominem conantur, uti ad locum in quo crearetur Episcopus deducerent. Quod simul ut intellexit in forum cursitat, atque incomposite incedendo vestem post se trahens, *g* et cibum palam capiendo, se furere monstrat. Ubi vero hi, qui eum comprehenderant, illum e mentis potestate exivisse arbitrarentur, et appetitio, qua ad eum constituendum Episcopum ferebantur, restincta esset; ille idoneum tempus nactus, clam aufugit, et tantisper latitavit, dum alter ejus loco creatus esset Episcopus.

*ut episcopatum declinet, amentiam simulat*

*g*

7 Verum ista de Ephræm dixisse contentus ero : de quo tametsi ejusdem loci indigenæ et norunt multo plura, et commemorant; tamen unum solum præterea, quod ab eo non longe ante mortem gestum est, quoniam mihi quidem videtur admodum memorabile, hoc loco litteris mandabo. Cum fames urbem Edessenorum jam longo tempore ante occupasset, Ephræm e casa, in qua monasticam degebat vitam, egressus, eos quibus suppetebant facultates, graviter incusavit : quod videlicet, cum minime oporteret, tribules inopia rerum necessariarum confectos negligerent, divitias suas studiose servarent, idque ad suum ipsorum

*famis tempore Edessenos monet ut egentibus succurrant.*

AUCTORE SOZOMENO.

A rum damnum, et cruciatum animæ suæ, quam non modo divitiis cujusque generis, verum etiam ipsi corpori, et aliis rebus omnibus præponendam sapienter demonstrabat: quam quidem illos pro nihilo ducere, re ipsa plane ostendit. Illi igitur hominem et ejus verba reveriti, dixere ad hunc modum: Nobis quidem opes minime curæ sunt, sed cui eas distribuendas committamus, admodum incerti sumus: præsertim cum omnes fere lucri cupiditate ardeant, et hanc rem velut mercaturam ad quæstum faciant. Tum Ephræm sciscitatur ab illis: Qualis, quæso, ipse vobis videor? Qui cum fidelem, spectatum admodum et bonum virum, et talem esse, qualem opinio de eo habita ostendebat, confiterentur; Vestra, inquit, caussa, hoc quidquid est negotii mihi mea sponte sumo. Atque argento ab illis accepto circiter lectulos trecentos *h* in publicis porticibus constituit: *i* et non eorum solum, quos fames in morbum conjecerat, curam suscepit, verum etiam peregrinos, et eos qui egestate rerum ad vitam necessariarum coacti, ex agris eo venerant, benigne tractavit. Ubi autem fames extincta est, rediit in domum in qua antea ætatem degerat. Paucis vero post interpositis diebus, obiit mortem. Qui quamquam in Ordine clericali ad Diaconatum solum elatus erat, tamen non minus omnium sermone ob virtutem celebratus est, quam hi qui propter sacerdotii B dignitatem, bonæ vitæ institutionem, et excellentem doctrinam, in magna admiratione fuerunt. Quare sint ista quidem tamquam indicia quædam virtutis illius, quæ in Ephræm elucebat. Nam de eo pro dignitate dicere, atque omnino quo pacto ille, et alii singuli qui per idem tempus monasticæ vitæ se dedebant, vitam D et mores instituerint, et apud quos ætatem degerint, accurate disserere, scriptorem sane requirat, qualis ille ipse fuit.

*ipseque ægrotorum et famelicorum curam gerit:*

*moritur:*

a *Ita Christophorsonus,* τῶν τῇδε ἐπιχωρίων τὸ γένος εἶχεν. *Alii legunt:* τῶν τῇδε χωρίων ex ea regione, vel agro *Ita supra avos suos agricolas fuisse scribit.* b Ἐπὶ τοσοῦτον παιδείας κατὰ τὴν Σύρων φωνὴν ἐπέδωκεν *vertit Christophorsonus*, in linguæ Syriacæ peritia tantum profecit. *Significat Auctor, doctum subito evasisse, sed lingua Syriaca, quæ ei vernacula erat. Ita et Nicephorus:* κατὰ τὴν Σύρων φωνὴν τοσοῦτον ἐπέδωκεν, καὶ ταῦτα μὴ προδιδαχθείς. c *Addit Niceph.* καὶ ἡδεῖ τοῦ λόγου et suavitate orationis. d *Paullo clarius Niceph.* Ut tanti viri tam certo testimonio manifestum sit communiter quoque a Græcis, qui tunc clarum in eloquentia obtinuere nomen, præstantissimum omnium Ephræm esse judicatum. e *Niceph.* Μορφή. f Bardesanes *Edessæ natus, Marci Veri temporibus, multa scripsit, uti et Harmonius, qui linguam Græcam Athenis didicit. Ita Theodoretus hær. fab. l. 1 cap.* 22, *qui addit:* Utriusque autem errorem Ephræm Syrus, vir celeberrimus, strenue confutavit. *De Bardesanitis agit Prædestinatus Sirmondi hær.* 35. g *Addit Nicephorus:* παραρπάσων τι τῶν ὠνίων, quæ venalia erant surripiens.

h *Sozomen. et Niceph.:* ἐν ταῖς δημοσίαις ἐμβόλοις *vertunt Christophorsonus et Joan. Langus:* in publicis porticibus. *Palladius in Lausiaca cap.* 101. καὶ διαφράξας τοὺς ἐμβόλους *vertit Hervetus:* et cum illis vallis septum construxisset. *Potius:* et cum septo porticus cinxisset. *Recte Vincentius Bellovac. l.* 17, *c.* 87. Certis parietibus porticus civitatis interclusit. i *Palladius:* curabat eos qui infirmiores erant, suppeditabat iis qui fame conficiebantur: eos qui deficiebant sepeliens, eorum vero qui spem vitæ habebant curam gerens, et, ut semel dicam, hospitium et ministerium propter famem quotidie exhibens ex iis quæ suppeditabantur. Impleto ergo anno cum successisset fertilitas, et omnia recte suc- E cederent, cum nihil haberet amplius quod ageret, ingressus est in suam cellam: et post mensem est mortuus, cum Deus ei hanc occasionem præbuisset adipiscendæ coronæ in extremis diebus. *Vincentius quoque:* Impleto autem anno illo, post quem frugum copiæ grandes fuerunt, ad cellam rediit, in qua post spatium unius mensis obiit. *Idem habet Petrus de Natal. qui addit* Calendis Februarii *obiisse, quod nobis cur minus probetur, antea dictum.*

*anno integro ægros curat.*

# DE S. ÆMILIO DUCE

I. D

## LUCÆ IN ETRURIA.

I FEBRUARII

*S. Æmilii reliquiæ Lucæ inventæ 1200*

Cæsar *Franciottus in historia sacra Lucensi, agens de S. Paulini basilica, testatur exstare isthic S. Barbaræ Virginis et Martyris aram, in cujus lapide hæc insculpta leguntur:* Hic est corpus Æmiliæ dux. † XI. †. Anni Domini MCC primo mense Februarii fuit inventus. *In tabula vero ante lapidem cum collocata ista habentur:* Corpus Sancti Æmilii Ducis Temar. *Superioribus annis apertum est altare, repertaque theca, cui cineres inclusi, ossaque, et thorax ferreus, ac vestis serica aureo limbo prætexta. Sancti hæc esse pignora argumento est, quod intra altare condita, quod in archivo ejusdem Ecclesiæ, ut ait idem Franciottus, inter alios Sanctos, quorum isthic corpora sunt,* Æmilius *censetur; quod iterum idem inferius ostendit, dum Reliquias ipsas enumerat. In MS. quodam Carthusiæ Bruxellensis, at non antiquo, hæc habentur:* In Luca civitate, sanctorum Martyrum Marciani, Valerii, Ymiliæ. *De S. Valerio egimus* XXIX *Januarii. De* Marciano *nihildum aliud reperimus.*

*ejus alibi memoria.*

C

# DE S. SEVERO EP. RAVENNÆ F

## S. VINCENTIA EJUS CONJUGE,

## S. INNOCENTIA VIRG. EORUM FILIA.

I. B

### Commentarius prævius.

#### § I. SS. *Severi, Vincentiæ, Innocentiæ natalis.*

CIRCITER ANNUM CCCXL I FEBRUARII.

*S. Severi memoria in Martyrol.*

Kalendas *Januarias S.* Severus *Ravennas Martyr illustrat, Februarias S.* Severus *itidem Ravennas Antistes, sed Confessor: quamquam et hic* I Janu. *a nonnullis refertur, et ille* I *Febr. ab aliquibus. Ut clariora evadant quæ de actis ejus atque ætate dicuntur, lubet hic quæ de eo varius dierum prædicant Martyrologia, promere. Vetus Martyrol. Romanum, quod passim S. Hieronymi nuncupamus:* Ravennæ Severi Episcopi. *Beda, Rabanus MSS. S. Maximini, et S. Martini Tornaci:* In Ravenna S. Severi Ep. *Bellinus de Padua, et quædam MSS.* Ravennæ, S. Severi Ep. et Confessoris.

2 *Alia Martyrologia nonnihil ex ejus Actis delibant. Molanus in addit. ad Usuard.* Ravennæ, S. Severi Ep. et Confess. quem Deus de lanificii arte ad Episcopatum sustulit. *Modernum Martyrolog. Rom.* Ravennæ S. Severi Ep. qui ob præclara merita signo columbæ fuit electus. *Maurolycus:* Ravennæ S. Severi Ep. qui Geminianum Mutinensium Pontificem defunctum tumulasse se dixit in extasi positus, et Heraclianum

*cum elogio ex Actis*

A Heraclianum Pisauriensem Episcopum ordinavit. *Constantius Felicius :* Severus Ep. vilissimo genere natus, textor, cum uxore in sanctissima paupertate vitam agebat. Is cum ad ecclesiam una cum aliis adiisset, electionem Episcopi spectaturus, cumque in caput ejus candida columba tertio devolasset, unanimi Patrum consensu electus fuit Ravennæ Archiepiscopus : in qua dignitate multo tempore vixit, magna edens sanctitatis, ac doctrinæ sibi divinitus infusæ, argumenta : tandem mortis hora præcognita, Missa celebrata, universo populo præsente, sacris adhuc vestibus indutus, seipsum sepelivit, in tumulo medium collocans, conjugem inter ac filiam, jussas sibi loco, quantum necesse esset, decedere : atque ita populo valedicens expiravit, Joviniani Imp. tempore; multis deinde illustratus miraculis. Hic in extasi S. Geminiano Mutinensi Episcopo morienti adfuit : et Heraclianum Pisauriensem Episcopum ordinavit. *An sub Joviano Imp. mortuus sit, infra liquebit. Galesinius de eo ista habet :* Ravennæ S. Severi Ep. et Confessoris. Hic homo plebeius, lanificio sibi familiæque suæ victum quæritans, quo tempore ea in urbe, Marcellino mortuo, de Episcopo eligendo agebatur, Episcopus divinitus declaratus est, columba ad aures ejus convolante: quæ ab se primo repulsa, iterum in illius capite consedit. Sic igitur episcopatum adeptus, e lanario mirabiliter summus factus Theologus, in concilio Sardicensi contra Arianos pro Athanasio, singulari virtute pugnavit; aliasque multas res admirabiliter Dei munere gessit. Quarum rerum et vitæ sanctissimæ laude, virtutumque episcopalium meritis cumulatus, senio tandem confectus, cum de certo die, quo esset ex corpore in cœlum migraturus, divinitus certior factus esset, peractis de more sacris, convocatisque omnibus Sacerdotibus, et universis Ravennatibus, gravissime de cœlesti gloria concionatus, ubi finem fecit, vestibus sacris adhuc indutus, ad sepulchrum proficiscitur : ubi flexis genibus, et manibus oculisque in cœlum subductis, tamquam preces suppliciter fundens, obdormivit in Domino.

*præsertim de electione, morte, gestis in concil. Sardic.*

3 *Filiæ ac conjugis natalem hoc die consignat MS. Florarium :* Apud Ravennam natale S. Severi, primo textoris, postea ejusdem civitatis Episcopi et Confessoris : Vincentiæ uxoris, et Innocentiæ Virginis filiæ ejusdem, anno salutis CCCCXX. *Hermannus Greven Carthusianus in addit. ad Usuardum :* Ravennæ depositio S. Severi Episcopi et Confessoris; qui ex lanificio victum quæritans, per columbam cœlitus missam designatus est in Episcopum assumendus. Alii volunt, quod hic sit memoria ejus et Vincentiæ uxoris, filiæque Innocentiæ; undecimo vero Kalendas Novemb. depositio. *Eadem habet Canisius, sed postrema ita effert :* Quidam volunt, hoc die uxoris ejus ac filiæ memoriam agi; at XXII Octobris ipsiusmet S. Severi depositionem. *Imo isthic translatio celebratur, ut postea dicemus.*

*SS. Vincentiæ et Innocentiæ memoria.*

4 *Nunc eos proferemus, qui Kalendis Januarii S. Severum Episcopum collocant. Martyrol. Colon. ann.* MXDXC *excusum, et MS. monasterii Albergensis :* Ravennæ S. Severi Episcopi. *MS. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis :* Ravennæ S. Severii Confessoris. *At Maurolycus Felicius, MS. Forarium; MS. Martyrol. domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ, MS. Ecclesiæ S. Lamberti Leodii, utrumque Bedæ nomine prætitulatum :* Ravennæ S. Severi Episcopi et Martyris. *Martyrol. S. Hieronymi, seu vetus Romanum, in quo refertur* I *Feb.* S. Severus *Ravennas Episcopus, et* S. Severus Confessor; I *Janu. ita habet :* Ravennæ depositio S. Severi Episcopi cum fratribus suis. *Quæ, ut* I *Janu. diximus, haud satis quid sibi velint, assequimur. Cum de Martyre Ravennate* Severo, *quem Hieronym. Rubeus ait* I *Janu. coli, alii* I *Febr. referunt, nihil constet, nisi sub Maximiano coronatum martyrio. An non suspicari* D *fas sit, Episcopum illum fuisse, sed, cum ejus Acta laterent, posterioris* Severi *Confessoris celebriorem conservatam memoriam? At severe pronuntiat Ughellus tom.* 2 *Italiæ sacræ*, mendacium esse asserere plures Severos. *Non asserimus quidem; sed quo argumento severam suam censuram firmet vir doctissimus, non satis perspicimus. Fuisse certe celebrem jam olim opinionem de S. Severo Ep. Ravennate Martyre, patebit inferius ex Vita per Luidolfum, cui cap.* 2 *num.* 5, *ita Ravennas monachus respondet :* Severus, cujus tu Vitam scire desideras, non fuit Martyr, sed Confessor. *Ergo de Episcopo ita percunctatus erat Luidolfus, ut Martyrem eum existimaret : si quidem quadrat interrogationi responsio.*

*S. Severus Ep. 1 Jan. memoratus, an idem qui Martyr?*

*AUCTORE J. B.*

## § II. *S. Severi Vita, ætas.*

Severi *Vitam Surius ex vetustis codicibus, sed a se expolitam, edidit. Nos primogenio stylo eam damus ex MS. codice PP. Congregationis Oratorii Romæ, collatam cum ea quæ in Bonino Mombritio, mutila extat; et Breviario antiquo Ecclesiæ Erfurtensis, Auctorem Vitæ hujus monachum fuisse et seculo* X *aut* XI *vixisse, argumento est, quod cap.* 2 *ita acriter in adversarios monachorum invehitur, ac* 1 *cap. in Simoniacos : nam eo tempore monachos magno studio ad eam pestem penitus* E *extirpandam incubuisse patebit* VII *Febr. ex Vita S. Romualdi Abbatis, atque* VIII *ex* B. Petri Ignei; *ac propterea ingens in illos odium exarsisse eorum, qui Ecclesiasticas dignitates vel jam pretio comparaverant, vel ad eas adspirabant.*

*S. Severi Vita unde? a quo, quando scripta?*

6 *Aliam habuisse Vitam Hieronymus Rubeus videtur, eodem quoque tempore scriptam, aut non multo post, cum miraculum Auctor memoret, suo tempore patratum, sub* Henrico Imp. et Bonifacio Marchione : *vixit autem* Bonifacius *Marchio Etruriæ tempore Conradi Salici, cujus et gener fuit,* Henrici II *Imp. sororius, obiitque ann.* MLI. *Illud porro miraculum ex libr.* 2 *histor. Raven. ejusdem Rubei edemus infra.*

*alia visa Rubeo*

7 *Aliam longe ante a* Luidolpho, *aut* Luitolfo *Presbytero scriptam damus, ex antiquo codice monasterii S. Pauli Ultrajecti, et monasterii Budicensis Canonicorum regularium in diœcesi Paderbornensi. Ætatem suam Auctor indicat, dum lib.* 2 *cap.* 1 *S. Severi reliquias ex ejus monasterio surreptas a Felice Presbytero Gallo, ab eoque Ticinensi in urbe Otgario Archiepiscopo Moguntino traditas, ob hoc in Germaniam deportatas narrat, ac de Felice illud testatur numer.* 2. Quem dum puer essem me vidisse memini, *et cap.* 2, *numer.* 8 *ita scribit :* defuncto autem Otgario, et successore illius F Rabano, Carolus Pipini Regis filius, ejusdem Episcopatus honore sublimatur. Qui annuens precibus sanctimonialium in Alto monasterio consistentium, partem quamdam de reliquiis S. Innocentiæ ad prædictum cœnobium, sicut ipse vidisti, transtulit. *Obiit Otgarius, ann.* DCCCXLVII, DCCCLVI *Rabanus, ut* IV *Febr. ad ejus Vitam dicemus, Carolus ann.* DCCCLXIII *pridie Non. Junii ut habent Annales Fuldenses. Meminit Molanus in addit. ad Usuard. Vitæ hujus per Ludolphum, quem in prima editione Presbyterum, in altera monachum appellat : fallitur autem cum a Wolfango Lazio* lib. 4 rerum Viennensium cap. 14 *hujus S. Severi ait Vitam citari. Citat Lazius lib.* 1 *rer. Vienn. cap.* 4 *(non* 14*) Vitam S. Severini Noricorum Apostoli, quem tamen perperam tradit* fuisse Ravennatensium Episcopum, *quod ante eum Otto Frisingensis libr.* 4 *cap.* 30 *et Gotfridus Viterbien. parte* 16 *scripsere; uti* VIII *Janu. ad S. Severini Vitam diximus. Exstat aliquanto brevior S. Severi Vita in* 2 *parte Legendæ Lovanii excusa ann.* MCCCCLXXXV *ex hac, ut videtur, concinnata.*

*alia seculo 9 scripta a Luidolfo Presb.*

8 *Referunt præterea S. Severi res gestas Petrus de Natal. lib.* 3, *cap.* 65. *Philippus Ferrarius in Catal. SS.*

*alia ab aliis.*

*AUCTORES*

*SS. Italiæ; Zacharias Lippelous, et Franciscus Haræus, ex Surio; uti et Gallice Jacobus Tigiaus, Jacobus Dubletius, Guilielmus Gazæus. Habet B. Petrus Damiani de S. Severo sermones duos, 4 et 5 tomi 2, in quibus pleraque confirmat, quæ in priore Vita narrantur, de ejus electione, Episcopi Mutinensis exequiis, sepultura filiæ, etc., ac miraculum memorat, aliis prætermissum, quod nos infra ex eo dabimus. Mentio fit S. Severi cap.* Statuimus, *dist.* 61, § E contra B. Nicolaus.

*sedit ab ann. 346 ad 390 aut circiter.*

9 *Ætatem S. Severi controversam Hieronymi Rubei, Ravennatium historiarum scriptoris non ineruditi, præjudicium facit : quæ alioquin haud magno negotio definiri in hunc modum potest. Creatus Episcopus est, ut in Vita cap.* 2, *numer.* 6 *traditur,* Constantio IV et Constante III AA. Coss. *sive anno Christi* CCCXLVI, *consecratus Romæ a S. Julio Papa, cujus is decimus erat annus. Anno sequenti interfuit concilio Sardicensi,* Rufino et Eusebio Coss. *uti ex subscriptionibus patet. Deinum adfuit funeri S. Geminiani Mutinensis Episcopi, multis post annis, quandoquidem tempore Siricii Papæ, qui anno* CCCLXXXV *ad pontificatum evectus est, adhuc in vivis fuit Geminianus, uti 31 Januar. ad ejus Vitam diximus. Recte igitur conjicit Haræus, circa ann.* CCCXC *decessisse Severum : quem MS. Florarium statuit ad annum Christi* CCCCXX, *initi pontificatus* LXXIV *pervenisse. Mendo forte typographi factum, ut annus,* CCCXX *in tertio Surii editione, inque Canisii utraque* CCCL *sit adscriptus.*

10 *Rubeus anno* CCLXXXIV *Marcellino suffectum tradit, obiisse* CCCXLVIII, *recens reversum a concilio Sardicensi, fractum senio atque incommodis itineris : subrogatum ei Agapitum* II, *qui concilio Romano sub Julio Papa interfuit. Atque hæc, quia a Baronio in Notis ad Martyrol. refutata, pluribus fulcire conatur argumentis, negatque vel ad Joviniani imperium, nedum ad Siricii pontificatum pervenisse. Quod de Attila represso S. Geminiani precibus furore traditur, Rubeo nos quoque assentimur, nimis illud a S. Severi, quem que hic sepelisse dicitur, S. Geminiani ætate longe abesse; factumque videri vel S. Geminiani, in cælum jam recepti, sed suæ tamen consulentis urbi, patrocinio apud Deum; vel secundi Geminiani precibus, uti ad ejus Vitam,* XXXI *Januar. indicatum; aut fortassis non Hunnos duce Attila, sed barbaros alios irrumpentes, a direptione urbis repressos : errasse ad posteros famam. Agapitum porro, qui Romano concilio sub Julio Papa interfuit, extitisse Severi successorem, Rubeus inde conficere putat, quod ex vetustis ecclesiæ Ravennatis picturis atque historiis constet, Severum successisse Marcellino : hunc igitur, non Agapitum, illi concilio, nisi postea celebratum foret, interfuturum fuisse, cum* satis diu vixerit. *Neque vero alteri Synodo Romanæ Episcoporum* L *ante Sardicensem habitæ, adfuisse Agapitum, sed ei in qua* CXX *Episcopi fuere, quæque* Indict. VI *coacta est, anno nimirum* CCCXLVIII, *in quem ea, non in ullum antecedentem Julii Pontificis annum cadebat Indictio. Denuum nihil eorum quæ in illa* L *Episcoporum Synodo acta, tractatum esse in illa cui intererat Agapitus. Verisimile autem videri habitam hanc novam Synodum ad Sardicensis Acta confirmanda. Postremo* Protasium *Mediolanensem Episcopum in Sardicensi fuisse, ejus successorem Julianum in Romana cum Agapito. Nam* Gratum, *qui in epistola Patrum Concilii Sardicensis ad Ægypti et Africæ Episcopos, relata in Apologia 2 S. Athanasii, cum aliis Africæ, qui eidem concilio interfuerant, nominatur, non Carthaginensem Episcopum dici, sed solum* Episcopum, *alterius videlicet civitatis; ut mirum non sit in Romana Synodo non fuisse, sed* Rufum, *quo mortuo, ad eum primatum a priori sede evectus ille sit :* Fortunatianum *Aquileiensem Sardicensi Synodo subscripsisse,* Benedictum *Romanæ, huic alium successisse* Fortunatianum. *Vult igitur* S. Agapitum, Septimii Severi imperio, *quod ille ineunte Julio ann.* CXCIII *occupatum usque ad* IV *Febr.* CCXI *tenuit, Episcopum creatum : ei subrogatum* S. Marcellinum *circiter annum* CCXXXI *huic* S. Severum *sub annum* CCLXXXIV, *obiisse Kalendis Februarii* CCCXLVIII.

*non usque ad Attilam.*

*neque ab an. 284 ad 348*

*cum S. Agapitus Ep. Raven. interfuerit concil. Rom. an. 337*

11 *Verum ea ipse nulla firmat certa chronologica nota, aut antiqui Scriptoris testimonio. Synodum illam Romanam sub Julio, ante Sardicensem esse habitam, longe probabilius est, licet exordium finisque Synodi diversum exhibeant characterem. Exordium ita habet :* In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, imperantibus quoque Constantio et Constante Augustis anno quarto, sub die XIX Kalendarum Octobrium, Indict. VI, præsidente sancto ac beatissimo Julio Papa Sedis Apostolicæ Romæ *etc. Annus Constantii et Constantis quartus, fuit* CCCXL *Christi, quo non sexta, sed* XII *incipiebat Indictio. Finis concilii ita habet :* Data Kalendis Novembris, Feliciano et Maximiano viris clarissimis Coss. *Atqui Felicianus et Titianus Coss. fuerunt ipso quo Constantinus mortuus est anno, Christi* CCCXXXVII, *Julii Papæ* I *Indict.* X, *Constantini minoris, Constantii, et Constantis anno* I. *Hunc Chronologiam potius amplectitur Baronius, quod facilius sit ut in numeros vel imperii Augustorum, vel Indictionum, error irrepat, quam ut falsa Consulum nomina inscribantur. Utrumvis annum sumpseris, ante Sardicensem Synodum erit, ut recte collocatur in tomis Conciliorum. In annum* CCCXLVIII, *præter* VI *Indictionem, nil quadrat : nam Philippus et Salia Consules erant, annus Augustorum duodecimus.*

*non 348*

12 *Cetera Rubei argumenta vel effugia vim nullam habent. Nam quod Gratum Sardicensis concilii tempore negat Carthaginensem Episcopum fuisse, quodque duos statuit Aquileienses Fortunatianos, absque auctore facit, de Julio Mediolanensi, idemne fuerit qui S. Maternus, an alius in Catalogis vulgaribus prætermissus, quæremus alibi. Quod successisse Marcellino dicitur Severus, non inde consequens est Agapitum non interfuisse Synodo Romanæ, aut ipsum debuisse interesse Marcellinum, unde enim constat Marcellinum, quod scribit Rubeus,* satis diu vixisse *in episcopatu? Potuit sane post primam illam sub Julio Romanam Synodum obiisse Agapitus, atque ipse quoque haud multo ejus successor Marcellinus. Unde vero accepit Rubeus, neutrum interfuisse alteri* L *Episcoporum Synodo? aut quid id ad rem pertinet? Neque est cur velit in priore illa tractari debuisse aliquid eorum, quæ in posteriori sunt acta. At neque mentio Sardicensis Synodi facta : qui ergo verisimile sit, ejus sanciendæ caussa indictam?*

*ut sine ratione quidam asserunt.*

13 *Si quis antiquiorem fuisse S. Marcellinum probarit, eique successisse Severum aliquem; dicat sane duos fuisse Severos, ipso non omnino repugnante Baronio, sed posterioris celebritate prioris obscuratam esse famam. Quid si Episcopus fuit Severus ille Martyr, quem diximus Kalendis Januarii coli, sub Maximiano interfectum? Multi ut § superiori, et ad illum diem diximus, Episcopum et Martyrem eo die statuunt. Neque ex Actis martyrii quæ nulla extant, probari potest Episcopum non fuisse. Verum id asserere, ad S. Severi sanciendam ætatem necesse non est. Censet quoque Raphael Volaterranus Anthropologiæ lib.* 19 *S. Severum tempore Joviani Principis vixisse. Ex S. Heracliani Ep. Pisaurensis, ab eo ordinati, tempore, probari nil potest, cum ejus Acta, ut Ferrarius ad* IX *Decemb. scribit, nulla extent.*

*An forte duo Severi Epp. Raven.*

## § III. *S. Severi Translatio, cultus apud Germanos.*

*Translatio S. Severi descripta a Ludolfo Presb.*

A*nno circiter quadringentesimo quadragesimo, quam in cælos migrarat S. Severus, illius ac Sanctarum Vincentiæ et Innocentiæ corpora sunt in Germaniam ab Otgario Archiepiscopo Moguntino deportata. Id quemadmodum acciderit, litteris tradidit, qui tum vivebat,*

*Ludolfus*

A *Luidolfus Presbyter. Ab eo alii accepere, sed in anno Translationis dissentiunt, et invicem, et plerique a vero. Obiit Otgarius (ut habent Annales Fuldenses, et rursus nos* IV *Feb. ad B. Rabani successoris ejus Vitam dicemus)* XI Kal. Maii, DCCCXLVII *in episcopatu autem, ut in illius epitaphio apud Serrarium habetur :*

*facta per Otgarium Ep. Mogunt.*

Quatuor hic lustra, binos complevit et annos.

*Quod omne tempus idem Serarius* XX *annis, mensibus* III, *diebus* XXIII *aut* XXIV *definit; cum Haistulphum ejus decessorem obiisse velit an.* DCCCXXVI V Kal. Januarii. *Non est necesse omnia hic discutere : saltem non videtur ante an.* DCCCXXV *Episcopus ordinatus fuisse Otgarius.*

*non an. 824*

15 *Sigebertus tamen in Chronico ad an.* 824 *ita scribit :* Corpora SS. Severi Ravennatium Episcopi, et uxoris ejus Vincentiæ, et filiæ Innocentiæ, ab Otgario Archiepiscopo Moguntiam translata sunt. *Rubeus quoque histor. Rav. lib.* 2. Circiter annum Domini octingentesimum et vigesimum quartum ab Otgario Moguntino Antistite, importata Moguntiam fuerunt, Severi, Vincentiæ uxoris, et Innocentiæ filiæ cadavera, collocataque in Herfordiensi templo: *Et lib.* 5 *diserte ait Ravenam venisse Otgarium, indeque corpora illa asportasse. Rubeum secutus Baronius, qua occasione Ravenam Otgarius venisse potuerit, ex-* B *ponit. Nam cum, ut citati habent Fuldenses Annales, ceterique Francicarum rerum Scriptores, Lotharius a Pio parente anno Chr.* DCCCXXII *missus in Italiam, anno* DCCCXXIII *a Paschale Papa coronatus; iterum an.* DCCCXXIV, *parentis mandato, Romam ad Eugenium Papam ierit, hujus illi itineris comitem Otgarium addit Baronius, an.* 824 *num.* 16. Quo pariter anno, *inquit*, Lotharii in via comes Otgarius Episcopus Moguntinus corpora SS. Severi Episcopi et uxoris ejus Vincentiæ et filiæ Innocentiæ, Ravenna sublata in suam Ecclesiam Moguntiam transtulit. *Verum neque adhuc Episcopus erat eo anno Otgarius, neque Hilduinus Virdunensis, legationis socius : et missi ii fuere* pro pace et amicitiis *inter Ludovicum Pium et Lotharium* reparandis, *ut scribit Luidolfus; tunc autem nullæ adhuc excitatæ inimicitiæ erant. Denique non nisi Ticinum ivere, quo reliquiæ jam antea illatæ a Felice Presbytero erant.*

*nec immediate ex urbe Ravenna,*

*vel Legatum Ludovici R. Germaniæ,*

16 *Serarius a Ludovico Germaniæ Rege missum Otgarum existimat. Licet enim haberet hic, ut scribit Nithardus lib.* 2. Loduwicum ad mortem usque exosum, *censet tamen Serarius* rebus compositis, apud *dictum* Regem gratia valuisse eumdem Præsulem : cumque ab illo dissideret ejus filius alter Lotharius, factum esse, *ut pacis inter eos componendæ caussa Ti-* C *cinum missus, S. Severi reliquias inde Moguntiam adveheret. At quis Ludovico Germaniæ Regi Lotharium filium tribuit? aut quod illi esse jus in Italiam poterat, ut Ticini commoraretur, cum Italia Lothario Imperatori, dein Ludovico* II *ejus filio, pareret?*

17 *Certius quo ista anno evenerint Lambertus Schafnaburgensis declarat, ita scribens .* DCCCXXXVI Otgarius Archiepiscopus transtulit S. Severum ad Franckfurt. *Certe ex Vita Ludovici Pii liquet, eum etiam receptis in gratiam filiis, post sceleratam et omnibus seculis detestandam ipsius abdicationem, indixisse an.* DCCCXXXV *conventum ad Theodonis villam post Pascha, id est, sub anni* DCCCXXXVI *exordium* filioque suo Lothario mandasse, ut nobiles quosque suorum ad eumdem locum dirigeret, quatenus reconciliationis mutuæ inter se et illum ratio investigaretur. *Deinde plures ab eo ad eumdem filium missi eodem anno legati memorantur, primi qui cum Judithæ Augustæ et Carolo ejus filio consiliarent, deinde qui ægrum viserent, demum qui monerent ne Ecclesiæ subditos vexaret : qui utramque posteriorem legationem obiere, nominantur; prima fortassis Otgario ac sociis commissa est, aut alia quæpiam. Meminit hujus Translationis Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 847.

*vel Ludovici Pii Imp. 836*



18 *Consignata est in Martyrologiis hujus translationis memoria* XXII *Octobris; in multis veluti natalis ille foret dies, nulla vel ibi translationis mentione facta, vel Kalendis Februarii depositionis. Ita Appendix ad Martyrol. Adonis, edita ab Rosweydo :* Eodem die, S. Severi, Episcopi Ravennæ. *Martyrol. Ord. S. Benedicti :* Severi Ep. et Confess. *Martyrol. vetus Ultrajectinum :* Ravennæ S. Severi Ep. et Conf. *Martyrol. Colon. an.* 1490 *editum :* Ravennæ S. Severi Ep. et Confess. Hic ex lanifico opere, per ostensionem columbæ, in Episcopum ab universo Clero et populo assumptus est. Quod videntes uxor ejus Vincentia, et filia ejus Innocentia, monasterium ejus ingressæ, dedicaverunt et ipse se Domino. Ipse vir sanctus prænoscens obitum suum, sanctis mysteriis celebratis, et populis expulsis de ecclesia, accessit ad sepulchrum uxoris et filiæ, et lapide per se revoluto, dixit ad eas : Præcepto Domini vocor; date mihi locum vobiscum dormiendi : illis autem sibi locum dantibus, vivus intravit moriturus. *Monasterium tunc Ravennæ an fuerit, si quis ambigat dicemus auctorem illius Martyrolog. hoc solum velle, eas sanctimonialem vitam esse amplexas.* D

*AUCTORE J. B. S. Severi memoria in Martyrol. 22 Oct. velut natalis,*

19 *Alia Martyrologia indicant, alium illi sacrum alibi diem esse. Hermannus Greven in addit ad Usuard. Ipso die (secundum alios vero Kalendis Febru.)* Ravennæ B. Severi Episcopi et Confessoris, qui ex lanario, E miraculo columbæ cœlitus missæ in Episcopum assumptus, cum injunctum officium strenue administrasset; diemque dormitionis suæ præsciret, aperto sepulchro uxoris et filiæ, ut sibi locum secum quiescendi concedant imperat, illisque locum dantibus, sepulchrum moriturus intravit, *eadem habet Canisius, nisi quod addat vixisse* Joviani *Imp. temporibus, perperam ad marginem adscripto an.* 350 *cum Jovianus an.* CCCLXIII XXVII *Jun. imperium susceperit, tenueritque vix* VIII *menses : fortassis voluit, ut Haræus,* CCCXC *scribere. In* 2 *edit. hæc addit :* Sacrum ejus corpus postea in Moguntinam diœcesim translatum est. *MS. Martyrol. Metropolitanæ Ecclesiæ Pragen. ita habet :* Ravennæ S. Severi Episcopi et Confess. qui ex arte textoria mechanica per columbam Episcopus loco illi est divinitus assignatus, virtutibus clarus; qui cum uxorem suam in proprio monumento sepelisset, deinde filiam Innocentiam ibidem sepelivit, cui ad jussum Episcopi mater locum dedit : in quod postea ipse vivus intravit, et intermedium se locans quievit in Christo IX Kalendas Februar. sed hic dies ejus recolitur.

*indicata alia solemnitate;*

20 *Diserte Translationem ejus hic indicat celebrari Molanus in* 2 *edit. auctarii ad Usuardum :* Eodem die Translatio S. Severi Confessoris, Episcopi Ravennatis, cum uxore et filia, ad diœcesim Moguntinam. F *Et MS. Florarium :* Eodem die corpora SS. Severi Ravennatium Episcopi, ut uxoris suæ Vincentiæ, et filiæ Innocentiæ ab Otgario Archiepiscopo Moguntiam translata sunt an. salutis DCCCXXIV.

*et sub nomine Translationis,*

21 *Eo autem die plures Germaniæ Ecclesiæ natalem celebrant S. Severi, ut ex ipsarum propriis Breviariis patet. Atque Erphordiense quidem hunc præfert titulum :* Breviarium dicendarum Canonicarum horarum, ad morem Severiani collegii Erphordiensis : *habetque in fronte SS. Severi, Vincentiæ, Innocentiæ imagines : in secunda pagina decastichon ad lectorem, in quo ista inter cetera.*

*colitur eo die in Germania*

Inde accepta refer magno tua vota Severo,
Qui tenet undoso proxima templa Gerthæ.

*Celebritas ejus ritu duplici agenda consignatur* XXII *Octobr. parsque primæ Vitæ, quam ex Mombritio et Romano codice dabimus, in lectiones distributa consequentibus diebus recitatur; die vero octava historia Translationis auctore Luidolfo. Celebratur quoque S. Severi festum eo die in Ecclesia Moguntina, ut patet ex Breviariis excusis an.* 1495, 1507, 1570, 1611. *In Wor-*

*AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

*matiensi edito an.* 1576 *habet officium* 3 *lectionum, itemque in propriis officiis Eccles. Herpipolensis excusis an.* 1625. *Commemoratio ejus fiebat in Hildeshemiensi edito an.* 1516, *inque veteri Ultrajectino : hæc tamen in officiis propriis Ecclesiæ Ultrajectinæ, quæ an.* 1623 *et* 1640 *Philippus Rovenius, Archiepiscopus Philippensis, edi curavit, omissa est, quam ob caussam, quave auctoritate, haud quærimus.*

*Hæc Translatio duplex : alia antiquior,*

22 *Verum quia S. Severi duplex facta est per Olgarium Translatio, cum nimirum Ticino Moguntiam, ac deinde Moguntia Erfordiam ejus deportatæ reliquiæ sunt, utra hoc die contigerit, haud possumus certo pronuntiare : neque an harum altera, an prior aliqua in Martyrologiis referatur* XV *Februarii, ubi vetus Coloniense, et Hermannus Greven ita habent :* Item Ravennæ Translatio S. Severi Ep. et Confess. *eademque ferr MS. Florarium. At Canisius* Elevationem *appellat. Neque vero esse dubium potest, quin e priori tumulo in aliud aliquod conditorium aut capsam transposita sacra pignora fuerint, antequam ea auferret Felix, qui refodere ea nemine percipiente haud potuisset. Elevatio facta fortassis ac Translatio illa prima a Petro III Ravennate Episcopo. Ita enim scribit Rubeus lib.* 2. Sepultus est, *Severus* in Classe oppido, haud procul a regione, quam Salutarem vocabant : quo loco a Petro Seniore Ravennatum Archiepiscopo insequentibus temporibus ejus nomini erectum templum est, cum multa prodigia ad viri sancti tumulum assidue succederent. *Idem lib.* 3 *scribit* Petrum, cognomento, atque etiam ætate, sed multo magis virtutum ac morum præstantia Seniorem, virum gravissimum, et vita innocenter acta maxime laudatum, *sub annum* DLXVIII *Ravennatium Antistitem esse factum. Infra de ejus morte ista habet :* Hic templum insigne D. Severo Ravennatum Archiepiscopo ædificare, ac potius majus nobiliusque facere aggressus, in ea Classis oppidi regione, quam appellabant Vicum salutarem, in ipsa ædificatione moritur. *Quod in MS. Florario rursus* XXX *Junii adscribitur* Translatio S. Severi Ep. et Conf. *correctionis eget; debet enim de S. Severi Presbyteri Translatione accipi, de quo* XV *Februarii.*

*fortassis 6 seculo facta.*

*cum et templum ædificatum.*

# VITA AUCTORE ANONYMO,

ex MS. Congregationis Oratorii Romæ.

*Collata cum vet. Breviar. Erfurt. et Mombr.*

## CAPUT I.

*S. Severi patria conjugium, opificium.*

Quotiescumque virorum gesta fortium, ac laudabilium provectus Patrum in Ecclesiis recitantur; qui desiderio cœlestium flagrantes premiorum, infirmioribus proximis planiorem viam fidei reliquerunt; ob id procul dubio actitari creditur, quatenus ille Divini amoris ardor, qui quotidie, abundante iniquitate, etiam in sanctis viris flatu quodam *a* Aquilonis tepescere solet, iterum quasi Austri gratissimo spiramine reaccendatur. Unde Ecclesia in Canticis, Surge, inquit, Aquilo, et venit Auster. Hinc est quod nos pene idiotæ atque inertes, pretiosissimi lilii Christi, B. Severi Archipræsulis, vitam, ordinationem, nec non et obitum sacratissimum, qualicumque stylo *b* palificare gestientes, simpliciter ea quæ de tanto viro ad nostræ parvitatis notitiam pervolare potuerunt, auribus fidelium intimare proposuimus, plus prospicientes illorum ædificationi et saluti, quam curiosorum pompaticæ urbanitati. Qui enim, juxta *c* Salomonem, sophistice loquitur, Deo odibilis invenitur : quia et semetipsum jactantiæ spiculo percutit, et insuper auditorum infirmitati minime consulit.

*Cant. 4. 16.*
*S. Severi cur vita scribatur ?*
*Eccli. 37. 23*

2 Sed quia rei gestæ fidei anchoram adnectere opus est, more historiographis solito, tria in fronte narrationis, instrumenti gratia, ponimus, quibus ad contexendum propositum opus congruenter utendum est, id est, personam, patriam atque conditionem. Nam ut de persona ejus vera paucis perstringamus, non sine Divino quodam auspicio Severus et a parentibus vocatus. *d* Non enim si propensius inspicere etymologiam volumus, sævitiam sonat, sed potius virilem gravitatem, de qua in Psalmo canitur : In populo gravi laudabo te. Nec immerito, quia futurus profecto erat et vitiorum extirpator austerrimus, et virtutum avidissimus conrasor. Patria vero ejus satis omnibus in promptu habetur, quia civis Ravennas extitit : et, sicut de beato Papa Gregorio dictum est. Unde genus duxit, summum conscendit honorem.

*is non sine omine Severus dictus,*
*Psal. 34. 18.*
*Ravennæ natus,*

3 Cujus autem conditionis fuerit, sanctissimæ ejus vitæ summa comprobat : quia vere Christianus erat, et vitam columbinam in simplicitate cordis agebat. Pauperem quidem vitam cum Tobia gessit, sed quia Divinam præsentiam timuit, et circumspectionem Omnipotentis semper cogitavit, omnia bona possedit; quia caritatem, quæ Deus est, omnimodis habuit. Quantum enim ad seculi luxum pertinet, pauperem vitam duxit : quia, ut a veracissimis fertur relatoribus, una cum conjuge, quam sibi jam dudum castissimo copulaverat matrimonio, non nisi lanificii opere sumptus quotidianos carpebat. Nam utpote religiosus et orthodoxus Catholicus, de labore manuum cum Apostolo vivebat, nullique hominum vim vel fraudem inferebat. Neque enim surda aure præteriit Psalmistam intonantem : Labores manuum tuorum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. In hoc loco si quis superciliosus ænigmatica mente et insulsa objectione beato viro detrahat, quod uxoratus ad *e* archisterium Ravennæ accesserit, audiat Apostolum pro illo respondentem. Quia omnia munda mundis. Sicut ergo ciborum edulio non polluitur homo, nisi insidiatrix concupiscentia præcedat; sic quippe legali connubio non inquinatur Christianus, qui se nullatenus vel virginitatis vel continentiæ voto alligavit; nisi illum prius corrumpat obscœni amoris fomento ipsa deceptrix libido. Ceterum si quis voto constringitur, reddere cogatur; qua scriptum est, Vovete et reddite.

*Tob. 4. 23.*
*lanificii opere victitans,*
*Psal. 127. 2*
*uxoratus,*
*Rom. 14. 20.*
*Psal. 75. 12.*

4 Sed quia tantisper pro assertione veritatis quasi per excessum diximus, ad cœpta redeamus. Igitur postquam præeminentissimus athleta veritatis *f* Apollinaris, sicuti ante secula Divina prædestinavit providentia, ab Apostolorum Principe ordinatus est Pontifex ad prædicandum verbum Dei, et claves regni cœlorum idoneus et per omnia probatissimus vicarius accepit; Ravennam nobilissimam Italiæ civitatem, et multarum metropolim urbium, *g* ac si secundam Romam, sibi in apostolatum adsivit. Hanc siquidem urbem meritis præcipuis ejusdem sui triumphatoris B. Appollinaris, adeo clemens et pius Rex Christus, præ ceteris decorando insignivit, ut ex quo ille miles felix laureatus corona martyrii intravit in gaudium Domini sui, instar duodeni Apostolorum apicis, *h* duodecim illi successores per varia annorum curricula suppleret, non humana electos industria, sed potius divina vocatos providentia, et super quorum capita cœlitus missa requievit columba. Unde et hoc venerabile proverbium jam dudum vulgatum est per universum orbis circulum : Beata civitas illa, ubi in electione Pontificis, Spiritus sanctus descendit in similitudinem columbæ; et ordinatur ille super cujus caput requiescit.

*electus, ut alii XI Epp. Ravennates,*
*indicio columbæ capiti insidentis,*

5 Sed o mutatio temporis! o nefas negotiationis! Redemptor itaque noster, ut ostenderet fidelibus suis, quam sit damnabile officium negotiationis, ingressus in templum omnes vendentes, et ementes in illo vehemens ejecit; et facto de resticulis flagello, eos potissimum,

A potissimum, qui columbas vendebant, de templo eliminavit. Antiquus autem humani generis inimicus, qui jam juxta Apostolum in membris suis mysterium operatur iniquitatis, quique sedet cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem, iterum cum felle amaritudinis, per Simonem suum venalem facit columbam : nec desinit per suos trapezitas cumulare mammonam iniquitatis, quo eos valeat profundius mergere in puteum perditionis. Ecce nemo modo Episcopus usquam eligitur, quia nec Ecclesiis permittitur : sed quod horribilius est omnibus monstris et deterrima adulterii species, quæ primum locum obtinet in pœnis, adhuc vivente alicujus civitatis Episcopo, ab aliquo inducto et depravato honor ejus concupiscitur, petitur, promittitur, sacramento spes solidatur, persona extollitur, scientia laudatur, pecunia impudenter datur, ut postmodum impudentius vendatur, quod tam nefando ausu comparatur. Sed quia se hujus rei ratio consequenter per columbam ingessit, Ecclesiastici vigoris gratia, venditores ejus male meritos, ut cœpimus, persequamur. Videsne ut Simoni primo hæresiarchæ, cujus inter ipsa lactentis Ecclesiæ cunabula Apostolico mucrone triste caput amputatum est, ac deinde, tot justitiæ faventibus Patribus apud ecclesiastica concilia perpetuo anathemate sepultum, alia rursum quasi hydræ capita suc- B crescant? Inde necesse est, ut nostri nunc temporis Episcopi apud omnipotentem Dominum aut valde rari sint aut nulli. Hinc etenim per Prophetam dicitur : Principes extiterunt, et non per me : ipsi rogaverunt, et ego non cognovi. *k* Sed hæc hactenus.

*non ut Auctoris ætate, quidam Episcopi simoniace legebantur,*
2 Th. 2. 7.
*etiam vivente decessore.*
Osee 8. 4.
*k*

a *Mombr.* Sinistro algente. *Breviar. Erfurt.* agente.
b *Mombr.* declarare.
c *Non est Salomonis, sed Jesu Syracidæ liber.*
d *Hæc de etymologia desunt Mombritio.*
e *Hanc vocem pro monasterio usurpari ostendimus* 17 *Januar. ad cap.* 19 *Vitæ S. Antonii. Hic pro principatu, aut episcopali seu cathedra, seu palatio, sumitur. Simile est illud* 18 *Januar. cap.* 1 *Vitæ S. Deicoli* Neque enim solummodo gloriantur se sortiri Dominici gregis ductores in civitatibus muratis et arclusteriis episcopalibus, nec non castellis turribus præmunitis. *Agit de hac voce Rosweydus noster in Onomastico ad Vitas PP. et Gerardus Joannes Vossius lib.* 3 *de vitiis sermonis cap.* 1, *ubi recte explodit Glossarii Camberonensis etymologiam, quasi ab archos, princeps, est sterion statio dicatur, cum στήριον Græcum non sit.*
f *Colitur* S. Apollinaris 23 *Julii.*
g *Ravenna sedes fuit Regum Gothorum, deın Exarchorum Italiæ, vel ejus partis quæ Imperatoribus Constantinopolitanis parebat, cum reliqua fere Longobardi tenerent. Multa ejus decora recenset Leander Albertus.*
h *Undecim solum enumerat Rubeus, et Leander, qui in Descriptione Italiæ, de Cathedrali Ravennatis basilica agens, ista habet.* In sacelli majoris hæmisphærio depicti, seu opere Græcanico effigiati cernuntur illi sancti Antistites, qui columbæ supra C caput apparentis indicio Ravennates Archiepiscopi fuere creati; suntque D. Aderitus, Eleucadius, Galocerus, Marcianus, Proculus, Probus, Datus, Liberius, Agapitus, Marcellinus et Severus. *Unde suspicari liceat, vel omissum aliquem esse (Severum Martyrem fortassis, Agapiti decessorem, ut quidam volunt) vel duodenarium illum numerum confici, ipso annumerato Apollinare. Ughellus inter SS. Marcellinum et Severum locat Agapitum II.*
i *Hæc contra Simoniacos digressio abest a Breviario Erfurtensi: in Mombr. ponitur post num.* 7
k *Sequebatur hic in Mombritio quæ infra habetur, invectiva contra monachorum hostes.*

## CAPUT II.

### *S. Severi ad Episcopatum electio, ordinatio.*

Ætate jam dicti semperque dicendi Severi, contigit Ravennatem Ecclesiam proprio Pastore viduari *a* Marcellino, adhuc *b* Constantino Magno imperante, orbique Romano singulariter præsidente, *c* quater Constantio et ter Constante Coss. natis eodem Principe. Cumque multi Episcoporum convenirent finitimi atque remotiores, quatenus tantæ civitati Pontificem more solito ordinarent; finitoque *d* oramine, omnes in commune lætabile operirentur spectaculum, aliquem scilicet per columbam cœlitus designari, idem vir Domini B. Severus, forte operi suo domi insistens, ut erat simplex et columbæ amicus, his D verbis suam affatur conjugem : *e* Vadam, si placet, ocyus, et videbo visionem mirabilem, quomodo divinitus e cœlo columba veniat, et super caput electi consedeat. Ad quem illa. Sede, inquit, hic, et labora : noli otio vacare, quia non expedit nobis. Sive enim pergas, sive in loco subsistas, te Pontificem populus minime ordinabit. Ad hæc ille, Sine me, inquit, ut vadam. At illa : Vade, si placet; quia quacumque hora intraveris, statim Episcopus ordinaberis. Talia uxore ironicè prosequente, illico surrexit, et ad *f* ecclesiam concitus adiit, ubi erat populus cum Sacerdotibus congregatus, et ob vestimentorum utilitatem, quia squallido amictus erat indumento, occultabat se *g* post valvas templi. Et expleta oratione, confestim descendit de cœlo columba nive candidior, et sedit *h* super caput B. Severi latitare cupientis. Ille autem dum a se columbam repelleret, et illa hac illacque per aerem volitaret, iterum iterumque revisit dilectum sibi caput ejusdem beati viri, ac si Spiritus sanctus specietenus, quod in re erat, proderet, dicens : super quem requiescam, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos? Et iterum : Ego diligentes me diligo.

*a b*
*c*
*An. Christi 346, cœtu ad Episcopi electionem concito.*
*d*
AUCTORE ANONYMO EX MS.
*e*
*f*
*Severus, uxore improbante, ecclesiam adit,*
*g*
*et columba capiti ejus insidente,*
*h*
Isa. 66. 2
Prov. 8. 17.

7 Stupefactus super hoc omnis potestatus et Cle- E rus et omnes qui huic divino spectaculo intererant, omnium bonorum et dignitatum largitori Deo immensas gratias egerunt : *i* et de latibulo educentes, unica voluntate electionem in eo pariter decreverunt. *k* Missusque Romam ad Julium ejusdem urbis Episcopum, qui *l* tertius extitit a B. Silvestro Maximo, Ravennatum ordinatus est Præsul : reversusque ad urbem proprii honoris, cum omni veneratione est habitus. Nisi enim homo iste humilis esset et mansuetus ac Deum timens, tam evidentibus indiciis non eum Spiritus sanctus suo testimonio declarasset. Quod tamen post Apostolos in paucis actum fuisse legimus. Legimus tamen *m* Flaviani vel Zephyrini Romani Antistitis electionem similiter declaratam. Tali namque modo ordinatus est B. Severus Ravennatis Ecclesiæ Episcopus, unctusque est oleo exultationis et unguento sacri Chrismatis juxta morem Pontificis. Tunc adimpletum est in illo quod Dominus dixit in Evangelio : Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt. Et juxta Pauli vocem : Infirma mundi elegit Deus, ut confunderet et fortia. Ecce est, quod Petrus Apostolus dixit. Quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi. F

*i*
*k*
*eligitur Episcopus*
*l*
*a S. Julio Papa ordinatur.*
*m*
Marc 10. 27
1. Cor. 1. 27
Act 10. 34

8 Quid ad hæc mussitant novelli et indocti, qui Dominum quidem quoquo modo sciunt, sed minime sapiunt? Monachi, inquiunt, non habent licentiam prædicandi, tametsi sint auctoritate divina plenissimi. Sed non est mirum; quia caro nescit spiritum. Veritas quippe amara est, et qui eam docere nituntur, amaritudine replentur. Ecce B. Severus propemodum idiota et absque litteris, Spiritu veritatis imbutus, efficitur Doctor uberrimus, et monachus qui ab incunabulis divinis litteris insistere studuit, tacere habet? Paulus Apostolus hoc specialiter privilegii præ ceteris nactus est, ut qui ad pedes Gamalielis sacras litteras didicit, Vas electionis et appellari et esse promeruerit : unde et Doctor totius orbis specialis dicitur, licet et ceteri Apostoli Doctores habeantur. Hæc contra illos paucis dicta sunt, qui secundum faciem homines judicare solent : quique secundum placitum favent iniquitati, detrahunt autem veritati, asserentes non oportere fieri Episcopum, nisi aut natalibus sublimatum aut statura procerum.

*Invectiva in eos qui nolunt ut monachi prædicent*

a *Colitur* S. Marcellinus 5 *Octobr. Alii volunt immediate ante* S. Severum (*ut supra retulimus*, *sedisse* S. Agapitum, *de quo agimus* 16 *Martii. Hæc autem de S. Severi decessore, et Consulum,*

*AUCTORE ANONYMO EX MSS.*

CAPUT III.

*S. Geminiani sepultura, ordinatio S. Heracliani, per S. Severum.*

Cumque sanctus Domini Pontifex quotidie in divini operis procinctu positus, sanctam Ecclesiam sibi creditus commissam digno moderamine, utpote vigilantissimus Pastor, regeret, et voti sui compos, siti in virtutum augmento, existeret; *a* quadam die Missarum solemnia ritu Episcopali celebrans, hora illa qua Lector pulpitum adscendit, ut beati Doctoris Gentium epistolam more solito recitaret, subito vir Domini super altare in extasin rapitur, ac si sopore detineretur. Existimantes autem ministri sancti altaris Sanctum Domini obdormisse, præcipiti pede accesserunt excitantes eum ac dicentes : Quid est quod agis? Ille autem concitus, quasi de somno evigilans, erexit se, et quasi commoto animo dixit eis : O filii, quid fecistis? quare inquietastis me? Quamvis vobiscum videbar hic esse corporaliter, in spiritu tamen alibi eram. At illi vehementius instantes, disquirere ab eo cœperunt ubinam interea loci esset. Quibus ille respondit dicens : Pareat vobis omnipotens Dominus, Dilectissimi Fratres, pro eo quod tam improvide expergefactum me reddidistis, quia in sancta ecclesia Mutinensi eram, et ibidem sancti Fratris et Coepiscopi mei Geminiani, ejusdem videlicet Antistitis Ecclesiæ, animam omnipotenti Deo commendavi : et ibidem tamdiu moram feci, quousque sacrum ejus corpus tumularem devotius.

*a S. Severus celebrans Ravennæ, in extasim raptus, interest sepulturæ S. Geminiani Mutinæ :*

10 Igitur ad indagandam subtilius tantæ visionis veritatem magna sub festinantia cives Ravennates cum Classensibus veredarios miserunt ad memoratam Mutinensem urbem, ut qualiter erga Sanctum Domini Geminianum Episcopum ageretur, omni annisu velocitatis internoscerent. Qui cum summa agilitate ad supradictam contingerent urbem, juxta quod illis indictum erat, interrogare ardentius cœperunt, quidnam de Episcopo ageretur? Quibus Mutinenses cives responderunt, dicentes : quid novi habeatis, Fratres, incognitum habemus. Hoc autem non ignorate, quia nuperrime orphani facti sumus, decedente Patre nostro et Episcopo Geminiano, qui inter Ecclesiæ Sacerdotes non minimus habebatur. Et quamvis eum patronum habere credamus in cœlis, tamen non possumus de ejus absentia non habere mœrentia corda. Nonne Dominus Severus Archiepiscopus die eodem affuit, ejusque animam Domino omnipotenti commendavit? Nonne tamdiu hic infulatus stetit, quoad corpus ejus sarcophago clauderetur? quo clauso, ab oculis nostris repente sublatus est. Qui reversi renuntiaverunt civibus suis, qualiter Sanctus Domini Geminianus migrasset ad Dominum, et qualiter beatus Archimandrita Severus ejus sepulturæ divinitus fuisset destinatus. His auditis, cives Ravennates diem et horam studiosius requirunt, et plenam fidem ceperunt, ipso articulo B. Severum super altare obdormisse, quo S. Geminianum constat de hoc mundo migrasse : et exinde cœperunt sanctum ejus *b* cœlibatum amplius venerari.

*quod Ravennates, missis Mutinam nuntiis, verum esse deprehendunt.*

11 Fertur autem et a compluribus, quod idem auriga Domini B. Severus sanctum virum *c* Heraclianum, *d* Pisauriensis civitatis Episcopum nutrierit, et omni Catholicæ fidei regula plenius imbutum, memoratæ urbi dignissimum prætulerit Episcopum.

*S. Heraclianum ordinat Episcopum,*

CAPUT IV.

*S. Severi obitus, sepultura, miracula.*

Est et aliud memorabile ejus factum, quod nequaquam patimur absconsum iri, sed stylo quo valemus prosequi censemus. Tantæ denique sanctitatis apud omnipotentem Dominum fuisse asseritur, ut ejus defuncta ac sepulta conjux, ob imminentem necessitatem, post multorum annorum delapsa tempora, evoluta sit in latus. Dum ergo filia beatissimi Confessoris Christi Severi vitalem emisisset flatum, in diem clausisset extremum, convenerunt quam plurimi, quatenus corpusculum Virginis in sepulchro poneret genitricis. Erat autem eadem Virgo Innocentiæ insignita vocabulo. Cumque appropinquasset hora, ut deponi corpusculum debuisset, supervenit beatus Episcopus flendo, ut aiunt, more nimirum humanitatis. Et cum omnes qui funeri intererant, viderent eumdem sepulturæ locum minime esse duorum corporum capacem, mœrebundi satis atque anxii una voce Episcopo dixerunt : Heu, Pater, quid erit? Vulgone quia vas modicum est? Quibus vocibus beatus vir commotus, propriam dudum conjugem hoc modo

*S. Innocentiam filiam suam cum matre prædefuncta sepelit,*

---

hum, *quæ sequuntur, nominibus, in solo habentur Mombritio, absunt a MS. PP. Oratorii.*

b *Imo nonus jam aut decimus a Constantini Magni obitu annus erat.*

c *Hi Coss. ponuntur anno ante Synodum Sardicensem Christi* 346. *qui alibi* post consulatum Amantii et Albini *inscribitur. Cassiodorus et Cuspinianus Augustos Consules,* Constantium IV, Constantem III *statuunt post* Leontium *et* Salustium, *ante* Amantium, et Albinum, *an. Chr.* 345.

d *Mombr.* oratione.

e *Ita quoque B. Petrus Damiani ser.* 1. Vadam et videbo visionem mirabilem, videlicet quomodo columba de cœlo veniat, et super electi caput solito more consideat.

f *Rubeus ait fuisse* S. Theodori *ecclesiam, sed de ea haud satis consequenter loqui videtur. Nam lib.* 1 *pag.* 35 *de* Proculo *agens, de quo nos* 1 *Decembr.* Qui in S. Theodori, *inquit*, conventum pro deligendo Archiepiscopo haberi tunc temporis asserunt, in summa historiarum ignoratione versantur, cum illud templum ædificatum adhuc non esset. Aliquorum tamen sententia est, in domo Theodori civis Ravennatis locum publicum ab Apollinari constitutum, ubi ii Ravennates, qui Christum sequebantur, quæ ad ejus religionem ac fidem pertinerent, edocebantur, et sacram Eucharistiæ hostiam sumebant. Alii vero templum illud S. Theodori, id autem est, sancti Dei doni, Græca voce dictum perinde ac sancti Spiritus arbitrantur, ab eo admirabili cœlestis ac Divini Spiritus adventu. Neque enim eo tempore adhuc D. Theodorus Amasiæ Marmaritanorum erat natus, nedum ob Christum trucidatus; id enim Maximiani imperio contigit. *At pag.* 38. Sub id tempus (*quo Romæ sedebat Callistus Pontifex, Heliogabalo imperante, annis ante Maximianum 60 ac supra*) Ravennæ D. Theodoro Martyri, et B. Mariæ Virgini in Cosmedim templa ædificantur. *Et paucis interjectis* : D. Theodori templum, nunc Spiritus sancti appellatur, quod in eo templo columba cœlitus demissa, aliquot Archiepiscopos Ravennatibus dederit. *Non est novum, templis et nomina et præsules Divos mutari, præsertim cum restaurantur, ampliantur, miraculis reliquiisve istorum Divorum ornantur. Ab antiquissimis illis temporibus ædem eam S. Theodori esse appellatam, ut nullo argumento probat Rubeus, ita non facile persuaserit.*

*S. Theodori templum Ravennæ, nunc Spiritus sancti.*

g *Rubeus* In angulum ad dextram pone murum se conjecit. *Aliter infra Luidolfus.*

h *Idem Rubeus* Vix ita consederat Severus, cum in fenestram involans columba, paulumque in lapide subjecto commorata (quem nunc lapidem, ob rei memoriam atque reverentiam, ab Conrado Grosso Bononiensi, ejus templi Abbate, qui templum illud mirifice instauravit, honesto loco positum videmus) ad aures Severi convolavit... Protinus populus universus clamare ne illam ejiceret, sineret quod vellet efficere. Quod cum permisisset, columba, immisso in aurem ejus rostro, inde sublimis abiit.

*Lapis cui columba sacra insedit.*

i *Sequentia usque ad* Tali namque modo ordinatus est, *desunt in codice PP. Oratorii, habentur in solo Mombritio.*

k *Cetera desunt in Breviario Erfortensi. Rubeus hic addit :* Ille confestim in alium mutatus, et divino miraculo summa præditus sapientia, continuo suggesto conscenso concionem habuit, pietatis doctrinæque plenissimam; in qua præstitit, ne amplius divinitus columbæ ministerium experiretur in creandis Ravennatibus Episcopis.

*S. Severo divinitus infusa doctrina.*

l S. Marco *Papæ successit* S. Julius, *ille* S. Silvestro. *colitur* S. Julius 12 *Aprilis.*

m *Diximus* 20 *Januarii*, S. Fabianum *Papam, a quibusdam* Flavianum *appellari, et quod in ejus electione contigit columbæ in eum devolantis portentum, a Ruffino ad* S. Zephyrinum, *qui* 26 *Aug. colitur, referri.*

a *Idem narratur* 31 *Januarii in Vita S. Geminiani cap.* 4 *num.* 15. *Idem Petrus de Natalib. habet in utriusque Sancti Vita, et Bernardinus Justinianus in Vita B. Laurentii patrui sui* 8 *Januarii, cap.* 8, *num.* 47. *Idem commemorat B. Petrus Damiani ser.* 2.

b Cœlibatum *videtur Auctor ponere pro sanctimonia, aut sacerdotio : uti ante* Archimandritam *pro Archiepiscopo.*

c *Colitur* S. Heraclianus 9 *Decemb.*

d Pisaurum *urbs est in ora maris Adriatici, Ariminum inter et Anconam vulgo* Pesaro, *ad* Pisaurum *fluvium, qui nunc* Foglia *dicitur.*

*Pisaurum urbs.*

A modo affatur dicens : O mulier, cur mihi molesta es? Quare non præbes locum filiæ tuæ? Suscipe quod portasti, et noli esse pertinax locelli tui. Reversa te in partem, et da spatium sepeliendi, ne forte contingat me contristari. Ad hanc vocem, sub tanta celeritate suæ dudum conjugis corpus in partem semotum est, et in latus volutum, ut animato corpore nullatenus tam cito moveri potuisset, et filiæ suæ spatium dedit sepeliendi copiosum.

*jussu locum dare filiæ.*

13 Sed jam ordo rationis et series digestæ narrationis flagitat, quatenus et sancti viri obitum, qualiter ex hoc mundo migraverit ad Dominum, quatenus ex antiquis exemplaribus eruere potuimus, paucis pandamus. Cum enim jam provectæ esset ætatis, et cycneo capite prætenderet perfectionis canitiem, Dominica falce quasi Evangelicus manipulus in agro Ecclesiæ permaturus, pace ubique regnante desecatur, et ad horrea Divini promptuarii Angelicis provehitur ulnis, ubi omnes Dominicæ segetis manipuli æternaliter suo collætantur satori. Hic denique cœlitus electus Sacerdos dum quadam die pie Missarum solennia celebrasset, et transitum suum, quem longe ante præscivit, Dominici corporis et sanguinis perceptione munisset, convocato totius urbis Clero, necnon populo, juxta morem suum, de integritate B Catholicæ fidei conservanda, deque unanimitate atque fraterna caritate obtinenda, prolixius, secundum sibi datam sapientiam, sermonem protulit. Quo finito, firmata pace atque benedictione, stola ut erat pontificali trabeatus, proprium sibi jubet sepulchrum aperiri. Quod videlicet nimis multis adstantibus ingressus, *a* inter conjugem et filiam modo mirabili se collocans, voce serena, vultuque vigorabili, vale ultimum dormiturus in Domino dedit, suaviterque se obcludi marmore jussit. Ibi denique aliquamdiu orans, pretiosam Domino animam lætus reddidit, atque sarcina carnis exutus, cœlestis regni Capitolium est indeptus. Tali namque modo in pace Ecclesiæ defunctus est plenus dierum, sub die Kalendarium Februariarum.

*ipse senex, post multos labores,*

*die mortis suæ præscito, Missa celebrata,*

*habita concione,*

*a mediam se inter conjugem et filiam locat in sepulchro, et orans moritur*

14 Ex eo tempore usque hodie pius ac misericors Dominus Christus Redemptor noster, ad ostendenda præclara Confessoris sui merita, apud tumulum ejus innumerabilia operatur miracula ubi nunc est in ejus honore basilica marmorea tabulatis fabricata in civitate quæ dudum vocabatur *b* Classis, haud longe a regione quæ dicitur Salutaris usque in præsentem diem.

*b claret miraculis,*

15 De innumeris autem signorum beneficiis, quæ C Dominus omnipotens per dilectum Confessorem suum B. Severum erga infirmos ostendere dignatus est, unum, quod nostra ætate monstratum est, fideli relatione depromimus, ut per hoc cetera commendentur, quæ a nobis visa non sunt. Mulier quædam Ravennas, parvulum habens filium quotidiano febrium typo plus æquo laborantem, quem decrevit ob nimietatem continui doloris citius offerre Deo ad *c* sepulchrum B. Severi Archiepiscopi et Confessoris. Quo dum amicorum adminiculo comitata pervenisset cum filio, prostraverunt se humiliter Deo, Sancto quoque suo Severo, attentius pro salute parvuli orantes. Cumque bona spe conducti pernoctare in ecclesia deliberarent, partim prolixitate noctis, partim constantiam orationis laxati omnes, arrepti somno quieverunt. Intempesta autem hora, cunctis inerti somno depressis, solus ille puer infirmus expavit, vocem flebilem emittens, et cunctos excitavit. Qui circumspicientes viderunt lampades, quæ antea extinctæ erant, congruo fulgoris lumine coruscare. Et cum cognovissent miraculum cœlitus emissi luminis, consternati mente, dederunt gloriam Domino et S. Severo. Puer autem cum in medium deductus fuisset, cœpit mater ejus interrogare eum dicens : Quid tibi contigit, fili? At ille coram omnibus dixit : Vidi ex hoc sepulchro D egredientem virum episcopali habitu, canitie capitis decoratum, Angelicum habentem vultum, qui tetigit me, et expavi. Infirmitas vero illa confestim recessit a puero, et ultra jam minime febricitavit. Sed quorsum sunt ista? Quia dubitari nequit, quin ea quæ ab omnipotente Domino petere voluerit, dubio procul absque mora consequitur.

*Scriptoris ætate,*

*c puerum ægrum ad suam tumbam delatum,*

*accensis divinitus lampadibus,*

*AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

*ex tumba egressus, puerum sanat*

16 Hæc interim de tanto Ecclesiæ ariete dicta sufficiant : cujus sanctitatis historiæ credimus quia nullus sufficit stylus, etiamsi accedat Tullianus. Ecce, ut promisimus, novorum verborum phaleras evitamus : quamquam et aliquatenus suppetere possent, nisi magis interdere placuisset benevolentiæ quam jactantiæ. Parvuli quippe parvulis scripsimus : legimus enim quia parvum parva decent. Ceterum docet nos Apostolus, non alta sapere; sed humilibus consentire debere. Et certe Lex prohibet, ne quis coram cæco offendiculum ponat. Non enim omnia possumus omnes.

*Scriptor stylι simplicitatem excusat.*

*Rom. 12. 16.*

*Levit. 19. 14.*

a *Hujus sepulturæ S. Severi, uxoris ac filiæ in eadem tumba, mentio fit c.* Unaquæque 13 *qu.* 2 § Item S. Severus.

b *Si (ut nobis verosimilius videtur) post avectas in Germaniam S. Severi reliquias scripta hæc est Vita, hinc tamen conjicere licet, aliquam earum partem isthic remansisse, fuisseque propterea sepulchrum in veneratione, ac miraculis etiam nobilitatum.*

E

c Classensium *supra nu.* 10 *fit mentio.* Classis *infra ad Vitam per Luidolfum, et* 31 *Januarii in Vita S. Germiniani cap.* 4, *nu.* 15 *et sæpius* 7 *Febr. in Vita S. Romualdi.*

## CAPUT V.

### *Digressio mystica de conjugio et opificio S. Severi.*

Sed quia jam, flante Favonio, historiæ stagnum, salvis mercibus, enatavimus; libet paullisper intueri, si qua in eadem historia, quasi in concha, lateat pretiosa allegoriæ margarita. An putandum est columbam facile et absque magna auctoritate de supero cardine ad terram usque delapsam? Non utique. Nusquam enim legitur columbæ adventus, nisi ob testificationem præsentiæ sancti Spiritus. Nullus quippe hæreticis relinquitur locus objurgationis, qui Sanctum Domini Severum ad dedecus Ecclesiæ putant esse conjugio ligatum, quique suæ obscuritatis fæcibus obvoluti, ignari sunt gratiæ Spiritus sancti, qui quod in semetipsis minime sentiunt, in aliis nullo modo recognoscunt. Si quis igitur mellis gustum numquam probaverit, cujus saporis sit omnimode nescit. At contra qui solo absinthio, ceteris herbis neglectis, utuntur, his nimirum dulce amarum videtur, F et ceteras herbas ejusdem putant esse amaritudinis propter inexperientiam ejusdem saporis. De talibus namque scriptum est *a*.... Si cui ergo malum aliquid esse videtur, ipse sibi testis est quia malus est : et quod ipse per privantiam, omnes indifferenter putat habere per naturam. Qui autem omnia simpliciter intelligit, et incorruptis oculis omnem creaturam bonam esse credit, ipse sibi testis est, quia bonus est. Bonus ergo gaudeat, se a Domino creatum : malus vero sciat si sine Creatore esse, et ideo nihil esse : nihil quippe, excepto Deo, non creatum est. Si ergo malus aliquid esset, quid ergo nisi bonum esset? Et vidit Deus, inquit Scriptura, cuncta quæ fecit, et erant non solum bona, sed etiam valde bona. Hinc diffinire licet, ea quæ sunt, bona esse; neque esse, si bona non sunt. Omnia igitur bona non etiam justa?

*Spiritus sancti columba requievit supra S. Severum,*

*refellit hæreticos damnantes conjugium*

*a et omnes creaturas, ut mala*

*Gen. 1. 31.*

18 Beatus itaque Severus columbinis oculis omnia inspiciens Domini opera, etiam intellexit conjugium valde esse bonum, si quis eo legitime utatur; quia si bonum non esset, nequaquam mulier in adjutorium a Deo creata fuisset. Oculos quippe columbæ habuit filius columbæ per quam Spiritus sanctus significatur. Non quod aliquis fidelium jure dici possit filius

*quales non videntur bonas*

*Gen. 2. 18.*

AUCTORE ANONYMO, EX MS.

A filius Spiritus sancti, sed plane Dei Patris et Matris Ecclesiæ, per adoptionis gratiam. Unde sponsus in Canticis Sponsam alloquitur, oculum inquirens columbarum. Hos quidem oculos protoplasti perdiderunt, quando exigente prævaricatione a Deo sunt derelicti, et aperti sunt amborum oculi. Postquam autem oculos columbarum perdiderunt, confestim erubescebant; quia intravit mors per fenestras carnalium oculorum. Ecce quamdiu puer innocentiæ Spiritu ducitur, columbæ oculos habere perhibetur: quia omnia, quæ in mundo versantur, simpliciter intuetur. Non enim membra sua erubescit, nemini invidet, nulli irascitur, nihil impudicum cogitat, nulla illicita concupiscit, quia inhabitator Spiritus sanctus, qui illum incorrupta mente custodit, nihil eorum novit. Si autem per divortia vitiorum ad concupiscentiam carnis, vitæ exul, prolabitur, jure jam erubescit, quia impletum est in illo quod Psalmista ait: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est. Spiritus itaque adoptionis, quem B. Severus in sacra renascentia suscepit, quasi columba in caverna maceriæ, sic virtutem pullos in cordis ejus nidulo nutrivit: nec ab eo recessit, donec in electione Pontificis, cujus esset meriti innotesceret hominibus. Ecce qualiter homines B vitam obliviscuntur cœlestem, postquam ab alto innocentiæ culmine incidunt corrupta mente in terrestrem.

*Cant. 1. 14. et c. 4. 1.*

*simpliciter et innocenter eas intuentibus*

*Psal. 48. 13 et 21*

19 Habuit itaque B. Severus conjugem, habuit et filiam, sed ante Episcopatum. Numquidnam propterea indignus Episcopatu extitit, quia conjugem habuit? Absit. Numquid Apostolorum Princeps Petrus legali jure conjugem non habuit? Habuit plane: sed ante vocationem Apostolatus. Ecce eadem ratione B. Severus, Evangelii jam coruscante gratia, conjugio copulatus fuit, sicut Magister Gentium Paulus docuit; quo B. Petrus sub Lege constitutus usus perhibetur. Ecce Petrus ad Apostolatum vocatus et electus, circumducit uxorem, sed non utitur. Uxor quippe in sororem versa est: quia jam ordo temporum mutatus fuit. Ipse enim qui dudum per Legem damnavit eos, qui sine semine remanerent in populo Israel; nunc terribiliter per Evangelium suum intonat: Sint vestri lumbi præcincti. Beatus namque Severus, in Episcopatum per columbam electus, uxorem sicut Petrus circumduxit, filiam spiritualiter nutrivit: tamen uxore jam non utitur, quia Ecclesiæ Christi Pastor vicarius constituitur. Recedant longius Ecclesiæ calumniatores, qui non intelligunt C neque quæ damnant, neque de quibus affirmant.

*uxorem tamen, ut et Apostoli, post ordinationem pro sorore habuit S. Severus*

*Luc. 12. 35.*

20 Quod autem vir Domini Severus de lanificii opere victum sibi quæritabat, simplicitatem ejus sanctam commendat. Quia nimirum omnimodis decebat, ut ovis Domini rationalis Agni vellere induta, qui tollit peccata mundi, non aliunde quam de ovium, mundorum videlicet animalium, tegmine suam suorumque transigeret vitam. Erat namque una, nec qualiscumque de his quas verus et æternus Pastor Christus in Evangelio his verbis commendat: Oves meæ vocem meam audiunt, et ego agnosco eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis. De quibus alibi ait: Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient. Est quippe ovis, ut fertur, naturaliter præ omnibus animal mundissimum et mansuetum, nec non et simplicitati deditum. Si enim est aliqua rationali et irrationali significativa collatio, jure in talibus similia similibus comparamus. Non ergo vir tantus talem casu fortuito sortiri credendus est. Sed futuri ejus officii, certi videtur esse caussa indicii; quippe cui delegenda erat cura pastoralis, qua et agnos cum Petro pascere studeret et oves.

*texebat pannos de lanis ovium,*

*Joan. 10. 27.*

*Ibid. 16.*

*quas mystice pasturus erat, Joan. 21. 16 et 17*

21 Sic enim in Actibus Apostolorum legimus, quod totius Ecclesiæ Magister Paulus de labore D manuum suarum vixerit, ut nulli auditorum oneri esset: erat autem scenofactoriæ artis. Num quidnam Paulus aliunde vivere non poterat, qui omnibus artibus plenus erat? Potuit utique. Sed certi caussa mysterii credimus actitari, ut quia Prædicator egregius omnia quæ fidelibus prædicavit, ne ipse reprobus efficeretur, operibus commendavit, oportebat valde ut et manuum ejus labores vitæ et prædicationi ejus testimonium darent. Et quia opus ipsum, unde vivebat, commigrantibus et peregrinantibus, necessarium erat, hoc quod ipse, contemptum hujus mundi Hebræis persuadens, scripturus erat dicens: Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus; jam tunc quadam præsaga lingua officii sui significative loqueretur. Acsi humana ratione ipsa obumbracula aperte se utentibus dicerent: Videte, o nautæ et viatores peregrini, instrumentum atque materiem tuguriorum vestrorum, et ratione nostræ vobis cognitæ naturæ perpendite celsitudinem dignitatis vestræ, quam opifex noster atque consertor Paulus sine cessatione vos docet. *b* Nos originem de aquis sumpsimus et in ripis stagnorum nascimur, et tantæ levitatis sumus, ut et facile a conviantibus portari possimus, et tamen per nostrum ministerium E optatum habeant obumbraculum. Vos autem, qui rationales estis, de aqua et de Spiritu sancto renati, nolite per terrena desideria et mundi illecebras vos prægravare, quatenus liberi atque expediti brevem hujus peregrinationis viam percurrere, et ad æternam patriam quantocyus mereamini pervenire. Ecce qualiter opus Pauli loquitur, unde victitare legitur. Eadem quippe licet de opere manuum B. Severi sentire, quatenus per omnia vellera suos admoneat sequaces, habere mansueta et simplicia corda.

*sic S. Paulus faciebat tabernacula. Act. 18. 3.*

*mystice docens hinc migrandum. Hebr. 13. 14*

*b coque e juncis natis ad aquas,*

*per quas fideles regenerantur.*

a *Videtur hic deesse illud Isaiæ* 5, 20, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.

b *Videtur auctor innuere tabernacula, quæ faciebat Paulus, e juncis fuisse, ut non scenofactoria ars, sed* schoenofactoria *dicatur: nam* χοῖνος *juncus,* σκηνὴ *umbraculum.*

## CAPUT VI.

### *De S. Severi miraculis, digressio altera.*

Jam vero series expositionis exigit, ut et hoc quoque lynceis oculis penetrare conemur; quidnam sit, quod in hora sacræ oblationis in spiritu rapitur, et funeri B. Geminiani Episcopi interesse perhibetur. In hoc vero specialis doni miraculo æstimare non immerito debemus Sanctum Domini Severum Archie- F piscopum per omnia B. Ambrosio æquiparandum: quia, ut ille beatissimus Hierarcha *a* S. Martini incomparabilis viri natalitio deservivit, sic et iste B. Geminiani. Quod si quis obtendere velit, ob hoc dissimile aliquo modo miraculum haberi, quod inter Mediolanensium et Turonum civitates laxiora terrarum spatia habeantur; noverit quod omnipotens Dominus, qui in omnibus locis sine loco est, nec in maximis dilatatur, nec in minimis angustatur, quia centum cœli non est regnum ejus, qui difficile invenitur ubi sit, difficilius ubi non sit. Et quia *b* certum Ecclesiæ tempus in B. Severo non habemus, quis eorum sit prior ætate minime nobis lucet: sed tamen unum idemque esse Spiritus sancti donum, hominibus sano cerebro utentibus patet. Sed objicitur hoc modo. Et qui fieri potest, ut aliquis de Sacerdotum numero coæquetur Ecclesiæ Doctori Ambrosio? Quam utique calumniæ ansam citius solvimus, si Spiritus sancti laudem subtilius intueri curamus. Scriptum quippe de Spiritu sancto legimus, quod sit multiplex et unicus. Multiplex ergo Spiritus invenitur ob multiformem scientiam in Ambrosio: sed non minoris virtutis est unicus in S. Severo. Unius quippe ejusdemque

*S. Severus interest funeri S. Geminiani.*

*a uti S. Ambrosius edit in spiritu meritam S. Martini.*

*b*

*Sap. 7. 22.*

*atque in hoc similes:*

A demque meriti esse gloriosos Patres Ambrosium atque Severum testatur in hoc facto simile donum.

*qui conjugis corpus jussu movit,* 23 Sed intueri quoque libet, quænam caussa sic tam miræ auctoritatis, quod vir Domini in filiæ suæ sepultura coactus longe ante defunctæ conjugis corpusculo jussit, quatenus se dictu citius in latus declinaret, et filiæ spatium sepeliendi præberet. Sicut enim raro hæc virtus ostenditur, ita non sine difficultate a nobis exponitur. Attamen quidquid illud est, quod interlucet intellectibus nostris, nequaquam *potuisset suscitare.* silentio tegere æquum judicamus. Videtur quoque nostræ imperitiæ intelligendum per omnia fore, hunc sanctum virum nequaquam imparem ad resuscitandum esse conjugis corpus, hoc quia apud omnipotentem Dominum obtinere potuit ut se tam subito versaret in latus.

24 Est et aliud quod intelligi utile videtur. Superius namque satis superque contra hæreticos atque Ecclesiæ æmulos limato ense certavimus, qui ipsa quoque opinione conjugis ad nullam rem sanctum virum destinaverunt; ideoque necesse fuit, ut diabolus cum suis mendacibus in propatulo confunderetur, et sancta ubique Ecclesia in Sacerdote tantam gloriam divini præconii consequeretur. Ut enim verum fatea- B mur, cujus castitatis et continentiæ ante Episcopatum *ut apparitione columbæ constitutum ante episcopatum,* extiterit, ipse evidenter Spiritus sanctus per columbam in electione monstravit, quæ tot Presbyteros et Levitas super volitavit, et dilectum sibi penetral assignavit. Sed ut nihil inevisceratum scrupuli remaneat apud servos Domini, videtur sacratissimus Pontifex Ecclesiæ suæ latenter satisfacere pro dudum conjugis opinione. Quid enim prius eum fecisse dicitur, quam miraculum perpetraret? Recordari prius eum vitæ pristinæ creditur, quando Christiana licen- *sic hoc facto continentiam in episcopatu indicavit.* tia conjugio vinctus legitur. Quod autem tam imperiosa auctoritate jussit, ut defunctum conjugis corpus se declinaret in latus, patenter ostendit, quam securus esset a tactu illius, postquam effectus est Episcopus.

25 Novissime transitum ejus considerare eamus, et quam plenus esset virtutibus, aquilinis (ut sic dictum sit) oculis videamus. Descendit, inquam, vivus in sepulchrum, in quo conjux sepulta requievit cum filia, ibique se medium collocans, obdormivit in pace. *vivus intrat sepulchrum, ut S. Joannes Evangelista.* Quemnam vir iste, quem in obitu suo est imitatus, nisi splendidissimum radium Joannem Evangelistam et Theologum, qui ut Ecclesiastica testatur historia, simili modo requievit in ultimo senio? Joanni quippe C neminem præsumimus post Coapostolos suos comparare, quia totus mundus reclamare compellitur: sed tamen in hac virtute asserimus virum Domini Severum cum illo participium possidere. B. Joannes c assumptus esse creditur. Vir autem Domini Severus d apud nos plenus habetur in proprio tumulo. Habetur ergo in terris synecdochicῶς præstolatur quietus tempus inevitabilis ἀναστάσεως.

*Adhortatio ad ejus cultum.* 26 Qua de re omni devotionis annisu studeamus tantum ac talem venerari Patronum, et quasi adhuc in carne nobiscum degentem, ita intueamur illum absentem, quia (ut veritas sese habet) verius adstare nobis creditur, quam vivus in carne suo tempore videretur. Quia vero summo soli, qui habitat lucem inaccessibilem, junctus est in cœlis, nihil in creaturis agitur quod videre non possit. O si... tumulum ejus contingere possent, quam uberrimis lacrymarum undulis eum irrigare contenderent! Habemus in illo Patronum dulcissimum, Archiepiscopum clementissimum, qui vota nostra Domino omnipotenti offerat, et ut pius Advocatus se pro nobis fideliccendo interponat. Illi modis omnibus secreta conscientiæ nostræ per confessionem pandamus; ut in illo die tremendi examinis sub suæ defensionis patronatum nos recognoscat. Laus illi et gratiarum actio, qui eum ante secula in regnum æternum prædestinavit, et per columbam Spiritus sancti animal in Episcopatum elegit, in pace assumpsit, et in æterna Jerusalem pascua perpetuo gratulantem introduxit. D *AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

a *De indicata divinitus S. Ambrosio S. Martini morte, diximus 11 Novemb. ad S. Martini Vitam, et 7 Decembr. ad S. Ambrosii. Obiit ille* Cæsario et Attico Coss. *an.* 397, *hic sequenti,* Honorio IV et Eutychiano Coss. *uti delibatum inferius ad Vitam S. Sigeberti* § 6. b *Hinc apparet, Scriptorem, etsi pium et in Scripturis versatum, non admodum tamen peritum fuisse historiarum Ecclesiasticarum. Senior aliquanto Ambrosio S. Severus, coætanei tamen fuerunt.* c *De hoc, disputandi locus erit ad* 27 *Decembr.* d *Si constaret proprie locutum Auctorem, et Ravennæ scripsisse, consequens esset, ut hæc Vita ante mortem Ludovici Pii scripta conferetur, cum adhuc* habebatur in proprio tumulo S. Severus.

## MIRACULUM S. SEVERI

*ex Hieron. Rubei histor. Raven. lib. 2.*

Qui hujus sancti Archiepiscopi vitam, quam e D. Donati cœnobio Senis allatam legi, auctor mihi adhuc ignotus, scripsit, is cum miracula cetera summatim narret, unum, quod suo tempore testatur accidisse, luculenter explicat. Henrico Imperatore, Bonifacium Tusciæ Marchionem, cum exercitu, circum diruta oppidi a Classis mœnia, castra locasse. E a Milites, cum prope b S. Severi templum cœnobiumque quod inde haud procul aberat, loca infesta redderent, in hortumque monachorum, qui erant Cister- *Milites bona monasterii dissipantes,* ciensis ordinis, ingressi, olera, porrosque præsertim, abstulissent; accidit, ut cum sub cineribus coctos comederent, cruor ora perfunderet, ex ipsisque cultris, quibus inciderant porros, et manibus *prodigio territi,* quibus tractaverant, stillaret. Itaque tanto prodigio perturbati, ac plane confusi, Divinam primo ultionem vereri, mox salutari accepto consilio, in templum sancti Archiepiscopi accurrere, opem, veniamque supplices petere, munuscula offerre. Quibus tandem *veniam deprecantur,* exiccatus, abstersusque cruor, veniam impetratam significavit. Hujus miraculi, ipsos monachos, et quamplures populares, qui interfuere, juratos testes, Auctor ille adhibet.

a *De classe oppido diximus ad Vitam S. Grimmani. Manet loco nomen cum monasterio et insigni S. Apollinaris basilica.*

b *Erat id cœnobium Ravennam inter ac Classem situm, huic propinquius. Id Rubeus lib. 5 scribit circiter annum Christi* 1118 *Cisterciensis Ordinis leges accepisse: at nimirum tacite refutat, quod hic scripserat, quando quidem vivente Bonifacio Marchione necdum Cisterciensis erat fundata familia, nedum in S. Severi cœnobium introducta. Ferdinandus Ughellus, et ipse illius instituti Abbas, tomo 2 Italiæ sacræ scribit, Cistercienses postea coactos illud monasterium deserere,* ob Commendatariorum ingluviem *etc.* F

## ALIUD MIRACULUM

*ex B. Petri Damiani ser. 2.*

Sed cur ista de antiquis B. Severi miraculis dicimus, cum hodieque non pauca prodigiorum signa, in venerabili sepulturæ suæ basilica fieri frequenter audiamus? Nam, ut de ceteris sileam, illud unum quantis est præconiis dignum, quantaque lætitia ad Divinæ omnipotentiæ gloriam referendum, quod sub *sub altari S. Severi manat aqua, contra morbos salutaris.* ipso altari sacratissimi sui corporis clarissima sensim emanat aqua, diversis languentium valetudinibus profutura? Nam si fides bibentium exigat, mox ut eam pectora ægrota percipiunt, protinus de infirmitate ad salutem pristinam convalescunt. Et, ut mira- a *a saxis,* bilem rem fieri mirabiliter audias, non in vernalis clementia temporis, non in autumnalis inundantiæ pluviis, non in imbriferæ algoribus hiemis, quando ex diversis saxorum molibus solet aqua tenuiter exudare;

A indigne ferentes, quod tam vilibus vestimentis indutus inter primos civitatis stare præsumpsisset, eum inhoneste, sicut ei uxor evenire optaverat, de ecclesia exire compulerunt. Altera autem die in ecclesia latitare volens, etiam per columbam proditus sollicitabat corda intuentium. Tertia vero die cum in ecclesia positi aliquod signum a Deo præstolarentur, ille qui non in facie sed in corde videt et judicat, quasi duritiem illorum increpans, eum sicut prius per columbam sacerdotio dignum palam omnibus demonstravit. Tunc omnes una voce dixerunt: Quem possumus eligere, nisi quem Dominus ecce jam tertio elegit? Et apprehendentes eum de turba in eminentiorem locum reluctantem pertrahunt, et mutato habitu Clericum fecerunt. Deinde juxta morem Ecclesiasticum Episcopum consecrarunt.

*primo ejicitur; ter repetito prodigio,*

*eligitur Episcopus*

8 Currens autem quidam de assistentibus nuntiavit Vincentiæ, quod maritus illius esset Episcopus. At illa subridens, hæc nuntianti non credidit, sed irridendo subjunxit dicens: Scio quia Severus *c* Grammatica ceterisque artibus imbutus bene potest esse Episcopus. Nam Pater monasteriorum longo tempore extitit plurimorum: ideirco exempla conversationis illius ceteri debent imitari. Ille vero qui nuntiaverat, verum se dixisse affirmavit. At illa. Qui hactenus, inquit, per plateas incedendo, fila de colo tendere atque in fusum colligere solebat, in cathedra Episcopali non immerito sedere perhibetur. Dum hæc loqueretur, alter et tertius venerunt, priori nuntio similia referentes. Tunc illa admiratione ducta surrexit, atque una cum filia *f* ad ecclesiam cucurrit; vidensque vera quæ audierat, Deo gratias egit. Statimque utraque illarum sacro velamine cooperta, una quidem in *g* viduitatis, altera vero in virginitatis proposito pie vivendo perduraverunt.

*uxor id credere renuit,*

*veritate cognita, cum filia velum accipit, et Sonctæ vivit.*

B

a *Deest hoc MS Budicensi.*
b *MS. Ultr.* æternum.
c *MS. Ultr.* arbitror; *omisso* curavit.
d *Idem habet altera pars Legendæ, aliter prior Vita cum Rubeo.*
e *Quo tempore hæc scripsit Ludolfus, magni habiti Grammatici, sive politiorum scientiarum professores, uti xi Januar. ad S. Paulini Aquileien. Vitam diximus.*
f *Rubeus tradit, e regione ecclesiæ habitasse.*
g *Ne quis putet viro deinceps cohabitasse, aut sacro velo indutam instar viduæ vixisse.*

## CAPUT III.

### *SS. Severi, Vincentiæ, Innocentiæ mors, celebritas.*

C Sanctus vero Severus quotidie in Dei servitio proficiens, et miraculis coruscans, magnum populo de se præbuit spectaculum. Nam omnes illius temporis in sua vicinitate viros vitæ sanctitate et doctrinarum studio sanctarum superabat, tantamque illi Dominus gratiam contulit, ut omnibus, qui eum nosse potuerunt, amori fuerit et honori. Nec mirandum, quod homo plebeius et idiota subito magister et Doctor Ecclesiæ fieri potuit: nam Dominus noster Jesus Christus non rhetores, non philosophos, sed piscatores elegit, et per universum mundum prædicare destinavit. Nullaquippe in discendo mora est, ubi sanctus Spiritus Doctor adest: et in quocumque habitare dignatur, ardentem pariter et loquentem facit.

*Severus miraculis et doctrina infusa clarus,*

10 Contigit autem jam præfatas mulieres viam ingredi universæ carnis: quas ille in sepulcbro, quod sibi paraverat, sepeliri præcepit. Succedente autem tempore cum vir Domini jam senio fessus diem ultimum sibi imminere conspiceret, sacerdotalibus vestimentis indutus Missam nonnullis astantibus celebravit. Qua completa, unumquemque in sua redire præcepit, excepto uno Scholastico, qui ejus nutu omnes ecclesiæ januas clausit. Deinde accedente beato viro ad locum, ubi sanctæ mulieres conditæ fuerant,

*uxoris et filiæ tumulum*

D statim tumulus ille ultro apertus est. Tunc ille Soror, inquit, et filia, hoc sepulchrum mihi preparavi, vobisque indigentibus utendum præstiti: sed quia modo ad factorem meum, illo vocante, proficiscar, date mihi locum vobiscum dormiendi: ut qui in hoc seculo communiter viximus, etiam communi sepultura utamur. Quibus illico locum dantibus, vivus tumulum, ceu S. Joannes fecisse legitur, introivit: atque signaculo sanctæ crucis se muniens, obdormivit.

AUCTORE. LUDOLFO, EX MSS.

*ultro apertum, intrat, et moritur.*

11 Puer autem, qui intus erat in ecclesia, videns beatum virum ingredi sepulchrum, lapidemque superiorem in locum pristinum quasi ab hominibus volvi, cum clamore valido cucurrit, et apprehendens quamdam particulam casulæ illius, quæ casu de sarcophago foras pependit ad se trahere nitebatur. At hi qui pro foribus erant obstupefacti, irruerunt per ostia, sciscitantes puerum, cur ita clamasset. Quibus ait puer: Dominus meus Episcopus hoc sepulchrum ingressus est; adjuvate quantocyus ne intus suffocetur. Viri autem illi maturioris ætatis, caussam Dei voluntate perectam intelligentes, et ejus animam jam ad cœlestia migrasse cognoscentes, in hymnis et laudibus benedixerunt Dominum, condignum Confessor: illius obsequium præbentes. Quanta vero ibi postea per merita sancti Confessoris largiente Domino infirmorum sanitatum facta sint miracula, tibi longum est explicare.

*ultro rursus coeunte tumulo:*

*claret miraculis:*

E

12 Post hæc interrogavi de festivitatibus Sanctorum, in quibus essent celebrandæ Kalendis. S. Severi, inquit, festivitas in Kalendis Februarii celebratur, sanctarum vero fæminarum, quoniam propter infestationem *a* paganorum lapsa est de memoria, idcirco una cum illius solemnitate in supradictis colitur Kalendis. His auditis, Crœsi opes habere me putabam. Deinde non modicam illorum Fratrum experti sumus humanitatem; nam pane et vino refecti iter nostrum læti peregimus.

*colitur 1 Febr. uti et S. Vincentia uxor et S. Innocentia filia a*

13 Hæc, Frater carissime, de vita et obitu Sanctorum, sicut ab ipso monacho in præsentia plurimorum audivi, litteris tradidi, tuoque nomini dedicavi; ob hoc maxime, ut te super nominibus et festivitate Sanctorum certum redderem, et eum hæc nescientibus errare non sinerem. Si autem adhuc de istis hæsitans, mihi non credideris, vade in Italiam, et quære locum memoratum inter Ravennam et monasterium S. Apollinaris: ibi procul dubio hujus narrationis tot testes invenies, quot monachos. Quod si etiam idem monachus in hujuscemodi narratione me (quod absit) fefellit, mendacii sui pœnas absque dubio luiturus est, illo cogente, qui nullum peccatum impunitum dimittit. Ego vero scio me nulla nisi ab illo audita scripsisse.

*Monasterium S. Severi juxta Ravennam.*

F

14 Igitur quando in ecclesiam S. Albani oratum ire volueris, ad australem plagam ejusdem ecclesiæ veniens, ibi ossa sanctæ mulieris Vincentiæ condita scias, et de eadem ecclesia S. Severum in Thuringiam, Sanctamque Innocentiam *b* ex parte ad alterum monasterium, nomine Paraciatense translatam noveris. Quorum meritis et intercessionibus, nobis Omnipotens concedere dignetur, ut hic taliter conversemur, qualiter in tremendi examinis die a justissimo Judice, cum hisqui a dextris ejus statuendi sunt, remunerari mereamur.

*S. Vincentiæ reliquiæ Moguntiæ:*

*b aliorum alibi.*

a *Herulorum, Gothorum, Longobardorum etc.*
b Ex parte *deest MS. Budicensi, uti et monasterii nomen*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

# LIBER II.

## Translatio SS. Severi, Vincentiæ, Innocentiæ.

### CAPUT I.

*Sacræ Reliquiæ transferuntur Moguntiam.*

In priori libello, carrissime mi Erlari, scripturum me esse pollicitus sum de translatione Sanctorum, quorum ibi mentio facta est : quod nunc, donante et adjuvante illo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, quantum potero, adimplere non differam.

*Felix, prædo Reliquiarum, divertit ad monasterium S. Severi,*

2 *a* Fuit quidam Clericus de Galliæ partibus, nomine Felix, (utrum factis necne, non est meum judicare) quem dum puer essem me vidisse memini. Huic erat consuetudo, per diversas vagari provincias, et Sanctorum reliquias, ubicumque potuit, furari, quæstus caussa. Hic ad prædictum monasterium, quod inter urbem Ravennam et S. Apollinarem situm esse diximus, cum quibusdam sociis venit; ibique religionis gratia, quasi peregrinus, susceptus est, tantamque illorum Fratrum expertus est humanitatem, ut quotidiana inibi, quasi unus ex ipsis, acciperet stipendia : qui etiam, ne illi Fratres aliquid de eo suspicarentur sinistrum, sacramento firmavit, se numquam de eodem monasterio recessurum. Cumque tam familiariter eo loci aliquamdiu conversari cœpisset, junxit se custodi ecclesiæ, eique sedulum exhibebat obsequium.

*ejusque et SS. Vincentiæ et Innocentiæ Reliquias furatur,*

3 Tempus autem opportunum ad id propter quod venerat nactus, ossa prædictorum furatus est Sanctorum, et cum suis complicibus fugam iniit. Quod cum Fratres comperissent, miserunt nuntios ad Optimates Italiæ, ut omnes exitus viarum de Italia præoccuparent, aut ne ullatenus inde labi potuisset. At ille cum loca sibi effugiendi *b* denegata cognovisset, per devia noctu incedens Ticinum venit, ibique aliquanto latuit tempore.

*atque Otgario Ep. Moguntino*

4 Interea *c* Ludowicus Imperator Otgarium Magontiensem Archiepiscopum, et *d* Hildi Wirdunensem Antistitem, duosque Comites, quorum alter Warinus, alter Adalgisus vocabatur, ad Lotharium filium suum, qui eo tempore Ticini morabatur, destinavit, pro pace et amicitiis inter eos reparandis, quæ pravorum hominum machinatione ex aliqua parte erant turbatæ. Quo cum pervenissent, *e* prædictus Felix *f* cum Sanctorum reliquiis, quas furatus fuerat, ad hospitium *g* Otgarii se contulit, et qualiter fecisset indicavit. Quas Otgarius cum gaudio suscipiens, suis abscondit in scriniis, et ne alieni ad illas patesceret aditus, proprio eas signavit sigillo.

*eas tradit;*

*qui, sociis ad eorum præsentiam horrore percussis,*

4 Mane autem facto Hildi et prædicti Comites ad mansionem Otgarii convenerunt, quatenus invicem conferrent, qualiter legationem sibi injunctam concorditer peragerent. Cumque introissent cellam ubi sanctæ in scriniis servabantur reliquiæ, horror et timor nimius irruit super eos, ita ut tremore agitati vix residerent. Quos Otgarius pallentes et trepidantes videns, interrogavit quæ caussa esset tanti timoris. At illi, Forsitan, inquiunt, in hac legatione finem hujus vitæ sumus habituri. Nam nec contra hostes in bello positos talis tantusque timor nos unquam invasit. Nolite, inquit Otgarius, timere, nullus enim in hoc itinere, Deo nos protegente, patiemur angustias. Sed, si vultis gratanter accipere, ego vobis dicam caussam hujus timoris. Hesterna quippe die allatæ sunt nobi Sanctorum reliquiæ, quas penes me in istis habeo scriniis; quibus quoniam huc ingredientes condignum non præbuistis honorem, merito incidistis in timorem. At illi hæc audientes genua flectunt, et sibi prospera evenire per suffragia Sanctorum postulabant. Quod et factum est. Nam sequenti die a Lothario honorifice suscepti sunt, et legatione peracta voti compotes redierunt ad Imperatorem, qui miserat eos. *h* Prædictus autem Felix cum sociis suis, acceptis ab Otgario equis, et aliis muneribus, inter homines illius latitantes de Italia egressi sunt, et Italorum præparatas devitarunt insidias.

*legatione feliciter peracta,*

*eas defert Moguntiam.*

5 Otgarius vero peracta legatione, de palatio Imperatoris Magontiacum veniens, Sanctorum reliquias cum summa veneratione suscipi a Clero et populo præcepit. Quo facto ossa S. Severi juxta altare S. Albani in loculo posuit, et *k* S. Vincentiæ ad australem plagam, Sanctæque Innocentiæ ad septentrionalem ecclesiæ ejusdem, ut in priore libello præfati sumus, honestissimis in locis juxta singula altaria collocavit, constructis desuper lectulis, quos vestivit auro et argento, sicut hucusque cernentibus liquet.

a *Quæ hic habentur usque ad num. 5, eadem extant in Breviar. Erford. ad diem Octavæ.*

b *MS. Ultraj.* denigrata.

c *Budic.* Ludewicus. *Est hic Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, ut supra ostendimus : cui morienti an. 840 adfuit cum Hetti Ep. Trevirensi et Drogone Metensi Otgarius.*

d *MS. Budic.* Hildiwinum. *Breviar. Erph.* Hiltim. *Eum Episcopum ordinatum an. 829, scribit Wasseburgius, adhæsisse semper Ludovico Pio, qui idcirco multa Ecclesiæ Virdunensi donavit post ejus mortem plurima a Lothario filio perpessum.*

e *Addit MS. Budic.* et de negotio quod acceperant, diligentissime pertractarent.

f *Addit idem MS.* et sui complices.

g *Breviar. Erford. semper* Othogarium *appellat.*

h *Huc usque Breviar. Erford.*

i *Inclytum pietate et doctrina extitit S. Albani cœnobium juxta Moguntiam, e quo ducta Spanheimium colonia an. 1124 ut in Chronico Spanheim. scribit Trithemius. At S. Albani mutatum in collegium Canonicorum, qui ante annos 40, cum scripsit Serarius, sacra in æde Prædicatorum obibant, cum ipsorum templi tantummodo parietinæ superessent. S. Albanum M. colit Ecclesia Moguntina 21 Junii.*

k *Serarius rer. Moguntin. lib. 1 cap. 17 inter Reliquias quæ olim in S. Albani basilica servatæ fuerant, recenset SS. Vincentiæ et Innocentiæ corpora, verum ubi ea nunc sint non indicat.*

*S. Albani templum Moguntiæ, jam eversum,*

### CAPUT II.

*S. Severi Reliquiæ translatæ Erfurtum. S. Innocentiæ alio.*

*deinde S. Severi Erfurtum transfert,*

Evoluto autem aliquanto tempore, idem venerandus Archipræsul Otgarius, volens sanctas illas reliquias ad majorem sacri cultus venerationem perlucere, ossa S. Severi transtulit in Thuringiam ad locum regalem, qui vocatur Erphesfurt, comitantibus Presbyteris et Clericis diversi ordinis, turbaque populi non modica. Sed antequam sacratissimi cineres illuc pervenirent, in itinere multis, Deo operante, miraculis claruerunt. Quorum pauca de pluribus hic non piget inserere. Nam, sicut illi retulerant qui eidem translationi se interfuisse testati sunt, sorores quatuor de Thuringia cum cetera multitudine obviam sanctis venerunt reliquiis; quarum unam, quæ major natu erat, *a* spiritus malignus invasit, et coram omnibus qui aderant graviter vexavit. Erat autem in eodem itinere Presbyter quidam, nomine Reginharius, postea vero *b* Episcopus, quem tu quoque sæpissime vidisti; cui Dominus tantam gratiam in ejiciendis dæmoniis contulit, ut nullus ei dæmon resistere auderet, quin statim ad nutum ejus ab homine invaso exiret. Solebat enim quando ad hominem a dæmone possessum accessisset, dicere : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Is cum libellum exorcismi super dæmoniacam legere cœpisset, spiritus nequam per os mulieris dixit : En ejicis me hinc per verbum Domini, et merita sui Confessoris : sed antequam ad Erfesfort pervenias, invenies me non semel, neque bis tibi adversantem. Quibus dictis, vas possessum derelinquens, sororem illius ingressus est, et simili modo vexavit. Inde per divinam gratiam expulsus,

*non sine miraculis,*

*4 energumenis liberatis.*

A expulsus, tertiam arripuit, et non minus ceteris insanire compulit. Qua etiam per Domini clementiam et sancti Confessoris sui merita sanata, quartam, id est, ultimam earumdem sororum invasit, et supra modum miserabiliter cruciavit. Tunc prædicto Presbytero libellum exorcisint legente, apostata spiritus dixit, audiente omni populo qui aderat: Væ nobis miseris, qui hanc regionem diutissime a nobis possessam deserere modo debemus, propter adventum S. Severi: non enim deinceps talem in ista regione habebimus potestatem, sicuti hactenus habuimus. Et hæc dicens abscessit. Mulier vero a dæmonis infestatione liberata feretrum sancti Confessoris usque ad Erphesfort, Deo gratias agens, secuta est.

*dæmone querente se pelli per S. Severum*

7 Ossa autem ejusdem Sancti in ecclesiam in honore S. Pauli Apostoli dedicatam translata sunt. Ubi dum adhuc in loculo, sicut allata erant, inhumata jacerent, tanta signorum et prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per divinam gratiam enituit, ut a nullo mortalium eorumdem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas valeat enarrari.

*alia Erfurti miracula.*

8 Defuncto autem Otgario, et successore illius c Rabano, d Carolus Pipini Regis filius ejusdem Episcopatus honore sublimatur. Qui annuens precibus

B sanctimonialium in e Alto monasterio consistentium, partem quandam de reliquiis S. Innocentiæ ad prædictum cœnobium, sicut ipse vidisti, transtulit. Ubi non paucas virtutes per ejusdem sanctæ Virginis merita Dominus facere dignatus est, quas si scire volueris ab his sanctimonialibus discere poteris. D

*S. Innocentiæ Reliquiæ a Carolo Ep. translatæ*

*AUCTORE LEIDOLFO, EX MSS.*

9 En habes, Frater carissime, meam pollicitationem, non ut volui, sed ut potui, effectui mancipatam. Quæso igitur te, ut illum depreceris pro me, qui suo simplo, nostro duplo subvenit, quatenus gratuita gratia sua, et eorumdem Sanctorum precibus exoratus, saltem in die judicii cum electis suis aliquam partem habere me faciat; quoniam melius mihi erat non nasci quam ab eis in æternum separari.

a *Addit MS. Budic* olim.

b *Idem MS.* Chorepiscopus.

c *Obiit B. Rabanus, ut 4 Febr. dicemus, an.* 856.

d *Carolus Pipini Regis Aquitaniæ filius, Pii nepos, junioris Pipini frater. Is, ut ex Chronico Fontanellensi refert Duchesnius tom. 2 Francic. an.* 849 *mense Martio, dum ad* auxilium fratri ferendum Aquitaniam destinabat, *a Viviano Comite captus, in urbe Carnotensi, jussu Caroli Calvi patrui sui,* tonsoratur, et in monasterio Corbeia continuo dirigitur. *Anno deinde* 856 *Rabano* successit magis ex voluntate Regis et Consiliariorum ejus quam ex consensu et electione Cleri et populi; *ut habent Annales Fuldenses editi a Frehero et Duchesnio, ac Serarius aliique. At MS. Trudonense exemplar eorumdem Annalium, ita habet:* cui (*Rabano*) Karlus Pipini Regis filius, qui de custodia Corbeiensis monasterii lapsus ad Hludowicum Regem patruum suum defecerat, in episcopatum successit VIII Id. Mart. non solum ex voluntate Regis, verum etiam ex consensu et electione Cleri et populi. *Commendatur hic a prudentia et pietate; perperam tamen a Wione Divi titulo ornatur,* Regisque Aquitaniæ.

*Carolus F. Pipini II. Aquitaniæ F. attenditur,*

*fugit.*

*Fit Episcopus.*

e *MS. Ultr.* altero. *Testatur Serarius lib. 1 cap. 31 monasterium* Veteris cellæ *a S. Bathilde ædificatum, vulgo nunc* vetus monasterium *appellari, olim* Altum monasterium. *De S. Bathilde, vel Bilehilde agemus* 27 *Novemb.*

E

*Altum monasterium Moguntiæ.*

# DE S. LEONIO PRESBYTERO

## PICTAVIS IN GALLIA.

*CIRCA FINEM IV SECULI. COMMENTARIUS*

Colitur *Pictavis magna celebritate, Kalendis Februarii,* S. Leonius *Presbyter, qui aliis* Leo, *Vinc. Bellovacensi* Leontius *appellatur, vulgo* S. Liesne, *vel* Lienne. *Ejus ita meminit Hermannus Greven in addit. ad Usuard. itemque Martyrol. Colon. an.* MXD *excusum, et MS. Florarium:* Pictavis S. Leonis Confessoris. *Molanus in addit. ad Usuard.* Pictavis S. Leonii, compresbyteri S. Hilarii, ab ineunte ætate sanctissimi.

*S. Leonius colitur 1 Febr.*

2 *Andreas Saussaius in Martyrol. Gallic. brevi elogio res ab eo gestas ita complectitur:* Pictavis S. Leonii Confessoris S. Hilarii compresbyteri, ab ineunte ætate sanctissimi: qui proficiscentem in exilium

*socius S. Hilarii Ep. Pictav.*

C sanctum ipsum Pontificem comitatus, varias pro fide Catholica pressuras cum eodem pertulit: postque reditum in Gallias, expugnandæ Arianæ perfidiæ, plurimo eidem adjumento fuit. Ceterum subverto ad cœlestem gloriam B. Hilario, Galliam tanti athletæ præsidio orbatam, singulari solatio recreavit, prædicationibus Apostolicis populum erudiens, sanctæque vitæ exemplis ad religionis cultum incitans, et miraculis confirmans. Quibus piis insistens officiis, cum multa divine egisset, levi somno consopitus, eo die, quem eidem prædixerat S. Hilarius, exuta mortalitate, ad beatæ immortalitatis gaudia commigravit: propeque S. Hilarium sepultus, magnis in tumulo emicuit signorum divinorum virtutibus.

*strenuus fidei pugil,*

3 *Usquamne extent plene descripta ejus Acta, non comperimus. Ejus meminit non uno loco Joannes Bouchetus parte 1 Annal. Aquitaniæ: et cap. 9 quidem, adfuisse Hilario* Leonium, Justum, *aliosque Presbyteros scribit, cum ab exilio reverti; cap. 14 ait morienti adstitisse cum S. Justo eumdem* S. Leonium, *qui ordinarius ejus Sacerdos, aut, ut nunc loquuntur, Capellanus erat: missumque hunc secundo ut specularetur num strepitus confluentis assidue ad ejus ædes, deque, illius*

*adest S. Hilario morienti,*

A *excessu sollicitæ multitudinis, conquievisset. Quod ne quis ex recentiori aliquo scriptore accepisse Bouchetum suspicetur, Vincentius lib. 14 Spec. histor. cap. 51 ita narrat:* Post multa igitur et magna miracula S. Hilarius infirmatus, cum obitum suum imminere cognosceret, fecit ad se venire Leontium ejusdem civitatis Presbyterum, quem maxime diligebat. Dumque imminente nocte eum exire, et si quid foris audiret nuntiare jussisset; et ipse voces tumultuantis populi civitatis se audisse revertens exposuit. Et cum juxta eum vigilaret, finem ejus exspectans, media nocte jubetur exire, et quid audire posset jacenti referre: qui dum se audisse nil renuntiat, mox nimia claritas, quam etiam Presbyter sufferre non poterat, intravit F ad eum, et sic paullatim recedente lumine migravit ad Dominum. *Addit Bouchetus, testatos esse Leonium et Justum exanime S. Hilarii corpus suavissimum expirasse odorem. De S. Justo agemus* XXV *Novemb.*

*lucemque cœlestem et odorem percipit*

4 *Idem Bouchetus* Leonium *tradit ab adolescentia, Hilarii disciplina institutum, eique carissimum fuisse propter eximiam, quæ in eo relucebat, bonitatem, simplicitatem, ac honestatem morum: eique in exilio ac deinceps famulatum fidelem impendisse; et hac ratione magnos in sacrarum litterarum scientia progressus fecisse: cum post ejus decessum annis multis populum docuisset, ætate jam gravem, febri correptum, eaque demum extinctum esse 1 Februarii quod ita futurum divinitus antea didicerat; inque S. Hilarii æde tumulatum. Est hæc abbatia nunc Ordinis S. Augustini, vulgo* S. Hilarii de Cella *appellata, ubi ipse habitasse S. Hilarius traditur, ac sacellum SS. Joanni et Paulo Martyribus ædificasse, quibus dein majorem extra muros ædem locarit, in qua ipse, uxor, et S. Apra filia sepulti; quæ dein ampliata, ejusque dicata nomini est, eodem teste Boucheto.*

*et ob virtutes carus*

*febri moritur*

5 *Honoratus est cœlestibus prodigiis post mortem* S. Leonius, *uti idem Auctor prodit; ejusque corpus ar-*

*illustratur miraculis,*

*gentex*

AUCTORE J. B.

A *genteæ thecæ inclusum. Magnus ad eam ædem fit piorum hominum concursus, multique ejus patrocinio podagræ ac febrium levamen reperiunt.*

*diversus a S. Leonio Melodun.*

6 *Meminit quoque S.* Leonii *Sebastianus Roulliardus in histor. Melodunensi, de alio agens* S. Leonio, *qui Meloduni colitur* XII *Novembris, cujus etiam adversus febres auxilium imploratur : diversum tamen esse censet a Pictavensi illo S. Hilarii Archipresbytero, tum quod non eadem die, ac ne mense quidem, colantur; tum quod unius corpus credatur extare in suburbio Melodunensi quod ab eo* S. Leonii *appellatur; ubi adhuc terra conditum intra dicatam ejus nomini ecclesiam, licet aliquæ* D *ejus reliquiæ in Deiparæ Virginis basilica, aliæ in S. Petri, nonnullæ in S. Aspasii asserventur : alterius vero reliquias partim Partheniacum delatas, partim Pictavis esse, ac vicinis in locis, idem scribit. Illius tamen Melodunensis penitus ignota sunt Acta, ætas, ordo, nisi quod sacerdotis habitu cuipiam apparuisse in somnis memoretur. Diversus ab utroque est* S. Leonius *Episcopus qui circiter* CM *annum Christi juxta Bajonam coronatus est martyrio.*

*(cujus alibi reliquiæ)* *itemque a Bajonensi.*

# DE S. PAULO

J. B.

## EPISCOPO TRICASTINO IN GALLIA.

I FEBRUARII

*Colitur Kalendis Febcuarii S. Paulus Episcopus. Tricassinus an Tricastinus, incertum, an non etiam Sedis utriusque, sed diversus. Tricassinorum urbs, quam Trecas alii dixere, ad Sequanam amnem sita, Campaniæ provinciæ facile princeps est, cujus de nomine ac vetustate breviter, sed erudite,* B *scribit Petrus Pithæus Adversar. subseciv. lib.* 2 *cap.* 1.

*S. Paulum fuisse Trecensem Ep. ostendunt Martyrologia.*

*Quæ, urbi huic Paulum Episcopum tribuunt, Martyrologia proferemus. Usuardi Martyrol. Lubecæ an.* MCDXC *cusum, idemque editum cum auctario a Joanne Molano, et ad variorum olim Belgicorum cœnobiorum usum manu exaratum passimque interpolatum; Coloniense quoque an.* MCDXC *vulgatum, ita habent* : In oppido Trecassino (*Belinus de Padua,* Tricassino) S. Pauli Episcopi, cujus et vita virtutibus claruit, et mors pretiosa miraculis commendatur. *Parva Galesinius et Maurolycus. Martyrol. Romanum* : Trecis S. Pauli etc. *Ado ac Beda vulgati et Notkerus* : Eodem die S. Pauli Episcopi civitatis Tricassinæ (*Beda* Trecassinæ, *MS. Bavar.* Tricartinæ) cujus et vita etc. *Petrus de Natal. lib.* 8 *cap.* 71. Paulus Episcopus Trecassinus fuit, cujus vita virtutibus claruit, et mors pretiosa miraculis *celeberrimis* commendatur. Qui et in Christo Domino diem clausi extremum Calen. Februarii, ut dici Ado. *Eadem habet Canisius. Martyrol. Ord. Benedictini olim cum Regula S. Benedicti excusum* : In oppido Trecassino B. Pauli Ep. virtutibus et miraculis gloriosi. *Brevius MS. Centulense* : Trecas S. Pauli Ep. et Conf. *Florarium* : In oppido Trecasino S. Pauli Ep. *Ambique MS. Martyrol. Eccles. S. Gudilæ Bruxell.* Item S. Pauli, civitatis Tri- C cassinæ, castrive Yppidoti, Episcopi, cujus vita virtutibus claruit, *etc.*

*Catalogi Epp.*

2 *Recensent eum in Catalogo Episcoporum Trecensium Demochares de divino Missæ sacrificio cap.* 19. *Joannes Chenu, Petrus Pithæus, qui Bedam, Notkerum, Usuardum citat; Nicolaus Camuzatus in Promptuario Antiquitat. Tricassinæ diœces. Cl. Robertus in Gallia Christiana; etsi postremi duo, ut infra dicemus, addubitare videantur.*

*Reliquiæ,*

3 *Validum illud argumentum est quod ejus Reliquiæ Trecis asservari dicantur, ita Chenu* : quiescit in Tricassium Ecclesia. *Camuzatus* : Ejus corpus in lignea theca conditum Tricassina Ecclesia summa cum veneratione custodit, et tanquam sacrum depositum pie religioseque colit et tuetur, nulla tamen annua ejus nomini dicata celebritas : forte quia ejus historia non extat. *Des Guerrois lib. de SS. Trecensibus floruisse scribit, extremis Caroli Magni, primisque Ludovici Pii temporibus, neque et plerique ante Eliam recensent, quem constat sub Ludovico Pio sedisse. Miratur porro Des Guerrois nullam S. Pauli agi in Ecclesia Trecensi celebritatem, alibi tamen scribit, Dominica post Ascensionem celebrari festum Reliquiarum in ecclesia Cathedrali, atque in quodam lectione hæc recitari* : Veneramur etiam pretiosas et inæstimabiles margaritas corporum beatorum Episcoporum Trecensium Ursi, Cameliani, Prudentii et Pauli, in præsenti ecclesia integre quiescentium.

*officium Ecclesiasticum.*

*Tricastinum fuisse confirmant Martyrologia.*

4 *Non desunt tamen argumenta, quæ eum Tricastinis vendicent, quorum urbs, quæ apud Plinium lib* 3 *cap.* 4. Augusta Tricastinorum *creditur appellata, nunc* S. Pauli in Tricastinis *dicitur, vulgo, non ut Paullus* E *Merula Cosmographiæ parte* 2, *lib.* 3 *cap.* 40 *scribit,* S. Antoni de Tricastin. *Sed, ut Franciscus Ranchinus tom.* 2, *Descriptionis generalis Europæ*, Sainct Pol-trois-chasteaux; *aut, ut Catellius lib.* 2 *hist. Languedoc cap.* 10 Sainct Paul-de-Tricastin. *Urbs est episcopalis in Delphinatu, sub Archiepiscopo Arelatensi: ejusque idem Episcopus et Comes, sed pauci, in Ecclesia Canonici, angustaque diœcesis. Huic ergo civitati Patronum suum, auctoremque nominis,* Paulum *varia tribuunt Martyrologia. Usuardi Parisiis an.* MDXXXVI *editum et Coloniæ, an.* MDXXI *cum additionibus Hermanni Greven, itemque MSS. optimæ notæ, atque inter ea, quod olim Augustini Hunnæi fuit, ac nunc penes nos est, ita habent* : In oppido Tricastrino S. Pauli Ep. cujus vita *etc. MS. Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis,* Tricastino. *MS. Eccl. Taroanensis, et pervetustum monasterii S. Laurentii Leodii quod utrumque est Adonis* : Eodem die S. Pauli Ep. civitatis Tricastinæ, cujus vita *etc. MS. antiquum Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ. Bedæ nomine prætitulatum,* Trecastinæ. *MS. Eccl. S. Mariæ Ultrajecti:* Eodem die S. Pauli civitatis Castcinæ Ep. et Conf. *Ita quoque Gallice vertit Romanum Martyrol. Philippus* F *Labbe noster* : A Tricastin, ou Tres-Chasteaux sur le Rhosne, S. Paul *etc. si non Rhodano proxime adjacent, haud longe certe distat, ut ex Galliæ accurata delineatione apud Ranchinum patet. Baldninus* Willotius *noster vertit* : A Trichateau en France, S. Paul *etc.*

*Catalogi Epp. ipseque Nic. Camuzat Trecensis*

5 *Claudius Robertus inter Trecenses recenset ac Tricastinos; et horum quidem urbem* S. Pauli *appellat, itaque de eo scribit* : S. Paulus, Cal. Febr. licet Tricassini putent ibi agi de suo Paulo, *ast in Trecensibus*, XLIV S. Paulus, in Martyrol. Calend. Februarii : videtur tamen ibi agi de S. Paulo Tricastino. *Camuzatus quoque post ea quæ num.* 3 *retulimus, citato Bedæ Martyrologio, subdit* : Verum memini me legere quædam chirographa Martyrologia, quæ habent, Tricastinæ, non Tricassinæ. *Idem post dedicatoriam epistolam expressius ita scribit* : Confecto et absoluto hoc Promptuario, venit in manus meas codex cœnobii Arremarensis, sequentem Trecensium Episcoporum catalogum continens, qui vulgatis syllabis non consentit, in quibus plures Episcopi comprehenduntur : sed quædam nomina in illos irrepsisse, mihi facile persuaserim, ut Pauli, quem Tricastinum Episcopum

verius

A verius dixeris; Frederberti (rectius Frodeberti) et Osulphi : qui meo quidem judicio, perperam inter dictos Præsules recensentur. Frodobertus enim jure expungendus videtur, qui cum Abbas Cellensis fuerit et nominatissimus, a quibusdam elenchorum concinnatoribus, re non satis exacte perpensa, in dictorum Præsulum ordine est collocatus : sicut et ipse Paulus, dum ex Tricastino Episcopo ipsum Tricassinum effecerunt, nominis cognatione decepti et delusi; quod sæpe accidit. *Hæc Camuzatus, et ipse Tricassinus.*

*Alii duos faciunt.*

6 *Martyrol. MS. Ecclesiæ S. Lamberti Leodii neutri parti favet; habet enim solum :* Eodem die S. Pauli Episcopi. *Andreas Saussaius duos Paulos facit; opportune quidem ad litem hanc dirimendam, si veteribus niteretur testimoniis, ita habet :* Eadem die Trecis S. Pauli Ep. et Confess. qui Bertulfo succedens, præstanti doctrina, egregia pietate, divinaque et admiranda virtute, cum aliquamdiu eam ecclesiam gubernasset, D vita demum sanctissime acta, æternitatis præmia recepit, propriaque in ecclesia conditus, sanctitatis eximiæ decus obtinuit. *Quam ecclesiam propriam vocat, eam non ipsi dedicatam reamur Paulo, sed Cathedralem, quæ est S. Petri; si vera sunt, quæ supra ex Des Guerrois retulimus. Subdit Saussaius :* Eodem die in provincia Arelatensi Sancti Alterius Pauli Ep. Tricastini et Conf. qui civitatis illius primus in Christo informator ac Antistes, sacra eruditione et vitæ episcopalis admirandis actibus, collecto a se gregi tramitem æternitatis indicavit : ac postquam gratiæ divinitus acceptæ fœnora copiosa accumulasset, meritis locupletatus egregiis, abiit ad præmium sempiternum. *Hæc Saussaius. An fortassis hic est Paulus, qui cum aliis subscripsit Concilio Valentino I.* Gratiano Aug. III et Equitio V. C. Coss. *an. Chr.* CCCLXXIV?

AUCTORE J. B.

NOT. 4

# DE S. TORQUATO EP. TRICASTINO

# B ET S. JOSSERANDO MONACHO, CRUDATI E

## IN GALLIA.

I FEBRUARII.

*SS. Torquati et Josserandi natalis.*

Primo *Augustæ Tricastinorum Episcopo, novique nominis auctori* Paulo, *alius ejusdem Sedis Antistitem, deque ea præclare meritum*, S. Torquatum, *jungit V. CL. Andreas Saussaius in Martyrol. Gallicani supplemento, sive idem utrique natalis obtigit, sive hac die* Torquati *facta translatio, seu fortassis vetustis fastis ac tabulis Calvinistico tumultu convulsis ac dissipatis verum ignoravit ejus natalem, cum* S. Paulo *retulit, et* S. Josserandum *monachum addidit, quia simul eorum exuviæ sceleratorum hominum furore, ut plurium aliorum tota Gallia Sanctorum, absumptæ incendio. Neutrius adhuc in Martyrologiis alius nomen, nedum Acta, reperimus. Nisi fortassis hic est* Torquatus, *de quo* XXXI *Januarii Hermannus Greven in addit. ad Usuard.* S. Torcacus Ep. et Confessor.

*Acta ignota,*

2 *Hæc de utroque scribit Saussaius :* Augustæ Tricastinorum S. Torquati Episcopi, a quo si non illa civitas Christo progenita, potissimum tamen provecta ad ejus cultum et obsequium, sanctæ religionis tenax abhinc semper extitit. Cujus felicis operæ memor, C beati hujus sui Antistitis gloriosam memoriam sacris deinceps anniversariis honoravit. Transvecta cujus pretiosa pignora ad Vivariensem agrum, in monasterio S. Mariæ Virginis de Crudacio diu in honore habita sunt. At Calvinianæ sectæ emissariis in sacraria, Galliæ sacrilegis ausibus irruentibus, beati hujus Episcopi veneranda lipsana, cum S. Josserandi Confessoris (illius quondam cœnobii alumni, jamque tutelaris gloriosi) sacro corpore, nefando facinore, extra bierothecas eruta, raptata, atque in rogum conjecta, indignis flammis consumpta sunt; non tamen impunita manente horum impiorum perfidia, quos Divina ultio extemplo constrinxit. Ferunt indigenæ perseverare ibidem manifestum Divinæ indignationis vestigium. Locus enim, in quo S. Josserandi corpus integrum exustum est, etsi circumcirca herbescens et virescens eniteat, herbas aut germen ullum non producit, sed siccus et aridus semper permanet, in quo quam immane flagitium, cœlo stupente, ab inferni satellitibus patratum est.

*reliquiæ*

*Crudacii combustæ a Calvinistis,*

*æterno sceleris indicio.*

3 *Hæc Saussaius. Quæ Tricastinorum urbs, diximus in Paulo. Haud ab ea longe sita est* Vivaria, *sive* Vivarium, *ad dextram Rhodani ripam. Eam quidam civitatem* Albensium *in veteri Notitia memoratam esse volunt : alii eo translatam Sedem asserunt* Alba Helviorum, *sive urbe Albensium, per Germanos eversa, quam nonnulli putant fuisse* Albigam, *procul inde ad Tarnim flumen imperite; Scaliger eam esse urbem censet, quæ nunc* Aubenas, *sive* Albenas *dicitur, quasi* Albenatium, *estque in Vivariensi diœcesi; Catellius histor. Languedociæ lib.* 2, *cap.* 13, Albæ Helviorum *rudera ingentia spectari ait in vico* Alb, *sive* Alp, *duabus a Vivaria leucis : Ranchinus in loco quem* a Roche d'Arbs *appellat, vestigia antiquæ Albæ observari testatur.*

*Vivaria urbs.*

*Alba Helviorum urbs.*

F

4 Crudacium, *quod Cl. Roberto est* Crudacum, *et* Cruadatium, *in veteri scriptura apud* Catellium, Crudatum, *vulgo* Cruas, *vetus cœnobium est ad Rhodanum, inter Vivariam et Turnonium oppidum. Quo furore his in locis grassati sint Calvinistæ an.* MDLXII *et* MDLXIII *breviter indicat Thuanus in historia, Spondanus in annal. et alii.*

*Cruas monast.*

NOT. 5.

# DE S. TIMOTHEO.

*Plures hujus nominis sacris tabulis inscripti. Quis hic fuerit, non est unde certo statuamus. Ista de eo prædicant Menæa* : Eodem die S. Timotheus in pace quiescit.

Timotheus particeps fit honoris superni,
Qui hic inferne nil Dei honori prætulit.

*Allusio est ad nomen, quod a* τιμῇ Θεοῦ honore Dei, *deductum.*

2 Timotheum hunc *censet Raderus* Abbatem fuisse cœnobii, quod vocatur Monasterium S. Timothei, in quod Simeon, postea Stylita, puer tredecennis primum receptus est. *De quo in S. Simeonis Vita ex MSS. Latinis,* v *Januar. cap.* 1, *num.* 4, *ubi* vir magnificus *appellatur Abbas ille Timotheus. Verum in altera Vita per Metaphrasten cap.* 1, *num.* 5, Heliodorus *vocatur, uti et apud Theodoretum cap.* 26 *qui hæc addit* : Eum ego sæpe vidi, et simplicitatem morum ejus sum admiratus, et ejus animi puritatem sum mirum in modum amplexus. *Quis suspicari potest, hallucinatum in tanti viri nomine Theodoretum?*

3 *Alii duo nunc veniunt nobis in mentem* Timothei, *quorum alteruter videri potest coli hoc die : alter est Ægyptius anachoreta, qui, ut refertur lib.* 5 *de Vitis PP. cap.* 16 negligentem quemdam Fratrem audiens, interroganti Abbati quid illi Fratri faceret, dedit consilium, ut eum expelleret. Cum ergo ille expulsus esset, tentatio venit super Timotheum. Et cum imploraret in conspectu Dei, et diceret : Peccavi, miserere mei; venit ad eum vox, dicens : Timothee, ideo tibi hoc evenit, quia Fratrem tuum in tempore tentationis suæ despexisti. *Idem narratur lib.* 3, *num.* 140.

4 Timotheus *alter, cujus fortassis consecrata hic memoria, fuit monachus Studita, de quo* IV *Febr. in Vita S. Nicolai Studitæ, ubi hæc leguntur :* Erat igitur reipsa tum temporis omnium schola virtutum, atque alter quidam variis distructus floribus Paradisus. Aderat namque præterea Patris nostri sapientissimi consanguineus Joseph, qui aliquanto post Thessalonicæ urbis celeberrimæ ac nobilissimæ Archiepiscopus est renuntiatus. Nam quid ego hic Timotheum, quid Athanasium, Naucratium, ceterosque complures, quos jam consulto prætermitto, terrestris hujus cœli incolas enumerem? *Joseph, cujus hic mentio fit, colitur a Græcis* XV *Julii : obiit sub Theophilo Imp. qui an. Chr.* DCCCXXIX *Michaeli Balbo successit, anno dein* DCCCXLI *Michaeli* III *imperium reliquit. Josepho suffectus est Leo Philosophus, huic, quod sacras imagines impugnasset, redacto in ordinem, S. Basilius subrogatus est, de quo hoc ipso die agemus.*

# DE S. PETRO GALATA

## EREMITA PROPE ANTIOCHIAM IN SYRIA.

*Celebratur* S. Petri Galatæ, *in Græcorum Menæis,* I *Februarii, memoria cum illustri elogio. Vitam ejus scripsit Theodoretus in religiosa historia cap.* 9 *qui et illius ita meminit in Ecclesiastica historia libro* 4, *cap.* 25. Quin etiam mons maximæ urbi (*Antiochiæ*) vicinus, prati instar renidebat. In hoc enituit Petrus Galata *etc. Eadem habet Nicephorus lib.* 11, *cap.* 41. *Vitam ex Theodoreto hic damus, ex versione Gentiani Herveti, aliter emendatam ex Jacobi Sirmondi nostri, haud paullo accuratiore, interpretatione. Alius* Petrus *et gente Galata, et professione monachus, colitur* IX *Octobris, sed* CCCC *annis posterior; quippe qui sub Theophilo Imp. vixerit, atque ad Basilii pervenerit imperium. De eo Menæa.*

## VITA

*Auctore Theodoreto Ep.*

De Gallis quidem audimus qui sunt in Europa ad Occidentem. Scimus autem eos quoque qui sunt in Asia, ab illis oriundi, qui sedes fixerunt propter Pontum Euxinum. *a* Ex iis germinavit B. Petrus, atque adeo terque quaterque beatus. Septem autem annis, ut aiunt, postquam natus est, a parentibus educatus, consumpsit totam reliquam vitam in philosophiæ certaminibus. Dicitur autem obiisse, cum vixisset nonaginta et novem annos. Eum ergo qui nonaginta et duos annos decertavit, et noctu diuque semper victor evasit, quis pro dignitate laudaverit? Quænam autem lingua sufficerit ad ejus narrandas res præclare et ex virtute gestas, in pueritia et adolescentia, in virili et in ingravescente ætate, et in extrema senectute? Quis illum sudorem mensus fuerit? Quis luctas, quæ in tanto tempore factæ sunt, enumeravit? Quænam autem oratio consequi potuerit vel femina ab eo dejecta, vel collectos manipulos? Quis est adeo magna et excelsa mente præditus, ut possit perfecte intueri facultates et copias collectas ex præclara mercatura? Scio rerum illius gestarum vastum pelagus, et ideo vereor accedere ad narrandam historiam, ne obruatur oratio. Quamobrem ambulabo propter littus, et maris quæ continenti proxima sunt admirabor et enarrabo, profundum autem relinquam ei qui, ut divina dicit Scriptura, scrutatur profunda, et occulta cognoscit. 1 Cor. 2, 10.

2 Hic ergo primo tempore certavit in Galatia : illinc videndi gratia venit in Palæstinam, ut, cum vidisset loca quæ susceperunt salutares passiones, in his Deum qui servavit adoraret; non ut qui loco circumscriberetur, (sciebat enim ejus naturam non posse circumscribi) sed ut pasceret oculos spectaculo eorum quæ desiderantur; nec sola animæ vis, qua contemplatur, absque visu, spiritali alimento per fidem frueretur. Iis enim qui amore aliquem prosequuntur est a natura insitum, ut non ex solo ejus aspectu capiant voluptatem, sed et domum et vestes et calceos contemplentur cum magna lætitia. Tali in sponsum amore prædita sponsa, quæ desiderabat in Cantico canticorum, clamabat, dicens : Sicut malus in lignis silvæ, ita patruelis meus in medio filiorum. In umbra ejus desideravi et sedi, et fructus ejus dulcis in gutture meo. Cant. 2, 3. Nihil ergo absurdum et alienum fecit hic homo divinus, qui in sponsum quidem eumdem accepit amorem, iisdem autem verbis usus est quibus sponsa : Vulneratus sum ego, clamabat, ab amore. Ibid. 5. Cum autem desiderasset contemplari sponsi quamdam veluti umbram, abiit visurus loca ex quibus scaturierunt fontes omnibus hominibus salutares.

3 Cum ergo quæ desiderabat ei frui licuisset, profectus quidem est Antiochiam : cum autem vidisset civitatis pietatem ac religionem, externam regionem patriæ suæ prætulit, cives existimans non contribules et cognatos, sed eos qui erant ejusdem cum ipso sententiæ; et in fide socii, et trahebant idem jugum pietatis ac religionis. Cum illic autem morari placuisset, non extendit tabernaculum, non fixit tugurium, non excitavit domunculam, sed totum tempus transegit in alieno

A alieno sepulcro. *b* Hoc vero tabulatum habebat, et septum prominens, cui conjunctæ scalæ eos excipiebant qui volebant ascendere. In eo permansit inclusus longissimo tempore, aquam quidem *c* frigidam bibens, solo autem pane vescens, idque non quotidie, sed uno quidem manens jejunus, postridie autem ea sumens.

*b semper biduo jejunans. c*

*dæmoniacum liberat, et secum retinet.*

4 Cum autem quidam insaniens, et furore percitus, et maligni dæmonis plenus operatione, ad eum venisset, eum quidem mundavit, deprecatus, et ab illo diabolico furore liberavit. Cum vero nollet abire, sed obsecrasset, ut pro illa curatione ei rependere ministerium liceret, eum admisit ut secum habitaret. Eum ego et novi, et memini miraculi, et vidi mercedem curationis, et audivi sermonem, quem de me habuerunt. Dicebat enim Daniel (erat enim hoc illi nomen) me quoque præclari ministerii hujus futurum socium. Vir autem ille divinus non est assensus ut hoc fieret, parentum meorum in me amorem considerans; sæpe autem me genibus impositum uva aluit et pane. Nam cum mater fecisset periculum spiritalis ejus gratiæ, jussit me semel in hebdomada decerpere illius benedictionem.

*Theodoretu benedicit:*

B

5 Ejus autem habuit notitiam hac de caussa: Morbus, qui ei in alterum ex oculis incubuerat, visus est medicinæ superare scientiam: nihil enim erat aut scriptum a veteribus, aut inventum ab iis qui fuere posterius, quod non morbo fuerit adhibitum. Postquam autem omnia probavit, et ostendit nullam afferre utilitatem, venit quædam ei familiaris, quæ divinum virum ostendebat, et ab eo factum docebat miraculum. Dicebat enim; uxorem ejus qui eo tempore tenebat clavum Orientis administrationis (erat autem is Pergamus) cum ea in hunc morbum incidisset, eum ipsam curasse, eum deprecatione esset usus et Crucis signaculo.

*oculi vitium crucis signo curat.*

6 Audivit mater, et ad divinum statim accurrit hominem: habebat autem inaures, catenas et torques, et alia aurea quæ sibi induerat, et vestem variam ex sericis filis contextam: nondum enim virtutem gustarat perfectiorem; florenti autem erat ætate, et mundum muliebrem gestabat ut adolescentula. Cum divinum ergo caput hæc aspexisset, nimii ornatus amoris primum morbum curavit, usus verbis talibus: Dic mihi, inquit, filia, (utar enim ejus voce, et non mutabo verbum sanctæ illius linguæ) si quis pictor in arte bene exercitatus, aliquam pinxisset imaginem, ut præcipit lex artis, et eam proposuisset videre volentibus, veniret autem aliquis alius, artem non sciens perfecte et accurate, temereque et inconsulte, ut sibi videtur, vellet contra pingere; deinde illam artificiosam reprehendens picturam, superciliis quidem et ciliis lineas adderet longiores, faciem autem efficeret albiorem, et genis rubrum adderet colorem; non tibi videtur prior ille pictor jure succensurus, quod et ars ejus probro esset et contumelia affecta, et eorum quibus opus non erat additamentum a manu indocta accepisset? Ergo universorum quoque, inquit, opificem, et nostræ naturæ effictorem et pictorem jure irasci credite, quod illam, quæ verbis explicari non potest, naturam et sapientiam accusetis inscitiæ. Non enim rubrum et album et nigrum colorem vobis infunderetis, si non existimaretis esse vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis Creatorem. Sciendum est autem eum habere potestatem suæ voluntati justa symmetria respondentem. Omnia enim, ut ait David, quæ voluit Dominus fecit. Ejus autem quod est omnibus utile futurum curam gerens, non dat ea quæ damnum afferunt. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem, neque tentetis ea addere quæ sapienter non dedit, neque hanc adulterinam excogitate pulcritudinem, quæ vel pudicis affert exitium, videntibus insidians.

*C*

*matris Theodoreti nimium ornatum arguit*

*apta similitudine.*

*Psal. 113*

7 Hæc audivit præstantissima et omni ex parte optima fæmina, et statim Petri reti fuit implicata, (piscabatur enim hic quoque similiter atque is qui idem quod ipse nomen habebat) pedesque tangens et vociferans, obsecravit ut curaret oculum. Is autem dicebat, se quidem esse hominem, et eamdem habere quam ipsa naturam; se autem peccatorum magnam gestare sarcinam, et ideo privatum esse ea quæ ad Deum habetur fiducia. Cum autem mater fleret et oraret, et diceret se non esse eum relicturam, nisi sanitatem assequeretur, dixit Deum esse horum curatorem, petitiones autem semper dare iis qui credunt. Dabit ergo, inquit, nunc quoque, non mihi donans gratiam, sed tuam fidem contemplans. Si eam ergo habes sinceram et veram, puramque et ab omni liberam dubitatione, jubeus et medicos valere et medicamenta: a Deo datum sume hoc medicamentum. Hæc cum dixisset, manum imposuit oculo, et salutaris Crucis signo facto, morbum expulit. Illinc domum reversa, cum et medicamentum abluisset, et omnem extrinsecus inductum abjecisset ornatum, ex legibus a medico satis vitam instituebat: neque varia veste induta, neque aureis monilibus exornata, idque cum esset ætate adhuc admodum juvenis; nata enim erat vigesimum tertium annum, necdum mater facta fuerat: cum enim septem alios annos vixisset, me peperit, qui fui ejus primus et solus fœtus. Tantum fructum cepit ex magni Petri doctrina, et duplicem accepit curationem; et cum corpori quæreret medicinam, bonam quoque animæ sibi paravit habitudinem. Talia dicendo ille operabatur, et tam potens erat precando.

D *AUCTORE THEODORETO, EP.*

*ejusque oculum signo crucis curat:*

E

8 Cum ea autem aliquando adduxisset famulum coquum, qui a malo dæmone vexabatur, rogavit ut ei suum non negaret auxilium. Cum precatus autem esset vir divinus, jussit dæmoni, ut diceret caussam cur haberet potestatem in Dei creaturam. Ille autem, tamquam homicida aliquis vel murorum perfossor ac latro stans ante judicem, et jussus dicere quæ fecit, sic omnia est persecutus, ut qui præter consuetudinem cogeretur vera dicere: et dixit, Heliopoli ægrotasse quidem servi dominum; dominam autem conjugi, ut pote ægrotanti, assedisse; ancillas autem domus, in qua manebant, narrasse vitam monachorum, qui philosophabantur Antiochiæ, et quantas vires habeant adversus dæmones: et has quidem, utpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas et insanas egisse; illum ipsum autem famulum monastica veste ex caprina pelle confecta indutum, illas monachorum ritu adjurasse. Cum hæc, inquit, fierent, ego stans pro foribus, superbaque illa et gloriosa, quæ de monachis dicebantur, non ferens, volui facere periculum de illa, quam illos habere juveniliter jactabant, potestate. Ea de caussa relictis ancillis, in hunc me intrusi, volens scire quemadmodum expellerer a monachis. Nunc autem, inquit, didici, nec ulla alia egeo experientia, mox autem te jubente exeo, hæc dicens, aufugit, fuitque liberatus famulus.

*dæmoniacum liberat.*

F

*qui ridicule monachorum mores erat imitatus*

9 *d* Jam vero alium quoque rusticum cum matris quidem ejus mater, mea vero nutrix, adduxisset, rogabat adversarium vitii, ut ei opem ferret. Is autem rursus rogavit, et undenam esset, et a quonam accepisset potestatem in Dei creaturam. Ut autem silens ille non dedit responsum; oravit Petrus flexis genibus, Denuque est precatus, ut execrando illi dæmoni suorum famulorum ostenderet potentiam. Deinde rursus surrexit; ille autem rursus resistens, tacebat: et hæc facta sunt usque ad horam nonam. Postquam autem majore studio et magis vehementem Domino obtulit orationem, surgens dixit scelerato dæmoni: Non tibi imperat Petrus, sed Petri Deus: responde ergo, ut qui ab illius cogaris potentia. Reveritus est, etsi sit impudens, perniciosus dæmon. Sancti lenitatem ac

*d*

*alium liberat*

*Auctori Theodoreto e. p. quem e fonte bibentem dæmon invaserat*

A ac moderationem; et magna usus voce, clamavit: In monte quidem Amano versor. Cum autem vidissem hunc in via ex aliquo fonte aquam haurientem et bibentem, contendi hoc mihi sumere habitaculum. Sed egredere, inquit homo Dei, eo, qui pro orbe terrarum est crucifixus, hoc tibi imperante. Audivit ille, et fugit: et a furore liber nutrici redditus est agricola.

*alios item curat*

10 Cum alia autem hujusmodi innumerabilia possim de beata illa narrare anima, plurima prætermittam, pertimescens vulgi imbecillitatem: ad seipsos enim respicientes, fidem non habent divinorum virorum miraculis. Cum unum autem vel duo narravero, transibo ad alium athletam.

*virginis Deo sacratæ,*

11 Erat quidam vir libidinosus, qui superioribus temporibus fuerat Dux militiæ. Puella autem quædam innupta, sed nubilis, quæ ejus suberat dominio, relicta matre et suis, fugit in quoddam gynæceum, in quo erat cœtus athletarum. Decertant enim feminæ quoque similiter atque viri, et descendunt in stadium virtutis. Cum hujus fugam didicisset Dux militiæ, matrem flagris cecidit, et vinctam suspendit, nec eam prius emisit e vinculis, quam religiosarum mulierum ostendit habitaculum. Sua itaque usus rabie, illinc rapuit puellam, et domum suam reduxit; et speravit infelix, se suam expleturum libidinem. Sed B qui magnis et malis tentationibus de Sara uxore Abrahæ tentavit Pharaonem, et pudicam mulierem conservavit intactam; et qui Sodomitas percussit cæcitate, qui eos qui erant incorporei, aggressi fuerant, tamquam hospites, insectari contumeliis, is cum hujus videndi virtutem percussisset cæcitate, effecit ut præda evaderet e manibus: et ipse quidem ingressus fuerat in thalamum; illa autem, quæ intus custodiebatur, mox exiit et evanuit ex oculis, et ad maxime expetendum pervenit habitaculum. e Sic cum didicisset stolidus, se non esse eam superaturum, quæ Deum sponsum elegisset, coactus est quiescere, eam quæ capta fuerat, et divina potestate evaserat, non amplius requirens.

*e manibus raptoris divinitus elapsæ,*

*e*

12 Hæc tempore procedente in gravem morbum inciderat; morbus autem erat cancer: cum mamilla autem inflata dolor quoque crescebat. Sed magnum invocabat Petrum, cum dolor esset vehementissimus: et dicebat sacra illa voce in aures suas immissa, totum illum sopiri dolorem, et nullum exhinc sensum sentire molestiæ. Ea de caussa eum accersens, frequentius accipiebat consolationem. Dicebat enim toto illo tempore illius præsentiæ, dolores omnino recedere. Sed illam quidam, cum sic decertasset, laudibus victoriam significantibus ex hac vita excedentem C est prosecutus.

*dein cancro laborantis dolores suapræsentia levat.*

13 Rursus autem matrem meam, cum postquam me peperisset, esset in ipsis mortis foribus, a nutrice rogatus, veniens eripuit a mortis manibus. Ja- D cebat enim, ut aiunt, medicis quidem desperantibus, familiaribus autem deplorantibus, et finem expectantibus, clausis oculis, febre vehementi laborans, nullum ex notis agnoscens. Postquam autem venit qui apostolico et sermone dignatus fuerat et gratia, et Pax tibi, dixit, filia, (hæc enim erat ejus salutatio) dicitur protinus et cilia erexisse, et eum fixis oculis aspexisse, et benedictionis fructum postulasse. Postquam ululavit autem chorus fœminarum, (animi enim angor et lætitia simul erant commixta, et caussa erant illius vociferationis) præcipit homo divinus, ut eæ omnes sint sociæ ejus orationis. Sic enim dicebat etiam Tabitham fuisse salutem consecutam, viduis quidem deflentibus, magno autem Petro offerente Deo illorum lacrymas. Precatæ sunt ut jussit, et acceperunt ut prædixit, nam cum finem accepisset oratio, morbus quoque finem cepit: et sudor repente fluxit ex toto corpore, et ignis ille est extinctus, et sanitatis signa apparuerunt. Talia nostris quoque temporibus per suos servos benevolos Deus fecit miracula.

*moribundæ precibus subvenit*

*Actor. 9. 40.*

14 Hujus quoque vestium superficies operata est similiter atque divinissimi Pauli. Hoc autem posui, non utens aliqua hyperbole, sed consentientem habens dicto veritatem. Nam cum propriam zonam divisisset in duas partes, (erat autem lata et longa, ex E crasso lino contexta) hujus quidem dimidio suos lumbos, altero vero meos cinxit. Hanc cum sæpe quidem mihi ægrotanti mater imposuisset, sæpe autem patri quoque, morbum exegit. Quinetiam ipsa quoque hoc medicamento sæpe usa est ad sanitatem. Multi autem ex notis quoque cum hoc didicissent, assidue ad ferendum ægrotis auxilium, hanc zonam accipiebant; et ubique illius gratiæ ostendebat operationem. Cum quidam sic eam accepisset, privavit eos qui donaverant, in eos, qui ipsum beneficio affecerant, se ingratum ostendens. Hoc modo fuimus illo dono nudati.

*zona ejus morbi curantur.*

15 Cum sic resplenduisset, et radiis Antiochiam illustrasset, abductus fuit a certaminibus, expectans coronam, quæ est reposita victoribus. Ego autem, cujus, dum adhuc esset superstes, percepi benedictionem, ea ut nunc quoque fruar precatus, finem imponam huic narrationi.

*moritur*

*cum invocat Theodoretus.*

a Menæa: παρὰ Γαλάταις τοῖς πρὸς τῇ Ἀγκύρᾳ τραφεὶς apud Galatas, qui juxta Ancyram sunt, educatus

b Græce: ὑπερῷον δὲ εἶχεν οἶκος, καὶ δρύφακτόν τινα προβεβλημένον. Vertit Hulerus qui supra triclines cum procurrente septo cancellos habebat Sirmondus: cujus pars superior prominens habebat tabulatum.

c Hervetus calidum aut bibisse. Græce est: ὕδατι μὲν ψυχρῷ χρώμενος.

d Ita vertit Sirmondus. Hervetus matris quidem meæ mater, F mea vero matertera. Græce: τῆς μητρὸς μὲν ἡ μήτηρ, ἐμὴ δὲ τιτθὴ

e In Menæis tribuitur Sancto hæc ipsa Virginis liberatio.

*Nov. 6. 1 f.*

# DE S. CINNIA SIVE KINNIA,

## VIRGINE IN HIBERNIA.

*Sylloge, Commentarium.*

*Inter plurimas, quæ S. Patricii prædicatione excitatæ in Hibernia sunt ad virginitatem Christo sponso immortali dicandam Kinnia fuit sive Cinnia; nam c littera vocalibus e et i præfixæ apud Hibernos idem sonat, quod apud nos k, apud Italos Ch. Eam Kalendis Februarii cælestibus coli solitam honoribus tradit Joannes Colganus, et Martyrologia citat aliosque scriptores. Illustri orta erat genere, patre Eochadio sive Euchadio, quem Origellæ Regem fuisse, ac Clochariam urbem, quæ nunc intra Tironensem est Comitatum, tenuisse, idem scribit. Origelliam hic dici arbitramur meridionalem Ultoniæ tractum, in quo Luda, sive Loutha Comitatus, Hibernis etiamnum Iriel, sive Uriel dicitur. Multos alibi recenset Sanctos Colganus, a Carbreo, seu Corbreo, S. Cinniæ fratre ortos: de quo Carbreo, alteroque fratre Bressalio visionem S. Brigidæ infra habes in metrica ejus Vita cap. 10, nu. 69. Quod de ipsa compertum est, traditum est litteris a Jocelino de Furnesio, veteri scriptore, cap. 79 et 80 Vitæ S. Patricii ante D circiter annos compositæ. Quibus similia habet Auctor operis tripartiti de Vita S. Patricii par. 3, nu. 7 et 8 ubi pater sanctæ Virginis appellatur Echodius, Eochadius, Euchadius. Vixisse eam aut Colganus circa annum Christi CCCCLXXX vel CCCCLXXXII, quod ex S. Patricii ætate manifestum est, tametsi an illi supervixerit, et quot annis, haud constet. Ejus mentio fit, licet non exprimatur nisi patris nomen, in 3 Vita S. Patricii apud Colganum nu. 65. Censet Colganus S. Hinnam sive Hymnam Virginem, cui S. Brigida aurum, quod ante respuerat, per undas transmisisse*

*S. Kinniæ natalis, genus, patria*

*Vita*

A *sisse dicitur in* 1 *Vita, c.* 17, *nu.* 105 *et in* 4 *Vita lib.* 2, *cap.* 11, *nu.* 69, *hanc ipsam* Kinniam *esse; uti affines sunt figuræ litterarum* K *et* H.

## VITA EX JOCELINO.

a Pervenit S. Patricius in regionem *a* Neyll, in qua principabatus Rex, Echu nomine, habens filiam, nomine Cinniam, unice dilectam, quam in consequenti congruum duxit nuptui tradere. *b* Puella paternum propositum postposuit, Patricio exhortanti, ad centesimum fructum virginitatis promerendum, paruit, carnalesque nuptias nauseans, cœlesti sponso se illibatam offerre, et conservare corde statuit. Videns pater in filia mentis columnam, circa custodiam castimoniæ virginalis, immobilem stare, Sanctum ad se accersiens, ait illi: Deliberavi et statui ex corpore natæ, nepotum procreatione, prosapiam meam ad robur regni et solatium meum dilatare; sed succisa est successio, frustrata est spes mea in hac parte per te. Si ergo pro tantæ stirpis amissione promiseris mihi regnum cœleste, et me invitum non compellas baptismum subire, filia mea famulabitur factori suo secundum formam exhortationis tuæ. Alioquin non defraudabor a desiderio meo; sed ab effectu frustrabitur prædicatio tua. Sanctus in Domino confidens, B ejus dispositioni negotium istud totum commisit, et quod petebatur, Regi simpliciter promisit.

*Spurio nuptiis Christo se dicat.*

*patri ne obstet vitam æternam spondente S. Patricio*

2 Puella vero a Sancto velata et consecrata, in virginitate et aliis virtutum exercitiis, Domino serviens, multas exemplo suo ad obsequium Dei deduxit, atque in hac vita, et post mortem miraculis coruscavit. Commendaverat Sanctus illam custodiæ sanctæ Virginis *c* Cethuberis, quæ prima omnium Hibernicarum a S. Patricio velum accepit, cui etiam monasterio *d* Druimduchan dicto, magna multitudine Virginum Christo servientium repleto, præpositæ, epistolam exhortatoriam Sanctus ipse scripsit. In hoc monasterio S. Cinnia vivens deguit, et cum pluribus Virginum turbis in Domino quievit.

*fit monacha clarct miraculis*

3 Elapso aliquanto temporis spatio incidit Rex Echu in lectum doloris, et cum morbo invalescente sensisset sibi diem mortis imminere, destinavit nuntium ob S. Patricium vocandum ad se. Districtius, etiam prohibuit, corpus suum a suis sepeliri ante sancti Præsulis adventum, eo quod ipse promiserit sibi cœleste regnum, et maxime quoniam ab ipso desiderabat salutare lavacrum suscipere. Hæc dicens expiravit: ejusque corpus, juxta præceptum suum, unius C diei noctisque spatio ob expectationem Patricii inhumatum jacuit. S. Patricius in *e* Saballino monasterio constitutus, quod a loco, ubi ipse defunctus jacebat, duabus dietis distans, Regis obitum in spiritu agnovit, et antequam Regis nuntius destinatus ad se adveniret, ad iter versus domum defuncti se procinxit. Affuit *f* tandem Sanctus Dei, et de Regis decessu doluit, præsertim quia sine baptismi perceptione de corpore migravit. Oravit Sanctus ad Dominum, *g* et geminæ mortis vinculis absolvit illum; quia enim absque regenerationis sacramento decessit, continuo vitæ restitutum regulis fidei instruxit, instructumque baptizavit: baptizato autem Rege, coram plebe ad ejusdem ædificationem, ac commendationem suæ prædicationis narrare præcepit, quæ de pœnis reproborum, et gaudiis electorum plenius agnovit. Cumque multa miranda de illis referret, inter cætera dicebat, se suum in cœlesti patria a Patricio sibi promissum vidisse locum, et quia baptizatus nondum fuerat, illuc intrare non posse, sicque ob precem Sancti, jussu Divino, corpus suum reinduisse. Sciscitabatur ab eo Sanctus, utrum mallet in hoc mundo vivere *h* diutius, an in instanti ad locum sibi præparatum pergere. Respondens Rex resuscitatus, se totius orbis dominium, divitias, delicias instar inanissimi fumi ducere asserut in comparatione gaudiorum cœlestium, quæ oculata fide probavit. Sed rogo, inquit, ut absolvar a corpore mortis hujus, et educar quantocyus de carcere isto quia vehementissime cupio dissolvi, et esse cum Christo. His dictis accepit Eucharistiæ viaticum, et sic dormiens in Domino, abiit in immortalitatis locum.

D

*AUCTORE JOCELINO*

*e*

*divinitus cognoscit Patricius*

*f*

*g*

*cum precibus resuscitat,*

*baptizat,*

*h*

*mori præoptantem*

E

*Eucharistia munit.*

a Nellus, *sive* Nealus, *aut* Neyl. *Rex Hiberniæ potentissimus fuisse traditur a quo genus ducit nobilissima* Onellorum, *sive* O-Nealorum, *familia fidei Catholicæ propugnandæ studio clarissima. Negat Colganus fuisse ditionem, cui Euchadius imperitabat, O-Nellorum, S. Patricii ævo, sed cum scriberet Jocelinus.* Tir-oen *namque quod* Terram Eugenii *sonat, O-Nellorum est; in eoque* Clocharia, *sive* Cloghar, *urbs Episcopalis, quam Euchadii fuisse asserit Colganus.*

b Corbmaco, *inquit auctor Tripartiti par.* 3 *cap.* 7. Nielli Magni Hiberniæ Regis, ex Corbreo filio, nepoti.

c Ethembriam *alibi vocat idem Jocelinus citatus a nobis not. c ad cap. 9 Vitæ 1 S. Brigidæ, ubi ait* Sancta etiam Ethembria affuit, quæ prima omnium sanctimonialium in Hibernia fuerat a S. Patricio in virginitate consecrata. *Colganus* Cectumbriam *ait appellandam.* Cetamariam *vocat auctor Tripartiti citatus.*

d *Auctor Tripartiti,* Drom-dubhain. *Colganus mavult* Druimdubhain, *atque ecclesiam esse prope Clochariam in Ultonia, in qua præter duas illas sanctas Virgines, septem sancti Episcopi quiescere dicuntur. De duabus his ita Auctor Tripartiti:* In quo loco ambæ Virgines sunt.

e *Tripartit.* Saballi prope Dunum: *qua de urbe ad Vitam S. Brigidæ pluribus agemus.*

f Ante xxiv horarum spatium, *ut dicitur in opere tripartito.*

g *Cum* curasset assistentes omnes exire, *ut ibidem habetur.*

h *Addit idem*, et adhuc annis xv regnare. F

# DE S. URSO PRESBYTERO,

## AUGUSTÆ PRÆTORIÆ.

A ugusta Prætoria, *Salassorum ad Duriam amnem, inter Alpium juga, urbs est aut potius Romana colonia, Salassis perdomitis ac sub hasta venditis, Augusti auspiciis deducta, ad eorum colendos agros, firmandaque illa Italiæ claustra: ab Augusto ei et Prætorianis militibus, quorum tria millia isthuc missa, factum nomen. Hic Kalendis Febr.* S. Ursus *Presbyter colitur; de quo Philip. Ferrarius in generali Catal. SS.* Augustæ Prætoriæ S. Ursi Presbyteri. *MS. monasterii S. Martini Tornaci et Lætiense:* In Augusta civitate S. Ursi Episc. et Confess. *Paria habet Galesinius. Molanus in 2 edit.* Civitate Augusta, S. Ursi Episcopi ejusdem civitatis.

*Augustæ Prætoriæ colitur S. Ursus 1 Feb.*

2 *Est illud frequens in Vitis sanctorum, quas præsertim, veteribus abolitis Actis, rudes postea scriptores ex fama lacerisve monumentis consarcinarunt, ut plures ejusdem nominis, quantumvis invicem longo spatio temporis locique distent, sæpe etiam conditione ac statu, in unum conflentur, aut eorum res gestæ confunduntur. Quod in* S. Urso *quoque, ut mox patebit, videtur locum habuisse. Extant in variis MSS. Acta* S. Theonesti, *aut* Theognesti, *Episcopi, quæ* xxx *Octob. aut* xxii *Novemb. (alibi enim hac, illo alibi die colitur) dabimus, nisi alia nanciscamur sinceriora: in illis memoratur* S. Theonestus *Episcopus cum* Albano, Urso, Tabra, *et* Tabrata *discipulis suis, ab Arianis Sede pulsus, Romam venisse, indeque per Etruriam in Liguriam profectus cum Alpes pervasisset, Augustam petiisse: hic* Ursus *ab impiis quod Catholicam doctrinam magno studio tueretur, interfectus; uti et* Albanus *Moguntiæ: unde cum reliquis duobus in Italiam reversus* Theonestus, *et ipse tandem cum illis Altini lauream martyrii est adeptus.*

*In MSS. Acta S. Theonesti Ep.*

*Ursus occisus*

3 *Urbem porro in qua* S. Ursus *occisus fertur, Vindelicorum Augustam interpretantur plerique; itaque*

A *diserte habet Breviarium Moguntinum an.* MDCXI *excusum : vetera autem an.* MCCCCXCV *et* MDV *edita, cum Theonestum narrant, Urso Augustæ relicto,* tentoque ab infidelibus, et martyrio coronato, Alpes transgredientem *ad Sigemundum Regem venisse, ab eo ad Trevirensem Antistitem missum, inde Moguntiam, haud obscure Prætoriam indicant. Ipse Adeo M. Velserus lib. 8 rer. Augustanar. an.* CCCCXXV *fatetur* Ursum *nihil ad Vindelicos pertinere* : Ad istud ævum, *inquit,* Theonestum sociosque Martyres Sigebertus refert, cum aliam alios temporis rationem inire sciens sim : Ex quibus Ursum, Mediolano Maguntiacum proficiscentem, Augustæ ab Arianis occisum, ut ut quædam in reliqua historia vacillent, satis convenit. Sed vereor nostrorum aliquos nominis errore ductos de Vindelicorum urbe perperam interpretari, quæ ad Prætoriam Salassorum pertineant. Pro Prætoria enim argumenta non obscura sunt aliquot : Consultæ tabulæ Ecclesiæ Buranæ, quæ sub Torcellensi Episcopo prope Venetias est, et hos Sanctos, quod pleraque eorum corpora ibi condita, solenni cultu veneratur, plane habent, civitatem Augustam, quæ sita est ad radicem montis, qui dicitur Jovis : dehinc locuples auctor Antoninus, in Itinerario iter Mediolano Magontiacum describens, Augustam Prætoriam quintæ mansionis loco B posuit : tum antiquissimum ad eam monasterium titulo S. Ursi superesse audio : nobis contra neque itineris ratio suffragatur, neque ullam nostra Ecclesia Ursi memoriam retinet. Quocirca (quod huc usque cavere curæ fuit) ornamento peregrino abstinemus.

*Auctore J. B. occisus dicitur Augustæ,*

*non Vindelicæ,*

*sed Prætoriæ :*

4 *Hæc ille, pari eruditione ac ingenuitate : verum quod de monasterio* S. Ursi *Augustano scribit, vereor ut ab Urso S. Theonesti socio nomen sit sortitum; ne forte ut ullus S. Theonesti hujus socius Ursus fuerit. Nam quæ in manibus sunt, S. Theonesti, Sanctique Albani Moguntini M. Acta, multis et gravibus scatent mendis, quæ nemo non perspicit. Relegati feruntur ab Hunerico Wandalorum Rege, qui, ut scribit Marcellinus Comes, orthodoxos Episcopos proscripsit* Theodorico et Venantio *Coss. sive an. Chr.* CCCCLXXXIV, *regni sui* VI, *ut habet Notitia Africæ a Sirmondo edita. Ab eo pulsi Theonestus et socii Romam venerunt ad S. Leonem Magnum Papam, qui obiit an. Chr.* CCCCLXI *inde ad S. Ambrosium Mediolanensem, qui* CCCXCVII : *mox ad Sigismundum Regem Burgundionum Catholicum, qui primum post* D *annum Christi ad Catholicam fidem conversus est : ab hoc deinde ad S. Paulinum Trevirensem, qui, ut testatur S. Hieronymus in Chronico, in Phry-* C *gia exul mortuus est anno Constantii* XXI, *qui Christi erat* CCCLVIII. *Quæ omnia quam non congruant, nil attinet inculcare. Missa facimus hic alia ejusdemmodi complura, ut quod in Actis S. Albani S. Ambrosius Sanctorum illorum gratia adiisse* augustæ memoriæ Principem Theodosium Juniorem *dicitur, qui quarto demum post Ambrosii mortem anno natus est.*

*verum Acta illa mendosa,*

5 *Censet Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ,* S. Theonestum *Ep. in Italiam venisse cum solis* Tabra et Tabrata *Diaconis, Theodosii senioris Sanctique Ambrosii temporibus, omnesque Altini coronatos martyrio : quoniam vero alius* Theonestus *e legione Thebæa miles, mox Christi præco ac Martyr, Vercellis colitur* XX *Novemb. cujus commilitones atque in Christi defendenda fide socii* Ursus ac Victor *Solodori apud Helvetios cæsi* XXX *Septembris et* Albanus *Moguntiæ* XXI *Junii; inde* Theonesto *Episcopo ac Martyri additos per errorem socios,* Ursum, *atque* Albanum, *qui senioris* Theonesti *militis, sub Diocletiano cæsi, socii fuerant. Probabilia sunt ista quidem; Ursi tamen alicujus, diversi a Solodorensi illo, Martyris tamen, asservari in Veneta ditione corpus testatur Petrus Equilinus lib. 5, cap. 133, ita scribens :* Horum duorum Martyrum (*Ursi Augustani et Albani Moguntini*) corpora ad provinciam Venetiæ translata, in loco qui dicitur Buranum, juxta mare situm, Torcellanensis diœcesis, tumulata servantur : ibique et corpus jacet tertii Martyris Dominici monachi, qui quamvis in istorum passione non reperiatur specialiter nominatus, ab incolis tamen ipsius loci, consocius Albani et Ursi fuisse dicitur, et cum iisdem pro Christi nomine creditur martyrio coronatus. Passio horum Martyrum ibidem agitur XI Cal. Julii. *Hæc Petrus.*

*Ursus alius occisus Solodori :*

D *alteruter Burani quiescit.*

6 *Sive ergo aliquis Augustæ Prætoriæ Ursus martyrium fecit, cujus corpus alio asportatum oblitterataque isthic memoria sit; sive Ursi apud Helvetios coronati, uti socii ejus Victoris Genuam, ita Buranum devectæ reliquiæ sint, isque illic, quia ignotus, Augustanus creditus, cujus celebre nomen; saltem qui Augustæ nunc colitur* Ursus, *non Martyr appellatur, sed Presbyter fuisse traditur illius Ecclesiæ,* S. Grati, *sive* Gradi *Ep. discipulus. Colitur* S. Gratus *Ep.* VII *Septembris. Hunc existimat Carolus Ep. Novarien. lib. 1 de Eccles. Novar. illum esse, qui Eusebii Ep. Mediolanensis epistolæ synodicæ ad S. Leonem Papam (inter hujus Epistolas) ita subscripsit :* Ego Gratus Presbyter, directus ab Episcopo meo Eustasio Ecclesiæ Augustanæ, vice ipsius in omnia suprascripta consensi et subscripsi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ sacramento impia senserunt. *Eustasium vero, quem hic Episcopum suum Gratus Presbyter dicit, unum e duobus Eustasiis esse qui subscripserunt epistolæ synodali S. Ambrosii ad Siricium Papam, existimat idem Carolus Ep. Qui ultimo loco subscripsit* Eustasius Ep. *qui antepenultimo* Eutasius *appellatur to. 1 Conciliorum. Ultra sexaginta annos sedisse in episcopatu Eustasium necesse est, si hæc solida est Caroli Episcopi conjectura, quam eo firmari argumento putat, quod* Jocundus *Ep. Augustanus,* Grati *discipulus fuisse perhibetur, idemque synodo tertiæ Romanæ sub Symmacho,* Ruffo Magno, Fausto Avieno VV. CCL. Coss. *an. Chr.* DI, *ac deinde sextæ subscripsisse legitur.*

*Alius Augustæ Conf. S. Grati discipulus.*

E

*S. Gratus an Sæculi,*

7 *Ferrarius S. Grati MS. Vitam citat, in qua is Lacedæmone natus dicitur, atque a concilii cujuspiam Patribus ad Karolum Magnum Imp. missus e Græcia, dein a Leone III Papa Augustæ Prætoriæ Episcopus datus; idemque cum* S. Theodulo *Ep. Sedunensi Reliquias S. Mauricii et sociorum inventas honorificentius locasse, aliaque egisse, quæ suo loco discutiemus. Suffragatur Ferrarii, aut potius illius MS. Vitæ chronologiæ, quod Simlerus lib. 2 de Helvetiorum rep. scribit :* Tradunt, *inquit,* Vallesianorum Annales, Carolum Magnum Imp. Theodulo Ep. Sedunensi, quod is ab Angelo edoctus nescio cujus secreti delicti remissionem sibi indicasset, donasse Comitatum et præfecturam Valesiæ ipsi ac successoribus *etc. post tamen fatetur* esse quædam, quæ hanc narrationem suspectam reddant. *Refutat eam quoque in Cosmographia Belforestus Guillimanus de rebus Helvetiar. lib. 4, cap. 3 tradit* Sedunenses Episcopo suo parere et subjectos esse : Nescio cujus munere, *inquit,* nisi Caroli Magni. *At mox de Theodulo, sive Theodoro :* Concilio Aquileiensi, Siagrio et Eucherio Coss. interfuit Theodorus Ep. Octodorensis .. sub Sigismundo Burgundiæ rege Theodorus, aut, ut alii scribunt, Theodolus Episcopus Sedunensis ecclesiam S. Mauricii Agauni consecravit dedicavitque. *Non est tamen, ut reamur, unus ac idem* Theodorus, *qui concilio Aquileiensi, Siagrio et Eucherio Coss. anno Chr.* CCCLXXXI *interfuit, et qui Thebæorum Martyrum basilicam dedicavit, si quidem id S. Sigismundi Regis temporibus dicatur contigisse; alioquin fatendum esset, sedisse eum annis minimum* CXXX. *Sed hoc alias.*

*non Caroli Magni ævo,*

F

*quo nec S. Theodulus Sedunen ejus æqualis,*

*mansae an geminus ?*

8 Gratus, *qui S. Leonis temporibus Presbyter erat, Legatusque Eustadii, is deinde Episcopus factus, S. Innocentii e legione Thebæa Translationi interfuit, uti in historia martyrii S. Mauricii cap. 1, narrat Eucherius, seu quisquis illius est auctor :* Cujus translationem, *inquit,*

*S. Innocentii M. corpus, invenit Gratus.*

A *inquit*, sanctæ recordationis Domitiano Genevensi, et Grato Augustæ urbis, vel Protasio tunc temporis loci illius Episcopo celebratam recolentes, quotidiana devotione et laudibus frequentamus. *Quod Protasium ait* loci illius Episcopum, *Octodorensem intellige, cui (ut ex veteribus provinciarum catalogis colligere est) parebat etiam Sedunum, nunc Episcopi Sedes, Octodoro eversa, aut deserto. Eodem mox phrasi cap.* 12, Theodorus (*Protasii decessor, si duo fuerunt Theodori, aut successor, si unicus*) illius loci Episcopus *appellatur.*

*obiitque circa an. 500*

9 Gratus *igitur sub exitum seculi Christiani quinti decessit : quando et* S. Ursus, *aut aliquanto post, sub Jocundo Episcopo. Paucula hæc de* Urso *tradit ex urbis ejusdem Chronico MS. aliisque monumentis Ferrarius* : Is S. Grati Ep. Augustensis discipulus fuit, et Prior Ecclesiæ, quæ nunc S. Ursi de suo nomine dicitur, ejus Ordinis aut sodalitatis, quæ in Pedemontana regione, S. Bernardi nominatur. Miraculis claruit vivens, claretque usque in præsentem diem. Nam quoties civitas nimia aeris siccitate laborat, arcam, in qua corpus ejus asservatur, circumferentes, opportunam solent impetrare pluviam. Quoties etiam nimis abundant pluviæ, sacro eodem corpore per urbem delato, serenitas optata succedit. Illud quoque de S. Grato mirandum ferunt, talpas illius caussa nusquam B in agro Augustensi ad III M. P. reperiri. *Ita ille.*

*S. Ursus ejus discipulus,*

*clarus miraculis, etiamnum pluviam suis impetrat, ac serenitatem*

10 *Ecclesia illa* S. Ursi, *ut scribit Gabriel Pennottus in hist. Canonic. regular. lib.* 2, *cap.* 33, *nu.* 6, ob multa insignis est, et prima post Cathedralem in toto episcopatu Augustano; cujus Canonici numero XII, statutis diebus solennioribus, in Cathedrali cum illius Canonicis ad sacra facienda conveniunt, et in publicis processionibus pariter incedunt. Habet Priorem, qui post Episcopum primam dignitatem obtinet, et insignis pontificalibus utitur : licet jam multis abhinc D annis non regularis professus, sed secularis et beneficiarius esse consueverit. Præfuerunt tamen eidem monasterio plures Canonici professi, tum vitæ sanctitate, tum dignitate insignes et illustres; ex quibus fuit ipse B. Ursus, primum dicti monasterii, quod antea S. Petro Apostolo nuncupabatur, postea ipsius civitatis Augustanæ Præsul, in eodem monasterio, sive in ejus ecclesia, cui postea nomen dedit, honorifice tumulatus : prope cujus sepulchrum jacet corpus B. Galli Episcopi Augustani. *Hæc Pennottus, quæ videntur de alio posteriori Urso accipienda : nam Jacobus Philippus Bergomensis, ab ipso etiam Pennotto citatus, scribit lib.* 12, *illud S. Ursi monasterium fundatum a Montisferrati Marchionibus, quorum primum statuit Alaramum Ottonis II generum. Haud nihil ambigimus tamen, fuerit ne isthæc ecclesia, S. Ursi tumulo nobilitata, restaurata fortassis ab illis Principibus, addito Canonicorum regularium cœnobio, cui deinde posteri præfuisse Ursum, cujus in eo viseretur monumentum, crediderint.*

*AUCTORE I. B.*

*an Prior ecclesiæ S. Ursi?*

11 *Sed posteriorem aliquem* Ursum *alii quoque statuere. Nam Canonicor. regular. Congr. Salvatoris Officia Romæ excusa an.* MDCXIII, *ad* XV *Junii, S. Bernardum aiunt seculo renuntiantem*, canonicum habitum ab Urso ejus civitatis (*Augustæ, non tamen Vindelicæ, ut ibi perperam dicitur, sed Prætoriæ*) Episcopo suscepisse. E *Carolus quoque Novarien. eumdem Bernardum scribit lib.* 1, *Archidiaconum Augustæ factum* an. CMLXVI cum B. Ursus, ut quidam scribunt, urbis esset Episcopus. *Ferrarius vero, in Tabulis Eccles. Taurinensis* S. Ursum *Episcopum Kalendis Februarii adscriptum tradit, ambigitque num forte alius sit ab illo veteri Urso Augustano, qui solum Presbyter fuit : de cujus ætate iterum agemus ad Vitam* S. Grati *Episcopi*, VII *Septembris.*

*an alius junior, dein Episcopus?*

*SOT. 7*

# DE S. VENDIMIANO EREMITA

## IN BITHYNIA.

*I. B.*

*POST AN. D. I FEBRUARII. S. Vendimianus S. Auxentii discipulus,*

Multos ad pietatem erudiit, viros ac fœminas, S. Auxentius *anachoreta, cujus Vitam dabimus* XIV *Februarii. In his fuit S. Vendimianus, quem, Fastis Latinis ignotum, Græci Kalendis Febr. venerantur, ubi hæc de eo Menæa* : Eodem die commemoratio S. P. N. Vendimiani.

Vendemianus, arbor virtutis magna,
Plantata in terra, et in cœlum translata.

*in rupe degit*

Hic discipulus fuit S. Auxentii : eoque mortuo, in abru- C ptam rupem secessit, in qua exiguam sibi domunculam construxit, in eaque duos et quadraginta annos vixit. Ad Christum jam migraturus, in genua procubuit, Deoque spiritum commendavit. *Nihildum de eo alibi legimus. Quo tempore e vivis migrarit, statui ex Auxentii ætate potest. Hic mortuus dicitur, in Latina quidem Vita a Lipomano et Surio edita*, in imperio pii et Christi amantis Zenonis; *in Græca vero*, ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Φιλοχρίστου Λέοντος, imperante Christi-amante Leone. *Hoc probabilius videri infra dicemus. Cum autem Leonis an.* IV *Christi* CCCCIX *obierit S. Simeon Stylites, ut* V *Januarii diximus, ac tunc S. Auxentio adhuc superstiti apparuerit; consequens est, S. Vendimianum, qui ei* XLII *annos supervixit, post annum* D *obiisse; post* DXVI, *si ille ad Zenonis vixit imperium,* F *quod an.* CDLXXIV *capessivit.*

*quando obierit?*

# DE S. BRIGIDA

## VIRG. SCOTA THAUMATURGA KILDARIÆ ET DUNI IN HIBERNIA.

### Commentarius prævius.

*I. B.*

### § I. *S. Brigidæ natalis, celebritas.*

*SS. CO. CXXIII. I FEBRUARII*

D*uæ eadem tempestate Ecclesiam illustrarere sanctissimæ Virgines* Brigida *in Hibernia, in Galliis* Genovefa : *ut, cum sapientissimi viri populos præferoces, Scottorum illic, hic Francorum, eruditione ac vitæ integritate ad capessenda Christianæ disciplinæ instituta informarent; illæ et suo alterum sexum exemplo, et viros quoque ipsos sapienti innocentia, ac miraculorum efficaci facundia, suaviter ad dandas veritati manus compellerent. Et de* Genovefa *quidem* III *Januarii egimus.* Brigida *vero Kalendis Februarii celebratur, ita consentiente populorum pietate, ut non modo Scoti et Hiberni, quorum utrique suam esse gentilem contendunt, sed et Angli, Belgæ, Germani eximia omnino religione illam venerentur. De Scotis, Anglis, Hibernis testatur Hector Boethius historiæ Scotor. lib.* 9. Effecta est, *inquit*, ejusdem Virginis ad posteritatem, ob pietatem insignem, celebris adeo memoria, ut Scoti, Picti, Hibernici, et, qui illis gentibus vicinas habent sedes, Angli, eam inter fœminas, quas Christiana Ecclesia in Sanctorum numerum retulit, secundum Deiparam Virginem præcipua semper habuerint veneratione. Templa Brigidæ nomini inter hos populos sacra, quot vix alicujus Divorum, hujus rei certa sunt indicia. *Exaggeratius etiam Joan. Leslæus lib.* 4, *in Convallo* XLVII *Rege* : Tanta veneratione Scoti, Picti, Britanni, Angli et Hibernenses D. Brigidam sunt ubique

*S. Brigida V. celeberrima*

*apud Scotos, Hibernos, Anglos,*

*plurima templa ei dicata:*

A ubique prosecuti, ut plura templa Deo in illius memoriam apud illos omnes erecta videas, quam in ullius ceterorum Divorum omnium. *Utrumque secutus Georgius Conæus,* Facta autem, *inquit,* tam celebris hujus Virginis ad posteros memoria est, ut nullam secundum Deiparam pari devotione Scoti sint venerati. *Joannes Colganus in Append. 4 ad Vitam S. Brigidæ cap.* 16, *sexaginta fere loca enumerat* S. Brigidæ *nomine insignita, eaque e quinque dumtaxat diœceseon Hibernicarum Catalogis, cum multo plures aliæ sint, quarum catalogos nactus non erat, et in illis ipsis alia templa, sacella, altaria ei dicata, etsi ejus nomine oppida ipsa locave haud nuncupentur. Fatetur tamen eorum, quæ recenset, locorum aliqua ab alterius fortassis* Brigidæ *nomine sortita appellationem. Nam ejusdem Appendicis cap.* 1, *alias complures enumerat Brigidas, sanctitate vitæ et publicorum sacrorum honore illustres; quarum nos infra nonnullas referemus. Sed pleraque tamen loca ab eo recensita, huic* Brigidæ, *longe ante alias celeberrimæ, sacrata fuisse probabilius videtur. Quot jam in reliqua omni Hibernia, Scotia universa, Anglia, ac circumjacentibus insulis extitisse templa illius honori dicata necesse est, priusquam hæreticorum rabies illa avitæ pietatis monumenta maximam partem subverteret? Quam-*

B *quam non omnis ex ipsorum etiam hæreticorum animis erasus est sensus avitæ pietatis. Solent etiamnum in Scotia, non Catholici solum, sed et hæretici pleraque, S. Brigidæ pervigilio, in singulis domibus conclave unum exquisito nitore adornare, in eoque thalamum quam possunt sumptuosissime instruere. Qui id mihi retulit vir gravis et certæ fidei, percunctatum se aiebat ex iis, quid illud sibi vellet lectisternium, cum jam cultum Sanctorum, ex novitiæ suæ sectæ placitis, repudiassent? respondisse ipsos eum thalamum sponsæ Christi Brigidæ præparari, seque eum ritum a majoribus acceptum retinere. Utinam reliquam omnem majorum resumant aliquando pietatem!*

*apud Belgas* 2 *Quoniam vero in Belgicas ac Germanicas provincias plurimi olim viri religiosi, partim fidei disseminandæ gratia, partim pietatis tranquillius apud ignotos colendæ, immigrarunt e Scotia et Hibernia, atque Anglia quoque, sed Scoticis institutis plerique eruditi; inde sanctæ illius Virginis propagata huc veneratio est, ad populo : tunc, ut plurimum, pascuariæ et agrariæ rei deditus, neque tamen diu unquam ab usu tractatuque armorum otiosus, sed ejusmodi tamen, ut eorum simplicitas illius emereri opem et mereretur, et posset : quippe quæ plurima olim circa rusticanum annonam, lac, butyrum, lardum, mel circaque ipsa armenta, aut aliqua in agrestium hominum levamentum, miracula patraverit, et professa sit,*

C *uti vitæ* 1, *cap.* 10, *nu.* 60, *refertur, proniorem se esse ad benefaciendum plebeis ac tenuibus, quia plebeii cuncti serviunt* Deo, omnesque Patrem poscunt, *cum potentes,* exceptis paucis electis a Deo, serpentis sint et filii sanguinum, filiique mortis : *neque ideo tamen justa bella aversata sit, aut rogata destituerit ope. Ea aucta in illam pietas novis identidem in varios beneficiis; ut pleræque Belgicæ Ecclesiæ illius festum officio Ecclesiastico celebrare consueverint : uti cernere est in veteribus Canonicarum precum Breviariis, Antverpiensi an.* 1496 *excuso, Bruxellensi* 1516, *Audomarensi* 1518, *Leodiensi ac Brugensi* 1520, *Morinensi* 1542, *Ultrajectensi aliisque.*

*officio Ecclesiastico.*

*et apud Germanos.* 3 *Eadem apud Germanos religio. Stephanus Vitus Societatis nostræ Sacerdos apprime eruditus, qui Theologiam annos plures in Germania docuit, in docto et insigni opere, sed necdum edito, quod* Vindicias veteris Scotiæ, sive Hiberniæ, *inscripsit, libri* 3, *cap.* 12, *ista habet :* Inter Sanctos, qui Germaniæ sunt speciales Patroni, Brigidam recenset Petrus Cratepolius, dicens in Germania illam esse celeberrimam : et vere. Nam, ut alia indicia non essent, satis esset, quod nulla sit hodie, neque fuerit a mille fere annis, Ecclesia Cathedralis aut diœcesis Catholicorum in ea regione amplissima et vastissima, ubi non quotannis ad 1 Fe-

D bruarii, publice in Choro et altari dicatur de Virgine Brigida officium, sive preces Canonicæ, et sacrum Missæ celebretur. Neque mihi in Germania licuit videre ullum ex Kalendariis, quæ ubique quotannis tam ab hæreticis, quam a Catholicis nova pro varietate diœcesium et provinciarum cuduntur, ubi nomen Brigidæ Virginis non viderim. *Ita ille, vir curiosus in paucis.*

4 *Celebrem apud alios quoque populos ejus memoriam fuisse, patet ex omnibus Martyrologiis quæ ejus hoc ipso die deprædicant nomen. Vetus Romanum, S. Hieronymi nomine in codice Treverensi, quo sumus usi prætitulatum, auctum tamen, (ut vel hinc manifestum est) si ab S. Hieronymo primitus inchoatum, ita illius meminit :* In Scotia S. Brigidæ Virg. *Idem habent MS. Martyrol. Brugense perantiquum, MS. S. Mariæ Ultrajecti, MS. Centulense Bedæ præferens nomen; et MS. Florarium, sed in hoc additur :* quæ obiit anno salutis 518. *MS. monasterii S. Martini Treviris, et ipsum pervetus :* In Hibernia Brigidæ Virg. *Usuardus :* In Scotia S. Brigidæ Virg. cujus vita miraculis claruit. *Beda vulgatus, Ado, aliaque MSS.* Apud Scotiam S. Brigidæ Virginis, cujus vita miraculis claruit. Quæ cum lignum altaris in testimonium virginitatis suæ tetigisset, viride factum est. *Minus hoc nobis probatur elogium : neque enim in testimonium suæ virginitatis ligneum al-*

*inscripta Martyrologiis 1 Febr.*

*cum encomio elogio.*

E *taris pedem tetigit, sed orationes recitante, qui et velum imposuerat, sancto Episcopo, ipsa* capite submisso pedem altaris ligneum manu tenuit, et ab hac hora pes ille viridis sine ulla putredine, et sine defectu, manet in æternum, *ut in 1 Vita, cap.* 3, *nu.* 16, *dicitur. Melius ergo Martyrol. Romanum, Bellinus de Padua, Molanus in Addit. ad Usuard. et plurima Belgica Martyrologia Usuardi nomine inscripta :* In Scotia S. Brigidæ Virg. quæ cum lignum altaris tetigisset, in testimonium virginitatis suæ statim viride factum est. *Eadem habet Maurolycus, adjicitque* tempore Justini I. *Wandelbertus monachus Prumien. qui ante* 800 *annos scripsit :*

Brigida Virgo potens Februi sibi prima Kalendas
Scottorum sancit miro celebrare favore.

*Ita MS. Cusanum. Molanus aliique* celebrata favore *legunt. Rabanus in Martyrol. ita illius meminit :* In Hibernia quoque nativitas Brigidæ Virg. quæ nativitas magnorum meritorum et sanctitatis esse prædicatur. *Melius MS. S. Maximini :* In Hibernia S. Brigidæ Virg. quæ magnorum meritorum et sanctitatis esse prædicatur. *Neque enim apparet qua ratione nativitas ipsa magnorum meritorum et sanctitatis dici possit, cum mater gentilis adhuc esset, et mago famularetur. Nisi quis asserere voluerit, quod Hieronymus de*

F *Villa-vitis Canonicus regularis, in libro quem* Panem quotidianum *vocat, absque ullo solido fundamento tradidit,* in utero materno sanctificatam fuisse : *quasi vero quæ mox evenere miracula præsentis sanctitatis, et non potius futuræ argumenta extiterint. Eadem quæ MS. S. Maximini, habet Notkerus, additque :* adeo ut cum lignum altaris in testimonium virginitatis suæ tetigisset, viride sit effectum. *Vetus MS. Lætiense :* In Scotia natale S. Brigidæ Virg. quæ ab ineunte ætate Christo juncta est amore. Hæc in casto proposito sanctissime vivens, multis coruscavit miraculis. *Eadem fere habet antiquum MS. monasterii S. Martini Tornaci. Denique nullum fere Martyrologium non ejus prædicat nomen. Sed quædam* XXXI *Januarii, anticipata nimirum ob S. Ignatii Theophori festum solennitate. In Martyrol. Colonien. an.* 1490 *excuso, ad* XIX *Julii hæc habentur :* Item feria III proxima post festum S. Margaretæ Virg. est commemoratio S. Brigidæ Virg. *Nempe in eum diem, imo, ut Gelenius scribit de Coloniæ magnitud. lib.* 3, *Syntag.* 29, § 3, *in feriam III post Vincula S. Petri transfertur supplicatio et feriatio parochiæ S. Brigidæ Coloniæ.*

§ II

A

## § II. S. *Brigidæ Acta.*

*Vita ejus a multis scripta;*

*Nec minorem a Vitæ scriptoribus consecuta est Brigida celebritatem, ita multi res ab ea gestas tradidere litteris. Testatur id Chilienus, seu quisquis est auctor metricæ Vitæ, quam tertio loco daturi sumus, in Prologo :*

Scripserunt multi virtutes Virginis almæ.
Ultanus Doctor, atque Eleranus ovans.
Descripsit multos Animosus nomine libros
De vita et studiis Virginis, ac meritis.

*Extent necne horum opera, et Hibernicis litteris an Latinis, augurari temere nolim. S. Ultanus Ardbrecanensis in Media Episcopus, ut ex veteri scriptore tradit Joannes Colganus,* comprehendit miracula S. Brigidæ libro uno : *quem librum eam vult Colganus Vitam esse, quam ipse tertio loco, nos primo damus. Quam firmum sit, quo id conjectat, argumentum, non est operæ ut pluribus disquiram. Obiisse idem* Ultanum *ait* IV *Septembris, an. Christi* DCLVI, *iaque Sanctorum numerum relatum. Usserius ejus obitum refert ad annum* DCLVII, *alii ad* DCLXII, *qui hymnum in laudem S. Brigidæ ab eo compositum putant,* tempore duorum filiorum Ædæ Slane : *nam ex veterum annalium fide* Dermitius II *et* Blathmac, *filii* Ædæ II, *anno* DCLVIII *regnum Hiberniæ capessive-*
B *runt, tenueruntque* VII *annis.*

*S. Aileranus Sapiens,*

6 S. Aleranus, *sive* Aileranus, *in quibusdam codicibus* Aierranus, *alus* Eleranus, *et* Heleranus, *cognomento* Sapiens, *ea pestilentia extinctus est anno* DCLXIV, *aut* DCLXV, *de qua* XX *Januarii ad Vitam S. Fechini Abbatis egimus, et Beda lib.* 3 *hist. gentis Angl. cap.* 27. *Colitur, Colgano teste,* XI *Augusti.* Cujus ingenii unicum, *inquit Usserius de Britannicar. Eccles. primordiis cap.* 17, atque illud perexiguum, monumentum babemus reliquum; Sedulii Junioris collectaneo in Matthæum insertum, atque ita prænotatum : Incipit typicus ac tropologicus Genealogiæ Christi intellectus, quem S. Aileranus Scottorum sapientissimus exposuit. *Ailerani mentio fit in Vita S. Fechini cap.* 2, *num.* 8 *his verbis :* Hæc vero miracula, ne cuiquam in dubitationis scrupulum veniant, sapienti viro Ailerano referente, et aliis multis fidelibus idem contestantibus, comprobata sunt.

*quintuplex hic edita*

7 *Nos quinas omnino S. Brigidæ Vitas dabimus : Primam ex veteri MS. Ecclesiæ S. Audomari, diligenter collatam cum ea, quam ex antiquo codice monasterii Ripensis, sive* am Hof, *S. Magno dicati, in suburbio Ratisponensi ad pedem pontis, sua manu descripserat olim, miseratque Heriberto Rosweydo Stephanus*

*Vande?*

C *Vitus. Hujus exemplum communicavimus cum Hugone Wardæo ordinis Minorum, quod Colganus cum MS. Atrebatensi S. Autberti, et Hibernico monasterii insulæ Sanctorum in Comitatu Langfordiæ, aliisque Carthusiæ Coloniensis collatum edidit, testatus aliud exemplar extare in monasterio Dunensi Brugis; quo an usus tamen sit, non indicat. Extat eodem principio sanctæ Virginis Vita in veteri Legendario Cæsaris-insulæ. Auctor succincte plurima complexus miracula est, decursum vitæ omnem haud satis ordinate explicateque prosecutus. Quod vitium inest in omnibus fere veterum Sanctorum Hibernicorum Vitis, quas adhuc nacti sumus : ut videantur illarum Scriptores ea dumtaxat acervatim et confuse accumulare voluisse, quæ præcipue movere admirationem possent; exemplis virtutum prætermissis, quod ea vel vulgo notæ forent, vel populari sermone descriptæ in religiosorum hominum manibus versarentur. Pleraque tamen Brigidæ miracula insigne præbent vel caritatis in Deum proximumque, vel fiduciæ de Divina ope, vel demissionis sui, vel aliarum virtutum documentum.*

*plena miraculis*

*2a Cæsar…*

8 *Secundam descripserat Rosweydus e vetustissimo codice D. Preudhomii Canonici Atrebatensis : quam contulimus cum MSS. monasteriorum S. Maximini Treviris, Wiblingensis in Suevia, Bodecensis in Westphalia; cumque editionibus Henrici Canisii e MS. Aistadiano, et Joannis Colgani ex MSS. S. Huberti ac*

D

*S. Amandi. Auctorem* Cogitosum *vulgo appellant, quod in Epilogo ita scribat :* Orate pro me Cogitoso, nepote culpabili. *Sed desunt illa multis exemplaribus. Neque ex iis recte conficitur, ut quidam putant, S. Brigidæ consanguineum fuisse, quia* nepotem *se vocet; neque tamen* luxuriose ei transactam adolescentiam, *ut alii volunt : sed submisse de se, ut viri pii solent, sentientem,* nepotis culpabilis *titulum sibi sumpsisse. Colganus fastis Sanctorum ad* XVIII *Aprilis adscriptum refert. Insignis est scriptor, ut qui graviter, et non audita solum, sed et visa narret. Nam cap.* 7, *num.* 34 *ita scribit :* Alias semper operari virtutes innotescit, quas non solum audivimus, sed etiam oculis nostris vidimus. *Fuit ipsemet fortassis* maximi et clarissimi monasterii S. Brigidæ *alumnus, æque Kildariensis Episcopi* regulari schola, *ut c.* 8, *n.* 37 *loquitur.*

*Auctor?*

*diu post scripta,*

9 *Non fuit tamen S. Brigidæ æqualis, forte nec coætaneus : nam et in Prologo num.* 1 *profitetur se* a majoribus tradita, patefacere, *et num.* 2 *ostendit se non exiguo post fundatam Kildariensem Ecclesiam tempore, nedum paucis a Brigidæ decessu annis, scripsisse, sed cum plures huic Abbatissæ, S. Conlæo Episcopi, successissent :* Amborum meritis, *inquit,* sua Cathedra Episcopalis et puellaris, acsi vitis fructifera diffusa undique ramis crescentibus, in tota Hinensi insula inolevit. Quam semper Archiepiscopus Hiberniensium E
Episcoporum, et Abbatissa, quam omnes Abbatissæ Scotorum venerantur, felici successione et ritu perpetuo dominantur. *Quæ illa, velut in longum propagata* felix successio, *si cum scribebat Auctor, tertius a S. Conleo, sive Conlaido, sedebat Episcopus, tertia a S. Brigida Abbatissa? Quid, quod jam reparata erat ecclesia, ut cap.* 8 *narratur? an id credibile, paucis post Brigidæ excessum annis fieri debuisse? Denique quo argumento confici omnino putat Colganus ante annum* DIIC *conscriptam esse hanc Vitam, eo ipso inducimur, ut serius multo id factum existimemus. Erat, inquit, tunc Antistes Kildariensis, Archiepiscopus Lageniæ : atqui ea dignitas Fernensi Sedi circa annum Christi* DIIC *Brandubii Regis rogatu, collata est : prius igitur scripsit, qui enim alioqui id ignorasset, ac Kildariæ sedere Archiepiscopum asservisset?*

*cum Archiepiscopus Lageniæ sederet Kildariæ.*

10 *Verum* S. Fiecum, *sive* Fecum, *Duptachi illius, qui in aula Temoriensi, nequidquam vetante Loegario Rege, S. Patricio primus assurrexerat, discipulum, fatetur ipse Colganus Append.* 4 *ad Vitam S. Patricii part.* 3, Archiepiscopum Lageniæ *fuisse, vixisseque ad annum* DXX *aut* DXXX. *Non igitur* S. Conlaidus, *qui an.* DXIX *mortuus dicitur, Archiepiscopus fuit. Sed de* S. Fieci *ætate agemus ad* XII *Octobris quo cum filio suo* S. Fiachrio *colitur, Archiepiscopalem ejus dignitatem* F
*confirmat auctor operis tripartiti de S. Patricii vita, parte* 3 *nu.* 21 *apud Colganum; nimirum S. Patricio visum esse dignum,* non solum qui primus ex omnibus Lageniensibus ordinaretur in Episcopum, sed et qui toti isti provinciæ ut supremus præficeretur Antistes. *Qui vero in hymnum Hibernicum ejusdem S. Fieci, de vita et virtutibus S. Patricii, Scholia edidit, et ipse scriptor perantiquus, ista habet :* Et postea ab eodem *Patricio Fiecus* consecratus est Episcopus, et tandem Lageniæ Archiepiscopus institutus : quo etiam munere ejus Comorbani, sive successores abinde funguntur. *Ea Sedes* Slepti *fuit, sive* Sleibhti *in Lesia, seu Comitatu Reginæ, juxta flumen* Berbha, *olim* Birgum, *nunc* Barrow, *uti ex eodem tripartito opere et Usserio patet.*

*qui ante sit pti,*

*post annum 598 *…

11 *Anno Christi* DXCVIII Brannus Niger, *sive* Brandub, *Rex Australis Lageniæ,* vir astutissimus et valde probus in militia, *ut in Vita S. Aidani, sive Medoci,* XXXI *Januarii cap.* 4 *num.* 24 *diximus,* occidit Regem Hiberniæ Ædum filium Ainmirech, *prælio victum,* et maximam cædem nobilium virorum totius Hiberniæ cum eo fecit. *Deinde* accepto regno totius Lageniæ, et non solum, sed tota etiam Hibernia usque ad Callachuari, post occisionem Ædi, filii Ainmirechi; *gravi morbo,*

*morbo, S. Moedoci precibus, liberatus, atque æternæ damnationis periculo ereptus;* magnas dedit oblationes Sancto Moedhog, et agrum in quo vir Dei construeret monasterium, quod dicitur Ferna; in quo S. Moedog sepultus est...... Deinde facta Synodo magna in terra Laginensium, decrevit Rex Brandub, et tam laici quam Clerici, ut Archiepiscopatus omnium Laginensium semper esset in Sede et Cathedra Sancti Maedhog. Et tunc S. Maedhog a multis Catholicis consecratus est Archiepiscopus.

*deinde Kildariæ*

12 *Ut a Slepteusi Sede ad Fernensem, ita ab hac ad Kildariensem est Metropolitana dignitas translata : at quo id tempore factum sit, necdum comperi. Auctor 4 Vitæ in duos libros partitæ scribit lib. 2 cap. 1 num. 3 de Brigida loquens :* Ibi magnum monasterium plurimarum construxit Virginum : ibique maxima civitas postea in honore beatissimæ Brigidæ crevit, quæ est hodie Metropolis Laginensium. *Et Cogitosus cap. 8 num. 39* Maxima hæc civitas, et Metropolitana est. *Et in Prologo, ejus Præsulem* Archiepiscopum Hibernensium *appellat. In Sylloge veterum epistolarum Hibernicarum, quam Dublinii an.* MDCXXXII *Usserius edidit, epistola* XXXIV *est Waterfordiensium ad S. Anselmum Cantuariensem Archiepiscopum; cui inter alios subscribunt* Samuel Dublinensis Episcopus, et Ferdomnachus Laginensium Episcopus. *Hunc Kildariensem fuisse alibi probat Usserius ex antiquis Annalibus, in quibus ad annum* MCI *ista leguntur :* Ferdomnach Episcopus Cilledara in pace quievit. *De Cogitosi igitur ætate non liquet. Illud quoque argumento est non ita prope ab illius ævo abfuisse, quod, exolescente jam majorum simplicitate, matre serva ortam dissimulavit, cum id disertæ primæ Vitæ Scriptor tradat, sive is S. Ultanus, seu quis alius fuit..*

13 *Quam tertio locadamus Vitam, metro conscriptam, edidit Colganus ex MS. Casinensi, collatam cum MSS. tribus, Vaticanæ bibliothecæ, Antonii Barberini Cardinalis, Lucæ Wadingi. Eam mutilam esse ac laceram,* fœdisque librariorum mendis scatere, *prolixe queritur. Auctorem ait in Casinensis bibliothecæ catalogo indicari his verbis :* In codice MS. littera F, num. 232 signato, pluteo 8 ad lævam serie secunda, in ordine 15 Primus tractatus est...... Quartus et ultimus, Vita Brigidæ Kill-dariensis Virginis a Chilieno monacho Inis-Keltrabensis cœnobii versibus edita *est* Keltra, *sive* Inis-Keltra, *insula in lacu Sinanni, sive Sinaei amnis,* Derg *dicta, supra Laonensem urbem, sive* Killaloa, *in Tuomonia, seu Momonia Septentrionali, Conaciæ adjuncta. In ea insula monasterium fuit, cujus alumnum fuisse Auctorem hunc vel inde conjicias, quod cap. 9 n. 63 ita præter propositum illius mentionem induxit :*

*auctore Chilieno*

Altera valde mihi virtus miranda videtur,
Quæ fuit in magna Sinanni fluminis unda;
Intra quam Keltra est, conventus rite virorum
Prudentum, sacro Benedicti dogmate florens.

*monacho Keltrensi,*

*Colganus Chilienum hunc esse conjicit S. Coelanum, sive Coelenum monachum de Inis-Keltra, quem coli ait* XXIX *Julii, vixisse ante annum* DCCL. *Cui conjecturæ ne subscribamus facit, quod Brigidæ matrem Comitissam vocat numer. 2, quasi eum puduerit servilis originis : et num. 7 flores carpentem describit, ut et alibi ejus sodales, aliaque habet haud scio an satis consentanea veterum Sanctarum Hibernicorum simplicitati. Diligenter tamen, ut ex prologo patet, quæ antea scripta erant evolvit; utinam ejus integrum opus extaret !*

*mutila.*

14 *Hanc aliam subnectimus Vitam, ab Hugone Wardæo olim nobis communicatam : quam et Colganus ex illius collectaneis edidit. Eam frequenter citat Usserius in opere de Britannicarum Ecclesiar. primordiis, diciturque illi ejus scriptor nunc* anonymus, *nunc* ineditus, *nunc* auctor vetus qui libris duobus Acta Brigidæ descripsit. *Vixit ante annum Christi* MCLII, *quo Dublinensi Antistiti Gregorio, S. Laurentii decessori, dignitas est Archiepiscopalis collata : nam, uti ante indicatum, Kildariam scribit sua ætate* Metropolim Laginensium *fuisse. Nisi Chilienum metricæ Vitæ scriptorem sibi persuaderet Colganus S. Coelanum fuisse, qui ante annum* DCCL *decesserit, hujus 4 Vitæ auctorem,* Animosum *esse suspicaretur ab eo laudatum.* Anmchadi *enim nomen, sive* Anamchodh, *Hibernis olim familiare, recte* Animosum *Latine reddi ait. Fuit certe, ut idem refert,* Anmchadius Episcopus Killdariensis, *qui anno* CMLXXX sancte traductam vitam in senectute bona finivit. *Ea fere ætate scriptam esse hanc Vitam verisimillimum est, post multo quam Dunum erat S. Brigidæ corpus translatum, quam ideo isthic primitus sepultam auctor existimavit lib. 3 cap. 12 numer. 82, ante tamen quam Dublinium esset dignitas Metropolitana translata, quam sollicitius fortassis sibi Kildarienses vindicabant, quam reverentius alii agnoscerent. Sed quisquis hic fuerit, aut quoquo seculo vixerit scriptor, accurate gesta Brigidæ collegit, multaque de Hiberniæ Regibus, populis, urbibus refert, aliis neglecta, vel ignorata.*

*Vita libris duobus,*

*seculo 10 scripta,*

*fors ab Animoso Ep.*

15 *Quintam addimus Vitam ex veteri codice Seminarii Hibernici Societatis* Jesu *Salmanticæ, qui penes nos est : cujus exemplum a nobis acceptum vulgavit Colganus, ac firmavit nostram de auctore conjecturam.. Scripseram enim jam ante Laurentium Dunelmensem videri, qui (ut ex Lelando tradit Balæus, ex hoc Pitseus ac Vossius) Vitam S. Brigidæ prosa scripsit, et se vehementem plane rhetorem probavit. Suam ipse ætatem indicat, dum cap. 1 (quod exordium mutilum) ita loquitur :* Sed postquam Anglia dominos cœpit habere Normannos; *quod anno* MLXVI *Christi, S. Eduardo Confessore mortuo, contigit, ac paullo post :* Scotia autem et Hibernia dominos habens de gente sua, nec omnino omisit, nec ut olim exercet hunc morem suum. *Ante annum igitur* MCLXXI, *quo, ut scribit Matthæus Westmonasteriensis,* Henricus II *Rex Angliæ* transfretavit in Hyberniam : ubi Archiepiscopi et Episcopi ipsum in Regem et dominum ceperunt, et ei fidelitatem juraverunt. *Et vero Dunelmensem circa annum* MCLX *floruisse Vossius ac Balæus scribunt; Pitseus eo anno obiisse : quidam cœnobio Westmonasteriensi, volunt præpositum ab Henrico, redacto in ordinem Gervasio Abbate, Regis ipsius consanguineo, quod nobilissimi illius cœnobii bona juveniliter dilapidasset.*

*5 a Laurentio Dunelmensi, ut videtur,*

*saltem seculo 12 scripta.*

16 *Præter has S. Brigidæ Vitas, aliam rhythmo Hibernico conscriptam, ac Latine versam, edidit Colganus, quam qui præfationem addidit, anonymus Scriptor, compositam ait a* S. Brogano, cognomento Cloen, *tempore Lugadii Hiberniæ Regis, filii Loegarii,* quia, *inquit,* S. Ultanus de Ard-brecain S. Broganum rogavit ut virtutes et Acta S. Brigidæ stylo metrico describeret. Hic enim est, qui Acta S. Brigidæ pro ipsa collegit. *At si, quod ex Ultoniensibus Annalibus tradit Usserius, Lugadius sive Lugaidus, an.* DVIII *interiit, qui potuit rhythmus ille ipso regnante conscribi, in quo Brigida, non nisi* XV *annis post eum mortua, invocatur* cum Sanctis Killdariensibus, *velut ævo beato jam fruens in cœlis? Omitto quod S. Ultanus, ut ante scripsimus, anno* DCLVII *vel potius* DCLXII *obierit. Occupat hanc objectionem Colganus, aitque esse ex quorumdam Annalium fide, ad annum* CLXXX *ætatis pervenisse Ultanum. Broganum vero idem tradit* XVIII *Septembris apud Ossorienses coli.*

*alia apud Colganum,*

17 *Denique admirabilis hujus Virginis res gestas alii plurimi prosecuti sunt; Capgravius, Surius, Vincentius Bellovacensis lib. 2, cap. 29 et seqq. S. Antoninus par. 2 tit. 12 cap. 7 § 1. Haræus, Lippelous, Ribadeneira, Rosweydus, Silvanus Razzius tom. 1 de fœminis sanctitate illustribus, aliique quamplurimi quorum aliqui a Colgano enumerantur Append. 3 ad ejus Vitam cap. 1. Nos e Silvestro Giraldo, Dunelmensis fere æquali, atque e veteribus Sanctorum quorumdam Actis, nonnulla subjiciemus analecta, in quinque illis Vitis omissa, aut aliter relata.*

*et plures alibi*

§ III.

A

## § III. S. Brigidæ patria.

*Brigida orta e Scotis,*

Prognatam e Scottorum genere Brigidam æque moderni scriptores atque antiqui consentiunt. Controversia est, num in ea regione nata sit, quæ pars veteris Britanniæ, Scotorum frequentibus coloniis habitata, sola nunc Scotiæ retinet nomen; an in Hibernia quæ et ipsa Scotia appellata est teste S. Isidoro Hispalensi Origin. lib. 14 cap. 6 quod, ut etiam lib. 1 hist. scribit Orosius, a Scotorum gentibus coleretur. Et Beda libr. 1 Ecclesiast. hist. gent. Anglor. cap. 1. Hæc autem (Hibernia) proprie patria Scottorum est. De patria S. Brigidæ ac loco natali, nihil diserte expressere Scotorum historici, Joannes Major, Hector Boethius, Joannes Lesleus, Georgius Conæus. At Thomas Dempsterus, eumque secutus David Camerarius, contendunt nihil eam omnino ad Hiberniam pertinere. Acriter eam sibi vindicant Hiberni : quibus favent exteri complures; atque in his nominatim Jacobus Gretserus noster lib. 1 de benedictionibus cap. 8. Sancta Brigida Virgo, inquit, ex veteri Scotia, hoc est, Hibernia. Et lib. 3 cap. 9. De S. Brigida Virgine Hiberna etc. tacite retractans quod ante in contrarium scripserat in Dedicatione βασιλικοῦ δώρου, sive Commentarii exegetici in Jacobi Britanniæ Regis Præfationem monitoriam.

*quorum patria Hibernia,*

B

19 Ut liquidius tamen perspici res tota queat, cujas nimirum ea fuerit, ubi nata, educata, Divino obsequio mancipata, mortua sepulta; illud primum animadvertere oportet, Hiberniam omnem in quinque olim regna fuisse divisam, Momoniam ad Austrum, Lageniam ad Ortum, Conaciam, vel Connactiam ad Occasum, Ultoniam ad Septemtriones, et Mediam, sive Midiam, in totius fere insulæ medio sitam. Eaque etiamnum divisio obtinet, ac nomina : neque hæc apud Scotos Britannos uspiam usurpata. Ex his tamen præcipue erui veritas debet : quoniam Scotiæ commune olim nomen fuit, quod Joannes Major fatetur. Brigidam Laginensem appellat Antonius Possevinus noster in Apparatu. De ejus parente Laurentius Surius : Fuit apud Hibernos vir quidam, Dubtacus nomine, genere Laginensis. Eadem habent Franciscus Haræus, Silvanus Razzius, aliique, e vetustis ejus Actis.

*in plura regna divisa)*

*patre Lageniensi,*

20 Dempsterus Hist. Ecclesiast. gent. Scotor. lib. 2, num. 144 Dubtachum corrupte Laginensem pro Ladinensi vocari scribit, fuisse enim, Cathenesiæ Proregem et Saxones irrumpentes animose arcuisse. In Parecbasi vero contra mendicabula pag. 5 ait, Orcades rexisse, in Cathenesiæ domicilium habuisse, et sub Congallo Rege feliciter Saxones cum Hengisto, ne insulas occuparent, arcuisse, ut diserte Joannes Fordanus Benedictinus in historia Scotica exequitur. Mirum est Usserium, qui Fordani Chronicon MS. sæpissime citat, nusquam meminisse Congallo Regi navatæ a Dubtacho Duce operæ in bello adversus Saxones. Refert certe ex Bedæ lib. 1, cap. 15. Inito certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsisse Saxones : annotatque in Indice Chronologico ad annum CCCCL, hostes illos qui ab Aquilone venerant, ab aliis scriptoribus dici Scotos fuisse, ab aliis Pictos et Scotos a quibusdam solos Pictos, quod ex Beda sumptum videtur, ita scribente lib. 1, cap. 5. Confluentibus certatim in insulam gentium memoratarum catervis, grandescere populus cœpit advenarum; ita ut ipsis quoque, qui eos advocaverant, indigenis essent terrori. Tum subito inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos longius jam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiunt. Verum licet Scotos quoque fateremur una cum Pictis bellum adversus Saxones, uti antea contra Britannos, gessisse; ut Dubtachus saltem, si Ladenensis erat, et Cathenesiam atque Orcades regebat, Pictus dici debuit, non Scotus. Nam qui Gadeni Ptolemæo, in quibusdam exemplaribus, ut Cambdenus testatur, Ladeni, ii inter Tuedam amnem, atque Edinburgense æstuarium sedes habuere. Plures eo tractu reginculæ : una Lodoneium, sive Lothien, aut Lauden: quo tamen uno nomine omnes apud medii ævi scriptores comprehensas fuisse idem Cambdenus refert eamque Pictlandiam, sive Pictorum patriam, appellatam. Cathenesia quoque (quam Catini tenuisse videntur, Ptolemæo perperam Carini appellati) objecta fere Orcadibus insulis, in extremis Britanniæ finibus regio; Pictorum tum erat. Nam Glottæ æstuarii partem Septemtrionalem Scotti advenientes, inquit Beda lib. 1, cap. 1, sibi locum patriæ fecerunt : ac scilicet non nisi aliquot post seculis Orientales Pictorum regiones subjugarunt. Verum unde accepit Dempsterus Dubtachum Cathenesiæ Proregem fuisse? Ex Brigidæ Vita, inquit, per Cogitosum scripta, editaque a Canisio : is quippe in ulteriori Britanniæ parte natam profitetur. Non inde consequens est, patrem ejus illi provinciæ præfuisse, ac ne in ea habitasse quidem, cum alteri hero vendita ejus mater, peregre filiam pepererit. Neque tamen illud scribit Cogitosus, at solum in Scotia ortam. Eadem, opinor, fide Ladenensem dici vult, non (quod omnes libri MSS. et excusi habent) Lageniensem, aut Laginensem.

*non Ladenensi, et Cathenesiæ Prorege,*

C

*ut gratis fingitur,*

*cum tum Ladenos*

D

*auctore 3. n.*

*et Cathenesiam Picti tenerent*

*mala fide citato Cogitoso.*

21 Fastidium afferam lectori, si enumerare loca omnia velim urbium ac regionum quas Brigida præsentia sua ac miraculis consecrasse memoratur in quinis, quæ proferimus Actis. Vix caput est in iis unum, in quo non plura occurrant. Et quarta quidem lib. 1, cap. 1, numer. 2, regia patris ejus prosapia recensita, de Eochadu Alba posteris ita habent : Et ibi habitant nepotes ejus usque huc; jam ipsi inter Lagenienses numerantur, et Lagenienses vocantur. De quibus fuit Dux quidam magnus et potens, nomine Dubtachus. Dein cap. 5, num. 52 Post hæc exiit Brigida cum suis, ut peregrinaretur in provincia Connachrorum, nolens habitare in propria terra, id est, in regione Laginensium. Et lib. 2, cap. 1, num. 1. Orta est jam magna controversia apud Lagenienses de absentia S. Brigidæ. Ipsi enim... volebant ut tanta Dei gratia in sua regione esset : inde enim S. Brigida nata est. Et Vitæ 1, cap. 15, num. 94. Orta est magna quæstio apud Laginenses de absentia Sanctæ, ut ad suam gentem rediret. Tunc Brigida venit cum eis. Cumque ad flumen Sinne venirent, invenerunt ibi juxta Vadum Lua duas plebes sedentes ex utraque parte ripæ id est, Nepores Neil et Conactorum gentes. Frustra hæc in moderna Scotia quæsieris; uti et cetera, quæ passim hic habes, regiones Midi, Muminensium, Ultorum; campum Breg sive Breag, Lifli, Tethfe, Gesilli, Hay; Reges Carpræum, et Conallum, Neilli filios; fluvios Lifli, Shannon, sive Sinne, aliaque.

E

*ipsi Lageniensis habita.*

*et in Lagenia reversata,*

*in aliis Hiberniæ locis versata,*

F

22 Verum universa hæc uno velut spiritu difflare se Dempsterus arbitratur in Parecbasi ita scribens : Videt æquus lector, quam ridicula sint Lagenia, Kildaria, Liffeus, Dunum et sexcentæ affaniæ. Neminem reor ita oculatum, qui id videat aut credibile existimet, expensis iis, quæ ibi congerit, argumentis; ac præsertim illo Brigidæ in ulteriori Britannia ortu, ex Cogitosi historia fraudulenter asserto. Aliquanto efficacius argumentum illud e Vitis petitum elevaret, si illud unum præscriberet, omnes ab Hibernis esse compositas. Verum hoc quoque arripient Hiberni : Si in Scotia Britannica, sive Albania, nata est et versata olim Brigida, inter eos Scotos, qui partem ejus insulæ occuparant, cur nemo ex his Vitam illius scripsit? aut si scripsit, cur non profertur in lucem? aut certe testimonium aliquod ævo Hectoris Leslæique antiquius? Dabimus infra e Breviario in usum insignis Ecclesiæ Cathedralis Aberdonensis, adeoque totius Ecclesiæ Scoticanæ, impensis Valteri Chepman, Edinburgensis mercatoris, typis mandato Kalend. Februariis anno a Christo nato MDIX. Jacobi IV Scotorum Regis XXII Lectiones de S. Brigida, in quarum prima dicitur de bona ac prudentissima prosapia Scotica orta : at præterea ne verbum unde vel in speciem confici posse videatur, in

*nil refutantibus Scotis Scriptoribus,*

*per nil antiquius)*

*in Hibernia natam, educatam, mortuam non esse.*

*Scotis tamen,* *non Hiberna,*

23 *Neque arbitror minus ad honorem nobilissimæ gentis Scoticæ pertinere, si quis fama virtutis celebratus, in Polonia, Belgio, Italia, sed Scotis parentibus, genitus sit, quam si in ipso Scotiæ meditullio. Statuimus certe, fatentibus etiam Hibernis, Scotico natam sanguine, non ex eorum Britannorum genere, qui ante Scotorum adventum Hiberniam insulam tenuere; nisi fortassis hi continuo in unam gentem, junctis invicem matrimoniis coaluere: ut quemadmodum occupata a Francis Gallia promiscue omnes Galli et Franci sunt appellati, etsi ad plura secula constiterit apud nobiliores discrimen originis, qui nimirum Romanæ, qui Francicæ prosapiæ essent; sic passim omnes Hiberni ac Scoti dici cœperint; etsi Scotorum erat honorificentior, ob bellicæ virtutis commendationem, appellatio. Excesserintne postea Scoti omnes, relicta Aboriginibus Britannis insula non quæro. Non sunt certe armis pulsi, bellicosissimi homines: non etiam sua sponte, ut arbitror, fertilissimum solum reliquere. Fortissimi tamen fuere, et digni qui vel soli vel præcipue Scotorum nomine deinceps noscerentur, qui relicta Hibernia sedes sibi novas in Boreali Britanniæ tractu quæsiere; sive id, ut scribit Giraldus, Nello Magno Hiberniæ monarchiam obtinente acciderit, ducibus filiis sex Muredi Regis Ultoniæ; seu quod Scoti aiunt, multis antea seculis.*

*in quantum discreti a Scotis aborigines Hiberni*

*nata in Fochart villa,*

24 *Hactenus de S. Brigidæ gente ac patria. Locum nativitatis indicat quartæ Vitæ auctor lib. 1, cap. 1, nu. 8, his verbis.* Villa illa, in qua S. Brigida nata est, Fochart Muirthemne vocatur, quæ est in provincia Ultorum, scilicet in regione quæ dicitur Conaille Muirthemne. Ipsam villam modo habet S. Brigida in cujus honore monasterium Canonicorum in ea est. Ibi illa ecclesia et cœmiterium ejus est, ubi fuit domus et curia, in quibus nata est B. Brigida. Lapis vero, super quem nata est sanctissima Christi sponsa, post tergum ipsius sanctuarii constat, et ab incolis istius terræ colitur honorifice, eo quod multa signa super eum per merita S. Brigidæ patrantur. *Ejus loci meminit S. Bernardus in Vita S. Malachiæ cap. 25, num. 56.* Venerunt aliquando, *inquit*, tres Episcopi ad villam Fochart, quem dicunt locum nativitatis Brigidæ Virginis, et quartus erat Malachias. *S. Monennam ecclesiam* Fochardæ, in nativitate S. Brigidæ, *ædificasse, ibidemque centum et quinquaginta Virginibus* Orbilam, *quæ et* Servila, *Abbatissam præfecisse, tradit Usserius ex ejusdem Monennæ Vita per Conchubranum scripta; quam non vidimus: in Vita quæ apud Capgravium extat, dicitur monasterium illud, cui Orbilam præfecit,* constructum in quodam monte. *Idem Usserius tradit villam Fochard intra alterum a* Dundalkia *oppido milliarium sitam in* Louthiano *Comitatu, ac territorio olim* Conayl Marthemni, *et* Campo Murthemne (*in quo* Conaldorum *gens maxime viget, de qua et* S. Monenna *procreata est*) *hodie* Maghery Conaill *dicto; appellarique etiamnum a tota vicinia* Fochardam Brigidæ. *In eo tractu* Conaelle Muirtemne *venditas olim fuisse duas sorores S. Patricii, Lupitam, sive Lupitam, et Tigridem scribit Florentius Wigorniensis ad annum 388. Eam villam Usserius alibi* Faghayrd *vocat.*

*S. Bernardo memorata,*

*ubi postea monasterium*

*in Conaciam translata,*

25 *Isthic ergo nata Brigida, in* Conaciam *infans delata est. Nam, ut prima Vita cap. 1, nu. 5, dicitur,* posthæc ille magus, *qui ejus matrem emerat*, cum ancilla perrexit ad regionem Connacthorum et habitavit ibi, quia de Connathis erat mater illius magi, pater vero de Muminensibus. *Eadem habentur in 4 Vita nu. 10. Dein, ut in 1 Vita nu. 7,* magus cum suis omnibus perrexit ad patriam suam, quæ est in regionibus Muminensium, ubi habebat hæreditatem patris sui. Cum autem crevisset, *ut cap. 2, nu. 9 dicitur, reversa est in Lageniam.*

*nutrita in Momonia,*

## § IV. *A quo, ubi velata? Ejus habitus. Regula.*

*sacrum velum accepit, ut Scoti putant, in Mona insula,*

*Ubi adolevit Brigida, Deo virginitatem vovit, ac sanctimonialem habitum ab Episcopo accepit. Id in Mona insula, sive* Mannia, (*quæ inter Cumbriam Angliæ provinciam, et Ultoniam Hiberniæ, in mari Hibernico jacet*) *contigisse asserunt Scoti scriptores Hector Boethius lib. 9.* Hæc decimoquarto anno vix superato, ad Solorensem Episcopum in Monam insulam (hujus autem viri, sicut aliorum complurium, vetustate nominis memoria periit) paternis fortunis, quæ amplissimæ erant, contemptis aufugit; precibus non sine lacrymis petens ut perpetuæ virginitati, pontificia auctoritate, addiceretur. Pontifex acceptam mira benignitate Brigidam, Virginem Deo sacravit: deditque ut alba tunica, scortea intercincta zona, uteretur; tegumento capitis livo candenti quadrato, a cervice ad humeros dejecto. *Eadem tradunt Leslæus, Dempsterus, Camerarius, Conæus. Neque eorum quisquam Episcopi nomen profert.*

*a S. Patricio conversa*

27 Manniam *insulam primus religione Christiana imbuisse legitur S. Patricius. Ita Jocelinus in ejus Vita apud Colganum nu. 92.* Videns S. Patricius in Hibernia messem quidem multam, operarios autem paucos, transfretavit in Britanniam, acquisiturus sibi coadjutores in agrum Dominicum et cooperatores.... Renavigans in Hiberniam, ad insulas maris convertendas divertit: e quibus Euboniam, id est, Manniam, tunc quidem Britanniæ subjectam, salutari prædicatione ac signorum exhibitione ad Christum convertit ... Quemdam discipulorum S. Patricii, virum sanctum et sapientem, Germanum nominatum, in Episcopum promotum, illius gentis Ecclesiæ novellæ regendæ præposuit, et in quodam promontorio (quod adhuc Insula Patricii vocatur, eo quod ipse ibidem aliquantulum demorabatur) Episcopalem Sedem posuit. *Id Usserius in Indice Chronologico, anno CCCCXLVII vult contigisse. Habet nunc Sedem Episcopus Manniæ, qui Solorensis appellatur, in exigua insula, ut Cambdenus pag. 839 scribit juxta* Russin, *sive* Castletowne *oppidum, in Australi insulæ ora. Isthic tamen sederit S. Germanus an in occidentali latere, e regione* Strangfordii *portus, haud satis defi nio. Hic certe in Manniæ tabula apud Spedum* Kirck Jarmam, *sive* ecclesia Germani *visitur, prope* Pyle *castellum undique mari cinctum: nec inde procul ad promontorium,* Kirck Patrick, ecclesia Patricii, *quem fortasse locum Jocelinus indicat. Germani obitum consignat Usserius ad annum CCCCLXXIV. Coli in Julii ait Colganus. Sanctis adscriptum constat ex eodem Jocelino nu. 152 ita scribente:* Erant in Mannia insula duo Episcopi sancti, Conidrius et Romulus vocati, quos ipse Patricius consecraverat, et illuc destinaverat, ad populum insulæ illius regendum et erudiendum in fide Christi, post obitum S. Germani, primi ejusdem insulæ Episcopi. *Colganus* S. Connidrium, *sive* Conderium, *coli ait XVII Novembris:* S. Romulum, *sive* Romaidum *postridie.*

*constituto Episcopo S. Germano*

*cui an. 474 S. Conidrius successit tum S. Romulus*

28 *His vita functis, anno CCCCXCVIII successisse* Machaleum *scribit Usserius in Indice Chronologico. Is in Ultoniæ provincia,* Mac-Gynnis, *sive, ut habet auctor operis tripartiti de vita S. Patricii lib. 3, nu. 60,* Maginis, *nunc* Down *dicta, latronum princeps fuerat: cumque S. Patricii sanctitati illudere voluisset, Carbano, aut Carvano, socio jusso ægrum sese aut mortuum simulare, intereaque vere extincto; perculsus, veniam petiit, a baptismum suscepit. Dein voluit formam pœnitentialis vitæ sibi præscribi a Patricio: qui cum jussit sua largiri omnia pauperibus, dein pedes ferreis compedibus vinctum, clave in mare abjecta, lembum corio tectum conscendere, absque clavo remis, sicque Dei sese providentiæ committere. Quod ille magno animi fervore exequens, secundo vento in Manniam delatus, a SS. Conderio et Romulo pietate et litteris eruditus,*

*dein S. Machaldus antea latro,* *a S. Patricio baptizatus,*

*clave*

A *clave in pisce reperta solutus compedibus, tandem, ut idem auctor operis tripartiti scribit,* prædictis Episcopis defunctis in pontificatu ejusdem insulæ successit, et in virum celebratissimæ sanctitatis evasit. *Addit scriptor tertiæ Vitæ S. Patricii apud Colganum n. 73.* Et in illis regionibus habetur magna civitas Maguil sancti Episcopi usque hodie. *Ea Jocelini ævo jam destructa erat, fortassis Norwegicis bellis;* sed murorum adhuc cernebantur residua, ex ejus nomine cognominata. *Eo fortassis loco ubi* Maghhaulesheade *in Spedi Theatro Britanniæ ponitur, id est,* S. Machaldi, promontorium, *e regione Wirkintoni maritimi in Cumbria oppidi. Sed de S. Machaldo plura ad* XXV *Aprilis.*

*a quo velum accepisse credita, nato errore ex similitudine nominis,*

29 *Cum esset hujus Machaldi celebre, etiam apud Scotos Britanniam incolentes, nomen, consurrexitque ex S. Brigidæ Actis eam a* Maccaille *Episcopo velo sacro indutam; hinc opinio nata, ut Usserius conjectat, a Sodorensi id accepisse, sive (ut in opere tripartito appellatur)* Ard-ebnanensi, *id est,* collis Euboniæ, *sive* Manniæ, *quæ, Cambdeno teste,* in medio montibus densius attollitur, e quibus editissimus Sceafell, unde sudo cœlo Scotia, Anglia, et Hibernia prospici possit. *Neque is longe a S. Machaldi, quod diximus, promontorio distat. Sed cum prius longe fuisse velata videatur* B *Brigida, quam is Episcopus esse propterea fortassis consulto nomen Episcopi Boethius dissimularit : aut vere quod scribit, nomen illius obliteratum oblivione apud Scotos erat.*

*cum in Media acceperit apud SS. Melem et Melchum,*

30 *Ubi et a quo velum acceperit, Vita prima ostendit cap. 3, nu. 16, his verbis :* Sancta ergo Brigida, acceptis secum tribus puellis, perrexit ad fines Nepotum Neill, ad duos Episcopos Mel et Melchu, qui discipuli S. Patricii fuerunt, et in oppidis Medi illi habitaverunt : et habebant quemdam discipulum, nomine Maccalle, qui dixit ad Mel : Ecce Virgines sanctæ foris sunt, quæ volunt velamen virginitatis de manu tua accipere. Tunc introduxit eas ante Episcopum; intuensque illas Episcopus Mel, subito apparuit columna ignis de capite Brigidæ. *Sedem Episcopalem habuit S. Mel, ut* VI *Februarii ex S. Patricii Vita dicemus, in Australi Teffia, in loco Ardachadh, in Longfordensi Comitatu, inter Anneinum ac Senanum fluvios. Locum vero, ubi solenni Episcopi benedictione Deo consecrata Brigida est, indicat Usserius ex Tirenacho, Vitæ S. Patricii mediæ scriptore : qui S. Patricium notat Ecclesiam ædificasse* in capite Carmelli in campo Teloch : in qua Brigida pallium cepit sub manibus filii Caille in Huisninch Midi.

*a S. Maccaille Ep.*

31 *Porro non ipsum Melum, sive Melem Episcopum ei velum imposuisse, ut prima Vita videtur innuere, sed* C *Maccaille (quem Tirenachus jam citatus* Filium Caille *vocat, quia* Mac *Hibernis* filium *significat) tradit Cogitosus cap. 1, nu. 5, et Dunelmensis cap. 7, nu. 44, etc. Idem habet Brogani rhythmus :* Posuit S. Maccalleus velum super caput S. Brigidæ. *Colganus ex veteri Calendario Casselensi ista recitat :* S. Maccaleus, qui colitur in Cruachan Brighele in regione de Hfalgia, ipse dedit velum S. Brigidæ. *Consonant quæ ex aliis Martyrologiis depromit. Quæ regio sit* Hfalgia, *vel* Ifalgia, *aut* Hifalgia *indicat auctor operis tripartiti lib. 3, nu. 56, ita scribens :* Post hæc prodigia valedixit vir sanctus, et iterato benedixit Mumonios : et contulit se in regionem Lageniæ, quæ Hi-failge appellatur. *Ipsa enim Media sæpe Lageniæ accensetur, quadrifariam solum distributa Hibernia universa.* Maccalleum *(qui Surio* Machillus, *Dunelmensi* Machilenus, *Hen. Canisio* Macca, *aliis* Maccalle, Machille, Mackelle, Maccille *appellatur) ait Colganus coli* XXV *Aprilis, quo nimirum etiam Machaldi Manniensis Episcopi natalis celebratur.*

*alba indui a vidua*

31 *Quærunt nonnulli, quodnam potissimum vitæ monasticæ institutum complexa Brigida sit. Cogitosus cap. 1, nu. 5, scribit,* pallium album et vestem candidam super ipsius venerabile caput impositum *a Mackalle Episcopo. Inde quidam canonicam fuisse concludunt, imbe-* D *cillo plane argumento. Nam melote, sive tunica pellicea alba uti solitos Ægyptios monachos ostendimus* XVII *Januarii ad Vitam S. Antonii* § 15. *Eorum vivendi ratio in Italiam, Africam, Galliam traducta : an et vestium color, alibi viderimus. De monachatu S. Patricii agemus* XVIII *Martii. Probabile est, quod ipse, seu Turonibus apud S. Martinum, seu Romæ, aut in Tyrrheni maris insulis, susceperit, id Scotis in Hibernia tradidisse. Varii dein viri sancti propria condidere statuta. Octo Hiberniensium Sanctorum Regulas recenset Benedictus Halftenus Disquis. monast. lib. 1, tr. 6, disqu. 3, videlicet S. Patricii, S. Brandani, S. Kierani Cluanensis, S. Columbæ Huensis, S. Congelli, S. Adomnani, S. Brigidæ, S. Molassi. Has ait enumerari in Vita S. Kierani Hibernice scripta, quam et Colganus citat Append. 3 ad Vit. S. Brig. cap. 2. In Latina perbrevi, nec satis idoneo judicio compilata, nulla mentio fit regulæ, quam tamen ab ea scriptam ex veteribus monumentis tradit Usserius pag. 1050. Regulam aliquam sive a Brigida concinnatam, sive a S. Patricio aliove Antistite ei præscriptam, viguisse in Hibernia, erui e Cogitosi prologo potest. Ita hic scribit :* Et prudenti dispensatione de animabus eorum *(qui, ut ante dixerat,* ad eam de omnibus provinciis totius Hiberniæ innumerabiles de utroque sexu confluebant, et vota sua vovebant E voluntarie) de eorum *igitur* animabus regulariter in omnibus procurans, et de Ecclesiis multarum provinciarum sibi adhærentibus sollicitans *etc. ac paullo post :* Et Abbatissa, quam omnes Abbatissæ Scottorum venerantur, felici successione et ritu perpetuo dominatur. *Neu quis venerationem illam Abbatissæ Kildariensi a ceteris delatam fuisse existimet, solius virtutis opinione, non quod ei subjectæ essent, aut ex eo velut seminario propagatæ, ante scripserat idem Cogitosus :* Et amborum *(Brigidæ et Conlaidi)* meritis sua Cathedra episcopalis et puellaris, ac si vitis fructifera diffusa undique ramis crescentibus, in tota Hibernensi insula inolevit. *Quæ verba communem pluribus cœnobiis vitæ institutum ac regulam videntur significare. Clarius etiam id probant quæ in 4 Vita, cap. 12, nu. 81, habentur :* Et prænoscens Spiritu prophetico locum resurrectionis suæ, constituit suam civitatem et monasterium, et loca quæ erant sub cura ejus per Hiberniam. Regulæ S. Brigidæ compendium Hibernica lingua, conscriptum esse penes PP. Minoritas Hibernos Lovanii, *scribit Haftenus loco antea a nobis citato. Colganus tria S. Brigidæ opuscula penes se in Lovaniensi cœnobio esse testatur, de quibus infra* § 11 *At regulam inter ea non recenset.*

*servatæ :*

*Ejus Regula,*

*in pluribus monasteriis servata.*

F

## § V. *Kildariense, et alia S. Brigidæ monasteria.*

*Ejus monasterium Kildaria in Lagenia*

P*ræcipuum S. Brigidæ monasterium* Kildaria *fuit, aut* Kildara, *quæ deinde in urbem amplam excreverit, ab Angliæ Regibus postquam Hiberniæ regno potiti sunt, titulo Comitatus ornatam. Patet autem Comitatus hic sat late, inter Boinum amnem, et Comitatum Dubliniensem.* Kildaria *urbs circiter* XX *millibus passuum Dublinio distat :* cui honori erat, *inquit Cambdenus,* in primis Ecclesiæ Hibernicæ incunabulis Brigida Virgo, sanctitate et virginitate venerabilis..... ante annos mille, S. Patricii discipula, per Hiberniam, Angliam, et Scotiam nominatissima. *Fuse de Kildariensi monasterio et urbe agit Cogitosus. De ejus fundatione ac nomine ista habentur in 4 Vita, lib. 2, cap. 1, nu. 3.* Dum autem venisset gloriosissima Virgo Brigida ad patriam suam *(quod et brevius memoratur in 1 Vita)* cum magno honore et totius provinciæ gaudio suscepta est, et cella assignata est illico ei, in qua ipsa Dei Sancta mirabilem vitam deinde duxit. Ibi magnum monasterium plurimarum construxit Virginum : Ibique maxima civitas in honorem B. Brigidæ crevit, quæ est bodie Metropolis Lageniensium.

A Illa jam cella Scotice dicitur KILDARA, Latine vero sonat CELLA-QUERCUS. Quercus enim altissima ibi erat, quam multum amabat S. Brigida, et benedixit eam: cujus stipes adhuc manet, et nemo ferro abscindere audet, et pro magno munere habet qui potest frangere manibus aliquid inde, sperans per illud Dei auxilium; quia multa patrata sunt miracula per illud lignum, per benedictionem B. Brigidæ. Et quo nomine cella dicebatur, eo et civitas vocatur.

*auctore B. dicta a quercu.*

*(post miraculis celebri)*

*non a S. Daria vidua,*

33 *Hinc refellas quod Dempsterus hist. Ecclesiast. gentis Scotor. lib. 4, nu. 385 de* Kildariæ *nomine scribit; a S. Dariæ viduæ, matris S. Ursulæ* reliquiis in Hiberniam importatis. Comitatum illius gentis primum, et Lageniæ caput KILDARIAM vocari. *Hermannus Crombachius noster to. 2 Martyrii S. Ursulæ lib. 3 cap. 4 perperam Dempsterum citat, velut derivantem* Kildariæ *appellationem ab alterius S. Dariæ Virginis nomine, ex S. Ursulæ sodalitio, cujus reliquiarum pars tertia Glastoniensi in Anglia cœnobio donata ab Henrico I Abbate Glastoniensi, ac Wintoniensi Episcopo, qui an.* MCLXXI *obiit, quadragesimo aditi pontificii anno, uti Usserius tradit pag.* 118, *qui tamen pag.* 626 *eamdem existimat* Virginem *dici in Glastoniensium reliquiarum indiculo, quæ S. Ursulæ mater fuit. At Crombachius,* Alii, *ait,* nomen id urbi a quercu profectum esse censent. Nec tamen improbabiliter nonnulli potius a Daria matre S. Ursulæ vocem deducunt, quos sequitur Ferrarius, et pro se Calendarium ac Breviarium Hibernicum laudat, quæ natales ejus Hibernis etiam attribuunt. *Scio quosdam* Kildariæ conditricem facere S. Brigidam: sed quid vetat originem primam oppidi Dariæ tribuere, licet afflictum et pene eversum sit variis barbarorum incursibus tandem nata ibidem S. Brigida cœperit iterum inclarescere, brevi spatiis et inquilinis mirabiliter auctum? Sed nolo divinare. *O idoneam clausulam, ea excusantem, in quibus eum memoria aut ratio fefellerat! Sane enim præter Dempsterum, etiam Ferrarium perperam citat. Ferrarii verba sunt in generali Catal. ad* XXI *Octob.* In Scotia S. Dariæ matris S. Ursulæ Virginis, *addit in Notis*: Ex Kalen. Scotiæ ac Breviar. Ab ea Kildaria urbs Hiberniæ nomen habere putatur. *Scoticum citat; non Hibernicum Kalendarium, ac Breviarium: quamquam in Aberdonensi Breviario* Dariæ *expressa mentio non fiat. Neque* Dariæ *natales Hibernis attribui Ferrarius testatur. Nec Kildariæ nata Brigida est. Qui deinde Barbari post Dariæ Ursulæque excessum, (si inde ortæ) Hiberniam populati sint, non legimus, licet ipsi Hiberni, seu Scoti, assidua cum suis gentilibus bella gesserint.*

*aut Virgine*

B

34 *Mihi sane videtur, S. Brigidæ monasterium in campo ad quercum, non in veteri oppido constructum. Postea vero et superstite adhuc Brigida, et post ejus decessum, confluentibus isthuc innumeris mortalibus, ædificia, ut fit, constructa, vel peregrinis excipiendis, vel mercibus venum exponendis, annonæ præsertim. Ita plurima Belgii oppida videmus orta a cœnobiis, quia vel stipem large tribuerent egentibus, vel fama miraculorum celebrarentur. S. Gisleni, S. Amandi, S. Maurontii oppida, Malbodium, Nivella, Stabulaus, Malmundarium, Epternacum, Winociberga, Gladbacum, ut cetera omittamus, monasteria initio fuerunt, et quædam locis desertis; nunc oppida, non infrequentia. Kildariam præcipue post obitum S. Brigidæ urbem factam, indicant verba jam e Vita 4 recitata*: ibique maxima civitas in honorem B. Brigidæ crevit, *ac deinde*: Et quo nomine cella dicebatur, *vivente nimirum Brigida,* eo et civitas vocatur. *Cœpit tamen, etiam ea vivente, civitas esse. Ita eadem Vita lib. 2, cap. 8, num. 47* Post hæc iter arripuit venire ad civitatem suam in terra Lageniensium, *et numer. 49,* Postquam S. Brigida ad suam civitatem pervenit, *et cap. 3 num. 15.* Quem B. Brigida primum Episcopum elegit in civitate sua Kildara. *Caussam vero cur ad urbem Kildariam, muris carentem, sed asyli privilegio cum suis suburbiis ornatam, tanta hominum multitudo concurreret, exponit Cogitosus nu. 39.* Et quis dinumerare possit diversas turbas et innumerabiles populos de omnibus provinciis Hiberniæ confluentes? Alii enim propter epularum abundantiam, alii ad spectaculum turbarum, alii propter sanitates de suis languoribus, alii cum magnis donis et muneribus convenientes ad solennitatem nativitatis S. Brigidæ, quæ in die Calend. Febr. mensis dormiens, secura sarcinam dejecit carnis, et Agnum Dei in cœlestibus mansionibus secuta est.

C

*in urbem excrevit,*

*(ut alia passim)*

*aliunde vivente Brigida*

D

*maxime ob concursus,*

*I Febr.*

35 *Illustrantur quæ de Kildariæ etymo retulimus, ex Vita 1, cap. 6, num. 43, ubi ista habentur*: Ante diem cujusdam solennitatis venit ad S. Brigidam in Cella Roboris una discipularum ejus. *Ea enim est* Kildaria, *sive* Celldara, *id est,* Cella quercus *vel roboris. Nam* Dear, *lingua veteri Scotorum, sive Hibernica, uti pag. 627, tradit Usserius,* quercum *significat. Colganus in recto* Dair *scribi ait, genitivo* Dara. *Vox eadem Bedæ usurpata lib. 3, Ecclesiast. hist. gentis Angl. cap. 4, ubi de S. Columba Huensi agens, ita scribit*: Fecerat autem, priusquam Britanniam veniret, monasterium nobile in Hibernia, quod in copia roborum DEARMACH lingua Scottorum, hoc est, Campus roborum cognominatur. *De hoc monasterio S. Adamnanus in Vita S. Columbæ cap. 3.* Vir Beatus in mediterranea Iberniæ parte monasterium, quod Scotice dicitur Dair-mag, Divino fundans nutu, *et lib. 2, cap. 39, Roboreti campum vocat*: Pergens, *inquit,* per campum Breg, ad monasterium devenit Roboreti campi. *Erat illud in Media, ubi et campus* Breg. *Hæc de nomine* Kildariæ, *quæ et* Dara, *ejusque,* Antistites Darenses *appellantur apud Jacobum Wareum in libro de Præsulibus Lageniæ.*

*Kildariæ etymon:*

*affine aliud nomen*

E

36 *Alia erecta a Brigida, aut certe ejus nutu administrata monasteria sunt. Primum in Media ubi sacrum velum acceperat, uti in 1 Vita refertur cap. 3, num. 16, habebatque illud monasterium, ut num. 22, habetur,* ecclesiam et hospitale. *De eo pluribus agit Dunelmensis cap. 6. Idem fortassis est, in quo, ex Ultonia veniens, habitavit, ut in 4 Vita lib. 2, cap. 6, num. 29, refertur*: Et venit ad campum Breagh in regione Midiæ: et cum ibi habitaret in quadam cella *etc. In eadem Vita lib. 1, cap. 5, numer. 32 ista habentur*: Post hæc exiit S. Brigida cum suis ut peregrinaretur in provincia Conachtorum, nolens habitare in propria terra, id est, in regione Lageniensium: et habitavit ibi in campo Hay, ædificans cellas et monasteria per circuitum. Tunc acceptavit parochiam, quam prophetavit in sua infantia dicens: Meum erit hoc, meum erit hoc. *Refertur ea prophetia cap. 1, ejusdem Vitæ numer. 14 et 1 Vitæ cap. 1, num. 7. Inde in Lageniam reversa Kildaram ædificavit. In Ultoniam postmodum profecta, haud exiguo tempore isthic videtur substitisse: rursusque in Media multa fecisse miracula,* cum ibi habitaret in quadam cella, *ut jam retulimus. In Momonia quoque* mansit cum puellis suis longo tempore, prope mare, *ut lib. 2, cap. 7, num. 40, dicitur. Et num. 43,* cum suis in campum Clioch, in Momonia positum, exivit, et habitavit illic in quodam loco ad tempus. *Tum cap. 8, num. 47.* Multa alia B. Brigida in regionibus Momoniensium fecit, et plura loca et monasteria ibi signavit, *demum cap. 12, num. 84.* Sciens quod tempus et dies remunerationis suæ instabat, et prænoscens spiritu prophetico locum resurrectionis suæ, constituit suam civitatem, et monasterium, et loca quæ erant sub cura ejus per Hiberniam.

*alia Brigidæ monasteria, in Media,*

*Connacia*

F

*Momonia.*

## § VI. *An Glasconiæ habitarit S. Brigida?*

*At dubium est, an Glasconiæ in Britannia, et Abernethi in Scotia aliquando habitarit. Est* Glastonia, *aut, ut multi scribunt,* Glasconia, *antiqua insula in Somersetensi Comitatu, olim* Avallon *Britannice, a pomorum copia,*

*Glasconia et Abernethia*

A *copia, appellata; postea* Inif-witrim, *aut* Inif-gutrim, *id est*, insula vitrea : *Saxones eadem significatione* Glasten-ey, *dixerunt; glas enim vitrum*, ey *insulam significat. At vetustissimum in ea insula monasterium, ubi primi Evangelii præcones cum S. Josepho Arimathensi habitasse feruntur*, Glastenbury, *sive* Glastiberia, *id est* vitrea civitas, *appellatum, in quo, ut Cambdenus, ex omnium fere veterum scriptorum fide fatetur*, vir sanctissimi Deo invigilarunt, et præcipue Hibernici, qui stipendiis regiis alebantur, et adolescentes pietate artibusque ingenuis instruebant. Solitariam enim vitam amplexi sunt, ut majore cum tranquillitate sacris litteris vacarent, et secreto vitæ genere ad crucem ferendam se exercerent.

*multi sancte vixerunt,*

*Ibi aliqui S. Patricius*

38 *S. Patricium ferunt isthic diem obiisse. Ideoque, ut antiquissimus Scriptor Vitæ S. Dunstani apud Usserium pag.* 895 *scribit :* Hibernensium peregrini prædictum locum Glastoniæ, sicut et ceteræ fidelium turbæ, magno colebant affectu, et maxime ob B. PATRICII SENIORIS honorem, qui faustus ibidem in Domino quievisse memoratur. *Quæ alibi disquiremus, an de Magno Patricio accipienda sint, an de* Seniore, *vulgo* Sen-Patrick *dicto, quem idem Usserius ex Connaciensibus Annalibus tradit anno* CCCCLIV *obiisse; an de juniore, quem Jocelinus Magni Patricii filiolum appellat, traditque* post decessum patrui sui Britanniam remeantem in fata concessisse, in Glasconensi ecclesia sepultum honorifice. *At Magnum Patricium isthic sepultum contendunt Glastonienses. Et Wilhelmus Malmesburiensis apud Spelmannum in Apparatu ad Concilia Britannica, inter alia sic scribit :* Requiescit in dextero latere altaris vetustæ ecclesiæ, in pyramide saxea, quam argento vestivit posterorum diligentia. Hinc Hibernensibus mos inolitus, ad exosculandas Patroni reliquias, locum frequentare : unde et S. Indractum et B. Brigidam (Hiberniæ non obscuros incolas) huc olim commeasse, celeberrimus sermo est. Brigida relictis quibusdam suis insignibus (monili videlicet, pera, et textilibus armis, quæ adhuc pro sanctitatis memoria ostentantur, et morbis variis medentur) utrum domum reversa, an ibi acceperit pausam, incertum. Alterum juxta Glasconiam martyrizatum *etc. Dabimus S. Indracti Vitam v Febr.*

*hujus reliquias visit Brigida*

39 *De S. Brigidæ in Glastoniensem insulam adventu scribit anonymus quidam Glastoniensium Chronographus, citatus ab Usserio pag.* 900. An. ab Incarnatione CCCCLXXXVIII S. Brigida venit Glastoniam : quæ in insula juxta Glastoniam, quæ parva Hibernia, et in Anglorum lingua Bryde hay nominatur, multo tempore usque ad senilem ætatem mansit. Sed utrum ibi obierit, vel inde repatriavit, pro certo non habemus. *Alius itidem Glastoniensis scriptor apud Usserium*, Hæc S. Brigida, *inquit*, in quadam insula juxta Glastoniam, ubi erat oratorium in honore S. Mariæ Magdalenæ consecratum, Bekery, sive Parva Hibernia dicta, aliquantulam moram per nonnullos annos traxit. Et relictis ibidem quibusdam suis insignibus, pera, monili, nola, et textrilibus armis (quæ pro ejus sanctitatis memoria ibi ostenduntur et adorantur) Hiberniam rediit, ibique non multo post in Domino quievit, sepultaque est in urbe Dunensi. *Insulam illam, in qua S. Brigida habitasse dicitur, ut habet prior ille scriptor, Angli* Bride-ay, *vel potius* Bride-eye, *id est*, Brigidæ insulam, *appellabant; Hiberni* Bekery, *vel* Beg-ere, *id est*, Parvam Hiberniam. *Alia erat* Beg-ery *vel* Beg-erin, *sive* Parva Hibernia, *insula Comitatus Wexfordiensis, in qua S. Ibarus, sive Hibarus habitavit, ut ex* Vita S. Abbani *refert Usserius pag.* 794 *et* 1062.

40 *Brigidam autem Glastoniæ, et plures quidem annos, habitasse, an dissimulassent Vitæ illius scriptores, qui non modo longinqua ejus itinera, in Ultoniam, Connaciam, Momoniam, sed ad propinquiora etiam Lageniæ, Midiæque loca, tam sollicite executi sunt? An non fortassis ea apud Glastonienses opinio, de Brigidæ penes* D *se commoratione, inde inolevit, quod ejus isthic exstarent reliquiæ aliquæ? An potius de posteriore alia Brigida accipi debet, quod imperite ad illam antiquam, cujus celebrius nomen erat, posteri transtulerunt? Fuit certe Brigida alia in Britannia sed et ipsa Hibernica, de qua in Vita S. Cutberti Lindisfarnensis Episcopi*, ex historiis Hiberniensium translata, *ista refert Usserius pag.* 705. S. Columba, primus Episcopus in Dunkeld, Cuthbertum puerum suscepit; unaque cum puella quadam, nomine Brigida, ex Hibernia oriunda, retinuit, et aliquamdiu educavit. *Alius hic est* Columba *ab Abbate Huensi, alia a Kildariensi Brigida; cum hæc post annum* DCXL *educata a Dunkeldensi Antistite memoretur, annis* XL, *et quod excurrit, post Huensis Columbæ obitum, post Brigidæ centum fere ac viginti. Constat enim ex Bedæ epitome historiæ gentis Anglor. S. Aidanum Ep. Lindisfarnensem anno* DCLI *obiisse, cujus animam ab Angelis in cælum deduci vidit Cuthbertus adhuc adolescens*, remotis in montibus commissorum sibi pecorum agens custodiam.

AUCTORE I. B.

*sed junior,*

*cum S. Cutberto educata post ann. 640*

41 *Eadem Brigida videtur esse, quæ S. Modwennæ sive Monennæ, discipula extitit, et ipsa miraculis clara. Vita tamen Monennæ, quam v Julii ex Capgravio dabimus, correctione haud levi indiget. Cui enim verisimile videatur, Monennam S. Patricii discipulam, aliquot* E *monasteriorum eo vivente conditricem, ac proinde circa annum* CCCCLX, *ut minimum, natam, S. Osithæ magistram extitisse, cum hæc Sighero Orientalium Saxonum Regi qui circa annum* DCLXIV *regnum capessivit, desponsa fuerit? Vult quidem Vitæ illius compilator, Monennam vixisse* CXXX *annos. At neque sic ultra annum* DXC *prorogarit vitam; imo neque ad* DLXV, *si Cælestini Papæ temporibus nata, ut in antiquiore ejus Vita tradere Conchubranum testatur Usserius pag.* 705. *Duæ memorantur* Monennæ, *S. Patricii ævo vixisse : prior ipsiusmet soror* Darerca, *quæ et* Moninna, *S. Melis, de quo* VI *Februarii, et aliorum Sanctorum, mater; altera mentio fit in Vita S. Endei Abb.* XXI *Martii, his verbis:* Hoc in tempore cum S. Darerca Virgo, quæ alio nomine Monynni dicebatur, in monasterio suo, quod Belslebhi dicitur, commoraretur, *etc. Videtur hoc esse monasterium, quod in Vita S. Monennæ apud Capgravium*, a cellis, quæ construebantur in clivo montis, Cellisclinium appellatum dicitur. *Testatur Usserius ejus monasterii Ecclesiam, in Armacano Comitatu sitam, etiamnum* Kil-sleve, *sive* Chelle-sleve, *id est*, Cellulam montis *appellari. Utraque hac Monenna longe posterior ea fuit*, cui tradita fuit Ositha bonis informanda moribus, *ut in hujus Vita* VII *Octobris refertur*, quæque juxta silvam quæ Arderna dicitur duo construxerat F monasteria; unum in loco qui Pollesworth dicitur, aliud in mansione, quæ Streneshal nuncupatur. *Jacet* Arderna *silva (ut eam vocat Vita Osithæ et Usserius*, Arden *Cambdenus) in Boreali tractu Comitatus* Warwicensis : *in qua et* Pollesworth, ubi sacris Virginibus, *inquit idem Cambdenus*, Modwena Virgo Hibernica insigni sanctitatis opinione cœnobium construxit.

*dein discipula S. Monennæ,*

*non S. Patricii coætaneæ,*

*sed quæ S. Ositham instituit*

42 *Quando hæc floruerit Monenna, ex Osithæ ætate colligi debet. Erat hæc* filia Frithewaldi Regis et Wilteburgæ filiæ Pendæ Regis Merciorum. *Penda quinquagenarius anno Christi* DCXXVI apud Mercios Regis nomen præsumpsit, *ut loquitur Malmesburiensis de gestis Reg. Anglor. l.* 1 *cap.* 4, *interiit anno* DCLV. *Wulferus ejus filius, post Peadam fratrem, anno* DCLVII *regni gubernacula suscepit, gessitque ad annum* DCLXXV. *Hujus ergo soror* Wilteburga Frithwaldo *nupta, Ositham ei peperit. Hujus* Frithewaldi Subreguli adminiculo, *ut scribit ad an.* 675 *Wigorniensis, S. Erconwaldus, qui eo anno Episcopus Londinensis est factus, monasterium Certeseiæ, quod ante episcopatum fundarat*, opulentia rerum et monachis implevit. *De eodem S. Erconwaldo, sive Erkenwaldo (de quo nos* XXX *Aprilis) Malmesburiensis lib.* 2 *de gestis Pontif. Anglor.*

*filiam Frithewaldi Subreguli*

*circa ann. 670 florentis.*

Fecit

A Fecit duo monasteria, unum sibi, alterum sorori, *S. Ethelburgæ, de qua* XI *Octobris.* Suum Certesiæ dicitur, quod per adminiculum cujusdam Fritwoldi, qui sub Wiferio Subregulum agebat, opulentia rerum et monachis implevit. *Hic igitur Frithwaldus Osithæ parens, Wlferio regnante, vixit.* Eodem tempore, *inquit, Beda lib. 3 cap.* 30 provinciæ Orientalium Saxonum, post Suithelmum, præfuere Reges Sighere et Sebbi, quamvis ipsi Regi Merciorum Vulfere subjecti. *Hic Sighere, sive Sigerus, Malmesburiensi* Sigherius, *Sigberti Parvi filius, Sewardi nepos, anno* DCLXIV, cum provincia mortalitatis clade premeretur, cum sua parte populi, relictis Christianæ fidei sacramentis, ad apostasiam conversus est, *inquit iisdem Beda.* Quod ubi Rex Wlfere comperit, fidem videlicet provinciæ ex parte profanatam, misit ad corrigendum errorem, revocandamque ad fidem veritatis provinciam Jarumannum Episcopum... .. qui multa agens solertia... longe lateque omnia pervagatus, et populum et Regem præfatum ad viam justitiæ reduxit. *Malmesburiensis Episcopum hunc Jerumannum vocat. Decessor is fuit S. Ceadæ Episcopi Lichfeldensis.*

*[illegible]*

*Sighero Regi Orient. Saxonum,*

*anno 664 relapso ad idola,*

*sed mox converso,*

43 Post decessum autem S. Modwennæ, B. Ositha (*ut in hujus Vita habetur*) ad parentes, *Frithewaldum Subregulum, et Wilteburgam Wlferii Regis sororem,* reducta, virtute et moribus quotidie proficiebat. B Cumque ad nubiles pervenisset annos, Rex Orientalium Saxonum Sigerus, parentes puellæ sollicitans, Virginem sibi petiit in conjugem dari. *Quæ quamvis* renitens et invita, nuptiis regali apparatu instructis, Regi illi tradita est. *Et cum multis diebus laudabili* quadam fallacia, et multarum occasionum opportuno prætextu, Regis desiderium repressisset; *tandem ab* Ecca ac Bedwino *Orientalium Anglorum Episcopis religionis habitum velumque accepit. Malmesb.* Baldwino et Heta *eos appellat, Beda lib.* 4, *c.* 5 *Ecci et* Badwine. *Wigorniensis hos anno* DCLXXIII *ordinatos scribit. Unde corrigas quod in Vita S. Osithæ habetur, eam anno* DCLIII *a piratis Danis interfectam : cum vix nata ante eum annum fuisse videatur.*

*circa ann. 673 desponsata*

*tum Deo consecrata,*

44 *Ex his patet S. Modwennam, Osithæ magistram, post annum Christi* DCLX *decessisse, cum necdum ad nubiles annos Ositha pervenisset; et adhuc in vivis esset Columbillus, sive Columba, Dunkeldensis Episcopus, qui ortum de ejus sepultura controversum diremit. Hujus Monennæ discipula fuit* Brigida, *ut diximus; ea verisimiliter, quæ ab eodem Columba educata. Hæc magistram, monasteria sua revisentem, comitata legitur; ipsaque* C cœnobio constructo multarum Virginum Mater effecta, *quibus vestes divinitus Monenna impetravit, cum* flante Borea nimio frigore attritæ in orationibus devotis pervigilarent. *Hæc igitur videri potest ad Glastoniam aliquamdiu commorata, sive dum juxta Ardennam silvam, in Warwicensi Comitatu, Monenna degebat, ut supra num.* 11 *dictum, sive dum in Trentæ insula morabatur, aut in ditione erat Occidentalium Saxonum, in qua et Glastonia. Neque illud cassum observatione, quod cum plurimi Hibernenses* urbem Glastoniam orationis ac devotionis gratia peregrini crebro visitare solerent, *SS. Indractum et Brigidam Malmesburiensis supra num.* 38 *retulit; quasi junctim annotatos in antiquis schedis reperisset, qui eodem fere tempore illuc venissent : atqui Indractus, ut suo loco dicemus, eo venit tempore B. Inæ Regis qui, Cedwalla Romam profecto ad Occidentalium Saxonum principatum vocatus est, initio anni* DCLXXXIX. *Plane igitur æquales Brigida illa et Indractus.*

*S. Brigida, monasterio præfecta,*

*aliquamdiu Glastoniæ commorata.*

## § VII. *An Abernethi apud Pictos habitarit S. Brigida?*

Nunc de Aberneto quærendum. Strath-Erna *est Scotiæ provincia, ab Erno amne nomen adepta : Britannorum cum veteri lingua, ut auctor est Cambdenus,* Straith-Ern, Convallem ad Ernum *significat. Oritur* D Ernus *e lacu ejusdem nominis, ac Tao, sive Tavo, aquas admisit, fluminum totius Scotiæ maximo. Ubi jam spatiosior versus mare devolvitur* Taus, *in dextra ripa* Aberneth, *sive* Abernethy suspicit, Pictorum olim regiam, et civitatem frequentem, *ubi idem habet Cambdenus. Hic habitasse Brigidam tradunt rerum Scoticarum Scriptores, sed ambiguis verbis, quæ fideliter referemus, ut perspicuum fiat, in Seniorem Brigidam illa, ut volunt, minime convenire. Nam quod Dempsterus in Parecbasi et Camerarius seniorem Brigidam scribunt isthic obiisse, non probant. Leslæus, quem citant, solum habet, Scotos corpus ejus* in Canonicorum collegio Abrenethi recte se colere hactenus putasse. *Hector Boethius lib. 9 de ea scribit :* Defungitur tandem vita post plurima miræ sanctitatis opera, duodevicesimo Conrani Regis anno. Cujus corpus ab Hebridibus in Dunum (oppido est nomen in Hibernia) ferunt delatum : ac eodem loco cum Patricio Hibernicorum Apostolo sepultum. Nostrates (nam et hi eumdem honorem sibi vendicant) Divæ Brigidæ funus Abirnetho (aliud tum loco nomen fuit) in templum ornatissimum Canonicis et Presbyteris ad Divina exequenda institutis, ejus nomen dicatum, elatum constanter asseverant. *Verum unde accepit Hector,* E *aliud tunc Abernetho nomen fuisse?*

*S. Brigida Abernethi habitat, urbe regia Pictorum,*

*ubi et sepulta.*

46 *Joannes Major lib.* 2 *cap.* 14 *ita scribit :* Ad Britanniam S. Columba venit Brudeo potentissimo Rege apud Pictos regnante. Brudeo Garnard, filius Dompnach, successit, qui ecclesiam collegiatam de Abirnethya extruxit; postquam S. Brigidam B. Patricius in locum introduxit. Hic Rex Beatæ Virgini, et B. Brigidæ cum novem Virginibus, quæ cum ea venerant, possessiones obtulit, quas Præpositus et Canonici habent. In illa tempestate Abirnethyæ Episcopalis Sedes fuit, et Pictorum regia. Aliqui eam ante Dunkeldensem Ecclesiam XXVI annis, et novem mensibus, constructam referunt : aliqui CCXLIV annis. Sed ne incertum pro certo ponam, illic dubitative procedo. *Hæc Major ex Scotichronico Forduni, cujus verba recitat Usserius pag.* 712 *Sed perperam a S. Patricio inductam Abernethum Brigidam volunt sub Brudei Regis successore. Venit enim in Britanniam S. Columba, ut scribit Beda lib. 3 cap.* 4 anno Incarnationis Dominicæ DLXV, regnante Pictis Bridio (*sive* Brudeo) filio Meilochon, Rege potentissimo, nono anno regni ejus. *Atqui jam* LXX *anni fluxerant a S. Patricii obitu, a Brigidæ* XL. *Alia igitur inducta Abernethum Brigida est, a quocumque demum Antistite. Nec* F *illud excusabile mendum, quod corrigere Major ausus non est, nec probare voluit, de Dunkeldensi Ecclesia* CCXLIV *annis post Abernethensem condita. Nam si hujus initium statuamus circiter annum* DC, *post Brudei Regis obitum, consequens esset Dunkeldensem constructam esse circiter* DCCCXLIV, *quando jam Pictorum eversum erat regnum. Quid si ergo non nisi circa annum* DC *(nam eo tempore Garnardus regnarit) condita illa est ecclesia? Atqui jam ante docuimus, paullo post annum* DCXL *Dunkeldensi Ecclesiæ præfuisse Episcopum S. Columbam, sive Columbillum. Est autem Dunkelde Scotiæ urbs Episcopalis ad Taum amnem in Perthia provincia, quam* Castrum Calidoniæ *olim dictum Hector asserit.*

*ibi a Garnardo Rege excepta,*

47 *Quas novem Virgines S. Brigidæ socias supra ex Major retulimus, eas Fordunus apud Usserium pag.* 712 *ait,* infra quinque annos decessisse, et ex parte Boreali dictæ ecclesiæ esse sepultas. *Eas sub finem septimi Christiani seculi ac principium octavi, Scotis in Britannia imperitante Eugenio* VII, *Garnardo Pictis, floruisse Boethius lib.* 9 *fol.* 180 *ita narrat :* Vivente autem Eugenio VII valuit plurimum ad commovendos ad pietatem homines Donevaldi Scotici sanguinis viri sanctitas, qui in solitudine Owgilluy, sex prope passuum millibus ab Alecto oppido, inter Pictos vitæ sanctimonia insignis vixit. Huic novem erant filiæ

*circa ann. 700.*

*cum 9 Virginibus.*

Mazotæ

A Mazotæ majori nomen, Fincanæ alteri : ceterarum nomina vetustas abolevit. His arctissima vita degentibus panis ordeaceus cibus fuit, et aqua potus : semelque dumtaxat in die exiguo reficiebantur cibo, perpetuæ fere orationi, aut rei rusticæ, quo tenuem vitam sustentarent, deditæ.... Post exstinctum patrem, Virgines (nam mater multo ante fatali morte decesserat) haud tutum ratæ solitudinem sine castitatis custode inhabitare, Garnardum Pictorum Regem adeuntes, habitandi locum quærunt, ut Christo, cui tenera ab ætate virginitatem sacraverant, a virorum semotæ consortio, liberius servirent. Rex piis Virginum postulatis annuens, structas Abernethi ædes cum oratorio, reditusque ex proximis agris ad sumptus eisdem libere erogavit : ubi post religiosam Deoque gratissimam vitam exactam beato fine quiescentes, ad immensæ quercus radicem sunt sepultæ. Ostenditur locus etiam hac nostra ætate, Christiano populo illuc religionis caussa confluenti in mula habitus veneratione. Erat id temporis Abbernethi Pictorum oppidum, nomine Otholiniæ, numerosissimum, primaria illius gentis Episcopi Sede honestarum : sed dirutum incensumque postea, præter Divorum templa ac Sacerdotum ædes, Scotorum, cum Picticam B gentem exitio darent, armis et flammis; usque adeo ut nunquam ad pristinum decus redierit et ornamentum. Præfatas in eo oppido novem Virgines non sub Regis Conrani regno cum Diva Brigida (uti vulgaris est opinio) sed Eugenii VII tempore claruisse scribunt nostrarum rerum præstantes auctores.

*quæ ab eremo*

*Abernethum venerant,*

48 *Hactenus Boethius : e quo patet Garnardum non proxime Bruideo successisse, sed centum post annis, deinde vulgarem opinionem fuisse, cum Hector scriberet ante* CXXII *annos, novem illas S. Donevaldi filias eo regnante Abernethi habitasse cum S. Brigida; non Lageniensi illa, sed longe juniore, licet eas imperiti fortasse confunderent. In Breviario Aberdonensi anno* MDX *excuso, ad diem* XXIII *Decembris Vita habetur S. Mazotæ harum sororum natu maximæ, in qua dicitur,* Pictorum Rex inclytus Granerdus filius Domath, *B. Brigidæ consanguineæ suæ precibus victoriam de hostibus retulisse, eamque Abernethum evocasse ex Hibernia (quo fortassis post S. Monennæ decessum abierat) et* Abernethy, quæ non longe a Tagi fluvio, ejusdem parte Australi sita, omnipotentis Dei honori, et intemeratæ Virginis Mariæ, basilicam construxisse : in qua, prædicatione B. Brigidæ et suarum Virginum, ad Christi fidem Præfatus Rex cum omni sua familia C baptizati sunt. *Quæ hyperbolice videntur dicta, quia Rex, earum fortasse suasu, Romanum Paschæ celebrandi canonem, a quo antea Picti et Scotorum plerique abhorrebant, susceperit : quem Naitanus, sive Nectanus, ejus successor, per universas Pictorum provincias observari curavit, uti Beda lib.* 5 *cap.* 22 *testatur. In eodem Breviario mortua dicitur* Mazota *anno Christi* DCCXVI. *At* XV *Julii ibidem ista habentur :* Sanctarum IX Virginum filiarum S. Donaldi in Scotia, sub Rege Eugenio VII an. DCCXII vel DCCXVI.

*diversa a Lageniensi Brigida*

*Garnardi consanguinea,*

*cui et victoriam obtinuit,*

*et prædicatione persuasit*

49 *De iisdem Virginibus agit Leslæus in Eugenio* VII, *quem* Abirnethi mortuum *scribit,* XVIII regni sui anno, qui nostræ salutis DCCXVI fuit : *cum scilicet,* regnante Garnardo, (*ut scribit Boethius*) qui cum tantisper dum viveret fœdus habuit et societatem, sanctissimum Virginum cœtum invisens, opimis donariis donavit. *Garnardi successor Nectanus, ut in antiquo fragmento legisse se Cambdenus testatur pag.* 703. Aberneth Deo et Brigidæ dedit usque ad diem judicii, cum suis finibus, qui positi sunt a lapide in Abertrent, ad lapidem juxta Carful, id est, Loghfol, et inde usque ad Ethan. *At si cui Scotorum hæc nostra minus probabitur de juniore Brigida conjectura, dicemus, quæ memorati Reges donarunt, ea senioris consecrata memoriæ esse, allata etiam fortassis eo reliquiarum illius parte aliqua.*

*Nectanus ha c Abernethum et donat*

## § VIII. *Quando obierit S. Brigida?*

A

**H***actenus de S. Brigidæ domiciliis, nunc ubi et quando obierit, inquirendum. De anno obitus plures invicem discrepantes scriptorum sententias recenset Usserius, ex eoque Colganus. Sunt autem tres præcipuæ : alii enim anno Æræ vulgaris* DXVIII. *Justini senioris I volunt decessisse, ita Vitæ 4 Auctor, ut infra ostendemus, Sigebertus Gemblacensis in Chronico, Constantius Felicius. Alii anno* DXXI, *Marianus Scotus, Florentius Wigorniensis, ac recentiores complures. Alii denique* DXXIII, *Usserius, Colganus, atque ab his citati. Quatuor afferuntur ab iis characteres Chronologici : primus, quod annis* XXX *S. Patricio supervixerit. Ita 4 Vita lib.* 2, *cap.* 12, *nu.* 82. Ætatis suæ anno LXXX, anno vero XXX post obitum S. Patricii Archiepiscopi.... felicissime abiit, *et nu.* 81. Iter faciens, benedicebat totam Hiberniam ex omni parte, sicut præcepit S. Patricius Episcopus moriens, et dicens : Per triginta annos B. Brigida post mortem meam benedic Hiberniam. *Citat Usserius pag.* 883 *Testamentum S. Patricii, in quo eadem Brigidæ Sanctus prædicit præcipitque. Atque hanc etiam Notam sequuntur quotquot S. Brigidæ obitum consignant anno* DXXI, *statuunt enim S. Patricium anno* CCCCXCI *decessisse, primo Anastasii Imperatoris.* B *Probare eorum calculum videntur plurimi, qui S. Patricium scribunt annos* LX *natum venisse in Hiberniam, eamque totidem annis excoluisse. Cum autem a S. Cælestino Papa, qui decessit* VI *Aprilis* CCCCXXXII, *illuc sit missus, necesse est id anno* CDXXXI *contigisse.*

*Brigida senior obiisse dicitur an.* 518 *vel* 521

*vel* 523.

30 *annis post S. Patricium.*

51 *Qui quartam Vitam S. Brigidæ scripsit, eamdem secutus est computationem etsi, in nonnullis sive ipse, sive qui exemplar, quo nos usi sumus, quoque Usserius, transcripsit, hallucinetur. Ita enim habet :* Post breve spatium temporis, inter multitudinem Sanctorum, ætatis suæ anno LXXX, anno vero XXX post obitum S. Patricii Archiepiscopi, regnante in Themoria regnum Hiberniæ Murchiartach Mac-Erc, cui successit in regno Tuatal Moelgarbh, primo autem anno regni Justiniani Imperatoris, sedente in Sede Apostolica Papa Hormisda, anno quoque ab Incarnatione Domini DXLVIII, visitantibus eam Angelis Dei, felicissime obiit. *Primum in annis Christi manifestum est mendum; neque enim ad annum* DXLVIII *pervenit S. Hormisda Papa, qui, ut habetur in libro de Romanis Pontificibus,* sepultus est in basilica B. Petri Apostoli VIII Idus Augusti, consulatu Maximi, *sive Christi anno* DXXIII. *Restituendum igitur* DXVIII, *sicque congruet cum Sigeberto. Anno porro* DXVIII *Christi,* IX *Julii Imperium suscepit* Justinus, *non* Justinianus, *qui anno demum* DXXVII *avunculo successit. Idem annus* DXVIII, *quartus erat Hormisdæ, Senatore Cos. id est, anno Christi* DXIV *electi; sextus vero* Muircheartaci, *sive* Murchertaci, *filii Ercæ, Regis Hiberniæ, cui anno* DXXXIV Tuathal Melgarb *successit, uti ex annalibus Hibernensibus tradit Usserius pag.* 947. *De* Tuatalo *Rege, cujus hic mentio fit, agitur in Vita S. Finani Ep.* IX *Septembris.*

C

*Error 4 Vitæ S. Brigidæ emendatus.*

52 *Cur iis qui S. Patricium anno* CCCCXCI *obiisse scribunt, minime astipuletur Usserius, rationem affert, quod feria quarta natus, baptizatus, mortuus vulgo credatur S. Patricius : in quam feriam dies* XVII *Martii eo anno non incidit, sed anno* CCCCXCIII, *cum littera Dominicalis erat C. Verum ea ratio contra quartæ Vitæ scriptorem non pugnat, cum is obiisse S. Brigidam tradat anno* DXVIII, XXX *post S. Patricium, quem proinde anno* CCCCLXXXVIII *decessisse statuet, quo anno littera Dominicalis C fuit, dies* XVII *Martii feria* IV. *Nullum horum characterum observasse Sigebertus videtur, cum anno* CCCCXCI *obiisse Patricium velit, Brigidam* DXVIII, XXVII *dumtaxat post eum annis. Alii eodem anno* DXVIII *Brigidæ obitum referentes, alia ducuntur ratione : volunt enim* LX *annis Patricio superstitem fuisse; nam quod in Hibernicis annalibus legitur an.* CCCCLVIII Senem Patricium

*S. Patricius obiit an.* 493 *feria 4.*

cium *quievisse, id ipsi de Magno Patricio perperam interpretati, quod inter utriusque decessum statuitur* XXX *annorum intervallum, vitiatum existimarunt, restitueruntque* LX. *Sed de S. Patricio, quem plures ab Usserio p.* 881 *citati anno* CCCCXCIII *obiisse volunt, agemus* XVII *Martii.*

53 *Alter Brigidæ obitum indicans character refertur a Colgano append. 4 ad ejus Vitam cap. 7, quod nimirum ipsa quoque in Roscreensibus, quos citat, Annalibus, inque Hibernice scripta Vita, dicatur feria quarta velo sacro amicta, eademque obiisse. At Kalendæ Februarii, quo die ejus obitum et Vitæ Scriptores et Martyrologia omnia statuunt, neque* DXVIII *neque* DXXI *Christi anno in quartam feriam inciderunt, sed* DXXIII, *cum littera Dominicalis A esset. Neque ille character, si verus est, in alium propinquum annum quadrat, præterquam* DXVII *et* DXXXIV *qui a veteris ab auctore quartæ Vitæ relatis nimium recedunt. Colganus male calculum ponit, cum* DXXVIII *Kalendas Februarias in feriam quartam putat incidisse, quæ in tertiam inciderunt. Quartus character obitus S. Brigidæ statuitur a quibusdam, quod quadriennio postquam natus erat S. Columba, illa decesserit. Confirmat eum characterem Colganus, refellit Usserius: nos ad ejus Vitam* IX *Junii expendemus.*

54 *Probabilius igitur est anno* DXXIII, *Kalendis Februarii, feria quarta,* XXX *post S. Patricii obitum annis, decessisse Brigidam. At quo suæ ætatis anno?* LXXX, *inquit quartæ illius Vitæ auctor. Usserius pag.* 884 *antiqua secutus Chronica, uti Martyrologia vetustissima Colganus, putant non nisi* LXX *fuisse annorum, ut proinde anno* CDLIII *nata fuisse videatur.*

## § IX. S. *Brigidæ sepultura. Translatio.*

Quæ *Glastoniæ asservari S. Brigidæ reliquiæ olim ferebantur, quæque Abernethi, diximus § 6 et 7 alterius Brigidæ, annis prope ducentis posterioris: Garnardi Pictorum Regis consanguineæ, videri fuisse: aut si hujus nostræ Lageniensis fuerunt, eo postea deportatas ex Hibernia e qua pedem extulisse Vitæ scriptores cum non memorent, nedum alibi mortuam. Nam quod ab Hebridibus (quasi ibi mortua sit) Dunum translatam Berthius, supra § 7, nu. 45 citatus, refert, nullo antiquioris scriptoris testimonio probat.*

non est Glastoniæ sepulta

56 *Kildariæ mortuam innuit Cogitosus cap. 8, nu. 37. Isthic certe sua ætate corpus ejus religiose custoditum tradit:* In qua *inquit, (Kildariensi ecclesia)* gloriosa amborum, hoc est, Archiepiscopi Conlei et hujus Virginis florentissimæ Brigidæ, corpora a dextris et a sinistris altaris decorati, in monumentis posita, ornatis vario cultu auri et argenti et gemmarum pretiosi lapidis, atque coronis aureis et argenteis desuper pendentibus, ac diversis imaginibus, cum cælaturis variis et coloribus, requiescunt.

57 *Postea Dunum deportatæ S. Brigidæ reliquiæ sunt, unaque cum SS. Patricii et Columbæ corporibus conditæ tumulo, cui hoc inscriptum fuisse distichon testatur Silvester Giraldus Topogr. Hibern. dist. 3, c. 18.*

In burgo Duno, tumulo tumulantur in uno
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

*Cambdenus initium ita effert:* Hi tres in Duno, *etc. Est autem Dunum, ut idem ait,* vetustæ sane memoriæ oppidum, *Sede Episcopali insigne, in Orientali Ultonia. Memoratum Ptolemæo Δοῦνον inter mediterranea Hiberniæ oppida; hoc ipsum fortasse, situ non suo. Id alio olim nomine appellatum, dein S. Patricii arce* Dundalethglas. *In S. Fieci Ep. hymno de Vita S. Patricii, stropha 22, et in Vita ejusdem tertia apud Colganum cap. 88 et 91* Dunlethglaisse. *In 4 Vita apud eumdem cap. 91* Castrum Lethglasse. *In Vita S. Columbæ per Magnum O Donellum lib. 1, cap. ultimo* Dundaleathglas. *In prima Vita S. Brigidæ cap. 9, nu. 56* Lethglasse, *et* Ladglaisse; *inque aliis MSS. ut ibi diximus,* Ledchladus, *et* Lechtadus. *Nominis originem indicat Jocelinus in Vita S. Patricii cap. 38. Cum enim Loegarius Hiberniæ Rex, obsides Dichui viri principis, quod eum audisset Christi fidem suscepisse, jussisset sibi enecari;* orante Patricio, Angelus adveniens, de domo carceris et de manu inimici eos liberavit. De loco namque, in quo carcerati tenebantur, a Dunensi civitate distante dieta prægrandi, per aeris vasta, sicut olim Habacuc Prophetam illos transportans, unum illorum in loco, ubi nunc Dun ædificata est ecclesia S. Patricii; alterum in monticulo vicino, circumcluso palude pelagi, dimisit: et catenas, quibus vinculati erant, separatim confregit: uterque vero locus usque in præsens a catenis confractis vocabulum, scilicet Dun-da-leath-glas, est sortitus. *Significant voces Hibernicæ, inquit Colganus,* Dun *arcem,* da *duo,* leth *medium,* glas *catenam, seram, compedem.* Dundalethglas *igitur est,* arx duarum mediarum cathenarum, *sive* compedum.

(Dundaleth glas olim appellatum) — ex prodigioso eventu

58 *Auctor Vitæ 4 S. Brigidæ lib. 2, cap. 12, nu. 82 vult eam isthic primitus sepultam fuisse:* Et veniens, *inquit,* Sanctissima in Aquilonalem plagam Hiberniæ, videlicet in provinciam Ultorum, Brigida, illico doloribus correpta est, et post breve spatium temporis,... felicissime obiit: et sepulta est in gloria et honore, in uno sepulchro cum Beatissimo Patricio Archiepiscopo, secundum voluntatem eorum, in civitate posita in regione Ultorum prope mare, nomine Dun-dalethglas: quæ priscis temporibus Aras Kealtuir, filii Cuitheachyr, Comitis Regis Ultorum Conchubhair, filii Nessa, vocabatur. *Colganus in Indice legit,* Aras-Kelchuir; *in Vita* Kealtuir. *Usserius pag.* 888. Arascealtair. *Probabilius est, Kildariæ sepultam fuisse, ibique seculis aliquot asservatas reliquias; Dunum postea, munitam urbem, asportatas. Idem evenit S. Columbæ Abbatis reliquiis, quas sub initium noni a Christi exortu seculi, in Iona insula adhuc fuisse, patet ex Vita S. Blaithmaci, quam a Walafrido scriptam* XIX *Januarii dedimus, in qua ista habentur:*

Insula Pictorum quædam monstratur in oris,
Fluctivago suspensa salo, cognominis Eo,
Qua Sanctus Domini requiescit carne Columba,
Hanc petiit voto patiendi stigmata Christi:
Illic namque frequens pagana caterva Danorum
Adventare solet, furiis agitata malignis.

*Ac post multa:*

Et reliquis rabida sociis feritate peremptis,
Ad sanctum venere Patrem, pretiosa metalla
Reddere cogentes, queis Sancti sancta Columbæ
Ossa jacent, quam quippe suis de sedibus arcam
Tollentes tumulo terra posuere cavato,
Cespite sub denso, gnari jam pestis iniquæ.

59 *Ea Danorum in Hiberniam vicinasque insulas irruptio ante annum Christi* DCCC *est cœpta, uti Usserius testatur ex Cambrico quodam Chronico, in quo ad annum* DCCXCV *dicuntur* maximam Hiberniæ partem populati, Rechreyn quoque vastasse. *Est hæc una ex Hebridibus, sive Ebudis, exigua et Hiberniæ propinqua insula, quæ vulgo* Racline, *teste Cambdeno, Ptolemæo* Ῥικίνα, Rhicina, *Plinio, lib. 4, cap. 16* Ricnea; *S. Adamnano lib. 2 vitæ S. Columbæ cap. 41* Rechrea, *aliis alio, nomine appellatur. Quæ ab his Gentilibus per annos centum ac quinquaginta perpessi sint Scoti ac Hiberni, recenset ex variis annalibus Actisque Divorum idem in Indice Chronologico Usserius. Urbis cœnobiique Kildariensis clades enumerat in Chronico Kildariensi, Colganus, append. 5 ad Vit. S. Brigidæ cap. 2. Pauca delibabo. An.* DCCCXXXV. Kildaria per Northmannos de Inbher-dega spoliata, et ecclesia media ex parte flammis absumpta. *An.* DCCCXXXVI. Classes Northmannicæ, altera triginta navium ad Liffeum amnem, altera per Boinnium fluvium appulsa, campum Liffe et campum Bregh; omnesque per eos tractus Ecclesias et conventus, magnates et mediocres, abactis gregibus et armentis, despoliarunt. *An.* DCCCLXXXIII. Kildaria a Northmannis expilata. *An.* DCCCLXXXVII

populantibus Hiberniam Northmannis

Killdaria

A Killdaria a Northmannis vastata. DCCCXCV Killdaria ab eisdem expilatur. CMXXIV Kildaria primum a Menapiensi, seu Waterfordiensi; deinde a Dubliniensi Northmannorum colonia expilata. *Plures ejusmodi et urbis et provinciæ expilationes, incolis ad tutiora loca confugiendi, secumque Sanctorum exuvias asportandi ansam præbuerunt.*

60 *Porro cum in eodem Chronico ad annum* DCCCLXIII *dicatur* S. Kellacus, Alillæ filius, Abbas Kildariensis et Hiensis, obiisse in regno Cruthniorum, seu Pictorum, *haud levi ducor conjectura, ab eo, aut certe ejus tempore, ab alio quopiam, et S. Brigidæ Kildaria, et S. Columbæ ex Iona, sive Hii monasterio, Dunum delatas esse reliquias, ibique in S. Patricii tumulo conditas : quod a S. Brigida olim prædictum fuisse idem quartæ illius Vitæ scriptor testatur lib. 2, cap. 5, nu. 25.* Et dixit ad S. Patricium *Brigida*: De uno sepulchro ego et tu, Pater, et dilectus Dei S. Columba (qui natus non fuit) resurrecturi sumus. *Et S. Columbæ quidem longo post tempore isthuc allatas reliquias, ibidem fatetur.* Ad arcem Leathglasse, *inquit*, (ubi sepultus est ipse S. Patricius, et B. Brigida, et reliquiæ beatissimi Abbatis Columbæ post multos annos collocatæ in uno sepulchro) exiit. *Auctor, quod Duni conditam audiret, ac miraculorum fortassis fama celebrari,* B *legeretque viventi divinitus olim innotuisse, isthic S. Patricium seque tumulandos, id evenisse simul atque e vita excesserunt, putavit : præsertim cum Kildariæ absumpta flammis veteri ecclesia, nullum sepulchri ejus vestigium extaret, habitationis sola superesset memoria, et annosæ quercus (ad quam primum cellam fundarat) vetus jam truncus. De S. Patricii prima sepultura (nam ea quoque in controversia versatur) ad* XVII *Martii; de S. Columbæ Abbatis ad* IX *Junii agemus.*

*ut ipsa prædixerat,*

## § X. *S. Brigidæ inventio, secunda Translatio: tertia quartaque capitis.*

*ubi ejus et SS. Patricii et Columbæ corpora inventa,*

Annis dein labentibus in hoc sacrorum corporum thesauro venerando pietas accolarum, ipsorumque Dunensium civium, videtur refrixisse : ignorata certe sepultura fuit; tandemque non sine cælesti prodigio patefacta anno* MCLXXXV. *Inventionis hujus tempus modumque indicat Silvester Giraldus Typograph. Hibern. dist. 3, cap. 18 ita scribens :* Fuerant autem contemporanei Patricio S. Columba et S. Brigida : et apud Ultoniam in eadem civitate, Dunensi scilicet, ipsorum trium corpora sunt recondita. Ubi et his nostris temporibus, anno scilicet quo Dominus Comes Johannes primo C in Hiberniam venit, quasi in spelunca triplici, Patricio in medio jacente, aliis duobus hinc inde: Joanne vero de Curci tunc ibidem præsidente, et hoc procurante, tres nobiles thesauri, Divina revelatione inventa sunt et translata.

*Hibernia universa ab Anglis occupata,*

62 *Occupaverant Angli non ita pridem Hiberniam, partim Dermitii Lageniæ Regis restituendi prætextu, partim (ut ad Adrianum Papam jam antea Henricus II scripserat)* ad subdendum populum legibus Christianis, et vitiorum inde plantaria extirpanda. *Ac Dunensem quidem civitatem, vicinumque Ultoniæ tractum anno* MCXXVII *Joannes Curcius subjugarat, Rege Roderico Dunlevio acie victo. Henricus Rex Angliæ, qui Octobri mense anni* MCLXXI *Hiberniam ipsemet adierat, eratque ab Antistibus ac Principibus* in Regem ac Dominum receptus, *Joannem Moretonii Comitem, filium suum, ad stabiliendam insulæ possessionem eo misit, anno* MCLXXXV. *Ita Rogerius Hovedenus :* Deinde Dominus Rex venit usque Windeshoveres, et ibi in Dominica qua cantatur LÆTARE JERUSALEM, quæ illo anno pridie Kalendas Aprilis evenit, fecit Johannem filium suum Militem, et statim misit eum in Hiberniam, et inde eum Regem constituit. *Incidit eo anno Pascha in* XXI *Aprilis, eratque littera Dominicalis F, quæ omnia cum characteribus Chronologicis ab Hovedeno indicatis congruunt,*

*ad quam regendam missus an. 1185, Joannes Henrici II filius.*

*cumque eo quod idem subdit :* Contigit terræmotus in D crastino diei Dominicæ in Ramis palmarum, videlicet XVII Kalendas Maii. *Breviter expeditionem illam Joannis exponit Matthæus Paris :* Eodem anno, *inquit*, Joannes filius Regis, a patre militaribus accinctus armis, apud Wyndeshoram, pridie Kalendas Aprilis, in Hiberniam transfretavit. *Fusius qui Joannem, veluti adolescentiæ ejus moderator, comitatus est, Silvester Giraldus Hibern. expugnatæ lib. 2, cap.* 31.

63 *Eo igitur anno SS. Patricii, Brigidæ, Columbæ reperta corpora sunt. De iis Ranulphus Cestrensis lib.* 5, *cap.* 3. Cujus (*Patricii*) contemporanei fuerunt Abbas Columba qui et Columkillus, et S. Brigida, quam Patricius velavit, quæ et supervixit eum LX annis. Hi tres apud Ultoniam in eadem urbe Dunensi, quasi in spelunca triplici sunt sepulti : quorum corpora primo anno adventus Domini Johannis, filii Regis Henrici II, in Hibernia sunt reperta. In quorum tumba isti versus sunt inscripti : Hi tres in Duno etc. *Quod* LX *annis post Patricii decessum supervixisse Brigidam ait, id supra diximus ab iis traditum, qui cum S. Patricii Senioris mortem ad annum* CDLVIII *consignatum legerent, id de Magno Patricio accepere. Quamquam in Ranulphi exemplari, perspicuum est* LX *pro* XXX *incuria librarii scriptum fuisse; cum lib.* 5, *cap.* 4 *decessisse Patricium scribat anno primo Anastasii Imp.* E *qui fuit Christi* CCCCXCI. *De Brigida vero scribat cap.* 5, *ad annum* DXXI. Hoc anno sancta Virgo Brigida obiit in Hibernia. *Neque recte ab Giraldo ac Ranulpho contemporaneus S. Columbæ statuitur S. Patricius, qui* XXVI *annis prius, quam ille nasceretur, vita functus est,* CXX *natus annos.*

*quando inventa corpora,*

64 *Historiam Inventionis, ex veteri officio Ecclesiastico illius diei, Lutetiæ an.* MDCXX *cum aliis excuso, recitant Usserius et Colganus; quam et hic visum est dare :* Gloriosorum Hiberniæ Patronorum, Patricii Archiepiscopi, Hiberniæ Primatis et Apostoli, atque S. Columbæ Abbatis, et sanctæ Virginis Brigidæ, Translationem dignis laudibus recensentes, piæ mentis celebremus affectu. Fertur enim quod tempore conquæstus Hiberniæ per Anglicos, fuit quidam Malachias, vir magni meriti et sanctæ vitæ ac conversationis, Dunensis Episcopus, ubi corpora prædictorum tunc sepulta fuerunt. Episcopus iste sedulo orationibus insistens, Deum quasi quotidie deprecatus est, ut ostendere sibi dignaretur, ubi tam pretiosus thesaurus, Reliquiarum videlicet dictorum Sanctorum, absconditus esset, et ut suo tempore manifestaretur. Et cum nocte quadam instantissime in ecclesia Dunensi sic oraret, vidit quasi radium solis per ecclesiam, et usque ad locum sepulturæ dictorum sanctorum corporum perlustrantem. F

*Malachiæ Ep. tunc ea lestu ostensa*

65 De visione prædicta Episcopus multum exultans, intensius orabat ne radius ille discederet, quousque Reliquias absconditas inveniret. Et tunc inde exsurgens, adeptisque necessariis, terram irradiatam adiit; ibique effodit, donec ossa trium corporum prædictorum inveniret. Et super quæ radius ille irradiabat, illa in tabulis separatim inserebat, et illa sic tabulata ibidem sub terra reponebat. In illo tempore præsidebat in Ultonia Miles magnæ probitatis, Joannes de Courci, conquæstor illius patriæ, qui multum Deo et ejus servitio deditus fuit : cui dictus Malachias per singula visionem et facta sua narravit. Ex cujus assensu et magno adjutorio, missa fuit Romam Summo Pontifici devota supplicatio pro translatione dictarum sanctarum Reliquiarum habenda.

*eque ut ... pam relato*

66 Ipse vero Papa supplicationi prædictæ aures inclinans, Joannem tit. S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem et Apostolicæ Sedis Legatum in Hiberniam misit. Qui in ecclesia S. Patricii in Duno, V Idus Junii, debitis reverentiis et servitiis præmissis, transtulit prænominatas Reliquias ex loco ubi sepultæ, et per Malachiam repositæ fuerunt, usque

A que in honorabilem locum in ecclesia ibidem ad hoc præparandum. Tempore vero translationis eorum in dicta Ecclesia præsidebant cum dicto Legato quindecim Episcopi cum Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconibus, Prioribus, aliisque viris orthodoxis quamplurimis, statuentes diem Translationis dictorum Sanctorum ab universis Christi fidelibus per Hiberniam constitutis, IV Idus Junii per singulos annos celebrari; et transferentes festum S. Columbæ in crastinam Octavarum Reliquiarum istarum.

*ac tunc a. n. solenniter translata*

*anniversario festo indicto.*

Currite languentes; Duno piscina movetur,
Corpora vel mentes ægrotas ipsa medetur.

67 *Videtur temporis nota, quod Usserius observavit, corrigenda. Neque enim IV Idus, sive X die Junii agi S. Columbæ Abbatis festivitas solet, sed IX, sive V Idus, ut patet ex omnibus Martyrologiis. Quamquam in Carthusiæ Colon. additionibus ad Usuardum ante annos CXXX, et quod excurrit, publicatis, inque Canisii Martyrologio ac Ferrarii, X Junii S. Patricii consignata Translatio est. In Catalogo SS. Hibern. ab Henrico Fitzimone edito, X Junii S. Columba XI S. Patricii* Elevatio *adscripta. Cum in officio jam citato dicatur S. Columbæ festum, Antistitum decreto, translatum, ne solemnitas Elevationis Reliquiarum ejusve Octavæ impedirentur,* B *probabile est IX Junii, quæ Dominica eo anno fuit contigisse. Quatenus autem decretum illud deinceps in aliis Hiberniæ Ecclesiis observatum sit, ex singularum ritualibus libris, si quidem extant, quærendum.*

68 *Qui hic memoratur* Malachias, *non est Sanctus ille Malachias, cujus Vitam S. Bernardus Abbas Claravallensis conscripsit, qui Episcopus primum Connerensis, dein Primas Armachanus, postea substituto sibi B. Gelasio, Dunensem episcopatum, quem cum Connerensi* unitio, *ut ait S. Bernardus, conflarat in unum, administrandum suscepit, Connerensi Sede, quæ* videretur paratior et principalior haberetur, *alteri Episcopo relicta : Is enim anno MCXLVIII e vita excesserat. Verum alius hic fuit Malachias, qui* Malethias Thunensis *ab Hovedeno appellatur, memoraturque cum jam dicto Primate suo Gelasio,* Neemia Chonderensi, *et aliis Episcopis, Principibus, Abbatibus, in conventu* Waterfordiensi *an. MCLXXI Henricum II Regem Angliæ in Dominum Hiberniæ recepisse. Idem Roderici Regis Ultoniæ castra comitatus, in prælio, quo eum Joannes Curcius debellarat,* captus est, *ut idem auctor est Hovedenus, sed mox liberatus, rogatu Viviani Cardinalis. Hujus Malachiæ meminit etiam Jocelinus in prologo ad Vitam S. Patricii :* Reverentissimi Thomæ, *inquit,* Ardmachani Archiepiscopi, totiusque Hiberniæ Primatis, et Malachiæ Dunensis Episcopi, ad hoc opus aggrediendum præceptis perstringimur. Illustrissimi nihilominus Joannis de Cursi, Ultidiæ Principis, super hac repetitio adjungitur, qui S. Patricii specialissimus dilector et venerator esse dignoscitur, cui obtemperare dignissimum arbitramur. *De Cursio plura dicentur ad Vitam S. Patricii XVII Martii.*

*9 Jun.*

*curante eodem Malachia Ep. Dunensi,*

C

69 *Ab iis quæ jam a nobis de tempore Translationis sunt dicta, dissentit Usserius in Indice Chronologico ad annum MCLXXXVI ita scribens :* Ad Urbanum III Pontificem a Malachia Dunensi Episcopo et Joanne Curcio missa legatione; per Vivianum Cardinalem, Nuntium Pontificium, V Idus Junii, die S. Columbæ memoriæ sacro, reliquiarum Patricii, Brigidæ, et Columbæ facta est Translatio. *Citat hæc, et probat, Colganus annot. 3 ad Vitam S. Patricii per Jocelinum, qui tamen annot. 1, multum fallitur, cum Translationem hanc contigisse scribit* anno primo adventus Joannis de Curci in Hiberniam; *additque a Matthæo Florilego tradi, eum venisse in Hiberniam an. MCLXXV. At Matthæus non de Curcio agit, sed* Joanne, juniore filio Regis Henrici, *eo anno* in Hiberniam misso. *Curcius jam ante in Ultidia, sive Ultonia, rerum potiebatur, qui, teste Hovedeno, an. MCLXXVII, quo XI Kalend. Junii erat Dominica; littera Dominicalis B,* obsedit et cepit civitatem de Dun, quæ est caput Ulvestre. D

*an. 1185, vel 1186*

70 *Reliquias porro SS. Patricii, Columbæ, Brigidæ, scribit Giraldus, qui in Hibernia tunc erat,* inventas ac translatas *anno quo Joannes filius Regis venit in Hiberniam : atqui venit, ut ostendimus, an. MCLXXXV, ergo eodem inventæ et translatæ; et quidem die IX Junii, quæ eo anno Dominica erat. Solent enim ejusmodi solennitates Dominicis peragi, ut plebs majori frequentia et pietate interesse possit. Tunc vero Lucius III Pontifex erat, qui sub exitum anni, die XXV Novembris obiit, succedente Urbano III. Hujus autem electioni cum scribat Ciaconius interfuisse* Urbianum Thomasium Presbyterum Cardinalem tit. S. Stephani in Cœlio monte, *probabilis fit Usserii conjectura, pro Joanne ejusdem tituli Cardinale, supra nu. 66 reponendum esse* Urbianum; *qui anno MCLXXIII mense Septembri, in sacrum collegium adlectus, anno MCLXXVI in Scotiam missus,* fuit die natalis Domini, *ut Hovedenus scribit,* in insula Man cum Guthredo Rege : et post Epiphaniam transfretavit in Hiberniam, et applicuit apud Dun in Ulvestre, et cum ambularet versus Diveline secus mare, obviavit exercitui Joannis de Curci, qui injicientes in eum manum tenuerant : sed Joannes de Curci liberavit eum. *Ideo fortassis denuo missus in Hiberniam est, quod Curcio ejusque socero Manniæ Regi notus jam erat; effeceratque,* E *ut hic legitimum matrimonium iniret cum Phingola Murkartaci Regis Hiberniæ nepte, e qua illi suscepta jam proles erat.*

*per Vivianum Cardinalem*

71 *Illud deinde trium horum Sanctorum* monumentum, *ut habet in Hiberniæ descriptione Cambdenus,* Leonardum Grey Proregem sub Henrico VIII demolitum fuisse fama obtinet : certumque est, cum ille provinciæ male habitæ ageretur, et capitis damnaretur, inter alia objectum fuisse hoc Patricii templum profanasse. *Vocat* Patricii templum, *quia, cum antea* Sanctæ Trinitatis *diceretur, Curcius S. Patricio sacrum haberi voluit, collocata in principe ara effigie ejus, sacello Sanctæ Trinitati posito, uti in Annalibus Hiberniæ apud eumdem Cambdenum ad an. MCCIV refertur. Securi percussus est Leonardus Greius Dorsettiæ Marchio, XXV Junii, MDXLI, uti habent rer. Anglic. annales.*

*eorum monumento violatur postea*

72 *Quid tamen sacris tunc reliquiis sit factum, comperire necdum potuimus. S. Brigidæ caput Neustadium, sive Neapolim Austriæ translatum : sed multo ante, ut reinur; etsi qua potissimum tempestate, quove modo id contigerit, ignoremus. Condita est Neapolis, sive Nova-civitas, a Leopoldo VII ejus appellationis, Austriæ Duce quarto, qui Frederico fratri anno MCXCVIII successerat, obiitque an. MCCXXI. Ejus extruendæ caussam extitisse scribit Cuspinianus,* ne continuo Hungari per fluvium Leytam in Austriam irrumperent : *nomen vero ei factum, quod* propter continua incendia, omni pene anno innovetur, et ex novis ædificiis nova et renata appareat : unde et arma gentilitia, alba mœnia cum turri nova in rubeo campo. *Ea caussa appellationis haud scimus an probabilis videri sola Cuspiniani auctoritate debeat; cum a principio ita dicta videatur, quia vere esset recenter constructa, non postquam iteratis incendiis deformata, deincepsque innovata. Eadem postmodum, Frederici III voluntate sede est Episcopali ornata. Huc ergo* S. Brigidæ *Virginis allatum caput, inque sacello arcis imperialis intra arcam ternis clavibus obseratam, conditum fuit.*

*sed S. Brigidæ caput translatum Neostadium*

F

*urbem Austriæ episcopalem*

73 *At Rudolphus II Imperator illud Joanni Borgiæ, B. Francisci Borgiæ filio, Philippi II Hispaniæ Regis ad se, ut prius ad Maximilianum II parentem suum, Legato, donavit. Joannes id, aliaque plurima Divorum pignora, in Hispaniam anno* MDLXXXVII *deportavit, atque Ulyssipponensi Societatis Jesu domui, perpetuum suæ in Ordinem nostrum benevolentiæ monumentum, attribuit. Earum omnium reliquiarum facta Translatio est anno insequenti* MDLXXXVIII, *die XXV Januarii, uti ad illum diem diximus, recensitis Sanctorum, quorum eæ erant nominibus. Perperam autem is qui Societatis nostræ annuas provinciarum litteras tunc vulgavit, eam solennitatem*

*inde Ulyssipponem,*

A *tem S.* Rochi *feriis contigisse scripsit, inde fortassis nato errore, quod S. Rocho professorum templum ac domus dicata sint. Fuit vero hujus Translationis pompa ejusmodi, ut qui illam, Alberti Austriaci, tum Lusitaniam pro Philippo Rege administrantis, jussu, conscripsit Manuel de Campos, fateatur, post eam solennitatem, qua allatæ olim Ulyssipponem sunt S. Vincentii Martyris reliquiæ, nihil hoc in genere gestum illic pari magnificentia populique frequentia ac pietate. Librum de ea a Manuele scriptum in alium diem consulto rejicimus, cum de S. Brigida ita multa habeamus, ut justum fere confici de ea volumen possit.*

*74 Duodecim omnino fercula fuere, quibus sacra illa circumgestata pignora sunt, ac decimum quidem bina ornabant capita argenteis thecis condita, S. Vedasti alterum, alterum Virginis unius e S. Ursulæ sodalitio, tum capsa alia ex argento affabre facta, gemmisque et auro illustrata,* XXXIV *Sanctorum reliquias continens. Eminebat vero herma, seu medium corpus, ex argento itidem efformatum, auro, varioque cælamine decoratum : intra quod caput erat S. Brigidæ Virginis. Sixtus V Pontifex Maximus jubilæum perpetuum in ea æde concessit quaternis per annum diebus; festo nimirum S. Brigidæ, Inventionis sanctæ Crucis, S. Ursulæ, S. Gregorii Thaumaturgi.*

B *75 Coloniæ Agrippinæ, ut* § 1, *nu.* 4 *diximus, parochialem ecclesiam habet* S. Brigida. *Ast in aliis ecclesiis quædam ejus asservari reliquiæ feruntur; in S. Gereonis, uti testatur Ægidius Gelenius de Colon. magnitud. lib.* 3, *Syntag.* 2, § 2, *pag.* 265, *hierotheca* 14. *Itemque in S. Mariæ ad Gradus, ut idem scribit lib.* 3, *Synt.* 7, § 4, *hieroth.* 22. *Alibi de alia agit Brigida V. M. e S. Ursulæ comitatu.*

## § XI. *S. Brigidæ perennia quædam miracula.*

L*ibet ad S. Brigidæ honorem attexere perpetua quædam miracula, (si ita fas est appellare) stupenda certe, supraque leges naturæ, quæ Kildariæ sua ætate, multisque antea seculis, viguisse scribit Silvester Giraldus Topographiæ Hiberniæ dist.* 2, *cap.* 3 *et sequentibus.*

Apud Kildariam Lageniæ, quam gloriosa Brigida reddit illustrem, digna memoratu sunt miracula multa. Inter quæ primum occurrit Ignis Brigidæ, quem inextinguibilem dicunt, non quod extingui non possit, sed quia tam sollicite, tam accurate moniales et sanctæ mulieres ignem, suppetente materia, fovent et nutriunt, ut a tempore Virginis, per tot annorum curricula, semper mansit inextinctus : et cum tanta lignorum strues tanto in tempore sit hic consumpta, nunquam tamen cinis excrevit.

C 77 Cum tempore Brigidæ viginti moniales hic Domino militassent, ipsa vigesima existente; post gloriosum ejus transitum, tantum unde viginti semper extiterunt, et numerum non auxerunt. Cum vero singulis noctibus singulæ per ordinem ignem custodiant, nocte vicesima monialis ultima lignis appositis, inquit : Brigida, custodi ignem istum tuum. Te enim nox ista contigit. Et sic igne relicto, mane materia more solito consumpta inextinctus reperitur.

78 Virgeo quodam et orbiculari sepe ignis iste circuitur, intra quem mas non intrat : et si forte intrare præsumpserit, (quod a temerariis quibusdam nonnunquam attentatum) divinam ultionem non evadit. Item mulieribus solum, et his non oris flatu, sed follibus tantum et ventilabris, ignem licet exsufflare.

79 Item per imprecationem Virginis caprarum fœtus hic non proveniunt. Sunt et hic campestria pulcherrima quæ BRIGIDÆ PASCUA vocantur; in quæ nullus aratrum ausus est mittere : de quibus pro miraculo ducitur, quod licet provinciæ totius animalia solotenus vesperi herbam corroserint, mane facto non minus herbositas apparebat, tamquam de pascuis illis dictum fuerit.

Et quantum longis carpent armenta diebus, D
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

80 A tempore Brigidæ falco quidam egregius locum istum frequentabat, qui ecclesiasticæ turris summitati insidere consueverat : unde et a populo AVIS BRIGIDÆ vocabatur, et in veneratione quadam a cunctis habebatur. Hic ad nutum civium, seu militum castrensium, tamquam avis mansueta et ad hoc domestica, anates et alias aves tam campestres, quam fluviales circa planiciem Kyldariæ, cum intuentium non modica delectatione, persequi solebat, et ad terram ab aere innata velocitate coercere. Quis enim locus miseris aviculis relinquebatur, cum homines terram et aquas, avis inimica, gravisque tyrannus aerem obsidebat? Mirum de hoc alite, quod circa templum, quod frequentabat, parem non admittebat : sed amoris tempore procul inde secedens, et apud montana de Glindelachan, ex consuetudine parem inveniens, naturæ indulgebat. Quo completo, iterum ad ecclesiam solus revertebatur; viris Ecclesiasticis, et tunc præcipue cum intra ecclesiarum sinus et septa Divinis deputantur officiis, signum præferens honestatis. In ipso discessu primo Domini Comitis Joannis ab Hibernia, avem, quæ per tot duraverat secula, et delectabiliter Brigidæ locum illustraverat, demum prædæ, quam ceperat, minus caute insidentem, et E humanos accessus parum evitantem, baculo, quem gestabat, rusticus quidam petiit. Ex quo patet casum in secundis fere metuendum, et vitæ diuturnæ delectabili et dilectæ parum esse confidendum.

81 Inter universa Kyldariæ miracula, nil mihi miraculosius occurrit, quam liber ille mirandus, tempore Virginis (ut aiunt) Angelo dictante conscriptus. Continet hic liber quatuor Evangelistarum juxta Hieronymum concordantiam : ubi quot paginæ fere sunt, tot figuræ diversæ variisque coloribus distinctissimæ. Hic majestatis vultum videas divinitus impressum : hinc mysticas Evangelistarum formas, nunc senas, nunc quaternas, nunc binas alas habentes : hinc aquilam, inde vitulum, hinc hominis faciem, inde leonis, aliasque figuras pene infinitas : quas si superficialiter et usuali more minus acute conspexeris, litura potius videbitur quam ligatura : nec ullam attendes prorsus subtilitatem, ubi nihil tamen præter subtilitatem. Sin autem ad perspicacius intuendum oculorum aciem invitaveris, et longe penitius ad artis arcana transpenetraveris; tam delicatas et subtiles, tam actas et arctas, tam nodosas et vinculatim colligatas, tamque recentibus adhuc coloribus illustratas notare poteris intricaturas; ut vere hæc omnia Angelica potius quam humana diligentia jam asseveraveris esse composita. F Hæc equidem quanto frequentius et diligentius intueor, semper quasi novis obstupeo, semperque magis ac magis admiranda conspicio.

82 Nocte prima, cujus mane librum scriptor inchoaturus fuerat, adstitit ei Angelus in somnis, figuram quamdam tabulæ, quam manu præferebat, impressam ei ostendens, et dicens : Putasne hanc figuram in prima libri, quem scripturus es, pagina possis imprimere? Cui scriptor de tantæ subtilitatis arte, de tam ignotæ et inusitatæ rei diffidens notitia, respondit : Nequaquam. Cui Angelus : In crastino die dic Dominæ tuæ, ut ipsa pro te orationes fundat ad Dominum, quatenus ad acutius intuendum, et subtilius intelligendum, tibi tam mentis quam corporis oculos aperiat, et ad recte protrahendum, manus dirigat. Quo facto, nocte sequente iterum adfuit Angelus, eamdem figuram, aliasque multas ei præsentans. Quas omnes, Divina opitulante gratia, statim advertens, et memoriæ fideliter commendans, libro suo locis competentibus ad unguem scriptor impressit. Sic igitur Angelo præsentante, Brigida orante, scriptore imitante, liber est ille conscriptus.

83 *Idem Giraldus cap.* 18 *ejusdem* 2 *distinctionis ista*

*Sectione 1. n. sacri ignis violatio morte punita;*

A *habet* : Apud Kildariam sagittarius quidam de familia Richardi Comitis, sepem transiliens, ignem Brigidæ ore sufflavit : qui statim resiliens, demens esse cœpit, et cuicumque obviabat, insufflans in ejus os, dicebat : Videns? Sic ignem Brigidæ sufflavi. Sic quoque per domos totius villæ discurrens, ubicumque ignem invenit, eadem verba ingeminans, eum exsufflavit. Tandem vero captus a sociis, et ligatus, rogavit ut ad aquam proximam duceretur : ad quam ductus, ore desiccato, tantum exhausit, quod inter eorum manus medius crepuerit, atque expiraverit.

*alius claudicatione :*

84 Alius vero ut ad ignem intraret, cum tibiam alteram trans sepem jam posuisset, et a sociis tamen retractus esset et retentus; pes ille cum crure statim exaruit. Unde et postmodum quamdiu vixit, claudus et imbecillis permansit.

*ignis conservandi ritus apud Hibernos*

85 *Hactenus Giraldus. Qua religione ignem illum S. Brigidæ servasse sanctimoniales illæ narrantur, sæpius legimus in Sanctorum Hibernicorum Vitis ignem consecratum nocte Paschalis, ab Episcopo præsertim, studiose consuevisse toto anno custodiri, uti ad Vitam S. Kierani Sayerensis v Martii diximus; aut si alioquin Divina virtute, ad Sancti cujuspiam preces, ccelitus,* ut in *Vita S. Coemgeni videre est. Alterutra ex caussa videtur ille Virginum Kildarensium ritus manasse.* B *Eo certe tempore, quo (ut supra diximus) Kildariam Barbari expilarunt ac concremarunt, cum et ipsum Brigidæ corpus alio avectum, factaque abolita memoria, non extinctum esse hunc ignem, neglectumque ejus alendi studium, difficile est ut credamus. Nec mirum persuaderi Giraldo potuisse, a temporibus S. Brigidæ perseverasse, quod diutissime durarat, aliis, quæ commemorat, portentis consecratum.*

*Glindelacha urbs episcopalis inter montes.*

86 *Quæ montana de Glindelachan adire sub Veneris tempus consuevisse longævum illum falconem scribit, ea arbitramur esse, quæ Cambdenus memorat in Australi parte Comitatus Dubliniensis,* quibus valles, Glynnes appellatæ, subsident, cavæ et arboribus opacæ. *In quarum una S. Coemgenus, ut in ejus Vita ad III Junii diximus, habitarat, quæ* inter concava montium altissimorum posita, irrigataque pulcris aquis : duo enim stagna et clari rivuli hinc et inde confluunt..... illaque vallis quondam Scotice vocabatur Glean-De; modo autem dicitur Gleann-da-loch, id est, vallis duorum stagnorum..... Et in ipso loco clara et religiosa civitas in honore S. Coemgeni crevit, quæ nomine prædictæ vallis, in qua ipsa est, id est, Gleann-da-lach vocatur . ipsaque civitas est in Oriente Laginensium, in regione quæ dicitur Fortuatha. *Ea civitas Episcopalis fuit, sed archiepiscopatui Dubliniensi adjuncta jam desolata est, Cambdeno teste, qui* Glandilaugh *vocat.*

*Richardus expugnator Hiberniæ.*

87 Richardus, *cujus e familia sacrilegum illum militem extitisse Giraldus scribit, Penbrochiæ Comes fuit, qui cum lecta nobilium Anglorum ac Wallorum manu, Dermitii in Lageniæ regnum restituendi prætextu, in Hiberniam venit anno* MCLXIX *pridie S. Bartholomæi, ut habent Annales Hiberniæ, partemque ejus non exiguam subjugavit, obiit vero Dublinii anno* MCLXXVI. *Joannes vero Regis filius eodem quo in Hiberniam appulerat anno* MCLXXXV *discessit, ut idem habent Hibernici apud Cambdenum annales : atque eo tempore occisus Kildariensis ille est falco.*

*Revelationum libri perperam huic tribuendæ adscripti a Balæo.*

88 *Nugatur more suo Balæus, ita de Brigida hac scribens centuria* 14 *Scriptorum Britan. num.* 11 Angelo quodam dictante edidisse illam ferunt suarum revelationum librum unum. Angelo dictante, Brigida orante, et scriptore notante, liber est compositus, inquit Geraldus Cambrensis in 2 lib. de mirabilibus Hiberniæ cap. 39. *Dedimus num.* 82 *ipsa Giraldi verba, quorum ex collatione fidem Balæi perspiciet Lector, qui* Revelationum librum *vocat, quem alter* quatuor Evangelistarum Concordantiam. Sed (*addit Balæus*) tanta est in verbis obscuritas, ut muliercularum scholiis, aut anilium fabularum interpretibus, ad ea enucleanda opus sit. *Ac paullo inferius in appendice* : Hujus Diana D tenebrosa somnia, seu, ut ipsi vocant, Revelationes, in scholis Oxoniensibus, et in cathedris publicis, magistraliter exposuerunt magni sua ætate Doctores. Thomas Stubbes Dominicanus, Ricardus Lauynham Carmelita, et adhuc alii ejus generis multi circa annum Domini MCCCLXX, ut talibus muliercularum delirationibus sole clariorem Dei veritatem sophistæ obnubilarent. *Ita petulantis calumniæ homo. In priori editione, (quam non vidimus, citat Colganus)* duodecim Revelationum libros *scribit posteris reliquisse. Balæo temere credidit Gesnerus, huic Possevinus noster : scribit uterque, Brigidam hanc Scotam.* Revelationum suarum libros XII obscurissime composuisse. *Quos vero Doctores Revelationes S. Brigidæ in scholis exposuisse ait Balæus, ipsemet alibi S. Brigittæ viduæ Suecicæ revelationes aut descripsisse aut explanasse ostendit. Nam centur. 7 cap.* 1 Ricardi Lauynhami *scripta enumerans, inter alia sic habet* : In revelationes Brigittæ libros VII Stupor et mirabilia audita sunt. *Joannes Pitseus ita illud opus indicat* : Determinationes notabiles Oxoniæ et Londini publice lectas pro libro revelationum S. Brigittæ, libros VII, Stupor et mirabilia audita sunt *Atqui his verbis*, Stupor et mirabilia, *etc. inchoabatur Prologus in libros revelationum S. Brigittæ Suecicæ. Inter scripta* Thomæ Stubbes, *qui Pitseo* Stubs, *Leandro Alberto* Stolbez *appellatur) recensent Balæus ac Pitseus*, In revelationes Brigidæ librum unum. Beata et venerabilis Domina. *Sed ad Suecicam quoque Birgittam, Stubbei ætate florentem, pertinere arbitramur. Præclare Leslæus lib. 4 de reb. gestis Scotor.* Imperite hanc nostram cum Brigitta Suetica, cujus nomine revelationes multæ inscribuntur, quidam confundunt *Quo magis miramur Thomam Dempsterum non modo his auctoribus tribuere expositionem revelationum S. Brigidæ Virginis, sed et quos indices* in revelationes S. Brigittæ, et in prophetias *ejusdem composuisse Alanus de Lynna circiter annum* MCCCCXX *memoratur apud Balæum ac Pitseum, ipsum ad S. Brigidam Scotam referre*

*creditque a viris doctis expositi,*

*cum S. Brigittæ viduæ fuerint* E

*Quædam S. Brigidæ Scripta.*

89 *Ceterum hujus scripta (præter Regulam, de qua egimus § 4 num. 31) enumerat tertiæ Colganus append. 3 cap. 2 quæ penes se extare testatur Hibernico sermone, videlicet* Poema de virtutibus S. Patricii; Pharetram Divini amoris, *pia desideria continentem. Epistolam rhythmicam ad S. Aidum filium Degilli, qua peregrinationem ei dissuadet. Meminit hujus epistolæ idem Colganus Not. 49 in partem 2 Operis tripartiti de Vita S. Patricii.*

## § XII. *S. Brigida Sanctorum donis honorata, nonnulla de S. Gilda quæsita.* F

*varia a SS. data S. Brigidæ*

Ex *aliorum Sanctorum Vitis nonnulla de S. Brigidæ gestis hic annectenda videntur, quæ sunt ab ejus Actorum scriptoribus prætermissa. Primum dona ei quædam vel collata a Sanctis, vel obtenta divinitus, impensosque honores, ex ipsorummet Actis dabimus.*

*a S. Albeo precibus obtentæ oves pastore egentes*

91 S. Albeus, *sive* Helveus, *Imalecensis, sive Imleacensis, aut Emelicensis in Momonia Episcopus, (quem tradunt cum aliis quibusdam ante S. Patricium Christi religionem Hibernis prædicasse, ac longissimam ætatem vixisse, ut XII Septembris dicetur) is aliquando, ut in ejus Vita (quam ex MS. Insensi nobis Hugo Wardæus communicavit) refertur,* pervenit ad campum Lyfi nomine, ubi S. Brigida, in ecclesia quæ Cilldaria dicitur, manebat : cumque se mutuo in caritate non ficta salutassent, dixit Brigida ad S. Helveum Ecce ego, o Pater, oves, quibus vestirentur ancillæ Christi, non habeo. Cui Helveus ait : Esto secura, o Brigida; nam oves habebis. Tunc pius Pater, promissionem complere cupiens, oravit ad Dominum, et exauditus est pro sua reverentia. Dederat enim ei Dominus centum oves albas, quas ipse S. Brigidæ contulit. Et hæ pastore non indigebant, sed per

et

se ad pascua ibant, et similiter redibant ad ovile.

92 Alio quoque tempore cum S. Helveus et Brigida apud Currach Liphe essent, dixit ei Brigida : Vinum non habeo pro sacrificio altaris. Cui Helveus ait : Affer mihi vasculum, ut vinum accipias. Respondit Brigida : Vas tibi ubi illud reponere valeam, non habeo. Tunc vas vitreum vino plenum de cœlo missum est in S. Helvei sinum : hoc vas cum vino dedit ipse Brigidæ. *In MS. codice Kilkenniensi ita posterius hoc miraculum narratur :* Perrexit S. Albeus ad visitandam S. Brigidam, quæ fuit in campo Lyphy, et mansit apud eam aliquantis diebus, vacantes mysteriis Dei, et loquentes Divina verba inter se quotidie. Cum autem in oratione essent in uno loco, aliquo die vas vitreum de cœlo, plenum vino, jactatum est inter eos, sed propinquius fuit S. Albeo. Accepit autem S. Albeus illud, et dedit S. Brigidæ : tunc gratias egerunt Deo. Et venit inde S. Albeus ad fines Mumeniensium, accepta licentia a S. Brigida. *Locus qui hic* Currach Liphe, *in MS. Salmanticensi* Curreth Liphi *appellatur.*

93 *Brandani duo apud Hibernos seculo Christiano sexto floruisse memorantur, alter Finlogæ filius, de cujus septennali navigatione mira scribuntur; uti ad ejus Vitam* XVI *Maii dicemus : alter senior aliquanto, Neim aut Neim filius,* illius monasterii fundator, quod Scotice Birra nuncupatur, *ut scribit S. Adamnanus in Vita S. Columbæ lib.* 3 *c.* 3 *et in titulo cap.* 11. *Est autem* Birra, *ut scribit Usserius in Regis Comitatu. Hic Brandanus, ut in ejus Vita, quam dabimus* XXIX *Novembris, narratur, S. Brigidæ mirabili modo Eucharistiam transmisit.* Erat apud Brandanum laicus quidam infidelis, qui non credebat quod verum corpus et sanguis Domini esset panis et vinum, quæ super altari offeruntur. Nocte vero Paschæ, cum Brandanus corpus Christi offerret, venit ipse laicus, ut sacrificii partem de mensa acciperet, vidit manus supra et calicem plenum sanguine, et perterritus noluit accipere. Sanctus autem Brandanus illud sanctum sacrificium misit per Angelum Dei ad S. Brigidam. Ipsa enim devovit, quod in illa nocte Paschæ sacrificium ab aliquo non acciperet, nisi a S. Brandano. *Fuit votum illud sanctæ Virginis vehemens desiderium, sacra mysteria percipiendi a Brandano, cujus audierat famam sanctitatis, cum is esset multo quam illa junior ætate.*

94 *Brandani hujus æqualis fuit S. Gildas cognomento Sapiens, qui tanta floruit existimatione virtutis, ut Rex Hiberniæ* Ammericus, *sive* Ainmirens, *aut* Ainmireach, *(qui anno* DLXVI *monarchiam suscepit ac triennio administravit) eum in Hiberniam evocarit, ad disciplinam Ecclesiasticam, quæ nonnihil lapsa fluxerat, restituendam. Hujus quoque, non admodum ætate provecti (quippe qui anno Christi* CCCCXCIII *natus, uti ex ipsiusmet scriptis* XXIX *Januar. ostendimus, vix tricesimum expleverat ætatis cum Brigida decessit) hujus ergo cum illa famam sapientiæ virtutisque percepisset, ejus præclaris initiis gratulata, aliquod sibi ab eo munusculum mitti, veluti pignus sanctitatis ejus partæque secum amicitiæ, petiit. Quod ita in S. Gildæ Vita cap.* 2 *num.* 10 *refertur :* Audiens autem B. Brigida, quæ ipso tempore insignis erat in Hibernensi manens insula, et monasterio Virginum præerat Abbatissa, Virgo præclara, famam B. Gildæ; misit ad eum nuntium cum verbis deprecatoriis, dicens : Gaude Pater Sancte, ac semper in Domino polle : obsecro te, ut aliquod indicium tuæ sanctitatis mihi transmittere digneris, ut semper apud nos tua vigeat perenniter memoria. Tunc S. Gildas, percepta sanctæ Virginis legatione, propriis manibus formulam fecit fusili opere, et tintinnabulum composuit secundum petitionem ipsius; et per nuntium, quem miserat, ei transmisit. Quod illa gaudens suscepit, ac velut cœleste munus ab eo sibi transmissum, libenter accepit.

95 *Postrema hæc in Vita MS. S. Gildasii, quam Rotomago missam citavimus,* § 4 *ad ejus natalem* XXIX *Januarii, licet integram tunc dare haud duxerimus operæ pretium; in ea ergo hæc postrema de transmisso per nuntium tintinnabulo ita efferuntur :* Tunc S. Gildasius sanctæ Virginis percepta legatione, propriis manibus formulam fecit opere fusili, et tintinnabulum parvissimum ejus petitioni composuit, et perfectum, ad littus maris accessit, et in undas projecit, dicens : In nomine Domini nostri Jesu Christi hoc fretum maris pertransi, ut citius ad vestigia beatæ Virginis Brigidæ undis et vento provehatis. Quod statim ad nutum B. Gildasii factum repertum est : et in eodem loco, ubi Virgo sacrata super littus maris adstabat, trans mare continuo repertum est. Quod illa gaudens suscepit, et a B. Gildasio missum agnovit, et velut cœlitus in pignore salutis ab eo libenter accepit. Inter hæc B. Brigida ad monasterium rediit, et hoc miraculum puellis ac Virginibus suis patratum a Domino nuntiavit : et una cum iisdem Virginibus oratorium ingressa, pro magnitudine S. Gildasii, simulque perceptione sui pignoris, Domino gratias retulit. *Ita rudis Scriptor, aut antiquæ Vitæ interpolator, quod trans mare missum ad Brigidam a Gilda legerat audieratve, in mare conjectum, ac per undas ultro in Hiberniam Divina virtute delatum, est interpretatus.* D

96 *Porro quod S. Brigida Gildam* Patrem *appellet inde liquido confici censet Joannes Colganus append. ad Vitam S. Gildæ cap.* 2 *grandævum eum tunc fuisse, ac proinde diversum ab eo Gilda, qui de excidio Britanniæ scripsit : hunc enim natum eo anno, quo clades Saxonibus illata in obsidione* Badonici montis, *quam ipse cum Usserio et Westmonasteriensi, Galfridum secutus, contigisse anno* DXX *putat; nos* CDXCIII, *id est, anno* XLIV *ab adventu Saxonum in Britanniam, uti disertis verbis Beda, multo ceteris qui ab Usserio citantur antiquior, testatur lib.* 1 *Eccl. hist. gentis Anglor. cap.* 16. *Fertur Caradocus Lancarvanensis Vitam scripsisse senioris alicujus Gildæ, quem* Albanium *vocat, multoque antiquiorem fuisse contendit eo quem jam retulimus* XXX *annis ante S. Brigidæ mortem natum. At qui hujus Vitam centum fere et quadraginta ante Caradocum annis composuit monachus Ruiensis, unicum agnovit Gildam. Cui nos quoque subscripsimus, donec librum Caradoci videre contingat; sententiam ingenue mutaturi, si constiterit duos extitisse Gildas Britannicos : quod quidem congesta a Colgano argumenta, pleraque ex Usserio, non evincunt. Sunt vero ista : Gildam appellari a recentioribus quibusdam scriptoribus, S. Patricii discipulum; quod in nostrum quadrare non possit, natum ipso anno quo decessit Patricius, aut etiam serius, secundo statui ab Alberto Magno de Morlaix, in historia Sanctorum Britanniæ Armoricæ, æqualem S. Winwaloei, sive Winwaloci, qui circa annum* CDLX *floruerit.* 3 *venisse in Gallias regnante Childerico, qui anno* CDLXXX *decessit.* 4. *Patrem reverentiæ gratia appellari a Brigida.* 5 *Tintinnabulum a se fusum detulisse ad Anastasium Papam, qui an.* CDXCVIII *decessit, cum vix quinquennis esset Gildas alter.* 6 *S. Cadoci æqualem fuisse, ac sub eo scholas rexisse annis* CDLXIII. 7. *Venisse ex Hibernia cum frater ejus Huelus ab Arturo Rege esset occisus anno* DVIII, *nec de juniore illo Gilda accipi id posse.* 8. *Rexisse scholas Armachæ in Hibernia, et quidem anno* CDXCVIII. 9. *Prædixisse S. Davidis Episcopi Menevensis sanctitatem, priusquam is ederetur in lucem : atqui floruisse Davidem vivente etiamnum Patricio.* 10 *Et in Wallia operam dedisse S. Finianum Cluaneraridensem Episcopum, qui annos* XXX *extra Hiberniam peregrinatus, celeberrimam deinde scholam aperuit, quam plurimi Sanctorum Hibernicorum frequentarunt.* 11. *Acta utriusque discrepare.* 12. *dici unum juxta Glastoniam obiisse, in Gallia alterum.* E F

97 *Non est animus, singula curatius expendere ac refutare : neque interest, utrius donum fuerit nola illa ad Brigidam missa. Tamen quod alibi videri nobis diximus,*

A nus, unicum fuisse Gildam, qui istis Albanius quique B. Badonicus, ceteris Sapiens appellatur, adeo non apparet cur mutare opinionem debeamus, ut etiam non parum ea confirmetur. Dicitur enim sane S. Patricii discipulus, qui in Ire, sive Hibernia, Divinas litteras didicit, traditamque a Patricio institutionem hausit. Nonne SS. Augustini ac Thomæ Discipuli vocantur, qui se eorum sectari tuerique doctrinam profitentur, præsertim si idem quoque ceperint vitæ institutum? Nam quod Albertus seniorem Gildam velit, cumque gente Hibernum, Ruitense monasterium condidisse anno CCCXCIX, dein CCCCV Grallonis Regis exequiis interfuisse cum S. Winwaloeo, jam Abbatem, antea Regis Cancellarium; neque satis probatur, et Gildam fateri oporteret CLX minimum annos vixisse. De S. Winwaloeo ad III Martii quæremus. Neque incuria monachi Ruitensis, scribentis sub Childerico Merovæi filio venisse Gildam in Gallias, Colgano suffragatur, si, ut Albertus auctor est, etiam senioris Theodosii ætate apud Conanum Armoricæ Regem agebat. Unde vero accepit Colganus Anastasio II Papæ tintinnabulum a Gilda donatum? Alexandro habet S. Cadoci Vita XXIV Januarii, et S. Gildæ apud Capgravium. Cum ergo nullus aliquot ante ac post Gildam seculis Alexander Romæ sederit, ipseque mendose expressum esse nomen Pontificis fateatur Colganus; etsi fortassis primam solam litteram efformatam fuisse concedamus, unde librarius Alexandrum fecerit, unde tamen constat; Anastasium potius restituendum, quam Agapetum, qui Gildæ nostri vixit ætate? Cadocum anno DLXX decessisse scribit Harpsfeldius, ipsequi id sibi magis persuaderi ait Colganus, quam quod alii tradidere, CIXXI vel II, supparem igitur Gildæ nostro fatetur.

*Margin: frater ejus Hoëlus ab Arturo R. occisus.*

98 Qui ab Arturo interfectus Huelus Rex, non ille senioris alicujus fuit Gildæ frater; ut ex ipsismet Caradoci verbis, ab Usserio relatis, perspicue colligi potest. Ita ergo scribit: Contemporaneus Gildas vir sanctissimus fuit Arturii Regis totius majoris Britanniæ, quem diligendum diligebat, cui semper cupiebat obedire. Confratres tamen XXIII resistebant Regi rebelli prædicto, nolentes pati Dominum; sed crebro fugabant et expellebant assaltu et bello. Huel major natu, belliger assiduus, et miles famosissimus, nulli Regi obedivit, nec etiam Arturio. Affligebat eumdem, commovebat inter utrumque maximum furorem: a Scotia veniebat sæpissime, incendia ponebat, prædas ducebat cum victoria ac laude. Unde Rex universalis Britanniæ, audiens magnanimum juvenem talia fecisse, C et æqualia facere, persecutus est victoriosissimum juvenem, et optimum (ut aiebant et sperabant indigenæ) futurum Regem. In persecutione autem hostili, et in conventu bellico, in insula Mynau interfecit inimicum prædatorem. Post illam interfectionem Arturus victor remeavit, gaudens maxime quod superaverat suum fortissimum hostem. Hic habemus Huelum sive Huelem, aut Hoëlum, fuisse Gilda seniorem, et adhuc juvenem occisum ab Arturo. Jam sive anno DXVI regnum capessivit Arturus, sive DXLII, qui cogitari potest, quod illi volunt, natum Gildam anno CCCXXVII, et fratrem ejus natu majorem, octoginta annis post, juvenem adhuc, et optimum futurum (ut sperabatur) Regem, ab Arturo interfectum?

*Margin: ubi studuerit ac docuerit Gildas?*

99 Omnia in Gildam nostrum apte conveniunt. Natus anno CDXCIII, litteras in Britannia didicit: cum XIII aut XIV esset annorum, in Galliam profectus est: unde septennio post reversus, docuit annis aliquot in Britannia: dein Hiberniam petiit, ac variorum Doctorum scholas adiit. atque ipso tempore, quo cum Arturo bellum Hoëlus gerebat, (quæ fortassis illi e Britannia excedendi occasio fuit) in metropoli Armacana docendi munus cum laude sustinebat. Testatur ipse Caradocus apud Usserium: Gildas Brittonum historiographus tunc (cum Hoëlus interfectus est) remanens in Hibernia, studium regens et prædicans in civitate Armacha, audivit fratrem suum ab Arturo Rege interfectum. Reversus in D Britanniam, Regique conciliatus, anno uno apud S. Cadocum docuit; ac sacerdotio, sive isthic, sive antea in Hibernia, initiatus, Evangelium late per Britanniam prædicavit, ingenti animarum fructu. Hoc autem tempore misisse ad eum, jam XXVII aut XXVIII natum annos Brigida videtur.

*Margin: ejus auditor S. Finianus*

100 Audivit eum in Britannia docentem sive post reditum e Gallia, circiter annum Christ. DXIV, seu potius cum post Hoëli cædem revertisset ex Hibernia, S. Finianus, qui XXX natus annos ex Hibernia discessit, ac XXX aliis peregre exactis, ad suos rediit, scholamque Cluainerardæ in Media aperuit: ac tanta extitit eruditionis ejus fama, ut undique ad eum audiendum monachi, Sacerdotes, Episcopi confluerent. Vivebat adhuc S. Finianus anno DLXV, cum ex Hibernia S. Columba, sive Columkillus discessit, ut recte animadvertit Colganus; quare nihil necesse est antiquiorem aliquem Gildam comminisci, cum ejus, qui anno CDXCIII natus est, ipse auditor esse potuerit. Acta demum Gildæ utriusque non ita diversa sunt, quin uni convenire, ut jam ostensum est, omnia possint. Nam quod juxta Glastoniam dicitur semper obiisse, id propter reliquias eo allatas fortasse creditum, ut de S. Brigida antea diximus. An S. Davidis E necdum nati sanctitatem prædixerit Gildas, disquiremus ad I Martii, ubi illius Vitam dabimus, in qua solum dicitur vates ille fuisse vir sanctus, verbum Dei populo proponens. Sed et de ipsius ætate Davidis isthic agendum, qui S. Cadoci consobrinus fuisse memoratur, ac Brachmaelis, ultra annum DC adhuc superstitis.

*Margin: S. Finiano, festo S. Brigidæ carnem distribuenti panis,*

101 Hactenus de S. Gilda, missoque ad S. Brigidam tintinnabulo. Alio obsequii genere hujus memoriam, jam cælo receptæ, honoravit S. Finianus monachus Rhemoriensis, ut in ejus Vita XV Novembris refertur: In festivitate S. Brigidæ Virginis non modicam pauperum turbam, ut sibi moris erat, collegit: carnem totam, quam habuit, juxta numerum aggregatorum in particulas incidi præcepit. Hoc autem facto, ecce tanti pauperes, ut ederent, improvisi venerunt. Vir autem beatus in adventu eorum Deo gratias egit, et particulas, quas ad numerum aggregatorum prius parari jussit, in Dei largitate confisus, qui quinque panibus quinque millia virorum exsatiavit, distribui fecit: sed licet numerus geminaretur egenorum, et nihil de carnibus vel ab illo vel a quoquam alio adderetur; unicuique tamen sua particula ex eadem carnicula inveniebatur.

*Margin: divinitus multiplicatur.*

## § XIII. S. Brigidæ in varios Sanctos beneficia. F

Deinceps quæ ipsa Sanctis aliis beneficia impendit Brigida, ab Actorum ejus scriptoribus omissa, exequimur. Ac primum S. Tigernaco procuratum baptismum ita in hujus Vita refertur: Carnonis, vir nobilis, e Lagenia oriundus, ex filia Echadii Regis, cui militabat filium susceperat: quem mox pater in humero suo ferens ad patriam suam velociter intendit adire. Cumque civitatem B. Brigidæ pater cum infantulo ingrederetur, antequam ad ejus aspectum attingerent, mox eos beata Virgo, Spiritu revelante, intellexit, et familiæ suæ intimavit, dicens: Modo ad nos hospites advenient honorabiles, quos hilariter suscipere debemus. Ipsa vero Virgo sancta eis obvians, in sinum suum puerum amplectens, S. Conlaidum Episcopum baptizare fecit. Cui Virgo beata nomen imponens, dixit: Multorum Regum nepos est, Tygernacus vocetur. Quo peracto ad patriam pater cum puero perrexit, ibique eum nutriendo diligenter educavit.

*Margin: S. Brigida S. Tigernacum advenientem agnoscit. deinde per S. Conlaidum baptizari curat.*

103 Paullo deinde inferius: Fundato igitur monasterio, relictisque in eo Fratribus, ad Matrem spiritualem, quæ eum olim de fonte baptismatis levavit videlicet Brigidam, Kildarensi monasterio jam tunc commorantem, profectus est. Quæ mysticis communita signis, ac Spiritu ei revelante, quod filius ejus

*Margin: post Tigernacum ...*

spiritualis

spiritualis pastorali dignus esset honore; convocatis Episcopis eum ad pontificatus ordinem provehi fecit. Tantumque a Clero Hiberniensis Ecclesiæ, et a populo, præfatæ Virgini condonatum privilegium, ut quemcumque ipsa ad ordinandum eligeret, omnibus unanimiter eligeretur.

*quando utrumque contigerit?*

104 *Ex his corrigas licet quod Colganus append. 5 cap. 2 scribit, S. Conlaidum primum anno* 500 *Episcopum Kildariensem esse factum. Nam si is, jam Episcopus, S. Tigernacum baptizavit, necesse est id ante annum* CCCCLXXX *contigisse, cum an.* DXI *obierit S. Kertennus, sive Mac-kartinus, Clochorensis in Tiroenia provincia Episcopus; cui S. Tigernacus successit, Sedemque in Clunensi oppido posuit. Neque enim, opinor, minorem* XXVI *annis Episcopali dignitate ornatum fuisse concedet Colganus: non igitur post annum demum* D *baptismo lustratus est infans, quem tamen jam pontificio inauguratum visisse legitur S. Duachus, sive Dubtachus, Armacanus Archiepiscopus, quem Colganus anno* DXII, *Usserius, ex veterum Annalium fide,* DXIV *vult decessisse. Ut nodum hunc solveret Colganus, dum quæ de S. Tigernaco narravimus, ex nostro Salmanticensi codice recitat, consulto S. Conlaidi nomen dissimulavit;* ab Episcopo, *inquiens,* baptizari eum fecit. *At MS. habet:* ab Episcopo Conlatheo baptizari eum fecit. *Nos alio usi exemplari sumus, in quo* Collaidus, *pro* Conlaido *scriptum erat.*

*Sol. 9. S. Finiano aurum offert,*

105 *In Vita S. Finiani Cluanerardensis, quam dabimus* XXIII *Februarii, ista habentur de Brigida:* Post hæc autem venit S. Finianus ad Kyldare ad S. Brigidam; ubi aliquo spatio legendo et sermocinando laboravit. Accepta autem discedendi licentia, S. Brigida annulum aureum sibi obtulit: sed quia omnia despiciebat temporalia, annulum respuit. Tunc S. Brigida dixit: Paullo post erit tibi opus auro. S. Finianus respondit, et dixit: Deus meus, cum voluerit, et quando opus fuerit, aurum de suo thesauro mihi dabit. Benedictione recepta S. Finianus inde recessit. Posthæc S. Finianus venit ad locum, qui dicitur Fforthorcha Arbrecht; et cum ibi in quodam fonte manus lavisset, annulum, quem ei S. Brigida apud Kildare obtulit, super palmam invenit. Veniens autem ad eum Casyn filius Naiman, et seipsum et agros suos Finiano devotione dedit, et de Rege ex eo unciam auri exigente conquestus est coram S. Finiano. Annulus igitur prædictus, unciam ponderans æquam, Regi datus est pro terra: et sic tota terra illa libere S. Finiano remansit. *Qui hic* Casyn filius Naiman, *in MS. Salmanticensi* Cassanus, filius Nemain, *appellatur: testaturque Colganus Sanctis adscribi in Martyrologiis ad* I *Martii, quo tamen die eum omisit. Quæ porro hic memorantur, gesta esse videntur, priusquam in Britanniam abiret Finianus; unde non nisi post Brigidæ mortem reversus, juxta ea quæ superiori § dicta sunt. Nisi fortassis, quod in* 1 *Vita cap.* 17 *num.* 105 *et in* 4 *lib.* 2. *num.* 69 *transmissum simili modo S. Hinnæ Virgini aurum dicitur, ad Finianum perperam translatum, aut ad illum quod huic contigerat.*

*prædicens fore ut egeat*

*tunc recusatum*

*postea eidem cælitus datur*

*absentia periculum mirabile cognoscit*

106 *Alium salubri consilio adjutum a S. Brigida narrat ex Cataldi cujusdam Hagiologio Colganus append.* 2, *num.* 46. Erat quidam monachus Fernorensis, B. Brigidæ familiaris; qui hospitii caussa aliquando ad monasterium sanctæ Virginis declinavit. Ad illum autem tunc mensæ accumbentem pulsato ostio Brigida ingressa, ait: Habesne, Frater, synedrum, sive Confessarium? Et cum ille respondisset se habere; illa subjunxit: Nunc ergo ora pro eo. Quare hoc? inquit Frater. Interiit, inquit Brigida; et cum tu ad dimidiam circiter refectionis partem pervenires, ego adverti ipsum occubuisse. Quomodo hoc? inquit monachus. Respondit Brigida: Quando mediam refectionem absolveras, vidi te tamquam acephalum, sumptumque cibum per tuum tamquam decollati hominis guttur in ventrem descendisse: quia a puncto horæ, quo Confessarius occubuit, corpus tuum sine capite tamquam truncus apparuit. Unde non pergas quidquam amplius degustare, antequam novum assumas synedrum: quia cadaver abscisso capite est homo absque Confessario seu Patre spirituali.

*secundum suadet eligendum Confessarium*

107 S. Aidano, *sive* Medoco, *cujus Vitam dedimus* XXXI *Januarii, successit anno Christi* DCXXXII, *ut Wareus et Usserius scribunt,* S. Molingus. *Ejus Vitam dabimus* XVII *Junii, in qua narratur a Regibus Nepotum Neyl varia suis gentilibus Lageniensibus impetrasse, ac multa adiisse discrimina, quibus est mirabiliter ereptus. Huc spectat fortassis, quod ex alia ejus Vita refert Colganus append.* 2 *numer.* 22 *hisce verbis:* Et hoc sciens sanctus senior Moling indicavit sociis, ut velocius viam irent orantes Dominum. Et ipse incepit sanctum carmen Scotica lingua, in quo multos Sanctos orando et laudando nominavit, incipiens a virginitate, et finiens in eadem, id est, faciens in primo memoriam beatissimæ Virginis Brigidæ, et memoriam Dei genitricis Mariæ in postremo: et cum finiret Sanctus canticum suum, fere ipse cum suis sociis captus est a persequentibus. Desperantes jam comites, S. Molingi de incolumitate corporum suorum, ipse vero confidens in Christo, lucida nebula a Deo de cœlo inter inimicos et Sanctum cecidit: et amplius nullo potuerunt modo videre vel persequi Sanctum Dei. et sic sanctus Antistes Molingus cum sociis de regione Nepotum Neill evasit. Illud scilicet canticum S. Molingi semper honorifice in Hibernia habetur, quod cantant boni homines iter aggredientes: et per gratiam S. Molingi, ceterorumque Sanctorum, quorum in illo memoria canitur, a diversis periculis omnipotens Deus liberat illos.

*S. Molingo periculis adest invocata.*

*S. Molingi canticum pro fausto itinere,*

108 *Aliud* S. Brigida, *cum S. Aidano, beneficium cælitus infirmo cuidam contulit, quod ita in citata S. Aidani Vita narratur:* Fuit quidam homo infirmus annis triginta in finibus Aquilonalium Lageniensium, nomine Finanus: hic in visione in festivitate S. Maedoc vidit currum mirabilem de cœlo descendentem ad civitatem S. Maedoc Fearna; in quo erat senex sanctus, pulcherrimus facie, in clericali habitu, et clarissima Virgo palliata cum eo; et ipsi sibi invicem dabant honorem, quasi servus Domino. Ille vir interrogavit eos, qui essent? Respondit Clericus ei: Ista est beatissima Virgo Brigida, Domina Hiberniæ: ego autem sum servus Christi Maedoc. Festum jam meum crastina die celebratur, et festum hujus Virginis beatissimæ post cras colitur. Jam vero venimus, ut benedicamus loca nostra, et eos qui suis donis et oblationibus honorificant diem exitus nostri. Tu vero lætus, et paratus esto; quia crastina die migrabis ad cœlum. Surgens ille homo de extasi, ascendit currum, et exivit ad civitatem beatæ Virginis Brigidæ, nomine Killdara, positam in campo Liffe in terra Laginensium, narrans omnibus visionem suam. Et sicut prædictum est ei, die tertio feliciter post victoriam infirmitatis ad cœlum migravit. *Hunc* S. Finanum, *cognomento* Lobhar, *id est,* Leprosum, *scribit Colganus, non* I *aut* II *Februarii, quo obiit, sed* XVI *die Martii coli.*

*S. Finano apparet cum S. Aidano, et mortem prædicunt*

## § XIV. *Miracula suspectæ fidei, S. Brigidæ adscripta.*

Nonnulla *quoque S. Brigidæ adscribuntur, quæ non satis cum illius ætate congruere videntur.* S. Aidus Bricci *filius, memoratur ei familiaris, ac tamen junior extitisse* S. Canico, *qui Brigidam numquam vidit, quadriennio post ejus mortem natus. Aidus enim, ut in ejus Vita dicitur,* in domo matris suæ alitus in terra Muinnensium puerulus; denique adhuc juvenis factus, gregem porcorum in silvis quærens, S. Brandanum Birræ invenit in aliquo loco scribentem Evangelium, et S. Kennechum supervenientem. Loquentes autem et

*S. Aidus junior S. Canico, nonnisi ...*

A et salutantes Sancti invicem, viderunt puerum proximantem. Quem ut vidit Brandanus, surrexit obviam ei, et cum gaudio magno suscepit eum. Kennechus autem accusabat Sanctum Dei, in adventu parvi resurgere *etc. Et clarius in Vita S. Aidi ex codice Kilkenniensi Colganus* XXVIII *Februarii* : Quodam die ambulans beatus puer Ædus solus in eremo, invenit in quadam cellula secreta et remota insula duos sanctos seniores Abbates, S. Brandanum Birræ et Cainnicum legentes Evangelium, *ac deinde* : Sanctus autem Cainnicus increpavit B. Brandanum, eo quod in adventum pueri ignoti surrexit.

*Sanatur S. Brigida a dolore capitis.*

110 *Postea tamen, quasi jam Episcopus fuisset vivente Brigida, ista narrantur* : Et ideo, ut periti dicunt, quicumque dolore capitis vexatur, invocato nomine S. Aidi sanatur. Nam S. Brigida cum gravissimo dolore capitis laboraret, invocans nomen S. Aidi Episcopi, statim sanata est a dolore capitis usque in diem mortis suæ, sicut illa dicere solebat : Invocatio nominis S. Aidi a gravissimis capitis mei doloribus sanavit me. *Idem recitat Colganus ex codice Insensi, sive Insulæ Sanctorum : quod tamen ad* XXVIII *Februarii fatetur plus examinationis postulare. In ea autem Vita, quam isthic edidit ex codice Kilkenniensi, solum dicitur :* Quædam sancta Virgo habens nimium dolorem in B capite, invocavit nomen S. Aidi posita longe ab eo, et illico sana facta est a dolore capitis usque ad mortem suam.

*Item Evangelium ab ea recuperatum dicitur.*

111 *In eadem, quæ penes nos est, MS. Vita ista habentur* : Alio autem tempore S. Aidus perrexit ad S. Brigidam, et dixit ad eam : Ego non habeo Evangelium, numquid potes illud præstare? Quæ respondit : Non est hoc facile mihi. Tunc S. Brigida surgens extendit manus suas in oratione : et orantes simul unanimiter, dimissum est Evangelium in sinum S. Brigidæ; et dedit illud in sinum S. Aidi Episcopi, gratias agentes Deo, et laudantes et benedicentes Dominum. *Alia fortassis junior Brigida fuerit.*

*S. Brandanus ... tum?*

112 *Nec majorem apud nos obtinet fidem, quod ex S. Brandani Cluanfertensis Vita narrat Colganus, mirabile sane, ac portentis quæ in septenni navigatione vidisse memoratur, haud dissimile. Erat is S. Brandano Birrano, de quo antea egimus, aliquanto junior, ut ex hujus Vita patet, ubi ista habentur* : Tunc junior Brandanus dixit ad seniorem de Birra. *Usserius scribit Birranum anno* DLXXI *obiisse, alterum* DLXXVII, *vel summum* DLXXXIII. *Ad hunc certe quidem annum pertigisse debuit, si, quod in ejus navigationis historia refertur, monachum in remota insula reperit, qui isthuc* C *a S. Patricii decessu profectus,* XC *ibidem annos exegerat. Sed quod ait Usserius Brandanum* XCIII *annorum tunc fuisse, unde consequens esset anno* CDXC *in lucem prodiisse, haud satis nobis probatur. Nam in quarta S. Patricii Vita apud Colganum ista habentur cap.* 79 :

*natus post S. Patricii mortem.*

Beatus autem Apostolus Patricius inter cetera dona plenus Spiritu prophetiæ erat : et prophetavit de Sanctis, qui in illis regionibus post ejus obitum forent; et nomina eorum, et tempora in quibus nascituri essent, revelavit : sicut de S. Senano, qui post XL annos natus est, et de S. Brendano, qui CXX anno post beati viri obitum, oriundus fuit, *etc. Idem de Brendano refertur in opere tripartito, par.* 3, *cap.* 47. *Sed manifestum est, mendum irrepsisse in numeros,*

*forte* 543

*alioquin natus demum fuisset anno* DCXIII. *Colganus restituendum putat* XII *anno ante beati viri obitum, id est* CDLXXXI. *At diserte scribitur, qui post ejus obitum forent. S. Senanus quidem in Vita* I *S. Brigidæ dicitur ea superstite sanctitatis opinione floruisse : quod haud usquequaque certum est, ut ad cap.* 17 *Vitæ illius notabimus, quod enim isthic ad eum misisse munus dicitur Brigida, id in Senani Vita alteri Brigidæ de familia Mac-Tailobarum tribuitur. At S. Brandanus fortassis* XXX *anno post S. Patricii obitum, ipso nempe quo et Brigida decessit, natus est : facile enim* X *in* C D *deformatur. Quid si* C *illud incuria librarii additum, solumque antea* XX *scriptum fuit? In Vita certe quidem S. Columkilli, venisse ad eum dicuntur* quatuor monasteriorum Sancti fundatores de Scotia Congellus, Cannecus, Brendanus, Cormacus : *atqui Cannecus, sive Canicus, anno* DXXVII, *Congallus* DXVI *natus dicitur, uti ad eorum Vitas* XI *Octobr. et* X *Maii referemus : fueruntque ambo S. Columbæ æquales et amici. Cum ergo Brandanus cum iis connumeretur, et quidem tertio loco, an verisimile est tanto provectiorem utroque extitisse?*

*æqualis SS. Congallo et Columbæ.*

*dicitur audisse belluam voce humana implorantem S. Brigidæ auxilium*

113 *Utcumque tamen illa se habeant, ea promamus quæ de Brigida narrantur in S. Brendani Vita apud Colganum append.* 2 *ad S. Brigidæ Vitam nu.* 18. Quodam die cum esset Sanctus senior super mare, vidit duas belluas aliquando bellantes, aliquando vero veloci cursu natantes. Sed una bello mirabili persequebatur alteram : et bellua quæ erat fugitiva, cum esset pene capta et superata, e regione S. Brendano humana voce dixit : Commendo me in defensionem S. Patricii Archiepiscopi Scotorum. Altera similiter humana voce dixit : Commendo me in nullo te juvabit modo. Fugitiva dixit ei : Defensio ejus in defensionem S. Brendani præsentis modo. Persecutrix dixit : Defensio vere Brendani nihil tibi proderit. Iterum fugitiva dixit : Commendo me in defensionem E sanctissimæ Virginis Brigidæ. Tunc persecutrix illico reversa est, dicens : Amplius non audeo te persequi, quia te commendasti in defensionem S. Brigidæ. Postea illa misera evasit incolumis. Sanctus autem Brendanus laudem S. Brigidæ fecit, dans gloriam Deo. Et perveniens ad Hiberniam, exivit ad S. Brigidam; narransque et de supra dictis belluis, interrogavit illam, et dixit : Quid timent te, Virgo Dei, belluæ marinæ, plusquam alios Sanctos? Virgo Dei respondit illi : Quomodo est frequentia intentionis tuæ ad Deum? Ait S. Brendanus : In septimo gressu meo, quando minus sit, cogito Deum : aliquando vero longo intervallo nihil aliud cogito nisi Deum. Dixit ei S. Brigida : Ergo aliquando terrena cogitas, aliquando Deum. Ego autem vere a quo die posui in Deum mentem meam, numquam reflexi eam in terrena. Quanto jam homo intendit in Deum, et amat eum, tanto timent hominem animalia. Et ædificatus S. Brendanus in hac sententia beatissimæ Virginis Brigidæ, benedictioneque data ad invicem, ivit in viam suam.

*aliamque acquiescentem,*

*quia Sancta semper de Deo cogitabat.*

114 *Verum quale illud est, belluas non solum humana voce loqui, sed ipsum agnoscere Brandanum, absentemque Brigidam, et pridem vita functum Patricium? Sed demus, etsi tanti miraculi caussa appareat nulla, Deum tamen, qui asinæ loquela olim Balaamum commonuit,* F *eadem ratione voluisse hic Brandanum erudire; aut certe per somnium visumve imaginarium aliquod, illi istud esse objectum, at qui potuit Sanctus Senior appellari, qui Brigida moriente, vel* XIII *duntaxat, ut vero propius videtur, vel* XXXIII, *vel demum ex Colgani mente* XLII *erat annorum? At tota ea narratio ex earum est genere, quæ plurimæ in Sanctorum Hibernicorum Actis, incerta fama posteritatis, ab nimium credulis rudibusque scriptoribus, in monumenta litterarum relatis, habentur. Audierat quis, vel feras Brigidæ imperio mansuefactos, ad eamque velut supplices confugisse, vel belluinæ sævitiæ homines opem illius imploratam sensisse, quæ certum est evenisse : unde commentus est, veras belluas ejus auxilium verbis expetiisse, eoque esse servatas. Quod tamen additur, propterea etiam belluas fuisse subjectas, quia assidue mentem habuerit in Dei contemplatione amoreque defixam, et ipsius pietati, et infinitæ Dei erga Sanctos suæ caritati magnificentiæque consentaneum est.*

*quatenus sit probabile?*

## § XV. *Lectiones de S. Brigida, ex veteri Breviario Aberdonensi, an.* MDIX *excuso.*

S. Brigida, quam Deus præscivit ad suam imaginem et prædestinavit, de bona ac prudentissima prosapia

*S. Brigidæ parentes*

A sapia Scotica orta, patre Dubthaco, et matre Brocca genita; a pueritia sua bonarum rerum studiis inolevit. Electa enim a Deo puella, moribus sobrietatis ac prudentiæ plena, in meliora semper crescebat. Transmissa a matre, ut de lacte vaccarum, sicut aliæ fœminæ, butyrum congregaret, totum pauperibus erogavit: et cum ceteræ fructum vaccarum collectum reddidissent, ipsa flamma Dei accensa, ad Dominum se convertit: Deus autem pro sua Virgine butyrum restituit affluenter. Denique cum parentes ejus eam desponsare volebant, ipsa castitatem elegit; et coram sanctissimo Episcopo votum emittens, fundamen ligneum, quo altare fulciebatur, manu tetigit: quod lignum ad commemorationem pristinæ Virginis usque ad præsens tempus viride, ac si non esset recisum et decorticatum, sed in radicibus fixum, virescit, et languidos curat usque in hodiernum diem.

*eleemosyna divinitus compensata:* *castitas frondente ligno arido testata;*

II S. Brigida Virgo religiosa, videns sibi instare tempus desponsationis, Dominum rogavit, ut aliquam deformitatem sibi immitteret, et ut saltem hoc modo procorum instantiam vitaret. Tunc unus oculus ejus crepuit, et liquefactus est in capite suo. Accepto ergo sacro velamine, Brigida cum aliis virginibus sacris velatis et Deo devotis, in oppido Medi extitit; ubi Dominus ejus oratione plurima dignatus est facere
B miracula. Hospitem quemdam, Marcum nomine, sanavit. Decem et octo Ecclesiis de uno modio cerevisiam a Cœna Domini usque ad finem Paschæ sufficienter ministravit. Leprosæ cuidam petenti lac, cum non haberet, aquam frigidam porrexit; sed in lac aqua conversa est: eaque hausta puella sanata est. Deinde leprosum curavit, duos cæcos illuminavit. Contigit ut caussa cogente iter faciens, in vadum laberetur: et fracto capite sanguis emanavit, quo mulieres duæ mutæ linitæ vocem receperunt. Post hoc vas pretiosum Regis a manu rustici lapsum dissiluit: et, ne rusticus damnaretur, a Brigida integrum restitutum est. Cumque mulier leprosa quædam poma negaret, Brigidæ precibus pomarium funditus exaruit, et poma noviter intus relicta penitus evanuerunt. Hinc iter faciens in curru, vidit pauperem quemdam cum familia sua multo sudore ligna ferentem, et miserta dedit illi equos suos, et illa cum puellis suis juxta viam consedit; et ait: Fodite sub cespite propinquo, ut aqua prorumpat propter peregrinantes. Mox cespite ejecto fons prosiliens emanavit. Hoc facto Dux inde transiens Brigidæ duos equos dedit.

*oculi jactura servata* *miracula plurima* *fons eductus*

III Appropinquante die Paschæ dixit Brigida puellis suis: Quæ lavabit infirmas nostras sorores? Cumque illæ, utpote juvenculæ, omnes recusarent; Brigida
C intravit, manu illas lavans, et ab infirmitate sanavit, quarum una paralytica erat, alia dæmoniaca, alia leprosa.

*infirmæ lavando sanatæ:*

IV In domo quadam aliena S. Brigida manente, casu contigit ut omnes exirent, et venerunt quidam petentes panem, et Brigida circumspiciens dixit puero prope cubanti paralytico et muto, quod tamen ipsa ignorabat: Puer, scis ubi sit clavis? Et respondit: Scio. Dixit ei Brigida: Surge, et ministra illis, et factum est ita. In domo una duodecim infirmos curavit.

*paralyticus ac mutus curatus*

V In concilio magno mulier quædam uni Episcopo crimen sui partus imposuit: cui cum B. Brigida os signo Crucis signasset, illa intumuit a vertice capitis usque ad plantam pedis, nec tamen veritatem confessa est. Dixit Brigida: Dic infantule, quis est pater tuus? Et ille respondit: Episcopus pater meus non est, sed quidam in extrema parte Concilii ultimus et turpis et vilis. In diebus illis venit ad S. Brigidam quædam Virgo quærens eleemosynam ab illa; cui Brigida: Accipe vaccam, et abduc. Cui illa respondit: Vacca mihi nihil prodest; venient latrones et auferent eam mihi. Brigida dixit: Accipe cingulum, et eo aqua intincto spargens sanabis infirmos.

*calumnia ab innocente depulsa* *cingulo ejus facta miracula*

Quo accepto abiit, et ab infirmis sanatis lucra multa contraxit, et pauperibus Christi distribuit. D

VI In tempore famis Brigida perrexit ad Episcopum Iborum, ut ab eo peteret fruges. Ille tempore Quadragesimæ, cum alium non haberet panem, durum lapidem cum lardo proposuit; et illa cum Episcopo comedit. Duæ autem illius puellæ nolentes carnes comedere, absconderunt. Sed illæ versæ sunt in serpentes duos. Unde graviter a Brigida coram Episcopo increpatæ sunt. Tunc eis pœnitentibus, illis orantibus, serpentes sunt mutati in panem. Post multa talia admiranda Brigida migravit ad Dominum.

*inobedientia divinitus castigata*

# VITA I S. BRIGIDÆ

## AUCTORE ANONYMO,

### *ex MS. Ecclesiæ S. Audomari, et aliis.*

### CAPUT I.

### *S. Brigidæ genus, nativitas, infantia, præsagia sanctitatis.*

Fuit quidam vir nobilis, Laginensis genere, Dubtachus, qui emit ancillam nomine *a* Broetsech. Hæc erat formosa forma, et moribus bonis, et bona servitute. Concupivit autem illam dominus suus Dubtachus, et dormivit cum ea: quæ concepit ab eo in utero. Hoc autem sciens propria uxor Dubtachi, contristata est valde; et dixit viro suo: Ejice et vende ancillam istam: ne progenies ipsius meam progeniem superet. Sed vir nolebat vendere ancillam, valde amans eam: in omnibus enim moribus perfecta erat. E

*S. Brigida serva matre, heræ exosa*

2 Quadam autem die sederunt ambo in curru, vir ille et ancilla, et exierunt secus domum cujusdam magi. Audiens autem magus sonitum currus, dixit servis suis: Videte, quis sedeat in curru: currus enim sub Rege sonat. Tunc servi dixerunt: Neminem cernimus nisi Dubtachum in curru. Magus dixit: Vocate illum ad me. Vocatoque eo, magus ait: Mulier, quæ post tergum tuum sedet in curru, an habet conceptum in utero? Dubtachus respondens ait: Habet. Magus dixit: O mulier, de quo viro concepisti? Illa respondit: De domino meo Dubtacho. Qui ait: Hanc ergo mulierem valde custodi; mirabilis enim erit conceptus illius. Dubtachus respondit: Compellit me uxor mea, ut hanc famulam vendam, timet enim semen illius. Magus dixit: Uxoris tuæ semen semini famulæ serviet usque in finem seculi. Ad ancillam vero magus dixit: Constans esto animo, quia nullus tibi poterit nocere: gratia enim infantulæ liberabit te. Claram namque filiam paries, quæ F sicut sol in vertice cœli, lucebit in mundo. Dubtachus dixit: Deo gratias ago, quia huc usque filiam non habui, sed filios tantum. Reversi sunt ergo Dubtachus et ancilla ejus in domum suam. Dubtachus vero plus dilexit ancillam suam post sermones magi. Tunc uxor irata cum fratribus suis, urgebat valde Dubtachum, ut venderet ancillam in regione longinqua.

*sanctitate ejus prædicta a mago,*

3 In illis autem diebus, Deo instigante, duo sancti Episcopi, ex Britannia venientes, intraverunt in domum Dubtachi, quorum alter vocabatur *b* Mel et alter Melchu. Dixitque Mel ad uxorem Dubtachi: Quare tristis es? famulæ tuæ partus præcellet te et semen tuum. Sed tamen illam ancillam sicut filios tuos ama, quia progenies illius tuo semini multum proficiet. Cum ergo uxor perduraret in furore; venit quidam *c* magus *d* de nepotibus Neil, Deo inspiratus, et emit ancillam Dubtachi: sed tamen ille non vendidit partum, quem habebat illa in utero. Perrexit ergo magus cum ancilla ad suam regionem: et in illa nocte in qua intravit in domum suam, venit quidam hospes sanctus vir, orans Deum per totam noctem, videbatque sæpe in nocte globum igneum in loco in quo ancilla dormiebat; et hoc mane Poetæ narravit

*et S. Melo ep.* *ac globo igneo prævisa*

4 Quadam

sint. S. Brigida dixit : Tuæ vaccæ tecum sint: matrem meam mihi liberam relinque. Magus ait : Ecce offero tibi butyrum, et vaccas, et matrem tuum. Tunc magus credidit Domino, et baptizatus est. Sancta vero Brigida omnia oblata sibi a mago dedit pauperibus, et reversa est cum matre ad patrem suum.

14 Posthæc cogitabat Dubtachus filiam suam vendere, quia multa furta faciebat : omnia enim quæ videbat, pauperibus occulte dabat. Quadam autem die assumpsit eam secum in curru, ut irent ad c Regem. Cumque venissent ad aulam Regis, reliquit Dubtachus currum juxta eam, et exiit ad Regem : venitque pauper ad S. Brigidam, et dedit illi gladium regalem patris sui, quem dedit ei Rex. Tunc Dubtachus dixit ad Regem : Eme filiam meam, ut serviat tibi. Rex respondit : Qua caussa vendis eam? Dubtachus dixit : Quidquid invenerint manus ejus, furantur. Dixitque Rex : Illa veniat ad nos. Exiit autem Dubtachus ad eam, dicens : Ubi est gladius meus? Illa respondens dixit : Ego dedi illum Christo. Iratus est autem pater volens interficere Virginem. Rex vero ait ad eam : Cur dedisti gladium meum et patris tui pauperibus? Respondit illa : Si teipsum et illum Deus meus a me postulasset, si potuissem, vos, cum omnibus quæ habetis, darem illi. Tunc Rex ait : Ista filia, ut video, Dubtache, d magna est ad emendum mihi, et major est ad vendendum tibi. Tunc Rex tribuit Virgini alium gladium, ut daret eum patri suo. Reversus est ergo Dubtachus ad domum suam lætus cum filia sua.

a MS. Aud. qui collectus. Sic et alii rudioris ævi Scriptores.
b Colganus Not. 9 ait fuisse S. Ibarum sive Iubarum Ep. qui in insula Beg-Eryn, id est, parva Hibernia, habitavit, colitur que 23 April. c Dunlangium Regem Lageniæ, fuisse ait Colganus.
d MS. Ratisp. et Colg. major est.

## CAPUT III.

### *Virginitas Deo devota, velo accepto, variæ rerum metamorphoses.*

Non longo post tempore venit quidam a vir honorabilis ad Dubtachum, ut peteret filiam suam in conjugem : et hoc placuit patri et fratribus. Brigida vero respuebat eum. Cumque graviter compellerent eam, ut viro jungeretur, rogavit Dominum ut aliquam deformitatem super corpus suum daret; ut cessarent homines eam quærere. Tunc unus oculus illius crepuit, et liquefactus est in capite suo. Illa autem magis elegit oculum perdere corporalem, quam animæ, et plus amavit pulchritudinem animæ, quam corporis. Hoc autem videns pater ejus, permisit eam velatam esse : et oculo restituto sanata est accepto velamine.

16 Sancta ergo Brigida acceptis secum b tribus puellis, perrexit ad fines Nepotum Neil, ad duos Episcopos, Mel et Melchu, qui discipuli S. Patricii fuerunt, et in oppidis c Medi illi habitaverunt : et habebant quemdam discipulum, nomine d Maccalle, qui dixit ad Mel : Ecce Virgines sanctæ foris sunt, quæ volunt velamen virginitatis de manu tua accipere. Tunc introduxit eas ante Episcopum; intuensque illas Episcopus Mel, subito apparuit columna ignis de vertice Brigidæ. Lectis ergo orationibus, Brigida capite submisso pedem altaris ligneum manu sua tenuit, et ab hac hora pes ille viridis sine ulla putredine, et sine defectu, manet in æternum : oculusque ejus sanatus est, dum velamen acciperet. Aliæ vero octo Virgines acceperunt velamen simul cum S. Brigida : et illæ Virgines cum suis parentibus ad Brigidam dixerunt : Noli nos relinquere, sed mane nobiscum : et locum habitandi in his regionibus accipe. Tunc mansit cum illis S. Brigida.

17 Quadam autem die venerunt ad Brigidam cum puellis suis tres viri religiosi et peregrini, et illa refecit eos cibo et cocto lardo. Illi autem viri comedentes cibum, absconderunt tres partes, nolentes lardum comedere. Crastino autem die salutans eos Brigida dixit illis : Videte qualem cibum habetis remanentem. Qui cum adspexissent, viderunt has tres partes lardi, quod tres panes essent. Altero autem die duo ex his viris exierunt ad opus e necessarium, tertius vero junior in domo remansit. Quem cum vidisset S. Brigida dixit ei : Cur cum fratribus tuis non existi ad operandum? Ille respondit : Quia unam manum non habeo. Videns autem Brigida manum ejus, quia mancus erat, sanavit eum : et statim exiit post comites suos ad operandum.

18 Cum autem dies Paschæ appropinquaret, voluit S. Brigida cœnam facere omnibus Ecclesiis, quæ circa se in circuitu oppidorum Medi fuerant. Illa tamen materiam cœnæ non habuit, nisi unum modium f tantum, quia penuria panis illis temporibus in illa regione erat. Fecit autem cerevisiam de illo modio in duabus pelvibus : alia enim vasa non habebat. Divisa est ergo illa cerevisia per modios, et portata est a Brigida decem et octo. Ecclesiis, quæ in circuitu ejus erant; et de his in Cœna Domini et in Pascha, et in septimana usque ad clausulam Paschæ sufficienter omnibus abundavit.

19 In eodem Pascha ad S. Brigidam quidam leprosus venit, postulans ab ea quamdam vaccam. Illa autem vaccam non habens, dixit ei : Vis ut rogemus Deum, ut a lepra tua sanus fias? Ille respondit : Hoc mihi omnibus donis melius est. Tunc S. Brigida benedixit aquam, et aspersit corpus leprosi; et sanatus est, gratias agens Deo, et mansit apud Brigidam usque ad mortem suam.

20 Alia autem die una de puellis S. Brigidæ dolore ægrotabat, graviterque dolens pusillum calidi lactis postulavit, sed nulla vacca apud eos erat. Hoc audiens S. Brigida, ad alteram puellam dixit : Imple phialam aqua frigida, et da ægrotanti bibere. Et cum hoc fecisset, factum est vasculum plenum lacte calido, quasi in illa hora emulsum fuisset. Cum ergo bibisset infirma, sanata est.

21 Duæ Virgines de genere S. Brigidæ, quæ paralyticæ erant, et in proximo habitabant loco, miserunt ad eam, ut veniens curaret eas. Exiit ergo ad eas, et benedixit salem et aquam : quæ sumentes sanatæ sunt.

22 Duo denique Brittones cæci cum ministro leproso, qui eis ducatum præbebat, venerunt ad Sanctam crebro nominatam Brigidam, et steterunt ad januas ecclesiæ, in qua illa erat, quærentes ab ea sanitatem. Quæ dixit eis : Expectate paullisper, intrateque hospitale, et comedite, et nos precabimur pro salute vestra. Illi autem indignati dixerunt : Infirmos generis tui sanas, nos autem quasi advenas negligis pro Christo curare. Tunc illa accepto opprobrio exiit ad eos de ecclesia portans secum benedictam aquam : de qua ut eos aspersit, continuo mundatus est leprosus, et illuminati sunt cæci, laudantes Deum et gratias agentes.

23 Quadam vero die venit quædam mulier, vaccam portans in oblationem Brigidæ : sed vitulus ejus errans in silva densissima remansit; unde non poterant vaccam minare sine eo. Tunc una voce clamaverunt dicentes : O Brigida adjuva nos. Et statim facta est vacca mitis, et sana mente, rectoque itinere pergebat usque ad Brigidam. Tunc dixit illis : Nolite solliciti esse de vitulo; adveniet enim post matrem suam, sequens vestigia illius.

24 Alia autem die, postquam consummata est septimana Paschæ, dixit S. Brigida puellis suis : Si deficit cerevisia, quam paravimus solemnitati Paschæ? Sollicita enim sum de Episcopo nostro Mel, et de hospitibus Christi. Responderunt puellæ dicentes : Deus mittet. Et cum hæc dixissent, venerunt in domum puellæ vas aqua plenum in humeris portantes, et dederunt illud Brigidæ, ut benediceret solito more. At vero Brigida putans quod cerevisia esset in vase, ait : Deo gratias agimus, qui dedit cerevisiam

A istam Episcopo nostro, et sic conversa est aqua illa in cerevisiam, ad instar vini optimi facta fuit statim.

a Hunc quidam, teste Colgano, volunt fuisse Dubtachum Lugarii filium, celebrem poetam, qui solus cum S. Erco in aula Leogarii Regis S. Patricio assurrexit, et baptismum petiit. Id si verum est, debuit admodum ætate fuisse provectus cum Brigidam in conjugem expetiit, cum tamen Chilienus cap. 1 nu. 9 hujus primum juvenem fuisse dicat, qui jure parentum unica cura fuit.

b Chilienus num. 12 dicit septem fuisse. c MS. Aud. Mell.

d MS. Aud. Macca: vide Not. 9 ad c. 1 Vitæ per Cogitosum.

e Colg. nominum. f Addit Capgr. brasii. Est brasium hordeum vel triticum, aut spelta, aqua primum maceratum, dein exsiccatum, tum commolitum, unde cerevisia coquitur. Vide Vossium de vitiis sermonis lib. 2 cap. 3.

## CAPUT IV.

### *S. Brigidæ miraculosa curatio, et aliorum per eam.*

*laborat oculis*

Eodem tempore S. Brigida dolore oculorum cruciabatur. Hoc audiens Episcopus Mel, misit ad eam, ut veniret ad se, quatenus ambo ad quærendum medicum pergerent, qui curaret eam. Cui Brigida dixit: Corporalem medicinam quærere nolo; sed tamen quod tu vis faciemus. Factum est autem, dum Episcopus Mel et Brigida iter agerent ad quærendum medicum, cecidit S. Brigida de curru suo in vado cujusdam fluminis, et vulneratum est caput ejus lapide, et sanguis vehementer fluebat, de quo, mixto cum aqua, sanatæ sunt duæ mulieres mutæ, et solutæ sunt linguæ earum. Accidit autem post hæc, ut ille *a* medicus, quem quærebant, occurreret eis in via. Qui cum manu tetigisset caput Virginis, dixit: O Virgo, medicus caput tuum sanavit, qui multo melior me est. Nullum locum invenit, ex quo effunderet sanguinem. Illum medicum semper quære, qui potest morbum ex te repellere. Tunc Episcopus ad eam dixit: Nequaquam iterum ego hortabor te, medicum quærere corporalem.

*de curru cadens læditur.*

B

*ejus sanguine duæ mutæ curatæ*

*divinitus sanatur*

26 Post hæc autem Episcopi sancti Mel et Melchu cum S. Brigida perrexerunt in campum *b* Tehtfe, quia illi Episcopi *c* monasterium grande ibi habuerant. Cumque Sancta cum suis ibidem moraretur, quadam die Rex Tehtfe haud procul ab eis fuit in convivio, et rusticus quidam accessit, ut tolleret de mensa Regis vas quoddam pretiosum facturæ mirabilis, et materiæ pretiosæ: et hoc vas apud veteres vocabatur Septilorinus calix. Illud autem vas cecidit de manu rustici, et confractum est. Tunc iratus Rex jussit eum alligari, ut occideretur. Hoc audiens Episcopus Mel, perrexit ut rogaret pro misero. Sed Rex non dimisit eum. Tunc Mel portans fragmenta vasis confracti, venit ad S. Brigidam; et illa rogavit Deum, et restauratum est vas, et redintegratum est, et miser liberatus est. Fama vero S. Brigidæ totam regionem illam implevit.

*vas fractum precibus redintegrat*

C

27 Erat autem in illa regione quædam Virgo sancta, *d* Brigida nomine, quæ misit ad S. Brigidam, ut ad domum ejus veniret. Tunc Brigida perrexit ad domum illius, et illa suscepit eam cum gaudio magno, et lavit pedes ejus, et de illo lavacro pedum ejus sanata est quædam Virgo, quæ in domo jacebat ægrotans, et statim surrexit, et ministrabat cum ceteris. Et cum appositus esset cibus, cœpit S. Brigida diligenter mensam intueri. Tunc Virgo sancta Brigida ad Brigidam dixit: Dæmonem sedentem in mensa *e* vestra aspicio. Dixitque Brigida: Si possibile est, volo videre illum. Respondit S. Brigida: Non illud est impossibile, sed prius signentur oculi tui, ut possis sustinere, et faciem ejus aspicere. Signatisque oculis, vidit inimicum tetra et nigra figura, capite ingenti, et per omnes fores ejus flamma et fumus exhalabat. Tunc S. Brigida dixit ad eum: Loquere nobis dæmon. At ille respondit dicens: O sancta Virgo, *f* non possum tibi loqui, nec tua præcepta contemnere, quia tu præcepta Dei non contemnis, et pauperibus ejus et miniimis affabilis es. Dixitque Brigida: Qua caussa huc venisti? Dæmon respondit: Apud Virginem hic habito, et caussa pigritudinis ejus locum in ea habeo: *g* venienteque Virgine huc ut benediceretur, remansi hic. Tunc vocata est ad eas illa Virgo, et signavit Brigida oculos ejus, et vidit horridum monstrum; et illa timuit et tremuit. Dixitque ad eam Brigida: Vide quem nutrire solebat multis annis. Et ex illo die liberata est illa Virgo a dæmone.

*quæ aqua loti ejus pedes, ægra sanatur*

*videt dæmonem,*

*e*

*atque alteri, signatis ejus oculis, ostendit,*

*f*

D

*itemque alteri, a qua per pigritiam is fovebatur*

*g*

28 Quadam autem die in campo Tehtfe quædam mulier munusculum pomorum attulit S. Brigidæ: et in eadem hora, priusquam mulier de domo exiret, venerunt leprosi postulantes ea. Tunc Brigida dixit: dividite illis hæc poma. Hoc audiens illa, rapuit ad se sua poma, dicens: Tibi et tuis Virginibus hæc poma attuli, non leprosis. Hoc displicuit S. Brigidæ, et dixit: Male agis prohibens eleemosynam dare: idcirco ligna tua fructum non habebunt in æternum. Tunc illa foras egressa conspexit hortum suum, et nullum pomum invenit, quem in eadem hora plenum pomis reliquerat, et sterilis in æternum permansit.

*arbores maledicens, steriles reddit*

29 Alio autem tempore S. Brigida iter per campum agebat Tethbe, sedens in curru. Tunc illa vidit quemdam maritum cum sua uxore, et tota familia, et cum multis pecoribus, laborantes et portantes onera gravia; qui in ardore solis lassi fuerunt. Tunc miserta illorum dedit eis equos currus sui ad onera portanda. Illa autem remansit juxta viam sedens cum puellis suis; dixitque illis Brigida: Fodite sub cespite propinquo, ut erumpat aqua foras; veniunt enim alii, qui habent escas, et sine potu sitiunt. Tunc foderunt, et erupit fluvius. Post paullulum autem per eamdem viam venit alius Dux cum multa turba peditum et equitum: et ille audiens, quod S. Brigida de equis fecit, obtulit duos equos ei indomitos: sed statim domiti facti sunt, quasi semper essent sub curru. Post hoc venerunt per eamdem viam discipuli et familia S. Patricii Episcopi, dixeruntque ad Brigidam: Nos in via laboramus, cibum habemus, sed potus nobis deest. Tunc comites Brigidæ dixerunt: Nos vobis præparavimus potum, fluminis aquam. Prædixit enim S. Brigida vos esse venturos. Tunc omnes comederunt et biberunt, in commune gratias Deo agentes, et Brigidam glorificantes.

*equos indigenti donat*

E

*absentia cognoscit*

*rivum elicit*

*equos indomitos, sibi datos, illico cicures reddit*

30 Duo leprosi viri secuti sunt S. Brigidam euntem cum turba multa, quos illa, ut solita erat, benigne suscepit. Rixabantur vero miseri, et se invicem percutiebant. Manus illius, qui prius percutiebat proximum, incurvata non potuit iterum erigi. Alterius quoque dextera ad percutiendum sursum erecta, recurvari in sinum non potuit. Riguerunt igitur manus miserorum manentes immobiles, donec S. Brigida advenit. Tunc illi leprosi pœnitentiam egerunt, sanavitque Brigida manus eorum.

*manus, quæ rixantibus obriguerant, sanat*

31 Alio quoque tempore currus S. Brigidæ *h* oductus est, ut in eo vir infirmus veheretur, qui in extremo vitæ confinio anhelabat. Cumque in curru S. Brigidæ portaretur, venerunt vespere ad locum ubi Sancta fuit. Et in illa nocte melius habuit infirmus, et in crastino die benedicens Deum, ambulavit. Succurrentes venerunt leprosi, postulantes illum currum. Et datus est eis cum equis suis.

*h*

*curru suo ægrum imponit, et sanat*

*currum et equos dat leprosis*

32 S. Brigida rogata ad aliam Ecclesiam in regione Tethbe exiit, ut ibi celebraret diem Paschæ. At vero Domina Ecclesiæ illius puellis suis in die Cœnæ Domini dixit: Quæ ex vobis lavacrum hodie faciet senibus et infirmis nostris? Et omnes juvenculæ nolentes excusaverunt. Tunc S. Brigida dixit: Volo ut ego miseras et infirmas abluam. Erant autem in una domo quatuor ægrotæ, una paralytica quæ jacebat immobilis, alia vero energumena dæmone plena, tertia cæca, quarta leprosa. Tunc Brigida prius cœpit lavare paralyticam, et illa ait: O Brigida, roga Christum ut sanet me: et oravit Brigida, et statim illa sanata est.

*paralyticam lavans sanat*

33 Alia

*mutum et paralyticum curat*

A 33 Alia quoque Ecclesia in eadem regione rogavit S. Brigidam, ut ibi maneret aliquibus diebus. Sed casu accidit, ut omnes familiæ exirent, remansitque Brigida cum solo puero muto et paralytico. Nesciebat vero Brigida, quod mutus ille et paralyticus esset. Et in eadem hora venerunt laici quærentes cibum : dixitque Brigida ad puerum jacentem : Nosti ubi est clavis coquinæ? Ille dixit : Scio. Brigida dixit : Surge, et da mihi eam. Tunc surrexit, et dedit ei clavem, et ille ministrabat cum ea cibum hospitibus illis. Advenit familia et mirabatur puerum loquentem et ambulantem : et narravit quomodo sanatus est. Tunc omnes gratias Deo egerunt.

a *Dunelmensis cap.* 12, *num.* 74 *ait* Episcopum *fuisse*, nomine Eth, *qui* genera morborum, et remedia curationum, doctrina simul et exercitatione callebat. *Superius ostendimus, non fuisse* S. Aidum *sive* Ædum, *Bricci filium, etsi is ad dolorem capitis pellendum invocetur.* b *Colg. ex MS. Bat.* Thebe *notaque nom regionem, quæ olim* Theffa, *nunc* Angaliam *dici et* Longfordiam, *conjuncti Mediæ occidentali ad Arctum. Sinanno amne irriguam.* c Hoc monasterium erat Ardachadh, quod postea in Sedem episcopalem evectum est. *ita Colgan.*

d *MS. Bat.* Brig. *Colg.* Briga, *et dubitat num ea sit* Briga Mater ancillarum Christi in provincia Lagenia, *quæ* 9 *Martii in campo Liffe haud procul Kildaria colitur, an* Brigida de Kilbrige *in diœcesi Lismorensi, cujus etiam extet prope Kildariam ecclesia. hanc ait* 21 *Januarii in Calendario Casselensi memorari. At neutro die* Brigæ Brigidheve *ipse tomo* 2 *meminit. Notat alibi* Brig
B *virtutem Hibernice significare unde et Brigidæ videtur ductum nomen.* e *Colg. ex MS. Bat.* nostra f *Colg.* Non possum non tibi loqui. g *Colg. et MS. Bat.* Sed te huc veniente, ut benediceretur. h *MS. Audom.* conductus.

## CAPUT V.

### *Iter ad S. Patricium : ibi innocens defensus, conversus Gentilis, adjuti alii.*

*... ad S. Patricium*

Tunc sancti Episcopi Mel et Melchu ad S. Brigidam dixerunt : Vis ut nobiscum pergas in campum a Breg, ad S. Patricium salutandum? Brigida respondit : Ego volo ipsum alloqui, ut benedicat me. Tunc perrexerunt in viam sancti Episcopi et Brigida. Subrogavit eos quidam Clericus, habens multam familiam, et vaccas, et currus, et onera multa, cum irent in campum Breg : sed nolebant Episcopi, ne tardaret iter eorum de multitudine pecorum eorum et onerum. Dixitque ad eos Brigida : Ite ante nos, Nam et ego remanebo, et compatiar istis. Tunc remansit illa, et dixit familiæ : Cur non ponitis onera in carros? Illi aiunt : Quia frater noster paralyticus et soror cæca in carris jacent ægroti. Nocte itaque veniente comederunt et dormierunt : sola vero Brigida jejunavit et vigilavit. Mane autem facto, effudit illa rorem matutinum super pedes paralytici, et statim
C ille sanus surrexit, et cæca femina illuminata est. Tunc onera imponunt in carris, et iter cœptum agebant, gratias Deo agentes.

*... rusticis com... se jungit,*

*cæcam, et paralyticum jejunio, vigiliis, precibus sanat*

35 Cumque ambularent in via, viderunt quemdam plebeium, qui nimio labore solus mulgebat vaccas; dixitque Brigida : Interrogate eum, cur solus laborat sine adjutore? Ille dixit : Quia tota familia mea in dolore est. In una enim domo XII ægroti jacent. Tunc dixit Brigida puellis, ut cum eo mulgerent vaccas. Tunc plebeius rogavit ut prandium pro labore acciperent. At illæ acceperunt, et comederunt juxta ripam cujusdam fluminis, præter solam Brigidam jejunantem. Tunc S. Brigida benedixit aquam, et aspersit domum plebeii, et sanavit omnes ægrotos qui in ea jacuerunt.

*item jejunio et aqua benedicta 12 ægros*

36 Inde via recta venerunt ad locum, qui vocatur b Cultni, ubi sanctus Episcopus cum multorum Episcoporum conventu sedebat; et in illo concilio maxima quæstio fiebat. Quædam autem, quæ in peccatum cecidit, dicebat infantem, quem genuit, esse cujusdam Episcopi de discipulis S. Patricii, nomine c Broon; ille autem negabat. Tunc omnes in concilio audientes mirabilia et opera S. Brigidæ, dixerunt quod hæc quæstio per illam d sanari posset. Adducta itaque est mulier cum suo infante in sinu ad Brigidam extra concilium. Dixit autem Brigida ad illam : D
De quo concepisti infantem hunc? Illa respondit : De Episcopo Broon : Brigida dixit : Non sic existimo. Tunc Brigida ad S. Patricium humilians dixit : Pater, tuum est hanc quæstionem solvere. Patricius respondens ait : Mea filia carissima Brigida, tu revelare digneris. Sancta itaque Brigida signans os illius fœminæ signo Crucis Christi, statim intumuit totum caput ejus cum lingua; sed nec illa pœnituit. Tunc Brigida linguam infantis benedixit, dicens ei : Quis est pater tuus? Ille respondit ambulans : Non est Episcopus Broon pater meus, sed quidam homo, qui sedet in parte concilii ultimus, ac turpis vilisque. Tunc omnes gratias egerunt Deo, et Brigida magnificata est : et mulier pœnitentiam egit.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*Induxerunt crimen S. Brono Ep. imponentem, S. Patricio jubente, arguit, infante, ob ea signato, verum patrem prodente*

37 Die illa vesperascente abierunt omnes huc illucque in villas; Brigida vero cum suis ad aquam perrexit. Tunc quidam plebeius invitavit eam, dicens : Habeo domum novam; volo ut cum tuis prima introeas in eam ad consecrandam. Exiit S. Brigida cum eo, et ministrabat ei cum maximo gaudio, (ipse enim vidit virtutem, quam illa die Brigida in concilio fecit) et apposuit cibum. Tunc S. Brigida puellis suis dixit : Ostendit mihi Dominus, quod iste vir gentilis est. Responditque una de comitibus suis dicens : Verum
E est quod dicis. Nam ille præ cunctis S. Patricio et suis discipulis valde resistit, et baptizari renuit. Tunc Brigida dixit ad eum : Non possumus cibos tuos comedere, nisi prius baptizatus fueris. Tunc a Deo compunctus credidit cum domo sua, et baptizatus est ab Episcopo Broon discipulo S. Patricii.

*a quodam invitata*

*divinitus agnoscit esse Gentilem,*

*eumque convertit*

38 Sequenti autem die dixit Patricius ad Brigidam : Ex hac die non licet tibi ambulare sine Sacerdote : auriga tuus semper tuus Sacerdos fiat. Ordinavit autem Sacerdotem, nomine e Natfrohic : et ipse in tota vita sua auriga S. Brigidæ fuit. In illis diebus venit ad S. Brigidam quidam laicus, portans matrem suam paralyticam in humeris suis : et cum ille pervenisset ad locum, ubi erat Brigida in curru suo, deposuit matrem suam in terram sub umbra S. Brigidæ. Et cum illa tetigisset umbram, surrexit, dicens : Gratias ago Deo, quia quando tetigi umbram tuam, O Sancta Dei, sanata sum statim, nihil dolens.

*ejus auriga a S. Patricio ordinatur Sacerdos*

*ipsa umbra sua paralyticam sanat :*

39 Cujus temporis intervallo venerunt ad S. Brigidam quidam viri, deducentes hominem dæmoniacum vinculis alligatum. Qui cum cognovisset quod ad Brigidam duceretur, cecidit in terram, dicens : Non me portabitis ad Brigidam. Dixeruntque ei : Numquid scis locum, in quo Brigida sedet? Ille respondit : Scio, et statim novi, et ad illam non ibo; dixitque illis proprium nomen loci, in quo Brigida
F fuerat; et non potuerunt illum movere de terra. Tunc consilio facto perrexerunt alii ex ipsis ad Brigidam, et rogaverunt eam ut veniret ad illum. Venitque Brigida cum eis. Et cum vidisset dæmon Brigidam ad se de longe venientem, ab homine fugit : (dæmones enim quando S. Brigidam ad loca eorum venire aliunde videbant, timebant et fugiebant) et sanus factus est ille homo, et gratias egit Deo.

*energumenum adiens eruens dæmonem fugat :*

a *Jocelinus in Vita S. Patricii* 17 *Martii* Campum Breagh *appellat*, speciosum atque spatiosum *Hibernice* Mag-breagh, *aberat is non longe a Temoria regia urbe, circa Boandum, sive Boinum amnem, qui infra Droghedam, sive Pontanum urbem in mare influit. In* 4 *Vita mentio fit* campi Bregh in regione Midiæ, *qui idem, ni fallor.* b *Colgan.* Tailten *vocat situmque ait in Boreali tractu Mediæ, olim publicis regni conventibus celebrem.* c *Colitur* S. Bronus *Ep.* 8 *Junii, Colgano teste.* d *Colg.* Iniri. e *Alii* Natfraich *Colg.* Natfraich, *atque in Sanctos relatum coli* II *Decemb.*

## CAPUT VI.

### *Fiducia in Dei ope, vario eventu probata.*

Eodem tempore hospitabatur S. Brigida in ecclesia S. a Lasræ : quadam autem die ad vesperum venit S. Patricius cum turba magna ut hospitaretur in illa Ecclesia. Tunc familia loci illius commota est, dixeruntque

runtque ad Brigidam : Quid faciemus, quia non habemus cibos ad tantam turbam? Dixitque ad eos S. Brigida : Quantum habetis? Qui dixerunt : Non habemus nisi XII panes, et modicum lactis, et unam ovem, quam coximus in escam tibi et tuis. Dixitque Brigida : Sufficienter hæc nobis plurimis erunt. Recitabuntur enim nobis sanctæ Scripturæ, per quas carnales escas obliviscemur. Tunc ergo ex illo modico cibo comederunt duo populi simul, id est, Patricii et Brigidæ, et satiati sunt : et dimiserunt majores reliquias quam ante fuerunt materiæ, quæ S. Lasrea obtulit. Et postea obtulit Lasrea Sancta et suum locum S. Brigidæ in æternum.

*paucis cibis plurimos satiat, ita ut multa superessent*

41 Ibidem quoque cum S. Brigida hospitaretur, venit quidam maritus, rogans ut S. Brigida benediceret ei aquam, qua conspergeretur uxor sua : ipsa enim uxor odivit illum maritum. Tunc Brigida benedixit aquam, et aspersa est domus illius, et cibus et potus, et lectulus de aqua, uxore absente, et ex illa die dilexit maritum nimio amore, quamdiu vixit.

*aqua benedicta conjuges reconciliat*

42 In illis diebus venit ad S. Brigidam quædam Virgo Dei de nepotibus *b* Gais, quærens eleemosynam ab omni domo. Dixitque ad eam Brigida : Sagum meum portabis vel vaccam ab aliquo mihi commodatam. Illa dixit : Non prodest mihi ista recipere; venient enim latrones in via, et auferent ea ex me. Dixitque Brigida : Zonam meam portabis. Dixisti enim mihi, multos morbos habere in regione vestra, et per zonam meam intinctam in aqua, in nomine Jesu Christi sanabis eos, et dabunt tibi victum et vestimentum. Tulit ergo zonam, et primum exiit ad alium puerum ægrum, quem dilexerunt parentes ejus, et sanavit eum. Et data sunt ei vestimenta bona. Et sic faciebat per omnes annos vitæ suæ. Sanavit enim omnes languores, et accipiebat multa lucra, et de illis lucris emit agros, et dives effecta fuit, et pauperibus tribuit.

*zonam donat medicam, qua illa morbos curat, et ditescit*

43 Ante diem cujusdam solennitatis venit ad S. Brigidam in *c* Cella Roboris una discipularum ejus, quam Brigida nutrivit, portans illi eleemosynam. Cumque assignasset domum, dixit : Revertar ad domum meam, ut veniant parentes orare tecum per noctem istam; ego autem remanebo ad custodiendam domum et pecora. Brigida dixit : Non sic, sed tu mane hic, et parentes veniant huc : substantiam autem vestram et domum Dominus servabit. Veneruntque parentes, sicut illa dixit, et simul omnes celebraverunt festum apud S. Brigidam. Media vero nocte fures venerunt ad domum eorum, scientes habitatores exisse ad S. Brigidam et furati sunt boves. Cumque venissent ad amnem Liffi, invenerunt flumen repletum abundantia aquæ, et non potuerunt minare boves trans flumen. Cumque laborarent per maximam partem noctis, consilio facto alligaverunt omnia vestimenta sua super capita boum, similiter et arma sua : et de medio flumine retro reversi sunt, portantes spolia inimicorum suorum super capita sua, currentesque per campum Liffi, et viri nudi post eos. Non ergo ad proprium domum reversi sunt, sed recto cursu ad civitatem Brigidæ primo diluculo venerunt : et cognoverunt multi illos boves, et fures. Tunc fures dederunt laudem Deo, et pœnitentiam egerunt apud S. Brigidam in sua civitate. Plebeius vero exultans cum bobus suis ad domum suam exiit, et Deo gratias egit.

*Orationi vacantium domum spondet a Deo custoditum iri, atque mirabiliter servari boves suos impetrat, conjectis furibus*

44 Alia quoque puella ante cujusdam festi diem, pari cum eleemosyna ad S. Brigidam venit, et accepto munere ejus dixit : Vadam ad domum meam, quia non reliqui in ea nisi nutritorem nostrum, qui est senex valde et paralyticus, et non est qui mulgeat vaccas vel domum custodiat. S. Brigida dixit : Mane hic hac nocte; Deus custodiat domum tuam, et vaccæ immulsæ fiant. Tunc illa mansit, et crastina die, sumpta Eucharistia rediit, vaccasque et vitulos separatim in agris comedentes sana mente et sine tædio invenit, senemque vidit sine somno, qui hucusque non vidit noctem, nec dormivit, nec intervallum temporis sensit, ac si in illa hora ab eo puella exisset.

*alterius domum et pecus declinanti, a Deo custodiri obtinet*

45 In illo tempore S. Brigida cœnam magnam fecit in honorem solemnitatis Domini; sed hanc cœnam divisit pauperibus. De hoc vero familia ipsius contristata est : plebsque, ut consueverat, ad diem festum venit. Tunc Brigida oravit Dominum. Ecce in eadem regione quidam plebeius homo, dives valde, cœnam Regi suo vehebat in plaustro ad diem festum. Illeque erravit in viis suis, et nebula texit eum, et viam ante cognitam non agnovit; donec recto cursu ad januam S. Brigidæ pervenit. Hoc sciens S. Brigida exiit obviam illi, et interrogavit viam ejus. Ille autem admonitus a Deo, obtulit hæc omnia S. Brigidæ, dicens : Ob hanc caussam fecit me Dominus errare in propria mea patria, aliam vero Regi faciam. Hoc Rex cum audisset, illum plebeium cum suis omnibus obtulit, ut serviret S. Brigidæ in æternum. Plaustrum quoque alterum plenum ciborum ad supplementum sanctæ solennitati idem Rex ad S. Brigidam misit, quibus ingens conventus totius plebis saturatus est valde.

*cibos suos pauperibus datos, aliis impensa submittuntur*

46 Regina quædam ad S. Brigidam cum donis bonis venit; in quibus erat argentea catena fabrefacta, quæ habebat in summitate formam hominis. Hanc autem catenam puellæ rapuerunt, et absconderunt in thesauris suis. Brigida vero omnia pauperibus divisit. Quadam die venit ad Brigidam pauper; et illa nihil habens, exiit ad thesaurum puellarum, et invenit catenam prædictam, et eam dedit pauperi. Hoc autem puellæ agnoscentes, venerunt ad Brigidam dicentes : Perdidimus per te, quæ Deus misit nobis; omnia enim das pauperibus, et nos inopes relinquis. Tunc Brigida dixit illis : Quærite statim catenam, ubi ego jugiter oro in ecclesia; forsitan ibi invenietis. Cumque quærerent eam, invenerunt catenam ejusdem formæ, ostenderuntque Brigidæ. Tunc Brigida dixit eis : Nonne dixi vobis, Quærite illam? Et puellæ hanc catenam semper secum servaverunt in testimonium virtutis, et non vendiderunt unquam.

*catenam argenteam dat pauperi, quæ post in templo inventa in memoriam servata*

a Ita MSS. Bal. et Aud. Ast infra eadem MSS. Lasream vocant cum Colgano, qui et Lassaram; atque plures ejus nominis sanctas Virgines coli ab Hibernis.

b Colg. Guais, et Not. 22 ait rectius Mac huais dici, eo-que Mediæ districtum Hi-Mac huais, quem tenuisse ait posteros Colla Huaish Regis, unde et nomen

c Id est, Kildaria, de cujus etymo et significatione egimus § 8

## CAPUT VII.

*Itineris pericula propulsata, annonæ cœlitus multiplicata.*

*a* Conlianus Episcopus et Propheta Dei, qui habitabat in dextera parte Liffi campi, venit in curru ad S. Brigidam, et moratus est apud eam aliquantis diebus. Quadam autem die volens redire ad locum suum dixit ad Brigidam : Benedic diligenter currum nostrum : et illa benedixit. Auriga vero illius Episcopi jungens currum, *b* rosetos oblitus est ponere contra rotas. Tunc currus ipse velox pertransivit campum. Cumque post magnum spatium diei Episcopus conspexisset currum, vidit illum rosetos non habere. Tunc ille exilivit de curru, Et corruens in terram gratias egit Deo, et benedixit S. Brigidam, commemorans benedictionem ejus

*a S. Conlaetho currum benedicit. b qui miraculose evehitur*

48 Quadam autem die venit S. Brigida per campum Liffi, et alia sancta Virgo simul secum sedens in uno curru. Auriga autem prædicabat illis verbum Dei. Dixitque illi Brigida : Noli verso vultu a nobis prædicare, habenas tuas post tergum tuum pone. Equi nostri recto itinere ibunt ad domum nostram. Et ita factum est. Exierunt enim equi rectam viam per campum. Cumque auriga diligenter prædicaret Virginibus, et illæ intentis auribus, et animo curioso audirent; unus equus abstulit caput suum, et collum a jugo, et ambulavit liber post currum illis nescientibus.

*jubet aurigam prædicare, curru Deo curæ forte, et hic progreditur equo jugum excutiente*

A bus. Tunc Rex, qui sedebat secus viam in sublimi loco, dixit omnibus circum sedentibus et mirantibus : Brigida sedet in isto curru, equorum oblita, Dominumque solum animo intendit. Tunc equus audiens clamorem turbæ admirantis, venit ad currum, et imposuit collum sub jugo ejus solus. Tunc clamor Regis et plebis attollitur, et miranda virtus per totam regionem divulgata est, et glorificaverunt Deum et S. Brigidam.

*dein ultro remanente :*

c 49 Leprosus quidam c de nepotibus Neil venit ad S. Brigidam, quærens ab ea vaccam. Dixitque illa armentario : Da illi vaccam, dixitque armentarius : Qualem vaccam illi dabo? Tunc elegerunt optimum vitulum, et dimittentes illum, occurrit ei cum gemitu magno optima vaccarum, et intantum se invicem dilexerunt, ut pene nullus posset separare eos. Vacca etiam illa, cujus vitulus portatus est, alterius vaccæ vitulum dilexit vicissim ut suum. Dixit ad Brigidam ille leprosus : Non possum solus vaccam minare ad provinciam meam. Dixitque Brigida ad aurigam suum : Vade cum leproso : erat autem in illa hora auriga coquens carnes in cacabo, dixit auriga : Quis coquet carnes istas? Brigida dixit : Tu ipse ad eas velociter veni. Et ita completum est, sicut illa dixit. Exiit autem auriga cum leproso iter dierum duorum in uno B puncto temporis, et in eodem puncto confestim reversus est, et invenit carnes ipsas in cacabo necdum coactas esse, et omnes mirati sunt, quod auriga potuit iter duorum dierum in unius horæ puncto transcurrere. Sed Deus hoc donavit voluntati S. Brigidæ.

*vaccam dat pauperi, et vitulum, quem illa ut suum amat.*

*facitque puncto temporis per bidui iter deduci*

50 Erat inopia panis in campo Liffi in alio tempore : Brigida autem rogata est a familia sua granum, et ad campum d Gesilli pergere ad S. e Yborum Episcopum, ut peteret ab eo fruges. Brigida vero obedivit voluntati rogantium, et exivit in viam, Sanctus autem Yborus gavisus est gaudio magno in adventu S. Brigidæ : sed tamen ille non habebat cibos in adventu hospitium, nisi f panem siccum, et carnem suillam. Tunc panem et lardum Yborus Episcopus et S. Brigida in tempore Quadragesimæ ante Pascha manducaverunt. Duæ Virgines de comitibus S. Brigidæ partes suas de lardo non manducaverunt; et ille partes versæ sunt in duos serpentes. Hoc quando nuntiatum est S. Brigidæ, illas Virgines graviter coram Yboro Episcopo increpavit, et jussit eas foras manere, et jejunare cum lacrymis; dixitque Brigida : Jejunemus et nos cum illis, et oremus Dominum; et ita fecerunt. Et versi sunt isti duo serpentes in duas g Eucharistias in Pascha et in Natalitiis Domini. C Dixitque Yborus Episcopus S. Brigidæ. Qua caussa huc venisti in tempore Quadragesimæ? Respondit Brigida : Ut quæram a te annonam panis. Tunc Yborus Episcopus subridens dixit : O Brigida, si tu videres et scires quantum de frugibus haberemus, modicum donum granorum tecum non portares. Dixitque Brigida : Non puto sic : sed XXIV plaustra in horreo vestro consistunt. Et ita nutu Dei crevit. Minimum Yborus habuit, et inventa sunt ibi XXIV plaustra, sicut Brigida dixit. Et diviserunt inter se XII plaustra Yboro, et Brigida cum XII plaustris reversa est ad domum suam.

*d e adit S. Iborum Ep.*

*f ab eo acquisitum lardum edit in Quadragesima, quod versum indebitum ... in serpentes*

*g*

*Ibori horreum frumento replet vir Dei.*

a *Ita MSS. Vita 4 lib. 2 cap. 3 num.* 13. Conlianum *vocat : Colg* Cochanum; *aut potius* Conlaidum, *vel* Contacthum, *alii*, Conleum, *ut dicemus ad Prolog. Vitæ per Cogitosum, litt. c. De eo plenius 3 Maii.*

b *Colg.* rosetas *et interpretatur paxillos ferreos, sive embolia, aut obices, qui axis extremitati infiguntur, ne rota excidat, consentit Vita metrica cap. 7 nu. 48.* Neglexerat obice currum adfirmare.

c *De Media interpretatur Colganus, quam tunc Australes O Nellos possedisse ait, Aquilonares Ultoniam.*

d *Campum hunc,* Mag-geslile *vocatum, ait Colganus esse in regione* Hifalgiæ *non longe a campo Liffe. Est alioquin apud Joannem Spedum in topographica descriptione Lageniæ,* Gesell *locus in* Regis Comitatu, *ita dicto a Philippo Rege, a quo et primarium oppidum* Philipstowne, *nunc* Kingestowne. *Olim regio ipsa* Offalia *dicta, teste Cambdeno.*

e *De S.* Ibaro *vel* Iibaro, *aut* Yvaro, *sive* Yboro, *agemus 23 April. In Vita 4 lib. 2 cap. 4 nu.* 18 *dicitur* prædicator fidei multis in locis in Hibernia fuisse ante Beatissimum Patricium. D

f *In Breviar. Aberdon, dicitur* durum lapidem cum lardo proposuisse; *hyberbolice.*

g *MSS. Rub. et Audom. habebant,* Eucharistiæ, *alii, teste Colgano.* Euchias. *Putat ipse locum corruptum. Videtur indicari, asserratos hos panes, ut ad miraculi memoriam, et eucharistiam, sive gratiarum actionem, ostenderentur in Paschate et Natalitiis.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

## CAPUT VIII.

### *Leprosis aliisque ægris sanitas ac varia beneficia collata.*

Rex quidam venit ad Brigidam ad solennitatem celebrandam Pentecosten. Et cum ibi celebraret noctem illam, surrexit valde diluculo, ut iret ad domum suam. Currebant velociter in curribus, et in equitibus. Sancta vero Brigida, post expleta diei solennia, venit ad mensam, et largus cibus apponitur cunctis. Jam vero leprosus superbissimus, diaboli magisterio, S. Brigidæ cibum, ut solebat, respuit, nisi Brigida sibi daret hastam Regis supradicti, qui primo mane reversus est ad domum suam. Tunc omnes leproso dixerunt : Vidisti hastam heri, cur non postulasti statim tibi dari? Ille dixit : Qua hodie cœpi concupiscere. Tunc S. Brigida et omnes rogaverunt illum, E ut comederet : et non impetraverunt. Brigida quoque abnuit cibum sumere, donec leprosus protervus comederet. Tunc misit Brigida equites post Regem, ut rogarent ab eo hastam suam. Illi currebant, et transeuntes unum montem, invenerunt Regem in vado cujusdam fluminis, et indicaverunt suam quæstionem. Tunc lætatus est Rex, et dedit eis hastam suam, dicens : Si S. Brigida omnia arma mea postulasset, statim impetrasset. Tunc equites illi missi a Brigida interrogaverunt, ubi moratus esset Rex ab initio diei usque ad hanc horam. Dixitque illi unus e suis comitibus : Non morati sumus sed semper velociter iter cucurrimus. Scimus enim quod S. Brigida nutu Dei retinuit nos, ut cito solveretur imminens quæstio leprosi. Tunc omnes laudaverunt Dominum et Brigidam; et Rex velociter exiit in viam suam, non ut ante. Et missi confestim reversi sunt ad Brigidam cum hasta Regis, et illa gratias egit Deo.

*visitatur a Rege*

*superbo leproso voluntati paret*

*iter quorumdam viis mirabilibus moratur*

52 Cum esset S. Brigida in ecclesia quadam, et sedisset juxta januam loci illius, vidit ad ripam fluminis ambulantem hominem valde incurvum sub onere; misertaque illius, dixit puellis : Eamus ad hominem, et eum eo onus portemus. Euntibus autem, dixit illi Brigida : Da nobis onus, quod te gravat, et F valde te incurvat. Respondit ille et dixit : Non onus incurvat me, sed dolor antiquus a juventute mea. Ille autem homo interrogavit nomen Virginis. Et dictum est illi, quod S. Brigida esset. Ille dixit : Deo gratias ago, quia quæsitam inveni. Et ait illi : Volo, ut die ac nocte jejunes, et roges Deum, ut erigatur corpus meum. Dixitque Brigida : Veni ad hospitium, et requiesce in eo hac nocte; et faciam quod vis. Tunc S. Brigida in illa nocte jejunavit, et oravit Dominum pro eo. Mane autem facto, illa exiit ad hospitium, et dixit incurvato homini : Vade ad aquam fluminis, et lava te in nomine Salvatoris, et roga Deum, eriges que cervicem; et ne descendas donec dicam tibi. Et sicut illa dixit, ita fecit ille, et sanatus est, et gratias egit Deo, qui se erexit incurvatum annis decem et octo.

*jejunio et precibus curvum sanat,*

*jussum prius in flumine lavari.*

53 Post hæc autem exiit S. Brigida cum S. Patricio Episcopo ad Aquilonalem partem Yberniæ. Quadam autem die S. Patricius verbum Dei prædicabat suis hominibus : sed illa hora S. Brigida obdormivit, et postquam evigilasset, dixit illi Patricius : O Brigida, cur obdormisti in verbo Christi? Hæc ut audivit, veniam petens genua flexit, dicens : Parce mihi, Pater, parce mihi, Domine sancte. Nam in hac hora somnium vidi. Et dixit Patricius : Narra nobis illud

Dixit

AUCTORE ANONYMO, EX MSS

*a prævidet hæreses in Hibernia futuras sub finem mundi, visionem exponente S. Patricio.*

A Dixit Brigida: Ego ancilla tua vidi *a* in via aratra arantia hanc insulam, et seminatores seminaverunt sanctum, et statim illud crevit, et maturescere cœpit, et rivi lactis novi impleverunt sulcos: et seminatores illi induti erant vestibus albis. Post hæc vidi alia aratra, et aratores nigros, qui bonam illam messem everterunt, et sciderunt vomere, et zizaniam seminaverunt, et flumina aquarum repleverunt sulcos. Dixitque Patricius: O Virgo, veram et mirificam visionem vidisti. Nos sumus boni aratores, qui quatuor Evangeliorum aratris corda humana scindimus, et seminamus verbum Dei et lac rudis doctrinæ. In fine vero seculi venient mali doctores, malis hominibus consentientes, qui nostram doctrinam subvertent, et pene omnes homines seducent.

*inobedientem lepra ad horam punit: impetrat ut unum leprosum sanat:*

54 Alio quoque die quidam leprosus venit ad S. Brigidam, rogans ut cum ea sua vestimenta lavarentur aqua; dixitque ei Brigida: Faciam quod petis, aitque leprosus: Non habeo alia vestimenta, nisi propria mea laventur. Dixitque Brigida ad unam puellarum suarum: Da vestem tuam leproso, donec vestes ejus mundentur. Sed illa puella inobediens, fœtore nimio et lepra percussa est spatio unius horæ. Alia vero puella dedit *b* segnum suum leproso. Tunc leprosus postquam exuit se vestimentis suis, mundatus est a lepra sua. B

*a* Deest hoc in MS. Bol. et Colg. At Jocelinus in Vita S. Patricii, ait hanc visionem contigisse in illa Tailtenensi concione quæ refertur cap. 180, et quidem in loco Finnabhair, id est, albo campo. At vero cum adstantes vellent eam excitare, vetuisse id Patricium. Deinde plenius visionem exponit, vidisse Sanctam homines candidatos, aratra, boves, segetes, cuncta candida; deinde omnia illa maculosa, postmodum omnia nigra; ad ultimum oves, et sues, canes et lupos discordantes ad invicem et confligentes. Sanctus autem Patricius visionem exponebat, totumque candorem præfulgentem ad mundi statum tunc temporis præsentem, pertinere dicebat. Omnes enim in eo Prælati et subditi, erant in fide ac bonis operibus, secundum Evangelicam doctrinam et Apostolicam, fertiles et fervidi. Maculosa quoque ad tempus frequentis generationis spectare, in quo fide quidem candescerent, sed eam pravis operibus denigrarent. Nigredinem subsequentem asserebat tempori generationis sequentis congruere, in quo vitam suam homines non solum iniquis operibus profanarent, sed etiam fidei Christianæ abrenuntiatione. Discordiam ovium, suum, canum et luporum, pronuntiabat controversiam innocentium et nocentium Prælatorum, bonorum et pravorum, affuturam in diebus posteræ generationis, post annorum scilicet curricula plurimorum. Hæc Jocelinus. Eadem paulo brevius habentur in Vita S. Patricii tripartita, dicunturque contigisse in quodam colle Finn-abhair dicto, in regione Lemniæ, quæ regio, ut ait Colganus, campestris est, in Tironia provincia, diœcesi Clocharensi.

*b* Ita MS. Audom. at Bol. Colg. et A. FF. signum habent.

*Quadruplex status Hiberniæ a S. Brigida prævisus.*

## CAPUT IX.

### *Gesta apud S. Patricium, ejus prævisa sepultura.*

C

*equos a furibus noctu ablatos*

In illo tempore cœpit S. Brigida cum puellis suis locum ecclesiæ, ac deinde Quadragesimæ *a* penuria panis imminebat. Quadam autem nocte octo viri fures venerunt, ut furarentur quatuor equos, quos Brigida cum suis habebat. Tunc Virginum una, quæ erat sine somno, dixit ad Brigidam: Equi nostri furto tolluntur. Dixit Brigida: Sine, ego sensio; plures et fortiores nobis sunt qui auferant eos. Tunc fures ablatis quatuor equis exierunt ad domum cujusdam viri habitantis in proximo loco in plebe, et introierunt in horreum, et invenerunt in eo quadraginta modios seminis ventilatos, et furati sunt totum hunc numerum modiorum, portantes in quatuor equis, et propriis humeris suis, et venerunt ad habitaculum Virginum: putantes enim se ad propriam domum venisse, intraverunt in parvum tugurium, alligantes equos in angulo secreto, et somno gravi dormierunt post vigilias. Facto autem mane, ecce viri venerunt, a quibus grana rapta sunt, ad habitaculum Virginum, dixeruntque ad Brigidam: Fures furati sunt grana nostra, et duximus vestigia furum et equorum usque ad januam vestri. Oramus ne celetis eos. Tunc exiit Brigida ad fures, et suscitavit eos, dicens: Cur furtum attulistis ad nos? Illi autem dixerunt: Quia putabamus ad nostram domum venire. Tunc S. Brigida misit ad S. Patricium Episcopum in proximo manentem. Venitque ad eos statim Patricius, et fures liberati sunt, et pœnitentiam egerunt, et alii obtulerunt sua grana Brigidæ cum suis Virginibus. Sciebant enim quod a Deo donata essent Virginibus. D

*quos ipsimet reducunt, inscii, cum frumento aliunde sublato, sed liberantur ipsi a S. Patricio*

*b hujus sepulturam portento designatam, quod exponit.*

56 S. Patricius quadam die prædicabat verbum Dei turbis et S. Brigidæ. Tunc viderunt nubem magnæ claritatis descendentem de cœlo in terram, caliginosam die pluviali, et coruscantem fulgure immenso, et stetit modico spatio temporis in loco propinquo juxta turbam illam. Et post hæc exiit ad arcem *b* Lethglasse, ubi sepultus est Patricius, et diutius ibi morata, illic evanuit. Et non audebant turbæ interrogare Patricium Episcopum, quid significaret ista visio mirabilis; sed S. Brigidam interrogaverunt. Dixitque Brigida: Interrogate Patricium. Audiens Patricius dixit: Tu et ego æquales sumus, revela eis hoc mysterium. Dixitque Brigida: Nubes, ut putamus, *c* spiritus est Patris nostri S. Patricii, qui venit ad visitanda loca, ubi corpus ejus requiescet post exitum et sepelietur. Nam in loco propinquo modice corpus ejus requiescet, et post hæc portabitur, ut sepeliatur in arce Ladglaisse, et ibi usque ad diem E judicii corpus ejus permanebit. Tunc dixit Patricius ad Brigidam, ut suis manibus faceret linteamen, quo corpus ejus post exitum tegeretur, optans ut ex illo linteamine ad vitam æternam resurgeret, et sic Brigida fecit linteamen, et in eo S. Patricii corpus involutum est, et in loco constat.

*et linteamen ad eam parat*

*videt quemdam ægrotare ob maledicta,*

57 Erat quidam homo nobilis et dives atque bonus in campo *d* Methae, qui habebat dolorem gravissimum et pestem, et non potuit curari a medicis; misitque ad S. Brigidam, ut veniret ad se, et illa venit. Cum ergo domum illius vidisset a longe, stetit et dixit: A quacumque parte ventus venerit ad domum istam infert secum maledictionem et morbum ad virum istum. Hoc audiens ille dixit: Nulli hominum feci malum, nec Clericis, nec fabris. Tunc armentarius ejus dixit: Audivi omnes in circuitu tuo quasi uno ore te maledicentes, eo quod agricola tuos agros sepibus muniens commutavit omnes vias, planas et rectas, incolis in asperas et implanas et spinosas. Hoc audiens S. Brigida ait: Hæc est caussa dolorum. Tunc omnes viæ conversæ sunt in vias planas, et omnes viatores benedicebant illi. Et homo sanatus est, Deoque et Brigidæ gratias egit.

*in eum congesta ob vias commutatas, quibus restitutis sanatur*

F

*aquam benedicit, quæ vase lapso, nec fracto non effluit,*

*servata morbos sanat*

58 Quadam autem die S. Brigida sedebat in latere oppidi *e* Maceni cum puellis suis, et vidit duos viros plenum vas aquæ secum portantes. Cumque appropinquassent, postulaverunt a Brigida aquam benedici, et illa benedixit aquam et viros. Euntibus autem illis, contigit ut vas caderet in terram super latus suum, et non fractum est illud vas, neque effusa est aqua, quam S. Brigida prius benedixit. Jussit autem S. Patricius aquam illam servari et Ecclesiis omnibus illius regionis dividi, ut ad Eucharistiam sanguinis Christi mitteretur, et ut aspergerentur ægri de illa aqua in sanitatem. Et ita factum est, et laudaverunt Dominum et Brigidam.

*3 dies cum noctibus audit concionantem S. Patricium.*

59 Misit quoque S. Brigida ad S. Patricium, ut sibi prædicaret verbum Dei. Dum ille cum discipulis suis, et illa cum puellis suis in unum convenirent, Patricius per tres dies et noctes non cessavit loqui, nec sol occidit eis, sed omnes putaverunt unam esse horam. Quidam autem ignarus rerum aliunde supervenit, et S. Patricio dixit: Quid tanto tempore hic sedetis? Patricius respondit: Quæ est hora diei nunc? Ille respondit: Per tres dies hic mansistis. Dixit Patricius: Per quadraginta dies et noctes hic fuissemus, nisi aliquis extrinsecus venisset: nullam lassitudinem

b *Colg. et 4 Vita*, multos annos regnum tenebit.

c *Hunc quoque* Conaldum Crimthannidum *fuisse censet Colganus, quia Galbanum ait occisum cum S. Brigida vix esset duodennis.*

d *Restitit hic olim S. Patricio, ejusque socios cædi flagellis curavit, quare maledictione eum percussit Sanctus, uti in hujus Vita fusius narratur. Postea tamen, uti et* Leogarius *ejus frater, Temoriæ Rex, videtur fidem amplexus : cur enim alioqui benedici sibi a S. Brigida peteret? alibi* Carbreus *et* Corbreus *appellatur.*

e *Colg.* Cruthenorum, *additur in 4 Vita* quæ est Aquilonaris pars Britanniæ. *Pictos enim Britanniæ populos ait Colganus olim ab Hibernis* Cruithne *vocatos et Not. 14 ad 4 Vit. citat ex Annalibus quibusdam hæc ipsa verba :* Obiit in regione Cruthenorum, id est, Pictorum. *Sed qui potuere illi nocte una e Britannia in Hiberniam renavigare, eodemque die legatos suorum in Britanniam appellere? Potius gens Hibernica fuere hi Cruitheni, nisi forte in ora Antrimensis provinciæ, cum erat Conallus, quæ nunc recte* Mac-conellis *Scotis paret, nescio an ab hoc Conallo repetentibus originem.*

## CAPUT XI.

### *Cædes impedita, superstitio damnata, alia miracula.*

Alio tempore rogata est S. Brigida, ut exiret ad Regem qui erat in campo Breg, et liberaret alium virum qui vinctus fuerat cum Rege. Dixitque Brigida ad Regem : Dimitte mihi virum vinctum, et dabo tibi pretium pro illo. Rex respondit : Si mihi dedisses totum campum Breg, non dimitterem illum, sed statim jugularem eum. Vixque obtinuit Brigida, ut vita unius noctis concederetur ei. Tunc Brigida in illa nocte in proximo loco sedit cum cognatis et amicis illius vincti, eratque sine somno. Dixeruntque socii sui ad Regem : Nisi in hac nocte vinctus occidatur, non potest cras occidi, quia Brigida eum liberabit. Statuimus ergo consilium, ut per vim rapiamus eum de manibus tuis, et sine consilio tuo occidamus eum; et tu eris inculpabilis. Sed istum dolum cognovit Brigida, ideoque in principio noctis visio apparuit vincto, viditque Brigidam ei astantem, quæ dixit ei : Ecce mali homines cogitant te occidere in hac nocte, et cum traheris ab eis ad jugulandum, vocabis nomen meum sæpissime, et cum catena de collo tuo ablata fuerit, ut juguleris, declinato ad nos in dexteram partem, et invenies nos statim. Et vigilavit homo, et statim venerunt illi, et rapuerunt vinctum de manibus Regis, solveruntque catenam, ut jugularetur. Ipse autem absolutus exiit ad Brigidam : ipsi vero, ut putabant, interfecerunt virum, et amputaverunt caput ejus. Crastino autem die caput et cruor non apparuit. Tunc omnes admirabantur stupidi. Orto autem sole misit Brigida ad Regem, ut dimitteretur ei vinctus. Rex vero audiens hæc, pœnitentiam egit, et dimisit vinctum liberum.

66 Quadam die venerunt ad Brigidam *a* quidam viri otiosi et vani, habentes stigmata diabolica in capitibus suis, et quærentes aliquem jugulare, et postulaverunt benedici a Brigida : et illa rogavit eos vicissim, ut onus grave cum *b* operibus levarent. At illi dixerunt : Non possumus dimittere stigmata nostra, nisi aliquis sufferat ea, ne cadant in terram. Et accepit, et multum mirabatur signorum formas, et signavit ea signaculo Christi. Illi autem abierunt in viam suam. Quærentes autem sanguinem effundere, repererunt quemdam plebeium, et jugulaverunt eum et decollaverunt. Plebeius vero ille exiit sanus ad domum suam, et illi quærebant caput ejus vel corpus aut sanguinem, et non invenerunt; dicebantque ad invicem : S. Brigidæ causa interficimus, et non interficimus virum. Et divulgatum est hoc factum per omnem regionem. Et reliquerunt illi sua stigmata, glorificantes Deum, et S. Brigidam magnificantes.

67 Rex quidam cum mulieribus in campo Lifli ad S. Brigidam venit, ut benediceretur ab illa, et illa benedixit eum diligenter. Rex cum reversus fuisset in viam suam, nocte post sequenti lassus in itinere dormivit cum suis omnibus comitibus et custodibus. Venit ergo quidam vir, qui inimicus Regis erat, et intravit in castellum, et in domum, et tenens candelam de candelabro, quæsivit Regem, et invenit eum dormientem; et gladium ejus super cervical juxta se arripiens, gladium in cor illius tribus vicibus fixit, et statim in fugam perrexit. Tunc omnes sentientes effusionem sanguinis surrexerunt, et fecerunt planctum magnum, putantes Regem esse mortuum. Rex vero dormiebat somno gravi, et postea evigilans consolatus est eos, et pusillum vulneratus sanus remansit, dicens : S. Brigidæ benedictio, quæ hodie me benedixit, illa custodivit me. Crastino quoque die cum multis muneribus ad S. Brigidam venit, et illa fecit pacem inter Regem et inimicum qui eum jugulavit, et inter genera eorum in sempiternum, Deo donante per merita S. Brigidæ.

68 Post hæc voluit S. Brigida exire in regiones *c* Mumminensium ad peregrinandum simul cum Episcopo *d* Ereo, discipulo S. Patricii, quia genus Erci de Mumminensibus erat. Cumque intrassent in viam, dixit Brigida ad Episcopum Ercum : Demonstra mihi, venerabilis Pater, sub qua parte cœli gens tua consistat. Et cum ille demonstrasset, dixit ei Brigida : Nunc ibi bellum geritur inter unam gentem et aliam gentem, dixitque Ercus : Credo, quod dicis, verum esse. Nam quando ab eis huc veni, dimisi eos discordes. Dixitque Brigida : Gens tua nunc in fugam vertitur. Tunc unus de familia Erci increpavit eam, dicens : Quomodo potes videre bellum per magna spatia terrarum! Arguitque illum Ercus Episcopus, ne blasphemaret Spiritum sanctum, dixitque Ercus ad Brigidam : Oro te, signa oculos meos, et pueri istius, ut videamus quæ vides. Tunc signavit oculos eorum, et viderunt bellum oculis suis propriis. Tunc puer Episcopo voce lacrymabili dixit : Heu, heu! Domine mi, ecce modo, videntibus oculis meis, duo fratres mei decollantur.

69 Via postea optata perrexerunt ad *e* montem, ibique Brigida cum Episcopo in medio itinere fame et siti laboraverunt, nimia lassitudine fatigati, dixitque unus puerorum : Magnam misericordiam faceret, qui nobis solatium dedisset. Respondit Brigida : Ego corde avido volo vobis solatium præstare. Si ergo vultis cibo et potu satiari, expectate hic adjutorium Salvatoris : video domum, in qua eleemosyna paratur cuidam Ecclesiæ offerenda in Dei domo : huc itaque veniet hac hora. Ecce enim prandium in sarcinis modo est paratum. Adhuc illa loquente, venerunt qui eleemosynam portabant. Et illi cognoscentes, quod Ercus Episcopus et S. Brigida sedissent illic, et fame laborassent, lætati sunt valde, et obtulerunt eis suam eleemosynam, dicentes : Accipite eleemosynam, quam vobis misit Deus. Non enim habemus meliorem Ecclesiam quam vos. Tunc gratias Deo egerunt, comederuntque illic : sed tamen potum non habebant. Dixitque Brigida : Fodite in proximo terram. Et fodientes invenerunt fontem lucidum, et ipse fons manet illic usque hodie sub nomine *f* Brigidæ. Tunc omnes Deum et S. Brigidam glorificabant.

70 Deinde venerunt ad Campum *g* Femini, et ibi invenerunt magnam synodum, et aliquantis diebus detenti sunt in synodo. Narravit ergo Episcopus synodo multas virtutes Brigidæ. Tunc pestilentia gravis vastabat plebem, omnesque rogaverunt Brigidam, ut visitaret infirmos. Dixitque Episcopus : Loca pestilentiæ non ingredietur Sancta Dei, sed vestros ægros ducite ad eam. Tunc adduxerunt ad eam claudos et leprosos, et dæmoniacos, et omnes infirmos, et in nomine Jesu Christi Brigida illos omnes sanavit.

a *De his Capgravius :* Novem viri nefarios votis et juramentis in Kalendis Julii hominem interficere quemdam se adstringentes, prædicatione S. Brigidæ ab errore suo revocari nullo modo potuerunt. Brigida tamen pro obcæcatione cordis eorum Deum rogante, contemplantur imaginem instar viri quem disposuerant jugulare. Quam continuo suis lanceis et gladiis confodientes, quasi

A quasi post triumphum sui adversarii, cum armis cruentatis ad Brigidam ingressi; veritate cognita ad pœnitentiam convertuntur.

*S. Ercus Ep.*

b *Colg.* opibus, *putatque potius legendum* cum apicibus, *vel* capitibus

c *MS. Rat.* Mominensium. *Colg.* Mumunensium; *et postea* Muminensium.

d *Hic est ille* Ercus, *sive* Hercus, *qui S. Patricio ad Leogarium venienti, primus assurrexit, contra Regis mandatum, ac deinde baptizatus, postea Episcopus Slanensis est factus, et coli dicitur 2 Octob. alibi 2 Novemb. Est* Slania *urbs, olim episcopalis, ad Boinum, sive Boandum flumen, supra Pontanam.*

e *In 4 Vita vocatur* mons Ere.

*Fons S. Brigidæ miraculosus*

f *Tres enumerat Colganus fontes S. Brigidæ nomine appellatos, ad quos etiamnum miracula patrantur, ut propterea ipsi etiam hæretici ad eos confluant.*

g Mag-Feinhin, *in regione Desiorum in Momonia, ut ait Colg.*

## CAPUT XII.

### *Pervicaces repressi : alii periculis erepti.*

Post hæc exiit S. Brigida ad alium hominem, qui erat propinquus mari, haud procul ab illo loco ubi Episcopus Ercus habitabat. Et mansit cum suis puellis aliquot annis, ut narratur. Non longe autem ab eis quidam anachorita habitabat, qui facies mulierum devitabat, totus Deo devotus et perfectus. Postea ille anachorita voluit ire ad quamdam insulam, et ingrediens viam invenit secus locum Brigidam. Comites B itaque illius anachoritæ dixerunt : Eamus ad S. Brigidam, ut nos benedicat. Respondit anachorita : Scitis votum meum, quod nullam volo videre fœminam? Tunc surrexerunt de suis sedibus, in quibus interim sederunt hæc loquentes, et obliti sunt omnia onera sua super viam, et venerunt iter totius diei. Facto autem vespere sederunt in quodam hospitio, et tunc recordati sunt suorum onerum, et dicebant : Ideo onera nostra perdidimus, quia non declinavimus ad Brigidam, ut benediceret nos; et pro hac culpa in hac nocte jejunabimus. Mane autem facto reversi sunt ad Brigidam, et invenerunt in domo ejus onera sua. Suis namque puellis jussit Brigida dicens : Ite, et adducite onera servorum Dei, quæ sunt in via nobis proxima, ne pereant. Reversis itaque illis ad Brigidam, transierunt tres dies et noctes in Dei laudibus, et in prædicatione verbi Dei. Deinde anachorita et sui exierunt in viam, et exiit Brigida cum eis. Videns autem S. Brigida onera gravia, miserta est eis. Tunc in illa hora viderunt duos equos de monte descendentes ad se, et imposuerunt onera sua super eos. Et cum venirent pene usque ad finem itineris, dixit illis Brigida : Dimittite equos, quos tenuistis. Tunc equi fugerunt, et nemo eorum novit C unde essent, vel cujus fuissent.

*Eremitæ nolentis feminam videre, non sinit suos Brigidam odire*

*ideo socii onera amittunt*

*quas Brigida colligit, et postridie reddit,*

*equos vehendisque procurat*

72 Brigida reversa est ad domum suam : anachorita autem ad insulam suam exiit, sed laicus quidam intravit in illam insulam cum uxore sua et filiis et filiabus suis. Anachorita autem devitans videre mulierem rogavit laicum, ut exiret de insula, sed non impetravit. Dicebat enim laicus, quod haberet agrum in illa insula ex paterna hæreditate. Tunc misit anachorita ad Brigidam, ut veniret ad se. At illa venit, et jejunans rogavit laicum, et impetrare non potuit. Crastina autem die venit ingens aquila et rapuit infantem uxoris illius laici. At illa uxor plorans et flens venit ad Brigidam; dixitque illi Brigida. Noli flere, quia vivit infans: dimisit enim eum aquila in littore quodam super terram. Tunc exiit uxor, et sic invenit infantem, venitque ad Brigidam, et pœnituit. Laicus vero durus permansit, et juxta littus habitavit. Crastina autem die subito venit ventus, et illum trans mare in proximum portum leviter vexit. Tunc ille laicus compunctus corde pœnitentiam egit, et devovit se Deo et Brigidæ, non intraturum iterum insulam, nisi permisisset anachorita ei intrare.

*nolentem suo consilio acquiescere*

*gemino miraculo convertit.*

73 Alio quoque die hospites religiosi venerunt ad littus maris. Tunc dixit Brigida cuidam viro de familia sua, qui erat piscator, et solebat jugulare tauros marinos : Vade ad mare, si forte possis afferre aliquid hospitibus. Tunc ille exiit, et assumpsit secum hastam marinam. Statim vero occurrit taurus marinus, et misit hastam jaculatam, et infixit eam in taurum. Funis enim pendebat, et hasta fixa in capite, funes vero circa manus viri erant obnixæ. Taurus autem graviter vulneratus traxit secum virum in sua navi per mare; et non cessavit taurus donec protinus perveniret a ad Britanniæ littora; tunc funis scissus est contra saxa littoris, et vir remansit in sua navi in littore. Taurus vero reversus est cum hasta in mare, et venit recto itinere ad littus loci illius, in quo erat S. Brigida, et ibi mortuus est. Vir autem ille prospera navigatione in suam navim pervenit hora sexta, et invenit taurum mortuum cum hasta in littore, et regressus domum indicavit illic suam navigationem. Tunc omnes gratias Deo egerunt, et Brigidæ.



D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*piscatorem procul abreptum, incolumem servat et subito revehit, cum præda elapsa*

74 Post hæc venit S. Brigida cum puellis in campum *b* Clioch, et habitavit ibi in quodam loco. Tunc venit ad Brigidam quædam ancilla fugiens dominam suam. Domina autem illius secuta est eam, volens secum reducere illam. Brigida vero rogavit dominam ut dimitteret ancillam; sed domina noluit, ancilla enim multas vestes texebat. Tunc domina illa tenuit manum ancillæ suæ, et traxit violenter a latere Brigidæ eam, et hoc Brigidæ displicuit. Et cum perrexissent paullulum a S. Brigida, manus dextera dominæ aruit, cum qua tenuit manum ancillæ. Videns autem domina, quia non potuit movere manum suam, flevit, et pœnitentiam egit, et dimisit ancillam liberam Brigidæ, et sanata est.

*nolenti ancillam sibi relinquere, manus arescit*

E

*quam sanat*

75 S. Brigida rogata est ut iret ad quemdam Regem in campo *c* Bliech, ad liberandum virum qui erat in vinculis cum Rege : et exiit Brigida, et intravit in domum Regis, et non invenit Regem in domo sua, sed amici ejus erant in ea, id est, vir qui nutrivit Regem, cum sua uxore et filiis; et vidit Brigida citharas in domo, et dixit : Citharizate nobis citharis vestris. Responderunt amici Regis : Non sunt nunc citharistæ in hac domo, sed exierunt in viam. Tunc alius vir, qui erat cum comitibus S. Brigidæ, joculari verbo illius amicis dixit : Vosmetipsi citharizate nobis, et benedicat S. Brigida manus vestras, ut possitis complere quod illa præcipit vobis, et obedite voci ejus. Dixeruntque amici Regis : Faciamus, benedicat nos Brigida. Tunc arripiunt citharas, et modulantur rudes citharistæ. Tunc venit Rex ad domum suam, et audivit vocem carminis, et dixit : Quis facit hoc carmen? Respondit ei unus : Nutritius tuus et nutrix tua cum filiis suis, jubente illis Brigida. Intravitque Rex in domum, et postulavit benedici a Brigida; dixitque ei Brigida : Tu vicissim dimitte mihi virum vinctum. Tunc Rex gratis donavit ei vinctum. Amici vero Regis fuerunt citharistæ usque ad diem mortis suæ, et semen eorum per multa tempora Regibus venerabiles fuerunt.

*benedictione quibusdam peritiam canendi cithara confert.*

F

*vinctus libertatem obtinet*

76 Duo leprosi venerunt ad S. Brigidam, rogantes ut salvi fierent. Tunc oravit S. Brigida, et benedixit aquam, et dixit eis, ut alterutrum se lavarent in aqua sancta, et sic factum est. Et statim sanatus est unus, et suis vestibus lotis induitur. Dixitque illi Brigida : Lava et tu socium tuum. Ille autem videns quia mundatus est, et vestimenta haberet lota, noluit tangere lepram alterius, sed de sua salute gloriabatur. Dixitque ei Brigida : Quod tu voluisti, ut ille tibi faceret, te decet similiter ei facere. Ille vero negavit, et contradixit. Tunc Brigida surrexit, et mundavit leprosum, et dedit ei vestimenta munda. Qui vero prius sanatus est, ait : Modo sentio scintillas ignis esse super humeros meos. Et statim totum corpus ejus lepra percussum est propter superbiam, alter vero sanatus est propter humilitatem suam. Et gratulatus gratias egit Deo, qui se per merita S. Brigidæ sanavit.

*sanat leprosum,*

*item alium, cum abluens, prior ob superbiam, lepra corripitur*

A *AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*d pro quodam orans, ad religionem inducit*

77 Quadam die S. Brigida cum suis Virginibus ambulabat in loco campestri et vidit quemdam *d* juvenem scholasticum currentem velociter, et ait illi : O juvenis, quo tu curris tam cito? Ille respondit dicens : Ad regnum Dei curro. Dixit ei Brigida : Utinam merear currere tecum ad regnum Dei : ora pro me, ut istud valeam. Respondit Scholasticus : Tu roga Deum, ut cursus meus non impediatur, et ego pro te vicissim rogabo; ut tu et mille comites tecum vadant ad regnum Dei. Tunc S. Brigida pro juvene rogavit Deum, et in illis diebus ipse pœnitentiam egit, et fuit religiosus usque ad mortem suam.

*duobus leprosis dat singulas vaccas,*

78 Duo igitur leprosi ad Brigidam venerunt quærentes eleemosynam. Illa autem nil habebat quod eis daret, unam vaccam quam habebat dedit eis. Quorum unus gratias egit Deo, alter vero superbus et ingratus extitit, dicens : Nisi mihi soli detur vacca, dimidium illius non portabo. Tunc Brigida dixit ad humilem leprosum : Tu hic mecum paullisper exspecta hoc quod Dominus nobis mittat; et ille superbus vaccam habeat. Tunc exiit ille cum vacca, sed solus non potuit eam minare. Tandem labore fatigatus, reversus est ad Brigidam, et multis conviciis calumniabatur S. Brigidam, dicens : Quia non ex corde donasti vaccam tuam, ideo solus non potui eam minare : dura B es nimium et immitis. Sed S. Brigida consolabatur eum, et non potuit eum lenire, et hoc displicuit S. Brigidæ, et ait ad eum : Filius perditionis es, vaccam minabis, sed tamen tibi non proderit. Eadem die vir quidam venit ad S. Brigidam cum vacca in oblatione, et tunc duo leprosi minaverunt duas vaccas, et exierunt ad quamdam aquam, et illud flumen rapuit superbum cum sua vacca in profundum, et absorptus est; neque unquam inventum est corpus ejus : humilis vero evasit cum sua vacca.

*sed alter ingratus et superbus cum vacca perit*

79 Post hæc venit S. Brigida in campo *e* Clioch in fines Lageniensium, ut illic pauperes seminis sui adjuvaret. Cumque venisset in curru suo per campum *f* Femini, invenerunt quemdam virum sepientem agrum, dixitque auriga Brigidæ : Concede nobis, ut S. Brigida transeat in curru per agrum tuum, et postea circumdabis sepem agro tuo. Respondit ille vir : Non, sed ite per circuitum agri. Tunc dixit Brigida : Faciamus quod ille dixit, ne aliquid offensionis contingat, caussa illius viri. Tunc auriga cogebat equos transire sepem. Videns autem hoc vir ille furibundus, cædebat equorum nares : equisque calcitrantibus S. Brigida et auriga ceciderunt de curru, C et læsi sunt, et steterunt equi in uno loco. Tunc ait Brigida : Non dixi tibi, ut hunc virum vitaremus, quia vidi virum pestilentiæ esse et mortis? Tunc vir ille cœptum opus aggreditur, parvipendens scelus quod fecit, et statim corruit in terram et mortuus est.

*lapsa e curru læditur,*

*eo qui lapsus caussa fuerat subito extincto*

a *Vita 4*, ad littus cujusdam insulæ in mari positæ longo.
b *Colg.* Cliech, *alii* Cliolh. *Vita 4* Cliach in Momonia positum.
c *MS. Bat.* Clioh, *Colg.* Cliach. d *Is erat* S. Neunidius, *sive* Nennius, *de quo plura referuntur in 4 et 8 Vita, et a Colgano in 2 ad 18 Januarii.* e *MS. Bat.* Clich, *Colg.* Cliach. f *Ita MS. Bat. et Colg. ast Author* Femin.

## CAPUT XIII.

### *Annona egentibus obtenta, in via errantes adjuti.*

*a leprosam quæ leprosa fuerat depressione sanat*

Venit ergo S. Brigida ad extremos fines Lageniensium, et intravit in provinciam *a* Labrati, et ibi habitavit in quodam loco. Tunc venit ad eam quædam femina cum filia sua leprosa, ut sanaretur ab illa. Tunc Brigida orans jejunavit, et aquam benedixit, et jussit filiam leprosam aspergi de aqua, et statim mundata est a lepra sua, et gratias egit Deo et Brigidæ.

81 Religiosi quidam viri ad Brigidam venerunt, et prædicaverunt verbum Dei. Post hæc dicit Brigida ad cocam suam : Præpara prandium optimum hospitibus. Respondit coca dicens : Quale prandium dabo eis? dixit Brigida : Da eis panem et butyrum et co- D pas et fercula multa. Respondit coca : Dabo sic; sed tu prius exi ad ecclesiam. Nihil enim eorum quæ dixit habuit coca. Dixitque Brigida ad cocam : Scopa pavimentum coquinæ, et claude eam, et vade ad domum tuam, et ora in ea : et ego ibo ad ecclesiam. Hora autem sexta vocavit Brigida plausu, et dixit illi : Adest tempus, ut reficiantur hospites : vade ad coquinam, et quodcumque inveneris, in ea, da eis largiter. Tunc illa aperiens coquinam, invenit omnes escas quas dixit Brigida, et non defecerunt illæ escæ per septem dies, et erant sufficientes tam hospitibus quam omni familiæ Brigidæ : et nemo novit, unde erant istæ escæ, aut quis eas attulit, præter Brigidam et cocam suam.

*orans, cibos hospitibus impetrat, ad 7 dies;*

82 Alio tempore Virginum chorus venit ad Brigidam habentes quæstionem, et dixerunt ad eam : Cur in hoc loco olera aquatica non sunt, quibus sancti homines uti consuescunt? Pro hac caussa sequenti nocte S. Brigida Dominum rogavit. Mane autem surgentes puellæ viderunt fontes supra modum mensuræ his oleribus abundantes : et transeuntes per longa spatia locorum, invenerunt in illis locis nimiam multitudinem olerum istorum, quæ ante invisa erant in illis locis : et donavit ei Deus sicut rogavit.

*item olera aquatica ad suos fontes :*

83 Fama S. Brigidæ crescente per multas regiones, quidam homines venerunt ad eam de longinquo, E et illi munera portabant ad eam in curribus et in equis, sed casu venerunt in silvas condensas : venit nox super illos, et ignorantes viam erraverunt in silvis, neque poterant currus portare in silva. Tunc S. Brigida laborem illorum cognovit, et pro eis Dominum rogavit, et dixit puellis suis : Accendite ignem, et calefacite aquam hospitibus. Nox vero illa erat tenebrosa. Tunc princeps virorum illorum ambulantium vidit ingentem lampadem, quæ antecedebat eos in via, usque dum pervenerunt ad domum. Tunc Brigida exiit obviam illis, Deoque communes gratias egerunt, et manserunt ibi tribus diebus, Dominum laudantes. Posthæc reversi sunt illi per eamdem viam, qua venerunt illa nocte supradicta, et viderunt loca aspera et implana, et non potuerunt currus portare in humeris suis, et maximo labore evaserunt; quia nemo novit peritorum esse viam in illis locis, sed Christus in nocte supradicta illa loca fecit plana et lucida propter S. Brigidam rogantem.

*absentia cognoscit :*

*nocte in silva errantibus lucem divinitus præferri impetrat*

84 Simili modo quidam Episcopus, nomine Broon, quem supradiximus, venit cum mulieribus ad S. Brigidam, et cum curribus et equis, et cum multo populo comitantium. Venerunt et ipsi in silvas condensas, et errabant ignorantes viam, sicut scripsimus F accidisse. Tunc nox hiemalis cecidit super eos. Sancta vero Brigida hoc sciens, dixit puellis suis : Oremus pro hospitibus Dominum, qui laborant venientes ad nos, ut misereatur Deus laborum eorum. Mira valde dicturus sum. Tunc hospites illi in media via protinus viderunt locum Brigidæ, sicut putabant, videruntque lætam Brigidam cum suis puellis, in occursum eorum cum pace. Quæ subito duxit eos in magnam domum cum curribus et equis, et detractis calceamentis abluit pedes eorum, abundantiaque ciborum refecit eos : stratis quoque lectis hospites collocavit, et omnia quæ necessaria sunt hospitibus, fecit eis Brigida cum puellis suis, sicut senserunt. Mane autem facto, dixit Brigida puellis suis : Properemus in obviam hospitibus errantibus juxta nos, qui hac nocte in silva manserunt. Tunc festinaverunt, et invenerunt hospites in silva sedentes, et cum ingenti lætitia deduxerunt eos in domum suam, et compleverunt omnia jura hospitii, quæ ostensa sunt hospitibus in nocte, et simul gratias Deo egerunt.

*pro aliis errantibus orat,*

*qui sibi excipi videntur ab ea magnifice excipi;*

*quod postridie factum :*

85 Sanctus Episcopus Broon reversus est ad suam regionem, et portavit secum chrisma a S. Brigida. Ille autem habitabat juxta mare : quadam autem die Episcopus laborabat in littore maris, et unus puer secum,

A secum, et positum est chrisma super saxum in littore, et venit mare ad plenitudinem suam. Tunc puer recordatus est chrismatis, et flevit. Dixitque Episcopus: Noli flere, credo enim quia chrisma S. Brigidæ non peribit. Et completum est sic. Chrisma enim siccum super saxum fuit, et non mutatum est fluctibus maris; et decrescente mari invenerunt illud, sicut positum est.

a *MS. Bat.* Labratlu § *Vita*, Labraithi. *Colg. Not* 50 Labraide, *et conjicit* Hi-kenselach *nunc dici, ab Enda cognomento Kennselach, filio Labraiu. vel Laurodu, F. Bressalii Belach, Lageniæ Regis.*

## CAPUT XIV.

*Angeli custodis tutela et familiaritas. Victoriæ Regi benefico promissæ.*

Post hæc venit S. Brigida ad domum partis sui Dubtachi, volens post longa tempora visitare parentes: et pater ejus gavisus est valde in adventu ipsius, et rogavit eam, ut in domo sua maneret illa nocte, et illa mansit. In hac autem nocte venit Angelus Domini, et suscitavit Brigidam, et iterum veniens suscitavit eam; tertia autem vice paullo gravius excitavit eam, dicens: Surge cito, et suscita patrem tuum, et suam familiam, et tuas puellas: nam hostes appropinquant, et volunt occidere patrem tuum cum sua familia, sed propter te non vult Deus hoc. Exite nunc; nam statim domus ista comburetur. Et cum omnes exirent, hostes statim venerunt, et succenderunt domum. Tunc pater ipsius dixit: O Sancta Brigida, tua benedictio nos custodivit in hac nocte a morte præsenti. Dixitque illi Brigida: Non solum in hac nocte, sed usque ad senectutem sanguis non effundetur in habitaculo vestro. Nam cum quidam voluisset percutere quamdam Virginem, riguit manus ejus quam extenderat, et non potuit manum retrahere, donec illam Virginem dimisit.

87 Crastina autem die dixit una puellarum suarum ad S. Brigidam: Utinam Angelus adjuvaret te semper, sicut fecit in nocte transacta. Ait Brigida: Non ista nocte tantum, sed per omnem ætatem meam auxilium ejus habeo in omnibus. Nam quotidie lætitiam præstat mihi, dum per ipsum cœlestium sonos carminum et spirituales cantus organorum quotidie audio. Sanctorum quoque Missas, quæ Domino procul in terra celebrantur, quasi prope per ipsum essem, quotidie audire possum; et meas orationes nocte ac die offert Deo, et in præsentia et in absentia semper audit me. Quod duobus exemplis nunc tibi demonstrabo. Quodam autem tempore rogavit me mulier quædam leprosa et infirma, ut ei aquam deferrem, et in ceteris necessariis misericorditer ministrarem. Vas itaque cum aqua benedixi, et dedi ei, dicens: Pone illud inter te et parietem, ne aliquis præter te tangat illud, donec revertar. Angelus vero meus benedixit illam aquam in præsentia mea, et conversa est in omnem saporem, quemcumque leprosa volebat. Nam quando volebat vel concupiscebat mel, saporem mellis habebat aqua; quando vinum, sive cerevisiam, vel lac, aut alios liquores, eadem aqua in sapores eorum per mulieris infirmæ voluntatem vicissim vertebatur. Item cum ego parva puella essem, feci altare lapideum ludo puellari, venitque Angelus Domini, et perforavit lapidem in quatuor angulis, et subposuit quatuor pedes ligneos. Hæc duo de Angelo meo, o puella, tibi monstravi, ut Dominum nostrum glorifices.

88 Eodem tempore S. Brigidam pater suus rogavit, ut iret ad Regem Laginensium, ut gladium, quem ille Rex patri suo pro tempore donaverat, in perpetuum daret. Exiit itaque S. Brigida ad Regem in campum Lifi. Cumque illa sedisset ad portam civitatis ipsius, venit ad eam unus servorum Regis, dicens: Si me absolveris ex jugo Regis istius, servus tuus ero in perpetuum cum omnibus meis, et ego et cognati mei Christiani erimus. Dixitque illi Brigida: Petam pro te. Tunc Brigida vocata est ad Regem, dixitque ei Rex: O Brigida, quid vis a me? ait illa: Ut detur gladius tuus patri meo, ut unum de servis tuis mihi dimittas. Dixit ei Rex: Quid mihi dabis pro his duabus magnis petitionibus? Ait Brigida: Si vis, vitam æternam dabo tibi, et semen tuum Reges erunt per secula. Dixitque Rex: Vitam, quam non video, non quæro: de filiis, qui post me erunt, non percuro, alia vero duo da mihi, ut longævus fiam in præsenti vita quam diligo, et in omni loco et bello victor existam. Jugem enim pugnam habemus contra nepotes Neil. Dixitque ei Brigida: Hæc duo tibi dabuntur, longa vita et victoria in omni bello. Nec multo post exiit ille cum paucis hominibus in campum Breg: cumque vidisset multitudinem hostium, dixit ad suos: Vocate Brigidam in auxilium, ut Sancta impleat sua promissa. Et clamaverunt ad cœlum. Tunc statim Rex vidit S. Brigidam præire ante se cum baculo suo in manu dextra, et columna ignis ardebat de capite ejus usque ad cœlum. Tunc hostes in fugam versi sunt. Rex vero cum sua familia gratias Deo et Brigidæ egerunt. Post hæc ille Rex triginta bella gessit, et vicit omnia, novemque certamina in Britannia prospere egit, et a multis Regibus merces ei dabatur, ut cum ipsis pugnaret, quia erat invictus. Factum est autem post mortem ipsius, venerunt Laginenses, et inierunt consilium, dicentes: Ponamus corpus mortuum Regis nostri inter nos in curru, et pugnemus circa cadaver contra hostes: et ita fecerunt. Tunc nepotes Neil in fugam versi sunt. Donum enim divinum per S. Brigidam in Rege permansit.

## CAPUT XV.

*Raptus, occultorum cognitio, fluminum miraculosa trajectio.*

Alio quoque die quidam vir sanctus venit ad domum, in qua sola Brigida orabat, et invenit eam stantem, et manus in oratione tendentem in cœlum; et nihil aliud videbat, nec audiebat. Eadem hora clamor magnus habitatorum loci illius insonuit: nam ad vaccas vituli ipsa hora irruerunt, sed hæc Sancta non audivit, in mentis excessu Deo intenta. Tunc vir ille reliquit eam in hac hora, ne conturbaret orationem ejus. Alia vero hora reversus est ad eam, et dixit: o Sancta Dei cur non cucurristi ad clamorem plebis? Ait illa: Clamorem istum non audivi. Dixit ei vir ille: Quid aliud? Respondit Brigida: In urbe Romana juxta Petri et Pauli corpora audivi Missas, et nimis desidero, ut ad me istius ordo et universa regula deferatur a Roma. Tunc misit Brigida viros sapientes, et detulerunt inde Missas et *a* regulam. Item post aliquantulum tempus dixit Brigida ad illos viros: Ego sentio, quod quidam commutaverunt in Roma Missas, postquam venistis ab ea; exite iterum. At illi exierunt, et detulerunt ut invenerunt.

90 Quadam autem die pluviali venit Brigida ad domum suam. Et cum cessaret pluvia, radius solis venit in domum per parietem, et posuit Brigida vestimentum suum super illum radium, putans quod funis esset. Tunc alius prædicavit verbum Dei in domo illa, et Brigida intendebat verbo Dei, et usque ad vesperam, et ad magnam partem noctis inebriata est mens ejus verbo Dei, et oblita est præsentia. Radius vero ille, super quem posuit Brigida vestimentum suum, usque ad dimidium noctis permansit. Tunc unus eorum, qui erant in domo illa, dixit ad Brigidam: Tolle vestimentum de radio solis. At illa dixit: Putabam quod funis esset non radius. Alii quoque venerunt eadem nocte ad campum Lifi, et dixerunt se vidisse radium istum illustrantem campum, donec venerunt ad S. Brigidam media

noctë

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A noctе. Tunc omnes gratias Deo egerunt, et S. Brigidam laudaverunt.

91 Post hæc exiit S. Brigida, ut peregrinaretur in regione quadam cum simul secum comitantibus, et habitaverunt in campo *b* Ai. Quadam ergo die accessit ad altare, ut Eucharistiam sumeret de manu Episcopi et calicem desuper intuens, vidit in eodem *c* formæ prodigium, id est, umbram hirci vidit in calicem. Unus quippe de pueris Episcopi calicem tenebat. Tunc Brigida noluit ex hoc calice bibere. Dixitque ei Episcopus : Cur non bibis ex hoc calice? Brigida autem manifestavit ei quod in calice vidit. Tunc Episcopus puero dixit : Quid fecisti? Da gloriam Deo. Puer autem confessus est se fecisse furtum in caprario, et unum occidisse hircorum suorum, et ex parte comedisse. Dixitque ei Episcopus : Pœnitentiam age, et funde lacrymas cum fletu. Et jussis obedivit, et pœnitentiam egit. Item vocata Brigida venit ad calicem, et nihil in calice vidit hirci illius. Lacrymæ enim illius culpam solverunt.

*furtum pueri mirabiliter cognoscit :*

92 Alio tempore in eadem regione quædam *d* decrepitana infirmabatur ad mortem, veneruntque ad eam omnes Virgines loci illius, ut vigilarent, et orarent cum ea in domo, et S. Brigida venit cum eis. B Tunc quædam ex Virginibus ait : Tollantur vestimenta de ea, ne sub ipsis mortua fiat, et ne laboremus lavantes ea in tempore nivis et frigoris. Hoc S. Brigida prohibuit, dicens : Parvo tempore nobiscum erit, facite misericordiam ad parvam horam. Egrediente vero anima illius vetulæ de corpore, visa sunt vestimenta extra domum, et nemo vidit quis ea foras portaret. Caritas enim cordis Brigidæ utrumque voluit, ut infirma illa vetula non nudaretur vestibus in magno frigore, et ne laborarent lavantes eas : utrasque enim liberavit a frigore. Tunc omnes Deum et S. Brigidam laudaverunt.

*anui moribundæ alborum laborem in emundandis morientis vestibus adimit.*

93 Cumque S. Brigida ibidem habitaret in quadam ecclesia, stagnum aquæ frequentabat. Quadam autem nocte, in qua erat nix et glacies, omnibus dormientibus venit Brigida ad stagnum cum quadam puella, et erat in illa nocte in stagno orans, et flens; et quod semel fecit in illa nocte, hoc semper omnibus noctibus voluit facere, et in consuetudinem vertere. Sed Christi misericordia hoc fieri diutius non passa est. Alia autem nocte stagnum invenerunt siccum sine aqua, et non invenerunt nisi arenam tantum. Prima vero hora diei venientes ad stagnum, invenerunt aqua plenum, ut semper erat : similiter secunda nocte iterum aruit stagnum; diebus vero plenum fiebat, ita ut Deus manifestaret omnibus magnam *C* virtutem Virginis Brigidæ.

*in gelido stagno noctu orat : quod postea noctu exaruit, die plenum.*

94 Orta est igitur magna quæstio apud Lagínenses de absentia Sanctæ, ut ad suam gentem rediret. Tunc Brigida venit cum eis. Cumque ad flumen *e* Sinne venirent, invenerunt ibi juxta *f* Vadum Luan duas plebes sedentes ex utraque parte ripæ, id est, nepotes Neil et Connactorum gentes. Tunc puellæ S. Brigidæ postulaverunt ab omnibus, ut trans flumen portarentur, et non impetraverunt. Quidam vero pessimus homo dixit ad illas : Date mihi unum sagorum vestrorum, et in mea navi trans flumen portabo vos; dixeruntque puellæ : Non, sed nos nunc ibimus in flumen, et benedictio S. Brigidæ custodiet nos. Eadem hora dixerunt puellæ S. Brigidæ : Signa istud flumen in nomine Jesu Christi, ut mitior et humilior efficiatur nobis. Tunc S. Brigida flumen benedixit : et duobus populis adstantibus, ut diximus, cum puellis suis flumen intravit, et usque ad genua Virginum non pervenit alveus ingentis fluminis, quod etiam fortissimi viri sine navi non poterant transire. Omnes itaque Deum et S. Brigidam laudaverunt. Et priusquam S. Brigida intraret flumen cum puellis suis, ingressi sunt in parva rati alii Clerici, *g* qui se confidebant in imperitia navigandi, et dixerunt ad Brigidam : Poterit ratis ista D portare unam puellarum tuarum nobiscum. Tunc Brigida jussit uni puellarum suarum, ut ante se præiret cum eis trans flumen. Dixitque puella : Benedic me diligenter, quia timeo a te separari in flumine. Dixit ei Brigida : Vade in pace, Dominus custodiat te. Tunc navigaverunt, et in medio fluminis mersa est navis sub aqua cunctis videntibus. Puella vero in periculo posita, clamavit nomen S. Brigidæ in auxilium, et benedixit eam Brigida, et oravit pro illa sedente super aquas. Et portavit eam aqua in sua sede ad portum, cum siccis vestimentis. Tunc omnes confessi sunt mirabilem Deum omnipotentem per Sanctam Brigidam Virginem.

*flumen cruce signatum, cum suis transit sine nave : puellam benedictam periculo submersionis eripit :*

95 Dum ergo S. Brigida venisset ad patriam suam, cum magno honore et gaudio totius plebis suscepta est. Quodam autem tempore erat panis inopia Virginibus Brigidæ in loco in quo habitabant. Tunc quidam homo, qui habitabat in Orientali plaga campi Liffi, venit ad Brigidam, vir bonus et largus, et dixit ad eam : Veniant mecum puellæ tuæ, ut afferant tibi aliquantos modios farinæ. Tunc perrexerunt puellæ cum eo, et postea ab illo cum oneribus reversæ sunt. Cumque ad amnem Liffi venissent, invenerunt illum plenum ultra ripas : abundantia magna aquarum erat, et non poterant a crine transire E undis tumescentibus. Tunc Virgines quid agerent stupida mente ignorabant. Ergo prostraverunt se in terram juxta ripam fluminis, et invocabant una voce S. Brigidam in auxilium. Continuoque simul ab eo loco, in quo erant, in alteram ripam hujus fluminis translatæ sunt cum oneribus suis : sed quomodo, aut qualiter translatæ sunt, ignorabant. Tunc venerunt puellæ ad S. Brigidam, et narraverunt miraculum quod factum est de ipsis : et ipsa præcepit eis ut nemini dicerent hoc : sed tamen celari non potuit.

*mittit suas ut frumentum ferant, easque miraculoso modo trans flumen deferri impetrat.*

a Ordinem ac ritus sacrorum. De legatis a S. Brigida Romam missis, morifica oblivione capitis, ac cæco a morte liberato, agit ex uno ejus Augusti festologio Colganus Append. 2 cap. 43. Nescio quam illa fidem mereantur.

b Vita 4 Hay. Colg. Air, notatque olim Mag-ai, nunc Mag-air vel Machaire Connacht dici. Est enim in Connacia ampla planities, in Comitatu Roscoman, quam duo fluvii Sucus et Sinens includunt. Plures ibi ecclesiæ, in diœcesi Alfinensi, S. Brigidæ dicatæ.

c Ita MSS. at Colg. deforme. Capgravius ita hoc prodigium narrat : Cum Eucharistiam de manu Episcopi sumeret, vidit in calice, quem puer Episcopi tenebat, deforme prodigium, hirci videlicet umbram : et renuens de calice bibere, visionem Episcopo dixit. Tunc Episcopus puero ait : Quid fecisti? Da gloriam Deo. Puer autem confessus est, se furtum fecisse, et unum hircorum suorum occidisse, et partem comedisse : et cum pœnitentiam cum lacrymis egisset, vocata Brigida nihil de hirco in calice vidit. Hæc Capgravius : quæ ex protuli, ut appareat haberi hæreticum scurrile mendacium, Script. Brit. centur. 4 in append. ad cap. 41 (ubi de Fastidio Episcopo agit) ita scribentis : Miraculis, his dictus (inquit Capgravius) laborabat hypocrisis : non tamen potuit adulterium occultare, quod tunc pro summa sanctitate colnerat. Nam dum sacra litaret Episcopus celebs in Mona insula, Bronus vel Brunn nomine, Brigida mulier sancta in ejus calice (....) hirci umbraticei deforme prodigium vidit. Quod ex ejus fornicatione ac matrimonii sacerdotalis contemptu, circa annum 840 provenisse, dictus Capgravius interpretatur. Hæc ille, homo impurissimus, quem tamen Gulielmus Aulander senem doctrina et pietate pollentem. Cælius Secundus Curio bonum et doctissimum senem prædicant : quasi bonitatis, doctrinæ, pietatis nomine fas sit impudentiam, maledicentiam, mendacium honestare. d Ita MSS. et Colg.

*Balæi apostatæ impudens mendacium.*

e Ita MS. Aud. at Bat. Sinna, Colg. Sinann. Ptolemæo, Senus, alias Sena, Sinna, Sinnunus, incolis Shannon : nobilissimus Hiberniæ fluvius, Mediam a Nobilibus habitatum, a Connacia dividens. *Senus fl.*

f Alia Luain. Ita nunc oppidum est, Sinæo flumini appositum, vulgo Athlon O-Kelliorum baroniæ Athlonæ, ac totius Comitatus Roscomanensis primarium, quod et castrum habet præsidio munitum et pontem pulcherrimum vivo e saxo. *Athlon op.*

g Colgan. qui in se confidebant in peritia navigandi.

## CAPUT XVI.

*Tentationis superatæ fructus, varia in ope miseris serenda miracula.*

S. Brigida habebat quamdam alumnam, nomine Darlugdacham, quæ quadam die non bene custodiens oculos suos vidit virum, et concupivit eum, et

ipse

A ipse similiter amavit eam. Post hæc vero Virgo quadam nocte conduxit illum virum: et ipsa nocte erat Virgo hæc in lectulo cum S. Brigida. Cum autem paullisper dormiret S. Brigida, surrexit Virgo: et cum exisset de lectulo; irruit in eam mira perturbatio cogitationum, et magnum certamen habebat in corde, timoris et amoris. Timebat enim Deum et S. Brigidam, et vehementi igne amoris viri urebatur. Oravit ergo Dominum, ut adjuvaret illam in tali angustia. Tunc invenit a Deo bonum consilium, et implevit duos *b* ficones suos carbonibus ignis, et intinxit pedes suos in eos. Sicque factum est, ut ignis ignem extingueret, et dolor dolorem vinceret. Deinde vero ad lectulum reversa est. Hæc autem omnia sensit B. Brigida, sed tamen tacuit, ut puella paullisper temperaretur et probaretur. Crastino autem die puella confessa est suum peccatum. Dixitque ei Brigida: Quia viriliter dimicasti in hac nocte, et pedes tuos in præsenti combussisti, ignis fornicationis iterum in præsenti non nocebit tibi, et ignis gehennæ in futuro non comburet te. Tunc B. Brigida sanavit pedes ejus, ita ut nec signum combustionis appareret in eis.

*S. Darlugdachæ quæ ob male custoditos oculos tentata,*
*b*
*pedes sibi ussérat,*
*... sanat, et connubium ... domino spondet.*

97 Alia die S. Brigida messores suos in messem suam vocavit: et in ipsa die pluvia magna erat, et B per totam provinciam illam pluviis abundanter effusis, sua messis sola arida sine pluviarum impedimento fuit. Et cum omnes messores regionis illius a suo opere propter pluviam prohibiti essent, sui messores, sine ulla umbra caliginis, tota die ab ortu solis usque ad occasum per Dei potentiam opus exercebant incessabiliter cum serenitate.

*messores suos a pluvia servat immunes:*

98 Alio autem die *c* tribus advenientibus Episcopis et cum ea hospitantibus, dum non haberet S. Brigida unde eos cibaret, adjuta multiplici virtute Dei, vaccam unam contra consuetudinem in una die tribus vicibus mulsit: et quod solet de optimis tribus vaccis exprimi, mirabiliter de una vacca expressit. Hanc autem vaccam sciens quidam *d* puer, rogavit S. Brigidam, ut donaret illi eam: et ita fecit. Et postquam inde minavit eam, similis aliis vaccis effecta est: et sicut aliæ vaccæ fuerunt, talis fuit vacca illa. *e*

*c*
*ad hospitalitatem, lactis copiam a Deo impetrat:*
*d*
*e*

99 Quidam autem die venit quædam mulier ad S. Brigidam, dicens ei: Quid faciam de filio meo, quia pater ejus illum propter cæcitatem, quam patitur, vult occidere *f*? A nativitate enim cæcus est, *g* tabulatam faciem habens. Tunc Brigida miserta mulieri, jussit faciem pueri in aqua propinqua lavari. Et statim sanus factus est puer, qui vocabatur *h* C Cretanus: quem dicebant homines loci illius usque ad mortem dolorem oculorum habuisse: sed tamen sanos oculos semper habebat.

*cuidam oculos et visum confert*
*f*
*g*
*h*

100 Alio autem die quidam *i* lacer in forma pauperis venit ad S. Brigidam, sciens illam misericordem esse in pauperes, et jocularibus verbis postulavit ab ea vervecem de grege; et illa donavit ei. Et ille iterum veniens septem vicibus, et septem verveces in nomine Domini postulans per astutiam in forma pauperis ab ea, ut voluit, impetravit. Vespere autem facto, dinumeratoque grege, certus numerus inventus est: iterum additis septem vervecibus gregi, non amplius quam certus numerus inveniebatur. Quodam namque tempore leprosi a B. Brigida cerevisiam postulaverunt. Illa vero videns quia non haberet cerevisiam, aquam ad balneum portatam benedicens, in optimam cerevisiam convertit, et abundanter sitientibus porrexit. Alio autem tempore S. Brigida, per potentissimam Dei virtutem, cujusdam mulieris tumescentem vulvam benedixit: et evanescente *i* conceptu, sine partu et dolore eam sanam ad pœnitentiam restituit. Illa vero sanata est, et Deo gratias egit. Quadam autem die cum quidam ad B. Brigidam veniret, sal petens, illa non habens in promptu sal, accepit lapidem, et benedixit, et fecit sal de eo, et præsenti largita est: et fecit eum domum cum gaudio redire.

*... dat ... auxerit,*
*... ur ... ex*
*... benedictione in cerevisiam ...*
*i*
*... tram in sanat ...*

101 Alio vero tempore S. Brigida *k* grandem partem lardi cum alia carne perdidit. Et cum pars illa D esset inquisita, non alicubi, sed in loco ubi canis solebat esse, mense transacto intacta et integra reperta est. Non enim canis ausus est comedere depositum B. Brigidæ: sed custos parcens lardo, et *l* idoneus contra suum solitum morem, Divina refrænatus virtute, edomitus extitit. Alio quoque die cum pauper cibo indigens eam rogaret, illa ad virum qui carnem coxerat perrexit, ut pauperi aliquid quæreret. Sed ille stultissimus famulus, qui carnes coxerat, partem carnis nondum coctam in sinum dominæ suæ projecit. Et sic illa, non fuscato colore candidæ vestis, sed manente in suo naturali colore, pergens pauperi tribuit.

*Ab ea vero ... ex ... k carnem a cane intactam post mensem recipit*
*l*
*carnem crudam gerit vestie non maculata*

102 Alio vero tempore cum aper ferus, singularis et silvestris et fugitivus esset, ad gregem porcorum B. Brigidæ mansuetissime pervenit. Quem ipsa inter suas sues cernens, benedixit, ac deinde impavidus ac familiaris permansit in grege porcorum ejus: quia et bruta animalia et bestiæ sermonibus et voluntati ejus resistere non poterant; sed domita et subjecta placida sibi servitute, ut voluit, famulabantur. Alio autem tempore S. Brigida fortissimum virum, nomine Lugaidum, nimia esione sanavit: quem asserunt in uno prandio bovem manducare et porcum cum pane sufficiente: quanta enim virtute eminebat tanta esione E præcellebat. Hunc similem aliis hominibus esione effecit, nulla virtute privata.

*aprum benedictione mansuetum reddit.*
*enormem voracitatem curat*

103 Quadam vero nocte fuit *m* quidam vir cum sua uxore in hospitio cum S. Brigida; et ille rogavit eam, ut signaret vulvam uxoris, ut filium haberet: et ita fecit. Et statim uxor ejus dormiente illo cum ea concepit: et inde natus est *n* Echenus præcipuus Sanctus. In illa nocte, lunulam argenteam mulieris illius quædam ancilla furata est, et fugit. In crastino vero die multis hominibus sequentibus eam, lunulam illam in amnem magnum projecit. Tunc piscis miræ magnitudinis eam statim deglutivit. Piscatores quoque in illa hora ipsum piscem retibus suis ceperunt, et illico S. Brigidæ illum in domo obtulerunt: pisce vero aperto, S. Brigida mulieri suam lunulam reddidit. Tunc vir supradictus, cum uxore sua prægnante, gratias Deo et B. Brigidæ egit: et Brigida in viam suam perrexit.

*m*
*mulieri sterili benedictione fecundat*
*n*
*amissa ... mirabiliter restituit*

104 Alio vero tempore venit S. Brigida ad Virginem religiosam. Illa autem non habens aliud, paravit ei cœnam de vitulo unius vaccæ suæ, et ligna telæ suæ incidit, et coxit vitulum. Audiens autem hæc S. Brigida mane restituit ei vitulum, et ligna F telæ renovata inventa sunt, ut antea fuerunt. Alio quoque tempore missalia vestimenta *o* Conlaidi Episcopi pauperibus dedit, quia aliud quod daret non habebat. Et statim in hora sacrificii Conlaidus vestimentum suum quæsivit, dicens: Corpus et sanguinem Christi non immolabo sine meis vestimentis. Tunc B. Brigida orante, similia vestimenta Deus præparavit. Omnes vero videntes glorificabant Deum.

*parte pro ... absumpta restituit ... gra*
*... dat pauperi similes ... r ... at*

a *De hac sancta Virgine agemus hac ipsa die, quo ab Hibernis colitur.* b *Videtur genus aliquod calceamenti significari.* c *Colganus ex quodam Festilogio miraculum hoc hyperbolice exaggeratum recenset: venisse octo Episcopos, Brigidam cum ... ex coqua sua* Blathnata *nihil cibi præsto esse ... appetere, ad nova præsidia orationis confugisse, jussamque ab Angelo, vaccas denuo mulgendas curare: tantam hinc manasse lactis copiam, ut non vasa modo omnia, sed et lacum etiam quemdam depressum impleverit, qui inde* Loch lainnachta, *id est, lacus lactis appellatus est.* Blathnatam *Virginem, coquam S. Brigidæ Sanctis accenset Colganus, atque* Blathnam *quoque vocari, Latine* Floram, *et in quibusdam Martyrologiis 21 Januarii referri.* d *Colg. pauper.* Vita 4 *avarus.* e *Addit MS. Bat.* Et quæcumque vacca fiebat apud Brigidam, talis fiebat qualis supradicta fuerat. f *Addit MS. Bat.* quia penitus abortivus est. g *Planam* ... *tabulæ instar, nullis prominentibus partibus.* h *In 4 Vita Cirinthanus vocatur.* i *Hæc de re plenius ad num. 2 Vitæ 2 num. 12.*

k *Addit MS. Bat.* suam mentem de terrestribus ad cœlum elevans. l *Ita MSS. at Colg. pejorus.* m *MS. Bat.* Charus ... *Ieresus, et in ... ; vel Ecresus, aut Ecreas.* ... *Marianus cognomento Erreas, ut est poeta.* n *De S. Echeno, sive Etcheno, vel Ecano, agemus 11 Febr.* o *S. Conlaidus ...*

Conl ...

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A Conleus, *aut* Conlladus, *Episcopus erat Kildariensis, ut supra dictum, et plenius infra in 2 Vita*

## CAPUT XVII.

### *Varii generis miracula; pleraque in miserorum levamen, mors S. Brigidæ.*

*a Vestes in scrinio per mare mittit S. Senano.*

Alio quoque tempore S. Brigida vestimenta in scrinio super mare misit, ut devenirent per longissimum maris spatium ad *a* Senanum Episcopum in alia insula in mari habitantem. Et ille, revelante Spiritu sancto, Fratribus dixit: Ite quantocyus ad mare; et quidquid illic inveneritis, huc vobiscum ducite. Illi autem abeuntes invenerunt scrinium cum vestimentis. Senanus ergo videns vestimenta, gratias egit Deo et S. Brigidæ. Quo enim homines ire non poterant sine magno labore, ibi scrinium solo Deo gubernante perrexit. Alia quoque die S. Brigida massam argenti projecit in flumen, ut per illud veniret ad Virginem, nomine *b* Hinna, quæ paullo antea respuit ipsam massam portare; et sic postea, Domino afferente, massam accepit.

*Virgini argentum per flumen: b*

106 Quadam die reus quidam perductus est ad jugulandum a Rege. *c* Mora autem jugulationis, S. Brigida orans, argentum a Deo in sinu accepit, et Regi pro eo dedit, et reus de morte liberatus est. Die quoque alio unam tunicam pauperibus divisit duobus, utrique dimidiam tunicam: et utriusque pars integra tunica effecta est. *d* Non ergo hoc silendum est, quod *e* puellam quamdam a paterno stupro liberavit. Nam cum illa virginitatem suam Deo vovisset, et pater ejus coegisset eam, ut sumeret in conjugem, nocte nuptiarum præparatis epulis, relinquens patrem, et parentes, ad S. Brigidam confugit. Quam mane pater insecutus est. Sed videns S. Brigida equitatum ejus procul, signum sanctæ Crucis elevavit contra illum: et omnes terræ fixi sunt. Quod ut pater vidit, mox pœnitentiam egit, et cum suis solutus est: et sic puella liberata a carnali sponso, desponsata est Christo, sicut vovit in corde suo.

*c B argentum divinitus accipit quo reum liberat: vestes medias, quæ integræ fiunt: d e virginem a conjugio liberat, persequentes reddens immobiles.*

107 Quidam vero Rex respuit Principem, quem volebat S. Brigida in alia civitate fieri; et Rex statim de curru cecidit, et capite ad terram colliso mortuus est. Quodam vero tempore patiente B. Brigida paupertatem, et advenientibus hospitibus ad eam, urticas transmutavit in butyrum, et cortices arborum in lardum. Alio quoque tempore promisit mago, qui sibi suam hæreditatem dedit, in hora mortis suæ obviare: quod ita ut promisit fecit. Nam cum ille in lecto suo proximus morti jacuisset, dixit familiæ suæ: Cito ergo disponite omnia quæ ad mortem meam necessaria sunt. Video enim S. Brigidam in veste candida ad me cum multis venientem. Sicque vere baptizatus est et Christo credens defunctus est.

*a Rege spreto vindicatur. mutat urticas in butyrum, cortices in lardum: C mago ut promiserat morienti apparet, cum quo convers...*

108 Quadam nocte B. Brigida, et alia quædam Sancta, nomine *f* Daria, de Christo invicem colloquebantur, et non senserunt noctem, quia ubi Christus sol justitiæ præsens fuit, ibi nihil tenebrosum esse potuit. Tunc Daria dixit ad Brigidam: Benedic oculos meos, ut valeam mundum videre, sicut desidero; illa enim oculis orbata fuit. Tunc benedixit oculos suos, et statim aperti sunt. Sancta vero Daria dixit ei: Iterum reclude oculos meos; quanto enim quis mundo absentior fuerit, tanto Deo præsentior erit. Tunc Beata Brigida iterum reclusit oculos suos, sicut rogavit.

*f S. Dariæ benedictione visum confert, post videndi adimit.*

109 Quadam nocte lignum quoddam miræ magnitudinis sola a suo loco transmovit, quod prius plurimi homines movere non poterant. Angelo enim Domini ei auxiliante, usque ad locum, quo volebat, illud perduxit. Quodam vero tempore quædam mulier cum filia muta ad ecclesiam, ubi S. Brigida manebat, perrexit, et vocavit ad se Virginem, nomine Darlugdacham, dicens ei: Adjuva me, ut filia mea *g* ab infirmitate sua sanetur. Tunc illa duxit puellam ad B. Brigidam. Et dixit Brigida puellæ: Vis virgo permanere? Nesciebat enim, quod muta esset. Statimque respondit puella: Quodcumque mihi præceperis, ego faciam. Et sic postea in virginitate permanens, usque ad mortem suam eloquentissima fuit. Quadam die vidit B. Brigida anates in aqua natantes, et interdum per aera volantes, et eas accersivit ad se. Quæ obedientes voci ejus, sine ulla formidine ad eam volitabant: quas manu tergens, et amplectens per aliquod tempus redire permisit. D

*lignum transfert. mutæ vocem impetrat. g. silvestres anates ad se evocat.*

110 Alio tempore cum rusticus quidam, nulla suffultus scientia, per Regis palatium videret vulpem, putans quod non mansueta et familiaris esset, et quod variis artibus docta Regi et suis comitibus spectaculum præstaret, vidente multitudine occidit eam. Tunc alligatus est, et ad Regem perductus, et jussit illum occidi, (nisi alia vulpes ei similis in omnibus calliditatibus restituta esset) et uxorem et filios, et omnia quæ habebat in servitutem redigi. Cum autem S. Brigida rem gestam didicisset, misericordia permota, currum sibi jungi præcipiens, et pro misero precibus ad Dominum profusis, perrexit in viam quæ ducit ad palatium Regis. Tunc Dominus ejus misertus *h* aliam vulpem ei transmisit, et ipsa in currum ad eam intravit, et juxta eam se constituens, mansuete in curru cum ea sedit. Cum ergo ad Regem venisset; precabatur eum ut reus a vinculis solveretur. Ille autem respondit ei, se numquam ejus misereri, nisi aliam vulpem priori similem in omnibus calliditatibus reddidisset. Tunc ipsa vulpem, quam ei Deus transmisit, protulit, et ipsa majores calliditates agens, variis artibus coram omnibus lusit. Rex vero placatus reum dimisit liberum abire. Sancta vero Brigida, reo absoluto, ad domum suam rediit: et vulpes dolosa in turbas se callide movens, ad loca deserta, et ad suum antrum refugit. *i* E

*vulpe Regis occisa periclitanti reo, h simili divinitus obtenta*

111 Alio tempore quidam vir ad eam venit, et dixit ei: Nuntii tui mecum ad meam villam veniant; ut tibi aliquos de meis porcis adducant. Villa vero, ubi vir manebat, itinere *k* quatuor dierum a mansione S. Brigidæ aberat. Tunc, ut rogavit, nuntios cum eo misit. Sed transacto unius diei itinere in monte confinali porcos, quos in longinquo opinabatur esse, obvios ad se venire, et a lupis coactos, et ad se directos per viam conspexit. Et cum intellexisset porcos, quos lupi a campo Femini minabantur de silvis maximis, suos esse, et pro reverentia S. Brigidæ a lupis illæsos conservatos, dedit gloriam Deo. Tunc vero lætus suscipiens porcos, dedit illos nuntiis S. Brigidæ. Et sic altera die hi qui missi fuerant a S. Brigida, cum porcis ad dominam suam reversi sunt, ei factum quod contigit narrantes, et Deum in omnibus glorificantes. F

*i k et lupos a quo donatos, lupi deducentibus accepit*

112 Alio autem tempore B. Brigida, quadam necessitate cogente, mel a Domino postulavit: et in pavimento domus suæ abundanter, quod petiit, invenit. Quoddam flumen de loco suo ad alterum locum mutavit: *l* quod usque nunc, sicut ipsa disposuit, currit. Plurima vero Dominus per suam sanctam famulam fecit miracula, quæ non sunt inter hæc, propter fastidium lectoris, scripta.

*mel divinitus accipit. l flumen alio mutat.*

113 Cum autem ejus exitus de hoc sæculo appropinquasset, alumnam suam, nomine Darlugdacham, vocavit, et ei diem obitus sui prædixit. Quod ut ipsa audivit, præ tristitia cum magistra sua mori voluit. Beata vero Brigida dixit ei: *m* Post obitum meum uno anno feliciter vives; et anno transacto in die obitus mei morieris: ut nobis, quæ simul in hoc sæculo viximus, simul recolatur dies anniversarius. Quod postea, ut prædixit, evenit.

*m prædicit S. Darlugdachæ tempus mortis suæ,*

114 Sancta vero Brigida, bono certamine certato, et cursu felici consummato, de hac luce migravit ad regnum cœlorum: quæ Angelorum atque Archangelorum illuc agminibus ducta, et inter choros Patriarcharum

charum et Prophetarum et Apostolorum, et Martyrum, et Confessorum ac Virginum, collocata, nunc gaudia cum Christo possidet sempiterna : cui cum Deo Patre et sancto Spiritu manet honor et laus et gloria per cuncta seculorum secula, Amen.

a *Colitur* S. Senanus 8 *Martii, in ejus Vita ab alia quadam Virgine, Brigida quoque dicta, hæ sacræ vestes ad eum missæ, sed diversa nonnihil ratione, memorantur estque id perquam probabile, vel propterea quod S. Senanus æqualis fuisse dicatur S. Medoci Fernensis, qui puer Ainmireo Regi obses datus post annum* DLXVI, *natus proinde non fuit cum S. Brigida Kildariensis decessit qui tamen in S. Vita lib. 2 cap. 11 num.* 60 senex, *appellatur.*

b *Existimat Colganus hanc esse* S. Kinnam, *sive* Kinnam, *aut* Cinniam, *quæ hoc ipso die primo Febr. colitur. Simile de S.* Finniano *superius relatum : an alterutro loco forsitan mendum est?*

c *Colg.* In hora. d *Addit MS. Ratisp. quæ hic desunt :* In alia die S. Brigida digitis suis petram durissimam perforavit : necessitatem enim maximam habuit, quam nunc tacemus caussa brevitatis. e *MS. Rat.* filiam cujusdam Principis. *Neque meminit, ad quem a patre sit sollicitata, sed solum ut sponso nuberet, ablactam.* f *Plures* Darias *publica religione celebres enumerat Colganus, tres alias Hermannus Crombachius noster in historia Ursulana, omnes ab hac cæca, sed in rebus Divinis perquam oculatam videnti Virgine, diversas.* g *Addit MS. Ratisp.* alumna tua. h *Pulchre MS. Rat.* unam de suis vulpibus feris.

i *Addit idem MS.* et equitibus canibusque insequentibus incolumis evasit. Et omnes videntes admirati sunt virtutem Dei per Brigidam. k *Ita MSS. ut Colg.* quatuordecim, *quod tamen in Notis minus probat.* l *MS. Rat.* et prima vestigia illius usque in hodiernum diem hominibus apparent. m *MS. Rat.* Successrix mea eris anno uno, et in die obitus mei morieris, ut una nobis solennitas fiat.

nium Episcoporum, et beatissima puellarum principalis, felici comitatu inter se et gubernaculis omnium virtutum, suam rexerunt principalem Ecclesiam : et amborum meritis sua Cathedra Episcopalis et puellaris, acsi vitis fructifera diffusa undique ramis crescentibus, in tota Hibernensi insula inolevit. Quam semper *d* Archiepiscopus Hibernensium Episcoporum, et Abbatissa, quam *e* omnes Abbatissæ Scottorum venerantur, felici successione, et ritu perpetuo dominantur. Exinde ergo, ut supra dixi a Fratribus coactus, Beatæ hujus Brigidæ virtutes, tam eas quas ante principatum, quam alias, quas in principatu gessit, studio brevitatis, licet præpostero ordine virtutum, compendiose explicare conabor.

a *Præstantissimam ecclesiam intelligit, non quæ ceteris omnibus præesset, nisi de solis fœminarum monasteriis accipiatur, aut de Lageniæ Ecclesiis, ut mox dicemus.*

b Maghliffe, *id est, campus Liffi, vel Liffei, (amnis, sese in mare ad Dublinum metropolim exonerantis) planities est ampla et fertilis, in qua Kildariense cœnobium.*

c *Addit MS. Wibling.* Conlaeum nomine, *Colganus Not. 6.* Conlaethum *vocat, alibi* Conlaidum, *et* Conlianum. *Jacobus Waræus in Catalogo Epp. Darensium* Conlætlium. *Sed quod ait* Lonanum *et Ivorum præhuberi ante eum illi Ecclesiæ præfuisse, ex hac S. Brigidæ Vita videtur refutari. De eo actum in præcedenti Vita cap. 7 num 47.*

d *Lageniæ solius Archiepiscopus fuit Kildariensis Antistes, cum totius Hiberniæ Metropolita esset Armacanus.*

e *Dubitat Colganus, an omnes Abbatissæ, ac sanctimoniales Hiberniæ ac Scotiæ amplexæ sint S. Brigidæ Regulam.*

# VITA II

## AUCTORE, UT CREDITUR, COGITOSO.

*Ex MSS Cameracen. Wibling. Trevir. etc.*

### PROLOGUS AUCTORIS.

Me cogitis, Fratres, ut sanctæ ac beatæ memoriæ Brigidæ Virginis virtutes et opera, more doctorum, memoriæ litterisque tradere aggrediar. Quod opus impositum, et delicatæ materiæ arduum, parvitati et ignorantiæ meæ et linguæ minime convenit : sed potens est Deus de minimis magna facere, ut de exiguo olei et farinæ pugillo domum implevit pauperculæ viduæ. Itaque jussionibus vestris coactus, satis habeo meam non defuisse obedientiam. Et ideo pauca de pluribus, a majoribus ac peritissimis tradita, sine ulla ambiguitatis caligine, ne inobedientiæ crimen incurram, patefacere censeo : ex quibus quanta qualisque Virgo virtutum bonarum florida, cunctorum oculis innotescat : non quod memoria et mediocritas, et rusticus sermo ingenioli mei, tanti muneris officium explicare valeret; sed fidei vestræ beatitudo, et orationum vestrarum diuturnitas meretur accipere, quod non valet ingenium ferre dictantis.

2 Hæc ergo egregiis crescens virtutibus et fama bonarum rerum, ad eam de omnibus provinciis totius Hiberniæ innumerabiles populi de utroque sexu confluentes, et vota sibi voventes voluntarie, suum monasterium (*a* caput pene omnium Hibernensium Ecclesiarum, et culmen præcellens omnia monasteria Scottorum, cujus parochia per totam Hibernensem terram diffusa, a mari usque ad mare extensa est,) in campestribus *b* campi Liffi supra fundamentum fidei firmum construxit : et prudenti dispensatione de animabus eorum regulariter in omnibus procurans, et de ecclesiis multarum provinciarum sibi adhærentibus sollicitans, et secum revolvens quod sine summo Sacerdote, qui ecclesias consecraret, et Ecclesiasticos in eis gradus subrogaret, esse non posset; illustrem virum et solitarium *c*, et omnibus moribus bonis ornatum, per quem Deus virtutes operatus est plurimas, convocans eum de eremo et de sua vita solitaria, et ipsi obviam pergens, ut Ecclesiam in Episcopali dignitate cum ea gubernaret, atque ut nihil de ordine sacerdotali in suis deesset Ecclesiis, arcessivit. Et sic postea unctum caput, et principale om-

## CAPUT I.

*S. Brigidæ adolescentis benignitas in pauperes; virginitas Deo devota : utrumque miraculis comprobatum.*

Sancta itaque Brigida, quam Deus præscivit ad suam imaginem et prædestinavit, *a* de bona ac prudentissima *b* prosapia, in Scotia orta, patre *c* Dubtacho et matre *d* Brotsech genita; a sua pueritia, bonarum rerum studiis inolevit. Electa enim a Deo puella, moribus *e* sobrietatis ac pudicitiæ plena, in meliora semper crescebat. Et quis sua opera ac virtutes, quæ etiam in hac ætate gessit, plene enarrare valeat? Sed hæc pauca de innumerabilibus, exempli causa posita, demonstrabimus.

4 Exinde hæc, cum tempus maturum advenit, in opus coaguli, ut de turbato vaccarum lacte butyrum congregaret, a matre transmissa est : ut sicut aliæ fœminæ hoc opus exercere solebant, ipsa quoque æquali modo perageret; et cum ceteris in tempore placito vaccarum fructum ac pondus mensurarum butyri solitum plenissime in usum redderet. Sed hæc moribus pulcherrima et hospitalis Virgo, obedire magis volens Deo quam hominibus, pauperibus et hospitibus lac *f* largiter et butyrum distribuit. Et cum secundum morem opportunum advenit tempus, ut omnes redderent fructum vaccarum; ad eam perventum est. Et cum cooperatrices ejus monstrabant sua opera completa; quæsitum est a beata supradicta Virgine, ut et ipsa similiter assignaret suum opus. Et ipsa matris timore pavida, cum non haberet quod monstraret, quia totum pauperibus erogaverat, crastinum non procurans tempus; et inextinguibili flamma fidei accensa ac firma, ad Dominum se convertens, oravit. Nec mora : Dominus vocem Virginis audiens ac preces, largitate Divini muneris, sicut est adjutor in opportunitatibus, adfuit : et pro sua in se Virgine confidente, affluenter butyrum restituit. Mirum in modum illa hora post orationem Virgo sanctissima nihil de suo opere deesse ostendens, sed super omnes cooperatrices abundans, se monstravit complesse suum officium. Et cum plenissime inventum in oculis omnium tanti muneris miraculum innotuit, laudantes Dominum, qui hoc fecit, tantam fidei virtutem in virginali pectore constitisse admirati sunt.

5 Et ecce non multo post, cum eam sui parentes, more

*AUCTORE COGITOSO, EX MSS.*

A more humano, viro desponsare vellent, illa cœlitus inspirata se Virginem castam exhibere Deo volens, ad Episcopum sanctissimum beatæ memoriæ *g* Mac-kalle perrexit. Qui cœleste intuens desiderium et pudicitiam, et tantum castitatis amorem in tali Virgine, pallium album et vestem candidam super ipsius venerabile caput imposuit. Quæ coram Deo et Episcopo ac altari genua humiliter flectens, et suam virginalem coronam Deo omnipotenti offerens, fundamentum ligneum, quo altare fulciebatur, manu tetigit: quod lignum in commemorationem pristinæ virtutis usque ad præsens tempus viride, ac si non esset excisum et decorticatum, sed in radicibus fixum, virescit, et usque hodie languores et morbos de omnibus expellit fidelibus.

*g velum ab Episcopo accipit*

*lignum tangens, facit ut perpetuo viresat:*

a *Addunt Canisius et Colganus* a Christianis nobilioribusque parentibus. *Atque ex hisce verbis concludit Stephanus Vitus serva matre natam non esse, quod alii tradunt. Ex adulterio quidem natam urmo prius confiecet, quam polygamiam apud Scotos, ante fidem susceptam, non viguisse docuerit. Dunelmensis infra pellicem appellat cap. 6 num. 33 quia, ut ex cap. 1 num. 5 liquet, Christianam fuisse credidit.*

b *Addunt iidem,* Elthech, *testatur Colgan. Not. 8 in aliis MSS.* fuit Etthec; *mavult ipse* Ethach *vel* Echthach, *a recto* Euchaidh, *quod Latine* Euchadius *efferunt, alii* Euchedius, *vel* Euselius. *Genealogiam Dubtachi, sive Dubtachii, patris S. Brigidæ, deducit idem Append. 4 cap. 4 per undecim generationes usque ad* B *Fedleimidium Regem, de quo in Vita 4 ex MS. Wardæi cap. 1.*

c *Canis.* Dubtocho.

d *Ita MS. Wilting. et alii supra ad cap. 1 Vitæ 1, lit. a. MS. Preudhomii et Canisius* Brocca. *MS. S. Maximini,* Brocca *Cap-prian.* Brotsegh. *Bombron.* Brocha. *Colgan.* Crocessa; *sed mavult,* Brotseach.

e *Canis.* solutu, ætatis ac

f *Ita MSS. S. Maximini, et Preudhom. Alii,* largitur

g *Sur.* Machilliam. *MS. Wilting.* Machillem. *Vincentius Bellov. S. Antonin. MS. S. Maximini,* Machillam. *Bonclin.* Machilleum. *Canis.* Macea. *Colg.* Maccalle, *atque in Notat. ex aliis MSS.* Mackelle, *et* Maccille, *Latine* Maccailleum *vocat, traditque coli* 25 *April. et diversum esse a* Maccaldu, *sive* Machaldo, *Episcopo Manniæ, sive Sodorensi, qui longo post tempore quam Brigida velum acceperat, a S. Patricio conversus, in Manniam missus est, ubi post diuturnam pœnitentiam Episcopus est factus. Monet tamen Colganus, dici a nonnullis velum Brigidæ impositum a S. Patricio, aut S. Melo Ep. quod cum Vita non congruit.*

## CAPUT II.

### *Varia mortalibus collata divinitus, Brigidæ precibus, et benedictione.*

6 Nec prætereundum mihi videtur, commemorare de illa virtute, quam hæc famosissima famula Dei ac divino incessanter famulatu tradita, operata est. Nam cum illa aliquando in *a* caldaria lardum advenienti-C bus hospitibus coxerat, cani adulanti ac flagitanti misericorditer illud tradidit: et cum lardum de caldaria tractum, ac postea hospitibus esset divisum, ac si non esset demptum, plenissime repertum est: et valde qui hoc viderunt admirantes, puellam incomparabilem virtute fidei, et merito bonarum virtutum dignis laudibus divulgarunt.

*lardi partem dat cani, quæ divinitus suppletur*

7 Et eadem messores ac operarios convocavit in messem suam: et facta illa messorum conventione, nebulosa ac pluvialis dies illa accedit conventionis, et pluviis largiter ex nubibus effusis, per totam illam in circuitu provinciam, ac rivulis guttarum affluentia per convalles et rimas terrarum currentibus, sua messis sola arida sine pluviarum impedimento et perturbatione perstitit. Et cum omnes messores ipsius undique regionis pluviali essent die prohibiti, sui sine ulla umbra caliginis vel pluviæ illa die tota ab ortu usque ad occasum solis messuræ opus, Dei potentia, exercebant.

*in messe pluviam prohibet*

8 Ecce inter cæteras virtutes ipsius, hoc opus dignum admiratione videtur esse. Advenientibus enim Episcopis et cum ea hospitantibus, cum non haberet unde eos cibaret, adjuta Dei multiplici virtute, solito more abundanter, ut sua poscebat necessitas, vaccam unam eamdemque tribus contra consuetudinem in una die vicibus mulsit: et quod solet de optimis

*lactis copiam divinitus impetrat, in cibum hospitum*

tribus vaccis exprimi, ipsa, mirabili eventu, de una D sua expressit vacca.

9 Ecce et hanc virtutem beatitudini vestræ insinuare censeo; in qua mens pura virginalis et manus cooperatrix Divina in uno apparent convenire. Nam hæc cum suas opere pastorali pasceret oves, in campestri et herboso loco, largitate nimia pluviarum perfusa, humectis vestibus domum rediit: et cum umbra solaris per foramina domus intrinsecus intraret, illa umbram obtusa oculorum acie, arborem fuisse transversam et fixam putans, desuper suam compluitam vestem posuit. Et tamquam in arbore grandi et firma, in ipso tenui solari umbraculo vestis pependit. Et cum ipsius omnes habitatores et vicini hoc ingenti fuissent miraculo perculsi, hanc incomparabilem dignis laudibus extollebant.

*oves pascit*

*vestem in radio solis suspendit*

10 Et hoc silentio opus non est prætereundum. Cum enim hæc Sancta Brigida in agro juxta gregem ovium pascendum, cura pastorali esset sollicita; alius nequam adolescens callide subripiens, et ipsius largitatem in pauperes probans, et mutato semper habitu ad eam septies veniens, septem ab ea verveces in una detulit die, et in secreto abscondit. Et cum grex ad vesperum de more ad caulas fuisset dirigendus, duabus vel tribus vicibus diligentissime adnu-E meratus, sine damno sui, mirum in modum totus integer repertus est numerus. Et admirantes qui consocii facti fuerant, virtutem Dei manifeste factam per Virginem, septem quos absconderunt verveces ad suum dimiserunt gregem. Et ille gregis numerus nec plus nec minus, sed ut ante integer repertus est. His et talibus innumerabilibus virtutibus famosissima hæc famula Dei in ore omnium super omnes non immerito, sed dignis laudibus, excellentissima visa est.

*verveces 7 datos pauperi*

*nec minuuntur greges*

*nec iis redditis augentur*

11 Mirabili quoque eventu ab hac venerabili Brigida leprosi cerevisiam flagitantes, cum non haberet illa, videns aquam ad balnea paratam, et cum virtute fidei benedicens, in optimam convertit cerevisiam, et abundanter sitientibus exhausit. Ille enim, qui in Cana Galilææ aquam convertit in vinum, per hujus quoque Beatissimæ fidem aquam mutavit in cerevisiam. *b* Dum autem de hac virtute dictum est, de alia admirabilem commemorationem facere aptum videtur.

*benedictione aquam in cerevisiam convertit. b*

12 Potentissima enim et ineffabili fidei fortitudine, quamdam fœminam, post votum integritatis, fragilitate humana in juvenili voluptatis desiderio lapsam, et habentem jam prægnantem ac tumescentem uterum, fideliter benedixit, et evanescente in vulva F conceptu, sine partu et sine dolore eam sanam ad pœnitentiam restituit. Et secundum quod omnia possibilia sunt credentibus, sine ulla impossibilitate innumera quotidie miracula operabatur.

*Virginem lapsam ab infamia liberat.*

13 Quadam enim die cum quidam ad eam, salem petens, veniret, sicut cæteri pauperes et egeni innumerabiles venire solebant pro suis necessitatibus; ipsa beatissima Brigida in illa hora salem factum de lapide, quem benedixit; in opus poscentis sufficienter largita est. Et sic ab ea salem portans lætus propriam domum rediit.

*lapidem in salem mutat*

a *Colg. Canisius, MS. S. Maximini,* caldario.

b *Sequentia usque ad.* Et secundum quod omnia possibilia *etc omisit Canisius.*

c *Censet Colganus vel fœtum animatum non fuisse, vel non ejus exinanitionem petiisse Brigidam, sed solum ut puella infamiæ pericula eriperetur; adjicitque similia exempla. Certe Bernardini Realini, e Societate Jesu viri sapientis ac sancti, precibus, memorat Vitæ illius auctor cap. 8 puellæ, longe inde degentis, septimo jam mense tumescentem uterum repente substractum, nullo dolore, nulla ejectione, simulque ubera exaruisse; ut ipsa, consorsque flagitii frater, infamiæ periculum evaderent. Qua id ratione evenerit, novit qui famulo precanti id tribuit Deus.*

CAPUT III

A

## CAPUT III.

*Alia a Deo collata ipsi beneficia, per ipsam aliis.*

Et hoc potentissimum opus ejusdem Divinum jungendum esse mihi videtur inter cetera, quo Salvatoris instar, imitatrix divini Numinis, *a* excelsissimam operata est virtutem. Nam secundum exemplum Domini, et hæc oculos cæci nati aperuit. Sua enim nomina et opera membris Dominus largitus est suis : quia cum de semetipso loquitur, Ego sum lux mundi, nihilominus suis dicit Apostolis : Vos estis lux mundi. Et de iisdem intulit, dicens : Opera quæ ego facio, et ipsi facient, et majora horum facient. Interdum enim, quem naturalis partus cæcum protulit natum, fides ejusdem Brigidæ, grano comparata sinapis et consimilis eidem, oculos simplices et lucidos ingenti miraculo aperuit. Hæc itaque tantis virtutibus illustris, humilitate cordis et puritate mentis, et morum temperantia, ac spiritali gratia plena, tantam auctoritatem in divino cultu et celebre nomen præ omnibus coætaneis Virginibus habere meruit.

*Joan. 8. 12. Matth. 5. 14. Joan. 14. 12. cæco visum confert.*

15 Et quadam die cum una ex adhærentibus sibi extrinsecus fæmina, cum filia annorum duodecim ætatis, ex naturali procreatione muta, ad eam veniret visitandam, cum digna reverentia, ut omnes solebant, se inclinans, et humili collo ad ejus pacificum osculum procedens; ipsa omnibus affabilis Brigida ac felix conditis sale divino sermonibus eam salubriter allocuta est : ac Salvatoris exemplo, jubentis parvulos ad se venire, filiæ manum retinens manu sua, nesciente illa quod esset muta, et voluntatem ipsius interrogans, utrum velato capite permanere Virgo, an nuptiis tradenda esse vellet; matre ipsius admonente quod sibi filia nulla daret responsa; respondens matri dixit, se non dimissuram manum filiæ, nisi prius sibi responsum redderet. Et cum filiam secunda vice interrogaret de re eadem, respondit filia sibi, dicens : Non aliud, nisi quod tu volueris, agere volo. Ac sic postea aperto ore, sine linguæ impedimento, et soluto ipsius vinculo, sana loquebatur.

B *mutæ loquelam. Marc. 10. 14.*

16 Et quibus hoc ejusdem opus *b* nullis multorum auribus antea inauditum scrupulum non moveret? Cum enim hæc animo esset intenta cœlestium meditationi, ut semper solebat, suam de terrestribus ad cœlestia elevans conversationem; quamdam non parvam, sed grandem, lardi partem cum cane dimisit. Et cum esset inquisita, non alicubi, sed in loco ubi canis solebat esse, mense transacto intacta et integra reperta est. Non enim canis ausus est comedere depositum beatæ Virginis, sed custos patiens lardi et idoneus, contra suum solitum morem, Divina refrænatus virtute et domitus, extitit.

*b* *lardum cani relictum, mense post integrum recipit.* C

17 Excrescente quotidie miraculorum numero, quæ vix enumerari possunt, quantum misericordiæ et pietatis, et in pauperes eleemosynarum, opportune et importune postulantes, operata est! Nam cum aliquis indigens cibo pauperum eam rogaret, illa ad eos qui carnes coxerant, ut ab illis aliquid pauperi deferret, festinavit. At illorum unus stolidissimus famulus, qui carnes coxerat, insipienter partem nondum carnis coctam in albatum ipsius sinuatæ vestis receptaculum transjecit : et sic illa non *c* suffuscato mantili, sed in suo candido colore manente, portans pauperi tribuit.

*carnem cruentam gerit veste non maculata.*

18 Nec non et hoc de ejus gestis felicibus admirari debet. Confluentibus enim ad eam undique pauperibus et peregrinis, ingenti fama virtutum et nimiæ largitatis tractis, accedens inter eos ingratus quidam leprosus optimam de armento vaccam cum optimo vitulo omnium vitulorum simul sibi dari poscebat. Nec ipsa ejus audiens preces distulit : sed mox illam quam optimam didicit de omnibus vaccam, et alicujus vaccæ vitulum elegantem et optimum, roganti infirmo voluntarie donavit, et misericorditer suum cum illo transmittens currum, per iter longum et latissimum campum, ne molestiam in vacca minanda infirmus longo fessus itinere sustentaret, vitulum post tergum ejus in curru poni præcepit. Et si eum vacca lingua *d* lambens, et tamquam proprium diligens, nemine eam cogente, usque ad loca destinata consecuta est. Videtis, carissimi Fratres, quod et bruta contra consuetudinem ei famulabantur animalia.

D *AUCTORE COG. TUSO. EX MSS. dat vaccam leproso, et alterius vaccæ vitulum, quem ut suum lambens sequitur. d*

19 Et quodam intervallo temporis alii nequissimi fures, qui nec Deum nec homines verebantur, de alia provincia ob latrocinium venientes, et per amnem grandem facili meatu pedum egredientes, boves ipsius furati sunt. Sed eos eadem revertentes via, impetus ingentis fluminis inundatione aquarum subito facta conturbavit. Non enim flumen instar muri erectum scelestissimam boum fraudem B. Brigidæ per se transire permisit; sed eos fures demergens et secum trahens, boves de eorum manibus liberati, loris in cornibus pendentibus, *e* ad proprium armentum ac boekium reversi sunt.

*boves recipit, abigeis submersis. e*

20 Ecce et hic Divina virtus apparet. Cum quadam die ipsa sanctissima Brigida, cogente aliqua necessitate utilitatis, conventionem plebis visitaret, in curru sedens binis vehebatur equis. Et cum in suo vehiculo meditatione theorica, cœlestem agens in terris vitam, suum, ut solebat, dominatorem oraret; de alto procidens loco alter bruto animo equus saliens sub curru et irrefrænatus *f* habenis fortiter se *g* extorquens, et de jugo semetipsum absolvens, equo altero solo sub suo remanente jugo, exterritus, per campestria cucurrit : et sic manus Divina jugum pendens sine præcipitio sustentans, et vidente turba ob testimonium virtutis Divinæ, secura in suo orans vehiculo, cum uno equo sub curru posito, ad plebis conventionem discursu placabili illæsa pervenit : et signis et virtutibus suam confirmans doctrinam, sermonibus salutaribus et sale Divino conditis plebem hortata est.

E *f g equo jugum excutiente ipsa cum curru in præcipitio servatur.*

a *MS. Wabling. et Mombr.* excelsissima.

b *Alii*, nonnullis *abest a Wabling.*

c *Canis. et Wabl.* suffocato.

d *Ita Canis. at MSS. Wabl. et Preudh.* tangens.

e *Canis.* ad proprium armentorum adbubulum. *Illud*, ac boekium *deest Wabl. et Mombr.*

f *MSS. S. Max. et Preudh.* a viris.

g *MS. S. Max. et Can.* excutiens.

## CAPUT IV.

*Feræ cicures ad ejus obsequium.*

Et hoc virtutibus ipsius videtur nobis esse deputandum. Cum aper ferus, singularis et silvestris, territus et fugitivus esset, ad gregem porcorum Brigidæ felicissimæ conatus cursu præcipiti pervenit : quem ipsa *a* ventum inter suos cernens sues benedixit. Deinde impavidus, acsi familiaris, cum ipsius permansit grege porcorum. Ecce videtis, Fratres, quod et bruta animalia et bestiæ sermonibus et voluntati ejus resistere non poterant, sed domita et subjecta sibi famulabantur.

F *aprum benedictione cicurem reddit. a*

22 Nam cum aliquando aliquis inter ceteros offerentes ei munera, de longa veniens provincia offerret sues pingues, et alios secum missos ire ad suam villam quodam longo terrarum intervallo positam rogaret, ut ab eo sues acciperet; per longum itineris spatium dierum trium vel quatuor amplius prolixum; cum eo suos missos transmisit comites : et transacto unius diei itinere, in monte confinali regionum, qui proprio vocabulo nuncupatur *b* Cabor, sues suas, quas in longinquis opinabatur esse regionibus, obvias contra se venire, a lupis *c* directas per viam et coactas, contemplati sunt. Et cum illi vicinius erant, et intellexisset suas esse, cognoscens sues proprias, et videns agrestes lupos, qui ob maximam B. Brigidæ reverentiam

*sues a quodam accipit. b c a lupis tradat itinere deductos*

A verentiam de silvis maximis et campo Liffi latissimo, idonei pastores in coactis et minandis suibus laborabant; advenientibus missis relinquentes eas inlæsas; mirabilique *d* hoc eventu intellecto, et consueto more discesserunt. Et sic altero die ii qui missi erant cum suibus, factum mirabile narrantes, domum reversi sunt.

*AUCTORE COGITOSO, EX MSS.* *d*

23 Item de ejusdem mirabilibus gestis hoc factum videtur nobis minime prætereundum enarrare. Quadam enim die cum aliquis nulla suffultus scientia, vulpem per Regis palatium ambulantem videret, putans illam obcæcatis sensibus suis feram esse bestiam; et quod in aula Regis familiaris et mansueta esset, variis artibus docta, agilitate corporis et subtilitate animæ, Regi et suis Comitibus grande præstans spectaculum, ignoraret; vidente multitudine, occidit eam: et tunc ab his qui viderunt factum alligatus et defamatus ad Regem perductus est. Et Rex iratus rem discens gestam, nisi sibi vulpes similis in omnibus calliditatibus, quas sua vulpes operabatur, restituta esset, illum jussit occidi; et uxorem et filios suos et omnia quæ habuit in servitutem redigi præcepit. Et cum rem gestam sancta ac venerabilis Brigida didicisset, tanto misericordiarum et pietatis affectu permota, currum suum sibi jungi præcipiens, et ex intimo corde dolens pro ipso infelici, qui injuste judicatus est, precibus ad Dominum profusis, et per planitem campi equitans, perrexit in viam quæ ad Regis ducebat palatium. Nec mora: Dominus exaudiens ipsam suas fundentem assiduas preces, unam de suis vulpibus feris ad eam venire transmisit; quæ cum velocissimo cursu per campestria veniret, et beatissimæ Brigidæ currui appropinquaret, leviter se elevans in currum intravit, et sub receptaculo vestis Brigidæ se constituens, sobrie cum ea in curru sedebat. Et cum ipsa ad Regem veniret, ut ille miser improvidus, qui reatu suæ ignorantiæ tenebatur, liber et absolutus de vinculis egrederetur, cœpit precari. Et cum Rex ejus precibus consentire noluisset, obtestans se non illum dimissurum, nisi talem vulpem, tantæ mansuetudinis et calliditatis, qualis vulpes sua fuerat, restituta sibi esset; ipsa suam protulit in medium vulpem, quæ coram Rege et omni multitudine totos mores et subtilitatem docibilem alterius agens vulpis, in eadem forma prioris palam omnibus variis lusit artibus. Tunc Rex hæc videns placatus, et ejus optimates cum ingenti plausu multitudinis admirantes mirabile factum, illum solvi et liberum abire, qui fuerat antea reus delicti, jussit. Nec multo post cum S. Brigida, solutione et libertate facta, ad suam remearet domum; hæc vulpes inter turbas dolose se torquens, et callide movens, quæ alteri videbatur similis, fugitiva ad loca deserta et silvestria ad suum antrum, multis equitibus et canibus se persequentibus illudens, ac per patentes campos fugiens, incolumis evasit. Et omnes admirantes hoc quod factum fuerat, privilegio sanctitatis et prærogativa virtutum multarum semper pollentem majoribus gestis venerati sunt.

*liberat capite periclitantem ob cicurem Regis vulpem occisam,* B *vulpe divinitus oblata,* *a Rege dono,* C *quæ postea aufugit*

24 Et cum *e* in alia die anates pectore carnali in aqua natantes, et per aera interdum volitantes, Beata vidisset Brigida, eas ad se venire accersivit. Quæ pennigero volatu, et tanto ardore obedientiæ, ejus vocibus, tamquam sub humana cura essent consuetæ, sine ulla formidine multitudinis ad eam volitabant. Quas manu tangens et amplectens, et per aliquantulum temporis hoc idem faciens, redire ac volare suis in aera alis permisit, collaudans creatorem omnium rerum invisibilem per creaturas visibiles, cui omnia subjecta sunt animantia, et cui omnia vivunt, ut quidam ait, officio gerendi. Et ex omnibus manifeste intelligi potest, quod omnis natura bestiarum et pecorum et volucrum subjecta ejus fuit imperio.

*e* *silvestres anates ad se advocat:*

D

a *MS. S. Max.* venientem *Wibl.* eventu

b *Ita MS. Prewlh. et Cants. al MS. Wibling. et Mombrit* Gabor. *MS. S. Max* Tabor *Colgan.* Grabor.

c *Ita MSS. S. Max. et Prendh. Alii* direptas.

d *Momb.* hoc agentes intellectu, et mansueto more. *Colgan.* hoc agentes intellectu et inconsueto more.

e *MSS. S. Max. et Prendh.* illa.

## CAPUT V.

### *Cædes impeditæ. Angeli præsens auxilium.*

Et hoc ejusdem miraculum omnibus seculis celebrandum, auribus fidelium insinuandum est. Nam cum semina saluberrima verbi Dominici ex more suæ consuetudinis omnibus seminaret, vidit novem viros in forma quadam speciali vanæ et diabolicæ superstitionis, et plausum habentes vocis ridiculæ ad insaniam mentis maximam. In quorum viis contritio erat et infelicitas, qui antiquo hosti, qui in illis regnabat, votis scelestissimis et juramentis sitientes effusionem sanguinis, antequam Calendæ *a* illius mensis supervenirent venturi, aliorum jugulationem et homicidia facere disposuerunt. Quibus reverentissima et affabili Brigida melliflua verborum copia prædicavit, ut mortiferis erroribus relictis sua crimina per cordis compunctionem et veram delerent pœnitentiam. Qui hebetudine mentis suæ, nisi prius vana sua complessent vota, illud facere resistentes, in viam suam perrexerunt: et pro hac re fusis ad Dominum precibus assiduis, decoratæ Virginis, volentis, Domini exemplo, omnes salvos fieri et ad agnitionem venire veritatis; egredientes illi nefarii, imaginem instar viri, quem debuissent jugulare, contemplantes, continuo suis jugulantes lanceis, et gladiis decollantes, quasi post triumphum de suo adversario et inimico, cum armis sanguineis et cruentis reversi, multis apparuerunt. Mirum in modum, cum neminem occiderent, illis visum est sua complesse vota, atque cum nemo deerat de illa provincia, de quo illi triumpharent; nulla dubietas pro hac re alicui persistens, largitas muneris divini per Sanctam Brigidam facta omnibus innotuit. Et sic illi, qui antea erant homicidæ, per pœnitentiam ad Dominum conversi sunt.

*cædem sperantes frustra monet,* *a* E *efficit tamen, ut viri imaginem, non verum ipsum, decollent:*

26 Et in hoc opere per decoratam Brigidam cultu inenarrabili sacræ religionis, Divina manifestata est potentia. Illam enim *b* Lugidus quidam, valde validus et virorum fortissimus, duodecim virorum opera per semetipsum tanta fortitudine sui corporis in una, cum vellet, laborans die, et cibaria quibus duodecim sufficienter viri vesci possent, similiter comedens; (sicut enim illorum opera solus facere, sic et cibaria æquali modo unus contra plures comedere poterat) deprecatus est, ut pro se Dominum oraret omnipotentem, ut ejus ingluviem, qua superflua devorabat, temperaret, nec antiquam virtutem sui corporis per hanc amisisset caussam. Et sic ipsa Brigida illum benedicens, et pro illo Dominum orans; ipse postea victu unius viri satis contentus, ac, ut antea solebat, laborans sicut duodecim operarii operabatur, in eadem antiqua permansit virtute.

*b* *enormem voracitatem tollit,* F *manentibus viribus*

27 Item inter ejus opera præclara, hoc item egregium opus et excelsum compertumque omnibus explicare debemus. Arbor quædam grandis et maxima, ad aliquem parata usum ab iis, qui artificia exercere solebant in silva lignari, securibus excisa est. Ad quam conventio virorum fortium propter ejus molestiam, et ingentem molem, et loca difficillima, in quibus ramorum cum fragore suorum ruit, ut deponerent, et traherent cum multis bobus et artificum machinis ad locum destinatum, ut necessitas rei poscebat, congregata est. Et cum nec multitudo virorum, nec vires boum et variæ *c* artificum artes, movere vel trahere eam arborem nullo modo poterant, recedentibus cunctis ab ea, per fortissimam fidem B. Brigidæ

*immobilem arbor in alio transfert* *c*

A B. Brigidæ grano sinapis similem, (per quam fidem, ut Magister cœlestis organo Evangelicæ vocis docet, montes moventur, et possibilia sunt omnia credentibus (eam gravissimam arborem *d* Angelica virtute per Divina *e* mysteria nullo mortalium auxilio levantes, sine ulla difficultate ad locum, quem voluit S. Brigida, destinatum detulerunt, ac per omnes provincias tanta Divinæ virtutis hujus excellentia divulgata est.

*Marc. 11. 23 et 9. 22*

*Angelis ope*

a *Canis. Colg. Bellovac.* Julii. *S. Antonin.* Junii.
b *Colg.* Luguid. *Canis.* Luguidinam. *Bellov.* Luguidina. *Momb.* Lugdemais. *MS. S. Max. indicat adolescentem fuisse.*
c *MS. Wibling.* magorum.
d *Can. et MS. Freudh.* Evangelicæ virtutis.
e *Colg. et Mombr.* ministeria.

## CAPUT VI.

### *Res variæ ejus precibus restitutæ.*

*fœminam servitutis et adulterii periculo eripit.*

Et nostro occurrit animo non excludere et hanc virtutem silentio nostro, quam inter innumerabiles virtutes eadem operata est Brigida venerabilis. Quidam enim vir secularis, et gente nobilis, et dolosis moribus, exardescens in alicujus fœminæ concupiscentiam, et quomodo ejus concubitu frui posset callide cogitans, ac suam *a* sentem argenteam pretiosamque in depositum sibi commendans, quam dolose retraxit, illa ignorante, et jecit in mare, ut cum ipsa non posset reddere, sibi esset ancilla, et ejus postea uteretur, ut vellet, amplexibus. Machinatus est hoc perficere malum nulla alia re ac redemptione placatus fieri posse dicens, nisi aut propria sibi sente argentea reddita, aut ipsa fœmina in servitutem ei redacta, pro caussa culpabili fragilis concupiscentiæ uteretur. Et hæc timens pudica fœmina tamquam ad civitatem refugii tutissimam, ad Sanctam confugit Brigidam. Quæ cum talem comperisset caussam, vel quid pro hac re agere debuerit cogitaret, cum necdum verba complesset, supervenit ad eam quidam cum piscibus de flumine tractis : et cum illorum ilia piscium illico fuissent excisa, sentis illa argentea, quam ille crudelis jecit in mare ob caussam supra dictam, in medio unius ex piscibus reperta est. Et sic postea secura mente eam sentem secum portans, et ad conventum multitudinis pro hac culpa cum tyranno infami progrediens, et monstrans sibi suam propriam sentem, multis testantibus, qui eam agnoscere poterant, non aliam esse sed ipsam, de qua talis sermo ferebatur; adhærentem sibi fœminam C pudicam de manibus tyranni crudelissimi liberavit. Et sic ille postea confitens suam culpam, S. Brigidæ humiliter sua subdidit colla. Et illa ab omnibus gloriose, peracto hoc ingenti miraculo, gratias agens Deo, et omnia in ejus gloriam faciens, domum rediit propriam.

*B* — *a* — *monili, quod in mare abjectum,* — *inlato in ventre piscis reperto*

29 Et his miraculis gloriosum ejus et clarissimum cum aliqua *b* fideli fœmina hospitium jungi debet : quo prosperum iter faciens S. Brigida in Dei voluntate, in amplissimo campo Breg, cum declinasset ad vesperam dies, ad habitaculum ejus veniens cum ea pernoctavit. Quæ obviis manibus et gratulanter eam suscipiens, et gratias omnipotenti Deo agens de felici adventu reverendissimæ Brigidæ *c* tamquam Christi; cum non haberet propter suam inopiam, unde ignem nutriret et cibum coqueret, unde tales hospites cibaret: incidens ligna telaria, in quibus texturam telarum operabatur, in pastum ignis; vitulum suæ vaccæ quem occidit, super struem istorum ponens lignorum, igne assavit, cum bona voluntate: Et cœna in Dei laudibus facta, et nocte adsuetis transacta vigiliis, expergiscens post illam de mane noctem, ut nullum de receptione et refectione S. Brigidæ ullius rei sustineret damnum ipsa hospitalis, quæ vitulum suæ amiserat vaccæ, alterum in eadem D forma vitulum cum sua invenit vacca, quem ut priorem ipsa dilexerat : et telaria ligna similiter sibi præ ceteris reparata, in tali forma in quantitate, in qua priora fuerant, contemplata est. Et sic S. Brigida, felici progressu, et mirabili facta virtute, domui et habitatoribus valedicens, pacifice in viam suam perrexit prosperam.

*b* — *c* — *vitulum comestum, et ligna combusta, piæ hospitæ integra postridie restituit*

AUCTORE COGITOSO EX MSS.

30 Et ecce in tanta miraculorum multitudine hoc ejusdem opus præclarum admirari solet. Tribus enim leprosis et infirmitatibus oppressis, postulantibus munus aliquodcumque ab ea accipere, vas largita est argenteum. Et ne illis esset caussa discordiæ et contentionis, si illi inter se dividerent, *d* cuidam in ponderibus auri et argenti comperto, dixit, ut inter illos tres hoc vas ponderaret tribus æqualibus partibus. Et cum excusare se cœpisset dicens ponderari se æqualiter non posse, ipsa felicissima fœminarum Brigida, apprehenso vase argenteo, ipsum allidit contra lapidem, et confregit in tres, ut voluit, æquales et consimiles partes. Mirum in modum cum postea ipsæ tres partes ipsius vasis argentei in pondere essent emensæ, nulla pars alia minor vel major, quæ aliam superaret, licet uno obolo, de his inventa est tribus partibus. Et sic ipsi infirmi pauperes, sine ulla injuriæ aut invidiæ caussa, inter se læti cum suis recesserunt domum. E

*ut pauperibus succurrat.* — *d* — *vas argenteum in 3 partes æquales confringit*

31 Secundum enim Job beatissimi exemplum numquam inopes a se recedere sinu vacuo passa est. Nam vestimenta transmarina et peregrina Episcopi *e* Conlæi decorati culminis, quibus in solemnitatibus Domini, et in vigiliis Apostolorum, sacra in altaribus et in sanctuario offerens mysteria, utebatur, pauperibus largita est. Et cum tempus solemnitatis advenit secundum consuetudinem, ut ipse summus Pontifex populorum, suis indutus esset mutatoriis vestibus, S. Brigida, quæ priora vestimenta illius Episcopi Christo in forma pauperis posito donaverat, alia similia per omnia vestimentis prioribus, tam texturis quam coloribus, quæ in illa hora a Christo, quem per pauperem induebat, perlata sibi in curru duarum acceperat rotarum, tradidit pro aliis. Voluntarie autem alia pauperibus vestimenta obtulit, et hoc pro eis opportune recepit. Nam cum ipsa esset vivum et felicissimum summi capitis membrum, potenter omnia quæ desiderabat operabatur.

*e* — *vestes sacras dat Christo in forma pauperis.* — *similes cælitus recipit :*

32 *f* Nam et hoc ejusdem opus egregium non est prætereundum enarrari. Quidam enim compulsus quadam necessitate, indigens mellis sextarium eam precatus est. Et cum ipsa Brigida mente doleret, F dum non haberet paratum mel, quod illi roganti donaret, murmur apum sub pavimento dumus, in qua tunc ipsa fuerat, exauditum est. Et cum ille locus, in quo suis apes vocibus sonabant, perfossus et scrutatus fuisset, repertum est in eo quantum sufficiebat in opus poscentis. Et sic ille ab ea recepto mellis munere, quantum sibi necessitas poscebat, ad sua gaudens reversus est babitacula.

*f* — *mel, ut egenti succurrat, a Deo impetrat.*

a *Mombr.* sibulam *et postea*, geminam.
b *MS. S. Max. ait nobilem fuisse, quæ cum audisset quod Brigida in campo maneret, eam ad domum suam invitavit. De hoc autem campo actum est in præcedente Vita.*
c *Ita MSS. Freudh. et Wibling. at Canis. et Colg.* Virginis Christi.
d *MS. S. Max.* uni eorum
e *Canis. et Mombr.* Conleath *MS. S. Max.* Collel *Colg.* Conlaith; *faleturque in MSS. quibusdam haberi* Conleach : *sed mavult.* Conlaidh, *vel* Conlaedh.
f *Deest hic paragraphus Canisio.*

CAPUT VII.

A

AUCTORE COGITOSO, EX MSS.

## CAPUT VII.

*Fluvii mutatus alveus, lapis molaris prodigiis clarus.*

Item et hoc Sancta fulsit Brigida miraculo. Cum Regis illius patriæ, in qua ipsa fuit, edictum per plebes et provincias, quæ sub ejus erant ditione et jugo, invalesceret, ut de omnibus ejus regionibus et provinciis omnes populi et plebes convenirent, atque ædificarent *a* viam latam et firmam ramis arborum, *b* et munitionibus quibusdam firmissimis in *c* grunna profunda et pene intransmeabili et in locis humentibus atque in paludibus, in quibus grandis currebat fluvius; quæ constructa quadrigas et equites et currus et plaustrorum rotas et impetum populorum atque concursum undique hostium sustentare posset, convenientibus multis populis per cognationes et familias, diviserunt viam illam, quam ædificare debuerant, in partes proprias, ut unaquæque cognatio et familia suam sibi creditam construxisset partem. Et cum illa pars fluminis difficillima et laboriosa in sortem alicujus ex ipsis nationibus cederet evento; ipsa natio durissimum divitans laborem, per suam fortitudinem S. Brigidæ infirmiorem coegit nationem, ut B hanc operaretur difficilem partem in structuram viæ, et suam quam faciliorem evento habebant partem eligens ipsa crudelis et injusta natio ædificaret sine ulla fluminis perturbatione. Atque cum ad S. Brigidam sui secundum carnem cognati *d* venissent querelosi, prostratique a fortioribus sine ullo jure dispensationis; ipsa illis probabiliter dixisse fertur: *e* Abite: voluntas Dei est et potestas, ut ille fluvius transeat de loco quo est, et ubi vos dura opprimunt opera, in illam quam ipsi elegerunt partem. Et cum de mane ipsius diei omnes surrexissent ad opera populi, fluvius ille quem querebantur, visus est reliquisse suum antiquum locum et convallem, ubi inter undas currere solebat ripas, et transmutasse de parte ubi S. Brigidæ natio compulsa operabatur, in illorum fortium et superborum partem, qui alios pauciores et infirmiores se injuste et durissime operari compellebant. Et in testimonium virtutis vestigia fluminis et vallis vacua, ubi undans et enatans antiquo currebat fluvius tempore; ipsoque ad alterum flumine recedente locum, ipse locus siccatus sine ullis apparet fluitantibus aquis.

*ut quosdam injusto labore gravatos levaret,*

*flumen alio transfert,*

*pro suo altero vicino ...*

34 Non solum antea hæc in sua vita carnali, antequam sarcinam deponeret carnis, virtutes operata C est plurimas, sed et largitate Divini muneris in suo monasterio, ubi ejus venerabile requiescit corpus, alias semper operari virtutes innotescit; quas non solum audivimus, sed etiam oculis nostris vidimus. Nam Præpositus maximi et clarissimi monasterii S. Brigidæ, de quo in hujus opusculi principio brevem fecimus mentionem, operarios et lapidum cæsores quærere lapidem et incidere molarem per loca quæcumque, ubi posset inveniri, transmisit. Et illi sine ulla providentia viarum difficilium arduum ascendentes viam, ad cacumen petrosi montis perrexerunt: et eligentes lapidem grandem in ipso montis altissimi cacumine, et cædentes eum de omni parte in rotundum et perforatum molarem lapidem formaverunt. Et cum Præpositus de monasterio invitatus ab eis venisset cum bobus ad illum montem, in quo lapis molaris formatus fuit, atque cum boves secum propter arduam montis ascensionem trahere et cogere non posset, durissimum iter cum paucis illum sequentibus vix ascendere potuit. Exinde ille cum suis comitibus et operariis dum cogitaret, quomodo illum molarem deportaret lapidem de jugo altissimi montis, cum boves in illo prærupto montis sub meridos et jugis esse nullo modo potuerint; tum facta desperatione, aliis ex eis dicentibus illum deserere lapidem, D et eos in vanum laborasse qui illum formaverunt; ille Præpositus prudenti dispensatione et consilio suis operariis fideliter dixit: Nequaquam hoc ita fiat; sed hunc levate lapidem molarem viriliter et submittite in præcipitium de alto isto montis cacumine, in nomine et virtute S. Brigidæ, quia nos nullis artificiis et viribus per ista loca petrosa et difficillima hunc grandem lapidem molarem possumus portare, nisi ipsa Brigida, cui nihil impossibile est, secundum illud quod omnia possibilia sunt credenti, illum portaverit usque ad locum, ex quo vires boum trahere ipsum possint. Et sic fide firma præcipitantes illum ac solum relinquentes in vallem, paullatim de monte descendens, aliquando petras devitans, aliquando *f* transiliens, et in locis currens humidis in radice montis positis, in quibus nec homines, nec boves stare potuerant, pro illorum profunditate, mirabili comitatu usque ad loca plana, sine ulla fractione *g*, ubi illorum boves erant, progressus est, et sic inde ex bobus usque ad molinum vectus artificiose cum altero junctus est lapide.

*Lapis molaris e monte ... ?*

*per præcipitium innoxie devolutus, ope S. Brigidæ* Marc. 9. 22

35 Et ut plus iste molaris lapis, qui in nomine Beatæ directus est Brigidæ, omnibus adhuc innotesceret, addidit et hoc inauditum antea et præclarum E miraculum. Nam cum quidam paganus et gentilis de molino vicino suo habitaculo dolose per alium simplicem virum, ignorante molinario, qui opus molituræ exercebat, suum granum ad hoc misisset molinum, cum inter hujus molares transjectum et fusum fuisset lapides, illum supradictum lapidem molarem nullus impetus fortis fluminis et directus, et nulla aquarum vis violenta, et nulla artificum conamina movere ac trudere in circuitum volubilem et solitum ambitum potuerunt. Et dum illi qui hoc viderunt, de hac re contristarentur, nimio perculsi stupore; tunc granum illud magi esse comperientes, minime dubitabant, quod ille lapis molaris, in quo S. Brigida virtutem operata est Divinam, granum gentilis hominis in farinam comprimere respuisset. Et in illa hora tollentes foras granum ipsius pagani, et suum granum monasteriale subter molarem illum lapidem ponentes, cursus solitus et quotidianus sine ullis impedimentis repentino repetitus est molæ.

*sed ad magi granum molendum vertinulla vi potest:*

36 Et post intervallum temporis accidit ut *h* istud molinum igne combureretur. Nec et hoc parvum fuit miraculum, cum ignis domum totam consumeret, et alterum lapidem, qui junctus supradicto lapidi fuit; hunc tantum specialem B. Brigidæ lapidem nullo F modo tangere et comburere ausus est: sed sine ullius ignis molestia, magno molini incendio, permansit solus incolumis. Et postea hoc viso miraculo *i* vectibus ad monasterium perductus est, et juxta portam interioris ornati castelli, quo ecclesia ambitur, ubi multi conveniunt populi ob venerationem S. Brigidæ virtutum, in ipsa porta honorifice positus est. Et de fidelibus hunc Brigidæ lapidem tangentibus, per quem ipsa supradictas virtutes fecit, morbos expellit et languores.

*ab incendio illæsus servatus,*

*miraculis inclarescit*

a MS. Widl. statuam, *forte* stratam.
b Addit Camis. petris in fundamento positis.
c *Colganus scribit* grunnas esse *loca bituminosa et uliginosa, in quibus cespites ad struendum ignem, ut in depressioribus quibusdam Belgii locis, eruuntur. Canisius* grunnam *legit.* Grunna
d Canis. fuissent religiose prostrati.
e MS. Witting. Rabsele ...
f MSS. Prendh. et S. Max. traiiciens ac saliens. *Colg.* super eas saliens.
g Addit MS. Prendh. frangitis.
h MS. Prend. Iste molinus et ante, ad hunc molinum.
i Alii, vectus ad monasterium supradictus.

CAPUT VIII.

## CAPUT VIII.

### *Kildaria urbs, S. Brigidæ ecclesia, sepulchrum.*

*Ecclesia Kildariensis (in qua sepulchra SS. Conlei et Brigidæ,)*

Nec et de miraculo in reparatione ecclesiæ facto tacendum est, in qua gloriosa amborum, hoc est, Archiepiscopi Conlei et hujus Virginis florentissimæ Brigidæ corpora, a dextris et a sinistris altaris decorati, in monumentis posita, ornatis vario cultu auri et argenti et gemmarum pretiosi lapidis, atque coronis aureis et argenteis desuper pendentibus, ac diversis imaginibus *a* cum cælaturis variis et coloribus, requiescunt. Et in veteri nova res nascitur actu : hoc est, Ecclesia crescente numero fidelium de utroque sexu, solo spatiosa, et in altum minaci proceritate porrecta ac decorata pictis tabulis, tria intrinsecus habens oratoria ampla et divisa parietibus *b* tabulatis sub uno culmine majoris domus. In qua unus paries decoratus, et imaginibus depictus, ac linteaminibus tectus per latitudinem in Orientali ecclesiæ parte, a pariete ad alterum parietem ecclesiæ se tendit. Qui in suis extremitatibus duo habet in se ostia, et per unum ostium in dextra parte positum intratur ad sanctuarium ad altare, ubi *c* summus Pontifex cum sua *d* regulari *e* schola, et his qui sacris deputati sunt mysteriis, sacra ac Dominica immolat sacrificia. Et per alterum ostium, in sinistra parte parietis supradicti et transversi positum, Abbatissa cum suis puellis et viduis fidelibus tantum intrat, ut convivio corporis et sanguinis fruantur Jesu Christi. Atque alius partes pavimentum domus in duas æquales dividens partes a pariete Occidentali usque ad transversum in latitudinem parietem extentus est. Et hæc tenet ecclesia in se multas fenestras, et unam in latere dextro ornatam portam, per quam Sacerdotes et populi fideles masculini generis intrant in ecclesiam; et alteram portam in sinistro latere, per quam Virgines et fæminarum fidelium congregatio intrare solet. Et sic in una basilica maxima populus grandis in ordine et gradibus et sexu et locis diversis, interjectis inter se parietibus, diverso ordine et unoanimo omnipotentem orant Dominatorem.

*a innovata et ampliata*

*b*

*in ea discreta loca*

*1 Episcopi et Cleri,*

*2 Abbatissæ et sanctimonialium,*

*3 laicorum virorum,*

*4 fæminarum*

*porta minus brevis,*

38 Et cum valva antiqua portæ sinistralis, per quam Sancta solebat Brigida in ecclesiam intrare, ab artificibus suis esset cardinibus sita, totam concludere portam instauratam et novam non potuit, quarta enim portæ pars sine conclusione, et patefacta apparebat : Et si addita et juncta ad valvæ altitudinem quarta pars fuisset, tunc totam concludere portam posset altam et instauratam. Et cum artifices alteram majorem novam facere valvam deliberarent, quæ totam concluderet portam; aut tabulam facere junctam in vetere valva, ut postea sufficere posset; prædictus doctor et omnium prævius artificum Hibernensium prudenti locutus est consilio : In hac superventura nocte orare Dominum juxta S. Brigidam fideliter debemus, ut ipsa nobis de mane quid in hoc opere acturi simus prævideat. Et sic orans juxta monumentum Brigidæ gloriosæ noctem transegit : et mane surgens, oratione præmissa, valvam antiquam trudens ac ponens in suo cardine, januam conclusit totam. Nec aliquid defuit de ejus plenitudine, nec ulla in ejus magnitudine superflua pars reperta est. Et sic illam Brigida extendit in altitudine valvam, ut tota porta illa ab ea sit conclusa, nec in ea ullus locus patefactus videatur, nisi cum valva retro retruditur, ut in ecclesiam intretur. Et hoc virtutis Dominicæ miraculum omnium oculis videntium illam januam et valvam manifeste patet.

*ope S. Brigidæ ab architecto implorata,*

*extenditur.*

39 Et quis sermone explicare potest maximum decorem hujus ecclesiæ, et innumera civitatis, quam dicimus, miracula? si fas est dici civitas, dum nullo murorum ambitu circumdatur : conviventibus tamen in ea populis innumerabilibus, dum civitas de conventu hominum in se multorum nomen accepit, maxima hæc civitas et metropolitana est: in cujus suburbanis, quæ Sancta certo limite designavit Brigida, nullus carnalis adversarius, nec concursus timetur hostium : sed civitas est refugii tutissima cum suis omnibus deforis suburbanis in tota Scotorum terra omnibus fugitivis. In qua thesauri servantur Regum, et decorati culminis excellentissima esse videntur. Et quis dinumerare possit diversas turbas et innumerabiles populos de omnibus provinciis Hiberniæ confluentes? alii enim propter epularum abundantiam, alii ad spectaculum turbarum, alii propter sanitates de suis languoribus, alii cum magnis donis et muneribus convenientes ad solemnitatem nativitatis S. Brigidæ : quæ in die Calendarum Februarii mensis dormiens, secura sarcinam dejecit carnis, et Agnum Dei in cœlestibus mansionibus secuta est.

*AUCTORE COGITOSO, EX MSS.*

*Kildaria urbs refugii, cum suis suburbiis*

*magnus ad eam populorum concursus.*

40 *f* Veniam peto a Fratribus hæc legentibus, imo emendantibus, qui caussa obedientiæ coactus, nulla prærogativa scientiæ *g* suffultus, pelagus immensum virtutum B. Brigidæ, et viris peritissimis formidandum, in his paucis rustico sermone dictis, virtutibus de maximis et innumerabilibus parvulum in re cucurri. Orate pro me, *h* Cogitoso, nepote culpabili, et ut oratione vestra pio Domino me commendetis exoro: et Deus vos pacem Evangelicam sectantes exaudiat.

*f Epilogus Auctoris.*

a *MS. Preudh.* cancellaris.
b *MS. Wibl. interponit*, et.
c *Metropolita Lagenæ.*
d *MS. S. Max.* seculari.
e *MSS. Preudh. et Wibl.* stola.
f *Cetera desunt in MS. Wibl.*
g *Canis* sufflatus.
h *Ceteræ desunt, ipsumque* Cogitosi *nomen, in MS. Preudhomm. in S. Maximin vero ita efferuntur sequentia* : et audaciæ meæ indulgete, pro me misero Dominum deprecantes. Amen.

# VITA III

## AUCTORE CHILIENO MONACHO,

### *edita a Joan. Colgano ex MSS. Italicis.*

### PROLOGUS AUCTORIS.

*a* Finibus occiduis describitur optima tellus,
  Nomine et antiquis Scotia scripta libris.
Insula dives opum, gemmarum, vestis, et auri :
  Commoda corporibus, aere, sede, solo.
Melle fluit, pulchris et lacteis Scotia campis,
  Vestibus, atque armis, frugibus, arte, viris.
Ursorum rabies nulla est ibi : sæva leonum
  Semina nec unquam Scotica terra tulit,
Nulla venena nocent, nec serpens serpit in herba,
  Nec conquesta canit garrula rana lacu.
In qua Scotorum gentes habitare merentur :
  Inclyta gens hominum, milite, pace, fide.
De qua nata fuit quondam sanctissima Virgo
  Brigida, Scotorum gloria, nomen, honor.
Turris ad igniferi pertingens culmina cœli,
  Lumen inexhaustum, celsa corona Dei.
Fons benedictus ovans, Scotorum corda reformans,
  Recreat ipsa ipsos, curat, alit, vegetat.
Scala parata viris, pueris excelsa, puellis,
  Matribus et sanctis, tendit ad astra poli.
Dubtacus ejus erat genitor cognomine dictus,
  Clarus homo meritis, clarus et a proavis;
Nobilis, atque humilis, mitis, pietate repletus :
  Nobilior propria conjuge prole pia.
Scripserunt multi virtutes Virginis almæ,
  *b* Ultanus doctor, atque *c* Eleranus ovans.
Descripsit multos Animosus nomine libros,
  De vita et studiis Virginis, ac meritis.
Ordiar a minimis; nec non majora sequentur :

*a S. Brigida patria Scotia felici insula.*

*genus nobile*

*b c Vita a multis scripta.*

Sed

A Sed prato pleno floribus apta legam.
*Auctore Ultano* Ordine si cœli fulgentia sidera cernens,
Altivago cursu scire quis illa queat;
Littore quis minimas numero discernat arenas,
Turbida quas terris sparserat unda maris;
Hic numerare potest virtutes rite puellæ,
In qua perpetuus manserat ipse Deus.

a *In Vita S. Donati Ep. Fæsulani 22 Octob. prima 6 disticha hujus Prologi, ipsi S. Donato tribuuntur. Ita enim loquitur illius Vitæ Auctor, de Hibernia agens :* Quantæ autem fortunæ vel dignitatis sit, seu etiam quam amica sit pacis, breviter B. Donatus versificando collaudans sonando . Finibus occiduis, *etc. Uter ab altero mutuatus sit Auctor, non quærimus.*

b *Hunc Auctorem* 1 *Vitæ facit Colganus, atque coli 4 Septemb. quo die, illius meminerunt alia quædam Martyrologia.*

c Aleranum, *sive* Ajeranum, *aut* Eleranum, *idem coli ait* 11 *Aug.*

## CAPUT I.

*Brigidæ sanctitatis præsagia : virtutes et miracula in adolescentia ; spretis nuptiis, ac velo accepto : dicata Deo virginitas.*

*Sanctitas a vate prædicta,* Quadam namque die genitrix dum forte sedebat
In curru prægnans, nec tunc enixa puellam,
Dumque frementis equi spumantia colla tenebat,
B Pulverulenta quidem vestigia longa sonabant,
Audierat sonitum vates stridere rotarum,
Dixerat : Ecce venit, Rex est qui præsidet axi :
Sed Comitissa tamen carpentum sola regebat.
3 Venerat et tempus pariendi, venerat hora,
Ut mater sanctam genuisset viscere prolem.
Lectus erat præsens, quo hæc alma puerpera.....
*a* Decubuisse thoro fertur : quam *a* blattea flamma
*cœlestis lumine præostensa.* Texerat emisso radio flagrante superno.
Mater et ipsa modum rerum servabat, et horam :
Et tacuisse tamen fertur, nescire quid ignis
Significaret opus, vel quæ præsagia veri
*sæpius* Ostendisset ibi , tacito sed corde volutat.
Sæpe etiam rutilis tectorum subdere flammis
Cernebant fabricam, parvæ et cunabula Brigidæ.
4 Tempore in hoc nutrix recubans cum febribus ægra,
Illius ac teneros vastabat pestifer ignis
Artus, perturbat vitalia viscera morbus.
Faucibus ex siccis dixit : ( vix verba sonabat )
Quærite cervisiam : mihi modo magna voluptas.
*aquam vertit in cervisiam.* Brigida tunc fuerat juvenis et pulchra puella,
Mittitur ad vicos; quærendo quippe liquorem,
Virgo Dei properans una comitante sorore.
Quidam cervisiam, quamvis celabat, habebat,
C Virginibus sacris stultus donare negabat.
Cum repedare domum cœperunt, Brigida fontem
Conspexit, liquidis calicem compleverat undis.
Nam quia sæpe Deus præsens est numine Sanctis
*b* Qui latices gelidos *b* calle convertit in undas;
*quæ pulsæ febres,* Virginis ob meritum species mutatur aquarum :
In siceram versa est. Porrexit virgo dolenti.
Inscia mirifici biberat cum fœmina facti
Potum, tunc penitus discessit frigida febris.
*aliás in lac, etiam, cervisiam :* Sæpe etiam pueris infirmis atque puellis,
Haustum qui lactis quærebant, illa petenti
Frigida donabat de fontis pocula rore :
Sed Deus ipse suam naturam vertit aquarum
In lactis gustum, siceram vel forte Lyæum.
*lac, butyrum, cervisiam tacta multiplicat* 5 Cervisiam si forte suis cernebat ocellis,
Aut lactis modicum tetigisset, sive butyrum,
Crescebat nimium, turbæ superare nequibant.
Qualis erat pueris, famulis, hæc ipsa puellis,
Talis amore pio cunctis pulcherrima Virgo
Pauperibus fuerat, miseris et larga pupillis :
*virī faciem nunquam aspexit* Omnibus illa viris dignos præbebat honores,
Nec tamen ipsa virum in faciem conspexerat ullum.
6 Pastor oves patris aliquas, vel forte suillas
Perdebat ; pedibus cecidit sed Virginis almæ.
Illa rogare pio patrem compuncta dolore, D
Curabatque piis pueros defendere verbis, *opilionis et subulci culpas deprecatur, et amissa restituit :*
Qui male tradebant silvis animalia patris
Furibus atque lupis. Tunc Brigida sancta puella
Integrum pecudum numerum (mirabile dictu)
Consignabat ovans : raptum nil senserat ullus.
7 Quadam forte die fuerat prædicta puella
Pratis, dum rutilos flores carpebat, amœnis,
Lilia cum rosulis portabat mixta canistro,
Turbidus irruerat collectis imbribus æther, *madidam vestem in radio solis suspendit :*
Algida virgineam conspersit guttula pallam,
Et vestis tenero pendebat frigida collo.
Illa domum repedans, fragrantes sparserat herbas,
Sol radiosque suos detexit lumine claro,
Respexitque oculis, discessit turbidus imber
Dum rutilante polo, radiosque immiserat, intus
Instar funis erat, tectum penetravit opacum.
Vestem Virgo Dei radio famulante reponit :
Et radius madidam gestabat vertice pallam.
Pactum cum Christo pepigit sanctissima Virgo,
Ut radius solis vestem portaret inanis.
8 Cum fuerat Sancta in media testitudine templi,
Orans ad Patrem devoto pectore Virgo,
Pauperibus curam pietatis dogmate servans ;
Venerunt gravibus multi clamoribus orbi, E
Virgineas aures pulsantes vocibus, escam
Quærebant pariter : descendit sobria Virgo,
Alloquitur puerum contracto poplite claudum, *claudum, mutum, surdum sanat mutia*
Auribus et surdum, qui tunc commercia vocis,
Gutturis, et linguæ perdebat perpete morbo.
Inscia Virgo mali deprompsit pectore verba :
Concite curre puer, fer nunc alimenta petenti.
Talibus alloquitur verbis tunc Sancta sedentem.
Et manifesta Dei virtus comitata loquelam
Virginis : et claudus, surdus, contractus abibat
Sanus, jam propriis portatur gressibus idem :
Et triplex morbus puerum dimisit euntem.
Plebs omnis Christum laudat per Virginis actum,
Quæ tantos variis sanat virtutibus ægros.
9 Proximus huic fuerat juvenis, qui jure parentum
Unica cura fuit : pulsabat Virginis aures
Per se, perque patrem, per fratres atque sorores,
Munera muneribus promittens addere plura,
Aurum, purpureas, argenti pondera, vestes,
Divitiasque domus, millenos, prædia, servos,
Omnia sancta Dei despexit munera Virgo,
Sordida ceu terræ calcantur stercora nigræ.
Illa : Habeo sponsum solum de Virgine natum, *nuptias respuit,*
Fœmineumque thorum nescit pater illius unquam, F
Pulchrior astriferis, excelsior ordine cœlis, *Christi amore*
Mentibus Angelicis formosior, altior astris :
Cujus odore pio solvuntur vincula mortis.
Ille mihi lapides pretiosos clauserat auro ;
Obtulit ipse meo pulchra et monialia collo :
Auribus atque meis gemmatum tradidit aurum,
Contextam cycladem, thalamum commiscuit auro,
Thesaurumque suum mihimet monstravit opimum,
Marga-meis-ritas aptavit auribus istas,
Annulo et ipse suo memet signavit ab omni
Amplexu sibimet castum servare cubile.
10 Dixerat, et tristi detersit lumina vultu. *fratri importune eas urgenti maledicens, oculum per Angelum eruit procurat :*
Ecce sui fratres verbis afflantur iniquis,
Compelluntque patrem tristem sponsare puellam.
Dicere Virgo parat verbis sanctissima contra,
Et Christi thalamis castum servare pudorem.
Talibus auditis cœperunt ludere verbis :
Fratribus ex ipsis surrexerat impius unus,
Et Christi famulam devoto pectore stantem
Perculit : ipse oculum perversus perdidit unum :
*c* E capite exsiliens lumen cum sanguine mixtum *c*
Fluxerat in terram : percusserat Angelus ipsum.
Sancta dehinc fratrem miserum maledixerat ipsum,
Progeniemque suam dixit servire futuram.

Dixerat.

A Dixerat, et mœstam fratres rogitare sororem
Pro pereunte oculo, pro fratris casibus ægri
*restituit* Cœperunt. Pariter compuncta est pectore Virgo,
Restituitque oculum, collecto fragmine, vulsum.
Defuit unda loco : meritis ( mirabile dictu! )
*fontem elicit:* Virginis et venam terrarum cespite vulsam
Christus aquæ dederat, lumenque reformat amicum.
Abluit illa caput, geminis gestabat in ulnis.
O memoranda diu, multos veneranda per annos
Sancta Dei! Populi Christo præconia laudis
Persolvunt omnes : juvenis tremefactus abibat.
*pro o aliam designat sponsam* 11 Sed tunc Sancta Dei depromens pectore voces,
Alloquitur juvenem, sponsalia multa ferentem :
Aspice nunc, juvenis, præcelso in culmine castrum
Temporibus priscis vicina gente locatum :
In quo rite manet vir prudens atque superbo
Sanguine progenitus, cui pollet magna potestas :
Unica nata sibi de casta conjuge proles,
Delitiæque patris præstanti corpore virgo.
Illa parata tibi, juvenis, formosa puella :
Hæc tibi dicta, tuis assumens auribus audi,
Hæc tibi casta domus, generis quoque pulchra propago.
Crede, recede modo..... sic tua fata manebunt.
Perrexit juvenis, verbis tunc Virginis almæ
B Confidens animo : rerum præsagia cernit
Prophetica mente prædicens omnia Virgo.
12 Tempus et hora volat, Virgo crescebat in annis,
Plurima signa dabat Christo dictante per annos.
Et quoniam hoc patris verbum pervenit ad aures,
Quod sua sponte Deo serviret filia Christo,
Noxia quod fragilis contempsit gaudia mundi;
Præsulis hinc proprios disponit mittere missos
Ad cellam, pariter sancta comitante puella.
*velum cum 7 aliis accipit,* Illis forte viris venientibus, unus in agris
Occurrit mediis ollis; Benedicite, dixit,
Quid vos, quid cupitis? quam in partem pergere vultis?
Ut consecretur devoto pectore Virgo,
Nubat ut ipsa Deo, sacro velamine sumpto,
Dubthacus ipse pater transmisit Virginis almæ
Præsulis usque domum, dixerunt singuli in unum.
Talia dicta dabant. Respondens ille viator :
Ipse ego ductor ero vester : nunc cernite templum.
Intrantes pariter, steterat tunc Præsul ad aram.
Virginibus septem stipatur Virgo beata
Æqualis voti, numerum assignata figuris
Brigida Sancti Dei pedibus volvebat, et orat :
Pontificem precibus, lacrymis et voce precatur :
O Pater alme, tuis cernis cum sistimus aris,
C Nunc benedic famulas devoto pectore stantes,
Et sancto nostras signabis chrismate frontes.
Tempore quo Præsul fundebat chrismatis undas,
Virgineasque simul benedixit pollice pallas;
*flamma supra caput apparente* Et cum Sancta caput curvabat poplite flexo,
Amplectendo pedem retinens altaris et orat;
( Mira loquor! )..... de sancto vertice flammæ
Ascendere polo : signum dixere parentes
Virginis. Antistes miratur talia Melchon.
O Benedicta Deo sacro velamine Virgo,
*pedem altaris tacta incombustibilem reddit* Sancta mei memorans, dixit, sis Brigida velo.
Talibus alloquitur verbis, dimisit euntem.
Altera namque suæ virtutis signa reliquit,
13 . . . . . . . . . . . . c
Flammis consumptum, cinerem sic usque redactum:
Sed bene pes quartus, manibus quem Virgo tenebat,
Manserat altaris, tetigit non impetus ignis :
Magna Dei virtus servabat fissile lignum
Ignibus illæsum : nec solvit longa vetustas.
Altaris quartus servatur pes, tribus ustis.

a Blaveum *pro purpureo aut rutilo, usurparunt alii scriptores, annis trecentis, eoque amplius hoc Poeta vetustiores.*

b *Ita habebant MSS. ut fatetur Colganus. Ipse, quod de aqua agitur in vinum a Christo conversa,* Lyæi *reposuit. Nolim temere id mihi licere.*

c *Putat idem hic aliqua desiderari. Nobis non videtur*

## CAPUT II.

D *AUCTORE CHILIANO.*

### *Hospitalitas, etiam absentibus et errantibus exhibita, curationes animorum et corporum.*

Quadam forte die visendum illa Sorores
Venerat et sanctas, cellam divertit ad unam,
In qua tunc sanctæ vernabant flore puellæ.
Suscipiunt Sanctam, pariter servire parabant.
Volvebat pedibus, manibus sic oscula figunt,
Dulcia formosis spectabant prandia mensis.
Sed tamen interea præsens apparuit ipsi
Spiritus immundus, flammantia lumina torquens,
Dentibus infrendens; flammæ cava guttura sulcant : *dæmonem videt,*
Nigris insultans ac tortis cruribus astat,
Brigida Sancta Dei rogitans horribile monstrum :
Cur, maledicte, tuis pervertis artibus illos,
Quos Christus proprio mercatur sanguine servos?
Cur loca sancta Dei perturbas? cur populorum
Lividus antiquis serpis per corda venenis?
Cur, maledicte, domos intrasti pestis in istas?
Inflammare cupis? dixit clarissima Virgo.
Unica Virgo meis consentit sæpius artis.
Hæc est quæ calidum præstat mihi vespere lectum, E
Virgineoque thoro tota clam nocte recumbo,
Tartareus rapido dixit tunc angelus ore.
Contienere omnes; fuerat quod non potuere
Cernere, sed vocis sonitus pervenit ad aures
Sanctarum pariter. Dixit tunc prima Sororum :
Heu mihi, quis loquitur? vellem videre loquentem.
Virginis obtusos benedixit Brigida visus.
Viderat ac timuit, vultum latitare volebat.
Venerat illa timens, quam diximus ante, puella, *et* [illegible]
Quæ in lecto calido nigrum refovebat amicum.
Nullis temporibus Sanctorum visere templa,
Nec malesuasa choris constanter stare volebat. *ut Virginum sæpe cum ferente.*
Sancta dehinc miseram castigans valde puellam,
Cur tu spiritibus præstas loca sola malignis?
Aspice nunc illum, qui te cognoscit amicam.
Cur te non pudeat nigris servire figuris?
Illa tremens pavidum divertit ab hospite vultum : *hac correcta,*
Heu mihi, tunc, miseræ! faciam quid nescio, dixit.
Et pedibus supplex recidit tunc Virginis almæ.
Illa manus trepidæ porrexit, sustulit ipsam,
Imperat ut fugiat prudenter Virgo draconem. *illum fugat*
Ille fugit, putridum tectisque reliquit odorem :
Virgineusque chorus solvit pro munere grates,
Virginis ob meritum, Christo, laudesque frequentant. F
15 Tempore transacto Præsul venerabilis illuc
Venerat ad Sanctam, properans per longa viarum,
Sole sub obscuro : silvis sed semita fallit.
Vespere jam facto tentant confinia noctis :
Nox ruit, et gravidæ volvuntur montibus umbræ,
Spes fugit et lecti, in silvis habitare facultas,
Aut repedare domum; nec quid speraret, habebat.
Omnibus ille suis deprompsit pectore voces :
Heu male et nubriferi descendunt æthere nimbi,
Quid faciemus, ait? Sanctam rogitate puellam.
Ecce sub obscuris silvarum frondibus ignis
Emicuit, liquidas pulchro qui lampade flammas
Sparserat; et nitidas nivea cum veste puellas
Viderat ad dextram silvis cum lumine claro :
Lampadas igniferas portantes digmus ibant. *noctu errantes in sylva* [illegible]
Virgineas senior subito per devia turmas
Admirans, loquitur Doctor clementius, inquit :
Quæ vos igniferæ, quæ fertis lumina nocte,
Et manibus tremulas gestantes ordine flammas!
Quid vos? quidve velit hæc lux? quis lampadas istas
Transmisit? Teneræ, testor, dictate puellæ.
Respondere omnes : Brigida dictante magistra
Nos ad vos venimus : nunc vobis, ite, paramus
Tecta repleta epulis, vestris et fruge caballis,

A O manifesta Dei virtus? monstrantur in ipso
Templa parata loco subito, et triclinia tecta
Surgunt ista eremo, nec non et prandia pulchra.
Fercula læta levant, mensasque et vina parabant,
Lignea tapetibus sternunt sedilia pictis:
Candida nunc transtris pendent mantilia pulchris:
Lectorum numerum consignant ordine primo,
Ut proprium dominum quisque unum lectus haberet:
Dulcia formosis ornant convivia tectis,
Et magnos medus ponunt tunc ædibus ignes.
Post data jam requies pueris quum, nocte Sorores
Discessere, oleum lectis, et lumina linquunt.

16 Altera namque die, Phœbus dum illuminat orbem
Bis-senis radiis, lustrat pelagusque polumque,
Ac terræ pariter tremulas disperserat umbras;
Mane sub arboreis cernunt se frondibus esse,
Cespite gramineo sine tecto nocte manere.
Surrexere omnes, nec tunc ibi tecta videbant:
Sermones geminant, pulsabant vocibus auras.
Nec dubium fuerat, Christum per Virginis almæ
Tunc merita, hos magnos eremo misisse paratus,
Angelicis manibus, flammasque dedisse ministras.
Pandit iter pueris Præsul per devia silvis,
Virginis ad cellam: Domino præconia laudis
B Persolvunt pariter, Christo pro munere grates.
*hospites benigne excepit, eisque pedes lavat* Conscia Virgo fuit virtutis; docta laboris,
Hospitium pueris dignum tunc Virgo parabat.
Postquam rite cibo Sanctorum membra refecit,
Præsulis et pedibus tepidas asperserat undas,
Illa sitim propter post Scotica pocula ponit.
Sancta dehinc verbis cœlestia dogmata dixit:
Tunc Dominum cœli laudabant vocibus omnes,
Plurima qui Sanctis semper miracula præstat.

17 Et post sol rutilum divertens vertice currum,
Alteriusque caput cum lustrans inchoat anni,
Bis sex confectis transacto tempore signis;
Sancta dehinc proprios disponit visere fines.
*ægram sola umbra sanat* Vir mediis unus currebat peritus agris,
Qui matrem collo portabat cruribus ægram;
Quæ manibus propriis escam deducere laboris
Nec poterat: putridus vexabat corpore morbus.
Sol oriensque dabat splendentia lumina terris;
Brigida sancta Dei vehitur per compita curru:
Virginis umbra umbram matrem jactaverat ægram.
Mira loquor! vetulam firmatis gressibus illam
Viderunt propriis confestim currere plantis.
Nec mora, nec requies; per campos fœmina currit,
Donec et hæc pedibus prostrata est corpore toto
C Virginis, atque daret magnas pro munere grates.

18 Altera magna suæ virtutis fulsit imago.
Horridus ad Sanctam leprosus venerat unus,
*[illegible] leprosum,* Algida pernigro conspersus vulnere membra.
Scabrosa et sanies putrida de carne fluebat,
Ulcere calcetenus turritum vertice corpus,
Atque venenosis torquentur viscera fibris.
Sordida et mucoso sulcantur phlegmate labra:
Cui caput horrenda scabie sub cassido candet,
Et pectus pariter suspiria longa fatigant.
Cum tamen ille suo oppressus sic perpete morbo,
Ardet avaritia, magnaque cupidine rerum,
Et dolor interius serpit præcordia mentis.
*[illegible] avarum* Dixerat ad Sanctam: Pro Christi nomine vaccam
Semper habere volo: poteris si sancta puella
Nunc dare lactantem, dignetur vestra voluntas,
Ut mihi post misero servetur lactis in usum:
Et tibi multa dabit pro parvo munere Christus.
Illa piis cupido verbis blanditur egenti:
Frater amice, mei spectemus munera Christi.
*a* Nam mihi nulla modo servatur a lactare vacca.
Sed quia sæpe Deus largitur multa petenti,
Sustine paullisper, venientem suscipe vaccam,
Ubera candidulo spumantia lacte ferentem.
Tunc ait ille: Volo, si vestra est, ire, voluntas:
Non spectare modo potero. Tunc sancta puella D
Dixerat ad miserum lepra et male tabe fluentem,
Et plenum papulis et rugis corpus habentem:
Cum sis scamosus, plenisque intercute membris, *sanat*
Viscera valde tibi torpescunt nigra venenis;
Si tamen alma fide credis suffragia Christi,
Forsitan ut vestræ mundet contagia carnis:
Sed prius hæc precibus devota mente rogemus b.... *b*

19 In quo turba fuit sanctarum jure Sororum,
Illuc advehitur cum multis Virgo puellis
Curru: nam precibus rogitabant semper ut illas
Viseret, et verbis dextra et benediceret omnes.
Tunc humilis populus dextras tendebat ad astra. *qua ei pedes loti aqua,*
Dulcibus et sanctas cantabat vocibus odas,
Obsequium calido præstabat rite lavacro.
Febribus infestis vexatur valde Sororum
Una domi; trepidis ardebat languida membris;
Affer amica mihi, testor te, protinus undam,
In qua quippe pedes loti sunt Virginis almæ:
Nunc salus ut veniat membris de rore salubri;
En volo de sanctis tota ut perfundiar undis.
Dixerat ægra suis, esset dum proxima morti
Anxia, sicca sitis labris vix verba sonabat.
Fœmina duxit aquam, sparsit, dedit, atque fovebat.
Frigida nam calidam potuit convincere pestem E
Guttula; cum tetigit corpus benedicta, levavit. *ægra [illegible]*
Surrexit pedibus, confestim Virgo cucurrit.
Nec mora nec requies fuerat; veneranda puella
Donec ad obsequium Sanctarum edocta veniret,
Atque parata suis serviret mixta puellis:
Debita cumque aliis persolvit jussa ministris.
Vociferare loco cœpitque ignobile vulgus,
Magnis et trepidis replevit vocibus auras.

20 Illa rogata suis venit cum Virgo puellis
Ad cellam quondam sacratæ Virginis unam,
Tempore Paschali ad celebrandum Brigida festa.
Proxima Cœna fuit Domini, qua Sancta solebat
Mandatum Christi calido complere lavacro,
Et propriis manibus miserorum membra fovere.
Quattuor, heu, miseræ magno languore Sorores *die Cœnæ Domini ægras lavat,*
Obsessæ fuerant diverso et perpete morbo:
Una leprosa fuit, perfusa et corpore toto:
Alterius miseræ paralysim membra tenebant:
Tertia cæca fuit, poterat nec lumen habere:
Spiritus immundus pervasit publice quartam:
His domus una fuit: nulli cum talibus ægris
Conversare libet, nec se vult jungere quisquam.
Virgo volebat aquis miserarum membra fovere
Ipsarum calidis, et corpus sorde lavare:
Nec tamen hoc potuit, persistit dura voluntas: F
Singula quæque sibi quærebat vasa parari,
Altera in alterius nolebat quippe lavacro
Perfundi. Ecce solent fastidia stulta leprosi
Semper habere mali. Dixit sanctissima Virgo
Omnia persolvam, quæ vultis quærere vobis,
Tantum permaneat vestræ concordia pacis.
Dixerat illa, piis confortans Brigida verbis
Infirmas, validis prostratas corpore morbis.
Ducitur e lecto paralytica prima lavanda:
Illa dolore nimis clamabat vocibus altis:
Heu mihi quis reddet dignam languore salutem, *et lavando paralyticam sanat,*
Nervorum et laterum membris compage solutis,
Præstabitque meis sanctum illud visere templum
Et possim pedibus! tribuat clementia Christi.
Talia dicta dedit: calidis infunditur undis.
Virgo dehinc miseram dextra parente lavabat,
Et geminis corpus sustentat blandius ulnis,
Et manibus sanctis torpentia membra fricabat.
Fit virtus: alacrem subito contracta vigorem
Sensit habere suum: pedetentim sensile corpus
Cepit gratuitam membrorum valde salutem:
Surgens et propriis firmatis gressibus ibat,
Et dignas Domino persolvit fœmina grates.

21 Tres

A 21 Tres aliæ miseræ postquam videre misellam
Virginis ante oculos sanatam, seque moventem,
Clamabant pariter : Nobis, sanctissima Virgo,
Si tua sancta manus percurrat membra lavacro,
Corporis atque animæ poteris conferre salutem.
Vocibus his omnes pulsabant Virginis aures.
Illa repleta Deo tres istas abluit undis,
Unam post unam, quartam quoque : sic in eodem
*tum cæcam,* Vase peregit opus, pietatis munere Virgo.
Pax fuit infirmis, et virtus magna salutis.
Morborum rabies cunctis excussa puellis.
*leprosam,* Orba lavatur aquis : oculis discessit apertis.
Horrida lepra fugit, tremulis dum spargitur undis.
*energumenam :* Spiritus immundus tandem dimisit habentem.
Mira loquor! miseræ confestim quattuor ægræ
Unius ex merito curantur Virginis omnes.

Bostar a Bostar, *boum stabulum, aut locus ubi stant boves. Gerardus Joannes Vossius lib. 2 de vitiis sermonis cap. 2, plures citat auctores hac voce usos*
b *Videntur aliqua omissa.*

## CAPUT III.

### *Animorum asperitas benigne repressa.*

B Illis temporibus quidam præcepta secutus,
Dulcia cum domibus diversis rura reliquit :
Ille timore Dei compunctus, perque locorum
Aspera cum pueris pergebat Doctor onustus,
Desertumque locum, ac eremi secreta petebat.
Hi subito ad cellam divertunt Virginis unam.
Illa manebat ibi cum sanctis Sancta puellis,
Tempore, quo venit prædictus quippe Sacerdos.
Mos erat antiquis, quocumque est fœmina, Sanctis,
Transirentque locum, tunc nemo videre volebat
Vultus fœmineos : hæc secum verba loquuntur.
Hanc tunc ob caussam haud volvere videre Beatam.
Deposuere loco pendentia pondera collo :
Consilium capiunt paullisper membra fovere.
*Eremitæ omissas sarcinas, Deipar. servat,* Post (data jam requies) pergebant luce diei,
Donec sol oculos nigro velamine claros
Abscondit, tremulæ et descendunt montibus umbræ.
Deseruere domos sanctarum hi ergo Sororum
Hoc propter studium : tetigitque oblivio mentes :
Sunt onerum Fratres obliti namque suorum.
Confusi penitus iterum post damna reversi,
Immemores socii, quærebant signa suorum;
Nec tamen illa sui. Tandemque ad Virginis almæ
C Cellam venerunt tristes : sed gaudia corda
Implebant; subito demonstrat nam omnia Virgo
Perdita quæ fuerant. Christus (mirabile dictu)
*et restituit :* Virginis ob meritum servabat cuncta virorum
Pondera. Tunc pariter lætantes Brigida, Fratres,
Dulcia perpetuæ tractabant munera vitæ.
23 Insula nam fuerat mediis in fluctibus una,
Ad quam, si vellet, potuisset ille Sacerdos
Pergere, ad usque diem mortisque habitare valeret.
Tertia jam nigras dispersit collibus umbras
Lux, ait ipse Pater : Nobis nunc, sancta puella,
Auxilium petimus, nos omnes valde rogamus,
Quo peregrinus ego tendam? quo vertere possum?
Da pietatis opem, nostri miserere laboris.
*equos ad eas portandas divinitus impetrat,* Si potes, esset opus nobis præstare caballos,
Sarcina sic humeris gravis ut solvatur onustis,
Littora ad usque maris deduc nos proxima salvos.
Illa repleta Deo respondit sancta puella :
En comitabor ego vobiscum . prospera Christus
Præstabit, pueros pergendo solvet onustos.
Perrexere simul . virtus manifesta videtur.
Ecce per obscuras agresti tramite silvas
Cernitur ex eremo confestim cursus equorum.
Brigida Sancta Dei depromsit pectore voces :
Credite mi, pueris Christus miserebitur ollis : D
Sarcina vestra modo, quæ vos hic valde fatigat, AUCTORE
Apponatur equis : levius tunc ire potestis. CHILIENO.
Ibant hinc spatium : dixit benedicta puella
Littora proppe videns : Vestrarum pondera rerum
Solvite; fas erit haud ultra retinere caballos; *qui dimissi disparuere :*
Vos propter Christus mihimet donavit ad horam :
Ante videbat eos nullusque in finibus illis,
Postea (mira loquor) haud ullo tempore visi.
24 Venit ad usque maris portum pius ille Sacerdos,
Transivit navi : placuit tunc insula visa,
Utque habitaret ibi voluit. Tamen ipse colonus
Restitit in faciem : Hæc sunt mea rura, recede.
Dixerat hæc verbis durato pectore stultus. *rustico, ne Eremitam ob insula arceat, frustra suadet :*
Sancta rogare virum verbis jam cœperat illum,
Ut partem minimam Christo concederet agri.
Virginis ille malus contempsit verba colonus,
Auribus obstrusis, non hæc audire volebat,
Turgida valde tenens durato pectore colla.
Nullam nam hic potero (dixi tibi) tradere partem :
Ite, tenete viam : nec plus modo spargere verba
Est opus, (et dorsum detorsit) dixerat : Ite.
Virgo Dei tristi detorsit lumina vultu,
Hæc secum tacito paullisper corde volutans.
Ecce sub axe poli confracto carcere venti E
Magno Neptuni turbabant flamine regnum. *vento trans mare deferri impetrat, illæsum,*
Aeolus ille malus patuit, nec strinxit habenas ,
Per mare, per terras saltum dedit impiger Eurus :
Implicat ecce hominem, totum rapit altius illum,
Nubila ceu Zephyrus raptim cum spargit ab alto;
Non aliter laxis falco est dimissus habenis,
Viderat ex altis prædam dum rupibus idem,
Ille fugit, liquidum pennis post verberat æthra,
Vix oculis capitur, prædam capit unguibus idem .
Sic levat, et miserum ventus sic abjicit altus
Aere, transque fretum adversum maris expulit illum,
Littora post posuit, summisque in montibus ultra
Corpore confracto, flatus vix corde remansit,
Viscere turbato pulsant suspiria pectus.
Heu mihi nunc misero! dixit : (vix verba sonabat)
Quis furor ille fuit? vel quæ dementia mentis?
Virginis haud potero verbisque resistere sanctis.
25 Altera namque fuit magni sibi caussa doloris.
Unica cura fuit natus, quem jure parentes
Dilexere nimis; fuerat cum solus in agro,
Sole sub ardenti dormivit parvulus ille. *filiolum ab vulture, deinde in mortem*
Heu male somnus erat; percusserat ultio patrem,
Viscera nec liquit : vultur malus ille marinus
Viderat extemplo, torsitque hastilia parvo, F
Unguibus ac avidis transfixit; veste pependit :
Littoreis miserum portabat rupibus illum.
Quid moror? ipse Deus præsens est numine Sanctis.
Restituit puerum patri bene corpore sanum :
Insula tota datur : lætatur valde Sacerdos,
Splendida per totam dispersit gaudia terram :
Brigida Virgo Dei clamat præconia vocis,
Ut Christo referant millenas publice grates.
26 Venditor unus erat quondam, quem vana voluntas
Torserat, ut lapidem donaret veste volutum
Sanctæ : namque salis præsens mentita figuram
Petra; sed ipse Deus, qui culpam fraudis iniquæ
Noverat, ille salis naturam vertit in ipsam.
Omne quod ille malus lucrum sperabat habere
Vendendo populis, perdit tunc petra reperta. *lapidem in salem mutat, salem in lapides.*
Ille dedit lapidem durato pectore stultus
Virginibus : Christus salis efformavit in usum.
Sal modo petra fuit pro pœna criminis olli.
Brigida Sancta Dei cunctam (mirabile dictu!)
Duritiem lapidis, mordentis vertit in usum
Tunc salis, et gestum; præbebat petra saporem :
Unde Sacerdotes, matres, seu turba virorum
Laudant innumeras virtutes jure puellæ.

A Et Domino pariter persolvunt vota Tonanti.

AUCTORE CHILIENO.

## CAPUT IV.

### *Egentium, reorum, ægrorum solatia.*

Pauper ad usque domum divertens Virginis almæ
Venerat, hanc inopem refovens et tempore vitam :
Omnibus ille suis rebus, quoque vestibus orbus,
Alloquitur sanctam, clamans hac voce, puellam :
Brigida Sancta Dei, mihi si succurrere fas est,
Potu, veste, cibo, miserando membra reforma.
Sancta virum placidis clamantem Brigida verbis
Solatur miserum, pietatis viscere dixit :
En ego rite tibi devoto pectore vestem
Largior : ecce unam si vis educere vaccam
Optima vaccarum tibi nunc donabitur una :
*pauperi suum pecus donat* Insuper atque meum sagum portabis habendum.
Dixerat hæc Virgo. Respondit talia pauper :
Munera vestra modo mecum non ducere possum :
Ad patriam propero nudus : hinc inde pericla,
Est via difficilis, circumstantquaque latrones :
Tu miserere; potes, pro Christi nomine, testor.
Dixit et illa : Volo ; compuncta est pectore Virgo :
Corpore virgineo detraxit Sancta, solebat
B Cingere quo filum lateralia viscera Virgo :
Munera parva modo, zona qua cingimur ipsa,
Nos tibi magna damus, præstabit gaudia Christus.
Suscipe, nunc nostri, Frater, fer pignus amoris :
*dat zonam,* Per me magna Deus virtutum signa colonis
Fecerat in nostris Kildaræ finibus ista,
*qua miracula antea facta;* Omne genus morbi, fragilis quo valde tenetur
Gens humana modo, vel quo perserpit origo,
Omnis imago mali; millenas pellere curas
Hæc poterit; poterit non ulla resistere tales ;
Corporibus serpant hominum contagia mille,
Prosternet passim ; perdunt si membra vigorem,
Præstabit, nec opus medicam ulli quærere curam.
Præstitit ille meus, qui me dilexit, amicus :
Tangere si manibus dignabar membra dolentis,
Auxilium miseris Christus præstabat opimum;
Omne malum fugat, regnabant jura salutis.
Hoc modo (crede mihi) si tu vitalibus undis
Hæc mea fila lavas; dederis, cui languor inhæret;
Credo, favente Deo, morborum rixa recedet,
Invida caussa mali, præsens dolor omnis abibit.
Hæc ait Sancta Dei lacrymans pietatis amore
Virginis et Christi, præcordia rore timoris
Intima inardebant, intus cor vulnere amoris.
C 28 Ergo Dei sponsæ portans nec parva misellus
Munera, perrexit, patriamque ad usque tetendit
Pauper iter gaudens : multos post vixerat annos :
*ea aqua intincta plurima quoque facit* Plurima tunc populis præstabat dona salutis :
Nulla nocere mali potuit vis aspera morbi,
Non oculis capitis vitium, non auribus ullum,
Dentibus, aut linguis, gingivis, faucibus arctis,
Impediunt chiragra aut febris, seu vulnera ferro,
Ulcera nigra calent, membris fœtentibus humor,
Phlegmata, vel sanguis fracturus ossa malignus;
Non poterat languor, vis nulla resistere morbi
Undis prædictis filorum Virginis almæ.
Quid moror? omne malum detersit paupere filum
Portante ad patriam, vincit medicamine cunctos.
Pauper et ille fuit nunquam temporibus illis,
Majores natu superabat divite gaza,
Divitias cumulat multorum spolia, servos;
Dives et æris erat, dum vixit pluribus annis :
Virginis hinc terram dispersa est fama per illam.
29 Tempore quo pulchris ornatur vestibus annus,
Omnis ager nitidas gignit cum floribus herbas,
Fructifera et viridis vestitur frondibus arbos,
Altis nec rapidi cribantur nubibus imbres,
Turbida nec siccas perrumpunt flumina ripas; D
Sed nova vernabant æstatis tempore cuncta,
Aeris ex liquido descendunt ubere mella,
Candida cum rosulis nascuntur lilia pratis;
Tempore in hoc sanctis Virgo comitata puellis,
Ascendit currum, vehitur post tergora equorum.
Concilium habuit quondam Patricius almus,
Ad quod Pontifices ex multis urbibus ibant;
Cum quibus illa suis perrexit Sancta puellis;
Tempore quo rutilus torrentia sol Geminorum
Sidera perlustrat, ardent confinia Cancri,
Fit calor in terris, fervet sol igneus astris;
Dum peragebat iter, miseros cernebat euntes,
Orbos, contractos : mediis tunc æstibus illi
Carrucis clamant defessis vocibus omnes; *cæcum, et claudum,*
O pia Virgo Dei nostri miserere doloris.
Auribus ut sonuit sanctæ vox Virginis illa,
Audierat, steterat, miserando manserat illic,
Noctem perduxit vigilando, multa precando : *post vigilias et preces,*
Et bene mane novo, nocturno ut nectare solis
Implevit palmas, cæcorum lavit ocellos,
Membra fovebat aquis claudorum lurida puris,
Ecce salus manibus distillans, invida morbis, *rore lotos sanat*
Virginis : inde oculis cæcorum lumina clausis,
Claudorum gressus reparantur lege salutis : E
Dissiliere, viam carris tenuere relictis,
Deseruere pares, quos præcursare parabant :
Cæcus et ipse videt, claudus fuit ocyor Euro.
Gaudebant pariter : dignas persolvere grates
Curabant; oculos, dextras cum voce levabant.
Illa piis monitis his dixit verba salutis.
30 Hinc iter inceptum sanctis comitata puellis
Pergit, pacificum cursum direxit equorum :
Sol oculos vertit, nigrum penetrale cubile
Noctis ingreditur, post tergum clausit apertum,
Ille caput nitidum tinctis abscondit amictis : *suis nocte in prato dormientibus vigilat*
Dulcis et inde quies : post somnus valde Sorores
Suavior oppressit, teneras cum floribus herbas
Collegere sibi : nitidis blandire pupillis
Cœperunt pariter : vigilat sed Brigida pernox.
Dimisere quidem, donec sol aureus ortus
Bis senis radiis perlustrat lumine cœlum,
Omnibus et rutilum demonstrat cardine vultum.
Surgebant omnes pariter per aperta viarum.
Hinc iterum rectis properando gressibus ibant
Fluminis ad ripam cujusdam, nomine a Bannæ *a*
Unum forte virum non longe a fluminis unda
In prato solum viridi vidisse puellæ
Dicuntur trepidæ : quem juxta armenta locabant,
Pareret ut populo, miscebant gaudia fletu F
Tunc iter arreptum sanctis de more puellis.
*b* . . . . . . . . . . . . . . . . . *b*
Illa repleta Deo multis comitantibus ibat.
31 Omnicolor fuerat vas quoddam Regis in Aula :
Mirabatur opus, veterumque insigne virorum :
Pocula multa simul septem compacta metallis,
Auricolor vitrum sociato fulget electro :
Commixtura latet calicum, sed ductilis illa *Regis vitream phialam fractam,*
Spargebat nitidis crispantia lumina gemmis,
Verberat atque oculos speculantis flamma nitoris :
Priscæ facturæ fuerunt nam pocula quædam.
Talibus antiqui pateris convivia Reges
Dulcia per populos ornabant, more vetusto.
Deliciosa quidem, fragilis sed valde figura.
Quidam forte die, cum Rex recubabat in ostro,
Discurrunt famuli, dum ponunt fercula mensis,
Omne genus potus pueri dum rite reponunt,
Adposuere simul vas miræ valde figuræ.
Venerat ad præsens stultus tunc plebius unus,
Admiratus opus, calicem tunc forte tenebat :
Labitur in mensam subito, delapsus ab alto
(Heu) cecidit, pulchris disperso fragmine gemmis
Frangitur,

A Frangitur, et minimis lucent mantilia crustis :
Mensa fuit rutilis calicum conspersa metallis.
Talia facta diu multum stupuere ministri :
Rex bene lætus erat, calicis sed fractio torsit :
Jusserat (heu) miserum duris per colla catenis
Turpiter, ac manibus strictim post terga reflexis,
Carceris obstrictum tenebrosi in ima retrudi,
Donec stauraret vas tale et fusile factum.

*cum pro eo qui fregerat, frustra deprecatus, esset Episcopus,*

32 Venerat ad Regem Præsul venerabilis unus,
Caussis proque suis dicendis, sive rogandis :
Audierat calicis fracti tunc publice damnum,
Et juvenem miserum pro culpa in carcere vinctum :
Tunc voluit Regem motus pietate rogare,
Utque sibi hanc noxam, quam stultus fecerat, almo
Pectore donaret pro Christi nomine gratis.
Rex ait : Haud parcam, testor hanc, credite, dextram :
Ipse qui calicem pretiosum fregerat illum,
Hunc ego tormentis variis affligere dicam,
Aut canibus rabidis rodendum, aut figere furcis,
Pastum sive feris, tradetur furcifer ille
Ignibus arsurus calidis, aut subdere flammis,
Aut capite avulso, corpusque volucribus esca
Servetur : calicem aut reddet, seu perdere vitam
Nunc sciat, haud dubium; nec plus mihi verba reformes.
B Præsul ad hæc iterum respondens, Sit tuus, inquit;
Tu mihi si calicis saltem fragmenta relinquis
Portare ad cellam, sacris referenda puellis;
Hoc volo. Cumque cupit, Rex cessit fragmina vasis :
Ille dolore tamen cordis confligitur inde.
Ad cellam Sanctæ properans divertit habenas,
Omnia, quæ fuerant, referens ex ordine Præsul
Virginibus Christi : suspiria longa parabat.
Brigida Sancta Dei lacrymas......
Hæc ait, (heu) misero magna est perpessio carnis
Quæ infertur : penitus matris pietate dolebat.

*quem pulvere redintegrat,*

Præsul et hæc iterum, repetens ex ordine rerum,
Dixerat, et calicis memorati frusta resolvit
Virginis ante oculos : hæc sparserat atque reliquit.
Illa piis manibus complectens fragmina mille
Illius calicis, quem demens solvit ab alto;
(Alterius partem nam traxit fractio partis)
Fixerat ut fuerant, ponebat, cuncta locabat,
Singula quæque tenens, unum conjunxit ad unum.
Quid moror? his frustis calicem formavit acutis;
Pontificis manibus vas pulchrum jure volutum
Gausape purpureo tradebat dignius ille.
Præsul adit Regem, manibus dum pocula portat,
Unius et calicis septem sunt vascula dicta.
Septem namque pede surgebant pocula ab uno.

*et reum liberat*

C Rex bene millenas gessit pro munere grates :
Solvitur ille miser, post culpam gratia plena
Redditur, inde magis Christusque in Virgine præsens
Creditur, et fecit qui talia signa, fuisse :
Vox simul una sonat, plebisque ad sidera scandit;
O pia virgo Dei, clamabant; gratia Christi!
Virginis extollit virtutes regio tota.

a Banna, sive Bann, *egregius et limpidus amnis, eoque salmonum feracissimus, in Comitatu Dunensi ortus, in lacum* Laugh *sese effundit, ac post 30 fere milliaria (ea longitudo est lacus) inde effluens, superbo alveo versus Oceanum Borealem tendit, uti Cambdenus tradit in Descript. Comitatus Colranensis.*

b *Desunt hic aliqua.*

D AUCTORE BILIENO.

## CAPUT V.

### *In feras arboresque imperium. Signi Crucis efficacia.*

*aves ac feras ad se advocat*

Fæmina cara Deo, Christi sanctissima sponsa
Brigida, quæ populis virtutum signa reliquit,
Omne genus rapidum, silvis quodcumque ferarum
Nascitur obscuris, vel quod volat omne volucrum,
Aera per liquidum pennis rapit Eurus in altum:
Illius ad vocem vel nutum cuncta venibant :
Illa piis manibus tractabat quando volebat;
Obsequiumque sibi præstabant sæpe libenter.
Morborum rabies facili sermone fugabat.
34 Una dolore gravi conquesta est fæmina ventris,
(Languida possedit præcordia frigidus hydrops)
Viscera plena ferens : crescebat sordidus humor :
Illius (heu) talem partum male venter habebat :
Livida nam nigro vitalia valde veneno
Turgebant miseræ; vox tantum fauce sonabat :
Heu mihi quid faciam? nil possum proxima morti :
Nunc venit ecce dies, quid prodest vivere pœnis?
Hæc ait, et pedibus Sanctæ ruit, asserit ore :
O benedicta prius quam mater te genuisset,
O pia Virgo Dei, miseræ nunc verba precantis
E Auribus exaudi, torpentia membra foveto.

*hydropicam signo Crucis sanat :*

Credo equidem, precibus membrorum namque meo-
Accipiam vestris perfectam valde salutem [rum
Corporis atque animæ, Christum jugo si rogitetis.
Dixerat, et palmas lacrymans utrasque tetendit.
Virginis ante oculos volvebat corpore toto.
Virgo dehinc miseram volventem pulvere membra,
Porrectamque loco, transverso corpore flentem,
Turgentes papulas, et morbum ventris habentem,
Atque illam tristem Christum sibi sæpe vocantem,
Et caput in pedibus Sanctæ vestemque tenentem
Aspexit, doluit, tetigit, dextraque levavit,
Erigit, et signum sanctæ Crucis indidit illi
Pollice sacrato, verbis benedixit, et unxit.
Mira loquor! subito membrorum quippe suorum
Fæmina consequitur perfectam valde salutem :
Haud secus umbra diem solis cum cœperit ortus
Mane novo rutilum demonstrat cardine vultum,
Nigra fugit trepidæ noctis (ceu diximus) umbra;
Fugerat omne malum, diffuso fonte salutis.
Virginis ex manibus stillabat gratia Christi.
35 Plurima de minimis fecit miracula caussis
Brigida Virgo Dei : dictis hæc gessit, et actis.
Arboreum fructum silvæ quo tempore portant,
F Autumno gravido fruges dum parturit annus,
Floret ager spicis, et vitis dulcibus uvis,
Arboris in ramis cernuntur pendula poma;
Malos pomiferas, et prunos fœmina habebat
Quædam : nam proprii cultrix erat utilis horti.

*nolentem quæ quæ tulerat poma dari pauperibus, mulctat arborum sterilitate*

Illa repente sua dextra pendente canistro,
Venerat ad cellam, portabat mitia poma,
Virginibusque Dei fructum dedit illa laboris.
Brigida Sancta Dei confestim poma recepta
Tradi pauperibus dixit, quod sæpe solebat.
Ut vetula audierat, tunc talia verba sonare,
Quæ prius attulerat pomorum munera gratis,
Condoluit nimio cordis confusa dolore :
Despectam fieri se Sanctis nam illa putabat.
Impatiens igitur magnas exarsit in iras,
Irrita dona tulit, violenter traxit ab illis
Pauperibus Christi. Rem turpem gessit avara,
Et dixit, tumidis jactans convicia verbis :
Cur tibi, Virgo Dei, portabam dona salutis,
Cur aliis propere hæc despecta dante dedisti?
Altera magna dabat cum prunis fœmina poma .
Tunc hæc pauperibus largita est sancta puella;
Et benedixit ei, promisit præmia facti.

Tempore

A Tempore præsenti florens, et vere futuro
AUCTORE COILIENO. Hoc tibi pomiferum portabit plurima lignum
Poma, erit et numquam sterilis, sed fertilis arbos.
*aliam suarum fœcunditate muneratur.* Sic ait, et vetulam dimisit pectore lætam.
Illa maligna stetit durato in crimine collo
Improba, quæ miseris abstraxit poma pupillis.
Dixerat ad stultam, quæ tunc tulit ante recepta
Munera pauperibus, tristesque reliquit egenos :
Stulta recede modo, nec te pudet esse superbam.
Pomarioque tuo, quod plenum cernis in horto,
Invenies nullum dependens arbore pomum.
Nec erit, ut fuerat, fructus tibi dignus in ævum.
Accidit ambabus, quod dixit conscia veri.
36 Tempore non longo post hæc per compita curru
Pluribus hæc iterum seu campos Brigida turbis,
Undique cum magno circumstipata paratu,
Publice transibat, sanctis comitata puellis.
Dum peragebat iter rectum sanctissima Virgo;
Obvia tunc illis veniebat turba pedestris,
Matres cum pueris, juvenes cum matribus ægris,
Fessis cum patribus, poterant nec ponere gressus :
Nam miseris gravior pendebat sarcina collis,
Atque calore nimis corpus sudabat onustum.
Cumque auriga loco detersit cautus habenas,
Læderet, aut miseros calcaret nullus equorum;
B Utque dehinc iterum flectendo rectius iret,
*equos dat onustis et fessis* Impiger ursit equos. Currum cum ergo viderent
Defessi miseri, steterant, et voce sonabant :
O nimium felix, qui dorso fertur equorum,
Pergere et auxilio tantum nunc posset equino!
Dixere hæc pariter : compuncta est sancta puella;
Unde repleta Deo, lacrymans cum murmure vocis,
Jussit equos propere cum curru in calle resisti,
Pauperibusque dari portandis atque vehendis.
Nec satis aurigæ accessit tunc prona voluntas :
Vincitur ille tamen magna pietate puellæ.
Accipiunt homines onerati quippe caballos
Virginis, aurigam, currum, vestesque : Sorores
Turbam diversam, populi Fratresque sequuntur.
37 Tempore sicca sitis æstivo strinxerat arvis :
Brigida (nec fuerat potandi fluminis unda)
Sole sub ardenti procedit turba Sororum.
Venerat ad Sanctam reliquis prudentior una,
Murmurat : Ecce fames; nil potus, nulla ciborum
Fragmina turba tenet : campis quid posset habere?
*fontem e terra elicit.* Quid faciemus? ait, vel vos quid dicere vultis?
Fustibus illa loco vestris nunc, dixit, eodem
Ite, cavate, viri, terram, jactate parumper :
Fons erit ille meus. Sponsus meus auctor aquarum :
C Flumina dura silex Domino mandante refundet.
Præcisa est numquid quondam de cuspide virga?
Panibus hic quinis satiavit millia multa.
Legerat hac eremo fontem nunc Christus habendum :
Ille erit et rapidis (dixit) fons frigidus undis.
Defluit ecce liquor, subito prorumpit in amnem :
It populus, cupide claro de fonte bibebat.
38 Publica strata fuit via; juxta hanc Sancta sedebat :
Protinus ecce Comes multa comitante caterva,
Ac peditum ac equitum, seu multo milite vulgi,
Curribus, ac domitis lascivis cumque caballis,
Venerat, et turbam rogitat tunc rure sedentem.
Atque ubi cognovit sanctam sedisse puellam;
Applicuit currum, properans descendit ad illam :
Alloquitur blande, jungitque hæc verba salutans :
O pia Virgo Dei, quid nunc in finibus istis,
Adventus vester præfert? quo pergere vultis?
*equos indomitos sibi a Duce datos, cicures reddit.* Hic currum video : vestri qua parte caballi?
Aut viduis gravibus donasti, aut forte leprosis?
Accipe sancta meos meliores Virgo caballos :
Hic habeo juvenes, quod nullus subdere curru
Indomitos potuit, fortes et valde superbos.
Si tibi nunc fuerint mites, hos semper habeto;
Sic autem domiti, vestris tunc usibus apti D
Donantur penitus. Hæc dixit verba sedenti.
Gratulor ecce Deo, respondit sancta puella,
Munere gratuito. Aurigam tunc jussit equorum
Fræna tenere manu, modicumque ostendere tantum.
Cumque auriga illas dextris gestabat habenas,
Ecce dedere leves saltum (mirabile dictu!)
Gaudendo, et rapidi pariter de rure caballi,
Donec eos juvenis dextra parcente teneret,
Mitia colla jugis portandis, atque ferendis
Poneret, et positi sub curru lentius irent,
Agni, sive ut oves humiles, nec membra moverent.
Præterea fontem currentem cespite vulso
Miratur populus : liquido de rore bibebat :
Fercula detulerat secum diversa ciborum,
Prandet turba simul : remanent fragmenta ciborum.
Vox confusa sonat, vulgus pulsaverat auras
Laudibus : et populus populum cum pace reliquit.
39 Solis in alterius signis confinia currunt,
Cunctis transactis momentis atque minutis,
Limite cœlesti saltat sol, inchoat horam :
Brigida cum solis steterat tunc Sancta puellis, *vaccæ opimæ destinatæ,*
Orabant pariter, Christum sibi voce precantes.
Infirmus fuerat vir quidam nobilis unus :
Corpore nam calida fervebant viscera febri.
Dives habebat opes æger, quod perderet, auri E
Copiam et argenti, multarum pondera rerum,
Centones, stimulos, pecora, ac ingentia rura.
Omnia præsentis illis hæc gaudia mundi
Quid prosunt miseris, positis in limine mortis?
Ille salutis amans propriæ, crescente dolore
Dixerat ad famulos : Talem transmittite vaccam
Virginibus Christi meliorem, semper habendam.
Sed tamen hanc miseri nolebant perdere servi.
Altera quæ fuerat pejor, absente patrono,
Mittitur, et fraudis lucent figmenta malignæ. *sed a servis macra mutatur,*
Nocte sequente etenim Christi fit maxima virtus :
Signum perversis, magnumque apparuit illis.
Ecce repente mali septem pro crimine fraudis
Occidere lupi vaccam, quam diximus ante,
(Mira loquor, trepidus dum hæc miracula narro!)
Mane novo, rutilis dum sol respexit ocellis
Concava terrarum, montes, et prædia, silvas;
Umbra fugax latitat, superantur luce tenebræ,
Clara exorta dies; pastorque armenta revisit,
Invenit medio, septemque ingentia campo *interfectores lupos 7 emori facit.*
Corpora tunc rapidum subito percussa luporum :
Mane repente simul vaccam conspexit eamdem
Exanimemque feris : crudelia vulnera cernit,
Quæ fixere mali tantum, nec sumere carnem F
Præsumpsere lupi : circumdant undique prædam,
Livida pendebant exertis dentibus ora.
Hæc memoranda diu virtus in finibus illis :
Virginis una bovis mors septem facta luporum.

## CAPUT VI.

### *Pietati vacantium servata res, dissidentes conciliati.*

Virginis alterius dum quædam proxima cella,
Nobilis, ut fertur, præclaro et nomine dicta,
Adforet, et propius constructa ex more vetusto;
Insiliunt, capiunt intrantes nocte latrones.
Exagitare boves inventos sæpius, illi
Ruptis seu muris, et prædam quippe colonum
Illi humeris portare suis, se subdere silvis;
Quæ potuere mali fecerunt omnia fures,
Furantes pariter tenebroso tempore noctis : *abactos noctu fures*
Fluminis ad ripam divertunt, nomine Liffe,
Gurgitis exiguique vadum transire volebant.
Sed tunc proceras crescebat flumen ad alnos,

Virginis

A Virginis ob meritum. Stabant, et sarcina collo
Pendebat misero : mordebat corda virorum
Anxia cura boum : sed nec potuere pedestri
Ordine vada viri transire : ad fluminis ultra
Littora nocturnis spatiantur longius horis,
Tandem consilium ceperunt tardius : illis
Corpora nuda patent; detractis vestibus omnes,
Collectique simul, stricto cum fune ligatam
Imposuere boum prædam (quam diximus ante)
Cornibus expansam, ac urserunt amnis in undas.
Brigida Sancta Dei, memorans promissa puellis,
Sensit damna domus, præsens in littore stabat.
Flumina bella parant adversum armenta bovina :
Protinus ipsa viri, cum sunt post terga sequuti,
Fluctibus in mediis, extensis nempe lacertis,
Nuda humeros, per dorsa comas; tunc ipsa per undas,
Vellera barbarum natantia multa videres :
Tergora cæsa mali nigris signantia nodis,
Cornibus ac pedibus portabant pensa bovinis.
Ut solet unda maris summis cum fluctibus altum
Erigit ad cælos, splendentia sidera lambit,
Tota tremit tellus, subitis casura ruinis,
Cum ruit, et rapto in spumantia flumina vento,
Littora lata tegit, spargit loca, marmora, ligna;
Non secus illa armenta ruunt super ipsa latrones,
B Littora prima petunt, linquunt post terga rebelles,
Vestes illorum portant, et cominus ibant :
Tandem hinc inde boves mudato pectore fures
Per montes, valles, silvas, ac arva fatigant.
Haud secus arcitenens venator saltibus altis
Cum canibus rabidis sequitur vestigia cervi;
Labitur ille, leves cursu prævertit et auras :
Nec mora, nec requies, donec se saltibus altis
Abscondit, canibus capitur nec retibus ullis.
Non serus ergo boves post se posuere latrones,
Vestibus ac armis spoliatos, tecta petentes,
Quo populus multus, steteratque ignobile vulgus,
Virginis ad cellam solennia sacra colentes.
Venerat alma dies, jam noctis terserat umbras
Phœbus, ab axe poli conspexit talia, risit
Currere mane boves, nudosque videre latrones,
Cominus et prædam totam rediisse colonis.
41 Altera cum fuerat vicinis partibus una,
Venerat ad Sanctam simili ratione puella :
Dulcia namque suæ voluit pia verba magistræ
Auribus intentis, pardi quoque corde tenere.
Illa puella nimis dilexit quippe Sorores.
Dixerat hæc : Utinam vobiscum hac nocte manerem!
Liquerat illa suam nullis custodibus ædem,
Vaccas et vitulos sparsos errare per agros,
C Excepto misero, quem morbus quippe vetustus
Flexerat in lectum, graviorque ac longa senectus,
Nilque tuendo domi fas huic, nec cura peculi.
Sancta, Tuente Deo, dixit, hac nocte puella
Rite manere potes : rerum nunc ulla tuarum
Perdere non timeas : Christus tua tecta tuetur.
Mansit. Cras iterum perrexit visere tecta.
O memorandi Dei virtus! O magna potestas!
Nox ibi nulla fuit : semper præsentia solis,
Longa dies fuerat bis denis quattuor horis.
Illa puella senem solum tunc æde sedentem
Invenit, vitulos cum vaccis rure libenter
Pascentes pariter : nec dum suxere vitelli,
Obliti lactis matrum sunt quærere gustum,
Temporis in magno spatio, mirabile dictu!
Nox obscura fuit, quo mansit quippe puella,
Clara dies vitulis sentitur sole corusco
42 Quadam forte die caussis poscentibus ibat
Brigida Sancta Dei multis comitata puellis :
Turba sequuta fuit diversi maxima sexus,
Leprosique simul comitantur valde superbi,
Quos omnes propria matris pietate fovebat.

*vi arcana, trajectu fluvii, subito tumefacti arcet*

*sequentibus eos nudis furibus*

*puellæ secum e cubantis vaccæ et domum servat*

*Tunc nox quasi in solem converſa*

D Moverat ira duos perversa mente leprosos,
Rixabantur item totis ex viribus illi,
Extendere manus, proprios traxere capillos :
Extulit utque prior dextram, percussit euntem :
Reddidit hoc melius convertens se impiger alter :
Fortiter exertis certant utrimque lacertis,
Duris alternas facies concidere pugnis.
Vidit ut illa, piis verbis compescuit illos.
Mira loquor! primus qui fratrem percusserat ante,
Non iterum potuit curvatam tendere dextram.
Elevat ad cælum dextram non segnius alter,
Redderet ut talem, si posset, fortiter ictum :
Non tamen, ut voluit, potuit sic cædere fratrem;
Duruit illa manus porrecta ad sidera rursum,
Suspensam potuit nulla arte reflectere dextram.
Diriguere manus leprosis, nil potuere,
Donec Virgo Dei succurrit sancta duobus,
Hæc ait : O miseri, fratres vos, sanguine Christi,
Merce empti pretiosa estis, deponite rixam,
Pœniteatque malum, gessistis quod modo : Christum
Offendit nimium : sanctamque resumite pacem.
Promisere simul, nil plus committere culpæ :
Solvuntur dextræ, redeunt sua membra saluti :
Pacificati iterum, Sanctamque sequuntur euntem,
Et magnas Christo reddunt pro munere grates.
E 43 Proxima cella fuit constructa in finibus illis
Sacris Virginibus, fuerant quæ carne propinquæ,
Moribus ornatæ dignis, et corpore castæ :
Venerunt pariter devota mente Sorores,
Subnixis precibus Sanctam tunc valde precantes,
Dignetur venire, suam benedicere et ædem,
Ipsarum fuerant quæcumque et in ædibus illis.
Clementer Christi consensit Virgo puellis :
Ascendit currum, vehitur per compita lata.
Venerat unus homo festinans obvius illis;
Dixit : Habete modo parem, salvete puellæ :
Nuntius ipse ego sum, vobis annuntio verum,
Quod jacet infirmus vester nunc patruus, inquit :
Tempora nunc penitus venerunt ultima vitæ :
Mittite vos currum, (veniet namque) atque caballos.
Excusant, dicunt nullum se habuisse paratum.
Tollite, ferte meum, respondit Brigida, currum.
Mittitur inde viro currus, cum dixit, egenti.
Ducitur ad præsens, fuerat qui ad fata paratus;
Cespite gramineo deponitur lenius æger.
Venerunt gravidi capræ tunc pelle leprosi,
Voce simul reproba et pulsabant Virginis aures,
Currum poscentes queruli, currusque caballos.
Virginibus fuerat sermo contrarius illis
F Si vobis detur currus, quo possumus ægrum
Ferre domum nostram? tristes dixere puellæ.
Respondere simul magno clamore leprosi :
Ibimus ingrates, nil vestri quærimus unquam.
O pietatis opus! tam magna et mira voluntas!
Virginis ardebat cor Christi et pectus amore :
Leprosis cupidis currum concessit habendum.
Largiturque ipsis devota mente caballos.
Mira loquor : præsto, quem jam prædiximus, æger
Sanatur, morbi nil sentit, nilque doloris :
Laudibus eximiis clamat præconia Christi :
O Deus excelsus, Rex regum, summa potestas
Conditor altithronus terræ, maris, aeris, ignis,
Angelicus populus, hominum æque ac turba ferarum
Te laudent, canimus tibi laudes, te veneramur.
Sic ait, et pedibus sequitur tunc ipse puellas.
44 Illis temporibus quidam, sua quem oderat uxor,
Venerat ad Sanctam, sacramque petiverat undam :
Quam pia Virgo aquulam largitur sanctificatam.
Fœmina stulta suum contempsit sæva maritum,
Oderat atque nimis, negat et consortia tecti :
Noxia nam miseræ turbant fastidia mentem.
Inde Sacerdotem, liquidas qui spargeret undas,
Quas

*VICTORE GRILIENO*

*leprosorum manus, quæ ad percutiendum elevatæ, obriguerant,*

*sanat*

*superbis leprosis dat currum et equos*

*ægrum sanat*

*uxorem a marito aversam,*

Quas pia Virgo prius proprio benedixerat ore,
Transmisit propere : tunc has præsente mari *AUCTORE CHILIENO.*
Ædibus atque thoris, valvis, mensisque ciborum
Sparsit : et inde domum venit post ipse Sacerdos.
Fœmina quippe virum nimio dilexit amore *aqua benedicta in amorem reducit,*
Posthæc illa suum, nullis temporibus illum
Liquerat. Ante diem surrexit forte maritus,
Transieratque fretum vicinum navibus, actus
Solus amore sali, salsisque laborat in undis.
Uxor at illa domi, somno depressa, remansit :
Nescivit quonam discessit, quando maritus :
Surrexit subito : tectum, loca proxima, vicos,
Compita lata satis, circum quoque fœmina currit,
Littora ad usque maris vestigia crevit euntis,
Cum caput atque oculos tollit, conspexerat ultra *constantem, et paulo immoderatum :*
Fœmina stulta virum, solumque in littore stantem.
Fervida vada maris ventis sufflantibus Austris
Fluminis undarum fluctus, et montibus altis,
Erexere simul crispantia verbera spumis :
Insidunt ripas superas, et marmora mergunt,
Aera confundunt, splendentia sidera tangunt.
Ignis amoris erat vehemens, pectuscula carpit
Illius uxoris, torsitque amentia mentem :
Et magis atque magis gliscit per viscera virus.
Si non continuo perituræ proximus unus
B Navibus esset homo, qui raptam tolleret undis,
Et miseram manibus mergentem prenderet alto,
Protenus in medius peritura hæc pergeret undis.
Talis amor fortis fuerat cum pace duorum :
Conjugis atque viri dulcis dilectio mansit
Semper ad usque diem mortis : mirabile dictu!
Pluribus hæc populis virtus comperta refertur :
Virginis ob meritum Christus firmavit amorem.

## CAPUT VII.

*Effusa in egenos liberalitas, divinitus remunerata : curru sublapsa in itinere servatus.*

Illis temporibus magna et cum murmure turba
Accessit, cupiens celebrare solemnia sacra
Sanctorum festi. Et tunc dandarum indiga rerum
Brigida Sancta Dei venientem forte videbat,
Dixerat illa suis, miserans pietatis amore :
Has ego, si possem, vellem nunc pascere turbas :
Finibus ex longis venerunt quærere victum.
Vos igitur pueri nostri, vos inde puellæ, *multos exiguo dape satiat*
Ite parate cibos : pascamus panibus istos.
Copia farris erat provisio tota puellis.
C Cetera quid referam? diversis fercula turbis
Apposuere satis devota mente ministri.
Omnes appositis saturati, ignobile vulgus,
Matres cum pueris, juvenes cum patribus ægris,
Laudibus eximiis palmas ad sidera tendunt.

46 Virginis hoc factum famuli cœpere maligni
Blasphemare magis, tristesque fuere puellæ.
Fugerat ad solitum confestim Brigida templum,
Illic ipsa Deum devoto corde rogabat *... murmurantibus, exhausto penu,*
Nobilis ad Regem cum plaustris plebeus unus
Venerat : ille viam per rectam lentus, onustus,
Cumque iter arreptum peragebat præscius ante,
Atque vehebat opes cum multas Regis ad aulam,
Sanctorum festis cœnam portabat habendam.
Errabat propriis cum plaustro plebeus agris.
Ecce sub astriferi collectis culmine cœli
Nox ruit, et terram contexit nubibus; ambit
Nebula spissa boves, descendens montibus altis,
Involvitque viros pariter per rura viantes. *alimenta impetrat, Regi parata,*
Cognita namque fuit servis via lata per arva,
Sed tenebrosa viros offendit nebula cæcos,
Donec ad ipsam ædem veniunt, qua Sancta manebat
Obvia Virgo viris perrexit protinus illis :
Conscia namque fuit virtutis : dulcia verba D
Deprompsit pueris. Respondens plebeus inquit :
Hæc tibi cuncta Deus transmisit munera, Virgo :
Accipe corde pio sumens munuscula nostra.
Nam statui ad Regem cum plaustris pergere nostris,
Et cœnam Domino dignam transmittere nostro :
Sed Deus in mediis divertit ruribus istis
Ad tua claustra boves. Sic est modo nostra voluntas.
Possumus in duplo, si quærat, reddere Regi.
Omnia nostra simul, si vult hæc tollere, tollat.
Hæc tua semper erunt : tantum benedicite, dixit.
Miserat ille viros ad Regem dicere caussas
Ordine prædicto. Stupet et Rex talia signa.
Munera confestim transmisit maximus Heros, *et ab hoc munera*
Villam magnificam, qua tunc Rex ille manebat,
Et quæcumque prius fuerant donaria, Rex tunc
Virginibus Christi semper concessit habenda.
Plebeus ille bonus, quem nos prædiximus ante,
Traditus est Sanctæ cum tota gente parentum;
Servivit sanctis post hæc sine fraude puellis.

47 Tempore post iterum non longo, e finibus illis
Venerat ad Brigidam quædam Regina, rogatque
Hæc genubunda suis pro culpis rite piandis :
Obtulit ac pulchram devota mente catenam,
Vertice cui summo fuerat formata figura
Humani capitis : subtilis lucet imago E
Filis argenti pretiosa, ac textilis hamis *catenam pretiosam a Regina datam,*
Sphærula in alternis fulvis præfulgida gemmis.
Hoc decus examum artificis Regina puellis
Obtulit, hanc rapiunt thesauris jure locantes,
Brigida pauperibus ne furtim traderet ipsam :
Namque solebat opes, quas posset, sæpe misellis
Spargere : et hoc famuli damnum timuere tenaces.
Quadam forte die cum rauca voce leprosi,
Quærentes pariter vestes, alimenta, cibosque,
Qualibus hi possent inopem defendere vitam,
Venerunt, queruli pulsabant Virginis aures.
Sancta tacere piis solatur Brigida verbis :
Sed magis atque magis clamabant vocibus omnes.
Virgo dehinc miseros compescuit alma superbos :
Illico nam loculos, quos tunc habuere puellæ,
In queis servabant loculis, quæcumque dabantur, *dat lepro...*
Scrutabatur : ibi pretiosam valde catenam
Invenit; manibus festinans abstulit ipsam,
Pauperibus Christi furtim porrexit habendam.
Post data quam fuerat miseris prædicta catena,
Nec fuit inventa in thesauris; inde Sorores
Condoluere nimis, sanctæ dixere Magistræ :
Quare laboramus? quid sic servimus inanes?
Nos propriis manibus valde sudando fatigas,
F Omnia nostra malis dispendit Virgo leprosis. *suis mœrentibus,*
Pauperum an ergo tibi sola est cura? ullane nostri?
Sancta piis verbis solatur Virgo Sorores :
Linquite stulta modo verborum spicula, pacem
Semper habete bonam, nobis patientia regnet :
Ite, videte locum, quo nos orare solemus,
Fundere sæpe preces Christo, Sanctisque frequenter
Ante altare Dei; reculans fortasse reliqui :
Quærite forte jacet : cessent convicia vestra.
Dixerat illa. At quidam se vidisse puellam *similem divinitus impetrat*
Tradentem miseris testatur voce catenam.
Maxima cum fuerat quærendi cura Sororum,
Doctior una fuit reliquis, hæc Virgo puellis
Ocyor, inde prior templum penetravit apertum.
O memoranda nimis virtus ostensa refulsit!
Argenti nitidam nacta est altare catenam
In terra et rutilam congaudens ante jacentem,
Persimilem forma, gemmis, ac arte priori.

48 Venerat ad Sanctam quidam de plebe propinqua
Sanctus, a Conlaidus proprio cognomine dictus.
Hic voluit dignam sanctamque videre puellam : *a ... a Conlaido*
In curru vehitur, puero comitante. Patronum

Suscepere

A Suscepere omnes devota mente Sorores.
His prius hospitium calidumque ex more lavacrum,
Tecta parata epulis, sedes, flammasque ministrant.
Postquam rite cibo refovebant corpora lauto,
Brigida Sancta Dei, timidis deducta puellis,
Hospitibus Christi pietatis debita solvit :
Dulcia pacifico depromunt pectore verba.
Et postquam ille dies lætus cum Virgine paucos
Manserat, et verbis docuit cœlestibus omnes,
Dignaque perpetuæ plantavit semina vitæ,
Cresceret ut Christo messis post multa futura;
Ad cellam propriam voluit repedare patronus :
Jussit habere suum carpentum jure paratum,
Jungere colla jugis puero mandavit equorum.
Sed puer (heu) stultus neglexerat obice currum
Adfirmare, rotam penitusque oblitus in axem
Ponere cum fuerat; nescitur caussa pericli.
Proceduntque foras senior sanctæque puellæ :
*abeuntis currum benedicit, cujus rotæ, etsi non firmatæ obicibus, non excidunt* Ascendit currum senior : Benedicite, dixit,
Nunc iter hoc nostrum, dextramque extendit ad sanctam.
Brigida Sancta Dei pietatis viscere plena
Tunc benedixit eos, signum Crucis addit et illis.
Axis solus erat, currusque sine obice abibat,
Nec rota tunc cecidit, Christo custode, per arva.
O manifesta Dei virtus! o magna potestas!
B O benedicta manus, signisque stupenda puellæ!
Talibus auditis animusque ardescit amando,
Pascitur interius cordisque intentio nostri
Dulcibus in verbis, tendit fere ad alta volando,
Effugit ad Superos, sordent terrestria visu,
Virginis hæc sanctæ dum nunc annuntio facta.

49 Virtuti simili virtus hæc ipsa priori,
Non minus ædificat : si possem dicere, dicam.
Tempore transacto pietatis cura momordit;
*visit quamdam Sanctam* Visere disposuit cujusdam Virginis ædem
Brigida Sancta Dei : paucis comitata puellis
Ascendit currum, directo tramite tendit :
Venit adusque locum, quo quædam Virgo manebat
Sancta, ac lætanter dignis suscepta puellis :
Virginis adventus fuit exultatio cunctis :
Plurima nam populis præstabat gaudia multis.
Lilia formosis sparguntur candida tectis,
Miscentur rosulæ violis, et floribus albis,
Deliciasque parant, et dulcia pocula ponunt.
Sed tamen illa prius Sanctorum dogmata dixit :
Arida rore satis cœlesti corda reformat.
Postquam digna quies fuerat finita puellis,
Paucorum spatium transactum dulce dierum,
Jussit habere suum carpentum rite paratum;
C Nam Sancta ad cellam propriam repedare volebat.
Ascendere simul currumque auriga, puellæ,
Cum per aperta loca ad cellam transire volebant;
Brigida Sancta Dei, radio flammante superno,
Dixerat aurigæ : Verbum depromito sanctum,
Auribus et nostris Dominum nunc dicito Christum :
Ad nos inde tuum placeat convertere vultum,
Post tergumque tuas strictas firmabis habenas :
Hoc iter en nostri cognoscunt rite caballi.
Ille obedire volens vultum convertit ad illas,
Dulcia verba Dei, seu præmia magna futura
Dixit habere bonos : quæ sunt mala, pœna peruret.
Dumque iter arreptum carpebant inde per arva,
Fluminis ad ripam venientes nomine *b* Bervæ;
Protinus unus equus, qui currum vexit earum,
Fluminis in medio, cum laxas sensit habenas,
Bigæ suppositum detraxit ab esside collum :
Restitit alter equus, cum curru solus abibat,
Æquali cursu, currumque per arva ferebat :
Nec cecidit currus, nullusque pericula sensit :
Aures intentas in verbo et corda tenebant.
Rex quidam fuerat sublimi in colle locatus,
Desuper hic multa cum turba forte sedebat :
Miranturque omnes, cum talia facta viderent, D
Clamabant pariter. Vulgi strepitumque sonosque
Sensit equus pascens, saltum dedit, ocyus ibat;
Nec mora nec requies, ventos prævertit et ipsos : *Christo servante*
Post currum sequitur, donec se subderet ipsi.
Nemo coegit equum tunc bigæ subdere colla.
Dextera summa Dei tenuit per compita currum,
Nec currus cecidit; fertur quippe absque caballo
Virginis ob meritum : Christus super aere currum
Sustentare manu dignatus, magna potestas!

a *Fatetur Colganus, in MS. fuisse* Gellanus. *In* 1 *Vita cap.* 7 *nu.* 47 Coadianus *appellatur. Vide isthic notata.*

b *Hic esse* Birgus *videtur, qui vulgo* Barrow *appellatur. Is in Reginæ Comitatu ortus, aliis auctus fluviis, in mare Vergivium delabitur, infra Waterfordiam, ad Momoniæ ac Lageniæ fines. Apud Colganum in Notis ad Vitam primam S. Patricii, dicitur S. Fiecus Spleptensis, in sua civitate* Sleibti, *juxta flumen* Berbha *in* campo Albe, *suæ vitæ sanctissimum finivisse cursum. Quæ verba e veteri Vita S. Patricii, necdum edita, citari a Waræo testatur Colganus, additque locum illum esse in Comitatu Reginæ*

## CAPUT VIII.

*Miseratio egentium, futura præscita, castigata inobedientia, annona divinitus obtenta.*

Si modo leprosos, variosque in corpore morbos,
Contractos pedibus, oculis sine lumine captos,
Quos pia Virgo Dei curavit, dicere vellem; E
Excedunt numerum, tempus fugit, altera linguam.
Leprosus fuerat tectis in Virginis unus,
Moribus infestis, cupidus, cum murmure vanus :
Quæque videre malus poterat, hæc habere volebat : *moroso leproso dat vaccam*
Ardet avaritia, cæcaque cupidine rerum :
Da mihi præcipuam vaccarum, da vitulorum,
Da mihi ductorem, qui nunc per compita vaccam
Ducat cum vitulo (solus nam agitare nequibo) *cum ductore*
Dixit, habere volo servandam lætis in usum.
Brigida Sancta Dei respondit corde sereno :
Vultis et huc mecum vestitum, et corporis escam?
Ac donare volo vaccam : si vestra voluntas,
Tolle, recede modo, pax sit tibi, frater amice.
Coxerat unus ibi carnis alimenta pupillis :
Jusserat illa viro miserum juvare leprosum;
Cumque illis dederat vaccam melioris in agro
Formæ, nec vitulus fuerat cum respuit ipsam.
Alterius vaccæ vitulum quærebat habendum :
Hanc mihi da, dixit, cum alus sit corpore major :
Si non, ecce boves vestri sunt, semper habete....
Virginis hæc merito, ut fertur, (mirabile dictu) *et alterius vaccæ vitulo quem hæc ut suum sequitur et amat,*
Alterius vaccæ vitulum quærebat, amabat,
Cum tunc leprosus cum misso Virginis ibat.
In curru pariter vitulum portabat onusto;
Vacca parata fuit, sequitur vestigia currus, F
Per montes, valles, silvas et flumina currit,
Ardet amore nimis vituli, hæc oblita suorum.
Nec potuere viri spatium hoc ire diebus
Binis vel trinis : potuit tunc vacca leprosi.
Inde reversus homo, qui carnes coxerat ante,
Nec carnes coctas, quamvis tunc ignibus illas
Liquerat, invenit : tunc una haud transiit hora. *et hora una bullus iter confecit :*
Altera vacca suum penitusque oblita vitellum,
Cœpit amare illum, liquit quem vacca leprosi.
O memoranda diu cunctis hæc magna potestas!
Parvis in caussis virtus quam magna videtur!

51 Tempore quo Sanctus moriens Patricius almus,
Qui docuit sancto Christi bene dogmate plebem,
Atque suæ vitæ transactis plenius annis,
Cursum finivit, cœlorum regna petivit,
Genti Scotorum qui quondam semina vitæ
Severat, astrigeno mundans baptismate corda;
Novit Sancta diem Divino Brigida nutu,
Qua Pater ipse fuit moriturus. Virgo puellis *prævidet diem obitus S. Patricii*
Dixerat; Ecce dolor, luctus, nunc tristia quæque
Pectora nostra tenent, populi jactura salutis,
Finibus

A Finibus occiduis lux est superata tenebris,
*AULTORE CHILIENO. parat sindonem ejus corpori involvendo*
Præsulis interitu Scotorum lumen obibit.
Nos igitur nostri deflentes funera Patris,
Ultima portemus devotæ munera mentis :
Patris linteolo corpus volo volvere mundo,
Quod propriis manibus contexi sindone facta.
Dixerat hæc lacrymans, currum mandatque parari,
Et pueris, famulis, electis atque puellis
Jusserat ire, priusquæ sunt tibi dicta, parare.
52 Nil aliud cum aderat, jussit pietatis amore
Quadam nocte suis porcinas sumere carnes.
*carnem inobedientibus in angues versam, divinitus cognoscit :*
Contemsere duæ stultæ præcepta Magistræ,
Arboris in gremio carnes posuere suillas.
Brigida mane novo culpans hinc Sancta puellas,
Vos male fecistis carnes abscondere, dixit
Ite, videte modo. Cum tunc abiere puellæ,
Conspexere duas magnas sub frondibus angues :
Pectora picta levant linguis crispantibus ora,
Lucida turgentes squamoso pectore colla.
Hoc timuere, ac se pedibus volvere puellæ
Virginis, et precibus culpam concederet ipsa
Subnixis, curvæ....clamasse feruntur.
Illa rogare suum cœpit sanctissima Virgo
Sponsum, mutaret serpentum quippe figuram
In formam panis, seu quam velit ipse ciborum.
B Ac post Virgo Dei signavit sancta dracones,
*in panes mutari impetrat*
Mira loquor! tumidos convertit Sancta chelydros
In formas panum, similesque colore duorum.
Angues oblatas factas tunc mente viderunt,
Hinc magis et trepidæ stupuerunt valde puellæ;
Mirantur pariter tundentes pectora palmis.
Hos igitur manibus nitidos de robore panes
Detulerat secum servandos inde Sacerdos,
In Pascha Domini, vel festi munera Christi
Hæc sumenda, Dei servis, sanctisque puellis.
53 Post hanc virtutem properans per compita, [quinis
Virgo sancta Dei surgens cum curribus ibat,
*adit S. Patricium, jam mortuum,*
Donec ad excelsam, qua tunc Patricius, urbem
Perventum fuerat; quo luctus plebibus ingens,
Præsulis ob mortem. Christus per Virginis almæ
Reddidit hoc lacrymas magnum ac mirabile signum.
Surrexit Præsul, iterum de morte revixit.
*qui reviviscit,*
Hinc dolor, hinc luctus cessant, hinc gaudia surgunt,
Concursus populi diversis partibus urbis,
Virgineoque choro fuit exultatio magna.
Brigida Sancta Dei processit lentius, inquit
O Pater alme tuis nos omnes instrue verbis,
Arida rore tuæ doctrinæ corda reforma,
Præsentis vitæ sparge et documenta futuræ.
C En ego servitii portavi munera nostri,
*eam instruit,*
Vobis quod manibus nostris contexuimus ephod.
Tu mihi, Sancte Pater, dixisti texere talem,
Ut vestrum munda volvatur sindone corpus.
Respice pastor oves, venientes suscipe servos.
En ego cum pueris devotis atque puellis
Venimus. Atque Pater respondit lentius, inquit :
*et benedicit*
Pax tibi Virgo Dei. Post hæc secretius ambo
Nescio quid sibimet, vel quæ sunt verba locuti;
Scit Deus ipse suus : heu, Patriciusque remigrat,
Regna superna petens : Sancta memorata reversa est.
54 Virginis usus erat pro Christi semper amore
Tradere pauperibus victum, vel quidquid haberet :
Omnibus hospitibus plus hæc servire volebat,
Rerum quam fuerat donandi prona facultas.
Quadam forte die cum sanctis Sancta puellis
Laudibus in Christi steterat, cum stare solebat :
Ecce Sacerdotes venerunt tramite longo
*hospitibus escas a Deo abunde impetrat.*
Cum pueris miseris, lassis, nec non lutulentis;
Hospitii sibimet quærebant debita solvi,
Corpora fessa cibo, potu, flaminisque foveri.
Cum pia Virgo Dei Sanctos venisse videret,
Ite, parate cibos, tantus tractetur et hospes. D
Dixerat. Una Soror respondens mitius inquit :
Quid dare, vel quantum debemus, dicito nobis?
Sed tamen in domibus nostris pars nulla ciborum.
Quam dare possit homo : dedimus, nil quippe re- [mansit.
Nec dubitare Soror poteris; namque omnia Christus
Dat, dedit, atque dabit, sic omnes credere debent.
Mundetur scyphis, claudatur cella ciborum.
Hæc ait : atque iterum post parvam temporis horam,
Tu bene curre Soror, da nunc alimenta petenti,
Dixit. Aperta domus; quæcumque inveneris intus
*et pauperibus,*
Tradere pauperibus ne tardes, hospite Christo.
Gaudent nunc pariter venientes atque Sorores.
Quid moror in verbis? virtus manifesta refulsit.
Copia tantorum fuerat inventa ciborum.
Fercula Virginibus Christus dedit ac peregrinis :
Omnes vicini sunt circumquaque vocati,
Atque insensibilis puerorum turba locata.
Nobilis ac escæ convivia magna parantur.
*ad plures dies*
Septem continuis duravit et esca diebus;
Nec tamen hæc populis, sed tantum signa ministris
Cognita tunc fuerant; post hoc manifesta per omnes.
Virginis ac merito manna hæc pluit : inde refertæ
Turbæ laudantis Dominum vox una sonavit.
55 Vitam Sanctorum volvit pia Virgo priorum. E
Montibus et silvis eremi secreta petendo,
Æquiparare satis : fontes quærebat aquarum.
Dum peragebat iter cum sanctis sancta puellis,
*multos impressanat*
Venit ad usque locum, quem plenum fontibus unum
Dulcibus et herbis, quo tunc habitabat, et ægros,
Orbos, ac claudos, Christi virtute leprosos
Sanabat penitus : populorum turba frequentum
Venerat, abscondi poterat nec flamma sub umbris,
Luxerat at cunctis sub solis lumine claro.
Cumque habitabat ibi cum sanctis Virgo puellis,
Noctibus in psalmis, hymnis, totisque diebus
Invicta teneræ durabant mente puellæ.
Vespere flumineas quærebant fontibus herbas,
Antiqui soliti queis vitam ducere Sancti,
Frigida cum crispis sumebant pocula et herbis.
Nec tamen in liquidis inventum fontibus illis
Id genus herbarum. Hinc cœpit turbatio mentis
*herbas in cellam Sororum*
Murmure non parvo tectis resonare Sororum.
Brigida Sancta Dei, cum talia verba sonare
Audierat, precibus insomnem ducere noctem
Curabat lacrymans, sponsus sibi Christus Jesus
Terserat ipse oculos : fontem (mirabile dictu!)
*a Christo, ipsi lacrymas detergente, impetrat :*
Mane novo placitis implevit protinus herbis.
Tunc habuere satis herbas in flumine crispas,
F
Quas prius hæ querulæ quærebant fonte puellæ.
Virginis hæc meritis virtus manifesta refulsit :
Mirantur populi, lætæ gaudentque Sorores.

## CAPUT IX.

*Raptus, cædes impedita, trajectio fluminum miraculosa, tentatio sopita.*

Quodam nocte suis præcepit Sancta puellis,
Fortiter in precibus devota sistere mente.
Ipsa repleta Deo, secreto intenta superno :
Cumque diu tacitis oculos ad sidera verbis,
*orans, Christum et cælestes choros videt,*
Auribus attonitis in templo Sancta levabat;
Ecce, Tacete modo, dixit. Magnalia Christi
Cernere quis poterit? numquid non cernimus ipsa?
Nunc video cœli, terræ, maris, aeris alti
Concava lata loca et spatium penetrabile sursum
Est plenum pueris indutis vestibus albis :
In medio Christus, Rex regum, summa potestas,
Et palmas manibus retinentes cantica dicunt;
O sanctus Dominus, sanctus, sanctusque Sabaoth
Sedibus

A Sedibus excelsis, Genitori, gloria Nato;
Organa dulcisono resonant cœlestia cantu.
Hoc pueri pariter cantantes, hoc seniores,
Angelici populi respondent, Alleluia.
Intima valde meam demulcet visio mentem :
Gaudet quo populus cœlestis, nescio cantum.
57 Cum sol mane novo croceum de pectore pallam
Sustulit, et rutilum noctis de limine vultum,
Viderat atque oculis terrarum concava claris,
*visitur a S. Ibaro* Manserat in terris nec nubila noctis imago,
Clara dies fuerat; Præsul venerabilis illam
Ibarus ad cellam, vir sanctus, venerat alma
Dicere Missarum populis solennia cunctis.
a . . . . . . . . . . . . . . .
58 Quadam nocte suis fuerat cum Virgo puellis,
In domibus patris mansit, cogente parente.
Virginibus Christi semper contrarius usus :
Omnes namque avide fugiunt ludibria vulgi.
Consensit tamen, et complevit jussa parentum.
*excitata ab Angelo,* Cum noctis medio somnus gravis irruit artus,
Angelus astiterat recubanti nocte puellæ,
Protinus ac tetigit, dixit bis terque, Levate;
Turba superba modo crudeli mente parata,
Nil pietatis habens, cum multis advenit armis.
B Surgite, namque tuum properant occidere patrem,
*patrem et domesticos periculo mortis eripit,* Et quoscumque viros poterunt convincere Marte :
Nam Deus ipse tuus non vult tibi ferre dolorem.
Ite repente, venit hostis : hæc tecta dabuntur
Ignibus, ardebunt : nil vestri tangitur igne :
Vestibus et vestris si quis vult jungere vestes,
Salvantur pariter, poterunt nec urere flammæ.
Angelus hæc iterum dixit : Heu surge puella,
Exi, tolle moras, nullumque hic linque tuorum,
Patrem, nec famulos, vel quos nunc continet ædes.
Currite per silvas, vel quo vos proteget umbra.
Surrexit tristis memorans hæc verba puella,
Ac retulit patri lacrymans : fit planctus in aula,
It clamor cœlo, fugiunt et cuncta relinquunt.
Vix potuere viri muros transire volantes,
Gens inimica prius circum loca quæque ruebat ;
Intrantes, intus nullum tunc quippe virorum
Inveniunt, solum vestes videre sacratas.
Omnia tecta simul rutilis consumere flammis
Incepere mali, pariterque ardere leguntur.
*eorum vestibus ab igne et direptione servatis* Sed quia servorum vestes simul atque parentum
Ante suis sacris sacræ junxere puellæ;
Nec furor his hostis potuit, nec flamma nocere .
Cuncta Sacerdotum cernentes esse putabant.
Postquam tecta viri flammis combusta relinquunt,
C In tectis nullum potuerunt tradere morti.
Tunc genitor natæ retulit pro munere grates.
59 Illis temporibus gentis Rex istius unum
Vinclis constrictum afflixit : tunc Virginis ille
Postulat auxilium, quo posset liber abire.
Arca pupillorum, miserorum fida patrona,
Pro misero supplex Regis perrexit ad aulam
*captivum liberat* Brigida Sancta Dei. Cum Rex audiverat illam
Adfore præ foribus, jussit sub tecta veniret.
Protinus ut faciem Regis conspexit in aula,
Pauperis hæc miserans curavit dicere caussam.
Rex ait, hunc tibi si concedam mente serena,
Quæ mihi, Virgo Dei, præstabis munera? Dixit
Illa : Dei dono dabitur tibi vita futura,
Et tua progenies post te tua regna tenebit.
Talibus ille ferus, stultus Rex, atque superbus,
Indignus donis, dixit se nolle futura.
Credere quis poterit post mortem vivere quemquam?
. . . . . . . . . . . . . .
*Regi pollicita longam vitam et victoriam* Vivere per multos optarem strenuus annos,
Hostibus esse meis terror, et plurima bella
Vincere, nec vinci penitus congressibus ullis.
Rex ait hæc stultus. Respondit Virgo loquenti :

Ista minora petis, quæ sunt bona valde relinquis : D
Sed, mihi crede, Deus concedet cuncta roganti : *Auctore Chilieno.*
Plurima bella tibi largitur Rector Olympi
Vincere; victor eris, victus nec ab hostibus ullis
Terreris : bellis gentes superabis iniquas,
Et tua regna reges, pugnis clarusque triumphis.
60 Germanus frater, cum talia verba loquentem *hujus fratri æternam gloriam, et in terris regnum spondet*
Audierat Sanctam, dixit tunc corde gementi :
O utinam mihimet promissio Virginis almæ
Hæc fieret! aures præberem, servulus essem
Virginis, et sacri vellem baptismatis unda
Perfundi, si essem dignus sic munere Christi.
Brigida Sancta Dei respondens lenius inquit :
Hæc tibi credenti præstabit magna potestas,
Tempora longa prius, cum hoc regno vita futura,
b Et tua progenies post te tua regna tenebit, b
Donec ad extremum, veniet post terminus ævi.
Omnia Virgo Dei quæ dixit, facta fuerunt.
61 Brigida Sancta Dei fuerat cum sola cubili,
Longius illa suis Romam conspexit ocellis : *Missam Romæ audit*
Fertur Apostolicum tunc et vidisse sepulchrum;
Adstitit ante aram, Missasque audivit ad illam :
Corpore non fuerat, sed mentis lumine cernit.
Officium sanctum placuit sibi semper habendum. *unde libros et cantum petit,*
Unde Sacerdotes Romam transmisit ad urbem,
Sacra afferre nova, et quodcumque audiverat illic, E
Virginibus cupiens hæc tradere lege perenni.
Libros compositos, cantumque, et munera multa
Misit Apostolicus Brigidæ, concessit habenda.
Tradidit illa suis, discendi vertit in usum. *et suis præscribit*
Illis temporis c bis senos legimus esse
Pontifices summos Romæ vivente puella. c
62 Magna Dei virtus, res parvula facta videtur
Fœmina pauper erat quædam tunc febribus usta,
Et magis atque magis gliscebat caussa doloris. *moribundæ pannos lavari Angelico ministerio impetrat*
Donec et extremi venit jam terminus ævi
Brigida Sancta Dei prædixit quippe puellis :
Hæc moritura modo est, pannosque lavate Sorores
Ventus tunc fuerat, descendit turbidus imber.
Excusant teneræ (frigus timuere) puellæ.
Mira loquor! vetulæ pannos exire videbant
Omnes qui fuerant, nullus portaverat ipsos
Atque iterum lymphis lavatos, atque reductos
Cernebant pariter. Sanctæ timuere puellæ.
Conscia Virgo fuit virtutis, facta videbat
Ignotum populis signum hoc mirabile, tactum
Angelicis manibus firmamus, nec dubitamus.
63 Altera valde mihi virtus miranda videtur,
Quæ fuit in magna d Sinanni fluminis unda; d
Intra quam Kelltra est, conventus rite virorum F
Prudentum, sacro Benedicti dogmate florens.
Venerat illa suis illuc cum Sancta puellis,
Unica spes miseris, infirmis cura salutis.
Dum adforet illa, fluunt Fratres hinc, inde Sorores,
Convenere omnes transire ac navibus amnem :
Heu male tunc miseræ venerunt tarde puellæ,
Fluminis ad ripam clamabant vocibus ultra. *ut per medium flumen siccæ transeant a Deo obtinet*
Turbida valde fuit Sinanni gurgitis unda
Imbribus assiduis, sine lintre impervia cunctis.
Casu tunc multis transibat navis onusta,
Currebant juvenes, saltabant, atque puellis
Hæc dixere simul : Vos nos audite Sorores,
Tollite nunc vestras, nobis committite pallas,
Ut nos in nostris portemus navibus omnes.
Derisere satis juvenes de puppe puellas;
Verbis infectis pulsant, et littore linquunt.
Brigida Sancta Dei adstantes tellure Sorores
Clamabat, Trepidæ vires assumite, dixit,
Inde venite modo, me stantem cernite ripa,
Nilque timete mali, Christus in flumine spectat :
Christus erat populis portus ac ductor in undis.
64 Fluminis hæc hominem cernebat littore curvum

A Sperabat penitus quod caussa hoc ponderis esset.
Venerat illa suis cum sanctis Sancta puellis,
Ipsa levare onus voluit, si pondus haberet.
Dixerat ad miserum curvatum corpus habentem:
Quae te caussa mali curvavit dicito, frater?
Si grave pondus habes, da nobis; tollimus illud:
Corpore tunc melius poteris procedere recto.
Pondera nulla meos deflectunt corporis artus,
Sed dolor antiquus humeros depresserat, inquit.
Si sis carne miser, dixit tunc sancta puella,
Christus aquas dedit, qui purgat fonte salubri.
Nunc descende, precor, ac lymphis ablue corpus,
Flumine in hoc: Dominus praestat tibi quippe salutem.
Quid moror? intrepidus descendit amnis in undas,
Seque lavabat aquis, corpusque, orante puella,
Protinus hinc alacrem coepit renovare vigorem
Illius, ante fuit gibbus qui pluribus annis.
Virgo virum novit: sanus jam venit ad illam,
Supplex cum precibus Christum benedixit, abivit.
65 Illis temporibus fuerat penuria panis,
Atque fames populos perstrinxit pessima multos.
Brigida Sancta suas transmisit grana puellas
Quaerere frumenti, vel quae Deus ipse dedisset.
Nobilis usque domum cujusdam divitis ibant:
B Ille dedit pueris saccos similagine plenos,
Virginis ancillas dimisit denique onustas.
Cumque revertentes iterando forte venissent,
Non potuere suis pedibus transire per amnem:
Nulla ratis fuerat, qua possent ire per undas.
Deposuere loco tristes sua pondera in ipso,
In facies cecidere suas, Dominumque rogantes,
Virginis ob meritum, clamabant vocibus omnes:
Brigida Sancta Dei, nobis succurre misellis.
Mira loquor! subito portantur longius ultra
Saccis cumque suis, sensit hoc nulla Sororum.
Cum caput atque oculos de terra forte levarent,
Tunc flumen plenum penitus post dorsa viderunt.
66 Brigida quam quondam dilexit Sancta puellam,
Cunctarum fuerat formosior illa Sororum,
Corpore virgo, tamen mente corrupta manebat:
Nam juvenem magno formosum carnis amore
Dilexit nimium, et secretum corde reservans,
Virgine cum sancta semper dormire solebat.
Duxerat in somnem pensando femina noctem,
Surrexit tandem, superabat prava voluptas
Ignis amore gravi fervebat corde puellae.
Tunc ait: O Genitor, Genitoris Filius almi,
Tu mea Christe salus, titubanti porrige dextram,
Nunc tua consilia impera, mea destrue stulta,
C Regnet virginitas, discedat prava voluntas.
Audierat Christus miseramque in nocte precantem,
Consilium dederat, firmatque in Virgine mentem.
Tunc teneras plantas posuit carbonibus ignis,
Et Christum rogitat tacitis in pectore verbis.
Mox arsere pedes miserae super igne puellae:
Improbus ibat amor, cordi dolor intima carpsit.
Ad lectum manibus corpus vix debile traxit.
Senserat, obticuit permittens omnia Sancta.
Tunc ait ad miseram, confirmans ipsa puellam:
O benedicta, malum superasti fortiter hostem,
Inferni flammas extinguens ignibus istis.
Nec erit ulla tibi post hoc tentatio carnis
Ignibus usta jaces, victa est jam prava voluptas.
Inferni pariter superasti femina poenas
Et dolor ipse pedum discedet, nulla manebunt
Vulnera plantarum; mihimet, Virguncula, credo,
Inde secuta salus membrorum plena puellae:
Virginis ob meritum tetigit medicamine Christus. e

*AUCTORE CHILIENO.*

*curvum erigit, jussum in flumine ablui:*

*saccos super equitibus transflumen deferri impetrat*

*puellae ad tentationem superandam pedes sibi urenti,*

*pondet in clarum,*

*et pedes sanat*

*e Regis Lage n. c.*

a *Aliqua hic desiderantur. At Regis quorum hic mentio fit, ut Colganus fuisse* Illandum *et* Ailildum *filios* Dunlongi *Illandi fratrem sancti esse, hunc longum nepotum serie, ultra quinque secula propagatam, quorum numero quinquaginta connumerat. Ita ris sanctissimae Virginis apprecatione fuit*

D c *Sane usque ad* Hormisdam, *cujus tempore mortua est S. Brigida, inde a Sixto III, sub quo, ut summum, aut potius sub S. Leone nata, non nisi novem Pontifices fuerunt. Serius fortasse et natam et mortuam credidit Auctor, nam inter Hormisdam usque ad Vigilium sex sederunt, annorum 20 spatio.*

d *Ad Vit. 4 cap. 15 num. 94 not. e diximus* Sinnam, Sinann, Sinonnam, Senum, Shannon *dici.*

e *Cetera desunt in MS. Casinensi.*

## CAPUT a X

### *Futura, dormienti ostensa.*

Quadam forte die Sanctus Patricius almus,
Gemma Sacerdotum, synodali cardine sedit:
Plurima verba Dei, Sanctorum dogmata Patrum
Dixerat, et populum firmabat lege salutis,
Ut messis Domini centena fruge recepta,
Cresceret in melius, rore aspergenda superno.
Brigida Virgo Dei cum fessis sancta puellis,
Venerat ad synodum Sanctorum, jure vocata
Solvere vota Deo, sanctis obedire patronis.
Cum residebat ibi, somnus levis attigit artus:
Vix sua paullisper conclusit lumina Virgo,
Mystica, quae vidit, tunc Sanctis somnia dixit:
Pratis florigeris me solam stare putabam,
Respexi populum venientem Solis ab ortu: E
Candida turba fuit, florebat vestibus albis,
Hanc aratris quatuor terram vertebat, et istis
Albis cum bovibus mittebat semina sulcis:
Candida tunc sulcos implebant flumina lactis:
Crescere cernebam subito de semine semen.
Talia cumque diu signa admiranda viderem,
Conspexi populos Septem-de parte-trionis,
Nigris cum bovibus venientes, vultibus atris,
Campos obscuris implebant semper aristis,
Spargere coeperunt, vertebant semina terram
Vomere transverso confundunt culta priorum
Seminibus nigris, implebant semina terram.
Jam bene prima meam demulcet visio mentem:
Heu! male posterior conturbat cuncta priora.
68 Dixerat illa seni. Sanctus clementius ipsam
Consultatque pius pertractans omnia verbis:
Te modo, Virgo Dei, contristat visio rerum
Ordine turbato, variisque satoribus ipsis,
Albis vel nigris bovibus, qui semina sulcis
Miserunt, dubia et quam signant cuncta figura.
Sed tamen in paucis quae sunt ea solvere verbis
Haec ego si potero, tibimet nunc, filia, dicam:
Tempora nostra modo designat visio prima;
Quod nos corda hominum colimus nunc vomere verbi,
Semina mittentes doctrinae Evangeliorum.
F Quattuor hinc messes sanctarum fruge animarum
Crescere centena cernentur rure beato,
Angelicis populis implebunt horrea Christi.
Proh dolor! evenient post nos mala tempora secli.
Coelica tunc ovibus tollentur pocula verbi:
Pastores cupidi, qui plus sua lucra sequentur,
Non frumenta satis, sed b lolia subdere sulcis b
Curabunt. nobis tunc Christus gaudia vitae
Praestabit. Dixit post Praesul, Pax tibi Virgo.
69 Illis temporibus cum sancto perpete Patre
Corpore, corde pio credens bene Virgo manebat,
Dogmata Sanctorum divini nectare verba,
Desuper ex c astris venientia, fonte superno c
Hauserat, atque bibit magna dulcedine rerum,
Brigida Sancta Dei: dormivit, somnia vidit.
Spiritus ille, facit qui quae secreta adaperta,
Lucidat obscurum, solida et quae pervia reddit,
d Virginis ipse satis fundendo corda replevit. d
Illa duos lapides magnos in monte levatos,
Atque ipsos pariter per visum nocte videbat,
Sancti Patricii in conspectu stare putabat:
Ros levis ex alto descendit desuper illos,

Cumque

*in concione rapta,*

*videt seminarie haereses,*

*et tunc ea explicante S. Patricio.*

*in somno duos lapides cernit molles crescere, at eum duorum commo- nuit*

A Cumque diu trepidis fundebat pluvia guttis,
Unde magis lapidum perduruit alter eorum,
Aspera. . . . . . . . . . . . . . .
Et minor ex minimis decrescens ipse lapillis,
Donec et ad nihilum paullatim jure redactus,
Sed lapis alter erat mollitus rore superno,
Crescebat nimium, circum loca lata tenebat,
Et magis atque magis montes transcenderat altos :
Lampadas in lapidis præclaras vertice summo
Conspexit, superos quæ lustrant lumine cœlos.
Visio magna fuit, mutemque repente videntem
Turbabat trepidam tunc sanctæ Virginis : illa
Obstupuit lapidum diversum cernere casum.

70 Mane novo, nigras cum sol disperserat umbras,
Nil fuit in terris absconsum tegmine noctis;
Surrexere omnes cum clara luce puellæ :
Brigida Patricio festinans visa referre
Somnia, præterita quæ vidit nocte, Patrono.
*quæ S. Patricius de Regis conversione, alterius induratione exponit*
Sanctus ad hæc dixit : Quæ tu pia Virgo videbas
Mentis per visum, præclara luce videbis :
Namque duo fratres, regali germine cretos
Quos honor antiquus gradibus sublimibus ornat,
Sanguine nobilium genitos et flore parentum,
Cras venient : ipso præsenti rure videbis :
Queis nos verba Dei dicemus sancta superni,
B Dulcia perpetuæ miscentes pocula vitæ.
Sed tamen unus erit durato pectore stultus,
Instar sic lapidis duroque adamante maligno
Durior effectus, semper maledictus abibit.
Alter amore Dei convertet corda fideli,
Et benedictus erit, Christi præcepta sequendo,
Magnus erit, populis regnabit, regna tenebit,
Et sua progenies posthac sua regna tenebit,
Donec ad extremum veniet tunc terminus ævi.
Sic ait ille Dei servus, sic acta probarunt,
Omnia sic fuerant, quæ vidit Brigida casta

71 Qualis erat virtus quam gessit tempore in illo,
Quamvis parva quidem, magna est, quia mira videtur.
Ad Sanctam stultus leprosus venerat unus,
Et conversatus. . . . . . . . .
Dicere præsumpsit, vestem, quam corpus habebat,
Induviasque suas miserans si Virgo lavaret.
Sancta tamen stulto pietatis viscera flexit.
Dixerat illa : Tuas mihi nunc concede lavandas
Vestes : hoc leve quid pro Christi nomine ducam.
Tunc tamen haud alias vestes leprosus habebat :
Subsidium petiit quo posset membra fovere.
Illa rogare satis unam tunc Sancta puellam
Cœperat, ut propriam præstaret fœmina vestem.
C Abnegat illa suam tristis virguncula pallam.
*... sanat*
Sternas si vestris mea dorsa magistra flagellis,
Exuvias nostras nunquam præstabo leproso.
Dixerat, et duram torsit cum murmure frontem.
Mira loquor : refluens lepra, quam leprosus habebat,
*... sentem ... lepra percutit.*
Invasit merito perversam corde puellam :
Sanus et ille redit leprosus corpore toto,
Virgineamque eutem percussit candida lepra
Tunc timuere omnes, qui talia signa videbant,
Laudabantque Deum, tundebant pectora palmis,
Virginis et pedibus lætantes oscula figunt.

72 Brigida Sancta Dei post hæc temporibus illis
Virginibus sanctis cellam construxerat unam;
In qua cum fuerat, psalmis vigilabat et hymnis,
Jejuniis multis Christum sibi corde colebat :
Illis temporibus fuerat penuria panis
c Multus (ut fertur) vicinus, atque puellis. c

a Sequentia edidit Colganus e MS. codice Em. Card. Antonii Barberini.

b Ita habuisse MS. testatur idem : edidit tamen ipse lodea.

c Sic idem correxit, quod in MS. erat Austro, alludente fortassis Poeta ad illud Cantic. 4. 16 Veni Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.

d Liarius hanc S. Brigidæ visionem narrat auctor Vitæ tripartitæ S. Patricii his verbis : Enarravit etiam tunc Virgo sancta D aliam suam visionem, qua vidit duos lapides, unum magnum et alterum parvum; et utrumque superfuso imbre conspersum : majore autem decrescente, minor incrementum imbris contactu sumebat, argenteasque reddebat scintillas et coruscationes. Auditam autem visionem vir Dei sic interpretatus est : Illi duo lapides, sunt duo filii Eochadii, filii Crimthanni, Bressalius et Carbreus. Bressalius enim natu major prædicatam sibi salutis doctrinam, quæ est cœlestis gratiæ imber, respuet : et hinc maledictioni subjectus, cum suo semine decrescet. Carbreus autem, cognomento Damh-airgid, ejus frater, Divinæ gratiæ rore irrigatus, propositam fidei veritatem sine resistentia amplectetur, et Dei benedictione ditatus in gentem crescet magnam. Quæ omnia, ut veritatis Propheta prædixit, evenerunt. Nam ipse Sanctus postea Bressalium prædictum, nolentem viam salutis amplecti, jaculo maledictionis ferit : ejusque fratrem Carbreum, in Christum prompte et devote credentem, cum sua progenie, impertita benedictione ditavit et munivit. *Hujus Carbrei soror fuit S. Cannia, de qua antea actum. Colganus plures ex ea familia Sanctos recenset.* *Pietati crescunt familiæ, impietate decrescunt.*

e Cetera desiderantur.

# VITA IV BIPARTITA

## AUCTORE ANONYMO,

### *ex MS. Hugonis Wardæi Ord. Minor.*

## PROLOGUS AUCTORIS.

Tribus jam, Fratres mei, mea mens impugnatur, videlicet amore, pudore, et timore. Amor enim scribendi, me cogit commendare Vitam præclarissimæ E Brigidæ in chartis, ne magna charismata virtutum, quæ Dei gratia ei contulit; vel plurima miracula, quæ eadem per eam patravit, abscondita vel inaudita essent. Pudore autem prohibeor, ne, ut reor, meus sermo valde incultus, aut sententia insubtilitatis meæ, sapientibus legentibus seu audientibus displiceret. Timore vero magis trahor, quia periculum est imbecillitati meæ hoc opus dictare, quoniam obtrectatorum impiorumque sugillationes timeo, ingeniolum meum tamquam dapes prædantes. Sed quia cum Dominus jussit pauperibus populi res offerre F viles ad construendum tabernaculum, nonne nos debemus ad ædificandam Ecclesiam offerre? Quid Ecclesia, nisi collectio justorum? Quomodo vita prudentium ædificatur, nisi documentis et exemplis prudentium? Igitur amori cursum dimittam, pudorem calcabo, et susurronibus indulgeo. Sed te, lector prudens, et auditor intelligens, adjuro, ut non positionem vel textum versorum curans, miraculis Dei et a beatitudini famulæ ejus intendas. Unusquisque enim vero agricola vesci debet fructibus sulcorum agri sui *Auctor excusata imperitia, caussam scriptionis indicat.*

a MS. *habebat* beatitudine, *correxit Colganus*, beatissimæ

# LIBER PRIMUS

## CAPUT I.

### *S. Brigidæ, genus, nativitas, educatio, variæ sanctitatis præsagia.*

Fuit gloriosus Rex in Hibernia, nomine a Feidhlimidh, qui dicebatur Feidlimidh Reachtmar, eo quod magnas in suo regno in Hibernia leges fecit. Reacht enim Scotice, Latine sonat legem. Ipse Rex habuit tres filios, quorum nomina dicuntur, b Fiacha Sughe, Eochaid Fionn, Conn Keadchathach, qui in summa et maxima fertilitate Hiberniam in c Temoria regnavit. Defuncto d patre suo, Fiacha Sughe habuit tres filios, scilicet e Rossa, Ængus, Eogan : qui expulsi ab Arthuro prædicti Conni filio a Temoria, regionem f magnam in confinio Lageniensium et Momoniensium gladiis suis apprehenderunt; sed ipsi Momonienses vocantur. Eochaid Fionn autem perrexit ad Lagenienses, et in multis locis Rex Lageniensium dedit ei terras : et ibi habitant nepotes ejus usque hunc; jam ipsi inter Lagenienses numerantur, et Lagenienses vocantur. *S. Brigidæ pater regii sanguinis.*

3 De

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A 3 De quibus fuit Dux quidam magnus et potens, nomine Dubtachus, qui emit ancillam, quæ vocabatur Broseach : ipsa erat multum formosa et moribus honesta. Amans eam Dominus Dubtachus, fecit eam concubinam suam, et dormivit cum ea, et concepit illa ab eo. Hoc sciens propria uxor Dubtachi, contristata est valde, et dixit viro suo : Vende ancillam tuam Broseach, quam fecisti concubinam tuam : timeo enim si progenies ipsius superaverit progeniem meam. Sed Dominus Dubtachus noluit hoc facere, valde amans eam : in omnibus enim moribus illa fœmina erat perfecta.

*mater serva,*

4 Quadam postea die sedentes in curru Dux Dubtachus et sua ancilla Broseach, sequentesque eos comites sui, pervenerunt prope domum cujusdam magi. Audiens autem ille magus sonitum currus, dixit servis suis : Videte quis sedet in curru; sonat enim currus sub Rege. Tunc servi dixerunt ei : Nullum virum cernimus in curru, nisi Dominum Dubtachum. Magus dixit eis : Vocate illum ad me, vocatoque eo, ait illi magus : Mulier, quæ post tergum tuum sedet in curru, an est prægnans? Dubtachus respondens ait : Jam ita est. Magus dixit : O mulier, de quo viro concepisti? Illa respondit : de Domino meo Dubtacho. B Magus dixit ad Dubtachum : Hanc mulierem valde custodi; mirabilis enim erit conceptus ejus. Dubtachus ait : Compellit me uxor mea, ut hanc vendam : timet enim semen hujus. Magus dixit : Uxoris tuæ semen semini famulæ hujus serviet usque in finem seculi. Ad ancillam vero ait : Constans esto animo, quia nullus tibi nocere poterit; gratia enim infantulæ te liberabit : claram namque filiam paries, quæ sicut sol in vertice cœli, sic lucebit in mundo usque in finem seculi. Tunc Dubtachus ait : Deo gratias ago, quia hucusque filiam non habui, sed tantum filios. Deinde reversi sunt Dubtachus et concubina sua cum comitibus suis in domum suam : Dubtachus vero multum dilexit illam propter sermones magi.

*filiæ claritate prædicta a mago,*

5 In diebus jam illis, Deo instigante, duo sancti Episcopi ex Britannia in domum Dubtachi venientes, quorum alter vocabatur *g* Maol, et alius Maolchu; ipsi erant discipuli S. Patricii Archiepiscopi, qui tunc prædicabat verbum Dei in Hibernia. Videns Episcopus Maol uxorem Dubtachi tristem esse, ait ei : Quare tristis es? et addidit sciens caussam ejus prophetice : Famulæ vestræ partus præcellet te et omne semen tuum. Sed tamen illam sicut filiam tuam ama, quia progenies illius tuis proficiet multum. Sed tamen illa adhuc in furore mansit.

*g (al. a S. Mela Ep.)*

C 6 Ipsa jam irata cum fratribus suis, qui erant viri fortes et potentes, urgebant valde Dubtachum, ut venderet æmulam suam in regionem longinquam. Tunc quidam poeta de Aquilone Hiberniæ, nutu Dei, venit, et timens Dux Dubtachus iram uxoris suæ, quæ erat indolis, et fratrum ejus furorem, consensit vendere illam : et ipse Dux inde erat multum mœstus. Et poeta prædictus emit illam fœminam in ancillam. Sed Dubtachus non vendidit partum illius; perhibens quod illa haberet filiam mirabilem in utero. Perrexit ille postea cum ancilla in regionem suam. Venit quidam hospes sanctus, qui orabat Deum per totam illam noctem, videbatque in illa nocte sæpe globum igneum in loco in quo ancilla mater S. Brigidæ dormiebat, et hoc mane poetæ Domino ejus narravit, et ille inde gavisus est.

*licet invito*

*venditur :*

*ipsa Brigida uterum globo igneo,*

7 Ipso tempore ille poeta paravit cœnam magnam Regi suo : et ipse Rex cum Regina veniebat ad cœnam, sed Regina erat partui proxima. Tunc amici et servi Regis interrogabant quemdam *h* Prophetam, quando bona hora esset, ut Regina pareret prolem suam. Ille ait : Si die crastino, orto sole nasceretur, neminem in terris haberet æqualem. Sed Regina ante illam horam contra voluntatem suam genuit filium. D Mane autem facto, et orto sole, venit ancilla illa, mater S. Brigidæ, deforis ad domum proximi domini sui, portans vas plenum de lacte nuper mulso : et cum posuisset unum pedem trans limen domus, et alter pes foris stans, cecidit super limen, sedens, et repentissime sine vi doloris parturiendi, Dei gratia, filiam pulcherrimam facie genuit. Sic enim ille Propheta dixit, quod nec in domo, nec extra domum, ipsa fœmina prolem pareret. Et de lacte illo calido, quod portabat illa, corpus bonæ infantulæ lotum est.

*h et vaticinio prænuntiata,*

*nascitur in domus limine,*

8 Signa jam maxima illico secuta sunt, dono Dei S. Brigidam, quorum hoc unum est. Ipso jam die nativitatis suæ, quidam infantulus præterita nocte natus, subita morte præventus est. Et aliquo eventu cum esset Sancta Dei prope illum, tetigit corpus ejus extinctum; et subito sanctissimæ infantulæ tactu ille infans vivus surrexit. Hoc omnes videntes dicebant, quod merito illa filia prædicata esset a Prophetis. Villa illa, in qua S. Brigida nata est, *i* Fochart Muirthemne vocatur, quæ est in provincia Ultorum, scilicet in regione, quæ dicitur Conaille Muirtemne. Ipsam villam modo habet S. Brigida, in cujus honore monasterium Canonicorum in ea est. Ibi illa Ecclesia et cœmiterium ejus est, ubi fuit domus et E curia, in quibus nata est B. Brigida. Lapis vero, super quem nata est sanctissima Christi sponsa, post tergum ipsius sanctuarii constat, et ab incolis istius terræ colitur honorifice, eo quod multa signa super eum per merita S. Brigidæ patrantur.

*mox que puerum mortuum contactu resuscitat :*

*i locus nativitatis, posterorum religione celebris.*

9 Sancta jam puella cibos communes Magi, domini matris suæ, respuebat, atque vomebat quotidie. Ille enim homo poeta et magus erat. Hæc magus ipse considerans, perscrutabatur caussam nauseæ; eamque sciens, dixit : Immundus ego sum; puella autem illa est plena gratia omnipotentis Dei, ideoque cibum meum non capit. Ille enim tunc erat gentilis et incredulus cum domo sua, quia nuper antea fides Christi pervenit ad Hiberniam : et tunc statim ipse non credidit, sed post tempus, sicuti audietis. Deinde magus ipse elegit vaccam albam sine macula, et destinavit eam sanctæ puellæ, videns Dei gratia albedinem in ea : contigitque unam fœminam Christianam ibi esse, quæ erat multum religiosa, et fertur Virginem fuisse eam; quam fecit magus ille, ut nutriret S. Brigidam. Et ipsa mulgebat prædictam vaccam, et de lacte ejus nutrivit S. Brigidam, quia beata infans libenter istius vaccæ lac recepit, et diligenter ancillam Christi nutrivit Christiana fœmina, valde amans illam. F

*Magi cibos fastidiens,*

*vaccæ candidæ lacte*

*a Christiana Virgine nutritur :*

10 Post hæc jam ipse magus cum omni domo sua perrexit ad regionem Connaghtorum, quæ est pars quinta Hiberniæ, et habitavit ibi. Fuit enim mater ejus de Connachtis, pater vero de Momoniensibus. Caussa jam magicæ artis suæ circuibat totam provinciam illam, aliasque provincias, et habebat magnum honorem in eis.

*defertur in Conaciam :*

11 Quadam quoque die dimissa est beatissima Brigida sola in domo dormiens : tunc domus illa accensa igne apparebat : et circumvenerunt omnes, ut extinguerent ignem, et cum appropinquassent domum, ignis non apparuit, sed domus incolumis inventa est. Viderunt, excitantes illam, puellam pulchra facie, et genis rubicundis, et dixerunt omnes : Hæc puella vere plena est Spiritu sancto.

*in præsagium sanctitatis, visa ardere domus in qua jacebat*

12 Die autem alio magus et mater S. Brigidæ, cum nutrice sua et cæteris, foris in quodam loco sedentes, subito viderunt pannum contingentem caput puellæ juxta sedentis, flammæ incendio ardere : et porrigentibus illis manus suas velociter, illico ignem non viderunt, sed pannum intactum, et ex hoc significatur gratia Spiritus sancti ardens in Sancta Dei.

*et tegmen ejus*

13 Quadam

A

*baptismus per Angelos, et nomen in visione indicatum*

13 Quadam denique die idem magus dormiens vidit duos Clericos, vestibus albis indutos, effundere oleum super caput puellæ, ordinemque baptismatis complentes consueto more. Unus autem ex illis dixit ad magum : Hanc Virginem vocate Brigidam. Ipsa autem erit plena gratia coram Deo et hominibus, et nomen ejus celeberrimum erit per totum orbem. Hisque dictis discesserunt Angeli. Nocte jam quadam idem magus erat vigilans suoque more astra cœli considerans; et per totam illam noctem vidit columnam ignis ardentem, consurgentemque altius ea domuncula, in qua B. Brigida dormiebat, et vocavit ad se alium virum in testimonium, qui et ipse similiter vidit. Hoc vero mane omnibus narrabant.

*columna ignis supra domum :*

*infantula orat, ac prophetat,*

14 Quadam quoque die, cum adhuc infantula tenerrima B. Brigida esset, oravit intente ad Deum, expandens manus suas ad cœlum. Tunc quidam vir ad illam venit, salutavitque eam. Ita ei beata puella respondit. Meum erit hoc. Mirans vir ille, inde narravit mago. Respondens magus dixit : Vere prophetia est, quod respondit infans; quia hæc loca erunt illius in æternum. Quod postea completum est : nam parochia magna est hodie S. Brigidæ in istis regionibus. Hoc audientes habitatores regionis, congregaverunt se ad magum, dicentes ei : Tu mane cum

B

domo tua nobiscum; puella vero hæc, quæ prophetat quod regiones nostræ suæ erunt, recedat a nobis. Magus ait : Non ita fiet. Sed potius terram vestram deseram propter eam. Ipsa enim magna in cœlo est, et quod ipsa prophetavit, post tempus ita erit. Tunc magus cum suis omnibus deservit provinciam Conachtorum, et venit ad provinciam suam, quæ est in regionibus Momoniensium, ubi habebat hæreditatem patris sui. Cum jam crevisset quidem corpore, sed plus fide, spe, et caritate sancta puella fideliter ministrabat. k . . . . . . . . . . . .

*ideoque cogitur e Connacia emigrare.*

*k.*

a Wardæus interpretatur Felix Legifer. Hunc Colganus tertio secundi a Christo orta seculi vixisse scribit Not. 3.

b Fiacha, Latine a viris Fiachus, Fiacus, Fiecus. Fiachus appellatur. Eochaidh vero, Eochadius, Euchadius, Lochadius, Euthetius et Equitius, a voce Each vel ech quod Hibernis equum significat. Conal autem Constans, Constantinus, Canon. Cognomen Kendelbatach referat Wardæus Centibellis; Colganus, a centum prælis, in quibus fertur victor extitisse.

c Hujus cæterarumque urbium situs indicatio fit in Vitis SS. Hibernorum.

d Colg. fratre.

e Hi Wardæo dicuntur, Rossæus, Eneas, Eugenius.

f Colganus ait eam regionem Hee iartuir esse in Comitatu Waterfordiensi, quæ tamen non est admodum magna.

g Hi sancti Antistites in prima Vita Mel et Melchu appellantur quia, ut ait Colgan, diphthongi ao et ae, et apud antiquos oo, idem sonant Hibernice. Filii fuere sororis S. Patricii, ut 6 Febr. dicemus.

C

h Prophetam vocat eum qui futura prædicit, sive Divini Spiritus instinctu, seu qua alia arte divinationis, qualis hic videtur fuisse.

i Est nunc Fochart, Colgano teste, ecclesia parochialis, diœcesis Armachanæ. k Multa hic desiderantur.

## CAPUT IV.

### *Beneficia miseris impensa, pleraque miraculose, gesta apud S. Patricium, innocens defensus.*

*equos donat, et indigenis a*

Alio autem tempore S. Brigida iter agebat per campum *a* Theba sedens in curru. Tunc illa vidit quemdam virum cum sua familia et uxore et cum multis pecoribus laborantes et portantes onera gravia, qui in ardore solis lassi tunc fuerant. Christi Virgo tunc misertà illorum, dedit eis equos currus sui ad onera portanda. Sancta autem in via cum suis comitibus sedens mansit, dixitque ministris suis sancta Virgo : Fodite in illo loco, et erumpet inde fons, (aqua enim ibi antea non fuerat) venient enim citius ad nos, quibus necesse erit potum habere. Tunc illi foderunt, et illico fons erupit. Post paullulum venit per illam viam Dux cum turba multa equitum. Ipse audiens quod S. Brigida de equis suis fecit, obtulit ei duos equos indomitos, dicens : Sanctitas bonæ Virginis faciat sibi eos mites, et statim ita divino nutu facti sunt domiti, quasi unquam issent sub curru. Post hæc discipuli S. Patricii Archiepiscopi totius Hiberniæ venerunt per eamdem viam, et dixerunt ad B. Brigidam : Nos valde sitientes sumus, et comedere non possumus. Tunc comites gloriosæ Virginis dixerunt eis : Nos jubente Domina nostra potum vobis præparavimus : ipsa enim nobis prædixit, vos esse venturos. Postea omnes de viatico suo comedebant, et gratias Deo in communi agentes, et suam sanctam ancillam glorificantes, bibebant.

D

*AUCTORE ANONYMO EX MSS.*

*absentia cognoscit : equos indomitos sibi datos, illico cicures reddit*

38 Inde duo leprosi secuti sunt S. Brigidam euntem cum turba multa, quos sancta Virgo benigne suscepit. Contigit eis ante Sanctam Dei rixari, et miseri se invicem percutiebant : sed manus illius, qui prius percutiebat socium, incurvata semel, non potuit iterum erigere eam, alterius quoque dextera ad percutiendum sursum erecta, recurvari arefacta non potuit. Riguerunt itaque manus miserorum manentes immobiles, donec S. Brigida veniens pacem fecit inter eos. Tunc illi leprosi pœnitentiam agentes, Sancta Dei manus eorum pristinæ sanitati restituit : postea accipientes eleemosynam læti redierunt.

*rixantibus arefactas manus, sanat*

E

39 Alio quoque die currus S. Brigidæ conductus est, ut in eo quidam infirmus veheretur, qui in extremo vitæ continuo anhelabat, cumque positus esset in curru, melius habuit, et veniens ad S. Brigidam hoc ei indicavit : et crastino die, benedicente eum Christi Virgine, bene valens ambulavit. Hoc videntes quidam leprosi postulaverunt currum illum, et eis Christi Virgo donavit eum cum equis suis.

*infirmum curru suo impositum sanat : currum dat leprosis*

40 Beatissima Brigida rogata, ad quoddam monasterium sanctimonialium in regione Theba exivit, ut celebraret Pascha. Et beata Abbatissa illius loci in die Cœnæ Domini dixit ad omnes Virgines : Quæ ex vobis hoc die lavacrum faciet infirmis nostris? Ceteris omnibus nolentibus, S. Brigida dixit : Volo ego, ut miseras et infirmas Sorores abluam. Et hoc placuit illi Abbatissæ sciendi fuisse a Deo. Erant autem ibi quatuor ægrotæ in una domo, una paralytica, quæ jacebat immobilis; alia vero energumena, dæmonio plena; tertia cæca, quarta leprosa. Tunc S. Brigida prius cœpit lavare paralyticam, et ait ei : O beata Mater, roga Christum pro me, ut me sanet, et orante Christi sponsa pro ea, statim in ista hora sanata est.

*ægr. sua Cœna Domini lavat*

*paralyticam precibus sanat*

41 Manens B. Brigida in eadem regione in quadam cellula aliquibus diebus, casu remansit illa sola cum uno puero in domo, et ille puer mutus et paralyticus erat : nesciebat vero ancilla Dei, quod mutus et paralyticus esset. In eadem jam hora venerunt viatores quærentes comestionem. Tunc sancta Virgo ad puerum jacentem ait : Nosti, ubi et clavis cellarii? Ille aperta lingua illico ait : Bene scio. Cui ait : Surge, et affer mihi eam. Ad hanc vocem paralyticus surrexit sanus, et dedit ei clavem, et ipse ministrabat cum sancta Virgine cibos hospitibus largiter, secundum morem Scotorum. Deinde familiares venientes deforis domum, videntesque puerum loquentem et ambulantem, valde mirabantur. Tunc ipse narravit eis, quomodo sanatus est. Hoc illi scientes, omnes gratias Deo egerunt, benedicentes ancillam ejus.

F

*mutum et paralyticum sanat ignara*

42 Aliquando sancti Episcopi Mel et Melchu venientes ad S. Brigidam, dixerunt ei : Vis ut nobiscum pergas in campum Bregh, ad visitandum Patronum nostrum S. Patricium ibi manentem? Quæ respondit : Ego multum volo ipsum alloqui, ut me benedicat. Tunc perrexerunt in viam sancti Episcopi et beata Virgo cum suis comitibus. Subrogavit eos quidam Clericus, qui habebat multam familiam et pecora

*it ad S. Patricium*

pecora et duos currus, volens ire cum Sanctis, ne quid paterentur in via. Sed nolebant Episcopi, ne iter eorum propter multitudinem pecorum et onerum ejus tardum esset. Dixitque ad eos sancta Virgo : Præcedite ante nos, ego jam manebo, et compatiar cum istis. Tunc euntibus Episcopis Sancta Dei remansit cum illis, et ait illis : Cur non ponitis omnia vestra in curribus? Illi aiunt : Quia unus paralyticus, et fœmina cæca in curribus jacent ægroti. Nocte illa veniente comederunt et dormierunt : sola Virgo sancta Brigida jejunavit et vigilavit. Mane autem facto, Christi sponsa benedicens aquam effudit super paralyticum, et statim ipse surrexit sanus, et similiter cæca fœmina illuminata est. Tunc sancta Virgine jubente, onera imponunt in carris, et eorumdum iter agebant, gratias Deo agentes. Deinde sancta Virgo, accepta licentia et benedictione ab illis, cum suis in viam suam exivit.

*Auctore anonymo, ex MSS. … paralyticum et cæcam vigiliis, jejunio, precibus, aqua benedicta, sanat*

43 Et videntes quemdam plebeium juxta domum suam circa pecora sua valde tristem, B. Brigida dixit suis : Interrogate eum, cur tam tristis sit. Ille dixit : Quia tota familia mea in dolore est, et nulla mulier mulgere vaccas potest. In illius enim domo duodecim in infirmitate jacebant. Tunc dixit gloriosa Virgo puellis suis, ut mulgerent vaccas illius. Cum mulgerentur vaccæ illæ, ille homo rogavit, ut post laborem prandium acciperent : et ibi comedebant comites sanctæ Virginis, ipsa autem jejunabat. Pransis illis omnibus Sancta Dei aquam benedixit, et aspersit domum illius, et omnes qui in infirmitate jacebant illic : et illico præsente Christi sponsa omnes valentes surrexerunt, et gratias Deo egerunt benedicentes ancillam suam.

*… aqua benedicta 12 ægrotos …*

44 Postea S. Brigida cum suis via prospera venerunt ad locum, qui dicitur *b* Tailten, ubi erat S. Patricius Archiepiscopus cum sanctorum Episcoporum et aliorum Sanctorum conventu : et cum honore debito B. Brigida ab illis suscepta est. Beata jam Brigida accepit S. Patricium prædicatorem Hiberniæ in Patrem, et ipse accepit eam in Filiam. Inventur enim, *c* quod ibi prius viderunt se invicem. Ab illo scilicet die major Sanctorum Hiberniæ mirabilis Virgo post S. Patricium omnium judicio habetur.

*S. Patricium in Patrem accipit*

45 In illo quoque Concilio maxima quæstio orta est : quædam enim mulier, quæ in fornicationem incidit, dicebat infantem, quem genuit, cujusdam Episcopi, nomine Bron, fuisse, qui fuit alumnus S. Patricii : ille autem negabat coram omnibus. Tunc omnes in concilio audientes mirabilia et opera quæ Deus per S. Brigidam ostendit, dixerunt, quod hæc quæstio solvi per eam possit. Tunc rogata S. Brigida ab omnibus, illa mulier extra concilium cum suo infante adducta est ad eam. Cui ait Christi Virgo : De quo viro concepisti hunc infantem? Illa respondit : De Episcopo Bron. Ad hoc, suasione diabolica, illa falsum testimonium perhibente, B. Brigida humilis ad S. Patricium veniens dixit : Pater mi, tuum est hanc quæstionem solvere. Respondens S. Patricius ait ei : Mea Filia carissima, tu revelare dignare. Hoc audiens S. Brigida, illius fœminæ os signo sanctæ Crucis signavit. Et statim illa nolens verum dicere, totum caput ejus cum lingua intumuit. Illico S. Brigida conversa linguam infantis benedixit, dicens ei : Quis est pater tuus? Ille infantulus ante tempus loquendi, ait clara voce : Non est utique Episcopus Bron pater meus, sed vilis ille, qui sedet ultimus concilii hujus, est pater meus. Tunc omnes illum hominem cognoscentes, gratias egerunt Deo, pro liberatione innocentis Episcopi : et B. Brigida digne magnificata est, et illa mulier pœnitentiam egit coram omnibus.

*… discipulum S. Patricii … ; confundit, signo Crucis impresso linguæ et capite, infante ab ea signato, verum patrem prodente.*

a *Colganus ait regionem esse prope Midiam in Hibernia.*

b *Locus est, ut idem inquit, in Boreali parte Midiæ, olim publicis conventibus et ludis isthic agi solitis celebris. Ita Auctor Vitæ 3. Patricii apud Colganum :* Tunc S. Patricius perrexit ad locum Agonis regalis, qui dicitur Tailtin, ad alterum filium Neille Corpre.

c *Non ergo antea velum a S. Patricio acceperat, ut quidam volunt.*

## CAPUT V.

### *Occultorum cognitio, beneficentia, austeritas vitæ, iter in Conactiam.*

Die illo vesperascente, quidam homo, videns virtutes quas fecit S. Brigida ipso die, rogavit eam, dicens : Habeo domum novam, volo ut tu cum tuis prima introeas in eam consecrandam. Exiit ergo Sancta Dei cum eo, et ipse ministrabat cum gaudio magno. Ipso cibum largiter apponente, S. Brigida prophetice dixit suis : Ostendit mihi Dominus modo, quod ille homo gentilis sit; et non debemus cibum ejus sumere, cum non vult ipse baptizari. Respondit ei una de puellis suis dicens : Verum est, quod dicis. Nam audivi, quod ille præ cunctis S. Patricio resistebat valde, et baptizari renuit. Tunc B. Brigida dixit ad illum : Non possumus cibos tuos comedere, nisi prius baptizatus fueris. Tunc a Deo ille compunctus, credidit toto corde, cum omni domo sua, et ab Episcopo Bron baptizatus est, discipulo S. Patricii, qui tunc erat cum S. Brigida.

*divinitus cognoscit quemdam esse Gentilem, eumque et domesticos convertit*

47 Sequenti autem die audiens S. Patricius dixit ad beatam Virginem : Ex hac die non licebit tibi sine Sacerdote ambulare. Sit tibi Sacerdos semper in comitatu tuo. Ordinavit tunc S. Patricius Sacerdotem nomine *a* Nafrobie, qui in tota vita sua feliciter in comitatu S. Brigidæ vixit. Deinde accepta licentia a S. Patricio, B. Brigida cum suis remeavit.

*deinceps semper Sacerdotem secum habet*

48 In diebus illis veniebat ad S. Brigidam quidam homo portans matrem suam paralyticam in suis humeris : et cum ille ad locum, ubi sancta Virgo erat, venisset, deposuit matrem suam in terra in umbra sanctæ Virginis; et cum illa tetigisset umbram Sanctæ, surrexit dicens : Gratias ago Deo, quod quando umbram tuam, o Sancta, tetigi, statim sanata sum, nihil dolens. Tunc clamor omnium in laudem Dei ortus est.

*umbra sola paralyticam sanat*

18 Deinde transacto temporis intervallo, quidam viri hominem dæmoniacum, fortibus vinculis alligatum, ad S. Brigidam deduxerunt : qui cum cognovisset quod ad Sanctam Dei duceretur, cecidit in terram, semper dicens : Non me duceris ad Brigidam. Illi dixerunt ei : Numquid scis, quo duceris, aut locum, in quo S. Brigida est? Ille respondit : Scio, et bene novi, et ad illam non ibo. Dixitque illis nomen loci, in quo erat S. Brigida; et nullo modo potuerunt movere illum de terra : consilioque facto miserunt ad S. Brigidam, rogantes eam, ut pro Christi nomine dignetur venire ad illum. Christi jam sponsa humiliter cum eis exivit. Et cum vidisset S. Brigidam dæmon ad se venientem, longe antequam ipsa veniret, effugit ab homine, (dæmones enim, quando S. Brigidam ad loca eorum aliunde venire sentiebant, timebant et fugiebant) et sanus factus est ille homo illa hora, et gratias Deo egit.

*energumenum adiens cominus dæmonem fugat*

49 Postea S. Brigida pervenit ad monasterium sanctæ Virginis Lasræ, et manebat ibi aliquibus diebus. Quadam autem die ad vesperam venit S. Patricius cum magno populo, prædicans in illa regione, ad idem monasterium, ut hospitaretur ibi illa nocte. Tunc familia istius loci commota dixit ad S. Brigidam : Pia mater, quid faciemus? quia non est in promptu nobis tantam reficere multitudinem. Dixit eis sancta Virgo : Quantum haberis? Illis dicentibus, quantum habebant; ait S. Brigida : Sufficienter haberis

*cibos benedicens auget, ut plurimis sufficiant*

A beris jam nobis plurimis : gratia enim Dei hæc augebit. Postea benedicente S. Brigida, illa cibaria administrata sunt duobus populis, id est, Patricii et S. Brigidæ; et ipsi saturati sunt, et dimiserunt majores reliquias, quam quæ fuerant ante in illo apparatu, quem S. Lafra Sanctis præparavit; et suum locum Deo et S. Brigidæ in æternum obtulit.

*aqua benedicta efficit ut uxor maritum amet ante exosum.*

50 Ibidem quoque quidam vir, quem uxor sua valde odio habuit, venit ad S. Brigidam, rogans in Dei amore eam, ut invocato Christi nomine uxor sua eum amaret. Tunc Christi Virgo benedixit aquam; et jussit domum illius aspergi ea in Christi nomine : et aspersa domus illius est, et cibus, et potus, et lectus, uxore absente, illa aqua. Veniens illa mulier domum, et videns maritum suum, illico nimio amore dilexit eum, et quamdiu vixit in eodem amore mansit.

*zonam donat mendicæ*

51 Quædam fœmina de nepotibus *b* Gayssii per regionem eleemosynam quærens, venit ad S. Brigidam; cui ait Sancta Dei : Do tibi sagum meum, vel vaccam quæ mihi nuper data est. Illa dixit : Non prosunt mihi hæc accipere; venient enim latrones in via, qui auferent ea a me. Dixit sancta Virgo : Visne zonam meam? Dixisti enim mihi multos dolores esse in regione vestra, et per zonam meam intinctam in aquam, in nomine Filii sui, Deus sanabit eos; et dabunt tibi B homines victum et vestitum. Tulit ergo illa fœmina sanctæ Virginis zonam secum, et primum abiit ad quemdam puerum ægrum, quem multum parentes ejus diligebant : et statim eum sanavit, Dei gratia, per zonam sanctæ Virginis. Et sic illa faciebat per omnes annos vitæ suæ, sanans multos languores, et accipiens multa lucra : et de illis lucris emit agros, et dives fuit : quæ custodiens castitatem suam puram, et tribuens omnia sua Christi pauperibus, Sancta effecta est.

*qua illa morbos curat, et ditescit.*

*migrat in Conachtiam :*

52 Post hæc exiit S. Brigida cum suis, ut peregrinaretur in provincia Conachtorum, nolens habitare in propria terra, id est, in regione Lageniensium : et habitavit ibi in campo Hay, ædificans cellas et monasteria per circuitum. Tunc acceptavit parochiam, quam prophetavit in sua infantia, dicens : Meum erit hoc, meum erit hoc.

*videt hirci speciem in calice,*

53 Accessit ad ipsum B. Brigida, ut Eucharistiam sumeret de manu cujusdam Episcopi, et calicem desuper intuens, vidit prodigium, id est, formam hirci. Unus tunc de ministris Christi tenebat calicem. Tunc S. Brigida noluit ex illo bibere. Dixitque ei Episcopus : Cur non bibis ex hoc calice? Brigida autem manifestavit Episcopo quod vidit. Tunc Episcopus illi C ministro dixit : Quid tu fecisti? da gloriam Deo, confitendo peccatum tuum. Ille jam confessus est, se comedisse carnes hirci furtivi. Dixitque ei Episcopus : Pœnitentiam age, et funde lacrymas; et ille jussis obediens pœnitentiam egit. Deinde B. Brigida venit ad calicem, et non vidit in eo monstrum : lacrymæ enim illius hominis culpam solverunt. Postea corpore et sanguine Christi refecti sanctus Episcopus et gloriosa Virgo Brigida, læti de ecclesia redierunt.

*ob occultum ministri peccatum.*

54 Alio tempore quædam vetula ibi infirmabatur usque ad mortem : Veneruntque ad illam omnes Sorores loci illius, ut vigilarent, et orarent apud eam; et sancta Mater Brigida venit cum illis. Et cum illa esset in agone mortis, volebant Virgines meliora vestimenta sua de ea tollere, ne sub ipsis moreretur. Hoc B. Brigida prohibuit, dicens : Parvo tempore vobiscum erit; facite ergo misericordiam, ne videamini rapinam facere. Caritas et humanitas B. Brigidæ nolebat vestimenta tolli de ea, timens si ipsa frigus pateretur. Omnes videntes tantam beatitudinem religionis, Deum glorificabant.

*vetat a moribunda vestes auferri*

55 Cum gloriosa Virgo B. Brigida ibidem adhuc habitaret, stagnum aquæ gelidæ, quod erat juxta monasterium, frequentabat. Quadam autem nocte, in D qua erat nix et frigus multum omnibus, venit ipsa Mater ad stagnum cum una puella, et erat illa nocte in illo stagno usque ad gallorum cantus orans et flens : et quod in illa fecit nocte, hoc semper omnibus noctibus statuit facere, et in consuetudinem habere. Sed Christi pietas et misericordia hoc fieri diutius non est passa, sciens hoc esse supra vires Brigidæ Virginis. Nocte enim sequenti euntes simili modo S. Brigida cum socia ad stagnum, non invenerunt in eo nisi arenam siccam sine ulla aqua, et mirantes reversæ sunt. Prima vero hora diei stagnum impletum est aquis suis. Similiter et in tertia nocte aruit stagnum in adventu S. Brigidæ, et in crastino die repletum est eadem hora. Idem hoc fecit Deus, ut manifestaret, qualem affectionem habuit circa sponsam suam S. Brigidam; sicuti circa Joannem Evangelistam, dilectorem suum ceteris liberans plagis pœnarum et dolore corporis. Omnes illud scientes magnificabant virtutem Dei in Virgine sua : rogantibusque eam ne hac re plus esset contra voluntatem Dei, et ipsa sciens illud fuisse factum caussa sui, cessavit ab hoc voto semper.

*Accedit ANONYMO EX MSS*

*noctu orat gelido in stagno : prohibetur id continuare, stagno ... exsiccato.*

a *Colg.* Naffroic . b *Idem*, Guassii

# LIBER SECUNDUS. E

## CAPUT I.

*Reditus in Lageniam. Kildariæ initia. Pietati vacantium bona divinitus defensa.*

Orta est jam magna controversia apud Lagenienses de absentia S. Brigidæ. Ipsi enim scientes cursum totius Hiberniæ esse ad B. Brigidam, et plures virtutes et maxima miracula, quæ Deus per ipsam agebat, volebant ut tanta Dei gratia in sua regione esset : inde enim S. Brigida nata est. Inito jam consilio, miserunt honorabiles personas, et fideles nuntios, quos ipsa negare non posset, rogantes eam ut dignaretur redire ad regionem suam. Gloriosissima autem Virgo sciens hoc esse a Deo, ordinatis locis in quibus tunc habitabat, venit cum illis. Cumque ad flumen *a* Syonna S. Brigida et sui comites venirent, ibi duos populos sedentes ex utraque parte vadi Luain, id est, nepotes Neill, et Connachtorum gentes invenerunt. Flumen enim Syonnan, quod est egregius fluvius Hiberniæ, dividit regiones nepotum Neill et Connachtorum. Tunc comites S. Brigidæ ab omnibus navigatoribus postularunt, et non impetrarunt, ut trans F flumen portarentur : ipsi enim postulabant naulum super fluvium. Comites autem gloriosæ Virginis dixerunt : Non, sed nos nunc ibimus per flumen pedibus nostris : et benedictio S. Brigidæ dominæ nostræ nos custodiet, per gratiam Dei, qui mare rubrum et flumen Jordanis, servis suis divisit. Postea dixerunt ad S. Brigidam : Signa fluvium, mater, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut minor et minor efficiatur nobis. Tunc sancta Virgo flumen signo sanctæ Crucis benedixit, et duobus populis, ut diximus, circa flumen astantibus, Christi sponsa cum puellis suis flumen intravit, et sui omnes secum; et usque ad genua alveus ingentis fluminis non pervenit; quod et fortissimi milites sine nave non poterant transire. Omnes itaque videntes, S. Brigidam laudaverunt.

*redit in Lageniam*

*signo Crucis facto, profundum amnem cum suis ... transit*

2 Et priusquam B. Brigida flumen intraret cum suis; alii Clerici emeutes parvam navem, ingressi sunt in ea, qui dixerunt ad S. Brigidam : Potest illa navis unam puellarum tuarum nobiscum portare. Tunc beata Mater uni tenerrimæ puellæ, quæ multum timebat aquam, præcepit, ut ante se iret in illa navicula trans flumen, dixitque ei illa puella, Benedic

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*unam, benedicens, navi mersa, servat:*

die me diligenter, Mater mea, quia timeo a te separari in flumine. Dixit ei sancta Virgo: Vade in pace, Deus custodiat te. Deinde navigantes, in medio fluminis mersa est navis sub aqua, cunctis videntibus; puella vero ista, in magno posita periculo clamavit nomen S. Brigidæ in auxilium: benedicensque eam de terra Christi sponsa, super aquas sedens illa puella ducta est in sua sede ad portum, et vestimenta sua erant sicca, quasi ab aqua intacta. Tunc omnes laudantes Deum mirabiliter confisi sunt in sanctissima Virgine Brigida.

*cœnobium construit Kildariæ,*

*sive Ad quercum,*

*sacrum deinde;*

*ubi et urbs structa*

3 Dum autem venisset gloriosissima Virgo Brigida ad patriam suam, cum magno honore et totius provinciæ gaudio suscepta est, et cella assignata est illico ei, in qua ipsa Dei Sancta mirabilem vitam deinde duxit. Ibi magnum monasterium plurimarum construxit Virginum, ibique maxima postea civitas in honorem B. Brigidæ crevit, quæ est hodie Metropolis Lageniensium. Illa jam cella Scotice dicitur Killdara, Latine vero sonat Cella-quercus. Quercus enim altissima ibi erat, quam multum amabat S. Brigida, et benedixit eam: cujus stipes adhuc manet, et nemo ferro abscindere audet, et pro magno munere habet, qui potest frangere manibus aliquid inde, sperans per illud Dei auxilium, quia multa patrata sunt miracula per illud lignum, per benedictionem B. Brigidæ. Et quo nomine cella dicebatur, eo et civitas vocatur.

*orationi vacantium bona a Deo custoditum iri spondet,*

*iisque restitui abactos boves impetrat,*

*confusos abigeos:*

4 Ante diem cujusdam solemnitatis venit ad S. Brigidam, manentem in prædicta cella, quædam juvencula, portans Virgini eleemosynam: cumque assignasset donum, dixit: Debeo cito reverti ad domum meam, quia parentes mei volunt venire et pernoctare tecum per istam sanctam noctem: ego vero ad custodiendum domum et pecora. Cui ait Christi amica: Non sic erit, sed tu mane hic; et parentes tui venient post te huc: substantiam autem vestram et domum Dominus servabit. Veneruntque parentes, sicut Sancta dixit; et simul omnes celebrabant festum istud apud S. Brigidam. Media vero nocte fures venerunt ad domum eorum, scientes habitatores exiisse ad S. Brigidam, et furati sunt boves. Cumque venissent ad amnem Lifii, habuerunt fluvium repletum abundantia aquæ, et non poterant minare boves trans flumen. Cumque laborarent per partem maximam noctis, consilio facto alligaverunt omnia vestimenta et arma super capita pecorum, volentes ipsi natare post ea: et de medio flumine retroversa animalia illa portaverunt secum spolia inimicorum suorum super capita sua, currentiaque per campum Lifii, viri nudi sequebantur ea: non quidem ad propriam domum boves reversi sunt, sed recto cursu ad monasterium S. Brigidæ. Primi igitur diluculo pervenientes illuc boves cum persecutoribus, homines cognoverunt eos nudos. Tunc fures laudes Deo dederunt, et confitentes peccata, pœnitentiam egerunt, secundum jussionem gloriosæ Virginis Brigidæ. Ille vero homo exsultans cum suis ad domum suam exiit; et inveniens omnia sua integra secundum vaticinium S. Brigidæ, gratias egit Domino.

*alterius domum et vaccas illæsas custodiri obtinet:*

5 Alia quoque puella ante aliam diem festum pari cum eleemosyna ad S. Brigidam venit, et accepto ejus munere dixit: Vadam ad domum meam, Domina, quia non est ibi mecum nisi nutritor meus, qui est senex valde et paralyticus, et non est qui mulgeat vaccas, vel domum custodiat. Christi autem sponsa dixit ei: Mane hic hac nocte sancta: Deus jam custodiet domum tuam, et vaccæ erunt immulsæ, et non nocebit eis. Tunc illa mansit ibi, et crastina die sumpta Eucharistia rediit: vaccas et vitulos separatim in agris comedentes sana mente et sine tædio invenit. Et puella dicente, quod illa nocte mansit apud S. Brigidam, fatebatur ei senex, quia erant pecora hucusque in pascuis; et quod ipse non dormivit, neque ullum intervallum temporis sensit; nisi acsi illa hora qua puella ab eo exiisset. Mysterium hujus rei Deus, qui fecit, ipse scit.

a De Seno, sive Sinceo, aut Sionna amne supra actum, ad Vit. cap. 15 num. 98 deque Vado Luain, sive Athlon oppido.

## CAPUT II.

### *Pater periculo ereptus. Angeli præsens tutela. Illando Regi promissa victoria.*

*ab Angelo excitata,*

*patrem cum suis hostium ira subducit,*

*et deinceps a cæde reddit domum ejus securam*

Post hæc gloriosa Virgo Brigida ad domum patris sui Dubtachi exivit, volens post longum tempus visitare parentes suos. Et pater suus et omnes cognati sui gavisi sunt valde in adventu ipsius: et rogavit eam pater suus, ut saltem illa nocte in sua domo maneret; et impetravit. In illa autem nocte Angelus Domini venit et suscitavit B. Brigidam dormientem, dicens: Surge cito, et suscita patrem tuum dormientem, et suam totam familiam, et tuas puellas. Nam hostes appropinquant qui volunt occidere patrem tuum cum suis, sed propter te hoc non vult Deus. Exite hinc citius, nam domum istam inimici venientes statim comburent. Et cum omnes de domo exirent, hostes statim venientes succenderunt domum: dolebant enim quod inimicus evaderet ab eis. Tunc videntes rogum pater et alii, sanctæ Virgini dixerunt: Tua benedictio, S. Brigida, nos in hac nocte custodivit a morte præsenti: modo scimus omnia, quæ prædicta sunt de te. Dixitque illi Brigida: Non solum in hac nocte, sed quamdiu vixeris, sanguis non effundetur in habitaculo tuo. Quod ita postea probatum est: nam cum quidam quamdam ibi feminam percutere vellet, riguit manus ejus; quam extenderat, et non potuit eam retrahere, donec feminam liberam dimisit.

*semper ab Angelis fovetur,*

*quotidie cantus cælestes audit,*

*et Missas procul celebratas*

*aquam dat lepros æ, ab Angelo benedictam,*

*unde omnem saporem habebat;*

*parvula ab eo adjuta, etiam in ludo*

7 Crastina autem die una puellarum suarum ad B. Brigidam dixit: Utinam Angelus Domini te semper adjuvaret, sicut fecit in nocte transacta, liberans te et patrem tuum cum suis! Cui ait sponsa Christi: Non in ista nocte tantum, sed jam per omnem ætatem meam, auxilium Dei mei per Angelos habeo in omnibus: nam quotidie lætitiam cordis mihi præstat, dum per ipsum sonos et spirituales cantus carminum et organorum cœlestium quotidie audio. Sanctas quoque Missas, quæ Domino procul in terris celebrantur, quasi prope per ipsum Dominum essent, quotidie audire possum: et meas orationes nocte ac die offerunt Angeli Domino: et in præsentia et in absentia ipse semper audit me. Quod duobus exemplis nunc tibi ostendam. Quodam autem tempore rogavit me quædam mulier leprosa et infirma, ut ei aquam deferrem, et ut in ceteris necessariis misericorditer ministrarem. Vas itaque plenum aqua benedixi, et dedi ei dicens: Pone istud inter te et parietem; ne aliquis præter te solam tangat illud, donec revertar. Angelus vero meus benedixit illam aquam in præsentia mea, et conversa est in quemcumque saporem leprosa volebat. Nam quando volebat vel concupiscebat illa mel, saporem mellis; quando jam vinum, sive cerevisiam, vel lac, vel alios liquores, in eadem aqua habebat, et per ejus voluntatem vicissim vertebatur. Item cum ego parva puella essem, feci altare lapideum ludo puellari, Domino; venitque Angelus Domini, me præsente, et perforavit lapidem in quatuor angulis, et supposuit quatuor pedes ligneos. Hæc duo de Angelo meo tibi, o puella, demonstravi, ut Dominum nostrum Jesum Christum glorifices. Et ita gratia ejus semper mecum permanet.

8 Eodem tempore Dux Dubtachus, pater S. Brigidæ, dixit ad eam, Rogo te, sancta Virgo, vade ad

Regem

A Regem nostrum, et gladium, quem ipse ad tempus mihi concessit, in perpetuum donet : valde enim pretiosum munus est. Obedivit ergo Christi Virgo patri suo, et exiit ad Regem Lageniensium in campum Liffii manentem. Cumque Virgo Dei cum suis ad portam civitatis Regis sedisset, unus servorum Regis venit ad eam, dicens : Si me absolveris, Domina, a jugo Domini mei Regis, servus tuus ero in perpetuum, cum omnibus meis, et semen meum post me, et ego et cognati mei erimus Christiani. Dixitque ei Virgo : Petam pro te. Tunc beata Virgo vocata est ad Regem. Dixitque ei Rex : Virgo beata Brigida, quid vis a me? Cui ait sancta Virgo : Ut gladium tuum, quem pater meus habet, sibi dones in æternum, et illum servum tuum cum suis mihi liberum offeras. Dixitque ei Rex : O Sancta, pretiosissimus est gladius, quem petis : sed quid mihi pro his duabus petitionibus magis dabis? Ait ei sancta Virgo : Si vis, vitam æternam inveniam tibi, et de semine tuo Reges erunt usque in finem seculi. Dixitque ei Rex : Vitam, quam non video, non quæro : de filiis etiam, qui post me erunt, non procuro. Alia vero duo da mihi, id est, ut longævus fiam in præsenti vita, quam diligo, et in omni bello victor ut existam : jugem enim B nos Lagenienses pugnam habemus contra semen Cuind. Dixit ergo beatissima Brigida Regi : Hæc duo dabuntur tibi, id est, longa vita, et victoria in omni bello. Deinde gloriosa Christi sponsa benedicens victoriam Regis, cum suis donis ad sua reversa est.

*petit a Rege patri suo gladium,*

*sibi servum,*

*promittitque et longam vitam, et victoriam,*

9 Nec multo post ille Rex cum paucis militibus in terram inimicorum, id est, nepotum *a* Cuind, scilicet in campum Breagh, perrexit. Occurrit ei ibi turba parata hostium : cumque Rex vidisset multitudinem hostium, dixit ad suos : Estote fortes, et vocate S. Brigidam in auxilium : ipsa enim sua promissa adimplebit. Et clamantes in cœlum clamaverunt nomen sanctæ Virginis. Et tunc illis invicem irruentibus, Rex vidit quasi S. Brigidam præire ante se ad bellum, cum baculo in dextra, et columna ignis ardebat de capite ejus usque ad cœlum. Et illico plures hostes in fugam conversi sunt. Rex vero et sui peracta victoria, gratias Deo et B. Brigidæ egerunt. Post hæc Rex triginta bella in Hibernia gessit; et vicit omnia : octoque certamina in Britannia prospere egit. Et multi Reges donis datis amicitiam ejus rogabant, scientes eum invictum esse. Ipse Rex vocabatur *b* Iolland Mac-Dunluing, id est, qui fuit filius Dunluing; quique *c* Engusium filium Nadfraich Regem Momoniensium, quem baptizavit Patricius Prædicator Hiberniæ, C occidit, cum uxore sua Ethne Huaebach, filia Regis Crimhthain Regis Hikenselach et Lageniensium : quique *d* Olill-Molt Regem Hiberniæ juxta Themoriam interfecit, et regnavit post eum : *e* et ipse moriens sepultus est apud S. Brigidam in suo monasterio.

*unde ille mox cum paucis multos vincit,*

*et bella plurima feliciter gerit,*

10 Factum est autem post mortem Iolland, qui vixit xxx annis, congregantes Nepotes Neill exercitum fines devastare Lageniensium, inierunt Lagenienses consilium, dicentes : Ponamus corpus mortuum Regis nostri ante nos in curru contra hostes, et pugnemus contra circa cadaver ejus. Et illis sic facientibus, illico nepotes Neill in fugam versi sunt, et cædes facta est in eis, donum enim victoriæ per S. Brigidam adhuc in corpore mansit.

*... tum mortuus etiam victor.*

a Quam plagam Hiberni ... vocant ... Conadh, seu Constan ... Cedchothach Regis Hiberniæ, hunc cale ... campum Breag, sive Breg, quem ad cap. 5 ... circa Boinnam ... Hiberniæ ... tradit Not. 69 ad Vitam S. Patricii per Jocelinum ... Conn regnum ad Liffi amnis ... dum Lagenia Regni Momonia Rege.

b Alii Illandum vocant ... patrem ejus Dunlangum, qui ... Dunluing, ... Illandum anno Christi 506 tradit ... 

c ... Engusium ... tradit anno 489 per Muirchertachum filium Ercæ, prœlio tamen interfuisse Illandum Regem, fratremque ejus Ailildum, quibus proinde ea quoque cædes ab aliis adscribitur. Engussius porro, sive Ængussius, qui in Vita 3 S. Patricii apud Colganum, appellatur Oengus, traditur Casseliæ baptizatus a S. Patricio. Hic est pius ille Rex, cui cum benediceret S. Patricius pedem scipione imprudens laceravit, cujus rei sensum is fortiter dissimulavit, mox ab eodem sancto Antistite sanatur. Eadem memorat Jocelinus in S. Patricii Vita, atque Rex ad fidem tam inflammato studio suscipiendam motus fuerit, idolis ultro aliquoties prostratis.

d De Olildo, sive Alildo per Crimthannum filium Endei Kennselach, Regem Lageniæ, occiso, agit Colganus hic Not. 8 et 9. Eam eadem quidam alii tribuunt, qui prœlio interfuerunt, ad locum Ochæ in Media commisso an. 483 ut scribit Usserius.

e Id de Crimthanno accipiendum ait Colganus, non de Illando.

## CAPUT III.

*Verbi divini et sacrarum rerum studium, divinitus comprobatum. Liberalitas in egenos præsenti fœnore munerata.*

D AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

Alio quoque die quidam vir sanctus ad locum, in quo S. Brigida sola orabat, venit, et invenit eam stantem, et manus in oratione tendentem ad cœlum. Eadem hora clamor magnus mulierum et juvenum in illa villa factus est : nam ad vaccas illa hora vituli foras irruerunt, et cum homines separarent eos a matribus, inde ortus est clamor : sed hæc Sancta non audivit, in mentis excessu Deo intenta. Vir sanctus videns Brigidam non audientem clamorem, reliquit eam, ne turbaret orationem ejus : et post horam reversus ad eam, dixit : O S. Brigida, nonne audivisti clamorem magnum, qui fuit in villa? At illa ait : Vere clamorem istum non audivi. Dixit et ille Sanctus : Ubi fuit auditus tuus? Respondit : Deo teste, in urbe Romana juxta SS. Petrum et Paulum tunc Missas audivi; et nimis desidero ut ille ordo et universa regula Roma ad me deferatur. Tunc B. Brigida viros sapientes Romam misit, ut ipsi inde Missas et regulam Ecclesiasticam ferrent.

*Brigida in extasi Missas Romæ audit* E

*ritus Missæ Roma petit*

12 Quadam autem die pluviali Virgo gloriosa Brigida ad cellam suam de via venit, et cum post pluviam sol luceret, radius solis domum per parietem domus intravit, et posuit S. Brigida vestimenta sua humida super illum radium, putans quod funis esset. Tunc in domo illa quidam Sapiens verbum Dei prædicabat, et B. Brigida multum divinis verbis intendebat, et usque ad magnam partem noctis mens Virginis meditata divina doctrina, oblita est secularia præsentia. Radius vero ille, super quem posuit Virgo vestimenta sua, usque ad mediam noctem permansit. Tunc unus illorum, qui in illa domo erant, dixit ad Virginem sanctam : Vestimentum, O Domina, tolle de radio solis. Dei Virgo ait : Vere putabam, quod funis esset, et non radius. Eodem die quidam venerunt per campum Liffii ad S. Brigidam, et nox cecidit super eos in campo, sed radius ille solis illustrabat illis viam : et ipsi dixerunt se vidisse radium illum illustrantem sibi campum, donec media nocte ad S. Brigidam venirent. Tunc omnes, qui ibi erant, in Dei laudibus voces erexerunt, et super S. Brigidam, per quam Deus talia egit, laudaverunt.

*vestem suam suspendit in radio solis,*

*usque ad mediam noctem permanente.*

F

*et foris etiam lucente, ac viam monstrante*

13 Sanctissima Virgo Brigida cœnam in honore cujus suæ solemnitatis Dominicæ egit : sed hanc cœnam ante festum pauperibus advenientibus divisit. De hoc jam familia Virginis contristata est : multi enim vocati de plebe a S. Brigida ad diem festum illum venerunt. Hoc videns Sancta Dei oravit ad Dominum illa nocte, et ecce in eadem regione quidam vilhcus, homo dives valde, cœnam Regi vehebat in plaustris ad diem festum eumdem : erravit ille in viis suis notissimis, donec recto cursu ad januam monasterii S. Brigidæ pervenit. Hoc sciens Sancta Dei divinitus, exiit obviam illi, et interrogavit viam ejus. Ille autem a Deo admonitus, obtulit totum suum apparatum S. Brigidæ, dicens : Ob hanc caussam fecit me Deus errare in propria mea regione : aliam vero cœnam Deo ... Regi faciam. Hoc cum audivisset Rex,

*cœnis suis paratis, dat pauperibus,*

*alias insperato accipit,*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A illum villicum cum suis omnibus obtulit Deo et S. Brigidæ, ut serviret loco ejus in æternum. Plaustra quoque altera plena ad supplementum sanctæ solennitatis idem Rex iterum ad S. Brigidam misit. Tunc S. Brigida Evangelicum promissum invenit, quo dicitur, Centuplum accipiet. Quibus conventus apud S. Brigidam solenniter refectus est.

*a Rege cumulatas.*

14 Regina quædam cum magnis donis ad B. Brigidam venit, in quibus erat argentea catena, quæ habebat in summitate formam hominis. Quibus assignatis Regina cum benedictione ad sua remeavit. Illam jam catenam puellæ tollentes de manibus S. Brigidæ, posuerunt in thesauro ecclesiæ. Beata vero Mater cetera omnia pauperibus divisit statim. Quadam jam die pauper ad S. Brigidam venit, et beata Virgo nil aliud habens, tunc exivit ad thesaurum communem, et prædictam catenam tollens, dedit eam pauperi. Hoc autem agnoscentes puellæ locutæ sunt ad B. Brigidam: Perdidimus, O Mater, per te, quæ Deus per bonos Christianos nobis mittit; omnia enim das pauperibus, et nos inopes relinquis. Tunc B. Brigida volens sedare eas, dixit illis: Ite, filiæ, et quærite catenam, ubi ego eo in ecclesia; forsitan illo invenietis. Cumque exirent, invenerunt illic catenam simillimam B per omnia illi catenæ, et obtulerunt eam S. Brigidæ, petentes veniam. Tunc sancta Virgo dixit: Terrena date Deo; terrena et cœlestia dabit vobis Deus, et puellæ illam catenam semper servaverunt in testimonium virtutis.

*catenam argenteam dat pauperibus,*

*similem divinitus impetrat.*

15 Conlianus Episcopus sanctus et Propheta Dei, qui habebat cellam in Australi parte campi Liffii, venit in curru ad S. Brigidam, et moratus est apud eam aliquot diebus. Quem B. Brigida primum Episcopum elegit in civitate sua Killdara. Die autem quadam rediens Episcopus ad locum suum, dixit ad sanctam Virginem: Benedic, Domina, currum et nostrum iter. At Sancta benedixit. Auriga vero Episcopi jungens currum, *a* rosetos oblitus est ponere contra rotas. Postea currus ipse velox pertransiit campum. Cumque post magnum spatium diei Episcopus currum conspexisset, vidit illum non habere rosetos. Tunc ipse descendens de curru, gratias egit Deo, et benedixit S. Brigidam, magnificans miraculum benedictionis ejus.

*currum benedictione servat, absque obicibus rotarum*

16 Quadam quoque die S. Brigida per campum Liffii, et alia sancta Virgo simul sedens in curru una venit: auriga jam Virginis eventu sancto Presbyter erat, qui prædicabat Virginibus verbum Dei: plures non erant in via. Dixitque illi S. Brigida: Noli verso C vultu nobis prædicare. Habenas tuas post tergum tuum pone. Equi nostri recto itinere ibunt, Deo ducente, ad monasterium nostrum, et ita factum est. Exierunt enim equi rectam viam per campum. Cumque sanctus Presbyter prædicaret Virginibus, et illæ intentis auribus et curioso animo audirent, unus equus abstulit caput suum et collum a jugo, et ambulavit liber post currum, illis nescientibus. Tunc Rex Lageniensium, sedens prope viam in colle sublimi, dixit omnibus circumstantibus, et illud admirantibus, Deo vobis vere, quia S. Brigida in isto curru sedet, non curans de equis, dum de sola anima intendit. Alter jam equus fortiter et apte currum trahebat. Sed ille equus audiens clamorem turbæ admirantis et currentis, venit ad currum, et imposuit collum sub jugo suo solus. Tunc voces Regis et exercitus sui in cœlum attolluntur, et admiranda virtus ab eis per totam regionem divulgata est, et glorificarunt Deum et B. Brigidam.

*auriga prædicante, currum servat,*

*equo unojugum excutiente,*

*mox ultro resumente*

17 Leprosus quidam de Nepotibus Neill venit ad S. Brigidam, quærens ab ea vaccam. Dixit Sancta armentario suo: Da illi vaccam. Ait armentarius: Qualem vaccam dabo ei? Sancta ait: Mihi placet, ut sit omnium optima. Tunc elegerunt vitulum elegantem, D et dimittentes eum, ad armentum occurrit magno cum mugitu optima vaccarum, et in tantum se invicem dilexerunt, ut nullus posset separare eos: vitulus autem ipse non erat illius vaccæ, sed alterius, tamen dilexit eum magno amore ut suum, propter voluntatem S. Brigidæ, quia ipsa voluit ut optimum pecorum suorum pauper Christi tolleret. Deinde ille leprosus dixit ad Sanctam Dei: Non possum ego solus vaccam cum vitulo minare ad provinciam meam. Dixitque pia Mater ad quemdam ministrum tunc coquentem carnes in cacabo: Vade, et pecora usque ad terram suam cum leproso mina. Ille ait: Quis coquet carnes? Sancta inquit: Tu ipse velociter ad eas veni, et ita completum est, sicut Sancta dixit. Exiit enim ille cum leproso iter duorum dierum in una hora, et in eadem confestim reversus est, invenitque carnes in cacabo necdum coctas. Miratique sunt omnes de hac re. Sed Dominus omnipotens donavit hoc voluntati fidelis ancillæ suæ.

*pauperi dat optimum vitulum,*

*quem optima vacca, ut suum amat et sequitur,*

*et hora una iter bidui facit, famulo jusso cito redire.*

*a* Colgan. ut supra rosetas habet.

## CAPUT IV.

### *Gesta apud S. Ibarum, mira beneficentia, et mansuetudo.*

Alio tempore B. Brigida a familia rogata est, ut ad E S. Hybarum Episcopum in campo *a* Gessill manentem iret, et peteret ab eo frumenta. Suis obediens B. Brigida iter arripuit. Sanctus autem Hybarus, qui seminator fidei multis in locis fuit ante Beatissimum Patricium, gavisus est gaudio magno in adventu gloriosæ Virginis Brigidæ. Cœnantibus S. Hybaro Episcopo et S. Brigida cum suis, et sumentibus carnes, duæ Virgines de puellis B. Brigidæ duas partes lardi, quæ contingebant sibi, respexerunt, nolentes carnem comedere; et illæ partes versæ sunt in duos serpentes. Hoc videns B. Brigida, illas Virgines graviter coram B. Hybaro Episcopo increpavit, et jussit etiam eas manere foris, et pœnitentiam agere cum lacrymis. Dixit Sancta ad suas: Oremus et nos Dominum pro eis. Et data a Deo venia, versi sunt illi serpentes in duos panes, quos Sancti consecratos comederunt.

*lardi partes inobedientibus in serpentes mutatas,*

*in panes vertit.*

19 Deinde sanctus Episcopus ait ad sanctam Virginem: Qua caussa, Mater, ad me venisti? Respondit Virgo: Mei dicunt, quod frumenta sibi desunt. Episcopus subridens ait: O beata Virgo, non multum modo nobis abundat. Sancta Dei ait: Non sic est secundum vaticinium, sed viginti quatuor plaustra ibi in horreo tuo consistunt. Et ita nutu Dei evenit, quod erant in illo horreo: non enim multum antea ibi erat. F Jubente Episcopo id probari, inventa sunt viginti quatuor plaustra illa secundum vaticinium S. Brigidæ, et gratias Deo agentes, diviserunt id inter se, duodecim jam plaustra dimissa sunt Episcopo, et B. Brigida cum duodecim reversa est ad sua.

*S. Ibar horreum divinitus frumento repleri impetrat.*

20 Rex quidam ad solemnitatem Pentecostes celebrandam apud sanctam Virginem venit: et cum celebraret noctem illam, mane post Missarum solennia cucurrit cum suis in curribus et equis ad castrum suum. Sancta Virgo post expleta diei solemnia, venit ad mensam: sedentibus ante se communiter divitibus et pauperibus, largus jam apparatus apponebatur cunctis. Tunc quidam leprosus superbissimus, diaboli magisterio, cibum respuit comedere, nisi B. Brigida sibi daret hastam supradicti Regis. Dixerunt omnes rogantes eum comedere: Leprose, vidisti hastam heri, cur non postulasti tibi dari? Ille dixit: Quia hodie concupivi illam. Tunc S. Brigida, et omnes rogaverunt eum comedere, et non impetraverunt. Beata jam Brigida abrenuit cibum sumere, paupere jam jejunante ante se. Ideo beata Virgo misit equites post Regem, ut peterent hastam suam. Illi currentes invenerunt

*superbo leproso paret,*

A invenerunt Regem transeuntem vadum cujusdam fluvioli, et ei indicarunt suam quæsitionem. Et inde lætatus est Rex, et dedit eis hastam, dicens : Si domina nostra Brigida nostra arma omnia postularet, ego statim darem ei. Tunc nuntii S. Brigidæ interrogarunt, ubi Rex moratus esset tamdiu, quod non pervenit longius? Dixerunt illis comites Regis : Non sumus morati alicubi, sed velociter equitavimus, scimus tamen quod potestas Dei per B. Brigidam nos retinuit, ut cito solveretur Sancta Dei ab improbitate leprosi. Tunc omnes laudaverunt Deum et S. Brigidam, et Rex gaudens citius pervenit ad castrum suum. Nuntiis autem monstrantibus hastam Regis sanctæ Virgini, ipsa jussit dari leproso. Et gratias agentes Deo omnes cum ea refecti sunt solenniter.

*et ei hastam Regis obtinet,*

*hujus iter Deo morante :*

21 Cum esset aliquando Brigida in monasterio, et sedisset juxta januam loci illius, vidit ad ripam fluminis proximi hominem ambulantem valde curvum, et ipse onus portabat. Miserta illius Sancta Dei dixit : Eamus ad hominem illum, et onus ejus portemus. Cui ait Sancta veniens ad eum : Da nobis onus tuum, te enim valde incurvat. Respondens ille dixit : Non onus me incurvat, sed dolor antiquus a juventute mea. Illi jam interroganti, quæ esset Virgo, dictum B est, quod S. Brigida erat. Ipse homo dixit : Deo gratias ago, quia quæsitam inveni; et ait ad sanctam Virginem : Rogo te, sancta Mater, ut Deum ores pro me, ut erigatur corpus meum. Dixitque beata Virgo: Intra hospitium, et requiesce in eo hac nocte, et faciam quod vis. Et illa nocte Sancta orabat Dominum pro eo. Mane autem facto dixit ad eum hominem : Vade ad flumen, et lava te in nomine Salvatoris ibi, et roga Deum : et dico tibi, quod eriges cervicem, et ne discedas inde, donec ego dicam tibi, quod eriges cervicem. Et agens secundum jussionem sanctæ Virginis, sanatus est, et benedicens medicam suam, gratias egit Deo, qui se incurvatum annis octodecim erexit.

*curvum erigit, jussum prius in flumine lavari*

a Est is (teste Colgano) in diœcesi Kildariensi : quam fortassis ob caussam S. Ibarus a quibusdam Episcopus Kildariensis appellatur.

## CAPUT V.

### *Adita Ultonia, cum S. Patricio : hujus prævisa sepultura, et futuræ post hæreses; aliaque.*

*et in Ultoniam cum S. Patricio*

Post hæc cum Patricio Archiepiscopo ad Aquilonarem plagam Hiberniæ exivit. Quadam quoque die S. Patricius verbum Dei prædicabat illi populo : sed C S. Brigida obdormivit illa hora. Et post prædicationem dixit S. Patricius ad B. Brigidam : O Sancta Virgo, cur obdormivisti in verbo Dei? Hæc ut audivit Virgo, veniam petens genua flectit, dicens : Parce mihi, Pater, parce mihi, Domine sancte. Ego in illa hora somnium vidi. Ait ei sanctus Pontifex : Narra nobis illud, filia. Sancta Virgo ait : Ego ancilla tua vidi quatuor aratra arantia totam Hiberniam; et seminatores seminarunt semen : et statim illud crevit, et maturescere cœpit; et rivi lactis novi impleverunt sulcos, et seminatores illi erant induti vestibus albis. Post hæc vidi alia aratra, et arantes erant nigri, qui bonam messem everterunt, et sciderunt vomere, et zizania seminaverunt, et aquæ turbatæ impleverunt sulcos. Dixit Episcopus Virgini : Beata Virgo, veram et mirificam visionem vidisti. Hæc est interpretatio ejus : Nos sumus aratores boni, qui quatuor Evangeliorum aratris corda humana scindimus; et seminamus verbum Dei; et lactis fidei Christianæ rivi a nobis fluunt. In fine vero seculi, mali doctores malis hominibus consentientes venient, qui nostram doctrinam evertent, et pene omnes homines seducent. Deinde autem qui ibi erant cum S. Patricio et S. Brigida, Deum benedixerunt.

*prævidet hæreses futuras in Hibernia,*

*visionem explicante S. Patricio :*

23 Alio quoque die quidam pauper leprosus ad S. Brigidam venit, rogans, ut apud S. Brigidam vestimenta sua lavarentur. Dixitque ei Virgo : Fiet tibi quod vis. Ait leprosus : Necesse est mihi nudus esse, quamdiu vestimenta mea humida erunt. S. Brigida ait ad unam puellarum suarum : Da vestimenta tua leproso, quia alia habes, donec vestimenta ejus mundentur. Sed illa puella renuit dare, et statim illa inobediens lepra percussa est : sed post spatium unius horæ pœnitentiam agens, et orante S. Brigida pro ea, munda facta est. Alia vero puella dedit a segmen leproso suum : omnes enim timor accepit. Deinde leprosus postquam exuit se vestimentis suis ante S. Brigidam, mundatus est a lepra sua. Et omnes videntes talia, Deo laudes dederunt. D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*inobedientem ad horam lepra punitam,*

*a et alium leprosum, sanat.*

24 Illa in regione tempore Quadragesimæ, S. Brigida cum puellis suis in quadam cellula mansit. Quadam autem nocte octo fures, viri fortes, venerunt ut tollerent quatuor equos, quos B. Brigida cum suis habebat. Tunc una, quæ erat sine somno, dixit ad S. Brigidam : O Mater, equi nostri furto tolluntur. Cui Sancta ait : Sine, filia, ego jam sentio; sed fortiores nobis sunt, qui auferunt eos. Tunc latrones ablatis quatuor equis, exierunt ad domum cujusdam plebeii, et furati sunt inde XL modios frumenti, ponentes in quatuor equis et in humeris suis, et putantes se ad propriam domum ire, reducti sunt Dei nutu ad cellam Virginum, et deponentes onera de equis, post laborem gravi somno dormierunt b in angulo atro. Facto autem mane, ecce viri, quibus rapta sunt præterita nocte; venerunt ad cellam S. Brigidæ, acceptis armis sequentes vestigia furum et equorum usque ad cellam. Et veniente ad eos S. Brigida, dixerunt ad eam : Grana nostra rapta sunt præterita nocte, sed vestigia furum et equorum usque ad januam loci hujus secuti sumus. Oramus vos, ne quid hujus rei celeris. Tunc reversa Virgo beata vidit latrones dormientes, et suscitavit eos, dicens : Cur attulistis furtum ad nos? Illi jam expavescentes et mirantes, dixerunt : Qua putabamus, Domina, nos ad nostram domum venisse. Tunc S. Brigida misit ad S. Patricium in proximo manentem, ut veniens liberaret latrones. Venitque statim S. Patricius ad sanctam Virginem; et fures liberati sunt, et pœnitentiam egerunt : et illi homines suum frumentum B. Brigidæ cum suis Virginibus obtulerunt, scientes quod a Deo donatum esset eis. Et per hæc nomen S. Brigidæ in istis regionibus divulgatum est. E

*sinit equos suos a furibus nocte abduci,*

*b quos primæ tamen reducunt cum frumento aliunde sublato :*

*sed liberantur a S. Patricio :*

25 S. Patricius quadam die in terra Ultorum verbum Dei prædicabat turbis et B. Brigidæ. Tunc vidit populus nubem magnæ claritatis descendentem de cælo in terram, et coruscantem fulgore immenso, et stetit modico temporis spatio juxta populum in propinquo : et postea nubes illa surgens, ad arcem c Leathglasse (ubi sepultus est ipse S. Patricius et B. d Brigida, et reliquiæ beatissimi Abbatis Columbæ post multos annos collocatæ in uno sepulchro) exiit, et diutius ibi morata, illic evanuit. Et non audebant turbæ interrogare S. Patricium quid significaret illa visio mirabilis; sed autem Virginem Brigidam interrogaverunt. Dixitque eis Sancta : Interrogate Patrem nostrum Patricium. Audiens hoc S. Patricius ait : Tu et ego æquales sumus : revela ergo eis hoc mysterium. Tunc dixit sancta Virgo ad turbas : In illa Angelus Patris nostri S. Patricii erat, qui venit ad visitanda loca, ubi corpus ipsius requiesceret, et sepeliretur post obitum ejus. Nam ubi stetit nubes prius prope nos, ibi erit corpus Patroni nostri post obitum inhumatum per dies, e sed deinde ducetur, et sepelietur in arce Leathglaisse, et ibi manebit usque in diem judicii. Tunc S. Patricius ad S. Brigidam dixit, ut ipsa suis manibus linteamen faceret, quo corpus ejus post obitum tegeretur, optans ut in illo linteamine ad vitam æternam migraret. Et sic F

*c*

*d hujus sepulturam portento nubis designatam,*

*ipsa exponit*

*e linteamen ad eam parat,*

fecit

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A fecit sancta virgo. Et dixit ad S. Patricium : De uno sepulchro ego et tu, Pater, et dilectus Dei *f* S. Columba (qui natus non fuit) resurrecturi sumus. Et in illo linteamine corpus beatissimi Patris nostri Patricii involutum est. Et his dictis turbae dederunt Deo laudes.

*f et prædicit se et S. Columbam apud eum sepeliendos :*

26 Fuit quidam homo nobilis et dives atque bonus, in campo Macha, qui patiebatur dolorem gravissimum et pestem, et non potuit curari a medicis : misitque ipse ad S. Brigidam, ut dignaretur ipsa venire ad se. Cum ergo Virgo Dei domum illius vidisset a longe, dixit : A quacumque jam parte ventus venerit ad domum illam, infert secum maledictionem et morbum ad dominum domus. Cum hoc nuntiatum esset homini illi, ait : Videtur mihi, quod nulli hominum feci malum. Tunc stans ante se armentarius suus, dixit ei : Audivi, Domine, omnes viatores quasi uno ore maledicentes te, eo quod agricolæ tui agros tuos sepibus munientes, omnes vias planas et rectas commutaverunt in asperas et spinosas. Audiens hoc S. Brigida, ait : Vere haec est caussa dolorum tuorum. Tunc illo jubente, totae viae conversae sunt in vestigia pristina, et omnes viatores benedicebant illi, et illico homo ille (S. Brigida orante pro B eo) sanatus est ab omni dolore, et Deo et S. Brigidae gratias egit.

*ægrotantem ob maledicta propter vias commutatas, iis restitutis, orans sanat :*

27 Quadam quoque die S. Brigida sedente cum puellis suis in latere oppidi Macha, venerunt duo viri ad eam portantes vas ligneum apertum, plenum aquæ : et cum venissent rogaverunt Sanctam Dei, ut aquam benediceret. At illa benedixit aquam et viros. Euntibus autem illis, contigit ut caderet in terram vas ab eis, super latus suum, et non est fractum neque aqua effusa est de eo, quamvis aperto, gratia benedictionis S. Brigidae custodiente illam. Audiens S. Patricius illud miraculum, jussit aquam illam Ecclesiis regionis illius dividi, ut ad Eucharistiam sanguinis Christi mitteretur, et ut aspergerentur ægri ipsa in sanitatem, et sic factum est : et qui sanabantur ista aqua, laudabant Deum, et suam famulam S. Brigidam.

*aquam benedicit, quæ vase lapso, non effluit, et servata morbos sanat.*

28 Deinde cum convenirent in unum locum sanctus Pater et S. Brigida cum suis; beatus Pontifex Patricius per tres dies et noctes non cessavit prædicare verbum Dei populo, et nec sol occidit eis, sed omnes putabant esse unam horam. Quidam autem homo, sciens eos esse ibi tamdiu, supervenit, et dixit : Cur tanto tempore, o Sancti, sederis hic ? Dixit C ei Episcopus : Quae est hora nunc diei ? Ille respondit : Vere per tres dies et noctes hic estis. Tunc dixit Pater Patricius : Per XL dies et noctes ita fuissemus, nisi aliquis extrinsecus indicasset nobis, et nullam lassitudinem vel esuriem sentiremus, Divina hac nobis donante gratia. Tunc Sancti ad sua reversi sunt.

*3 diebus et noctibus audit cum aliis S. Patricium prædicantem nec noctem sentit.*

a *Colgan.* ait in 4 *Vit.* sagum.

b *Colg.* in angulo horrei.

c *Supra diximus, hanc esse* Dunum *Ultoniæ urbem.*

d *Translata eo fuit, antea sepulta Kildariæ, ut in Prolegom. diximus.*

e *Addit Colgan. aliquot, scribit Jocelinus, XII diebus continuis S. Patricii corpus inhumatum mansisse, quia Clero controversiis populorum Ultoniæ et Ardmachiæ* prope dito, in loco celitus designato, illud sepelire non permittebatur.

f *Aliud S. Brigidæ de S. Columba vaticinium refert Colganus app. 2 c. 13 ex Vita S. Columbæ aut. O Donello lib. 1, cap. 9.* Beata igitur Brigida Columbae sanctitatem prævidens, hujusce modi de eo vaticinium edidit : Oritur, inquit, in hac Aquilonari plaga virgula gratiarum omnium floribus ornata, quae Divina operante virtute, in magnam proceramque arborem excrescet, ramos suos ultra omnem Hiberniam, Albaniam, ultimumque hunc orbis horizontem explicatura. Arbor autem, quam dico, Columba erit; quem ex beata illa femina Ethne, velut e radice fecunda egressum, divini verbi prædicatio, et vitae exempla per diversas has regiones celeberrimum efficient; cujusque ego (licet necdum natu[s]) sanctimoniam et virtutum fragrantiam, veluti si re ipsa coram apparerent, subolfacio. Alias etiam eadem Virgo prædixit D. Patricium, se ipsam, et Columbam fore in uno eodemque tumulo condendos.

## CAPUT VI. D

*In Midia obtenta Reginæ proles, impeditæ cædes, signa superstitiosa dissipata.*

Post haec accepit beatissima Brigida a S. Patricio Archiepiscopo licentiam veniendi ad suam patriam, et venit ad campum Breagh in regione Midiæ : et cum ibi habitaret in quadam cella, venit ad eam uxor filii Conalli, filii Neilli Regis Hiberniæ, ut rogaret pro se, quia ipsa sterilis erat : et habebat phialam argenteam in eleemosynam S. Brigidæ. Nolens jam Sancta Dei exire ad eam, unam de puellis suis ad salutandam illam foris manentem misit. Rediens illa Virgo ad S. Brigidam, dixit : Cur, Domina, non vis venire ad Reginam, ut ores pro ea Deum, et filium habeat, cum sæpe roges pro uxoribus rusticorum ? Cui respondit Sancta Dei : Ideo, quia rustici et pauperes serviunt Deo, (nisi pauci) et Deum poscunt. Filii vero Regum serpentes sunt; et filii sanguinum, et fornicationum, exceptis paucis electis a Deo. Sed tamen quia ipsa adjuravit nos, vade ad eam, et dic ei : Habebis semen, quod sanguineum et maledictæ stirpis erit, sed tamen multos annos regnum tenebit. Et sic eventus probavit.

*visitur a Regina, impetrat ei filium, et qualis futurus prædicit :*

E

30 Quadam quoque die occurrit S. Brigidæ quidam insanus, de loco in locum transcurrens, furore agitatus, qui affligebat omnes occurrentes per loca ista. Videns eum sancta Virgo dixit ei : Prædica mihi, o homo verbum Domini nostri Jesu Christi. Comites autem Sanctæ Dei valde timentes confidebant in sanctitate Dominæ suæ. Insanus jam factus mitis, ait Virgini : O B. Brigida, tua jussa implebo : Ama Deum, et amabunt te omnes boni ; honora Deum, et honorabunt te omnes : time Deum, et timebunt te omnes. Et cum haec dixisset, cum clamore fugit.

*a furioso egregia documenta accepit :*

31 Eodem tempore Conallus Neilli filius ad S. Brigidam in via ambulantem venit, et dixit ad eam : O sancta Virgo, benedic me diligenter, ne me occidat frater meus Carbræus, qui me multum odit propter regnum. Ait ad eum Sancta Dei : Tui milites ante me præcedant, et benedicam te sequentem eos : non enim oportet nos ire cum eis. Tunc illi præcesserunt, et cum accederent omnes per collem, una ex Virginibus dixit ad S. Brigidam : Heu Mater, quid faciemus ? Ecce Carbræus post nos, frater istius Domini, advenit : et ipsi fratres se mutuo nunc interficient. Ait eis Sancta : Non sic faciet nobis Deus noster. Et cum advenisset ille, dixit ad S. Brigidam : O sancta Virgo, benedic me, quia in his locis timeo fratrem meum Conallum. F Tunc simul omnes cum Sancta Dei ibant, et nec se agnoscebant : cæcavit enim Deus oculos illorum, ne se agnoscerent propter S. Brigidam, et separantes in diversis viis Carbræus et Conallus osculabantur se invicem, alter alterum quemdam suum amicum putans. Et postea hoc scientes, multum Dei nomen et S. Brigidæ magnificabant.

*duos fratres capitaliter dissidentes benedicit, neque mutuo agnoscunt*

32 Iterum alio tempore idem Conallus cum suis satellitibus circumdatus sub stigmatibus malignis venit ad S. Brigidam, dicens : Tua benedictione, O Sancta Dei, indigemus : nam volumus ire ad regiones longinquas terrarum devastare et interficere inimicos. Respondit Sancta : Deum meum omnipotentem rogabo, ut ista vice a nullo lædamini, et nullus sit læsus a vobis : et ista signa diabolica deinde deponatis. Et haec vota Virginis Christus velociter complevit. Illi enim his auditis in regionem *a* Cruthniorum, quæ est Aquilonaris pars Britanniæ, navigarunt, et expugnaverunt quoddam castrum, et visum est eis quod incenderunt illud, et putarunt multos inimicorum se interfecisse et decollasse : et reversi sunt ad patriam suam cum sonitu et lætitia grandi, portantes capita inimicorum Principum. Et cum venissent ad portum,

*a efficit ut diabolicis stigmatis ulentes nulli nocerent.*

capita

A capita vel sanguinem non viderunt; et nec in vestimentis, nec in armis ullus cruor apparuit. Et stupuerunt, et dixerunt ad invicem : Quid nobis contigit? Ubi sunt, quæ cernimus? Tunc inito consilio remiserunt legatos ad castrum, quod succenderant, ut interrogarent, si quid eis accidisset. Legati vero interrogaverunt habitatores istius loci, dicentes : Utrum aliquid novum vobis accidit? At illi dixerunt : Non, nisi stipulas hodie incensas invenimus, destructosque de capite lapides undique reperimus ; neminem autem vidimus, neque sensimus, quis hoc fecit. Legati jam revertentes, hæc Conallo renuntiaverunt. Tunc Conallus magnificans nomen Dei, cum suis tendit ad patriam suam, veniensque, ubi erat S. Brigida, naransque omnia hæc ei, posuit ipse et sui stigmata sua secundum jussionem Virginis. Quæ dixit ad Conallum : Quia stigmata tua respuisti propter me, in quocumque periculo invocabis me, defendet te Deus per me, et incolumis evades.

*umbras pro hominibus cædentes : stigmatis depositis, eos benedicit,*

33 Et hoc promissum aliquando sic completum est : nam post tempus exiit ipse Conallus cum exercitu suo multo in regionem inimicorum suorum, et ibi magnam cædem fecit, et post victoriam gloriose reversus est ad terram suam ; cum non longe venissent
B a terra illa, cadebat super eos nox; et videns Conallus quoddam castellum desertum, intravit illud. Tunc milites sui dixerunt ei : Si hic prope terram inimicorum manserimus, morti trademur : inimici enim nostri latenter nos sequentur, et irruentes interficient nos dormientes. Dixit eis dominus suus : Nox jam cadit, et lassus ego sum : scitote, quia beatissima Brigida promisit mihi, quod me defenderet in omni periculo se invocantem; et credo, quia quod ipsa promisit, verum foret : in manus Dei per eam me cum comitibus meis in hac nocte commendo. Statimque inimici in illa nocte post eos venerunt, sequentes eorum vestigia : et cum venissent prope castellum, ubi erat Conaldus, tres viros ad considerandum castellum miserunt : et illi castellum, ubi erat Conaldus, intrantes, viderunt magnum populum sedentem in habitu Clericali, et ignem in medio eorum, et libros apertos coram eis : sic enim posuerunt milites capita inimicorum suorum ante se, et visa sunt quasi libros apertos scrutantes. Reversique exploratores talia dominis suis narraverunt ; et iterum alios tres viros sagaciores miserunt, et ipsi viderunt similiter Clericos cum suis libris apertis, sicut priores viderunt. Tunc exercitus inimicorum
C reversus est ad regionem suam. Crastina autem die ipsi legatos post Conaldum miserunt, ut peterent ab eo capita, ut cum corporibus sepelirentur : qui legati hoc Conaldo nuntiaverunt : et acceptis capitibus reversi sunt, nuntiantes dominis suis, quod Conaldus cum exercitu suo illic erat. Utrique talia scientes, Deum et S. Brigidam glorificabant.

*et in periculis tuetur, delusis inani specie hostibus*

34 Alio tempore B. Brigida, rogata a quibusdam, adivit Regem in campo Breagh manentem, ut liberaret quemdam virum, qui erat in vinculis apud Regem : et promisit sancta Virgo precem pro illo dare Regi. Sed Rex nullo modo voluit dimittere eum, promittens quod ipse illo die occidendus esset. Et vix obtinuit S. Brigida, ut concederetur illi spatium istius noctis. Deinde S. Brigida illa nocte perrexit cum cognatis et amicis illius vincti : omnibus dormientibus, sola Brigida vigilabat. Dixerunt sui ad Regem : Nisi in hac nocte ille captus occidatur, Domine Rex, nemo poterit eum cras occidere, quia S. Brigida eum liberabit. Statuimus ergo nos consilium ut per vim rapiamus eum, et sine tuo consilio occidamus, et tu eris inculpabilis. Et hunc dolum Sancta Dei divinitus cognovit, et in prima vigilia noctis visio apparuit viro, qui erat in vinculis : vidit jam ipse S. Brigidam ei adstantem, et dicentem sibi : Ecce mali homines cogitant te occidere in hac nocte. Sed cum
D traheris ab eis ad jugulandum, vocabis nomen meum sæpius : et cum catena de collo tuo ablata fuerit, ut occiderent te, declina ad dextram tuam partem, et incolumis evades ad nos ab eis. Postea ipso evigilante, venerunt illi, et rapuerunt eum de palatio Regis, et ducentes eum foras solverunt catenas de illo. Ipse autem absolutus, statim evasit ab eis, et incolumis venit ad S. Brigidam. Ipse se putabant interficere eum, et amputasse caput ejus. Crastino autem die nec corpus, nec caput apparuit, quippe quia phantasma videbant, etiam omnes admirabantur stupidi. Orto jam sole misit B. Brigida nuntium ad narrandum Regi quæ gesta fuerant. Rex vero hæc audiens pœnitentiam egit; et dimisit illi homini, propter sanctissimam Brigidam, omnem inimicitiam suam.

*captivo frustra ...*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*in somnis admonitum periculo eripit, interfectoribus phantasmate delusis;*

35 Quadam die ad B. Brigidam quidam viri fatui venerunt, habentes stigmata diabolica in capitibus suis, qui quærebant sanguinem fundere : et cum postularent se benedici a S. Brigida, illa rogavit eos vicissim, ut his vanis uti cessarent. At illi dixerunt : Non possumus ita stigmata nostra dimittere. Et videns Virgo signorum formas multum mirabatur : et signavit ea signaculo Christi, non caussa benedicendi, sed ne homines per ea perirent. Illi autem abierunt, quærentes sanguinem effundere, et reperientes
E in via virum plebeium, visum est eis quod eum jugulaverunt et decollaverunt. Vir vero ille per medium illorum incolumis exivit in domum suam, apparens eis phantasma. Illi postea quærentes caput ejus, vel corpus aut sanguinem, nihil invenerunt, dicebantque ad invicem : Miraculum nobis contigit, a Deo factum S. Brigidæ caussa, putantibus occidisse virum, et non interfecimus. Et divulgatum est factum ab eis per omnem regionem, ipsique postea sua stigmata, glorificantes Deum, et S. Brigidam magnificantes, reliquerunt.

*superstitiosa stigmata Cruce signat, ne noceant, et post vanam cædis speciem, abjici impetrat*

36 Dux quidam in campo Liffi ad S. Brigidam accessit, ut ab ea benediceretur. At Sancta benedixit eum diligenter. Dux vero gaudens reversus est ad castellum suum. Quidam vir audax, qui inimicus Ducis erat, intravit illa nocte castellum occulte, omnibus dormientibus, et tenens candelam de candelabro, quæsivit Ducem dormientem, et inveniens eum vidit gladium super cervical juxta se, et accipiens ipsum gladium Ducis, in cor Ducis tribus vicibus fortiter fixit, et statim in fugam perrexit. Tunc omnes scientes effusionem sanguinis, surrexerunt, et fecerunt planctum, putantes Ducem esse mortuum. Dux
F vero de gravi somno evigilans, et pusillum vulneratus, sospes remansit, et consolatus est eos, dicens : Ponite planctum vestrum, quia benedictio S. Brigidæ, quæ hodie me benedixit, custodivit me de hoc magno periculo. Crastina quoque die cum magnis muneribus venit ipse Dux ad S. Brigidam, agens ei gratias. Deinde gloriosa Brigida pacem inter ipsum Ducem et inimicum, qui eum jugulavit, et inter genera eorum in sempiternum fecit, per merita ejusdem Virginis, Deo donante.

*Ducem benedictum ter gladio confossum immunem servat, et hosti reconciliat*

a *Colg.* Cruthenorum, *uti et in 4 Vita, ubi MS. Aud. habet* Cruthniorum

## CAPUT VII.

### *Iter in Momoniam cum S. Erco Ep. variæ adjuti egentes, puniti contumaces.*

Post hæc B. Brigida in provinciam Momoniensium, volens loca sancta et Sanctos qui ibi erant, visitare, exivit, simul et Episcopus Ercus, qui fuit discipulus S. Patricii Archiepiscopi, quique natus de Momonia erat. Cum quodam die ambularent in via, S. Brigida dixit ad Episcopum Ercum : Demonstra, venerabilis Pater, sub qua parte cœli gens tua in Momonia consistit.

*profecta ... in Momoniam*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*videt prælium in remota provincia committi,*

A sistit. Et cum Episcopus indicasset, sancta Virgo dixit ei : Nunc ibi bellum geritur inter tuam gentem et aliam. Dixitque ei Episcopus : Credo, quod dicis, sancta Mater, verum esse. Nam quando ab eis ad te veni, dimisi eas discordes. Dixitque ei sancta Virgo : Gens tua, Pater, nunc in fugam convertitur. Tunc unus de discipulis sancti Episcopi, hoc non credens, proterve dixit ad S. Brigidam : Quomodo potes videre bellum per magnum spatium terrarum? Arguitque eum Episcopus, ne blasphemaret Spiritum sanctum, qui illuminabat sanctam Virginem corpore et anima. Dixitque ad beatam Virginem : Oro te, Sancta Dei, signa oculos meos, et hujus Fratris, ut videamus quæ vides. Tunc signavit oculos eorum Christi sponsa, et viderunt bellum lucide, et ait ille discipulus Erco Episcopo voce lacrymabili : Heu, heu, Domine mi, ecce jam modo, videntibus oculis meis, duo fratres mei decollantur. Et ita omnia eventus rei probavit.

*effecitque ut duo alii videant*

38 Deinde in quodam loco juxta montem sanctus Episcopus Ercus et beatissima Virgo Brigida cum suis comitibus, itinere fatigati, esurientes sederunt. Tunc unus puerorum dixit : Ille magnam misericordiam fecisset, qui nobis modo comestionem dedisset. Respondit ei S. Brigida : Ego vobis prædico, si vultis cibo et potu satiari, expectate hic paruniper adjutorium Salvatoris. Video domum, in qua eleemosyna hodie cuidam Ecclesiæ offerenda parata est, quæ huc venit hac hora : ecce modo in sarcinis est. Adhuc Sancta loquente, ecce venerunt qui eleemosynam portabant. Et illi cognoscentes, quod S. Brigida et B. Ercus Episcopus cum suis esurientes sedissent illic, lætati sunt valde, et obtulerunt eis suam eleemosynam, dicentes : Aspicite eleemosynam, quam vobis misit Deus. Non enim invenimus Ecclesiam meliorem, quam vos. Tunc gratias Deo agentes comederunt illic. Sed tamen potum non habebant, quia de cibis tantum erat illa eleemosyna. Dixit eis S. Brigida : Fodite terram illic : et illis fodientibus terram, fons lucidus illic erupit, qui usque hodie manet, et Fons S. Brigidæ vocatur.

B

*suis esurientibus cibos impetrat,*

*fontem elicit*

39 Deinde campum Femyn intrantes, invenerunt ibi magnam synodum Sanctorum, et detenti sunt in synodo. Narravit autem sanctus Episcopus Ercus synodo virtutes, quas ipse vidit factas per S. Brigidam. Audientes habitatores illius regionis S. Brigidam ibi esse, adduxerunt multos infirmos ad eam, ut curaret eos, inter quos erant claudi, leprosi, dæmoniaci; et orante Christi sponsa pro eis, statim illos Divina potestas languoribus suis sanavit.

*infirmos plures curat :*

C

40 Postea exivit S. Brigida ad locum, qui erat prope mare, haud procul a loco in quo tunc sanctus Episcopus Ercus manebat, et mansit illic cum puellis suis longo tempore. Non longe ab eis quidam anachorita habitabat : ipse Deo devotus et perfectus erat, et volens vitare facies mulierum, deseruit locum suum, et direxit iter ad quamdam insulam vallatam aqua. Et ingrediens viam, venit prope cellam, in qua S. Brigida habitabat. Sui discipuli dixerunt ei : Eamus, Domine, ad S. Brigidam, ut nos benedicat. Respondit anachorita : Scitis, filii, votum meum, quod nullam volo videre feminam. Postea surgentes obliti sunt aliqua necessaria de rebus suis. Facto autem vespere steterunt in quodam hospitio, et iterum recordati sunt rerum suarum, dicentes : Ideo res nostras perdidimus, quia non declinavimus ad Sanctam Dei, ut benedicat nobis : et pro hac culpa orante Deum in hac nocte jejunabimus. Mane autem facto, reversi sunt ad S. Brigidam, et invenerunt apud eam res suas. Cum enim oblivviscerentur Fratres res suas, sancta Virgo sedens in cella, dixit suis : Ite, et adducite res servorum Dei, quæ relictæ in via proxima sunt. Sanctus anachorita et sui apud S. Brigidam tres dies et noctes manserunt in Dei laudibus,

*Eremitæ nolentis ex itinere ad se divertere;*

*omissas ideo sarcinas divinitus cognoscit, et colligit,*

*ac reddit,*

et in prædicatione verbi Domini. Deinde reversi sunt illi : et B. Brigida volens satisfacere eis, iter illius diei exivit cum eis. Videns autem Sancta Dei, onera discipulorum anachoritæ gravia fuisse, miserta est eis. Tunc viderunt duos equos de monte propinquo descendentes ad se, et jubente S. Brigida imposuerunt super eos onera, et cum venirent ad finem itineris, dixit eis S. Brigida : Dimittite equos ad sua reverti. Tunc soluti equi reversi sunt : et nemo illorum novit, unde essent, vel cujus fuissent. Et ibi beata Virgo Brigida data benedictione ad invicem, reversa est ad cellam suam. D

*iisque vehendis equos a Deo obtinet :*

41 Anachorita autem perveniens ad insulam intravit eam : sed homo, cujus possessio erat insula illa, exivit cum pecoribus suis et hominibus in eam, volens pecora sua per æstatem ibi pascere. Sanctus autem vir, devitans videre mulieres, rogavit illum hominem, ut exiret de insula, sed non impetravit. Dicebat enim ille homo, quod habebat illam terram in hæreditate paterna. Tunc misit anachorita ad S. Brigidam, ut veniret adjuvare eum. At Sancta perveniens, rogavit illum hominem, et non potuit impetrare. Crastina autem die venit ingens aquila, et rapuit filiolum illius sursum in aere. At uxor ejus, mater infantuli, plorans et flens venit ad S. Brigidam, petens adjutorium. Cui ait Sancta : Noli flere, quia vivit infans : et dimisit eum aquila in littore super terras, et sic infans inventus est incolumis. Sed adhuc homo ille durus permansit, et in littore, nolens discedere, habitavit. Crastino autem die subito, Divina potentia, ventus validissimus venit, et illum cum suis trans fretum in proximum portum leviter vexit. Tunc homo ille compunctus corde, pœnitentiam egit, et devovit se Deo et S. Brigidæ.

*nolentem suo consilio, in favorem servorum Dei, acquiescere,*

E

*gemino miraculo cogit*

42 Alio quoque die hospites religiosi venerunt ibi ad S. Brigidam. Tunc dixit Sancta Dei piscatori suo, qui solebat tauros marinos, id est, phocas, occidere : Vade ad mare, si possis afferre aliquid hospitibus. Tunc ille navigans assumsit hastam, qua jugulavit belluas marinas. Et statim occurrit ei phoca ; et elevans ille hastam, infixit eam in taurum. Sed funis pendebat circa manum viri innixus hastæ, hasta vero in capite phocæ fixa erat. Taurus autem graviter vulneratus traxit secum virum in sua navicula in pelago, et non cessavit, donec pervenit ad littus cujusdam insulæ in mari positæ longe : et tunc funis scissus est, ubi vir mansit in sua navicula in littore. Phoca vero pendente hasta in suo capite, reversus est in mare, et venit recto cursu ad littus loci illius, in quo S. Brigida erat, et ibi mortuus est. Vir autem ille confidens in Deo per sanctitatem Dominæ suæ tentavit navigare, et prospera navigatione, Dei nutu, venit sexta hora ad suum portum, et invenit recto cursu ibi phocam mortuum cum hasta in littore, et ingressus domum narravit omnibus illam suam navigationem.

*piscatorem procul abreptum servat,*

F

*et subito revehit, cum præda elapsa*

43 Deinde S. Brigida cum suis in campum Cliach, in Momonia positum, exivit, et habitavit illic in quodam loco ad tempus. Ibi ad Sanctam Dei quædam ancilla venit, fugiens dominam suam, quia non poterat mores ejus sufferre. Domina autem ejus secuta est eam, volens reducere eam. Sancta vero Brigida volens liberare miseram, rogavit dominam suam, ut dimitteret ancillam Deo liberam. Sed illa mulier noluit : ancilla enim pretiosas vestes texebat. Et tunc illa domina manum ancillæ suæ tenuit, et traxit eam violenter de latere S. Brigidæ. Et hoc Sanctæ Dei displicuit. Et cum pertransisset paullum ancilla S. Brigidam, manus dextra dominæ aruit, qua tenuit manum ancillæ. Videns autem illa, quia non poterat movere manum suam, flevit et rediens egit pœnitentiam, et dimisit ancillam liberam S. Brigidæ : et illico manus ejus sanata est.

*nolentis ancillam sibi relinquere, manus ut arescat efficit quam dein sanat*

44 Alio

A 44 Alio tempore B. Brigida rogata est ut iret ad Regem illius regionis, qui tum erat in campo Cliach, ad liberandum virum qui erat in vinculis apud Regem. Et perveniens Christi amica ad domum Regis, non invenit Regem ibi; sed nutritor ejus cum suis amicis erat in domo. Et videns beata Virgo citharas in domo, dixit : Citharizate nobis. Responderunt ei homines : Domina non sunt modo citharistæ in domo. Tunc quidam de comitibus S. Brigidæ joculari verbo illis dixit : Benedicat sancta Virgo manus vestras, ut possitis complere quæ ipsa præcipit vobis, et obedite voci ejus. Tunc nutritor Regis cum suis filiis dixit : Benedicat nos Sancta Dei, ut citharizemus ei. Et benedicente eos Sancta, acceperunt citharas, et modulanter rudes, quasi periti citharistæ, et dulciter citharizabant. Tunc Rex venit ad domum suam, et audiens sonum carminis, dixit : Quis facit hoc carmen? Occurensque unus ei dixit : Nutritor tuus, Domine, et filii sui, jubente illis S. Brigida. Intravit Rex domum, mirans de hac re, et postulavit statim benedictionem sibi a sancta Virgine. Dixitque Sancta : Tu pro benedictione virum illum, quem tenes in vinculis, dimitte liberum mihi. Tunc Rex benedictione accepta a S. Brigida, gratis et benigne donavit ei captum. Nutritor vero Regis et filii sui, probi citharistæ usque ad diem mortis suæ fuerunt, et nepotes eorum Regibus venerabiles citharistæ erant. B

*benedictione conferi quibusdam peritiam canendi*

*captivo libertatem obtinet:*

45 Alio vero die duo leprosi ad S. Brigidam venerunt, rogantes ut salvi fierent. Tunc Deum oravit Sancta, et benedixit aquam, et dixit eis, ut alterutrum se lavarent in aqua sancta. Et cum alter alterum lavaret, unus statim mundatus est, et vestibus lotis induitur. Dixitque illi Virgo : Lava et tu socium tuum. Ille autem videns quia mundatus est, et vestes haberet lotas, noluit lepram alterius tangere, sed de sua salute gloriabatur. Ait ei Sancta : Quod voluisti ut ille faceret tibi, te decet similiter ei facere. Ille vero negavit et contradixit. Tunc B. Brigida surrexit, et lavans leprosum, mundatus est inter manus ejus, et vestibus lotis induit eum. Qui vero prius sanatus fuerat, ait : Modo sentio scintillas ignis super humeros meos, et statim totum corpus ejus lepra percussum est propter superbiam suam. Alter vero humilis mundatus est; sicut legitur : Qui arrogat, dejicietur; et qui se inclinat, altus fiet. Et gratulabatur ille, gratias agens Deo, qui se per merita S. Brigidæ sanavit.

*leprosum aqua benedicta totum mundat*

*item alium,*

*priorem ob superbiam iterum lepra infecto,*

Luc 14. 11

46 Duo alii leprosi ad S. Brigidam venerunt, quærentes eleemosynam. Sancta autem nihil aliud habens, quod daret eis, unam vaccam, quam habebat, dedit eis, quorum unus gratias egit Deo : alter vero superbus et ingratus extitit, dicens : Nisi mihi soli detur vacca, medium ejus non habebo. Dixit tunc Sancta ad humilem leprosum : Tu ergo hic mecum expecta paullisper, donec nobis Dominus aliquid mittat, ille autem vaccam solus habeat. Exiit deinde cum vacca sua, sed solus non potuit eam minare : tandem labore fatigatus, reversus est ad S. Brigidam, et multis conviciis insultabat in eam, dicens : Ideo non potui eam minare, quoniam non ex corde donasti eam, dura nimium et immitis. Sancta autem consolabatur eum, et non potuit eum lenire. Et hoc displicente beatæ Virgini, ait ad eum : Filius perditionis jam es. Vacca modo tibi mitis erit, sed tum non tibi proderit. Tunc vero vir quidam ad S. Brigidam venit, habens vaccam in oblatione, quam Sancta Dei alteri leproso dedit. Deinde duo leprosi minaverunt duas vaccas suas : et cum venirent ad quoddam flumen, mersus est ibi protervus leprosus, et absorptus est in profundum, neque unquam inventum est corpus ejus. Humilis vero evasit incolumis cum sua vacca.

C

*duobus leprosis dat singulas vaccas,*

*sed unus ingratus et superbus submergitur :*

## CAPUT VIII.

D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*Reditus in Lageniam, annona sæpius a Deo impetrata, succursum in itinere errantibus.*

*a* Multa alia B. Brigida in regionibus Momoniensium fecit, et plura loca et monasteria ibi signavit. Post hæc iter arripuit venire ad civitatem suam in terram Lageniensium. Cumque venisset in curru suo per campum *b* Feaimhire, invenerunt quemdam agricolam præparantem agrum suum. Dixit ei auriga sanctæ Virginis : Concede nobis, ut S. Brigida curru suo transeat agrum tuum, et postea circumdabis sepe agrum tuum. Respondit ille vir : Non, sed ite per circuitum agri. Tunc dixit sancta Virgo : Faciamus, quod ipse dicit, ne aliquid offendat nos caussa illius viri. Sed tum auriga cogebat equos transire agrum. Videns hoc vir ille, furibundus cædebat nares equorum, equisque calcitrantibus B. Brigida de curru cecidit, et læsa est; et de equis auriga cadens læsus est : et steterunt equi postea. Tunc ait Sancta : Nonne dixi vobis, ut vitaremus hunc hominem, quia eum virum pestilentiæ et mortis esse vidi? Et vir ille inceptum opus aggreditur, parvi pendens scelus, quod fecit contra Dei famulam. Et vindicans Deus injuriam ancillæ suæ, ille vir statim corruit in terram, et ibi mortuus est.

*a*

*redit in Lageniam :*

*b*

*lapsa e curru læditur,*

*extincto qui caussa erat lapsus*

E

48 Deinde S. Brigida veniens ad fines Lageniensium, intravit regionem *c* Labrachy : ibique quædam fœmina ad eam cum filia sua leprosa venit, ut sanaretur illa. Tunc sancta Virgo jejunans oravit, et benedixit aquam, et jussit leprosam aspergi ea : et statim aqua benedicta aspersa mundata est a lepra sua, et gratias egit Deo cum matre sua, et S. Brigidæ.

*c*

*oratione et aqua benedicta leprosam sanat*

49 Postquam S. Brigida ad suam civitatem pervenit, quidam religiosi viri ad eam visitandam venerunt, et prædicaverunt ei verba Divina : Post hæc dixit S. Brigida ad Cellariam suam : Præpara prandium pro sanctis hospitibus. Respondit cellaria : Quale prandium? Ait ei Sancta : Multa fercula dentur eis. Respondit Cellaria : Fiet sic; sed tu, Domina, iro prius ad ecclesiam, et ora ibi : nihil enim eorum, quæ Sancta dixit, habuit Cellaria tunc. Nimia enim largitas caritatis B. Brigidæ dividebat citius, quicquid donaverat ei Deus. Et dixit Sancta ad Cellariam, sciens caussam ejus : Vade modo ad cellarium tuum, et signa illud, et claude ipsum, et rediens ora; atque ego ibo ad ecclesiam. Hora autem sexta vocabat S. Brigida Cellariam suam, et dixit ei : Adest tempus, ut reficiantur servi Dei. Vade modo ad cellarium, et quæcumque inveneris ibi, da illis largiter. Aperiens jam illa cellarium, omnes escas, quas nominavit S. Brigida Mater, invenit ibi. Et non defecerunt ei escæ per septem dies, et tamdiu erant sufficientes tam hospitibus quam omni familiæ et pauperibus. Nemo tunc noverat hanc rem præter ipsam S. Brigidam et piam Cellariam suam. Unde illæ escæ erant, aut quis illas attulit, scientia Dei novit.

*oratione ciborum copiam obtinet, hospitibus et pauperibus*

F

50 Alio tempore cum esset B. Brigida in quodam loco, ubi erant rivuli sine aquatilibus oleribus, quæ nascuntur in rivulis fontium sine humano labore, quibus vescuntur multi in occiduis partibus Sancti, qui crucifigunt se in jejuniis; chorus illius loci Virginum venit ad eam, habentes quæstionem, et dixerunt ad eam : Cur, Domina Mater, olera aquatica in his aquis non nascuntur, quibus sancti homines assuescunt? Sciens pia Virgo, quod vellent illa olera habere, sequenti nocte vigilans Dominum rogavit. Mane autem surgentes puellæ, viderunt rivulos supra undam illis oleribus plenos, id est, *d* brisia, et sampsia, et ceteris oleribus abundantes : et transeuntes per longa spatia locorum, invenerunt in illis locis magnam multitudinem olerum, quæ ante ibi invisa erant, donata a Deo, sicut rogavit famula sua. Et ibi adhuc

*item virginibus orationis, olera aquatilia ad rivulos*

*d*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

adhuc olera ejusdem generis, Dei dono, S. Brigidæ non deficiunt.

*absentia cognoscit:*

31 Quidam homines de longinquis locis venerunt ad Brigidam, volentes se commendare ei, et ducebant secum munera multa in plaustris et equis: sed die quo putabant pervenire ad Sanctam Dei, nox in silva densa super eos cecidit, et errantes non poterant plaustra præ tenebrositate ducere. Beata autem Brigida laborem eorum spiritu prophetico sciens, Deum rogavit pro eis, et dixit suis: Accendite ignem, et calefacite aquam, ut laventur pedes hospitum venientium ad nos. Et mirabantur quod dixit homines ambulare in tenebrositate densa illius noctis. Tunc apparuit illis lampas ingens illuminans eis viam lucide, usque dum venerunt ad monasterium S. Brigidæ, et sanctissima Virgo obviam exivit. Denique omnes gratias egerunt: et solventes sua vota, post tres dies reversi sunt per eandem viam, et vix maximo cum labore in die vacua plaustra dixerunt pro austeritate viæ; sed Christus in nocte illa loca plana et lucida fecit eis propter S. Brigidam se rogantem.

*nocte errantibus in silva lumen præferri divinitus impetrat,*

*et complanari vias asperas.*

32 Simili modo sanctus Episcopus Broon, cujus mentionem fecimus, cum curribus et equis et cum multo populo ad S. Brigidam visitandam venit: et accidit, sicut supra diximus, eis. Nox enim hiemalis longe a monasterio S. Brigidæ foris in densa silva cecidit super eos. Sancta Virgo vero hæc divinitus sciens, dixit puellis: Oremus, filiæ, pro hospitibus sanctis, qui laborant venientes ad nos, ut misereatur Deus laborum eorum. Mira multum, Fratres carissimi, dicturus sum vobis. Tunc Episcopus Broon et sui comites, prope se quasi monasterium S. Brigidæ conspexerunt, et S. Brigidam lætam cum suis puellis in occursum viderunt. Quæ subito in magnam aulam paratam eos deduxit, et detractis calceamentis, abluit pedes eorum, abundantiaque ciborum et potuum refecit eos: et currus eorum bene curavit, stratisque lectis collocavit eos; et omnia quæ necessaria sibi erant, præbuit eis sancta Virgo cum filiabus suis, sicut visum est eis. Mane autem facto S. Brigida in suo monasterio dixit puellis suis: Properemus obviam Episcopo Broon cum comitibus suis, qui errabant præterita nocte in silva. Tunc Sancta cum suis festinavit, et invenerunt hospites in silva sedentes. Et scientes quod Deus fecit miraculum in eis propter S. Brigidam, et narrantes quæ fuerunt gesta erga se, quasi nesciret Virgo, glorificantesque Deum cum ingenti lætitia, illi venerunt cum Sancta Dei ad monasterium suum. Ideo jam S. Brigida ad eos in silvam exivit, quia sciebat quod illi putabant se esse in monasterio suo.

*pro aliis similiter modo errantibus orat eumque,*

*qui sibi visi sunt ubi ea in monasterio magnifice excipi,*

*quod postridie factum*

33 Manensque ibi per aliquot dies Episcopus Broon, reversus est cum suis ad regionem suam, et donavit ei S. Brigida vasculum chrismatis, quod pro magno munere Episcopus accepit ab ea. Sancta enim Dei suas magnas res peregrinis et pauperibus Christi donabat. Quodam quoque die ipse Episcopus transiens per littus maris, Frater, qui habebat illud vasculum, oblitus est in littore; et recordans venit, et indicavit Episcopo flens. Cui ait sanctus Episcopus: Noli flere, Frater, quia credo, quod donavit nobis beatissima Brigida, non poterit diabolus perdere. Sed mare ad plenitudinem ante suam venerat: rediens autem Frater non mutatum fluctibus maris, crescente et decrescente mari, a quo illic dimissum est, et ibi viatoribus transeuntibus, vasculum invenit, et gratias Deo egit. Et cum ostenderat sancto Episcopo, similiter ipse Deo et B. Brigidæ gratias retulit.

*quod suo, etiam sacro, peregrinis*

*S. Broono chrismatis vasculum,*

*quod fluctibus maris non corruptum*

a Cristonal Colganus hoc [illegible] libri [illegible], qui scriptor hujus Vitæ erat, [illegible] libris [illegible] auctore veteri descriptum, ait § 2 num. 15 [illegible]

b Colg. Cendum, in [illegible] 12 num. 79 Cendun appellatur

c [illegible] Colg. Calraidh, addit in aliis [illegible] habere, provinciam nepotum Lateinsia.

d Censuit Colganus per brisiam nasturtium aquaticum intelligi, per sampsiam vero, vel amaracum, sive sampsychum, vel potius herbam, quam vulgo acetosam vocant, Hiberni Samhadh.

## CAPUT IX.

### *S. Ninnidio prædicta. S Darlugdachæ lapsus, victoria.*

Quodam die cum gloriosa Brigida paullulum a monasterio, in campo Liffi, ad Orientem plagam esset, quidam juvenis scholasticus per propinquam viam venit, et videns ille S. Brigidam, elevavit vestimenta, et cœpit velociter et a scurriliter currere. Et ait S. Brigida uni de Virginibus suis: Voca illum ad me. Et vix ille declinavit ad eam; cumque veniret ille, ait ei sancta Mater: Quo tu curris tam cito? Ille respondit dicens: Hodie oportet me intrare regnum Dei, et ad illud curro. Ait Sancta: Utinam mererer currere tecum hodie ad regnum Dei. Ora pro me, Frater, ut perveniam ad regnum Dei. Respondit scholasticus: Et tu roga Deum Sancta, ut cursus meus sit assiduus in regnum Dei: et ego pro te vicissim rogabo, ut tu et plurimi tecum ad regnum Dei vadant. Et tunc orante S. Brigida pro eo, repletus est ipse gratia Spiritus sancti, et conversus egit pœnitentiam, et factus est religiosissimus vir usque ad mortem suam, qui vocabatur Ninnidius, filius b Eathach, de partibus c Muli, et inter majores Sanctos Hiberniæ nominatur. Cui ait S. Brigida: In die obitus mei de manu tua communionem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipiam. Et ait S. Ninnidius: Utinam tu viveres donec de manu mea Eucharistiam acciperes. Ideo jam dixit hoc, volens ipse diu peregrinari, et non videre iterum Sanctam Dei, ut ipsa maneret ad finem mundi. Sed Sancta affirmavit, quod foret vere, et acciperet ab eo communionem in die obitus sui. Post hæc benedicentes se salutaribus dictis, et commendantes se invicem Deo, ad sua separatim recesserunt.

*S. Ninnidium adhuc juvenem inducit ad religionem,*

*et prædicit se ab eo accepturam Eucharistiam in fine vitæ*

55 S. Ninnidius volens ab illa die manum suam mundissimam servare, de qua beatissima Brigida prædixit ut in die exitus sui Divinum viaticum sumeret, fecit circa eam æream arctam manicam, cum sera et clavi, ne illa corpus suum tangeret, neque de aliquo immundo tangeretur. Inde agnomen ipse habet: nam vocatur Scotice *Ninnidh d Lamghlan*, quod sonat Latine *Ninnidius Manus-mundæ*? deinde Sancti Seniores contra suam voluntatem ordinari eum curarunt, ut poterat de eo dici quod sermo Divinus ait: Ecce Sacerdos magnus. Deinde transnavigavit ad Britonum regiones, volens semper Hiberniam deserere, sciens ipse quod verum esset, quod ait S. Brigida, dicens se non migraturam de hoc seculo, donec de manu ejus communionem acciperet. Et intrans navem, projecit clavem manus suæ in pelagus, ut semper aperiretur. Sed contigit quod dixit Scriptura sancta: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Deum. Cum enim dies remunerationis sanctissimæ Virginis Brigidæ post multum tempus appropinquaret, navigans tunc S. Ninnidius in Britannico mari, nutu Dei, vis ventorum ad Hibernicas partes eum compulit: et collatus est ei piscis magnus, et inventa est in eo, cum esset partibus, clavis seræ manus S. Ninnidii: et B. Ninnidius hæc omnia videns prædemonstratione Divina evenisse, compunctus corde, ait: Non oportet me amplius rebellem esse contra Dei viventis et omnipotentis nutum. Et adiens ipse B. Brigidam infirmam esse, visitavit eam, et in hora dormitionis suæ corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei vivi, de mundissima S. Ninnidii manu, sicut ipsa prophetice prædixit, accepit. Reliqua autem series vitæ S. Ninnidii, et miracula, quæ Dei gratia per eum egit, in Vita sua habeantur.

*quod, ipso licet invito ordinato,*

*atque extra Hiberniam peregrinante,*

Prov. 21. 30.

*incassum projecta clave, inveniaque [illegible], qua manum æree [illegible] observarat,*

*eadem contigit*

56 Alio

A 56 Alio tempore quidam homo, qui habitabat in Orientali plaga campi Liffii, qui erat vir bonus et largus, venit ad B. Brigidam, et dixit ad eam: Veniant mecum nuntii tui, Domina, et afferant vobis aliquantos modios frumenti. Cumque redissent ab eo cum oneribus, invenerunt amnem Liffii ultra ripas e lue plenum, et non potuerunt transire aquis tumescentibus: pons enim vel navis non erat prope in locis illis. Vadum nimirum illius amnis, cum non sit lues, transeunt homines et animalia. Tunc sederunt super ripam, invocantes B. Brigidam sibi in auxilium. Continuoque omnes simul trans amnem in alteram ripam, cum omnibus suis, Dei potestas, gratia S. Brigidæ, conduxit. Quomodo aut qualiter translati essent ignorabant. Deinde venientes ad S. Brigidam narraverunt ei miraculum, quod factum est in eis. Beata autem præcepit eis, ut nemini dicerent.

*e suos trans flumen insensibiliter transferri impetrat:*

57 Quodam die una de Virginibus, quæ dicebatur alumna S. Brigidæ, Darlughdacha nomine, non bene custodiens oculos suos, vidit aliquem militem, et in amore ejus capta est; et ipse similiter amavit eam. Quadam nocte manente S. Brigida in quodam vico in plebe, erat inter ceteras cum ea illa Virgo Darlughdacha, et ille miles ad eamdem domum, in qua S. Brigida cum suis erat, venit. Et jacebant in uno statu B separatim B. Brigida et Virgo Darlughdacha, et fecerunt inter se conventionem miles et Virgo Darlughdacha. Cum ergo paullisper S. Brigida dormiret, surrexit illa Virgo ire ad conventionem suam. Et procedens de lecto, irruit in eam dura perturbatio cogitationum, et magnum et inenarrabile certamen habebat in corde, inter amorem et timorem; timebat enim Deum et nutricem S. Brigidam, et vehementissimo igne amoris viri urebatur. Et conversa ad se, orabat Dominum, ut adjuvaret eam in magna angustia. Et inspirans in ea gratia Dei, implevit duos ficones suos vivis carbonibus ignis, et intinxit duos pedes suos in eos: et sic factum est, ut ignis ignem extingueret, et dolor dolorem vinceret: atque ita in suum lectulum pedibus combustis reversa est. Hæc autem evigilans B. Brigida vidit, sed tamen tacuit, ut puella tentatione probaretur. Crastina autem die beata puella suum peccatum confessa est. Cui sancta Mater Brigida ait: Ego vidi, filia, certamen tuum: sed quia viriliter dimicasti, et pedes tuos in præsenti combussisti; ignis carnalis iterum non tentabit te, et ignis in futuro gehennæ non tanget te. Deinde accipiens B. Brigida beatæ Virginis pedes combustos, et signans eos signo sanctæ Crucis, sanavit eos, C ita ut nec vestigium quidem combustionis appareret in eis, et quasi ignis non tetigisset eos.

*S. Darlugdachæ, quæ male custoditis oculis tentata,*

*ne succumberet,*

*plantas sibi adusserat,*

*dolentium sponte et signo crucis plantas sanat.*

a *Colganus ait hoc verbum in alio codice non haberi. Dunelmensis vult contractam inter Brigidam ac Ninnidium amicitiam, cum hæc jam matura esset ætate.*

b *Colgan. et hic et 18 Januarii (quo die coli S. Ninnidium tradit,* Ethae *legit, atque* Eocladium, *sive* Lutichum *esse, Aidi filium, Loogarii Regis nepotem.*

c *Idem intelligit hic ait insulam, unam ex Ebudis, sive Hebridibus, quæ Ptolemæo Μαλεός, nunc* Mula *dicitur: conjicit in ea insula peregrinatum, vel ecclesiam ibi ædificasse, indeque cognomen retulisse.*

d *Colganus ad 18 Januarii hoc cognomen S. Ninnidii scribi ait, nunc* Laimh-ghlan, *nunc* Laimhdhglan, *eadem significatione;* Laimh *enim manum Hibernice significat,* ghlan *et* ioghlan *mundum. Eumdem ait alio celebrari cognomine* Laobh-dhearc, *id est,* torvaspectus: *quod divinat inditum ei temere conjectis in speciosam Virginem oculis. An forte culpa agnita torvum deinceps severumque aspectum induit?*

e *Id est, eluvione aquarum, ut exponit Colganus.*

## CAPUT X

### *Annona cœlitus obtenta ad hospitalitatem, mira largitas, varia miracula.*

D AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

Quadam die B. Brigida messores suos in messem misit. Sed incipiente hora tertia per totam provinciam pluvia densa apparuit, et inde tota die effluxit: et cum omnes messores regionis illius ita die pluviali prohibiti essent, sola messis beatissimæ Brigidæ sine intermissione, et sine umbra caliginis, tota die, potestate Dei, agente gratia sanctæ Virginis, cum serenitate incessabiliter metebatur.

*messores a pluvia immunes servat*

59 Alio die quidam Episcopus cum turba multa comitum visitavit S. Brigidam: et volens beata Virgo reficere eum, non habebat in promptu quod volebat illi ministrare. Sed multiplex Dei virtus, volens adjuvare eam, donavit ei repente unde omnes sufficienter reficeret. Similiter duobus aliis Episcopis ad Sanctam Dei ipso die, non simul, advenientibus, refectio inventa est. Quamdam vaccam jam habebat sancta Virgo, quæ valde incredibiliter copiam lactis dabat. Hoc sciens quidam avarus rogavit Sanctam Dei illam proximo sibi dari. Et donavit ei caritativa Mater illam vaccam. Sed priusquam ad suam possessionem duxit, similis aliis vaccis effecta est. Deinde quidam homo donavit aliam vaccam S. Brigidæ, quæ in copia lactis, Dei dono, talis facta est, qualis supradicta fuerat.

*ad hospitalitatem exercendam, divinitus annonam accipit, iterum:*

*item lactis copiam ex una vacca, et postea ex alia:*

60 Alio quoque die quædam mulier venit ad S. Brigidam, dicens: Domina de hoc filio meo quid faciam? nam pene abortivus est, et carens a nativitate, habens tabulatam faciem; et ideo pater ejus volebat occidere eum. Tunc B. Brigida mulieris miserta, jussit faciem pueruli in aqua propinqua lavari: et statim factus est sanus, Domino donante salutem propter S. Brigidam. Ille vocabatur Crimthannus, qui vixit multum tempus. E

*cæcitatem vultus et visum, aqua abluens, impetrat.*

61 Dum esset quodam die S. Brigida foris in ericeto juxta gregem ovium monasterii sui, quidam jocularis homo sciens eam misericordissimam esse in pauperes, caussa ludi, et joculari aliorum suasione, venit in forma pauperis ad eam, et vervecem pro caritate postulavit: et Sancta Dei jussit vervecem illi dari. Et ipse eadem die mutato habitu septem vicibus venit, et septem verveces in nomine Domini a Sancta postulans per asturiam in forma pauperis, ut voluit, impetravit. Sed facto vespere certus numerus gregis inventus est, additis septem vervecibus a Deo abscondite innocenti gregi: quia quamvis non pauperes primos verveces tulerunt, tamen in Christi caritate quasi mendico donati sunt.

*7 verveces, dat pseudo pauperi.*

*nec minuitur grex*

62 Quodam die quidam leprosi sitientes de via cerevisiam anxie a B. Brigida postulaverunt. Christi F autem ancilla, videns quia tunc illico non poterat invenire cerevisiam, aquam ad balneum portatam benedixit, et in optimam cerevisiam conversa est a Deo, et abundanter sitientibus propinata est.

*aquam in cerevisiam benedictione convertit*

63 Alio die cum aper ferox multis canibus et venatoribus fugatus esset, ad gregem porcorum felicissimæ Virginis lassus venit: quem Sancta inter suos sues cernens, præcepit ei manere domitus cum eis: ac deinde ferus in grege porcorum Sanctæ Dei impavidus et familiaris permansit. Quia bruta animalia et bestiæ sermonibus et voluntati ejus obediebant, et subjecta ac placida sibi servitute famulabantur.

*aprum jubet inter suos porcos securum manere.*

64 Quodam tempore gloriosa Christi sponsa Brigida virum ferocissimum et fortissimum, nomine Luguidum, a nimia estione curavit: quem asserunt in uno prandio bovem manducasse et porcum, cum pane sufficienti et potu. Quanto enim virtute eminebat, tanto estione præcellebat. Hunc ergo similem ceteris hominibus estione gratia Dei per S. Brigidam effecit, nulla virtute privatum.

*enormem voracitatem curat*

A AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*mulierem sterilem benedictione curat*

65 Vir quidam cum sua uxore quadam nocte in uno hospitio cum S. Brigida pernoctabat: et ille rogavit Sanctam Dei, ut signaret sancto signo vulvam uxoris suæ, quæ non habebat filium, ut filium haberet. Et beata Virgo signo Dei benedixit vulvam istius fœminæ. In illa jam nocte vir ille cum sua uxore dormiens, conceptus est a Sanctus præcipuus. Illa nocte lunulam argenteam mulieris illius viri quædam ancilla furata est: et hoc displicuit S. Brigidæ, timens si illa dixisset, quod a suis esset decepta. Et in crastino illa ancilla fugit, et multi secuti sunt eam; et non potens evadere, lunulam illam in amnem projecit. Sed piscis miræ magnitudinis eam statim deglutivit. Piscatores quoque in illa hora piscem illum in rete apprehenderunt, et illico ad S. Brigidam illum in oblationem portaverunt, et lunula illa pisce inscisso inventa est in ventre ejus; et jussit Sancta dari dominæ suæ. Tunc vir ille cum uxore prægnante gratias egit Deo, benedicens sanctam Virginem.

*amissum monile eidem restituit, in pisce inventum*

*carnem crudam gerit veste non maculata*

66 Alio die erat S. Brigida veste candida induta, et venit quidam mendicus petens aliquid carnis ab ea: et illico Sancta Dei ad coquum exivit; et ille stulte crudam partem carnis in sinu sanctæ Matris projecit: et portans ipsam in sinu suo mitis tribuit mendico. Sed in signum caritatis Virginis, vestis gratia Dei

B candida mansit, quasi fuisset sanguine intacta. Quodam die B. Brigida in quodam loco frustum carnis posuit volens conservare pauperibus. Sed canis veniens ad illud sedit, nulloque modo tetigit: non enim ausus est canis comedere depositum sanctæ Virginis: sed custos parcens carni et idoneus, contra suum solitum morem Divina refrænatus virtute extitit edomitus.

*carnem depositam, quam canis intactam custodit*

*piæ hospiti absumpta restituit integra*

67 Alio tempore S. Brigida quamdam Virginem religiosam visitavit, quæ Virgo vitam solitariam cum paucis ducebat, habens unam vaccam cum vitulo. Illa vero Virgo volens parare cœnam B. Brigidæ, et non potens aliter carnes invenire, fecit vitulum vaccæ suæ occidi, et inde parari; et cum non essent ligna satis ad coquendum, ligna telæ suæ fecit comburi. Audiens hæc omnia B. Brigida, illa nocte ad Dominum oravit: et Dominus per orationem ejus sua magna potentia omnia mane renovabat: vitulus ejusdem magnitudinis et formæ ludens et mugiens ad matrem suam venit, et ligna telæ inventa sunt integra, sicuti ante fuerant.

*vestes sacras dat pauperibus*

68 Venientes aliquando pauperes ad S. Brigidam petebant eleemosynam: et Sancta Dei tunc non aliud habens, vestimenta Missalia Conlaidi Episcopi, quæ

C habebat in custodia, tradidit illis. Veniensque sanctus Episcopus hora sacrificii, quæsivit sua vestimenta, dicens: Corpus et sanguinem Christi sine meis vestimentis conficere non valeo. Tunc orante ex corde B. Brigida, manifestavit Deus ibi suam clementiam propter caritatem sanctæ Virginis. Etenim in eodem loco simillima vestimenta Dei dono apparuerunt: quæ sanctus Episcopus accipiens, omnes videntes glorificabant Deum.

*oratione similes impetrat:*

a *Hic est* S. Ethchenus *de quo* 11 *Februarii agemus.*

## CAPUT XI.

*Maris, fluminum, ferarum, Angelorum obsequium ei promptum, variæ metamorphoses.*

Alio quoque tempore B. Brigida Missalia indumenta paravit sancto Episcopo a Senano: et cum ab invicem longa via valde essent, manensque tunc juxta mare Sancta Dei, et dedit illa in scrinio, et jussit scrinium in mare mitti, confidens in corde quod Deus duceret illud S. Senanum. S. Senanus habitabat in quadam insula in ostio pelagi posita, freto septa late, in occidentali plaga Hiberniæ. Et Divina conductione illud scrinium per circuitum Hiberniæ ad

D prædictæ insulæ portum ad sanctum Episcopum per multa maris spatia navigabat. Quo jam periti nautæ in magnis navibus sine maximo labore navigare non possunt, scrinium duorum Sanctorum, solo Deo gubernante, navigavit. Et sanctus Pater Senanus quodam die, revelante sibi Spiritu sancto, Fratribus suis ait: Ite quantocyus ad mare, et quicquid illic inveneritis, huc vobiscum ducite. Illi invenientes ibi scrinium, ad suum senem duxerunt. Senanus autem Episcopus enarrans Fratribus donum S. Brigidæ esse, gratulatur Deo, et benedixit Christi Virginem. Sancta jam Brigida massam argenti donavit beatæ Virgini Hymnæ, sed non recepit Virgo. Hoc videns sancta Mater projecit illam in quoddam flumen: et veniens per flumen massa ad cellam beatæ Virginis Hymnæ, sic postea, Deo ducente et concedente, accepit.

*vestes mittit ad S. Senanum, procul distantem, in scrinio adnatante*

*argentum S. Hymnæ Virgini, flumini injectum*

70 Homo quidam ad occidendum reus perductus est, Rege jubente: moram autem jugulationis ejus piissima Virgo Brigida faciebat, petens vitam ejus. Tunc desuper purum argentum in sinum Virginis a Deo dejectum est, et Regi pro misero ipsa reddidit: et sic reus a morte per Sanctam Dei liberatus est. Die quoque alia S. Brigida tunicam suam unam divisit duobus pauperibus, et unusquisque dimidium tunicæ

E accepit, sed Dei gratia efficiente, secundum velle cordis sanctæ Matris, illa hora plena tunica apud unumquemque eorum facta est.

*argento divinitus oblato reum liberat*

*mediam tunicam duobus dat quæ utraque fit integra*

71 In alio die B. Brigida digitis suis petram durissimam perforavit, maximam necessitatem habens, quam nunc tacemus, brevitatis caussa. Quidam Rex quemdam Principem de civitate sua repulit, qui fuit amicus B. Brigidæ; rogavitque Sancta Dei Regem pro eo, ut concederet ei Rex esse in suo principatu, et Rex respuit, et non audivit eam: et ipso die, Divino nutu, de curru suo Rex cecidit, et capite colliso mortuus est.

*petram digitis perforat*

*a Rege spreta, divinitus vindicatur.*

72 Alio tempore cum multitudo hospitum conveniret, et minimus apparatus esset, B. Brigida urticam in butyrum, et corticem arborum in lardum pinguissimum et dulcissimum commutavit, Dei gratia cooperante. Cuidam mago S. Brigida, qui suam hæreditatem Deo obtulit, obviare ei in hora mortis suæ promisit, quod ita factum est, cum scilicet ille magus jacuisset in lecto expectans mortem, dixit familiæ suæ: Disponite cito omnia, quæ necessaria sunt: nam S. Brigidam in veste candida cum multis obviare mihi video. Et tunc demum baptizatus est in Christo, et defunctus est credulus in Deo.

*mutat urticas in butyrum, cortices in lardum*

*mago (ut promiserat) moriendo apparet, eumque convertit*

73 Quodam die B. Brigida et alia Virgo, nomine

F Daria, colloquentes invicem de Christo, sed non senserunt noctem: ubi enim sol justitiæ præsens fuit, nihil tenebrosum erat. Sed S. Daria oculis a nativitate orbata erat, quæ ait ad S. Brigidam: Domina, benedic oculos meos, ut valeam mundum videre, sicut desidero. Tunc Sancta oculos ejus benedixit, et statim aperti sunt, et respexit mundum, et ait S. Daria ad S. Brigidam: Reclude oculos meos; quanto enim mundo absentius fuerit homo, tanto præsentius Deo erit. Et signans S. Brigida oculos ejus reclusi sunt, sicut ipsa rogavit.

*loquens de Christo, noctem non sentit*

*benedictione [illegible] S. Daria*

74 Nocte quadam S. Brigida sola, Dei adjutorio adjuta, immobile pene lignum miræ magnitudinis ex loco suo transmutavit, quod in die plurimi homines movere non poterant: Angelus enim Domini cum B. Brigida illud lignum ad locum, ad quem Sancta volebat, perduxit.

75 Quædam mulier aliquando cum filia muta ad ecclesiam S. Brigidæ perrexit, et veniens illuc vocavit ad se quamdam Virginem Darlughdacham nomine, cujus supra mentionem fecimus, dicens ei: Dispone, bona Virgo, ut filia mea sanetur per S. Brigidam. Tunc ducens Virgo filiam rogantis secum, statuit

A statuit eam ante conspectum B. Brigidæ, et non indicavit ei quod ita esset muta; et videns eam Sancta Mater, putans quod loquelam habuit, ait ei: Utrum vis, filia, permanere in virginitate Deo, an nuptiis copulari? statimque illa soluta respondit: Quodcumque dixeris mihi, Mater, hoc volo facere, et postea in virginitate usque ad mortem permansit sub cura S. Brigidæ, et eloquens multum erat. Alia die videns S. Brigida anates in quodam amne natantes, et aliquando per aera volantes, accersivit eas ad se. Collecta multitudine, anates, voci sanctissimæ Virginis obedientes, sine ulla formidine mansuetissime ad eam volando venerunt: quas pia Mater per aliquantulum temporis nunc manu sua tergebat, nunc amplectebatur, deinde eas ad sua redire permisit.

*mutæ vocem impetrat ignara*

*silvestres anates ad se evocat*

76 Quodam die rusticus quidam magna stultitia de vico ad palatium Regis perrexit, et vidit ibi vulpem familiarem discurrentem, et putans quod non mansueta neque familiaris esset, vidente multitudine occidit eam in palatio: et illa vulpes docta et astuta variis artibus ludendi erat, et spectaculum ludificum Regi et suis Comitibus præstabat. Tunc ille alligatus est, et perductus ad Regem. Jussit eum Rex tradi ad carcerem, ut in tempore apto occideretur; et uxo- B rem et prolem ejus, et omnia quæ habebat in servitutem Regi dari. Et interpellantibus quibusdam pro eo, Rex iratus ait: Nisi vulpes alia in omnibus calliditatibus illius similis restituta fuerit, ita erit sicut ego dixi. Cum autem S. Brigida hæc audivisset, et pro eo misero precibus ad Deum oraret, arripuit viam ad palatium Regis. Et sine mora Dominus ejus unam de silvestribus mansuetam vulpem ad eam transmisit, quæ illico in currum ascendens mitissima ad S. Brigidam, et sub veste ejus se constituens, sobrie in curru cum ea sedebat. Cum vero Sancta Dei ad Regem venisset, cœpit eum precari, ut miser improvidus vinculis solveretur ad vitam. Sed Rex nolens, ait ei, quod non dimissurus esset illum, nisi vulpem simillimam in omnibus calliditatibus alterius Sancta pro eo restituisset. Tunc Virgo Dei vulpem suam protulit in medium, quæ omnes mores et calliditates alterius agens, coram Rege et populis artibus lusit variis, et placatus inde Rex dimisit ei reum abire. Sed cum Sancta Dei ad cellam suam properaret, vulpes illa dolosa in turbas callide se immiscens foras in plateis, ad loca deserta, et ad suam speluncam fugit, et equitibus et canibus insequentibus illam longe, incolumis evasit. Et omnes videntes hæc, mirati sunt virtutem Dei per beatam Virginem.

*rusticum vulpe Regis occisa periclitantem,*

*simili divinitus obtenta,*

*Regique oblata*

*libera*

C 77 Vir dives aliunde veniens ad S. Brigidam, ait ei: Veniant mecum nuntii tui, Domina, ad villam meam, ut tibi pingues sues perducant. Vir ille longe a civitate S. Brigidæ habitabat, spatio itineris viantibus, quatuor dierum, videlicet in Momonia, in terra Nandesi, in campo Fembin. Sed euntes nuntii S. Brigidæ cum illo, suos porcos in primo die invenerunt incolumes nutu Dei a lupis fugatos. Pro reverentia enim beatæ Virginis Brigidæ, per silvas maximas sues illæsas a lupis rapacibus fecit Deus minari. Et agnoscens vir ille sues proprias esse, miratus est valde cum omnibus, et assignavit eas nuntiis S. Brigidæ, dans gloriam Deo. Et sic crastina die illi cum porcis oblatis ad S. Brigidam veniunt, et narrantes miraculum auditum, coram Dei famula sciente, gratias Deo egerunt.

*oblatos sues a quodam accipit, longo spatio a lupis deductos*

78 Alia quoque die cum beata Virgo Brigida cogeretur necessitate, et quæreret mel, adjutorium Dei postulans, apparuit ei mel in pavimento domus suæ multum purum et dulce. Deus enim, quem Virgo semper in corde tenebat, citius audivit eam. Hoc Virgo Dei videns, pro viribus suis gratias suo Conditori retulit. Quadam die gloriosa Christi sponsa Brigida quoddam flumen in alterum locum aptiorem de loco suo, Deo concedente, mutavit, et prima vestigia istius fluminis usque in hodiernum diem omnibus sicca apparent. D

*mel divinitus accipit*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*flumina priori alveo abducit*

79 Cum jam beatissima Christi famula Brigida senectute venerabili premeretur, alumna sua Virgo probata Darlughdacha quadam die ait ei: Mea Mater et Domina, ad regnum Dei tecum statim migrare volo. Cui respondit sancta Mater dicens: Non ita fiet: sed successeris mihi uno anno, et finito eo anno in die mei obitus morieris, et sub una celebratione solemnitas tua et mea coletur.

*prædicit S. Darlugdachæ tempus mortis ejus*

De S. Senano ejusque insulæ situ agemus 8 Martii ... in cujus Vita, ut supra monuimus, dicuntur hæc a S. Brigida alia, non Kildariensi, ad eum missa.

## CAPUT XII.

### *Epilogus scriptoris. S. Brigidæ mors, sepultura.*

Hic, Fratres carissimi, miraculis et virtutibus beatissimæ Matris Brigidæ scribendi vel narrandi terminum ponimus; quia dignum aliquid poni in chartis, quotidie novum semper de ea sola jam invenissemus. Non enim modo cessant, neque cessabunt usque ad finem seculi talia miracula per eam a Deo, qualia audistis per eam in vita sua. Per hæc autem pauca, E quæ scripta sunt, lecturi et audituri qui sitis, qualis et quanti meriti apud Deum omnipotentem gloriosissima Virgo fuerit scire potestis.

*post mortem claret miraculis, etiam ævo scriptoris*

81 Ipsa jam siquidem sciens, quod tempus et dies remunerationis suæ instabat, et prænoscens spiritu prophetico locum resurrectionis suæ; constituit suam civitatem et monasterium et loca quæ erant sub cura ejus per Hiberniam, et dicebat suis, quod vellet sepulchrum et reliquias Patroni sui S. Patricii Archiepiscopi visitare ante mortem suam. Ipsa autem sciebat se non reversuram quidem corpore, et iter faciens benedicebat totam Hiberniam ex omni parte, sicut præcepit S. Patricius Episcopus moriens, et dicens: Per triginta annos B. Brigida post mortem meam benedic Hiberniam.

*instante morte,*

*visitat sua monasteria:*

82 Et veniens sanctissima in Aquilonalem plagam Hiberniæ, videlicet in provinciam Ultoniæ, Brigida, illico doloribus correpta est, et post breve spatium temporis inter multitudinem Sanctorum, ætatis suæ anno *a* LXXX, anno vero XXX post obitum S. Patricii Archiepiscopi, regnante in Themoria regnum Hiberniæ Murchartach Mac-Ere, cui successit in regno Tuathal Moelgarbh, primo autem anno regni Justiniani Imperatoris, sedente in Sede Apostolica Papa Hormisda, anno quoque ab Incarnatione Domini DXLVIII, visitantibus eam Angelis Dei, felicissime F obiit: et sepulta est in gloria et honore, in uno sepulchro cum beatissimo Patricio Archiepiscopo, secundum voluntatem eorum, in civitate posita in regione Ultorum prope mare, nomine Dun-dale-thglas, quæ priscis temporibus Aras Keltair, filii Cuthechair Comitis Regis Ultorum Conchubhair, filii Nessa, vocabatur. Tamen gratia et honor et sedes S. Brigidæ in civitate Kildara, in terra Lageniensium, per seculum manet. Igitur sanctissima et gloriosissima Virgo Brigida migravit de hac vita Calendis Februarii, post victoriam perfectam, inter choros Patriarcharum, et Prophetarum, atque Apostolorum, et Martyrum, Confessorum, sanctarumque Virginum, et inter Angelorum, et Archangelorum agmina, ad coronas æternas Regis cœlestis, in Jerusalem cœlestem, et ad regnum sine fine, ubi sibi præstarentur æterna præmia a Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto, vivit Dominator, et regnat Deus, per omnia secula seculorum.

*ægrotat in Ultonia*

*a moritur anno ætatis 80*

*sepelitur Duni.*

a Egimus superius de S. Brigidæ ætate, et hic expressos Chronologicos characteres, correctione in quibusdam egentes, examinavimus.

A

# VITA V

## AUCTORE LAURENTIO DUNELMENSI

*ex MS. Salmanticensi.*

## CAPUT I.

*S. Brigidæ serva mater, sanctitatis præsagia.*

*Deerat principium*

*S. Brigidæ matrem gravidam, uxoris instinctu, vendere heros cogitat,*

Verbis in virum amaris invehitur, de venditione puellæ pertinaciter agit; unum jurans futurum ex duobus, aut puellæ venditionem, aut suam ab eo separationem. Frangit denique virilem animum pertinacia mulieris: ascensoque curru puellam ex se gravidam secum assumit, et ipsam secundum terræ illius morem venditurus iter facit. Mos enim ab antiquis temporibus, Anglis, Hyberniensibus, et Scotis hic inoleverat, ut, plus quam ceterarum mercium, nundinas hominum frequentarent: magnumque penes eos erat lucrum meruisse, multos homines vendidisse. Et quod ferarum immanitate crudelius est, mater in filium, filius in patrem, frater in sororem, in socrum gener, in uxorem maritus, et naturæ simul obliti et gratiæ, hanc plerumque noxam exercebant. Sed postquam Anglia Dominos cœpit habere Normannos, nunquam hoc Anglici passi sunt ab alienis, quod sæpe passi sunt a suis: et hac in parte sibi meliores invenerunt extraneos, quam seipsos. Scotia autem et Hybernia Dominos habens de gente sua, nec omnino amisit, nec ut olim exercet hunc morem suum.

*antiquo mos gentis*

B

*filiæ sanctitas prædicitur a quodam viro magno.*

2 Dubtachus igitur, ut eo unde digressa est oratio se referat, juxta mansionem magni cujusdam viri transitum faciens, citatus ad eum intromittitur; illeque post multa, de muliere, quænam ipsa sit, et a quo impregnata perquirit. Respondit Dubtachus, et hanc esse suam, et se causam uteri ejus intumescentis extitisse. Tunc ille, Filiam, inquit, ista tibi pariet castitate quidem magnam, caritate vero præcipuam; quæ profecto angustiores habebat terminos patriæ, quam famæ. Sicut enim stellas sui claritate sol exsuperat, sic Virgines hujus regionis suæ merito virtutis anteibit. Unde convenit ut te liberalem hæc inveniat, quæ publicum in utero gaudium portat. Contra Dubtachus, Impedimento, ait, mihi est uxor mea, ne me liberalem, et humanum mea reperiat concubina: quæ si ista non venditur, illa amittetur. Tunc ad prægnantem ille conversus, Bono, inquit, animo te esse ratio bonæ spei monet: tradi siquidem in captivitatem quandoque poteris, sed diu captiva permanere non poteris. Filia quippe, quam paries, suæ merito virtutis matrem absolvet vinculo captivitatis. Quibus Dubtachus auditis corde compunctus est, et domum rediit: multisque sermonibus uxori suæ pro juvencula vix tandem satisfecit.

C

*matri per eam libertas*

3 Paucis vero post modum diebus evolutis, Episcopi duo de Britannia domum ipsius hospitaturi venerunt: quos ille cum exultatione suscipiens, hilaritate vultus sui acceptiorem reddidit humanitatem hospitii sui. Optimum enim cibi vel potus condimentum, vultus bonus. Cumque deinde mensa posita, puella superius memorata ministraret, unus Episcoporum, Mel vocabulo, tristem eminus sedere videns uxorem Dubtachi, percunctatur, quare ceteris exultantibus, sola domus Domina tristem animum profiteretur, vultu lugubri, et ore parum liberali. Quæ statim exclamans, Ego, ait, non sum domina, sed illa quæ ministrat vobis. Cui respondit Episcopus: Vera quidem ignoranter asseveras dominam hanc vocans: dominam enim vere in utero gestat, non tantum sobolis tuæ, sed et totius Hyberniæ. Ut autem aliud, quod verum est, audias, tres quidem filios peperisti, quartus tibi restat in utero pariendus, qui sicut na-

*item a S. Mele Ep.*

tivitate ultimus, sic malitia erit primus. Post hunc autem spe nascendæ tibi prolis nulla traharis, quia deinceps ligaberis infortunio sterilitatis. D

4 His illa auditis, de stulta protinus efficitur insana, et verecundiam nesciens matronalem, neque maritalem magni faciens reverentiam, inhonestis sermonibus malignam mentem interpretatur. Denique post multa in virum jaculata convicia, jurat Dubtachum illo ipso die vel ancillam amissurum vel uxorem. Non enim, inquit, ulterius sub ancillæ specie, dominantis locum hæc obtinebit; et ego, solo nomine domina, vilitate dehonestabor ancillari. Si uxor placet, hodie ancilla vendetur: si ancilla placet, hodie uxor amittetur. Cumque more furentis belluæ fremeret, et citius evomeret quod pejus excogitare poterat, supervenit hospitandi gratia quidam de remotis Hyberniæ partibus, qui puellæ ministrantis admiratus prudentiam, obnixe cœpit deprecari, ut, si venalis esset, sibi potius quam alteri venderetur. Dubtachus autem, et uxoris importunæ perpessus insaniam, et hospitis benevolentiam captans, puellam, prout petebat, ipsi venumdandam exposuit. Quod cum audirent Episcopi, Hanc, inquiunt, vendere potes, quia juris tui est: sed filiam, quam in utero gestat, non vendas, quia juris Dei est. Hoc ille libenter accipiens, sic quidem vendidit in servitutem concubinam suam, quod servitutis immunem esse voluit filiam suam.

*zelotypæ dominæ furore,*

*venditur mater*

E

5 Et conversus ad uxorem iratam, vultum eam induere lætiorem admonuit, dicens juvenculam illuc semel abductam, secundo illuc nunquam reversuram. Quem unus Episcoporum increpans, ait: Stultum valde est hoc loqui, quod nescias, et de incertis certam definire sententiam. Puellæ hæc, quam tu dixisti nunquam hanc in terram reversuram, scias quod non tam misera hinc abducitur, quam felix huc revertetur. Causam enim gestat in utero, per quod vinculo servitutis absolvetur. Post hæc itaque procul abducitur juvencula sæpe memorata, præsidium quidem inter ignotos nullum sperans, nisi Domini, consolationem nullam sibi promittens, nisi pietatem Dei: quoniam ipse est, qui solus laborem et dolorem considerat, et in se sperantem, divitem vel egenum, dominum vel servum, civem aut exulem, nullum deserit. Illa vero nocte, quam primam exegit in novi domini peregrina domo, intempestæ noctis silentio ignea quædam columna de lecto ejus visa est exurgere, et se usque ad domus culmen erigere. Quod is qui viderat, mane facto domus domino nuntiavit, et hinc ei persuasit humaniter esse tractandam, circa quam evidenter ostensum est gratiam operari Divinam.

*rursus ejus libertas prædicitur,*

*filiæ sanctitas columna ignea præmonstratur.*

F

## CAPUT II.

*S. Brigidæ nativitas, alia signa futuræ sanctitatis.*

Consequenti vero tempore Rex provinciæ illius, et proxima partui Regina, ad eamdem domum invitatur. Regina autem in vicinia commorantem audiens quemdam præscium futurorum, eum ad se evocatum interrogat, quo die, et quo diei tempore, novam matrem eam prævideret futuram. Cui ille, Ante ortum, inquit, solis crastinum, hac in domo nascentur infantes duo, sed ille prior est dignitate qui posterior nativitate. Tempus vero nativitatis satis congruet nascituris: nam post occasum solis hodiernum unus, qui et minor, oritur, et cras Aurora apparente alter natus apparebit, qui fulgore virtutum insignis, famæ suæ radios usquequaque diffundet. Vix atrium domus ille egressus fuerat, et Regina subitis arrepta doloribus, exclamat: Quid sibi vult tanta partus mei festinatio? Quid infans in lucem prodire nititur? Si nasci properat, cur ita præproperat? An hoc congruere fata docent, ut hac nocte Regina puerum edat degenerem,

*tempore prædicto,*

*(frustra enititur partum suum conatæ protrahere Regina)*

A generem, et aliqua ancillarum crastino prolem pariat generosam? Non ita erit: licet enim pariendi tempus immineat, licet mihi dolorem dolor augeat, licet fata velint, ut ante ortum crastinæ lucis mihi filius oriatur aut filia; ego tamen, nisi per latus exitum fecerit, antequam Auroram cras videro, puerpera non ero. Loquebatur illa sicut volebat; sed sicut volebat, non evenit. Nam ante noctis medium enixa est. Et quidem magnum documentum pauperibus esse potest, quod non quæcumque volunt Reges, possint.

7 Igitur inter angustias pariendi, puella memorata ministerium obstetricis Reginæ exhibuit, et nascentem infantulum ipsa excepit, natum fovit, et abluit, curamque illius inter ceteras, imo præ ceteris officiosius habuit. Cumque mitigatis doloribus, cibo recreari Regina debuisset, illa cibum paratura egreditur. Jam vero vicinus solis ortus imminebat, cum ipsa egrediens filiam ante peperit quam ad Reginam perveniret: natamque protinus infantulam ipsa lacte perfudit. Quod audiens ille prœscius futurorum, multis hoc efferebat laudibus puerperium, dicens nuper natam Virginem magni meriti futuram ante Deum, quæ relinqueret omnes seculi voluptates propter Deum. Dicebat etiam per hanc filiam captivæ totam Hyberniam esse liberandam a peccati captivitate. Cujus verba B effectum postmodum habitura, frequentia miraculorum, inter ipsa infantiæ ejus primitiva crepundia cœlitus exhibitorum, testimonio fuit. Ex quibus pauca subnectere memoratis congruum videtur.

*nascitur Brigida:*

*verum ejus sanctitas prædicatur*

8 Quadam igitur die, cum in cunis infantili more fasciata quiesceret, negotio quodam invitante mater ejus et reliqua domus familia egrediuntur, solam illam puellulam relinquentes. Et ecce post paullulum domus, in qua parvula quiescebat, speciem ignis intuentium oculis repræsentare cœpit: ita quidem quod simul et similiter ex omni ejus parte ignis sævire, imo quod ipsa in ignem converti tota videbatur. Quod cum adspicerent et hi qui ad unam partem, et illi qui operabantur ad alteram, relinquentes propter quod aderant, tamquam domum liberaturi, protinus advolant. Verum ubi eo pervenerunt, speciem quidem ignis, sed nullum ignem invenerunt. Stupentibus autem cunctis, et secum de re tali et tam inconsueta mussitantibus, pars ad relictum opus revertitur, mater vero infantis quibusdam ex aliis eam comitantibus, domum ipsam ingreditur. Qualis vero apparuerat extrinsecus, talis etiam intrinsecus apparet, et sicuti tectum, sic parietes et fundamenta, unum colorem, unam speciem, et unum miraculum ipsis repræsentant.

*undique ejusdem rei præsagium domus, in qua jacebat velut igne lucet, foris,*

*atque intus*

C 9 Auget dehinc eorum admirationem res mirabilior, facies videlicet Virginis incredibili claritate oculos reverberans intuentium, Deo nimirum agente circa nuper natam Virginem, qualia quondam egerat circa legislatorem Moysen: quem cum in rubo, ignis formam non tamen ignis substantiam exhibente, suæ ministrum voluntatis elegisset; tanta postmodum vultum ejus illustravit claritate, ut in faciem ejus filii Israel intendere, non nisi velamine interposito, potuissent.

*maxime Brigidæ facies,*

*ut olim Moysis*

10 Nec tamen ut eximio Prophetarum eam æquiparemus hoc dicimus, sed ut breviter ostendamus muneris esse Divini, id quod circa legislatorem actum est, et quod circa Virginem. Deus enim hanc elegit in salutem Hyberniensium, qui illum in salvationem Hebræorum. Et qui illum instituit quod ante Pharaonem loqueretur, ipse ut hæc in infantili ætate loqueretur, ejus linguam in verba laxavit. Ne enim parum esset quod Virgo prætendebat in facie splendorum insolitum, ipsa præter solitum locuta est, priusquam naturaliter veniret ei tempus loquendi. Unus autem ex his, quos domum ingressos prædiximus, ad patremfamilias accurrit, eique rei novitatem indicavit. Qui licet professione Gentilis, acer tamen ingenio, multarumque rerum peritus, cogitavit non sine certi causa mysterii, tale miraculum evenire. Unde protinus eum, diligentius quid ipsa loqueretur investigaturum, remittit. Qui cum adveniens, quid locuta fuisset, percunctaretur; ipsa inquit: Hoc meum erit. Et item hoc ipsum ingeminans, tacuit. Cumque hoc ei, cujus jussione illuc ierat, regressus nuntiasset, Non potest, ait, non fieri quod hæc Virgo, imo per hanc Virginem, prædixit Dei præscientia. Locus iste, in quo sumus, erit ejus: et quæ nata videtur ex ancilla mea, futurum est, ut quandoque sit Domina mea; nec tantum mea, sed et totius posteritatis meæ. Nemo autem impossibile ducat hoc quod dicimus: potest enim Deus loqui quidlibet per os infantulæ, qui olim quod voluit per os asinæ locutus est.

*loquitur adhuc infans.*

D

*AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS*

*et suam futurum locum illum prophetat*

## CAPUT III.

### *S. Brigidæ baptismus, educatio, sancta pueritia.*

Procedente nihilominus tempore memoratus ille paterfamilias nocte quadam, quiescendi gratia, sese lecto collocaverat. Et ecce post noctis medium solus ex circumjacentibus intuetur tres viros in modum Clericorum attonsos, albis etiam indutos vestibus, domum ipsam introire. Videbat ille, et mirabatur, tales tam reverendi vultus et habitus viros, tali hora ingredi domum alienam, eisque clauso ostio patere aditum: et quid quærerent, quid agerent, quidve dicerent, tacitus attendebat. Illi vero protinus accedentes ad Virginem, quæ secum attulerant protulerunt, et ipsam aqua perfundentes, totum ordinem baptismatis, sicut Catholica consuevit Ecclesia, super eam peregerunt. Quo ita peracto unus trium ad eum, qui hæc singula conspiciebat, accedens, Virginem, inquit, istam Brigidam vocare debes. Et, quoniam ante Deum prælecta, meriti erit singularis, prænomen habebit suæ merito sanctitatis, Sanctaque non solum ab hujus terræ incolis, sed et a diversis nationum populis, jure prædicabitur. Quo dicto sociis suis eum comitantibus egressus est.

*tres Clerici nocte clauso ostio ingressi eam baptizant*

E

*patri Brigidam appellandam indicant et sanctam fore:*

12 Stupefactus ille talibus et tam inauditis rerum eventibus, partem noctis, quæ restabat, ducit insomnem: diligentiori mentis intuitu, et quæ viderat et quid erat secum recogitans: tantoque diligentius, quid humanitatis Virgini faceret, excogitabat, quanto apertius apud Virginem Divina fieri ipse videbat. Ubi autem dies illuxit, uxorem suam singula, prout gesta fuerant, edocuit: quæ similiter, quamvis implicaretur errore Gentili, tamen naturaliter mitis et moderata, bonum viri propositum, quod habebat ad Virginem, in melius incitavit precibus assiduis et exhortationibus bonis. Inde mulier una nutriendæ Virgini idonea quæritur: quæsita tandem invenitur: inventa Virginis obsequio protinus adscribitur; ut una cum matre ejus illi assisteret et nutricis loco curam illius officiosa sedulitate per omnia haberet: necessaria Virgini et Virginis matri simul et nutrici sufficienter inveniuntur, domus dominis paternum affectum circa infantulam habentibus. Matrem tamen illius nondum restituerunt libertati, quia needum sunt gentilitate liberati.

*benigne habetur ab nutrice hera, licet gentili,*

F

*qui et nutricem Christianam acquirit*

13 Crevit igitur Brigida, sed non tam ætate quam gratia: Deus enim (qui solus est, cui nemo dicere potest: Cur ita facis?) illud ei muneris concessit, ut vultum, quasi magnum aliquid futuri boni præsagientem, infans repræsentaret Angelicum. Hilaritatem aspectus exhibet, membra decorem quæ præterea circa ipsam esse videbantur, quotidianis incrementis augmentum profitebantur. Unde contigit sæpedictæ matris suæ dominum in brevi plurimum locupletari. Quod et ipse, subtili sicut erat ingenio, intelligens, cibos eam postmodum ablactatam competentibus educari

*vultu Angelico prædita effecit ut herus ditescat: ejus cibos, quia gentilis, evomit,*

AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.

cari præcepit. Sed cum hoc fieret quod ipse præceperat, acceptos cibos evomebat. Existimantibus autem matre simul et nutrice sua caussam hujus rei nullam esse, nisi casum, alimenta similia prioribus sibi præparant et apponunt, bonum illis omen adesse suppliciter postulantes. Verum de iis hoc idem fit, quod factum fuerat de prioribus: sumptas enim escas statim omnes ipsa, stomacho velut indignante, rejecit, sicque magnum suæ matri dolorem intulit et desperationem. Licet autem Virgo multo tempore similia faceret, corporis tamen incrementum et decorem sic accipiebat, quasi cibus ei per membra diffusus, profusius utrumque multiplicaret.

*sic tamen crescit,*

14 Quod si cujuslibet auditoris admirationem res infrequens adducat in incredulitatem, audiat, et, si velit, videre pergat Virginem unam in Australibus Angliæ partibus commorari, quæ in paterna domo sine perceptione alicujus cibi vigesimum annum agit: hoc tamen excepto, quod diebus tantum Dominicis communione Dominici corporis vegetatur, et quia gutturis arterias vix etiam illud transire potest, ad mearum faciliorem efficiendum, exiguum aquæ benedictæ postea in potum accipit. Quinta nihilominus feria parum aquæ prægustat potius quam bibit: et præter similia jam per tot annorum curricula, nihil aliud vel comedit vel bibit, neque comedendi vel bibendi appetitum habuit. Unde licet viribus destituta corporeis, possibilitatem amisit incedendi, mente tamen integra membrisque decora, facultatem loquendi non amisit. Et cum hoc quod mirabilius est, plures veritatis producat testes, quam vicus ille, in quo Virgo permanet, homines, illud in Brigida, quod minus est, quæ sine cunctatione major est, tanquam impossibile discredi juste non potest.

*uti alia Virgo in Anglia 20 annis sine cibo vixit, sola Eucharistia*

15 Veruntamen in hac nostri temporis Virgine quod Deus facit, solus ipse novit caussam quare ita facit. Brigidam vero probatum est cibum acceptum ob hoc nequaquam posse retinere, quia cibus Gentilis viri nequaquam conveniebat Virgini tam excellenter Christianæ. Ubi enim ille hoc idem de Brigida subtili mentis intuitu pervidit, vaccam unam ab armento suo separavit, et seorsum mulgendam ad opus ejus ei dedit, cibos ex lacte illius illi præcipiens fieri singulares. Quod et factum est, ipsaque solitam alimenti jacturam ex tunc cessavit sustinere.

*vaccæ lacte nutritur Brigida,*

16 Annis dehinc infantilibus emensis, sic ætatem præterit puerilem, quod nullam intraret puerilitatem. Tota siquidem rebus insistebat honestioribus, non minus aniles ineptias, quam ludos puellares abhorrebat, et in tenera facie maturitatem prætendebat matronalem. Mirabantur quidam in ea mentis prudentiam, alii verborum temperantiam, nec minus rerum fugiendarum odium, omnes vero faciendarum fortitudinem. Stupebant quoque viri seculares suum ab ea consortium deseri. Lasciviæ quoque mulieres se dolebant sicut indignas despici. Virgines vero Deo dicatæ, se a boni propositi Virgine gratulabantur frequentari.

*etiam in puerilia matura, prudens,*

17 Cumque comitem, imo custodem omnium virtutum addisceret esse verecundiam, hanc illa sic amplectebatur votis indesinentibus, ut non solum illius sermo, adspectus, vultus, opera, habitus et incessus publice proferrentur disciplinam, verum et in secretum cordis, nullus admitteret maculam inhonestæ cogitationis. Nihil enim ducebat inconvenientius, quam illud quod adspectibus hominum patet, honestare; et secretum cordis, quod Divinum latere non potest intuitum, latibulum efficere cogitationum immundarum. Et ut multa brevi concludam, sicut nihil fugiebat appetendum, ita nihil appetebat fugiendum.

*verecunda*

*sectans studiose puritatem cordis:*

## CAPUT IV.

*Novercæ in Brigidam odium. Nutrix miracula curata.*

Cumque postmodum fama talis filiæ paternum auditum pulsaret, simul et animum, in voces erupit exultationis et Divinæ laudis, Deum corde et ore glorificans pro filia, quem in filia mirabiliter et multipliciter audiebat operari. Ardet pater desiderio videndi filiam, jacturam sibi reputat illius absentiam, cujus præsentiam virtutum multitudo comitabatur. Missis itaque nuntiis revocatur in venditionem matris ejus olim facta conventio; dolentibus dominis Virgo abducitur, et paternis tandem adspectibus exhibetur; ipsam quidem nutrice sua comitante, matre vero, sicut prius, in servitute permanente.

*revocatur ad domum paternam:*

19 Pater ergo venientem filiam excipiens, sicut pater, tanto se habuit ad eam affectuosius, quanto veracius hoc probat intuitu, quod paullo ante perceperat auditu. Verum quoniam omnes quos hic amat Deus, quantum permittitur, impugnare solet vel per se vel per suos diabolus; novercam Brigidæ tanta contra Brigidam inflammavit invidia, ut ad ejus læsionem animum indueret novercalem. Denique singula quæ Virgo vel dicebat vel operabatur, illa hæc in malum sinistra interpretatione detorquebat: et tam verbis quam verberibus sæpe in innocentem sæviebat. Nec suis est contenta malitiis, secretis delationibus in apertum furorem pertraxit virum suum; et vitricum ex patre, persecutorem ex dilectore, malignum ex benevolo, malum ex bono ipsum facit. Quia tamen impetrare non potuit, ut ipsam in servitutem venderet, instare cœpit ut servilibus officiis manciparet. Quid multa? fecit ei in domo sua quod fieri nolebat in domo aliena; subulci videlicet officium herili filiæ seductus imponens.

*verberatur a patris uxore*

*patrem quoque durum experitur*

*sues jubetur custodire*

20 Sancta vero Brigida reductis ad memoriam passionibus Christi, adversus paternas injurias, et insidias novercales, salubri cogitatione armabatur; reputans non esse condignas passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam, quam in Sanctis suis Christus revelabit. Porcorum etiam sic curam habens, quod amorem Dei non negligens, foris agebat quod domi facere consueverat, aut Deum orare, aut aliquid in usus indigentium operari.

*fert omnia patienter*

21 Cumque die quadam grex porcorum huc illucque vagando, paullulum elongaretur a Virgine, duos malignæ mentis homines ibi transitum facere contigit: qui videntes opportunitatem, conceperunt dolorem, et perfecerunt iniquitatem, duas scilicet sues furto auferentes. Et cum deinde cœptum iter prosequerentur, vident procul illis obvium venire Dubtachum; quem vehementer extimescentes, quid pedibus possent, fugam ineuntes, probaverunt. Dubtachus autem veniens, et relictas a fugientibus sues inveniens, suas recognovit: ipsisque diligenter absconditis, filiam adiit, hilari vultu, et verbis pacificis animum celans iratum. Tandem vero verba tenduntur illuc, quo tendebat animo: Virginemque percunctatur, si numerus sibi commissi gregis integer esset aut imminutus. Illa autem fidem integram in Deum habens, rogavit ut ipse videret, hoc quod scire volebat, qui cum sollicite numeraret numerum integrum, illas etiam sues quas absconderat invenit: stupensque de facto domum rediit.

*duas sues furto sublatas,*

*a patre recuperatas et absconditas,*

*et oravit e grege non abesse*

22 Beata Virgo Brigida sicut inter adversa patientiam, sic inter meritorum gloriam amplectebatur humilitatem, quidquid virtutis operabatur Deo tribuens, non sibi, sciens nihil boni fieri, nisi per Deum, nullum de bonis efferendum nisi Deum. Et quia non in vacuum gratiam Dei recipiebat, sed eidem in se operanti studiose cooperabatur, de bonis ad meliora, de melioribus ad optima quotidie promovebatur. Quanto vero

*humilitate crescit in virtutibus.*

A vero Divinæ majestatis adspectibus sese repræsentabat humiliorem, tanto coram hominibus Divina pietas etiam miraculorum gloria reddebat excellentiorem. Unde et inter alia ipsius opera, istud eam egisse memoratur, quod nos quoque memoratu dignum judicamus.

*et miraculis clarescit :*

23 Nutricem ejus vehementis infirmitatis dolor invasit : quem licet ex infirmitate pateretur gravem, tamen aliunde patiebatur multo graviorem, quod scilicet videbat Brigidam in paterna domo velut alienam servilibus officiis dehonestari, quam viderat in domo aliena quasi filiam paternis affectibus honorari. Ita enim a natura comparatum est nutricibus, ut quibus præbent lac carnis, præstent etiam semper affectum mentis. Sancta vero Brigida pie compatiens suæ nutricis infirmitatibus, ei se nutricem exhibebat : lecto enim ipsius diebus et noctibus assidere, cibis etiam et verbis salutaribus refovere, et omnem ei pro viribus humanitatem exhibere satagebat. Tantumque potuit apud infirmantem devotio ministrantis et caritas, ut patrem, parentes, et patriam, quæ quondam ejus amore reliquerat, ei sola Virgo suppleret. Sufficiebat enim hæc una plus illis omnibus, quia una præ omnibus ipsam diligebat : sed sine commodo ipsi ministrabat infirmanti, sed sine fastidio necessaria sibi B largiebatur, sed sine suorum adjutorio, quia quod adipisci Virgo non potuit laboribus suis, largitionibus accipiebat alienis.

*nutrici ægrotanti ministrat,*

*eamque solatur,*

*et necessaria ab aliis cicurat*

24 Ubi vero necessitatibus Virginis defuisset homo, clemens aderat auctor et amator virginitatis Deus. In se enim adjutorem Deum habet, qui cordis et corporis virginitatem habet : quod et tunc, temporis in Brigida probatum est. Nam cum nutrix ipsius sitis ardore fatigata, cerevisiam in potum sibi dari postularet; S. Brigida duas puellas quemdam vicinum patris sui cerevisiam rogaturas misit : in hoc enim æstimans noverca sua sibi futurum liberaliorem, quod si libenter cerevisiam dare nollet, competenter negaret. Quod et ita fecit. Cumque manu vacua puellæ redissent ad Virginem, ipsa Deum tota mente concipiens, aquam protinus de vicino fonte protraxit, attulit, impressione signi salutaris benedixit, et in optimam cerevisiam, sicut post bibentibus probatum est, potenter convertit : deinde suæ nutrici param ex ea propinavit : nutrix infirma bibit, et statim ab infirmitate convaluit. Tantaque fuit utriusque, potus videlicet et curationis optatæ, convenientia, ut de hac cerevisia bibisse, sospitatem sit accepisse. Quod quidem obstupescentes qui aderant, fidem Virginis, C et virtutem hujus operationis, usquequaque dignis laudum præconiis extulerunt.

*aquam in cerevisiam convertit,*

*qua nutrix convalescit*

## CAPUT V.

### *Mater libertate donata, beneficentia miraculis comprobata.*

Verum quia omnis vita iniqui peccatum est, et malignus ex omni quod vel audit vel videt, sibi malitiæ commentatur materiam; novercæ Brigidæ auditam virtutis famam sibi reputat infamiam, et suum æstimat dedecus, illius, quam persequi videbatur, decus. Unde bono Virginis mulier iniqua labitur in deterius; virtutibus illius ista fit vitiosior, laudibus privignæ in detestabiliora invidens noverca, protraxit. Audito enim et quod foris de furatis suibus, et quod domi de nutrice sua infirmante provenerat, ejus invidia permutari cœpit in odium, totumque suæ malitiæ virus adversus innocentem evomuit. Jamque perexiguum reputat unius officii vel dedecore vel labore Virginem onerare : et ob hoc nunc coci, nunc pistoris, modo subulci, nonnumquam opilionis, aliquando messoris, sæpe textricis officium, et alia atque alia his viliora, tam domi quam foris, imponens, in ignitudine laboris, et opprobrio servilitatis, ipsam molitur D opprimere.

*a noverca magis efferata*

*variis et vilibus laboribus opprimitur*

*AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.*

26 Sancta vero Brigida nullum opus servile reputans nisi peccatum, exercitia laborum patienter admittebat, prudenter prosequebatur, laudabiliter consummabat. Proinde tempore quodam viris aliquot hospitio receptis a patre suo, Brigida cibis eorum præparandis accersitur; nec distulit jubentis imperium facto complere. Caldariam enim ignibus superposuit, et caldariæ aquas, aquis vero frusta carnium, quot opus esse videbatur, imposuit. Et dum cœptis instanter assisteret, catulis fœta jacentibus canis una venit ad Virginem, gestibus quibus poterat alimoniam petens. Quid tum ageret Virgo misericors? Numquid indigenti bestiæ præberet alimoniam? Sed carnium earumdem et quantitas et numerus novercam non latebat. Negaret igitur? Sed consolationem indigenti negare, nihil aliud esset quam sibi contraire. Semper enim pia, semper clemens, semper mitis et benigna, tanta semper redundavit misericordia, ut non solum in necessitates hominum, verum etiam compassionem extenderet in indigentiam bestiarum. Unde pluris habens sibi innatam misericordiam, quam crudelitatem alienam, et magis esurienti bestiæ compatiens, quam insaniam novercalem timens, partes memoratarum carnium (neque enim aliud habebat ad manum) esurienti largita est. Secundo quoque similiter venit, et qualem primo talem nihilominus secundo sibi Virginem invenit. Quemadmodum favus melle redundans facili motu liquorem distillat dulcissimum; ita et hæc Virgo plena pietate naturali, facillime inopia flectebatur pietatis.

*parans hospitibus cibos,*

*duas partes carnis dat cani :*

E

27 Cumque postmodum pater ejus cum suis hospitibus ad mensam resideret, fercula carnium elixarum mensæ jussit apponi. Fecit Virgo quod pater imperaverat : fidens enim Deo, carnes comedentibus eis apposuit, inventæque sunt et quantitate et numero excrevisse, quantum prius fuerant misericorditer imminutæ. Tali denique hospites iidem obstupefacti miraculo, (nam carnes quas antea ipsi imminui viderant, sine aliqua imminutione sibi apponi videbant) Dubtachum prout gesta fuerant edocuerunt singula. Ille vero recogitans, et quæ prius audierat, et quæ de Brigida tunc audiebat, tandem se meminit esse patrem, et nobilem filiam, servilibus officiis emancipatam, amori habuit et venerationi. Indecens enim sibi visum est, hominem velle dehonestare, quam Deus videbatur honorare, et affectu patrem a filia alienari, cui paternum affectum impendebant alieni.

*quæ integræ in fidelibus reperiuntur.*

*honesta habetur a patre*

28 Sentiens itaque beata Virgo suum patrem animum sibi indulgere paternum, cœpit non tam de arridente sibi prosperitate gloriari, quam de suæ matris servitute die noctuque sollicitari. Sciebat enim secundum Apostolum, quod si quis suorum, et maxime domesticorum, curam negligit, fidem abnegat, et est infideli deterior. Unde ad matrem suam invisendam prium animum apponit, propositum deinde patris auribus exponit; acceptaque licentia, se et sibi necessaria ad iter optatum componit. Denique suo desiderio satisfecit, junctis sibi in itinere sociis, sua nutrice et quodam fratre suo. Quia enim quisquis talibus moribus vivere putatur, qualibus sociis delectatur, prudens hæc Virgo, providens bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, neque domi neque foris alicujus admittebat societatem, quæ vel malis aliquam mali præberet suspicionem.

F

*1 Timot. 5, 8*

*matrem invisit cum nutrice et fratre*

29 Denique ad optatum locum beata Virgo perveniens, adventu suo magnam dominus dominus, magnam familiæ, maximam suæ nutrici contulit exultationem. Misertus est enim Deus illius, et omnia ejus opera dirigebat. Ubi vero secreto suæ matris est potita colloquio, diligentius investigare cœpit, quid laboris, sub qualibus dominis, et qua mercede toleraret : audivitque

*benevolentia domini ... matrem repperit in bonis habere*

A moderantiam admiratus in habitu neque nimis nitido neque immoderate sordido; Quare, ait, ensem dedisti pauperi, quem ego dederam tuo patri? Et illa, Ne mireris, ait, hoc me dedisse quod potui, quia si possem similiter in pauperibus meo factori, quidquid et tu Rex et pater meus habetis, erogarem. Æternales etenim divitias thesaurizat, quisquis pro Deo pauperibus erogat temporales.

*facti caussam Regi sapienter reddit,*

37 Tunc Rex conversus ad Dubtachum, Major est, ait, hæc Virgo et melior, quam ut venundari possit, vel emi. Et cum omni vel auro vel argento sit pretiosior, ego pretium, quo comparetur, nullum habeo. Pro hoc autem bono gladio, quem ipsa dedit inopi, optimum dabo tibi. Tu autem si credere velis consilio meo, ipsam relinques arbitrio suo. Cujus verbis instructus, et honoratus muneribus, ad sua rediit, filiamque suam, quo libuit, liberam ire permisit.

*qui patri aliam gladium donat ipsa sui juris efficitur.*

## CAPUT VII.

### *Virginitas deformitate defensa; velo accepto et miraculis stabilita.*

B Cogitans autem B. Brigida nihil esse servilius, quam accepta abuti libertate, servitium evadens humanum, totam se transtulit ad Divinum: et quasi parum esset quidquid prius egerat, corpus suum attenuabat vigiliis frequentioribus, et inedia graviori; mentem vero ferventius dilatabat in contemplationem, et amorem Dei. Apium etiam imitata solertiam, quæ per hortorum vagantur amœnitates, et ex multis floribus succum varium colligunt, quem in unum saporem mixtura quadam ac proprietate spiritus sui permutant; mansiones Virginum sanctarum hæc sancta Virgo circuibat: et quidquid vel in una vel in altera videbat boni, transferebat hoc in utilitatem suam: hujus enim humilitatem, patientiam illius imitabatur: ab una parsimoniam, misericordiam addiscebat ab altera: et ut multa paucis includam, quidquid erat omnium, faciebat esse suum. Tantum vero caritate redundabat, et indefessa pietate, ut ubi aliquam ancillarum Christi lecto ægritudinis detineri cognosceret, visitaret protinus infirmantem, nec ab ejus ministerio ante separaretur, quam ipsa aut vires reciperet, aut vitam terminaret.

*austerius et sanctius vivit*

*virtutes alienas imitatur:*

*ægris ministrat:*

39 Et cum die quadam ad unam tanto festinaret vehementius, quanto eam infirmari audierat validius, obvios habuit in itinere fratres suos, quorum unus, C vocabulo *a* Barchenus, (cujus ut multa brevi dicantur) matri similis, alios invitare cœpit ad malitiam. Hæc est, inquiens, soror nostra, quæ de loco ad locum discursando, nescio qua superstitiosa vanitate, virile consortium abominatur, illud refugit ad quod eam Deus fecit, et mente pertinaci sic vivit, et sic vivere disponit, ut nec avum patrem suum, nec avunculos esse velit fratres suos. Institutis Dei vanitatem suam antepouit, naturæ legibus præfert leges proprias: et ad nostrum tam dedecus quam dispendium, filiorum numerositati præponderat abominandam sterilitatis infecunditatem. Sed, viri fratres, stultitiam hanc magnam compescamus, et non suæ voluntati, sed nostræ simul et suæ consulentes utilitati, quæramus aliquem nobilium, (et certe repertu facilis erit) qui sit ei maritus, et nostro patri gener, nobis autem omnibus propugnator et amicus.

*a*

*alterum uno volente eam cogere ad nuptias,*

40 Quem increpantes alii, Non est, inquiunt, virile, neque fratres decet, sævire in sororem Virginem: maxime quæ pro terrenis cœlestia, permanentia pro transitoriis, pro homine sibi sponsum elegit Deum. Et quoniam ei cuncta postposuit, non impediamus hoc propositum, quod affectat Deum: nec inquietemus Virginem, quæ sectatur honestatem: nec hoc adoriamur, quod nobis turpe sit aut perfecisse, aut perficere non posse. Inhonestum enim est ab honesto proposito suam sororem fratres revocare. Quod tamen si tentaverimus, et nostros conatus ejus frustretur constantia, nonne turpissimum erit Virginem unam non cessisse viris quatuor? Serviat igitur nostra soror Deo, cui servire proposuit: ejusque bonum diligamus bono nostro, quia si aliter facere tentaverimus, hoc omnino faciemus malo nostro. Hæc et his similia, tres illi quarto inculcantes, in ventum verba jaculari videbantur.

*ceteris reclamantibus,*

D

AL. IOHI. LAURENTIO DUNELM EX MSS.

41 Cumque nihil proficientes, in contentiones et convicia mutuo prosilirent; S. Brigida Deum invocans adjutorem obnixe supplicabat, ut et discordantes in fraternam pacem revocaret, et sua protectionis dextera eam ab illis propugnaret. Nec mora: unus oculorum ejus velut ictu erutus apparuit, sanguinis etiam non modicum ejus capite læso postmodum emanavit: ut fratrem, quem ad quærendum sibi maritum pristina forma provocarat, hæc nova deformitas ab intentione tam insulsa revocaret.

*a Deo impetrat, ut oculum amittat*

42 Videntes autem illi tres, qui contra fratrem pro sorore contendebant, in sorore faciem taliter et tam celeriter immutatam, dolebant, et dicebant, illud ei nequaquam evenisse, si de contrahendo matrimonio, quod suæ adversabatur voluntati, interpellata non fuisset. Querebantur etiam aquam se non habere, ut saltem sanguine perfusam faciem abluerent; et si medelam conferre non possent, quam volebant, humanitatem conferrent, quam valebant. Sentiens itaque Virgo Christi sibi Christum adesse defensorem, de sua consolatione sollicitos, inconsolatos relinquere noluit fratres suos: et non parum in omnipotentis magna confidens clementia, terram, ubi stabant, ut foderent imperavit. Omnibus jussa complentibus, ille protinus aquam ad petitionem ancillæ suæ de arida potentialiter eduxit, qui ipsam ad percussionem Prophetæ sui quondam in deserto mirabiliter de petra produxit.

E

*fratribus 3 compatientibus,*

*fontem precibus elicit*

43 Tali igitur tres illi fratres applaudentes miraculo, in sororis obsequium animo devoto præparantur, et manu satis officiosa, ablutaque diligentius sanguinolenta facie, oculum Virginis, et unum et alterum incolumem invenerunt. Unde protinus in gaudium et gratiarum actionem accensi, quartum illum fratrem non minus moribus quam natura filium matris suæ, ad congaudendum invitant, dissimulantem increpant et accusant. S. Brigida verborum correptionem nullam videns afferre stulto correctionem, (stultum enim non quod auditur, sed quod sentitur corrigit) unum illi maledicendo oculum eripuit, et sic insipiente flagellato, iter quod inceperat, et opus quod proposuerat, nullo impediente peregit.

*ea abluta oculum recuperat,*

F

*et fratri obstinato maledicens oculum eripit, cum 7 Virginibus,*

44 Non multo deinceps elapso tempore, septem boni propositi Virgines junctæ sunt ad memoratam Virginem, animo simili, et affectu salutari optantes, et per eam et cum ea spiritualibus informari disciplinis. Unum siquidem in ore multorum verbum erat, multipliciter et mirabiliter operari Spiritum sanctum per Brigidam, per quem Brigida semper erat in cunctis prospere agens. Illa vero sanctam earum amplectens voluntatem suæ voluntati consentire, utile suum tam eis quam sibi judicavit, ut sacri velaminis impositione Christo consignatæ agerent vitam, et haberent normam cœnobialem. Placet omnibus quod uni placuerat, et dilationem vel modicam magnam arbitrantes jacturam, ad beatæ memoriæ Machilenum Episcopum simul et simili fervore properant, ipsius benedictione consecrari Christo et signari postulantes.

*petit sacro velamine velari...*

45 Episcopus autem earum vitam nesciens, et ea impetu quodam animi magis, quam inspiratione Spiritus sancti affectare credens vitæ arduam Virgines delicatas; recusavit hoc facere, quod facere petebatur, sciens secundum Apostolum, nemini cito manum imponendam,

*adit Episcopum, velumque postulat quod leviter...*

1 Timot. 5. 22.
1 Joan. 4. 1.

*AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.*

A imponendam, neque credendum omni spiritui, sed probandos esse spiritus si ex Deo sunt. Cumque videret sancta Virgo, quod Episcopus tuta timeret, spe et prece conversa est ad orationum nota præsidia, consolatorem invocans Spiritum consolationis, ut quem eis ipse inspiraverat affectum, ipse etiam perducere dignaretur ad optatum effectum.

*mox columna ignea apparente super caput ejus,*

46 Quid multa? Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Ut enim fervor ipsius interior signis exterioribus appareret, ignea super caput ejus columna resplenduit quæ usque ad tectum ecclesiæ excrescens, (in ecclesiam enim cum suis oratura Virginibus ipsa secesserat) intuentibus exultationi fuit et admirationi. Episcopus etiam hoc miraculum admiratus, suos inquisitione diligentiori percunctatur, quibus hæc Virgo parentibus edita, quo vocabulo nuncupata, quibus moribus ab infantia fuisset conversata. Cui unus ex Clericis, hanc esse Brigidam, filiam Dubtachi, mirabilium rerum operatricem, exposuit.

*Episcopus, intellecto Brigidam esse,*

Quod cum audiret Episcopus, et videret hanc ad se venisse, quam bona fama multo ante prævenerat; B petere ipse jam cœpit, ut faceret quod facere petebatur: et mox eam cum suis Virginibus sacri velaminis impositione, Christo consignavit. Gaudenter enim hoc homo potest operari, ad quod cœlestibus signis sese videt invitari.

*ei et sodalibus velum imponit:*

47 Contigit autem inter ipsa benedictionum sacramenta, ut lignum quo sanctum altare sustentabatur, quod et nulli firmum radicibus, neque cortice velatum, vetustate consumi videbatur et carie, sancta Virgo manu tangeret. Ad cujus tactum tantam accepisse virtutem memoratur, ut et mox virescere videretur, et postmodum inter flammarum incendia, quibus eadem ecclesia consumpta est, consumi nequaquam potuisset. Sic, sic, omnipotens Dominus, qualia prius egerat in veteri Testamento, talia jam nunc operatur in novo, in utroque suos amans, et suam eis piam potentiam et potentem pietatem administrans. Ipse enim filios Israel tendentes ad terram repromissionis, in igne præcedebat: ipse etiam Brigidam festinantem ad terram æternæ hæreditatis, in igne sursum ascendente, de terrenis ad cœlestia magis et magis appetenda provocabat.

*ipsa lignum siccum tangens, viride reddit,*

*et post inter flammas illæsum,*

*antiquis annotatis miraculis:*

C Neque ligno memorato virorem alius contulit, et alius ex virga summi quondam Sacerdotis Aaron fructum produxit. Unus Deus utrumque fecit, hinc ligno contulit virorem, ut Brigidam signaret esse Virginem; virga autem Aaron et virorem simul et fructum dedit, quia illa quæ per eamdem virgam præsignabatur, et Virgo simul et mater fuit.

a *Colg.* Balthonus

## CAPUT VIII.

### *Cœnobium sanctimonialium institutum. Misericordia egentibus exhibita.*

*loco ab Episcopo assignato,*

48 Episcopus igitur fidem Virginis admiratus et meritum, locum suo proposito, et professioni competentem ei præparavit, et quot habebat socias, tot sibi vaccas dedit. Ipsa vero locum sibi datum cum suis ingressa sodalibus, sic vivere et vigilare, sic jejuniis et laboribus insudare, sic orationibus et Divinæ contemplationi studuit inhærere, ut priorem ejus vitam hæc nova vita superaret. Et licet aliis dignitate præemineret et merito, sociam tamen humilitatem profitebatur, dictum implens Sapientis: Principem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi una ex illis. Exemplis autem ipsius et exhortationibus ceteræ ad bonum provocatæ, licet magna professæ, digna faciebant tali professione.

*Eccli. 32, 1.*

*cum sodalibus sancte vivit,*

*victum subministrante Episcopo et populo;*

49 Quarum conversationi congaudens antedictus Episcopus, et ejusdem provinciæ populus universus, quæque corporalem earum spectabant necessitatem, D paratiores ad tribuendum, quam illæ ad accipiendum erant. Si quid vero superfuisset, hoc in usus indigentium Brigida misericorditer, prout cujusque necessitas exposcebat, erogare studebat.

*quæ supererant dans pauperibus.*

*ab Episc. ad cœnam invitatur cum suis.*

50 Quadam vero die sæpedictus Episcopus, eam cum suis ad cœnam invitavit. Cumque mensa posita, et paratis omnibus cibum sumere debuissent, S. Brigida cœpit Episcopum deprecari, ut ante spiritualibus alimentis ipsarum mentem, quam carnalibus epulis ventrem reficeret. Quod libenter ille accipiens, ad informationem earum linguam protinus exercuit eruditam, sermonem Domini in monte habitum, materiam assumens sermonis sui. Et cum multa de virtutibus, quibus beatitudo promeretur, multa etiam de ipsa beatitudine deseruisset, S. Brigida, sermone terminato suis ait: Ecce, dilectæ mihi in Christo sociæ, virtutes octo, quarum observantia beatos facit, nobis proponuntur, et nos Virgines octo sumus.

*cum ipso ronatus de 8 beatitudinibus dixisset,*

Licet autem una virtus sic connexa et quasi concatenata sit alteri, ut multas necesse sit virtutes habeat, quisquis perfecte unam habuit; tamen ex iis omnibus unam quam voluerit, unaquæque nostrum specialius adimplendam eligat. E Quibus ista sibi placere respondentibus, si tamen ipsa, quæ prima inter eas esse videbatur, prius virtutem quam vellet eligeret; ipsa nihil cunctata, misericordiam elegit. Et licet aliis etiam virtutibus sic diebus ac noctibus insudaret, ut eam ex virtutibus compactam judicares; sic tamen studuit misericordiæ; quasi præter misericordiam virtutem vel omnino nullam, vel exiguam reputaret. Sic et aliæ quamcumque propositarum virtutum elegissent, ferventius et frequentius eidem insistebant: nec ante desistebant propositam adimplere virtutem, quam virtutis acciperent promissam remunerationem.

*singulæ singulas virtutes exercendas eligunt,*

*ipsa misericordiam*

51 Ita igitur in anima spiritualibus alimentis saginatæ, ad recreationem corporis corporales postmodum cibos, Episcopo invitante, perceperunt. Et hic in omni vita mos Brigidæ postmodum inolevit, ut nulla die carni suæ corporales cibos indulgeret nisi prius animæ cibo, verbo videlicet Dei, pasceretur.

*semper ante cibum, verbum Dei audit:*

52 Miraculis deinde crebrescentibus, fama Brigidæ in universis Hyberniæ finibus magis et magis innotuit; quia lucerna posita super candelabrum abscondi non potuit. Confluunt itaque ad Virginem Virgines innumeræ, veniunt simul et viduæ, neque viduatas F Virgini, neque veteranas juvenem, neque divites, imo ex divitibus sponte pauperes pauperi grave fuit subjugari. Unde contigit in brevi ancillas Christi multiplicari numero: sed hoc singulare studium et sollicitudo fuit Brigidæ, ut multiplicarentur et merito. Licet enim meritum esse non possit, ubi numerus non est, in numero tamen virtus non consistit, sed in merito: quia laudabile non est conventum esse numerosum, sed religiosum; neque magni judicatur simul habitare multos, sed hoc omnino magnum est simul habitare bonos. Quocirca et bene vivendo et patienter docendo, bonas ad meliora provocabat; errantes autem ab errore, arguendo, obsecrando, increpando revocabat. Pauperum etiam sic curam habuit, et sic in eos liberalis fuit, et sui monasterii res privata, inopum res publica efficeretur.

*multas sibi jungit Virgines et viduas,*

*quas promovet*

*pauperes sublevat*

53 Contigit autem die sancto Paschæ ei de ecclesia egredienti, occurrere quemdam, et pauperem et leprosum: cui protinus suam exponere cœpit miseriam, dicens paupertatem ægritudine, et suam ægritudinem paupertate plus gravari. Et quoniam, inquit, me natura pauperem creavit, infirmitas autem mihi vires ademit laborandi, magnæ pietatis est, et precor, ut bovem unam lactantem indigenti largiaris. Licet enim valde sit miserum, vel nihil habere, vel leprosum esse; tamen lepra quos invadit, non statim perimit:

*leproso dat vaccam petenti.*

A perimit : quibus autem omnia desunt alimenta, cito deerit et vita. Quod cum audiret Christi Virgo, et nunc revocaret ad memoriam gaudium illud singulare, quod illo die resurgens a mortuis, de sua simul et nostra resurrectione nobis omnibus contulit homo Deus, nunc etiam recogitaret, istum ab hoc duplici gaudio, duplici mœrore, inopiæ scilicet et infirmitatis, retardari; visceribus misericordiæ super miserum cœpit commoveri. Quid vero faceret? si tantum ejus indigentiam relevaret, restabat satis ex infirmitate quod doleret : si autem sola sibi propulsaretur infirmitas egestate remanente, dimidius consolari videretur magis quam totus. Quapropter et substantiam, quam pia Virgo petebatur, ei pariter conferendam cogitabat. Tandemque benignis eum allocuta sermonibus, Visne, ait, sanus fieri? Quod cum ferventi desiderio se semper voluisse responderet, aquam sibi beata Virgo fecit afferri : et cum eam impressione signi salutaris, et invocatione Salvatoris, consecraret, super corpus infirmantis ipsam respersit, moxque deformitas onerosa satis et odiosa sibi visa est aufugere, optatusque decor in sanato corpore cœpit apparere. Deinde quod petierat ei præbens, gaudentem et gratias agentem, ipsam a se sancta Virgo B dimisit.

*Crucis signo et aqua benedicta sanitatem confert,*

*et vaccam donat :*

CAPUT IX.

*Signo Crucis producta auctaque cerevisia, et lac.*

Alio item tempore pauperum multitudo venit ad memoratam Virginem, cupiens et obnixe petens potu cerevisiæ recreari. Ad eam enim velut ad communem penum pro diversis necessitatibus quotidie pauperum caterva confluebat; iste panem expetens, ille potum, quidam lac, alii caseos vel butyrum, alii etiam vel farinam vel frumentum, nonnulli linum aut lanam, aut quodlibet operimentum, id petentes singuli, quo singulariter indigere videbantur. Et quia secundum veritatis eloquium, quærentibus regnum Dei et justitiam ejus, cetera, quæ corporalis expetit necessitas, adjiciuntur; ita Virginem misericordiæ semper consolata est Omnipotentis larga misericordia, ut nullum egenorum a se dimitteret aliquando inconsolatum. Nam cum sibi vel omnino nihil, vel non satis esset, quod indigentibus erogaret; clementia Divina, per suæ largitatis copiam, nunc uno, nunc alio modo supplebat ipsius inopiam. Numquam enim Deus alicui consuevit deesse, qui solius obtentu caritatis, proximorum necessitati conatur adesse. C

*multis ad eam confluentibus egenis*

*nullum vacuum dimittit,*

*Deo illius copiæ suæ ingerente :*

55 Unde et hic cum beata et vere misericors Virgo cerevisiam peteretur a pauperibus, et nec haberet quod petebatur, neque tamen inconsolatos emittere pauperes ipsos voluisset; cogitavit quid faceret, quo mitteret, quemve cerevisiam ad sitim pauperum extinguendam postularet. Et dum ipsa pro sedando pauperum desiderio, divinitus sibi et consilium adesse desideraret et auxilium, aquas ad balnea præparatas (nam et tunc et modo balneis tam Hybernenses quam [illegible] Scotorum frequenter uti solent) conspicata [illegible]. Ad quas protinus accedens, Salvatorem [illegible] invocare cœpit adjutorem, ut ipse, qui per [illegible] potest quidquid fideliter postulatur [illegible] [illegible] cerevisiam, ne paupe[illegible] [illegible] petitione sua, tristiores ab ce[illegible] [illegible] Spiritum [illegible] [illegible] [illegible] graviores [illegible] [illegible] Denique cum [illegible] Crucis [illegible] [illegible] Salvatoris [illegible] [illegible] [illegible]

*[illegible] ad ba[illegible] [illegible]*

optimam ori bibentium cerevisiam sapiebat. Ille siquidem per Virginem suam aquas convertit in cerevisiam, qui eas olim in Cana Galilææ, invitatus ad nuptias, per seipsum convertit in vinum, et qui nuptiarum celebrantibus gaudium contulit, tribuendo vinum quod defuit, ipse ancillæ suæ ut sitientem pauperum multitudinem lætificare posset, cerevisiam, prout petebatur, ex aqua dedit. D

ALCUINE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.

56 Ecce autem dum cerevisiam ex aqua factam referimus, qua recrearetur sitiens multitudo pauperum, referendum occurrit, ad benedictionem ipsius cerevisiam multiplicatam, qua lætificata est convivans multitudo Clericorum. Quadam enim die *a* memoratus Episcopus solito more, sed in edita Clericorum stipatus multiplicitate, venit ad Virginem; lætamque in adventu suo de adventu suo domum invenit. Omnes enim similium sui præsentia gaudent : nam et mali quoties conveniunt, unus fit deterior ex altero : bonorum autem collegia mutua sibi bonitatis administrant incrementa. Unde quoniam omnis intentio Virginis istius ad virtutes festinabat, non potuit in adventu viri sancti non gaudere, cujus verba, vultus, habitus, et omnis vita virtutum incitamenta fuere. Qui cum Virginem sanctam et suas salutaribus verbi Dei refecisset alimentis, ad corporales ipsum epulas, et omnes Clericos ipsius, ipsa postmodum invitavit. E Mensam denique beata Virgo refectionis posuit, eisque, quos et quales habebat, gaudenter apposuit. Cum vero præter aquæ potum, quem apponeret non haberet; exigua tandem in uno vasorum inventa cerevisia, lætior efficitur, et de misericordia multum præsumens Divina, (nemo enim amicus de suo tantum præsumere potest amico, quantum verus amator Dei præsumere potest de bonitate Dei) inventæ cerevisiæ salutarem sanctæ Crucis infixit benedictionem. Nec mora, liquor usque ad summum excrescens, undique cœpit exundare : nec hospitibus quoties et quantum volebant potans, illud vas evacuare potuerunt. Multa etiam vasa ex hoc uno tunc impleta memorantur, Domino nimirum augente cerevisiam per Virginis meritum, qui quondam oleum mulieri viduæ multiplicavit per Prophetam Elisæum. Episcopus autem, et qui cum eo venerant, cibo simul et potu recreati, discedunt, magis exultantes de meritis Brigidæ, et miraculo quod viderant, quam de refectione qua consolati erant.

*a recreatur Episcopi adventu,*

*ejusque concione audita,*

*eum et Clericos ejus convivio excipit :*

*signo crucis modicum cerevisiæ in vase excrescere facit, eoque plura vasa replentur :*

57 Alius etiam Episcopus, alio quodam tempore, de remotioribus Hyberniæ finibus venit ad Virginem quia unguentum effusum nomen ejus, religiosas hinc et inde personas ad colloquium ejus invitavit. F Sermo autem inter Episcopum et Virginem de spirituali philosophia largior extenditur : et Virgo per Episcopum, et Episcopus per Virginem collatione salutari, in contemptum transeuntium, et appetitum æternorum, in amorem proximi, et contemplationem Dei, magis et magis inflammantur. Nemini enim hoc amare tædet quod amare libet. Numquam satis est [illegible] sæpe de eo vel audire vel proferre sermonem, [illegible] exhibere studueris dilectionem. Unde quoniam in mente Brigidæ [illegible] habebat præclarum amor Dei, libenter et [illegible] loquebatur et audiebat laude Dei.

*post longos de [illegible] sermones,*

58 Cum vero post longam inter eam et Episcopum [illegible] de Deo collationem, ad refectionem [illegible] vocaret et tempus; unica vacca [illegible] habebat, sancta Virgo [illegible] [illegible] sanctæ Crucis [illegible] [illegible] ad benedictionem [illegible] [illegible] ex una mulgeretur [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] peregri[illegible] [illegible] humile [illegible]

AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.

A leguminum convivantes pro deliciis habuere. Fidem vero ipsius admirantes, et exultantes de merito, famam ejus satis magnam, majori merito superari, dignis laudibus extulerunt.

*ignorantiam vaccæ ubertatibus unctam Episcopo lac apposuit, quod Hibernis pro deliciis esse solet*

59 Sed illa regiam semper viam incedens, sicut nunquam declinavit ad sinistram, carnalibus succumbendo illecebris; ita nec ad dexteram aliquando deviabat, extollendo se vel de virtutibus suis, vel de laudibus et favoribus alienis. Utrumque enim, et carnis videlicet illecebras, et laudum humanarum phantasias, non opinione vulgari, sed merito suo ponderabat: et ob hoc utrumque mentis prudentia et virtute fidei facile superabat. Carnis quippe voluptates magnas sane fœditates, et laudem humanam aurium inflationem magnam existimabat. Unde in hoc tota erat, ut sancta esset, magis quam ut sancta diceretur. Et quia omni habenti dabitur et abundabit, ab eo autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo; Brigidæ bonam habenti voluntatem supernæ pietatis largitas contulit suæ voluntatis adimplendæ facultatem. Nam et vere bona fuit ante Deum, et tamen ne thesaurus bonitatis ejus absconderetur, proximorum utilitatibus, signis supra

*laudem humanam contemnit,*

*ut vere munera*

Matth. 25. 29

B memoratis, et hic infra memorandis, satis innotuit, quanta vel qualis fuit.

a *Videtur hic esse Maccaleus, de quo supra cap. 7 et 8*

## CAPUT X.

### *Feræ, ejus nutu, mansuefactæ, ad miserorum levamen.*

Celebre est in Hybernia, quod vir quidam animo simplex et natura, palatium aliquando Regis Lageniensium adiit, vel voluntate ductus, vel coactus necessitate. Cumque consisteret idem inter Curiales rusticus, et ad eorum lepores, utpote rei inconsuetas, stupidus redderetur, subito videt vulpem unam palatium ingressam huc illucque discursare; quam vel insecutione canum vel hominum violentia credens illuc esse conectam, magnum sperabat inter palatinos honorem sibi proventurum, si eam ante rusticus occideret, quam illorum aliquis insequi fugientem tentaret. Quid multis morer? quod inconsulta mente conceperat, opere protinus adimplevit inconsulto. Videntes autem officiales Regis, magna Regem hilaritatis caussa privatum, (vulpes eadem variis saltibus et diversis membrorum motibus in omne multis lusibus docta fuerat quotidianam Regi excitare hilaritatem) speranti laudem, statim exhibent captionem, cupienti gloriam, vincula et afflictionem infligunt ingloriam. Sic meretur simplex affectator astutiæ: sic proficit rusticus, prosiliens in facetiam: sic affligitur, palatinis honoribus immutare properans conditionem suam. Regi denique nuntiatur, et occisam esse vulpem suam, et vinculis coerceri vulpis occisorem. Ipse autem indigne ferens occisam in domo sua bestiolam suam, vinculis arctioribus reum jubet coarctari, Deum contestatus et caput suum, quod nisi vulpem in omnibus ludendi modis et motibus suæ similem sibi cito restitueret, distractis dissipatisque facultatibus suis, succensa domo, uxore etiam et liberis in sempiternam servitutem adductis, gravem ipse sententiam mortis exciperet. Et quia verbum Regis vires habet, plus ipsius mentem dolor et totius boni desperatio, quam membra ejus compedes et catenæ coarctant et affligunt. Nec tamen suarum descriptionem facultatum, et jacturam vitæ suæ tanti facit, quanti bonæ conjugis et dulcium liberorum indecentem servitutem. Vitam enim gladio finire, semel mori est, liberos autem captivari, nil est aliud quam quotidie mori.

*rusticus occisa vulpe Regis mansuefacta*

C

*vinculis constrictus,*

*mortique adjudicatus*

61 Factum itaque viri simplicis, et judicium irati Regis, confestim multorum auribus insonuit: quia

D quanto quisque major est, tanto minus illud etiam quod in secreto loquitur, secretum esse potest. Licet autem aliquos flecteret ad compassionem benignitas, et ab aliquibus etiam eliceret fletum misericordia; cito tamen arescit lacryma, præsertim in alienis malis. Beata Virgo Brigida, quæ veræ compassionis affectu dicere poterat cum Apostolo: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? quia etiam aliorum affectus in se trahens, sicut gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus noverat, hominem pro bestia sic tractari, nimis ægre tulit. Moxque consurgens ad orationum consueta subsidia, Deum, in cujus manu corda sunt Regum, invocat adjutorem, ut Regem ipse mitigaret, et duram illius sententiam emolliret. Deinde cum ascenso curru festinaret ad curiam, rogatura pro misero; duo quædam animo sollicite revolvebat, magnam scilicet hominis compediti miseriam, et infinitam omnipotentis Dei misericordiam. Et licet inde laberetur in dolorem, spe tamen, quam habebat in Divina pietate, erigebatur in consolationem.

*miserata,*

2 Cor. 11. 29

*Deum orat.*

*abitque ad curiam,*

62 Nec defuit in se fideliter speranti Deus: voluntatem enim timentium se faciet. Dum enim eminus prospiceret, vulpem unam silvis egredi, et rapido cursu per campestria intuetur ad se properare: quæ currui appropinquans levi saltu se in eum recepit, mansuetudinem exhibens domestici animalis. Proinde multas Deo laudes exolvens et gratiarum actiones beata Virgo, pervenit ad Regem, et a Rege gaudenter et gloriose suscepta est. Multam enim sæpe gloriam accepit ab hominibus, qui gloriam non requirit humanam; et hanc despiciendo, quam expetendo, citius promeretur.

E

*obtinetque a Deo in via vulpem mansuetam,*

63 Verum ubi Virgo reatum ignorantiæ captivo indulgeri petiit, Rex fixam ait stare sententiam, occidendum suæ vulpis occisorem, si vulpem citius non restitueret, quæ in omnibus ludendi modis illam coæquaret. Quibus auditis sancta Virgo Divino munere sibi transmissam bestiolam protulit, quæ mira protinus agilitate, vario membrorum sinuamine nunc sursum, nunc deorsum, modo huc, modo illuc sese contorquens, in omni genere ludendi vulpem Regis adæquare visa est. Rex autem hoc spectaculo plurimum delectatus, illum, pro quo petebatur, non solum vinculis et compedibus absolutum, sed et omni calumnia liberum, petenti Brigidæ tradidit: ipsaque protinus inde recedens, uxori et liberis ejus, eum nil minus cupientem quam curiam, restituit. Ita illo præter spem reddito, et Virgine domum reversa, memorata bestiola, sicut pridie ludebat in domo regia, multoque genere ludendi Regis oculos aliquamdiu tenuit. Sed ubi inter ludendum palatii foribus appropinquabat, videns exitum patere liberum, repente foras exilit, et silvarum latibula vicina cursu velocissimo petere cœpit. Quam jubente Rege, Palatinorum quidam equis post eam admissis insecuti cum canibus, frustra diem illum venando consumpserunt. Cumque circa vesperam, spem prædæ nullam superesse sentirent, convocantes canes suos, manu vacua redierunt.

*quam Regi offert*

*et reo libertatem obtinet:*

F

*sed postridie vulpes in silvas aufugit*

CAPUT

A

## CAPUT XI.

### *Simplicitas miraculis illustrata.*

Mirandis miranda succedunt. Quodam enim tempore, cum frugibus usquequaque maturis tempus instaret messionis; S. Brigida de frugibus suis colligendis operarios quosdam convenit, quos pro mercede paratos ad laborandum invenit. Pretium deinde pro labore dignum paciscitur, et diem certam qua venirent nosse volentibus, dies laborandi certa constituitur. Sed cum die constituta summo mane, sicut fuerat prælocutum, venissent; cœlum nubibus et caligine cœpit obduci, nebulaque densiori aer iste sic obtenebrari, ut sol non tam oriri, quam in occasum declinasse videretur. Dehinc inundantia pluviarum grandis et gravis erupit, nec ante noctis initium pluvialis immanitas terminum habere visa est. Proinde et per omnem Lagineusium provinciam, quotquot se præparaverant ad fruges suas ipso die colligendas, coacti sunt, undis undique sævientibus, domi residere, inviso diem illum otio feriari. Sancta vero Brigida Divinæ protectioni commendans suam messem et messores, sine contractu pluviarum, a mane usque ad vesperum illos operari fecit orationibus suis. Et mirabile spectaculum, quod in pluviis circumquaque sævientibus, solus ager Brigidæ non solum imbribus intactus, verum etiam sine nubibus et nebula lucidus illic apparebat. Sed quid mirum, si multum per Deum potuit, quæ fideliter in Deum credidit? Sic enim ipse testatur in Evangelio: Omnia credenti possibilia sunt. Item etiam ipse suis dignatus est polliceri, Qui credit inquiens, in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet. Quod ergo veritas polliceri voluit, numquid hoc adimpleri vel noluit, vel nullo modo potuit? Sed si crebro per fideles tam viros quam mulieres hoc adimplevit, numquid hoc per Brigidam noluit, quæ eum toto corde, tota anima, tota virtute dilexit? Quæ cum ab infantia castitatis et caritatis ardore sit singulariter inflammata, nihilque amaverat nisi Deum, aut in Deo, aut propter Deum; ambigi non debet, multis eam refulsisse miraculis quæ multis refulsit et meritis.

*Brigida operas ad messem conducit,*

*et copiosa decidente pluvia,*

*ab ea immunes servat,*

B

*Divina ope*
*Marc. 9, 22.*
*Joan. 14, 12.*

65 Tempore quodam, exigente necessitate, moras faciens in agro suo S. Brigida, utilitatibus insistebat monasterii sui. Ubi eam juvenum aliquis magnæ calliditatis intuitus, iniquitatem meditatus est in corde suo, ut paupertate scilicet simulata, aliquam ovium suarum, quæ juxta pascebantur, abduceret: non tamen ut suæ necessitati consuleret hoc agendum judicavit, sed ut eam quasi prodigam, et res suas insipienter profundentem irrideret. Quid plura? Vestem protinus et vultum pauperis induit homo dives: sicque baculo sustentans artus, quasi medía et ægritudine fatiscentes, nutante gressu pervenit ad Virginem. Deinde trahens cordis alta suspiria, anhelitu tandem vix resumpto, verbis per intervalla dimidiatis potius quam prolocutis, ovem unam sibi dari precabatur. Cumque magnam egestatem vultu pariter et habitu, similiter et sermone profiteretur; facile sibi fuit in pectore Virginis invenire pietatem. Accepit itaque quod petierat, et velut ex lætitia suscepti muneris factus aliquantulum fortior (spei enim gaudium vires præbet) ovem sibi datam abduxit.

C

*paupertatem habitu et verbis simulanti ovem donat,*

66 Et cum eam abscondisset in loco quodam satis opportuno, item in alteram formam et habitum transformatus venit. Laborabat ita vecors in suam verecundiam: calliditatem stultus exercebat in confusionem propriam: fraudes miser commentatus est ad ignominiam suam sempiternam. Licet autem penes ipsam habuerit efficacem intercessorem, illam, quam prætendebat, et rerum et sanitatis indigentiam, humili tamen voce ovem unam sibi dari postulabat, asserens aliquamdiu infirmitatis, semper vero se fuisse fatigatum incommodis gravissimæ egestatis. Et quia beata Virgo visceribus affluebat indeficientis misericordiæ, nimis impium judicavit cito non respondere tali miseriæ: dedit igitur sibi protinus et alteram ovem. Quam ipse cum gratiarum actione suscipiens, simili diligentia qua priorem absconderat, abscondit et secundam. Nec timuit homo perfidus opus hujusmodi septies iterare: et pia Virgo, quod petebatur, totiens non distulit erogare.

*et semel, iterum mutato habitu petenti*

D

*AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.*

67 Videns autem Deus suæ Virginis bonam voluntatem, et subdoli juvenis perversam machinationem; noluit hanc non habere quod egentibus erogaret, nec istum habere voluit, quo Virginem sanctam irrideret. Proinde cum ad vesperum oves Brigidæ cogerentur in caulam, quotquot mane exierant, ingredi videntur ad vesperam. Mirantur intuentes integrum esse numerum, nec mirari satis possunt illas septem oves ibi simul inveniri, quas ante viderant Brigida largiente abduci. Juvenis autem ille, ubi quod absconderat non invenit, doluit magnam astutiam suam tota die laborasse in opprobrium et ignominiam suam, quia dum illudere molitur alteri, materiam aliis dedit illudendi sibi. Sicque sua frustratus voluntate, tristis abscessit, tristior jam de acceptis ovibus quam amissis.

*quæ omnes reliquo gregi restituuntur.*

E

68 Extitit item caussa et exegit necessitas, ut in agro suo sancta Virgo moras faceret: ubi dum hoc ageret quod agendum ante susceperat, subitis pluviarum effusionibus intercepta est. Et sicut multoties evenire solet, quanto profundebantur effusius, tanto citius desierunt. Nec mora: in priorem commutatur aer iste serenitatem, quia sol, sine objectu nubis et nebulæ seu pluviarum, magnam emittere cœpit claritatem. Claritas autem hæc magna magnam Brigidæ obduxit oculorum caliginem. Cumque vestibus compluts, et caligantibus oculis, domum ipsa venisset, vidit solis radium ipsam domum translucere per fenestram, quem putans lignum esse per transversum domus nuper ab aliquo positum; (quanto enim quisque foris solem intuetur clariorem, tanto domum quam ingreditur reputat obscuriorem: et quo magis in solem intendit, eo minus quod invenit attendit) S. Brigida solis radio suum pallium aquis infectum appendit. Et quid multis morer? Servit sol Virgini, uno creatura famulatur suo Creatori. Muneris enim Dei est, quidquid virtutis ista potest, et quod sustinet solis radius vestimentum Virginis istius. O quam firmum et fidele præsidium, firmiter et fideliter amare Deum! Ecce Virgo ista sexu quidem fragilis, fideliter diligendo Deum, quam impossibilia viris etiam fortibus operatur per Deum! Quæ quia totam se contulerat in amorem ipsius, præter sol tum paratum invenit in obsequium suum facturam ipsius. Nec mirum, si solem obsequi fecerit Virgini suæ, qui in *a* expugnatione Gabaonitarum eum stare fecit ad imperium Josue, et ter quivis gradibus retrorsum ire compulit ad petitionem Regis Ezechiæ. Unus Deus et hoc et illa fecit; sine quo nullus virorum nisi fragilis, et per quem fœminarum sexus fortissimus esse comprobatur.

*chlamydem ab imbre madidam,*

*suspendit in radio solis*

F

69 Verum nobis factum hujus Virginis conferentibus cum iis quæ gesserunt Patres Testamenti veteris, occurrit etiam uxor Loth indignatione Dei conversa in salis lapidem, et lapis unus merito Brigidæ conversus in salem. Quod qualiter actum sit, paucis expediam. Quadam die pauperum quidam venit ad Virginem, salis inopiam se habere conquerens. Sed cum illa non haberet salem quo consolari posset indigentem, lapidem unum quantitate magnum, qualitate vero candidum, prope vidit; quem ad se protinus allatum benedixit, et deinde minutias ex eo abrasas pro sale, in salem Dei virtute conversas inopi

*benedictione lapidem in salem convertit:*

A alterius Episcopi caput Brigida diligentius intueretur; Quis est, ait, qui venam istam ita percussit? Quisquis ille est, medicus sine dubio bonus est. Episcopus autem, quem itineris et ducem et socium Brigida habuerat, ei rem prout gesta fuerat, enarravit. Et ille, Non vobis, inquit, necesse fuit alteram post venæ hujus incisionem quærere medicinam. Licet enim inanitio quædam remanserit ex præteriti doloris immensitate, ab infirmitate tamen antiqua sanata est: futurumque cito videbitis, quod sicut ægritudine liberata est, ita liberabitur ab hac, quam ægritudine contraxit, debilitate. His auditis ad sua quique redierunt: sicque puellis duabus per infirmantem Virginem ab infirmitate curatis, ipsa quoque plenæ restituta est sospitati.

*vulnere capitis aperta vena, sicque minuto sanguine, convalescit:*

a *Videtur S. Macbdeum indicare, de quo sæpius antea egi, cum tamen in prima Vita cap. 4 nu. 25 dicatur S. Mel fuisse.*

b *Colganus, licet Vitam hanc edat ex nostro codice,* Echenum *vocat. Verum to. 2 ad 11 Febr. ubi eadem recitat,* Echeum *atque eum esse, quem mater diu sterilis, a S. Brigida benedicta peperit, ubi in 1 Vita habetur cap. 16 nu. 103 in 4 lib. 2 cap. 40 nu. 65. At quomodo ad hunc jam eruditione clarum, et Episcopum, a S. Melo Episcopo duci potuit Brigida, cum S. Mel anno 488 mortuus dicatur,* Echeus, *sive* Echenus, *anno 577? superius tamen ostendimus, Episcopum hunc, medicinæ peritum, non fuisse* S. Aidum *Bricci filium.*

B

## CAPUT XIII.

### *Paralytico collatæ vires; infanti loquela, ad innocentis defensionem.*

Nec videtur prætereundum, die quadam viros aliquot ad Brigidam venisse, rogantes ut itineris et famis magnitudine fatigatos ciborum refectione citius recrearet. Fames enim laborantibus gravis socius, quam unde propе ferent, viam aggressi sine viatico, prorsus non habebant. Nihil autem facilius, quam in pectore Brigidæ pietatis dulcedinem invenire. Unde et istorum necessitati protinus subveniendum judicavit, quos ad se venientes spes bona comitata fuerat. Sed cum suorum neminem adesse videret, nec haberet claves, quibus ostium cellarii sui posset aperire, nimis indoluit, vel ad modicum illis differri refectionem, quia illud modicum famem patientibus immensum erat. Cumque ad eam partem, qua cellarium erat, oculos tristis ipsa divertisset, si claves alicubi videret; vidit puerum unum in illa parte domus ægritudine maxima detentum recubare, cujus universum corpus valetudo paralyseos in ipsis infantiæ temporibus ita pervaserat, ut præter oculos pene nullum in ipso membrum ex toto suum officium expleret. Manus enim sine sensu tangendi miser habebat; sine efficacia incedendi pedibus fruebatur; aures habebat, sed nihil penitus audiebat; linguam insuper habere, sed sine linguæ ministerio videbatur: quem ita in nullo fere membrorum suorum sensibilem motum retentantem, et statuam lapidis exprimentem potius quam statum hominis, S. Brigida cibis ei ingestis educari faciebat. Hunc igitur ibi jacentem cum videret, eum alloqui cœpit; Ubi sunt, inquiens, claves nostræ, et clavis? Ille autem ad sonum vocis ipsius, auditum protinus emeruit, et linguæ vinculo simul absoluto, nescire, respondit. Videns itaque pia Virgo a Divinam adesse pietatem, prosecuta est, et ait: In nomine Salvatoris nostri Dei surge velociter, et claves ubinam sint diligentius perscrutare: quas cum inveneris, cibos de cellario nostris offer hospitibus, fame quidem et labore fatigatis. Quid postea? Fecit puer, quod sancta Virgo præceperat. Sanus ergo de lecto surrexit ægritudinis, inventisque clavibus, diligentiam ministrantis susceptis hospitibus exhibere studuit. Qui postmodum gemina refectione, gaudii videlicet, quod de viso miraculo conceperant, et ciborum, quod ex sanati manibus lubentius susceperant, pro voto recreati, Deum qui in Sanctis suis semper est mirabilis, multis laudum præconiis efferentes, cœptum iter peregerunt.

*ut hospites famelicos reficiat,*

C

*puerum paralyticum, quem domi alebat,*

*a*

*miraculose restituit sanitati,*

*ut claves penuariæ quæreret, cibosque afferat.*

D 78 Operæ pretium est etiam addere memoratis quod in cœtu sanctorum Episcoporum hæc sancta Virgo fecit. Tempore quodam in Hyberniæ partibus res aliqua grandis emergens, Episcopos Hybernienses cum magna litteratorum et laicorum etiam multitudine coegit in unum. Et sicut in magnis fieri conventibus solet, multi sine quibus susceptum negotium bene poterat terminari, inter alios confluxerunt, quos non alia illuc caussa invitavit, nisi ut multitudinem viderent, et ut domum reversi dicere possent: Ibi fuimus. Cumque S. Patricius, qui inter Episcopos primus videbatur, sermonis habuisset exordium; et ceteri postmodum Episcopi, secundum instituta Canonum, prout eorum exposcebat necessitas, sententias edicerent; femina quædam infamis et infrunita sine bono consilio venit in concilium, et infantulum, quem enixa fuerat, ante pedes sancti cujusdam Episcopi, Bron vocabulo, projecit, et ait: Accipe hunc infantem, quem tu genuisti, cujus non erubuisti pater fieri. Turbatum est igitur hujuscemodi verbis illud omne collegium, Episcopis et bonis quibusque dolentibus, et sanctum Episcopum defendentibus; aliis autem, his scilicet qui in defensionem malitiæ libenter audiunt de bonis hominibus verba non bona, eidem insultantibus.

AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.

*Concilium Episcoporum,*

*fornicationis calumnia S. Brono illata turbatum,*

79 Cumque turbatum audiret a quodam referente E beata Virgo concilium, cogitavit hoc quod verum erat, dæmonis videlicet operatione defensores veritatis hoc conturbatos mendacio, ut dum propellere niterentur infamiam Episcopi vel in oblivionem vel in dilationem ponere cogerentur, propter quam illo convenerant, Dei caussam. Denique ad locum concilii, qui non procul aberat, iter acceleravit. Quo cum pervenisset, magnam bonis adventu suo lætitiam, et adversæ parti pudorem intulit et confusionem. Nam hoc idem et boni sentiebant, et mali, Brigidam scilicet finem mendacio celerem impposituram. Proinde sanctam Virginem cum in concilium Sanctus introduxisset Patricius, eam juxta se considere fecit, et pudicis auribus verba mulieris impudicæ retexuit. Vultus autem omnium in Virginem conversi, cultricem veritatis vigilantibus oculis aspectant, et arrectis auribus oraculum veritatis exspectant. Jubet igitur impudicam advocari mulierem. Et cum adesset, semel et secundo studuit ipsam adhortari, ne mendaciis occideret animam suam, dum famam lædere molitur alienam. Sed illa doctrinam sanam insana mente contemnens, exclamat, et ait: Profiteor hoc verum esse, quod antea confessa sum, et in hoc testem invoco Deum, quod infantem istum Episcopus F iste generavit. Et cur palam audire refugit, quod in secreto operari delectabile fuit? Si turpe putat Episcopum filium generasse, cur non similiter turpe putavit Episcopum prolem generare? Sit satis mihi quod filium ejus in utero meo portavi novem mensibus, quod cum angustia pariendi, quod curam illius jam per tres aut quatuor menses habui. Jam tempus est, ut hujus infantuli pater ipse sit et nutritius, debet enim particeps esse laboris, qui particeps fuit etiam delectationis.

*adit Brigida*

*a S. Patricio introducta,*

*hortatur impiam mulierem ad pœnitentiam*

*quam contemnentem et obstrepentem,*

80 Vix verba compleverat, et mendacem linguam tumor subitus invasit, qui per caput et omne corpus ipsius invalescens, monstrum magis quam hominem, prodigium potius quam mulierem, repræsentabat. Sancta vero Brigida linguam benedicens infantuli, Quis est, ait, pater tuus? Nonne Episcopus iste tibi pater est, cui hoc adscribit tua misera mater? Ille autem aperta voce, et verbis respondit absolutis; Pater meus non est Episcopus, sed vilis quidam rusticus: neque locum hic habet inter Clericos, aut etiam nobiles laicos, sed vulgaribus turbis admixtus, inter sibi consimiles eminus sedet. Illa vero pomum præbens infantulo, Surge, ait, et vadens hoc pomum defer patri.

*ulcere immane toto corpore divinitus punitam,*

*( infantis lingua benedicta et patre recte prodente, ac pomum oblato*

81 Quod

A tione, pauper quod petierat accepit, sicque lætus abscessit.

89 His accedit, aliquando caussam extitisse, quod Brigidam a sua mansione solito longius elongaret grandis via, et gravis labor. Sed ei nullum arduum nullumve opus laboriosum, quo aut juvari proximum aut placari sperat Deum. Cumque iter ageret, divertit die quadam, hospitandi gratia, in domum cujusdam pauperculæ mulieris, melius ducens apud inopem cum quiete, quam in domum cujuslibet divitis hospitari, quæ quanto ditior, eo tumultuosior inveniretur. Anus autem illa censum exilem vultu læto et liberali dissimulans, ligna telis conficiendis idonea (textricis enim opus exercere consueverat) ipsa statim incidit, suis hospitibus ignem accendens, tanto magis commodum, quanto minus fumigantem: vitulum etiam, quem habebat unicum, occidit, et in opus hospitum suorum cibum inde præparavit. Inde mensam posuit, qualem habuit, et quales habere potuit cibos apposuit. Vultus autem hilaris, et animus ejus liberalis pro variis condimentis, officiosa sedulitas pro ciborum copiis, benigna devotio pro deliciis accipiebantur a comedentibus.

*iter agens divertit ad pauperculam,*

*a qua benigne excipitur*

90 Cumque cibo qualicumque et potu recreati Deo gratias, et suæ hospiti retulissent; S. Brigida secretis B precibus Deum cœpit deprecari, ut ipsa caussa non fieret, qua pene vacua bonis domus penitus evacuaretur, quave pauperrima mulier paupercula remaneret. Et quid postea? Invenitur mane facto vitulus ibi priori similis: et ne solum hoc apud Deum posse videretur oratio supplicantis et meritum, inveniuntur etiam in eadem domo ligna telaria, quæ magnitudinem priorum et formam exprimerent, magnamque spectantibus admirationem exhiberent. Quod si res solum attendatur quæ facta est, videtur incredibilis; si vero simul potentia Factoris attenditur, nonne hoc ei perfacile est, qui omnia potest? Ille enim ad petitionem suæ Virginis hoc fecit, de quo vera fide canitur: Quia omnia quæcumque voluit, fecit. Videns igitur, ut cœpta prosequar, beata Virgo Factorem suum suam adimplesse voluntatem, in hymnis et confessionibus benedicebat eum, hospitique suæ vale dicto et iter quod proposuerat, prospere peregit et opus.

*et vitulum occisum postridie vivum restituit*

*et ligna textoria, combusta:*

Ps. 134. 6.

a *Hic in* 1 *Vit. cap.* 7 *nu.* 50 Ylbarus *appellatur; alibi* Ibarus *et* Ibbarus, *uti supra monuimus.*

## CAPUT XV.

### *Mors diu ante præscita, pie obita.*

C His igitur et hujusmodi virtutibus effulgens hæc beata Virgo, revelante Deo, didicit quartum post hunc annum futurum sibi vitæ temporalis extremum: quem ipsa cum gaudio et desideriis spiritualibus exspectans, vigiliis et orationibus, jejuniis arctioribus, et largioribus eleemosynis, ad superna præparabatur. Licet enim ab infantiæ cunabulis, pro viribus et virtute sibi divinitus collata, bonis operibus festinaverit ad exitum bonum; sic tamen cœlestibus jam nunc intentam, imo magis confectam, desideriis extius vitæ vicinus exhibuit, ut ejus hæc vita pusillanimem superet æstimationem. Diligenter enim in mentem et memoriam revocabat, quod mortem vel bonam vel malam nihil efficit, nisi quod præcedit mortem. Unde sic vivere et vigilare studuit in hujus vitæ via, ut non confunderetur cum loqueretur inimicis suis in porta. Nec suam circa se tantum consistere voluit sollicitudinem: nam et suarum saluti diligenter invigilabat, illud annitens magna sollicitudine, quam habebat de eis, et crebris exhortationibus, quibus agebat cum D eis, multis etiam precibus, quibus supplicabat pro eis; ut quæ retro oblitæ, in anteriora se semper extenderent, et in carne non ea quæ carnis sunt, sed quæ Spiritus, affectarent.

*intelligit se quarto post anno morituram*

*diligenter se ad mortem præparat,*

AUCTORE LAURENTIO DUNELM. EX MSS.

92 Ita igitur et sui curam habens et suarum, die quadam necessitate perurgente, fores egressa est mansionis suæ. Videns autem vir quidam ab olim altaris functus officio, nomine Nunnend, cogitare cœpit quantæ pietatis in proximum, et quanti meriti esset hæc beata Virgo ante Deum, currensque velociter beatam Virginem pertransibat. At illa revocans volitantem rogavit, ut quo, quare sic festinaret, ediceret. Magnæ, inquit, cujusdam civitatis tactus desiderio, ad ipsam sic propero, et si mihi promiseris, quod tuis adjutus orationibus ipsam intrabo, jussis tuis obtemperans, rem tibi reserabo. Virgo autem Deo fidens, postulata promisit: et Sacerdos restitit, et civitatem, quo tendebat, cœlum esse fatebatur. Caussamque cursus tam volucris hanc esse intulit, ut hac arte orationum ejus efficaciter suffragium acciperet, quo ad patriam, ad quam tendebat, perveniret. Illa vero, cujus visceribus inhærebat indeficientis vena misericordiæ, audiens talem ejus petitionem, ad compassionem protinus inclinatur: ibique post orationem completam surrexit, et his eum allocuta sermonibus, ait: Ecce, vir bone, quod diligenter expetiit tua bona voluntas, ad petitionem ancillæ suæ tibi misericorditer indulsit clementia Divina. Felix enim quandoque pervenies ad Deum: sed convenit ut aliquid ante patiaris propter Deum. Nam sine labore præmium affectare nemo probus solet. Unde moneo, hortor, et rogo, ut peregrinaturus proficiscaris in terram alienam, et gratis exul, advena patienter, libenter peregrinus, voluntarie pauper, ubi Deus providerit, effici patiaris; certum hoc habens, nisi per magnos labores, ad magna præmia non posse perveniri. Præmonitum etiam et præmunitum esse te volo, quod antequam temporalis vitæ diem clausero supremum, Angelicum de revertendo percipies oraculum. Viam enim universæ carnis ingressura, tuis e manibus vitalia Dominici corporis et sanguinis percipiam Sacramenta: sicque expeditius transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Domini. Cumque meis obsequiis obsequium inter alios exhibueris, felix et ipse subsequeris.

*suarum salutem curat:*

*Sacerdotem preces ejus implorantem,*

*post preces reddit de salute certum,* E

*sed in patienter materiam suadet illi voluntarium exilium*

*prædicit se ante mortem ex ejus manibus communicaturam*

93 His ille verbis in spem magnam solidatus, Romam petiit, et ad limina sanctorum Apostolorum in magna ciborum, in maxima vitiorum continentia, vitam duxit peregrinam. Et cum tertius peregrinationis ejus annus transiret in quartum, Angelus Domini, sicut prædictum fuerat, apparuit, et ut cito repatriaret imperavit. Qui ejus jussis obtemperans, Hyberniam venit, et beatam Virginem a terrenis ad cœlestia jamjam migraturam invenit. Cujus e manibus postmodum ipsa accepto illo salutari et singulari viatico, viam universæ carnis ingreditur, terra quidem paradisum, transitoriis æterna, felici commercio permutans. Nec multo post idem Sacerdos, sarcinam deponens, appositus est ad patres suos. Decessit autem Venerabilis Brigida prima die mensis Februarii, suæ benignitatis et misericordiarum remuneratorem in perpetuum possidens Deum: qui in unitate trinus, et unus in Trinitate vivit, et gaudet, et gloriatur, ipse quidem vita, gaudium, et gloria Sanctorum omnium, per omnia secula seculorum. Amen.

*is Romam profectus,* F

*postea Angeli monitu redit,*

*eaque sacramenta munita et moritur,*

*ipse paullo post moritur*

A

# DE S. DARLUGDACHA, SIVE DARDULACHA,

D

## VIRGINE SCOTA, KILDARIÆ IN HIBERNIA.

J. B.

AN. DXXIV. I FEBRUARII. *S. Darlugdachæ natalis,*

**B***rigidam secuta* Dardulacha, *sive (ut habent plerique codices MSS.)* Darlugdacha, *discipula sua et alumna, eodem primo Februarii die, uti hæc optarat, illa eventurum spoponderat, sed non eodem anno. De ea Henricus Fitzimon noster in Catalogo præcipuorum SS. Hiberniæ an.* MDCXIX *excuso, ita scribit:* Dardulacha Virgo. Breviarium Frisingæ I Febr. An Derludacha? *in MS. Bolec.* Darlugdaca *appellatur, in MS. Hugonis Wardæi, e quo quartum S. Brigidæ Vitam dedimus,* Darlugacha, *et* Darluagdacha.

*an ea in Germania occisa, soror SS. Gunifortis et Gunibaldi?*

2 *Thomas Dempsterus in historia Ecclesiastica gentis Scotor. quam octo post Catalogum illum vulgatum annis edidit, haud satis felici usus conjectura, ita scripsit lib. 4 cap.* 391. S. Dardulacha Virgo Scota et peregrina in Germania excessit; soror, ut existimo, SS. Gunifortis et Gunibaldi, ut ex eorum historia colligo, quam habet Sanctuarium Papiæ. Utcumque sit, hæc maximo devotionis affectu colitur Frisingæ, ut ex Breviario Frisingensi constat. Frustra hic stipem captat Hirlandus. Scotia excessit cum fratribus duobus et una sorore an. CCCXX. Colitur die I Februarii, ex auctoribus laudatis. *Hæc ille, qui deinde lib.* 7 *nu.* 575 *et* 576 *agens de SS. Guniforti et Gunibaldo, eos ait, duabus sororibus in Germania coronatis martyrio, in Italiam venisse, et hunc Comi, illum Papiæ martyrium fecisse an.* CCCXVII. *An triennio prius, quam solverent e Scotia? De SS. Guniforto et Gunibaldo, duabusque eorum sororibus, e quibus* Dardulacha *non fuit, agemus* XXII *Augusti.*

B

*an Frisingæ culta?*

3 *Dempsterum sequitur, alio fortassis quopiam ejus commentario perlecto Ferrarius, citat certe in generali SS. Catalogo, biennio ante illam historiam edito, itaque sanctam illam Virginem prædicat:* Frisingæ in Bavaria S. Dardulachæ Virginis. *Colganus quoque* Frisingæ in Bavaria celebrari *scribit. In moderno Breviario Frisingensi nulla ejus extat memoria. In veteri lectio erat una de S. Brigida, in qua isthæc habebantur:* Post hæc aliaque miracula multa, cum de hoc seculo B. Brigidæ exitus appropinquasset, rogavit eam alumna sua Dulularcha, ut secum de hac vita egredi mereretur. Cui S. Brigida respondit: Sequeris me in uno anno, et in die exitus mei morieris, ut una solennitas nobis sit. Et sic factum est. *Nihil hic de Dardulachæ apud Bavaros veneratione; neque ejus meminit in Bavaria sancta Raderus. Lectionem illam vel a Stephano Vita nostro, a quo et nos, Fitzimon acceperat vel ipse legerat: alii non recte, quod erat, assecuti. Longius aberrat Camerarius, I Decemb. ita scribens:* S. Dardulacha. Vide tabulas Frisingenses et alios.

C

*in Hibernia mortua.*

4 *Melius Franciscus Maurus noster hoc die:* In Hibernia vel Scotia S. Dardulacha Virgo. *Plura Martyrologia nobis adhuc incognita, et alios Hibernices Scriptores citat Colganus, e quibus egregium illius concinnat elogium.*

5 *Non sunt illius res gestæ peculiariter commendatæ litteris, quod quidem adhuc comperierimus. Memorabile illud, quo pactu a præcipiti planeque jam deliberato in incestum lapsu, divinitus concussa roborataque retraxerit pedem. Ita illud in S. Brigidæ I Vita refertur cap.* 16 *nu.* 96. S. Brigida habebat quamdam alumnam, nomine Darlugdacham: quæ quadam die non bene custodiens oculos suos, vidit virum, et concupivit eum; et ipse similiter amavit eam. Posthæc vero Virgo quadam nocte conduxit illum virum: et ipsa nocte erat Virgo hæc in lectulo cum S. Brigida. Cum autem paullisper dormiret S. Brigida, surrexit Virgo: et cum exisset de lectulo, irruit in eam mira perturbatio cogitationum, et magnum certamen habebat in corde, timoris et amoris: timebat enim Deum et S. Brigidam, et vehementi igne amoris viri urebatur. Oravit ergo Dominum, ut adjuvaret illam in tali angustia. Tunc invenit a Deo bonum consilium: et implevit duos ficones suos carbonibus ignis, et intinxit pedes suos in eos. Sicque factum est, ut ignis ignem extingueret, et dolor dolorem vinceret. Deinde vero ad lectulum reversa est. Hæc autem omnia sensit B. Brigida; sed tamen tacuit, ut puella tantisper * temperaretur et probaretur. Crastino autem die puella confessa est suum peccatum. Dixitque ei Brigida: Quia viriliter dimicasti in hac nocte, et pedes tuos in præsenti combussisti, ignis fornicationis iterum in præsenti non nocebit tibi, et ignis gehennæ in futuro non comburet te. Tunc B. Brigida sanavit pedes ejus, ita ut nec signum combustionis appareret in eis.

*male custodiens oculos,*

*spiritu luxuriæ tentatur:*

*vincit tentationem, pedes sibi adurens,*

* *al. MSS.* tentaretur.

*quos sanat S. Brigida.*

6 *Diversa paullum phrasi hoc Darlugdachæ certamen narratur in 4 S. Brigidæ Vita lib. 2 cap.* 10 *nu.* 58, *ubi vir ille cujus et exitialis fuit conspectus,* miles *fuisse dicitur, cumque* quadam nocte maneret S. Brigida in quodam vico in plebe, *ad eamdem venisse domum, perpetrandi scilicet facinoris occasioni intentus:* *Darlugdacha* in uno strato *cum S. Brigida, sed separatim decubuisse: hæc autem evigilasse, et generosam alumnæ pugnam spectasse, postridie autem pedes adustos signo se signo sanctæ Crucis, itaque sanasse. Epiphonema est Colgani:* Licet callidi hostis insidiis violentam nimis passa fuerit tentationem, inviolatæ tamen pudicitiæ candorem servavit, et glorioso agone defendit. *Quod de pudicitia corporis, non mentis, videtur intelligi oportere. Rectius MS. cœnobii Bodecensis Canonicorum regularium,* unam de pedissequis *Brigidæ* juvenculam, nomine Darlugdagam, amore cujusdam juvenis, se nihilo minus ardentis, accensam, *ejusdem Brigidæ meritis,* Divinitatis inspectu, laqueum fornicationis, jam licet irretitam, transsiliisse: *at postremi ejus agonis S. Brigidam per Spiritum non ignaram fuisse. Metrica Brigidæ Vita cap.* 9 *nu.* 66 *ita pronuntiat:*

E

*signo Crucis,*

Cunctarum fuerat formosior illa Sororum,
Corpore virgo, tamen mente corrupta manebat.

*Quos vero B.* Darlugdacha *prunis implevit* ficones, *videntur rudia fuisse calceamenta, forsan e ligno excavato, ut pauperum apud nos.*

7 *Cautior deinceps atque in studio virtutis ferventior* Darlugdacha, *ita S. Brigidæ cara fuit, ut per eam, sibi hujus opem infirmi deposcerent. Ita I Vitæ cap.* 17 *nu.* 109. Quædam mulier cum filia muta ad ecclesiam, ubi S. Brigida manebat, perrexit, et vocavit ad se Virginem, nomine Darlugdacham, dicens ei: Adjuva me, ut filia mea ab infirmitate sua sanetur. Tunc illa duxit puellam ad B. Brigidam. *etc. Vita* 3 *cap.* 11 *nu.* 75 *habet:* Dispone, bona Virgo, ut filia mea sanetur per S. Brigidam. Tunc ducens Virgo filiam rogantis secum, statuit eam ante conspectum B. Brigidæ, et non indicavit ei, quod ita esset muta.

F

8 *Demum ita Brigidæ adhæsit Darlugdacha, ut ne morte quidem ab ea vellet sejungi. Quod ita in S. Brigidæ I Vita narratur cap. ultimo nu.* 113: Cum autem ejus exitus de hoc seculo appropinquasset, alumnam suam, nomine Darlugdacham, vocavit, et ei diem obitus sui prædixit. Quod ut ipsa audivit, præ tristitia cum magistra sua mori voluit. Beata vero Brigida dixit ei: Post obitum meum uno anno feliciter vives; et anno transacto in die obitus mei morieris: ut nobis, quæ simul in hoc seculo viximus,

*cum ea mori cupiens,*

A mus, simul recolatur dies anniversarius. Quod postea, ut prædixit, evenit. *Vita 4 lib. 2 cap. 11 nu. 79 ita habet:* ut una nobis solennitas fiat. *Aliud MS.* Et sub una celebratione solennitas tua et mea coletur. *MS. Budicense :* Post hæc carnis incommodo, tempore præcognito, tangitur : spiritu tamen, et hoc plus solito, vigens, de grege, quem Christo paverat plusquam de se sollicitatur. Ergo prædictam Darlugdagam, individuam suæ sanctitatis alumnam, advocat; eique, licet secum migrare, multis sibi lacrymis inundantibus, malenti, ceterum Sororum, Judici districtissimo, eidemque pastorum pastori, reconsignandum commendat : Noli, inquit, filia dulcissima, noli de mea absentia tristari. Breve adhuc tempus, Sororum excubiis invigilans, Christo militabis. Anno vertente, hac eadem die mihi in Paradisi gaudiis adjungeris. D

*intelligit se post annum secuturam.*

*Auctore 1 . jussa interim cœnobio Kildariensi præesse.*

# DE S. CARTERIO PRESBYTERO
## APUD BITURIGES IN GALLIA.

J. B.

I FEBRUARII.

Andreas Chesneus in Antiquit. Galliæ, agens de provincia Bituricensi, cap. 3 inter oppida quæ Exoldunensi tribunali subsunt, recenset S. Chartier, uti et Paullus Merula Cosmographiæ par. 2 lib. 3 cap. 25. Id a S. Carterio habet nomen, cujus ita meminit Philippus Labbe noster in Hagiologio Franco-Galliæ 1 Febr.* Bituricas, vico Lucaniaco, S. Carterii Presbyteri et Confessoris. *Nihil præterea de eo comperimus. Alium dedimus* S. Carterium *Presbyterum Cæsareæ Cappadociæ nobili martyrio coronatum* VIII *Januarii. Alium dabimus* II *Novemb. qui Sebasteæ sub Licinio, cum pluribus aliis, martyrii palmam tulit. Sed hic miles erat. Martyr uterque; ne quis alterius allatas fortassis in Galliam ex Asia reliquias, venerationem isthic obtinuisse, ac nomen loco fecisse arbitretur.*

*Carterius Presb. Conf diversus ab eo qui 8 Jan. et 2 Nov.*

# B DE S. SEVERO EP. ABRINCENSI IN GALLIA. E
## Commentarius prævius.

J. B.

SÆCULO VI. I FEBRUARII. *S. Severus colitur Rotomagi.*

*Cujus in Metropolitana Rotomagensi basilica asservantur* S. Severi *Episcopi reliquiæ, agiturque Kalendis Februarii solennitas, cum illius urbis Antistitem fuisse existimarunt nonnulli, nullo certo testimonio. Nam Demochares cap. 20 de divino sacrif. quarto cum loco recenset his verbis :* Severus subrogatus 325. *Avitiano nimirum, qui concilio Arelatensi,* Volusiano et Aniano Coss. *an. Chr.* CCCXIV *subscripsit. Plura paullo, ut non magis testata, Natalis Taillepedius Ord. Minor. in Compendio antiquit. Rotomag. cap. 16* S. Avitiano in archiepiscopatum successit S. Severus an. CCCXXV. Sancte munus illud, ad quod divinitus erat vocatus, administravit. Extat ejus nomine parochialis ecclesia in suburbiis ultra pontem, atque in majori Beatæ Virginis basilica corpus ejus reverenter asservatur, insigni capsæ impositum. *Post hunc Joannes Chenu Bituric :* Severus subrogatur CCCXXV. XV annis, tempore Constantini et Constantii, sub Marco Papa et Julio floruit. *Denique Claudius Robertus :* IV S. Severus CCLXXV, alius a Ravennate, et Abrincensi. Habet ecclesiam sui C nominis suburbanam.

*non ejus verbis Episcopus,*

2 *Reclamat Ecclesia Rotomagensis, ut infra ostendemus, neque quem veneratur Severum, suum fuisse Præsulem agnoscit. Atque olim quidem, ut ex Breviario an.* MDLXXXVII *excuso patet, Ravennatem esse, quem coleret, existimabat, deque ejus Vita lectiones octo recitabat, quippe cujus in omnibus Martyrologiis nomen extaret. At nunc secundi nocturni lectiones sunt de S. Severo Abrincensi, retenta veteri oratione, quæ utrique quadrat, Ravennati magis, ea ita habet :* Deus qui B. Severum ad sacerdotalis officii dignitatem mirabiliter sublimasti, fac nos, quæsumus, ipso intercedente, ad summa virtutum gradibus proficere, et ad societatem ejus celsitudinis pervenire.

*sed Abrincæ :*

3 *Fuit igitur hic Severus Abrincæ, in eadem Rotomagensi provincia, ad Britanniæ Armoricæ confinia sitæ, Episcopus. Quo tempore vixerit, quibusve sub Regibus, Vita non prodit ; solum indicat, fuisse adhuc eo tempore in Constantiensi districtu Gentiles, eosque Christianis infestos, licet in illos morte ac suppliciis non animadverterent. Unde conjicimus circa Clodovæi, ejusve filiorum tempora vixisse, atque ante S. Paternum sedisse fortassis inter Nepum, aut Nepotem, qui Concilio Aurelian.* I *subscripsit, et* Perpetuum, *qui Aurelianensi* II, *an.* 533 *quo fere tempore eremiticam in iis partibus vitam egere SS.* Paternus *et* Scupilio, *cum adhuc Gentilium vigerent superstitiones, ut patet ex S. Paterni Vita* XVI *Aprilis.*

*Quando vixerit?*

4 *Vitam* S. Severi *accepimus a Frederico Flureto nostro, ex veteri codice monasterii* S. Severi, *quod situm est in diœcesi Constantiensi, non procul a Viria amne. Auctor quo tempore vixerit, haud satis liquet : nam cap. 2 nu. 5 de quercu loquens, quæ ex S. Severi baculo excreverat scribit :* Hodieque cum senio defecta corruerit, truncusque in terra jaceat et putrescat, nemo eam securi incidere, nemo vel ejus corticem manu præsumit detrahere. *Et cap. 1 nu. 2 de ilice, Corbecem profanis sacrificiis frequentata :* Quæ licet multo temporis spatio confecta ventorum rabie corruerit, adhuc tamen supersunt plurimi, qui eam se vidisse profiteantur, ac eam, quæ superest adhuc, ilicem ex ejus radice processisse. *At cap. 6 nu. 21.* Dies autem resolutionis ejus etsi minus in notitia habeatur, quippe cum *etc.* recolitur tamen pridie Nonas Julii, scilicet die qua reliquiæ Rotomago in hunc locum delatæ sunt. *Hoc vero sub Guilielmo accidit, qui an.* MLXXIX *ex Abbate Cadomensi Archiepiscopus Rotomagensis creatus, obiit an.* MCX. *Ergo arborem utramque oportet circiter* DC *annis stetisse : nisi quis postrema hæc dicat postea adjecta ad Vitam, quæ ante Danorum irruptionem scripta erat. Nam idem tamen Vitæ illius interpolator, et scriptor Translationis, cum ille* pridie Nonas Julii *allatas Rotomago reliquias scribat, hic* IV Nonas Februarii. *Prior tamen alumnus monasterii S. Severi videtur fuisse, cum in hunc locum delatas scribat ; fortassis etiam alter.*

*Vita unde? quando scripta?*

F

*ab alio Translatio,*

5 *Natalis igitur, ut cap. 6 nu. 21 dicitur, ignotus. Agitur Rotomagi officio duplici* I *Februarii, quo fortassis die sub Richardo* I *Duce, et Roberto Archiepiscopo, isthuc ejus reliquiæ allatæ sunt. Successit Willelmo, in Flandris interfecto, Richardus* I *an.* CMXLII *XVII Decemb. obiit an.* CMXCVI. *Robertus ejus filius Archiepiscopus Rotomagensis obiit an.* MXXXVII. *Abrincensis vero Ecclesia S. Severi natalem celebrat Officio duplici, secundæ class.* VII *Julii, atque ea die Saussaius insigne illius elogium habet, quo vitam ejus omnem breviter complexus est. At* I *Februarii hæc de eo habent Carthusiani Colonien. in Addit. ad Usuard.* Item B. Severi Episc. et Confess. cujus corpus in basilica Metropolitana

*natalis ejus 1 Feb.*

*alibi 7 Jul.*

A litana B. Mariæ Rotomagensi populis hac die reverenter ostenditur. *Eadem fere habet Molanus, Canisius, et pluribus verbis idem Saussaius, qui tamen recte* Severum *appellat.* *Brevius Galesinius :* Rothomagi S. Severi Ep. et Confessoris. *Idem tamen, uti et Ferrarius, in Notis censet Rotomagensem Præsulem fuisse, uti et Ghinius, ita scribens :* Rothomagi S. Severi Ep. et Confess. qui an. Domini CCCXXV quartus Episcopus ibidem ordinatus, sedit annos sexdecim; cujus corpus in Metropoli basilica B. Mariæ in capsa venerabili conditur, et populis hac die *reverenter* ostenditur.

*Auctore J. B. nomen in martyrologiis.*

*Reliquiæ missæ Parisios.*

6 *Aliquæ* S. Severi *reliquiæ, ac* S. Senerii, *Episcopi itidem Abrincensis, qui* XVIII *Septembris colitur, missæ ab Archiepiscopo Rotomagensi et Canonicis, Parisios ad* Ludovicum XIII *piissimum Regem, an.* MDCXXXIX. *Exemplum publici instrumenti ea de re confecti, ab eodem Frederico Floreto accepimus.*

*B. Ægidii, ejus discipuli, et alterius Sancti, natalis ignotus.*

7 B. Ægidii, *alteriusque anonymi Sancti, in eodem S. Severi ecclesia sepulti, nusquam in Martyrologiis reperimus nomen. In Sanctorum numero jam olim habitos, colligere est ex historia Translationis cap. 2 num. 6 ubi ista habentur* : Duorum autem utrimque Sanctorum sepulchra jacebant, unum B. Ægidii quondam discipuli, atque in Dei opere cooperatoris, aliud vero alB terius Sancti, cujus nomen etsi nescitur, meritum tamen per Numen manifestatur. *In Vita autem cap. 4 num. 14 ubi de S. Severi discipulis est sermo, de Ægidio ista leguntur* : Inter quos quidam, Ægidius nomine, venerabilis vir enituit, qui beati viri in sancto proposito socius atque cooperator præcipuus extitit, suique Doctoris vestigia sequens per omnia cælestis disciplinæ subesse magisterio satagebat. *Dubitare fortasse quis possit, an non ille Ægidius sit, qui Episcopus Ecclesiæ Abrincatinæ subscripsit concilio Aurelianensi V.*

# VITA AUCTORE ANONYMO

## EX VETERI MS. MONASTERII S. SEVERI.

### CAPUT I.

### *S. Severi ortus, equarum custodia.*

*S. Severus tenuibus parentibus natus,*

Vir *a* igitur Severus venerabilis, loco *b* Constantiensis, parentibus ingenuis, non autem divitibus, oriundus fuit. Neque vero puritati illorum præjudicabat fuga divitiarum, cum vere divites non terrenæ divitiæ, sed amor cælestis faciat patriæ. Sufficiens tamen non deerat eis hujus vitæ sumptus, ex quo C pauca sibi, plura vero darent pauperibus Christi : tantaque circa eos Christi fervebat caritas, ut semper foris adesset largitas, nec etiam voluntaria deesset paupertas. Filium autem, nomine Severum, genuerunt, quem in Dei timore educaverunt, eumque educatum cuidam patrifamilias, *c* Corbecem nomine, adhuc Gentili, ad serviendum tradiderunt.

*sed piis et liberalibus in pauperes :*

*equas custodit viri divitis, sed Gentilis,*

2 Ille vero puerum sibi traditum equarum custodiæ tradidit suarum : qui fideliter depositum servavit, fideliterque servando ex parvo et pene nullo multiplex reddidit. Habebat autem idem Gentilis in diœcesi *d* mansum quemdam contiguum, quod hodie Vetus-castrum dicitur, super fluvium Beuronium situm; ubi frequenter conveniebat, quoniam et nemorum vicinitate, et pomorum amœnitate, et cervorum caprarumque venatione admodum delectabatur, ibique gregum illius alebatur multitudo : quæ loca undequaque vasta ambiebat solitudo. Atque ibi cum suis equitibus, et familia multa nimis, certo tempore anni morabatur, præcipue venationis et hiemis. Ejus quippe ditioni circumjacens parebat regio, Constantiensis videlicet, *e* Bajocensis, et *f* vallis fluvii qui Viria dicitur : alias autem ad alia D loca festinabat. Et quia Gentilis Gentilium adhuc etiam ritibus agebatur, habebat in vicinia domus suæ ilicem prægrandem, ritui dæmonum deputatam; sub qua vitulorum caprarumque, diis suis immolatorum, fundebat cruorem : quæ licet multo temporis spatio confecta ventorum rabie corruerit, adhuc tamen supersunt plurimi, qui eam se vidisse profiteantur, ac eam, quæ superest adhuc, ilicem ex ejus radice processisse.

*ad ilicem diis sacrificantis :*

3 Habebatur autem ferme ad duo miliaria ecclesiola quædam B. Martini, quæ Ad-septem-fratres hodie nuncupatur : altera quoque e regione, in honore B. Quintini constructa : ad quas pauci Christiani eo tempore, non sine Gentilium metu, in festivis, præcipueque Dominicis, diebus conveniebant. Gentiles enim licet Christianos eatenus *g* morti non traderent, tamen illudebant eis, et, ut fieri assolet ab inertioribus, quando soli inveniebantur, afficiebantur verberibus. Illuc itaque B. Severo moris erat sæpius convenire, quasi sub obtentu fertilioris herbæ, quoniam gregum suorum custodiæ deputatus, Deique servitio, pro tempore et posse, intentus, et suo temporali domino, ac æterno veroque Regi, parere satagebat. Ubi frequenter in strata publica E residens, prætereuntibus necessitatem patientibus, cuncta, quæ habebat vel habere poterat, necessaria erogabat.

*circa ecclesiam Christianorum pascit :*

*valde misericors.*

4 Accidit autem die quadam, ut pene omnibus, quæ habebat, pauperibus distributis, nec jam haberet quod ulterius daret, præter femoralia tantum; accidit, inquam, ut anus quædam transiens eleemosynam peteret. Cujus inopiæ vir sanctus compatiens, sed quod impenderet non habens, cœpit animo angi, quia non habebat quidquam suum, quod petenti paupercula posset largiri. Cumque illa attentius, ut id genus hominum solet, ut sui misereretur insisteret, Dei famulus ad equarum gregem oculos forte deflexit, unamque de iis, quam meliorem esse putavit, eligens, quærenti pauperi cum pullo tradidit, eamque citius recedere præcepit. Qua recedente, relatum est Regi. Rex iratus reduci viduam cum equa præcepit, penes se utramque servari. Dehinc armentarium evocat per nuntium, jubet ut reddat ad numerum, quem sibi commiserat gregem equarum. Itur ad armentum, in partes dividitur, partes numerantur, nulla deesse invenitur : feceratque omnipotentis Dei larga benignitas, ut omnes cum adessent, una deesset. Nec enim fuit Deo difficile, unum pro altero supplere, cum quod prius fuerat, maneret, et quod deerat, novum fieret. Viduæ igitur equa F cum pullo redditur; pastori sancto credendi major fides adhibetur. Unde factum est, ut et in dominum de commendata fide sancto viro maneret integritas, et in fidem dati numeris servaretur veritas.

*pauperi equam cum pullo donat,*

*sed divinitus suppletur numerus.*

a Non conjicere forte is licet, fuisse hanc Vitæ præfixum Prologum.

b Est Constantia civitas Galliæ, olim Castra Constantia : ditioni urbis tribunali subjecta, Pagus Constantinus passim apud Historicos appellatur.

c Non verosimile est nobilem Francum fuisse, ut provinciæ præfectum, infra Rex appellatur.

d Alibi dictum reperis, mansum villam esse, sive domum rusticæ habitationi idoneam, cum agello, quem colat.

e Ex Bajocassium regio vulgo Bessin Gallis dicitur, urbs ipsa Bajora.

f Massonius de fluminib. Gall. Vironius, seu Viria, regia sedes Præfecti Calonensis, eodem nomine, quo urbs, fluvium habet, qui in mare labitur apud Vadum S. Clementis. De circumjecta regione, quæ Vallis Viriæ, Gallice Vau de Vire dicitur, agit Chenaus in Antiquit. Galliæ lib. 7 cap. 14.

*Vira fl. et opp.*

g Fuit ea Francorum, cum primum Galliam invaserunt, moderatio, ut indigenis liberam cuncta religionem vellent : quare eos sibi facilius conciliarunt, immaniores alii hoc in genere barbari, Wandali, Gothi, etc. ac moderni hæretici.

CAPUT

A

## CAPUT II.

### *S. Severi liberalitas in pauperes, miracula.*

Alio quoque tempore vir Domini Severus nimio laboris et æstuantis solis affectus tædio, dum in cespite virenti paullisper requiescere vellet, defixit humi a parte capitis virgam quernam, quam pro deducendis animalibus manu ferebat. Cum paullum obdormisset, sollicitus de grege suo cito surgens, virgam, quam ad caput suum humi defixerat, radicatam invenit: quæ in arborem maximam crescens paullatim, ad ostendendam beati viri, quam a Deo promeruerat, gratiam, multo tempore in omnium oculis mansit. Vir itaque sanctus cernens erga se Dei misericordiam, prostratus humi, profusisque lacrymis, pro suis beneficiis gratias ei reddidit. Arbor vero in tantam ab incolis habita est reverentiam, ut omnes eam, ac si in se numen aliquod haberet, venerarentur, et ad eam in diebus festis unanimiter gaudentes convenirent. Nec immerito: ut enim Deus ostenderet, qualem in conspectu suo jam tunc B. Severum haberet, quicumque ramos arboris illius disrumpere attentabat, aut protinus sensum funditus amittebat, aut protinus deorsum ruebat. Avis quoque, quæ in ejus ramis pernoctabat, mane juxta inveniebatur mortua. Quod si forte hos aut caper de hedera, qua colligabatur, aliquid contingebat, illico coram astantibus expirabat. Hodieque cum senio defecta corruerit, truncusque in terra jaceat et putrescat, nemo eam securi incidere, nemo vel ejus corticem manu præsumit detrahere. Quod ideo Deus fecit, ut et ipse in suo Sancto glorificaretur, et viri justi laus et memoria frequentior haberetur.

*Baculum humi defigit, qui statim in arborem crescit, nulli impune violatum, ne bestiis quidem, nec in trunco:*

B

6 Patris vero ac matris suæ tantus erga eum erat affectus, ut relicto solo patrio, domo, propinquis, locum, ad quem filius conveniebat frequentius, incolerent. Erant autem ambo graves ætate, rebusque suis in usus pauperum pene omnibus distributis viduati, pauperem sponte ducebant vitam; adeo ut humanæ vitæ fructibus, cibo videlicet et veste carerent. Quos indigere B. Severus æquanimiter non ferens, vestibus, quas pro sui servitii mercede a suo temporali domino recipiebat, eos induebat, malens nudus Abrahæ sinum adipisci cum Lazaro, quam in inferno comburi cum divite purpurato.

*parentibus vestes suas donat egentibus,*

7 Procurator autem domus regiæ, hujusmodi beati viri videns intentionem, zelo ductus dominum adiit, virum Dei diffamaturus, tum quia sectam gentilem penitus abhorreret, et eorum contubernia sedulo fugeret, tum quia vestes ab eo sibi datas Christianis egentibus, usque ad femoralia, largiretur. Rex itaque Corbecenus ira permotus hoc audito, Dei servum observari præcepit, ut si forte vestes, quas sibi iterato dari jubebat, cuiquam ullatenus traderet, nemo sibi deinceps vestem daret, nemo eum in domum reciperet, sed nudus in sudo remaneret. Beato itaque Severo vestibus sibi datis, protinus in pauperum usus solito distributis, de agro nudo redeunti, occurrit puer familiaris id explorare sedulus, præcurrensque, Dei famulum nudum adventasse domum nuntiavit. Jubet Rex crudelis Dei servo fores regias claudi, eumque eo loci, quo venerat, cum injuria repelli. Inhorruerat autem asperior solito hiemis intemperies, altaque nix terræ superficiem occupaverat.

C

*aliisque pauperibus*

*Ico domo herili exclusus nimio frigore,*

8 Dei autem omnipotentis famulus, cum se videret ab omnibus undequaque depelli, omnesque in se fremere more bestiali, jamque sui nullo modo velle misereri, humano solatio destitutus, spem in semper miseranti Christo habens, adiit sibi commendatarum gregem equarum, stansque e regione cœpit nudus sub aere Dominum deprecari. Quem multimoda misericordis Dei cernens pietas, adfuit auxilio, juvit beneficio. Grex quippe equarum, Dei imperio, de loco quo longius stabat semotus, pastorem suum adiit, hinc inde versis ad eum vultibus circuit, flatibusque in eum emissis frigus sentire non permittit. Nix quippe nutu Dei locum, quo vir Dei cum sibi fideliter ministrantibus degebat equabus, divitans, forinsecus prætendens littoris formam, intrinsecus locum diffusum relinquebat. Quod ubi nuntiatum est Regi, festinus accurrit, vidit, mirari cœpit, miratus est, Deum omnipotentem in suorum operibus Sanctorum collaudavit, moxque virum Dei novis et melioribus indumentis vestiri præcepit.

D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS. equarum halitu fovetur.*

## CAPUT III.

### *Corbecenus Princeps cum suis conversus per S. Severum.*

Sic itaque furore et invidia in amorem et reverentiam versis, cœpit quem prius abjecerat venerari, eumque jam non in pastoris, sed in patris loco cœpit amplecti; totiusque suæ domus custodiam, si vellet, ei delegare peroptabat. Sed Sanctus Dei, qui jam ad stivam Dominici aratri semel manum apposuerat, indignum reputans post tergum respicere, videlicet ut temporalem honorem Divino præferret operi, quod sibi offerebatur humiliter respuit; vitamque de cetero solitariam ducere se velle dicens, recedendi licentiam temporali domino petiit, ut posset vacare Deo soli.

*honoratur ab hero,*

E

10 Rex itaque Corbecenus, cum beati mentem viri in amorem superni Regis exardescere penitus cerneret, cunctaque terrena postponere, ut meditetur cœlestia, eum devote petiit, ut Christianæ religionis sibi sacramenta manifestaret, dicens se velle Deum illum sequi, qui tales famulos haberet, per quos et ipsis elementis imperaret. Vir igitur sanctus audito eo, pro quo Dominum frequenter exoraverat, ut sui noti jam patefaceret, quemdam boni testimonii Presbyterum non longe manentem expetiit, eique Regis petitionem insinuavit, secumque venire monuit. Ille vero signo Crucis elato, cum libro Evangelii, sequente se multitudine fidelium, Regem adiit, eumque humili cum devotione, et cum devota humilitate salutavit: moxque data benedictione, Christianisque omnibus, qui aderant, respondentibus, Amen, B. Severus Dei repletus gratia, Regem ejusque pueros et Incarnationis Christi mysterium et fidei Christianæ sacramentum luculenter edocuit. Tantam autem gratiam famulo suo tribuit omnipotens Deus, ut omnes continuo ritu gentilitatis derelicto, et gratiam et nomen appeterent Christianitatis. Quo Presbytero quadraginta dierum indicto jejunio, quadragesimo die, in medius adunata Ecclesia, Rex primus accessit, nomenque Christi publice confessus, regiisque vestibus exutus, cum lacrymis baptizari petiit, et promeruit: eique in baptismate B. Severus pater est effectus, qui ei ad hoc dux et monitor fuerat prævius, cujus exemplum quam plures prosecuti, religionis nostræ dignitas.... et idolorum inanis superstitio penitus despiciebatur.

*quem fide imbuit,*

*cum suis baptizari procurat.*

F

*post jejunium 40 dierum, eumque suscipit de sacro fonte*

11 Gaudebat itaque B. Severus de tanta suæ sationis segete, eratque ei ad cumulum beatitudinis, quod primus in eadem regione fixerat aratrum prædicationis Dominicæ, unde fructus uberes cœlesti horreo videbat excrevisse. Lætabatur quod ei caussa salutis fuerat ac remedium, a quo frequenter vitæ præsentis servitii receperat stipendium: tractabatque coram Rege de fidei integritate, vitæque munditia, atque cordis sinceritate; paullatimque eorum animos ab enormi idololatriæ superstitione ad morem informabat supernæ patriæ, quotidianæ insistens prædicationi; assiduæque dum vacaret orationi, se ipsum aliis et formam et exemplum præbebat imitandæ religionis: eratque mirum videre, nomen illic Christi modo prædicari publice, ubi nuper erat timor vel audire.

*neophytos instruit*

Fiebatque

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

Fiebatque in dies partis diabolicæ detrimentum, quatenus ea decrescente, fidelis populi redderetur augmentum.

## CAPUT IV.
### *S. Severi vita solitaria, discipuli.*

*de eorum profectu*

Cum igitur Dei omnipotentis famulus, in eorum jam cordibus propensius fidei germina pullulare, fructumque jam centuplicatum in bonis operibus reddere, idolorum templa penitus destrui, ecclesias Christi ubique videret construi; remotioris vitæ ex multo tempore desideriis accensus, convocatis quos Christo lucratus fuerat, desiderium suum eis patefecit, talique sermone eorum corda dolentia confortavit. Gratias ago Deo omnipotenti, quoniam vos per prævaricationem primi parentis, ac per ignorantiam ipsius vestræ actionis, facti filii diaboli fueratis; nunc vero facti per adoptionem filii Dei, quod in vobis vitiatum fuerat, Baptismatis lavacro reparastis, vosque hostiam sanctam et immaculatam exhibuistis. eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Unde, fratres et filii, fidem quam in baptismate suscepistis, quamque coram Sacerdote confessi estis, moribus teneatis, et opere perseveranter exerceatis. Incipientibus enim regnum promittitur, sed perseverantibus redditur. Recolite quam misera et fragili carne circumdemur. Recolite quam brevi vita in hoc labili tempore fruamur, ut ait Propheta: Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arvi. Ponite præ oculis extremum judicii diem, ut ait a Salomon: Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Et ego, Carissimi fratres, aliquando vobiscum remoratus sum, vestrisque profectibus multo tempore, per Dei gratiam intentus. Videns jam ad plenum corda vestra Christi caritate fervescere, pro meis peccatis et ipse sollicitus, metuens tenebris gehennæ supplicium, ut Deo attentius valeam inhærere, secretiorem locum deliberavi expetere. Commendo autem vos Deo, qui vos ad agnitionem sui nominis venire fecit; quatenus per adoptionem filii ejus conformes factos, ipsius Christi faciat vos cohæredes.

*gratias Deo agit;*

*eosque hortatus ad constantiam,*

B

Psal. 101. 12

a Eccli. 7. 40.

*statuit ire in solitudinem,*

*omnibus dolentibus,*

13 Quod cum audissent qui aderant, omnes pariter cum lacrymis rogare cœperunt, ut se, quos Christo per prædicationem nuper genuerat, non desereret. Cui Rex Corbeccenus, Vides, ait, Pater, in te solo summam salutis nostræ consistere: quoniam nostra similiumque insania et persecutione, Christianam ex finibus nostris effugati, vix pauci nimis, nec ipsi capaces cœlestis doctrinæ, remanserunt. Unus eras, quem Divina nobis reservavit pietas, qui aptus cœlo novos procreare filios, religionis castimoniæque teipsum nobis formam præberes. Unde non multum credo prodesse, si te unum dum velis salvare, plures videns, imo patiaris, deperire; quos possis, si velis, admonendo ad rectam perducere viam. Nuper enim idolis deditis difficile est usitati morem sacrilegii non repetere, novoque Dei servitio libera colla subigere. Unde et ego, qui præcipue indigeo cœlestis ritus doctore, tuam benignitatem obnixius exoro, ut si tui hujusmodi non potest mutari intentio, vel vicina nobis tibi placeat habitatio, quatenus si quid aut... vel operis in nos ortum fuerit, ad te velut ad fontem sitibundi recurramus. Habemus autem loca varia voluntatibus hominum congrua: tuum est eligere, nostrum autem, electa tuo nomini assignare.

C

*Rege rogante ne longius abeat,*

14 Audiens Dei famulus, magno pro ejus suorumque devotione repletus gaudio, privato assensum præbuit, sibique de proximo locum elegit, eumque suo nomini adscribi fecit. Erat autem ibidem locus milliario a Regis castro, in silvestris montis.... situs, quem vasta solitudo ambiebat, vicinus quercui quondam de ejus Sancti virga pastorali procreatæ: ad quem Dei famulus perveniens, primum in honore beatæ Dei Genitricis Mariæ construxit ecclesiam. In qua commorans, cœlesti jugiter intentus theoriæ, assidue vigiliis, jejuniis, orationibus vacabat. Cujus exemplo multi et nobiles viri secularia relinquentes, cœlestia toto desiderio sequentes, post Dominum crucem suam bajulare gaudentes, pauperem cum eo vitam ducere elegerunt. Inter quos quidam, Ægidius nomine, venerabilis vir enituit; qui beati viri in sancto proposito socius atque cooperator præcipuus extitit; suique doctoris vestigia sequens per omnia cœlestis disciplinæ subesse magisterio satagebat. Crescebat interea multimoda conversationis eorum opinio, qui cum nihil haberent, nihil tamen appetebant, quotidiano labori inservientes, ut haberent, nulli obnoxii, illud parum unde viverent, eratque satis inde locuples, panis scilicet et aqua, quotidiana ad vesperam refectio: indumentum necessitati tantum deserviens, nihil terrenum concupiscere, invicem ad vocem jubentis obedire, alienos se ab hoc seculo facere, malorum injurias patienter tolerare.

D

*in propinquo loco ecclesiam construit*

*discipulos admittit, et in his B. Ægidium:*

a Rectius scripsisset, Sapiens. Non enim est Salomonis, sed Ecclesiastici.

E

## CAPUT V.
### *S. Severi episcopatus, ejus abdicatio.*

Beatus autem Severus, aliis humanæ necessariis vitæ studiis intentis, infra ecclesiæ suæ ambitum se continebat, nec nisi visendorum gratia infirmorum usquam progrediebatur. Adepto autem, Fratrum totiusque populi rogatu, sacerdotio, digne, prout poterat, nostræ salutis hostiam sæpius immolare Deo procurabat; seque pariter per compunctionem lacrymarum in holocaustum Deo immolabat. In quo Dominici gradu officii supernum et humanum favorem et gratiam multimode promeruit, et promerendo divinitus ad celsiorem gradum hoc ordine pervenit. Erat in vicino civitas quæ hodie nuncupatur Abrinca, in supercilio montis versus Occidentem posita, quæ sui Pastoris morte viduata, successorem a Deo jejuniis et orationibus quærebat. Hæc, ut fama refert, cum sanctitatis beati viri celebre nomen audisset, Divina inspiratione commonita, omnes unanimi favore, concordique electione, eumdem Dei famulum, ut præesset, invitum plurimumque resistentem coegerunt. At ille cum voluntati, imo Dei ordinationi desistere nullatenus valeret, invitus episcopatum suscepit.

*fit sacerdos,*

*dein Episcopus Abrincensis, invitus*

F

16 Sed talem se, qualis antea fuerat, exhibuit: vacabat orationi, lectioni, jejunio, vigiliis; plenus auctoritate, plenus et caritate: sic præsulatus inter populos utebatur dignitate, ne solitudinis oblivisceretur continentiæ. Erat pervicax in habitatione, blandus in alloquio, severus in correptione, bonos ut in melius proficerent monebat, pravos ut a malo desisterent terrebat, incredulos ut ad fidem Christi converterentur suadendo movebat, credere vero nolentes penitus a tota regione eliminabat. Quanti autem fallentis mundi gloriam habuerit, quantumque secularium honores vilipenderit, indicio esse poterant et habitus vilitas, et sermonis vultusque dejectio: qui etsi vili tegebatur indumento, forma tamen quoddam generositatis specimen prætendebat. Pallebat vultus jejunio, corpus afficiebatur squaloribus, in corpore tamen squalido membrorum præeminebant lineamenta: adeo ut si hominem sanctum ignorares, formæ reverentia indicaret.

*magno zelo et humilitate id munus gerit,*

17 Fecit autem plurima in episcopatu miracula, quæ ad nostram minime pervenerunt notitiam: quantum enim in ipso fuit, omnes ejus vita latuit: quippe qui

A qui de rebus a se gestis, nec laude donari, nec mercede temporaliter remunerari desiderabat. Et quoniam adhuc eo tempore in *a* episcopio plurimi vanissimo tenebantur idolorum errore, erat ei jugis contra hanc vanitatem diabolicam disceptatio, quatenus ad rectam fidem converteret, quos vana dæmonum illusio evertisset : adeo ut sicubi idolum aut templum idolis consecratum reperisset, festinus accurreret, ac sine respectu aut funditus illud everteret, aut Dei omnipotentis nomine, expulso dæmone, consecraret : nullusque tantis tantorum, quæ fiebant ab eo, signorum fulgoribus audebat resistere. Sicque factum est, ut intra breve temporis spatium lumen veræ fidei omnibus sui præsulatus illucesceret per eum, adeo ut omnes Christi nomen profiterentur publice et sub tali Pastore sui erroris tenebras gauderent se ponere.

*claret miraculis : a*

*idola evertit,*

*et Gentiles convertit ;*

18 Cum his et aliis divinis rebus operam daret attentius, timens ne pastoralis curæ gravi pondere, sibi inopinato ruinæ pararetur occasio, successorem sibi a populo dari expetiit. Cujus petitioni cum faciliter populus non vellet acquiescere, quippe quos ejus præsentia fovebat, absentia contristabat; cui subesse gaudebant, quem sibi non præesse dolebant, protestatus est, ad priorem vitam et locum omnino se velle redire, idemque velle nullo modo mutari B posse; eosque, quorum verbo et exemplo instruerentur, plurimos habere : prioris gregis detrimentum sui absentia fieri : eorum, qui aderant, fidem Ecclesiasticam, si abesset, in nullo violari. Cui cum resistere nollent, inviti assensum dederunt. Accepta itaque licentia recessit, suique cordis amicam adiit solitudinem.

*dimisso episcopatu,*

*redit ad monasterium*

19 Fratres autem, quasi Patre recepto, gratias Deo reddiderunt, ejusque præsentia roborati certatim in bono opere seipsos prævenire satagebant. Vir autem Domini, velut ab humeris magno rejecto pondere, cœpit Divino operi expeditius intendere, arctiorisque vitæ tramiti insistere, totum post se, retentis necessariis, rejecit seculum. Et Divina teste Scriptura, Qui se humiliat, exaltabitur, cœpit interea magnis miraculorum signis declarari; adeo ut euntium et redeuntium agmina sanctum virum visitantia, aut saltem petentia, velut apum examina frequentare videres Fratrum habitacula. Advenientium autem circa corporum sanitatem a Deo tantam promeruerat gratiam, ut cujuscumque gravedine incommodi depressus accederet, ejus precibus pristinæ sanitati redditus hilaris rediret. Cæcis visum, claudis gressum, mutis loquelam, surdis auditum reddebat. In C fugandos quoque ab obsessis corporibus dæmones ei Divinæ virtutis aderat præsens operatio. Multi quoque antequam beati viri attingerent limen, fugato dæmone reddebantur incolumes. Animarum quoque morbis et Divinæ documento Scripturæ, et orationum gratia subveniebat; adeo ut quique advenientes, ejus verbis mente compuncti, multumque meliorati, et præterita deflerent, et iterum flenda committere nollent.

*vacat contemplationi ·*

*Luc 18 14*

*infirmos sanat,*

*et ad pietatem erudit.*

*a* Episcopium *pro diœcesi positum, uti et mox* præsulatus

## CAPUT VI.

### *S. Severi ultima monita, obitus.*

Cum igitur his multisque aliis vir beatus sanctis operam daret operibus, præsciret, confectus jam senio, Divina revelatione diem suæ vocationis, ut a Domino sui laboris reciperet mercedem, coronam videlicet æternæ gloriæ immarcescibilem, ne imparatus a justo Judice inveniretur, quem semper timuerat offendere, ne offensum aliquando timeret, sua meditatione et assidua oratione, ejus faciem satagebat prævenire. Unde futurum, convocato, quod Christo lucratus fuerat, agmine, et sui exitus diem D prædixit, et ut pro se Domino preces funderent monuit, eosque pro sua lamentantes resolutione, justa compescuit correptione, dicens : Beneficiorum Dei videmur esse ingrati, cum ei, quod ejus per dispensationem fieri novimus, voluntatique resistimus. Servus enim, qui scit voluntatem Domini sui et non facit, vapulabit plagis multis. Unde cum Sanctos Dei certa pro factis post mortem gloria maneat, pro eis dum moriuntur lamentari, suæ non eorum utilitati potest non immerito adscribi. In Christo enim mori multo melius est, quam in carne vivere. Et quia mihi vivere Christus fuit, et mori lucrum, ideo gaudens et gratias reddens, mortis expecto diem, plurimum in misericordis Dei bonitate confidens, ut qui immeritos et non credentes morte sua redimere voluit, credentes et suæ militiæ emeritos milites ab antiqui hostis invasione dignetur vendicare. Commendo autem vos Deo, qui suos super vos advertat oculos, quatenus itinere recto una perducat ad patriam, quam per primi parentis perdimus incontinentiam; ut ejus reddat gratia, quod nostra amisit negligentia; neve nos, quos ut suos filios vocavit ad regnum, quasi semper inutiles depellat in supplicium. Precor autem vos, ut et Apostolici memores præcepti, quod dicit, Orate pro invicem ut salvemini, pro me Deo preces E fundatis, ne mihi manus inimicorum misericordiæ nescia occurrat, neve suo impetu deterreat, quæ licet in quolibet Sanctorum parum aliquid de suo reperiat, ipsa tamen sua efferata crudelitate et sua immaniter violat et aliena violare etsi non valeat, tamen præsumit furiosa; tantoque magis est timenda, quanto minus est exoranda : cui cum per nos minime resistere valeamus, exorandus est Christus, cui resistere non valet; ut per eum ejus sævitiæ et crudelitatis manus effugere valeamus, quem Christum si aliquando placatum habuerimus, nullos irruentium furores timebimus.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS. suos monet, ne doleant,*

*sed diligentes sint in studio virtutis,*

*Jacobi 5. 16*

*et pro se orent,*

21 His ita finitis, dato cunctis pacis osculo, ad propria dolentes multumque gementes remisit : ipse vero totus jam interioris hominis agebatur exercitiis, atque in magna positus contritione carnis et spiritus, cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Non multo post denique vir beatus gravi febre corripitur, quæ in dies singulos magis ac magis ejus ... depascens, quanto magis corporis rigorem minuebat, tanto magis animæ vigorem suppeditabat. In infirmitate tamen positus, non minus a Dei cessabat laudibus, omnemque a se mundani actus removebat strepitum, ut soli supremo Judici intentus, in ejus manus red- F deret spiritum, cujus sola propitiatione et auxilio se ab iniquorum manibus posse defensari credebat : rogabatque eum gemitu et lacrymis, ut eum absque timore semper in vita recordatus fuerat. Postremo autem die, Dominicis præmunitus sacramentis, Fratribus adstantibus universis et flentibus, inter psalmorum orationumque verba, sine dolore maximo, ut visum est, quasi in somnum resolveretur, spiritum exhalavit. Dies autem resolutionis ejus etsi minus in notitia habeatur, quippe cum irruentium turbine barbarorum post ejus mortem Fratres omnes fugerunt, ita ut illic nemo remaneret, multoque tempore locus idem humano destitueretur solatio : recolitur tamen pridie Nonas Julii, scilicet die qua Reliquiæ Rotomago in hunc locum delatæ sunt. Fecerat autem sibi fieri in ecclesia beatæ genitricis Mariæ, quam ipse construxerat, sepulturam, in qua positus fuerat a majoribus, quasi viveret miraculorum signis se vivere manifestavit, quantique esset in cœlo meriti, virtus sanitatum de sepulti pulvere exhibita, viventibus ostendit. Per omnia benedictus Deus, qui vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

*febri corripitur*

*Sacramentis munitus moritur,*

*nescitur quo die*

*sepultus clarei miraculis.*

CAPUT

A

## CAPUT VII.

### *Alind S. Severi miraculum in vita.*

*Auctore anonymo, ex MSS. a*

*a* Et quoniam donum ac Dei nostri potentia nec minor est in magnis, nec major in minimis, sed ubique et in toto et in parte omnipotens, cui dum fideliter servitur, potiora quam petantur largitur, qui mari terminos posuit quos non transgreditur, quo jubente vires ignis hebescunt, ipse B. Severum in igne comburenti incombustum servavit : quatenus per hoc tribus pueris in ardenti camino Regis superbi Deum laudantibus, ut ætate, sic et merito coæquari non incongrue videretur. Quodam enim tempore anus quædam paupercula, ardenti furno panes ad coquendum inferebat. quos dum mitteret, missorium, quod pala dicitur, pani suppositum in furno remansit, atque combustum est. Anus vero dum suum se missorium videret amisisse, nec aliud, quod pro eo suppleret, in promptu habere, plurimos vero panes superesse, cœpit, ut illi et ætati et sexui moris est, gemebunda conqueri, duo in damno pertimescens, quod non haberet unde panes coctos retraheret, vel coquendos immitteret. Cujus vocem lacrymosam B. Severus dum prætergrediens audisset, advolans

*Olim furnum calentem, ut viduæ succurreret, intrarat illæsus*

B de itinere, requisito et cognito unde doleret, motus pietate, plenusque fide, protinus accessit, ardentemque furnum, sui securus, irrupit, panesque relictos a foris suscepit, et per furnum ad coquendum disposuit, quos paullo post coctos, cum aliis quos non miserat, viduæ non minime gaudenti reddidit, illæsusque de furno, adeo ut nec in carne nec in veste læsura quælibet denotari posset, exivit : qui exiens, quod fecerat miratus, timuit, et timendo Deum, in quo poterat, quod per se non posset, laudavit; eique fidelius de cetero servivit, et serviendo ad majora pro ejus amore toleranda seipsum contra se erexit.

*a Videtur hoc miraculum cum eo quod nu. 5 narratur, jungendum, et forte plura ut genus a librario omissa*

# TRANSLATIO I ET II

## AUCTORE ANONYMO, EX EODEM MS.

## CAPUT I.

### *S. Severi templum a Danis combustum, restauratum.*

*An. Ch. MCXXXIX.*

Qualiter idem venerabile beati viri corpus de loco C prioris sepulturæ Rotomago fuerit delatum, ibique decenter in argenteo loculo sit locatum uti a majoribus accepi, posteris scribere libuit.

2 Post obitum itaque beati Confessoris Severi, Christiana religione multo magis ac Divini cultus ardore refrigescente, dilectioneque nuper mammi studio mentis perversæ in odium simultatemque recidente, elegit peccantium enormitas, ut digno hujus terræ incolæ multarentur supplicio, qui se a Dei sponte, ut nequiter viverent, retrahebant servitio. Inde ut hanc velut a radice vitiatam nationem totam Dei digna extirparet ultio, gentem quamdam misericordiæ et pietatis nesciam. .. *a* gens cum classibus magnoque belli apparatu mare transiens, hujus incolas terræ in luxu vitam quietam ducere offendens, inopinato eos aggressi bello, quos rapere poterant, alios ignibus, alios fluminibus, alios præcipitiis tradentes, morti dabant. Quo terrore natio tota perterrita, sua omnia secum deferentes, fugam non reditum inierunt; adeo ut loca prius delectabilia, suisque populis plena, feris tantum et avibus permitterentur habitanda. Quibus fugæ præsidium petentibus, tantus hostium timor incidit, ut ipsimet ecclesias cum domibus, et domos cum rebus non differendis igni traderent, ablatis secum, quorum patrociniis gaude-

*Danis Galliam vastantibus, a*

bant, Sanctorum corporibus. Unde fit ut terra hæc D Sanctorum suorum viduata corporum præsentia, minus in eorum patrocinio gaudeat, quæ ipsorum ut corporibus sic animabus parem factorum efficaciam imputat. Quosdam etiam tanta hostium subito invasit irruptio, ut sui voti minime compotes, neque supervenientibus resistere valentes, solum mortis evasisse periculum rerum et locorum non ultra videndorum eis fieret grande pretium. Et quoniam Danis adhuc idola pro Deo colentibus, Deique omnipotentis cultoribus inimicis, Christianæ religionis norma nondum fuerat propalata, nulla eis Sanctorum ædium aderat reverentia, nullus in destruendis Sanctorum corporum reliquiis timor et pietas. Unde sancta loca in eremi vastitatem redacta, per multum temporis et cultu Divino et humano caruerunt obsequio. Inter quæ B. Severi Confessoris Christi egregii locus et loculus ab infandis hostibus igni traditus, atque a solo funditus est eversus, adeo ut nec protectionis loci potentia, cum quos protegeret non haberet, haberetur in memoria; nec locus in veneratione esset, cum qui venerarentur non adessent.

*multa corpora SS. alio delata;*

*templa eversa.*

*S. Severi combustum :*

3 Terram itaque totam indigenis vacuam efferata crudelitate occupaverunt, eamque diu suæ impietatis gravi ditione oppresserunt. Donec tandem et ipsi co- E gnita veritate Omnipotenti fera spontanea subigerent corda, eique, cui hactenus detraxerant, religioni apponerent diligentiam : et quia a parte Septemtrionali eos venisse, Danosque vocari diximus, deinceps dicti sunt Normani : Man quippe homo dicitur, North venti est nomen. Normani itaque a North venientes, vel sub North degentes dicuntur Quibus fide suscepta, uti barbaræ mentis erant, et effrænatæ conditionis, non cito nec leviter ad Divinum cultum inflecti poterant : donec tandem miserantis Dei gratia, signorum assiduitate, et frequenti prædicatione dulcorati, paullatim illa bellnina feritate seposita, cœperunt habere venerationi quam prius addixerant vanitati; ecclesiasque Dei ab ipsis quondam destructoribus cœperunt reædificari. Cœpit quoque Deus interea in Sanctis suis ad corroborandam viventium fidem mira facere, eorumque sepulchra signis evidentibus manifestare.

*ut tandem, tarde licet, conversis,*

*cœpta rursus fieri miracula*

*a De Danorum in Galliam irruptionibus fuse in Francicis et Normannicis agit Chesnæus.*

## CAPUT II.

### *S. Severi corpus Rotomagum translatum.*

F Accidit autem ipso eodem tempore, duos Rotomagi Clericos orationum gratia B. Michaelis montem expetere, eosque prope B. Severi ecclesiam itum et reditum frequenter habere, ibique eos aliquandiu sub obtentu devotionis pernoctare : quæ videlicet ecclesia, tum quidem vili tecta stramine, vimineisque parietibus contexta, signorum tamen frequentia, quæ ibi sui Patroni fiebant meritis, frequentabatur a populis. Nuper enim ab infidelibus disrupta, sed ab eisdem factis fidelibus *a* dapsiliter restaurata, inter silvarum fruteta, ferarumque latibula, multorum tamen signorum insignia, habebatur. Illic ergo cum Clerici duo illi frequenter pernoctassent, huc illucque perambulavent locumque sine habitatore, excepto Presbytero quodam, vidissent, cupiditate rapiendi corporis illecti, cœperunt tempus et horam quærere quibus ad finem quæ mente conceperant, possent perducere. Quorum *b* simultates Presbyter astutus prævidens, multaque solertia et sibi et loco præcavens, cathedram sibi fieri præcepit, in qua clavos semipedales undique insui fecit, ut si forte aliquando suarum tempore excubiarum somno gravaretur, sicque pervigil in prospectu sanctum habens corpus, etiam si nollet, assistere cogeretur.

*Clerici duo ad S. Severi ecclesiam, tenuiter restauratam, divertunt,*

*a*

*corpus ejus auferre statuunt.*

*b impediuntur Presbyteri diligentia*

5 Quibus

A

*Rotomagenses, re cognita,*

5 Quibus exploratores visis, animo turbati, et sua spe frustrati, Rotomagum redeunt, et quæ per B. Severum Dei famulum signa fieri viderant, Archiepiscopo Cleroque per ordinem tangunt: qui diffinito consilio, Principi terræ Richardo Guilielmi filio Legatos mittunt, suppliciter petituri, quatenus sui ducatus matrem Ecclesiam B. Severi corpore insigniret; quod inter vastæ solitudinis fruteta positum, etsi miraculis coruscare et digno ministeriorum servitio audierant carere. Quibus Comes Richardus auditis,

*annuente Richardo I Duce Normanniæ,*

multumque super hac re dubius, cum et hujusmodi petitioni vellet acquiescere nec voluntati Sancti vellet contraire; in uno quippe formidabat periculum, in altero vero diligebat affectum; statuit communi suorum Primorum judicio decernendum, et quidquid utilius decrevissent, id faciendum Statuit autem concilium, in locum adirent præceptum, et ne aliqui hominum resisterent, licitum ut si loci provisori placeret, sanctum corpus deferrent. Unde Legati magno

*mittunt, qui id auferant:*

gaudio exhilarati domum redeunt; quod audierant edictum nuntiant: eliguntur de omnibus duo boni testimonii Clerici, cum quibus et alii multi, jussione Principis, ingenti cum festinatione et gaudio et strepitu ad locum veniunt.

B

6 Porro indigenæ, pro quo Legati venerant comperto, nec quo resisterent consilio reperto, in lacrymas versi, dolebant sibi auferri, cujus oratione se confidebant protegi. Rogaverunt autem, ut ibidem aliquid de sancto corpore relinquerent, ut et ipsi eorumque posteri......cui post Deum suarum vota precum committerent! Legati vero conviciis eos insequentes, et quosdam resistere præsumentes verberibus percellentes, extra ecclesiæ ambitum cum injuria agentes expulerunt. Quibus expulsis unanimiter cum lacrymis incumbunt orationi: qua completa, cum magno tremore et reverentia accedunt ad Sancti sepulchrum, quod ante altare positum, terræque infossum, summitatem tantum suæ prætendebat crepidinis: ibi enim a fidelibus metu paganorum, in loculo saxeo positus, terræ vili multi terra pretii communis habebatur. Duorum autem utrimque Sanctorum sepulchra jacebant; unum B. Ægidii quondam discipuli, atque in Dei opere cooperatoris; aliud vero alterius Sancti, cujus nomen etsi nescitur, meritum tamen per signa manifestatur: ad quorum medium, ubi B. Severum jacere signis evidentibus fuerat approbatum, accedentes, alii psallebant, alii terram fodiebant, alii fossam terram foras projiciebant: denudatoque sepulchro lapidem superpositum rastris et fustibus impellebant; quo a dextra parte levato, tantus tamque suavis de eodem sepulchro odor emanavit, ut omnes, qui aderant, eo replerentur, et repleti suis infirmitatibus sanarentur. Nec tantum odor ille intra ecclesiam, verum etiam extra positos omnes repleverat, et a quibus sensus eorum continuo ægritudinibus.....reddebatur.

*his, repressis incolis,*

*sepulchrum, inter duo alia Sanctorum situm,*

*refodiunt,*

C

*e quo odor exspirans, ægros sanat*

7 Aperto denique loculo vident velut hominis dormientis corpus extensum, pannis mundissimis obvolutum, unguentis pretiosis delibutum, quod in superficie candidum, jam in carnis demutatæ parte præsignabat, quod post in resurrectione totum futurum erat. Paratoque feretro sericis hinc inde vestibus adornato, perfusi lacrymis, manibusque corpori sancto applicitis, levaverunt illud, ita rigidum ac si eo die fuisset humatum. Et quoniam feretrum tantum ossibus paratum, extenso corpori erat incongruum, habita deliberatione illud per medium cultro inciduut, novisque ac melioribus pannis reindutum in loculo gestatorio ponunt; statimque cum magno vocis et cordis tripudio, illud suis humeris imposuerunt.

*corpus integrum, decenter involutum*

8 Exeuntibus autem illis de ecclesia, affuit furens turba rusticorum, inde ferentibus sanctum corpus auferre volentium. Sed visa armatorum multitudine, in fugam versi, opus coeptum dimisere. At illi citato gradu via publica tota die gradientes, sole jam ad occasum vergente venerunt in vicum, qui milliario distat ab c Eureceyo, ubi hospitium subituri, in ecclesia luminaribus accensis cum custodia sanctum deposuere feretrum. Deinde cibo accuratius refecti, nocteque partim vigiliis, partim data sopori, mane præmissis hymnis accedentes, sanctumque corpus nequidquam levare gestientes, in ipso conatu suo deficientes, incolarum convocata multitudine, multo attentius manus apposuere; neque movere, quem sancti Spiritus suaque ipsius voluntas fixerat, potuere Unde animo consternati, et in quam partem se verterent, penitus ignorantes, tandem id initum consilii, ut promissis placare tentarent, quæ promissa non fallerent. Promiserunt igitur, unde attulerant se esse relaturos: promiserunt illic relicturos; neque moveri potuit. Promiserunt in sui nomine ecclesiam ibi se constructuros; et tanta levitate motum est, acsi pondus expers ponderis esset. Idque factum per totum usque Rotomagum itineris spatium, ut nulla vi, nulla ratione posset de loco quo noctu deponebatur, moveri, donec ei juramento firmaretur, illic suo nomini ecclesiam debere fabricari.

*… erant*

D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS

*ubi noctu quieverat, tolli non potest,*

*nisi voto nuncupato templi ædificandi,*

*idque per totam viam*

E

9 Quæ vero miracula in ejus translatione, in omnium oculis Dominus fecerit, non est nostræ evolvere facultatis. Infinita quippe multitudo utriusque sexus de agris et vicis adveniens occurrebat, alii sanitatum gratia, alii devotionis affectu: et quisquis fideliter Sancti petebat patrocinium, optantis votum velox præveniebat remedium. Qui vero per se non valebant accedere, aliorum manibus delati, tacto sancto feretro, per se redibant sanitati redditi.

*plurima fiunt miracula*

10 Tandem ventum est in vicum tribus ab urbe distantem millibus, ubi deposito feretro felix rei gestæ eventus suo Præsuli mandatur per nuntium. At ille gaudens non modice, accito Clero et populo, dictoque omnibus, unde agebatur, negotio, cum hymnis et laudibus, crucibus et thuribulis, obviam pergit: veniensque, facta oratione, manum apposuit, ut sanctum levaret feretrum, nec potuit; hortatusque suos, manus ut apponerent: nec eventu prosperiore lætati sunt multi, quam unus. Unde turbati, nondum quæ Legatis evenerant cognitis, hæsitabant prius, quid facerent: donec tandem per ipsos voluntate Sancti cognita, facta in præsenti donatione, ecclesiam in ejus nomine se obligaverunt construere.

*occurrit Archiepiscopus cum supplicatione*

*elevare corpus non valet, nisi voto simili facto*

F

11 Inde feretro manibus vix appositis, tanta facilitate motum est, quatenus quod portabatur vix portari putaretur. Portantibus autem illis, jamque civitatem appropinquantibus, tota obviam ruit civitas, collaudans Dominum, qui sibi talem accommodaret Patronum, cujus præsentia roboraretur, et orationibus fulciretur. Sicque in excelsum voce jubilationis elata in matrem ecclesiam B. Mariæ, hæ tantum humeris defertur; illicque sericis, atque in loculo decenter auro et argento contexto repositum, plurimum vere petentibus præstat beneficium. Factumque est, ut Dei servus idem qui mundo temporaliter vilem se et abjectum pro Dei amore exhibuerat, quique in stramineo tugurio, vili tectus vestitus tegmine, cum pauperibus pauper et ipse latuerat, nunc jam et in cælis ante Dei conspectum exaltatus, et in terris pennas in metropoli ecclesia sublimatus habuerit, exemplumque viventibus, se...os temporaliter humiliandi, ut æternaliter exaltentur, præbuit

*in ecclesia Cathedrali honorifice reconditur*

a *Quomodo* dapsiliter *in omni contexti parietes?*

b Simultatem *posuit pro conspiratione, agitata que simul consilio*

c *An* Ebroicensem, *sive* Ebroicacensem *pag. in intelligit? an urbem ipsam, quæ Gallis* Evreux *dicitur?*

A

## CAPUT IV.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

### *Aliquæ S. Severi reliquiæ ad ejus monasterium relatæ*

Et quoniam locum hunc, in quo Deo specialiter servierat, nequaquam sui immunem relinquere voluit, hoc modo quasdam de suo corpore reliquias illuc referri..... Tempore igitur Domini Guilielmi, *a* prius Abbatis Cadomi, postea vero Rotomagensis Archipræsulis, Fratres monasterii S. Severi, quod in Valle Viriæ situm est, devotionis gratia Rotomagum adeunt, quatenus ejusdem sui Patroni et loculum viderent, et se illi quasi præsenti præsentes committere possent. Quorum affectum cum idem Præsul agnovisset, honorifice eos suscepit, susceptis plenam caritatis gratiam impendit, et impendendo majora promittendo sibi, si peterent, spem tribuit. Cujus promissione benigna provocati, incidit horum animis, quatenus aliquid reliquiarum corporis pretiosi ab eodem Pontifice peterent : sed ab eo quem tantum honorari, coli, amari audierant et viderant, non se facile posse, quod optabant, assequi pertimescebant. Et quoniam nullum in repulsione damnum, nonnullum fore credebant in petitione profectum, cum fiducia Dominum Archipræsulem adeunt : suam petitionem suppliciter pandunt. At ille capite deorsum inclinato, quidnam responderet diu deliberato, talia se vel tentare respondit nequaquam audere; cum in multis codicibus legerit, plurimis nocuisse, Sanctorum reliquias tetigisse; quibusdam etiam, vidisse. Prætendunt illi, Dei Sanctum minime suum priorem odisse locum, quippe quem vivens condiderat, quem sibi proprium dedicaverat, quemve signis tantis tamque frequentibus illustrabat, mortuum abdicare, sic amatum non amare, videbatur incredibile. Poscunt denique sibi licentiam dari, per se sanctum corpus adire, si possint de eo aliquid auferre, si vero non possint, ut possint ei tantum, Episcopo scilicet, gratias debere, cum fide viva accensus annuat. Petitioni eorum spondet parere, si non nesciret Sancto Dei suam sponsionem nequaquam displicere.

*Fratres monasterii S. Severi, ejus corpus visunt*

B

*aliquas ejus reliquias petunt*

*tergiversante primum Archiepiscopo,*

13 Mane igitur sequentis diei, paucis suorum ad se vocatis, cum prædictis Fratribus, præmissis orationibus Missarumque solenniis, sanctarum thecam reliquiarum deponi fecit, ipseque cum magno timore primus accessit, lacrymisque perfusus patefecit, corpusque sericis involutum evolvit. Cujus caro etsi in pulverem fuerat redacta, cutis tamen adhuc remanebat integra. Sumpsit igitur Archiepiscopus os quod vulgo Cavila colli dicitur, cum parte pellis, post quoque medii digiti, quod rati manus adhæret, simulque cuncta pallio involuta, Fratribus prædictis tradidit deferenda. Fratres vero cum maximo gaudio et honore, tali suscepto pignore, lætabundi redeunt, donaque auro et argento pretiosiora Fratribus suis detulerunt : qui et ipsi non minimum lætati, sanctis reliquiis non vilis thecam pretii paraverunt; in qua eas cum multis aliis deposuerunt, diemque susceptionis earum IV Nonas Februarii celebrem agi instituerunt : eoque die tota circumquaque regio, ob petendum tanti Patris patrocinium, lætabunda confluit, ejusque solemnitati gaudet interesse : cujus precibus ab omni adversitate eripi, chorisque cœlestium spirituum, non suo sed ejus merito, confidit ascribi.

*tandem obtinent*

C

*et ad suos deferunt,*

*coluntque 2 Febr.*

a Willelmus II Dux Normanniæ, postea Rex Angliæ, duo Cadomi monasteria ædificavit in vindictam ut mandante pontifice, cum et uxori suæ consanguineæ conjugii vinculum faceret : unum Virginum fuit, alterum virorum, huic præfuit primus Abbas Lanfrancus : eo ad Cantuariensem Cathedram erecto, hic Guilielmus suffectus.

## CAPUT III.

### *Epilogus hortatorius.*

D

Et quoniam non sibi, sed nobis, ejus solennia colimus, videamus quales simus, qui tanti Patris solennia frequentamus. Non enim, ut ait Scriptura, speciosa laus est in ore peccatoris. Si enim, ut verum est, supra numerum peccavimus, ejus laudes attrectare cur præsumimus? Denique si, quod dicitur, rectos decet collaudatio, quæ peccatorum erit gloriatio? Verum ne peccatores desperarent, in eodem subditur psalmo : Misericordia Domini plena est terra. Terræ quippe nomine censentur peccantes, qui terrenis inhiantes, dum mente ad cœlestia ire deberent, sollicitudini mundanæ cupiditatis propensius inhærent : quorum vita vel ratio adhuc studet et sudat, ut habeat unde venerabilior fiat; ad hoc laborat, ut pluribus præsit, et divitiis gaudeat. Sed et istis misericordiæ plenam porrigit.... si quod fuerint, non esse voluerint : nulli enim, si velit, pietatis suæ viscera Deus non impendit, et ut velit impellit, et compulso quasi semper volenti mercedem remunerationis semper largitur : nolenti vero, imo contradicenti, quantum ex libertate provenit arbitrii, aufert gratiam, et auferendo cordi permittit illabi duritiam, ut non velit nec possit, quod velle et posse potuisset, si fidei gratiam agnoscere potuisset. Cujus enim vult Deus, ait Apostolus, miseretur, et quem vult indurat. Et alibi : Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Unde, Fratres, salutis nostræ solliciti simus, quoniam peccatis resistentibus nostris, an electi simus nescimus. Verum mandatorum Dei obediendo præceptis, id agamus, ut veraciter sciamus, ne indigni gratiæ Dei in fine inveniamur, et æternis tradamur incendiis. Recurramus ad misericordiæ fontem, in ablutionem menstruatæ patentem. Mundemus lacrymis, quod fœdavimus peccatis.

*Hortatur Auctor,*

Eccli 15, 9.

Psalm 32, 1

et 5.

*ut etiam peccatores misericordiam Dei implerent,*

E

Rom. 9, 18 et 16.

15 Si vero malis nostris obtenebrati, ad ipsum veritatis lumen per nos accedere nequimus, intercessores quæramus, per quos veniam mereamur : interpellemus eos, qui dum vixerunt, Deo attentius servierunt, ut nobis in præsenti seculo dignentur patrocinari, quos in futuro judices sumus habituri, qui et ipsi fonte misericordiæ inebriati, non negabunt præsentibus, quod voluerunt habere commune cum pœnitentibus. Magis enim consortes quam districti volunt esse judices : cum quibus et hunc Patrem nostrum B. Severum pro nobis intercederet poscamus, et per ipsum ad Christum legatione fungamur, ut nobis esse suis precibus faciat pacatum, quem male vivendo fecimus iratum. Rogemus ut suo gregi sibi devote famulanti subveniat, qui suo temporali domino equarum gregem fideliter custodivit, et custodiendo meritis augmentare promeruit : et qui pietatis affectu, ut nudos vestiret, nuditatem non abhorruit, vestem justitiæ impetret poscenti familiæ. Porro qui viduæ clamanti equam cum pullo miseratus tradidit, et pro ea alteram divinitus suppleri promeruit, ipse nobis obtineat, ut Deus in nobis bonum, quod deest, suppleat; et malum quod adest, miseratus auferat : extinguat vero in nobis vitiorum sentinam, qui furni ardentis non sensit incendia. Amen.

*et Sanctorum patrocinium,*

*præcipue S. Severi.*

F

TRANSLATIO

A

# TRANSLATIO III S. SEVERI ROTOMAGO PARISIOS.

An. Chr. mdcxxxix.

Christianissimo et invictissimo Domino nostro, Domino Ludovico Dei gratia Francorum et Navarræ Regi, humillimi Oratores Canonici et Capitulum sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Rotomagensis, Subjectionem et promptissimæ devotionis obsequium. Ut primum ex Illustrissimi et Reverendissimi Domini Archiepiscopi nostri litteris intelleximus, augustissimam Majestatem tuam erga domesticam hujus Ecclesiæ sanctimoniam pietatis zelo succensam, ex thesauro, quem habemus in vasis fictilibus, partem aliquam religioso affectu concupiscere; pro tam salubri desiderio gratias Deo agentes, illud exultantibus animis studuimus adimplere. Cujus rei gratia, maturis inter nos deliberationibus habitis, ex variis Sanctorum Reliquiis in ejusdem Ecclesiæ secretario quiescentibus, in duo potissimum corpora beatorum Christi Confessorum et Pontificum Severi et Siverii oculos conjecimus, unde sacra pignora in hunc finem excerperemus. Itaque infra scripta die ad id constituta, peractis quotidianis Missarum solenniis, convenientes in prædictum secretarium, ubi diversi generis capsæ, immortalibus opibus plenæ, ex armariis, B in quibus religiose asservantur, prius eductæ, et decenter dispositæ fuerant, felices utriusque Sancti exuvias per carissimum Concanonicum nostrum Joannem le Prevost Presbyterum, tunc Hebdomadarium, planeta aliisque sacris vestibus indutum, comitantibus et adjuvantibus carissimis etiam collegis Nicolao Throsnel et Dionysio le Fevre Presbyteris, Diaconali et Subdiaconali cultu paratis, e propriis conditoriis successive depromi, et super mensam in medium altaris velis et luminibus adornatam, cum thurificatione et precibus sanctæ actioni congruentibus, reverenter exponi fecimus hoc ordine. Primum e pervetusto tabernaculo variis metallis eleganter obtecto, gemmisque et cælaturis decorato, B. Severi nomen in inscriptionibus Gothico charactere per gyrum exaratis externus præferente, depromptum est corium quoddam ingens, antiquum, sanum tamen, mundum, et solidum, potissimam corporis ejusdem Sancti partem cum cute firma adhuc et integra complectens. Quo super mensam prædictam reverenter explicato, supplices cum tremore et gaudio intuiti, mirati, et venerati sumus pretiosum illud beatæ immortalitatis seminarium, in quo Divina benignitas futuræ Resurrectionis gloriam diutissima tot seculorum incorruptione præsignat: statimque prima colli vertebra C unanimi omnium consilio detracta et seposita, studiose, ut prius, obvolutum recondi curavimus. Deinde S. Siverii corpus ex alio veteri tabernaculo, ex ære fusili elaborato, (quod ob multiplicem Reliquiarum ibidem inclusarum copiam Omnium Sanctorum feretrum nuncupatur) ubi separatim in sericis et versicoloribus perantiquæ texturæ pannis, cum variis inscriptionibus, compositum, diem retributionis exspectat, pari cum reverentia eductum, detectum, perspectum fuit, excerptoque inde quodam osse calcanei figuram exhibente, in eodem Omnium Sanctorum tabernaculo reconditum. Quæ quidem veneranda duo pignora seorsum purpureo serico involuta, schedulisque signata, in hac arcula, sera claveque munita, collocavimus, augustissimæ Majestati tuæ sedulo transmittenda. Ad quorum venerationem ut augustissima Majestas tua ex amplori eorumdem Sanctorum notitia fortius animetur, veraciter et syncere testamur in Domino, duos istos misericordiæ viros, ingenerati nobis gentis suæ gloriam adeptos, in diebus suis haberi in laudibus: et Beati quidem Siverii Depositionem in Diptycha nostra ad xiv Kal. D Octobris a multis sæculis esse relatam: Beati vero Severi festivitatem quotannis Kalendis Februarii apud nos celebrari. Quo die gloriosi Pontificis merita coram sacris ejus lipsanis, quæ tum fideli populo in variis thecis reverenter ostendi solent, ex ambone sub Crucis titulo, per divini verbi præcones a Canonicis vicissim ad id selectos, solenni ritu explicantur. Præterea fidem facimus, utriusque gesta in quibusdam Ecclesiarum extare codicibus, et in compendium redacta Diœcesano Breviario contineri: quorum ex serie constat, par illud eximiæ sanctitatis, ut cœlestis modo gloriæ et sepulturæ consortio, ita quondam natalis soli vicinia, professionis genere, sacerdotii successione, fuisse conjunctum. Si quidem ambo Constantiensem hujus Provinciæ agrum cunabulis, monasticam vitam exemplis, Abrincensem Ecclesiam infulis illustrarunt. Severus, humili loco natus, ex vili armentorum custode primum Evangelii prædicator, dominique sui (quem infidelem adhuc cum tota familia miraculorum magnitudine Christo peperit) institutor ac magister, deinde relicto sæculo anachoreta, et monachorum Pater, tum singulari ejus providentia, qui David servum suum de post fœtantes accepit in Regem, ad pastoralis officii culmen evectus, cum gregem sibi creditum in intellectibus manuum deduxisset, et gentilitatis re- E liquias e diœcesi sustulisset, in pristinam denuo solitudinem reversus, incorruptæ carnis sarcinam moriens in oratorio a se in honorem sanctissimæ Dei genitricis extructo deposuit. Siverius, S. Paterni (qui a Childeberto primo Rege Abrincensi Sedi præfuit) honore meritisque successor, cum multis et ipse virtutibus claruisset, post felicem exitum ad ejusdem Paterni et b B. Scubilionis ejus socii corpora sepultus est in monasterio quod Sisiacum appellabant. Utriusque vero corporis certam indubiamque possessionem nobis tum diuturna traditio, tum domestica documenta confirmant. Ac Severi quidem Translationem ex agro Constantiensi Rotomagum ante annos sexcentos et quadraginta, Ricardi primi Normannorum Ducis opera, factam, illustria miracula commendarunt. Corpus enim, quod antea bellorum metu humi defossum diutius jacuerat, integrum repertum est, et quoties in itinere pernoctandi caussa deponebatur, ita firmum consistebat; ut nulla vi de loco id moveri posset, quin prius sacri vectores operis ad novæ ibidem ecclesiæ constructionem voto se adegissent. In cujus rei argumentum extant etiamnum templa ejus nomine iis in locis ædificata. Suscipiat igitur augustissima Majestas tua ex inopiæ nostræ promptuario apophoreta plena gratiæ et sanctitatis, et in modica Reliquiarum parte integra F Sanctorum corpora se possidere glorietur, eorumque munita præsidio, cœlestium benedictionum continua sentiat incrementa. Ne vero rei, velut a nobis gesta est, superius descriptæ ulla ambiguitatis obrepat occasio, præsentis scripti paginam nostris omnium, qui interfuimus, ac Notarii nostri subscriptionibus, annulique Sanctæ Mariæ impressione duximus roborandam. Actum in prædicto secretario sub corporali præsentia et testimonio Sanctorum, Anno Regis Regum Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimonono, quarto Idus Januarii.

Ego Nicolaus le Royer Cantor et Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Joannes Baptista Godart Thesaurarius et Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Joannes Caresmel Archidiaconus et Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Ludovicus Sanson Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego

Marginal notes: Ludovico XIII Regi, petenti ab Eccl. Rotomag. reliquias, — a ... sunt ossa S. Severi et ... — S. Siverii ... — Ex instrumento Capituli Rotomag. utriusque natalis: — S. Severi Actorum compendium — a ac S. Siverii: b — utriusque corpus translatum Rotomagum — Donationi reliquiarum subscribunt Canonici

A Ego Joannes Sequart Canonicus interfui et subscripsi. ✝

EX INSTRUMENTO MS

Ego Anselmus Marette Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Nicolaus Barbey Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Joannes le Vendangs Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Joannes le Mercyer Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Joannes Briffault Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Jacobus le Chevalier Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Carolus Brasdefer Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Jacobus Mallet Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Joannes le Prevost Canonicus gloriosas Sanctorum Reliquias immeritis meis manibus deprompsi, et subscripsi. ✝

Ego Petrus de la Mare Canonicus interfui et subscripsi. ✝

B Ego Bartholomæus le Roux Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Joannes Aubourg Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Nicolaus Throsnel Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Dionysius le Fevre Canonicus interfui et subscripsi. ✝

Ego Petrus Picot Canonicus interfui et subscripsi. ✝ D

Ego Joannes Patry Presbyter, Notarius venerabilis Capituli, interfui, relegi, et subscripsi.

J. PATRY.

Locus ✝ Sigilli.

Ego Franciscus miseratione Divina Sanctæ Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Normanniæ Primas. Confratrum nostrorum Acta synodice atque hierarchice facta, fideliter scripta, religiose oblata, sanctissimo Domino nostro Regi Ludovico Decimotertio, per venerabilem Thesaurarium Ecclesiæ nostræ, et ex supra scriptis Canonicis duos, Magistros Brasdefer et le Prevost, sancte offerenda approbavi, sigilloque ac subscriptione communivi, et Episcopale sacrarum Reliquiarum depositum clave inclusa obsignavi, nostrisque nominatis dignissimis deputatis reverenter deferendum tradidi, post consuetas solennesque Tanslationis cærimonias, Gallioni in Arce nostra, Anno cœlestis gloriæ Sanctorum, ac Regis cœli incarnati millesimo sexcentesimo trigesimonono, Regis nostri Christianissimi vigesimonono, dedicationis Regni Reginæ Sanctorum omnium, ab Augusto mense secundo, die decimaseptima mensis Januarii Scriptum ac subscriptum manu nostra. E

Fr. Archiepiscopus Rotomagensis.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Domini mei. Esprit. ✝

Cum sigillo e laqueis pergameneis pendente.

ei Archiepiscopus.

a Childebertus I, Clodovei I filius fuit, regnavitque ab an. Chr. 510 ad 558.

b Colitur S. Scubilio cum S. Paterno 16 April.

# DE S. PRÆCORDIO PRESBYTERO

## CORBEIÆ ET VALLIACI IN GALLIA.

Corbeia nobilissimum Galliæ Belgicæ ad Somonam amnem, vicumque Corbeiam, monasterium est, de quo 11 Januarii ad S. Adelardi Ab. Vitam, et XXVI ad S. Bathildis Reginæ, actum pluribus. Dedit illud multos cœlo Sanctos, multorum aliunde allatas reliquias pie asservat: in his, S. Præcordii Scoti Presbyteri, qui Valliaci, sive Vashaci, ad Axonam flumen vixit, ibique et per annos tumulo conditus jacuit miraculis clarus. Ferrarius in gener. Catal. SS. pro Valliaco Vigliacum scribit, fatetur tamen ab aliis Vasliacum appellari: sed fallitur dum scribit pagum esse, cum cœnobio Benedictinorum, in Burgundiæ Comitatu. Oppidum enim est diœcesis Suessionensis juxta Axonam: Veliacum dicitur a Papirio Massono appellari in Descript. Galliæ per flumina, ubi de Axona hæc tradit: Idem fluvius decurrens per agrum Retelicrum, Regitestem ipsum oppidum alluit, deinde Castrum Porciani, postremo Velliam praeterians, præclaram Suessionum urbem alluit. Extat etiamnum, ut testatur Joannes Colganus, in suburbanis oppidi Vashacensis, insignis ecclesia S. Præcordii dicata nomini.

S. Præcordii sepultura

2 Natalis S. Præcordii Kalend. Februarii consignatus est a Molano in Addit. ad Usuard. his verbis: In Vashaco natalis S. Præcordii Confessoris. Eadem habet Canisius: eadem Ferrarius; nisi quod pro Vasliaco Vigliacum scribit, uti monuimus. Breviar. MS. Martyrol. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis: Et Præcordii Presbyteri. Vixisse eum certo seculo unde constat, quod S. Remigio Ep. Remensi, qui (ut alibi diximus) an. DXXXII decessit) familiaris exstiterit. Reliquiæ, ut mox dicetur, Corbeiam translatæ sunt sub Berengario Abbate, qui, ut scribit Claudius Robertus Walberto, ad Noviomensem Cathedram an. DCCCCXXXII evecto, suffectus, an. DCCCCXLIII XIII Novemb. decessit. Facta est ea Translatio V Junii; quo die in quodam MS. Martyrol. hæc leguntur: Monasterio Corbeiæ Exceptio corporis S. Præcordii Confessoris.

3 Historiam brevem Vitæ et Translationis S. Præcordii ex manu exaratis codicibus descripserat Nicolaus Belfortius Canonicus regularis cœnobii S. Joannis Vinearum apud Suessiones, a quo eam hic damus. Extat eadem apud Colganum in Actis SS. Hiberniæ, ex ejusdem Belfortii exemplari descripta, sed minus accurate, ut perspiciet qui utramque contulerit. hujus historia.

## VITA ET TRANSLATIO

AUCTORE ANONYMO,

*ex MSS. eruta a Nic. Belfortio.*

Omnis decor Corbeiæ tum divina tum humana crevit provisione. Hinc ei fuit a amplitudo illa terrarum, quæ modico incremento potuisset pene sufficere in regnum, et ea quæ adhuc ecclesiæ superest præsens veneratio reliquiarum, de quibus suis locis continetur relatio: nunc subjungenda est S. Præcordii admodum mirabilis Translatio, quam ita fuisse constat ex antiquitate. a Corbeiæ olim opes.

2 Inter villas Ecclesiæ Corbeiensis, Valliacus habetur, in pago Suessionico, ita glebis et vineis fertilissima, ut abundantia civium, non vicus, sed dici possit civitas plenissima. Axonæ enim contigua fluvio, aquis et pratis superba est. Ad hanc igitur quondam casu advenit quidam ex b Scotorum genere, virtuteque clarus, et per omnia venerabilis vitæ: ibique habitando mansionem adamavit, et tamdiu mansit donec ex toto remansit, ac feliciter ibi defunctus est. Porro tanta claruit perfectione et honestate morum, ut efficeretur B. Remigio familiaris, qui tunc sanctitate fulgens Episcopus erat metropoleos Remensis: c cuique profecto erat carissimum, ubicumque

b S. Præcordius Scotus

Valliaci degit S. Remigio familiaris.

*a morte clarus miraculis.*

ubicumque erat, Dei sacrificium. Nec fefellit, quia quantus fuit in vita, mors pretiosa probavit. Cumque longo confectus senio, vitam feliciter clausisset in Christo, ibidem honorifice sepultus est in una ecclesiarum: crebrisque beneficiis et levamentis, populorum favorem sibi conciliavit, ad sepulturam suam concurrentium.

*ejus reliquias Sacellanus custodit. Joh. 8. 6.*

3 Hujus venerationis frequentatione Presbyter quidam, nomine Tibardus, cernens ecclesiastica augeri et crescere, omni institit arte, mercede et ingenio, quatenus ipsa ecclesiastica suis usibus devenirent. Et adeptus votum, paullo post, ut alienis affluens divitiis, cœpit non ferre seipsum: sed mercede conduxit sibi Presbyterum quemdam, et officii ac tanti thesauri commisit ei custodiam. Is ergo devote adimplebat custodiam, et supplebat officium, et jam quadam simulatione benignitatis conciliabat sibi amicitiam incolarum: donec tandem, licet sero, cognitus est ex malis fructibus suis. Quamquam perhibente Scriptura nihil in terra fieri sine caussa, minister fuerit, licet nescius, *d* supernæ dispositionis. Quid ergo fecit? Cujusdam noctis crepusculo, ecclesiam, cujus custos erat, intravit; dissimulationis caussa lucernam, ut solitus erat, ante corpus sanctum accendit et obserato ostio discessit, venit domum, expectavit horam. Cumque nox tenebras diffunderet, primo conticinio iterum ecclesiam intravit, lucernam, quam prius accenderat, extinxit, et furto audenti amplexus sancti corporis loculum, quem quivis alius Sacerdos tangere vix audebat, cum summa diligentia fugam arripuit, et properans ad littus maris accessit. Tunc male sibi securus, et plebis insecutiones timens a tergo, nautas coegit sperare diem tranquillum, et quas horridi fluctus minarentur perturbationes spernere. Cumautem prospere appulissent omnes ad portum Anglorum, præteriens Presbyter maritimas mansiones, ut qui necdum satis securum se crederet, tandem in quodam vico sortitur habitationem, et incolarum familiaritatem brevi obtinuit: sicque etiam Reliquias in ecclesiam permissus est inferre, et in sua custodia habere.

*d — clam in Angliam defert. — abit in mediterranea*

*Tibardus Presbyter, e tumultuante populo,*

4 Cum autem mane surrexisset Tibardus, et ecclesiam de more adisset, invenit, et miratur vacuam et patentem: et introgressus diu expectabat cum populo Presbyterum euntem et non redeuntem. Denique domi ille requiritur, et quia non erat, nec invenitur, et abesse renuntiatur. Cœpit Tibardus animadvertere, et inspecto Patroni sui loculo, miseranda percellitur confusione, quod talem thesaurum amisisset. Tamen adstitit, et tristis officium celebravit, non tantum de *e* damno quantum metuens de periculo. Statim vero ut auditum est, quod celari non poterat, omnis populus convolat ad ecclesiam, et Tibardum sceleris conscium clamitat, excusantem infidelitatis et malæ custodiæ accusat: nec ante potuit tumultus sedari, quam pacisceretur se Presbyterum subsequi, et reliquias referre, si quovis modo posset assequi.

*eum insequitur. — reperit f — reliquias clam aufert,*

5 Sumpto itaque viatico, vestigia Presbyteri non tam pede quam lingua sequitur: et forte eadem hospitia, quæ et ille, usque ad littus maris sortitur. Quo ubi devenit, naulum dedit, transfretavit, eumdem portum, quem et ille, Anglorum attigit: nesciusque quo iret, voluntate Dei et Sancti, quo ille devenerat, et ipse devenit. Requirens illum invenit *f* inventoque ignovit: et monitus ab eo, quia si ea de caussa advenisset, aliquamdiu consensit habitare cum eo: rem tamen caute dissimulans artem arte deludere volebat, et opportunitatem expectare. Sed frustra: quia ille ex suo facto alterius mentem ponderabat. Quid multis? Quadam die dum Presbyter balneis lavaretur, et Tibardus famulo ut famulus obsequeretur; clavem cum cinctorio clam rapuit, et figuram talem habere cupiens, ceræ diligenter impressit. Cum haberet similem, explorata opportunitate reserat capsellam, et vacuat suspirato sibi diutius thesauro, festinusque littus maris repetit; quia clavem reliquiarum secum habebat, a talibus non cavente sibi Presbytero. Tum ille repertis quibusdam *g* viris in littore nequicquam congruum navigationi ventum præstolantibus, cœpit eos ad transfretandum hortari, sibi notam esse videlicet Dei misericordiam, et ex ejus fiducia spondere illis prosperam navigationem. Quibus verbis illi fidem accommodantes, artemonem *h* erexerunt: et a littore Anglico statim citius quam speraverant, recepti sunt in Gallico.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS. — g — feliciter revehit in Galliam. — h*

*Folliaci deponit, in arca clausas:*

6 Ingressi portum gratias Presbytero referebant, quasi ejus meritis tantum evasissent periculum. Ipse quoque Presbyter lætatur S. Præcordii reliquias se referre, cujus præclaris meritis tam lætos habuisset successus. Unde etiam modum egressus lætitiæ, festinabat illos tanto nuntio lætificare, quos olim dimiserat non modico affectos mœrore. Quia vero plus justo festinare aliquando magis impedit, quam subvenit, et Deus, qui cœpit, remipsam, non Presbyter, disponebat, errore divinitus immisso, cœpit deviare, donec Folliacum deveniret prædium Corbeiensis Ecclesiæ. Quod recognoscens, utpote qui sæpe illuc veniret, ingressus est domum amici sui cujusdam, nomine Serani. Cumque post amicas salutationes pariter fuissent convivati, Tibardus in crastinum discedere volens, rogavit hospitem suum, ut arcam præstaret in qua sarcinulæ suæ deponerentur, donec parentes suos reviseret, postea ad ipsum rediturus. Impetravit, reliquias deposuit, clave munivit, clavem secum tulit, ad suos venit, tristes invenit, reditu suo lætificavit. Percontatus ab eis, an Sancti reliquias retulisset, aut a quoquam retineri sciret, Scio, inquit, ubi habentur, sed non nisi grandi pretio abstrahentur. Illi vero, Non deerit, inquiunt, pretium: tantum ne amittamus Patris nostri præsidium.

*cœlestibus collustrante — a Berengario Ab. mutuato.*

7 Interea dum Presbyter spes suas pascendo inaniter securitate reliquiarum, nec minus sponsione pecuniarum..., voluit Deus manifestare, cujus meriti ille esset, quem rustica et vilis arca clausum Folliaco teneret. Cujusdam quippe noctis tenebroso silentio dum Seranus inscius tanti hospitis, somno indulgeret; cum magno strepitu dissilit arca ubi erant reliquiæ, et instar fulguris, visa est domus perseveranter coruscare. Surgunt et accurrunt domestici: et pectora percutientes, a longe stant nec audent accedere. Seranus ipse surgens eadem hora Corbeiam petit, quæ Folliaco habetur contigua: et pulsans ad cameram Domini Abbatis Berengarii nullo dubitante quin nova nuntiaret, sine mora admittitur. Requisitus quid sic hora ipsa accurrisset, rem omnem pandit ex ordine. Abbas auditis quæ dicebantur, monachorum et Clericorum sapientiores, ac laicorum nobiliores adesse mandat: quorum una fuit sententia, debere adiri vicum, sanctasque reliquias ad monasterium deferri cum digna reverentia.

*deferuntur Corbeiam. — pluviam optatam impetrant — i k*

8 Itur ergo ad locum, et, sicut rusticus dixerat, inveniunt splendorem magnificum. Inde propius accedentes, et non sine timore reliquias tantæ virtutis levantes, imponunt ferendas cuidam venerabili Clerico, et ipsi cum laudibus subsequuntur retro. Quicumque sit, religiose defertur: quis enim sit, adhuc tunc ignoratur. Sed si nomen latuit; cujus meriti, cito patuit, quem Deus tali miraculo mirificavit. Denique cum spatio trium mensium pluviæ penuria aresceret tota terra Ambianensium, mox ut reliquiæ Sancti de domo sunt expositæ, cœlum obducitur tenebrosa nube: nec prius portitores pervenerunt ad ecclesiam, quam viderent et senserunt profluentem pluviam. Nonis itaque Junii illatus in ecclesiam *i* S. Joannis Evangelistæ, ibi *k* non sine signis aliquanto tempore requievit. Adhuc enim apud translatores

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A latores suos ignotus nomine, non meritis, in principali loco non est compositus, dilatione requirendi nominis. Postea autem fabricata auro et argento theca repositionis suæ, ad ecclesiam S. Petri translatus, et inter ceteros locatus est cum digna reverentia et honore, nomine etiam, cujus ignorantia monachi tristabantur, notificato, hujusmodi Divina dispositione.

9 Presbyter namque prædictus, dum a parochianis suis onustus pecunia illuc rediit, ubi tantum gaudium dimiserat, nihil invenit, præter dolorem et gemitum. Quem enim suis lugentibus instabat vendere, audit Corbeiensibus gratis a Christo datum esse. Cum aliquamdiu inops consilii mansisset, nihilominus Abbatem adire vult, et reliquias reposcit. Abbas vero, Cujus, inquit, reliquias requiris? At ille, S. Præcordii Confessoris, quas de domo hospitis mei Serani tulistis. Abbas exultans de audito Sancti nomine, Non ego, ait, tuli a te; sed mihi Deus eum misit gratia dignationis suæ. Tum Presbyter, Heu, inquit, quam cito amisi, pro quo maris periculo me commisi. Miser quid faciam? Cur tanti Patroni amisi gratiam? Non es, ait Abbas, privandus mercede: reddet enim tibi qui te voluit esse ministrum translationis suæ; modo B quoque a nobis non immuneratus abibis. Ita donatus ab Abbate competenti pecunia, tristis et lugens rediit ad sua, jurejurando obtestans, quod sicut ab Anglica terra eum rapuit, ita raperet a Corbeia, si anno integro adviveret: sed Deo permittente, eodem anno defunctus est. Ita Corbeienses de Præcordio suo adhuc exultant: cujus præcordialis amor conciliet nos Deo deorum, qui vivit et regnat in secula seculorum.

*frustra eas repetit Tilbaldus immunerus,*

*benedique moritur*

10 Postquam igitur S. Præcordius, quod sibi delegerat, suscepit Corbeiensis ecclesiæ hospitium, et cum sancto martyre l Gentiano sortitus est locum; cœpit florere Corbeia multis miraculorum signis: et maxime postquam ad statuendam pacem m facta est collatio sanctarum reliquiarum Ambianis. Ibi enim notum fecit Deus, quam mirabilis sit in Sanctis suis, et quantis Sanctorum meritis præemineret Corbeiæ locus.

*facta ad eas miracula*

11 Denique non multum temporis processit spatium, et in omnem terram exeunte, Corbeiam undequaque confluunt quibuscumque erat cura corporis sui aut animæ. Inter quos Ambianensis quidam adducitur, ligatus super currum funibus et vinculis, et ante monasterium S. Joannis Evangelistæ ligatus ex curru deponitur, atque in monasterium ingredi a vi- C ginti fortissimis viris impellitur. Sed vanus erat labor eorum: multi enim erant cum illo, pessima scilicet legio dæmonum, quibus in corpore suo paraverat hospitium. Impellitur, et obstat: trahitur, et passum pedis non amplat: omnibus manat sudor, et ipse solus non laborat. Misera fortitudo, quæ nec D cibum, nec potum sumpserat mense integro. Solemnitas S. Præcordii erat ipsa nocte, vesperæ celebrabantur debita veneratione. Intererat Castellanus, et cum eo aliqua multitudo monachorum suorum. Qui ut vidit, Succurrite illis, (clamat ad suos milites) mirum enim video, unum vincere plures. Taliter objectis viribus multorum, obstantem et renitentem ducunt, imo trahunt, ea scilicet hora qua Chorus cantabat S. Præcordii responsorium. Cum pervenissent ante altare, velit nolit, cogunt eum in terra procumbere, et pedibus superpositis quasi dæmonem, non hominem, conculcarent, miserum monebant Deum et Sanctos orare. Cum aliquamdiu sic jacuisset sub pedibus virorum, antequam finiisset Chorus responsorium, non immunis ab ipsa oratione psallentium, ut candela sibi daretur, obsecrabat fratrem suum. Statim a viris erigitur, candela ipsi defertur, ad feretrum S. Præcordii ducitur, et candela superposita ex manu ejus, subter feretrum collocatur. Ipse post paullulum obdormivit, ac postea evigilans, cibum, quem a mense non sumpserat, requisivit. Curritur in refectorium, defertur ei panis et vinum. Manducavit et bibit, et aliquantulum cibo relevatus iterum obdormivit. Felix somnus, in quo dormiente E illo, vigilavit per Christum S. Præcordius. Tota denique ipsius celebritatis nocte cum dormisset subtus feretrum, in crastino tandem a somno corporis et mentis se excutiens, ante omnes sanus et sanæ mentis adstitit, et gratias referens Deo, S. Præcordio et reliquis Sanctis, ut solveretur, rogavit. Solvitur corpore, quem Deus solverat mente, et testis ad omnes astabat erroris et infirmitatis suæ, etiam lingua non silens laudes divinas. Cum rediisset Ambianum, diffunditur fama tantæ virtutis: ad requirendum S. Præcordium funditur maxima pars populi totius civitatis. Laudatur Deus in opere tanto, mirabilis in Sancto suo.

*energumenus in ad eas introducto,*

*liberatur.*

a *Colgan.* amplianda illa terrarum tanta provisio.
b *Hunc, ut alios SS. Scotos, Hibernum fuisse pronunciat Colganus, non probat.*
c *MS. Habebat*: cui etiam cuique profecto est carissimus, ubi cumque erat Dei sacrificium. *Colg.* qui etiam cuique profecto erat carissimus, ubicumque erat Dei sacrificium.
d *Annotat hic vir Belfort.* Nunc plane istud apparet: nam Sacramentum nostro isto tempore Valdenses possederunt, qui haud dubie S. Præcordii corpori minime pepercissent.
e *Colg.* Hominum *non recte*. f *Idem* inventum agnovit.
g *Idem perperam* Verus. h *Idem*, excierent, *non placet*.
i *In procl. ad miracula S. Adelardi* 1 *Januar. nu.* 1. Tres enim in ea principales habentur ecclesiæ, in quibus cuncta fidelium sanctæ Trinitatis confessio bene possit uniri: primo Petrum præfert piscatorem, secunda piscatis Evangelistam Joannem, tertia evangelizantis Stephanum Protomartyrem. F
k *Colgan.* non segnis. l *De S. Gentiano* 11 *Dec.*
m *De hac eam plura habes in Miraculis S. Adelardi* 1 *Januar. cap.* 3 *nu.* 15 *et seqq.*

# DE S. TUIANO ABBATE

## IN BRITANNIA ARMORICA.

*A. B.*

1 Febr.

Corisopitensis Ecclesiæ in Britannia Armorica antiquum Breviarium typis excusum, 1 *Febr.* post tres Lectiones de S. Ignatio, et memoriam de S. Brigida *ista subdit*: Eodem die de S. Tuiano Abbate, de communi unius Confessoris, non Episcopi. *Nihil de eo aliud a nobis observatum. Inciderat dubitare num fortassis* S. Tudinus, S. Winwaloei sodalis, S. Corentini *discipulus is foret*: *verum hic in eodem Breviario in Vita S. Corentini diserte* Tudinus, non Tuianus *appellatur.*

# DE S. PICTO EPISCOPO.

*A. B.*

1 Ianu.

Pictum *Martyrem ex plurium Martyrologiorum veterum fide retulimus* IX *Januarii. De hoc, unicum vetus Romanum, sive S. Hieronymi,* 1 *Febr.* Et depositio Picti Episcopi. *Ignotus is nobis. Quem cum Baronius to.* 9 *Annal. ad an.* 721, *nu.* 5, *ait subscripsisse synodo Romanæ*: Pictum Episcopum Scotiæ, *is to.* 3 *Concilior. appellatur* Fergustus Episcopus Scotiæ Pictus, *ita ut* Pictus *gentile sit, non proprium viri nomen. Et recentior est, quam ut Hieronymiano Martyrologio videatur a S. Willebrordo adscribi potuisse. Dempsterus hist. Eccles. Scotor.* 16, *nu.* 533 *constare ait* Episcopum Pictorum *fuisse. Antiquior noster hic; cujus tamen sedis, aut etiam gentis, fuerit Episcopus, haud scimus.*

*S. Pictus Episcopus ignotus.*

DE

A D

# DE S. SORO EREMITA
## APUD PETROCORIOS IN GALLIA.

SECULO VI.
I FEBR.

S. Sori natalis. Natalem S. Sori *ita in Martyrol. Gallicano Kalendis Februar. consignavit Andreas Saussaius* : Ipso die, Lemovicis commemoratio S. Sori Confessoris admiranda humilitate, continentia, aliisque præclaris sanctæ conversationis dotibus illustris. *In Breviario Lemovicensi præscribitur hoc die festum* S. Ignatii, *peragendum, ut in Romano, ritu semiduplici, cum commemoratione* S. Sori.

Vita. 2 *Hujus Vitam nobis Lutetia transmisit Andreas Chesnæus, Regis Christianissimi Cosmographus, descriptum e vetusto Bibliothecæ Thuanæ codice, cui titulus* Historia Ecclesiastica, *adscriptus ante Præfationem* sæc. 10. *erat hic versus* :

Arvernis genuit, quem præsens pagina pandit.

quando scripta? *Auctor diu post ejus obitum vixit, ut patet ex præfat.* Satius tamen ducimus dicere vel exiliter, quæ novimus, quam cum his qui per tot tempora, jam jamque transacta, beati viri destiterunt adscribere gesta *etc. ac nu.* 16 *citat Gesta Francorum, nu.* 9 *se majorum* relatu didicisse, *quæ narrat, scribit. At nu.* 12 *videtur aliqua alia ejus gesta habuisse, ut cum,* Ut ex ipsius B patet gestis, *quod de S.* Guntramni *gestis non potest accipi in quibus illud non habetur, nisi aliqua sint scripta, quæ nondum lucem aspexerunt.*

Ætas. 3 *Quo tempore vixerit, licet ex* S. Guntramni *ætate* Sanctique Aredii *colligere. Hæc anno Christi* DXCI *decessit, ut patet e S. Gregorio Turon. lib.* 10 *cap.* 29 Guntramnus *biennio post*, DXCIII, XXVIII *Martii. Quo anno e vivis migrarit* S. Sorus, *nusquam indicatum legimus.*

## VITA AUCTORE ANONYMO

*ex MS. bibliothecæ Thuanæ, eruta ab Andrea Chesnæo.*

### PRÆFATIO AUCTORIS.

Constat veterum fuisse morem, ut sui temporis viros per scripturarum suarum monumenta posteritati commendarent, eorumque dicta memoratu digna vel facta, aut litteris traderent, aut picturæ committe- C rent; aut certe ære seu marmore laborioso, spectabili opere, effigiarent : id studii habentes, ut quæque ad sui notitiam vel utilium conditu digna, vel æstimarentur imitanda, ea ad successorum suorum producerentur notitiam; quatenus nec suo tempori indevoti, nec posteritati apparerent inofficiosi. En miror, cur tantum attendamus priorum incassum functum laborem. Nobis quidem a Salvatore promittitur, nec calicem aquæ frigidæ fratri porrectum perdendum. Matth. 10. 42. Fortium Christi militum facta cur silentii carcere premenda committimus? Ea vero præsenti ac succe- Acta SS. scribenda. denti ætati profutura schedulis saltem vilibus tradamus, ac mediocri stylo chartulis pro posse mandemus. Accedit ad hoc, quo et animo incitamur, ne cum torpenti servo damna patiamur dispendii pro retenta pecunia domini. Unum enim e pluribus Christi fortissimis bellatoribus Dominus suæ Ecclesiæ attribuit, Soro nomine, cujus inclytam vitam multorum Auctor tenuitatem suam excusat. utilitati profuturam ordiri adgredimur. Et quanquam tanto operi existamus impares, utpote quibus et pertenuis adest facundia, et ingenii perangusta copia, satius tamen ducimus dicere vel exiliter quæ novimus, quam cum his qui per tot tempora, jamjamque transacta, beati viri destiterunt adscribere gesta, tenacitate muti silentii solvere quoquo modo pœnas. Et hoc ut fiat, dat etiam Dominus ausum loquendi, qui jubet aperire ora, et ne elinguia remaneant Spiritus sui gratia promittit implenda. Ipse ergo nobis orandus est ut qui servi sui adjutor extitit ad bona peragenda, quæ præcepit, sit nobis in adjutorium ad ea narranda quæ per servum suum misericorditer gessit. Hæc igitur excusabilibus verbis dicta sufficiant. Nunc ad narrationem veniendum est, quia et valde stultum est in præfatione effluere, in ipsa vero historia succingi.

### CAPUT I.

*S. Sori ortus, seculi fuga.*

Hic igitur sanctus vir Sorus territorio ortus Arvernico, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, Divinis tamen legibus, et orthodoxæ fidei deditis, altus est. Quibus Dominus tantæ gratiæ munus conferre dignatus est, ut eis inter præcipuos suorum adfines sobolem Deo dicatam, et ab ubere omnipotenti Deo consecratam gignerent. Natus itaque B. Sorus, Christiana lege edoctus, nutritus in Sorus pius adolescens. fide Catholica, ævum infantiæ gerebat cum industria. Exin adolescentiæ annos ingressus, totusque mirum E in modum in Dei opere conversus, meditabatur jam in ætate juvenili, quod postea devotus implevit. Nullis itaque nævis pectus fuscari contendens, jam non tardus, neque surdus auditor Evangelii, Divini executor mandati, Si quis vult post me venire, abneget Matth. 16. 24 et 19. 27. semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me : ut cum Petro Domino dicere posset Apostolo , Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; confestim ut libera usus est ætate, dictu citius pedem extulit, rumpensque moras, junctis sibi duobus commilitonibus ejusdem viæ, ejusdemque amoris sociis, *a* Amando *a* atque *b* Cypriano, relicta patria parentibusque, Ar- *b* vernicum excedens solum, Dominici exsecutor edicti, Dimitte, inquit, omnia quæ habes, et habebis thesaurum in cœlo et veni, sequere me; Petrogoricum cum 2 sociis abit in desertum. Marc. 10. 21. ingressi pagum, una mente parique consensu eremiticam adgressi sunt ducere vitam.

3 Aliquamdiu igitur pariter commorati, uti sese Multi ad se confluentes instruunt : talium opinio habet, ad famam Sanctorum corpore confluere quamplurimi, alii imitationis gratia, alii audiendi, pariterque videndi, quæ gerebantur. At hi nequaquam obliti priorum propositi, dum aliquamdiu F fatigationem patiuntur undique confluentium, quod dente discretionis interius ruminabant, adinvicem conqueruntur, frustra se deseruisse sua, si talibus implicarentur negotiis, et retrogradis aratro terram sulcantes vestigiis infigerent culta juvencorum. Castigabant itaque corporis sensus a sinistris affectibus, et studebant venustare mentem sacrorum actuum exhibitionibus. Studioque illis erat et opere sese reddere con- munere in spicuos et sermonibus salsos. Eratque in eorum operibus intuentium admiratio, atque in eorum sermone audientium oblectatio. Reddebat namque eos castitas floridos, fides invictos, mentis puritas simplices, splendor vitæ laudabiles. Eratque illis humilitas, non in modo solum verborum, vel habitu, sed omnis eorum actus ita erat conditus, ut quisquis eos aspiceret quasi penna spiritali eos virtute Divina pictos putaret.

4 Interea devotissimi Christi famuli nimio in Domini flagrantes amore, nec satis sic suo fieri cernentes desiderio, remotius sibi habitaculum inquirendum judicarunt : ad quod non eos fluctivaga incitabat levitas, sed Domini larga voluntas, et inexplebilis Christo placendi pia cupiditas. Itaque cernens beatus vir Sorus ulterius secedunt. confluentium inibi anxietatem, sciens quia in tumultu hominum sæpe deesse contingit conventum Angelorum, ingentique desiderio anachoresis stimulatus, evocat quam citius socios, allocutusque eos, indicat

desiderium

A desiderium mente conceptum, simulque hortatur singulos sigillatim deinceps degere debere anachoretas. Nec mora, dictu citius animati beati viri Amandus, et Cyprianus, sanctusque Sorus, iter arripiunt, quo Domini eos pietas et velle duxerit.

*VICTORE ANONYMO, EX MSS. seorsim vicinum.*

5 Dumque sanctis sermonibus pia refovent corda, inter eundum deveniunt ad quemdam locum, vocabulo, ut ita dixerim, quia ita necesse est, parum Latino utamur verbo, Petras-erectas; ibique gressum figentes, paullisper subsistunt. Conciteque tam lassitudine cogente, quamque Deo disponente, socii profundo somno obdormiunt. At beatus vir Sorus ubi eos obdormisse conspexit, percitus gradum extulit, atque huc illucque peragrans, sicubi aptum sibi reperisset locum, sollicite perscrutari cœpit. Et subito dum curiosus loca quæque pererrat inter opaca nemorum, et lustrans abditissima ferarum, obvium se ejus conspectibus aptissimus tulit locus, quique tam secretus tamque habilis sancto sese contulit viro, ut nemo mortalium habitandi gratia, seu divertendi caussa, prius ibidem accesserit. Qui, sicut perspicue patet, Dei nutu illi erat destinatus. Rupis namque desuper eminens præbebat obsequium, propter quam fons vivaci vena rivulum evomens, amœna loci illius partim irrigabat, ceterum planiciem c Visera fluvius ab undoso satis recluserat sinu. Quibus vir beatus conspectis, inæstimabili suffusus gaudio, in terram se protinus dedit, et misericordiæ Domini, tamquam qui hæc sibi præparaverit, gratias reddidit, totis supplicans nisibus, ut qui locum præparaverat, fructus quoque operis cœlestis sibi ibidem agere sineret. Moxque pede percito ad socios regressus, ita eos sopore reperit fessos, ut nemo illorum nec quando vir Dei abscesserit, nec quando quidem regressus fuerit, omnimodo cognoverit. Tuncque summa dissimulatione eos latere volens, e latere se contulit, ac paullisper quievit.

*sociis dormientibus, antrum rupeum speculatur Sorus.*

B

6 Transacto itaque fere duarum horarum spatio, abscedente pigritiæ somno, excussis palpebris concite expergefiunt. Initoque consilio inter dulcia patriæ cœlestis colloquia semet hortantes, diu multumque inter dulces lacrymas amaraque suspiria, cum diu luctati ab invicem, caritate et nimiis amoris amplexibus intervenientibus divelli non possent, (quippe unus erat spiritus et cor unum in Domino) tandem vir beatus altioris ingenii, verens ne in ipsis amoris vinculis fraus inimici quiddam operaretur sui; scilicet ne si diutius pariter morarentur, concepta dudum conamina impedirentur, simulque quia jam ardebat C animus visa repetere, et cœpta non deserere, ait Fratribus: O, inquit, carissimis et cunctis mortalibus mihi præferendi, dum quæ mente concepimus, celerius, quæso, exsequamur, ne dum simul degimus, Apostoli dictum incurramus: Impedimenta, inquit, mundi fecerunt eos miseros, sed potius laboris atque sudoris jam bene educti fraterna ex acie iter arripiamus, et sola manu vel brachio contra potestates aeris hujus, ceu palæstrici d agonothetæ, oleo perunctis paternæ traditionis, jamjamque intrepidi aggrediamur. Et quia quos caritas jungit, emensio terrarum non separat, ut caritas dilectionis, juxta Apostolum, semper maneat in nobis, pro ejus dem caritatis dulcedine aliquid e eulogiarum pariter sumamus. At cum nec panis in promptu, nec aliud quid, unde id fieri posset, requisitum inveniretur, conspecto eminus beatus vir Sorus, particulam adipis suilli, quod vulgo lardum dicitur, improvise reperit. Quam particulatim partiens, singulas singulis sacris pro benedictione particulas reclusit in pugnis.

*ab invicem divellendis. Hebr. 13. 1. eulogiam loco lardum largitur.*

7 Dies erant sanctæ Quadragesimæ. Hoc peracto, continuo ab invicem discessum est, et unus ex pedissequis, qui tum inibi confluxerant, quasi pro reverentia sacrorum dierum, dum invictæ caritatis indiscrete perpendit vim, portionem, quam a Sancto D acceperat sumendam, latenter in sinu præripuit, quæ statim in colubrum versa est, totumque ejus corpus gyris suorum circumdedit anfractuum. Sanctus fortuitu jam Sorus discesserat, et iter ad antrum paullo ante repertum pedetentim regressurus, sociis abscedentibus, pedem extulerat. Et ecce miser pavitans, post tergum Sancti accurrens, clamat se dignis inobedientiæ et caritatis non habitæ pœnis affici. Quem beatus vir miseratus, paullulum gressum figit, miserumque præstolatur. At ille pronus totum se in terram dedit, confitens impudentiæ suæ negligentiam habitam, multumque deplorans veniam et vitam consequi, cui mors e vicino erat incursans. Sanctus autem protinus edito crucis signo, inimicum humani generis, amicam sibi bestiam ingressum per fratris inobedientiam, ceu quondam in primo parente, Domini Salvatoris usus exemplo, confestim expulit, et in benedictionem pristinam, fugata maledictione convertit; fratremque monuit, caritatem semper habendam, semperque servandam, quia hæc est quæ operit multitudinem peccatorum. Fugato itaque serpente, in statum priorem oblationem reformatam sanctus vir benedixit, eique sumendam tradidit. Qua sumpta et grates innumeras redditas, is qui venerat E frater recessit.

*sprela caritate, recusans vertitur in colubrum, sed in priorem formam restituit Sorus.*

a Hic esse videtur S. Amandus, vel Amantius, cujus in vita S. Juniani, ejus discipuli, 16 Octob. mentio fit. Not. 11

b Colitur S. Cyprianus 10 9 Decembr. Meminit ejus S. Greg. Turonen. de Miraculis Confess. cap. 101. Quatuor illius nominis Sancti eo tractu coluntur: S. Cyprianus Ep. Carthagin. M. cujus reliquiæ Moissiacum aliatæ, quæ urbs Cadurcorum est in ipso Languedociæ limite, ad Tarnem fluvium, haud longe ab eo loco ubi hic Garumnæ miscetur. Alter est S. Cyprianus Nicomediæ cum Justina... martyrio coronatus, a quo suburbium Tolosanum nomen S. Cypriani, sive S. Subrani accepit, quod isthic ejus ac S. Justinæ reliquiæ aliquæ in S. Nicolai æde asservantur. Tertius itidem Martyr cum S. Savino colitur prope Pictavis in monasterio sui nominis. Quartus est hic sanctus Abbas, a quo forbassis nomen accepit S. Cypriani oppidum ad dextram Dordoniæ, sive Durann aut Duranoniæ amnis ripam, in Sarlatensi diœcesi, sive inferiori Petrocoriorum regione. *§ SS. Cypriani in Aquitania.*

c Alii Veseraci Veseris dicitur: oritur in Lemovicibus, atque ad Limolium Petrocoriorum oppidum Duranio excipitur.

d Agonistæ voluit dicere, sive pugiles. Nam Agonothetæ sunt munerarii, sive instructores certaminis.

e Simile fere factum memoratur 6 Janu. in Vita S. Melanii cap. 4 nu. 21 et 22 ubi Annot. g diximus eulogia non semper significare Eucharistiam, sed cibaria reste alias, in signum communionis et caritatis dari aut mitti solitas, præsertim ab Episcopis aliisve sacris hominibus. Item 4 Jan. in Vita S. Rigoberti cap. 2 nu. 7 Prævidisti quæ suas eulogias. Et paullo post de iisdem eulogiis agens: Episcopi benedictionem gratanter suscipiens 3 Jan. in Vita 1 S. Genovefæ cap. 3 nu. 11. Ecce eulogias illi a S. Germano directas 12 Jan. in Regula S. Cæsarii § 4 nu. 25. Si aliquam transmittere voluerit eulogiam panis. Hic lardum datur pro eulogia. *Eulogia.*

## CAPUT II.

F

### *S. Sori solitaria vita, fiducia in Deum.*

Sanctus vero Dei interius vaste patentes solitudines adiit, atque in eo, ut prædictum est, loco, arctissimo se specu tradidit: ibique diebus ac noctibus perpetuans, ut cum Psalmista dicere posset, Factus sum sicut passer solitarius in tecto, pene per XL annos mirabili atque inmutabili vita vixit, cui nihil aliud quam Christus vivere erat, et mori lucrum. Pallebant ora jejuniis, et mens aerius cœlestia meditabatur, sciens quia bona est oratio cum jejunio. Fiebatque vita ejus speculum imitari volentibus, et cunctis audientibus avidus: et quod difficile est, et facile loquebatur, et pure. Cibus autem ejus, panis arctus et aqua brevis erat, ut vox ejus Psalmistæ concineret dicenti: Potum meum cum fletu temperabam. Et cum Ezechiel, Panem, inquit, meum in festinatione comedebam, et aquam meam in conturbatione bibebam. Operabatur tantum unde arduum haberet victum, sciens quia qui non operatur non manducet. Et cum opere orationi vacabat, ut Scripturæ vita ejus congrueret dicenti. Levate corda vestra cum manibus

*Ps. 101. 8. austere vivit, Ibid. 10. Ezech. 12. 18. operans manibus,*

A manibus ad Deum : Et cum Job, Ego, inquit, deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum, qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero. In primis cellulam sibi lento vimine construxit, ne incursus obviantium ferarum, quæ ibi satis abundeque confluebant, incurreret, ut de ipso dici posset : Quoniam bestiæ agri pacificæ erunt tibi. Postea vero cum jam diu delitescere nequiret, et fama ejus circumquaque ferretur, verens hominum confluentium conventum, arctius sibi interius inter rimulas rupis in modum fornicis exiguæ *a* specu construxit, in qua nisi incurvus stare non posset : in qua etiam sedile instar subsellii composuit, ac e regione capitis in circuitu clavos infixit, ut si quando lassitudine cogente inter sedendum somnum obriperet, defluenti quaquaversum capiti inliso, citius somno excitus, ad nota confugeret præsidia orationis, ne aliquibus inimici falleretur insidiis. Fecerat etiam ostiolum ante specu, quod numquam, nisi quando orationis gratia noctibus egrediebatur, cuiquam patebat. Juxta quod foramen perexiguum in modum fenestræ oblique composuit.

*Thre. 3. 41. Job 5. 8. et 23. in arcta specu. a somnolentiam apte vincens*

9 Jam vero cumque plurimi ad ejus magisterium festinarent, cavens, et secum multa volvens, utrumnam melius esset solitam solummodo vitam ducere, an verbi pabulum undique confluentibus præbere, ut quod jamdiu solus exercuerat multorum profectibus militaret; ante ipsam cellulam altare subposuit, ibique sacri Ordinis Sacerdotem delegit, quatenus convenientibus, et sacri sermone verbi, et divini officio mysterii populis percepto, quasi duplicatum de negotio beatus vir lucrum referret. Uti autem majorum relatu didicimus, ipse per insertam quam diximus, cellulæ fenestram Sacerdoti sacra mysteria celebranti, quod sibi in munere a quibusque largitum esset, proferre solitus erat. Unde, quia ita necesse erat, sanctus vir ministros in usus congruos habebat, ex quibus unus dicebatur Principius, alter vero Bonitus, qui, sicut cunctis est viventibus consuetudinis, victum abunde requirebant et vestitum.

*turbas instruit* B *discipulos admittit.*

10 Accedit ergo ut dies instaret Dominicus *b* sanctæ Quadragesimæ, cum, sicut omnibus ipsa dies in cibo potuque est infestior diebus, famuli viri Dei graviter secum conqueri cœperunt, non superesse quicquam unde eadem die jucundius ac salubrius transigerent, cunctis in circuitu parantibus esui quæ essent congrua. Eos autem vir beatus leniter compescuit, ac, sicut semper, caritatis et fidei monitis instruxit, et ut spe firma consisterent sollicite admonuit. Potens est, inquit, filioli, manus Domini etiam in hac, qua degimus, eremo servis suis præbere cibum, qui quinque millia viros in deserti regione paucis refecit e panibus. Numquid non recordamini, quid Psalmista de murmure populi in deserto mussitantis pro penuria carnis dicit? Adhuc, inquit, esca eorum erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Et Apostolus, Neque murmuraveritis, inquit, sicut quidam eorum murmuraverunt, et a serpentibus perierunt. His et talibus salutaribus eos reficiens verbis, ipse orationi incumbit, de Dei fisus larga pietate dicentis : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, Transi hinc, et fiet. Et ecce extemplo Sancto orationi intento, cervus magnitudinis saltum egressus, atque ex supercilio montis saltum emittens, ante Beati cellulam fractis torosis cervicibus corruit, atque exanimis effectus, nec vocis mugitum dedit. Confestim itaque puer Sancti cursu concito nuntiat Patri munus a Deo collatum, atque quid exinde fieri juberet edoceret. Tum vero Sanctus tota ad Dominum mente conversus, ingeminat laudes, qui numquam derelinquit sperantes in se : simulque famulos increpitans, fidei deinceps inmitendum, et in prosperis et in adversis præsentem semper de se præsentibus adesse Deum. Vocato itaque uno e *c* paresitis, jubet diligenter a bestia pellem detrahere, sibique in usum indumenti præparari, in monumento ponens, ut et ipse fidelem retributorem laudibus attolleret, et intuentium animos fide plenissima roboraret, ut numquam deinceps cordibus eorum torpor diffidentiæ insisteret. Quo indumento, quousque in corpore mansit, usus est : sub quo etiam catenam collo a pectore ita indidit, ut nec obtutibus pateret intuentium, et maneret intrinsecus sancta conscientia occultum. Exin carnes supradictæ belluæ orphanis et viduis partiendo distribuit, suis quantum necesse esset ad victum diurnum retento.

*b quos de cibo sollicitos* C *Ps. 77. 30. 1 Cor. 10. 10. fiduciam docet Matth. 17. 19. cervo precibus oblato,* D *AUCTORE ANONYMO. EX MSS. c cujus pelle vestitur subtus catena*

a Speca *pro* specus *positum*

b *An Dominica jam finitæ sanctæ Quadragesimæ, sive Paschæ induatur? Nam ipsis monachis in Gallia, juxta Canonem 17 Concilii Turonensis II, anno Chariberti et Guathramni 6 Chr. 566 aut sequente habiti,* a Pascha usque Quinquagesimam, *id est, Pentecosten* exceptis Rogationibus, *nullum erat jejunium. An vero Dominica hæc erat instantis sanctæ Quadragesimæ, quæ nunc* Quinquagesima *dicitur? Plus enim tum indulgeri potuit, cum alioquin ab* Epiphania ad Quadragesimam ter in septimana a monachis jejunaretur, *ut in prædicto Canone præscribitur. An denique cum juxta Canonem II Concilii Aurelianensis IV anno 541 habiti, solveretur Dominicis diebus per Quadragesimam jejunium, qui etiamnum mos obtinet, ita licitum fuit carnibus vesci?*

c Paresitus *pro lanione, haud alibi, quod sciamus, usurpatum.*

## CAPUT III. E

### *S. Guntramnus Rex a lepra mundatus per S. Sorum.*

Itaque sancto viro magis magisque in virtutibus succrescente, cœpit longe lateque fama ejus respergi. Cœpit namque maximis elucere signis, cæcis visum reddere, surdis auditum præstare, mutis vocem reformare, cunctisque languidis ad se concurrentibus medicinæ remedia præstare. Et quia tempus non sinit, et fastidium lectorum pariterque auditorum cavemus, pauca de pluribus perstringamus. Interea dum sanctus vir orationibus, jejuniis vigiliisque perseverat, pergit Dominus glorificari in Sanctum suum, nec patitur abdito celari modio tantam claritatis accensam lucernam, quam supra sanctæ Ecclesiæ candelabrum decreverat præponendam.

*claescit miraculis.*

12 Igitur, ut ex ipsius patet *a* gestis, hic Beatus temporibus extitit *b* Gontranni quondam potentissimi ac sanctissimi Regis; qui sanctis deditus operibus, ut in fine claruit, etsi aliquo infectus nævo, purgari meruit *c* elephantiaco percussus morbo. Denique hoc, ut diximus, dum diu laboraret talo, monetur per Angelum in sopore noctis, Beatum expetere Sorum morantem territorio Aquitanorum, et Petrogoricæ pago, ipsumque suæ salutis fore auctorem : illique a Deo collatum, pristinam Regi conferendam mentis ac corporis sospitatem : sibique nihil salutis superesse, nisi ad Dei hominem quantocyus properaret. Qua Rex admonitione sollicitus nimiumque recuperandæ sanitatis cupidus, jubet ocyus præparari qualiter negotium expleret cunctus. Et, uti dignum erat Regiæ clientelæ, parantur quæ tanto erant itineri congrua, quatenus apparatus copiosus et Regiæ sufficientiæ non deesset, et quod viro Dei in munere deferret omnimodis abundaret. Itaque emenso tanto terrarum spatio, devenitur ad locum, vocabulo Criacom, duobus fere millibus a beati viri cellula semotum. Tum subrectis palpebris, reductisque eminus oculis, totus præ gaudio exultans, jubilum mentis extulit. Nam despumanti, et, ut ita dixerim, aurato perciitus desiliens equo, terræ pronus decubat, palmisque ac genibus reptans, ad speculum usque beati viri, non tam declivis, quam devotus, et spe nimia credulus devenit. Tua sunt hæc, Christe, miracula, tua magnificentiæ opera, cui sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod sævit. Ecce etenim Rex præpotens,

*a b c* F *Guntramnus R. leprosus, Angeli monitu, cum adit per 2 millia passuum adrepit.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A potens, ac dudum tremendus, cujus Duces inclyti, Tyranni etiam superbo sanguine creti, vestigia lambere erant cum gaudio timoris soliti, Pauperis tui, cui cum bestiis feris commune erat tam degendi gravitas quamque et victus unitas, a cunctis longius remoto mortalibus, præposterato ordine, januis humilis recubat, et benedici ab eo expostulat, quem hactenus in tota sua vita nec ipso nomine noverat. Tibi laus, tibi gratiarum actio, qui ponis humiles in sublimi, et mœrentes erigis sospitate. Qui suscitas de pulvere egenum, et de stercore elevas pauperem.

Ps. 118, 25.

13 Igitur, ut dicere cœperam, Rex solo decubat, ac totis nisibus cum collega David proclamat: Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum. Jubet utique sanctus vir Regem surgere concite, ac caussam tanti itineris tantique sudoris, licet bene sciolus, percunctatur, et quis se in illa humili specu indicaverit, inquirit. Responsum refert, Angelicam admonitionem indicat: secum non leviter actum, ut ipse veniret, tanti morbi fessum gravedine in prospectu haberi, nec necesse requiri quid quæreret, quidve postularet. Confestim itaque sanctus vir, cui solidissimum supra petram erat fidei fundamentum, aquam jubet afferri. Qua exorcizata,

*aqua benedicta perfusus, sanatur*

B Regem jubet perfundi. Et (o mira virtus) alter quodammodo Heliseus Naaman Syrum Jordanis unda respersum, Regem Francorum extemplo reddidit sanum. Aspiciens itaque Rex ad omnes maculas corporis sui, ita eas sanas reperit, ut nullius cicatricis vestigium penitus remansisset, et septennis quodammodo pueri gratia in cunctis membris ejus appareret. Exin igitur diu multumque in laudibus omnipotentis Dei, ejusque famuli Sori ora solvere, ac largitoris et remuneratoris sui munus præconis extulere.

14 Tum vir Dei vocato ad se suarum rerum œconomo, jubet citius Regium præparari convivium. Tempus erat, quo præcoquæ uvæ vesci solent. Denegat minister uspiam quicquam reperiri posse, sed neque in vineis circumquaque quicquam uvarum, unde id liquoris quiddam exprimeretur, inveniri valere. Tum ille, ut totus semper afflueb at in Domino, supplices oculos cœlorum aspectui dirigens, Eia, inquit, eia, numquid manus Domini invalida est? Vade ocyus, et in illa, quam nosti, parva vite tria, quæ repereris de palmite pendere, turgentia grana protinus defer. Obsequitur minister magistri edictis, et excusso pede defert quæ fuerat jussus, traditque Patri tria illa

C gemmea grana. At Sanctus tota Spiritum sanctum mente concipiens, Eia, eia, inquit, num manus Domini invalida est? Vade igitur, œconome, et penu omne scopa terens diligenter emunda, ac tres illas apothecas, quas rustici *d* tonnas vocant, diligentissime compone. Fecit ut fuerat jussus, conciteque ad Patrem regressus, indicat cuncta studiose perfecta. Accipe, inquit Sanctus, hæc tria, quæ clementia Domini contulit in vite grana, et ea in quas præparasti apothecas exprime citius. Aderit enim, credo, ille, qui in Cana Galileæ aquam fundere limpidissimam jussit in vinum. Statimque ut jussis Sancti minister obtemperans peregit quæ præceperat, exuberans unda subito replevit cellaria. Renuntiat minister opus patratum. Fit continuo eximium gaudium: attollitur favor Sancti cum laudibus Dei.

*S. Sorus ex 3 granis uvæ vinum imperti doliatim impetrat*

*d*

15 Tunc diligenter convivio edito, aliquamdiu inibi Rex commoratus, lustratis circumquaque loci illius finibus, orat suppliciter Sanctum, quo, si fieri posset, servorum Dei inibi construeretur xenodochium. Ad quod sanctus vir libentissime assensum præbuit, ac Rege impensas conferente copiosas, cum festinatione Sanctus Sorus opus arripuit, et cum diligentia consummavit, ac Domum *e* Scholam assidue militaturam coadunavit, et in honore sancti Martyris *f* Juliani ecclesiam consecravit. Supradictus itaque Rex, reditibus terræ abunde ad supplementum servorum Dei delegatis, et a servo Dei benedictionibus formatus, cum multo gaudio ad propria est regressus. Multis itaque Regis beatus vir astrictus precibus, quatenus ipse eodem loco per semetipsum præesset, cum ab amica nullatenus extrudi posset cella, verbis ad ultimum Regis victus, perpendens in his rebus multo magis augeri cumulum mercedis, maximeque Domini servo pro augmento lucro intendens, dicentis: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui; alacri mente ejus precibus adtentus cessit. Cujus corporalis præsentia quamplurimos secum traxit in Dei via.

*xenodochium tiens sumptu construit,*

*e*

*f*

D

*eique præest:* Matth. 25, 21 et 23.

16 Præfatus autem Rex Gontrannus, ut ex *g* Francorum Gestis perspicuum patet, eximiam agens deinceps vitam, animabus Christum desiderantibus semet expectabilem reddidit, atque inter bonorum actuum insignia, reperto Dei nutu copioso *h* thesauro, (quod qualiter factum sit, non est nostri temporis evolvere: beato viro Paulino ea narranda committimus). In urbe Cabillonica sancti Martyris *i* Marcelli mausoleum opere polymito, auro gemmisque miro construxit emblemate. Quo in loco ipse postmodum magnis cluens meritis sepultus est; atque, ut ex ejus retexitur gestis, Rex fortis felix vernat in gloria.

*g*

*h*

*S. Marcelli M. cœnobium a Guntramno ædificatum,*

*i*

E

a *Alia igitur* S. Sori *gesta extabant, cum scripta est hæc Vita.*

b *De* S. Gontranno *Rege agemus* 28 *Martii. Non uno nævo vita ejus inquinata fuit: in his ex pellice filius, uxore repudiata, sed adhuc superstite, alia ducta, fœdera cum fratrum altero in alterius perniciem inita, rupta, denuo repetita, Recaredi Regis pacem petentis spreta sæpius legatio, missus iterato in ejus ditionem exercitus etc. Sed majoribus hæc scelera compensata virtutibus, reverentia erga Sacerdotes, munificentia erga Ecclesias, largitate in pauperes, abrogatione impiarum legum a fratre Chilperico latarum, ne Ecclesiæ hæredes instituerentur etc.*

virtutes.

c *De hoc pii Regis morbo nihil in historiis Francorum legimus. At non omnia scribuntur a singulis.*

d *Etiamnum Belgis ac Germanis* tonne *vas aquæ, vini, cerevisiæ, aut rei similis. Aliis etiam scriptoribus usitata vox* tonna, *aut* tunna, *ut videre est apud Vossium lib.* 2 *de vitiis sermonis cap.* 18.

Tonna.

e *Alludit ad* Scholas *militares, sive ordines et contubernia militantium, de quibus S. Ambrosius in epist.* 1 *ad Cor. cap.* 12 *sub initium:* Scholæ enim sunt, quæ positæ in se dant dignitatem, ut loci honor hominem faciat gloriosum, non propria laus. *Tertullianus in Apolog. ad bestias amphitheatrali pugnæ destinatas transtulit cap.* 35. Testis est Tiberis, et schola bestiorum. *Nicol. Rigaltius exponit metaphoram, quod feræ in circum e cavea emittantur a manerariis velut ludimagistris. Ad legendum fortassis* bestiariorum *qui pugnaturi ad bestias velut erudiuntur, continentur certe in ferali funestoque collegio. Ut igitur Theodoretus religiosæ histor. cap.* 26 *cœnobium* ἀσκητικὴν παλαίστραν, *exercitatorium palæstram appellavit, ita hic Auctor* Deo militaturam Scholam.

Schola militaris.

f *Celebris hic tota Gallia Martyr, de quo* 28 *Aug.*

F

g *De hoc cœnobio Chronicon Fredegarii.* Anno igitur XXIV regni sui *(id est, ut infra ad S. Sigeberti Regis Vitam dicemus, Christi* 584) Divino amore tactus, Ecclesiam B. Marcelli, ubi ipse pretiosus requiescit in corpore, quæ in suburbano quidem Cabillonense, sed tamen in Segomum est territorio, mirifice et solerter ædificare jussit, ibique monachos congregans monasterium condidit, ipsamque Ecclesiam rebus plurimis ditavit.

h *Nisi intelligat Auctor ingentes* Mummoli *opes, quas Guntramnus* pauperum et Ecclesiarum necessitatibus tribuit, *teste Turonensi lib.* 8, *cap.* 3, *haud mihi occurrit, quis ille sit inventus ab eo thesaurus. Refert idem Turon. lib.* 5 *cap.* 20 *ingentem a Tiberio II Imp. repertum Narsetis thesaurum in mercedem eximiæ erga pauperes munificentiæ. An id auctor, fallente memoria, de Guntramno accepit, de quo præcedenti et sequenti capite agitur?*

i *Colitur* S. Marcellus *M. Cabillonensis* 4 *Septemb.*

A

## CAPUT IV.

### *Alia S. Sori miracula, obitus.*

*Feminarum conspectum fugit S. Sorus: Jerem. 9. 21.*

Sanctus autem vir Dei Sorus propositum beatæ mentis augere gliscens, dum quadam die orationi incumbens fortuitu forinsecus oculos extulisset, prospexit mulierem ultro se in fluvio Visera absque ullo rubore lavantem, nec nuditatem sui erubescentem. Unde vir sanctus satis superque erubuit; atque animo proposuit, se deinceps in hoc seculo mulierem non visurum. Nimirum e studio cavens illud propheticum: Intravit, inquit, mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras, interficit parvulos nostros. Nam fenestræ nostri corporis, oculi auresque constant, per quæ visu et auditu quæ concupiscimus attrahimus. Nos vero ad narrationem redeamus, compendio hoc tantum dictum, ne quis fortasse hæc legens, incautum adjectum exemplum putet.

*etiam matrē.*

18 Igitur vir sanctus in voto ponens continentiæ propositum non deseruit. Qua de re actum est, pia sollicitudine matrem beati viri eum invisere cupientem totis nisibus repugnare, sicque videndi se gratiam omnibus denegare. Cui mater jamjamque discessura, mœrens nimis et ejulans, quasi propheticum usurpans verbum, ait: Hic te, fili, videre non potui, B videbo te proculdubio in illa miseratione, quando tecum receptura sum pro justis studiis præmia repromissa. Sicque edito brevi elogio, discessit. Nec dubium, quin ejus verbum dignum fidei obtinuerit effectum. Dixit et abiit. Nos tamen credere decet, tantum fidei dictum non excessisse in cassum.

*a*

*munera accepit a S. Aredio Ab.*

19 Itaque beato viro magis magisque virtutibus clarescente, audiens B. Aredius tunc temporis Abbas, et veræ sophiæ operam dans, catervisque monachorum in *a* Atensi cœnobio, a se in sui juris fundo constructo, sacræ regulæ observantiam præbens, quod beatus vir Sorus monasterio constructo cum suis Deo omnipotenti vacaret, verbis consolatoriis epistolam perstringens, S. Soro direxit, atque in adjutorium ædificii ostium ei opere cornificio aptatum misit, pullosque columbarum consolationis gratia, aliasque domesticas aves, quas vulgo corniculas dicimus, transmisit, multa monens, Divinis insistendum rebus, fallacisque inimici præcavendum insidiis. At B. Sorus hæc cum gaudio excepit, ac pro munerum largitate plurimas gratiarum actiones reddidit.

*b*

*feminam velantem cellam excæcat.*

20 Inter hæc, quia exiguitatis nostræ sermo fessus finem postulat, ad incitandos animos legentium, C quantam vim etiam in rebus levioribus sanctus vir obtinebat, uno tantummodo propalandum exemplo censemus. Mulier quædam e vicino degens, ante ostiolum Sancti porticulam *b* scopare consueverat; cui vir Dei ob operis mercedem sæpe denarium conferre solitus erat. At cum, ut jam dictum est, votis Sancti inesset feminam non videndam, quadam die cum eadem, quam diximus, mulier opus consuetum perageret, metuens servus Dei ne aut egredienti e cellula aut ingredienti improvise mulier obviaret, comminans præcepit ne illuc ulterius redire tentaret; etsi parvi pendens verbum istud excederet, digna ut justum erat pœna multaretur. Quod illa verbum triste excepit, mœrensque domum rediit, at, ut post patuit, plus quia fraudabatur censu pecuniæ, quam amore solitæ obedientiæ. Regressa igitur domum, post triduum nihil pendens jussum Sancti, regressa est, Deique hominı se importuna ingerebat, anteque fores ejus nimiis clamoribus invalescebat, repetens ab eo quod solita erat recipere in lucro. Tum vir Domini graviter ferens, simulque reputans, nullis eam minis posse ab stultitia revocare, sputum ex sancto ore egerens oculo mulieris immersit. Quæ statim Divino nutu cæca effecta, domumque regressa, cunctos suæ domus municipes, ex una parte capitis, qua D et ipsa erat, reperit cæcos. Et, ut fertur, tam bestiæ quamque volucres in illa domo manentes hujusmodi cautione usque in hodiernum multatæ sunt: ut quia viri Dei excesserat verbum, tam illa quam omnis domus ejus atque cognatio, cunctaque supellex sentiret exitium imminens.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*contemnentem divinitus uno oculorum domesticis multare obiret:*

21 Beatus autem vir Sorus omnium odoribus virtutum refertus, vernabat Christo devotus. Roboratur namque in eo naturalis infirmitas carnis ardore intimo caritatis: imbecillitatemque corporalium virium sublabatur copia spiritalium charismatum, simulque illud Apostolicum hortamentum: Non sunt, inquit, condignæ hujus seculi passiones ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. 18. Itemque quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, Act. 14. 21. et quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. 1. Cor. 2. 9. Hæc atque alia sacræ Scripturæ documenta, tamquam sal spiritale, fluxa mundi gaudia ab eo exsiccabant, et ad semper mansura cor illius ignibant. Hæc illius exercitatio, hæc continua contra diabolum extitit decertatio, donec tandem post laboris cursum, operis peracti a Domino repræsentata est remuneratio. Dum his atque hujusmodi agonibus E decertaret, agminibusque monasticis undequaque ad se confluentibus, æmulamina suarum virtutum invictissima relinqueret, finis cunctis mortalibus inevitabilis ostium corpusculi ejus cœpit pulsare, ut anima Deo dilecta, diutissimis revincta catenis, carceralibus tandem libera servitiis rumperet vincula carnis, et Regi suo occurreret, in gaudium ejus suscipienda læta.

*solatur suos labores verbis Scriptura*

22 Convocatis itaque Fratribus quadam die, indicat dissolutionem sui corporis imminere, seque velle jam dissolvi, et esse cum Christo. Exin igitur, nec mora, acri febri corpore prærepto, medullæ ejus igne geminio perurebantur, et sanguinis unda per membra singula siccabatur, spiritus tamen carnis in infirmitate vigore Divino fortior reddebatur, et ad Domini faciem deprecandam, quo celerrime soluto carnis vasculo liberaretur, magis ac magis accendebatur. Denique dissolutione jam vicina, cohortibus monachorum circum se adstantibus, et eventum rei præstolantibus, paullo post futuram eis suam prædixit dissolutionem, et ut possibilitas permisit, ut sui memores essent ammonuit.

*febri corripitur*

*obitum suum prædicit.*

23 Interea ad hæc cunctis attonitis, et finem rei præstolantibus, ecce subito Orientis tramite splendor nimius adveniens, totum illud replevit cubiculum, F ac eximii odoris nidor cunctorum replevit corda, patuitque in calce, qualis vir sanctus extitit in studio vitæ. Sicque valedixit Fratribus, et cælicum cælo spiritum collocandum tradidit. Ad cujus obitum adfuere præsentes sancti viri Amandus et Cyprianus, ut quibus unum fuerat vitæ studium, par fieret recompensatio et præmium. Jam vero eo migrato, quis explicet quantus fuerit circumadstantium luctus, quis pectoris anxii singultus? qualiter loqui volentibus, atque orare intentibus, media interrumpens verba locutionem interdixerit doloris magnitudo? Tandem autem inter dira suspiria et amaras lacrymas doloris modum non ponentes, corpori sacro funebria impendentes obsequia, loculum paraverunt cum magna diligentia, et in basilica quam ipse dudum in honore sancti Martyris Juliani construxerat, terræ mandare studuerunt devote.

*cælesti lumine et odore perfusus moritur*

*sepelitur a SS. Cypriano et Amando*

24 Quem locum Dominus noster Jesus Christus sæpissime, ad demonstrandum quem circa suum famulum habuerit favorem, mirandorum operum exhibitionibus consuevit nobilitare. Neque enim vel hujus operis sinit brevitas, vel stylo suppetit facilitas enarrandi, quot cæci post obitum ad illius sepul-

crum

A *cula. Sanxit post modum* XV *Octobris ejusdem anni* Antonius *Episcopus, ut* S. Agrippani *Translatio, quæ antehac* XXV *Octobris agebatur, deinceps* VI *Novembris celebraretur : quamquam neutro die in ullo, quod quidem viderimus, Martyrologio, ejus rei consignata memoria est. Citat Aniciense Gisseius. Recondita sunt sacra illa pignora intra idem saxeum monumentum. Caput solum, atque alterum brachium, seorsim habita, ut thecis argenteis includerentur.*

*Translationis anniversaria celebritas.*

# VITA

## *ex MS. collegii Podien. Soc. Jesu.*

*S. Agrippanus Hispanus, doctus.*

Cum igitur B. Agrippanus ex nobilissimis parentibus duxisset originem, et de Ispania oriundus fuisset, tamen liberalibus artibus imbutus esset. Cum autem in adolescentiæ ætatis pervenisset, a parentibus, eo quod unigenitus esset, utique matrimonio compellebatur. Et cum ad ejus notitiam pervenisset, inconsultis parentibus Romam perrexit, et in servitio Dei taliter se occupavit, quod in amore Papæ rapitur. Et sic B. Agrippanus gradum et dignitatem Præsulatus obtinuit, et a Summo Pontifice in Vallavensem Episcopum ibidem conse- B cratus fuit. Accepto nempe tanto dignitatis officio, toto posse pravitatem hæreticam *a* stirpare satagebat. Et cum gentibus et profanis diu decertasset, quædam nobilis mulier ad simulacra deorum populum convocabat. Dum autem videret se esse seductam, persuasit gentilibus et profanis, ut crudeli morte puniretur. Deinde cum eodem Christi Martyre in multis decertassent, nec prece nec pretio eum vincere possent, capitali sententia judicatus est. Hic vir Dei martyrium suum consummavit, et caput ejus in planum prosiliens, in fontem cecidit, ex qua quidem aqua justi baptizati sunt.

*nuptias vitans, Romam petit fit Ep. Velaunen.*

*o errores profligat*

*occiditur*

*præcisum caput fontem elicit.*

Stirpare

a Stirpare *est stirpitus evellere. Pro purgare usurpatum S. Ambrosio lib. 9, in Lucam, sect. 4.* Stirpare agrum solitus, *inquit,* ne sentibus gemma lædatur, ne luxuriet umbra foliorum.

# ALIA VITA.

## *ex Officio Ecclesiæ Podiensis.*

*S. Agrippanus pietati a puero deditus, nuptias fugit fit Episcopus*

Agrippanus ex Aniciensibus Episcopis, Martyr unicus, in Hispania natus, puer scholas frequentavit, ea ingenii felicitate, ut condiscipulos facile superaret. Ad cibum a magistro quæsitus, in C templo sæpius genibus flexis precabundus reperiebatur. Eum matrimonio dum parentes, quibus sola proles erat, implicare tentant, Romam clanculo petit. Romæ vir eruditus latere non potuit, quin viduata Pastore a Aniciensi Ecclesia ab ipso summo Pontifice Martino primo ad eam pastor mitteretur, ab eodem Pontifice Velaunorum Pontifex consecratus. Id temporis gentilitio ritu adhuc Velaunia sordebat, Arrianaque hæresis et *b* Helvidiana *c* eamdem contaminabant. Adversus hæc tria monstra præliaturus Agrippanus abstinentiæ præsidio se communit, carne et vino sibi interdicit, verbi Dei concione crebra Catholicos armat, hæresim lacessit, paganismum impugnat. His Agrippani studiis adversarii fracti sancto Præsuli moliuntur insidias : tonsorem pretio comparant, qui dum de more crinem ... barbamque raderet, jugulum peteret et enecet. Adest tonsor sicarius : Nonpoteris, inquit, Agrippanus hodie præstare quod animo agitas, mihi ulterius progrediendum est. Nihil tamen desinas velim barbam pilosque decurtare. His perculsus tonsor, scelere sibi temperat, ac detonsam Agrippani barbam religiose sibi asservat; quæ postmodum Ecclesiæ Gratianopolitanæ tradita prodigiis claruit, in expellendis præsertim morbis circa faciem enascentibus. D Romam profectus ad Pontificem Agrippanus, cum inde suum ad ovile se reciperet, in idolorum cultores incidit vigesimo fere ab Aniciana civitate milliario : contra eorum ritus sacrilegos invehitur. Unde in vincula detruditur, tertioque post die, hortante loci domina gentili, capite truncatur, cum Ursicino famulo. Agrippani autem capite in subjectam vallem delapso, fons exiliit ex vestigio, in quo substitit ; qui postea sanandis ægritudinibus, *d* plurimumque baptismo inserviit. Ad ejus sacros artus sepulturæ commendatos, frequenter egere excubias Catholici, ubi cœlestibus solatiis sunt irrigati. Martyrio sublatus fertur Kal. Februarii.

*b c abstinentiam colit errores impugnat*

*tonsorem necem sibi parare, divinitus agnoscit*

*Ex MS. barba ejus pilis facta miracula*

*ab impiis occiditur cum S. Ursicino : d caput præcisum fontem miraculosum elicit.*

a *Is* S. Benignus *fuit, cujus natalem* 12 *Novembris statuit Saussaius.*

b *Non mirum* Helvidianam *hæresim cum Ariana grassari : nemo fere in Dei filium blasphemus est cum Ario, qui non una sit in Matrem impius cum Helvidio. Auxentio Mediolanensi Ep. Ariani discipulo, asserente Christi Matrem, post ejus ortum, plures ex Josepho filios peperisse, et nuptias virginitati æquaule.* *Helvidiani.*

c *Addit Gisseius* Sabellianam, *quæ personarum in Trinitate differentiam tollebat. Nec mirum ejus hæresis in Galliis superfuisse germina, quam Rex Chilpericus, Clotarii filius, scripto indiculo conatus erat Episcopis Galliarum persuadere, uti tradit S. Gregorius Turon. lib. 5 hist. Franc., cap. 44.* *Sabellian.*

d *Scribit Saussaius, illius fontis* haustu ægros morborum levamen in hos usque dies percipere. *Idem tradit Gisseius.*

E

# TRANSLATIO S. AGRIPPANI

## *ex eodem Officio Podiensi.*

*ad corpus ejus facta miracula*

Ubi martyrio sublatus est B. Agrippanus, ejusque corpus sepulturæ datum, morbis frequentibus medicinam fecit, tot enim male habentes suo præsidio recreavit, ut ad monumentum ejus crebræ excubiæ fierent, ac peregrinationes multæ : unde oppidum in quo membra quiescebant, antiquo nomine repudiato, quod Chinaeum erat, a S. Agrippano sibi nomen fecit. Crure fractum advenam quemdam perhibent ad ejus tumulum labore multo perrexisse; atque e vestigio ut illum attigit, incolumem stetisse, firmoque ac nihil claudicante gressu, ad sua limina se retulisse. Ibidem diutius quidam febre jactatus, vix hærebat ossibus, sed beati Martyris merito omnis febrilis æstus est propulsatus, ac valetudini pristinæ restitutus æger. Stabat jam sacellum super Agrippani tumulum, cum Dulcidius, proxime post S. Agrippanum Aniciensis Antistes, tanti pignoris avidus, a Vivariensi Episcopo poposcit (in Vivariensi enim ditione Chinaeum est, ubi condita B. Agrippani membra erant) fas sibi esset, e sepulcro sublatum F beati Martyris corpus Anicium transferre, cum Anicianæ Sedis Præsul quondam extiterit. Annuit Vivariensis Pontifex, effertur Chinaeo Anicium Agrippani sacrum corpus, Aniciique in subterranea Stephano Protomartyri nuncupata ædicula reconditur, ubi prisca repetiit miracula. Inter alia memorandum est istud. Ante membrorum capsam cerea ardebat candela ferro infixa : igneo lumine absumpta candelæ cera, quod substabat ferrum, perinde atque ipsa candela ardebat. In eodem loco, quod lucentibus lampadibus oleum infundebatur, lampadum flammis non absumebatur. Ex S. Stephani ædicula Agrippani corpus postea ad B. Virginis altare primarium fuit latum : inde post varias ad ipsum vigilias, variaque cultuum et precationum genera, ad templum nomini Agrippani recens extructum ac dicatum, deportatum fuit, ibi etiamnum colitur et invocatur. Celebrabatur olim ejus gloriosi Martyris Translatio Octob. vigesima quinta, annis singulis revertente die : tamen, cum anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, Aprilis die sexto, capsa Martyris reserata patuisset, reliquiæque non sine ægrorum commodo, propalam prostitissent per dies aliquot, Antonius tunc Aniciensis

*claudus curatus,*

*alius febricitans*

*transfertur Anicium*

*claresit miraculis,*

*ferro instar cerei ardente oleo lampadum non deficiente*

*defertur in ædem propriam.*

*Zelandia, Hollandia,*

A *attributos, contra Cluverium aliosque recentiores alibi vindicabimus. Verum ( ut ea lite hic supersedeamus ) dictæ maritimæ regiones ab imperio Romano excluduntur in Itinerario Antonini Imperatoris et Tabulis Peutingerianis; in quibus* limes Imperii a littore Gessoriaco, seu Bononia, ducitur, Teroanam, Viroviacum, Tornacum, Bavacum, Geminiacum, Tungros : *atque inde per ripam Mosæ, ad Vahalim et Rheni apud Batavos ostia, quæ, aliquando Romanis subdita fuerant. Accedit, in exclusis ab hoc limite provinciis, usum idiomatis Teutonici in hæc nostra tempora servari, cum quæ intra præscriptum limitem versus meridiem jacent, in iis vigeat lingua moderna Gallica ex antiqua Romanorum Latina depravata. Demum Bononia Carausio tyranno erepta, dictam* Francorum regionem, quam penitus palustrem, aquisque imbutam, obliquis meatibus Scaldis interfluit, divortioque sui Rhenus amplectitur, expeditionibus Constantii Cæsaris vindicatam atque purgatam *declamat Eumenius in Panegyrico Constantio dicto, num.* 8 Multis *scilicet* Francorum millibus, qui Bataviam, aliasque eis Rhenum terras invaserant, interfectis, depulsis, captis, abductis, *ut Auctor Panegyrici* v *Maximiano*

*ad Scaldim et Rhenum, in Batavia.*

B *et Constantino dicti, num. 4, de hac Constantii expeditione pronuntiat. Ita ante apud Vopiscum testes virtutis Probi Imperatoris adducuntur* Franci in suis strati paludibus, *sive ex cis Rhenum, sive apud Frisios aliosque Transrhenanos populos constituantur.*

5 *Verum Saxones non tantum in Germania maritima sed in Belgica quoque et ulteriore Gallia, littora sibi commodiora occuparunt, nomine inde Francorum fere depulso. Ambos* ad Rhenum et mare occiduum ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον καὶ τὴν ἑσπερίαν θάλατταν *collocat Julianus Imperator Orat. 1, in laudem Constantii, filii magni Constantini. Distinctum situm indicat S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis* XXI *Octobris* : Inter Saxones, *inquit*, et Alemannos gens extat non tam lata, quam valida, apud Historicos Germania, nunc vero Francia vocatur. *Horum* Francorum regionem Rheno transmisso pervasit Julianus *apud Ammianum Marcellinum lib.* 20, *ubi* Atthuarii *appellantur, quos* Ansivarios *Tacito lib.* 13 *Annalium cap.* 55, *dici opinamur*, eosdemque *istic* agros occupasse, qui fuerant Chamavorum Tribantum et post Usipiorum : *imo apud Julium Cæsarem* Sicambrorum, a quibus *refert lib. 4 de bello Gallico sect.* 16, Usipetos Tenchtherosque intra fines suos receptos. *In illis ergo sedibus degentes* Chamavi

*nomine ibi ad Saxones translato. Franci ultra Rhenum degunt. Atthuarii, seu Chamavi, apud antiquos Sicambros,*

C *in Tabula itineraria Peutingeri dicuntur* Franci *esse, in eaque litteris majoribus legitur* FRANCIA, *supra fluvium Rhenum in eadem antiquorum* Sicambrorum *sede.*

6 Omnium *autem* primos Francos *existimat Ammianus Marcellinus lib.* 17 Salios, *Zosimo Comiti lib.* 3 τὸ Σαλίων ἔθνος Φράγκων ἀπόμοιρον, Saliorum natio, Francorum *est* portio, *qui, ut idem ait*, a Saxonibus e propriis expulsi sedibus, in insula Batavia consederunt. *Hinc medii* Batavos *inter et* Saxones, (*qui a Westphalia moderna ultra Amisium Visurgim et Albim extendebantur, dominatu etiam maritimo apud Frisios et in littore Belgicæ Armoricæque potiti) constituendi* Salii, Francis *reliquis aut mixti aut contigui. Horum vestigium remanet ad* Salam, *seu* Isalam *fluvium, a quo modernæ Belgicæ provincia* Transisulania *appellata; cujus aliqua ditiuncula* Sallandia, *quasi* Saliorum terra, *et oppidum* Oldesalia, *quasi* antiquorum Saliorum *sedes, nomen retinent, in confinio* Westphalorum Saxonum *sita.*

*et Salii, ad Isalam fluvium.*

7 *Hæc ergo prima* Francorum *tam* Saliorum, *quam aliorum sedes, præcipua sua parte postea a Saxonibus occupata est, horum imperio ad Rhenum dilatato : a quibus deinde Lippia fluvio* Francos *diremptos fuisse docetur in Chronico Fredegarii cap.* 109. *Ipsi autem* Franci, *amissis ab Isala ad Lippiam usque ditionibus, non minores ab Alemannis sibi paullatim surripuerunt,*

*Prævalentibus Saxonibus, Chamavi Franci a Lippia fluvio,*

*ut quorum regio ultra dexteram Moeni ripam ad Hassos usque et Lonam fluvium ante extendebatur, ea, his ad Neccarim usque fluvium pulsis, cesserit* Francis, *quæ a novis possessoribus, ablegato Alemannorum nomine*, Francia, *ac tandem* Franconia *appellata est. Magnam hujus partem, si non integram, Ludovicus Pius Imperator, in Præcepto de divisione regni sui inter filios facienda, videtur* Ribuarias *vocasse, accensuisseque partem Cisrhenanam qua Colonia versus Arduennam et Mosellam est iter : ubi, in divisione regni Lotharii anno* DCCCLXX *inter Carolum Calvum et Ludovicum fratrem, Regem Germaniæ facta,* Comitatus quinque in Ribuariis *leguntur. Hæc* pars Galliarum propinqua Rheno, quam olim Franci possidendam occupaverant, Aetii Comitis armis, Felice et Tauro Consulibus, *anno* CDXXVIII recepta *dicitur in Prosperi Chronico vulgato : sed in altero Prosperi Chronico a Pithæo edito iidem* Franci in pace suscepti sunt, *agris eis Rhenum assignatis. In lege Ripuaria de qua infra agemus, tit.* 36, § 4, *vicini describuntur.* Si quis Ripuarius advenam Alemannum, seu Frisionem, vel Bajuvarium, aut Saxonem interfecerit *etc. Sedem deinde regiam* Coloniæ Agrippinæ (*quam* Ripuariæ metropolim *dixit Eginhardus in historia translationis reliquiarum SS. Petri et Marcellini* II *Junii) habuerunt posteriores istorum* Francorum ad Rhenum Reges,

D

*ad Neccarum usque habitarunt, Ripuarii dicti, obtenta parte Cisrhenana,*

E *quorum ultimo* Sigeberto Claudo *in* Buchonia silva *prope Mœnum fluvium interempto, dein et filio ejus* Childerico, Chlodoveus I, (*cujus dolo uterque occubuerat) regnum illud suis ditionibus adscivit : ut tradit Gregorius Turonensis lib.* 2 *Histor. Francorum cap.* 40.

*Regia sede Coloniæ constituta regno Chlodoveæi adjuncti.*

8 *Interim* Salios, primos omnium Francos, *quos e prima sua ad* Isalam *sede pulsos, in* Bataviam *migrasse docuimus, iterum sub* Constantio Imperatore, *filio Constantini Magni, expulerunt* Saxones *aliqui, quos* Κουάδους μοῖραν Σαξόνων *nominat Zosimus.* Καύχους *nonnulli mallent legere, notam istic Amisium inter et Visurgim ad Oceanum gentem. Forte eosdem Procopius lib. 4 de bello Goth.* Οὐάρνους *seu* Οὐάρνους *dixerit*, Varnos, *seu* Varinos, *a* Francis (*ut ait*) Rheno *solum* fluvio sejunctos : *quos* Warnos Childebertus Rex Austrasiorum et Burgundionum *apud Fredegarium cap.* 15 rebellantes vicit *anno Ch.* DXCV et trucidavit, ut pauci ex ipsis remanserint. *Verum* Salii *ex altera sede Bataviæ pulsi*, animadversa Juliani Cæsaris erga se humanitate, partim ex insula cum Rege suo Romanum in solum transjiciebant; partim ad limites inita fuga se conferebant : omnes Cæsari supplices facti, sponte sua se cum rebus suis ejus fidei permittebant. *Hæc Zosimus. Addit Ammianus lib.* 17 *hos* Salios ausos in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere prælicenter. Quorum legatio, cum Tungros venisset Julianus, ei occurrit, opinantium reperiri Imperatorem etiam tum in hibernis, pacem sub hac lege prætendens, ut quiescentes eos tamquam

*Salii Franci migrant in Bataviam, inde a Quadis, Cauchis, aut Varnis pulsi, in Romanum solum; prope Toxiandriam et Tungros,*

F in suis nec lacesseret quisquam nec vexaret : quos dedentes se cum opibus liberisque suscepit. *Hanc* Saliorum *deditionem confirmat ipse Julianus in epistola ad Athenienses, et indicat Libanius in Oratione funebri : ubi dicitur* agros petentibus dedisse, et barbaris adversus barbaros auxiliaribus usus.

9 *Locus autem* Saliis in Romano solo *concessus, potissimum ab interiore Brabantia, et confinibus Comitatuum Hannoniæ et Namurcensis, Demeram inter et Sabim fluvios, Carbonariam silvam, saltem subsecuto tempore, extensus. Ibi nec procul* Tungris, *et prope* Toxiandriam locum, *sive* Tessenderloo, *ad Demeram plurima* Saliorum *vestigia extant, ut ingeniose advertit Godefridus Vendelinus ad Legem Salicam cap.* 11 *et* 15. *Ejusmodi sunt tres pagi* lege Salica *istic lata celebres*, Salheim, *quod* Saliorum domicilium *sonat*, Bulersheim *et* Windershoven : *tum prope Disthemium* Salicus vicus, Selck; *et* prata Salica, Seelbemde *nec non et agri inter*

*inter Demeram et Sabim fluvios, vestigiis etiamnum illic relictis,*

*Auctore G. H.*

*constituta sede regia Dispargi, id est, Disthemii,*

A *inter Herkam et Holam oppida*, Vranckriick, *id est*, Francorum regnum *dicti. Imo quod Gregorius Turonensis lib.* 2, *cap.* 9, castrum Dispargum, *Aimoinus lib.* 1, *cap.* 4, castellum Dispargum, *sedi Regum Francorum assignant; Disthemium esse oppidum, cujus ulterum castrum etiamnum Disburgum appellatur primi forte conjectavimus aliquando : quod litteris indicatum Joannes Jacobus Chiffletius* V. CL. *ita probavit, ut id in novis Luminibus ad Vindicias Hispanicas recusas vulgarit, et primus quidem; uti docet pluribusque explicat Vendelinus cap.* 14. *Trithemius de Origine Francorum, inque Compendio Annalium*, castrum Dispartum *nuncupat; statuitque* non longe a Mosa flumine, in regione Tongrorum, *quos opinamur apud Procopium lib.* 1 *rerum Gothicarum dici* Toringos barbaros, permissu Augusti Cæsaris has sedes obtinuisse, *populum Julio Cæsari prorsus ignotum. Ægidius ad Harigerum de Gestis Pontificum Tungrorum et Trajectensium cap.* 13 Tungros *vocat* metropolim Turingiorum. *Congruit prorsus in eum sensum locus Gregorii Turonensis*, Dispargum *statuentis* in termino Toringorum, *seu, ut Badius excudit anno* 1512, Tongrorum, *ad Septemtrionem. Ad* meridionalem *vero* plagam habitasse Romanos usque Ligerim fluvium; *in qua notitia dignitatum Imperii tum scripta, Romanis attribuit* Lætos Lagenses prope Tungros in Germania II, Lætos Artos Eposi, *sive* Ivolii, in Belgica I, Lætos Nervios Fanomartis in Belgica II *etc.*

*juxta Toringos, seu Tungros,*

*Romanis vicinos.*

B

10 *In hac* Saliorum Francia *apud Dispargum tradit Prosper in Chronico a Pithœo edito, anno ab obitu Valentis Imperatoris* IV, *Christi* CCCLXXXI, quantum altius colligere potuit, regnasse Priamum; *qui nomine suo fabulis*, Francorum *originem a* Trojanis *accersentibus, occasionem dedit. Quare* Priamo *cum hisce figmentis præterito, primus in Regum serie statuitur* Faramundus, *cujus regnum inchoat Prosper anno ante obitum Honorii Imperatoris* VI, *qui convenit in annum Christi* CDXVII. *Undecimo post anno dicitur* Clodius regnasse, *post ejusdem Honorii obitum anno* V, *Christi* CDXXVIII. *Dein ab obitu Honorii (nam inde Theodosii junioris Imperium exorditur Prosper) anno* XXV, *Christi* CDXLVIII in Francia regnat Meroveus; *a quo omnes primæ* Francorum *stirpis progeniti* Reges, Merovadæ, et Merovingi *appellati. Parentibus hi suis in regnum, velut hæreditarium, successerint, nec ne, incertum.*

*Franci Priamus an.* 381,

*Faramundus an.* 417,

*Clodius an.* 428

*Meroveus e majoribus S. Sigeberti an.* 448,

11 *Interim cum hisce* Francis *vicinos versus Oceanum populos, Menapios, inquam, et Brabantos, (quos Baldricus lib.* 3 *Chronici Cameracensis cap.* 61 Brachatenses *et forte* Brachatos *Notitia Imperii appellat) quod numquam subacti legantur, in unam gentem credimus coaluisse, et sancitam communi cum Romanis fœdere amicitiam servasse : donec* Rex Clodius, *Gregorio Turonensi* Chlogio, *regni fines extensurus*, missis ultra Carbonariam silvam exploratoribus, perlustratisque omnibus ad urbem Cameracum secutus est, Romanisque protritis civitatem adprehendit; in qua cum paucum tempus resedisset, ad Suminam fluvium *alia loca* occupavit. *Hæc Gregorius absque ulla alterius interpositæ urbis aut fluvii, venerant obstacula ... adferentis, mentione; quæ nec aliqua reperitur apud illos auctores, qui ex* Sicambria *apud* Meotidas paludes *extracta*, Francos *ad* extremas Rheni partes *finxerunt demigrasse : hi vero cum Cameraco volunt etiam Tornacum expugnatum esse.* Ambianus *ad* Somonam fluvium *sedem sibi regiam* Chlodionem *elegisse, ejusque successores* Meroveum *et* Chilpericum *servasse, tradit Roricu Monachus lib.* 1 *de Gestis Francorum : silent antiquiores.*

C

*occupatum Cameracum*

*et Somona flur.*

12 *Destituimur etiam, qua ante usi fuimus Prosperi Chronica, desinente anno* X *Marciani Imperatoris, Christi* CDLV, *quo Petronius Maximus refertur, cæso Valentiniano* III, *invasisse Imperium* XVI *Kalend. Apriles, mox pridie Idus Junias occisus : qua anno aut post hujus imperium cædemque proximo cum Sigeberto referimus* Merovei *obitum, filiique* Childerici Regis *successionem : cujus annus primus cum Christi* CDLVI *ex calculo jam facto est auspicandus.* Childerico *tritavo S. Sigeberti, cum* per annorum XXIV curricula, *juxta Aimoinum lib.* 1, *cap.* 12, Francorum regnum administrasset, *sub finem anni* CDLXXIX *vita functo, successit filius* Chlodoveus I, *atavus S. Sigeberti, cujus primum annum numeramus Christi* CDLXXX, *quo modo annus regni ejus quintus concurrit in annum* CDLXXXIV, *decimus in* CDLXXXIX, *et decimus quintus in* CDXCIV : *quibus Siagrius, qui pro Romanis apud Suessiones regebat, victus et occisus : Toringi, seu Tongri ejus ditionibus subacti : ac tandem Alemanni, invocato S. Chlothildis uxoris Deo, domiti. Reliqua chronologia infra demonstrabitur.*

D

*Childericus tritavus an.* 456,

*et Chlodoveus I atavus S. Sigeberti an.* 480.

## § II. *Austrasiorum, et Neustrasiorum origo. Ditiones S. Sigeberti in Belgicis et Germanicis provinciis.*

Chlodoveo I *vita functo, universum* Francorum *regnum, ejus auspiciis longe lateque prolatum, quatuor inter se filii diviserunt : quod utrum ex sententia Gregorii Turonensis*, æqua lance *fuerit factum, infra inquiremus. Ex his filiis* Theodoricus *senior, regni sedem apud* Metas *habuit :* Chlodomirus *apud* Aurelianos, Childebertus Lutetiæ Parisiorum, *et in* Suessionibus Chlotharius, *qui fratribus, imo et* Theoderici *filio* Theodeberto, *ac nepoti* Theodebaldo *superstes*, Francorum *regnum solus obtinuit. Cujus iterum ab obitu, quatuor filii totidem in partes distributam sortiti* Franciam *possederunt : et, quod hisce regnis propria hactenus non fuissent indita nomina, a suis Regibus, aut sede regia singula appellabantur.* Dedit sors, *inquit Turonensis lib.* 4, *cap.* 22, Chariberto regnum Childeberti, sedemque habere Parisius, Gunthramno vero regnum Chlodomeris, ac tenere *sedem* Aurelianensem; Chilperico *vero* regnum Chlotharii patris ejus, cathedramque Suessionas habere; Sigeberto quoque regnum Theoderici, sedemque habere Metensem. Sigeberto *dein mortuo successit filius* Childebertus, *sub quo suam finivit historiam Gregorius Turonensis, qui* regnum hoc Metense *lib.* 5, *cap.* 5 regnum Sigeberti *nominat : ejus vero incolas eodem lib.* 5, *cap.* 14, *et* 19, Austrasios *vocat : quod nomen an ab antiquiore inductum scriptore sit, haud scimus. Commentum arbitramur recentiorum, qui cum Georgio Alberico cap.* 1 *Vitæ S. Sigeberti Gallice editæ, absque antiquorum auctoritate volunt nomen sub Romanis inditum ab Austrasio, harum regionum constituto Præfecto.*

*Francorum regni varie divisi*

E

*partes initio a Regibus, aut sede Regia denominatæ,*

14 Chariberto *mortuo, reliqua regna suis cœpta sunt nominibus appellari : regnum S. Gunthramni, de quo agemus* XXVIII *Martii*, Burgundia *fere dicta est, quod ejus imperio simul subjectum esset* Burgundionum regnum, *ante a decessoribus occupatum. Alia a situ loci sortita nomen*, Orientale *vel* Occidentale Francorum regnum *appellabantur, quod* Ooster-riich, *et* Wester-riich *Teutonico idiomate efferebatur. Ita regna Gothorum ab* Ostrogothis *et* Westrogothis, *seu* Wisegothis, *possidebantur. Saxones in* Osiphalos *et* Westphalos, *sive* Osterlingos *et* Westerlingos *dividebantur; et confinia Frisonum, in Vita S. Bonifacii* V *Junii, a S. Willibaldo* Ostar *et* Wester *dicuntur. Engilscalcus quidam in Annalibus Fuldensibus ad annum* 893 *ab Arnulpho Imperatore* Marchensis in Oriente *effectus est, ubi deinde* Marchiones, *postea* Archiduces, Austriæ, *vulgo* Oosten riich, *dominatum tenuerunt. Quam etiam ad Mœnum, ejectis Alemannis,* Franconiam *diximus appellatam, in Vita S. Bonifacii, et Caroli Magni*, Francia Orientalis, *in Martyrologiis Bedæ et Rabani ad* VIII *Julii* Austria *dicta est. Ita celebre olim fuit* Wester-riich *ad Saram fluvium, omnium provinciarum, in quibus usus linguæ Germanicæ viget, maxime*

*istic*

F

*dein Burgundia,*

*Osterrych, et Westerrych.*

*Austria ad Danubium*

*alia ad Mœnum fl.*

*Westerrych ad Saram flu.*

A istic occidentalis, cujus vestigium etiamnum manet in Ducatu Bipontino, Comitatu Bischwistic ad fines Alsatiæ sito, aliisque conterminis locis. Quia autem ea regio Austrasiorum regno apud Francos, uti mox constabit, attributa fuit; viri alias non mediocriter eruditi, Wester-rich Latine Austrasiam, quæ vox Oosten-rich sonat non apte transtulerunt.

hinc Neustria quasi nova Westria, apud Francos,

15 Hujus similisve Wester-richiæ respectu, Francia Occidentalis in supra dicta divisione nova Westria appellata fuit, et inde Neustria contracta. Ita Annales Metenses ad annum 688 Francos occidentales Nuvistrios a suis dici, Orientales vero Francos Osterlinde, vocari testantur. Layden, Linden, seu Leuden, Teutonica lingua populum significat. Hinc ad annum 798 Annales Francorum Loiseliani Nordliudos vocant populos trans Albim, quos Nordmannos iidem appellat Eginhardus: et Fredegarius cap. 56 tradit Dagobertum universis Leudibus, quos regebat in Auster, jussisse cum exercitu promovere. Missos in Burgundiam et Auster (lege Wester seu Neuster) direxisse, ut suum deberent regimen elegere. Quemadmodum vero sermone Germanico clooster formatur, quod Latinis claustrum est; ita quod supra Ooster-riich diximus, Auster et Auster-regnum est. Fredegarius cap. 38 totum Auster, et cap. 40 universam Auster vario genere et casu dixit. Sed Auctores Vitarum S. Leodegarii II Octobris, et S. Bathildis Reginæ XXVI Januarii partes Austri, et Regem Austri nominant, qui omnes seculo VII scripserunt. Austriam deinde appellarunt Continuator Fredegarii sub Pipino Rege, Monachus S. Dionysii in Gestis Dagoberti, et Aimoinus, licet aliquot seculis junior. Austrasiam denique dixerunt posteriores quidam viri docti. Ita Notgerus in Vita S. Remacli III Septemb. ait Chlodovei II filios regnasse, Chlotharium in Occidente, Childericum in Austrasia. In Gestis Francorum cap. 41 dicuntur Austrasii Franci superiores, et cap. 27 superiores Franci in Auster. His Austrasiis sub nomine Francorum opponunt Neustrasios Auctor Vitæ S. Audoëni XXIV Augusti, et Ursinus in Vita S. Leodegarii, aliisque in Vita S. Desiderii Episcopi Cadurcensis XV Novemb. graves omnes et coævi scriptores. Recentior auctor historiæ conversionis S. Huberti Episcopi III Novemb. tradit cum ex Francia Sequanorum se in Austriam contulisse.

et Auster

B

Austria,

seu Austrasia.

Utrasque ditio stricte et ampla,

16 Harum ditionum varii sub diversis Regibus limites præscripti. In Chronico Turonensi Majoris monasterii apud Hotomannum lib. 1 antiqui juris regni Galliæ cap. 4. Neustria est, quidquid a Parisiis et Aurelianis interjacet inter Ligerim et Sequanam inferius ad Oceanum: quæ Franciæ pars maxime Occidentalis est. Cui opposita Campania Belgicæ II, Belgica I et Germania I, dictæ Franciæ pars Orientalis est, Austria, sive Austrasia potissimum appellata. Ast in divisione regnorum S. Sigeberti et Chlodovei fratrum sub patre Dagoberto facta, omnis extra Burgundiam Gallia Austriæ et Neustriæ seu Neptrici Nomine comprehensa traditur a Fredegario cap. 76, his verbis: Cum anno XII regni Dagoberto Chlodoveus de Nanthilde Regina natus fuisset, consilio Neustrasiorum eorumque admonitione, per pactionis vinculum cum Sigeberto filium suum firmare dignoscitur et Austrasiorum omnes Primati, Pontifices ceterique Leudes Sigeberti, manus eorum ponentes, insuper sacramentis firmaverunt: ut Neptricum et Burgundia solidato ordine ad regnum Chlodovei post Dagoberti discessum aspiceret. Auster vero, idemque ordine solidato, eo et quod de populo et de spatio terræ esset coæquans, ad regnum Sigeberti, idemque in integritate deberet adspicere: et quidquid ad regnum Austrasiorum jam olim pertineret, hoc Sigebertus suæ ditioni regendum reciperet, et perpetuo dominandum haberet; excepto Ducatu Dentelini, qui ab Austrasiis iniquiter abstultus fuerat,

C

et ampla,

Primati

in divisione regnorum S. Sigeberti et Chlodovei fratrum



iterum ad Neustrasios subjungeretur, et Chlodovei regimini subjiceretur. Sed has pactiones Austrasii, terrore Dagoberti coacti, vellent nollent, firmare visi sunt: quod postea temporibus Sigeberti et Chlodovei conservatum fuisse constat. Hæc Fredegarius, quem descripserunt Monachus Dionysianus in Dagoberto cap. 32, et Aimoinus lib. 4, cap. 27: hic propria phrasi, ille servatis fere Fredegarii verbis, qui tamen, quod ex Neustria oriundus, ignoraret Leudes indicare tertium ex populo membrum collectum, ejus loco Duces supposuit, cum ante tamen Primates, sub quibus hi continentur, expressisset.

D

AUCTORE G. H.

17 Jam singula Austrasiorum loca S. Sigeberto subjecta invisamus: quæ cum Lotharingia confusa sunt a Georgio Alberico cap. 1 et 2 Vitæ S. Sigeberti, Judoco Coccio in Dagoberto cap. 3, et Auberto Miræo de Stemmatis Principum Belgii cap. 1, aliisque. Ac primo, quod ab iis silentio præteritum est, cum Campaniam, quæ Belgicæ II olim adnumerabatur, semper pertinuisse ad Austrasios, certum. In ea Remorum metropolis visitur, cujus Archiepiscopus Ægidius apud Turonensem lib. 10, cap. 19, ob conspirationem in Regem suum Childebertum, exilio mulctatus est, in ejus locum Romulfo filio Lupi Ducis Campaniæ subrogato et Erinemfredus apud Fredegarium ex Neustria et regno Chlodovei fugitivus, in Auster sub S. Sigeberto Remis in basilica S. Remedii resedit. Catalaunis ad Matronam fluvium urbe Episcopali Theodericus Francis Ripuariis, Alemannis, et Bajoariis leges dictavit et Childeberti rogatu Bertoaldus, seu Bertrendus Episcopus, Synaulio Abbati Dervensi concessit privilegium, in Promptuario Tricassino Nicolai Camuzati relatum. Attelanus vero sive Attola, Laudunensis Episcopus infra in diplomate S. Sigeberti intimus ejus Consiliarius habetur. In hujus diœcesi ad Axonam, seu Isaram fluvium sunt oppida Fara, Ripamontium, Guisia, vix itinere diei Cameraco dissita. Hujus Episcopum S. Gangericum tum Clerus tum populus a Childeberto Rege Austrasiorum sibi ordinari postulavit, quorum votis confestim voluit Rex satis fieri, missis ad Ægidium Episcopum Remensem litteris; ut in ejus Vita traditur XI Augusti. Suberant iidem Austrasiis cum Episcopo Cameracensi, Nervii eorumque clientes, Hannonii seu Hannoniæ, et Brachanti antiqui populus, de Brabantio agemus XXI Februarii ad Vitam S. Pipini in illis partibus Ducis sub Dagoberto et S. Sigeberto. Ceterum uti Axona in Campania Austrasiorum terminus fuit, ita ob ejus fonte non procul exortus Scaldis eumdem terminum continuavit, et Atrebates, Morinos, Menapios (hos jam Flandros dicimus) ab Austrasiis diremit, remotique: ibi Scaldim inter et Scarpum ditio Austerbantiaest, quasi Austrasiorum limes dicta, de qua Austerbantia et Scarpa fluvio agimus IV et XI Februarii ad Vitas SS. Adalbaldi Ducis, et Amandi Episcopi, ubi Elnonense monasterium S. Sigeberto subjectum fuisse innuitur.

sub Austrasiis,

in Belgica II

Remenses,

E

Catalaunenses,

Laudunenses,

Cameracenses.

Nervii etc.

usque ad Oceanum et Scaldim fl.

F

18 Belgica I tota, proprio Austrasiorum regio dici potest, ob urbem Mediomatricum sedem regiam, de qua infra agemus. Ibi præterea diœceses Virdunensis et Tullensis, quarum Episcopi Gallocaldus, et Theofredus, seu Teufredus, in diplomate S. Sigeberti concesso Malmundariensibus et Stabulensibus recensentur. Hujus denique Belgicæ I Metropolis est Augusta Trevirorum, in qua Dagoberti jussu, cum solis Austrasiis imperaret, Chlodoaldus interfectus est, teste Fredegario cap. 52. Belgicæ I contiguæ ad Orientalem plagam Germania I metropolim Moguntiam habet cujus populum Maguntiensem in prælio Turingico non fuisse S. Sigeberto fidelem, scribit idem Fredegarius cap. 87. Quem ante diximus Archiepiscopum Remensem exilio sub Childeberto condemnatum, ad Argentoratensem urbem, quam Strateburgum vocant, deductum scribit citatus supra Turonensis. An ab S. Arbogasto, hujus sedis Episcopo recte dicatur ad vitam revocatus

omnes in Belgica I,

Germania I,

AUCTORE G. H.

A S. Sigebertus, *infra inquiretur. Sunt istic præterea diœcesis Spirensis apud Nemetes, et apud Vangiones Wormatia, de quarum Sedium splendore memorato, agimus* VI *Februarii ad Vitam S. Amandi. In Germania* II *Civitas Agrippinensium metropolis* Colonia *erat, a Turonensi lib. 6, cap. 24,* Sigeberto I Austrasiorum Regi *attributa. Hujus urbis Archiepiscopum* S. Cunibertum *in adolescentia* S. Sigeberti, *cum aliis Proceribus regnum* Austrasiorum *administrasse, infra dicemus. Suberat huic diœcesis Trajectensis, cujus sancti Episcopi* Amandus, Remaclus, *et* Theodardus, *qui regnante* S. Sigeberto *istic sederunt, sæpius infra et iterum* VI *Februarii referentur.*

*et Germania II,*

*trans Rhenum Franci antiqui,*

19 *Alia trans Rhenum regiones subjiciebantur dictis Austrasiorum Regibus; in quatuor potissimum distributæ populos, quibus singulis proprias ab his Regibus præscriptas fuisse leges, infra ostendemus. Horum primi a* Chlodoveo I *subacti, sunt* Franci Transrhenani, *quos ante inter fluvios Lippiam et Neccarum, seu Saxones et Alemannos cum S. Hieronymo constituimus; his fere hoc tempore provinciis distinctos: Marcu, Bergu, Waldeca, Hassia, Westerwaldia, Wetteravia, et Franconia: quam austrasiis antiquis adscribunt Annales Fuldenses ad annum* DCCXIX, *ubi dicitur* S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessiorum, et Austrasiorum ad fidem rectam convertisse. *Sunt autem*

*et exteri; Thuringi,*

B Thuringi *ad Onestrudem fluvium, qui ea regione irrigata ad Naumburgum Alba illabitur, a* Theoderico I *cæsi, regnoque* Austrasiorum *subjecti. Eamdem* Thuringiam, *ob suppetias Saxonibus ad Wiseram fluvium latas, a* Chlotario I, *obtenta a morte Theodebaldi Austrasia,* devastatas *fuisse referunt Turonensis lib. 4, cap. 10, et Continuator Chronici Marcellini Comitis. Hinc* Thuringiæ *a* Dagoberto *Dux præpositus Radulfus, amicitia cum Winidis firmata, contra* S. Sigebertum *rebellavit, castro in monte super Unestrude fluvio munito, ut tradunt Fredegarius cap.* 87 *et infra in Vita Gemblacensis: contra quos egregiam* S. Sigeberto *navavit operam* Enovalaus Comes Sigiotensis, *forte prope* Sigam *fluvium, ubi etiamnum* Sigena *et* Sigeburgum *oppida visuntur, provinciæ præfectus.*

*Alemanni,*

20 Alemanni, *tertius ultra Rhenum populus, teste Turonensi lib.* 2 *cap.* 30, Chlodovei se ditionibus subjecerunt, cum Regem suum cernerent interemptum. *Hac Chlodoveus victoria potitus, fidem Christi suscepit, ut infra dicetur* X *et* VI *Februarii ad Vitas SS. Aviti, et Vedasti. Qui trans Danubium versus Alpes tum degebant* Alemanni *tributarii Regi Ostrogothorum Theoderico, eos a Gothis, ut gratiam sibi Francorum ac bene valentium conciliarent, aliquot post annis dimissos, in suam redegit potestatem Theodebertus* I, *et deinde Theo-*

C *debaldus filius cum reliquis populis rexit, ut pluribus prosequitur Agathias lib. 1, rerum Justiniani Imperatoris. Hæc autem tum Austrasiis subjecta Alemannorum regio, has fere horum temporum continet provincias,* Wirtenbergicum, *Ducatum, Badam Marchionatum, Brisgoiam, Suevium utramque, cujus pars superior etiamnum Alemannia appellatur, a fluvio Leco ad Acronianum seu Brigantinum lacum extensa. Addi debent quæ a Germania prima ante memorata ad hunc lacum interjacent ditiones Episcopatus olim Rauracensis, nunc Basileensis, et Vindonissensis olim urbis ad confluentes Arulam et Rusam, qui inde in Rhenum devolvuntur. Hujus Vindonissensis Ecclesiæ Episcopus* Gramatius, *aliquibus* Chromatius, *subscripsit Synodis Aurelianensi* III *et* IV, *nec non quod hic potissimum spectamus, Arvernensi sub Theodeberto* I, *Rege Austrasiorum, ab omnibus istic congregatis Episcopis agnito supremo sedium suarum Domino. Gramatio* Maximinus *subrogatus Sedem Vindonissa Constantiam transtulit sub Chlotario* I *monarchiam totius Galliæ adepto. Hujus Constantiæ diœcesis admodum ampla magnam continet Alemanniæ portionem. His ergo juncti Alemanni Burgundos Trans-*

*juranos, in pago Aventicensi et Lausanensi, irruptione* D *bellica aggressi sub Theodeberto* II, *superarunt: quibus injuriis frater hujus Theodericus* II *Burgundionum Rex lacessitus bello suscepto, cruento eum prælio devicit. Quæ apud Fredegarium cap. 37 et 38 leguntur. De origine Alemannorum agimus ad Vitam S. Vedasti* VI *Februarii, cap. 1.*

21 *Vicini Alemannis sunt* Bajoarii, *seu* Bavari, *quos* Austrasiis *vendicant leges illis a* Theoderico I *præscriptæ: armisne tamen subacti fuerint, an vero, ut contra Sclavorum, Hunnorum, aliorumque barbarorum incursiones tuti protegerentur, sponte sua Austrasiis se subjecerint, in silentio antiquorum Scriptorum incertum est.* Dagobertus *apud Fredegarium cap.* 58, tanta prosperitate regale regimen in Auster regebat, ut etiam gentes, quæ circa limitem Avarorum et Sclavorum consistebant, eum prompte expeterent. *Et* S. Amandus, transfretato Danubio, Evangelium Christi Sclavis prædicavit. *Quo tempore Alemanni et Bajoarii necdum cœperunt Austrasiis rebellare: quod sub Ebroino Majore domus a morte S. Sigeberti factum arbitramur. Hæc de regno Austrasiorum in Germanicis et Belgicis provinciis stabilito.*

*Bajoarii,*

## § III. *Ditiones S. Sigeberti in interiore Gallia.*

In *reliqua Gallia, populos meridionales Aquitaniæ* I, E Arvernos, Albigenses *et* Ruthenos, *cæso* Alarico Rege Gothorum, *a* Theoderico I, *jussu* Chlodovei *patris, misso exercitu devictos fuisse tradit Gregorius Turonensis lib. 2, Histor. cap. 37. Horum regiones, cum aliis in interiore Gallia provinciis, regno suo* Mediomatricorum *adjunxit memoratus* Theodericus. *Et primo de* Arvernis *confirmat Gregorius lib.* 3, *cap.* 9, 21, 23, *et* 25, *et lib.* 4, *cap.* 6, 7 *et* 9, *quibus locis indicatur* Arvernos *imperio* Theoderici, Theodeberti *et* Theodebaldi *continenter obtemperasse. Tum jussu* Theoderici S. Quintianum, *cui* XIII *dies Novembris sacer est,* Arvernis *datum esse* Episcopum, *docet idem Gregorius de Vita Patrum cap. 4.* Synodus *apud hos* Arvernos *celebrata est a subditis* Theodeberti. *Mortuo* Chlothario I *in altera monarchiæ divisione, eidem* Arverni *pertinuerunt ad* Sigebertum, *apud eumdem Gregorium lib. 4, cap.* 30, 33, 37, *et* 41, *et ad ejus filium* Childebertum, *lib.* 5, *cap.* 34, *lib.* 6, *cap.* 26, *lib.* 10, *cap.* 7 *et* 8 *et passim alibi. Denique, quod huc proxime spectat,* S. Bonitus, *cujus vitam dedimus* XV *Januarii,* ex Arvernorum urbe oriundus, *in aula* S. Sigeberti *egit* Principem pincernarum, *tum annulo e manu* Regis *accepto* Referendarium, *seu, ut alii appellant,* Cancellarium, *ipsis* Arvernis *tandem* Episcopus *creatus. Post S. Sigeberti obitum* Arvernos *simul cum* Austrasiis Regem *præfuisse* Childericum, *docemus in vita S. Præ-* F *jecti Arvernorum Episcopi* XXV *Januarii.*

*In Gallia interiore*

*Arverni,*

23 *Eadem cum* Arvernis Albigensium *et* Rutenorum *ratio est, et illarum urbem ab Austrasiis avulsam* Gunthramnum Regem nepoti suo Childeberto reddidisse *tradit idem Turonensis lib. 8, cap. 45. Episcopus Albigensium regnante* S. Sigeberto *erat* Constantius, *qui ab aula ejus redux, epistolam ad* S. Desiderium Cadurcensem *scripsit, hoc exordio:* Cognoscite, Domine, nos orationibus vestris incolumes de Palatio remeasse, et Regem modo Magontiæ esse *etc. Extat inter epistolas Desiderii* LXXVII. *Relatæ ante Synodo Arvernensi sub Theodeberto interfuerunt* Rutenorum et Gabalorum Episcopi SS. Dalmatius *et* Hilarius, *quorum ille* XIII *Novembris, hic* XXV *Octobris colitur. Aliam sub Childeberto* in confinio termini Arverni, Gabalitani atque Ruteni factam Episcoporum synodum, *scribit sæpius memoratus Gregorius lib.* 10, *cap.* 8. *At lib. 6, cap. 38 tradit* optulante Brunechilde Regina, Innocentium ex Comite Gabalitano Rutenorum electum Episcopum. *His tempore S. Sigeberti præerat* Verus *Episcopus, cujus duæ epistolæ ad* S. Desiderium Cadurcensem

*Albigenses*

*Ruteni, Gabali,*

A Cadurcensem *extant 78 et 81 inter hujus epistolas. Sed Gabalos Austrasiorum regno subjectos fuisse confirmat præterea tum comitatus ejus a* Sigeberto I Palladio *concessus apud Gregorium lib. 4, cap. 32, tum* Lupentius Abbas *inde a* Brunechilde *evocatus lib. 6, cap. 37. Horum filius* Childebertus Rex *lib. 8, c. 18.* Nicetium Ducem *constituit* in urbe Arverna, Ruthena atque Ucetica. *Est autem* Ucecia *vicina istic urbs Episcopalis, olim* Galliæ Narbonensi *adscripta. Ejus loci* Episcopi *celebrantur* SS. Firminus *et* Ferreolus, *quorum ille habetur Ansberti Senatoris, et Aigulfi Episcopi Metensis frater; hic ejusdem Ansberti et Blithildis filius patruus S. Arnulphi Episcopi Metensis. Ibidem sub* Childerico *successore* S. Sigeberti *præerat* Episcopus Mummolus, *acerrimus S. Amandi adversarius, cum hic monasterium Nanto, de quo XI Februarii agemus, non procul inde auctoritate Childerici extrueret.*

Ucecii.

Arisitenses.

24 *Est ibidem* vicus Arisitensis *apud Rutenos conterminus Provinciæ Narbonensi,* Sigeberti I *dono attributus* Ecclesiæ Metensi S. Stephani : *quam donationem* sua præceptione confirmarunt Chlotarius II, Dagobertus, *ac deinde* S. Sigebertus. In *eo* vico Arisidio Aigulfus *Episcopus Metensis* germanum suum Deotarium Episcopum constituit : *post quem* nepos ipsius Domnus Modericus est ordinatus Episcopus per ordinationem Episcopi Metensis : *ut his verbis* B *refertur in antiqua Genealogia S. Arnulphi a Dominicio edita. De* SS. Moderico *et* Ferreolo *fratribus Ansberti egimus* XV *Januar. ad Vitam S. Tarsitiæ Virginis, eorumdem sororis. Meminit* Arisitensis vici *Gregorius lib. 5, cap. 5, qui lib. 9, cap. 9 et* 12 Childeberti regno *adscribit* Castrum Vabrense *et* vicum Vabrensem *in Marchia superiore Rutenorum situm, et seculo* XIV *in Episcopatum erectum, in cujus diœcesi est monasterium Nanto, quod istic auctoritate Regis Childerici a S. Amando extructum esse diximus.*

Vabrenses.

NOT. 12

Cadurci.

25 Cadurcos, *celebres etiamnum Aquitaniæ populos, cum vicinis jam memoratis civitatibus fuisse regno Austrasiorum tempore S. Sigeberti subjectos, demonstrant et Acta S. Desiderii tum istic Episcopi, danda die ejus natali* XV *Novembris, et epistolæ ejusdem a Chesnæo editæ, ex quibus infra inter Analecta referemus, quas ille Regi suo S. Sigeberto scripsit, et quas ab eodem sibi cum regiis mandatis missas accepit. Quo hi Cadurci tempore Austrasiis juncti sint, non æque certum. Aimoinus lib.* I *Historiæ Francorum cap.* 22, *eumque secutus Valesius lib. 6, rerum Francicarum referunt eos cum Arvernis Ruthenisque sibi contiguis a Theoderico* I, *subactos esse, regnoque Austrasiorum adjunctos. Nullus interim inde Episcopus adfuit Concilio Arverno Episcoporum Theodeberto* I *subjectorum: adfuerunt quidem* C *que Conciliis Aurelianensibus, sed cum Episcopis ex omnibus regnis congregatis. Urbem Cadurcorum* Regem Suessionum Chilpericum *aliquando obtinuisse certum est, forte post mortem Chariberti Regis Parisiorum ad regnum Suessionum delatam. Hic ergo* Chilpericus Cadurcum *cum aliis civitatibus* in dotem *seu* morgangebam, id est, matutinale donum (*ut loquitur Gregorius lib.* 9, *cap.* 20, *et consonat linguæ Teutonicæ*) donavit Galesuindæ *uxori suæ : qua vita functa soror hujus,* Brunechilda, *tum nupta Sigeberto* I *Regi Austrasiorum,* Cadurcum civitatem cum terminis et cuncto populo suo in sua proprietate percepit. *Hinc eosdem Cadurcos Brunechildi postea viduæ adscribit Auctor Vitæ S. Maximi Martyris relatæ die* II *Januarii. Tranquillam Childeberti filii possessionem, urbe hac illi erepta, Gunthramnum patruum aliquando interrupisse colligimus ex Matisconensi* II *Concilio, cui Poppolus Cadurcinus subscripsit : sed videtur restituta fuisse ante annum* DLXXXVIII, *quo pacto fœdere plures nepoti Childeberto tradidit urbes e regno Parisiorum Chariberti.*

NOT. 13

26 *Ad Rhodanum visitur civitas Albensium Vivarium, olim Burgundionibus adjunctum, quorum regno inhiante Chlodemere Rege Aurelianensi, Austrasii vicinam hanc sibi urbem occuparunt. Hinc Venantius sub Burgundionibus subscripsit Concilio Epaonensi, et translatus ad Austrasios Arvernensi. Nec ullus eorum Episcopus interfuit alicui Concilio sub Gunthramno habito: quod signum videtur, continenter sub Austrasiis permansisse. Quo forte argumento Velaunium, cujus præcipua urbs Podium, antea Anicium, Austrasiis subjectum diceretur, maxime quod Turonensis lib. 4, cap. 41, et lib. 6, cap. 9, Arvernis conjungat* Velaunum territorium. *Fuerunt ergo istic sub Austrasiorum dominio hæ provinciæ conjunctæ, ut hoc tempore appellantur, Alvernia inferior et superior, cum Lemovia interjecta, Cadurcium superius et inferius, Comitatus Rutenensis, et Marchia ejus inferior ac superior, Auraciensis ager, Albigensis tractus, Gabalium superius ac inferius, et ex Narbonensi prima abstractus Uceticensis Episcopatus, nec non, ut probabilius arbitramur, Velaunium cum tractu Vivariensi.*

forte et Vivarienses.

D

AUCTORE G. H.

et Velauni.

Quæ horum jam provinciæ?

27 *Postquam regio Rhodanum inter et Alpes, Romanorum olim Provincia dicta, a Theodato Gothorum Rege promissa, ab hujus successore Vitige circa annum* DXXXV *donata fuit Regibus Francorum Childeberto Parisiensium, Theodeberto* I *Austrasiorum, et Chlothario* I *Suessionum, uti tradit Procopius lib.* I *de bello Gothorum, accessit Austrasiorum regno præter partem Alamanniæ supra descriptam, Massiliensis urbs, ejusque aliqua provincia. Certe* a monte Chlotarii I Hecca ex primoribus Palatii Sigeberti I, ut provinciam Massiliæ disponeret, *missus dicitur in vita S. Consortiæ Virginis* XXII *Novemb. et apud Gregorium lib.* 4, *cap.* 38, in regno Sigeberti Regis, remoto ab honore Jovino Rectore Provinciæ Massiliensium, Albinus in loco ejus subrogatur : *et cap.* 44, Lupus Dux ex jussu Sigeberti Regis ad urbem Massiliensem accessit. *Post Sigeberti obitum filio ejus Childeberto cum patruo Gunthramno plurimæ ob Massiliam difficultates fuerunt, relatæ lib.* 6, *cap.* 12. *Quibus sopitis apud eumdem Gregorium lib.* 8, *cap.* 49, a Childeberto, anno regni ejus XII, *Christi* DLXXXVII, ordinatus est Nicetius Arvernus Rector Massiliensis provinciæ et reliquarum urbium, quæ in illis ad eum pertinebant. *S. Bonitus, quem S. Sigeberti Referendarium fuisse retulimus, sub hujus successore Childerico dicitur in Vita num.* 4, *factus* Judex in Præfectura Massiliæ primæ Provinciæ, *quæ tum spectarit ad Austrasios : sed quam lata ea fuerit Præfectura, non legimus. Tradit quidem Gregorius* Avennicam, *sive* Avennicam civitatem, *fuisse sub Sigeberto* I, *ejusque filio Childeberto, et hoc* Rege largiente Pontificalem potestatem urbis Viniciensis suscepisse Fronimium. *Legantur caput* 30, *libri* 4, *capita* 24 *et* 26, *libri* 6 *et caput* 24, *libri* 9. *Verum non permansisse penes Austrasios eas urbes colligimus, quod Aurelianus Episcopus Ventiensis adfuerit sub Chlodoveo* II, *Concilio Cabilonensi, eoque regnante S. Agricolus factus sit Avenionensis Episcopus, ut dicitur in ejus Vita apud Vincentium Barralum in Chronico Lerinensi danda* II *Septembris die ejus natali. Cum juxta Fredegarium cap.* 53, Chlotharius II *filio suo* Dagoberto, transactis cum Gamadrude nuptiis, redderet solidatum regnum Austrasiorum, suæ ditioni retinuit partes Provinciæ, *aliasque citra* Ligerim, *ut infra dicemus, quas Dagobertus filio suo Sigeberto concessit : quænam autem fuerint hæ partes Provinciæ, non additur.*

Massiliæ provincia sub Austrasiis :

E

NOT. 14

F

28 *Alias sæpe obtinuerunt Austrasii urbes ob mortem aliorum fratrum occupatas. Ita vita functo Chlodomere Rege Aurelianensi ad Austrasios delatæ sunt ditiones Biturigum, Lemovicum et Lingonum, quorum Episcopi interfuerunt Concilio Arvernensi, tum subditi Theodeberto primo. Iterum post secundam regnorum divisionem, Chariberto Rege Parisiorum mortuo, aliquot civitates Sigeberto* I *obtigerunt, quas Gregorius lib.* 9, *cap.* 20, *recenset, quando interfuit partium fœderis inter Gunthramnum et Childebertum factæ anno hujus* XIII, *Christi* DLXXXVIII. *Erant autem hi populi, Turones, Pictones, Abrincatui, Meldæ, Silvanectes, Consorani, Vico-Julienses*

Aliæ aliquando Austrasiis subjectæ.

AUCTORE [illegible]

A *Julienses et Lapurdenses. Qui aut redierunt ad regnum* B. *Parisiense sub Chlodoveo* II, *aut a Vasconibus tum detinebantur ut subjugati. Nec fuit inter Proceres utriusque regni præfectos ulla de limitibus [illegible] memoratis controversia. Ea solum mota de Ducatu Dentel[eno] a regno [illegible] ad Austrasiorum translato. Quod ita factum narrat in Chronico Fredegarius cap.* 20, *et ex eo Aimoinus lib.* 3, *cap.* 88. Chlotharius, *inquit ille [illegible] secunda istius Aimoinus, accepta clade oppressus, velit nollet per pactionis vinculum firmavit, ut per [illegible] et Isaram (Aimoinus inter Sequanam et Isaram)* Ducatum integrum Dentelenum, quem Oceanum mare Theodeberto [illegible] Austrasiorum reciperet. Duodecim tantum pagos inter [illegible] et Sigonam et mare litus Oceani Chlothario [illegible] *Regionem istic in plures distinctam pagos [illegible] in Pr[illegible] Ludovici Pii Imperatoris, de divisione regni [illegible] inter filios, in quo ad decimum [illegible] Sequanas [illegible] pagi designantur.*

29 *Hic ergo Ducatus Dentelenus, quod post [illegible] [illegible] quam Austrasiorum, iterum Neustriacis [illegible] Chlodoveo [illegible] sit. Et intra hujus Ducatus [illegible]* S. Sigeberti et fratris Chilperici [illegible] [illegible]

[illegible]

## § IV. [illegible] S. Sigebertum et Chilpericum fratres. Leges [illegible] subditis præscriptæ.

[illegible]

rum *oppugnationibus continuo obnoxias.* Francos *namque ante a* Carcassonæ obsidione depulsos *fuisse, auctor est Procopius lib.* 1 *de bello Gothorum. Addit Jornandes* triginta Francorum millia *cæsa fuisse; quam de iis victoriam reportasse* Theodericum Regem Ostrogothorum *tradit in Chronico Cassiodorus,* Consulibus Celere et Venantio, *anno Christi* DVIII, *altero ante obitum Chlodovei. Denique in quadripartita regni interioris divisione sortitus fuerit* Campaniam Belgicæ II, Belgicam I, Germaniam I, *vicinasque ditiones supra descriptas.*

31 *Hæc de regno* Austrasiorum S. Sigeberti *late disperso, variis que legibus administrato. Earum antiquissima censetur* Salica *eo et loco et tempore primum lata, quo Francis Salicis lingua Latina fuerit familiaris; cujus vestigium ad Salam fluvium, vicinaque illi in* Brabantia *[illegible] apparet, ubi incolæ, quamvis in Germania [illegible], Francico sermone, ex lingua Latina [illegible] tur. Nec procul inde tres villæ,* Selheim, Boser[illegible] et Windersheim, *in quibus sub* Pharamundo *[illegible] Rege lata perhibetur, [illegible] superesse [illegible]* [illegible]

[illegible]

Lex Salica

conscripta prope [illegible]

[illegible]

A *annum Christi* MLXIII *factæ, recolitur pridie Kalendas Julii apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgii Carthusianos Colonienses in Auctario Usuardi et Canisium in Martyrologio Germanico :* Methis Translatio S. Sigeberti Confessoris, de quo I Februarii actum. *Cultum antiquum confirmant tum miraculorum ad ejus sepulchrum olim perpetratorum historia, tum, ut in ea refertur, nomen ejus sacris Litaniis insertum. Baronius ad annum* 658 *num.* 3 *ad imitandum proponit* Sigebertum, laudatissimum Principem, æqui amantissimum, et religionis observantissimum; *qui* pace bene usus, cum ab externis et civilibus bellis quiesceret, sese totum monasteriis erigendis aliisque pietatis operibus mancipavit. *De ecclesia illi Nazarii dicata et sacris ad eam reliquiis translatis, seorsim post Vitam ejus relaturi agemus.*

AUCTORE G. H.

*nomen in Litaniis.*

## § VI. *Vita conscripta, de Fredegario, Gestis Regum Francorum, aliisque historicis judicium.*

*Vita S. Sigeberti a Sigeberto Gemblacensi scripta.*

Sigebertus *monachus Gemblacensis libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 172, *sive ultimo, ait se* Metis positum in prima ætate in ecclesia S. Vincentii ad instruendos pueros, scripsisse Vitam Sigeberti Regis, conditoris ecclesiæ et Abbatiæ S. Martini B extra civitatem Metensem positæ. *Eum autem* Metis docuisse tempore Maschelini, sive Tietmari Abbatis *Gemblacensis,* diuque conversatum cum Fulcuino eiusdem S. Vincentii Abbate, post multum temporis vix impetrata licentia, rediisse ad monasterium Gemblacense *testatur discipulus ejus in libro de Gestis Abbatum Gemblacensium apud Miræum in Præfatione ante ejusdem Sigeberti Chronicon. Dictus* Abbas Maschelinus, *qui in hoc Chronico* Mysac *dicitur,* Olberto *decessore anno* MXLVIII *e vivis sublato, electus, supervixit ad annum* MLXXII, *quo et substitutus est* Tietmarus. *Illam autem* S. Sigeberti Vitam, *quam tum Gemblacensis inculcat* in prima ætate *a se fuisse scriptam, eamdem arbitramur, quam ex Cod. MS. bibliothecæ Alexandri Petavii Senatoris Parisiensis edidit, sed mutilam, Andreas du Chesne tomo* I *Scriptorum historiæ Francorum; quamque integram exhibet codex MS. bibliothecæ monasterii Stabulensis hoc utrobique exordio,* Quia de Vita Sigeberti Francorum Regis quæritis, quæque de eo, vel de ordinatione regni in historiis, vel de sanctæ religionis propagatione in Sanctorum legimus gestis, inde collecta expediam pauca. Et quia tres hujus nominis Reges Francorum fuisse scimus, nobilitatis ejus antiquitatem repetam altius, ut, quis fuerit primus Rex Sigebertus, quis secunC dus, quis iste, de quo nunc agitur, tertius, vobis pateflat clarius, et cunctis palam fiat, unde gens Francorum nomen vel originem trahat, et unde et quando Gallias invaserit, quas per annos jam fermo sexcentos tenuit, et adhuc tenens potenter regit et feliciter. *Hæc ille. Dicti autem* sexcenti anni *si a Galliarum domitore Chlodoveo I, cujus regnum anno* CDLXXX *cœptum esse supra probavimus, ad præfecturam Tietmari* Gemblacensis *anno* MLXXII *initam numerentur,* jam ferme, *ut præscribitur, apparebant completi.*

*(edita ab Andrea du Chesne)*

40 *Eamdem* S. Sigeberti Vitam, *rejectis superfluis de* Francorum origine, *ac primo secundoque Rege Sigeberto, in eam perfectionem, qua infra damus, formavit aut alius, forte secundæ partis miraculorum de quo mox agemus, auctor, aut idem deinde Sigebertus, quem, Chronico suo ad annum* MCXII *deducto, iii Nonas* Octobris *ejusdem anni,* longa confectum senectute obiisse, *tradit discipulus ejus in memorato libro de Gestis Abbatum Gemblacensium, tum adhuc superstite* Liethardo Abbate, anno *proximo* MCXIII, II Nonas Februarii *vita functo, ut Anselmus Gemblacensis in Auctario ad Chronicon Sigeberti docet. Ceterum propria S. Sigeberti ejusque parentis Dagoberti gesta eodem*

*postea locupletata,*

D *verborum contextu ex priore Vita in secundam leguntur translata; interpositis aliunde nonnullis, quæ auctor ut prioribus intersererentur digna judicarit. Si autem Sigebertus eam limasset ornassetque ab alio ante vulgatam, illud profecto, dum sua ipse opuscula enumerat, non siluisset. Nam, sicuti ibidem fatetur se* Vitas SS. Maclovi et Theodardi urbaniori *tantum* stylo meliorasse, *ita indicasset se* Vitam Sigeberti Regis *ab alio compositam amplificasse : quam modo se* scripsisse *profitetur. Præterea eisdem verbis idem Sigebertus et in priore Vita et in Proœmio sui Chronici fabulosam Francorum originem deducit per Trojanos, Antenoridas, Sicambros, eisque Reges præficit Priamum, Marcomirum, Faramundum, Clodium, Meroveum, de quibus uti primo et secundo Sigeberto, aliisque Merovingis Regibus certiora disputamus.*

41 *Unicam ergo damus Vitam jam ante sub nomine Sigeberti Gemblacensis editam a Jacobo Mosandro in appendice ad Surium, seu tomo 7 de probatis Sanctorum Historiis, et deinde in tertia editione Suriana ad Kalendas Februarias ordine debito insertam. Molanus eamdem habuit ex codice MS. bibliothecæ monasterii Malmundariensis descriptam; quam illic extare etiam testatur Chapeavillus tomo* I *de Gestis Episcoporum Tungrensium et Trajectensium annotatione 3 ad cap.* 44 *Harigeri Abbatis. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii hoc* I *Februarii,* Scripsit, *inquit,* Sigebertus Gemblacensis libellum de vita et genealogia hujus S. Sigeberti Regis, qui tertius fuit ejus nominis. Deinde alterum scripsit libellum de miraculis, quæ ipsius tempore Metis contigerunt ad sepulchrum gloriosi Confessoris. *Hæc Molanus, post quem eamdem miraculorum historiam* Sigeberto *adscribunt Baronius anno* 657 *num.* 46, *Miræus in Fastis Belgicis, Chapeavillus ad cap.* 50 *Harigeri et passim alii. In editionibus Surii dicuntur* hæc miracula ab eodem Sigeberto conscripta, sed in compendium contracta, *quæ stylo primigenio integra damus ex codice MS. bibliothecæ monasterii Stabulensis a Domino Benedicto del Rive, religioso istic Sacerdote descripta, nobisque ab Reverendo admodum Domino Jacobo Lansival ejusdem monasterii Priore transmissa.* E

*hic datur*

*cum historia miraculorum,*

42 *Ea in duas partes distribuimus, quarum unaquæque a diverso auctore conscripta, proprio epilogo concluditur. Occasio prioris partis conscribendæ data est, quando corpus S. Sigeberti post quinque secula incorruptum, cœlesti monito anno* MLXIII *translatum, novis claruit miraculis, quæ non diu postea a Sigeberto Gemblacensi una cum Actis sancti Regis creduntur conscripta. Certe auctor in prologo præfatur se* non aliena aut inexperta scribere, sed ea, quæ, aut recenti tempore facta comprobantur, aut quæ a fidelibus hominibus, qui se eisdem interfuisse miraculis tunc etiam protestabantur, comperit. *Miscentur lepore poetico aliquot versus, quod etiam in* Vita Theoderici Episcopi conditoris ecclesiæ S. Vincentii *testatur idem Sigebertus, nec omisit versus Virgilii de Antenore in priore Vita S. Sigeberti proferre : a quo stylo diversus auctor secundæ partis miraculorum, nullos omnino versus poeticos interserit, tum integro fere seculo Gemblacensi junior, postquam iterum sub annum* MCLXX *aut etiam serius incorruptum corpus S. Sigeberti repertum est, asserit* se hæc et alia multa miracula vidisse, quæ suis temporibus facta fuerunt. *Ab eodem forte auctore, quam damus S. Sigeberti Vitam politius limatam esse supra insinuavimus. Eamdem Vitam suo stylo contractam ediderunt Zacharias Lippelous, et Franciscus Haræus, et Gallice translatam Dubletius, aliaque ex quibus Lippelous annum obitus hic observatum omisit, Haræus ad suum calculum correxit, Dubletius eumdem fidelior interpres intactum descripsit.* F

*partim ab eodem Sigeberto,*

*partim postea scripta.*

43 *Ex* historiis, *aliisque* Sanctorum gestis, *unde* collectam S. Sigeberti Vitam *se* expedivisse *præfatur Gemblacensis, eminet* Chronicon Fredegarii Scholastici,

*Fredegarius*

*Auctor S. Sigeberti scripsit Chronicon,*

A Scholastici, *auctoris coævi, qui se Acta Regum et* bella gerentium, quæ legendo, et audiendo et videndo etiam cognovit, scripsisse *in prologo affirmat. In hoc Chronico describuntur* S. Sigeberti *nativitas, regnum Austrasiorum illi collatum, Austrasios inter et Neustrios pactum de regni inter fratres divisione, thesaurus ab obitu patris Dagoberti receptus, et bellum cum Thuringis in prima adolescentia gestum. Quæ eo accuratiora sunt, quod* Fredegarius *tum temporis vixerit suo Chronico non ultra* Caput LXXXX *producto: reliquis quæ deinde subnectuntur, ab non unico auctore, neque eodem tempore conscriptis. Ad hanc de* Fredegario *opinionem plurima nos movent. Primo, quæ solius sunt* Fredegarii, *ea tantum exhibentur* in vetustissimo Codice Jacobi Sirmondi Societatis Jesu uncialibus litteris exarato *ut ante hoc Chronicon præfatur Andreas Chesnæus. Secundo, in eodem Chronico typis* Wechelianis *in Corpore historiæ Francicæ anno* MDCXIII *cuso, ea post præfationem tantum capitula recensentur: quæ nos solum a* Fredegario *conscripta arbitramur. Tertio Aimoinus, quamvis historiam suam Francorum, ut in præfatione fatetur,* ad id temporis, quo Pipinus pater Caroli Magni regnare cœpit, decrevisset *deducere, eam tamen cum* Chronico Fredegarii *a nobis limitato finit, forte ratus se veracibus historicis, quos sequeretur,* B *destitui.*

*quæ ad caput 90,*

*alio stylo continuatum,*

44 *Quarto* Fredegarium *stylus et modus scribendi a Continuatoribus plurimum distinguit separatque; Ille ut monet in prologo, imitatus Gregorium Turonensem per annos Regum res gestas digerit; illi annis illis omissis, maxime disparata hoc similive modo loquendi connectunt,* igitur, quoque, hisce diebus, eodem tempore *etc. Ille procul a Galliis, res ab Imperatoribus, Longobardis, Hispanis aliisque gestas interserit; hi solum a Francorum Regibus peractas narrant. Denique ubi* Fredegarius *dicto capite* 90 *desinit, rerum a S. Sigeberto, ejusque fratre Chlodoveo* II, *et hujus filiis Chlothargo* III *et Childerico gestarum hiatus est, absque ulla mentione reliquæ vitæ et mortis S. Sigeberti, filii ejus Dagoberti attonsi in Clericum, et Childeberti intrusi ejectique: tum paucis attinguntur regna aliorum, neque absque pluribus magnisque mendis, quæ infra suis locis corrigimus. Hic autem hiatus ex Gestis Regum Francorum, aliisque minus solidis historiis suppletus est, ad continuandum Chronicon jussu Childebrandi Comitis sub Pipino Rege conscriptum, quod a Capite* XCV *in morte Childerici et regno Theoderici captum, accurate sequentium Regum historiam proponit: deinde auctoritate Nibelungi, dicti Childebrandi filii ad annum Christi* DCCLXVIII *productum.*

*post hiatum intercedente suppletum)*

*... Childebrandi et Nibelungi*

C 45 *Fredegario proxime substituenda forent* Gesta Regum Francorum *a Marquardo Frehero primum in lucem edita, dein ab Andrea Chesnæo tomo* I *Scriptorum historiæ Francorum inserta, si eam quam vulgo habent, mererentur fidem. Continuator Aimoini hæc* Regum gesta *a capite* XLIII *descripta interserit libro* IV. *Baronius anno* 692 *sect.* 32, *huic præ ceteris inhærendum* putat, cum res sui temporis scripsisse noscatur: etenim ubi agit de Theoderico filio Dagoberti II in Regem assumpto, ita de ipso ait, *cap.* 52 Qui nunc sexto anno in regno subsistit, eo se anno scripsisse demonstrans. *Hæc Baronius. Annus is sextus Theoderici* II *convenit in annum Christi* DCCXXV, *a quo eadem Aimoini historia continenti methodo continuata est ad annum usque Christi* MCLXV, *tamquam auctor idem seculis prope quinque vixisset. Idem ante hisce Gestis* Regum Francorum *factum arbitramur: quæ magna incuria ex variis collecta nobiscum judicabit, quisquis ea cum aliis scriptoribus coævis contulerit, aut infra pauca a nobis collata attentius relegerit. Eorum compilator, quocumque vixerit tempore, Aimoino et Sigeberto senior statuendus est. Unicum licuit hactenus videre codicem manu exaratum, sed admodum antiquum, a quingentis facile annis scriptum, qui pertinuit ad Melchiorem Goldastum, virum in Germania apud Lutheranos eruditum.* D *In hoc eodem Codice MS. extat Chronicon Fredegarii seu capita solum* XC, *quæ genuinum ipsius Fredegarii fœtum diximus, addita sub finem hac solemni clausula* Explicit: *quod itidem verbum post nudos titulos sub initium indicatos legitur, indicio certo nihil amplius requiri ab eo auctore scriptum.*

*Auctore G. B.*

46 *Alia extant tomo* I *Histor. Francorum anonymi monachi S. Dionysii* Gesta Domini Dagoberti Regis Francorum *ad obitum Chlodovei filii deducta, Chesnæus* auctorem temporaneum *vocat, quem sub* Chlodoveo II *scripsisse putat Petrus de Marca lib.* I *historiæ Bearnæ cap.* 26 § 1. *Verum plura in hisce Gestis reperiuntur, quæ auctorem hunc aliquot seculis juniorem fuisse innuunt. Sufficiant hic paucula ex capite* 43 *recitata:* Nunc ad obitum, *inquit,* ipsius *Dagoberti* describendum vertens articulum, quid in ipsa positus infirmitate gesserit, et unum, quod in quadam vetustissima reperi charta, quam, ut ferebatur, B. Audoënus scripserat, quodque memorato Regi ejus post mortem contigit, breviter narrabo miraculum.

*monachus S. Dionysii de Gestis Dagoberti,*

47 *Hæc Dagoberti Gesta quasi a pluribus scripta citat Aimoinus lib.* 4, *cap.* 17. Cujus Dagoberti, *inquit,* actus licet a nonnullis separatim digesti habeantur, tamen ne eos facta ejus lateant, apud quos præfata non invenitur scriptura, ea nos libuit perstringere. E *Hunc auctorem Aimoino antiquiorem fuisse licet conjectare. Præcipuam autem historiæ suæ auctoritatem mutuatur a Fredegario, a quo pleraque describit. Reliquis ejus scriptis non tam secura ubique fides est adhibenda. Ipse autem Aimoinus, qui hosce auctores sequitur, floruit sub annum Christi* CIↃ, *suamque historiam ipse monachus Floriacensis inscripsit S. Abboni Abbati suo, eamque cum translatione reliquiarum S. Benedicti ex monte Casino ad suum monasterium Floriacense concludit.*

*Aimoinus Floriacen.*

## § VII. *Anni Regum Francorum ab ætate S. Martini numerati. Annus obitus Theodosii Magni et S. Ambrosii.*

Magnum rerum Francorum dispendium futurum *monet Baronius ad annum* 331, *num.* 22 si error Chronographicus contingat in ætate S. Martini, a cujus obitu solerent olim tempora numerari. *Ita numeravit S. Gregorius Episcopus Turonensis e successoribus S. Martini, qui tempora hujus sancti Præsulis et reliquorum Episcoporum Turonensium accuratissime descripsit. Gregorium imitati Fredegarius, Aimoinus, aliique antiqui Chronologi, ab obitu S. Martini tempora Regum digesserunt: uti et infra in Actis S. Sigeberti num.* 17 a transitu S. Martini *illius obitum quasi certiore charactere consignat Sigebertus Gemblacensis. At modo quia Gregorius Turon.* migrasse ad Christum *asserit* S. Martinum octogesimo et primo ætatis suæ anno, Episcopatus vero vigesimo sexto; *de his annis primo inquirendum.* Natum *autem esse* S. Martinum apud Sabariam Pannoniæ civitatem, pace post excessum Diocletiani Ecclesiis reddita, anno Imperii Constantini undecimo, *scribit idem Turonensis lib.* 1. *Histor. cap.* 34. *Annus is habetur Æræ vulgaris* CCCXVI, *quo* Sabino et Rufino Coss. III Nonis Decemb. Diocletianum diem functum *tradit Idatius in Fastis Consularibus. Confirmat hunc annum Severus Sulpitius S. Martini discipulus Dialogo* 2, *cap.* 7 *et* 8, *et in* Vita *ejus cap.* 23, *ubi* S. Martinus septuagenarius *convenit* Maximum Imperatorem *præsente* Consule Evodio, *qui eam dignitatem gessit anno* CCCLXXXVI, *inter quem et* CCCXVI, *anni omnino* LXX *continentur. Decessores habuit S. Martinus in Episcopatu* SS. Gatianum, *seu* Gratianum *et* Lidorium *apud Gregorium lib.* 10, *cap.* 31, *quorum ille* Roma missus anno Imperii Decii primo, *Christi* CCL, commoratusque annos quinquaginta in urbe Turonensi obiit in pace XVIII *Decembr. anno* CCC., cessavitque Episcopatus XXXVII annis, *quibus comple-*

*S. Martinus natus anno 316*

F

*tu*

AUCTORE G. H.

*ordinatur Episcopus Turonensis anno 371.*

A tur annus CCCXXXVII, *quo Constantino Magno ipso die Pentecostes vita functo filii tres Imperium capessiverunt.* Anno *autem* Constantis primo ordinatus Litorius sedit annos XXXIII, *ab anno scilicet* CCCXXXVIII *ad annum* CCCLXXI, *quo, uti ibidem asserit Gregorius,* Imperii Valentiniani anno VIII S. Martinus ordinatur Episcopus, *et quidem* IV Nonas Julias : *quem diem huic ordinationi sacrum assignat ibidem Gregorius lib. 2, cap. 14.*

49 *His positis ad obitum S. Martini transimus, cujus annum pluribus characteribus insignem reddit idem Gregorius, et lib. 1 historiæ cap. 15, hos indicat.* Arcadii, *inquit,* et Honorii secundo Imperii anno, S. Martinus Turonorum Episcopus, plenus virtutibus et sanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogesimo et primo ætatis suæ anno, Episcopatus autem vigesimo sexto, apud Condatensem diœcesis suæ vicum excedens a seculo, feliciter migravit ad Christum. Transiit autem media nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæsarioque Consulibus. *Hæc Gregorius, quæ omnia et singula quadrant in annum* CCCXCVII, *ut primo Consules eo anno fuerunt* Atticus et Cæsarius, *iterum a Gregorio lib. 1. Miraculorum S. Martini cap. 3, repetiti, quos ex antiquis Ecclesiæ Turonensis monumentis transcriptos vel inde certius concludimus, quod in tota sua historia aliisve libris nullam aliorum Consulum mentionem faciat, et hos præter suam* B *consuetudinem bis allegarit. Dein consentiunt anni ætatis et Episcopatus administrati, quos tamen Gregorius more suo, uti infra constabit, annis Julianis aptatos, incipit a proxime sequente Januario. Moritur ergo* S. Martinus octogesimo et primo ætatis suæ anno, *uti confirmat idem Gregorius lib. 1 Miraculorum cap. 3. Is autem ab* CCCXVI *anno absoluto aut proximi* CCCXVII *initio cœptus numerari ad hunc annum* CCCXCVII *expletur. Moritur etiam anno* Episcopatus vigesimo sexto, *qui eodem modo ab anno* CCCLXXI *finito aut sequente* CCCLXXII *initio ad hunc annum* CCCXCVII *perducitur. Hæc ita observat Gregorius, ubi sequitur et supputatur annus Chronicalis, uti ad calcem Historiæ tradit : alium ab eo ait se modum numerandi conficere in tractatu de Episcopis Turonensibus sub finem Historiæ adjuncto, qui præter dies nonnullos, de quibus mox agemus, assignat annos* Episcopatus ejus XXVI et menses IV. *Ex his colliguntur anni a* CCCLXXI *ad* CCCXCVII, *menses vero a die* IV Nonas Julias *ad* IV Nonas Novembris.

*moritur anno 397 Attico et Cæsario Coss.*

*ætatis 81*

*Episcopatus 26.*

50 *Alius supra indicatus character est, quod anno* secundo Imperii Arcadii et Honorii *dicatur migrasse. Verum is character non caret difficultate, ex annis Imperii Theodosii Magni horum parentis explicandus. De ejus exordio ista habet Idatius in Fastis Consularibus.* Ausonio et Olybrio Coss. levatus est Theodosius Augustus ab Augusto Gratiano die XIV Kalend. Februar. in civitate Sirmio. *Annus is est Æræ vulgaris* CCCLXXIX. *Ruffinus, qui tum florebat, historiam suam Ecclesiasticam cum obitu Theodosii ita concludit.* Ipso *Theodosius* Romano Imperio per annos decem et septem feliciter gubernato, ad meliora migravit, cum Principibus piissimis percepturus præmia meritorum. *Eosdem annos Imperii ejus* XVII *expressit Marcellinus Comes in Chronico his verbis.* Theodosius Magnus apud Mediolanum vita decessit. Imperavit annos septemdecim. Corpus ejus eodem anno Constantinopolim allatum atque sepultum. *Hos* XVII *Imperii annos numerarit Orosius lib. 7, cap. 34 et 36* ab anno V. C. millesimo centesimo trigesimo secundo, ad annum millesimum centesimum quadragesimum nonum, *quando* Arcadius Augustus, cujus nunc, *inquit,* filius Theodosius Orientem regit, et Honorius frater ejus, cui nunc Respublica innititur, XLIII loco commune Imperium divisis tantum sedibus tenere cœperunt : vixitque Arcadius post patris excessum annis duodecim, Imperiique summam filio suo parvo admodum moriens tradidit. *Hi autem* XVII *Imperii anni cœpti* XIX *die Januarii, anno* C *Æræ vulgaris* CCCLXXIX, *necessario protrahendi sunt ad* D *finem anni* CCCXCV *aut initium sequentis. Hos auctores secutus Gregorius Turonensis, annum* CCCXCVI *statuit primum Imperii filiorum Arcadii et Honorii, quorum* anno secundo *obitum S. Martini ab eo referri* Attico Cæsarioque Consulibus *jam monuimus. Socrates de annis Imperii Theodosii Magni, ejusque filii Arcadii plane diversa tradit, et ista quidem lib. 5, cap. 25 habet :* E vita abiit Theodosius Olybrio et Probino Coss. decima septima Januarii. Annus is erat primus ducentesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis. Vixit Imperator Theodosius annos sexaginta, regnavit annos sedecim, *sed nondum completos duorum dierum defectu, cum cap. 2, ejusdem libri 5, asserat* XIX Januarii Theodosium Sirmii a Gratiano declaratum Imperatorem Ausonio et Olybrio Coss. *uti eadem supra ex Idatii Fastis dicta sunt.*

*Theodosius 16 annis creatur Imperator 19 Januarii 379.*

*an imperavit 17 annos?*

*moritur Mediolani anno 395.*

51 *Joannes Grothaussius noster historiæ et chronologiæ antiquæ callentissimus, eosdem initio et fini Imperii assignatos Consules monuit servandos, et nihilominus cum ante indicatis antiquis auctoribus, Rufino, inquam, Marcellino, Orosio, aliisque, annos septemdecim esse Imperio Theodosii tribuendos, inserto anno ante Consulatum Ausonii et Olybrii, hactenus ab auctoribus plerisque magno cum detrimento veritatis historicæ neglecto : quem tamen Acta proconsularia Africæ, apud S. Augustinum lib. 3, contra Cresconium cap. 56, relata, clare indicant his verbis.* Post Consulatum Dominorum Arcadii III et Honorii iterum Augustorum, sexto Nonas Martii Carthagine in secretario Prætorii Titianus dixit *etc. Quæ suis verbis ipse Augustinus lib. 4, contra Cresconium cap. 39, ita confirmat.* Dies concilii Bagaiensis est Consulatu Augustorum Arcadii III et Honorii iterum octavo Kalendarum Maii, dies autem dilationis hinc usque ad octavum Kalendarum Januarii. Postulatio vero ista Titiani dicta est post illum Consulatum die sexto Nonas Martii. *Postulabant Legati Concilii Bagaiensis superiore anno celebrati, ut Maximianistæ e suis ecclesiis pellerentur. Hoc autem anno, quod Imperium esset bello Eugeniano turbatum, et absens Imperator Theodosius non posset civilia officia ordinare, Consules idem perdurassent, scriptumque in Actis publicis* post Consulatum Arcadii III et Honorii II. *Quo etiam modo annus XV Imperii Constantii inscribitur* post Consulatum Sergii et Nigriani, *et annus* IX *Imperii Gratiani,* post Consulatum Gratiani Augusti III et Equitii. *Quod posterioribus temporibus sæpius et per plures continenter annos factum est. Hunc autem annum* post Consulatum Arcadii III et Honorii II *pluribus probare conatur argumentis idem Grothaussius noster, eumque annum* E *adstruit* CCCXCIV, *a quo Æram Christi quatuor pene seculis anterioribus aliter ordinat, Epochamque annorum Christi, quos ad hæc nostra tempora servamus, non statuit ad* Consulatum C. Cæsaris et L. Æmilii Paulli, *uti nos hactenus cum Deckerio, Petavio, Bucherio fecimus, sed principium ducit ab aliis sequentibus Consulibus : quod hoc loco monuisse sufficit : ut mirum non videatur, si magnum inter auctores discrimen appareat annorum, quibus Theodosius Magnus, ejusque filii imperarunt.*

*An annus interponendus*

*prioribus annis 400 accelerati?*

52 *Post annos Imperii* XVI *aut potius* XVII, *mortuum Theodosium esse* XVII Januarii Olybrio et Probino Coss. *anno* CCCXCV *(nam inde ad hæc tempora recte effluere annos indicatos sentit Grothaussius) Arcadius Augustus confirmat, dum* III Idus Martii Olybrio et Probino Coss. *in Codice Theodosiano ad Ruffinum Præfectum Prætorio L. 25 de Hæreticis ista rescripsit.* Omnes pœnas, cuncta supplicia, quæ sanctionibus divæ recordationis genitoris nostri adversus hæreticorum sunt pertinaces spiritus constituta, nostro etiam decreto reparantes decernimus. *Quibus verbis* F *constat Theodosium patrem jam tum vita functum. Corpus ab obitu* quadraginta diebus Mediolani *constitisse, et inde* per multa regionum divortia interjacentia et maria

*Corpus Theodosii Constantinopolim delatum*

A maria transfretanda Constantinopolim *derectum fuisse indicat S. Ambrosius oratione de Theodosio. Fuisse autem* corpus honorifico funere die VIII Novembris Constantinopoli ab Arcadio filio depositum *refert Socrates lib. 6 cap. 1, sed ipsius consulatum innuit,* ἐν τῇ αὐτοῦ ὑπατείᾳ, *quasi anno,* CCCXCVI *ea depositio contigisset, non præcedenti, ut Marcellinus et alii tradunt.*

53 *Ab annis et morte Theodosii Magni, ad annum obitus S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis transeundum est, quia* Dominus S. Ambrosio Mediolani festa Dominici diei celebranti ostendere dignatus est, S. Martinum de corpore egressum fuisse, *uti illa refert Gregorius Turon. lib.* 1 *Miraculorum cap.* 5 *cumque secutus auctor Vitæ S. Severi Episcopi Ravennatis supra pag.* 87 *nu.* 22. At S. Ambrosius *apud Paulinum Presbyterum in ejus Vita, quam hortatu S. Augustini scripsit,* post obitum Theodosii fere triennium supervixit. *Paulini optimus interpres Marcellinus in Chronico tradit* Indictione XI Honorio IV et Eutychiano Coss. Anastasio *ante* XIV *die Martii* Romanæ Ecclesiæ Episcopo ordinato, Ambrosium ad Christum migrasse. *Annus is est Christi* CCCXCVIII, *quem ante memoratus Gregorius confirmat. Reliqua copiosius suo tempore stabilientur.*

*Ante S. Ambrosium mortuum anno 398.*

54 *Denique* transiit media nocte, quæ Dominica habebatur, *aut, ut legitur lib.* 1 *Mirac. cap.* 3, die Dominica, illa hora *noctis, qua* matutini hymni *absoluti erant. Hunc diem posteriores cum translatione corporis et sepultura conjunxerunt, melius a Gregorio lib.* 2 *Hist. cap.* 14 *distinctum. Hic judicata ad S. Martini honorem extructa ecclesia, subdit :* Solennitas ipsius basilicæ triplici virtute pollet, id est, dedicatione templi, translatione corporis Sancti, vel ordinationis ejus Episcopatus. Hanc enim IV Nonas Julias observabis, depositionem vero ejus III Idus Novembris esse cognoscas. *Hæc Gregorius, assignato eidem solennitati die* translationis et depositionis, *quo corpus et Condatensi vico* translatum, *in sua apud Turones præparata sepultura* depositum est.

*obit S. Martinus die Dominica,*

B

55 Dominica *proxime ante* XI Novembris *elapsa, qua* ad Christum migravit S. Martinus, *anno* CCCXCVII *incidit in* VIII *Novembris. Altercatio mox est Pictones inter et Turones exorta, qua dies* IX *Novembris proxima post Dominicam, consumpta fuit. Pictonibus nocte sequente dormientibus, Turones Corpus sublatum,* X *Novembris per Vingennam et Ligerim ad suam avexerunt urbem, et* XI *Novembris,* monachis ad duo millia concurrentibus *(ut in epistola Severi ad Bessulam legitur)* solenni apparatu deposuerunt. *Hic dies ob felicem altercationis exitum, et quasi victoriam de Pictonibus reportatam, publice extructis ignibus quotannis renovatus est, et pro die obitus habitus. His positis, præter* XXVI annos et menses VI *relatos, rexit Martinus Episcopatum* dies VII, *a* IV Nonas Novemb. *ad* VI Idus, *quos* VII dies ab aliis legendos asseri, *docet Malebrancus tomo* 1 *de Morinis, tract.* 2 *Chronol. cap.* 2. *Alii dies* X *aut* XVII, *plures* XXVII *legunt. Hinc Malebrancus obitum rejicit in* XXIX *Novembris, tum Dominicam. Verum fuisset anno sequente corpus ad Turonensem sepulturam translatum, quod nullo modo dictæ Historiæ congruit.*

*8 Novembris.*

*[...]epelitur et co[...]itur 11 Novemb.*

C

56 *Abjecta hac Gregorii auctoritate, assumitur verbum Severi lib.* 3 *Dialog. cap.* 15. *Ibi* S. Martinus, *ab* Angelo *reprehensus,* nullam *postea* adiit Synodum, *licet* sedecim *adhuc* vixerit annos. *Habita est ea Synodus Treviris* Evodio Consule, *anno* CCCLXXXVI, *quando* septuagenarius *erat* Martinus, *qui, si sedecim* postea vixit annos, *ad annum* CDII, *ut Baronius censet, vitam protraxit, sed tum* XI *Novembris in diem Martis incidit, et obstant anni ætatis et Episcopatus.*

*[...] Synodum Treverensem [...]vixit annis [...] 16*

57 *Quam parum Severo fidendum sit, docet Baronius anno* 351, *nu.* 18, *asserens* Severum deformiter sibi contrarium. Vitam S. Martini librariorum vitio depravatam, inesse illi prorsus indigna, ipsum adeo contraria inter se litteris haud videri commendasse, et tam turpiter hallucinatum esse, his præsertim in rebus, de quibus a pluribus tum viventibus mendacii redargui facile potuisset. *Dein n.* 15 *et* 20 in Severum menda illapsa in annis S. Martini, *cum* annos quindecim natum *scribi* militare coactum, *qui tum egit* annum ætatis XVII. *Et nu.* 22 ait absurda et plane portentosa apud Severum in annorum numeros illapsa menda, dum Martinus dicitur ante baptismum biennio militasse, biennio vero post baptismum, quem liquet ante baptismum annos viginti militasse, et quatuor post baptismum explesse *etc. Quidni eadem ratione adjungat imperitum illum descriptorem* annos sedecim vitæ *a congressu Maximi effinxisse, licet* undecim *tantum reperisset? quæ genuina Severi lectio fuerit, cum Turonensis suam Historiam scriberet, in qua lib.* 10, *cap.* 31, ait se de Martini Vita tres a Severo Sulpitio libros conscriptos legisse, *ibique quasi hujus auctoritate roboratus tradit* Martinum obiisse anno LXXXI ætatis, sedisse *in Episcopatu* annos XXVI, menses IV *etc. alibi extremum annum, quem non attigit Severus, amplissima nota* anni II Imperii Honorii et Arcadii, Consulatus Attici et Cæsarii, *revelationis* S. Ambrosio *adhuc viventi factæ, confirmat. Imo utrique et Severo et Gregorio Martinus eodem prorsus tempore* septuagenarius *erat, quod verbum minus errori correctorum subjectum fuit.*

*[...] librariorum [...] scriptu.*

*Auctore G. H.*

D

*pro II.*

E

58 *Quæ Baronius sibi contraria circa S. Martini ætatem profert, legi possunt anno* 375, *num.* 2, *et* 3, *et anno* 402, *num.* 49 : *ubi num.* 50 *præterea censet ad illum annum* vixisse Martinum, *quod* Franci veteres scriptores, qui numerare consueverunt annos ab obitu S. Martini, hujus sententiæ adstipulatores esse convincantur : *quos ideo per sæcula fere quatuor ab annis S. Martini ad tempora Caroli Martelli accurate deducimus, donec anno* DCCXIV *tandem cum Baronio conveniemus. Contendit Scaliger lib.* 6, *de Emendatione temporum, Martinum anno* CCCXCV *obiisse. At Petavius lib.* II *de Doctrina temporum cap.* 25, *Bucherius de Chronologia Regum Francorum Merovealdarum, Deckerius tomo* 1 *dissertationum Theologicarum in Christi Natalem, lib.* 3 *disput. ultima, quæst.* 5 *et alii, morti ejus assignant annum quadringentesimum : quorum rationes ex dictis infractæ sunt, suo tempore magis refutandæ.*

*Epocha hæc in Regibus Francorum usque ad an. 714 stabilitur.*

## § VIII. *Chronologia stabilita in successoribus S. Martini et Regibus Francorum usque ad obitum Chlotarii* I *abavi S. Sigeberti.*

F

S*uccessores S. Martini, e quorum tempore statuta chronologia confirmatur, referuntur a Gregorio lib.* 10, *cap.* 31. *Ex his* S. Briccius ordinatus est anno Arcadii et Honorii secundo, cum pariter regnarent. Fueruntque omnes anni Episcopatus *ejus* XLVII, *vita functi anno* CDXLIV, *cujus Natalem Usuardus, Beda aliique tradunt* XIII *Novemb. Post hunc* S. Eustochius sedit annos XVII *usque ad annum* CDLXI, *colitur* XIX *Septembris. Quo mox anno* S. Perpetuus Episcopus *factus,* interfuit, subscripsitque Concilio Turonico I, Severino V. C. Consule sub die XVI Kalend. Decemb. *Gregorius lib.* 1. *Miraculorum S. Martini, cap.* 6, *asserit* B. Perpetuum post Transitum gloriosi Domini Martini anno sexagesimo quarto Turonicæ Sedis cathedram sortitum dignitatis. *Quod tempus ab anno* CCCXCVII *ad* CDLXI *terminatur, egregio sententiæ nostræ firmamento.* Sedit autem S. Perpetuus annos triginta, *saltem ad annum* CDLXXXX, *colitur* VIII *Aprilis. Subrogatur* S. Volusianus, anno Episcopatus sui VII *circiter Christi* CDLXXXXVI *a* Gothis, *quod Chlodoveo videretur favere, versus Hispanias abductus, ut diximus die ejus Natali* XVIII *Januarii. In ejus locum* ordinatus

*Succedunt S. Martino SS. Briccius,*

*Eustochius,*

*Perpetuus,*

*Volusianus,*

A ordinatus Verus sedit annos XI, dies VIII, *usque ad annum* DVII, *quo Licinius successit.*

AUCTORE G. H.
*Verus, Licinius*

60 *Ab hoc* Vero *missus* Leo Diaconus *subscripsit* Concilio Agathensi, III Idus Septemb. Messala V. C. Consule, anno regni Alarici XXII, *Christi* DVI. *Anno sequente* DVII, *dum Licinius Episcopus Turonensis esset,* Alaricus, *apud Isidorum in Chronico Gothorum,* anno regni *sui* XXIII, Anastasii Imperatoris XVII, Æræ Hispanicæ DXLV provocatus a Francis, *Rege Chlodoveo,* in regione Pictavensis urbis prælio inito extinguitur. *Inclinasse annum in seram æstatem innuitur apud Gregorium lib. 2, cap. 37, quod et Vigenna fluvius intumuerat inundatione aquarum, et Chlodoveus apud Burdegalensem urbem hiemem egit. Inde anno sequente* DVIII, *a victoria Gothica proximo*, Chlodoveus Turonos regressus, ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu accepit, et ab ea die, *qua ideo istic triumphavit,* tanquam Consul et Augustus est vocitatus. *Hæc Gregorius cap. 38.* Ipse autem Rex, *ut addit Sigebertus in Chronico (qui anno* DIX *Alaricum cæsum scribit)* misit Romam S. Petro coronam auream cum gemmis, quæ Regnum appellari solet. *Hincmarus etiam in Vita S. Remigii conjungit victoriam Gothicam, codicillos de Consulatu acceptos, et coronam hanc Romam missam : sed ambo falluntur, rati tum Romanæ Ecclesiæ præfuisse* Hor-

*Gothi cæsi anno 507*

*Clodoveus Consul et Augustus, an. 508*

*Coronam mittit Romam,*

B misdam Papam, *quem anno integro ante victoriam Gothicam creatum scribit Sigebertus, increbroto tum errore, a Balderico lib. 1 Chronici Cameracensis cap. 6 etiam descripto. Præerat summus Pontifex S. Symmachus, cui anno* DXVI, XIV *Kalend. August. mortuo, successit* Hormisdas VII *Kalend. Augusti creatus, ante Romanæ Ecclesiæ Diaconus; qui Patribus in Synodo Romana* IV, *vulgo Palmari dicta, anno* DII *examinanda prælegit, sacri scrinii Romanæ Ecclesiæ Notarius, cujus nomen in locum* Symmachi, *ob litteras hujus a se subscriptas, vitio librariorum fuerit substitutum. Hoc præcipuo fundamento nixus Baronius obitum Chlodovei usque ad Pontificatum Hormisdæ se rejecisse asserit ad annum* 514, *num.* 21, *et ad annum* 402, *num.* 50, *ubi ideo ad illum usque annum vixisse S. Martinum statuit : eaque demum de causa ad tres quatuorve annos differt ætatem filiorum aliorumque successorum Chlodovei, ultra ipsa etiam S. Sigeberti tempora, uti ex dicendis constabit.*

*Symmacho papa,*

*non Hormisda*

*Interfectis variis Regibus*

61 Egressus autem Chlodoveus *(verba sunt Gregorii eodem cap.* 38) a Turonis Parisios venit, ibique Cathedram regni constituit. *Inde,* Rege Sigeberto Claudo, filioque Chloderico, *fraude ejus* interfectis, Coloniam *profectus, regnum Francorum Ripuariorum accepit.* Interfectis *deinde* Charatico, Ragnachario,

C aliisque Regibus per totas Gallias regnum firmavit. *Et* his transactis *addit Gregorius cap.* 43 obiisso apud Parisios Chlodoveum. *At quo anno, loco mendis intricato, accurate inquirendum. Primo* a transitu S. Martini usque ad transitum Chlodovei supputantur anni CXII. *Qui anni iterum referuntur lib.* 4, *cap.* 46, *et describuntur a Fredegario in historia Francorum epitomata cap.* 29, *et* 73 *et ab Aimoino lib.* 1 *historiæ Franc. cap.* 25, *in Chronico Moissiacensi et passim aliis. At* S. Martinum *supra demonstravimus vita functum esse anno* CCCXCVII, *mense Novembri : a quo, si anni* CXII *dictis locis requisiti interponantur, reperietur annus* DIX, *ipso tum mense Novembri hos* CXII *annos completurus : cujus Novembris die* XXVII *e vita discessisse Chlodoveum, innuunt anniversariæ preces pro eo in templo S. Genovefæ, ubi sepultus est solitæ hactenus recitari. Secundo eodem Gregorio lib.* 2, *cap.* 43, *Fredegario cap.* 29, *et Aimoino lib.* 1, *cap.* 25, fuerunt omnes dies regni Chlodovei triginta anni : *ab exitu anni Christi* CCLXXIX, *circa quem, deductis Regum præcedentium temporibus, exordium regni ejus statuimus, cum hoc anno* DIX *finiendi : quamvis in silen-*

*moritur ab obitu S. Martini anno 112,*

*Christi 509 27 Novemb.*

*regni 30,*

*tio antiquorum accurata mensium ratio nequeat iniri.* D *Tertio annum Christi* DX, *regni filiorum Chlodovei primum censeri ex horum epocha infra probabimus.*

62 *Verum requiruntur apud eumdem Gregorium dicto cap.* 43, *libri* 2, et annus quintus post Vogladense bellum et annus undecimus Episcopatus Licinii. *Istic annus Christi* DXII, *hic* DXVII *indicatur. Idem* Licinius *lib.* 2, *cap.* 39 *dicitur,* migrante Eustochio Turonorum Episcopo, octavus post S. Martinum ordinatus, *cum tamen* septimus a S. Martino Episcopus, *non* S. Eustachio *olim vita functo sed* Vero *successerit Omnes hoc ordine enumerantur ad calcem lib.* 10, *a Gregorio,* Martinus, Briccius, Eustochius, Perpetuus, Volusianus, Verus et Licinius. *Quorum temporibus ante expositis, ostendimus* Verum anno DVI *per suum* Diaconum Agathensi Concilio subscripsisse, *Quia tamen idem Gregorius addit,* Licinii tempore bellum Gothicum factum, et Chlodoveum Regem victorem Turonos rediisse, *ordinatum colligimus circa initium anni* DVII, *ut* cædes Gothorum *anno Episcopatus* primo, obitus *vero* Chlodovei *tertio, non* undecimo, *contigerit. Ita etiam annus primus a victoria Gothica, supputatione Gregorii Chronicali, convenit in annum Christi* DVIII, *secundus in* DIX, *quintus in* DXII, *et septimus in* DXIV *a Baronio electum.*

*quoto anno Episcopatus Licinii,*

*quoto post devictum Alaricum*

63 *Alium scrupulum injicit sub Chlodoveo habita* E *Synodus Aurelianensis prima, a Baronio, et Binio relata ad annum* DXI *victoria Gothica insignem. Sigebertus ad secundum ab illa victoria expectat annum, ex calculo nostro* DIX : *qui nobis est annus regni Chlodovei* XXX, *et ultimus, quem etiam* XXX *apponit Sirmondus huic Synodo, sed annum Christi requirit* DXI, *quod habitam* Felice Consule *reperecit notari. Ita Aurelianensi* II *adscriptus legitur* annus Justiniani Imperatoris decimus, *quem Sirmondus rejicit tanquam intrusum ab iis, qui cum Sigeberti Chronico Chlodoveum ad annum* DXVI *supervixisse crediderunt : quod ab eisdem* in Consulatu Felicis *factum fuisse magis certum est, sed nec Codices ulli MSS. nominantur, ut alibi a Sirmondo accuratissime observatur. Deest autem hic* Consulatus Felicis *in omnibus aliis Conciliorum codicibus, quos hactenus videre contigit. Vidimus certe a Jacobo Merlino collecto et Parisiis anno* 1524 *excusa. Coloniæ a Petro Crabbe Ordinis Minorum anno* 1538 *et iterum auctiora* 1551, *et rursus Laurentii Surii industria anno* 1567 *vulgata. Alia auspiciis Sixti V. Venetiis anno* 1585 *edita. Denique hoc seculo a Severino Binio collecta, et primum anno* 1606 *excusa, dein recognita, et Frontonis Ducæi variis etiam ad hanc Synodum lectionibus, et novo Episcoporum, qui subscripserunt, prolato ordine aucta, Coloniæ* 1618, *et Parisiis* 1636 *recuso.* F *Nec mirum. Consulatus enim perpetui honorem Chlodoveus ab Anastasio Imperatore acceperat. Non solitos etiam Francorum statutis, privilegiis, et diplomatibus apponi annos Imperatorum, Consulum Romanorum, aut Indictionum, infra deducimus. Ita etiam eo tempore Francos ex Gallicanis metallis aureos solidos, non, ut cum Persis ceteræ gentes faciebant, Romani Imperatoris effigie, sed suapte signasse observat Procopius de bello Goth lib.* 3 *et ex eo Petavius part.* 1 *Rationarii temporum lib.* 7, *cap.* 6. *et Sirmondus allatis Græcis ejus verbis, in Notationibus ad epistolam* 78 *Alcimi Aviti, de quo agimus infra* V *Februarii.*

*et quoto post Synodum Aurelianensem I*

*non Felice Consule habitam*

64 *Chlodoveo ergo* XXVII *Novembris anni Christi* DIX *vita functo, filii regnum partiti, successerunt : quorum annis præclaram lucem confert in Chronico Marius hoc* VI *seculo apud Burgundiones, Episcopus Aventicensis, seu Lausanensis. Juxta hunc* Justino II et Opilione Coss. Indictione II, *anno Christi* DXXIV, a Godemaro Rege Burgundionum interfectus est Chlodomeres Rex Aurelianensis, *de quo agemus* I *Maii et* XII *Septembris ad Vitas SS.* Sigismundi Regis ab

*Ex filiis postea eoque Chlodovei I obeunt Reges, Aurelianensium Chlodomeres anno 524*

A *ab eo occisi, et* Chlodovaldi *illius filii. Proximus ex fratribus Regibus mortuus est* Theodoricus I. *Chronologo Moissiacensi et Fredegario cap.* 40 *historiæ epitomatæ* anno regni XXIV, *et Aimoino lib.* 2. *cap.* 14, cum jam viginti quatuor annis regnum tenuisset : *quos annos apud Gregorium legerint, ubi jam* XXIII *exprimuntur lib.* 3. *cap.* 23. *Annus Christi intelligitur* DXXXII, *et statutam in morte Chlodovei Chronologiam confirmat.* Theoderico *substitutus tum filius* Theodebertus, *cum patruis* Childeberto et Chlothario Burgundiam, *anno sequente* DXXXIV, Paulino Juniore Consule, Indictione XII, *apud Marium,* obtinuit, fugatoque Godomaro Rege, regnum ipsius divisit. *Hoc juxta eumdem Marium* anno VII post Consulatum Basilii, Indictione XI *anno Chr.* DXLVIII *mortuo,* sedit in regno ejus, Theudebaldus filius ejus, *quem deinde* anno XIV post Consulatum Basilii, *Christi* DLV Indictione III *idem Marius obiisse tradit,* regnumque ejus obtinuisse Chlothacarium patruum patris ejus. *Tertius Chlodovei filius* Parisiorum Rex Childebertus *in eodem Marii Chronico* transiit indictione VI, anno post Consulatum Basilii XVII, *Christi* DLVIII, *cujus* diploma pro basilica S. Vincentii Martyris, *quæ hodie S. Germani dicitur in suburbio Parisiensi,* datum anno regni XLVIII, die VI Decembris, *arguit primum regni annum saltem ad* DX *referendum esse. Insertum* B *est illud diploma Aimoino lib.* 2. *cap.* 20 *in editione Parisiensi a Jacobo Breulio illustrata. Demum* Chlothacarius I. *abavus* S. Sigeberti, *apud eumdem Marium* mortuus est, ejusque regnum filii ipsius diviserunt Indictione IX, anno post Consulatum Basilii XX. *Annus is erat Christi* DLXI, *a Fredegario etiam primus regni filiorum numeratus, qui a Gregorio ad annum sequentem* DLXII *differtur, ut ex sequentibus clare constabit. Duos autem Chlotharii ultimos annos vitio librariorum apud Gregorium in unum conflatos esse et ratio temporis deducti cogit, et verba Gregorii lib.* 4 *cap.* 21 *ostendunt.* Rex Chlotharius, *inquit,* anno quinquagesimo primo regni sui cum multis muneribus limina B. Martini expetiit *etc. Et postea pergit.* Regressus, quinquagesimo primo *(imo secundo)* regni sui anno a febre corripitur, *et tandem* spiritum exhalavit : *Ita Gregorius, qui nusquam solitus est eos [illegible] annos repetere : et sic tota Chronologia præclare stabilitur.*

*Austrasiorum Theodericus I anno 533,*

*Theodebertus I an. 548,*

*Theodebaldus anno 555,*

*Parisiorum Childebertus anno 558,*

ANIMAD. PAP. 27.

*Chlotharius I abavus S. Sigeberti anno 561,*

## § IX. *Ætas Regum Francorum a filiis Chlotharii I usque ad obitum Dagoberti. S. Sigeberti nativitas : regnum.*

C Ex quatuor Chlotharii I filiis, qui regno ejus iterum divisim imperarunt, primus apud Gregorium lib. 4 cap. 26 decessit Charibertus Rex Parisiorum, sed quoto regni anno dicitur non [illegible] assignat S. Sigebertus in Chronico, qui notes est DLXX. Alter frater Sigebertus I Rex Austrasiorum apud eumdem Gregorium lib. 4 cap. 46 [illegible] obiit anno regni sui XIV, Christi DLXXV, ejusque filius Childebertus lib. 5 cap. [illegible] [illegible] peracto die Dominici Natalis [illegible] regnare cœpit. [illegible], quia Burgundiones [illegible], apud Marium, Sigeberti per fraudem interfecto, [illegible] regnum Indictione IX, [illegible] Consulatum [illegible] Augusti X, Christi DLXXVI, qui Childeberti [illegible], Gunthramni et Chilperici [illegible] quintus apud Gregorium. [illegible] lib. 5 cap. 26 horum annus XVII [illegible] illius tertio [illegible]; et cap. 28 illius quartus cum horum XVIII. [illegible] lib. 6 cap. 14 [illegible] annus VII Childeberti [illegible] patruorum XXI [illegible], et lib. 9 [illegible] Kalend. Decembr. est anni XII Childeberti et XXVI Gunthramni.

66 *At consensum cum annis Christi confirmat primo lib.* 6 *cap.* 15 dies Dominicus pridie Kalend. Februarii anno Childeberti VIII, *Christi* DLXXXIII, *cyclo Solis* IV, *littera Dominicali C. Secundo lib.* 10 *capitibus* 10 *et* 22 *collatis,* dies hebdomadæ quartus, *seu Mercurii,* XVIII Kalendas mensis quinti, *seu Julii,* anno Childeberti XV et Gunthramni XXIX, *Christi* DXC, *cyclo Solis* XI, *littera Dominicali A,* *quo terræ motus factus est. Tertio lib.* 10 *cap.* I Pelagio Papa defuncto, S. Gregorius eligitur anno Childeberti XV, *Christi* DXC : *ejusdemque* Gregorii annus V, *ad calcem Historiæ, est* Childeberti XIX, *Christi* DXCIV. *Quarto* S. Radegundis Regina *(ut scribit in ejus Vita Baudonivia, quæ morienti adstiterat,)* obiit quarta feria mane Idibus Augusti : *addit Gregorius, qui ejus sepulturæ præfuit, lib.* 8 *cap.* 43, *et lib.* 9 *cap.* 2, annum *tum fuisse* Childeberti Regis XII, mensem VI et XIII diem mensis : *quæ annum Christi* DLXXXVII *requirunt, cyclo Solis* VIII, *littera Dominicali E. Quinto eidem Gregorio lib.* 5 *cap.* 17 anno II Childeberti, *Christi* DLXXVII, *cyclo Solis* 26, *littera Dominicali C,* apud Turones multasque Galliarum civitates Pascha celebratum *fuit, juxta Victorii canonem,* XIV Kalendas Maias, *Luna* XVI, *cyclo Lunæ* XVIII ; apud Hispanos *vero juxta antiquorum Latinorum canonem,* XII Kalendas Aprilis, *ipso Æquinoctii die, Luna* XVII. *Sed apud Italos, juxta cyclum Lunæ Alexandrinum, eo anno* Pascha *fuit* VII Kalendas Maias, *Luna* XXI : E *concurrentibus dicto anno in Dominicam,* XXI *Martii,* XVIII *et* XXV *Aprilis. Sexto lib.* 10 *cap.* 23 anno Childeberti XV, et Gunthramni XXIX, *Christi* DXC, Turonenses Pascha celebrarunt XXII, alii XV Luna, *hi* VII *Kalendas, illi* IV *Nonas Aprilis, qui dies cyclo Solis* XI, *littera Dominicali A, in Dominicas conveniebant. Septimo lib.* 6 *cap.* 21 anno Childeberti VII, Chilperici et Gunthramni XXI, *Christi* DLXXXII, Luna eclipsin passa est : *et lib.* 10 *cap.* 23 anno Childeberti XV Gunthramni XXIX *Christi* DXC, sol eclipsin pertulit mense octavo, *sive Octobri. Utramque dictis annis contigisse accurato calculo demonstrat Petavius de Doctrina temporum lib.* 8, *et lib.* II *cap.* 48.

*D Auctore G. H. et cum annis Christi ex feriis hebdomadæ,*

*cyclo Paschali,*

*eclipsibus Lunæ et Solis.*

67 *Fredegarius, quod hactenus non observari ab aliis animadversum, assignatum calculum Gregorii Turonensis uno anno præevertit, dum, quem hic primum annum regnorum Gunthramni, Chilperici et fratrum separat ab ultimo patris Chlotarii duosque constituit, eosdem conjungit Fredegarius, atque unicum facit, ultimum Chlotarii et primum filiorum Regum : adeo ut, qui calculum Fredegarii in hisce Regibus supputationi Gregorii adaptare cupiat, annum Fredegario demat, necesse sit, quod sequentibus exemplis demonstratur, dum anni Gunthramni et Chilperici secundum utrumque calculum accommodantur annis Childeberti, in cujus regni exordio, qui [illegible] initio anni in Christi Natalitiis incepit, [illegible] consentit. [illegible] Chilpericum, proavum S. Sigeberti, [illegible] Gregorius et Fredegarius, interfectum [illegible] anno Childeberti IX, qui Christi est* DLXXXIV : *[illegible] lib.* 6 *cap.* 46, *quod cum præcedentibus [illegible], dictione IX annum Childeberti [illegible] et Gunthramni* XXIII, [illegible] XXIV [illegible] *cap.* I *et* 3 [illegible] Chlotarii II, [illegible] S. Sigeberti, [illegible] *succedit. Anno sequente, Christi* DLXXXV, Gunthramni *apud Fredegarium* XXV, *hujus jussu* Mummolus interfectus est, *cujus necem Gregorius lib.* 7 *cap.* 39 *refert* anno Childeberti X et Gunthramni XXIV : *quem annum denuo lib.* 8 [illegible] *Gregorio lib.* 10 *cap.* 10 [illegible] Childeberti XV et Gunthramni XXIX, *et cap.* 24 Childeberti XVI et Gunthramni XXX, *apud Fredegarium [illegible]* Gunthramni XXX et XXXI : *apud quem cap.* 13 anno XXXII Gunthramni ita [illegible] usque ad mediam diem [illegible] minoratus est, ut tertia pars ex ipso vix appareret. *Quæ [illegible] defectio accidit*

*Discrimen unius anni inter Turonensem et Fredegarium*

F

*Chilperico anno 584 mortuo*

[illegible]

XIX

AUCTORE G. H.

A xix *Martii anni* dxcii, *qui ad Gregorii calculum foret* annus Childeberti xvi et Gunthramni xxxi.

*obeunt Reges, S. Gunthramnus Burgundionum anno 593.*

68 *Anno proximo ab hac solis eclipsi apud Fredegarium cap.* 14 moritur Gunthramnus anno regni xxxiii, *Christi* dxciii, v Kalendas Aprilis, *die ejus venerationi deinde sacrato: quem regni annum* xxxiii *etiam tradit Chronicon Moissiacensi tomo 3 scriptorum historiæ Francorum. Eo autem anno* xxxiii *secundum calculum Gregorii Turonensis perperam observato, obitum ejus ad annum sequentem* dxciv *retulerunt Bucherius, Miræus, Malebrancus, et potissimum Petavius, qui in Rationario temporum ob dictam Solis defectionem vult par.* 1, *lib.* 7, *cap.* 11, *eum abiisse* anno Christi dxciii aut dxciv; *at par.* 2, *lib.* 4, *cap.* 16, *tradit eum* decessisse vel anno dxciii, aut dxcv, neutra autem ratione anno regni xxxiii, sed priori, anno xxxii ineunte, posteriori anno xxxiv. *Quæ ex dictis corruunt, multo vero magis sententia Sigeberti et Baronii, quorum ille asserit mortuum esse anno* dxcvii, *hic* dxcviii.

*Childebertus Austrasiorum et Burgundionum anno 596,*

69 *Idem autem annus Christi* dxciii *apud Fredegarium et* ultimus *fuit* S. Gunthramni Regis, et primus Childeberti *in regno illius adsumpto, cui cap.* 16 anno iv hujus regni *Christi* dxcvi, defuncto, *successerunt* Theudebertus in Auster, et Theudericus in Burgundia, *quorum primum regni annum statuit Fredegarius, Christi* dxcvi, *quo nempe eisdem Regibus*,

B *epistola* xiv Indictione *scripta, S. Gregorius Papa commendavit S. Augustinum in Angliam proficiscentem. Est ea epistola* 58 *lib.* 5 *Registri, cujus tum menso* Julio *scriptæ meminit Baronius et anno illo* 596 *nu.* 10 *et anno* 598 *nu.* 13, *ubi relato Gunthramni obitu addit:* Dum vero aiunt (*Fredegarius, Aimoinus aliique scriptores veterum*) Gunthramnum Childeberto reliquisse regnum, non video, quomodo id fieri potuerit, cum habita ratione annorum Gunthramni, ipsum Childebertum ante eum ex hac vita migrasse oportuerit anno Domini dxcvi, ut ex litteris S. Gregorii Papæ monstravimus *etc. Hæc Baronius. Verum secundum Chronotaxim nostram omnia liquida sunt ac perspicua.*

*Theodebertus a Austrasiorum 612*

70 *Regni deinde* Theuderici et Theudeberti vii *apud Fredegarium cap.* 23 Mauritii a se interfecti Imperium adsumpsit Focas. *Annus is ex calculo nostro est* dcii, *qua littera Dominicali G* die xxvii Novemb. *feria* iii *hebdomadæ, capite cum plexum refert Chronicon Alexandrinum. Demum* anno *utriusque* regni xvii, *Christi* dcxii Theudebertus *prælio a fratre victus, regnum primum, dein vitam amisit.* Theudericus *vero* anno regni xviii, *Christi* dcxiii, *cap.* 39, Mettis profluvio ventris moritur, *cujus filiis Sigeberto* ii *aliisque et avia Brunechilde occisis,* Chlo-

C

*Theodericus ii et Sigebertus ii anno 613 Chlotharius ii fit monarcha, dat regnum Austrasiorum Dagoberto, patri S. Sigeberti anno 621, aut 622*

tharius ii, anno regni paterni xxx, *apud Fredegarium cap.* 43, in Burgundia et Austria regnum arripuit, *ejusque primus annus cum dicto anno* dcxiii *computatur. Hujus* Chlotharii anno xl regni et Imperii Heraclii xiv, *Christi* dcxxiii, *finitur Appendix ad Chronicon Marii, magnaque posita calculi convenientia,* Chlotharius feliciter religioseque gubernans nunc vitam ducere *dicitur a tum superstite scriptore.*

71 *Interea* Chlotharius Dagobertum filium super Austrasios Regem instituit, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus versus Neuster et Burgundiam excludebant, *ita Fredegarius cap.* 47. Annus ille regni Chlotharii xxxviii *fuisse dicitur apud Chesneum et in codice MS. Goldastino, et convenit in annum Christi* dcxxi, *alii cum codice MS. Sirmondi annum sequentem tradunt. Nicolaus Zillesius par.* 3 *defensionis Abbatiæ S. Maximini pag.* 9 *vulgavit* diploma Dagoberti datum Moguntiæ pridie Nonas Aprilis anno regni xii, *quod* Henricus Cancellarius ad vicem Recolfi Archicapellani recognovit. *Annus hic* xii *regni secundum Æram apud Austrasios cœptam est annus Christi* dcxxxii *aut sequens. Hoc ergo primum Dagoberto exordium regni, consilio S. Arnulphi Episcopi Metensis administrati. Huic* Chlotharius anno regni sui xlii, *Christi* dcxxv, transactis cum Gomadrude nuptiis, reddidit solidatum regnum Austrasiorum, hoc tantum exinde, quod *Fredegario cap.* 53 citra Ligerem, vel Provinciæ partes situm erat, suæ ditioni retinens; *concessa Campania Belgica aliisque vicinis locis supra descriptis. Præcipuum vero regni exordium cœpit,* anno regni sui vii, *Christi* dcxxviii, *quo* Chlothario *patri,* anno regni *hujus paterni* xlv, Austrasiorum et Burgundionum xvi, mortuo *successit,* maxima parte regnorum assumpta, Chariberto *tamen* fratri regendum concessit pagum Tholosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrocoreum et Sanctonicum, vel quod ab his versus montes Pyrenæos excluditur.

D

*moritur anno 628.*

72 *Hæc omnia leguntur apud Fredegarium cap.* 42, 55, 56, *et* 58, *monachum S. Dionysii in Gestis Dagoberti cap.* 15, *et Aimoinum lib.* 4, *cap.* 16: *qui apud Burgundiones et Neustrasios (nam illis convixit Fredegarius, his monachus S. Dionysii et Aimoinus) ab hoc anno* dcxxviii, *neglecto apud Austrasios ante peracto Imperio, regnum ejus inceptum in sua accurate tempora digestum prosequuntur: quorum* imprudentia Dagoberti primordia confusa *esse non recte arguit Petavius par.* 2 *Rationarii temporum lib.* 4 *cap.* 17. *Distinctissime quippe proponit Fredegarius a cap.* 47 *ad* 55, *quæ et Chlotharius et Dagobertus in consortem regni assumptus egerunt: a quibus exactissime secernit a cap.* 55 *ad* 79, *quæ a morte Chlotharii fecit Dagobertus. Idem præstat monachus S. Dionysii in Gestis Dagoberti, cujus cum patre regimen refert a cap.* 12 *ad* 15, *inde ab obitu patris ad cap.* 43 *ejus acta describit. Utrumque sequitur Aimoinus, qui lib.* 4 *cap.* 8 *societatem regni Dagoberti cum patre tradit, et post hujus obitum a cap.* 16 *prosequitur gesta Dagoberti.*

*tunc anni regni Dagoberti numerantur*

E

*a Fredegario, monacho S. Dionysii, Aimoino.*

73 *Ante nativitatem S. Sigeberti requirunt veluti auctores, S. Arnulphum, relicto Episcopatu Metensi, aulicaque Dagoberti institutione, petiisse eremum, quod factum esse anno regni Dagoberti* iii, *Christi* dcxxx *aut sequenti, alibi accurate ostendimus. Imo post discessum* B. Arnulfi, Dagobertus, *apud Fredegarium cap.* 58 *aliosque,* adhuc consilio Pippini Majoris Domus et Chuniberti urbis Coloniæ Pontificis utens, magna prosperitate ac justitiæ amore gentes sibi subditas regebat *donec* Gomadrude Regina *repudiata,* Nanthildem de ministerio *in uxorem acciperet, atque* omnis justitiæ oblitus, luxuriæ supra modum *fieret* deditus. *Tum* anno regni sui viii, *Christi* dcxxxv, Dagobertus, cum Auster regio cultu circuiret, quamdam puellam, nomine Ragnetrudem, stratui suo adscivit, de qua eo anno habuit filium, nomine Sigebertum. *Ita Fredegarius cap.* 59, *Monachus S. Dionysii cap.* 24 *et Aimoinus lib.* 4 *cap.* 20. *Confirmat* S. Sigeberti *baptismus a S. Amando Episcopo collatus. Hujus enim ætate accurate digesta* vi *Februarii, ostendimus eum relicta vita solitaria, quam* xv *annos apud Bituricenses egerat, anno Christi* dcxxvii *Romam abiisse: inde in Gallias regressum, atque Episcopum consecratum, verbum Dei Gentilibus prædicasse, pueros transmarinos in fide Christiana educandos emisse, alteroque itinere Romano peracto impetratisque per S. Acharium Episcopum Tornacensem litteris Dagoberti, Gandenses adiisse, derelictum a sociis, alimentum propriis manibus conquisivisse, mortuum Tornaci resuscitasse: varias ecclesias et monasteria cœpisse extruere, ad Sclavos convertendos ultra Danubium profectum esse reversum ad aulam ob Dagoberti Regis incontinentiam culpatam, in exilium missum in Vasconiam abiisse, ibique S. Rictrudem instruxisse: denique cum Chariberto Rege Aquitaniæ in Franciam rediisse, et Aurelianis baptizasse S. Sigebertum, a Chariberto de sancto lavacro susceptum. Quæ omnia intra biennium peragi debuissent*

*In eremum discedit S. Arnulphus anno 631.*

*nascitur S. Sigebertus anno 635,*

F

*baptizatur a S. Amando*

A *debuissent, si anno apud Austrasios cœpto Dagoberti* VIII, *Christi* DCXXIX *natus foret S. Sigebertus : quod nemo itineribus solum consideratis facile concedet. Singulis* VI *Februarii in suos annos distributis, demonstramus S. Sigebertum anno Christi* DCXXXV *natum, atque a S. Amando baptizatum esse. Baronius solito gressu tardior nativitatem ejus refert in annum* DCXXXIX.

*obit Charibertus Rex anno 636.*

74 *Verum* Chariberto *ejusque* filio Chilperico defunctis, Dagobertus anno regni IX, *Christi* DCXXXVI, omne regnum ejus una cum Wasconia *ab illo subjugata* suæ ditioni redegit, *integram Francorum monarchiam adeptus : ita Fredegarius cap.* 67, *Monachus S. Dionysii cap.* 25, *et Aimoinus lib.* 4 *cap.* 23, *præclaro ubique consensu.* Dagobertus, *deinde* anno regni XI, *Christi* DCXXXVIII, filium suum Sigebertum in regno Austriæ sublimavit, sedemque in Metensi civitate habere permisit, *ut tradunt iidem auctores, Fredegarius cap.* 75, *Monachus S. Dionysii cap.* 32, *et Aimoinus cap.* 26 *apud quos capitibus mox sequentibus,* Chlodoveo nato anno Dagoberti XII *Christi* DCXXXIX, *integrum* regnum Austrasiorum, *supra* § II, *et III descriptum, S. Sigeberti dominio subjectum est.* Anno XIV Dagoberti, *Christi* DCXLI, *bellum* Wasconibus *illatum, usque* anno XV clementia Dagoberti vitam indultam *referunt Fredegarius cap.* 78, *Monachus S. Dionysii cap.* 36 *et* 42, *et Aimoinus lib.* 6 *cap.* 38 *et* 41. *Qui*

*fit Rex Austrasiorum S. Sigebertus anno 638*

B *mox capitibus sequentibus addunt,* Dagobertum profluvio ventris in Spinogela villa super Sequana fluvio laborare cœpisse, exinde ad basilicam S. Dionysii a suis delatum anno regni sui XVI *exeunte, sub finem anni Christi* DCXLIII. *Nam regno Neustrasiorum et Burgundionum filio Chlodoveo tradito, eoque et Regina Nanthilde Majori domus Æganı commendatis, ingravescente morbo,* humanis rebus exemptus est XIV Kalend. Februarias, *ut tradunt in Gestis ejus monachus S. Dionysii cap.* 43, *et Aimoinus cap.* 43. *Annus tum cœperat* DCXLIV, *qui primus Chlodovei* II *numeratur.*

*obit Dagobertus anno 644, 19 Januar.*

75 *Anonymus fabulator in Chronico, quod Gesta Regum Francorum inscribitur, omnem luxuriam et incontinentiam a* Dagobertum *in* Chlodoveum *filium, maritum* S. Bathildis, *transfert,* S. Sigebertum et Chlodoveum *fratres facit uterinos ex eadem* Nanthilde *natos :* Dagobertum in Spinogela villa mortuum esse, et regnasse annos XXXIV, *et quidem, ut ante insinuarat,* Monarcham in totis tribus regnis. *Leguntur capita* 42, 43 *et* 44. *Verum licet concedamus hic annos Dagoberti ab initio regni Austrasiorum numerari, tamen mortem ejus cogemur differre ad annum Christi* DCLV. *Ivo Carnotensis annos regni illius scribit* XLIV, *ut necessario ad annum* DCLXV *aut* DCLXXII *tum exeerit. Priorem annum* DCLXV *elegit Trithemius in Historia Regum Francorum. In fragmento Historico, quod*

*Errores in Gestis Regum Francorum,*

*Ivone Carnotensi,*

C *Chronico Alberti Argentinensis a Christophoro Urstitio præfixum est, et inter scriptores Francicos cum Gestis Regum Francorum recusum, ita legitur :* Anno Domini DCLXXIV Dagobertus Rex obiit, et filii ejus duo regno substituuntur. *Reginо obitum ejusdem Dagoberti refert sub Imperatore Justiniano* II, *Rhinotmeto dicto, qui patri suo Constantino successit anno* DCLXXXV. *Non ergo mirandum si plures anni posteriorum regnis eripiantur, ut tandem in Carolo Martello, Pippino et Carolo Magno debitus annorum calculus reducatur.*

*Chronico Argentinensi.*

*et Reginone*

## § X. *Anni regnorum Chlodovei II et S. Sigeberti fratrum, et Childeberti intrusi.*

*Anno Chlodovei III, Christi 646, consecrantur Episcopi SS. Eligius et Audoenus*

I*nitium Chlodovei* II *regnum anno Christi* DCXLIV, *solidissime confirmat S. Audoenus Dagoberti Regis olim Referendarius. Hic indicaturus, quem optime scire poterat, annum et diem, quo Episcopi consecrati fuerant ipse Rotomagensis, et S. Eligius Noviomensis, in hujus a se edita Vita tradit, ambos se* Apostolicam benedictionem meruisse eo tempore, quo apud Gallias a D cuncto populo Rogationes celebrabantur. Tum, *inquit,* convenientes simul in civitate Rotomagensi decimo quarto die mensis tertii, anno tertio Chlodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominica ante Litanias, inter catervas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab Episcopis, pariter Episcopi, ego Rotomago, ille vero Noviomo. *Hæc Audoenus. Annus ab eo indicatur Chlodovei* III, *Christi* DCXLVI, *quo cyclo solis* XI, *littera Dominicali A, cyclo Lunæ* I *Pascha celebratum fuit Luna* XVIII, *die* IX *Aprilis, et solemnitas Christi in cœlos adscendentis* XVIII *Maii, quam antecessit Dominica Rogationum sive ante Litanias,* XIV *Maii.*



77 Juvenculus *tum erat* Rex Chlodoveus *annos tantum* VII *natus; cujus eo anno* Major domus, defuncto Ægane *factus est* Erchenoaldus. *Amiserat etiam* S. Sigebertus *suum* Majorem Domus S. Pippinum *cujus* Vitam *illustramus ad* XXI *Februarii. Huic successit filius* Grimoaldus, *frater* SS. Begghæ *et* Gertrudis : *quocum S. Sigebertus anno regni* VIII, *adolescens bello Thuringico interfuit, in clade suorum lacrymatus, ut pluribus describit Fredegarius cap.* 87, *qui suum mox Chronicon finit cap.* 90, *apud cujus Continuatorem, ut supra monuimus, usque ad tempora Theoderici magnus rerum gestarum hiatus est, minus prudenter suppletus.* E *In eo legimus cap.* 92, *quod etiam in fabulosis Gestis Regum Francorum habetur cap.* 45, Erchenoaldum Præfectum palatii Regii post mortem Chlodovei II *vixisse, quo* defuncto, Francos vacillantes in incertum, præfinito consilio Ebroinum in hujus honoris curam ac dignitatem statuisse. *Verum aliquot ante* Regem Chlodoveum *annis* Erchenoaldus repente extremum efflavit anhelitum, *cujus infelicem a S. Eligio prædictum obitum, in hujus Vita, describit S. Audoenus. Successor ejus* Radobertus *subscripsit* Major domus præcepto Chlodovei de libertate monasterii S. Dionysii X Kalendas Julii anno regni *illius* XVI *Christi* DCLIX, *quo aut brevi defuncto, aut secundum prædictam vacillationem submoto, substitutus est* Ebroinus, *a quo* Majore Domus *et* Chlodoveo Rege *puniti sunt interfectores* S. Aigulfi Abbatis Lirinensis, *ut hujus Acta antiqua apud Vincentium Barralem in Chronologia Lirinensi docent, proferenda in Septemb. die ejus natali. Eumdem* Ebroinum *sub mortem* Chlodovei, *et initium regni* Chlotharii III, *fuisse* Præfectum palatii *docet Auctor coævus in Vita S. Bathildis Reginæ verbis mox promendis.*

*succedunt Majores domus Erchenoaldus,*

*Grimoaldus,*

*Radobertus,*

*Ebroinus*

78 Anno regni Chlodovei XVIII, *Christi* DCLXI, Leodebodum Abbatem S. Aniani, et Fundatorem monasterii Floriacensis, laudabilis vitæ cursum sancto fine conclusisse *referunt antiqua monumenta, cum hujus testamento edita a Carolo Saussejo lib.* 4 *Annal. Ecclesiæ Aurelianensis, cap.* I *num.* 14. *Ulteriorem ætatem requirit Monachus S. Dionysii, qui interitu Chlodovei narrato, Gesta Dagoberti concludit. Hic relato, monachis Dionysianis,* XXII *Junii, anno regni* XVI *dato diplomate, tandem cap.* 52 *et ultimo scribit,* Regem reliquias S. Dionysii minus religiose *attrectantem,* in amentiam decidisse : *sed quantum temporis post datum diploma ante hanc amentiam contractam interfuerit, non exponit.* Posthæc *addit,* ut sensum Rex recuperaret, villas quasdam illi loco traditas esse, et reliquias auro gemmisque *miro opere* vestitas. Sed sensum ex aliquantula parte recuperantem, non autem integre recipientem, post duos annos vitam cum regno finivisse. *In Fredegarii Chronico suppleto cap.* 92 Chlodoveus in extremis vitæ annis amens effectus vita caruit, *cum* regnasset annos XVIII, *quibus prorsus completis,* XXIV *vitæ suæ annum attigit, nec mortem obiit ante annum Christi* DCLXII, *quem primum regni Chlotharii filii numerari infra ex Actis S. Wandregisili probamus. Hunc autem filium, ac duos fratres* in

*Regnat Chlodoveus anno 18*

F

*obit anno Christi 662,*

A Chlotharii Regis, signum præcelsæ Baldechildis Reginæ. Data sub diē XXIII mensis Decembris anno V regni nostri. *Is est annus Christi* DCLXVI.

84 *Diplomata alia annum regni ejus* sextum *exprimunt; horum alterum confecit* S. Audomarus Episcopus Teruanensis, *quo* basilicam S. Mariæ Sithinensis *tradidit* S. Bertino Abbati, sub die XVIII Maii, VI *quinque,* regni Domni Chlothocarii Regis. *Integrum exhibet Jacobus Malebranchus in Scholiis ad lib.* 4 *de Morinis, cap.* 3. *Ejusdem meminit in Chronico Bertiniano Joannes Iperius capitulo* I *parte* 10, *titulo*. De Fundatione ecclesiæ S. Mariæ : *ubi titulo :* De concambio quarumdam terrarum inter SS. Bertinum et Mommolenum, *tunc* Episcopum Noviomensem, *aliud diploma* *sex,* *allegatur, hoc exordio* : Dum et nos Dominus in solio Patrum *etc. hac vero clausula*. Actum sub die Kalend. Februar. anno VI regni nostri. *Iperius, quod regno* Chlotharii *anni quatuor tantum ab aliis passim attribuerentur, addit,* hæc duo privilegia data fuisse anno VI regni Chlothocarii : sigillum enim regium nec fallere, nec falli. *Ubi clare innuit se primigenia diplomata, ac sigillum regium coram inspexisse, et diligenter examinasse.*

85 Septimum *regno annum alii assignant. Ita* Bertefridus Episcopus Ambianensis, *tomo* I *Conciliorum Galliæ, concedit* monasterio Corbeiensi privilegium B libertatis *a plurimis Episcopis subscriptum*, sub die VIII Idus Septembris anno VII regnante Chlothario Rege. *Et* S. Wandregisilus Abbas Fontanellensis *septem,* anno regiminis sui XV adiit Chlotharium anno regni ejus VII, et privilegium regiæ confirmationis super area cœnobii sui liberalissima datione accepit, *ut hisce verbis testatur auctor Vitæ ejus, inscriptæ* S. Lantberto *ejus successori, tum* Archiepiscopo Lugdunensi, *ad hanc dignitatem promoto post* Kalendas Novembris *anni* DCLXXXIV, *quibus ex hac vita migrarat decessor ejus* S. Genesius, *quo inter Angelos obviante animam* S. Bathildis Reginæ *in cœlum elevatam fuisse hujus Acta testantur, unaque requirunt* S. Bathildem S. Genesio *superfuisse. De* SS. Wandregisilo, Lantberto, et Genesio *pluribus agemus* IX *Februarii ad* Vitam S. Ansberti III Abbatis Fontanellensis, *eorumque annos regiminis, hic sæpius interponendos, accurate stabiliemus.*

86 *Statutos hactenus* Chlotharii *annos præclare promovet* Ursinus *in* Vita S. Leodegarii Episcopi Augustodunensis, *quam, jubente* Ansoaldo Pictavorum Episcopo, *et urgente* Audolpho Abbate S. Maxentii, *qui ambo, vivente adhuc* S. Leodegario, *cum dignitatis gradum obtinuerant, ipse eruditissimo vir judicio conscripsit. Vitam illam elimato nonnihil stylo, ut præfatur, edidit Surius* II *Octobris, atque ex illo Andreas* C *Chesnæus tomo* I *Historiæ Francorum. Nos eamdem primigenio stylo ex quatuor optimæ fidei Codicibus MSS. nacti, hæc paucula conferimus. Ita ergo scribit :* Cum quidam Pater ex monasterio, quod est situm in honore B. Maxentii, obiisset, jussu Pontificis *Pictavorum Didonis, avunculi sui*, idem suscepit Leodegarius regendum, quod per sex fere annos strenue rexit, illudque magnis opibus dilatavit. Sed cum juxta suum Pontificem idoneum se præparasset, et clarus haberetur præ omnibus, odor ejusdem suavitatis in tantum processit, ut usque ad palatium Regis redoleret. Erat enim eodem tempore minor Chlotharius cum Baldhilde matre Rex, Francorum regens regnum, qui, agnita ejus prudentia, cupientes eum secum habere in aula regia, petierunt Pontificem, ut habita ipsius licentia cum ipsis esset in palatio. Qui statim jussa complens, magnis rebus ditatum, et sapientiæ floribus adornatum, obtemperans eorum voluntati, destinavit ad palatium : quem Rex atque Regina videntes honorifice susceperunt. Qui in paucis diebus tam dulcia sua verba, et bonitatem ostendit in tantum, ut Rex simul atque Regina et plerique Ponti- D fices ac Proceres supra omnes eum in amorem sus- AUCTORE G. H. ciperent. Et quia eum videbant dignum ad suscipiendum honorem, cunctorum consensu, præcipue Francorum, ad honorem Pontificalem eum esse idoneum proclamarunt. Quem ad hoc electum omnes Augustiduno, quæ est Æduorum civitas, fecerunt Pontificem. Quam cum per annos decem strenue gubernaret, eodem tempore Rex Chlotharius, qui *decem.* eum Episcopum constituerat, defunctus est. *Hæc Ursinus ex quatuor, ut diximus, præclaris Codicibus MSS. cum summo assensu in* decem annis *assignatis, quos Surius ita expressit.* Quo munere decem annis strenue cum functus esset, Chlotharius Rex, qui eum promoverat, excessit e vivis : *jam pridem ante hos Episcopatus illius* decem annos, *Rex constitutus, cum S. Leodegarius et Abbas esset S. Maxentii, et* *plures* *deinde in aulam regiam evocatus degeret. Hoc indicat odor boni nominis ex Aquitania usque ad palatium regium redolentis. Hoc etiam exigit perfecta ejus in aula vivendi ratio, qua ipse ex Aquitania evocatus, Procerum Francorum animos sibi adeo benignos conciliarat.*

87 *Quæ simul cum Chlotario Rege in aulam ad se S. Leodegarium evocarat S. Bathildis mater, eadem inter regni administrationem anno regni illius* VII *una contulit privilegium, quod a Bertefrido Episcopo con-* E *cessum fuisse monasterio Corbeiensi supra monuimus. Certe, ut in ejus Vita legitur,* Primores et Proceres Francorum, ut cœnobialem vitam in monasterio duceret, differebant, quia ejus sapientia palatium regebatur, et pro sua sancta conversatione ab omnibus amabatur. *Nam, ut Acta MSS. S. Bertilæ Abbatissæ, danda* IV *Novemb. tradunt,* monasterium *legitimam ilex uctus ætatem,* Kalense puellarum construxerat, quatenus, cum ad legitimam ætatem filius suus Domnus Chlotharius pervenisset, et regnum sibi commissum per semetipsum regere potuisset, tunc ipsa, relicta cura regali, sub religionis ordine in prædictum ingrederetur monasterium. *Quod præstitit* Chlothario filio adulto, *adultus,* cum consensu optimatum suorum, et in monasterio supradicto sub obedientia Bertilæ se abdidit Abbatissæ. *Jam vero se* ad legitimam ætatem pervenisse, anno regni sui XIV *tum annos* XVI *natum, agnoscit* S. Sigebertus Rex *in secundo diplomate Stabulensibus et Malmundariensibus dato : ut vel simili ætate* Chlotharius adultus, *matre in monasterium profecta, regnum videatur solus administrasse : assumptaque deinde majore vivendi licentia, thori sociam, seu illicito concubitu, seu potius legitimo conjugio, acceptarit. Nam a morte ejus, fratrisque Childerici,* Ebroinus *ejusque asseclæ* *creditur generasse filium,* acceperunt quemdam parvulum, quem Chlotharii F fuisse confinxerunt filium : hunc in partibus Austri secum levant in regnum. Qua de re multum collegerunt hostiliter populum, eo quod verisimile cunctis esse videretur. Etenim cum depopulando patriam subjugarent, etiam in nomine sui Regis, quem falso fecerant, præcepta Judicibus dabant. Quanti autem, per hoc calliditatis figmentum, Chlodoveum esse filium Chlotharii crediderunt? *etc. ut pluribus refertur in Vita S. Leodegarii Ermenario, ejus in Episcopatu Augustodunensi successori, inscripta, editaque tomo* I *Scriptorum Historiæ Francorum.*

88 *Adulta hæc Chlotharii ætas præclare stabilitur in Actis S. Wandregisili, in quibus hic traditur, cœpisse* monasterium Fontanellense sub die Kalend. Martiarum anno Chlodovei Regis XI, S. Martini Papæ VII, *Christi* DCLIV, *et ab eo tempore* explevisse decem et novem annos, menses quatuor, dies quoque viginti et unum, *qui menses et dies intercedunt a* Kalendis Martiis *usque ad* XXII Julii *seu* XI Kalendas Augusti, *quo vita hac mortali exutus est. Annus is necessario est* DCLXXIII, *qui* XII fuit regni Chlotharii, *ut*

*Acta*

AUCTORE G. H.

*regnat universim annos 14,*

A *Acta MSS. exhibent ad plenam Chronologiæ nostræ confirmationem. In iisdem Actis* Chlotharius fastigium regni post patrem Chlodoveum adeptus, rexit populum Occidentalium Francorum annis quatuordecim. *Ibidem in expositione eorum, quæ S. Bathildis prædixerat S. Wandregisilus, additur :* Chlotharius major natu quartum decimum regni agens annum, consortiis subito caruit humanis. Childericus temere ab insidiatoribus interemptus, a præsenti sublatus est vita. Tertius Theodericus matri superstes, regni suscepit gubernacula. *Quo regnante Auctor hæc scripsit. Annos hos* XIV *regni Chlotharii anno Christi* DCLXII *cœptos, finimus cum anno* DCLXXV, *ut sub initium sequentis* DCLXXVI *et primo Theodericus, tum hoc pulso Childericus successerint : ambo adultam ætatem adepti, Childericus etiam ducto in uxorem Bilichilde matrimonio conjunctus. Nam diplomati a Childerico Stabulensibus et Malmundariensibus anno regni ejus* VIII, *Christi* DCLXXII, *dato subscripserunt et Bilichildis ejus uxor, et Imnechildis vidua S. Sigeberti, ut infra probabitur, cum ipse hujus successor Austrasiis præesset, cujus regni anno* XII, *Christi* DCLXXVI *una imperium Neustriæ obtinuit, quod ita demonstratur.*

*succedit Theodericus anno 676*

89 *Baldericus lib.* 1. *Chronici Cameracensis cap.* 27. *exhibet diploma donationis monasterio* Maricolensi *ad Helpram in Hannonia fluvium a* S. Humberto Ab-

B *bate factæ, aliquanta correctius relatum a Miræo in Codice Donationum piarum cap.* 5 : *quod nos ex autographo, ipsius Humberti sigillo munito, descriptum habemus hoc exordio :* Anno duodecimo regni Domni nostri Hildrici gloriosi Regis, ego in Dei nomine Humbertus etc. *interponitur apud Baldericum et Miræum* XV Kalendas Aprilis, *qua die fuisse datum aliunde potuit Baldericus scivisse. Annum illum* XII *regni in* DCLXXVI *convenire confirmat in clausula diplomatis* subjuncta adstipulatio plurimorum testium, Domni videlicet Vindiciani Episcopi, et Fulberti fratris Humberti. *Nam juxta tabulas sibi a Claudio Despretz communicatas probat Colvenerius in Notis ad caput* 19 *Balderici* S. Autberto Episcopo Camerensi XIII Decembris anno DCLXXV defuncto *successit* Vindicianus, seu Vindicianus, *assignato anno* DCLXXVI, temporibus Theoderici Regis, qui post Clotharium fratrem summam regni suscepit, renitentibus plurimis ex Francorum Principibus, maxime propter Ebroinum, qui Major domus regiæ illis permolestus erat, *ut tradit idem Baldericus cap.* 20, *ubi utriusque et* Theoderici *et* Ebroini *subjungit ejectionem.* Erat *autem* Ebroinus *(ut monet in Vita S. Leodegarii Ursinus)* Francis odiosus, quia quod per eumdem sub rege Chlothario sustinuerant ponderis jugum, *iterum* metuebant ; *potissimum postquam* multitudo nobilium, qui ad Regis

*anno Childerici 12 apud Austrasios :*

C novi properabant occursum, Ebroino mandante, itineris accipere repudium *fuerat coacta*, *uti ex altera Leodegarii Vita habemus. Quare* optimates, *conspiratione facta*, Theodericum *cum Ebroino*, quod non esset iis præsentibus solemniter, uti mos est, sublimatus, persequuntur tandem captum, et violenter injuriis affectum, sub monachali habitu monasterio includunt : et fratrem suum Childericum subrogant in regnum, *ut referunt Acta MSS. S. Amati Episcopi Senonensis* XIII *Septemb. danda. En regnum* Theoderici, *quamvis brevi tempore definitum : quo S.* Vindicianus *anno* DCLXXVI *Episcopus factus, donationi S.* Humberti *subscripsit* XVIII Martii, anno XII regni Childerici.

*pulso Theoderico regnat Childericus,*

90 *Hic deinde in* Neustriæ regno confirmatus, super omnem domum suam S. Leodegarium Pontificem sublimavit et Majorem domus in omnibus fecit, *uti in hujus Vita prosequitur Ursinus : qui addit* tribus pene annis *Regem feliciter sub ejus directione imperasse ; sed postea excitatam æmulorum flatibus invidiæ scintillam, paulatim animum regium incendisse contra S. Leodega*rium, *qui in Paschate anno Christi* DCLXXIX, *iram Regis declinaturus Luxovium secessit. Nec diu superfuit Rex* Optimatibus Palatinis *minus gratus, a quodam* Bodilone *aliisque* insidiatoribus impiis, cum Regina prægnante interfectus et cum filia Rotomagi in basilica S. Petri a S. Audoneo sepultus *ut colligimus ex vita SS. Audoeni, Leodegarii, Lamberti, Wandregisili. Childerici Regis Chilpericus filius fuit, et forte etiam Theodericus, qui ambo deinde sub Carolo Martello Reges fuerunt : ii sub S. Bathilde avia in monasterio Calensi post necem patris delituerunt, tutelamque et defensionem securissimam apud illam, ad annum usque* DCLXXXV *superstitem, ac post hujus obitum apud S. Bertilam ejusdem monasterii Abbatissam, aliasque sanctimoniales obtinuerunt. Quarum consilio, ut omnis præcideretur invidiæ contentionisque occasio apud Regem Theodericum patruum, ejusque liberos et posteros, videtur Chilpericus in Clericum attonsus esse, et nomen Danielis assumpsisse. Theodericus etiam, quod in monasterio Cala fuerit enutritus, Calensis cognominatus est. De horum Regum successione, et gestis alibi commodior occasio disputandi erit. Ad Chlodoveum* II *ejusque liberos revertamur.*

D *occiditur anno 679.*

91 *Postremo inspiciantur effigies Regum Franciæ, quæ a Jacobo de Bie Chalcographo Regio ex monumentis sepulchralibus aliisve Regiis cimeliis sculptæ prodierunt, et veras eorum personas præsentare judicantur.*

E *Ex iis plena facie et utramque adultam ætatem referente, sed imberbes visuntur Chlodoveus* II *trium Regum pater, et Chlotarius* III *primogenitus. At sua barba hirsuti apparent duo alii filii Childericus facie fere juvenili, Theodericus senilis rugisque contracta. Succedit hujus filius Chlodoveus* II *formosa facie adolescens, qui* parvulus *patri suffectus,* quatuor *tantum* annos regnavit, *de quibus mox agemus, et statutam Chronologiam vel maxime ex regno Theodorici stabiliemus.*

*Effigies Chlodovei* II, *Chlotharii* III, *Childerici, Theoderici, et Chlodovei* III.

92 *Hæc accurate oportuit deduci, quod omnium pene Chronica, Annales et Historiæ Francorum prædicta tempora confundant et* Clotharium *velint solum* quatuor annos *regnasse ;* puerum vieta functum. *Quorum opinio evidentius infringitur in* Childerico, *quem anno juniorem* Chlothario *fratre primogenito necessario agnoscunt : nec tamen ultra* triennium *eudem statuunt superfuisse : et tamen admittunt ducta uxore in conjugio vixisse, liberosque procreasse : quod æque potuisset annos* XIII *natus Chlotharius, quam decem Childericus. His prævivit Fabulator in gestis Regum Francorum, coactus, quia regno Dagoberti annos* XXXIV *attribuerat,* XVIII *deperditos recuperare, duos proinde Chlodoveo filio, decem Chlothario nepoti eripuit. Hæc gesta descripsit, qui hiatum Fredegarii supplerit, et Sigebertus Gemblacensis hos* IX *regni annos, assignat Chlothario*

*Aiis Chlotharius et Chilpericus pueri obeunt,*

*et conjugati.*

F *ab anno Christi* DCLXII *ad annum* DCLXVI, *qui deinde singularis in sua opinione,* XIII *annos sequentes attribuit Childerico in regno Neustriæ, usque ad annum Christi* DCLXXIX, *quod supra satis refutatum.*

## § XIII. *Regnum Dagoberti filii S. Sigeberti, et hujus ex fratre nepotis Theoderici, tum Chlodovei* III, *et Childeberti fratrum, Theoderici filiorum : et Dagoberti* III *Childeberti filii.*

D*ionysius Petavius par.* 2 *Rationarii temporum lib.* 4 *cap.* 17, *censet* Chlotharii et Childerici tempora ex Theoderici exordio firmanda esse. *Et nobis quamvis illorum regni tempora tam solidis opinemur § præcedenti stabiliri fundamentis, ut exordium regni Theoderici iis superstrui possit, nova tamen eaque evidentissima non deerunt argumenta, quibus cœptam Chronologiam firmemus. Ac primo Acta S. Wilfridi Episcopi Eboracensis clare evincunt Theodericum regnum anno* DCLXXVIII *recuperasse, ejusque palatio præfuisse Majo*rem

*Theoderici regnum anno 679 receptum,*

*quo S. Wilfridus a Theoderico Rege et Ebroino insidias passus*

A *rem-domus Ebroinum: Wilfridus, teste Beda lib. 4 cap.* 12. *ab Episcopatu anno* DCLXXVIII *expulsus est : post cujus abscessum Ethelredus Rex Merciorum bellum intulit Egfrido Northumbrorum Regi, a quo Wilfridus fuerat a Sede Episcopali ejectus. Conserto igitur gravi prælio juxta fluvium Trentam, occisus fuit Alfwinus frater Regis Egfridi.* Contigitque, *inquit Malmesburiensis de Gestis Pontificum Anglorum lib.* 3, ut anno revoluto, eodem die, quo ille *(Wilfridus)* præjudicium in Eboraco passus fuerat, cadaver regii adolescentis illatum urbi longum indiceret justitium. Ita Ethelredus triumpho functus, integritate regni recepta, Winfridum Episcopum, qui Ceddæ apud Licefeld successerat quod Egfridi partium fuerat, expulit. Is Gallico littori forte appulsus, in Theodoricum Regem et Ebroinum Ducem Francorum incidit : quibus a Britannia mandatum erat, ut Wilfridum Episcopum caperent et spoliarent. Quem illi errore nominis acti, sociis occisis et rebus ablatis, abire siverunt. At Wilfridus, *ne in manus Theoderici Regis et Ebroini incideret, eodem anno* DCLXXIX in Frisiam ad Adalgisum Regem navigavit. Hunc ad necem vel expulsionem viri Dei Ebroinus Epistolis cum tentasset, aurum immensum pollicitus, irritus

*declinavit in Frisiam,*

B fuit. Hieme ibidem exacta anno DCLXXX Wilfridus ad Dagobertum, *filium S. Sigeberti*, Regem Transrhenanorum Francorum venit. Is non immemor, quod eum quondam factione Magnatum pulsum, et de Hibernia ad se venientem hospitio receperit, et equis sociisque adjutum patriæ remiserit, benigne excepit, multisque precibus fatigavit, ut provinciam remanentia sua dignaretur, Episcopatum Strateburgensem accipiens. *Verum is Romam profectus est, ubi* ab Agathone Papa *(verba sunt Bedæ lib. 5 cap. 20)* Episcopatu esse dignus inventus est, et ad Synodum centum viginti quinque Episcoporum, adversus eos qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocatus, inter Episcopos consedit *et cum iis subscripsit epistolæ ex hac Synodo ad Constantinum Imperatorem, Heraclium et Tiberium Augustos, missæ : quæ refertur actione quarta sexti Concilii Oecumenici, Constantinopoli eodem anno* DCLXXX, *mense Novembri, inchoati. Sed ad Theodericum, quem hunc constat anno* DCLXXIX, *Regem fuisse, redeamus : cujus, regni resumpti epocha inchoanda est ab eodem anno* DCLXXIX, *saltem labente : nam serius reconciliato Ebroino, videtur* in Regem ab Optimatibus solenniter sublimatus.

*et anno 680 invisit Dagobertum Regem filium S. Sigeberti,*

*et Romanæ Synodo sub S. Agathone interfuit.*

94 Theoderico *igitur post Childerici fratris cædem*

C *Rege constituto, Austrasii factione Ebroini Chlodoveum Chlotharii III creditum filium in Regem assumpserunt,* asserentes cum sacramento Theodericum mortuum esse. *Tunc S.* Leodegarius, *quod huic Chlodoveo nollet fidem promittere, jussu Ebroini captus, atque evulsis oculis abductus est, et inedia aliquandiu cruciatus, ac postea in ædibus Waymeri, Ducis cujusdam Campaniæ, qui ad hoc scelus perpetrandum, cum Didone altero Ebroini Consiliario,* e finibus Austri, *sive Austrasiæ, missus fuerat, detentus. Interim Ebroinus, rejecto Chlodoveo illo subornato, in gratiam Theoderici Regis restitutus, dignitatem Majoris-domus adhuc anno* DCLXXIX *recepit. At Dagoberto S. Sigeberti filio, anno sequente* DCLXXX *ad regnum Austrasiæ evecto, Waymerus cum S. Leodegario in Neustriam ad Ebroinum fugit, ac* per hujus fraudem in Episcopum promotus in ejus indignationem *postea* incurrit, et multis flagellis cæsus, turpissimeque, ut decebat proditorem, condemnatus, laqueo suspensus est. *At* S. Leodegarium in quoddam perduxerant monasterium, in quo eum per annos circiter duos latuisse *tradit in ejus Vita Ursinus ad annum scilicet* DCLXXXII, *quando jussu Ebroini oblatus Regi, opprobriis contumeliisque affectus, lingua etiam exsecta, traditus est* S. Waningo,

*S. Leodegarius anno 679 captus,*

*anno 681 occiditur*

*Februarii T. I.*

D *in cujus* monasterio Fiscano per biennium fere in Dei laudibus resedit *ad annum usque* DCLXXXIV. *Quo tempore et ad Concilium ab Episcopis in villa regia habitum evocato ingredi non licuit, sed seorsim a Rege in speciem examinatus, ejus atque Ebroini sententia capite plexus est die secundo Octobris, uti geminæ vitæ ejus historia exacte tradit, altera Episcopo Augustodunensi Ermenario ejus successori dicata, altera auctore Ursino inscripta Ansoaldo Pictavorum Episcopo in Didonis ejus patrui locum substituto.*

AUCTORE G. H.

95 *Anno dein* DCLXXXVII, *mortuo Austrasiæ Majore-domus Vulfoaldo Duce, Pippinus Herstallius, pater Caroli Martelli, mensi Junio hujus dignitatem accepit,* rexitque, *ut Annales Metenses habent,* annos XXVII, et menses VI, *mortuus anno* DCCXIV *mense Decembri. Nec diu superfuisse Dagobertum Regem colligimus ex historia Chronico Fredegarii annexa, in qua cap.* 97 *relato post obitum Vulfoaldi dominatu Martini atque Pippini additur :* Defunctis *sive* decedentibus Regibus, commissis invicem Principibus, Ebroino, Martino atque Pippino adversum Theodericum Regem excitantur ad bellum... Devicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt, persecutusque eos Ebroinus maximam partem de illa regione vastavit. *Tunc Martinus Dux contra fidem datam ab Ebroino interfectus est. Sed hic ea victoria insolenter elatus, dum Francos crudelius opprimit, a quodam Hermenfrido confossus est eodem anno ad finem vergente, aut certe initio sequentis,* transacto *post necem S. Leodegarii* trium annorum spatio, *ut in utraque hujus Vita legitur. Dein post cædem Ebroini corpus S. Leodegarii Pictavis delatum est, et in vicino monasterio S. Maxentii* medio Martio mense *depositum anno* DCLXXXVIII.

*Vulfoaldo anno 687 mortuo succedit Pippinus,*

*interficitur Ebroinus :*

E

*corpus S. Leodegarii an. 688 Martio transfertur.*

96 *Ebroino successit* Warado, *seu* Waratto, *Major-domus, ac mox datis obsidibus inter hunc et Pippinum pax firmata. Sed Waradone a filio Gislemaro supplantato bellum civile recruduit,* quamplurimis nobilibus viris Pippini Ducis fraudulenter ad castrum Manucum, *quod Namurcum interpretantur, occisis. Quæ dicto anno* DCLXXXVIII *peracta arbitramur. Non diu post Gislemarus, sæpius a S. Audoeno Episcopo Rotomagensi frustra monitus, morte pervicaciam luit, et Warado pater palatii præfecturam recepit : inter quem et Pippinum ut concordia constitueretur, Coloniam est profectus S. Audoenus, et pace stabilita ad Regem ac Waradonem regressus, in villa regia Clypiaco prope Parisios, e vivis excessit* nonagenarius, *cum* rexisset Ecclesiam Rotomagensem annos XLIII, menses III, dies decem, *a* XIV *Maii anni* DCXLVI, *ad* XXIV *Augusti anni* DCLXXXIX, *ut nihil accuratius dici posse videatur. In Actis adjungitur* annus ab Incarnatione Christi DCLXXVII, *e minus recto Rotomagensium ante quingentos aut sexcentos annos assumpto calculo insertus. In Chronico Sigeberti a Roberto de Monte interpolato et continuato, ad annum* DCXXXIV *ista leguntur :* Defuncto S. Romano ordinatur S. Audoenus XXII Rotomagensis Archiepiscopus. *Qui error duodecim annorum illic cœptus,* et supra rejectus, *in obitu necessario continuandus, veritate non discussa, videbatur, et varios hactenus assectatores habuit.*

*obiit S. Audoenus anno 689.*

F

97 *S. Audoeno successit S. Ansbertus ex III Abbate Fontanellensi Archiepiscopus Rotomagensis, ad cujus Vitam* IX *Februarii ordinamus tempora S. Wandregisili Fundatoris et primi Abbatis Fontanellensis, ostendimusque illi* XXII *Julii anni* DCLXXIII *vita functo suffectum fuisse Abbatem II S. Lanthertum, cujus regimen egregie annos Theoderici Regis propugnat. Nam Aigradus auctor coævus in Vita MS. S. Condedi Abbatis,* XXI *Octobris danda, scribit* insulam Beleinnacam *ad Sequanam flumen illi* a Theoderico Rege per privilegium suæ auctoritatis traditam perpetualiter *possidendam : cui etiam Condedo* prædives ac nobilis

*Annus Theoderici 3. Christi 681, mense Octobri,*

A AUCTORE G. H.

Schiwardus possessiunculas aliquas dono perenni contulit VI Idus Octobris sub anno III præfati Regis Theoderici, qui erat Lantberti annus nonus. *Ergo annus Christi* DCLXXXI, *in quem, saltem dicto mense Octobri, conveniunt et annus* III *Theoderici et* IX *Lantberti : quo Archiepiscopo Lugdunensi ordinato sub finem anni* DCLXXXIV *(nam decessor S. Genesius Kalendis Novembris e vivis decesserat) datus* III *Abbas Fontanellensibus S. Ansbertus, cujus anno* II, Theoderici Regis VII, *eidem monasterio insulæ Belcinnacæ a memorato viro Schiwardo varia collata fuisse bona tradunt prædicta Acta S. Condedi, nullo tamen donationis mense indicato, ut ea potuerit facta esse aut sub finem anni* DCLXXXV *aut certe sequenti* DCLXXXVI *cujus magnam partem ad dictum* VII *annum Theoderici Regis esse referendam supra diximus, atque infra, maxime in anno obitus, confirmamus.*

*Theoderici 7 Christi 685, aut 686.*

*Theoderici 7 Christi 686 mense Maio,*

98 *Eodem* anno septimo regni Theoderici, *die* VIII Idus Maii datum est privilegium Joannis V Papæ, *quo res* Atrebatensis Ecclesiæ confirmantur S. Vindiciano Ep. *apud Baldericum lib.* I *Chronici Cameracensis cap.* 25. *Electus est Joannes Papa die* XVII *Julii anni* DCLXXXIV, *vita functus anno sequente die* II *Augusti quo illud privilegium* VIII Idus Maii et anno VII Theoderici *datum, præclare nostrum calculum confirmat.*

B

*Theoderici 13 Christi 691, aut 692,*

99 *Sedem S. Ansberti (quem S. Audoeno* XXIV *Augusti anni* DCLXXXIX *mortuo successisse diximus) celebrem facit synodus Rotomagensis ab eo habita, et quidem anno* glorios*i* Regis Theoderici XIII, *uti cum exprimunt Acta excusa et MSS. Rotomagensia et Fontanellensia, quibus maxime fidendum est. Annus is est Christi* DCXCI, *aut certe proximus* DCXCII. *Deest mensis quo synodus habita est. Anno dein* DCXCIII *in ipso Ascensionis Christi festo, corpus S. Audoeni in editiorem locum transtulit S. Ansbertus : qui pulsus postea in exilium defunctus est in Alto-monte monasterio Hannoniæ* IX *Februarii anni* DCXCV. *Alii passim hanc synodum referunt ad annum* DCLXXXII, *quo adhuc viventibus SS. Genesio et Audoeno Archiepiscopis, illo Lugdunensi, hoc Rotomagensi, sub Lantberto Abbate Fontanellensi privatus degebat S. Ansbertus. Sirmondus tomo* I *Conciliorum Synodum hanc Rotomagensem dicto anno* DCLXXXII *habitam etiam censuit, et quidem anno* XVI *Theoderici, quem ex* MS. codice S. Michaelis in mari, *apposuit. Verum tot eum annos non regnasse mox probabimus. Hoc argumento nixi plurimi scripserunt Theodericum anno* DCLXVII *cœpisse regnare : quod alibi refutatum. Cum anno Christi intrusa erat Indictio* X, *quod etiam monuisse sufficit.*

C

*Theodericus regnat an. 14, moritur 693*

100 *His interpositis redeo ad annum* DCLXXXIX, *quo S. Audoenum* XXIV *Augusti vita functum ostendimus : cujus obitu relato, additur in Historia jussu Childebrandi scripta cap.* 99, in illo itidem tempore Waradonem Majorem-domus obiisse : *cujus etiam mors in Annalibus Metensibus ad eumdem annum refertur. Waradoni successit Bertharius, de quo et Theoderico Rege Pippinum Testrici in Veromandos victoriam reportasse anno* DCXC *tradunt iidem Annales Metenses, statuuntque ad annum* DCXCIII *obitum Theoderici Regis,* cum victus a Pippino sub eodem annis regnasset tribus. *Secundum Historiam jussu Childebrandi scriptam cap.* 101, Theodericus regnavit annos XIV *ab æstate anni* DCLXXIX *ad annum* DCXCIII. *Dein ista adduntur :* Chlodoveum filium ejus parvulum elegerunt in regnum. Non post multos vero annos prædictus Rex Chlodoveus ægrotans mortuus est. Regnavit autem annos IV. *Annales Metenses habent, eum, dum* quartum annum in regno complevisset, innocentem vitam finivisse. *In Chronico brevissimo Codicis Tiliani apud Chesneum tomo* I *Historiæ Francorum pag.* 781, Chlodoveus regnavit annos IV, obiit in quinto, *ab anno* DCXCIII *labente ad initium circiter anni* DCXCVIII,

*Clodoveus regnat ultra 4 annos usque ad annum 698*

*qui primus Childeberti Regis annus est cum magna hactenus statutæ Chronologiæ approbatione. In epitaphio Theoderici, quod limbo superiori mausolei, in monasterio Vedastino, inscriptum legitur, annus obitus illius assignatur* DCXCIX, *quem nos alibi etiam indicavimus. Verum cum tempus epitaphii illius conditi ignoretur, malumus cum auctoribus jam citatis annum præcedentem retinere. Opponunt alii scriptum quoddam, quod penes Bongarsium fuit, sed id alibi accurate a nobis refutatum, hic omittimus.* D

101 Annos Childebertum tredecim regnasse *legitur in Historia jussu Childebrandi scripta, in Chronicis Regum Francorum breviter digestis pag.* 798 *tomo* I *Chesnei, et sequitur Ado in Chronico. Hos tredecim annos numeramus ab anno* DCXCVIII *ad* DCCXI, *quo Childebertum e vivis excessisse referunt Annales Metenses, aliique Annales breves tomo* 2 *Chesnei pag.* 3, *et* 6, *et consentiunt hactenus dissidentes auctores, Bucherius, Petavius, aliique. Quot annos Childebertus natus vitam finierit, necdum legimus. Chlodoveus* III parvulus Rex factus *traditur, et* puer mortuus. *Hoc Rege Childebertus frater junior,* XIII *solum annos regnavit, sed ducta uxore, et relicto filio Dagoberto* III, *quem alii* adhuc puerum, *alii* juvenculum Regem, *et passim omnes* juniorem Dagobertum *appellant.* Annos quinque *eum* regnasse, *tradunt Annales Metenses, et Historia jussu Childebrandi scripta. In Chronico brevissimo tomo* I *Chesnei pag.* 781 *legitur* regnasse annos quatuor, obiisse in quinto. *Annus obitus* DCCXV *assignatur in Annalibus Fuldensibus aliisque brevibus tomo* 2 *Chesnei, et confirmatur in Chronico MS. Fontanellensi, ubi* Dagobertus Rex junior Benigno Abbati largitus est quartam partem de Arlauno foreste anno quinto regni sui. . . Edita est autem hæc donatio, sive confirmatio a præfato Rege Dagoberto, anno Dominicæ Incarnationis DCCXV, Indictione XIII, V Iduum Juniarum, die Dominica. Eodem anno ipse Dagobertus Rex mortuus est. *Hæc ibi : et congruunt characteres, concurrente in dictum annum cyclo Solis* XXIV, *littera Dominicali F. Ceterum Pippino Herstallio, quem supra diximus, post administratam* XXVII *annos præfecturam, anno* DCCXIV *e vivis exivisse, successit initio Theobaldus ejus nepos, Grimoaldi e Plectrude legitima uxore nati filius. At Carolus Martellus ex Alpaide concubina genitus, mansit sub novercæ custodia usque ad annum* DCCXV, *quo liberatus, a solis Austrasiis assumptus est, cum jam tum apud Dagobertum* III *esset Major-domus Ragenfredus.*

*Childebertus regnat annos 13 moritur 711*

*succedit Dagobertus III.*

E

*mortuus anno 715*

102 *Mortuo in juvenili ætate Dagoberto* III, *et adhuc quod verosimilius nobis videtur, cælibe et forsan impubere,* Franci Danielem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente *elegerunt,* atque Chilpericum nominant. *Ita Historia jussu Childebrandi scripta cap.* 106, *et consentiunt reliqui auctores. Monachus Egolismensis in vita Caroli Magni hunc* Chilpericum *scribit esse* fratrem Dagoberti junioris, illiusque consanguineum Theodericum successorem. *Verum ordo immutatus forsan ita emendandus est, ut* Chilpericus *dicatur* consanguineus Dagoberti Regis *et Theodericus frater Chilperici, qui* Calensis *cognominatur, quod feratur in* monasterio Calensi enutritus, *forsan sub* S. Bathilde, *quam* aviam *suam uti et* Childericum genitorem *agnoscit Chilpericus in diplomate Corbeiensibus consignato, at* Dagobertum III consobrinum *appellat in altero diplomate monachis S. Mauri ad Ligerim dato. Fuerunt autem fratres Childericus pater Chilperici, et Theodericus avus Dagoberti junioris pro rudis illius ævi inscientia consobrini appellati, et a monacho Egolismensi* consanguinei, *uti legendum esse monuimus. Fuit autem Rex Chilpericus anno* DCCXVII *die Dominica in Quadragesima* XII *Kalendas Aprilis devictus a Carolo Martello Vinciaci in pago Cameracensi, et anno iterum* DCCXIX *cum Eudone Duce Aquitaniæ in Suessionensi ditione, a quo*

ANIMAD. PAP. 27.

F

*succedunt Chilpericus pro Childerici.*

A *quo regem Chilpericum sibi traditum, Carolus anno* DCCXX *Noviomum abduxit : quo paullo post vita functo Theodericum in sedem regni constituit, qui annos septemdecim regnavit, ab anno scilicet* DCCXX, *ad* DCCXXXVII, *quo cum vita functum esse alibi probamus. Mortuo Theoderico, Carolus Martellus per reliquum vitæ tempus absque alio Rege imperavit usque ad annum* DCCXLI, *quo Parisiis mense Octobri e vivis excessit, sepultus in monasterio S. Dionysii : de cujus damnatione fabulam confictam refutamus* XX *Februarii ad Vitam S. Eucherii Episcopi Aurelianensis.*

*et anno 720 Theodericus forsan illius frater,*

*ac post interregnum,*

103 *E divisione Caroli Principatum regni filii ejus Karlomannus et Pippinus aliquamdiu, etiam absque ullo Rege, administrarunt. Extat diploma Pippini, quo Ecclesiæ Matisconensis immunitates confirmantur cum hac clausula:* Signum Pippini Majoris-domus. Ego Rodalgus jussus scripsi. Actum Kalendis Januarii anno secundo Principatus ejusdem Pippini in civitate Metis in Palatio regio. *Is erat annus* DCCXLIII, *sub cujus adhuc initium assumptum esse Childericum ultimum in Regem colligimus ex Concilio Suessionensi tunc habito ad quod ita præfatur Pippinus :* In nomine Dei et Trinitatis. Anno DCCXLIV ab Incarnatione Christi sub die VI Nonas Martii et Luna XIV in anno secun-B do Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux et Princeps Francorum. *Hunc Childericum genitum patre Theoderico Rege tradunt Genealogiæ Regum Francorum apud Chesneum tomo* I *pag.* 793 *et Chronicon MS. Fontanellense: in quo dicitur* anno DCCL depositus, tonsusque, ac in monasterio S. Audomari, quod dicitur Sithiu, trusus. Cujus filius, nomine Theodericus, in hoc *Fontanellensi* monasterio anno sequenti Clericus effectus, collocatus est. *Hæc ibi.* Obiisse Regem Childericum monachum anno DCCLIV tempore secundæ coronationis Pippini *tradit Iperius in Chronico Bertiniano MS. Fuit hæc secunda Pippini coronatio peracta a Stephano Pontifice Romano in Franciam peregrinato. Fuerat autem auctoritate Zachariæ a S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino anno* DCCL, *deposito Childerico, coronatus. Quem annum alibi exacte probamus.*

*Childericus anno 743*

*in monachum attonsus anno 750*

*regno ad Pippinum delato.*

## § XIII. *Anni Christi, Pontificum, Imperatorum, Consulum, et Indictionum subinde a posteris intrusi.*

Q*uæ ob nonnullos* Christi, Imperatorum, Pontificum, Consulum Romanorum, *aut* Indictionum *neglectos contra datam hactenus Chronologiam opponi possent, ultro in hunc locum servavimus, ostensuri unde* C *firmissimum sibi fulcimentum statuunt alii, inde præcipuum errorum fundamentum nonnumquam erui debere. Ac primo certum, atque apud eruditos indubitatum est, nullam primis quinque seculis consuetudinem fuisse* ab Incarnatione *aut* Nativitate Christi *singulos annos enumerandi : cujus instituti* Dionysius *cognomento* Exiguus, *qui Justiniano Imperatore seculo Christi sexto floruit, auctor fuisse traditur ; cujus tamen epocham ab hodierno calculo paullo diversam esse alibi diximus. Hinc anni Christi melius desunt in codicibus nonnullis MSS. Chronicorum Eusebii, Hieronymi, Prosperi et aliorum antiquorum, qui a posteris margini adscripti, alii leguntur apud Scaligerum, alii apud Pontacum, Miræum, aliosque. Et Idatius, dum eorum Chronicon continuat, monet,* ne anni Olympiadum turbentur, *se* annum eumdem *scribere* et Theodosii Magni ultimum, et filiorum Arcadii et Honorii primum : *silet de* annis Christi, *quos æque turbasset. Præterea epocham Christi statuissent Eusebius, Hieronymus, Prosper, Marcellinus, Comes, aliique a* Christi baptismo *ac* prædicatione *aut* passione *seu* resurrectione ; *ut eorum Chronica demonstrant : quæ epocha cum annis* a Nativitate Christi *apud Victorem*

*Anni Christi non observati ante 6 seculum,*

*Tunenensem in fine Chronici et Continuatorem Fredegarii cap.* 109 *confusa, clare innuit, necdum eo tempore viguisse consuetudinem annos* a Christi Incarnatione *aut* Nativitate *numerandi.* D

AUCTORE G. H.

105 *Bucherius Tractatu de Chronologia Regum Francorum sect.* I, *observat* ad supputationem a Christo nato non posse confugi, quod ea in antiquis historiis ante DCCL circiter Christi annum non usurpetur. *Ab eo autem tempore sub Pippino Rege, ejusque filio Carolo Magno ratio illa* a Christo incarnato *aut* nato *supputandi paullatim adeo invaluit, ut ipsa Chronica per similes annos Christi mox fuerint conscripta. Hujusmodi Annales plures exibet Andreas Chesneus tomo* II *Historiæ Francorum, qui finiuntur ad annum Christi, alii* DCCXC, *alii* DCCC, *alii superaddunt* VI, VIII *aut* XIII *ejus seculi annos ; quibus etiam temporibus eorum auctores videntur vixisse. Hi autem, ne procul aberrarent, suos Annales auspicati sunt ab ultimis annis Pippini Herstalli ejusque filii Caroli Martelli ; circa quorum tempora major omnium auctorum ideo consensus reperitur. Monachus S. Dionysii in Gestis Dagoberti, Aimoinus in Historia Francorum antiquorum, licet post supputationem a Christo nato jam longo tempore usitatam, vixerint ; ut omnem tamen aberrandi occasionem evitarent, eos solum adhibuerunt* E *temporum characteres, quos a vetustissimis et coævis scriptoribus sciverunt admotos.*

*apud Francos seculo 8 cœpti usurpari.*

106 *Regino Abbas Prumiensis, qui sub initium seculi decimi floruit, solum posteriorem Chronicorum librum* a morte Caroli Martelli, per Incarnationis Dominicæ annos, tempora Principum et gesta *deducit, priore vero libro, omissis annis Christi, se* nihilominus quo tempore, quo loco, vel quid sub unoquoque Principe actum sit, summatim ostendere, *sub finem libri primi monet. Eos autem annos Christi, libro primo deesse, inconcinnum alius ratus, intrusit adeo inordinatos, ut integri fere seculi hiatus reperiatur admissus. Nam sub finem libri primi proposito* anno Dominicæ Incarnationis DCLV *ita subditur :* Carolus Princeps X anno regni sui cum Bajoariis pugnavit, XV contra Lantfridum dimicavit, XVII Eudonem Ducem Aquitaniæ protrivit, XVI, Saracenos expugnavit *etc. At liber secundus mox inchoatur in obitu ejusdem Caroli Martelli his verbis:* Anno Dominicæ Incarnationis DCCXLI Carolus filius Pippini Major-domus et bellicosissimus Dux Francorum defunctus est. *En hiatus* LXXX *et amplius annorum in eodem Carolo, quod admodum absurdum, non putamus in Reginonem cadere potuisse. Quare toto libro primo* annis Dominicæ Incarnationis *deletis, singulos paragraphos ab Imperatoribus inchoandos arbitramur, hac ratione.* Mauritius regnavit F annos XX. Phocas regnavit annos VIII. Heraclius regnavit annos XXVI *etc, quo tempore per Imperatorum successionem indicato, quod tum diversis locis peractum credidit, subjunxit, sed non semper absque mendis. Ita Dagoberti* I *Regis obitum ad* Imperium Justiniani Rhinotmeti, *anno* DCLXXXV *inchoatum, supra monuimus ab eo dilatum esse : cujus tamen Imperio præpositus a posteris* annus Dominicæ Incarnationis DCXII *summam induxit rerum omnium confusionem. Illos autem* annos Christi *olim ab aliquot seculis appositos fuisse innuunt antiqui codices MSS. in quibus etiam leguntur.*

*intrusi in librum I Reginonis,*

107 *Non multum ab ea Chronologia discedunt auctor Chronici Gandensis, Theodericus Abbas S. Trudonis, Philippus Abbas Bonæ-spei, aliique historici, qui seculo Christi* XII *in Belgio floruerunt. Ita in Chronico Gandensi* annus Incarnationis Dominicæ DCX *conjungitur cum* anno Dagoberti Regis XIV, *et* S. Amandum, *qui* anno Theoderici Regis II, *Christi* DCLXXXI *mense Aprili suum confecit testamentum, scribunt Philippus Abbas, aliique vita functum esse* anno Christi DCLXI. *Verum illic antiquum* Regum Dagoberti et Theoderici *characterem, expunctis annis Christi,*

*servandum*

AUCTORE G. H.

*et varia Acta Sanctorum.*

A *servandum esse, docebimus* VI *Februarii die Natali S. Amandi. Quæ extat Vita S. Vedasti eodem* VI *Februarii a nobis illustrata, profert* annos Episcopatus *ejus* quadraginta, *reticet annum mortis, quem* DLXX *Christi refert eadem Vita in Breviario Atrebatensi in lectiones Matutinales distributo. Eumdem annum* DLXX *tradunt Sigebertus in Chronico, Baronius in Notationibus ad Martyrologium Romanum, aliique illustres Scriptores; cum tamen S. Vedastum circa annum* DXL *vita functum esse certo constet ex dicendis* VI *Februarii. Eodem prorsus modo intrusos annos Christi Actis SS. Wandregisili, Audoeni, Ansberti, expungendosque esse ostendemus* IX *Februarii ad Vitam S. Ansberti. Sunt autem ea Acta ab auctoribus contemporaneis scripta, cum usus adscribendi annos Christi apud Francos assumptus necdum esset.*

*Anni Pontificum,*

108 *Minor difficultas in annis* Pontificum Romanorum *appositis apparet, cum et ea consuetudo non facile probetur ab antiquioribus Scriptoribus usitata, et menda enormia vindicent auctores coævos a simili confusione. Ita* S. Martinus Papa, *qui Theodoro anno* DCXLVII *vita functo successit, passim conjungitur cum* Rege Dagoberto *anno* DCXLIV *mortuo : imo Chronicon Gandense* annum XIV Dagoberti, et V Martini Papæ *in* annum Christi DCX *conjecit. Aliqui characteres* Imperatorum, et Consulum Romanorum, *atque* Indictionum, *antiquis Chronographis magis usitatos et tritos, adeo perturbant, quasi anni et loco et tempore*

*Imperatorum, Consulum, Indictionum,*

B *adhibiti fuissent. Gregorius Turonensis dum libro primo, et initio libri secundi Historiæ, tempora ea describit, quibus* Imperatores Romani *rerum adhuc in Gallia potiebantur, res gestas ad eorumdem* Imperatorum *epocham ordinatas, per sua tempora distribuit; adductis etiam* Consulibus Romanis, *quos ad annum ætatis S. Martini accuratius observatos repererat. Deinde vero, postquam Imperio Romano e Gallus eliminato, regnum ibidem Francorum stabilitum est, solum suorum Regum annos observarunt antiquiores Franciæ Scriptores, Gregorius Turonensis, Fredegarius, Fortunatus, Audoenus, Ursinus, aliique Vitarum Sanctorum Scriptores coævi, eosque imitati monachus S. Dionysii in Gestis Dagoberti et Aimoinus supra memorati.*

*aliis Francis non usitati.*

109 *At Francorum regibus in Romanos* Imperatores *assumptis, Franci cum nomine* Imperatorum *usum* Indictionum, *quibus Romani assueverant, etiam acceperunt, quas diplomata Ludovici Pii et sequentium Imperatorum passim exhibent. Posteri ergo cum viderent historias suorum majorum temporibus conscriptas, hisce* Imperatorum et Indictionum *notis quasi singulari ornamento carere, ipsi ne illud antiquioribus historiis deesset suo calculo supplebant. Trithemius quasi appositis* Indictionibus *anni Regum antiquorum tutissime confirmarentur, eas suo calculo adaptavit. Ita ei in Historia*

*a posteris suppleti,*

*non sine mendis;*

C *Francorum e vita excesserunt anno* Christi DCLXV Indictione VIII Dagobertus I, et anno DCLXXXI Indictione IX Chlodoveus II, *errore circiter* XX *annorum commisso : quo in compendio libri* I *Annalium fere emendato mortui dicuntur* Dagobertus anno DCXLV Indictione III, Chlodoveus II anno DCLXII Indictione V, *et ita de aliis. Idem* Chlodoveus *in Chronico Moissiacensi* post Dagoberti decessum regnum patris adscivit anno ab Incarnatione Christi DCXLI Indictione IV : moritur *vero,* regnavitque filius ejus Chlotarius pro eo, anno ab Incarnatione Christi DCLVIII, Indictione II. *Quæ omnia licet Indictionibus videantur certissima reddita, supra refutavimus.*

*an recte apposita in Conciliis sub primis Francorum Regibus habitis?*

110 *Intricatum magis negotium exhibent Concilia Ecclesiastica sub primis Francorum Regibus habita, ob nonnullam* Indictionum, Imperatorum *etiam aut* Consulum Romanorum *mentionem : in quibus ordinandis multum desudarunt Sirmondus in notis ad tomum* I *Conciliorum Galliæ, Petavius lib.* II, *de Doctrina temporum cap.* 48, *aliique. Nos candide fatemur valde suspectam esse horum characterum varietatem, eosque nobis videri a posteris sæpius intrusos.* D Consulatum Felicis *a Sirmondo primum appositum* Concilio I Aurelianensi, *nullo certo codice MS. allegato, supra rejecimus.* Aurelianense II *habitum legitur* anno XXII Childeberti Regis *Parisiorum, ergo Christi* DXXXI *et* Justiniani Imperatoris anno X ; *quem Imperatoris characterem expungimus cum Sirmondo, ratu ab iis intrusum, qui cum Sigeberti Chronico obitum Chlodovei distulerant ad annum* DXIV. Aurelianensi III *passim adscribitur* annus *ejusdem* Childeberti XXVI *aut* XXVII *quo anno Christi* DXXXV, *aut sequenti habitum arbitramur : alii annum* XX *Regis requirunt, ob adjunctum in aliis codicibus* Consulatum Paulini Junioris, *cui ideo contra Fastorum fidem alterum Consulatum adscripsit Baronius ad annum* DXL. *Additur in codice MS. Lugdunensi apud Sirmondum omisso Rege* annus IV post Consulatum Paulini Junioris, Indictione II, *in qua tamen* manifestum mendum *esse scribit Sirmondus : quod tam de* Consulatu, *quam* Indictione *dicendum. De* Aurelianensi IV *ob annum* Childeberti Regis *omissum nihil certi statui potest, an ex unico Pithœi codice MS.* Indictio IV Basilio V. C. Consule *recte legatur ex Episcoporum subscriptionibus disceni posset.* Aurelianense V *habitum legitur* sub die V Kalend. Novemb. *anno* XXXVIII *Childeberti, is est annus Christi* DXLVII. *Scaliger lib.* 6 *de Emendatione temporum addit* circa tempora Pelagii Papæ primi habitum Indictione XIII E post Consulatum Paulini anno XII. *Quæ non cohærent: electus est in Pontificem Pelagius anno Christi* DLV ; *ast in* DXLVI *cadit annus* XII *post Consulatum Paulini. Petavius* Indictionem XI *censet substituendam, quæ cum* Consulatu Paulini *et* pontificatu Pelagii *melius abest.* Arelatense V *habitum est* anno Childeberti XLIII *cui additam* Indictionem III *substituto* II, *corrigit Sirmondus, ut annum* DLIV *conficiat, quod anno* DLII *habitum fuit.* Lugdunense II *celebratum* anno Gunthramni Regis VI, *ergo Christi* DLXVI, *non* Indictione III, *quæ passim legitur, sed* XIV. *Eodem Christi anno habitum* Turonense II *solum refert* annum VI Chariberti Regis. Parisiense IV *subscriptum habet* III Nonas septemb. anni Chilperici XII *cum* Indictione VI *quæ anno Christi* DLXXII *a Kalend. Septembris inceperat.* Matisconense I *celebratum* Kalend. Novemb. anno Gunthramni XXI Indictione XV *quæ conveniunt in annum Christi* DLXXXI. Concilium Valentinum II *refertur* anno Gunthramni XXIV *Indictione* II, X *Kalend. Junii. Annus is est* DLXXXIV *In quibus omnibus Æram Fredegarii secuti sumus. Sirmondus annum Gunthramni* XXIII, *et ante* XX *correxit, ut Gregorii Turonensis calculo accomodaret.*

## VITA AUCTORE [a] SIGEBERTO

*monacho Gemblacensi.*

F

### CAPUT I.

*S. Sigeberti Majores. Nativitas.*

Anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo octogesimo *b* sexto *c* Lotharius secundus, Chilperici Regis et Fredigundis filius, in Francia admodum *d* puer regnare cœpit. Qui postquam ad intelligibilem ætatem venit, honestati morum studere cœpit. Unde a Deo exaltatus, eo usque processit, ut monarchiam regni Francorum mereretur accipere solus. Hic anno regni sui tricesimo nono Dagobertum filium suum in consortium regni adscivit : et ne regiæ potestatis licentia, et juvenilis ætatis intemperantia exorbitaret a via rectitudinis, ei viros potentia et sanctitate claros substituit, Sanctum scilicet *e* Arnulphum, ex Majore-domus Metensem Episcopum, et *f* Pippinum Majorem-domus, tunc temporis cunctis aulicis

A aulicis præeminentem potentia et prudentia. Istis Dagobertus utens tutoribus regnum Francorum propagavit latius, et maxime ad debellandos Saxones laboravit intentius, qui fines regni sui crebris fatigabant excursibus. Quos auxilio patris sui Lotharii ita devicit, ut et Regem eorum Berthoaldum perimeret, et omnes Saxones, mensuram gladii sui excedentes, gladio trucidaret. *g*

*Dagobertus in societatem regni a patre adsciscitur Saxones domat.* *g*

2 Tam bonis Dagobertus Rex usus principiis, post mortem *h* patris sui cœpit paullatim resilire a proposito æquitatis, et consiliis, Pippini Principis, et *i* Cuniberti Archiepiscopi Coloniensis, quem idem Pippinus post decessum S. Arnulphi unanimem sibi amicum, et intimum suis elegerat consiliis. Nam, quamvis *k* Dagobertus Rex esset egregius bellator, Sacerdotum Dei et Ecclesiarum pius amator, pauperum Christi largus sublevator et multarum bonarum artium executor; tamen carnalis incontinentiæ morbo nimis laborabat, unde et claritudini nominis sui fœdam infamiæ notam contraxerat, et (quod gravius erat) Regis Regum iram contra se accenderat. *l* Reginas enim suas fictis ex causis pro aliis repudiabat, ipsis quoque desponsatis pellicum amores superducebat. Et quamvis adeo deditus esset carnali commercio, nullam tamen spem propagandæ posteritatis B habebat, ex nulla tot uxorum filio suscepto.

*etiam in pejus mutat:* *h* *i* *k* *l* *liberis caret:*

3 Permaxime ergo Rex dolebat, quia se Dei offensam incurrisse sentiebat: præsertim quod ex regio patrum suorum semine nullum sciebat superesse, præter se et fratrem suum Charibertum: qui Charibertus propter simplicitatem nimiam minus idoneus erat ad regni gubernaculum. Sed quamvis de prolis prosperitate, non tamen desperans de Dei miseratione, præcordialiter eum deprecabatur, ut sibi ex ejus nutu filius daretur, qui sibi in regimine regni subrogaretur. Justus et pius Dominus, qui hominum erratibus ad iram attrahitur, precibus etiam humilium ad misericordiam reducitur. Rex siquidem Dagobertus, dum circuiret Austrasiam *m* nono anno regni sui, puellam quamdam *n* Ragentrudem nomine, vultus elegantia laudabilem, genere etiam inter Austrasios non ignobilem, cum regii cultus honore sibi uxorem junxit: quæ, Deo volente, eodem anno ei genuit filium.

*pro eo Deum deprecatur:* *m* *n* *filium obtinet.*

a *An hæc Acta post obitum S. Sigeberti Gemblacensis, rejectis superfluis et fabulosis, in hunc ordinem redacta fuerint, supra inquisitum est.* b *Imo* quarto *ut* § 9 *probatum, non septimo, ut Baronius cum Chronico Sigeberti.* c *Antiquioribus* Chlotharius *Francorum monarcha factus anno* 613. d *Ætatis* mense quarto. *Greg. Turon lib.* 7 *cap* 7. e *Colitur* 18 *Julii, pronepos Chlotharii* I, *sicut Dagobertus, sed ex filia ejus Blithilde.* f *Colitur* 24 *Februarii, pater S. Begghæ nuptæ Ansigiso filio S. Arnulphi.* — g *Ea pluribus describit Monachus S. Dionysii Gestis Dagoberti cap.* 14. h *Obiit Chlotharius anno* 628, *non* 631, *ut volunt Sigebertus, Baronius, alii.* i *Colitur* 12 *Novemb.* — k *Post monachum S. Dionysii, nuper de virtutibus ejus scripsit Jodocus Coccius noster, sed non optatam ubique assecutus antiquorum mentem.* — l *Repudiata legitima uxore,* tres *assumpsit* ad instar Reginas et plurimas concubinas *apud Fredegarium cap.* 58. — m *Imo* octavo *apud Fredegarium cap.* 59 *aliosque. Is erat annus Christi* 638, *non* 639 *a Baronio positus.* — n *Alii* Ragnetrudem, *quam e pellicum grege frustra amandare conatur Coccius cap.* 12.

C

## CAPUT II.

### *Baptismus. Educatio.*

Rex hoc lætificatus nuntio, volvere cœpit animo, cui *a* sanctorum virorum potius hunc puerum traderet, qui eum sacro baptismate regenerare deberet. Erant eo tempore in Francorum regno multi apud Deum et homines sanctitate prædicabiles et virtutibus. Inter quos S. Amandus Elnonensis clarebat gloriosius: qui ex Aquitania oriundus, Christum relictis omnibus sequebatur, et labores voluntariæ peregrinationis instantia Divinæ prædicationis consolabatur, et ejus cultu seges uberrima per Franciam in horrea Christi congregabatur. Ad hunc perquirendum per diversa discurrunt nuntii, ad festinantis Regis edictum. Is Amandus jam dudum, D quia solus omnium Sacerdotum non timuerat Regem redarguere pro capitalibus criminibus, jubente eo, cum injuria de regno ejus fuerat expulsus, et in remotioribus Franciæ locis verbum Dei prædicabat Gentibus. Tandem reperitur, et ut Regem adeat quantocius admonetur. Ille memorans præceptum Apostoli, quod omnis anima potestatibus sublimioribus debeat subjici, venit ad Regem, in villa *b* Clipiaco morantem. Viso Rex beatissimo Amando magno repletus est gaudio, prostratusque pedibus ejus deprecabatur, ut tanto sceleri, quod in eum perpetraverat, veniam largiri dignaretur. At ille, ut erat mitissimus, citius eum elevavit a terra, atque clementissime indulsit. Tunc Rex ad Sanctum ait: Pœnitet me, quod stulte adversum te egerim. Precor ergo, ut ne memineris injuriæ, quam tibi irrogavi, atque precem meam quam a te postulo, non dedigneris annuere. Dedit Deus mihi filium, non meis præcedentibus meritis, precorque ut eum sacro digneris abluere baptismate, atque in filium tibi spiritualem accipere. Quod vir Domini vehementer renuit, scilicet sciens scriptum esse militantem Deo non oportere implicari secularibus negotiis: et quietum atque remotum non debere regia frequentare palatia, et e conspectu Regis abscessit. Rursum Rex misit E ad eum viros illustres, tunc in laicali habitu palatio deservientes, *c* Audoenum scilicet, post Rothomagi Episcopum, et Eligium post Noviomi Episcopum. Hi humiliter virum Dei petierunt, ut precibus Regis daret assensum, atque filium ipsius sacro dignaretur diluere fonte, et ut eum enutrire atque lege imbuere Divina quantocius assentiret, dicentes, quod si hoc vir Domini non renueret, per hanc familiaritatem libentius in regno illius, vel ubicumque eligeret, licentiam prædicandi haberet, seu nationes quamplures per hanc gratiam se posse conquirere fatebantur. Tandem ergo, fatigatus precibus amborum, facturum se esse promisit.

*a* *AUCTORE SIGEBERTO GEMBLACENSI* *S. Amandus accersitus* Rom. 13, 1 *b* *renuit initio eum baptizare,* 2 Tim. 2, 4 *c* *intercedentibus SS. Audoeno et Eligio assentit*

5 Audiens autem Rex, quod vir sanctus precibus ejus annuerat, puerum adduci præcipit: *d* ipse vero Aurelianis contendit: ubi ei frater suus Charibertus ad hoc ipsum, ut filium ejus de sacro lavacro susciperet, occurrit. Ibi puer affertur, qui non plusquam *e* quadraginta dies ab ortu suo habere ferebatur. Quem accipiens vir sanctus sacris mysteriis initiandum, cum benedictione solenni eum fecit catechumenum. Cumque finita benedictione nemo ex circumstantibus respondisset: Amen; aperuit Deus os F infantis, atque cunctis audientibus clara voce respondit: Amen. Statimque eum regenerans sacro baptismate, Sigebertum eum nominavit, eumque ipse cum Chariberto fratre Regis de sacro fonte suscepit. Super hoc Rex cum omni exercitu magno tripudians gaudio, dehinc sanctum virum habitum in magnæ venerationis loco, *f* non multo post inthronizavit eum in Trajectensis Ecclesiæ solio. O miram Dei gratiam! o prædicabilem ejus potentiam! Quis non in ejus laudem exclamet? quis non super divitiis bonitatis ejus exultet? Qui olim Jeremiam Prophetam in utero matris sanctificavit, cujus spiritu afflatus cum matre sua plus quam Propheta Joannes exultavit, et nondum natus præco nasciturum Regem prævidens gratulando salutavit; ipse etiam modo recens nato puero per os sancti Præsulis charisma spiritualis benedictionis infudit, et quod sibi vas electionis esset futurus, per ejusdem ostendit miraculum: quem, mox ut originalis peccati ablutus est macula, Spiritus sancti perfudit gratia. Vere benedictus per omnia, per quem nomen Domini adhuc benedicitur in Ecclesia, et benedicetur in secula.

*d* *e* *baptizat respondentem Amen.* *f*

6 *g* Aut vix, aut numquam invidiam effugit gloria Pippinus Major-domus, qui caute ut prudenter se agebat *g*

*AUCTORE SIGEBERTO GEMBLACENSI.*

A bat in cunctis regni vel palatii negotiis, bonus in consiliis, fortitudine terribilis, cultu justitiæ et fidei proposito per omnia laudabilis, quo magis omnes gloria anteibat, eo majorem omnium pene Austrasiorum contra se invidiam conflaverat, observantibus æmulis, ut amoverent eum a latere Regis : ut aut disjungerent eum a Regis corde, aut facerent eum plecti morte. Sed ille callens moderari animo suo, noluit vinci a malo, sed vicit malum in bono. Nam ut se et omne regnum absolveret discordiæ scandalo, arrepto ad nutriendum Sigeberto Regis filio, invidorum factioni cessit, et ad Charibertum Regis fratrem in Aquitania morantem contendit. Non multo post transeunte nubecula hujus tempestatis, lætior rediit per concordiam aura serenitatis.

*a S. Pippino enutritur.*

a Desunt hæc de baptismo in priore Vita apud du Chesne, desumpta fere ex Vita S. Amandi per Baudemundum explicanda 6 Februarii. Hujus loco hæc verba sola leguntur, quem sacro fonte regeneratum Sigebertum nominavit. — b Clipiacum villa regalis non procul Parisiis, in qua Dagobertus Gomatrudem in conjugem acceperat apud Fredegarium cap. 53. — c Baudemundus Dadonem, colitur 24 Augusti : at S. Eligius 1 Decemb. cujus ille Vitam scripsit. — d Hæc de urbe Aurelianensi et Rege Chariberto ex Fredegario cap. 62, inserta. Charibertus, inquit, Aurelianis veniens Sigebertum de sancto lavacro excepit. Aimoinus lib. 4 cap. 20 addit Dagobertum etiam adfuisse. — e Aimoinus triginta. Reliqua de baptismo silet Fredegarius. Ex Baudemundo vero descripserunt monachus S. Dionysii, Aimoinus et Sigebertus in Chronico. — f Imo diu post, mortuo etiam Dagoberto, tempore S. Sigeberti factum fuisse Trajectensem Episcopum probabimus 6 Februarii. Baudemundus illis ita gestis, quæ phrasi etiam maxime dissita connectit. — g Hæc sequentia desumpta ex cap.
B 61 Fredegarii.

## CAPUT III.

### *Regnum Austrasiorum. Obitus Dagoberti.*

Sammon *a* quidam, Francus genere, negotiator arte, cum ad gentem *b* Winidorum se contulisset, et per fortitudinem et industriam suam ab eis in *c* Regem promotus fuisset, inter se et Dagobertum Regem orta simultate, sæpe regni sui transgresso *d* limite, Thuringiam et reliquos sibi vicinos Francorum pagos vastabat acerrime. Hac de causa Rex Dagobertus anno regni sui *e* undecimo Metis adiit, ibique Procerum et Pontificum conventum adesse jussit, eorumque consilio et consensu filium suum Sigebertum *f* in regnum Austrasiorum sublimavit, sedemque Regis Metis urbem habere permisit : partem etiam thesaurorum sufficientem tradidit, et hoc totum edicto regali et Procerum attestatione authorizavit. *g* Tutelam vero Regis, cujus pueritiæ timebat, commisit Cuniberto Archiepiscopo Coloniensi, et Adelgiso Duci : curam vero regni Austrasiorum et pro-
C videntiam omnium imposuit Pippino Principi. Ex illo die repressa est insolentia Winidorum, obviante eis fortiter et feliciter fortitudine Austrasiorum, et frequentibus prælus reprimente excursus illorum.

*Rex Austrasiorum constituitur,*

8 Post *h* annum nascitur Regi Dagoberto filius, qui Clodoveus est nominatus. Qui iterum cunctis primatibus Austrasiæ et Neustriæ in generali conventu congregatis, iterum divisionem regni inter duos filios ordinavit coram eis eorum assensu et consilio, et confirmavit datis et acceptis invicem pactis et sacramentis, ut scilicet determinato utriusque regno certo limite, Sigebertus regnaret super Austrasiam, Clodoveus vero regeret Neustriam. Eam partem Franciæ, quæ spectat ad *i* Meridiem et Orientem, vocabant Austrasiam : eam quæ vergit ad Aquilonem et Occidentem, vocabant Neustriam. Rex Dagobertus tam juste et prudenter regno utroque ordinato, ne aliquando aliquo modo vel fratres inter se paterno dissiderent odio, vel regnum in seipso divisum civilis belli desolaretur scandalo; anno regni sui *k* decimo septimo mortuus, et Parisiis in basilica S. Dionysii sepultus, regnum dimisit, ab exteris pacatum gentibus, et in nullo diminutum a suis finibus.

*frater Clodoveus nascitur*

*Rex Neustriæ decernitur*

*moritur Dagobertus.*

D 9 Post cujus obitum duo Reges et fratres, Sigebertus et Clodoveus, se quisque in regno suo agebat prudenter, et inter suos valebant potenter, *l* subjectis se exhibendo placabiles, adversantibus terribiles. Et cum in omnibus inter se Deo placita vigeret concordia, pro uno tamen negotio pene voluit introrepere discordia. Sigeberto enim Rege repetente sibi debitam partem paterni thesauri, nitebantur ei contraire Proceres, qui erant ex parte Clodovei. Sed Pippino Principe et Cuniberto Archiepiscopo fortiter et rationabiliter instantibus, pro sua potentia ab invitis Neustriæ Primatibus extorserunt, mediante justitia, ut ex condicto ad villam Compendium veniretur, ibique thesaurus Regis æqua lance divideretur, suaque cuique *m* pars competenter daretur. Ventum est illo : thesaurus dividitur ex æquo, pars debita repræsentatur Metis Regi Sigeberto.

*Sigebertus thesauri regii partem sibi vindicat.*

a Sequentia leguntur apud Fredegarium cap. 75, monachum S. Dionysii cap. 32 et Aimoinum lib. 4 c. 23 et 26 quibus fere Samo dicitur de pago Senonago, de quo agemus 5 Februarii in Vita B. Domitiani § 4. — b Sclavos cognomento Winidos appellant citati auctores, Gens origine Sarmatica, Wandalos et Winulos Germaniæ antiquos populos sibi subjugavit : unde hoc tempore germanos trans Albim Sclavico genere oriundos die Wenden appellari tradit Cluverius ex illa regione oriundus lib. 3 Germaniæ antiquæ cap. 44. Fidem Sclavi et Winidi suo de nomine modernam Sclavoniam et Windismarchiam, vicinas Hungariæ ditiones fecere : et proximam istic provinciam Carinthiam obtinuisse Samonem dicemus, in Vita S. Domitiani. — c Ob victoriam et libertatem de Hunis procuratam Rex factus, regnavit annos 35, et ex 12 uxoribus procreavit 22 filios et 15 filias, apud
E Fredegar. cap. 48. — d Sala fluvio dirempti Winidi, Sorabi dicti ab Eginhardo in Vita Caroli Magni 28 Januar. sect. 19 qui se Winedis Sclavis conjunxerint. — e Christi 638. Hinc prior Vita eadem refert. — f Fredegarius Adalgiselum Ducem palatii vocat. — g Desiderantur in priore Vita. — h Anno Dagoberti 12 Christi 639. Eadem in priore Vita habentur. — i Imo versus Septentrionem et Orientem, nec vox Austria seu Austrasia ab Austro vento meridionali derivata est, sed a voce Germanica Oosten id est Oriente ut supra docuimus. Et contra Neustria est versus meridiem et occidentem, et deduximus supra a niew Westen, a novis Occidentalibus incolis. — k Potius anno 16, a morte scilicet Chlotharii, ut ex Fredegario monacho S. Dionysii et Aimoino supra docuimus. Obiit autem anno Christi 644, die 19 Januarii. Si hoc initium anni seorsum computetur, posset annus 17 aliquo sensu obtrudi. — l Reliqua hujus capitis desunt in priore Vita. — m Compendium castrum in Vita S. Marculphi, at palatium in Actis S. Medardi, villa vero Gregor. Turon. lib. 4 cap. 2, et lib. 6 cap. 35. Fredegario cap. 85. Aimoino lib. 4 cap. 36. Extat etiamnum oppidum munitum apud Suessiones in finibus Neustriæ ad confluentes Axonæ et Aisiæ sive Isaræ fluminum.

*Sclavi Winidi.*

*Compendium*

## CAPUT IV.

### *S. Pippini obitus. Major domus Grimoaldus. Bellum Thuringicum.*

Sequens annus luctum maximum intulit Regi Sigeberto ejusque regno, Pippino Majore-domus ex hac luce subtracto *a*, qui ipsum Sigebertum paterno nutrierat a puero, et imbecillitatem pueritiæ et adolescentiæ ejus validi sui auxilii sustentaverat bra- F chio. Hic omnimodis regno utilis, genere, potentia, prudentia et fortitudine super omnes nominabilis, Grimoaldum filium suum rerum suarum hæredem fecit ; duas quoque filias, *b* Gertrudem et Beggham, ad laudem et gloriam generis sui post se reliquit. Quarum una Gertrudis, Christo quam sponso carnali malens nubere, sanctæ religionis proposito inserviens in *c* Nivellensi cœnobio, a sua fundato *d* matre, spiritualem prolem adhuc non desinit Deo gignere. Soror ejus Beggha nupta Ansigiso S. Arnulphi Metensis Episcopi filio, regiæ dignitatis decus, quod penitus deperierat per Regum Francorum inauditam desidiam, per suam reparavit prosapiam. Ipsa siquidem genuit Pippinum, Pippinus Carolum, qui *e* Tudetes, id est, Martellus est agnominatus : Carolus Pippinum Regem : Pippinus Carolum, cognomento Magnum, Francorum Regem et Imperatorem Romanorum : qui eo honoris et potentiæ processit, ut nullus de Regibus Francorum, vel ante eum, vel post eum, ei comparari potuerit. Quia aliquantulum excurrimus, cito unde digressi sumus redeamus.

*S. Pippinus Major-domus obit,*

*caput familiæ Regum*

11 Grimoaldus pro patre suo Pippino constitutus Major-domus,

*succedit Grimoaldus ejus filius,*

Major-domus, potenter in aula Sigeberti Regis principabatur, et domi militiæque viriliter tutabatur. *f* Omnia in tuto esse putabantur, et compressis vicinarum gentium motibus, nihil metuebatur. Invenit tamen noverca bonorum invidia, quomodo in ipsis regni visceribus sereret discordiæ zizania. Otho *g* Uronis domestici filius, qui Sigeberti Regis ab adolescentia fuerat bajulus, zelo invidiæ ducebatur contra Grimoaldum Majorem-domus, et traductis ad se Procerum aliquibus, arrepebat in spem invadendi principatus ejus.

*Thuringos vario eventu oppugnat,*

12 *h* Radulphus quoque Dux Thuringiæ, vir bellicosus, prosperis intumescens eventibus, cum Winidos crebris vicisset congresssibus, contra Sigebertum dominum suum et Regem agebat insolentius, ejusque despiciens adolescentiam, magnam intulit regno molestiam: et eo vecordiæ processit, ut exercitu Sigeberti insidiis excepto, non *i* minimam de Francis stragem facere præsumpserit. Quod infortunium nimium Sigeberto Regi intulit *k* luctum, tunc agenti annum regni *l* nonum, ætatis vero duodecimum. Sed quia cum ætate ei robur et industria accrevit, non antea ab inimicorum insecutione destitit, quam superbiam eorum domuit, et *m* Thuringos, qui instinctu Radulphi rebelles erant, sub jugo dominii sui victos et confusos reflexit. *n* Otho etiam, qui potentiam Grimoaldi obliquo oculo limans, eam ad se trahere nitebatur, factione Grimoaldi a *o* Leutherio Alamannorum Duce in gratiam ipsius trucidatur, atque ita Grimoaldus in Principem corroboratur.

*domat.*

a *Fredegarius, cap. 85, descripta bonorum Dagoberti divisione, addit:* Post anni curriculum Pippinus moritur. *De eo agemus 21 Febr.* — b *Colitur Gertrudis 17 Martii. Beggha vero 17 Decemb.* — c *Prior vita* Nivalensi. *Est oppidum Brabantiæ, in diœcesi nunc Namurcensi.* — d *S. Aldeberga sive Ita, colitur 8 Maii.* — e *Adrevaldus lib. 1 de miraculis S. Benedicti cap. 14* Carolum *ait* Tuditem *dictum, quod* adversariis nullatenus cedere sciret nullique parcere. *Tudites enim mallei dicuntur fabrorum quorum ictibus cuncta atteritur durities. Festus a tundendo nomen derivat. Ita* Martellus, *sive* Marcellus, *parvus malleus est.* — f *Hinc reliqua desunt in altera Vita.* — g *Fredegario cap. 86* Beronis, *aliis, ut istic notat du Chesne,* Vironis, Eronis, Aronis. — h *Bellum hoc fuse describit Fredegarius cap. 87.* — i *Fredeg.* fertur ibidem plurima millia hominum fuisse gladio trucidata. — k *Idem.* Sigebertus cum suis fidelibus gravi amaritudinis dolore adeptus, super equum sedens lacrymas oculis prorumpens, plangebat quos perdiderat. — l *Fredeg. Regni* viii. — m *Fredeg.* In verbis Radulphus Sigeberto regimen non denegabat: in factis fortiter ejusdem resistebat dominationibus. *Sed hæc de proximis adolescentiæ annis intelligenda.* — n *Fredeg. chap. 88,* Otto adversus Grimoaldum inimicitia per superbiam tumebat: *notatur autem* annus regni Sigeberti x. — o *Idem* Leuthario, *apud quem nihil ultra de S. Sigeberto legitur.*

*Tudites seu Martellus,*

## CAPUT V.

### *Monasteria dotata. Eleemosynæ. Mors. Sepultura.*

*Singulari sapientia et sanctitate præditus,*

Pax alta et quies erat in cunctis *a* Austrasiorum terminis, sedatis undique exteris et domesticis adversariis, virtute Dei promovente virtutem Sigeberti Regis, quem sibi placiturum monstravit a primo rudimento ætatis. Qui enim Salomoni in tenera ætate dedit sapientiam, divitias, et potentiam, dedit etiam huic sapientiam, divitias, et potentiam. Ego quidem, si verbis Domini uti audeam, fidenter dicam, quia plusquam Salomon hic. Salomon enim sapientiam, quam in nocte et per somnium accepit, transgrediendo Dei cultum perdidit; divitias et potentiam, quas plus cunctis habuit, in perniciem animæ suæ vertit, et, ut in posteris suis minueretur, peccando meruit. Hic vero pacificus noster Salomon, quidquid sapuit, quidquid habuit, quidquid potuit, ad animæ suæ commodum convertit, et, ut in posteris suis spiritualiter multiplicaretur, bene agendo meruit. Solet enim fieri in pacatis regnis, ut per otium et desidiam moribus corruptis, abutantur securitate pacis. Hic contra, gaudens diuturnitate temporalis pacis, laborabat obviam ire aereis catervis: et colluctaturus contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, conducere sibi spirituales, qui secum bellarent, exercitus.

AUCTORE SIGEBERTO GEMBLACENSI.

Luc. 11. 13

*12 monasteria exstruit et redditibus donat;*

14 *b* Duodecim enim monasteria in diversis regni sui partibus ædificavit, eisque ex suis redditibus regia liberalitate necessaria suppeditavit, ut illic sub Apostolicæ vitæ viventes regula, dum sua meterent carnalia, sua sibi seminarent spiritualia. Inter quæ eminent in nostra vicinia *c* Stabulaus et Malmundarium cœnobia, infra silvam Ardennam sita: quæ idem Rex, cooperante sibi Majore-domus Grimoaldo, constructa, S. Remaclo Tungrensi Episcopo tradidit ordinanda. *d* Illius enim et Cuniberti Coloniensis Episcopi præcipue innitebatur consilio, et ad talia facienda sanctorum virorum animabatur exemplo. Et ut ab uno plura discamus, quanta pii Regis liberalitas fuerit in Sanctorum locis ditandis, ex his duobus colligamus. Audiens in locis S. Remaclo delegatis, fervere cultum sanctæ religionis, præsertim quod idem Præsul, abjecta Episcopali sarcina, se ibi mancipaverat arctiori vitæ, tradidit ei ex ipsa foresta duodecim leucas in latitudine, et totidem in longitudine: in quo spatio nullus ei vel sibi succedentibus contradiceret: affirmaveruntque illud testamento cum adstipulatione imperiali.

*liberalis erga S. Remaclum.*

*Grimoaldi filium hæredem adoptat:*

15 Rex Sigebertus, revera Regis nomine dignus, quia seipsum bene regere noverat, magnopere terrena bona minimis Christi distribuere curabat, ut ad summum bonum tandem pertingere posset, quod non constare nisi in æterna beatitudine claret. Expertus enim erat, quia terrena felicitas in aliquo semper curtatur, ne ad perfectionem boni perveniat. Cum enim sibi opes, honores, potentia, gloria affatim pro regia affluerent magnificentia, multum tamen felicitati suæ deesse dolebat, pro eo quod *e* liberorum dulci affectu carebat. Et ideo in ædificandis ad ædificationem animarum cœnobiis instabat liberius, et sua Christo distribuebat liberalius: quia præter Christum, cui hæc cederent, non erat ei hæres legitimus. *f* Quia vero Grimoaldum Majorem-domus sibi in omnibus fidelem, morigerum et cooperatorem catenus expertus erat, filium ejus Childebertum regni Austrasiorum *g* hæredem delegat: hoc tamen proposito conditionis tenore, si ipsum contingeret sine liberis obire. Rex quidem, utpote futurorum nescius quod tunc sibi videbatur, ex temporis convenientia fecit: postea vero filium genuit, quem nomine patris sui Dagobertum vocavit: et priori testamento ad irritum redacto, hunc nutriendum commisit Majori-domus Grimoaldo, ut ejus potentia contra omnes tutus sublimaretur in Austrasiorum regno.

*nato sibi filio remittit:*

16 *h* Talis erat Sigeberti Regis vita, quam apud homines et temporalis magnificabat potentia, et grata Deo in omnibus commendabat justitia: apud Deum vero eum acceptabilem faciebat columbina simplicitas; cum tamen ei adesset etiam serpentina calliditas. Quia vero dicit Sapientia ex ore Salomonis: Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum, *i* aufer iniquitatem de vultu Regis, et firmabitur justitia thronus ejus. Rex ille, in cujus manu sunt corda Regum, de famulo suo Sigeberto, qui per vitæ puritatem et sapientiæ venustatem splendebat ut argentum, abstulit in præsenti seculo rubiginem peccatorum, et fecit sibi vas misericordiæ purissimum. Et cum Deus dicat nobis: Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis; quis discredat peccata hujus Regis, ex terrena contagione et regni occupatione ei adhærentia vice pulveris, Deum eluisse tot eleemosynis, quæ ad laudem et gloriam nominis Christi expensæ sunt per eum, et adhuc quotidie expenduntur in tot ab eo structis cœnobiis? Abstulit nimirum iniquitatem de vultu Regis, ut firmaretur justitia thronus ejus: ut, quia juxta

Prov. 25, 4 et 5

*eleemosynis redimit peccata*

Luc. 11. 41

AUCTORE SIGEBERTO GEMBLACENSI

A justus ex fide vivens vilipenderat terreni regni fastus, coronatus corona justitiæ et ornatus palma victoriæ conregnaret Christo in cœlestibus. *h*

*k* *moritur,*

17 Rex ergo terribilis apud omnes Reges terræ, qui aufert spiritum Principum, ne malitia mundi mutaret militis sui intellectum, in flore juvenilis ætatis cum acerba morte rapuit de præsenti seculo nequam, et in cœlesti curia ei contulit veræ dignitatis gloriam. Obiit autem Calendis Februarii, *l* ætatis suæ anno fere tricesimo primo, regni vicesimo octavo, ab Incarnatione Domini anno sexcentesimo sexagesimo secundo; a transitu Sancti Martini anno ducentesimo sexagesimo tertio. Et qui in multis locis insignia sui monimenta reliquerat, sepeliri elegit in *m* urbe Metis, quæ regni sui sedes fuerat, in basilica, quam ad gloriam et laudem Dei in honore S. Martini gloriosi Confessoris regia liberalitate construxerat.

*sepelitur Metis.*

*a S. Sigebertus infra in epistola ad S. Desiderium Episcopum Cadurcensem testatur gentes patrias pariter obedire et gentes barbaras pacatissime cohabitare. — b Hæc in priore vita etiam habentur, sed aliis postposita. Legunt alii vigilii. Silent nonnerum antiqui. — c De iis mox pluribus agemus. — d Hæc iterum desunt in priore Vita. — e Silent antiquiores scriptores. Imo plures et illos fuisse tradit auctor Vitæ S. Boniti coætaneus, ut supra dictum est. — f Hæc in priore vita habentur. — g Adoptivum appellari in quodam MS. Titiano supra diximus, sed potius ab asseclis Grimoaldi post obitum Sigeberti assumptum. — h Iterum desunt in priore Vita. — i Vulgata editio addit impietatem. — k Reliqua sed mutato ordine sunt in priore Vita. — l Imo ætatis 28 regni 21, utpote natus sub finem anni 635 mortuus 1 Febr. 663,* B *qui Gemblacensi annum a Paschate inchoanti fuit 662, a Transitu S. Martini 266. — m Potius in cœnobio Metensi, ut infra in Translatione, non autem prope Parisios, ut Sammarthani scribunt.*

# DE S. SIGEBERTI REGIS REBUS GESTIS

## Analecta ex variis Auctoribus.

### § I. *S. Sigeberti uxor Imnechildis, filius Dagobertus Rex Austrasiorum; neptis S. Irmina, abnepos S. Gregorius Ultrajectinus, aliique a S. Sigeberto, prognati.*

*S. Sigeberti uxor Imnechildis*

Uxor *S. Sigeberti fuit* Imnechildis, *nonnullis* Emnechildis, Emnechildis et Chinechildis *appellata, e qua* Dagobertus *et forsan plures liberi prognati sunt. Mortuo S. Sigeberto* Dagobertus *octo aut decem annos natus, cui jure hæreditario regnum debebatur*, factione Magnatum, *et potissimum* Grimoaldi Majoris-domus, pulsus est, *atque in* Clericum Didonis Pictavensis Episcopi consilio, attonsus, in Scotiam, *sive* Hiberniam insulam directus, *proque eo in* regnum Austrasiorum *intrusus* C Childebertus filius Grimoaldi : *quem a* S. Sigeberto *in regni hæredem fuisse adoptatum, et Dagobertum defunctum esse falsus rumor sparserat, uti alibi ex antiquis auctoribus probamus.* Imnechildis *uxor S. Sigeberti, abducto in Hiberniam filio, videtur Parisios fugisse, opem imploratura contra regni invasorem. Hoc namque pulso, ipsa cum Childerico adolescente Austrasios rexit, cujus regni anno* II *tam Childericus Rex, quam Imnechildis Regina Barisiacum monasterium in agro Laudunensi S. Amando condonarunt. Ejusdem etiam Reginæ Imnechildis consilio traditur Childericum in Alsatia superiore monasterium in valle S. Gregorii fundasse.*

*Dagoberto filio in Scotiam a Proceribus ablegato,*

*cum Childerico Rege Austrasiis præest.*

2. *Vivebat eo tempore in Anglia S. Wilfridus, anno* DCLXIV *Episcopus consecratus, et circa annum* DCLXIX *toti Northumbriæ præpositus. Hic* Dagobertum ex Hibernia ad se venientem hospitio excepit, et equis sociisque adjutum in patriam remisit : *cui Imnechildis mater in locis magis remotis partem regni procurarit, et inter utrumque Regem pacem concordiamque fovit. Dagobertus Rex constitutus* S. Wilfridum *ad se venientem* benigno excepit, multisque precibus fatigavit ut provinciam remanentia sua dignaretur, Episcopatum Strateburgensem accipiens. *Quæ alibi ex Actis S. Wilfridi deducimus. Dagoberto huic uxorem fuisse* Mechtildem Saxonum Ducissam *colligimus ex Bruschio in Episcopis Argentinensibus in S. Arbogasto. Imo* Dagobertum regno pulsum cum conjuge sua apud Thuringos habitasse *tradit e Chronicis MSS. Matthæus Merianus in Topographia Archiepiscopatus Moguntini, agens de Heiligenstadio Eichsfeldiæ urbe primaria, quem locum sua primordia Dagoberto debere aiunt. Quæ etiam in additionibus ad Lambertum Schasnaburgensem a Pistorio editum pag.* 264 *de monasterio Erphurti extructo leguntur, ad eumdem Dagobertum referenda videntur, et tempus Rygiberti seu Richberti Episcopi Moguntini probat, sed pro anno* 707 *substituendus est annus* 677 *aut huic vicinus. Ipse autem Dagobertus appellatus est Rex* Germanorum, Francorum Germanicorum, et Francorum Transrhenanorum, *ac præter ditiones trans Rhenum sitas obtinuit etiam Alsatiam cum urbe Argentoratensi. In hac Alsatia Palatium suum Kirchemium aliaque loca monasterio Haslacensi attribuit, cum S. Florentius, dein Episcopus Argentoratensis, filiæ ejus visum ac loquelam reddidisset. Varia item a Dagoberto Ecclesiæ Argentoratensi, et monasteriis Schutterano et Suraburgo, donata sunt, cum filius ejus a S. Arbogasto Episcopo Argentoratensi fuisset ad vitam revocatus. Videtur hic Dagoberti filius in arce regia Scaburgo, sive Iseaburgo in lucem editus, ac sacro baptismatis fonte renatus, de avi sui nomine Sigebertus appellatus. Hinc temporibus non distinctis, ipse S. Sigebertus suscitatus a morte perperam traditur a Bruschio et Guillimanno de Episcopis Argentinensibus in S. Arbogasto, atque a Coccio in Dagoberto prævio cap.* 15. *At resuscitatione omissa,* ab apro in venatione ad insulam Rheni Novietensis occisus *dicitur a Joanne Isacio Pontano lib.* 2 *Historiæ Gelricæ:* extinctus veneno per Grimoaldum *a Miræo in Fastis Belgicis* XXI *Februarii in elogio B. Pippini Ducis. Veneni suspicionem movent etiam Sammarthani tomo* I *historiæ Genealogicæ Regum Francorum lib.* 5 *cap.* 8. *Quæ omnia temporum ac personarum facta distinctione corruunt. Reliqua ex Actis SS. Arbogasti et Florentii Episcoporum Argentoratensium alibi firmamus.*

D *ditionibus Transrhenanis,*

*habuit filium a S. Arbogasto resuscitatum,* E

*et pro S. Sigeberto avo perperam habitum,*

3 *Imnechildis uxor S. Sigeberti, ac hujus Dagoberti mater commorabatur apud Childericum Regem, etiam postquam hic Bilichildem uxorem duxerat. Donationes monachis Stabulensibus et Malmundarensibus a S. Sigeberto factas hi tres confirmant. Ipsum diploma infra dandum sic incipit :* Childericus Rex Francorum, Emnechildis et Bilechildis gratia Dei Reginæ, viris illustribus Gundoino Duci, et Odoni Domestico. *Et hæc ejus clausula :* Ut hæc præceptio nostra in membranis conscripta, firma et inviolabilis perseveret, manu nostra subter eam decrevimus adfirmare. Signum gloriosi Domni Childerici Regis, Signum Emnechildis Reginæ, Signum Bilechildis gratia Dei Reginæ, Signum Gundoini Ducis. Data quando fecit mensis September dies VI, anno VIII regni Domni Childerici Regis. Trajecto feliciter. *Annus is est* DCLXXII. *Dein, anno* DCLXXVI, *mortuo Chlotario* III *Neustriæ et Burgundiæ Rege, Childericus successit et una regnum Austrasiorum retinuit; in quo Imnechildem Reginam aliqua adhuc cum potestate vixisse innuitur in Vita S. Præjecti Episcopi Arvernorum* XXV *Januarii ex MS. Ultrajectino edita, ubi num.* II *ita legitur :* Cum vir Dei Præjectus, *in jus ab Hectore Comite vocatus,* se undique arctatum cognovisset, necessitate compulsus ita respondit, se causas Ecclesiæ Imnichildæ Reginæ ditioni commendatas habere. Cumque hanc assertionem cognovissent, imperfectum opus permansit. Beatus igitur Præjectus operis sui laborem, et quomodo per fidejussores venisset exhibitus, tandem depromit. Rex vero et Regina *Bilichildis (ita nomen in altera Vita exprimitur)* timore perculsi veniam

*Imnechildis in regno Austrasiorum pollet auctoritate,* F

*an.* 672

*et* 679.

A niam coram omnibus a prædicto Episcopo expetunt. *Contigerunt ea anno* DCLXXIX, in solennibus vigiliis Paschæ. *Non diu superfuit* Childericus, ab insidiatoribus impiis cum Regina prægnante interfectus, et Rotomagi in basilica S. Petri sepultus.

*Dagobertus fit Rex Austrasiorum.*

4 *Occiso Childerico, Theodericus a Neustriis Burgundisque ad regnum revocatus est : ab Austrasiis vero Chlodoveus quidam, quod Chlotarii mentiretur filius, Rex constitutus est, sed eo dein rejecto, legitimus regni hæres Dagobertus S. Sigeberti filius ab Optimatibus evocatus, videtur patris regnum, cujus aliqua parte jam pridem potiebatur, ultro oblatum potius accepisse quam armis ac vi bellica subegisse. Hoc novi belli Austrasios inter et Neustrios fomes fuit. Quod bellum ex Vita S. Salabergæ Abbatissæ ab auctore coævo scripta alibi deducimus.*

*donationes S. Sigeberti patris ratas habet :*

5 *Inter illustriora monasteria a S. Sigeberto extructa, mox dicemus eminere Stabulaum et Malmundarium : quibus donationem a patre suo factam confirmavit Dagobertus jam Rex apud Austrasios constitutus. Quod diploma ita incipit :* Dagobertus Rex Francorum illustris vir. Illud nobis ad stabilitatem regni in Dei nomine provenire confidimus, si facta Domini et genitoris nostri Sigeberti quondam Regis pro nostris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque B ideo vir venerabilis Goduinus, Abbas de monasterio Stabulao et Malmundario clementiæ regis nostri suggessit, eo quod Dominus... et genitor noster Sigebertus Rex... per suam præceptionem concessisset. *Integrum diploma alibi damus, et aliis Imperatorum tabulis ac constitutione S. Leonis* IX *Papæ confirmamus.*

*Frisiorum conversionem procurat*

*Frisiorum ad fidem conversionem a Dagoberto Rege commendatum fuisse Episcopo Coloniensi tradit S. Bonifacius Archiepiscopus in epistola hac de re ad Stephanum Papam missa, atque inter illius epistolas apud Serrarium num. 97 edita : quam alibi damus et de Dagoberto filio S. Sigeberti intelligendam esse probamus.*

*... filiæ, S. Irmina Abbatissa,*

6 *Præter filium precibus S. Arbogasti a morte suscitatum plures fuerunt Dagoberto filiæ : inter quas præcipua est S. Irmina Virgo monasterii Horrei apud Treviros prima Abbatissa, etiam Fastis Martyrologii Romani ad* XXIV *Decembris adscripta. Sepulta ea est in monasterio Wissemburgensi munificentia Dagoberti parentis dotato quo plura monasteria fundata aut dotata fuisse alibi ostendimus. Altera Dagoberti filia, et S. Sigeberti neptis est* Adela, *quæ post mariti obitum, Irminæ sororis exemplo inflammata, monastico item cultu assumpto, vitam sanctissime traduxit, ac monasterio Palatiolo ad Mosellæ fluminis ripam extructo Abbatissa*

*Adela mariti ... Abbatissa*

C *præfuit, ejusque Ecclesiam bonorum suorum hæredem scripsit, testamento signato* Kalendis Aprilis anno XII Theoderici Regis, *scilicet ultimi, anno Christi* DCCXXXI. *In eo testamento mentio fit sororis* Regentrudis, *qua omissa, alii* Rathildem, *seu* Rothildem, *tertiam filiam Dagoberti statuunt, voluntque nuptam fuisse Luderico Bucano, Castri Insulensis in Galloflandria fundatori. Sed id necdum antiquis monumentis probatum reperimus.*

*Regentrudis, Rathildis*

*Id certum est, Albericum dictæ Adelæ filium plures procreasse liberos, ex quibus S. Gregorius individuus S. Bonifacii ad obitum usque socius, postea Ultrajectinæ Sedi vice Episcopi præfuit Presbyter : cujus Vitam scripsit S. Ludgerus ejus discipulus. An ex aliquo fratrum S. Gregorii prognatus sit S. Albericus, dein Episcopus Ultrajectinus, et ab avi nomine ita appellatus alibi inquirimus. Coluntur S. Gregorius* XXV *Augusti et S. Albericus* XIV *Novembris. An qui S. Dagobertus Martyr colitur apud Sathanacenses in Lotharingia, Rex fuerit Francorum et filius S. Sigeberti, hactenus judicio nostro definire non audemus.*

*Adelæ nepos Gregorius Trajectinus*

*... Albericus ...*

*... S. Dagobertus Martyr ?*

§ II. *Epistolæ S. Sigeberto scriptæ, ejusque responsa. Immunitas Ecclesiastica defensa.*

E*x Epistolis, quas ab aliis scriptas accepit S. Sigebertus, extant duæ S. Desiderii Episcopi Cadurcensis,* D *cui totidem Rex remisit. Prior est quinquagesima S. Desiderii ad Reges et Episcopos, in qua inculcat S. Sigeberto præsentiam Dei et memoriam novissimorum. Altera ejusdem epistola est* LI, *ad quam respondit S. Sigebertus, estque ejusmodi :*



AUCTORE G. H.

*S. Desiderius Episc.*

8 Domino gloriosissimo atque piissimo ubique præcelsæ sanctæ Ecclesiæ Sigeberto Regi, Desiderius, servus servorum Dei, atque per gratiam ejus Cadurcæ urbis Episcopus.

*petit familiarem affectum,*

Quod vos pia sollicitudine dignati estis litteris consolare, insufficiens est mens nostra, gratiarum jura persolvere. Qua de re singulari postulatione credidi deposcendum, ut ea me dignatione jubeatis pecularius confovere, qua Domini genitoris vestri circa meam pusillulam exiguamque personam habita est gratia familiaritatis. Volui quidem sic obtemperare, ut non prius ad urbem redirem, donec, si potuisset fieri, vestri culminis præclaram Celsitudinem vidissem. Sed, quia hoc difficile fuit, ideo nunc latorem præsentium commendare præsumo, per quem officia salutationum digno culmini vestro honore persolvens, quæso, ut petitiones ipsius in effectu positas, me de Vestræ Excellentiæ incolumitate digneris facere certiorem. E

*et de statu regni informari.*

9 *Ex litteris S. Sigeberti ad S. Desiderium prior est* LXXI, *qua præcedenti respondetur.*

Sancto, atque Apostolica Sede dignissimo, honoris titulis præferendo, Domino, et in Christo Patri, Desiderio Papæ, Sigebertus Rex.

*Rescribit Rex*

Culminis vestri paginam deferente venerabili viro Bettone Abbate una cum sanctis eulogiis vestris, nos cum summo gaudio comperite suscepisse. De id vero scripsistis, ut quam prospere nos Divina pietas degere permittebat, vobis insinuare deberemus. Cognoscite, vestra intercedente oratione, prospere hactenus, Christo Præsule, consistimus. Et gentes patriæ nobis Deo concessæ pacifico ordine nobis obediunt : gentes etiam barbaræ pacatissime nobis cohabitant. De conditiones vero vestras, unde injunxistis, taliter, Christo adjuvante, ad effectum produximus, ut vestra fuit injunctio. Proinde cum salutatione devotissima petimus, ut pro nobis Domini nostri Jesu Christi misericordiam, ubi jugiter sedulas funditis preces, exorare dignetis, ut sua largiente clementia et hic pacifice vivere, et ad æternam vitam nos jubeat pervenire.

*et commendat se ejus precibus*

10 *Altera ejusdem Sigeberti epistola ad eumdem Desiderium est* LXXIX.

Domno Sancto, et Apostolico in Christo Patri Desiderio, Syggibertus Rex.

*interdicit Concilium Episc. absque suo consensu.*

Dum fabula currente a pluribus et fidelibus nostris cognovimus, quasi vocati, ab eodemque Patre nostro Vulfolendo Episcopo, Synodali consilio Kalend. Septemb. in regno nostro; ignoramus in quo loco una cum reliquos Fratres et Comprovinciales vestros debeatis conjungere. Licet nos statuta Canonum et Ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt, ita et nos conservare optamus; tamen dum ad nostram antea notitiam non fuit perlatum, sic nobis cum nostris Proceribus convenit, ut sine nostra scientia Synodale consilium in regno nostro non agatur ; nec ad dictas Kal. Septembris nulla conjunctio Sacerdotum, ex his qui ad nostram ditionem pertinere noscuntur, non fiatur. Postea vero opportuno tempore, si nobis antea denunciatur, utrum pro statu Ecclesiastico, an pro regni utilitate, sive etiam pro qualibet rationabili conditione, conventio esse decreverit, non abnuimus. Sic tamen, ut diximus, ut in nostram prius deferatur cognitionem. Proinde præsentia scripta Sanctitati vestræ destinare curavimus, per quæ petimus, ut pro nobis orare dignetis, et ad istam conjunctionem,

A AUCTORE G. H.

priusquam nostram cognoscatis voluntatem, penitus accedere non debeatis. Et ut certius credatis, hunc indiculum manu propria subter subscripsimus. Syggibertus Rex subsc. *Fuit supradictus* Vulfoleudus Archiepiscopus Bituricensis *suspectus, quia in ditione Chlodovei fratris erat, sub quo subscripsit Concilio Cabilonensi et Privilegio libertatis monasterio S. Dionysii a Landerico Episcopo Parisiensi concesso, anno Chlodovei* XV *: in hoc scribitur* Vulfolenus, *in Concilio* Vulfoledus, *Claudio Roberto etiam* Vulfolendus *et* Vulfeodus, *successit S.* Sulpitio Pio, *cujus Vitam illustravimus* XVII *Januarii. Ceterum simili dictione barbara extat privilegium Dagoberti Regis apud Miræum lib. 2 Diplomatum Belgicorum cap.* I

11 *S. Martinus Papa in epistola ad S. Amandum Episcopum Trajectensem hæc de hoc Rege interserit.*

*S. Martinus Papa ab eo petit mitti Episcopos Romam.*

Sigebertum præcellentissimum filium nostrum, Regem Francorum, pro suæ Christianitatis remedio consultissime admone atque precare, dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicæ legatione, Divina concedente propitiatione, fungi debeant; et quæ in nostro Concilio peracta sunt, cum his Synodalibus apicibus vestris ad clementissimum Principem nostrum sine dubio asportare: ut nostrorum laborum B particeps effectus, mercedis cumulum adipisci valeat, et sui regni Protectorem inveniat eum, cujus caussa flagitari dignoscitur. Hoc namque et in ejus epistola exhortari eum cognovimus. *Integram Epistolam refert in Actis S. Amandi* VI *Februarii Philippus Abbas, ubi plura dicentur de Actis Synodi Romanæ, quæ mittebantur ad Episcopos Galliæ.*

*Rogatu S. Modoaldi defendisse creditur Rex Ecclesiam Trevirensem,*

12 *Christophorus Brouwerus lib. 7 Annalium Trevirensium, tradit Ecclesiam Trevirensem perhiberi anno a Christo* DCLII, *ab Hattone quodam, obscuri nominis homine, damnum accepisse; quippe quem perditorum manu stipatum, cellas Divorum Maximini atque Eucharii hostiliter pervadentem, aiunt ea sibi loca contra jus et æquum ad vectum usurpare. Qua injuria permotum S. Modoaldum Episcopum Trevirensem Aquas, ubi Sigebertus tum degebat, adiisse, querelasque apud Regem de illata sibi suæque Ecclesiæ injuria exposuisse; obtinuisseque patens diploma, quo veteres possessiones ad Ecclesiam more majorum novo privilegio sint revocatæ. Addit Brouwerus diploma, sed mutilum, ex libro Stemmatum Lotharingiæ ac Barri Ducum descriptum, in cujus priore parte ex archivis cellarum hic nominatarum Franciscus de Rosieres integrum ita profert:*

C

*et dato diplomate*

13 In nomine Domini, Amen. Sigisbertus divina favente gratia Francorum Rex. Quoniam adoptionem filiorum Dei præstolamur, ad quam per pacem attingitur, teneamus pacem invicem et in omnes.

Matt. 5, 9

Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Ubi enim altercationis invicem dispendium incurrit, ibi pacis residet dissidium, quæ Ecclesiarum gratiosam fovet et incrementat quietem. Igitur noverit omnium fidelium nostrorum præsentium et futurorum notitia, qualiter de cellis Beatorum Hilarii, quo modo cella S. Maximini dicitur, ac B. Eucharii, quæ nunc vocatur cella S. Matthiæ, in prædio S. Petri Treverieæ urbis ædificata, quas Dominus genitor noster Dagobertus, Christianissimus Rex, prædecessorum suorum mores sequens, ad Ecclesiam S. Petri Treverieæ urbis, regiæ potestatis jure tradiderat, ac perpetua stabilitate firmaverat; Modoaldus ejusdem Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopus, in generali Palatio nostro, querulosis se precibus proclamavit, plangens eas ab malis grassatoribus, quorum Dux quidam, nomine Hattus, est, contra libitum suum suorumque fidelium, usurpatas, ac de supradicta Ecclesia violenter abstractas. At nos per omnia

*coercuisse violentiam Hatti grassatoris*

omnem præfati Hatti ac suorum per ordinem recolentes fallaciam, jam calliditatibus detectis, querimoniam illius veram esse agnovimus. Perpendentes ergo ac verentes, ne forte, quod absit, de eleemosyna genitoris nostri ac prædecessorum nostrorum Regum, detrimentum animæ nostræ faceremus, pro conservanda eorum pietatis munificentia, ipsas cellas, cum consilio et judicio Episcoporum, Ducum et Comitum nostrorum, maxime dilecti consanguinei nostri Domini Martini filii Clodulphi, filii Arnulphi, Ducis Austriæ Mosellanicæ ac Moselant, quem præfatæ B. Petri Ecclesiæ, ac Fratrum ac antedictarum cellarum, Advocatum, Rectorem, Protectorem per præsens præceptum constituimus, memoratæ Ecclesiæ Trevirensi reddidimus. Ut autem præsens nostræ reformationis scriptum, inviolabile per succedentia tempora, in Dei nomine obtineat stabilitatem, propria manu cum Duce Martino, ac Cuniberto Archiepiscopo Coloniensi, ac Ramaclo Episcopo Trajectensi, subter eam firmavimus, et sigillorum nostrorum impressionibus jussimus insigniri. Data Aquisgrani, Idibus Maii, anno Dominicæ Incarnationis DCLIII. Sigisbertus Francorum Rex ✝ Cunibertus Archiepiscopus Coloniensis ✝ Ramaclus Episcopus Trajectensis ✝ Martinus Dux Austriæ, Mosellanicæ ac Moselant ✝.

D

14 *Hactenus diploma, sub nomine S. Sigeberti editum a Francisco de Rosieres, quod Nicolaus Zyllesius in libro pro defensione Abbatiæ Imperialis S. Maximini cum plurimis aliis a Rosieres ibidem productis confictum asserit, ejusque negat originale ostendi posse. Ipsum etiam Rosieres manifestis criminibus convictum, fraudulenter, et malitiose plurima a se excogitata fuisse, confessum esse coram Henrico* III *Francorum Rege,* XXVI *Aprilis anni* MDLXXXIII, *tradit, edicto de hac ejus confessione adscripto, Ludovicus Chanterellus Faber ante suas considerationes Genealogicas domus Lotharingicæ. Male autem Zyllesius par. 2, cap.* I, *sect. 3, §* I, *hoc diploma rejicit, quod Sigebertus, qui soli Austrasiæ imperaret, dicatur* Rex Francorum, *ita supra a Martino Papa appellatus, cui consonant diplomata mox danda: quod subscripserit* S. Ramaclus Episcopus Trajectensis, *in cujus locum perperam credidit tum successisse* Theodardum *: desunt* Indictiones, *quæ non solebant apponi:* Hatti grassatoris *alibi non fiat mentio, sed nec unus omnia scripsit. Idem Zyllesius negat sect.* I, *§* I, Monasterium S. Maximini *in prædio, fundo aut territorio S. Petri fuisse, et sect. 2, § 5,* nomen cellæ S. Hilarii *eidem monasterio aptari posse: additque* S. Maximinum *anno* CCLI, *aut sequente,* XV *ante* S. Hilarium *annis, mortem obiisse depositumque in ecclesia* S. Joanni *dicata, quæ mox ob plurima ad ejus sepulcrum patrata miracula, nomine* S. Maximini *cœperit appellari. S. Hilarium anno* CCLXVII *mortuum esse docuimus* XIII *Januarii ad ejus vitam § 4. De S. Maximino agemus* XXIX *Maii.*

E

*illud diploma suspectum esse tradunt Zyllesius,*

*et Chanterellus,*

F

15 *Displicent præterea* annus Christi DCLIII, *quo potuerit contigisse, contra istorum temporum consuetudinem adscriptus:* urbs Aquisgranum, *ubi Reges Austrasiorum palatium nullum habuerunt:* Ducatus Austriæ Mosellanicæ ac Moselant, *cujus excogitandi fundamentum constituit Rosieres lib. 3, historia capitali 48, 49 et 50 in hoc Sigeberti, aliisque adjunctis diplomatibus:* Ducesque *præficit SS.* Arnulphum, et Clodulphum filium, Episcopos Metenses, et Martinum, *quem dicti* Clodulphi *iterum filium facit, non absque pluribus mendis. Nam diplomate 1 et 2, a Dagoberto anno* DCXXIII *dato, subscribunt* Arnulphus Dux Austriæ Mosellanicæ et Atto Episcopus Metensis, *quo tamen anno* Arnulphus *erat episcopus, eoque in eremum abeunte anno* DCXXXI *successit S.* Goericus, *qui et* Abbo, *hic corrupte* Atto, *cognominatus. Iterum in diplomate 3 Dagoberti subscribit* Clodulphus *anno,* DCXXII *quasi illi* Arnulphus *pater successisset; sed esto annus* DCXXIII *legatur ob annum* DCXLIV *diplomati sequenti adscriptum,*

*displicent annus et locus, et subscriptiones,*

*titulus Ducis Austriæ Mosellanicæ ac Moselant*

quomodo

A *quomodo probatur* ex antiqua et nobili Francorum Trojanorumque stirpe natus, *liberos genuisse* Martinum, Basinum, Pipinum, Arnoldum, Gonzam, Ittam, Gertrudem? *Melius aliis cælebs vixit, sanctitatem patris* Arnulphi *imitatus. Ex fratre ejus* Anschiso *natus est* Pipinus Herstallius, *quo cum Major-domus* Martinus *apud Austrasios anno* DCLXXXVII *factus est, nec diu postea Ebroini dolo interfectus. Potuit hic Martinus Dux populum ad Mosellam et dexteram ripam Mosæ pro Regibus Austrasiorum rexisse, cujus ditiones sub nomine* Comitatuum Moslensis et Masau *referuntur in divisione regni Lotharii, anno* DCCCLXX *facta. Hinc posteri formarint* Ducatus Austriæ Mosellanicæ et Moselant : *sicut* S. Pipinus, *in* 1 *et* 2. *diplomate memorato, appellatur* Dux Brabantiæ et Hasbaniæ, *qui populum inter Carbonariam silvam, sinistram Mosæ ripam, et fines Frisiorum gubernavit, ut* XXI *Februarii ad ejus vitam dicemus. Denique ad datum diploma subjuncta sigilla displicent, tum Episcoporum et Martini Ducis, quæ hic omittimus referre, tum ipsius S. Sigeberti, quod aureum exhibuisset scutum liliis insculptis refertum ; cujus originem a Ludovico Crasso, aut Odone e Comite Parisiensi Rege, quam a Chlodoveo I aliisve prioribus Regibus malunt deducere San-Marthani, lib.* I *historiæ genealogicæ Francorum cap.* 9. *Hisce similia, sed fabulis potius quam historiæ adscribenda, de S. Sigeberto leguntur tomo* 2 *Annalium Hannoniæ lib.* 10 *ex libris Jacobi Guisii Gallico idiomate edita, quæ hic omittimus.* B

*et sigilla apposita.*

## § III. *Monasteria extructa, dotata.*

*Ex monasteriis a S. Sigeberto extructis,*

M*onasteria duodecim extructa refert in Actis S. Sigeberti auctor ; quæ soli Arduennæ attribuit Gelenius, universim viginti extructa cum Gelenio volunt Molanus in auctario Usuardi, Galesinius et Saussaius, quorum verba supra dedimus. Brouwerus de iis in sua Metropoli needum edita ita scribit :* Anno DCLI Sigebertus Austrasiorum Rex Metis in sua regia, eximia vitæ innocentia ac præstanti, in omne Religiosorum genus liberalitate florebat, viginti amplitudine non vulgari conditis extructisque et vectigalibus perpetuis auctis passim monasteriis, in quibus Malmundarium et Stabulense in Ardennæ finibus, S. Martini vero in Metensi suburbano fuere. *Hæc Brouwerus sed reliqua monasteria nec ipse, nec alii nominant. De Metensi condito et destructo infra agemus. Ad vitam S. Amandi* VI *Februarii referemus, apud Austrasios, dum iis præesset Rex S. Sigebertus, multa in Belgicis et Germanicis provinciis extructa esse monasteria, quæ hic omittimus recensere. Ante Stabulense et Malmundariense, aliud erectum est* Casæcongidunum, *in Ducatu Luxemburgensi ad amnem Sesmarum, seu Sesomirim vulgo Sesmoy, aut Semoy, inter Chinium et Bullonium oppida : cujus posterioribus seculis extitit Prioratus in pago Congnou. De eo pluribus agemus in Februarii ad Vitam S. Hadelini. Hic damus diploma S. Sigeberti nobis ab humanissimo viro Joanne Antonio Gournesio Congregationis Oratorii Presbytero communicatum, ex quo constat.* S. Remaclum Abbatem *constitutum esse, cum necdum esset Episcopus Trajectensis, superstite adhuc Episcopo Metensi* Godone, *alias* Dodone, *seu* Godeo, *cui successit* S. Clodulphus *filius S. Arnulphi, ad quem Episcopum* Remaclus *primo anno sui Episcopatus* S. Trudonem *misit. Hinc optime refellitur Bouchetus, qui par.* I *Originum familiæ regiæ Francorum cap.* 6, *tempus episcopatus Godonis numerat ab anno* DCLIX *ad* DCLXVII, *eique suffectum S. Clodulphum vixisse ad annum* DCCVII *arbitratur. Quæ plenius* VIII *Junii deducentur. Qui in diplomate præter Sesomirim nominatur* Alsnia *fluvius, supra Luxemburgum exortus, album alluit et Atarto mixtus aquam in Suram exonerat, ac cum ea in Mosellam delabitur.* Silva *autem* Uriacuise *ad vicum* Ures *infra Bullonium pertigerit, aut potius* Uracuise *legendum, et tum referretur ad vicinum* Viram *amnem. His ante expositis diploma facilius intelligetur, quod ita habet :* D

C *est Casæcongidunense.*

*item in Luxemburgensi*



*de eo diploma S. Sigeberti.*

17 Sigibertus Rex Franchorum. Ad augmentum credimus pertinere, si larga munera summi Dei omnipotentis devota mente offerre non dubitetis. Quia tunc regia potestas suum cultum corroborare videtur, cum ex propria voluntate compendia servorum Dei destinare non dubitat. Ideoque sub devotione animæ nostræ, cum consilio magnificorum Apostolicorum, Guniberi, Godonis, vel illustrium virorum, Grimoaldi, Bobonis, Adalgisili, monasterium Regulare in honore patroni nostri, Petri, Pauli, Joannis, vel ceterorum Martyrum, in terra nostra, silva Arduennense, in loco qui dicitur Casegonguidinus, quem Sesomiris fluvius cingere videtur, et ex nostræ largitatis munere, juxta Patrum traditionem, cœnobium volumus construere, et ibidem, Christo auspice, Remaclum Abbatem constituimus; qualiter ibidem secundum ordinem et monita antiquorum Patrum conversari debeant : sic tamen ut de ipsa Castra, et ripa fluminis in directum leucas tres, de nostra silva Uriacuise, cum ipsa Venna Dominica, quæ dicitur Arnulfi, cum Probardo, Babone, vel minoribus eorum, qui ibidem servire videntur, die præsente concedimus ad possidendum. Similiter de suo ipso castro ex alia silva Dominica, alias tres leucas, et in directum iterum tres alias leucas, nec non et aliam novellam in flumine nuncupante Alsnia, ubi illa petra quadrata est. Hæc omnia ad usus eorum servorum Dei immunitate nostra visi fuisse condonasse, ut habeant, possideant, suisque posteris spiritualibus derelinquant : ut potius eis delectorum attentius pio Domino preces incessabiliter fundere liceat. Et ut præceptio firma atque inviolata permaneat, manus nostræ subscriptionibus subter eam roborari decrevimus. E

18 *Notgerus Episcopus Leodiensis, in vita S. Remacli Episcopi Trajectensis* III *Septembris, meminit alterius Vitæ ab auctore antiquiore et fere coævo conscriptæ, de quo in Prologo ad Werenfridum Abbatem hæc scribit :* Obtulistis libellum de Vita tam nostri, quam vestri specialis patroni, Domini scilicet Remacli, conquestus propter incuriam tamen prædecessorum vestrorum brevius, quam ut res postularet, pro magnitudine gestorum ejus esse eruditam : simulque visus es, ut ne dicam precari, sed potius exhortari, ut eam non modo exemplari, verum aliquanto lepidius mandarem poliri. *In hoc ergo priori libello seu Vita S. Remacli, de extructis monasteriis Stabulensi et Malmundariensi ita legitur :* Contigit, Deo favente, juberi a piis Principibus regni Francorum, Sigiberto Rege, et Grimoaldo Duce, ex voluntate Dei, et consilio Optimatum suorum, ut construerentur infra Forestem monasteria, sita in pago qui Arduenna dicitur, cognominata Stabulaus, sive Malmundarium, in quibus commanerent religiosi monachi, qui spiritualiter inibi Christo famularentur; et pro statu totius regni, et Regis salute vel filiorum, sive curam regni exercentium, omnipotentem Dominum exorarent. Tunc cœperunt ædificare attentius, et, ut assolet in tali opere virtus Divina subsecuta est, prosperoque successu velociter adimpleta sunt. Cumque adesset tempus, ut ecclesiæ nova materia ornatæ dedicarentur, mittens præfatus Rex ad B. Remaclum Episcopum, quia alter eorum, id est, Stabulaus, ad ejus pertinebat diœcesim ; alterum vero, id est, Malmundarium, quia metropolim respiciebat, cum consensu Chuniberti, qui erat metropolitanus Agrippinæ, evocavit eum, ut, sicut conveniebat ejus [a] ministerio, ea dedicaret. Quod sanctissimus vir illico obaudiens, cum magna dili- F

*Stabuletum et Malmundarium condita*

[a] *in mysterio*

gentia

A gentia explevit opus sibi injunctum, quod ejus dispositione dudum fuerat actum: quia, cum esset Regi ac Primis palatii propter maximam sanctitatem vicinus ac amatus, nihil præcipuum absque ejus consultu fiebat. Unde factum est, quia tam carus eis habebatur, ut Missarum peractis solenniis, traderet ei prædicta loca jam dictus Major domus Grimoaldus, sua * ditione cuncta ordinari, et monasticæ vitæ, instituta istic servari. Post non multum vero temporis impetravit tandem a Rege, quatenus relinquens successorem post se in Sede Pontificali, ut diu desiderabat, hunc eremi locum adiret, et ibi ab hominibus remotus soli Deo vacaret... Manens itaque pervigili cura, absque ulla reprehensione, in monasticis documentis, multos nobilium virorum animos convertit, ut imitatores fierent illius vitæ, cujus erat doctrina perfecta: quia, quod ore docebat, prius opere adimplere curabat. Unde factum est, ut, crescente religione, cresceret etiam census ejusdem ecclesiæ, in usus ibidem servorum Dei famulantium. Nam audientes cultum hujusmodi religionis jam dicti piissimi Principes, evocantes beatum virum, tradiderunt ei ex ipsa foreste duodecim leucas in longitudine, similiter et in latitudine, in quo spatio B nullus contradictor existeret suæ ditioni vel succedentium ei, ut quiete Deo militarent. Nec non affirmarunt testamento cum signaculis Imperialibus, ut stabile illud omni tempore duraret: quod Pater sanctissimus suscepit libenter, ac tenuit reverenter. Verum non multo post ipsum spatium abbreviare studuit, ut sine impedimento fieret sequacibus, et sine ullo obstaculo Rectores loci possent servare, quod ad nostrum usque tempus inconvulsum durare videtur omnino. *Hæc ibi. Sunt vero monasteria Stabuletum et Malmundarium dissita Leodiaco fere leucis novem, qua versus Orientem et Treviros itur. De Stabuleto egimus ad Vitam S. Popponis Abbatis XXV Januarii. Extructum utrumque coeptum circa annum Christi* DCLV, *qui erat Episcopatus S. Remacli sextus: diplomata vero concessa sunt sub finem vitæ ejusdem Regis Sigeberti. Horum partem profert Notgerus in Vita S. Remacli. Integra duo damus ex Stabulensi archivo, quorum prius ita habet:*

AUCTORE G. II. S. Remaclo commissum.

* al. dictione, *forte* jurisdictione

*diplomatibus stabilita*

19 Sigibertus Rex Francorum. Vestra comperiat largitas, qualiter pro devotione animæ nostræ, servorum Dei compendiis, opitulante Domino, in foreste nostra, nuncupata Arduenna, in locis vastæ solitudinis, in quibus caterva bestiarum germinat, consulere cupientes, quatenus eorum meritis æternæ C retributionis requiem adipisci mereremur, quo Patronorum nostrorum Petri et Pauli, Joannis Baptistæ, Martini, vel aliorum Sanctorum pignora venerari noscuntur, concessimus eis, ut duo monasteria juxta regulam cœnobiorum, vel traditionem Patrum, cognominata Stabulaus, seu Malmundarium, construerentur: ubi, Christo auspice, Remaclus venerandus Episcopus præesse dignoscitur: et eis tale beneficium præstitisse compertum sit, ut ibidem familia Dei, vel custodes ecclesiæ, quieto ordine contemplativam vitam agere debent, juxta admonitionem Divinam: Qui reliquerit domum, patrem, aut matrem, aut agros etc. centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Quapropter ex consensu fidelium nostrorum, videlicet Domni Cuniberti Coloniensis Archiepiscopi, nec non Attelani, Theodefredi, Gislocardi Episcoporum, vel illustrium virorum Grimoaldi, Fulciardi, Bobonis, Adegrisili, item Bobonis, nec non et domesticorum, Flodulfi, Ansigisi, Berselani, Gariperti, concessimus supra dicto Patri, ob cavenda pericula animarum inhabitantium, et ad evitanda consortia mulierum, ut gyrum gyrando, et in utrorumque partibus monasteriorum mensurarentur spatia dextrorsum saltibus, non plus duo-

*de eis primum diploma S. Sigeberti*

Matth. 19. 29

decim milliaribus, ut absque impressione populi, D vel tumultuatione seculari, Deo soli vacaretur. In reliquo vero taliter noster promulgavit edictus, ut nullo unquam tempore vitæ suæ, quælibet persona illam forestem audeat irrumpere, aut mansiones, aut domos ædificare, nisi tantummodo illi servi Dei, qui hæc taguriola cum tempore, nostro concessu, excolere videntur. Et ut hæc præceptio circa ipsam familiam Dei, vel posteritatem illorum, quibus pro Divino intuitu hæc parva munuscula concessimus, plenius obtineat vigorem, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus roborari. *Huc usque primum diploma. Sunt autem in eo Episcopi* Attelanus, *alius* Attola, *sive* Attila, *Laudunensis;* Theodefridus, *alius* Teufredus, *Tullensis; et* Gislocardus, *alius* Gisloaldus, *Virdunensis. Alterum a S. Sigeberto hisce monasteriis datum diploma ita habet:*

20 Sigebertus Rex Francorum, vir illustris, etc. Igitur sancta ac venerabilia monasteria, Stabulaus, sive Malmundarium cognominata, ubi vir venerabilis Remaclus Episcopus Abbas, Christo auspice, præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus Majordomus, in honorem Dei Genitricis Mariæ, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli, Sanctique Joannis Baptistæ, vel S. Martini, seu ceterorum E Sanctorum, suo opere in vasta eremi Arduennensis solitudine construxit; quemadmodum nos loca ipsa, ad ipsa monasteria ædificanda, pro nostra præceptione ex foresta nostra concessimus, quæ licet gratia Christi sint ditata præfata monasteria, mundanæ tamen substantiæ cernuntur parumper habere. Ideo Divina inspiratione commoniti, decrevimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa monasteria conspicere et consolari. Teloneum igitur, quod ad portum Vetraria super fluvios Tamuco, Ittaque, et portum illum, qui dicitur Sellis, imoque et Vogatium ad fluvium Ligeris, quod Judices vel Agentes nostri ad portus ipsos, tam quod navalis evectio conferebat, quam undique negotiantium commercia in telonio, aut quodlibet ripatico ex ipsis portubus superius nominatis, in fisco nostro solebant recipere, pariter homines, qui in ipsis portubus commanent, vel ipsos portus custodiunt, aut ibi aspicere videntur, pro stabilitate regni nostri ad monasteria nostra superius nominata, vel monachis ibidem consistentibus, nostri muneris largitate concedimus. Quapropter præsenti ex hac jussimus promulgari præceptione, ut neque vos, neque juniores, seu successores vestri, aut quislibet, quæ ad partem ipsorum monasteriorum ex hoc pertinet, numquam præsumant existere con- F trarii, sed magis telonios ipsos de portubus superius nominatis, quodcumque exinde fiscus noster poterat sperare, in luminaribus jam dictis basilicis, vel stipendiis monachorum, qui ibidem cursum regulariter quotidianis horis implent, annuimus possidendos, ut omni tempore proficiant in augmento. Et si forte aliqui portus ipsos prænominatos pro terris eorum propriis transtulerint, quo facilius ipsum teloneum, quemadmodum ad fiscum nostrum debuerat pervenire, subtraxerit, jubemus, ut navigia ad portus ipsos, ubi per tempora præcedentium Regum, parentum nostrorum, ire consuetudinem habuerant, discurrant, et ibi telonius, neque a vobis neque a junioribus, seu successoribus vestris, exigatur. Quod fiat, ut, si ante superiores annos, dum adhuc sub tenera videbamur ætate subsistere, aliquis quodlibet ex hujus cessionis instrumentis accepit, nullus mancipetur effectus, sed vacuum et inane permaneat. Dum et aliter compluribus fidelibus nostris noscitur esse conventum, ut, dum auxiliante Domino in regnum ad legitimam pervenimus ætatem, cessiones illius, quas ex originario fisco nostro aliquando Serenitas nostra concesserat, deinceps in antea,

*secundum diploma S. Sigeberti*

A antea, hoc est, de anno decimo quarto regni nostri debeant in Dei nomine esse stabiles. Hanc quoque auctoritatem, ut in omnibus valitura, in nostris et futuris temporibus intacta valeat durare, manus nostræ suscriptionibus roboravimus. *Huc usque diploma secundum. Quæ loca ad Ligerim et in Aquitania possederint Reges Austrasiorum, supra indicavimus. Hæc confirmavit successor S. Sigeberti Childericus Rex, cujus diploma istis etiam jungimus.*

*tertium diploma Childerici Regis.*

21 Childericus Rex Franchorum. Eumechildis et Bilechildis gratia Dei Reginæ, viris illustribus Gondoino Duci et Odoni Domestico. Ad æternam enim mercedem procul dubio credimus pertinere, si petitionibus Sacerdotum, vel quorumlibet devotorum, justa petentium, perducimus ad effectum. Igitur Domnus et Pater noster Remaclus Episcopus Clementiam Regni nostri petiit pro monasteriis suis Stabulau et Malmundario : quæ bonæ recordationis patruus noster Sigibertus, quondam Rex, suo construxit opere. Unde et ipsius Principis regiminis tale præceptum nobis ostendit relegendum de eorum majori spatio. De ipsa foreste Dominica utrisque partibus de ipsis monasteriis, tam in longum quam in transversum, duodecim millia dextrorsum saltibus : B quod et adhuc pro totius firmitate taliter in ipsa præceptione habetur insertum : ut per consilium Pontificum ipsius temporis, id est, Huneberti, Memoriani, Gisloaldi Episcopi, cum illustribus viris Grimoaldo, Fulcoaldo, Adregisilo, Bobono Ducibus, Clodulfo, Angelisino, Gareperto domesticis, taliter actum fuit, quod veracissime cognovimus, quod illi servi Dei, quibus datum fuit, absque impressione populi ibidem in ipsa loca residere deberent. Quapropter ipse Episcopus Abba eorum una cum ipsis monachis nobis exinde confirmatione auctoritatis nostræ petierunt affirmari. Quam petionem nos pro Dei intuitu eis minime denegare potuimus. Ea tamen conditione sic petierunt ipsi servi Dei, ut versus curtes nostras, id est, Amblavam, Charancho, Lethernacho, de ipsis mensuris, duodecim millibus dextrorsum saltibus sex millia subtrahere deberemus, pro stabilitate operis, quod admodum per nostram ordinationem sic factum est. Unde jussimus pro hac re Domino et Patri nostro Theodardo Episcopo, vel illustri viro Hodoni Domestico, cum forestariis nostris, et æternale cum paribus suis, ipsa loca mensurare et designare per loca denominata ; quorum vocabula sunt : de Monasterio Malmundario usque Sicco-campo ; de Sicco-Campo per viam Mansueriscam usque Warcinna transversa ; de ipsa Warcinna usque ubi Stagnebachus consurgit : deinde per ipsum Stagnebachum usque in Amblavam ; deinde per Amblavam versus aquam per illam forestem, de Vulfeberto usque Barobacca ubi ipse consurgit. Deinde Diddiloni rivus consurgit : deinde per ipsum rivum usque in Restano, et de Resta per illam forestem, quæ separat Helmini Rovoritum et Andaste villare. Per ipsam mediam forestem usque Jocunda-fania : de Jocunda-fania per illam Alsenam, quæ propinqua est monasterio. Deinde per illam Alsenam usque ubi in Glanem ingreditur ; deinde transversa Glane usque Albam fontanam. De ipsa Alba fontana in Amblavam. Summa Siggino, Aviaco, ubi Gare Laicus vennam habuit. Inde per ipsam Amblavam, ubi Dulnosus in ipsam ingreditur ; deinde per Dulnosum usque in Fanias. Deinde per mediam forestem de ipsis Faniis usque viam Transveriscam ; inde per ipsam viam usque Sicco-campo. Ut hoc totum, et ad integrum, cum Dei gratia et nostra teneant atque possideant, cum immunitate nominis ejus temporibus ; ut absque ullius impugnatione Forestariorum, vel cujuslibet personæ, liceat ipsam familiam Dei quieto ordine residere ; et

C

pro vita nostra, vel stabilitate regni Francorum D die noctuque Domino famulari. Ut hæc præceptio nostra in membranis conscripta, firma et inviolabilis perseveret, manu nostra subter eam decrevimus affirmare. Signum Domini Childerici Regis gloriosi. Signum Eumechildis Reginæ. Signum Bilichildis Reginæ.

Ac ToRr. ... n

*Qui inter Episcopos* Memorianus *est, in altero diplomate* Attelanus *dicitur : qui e Domesticis* Clodulphus *et* Angesilinus ; *supra sunt Flodulphus et Ansegisus : ab hoc diversus Dux fuit* Adregisilus, *supra* Adegrisilus, *qui Fredegario videtur* Dux Palatii Adalgisilus, *in vita* Adelgisus. *De Eumechilde uxore S. Sigiberti ante actum.*

# HISTORIA TRANSLATIONIS ET MIRACULORUM S. SIGEBERTI

## auctore Sigeberto monacho;

*Ex MS. monasterii Stabulensis.*

### PROLOGUS.

Nemini prudentium videri arbitramur incongruum, E si virtutes Sanctorum, quas Dominus per eos operari dignatur, memoriæ commendentur auctoritate litterarum, ad instructionem videlicet fidelium tam præsentium quam etiam futurorum. Quia, sicut ex verbis Angeli ab Tobiam loquentis didicimus, Tob. 12. 7 *a* secretum Regis celare bonum, opera autem Dei revelare et confiteri omnimodis existit magnificum. Quapropter et nos ea virtutum insignia, quæ idem cunctorum Dominus, scilicet remunerator bonorum, meritis gloriosissimi et religiosissimi Regis Sigeberti, nostris temporibus est operari dignatus ; quamvis indocti et ad hoc minime idonei, vilibus saltem scedulis committere dignum duximus. Si quis autem forte studiosius inquirere voluerit, quis iste Sigebertus, de quo loqui cupimus, fuerit, aut quo tempore regnaverit, *b* ad liberandum quem dicitur vero ipsius occurrat et intente perlegat quia manifeste reperire vel discere poterit, quantæ sanctitatis aut religiositatis excellentia vir iste venerandus præditus extiterit, quem Deus in terris signis illustrat apertis. Verum ex his, quæ scribimus, nullo modo quispiam ambigere vel diffidere debet, quia et Dominus suis fidelibus promittere dignatus F est, dicens : Qui credit in me, opera quæ ego facio, Joan. 14. 12 et ipse faciet, et majora horum faciet. Et nos non aliena aut inexperta præsumptive meditari tentamus, sed ea, quæ aut recenti tempore facta comprobantur, aut quæ a fidelibus certisque hominum personis comperimus : qui se eisdem interfuisse mirabilibus nunc etiam protestantur, fide veracique relatione ad posteritatis memoriam scripto transmittere curavimus. Alioquin nisi veritatis astipulatione nos omnimodis roborari crederemus, de talibus penitus silere, quam ficta loquendo falsitatis crimen incurrere, rectius fore judicaremus. Sed jam ad narrationis ordinem brevitate qua possumus accedamus.

*Auctor fide digna scribit suo tempore facta.*

Pandere promissa styli vertigine dicta

a *Lectio vulgata*: Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum. — b *Hæc verba intricata forte hoc aut simili modo enodanda, ut legatur* ad librum, idem quem scripsi de vita ipsius, accurrat.

### CAPUT I.

*Translatio corporis S. Sigberti.*

Siquidem anno Dominicæ Incarnationis MLXIII, dum hujus venerabilis viri Sigeberti corpus in monasterio

*AUCTORE G. H.*

*S. Sigebertus corpus suum in monasterio S. Martini sepultum,*

A monasterio S. Martini, quod ipse inter cetera bonorum operum exercitia in Metensi confinio super ripam Mosellæ fluminis a fundamentis ædificaverat, jaceret humatum, et propter antiquitatem a presbyterium, quod super cryptam, in qua ipse jacebat, fuerat constructum, sui quotidie minaretur casum: et idcirco a monachis illic commorantibus cum maximo timore Divinum rependeretur Officium; apparuit ipse Sanctus manifesta ostensione cuidam viro, nomine Wylant, in supradictæ civitatis suburbio manenti, civibusque cunctis pene notissimo. Qui cum ad aspectum tanti viri, præ magnitudine insoliti splendoris, stupidus miraretur, nec ullo modo quidquam ei dicere præsumeret, ille blanda allocutione eum, ne timeat, hortatur: sed, quæcumque sibi præcipiat, cum omni festinatione implere non moretur. Cumque ille se ad omnia, quæ præcipere dignaretur, paratissimum obedire fateretur, ad hæc vir sanctus: Scis, inquit, quis ille sit, quem tibi assistere cernis, aut qui talia injungit, vel cui te parere promittis? Ipse vero protinus ad ista respondens, Hæc ait, ignoro, per te scilicet discere quæro. Tunc vir venerandus talibus interrogationum affatibus quasi instruendo eum percunctari est aggressus, Numquid, inquiens, aliquando cognovisti, aut ab

*in visione cuidam apparens,*

B aliquo non audisti, quis ille auctor fuerit, qui cœnobium S. Martini, quod in proximo situm videtur, construxerit, vel bonis temporalibus, sicut in præsenti cernitur, studuerit ditare? Ille autem jam a pluribus audisse, sed tunc a sua tamquam amentis memoria funditus excidisse se dixit. Ad hæc vir sanctus Sigebertus jubet illum expergisci; verbaque dicentis animo retinere valenti: Ego, inquit, sum Sigebertus, quondam Rex, qui prædictum monasterium construxi, monachorumque Deo famulantium turbam inibi coadunavi, propriumque in eodem loco sepeliri mandavi corpusculum. Nunc vero quoniam ipsius structuræ sicut cernitur casuale imminet excidium, sub quanta prævales celeritate, festina Fratribus congregationis ipsius denuntiare, ut si Deum, Sanctumque Martinum cupiunt sibi placatos existere, loculum corporis mei exinde, ubi nunc consistit, auferre, et in loco tutissimo studeant reponere: ne casus fabricæ possit mea membra nocere. Cujus rei jussionem postquam fidelis nuntius supradictis Fratribus maturavit indicare, illi merito confisi de dilecti Patroni verissima sanctitate, quod jussum fuerat, devotissime deliberaverunt implere.

*monet alio transferendum.*

3 Deinde postquam perventum est, ut, quod cuperant, competenter perficerent; mox ut sarcophagum, sacri corporis membra gestantem, ex priori

*Translato mira celeritate corpore,*

C loco auferentes levaverunt, tanta velocitate ad præparatæ mansionis locum perduxerunt, ut eum non ab hominibus, sed ab Angelis haud immerito deferri crederent. Locato ergo eum superno auxilio venerabilis viri sæpe memorati, et sæpe memorandi locello, omnes unanimes cum spirituali jubilo maximas laudes retulerunt Deo mirabiliter in Sanctis suis glorioso. Quæ omnia juxta Divinam fuisse completa voluntatem, plurima deinceps per eumdem Sanctum in ipso loco produnt miraculorum insignia: ex quibus, ut supra promisimus, posterorum utilitatis gratia, dignum duximus scripto perstringere aliqua.

Ad laudem Domini, retinet qui culmina cœli,
Reddere qui Sanctos vult per miracula claros,
Cujus virtute valuerunt vivere juste.

Igitur postquam venerandi corporis sepulchrum ut dignum fuerat, in loco decenter præparato devoti monachi honorabiliter locaverunt; non multo tempore interjecto, ea, quæ casura erant ejusdem monasterii ædificia, ceciderunt, sed protegentibus tam beatissimi Martini quam hujus Sancti, de quo lo-

*corruunt postea ædificia, nemine læso*

D quimur, Sigeberti meritis, etiam cum multi præsentes viderentur, neminem lædere valuerunt. Ne quis autem arbitretur hoc casu fuisse b paratum, et non potius virtute Sanctorum: reliqua quæ sequuntur miracula omnem dubitationis occasionem ab infidelium cordibus auferre poterunt. b

4 Sed quid miraculi in proximo tempore noscitur contigisse, unde omnipotens Dominus mentes suorum fidelium dignatus est lætificare, nequaquam videtur fore congruum reticere debere. Siquidem in ipsa nocte, cui subsequens imminebat dies, in qua prædicti Fratres ea quæ cupiebant decreverant peragere; cum omnes post diurnum Officium quieti membra dedissent, aliqui vero ex illis, quibus custodia loci erat deputata, in oratorio quiescerent; ecce fere nocte media tantam sonitus dulcedinem totum monasterium complevisse viderunt, ut præ nimio pavore pene exanimes effecti, huc illucque diffugerent, et quæ viderant et audierant vix aliis nuntiare prævalerent. Qui, post aliquantulum temporis cum maximo timore ingressi, dulcissimi sonitus cantum, et ut ipsis videbatur, quasi plurima examina concreparent apum, suavissimam melodiam audierunt. Quod miraculum postquam ad notitiam hominum pervenit, quicumque sapiens vel credulus illud audivit, visitationem Sanctorum de eo, quod

*nocte translationi prævia*

*musica auditur,*

*quasi ab apibus formata,*

E ex consorte suo fieri oportere prævidebant, ad invicem gratulantium fideli veracique interpretatione plene intelligendo significavit. Quod et nobis, licet exiguis et omnino imperitis, veritati subnixum, ratione considerata, videtur, quod illud animal et sine alicujus rei dispendio vivere dignoscitur, et tam divinis quam humanis officiis necessariæ claritudinis solatium suis innocuis laboribus subministrare cernitur. Sed et in plerisque sacrarum Scripturarum sententiis, ostensio apum virtutis et sapientiæ incrementum significare demonstratur, sicut de Ambrosio, et de aliis nonnullis, qui postea sapientes et sancti viri fuerunt, legitur; quia dum in cunabulis jacerent, apes a superis descendentes circumvolabant facies illorum, et postea ad aera referebant volatum.

*bono præsagio.*

a MS. *Stabulense* presbyterium. *Quod autem in Ecclesiis ordinis Benedictini vocetur* presbyterium, *in antiquo Ordinario monachorum congregationis Bursfeldensis indicatur. Ibi enim lib. 1 de divinis officiis cap. 3 ita legitur:* Vespere diei præcedentis diem Cinerum, cruces et imagines cooperiantur, et cortina unde presbyterium velabatur.. *Et cap. 38 de Sabbatho precedente Paschalis:* Quo facto statim Diaconus indutus Dalmatica collocet in eodem loco, scilicet ante gradus presbyterii, cereum benedicat. *Et cap. 43:* Igitur postquam Sacerdos et ministri ad Missam convenienter præparati ritu et ordine præfactis in superioribus ascenderint in presbyterium, venientes ante altare reverenter inclinent. *Jam hic infra num.* 8, Tumulus S. Sigeberti *prope* principalem aram S. Martini *constituitur. Est ergo* presbyterium *prior pars chori, cui altare includitur.* b *Legendum videtur* patratum.

*Presbyterium*

F

## CAPUT II.

*Pœna detrahentium ejus sanctitati. Corpus incorruptum.*

Parumper ergo ad superiora, unde digressi sumus, revertentes, ea quæ omisimus repetamus, et hic aliquod exemplum, unde simplicibus et de Dei beneficiis huic sanctissimo viro, sicut et ceteris ab ipso collatis nimium dubitantibus, fidei, spei et caritatis augmentum tribuatur; incredulis autem et duris cordibus flagelli suæ vindictæ metus incutiatur. Denique cum venerabilis Regis Sigeberti corpus adhuc in priori loco, ubi in primordio translatum fuerat, in pace quiescens detineretur, et a fidelibus Fratribus, qui de ejus sanctitatis plenitudine merito considerabant, debitus ei honor et reverentia famulatus impenderetur, ita ut in Litaniis, sive Divinæ servitutis Officiis, memoria nominis ejus celebraretur; quidam Frater, quem etiam nos ipsi vidimus, Hugo nomine vocatus,

*[illegible] nomen [illegible] Litaniis.*

A vocatus, nationibus Judæorum signa quærentibus, qui insipientes dixerunt in corde suo, Non est Deus, et quia signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, et nos non cognoscet amplius, omnes dies festos Dei a terra quiescere faciamus; parili facto (quod dictu nefas est) assimilandus, hujus Sancti nomen de libro Litaniarum, in quo ab aliis quotidie nominabatur, delere præsumpsit impavidus. Quo perpetrato facinore, contigit non post multos dies, ut, quoniam solennis dies videbatur imminere, vespertino tempore per sacra altaria (erat enim sacerdotalis officii) more solito incensum debuisset deferre : cumque super principalem aram, quam in honore S. Martini diximus constructam, illud obtulisset, et ad hujus sancti viri tumulum secundum consuetudinem accedere voluisset; tanta subito invaletudine omne corpus ejus visum est diriguisse; ut nequaquam de loco, in quo stabat, ultra pedem movere aliquatenus potuisset. Tunc omnes pariter, tam ipse quam reliqui Fratres reatum ipsius cognoscentes, ante Sanctum Dei pœnitentiam egerunt, et ut culpam, quam in se stulte commiserat, parcere sibi dignaretur, humilibus precibus poposcerunt. Deinde delato libro, postquam nomen sanctum, quod B pridem incaute deleverat, devote propria manu rescripsit, et eadem nocte matutinalibus officiis solitum famulatum absque ullo cujuspiam impedimenti obstaculo, Sancto, ut volebat, persolvit, sicque in eo Salomonis illud proverbium manifestum est adimpleri, Pestilente flagellato parvulus sapientior erit; quia et ipse ab incredulitate sua correctus erubuit, emendatusque permansit : et ceteri erga obsequium Sancti devotiores studuerunt fieri; et qui sponte sua renuebat credere justa, taliter est doctus a Sancto vivere cautus. Hoc autem miraculum, a nobis superius prætermissum, idcirco studuimus repetere, ut per hoc quisque fidelis valeat intelligere, eum in antiquis temporibus plurima peregisse, quæ scriptorum incuria vel negligentia, hominum memoriæ funditus contigit deperisse.

*Psal. 52 1 et 73 9.*

*incensum oblaturus,*

*rigore immobilis redditur,*

*rescripto nomine sanatur*

*Prov 19. 25*

6 Translato ergo sacri corporis sarcophago, et locato in loco, ut diximus, decenter præparato, videlicet secus aram beatissimi Martini, ad dextram partem altaris, ut omnipotens Dominus ostenderet suis fidelibus, quanta dignitatis gratia in suo conspectu Sanctus iste viveret glorificatus, quidam Fratrum in sacris institutionibus devoti, et amoris illius igne succensi, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi; et de quo alibi dicitur : Numquam est amor Dei otiosus : C operatur enim magna si est, si autem operari renuerit, amor non est; confidenter sacrum tumulum aperuerunt, et ecce sanctum corpus tanquam dormiens, non quasi mortuum, integrum et absque ulla macula quiescere inspexerunt. Quo viso laudantes benedixerunt Dominum omnipotentem, qui non dedit Sanctum suum videre corruptionem, quod licet de Domino nostro Jesu Christo specialiter dictum intelligatur, in plerisque tamen Sanctorum, sicut et in isto, impletum fuisse comprobatur. Qui postquam tam jucunda Divinæ gratiæ meruerunt videre mysteria, completi simul admiratione cum lætitia, omnes pariter ovantes regressi sunt ad propria,

*Corpus ejus reperitur incorruptum.*

*Luc. 12 49*

*S. Gregorius hom. 30 in Evang.*

Patris honorandi voto vel amore jocundi,
Credentes illum retinere superna polorum.

7 Iisdem quoque diebus erat quidam in eodem monasterio juvenis monachus, et, quod pace omnium dictum sit, nimium levibus et lubricis moribus, quodque frequenter a talibus fieri videmus, magis ad jocularia quam ad spiritualia intelligenda et dicenda paratus. Hic dum quadam dierum ab aliquibus secularium hominum interrogaretur, quid sibi ex iis quæ nuper gesta fuerant videretur, aut quid boni sive in revelationibus, seu in virtutibus apud ipsos S. Sigebertus operaretur? Ille ad hæc (quoniam, sicut ait Apostolus, animalis homo non percipit quæ sunt Domini Spiritus : spiritualis autem omnia, etiam secreta ventris, investigare dignoscitur) respondit non sine irrisionibus, quod idem sanctus vir ita jaceret in tumulo, sicut mortuus, aperto ore et nudatis dentibus, seseque ignorare penitus, si aliquando quidquam virtutis fuisset operatus. Qui postquam talia finivit, ineptus eadem pene hora velut ex sensu effectus cœpit huc illucque per terram, per petras, sese volutando prosternere, et cum magnis clamoribus saltus dare, atque iterum in terram sese prosternendo volutare. Cumque hoc diutius ageretur, tandem aliquando a Fratribus ejus dolori compatientibus vix elevatus, et ante sanctum sepulchrum adductus, postquam reatum suum Sancto ipsisque Fratribus vere fuit confessus, pœnitentiamque agere cœpit devotus, statim pristinæ sanitati est restitutus,

D

*AUCTORE SIGEBERTO MONACHO, EX MS.*

*Contemptor Sancti*

*1 Cor. 2. 14*

*punitur amentia,*

*culpam fassus, sanatur :*

Agnoscens Domini verba consistere vera :
Nam qui vos spernit, pariter me spernere quærit.

## CAPUT III.

### *Sanitates collatæ. Vincula pœnitentis disrupta ope S. Sigeberti.*

E

Quidam Frater ex eodem cœnobio diutino morbo, qui *a* fici appellatur, adeo intolerabiliter laborabat, ut nonnullis diebus cibi vel potus alimentum fastidiret, et aliquibus momentis etiam pene ad exitum appropinquaret. Hic cum diutius tanto dolore contabescens fatigaretur, quadam die tactus salubri consilio, et, ut credimus, hoc inspirante Patrono, ad ejus tumulum accessit, et fusa oratione ex palla, qua sacra ossa tegebantur, pectus, ventrem, et cetera membra fideliter tetigit, statimque sibi postea omnis dolor et infirmitas sic funditus ab eo recessit, ut numquam eam sibi postea dominari persenserit,

*attactu operimenti tumuli*

*sanatur æger*

Unde Deo *b* jubilæum studuit mox reddere votum,
Qui Sancti meritis dederat sibi dona salutis.

9 Sub eisdem fere diebus quædam mulier de villa, quæ Casellis dicitur, valida infirmitate detinebatur. Nam in ejus gutture natum fuerat ulcus, quod *c* sacer ignis appellatur : et ita quotidie crescendo augebatur, ut de vita ipsius a nonnullis desperaretur, maxime quia plurimorum medicamina, sibi frequenter impensa, nil remedii operari videbantur. Hæc itaque a parentibus ad sæpe dictum deducta cœnobium, postquam de palla sancti sepulchri credens F attigit locum, quo morbi insederat detrimentum, protinus depulso languore adepta est sanitatis beneficium. Tunc itaque et sospes et læta rediit ad propria, quæ pridem ad sacrum tumulum tristis venerat et infirma,

*alius ab igne sacro*

Collaudans Dominum tanto pro munere summum,
Qui decorare suum voluit per talia Sanctum.

10 Anno ab Incarnatione Domini *d* MLXVIII, exstitit quidam homo, qui propter enormitatem sceleris, scilicet *e* fratris interfectionem, ferreis vinculis astrictus, plurima Sanctorum loca, ubi virtutes eorum florere compererat, *f* frequenter circuire solitus erat, quatenus ipsis intervenientibus solitam suæ pietatis clementiam impendere sibi dignaretur omnipotens Deus. Inter hos ergo salutiferos discursus pervenit tandem Parisius ad locum, in quo cum suis sociis venerabiliter requiescit pretiosus athleta Domini *g* S. Dionysius. Ubi cum aliquamdiu in jejuniis et orationibus persistens, misericordiam Domini devote præstolaretur, Sanctorum meritis patrocinantibus a vinculo unius brachii redditus est absolutus. Cum vero pro liberatione alterius adhuc instantius

*Fratricida pœnitens, assumens vincula ferrea,*

*a S. Dionysio liberatur in uno brachio*

*Auctore Sigeberto monacho ex MS.*

*Ephes. 4, 7.*

*ab eo apparente, mittitur ad S. Sigebertum.*

A instantius et devotius Dominum cum suis Martyribus precaretur, quoniam, sicut Apostolus, unicuique Sanctorum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Divina jussione per B. Dionysium sibi patefacta in somnis, est ammonitus, ut has partes adiens, monasterium in honore S. Martini constructum inquireret; quia ibi præstante Domino, meritis S. Sigeberti in eodem loco quiescentis, sanitatem, quam desiderabat, certissime reciperet. Ille autem dum de ignorantia viæ vel patriæ quæreretur, certa totius itineris ipsiusque regionis indicia didicit ab eo, qui sibi talia præcipiens loquebatur, nomen videlicet Metensis civitatis, magnitudinem turrium, sive murorum, pulchritudinem multorum intra vel extra urbem monasteriorum, ceteramque locorum qualitatem in monasterii confinio latentium.

Ardua terrarum cursusque docetur aquarum.

Quid amplius? Agresso itaque itinere, tanto solamine tantaque prosperitate ad designatum pervenit cœnobium, ut merito crederet Divina se miseratione super his fuisse admonitum. Cumque eo, ut cupierat, pervenisset, et aliquanto tempore subsidia Sanctorum et præcipue ipsius Sancti sibi nominati humiliter implorans, Divinam clementiam expectaret;
B quadam die, vespere propinquante, custos loci præcepit eum extra ecclesiam ire, eo quod vellet, propter varios succedentis noctis timores, ostia monasterii obserare. Ipse vero magnis vocibus obtestans, cœpit eum precari, ut vel ante fores oratorii permitteretur ipsa nocte remorari, quia credebat promissam sibi divinitus misericordiam in proximo posse experiri.

*orat,*

*liberatur vinculis divinitus disruptis,*

Quod cum Frater miseratione victus tandem concessisset, ille confisus de Dei misericordia, tanto devotius assiduis orationibus incumbebat, quanto propinquius S. Sigeberti auxilium sibi imminere sentiebat; cum subito, eo in oratione prostrato, tanta celeritate ferrum ei de brachio in duas partes contractum dissiluit, ut una pars illius tanto fragore valvas monasterii percusserit, quod sonus ejus multo longius audiretur, altera vero pars longe alio excuteretur.

O Deus alme, tuo tribuis qui talia Sancto,
Ipsius oratu te poscimus atque precatu,
Dissue nostrorum durissima vincla malorum.

*deinde ante altare suspensis.*

Utræque ergo partes ipsius ferri ad testimonium facti, et venerationem Sancti, ante sacrum altare oratorii a devotis suspensæ sunt monachis, laudantibus Deum pro tam manifesta dilectissimi Patris glorificatione vocibus excelsis et mentibus amplificatis.
C Homo autem ille, qui sanus fuerat effectus, annuente consensu Liberatori suo promisso, licentiaque a Fratribus percepta, quia id mente disposuerat, Hierosolymitanum iter aggressus est, gratias Deo de accepta peccaminum indulgentia redditurus; ea videlicet facti conditione, ut, si eum Dominus exinde sineret remeare, loco huic et Sancto, per quem sospitatem receperat, omni tempore vitæ suæ libentissime studeret deservire.

*Epilogus prioris partis*

11 Hæc ergo retulimus pauca de multis, minima de magnis, vere credentes eum sive in præteritis, sive in futuris temporibus plurima posse patrare, qui in paucis diebus, hoc est, in septem tantum annorum curriculis, tanta dignoscitur peregisse. Nos itaque, Fratres, hunc tantorum bonorum operatorem humillimis frequentibusque precibus imploremus apud Deum nobis fieri intercessorem, ut sicut ipsius meritis in hoc tempore sanitates debilium a Salvatore collatæ sunt corporum, ita eodem interveniente nobis in futuro salus proveniat animarum. Amen.

a Forte [illegible] capitis pro ulcere ad [illegible] sanitatem, de [illegible] Celsus lib. 6, cap. 3. — b Forte Jubilans [illegible]. — c Videtur [illegible] scriptum de eo [illegible] 17 Januarii [illegible] mi-racula S. Antonii. — d Ita Surius. In MS. Stabulensi 1048, quod ex Romano numero ortum characteribus inscite transpositis. — e De similibus vinculis ferreis imponi pœnitentibus solitis egimus 28 Januar. Ad translationem I et S. Joannis Abbatis Reomaensis cap. 2 lit. a. Multa etiam disputat de ea consuetudine Petrus Roverius ad Historiam Reomaensem Notatione 7. — f Ita conjecimus debere esse. MS tantum habebat fre. — g Colitur 9 Octob. D

# HISTORIA TRANSLATIONIS II,

*Auctore Anonymo ex MS.*

## CAPUT I.

*Secunda reliquiarum elevatio. Contumacia punita.*

Omnipotenti Deo cuncta gubernante ac moderante, qui Sanctos suos in omni loco dominationis suæ glorificat, volens sancti sui Regis Sigeberti merita multorum notitiæ propalare, accidit ut quidam Burgensium Metensis civitatis, scrupulo cogitationis suæ commoti, hæsitarent, utrum corpus sanctissimi Sigeberti in monumento haberetur necne. Anno ergo Dominicæ Incarnationis MCXX convenientibus in unum Abbatibus et Clero, cum copiosa fidelium multitudine, in ecclesia, ubi sanctum corpus jacebat, facta oratione, lapidem superpositum removentes, E sanctissimam glebam corporis illius ita integram invenerunt, ac si dormiens ibi jaceret. Videntes autem, qui aderant, tanta Dei magnalia, et corpus sanctum quod fere per DLXXII annos in sepulcro jacuerat, sic incorruptum, sic ab Omnipotente conservatum, gavisi sunt gaudio magno, laudantes et glorificantes Deum, qui in Sanctis suis semper est mirabilis.

*Corpus iterum reperitur incorruptum,*

Venerabilis vero Abbas, Letandus nomine, qui tunc eidem cœnobio præerat, et Fratres ejusdem ecclesiæ, quam ipse Rex Sigebertus sanctissimus quondam in honore S. Martini ædificaverat, et in qua se sepeliri mandaverat, bonisque temporalibus ditaverat, volentes ei ampliorem deferre honorem, ædificaverunt cum multo apparatu thecam argenteam, in qua sanctissimum corpus illius recondere possent. Erat autem in ipso cœnobio Frater quidam nomine Hugo, Præpositus monasterii, vir boni testimonii et vitæ laudabilis, qui circa Sanctum valde devotus erat, et eum toto corde diligebat, et maxima devotione sanctum illius sepulchrum assidue frequentabat. Nocte ergo quadam vir Dei Sigebertus, ei in visu apparens, ait illi: Veni, jace mecum. Illo vero tremente et dicente non posse sepulchrum ambobus sufficere, ait Sanctus: Veni secure, quia sufficiet utrisque. Ille vero existimabat se visum vi- F dere, et præ timore expergefactus visionem, quam viderat, nobis enarravit. Hæsitante autem illo de tali visione, iterum vir beatus Sigebertus ei apparuit dicens: Præbe manum tuam, ut osculer eam. Ille vero tanto viro non audens deprecanti porrigere, pavore perterritus facto mane ad tumbam Sancti celeriter accurit, et dexteram illius cum multa devotione et cordis compunctione osculari cœpit. His itaque patratis venerabilis Abbas *a* Letandus convocata religiosorum Abbatum caterva de sancti translatione tractare cœpit: quomodo et qua die sanctissimum corpus elevaretur et populo ostenderetur, et in mausoleo argenteo reconderetur.

*theca argentea*

*facta a S. Sigeberto apparitione,*

*a*

*includitur,*

2 Fuit quædam matrona in suburbio *b* S. Juliani juxta Metim sito, opibus quidem larga, sed virtutibus non satis referta: quæ quadam die, cum in medio civium et vicinorum sederet, audivit quosdam miracula, quæ Dominus per venerabilem virum jam dictum Patronum nostrum operabatur, narrantes, et Deum in Sanctis suis glorificantes. Illa vero audita non solum credere noluit; verum etiam quædam probrosa et contumeliosa verba et iram Dei provocantia proferre non expavit. Ille vero qui dixit: Mihi

*b*

*in Sanctum contumax mulier*

A Mihi vindictam, ego retribuam, hanc ejus vesaniam ferire non distulit. Nempe, ut verba ex ore ejus proruperunt, ipsum os blasphemum usque ad aures retortum, tali hiatu cunctis videntibus miserabile præbuit spectaculum. Illa vero ad se reversa et commissum suum deflens parentes et amicos suos sedule rogavit, ut ad ecclesiam B. Martini juxta muros jam dictæ civitatis sitam, ubi corpus jam dicti Regis et Confessoris humatum honorabiliter requiescit, deferretur. Quo perveniens, et sese in pavimentum volutans, Custodem loci illius rogat, ut reliquias jam dicti Confessoris osculari mereretur. Et dum hæc fierent, visum fuit ei, quod sanctus Confessor manum apponeret, et pristinæ sanitati os ejus restitueret. Auctore ergo illo a quo bona cuncta procedunt, ad propria revertens, sicut amicis et cognatis de infirmitate luctum intulerat et planctum, sic de recuperata sanitate gaudium reportavit immensum.

*Rom. 12, 19 punitur ore retorto.*

*sanatur osculo reliquiarum.*

a *Error subrepsit in hoc aut ante memorato numero. Si anno* 663 *quo S. Sigebertus obiit, adjiciantur anni* 507, *emerget dictus annus* 1270, *quæ nobis correctio facilior apparet. Si vero adjungantur hi* 572, *supra reponendus erit annus* 1235. *Ex annis Abbatis Letaudi, si hi sciri aliquando possint, hoc mendum corrigi poterit.* — b *S. Juliani ecclesia etiamnum in mappis Geographicis notata visitur in suburbio, quo ad ortum vergit.*

B

## CAPUT II.

### *Dæmoniacus et amentes sanati. Captivi liberati.*

Contigit etiam in eodem suburbio B. Juliani Metensis, ut quidam juvenis vespertino tempore, cum jam sol occubuisset, et nox suis tenebris mundum infecisset, vineas jam maturis uvis gravidas custodiens, vidit quamplurimos prope se, quos Sathanæ ministros fuisse non ambigimus, inter se facibus ardentibus dimicantes. Ille vero temeritatis audacia fretus, appropinquavit ad eos; ut videret quidnam esset. Sed et nostræ salutis semper invidus diabolus, quantum potuit, eidem suæ malignitatis infligens, ipsum tanto timore concussit, ut amens in terram corrueret quasi mortuus. Cujus moram cognati et amici admirantes, ad vineas discesserunt, scientes quia illo divertisset: quem cum reperissent a terra erigentes, non solum eum amentem invenerunt: verum etiam ita a diabolo possessum, ut, quasi quadam canina rabie furiens, circumstantes attractare morsibus appetebat: qui tenentes eum, institis ligarunt illum, deferre cupientes. Juvenis vero non pristinarum virium virtute validus, sed diabolo agente, a quo totus possessus detinebatur, quibus ligatus fuerat, funes disrupit: et in tenentes ipsum aperto ore irrupit. Tunc illum iterum tenentes multo arctius ligaverunt, ita quod nec caput nec pedes aliquatenus movere posset: imponentesque in grabato per multas civitatis Metensis ecclesias detulerunt, et fusis super sepulchra Sanctorum lacrymis cum precibus, non est redditus sanitati, sicut Divinæ placuit Majestati. Tunc recordati parentes et amici miraculorum innumerabilium, quæ Dominus meritis sanctissimi Confessoris sui Sigeberti frequenter operabatur, ad ejus sepulchrum deportaverunt eum, et deponentes ante sepulchrum ligatum, clementiam implorabant Salvatoris: ut eum dignaretur liberare meritis sanctissimi Confessoris. Cumque ibidem per aliquos dies fuissent perseverantes in orationibus, juvenis sanitati restitutus est: et apertis oculis circumstantes respiciens, dixit: Solvite me: quia meritis sanctissimi Confessoris Sigeberti curatus sum. At illi lætissimi effecti solverunt eum, Deo et beatissimo Confessori ejus laudes referentes. Tunc juvenis Missarum sacra mysteria celebrari sibi postulavit; et oblationem ad mensam

*obsessus a dæmone et furibundus*

C

*liberatur ad sepulchrum S. Sigeberti*



D Domini supplex humiliter et devote obtulit. Finito vero Divino Officio, corpus Domini devotissime recepit, ut ibi esset præsentia Salvatoris, in quo latuerat potestas tentatoris. Ille vero in memoriam suæ liberationis per annuum censum quatuor nummorum se beatissimo Confessori Sigeberto obligavit: quem per biennium satis competenter certis temporibus solvit, in anno vero tertio negligens, quod voverat, non persolvit. Qui statim inopinato morbo, quo prius detentus fuerat, correptus est, sub ditione Sathanæ constitutus. Parentes eum tenentes ad medicum pristinum recurrerunt; eumque secum deferentes, deprecari cœperunt bonitatem Salvatoris sub nomine Sigeberti piissimi Confessoris. O ineffabilis clementia Divinæ bonitatis, quæ preces justas te exorantium numquam despicis! Juvenis enim statim sanitati restitutus surrexit, laudans Deum de beneficio sui Confessoris, qui ad propria cum gaudio remeavit: nec ulterius in census sui solutione, quem antea voverat negligens inventus est: sed annuatim fideliter persolvit, usque in diem mortis suæ, non immemor beneficiorum Dei et sui sanctissimi Confessoris.

AUCTORE ANONYMO, EX MS.

*votos nummos negligens offerre, iterum obsidetur.*

*rursus liberatur.*

4 His et hujusmodi pollente S. Sigeberti sanctitate miraculis, ad sepulchrum ejus multi confluebant infirmi, qui meritis ipsius curabantur. Accidit autem, E ut duo viri contemporanei nostri, quorum unus Constantius, reliquus vero Jozelinus vocabatur, vesanæ mentis effecti, tam rationis quam corporis valetudine carebant. Hi adducti ad sepulchrum S. Sigeberti, pietatem ejus sentire meruerunt, et tam mentis quam corporis sanitatem integraliter receperunt. Qui cum gaudio ad propria remeantes, magnificabant Deum atque bonitatem sui Confessoris, per quem receperant subsidium pristinæ sanitatis. Annis vero singulis, memores sui fidelis medici, ad ecclesiam S. Martini, ubi est ejus sepulchrum, veniebant devoti, et censu annuo honorabant Confessorem Christi. Hæc et alia multa miracula vidimus, quæ facta fuerunt nostris temporibus: E quibus unum Sancto Dei auxiliante hic annotare curabimus.

*Duo amentes et ægri*

*ad ejus sepulchrum sanantur*

5 Quodam tempore vespillones quidam et prædones in nostros subito et inopinate fines irruperunt: qui domos divitum simul et pauperum festinanter percurrentes despoliaverunt: non enim diuturnam moram facere præsumebant. Venientes autem in a vallem Gergiensem, multa damna hominibus ibidem degentibus intulerunt, quæ nobis longum esset enarrare. Enormitatis autem hujus rumor undique per civitates et oppida adjacentia pervolans, Metensium perculit aures, qui collecta maxima armatorum multitudine, civitate exeuntes, memoratos persequebantur prædones. Et congressi contra eos, expugnaverunt F illos, quorum pars maxima armis ibidem interiit, pars vero captiva ducta est, aliqui tamen hinc inde fugientes evaserunt. Post aliquantulum vero temporis unus ex illis prædonibus, qui diutina captivitate, cum solo complice sui sceleris, carceris ergastulo detentus fuerat, in ipsa captivitatis angustia memoratus est, quia Dominus Deus noster per merita S. Sigeberti Confessoris sui quamplurima fecisset miracula: hic siquidem prædo, Rodulphus nomine, a nostris finibus extiterat oriundus, ideo frequenter de signis et virtutibus beati Confessoris audierat. O quantam fidem ejus bonitati adhibuit, qui jam suis damnatus meritis, eum pro liberatione interpellare ausus fuit, dicens complici suo: Acquiesce consilio meo, et ambo pariter in oratione prosternamur, implorantes clementiam sanctissimi Sigeberti, cujus corpus requiescit in ecclesia S. Martini extra muros civitatis Metensis, ut non quantitatem scelerum nostrorum attendens, nobis subveniat ipsius meritis, qui latroni subvenit jam judicato ad dispendia

*ex prædonibus a*

*cæsis,*

*duo captivi*

*invocato S. Sigeberto,*

A

*AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

pendia mortis. Tunc ambo prostrati in oratione, quod fideliter postulaverunt, sine mora obtinere meruerunt. O inæstimabilis bonitas Salvatoris, qui etiam peccatorum petitionibus aures accommodat pietatis! Mox autem ut orationem compleverunt, ejus auxilium sentire meruerunt, quem mente memori tenuerunt. Nam vincula ferrea et compedes, quibus stricti tenebantur, laxari cœperunt, ita ut liberi ab omni jugo ferreo surrexerunt, sicque liberati evaserunt, secum compedes et catenas ferreas deferentes, ut nullus ambiguitatis scrupulus in eis remaneret, quibus hoc grande miraculum per eorum revelationem innotesceret. Venientes itaque ad ecclesiam ubi est corpus S. Sigeberti, cum catenis ferreis, quibus ligati fuerant, gratias egerunt Deo cunctipotenti, et beatissimo ejus Confessori, narrantes nobis astantibus, quomodo ad memoriam S. Sigeberti Confessoris sui cum eis egisset misericors et miserator Dominus.

*catenis ultro absolvuntur.*

6 Contigit et huic simile aliud miraculum, quia miles quidam de Maysiers, captus a suis hostibus, carceris horrori fuerat mancipatus. Qui cum strictus ferreis teneretur catenis, recoluit in mente beneficia Salvatoris, quæ Dominus largiebatur omnibus tam captivis quam ægrotantibus se sub nomine S. Sigeberti fideliter invocantibus. Statimque ad orationem prostratus, cœpit deprecari sanctum Confessorem, ut sui misereretur in hoc suæ necessitatis articulo, cujus auxilium plurimi senserant, illud implorantes corde devoto. Mox laxatis vinculis ferreis liber evasit, et ad ecclesiam, ubi corpus S. Sigeberti requiescit, devenit: O quantas laudes Salvatori reddidit et similiter suo Confessori, in cujus obsequio nos animabat perseverare, laudando eum, qui vivit et regnat per immortalia secula seculorum, Amen.

*item alius miles.*

B

a Vallis seu terra Gorgiensis aut Gorziensis ab illustri monasterio Gorzia dicta, adjacet sinistræ ripæ defluentis Mosellæ Metas inter et Mussipontum. De ea agemus 6 Martii ad Vitam S. Godegrandi Episcopi Metensis dictæ Abbatiæ fundatoris.

## DE TRANSLATIONE III et IV

### corporis S. Sigeberti.

*Inter alia monasteria, quæ supra n. 8. Sigeberto extructa esse docuimus; præ ceteris eminet* S. Martino dicatum num. 2 in *Historia miraculorum*, in Metensi confinio super ripam Mosellæ fluminis a fundamentis ædificatum. *Ejus mentio fit in divisione regni Lotharii inter hujus patruos anno Christi* DCCCLXX *peracta, quando Carolus Calvus Rex Francorum Occiduorum cessit fratri suo Ludovico Regi Germaniæ* civitatem Metis cum Abbatia S. Petri et S. Martini. *Avulsa postea a jurisdictione urbis, sub clientela Ducum Lotharingiæ fuit hæc S. Martini Abbatia; qua tandem destructa, ejus territorium, facta bonorum permutatione, adjunctum est agro Metensi quod hodieque in antiqua fere juris formula persistens,* vulgo bannum S. Martini *dici observant auctores. De Translatione reliquiarum S. Sigeberti facta, cum ea Abbatia destrueretur, agit Saussayus in Martyrologio Gallicano* IV *Nonas Februarii.* Corpus S. Sigeberti inde *(ex ecclesia S. Martini)* Metas ob bellorum turbines ingruentes translatum, postea Nanceium Lotharingiæ Ducatus metropolim advectum, demum illic quiescit in primatiali basilica, quam non ita diu fundavit Carolus III Lotharingiæ Princeps. *Hæc Saussayus. Miræus quoque in Fastis Belgicis ac Burgundicis, hasce Kalendis Februarii scribit,* Basilicæ *hujus* Nanceianæ fundamenta posita esse anno MDCII a Carolo III Duce, ejusque filio Carolo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale: corpus autem ibidem quiescere capsæ argenteæ inclusum: S. Martini denique Abbatiam a Clemente VIII Papa supressam esse; ejusque prædia novo isti collegio Nanceiano pro dote esse assignata, quæ sævientibus bellis anno MDLII fuerat diruta. *Addit Jodocus Coccius in Dagoberto prævio cap.* 12, corpus S. Sigeberti sub *illum* annum MDLII ad urbem Nanceianam incredibili ac vere principali apparatu translatum ibidem majore religione coli, templo illi dicato, cujus memoriam festo Kalendis Februarii sacro incolæ præcipua veneratione agitant.

*C*

*Abbatia S. Martini*

*destructa,*

*corpus S. Sigeberti Nanceium delatum,*

*in nova basilica*

D

*colitur.*

2 *De bello illo Metensi agunt passim Scriptores rerum gestarum istorum temporum, ac potissimum Franciscus Belcarius Episcopus Metensis lib. 26 Commentariorum rerum Gallicarum. Quod huc spectat potissimum,* est in manibus, *inquit idem Coccius,* liber vitæ S. Sigeberti per V. C. Georgium Albericum Serenissimis Lotharingiæ Ducibus a secretis, vernaculo idiomate eleganter conscriptus. *Hinc Latine damus historiam translationis reliquiarum S. Sigeberti, quæ tertia et quarta censeri potest. Qui in hac Alberici historia Dux Carolus* III *habetur, is Chiffletio in Lotharingia Masculina cap. 5 et 8 Carolus* II *dicitur, anno* MDCVIII *extinctus; cui tum successit Henricus filius natu major, quo mortuo prolеque mascula non relicta, inauguratus est anno* MDCXXIV *ejus frater Franciscus Vaudanimontis Comes, qui deinde Ducatus Lotharingiæ et Barri dedit Carolo* III *natu majori filio moderno Duci, ex cujus fratre Nicolao Francisco nati sunt Ferdinandus Philippus, et Carolus Nicolaus. Quod autem idem Albericus serenissimam hanc Ducum familiam velit ex S. Sigeberti stirpe prognatam, disputent alii.*

*Historia translationis.*

E

## HISTORIA III ET IV TRANSLATIONIS

### *Gallice scripta a Georgio Alberico.*

Manifestum est in hodiernum usque diem competere Duci Lotharingiæ jus laici patronatus in cœnobium S. Petri Dominarum intra septa urbis Metensis, ejusdemque loci Abbatissam in fundorum possessionem beneficiariam per eum mitti, ac se in ejus futuram fide et clientela profiteri: illud quippe cœnobium ab regiæ Lotharingicæ domus Principe olim fundatum. Quodque magis ad propositum meum pertinet, pagus, bannum, et abbatia S. Martini, in suburbio Metensi, e cujus ecclesia ad nos S. Sigeberti Regis allatum est corpus, ejusdem Ducis jurisdictioni, clientelari titulo, obnoxia fuere: ipsaque ecclesia et abbatia a Ducis pependit patronatu, ad annum circiter MDCV. quando Magnus Carolus III. gloriosæ longumque desiderabilis memoriæ Dux, cum civitate Metensi de variis possessionibus transegit. Non foret hic alienum instituto meo pleniorem nobilissimæ illius civitatis texere laudationem. Si qua enim uspiam gentium urbs est, quæ se Sanctorum genitricem jure queat appellare, huic profecto illud debitum est decus: ut aliam mittam honestamenta, vetustatem, munitionem, nitorem, dignitatem; quæ omnia fortassis alias peculiari commentario pertractabo. At me nunc alio vocat S. Sigeberti, quem illa olim Regem habuit, Translatio.

*Abbatia Metensis S. Martini sub clientela Ducum Lotharingiæ,*

F

2 Fuit urbs illa anno MDLII a Carolo V (quo Imperatore haud facile præstantiorem unquam sibi Germania elegit) obsessa: verum a Francisco Lotharingo Duce Guisiæ, Franciæ Regis Vicario Generali, singulari cura, prudentia, fortitudine defensa. Hic ne quam hostibus relinqueret ædificiorum tectorumque commoditatem, aut locum a tormentis urbis tutum, coactus est suburbia, ac templa circum urbem ab antiquissimis temporibus extructa demoliri, nimirum S. Arnulphi, S. Clementis, S. Petri Campestris, S. Juliani,

*ob urbis obsidionem cum aliis monasteriis destructa*

A S. Juliani, S. Martini : quibus in templis cum plurima asservarentur corpora Sanctorum, ea Dux idem inde efferri curavit, solenni instituta supplicatione, cui ipse cum multis viris principibus, et frequentissima nobilitate interfuit, nudo capite, facem manu gestans : deposita fuere in æde Prædicatorum Metis, donec cuique propria ædificaretur ecclesia, uti nunc factum cernere est. Translatæ eodem die eademque supplicationis celebritate tumbæ sunt, quibus in S. Arnulphi æde conditi erant, Hildegardis uxor Caroli Magni Imperatoris Regisque Franciæ et Austrasiæ; Ludovicus Pius eorumdem Caroli et Hildegardis filius, itidemque Rex et Imperator; Hildegardis item et Aleidis sorores ejusdem Ludovici; duæ quoque Caroli sorores Rotaidis et Alcidis; Drogo Episcopus Metensis, frater ejusdem Ludovici; Vitro Gubernator Lotharingiæ, parens S. Glotsindis, atque alii.

*tumbis illustrioribus in urbem asportatis,*

3 Quod ad S. Sigeberti Regis corpus attinet, tumulatum id erat in ecclesia abbatiæ S. Martini, quam ipsemet olim in proprio prædio ædificaverat, sibique in ea tumulum elegerat. Propterea vero quod, ut ante scriptum, idem bannum, vicus, abbatia, adhuc erant Lotharingicæ ditionis, sacræ ejus exuviæ relictæ juri sunt, inque manus consignatæ Lotharingi Ducis, ex ejusdem Divi stirpe prognati, ac hæredis B non exiguæ portionis illius ditionum : ideoque Nanceium asportatæ in ædem Prioratus S. Mariæ, qui ab antiqua illa S. Martini abbatia pendebat.

*corpus S. Sigeberti Nanceium delatum,*

4 Quanto ea urbi Metensi totique Mediomatricorum regioni acerbior accidit avectio sancti corporis, cujus gratia multa divinitus beneficia perceperant: tanto Nanceiani cives pietate, reverentia, alacritate majori id excepere, Divumque ipsum peculiarem deinceps apud Deum suæ urbis Patronum adoptaverunt. Neque eos sua spes fefellit : magnis enim a Deo beneficiis sæpenumero cumulati, ea merito sancti Regis favori accepta ferunt. Quamobrem ex eo tempore, singularis eidem sacro corpori certis temporibus exhiberi veneratio consuevit. Frequenti enim experientia comprobatum est, imbres cœlitus elici sistique illius patrocinio, per publicas supplicationes, ubi necessitas posceret, exorato, ejusque Reliquiis pie ac solenniter circumgestatis : ut omittam innumerabiles morborum curationes, quæ isthic evenerunt eveniuntque quotidie, miseris mortalibus placata per eum Numinis majestate.

*magnifice exceptum*

*miraculis claret :*

5 Multitudo vero hominum assidue Nanceium ad venerandas Reliquias confluentium, non obscurum perhibet testimonium antiquitatis sanctæ illius cæremoniæ ac devotionis, plurimorumque beneficiorum quæ variis temporibus locisque, sancti Regis gratia, impertitus est Deus. Neque illud exigui momenti est C quod per tot jam secula, abbatia S. Martini, a S. Sigeberto fundata, beneficio confertur Serenissimi Lotharingiæ Ducis; manifesto argumento, stirpis ac ditionis sanctissimi Regis hæredem esse. Postquam vero insignis basilica primatialis Nanceii erecta est, eique et S. Martini abbatia, et supradictus S. Mariæ Prioratus annexa sunt, in eamdem primatialem basilicam sacrum translatum est corpus, ut et illi ornamentum esset, ejus magnitudini consentaneum; et ipsum ab loci, in quo asservaretur, dignitate, sibi congruens acciperet ornamentum.

*ponitur in basilica primatiali,*

6 Quia enim veterum Ducum Regumque Lotharingiæ temporibus, civitates Tullum, Virdunum, Metæ iis parebant, hinc populus omnis Lotharingiæ adhuc sub Antistitum, qui tres illas regebant civitates, jurisdictione mansit : neque obtineri a Pontifice Maximo potuit, ut vetustissimarum diœceseon illarum jura ac fines mutaret. Ut tamen et Lotharingiæ universim et præcipue Nanceianæ urbis dignitati consuleretur, instituta basilica et sacra apud eam potestate, quæ utriusque magnitudini responderet; Caroli III Ducis ejusque filii Cardinalis Caroli Lotharingi motus rogatu Clemens VIII Pontifex, pro Episcopo Primatem iis concessit, facta Ecclesiæ primatialis, Nanceii Lotharingiæ metropoli, erigendæ potestate : cui deinde quatuor contulit dignitates, ut vocant, Primatis, Decani, Cantoris, Scholastici, tredecim adjunctis Canonicis, octo Vicariis, ac reliquo, ut in primariis Ecclesiis Cathedralibus solet, sacrorum ministrorum officio. Utque illorum Principum, sibi perquam acceptæ pietati idem Pontifex obsecundaret, Primatialis illius Ecclesiæ sustentationi has attribuit annexuitque Ecclesias ac proventus : abbatiam S. Martini, Benedictini ordinis, in suburbio Metensi, olim a S. Sigeberto fundatam, e qua ejus est corpus Nanceium, ut diximus, translatum : cujus cœnobii cum amplissimæ fuerint possessiones, Primatiali nostræ Ecclesiæ attributæ, censeri merito vocarique idem sanctissimus Rex potest Primatialis hujus primarius fundator. Annexa præterea ei sunt, Pontificia auctoritate, proventus mensæ abbatialis Clarilori, quod cœnobium est instituti Cisterciensis, leuca distans Nanceio : tres præbendæ (ut vocant) Canonicales insignis Ecclesiæ S. Deodati : Ecclesia Custodiæ Dei, vulgo Dieu le Ward, quæ duabus constabat dignitabus, Decani nimirum ac Thesaurarii, et sex E Canonicatibus : Prioratus S. Nicolai de Porta, Varangevillæ, Salonii, S. Dagoberti Sathenacensis, S. Gorgonii : sunt autem hæ Ecclesiæ a Lotharingiæ Ducibus maximam partem fundatæ. Earum, vero reditus, cum iis quos e suo ærario Dux Carolus adjecit, ad sustentationem dictarum Dignitatum, Canonicorum, Vicariorum, Cantorum, Phonasci, ceterorumque ministrorum; ac sartorum tectorum præstationem, abunde sufficiunt. Separata tamen est Primatis mensa a collegii Ecclesiæque proventibus.

D *EX GALLICO GEORGII ALDERICI.*

*erecta a Carolo Duce, approbante Clemente VIII,*

*dotata proventibus Abbatiæ S. Martini,*

*aliisque,*

7. Idem deinde Pontifex insignem hanc Ecclesiam, ejusque Primatem, Decanum, Cantorem, Scholasticum, Canonicos, Sacellanos, ceterosque officiales ejus et ministros, atque universa beneficia, possessiones, fundos, jurisdictionem, ceteraque bona communia ac privata, ab omni jurisdictione, correctione, subjectione, visitatione, dominatu, auctoritate, potestate, tam Episcoporum Metensis, Tullensis, Virdunensis, quam aliorum Ordinariorum, ac Metropolitarum, et quorumvis Judicum, præsentium ac futurorum, tum spiritualium tum temporalium, in perpetuum exemit, solique subjecit potestati et auctoritati Sanctæ Apostolicæ Sedis, ac protectioni sanctorum Apostolorum Petri et Pauli : uti patet ex ejus Bulla data pridie Idus Martii an. MDCII.

*et a jurisdictione Episcopali exempta.*

8 Sola hactenus magnificæ hujus basilicæ locata F sunt fundamenta, neque altius a solo educta, sed tam illustri idea, ut quæ perfecta opera spectabit posteritas, ingenium sit architectorum admiratura : singularum enim partium forma est seorsim delineata, et ad præstantissimorum operum totius Europæ exacta speciem. Interea in subitarii operis æde Divina peraguntur officia sane quam magnifice, digna cujusvis Cathedralis Ecclesiæ solennitate.

*jactis fundamentis novæ basilicæ.*

9 Hic S. Sigeberti visitur feretrum, ex ebeno affabre factum, opertum figuris argenteis encausto politis, planiformi basi nixa, columnis marmoreis prealtis sustentata, additis ex argento inaurato Terminis : superne conopeum imminet, in quo varia ejusdem Divi eleganter figurata miracula sunt. Quæ cuncta Antonii Lenoncurtii, secundi Primatis, munificentia curata. Huc, festo præsertim Ascensionis Christi, innumera confluit hominum multitudo, qui tradito a majoribus ritu, Deum ibi religiose venerantur, sanctique Regis ei offerunt merita et benefacta,

*Ad feretrum S. Sigeberti peregrinatio fit festo Ascensionis Christi*

A facta, pia freti fiducia fore ut per ea Divinam sibi clementiam concilient, opemque et solatium in adversis rebus obtineant: fatenturque plurimi, cum hinc recedunt, fructu sese suæ devotionis, Divinæque bonitatis experimento potitos.

*Ex Gallico Georgii Alberici.*

10 Dedicata est illius ecclesiæ area Deiparæ Virginis honori, Idibus Septembris an. MDCIII solenni benedictione, ab eodem Antonio Lenoncurtio, tunc Decano et Cardinalis Lotharingi, primi Primatis, Vicario generali: primusque in fundamenta lapis missus cui hæc erant incisa: CAROLVS III LOTHARINGIÆ ET BARRI DVX, ET CAROLVS EJVS FILIVS, CARDINALIS ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ A LATERE LEGATVS MET. ET ARGENT. EPS. D. O. M ET DEIPARÆ V. MARIÆ TEMPLVM HOC VOVERVNT, POSVERVNT, DOTARVNT ANNO SALVT. HVM. CIƆIƆCIIII XVIII CALEND. OCTOB. CLEM. VIII P. R. D

*Inscriptio lapidis fundamentalis.*

# DE S. BASILIO CONFESSORE

## EPISC. CRETENSI, DEIN THESSALONICEN.

J. B.

*Circa an. Chr. DCCCLXX I Febr.*

*Basilius Atheniensis,*

Celebrant Græcorum Menæa I Febr. memoriam sancti Patris Nostri Confessoris Basilii Archiepiscopi Thessalonicensis, Athenis oriundi, nec plura de eo narrant. Fuit is (ut tradit Nicetas cognomento David in Vita S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, quam a Radero nostro Latine versam, pridemque editam cum Concilii VIII œcumenici Actis, dabimus XXIII Octob.) antea in Creta Episcopus; verum Agarenis eam insulam invadentibus, Thessalonicam translatus est. Occuparunt Cretam Agareni Hispa- B nienses, uti scribunt Zonaras lib. 3. Cedrenus, Joan. Curopalates et alii, primis Michaelis Balbi temporibus, cum hujus copiæ pleræque adversus Thomam, Leonis Armenii ulciscendæ necis prætextu rebellantem, distinerentur. Invasit imperium Balbus an. Chr. DCCCXX ipsa nocte Nativitatis Christi tenuitque annis VIII, mensibus IX. Quo tempore, inquit Cedrenus, novas res moliri Thomas cœpit, fama rei in omnes partes divulgata, Barbari Apochapso Duce primum instructa classe varias Orientis insulas populantur, ac luculentam prædam domum revehunt: deinde omnibus probe exploratis, Cretam præsidio destitutam, sub annum DCCCXXIII occupant, ac late vastant, una dempta urbe, habitatoribus partim cæsis partim in servitutem redactis: dein Ducibus Imperatoris aliquot superatis, ingentia toti Orienti multos per annos mala intulerunt.

*in Creta Episcopus,*

*ea a Saracenis occupata profugit:*

2 Tunc igitur e Creta cum multis fortasse suorum, profugit Basilius Episcopus. Non continuo tamen ad Thessalonicensem thronum erectus, nec ante annum Christi DCCCXLI. Nam Leo Philosophus, Michaelis Pselli senioris auditor, a Theophilo Imp. (qui Balbo parenti an. DCCCXXIX, mense Octobri successit imperii hæres atque impietatis) comperta insigni ejus eruditione, beneficiis allectus, publice docere jussus est, post etiam Thessalonicæ Pontifex designatus, ut Zonaras scribit. Addit Cedrenus, id factum opera impii Joannis C Patriarchæ, quem vulgo Jannem vocabant, cui Leo erat sanguine junctus. Theophilo autem an. DCCCXLII mortuo, cum ceteris Iconomachis ea dignitate privatus est Leo, cumque in otio degeret Constantinopoli, a Barda Michaelis III imp. avunculo, S. Theodoræ Augustæ fratre, ad philosophiam docendam adhibitus. Et ergo subrogatus Basilius videtur, non a S. Ignatio Patriarcha, ut in MSS. annotationibus ad Menæa Græcor. habet Raderus; sed a S. Methodio Confessore, qui, Joanne ob hæresim et scelera submoto, Constantinopolitanam Ecclesiam quadriennio rexit, ac demum S. Ignatium successorem habuit.

*post Leonem Philosophum iconomachum*

*fit Episcopus Thessalonicensis*

3 Michael a Theodora matre ad omnem honestatem educatus, ubi ejus aspernari consilia, Bardæ Cæsaris astu, cœpit, fœdis voluptatibus, ludis incónditis, rerum sacrarum contemptui sese tradidit: matrem ipsam ac sorores post annos XIV in cœnobium detrusit, ne harum exemplis, illius etiam objurgationibus, ipsius profana amentia deinceps castigaretur. In exilium quoque Ignatius Patriarcha ejectus est, qui Bardæ ob incestam cum nuru consuetudinem, sacris interdixerat. Huic Photius suffectus, doctrina quidem ille, at non pietatis ulla laude conspicuus. Hic contra Ecclesiæ leges, cum ulterius adhuc superstitis thronum, ac veluti thorum legitimum, occupasset, non est ausus Michaelis ac Bardæ flagitia (de quibus XI Feb. ad S. Theodoræ Vitam, et fusius XXIII Octob. Ad S. Ignatii, agemus) arguere, quorum favore ad eam erat dignitatem E evectus.

*Michaelis III depravatos mores,*

4 At non Thessalonicensis Præsul Basilius silere ad hæc potuit. Ejus præclarum facinus ita commemorat Nicetas. Agebatur non multo post sacer Christo cœlum ascendenti dies anniversarius, cum sub vesperam terra tanto motu, quanto nunquam ante cœpit contremiscere, neque tota insequenti nocte constitit. Et vox quædam subobscura, et mugitus e terra marique ingens editus, hominum pectora ita metu fregit, ut pene colliquescerent. Justini quoque columna a genibus convulsa concidit. Tum Basilius, Cretensis ante Episcopus, Agarenis autem Cretam invadentibus Thessalonicam translatus, non sine Photii, tunc Cathedram Constantinopolitanam occupantis, infamia, ausus ipse Michaelem accedit, eumque partim admonentis auctoritate, partim docentis, a tam impia et sacrilega rerum sacrarum mimica imitatione et irrisione dehortatur; inde enim Numinis iram accendi affirmabat. Qua reprehensione Michael gravissime offensus ac prope attonitus, colaphis atrocissimis venerando seni dentes stirpitus elisit, tergumque flagris ita laniavit, ut nihil propius factum sit, quam ut inter tormenta animam ederet. De quo nihil sollicitus erat mercenarius opilio: quin ipse paullatim sacrilegiis illis pariter oblectabatur, et una cum impuris histrionibus pueroque consuescebat, et comessabatur. Sed hæc illis ludibria jocaque et vita haud diuturna F fuere. Hæc Nicetas. Quæ ex eo quoque recitat Baronius ad an. 862 nu. 4.

*prudenter reprehensos,*

*ideoque crudelissime verberatur*

5 Tantæ vero fuit apud Nicolaum Papam auctoritatis Basilius, ut epistola 8 eum, et quinque alios Episcopos, tres Hegumenos, sive Abbates, ac monachum unum mitti ad se ex parte Ignatii Legatos voluerit, neminem aliarum partium admissurus, nisi missi hi essent. Hi nimirum fuere, de quibus ita Cedrenus: Post multam vexationem tandem Ignatium Mytilenam Barda relegat. Multi quoque tum alii Episcopi eodem modo sunt tractati, quod acta non probarent; neque ullum alium, quocumque modo res caderet, Patriarcham se admissuros asseverarent. Paria habent Zonaras, et Curopalates.

DE S. BRIGIDA

A

# DE S. BRIGIDA VIRGINE
## FÆSULIS IN ETRURIA,
### Commentarius historicus.

D AUCTORE J. B.

### § I. S. Brigidæ natalis. Acta. Ortus.

SUB FINEM IX SECULI I FEB.

Secunda hæc est Brigida, quam, ut priorem, Scotorum insula protulit, excepit hospitem, cœloque transmisit Etruria, iisdem (quod mirum est) Februarii Kalendis, quibus alterius, quadringentis fere annis prius vita functæ, celebratur memoria. Ei vitam in Italia terminandi hæc occasio fuit, quæ mox plenius exponetur. Germanus illi fuerat, Andreas nomine, quem suus in virtutum ac litterarum studiis magister Donatus e patria deduxerat, ad loca Sanctorum vel certaminibus olim consecrata, vel celebrata miraculis, peregrinatum. Fuerat dein idem Donatus, seu favore Numinis cœlestique ostenso, seu Francorum Regum suffragio, ad Fæsulanæ Ecclesiæ solium erectus, atque Andream Archidiaconum crearat. Hic ad Mensulam amnem, qui Fæsulanorum collium radices rigat, vetustam ædem S. Martino quondam dicatam, sed hostili pridem incursione eversam, Antistitis sui auctoritate, corrogatis piorum hominum liberalitate impensis, restauravit, adjecitque habitacula monachorum, cum quibus sanctissime ætatis reliquum exegit, late miraculorum gloria clarus. Cum senio et laboribus fractus, exitum vitæ præstolaretur, nescio quo motus arcani spiritus instinctu, optasse fertur, ut sibi sororem, antequam emigraret, videre et alloqui liceret. Nec mora: subito adfuit soror, sive eodem ipsa quoque spiritu admonita, maxima quæ adhiberi poterat usa festinatione, seu Divina quadam virtute per tanta aceum ac terrarum spatia isthuc deportata. Decessit haud multo post Andreas. Brigida in avios densosque saltus secessit, ibique quod reliquum vitæ fuit admirabili sanctimonia decurrit. Mansit ejus obitus apud posteros memoria, solenni religione consecrata, Kalendis Februarii. Ad quem diem ita illius meminit Philippus Ferrarius in generali SS. Catalogo: In territorio Fæsulano S. Brigittæ Virginis. Fusius de ea in Catalogo SS. Italiæ agit ipse, aliique mox citandi. David Camerarius lib. 3 de Scotorum pietate, ad XXXI Decembris ejus revocat natalem, nullum in ea re secutus auctorem; nam Diacettus, quem citat, de Brigidæ festivitate ne verbum quidem scribit. Henricus Fitzsimon noster in Catalogo præcipuorum SS. Hiberniæ eam quidem recenset, sed videtur natalem ignorasse.

S. Brigida V. Scota,

S. Andreæ Archidiac. Fæsulani soror,

B

in Italia mortua,

colitur 1 Feb.

non 31 Dec.

C

2 Vita hujus sanctæ Virginis tradita an e litteris, eo, quo vixit, rudi seculo, an fama, solum transmissa ad posteros sit, haud liquet. Testatur Philippus Villanus infra nonnulla de vita et morte illius sanctos viros litteris commendasse. Coætanei ii fuerint, an solam secuti famam, non indicat: neque an eorum uspiam scripta extent. Agit de ea Thomas Dempsterus historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum lib. 2, qui et Silvanum Razzium citat; sed in hoc ne nomen quidem hujus Brigidæ reperimus; Franciscus Cattanius Diacetus in Præfatione libri de SS. Fæsulanis ad Franciscum Medicæum Etruriæ Ducem, cujus verba inferius recitabimus; Franciscus Lahierius noster in Magno Menologio Virginum. Diacettus ac Silvanus Razzius in Vita S. Donati honorificam S. Andreæ mentionem faciunt, Brigidæ nullam. Testatur Diacettus in Præfat. jam citata, admirabilia Andreæ Acta historice digesta a M. Philippo Villano, conspicuo virtutibus viro. Eam nos historiam nondum vidimus. Partem illius (quæ nimirum ad S. Brigidam proprie pertinet) latine redditam, recitat ad hunc diem in Actis SS. Hiberniæ Joannes Colganus Ord. Minorum, a quo hic eam dabimus. Prius quæ de Brigidæ patria, ætate, ordine, locoque obitus quæri possunt, explicanda.

a multis scriptoribus celebrata,

3 Vita S. Andreæ ex MS. codice S. Martini ad flumen Mensulam accepta, de ejus genere ac patria ista habet: Hic Scotorum gentis nobili prosapia ortus, et nihilominus Christi postea extitit discipulus. Scotia, quæ et Hibernia est appellata, proxima est Britanniæ insula, spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior..... alia addit ex S. Isidoro Hispal. lib. 14 Origin. cap. 6, et Vita S. Donati, ac deinde subdit: In hac ergo provincia Sanctus Dei, ut diximus, Andreas, non de infimis, sed nobilibus oriundus extitit parentibus. Ac paullo inferius: Erat in præfata Scottorum provincia summus quidam philosophus et Christi fide Catholicus, nomine Donatus, B. Andreæ doctor ac socius. Et paucis interjectis: Exiens denique Beatus Christi Donatus, discipulusque ejus Andreas, de sæpe jam dicta Scottorum provincia. Pauca habentur in Vita S. Donati Episcopi Fæsulani, quam 21 Octobris dabimus. At S. Andreæ Vita per Villanum: Fuit homo Dei Andreas oriundus ex insula Hibernia (quæ alio magis vulgari nomine Scotia appellatur) sita in occidentali plaga. Cetera inferius dabuntur et expendentur. Nata est igitur Brigida, Andreæ germana, nobili Scotorum genere, in Hibernia insula.

nata nobili Scotorum genere in Hibernia.

E

### § II. S. Brigidæ ætas.

ANIMADV. PAP. 30

Thomas Dempsterus historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum lib. 2 nu. 166. de Brigida scribit: Sanctitate claruit anno DCCCII; eoque, miraculo delata in Italiam: quando obierit non reperi. At lib. 4 cap. 31 scribit eam Fæsulas appulisse anno DCCC, ut Baronius, et Razzius, atque ipsa historia de vita illius loquuntur. Ubinam de ea Baronius et Razzius agunt? aut quam ejus Vitam legit Dempsterus? Sed ne leviter secum ipse pugnet, mox Andream scribit monasterium condidisse, monachosque Benedictinos in eo collocasse anno DCCCII. Atqui prius multo monasterium illud condidit Andreas, quam Fæsulas venit Brigida, ut non possit ejus adventus statui anno DCCC vel DCCCII, si DCCCII conditum monasterium est. Nam sanctus Dei famulus Andreas, ut in ejus Vita ante citata habetur, postquam sæpe jam dictam ecclesiam reformavit, in qua longo tempore militavit, de longo confectus senio, et febribus corporis diutissime fatigatus, Fratres convocavit, eisque per ordinem obitum suum demonstravit: ac tum demum appulsa est, aut in ejus conspectum subito deportata Brigida. Idem Dempsterus lib. 4 nu. 367, Diacettum secutus, S. Donatum ait inauguratum Præsulem anno DCCCII. Id si ita est qui potuit igitur ejus discipulus Andreas anno DCCCII ecclesiam illam reædificasse, monachosque isthic instituisse, cum ab eodem Donato jam Episcopo, nec fortassis statim ipso suscepti muneris exordio, minoribus Ordinibus, quos vocant, initiatus sit, legitimis fortasse intervallis, ex sacrorum Canonum præscripto, observatis? Innuit hoc ejus Vita: Videns autem beatus Episcopus Donatus discipulum suum fulgere meritisque clarescere, cœpit eum valde diligere, et sic usque ad Diaconatus officium per ordinem promovere. Deinde variis Andreæ in eo munere virtutibus commemoratis, subdit Vitæ illius auctor: Beatus Episcopus Donatus audito ejus fructu laboris, omnipotenti Deo gratias egit, et B. Andream ad Archidiaconatus officium sublimavit,

An in Italiam venerit an. 800 vel 802.

ut tradit Dempsterus secum ipse pugnans?

F

A sublimavit, cumque in palatio suo post se primum constituit. *Ac demum imposita ei ædis illius restaurandæ cura est a Donato : quod ante annum* DCCCX *aut* DCCCXII *non videtur esse factum, si hic anno* DCCCII *Episcopus est ordinatus. Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ ad* I *Februarii Brigidam ait* Caroli Magni temporibus vixisse. *Idem ad* XXII *Aug. de S. Andrea illius fratre scribit ; ad* XXII *Octob. S. Donatum, vult anno* DCCCII, *qui erat Caroli Magni imperii* III, *regni* XXXV, *Episcopum esse factum. Franciscus Lahjerus noster in Menologio VV. S. Brigidam tradit obiisse circiter annum* DCCCX ; *Constantinus Cajetanus an.* DCCCLXX.

*AUCTORE J. B.*

*an. 810 vel 870 mortua?*

5 *Nullas hi omnes proferunt, quibus chronologiam suam firment, notas. Aliquas suggerit Vita S. Andreæ, certiores S. Donati Vita et Epitaphium. Vita S. Andreæ, fortassis vitiose descripta, sic habet :* Tempore igitur Theodorici Regis et Ludovici Boni, qui apud Augustani palatii *(lege potius,* Aquisgranense palatium, *aut juxta veterem illam scribendi formam,* apud Aquisgrani palatium) DCCCXVI Dominicæ Incarnationis anno, Canonicam instituerunt normam, erat in præfata Scottorum provincia summus quidam philosophus et Christi fide Catholicus nomine Donatus, B. Andreæ doctor et socius. *Habitum est Concilium Aquisgranense anno* DCCCXVI, *Ludovicum, in eoque edita est* forma institutionis Canonicorum et B sanctimonialium. *Verum nullus circa ea tempora Rex Theodoricus. Fuit quidem Theodoricus Caroli Magni ex Adelhaida concubina filius, quem una cum Drogone et Hugone filiis ejusdem Caroli, ex alia concubina, nomine Regina natis, Ludovicus Pius Imp. ipsorum frater, anno* DCCCXVIII tonsurari jussit, *ut habet Theganus,* et liberalibus disciplinis jussit instrui; quos postmodum honorifice constituit.

*Cum S. Donatus Ep. Fæsul. floruerit,*

*non sub Theoderico Rege,*

6 *Vita S. Donati aliquanto accuratius Regum horum nomina expressit his verbis :* Tempore igitur Christianorum Principum Lotharii Magni et Ludovici Boni, qui sanctam eorum ecclesiarum apud Aquisgrani palatii Canonicam instituere Regulam sub anno Dominicæ Incarnationis DCCCXVI. *At vereor ne hic Auctor in Ludovici nomine hallucinatus eum perperam primum, sive Pium, Lotharii patrem fecerit, qui secundus ejus nominis Imperator fuerit. Est quidem sub Ludovico Pio habitum Aquisgranense concilium, anno uno prius quam a patre imperii consors adoptaretur Lotharius ; sed cur patri idem Lotharius præfertur? Fiet id fortasse magis perspicuum ex epitaphio S. Donati, quod ita habet :*

*sed Ludovico*

Hic ego Donatus, Scotorum sanguine cretus,
Solus in hoc tumulo, pulvere, verme voror.
Regibus Italicis servivi pluribus annis,
C Lothario Magno, Ludovicoque Bono.
Octonis lustris, septenis insuper annis
Post Fæsulana Præsul in urbe fui. *etc.*

*cui ante episcopatum servierat Regi Italico*

*Quis non videat Ludovicum Bonum appellari Lotharii filium, qui Rex Italiæ, sive Langobardorum fuit, atque anno* DCCCLV, *patre monasticum institutum amplexo, Imperator est factus?*

*ergo Lotharii Imp. filio.*

7 *Cur enim aliquam Ludovicus Pius* Rex Italicus *appellatur, qui Italiam numquam peculiari titulo possedit? At Lotharius a patre ad regendam Italiam missus cum deinde et Belgicam in divisione regni cum fratribus inito retinuit, eamque cum titulo imperii Ludovico filiorum maximo reliquit. Huic Ludovico familiarem fuisse Donatum constat ex hujus Vita, ubi ista habentur :* Adiit ergo præfatus Episcopus Ludovicum magnum Principem, qui benigno illum animo excipiens, pro devotione sanctissimi viri omnia postulata non denegavit ... Actum est apud Capuanam urbem. *Ludovicus Pius Capuam numquam adiit, cum Italiam vivente patre Carolo Pipinus rexerit, inde Bernardus ; hoc oculis vitaque orbato, missus in Italiam* est Lotharius, cui tamen Principes Beneventani, qui et D Capuam tenebant, subjecti non erant, licet tributum, quod avo ac patri pacti erant, fortasse persolverent. Post Ludovici Pii mortem mirum in modum sunt Longobardorum res in Campania ceterisque tractus illius provinciis perturbatæ ; ut ad eas componendas sæpius isthuc cum exercitu proficisci Ludovicum Pii nepotem oportuerit. Et tertia quidem expeditione, anno* DCCCLXVI *suscepta, ut habet Leo Ostiensis lib.* I *Chron. Casin. cap.* 38 *mense Junio pervenit ad monasterium Casinense, ubi a S. Bertario Abbate maximo cum honore exceptus est.* Post hæc inde digressus, Capuam petiit : quam tribus obsessam mensibus cepit, eamque maxima ex parte delevit. *Eo igitur tempore probabile est Donatum ab eo quæ in Vita referuntur impetrasse* apud Capuanam urbem *an.* DCCCLXVI.

*quem et convenit Episcopus*

*apud Capuam,*

*numquam avo ejus aut patri aditam,*

*sed ab ipso capta an 866.*

8 *Sed cum* XLVII *annis Fæsulanam Sedem tenuerit Donatus, nondum quo anno eam adeptus sit, quo obierit, constat, ut de Andrea ac Brigida statui certi aliquid possit. Anno* DCCCXLIV, *cum Romam venit idem Ludovicus, jam Episcopus erat Donatus, adfuitque et coronationi ipsius Ludovici, et concilio malignantium Episcoporum, qui, ut Anastasius Bibliothecarius in Sergio* II *scribit, cum Drogone Archiepiscopo Metensi,* contra hanc universalem et caput cunctarum Ecclesiarum Dei, sine Metropolitani concessione, atque vocatione, convenerant. *Qui tamen, ut deinde narratur,* Divina gratia inspirante, nec sermones ipsius almi E Pontificis, nec prudentiam superare valuerunt. Tantaque ei superna aderat virtus, ut nullus sermone eum concludere vel constringere potuisset. Et ab eo superati pudore et aperti confusione discesserunt. Quod videntes, omnem iram atque ferocitatem, quam mentibus observabant, omni modo deposuerunt. *Non potest, quod aliqui scripsere jam citati, si anno* DCCCLXVI *Ludovicum* II *Aug. convenit sive in castris ad Capuam, sive in ipsa jam capta urbe, anno* DCCCII, *nec* DCCCXVI *quidem fuisse inauguratus, cum solum* XLVII *annos sederit. In concilio, vel colloquio illo Romano, quando Ludovicus a Sergio Papa coronatus est, postremus omnium Episcoporum recensetur Donatus ; cum* Fratellus, *sive* Frantellus, *aut* Frontellus, *Episcopus Camerinensis, qui quinto ante eum loco sedisse memoratur, non ante annum* DCCCXL *factus Episcopus sit, quo anno, die* XIII *Martii S. Ansovinus ejus decessor dicitur vita functus. Unde consequens est, si ordine antiquitatis juxta usitatum morem consederint, Donatum non nisi* DCCCXLI, *aut* DCCCXLII *Episcopum esse factum, postquam pluribus annis Lothario Imp. et Ludovico Principi servivisset. His si 47 annos, quibus Ecclesiam illam administravit, addideris, sequitur non diu ante 890 Christi annum decessisse. Jam si Andreas ejus discipulus, uti certum videtur, fuit illo aliquanto* F *adolescentior, et tamen non nisi* longo confectus senio *decessit, fatendum erit fere ad 900 annum Christi pervenisse. Igitur de sororis ejus Brigidæ, quæ illi supervixit, statui ætate potest.*

*cujus et coronationi interfuerat Romæ 844.*

*non multo ante Episcopus factus,*

*atque ita mortuus circiter an 889.*

*Brigida ultra 900 vixit*

## § III. *S. Brigidæ monachismus discussus. Sepultura.*

F*ranciscus Lahierus noster S. Brigidam scribit sanctimonialem in seculo vitam apud gentiles suos egisse sive Donatum fuisse, in Italia post fratris excessum solitariam in silva pietati vacasse. Constantinus Cajetanus in Annotationibus ad Vitam S. Andreæ, ait non ipsum modo sed et Donatum quoque, ac Brigidam,* Benedictinis institutis addictos fuisse ; *et Brigidam quidem prius etiam quam in Italiam ad[ven]iret aut deportaretur,* sub monialium habitu, i[n] do[mo] paterna, vel in aliquo monasterio Hiberniæ, sanctiss[imam] egisse vitam. *Quod Colgano videtur haud [s]atis pro[ba]bile.*

*Monacham fuisse non constat :*

*Lahierus*

A *Lahierio favet præsumptio, cum nulla monachici instituti argumenta proferuntur.*

*nedum monasterium condidisse, quod scripit Dempsterus,*

10 *Minus etiam illud simile veri est, quod scribit Dempsterus :* Ut S. Andreas frater viris monasterium condidit Scopetum, ita hæc aliud mulieribus Scotis structum reliquit : verum illud Canonicis S. Salvatoris ante ccc annos cessit, unde illi Scopetini audiunt; istud ita exolevit, ut post Fæsulas a Florentino dirutas nulla memoria extiterit. Scripta perierunt. *Ita ille. Sed quo pacto repperturum se fidem sperat, si et scripta perierunt, et memoria moansterii illius a Brigida constructi penitus exolevit, cum nullum ipse testem citet? Quid quod rursus ipse secum pugnat? Nam de S. Donato agens ita scribit :* Cui magnificentissima ecclesia erecta Scopeto, ut vocant, prope Florentiam, quæ postea in Prioratum erecta est anno MCCCCVIII, ut scribit Joannes Baptista Signius Bononiensis, eo scilicet anno, quo Scopetinorum ordo per Stephanum Senensem Augustinianum instituitur, et a Gregorio XII confirmatur. *Gabriel Pennottus in historia Canonic. regular. lib. 2 cap. 52, ubi monasteria enumerat* Congregationis sancti Salvatoris de Bononia, *nu. 2 ista habet :* Quartum monasterium fuit S. Donati de Scopeto prope Florentiam, quod obtinuerunt ab eodem Martino V per suas datas V Calend. Julii anno MCDXX, cum antea esset ecclesia dependens ex abbatia S. Salvatoris de Septimo Ordinis Cistersiensis. Ab hoc loco cœperunt apud vulgus Scopetini denominari, sicut alii ab aliis locis. *An vere anno* MCDVIII *Scopeti Prioratus sit institutus a Cisterciensibus,* XII *annis post ad Scopetinorum congregationem translatus, non habemus disputare : neque Joannis Baptistæ Signii scriptos de ea congregatione libros vidimus. Inchoata est illa congregatio anno* MCDXIII *in monasterio Iliceti, sive de Silva lacus per Stephanum Cionium Senensem, uti narrat Pennottus lib. cit cap.* 51, *et Thomas Herrera in Alphabeto Augustiniano. Sed quæ institutæ anno* MCDVIII *congregationi donata est ecclesia ea non debuit diu ante ccc annos illi cessisse, ut supra statuit Dempsterus, cum a* MCDVIII *ad eum quo ipse scribebat,* MDCXXVII *Christi annum, non nisi* CCXIX *intercedunt, a quo tamen numero adhuc duodecim subtrahendi sunt.*

B

*qui et multa perperam de Scopeti cœnobio,*

11 *Verum Scopeti tumulatus necne Donatus sit, non quærimus. Andreas in Mensulana S. Martini, quam ædificaverat, ecclesia sepultus est, uti scribit Diacettus aliique. Ferrarius ibidem sepultum S. Donatum putat. At non fuit ea Scopetensis ecclesia, quod videtur Dempsterus existimasse, dum Scopeti utrumque tumulatum scripsit. Silvanus Razzius to. I. de SS. Etruriæ, in Vita Stephani Senensis, Scopetinorum parentis, scribit Scopetensem S. Donati ædem tunc eversam.*

*jam everso.*

C *A gravi auctore didicimus, mille a Florentia passibus extra portam Gattolinam extare ecclesiam Deiparæ Virgini sacram,* de Scopeto *dictam : an eadem sit quæ S. Donati nobis non liquet. Mensulana illa S. Martini et si non semel dicatur fuisse diruta, a Florentinis tamen ordinis S. Benedicti monachis denuo extructa, et consentanea censu dotata, etiamnum ab iis possidetur, fama miraculorum celebris : videtur aliquando sanctimonialium puellarum fuisse, ut ex officiis aliisque signis colligere est.*

*S. Brigidæ apud Opacum.*

12 *Monasterii a S. Brigida conditi nulla usquam mentio. Philippus Ferrarius in generali Catalogo SS. scribit eam* in loco, qui Opacus dicitur, conditam. *In Catalogo SS. Italiæ ista habet :* Tandem assiduis vigiliis, jejuniis, aliisque corporis macerationibus et annis gravata, Kal. Februarii migravit ad Sponsum, ac miraculis claruit. Cui in eodem loco apud Opacum templum constructum et dicatum est. *Hinc Colganus* Ecclesiæ Opacensis apud Fæsulas in Italia Patronam *appellat. De ea locoque exercitationis ejus et mortis ita scribit antea citatus Diacettus Episcopus Fæsulanus in præfat. ad Vitam S. Romuli aliorumque Sanctorum Præsulum ejusdem Ecclesiæ :* S. Brigida Virgo Scota, S. Andreæ soror germana, prodigioso quodam modo ad ejus decessum perducta, isthic reliquum vitæ exegit intra densum et asperum saltum, supra Fæsulas, non longe a S. Martino in Lubaco : quo loco, silvestri ac horrido, solisque tunc feris habitato, reliquam in summa austeritate vitam egit : donec extremo jam senio confecta, a supercœlesti suo Sponso ad laborum suorum præmium est evocata. Isthic deinde ob miracula ab ea in vita ac morte perpetrata, ejus nomini templum ædificatum, quod etiamnum visitur. *Hæc Diacettus. Villanus sepultam scribit non procul ab ecclesia S. Martini in Baco.*

D

AUCTORE J. B.

*aut Lubacum,*

*vel Bacum ecclesia ædificata.*

13 *Porro Fæsulæ, quod alibi diximus, urbs Etruriæ quondam celebris, sed nimium vicina Florentiæ, (tribus solum passuum millibus distat) a cujus incolis post internecina seculorum aliquot odia et bella, tandem excisa, civibus Florentiam translatis : perstat tamen episcopale nomen ac templum.*

*Fæsulæ ubi sitæ.*

# VITA

## auctore Philip. Villano
### *in Vita Italica S. Andreæ Diac.*

E

Fuit homo Dei Andreas oriundus ex insula Hibernia (quæ alio magis vulgari nomine *a* Scotia appellatur) sita in occidentali plaga ad littus Oceani; insulæ Britanniæ, quæ Anglia dicitur, ita conterminа, ut ambæ eadem insula videantur, utpote quæ uno parvo *b* freto, fluminis speciem præferente, a mari usque ad mare protenso, disterminantur. Natus fuit ex parentibus nobilissimis et multum opulentis; habuitque sororem Virginem nomine Brigidam, juniorem ætate, sed magni meriti coram Deo : quam unice diligebat, magis contemplatione *c* castæ ejus vitæ, et operum justitiæ quæ exercebat, quam naturalis consanguinitatis obtentu... *Narratis Andreæ fratris peregrinatione, miraculis, morbo extremo, monachorum convocatione, desiderio videndi sororem, subdit sequentia :*

*a* *S. Brigida nobilis Scota,*

*b*

*c*

2 Fratribus Andreæ præcepta cum lacrymis excipientibus, Divina dispositione subiit beati viri animum ingens desiderium videndi, priusquam vita excederet, sororem suam Brigidam : ad cujus præsentiam tacite suspirans, quo ferretur desiderio circumstantibus non aperuit, tanquam quod ob locorum distantiam censebat humanis viribus expleri non posse. Verum ea suspiria trahentem Dominus Deus omnipotens, qui sanctorum servorum suorum justa desideria a longe cognoscit et intuetur, ejus votis condescendendo, respexit. Nam Brigidæ, eo temporis momento apud Hiberniam in solitario loco mensæ accumbenti, et acetarium parvosque pisciculos comedenti, adstitit Angelus Domini, eamque, et mensam cui assidebat, *d* in instanti coram viro Dei Andrea ejusque Fratribus miraculose locavit. Quod evidentissimum miraculum conspicati qui tum præsentes aderant, in obsequiis sancti viri occupati, rei novitate stupore perculsi, certatim convocabant multitudinem ad tantum spectaculum suspiciendum.

*S. Andrea fratre moribundo id optante,*

F

*ab Angelo transfertur in Italiam :*

*d*

3 Brigida autem tota attonita et animo suspensa, putabat se potius visum videre, quam facti veritatem, et huc illuc volutatis in gyrum oculis circumspiciens, cum videret regionem et locum incognitum, venerandum senem in lecto juxta decumbentem, homines inassueti et peregrini cultus et habitus, velut animo consternata, totaque pavefacta, hærebat mente suspensa. Quod in spiritu cognoscens Dei famulus Andreas placido sermone sororem compellans; Brigida, inquit, soror carissima, animadvertentem me finem instare vitæ meæ ingens desiderium incessit,

*eo miraculo turbata,*

A incessit, te coram intuendi. Et fons misericordiæ et caritas immensa, Deus, dignatus est, sicut tu vides, annuere votis meis et indulgere mihi peccatori quod magnopere optabam. Nihil igitur vereare; nam ita placuit Divinæ voluntati, ut fratrem tuum carnalem Andream, quem dudum vita excessisse putasti, in hoc ultimo agone versatum intuereris, sperantem per tua præsentis merita Creatorem omnium habiturum me propitium. In loco hoc a patria terra nostra procul dissito, ego imbecillis pugnator et miles dies meos consummavi; et tu similiter tuos consummabis, reliquum militiæ meæ asperitate vitæ et penuriæ angustiis suppletura. Jam vero Divinæ innixa misericordiæ pavorem omnem panicum depone, animoque sis tranquillo, secura nihil te jam, nisi quæ verissime aguntur, videre vel sentire; et pro me, quæso, cujus dissolutionis instat hora, cum timore Dei et spiritus fervore, communem Dominum deprecare.

*AUCTORE PHIL. VILLANO.*

*confirmatur a fratre,*

*ejusque precibus commendante*

4 Ad hæc Brigida, quasi ex alto evigilans somno, in se reversa, magna jam devotione et mentis teneritudine in lacrymas resoluta, fratris manus arcte complectitur, tenerrime exosculatur, nimio interim lacrymarum imbre singultibus permixto sermonem interdicente. Cumque ultra horam hujusmodi fletum et suspiria traxisset, ingenti afflicta mœrore, tandem B flexis in terram genibus, in hæc verba prorupit: Omnipotens Deus, qui solus facis mirabilia, cui cœlorum serviunt potestates, elementa obediunt, et omnis creatura subjecta est, tibi laus sit et benedictio, honor et gloria, qui dignatus es ancillæ tuæ adeo insigni miraculo concedere fratrem suum præsentem intueri. Ad fratrem subinde conversa; Piissime, inquit, germane, fidelis pridem et optime moderator et custos juventutis meæ, adgratulor sorti tuæ, tecumque lætor et lætabor, durante hoc brevissimo spatio, quo mihi indultum est te videre, quanquam magnopere languoribus tuis compatiar, tantoque vehementius, quanto liquidius videam decessu tuo me privatam iri in hac misera vita, sancta conversatione tua, qua destituta deinceps afflicta et desolata degam. Nihilominus gaudium mihi in Domino accumulant, et festum diem exhibent, impressa a te laudabilium operum sanctarumque actionum vestigia, relictaque monumenta; quorum intuitu, procul dubio, in Christo feliciter obdormisces. De qua ego re nihil ambigua, quin imo maxime secura, non prætermittam in hisce locis, ad quæ Angelica me virtus invexit, quamdiu lucis hujus usura donabor, vestigiis tuis in exercenda pœnitentia insistere, quantum infirmitas vitiatæ carnis meæ sustiC nere poterit, et superna gratia largietur; adjuta tamen, germane dilectissime, sanctis precibus tuis, qui femineæ fragilitati virile robur, quo firmetur, adjicies. Tu vero macte jam animo, et in sancta cruce ac crucis hostia Christo confortare, et, quibus hactenus assuevisti, invictum spiritus vigorem, inconcussamque fortitudinem, in hoc ultimo, quo versaris, agone majoribus argumentis exprimito.

*Deo gratias agit*

*fratrem solatur*

5 His aliisque similibus sororis sanctæ colloquiis et exhortationibus, Dei famulus Andreas haud mediocriter consolatus, flexis in durissimo quo jacebat grabato genibus, levatis manibus, fixisque in cœlum oculis, sorori et Fratribus supremum vale dixit; deinde ad Christum conversus, Domine, inquit, Jesu Christe, Redemptor meus, suscipe spiritum servi tui: et his dictis statim expiravit. Soror autem et Fratres, qui tum præsentes ejus transitum præstolabantur, viderunt circa Dei famulum clarissimum splendorem, quem inconniventibus oculis intueri non poterant, D extemplo effusum, suavissima insoliti odoris fragrantia, quæ totam mox domum implevit associatum, qui paullo post una cum sancti viri anima in cœlum, unde dilapsus erat, se recepit........ *agit hic Auctor de tempore quo vixit Andreas, tum ista subdit.*

*eo, non sine miraculis, mortuo,*

6 Fuit et alia Brigida inter Scotos, singularis sanctitatis et vitæ illustris, et multorum gratia miraculorum celebris, *e* anno gratiæ DV, et XX Joannis Papæ primi, imperante Justino Constantinopoli, et Roma Theodorici Ariani imperio miserabiliter afflicta. Ea autem Brigida in Hibernia obiit, in cujus reverentiam plures existimo decursu temporis fuisse, præcipue in ea, qua jacet, insula vocatas Brigidas: quarum una fuit hæc Andreæ soror, de qua antea feci, et deinceps facturus sum sermonem. Igitur junior hæc Brigida S. Andræ soror, fratre vita perfuncto, rigidioris pœnitentiæ studio, fugiendique illorum consortia, qui secundum seculum vivunt, secessit infra Fæsulas in eremi cujusdam, siti ad radices Alpium, asperrima præruptaque tesqua, a feris tantum habitata: ibique fructibus contenta agrestibus, herbarumque radicibus, vitam in magna austeritate ad decrepitam usque ætatem traduxit, pene omnium interea mortalium subducta conspectui et cognitioni. Cui cum adjacentis arvi cultores si quando venandi causa eosdem impervios saltus pervagantes in ejus speluncam incidérent, quidpiam ex iis quæ venatu prehendissent, offerrent, illa continuo velut superfluum recusabat. E

*e*

*secedit in eremum,*

*ibique austere vivit*

7 Appropinquante tandem ejus vitæ termino, Dei instinctu multæ matronæ et viri sanctæ vitæ eam frequentabant, eique serviebant, donec senio demum, et multa ætate confecta, felicis vitæ cursum absolvit. In cujus honorem vicini, quibus in magna reverentia et veneratione fuerat, ecclesiam sub ejus nomine erexerunt in prærupto quodam illius montis loco, haud procul distante ab eo quem Piave S. Martini in Baco appellant; ibique ad hunc usque diem natalis ejus annua festivitate recolitur. Erant per id tempus loca illa aspera, horrida et inculta; sed postmodum coli cœpta a circumjacentium locorum colonis, pulchra et populosa miraculose evaserunt. Qui volet plenius scire gratias et virtutes, quas per hanc ancillam suam seu vita functam seu defunctam operatus est Deus, legat quæ de vita et morte illius sancti viri litteris commendarint.

*moritur templum erectum:*

*eremus illa deinceps culta.*

a Ita S. Isidorus lib. 14. Originum cap. 6. Scotia, eadem et Hibernia, proxima Britanniæ insula, spatio terrarum angustior, sed situ fecundior. Hæc ab Africo in Boream porrigitur, cujus partes priores Iberiam et Cantabricum Oceanum intendunt. Unde et Hibernia dicta: Scotia autem, quod a Scotorum gentibus colitur, appellata. *Sic et Beda histor. Eccles. gentis Anglor. lib. 1 cap. 1 de Hibernia loquens:* Hæc autem proprie patria Scotorum est. — b *Hallucinatur auctor. Fretum illud, quod Britanniam inter et Hiberniam jacet, latum est ac turbidum. Si Scotiam intelligit Britanniæ regionem, quæ nunc sola Scotiæ retinet nomen, estque pars Britanniæ Septentrionalis, Pictis olim possessa, nusquam illa freto a Britannia plane sejungitur.* — c *Laherius noster scribit, ante fratris e Scotia discessum, seculari more vitam egisse, (ut quæ necdum virginitatem perpetuam colere statuisset) semper tamen intra honestatis limites: postea autem, omni vestium luxu abjecto, modesto deinceps cultu usam earum vita Virginum quæ sanctimoniæ sese in seculo devoverunt, votoque castitatis nuncupato, in pietatis virtutumque ceterarum studium sedulo incubuisse. Sunt illa quidem verisimilia: sed a quo prodita auctore?* d *Probabilius est fortasse, quod idem tradit Laherius, divinitus edoctam, fratrem propediem migraturum e vita, illico ejus invisendi studio profectam e patria, summaque usam celeritate, Fæsulas tempori appulisse, ut morienti adesset.* — e *De S. Brigida e senioris ætate supra egimus. Quæ hic dicuntur, invicem non congruunt. Nam 505 Christi anno neque imperabat Justinus, neque Joannes Ecclesiam regebat: verum hic an. 523 Pontifex creatus, 526, mortuus Ravennæ in carcere, ut perperam 20 illius annus consignetur. Brigida vero sub Hormisdæ pontificatu mortua est. Justinus imperium capessivit an. 518 9 Julii, tenuitque ad 1 Aug. 527. Theodoricus regnavit in Italia ab anno 493 usque ad 2 Septemb. 526.*

*Scotorum patria Hibernia.* F

*S. Brigida cur devota?*

DE

A D

*Circa an. M. 1 Febru.* — *Auctore J. B.*

# DE SANCTO EPISCOPO BELGA ANONYMO,

## CHAMI IN HELVETIA.

*J. B.*

*Chami in Helvetia*

Tugiensis est Helvetiorum pagus, sive Conton, Lucernates inter et Tigurinos, ubi et locus ejusdem nominis; quod factum utrique a Tugio, vulgo Zug, oppido in ejusdem lacus ora sito. Ad eumdem jacet, ac Tugio subest, Chamum vicus, quondam, S. Andreæ vocabulo insignitum, oppidum. In hujus parochiali templo sepulchrum visitur e quadrato lapide, supraque id Episcopi effigies, cum pedo, tiara sacroque reliquo cultu. *sepultus sanctus Episcopus*

2 Henricus Murerus Carthusianus in Helvetia sancta, ubi de sanctis agit diœcesis Constantiensis cap. 9 illud se an. MDCXXXV visitasse sepulchrum scribit, ac Sancti patrocinium flagitasse, istaque ab loci Curione de eo Sancto accepisse: Circiter annum fortassis M (neque enim certam temporis notam extare) venisse eo e Belgicis oris Episcopum, *Belga,* unico comitatum famulo aut Presbytero, Romam ad sacra loca veneranda tendentem. Sed hectica, qua laborabat, et labore molesti per montuosa illa loca itineris, debilitatum, Chami substitisse, *hectica mortuus* B dum vires modica quiete reficeret. Die quodam templum petiisse, ut sacris operaretur. His peractis, dum populo impertiri benedictionem parat, et lustralem aquam de more aspergere, ante altare humi prolapsum, *post sacrum,* sacris adhuc vestibus, uti Missam fecerat, amictum exspirasse; inque eo templo honorifice tumulatum. Minime quidem dubium esse, quin Presbyter, seu quisquis ejus itineris comes erat, priusquam inde abscederet, indicarit, aut etiam scripto tradiderit, defuncti nomen, patriam, Episcopatum, virtutes, et quæ alia scire operæ pretium esset; omnia tamen abolita oblivione, *ignoti nominis:* sive oppidanorum negligentia, sive iterato templi oppidique incendio, quo scripta, ac miracula, ceteraque monumenta antiquitatis perierint.

3 Ceterum quia animadverterant populares, pium ac sanctum virum fuisse, et hectica extinctum, cœperunt in suis suorumque morbis, hectica præsertim febri ac phthisi, et maxime puerorum, Sancti illius invocare opem, sepulchrum visere, donariisque et anathematis honorare: *is contra hecticam et phthisim invocatur a peregrinis,* multique sanitatem ejus auxilio recuperarunt, et recuperant etiamnum in dies. Concurrunt namque ad Sancti sepulchrum, tradito a majoribus ritu, quamplurimi: neque Catholici solum, sed qui Evangelici dicuntur, *etiam heterodoxis,* deportantque eo liberos suos tabe laborantes, ac divinam opem per sancti Antistitis merita implorant, impetrantque. Neque fere per totum annum dies est ulla, qua non aliqui ex propinquis ac remotis locis eo ventitent, *quotidie:* ægrosque pueros apportent, et sancti Episcopi tumulo imponant; quibus Curio hanc cæremoniam adhibet. Asservantur adhuc sacræ ex vestes, quibus fama est Sanctum indutum ultimo Missam celebrasse, ac mortuum esse, sed alio nunc tectæ panno. *ejus reliquiis,* E Ex ægris flectentibus genua, aut, si parvuli sunt, uti dictum est, supra tumulum collocatis, imponuntur: intereaque super eos recitat Sacerdos pias quasdam precationes atque Evangelium.

4 Hæc porro omnia, aliquot retro seculorum usu eventisque mirabilibus probata, non Chamenses solum, sed omnes vicinorum oppidorum ac pagorum incolæ, Ecclesiastici ac seculares, unanimi calculo testantur, ad Sancti nimirum illius tumbam, ossa, vestes, innumera quotidie fieri miracula. *miracula testata.* Hæc fere Murerus.

# DE B. WOLFHOLDO PRESBYTERO,

## HOHENWARTI IN BAVARIA.

*J. B.*

*Post an. MC. 1 Febr.*

Summontorium, vel Alta-specula, *inquit Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ,* Germanice Hohenwart, celebris olim arx Comitum Taurensium (qui inter Halam et Oenipontem antiquitus habitantes, ab hac arce Comites C quoque de Alta specula, vel Hohenwartenses dicti, *Hohenwarti in Bavaria* arcem etiam Schrobenhusianam condidisse perhibentur) nunc vero monialium Benedictinæ professionis, et Augustanæ diœceseos, elegans, in amœnissimoque monte ad Parrium fluviolum, fundatum et ex arce in oratorium, ex domo venationum et voluptatum in precationum et honestorum studiorum domum, conversum est a Rapothone Comite de Tauris, ejusque conjuge Hemma. *Eadem fere habet Matthæus Raderus noster to. 2 Bavariæ sanctæ in B. Richildis Vita: eadem Wiguleus Hundius to. 2. Metropolis,* in Hohenwart; *et Christophorus Gewoldus. Andreas quoque Brunnerus noster Annal. Boior. to. 3 lib.* 11 § 6 *narrat Rapatonem,* castrum gentilitium, *quod olim Summontorium.* quod familiæ nomen dedit, et haud dubie inter vetustissima est, quæ ostentare Boica possit, in parthenonem versum studiis sanctioribus consecrasse. *Addit,* stetisse illud Romanis etiamnum in Vindelicia rerum potientibus, clarum Summontorii nomine. *Aventinus* Summontorium, et Hochovartum *vocat lib.* 2 *Annal Boior. atque* vicum esse et cœnobium fæminarum, olim arcem munitissimam.

2 *Idem testatur,* multa hic Divorum ossa condita esse, *quæ Bruschius et Hundius tradunt,* certis temporibus magna veneratione ostendi solere. *Præter alia nobis ignota, corpus isthic B. Richildis Virginis asservatur, qua de agemus 22 Aug. inque eodem tumulo ossa nonnulla S. Julianæ Virg. ac Mart. e S. Ursulæ sodalitio: corpus præterea B. Wolfholdi Presbyteri, cujus Vitam ex chartis Summontorianis et Schirensibus describit Raderus.* *colitur B. Wolfholdus Presb.* F *Ætatem ejus non exprimit; solum vixisse post an.* MC *scribit: quippe qui ad eam ædem habitaverit, anno (ut traditur)* MLXXIV *dedicatam cujus præcipuus fundator Ortholphus Comes, Rapotonis filius, in Syriam cum Godefrido Bullonio an* MXCVI *Boicas aliquas copias duxit.*

### VITA AUCTORE MATTH. RADERO

*Soc. Jesu.*

In æde Summontorii magna religione colitur Kal. Febr. Wolfholdus, sacris majoribus initiatus. Propter B. Richildis sacellum ad latus, sepulchrale saxum extat alæ templi affixum, intra quod conditus est B. Wolfholdus, qui ad ædem hanc sacram olim coluit, magnaque cum virtute vixit, solitus nulla non nocte surgere, limina templi petere, per apertas divinitus portas intrare, regredique post vota, valvis sponte post divini viri egressum coeuntibus. *Quot noctibus templum adit, valvis ultro apertis:* Quo nomine, eodem cum Richilde cultu populum ad tumbam supplicem habuit, quamvis nec ille, nec ista solenni ritu in censum Beatorum venerit, pri-

A vata singuli gentis suæ veneratione contenti. Extat hic de illo pervetus epitaphion :

*AUCTORE I. B.*

Hic est defunctus Wolfholdus in ordine functus.
Laus patet exempli, quam produnt ostia templi,
Vera Sacerdotis dans concordantia votis,
Crebro firmata prece Petri sunt reserata.

*mortuus claret miraculis :*

2 Medelæ corporum a D. Wolfholdo variis post mortem annis passim factæ ad me perscriptæ sunt, ex quibus unum dumtaxat exempli caussa, nam id mei instituti non est, exponam. Anno CIↃCCCXCII VI Idus Septembr. in oppido Summontoriano, vestium concinnator, e vico Seibolstorf oriundus, Stephanus, cui opificium cognomen dedit, intra vesicam gravi calculo tortus immensum cruciabatur, ut nusquam conquiesceret. Cum jam extreme decumberet adeoque vitam desperaret, vocati ad curationem chirurgi, negarunt se manus homini id ætatis (nam annis jam gravis, et natu grandis erat) admoturos, nisi se æger pro mortis victima offerret, et sibi mors ejus non fraudi foret. Anxius hac denuntiatione Stephanus, tamen vi doloris adactus, se in eorum potestate fore promisit, quidquid Numen de se decresset. Ergo illi in alterum diem bene mane affuturos promittunt, pro ipsius salute et sua facultate ultima tentaturi. Æger metu prope exanimatus per noctem B in somnis æstuabat, et imminentis diei periculum semper velut ob oculos versabat. Tandem et dolore exhaustus, et metu pavens Deum infimis precibus adit, votumque suscipit, se, si ex tantis malis cruciatibusque, et ultimo vitæ periculo liberetur, nudis poplitibus per montem ad cœnobium adrepturum, Deo Divisque, quorum sacri cineres ubi colerentur, gratias, quantas animus possit capere, dicturum. Hæc maxime meditantem, sub intempestam noctem

*cuidam calculo laboranti,*

somnus, non tam a natura quam cœlo immissus, D opprimit, in quo hæc ægro species objecta. Venerandа facie Presbyterum, duabus comitatum Virginibus, ad se ingredientem spectat. Virgines mitris, tamquam regiis coronis, ornatas credebat : quarum altera religioso cultu apparebat. Sacerdos compellare visus decumbentem, rogareque an curari velit ; Ille, Enimvero, venerande Pater, vides ; immanes cruciatus et tormentum infelicis? Si quid potes, adjuva, quæso : beneficii memoriam, dum vixero, ponam numquam. Sed qui sis, edere ne graveris. Ego, inquit, sum Wolfholdus hoc loci olim Curio, quem Hebdomadarium dicunt, et in latere templi quiesco humatus; e cœlo ad te curandum missus, uti mei quoque mortales, inter Divos alios, quorum reliquiæ hic custodiuntur, sint memores, meque inter illos juxta venerentur. Virginum quas coram spectas, altera est S. Richildis, altera Juliana, quæ uno tumulo clauduntur. His deinde Wolfholdus præcipit, uti Stephanum tantisper revinctum teneant, dum ipse saxum e visceribus ægri eximat, exemptum tradit Stephano in manus, admonito, ut votis reus se promissis exolvat ; et cum Virginibus disparet. Stephanus excusso somno exemptum calculum bene magnum in dextra reperit, uxorem vocat, beneficium Divinum cum ingenti gratulatione prædicat, ipse E sanus, attonitis postridie chirurgis, ad montem, habitu quo receperat, adrepit, votum exolvit, et Wolfoldi sacrarumque Virginum laudem gloriamque haud parum, assidua prædicatione illustrat. Plura ejusdem generis prætermitto. Hoc ad memoriam D. Wolfoldi renovandam in præsens satis, ut ægri medicum, ad quem recurrant, non ignorent.

*in somnis apparet cum SS. Richilde et Juliana,*

*et calculo exempto, sanitatem restituit.*

# VITA S. JOANNIS DE CRATICULA,

## EPISCOPI MACLOVIENSIS IN GALLIA,

## Ex variis collecta.

*J. B.*

### CAPUT I.

### *S. Joannis natalis. Vitæ institutum.*

*ANNO CHRISTI MCLXIII 1 FEBRU*

Ultimus *Ecclesiæ Alethensis in Britannia Armorica Antistes, primusque Macloviensis, Joannes de Craticula fuit. Hunc, ut scribit Jacobus Sirmundus noster in Notis ad Petri Cellensis epist.* 15 *lib.* 1 Macloviensis ut Sanctum venerantur, C inditoque a clathris ferreis, qui tumulum ejus ambiunt, cognomine, S. Joannem de Craticula vocant. *Joanni Chenu in Catalogo Epp. Macloviensium, S. Joannes* du Gril *appellatur Cl. Roberto in Gallia Christiana,* B. Joannes de Craticula, de la Grille, vel du Gril. *Eum ut publicis sacris honorari fas esset, etsi nondum solemniter in Sanctorum tabulas relatum, a Leone* X *Pont. Max. obtinuit Dyonisius Brissonettus Macloviensis Episcopus, vir sanctissimus, Francisci* I *Galliæ Regis legatus ; qui ut coli etiam publice quoquo modo B. Veronica de Binasco Mediolani in cœnobio S. Marthæ posset, apud eumdem Pontificem peregit, uti ex hujus Bulla liquet, quam* 13 *Januar. ante ejusdem Divæ Vitam edidimus.*

*S. Joannes cur de Craticula dictus*

*publice colitur*

2 *Colitur Joannes ab Ecclesia Macloviensi officio duplici, ut vocant, cujus Lectiones infra recitabimus,* 1 *Febr. non* 3, *uti scripsit Gaspar Jongelinus lib.* 1 *Notitiæ Abbatiar. Ord. Cisterc. Albertum Magnum du Morlaix perperam citans, cum hic* 1 *Febr. referat, uti et Andreas Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani, ubi hoc eum prædicat eleganti elogio.* Maclovipoli in Armorica S. Joannis Episcopi, cognomento a Craticula : qui Ordinis Cisterciensis digna proles, Sanctique Bernardi meritissimus discipulus, cum mundi gloriam instantius fugeret, latere magis cuperet, erumpentibus multiplicis gratiæ, qua illustratus erat, luminibus, a vidua Alethensi Ecclesia expetitus est in sponsum et pastorem, jubenteque Cælestino II Summo Pontifice, invitus licet, eam ad Cathedram evectus, eis illam splendoribus sanctimoniæ, zeli Apostolici, doctrinæ, et omnis virtutis Pontificæ irradiavit, quibus perpetuum sancti sui nominis decus indidit. Hunc siquidem beatum Præsulem Petrus Cellensis ille Abbas, qui F Antistes postea extitit Carnutensis, lateratorum piorumque decus sua ætate non minimum, directis ad eum apicibus, serio deprædicat, fuisse alterum sui temporis Heliam : Episcopum autem extitisse commemorat, instantia laborum, sollicitudine Ecclesiarum, compassione afflictorum, reconciliatione dissidentium, perpetuo æstuantem. Quem et religionis augendæ, destruendæ impietatis, profligandæ injustitiæ, ut vero afferendæ sacræ disciplinæ fuisse enixe sollicitum, propriæ ejus indicant litteræ, plenum pietatis animum spirantes, quas misit ad Eugenium III Papam pro S. Genovefæ Parisiensis Ecclesiæ conservanda feliciter inita reformatione. Quo et studio, ut ipsa cui præsidebat Ecclesia Alethensis, incommodo situ constituta, melius componeretur, et securius in sincero Dei famulatu insisteret ; hanc ex ipsa Aletha, exili ac parum tuta civitate, ad insulam Aaron transtulit : ubi nunc Episcopalis est sedes, et ampla civitas S. Maclovii nomine insignita. Non est facile sancti hujus Pontificis merita recensere, quibus Dei gloriam, et Christianæ reip. commoda promovere institit. In memoria æterna habetur

*Febr.*

*Episcopalibus virtutibus præditus,*

*Ep. 15, lib. 1*

*quas alii laudant,*

*ipse in litteris prodit,*

*Sedem transfert Maclovium.*

A betur nomen ejus, quod divinis splendoribus clarificatum, Macloviensis ipsa Ecclesia exploratæ sanctitatis honoribus prosequitur. Nam hac die festum ejus solenni officio celebrat sub titulo Pontificis Confessoris : quem ideo cognominavit a Craticula, quod erumpentibus ex ejus tumulo signis supernæ virtutis, apposita sit venerationis ergo sepulcbro ejus craticula, cujus adminiculo a sordibus incedentium, tantæ sanctitatis loculus servaretur immunis.

3 *Hæc Saussaius. Sed quædam enucleatius illustranda. Cisterciensem monachum fuisse Sirmondus quoque in citatam Pet. Cellensis epistolam, et Officia* *an Cisterciensis Ordinis?* *Macloviensia testantur, uti et Albertus ac Jongelinus. Mirum est, neque Hugonem Menardum, accuratum scriptorem, in Martyrol. Benedictino, in quo et Cistercienses merito recenset, Sancti hujus meminisse ; neque Chrysostomum Henriquez in luculento suo Menologio Cisterciensi, neque Arnoldum Wionem in ligno vitæ, præsertim lib. 2 cap. 37, ubi ex Alethensibus Episcopis solum S. Maclovium, sive Machutum, Ordini Benedictino vendicat ; quo jure, alibi videbimus. Neque Cisterciensem fuisse Joannem ex Petri Cellensis ep.* 16 *lib.* 1 *satis probari potest, ubi ista habet :* Miror vos scripsisse destitutum patrocinio sanctissimi patris nostri B Bernardi. *Non enim magis inde sequitur, Joannem Cisterciensem fuisse, quam ipsum Petrum, qui Benedictinus erat. Neque id Nicolaus Clarævallensis (qui extat to.* 12 *parte* 2 *Bibliotheca PP.) ullo signo innuit, sive in epistola* 13 *Henrici monachi nomine scripta pro Joanne ad S. Bernardum, sive in* 41 *sub persona Rualeni Prioris. Quid, quod ipse Joannes, ibidem ep.* 21 *contrarium videtur non obscure significare? Scribit enim ad ipsum S. Bernardum :* Hinc est, quod inter vestros Clarævallenses positus expecto consilium vestrum, tanquam consilium Dei. *Non hic suos fratres vocaret? non suam illam Bethlehem, quæ ei vitæ sanctioris præbuisset cunabula aliter indicaret?*

4 *Nam quod Albertus scribit, atque ex ea Jongelinus,* *an Begarii Abbas?* *Begario, sive Begardo monasterio, in diœcesi Trecorensi, an.* MCXXX *munificentia Stephani Comitis Penthevrensis, ejusque conjugis Hawisiæ, fundato, Abbatem fuisse præfectum hunc nostrum Joannem ; haud satis id nobis persuadetur. Est* Begardum, *sive* Putrida silva, *ut scribit Jongelinus,* filia Eleemosynæ, de linea Cistercii, *ut loquuntur : quomodo igitur illi Abbas datus e Claravalle, ubi Joannem tirocinium religiosæ vitæ sub S. Bernardo posuisse scribit Albertus?* *an Busaii an.* 1135 *fundati,* *Hinc deinde evocatum ad regendum Busaium sive Buzeium, quæ filia est Clarævallis, idem tradit. Fundavit hoc cœnobium Conanus* III *Dux, rogatu matris suæ Er-* C *mengardis, aut hæc ipsa fortassis, filio annuente. Fuit ea religiosissima femina, atque in Rhedonensi parthenone monasticum quoque habitum suscepit. Extant ad eam duæ S. Bernardi epistolæ,* 116 *et* 117, *ita inscriptæ :* Dilectæ in Christo filiæ suæ Ermengardi ; quondam eximiæ Comitissæ, nunc humili Christi ancillæ, Bernardus Abbas Clarævallis, pium sanctæ dilectionis affectum. *Petrus Baudus historiæ Britannicæ cap.* 25 *scribit ex Claravalle accersitos monachos, venisse Nannetes in pervigilio SS. Petri et Pauli ibique honorifice exceptos : horum præsulem fuisse Nivardum (quem Vuardum appellat, mendo forte librarii) S. Bernardi germanum, Claravallensem tunc Priorem : huic abbatiam eam collatam a Conano ac matre. Haud diu tamen eam videtur Nivardus administrasse, qui octavo post anno in Hispaniam missus, Spinæ cœnobium condidisse traditur, sumptum præbente Sancia Alfonsi Imperatoris sorore, ad quam scripta a S. Bernardo epis-* *ab alio Joanne administrati?* *tola* 301. *Busaio vero Joannes præfectus, qui deinde illius regimine relicto in solitudinem abiit, unde eum Bernardus ep.* 232 *nititur revocare. Joannem illum, nostrum hunc fuisse, Begario ab Ermengarde evocatum scribit Albertus, non probat ; eo minus, quod in* D *Chronologia fœde vel ipse hallucinatur, vel librarius ; dum fundatum ait Busaium* XVI *Jun.* MCXXXVI *et quatuordecim ipsos annos a Joanne administratum, qui tamen anno* MCXL *Alethensis Episcopus sit factus.* *AUCTORE J. B.*

5 *Augustinus Pazius, Cl. Robertus, Baudus tradunt Joannem, cum ad Cathedram Alethensem vocatus est, fuisse Guengempi, sive Guincampi, Abbatem cœnobii* *Abbas Guengempi Canonicor. regular. fuit,* *sanctæ Crucis Canonicorum regularium. Unde consequi videtur Cisterciensem non fuisse : neque enim horum relicto instituto, in ipsis prope sanctissimæ Congregationis incunabulis ad aliam religionem videtur vir gravis ac sanctus temere transiturus fuisse. Albertus fatetur cœnobii illius sanctæ Crucis Joannem Abbatem extitisse, sed cum jam Episcopus esset, ejusque paullo post curam in Moysem transtulisse. At Stephanum* III *Eudonis an,* *ante episcopatum.* MLXXIX *mortui filium, tradunt Pazius et Bertrandus Argentræus an.* MCXXXVIII *decessisse, Baudus* MCXXXVII, *aut initio fortasse sequentis, quod juxta istorum temporum epocham, qua annum Franci a Paschate inchoabant, debuisset ad præcedentem referri. Qui saltem potuit Stephanus fundationi illius monasterii adfuisse, cum jam Episcopus esset Joannes, ea dignitate an.* MCXL *ornatus, si biennio ante obierat? Henricum Stephani filium scribunt Baudus ac Pazius adhuc puerum fuisse, cum ejus cœnobii jacta sunt fundamenta, atque in ea primum* E *lapidem, parentum hortatu suis humeris tulisse. Non erat certe puer, cum Joannes Episcopatum adiit, ut ex iis patet, quæ iidem auctores commemorant, et nos infra verbo attingemus. Quid ergo? an fortassis a Canonicis ad Cistercienses transiit Joannes, et cum annis aliquot sanctæ Crucis cœnobio præfuisset, id Moysi commisit, ac Begariense ipse ædificavit ac rexit? Eam quæstionem libenter peritioribus relinquimus.*

## CAPUT II.

### *S. Joannis episcopatus. Sedes translata.*

I*dem in S. Joannis exponenda ætate secum ipse pugnat Albertus, scribit enim obiisse anno Christi* MCLXX ; *cum Ecclesiam suam annis* XXX *administrasset, vixisset* LXVIII. *Unde conficimus an.* MCII *esse natum. Atqui idem* *Quando natus?* *antea retulerat an.* MXCVIII *natum fuisse : nisi aliter tamen scribere voluit, cum addat natum sub Paschale* II *Papa, qui non nisi an.* MXCIX *Augusto mense creatus est. Sed mox eamdem suam Chronologiam confirmat, dum asserit anno ætatis* XXIII, *Christi* MCXXI *monachum esse factum. Baudus quoque histor. Britan. cap.* 1. *scribit ex veterum Chronicorum fide, circiter annum* MCLXXII *sedem esse Aletho a Joanne translatam : cap.* 26 *haud satis eorum, quæ ante scripserat, memor, ait Joannem decessisse an.* MCLXIII. *Eodem anno* MCLXIII *Joannem* F *Pazius affirmat obiisse. Prius certe translatam Sedem, ex iis quæ infra dicentur patebit, cum ad S. Bernardum, qui an.* MCLIII *obiit, de iis quæ illam ob caussam a Majoris-monasterii monachis perpessus est, epistolam dederit Joannes.*

7 *Tradit idem Albertus, Joannis parentibus mediocres* *quo genere?* *fuisse facultates : ipsi promptum ingenium capaxque disciplinarum, quamobrem exiguo tempore egregios eum in litteris progressus fecisse. Baudus cap.* 26 *scribit,* *egregie doctus,* admirabili scientia præditum fuisse. *Petrus Cellensis de eo, ep.* 15 *lib.* 1 : est ei litterarum peritia multa. *Mox tradit Albertus annos natum* XXIII *Cisterciensium habitu in Claravalle indutum, ac monasticis disciplinis institutum ab ipso S. Bernardo ; ab hoc missum an.* MCXXX *in Britanniam ad Stephanum Comitem, Begarium in Trecorensi diœcesi, tribus a Guincampo milliaribus fundasse ; dein Busoium an.* MCXXXVI *in diœcesi Nannetensi. Quæ jam breviter discussimus ; discutient plenius Cistercienses, atque eum vel sibi certioribus testimoniis vindicabunt, vel Canonicis regularibus relinquent, nil alieni cœtoris egentes, qui propria ita multipliciter niteant. Probabilius est, ut jam ostendimus, ante-*
*quam*

AUCTORE J. B.

A *quam episcopatum Joannes susciperet, conditum a Stephano Panthevurensi Comite, et Hadevisia, sive Havoisia, aut Hovisia, ejus conjuge, monasterium Canonicorum regularium Guenguempi, sive Minguempi, aut Guenkampi. Lapidem primum in hujus fundamenta jaciendum, Henricus ipsorum filius, (non tamen primogenitus, ut vult Albertus) admodum adhuc adolescens, humeris suis, piorum parentum hortatu, gestasse traditur. Huic Abbas præfectus Joannes: dein eo ad episcopatum evecto, Moyses, Havoisiæ Comitissæ Capellanus, ut Baudus et Pazius scribunt.*

*fit Guengempi Abbas,*

8 *Cum Benedictus* III *Episcopus Alethensis, quem Cl. Robertus testatur ex quopiam instrumento S. Nicolai Andegavensis, adhuc in vivis fuisse an.* MCXL *decessisset, subrogatus est religiosissimus Abbas noster Joannes, uti habent Robertus, et Pazius. Albertus an.* 1140 *ait contigisse: Saussaius supra, sub Cœlestino* II, *qui sedit a* 25 *Sept.* 1143 *ad* 8 *Martii insequentis. Is deinde, quod Aletha urbs antiqua, inde a Romanorum temporibus, ut ex Notitia imperii patet, celebrata, superioribus bellis fortasse labefactata, non satis adversus novos motus, quos Stephani Panthevurensis filii aliique identidem excitabant, secura videretur, minus certe jam frequens esset, inde pontificii sui Sedem, probante Conano Duce, in vicinam urbem situ loci munitiorem ac*

*dein Alethensis Episcopus,*

*Sedem transfert in insulam Aaron;*

B *plurimo populo jam tum habitatam, transtulit. Est ea in peninsula vicina, quæ olim* Insula Aaron *dicebatur, propterea quod S. Aaron Britannus exule quoddam monasterium isthic inhabitaverit, ut* XXII *Junii ad ejus Vitam diximus, et* XV *Novemb. ad S. Machutem sive Machuti, a quo nunc* Maclovinpolis, *sive* Maclovii civitas, *vulgo* S. Malo *appellatur. Extant in vico* Guic-Aleth, *sive corrupte* Quidaleth, *veteris Alethæ vestigia, uti* XIII *Januar. ad S. Enogati Ep. Vitam diximus. Agunt de hac translatione plerique Britannicarum rerum scriptores.*

9 *Erat in ea insula tunc ecclesia, S. Vincentio dicata, quam (ut auctor est Albertus) Benedictus II Episcopus Alethensis Guilielmo Majoris Monasterii apud Turones Abbati an.* MCVIII *donaverat, ratamque eam esse donationem sanxerat Paschalis* II *Papa. Cum hanc igitur ecclesiam Cathedralem sibi delegisset Joannes, ut sanctior in ea esset morum ac puriolis disciplina, Canonicos regulares in eam induxit, ejus instituti, quod in S. Victoris cœnobio Parisiensi tunc vigebat.*

*quo et Canonicos regulares inducit:*

## CAPUT III.

### *S. Joannis in adversis patientia.*

Q*ua ratione ea occupata a Joanne ecclesia sit, quaque auctoritate, ejus possessione dejecti Majoris-monasterii monachi; an Romani Pontificis, legitime de jure partis*

C

*utriusque edocti consensus accesserit, nobis haud liquet. Gravissimæ certe hinc lites exortæ, egregie Joannis patientiam exercuerunt, protractæ ad annos complures, vario, ut ex Nicolai Claravallensis litteris apparet, eventu. Res commissa a Pontifice Episcopis Gallis. Ab horum sententia ad Pontificem, S. Bernardi consilio, provocavit Joannes. Non aliud sanctius in orbe tribunal, certiusque innocentiæ perfugium. Contingere tamen nonnumquam potest, ut, seu subdolis adversariorum sermonibus, mollitis super oleum, seu nonnullorum ministrorum cupiditate aliqua aut invidia, vel non statim audiantur qui æquum postulant, vel diutius quam vellent, differantur. Ipsa etiam exactissima justitiæ ratio et ordo, rerumque agendarum multitudo, moram affert, quam ceu iniquam gravantur quandoque, etiam zelo divino præditi homines. Id quod Joanni nostro evenit, cujus etsi patiens erat caritas, non omni tamen tædio ac molestia semper caruit.*

*ideo intentata ipsi lite,*

11. *Quæ gesta sint, quoque animo ab ipso tolerata, licet ex ipsius ad S. Bernardum epistola colligere, apud Nicolaum Claræval. ep.* 24, *quæ ita habet:* Patri suo, et Patri omnium bonorum, Bernardo Clarævallensi Abbati, Frater Joannes Aletensis Episcopus, et hic honestari in laboribus suis, et illic honorari cum Angelis. Utinam viderem vos, non scriberem vobis: et dolorem meum liniret et leniret vestræ suavitatis aspectus. Contristatus sum enim in exercitatione mea, quamvis juxta Sapientem ipsa tribulatio sit mihi pro solatio, non conscientia, sed pro flagello. Scio enim, quia feliciter sunt miseri, quos constat non meruisse quæ perferunt. Propterea ex me, quæ circa me sunt, scribo vobis, breviter tamen, ne quos mundo debetis oculos, detineam pagina longiori.

D

*ut ipse mærens scribit,*

12 Post datam in me sententiam, juxta vestrum consilium perrexi ad Dominum meum, quem constituit Dominus Dominum domus suæ, et Principem omnis possessionis suæ. Ad quem ingressus, plus inveni judicis, quam patris; minus misericordiæ, quam censuræ. Prævenerunt enim me homines Monasterii-majoris, et majores facti sunt me, facientes voci suæ vocem virtutis. Dixerunt me subter fugisse Episcoporum audientiam, in quorum manibus ipse me posuerat audiendum. Non solum autem hæc, sed quæcumque undecumque colligere potuerunt, proposuerunt adversum me, et cum multa pace auditi sunt. Cumque paratus essem repellere vel refellere, quæ dicebantur, noluit me audire universitatis Judex. Non illi imputetur. Sed et super dolorem vulnerum meorum addidit, remittens me ad illos, ad quos ante me miserat, quos ex parte suspectos habebam: et adhuc manus ejus extenta, quia suspensus accessi ad illum, et suspensus ab illo recessi.

*Episcoporum judicio damnatus, it Romam consilio S. Bernardi:*

E

*non auditus,*

*et suspensus,*

13 Et quamvis nihil horum conscius sum, quæ illi malitiose composuerunt adversum me; porto tamen judicium patienter, etsi non libenter. Scio enim me meruisse graviora, quam patior, tamquam servus male operans, et dignus omni indignatione. Veruntamen duram provinciam nactus sum homo minimi census, et sensus minoris, illos aggredi, et cum illis ingredi caussam, qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Hinc est, quod inter vestros Clarævallenses positus, expecto consilium vestrum, tanquam consilium Dei: quia nemo poterit eripere pauperem Episcopum de manu fortiorum ejus, nisi vestra manus tota obviaverit infestantibus et diripientibus eum. Domine Pater, paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Et utinam voluntas tua (si Domini voluntas est) cum mea voluntate discordet. Beneplacitum vestræ dignationis, si dignum judicatis, renuntiate puero vestro: quia non est consilium et auxilium, nisi ad vos, et ex vobis, amantissime Pater.

*patientissimus,*

*venit Claramvallem,*

*paratus stare judicio S. Bernardi:*

F

14 *Hæc ille: qui ideo caussam non exponit, quia coram antea cum S. Bernardo egerat. Ipsemet deinde ad S. Bernardum profectus est, cum commendatitiis Claravallensium litteris, Rualeni Prioris, Henrici fratris Ludovici* VII *Regis Galliæ, et Nicolai itidem monachi: qui omnes eximiam Joannis virtutem depræedicant. Rualenus ep.* 41 *ad S. Bernardum ita scribit:* Iste vir, Episcopus pauper, pauperum amicus, et, quod majus est, paupertatis amator, veniens ab Urbe, venit ad nos, et per nos, sperans vos invenire nobiscum. Retinuimus eum communi consilio, tam pro familiaritate, qua nobis devinctus est, quam pro necessitate, quia non habebat ubi reclinaret caput suum. Omnes amici, inimici; omnes necessarii, adversarii facti fuerant: et aggravaverat manum suam super eum manus potentis, filius excussorum. Quam benigne intravit et exivit nobiscum, quantumque commercium cum paupertate habeat, viderunt oculi nostri. Non est consilium, non est auxilium, sed nec refugium, nisi ad vos et in vobis. Venit ipse ad vos, et nos cum eo, et pro eo, et si non corpore, spiritu tamen.

*hinc a Priore commendatur ut amator paupertatis,*

A tamen. Aperite illi illum vestræ pietatis latissimum sinum : quia (nisi multum fallimur) negotium Dei est : et si Dei, et nostrum, et vestrum. Complacuit in illo universitati nostræ propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, quæ eum etiam inimicis commendabilem reddere possunt. Sed si hac vice ad vestros Clarævallenses redieritis, reducite eum vobiscum, et tunc videbitis quantam sollicitudinem et teneritatem super ejus tribulationibus habeamus, etc.

*aliisque virtutibus ornatus;*

15 *Henricus vero Ludovici Crassi Regis Galliæ filius, Ludovici Junioris frater, tunc monachus Claræ-vallensis, postea an.* MCXLIX *factus Episcopus Bellovacensis, ut Sanmarthani tradunt, apud eumdem Nicolaum Claræval. ep.* 13 *ita inter alia, ad S. Bernardum de Joanne scribit :* Zelus, fateor, urit animam meam pro paupere isto Episcopo : qui, quia justitiam coluit, voluit æquitatem, plaga inimici percussus est, castigatione crudeli. Quia voluit sedere in Sede sua, et Episcopo episcopalia resignare, hoc est maximum et primum peccatum. En sanguis iste de manu ejus exquiritur. Si quid ergo ego possum in oculis Patris, imo quia multum possum, facite negotium ejus, sicut illi noveritis expedire, *etc.*

*itemque ab Henrico fratre R. Galliæ monacho,*

B 16 *Ipse denique Nicolaus ep.* 42 *ita eum commendat Gaufrido, S. Bernardi Notario :* Totum ergo illud familiaritatis arcanum, quod mihi servas in pectore tuo, experiatur Dominus Aletensis Episcopus in negotio suo. Totus enim Episcopus vivit, nihil habens in vestibus et moribus de supercilio Pharisæorum admixtum. Pauper est, et pauperum amicus, et, quod majus est, paupertatis amator. Insurrexerunt in eum viri absque misericordia, antiqui fratres mei..... Traditus est pauper Episcopus in animam inimicorum suorum, et quos suspectos habebat, judices accepit ; ubi veraciter dicere possit : Et inimici nostri sunt judices. Unum tamen ei inexpugnabile refugium remansit, Pater tuus, imo et meus. *Plura de S. Bernardi sinceritate, et Joannis adversariis subjicit ; indicatque commendatitias eum habuisse, cum Romam proficisceretur, a Gaufrido scriptas, Bernardi nimirum nomine ; sed quæ nihil ei profuerint.*

*a Nicolao quoque, Gaufrido S. Bernardi secretario,*

*(a quo ante litteras habuerat)*

17 *Denique et Rivallis Prior Hugoni Archiepiscopo Turonensi qui, ejus Metropolita, unus fortassis erat ex judicibus, ita Joannem commendat ep.* 23 *apud eumdem Nicolaum :* Dominum Aletensem vestræ sanctitati commendo : quia quidquid illi feceritis factum est nobis. Gloria vestra hæc est, pauperem, et vestrum, et talem Episcopum protegere et honorare.

*et Hugoni Archiep. Turon.*

C

## CAPUT IV.

### S. Joannis zelus.

Non est simile vero, S. Bernardum, quem antea consilio instruxerat, patrocinium illi suum negasse. Papa igitur Eugenius III, apud quem suum in Claravalle discipulum, plurimum gratia valebat Bernardus, cognita caussa, ac Joannis sanctitate perspecta hanc possessionem Ecclesiæ Macloviensis adjudicat, indicto, ut scribit Albertus, monachis Turonensibus silentio : quos tamen ait, cum Eugenius an. MCLIII decessisset, novam Joanni litem intentasse, ut propterea rursum oportuerit eum Romam proficisci : verum ab Anastasio IV confirmatam Eugenii sententiam esse, ac mox, cum adhuc is Romæ esset, ab Adriano IV, qui an. MCLIV III Decemb. Anastasio successerat.*

*Pontificis litem sententia jus obtinet*

19 *Ubi semel Eugenio Pontifici Joannis virtus innotuit, continuo illi arcta familiaritate sanctus sancto, conjunctus est. Cum Parisiis in ecclesiam S. Genovefæ Canonicos regulares e cœnobio S. Victoris accitos induxisset an.* MCXLVII *Eugenius, uti plenius ad S. Guilielmi Roschildensis Vitam VI April. dicemus ; varii deinde sunt, a nonnullis etiam Præsulibus, Odo Abbas et reliqui Canonici appetiti calumniis, de quibus nos alibi, ut vererentur boni complures, ne eos inde Rex exturbaret, et seculares pravæ vitæ Canonicos, qui eam prius tenuerant, restitueret; dedit Joannes ad Eugenium litteras pro regularibus, quas recitat in Gallia Christiana Cl. Robertus, testes et submissionis ejus et zeli :* Quis ergo, *inquit*, vel cujus momenti, qui tantæ majestatis oculos vel in puncto audeam detinere? Ignosce mihi, Pater Sancte, ignosce, quæso : neque enim de supercilio ista præsumptio emanat. Silere non possum, quanta bile invehatur spiritus meus in viros mendaces, viros effrontes et perditos, qui sanctam sementem vestram excrescentem in centuplum, opus laudabile manuum vestrarum, inter magnificos actus Sanctitatis Vestræ non modice præclarum, scilicet Ecclesiæ S. Genovefæ Parisiensis a Deo per Vos, tamquam per complacitum sibi Vicarium, factam mutationem, filii hominum, quorum dentes arma et sagittæ, quorum lingua gladius acutus, non sunt veriti insimulare, concionem sanctam, Abbatem prædicti loci loquor, et Fratres. Sed (Deo gratias) detecta est malignantium factio : et, te instante, in eos Domini justa decernentis censura patebit : cum filiorum de S. Genovefa tam Deo quam hominibus grata conversatio, non solum prope, sed E et longe positorum nares optima suavique fragrantia perfundere non desistat. *Hæc ille.*

*Eugenio III familiaris, in causa S. Genovefæ imbutos ab eo Canonicos regulares,*

D *auctore ...*

*ab æmulis calumnia appetitos,*

*commendat*

20 *Idem collapsam in S. Meveni cœnobio disciplinam egregie restauravit, Pontificis Romani auctoritate, sive ejusdem fortassis Eugenii, seu decessoris ejus Lucii II, ut habent officia Macloviensia. Appellatur illud cœnobium in charta Alani III Ducis apud Argentræum lib.* 3 *cap.* 28 Ecclesia S. Mariæ et S. Meveni et Judicaelis de Gadel, *sive, ut vulgo,* Gael. *Condidit illud S. Mevennus, de quo* XXI *Junii, restauravit S. Judicael Rex, ibidemque monachus, vulgo* S. Giequel, *vel* S. Giguel, *qui colitur* XVI *Decembris, reædificavit deinde a Normannis eversam Alanus III Dux circa annum Chr.* 1000, *disciplinam denique in eo restituit S. Joannes Episcopus circiter annum* MCL.

*S. Meveni cœnobium reformat*

21 *Dimicandum Præsuli nostro non magis cum monachis pro Ecclesiæ suæ usu fuit, quam cum profanis hominibus, qui ejusdem ac Aletensis Ecclesiæ possessiones injuste usurpabant. Quæ res magnos ei labores ac plurimorum odia peperit. Verum cuncta incredibili constantia superavit. Omnium gravissima dimicatio cum Henrico Stephani III Pontheurrensis Comitis filio fuit. Hic sub patris disciplina optime acta adolescentia, simul ille excessit e vivis, in omnem effusus est morum improbitatem, ac præsertim luxuriam. Huic ut liberius vacaret, e Guencampensi Sanctæ Crucis cœnobio Canonicos regulares ac Moysem Abbatem, Joannis successorem, virum sanctissimum, exturbavit : idque in jus ac possessionem Abbatissæ S. Georgii in urbe Rhedonensi transcripsit, habitandum interim feminis tradidit, inter quas pellicem suam, nobili ortam genere collocavit, ne quid suis cupiditatibus obsisteret. Pupugit ea res sanctissimum Antistitem, qui ne quid intentatum relinqueret ipsum appellavit Romanum Pontificem Eugenium. Datæ ob hoc ad Henricum litteræ : quibus ille, utique Antistitis nostri opportunis monitis inductus, Moysem et Canonicos restituit, rescissa donatione, ac pellice Prætori Trecorensi nuptum tradita. Ita fere memorant Baudus, Argentræus, Pazius, Albertus.*

*Henricum Comitem a luxuria et sacrilegio revocat,*

F

*obtentis ab Eugenio III litteris*

22 Consecravit *deinde Joannes, ut scribunt Robertus ac Pazius,* majus altare abbatiæ S. Jacobi Montefortensis recens extructæ MCLVI. *Est Mons fortis, ut Franciscus Ranchinus to.* 2 *Descript. Europæ tradit, oppidum Britanniæ, quatuor ab urbe Redonensi leucis distans, diœcesis Macloviensis. Albertus scribit ipsum, et monasterium istud ut construeretur procurasse, et regulares isthic Canonicos, uti Guencampi, statuisse. Macloviensem vero basilicam egregie ornavit, et amplavit.*

*altare Montefortii dedicat*

*suam ecclesiam ornat*

A *pliavit, choro, qui etiamnum visitur, addito, et suis quidem sumptibus, uti Joannes Chenu tradit.*

*AUCTORE J. B.*

*23 Tandem ætate ac laboribus fessus e mortali hac vita cessit an.* MCLXIII, *in eodem ecclesiæ suæ choro tumulatus. Multis dein clarum miraculis Leo X Pont. Max. Cœlitum honoribus decorandum sanxit, ut ante scriptum.*

*moritur.*

### CAPUT V.

#### *S. Joannis Vita ex Off. Eccl. Maclov.*

Joannes de Craticula nuncupatus, a crate ferrea, quæ tumulum ejus ambit, omissis mundi deliciis, ab ineunte juventute, Cisterciensium ordinem est amplexatus, præceptore Divo Bernardo. Unde, disciplinis humanarum ac divinarum scientiarum percursis, in Episcopum Alethensem assumptus, a regulari professione non discessit; sed confestim ad solatium sibi de Sacerdotibus pios ordinem Canonicum, secundum B. Augustini Regulam, et observantiam religiosorum Fratrum S. Victoris, in ecclesia S. Maclovii feliciter instituit. Tanta porro fuit in eo sanctitas, ut etiam ipsum in humanis agentem Petrus Abbas de Cella, Episcopum sanctum, et Dei famulum, virum fortem, paupertatis amatorem, ple-

*Ex Religioso Episcopus,*

*Canonicos regulares in ecclesiam suam inducit,*

B num caritate, et lucem oppositis obstaculis minime obumbratam, vocitaverit : eidemque Lucius Papa secundus anno Domini millesimo centesimo quadragesimo quarto commiserit cœnobii S. Mevenni reformationem.

25 Cum autem ecclesiam S. Maclovii nuper invasissent Majoris-monasterii monachi; illos B. Joannes (cujus negotium Nicolaus Claraevallensis testatur esse negotium Dei) ad Apostolicæ Sedis judicium evocavit. Tam vero ipso quam illis in auditorio Sedis Apostolicæ constitutis, caussa ipsa diligenter audita, et utriusque partis rationibus ex plenaria investigatione cognitis, Eugenius III, qui Lucio successit, D ipsam Cathedralem ecclesiam S. Maclovii, sub B. Petri et sua protectione suscepit, et de ipsa cum universis possessionibus, quas illo tempore possidebat, ipsum Joannem investivit; perpetuum in hac causa silentium monachis imponens. Cum vero decisam controversiam rursus innovarent, perpetuum iterum illis imposuit silentium Anastasius IV, omnemque facultatem eis et eorum successoribus abstulit, eumdem Joannem vel successores suos reci- divo super hoc litigio fatigandi. Quæ quidem omnia confirmarunt et privilegiis roborarunt Adrianus IV, et Alexander III, quorum etiam temporibus, vexare denuo tentarunt hominem divinum, qui propterea terque quaterque Romam proficisci coactus fuit : prout scribit ipsemet ad Divum Bernardum, cujus et stylum imitatur et zelum.

*quæ res probata ab Eugenio III,*

*et aliis Pontificibus :*

*quoties Romam profectus :*

26 Sedata itaque tempestate, quæ decem et octo fremuerat annos, chorum dictæ Macloviensis ecclesiæ, in quo corpus ejus honorifice reconditum existit, ædificavit. Tum vero rerum ecclesiasticarum invasores ad restitutionem ablatorum coegit, ecclesiam ipsam opibus adornans, et salutaribus diœcesanorum animas institutis et exemplis erudiens. Denique anno Domini millesimo centesimo septuagesimo ad tranquillum æterni regni portum emigravit, E et se postmodum vivere cum Christo magnis virtutibus manifestavit. Tandem Leo Papa X anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo, certior factus de multis, quibus Beatus ipse Joannes claruit, miraculis, propter quæ magna Christi fidelium, illius intercessione suas preces ad Deum fusas exaudiri cognoscentium, ad ipsam ecclesiam Macloviensem conflueret multitudo ad festum et Officium ejusdem, necdum canonizati, solenniter celebrandi facultatem concessit et indulsit.

*ecclesiam ornat, subditos instruit :*

*a morte clarus miraculis, coli permittitur.*

# DE B. RAIMUNDO

## ABBATE FITERII, ORDINIS CISTERCIENSIS FUNDATORE ORDINIS CALATRAVÆ,

### Commentarius historicus.

J. B.

### CAPUT I.

#### *B. Raimundus Abbas Fiterii, in Navarra an Castella?*

C

*AN. CHR. MCLXIII. 1 FEBRU.*

*Consecrata hoc die in Cisterciensibus Menologiis Raimundi memoria est, ejus qui militem militiam Calatravæ primus instituit. Solum id fere traditum litteris, cetera in obscuro sunt. Barcinone natum Alfonsus Villegas to. 2 Floris SS. et Franciscus Carus Torrius in historia Ordinum militarium, scripserunt. Chrysostomus Henriquez Fascic. SS. Ord. Cisterc. lib. 1 dist. 17 Tarracone, additque hic, litterarum scientia utcumque imbutum, in solitudinem abiisse, quo Divina liberius, procul a mundi strepitu, contemplaretur : dein cum Cisterciensium pietatis fama late vulgaretur, illud complexum esse institutum, in Scala-Dei celebri apud Vascones cœnobio, diœcesis Tarbensis, quod* MCXXXVII *anno Christi fundatum auctor est Gaspar Jongelinus Notitiæ abbatiar. lib. 1 nu. 74. Antonius Yepes to. 7 Chron. Benedictin. ad an. 1140 cap. 5 scribit dici Canonicum Tarraconensem fuisse, priusquam se Cisterciensibus jungeret. Angelus Manrique Turiasonensem Canonicum ait fuisse. Tricennio postquam Ordini Cisterciensi dederat nomen, ex Scala-Dei, cum Durando probatæ virtutis monacho missum scribit Henriquez in propinquum Navarræ regnum, et coloniam isthuc sui Ordinis jussum ducere : ibi eos in altissimo Yergæ montis cacumine humillima ædificasse* F *tuguria. Ex eo loco, aspero nimis et inaccesso, in planiora descendisse, jecisseque monasterii fundamenta, juxta urbis Niencarsæ, a Mauris olim eversæ, ruinas. Durando Abbate vita functo, præfectum cœnobio Raimundum : mox coactum penuria, alium petiisse locum, qui Castellonius, aliis Castellio, dicitur : hinc rursus a Petro Tizonio, viro nobili, sub annum MCL evocatum, primas sedes in ejus fundo, qui Fiterium dicebatur, locasse, eodem ad ædificia materiam sumptumque omnem suppeditante. Superesse tamen in Yergæ vertice primæ in eo tractu habitationis vestigia, duosque ibi e Fiterio monachos degere, custodes celebris statuæ Virginis Deiparæ, ad quam frequens concurrit multitudo.*

*Raimundus ex eremita,*

*vel Canonico,*

*monachus Cisterciensis,*

*mox Abbas,*

*Fiterium ædificat*

*2 Hæc Fiterii initia memorat Henriquez. Situm id trans Iberum ad Alhamam flumen, 4 leucis a Tutela, sive Tudela urbe, tribus ab Alfaro, duabus a Cervera, media a limite moderno Castellæ; vulgo* Hitero, *aut* Fitero *dictum. Hujus enim Fiteri Abbatem fuisse Raimundum, etiam ante Chrysostomum scripsit Hieronymus Zurita Annal. Aragon. lib. 2 cap. 21 et post Franciscus Carus, et Jongelinus Notit. abbatiar. lib. 6. At Mariana noster lib. 11 de reb. Hispan. cap. 6.* Raimundus,

*ad Alhamam fl.*

A mundus, *inquit*, Fiterii ad Pisoricam Abbas. Errant, qui hanc laudem ad Fiterii cœnobium ablegant, quod in Vasconibus non procul Tudela, situm est, cum constet consequenti tempore fuisse extructum. *Subscribunt Autbertus Miræus in Chronico Cisterc. Ludovicus Nonius Hispaniæ cap.* 62. *Stephanus Garibaius Compend. hist. lib.* 13 *cap.* II. *Franciscus Pisa histor. Tolet. lib.* 4 *cap.* 9. *Flumen, cui adsitum Fiterum hoc, sive Fiterium, fuisse dicitur, Miræus (incuria fortassis librarii)* Sisoricam *vocat : vulgo* Pizuerga *est*, Pisurga *Nonio, atque ex veteri, quam recitat, inscriptione*, Pisoraca; *is ad Septimancas Durio miscetur. Verum contendit Henriquez Fiterii in Castella nullum extitisse monasterium, atque constare alterum illud in Navarra annis multis ante Ordinis Calatravæ institutionem esse fundatum : testimonium tamen certæ fidei nullum profert, uti nec Jongelinus, qui* maxime hallucinari *Marianam asserit. Garibaius Fiterii Navarrensis monachos ait non solum B. Raimundo Abbate gloriari, verum et libellos supplices Regi Catholico et Congregationi Ord. Calatravæ obtulisse, quibus restitui se in veteris patrimonii possessionem flagitarent : at vidisse se monumenta quædam fundationis monasteriorum regni Navarræ, in quibus Fiterium fundasse dicitur Sanctius Fortis, Orturus eo nomine Navarræ Rex, qui anno*

*non Pisoricam*

B *demum* MCXCIV *regnum capessivit. Jongelinus censere quosdam scribit, opus illud esse Sancii* VII *cognomento Sapientis, qui ab anno* MCL *ad* MCXCIV *regnavit. Verum Yepes loco jam citato, ex certis (ut videtur) Fiterii monumentis, illud olim in ditione Regis Castellæ fuisse, uti et alia circum loca, ipsumque etiamnum Yergam montem esse asserit. Huc venisse ex Scala-Dei, accitu Alfonsi* VII, *qui Imperator Hispaniarum est dictus, aut sororis ejus Sanciæ, religiosissimæ virginis. Post longam Castellanos inter ac Navarros disceptationem de finibus, anno* MCCCXXXIV *a Pontificis Maximi Legato adjudicatum esse Navarræ Fiterium. Hæc si ita sunt, jam omnis illa de Fiterio inter Scriptores controversia sopita erit, præsertim cum nullum aliud Fiterense Cisterciensium cœnobium in ipsorum Catalogis extet. Eadem confirmat illustratque Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus : sed pridem quæ hic damus, eramus antea commentati, quam eos Annales videre licuerit.*

*olim in Castella, non in Navarra.*

## CAPUT II.

### *Calatrava defensa. Ordo ibi militaris constitutus.*

C Calatrava *non obscurum Hispaniæ oppidum, in Oretanis ad Anam flumen idem esse existimatur a nonnullis; quod Ptolemæo lib.* 2 *geograph. cap.* 6 Ὤρητον Γερμανῶν Oretum Germanorum *dicitur ; cujus nominis ridiculam originem tradit Franciscus Tarapha in Valeriano :* Germani superiores, *inquit*, his temporibus abrasa potiuntur Hispania ; a quibus Germani, qui Oretani, et Oretum Germanicum, Estremaduræ oppidum (hodie Calatrava vocant) conditum. *Qui potuit Valeriano imperante, post annum Christi* CCLIX *conditum fuisse oppidum, cujus meminit Ptolemæus, quem sub M. Aurelio, centum fere ante Valeriani imperium annis, scripsisse auctor est Suidas? Quid, quod ipse Plinius senior sub Vespasiano ita scribit lib.* 3 *cap.* 3 *de Hispaniæ citerioris populis loquens :* Oretani qui et Germani cognominantur ? *Alioquin Joannes Vasæus, et alii, Oretum Calatravam interpretantur. Ita ille Chronic. Hisp. cap.* 20 Oretani in confinio sunt Tarraconensis, Bæticæ, et Lusitaniæ, vulgo Calatrava. Nunc Episcopum non habent, sed conventum Equitum militiæ Ordinis Cisterciensis, qui cognominatur a Calatrava.

*Calatrava non est Oretum Germanicum,*

4 Ambrosius Morales a *Nonio citatus cap.* 62 *Hisp.* Calatravam negat Oretum Germanorum fuisse ; sed non procul ab urbe ædiculam esse, quam incolæ Nuestræ Sennora de Oreto vocant, atque hic antiquum Oretum fuisse. Nam et templum illud Romanam architecturam præ se fert, pontemque habet vicinum ejusdem operis. *Verisimile est ergo Oreto everso, ædificatam, aut certe communitam a Mauris Calatravam. His eam eripuit Alfonsus* VII *Castellæ Rex, uti Rodericus Toletanus lib.* 7 *de reb. Hisp. cap.* 4 *tradit :* Calatravam, *inquit*, quæ regnum Toleti graviter infestabat, diu obsessam pugnis et machinis occupavit, et ecclesiam cum multis possessionibus et decimis regalium redituum, D. Raimundo Toletano Primati concessit, et ejusdem villæ jurisdictionis municipia, quæ munitionibus præminebant, quædam retinuit, quædam solo dirupta adæquavit, scilicet Alacuris, Caracoi, Petrochium, S. Euphemiam, Mestantiam, Alcudiam, Almodovar. *Eam ille urbem tum, ut Mariana lib* 10 *cap.* 14 *scribit*, Templariis militibus, quorum esse cœperat virtutis opinio singularis, dedit : ut (*quod lib.* II *cap.* 6 *addit*) arcis instar esset, ad barbarorum incursus arcendos. D

*sed ea eversa* AUCTORE J. B.

*in propinquo ædificata ut Mauris,*

*iis erepta ab Alfonso* VII *R.*

*data Templariis :*

5 *Ea postmodum, Alfonso mortuo ac regnantibus ejus filiis, Sancio in Castella, in Legione et Gallicia Ferdinando, Castellano reddita a Templariis, qui quod venturos eo validis cum copiis Mauros fama erat, haud satis sibi virium esse ad eam tuendam sentiebant. Data tum duobus Cisterciensibus monachis, Raimundo Fiterii Abbati, et Diego Velasquio, ultro deposcentibus. Atque hinc origo extitit Ordinis Calatravæ. Ea quemadmodum gesta sint idem Rodericus Ximenius, illis temporibus proximus, ut qui horum alterum sibi visum testetur, ita narrat lib.* 7 *cap.* 14. E

*ab iis reddita Sancio* III *R.*

6 Rex Sancius venit Toletum, et rumor increbuit, quod Arabes veniebant cum magno exercitu Calatravam. Fratres autem militiæ Templi, qui arcem Calatravæ tenebant, timentes quod non possent Arabum violentiæ obviare, ad Regem Sancium accesserunt supplicantes, ut et arcem et villam Calatravæ reciperet, quia non erat eis facultas Arabibus resistendi : nec inventus fuit aliquis de potentioribus, qui vellet defensionis periculum expectare. Erat autem tunc temporis in urbe regia Raimundus, homo religionis, Abbas Fiterii, et cum eo monachus quidam, qui Didacus Velasquez dicebatur, homo nobilis, et quondam strenuus in officio militari, et de Buronæ partibus oriundus, et a juventute cum Rege Sancio enutritus. Qui videns Regem sollicitum pro discrimine Calatravæ, suasit Abbati, ut a Rege peteret Calatravam : et licet Abbas se a principio retraxisset, demum consensit monacho, olim militi, supplicanti ; et accedens ad Regem, petiit Calatravam. Et licet aliqui fatuum reputarent, tamen, sicut Domino placuit, Rex consensit. F

*metu Saracenorum :*

*B. Raimundo Abbati Fiterii data*

7 Et Abbas cum monacho incontinenti venerunt ad Primatem Joannem, qui tunc præerat Ecclesiæ Toletanæ. Qui audiens sanctum propositum gratias egit Deo ; et statim rerum suarum dedit auxilium, et fecit publice prædicari, ut omnes euntes in auxilium Calatravæ omnium peccatorum veniam mererentur. Et facta est tanta commotio in civitate, ut vix esset, qui aut in propria persona non iret, aut equos, aut arma, aut pecunias in subsidium largiretur. Et Rex Sancius incontinenti dedit Abbati, et S. Mariæ de Fiterio in possessionem perpetuam, villam et præsidium Calatravæ. Et Abbas cum Didaco Velasqui monacho venit, duce Domino, Calatravam. Et sic est factum, dispositione Altissimi ordinante, quod Agarenorum exercitus, de quo rumor increverat, non advenit. Et tunc multi quos devotio incitavit, temperato habitu, ut militaris agilitas exposcebat, eorum ordinem receperunt, et incontinenti cœperunt contra Arabes cædes et prælia exercere et Domino adjuvante prospera tum fuit opus in manibus monachorum

*hic ope Archiepiscopi Toletani*

*et civium,*

*Saracenis repressis :*

*ordinem militarem Calatravæ instituit.*

A monachorum. Tunc Abbas reversus ad monasterium, armenta et greges, et cetera mobilia, quibus tunc temporis Fiterium abundabat, necnon et multitudinem bellatorum, quibus stipendia et viatica ministravit, duxit secum veniens Calatravam, exceptis debilibus et ægrotis, quos ad ministerium monasterii dereliquit : et, ut audivi ab his qui viderant, fere viginti millia hominum secum duxit. Et hic fuit in Fiterio primus Abbas. Mortuus autem sepultus est in villa quæ Cirolos dicitur, prope Toletum, ubi Deus per eum (ut fertur) miracula operatur ; Didacus autem Velasqui postea diu vixit, quem etiam memini me vidisse, et obiit in monasterio S. Petri de Gomeleo.

*AU. TORE R.*

*aliunde copias advocat :*

*a morte claret miraculis.*

8 *Hæc Rodericus. Mariana, iis quos Raimundus e vicinis Fiterio oppidis adduxerat, scribit*, agros divisos, oppidaque Calatravæ vicina, quoniam incolis vacua erant, domicilio designata. *Diegum Velasquium Franciscus Carus Torrius et Antonius Yepes Bureræ circa Burgos natum scribunt. Diu ille superstes fuit, si verum est quod Jongelinus scribit, monasterium S. Petri de Gumiel conditum esse circiter annum* MCC. *Situm illud est in diœcesi Oxamensi* ; Gumielam *appellat Mariana, Rodericus* Gomellum. *Arnoldus Wion Ligni vitæ lib.* I *cap.* 47 B. Diegum Velasquium, Ordinis militiæ Calatravensis præcipuum

*Socius ejus Diegus Velasquius.*

B quasi auctorem *censet.*

## CAPUT III.

### *Ordinis Calatravæ laudes.*

N*on est nobis hic propositum Ordinis nobilissimi res gestas vel belli fortiter vel domi religiose prosequi. Sunt de iis multa a Scriptoribus Hispanis tradita litteris Privilegia a variis Pontificibus data huic aliisque militaribus Congregationibus quæ Cisterciense institutum observant, earumque Regulas et Constitutiones collegit et in ordinem redegit Chrysostomus Henriquez. Breviter universa ejus decora ita Mariana lib.* II *cap.* 6 *complexus est :* Ab his initiis sacrum Calatravæ militiam, in hunc quem cernimus splendorem, perductam, Alexander III suo diplomate confirmavit, Garsia ejus Ordinis primo Magistro anno MCLXIV. Garsiæ successit Martinus Peresius, Martino Nunnius Peresius, Quignonius, his alii. Domicilium, quod Calatravæ primo collocatum est, Cirvelos deinde, Buxedam mox, Corcolem deinceps, et Salvaterram migravit : Covos ad extremum, Nunnio Fernando duodecimo ejus militiæ Magistro. Sunt quidem minora alia ejus Ordinis domicilia aliis locis constituta,

*Equitum Calatravæ regulæ,*

*privilegia ;*

*possessiones ,*

C illud præcipuum Coquæ, auctoritas, multorumque oppidorum imperium eximia Regum liberalite accessit. Quæ oppida emeritis diu militiæ ejus Ordinis hominibus commendabantur, ut iis reditibus vitam honeste sustentarent, neque tamen posteris hæreditaria relinquebant. *Ita ille. Utinam nunquam, ut ejusdem phrasi utar*, rebus ab antiquo mutatis, aulicorum deliciis, Regum ex libidine mancipentur !

*quibus hæ tradendæ ?*

10 *Duorum veterum Scriptorum honorifica de hoc Ordine testimonia adjungam. Primus est Rodericus Ximenius jam citatus, Archiepiscopus Toletanus, is lib.* 7 *cap.* 27 *ita scribit :* Sancius pater ejus dedit Fiterio Calatravam : Aldephonsus nobilis consummator eorum. Suscepit militiam contemplatio, et egressus Fratrum a Fiterio. Rex Aldephonsus educavit eos, et possessionibus pluribus ditavit eos . Zuritam et Almochariam, Machedam, Acecham, et Cuculutum obtulit eis, et sustulit sarcinam paupertatis, et superaddidit divitias competentes. Multiplicatio eorum corona Principis, qui laudabant in psalmis, accinti sunt ense, et qui gemebant orantes ad defensionem patriæ : victus tenuit pastus eorum, et asperitas lanæ tegumentum eorum : disciplina assidua probat eos, et cultus silentii comitatur eos, frequens genu-

*eorum sanctitas,*

D flexio humiliat eos, et nocturna vigilia macerat eos, devota oratio erudit illos, et continuus labor exercet eos ; alter alterius observat semitas, et frater fratrem ad disciplinam.

11 *Idem lib.* 8 *cap.* 3 *enumerans copias, quas varii Principes et Antistites ad Alfonsi* VIII, *Sancii F. auxilia adduxere an.* MCCXII, *ita inter cetera scribit :* Fuerunt etiam Fratres Calatravæ sub uno militiæ suæ Magistro Roderico Didaci ; grata Deo et hominibus fraterna societas. *Inter urbes tunc de Mauris receptas fuit ipsa Calatrava , quam, post cladem Alfonso ad Alarcum anno* MCXCV *illatam, occuparant : ea, ut lib.* 8 *cap.* 6 *idem scribit*, statim a Fratribus, qui dudum ibidem resederant, fuit munita, et Christiano nomini redonata. *Paullo post in prælio ad Navos Tolosæ, ubi nobilissima relata victoria est, mediam aciem cum aliis habuere iidem Fratres Calatravæ, ut cap.* 9 *idem refert.*

*bellicæ expeditiones,*

12 *Jacobus de Vitriaco Cardinalis, Roderico haud multo junior, historiæ Occident. cap.* 17 *ita scribit :* In partibus Hispaniæ, quidam devoti et humiles viri, qui Fratres * Calatravæ nominantur, prædicti Ordinis Regulam et observationes professi, addiderunt insuper manus suas Domino consecrare, auctoritate Summi Pontificis, et consensu totius Ordinis, contra

** in excuso est Calatrapiæ.*

E Saracenos pugnantes, et ad defensionem Christianorum contra impios et infideles homines voto salubriter obligati. Ut autem semper ad pugnam sint expediti et parati, femoralibus utuntur. Sed et Dominus Papa Innocentius labores eorum miseratus, tempore expeditionis et belli eis carnibus uti concessit. Quando vero in locis desertis vel nemoribus habitant, de venatione sua licet eis penuriam suam edendo relevare. *Porro Innocentius Papa est tertius ejus nominis, qui ab initio anni* MCXCVIII *sedit usque ad* XIII *Julii* MCCXVI. *Memoria instituti hujus Ordinis consecrata est in Kalendario Cisterciensi ad* XV *Januar. his verbis :* Institutio sacræ militiæ Calatravæ, sub S. Raimundo Abbate Fiterii an. MCLIX *Verum an.* MCLVIII *aut sub finem* MCLVII, *institutus est Ordo, neque enim Sancius Rex usque ad an.* MCLIX *vixit. Nam, ut Lucas Tudensis scribit, Æra* MCXCV *patri successit, regnavitque* anno uno et diebus XII. *Obiit autem, ut habet Rodericus, pridie Kalend. Septemb. aut, ut alii legunt, Novemb.*

*victus :*

*institutionis anniversaria memoria.*

## CAPUT IV.

### *B. Raimundi obitus, translatio, miracula.*

F C*um quinque aut sex annis novum Ordinem Raimundus rexisset, multaque oppida (si Chrysostomo Henriquez aliisque recentioribus fides est) de Mauris recepisset ; munisset certe operibus, commeatu, milite Calatravam, ac vicina nonnulla loca ; e vita migravit in oppido, quod Rodericus* Cirolos, *alii* Cirvilos *appellant. Chrysostomus illum ait senio fractum, eo quietis gratia secessisse. In Notationibus vero ad Menologium : Febr. lit. M ita scribit :* Porro B. Raymundum Sanctorum numero fuisse adscriptum, multi auctores asserunt, inter quos Joannes Mariana, Aubertus Miræus, et alii. *Miræus in Chron. Cisterc. agens de Ordine Equitum Calatravæ, ipsa recitat verba Marianæ, et in margine vocat* B. Raimundum. *Marianæ ista sunt lib.* II *cap.* 6. Abbati Raymundo post aliquot annos defuncto, ad oppidum Cirvelos, ubi sepultus etiam est, pro opera navata honores a populo habiti : usque adeo, ut miraculis fulsisse creditus sit, et in cælestium numero reponatur. *Fama miraculorum jam tum Roderici Ximenii ævo sparsa. De legitima apotheosi nusquam legimus. Arnoldus Wion Ligni vitæ lib.* I *cap.* 47 *et Jongelinus* S. Raimundum *appellant, uti et Manrique in Annalibus Ord. Cisterc.*

*B. Raimundus moritur*

*Sanctus habetur :*

14 *Miracula ejus nonnulla recitat Henriquez ; nam*

in

A *in Notat. ad 1 Febr. in Menologio ita habet :* Utque in hodiernum diem, quacumque imminente tempestate, pulsatis companis, quarum funes sepulchrum, ubi olim sancti viri corpus honorifice tumulatum jacuit, pertingunt, subito, magno quidem miraculo, serenitas aeris redit. *Plura ejus miracula recenseri ait a Barnaba de Montalbo in Chronicis, atque sequentia ipse, sed laciniosa ac fluente, ut plerumque alibi stylo commemorat.*

*tempestates pellit*

*ejus Reliquiæ translatæ*

15 *Magna in veneratione apud Cirvelos sacræ exuviæ fuere, neque eas ab oppidanis vel Calatravæ Equites, vel monachi Cistercienses obtinere ulla ratione potuerunt. Eas tandem Ludovicus Nunius, Canonicus Toletanus ac Madritensis Archidiaconus, an* MDCLXVIII, *Pauli* II *Pont. Max. auctoritate, ad Montem Sion, Ordinis Cisterciensis non procul Toleto cœnobium, transtulit ; inque Deiparæ sacello, a se extructo, ad lævam altaris, collocavit. Aliud postea exiguum sacellum ei positum ac dicatum : ac multa deinceps patrata ejus ope miracula. Nam grassante Toleti epidemia, plurimis aqua intincta Raimundi reliquiarum particula consecrata saluti fuit. Cuidam in eodem cœnobio superfluæ carnis tumor in capite excrescens, ingentem cum deformitate cruciatum afferebat : illevit eum oleo e lampade, quæ ante Divi sepulchrum pendebat, sumpto, at-* B *que illico sensit recedisse, doloremque depulsum. Sæpenumero vel viris principibus ostensæ reliquiæ, vel alia caussa e tumulo prolatæ, divinum quemdam visæ sunt odorem exspirare.*

*Morbi ope illius curati.*

*tumor ac dolor capitis :*

16 *Garcia Lopezius Padilla Equitum Calatravæ Magister, qui nullis precibus a monachis Montis Sion impetrare sacrum corpus, Calatravam asportandum, valuit ; fornicem, insigni opere, ejus sepulchro aptavit, et statuam illius mitra pedoque insignem, utrimque vero SS. Benedicti et Bernardi, collocavit. Medio fornicis isthæc inarata epigraphe :* Fornicem hunc erigere curavit Magnificus admodum ac Illustris Dominus Frater Gartia Lopezius de Padilla, Magister Ordinis ac Militiæ Calatravæ, anno Domini MCCCCLXXXV.

*statua ei posita*

*thecæ argenteæ inclusæ Reliquiæ*

17 *Marcus Villalva Fiterii Abbas, ac Congregationis Cisterciensis in Castella Generalis, vir sanctus, notum B. Raimundo, in presbyterio Montis Sion, ad latus Epistolæ, monumentum erexit, ubi thecæ argenteæ inclusum ejus corpus honorifice asservatur, hac addita inscriptione :* Hic jacet Raymundus monachus hujus D Ordinis, primus Abbas Fiteri, cujus meritis plura miracula Deus operari dignatus est : qui authoritate et facultate Regis Domini Sancii, cognomine Desiderati, Calatravam ab incursu Maurorum defendit; ibidemque instituit Ordinem militarem Calatravæ. Obiit anno Domini MCLXIII. Translatus est autem ad hoc sepulchrum anno Domini MDXC.

VICTORE J. B

18 *Hæc fere Chrysostomus in Fasciculo Cisterc. dist. 17 cap. 4. et Manrique : brevius Jongelinus lib.* 6 *ubi de Fiterio agit. Alfonsus Villegas scribit magnam obtinere venerationem in cœnobio Montis Sion, quo translatum ait an.* MDLXXI, *ac testari monachos, miracula isthic ejus meritis a Deo facta. Meminit ejus Franciscus Pisa hist. Tolet. lib. 4 cap.* 9 et sanctum Abbatem *appellat.*

*alia miracula.*

19 *Ejus Natalis in Kalendario Cisterc. Divione an.* 1617 *edito, consignatur Kalendis Febr. his verbis :* Raymundus Abbas Fiterii, Militiæ Calatravæ primus author. *Prolixiori elogio eum ad eumdem diem ornat Henriquez, et* V *Martii ista habet :* In Hispania Translatio B. Raymundi Abbatis Ord. Cisterciensis, quando ex oppido Cirvelos in monasterium Montis Sion, Pontificia auctoritate, corpus ejus magno cum honore fuit delatum. *At Cisterciense Kalendarium* E *Translationem illam primum refert* XV *Martii, his verbis :* Translatio S. Raymundi Abb. ad Montem Sion prope Toletum an. MDXC. *Sed fallitur hujus Kalendarii auctor in nota temporis, ut ex dictis patet. At nec* XV *die Martii videtur contigisse, cum litteræ Pauli* II, *quibus ea Translatio ut fieret sanciebat, datæ dicantur die* XV *Martii an.* MCDLXVIII. *Neque enim prius quam datæ eæ litteræ essent fieri potuit, neque verisimile est ad annum integrum iis acceptis dilatam. Hugo Menardus, quia natalem B. Raimundi ignorabat, eum* XV *Martii, ut fatetur propterea retulit, quod eo die decretum illud de Translatione latum a Pontifice esset. Ita porro scribit :* In territorio Toletano, S. Raymundi Abbatis, Institutoris militiæ Calatravæ, Ordinis Cisterciensis. *Meminit B. Raymundi Rodericus Mendius Silva in Descript. Castellæ cap.* 72, *et quicumque de Ordinibus militaribus, aut rebus Hispanicis scripsere.*

*ejus natalis.*

*Translatio.*

# DE S. VERDIANA VIRGINE

C

## CASTELLI-FLORENTINI IN ETRURIA,

F

## Commentarius prævius.

J. B.

### § I. *S. Verdianæ ætas, professio, Acta.*

ANNO CHRISTI MCCXLII I FEBRU.

Castellum Florentinum *Etruriæ oppidum est ad Elsam flumen, Leandro Alberto, Petroque Avitio to. 3 Descriptionis Europæ, memoratum. Hic (non Florentiæ, ut habet in Menologio Virginum Franciscus Lahierius noster) nata est, hic dicatum suo nomini ædem, solennesque ferias habet* S. Verdiana Virgo, *quæ Lucæ Wadingo aliisque* Veridiana *est, Arturo a Monasterio* Viridiana et Veridiana, *Hugoni Menardo* Verdina, *pluribus* Verdiana.

*S. Verdiana cujas?*

*an mortua anno 1222?*

2 *Eam anno Christi* MCCXXII, Kalendis *Februarii, mortuam, Vitæ illius scriptor, Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, Abrahamus Bzovius in Annal. ad eumdem annum, nu. 27. Lahierius, Silvanus Razzius in Vitis feminarum sanctitate illustrium to.* 1 *et in Vita SS. Etruscorum, tradiderunt. At Lucas Wadingus to.* 1 *Annal. Minor. an.* MCCVIII *cellæ inclusam scribit,* MCCXLII *in cælum abiisse ; uti et post eum Arturus in Martyrol. Francisc. et multo ante Eudoxius Locatellus in Vitis Generalium Vallis-umbrosæ lib. 2 cap. 29 atque Arnoldus Wion lib. 3 Ligni vitæ. Et certe cum constet ex Vita cap. 3. nu. 12 Ardingum Episcopum Florentinum ad eam ventitare solitum; si is, ut scribit Archangelus Gianius in Annal. Ord. Servorum Centur.* 1 *lib.* 1 *cap.* L. *an.* MCCXXXI, *aut, ut Ferdinandus Ughellus to. 3 Italiæ sacræ,* MCCXXX, *a Gregorio* IX *Pont. Max. Florentinæ Ecclesiæ Præsul est datus ; non potest Verdiana multo ante* MCCXLII *Christi annum videri obiisse, quam is non semel dumtaxat inviserit, sed, quoad vixit, quotannis. Ughellus non ab Ardingo, sed Joanne Ardingi decessore visitatam censet. Verum facilius irrepere in numeros mendum potuit, ut* X *pro* L *poneretur, proque* MCCXLII, *annus* MCCXXII *signaretur, quam ut Ardingus pro Joanne scriberetur.*

*an 1242?*

3 *Non liquet autem, fueritne ullius religiosi Ordinis instituta ac leges secuta. Lahierius tradit ductu ac præceptionibus Camaldulensium monachorum vitam exegisse. At ne id quidem scribit Razzius Camaldulensis, sed Vallis-umbrosæ tenuisse disciplinam ; quod Wion quoque, Menardus, Ferrarius, Bzovius, Cornelius Curtius paullo inferius citandus, tradidere. Locatellus et monacham vocat, et habitum ait a Plebano Castello-Florentinensi*

*an monacha Vallis-umbrosæ?*

A *rentinensi accepisse Vallis-umbrosæ, propterea quod illius ordinis, qui in Etruria eximiæ sanctitatis laude florebat, esset pridem studiosissima. Arturus in Notis ad I Febr. § II scribit,* a Seraphico Patre S. Francisco fuisse receptam ad statum tertii Ordinis, in quo sanctissime vixit ac mortua est, *Wadingus to. I ad an.* 1242 *nu.* 22 *ita habet :* Inclusa est an. MCCVIII : in consueto igitur solitariæ vitæ exercitio perseverans, tandem post aliquot annos a B. P. Francisco, dum ibidem locum habitationi Fratrum reciperet, et alios ad statum pœnitentiæ ex præscripto tertiæ regulæ admitteret, hæc velut adhuc rudior in via Domini, ab eodem plenius instructa et illuminata, assumpsit tertii Ordinis habitum, cum alias nulla certa regula ductum Spiritus sequebatur in statu anachoretico. *Hæc ille; qui deinde commemorato miraculo, quod in Vita cap. 7 nu.* 31 *refertur, subdit :* Inter alia autem dona, quæ in gratiarum actionem obtulit, curavit depingi Sanctam in ea forma, qua nunc in ecclesia cernitur, habitu tertii Ordinis, et chorda præcinctam. *Non potuit, quæ, ut cap.* 2 *nu.* 8 *et cap.* 6 *nu.* 23 *veste unica lanea rudi et aspera, e vilissimo panno, utebatur, non ad Minorum habitum prope accedere : eam vestem si zona adstringebat, uti*

*AUCTORE J. B.*

*an Tertiaria Franciscana?*

B *decori ratio fortassis poscebat, non mirum, funem adhibuisse. Neque tamen certum, non usos consueta licentia pictores. Nihil autem est in ejus Vita, quamobrem Religiosam fuisse cogamur fateri.*

*an nullius Ordinis?*

4 *Vitam S. Verdianæ a B. Attone Episcopo Pistoriensi, ejus gentili, Latine scriptam ait Razzius, ex eoque Ferrarius, Sed cum fateatur uterque, uti et Ughellus, B. Attonem circa annum* MCLIII *e vita migrasse, qui potest illius Vitam scripsisse, quæ an.* MCCXLII *aut* MCCXXII *obiit ? Eam Vitam manu exaratam accepimus.* B. Attonis *præferentem nomen, Italice versam a R. P. F. Hieronymo Setino ; quam, quia primigeniam, stylo ipsius Attonis, (quicumque demum is Atto fuerit) sive alterius, qui post* MCCVII *annum Christi scripsit, assequi non potuimus, ex Italico rursus Latine transtulimus. De B. Attone agemus* XXII *Maii, de quo ad eum diem Ferrarius, Razzius in Vitis SS. Etruscorum, et Locatellus lib.* 2 *caput* 15.

*Vita an a B. Attone Episc. scripta?*

5. *Scripsere quoque S. Verdianæ Vitam alii, Italice Razzius de Vitis fœminarum sanctitate illustrium, eamdemque habet in Vitis SS. Etruscorum; paullo breviorem Eudoxius Locatellus ; Gallice Franciscus Lahierius in Menologio Virginum ; Latine Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, Lucas Wadingus*

*aliæ ab aliis.*

C *to. I Annal. Minor. ad an.* 1242 *nu* 22. *Abrahamus Bzovius to. I suorum Annal. ad an.* 1222 *nu.* 27.

## § II. *S. Verdianæ privata publicaque veneratio.*

*Ingentem populorum concursum ad ejus venerandas Reliquias fieri solitum, suspendi anathemata, aliaque cili singularis ergo eam pietatis argumenta, patet ex iis quæ narrantur in Vita, quæque* x *Jan. retulimus in Vita B. Oringæ, sive Christianæ Virg. quæ an.* MCCCX *obiit. Nam cap.* 3 *nu.* 17 *ita habetur :* Discessit e S. Francisci æde atque urbe Christiana, venitque Castellum-Florentinum B. Viridianam honoratura. *Quod in altera Oringæ Vita perperam expressum a Cornelio Curtio, cap.* 4 *nu.* 22. Ceterum, *inquit,* Assisio egressura, locum in valle Elsæ non obscurum, Castrum-Florentinum petere instituit, B. Verdianæ salutandæ ergo, quæ Vallis-umbrosiani Ordinis sanctionibus conformiter vivere professa, illic ab hominum aspectu reclusa habitabat. *Obiit S. Verdiana* XVIII *annis ante natam Oringam, si an.* MCCXXII, *sin potius* MCCXLII, *certe cum ea bimula esset : qui ergo cum venit ad eam Oringa, dicitur reclusa habitasse, quæ pridem erat tumulo condita?*

*Visitatur ejus sepulchrum,*

*a B. Oringa*

7. *Auxit eam populi religionem Pontificis Maximi et Cardinalium favor, concessa indulgentia pœnitentiarum iis qui ad S. Verdianæ ædem quibusdam feriis, præcationis ergo, convenirent. Cujus Indulgentiæ a Julio* II *(ut scribit) concessæ meminit Razzius. Extabat in MS. codice, qui Italicam Sanctæ Vitam continebat, de hac re Julii* II. *aut Cardinalium, diploma, quod hic damus.* D

*templum ornatur indulgentiis,*

JULIUS PP. II.

...... Ostiensis, Georgius Portuen. Hieronymus Sabinensis, Antonius Prænestinus, Joan. Antonius.... Joan. Stephanus tt. S. Vitalis, Dominicus tt. S. Marci, ac Adrianus tt. S. Crysogoni, Presbyteri, Joannes tt. S. Priscæ, Jacobus tt. S. Clementis, Julianus S. Angeli, nec non Amaneus S. Nicolai in carcere Tullianensi Diaconus, miseratione Divina sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, universis et singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera caritatis inducimus, tanto salubrius animarum suarum saluti consulimus. Cupientes igitur ut ecclesia S. Verdianæ et filialis parochialis ecclesiæ plebis nuncupatæ S. Hippolyti de Castro-Florentino, diœces... (ad quam, sicut accepimus, dilecti nobis in Domino Mag. Franciscus de Attavantis Cameræ Apostolicæ Notarius, et Hieronymus etiam de Attavantis ejus filius, dictæ parochialis ecclesiæ Rector, Plebanus nuncupatus, singularem gerunt devotionem) congruis frequentetur honoribus, et a Christi fidelibus jugiter ornetur, utque Christi fideles ipsi eo libentius, devotionis caussa, confluant ad eamdem, et ad reparationem, conservationem, manutentionem, et munitionem hujusmodi ; quo ex hoc ibidem, dono cœlestis gratiæ. uberius conspexerint... Nos Cardinales præfati, videlicet quilibet nostrorum per se, supplicationibus Francisci et Hieronymi prædictorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei, una ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus, vere pœnitentibus et confessis, dictam filialem ecclesiam S. Verdianæ, in singulis Assumptionis B. Mariæ Virginis, S. Joannis Baptistæ, S. Barnabæ Apostoli, S. Verdianæ, ipsiusque filialis ecclesiæ dedicationibus, festivitatibus, et diebus, a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive, devote visitaverint annuatim, pro singulis festivitatibus sive diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis, innixi in Domino, relaxamus ; præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem litteras nostras hujusmodi fieri, nostrorumque sigillorum fecimus appensione communiri. Datum Romæ in domibus nostris, sub anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo quarto, die vero primo mensis Decembris, pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Julii Divina providentia PP. II anno secundo.

*a Cardinalibus sub Pio II*

E

*certis Festis,*

*100 dierum*

F

8 *Clemens* VII *publicam adjecit venerationem : nam, ut habet Ferrarius*, vita et miraculis examinatis... ut officio Ecclesiastico illam venerarentur concessit. *Idem tradunt Razzius, Bzovius, Lahierius, Arturus. Dabimus ipsiusmet Pontificis Breve ex eodem MS codice.*

CLEMENS PP. VII. Dilectis filiis salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecistis, quod in isto vestro oppido quoddam est oratorium, in quo B. Verdiana, olim concivis vestra, virginitatis laudem duxit, et post ejus obitum miraculis claruit, et in dies claret : proptereaque ad dictum oratorium frequens undique Christi fidelium concursus et devotio existit. Quare nobis humiliter supplicari fecistis, quod vobis, ut in die obitus ejusdem B. Verdianæ, qui primus dies Februarii fuit, et in quo eadem B. Verdiana, ut pie creditur, cœlum commutavit cum terris, Horas canonicas

*Clementis VII auctoritate.*

A canonicas et Missas de communi Virginum, secundum morem Romanæ Curiæ, ad Dei laudem, et ejusdem Verdianæ venerationem, pie recitari facere possitis, concedere dignaremur, ad vestram et eorumdem Christi fidelium pietatem conservandam. Nos qui cunctorum Christi fidelium devotionem paterno confovemus affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut deinceps singulis annis perpetuo, in dicto oratorio dumtaxat, in eodem primo die Februarii, Horas canonicas, et super altari portatili Missas, de communi Virginum, secundum eumdem morem Romanæ curiæ, ad Dei laudem, et ejusdem Verdianæ venerationem, celebrari facere libere et licite possitis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariisquibuscumque..... Datum in oppido prædicto, sub annulo piscatoris, die XX Septembris, MDXXXIII, pontificatus nostri anno V.

*Festum ejus Officio Ecclesiast. et Missa colitur :*

*nomen inscriptum Martyrologiis.*

9 *Inscriptum est illius nomen Martyrologio Benedictino Arnoldi Wionis, his verbis :* In Castro-Florentino S. Verdianæ reclusæ, Ordinis Vallis-Umbrosæ, miraculorum gloria, et prophetico Spiritu claræ. *Eadem habet Menardus, nisi quod* Verdinam *vocet. Benedictus Dorganius :* S. Verdianæ reclusæ, prophetico Spiritu et miraculorum gloria claræ. *Ferrarius in generali Catal.* SS. Apud Castrum Florentinum in Hetruria B. Virdianæ Virginis Reclusæ Ordinis Vallis-Umbrosæ. *Arturus a Monasterio :* Apud Castrum-Florentinum in Hethruria, B. Veridianæ Tertiariæ, fructibus pœnitentiæ dignis, et miraculorum gloria spectabilis.

B

*Translatio*

10 *In recenti quodam MS. Carthusiæ Bruxellensis, XIX Junii ista habentur :* Translatio Verdianæ Virg. *Quæ hæc sit Translatio, haud comperimus. S. Verdianam arbitror accipi oportere apud Gonzagam par. 2 provin. Tusciæ Conu. 31, ubi ita scribit :* Ejus loci *(Montuonis, ut ex Arturo et aliis dicemus 1 Maii ad B. Vivaldi Vitam)* incolæ, sacellum, seu potius eremitorium, ibidem in ejus honorem erigentes, ipsum Patribus hujus provinciæ Observantibus, an MCCCCXCIX in habitationem contulere : ea tamen lege, ut imagines Divorum Laurentii, Leonardi, et Verdiani, quos ipsi tamquam peculiares Patronos venerantur, in ecclesia depingi curarent. *Distat non procul a Montaone Castellum-Florentinum, ut non mirum sit, isthic quoque inter tutelares haberi S. Verdianam.*

*Montaone colitur ut Patrona.*

11 *In MS. codice unde Vitam S. Verdianæ accepimus exstabat in ejus laudem hymnus, quem hic dabimus.*

C

## § III. HYMNUS DE S. VERDIANA

Gaudeat cœli pia turba, dignis
Laudibus numquam resonare cesset,
Hoc die postquam meritis beata
Virgo triumphat.
Astra miratur, variosque motus
Siderum ; nubes pedibus sub imis
Cernit, æternos referens honores
Viridiana.
Sprevit indignos pia Virgo fastus,
Seculi pompas fugiens caduci :
Anguibus solum sociata vixit
Paupere tecto.
Plurimis corpus domuit flagellis,
Comprimens motus animi superbos,
Moribus dignis peragrans pudica
Omne per ævum.
Ast ubi pacis jubet ipse fila
Rumpere æternus Pater, orbis auctor,
Sponte jam nullo retegunt movente
Cymbala funus :
Regis æterni veneranda Virgo
Fertur in sinum, humeros amicta
Sole candentes, ubi lecta Sponso
Sponsa potitur.
Respice o Virgo soliis Olympi,
Quæ tuas laudes celebrat, catervam,
Et piis Mater precibus tuere.
Noxia pellens.
Obviam nobis venias, precamur,
Dexteram tendas famulis benignam :
Limen æterni resera Tonantis
Candida Mater.
Bellicos motus acrius retunde ;
Hostibus sævis patriam tueri
Jam tibi pulchro libeat beatæ
Munere pacis.
Exitus nobis petimus secundos,
Annuas, Virgo, meritis, precamur :
Prosit, in nostris laribus fuisse
Te Dea quondam.
Robora, Virgo, fragiles caducos,
Dextera mitis releva jacentes,
Semper et nostros pia Mater actus
Dirige sursum.
Tu refers, Virgo, precibus benigna,
Quidquid a summo petis alma Rege :
Tu graves morbos veterisque sanas
Vulneris ictus.
Vota nunc felix populi ruentis
Suscipe, Mater : prece te fatigat
Terra, qua ducis genus, unde divum
Lumen adisti.
Sit Patri summo Genitoque virtus,
Flamini et sancto : Deus unus auctor,
Cuncta qui nutu regis et gubernas,
Secula vincens.

D

E

# VITA

### ab Attone Ep. Latine scripta, *hic versa ex Italico Hier. Setini.*

### CAPUT I.

*Verdianæ sancta adolescentia. Peregrinatio ad S. Jacobum.*

Religiosissima Virgo Verdiana, Castelli-Florentini, quod oppidum est in territorio ac dioecesi Florentina, pauperibus quidem, sed Catholicis, nata parentibus est. Ea adhuc parvula, aliarum puellarum, etiam æqualium, vitabat consortia, intenta solitudini, precationi, abstinentiæ. Incessebat intuentes admiratio, cum animadverterent nihil ab ea actitari puerile, majora ætate omnia. Oppidani ergo viri juxta ac feminæ, perspecta tam insigni prudentia ac sanctis actionibus, ejus mores et conversationem sedulo observabant, et quibus ei ad vitam sustentandam opus erat, ultro suppeditabant. Nondum duodecim annos nata, vultu speciosa, habitu humilis, studiosa paupertatis, paucis ac vilibus rebus contenta, lumbos vinculo ferreo stringebat, quod in illius æde adhuc servatur, ostenditurque interdum summa cum veneratione. Asperrimo præterea operta cilicio, supra fere quam pati humana imbecillitas posset, dedita assidue erat vigiliis precibus, jejuniis. Quod ad sui custodiam attinebat, ita divinitus erat erudita, nihil ut unquam verbo, opere, nutuve aut gestu designaret, quod eximiæ ejus sanctitati omnino repugnaret.

*a Verdiana a prima ætate sancta,*

F

*humilis,*

*asperæ pœnitentiæ dedita,*

2 Hæc cum diligenter considerasset quidam illius consanguineus, vir opulentus ac nobilis, ex illustri Attavantorum ortus familia, eam in domum suam accepit, futuram comitem, custodem, et adjutricem suæ conjugis :

*viri divitis domum gubernat :*

*AUCTORE ATTONE EP. EX ITALICO.*

A conjugis : cujus etiam rogatu, universæ domus curandæ et onus imposuit. Haud multo post tempore ingens populum inopia ac fames oppressit. Erat in herili domo vas ligneum bene magnum, leguminibus refertum. Cum igitur gloriosa hæc Virgo, cujus intima viscera pietas atque inopum commiseratio pervaserat, plurimos cerneret utriusque sexus mortales dirum in modum fame vexari, Divini Spiritus instinctu ea omnia legumina in pauperes distribuit. Interim ea herus cuipiam vendidit, acceptoque pretio, domum deduxit emptorem. Hic cum vas vacuum reperisset, vociferari, et convicia vomere cœpit, magno domesticorum ac vicinorum scandalo.

*famis tempore legumina dat pauperibus*

*hero irato,*

3 Evenere cuncta hæc peculiari Dei providentia, ut lucerna adhuc sub modio abscondita humilitatis, velut candelabro imposita, late vera fama eximiæ sanctitatis splendesceret; et quanti apud Deum esset meriti, fieret etiam hominibus manifestum. Cum igitur turbata essent in ædibus omnia, plenaque tumultu, ob herilem iracundiam, humili Dei ancillæ res innotuit : quæ illico magna fiducia precationi se dedit, totamque in ea noctem exegit. Postridie arcam, ut prius, plenam fabis invenit. Herum advocat, ac monet, ut querelis deinceps abstineat, Christum enim, qui fabas acceperat, eas illi restituisse. Ac

*precibus ea restitui divinitus impetrat :*

B vere sic res erat. Ille miraculo attonitus, reveritus deinceps Verdianam est, nec minus præ gaudio tunc, atque antea præ dolore exclamavit. Late per provinciam celebrata Verdianæ sanctitas, cum eo eventu constitisset, quanta apud Deum in gratia esset, quæ veterum Sanctorum, *b* Ilderemiæ, *c* Elisæi, *d* Benedicti, *e* Fortunati, aliorumque admirabilia opera imitaretur. Verum B. Verdiana, sponsi sui Christi Jesu exemplo, odisse ac fugere honorem, abominari mundanam gloriam, et, si qua fas esset, fugam e patria sollicite meditari. Quod ut sensere cives, permoleste tulerunt.

*b c d*

*e*

*meditatur fugere, ne honoretur*

4 Evenit Dei nutu, ut *f* matronæ quædam in Galleciam ad S. Jacobi Apostoli sepulchrum peregrinationem susciperent. Iis se comitem dedit Verdiana. Hic eam per Deum obtestari cives sui, ut quamprimum ad ipsos reverteretur. Quod iis pollicita Virgo, peccatis prius confessione expiatis, perceptoque in viaticum Christi corpore, atque ejus munita benedictione, iter ingreditur. Per omnem viam (quod permirum) nihil de assuetis vigiliis, precationibus, jejuniis remisit. Summo mane surgebat cum comitibus, et quia eximia ardebat caritate, visitabat, ubi se dabat occasio, infirmos in nosocomiis, pluribusque aliis locis, ac

*f*

*profecta iter ad S. Jacobum.*

*datque caritatis, humilitatis et sanctitatis exempla*

C blandis eos sermonibus solata, exemplis quoque et obsequiis, non verbis solum, ad patientiam hortabatur. Hilarem ac comem sodalibus aliisque sese in hospitiis ostendebat, atque indefessam omnibus pedes abluebat, ac summa submissione tergebat : omnibus in rebus ac locis Christi humilem ancillam se exhibebat. Feruntur e popularibus ejus complures, etiam primarii, iter illius, pietatis ergo, prosecuti, qui omnia ejus acta sedulo observarunt, eaque reduces suis civibus narrarunt.

*a* In MS. add tunc erat, eo tempore, quasi tunc, cum Auctor scriberet, in ea diversi mores esse. *b* Hic de ... scrib. debuisse, et indicari miraculum Sareptanum 3 Reg. 17. *c* ... fide et precibus factum est 4 Reg. 4. ... *d* ... S. Benedicti hoc ... miraculum, ut videre est in ejus Vita ... cap. 21 et 28 ... ad cap. 28 ... aliorum SS. exempla. *e* ... memoria ... Sed ... de S. Fortunato Ep. ... de quo agit S. Gregorius lib. 1 Dial. cap. 9 et 10, et ... lib. 7. *f* ... Verdianam.

## CAPUT II.

*Verdianæ iter Romanum, inclusio, vitæ austeritas.*

Cum domum revertisset, summa omnium lætitia excepta est, non secus ac thesaurus antea deperditus ac denuo inventus. Gestire omnes alacritate, eamque obsecrare, ne quoquam deinceps a patria abiret. Illa soli Christo cupiens, non hominibus placere, unum eos rogavit, ut publicis expensis sibi eremiticam domunculam fabricarentur, in qua posset solitaria vivere, ab omni hominum sejuncta consortio ac rebus mundanis; ut peregrina in terra, cum Apostolo conversationem haberet in cœlis. D

*rogantibus suis, ne alio eat,*

*petit sibi cellam construi :*

Phil. 3. 20

Quod propitia Numinis voluntate, ex voto Virginis factum, eique cella ædificata trans Elsam flumen, *a* in ecclesia S. Antonio olim dicata. Dum illud ipsi construitur habitaculum, nihil consuetarum precum intermittens, constituit, priusquam cellæ includeretur, Romam proficisci, ibique Quadragesimam exigere. Iter ergo cum honorato piarum matronarum comitatu suscepit, eadem actitans quæ in priori ad S. Jacobum peregrinatione. Romam ut attigit, loca sacra pie obit, et Sanctorum meritis sese toto animi affectu commendat : præcipue basilicas SS. Petri et Pauli frequentabat, inque iis diutissime orationi aliisque sanctis actionibus vacabat. Tantam sibi in alma Urbe piorum hominum gratiam comparavit, ut eam in patriam reverti non paterentur. Triennium isthic dicitur commorata, non sine popularium suorum admiratione ac dolore, metuentium ut ea reverteretur, ac tale ipsis restitueretur præsidium. Tandem Divino nutu, furtim quodammodo Urbe egressa, in patriam revertit, publica suorum exultatione excepta. E

*a*

*it Romam*

*ibi triennio hæret :*

6 Perfecta jam, quam incolere optabat, cella, constituto die ad oppidi ecclesiam venit, ubi facta peccatorum confessione, sumptaque Eucharistia, coram Plebano *b* vovit Deo ipsique Plebano obedientiam. Is habitum velumque benedixit, quibus eam deinde induit, et Canonico cuidam ejusdem Ecclesiæ, a toto Canonicorum collegio ad id electo, eam tradidit ad præparatum habitaculum deducendam. Eo ipsa tetendit, Crucem brachiis gestans universo Clero ac populo comitante. *c* Ingressura rogat adstantes, ut Deo pro se offerant preces : illi vicissim, ut pro ipsis oret, obtestantur. Cum ingressa esset, obstructus aditus est muro exædificato, exigua solum relicta fenestella. Exstat ea etiamnum cella, sed in sacellum mutata : ipse eam puer meis oculis vidi. Quanto studio antiquum illum Patrum Ægyptiorum fervorem innovarit, satius erit non explanare dicendo, ne me increduli quidam homines nimiæ credulitatis accusent : cum ipsi Apostolo Paulo æmuli sui non pepercerint, arbitrati discipulum esse Ananiæ, a quo erat baptismo lustratus, non Christi, a quo vocatus, ac cœlestium thesaurorum particeps effectus; de quibus ipse pronuntiat, animalem hominem non percipere quæ sunt Spiritus Dei. Nemo tamen ambigat, quin amplissima de hac Virgine dici a nobis verissime possint. F

*b*

*sacro velo donata,*

*c*

*cellæ includitur,*

*et sancte in ea vivit,*

1. Cor. 2. 14

7 In eam cellam inclusa Verdiana, florenti adhuc ætate, ac venusto aspectu, ut liberius Deo vacaret ac rerum sacrarum contemplationi, in perpetuum vino abstinuit, satisque gnara naturam paucis contentam, admensum cibum non nisi semel in diem sumebat, sub occasum solis, magis sustendæ naturæ, quam captandæ delectationi. In nuda humo cubabat, hiberno tempore tabulam substernens, cervical illi rudis truncus. Vinculo ferreo, uti ante scriptum, nudum corpus constringebat, eique asperrimum cilicium superinduebat : vigiliis, jejuniis, orationi semper intenta. Cum Missam audiret, aut Divinum officium ipsa recitaret, mens illi assidue in Deum rapiebatur. Diligenter otium vitabat, ne serpens antiquus, qui feminæ calcaneo inde a prima origine insidiatur, in ejus vita ac conversatione vel momentum temporis sibi vindicaret. Si quid committeret, aut antea commisisset

*semper vino abstinens,*

*parco cibo utens,*

*sæpe rapitur*

A commisisset levium delictorum, assignato sibi Sacerdoti cum lacrymis quaque hebdomada confitebatur, et veluti gravium criminum rea, injunctam ab eo pœnitentiam ejulans et plangens explebat.

*meditans lacrymatur:* 8 Narrant qui eam noverunt, peculiari Dei favore obtinuisse copiam lacrymarum, sive Christi Passionem attente meditaretur, seu sibi regni cœlestis Deique fruitionem differi cogitaret, seu denique cerneret miserorum ærumnas, quibus intime compatiebatur. Maximopere paupertatem amabat, seque non *colit paupertatem,* modo rebus superfluis spoliabat, verum quantum naturæ ferre imbecillitas poterat, etiam necessariis, ut perfectissime sponso suo similis evaderet. Nihil omnino possidere voluit, aut sibi retinere præter parcissimum cibum : si quid ex eleemosynis ipsi collatis supererat, id omne pauperibus eo adven- *cilicio et vili veste tecta.* tantibus erogabat. Nihil de vestitu ejus exteriore loquor; erat enim is e vilissimo, qui tunc reperiri *Matth. 6, 34.* poterat, panno. Omnino in crastinum, juxta Evangelicum præceptum, sollicita non erat : omnis enim ejus animi affectio in cœlis erat, non in terra.

9 Ea ratione triginta quatuor annos vixit, soli Deo nota : nulli unquam facies ejus viro conspecta, nec ipsi viri ullius. Raro ipsa hominibus loquebatur, ne a solitæ contemplationis dulcedine animus B avocaretur. Si qui tamen ad eam adibant, spiritualis *raro, nec nisi de Deo, loquitur, et multos solatur* fructus atque ædificationis gratia, mirifice in ejus verbis relucebat gratia Spiritus sancti, qua animus ejus alluebat, uti ex abundantia cordis os loquitur. Si quis mœstus, aut aliqua pressus necessitate, aut alia ratione perturbatus ad eam venerat, abscedebat tanto perfusus solatio, ut ipsemet admiraretur. Quandoque biduo triduoque nulli ipsam interpellanti respondebat, omnibus illa ejus patientia attonitis. Cre- *certis temporibus continenter silet* ditur eo tempore Divinorum contemplatione, sanctique Spiritus dulcedine fuisse absorpta. Per Quadragesimam, Adventum, ab Ascensione Domini ad Octavam usque Pentecostes, die Assumptionis Deiparæ et per Octavam, rarissime cuiquam respondebat.

a *Extra oppidum, ut notat Locatel.* — b *Locatel. ait fuisse virum vere sanctæ vitæ.* — c *Addit Locatel. hymnos et psalmos magna cum spirituali alacritate inter eundum cantatos, ac die Dominica id contigisse.*

## CAPUT III.

### *Verdianæ et serpentium convictus.*

Cum Sacerdos quidam ad populum diceret in C S. Antonii æde, ac narraret S. Antonium a dæmonibus varias brutorum animantium formas indutis multa fuisse perpessum, hominum quoque importu- *S. Antonii exemplo orat, ut pati possit:* nitate vexatum, Verdiana sancti Spiritus gratia incitata, multis precibus Divinam pietatem obsecrat, sibi ut consortium ejusmodi tribuat, quo et merita augere, et aliqua perpessu aspera ipsumque adeo martyrium sustinere, ad gloriæ Divinæ amplificationem, ac pleniorem suæ patientiæ coronam possit. Non sivit eas inanes Divina providentia preces esse.

11 Biennio fere postquam erat illi cellæ inclusa, cum ejus deprecatio Divino esset conspectui oblata probataque, ecce horribiles duo serpentes, æquali ambo magnitudine, in cellam ejus per fenestellam *duo serpentes ei cohabitant,* ingressi sunt. Cohorruit Verdiana, anceps consilii quippe gnara familiare dæmoni animal esse serpentem. At Cruce sese consignans, Divinæ acquievit voluntati, ac se precationi dedit. Hic Divinam agnoscens visitationem, nihil humani præsidii procuravit aut expetiit. Mansere illic serpentes per longum temporis spatium die ac nocte : ac si quando egrediebantur, brevi rursus redibant : neque unquam abe- *et cum ea vescuntur,* rant eo tempore quo cibum capere Virgo solebat, cum ea ex eadem patina edendo, in qua illa panem aqua maceratum, lactucasve aut legumina habebat. D absque ullo olei salisque condimento. Si quid vero *AUCTORE ATTONE, EP. EX ITALO* feris hospitibus deerat, cauda eam verberabant, ita *eamque verberant,* crudeliter, ut se Dei famula nonnumquam octo dierum spatio erigere a terra non valeret. a Sed cum in memoriam revocaret varios Martyrum cruciatus, a sentiebat patientiam suam in Domino corroborari, quantoque imbecillior corpore, tanto spiritu fortior erat.

12 Interea fama b sanctitatis ejus ad Ardingi b Episcopi Florentini, Theologiæ Doctoris, aures pervenit : is illam invisit, et, ut erat vir pius, multos dies cum ea de rebus spiritualibus collocutus est, magna cum animi sui voluptate. Verum ut triste illud serpentum contubernium cognovit, vel quia exeuntes ingredientesve viderat, vel quia innocentissima Virgo adacta illius præcepto, omnem facti *Episcopum orat, ne eos fugari curet:* seriem, quantoque secum essent tempore commorati, aperuerat, rei novitate stupefactus, pellere eos rusticorum opera constituit. Id ut sensit Verdiana, secreto eum per Dei nomen obtestatur, ne sibi fructuosam illam societatem adimeret. Cessit ejus precibus pius Præsul, ea Virginem caritate prosecutus, ut quotannis eam, quoad vixit, visitarit. Cernebant quidem subinde vicini eosdem serpentes at negligebant quærere unde isthuc venissent, quove tende- E rent; neque enim hospites esse Verdianæ suspicabantur.

13. Transeunte isthac (nam ad viam publicam sita erat ecclesia) Legato Pontificis cum ingenti hominum multitudine, quidam ex illius comitibus occidere serpentes illos conati sunt, atque utrique caudæ *læsos sanat* partem bene magnam absciderunt. Illi subito in cellam relicta in publico parte præcisa, ad nutricem suam refugerunt, c ejusque attactu non modo curati, c sed et redintegrati sunt : at deinceps, pro more serpentium, multo crudelius in eam quam antea sævierunt, omnia majori quam antea patientia perferentem.

14 Post annos triginta, eoque amplius, innotescere accolis cœpit, invita licet Virgine, cohabitare illi serpentes, quos, dum conveniendæ illius occasionem præstolantur, exeuntes e cella ac redeuntes viderant : quanquam id illa quibusdam magis familiaribus indicarat. Metuentes igitur accolæ, ne quid *uno ab accolis cæso, altero fugato, dolet:* Virgini incommodarent, observata qua ingredi solebant hora, cum denuo egrederentur, alterum occiderunt, inscia Verdiana, alterum fugarunt, ut deinceps amplius visus nulli sit. Displicuit ea res Virgini orbatæ tanti meriti materia, et divinitus concesso F contubernio. Nec longo post tempore peculiari *moritura indicat, quid ab iis perpessa sit* sancti Spiritus instinctu imminere sibi obitum sensit : ac multorum rogatu, præsertim Confessarii sui, indicavit, quanto tempore eorum usa esset convictu, et quid ab iis passa. Quia vero nihil fides ejus ex fama accipiebat detrimenti, Divina providentia factum est, ut virtutes ejus per omnem late regionem celebrarentur. Cœpit etiam Virgo, Dei munere, plurimis clarescere miraculis.

a *Addit Locatellus:* mordebant quoque, sed, Dei nutu, nihil illi nocebat venenum. — b *Perperam Labinius ad eam venisse Ardingum scribit motum fama prodigii cohabitantium illi serpentum. Ardingi fit sæpius honorifica mentio in Annalib. Servorum Mariæ lib. 1 c. 2, diemque obiisse circa an. Chr. 1248 obiisse. Pluribus de eo agit Ughellus in Italia sacra.* — c *Signo Crucis curatos ait Lahier.*

## CAPUT IV.

### *S. Verdianæ miracula in vita.*

Cum esset æstivo tempore juvenis quidam staturæ et ætatis mediæ in S. Antonii ecclesia, hunc rogat Verdiana, sibi ut vas fictile e puteo, qui exstat etiam num viæ publicæ propinquus, aqua impleat. Paret ille,

A ille, ad *a* puteum properat, aquam haurit, Virgini præbet. Illico ea in vinum mutatur: quod cernens Verdiana, rata pie sibi illum voluisse illudere; Ignoscat tibi Deus, fili, ait. Aqua mihi opus erat, non vino. Ille attonitus; Carissima Domina Mater, inquit (ita eam vulgo compellabant) certo scio, aquam me e puteo hausisse, non vinum. Aspice, ait illa, aquane sit, an vinum; eique idem illud vas per fenestellam tradit. Colorem is, odorem, saporem explorat, reperitque aquam in optimum vinum conversam. Vas illa repetit: negat is se redditurum, simulque e templo se proripit, omnibusque miraculum narrat, concurrentibus etiam ex vico Timiniano, qui sub eodem est oppido, ad insolitæ rei spectaculum.

*AUCTORE ATTONE EP. EX ITALICO.*

*a* *aqua ei versa in vinum,*

*b* 16 Tandem *b* Magistratus Reip. Florentinæ, Plebani et aliorum consilio, vas illud in oppidum est deportatum, deque rei veritate inquisitum. Constanter asseverante juvene, aquam se e puteo haustam, non vinum, ad Sanctam attulisse, mirabantur cuncti insolitam vim vini odoremque; ac beatum sese existimabat, qui vel guttulam poterat obtinere. Ea devotio fidei in quibusdam extitit, ut infirmi complures sanati dicantur, cum pauxillum illius vini gustassent. Magnam ea res Verdianæ, honorem omnem ac laudem humanam respuenti molestiam attulit, et

*quo ægri curati:*

B raro deinceps ac difficulter responsa consulentibus dabat. Imitari eam arbitror voluisse factum illius sanctæ anachoretæ, qui bis terque, ut summum, conspici ab hominibus potuit, indignos judicans Angelicæ conversationis, qui frequentia hominum delectarentur.

*re vulgata, rarius respondet:*

17 Exeunte ad rusticum opus colono quodam, corruit jumentum, onusque excussit, et insidentem coloni filium graviter afflixit, confracto brachio, ac *c* genu. Ad hujus subitum clamorem et ejulatum, accurrunt mœsti parentes, quibus jam filius haud diu in vivis futurus credebatur. Supervenientes alii, ut fit, nonnulli, suadent ut filium sistant S. Verdianæ, eamque rogent, ut Deum pro eo precetur. Continuo ad Virginem properant: pulsant cellæ de more fenestram: sed cum diu nulla audirent, dolore gravissimo afflicti ac tædio victi, dubii hærebant, abirentne opis exsortes, an adhuc opperirentur. Demum mater filiolum ei per fenestram porrigit: quem ut tetigit Sancta, is subito planctu in risum mutato, ac gestu aliisque indiciis lætitiam testificari cœpit, et, Sanus sum, inquit. Attoniti parentes diligenter inspiciunt, sanum penitus et incolumem reperiunt, actisque Deo gratiis, ad sua revertuntur.

*c* *puerum graviter læsum tactu sanat:*

C 18 Alia mulier diu oculis doluerat primum, dein cæca effecta, audita Verdianæ fama, ad eam adit, calamitatem suam exponit, per amorem Dei, ut opem ferat, obtestatur. At Virgo multis ac sanctis argumentis eam ad ferendum illud incommodum hortata, demum palmæ ramum illi tradit, quam ad eam confessarius suus die Palmarum attulerat. En carissima, inquit, quod largiri nunc possum; neque enim aliud habeo quidquam. Eum hæc ramum magna animi alacritate ac pietate osculatur, admovetque oculis: qui (mirum dictu) primo illius attactu subito recipiunt lumen. Gratiis igitur Deo, Sanctæque actis, domum redit illud identidem ingeminans: Mirabilis Deus in Sanctis suis.

*cæcam illuminat palmæ benedictæ ramo:*

a *Extat is nunc quoque, Bazzio teste.* — b *Videtur Præfectus oppidi Castelli-Florentini intelligi, qui fortassis a rep. Florentina constituebatur.* — c *MS. habet* occhio *oculum, Bazzius* ginocchio, *genu,* puero fractum: *hoc verisimilius.*

## CAPUT V.

### *S. Verdianæ obitus miraculis illustratus.*

Tandem suæ peregrinationis metæ appropinquans, solito ferventius ac frequentius vacabat orationi, et vim magnam profundens lacrymarum, Divinis operibus intendebat. Cum enim triginta *a* quatuor annos in angusta illa cella exegisset, tandem cœlitus edocta est, quo die migratura esset e vita. Nullos deinde cum quoquam mortalium amplius miscere sermones voluit; sed accito ad se tempestive Confessario, eo animi dolore, ea cum copia lacrymarum, omnes animæ nævos per confessionem eluit, ac si enormes noxas admisisset. Peracta confessione, sacratissimum Christi corpus sibi impertiri flagitavit: prius vero quam id sumeret, prolixiores solito preces fudit coram Sacerdote, quod ille miratus, quærit cur præter morem longiori orationi indulserit? Illa accepta Eucharistia, fenestram claudit, genua flectit, apertoque psalterio septem psalmos pœnitentiales pie decantat: perveneratque ad psalmum MISERERE MEI DEUS, an cum absolverit, haud constat: ad eum psalmum apertus inventus est liber: ipsa sublatis in cœlum oculis ac manibus, ita ut erat poplitibus nixa, animam Deo reddidit.

D *a* *diem mortis divinitus cognoscit:*

*confessa sumit Eucharistiam:*

*legens Psalmos pœnitentiales moritur.*

20 Evenit felicissimus ejus transitus anno a Christi nativitate MCCXLII, ipsis Kalendis Februarii: is cum adhuc mortalibus esset ignotus; quantis illa virtutum meritis polleret, quo triumpho et exultatione anima ejus in cœlestem deportata Hierusalem esset, manifestis indiciis, usitatisque Ecclesiæ militanti publicæ solennitatis argumentis, declaratum est. Sunt enim in æde S. Hippolyti Martyris campanæ tres, quæ simul pulsatæ suavissimam edunt harmoniam. Stupenda res: ipso momento, quo decessit Verdiana, nemine impellente, ultro, mirabili modo, sonuerunt. Obstupuere illico omnes, quoniam ejusmodi sonitum neque ea diei hora, neque occasio ulla, vulgo nota, postulabat: concurrunt igitur ad templum viri ac fœminæ, et pulsum eum a nemine cieri conspiciunt. Stabant omnes miraculo attoniti: juvenes quidam curiosa ducti audacia, sistere campanas conantur. At frustra contra Divinam voluntatem ministeriumque Angelicum nituntur vires humanæ: videbantur enim iis sua divelli a corporibus brachia, impulsu campanarum violente prostratis. Sonus vero earum erat, non qualis adhiberi in funeribus, aut ceteroquin operariis diebus, sed ut in publicis celebritatibus, consuevit. Durasse is fertur, donec sanctæ Virginis repertum est corpus, aut (quod a pluribus traditum reperio, estque similius veri) toto quo migravit die, ac nocti insequenti.

*1 Febr.*

E *Ultro sonant campanæ.*

*nec sisti queunt.*

21 Dei postea instinctu, qui Sanctos suos inter peregrinantes adhuc in terra mortales honorare consuevit, aliquanto temporis spatio post præbitam Verdianæ Eucharistiam, subit Confessario memoria ejus, quod postrema illa vice præter morem egerat, idque pluribus narrat. In hanc cuncti vocem prorumpunt: Vere, vere id propterea editum a Deo est signum, quod ad se gloriosam Matrem nostram evocarit. Omnes quamprimum ad S. Antonii ædem conveniunt, in cujus angulo Verdianæ cella erat. Fertur præterea infantulus, necdum loquelæ capax, adhuc maternis ulnis gestatus clare isthæc pronuntiasse verba: Famula Dei Verdiana mortua est. Crevit cœptus jam strepitus popularis famæ, pluresque excivit. Ut ad cellam venerunt, de more fenestram pulsant. Cum nullum, quod antea solebat, daretur responsum, murus perfossus, et patefactus aditus est. Primus lacrymans ingreditur illius Confessarius, tum Sacerdotes ceteri, aliique religiosi homines, omnes metu perculsi: conspicati erectum in genua corpus, abreptam eam in extasim existimarunt. Sed cum neque consueta suspiria, neque aliud vitæ indicium animadverterent, intellexerunt demum vita functam.

F *hinc cognito ejus obitu,*

*atque ex infantis voce,*

*perfoditur cella:*

22 Stabat nixa genibus, oculis manibusque in altum sublatis, orantis ritu: *b* quo ex gestu conjecere nonnulli, sanctos Angelos ei in ipso exitu animæ apparuisse, *b*

A apparuisse, qui eam in cœlos deducerent. Argumento itidem is situs fuit, nulla eam oppressam ægritudine fuisse, ob quam jacere opus esset. Sanctos legimus Martinum, Basilium, Gregorium, Augustinum, Ambrosium, multosque alios eximiæ virtutis, aliqua tamen correptos ægritudine, priusquam migrarent e vita : imo vix paucos, ac fortassis ne unum quidem reperiemus, præter Martyres, qui non aliqua infirmitate corporis ac dolore finitus sit : nisi si quibus eximiæ omnino sanctitatis hominibus singulari quodam privilegio indultum, ut omnis expertes molestiæ decederent : quod datum divinitus Deiparæ Virgini est, ac SS. *c* Severo Ravennatium Antistiti, *d* Petronillæ Petri Apostoli filiæ, *e* Joanni Evangelistæ, atque aliis nonnullis.

*quo situ mortua, conspectis forte Angelis, absque prævia ægritudine*

a *Ferrarius solum* triginta *habet.* — b *Arturus, haud scimus an recte, ait* cancellatis brachiis *obiisse.* — c d e *De S. Severo supra retulimus hoc ipso die; de* S. Petronilla *referemus* 31 *Maii, de* S. Joanne 27 *Decemb.*

## CAPUT VI.

### *S. Verdianæ funus curatum, non sine miraculis.*

Ubi palam innotuit, obiisse Verdianam, omnes B immenso quodam gaudio simul ac mœrore perfusi sunt : neque enim poterant non summe mœrere, cum tanto se privatos cernerent spirituali solatio, ac magisterio illius, quæ perpetuo ea quæ ad Dei gloriam, suarumque salutem animarum agenda iis essent, edocebat. At gestiebant lætitia, cum novum sibi paratum apud supremum Judicem patrocinium recordarentur. Dein vero primariorum consilio, viri a cella abscedere, honestiores matronæ ingredi, ac sacrum corpus gloriosæ Virginis componere jussæ sunt. Id dum peragunt, vinculum ferreum nudo corpori appressum, et, internulæ modo, cilicium, quæ perpetuo gestaverat; tum unicam laneam vestem his inductam, rudem admodum et asperam. Erat cella omni prorsus ornatu destituta : ut vel inde conjicere fas esset, quantopere Virgo Divinis rebus contemplandis fuisset affixa, quæ nihil rerum terrenarum vel habuisset vel appetiisset.

*Compositum a matronis corpus,*

24 Cum igitur harum manibus matronarum lotum sacrum corpus esset, ac compositum, decenterque, pro loci ac temporis modo, involutum, foras productum, inque ecclesia collocatum est. Tum vero, non ut ceterorum cadavera fœtorem expirare, sed mirificæ suavitatis odorem, quem omnes percepere ad *a* decem et octo dies; tanto enim spatio temporis C inhumatum isthic permansit. Quis copiam luminum? quis confluentem eo hominum multitudinem explicet? Illico didita est per omnem provinciam locaque finitima tantæ rei fama : ea exciti, omnem secum familiam trahunt, ipsos adeo parvulos liberos jumentis impositos, cuncti velut immemores rei familiaris, agriculturæ, pecorum, opificii. Nihil vero isthic actitare, nisi exosculari sacrum corpus, pie illud circumstare, accensa tenere manibus lumina. Neque soli convenere Elsæ amnis utrimque accolæ; verum feruntur *b* Florentia, Pisis, Sena, Volaterris, aliisque ex urbibus, etiam remotioribus, plurimi advenisse.

*in templo locatum, suavem odorem exspirat, diu incorruptum.*

*concurrunt plurimi,*

*idque venerantur*

25. Multa meritis sunt sanctæ hujus Virginis patrata miracula; sed majorum negligentia non omnia litteris tradita. Paucula memorabo, quæ vel gratitudine eorum, quibus bono commodoque fuerant, vel quia genere ipso illustriora, ad nos usque pervenerunt.

*facta miracula*

26 Matrona nobilis, cui Berta nomen, lepra multo tempore laboraverat, neque præ verecundia ac mali horrore, quoquam efferebat pedem ex ædibus. Verum ut insolitum campanarum sonum audivit, strepitumque concurrentis multitudinis, et horum D caussam cognovit, tenere se non potuit quin, seposito pudore, gloriosæ illius Virginis viseret corpus; cujus reverenter opem imploravit, ac magna fide et pietate corpus ejus exosculata, illico lepra omni caruit : gratias Deo, cum adstantibus, magnas egit, ac domum reversa, numquam suæ liberatricis oblita est; sed quibus potuit modis, illius amplificare honorem deinceps conata.

*leprosa sanata:*

*AUCTORE ANTONIO EP. EX ITALICO.*

27 Alia mulier prodigiis, quæ fiebant, auditis, pia ducta curiositate, Virginis corpus visitatum venerandumque accurrit, relicto, quem domi accenderat, luculento igne. Cumque aliquamdiu in templo, miraculorum, quæ assidue fiebant, novitate attonita, hæsisset, venit in memoriam et foci succensi et filioli in ædibus relicti, ac sollicita ne evenisset, quod revera evenerat, nec minus filioli periculum, quam mariti iram verita, sanctæ Matris Verdianæ auxilium pie imploravit. Domum celeriter reversa, puerulum reperit in mediis flammis intactum, adeoque exultantem. Illa non minus lacrymarum præ ingenti, qua subito correpta fuit, lætitia profudit, quam præ dolore, si quid secus filio esset factum, profudisset, cœpitque alte vociferari. Exciti ejus clamoribus complures in domum advolant, spectant ipsi miraculum, Deumque in Sancta sua collaudantes, puerulum illæsum mediis e flammis extrahunt. E Dicitur illud miraculum evenisse in oppido Timiniano.

*puer in igne illæsus:*

28 Iniere tandem primores populi de sepeliendo Virginis corpore consilium; effractaque, quam inhabitaverat, cella, novum isthic sacellum erexerunt, aramque statuerunt, templo ad illud latus dilatato. Illic tumulatum Verdianæ corpus, suavissimum odorem assidue exhalans. Quamvis autem ampliata postmodum æde, destructum illud fuerit sacellum, ara tamen eodem etiamnum stat loco, quod eo obiisse Virgo memoretur. Ædes ipsa deinceps S. Verdianæ est *c* appellata, quæ prius S. Antonio erat dicata; ei nimirum qui post S. Paulum primum Eremitam, merito anachoreticæ vitæ primipilus habetur. Is in Thebaide celeberrima Ægypti *d* civitate cellis eremiticis constructis, illud vitæ genus instituit : hæc nostra Virgo in Italia, et si non eremum incoluit, vitam tamen solitariam Eremitarum more duxit, miraculis a Deo comprobatam.

*S. Verdianæ sepulchrum, ara, templum.*

29 Sepulto hunc in modum intra illud sacellum Virginis corpore, pia quædam femina, ut ad illud lampas perpetuo arderet, censum de suo contulit. At non omisit Satanas solitas artes, quibus quæ ad Dei Sanctorumque honorem fiunt, turbare consue- F vit. Decidit igitur quadam vice ea lampas : verum ad majorem pessimi dæmonis ignominiam ac dedecus, contra figuræ suæ rationem, erecta constitit, neque confracta est, cum vitrea esset, neque effusum oleum, ac ne lumen quidem extinctum, cum ex satis edito loco decidisset. Universus populus miraculi testis fuit; permansit enim longo tempore erecta humi, ut ceciderat, lampas.

*Lampas lapsu nec fracta, nec eversa.*

30 Audivi a viris fide dignis, qui se majorum relatione id afferebant didicisse, consuevisse festo S. Verdianæ, quod Kalendis Februarii celebratur, ante ejus altare lampades accensas deferri, quæ neque novo infuso oleo, neque alio lychno apposito, diutissime ardebant.

*aliæ diutissime sine novo oleo lucentes.*

a *Bzov. et Wading.* septemdecim. *Ferrar. Bzov. Lahier* sedecim. — b *Antiquæ omnes hæ et celebres Etruriæ urbes.* — c *Ferrarius.* Ecclesia ejus nomine constructa. — d Thebais *regio Ægypti descripta a nobis* 17 *Jan. in Vita S. Antonii* § 1. *Alia superior, in qua Syene et Tabennesiotarum loca; alia inferior, in qua natus Paulus* 1 *Eremita, ut ex ejus Vita patet* 10 *Jan.*

## CAPUT VII.

### *In S. Verdianæ templo miracula.*

Miles Romanus armorum tractandorum peritia celebris

*AUCTORE ATTONE EP. EX ITALICO.*

A lebris in quodam conflictu grave in femore vulnus accepit, ita alte infixa ossi cuspide, ut nulla medicorum arte anno toto evelli potuerit. Cum imminere sibi mortem sentiret, audisset vero Verdianæ famam, quantaque divinitus conferrentur beneficia iis, qui ejus sepulchrum visitarent, vovit eo se quoque iturum et munera Divæ oblaturum. Vix votum nuncuparat, cum sensit sibi melius esse, iterque mox ingressus est. Eo ut venit, ac S. Verdianæ altari appropinquavit (res mira! quod ars humana non potest, Divina efficit virtus) subito abstitit ferrum a vulnere tantoque impetu resiliit in ecclesiæ murum, qui cœmeterium ac Septemtriones respicit, ut ad miraculi fidem diu post eidem muro infixum hæserit. Recuperata sanitate, gratiisque Deo et Sanctæ actis, donisque compluribus oblatis, lætus rediit in patriam miles, qui mœstus exierat. Sæpius referri audivi, estque ea pervulgata isthic fama, illius militis sumptu depictam in tabula, quæ etiamnum visitur, et æri insculptam S. Verdianæ imaginem.

*vulnus subito curatum, ferro violente ejecto, ac parieti infixo.*

*S. Verdianæ imago picta et sculpta.*

32 Fuit in eo districtu vidua, quæ cum nullam iracundiæ refrænandis motibus daret operam, eo devenit pessimæ consuetudinis, ut quadam vice filio admodum adolescenti irata, inter alias truculentas et blasphemas voces, in hæc proruperit verba: Diabolus natum hunc meum ad inferos abripiat, ne eum deinceps hisce oculis videam. Vix ea erat effata, cum B sublatus est e conspectu puer, auditusque est ejulare: quo tamen sit deportatus, haud scitur. Infelix mater, horrore, metu, dolore amens, terribiles edere clamores cœpit. Concurrunt ad spectaculum vicini, atque alii quamplurimi, et post lugubrem, ut tali in re ac tempore, tumultum, unanimi consilio ad sepulchrum B. Verdianæ properant, cum dolore planctuque, præsertim miseræ matris. Huic omnes veniam pæculi dari cœlitus, filiumque a dæmone ereptum restitui comprecantur. Eorum vero haud multo post cum major confluxisset populi turba, omnesque in oratione persisterent, placato Verdianæ precibus Deo, ante aram Virginis puerum cernunt omnino illæsum. Cuncti gratias Deo sanctæque Verdianæ egerunt. Retulit eadem mulier, se nocte insequenti (dormientem an vigilantem, haud posse asserere) visum sibi cernere, a dæmone per scalas filium pedibus prehensum trahi, inde a S. Verdiana retineri: cumque utrimque magno conatu traherent, tandem Sanctam puero crucis signum impressisse, eoque fugatum dæmonem, puerum vero salvum et incolumem mansisse.

*Puer, materna imprecatione, raptus a dæmone.*

*incolumis restituitur,*

*a S. Verdiana, signo Crucis, ereptus dæmoni:*

33 Gemma, venerabilis quædam matrona in gra- C vem incidit ægritudinem, qua diu conflictata ita contracta sunt membra, ut iis uti jam non valeret. In eo statu longo tempore perdurans, assidue Deum precabatur ut sibi opem ferret. In B. Verdianæ pervigilio vocem visa est in somnis audire hæc dicentem: Si sanari vis, abi et corpus S. Verdianæ invise. Quibus prolatis conticuit ea vox. Illa expergefacta, universam familiam advocat, rei seriem exponit. At nemo ei, quæ aut ubi S. Verdiana esset exponere potuit. Ubi illuxit, inquiri per urbem curavit, num cui nota Verdiana esset. Reperti tandem negotiatores Florentini, qui quo loco Divæ illius corpus quiesceret indicarunt. Illa spe certa recuperandæ sanitatis, maritimo itinere eo tendit, appulsa primum ad *a* Portum Pisanum, inde vecta Castellum-Florentinum; ubi ante S. Verdianæ aram aliquamdiu precata, integram adepta est sanitatem. Illa considerata beneficii magnitudine, magnam vim præclaræ laneæ vestis, atque alia ad exornandam Divæ aram donavit, et læta in patriam rediit. Nec dubium est, quin deinceps suæ memor liberatricis, eam magna semper coluerit veneratione.

*infirma, cœlesti monitu, S. Verdianæ sepulchrum visit,*

*a*

*sanatur,*

*donaria largitur:*

34 Florentiæ, hortulanus quidam, longo fessus opere, sub arbore quietem, somnumque capiebat D aperto ore: in hoc serpens irrepit. Ille sentiens sibi intestina commoveri, evigilat, et horribiliter vociferatur, præsertim postquam deinde corpus inflari cœpit. Varia excogitata a medicis remedia, frustra fuere. Tandem multis suadentibus, cœpit cum iis S. Verdianam invocare, illius opem in hac sua necessitate implorare: post plurima vota ac preces, visum est, eum deportare ad ædem S. Verdianæ, atque ante ejus aram collocare. Concurrebant plurimi ad spectaculum, moti commiseratione. Ut templum ingressus est, subito vociferatione atque incondita doloris significatione abstinuit; ubi ante Divæ aram astitit, sese inclinans os aperuit, e quo serpens prorupit sanguine sanieque conspersus: homini sanitas rediit, ut vix meliori per omnem retro vitam usus videretur.

*anguis os dormientis ingressus,*

*ante Divæ aram evomitur:*

35 Imbres maximi per omnem Ethruriam deciderant, effusique extra alveum amnes omnia late inundabant: Elsa præsertim, qui haud longe ab æde S. Verdianæ fluit, mirum in modum auctus pluviis, solum omne illius oppidi aquis texerat, ipsamque adeo ædem S. Verdianæ circumdederat, imo illius jam januæ apertæ limen pedum aliquot altitudine aqua superabat: ne unica tamen gutta in templum sese infudit; etsi ædem Fratrum Minorum e regione sitam, aqua satis alte pervaserit. Voluit Deus antiqua renovare miracula et patefacere mortalibus, E haud minoris coram Divina sua Majestate eam meriti esse, atque olim S. Zeno Veronensis Episcopus fuit, in cujus basilica *b* simile olim factum miraculum commemorat S. Gregorius.

*ejus templum inundante fluvio non intrant aquæ:*

*b*

3. Dial. c. 19

36 Simile prodigium animadversum aiunt in ingenti aquarum eluvione, quæ haud multo post magnam illam mortalitatem anni MCCCXLIII evenit, cujus meminerat pater meus, et plures alii senes, qui quod eo tempore oculis ipsi suis viderant, postea referebant. Eversa tunc S. Jacobi ædes, quæ sita erat juxta pontem ejusdem oppidi ad dextram. Ita enim tunc flumen exundarat, ut tectum molæ S. Verdianæ ad fossas usque oppidi delatum, ibique eversum, uti et alia passim ædificia in Comitatu Florentino, in Verginiensi tractu, Pisis, Florentiæ: neque tamen in ante dictam ecclesiam multo aliis depressius sitam, aquæ quidquam influxit.

*itemque alias.*

*a* Ad Arni fl. ostium. — *b* Referemus hoc miraculum 12 Apr in S. Zenonis Veronensis Vita

## CAPUT VIII.

### *Variæ curationes, ope S. Verdianæ.*

Hungaro cuidam annonæ Præfecto, cui Joannes nomen, inter dimicandum læsa tibia est, neque F multis admotis medicamentis ita curari potuit, quin et claudicaret ipse, et inhæreret vulneri ferrea sagittæ cuspis, unde copiosa sanies assidue emanabat. Duravit illum incommodum, uti certo probatum est, quinque annis. Factus deinde Florentinorum annonæ curator, cum multa audiret præclara S. Verdianæ miracula commemorari, ejus sæpenumero opem piissime imploravit, ædem visitavit, donaria obtulit. Quodam die domum revertens persensit aliquem ipso plagæ loco pruritum, reductaque caliga et fasciis, leviter tibiam fricat; ac subito, non sine ipsius et comitum admiratione, ultro egressum e vulnere est ferrum, absque ejus ullo dolore, et (quod sane mirum) ne cicatrix quidem vulneris in ejus tibia apparuit. Quare gratus Divæ actis, donisque oblatis, domum suam reversus est

*Ferrum vulneri ad 5 annos inhærens ejectum*

*cicatrix sublata*

38 Mulier quædam, Laudina nomine, gravi et diutina oppressa infirmitate, itaque fœde contracta, ut neque niti pedibus, neque brachiis aut manibus uti, nec incedere, ac ne cibum quidem ipsa capere posset,

*contracta sanata:*

A posset, multa in medicos et medicamenta expenderat; neque remedii quidquam erat experta. Nimirum ejus curationem Sanctæ suæ reservaverat Deus. Demum spem omnem in Deo sanctaque Verdiana locans, ad ejus se tumulum devehi curat: ibi cum lacrymis auxilium a Deo ejusque famula deposcit. Qui precationis, idem et doloris finis fuit, ac contractionis membrorum. Nam cum in omnibus fere ossibus nescio quem strepitum motumque sensisset, subito assurgit sana et expedita, ut vires sibi multo quam antea majores firmioresque adepta deinceps videretur. Egit Deo ac sanctæ Virgini grates, domumque reversa est.

39 Civis quidam Florentinus, cum Castelli-Florentini magistratum gereret, gravissima hernia laborabat, ut omnia defluere intestina viderentur. Sed cum cerneret quæ in dies meritis S. Verdianæ divinitus fiebant miracula, visit sacrum illius corpus: votis conceptis integram recuperavit sanitatem; Deoque gratias et Verdianæ egit.

*hernia curata:*

40 Quæ ejus virtus extiterit ad expellendos ex humanis corporibus pessimos dæmones, quos rude vulgus animas a corporibus sejunctas esse existimat, tot probari testimoniis potest, quot fuerunt suntque in ea provincia homines. Unicum proferam exemplum. B

*energumeni liberati,*

41 Energumenus jumento vectus, sed ei propter inconditos motus alligatus, ad Divæ sepulchrum venit. Ibi ab Sacerdote (Antoninum Balneolensem, nisi me fallit memoria, vocabant) sacris verbis, cum Verdianæ meritorum obtestatione, adactus male insesso e corpore facessere, post multa tandem excessurum se promisit; argumento futuram, revulsam a tecto, proculque jactatam tegulam. Nec fefellit tunc mendacii parens: abiit enim, atque eodem momento temporis ingens isthic commotio ac strepitus extitit, ut cunctos metus incesseret, ne fortassis terræ motu templum corrueret: tegula vero una sepulchro cuipiam in cœmeterio, tanta vi, impacta est, ut in minutissimas particulas quaquaversum dissilierit, non paucis de populo spectantibus. Ita vir ille, S. Verdianæ meritis, liberatus est.

*unus, revulsa in signum et comminuta tegula:*

42 Gliscentibus, ut fit, intestinis odiis inter illius regionis homines, ad arma utrinque factiones devenere: quidam grave in capite vulnus accepit, ut gladii etiam fragmentum cranio infixum hæreret, et jamjam expiraturus crederetur. Domestici eum S. Verdianæ, cui perquam addicti erant, sedulis precibus commendarunt. Is nocte somnum inter ac vigiliam, C gravi pressus mœrore, honestam matronam albis indutam videt cubiculum circuire, ac lectum præsertim, in quo ipse jacebat, et nunc huc nunc illuc ire orantem, atque infirmum fixis oculis intueri, videbaturque sibi ipse dicentem audire: Ecce me. Ac subito, sentit ferrum capiti infixum moveri, non sine magno cruciatu. Tum vero plene experrectus, clamore suo domesticos omnes excitat, ac visum narrat: ii admirabundi fascias capitis solvunt, ferrum vident e vulnere rejectum: ipse intra paucos dies convaluit, ac plures postea vixit annos.

*lethale vulnus subito sanatum.*

## CAPUT IX.

### *Miracula S. Verdianæ, quorum Auctor testis oculatus.*

Cum essem admodum adolescens, parentem meum gravis lecto affixerat ægritudo, ut neque cibi quidquam sumere posset. Multis jam habent hus hebdomadis tendere ad mortem videbatur: mœrebat mater se cum copiosa et adhuc tenera prole relinqui, rationibus mercium ac pecuniarum, quæ sibi deberentur, quæque ipsa deberet, intricatis. Ea cum audissem, ipse mea sponte, aut Dei potius impulsu,

*pater ... cra-*

D adeo ad aram S. Verdianæ: memini etiamnum, emisse me, et accendisse candelas, preces fudisse, commendasse Sanctæ parentem meum. Domum reversus reperi in lecto considentem, ac cibum sumentem: et brevi plenam adeptus sanitatem, quinque et triginta supervixit annis.

*AUCTORE ATTONE, EP. EX ITALICO.*

44 Ægrotantem germanum meum, postquam vota erant S. Verdianæ nuncupata, censuerunt novæ hauriendæ auræ gratia, Castellum-Florentinum vehendum. Sed cum ad diversorium, quod Parvæquercum appellant, quinque millibus passuum Florentia distans, pervenisset, præ nimia imbecillitate subsistere coactus est. Deportatus in cubiculum est, ubi cum jam exhalaturus animam videretur, deliquium virium passus, lapsis jam oculis, mater mea, quæ tum aderat, lacrymans alta voce inclamat: S. Verdiana, succurre illi. Subito ad se rediit, ac vires recepit.

*item frater:*

45 Sub idem fere tempus, cum in officinæ nostræ foribus starem, mulier quædam in eodem nata districtu, in peccatorum suorum pœnam insessa erat a dæmone, et jumento imposita per eam plateam ducebatur a suis ad ædem S. Verdianæ, vociferans identidem per omnem viam: Hei mihi! Hei mihi! Ludebant in platea nonnulli, e quibus unus, Juniperus nomine, frater Hippolyti Bartolini, iterum ac E tertio respondit: Heus tu, trade te Deo. At dæmon: Habeo eam; habeo. Cum ad templum S. Verdianæ pervenisset, vellentque eam sui comites e jumento in terram deponere, ut ante aram Sanctæ deducerent; quia antea, ut fama fuit, ad veneficæ cujuspiam præstigias recurrerat, subito fuit a diabolo suffocata. Perculsi omnes insolito eventu. Adfui ego, meisque omnia oculis vidi, atque alii complures: quod ideo ad aliorum terrorem commemorandum hic duxi.

*energumena veneficam consulens, a dæmone suffocata:*

46 Cum anno MDVII a Fani in Piceno conciones in Cathedrali basilica haberem, rogatus ut pro honorata quadam matrona, Petra nomine, Simonis Bertii conjuge, difficili morbo detenta, jamque a medicis deposita, preces ad Deum funderem, eamque inviserem, utrumque libens præstiti: ei vero et adstantibus suasi, ut S. Verdianæ opem implorarent, licet in iis partibus tunc ignotæ. Haud frustra preces fuere. Illico restituta ei sanitas est, ac S. Verdianæ depictam in tabella effigiem in S. Dominici æde suspendit.

*infirma ope S. Verdianæ sanata.*

47 Albertus de Francis in territorio Florentino ad Senensium confinia degens, accusatus est rei capitalis, et Reip. Florentinæ edicto in custodiam F datus: sed cum convinci intentati criminis non posset, adhibita tormenta, quorum atrocitate fassus est, quod tamen non perpetrarat crimen, morteque damnatus. Adducti ad carcerem monachi duo, qui eum ad obeundam Christiane mortem hortarentur. Is primum opem S. Verdianæ piissime imploravit, dein paullum quietis cepit, interque somnum ac vigiliam ei Diva apparuit, honesto, uti pingi solet, habitu, atque eum allocuta est: Alberte quid metuis? quid dubitas? Confide Divinæ misericordiæ. Quibus dictis, erepta oculis est. Visum monachis retulit. Postridie ad populum de more producitur: acta publice perleguntur, ut fieri solet; Dei invocat nomen, ejusque se misericordiæ commendat. Tum vero, cum antea maxime serenum et tranquillum cœlum esset, subito maxima planeque insolita exoritur tempestas ac violentus turbo, qui e tabellionis manibus chartam in qua tota ejus erat causa et sententia descripta, abripit: neque ea, plurimis licet assequi et comprehendere contendentibus, unquam recuperari potuit. Conclamant universi: Miraculum, Miraculum. Tum lictores cum reo abscedunt, ac miraculum prædicant. Reus crimen se falso confessum ait, tormentis victum

*falso crimine damnatus,*

*ope S. Verdianæ liberatur.*



atque

A atque ita Dei numine, Sanctæque Verdianæ patrocinio liberatus, huic præter alia dona imaginem suam cum cippo ac lictoris machæra obtulit, quæ diu fuere ad miraculi memoriam suspensa, ad S. Verdianæ honorem, quæ in cœlo vivit ac triumphat per infinita secula. Amen. D

a *Urbs vetusta est* Fanum, *sive* Fanum Fortunæ, *in littore Adriatici maris.*

# DE B. ANTONIO PEREGRINO

## PATAVII IN ITALIA.

*ANNO MCCLXVII. FEBR. I.*

*Ecelino tyranno sæviente,*

Ecelinus *atrocissimus tyrannus Patavio ac vicinis urbibus non tam impositus a Frederico* II *Imperatore Præfectus, quam ad ulciscenda populi flagitia a Deo immissus, (quemadmodum viro sancto cælitus demonstratum tradit Bernardinus Corius hist. Mediol. par. 2 ad an.* 1207) *et si innumeras hominum cædes aliaque infinita scelera perpetrarit; quibusdam tamen ansam præbuit vel gloriosam mortem pro justitia subeundi, vel vitam pie instituendi. Referemus* x *Febr.* B. Arnaldum *Abbatem fœdore carceris, ejus jussu, extinctum. Ejus ut furorem declinaret, e patria profugit* Antonius, *nobili Manziorum familia ortus, patre Marsilio, Dulcina matre, ac coluit peregre pietatem, celebria miraculis ac religione loca lustrando :*

*Antonius Nobilis Patavinus fugit*

B *demum tyranno extincto rediit in patriam, ibique ignotus, etiam suis, annos aliquot in summa paupertate exegit. In brevi chronica rer. Patavinar. ad an.* MCLXXXIX *ad* MCCCXXV *edita post Chronicon Rolandini, ad an.* MCCXVII *ista habentur :* B. Antonius Peregrinus obiit hoc anno. *Gulielmus et Albricetus Cortusii, qui circa an* MCCCLXIV *historiam scripsere, lib.* I *cap.* 8 *ita habent :* In eodem anno (MCCLXVI) obiit B. Antonius Peregrinus. *Quorum testimonio liquet, jam a* CCC *annis* Beatum *vulgo appellatum.*

2 *Vitam ejus brevi epitome complexus est Bernardinus Scardeonius antiquit. Patav. lib.* 2 *classe* 6 § de B. Antonio Manzonio peregrino. *Agit de eo quoque Angelus Portenarus de Patav. felicit. lib.* 9 *cap.* 40 *traditque, etiam priusquam e patria profugeret, fuisse integerrimis moribus, itaque in pauperes liberalem, ut sua omnia in eos profunderet : peregrinatum esse annis* v, *ac post Ecelini mortem, quæ contigit an.* MCCLIX, *rediisse in patriam, ac stipe mendicata deinceps victitasse, nec alio usum hospitio, quam portico ecclesiæ cœnobii S. Mariæ de Porcilia extra muros. Dirutum est hoc sanctimonialium cœnobium an.* MDIX *molientе urbis obsidionem Maximiliano Cæsare, ubi alterum Camaldulensium, illi propinquum. Sanctimoniales ad S. Benedicti* C *monasterium in urbem se receperunt, eoque corpus* B. Antonii et B. Compagni, *quod in vicina ecclesia a Camaldulensibus relictum, ut idem Portenarus scribit, atque a militibus ipsis ad illarum erat ædem delatum, asportarunt.*

*5 annis peregrinatur.*

*mortuus sepelitur in templo S. Mariæ de Porcilia :*

*Reliquiæ in urbem delatæ,*

3 *Anno* MDLXXV *eædem monachæ aliud ædificarunt cœnobium; patrocinio et opera Pauli Dotti, idque* B. Antonii Peregrini *appellatum : ecclesia an.* MDLXXXI *dedicata est. Extat ad rei memoriam isthæc insculpta lapidi inscriptio :* Paulo Dotto, Bernardini F. a Daulis orimdo, quod D. Antonii Peregrini cœnobium, templumque cum cæteris juxta mœnia ædificiis V. S. C. ne urbis munitioni officerent, diruta, publico decreto Protector designatus, summo studio hoc intra urbem loco restituendum curavit; Lucretia Capivaccia Antistes, cæteræque Virgines fidei ac diligentiæ ergo posuerunt. Fanum Mariæ Virginis beatissimæ anno a Christi natali MDLXXXI XVII K. Junii Federicus Cornelius Pontifex Patavinus consecravit. *Eodem anno, die* XXV *Martii solemni totius Cleri supplicatione, universo comitante populo, ad novam hanc ædem, B. Antonii Peregrini deportatæ sunt reliquiæ, uti et B. Compagni, atque antiquis suis e marmore sepulchris, supra columellas elevatis, impositæ. Additæ in geminis tabulis inscriptiones, quarum una est ejusmodi :* Hic jacet B. Antonius Peregrinus Patavinus, Manziorum familia natus, qui omnia loca sancta visitavit. Obiit anno Domini MCCLXVI die XXX Januarii. *Alteram dabimus* VIII *Octobris, quo die* B. Compagni *agitur memoria.*

*dein ejus nomine ædificato cœnobio,*

*ad illud translatæ.*

4 *Quod hic dicatur obiisse an.* MCCLXVI, *mendum remur, cum alii jam citati, ipseque Scardeonius, et Portenarus quoque, contrarium tradant : nisi isthic quoque, ut in Gallia, menses ante Pascha ad præcedentem annum pertineant. Ideo vero Kalendis Februarii eum retulimus, licet* XXX *Januarii obierit, quia inscriptio relata a Scardeonio eum diem exprimit : unde conjecimus eo die tumulatum, colique solitum concursu populi, donariis, aliisque privatæ pietatis argumentis; at nondum publicis sacris, cum necdum sit ab Ecclesia in Sanctorum tabulas relatus.*

*Obiit an.* 1267 *30 Janu.*

5 *Nomen ejus eodem die* XXX *Jan. ita retulit Molanus in Addit. ad Usuardum :* Eodem die beatæ memoriæ Antonii Peregrini Patavini, ex Manziorum familia nati, qui omnia loca sancta visitavit, et defunctus est MCCLXVII. *Eadem habet Canisius, nisi quod* Papiensem *vel* Papliensem *faciat, pro* Patavino. *Molanus in* 2 *edit. aliis verbis eum refert eodem die; quo et Ferrarius in generali Catal.* SS. Patavii B. Antonii cognomento Peregrini. E

*memoria in Martyrolog. 30 Janu.*

6 *Idem rursus Ferrarius* I *Febr.* Patavii B. Antonii, cognomento Peregrini, Ord. Camaldulensium. *Arnoldus Wion eodem die :* Patavii in cœnobio S. Benedicti, depositio S. Ausonii (*in annot. habet* Antonii) cognomento Peregrini, Ord. Camaldulensis, qui exemplo S. Alexii, duabus sororibus suis, monialibus, serviens, incognitus ad mortem usque permansit, et tandem bonis operibus plenus, quievit in pace. *Eadem habet Menardus. Verum Ordinis eum Camaldulensis fuisse neque citati rerum Patavinarum scriptores tradunt, neque fit verisimile : nam si erat ejus Ordinis monachus, cur in portico ecclesiæ Mariæ degebat, et non in propinquo Camaldulensium cœnobio? Occasio fortassis id suspicandi inde nata, quod B. Compagnus ex eo ordine videatur fuisse, qui in eadem æde, in qua Antonius, quiescit. Neque servisse suis sororibus* F *traditur : neque in S. Benedicti cœnobio vel obiit, vel nunc asservantur ejus reliquiæ, licet* LXX *per annos isthic depositæ fuerint. Brevius de eo Benedictus Dorganius* I *Febr.* S. Antonii dicti Peregrini, qui bonis operibus plenus in pace quievit.

*et* I *Febr.*

## VITA

### Auctore Bernardino Scardeonio.

Eodem ferme *a* seculo vixit et B. Antonius, cognomento Peregrinus, qui cum ab ineunte ætate mundi illecebras cœpisset abominari, et amplecti cœlestia, sæviente interim ultra modum *b* Accíolini tyrannide, non, ut plerique alii, vi aliqua coactus, sed sponte profugus, relicta patria, pene totum orbem peragravit mendicus, ex alieno victitans, qui domi prius mendicos alebat de suo. Adiit itaque primum Hierosolymam, Compostellam, Romam, Lauretum, et alia loca fere omnia, quæ vel religio, vel alicujus Apostoli aut præcipui cujuspiam Sancti reliquiæ decorabant. Atque ita quod reliquum ætatis sibi supererat, ferme totum in itinere peregrinando consumpsit; victum quotidianum mendicando quæritans, non sine immensis corporis laboribus, atque interdum cum maxima animi molestia.

*B. Antonius mendicus peregrinatur :*

*sacra loca visit*

2 Denique

A 2 Denique reversus in patriam, ignotus aliquamdiu in summa inopia et calamitate duxit vitam, numquam ante ultimum vitæ suæ diem a quoquam cognitus. Postremo lassitudo, inedia, et frigus intolerabile, eum in ægritudinem gravissimam deduxerunt : qua aliquamdiu languens interiit. Ex chirographo autem post mortem tandem cognitus est, et quis fuerit, et qua ratione a suis agnosci noluerit. Erat enim ex Manzia nobili familia Patavina, sub parochia D. Petri natus. Obiit autem salutis anno MCCLXVII III Kal. Februarii.

*in patriam redit ignotus : post mortem agnoscitur ex chirographo :*

3 Claruit post mortem multis et magnis miraculis, licet ab Ecclesia Romana in Sanctorum catalogum non fuerit receptus. Habitus est tamen eo tempore Patavii in summa veneratione, dicatumque eidem sacellum satis pulchrum, extra portam c Porciliam : et d municipali decreto statutum, ut solenniter statuto die in ejus memoriam fieret solennis supplicatio, obseratis in tota urbe tabernis, indictaque omnibus in urbe a quovis opere servili cessatione, non secus quam si a Summo Pontifice mandatum fuisset.

*claret miraculis : sacellum ei dicatum, c d ad id supplicatio :*

4. Verum cum in dies magis ac magis beatus vir miraculis claresceret, Patavini a Summo Pontifice poposcerant per legatos, ut ejus nomen in catalogo
B adscriberetur Sanctorum. Qui respondit sufficere satis posse Patavinis, habere unum Antonium sanctificatum. D Nec propterea tamen minus deinceps honori habitus est, quam prius, neque desitum est, quin honoratissime eodem die Prætor et alii cives solenni pompa cum vexillis artificum et cum universo populo, cereis candelis religiose procederent, ad salutandas sacras Reliquias, tam in templo monialium ubi ipse jacebat, quam in proximo templo monachorum. Nunc autem cœnobio utroque diruto moniales intra urbem cum his sanctis Reliquiis se receperunt ; monachi vero ad alia sui ordinis monasteria Venetias transmigrarunt, anno Domini MDIX. De eo autem legitur ibi hoc epitaphium :

*postulata canonizatio : AUCTORE I. G. visitatur reliquiæ : epitaphium.*

HIC JACET CORPVS BEATI ANTONII PEREGRINI PATAVINI, EX MANZIORVM FAMILIA NATI : QVI OMNIA LOCA SANCTA VISITAVIT, ET DEFVNCTUS EST M. CC. LXVII. KAL. FEBRVARII.

a *Egerat* § *præcedenti* de S. Jacobo Martyre Patavino *ex Ord. Minorum, cujus ac trium sociorum an.* 1221 *interfectorum mentio fit* 14 *Jan. in Vita B. Odorici* 2 *cap* 2. — b *Hujus* Acciolini de Romano, *sive* Actiolini, *vulgo* Ecelini et Eccelini *atque etiam* Czerini, *horrenda scelera referuntur fuse a Monacho Paduano atque aliis cum Albertino Mussato editis. Patavio potitus est an.* 1237. *infelicissime periit an.* 1259. — c *Ea nunc obstructa, ut tradit Portenarius : visuntur portis vestigia.* — d *Factum illud decretum, ut idem Portenarus narrat, an.* 1269. E

# II FEBRUARII.

## SANCTI QUI IV NON. FEBRUAR. COLUNTUR.

HYPAPANTE DOMINI, sive PURIFICATIO Beatis MARIÆ V.

ANIMAD. PAP. 31. S. Cornelius Centurio, dein Episc. Cæsareæ in Palæst.

S. Agathodorus M. Tyanæ in Cappadocia.

S. Fortunatus,
S. Felicianus,
S. Firmus,
S. Candidus,
S. Castula,
S. Secundula,
S. Rogatianus,
S. Caius,
S. Gregorius,
S. Cappa;
S. Felicitas,
S. Placidus,
S. Victor,
S. Felix,
S. Martialis,
S. Cornelianus,
S. Salustius,
S. Mauricius,
S. Papyrius,
S. Secundianus,
S. Ingenuus,
S. Mustula,
S. Victoria,
S. Bonosia,
S. Victoria alia,
S. Hilarus,
S. Rogatus,
S. Saturninus,
} Martyres Romæ.

S. Laurentius,
S. Hippolytus,
} Martyres, Forosempronii in Umbria.

S. Victor,
S. Martinus,
S. Perpetua,
S. Julia, et alii LXXIV,
} Martyres in Africa.

S. Honoratus,
S. Urbanus,
S. Hilarus,
S. Privatula et alii XXXIX,
} Martyres in Africa.

S. Apronianus, Commentariensis, Martyr Romæ.

S. Rhodippus Ep. Leontinis in Sicilia.

S. Flosculus Ep. Aurelianis in Gallia.

S. Sicharia Virgo ibidem.

S. Laurentius Archiep. Cantuariensis in Anglia

S. Adalbaldus Dux, Duaci in Belgio.

S. Hadeloga Virgo, Kitzingi in Franconia.

S. Theodericus Ep. Mindensis.

S. Marquardus Ep. Hildeshei-mensis.
S. Bruno Dux Saxoniæ.
S. Wigmannus,
S. Bardo,
S. Bardo alter,
S. Bardo tertius,
S. Thiothericus,
S. Gerricus,
S. Liutolfus,
S. Folcwardus,
S. Avanus,
S. Thiotricus,
} Comites
S. Liutharius,
S. Aderamus,
S. Alfuinus,
S. Addasta,
S. Aida,
S. Aida alter,
S. Dudo,
S. Bodo,
S. Walus,
S. Halilfus,
S. Humildinnus,
S. Adalwinus,
S. Werinhartus,
S. Thiotrichus,
S. Hilwartus et alii plurimi
} Nobiles vel Satellites Regii
} Martyres, Ebbekesdorpii in Saxonia inferiore.

S. Erlulfus Ep. Ferdensis.
S. Gosbertus Ep. Osnabrugensis.
} Martyres.

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctus Pionius, Martyr Smyrnæ. *MS. vetus monasterii S. Martini Treveris. Nos de eo egimus* 1 Febr.

S. Soris Confessor, *refertur in MS. Martyrol. Carmelit. Colonien. et in Carthusianor Colon. addit. ad Usuardum, et Martyrol. Colon. an.* 1490 *excuso, ac Doctrinali Clericorum Lubecæ eodem anno.* Sorus *est, cujus* Vitam *dedimus* 1 Febr.

S. Sigebertus Francorum Austrasiorum Rex, *hoc die a Saussaio inscriptus Gallicano Martyrol. De eo egimus* 1 Febr.

Heraclitus, | prisci Scriptores Ecclesiastici *(quorum*
Maximus, | ἐναρέτου σπουδῆς ὑπομνήματα præclaræ diligentiæ monumenta *laudat Eusebius lib.* 5 *histor. Eccles. cap.* 26. *illius in Apostolum, hujus de famosa quæstione Hæreticorum.* Unde sit malum (*et*. Quod materia a Deo sit facta) *Sanctis annumerantur in Martyrologio Richardi* Wytfordi *an.* 1526 *excuso. Vixere sub Commodi Severique imperio, uti scribit idem Eusebius et S. Hieronymus de illustr. Eccl. Scriptoribus cap.* 46 *et* 47. *Nusquam alibi Sanctorum tabulis inscriptos legimus.*

XXX millia, Romæ *hoc die, sub Diocletiano, martyrium subiisse scribit Galesinius, eumque secutus Canisius. Infra ostendemus, cum de* SS. Fortunato, Feliciano, et sociis *agemus, non videri tot simul interemptos, eodem saltem loco.*

Erlulphus *quidam memoratur a Dempstero lib.* 5 *hist. Eccl. gentis Scotor. nu.* 485 *ex Jonæ Arngrimi fide, in Islandiam Christi religionem intulisse. Hunc* Erlulphum, *sive* Ernulphum, (*diversum ab Osnabrugensi Episcopo* Erlulfo, *de quo hoc die agemus in tractatu de Ebbeckestorpiensibus Martyribus cap.* 4) *citatis Arngrimi verbis, qui* Irlandum *facit, Hiberniæ suæ vindicat Colganus, ac* Beatum *indigitat, refertque ad hunc diem. Certiora desideramus.*

Dudo

Dudo Paderbornensis, Aufridus Ultrajectinus, Albertus Hamburgensis, } Epp. *memorantur hoc die a Philippo Ferrario, Ebbeckesdorpii martyrio perfuncti : quod infra in Ebbeckesdorpiensium Martyrum historia refellimus.*

Bonifacius, Conversus Claravallensis, *moribundus vidit Angelos ad se venientes, itaque lætus excessit : uti ex libro de exordio Ord. Cisterc. commemoratur a Chrysostomo Henriquez, qui* Beati *titulo eum ornat; Saussaius* beatæ memoriæ *vocat.*

Vincentius Ep. Cracoviensis, dein monachus Ord. Cisterciensis factus, *Menologio Cisterciensi inscriptus est a Chrysostomo Henriquez ac* Beati *titulo insignitus; qui ei, aut veteri populorum pietate, aut Sedis Apostolicæ judicio, attributus sit necne, non quærimus. Huc enim non pertinet : quippe qui (ut Matthias de Michovia scribit Chron. Polon. lib.* 3 *cap.* 32.) *an.* MCCXX iii *die* viii *Martii obierit. Unde manifestum est, non semper solidos characteres in suis digerendis Fastis secutum esse Chrysostomum.*

Sabbatinus, unus e xiii S. Francisci sociis, *refertur hoc die ab Arturo in Martyrol. Franciscano, et* Beatus *appellatur; uti et a Gonzaga par.* i *hist. Seraph. in Beatis Ordinis; a Rodulphio quoque lib.* i *ac Wadingo tum alibi tum præsertim to.* 2 *ad an.* 1251 § 57 *ubi de ejus corpore in basilica Aræ-cæli condito agit. An ab immemorabili tempore, aut certe ex Pontificis Maximi decreto, is illi titulus tribuatur, nondum comperimus; ideoque hic omittimus.*

S. Simon Confessor, *Officio semiduplici in Hispania ab Ordine Præmonstratensi coli dicitur in Kalendario, sive* ordine recitandi officium Divinum, *Madriti an.* MDCXXXV *excuso. Cujus sit auctoritatis illud Kalendarium, viderint alii.* Simon *hic esse ille videtur, quem* Beatum *prædicat Chrysostomus Vander Sterren in Natal. SS. Ord. Præmonstr. hoc die, et primum Abbatem fuisse ait cœnobii S. Mariæ in Nemore in Lotharingia. Ejus Acta, et publicæ venerationis certitudinem majorem desideramus.*

Simon de Cassia, *vel* Cassianus, *sive* Corsulanus, *aut* Carsulanus, cognomento (*ut quidam scribunt*) Fidatus Ord. Eremitarum S. Augustini, *obiit* ii *Februarii, an.* MCCCXLVIII, non minus sanctitate conversationis, quam scientia venerandus, *ut ait Trithemius de Script. Eccl.* prophetiæ spiritu illustratus, *testibus Sixto Senensi et Possevino :* fecitque aliquot miracula, *ut tradit Joannes Nævius in Eremo Augustiniana. Thomas Herrera in Alphabeto Augustiniano Madriti edito an.* MDCXLIV Beatum *appellat, scribitque* a cunctis fere auctoribus Beatum nuncupari ; et ejus icones Beatorum splendoribus irradiari, ossa vero ejus Cassiæ (*oppidum id est Umbriæ, non Hernicorum, ut putavit Sixtus Senensis*) *in capsula custodiri. Eadem fere de eo scribit Ludovicus Jacobillus to.* i *de SS. Umbriæ. Necdum tamen nobis compertum, an legitime* Beatis *adscriptus sit. Scripta ejus egregiam spirant pietatem : e quibus de ipsius Auctoris conversione et rebus gestis collegit, qui eu Coloniæ in officina Eucharii Cervicorni an* MDXL *edi curavit.*

Catharina Riccia Florentina, Ord. Prædicat. *obiit* ii *Febr. an.* MDLXXXIX *feria sexta, magna opinione sanctitatis, multisque post mortem illustrata miraculis dicitur : uti videre est in ejus Vita duobus libris sermone Italico scripta a Philippo Guidio ex eodem Ordine. Aliquidne de ejus cultu a Sede Apostolica constitutum sit haud comperimus.*

S. Telerinus Confessor. *MS. Carthusiæ Ultrajectinæ. Videtur* Celerinus *esse de quo agemus.* iii Febr.

S. Blasius Ep. Sebastenus Martyr. *MS. S. Richarii sub Bedæ nomine. Nos* iii Febr.

vii Sanctæ mulieres cum S. Blasio martyrii coronam adeptæ, *hic referuntur a Canisio et Hermanno Greven in addit. ad Usuardum. Agemus de his* iii Febr.

S. Columbanus, Abbas Hibernus, *hoc die, in cœmeterio cœnobii Gaudensis, cellæ inclusus memoratur a Molano, Ant. Sandero, Balduino Willotio, et aliis : obiisse traditur (ad quem diem de illo agemus)* xv Febr.

S. Macarius, S. Marcus, } Eremitæ apud Scethim in Ægypto. *Ita Ferrarius, qui Canisii Martyrologium citat, in quo* S. Marcus Eremita *memoratur* vii *Octob. non hoc die.* Macarius *hic est qui* Alexandrinus *dicitur, quod indicat Ferrarius, dum utrumque simul refert, citato Heraclidis Paradiso, in quo cap.* 10 *utriusque mentio fit. De* S. Macario Alexandrino *egimus cum Martyrol Rom.* ii Januar. *De* S. Marco *agemus cum Menæis* ii Martii.

S Apollonii Martyris Elevatio *consignatur ad hunc diem in MS. Florario. Plures reperiuntur hujus nominis Martyres : quis hic sit, haud divinamus; nisi quod idem Florarium ejus natalem refert* vii April.

S. Aurelianus, *sive (ut Galesinius scribit)* Laurelianus Martyr, Romæ sub Decio. *Ferrar. Galesin. Felicius, Usuardi editio Parisien. an.* MDXXXVI. *Agemus de eo infra, cum de Martyribus Romanis : et plenius, quo die Ticini colitur,* xxii Maii.

S. Aurelius Martyr, *a Galesinio et Canisio sanctis Martyribus Romanis* Fortunato, Firmo, Candido *jungitur : ignotus aliis, nisi sit* S. Aurelianus, *de quo jam diximus nos acturos* xxii Maii

S. Theodoricus, monachus Lobiensis, *hoc die inauguratus est* Abbas Andaini ad S. Hubertum in Arduenna, *uti ex Vita patet. Ejus rei in quibusdam MSS Martyrologiis hoc die consecrata est memoria. Vitam dabimus* xxiv August.

S. Simeon Hierosolymis. *Martyrol. S. Hieronymi, et MSS. Martyrologia Ecclesiarum Aquisgranensis et S. Gudulæ Bruxellis, atque Menol. Græcor. ab Henr. Canisio editum. Nos* viii Octobr. *Nisi Martyrol. S. Hieronymi agat de* S. Simeone Ep. *de quo nos inferius* xviii Febr.

S. Burchardus Ep. Herbipolensis *obiit hoc die, quo et Martyrologio adscriptus a Galesinio, Felicio, Canisio, Wilsono in* 1 *et* 2 *editione Martyrol. Anglicani. Ejus Vitam dabimus, quo die Herbipoli colitur* xiv Octobr.

S. Firmilianus Ep. Cæsareæ Cappadociæ. *Galesin. Ferrar. Ghinius. Nos cum Græcis* xxviii Octobr.

S. Tryphon Martyr *hoc die refertur a Constantio Felicio. Acta dabimus* x Novemb.

S. Laurentius Episcopus in Hibernia. *MS. Florarium. Hic est, ut reor,* S. Laurentius Dubliniensis, *de quo agemus* xiv Novemb.

Theodoricus a Monasterio, Ord. Minorum, vir celeberrimæ in juvandis peste laborantibus caritatis, *refertur hoc die in Martyrol. Franciscano Arturi, et* Beatus *appellatur : qui titulus neque in Vita Monasterii Westphaliæ an.* MDCXXXVI *excusa, neque in imagine sculpta nuper Antuerpiæ, illi tribuitur : licet Reliquiæ ejus, ut in Vita refertur,* licentia Superiorum exhumatæ sint, et in ornato scrinio positæ in sacello infirmariæ Lovaniensis an. MDCXVIII xii Septembris. *Neque cur eum hoc die consignet Arturus indicat ; neque cur* Petrum a Villanova, *an.* MDXL *festo S. Francisci mortuum, uti tradit (quem ipsemet citat) Gonzaga, sed itidem absque* Beati *titulo. Hoc est velut sorte Fastos ordinare. Certe Theodoricus decessit (non anno* MDXVI, *ut ait) sed* MDXV xii Decemb.

DE

A D

# DE S. HYPAPANTE DOMINI,

## ET PURIFICATIONE B. MARIÆ,

G. H.

### Commentarius historicus.

#### § I. *Antiqua hujus diei celebritas in Palestina, et Phœnicia.*

II FEBRU.

**P**rima *Christi Redemptoris nostri mysteria in variis Palestinæ, sive Terræ sanctæ locis peracta sunt : Annuntiatio Angelica ad sanctissimam Virginem Mariam, et Verbi Divini Incarnatio in oppido Galilææ Nazaretho ; solennitas ejusdem Virginis cognatam Elisabetham visitantis, in Montanis Judææ ; at sanctissima Christi in terris Nativitas, atque octavo die facta Circumcisio, nec non in Magorum sive Regum adventu illustris Christi Epiphania sive Apparitio, in Bethlehemo. Supererat urbs regia Hierosolyma, aliquando passione Christi, morte ac resurrectione nobilitanda. In hæc hujus solennitatis mysteria II Februarii, quadragesima a Christo nato die, et primitus e decreto Divino facta sunt, et deinde ab initio Ecclesiæ tum in ea urbe, quam in vicinis regionibus Orientalibus, sacra memoria quotannis celebrata. Nomen festo huic diei impositum,* ἀπὸ τῆς ὑπαντῆς, *sive* ὑπαπαντῆς, *aut* ὑπαντήσεως, *ab* Occursu *sive* Obviatione, *tunc facta a sene Simeone et Anna vidua, et deinde, ut infra patebit, quotannis ab Ecclesia sacro ritu innovata.*

*Hypapante Domini Hierosolymis peracta,* B *ibidem et in Oriente vicino, ab initio Ecclesiæ celebrata :*

2 *Antiquior e Scriptoribus Hierosolymitanis est S. Methodius, primo Olympi ac Pataræ, maritimarum Lyciæ urbium, ac postea Tyri in Phœnicia primo, Episcopus, qui teste S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 83, multa opera, *quæ tum* vulgo lectitabantur, confecit, *et inter illa* Symposium decem Virginum, *cujus meminit ipse S. Methodius in homilia hac die habita, atque a Petro Pantino latine versa typis Antverpiensibus anno* MDXCVIII *edita : quam nuper cum nova sua interpretatione Parisiis recudit Franciscus Combefis Ordinis Prædicatorum, una cum reliquis operibus ejusdem S. Methodii, et SS. Amphilochii et Andreæ Cretensis. Titulus huic Homiliæ præfixus est hujusmodi :* Μεθοδίου Ἐπισκόπου Πατάρων καὶ Μάρτυρος, εἰς τὸν Συμεῶνα καὶ εἰς τὴν Ἄνναν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ὑπαντήσεως, καὶ εἰς τὴν ἁγίαν Θεοτόκον. Methodii Episcopi Patarensis et Martyris, de Simeone et C Anna, quo die Domino in templo occurrerunt, et de sancta Deipara. *Ex ea Homilia nonnulla, juxta accuratam Francisci Combefisii versionem, excerpimus, confirmaturi annuam ejus diei solemnitatem primis Christi seculis habitam esse inter persecutiones, in quarum* novissima, Chalcide, Græciæ *martyrio eum coronatum esse scribit S. Hieronymus, et nos cum Martyrologio Romano referemus* XVIII *Septembris. Ita ergo incipit.*

*ut S. Methodius Episcopus Tyri et Martyr*

*in Homilia ea die habita ostendit,*

3 Cum olim, quantum quidem breviter licuit, quæ de virginitate dicenda erant in Symposiacis de castitate eou jactis fundamentis abunde explicuerimus ; hodierna die totam ipsam et a radice virginitatis gloriam coronamque immarcessibilem, alumnis Ecclesiæ oblectandis, tempus ecce in medium produxit. Hodie siquidem Divinorum oraculorum concilium palam aperitur, gloriosaque hujus diei signa præfigurata, eorumque exitus atque effectus a sacris prædicatoribus Ecclesiastico cœtui relegantur. Hodie finis antiquo illi veroque consilio impositus, præclare ipsa rerum exhibitione, mundo manifestatur. Hodie citra tegumentum aliquod Domini gloriam, divinamque ipsius Arcæ majestatem, ceu in speculo revelata facie contemplamur. Hodie cœlestem illam, Gentibusque anxie exspectatam lætitiam, humeris suis sanctissima celebritas bajulans, mortalium generi impertitur..... Quid vero mente concipiam, quidve loquar hac dignum die, enitens ad inconcessa ? Vincit enim ac longe superat omnem sermonem, sanctæ hujus Virginis memoria. Quocirca... nos ipsi immobiliter victos gloriantes, una cum festi studioso Christi grege, tripudio saliamus... Festum agimus... quod importabilis gloriæ, ejus qui est super omnia Deus, humilem ad nos demissionem edoceat... Lege superior Mater se Legi submittit : sanctaque illa mundaque, tempus quadraginta dierum in pollutas constitutum, observat : ac qui absolvit a Lege, Legi subjectus efficitur, offerturque E pro eo, qui nos sanctificavit, par avium mundarum, in eorum testimonium, qui mundi inculpatique accedebant... Solvens igitur Dei Arca ex Bethlemitico diversorio, illic enim solvit Legi quadraginta dierum, non justitiæ, sed gratiæ debitum, requievit in montibus Sion... Ascendit in templum sacra Mater, templo celsior, duplicem induta gloriam : intemeratæ, inquam, virginitatis, et ineffabilis fecunditatis : Legis benedictionem et Gratiæ sanctificationem... Si quis solerter ad festum, quod nunc celebramus, oculos mentis intenderit... quis qualisve venerationis cultus a nobis minimis tibi vere Reginæ fuerit exhibendus... senex Simeon... jucundæ celebritatis congruos sermones cantico depromit... Lætetur mecum hodie cœlum, quoniam miseratus est Dominus populum suum... Hinc nos deinceps Adæ soboles festa plausu agimus, quod primus ille Adæ fictor, sua ipse sponte novus Adam effectus sit, splendorque Domini Dei nostri nobiscum versatus.... Sicut bene atque apposite ac valde egregie et festo huic cumprimis congrua ab utroque dicta, conscripta sunt. Oportebat enim, ac plane necessum erat, ut Senex quidem... pacificam a legali postmodum institutione dimissionem quæreret... Sed et Viduam, quæ donis superantibus rationem aucta esset, festis canticis Deo gratias agere par erat... cum propheticæ informationes et figuræ ad eximias hasce festivitates F congruam quamdam relationem haberent. Ceterum hic tamquam in portum Crucis signaculo insignitam navem appellentes, orationis vela contrahamus, si prius civitatem magni illius Regis, una cum Ecclesiastico populo tamquam spiritu præsentes, ac una cum positis illic honorabilibus Patribus ac Fratribus festum diem et conventum agentes, lætis vocibus salutaverimus... Salve sis civitas sancta atque electa Domino : age in lætitia dies festos tuos... Salve in æternum indesinens nostra lætitia, Genitrix Virgo, ad te enim rursus accurro. Tu nobis festæ lucis initium, tu medium, tu finis *etc. Huc usque ex S. Methodio excerpta hujus festi antiquam venerationem commonstrant.*

*ex quo hæc excerpta, solennitatem diei docent*

4 *Sed ex Phœnicia in vicinam Palæstinam, et Tyro ad Hierosolymitanam urbem revertamur, in qua antiquissimus Scriptor seculo Christi quarto floruit* S. Cyrillus *ejus Sedis Episcopus, qui eodem teste Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiæ, cap.* 112, sæpe pulsus Ecclesia, et receptus, ad extremum sub Theodosio Principe octo annis inconcussum Episcopatum tenuit, *usque ad annum Christi* CCCLXXXVI, *quo* XVIII *Martii e vita.*

*et S. Cyrillus Epis. Hierosolymitanus*

A *vita decessit. Hujus extat in hac solennitate habita oratio, interprete Laurentio Sifano, et post editionem Coloniensem anni* MDLXVIII, *recusa Parisiis tomo* II *Græco-Latino Bibliothecæ veterum Patrum, et nuper ex tribus MSS. recognita editaque, a Combefisio in Auctario Bibliothecæ Patrum hoc titulo :* Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Κυρίλλου Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων εἰς τὴν ὑπαπαντὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ Σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ εἰς τὸν Συμεῶνα τὸν Θεοδόχον. Sancti Patris nostri Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymorum de Occursu Domini nostri ac Salvatoris Jesu Christi, deque Simeone, qui Deum suscepit. *Ex hujus Orationis exordio ac peroratione nonnulla transcribimus, quibus S. Cyrillus, magnus rituum Ecclesiæ mysta, etiam cereorum cæremoniam in hoc festo tunc adhibitam proponit. Ita ergo incipit :*

*in Oratione de Occursu Domini*

5 Gaude impense filia Sion, prædica gaudium filia Jerusalem, choros duc, popule civitatis Dei, gestite portæ et muri Sion omnisque terra : clamate montes, collesque magna gaudii significatione exultate : flumina plaudite manibus, ac turbæ amplexamini Sion, quæ Deum in ea præsentem videatis. Conspirent ac consentiant hodie cum terrenis cœlestia, supernaque Jerusalem cum ea quæ inferne ac in terris est, propter Christum, in illa cœlestem atque terrestrem canticis celebret. Circum cœlestem spiritales Virtutes choros ducite : terrestri, terræ incolæ una cum Angelis laudes ac cantica promite. Hodie namque visus est Deus Deorum in Sion. Hodie gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei Hierusalem, civitas Regis magni : aperi portas ei, qui universis cœlorum aperuit portas quique in Cruce sepulchrorum portas aperuit... Hodie qui olim Moysi in monte Sina Deo congrua ratione responsa ediderat, servilem in modum Legem implet. Hodie Deus a Theman in Sion venit. Hodie cœlestis sponsus cum Dei Genitrice, suo illo thalamo, templum petit. Filiæ Hierusalem ei in occursum exite. Lætis gaudiis, vero lumine lampades accendamus : animorum tunicas sponso Christo aptemus. Populi Gentium, una cum Sion, manibus præferentes faces obviam procedamus, in templum una cum templo, Deoque ac Christo pariter ingrediamur *etc. Ac sub finem orationis hæc habentur :* Venite vos, qui Christi ac Dei studiosi et amici estis, universi alacres ac puri obviam Domino ac hero prodeamus... Sic modo læto festivoque habitu lampades ornemus, ut filii lucis cereos lumini vero Christo offeramus : siquidem lumen ad revelationem gentium mundo illuxit: Hodie, dilecti, perpetuo diei festi cursum peragamus, C cum Angelis exultemus, et tripudiemus... cum Sione obviam procedamus, cum templo sanctificemur, cum Virgine diem festum celebremus, cum Josepho adoremus, cum Simeone Christum in ulnis accipiamus ; ut etiam æterna Christi bona consequamur gratia, miseratione atque benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium et nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

*cujus hic datur exordium. et peroratio.*

6 *Extat eisdem Coloniensibus et Parisiensibus typis atque ab eodem Sifano versa, homilia Græco-latina Timothei Presbyteri Hierosolymitani, in hoc festo habita quæ etiam cum dicta ante oratione S. Cyrilli, uti quoque homiliæ SS. Chrysostomi, Nysseni et Amphilochii, de quibus mox agemus, relatæ sunt inter Sanctorum Vitas ad* II *Februarii, cum operibus Simeonis Metaphrastæ a Gentiano Herveto, Latinitate donatæ, atque ab Aloysio Lipomano, et Laurentio Surio ad hunc* II *diem Februarii editæ : sed accuratiore postmodum diligentia a variis expolitæ sæpius recusæ sunt ; ideoque a nobis hic omittendæ. Earum omnium loco, damus Homiliam S. Sophronii Archiepiscopi Hierosolymitani, hactenus* ἀνέκδοτον, *ex MS. Græco Mediceo Regum Franciæ olim obtentam, quam, ut nos eo labore levaret, Latine interpretatus est Joannes Scapelingus noster, at reliquis* D *distinctionibus atque annotationibus eam ipsi illustravimus. Floruit S. Sophronius seculo Christi septimo sub imperio Heraclii, qui ut Anastasius in Historia Ecclesiastica ex Theophane descripta ad annum Heraclii* XXVII *testatur,* verbo et actu Hierosolymitanam adornavit Ecclesiam, et contra Heraclii et fautorum ejus Monothelitarum Sergii scilicet et Pyrrhi, decertavit errorem : *ut pluribus deducetur* XI *Martii, die ejus natali. Extant ejus Orationes quatuor in Bibliotheca Patrum, de Angelis, in Exaltationem sanctæ Crucis, ejusque Adorationem, et de Natali Christi, cui ultimæ in sua dictione conformis est hæc quam reperimus sub hoc titulo :* τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Σωφρονίου Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων λόγος εἰς τὴν Ὑπαντὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *In qua oratione totam historiam Evangelicam illustri paraphasi exponit, atque omnes illius diei ceremonias Ecclesiasticas deducit. Extat apud Combefisium in Auctario bibliothecæ Patrum homilia S. Athanasii Episcopi in Christi Domini occursum, in qua sub finem aliqua eadem leguntur quæ hic de Anna Prophetissa, reversione Deiparæ Virginis, ac in epilogo repetuntur. Censet Combefisius eam homiliam genuinum esse S. Athanasii fœtum, fatetur tamen necessario a posteris auctum, ob inserta Eutychetis et Nestorii hæreticorum nomina : de quibus S. Sophronius plurimum agit : ut vel reliqua possint videri ex hac oratione adjecta, dum more Græcorum in Ecclesia prælegeretur : potuit etiam S. Sophronius pauca illa ex S. Athanasio descripsisse, cujus* E *fervorem in perstringendis hæreticis imitatus est. Plurima in ea hujus diei venerationem indicant, ut hæc in exordio verba :* Sacra diei præsentis solennia personet Evangelica tuba, nobisque omnibus Lucas... festæ lucis indicia dicat, eaque nobis festi amantibus clarius ostendat.

*Timothei eadem alia homil. a Lipomano et Surio.*

*Hic sola datur S. Sophronii Episc. Hieros. hactenus inedita.*

AUCTORE G. H.

*an ex ea aucta S. Athanasii homilia de occursu Domini?*

## § II. *Ejusdem festi veneratio apud Syros, Cyprios, Asiaticos.*

P*alæstinæ ac Phœniciæ vicina est Syria, adeoque Hierosolymis ac Tyro transimus Antiochiam, ad cujus populum arbitramur habitam a S. Joanne Chrysostomo homiliam de hujus diei solennitate, post alias editiones cum MSS. recognitam ab Henrico Savilio, ac tomo* V *operum, Orat.* 137 *Græce editam : iterumque a Frontone Ducæo, addita nova versione Latina tomo* VI *operum recusam hoc titulo:* Εἰς τὴν ὑπαπαντὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὴν θεοτόκον καὶ εἰς τὸν Συμεῶνα λόγος. De occursu Domini nostri Jesu Christi deque Deipara et Simeone oratio. *Margini adscriptum apud Savilium* μηνὸς φεβρουαρ. β, mensis Februarii die se- F cunda. *Syriæ contigua est Cappadocia, in qua floruit S. Basilii Magni frater S. Gregorius Episcopus Nyssenus : cujus Vitam dabimus* IX *Martii. Hic eadem fere cum Chrysostomo titulo edidit orationem, a memorato ante Sifano Latine redditam, et sæpius cum ceteris ejus operibus recusam :* De Occursu Domini, de Deipara Virgine, et de justo Simeone : *ac mox in exordio meminit* τῆς παρούσης ἁγίας καὶ δεσποτικῆς ἑορτῆς *hujus* præsentis sancti ac Domini diei festi : τὴν πανήγυριν ἄγεσθαι σήμερον, solennem hodie agi cœtum atque conventum *ac deinde* κοινῇ πανηγυρίζειν σὺν τοῖς ἐπιγείοις τὰ οὐράνια, Cœlestes Spiritus communiter una cum terrenis dies festos concelebrare. *Et mox inquirit* primitivum et originale tempus præsentis diei festi instituti, Christo infante *tunc* quadraginta dies nato, *ac resolvit,* festo cultu celebrari hodie *memoriam* mysterii expletæ constitutionis legalis litteræ, *ac repetit,* hujus sacri diei festi nos hodie *memoriam* celebrare, hanc mysterii explicationem spiritualem cogere præsentem sanctum atque solennem conventum *etc.*

*De eadem solennitate homilias habent S. Chrysostomus Antiochiæ,*

*S. Gregorius Nyssenus in Cappadocia,*

8 *Demum S.* Amphilochius, *ut de eo traditur ex S. Hieronymo in Martyrologio Romano* XXIII *Novemb. SS. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni socius, Iconii*

*S. Amphilochius Iconii in Lycaonia,*

in

AUCTORE G. H.

A *in Lycaonia juxta Cappadociam Episcopus, scripsit* Orationem εἰς τὴν ὑπαπαντὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὴν θεοτόκον καὶ εἰς τὴν Ἄνναν καὶ εἰς τὸν Συμεῶνα. De Occursu Domini nostri Jesu Christi, deque Deipara, et de Anna et Simeone. *Extat ea Oratio Græco-Latina tomo* II *Bibliothecæ Patrum supra citatæ interprete eodem Sifano, et e codice magis emendato inter opera Amphilochii a Combefisio edita, cum nova hujus interpretatione Latina : qui et alteram addit S. Amphilochii orationem hactenus ineditam ex apographo Jacobi Sirmondi nostri* εἰς ἁγίαν θεοτόκον καὶ εἰς τὸν Συμεῶνα, de Sancta Deipara et Simeone, *at dubitat ob pugnam ejus contra Nestorium, num forte sit alterius Amphilochii Episcopi Sidæ metropolis Pamphiliæ prope Lycaoniam et Cappadociam, qui interfuit Conciliis generalibus Ephesino et Chalcedonensi.*

*an alter Amphilochius Sidæ in Pamphylia?*

9 *Asiæ adjungitur Cyprus insula sub Patriarchatu Antiocheno, in qua seculo Christi septimo floruit Leontius Episcopus Neapoleos, a quo scriptam Vitam S. Joannis Eleemosynarii dedimus* XXIII *Januarii, antequam* §. 2 *num.* 7 *diximus in Synodo Nicena* 2, *actione* 4 *tradi*, multa præconia et festivos ejus sermones haberi. *Ex his est in Occursu Domini habitus, et de Simeone quando is eum in ulnas suas accepit. Auctor hunc diem* θεῖαν καὶ δεσποτικὴν ἑορτήν, Divinum et B Dominicum festum *appellat : et mox provocat* ad lætitiam ac exultationem cælos pariter ac terram, quia cælesti Deo ac Rege veniente, naturam omnem ab eo conditam, tum quæ oculis subjecta est, tum quæ mente aspectabilis, lætari oporteat ac exultare, omnique gaudio ac veneratione Occursum implere. *Orationem reliquam exhibet Combefisius in novo Auctario Bibliothecæ Græco-Latinæ Patrum.*

*Leontius in Cypro.*

10 *Est, teste Baronio in Notationibus ad* II *Februarii, qui affirmet homiliam* S. Gregorii Nazianzeni tam celebrem inscriptam AD SANCTA LUMINA, in hujusmodi festo die occursus Domini esse habitam : *ast apparuit Baronius tum istic, tum ad* VI *Januarii*, habitam esse eam homiliam die Epiphaniæ, quo etiam Græci celebrare consueverunt Christi baptismum. *Facilius in ea re assentimur Baronio, quam dum adjungit*, nullum Patrum, qui ante Justinianum Imperatorem *(de quo mox agemus)* vixerunt, sermonem in festo die Occursus Domini scriptum reliquisse : *solitos* aliud prorsus esse Christi Domini facta laudibus prædicare, aliud eorum causa festos dies indicere et celebrare : *quam Baronii censuram Combefis ad Orationem S. Amphilochii indicatam, asserit præcipitantiorem. Nos verbis Patrum prolatis, antiquam hujus diei venerationem* C *ostendimus in Palæstina, Phœnicia, Syria atque Asia reliqua, primis Christi seculis, viguisse : neque ejus institutionem usquam reperimus. In calendario Syrorum, quod est in Breviario Maronitarum, vocatur* Ingressus Domini nostri in templum

*Baronii censura de oratione S. Greg. Nazianzeni,*

*et aliorum Patrum.*

## § III *Sacra ejusdem solemnitatis memoria in Ecclesia Græcorum Constantinopolitana, et Ægyptiorum Copticæ.*

*Constantinopolis caput Orientis,*

C*onstantinopolis, sedes Patriarcharum, sub quibus numerantur provinciæ Lyciæ, Pamphiliæ, Lycaoniæ et Cappadociæ, in quibus SS. Methodius, Gregorius Nyssenus, et uterque Amphilochius, illustres festi Hypapantes sive Occursus Domini, præcones, Episcopi vixerunt. Constantinopolis urbs regia Imperatorum Orientalium, in quorum dominio fuerunt Sedes patriarchales Antiochena et Hierosolymitana, ubi supra relatas Homilias scripserunt SS. Cyrillus, Sophronius aliique ante memorati. Constantinopoli Archiepiscopus floruit S. Joannes Chrysostomus, licet orationem ejus citatam opinemur ante ibi Antiochiæ habitam. Demum Constantinopolis singulari erga Christum et Deiparam cultu inclyta viguit. Invisitur, teste Nicephoro lib.* 14 *Histor.* *Eccles. cap.* 2, opus Pulcheriæ Augustæ, sacrum Dei Genitricis templum, quod Blachernæ dicitur, dignum illa ipsa Dei Matre, quod inhabitaret, judicatum domicilium, sicut filio ejus quod Sapientiæ, *Græcis* τῆς Σοφίας, vocatur. *Ibi ergo* Pulcheria præter multa alia templa, præcipue Ecclesiam in Blachernis condidit, ac Dei Genitrici consecravit, cum nuper Marcianus imperium inivisset. *Ita Cedrenus in Marciano anno* CDL *in Imperatorem assumpto a S. Pulcheria, de cujus illustribus Actis agemus* X *Septembris.* D

*addicta Deiparæ Virgini,*

12 *Ex quibus omnibus, in unum quasi concurrentibus, satis certo inferimus, constare hoc festum Hypapantes, sive Occursus Christi, ejusque Matris Mariæ, præcipua quadam solennitate eo tempore Constantinopoli celebrari consuevisse : imo Imperatores subsecutos, cum in nonnullis locis in hoc festo colendo negligentia irreperet, decreto suo cultum illum stabilivisse, et nova sanctione confirmasse. Certe cum* XXIX *die Maii, feria* VI, *validus terræ motus cœpisset, quo omnis pene eversa est Antiochia, anno Justini senioris* VIII, *Christi* DXXVI, *tunc, inquit Cedrenus,* ἐτυπώθη ἑορτάζειν ἡμᾶς καὶ τὴν ἑορτὴν τῆς ὑπαπαντῆς, τῆς μέχρι τότε μὴ ἑορταζομένης. Norma data est celebrandi festum Hypapantes, in illud tempus non celebratum, *tali scilicet auctoritate publica. Anastasius Bibliothecarius ex Theophane scribit*, anno Justiniani XV, *Christi* DXLI, mense E Octobri factam esse Byzantii mortalitatem, et eodem anno Hypapanti Domini sumpsisse initium, ut celebraretur apud Byzantium die secunda mensis Februarii. *Quæ ita exponit Nicephorus lib.* 17 *cap.* 28 τάττει δὲ καὶ τὴν τοῦ Σωτῆρος ὑπαπαντὴν ἄρτι πρώτως ἁπανταχοῦ τῆς γῆς ἑορτάζεσθαι, ὥσπερ ὁ Ἰουστῖνος τὴν τοῦ Χριστοῦ ἁγίαν γέννησιν. Instituit vero *Justinianus* tum primum toto terrarum orbe, festo die celebrari Hypapanten, id est, Occursum Domini, sicut Justinus de sancta Christi Nativitate fecit. *At Baronius, qui horum Scriptorum auctoritate* sub Justiniano Imperatore solemnitatem hanc Constantinopoli celebrari cœptam esse *contendit, numquam admissurus est festum Nativitatis Christi sub Justino Imperatore primum cœptum etiam esse celebrari : unde eos auctores intelligendos esse de severiore aliqua sanctione, decreta in illos, qui non debita veneratione ea festa celebrarent, colligimus. Quæ verba ex Sigeberti Chronico a Baronio citantur, desumpta sunt ex Anastasio, et desunt in exemplaribus emendatioribus.*

*festum Hypapantes olim celebravit;*

*præscribunt id Justinus Imp.*

*et Justinianus :*

*uti festum Nativitatis Christi, antea tamen semper celebratum.*

13 *Theophylactus Simocatta lib.* 8 *Historiarum cap.* 4, *agens de Mauritio, Imperatore facto anno* DLXXXII, *hoc festum Occursus Domini vocat* τὴν τεσσαρακοστὴν ἡμέραν τῆς γενεθλιακῆς πανηγύρεως τοῦ μεγάλου Θεοῦ Ἰησοῦ, ὃν Χριστὸν τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην ἔθνη γεραίρουσι. Quadragesimum *appellat* diem a celebritate natalium magni F Dei Jesu Christi, quem gentes universæ per orbem terrarum venerantur. *Codinus Curopalata de Officiis Ecclesiæ et Curiæ Constantinopolitanæ cap.* 15, *recenset hanc solemnitatem inter festa, quibus imperator procedere solet, si Constantinopoli versetur, quod ita narrat num.* 8. In festo Occursus, seu Purificationis, recipit se Imperator ad Blachernarum templum, comitantibus Barangis, qui semper Imperatorem equitantem comitantur, portantes humeris suis secures suas, deducuntque usque ad excelsos gradus : at in hoc festo etiam ad templum comitantur; ubi tamen non manent usque ad Imperatoris reditum, sed præstolantur, ut consuetum est, ad portam Excelsorum graduum, ubi Imperatorem excipiunt, et usque ad sancti Spiritus deducunt. *In constitutione Manuelis Comneni Imperatoris,* XII *Christi seculo lata, apud Balsamonem in scholiis ad caput* 1 *tituli* 7 *Nomocanonis Photii, enumeratur* dies II Februarii propter Servatoris Occursum *inter illos, quos more antiquorum Imperatorum ab omnibus negotiis et actionibus immunes sancivit. Ita Constantinus Magnus lege præcepit venerationem*

*Quadragesimum diem vocat Simocatta :*

*solemni apparatu celebrant Imperatores*

*renovavit … Comnenus*

A *rationem diei Dominicæ, olim tempore Apostolorum institutam, ut tradit Eusebius lib. 4 Vitæ ejus cap. 18.*

*celebrant Græci in Menologiis et Menæis :*

14 *Græci in omnibus suis Martyrologiis, Horologiis, Menologiis celebrant* II *Februarii,* Hypapantem Domini nostri Jesu-Christi, quo tempore (*additur in Menologio Canisii*) B. Simeon Christum Dominum in ulnas accepit, *attexitur vero in Menæis et Anthologio hoc elogium :* Quadraginta diebus elapsis post salutarem a Domino assumptam humanitatem, et semper Virginis partum absque viro conceptum, hoc ipso sanctissimo die in templo Dominus noster Jesus Christus a sanctissima ejus Matre et Josepho justo, ex consuetudine et Lege, quæ fuit umbra novæ Legis, adductus et oblatus est, quando et Simeon venerandus senex (qui a Deo responsum acceperat non visurum se mortem, prinsquam vidisset Christum Dominum) accepit in ulnas, Deoque gratias agens vicissim confessus exclamavit : Nunc dimittis servum tuum, Domine etc. Et gaudio plenus vita excessit. Celebritas autem in veneranda immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis æde, quæ est in Blachernis, peragitur. *Græce dicitur* Simeon τῶν ἐπιγείων ἀντallάξαμενος τὰ οὐράνια καὶ ἀτελεύτητα pro terrenis cœlestia et immutabilia obtinuisse : *phrasi communi, licet in limbum Patrum delatus, expectarit*

B *dum Christus cœlum morte, et adscensu suo aperuisset. Præclare Simeonem apud inferos Christi nuntium tradit Leo Augustus oratione hac die habita in Dominicam Præsentationem a Combefisio edita*

*et Copti in Egypto.*

15 *Antiquus Ægyptiorum cultus innuitur in Martyrologio Coptico, in quo die* VIII *Mechir, qui in* II *Februarii convenit, hæc traduntur :* Ingressus Domini in templum post quadraginta dies a Nativitate. Festum Purificationis. *Eamdem solennitatem habet etiam Calendarium Ruthenorum*

## § IV *Antiqua ejusdem diei celebritas apud Latinos : an introducta abrogatis sacrificiis Plutonis, Lupercalibus?*

*Hoc festum Latini celebrant sub nomine* Hypapantes Domini,

Quam cœperat methodum celebrandi hoc festum, *Græca ac reliqua Orientalis Ecclesia, eamdem illius exemplo sibi præscripsit Ecclesia Occidentalis: in cujus antiquioribus Martyrologiis Græcum* ὑπαπαντῆς *vocabulum retentum, abunde ejus rei fidem facit. Ita antiquum Martyrologium Romanum a Rosweydo editum, Usuardus, Ado, Bellinus, MSS. Leodiense S. Lamberti, et Aquisgranense :* IV Nonas Februarii Hypapante Domini. *Additur in MS. Treverensi,* Festum

C summum minus, *id est juxta ritum modernum Ecclesiæ Romanæ Duplex secundæ classis. MS. Centulense S. Richarii, Bedæ præferens nomen :* Hypapanti Domini, quod est amplexio sive susceptio Domini Salvatoris. *At MS. nostrum sub ejusdem Bedæ nomine, uti MSS. Treverensia SS. Maximini et Martini, Ultrajectinum S. Mariæ, et Coloniense ad Gradus S. Mariæ, et Galesinius, ita scribunt :* Purificatio S. Mariæ, *additur* semper Virginis *in MS. monasterii S. Cyriaci. Alia Martyrologia utrumque jungunt. Ita MS. Bruxellense S. Gudulæ, MS. Florarium, antiquum Coloniense, et plurima MSS. ad usum Ecclesiarum Belgicarum sub nomine Usuardi :* Purificatio

*Purificationis S. Mariæ,*

B. Mariæ Virginis, et Hypapanti Domini nostri. *Martyrologium Romanum :* Purificatio B. Mariæ Virginis, quæ a Græcis Hypapante Domini appellatur. *Beda excusus* Purificatio S. Mariæ, quando cum infante repræsentata est in templo : *addit Rabanus,* ubi ipsum Dominum Jesum senex Simeon in ulnas suas accepit et benedixit. *Notkerus :* Hypapante Domini, vel Purificatio B. Mariæ, quando Dominum Jesum cum hostiis secundum Legem præsentavit in templo, et ipsum esse Christum Simeon et Anna in Spiritu sancto cognoverunt, et expectantibus redemptionem Hierusalem prædicaverunt. *Breviarium MS. Richenauiense :* Solennitas S. Mariæ, quando Dominum nostrum in templo præsentavit. *MS. Lætiense :* Festivitas Purificationis beatissimæ Genitricis Dei Mariæ, et Præsentatio Domini in templo. *Similia leguntur in MSS. Tornacensi S. Martini, et Coloniensi Carmelitarum, et apud Maurolycum. Wandelbertus hos versus proponit :*

D

AUCTORE G. H.

*sive etiam* Præsentationis Domini ;

Quartum nonarum templo inlatus dicat Agnus,
Quo lustrante Deum vivum plebs credula templum
Mente pia locat acceptum sternitque tribunal.

17 *Auctor Martyrologii, quod Viola Sanctorum inscribitur, tradit* hoc festum tribus nominibus appellari, Purificationis, Hypapantes, et Candelariæ. *Verum hoc ultimum in præcedenti includitur : acceptis quippe candelis seu cereis aut lampadibus occurrendum Christo esse monent in suis Homiliis SS. Cyrillus et Sophronius Archiepiscopi Hierosolymitani, a quo occursu sive hypapante passim plerique in suis vernaculis linguis hoc festum appellant, quod nos Belgæ et Germani* Licht-Misse, *quasi* Missam Luminum *nominamus, uti Angli* Candle-Masse, *id est* Missam Candelarum. *In libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ legitur,* IV Nonas Februarii, Purificatio, S. Mariæ Virginis, *cum prima oratione* ad Collectam, *id est, ad synaxim, seu conventum ad communes preces fundendas et divinum officium peragendum. Ita S. Hieronymus in Vita S. Paulæ viduæ* XXVI *Januarii num. 32 ait :* Post Alleluia cantatum quo signo vocabantur ad Collectam, nulli residere licitum erat. *Ita ab eodem Hieronymo* Collectam *vocari in regula S. Pachomii a se Latine versa, ibidem monuimus. Hic autem conventum ad processionem cum cereis ardentibus faciendam innuit Oratio ad Collectam præscripta ejusmodi :* Erudi, quæsumus, Domine plebem tuam, et quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per Dominum *etc. In ordine et Missali Romano, eadem incipit,* Exaudi, quæsumus, *mutato solum primo verbo. Baronius in notatione ad Martyrologium intelligit hic collectionem eleemosynarum, quam etsi admiserimus sæpe factam esse, hic tamen minus placet.*

*alii denominant a luminibus prælatis,*

*ad quorum collectam*

E

*hæc oratio legebatur.*

18 *Illustrarunt ergo eum diem sacra lumina accendi solita: quam solemnitatem Latini cum festo Hypapantes ab Orientalibus acceptam, majore etiam pietate animorumque ardore celebrarunt, ut superstitio Ethnicorum, qua Romani in honorem Februi Dei, id est, Plutonis, cum cereis ardentibus lustrabant Urbem, penitus aboleretur. Agit ea de re S. Ildephonsus Episcopus Toletanus, anno Christi* DCCLXVII *vita functus, ut ad ejus Vitam* XXIII *Januarii diximus. Hic sermone* I *in Purificatione S. Mariæ, hæc refert :* Non abs re est, si aliquid de solemnitatis vocabulo compendiosius dicamus. Vocatur itaque Græco vocabulo ὑπαπαντή, quod Latine obviatio dici potest : ὑπαντᾶν enim Græce obviare dicitur. Proinde hæc festivitas tali vocabulo notatur, quia, cum Dominus hodierna die in templum a parentibus fuisset delatus, a Sanctis, quos plurimos tunc temporis Hierosolymis fuisse non dubium est, ei obviari credimus. Agitur autem hæc festivitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani a Februo, id est, Plutone, sic vocaverunt : quem potentissimum purgationis credebant. Februare enim purgare dicimus. Quo mense lustrabatur civitas. Cum enim Romani omnes gentes sibi subjugassent, tributum eis imposuerunt eo tenore, ut quinto quoque anno idem tributum solveretur. Quo expleto et censu persoluto, ab omni populo, ut dictum est, civitas lustrabatur, et diis manibus sacrificia offerebant, quorum auxilio et virtute totum orbem subjugasse putabant. Quam lustrandi consuetudinem congrue et religiose Christiana mutavit religio, cum eodem mense, hoc est, hodierna die in honore

*Juxta S. Ildephonsum,*

F

*in locum lustrationis Urbis et sacrificiorum Plutonis.*

*AUCTORE G. II. dicitur introductum hoc festum.*

A honore sanctæ Dei genitricis, et perpetuæ Virginis Mariæ, non solum Clerus, sed et omnis plebs ecclesiarum loca cum cereis et diversis hymnis lustrantibus circumeunt, non jam in memoriam terreni imperii quinquennem, sed ob recordationem cœlestis regni perennem, quando juxta Evangelicam parabolam omnes Sancti cum bonorum operum lampadibus in fine mundi sponso Christo obviantes, ab eo in thalamum æternæ felicitatis sunt intromittendi.

*Matth. 25.*

19 *Hæc Ildephonsus cum ὑπαπαντῆς vocabulo, festi originem ex Orientalium Ecclesia accersito. Dum tamen addit a Christiana religione consuetudinem Romanorum in Urbis lustratione mutatam esse sive abolitam, eo modo debere intelligi arbitramur, quo idololatriam Jovis Capitolini ac ceterorum deorum etiam mutavit Christiana religio, substituto vero cultu Christi Salvatoris nostri, qui tamen cultus erat introducendus etiamsi nunquam Jupiter ceterique dii fuissent excogitati. Præterea, quod valde hic observandum est, ea lustratio Romæ solum celebrabatur, non autem apud Græcos aliosque populos Orientales, quibus alia erant mensium nomina, eisque prav* Μεχίρ *primis Christi seculis fere appellabatur, qui Coptis Ægyptiis Mechir erat, et Latinis Februarius, ut præclare demonstrat Petavius noster lib. 1 de Doctrina temporum cap. 29. Demum ea Urbis lustratio* B *non secunda Februarii peragebatur, sed, ut annus ille expiatus fuisset, Februa celebrabantur per XII dies continuos, et mensis parte extrema vergente, versus Kalendas Martias, ubi S. Eligius, creatus anno* DCXLVI *Episcopus Normanensis in Gallia, ac vita functus anno* DCLXV, *παραλλήλως facta ad hanc lustrationem comparatione, exponit* Homilia II, in die Purificationis S. Mariæ de Evangelio et de usu luminarium, *ut titulus præ se fert, habita.*

*ut in locum idololatriæ, veræ Christi cultus substituatur.*

*Eadem referunt S. Eligius.*

20 Quia, *inquit*, consuetudo est Ecclesiastica, ut hac die gestantes manibus lumina, Missarum solennia celebremus, breviter quoque dicendum, quæ sint hujus rei exordia. Cum Romani totius mundi potirentur dominio, a subjecto sibi orbe tripartito per tria quinquennia solutionem census indixerunt fieri, et hoc modo, ut aurum uno, argentum altero, æs vero tertio persolveretur quinquennio. Unum quodque autem quinquennium vocabatur lustrum, eo quod ipso expleto, censuque soluto, in unum conveniente populo Romano, sacrificium celebraretur, et cum cereis et lampadibus urbs Roma lustraretur, ob honorem infernalium deorum, et præcipue Februi, id est Plutonis, qui Dominus inferni dicebatur, a quo et mensis Februarius vocabulum sortitur, in cujus C parte extrema, id est in Kalendis, hoc agebatur. Ideo vero tunc infernalibus diis sacrificabant, quia eorum præsidio nationes orbis se subjugasse credebant. Nunc igitur vanæ superstitionis errorem pulchre Christiana devotio ad verum convertit fidei religionem, cum jam non post quinquennium, nec, ut olim, circa finem mensis Februarii, una lustratur civitas Romana ob honorem Februi, qui falso lustrationum, id est, purgationum, potens putabatur et Deus infernorum, et ob dignitatem ejus, quæ jam cessavit, terreni Romanorum imperii, sed per singulos annos circa initium ejusdem mensis, universa Dei civitas, sancta videlicet Ecclesia, illustratur: fidei lumen, quod filiorum suorum fulget in cordibus, designans cereorum lumine, quod eorumdem gestatur manibus ob honorem Domini nostri Jesu Christi, qui est unus et verus Deus cœli et terræ et inferni: quique verus homo pro nobis factus, hodierna die in templo præsentari, et cum esset sine sorde peccati, legalem purgationem cum hostiarum oblationibus pro se fieri, sanctique senis Simeonis manibus suscipi, atque ab eo et a B. Anna ceterisque justis, qui ejus expectabant adventum, se voluit confiteri. Nos ergo, carissimi, hodie solenniter recolentes hujus rei memoriam, et cum Domina nostra, D gloriosa genitrice ejus Maria eum oblaturi, vel cum B. Simeone eum suscepturi, cum cereis et hymnis, puritate mentis atque lucidis operibus splendidi, in conspectu ejus adstare debemus devoti, sedulo recordantes dignitatem nobis repromissi perennis et felicis imperii, cœlestis scilicet regni, quod tunc omnes electi sunt accepturi quando juxta parabolam Evangelii, cum bonorum operum lampadibus occurrentes Sponso immortali, ipsi sponsa ejus effecti, amantissimum thalamum intrabunt *etc.*

*Matth. 25.*

21 *Hæc S. Eligius prorsus σύμφωνος S. Ildephonso, cujus verbis ante prolatis ita inhæret, ut eadem videatur adhibita amplificatione exornasse, nisi alium antiquiorem auctorem ambo describant, quod nobis verosimilius apparet, cum eadem etiam proferat S. Beda tomo* 2 *operum, tractatu de Ratione temporum cap.* 10, *ubi hæc scribit:* Secundum mensem dicavit Numa Februo, id est, Plutoni, qui lustrationum potens credebatur: lustrarique eo mense civitatem necesse erat: quo statuit, ut sacrificia diis manibus solverentur. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutavit Christiana religio, cum in mense eodem, die S. Mariæ, plebs universa cum Sacerdotibus ac ministris, hymnos modulando, devota per ecclesias, perque congrua Urbis loca procedit, datosque a Pontifice cereos E in manibus gestant ardentes, et augescente bona consuetudine idipsum in ceteris quoque ejusdem B. Mariæ et perpetuæ Virginis festivitatibus agere didicit, non utique in lustrationem terrestris Imperii quinquennem, sed in perennem cœlestis regni memoriam, quando juxta parabolam Virginum prudentium, omnes electi, lucentibus bonorum actuum lampadibus, obviam Sponso ac Regi suo venientes, mox cum eo ad nuptias supernæ civitatis intrabunt. *Eadem, citato Beda, referunt Alcuinus Flaccus lib. de Divinis officiis cap.* 7, *Amalarius Fortunatus lib.* 3 *de Ecclesiasticis officiis cap.* 43; *ast omisso Bedæ nomine Robanus Maurus tomo* 6 *operum lib.* 2 *de Institutione Clericorum cap.* 33, *ubi eadem de Græcis verbis ὑπαντή et ὑπάντησις disserit, quæ supra ex S. Ildephonso retulimus. Quibus accurate collatis, in unius Scriptoris ingeniosam inventionem hæc tota ratio comparandi hanc cereorum ac luminum in festo Hypapantes gestationem cum lustratione antiquorum Romanorum videtur resolvi posse.*

*S. Beda,*

*Matth. 25.*

*Alcuinus, …*

*…*

22 *Aliam profert occasionem hujus solennitatis institutæ Baronius in Notationibus ad Martyrologium:* Constat, *inquit*, Gelasium Romanum Pontificem, qui annis triginta ante Justiniani tempora Romanæ Ecclesiæ præfuit, hujus diei celebrandæ in occidentali Ecclesia aperuisse viam, dum Lupercalia mense Februario agi solita (ut scribit Varro lib. 5 de lingua Latina) Romæ ad ea tempora permanentia, legibus Ecclesiasticis abrogavit. Extat ejusdem Pontificis ea de re eruditissimus commentarius adversus Andromachum Senatorem ac ceteros Romanorum, studiosos Lupercalium. Habemus illum MS. in nostra Bibliotheca, quem et excripsimus integrum in Annalibus Ecclesiasticis: est ejus exordium. Sedent quidam in domibus suis, nescientes quæ loquantur etc. Jure itaque opinamur, abrogatis Lupercalibus, Romæ, sicut in multis accidit, ejusmodi fuisse solennitatem introductam, quam paullo post Justiniani temporibus, ut vidimus, Orientalis Ecclesia ea occasione recepit. *Hæc Baronius. Verum hoc festum Hypapantes, etiam cum luminaribus, apud Orientales ante tempora Justiniani aliquot seculis celebratum fuisse supra probatum est, atque ab Orientali Ecclesia in Occidentalem introductum. Scimus S. Augustinum lib.* 18 *contra Faustum cap.* 5 *scribere* Februarium *nominari* a sacris Februis Lupercorum. *Legimus etiam commentarium memoratum S. Gelasii Papæ tomo* 6 *Annalium ad annum* F *Ch.*

*… etiam … ductum hoc … tum, abr… Lupercal…*

*Ch. 496 a num. 30 ad 45. Sed absque ulla mentione Hypapantes, aut nominis beatissimæ Mariæ Deiparæ. Unde ergo inferemus tum hanc solennitatem Hypapantes institutam? Quidni potius hanc S. Augustini regulam lib. 4 de Baptismo contra Donatistas cap. 24 hic proponimus, qua id quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur? Ita a temporibus Apostolorum Nativitatem Christi celebratam fuisse ostendetur xxv Decembris, quam tamen ita a Justino Imperatore institutam fuisse atque a Justiniano festum Hypapantes a Nicephoro scribi supra retulimus.*

*sed Apostolica potius traditum auctoritate.*

## § V Particularis veneratio Purificationis in variis Ecclesiis.

*Solennitati hujus diei merito accessit processio, quia hac die multæ venerabiles personæ in Evangelio leguntur processisse.* Offerunt, *teste S. Bernardo serm. 2 de Purificatione,* Joseph et Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum; Simeon et Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solennibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur. *Plures alios utriusque sexus obviam processisse innuunt S. Ildephonsus aliique Patres. De eadem processione infra agit S. Sophronius. Quem autem modum præscripserit Romanis S. Sergius Papa, qui præfuit Ecclesiæ ab anno* DCLXXXVII *ad annum* DCCI, *indicatur in libro, qui* Ordo Romanus *inscribitur, in Bibliotheca Patrum inter Scriptores seculi octavi editus, quem tempore Pipini Regis et Stephani Papæ conscriptum esse affirmat Michael Hittorpius in Præfatione ante antiquos Auctores de Divinis officiis a se editos. Ibi* de Purificatione S. Mariæ *hæc traduntur :* de hac festivitate, id est, ὑπαντή Domini, et aliis festivitatibus S. Mariæ in Gestis Pontificalibus legitur, quod Sergius Papa præceperit Litanias fieri in die Præsentationis Domini in templo. Ita enim scriptum est, ut in diebus Annuntiationis Domini, Dormitionis ac Nativitatis sanctæ Dei Genitricis Mariæ, et S. Simeonis, quod ὑπαντὴ Græce dicitur, cum Litaniis exeant a S. Adriano, et ad S. Mariam populus occurrat. Ipsa ergo die, aurora ascendente, procedat universus Clerus et populus cum Litania et antiphonis ad ecclesiam S. Adriani, exspectantes Pontificem. Ingressus Pontifex in sacrarium induit se vestibus nigris. *Eadem habet Alcuinus supra citatus, additque :* Post hoc accipiunt omnes singulos de manu Pontificis cereos etc. *Paucis eadem attingit antememoratus Amalarius Fortunatus.*

*Processio ejus diei,*

*a Sergio Papa ordinata*

*ab ecclesia S. Adriani ad S. Mariam*

24 *Græci mensem Februarium ab hac solennitate in suis Menæis auspicantur his verbis :* Εἰς τὴν πρώτην, προεόρτια τῆς ὑπαπαντῆς τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Prima die, Profestum Hypapantes sive obviationis Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. *Agitur de eodem profesto in Horologio Græcorum, et apud Molanum in Additionibus ad Usuardum. Saussaius in Martyrologio Gallicano ita habet :* Præfestum Hypapantes, sive obviationis, Domini, alias Vigilia Præsentationis Christi et Purificationis sanctissimæ Virginis. *Vigiliam enim Purificationis apud Parisienses observari notat Loerius in Calendario Festorum B. Mariæ. Sed et in Hispania hanc vigiliam cum jejunio observari solere testis est Bernardinus Gomesius lib. 1 de Vita Jacobi I Aragonum Regis. In Agenda Ecclesiæ Moguntinensis excusa anno* MDLI, *titulo de observatione jejuniorum, præscribuntur omnes Vigiliæ B. Mariæ Virginis, sola quidem Assumptionis ex præcepto, reliquæ ex consuetudine servandæ. Recensentur autem festa B. Mariæ ista septem : Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Præsentationis, et Conceptionis. Solent autem hæ vigiliæ, seu jejunia, ex pia consuetudine servari in Polonia, Germania ac Belgii multis diœcesibus. Hinc in Synodo Silvæ Ducensi anno* MDCXII *celebrata, titulo 12 can. 10 ita statuitur :* Ut Pastoribus et animarum curatoribus aliisque nostris subditis augendæ pietatis demus occasionem, mandamus et injungimus, ut in iisdem illis locis illam laudabilem consuetudinem jejunandi pridie festorum Deiparæ Virginis Mariæ solenniter celebrari indictorum receptam servent, populo publicent, ut piam consuetudinem servent. *Abbatia Tongerloensis Ordinis Præmonstratensis, in eadem diœcesi sita, inter antiqua diplomata fundationis a Miræo in Notitia Ecclesiarum Belgii edita, exhibet cap. 217 aliquod datum anno* MCCLXXVII in Vigilia Purificationis B. Mariæ. *Solebat in vicina Gelria atque Hollandia, antequam fides Catholica per Calvinistas istic opprimeretur, pia consuetudo jejunandi in profestis B. Mariæ Virginis a Parochis denuntiari, atque a populo observari. Hinc Hesselius in Explicatione Decalogi cap. 106 de jejunio agens, ita scribit :* In Vigiliis Pentecostes, Ascensionis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis, et Conceptionis B. Mariæ mos regionis, sive civitatis, sequendus est. *Henricum II Angliæ Regem singulis Sabbatis ab hora IX in diem Lunæ proximam et singulis Virginis Mariæ Vigiliis jejunium Anglis imperasse docet Rogerus de Hoveden parte posteriore Annalium Angliæ, citatus a Loerio lib. 1, Mariæ Augustæ cap. 31 et a Colvenerio in Calendario Mariano ad Kalendas Februarii, qui pluribus hoc argumentum prosequitur. B. Waltherus de Birbeke (ut dicitur cap. 2 Vitæ, quam dedimus XXII Januarii) solitus erat in vigiliis omnium solennitatum beatæ Dei Genitricis jejunare in pane et aqua, quæ eadem in vinum etiam mutata est. B. Margarita Hungarica in Vigiliis solennitatum B. Mariæ Virginis pane tantum cum aquæ potu vescebatur, ut tradit Ranzanus in ejus Vita cap. 2 num. 8, quam dedimus XXVIII Januarii.*

*I Fer Profestum.*

*... jejunio ex ... tione,*

*AUCTORE G. H.*

*etiam in pane et aqua :*

25 *Festum hoc cum Octava celebrant Fratres Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, Ordinis sanctissimæ Trinitatis, Ordinis B. Mariæ de Mercede, et Ordinis Carmelitarum, additis propriis Lectionibus; item Cluniacenses, Cistercienses, Virgines Deo dicatæ Fontisebraldi, et Ordo B. Mariæ Annuntiatarum. Eamdem notat Cursus B. Mariæ ad usum Ordinis S. Benedicti, et Breviarium Dominense conscriptum anno* MCLXVIII, *uti refert Colvenerius ad II Februarii, antiqua Breviaria Ambianense, Lingonense, Tullense in Gallia, Burgense et Seguntinum in Hispania, Antverpiense et Bruxellense in Belgio, Hildeshemense in Germania, Canariense in Oceano, et Hermannus Greven in Auctario Usuardi ad IX Februarii : quo etiam die ita scribit Saussaius :* In Santonensi Pontificali Ecclesia, Octava Purificationis S. Mariæ propter miraculum, quod illic sic contigisse produnt sacra illius Ecclesiæ monumenta. Est in illa præcipua æde altare Dei Genitricis antiqua religione sacrum, statua antiquior, quam ob mira frequentis opitulationis insignia, B. Mariam de miraculis jam pridem cives appellitant. Accidit vero dudum medio intempestæ noctis silentio, cum alta quies totam urbem occuparet, repente, nemine movente, ærea majoris ædis cymbala mira concentus suavitate resonarunt. Quo insolito tinnitu expergefacti sacri æditui, mox e strato surgentes, templum undequaque luminibus coruscum conspiciunt, numerosumque hominum conventum augusta lustratione ac prece, suavissimisque hymnis Virginem suppliciter venerantem. Ad quem timido gressu propius accedentes, eum qui tam celebris pompæ postremum ducebat ordinem, rogarunt, ut cerei ardentis reliquum, quod pius gestabat manibus, tantæ rei testimonium daret. Quod ille lubens præstitit. Utque ea res primo diluculo Ecclesiæ primoribus,

*solennitas ab ... cum per octavam continuata;*

*ut Santonibus ob miraculum :*

A ribus, non tantum per custodes, sed etiam per multos cives, qui eam rem per ostiorum translucentes rimas viderant, innotuisset, cereum inter sacras reliquias religiose servandum mandarunt, atque ob tam novum prodigium, hunc diem toti posteritati memorandum indixerunt. *Insuper diei Octavarum Purificationis meminit Joannes Gerson parte 4 Operum, in epistola de Festo S. Josephi instituendo, data anno* MCDXVI *in Concilio Constantiensi ad Dominum Petri Cantorem Carnotensem et sacræ Theologiæ Professorem.*

*AUCTORE G. H.*

26 *Ecclesia Pragensis singularem cultum hodie exhibet ob reverentiam duarum partium cingulorum B. Mariæ, de quibus hæc traduntur in MS. Martyrologio Pragensi :* Purificatio B. Mariæ Virginis et Hypapanti Domini. Quæ non ideo purificata dicitur, quod ullam ex suo partu contraxerit maculam cum Virgo sit, sed quod ipse Dominus et gloriosa mater ejus, cum nihil legi deberent, decretis legalibus se sponte subdere voluerint. Hypapanti etiam dicitur, id est, lustrationum ; nam Christiani cultum illum lustri, qui in principio Februi Plutoni flebat, in melius commutantes, in honore veri Luminis et Agni, quem Mater Virgo in templo præsentavit, hodie cereos ardentes in manibus portant, Domino præsentato in templum occurrentes. De cujus Cingulis gloriosis duobus duas pecias gloriosus Princeps

*Pragæ ob cinguli B. Mariæ partes celebrior diei veneratio*

B Carolus IV Romanorum Imperator semper Augustus, et Bohemorum Rex, in ecclesia Augustensi obtinuit, et decoratas in monstrantia crystallina Ecclesiæ Pragensi donavit.

27 *Peregrinus Merula in Sanctuario Cremonensi tradit, Stephanum Borsellum Ecclesiæ majoris Canonicum anno* MCLXXII *Cremonæ extruxisse Ecclesiam, vulgo* Incoronatam *dictam, sub titulo Purificationis B. Mariæ Virginis. Romæ etiam celebre est templum S. Mariæ Purificationis in Exquiliis cum monasterio sanctimonialium S. Francisci anno* MDC *fundato. Aliud est Romæ templum nationis Lotharingicæ, quod S. Ma*ria Purificationis *dicitur, situm in ea urbis parte, quæ vulgo* in Bauchi *appellatur. Agit de his Romanis templis Antonius de Balinghem noster in Calendario Mariano ad* II *Februarii, ubi plures cœlestes visiones variaque miracula recenset ad hujus festi cereorumque commendationem patrata, ubi et passim recentiores Auctores. Extases B. Veronicæ de Binasco dedimus* XIII *Januarii cap. 5 Vitæ. Ubi etiam* XXV *Januarii pias meditationes B. Henrici Susonis cap. 12, quas hi in festo Purificationis habuerunt. Similia exercitia miraculaque hoc toto opere dabuntur, quæ, in unum colligere ad hono-*

*templa eccl. sub titulo Purificationis B. Mariæ*

C *rem cultumque Deiparæ Virginis Mariæ, quamvis animus foret, instituti nostri ratio, et temporum angustiæ non permittunt.*

# ORATIO
# DE HYPAPANTE
# SIVE OCCURSU DOMINI,

## Auctore S. Sophronio Archiepisc. Hierosolymorum.

*Ex MS. Græco Mediceo Regis Franciæ.*

### CAPUT I.

*Mysteria Christi celebranda. Hujus festi solemnitas.*

Aliud Christi est hoc mysterium, alia hæc est Christi Dei nostri magnificentia. Magna enim semper sunt illius miracula, ut quæ orationum aditus accessusque vincant omnium, omnisque excedant virtutem sapientiæ, non humanæ modo sed etiam Ange-

*Myst. Christi ... ... ...*

licarum, earumque quæ sub aspectum non cadunt, Virtutum. Sermo namque et lingua quædam, quæ ab nobis hominibus comprehendi nequeat, cœlestibus Angelis seorsum data est. Quapropter et magna voce cum magno Paulo exclamabo : Ubi sapiens ? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus seculi ? Ubi rhetorum ornamenta ? Ubi philosophorum problemata ? Ubi grammaticorum facetæ artes ? Certe stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, et supervacaneam vanamque et inutilem vel ideo magis demonstravit ; quia hæc sapientia donum etiam ac munus gratiæ erat, ad observationem inquisitionemque Dei, vanoque ex errore resipiscendum, incredulis gentibus data. Verum quia per mundi sapientiam non cognovit mundus Deum ; placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Et hæc jure cum Paulo clamo, ipseque etiam nunc admirabundus exclamabo ; O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus ! Nullus enim cognovit sensum Domini, neque quisquam Consiliarius ejus fuit. Nam quo modo res creata mentem videat Conditoris, vel ingenium intellectumque illius possit comprehendere? Vel quo modo figmentum det consilium ei, qui ipsum finxerit, quasi committenti se figmenti consilio, indigentique imperfecto ad perfectionem? Ideo apud Insipientes, quod prædicatur, stultitia est : quia sapientia hominum infatuata est. Ideo Academia obdormiit, *a* Stoa conticuit, vacat Peripatus, dormit *b* Lyceum, Athenæ pepulcatæ sunt : ut ne, relicto Deo omnium Conditore, Deos faciant res ab ipso creatas. Hæc enim contra Deum Deique militant sapientiam, quæ ea quæ videntur, Deo esse majora judicant, neque Deum eorumdem Conditorem videre cupiunt. Propterea tradita ea silentio sunt, atque in profundum oblivionis projecta.

D

1. Cor. 1. 20

Ibid

1 Cor. 1. 21

Rom 11. 33.

E

*destruit sapientiam mundi.*

*a*

*b*

2 Hinc potius Nazareth prædicatur, in qua Evangelia Dei recitata sunt : prænuntiatur hinc Bethlehem, ubi Deus in carne nascitur *c*..... ubi Deus miracula patrans vitam degit. Præsignatur hinc Golgotha, ubi Deus crucem suscepit. Hinc canitur Resurrectio, in qua e sepulchro Deus rursum exurgit : prædicatur hinc Sion, ac latera Aquilonis præsignificantur, ubi Christus, cum a mortuis resurrexisset, apparet : hinc gloria mons Olivarum afficitur, e quo cum humana natura in cœlum Deus revertitur. Ablata sunt priora, atque alia introducta : infatuata illa, hæc demonstrata sunt : illa in cinerem redacta, hæc illustrata : illa juste, quia Deum non honoravere, contempta sunt ; convenienter hæc, quia Deo, ut oportebat, dedere gloriam, vicissim gloriæ commendata sunt. Illa enim hominibus erant offensioni, trahebant ad interitum, in inferni barathrum deferebant ; ast hæc hominibus et saluti sunt, eosque e morte ad vitam reducunt, et e terra in cœlum revehunt. Illis in oblivionem actis, hæc festo jam colimus : hæc hodierna die universi concelebramus ; his, ut par est, initiamur. Dei enim festa sunt, atque mysteria, quæ, cum juxta hominum conditionem apte perficiuntur, tum mystice sese perficientem ipsa perficiunt.

*illustrat loca in quibus peracta sunt.*

*c*

Ps 47. 3.

F

*depelt ... his.*

*perfic... res suos*

3 At quod nunc etiam hoc mysterium sit (hujus enim est præsens hæc celebritas) vel quæ hæc Christi magnificentia (hujus enim hæc pompa atque progressus) continuo nos roget quispiam, vel infidelitate detentus, vel etiam ignorantiam religionis affectans. Ecclesiæ namque filiis, initiatisque a sancto Spiritu, omnia, quæ Christum attinent, manifesta sunt atque cognita, nihilque est eorum, quæ peraguntur, ignotum. Ego vero et clamabo, atque eloquar, prædicaboque, quæ festi hujus sunt propria. Non enim erubesco Evangelium Christi, quod clamavit ante nos Paulus, sed extraneorum sapientium

*... ... proponenda ...*

Rom. 1. 16.

per

A per ipsum fastus pudore suffundo. Virtus enim Dei, quæ comprehendi nequit, est in salutem omni credenti. Et vero qui possit fieri, ut potentiam Numinis ineffabilem proferre erubescam? mysteria nostra frustra ne incusent *d* Aristagoræ, Anaxagoræ, Anaximandri, Pythagoræ, Aristoteles, Platones, sapientiæ jam corruptæ sapientissimi defensores, qui quæ dicunt nesciunt, eaque quæ asserunt intelligere nequeunt : quos merito *e* et piscatorius nota perstrinxit calamus, et artis sutoriæ scalpellum demessuit, mortuaque et insensilia ostendit esse terræ retrimenta ; verum his e sapiente nostra celebritate dimissis, (quippe qui Dei sapientiam et ex se ipsi expulerunt, et inani se vanaque stultitia repleverunt) nos ore cuncti Theologico miranda atque a Deo recte facta accinamus, purisque mentibus celebremus. Hoc enim et divinis Dei festis conducit maxime, atque hic eos, qui festa sua concelebrent, requirit.

*d obstrepentibus frustra Gentilibus.*

*Post festa Christi nati,*

4 Natus est æternus ille Christus in carne, ac more nostro sibi matrem sumpsit, quæ ipsum indubitate et ineffabiliter genuit : atque hanc nos, qui salutem ex ipsa decerpsimus, mystice nuper festo die colimus. Post quem rite octavus dies expectatam carnis circumcisionem excepit : tum vero tanquam Mystæ clientesque Dei, quique Divina Dei

*et circumcisi,*

B dona acceperimus, rursum mystice hanc peregimus. Aliud autem nunc succedit illis mysterium, alioque mortalibus dono gratificatur. Nihil enim ab Deo nato proficiscitur, quin ad hominum utilitatem omnino referatur : præ desiderio certe humiles abjectosque extollendi, nostra hominum caussa natus est. Quodnam autem nunc etiam illud est, quod ut Deum decet, celebramus mysterium? Progressus Christi perquam admirabilis, adventus Christi felicitate plenissimus, Christi perdifficilis explicatu oblatio, Christi e divinissimo quidem Bethlehemo excedentis, adventantis autem *f* hanc in urbem Hierosolymam, de loco in locum transgressio.

*occurrit facta Bethlehemo Hierosolymam progressio*

5 Ecquis potest hanc Dei ex alio in alium locum migrationem effari? Quapropter, o viri, eadem nobiscum sapientia repleti, ineffabilia sunt Jesu Christi mysteria, atque ejusmodi ut nequeat ea flumen orationis complecti. Quomodo enim Dei non circumscripti progressum, ejusdemque ex aliis in alia loca transgressionem audiens, non continuo ridebit dicentem, tamquam incredibilia in hominum mentes nulloque parto recipiendia inducentem? Prodit tamen incircumscriptus (reprehendant licet Gentiles hoc præconium, insipientia ejus notata) prodit qui

*explicatur verus progressus Dei incarnati,*

C naturalem ambitum, (quippe Deus) non sustinet, uno, qui natura potentiaque infinitus est, (finita enim hæc natura est finitæque virtutis) nostro hominum more prodit : rumpatur licet, qui filium ait esse alium, qui processerit, in alioque debeat, qui non processerit, atque ita filiorum Christorumque par nobis somniat miser ille Nestorius. Ille vero potius et ex se sibi persuadet impie, et Christi mysterium nefando ausu dilacerat. Voluit enim procedere dumtaxat natum ex Virgine, non autem natum ex patre filium, verbum illud sempiternum. At verum manifestumque Deus fecit progressum. Vere enim erat caro factus et corpus, comprehensusque fuerat circumscriptione corporea : exasperetur licet is, qui naturam carnis in Verbo negat, quod caro factum est, progressionemque merum spectrum fuisse somniat, miser Eutyches. Si enim Verbi, quod caro factum est natura mansisset unica, fuisset spectrum, quod apparebat, et nuda umbra hoc Christi esset mysterium, nec vere verbum incarnatum. Etenim quomodo Verbum, si non assumpsit naturam carnis, immutabiliter caro factum est? At Verbum revera caro factum est, conversionemque in carnem nullo modo sustinuit, inviolataque ex

*[illegible]*

*[illegible]*

Virgine accepit naturam carnis, secundum quam ex ea etiam est progenitum. Idem et dissolutionem non admittit naturarum, et in naturis innotescit duabus ; neque ob differentiam earum divisum, quemadmodum insanus furebat Nestorius ; *g* neque confundens substantiam, quorum in hypostasi facta est conjunctio. Ita unus idemque et in eodem existens, Deus innotescit et homo, exhibet personam unicam constitutam, ex ambabus constantem naturis ; attamen, quæ erant ambarum propria, non confundentem : ex quibus enim immutabiliter componebatur, indivise in iisdem apparet, nec mysterium confundens suum, neque suam personam dividens.

D AUCTORE S. SOPHRONIO, EX MS. GRÆCO.

a Schola Stoicorum et Peripateticorum. — b Gymnasium Athenis, in quo docuit Aristoteles. — c Desunt nonnulla, potissimum de urbe Hierosolymitana. — d De his Philosophis agit Laertius in libris de Vitis Philosophorum, et passim antiqui. — e Apostolos Petrum et Paulum intelligit, ita eosdem S. Chrysostomus aliique Patres describunt. — f Græce, πάντων τὴν πόλιν, ubi se degere indicat. — g Græce, ὅτι συγχέων τὴν ἕνωσιν (potius οὐσίαν) τῶν ἐξ ὧν ἡ καθ' ὑπόστασιν γέγονεν ἕνωσις.

## CAPUT II.

### *Occursus Christi. Lumina collata. Dies purgationis.*

Ita cœlestis ille Bethlehemita procedit ; ita apparet aspectabilis, qui fugit aciem oculorum ; ita expers ille corporis in carne monstratur : ita venit circumscriptus, qui circumscribi non potest. At in occursum curramus ejus universi, qui tam pio illius colimus veneramurque mysterium, propenso cuncti animo eamus. Quis illi primus occurret? Quis Deum oculis cernet primus? quis Deum primus excipiet? Quis primus ulnis portabit Deum? Neminem pigeat cursus accelerati, nemo ad gressum concitatum claudicet, nemo pium abrumpat exitum, nemo ad Divinum occursum tardet : nemo celebritatis degustatæ spectetur expers, nemo mysteriorum exors appareat, nemo lucifera hilaritate privetur : nemo ad cursum Simeonis senis velocissimum fiat languidior, nemo anu illa Anna pede tardior judicetur, ut ne quo modo senes vereque grandævi illum, quem deficientem viderint pedibus, citoque cursu destitui, non solum incusent, sed remissum etiam animum, fortasse et infidelem, eidem propheticis verbis exprobrent. Nemo igitur sit occursus non particeps, nemo *a* ab luce ferenda alienus.

E

*Occursus illi faciendus*

*cum Simeone et Anna*

*a*

7 Cereorum etiam splendorem addimus, tum ostendendo splendorem accedentis Divinum, a quo cuncta splendescunt, pessimisque depulsis tenebris illustrantur abundantia lucis æternæ ; tum vel maxime manifestando splendorem animæ, quocum nos occurrere Christo necesse sit. Ut enim Dei Mater Virgoque integerrima, veram ulnis tulit lucem, iisque adfuit, qui jacebant in tenebris ; ita et illustrationibus illius nos illustrati, ac lumen omnibus apparens tenentes manibus, ei qui vere lux est, obviam ire festinemus. Nam profecto, quia lux venit in mundum, eumque tenebris circumfusum illustravit, et quia visitavit nos Oriens ex alto, atque his qui in tenebris sedebant, affulsit ; hoc nostrum est mysterium ; idcirco lampades tenentes incedimus, idcirco lumina ferentes accurrimus, tum ita designantes, quod illuxit nobis, lumen ; tum splendorem, ab eo nobis adfuturum, innuentes. Quapropter curramus una, Deo cuncti occurramus ; ne, si facere id piguerit, vel de animo ab eo ingrato aliquando accusemur, vel de metuendo ipsius contemptu crimine : audiamusque, quod etiam dicentem eum prius audierant tenebris illis involuti, nec illustrandi Judæi : Quia Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem : erant enim eorum mala opera (semper enim animum obscurat

F

*lumen manibus præferendum*

*Joan. 3. 19*

*Luc. 1. 78*

*Joan. 3. 19*

mantia,

AUCTORE S. SOPHRONIO, EX MS. GRÆCO.

A malitia, nec eum sinit videre lucem) vel etiam illa (quod sacrum ait Evangelium) lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Lux ergo illa vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, venit. Omnes ergo, o fratres, illuminemur; omnes illustremur. Nemo nostrum maneat hoc non initiatus splendore, nemo oppletus illuni nocte persistat, sed prodeamus omnes splendidi: illustrati eamus obviam simul universi, lucemque illam claram ac sempiternam excipiamus cum sene Simeone: exultantesque cum eo animis, Genitori Patrique lucis, qui misit lucem veram, caliginemque depulit, ac nos omnes effecit splendidos, cum gratiarum actione hymnum concinamus. Dei enim salutare, quod paravit ante faciem omnium populorum atque ad nostram novi Israelis gloriam manifestavit, etiam nos per ipsum vidimus, fuimusque veteri illo obscuroque crimine, uti vitæ præsentis vinculis viso Christo Simeon, confestim absoluti. Nos etiam Christum e Bethlehemo ad nos profectum complexi fide, facti sumus ex Gentibus, Dei populus (ipse enim Dei Patrisque salutare est) oculisque Deum carnem factum conspeximus, ac visa Dei præsentia ulnisque mentis admissa, novus Israel nuncupamur, eamque festis anniversariis, in B oblivionem ejus numquam venturi, celebramus.

*Christo illuminatori.* — Joan. 1, 5. — Joan. 1, 9. — *ob lucem Evangelicam* — *gratiæ agendæ.* — Luc. 2, 31.

8 Verum Christusne *b* ubique præsens accedit? An lux implens omnia procedit in medium? Nihil enim illius, cum natura non circumscripta sit, nullaque abs re arceri valeat, velitque legem implere priscam, vacuum est claritate. Imo vero accedit, ortumque suum omnino summum præsignificans, de se Mosaico vaticinatus est ore. At quale hoc vaticinium? Omne masculinum adaperiens vulvam, inquit, sanctum Domino vocabitur. Quod quidem præceptum, magis tamen denuntiationem propheticam, etiam solus implevit, cum ex utero Virginis solus ipse processit, eamque tamen virginitate non privavit sua, ejusdemque, cum procederet, vinculum non dissolvit: quod de solo ipso aperte prædictum erat. Nam et ipse solus e sola natus est Virgine, et a seminis experte vulva solus est genitus, et solus e Virginis utero progressus, ipsam Virginem conservavit; non corrupta ejus gratia nascens, illius non minuto splendore in lucem veniens, vinculo illius non soluto progrediens: quæ et Deum ostendunt eum esse, qui nascitur, et Deiparam declarant proprie eam esse quæ parit. Ubi scelestus iterum videtur esse Nestorius, qui neque Deum dicere vult eum qui nascitur; nec Deiparam eam sus- C tinet vocare quæ peperit, ubi exsecrandus quoque Eutyches spectatur, qui carnem negat Domino ejusque, atque nobis, esse naturæ. Quo enim modo Verbum, quod caro nostra fieri caussa sustinuit, Caro factum est, si natura carnis ab eo ex nobis neque vere assumpta, neque ita ipsi juncta erat, ut ostenderet liquido, eamdem, quam nos, naturam Verbum ante corporis expers suscepisse, atque ita vere hominem factum esse nobiscum, si neque habeat corpus ejusdem cum corporibus nostris generis, neque animam ejusdem, qua nostræ constant, naturæ? At vere Verbum Caro factum, nos servare cupit et existens in ipso Deus vere factus homo, nihil falsi præ se fert, neque homines nos decipit; sed nostra natura suscepta, gratificatus est nobis suam.

*b* — *Procedit Christus juxta legem Moysis.* — Exod. 13, 2. — Luc. 2, 23. — *natus Deus e virgine* — *vere Deipara.* — Joan. 1, 14. — *et Verbum verus homo.*

9 Etenim, si hoc ita non erat ut credimus, quomodo, qui hæc scribit, ait Evangelista: Et postquam impleti sunt dies purgationis eorum? Qualis porro purgationis, o abominande Eutyches, si caro in Christo non erat vera? si natura humana adunata non erat Verbo? nam Divina expers corporis quali eget purgatione? quæ contaminatio in experte carnis Divinitate conspicitur? Quamquam ut hominum conditio exigebat, humilius hoc conscriptum est, D vel maxime ob te amentiamque tuam imaginariam, atque instar Manichæorum attonitum stuporem tuum. Nam neque, qui omnium est expiator Christus, ulla expurgatione indigebat, accepta præsertim carne illa sola immaculata: neque, quæ peperit, inviolata illa impollutaque vere Virgo, quæ omnium genuit expiamentum, expiatione per Legem præscripta eguit. Quamquam hoc, secundum legem, adscriptum sit, ut ne Christus dissolutor esse legis existimaretur.

Luc. 2, 22. — *purgatione non eguit.* — *ea ambo non egebant.* — Luc. 2, 22.

a Græce [illegible] allusione ad cereos qui ferebantur, facta. — b Intelligi solam Christi Deitatem infra patet ubi hæretici de ea male sentientes perstringuntur.

## CAPUT III.

### *Ad occursum admittuntur orthodoxi, repelluntur hæretici.*

Quid autem vel ipsa inviolatis gestavit ulnis, vel quid Simeon excepit suis, præter Deum carnem corpusque factum? Et Deum affectu religioso Propheta suscipiebat, ac Patri Deoque illum deferebat, et legem implebat spiritu. Nunc, gratis inquiens labiis, dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace. Quod ei ex Spiritu dictum erat, non visurum se mortis aditum, nisi prius videret E Christum Domini, legisque vinculum solveretur. Senex enim ille obtinebat personam legis. Quia, inquit, viderunt oculi mei Salutare tuum. Non enim erat Salutare lex illa Mosaica. Lex autem vetus et senex et infirma, viso Christo, hoc est Salutari Dei, et ab infirmitate ad salutem reducebatur, et vetustate, quæ illi aderat, convenienter novitati renovata, eximebatur: lumen enim veterem Israel omni vetustate liberans, ad eumque Gentes adducens, oculis cernebatur. Idcirco clamat, clamansque enuntiat: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace: quia viderunt oculi mei Salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel. Existens novus e veteri (et Galilæa gentium illustratur, et novus Israel demonstratur) Christum, lumen, aspexit.

*Occurrit Simeon.* — Luc. 2, 29. — Luc. 2, 26. — Luc. 2, 30. — *senem Legem Novorum induans:* — Luc. 2, 31.

11 Quid autem vidit etiam oculis, nisi cognatum nobis corpus atque conspicuum, convincensque inscitiam Eutychetis e Manichæa semente productam? Ex natura enim sua fugit aspectum Deitas, nec hominum oculis cerni potest. Excedant ergo hac nostra celebritate simul Eutyches ac Nestorius ejusdem hostes et adversarii, illiusque lætitiam vio- F lare certantes: hic quidem Christum dividens individuum, ille vero impie ea, quæ confundi non possunt, confundens: nec enim unquam a talibus nostra se patitur adornari celebritas. Idcirco purgemini, idcirco nitescite, idcirco Christi mysteria, velut Christo amici, edite: etenim aliter sibi obviam occurrentes neque admittit, neque oculis videre sustinet: verum ab celebritate sua eos exules esse jubet, profanosque constituit, et occursus ad se expertes. Abeant una cum his *a* Eunomii et *b* Eudoxii et *c* Asterii, et cum ipsis Manichæi et *d* Apollinarii, *e* Severi ac *f* Dioscori, omnisque *g* Acephalorum misera illa ac vere capite carens gangræna. Illi quidem quia ob carnem Christi conspicuam, et inspectabilem perfectamque Deitatem minuere et abnegare conati sunt, eamque alterius efficere naturæ, substantiæque ab natura, quæ est in Patre, qui genuit, contendere diversæ, in creatis eam rebus audacter numerantes, ac decernentes Christum Deum creatum esse, et, secundum utramque naturam, Divinam, inquam, et humanam adorandum esse. Hi vero ob illam Christi, quæ non videtur, Deitatem,

*ab hoc occursu expellendi hæretici, Eutyches, Nestorius,* — *Eunomius, Eudoxius, Asterius,* — *a b* — *c d* — *e f g*

A Deitatem, etiam carnem ejus eludere ementirique volunt : qui ea quæ unius solum naturæ propria sunt, arripientes, conjunctarum confusionem substantiarum imaginantur : et miseras Apollinarii *h* Polemonisque præstigias libenti animo accipiunt. Quibuscum Ebiones ac Samosateni, Pauli et Bardesanæ collocentur, nostroque e festo hoc exigantur. Hi quidem, quia Christum solummodo nudum hominem ac nobis parem arbitrati sunt, iisque, quæ Deitatis sunt propria, carentem, ac ne Deum quidem ullo modo nominaverunt. Illi vero, quod Christum non æternum esse Deum Patrique æternitate parem, sed ex Maria affirmabant, solum ex ipsa ineffabili Incarnatione Deum exstitisse rati.

*Occurrant orthodoxi Christo.* 12 Et si quidem universi, quotquot vel impie secundum ipsos insanierunt, vel secundum eosdem evaserunt insane impii, ab Divino Christi occursu repellantur, ut nos, qui recte sentimus, cuncti hunc festo colentes die, hæreseos multifariæ nulla labe suscepta Christo Deo eamus obviam, eumque cum sene Simeone et cum anu ac vate Anna excipiamus. Ambo enim antiquabantur, et lex videlicet, et secuti illam Prophetæ, dimissionem expectabant. Nam usque ad repletam luminibus Christi ostensionem et obtinuit lex, et Prophetæ vaticinantes, a Deo erga *Gentiles assumpti,* Christum sapienter peracta mysteria, admirandaque B de Christo oracula prædixerunt. Nos ab Ethnicorum multitudine in novum translati Israel, novusque Dei populus appellati, confiteamur vicissim, ac Psalmos *Psalm. 97, 2. canticum laudis.* accinentes, cantemus Domino canticum novum. Nos pulchre renovati Christique præsentia in altum sublati, abjecto splendore vetustateque Gentili simul ac legali universa, omnique ea, quæ carnem sapiat, clarissimaque hac Christi celebritate indigna, cantemus Domino canticum novum. Renovati etenim sumus, novique facti e veteribus, jussique canticum novum canere Deo ac Patri, qui Christi nos præsentia et innovavit universos et populum illius no-*Psalm. 97, 1.* vum esse demonstravit. Cantemus Domino canticum novum, quia mirabilia fecit, atque per Christi quidem præsentiam mirabilibus, per quam omnia innovantur, recuperantur perdita vetera, nova conspiciuntur, atque in Deum sublata in primam juventutem transferuntur.

*Psalm. 97, 1.* 13 Qualia autem hæc sint, evidenter tradit lyra Spiritus; Salvavit ipsum dextera ejus, inquiens, et brachium sanctum ejus. Et quænam hæc, quæso, dextera Dei ac genitoris, et brachium sanctum exstitit, nisi solus ille, per quem omnia fecit, filius? per quem, quæ ante non erant, condidit, et e non C existentibus ad existendum perduxit, quæ postea ad interitum ac vetustatem repentia (veterascens enim res unaquæque et consenescens ex naturæ suæ habitu semper ad interitum vergit) omnipotente quoque dextera et excelso omnimodoque sancto brachio servat. Confitentur enim splendore cognitionis Divinæ locupletati, præclareque et corpore et animo, et intellectu illustrati solum Christum esse, cognoscique, qui per carnis similitudinem ob rerum omnium conditarum recuperationem ad nos venit; per quem et manifeste servamur, et antiqua nostra vetustate eximimur, redimimurque ac Deo efficimur nova conspersio, apparentes non jam veteris acidique fermenti.

14 Nos etenim vere sumus dicimurque Dei dexteræ inexpectato modo conservatæ creaturæ, ac potenti ejus brachio renovatæ : de quibus David vaticinando modulans tenere cantabat : Salvavit ipsum dextera ejus et brachium sanctum ejus, saluto scilicet indigebamus, ac recessum redemptionemque ab exitiali vetustate petebamus : quibus Psaltes secum adventu Christi ad salutem indigentibus, addicit dexteræ ac brachii Patris corroborationem ad renovandum gloriosam, ut, in cantico hoc divinitus inspirato, exponitur : Notum fecit Dominus salutare D suum : in conspectu Gentium revelavit justitiam *Psalm. 97, 3.* suam ; Quod et Simeon (id est, Lex) suscipiens, clamitabat ad Deum, sibi concesso salutari, id est, Christo gratificantem : Nunc dimittis servum tuum, *Luc. 2, 29.* Domine, secundum verbum tuum in pace. Pax enim cœlestibus ac terrestribus vere Christus significatur. Quia viderunt oculi mei Salutare tuum, quod pa-*Luc. 2, 30.* rasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Completum est vaticinium : perfecta promissio : illustratum est, quod errabat : affectum est gloria, quod erat inglorium : atque ego (et in me Lex) alii a vetustate, neque tantum evasi novus, verum etiam tuum, Domine, conspicatus Salutare, oculisque senilibus gloriam tuam intuitus, vigorem prorsus expertem rugæ juvenilemque recepi. Etenim Christus lumen Gentibus factus est, et Israelem novum gentium vocatumque novum, excellenti mirificaque affecit gloria, dispertitus illi gloriam vere expertem senii, et luce numquam consenescente, neque ex lege agente rugas, illustrans.

a S. Ephræm Syrus supra 1 Februarii in Testamento suo cap. 5 execratur hæreticos, atque inter alios num. 23 Eunomianos et Manichæos, ubi nos ad litteram f de Eunomio egimus. — b Eudoxius Arianus Constantinopolitanæ invasor Sedis baptizavit Valentem Imperatorem, cui se adjunxit Aetius magister Eunomii, d. in ab Eudoxio constituto Episcopo Cyziceni, quem expulerunt, apud se Constantinopoli detinuit. Ita Socrates lib. 4 cap. 1 et 7, et S. Epiphanius hæresi 73 num. 38 qui hæreticis Anomæis annumerat, quorum princeps Eunomius habebatur. — c Asterius Sophista in persecutione Maximiani Christianam fidem ejuravit, S. Epiphanius hæresi 76 num. 3. Agunt de eo homine Cappadoce et Ariano, ejusque libris Socrates lib. 1 cap. 24, Sozomenus lib. 2, cap. 31, S. Athanasius de Synodo aliisque. — d Apollinaris Laodicen. hæreses describit Epiphanius hæresi 77 num. 22, scilicet Christum corpus e cœlo detulisse, animam non assumpsisse, corpus divinitati consubstantiale fuisse. Agit de eo Sozomenus lib. 2 cap. 25 et alii. eum S. Damasus Papa Romæ in Synodo damnavit anno 373. — e Severus Sedem Antiochenam expulso S. Flaviano per vim invasit anno 513, ex secta Acephalorum, oppugnator Concilii Chalcedonensis. Coluntur SS. Flavianus, et Elias tunc quoque per ipsum e Sede Hierosolymitana pulsus, 4 Julii. — f Dioscorus Episcopus Alexandrinus patronus Eutychetis, cum eo in Concilio Chalcedonensi damnatus. De eo agemus 18 Februarii ad Vitam S. Flaviani Episcopi Constantinopolitani ab ejus factionis hominibus ita cæditur pulsi. — g Cum Petrus Moggus in sedem Alexandrinam anno 482 receptus, Henotico Zenonis Imperatoris admisso, Catholicos simul et hæreticos offendisset, Eutychiani plures ab utrisque deficientes, Acephali id est, sine capite, sunt appellati, in varias mox sectas divisi. — h Polemonium ex scriptis Apollinarii ausum auctum dixisse in Christo substantiarum confusionem factam, et commixtionem Divinitatis et corporis tradit Theodoretus lib. 4 Hæret. fabul. cap. 9. — i Ebion princeps hæresis, quæ Christum nudum hominem appellavit, contra quem et Cerinthum S. Joannes suum Evangelium scripsit. Agunt de eo Theodoretus in compendio hæreticarum fabularum, earumque lib. 2 cap. 1, S. Epiphanius hæresi 51 aliique. — k de Paulo Samosateno agit S. Ephræm Syrus in testamento 1 Februarii num. 33, a quo Bardesanem Arcanæ conflatam esse tradit Theodoretus lib. 1 Hær. fab. 22 de hoc etiam agit S. Epiphanius hæresi 22.

## CAPUT IV. F

*Simeonis et Annæ prophetiæ explicatur.*

Et ille quidem grandævus Simeon, viso Dei salutari, gratis hæc cum ipso verbis sermocinabatur, illud Dei ac Patris Salutare ulnis gerens, quo is salutem transmisit omnibus eximiamque dedit redemptionem. Conversus autem et ad Virginem, quæ Salutare Dei in carne genuit peperitque, et ad Josephum, qui putabatur pater hujusce luminis, innotuit tamen a carnali partu lucis omnino alienus : Ecce, *Luc. 2, 34. Positus Christus in ruinam legis et resurrectionem Evangelii.* inquit, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, in ruinam servorum litteræ, in resurrectionem filiorum gratiæ; in ruinam, legalem adhuc colentium vetustatem, in resurrectionem amantium Evangelicam novitatem ; in ruinam gloriantium paternitate carnali Abrahæ, in resurrectionem factorum Abrahæ filiorum per fidem ; in ruinam indutorum prudentiam Adæ veteris, in *oppositio veteris Adami.* resurrectionem sapientiam indutorum Adæ novi ; in ruinam sapientium pulverea ac terrena, in resurrectionem cupientium excelsa atque cœlestia. Primus enim

A enim Adam e terra factus, pulvereus, terrenum habuit affectum; hic autem secundus Adam, qui et in carne meis portatur manibus, et ipse me ferentem divine fert, peregre venit ad nos e cœlo, omnibusque adventum suum fideliter admittentibus, ac primi quidem Adæ vestem respuentibus, novi vero nativitatem desiderantibus, cœlestem largitur sensum. Quotquot enim eum cum fide receperint, iis adoptionem immortalem filiorum apud Deum ac Patrem confert, qui neque ex voluntate carnis gignuntur, neque ex voluntate viri constituuntur, sed ex Deo secundum gratiam nascuntur: nec enim e substantia ejus naturaque proveniunt.

AUCTORE SOPHRONIO, EX MS. GRÆCO.

John 1. 12.

16 Solus enim hic, o Virgo Mater inviolata, ex Deo secundum naturam genitus est ac Deo Patri consubstantialis; solus ex Deo natus genitore, filiusque ejus unicus agnoscitur, et certe ex te Virgine incarnatus, generationem humanam ex te suscepit. Ac tuam ipsius, quæ et magna Dei conspexisti mysteria, et thesaurum gratiæ nobis hunc peperisti, animam pertransibit anceps gladius, ac mentem stupore perculsam ensis percurret, quando eum oculis conspexeris sponte clavis Cruci affixum atque inter latrones medium sublatum, interimere ipsam mortem a qua occidebamur; nobis vero, qui juste moriebamur, donare vitam; ac ligatis legionibus dæmonum, solvere peccatorum vinculis hominem, antiquitus a dæmone alligatum. At non persistet, neque omnino in te permanebit gladius ille pertransiens: nunquam enim, o Dei Mater, in Divini ex te conceptus, miræque ex te progenerationis oblivionem adducta fueris. Corripieris certe quodam humano stupore ex iis, quæ infandæ Crucifixionis tempore eventura sunt; quomodo Deus qui per naturam neque mori, ac ne pati quidem potest, in crucem agi sustineat! quomodo, qui ab Angelis sempiterna effertur gloria, idem latronum medius contumeliis afficiatur! quomodo, qui escam præbet omnibus esurientibus quique potum dat omnibus sitientibus, fel bibat et acetum! quomodo vita illa, quæ dat vitam omnibus ea carentibus, subeat necem! quomodo latus illi hasta confodiatur, qui lancea sensum omnem oculorum fugiente mortem confoderit! quomodo, qui mortem corruptionemque sepelit, qui sepultos tumulis eximit, qui sortitus ex Adamo corpora eademque mortua ob contractam ejusdem Adami primi parentis labem circumferentibus, vitam reddit a morte excitatis, ferat tridui sepulturam! Percelleris enim nonnihil, hæc videns omnia; ut non diu pareas ambigens: animam quippe tuam ac mentem pertransibit perculsionum tantarum tamque terribilium gladius. At non persistet, nec mansionis stationisve locum occupabit, ocissime quippe depulsus abs tuo illo seminis experte conceptu, atque abs tuo illo semper virgineo partu.

Luc. 2. 35.

*cujus in morte animam matris pertransivit gladius,*

B

C

17 His omnino nihil est vel horribilius, vel, iis qui non intelligunt, visu incredibilius. Idcirco revelantur ex multis cordibus cogitationes, quæ conspicere nequeunt Divina tua ac mira mysteria, quæ nec cœlorum virtutes quidem videre potuerunt. Idcirco cadit, qui non credit, præconio: resurgit autem atque ad vitam immortalitatemque illustratur, qui probe tuo credit, ipsumque ore Deum prædicat, teque, quæ genuisti, sentit esse Deiparam. Idcirco Christus ita ex te natus, ignaris mysteriorum ejus vere ponitur in signum, cui contradicetur, patenturque, illi lapsum, a quo erigi non poterunt, participes redditi infidelitatis, excitationemque a mortuis vitamque, quæ in cœlis est, propterea quod vitæ æternæ non crediderint, nunquam contemplabuntur. Hæc locutus desistit, dominationemque legis, ipsum legislatorem jam advenientem suaque ipsius legis consilio perfecto stantem conspicatus, simul sistit. Processit enim Christus, complementum Legis; Pauloque sententiæ qui contradicat est nemo: unde in salutem quidem credenti est, at infidelem habenti animum in interitum ac ruinam.

Luc. 2. 35.

*ut revelentur ex multis cordibus cogitationes;*

Luc. 2. 34.

*positus signum cui contradicitur.*

D

Rom. 1. 16.

18 Adstat Anna etiam huic operi, anilibus incedens gressibus. Nam et illam advocabat mysterium impleturam prophetiæ gratiam, dum prophetico spiritu testatur quod notum fecit Dominus salutare suum, ac quod in conspectu gentium revelavit justitiam suam; et quod non sit lex, quæ in umbra figuraque prævaluerit, hominibus imponens onera importabilia, revelata jam cunctis gratia, suave habente jugum et onus leve facileque portatu. Et quod non sit lex vaticinantur de Christo Prophetæ, ubi, qui iisdem inspiravit vaticinia, vaticinatumque eos misit, ipse jam adventaverit. Quæ quidem Anna cum prophetiæ clareret gratia, diceretque ad eos, qui expectabant redemptionem Israel, consolationem ingenerabat iis undique divinam, venisse omnium Redemptorem, apparuisse Salvatorem universi, qui velit imaginem redimere suam, cupiatque homini a se creato salutem conferre. Nam ideo Christo est nomen Jesus: quippe et Jesus Salvator exponitur.

*Anna redemptionem Israel prædicat.*

Psalm. 97. 2.

Matth. 23. 4.

Matth. 11. 30.

Luc. 2. 38.

19 Hæc autem omnia cum et re ipsa fierent, et propalarentur verbis, stupebat Maria Dei Mater; admirabatur una cum ipsa præsens Josephus. Postquam tamen, quæ ab lege injuncta erant, consummassent; (omnia namque quæ legis erant, Christus venerat implere et legalibus finem præceptis imponere) revertuntur in Nazareth, ubi ab Gabriele Archangelo fuerat salutata, quæ mundo genuit Salvatorem, et de seminis experte conceptu gravida, et Virgo a partu manens, videntibusque declarans universis, notum factum esse Salutare Dei, lumen Gentibus illuxisse, omnibus terrarum finibus justitiam redemptionemque Dei apparuisse: ac divinam gloriam claritatemque æternam omnis interitus, corruptionisque nesciam induisse eos qui illum expectabant.

*admirantur Deipara et S. Josephus.*

E

Luc. 3. 7.

## CAPUT V.

### *Mysterium turturum et columbarum oblatarum. Epilogus.*

Quid autem volunt et turtures, aut cur pulli columbarum accepti sunt, quos Christus adiens Hierosolymam ad sistendum se Genitori Deo in sacrificium deferebat? aut quam ob rem par unum ex alterutro genere obtulit, si, quæ hunc genuit, Virgo manserit? offerebat pro se Patri hæc animalia, quæ pura deprehenduntur, utraque volucres eximia; ac præterquam quod ambo munda sint nec profana, horum genus utrumque simul proprium quamdam virtutem continet, ostenduntque aves illæ, eximium esse aliquid atque selectum, præter cetera, innatum sibi, quod spiritaliter contemplantibus afferat utilitatis haud parum. Præceptum namque servandæ legis non intra solam consistit litteram; abditum etiam quiddam continet, et eminens magis eo, quod apparet, atque incomparabili pretio excedens. Ideo Littera interficit, solam sequentem litteram, Spiritus autem vivificat spiritui bene obtemperantem; et dum littera a velamine detinet quodammodo, spiritus subeuntem fundum, ac denudantem thesaurum illic abditum, atque ita opes illas infinitas adeptum perficit. Puræ erant aves turtures et columbæ sicuti dictum est, ac turtures quidem summa temperantia, quam adeo amplectuntur, ut si conjugi mors contigerit, nec superstes cum alio convenire sustineat, vitam reliquam agat cælibem, viduitatemque colat potius, quam ut connubialem cum alio mare contactum sufferat. Columbæ vero sunt purissimæ a malitia, omnisque noxiæ expertes, quas ideo ob simplicitatem suam

*Turtures et pulli columbarum*

F

*mystice indicant*

2 Cor. 3. 6.

*continentiam,*

*puritatem.*

Matth. 10. 16.

A suam vacuitatemque malitiæ Christus simplices vocat, quæque ad suos quoque persecutores tanquam mali nil passæ, mox redeant : quod summæ signum est innocentiæ multæque, ut sic dicam, simplicitatis indicium. Et quidem casti turtures, degunt privati ac solitarii ; at insontes columbæ non modo cicures, domorumque incolæ, sed etiam hominum peramantes. Id persuadeat illa peramabilis columba, ad Noe in arcam rediens, oleæ ramum ore afferens, et misericordiam declarans Domini diluviique finem ; mystice vero, ut Patri Spirituique videbatur, benignum Christi adventum, quem extremis temporibus peramorem misericordiæ vere plenum, exibuit. Erat quippe tunc quoque vespera, cum ad Noe, secundum ab auctore generis Adamo vitæ genitorem, frondifera illa prophetice revolavit ; atque adfuturam nobis, inclinante seculo, Christi Dei misericordiam prænuntiavit.

*misericordiam Dei in Noemo,*

*et Christo datam :*

21 Vult ergo Christus manifestissime, ad se accedentes temperantiæ cumprimis habere puritatem ; innocentiæque splendorem sapere, atque his magis illustrari ; ipsumque Christum, qui eos condidit, et ea qua erga homines fuit misericordia, eosdem servaturus descendit, exhilarare ; ut is et videat et lætetur, lubensque illos simul occurrentes excipiat. Nec enim alia re ulla sic Deus colitur, atque temperantiæ, B et castimoniæ omnisque innocentiæ perfectione. Est autem honestum, suave ac quietum, negotiorumque æstu liberum, et Deo, quoad fieri id quidem potest, adhærere, et nulla ab re implicari studiosius, distractum scilicet atque occupationibus mundanis avulsum : quibus etiam illud canticum videtur dicere : Vacate et videte, quoniam ego sum Deus, tamquam in solitaria sibi vita vacaturis semper amans commonstrare sanctimoniam suam illuminantem. Honestate effulgent etiam similiter tum mansuetudo, tum communio amorque mutuus, quo quis agere recte poterit, tum qua convenienter erga proximum afficiatur misericordia, cum eaque naturaliter conjuncta

*hæ virtutes a Christianis exprimendæ :*

*Ps. 45. 11*

humanitas, in quibus fit ipso cum Deo prægrandis D assimilatio.

22 Cur autem volucres binas attulit? sic enim lex afferre imperabat : quia unus idemque Christus naturis duplex cernitur, e duabus quidem naturis adunatus, atque in duabus sine divisione confusioneque innotescens, tam divina quam humana, ex quibus etiam est compositus. Verum nos ipsi etiam, constantes animo atque corpore, constituti sumus duplices, apparentesque et in animo et in corpore, ut ambobus etiam quod honestum est, faciamus, neque altera quidem parte expleamus virtutem ; claudicemus autem altera, virtutumque splendore careamus. Atque hoc ipse Dominus, qui virtutis universæ bonus dator agnoscitur, cum doceret, aiebat : Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Imperfectum enim inexpletumque si quid est, Deo etiam non acceptum continuo esse judicatur.

*AUCTORE SOPHRONIO EX MS. GRÆCO. Duæ volucres duplicem in Christo naturam designant,*

*et virtutum omnium perfectionem. Matth. 5. 48.*

23 Hoc itaque scientes etiam nos, desideratissimi, Christo Deo ita simul eamus obviam : temperantiam adferentes, apportantes castimoniam, ferentes innocentiam, injuriarum oblivionem ostendentes, separantes nos ipsi a curis secularibus, Deoque sistentes puros, conferentes morum lenitatem, benevolentiam, amoremque habentes in omnes mutuum, addicentesque ad hæc omnia miserentem omnium animum, E prodeuntique ex animo commiserante misericordia abundantes, ita Christum accipiamus accedentem, ita spectemus Christum, ita Christum divina quadam ratione stringamus ulnis, verbisque coram confiteamur propheticis, illius ad nos adventum laudantes, eamque, quam erga nos exercuit, misericordiam ore magnisque vocibus prædicemus, ut et regnum cœlorum adipiscamur, et æternis fruamur bonis in ipso Christo Redemptore ac Salvatore nostro Deo, cum quo optimo Deo Patri sanctissimoque Spiritui gloria, honor, et adoratio undique sit et nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

*Peroratio.*

# DE S. CORNELIO CENTURIONE

## EPISC. CÆSAREÆ ET SCEPSI,

*I. B.*

## Commentarius prævius.

### § 1. *S. Cornelii patria.*

*I SECULO CHR. II FEBR.*

C Cæsarea *urbs Palæstinæ, olim* Stratonis turris, *teste Plinio lib. 5 cap.* 13, *ab Herode* ad honorem Octaviani Principis exædificata, *ut habet Ammianus Marcellinus lib.* 14, *unde et appellationem sortita* : *post* Colonia I Flavia, a Vespasiano Imp. deducta, *ait Plinius. Retinuit tamen* Cæsareæ *ad posteros nomen* : *Ptolemæo tab. 4 Asiæ* Καισάρεια Στράτωνος Cæsarea Stratonis *dicta. Est ea nobilitata plurimorum Martyrum tropæis, Antistitum eruditione ac præsertim primum isthic Gentilibus patefacto immediato in Ecclesiam ingressu,* Cornelio Centurione *per Apostolorum Principem baptismate initiata.*

*S. Cornelius conversus Cæsareæ,*

2 *Erat is, ut scribit S. Lucas Act.* 10, Centurio cohortis quæ dicitur Italica. *Quibus ex verbis colligit Baronius to.* 1 *Annal. an Christi* 41 *nu.* 2. *eum genere Romanum fuisse, milites Italos ; et quidem ex legione sexta,* Ferrea, *vel* Ferrata *dicta, nam* στρατόπεδον τὸ Σιδηροῦν legionem ferream *in Judæa collocatam inde a temporibus Augusti, scribit Dio Cassius lib.* 55 *Tacitus plura ab ea gesta in Syria Armeniaque (sed post Cornelii conversionem) narrat. Chronicum Hispaniense, quod Flavio Dextro adscribunt auctores moderni, ad annum Christi* 40 *Cornelium* Italicensem *facit, Italica*

*Centurio cohortis Italicæ, in legione sexta, Ferrata,*

*nempe oriundum, Bæticæ urbe, unde et post Trajanus atque Adrianus Imp. cujus urbis ruinas ad Bætim flumen, leuca una ab Hispali, etiamnum spectari, ac* Hispalim antiquam *dici, scribit Ludovicus Nonius Hispaniæ cap.* 17. *Multis argumentis Cornelium Italicæ* F *vindicare nititur Franciscus Bivarius in suis ad illud Chronicon Commentariis, ad an. Chr.* 34 *Comm.* 3. *Sextam enim legionem, Judææ impositam ad præsidium, Italicam fuisse,* Sextam *appellatam, quod apud Livium uspiam, provinciarum* Sexta *dicatur* Hispania ulterior, *ubi urbs Italica : quasi vero legio* tertia Gallica, tertia Cyrenaica, quarta Scythica, quinta Macedonica, *nuncupatæ sint, quia Gallia ac Cyrene tertia provincia fuerint, Scythia quarta, quinta Macedonia. Quam deinde illud ridicule ab eo scriptum!* Meminisse vero mirum in modum Italicam inter ceteras Romanas legiones multis testatur Dio lib. 5 hist. Roman. qui etiam auctor est, ab Augusto Cæsare eam in Judæam deductam. *Voluit Dionis* 55 *librum citare ; nam* 34 *priores libri ejus non extant. At lib.* 55 *ista habet :* Sextæ Duæ *(legiones)* una in inferiori Britannia, Victrix ; altera in Judæa Ferreæ vocabulo insignis. *Et quibusdam interjectis :* Nero legionem primam, Italicam nuncupatam, instituit, in inferiore Mysia hyemantem..... Trajanus secundam Ægyptiam,



trigesimam

*AUCTORE J. B. non Italica, quæ tunc nulla;*

A trigesimam Germanicam; quibus a suo nomine nomen imposuit M. Antoninus : item secundam in Norico, tertiam in Rhætia, quæ etiam Italicæ vocantur. *An hic mirum in modum legionem* Italicam inter ceteras micuisse *Dio testatur? An in Judæam deductam ab Augusto quæ instituta nondum erat? At si* Italica *erat, quæ Judæam tutabatur legio, quid necesse erat peculiarem unam illius cohortem* Italicam *appellari? Verum Bivarius cohortem ac legionem confundit : scribit enim :* In Judæa una eademque erat cohors militum Romanorum... Sola enim cohors sexta, quæ est Italica, et Ferrata, in Palæstina, Dione teste, degebat. *Dionis jam verba protulimus. An tam honorificum censet Bivarius, Christo truculentas manus intulisse, ut id quoque decus suis gentilibus assertum velit? An quando Matth. 27 congregata est* universa cohors, *etiam acciti sunt Cæsarea omnes Cornelii milites, si unica erat in Judæa cohors? Non inficiamur tamen* sextam *aliquam legionem legi, versatam in Hispania, sed ab hac Ferrata diversam.*

3 *Validius est aliquanto, quod ex S. Hieronymo Bivarius affert argumentum. Hic epist.* 28 *ad* Lucinium Bæticum, *inter alia sic scribit :* Vere nunc in te sermo Dominicus impletus est : Multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent in sinu Abrahæ. Cornelius, Centurio cohortis Italicæ, jam tunc Lucinii mei præfigurabat fidem. Apostolus Paulus scribens ad Romanos : Cum, inquit, in Hispaniam proficisci cupero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc. Tantis fluctibus approbavit, quid de illa provincia quæreret. *Cur eumvero scribens ad hominem Hispanum Hieronymus, referensque Pauli Hispaniæ adeundæ desiderium,* Cornelii *meminit? nisi quod in eo Hispanicæ gentis veluti consecratæ primitiæ sunt? Quia tamen respondere potest, in Cornelio apertam Gentibus, etiam remotis, ut erant Hispani, fidei januam esse, eaque illius ab Hieronymo ad Hispanum scribente relatam conversionem; nos (ut cum Ruderico Caro, in Notis ad locum jam citatum Dextri, loquamur)* veritati præjudicium afferre nolumus : *deque S. Cornelii patria illud solum pronuntiamus,* Non liquere. *Nam quæ Joannes Tamaius de Salazar in Martyrol. Hispan. congessit argumenta, eadem fere sunt quæ Bivarii. Si S. Lucas cohortem* Italicensem *vocaret, nulli dubium hæreret quin ex* Italica *urbe Hispaniæ esset : sed* Italicam *vocat. Addit idem Tamaius esse in Hispania nobilem domum* del Castillo, *quæ ab hoc sancto Centurione sese ortam gloriatur.*

*Matth. 8, 11. an Hispanus incertum* — B — *Rom 15 24*

## § II. S. Cornelii episcopatus

C *Episcopus factus,*

*Quæcumque ergo ortus patria, certe cœli civis, atque ex sæculi Centurione miles Christi, imo novæ sub eo legionis primipilus est factus. Nam Episcopum Cæsareæ ordinatum testantur Martyrologia. Ita Usuardus hoc die :* Apud Cæsaream beatissimi Cornelii Centurionis, quem B. Petrus baptizavit. Hic apud præfatam urbem Episcopali honore sublimatus quievit. *Eadem habet Beda vulgatus, Ado, MSS. pleraque, et recentiores, verbis nonnihil mutatis; Martyrol. Romanum, ab ipso S. Petro Episcopum consecratum indicat. Notkerus prælatum ejus elogium ita concludit :* Qui Cornelius, relicta militia, apud præfatam urbem Episcopi honore sublimatus quievit. *Petrus de Natalib. lib. 3 Cap. 73 narrata ejus conversione subdit :* Deinde Cornelius militiæ abrenuntians, discipulus Apostolorum efficitur, et ab eisdem Episcopus Cæsareæ ordinatur. Qui apud eamdem urbem officio prædicationis fideliter peracto, sanctitate conspicuus, ad Christum migravit : ibique sepultus quievit IV Nonas Februarii.

*RELICTA MILITIA*

5 *Ex his refelli potest quod lib.* 10 *Recognitionum Clementis narratur, Simone Mago Antiochiæ S. Petrum absentem criminante, atque Ecclesiam conturbante,* D supervenisse Cornelium Centurionem, missum a Cæsare ad Præsidem Cæsareæ, publici negotii gratia; *et quæ agerentur edoctum, spargi rumorem curasse, quia* Cæsar in urbe Roma, et per provincias maleficos inquiri jusserit ac perimi, *se*, ut istum Magum caperet, venisse, et ob hoc missum a Cæsare. *Qui dolus feliciter evenerit, ac Simonem ea fama conterritum inde fugarit. An tamen continuo ut baptizatus est Cornelius, nuntium militiæ remiserit; an idoneam ejus rei opportunitatem expectarit, in obscuro est. Ejusdem Clementis Apostolicarum Constitut. lib. 7 cap. 47 habetur,* Zachæum, qui antea fuerat publicanus, primum Episcopum Cæsareæ Palæstinæ *fuisse* : huic sucessisse Cornelium, et huic rursus tertium Episcopum Theophilum. *Verum, ut alibi diximus, quæ eo capite referuntur, haud satis veritate videntur nixa, ut a Clemente scripta credantur; nisi ab aliquo interpolata fateamur. Ac S. Theophilus quidem Cæsareensis Episcopus sub Severo Principe floruit, ut V Martii dicemus ex libro S. Hieronymi de illust. Eccles. script. ut neque Cornelio successisse, nisi longo ex intervallo, potuerit, neque ab S. Clemente, qui in Trajani anno mortuus est, ejus fieri mentio.*

*nec ea post unus ad fugandum Simonem Magum)*

6 *Acta S. Cornelii (quæ* ex vetustioribus monumentis descripsisse *Simeonem Metaphrasten fatetur Baronius; nos ab Aloysio Lipomano, dein a Surio,* E *edita, cum M S. Græco bibliothecæ Christianissimi Regis collata hic damus) ea, inquam, Acta Episcopatus Cæsareensis non meminerunt. Solum Petro aliquamdiu adhæsisse comitem peregrinationis referunt, ab eoque* ad Scepsæorum civitatem *missum, ac multa perpessum incommodo, multis clarum miraculis, Demetrio Principi ac populo fere universo fidei suscipiendæ auctorem extitisse. In ea vero oratione, qua S. Petri certamina, labores, peregrinationes complexus idem est Metaphrastes, seu quis alius auctor apud Lipomanum et Surium* XXIX *Junii, dicitur Petrus postquam e carcere, in quem illum Herodes conjecerat, eductus ab Angelo est,* venisse Cæsaream Stratonis, *ubi antea Cornelium baptizarat,* et ex iis, qui ipsum sequebantur, Presbyteris Episcopum ibi constituisse. *post annos deinde aliquot, multis lustratis urbibus, venisse* Ilium, civitatem Hellesponti, *eoque in loco* Cornelium Centurionem *Episcopum constituisse.*

*Scepsi.* — *vel Ilii.*

7 *Inde fortassis revocatus est Cæsaream, Zachæo, seu quo alio ejus urbis Antistite, decedente. Scribit Baronius in Not. ad Martyrol.* Sedem Cæsariensem, ea occasione, quod ex conversione Cornelii (Deo monente) illic primum apertum est ostium fidei Gentibus, meruisse singulari prærogativa exaltari, ut non Jerosolymitana, sed ipsa fieret Metropolis Palæstinæ. *Fuit sane Cæsarea olim metropolis Palæstinæ, eique subjecta Hierosolyma, ut patet ex canone 7 Concilii Nicæni, qui ita habet :* Quia consuetudo obtinuit, et antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salva Metropoli propria dignitate. *Theodorus Balsamon, in scholiis in hunc ac præcedentem canonem, recte monet* Æliam *dictam urbem Hierosolymorum, quod ab* Ælio Hadriano *instaurata esset. At fœde hallucinatur, cum scribit eo canone decerni ut* Metropoli *Cæsareæ* sua jura serventur, etiamsi ab ea Ælia abstracta sit, et honoratus ejus Patriarcha, propter salutiferam Christi Passionem. *Melius Canonem Nicænum intellexit propinquior illis temporibus Hieronymus. Is ep.* 61 *ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani cap.* 15 *ita scribit :* Tu qui regulas quæris Ecclesiasticas, et Nicæni concilii canonibus uteris, et alienos Clericos, et cum suis Episcopis commorantes, niteris usurpare; responde mihi : Ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ metropolis Cæsarea sit. *Quin et*

*vel post Cæsareæ.* — *quæ Metropolis Palæstinæ* — F

A *et S. Leo I Papa epist.* 62 *ad Maximum Antiochenum Episc. data* Opilione V. CL. Cos. *an. Chr.* CDLIII, Juvenalem *Episcopum Hierosolymitanum reprehendit* ad obtinendum Palestinæ principatum *aspirantem*, et insolentes ausus per commentitia scripta firmantem. *Postea tamen, annuente Romano Pontifice, Patriarchali titulo et auctoritate ornata est Sedes Hierosolymitana. At non ob solam conversi isthic Cornelii memoriam, antea metropolis Palæstinæ erat Cæsarea; sed quia, ipsa* Judææ maxima urbs *erat, uti scribit Josephus de bello Judaic. lib.* 3 *cap.* 14 *sub finem, ast in Basileensi Græca edit. an.* 1544 *initio capitis* 283 : *licet Ammiani Marcellini ævo egregiæ quoque aliæ essent urbes :* Eleutheropolis, Neapolis, Ascalon, Gaza.

*et quare?*

8 *Græci* Cornelium *solenniter venerantur* XIII *Septembris, ut patet ex Menologio et Menæis, ubi tamen Cæsareensis Cathedræ mentio nulla. Menæa postquam retulere, S. Petrum ei catechesi imbuto baptisma impertiisse, subdunt :* τὴν προςτασίαν τῆς Σκέψεως πόλεως ἐγχειρίζει. Præfecturam Scepseos urbis ill icommittit, *quod cum Actis a Metaphraste descriptis consentit. Raderus vertit :* illique (Cæsareæ) urbis curam et præfecturam (in rebus fidei) commisit : quam Cornelius cum totam idolisaddictam invenisset, per B Christi gratiam conversam totam, adeoque ipsum urbis Prætorem Demetrium cum tota domo in Christum credentem sacro fonte lustravit. Cornelius demum vita Apostolico more peracta ad Dominum emigravit. *At Scepsin ei commissam asserunt Acta. Fuit ea urbs Episcopalis in Hellesponto, uti Troas, et Ilium.*

*Scepseos cum Præfecto convertit*

## § III. *S. Cornelii labores, miracula, Inventio.*

Eadem *Menæa non Cæsareæ substitisse, sed varia percurrisse loca tradunt, et quidem cum S. Petro Apostolo :* Maxima *inquiunt*, dignatus celebritate nominis, Corneli, cum Apostolorum Principe ac pluribus aliis, discurristi, ubique Divinum peragens præconium, per quod et ad lumen perducti, ab ignorantiæ tenebris eruti sumus. *In alia ode :* Accepta Spiritus gratia, veluti splendidus quidam Sol, terram illustrasti Corneli, depulsa idolomaniæ caligine. *Alia :* Quasi fluvius ingens egressus es, irrigans cœlesti doctrina universam terræ faciem, multiplicis deorum culturæ zizania suffocans, Corneli. *Alia :* Toti mundo C mortuus, ejus qui pro nobis mortuus est, resurrectionem, omnibus, qui per animi passiones mortui erant, annuntiasti, beatissime Corneli. *Alia :* Spiritu illustratus, stella effectus es luciflua, splendidissimo fulgore fines terræ collustrans, hieromysta Corneli. *Alia plura id genus de eo prædicant ;* Christi præconem *appelant*, et Sanctorum Discipulorum æqualem, qui sanctum Spiritum ut illi acceperit. *Quin et alia celebrant, quæ ab eo Scepsi gesta esse in Actis dicuntur. Ejusmodi hæc sunt :* Totus Deo omnipotenti deditus, surdis simulachris cultum non exhibuisti, compellentibus sanguinariis hominibus. Altissimum invisibilem Deum, Corneli, ferventer invocasti, et abominandorum idolorum templum funditu evertisti, vehementi hominum admiratione. Omnipotentis servans mandata, et ipse servatus es : vincula sustinuisti, et insipientes homines vinculis superstitionum solvisti, o Theosophe.

*per varia discurrit,*

*insignis Evangelii præco,*

10 *Sepulchrum quoque illius celebrant, et patrata ad illud miracula. Domus ejus extitit Cæsareæ, S. Hieronymi ætate, sed in templum conversa, sepulchri ac reliquiarum nulla apud eum memoria. Ita scribit epist.* 27, *sive in Vita S. Paulæ, quam* XXVI *Januarii dedimus, cap.* 2 *nu.* 8 *ubi loca maritima Palæstinæ enumerat, quæ Paula Hierosolymam tendens lustravit. Et* versa vice (*mirata est*) Stratonis turrim, ab Herode D Rege Judææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam, in qua Cornelii domum, Christi vidit ecclesiam: *Cur non et sepulchrum? Atqui hoc, ut Menæa habent*, velut fons profundit large curationes fidelibus, abigit nequam spiritus, illuminatque omnium oculos, qui in fide eum laudant. *Item :* Semper scaturis torrentibus curationum, humanas ægritudines detergens. *Dein :* Exaltatus virtutibus es, præcelsæ cedri in modum, et suaveolentes nobis fructus protulisti, doctrinæ nimirum largitionem, gratiam miraculorum, curationum efficaciam, beate hierarcha Corneli. *Ac deinde :* Natura quidem mortuus, usu vero beatum sepulchrum inhabitans, illud multorum miraculorum fontem efficis, o sapiens Corneli, ægrotos sanans, spiritus malignos abigens in Spiritu sancto.

*AUCTORE I. B.*

*sepulchrum miraculis celebre,*

11 *Ignotum diu id sepulchrum fuit, ut in Actis traditur ; donec id* S. Silvanus, *Troadensis Episcopus, invenit, Theodosii junioris temporibus. Quod Latini, ut diximus,* II *Februarii, Græci* XIII *Septembris eum venerantur; altera fortassis celebritas ejus gloriosi decessus est, altera Inventionis ac Translationis.*

*a S. Silvano inventum :*

*duplex ejus solemnitas.*

12 *Nec illud omittendum,* Martyrem *eum in Menæis appellari, seu vere pro Christi fide interfectus est, seu* E *solum quæstionibus, quæ in Actis memoratur, adhibitus. Ita habent Menæa in titulo diei* XIII *Septemb.* Et Sancti Martyris Cornelii Centurionis. *Et in Cantico quodam :* Unguento sacerdotii perfusus, discurristi, præconium salutis faciens in Gentibus, erroris spinas extirpans, divina sapiens, et doctrinam nulli obnoxiam errori mentibus inserens. Ideo benedicimus te, ut Pontificem Deo afflatum, et Martyrem invictum, Corneli. *Huc facit quod in Miraculis S. Anastasii Persæ habetur* XXII *Januar. miraculo* 10 *Cæsareæ patrato :* Receptor quidam templi sancti et gloriosi Martyris Cornelii, Joannes nomine. *Quamquam et in Actis cap.* 3 *nu.* 12 Martyr *appellatur.*

*Martyr appellatur.*

# ACTA EX METAPHRASTE,

## *cum Græco MS. collata.*

### CAPUT I.

### *S. Cornelii conversio, baptismus.*

Post salutarem Verbi in terram adventum, Crucemque et mortem pro nobis sua sponte F ab eo susceptam, et in cœlos ascensionem, unde descenderat ad ædificandum Davidis tabernaculum (ut cum Prophetis dicam) quod ceciderat, unus erat ex cohorte Italica Centurio Cornelius, ex iis qui ipsum quærebant, et faciebant quæ illi placebant, et qui multa bona faciebat opera (etiamsi nondum divina Christi gratia, neque vocatione ad ipsum esset dignatus hic vir pius) ut qui Deum timeret ipse, et tota ejus familia, et iis, quæ habebat, impertiret egentes : rursusque Deum precaretur assidue. Ad eum agentem Cæsareæ (ut divinus Lucas de ipso refert apertissime) venit Angelus circa nonam horam diei, et dixit ei : Corneli, orationes et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei : et nunc mitte viros *a* Joppen, et accerse Simonem, qui appellatur Petrus : is cum venerit, loquetur tibi verba vitæ. Hæc cum ille quidem mandasset, non amplius apparebat. Cornelius autem statim duobus vocatis famulis, et pio quodam milite, *b* ex iis qui illi perpetuo aderant, illis aperit quæ viderat, et eos mittit Joppen. Illic enim versari Petrum dixit Angelus, apud quemdam Simonem Coriarium. Petrus autem, qui omnem terram et mare obibat prædicando, et veritatem ubique annuntiabat

Amos 9. 11.

*Cornelius vir probus,*

Act. 10.

*Angeli monitu,*

A nuntiabat (erat enim revera positus in lucem gentium et salutem multorum) ingressus ad Sanctos, qui habitabant *c* Lyddam, cum quemdam Æneam, qui octo annis jacebat paralyticus, fecisset surgere, Joppen deinde venisset, et in *d* Tabitha, quæ vocatur Dorcas, fecisset magnum illud miraculum; hic degebat apud Coriarium.

EX METAPHRASTE ET MS GR. *S. Petrum Apost. Joppen accersit* *c* *d*

2 Sed nec eum quoque dimisit Deus ignarum mysterii, quo erat initiandus Cornelius : aut potius Cornelii justitiam et preces non despexit. Sed quoniam ii qui erant ex circumcisione, dissidebant ab iis, qui habebant præputium; ne Petrus eos, qui missi erant a Cornelio, ut qui haberent præputium, incassum rursus remitteret, propterea quod nefas sibi putaret congredi cum alienigena, aut ad eum accedere; cum illi Cæsarea profecti, non procul essent ab Joppe, ostendit ei Deus Cornelii virtutem et agnitionem. Cum itaque ascendisset *e* in superiorem domus partem, ut quæ hora sexta fiunt, preces redderet, se cibo reficere opus habuit, et esuriit. Interim autem dum Petro parabatur cibus, videt cœlum apertum, et vas quoddam, tamquam magnum linteum, quatuor initiis in terram demitti, et ad ipsum venire. Vas autem continebat bestias, tam omnes terræ quadrupedes, et reptiles, quam volucres cœli.

*e*

B Voxque ex illo visa est ad eum existere, dicens : Surge Petre, macta et comede. Deinde cum is dixisset : Nequaquam Domine; et deinde etiam caussam adjecisset, (Numquam enim, inquit, comedi omne commune aut immundum) vox ei rursus respondit : Quæ Deus mundavit, tu ne dixeris communia. Cumque hoc ter factum esset, vas rursus assumptum est in cœlum. Hoc autem significabat conversionem Cornelii, et eorum qui erant cum ipso. Nam esuries quidem, qua laborabat Petrus, significabat illius in pietatem propositum et studium; et quod is nihil adeo esuriebat et desiderabat, atque infidelium agnitionem, et eis omnino dare verum Dei cultum et prædicationem Evangelii. Quadrupedes autem et serpentes ac volucres, erant signum multitudinis eorum qui erant convertendi cum Cornelio. Vas autem e cœlo ter demissum, significabat ternam in Baptismo demersionem. Mundatas autem eas esse a Deo, significabat Cornelii justitiam et misericordiam cum universa domo, et quod ii quoque Deo accepti evaserunt.

*antea mystica visione edoctum, quid sibi agendum*

3 Cogitante autem Petro, et non valente visionem conjicere, qui missi fuerant a Cornelio, jam ad fores venerant. Et protinus incedens Spiritus, et illorum C adventum significat, et jubet Petrum eos convenire minime hæsitantem. Atque et quidem, cum ad eos descendisset, quæ vidisset Cornelius, et quæ ab Angelo audivisset, omnia renuntiant. Itaque die sequenti simul veniunt Cæsaream. Cum eis autem obviam processisset Cornelius, et procidisset ad ejus pedes, erigit eum Petrus, dicens : Ego quoque sum homo. Deinde cum in eo seminasset verbum pietatis, et in animis eorum qui convenerant, postquam vidit Spiritus gratiam in eos illapsam, et baptismum præcipientem, eos ad veritatem deducit, et baptismo initiat.

*ab eo baptizatur cum suis*

*a* Joppe, urbs, Episcopalis Palæstinæ I. fugientis portus Jonæ, inquit S. Hieron. in Vita S. Paulæ cap. 2 n. 8, et (ut aliquid perstringam de fabulis poetarum) religatæ ad saxum Andromedes spectatrix. Ita et Plinius lib. 5 cap. 13 Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Insidet collem, præjacente saxo, in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt. At cap. 14 Joppicam tractant, quæ ... in qua dicta Judæa. — *b* Græce ...

*c* Hæc quoque Episcopalis urbs caput, Episcopali et qua ... ornata, Diospolis dicta. *d* S. Hieronymum ... loco ante citato. Et Lyddam vertam in Diospolim, Dorcadis atque Æneæ resurrectione ac sanitate inclytam. Ex cap. 9 Act. v. 10, patet in Joppe suscitatam esse Tabitham, sive Dorcadem. Colitur hæc a Græcis XXV Octobr. ut ex Menæis patet. — *e* Græce ... Notat Baronius ad an. 41 num. 6 antiquum plane Hebræorum morem fuisse, ut Deum precaturi, loca superiora conscenderent, et confirmat exemplo ... Epiphanius habebat, in domunculam

Joppe urbs, Lydda

## CAPUT II. D

### *S. Cornelii labores, præsertim Scepsi.*

Cum dispersis autem ab Hierosolymis Apostolis, post vexationem quæ a *a* Stephani morte accidit, simul aderat etiam Cornelius, et venit usque in Phœniciam, et Cyprum, et ipsam Antiochiam : et rursus profectus est una cum Petro et *b* Timotheo : et nec Ephesi quidem ab eis abfuit. Cum autem accepissent, *c* Scepsæorum civitatem esse subjectam cultui simulacrorum, consultabant, quisnam eo iret; et rem permiserunt sortibus. Cum sors autem venisset ad Cornelium, ille quidem recte vadit ad civitatem. Ejus autem Præfectus erat quidam Demetrius, qui erat Philosophus, et *d* in Græcis disciplinis eruditus, horrendum spirans adversus piam fidem Christianorum; et alios gentium colens deos, maxime autem Apollonem et Jovem. Is cum accepisset de adventu Cornelii, eum statim accersiit : et cur venisset, et unde, et quodnam esset ejus studium, interrogavit. Ille autem : Sum quidem, inquit, servus Dei vivi. Veni autem huc missus, ut te revocem a profundissimis tenebris ignorantiæ, deducamque ad lucem veritatis, et purum radium agnitionis immittam in tuam animam. Horum ille ne E pauca quidem intelligens, ira illico fuit repletus, sæveque repente loquitur et ferociter : Alia te rogavi, tu autem alia mihi respondes. Per deos omnes, si non singula dicis ad propositum, si non moderate et diligenter respondes, non parcam tuæ senectuti, non ignoscam tuæ ætati, non verebor canitiem. Sed dic, et cui milites, et quanam de causa accesseris.

*a* *b* *S. Petrum comitatur* *c* *ab eo, sorte lectus, mittitur Scepsim* *d* *sistitur Præfecto*

5 Cornelius autem : Si velis, inquit, scire, quænam sit mea militia, sum quidem Centurio. Et rursus apertius evolvit et explicavit ea, quæ prius dicta sunt. Nam cum, inquit, accepissem, quod ipse et uxor tua, et quidquid est in tua ditione, in magnum errorem incideritis, venio vos liberaturus a deceptione, et vos deducturus ad viam veritatis, et soli viventi Deo reconciliaturus, qui fecit cœlum et terram, et a quo producta sunt, quæcumque sunt in ipsis, et cujus nutu ducuntur. Ad hæc Demetrius : Video te, inquit, jam senio esse confectum, et me tui miseret propter ætatem. Prolixas ergo nugas jubens valere, (paucis enim tecum agam) accede et diis sacrifica. Cum ille autem rogasset, quibusnam diis? Quibusnam aliis, inquit Præfectus, nisi Jovi et Apollini? Sin autem recusaveris, scias fore, ut gravibus suppliciis et tormentis tradaris : neque ullus præter eos erit Deus adeo potens, qui te sit a meis erepturus manibus. Ille autem : Potest, inquit, Deus meus me non solum a malis conservare illæsum, et efficere ut sim hominum injuriis et insultibus superior, sed eos etiam destruere, quos tu deos nominas, evertereque et confringere illorum simulacra, eaque in pulverem redigere et in cinerem, et te vana, quam de illis concepisti, spe privare, et per agnitionem ad se traducere.

*deos colere* F

6 Hæc cum respondisset Cornelius : Jam juravi per omnes deos, inquit Demetrius, quod nisi moderate respondeas, et nisi diis obtuleris sacrificium, te gravia supplicia accipient et cruciatus : et nondum mihi credis? Rursus ergo dixit præclare Cornelius : Me recte dicentem audi, o Judex : Dæmonibus, et surdis ac inanimis simulacris ego numquam sacrificabo. Scriptum est enim : Dii, qui cœlum et terram non fecerunt, pereant. Et rursus : Adorabis Dominum Deum tuum et ei soli servies. Ego igitur veni, ut det vobis quoque Deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis, et resipiscatis a diaboli laqueo ad illius voluntatem. Sin autem tibi videtur, eos, quos dicis

Jer. 10, 11. Deut. 6, 13. Is. a 10 2?

A dicis deos, ostende mihi. Hoc cum ille audiisset, valde lætatus est cum iis qui cum ipso erant, et bona spe sunt repleti, putantes stulti, se mox esse visuros Cornelium sacrificantem. Eis itaque mox fuit apertum templum Jovis, ut qui putarent Cornelium statim esse deo sacrificaturum. Cum itaque venisset in templum Cornelius, omnes illuc celeriter confluxerunt, non solum Demetrius, et ii, qui eum assectabantur, sed ejus etiam conjux Evanthia, et filius Demetrius : nam ipse quoque sic vocabatur. Cum itaque ad Orientem genu flexisset, dixit ex animo Cornelius : Deus, qui conturbas terram, et montes transfers in cor maris; qui tempore Danielis famuli tui Belum evertisti, et draconem sustulisti, et ora obstruxisti leonibus, ut tuum servares famulum; tu quoque nunc everte hæc simulacra, tam fusilia, quam sculptilia : et agnitionem præbe tuo populo, et sciant tuum esse brachium cum potentia. Tu es nostræ potestatis gloriatio.

*ducitur ad templum Appollinis*

*Dan. 4.*

*quo post ejus preces,*

7 Cum hæc esset precatus, egreditur e templo : simul autem cum eo egreditur etiam Demetrius, et quæcumque alia gentium convenerat multitudo. Evanthia autem et filius Demetrius adhuc manebant intus. Repente vero maximo quidem terræ motu Deus concutit civitatem : templum autem mox deturbatum, simulacra confringit, et in cinerem comminuit et in pulverem; Demetriumque filium et matrem Evanthiam intus intercipit. Cum pater ergo Demetrius templi adspexisset eversionem, nondum autem accepisset uxorem et filium fuisse intus interceptos, ducitur quidem in judicium divinus Cornelius, rogendus utique dicere causam eversionis. Ille autem lætus ingreditur, Deum alloquens, qui ei dabat vires, et magis exultans propter hoc miraculum incredibile, quam propter thronum Demetrius, et propter illud excelsum et sublime tribunal. Præveniens autem interrogationem : Ubi nunc sunt, inquit, o Demetri, magni tui dii? Ille autem continuo : Quibusnam, inquit, magicis artibus et præstigiis templum evertisti, et statuas confregisti? Sed te gravissimis (sciant omnes dii) subjiciam suppliciis. Et statim consultabat, quidnam agens, eum acerbissimo afficeret supplicio. Cum jam autem adventasset vespera, jubet Sanctum ligatis simul pedibus et manibus suspendi in custodia, et ita totam noctem manere suspensum. Hæc dixit, et statim Sanctus fuit conjectus in carcerem

*terræ motu everso,*

B

*conjicitur carcerem*

a Imo, ut ex Actis patet, Stephani cædes ante Cornelii conversionem contigit. Melius in orat. de S. Petri certaminibus supra citata num. 5. 6 tradit idem Metaphrastes, Cornelium cum Petro peregrinatum, postquam hic ex Hierosolymitano carcere ereptus fuit. — b In S. Timotheo Ep. Ephesino egimus 21 Januar. — c Scepsis regio est apud Plin. lib. 5 cap. 30. Ejus fortassis primaria urbs Scepsis, quam Σκῆψις vocat Ptolemæus tab. 1 Asiæ, locatque in Mysia minori quæ est ad Hellespontum. — d Græce [illegible] vertere : Gentilium superstitionibus mire deditus, sequitur enim. Et alios Gentium colens Deos, ubi in Gr. est [illegible]

C

*Scepsis ur. reg.*

## CAPUT III.

### *Scepsæorum conversio. S. Cornelii obitus.*

Protinus autem venit propere quidam ex domesticis, nomine Telephon, dicens : Domine, domina mea et filius tuus unigena perierunt, cum terræ motu concussum fuit templum. Demetrius autem cum primum hoc audivisset, scidit vestem, et magno fuit luctu oppressus. Interim autem jussit suis pulverem quamprimum exportare; Donec meæ bonæ, inquit, et fidelis conjugis, et suavissimi unigenæ filii ossa inventa, in meas manus portaveritis. Hæc simul eis dicebat, et cum voce effluebant lacrymæ, et gravissime ingemiscebat et lugebat, et deos suos accusabat, quod vivus ad hoc usque tempus esset conservatus, ut audiret tam acerbum nuntium. Cum ei autem assedissent primates civitatis, et partim quidem simul lamentarentur, partim autem etiam consolarentur, et quoad ejus fieri posset, dolorem studerent extinguere, et jam de morte Cornelio inferenda agerent: essetque perfectum monumentum, in quo sepelienda erat conjux cum filio: Pontifex quidam deorum gentium, nomine Barbarus, cui commissa fuerat templi repurgatio, propere venit ad famulos Demetrii, (non enim permittebatur ad eum accedere propter luctum) renuntians, ex ruderum cumulo fuisse auditam vocem Evanthiæ et filii, vocem autem hæc significare : Magnus Deus Christianorum, qui nos eripuit ex hoc periculo per famulum suum Cornelium, et non nos dedit omnino exitio. Festina ergo tu quoque, Demetri, et virum hunc sanctum educ e custodia, et adora eum cum omnibus, qui sunt in domo nostra, et iis, qui sunt nobis propinqui : et roga ipsum, ut veniens in hoc habitaculum, nos servet, et educat ex his ruinis, et e profundo, ne pereamus penitus : magna enim Dei hic videmus miracula, et videmur audire Angelos clamantes : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas.

D

*EX METAPHRASTE ET MS. GR.*

*Præfecti uxorem et filium ruina templi oppressos,*

*incolumes servat,*

*cantu Angelorum recreatos*

9 Cum hæc audivissent ministri, currunt protinus cum Barbaro Pontifice ad Demetrium, et ei singula diligenter renuntiant. Ille autem, cum accepisset esse adhuc superstites uxorem et filium, cor plenum habuit lætitia simul et perturbatione : et cursim veniens in custodiam, offendit divinum Cornelium ambulantem, et librum in manu tenentem, et sic Deum laudantem : Angelus enim ad eum accedens, ipsum solverat a vinculis ; et cum multitudine, quæ simul concurrerat, cadens ad ejus pedes, exclamavit : Magnus est Deus Cornelii, qui meam conjugem Evanthiam et filium Demetrium liberavit a templi eversione ; et simul Sanctum oravit, dicens : Serve Dei altissimi, credimus in Crucifixum, quem tu prædicas, et ipse, et omnes qui sunt mecum, si veneris, et uxorem vivam, et filium illinc eduxeris. Ille autem: Accipite, inquit, prius Christi signaculum, et tunc veniam vobiscum, et dabitur vobis cordis vestri desiderium. Protinus itaque Demetrius cum omnibus qui cum ipso erant, cum rursus dixissent : Magnus est Deus Christianorum, baptismum suscipiunt

E

*ab Angelo solutus vinculis*

*Præfectum cum suis baptizat*

10 Deinde cum eos assumpsisset Cornelius, stetit super habitaculum, et ad Orientem oculos tollens in cœlum, inquit : Domine Deus virtutum, qui respicis super terram, et facis eam tremere : qui adspectu tuo montes liquefacis, et visitatione tua exsiccas abyssos: ipse es, Domine : ipse exaudi gemitum vinctorum, et educ e terra Evanthiam, et ne avertas faciem tuam a filio ejus : sed attende animæ eorum, et libera eos propter nomen tuum. Hæc cum precatus esset Cornelius, et qui circumstabant, dixissent, Amen, continuo terra divisa incolumem matrem emittit cum filio. Et illico clamarunt cum circumstantibus : Magnus es Deus Christianorum, qui nos a deceptione, et ab hac acerba morte liberasti per tuum famulum Cornelium, et tuam potentiam et brachium nobis notum reddidisti. Simulque ducenti et septem Christo accesserunt. Exhinc autem ad Cornelium sedentem in quodam loco, qui vocatur Stadium, et docentem eos qui accedebant, Demetrius et Evanthia ventitabant cum filio. Sed et reliqui quoque Gentiles non jam amplius Gentiles, quippe spinis incredulitatis a corde suo expurgatis, ut terra bona, susceperunt semen pietatis, et baptismo fuerunt obsignati.

*oratione e ruinis eripit oppressos*

F

*plurimos convertit*

11 Atque ille quidem, postquam Christo universam obtulisset civitatem, et errorem expulisset, et verbum pietatis in ea seminasset, effectus plenus dierum, a ferventius vacabat orationi, et totus in ea versabatur.

a

A *EX METAPHRASTE ET MS. GR.*

versabatur, ad nihil ex iis, quibus in præsenti vita studetur, suos attollens oculos. Deinceps autem ei quoque suus revelatur excessus, ad quem toto animæ oculo spectabat, et erat paratus : et de superis vocem audit dicentem : Corneli, veni ad me. Ecce enim est tibi parata corona justitiæ. Quid deinde? Cum omnes quos obtulerat, Christianos convocasset, et eos perfectius pietatem docuisset, et firmiter doctrinæ adhærere præcepisset, et se postremo totum ad precandum collegisset, flectit genu, et, Domine Deus noster, inquit, qui me dignum fecisti, ut fidem conservarem, et ut certamen peragerem, et vincerem adversarium, ago tibi gratias ; sed ad tuos servos e cœlo adspice et eos suscipe a sancta tua altitudine, et eos tua confessione et nomine stabili et confirma, ut sine intermissione sanctissimum tuum nomen glorificent, nunc et in secula seculorum. Et cum omnes, Amen, continuo acclamassent, spiritum lubens ei qui vocabat, tradidit.

*Deo vocat ub ro ad cœlum evocatur*

*pie moritur*

12 Atque Demetrius quidem et *b* Evanthia, cum filio et Christianis omnibus congregatis, et Presbytero Eunomio, cum Magistri excessum, ut par erat, deplorassent, et deinde cereos accendissent, et hymnos, qui dici solent in excessu, cecinissent, et quæcumque de more Christiani faciunt, peregissent:

*b* *Christiano more sepelitur*

B apud ipsum eversum Jovis templum eum in novo loculo deposuerunt, qui prius a Demetrio fuerat constructus conjugi. Rubum autem maximum terra continuo edidit, et in orbem texit loculum, adeo ut nullus sciret de cetero, quod intus esset loculus, præter eos solos, qui cum Demetrio tunc inservierunt ad sepulturam. Qui quidem ad rubum quotidie ventitantes, sacra canebant cantica, suffitibusque et bono odore replebant, qui super ipsum erat, aerem. Atque miracula quidem illinc frequenter scatebant, adeo ut multis videretur, qui nesciebant intus jacere Martyrem, nunc quoque divinum aliquod rubus significare sicut tempore Mosis prius factum fuerat.

*sepulchrum rubo subito tegitur, honoratur, etiam miraculis*

*a In Gr. additur, τῶν τοῦ πνεύματος spiritualium.* b S Evanthia *colitur a Græcis 1 Septembr. ut videre est in Menol. et Menæis. Hæc an alia sit, non est unde colligamus.*

## CAPUT IV.

### *S. Cornelii Inventio, Translatio, Imago.*

*Sanctus id in somnis indicat S. Silvano Ep.*

Non multo post autem e vita etiam excessit Demetrius, et multi ex iis, qui a Cornelio fuerant divino initiati baptismo, ipsi quoque partim e vivis

C decesserunt, partim autem profecti sunt in alias regiones. Itaque cuidam *a* Silvano, viro pio, et qui virtutem amplectebatur, et erat Episcopus Troadis, cum venisset aliquando in civitatem Scepsæorum, divinus in somnis apparens Cornelius: Longo, dixit, tempore hic habito, et nullus me visitavit, præter eos solos, qui a me fuerunt baptizati. Cum itaque interdiu hæc mente consideraret Episcopus, et quid sibi vellet somnium, non posset conjicere; nocte sequenti ad eum rursus veniens Sanctus : Ego sum, inquit, Cornelius Centurio, est autem mihi domus prope templum Jovis in rubo. Sed tu ædifica alterum oratorium prope locum Demetrii *b* servi Dei. Vocatur autem locus *c* Pandochium : quo in loco sita sunt multa corpora sanctorum fratrum jam consummatorum.

*a*

*b*

*c*

14 Mane ergo Episcopus quidem, propterea quod in Pandochio essent omni ex parte infossa multa sepulchra, in animo habuit templum alibi ædificare, sed Sanctus non permisit. Cum ergo Clerum, qui sub eo erat, congregasset : Filii, inquit, mihi magnus revelatus est thesaurus ; sed adeste, eum tollamus. Hæc cum illi audiissent, prompto et alacri animo omnes processerunt, et Episcopum lubenter sunt secuti. Cum autem pervenissent ad rubum, statim dixerunt Clerici Episcopo : Gratia quædam, huc

*qui rubo facile eruitur,*

D advolat divina, o Domine, et multos scimus huc confluxisse, et fuisse liberatos a morbis et malis dæmonibus, et adscripsisse rubo sanationem. Sed sive sit in rubo, seu sub rubo thesaurus, quis eum poterit excidere, et tollere, cum fieri non possit, ut secetur propter magnitudinem, et alioqui nec sit attrectatu facilis, ut qui sit multis terribilis propter miraculorum operationem? Cum autem precatus esset Episcopus, et Crucem fixisset in terram, et manum rubo injecisset, ipsas excidit radices. Animo itaque confirmati Clerici, opus continuo sunt aggressi : et convellebatur rubus, tamquam herba quædam mollis, neque erat amplius rubus, sed et capsa continuo apparebat, et adhuc valde instabat Episcopus, urgens fossionem. Cum autem jam adventasset vespera, precatus Episcopus rursus jubet Clero nocturnam cantare Psalmodiam; hymnisque, lampadibus, et suffitibus honorabant capsam.

*id reperit et honorat*

15 Cum vero sumptuum quoque inopia ad ædificandum templum, sollicitum et animo perplexum teneret Episcopum; eam quoque solvit Sanctus dubitationem : et cuidam ex divitibus viro pio apparens, cui nomen erat Eugenius, mandat ei templi ædificationem, et describit ei ædificii figuram et magnitudinem. Mane ergo Eugenius veniens ad Episcopum, ei renuntiat visionem, et operi statim præ-

*Cornelio monente et dante ideam, templum ædificatur :*

E ficit ædificatores, cum eis prius descripsisset et significasset templi altitudinem et longitudinem, et aditum altaris eis jussisset latitudine fieri capsæ æqualem : ei enim visum fuerat deponere capsam intra aram.

16 Postquam autem templum fuit cito perfectum, hoc quoque Deo faciente miraculum, in locum, *d* qui dicitur Trigoni, venientes ædificatores, (hic enim Silvanus Episcopus peragebat festum B. Andreæ Apostoli) ei significant perfectum esse ædificium, et : Jam tempus est, aiunt, transferri capsam, priusquam ingressui imponatur superliminare. Sic enim facilius introducetur. Continuo ergo Episcopus, cum simul cum pio Eugenio sacrum sumpsisset Evangelium, fusis prius precibus, simul et *e* Trisagium cœpit canere, et cum eo omnes simul eumdem hymnum concinebant : et egressi sunt supplicantes. Deinde etiam capsa (o magna tua, Domine, miracula!) secuta est tamquam animata, nemine omnino eam movente, nec tangente. Et omnes quidem primo propter sum-

*d*

*e*

*capsa ad id ultro Silvanum sequitur,*

F mam admirationem, nec miraculo quidem, quod cernebant, volebant credere : deinde quasi essent adducti in ecstasim, exclamaverunt : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, qui per famulum tuum Cornelium miracula tua et virtutes nobis aperuisti. Hinc factum est, ut qui remanserant ex gentibus, crederent.

17 Et rursus in templum processit supplicatio, et capsa sequebatur. Postquam autem venerunt in templum, illi quidem hinc et illinc constiterunt, videntes, quonam esset capsa processura, et ubinam statura. Illa autem per ipsos medios et lateralem portam veniens, quæ erat a dextera, stetit prope aram : cui omnibus adhibitis machinis, ut ea transferretur ad aram, illa manet immobilis usque in hodiernum diem, miraculorum thesaurus non deficiens, ex quo percipitur magna spiritalis utilitas et gratia.

*et certo loco constituta immobilis,*

*plurimis miraculis celebris*

18 Cum autem Silvanus decessisset Episcopus, Troadensium quidem Episcopatui *f* Athanasius, Philostorgius autem Scepsæorum, præficiuntur. Postquam vero prius quoque ille Eugenius excessit e vita, quemdam pictorem hortatur Philostorgius, ut et totum templum depingat, et Cornelii effigiem in eo diligenter exprimat, et quam fieri posset accuratissime ornet; nempe ut is etiam senex pingeretur, et illi ipsi omnino similis. Rogabat ergo Sanctum

*f*

Encratius,

A Encratius, (hoc enim erat nomen pictoris) ut ei suam revelet speciem, quo eam apte et accurate depingeret, et simul ægre ferebat mandatum Episcopi, et quasdam non nimis honorificas voces emittebat in Sanctum, animo ex omni parte perplexus, et valde tristis, et propterea quod nesciret illius speciem, et quod non posset consequi characteres et figuras vultus. Cum itaque aliquando cecidisset e scalis, quas ascenderat, jacebat non spirans: et vermes alii quidem per os proreptabant, alii autem rursus ingrediebantur. Visa sunt autem hæc esse fructus illorum verborum maledicorum, quæ dolore affectus pictor dixerat. Sed ipse es omnino, o Corneli, qui Demetrio graviter in te prius spiranti uxorem et filium donasti: quapropter non sustinuisti, ut huic pictori amplius produceretur supplicium. Cum enim die sequenti ei apparuisset, et manum ejus dexteram apprehendisset, eum surgere fecit, velut dormientem: et hæc duo fecit maxima; nam et intemperantem ejus linguam castigavit, et curavit dolorem ac ægritudinem, quam acceperat, propterea quod nesciret, quomodo pingeret; non in figura, imagine et similitudine, sed vere cum eo congressus, et forma quali esset ostendens. Quin etiam ipse pictor visus est rursus D sanus et salvus, et omnino liberatus a vermibus, et rursus artem suam aggressus. Hinc factum est, ut eum talem pingeret, qualem viderat, ipsam plane veritatem cum arte injiciens in picturam, precibus ipsius Sancti, gratia autem et clementia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul cum sancto Spiritu, gloria, potentia, honor et adoratio in secula seculorum. Amen.

*Encratio pictori,* *ob inepta contra eum verba* *graviter punito,* *apparet, et sanitatem reddit.*

EX METAPHRASTE ET MS. GR. *ubi eo ad se ... pingitur.*

a S. Silvani *Ep. Philippopolis in Thracia, deinde Troadis, Vitam, ex hist. Eccl. Socratis lib. 7 cap. 36 dabimus 1 Decembris, ad quem diem Romano Martyrologio inscriptus est. Cum fuerit is ad Philippopolis cathedram a S. Attico evectus, et ab eodem ad Troadensem translatus, qui, ut 8 Januar. diximus, decessit* Theodosio Juniore X et Valentiniano Consul. *id est anno Christi 425, hinc patet quando hæc* S. Cornelii *Inventio et Translatio contingere potuerit.* — b *Hinc videtur colligi posse, ipsum quoque* Demetrium *in Sanctis numeratum: nisi in nullo adhuc Martyrologio eum reperimus.* — c Πανδοχεῖον *dicitur vulgo diversorium, quod omnes capiat.* — d *Gr.* Χωρίου Τριγώνου. — e *Lipom.* ter sanctum hymnum *non recte, est enim* τρισάγιον, *cum ter* ἅγιος, Sanctus *canitur, atque Sanctissimæ Trinitatis confessio.* — f *Hic est fortassis qui Sessioni 6 concilii Ephesini subscripsit* Athanasius Episcopus civitatis Scepsiorum, *indeque Troadem translatus ideoque cum Philostorgio, suo in Sedem Scepsensem successore, hic agit de S.* Cornelii *Scepsiorum Patroni pingenda imagine. At quisquis fuerit Troadensis hic* Athanasius, *obiit certe ante Concilium Chalcedonense, nam huic subscripsit* Pionius Episcopus civitatis Troadis. — g *Concilii Chalcedonensis Actioni 16* Diogenes Episcopus Cyzici Metropolis definiens subscripsit, et pro absentibus... Philostorgio Scepsii .. *uti et Actioni 6. ubi* Eustorgius *appellatur.*

*S. Silvanus Ep.*

B

# DE S. AGATHODORO MARTYRE. E

## TYRANÆ IN CAPPADOCIA.

J. B.

II FEBRU. *SS. Agathodori tres.*

Duos *nobis* Agathodoros *sacræ Martyrologii tabulæ exhibent, unum Episcopum in Chersoneso, coronatum martyrio cum* Basilio, Eugenio, Elpidio, *aliisque die* IV *Martii; alterum* XIII *Aprilis, Sardibus in Lydia cum* S. Carpo *Thiatirenorum Episcopo, et* Papylo *Diacono, quorum famulus erat, pro fidei defensione necatum. Ab his diversum, Tyanæ in Cappadocia II multis suppliciis gloriose defunctum, celebrant Græci II Februarii: cujus Acta ita breviter describuntur in Menæis.*

Hic admodum adolescens ad Præfectum Tyanarum pertractus, propter Christi confessionem uncinis carpitur, et candenti craticulæ imponitur: tum ferro illi lingua præciditur, forcipe evelluntur dentes, pellis faciei novacula abraditur, crura ac tibiæ confringuntur, trajiciuntur conto latera, ignita verucula per cerebri membranas immittuntur; sicque Deo reddidit spiritum.

*Tyanæ in Cappadocia.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

# C FORTUNATO, FELICIANO, FIRMO, CANDIDO, CASTULA, SECUNDULA, ROGATIANO, CAIO, GREGORIO, CAPPA, FELICITATE, PLACIDO, VICTORE, FELICE, MARTIALE, CORNELIANO, SALUSTIO, MAURICIO, PAPYRIO, SECUNDIANO, INGENUO, MUSTULA, VICTORIA, BONOSIA, alia VICTORIA, HILARO, ROGATO, SATURNINO. F

J. B.

II FEBR.

*Horum Martyrum natalis.*

Horum *Martyrum priores dumtaxat quatuor in plerisque Martyrologiis recensentur. Ita Usuardus* IV *Nonas Febr.* Item Romæ sanctorum Martyrum Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi. *Consentiunt Martyrol. Romanum, Bellinus de Padua, Florarium, et plurima MSS. At MS. S. Mariæ Ultrajecti:* Item Romæ S. Fortunati et aliorum XXXII. *Totidem fere enumerat vetus Martyrol. Romanum, quod S. Hieronymi vocatur; vitiose tamen, ut conjicere licet, descriptum. Ita enim habet* Romæ Forosini Pruni Laurenti Ippolyti: Item Romæ Fortunati Feliciani Firmi Candidi Castolæ Secundolæ Rogatiani Cai Gregori Cappæ Felicitatis Placidi Victoris Felicis Marcialis Corniliani Salusti Maurici Urici Papiris Secundiani Ingenui Mustulæ Victoriæ Bonasiæ Forosi Pruni Item Victoriæ Item Hilarii Rogati Saturnini.

*... ex vet. Martyrol.*

2 *Verum, nisi nos conjectura fallit, menda hic adspersa nonnulla, imperitia vel oscitantia librarii. Nam primum* Urici, *videntur postremæ litteræ esse nominis præcedentis* Maurici, *a scriptore, opus intermissum repetente aut distracto, negligenter iteratæ. Deinde quid sibi illa volunt,* Forosini Pruni, *dein* Forosi Pruni? *an Sancti sunt* Forosinus, Prunus, *aut* Prinnus, Forosius, *et alter* Prunus? *sicque Romanis Martyribus jungendi* Laurentius *et* Hippolytus? *Et quidem fatetur Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, ut mox dicemus, horum nomina, et diem qua memoria ipsorum anniversaria recolitur, accepisse se ab Ecclesia Forosempronensi: an autem in ea urbe, vel alibi, et in quanam persecutione martyrium passi fuerint, incertum esse. Tamen quia a pluribus Foro-Sempronii tribuuntur, sic viderentur restituenda veteris Martyrologii verba.* Romæ natalis Hilari, Rogati, Saturnini. Forosempronii.

*Ejus menda* *correcta.*

AUCTORE I. B.

A pronii, Laurentii, Hippolyti. Item Romæ, Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, Castulæ, *etc.* Victoriæ, Bonosiæ. Item Forosempronii, Victoriæ. *Sed quia non est nobis certa hæc conjectura*, Victoriam *hanc secundam Romanis jungimus. Alioquin infra cum de Forosemproniensibus agemus, ex aliis quoque Martyrologiis mendi vestigium aliud patescet, dum ea habent*: Romæ Forosempronii *etc. In Beda vulgato, et Martyrologiis Rabani ac Notkeri, omissis aliis solum* nativitas S. Fortunati *memoratur. In quodam breviori Martyrol. monasterii S. Maximini, solum* Feliciani: *in majori Martyrol. ejusdem monasterii*, S. Saturnini.

3 *Canisius in utroque editione Martyrologii Germanici ita habet*: Item Romæ SS Fortunati, Felicis, Firmi et Candidi. *In altera editione, paucis interpositis, ista adjicit, ex Galesinio descripta*: Romæ præterea sanctorum Martyrum Fortunati, Firmi, Candidi et Aurelii. Eodem die, ea ipsa in urbe, sanctorum triginta millium Martyrum, qui in persecutione Diocletiana coronati sunt. *At Galesinius unicum habet* Fortunatum, *unicum* Firmum *ac* Candidum, *quos Canisius geminat. Constantius Felicius*: Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, Aureliani et Fuscoli Episcopi, Romæ martyrio coronatorum.

*et aliorum.*

B *Deceptus cujuspiam codicis mala interpunctione, in quo post quatuor Romanos Martyres additum seorsim erat*: Aurelianis, S. Fuscoli Episcopi. *Quamquam idem fere erratum est in Usuardi editione Parisiensi anni* 1536. Item Romæ SS. Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, Aureliani, et S. Fuscoli Episcopi. *Ferrarius in gener. SS. Catal.* Aurelianum *quoque recensuit, Galesinium secutus, qui* Laurelianum *vocat. Is est qui sub Decio palmam adeptus martyrii, postea Ticinum est translatus, coliturque* XXII *Maii.*

*S. Aurelianus alio pertinet.*

4 *Videtur codex quem secutus est Galesinius, habuisse* XXXIII Martyres; *quomodo fere MS. Ultrajectense supra nu.* 1. *ipseque legisse* XXXM *et* triginta millia *esse interpretatus. In Notis ait*, Anno Domini CCCV Diocletiano VII et Maximiniano VI Cons. *interemptos; citatque Ecclesiasticos annales. Quos? aut a quibus scriptos? Certe juxta Æram vulgarem Christi ante annum* CCCV *deposuerat Imperium Diocletianus*,

*Neque simul 10000 MM. cæsi.*

*illudque tenebant Constantius Chlorus et Maximianus* D *Galerius. Neque congruunt consulatus Maximiani Herculei* VII *et* VIII *Diocletiani. Hic enim anno Christi* CCXCIX *septimum consulatum gessit, quo sextum Maximianus. Voluit fortassis Galesinius scribere*, an. CCCII. Dioclet. VIII et Maximiano VII Cons. *At nusquam ad* XXX *millia cæsos legimus, nisi plurium simul mensium aut etiam annorum Martyres ille Auctor complectatur.*

5 *Constantinus Ghinius quatuor illos priores inter Sanctos Canonicos connumerat; Petrum de Natalibus fortassis secutus, ita scribentem lib.* II *cap.* 130 *nu.* 46. Fortunatus, Felicianus, Presbyteri; Firmus et Candidus Romæ passi IV Nonas Februarii.

*An horum quidam Presbyteri?*

6 *Tres ex hac Martyrum turma, aut certe similibus insignitii nominibus, Roma alio asportati*, Fortunatus *Antuerpiam*, Candidus *Volaterras*, Felicianus *in Hispaniam. At de* Fortunato et Candido III *Februarii agemus, quoniam eo die coluntur.* S. Feliciani *Reliquias tradit Joannes Tamaius de Salazar in Martyrol. Hispan. inque commentario de S. Epitacio, Placentiam esse translatas. Est Placentia in Castellæ regno, provinciæ, quæ* Extremadura *dicitur, olim Vettonibus habitata, urbs, non admodum quidem antiqua, quippe quæ D annos necdum steterit, clara tamen ac nobilis, et amœnissimo sita loco, unde et adepta nomen; et sunt qui veteris oppidi, a Mauris excisi, ruinis inædificatam* E *velint. Huc ergo translatum Roma* S. Feliciani *Martyris corpus, uti scribit antea citatus auctor commentarii de S. Epitacio cap.* 6. *Cum autem inquit, duo solum reperiantur Romæ martyrium subiisse* Feliciani, *quorum alter* S. Primi *socius alibi asseretur, consequens est, ut ille sit Placentiam allatus qui* II *Februarii in Romano Martyrologio memoratur. Quasi vero omnium Martyrum, etiam Romanorum, sint Martyrologii tabulis inscripta nomina.*

*SS. Fortunatus et Candidus alio translati:*

*item S. Felicianus Placentiam in Hispaniam,*

7 *Idem in Martyrol. Hispan. scribit an.* MDCXXIII *e vetusto cœmeterio, impetrante Itelio Frederico Zollerano, S. R. E. Cardinale, Episcopo Osnabrugensi, extractum, donatum* Ferdinando de Montemayor Ecclesiæ Placentinæ Decano, *nunc in ejusdem* Ecclesiæ sacrario honorifice coli et asservari. *Acta donationis ac translationis in priori opere citat.*

*anno 1623.*

# DE SANCTIS MARTYRIBUS FOROSEMPRONIENSIBUS

C

# LAURENTIO ET HIPPOLYTO.

F

J. B.

II FEBR.

Forum Sempronii *urbs est Umbriæ ad Metauri fluminis læram sita, Straboni* φόρον Σεμπρώνιον *Forum Sempronium appellata, vulgo nunc* Fossombronum *quamquam veterem urbem barbarorum incursionibus eversam, novamque hanc non iisdem plane vestigiis, sed ferme D inde passibus reædificatam, tradunt Philippus Cluverus, Leander Albertus, Ferdinandus Ughellus. Hic* IV *Non. Februarii coluntur sancti Martyres* Laurentius et Hippolytus. *Ughellus tamen to.* 2 *Ital. sacræ col.* 910 *cum Sanctos Forosemprorienses recenset, eorum non meminit. Meminere Martyrologia; ac Bedæ quidem vulgatum ista habet.* in Foro Sempronii SS. Laurentii, Hippolyti. *Eadem Galesinius, et Ferrarius in gener. Catal. At Rabanus, Notkerus, MS S. Maximini*: Romæ, Foro Symphronii, via Flaminia, milliario ab Urbe CLXXIV, Laurentii et Hippolyti. *Quibus in verbis mendum inesse perspicuum est. Quid enim illud* Romæ *sibi vult, si milliaribus* CLXXIV *ab urbe Roma martyrium subierunt*

*Forosempronii coluntur 2 Febr.*

*SS. Laurentius et Hippolytus:*

*Quamquam Notkerus solum* CLXIII *habet; et peritiores quidam non nisi* CXXV *agnoscunt.*

2 *In veteri Martyrol. Rom. sive S. Hieronymi, ista habentur (quæ jam retulimus cum de sanctis Martyribus Romanis* Fortunato *et sociis ageremus)* Romæ Forosimi Primi Laurentii Hippolyti *etc.* Bonosiæ Forosi Primi item Victoriæ: *ut dubium sit num* Forosinus, Primus, *vel forte* Primus, Forosius, Primusque *alter Martyres sint; an potius legendum*, Romæ, Hilari, Regati, Saturnini. Forosempronii, Laurentii, Hippolyti. Romæ, Fortunati, Feliciani *etc.* Item Forosempronii, Victoriæ; *uti supra nu.* 2 *indicavimus. Fatetur Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, præter nomina, et diem quo coluntur, nihil Forosempronii de iis constare. In citato Martyrol. S. Hieronymi iterum sequenti die ista habentur*: In Forosimfroni, Laurenti, Hippolyti. *Neque longe discrepant MSS. Aquisgranense et S. Cyriaci Romæ: quorum verba ad* III *Feb. dabimus, cum de* Felice *et* Felicitate *agemus.*

*fors. (S. Victoria. Acta ignota)*

DE

AUCTORE J. B.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

# VICTORE, MARINO, PERPETUA, JULIA, et aliis LXXIV, itemque HONORATO, URBANO, HILARO, PRIVATULA et aliis XXXIV.

J. B.

*II FEBRU.*

*Hi Martyres in 2 classes distributi:*

Gloriosos hos pugiles in duas classes distributos ita recenset vetus Romanum MS. sive S. Hieronymi Martyrol. In Africa, Victoris, Marini, Perpetuæ, Juliæ et aliorum LXXIV. Et Hierosolymis, S. Simeonis. In Africa, Honorati, Orbani, Hilari, Privatulæ et aliorum XXXIV. *Cum eorum Actis destituamur, ea solum proferemus, quæ in aliis extant Martyrologiis. MS. Martyrol. Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti:* In Africa Victoris, et aliorum LXXX. *Carthusiani Colonien. in addit. ad Usuardum, duas quoque classes constituunt, sed aliter atque vetus illud Martyrol.* In Africa, sanctorum Martyrum Victoris et aliorum LXXX. Item SS. Marini, Perpetuæ, Juliæ, Privatulæ.

*ab aliis confusi*

2 *Conflat in unum cuneum, omninoque permiscet Notkerus:* In Africa, Victoris, Maurini, Honorati, Urbani, Hilarii, Perpetui, Juliani, Privatulæ, et aliorum LXXIV. *Et MS. Pragense, ne indicato quidem loco certaminis:* Maurini, Honorati, Urbani, Perpetuæ, Julianæ, Privatulæ, et aliorum XXIII. *MS. S. Mariæ ad Gradus, Coloniæ:* In Africa, S. Honorati, Proniani, et aliorum XXIV. *Verum* Pronianus, Aproniarius *est, via Salaria cæsus, de quo mox. MS. Martyrol. Ecclesiæ S. Mariæ Aquisgrani:* Natalis Victoris, Marini, Perpetuæ, Juliæ. Et depositio S. Laurentii Ep. Primiatulæ. *MS. Richenoviense;* Africa, Marini, Perpetuæ, Privatulæ, Honorati.

*nomina varie expressa.*

3 *Nec plura de iis reperimus. Notanda vero etiam nominum varietas est. Nam qui ceteris* Marinus, *Martyrologio Pragen. et Notkero* Maurinus *est;* Perpetua, *eidem Notkero* Perpetuus; Julia, *eidem* Julianus. *MS. Prag.* Juliana. Urbanus, *MS. S. Hieron.* Orbanus: Hilarus, *Notkero* Hilarius, *nisi id ab Henr. Canisio sit, qui Notkerum edidit:* Privatula *denique, in MS. Aquisgran.* Primatula *est.*

# DE S. APRONIANO COMMENTARIENSI

## MARTYRE ROMÆ VIA SALARIA.

J. B.

*SUB DIOCLET. II FEBR.*

*Quo tempore Maximianus Herculeus, Quinquegentanis nationibus debellatis, pacataque Africa, Thermas Diocletianas Romæ fabricari curavit, atque ad earum opus milites Christianos servilem in morem damnavit; Thrason, vir locuples et Christianus, victum iis per* Cyriacum et Sisinnium Diaconos, *ac* Smaragdum et Largum *cœpit submittere. Quo ab impiis animadversa, capti* Sisinnius *et* Cyriacus, *coacti ipsi quoque arenam fodere, et humeris suis gestare: cumque id hilariter exequerentur,* ac Saturninum *quoque senio fractum, laboris parte sublevarent; pertractus est ad Maximiani tribunal* Sisinnius, *spretisque tyranni minis, Laudicio Præfecto traditus, et ab hoc in Mamertini retrusus custodiam. Quæ omnia fusius enarrantur in Actis S. Marcelli Papæ,* XVI *Januarii, cap.* I.

*S. Sisinnio Diac. quod damnatis ad opera serviret, conjecto in carcerem;*

2 *Post dies decem et septem* jussit Laodicius Præfectus aspectibus suis Sisinnium præsentari. Qui cum præsentatus fuisset ab Aproniano Commentariensi, subito lux de cælo facta est, et vox de luce exiit, dicens: Venite ad me benedicti Patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. Tunc Apronianus tremefactus cecidit ad pedes Sisinnii Diaconi, dicens: Adjuro te per Christum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, et facias me tecum pertingere ad coronam. Eadem hora allata est aqua, et catechizavit eum, et benedixit fontem, et, deposuit eum nudum in pelvim, et dixit ei: Credis in Deum Patrem omnipotentem, et in Filium ejus unicum Dominum nostrum Jesum Christum, et in Spiritum sanctum? Et ille respondit: Credo. Et Sisinnius Diaconus dixit ei: Illuminet te Christus. Et elevavit eum de pelvi, et duxit eum ad S. Marcellum Episcopum, quem chrismate confirmavit, et altare consecravit: et sic participati sunt omnes corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

*Apronianus Commentariensis cælesti luce et voce convertitur,*

*et ab eo baptizatur*

3 Eodem die post meridiem jussit sibi Laodicius Præfectus præsentari Sisinnium Diaconum. Veniens autem cum Sisinnio Diacono Apronianus Commentariensis jam baptizatus, cœpit clamans dicere: Quid vos coarctat diabolus in Dei servos tanta mala exercere? Tunc Præfectus dixit ad Apronianum Commentariensem: Quomodo te video, et tu Christianus es effectus? Respondit Apronianus: Væ mihi infelici, quia perdidi dies meos. Respondit Præfectus: Vere modo perdes dies tuos. Et jussit eum capitalem subire sententiam dicens: Si hic extinctus non fuerit, multi pereunt. Eodem tempore ductus in via Salaria milliario secundo, capite truncatus est sub die quarto Nonarum Februariarum.

*ultro se Judici sistit*

*plectitur capite:*

4 *Ita ut in aliis S. Marcelli Actis scribit Ursio Abbas cap. 2 nu. 10.* Doctores suos ad coronam præcessit *S. Apronianus. Coluntur* SS. Sisinnius *Diaconus et* Saturninus XXIX *Novemb.* Cyriacus *Diaconus,* Largus, Smaragdus, VIII *Aug. At* S. Aproniani *natalis* II *Februarii in Martyrologiis, Romano, Usuardi, Rabani, Bedæ, Adonis, Notkeri, Bellini, Maurolyci Galesinii, Felicii, Canisii, et aliis consignatus est, cum insigni elogio ex iisdem S. Marcelli Actis hausto. De eodem agunt Petrus de Natalib. lib. 3 cap 74 et Ferrarius in Catal. SS. Italiæ.* Pronianum *mendose vocat Martyrol. S. Mariæ ad Gradus Coloniæ, ut supra vetulimus, cum de Afris Martyribus ageremus, num 2. Galesinius* XXIX *Januarii post recensitam SS. Papiæ et Mauri Militum cædem, subdit.* Eodem die, Romæ item, SS. Cyriaci, Aproniani, et sociorum Martyrum: qui illo *(Diocletiano)* Imperatore, ob fidem Christi datis cervicibus, coronati sunt. *In Notis citat Vincentium lib. 12 cap. 99 qui tamen diserte scribit Aprominum* decollatum IV Nonas Februarii.

*colitur 2 Febr*

*non 29 Januar.*

A D

# DE S. RHODIPPO EPISCOPO
## LEONTINIS IN SICILIA.

J. B.

CIRCITER AN. CCCXIV. II FEBR.

Leontinorum *in Orientali Siciliæ ora urbs est, et ipsa* Leontini *appellata, paucis a mari millibus passuum sita, olim Episcopali Cathedra ornata, nunc Episcopo Syracusano subjecta. Primus (cujus quidem reperimus nomen) Episcopus Leontinorum fuit S. Neophytus, antea* Alexander *dictus, qui* I *Sept. colitur. Ejus mater S. Neophyta, et matertera* S. Isidora XVII *Aprilis martyrio coronatæ sunt, priusquam ipse Christi fidem esset amplexus. Uxor vero ejus* S. Epiphane *et ipsa Martyr* XII *Maii colitur. Aliquot ab hujus cæde annis, conjux ejus* Alexander, *ab* S. Agathone *Ep. Liparitano in baptismo* Neophytus *nuncupatus, patriæ suæ Episcopus ordinatus est, eoque munere* XXXVII *annos gesto, circa annum Christi* CCXCVI, *uti censet Rocchus Pirrus in Notitia Ecclesiarum Siciliæ, vita excessit octogenario major.*

S. Neophyti Leontini Ep.

2 *Suffectus est* S. Rhodippus, *S. Epiphanes uxoris ejus frater. De hoc ista habentur in Actis SS. Alphii, Philadelphi, Cyrini, quæ* X *Maii dabimus*. Post hæc assumpsit Neophytus aliquot pios viros, quos norat aptos ad sacerdotium, Rhodippum fratrem Epiphanes uxoris suæ, Crispum, Palumbum, Philemonem, Isidorum quemdam ex vico cui Troila nomen, Aquilam præterea et Andronicum, et famulos suos ac *Notarios*: exieruntque simul e Leontinorum Mesopoli circa hordei messem, et tran miserunt in Liparim insulam; indeque Romam pervenerunt XVIII Julii. *Et paullo post*: Ordinavit autem Papa et Palumbum Presbyterum, et Theodosium, Rhodippum, et Crispum Diaconos.

B

Succ. S. Rhodippus.

3 *Demum commemorata S. Neophyti morte ista subjiciuntur*: Ordinatus est post eum Episcopus Rhodippus, frater Epiphanes, et episcopatum pie gubernavit annis XVII. Post illum vero Crispus. *Inde consequens est, si immediate Neophyto successit, circa annum Christi* CCCXIII *aut* CCCXIV *obiisse. Pirrus scribit,* II Februarii publice coli. *Ad quem diem Octavius Cajetanus noster in idea operis de SS. Sicil. ista habet*: Leontinis, S. Rhodippi Ep. et Confessoris, Impp. Diocletiano et Maximiano. *Ferrarius illum eodem die in generali Catal. SS. consignat; sed fallitur cum in Notis scribit,* Præfuisse Ecclesiæ Leontinorum, quo tempore passi sunt sancti Martyres Alphius, Philadelphus et Cyrinus. *Imo ex horum Actis liquet, Neophytum tunc adhuc Gentilem fuisse, Tertylli Præsidis Assessorem.*

colitur 2 Febr.

E

*Idem Ferrarius ad* VII *Novemb. ista habet*. Leontinis in Sicilia beatorum Episcoporum Rhodippi et Luciani. *De S. Luciano egimus* III *Januarii, quamquam duo videntur fuisse illius nominis Leontinorum Antistites; sed utrumque ad eumdem diem* III *Januarii refert Pirrus. An alterius eorum, simulque S. Rhodippi ordinatio, vel Translatio aliqua,* VII *Novembris contigerit, haud scimus.*

# DE S. FLOSCULO, VEL FUSCOLO.
## EPISCOPO AURELIANENSI IN GALLIA.

J. B.

CIRCITER AN. CDL. II FEBR.

S. Flosculi Ep. Aurelian. Acta deperdita.

Aurelianus *Galliæ urbem (quam* Aurelianis *omni casu, media ævi Scriptores appellavere, ut patet ex* 2 *Vita S. Genovefæ* 3 *Januarii cap.* 8 *nu.* 34 *et* Aurelianis, *ut in Vita S. Mauri Ab.* 15 *Januar. cap.* 6 *nu.* 33 *et nu.* 36. Genabum *fuisse veteribus plerique eruditorum consentiunt) multi illustravere Sancti: hunc hoc die* S. Flosculus, *vel* Fuscolus, *Episcopus, et* S. Sicharia *Virgo. Utriusque celebre in Martyrologiis nomen, Acta deperdita, aut etiamnum abdita. De S. Sicharia mox seorsim agemus.*

C

2 *De* S. Flosculo *ista habet vetus Romanum Martyrologium, S. Hieronymi nomine prætitulatum*: Aurelianis, depositio B. Flosculi Ep. *Neque plura Usuardus, Ado ac MSS. quamplurima. Addunt Bellinus, Florarium, Galesinius, aliique et* Confessoris. *Nec ipse de eo aliud comperit Andreas Saussaius in Martyrol. Gallic. qui in Febru. istud de eo texit elogium, quod in quemvis quadrare Episcopum Confessorem potest*: Aureliis, S. Flosculi Ep. et Conf. qui eximio sanctæ vivendi exemplo, gregi commisso prælucens, felici exitu ad beatæ vitæ gaudia pervenit. *Constantinus Ghinius ista habet*: Aurelianis, S. Flosculi Episc. qui S. Prospero succedens, tertiusdecimus fuit ejusdem Sedis Episcopus; et tamquam vere flos dedit bonorum operum odorem suavitatis. Quievit in Domino IV Nonas Februarii circa annum Domini CDL. *En mox discutiemus. Constantius Felicius Romæ cum* Fortunato, Feliciano, Aureliano *etc. martyrio coronatum scribit, vitioso codice usus, in quo pro* Aurelianis *urbe,* Aureliani *velut Martyris expressum nomen fuit.*

notatus 2 Febr.

3 *Quem* Flosculum *Martyrol. Roman, vetus ac modernum, Ado, Notkerus, multaque MSS. nuncupant,* Fuscolum *vocat Usuardus, MS. Centulense Bedæ adscriptum, MS. S. Laurentii Leodii, quod est Adonis, Martyrol. abbatiæ S. Laurentii Bituric. a Philippo Labbeo nostro vulgatum, ac MSS. plurima.* Floscolum *Canisius, et in prima editione Usuardi Molanus.* Fulcolum *Bellinus de Padua in edit. Veneta, Maurolycus, Florarium, et MSS. alia.* Flostolum *Bellinus edit. Parisien. MS. S. Lamberti Leodii, Galesinius etc.* Efflosculum *MS. Martyrol. Pragense.* Frustolum *Richardus Whitfordus. Felicius* Furcolum.

F

4 *Qui in Vita S. Aniani Ep.* XVII *Novemb. memoratur infans, S. Evurtii Ep. jussu, altari applicatus, ut membranam, sive* brevem, *inde tolleret, atque manum injecit altari ac* brevem tetigit, *exclamasse*. Anianus, Anianus, Anianus istius civitatis a Deo est Pontifex institutus, *neque deinceps quidquam protulisse usque ad legitimum loquelæ per ætatem tempus; is (ut scribit Carolus Saussegus lib.* 2 *Annal. Aurelian.) dicitur* S. Flosculus *fuisse: quod an verisimile sit,* merito posse dubitari *asserit;* cum S. Anianus sederit circiter LXV annos, S. Prosper ad minus decem ac præterea inter ipsos sedisse oporteat quatuor Episcopos, Magnum, Fobatum, Gratianum, et S. Monitorem. *De horum ætate et gestis alibi*, S. Prosperi XXIX *Julii*, S. Evurtii VII *Septemb.* S. Monitoris X *Novembr. Cum autem obierit S. Anianus, ut in ejus Vita dicitur, biennio postquam Attilam acie vicerat Aetius, quod Marciano et Adelphio Coss. Christi* CCCCLI *contigisse constat; et quinque post eum sederint ante S. Flosculum Episcopi, non recte a Ghinio supra citato dicitur obiisse circa an.* CCCCL; *rectius circa* D *dixisset, cum ejus successor* Eusebius *concilio Aurelianensi*

tempus obitus.

A *lianensi* 1, *extremis Clodovei temporibus, interfuisse legatur.*

*Festum Aureliani... II Febr. ... ecclesia.*

3 *Scribit Carolus Sausseyus, propter solennitatem Purificationis festum ejus Aurelianis transferri in diem* III *Februarii.* Hujus nomine ædificatam in *eadem* civitate basilicam, quæ alias S. Maria deaurata, alias S. Maria regularis, hodie Conceptionis vocatur: estque Prioratus Ordinis S. Augustini, et parœcialis ecclesia. *Ejus corpus, una cum corporibus* SS. Aniani, Euspicii, Monitoris, Baudelii, Scubilii, Agiæ *matris S. Lupi, translatum est in ecclesiam S. Aniani a Roberto Rege ædificatam, an.* MXXIX. *uti ad Vitam S. Aniani ex Vita ejusdem Regis per Helgaldum Floriac. monachum scripta, plenius narrabitur. Consignata est sacris Fastis ejus Translationis anniversaria memoria* XIV *Junii, ut videre est apud Molanum et Saussaium, quos alibi referemus.* D

*Auctore 1 ... translatio.*

# DE S. SICHARIA VIRGINE,

## AURELIANIS IN GALLIA.

J. B.

*II Febr.*

Celeberrimam fuisse S. Sichariam *Virginem inde constat, quod plerisque adscripta sit Martyrologiis antiquis ac novis, S. Hieronymi, seu potius veteri Romano, Rabani, Adonis, Bedæ, Notkeri, Bellini edit. Parisien. an.* 1521 *Galesinii, Canisii, Ferrarii, Saussaii, et aliorum. Videntur Acta*

*S. Sichariæ Acta ignota,*

*intercidisse; latent certe etiamnum. Breviter ita illius mentio agitur in veteri Romano, quod S. Hieronymi*

*natalis,*

*appellatur, hoc die :* Aurelian. depos. Flosculi Epi. et depos. Signatiæ Virginis. *Notkerus ita habet :* Et Sichariæ Virg. *Beda vulgatus, Ado, Molanus in addit. ad Usuard. aliique,* Aurelianis depositio Sichariæ Virginis Deo sacratæ. *Eadem fere habet Rabanus, et quædam MSS. ac Bellinus. Ferrarius in Notis scribit, a Beda,* XVI *Februarii referri : nos in nullo edito codice aut sub Bedæ nomine exarato, id illo die legimus. Addit idem Ferrarius, quia Deo sacrata fuisse dicatur,* monialem *extitisse. Idcirco eam Martyrologio Benedictino Wion ac Menardus inscripserunt. Saussaius in Martyrol. Gallicano ista habet :* Eodem die Aureliis S. Sichariæ Virginis Deo sacratæ, humilitate, innocentia et sanctitate conspicuæ. E

*vitæ genus,*

*nomen varie scriptum,*

2 *Varie ejus expressum a scriptoribus nomen : plures* Sichariam *appellant; codex S. Maximini et Rabani Martyrologium* Sicariam ; *Beda vulgatus* Siccariam ; *Canisius* Sigariam, *MS. Florarium* Sygariam; *MS. Martyrol. S. Hieronymi* Signariam. *Dubitavimus aliquando an non fortassis* Siagria, *seu* Syagria *nuncupata primitus esset : cujus nominis plures in Gallia viri feminæque illustres, ut illa hoc ipso tempore, a B. Ennodio in Vita S. Epiphanii Ep. Ticinensis,* 21 *Januar. cap.* 12 *nu.* 55 Thesaurus Ecclesiæ *appellata : ejusque prope æqualis* Siagrius *Romanorum in Gallia Rex, Ægidii Romani Francorum Regis filius, apud Gregorium Turon. et alii, etiam sanctitate conspicui. Quamquam et* Sicharii *fuere, ut ille apud Turones* Joannis filius, *de quo idem Gregorius lib.* 7 *hist. Fran. et lib.* 9. *Et* Sicharius *Dagoberti Regis ad Samonem Sclavorum Winidorum Regem Legatus, de quo Gesta Dagoberti cap.* 27 *et Fredegarii Chronicon cap.* 68. E

3 *Ætatem* S. Sichariæ, *cum Acta lateant, certo definire non possumus. Quod in Martyrologiis fere* S. Flosculo *subjungatur, conjici fortasse potest ei supparem fuisse; non multo certe juniorem, cum in vetustissimo Romano Martyrol. memoretur. Quare non videtur ad ea tempora pervenisse, quibus S. Benedicti institutum in Gallias est propagatum, quod Wion ac Menardus senserunt.*

*ætas.*

# DE S. LAURENTIO,

## ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI IN ANGLIA,

### Commentarius historicus.

G. H.

C

### § 1. *S. Laurentii cultus sacer. Vita conscripta.*

*Anno Christi DCXIX. II Febr.*

*Cantiorum*

Cantiorum, *celebris apud* Britannos *provinciæ, in heptarchia Anglo-Saxonica Regem sanctissimum* Ethelbertum, *a* S. Augustino *ejusque socius ad fidem Christi conversum, celebramus* XXIV *Februarii, ibidemque nonnulla de* Cantiorum *antiquitate, et* Saxonum *apud eos stabilito regno disserimus.* S. Augustini *socius præcipuus fuit* S. Laurentius, *ejusque in Archiepiscopatu Durovernensi successor.*

*urbe Duroverno,*

*seu Cantuaria,*

*Erat autem* Durovernum, *Ptolemæo* Davernum, *Bedæ* Dorovernia, *aliis* Doroberniia, *regni Cantii caput et sedes regia : dicta mox Saxonibus* Cant-wara-byrig, Cantiorum populi urbs, *Anglis deinde* Canterburii, *Latine* Cantuaria. *De Sede istic Archiepiscopali constituta agemus* XXVI *Maii, ad Vitam* S. Augustini *primi Archiepiscopi, ubi multa referentur, cum* S. Laurentio *fidelissimo itinerum laborumque ejus socio communicanda.*

*... 2 Februarii*

2 *Natalem* S. Laurentii *celebrat* II *Februarii Martyrologium MS basilicæ S. Mariæ Aquisgranensis sub nomine Bedæ :* Depositio S. Laurentii Episcopi. *Kalendarium MS. Benedictum S. Salvatoris Antuerpiæ :* S. Laurentii Archiepiscopi Cantuariensis secundi, monachi S. Gregorii Romæ. *Galesinius :* Cantuariæ in Britannia, S. Laurentii Archiepiscopi, qui B. Augustino ejusdem urbis Præsuli successit. *Similia referunt Carthusiani Colonienses et Molanus in Auctario Usuardi et Canisius in Martyrologio Germanico. In Romano, et Benedictino Menardi hæc traduntur :* Canturiæ in Anglia, natalis S. Laurentii Episcopi, qui post S. Augustinum eam Ecclesiam gubernavit, et Regem ipsum ad fidem convertit. *Dorganius in suo Calendario Benedictino :* S. Laurentii Episcopi, sodalis S. Augustini ad prædicandum Christi Evangelium in Anglia. *Pluribus Wion in Martyrologio monastico :* Cantuariæ, *inquit,* in Anglia, natalis S. Laurentii Episcopi, qui post S. Augustinum eam Ecclesiam gubernavit, quam Regis timore deserens, a S. Petro correptus, ac redire compulsus, Regem ipsum ad fidem convertit, redditaque pace Ecclesiæ, obdormivit in Domino. *Eadem fere refert Felicius. Hoc cum elogio exornat Trithemius lib.* 3 *de Viris illustribus ordinis S. Benedicti :* Laurentius monachus cœnobii S. Gregorii Romæ, missus ab eo in Angliam, pro conversione illius gentis totis viribus laboravit : qui, defuncto B. Augustino, in ejus locum F

*cum hoc apud Trithemium elogio.*

A cum Dorvernensis Archiepiscopus fuit ordinatus, quem ipse adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam Pastore destitutus vacillare inciperet. Claruit anno Domini DCXX, cujus festum IV Nonas Februarii agitur. *Idem Tritthemius lib. 4 cap. 49.* Laurentius, *inquit*, Archiepiscopus Dornvernensis post Augustinum ex monacho B. Gregorii Papæ ordinatus, tum docendo tum exhortando, magnum fructum fidei in gente Anglorum conquisivit. Erat enim vir bonus et eruditus, ab infantia monasticis disciplinis nobiliter instructus. Unde adhuc vivente Augustino in ejus locum ab eodem Pastor constituitur. Claruit anno Domini DCXX. *Hæc Tritthemius, ex quo S.* Laurentium claruisse anno DCXX *scribunt Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, Wion ad Benedictinum, et Constantinus Ghinius, qui eum Canonicis adscribit, longoque exornat encomio. Verum ad illum annum infra dicemus eum non pervenisse. Apud Molanum in Notis ad Usuardum scribitur* claruisse anno MCX, *enormi mendo typographico, pro quo legendum arbitramur* DCX. *In Florario*

*AUCTORE G. H.*

*et 12 Novemb.*

*Sanctorum MS. pridie Idus Novemb. refertur* : Apud Cantuariam in Anglia, S. Laurentii Episcopi et Confessoris, anno salutis DCXIX. *Sequens Oratio cum Antiphona ex antiquo MS. Breviario Sarisburiensi de-*

B *sumpta est. Antiphona.* In transitu inclyti Patris Laurentii, cœli nobilitantur gaudiis, et nos prosequamur laudibus : Ave, Dei amice, concilia nobis Regem nostrum, qui te nobis providit Patrem pium. *Vers.* Ecce Sacerdos magnus. *Oratio.* Deus qui B. Laurentium Pontificem populo tuo prædicatorem salutis æternæ misisti, tribue quæsumus, ut qui ejus commemorationem colimus, ipsius meritis et precibus a peccatorum nostrorum nexibus absolvi mereamur. Per Dominum nostrum, etc.

*Antiphona*

*et Oratio propria*

3 *Agunt præterea de S. Laurentio S.* Gregorius Papa *lib. 9 Registri epistola* 52 55 *et* 56. Venerabilis Beda *lib. 1 et 2 Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, quam anno Christi* DCCXXXI *absolvit, ex qua hic plura daturi sumus. Claruit deinde seculo sequente, temporibus Imperatorum Ludovici Junioris et Caroli Calvi* Joannes Diaconus, *qui lib. 2 Vitæ S. Gregorii Papæ pluribus de hac ad Anglos instituta missione agit, et nominatim S. Laurentii Romam remissi meminit.* Florentius Brunovius Wigorniensis *monachus, chronicon deduxit usque ad annum* MCXVIII, *anno sequente vita functus. Hoc chronicon in quo de S. Laurentio agitur vel ideo pluris æstimandum, quod ei inseruntur antiqui Anglosaxonum annales ; qui extant Latine et Saxonice*

*Vita ex variis, Beda potissimum.*

C *nuper cum Historia Bedæ editi ab Abrahamo Wheloco, conscripti sub S. Eduardo Rege anno* CMLXXVIII *occiso, dein ad annum Christi* MLXX *deducti ; et Latine ad annum* MXCIII *continuati ; in quibus etiam S. Laurentii mentio est. Cum dicto Florentio sub initium seculi* XII floruit Goscelinus, *seu* Gotzelinus, *ad D. Bertini apud Audomaropolim Artesiæ urbem monachus Benedictinus, quem, teste Molano in Natalibus Sanctorum Belgii* VIII *Julii in S. Grimoaldo, S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis aliique multi in Angliam evocarunt, ubi primum habitavit Ramesiæ, deinde Cantuariæ ad S. Augustinum ; quibus in locis varias descripsit Sanctorum Vitas, interque alias hujus S. Laurentii quæ incipit* : Dominis carissimis et paternæ *etc. uti Molanus ad Usuardum* II *Februarii, et Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica observant. Hic* Goscelinus *Wilhelmo Malmesburiensi lib.* 4 *des Gestis Regum Anglorum cap.* 1 *sub finem*, insignis litterarum et cantuum peritia *habetur : qui* multo Episcopatus et Abbatias tempore perlustrans, præclaræ scientiæ multis locis monumenta dedit, in laudibus Sanctorum Angliæ post Bedam secundus; *quique* innumeras Sanctorum recentium Vitas stylo extulit, veterum vel hostilitate amissas, vel informiter editas, comptius renovavit.

*alia a Goscelino scripta.*

*et lib.* 1 *de Gestis Pontificum Anglorum ita de S. Laurentio et Goscelino scribit* : Huic *S. Augustino* successit Laurentius annis quinque, cujus virtutes et ceterorum (de quibus Beda narrans breviter perstringit omnia, tædii scilicet offensam veritus) Goscelinus quidam, quantum veterum relatione addiscere potuit, scripsit, miras prorsus et prædicandas, adjiciens quas oculata fide perspexerat novas. *Hæc* Malmesburiensis, *qui Goscelino aliquanto junior, suum de Regibus Chronicon, in quo iterum S. Laurentii meminit, ad annum* MCXLII *deduxit, quo et vixit cum* Henrico Huntindoniensi Archidiacono *qui libro* III *Historiarum nonnulla S. Laurentii acta interserit. Utinam cum horum historiis, aliquis opera Goscelini etiam utilitati publicæ edidisset, quæ num uspiam a blattis defensa reperiantur MSS. huc usque nos latet.* Joannes Capgravius, *qui ad annum* MCCCCLXIV *supervixit, in Legenda Sanctorum Angliæ, Vitam S. Laurentii adornavit partim ex Beda, partim aliunde, forte ut solet ex Goscelino, miras illius virtutes adjunxit, quæ eamdem cum historia Bedæ non merentur fidem, ut lector facile judicabit. Integro fere seculo Capgravio antiquiores Matthæus Westmonasteriensis et Ranulphus Cestrensis virtutes S. Laurentii commemorant, ille in Floribus historiarum, hic in Polycronicho. Longum esset recentiores enumerare, inter quos eminent Polydorus Virgilius lib. 4 historiæ Angliæ, Nicolaus Harpsfeldius seculo 7 historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ cap. 7, Baronius in Annalibus ad annum* 604, *et* 614. *Eduardus Mathew in Tropæis Sanctorum Congregationis Anglicanæ ordinis S. Benedicti, Hieronymus Porterus in Floribus Sanctorum Angliæ, Franciscus Haræus, Zacharias Lippeloos, aliique,* II. *Februarii, quo apud Surium Vita ejus ex Beda collecta etiam refertur.*

D

*necdum reperta.*

*an a Capgravio contracta?*

E

## § II. *S. Laurentii vita privata : discessus in Britanniam.*

LAurentius *patria* Romanus *Westmonasteriensi ad annum* 608; ab infantia *Tritthemio ante memorato*, monasticis disciplinis nobiliter instructus, *imo et* monachus cœnobii S. Gregorii Romæ : *de qua re silent antiquiores. S. Gregorius Papa lib. 7 Registri Indict.* I, *epistola* 30 *Eulogio Episcopo Alexandrino missum* S. Augustinum monasterii sui monachum, *epistola vero* 114 *Indict.* II *ad Siagrium Episcopum Augustodunensem eumdem* Augustinum *appellat* monasterii sui Præpositum : *quem in aliis epistolis ad Reges et Episcopos Francorum cognominat* servum Dei, cujus zelus et studium *sibi* bene cognitum *erat* : *ejus autem comites itineris ubique* alios servos Dei *vocat; quos monachos fuisse scribit Beda mox proferendus. Quia tamen S. Gregorius lib. 5 epistola* 59, *Brunechildæ Reginæ Francorum, et epistola* 58 *Theoderico et Theodeberto Regibus Francorum scripta, asserit hisce* servis Dei se injunxisse, ut aliquos e vicino debeant Presbyteros ducere, cum quibus eorum *Anglorum* possint mentes agnoscere, et voluntates admonitione sua, quantum Deus donaverit, adjuvare, *forte* Laurentius, *qui et S. Gregorio et Bedæ* Presbyter *semper appellatur, e vicino Francorum regno censeri posset assumptus. Verum dum Beda tradit hos* præcipiente beato Papa Gregorio acceptos esse de gente Francorum interpretes, *satis innuit inter alios socios S.* Augustini, *quos ferme viros* quadraginta *fuisse scribit, numerandum esse* Laurentium. *Hunc Franciscus Godwinus in Archiepiscopis Cantuariæ censet* Presbyterum Cardinalem *illum esse, qui apud Ciaconium de Vitis Pontificum inter Cardinales sub S. Gregorio Magno anno* DC *viventes primus nominatur*, Laurentius Presbyter Cardinalis in titulo S. Silvestri in Exquiliis titulo S. R. E. Archipresbyter, *Quod in silentio antiquorum, non continuo probamus*

*S. Laurentius Romanus,*

*monachus,*

F

*e vicino ...*

*an Card ...*

A *mus. Certe quemadmodum S. Gregorius hunc* Laurentium Presbyterum, *cum* Mellito Abbate *aliisque Monachis postea in Angliam remissum sæpius nominat, ita ab initio in primo itinere sub* aliis servis Dei *incognitum non permisisset delitescere Cardinalem, nisi legatum anno* DC *ad eam dignitatem exeverit.*

*Discedunt Roma SS. Augustinus, Laurentius, aliique anno 596*

5. *Discessum omnium Romæ ita describit Beda lib.* I. *cap.* 25. Gregorius, vir doctrina et actione præcipuus, Pontificatum Romanæ et Apostolicæ Sedis sortitus, Divino admonitus instinctu, anno XIV Mauritii Imperatoris. *(is est Christi* DXCVI*)* misit servum Dei Augustinum, et alios plures cum eo monachos, timentes Dominum, prædicare verbum Dei, genti Anglorum. Qui cum jussis Pontificalibus obtemperantes memoratum opus aggredi cœpissent, jamque aliquantum itineris confecissent, perculsi timore inerti, redire domum, potius quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cujus nec linguam quidem nossent, adire, cogitabant, et hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora. Augustinum domum remittunt, qui a B. Gregorio humili supplicatu obtineret, ne tam perericulosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens litteras, in opus eos verbi, D Divino confisos auxilio, proficisci jubet. *Hæc Gregorius qui plures ad varios Galliæ Episcopos misit epistolas, quibus commendat illis* S. Augustinum *ejusque socios, quorum iter ex illis epistolis utcumque investigari potest. Horum primus est* Massiliensis S. Serenus, *cui* II *Augusti sacer est. Proximus* Archiepiscopus Aquensis Protasius, *cujus et* bonitatem *et* mansuetudinem *quia* referente Augustino compererat S. Gregorius, *ideo eum hunc a sociis Romam opinamur remissum. Vicinus huic fuit* Virgilius *creatus* Archiepiscopus Arelatensis anno Childeberti *Regis Austrasiorum* XIII. *Christi* DLXXXVIII : *uti de eo testatur Gregorius Turonensis lib.* 9. *histor. Eccl. cap.* 23 *Quartus in ejusdem litteris est* S. Desiderius Archiepiscopus Viennensis et Martyr, *de quo infra agemus* XI *Februarii. Inde* Lugdunum *profecti fuerint ad* Etherium Archiepiscopum; *qui* anno Gunthramni XXX, *Christi* DXCI *cum* S. Siagrio *apud Turonensem lib.* 10 *cap.* 28 *interfuit baptismo Chlotarii* II, *ut mirum sit a Beda et Joanne Diacono hunc* Etherium *assignari Sedi Arelatensi, cui tum pridem præfuisse* Virgilium *ostendimus. Lugdunum etiam* Arariam *ob Ararim istic Rhodano influentem dictum esset, monet ex Savarone in Sidonium Claudius Robertus; ut vox Arariensis in Arelatensem facile potuerit* C *deflecti. Scribit etiam S. Gregorius in epistola ad Eulogium Alexandrinum,* data a se licentia Augustinum a Germaniarum Episcopis Episcopum factum: *quod huic* Etherio *attribuit Beda. Ita* Lugdunensem Germaniam *appellat Sidonius Apollinaris lib.* 5 *epistola* 7, *quod in ea regione Burgundiones origine Germani dominarentur. Proximus inter Episcopos fuit* S. Syagrius Augustodunensis, *cui Gregorius ob caritatem S. Augustino impensam secundis litteris gratias egit. Colitur S. Syagrius* XXVII *Augusti. Inde salutaverint* Reges Theodericum Burgundionum Aurelianis, *et* Metis, Theodebertum Austrasiorum, *illo anno Childeberto parenti vita functo suffectos, quibus uti eorum aviæ* Brunichildæ *epistolas S. Gregorii pro se commendatitias porrexerint; ac* Presbyteris *seu* interpretibus *acceptis iter cœptum prosecuti. Dubium vero est, an eadem epistola ideo pluribus inscripta fuerit, ut si occasio tale iter exigeret, tum ultro traderetur. Talis forte fuit ad* Pelagium Archiepiscopum Turonensem *S. Gregorii scriptoris successorem, et* S. Palladium *jam pridem ab anno Gunthramni* XXIV *Christi* DLXXXV Episcopum Santonensem, *ut legitur apud Gregorium Turonensem lib.* 8 *cap.* 2. *Continentur hæ epistolæ libro* 5 *Registri num.* 50 *et sequentibus. Unam adscribimus Palladio, Pelagio et Sereno apud Gregorium cap.* 52 *et Etherio apud Bedam lib.* 1 *cap.* 24 *missam.* D Licet, *inquit*, apud Sacerdotes habentes Deo placitam caritatem religiosi viri nullius commendationis indigeant: quia tamen aptum scribendi tempus se ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curavimus, insinuantes latorem præsentium Augustinum servum Dei, de cujus certi sumus studio, cum aliis servis Dei illuc nos pro utilitate animarum auxiliante Domino direxisse. Quem necesse est, ut sacerdotali studio sanctitas vestra adjuvare, et sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam ut promptiores ad suffragandum possitis existere, caussam vobis injunximus subtiliter indicare, scientes quod ea cognita tota vos propter Deum devotione ad solarandum, quia res exigit, commodetis *etc.*

*Invisunt Episcopos Galliæ.*

*et Reges Francorum.*

AUCTORE G. H. *cum litteris S. Gregorii commendatis,*

6 *Hæc Gregorius ad illos Episcopos, quorum caritate suffulti e Gallia navigarunt in Britanniam, atque Beda teste cap.* 25 ad Orientalem Cantii plagam in Taneto insula applicuerunt Augustinus servus Domini et socii ejus viri ferme quadraginta : jussique a Rege Ethelberto in ea insula, necessariis subministratis, manere, dum post dies Rex ad insulam venit, residensque sub divo jussit Augustinum cum sociis ad suum advenire colloquium : qui divina virtute præditi veniebant, Crucem pro vexillo ferentes argenteam, et E imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam; Litaniasque canentes, pro sua simul et eorum, propter quos venerant, salute æterna, Domino supplicabant. Cumque ad jussionem Regis residentes, verbum ei vitæ cum omnibus qui aderant, ejus comitibus prædicassent, dedit eis Rex mansionem in civitate Doroverneusi; eisque cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi *permisit.* At ubi sibi *(pergit cap.* 26*)* datam mansionem intraverunt, cœperunt Apostolicam primitivæ Ecclesiæ vitam imitari : orationibus videlicet assiduis, vigiliis, ac jejuniis serviendo, verbum vitæ prædicando, cuncta hujus mundi velut aliena spernendo, tantum victui necessaria accipiendo; secundum ea quæ docebant, ipsi per omnia vivendo; et paratum ad patiendum adversa quæque, vel etiam ad moriendum pro ea quam predicabant veritate, animum habendo. In ecclesia ad honorem S. Martini antiquitus prope civitatem ad Orientem facta, primo convenire, psallere, orare, Missas facere, prædicare et baptizare cœperunt. Crediderunt nonnuli et baptizabantur mirantes simplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cœlestis. At ubi Rex etiam inter F alios delectatus vita mundissima Sanctorum, et promissis eorum suavissimis, quæ vera miraculorum quoque multorum ostensione firmaverunt, credens baptizatus est, cœpere plures quotidie ad audiendum verbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu, unitati se sanctæ Christi Ecclesiæ credendo sociare. *Tum* majorem prædicandi per omnia et ecclesias fabricandi vel restaurandi licentiam acceperunt. Nec distulit Rex, quin ipsis Doctoribus suis locum sedis eorum gradui congruum in Dorovernia Metropoli sua donaret, simul et necessarias in diversis speciebus possessiones conferret. *Hæc verbis Bedæ; sed subinde contracta. Regem* anno DXCVII *conversum ad fidem Christi fuisse, ad Vitam ejus probabimus.*

*Navigant in Britanniam*

*Regem alloquuntur :*

*sancte vivunt*

*convertunt multos,*

*et Regem*

*anno 597*

## § III. *Legatio S. Laurentii Romam. Reditus in Britanniam. Ætas.*

Interea, *ut pergit Beda cap.* 26, *cum* vir Domini Augustinus ab Etherio, *de quo ante egimus,* Archiepiscopus genti Anglorum ordinatus, Britanniam reversus *esset*, misit continuo Romam Laurentium Presbyterum et Petrum monachum, qui beato Pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi accepisse ac se Episcopum factum esse referrent Simul et de

*Mittitur S. Laurentius Romam anno 598*

*variis*

AUCTORE G. H.

A *variis* quæstionibus ejus consulta flagitans. Nec mora: congrua quæstionibus responsa recepit; *quæ pluribus Beda proponit. Ex S. Laurentii relatione* S. Gregorium Eulogio Alexandrino *scripsisse opinamur, quomodo* Augustinus Episcopus factus, vel hi qui cum eo transmissi sunt, tantis miraculis in gente Anglorum coruscant, ut Apostolorum virtutes in signis, quæ exhibent, imitari videantur. In solennitate *etiam* Dominicæ Nativitatis, quæ prima Indictione, *qua scribit*, transacta est, plusquam decem millia Angli, ab eodem nuntiati sunt fratre et Coepiscopo nostro, baptizati. *Incidit autem ea Indictio i in annum Christi partim* DXCVII, *partim sequentem* DXCVIII, *quo hæc epistola scripta, requirit anno priore, a S. Augustino jam Episcopo, in Nativitate Christi tot millibus baptismum fuisse collatum.*

accepit novos cooperatores,

Præterea idem Papa Gregorius *apud Bedam cap.* 29, cum præfatis legatariis *Laurentio Presbytero et Petro monacho,* misit Augustino Episcopo plures cooperatores, in quibus primi et præcipui erant Mellitus, Justus, Paulinus, Rufinianus, et per eos generaliter universa, quæ ad cultum erant ac ministerium Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, et vestimenta altarium; ornamenta quoque ecclesiarum, et sacerdotalia, vel clericalia indumenta, sanctorum quoque

dona,

B Apostolorum ac Martyrum reliquias; nec non et codices plurimos. Misit etiam cum pallio litteras, insinuans, qualiter Episcopi in Britannia constitui debeant. *Hæc Beda. Ex hisce sociis duo S. Laurentio successerunt in Archiepiscopatu Cantuariensi prior* S. Mellitus, *deinde* S. Justus: *coluntur ille* XXIV *Aprilis, hic* X *Novemb.* S. Paulinus *primus Archiepiscopus Eboracensis* X *Octobris.*

pallium pro S. Augustino

Rediit Romā anno 601, cum litteris S. Gregorii commendatitiis

8 *Dimisit eos variis instructos epistolis Romā S. Gregorius* Indictione IV anno Mauritii XIX *Christi* DCI, *ut ipsæ epistolæ tempus exhibent. Una ad plures Galliæ Episcopos data ita refertur lib. 9 epist. 52:* Licet fraternitatem vestram suscepti officii cura commoveat, ut religiosis viris, et præcipue in caussa animarum laborantibus, omni debeat adnisu concurrere, non tamen ab re est, si sollicitudinem vestram epistolarum nostrarum sermo pulsaverit: quia sicut ignis aura flante fit grandior, ita bonæ mentis studia commendatione proficiunt. Quia igitur Redemptoris nostri gratia cooperante, tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo convertitur, ut reverendissimus communis frater et Coepiscopus noster Augustinus eos, qui secum sunt ad hoc opus exequendum, per diversa loca asserat non posse suf-

C ficere; aliquantos ad eum monachos cum dilectissimis et communibus filiis Laurentio Presbytero et Mellito Abbate prævidimus transmittendos. Et ideo fraternitas vestra eis caritatem, quam decet, exhibeat; atque ita illis, ubicumque necesse fuerit auxiliari festinet: quatenus dum vobis opitulantibus nullas illic remorandi caussas habuerint, et ipsi vestra se relevatos consolatione congaudeant, et vos solatiorum exhibitione, in caussa, qua directi sunt, possitis participes inveniri. *Hæc Gregorius Papa ad Episcopos Galliæ: quorum primus, iter illis agentibus si ad omnes accesserint, occurrit invisendus* S. Serenus Massiliensis, *deinde forte, sed epist.* 49 *ad eum data,* Virgilius Archiepiscopus Arelatensis; *postea* Mennas Archiepiscopus Tholosanus, *ac* S. Lupus Cabilonensis *cujus Acta dedimus* XXVII *Januarii, tandem* Agilius, *alias* Aygulfus, *sive* Agiulfus Metensis. *Oblata interea occasione* Brunechildæ Reginæ *alia porrecta est epistola quæ* 56 *est lib.* 9, *qua ob beneficia* S. Augustino *ejusque sociis quondam præstita gratias illi actis hæc addit:* Sed ut mercedis vestræ magis magisque sit fructus uberior, petimus; ut monachis præsentium apicum portitoribus, quos cum dilectissimis filiis nostris Laurentio Presbytero et Mellito Abbate

ad Episcopos Galliæ,

Brunechildem Reginam,

ad prædictum reverendissimum fratrem et Coepis- D copum nostrum, pro eo quod illos, qui secum sunt, sufficere sibi dicit non posse, transmittimus; patrocinii vestri suffragia benignius ministretis: atque ita in omnibus adesse dignemini, quatenus dum bonis excellentiæ vestræ initiis meliora successerint, et nullas illic moras vel difficultates invenerint, tanto erga vos ac dulcissimos nobis nepotes vestros Dei nostri misericordiam provocetis, quanto pro ejus vos amore in hujusmodi caussis misericorditer exhibetis. *Hæc Gregorius, cujus alia ibidem* 55 *ejusdem argumenti extat ad Chlotharium II tum Regem Francorum Neustrasiorum epistola: in qua iterum eodem ordine nominat* dilectissimos filios Laurentium Presbyterum et Mellitum Abbatem. *In ejus tum regno erant Episcopi Parisius* Simplicius, *Rotomagi* Melantius, *et Andegavi* S. Licinius *(quem infra* XIII *Februarii celebramus) omnes prioris epistolæ S. Gregorii inscriptione noti.*

et Chlotharium II Regem.

9. *Regressus in Britanniam cum sociis* S. Laurentius, *summa omnium gratulatione exceptus est ob legationem ad Summum Pontificem ex voto atque expectatione singulorum expeditam. Testabantur illud auxilium cooperatorum adductum, dona illustria allata, pallium S. Augustino totius Britanniæ Primati et Archiepiscopo constituto missum, facultas varios Episcopatus eri-* E *gendi concessa, denique S. Gregorii epistolæ ad Augustinum, Ethelbertum Regem, ejusque conjugem Reginam in qua ultima honorifica S. Laurentii mentio reperitur.* Remeantes igitur, *inquit S. Gregorius,* dilectissimus filius noster Laurentius Presbyter et Petrus Monachus, qualis erga reverendissimum fratrem et Coepiscopum nostrum Augustinum gloria vestra extiterit, quantaque illis solatia vel qualem caritatem impenderit, retulerunt. *De ea Regina pluribus agemus* XXV *Februar. De* S. Petro monacho, *deinde* Abbate *primo monasterii SS. Petri et Pauli, egimus* VI *Januarii: cujus monasterii tertius Abbas ante memoratus* Ruffinianus *fuit. Resumpto mox pristino vivendi instituto, strenue laboratum est, non solum ut Anglo-Saxones aut ab idolorum avito cultu abstraherentur, veræque Christi religioni jungerentur, aut baptizati sacrosanctis legibus doctrinaque Catholica imbuerentur; sed etiam ut antiqui Britones Scotique fraterna admonitione inducerentur,* ad pacem Catholicam secum habendam, et communem evangelizandi Gentibus pro Domino laborem suscipiendum: *quos Augustinus ad Synodum convocatos invenit suæ petitioni adversarios, ut pluribus prosequitur Beda lib. 2 cap. 2.*

Gratus ejus in Britanniam reditus.

Cum Britonibus et Scotis frustra laboratum.

10 *Quare in Anglis Saxonibusque excolendis dupli-* F *candum sibi laborem rati* SS. Augustinus, Laurentius, *aliique socii, provincias inter se diviserunt. Tum namque ut tradit Beda cap.* 3 anno Dominicæ Incarnationis DCIV Augustinus Archiepiscopus ordinavit duos Episcopos, Mellitum videlicet et Justum; Mellitum ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum. Ubi vero hæc provincia verbum veritatis accepit, fecit Rex Ethelbertus in civitate Lundonia ecclesiam S. Pauli Apostoli, in qua locum Sedis Episcopalis et ipse et successores ejus haberent. Justum vero in ipsa Cantia ad Occidentem Episcopum ordinavit in civitate Rofecestre; in qua Rex ecclesiam B. Andreæ Apostoli fecit. *Laurentium vero præ reliquis strenue saluti animarum vacantem S. Augustinus judicavit virum idoneum, qui primam illius Ecclesiæ adolescentiam ad statum virilem esset perducturus: quare teste Beda cap. 4, ne, se defuncto* status Ecclesiæ tam rudis vel ad horam Pastore destitutus vacillare inciperet, *ipse adhuc vivens* Laurentium Episcopum ordinavit *sibi in Ecclesia Dorovernensi successurum.* Sedem autem Episcopalem, *ut lib.* I *cap.* 33 *legitur,* Augustinus fecerat in ecclesia Romanorum antiquorum opere facta: *a se* in nomine sancti Salvatoris Dei et Domini Jesu

Episcopi ordinantur an. 604 Mellitus,

Justus,

Laurentius

A Jesu Christi sacrata. Fecerat *etiam* monasterium non longe a civitate ad Orientem, in quo ejus hortatu Ethelbertus a fundamentis construxit ecclesiam beatorum Apostolorum Petri et Pauli, quam tamen non ipse Augustinus, sed successor ejus Laurentius consecravit; *ac* mox, *ut lib.* 2 *cap.* 3 *dicitur*, corpus S. Augustini, quod juxta ecclesiam positum fuerat, intro illatum in portico illius aquilonari decenter sepelivit. Defunctus est *autem* S. Augustinus septimo Kalendas Junias, *atque, ut addit Wigorniensis*, feria tertia : *qui characteres conveniunt in annum bissextilem* DCVIII *littera Dominicali G F. ad quem annum etiam obitum ejus annotarunt Westmonasteriensis et Sigebertus. Ab excessu ergo S. Augustini, Dorovernensi Ecclesiæ præfuit S. Laurentius annos* X, *menses* VIII, *dies* VII *vita functus* II *Februarii anno Christi* DCXIX, *quem annum confirmat tempus* Melliti *successoris, qui apud Bedam cap* 7, postquam annis quinque rexit Ecclesiam Dorovernensem, migravit ad cælos anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo quarto, die octava Kalendarum Maiarum. *Quæ autem* Archiepiscopus Laurentius *illustriora peregit, ita cap.* 4, 5 *et* 6 *describit Beda.*

## § IV. *Vita S. Laurentii in Episcopatu, verbis S. Bedæ relata.*

B Laurentius Archiepiscopatus gradu potitus strenuissime fundamenta Ecclesiæ quæ nobiliter jacta vidit, augmentare, atque ad perfectum debiti culminis, et crebra voce sanctæ exhortationis, et continuis piæ operationis exemplis provehere curavit. Denique non solum novæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed et veterum Britanniæ incolarum, necnon et Scotorum, qui *a* Hyberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere sollicitudinem curabat. Siquidem ubi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo et Britonum in ipsa Britannia, vitam ac professionem minus Ecclesiasticam in multis esse cognovit, maxime quod Paschæ solemnitatem non suo tempore celebrarent, sed, ut supra docuimus, *b* a decima quarta luna usque ad vigesimam Dominicæ Resurrectionis diem observandum esse putarent, scripsit cum Coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam, obsecrans eos et contestans unitatem pacis, et Catholicæ observationis cum ea, quæ toto orbe diffusa est, Christi Ecclesia tenere, cujus videlicet epistolæ principium hoc est : Dominis carissimis Fratribus, Episcopis vel Abbatibus, per universam Scotiam, Laurentius, Mellitus et Justus Episcopi, C servi servorum Dei. Dum nos Sedes Apostolica more suo, sicut in universo orbe terrarum, in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse, antequam cognosceremus, credentes quod juxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis tam Britones quam Scotos venerati sumus. Sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putavimus. Scotos vero per *c* Daganum Episcopum in hanc, quam superius memoravimus, insulam, et *d* Columbanum Abbatem in Galliis venientem, nihil discrepare a Britonibus in eorum conversatione didicimus. Nam Daganus Episcopus ad nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio, quo vescebamur, sumere voluit. Misit idem Laurentius cum Coepiscopis suis etiam Britonum Sacerdotibus litteras suo gradui condignas, quibus eos in unitate Catholica confirmare sategit. Sed quantum hæc agendo profecerit, adhuc *e* præsentia tempora declarant.

12 His temporibus venit Mellitus Lundoniæ Episcopus Romam, de necessariis Ecclesiæ Anglorum D caussis cum Apostolico Papa *f* Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reverendissimus cogeret synodum Episcoporum Italiæ, de vita monachorum et quiete ordinaturus, et ipse Mellitus inter eos assedit anno octavo Imperii *g* Focatis Principis, Indictione decimatertia, tertia die Calendarum Martiarum ; ut quæque erant regulariter decreta, sua quoque auctoritate subscribens confirmaret, ac in Britanniam rediens, secum Anglorum Ecclesiæ *h* mandata atque observanda deferret una cum epistolis, quas idem Pontifex Deo dilecto Archiepiscopo Laurentio, et Clero universo, similiter et Edelbertho Regi, atque genti Anglorum direxit.

[*g* anno 610]

13 Anno ab incarnatione Dominica sexcentesimo decimo *i* sexto (qui est annus vicessimus primus, ex quo Augustinus Episcopus cum sociis ad prædicandum genti Anglorum missus est) Edelberthus Rex Cantuariorum post regnum temporale, quod quinquaginta et sex annis gloriosissime tenuerat, æterna cælestis regni gaudia subiit. At vero post mortem Edelbertti, cum filius ejus Eadbaldus regni gubernacula suscepisset, magno tenellis adhuc ibi Ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solum Christi fidem recipere noluerat, sed et fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter gentes auditam Apostolus testatur, ita ut uxorem patris haberet. [1 Cor. 5, 1] Quo utroque scelere occasionem dedit ad priorem E vomitum revertendi iis, qui sub imperio sui parentis, vel favore vel timore regio, fidei et castimoniæ jura susceperant. Nec supernæ flagella districtionis perfido Regi castigando vel corrigendo defuere. Nam crebra mentis vesania, et spiritus immundi invasione premebatur. Auxit autem procellam hujusmodi perturbationis etiam mors *k* Seberthi Regis Orientalium Saxonum, qui ubi regna perennia petens *l* tres filios suos, qui pagani perduraverant, regni temporalis heredes reliquit, cœperunt illi mox idolatriæ, quam vivente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palam servire, subjectisque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumque viderent Pontificem celebratis in ecclesia Missarum solemniis Eucharistiam populo dare, dicebant (ut vulgo fertur) ad eum, barbara inflati stultitia : Quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem et patri nostro Saba (sic namque eum appellare consueverant) dabas, et populo adhuc in ecclesia dare non desistis. Quibus ille respondebat : Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes : sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi : Nolumus, inquiunt, F fontem in illum intrare; quia nec illo opus nos habere novimus, sed tamen pane illo refici volumus. Cumque diligenter ac sæpe ab illo essent admoniti nequaquam fieri posse, ut absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicet, ad ultimum furore commoti aiebant : Si non vis assentire nobis in tam facili caussa, quam petimus, non poteris jam in nostra provincia demorari. Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire jusserunt.

[*i* Moritur Edelbertus Rex anno 616 :]

14 Qui expulsus inde venit Cantiam, tractaturus cum Laurentio et Justo Coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio, quia satius esset, ut omnes in patriam redeuntes, libera ibi mente Domino deservirent, quam inter rebelles fidei Barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primo Mellitus ac Justus, atque ad partes Galliæ secessere, ibi rerum finem expectare disponentes. Sed non multo tempore Reges, qui præconem a se veritatis expulerant, dæmoniacis cultibus impune serviebant. Nam egressi contra gentem *m* Gevissorum

*EX V. BEDA,*

A Gevissorum in prælium, omnes pariter cum sua militia corruerunt: nec sic (licet auctoribus perditis) excitatum ad scelera vulgus potuit corrigi, atque ad simplicitatem fidei et caritatis, quæ est in Christo, revocari.

*S. Laurentius a S. Petro*

15 Cum vero Laurentius Mellitum Justumque secuturus, ac Britanniam esset relicturus, jussit ipsa sibi nocte in ecclesia beatorum Apostolorum Petri et Pauli, de qua frequenter jam diximus, stratum parari: in quo cum post multas preces ac lacrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset, atque obdormisset, apparuit ei beatissimus Apostolorum Princeps, et multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, sciscitabatur Apostolica districtione, quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis, ab infidelibus et inimicis Christi, ipse cum Christo coronandus pertuli? His B. Petri flagellis et exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto venit ad Regem, et rejecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus, ei ostendit: qui multum miratus, et inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere? Ut audivit, quia caussa suæ salutis Episcopus ab Apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque perpessus, extimuit multum: atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, et baptizatus, Ecclesiæ rebus, quantum valuit, in omnibus consulere ac favere curavit. Misit etiam in Galliam, et revocavit Mellitum et Justum, eosque ad suas Ecclesias libere instituendas redire præcepit. Qui post annum ex quo abierant reversi sunt, et Justus quidem ad civitatem Rhofis cui præfuerat, rediit. Mellitum vero Londonienses Episcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis servire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quanta patri ipsius regni potestas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis Antistitem suæ posset Ecclesiæ reddere. Verumtamen ipse cum sua gente, ex quo ad Dominum conversus est, Divinis se studuit mancipare præceptis. Denique et in monasterio beatissimi Apostolorum Principis, ecclesiam sanctæ Dei Genitricis fecit, quam consecravit Archiepiscopus Mellitus.

*verberibus exceptus,*

*vibicibus ostensis convertit Regem:*

B

C

*moritur.*

16 Hoc enim regnante Rege, beatus Archiepiscopus Laurentius regnum cæleste conscendit, atque in ecclesia et monasterio sancti Apostoli Petri, juxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est, die quarto Nonarum Februariarum. Post quem Mellitus, qui erat Londoniæ Episcopus, Sedem Dorovernensis Ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit.

*Scotia Hibernia.*

*Pascha celebratum a 14 Luna,*

*perducti ad Pascha legitimum Britones*

a *Jonas in Vita S. Columbani,* Hiberniæ insulam gens Scotorum incolit. *Ita etiam Isidorus Hispalensis lib. 14 Originum cap. 6, et alii passim.* — b *Wilfridus contra Scotos apud Bedam lib. 3 cap. 25 ita loquitur:* Petrus a quinta decima Luna usque ad vigesimam primam diem Paschæ Dominicum celebrabat, quod vos non facitis, qui a decima quarta usque ad vicesimam Lunam diem Dominicum Paschæ observatis, ita ut tertia decima Luna ad vesperam sæpius Pascha incipiatis. *Ita hanc traditionem a S. Petro et Apostolis acceptam scribit ad Naitanum Regem Pictorum Ceolfridus apud Bedam lib. 5 cap. 22. At Galli secuti Victorii Canonem a Luna XVI ad XXII suas olim Dominicas Paschales celebrarunt: quæ etiam ratio Paschalis in cyclo Prosperiano annorum 84 tradita apud Bucherium. Britannos autem juxta Sulpitii Severi regulam 84 annorum cyclum in Paschate destinando observasse tradit Aldhelmus epistola ad Geruntium inter Bonifacianas num. 44.* — c *Ternanum hunc inter Sanctos Hiberniæ celebrat Colganus 12 Martii.* — d *Colitur S. Columbanus 21 Novemb. Degebat is tum in Luxoviensi cœnob. a se extructo sub Sigeberto, avo Theoderici et Theodeberti sub quibus hi per Galliam in Britanniam venerant.* — e *Circa annum 731, quo historiam absolvit Beda, tum Britones in suo ritu Paschali perseverabant, quos in Boreali Cambria ab Elbodio Episcopo Venedotiæ ad Romanam observandam Paschatis consuetudinem adductos fuisse tradit Humfredus Lhuyd in fragmento descriptionis Britanniæ folio 65.*

D *Hunc autem Elbodium anno 809 obiisse tradit ex Caradoci Lancarvanensis Chronico Usserius in Britannicarum Ecclesiarum antiquitatibus cap. 6. At Scoti in Hibernia Australi primo apud Bedam lib. 3 cap. 3, tum alii Scoti in Hibernia non subditi monasterio Hyensi lib. 5 cap. 16 dein Picti in Septemtrionali Britannia eodem lib. 5 cap. 22, denique monachi Hyenses cap. 23 ad Canonicum Paschæ ritum perducti sunt circa annum 716.* — f *Bonifacius IV sedit ab anno 607 ad 614.* — g *Phocas regnavit a 23 Novemb. an. 602 ad 610, quo ejus octavo et ultimo hæc Synodus Romæ habita.* — h *Alia MSS.* mandanda. — i *Ita Saxonice, at in Latinis codicibus annus* VIII *loco* XVI *per errorem scriptus fuit.* — k *Alius,* Saberehti, et Seberti. — l *Vocantur hi* Sexredus, et Sewardus, *et* Sigebertus. — m *Beda lib. 3 cap.* 7 Occidentales Saxones antiquitus Gevisse vocatos *tradit, eos ad fidem Christi convertit S. Birinus Episcopus, qui colitur 3 decemb.*

*Scoti,*

*Picti.*

## § V. *Miracula in vita et post mortem, ex Legenda Joan. Capgravii.*

*a Ambulat supra mare, nauta submerso:*

Pergens B. Laurentius in *a* Scotiam, venit in quamdam regionem, ubi transitum sibi et sociis suis maris brachium negabat. Cumque resideret in proximo colle, navem expectans, qui hodie Collis-Laurentii vocatur; visum tandem nautam obsecrat, ut transmittatur. Sed homo a Divina et humana pietate alienus, preces supplicis dum refutat; superna indignatione, non solum hiatus maris, sed cœlestis flamma mox impium cum sua navi devoravit. Quod videns vir Dei plenus fide et Spiritu sancto, *b* mare tanquam campum ingreditur, et undosos montes ac si solidos pedibus calcans, in aliud littus siccis pedibus transducitur.

b

E

*noctu lumine illustratur, vico combusto*

18 In vico quodam Evangelium prædicans, cum nullum qui eum reciperet inveniret; cum exprobratione expulsus, sub quadam sepe nocte illa requievit: et splendor solaris de cœlis effusus, testem Domini circumfulsit, et noctem illam sibi in diem convertit. Illum vero malignum plebis vicum, qui nuntium salutis exterminavit, jactum de superis fulmen cum omnibus suis subito conflagravit, et in perpetuam solitudinem totum locum ipsum ut Sodomam pessumdedit.

*c simul et Ternano Paschæ observationem legitimam:*

19 Prædicante viro Dei ubique in Scotiam verbum Dei, et fama ejus late diffusa, S. *c* Ternanus Hiberniæ Archiepiscopus ad eum venit, vir tantæ sanctitatis ut tres mortuos suscitasse diceretur. Qui audiens B. Laurentium de Paschæ observatione aliisque Apostolicis institutionibus disputantem, dedit manus veritati et suam gentem in posterum corrigere satagebat.

*mortuum resuscitat:*

20 Regressus tandem Sanctus Dei, invenit cujusdam hospitis sui filium defunctum, patremque et matrem luctuosos valde, qui voce magna clamantes dixerunt. O Sancte Laurenti, resuscita filium nostrum, ut fidelius credamus in illum, quem prædicas Jesum Christum. Qui facta oratione: Surge, puero dixit; statimque ille surrexit; qui testabatur obnixe se a teterrimis spiritibus ad flammea tartara raptum; sed orante S. Laurentio, a lucifluis Angelis Dei ad corpus reductum. Quo cum patre et matre et tota domo et cognatione baptizato, vir sanctus regionem penetrans, signa et documenta salutaria ubique ostendit, et juxta quamdam urbem in locis arentibus fontem aquæ produxit, qui hactenus indeficienti ubertate manare non desinit.

F

*fontem producit.*

*d ad templum S. Laurentii negatur accessus fœminis.*

21 In villa quadam nomine *d* Fortuna ecclesiam in honore ipsius post ejus obitum incolæ condiderunt, quæ tanto sanctimoniæ candet privilegio, ut nulla unquam fœminarum hanc intrare possit. Deo autem amabilis Regina Scotiæ S. *e* Margareta, pia religione cum cereis aliisque sacris oblationibus cœpit hanc velle intrare. Cui ad portam atrii occurrentes Canonici instanter orant, ne transgrediatur legem sacrosancti instituti, et offensam incurrat ibi præsidentis Patroni. At illa respondens se potius sacrum locum honorare et exaltare velle, urget propositum. Vix atrium attigerat, cum subito diris totius corporis stimulata cruciatibus, exclamare cœpit:

e

Cito,

A Cito, inquit, me binc auferte : ecce jam morior. Orantibus pro ea Clericis, Regina salute recepta ecclesiam cruce argentea et calice præcipuo aliisque donis exornat, et S. Laurentium jugi veneratione invocat, quem adire corpore nequibat. Anno autem
f Domini sexcentesimo decimo nono S. Laurentius f tertio Nonas Februarii relinquens hoc seculum juxta S. Augustinum sepultus est.

*Innati tergo calcanei* 22 Advena Saxonicus, innatis tergo calcaneis, post innumera Sanctorum quæsita patrocinia, venit in Angliam, et apud Westmonasterium Divinum accepit oraculum, salutem sibi quærendam apud S. Augustinum Anglorum Apostolum. Quo, cum post triduum orationibus institisset; tres Angelicæ claritatis perspexit viros, superno splendore radiantes, quorum medius statura procerus, cæsariem habebat cœlesti nive dealbatam; aspectus ejus dulcis et amabilis, ultra mortalem nitorem sua lumina exhibebat. Crucis vero signum, quod in dextra ferebat, ineffabili splendore rutilabat. Qui a dextris ejus erat, mediocrem staturam præferebat : sinister autem lateralis Zachæum præferebat statura. Omnium vero *tolluntur a SS. Augustino, Laurentio et Mellito apparentibus.* indumenta super humanum intellectum erant gloriosa. Appropinquantibus illis ægro, qui in medio
B eorum erat, dixit : Ite, et solutis nativis nervorum nexibus eum in statum suum erigite. Protinus dexter D a capite, sinister a pedibus involuta membra extricavit. *AUCTORE G. B.* Cum autem æger exclamaret, sanitate recepta, singulos Sanctos tumulos suos intrare conspicatur. Sanctus autem Augustinus erat in medio, a dextris S. Laurentius, et a sinistris S. Mellitus Episcopus.

a *Accessum S. Laurentii ad Scotos tradunt ex Gul. Spina de Abbatibus, Harpsfeldius et Mathewius.* — b. *Has videri miras* S Laurentii virtutes *a Gocelino descriptas supra diximus, nec eamdem cum Bedæ historia mereri fidem.* — c *Harpsfeldio,* Ternaus et Tervanus, *colitur* Tervanus, *seu* Ternanus *Episcopus Pictorum* 12 *Junii sed hoc senior Alius Tremanus monachus* 23 *martii* et Trienanus *Abbas* 22 *Martii referuntur a Colgano.* — d Forddum *locus Scotiæ, in quo obiit* S. Palladius, *ut dicitur* 6 *Julii.* — e S Margareta, *uxor Malcolmi III obiit anno* 1093, *apud Rogerium Hovedenum, quo citato obitum refert Baronius ad annum* 1097 ; *de ea agemus* x *Junii.* — f *imo* quarto Nonas

## § VI. *Epitaphium sepulcro adscriptum, ex Harpsfeldio.*

Hic sacra, Lavrenti, svnt signatvi monvmenti.
Tv qvoqve iocvndvs Pater, Antistesqve secvndvs,
Pro popvlo Christi, scapvlas dorsvmqve dedisti :
Artvbvs (hvi!) laceris mvlta vibice mederis.

E

# DE S. ADALBALDO DUCE

## MARITO S. RICTRUDIS, IN BELGIO ET AQUITANIA.

### Commentarius prævius.

G. H.

### § I S. *Adalbaldi Vita scripta. Reliquiæ translatæ. Cultus sacer.*

*CIRCA AN. CHR. DCLII II FEBR. S. Adalbaldi uxor S. Rictrudis, 4 liberi sancti.* Illustris nobilitate et virtute effulsit seculo Christi septimo sanctissimi Adalbaldi *familia*, *cujus conjux sancta atque ex ea quatuor liberi sancti, omnes Ecclesiastico cultu honorantur* : Rictrudis *uxor* XII *Maii*, Maurontus *filius* v *Maii* : *cujus patrocinio implorato urbem Duacensem ab hostibus liberatam fuisse retulimus* VI *Januarii. Præcipua filiarum* S. Eusebia *Abbatissa Hamaticensis, colitur* XVI *Martii* ; *aliæ sunt* Clotsendis *Abbatissa Marchianensis, et* Adalsendis *in juventute mortua : illi sacer est* XXX *Junii dies, huic* XXIV *Decembris. Accedit horum proavia,* *et S. Gertrudis.* C *et* S. Adalbaldi *avia*, S. Gertrudis, *Hamatici ad Scarpum monasterii fundatrix ac prima Abbatissa, cujus natalis incidit in* VI *Decembris. Joannes Pepordius in Stemmate Principum Habspurgo Austriacorum, alterum* SS. Adalbado *et* Rictrudi *adscribit filium* S. Ursinum, *qui* mundo et uxore valde opulenta relictis, in solitudine Deo soli serviens, vitam transegerit : *de quo altissimum aliorum scriptorum, silentium ut infra constabit.*

*Vitæ epitome I,* 2 *Primus, quantum assequimur,* S. Adalbaldi *meminit* Hucbaldus monachus Elnonensis in Actis S. Rictrudis *uxoris, quæ is, tum ex relatione ac traditione seniorum, tum ex monumentis nonnullis historicis, ab Nordmannica populatione servatis, anno Christi*
II. CMVII *ad* Stephanum Leodiensem Episcopum *conscripsit. Altera ejus mentio est in* Vita S. Eusebiæ *filiæ, sive auctor ejus fuerit idem* Hucbaldus, *uti censebat Rosweydus, sive alius potius, qui vestigia Hucbaldi secutus, hanc suo stylo polivit. In utrisque his Actis cultus aliquis ad reliquias* S. Adalbaldi, *signis a Deo et miraculis excitatus, profertur : in secundis etiam* par Martyribus Adalbaldus *habetur. Utriusque epitomen quamvis non multum discrepantem infra damus, quo certior rerum* Adalbaldi *notitia hauriatur. Utraque deinde Vita carmine heroico descripta fuit.*

*Priorem, S. Rictrudis edidit* Joannes monachus III. Elnonensis *ad* Stephanum monachum Gandensem, nobilem Doctorem, *uti appellat*, et perfectæ eruditionis doctrina adornatum, rogante, imo præcipiente Episcopo Cameracensis Ecclesiæ Erluino, *qui in ea dignitate vixit ab anno* CMLXXXXVI, *ad annum* MXI *aut sequentem. Hic Poeta* Adalbaldum *invocat* Patronum, eoque interveniente, signa, virtutes et munera præstari *depingit. Alter Poeta in Vita* S. Eusebiæ, Adalbaldum *primus* Martyrem *appelat*, IV. *caputque abscissum describit in comitatu Angelorum ad locum sepulturæ propriis manibus detulisse. Auctor a Molano in Additionibus Usuardi, ad* XVI *Martii habetur* quidam profundioris scientiæ, *qui ejusdem* Eusebiæ actionum gesta et prosa et carmine ediderit. *At Raphael Beauschampius tractatu de Westrgothis,* F *ad historiam Franco-Meroringicam Andreæ Silvii adjuncto, sub nomine* Joannis monachi Benedictini *allegat, a quo prius poema de* S. Rictrude *habemus elaboratum. Ex utroque epitomen rerum ad* S. Aldal- V. baldum *spectantium damus. Subdimus deinde parvum fragmentum ex lib. Synopseos Franco-Meroringicæ memorati* Andreæ Silvii, *qui* Archiprior monasterii Marchianensis *hanc suam historiam, ad annum* MCXCIV *deductam, inscripsit* Petro Atrebatensi Episcopo *consecrato circa annum* MCLXXXIV, *vita functo anno* MCCIII. *Alia apud eosdem Marchianenses, et iisdem fere temporibus, edita* Vita S. Rictrudis, *pluribus miraculis* VI. *illustrata quorum aliquod fuit anno* MCLXVIII *patratum : quin reliquiæ ejusdem* Rictrudis *an* MCLXIV, *ab* Archiepiscopo Remensi Henrico Magno, *Regis Ludovici* VI *seu Crassi filio,* et Andrea Episcopo Atrebatenti, *referuntur translatæ. Demum* Chronicon Ecclesiæ VII. Marchianensis *sub* Simone Abbate *vicesimo, qui statuitur anno regiminis* III, *Christi* MCCII, *e vivis decessisse, a quopiam Marchianensi conscriptum est. Buzelinus lib.* I *Gallo-Flandriæ, cap.* 41, *in Simone Abbate, auctorem hujus Chronici censet eumdem* Andream Silvium, *cui nonnulli etiam adscribunt* Vitam

AUCTORE G. H.

A S. Rictrudis *ante indicatam. Singula inde encomia excerpimus, in quibus varii fratres* S. Adalbaldi *assignantur, dignitas Ducis extollitur, et plura possessionum loca indicantur, quæ §§ sequentibus illustrabimus.*

*Reliquiæ Elnonem delatæ :*

3 *Reliquias* S. Adalbaldi *ex agro Petragorico Elnonem, quod monasterium S. Amandi dicitur, translatas fuisse docemur in Chronico Marchianensi : cui adstipulatur Poematis fragmentum apud Brauschampium,* a probo, *ut hic inquit,* juxta atque erudito Elnonensi asceta editum, *cujus versus hos profert pagina* 424 :

> Te tua Marciadis prius agnita, Jonathe, virtus
> Traxit ad Elnonis fræna regenda domus :
> Tempore, Wasconicis quo Dux Adabaldus in oris
> Prædonum rigido cæsus ab ense cadit.
> Quem lacrymis suffusa genas Elnone recondit
> Rictrudis, tumulo claudit et ossa brevi.

*Elnonense monasterium, vivo adhuc* S. Adalbaldo, Jonatho *huic a* S. Amando *circa annum* DCL *commissum fuisse diximus ad hujus Vitam* VI *Februarii. Potuit etiam* S. Amandus, *(nam aliquot post annis in Aquitaniam profectus est) corpus* S. Adalbaldi *jam ante occisi obtinuisse illudque Elnonem ad suum monasterium retulisse, ibique in sepulchro, aut olim a* S. Adalbaldo, B *aut tunc a* S. Rictrude *exstructo, condidisse. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii* II *Februarii scribit in Catalogo quodam* Sanctorum Hannoniæ *legi,* caput S. Adalbaldi apud Petragoricum haberi, licet corpus ad S. Amandum in terra sit: festumque ejus solenniter in Aquitania fieri. Quod *cum Molano* inde certius cognosci velimus.

*brachium Duacum ad templum S. Amati*

4 *Caput* S. Adalbaldi *cum brachio Duacum translatum fuisse legitur in codice MS. Ecclesiæ Duacensis S. Amati, qui vulgo Liber argenteus inscribitur, ex quo tradit hæc Brauschampius, pagina* 419. Anno gratiæ MCCXXXI, XVII Kalend. Maii, allatum est per Robertum Præpositum caput cum brachio B. Adalbaldi patris S. Mauronti, et brachium S. Gertrudis proaviæ S. Mauronti, a monasterio S. Amandi ab Abbate et monachis ejusdem loci suscepta : et in ecclesia S. Amati Duaci sunt reposita honorifice. *Hæc ille.* Robertum de Gondelcort *cognominari* Præpositum *interponit Brauschampius. Arnoldus Raissius Duaci in Ecclesia S. Petri Canonicus, in suo Hierogazophylacio Belgico, utriusque solum brachii meminit, non vero capitis* : S. Amati, *inquit*, insignis collegiata Ecclesia Duaci, præter Sanctorum quatuor corpora, aliam debito honore in sacrario adservat, et in altari solennioribus anni festivitatibus venerandas expo- C nit subsequentium Sanctorum reliquias... Brachium S. Adalbaldi Ducis Duacensis et Martyris, S. Mauronti patris... Brachium S. Gertrudis proaviæ S. Mauronti, fundatricis et primæ Abbatissæ Hamaticensis cœnobii. Duo hæc brachia allata sunt ad hujus Ecclesiæ sacrarium per Robertum Præpositum hujus collegiatæ ecclesiæ anno Domini MCCXXXI, XVII Kalendas Maias. Anno MDXLVIII novis lipsanothecis condecorata sunt. *Hæc Raissius, qui inter reliquias monasterii Amandini nullas hujus* Adalbaldi *recenset, ut videatur non amplius istic corpus reliquum extare : monasterium vero Marchianense scribit idem Raissius condecorari corporibus* S. Rictrudis *et trium filiarum, ac memoratæ ante* Gertrudis, *nulla* S. Adalbaldi *facta mentione, ut deinceps cultus ejusdem potissimum apud Duacenos videatur continuatus.*

*Statua in altari*

5 *In collegiata igitur S. Amati Ecclesia Duacensi amplum et peregregium sacellum est, cum ara S. Mauronto ejusque parentibus sacra : in qua sublimes ab immemorabili tempore eorum statuæ honori cultuique publico expositæ sunt : ubi primus visitur* S. Adalbaldus, *liliis inspersa veste indutus, librum dextera, sinistra gladium portans* : tum S. Maurontus *inter utrumque parentem medius, habitu illustris, dextera sceptrum,* D *læva ædem turritam gestans : tertia demum* S. Rictrudis *habitu sanctiore Benedictino venerabilis, æde sacra Marchianensi manui imposita.*

*nomen inter Martyres.*

6 *Præterea in interiore ejusdem S. Amati ecclesiæ sacrario, ubi sacras reliquias reponi diximus, servatur* Catalogus Sanctorum *pervetusto charactere exaratus, in quo* S. Adalbaldo Duci *inter* Martyres Christi *locus et ordo congruus assignatur. Imo in appensa ibidem parieti præcipuorum ejus Ecclesiæ Patronorum tabella antiphonario MS. majoribus litteris hæc leguntur :* pro Commemoratione S. Adalbaldi patris S. Mauronti, Antiphona. Iste est, qui propter suum martyrium factus est perfectus amicus Dei. *Ver.* Gloria et honore *etc.* Oratio. Adesto, quæsumus, Domine, populo tuo, ut Martyris tui Adalbaldi merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvemur. Per Dominum nostrum *etc. Quæ eadem retulit Brauschampius pagina* 413 *et sequente. Porro* Martyr *dicitur* Adalbaldus, *quod vitæ innocentia spectabilis, nefarie ab improbis hominibus fuerit occisus. Idem* VII *et* VIII *Januarii contigisse SS. Canuto Lawardo et Balduino Archidiacono Laudunensi diximus. Potuit etiam justitiæ ac sincerioris fidei tuendæ studio provocasse in se alia sceleratorum Vasconum, qui a Baudemondo auctore* E *coævo in Vita S. Amandi dicuntur* auguriis et omni errori dediti, idola etiam pro Deo coluisse.

*Antiphona,*

*et Oratio.*

*An Martyr?*

*Memoria in Martyrologiis.*

7 *Diem ejus natalem ad* IV *Nonas Februarii, seu tunc interfectus fuerit, sive in sacris suis reliquiis Elnonem delatus, annotant passim recentiores ; Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Ferrarius in novo Catalogo Sanctorum, Martyrologia Gallico idiomate Leodii et Montibus Hannoniæ edita, Sanderus lib.* 2 *de Sanctis Flandriæ, Miræus in Indice ad Fastos Belgicos, Saussaius in supplemento Martyrologii Gallicani, cujus unius elogium apponimus :* In agro Petragorico, *inquit*, passio S. Adalbaldi Ducis Duacensis, qui sanctus maritus sanctæ conjugis, et sanctæ prolis quaternæ pater (fuit enim S. Rictrudis maritus, et ex ea genitor S. Mauronti Abbatis et Levitæ, et Sanctarum Virginum Clotsendis, Eusebiæ et Adelsendis) nobilitate non solum, at insuper virtute et sapientia clarus, pietateque maxime præcellens, cum in Vasconiam profectus esset, sincerus justitiæ cultor, ac eximius religionis vindex, a malignis hominibus inique interemptus est : sed Deus justum suum mirificavit, editis ad ejus tumulum plerisque prodigiis, quibus ipsum apud se beatum vivere voluit testificari.

## § II. *S. Adalbaldi nobilis prosapia.* F

*Mater Gerberta avia S. Gertrudis*

Adalbaldum *natione* Francigenam, matre Gerberta, S. Gertrudis in Hamatico monasterio quiescentis filia, *natum tradunt Hucbaldus, et Joannes uterque in Vita S. Rictrudis : confirmat auctor Vitæ S. Eusebiæ. Hæc certiora sunt. Silent hi, ceteris antiquiores, nomina fratrum, patris, et utriusque avi S. Adalbaldi. Quatuor illi fratres adjungit Andreas Silvius,* Sigefridum, Erchenoaldum, Erlulfum *et* Landonem. *Ex his* Sigefridus Comes Pontivensis, *maritus* S. Berthæ, *dein* Abbatissæ Blangiacensis : *cui hujus Acta* IV *Julii* fratrem *fuisse tradunt* conjugem S. Rotrudis, *quæ Rictrudis est. Chronicon Marchianense cum* Sigebertum Comitem *appellat, et cum* Erchenoaldo fratrem Adalbaldi *statuit. Alter ergo* Erchenoaldus, *Silvio* Herchenaldus, Major-domus et Patricius Chlodovæi II, *monacho Marchianensi infra Epitome* 6 *ex Vita S. Rictrudis* Archenaldus secundus a Rege, trium constructor Ecclesiarum, frater Adalbaldi. *Palatio Chlodovei* II *eum præfectum fuisse anno regni* III, *Christi* DCXLVI, *docuimus ad Vitam S. Sigeberti Regis* I *Februarii* § 10, *ubi etiam de anno infelicis ejus mortis actum.*

*fratres recensentur. Sigefridus*

*Erchenoaldus*

*Tertius*

*Ernulfus,*

A *Tertius Adalbaldi frater* Ernulfus, *forte Fredegario cap.* 83. *et Aimoino lib.* 4 *cap.* 37. Ainulfus Comes, *ab Ermenfrido genero Ægani decessoris in præfectura palatii dicti Erchenoaldi, anno eodem* DCXLVI *interemptus.*

*et Lando:*

*Quartus frater* Lando, Remensis *scilicet* Archiepiscopus, *ut Silvium explicant Beauschampius et alii. Fuit autem* Lando *apud Flodoardum lib.* 2 *historiæ Eccl. Remensis cap.* 6 vir illustrissimus et multorum possessor prædiorum, tempore Sigeberti Regis.

*non etiam Arnoldus, S. Ferreolus, S. Modericus:*

9 *Hæc de quatuor* Adalbaldo *a Silvio assignatis fratribus, quibus ob ejusdem Silvii verba infra referenda alii tres a Beauschampio adjunguntur:* Arnoldus, *sive* Arnoaldus, pater S. Arnulfi Episcopi Metensis; S. Ferreolus Episcopus Useticensis, *et* S. Modericus Episcopus Aresitensis, *quos ille inepte* Trajectensem *et* Ausidiensem Episcopos *facit, quorum etiam* soror S. Tarsitia *indicatur, quam vult* in Britannia Armorica apud Rhedonenses *et olim vixisse et etiamnum coli. Quæ de* Ruthenis Aquitaniæ I populo *intelligenda* XV *Januarii docuimus ad hujus* Tarsitiæ *Vitam.*

*nec S. Tarsitia, soror*

*nec parentes Ausbertus, et Blithildis*

*Verba Silvii pro hisce fratribus ex lib.* I *Synopseos Franco-Merovingicæ cap.* 16 *hæc proferuntur:* S. Arnulphus, filius Arnoldi, primogeniti filii Ausberti Ducis et Senatoris ex Blitbilde filia primi Lotharii B Regis: ex qua etiam magni Duces, Herchenoaldus, Adalbaldus et fratres eorum progeniti habentur. *Hinc Beauschampius hanc Chlotharii filiam binominem facit, ut et* Blithildis *sit et* Gerberga; *Martinus Lhermite noster in Historia Sanctorum Gallo-Flandriæ hunc binomini* Gerbergæ-Blithildi *maritum* e Regum filiis aut nepotibus *conjungit, sive is* Ansellbertus, *sive* Ausbertus, *aut alio etiam nomine appelletur. Verum quo auctore hunc maritum ex Regum filiis aut nepotibus aliquem profert? Si ejus uxor* Blithildis Chlotharii I filia *credatur, is* Ausbertus vir præclarus atque nobilis ex genere Senatorum Dux *est, cujus genus et familiam nuper illustrarunt Bouchetus de Origine Regum Francorum secundæ stirpis, Chiffletius tractatu singulari de nuptiis Ansberti et Blithildis, Dominicus de Ansberti familia rediviva: a quibus antiqua monumenta undique collecta congeruntur, nec ulli ab his prognati liberi reperiuntur, præterquam* SS. Ferreolus, Modericus et Tarsitia *(quorum vita in cælibatu sancte casteque peracta est) et* Arnoaldus, *sive* Arnoldus, pater S. Arnulfi.

*avus non Chlotharius I.*

10 *Sed nec tempora patiuntur ab eisdem* S. Adalbaldum *et quos ejus fratres volunt, prognatos esse; a quibus* Sigefridus *ad regnum Theoderici filii Chlodovei* C *post annum* DCLXXX *supervixit, cujus et aliorum avus fingitur* Chlotharius I, *patri suo Chlodoveo* I *anno* DIX *vita functo cum fratribus suffectus. Hinc infra epitome* 7 *auctor Chronici Marchianensis (sive is memoratus Silvius fuerit, sive alius monachus, qui simul in eodem monasterio cum illo vixerit) hanc potius* Blithildem Chlotharii II *ejusque conjugis* Beretrudæ filiam, *et* Dagoberti Regis sororem *facit* secundum quosdam Chronographos: *e quibus fuerunt Auctor miraculorum S. Genulphi, Episcopi* XVII *Januarii cap.* 2; *et forte monachus Egolismensis de Vita Caroli Magni, in quorum cœno volutatum fuisse hunc Marchianensem cœnobitam scribit Chiffletius. Fundamentum errori datum credimus, quod* Erchenoaldus *dicatur apud Fredegarium cap.* 84 consanguineus de genere Dagoberti, *sive, ut alii legunt cum Aimoino lib.* 4 *cap.* 8, de genitrice Dagoberti. *Fuit ea* Bertrudis, *prima* Chlotharii II *conjux, anno regni ejus* XXXVI, *Christi* DCXIX, *mortua, quam origine alii Saxonicam, alii Burgundicam, alii Gothicam ex stirpe Athanagildi Regis Wisegothorum tradunt apud Sammarthanos tomo* I *historiæ Genealogicæ Regum Francorum lib.* 4 *in Chlothario* II; *qui observant hanc* Bertrudem, *a Fortunato* Bilichildem *dici, quam* Blithildem *alii, ac Bertrudis filiam fecerint. Jacobus*

*nec Chlotharius II.*

*Malebrancus noster lib.* 2. *de Morinis cap.* 57. *hanc* D Bertrudem Reginam, *quam mavult ex Belgicis ditionibus oriundam, et* S. Gertrudem aviam Adalbaldi *patrueles constituit, a duobus fratribus prognatas, illique patrem* Vigonem, *huic* Theobaldum *assignat: quæ optaremus antiquorum monumentis certius comprobari.*

AUCTORE G. H.

*An proavus Theobaldus?*

11 *Verum ea lite sepasita maneat* S. Adalbaldi *mater, suo a primis scriptoribus indito nomine,* Gerberta, *licet cui nuptui tradita fuerit, nequeamus proferre. Nicolaus Gillius in Annalibus Francorum in Chlodoveo* II, *et Theodoricus Piespordius in stemmate Habspurgico-Austriaco, scribunt* Ægano Dagoberti Consiliario, et Chlodovei II Majori-domus successisse Erchenoaldum, *et quidem* patri filium: *quod antiquorum monumentis esset stabiliendum. Contra Fredegarius, relata Æganis morte cap.* 83 *et sequente, tacite caussam translatæ præfecturæ palatii ad alium familiam daturus addit:* Ermenfridum Æganis generum *ob* Comitem Ainulfum *a se* interfectum Remos *ad regnum S. Sigeberti* fugisse, *et* Erchenoaldum Majorem-domus *factum*, qui consanguineus fuerat de genere, *seu* genitrice, Dagoberti. *Æque latent cum patre avus uterque. Beauschampius licet matrem statuerit* Blithildem filiam Chlotharii I *non tamen hunc avum sed sibi contrarius* Rikomerem *quemdam* juxta certiorem Chronologorum Marchianensium fidem *credit: e quo ex* E *illis*, titulo de Ecclesia Hamaticensi, *hæc describat:* Anno DLXXXVII, temporibus Clotarii Regis Francorum, Kilderici Regis Francorum filii, Gertrudis filia Theodebaldi Ducis, mater Ausberti inclyti Ducis in Germania, qui nupsit Blithildi sorori Regis Dagoberti, conjux extitit Rikomeris generosi Ducis, qui permultis locupletabatur possessionibus in pago Flandrensi, Legiensi, Adartensi, ubi erat illius nobile castrum nomine Bajerium, vulgo Bayri, Atrebatensi, Ostrebatensi, vulgo Ostrevent, et Pabulensi. *Hæc anonymus ille Auctor, cui non magnam ab antiquitate deberi auctoritatem loca memorata, de quibus infra agemus, satis indicant. Si præterea* Gerberga, *ex Hucbaldi et aliorum antiquiorum sententia, admittatur* filia S. Gertrudis, *alia ab eo constituenda* Blithildis, *quæ filia ejusdem* Ausberto *nupserit. Hinc igitur quam fragili nitantur fulcimento Beauschampius, Malebrancus, Lhermite, aliique moderni, facile apparet. De aliis consanguineis schema genealogicum Sanctorum e Bononiensibus descendentium deducit idem Malebrancus in scholiis ad librum* 3 *de Morinis in cap.* 6. *ad annum* 610.

*non pater Æganus:*

*an Rikomere avus, et maritus S. Gertrudis?*

## § III *S. Adalbaldi dominia in Belgio. Ducis titulus.* F

Q*uas ante memoravimus in fragmento Marchianensi adscribi* Rikomeri possessiones, *iisdem fere locupletatum dominiis* S. Adalbaldum in pago Flandrensi, Legiensi, Adartensi, Austrebatensi et Pabulensi *legimus epitome* 7 *ex Chronico Marchianensi, quæ illi tum monasterio ex donatione* S. Rictrudis *obtigerunt, duobus post seculis confirmata a* Carolo Calvo *anno regni Francorum* XXXVIII, *Imperii* II, *Christi* DCCCLXXVII, *diplomate apud Buzelinum lib.* 2. *Gallo-Flandriæ cap.* 20, *et Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap.* 41 *prolato, in quo referuntur dicto monasterio concessa* in pago Cameracensi villa de Lis: in pago Atrebatensi villa Bariacum: in pago Ostrebanno villa Gangiacum, mansus unus cum molendino in Lambras, et anguillæ 400 de villa Rullagio: in pago Pabulensi villa Bebrogium: in pago Medinentensi villa Runcinium, cum appendice villa Templovio: in pago Letico villa Haignas, cum appendice villa Nontgiaco; similiter et in ipso Comitatu Letico de villa Rinenga omnis decima. *Hactenus diploma Caroli Calvi. Qui*

*Dominia ejus Marchianensibus donata,*

hic

A *hic* pagus Atrebatensis, *supra* Adartensis *dicitur*, *uterque in priore fragmento, ut distinctus pagus profertur: alibi* Adartisus, *seu* Adartesus, *hinc* Adartesia, *et dein* Artesia, *moderna provincia appellatur. Ibi prope metropolim Atrebatum etiamnum visitur* Bariacum villa, *alias* Bajerium *et* Bojerium, *vulgo* Boyri Sainct Rictrude, *ubi a nece S. Adalbaldi in prædio suo S. Rictrudis opiparo et regio condigno magnificentia convivio excepit cum Optimatibus Regem, ac benedictum a S. Amando velum capiti superposuit, vitam monasticam auspicatura, ut in ejus Vita refert Hucbaldus.*

AUCTORE G. H. in pago Adartensi,

Austerbanto,

13 *Alter* pagus Ostrebannus, Ostrebantus, Austerban, Austerbantus, Austrebatensis, *seu* Austrebantia *ditio, fluviis Sensseto, Scarpa, et Scaldi, qua illi in hunc ad Buchainum et Mortaniam deveniuntur, inclusa, nomen videtur accepisse, quod limes fuerit Austrasiæ, cujus regno Cameracesium, Hannonia et Bracbantum, tunc contiguæ provinciæ subjiciebantur: hant enim Belgis limitem, confœderationem, vinculum sonat. In hoc* Austrebanto *erant* villæ Gangiacum, Rollaginm, *et* Lambræ *prope Duacum in hujus agro sitæ. Quin et* Marchianense monasterium, *quod infra in hujus Chronica, in* allodio S. Adalbaldi *exstructum* B *dicitur, in allato diplomate* Austrebatensi *pago, ab aliis scriptoribus* Pabulensi *attribuitur, utriusque ditionis limes. Inde autem a Scarpa fluvio* Pabulensis pagus, *vulgo* Pevele *per Castellaniam, ut vocant, urbis Insularum extenditur. Caput hujus regionis teste Buzelino lib.* 1 *Gallo-Flandriæ ab octingentis annis fuit* Orchiacum *oppidum Atrebatum, Ptolemæo* Origiacum, *posterioribus* Orcia, Orceia *et* villa Orciensis, *cujus amissionem quasi deplorant monachi Marchianenses in Chronico suo, et Vita S. Rictrudis (horum verba Beauschampius pagina* 152 *profert) vero ulus simile videtur aliquod* S. Adalbaldo *fuisse Orchiaci dominium, per testamentum* S. Rictrudis *cum reliquis ejus bonis ad* Marchianenses *translatum.*

Pabulensi,

Medenanto,

14 *Quartus in memorato diplomate est* pagus Medenentensis, *in divisione Ludovici Pii* Medenenti, *Audoeno in Vita S. Eligii* Medenantensis; *nomen forte ab oppido Menena ad Lisam sortitus, inde per Ferrainam et Melanthiasam Castellaniæ Insulensis ditiones porrectus. In Chronico Gandensi S. Bavonis apud Sanderum lib.* 4 *rerum Gandavensium cap.* 3 pagus Melanthesius, *et* Medelentisis, *sub Comitibus Flandrorum appellatus, ut supra in fragmento et Chronico Marchianensi* pagus Flandrensis, *quod temporibus Bal-* C *duini Pii Comitis hæc Insularum Castellania, unde ipse sæpius istic degens,* Insulanus *cognominatus est, Flandriæ nomine comprehenderetur. Est istic* Roncinium *juris etiamnum Marchianensium, cultuque et reliquiis S. Rictrudis celebre. Demum* pagus Leticus *continet in reliqua Gallo-Flandria Werpestum et Carembaltium, eisque vicinos ad* Lætiam, Legiam, *seu* Lisam *fluvium agros, ubi prope Bassæam* Haina *vicus visitur in diplomate recensitus. Ad sinistram vero Lisæ ripam* Broylum *est ab monasterium istic olim a* S. Mauronto *extructum nunc* Mauronti-villa, *vulgo* Mereville *appellatum. Inde late per Flandriam Occidentalem modernam extensus* Comitatus Leticus, *continet memoratam* villam Rinengam, *quæ Ipris Furnas abitur. Ceterum ea omnia loca, anno illo* DCCCLXXVII, *regno Caroli Calvi adhuc subjiciebantur, non Balduino Ferreo Flandriæ Marchioni illius genero attributa. De* Flandriæ *tunc parvis limitibus et variis istic Comitibus agimus in Februarii ad Vitam S. Anscharii §.* 5.

Leticus

15 *Hæc de possessionibus* S. Adalbaldi, *quantum certiore conjectura assequi potuimus: quibus an illustris aliquis Comitis aut Ducis titulus annexus fuerit, hic paucis inquirendum. Primo hi Comites et Duces sub Francis Merovingis, utpote nudi et temporarii Officiales, debebant ad nutum Regum institui, promoveri, mutari, deponi. Duces præerant universis provinciis, Comites singulis civitatibus: utrorumque erat juri dicundo operam dare, vectigalium exactionem curare, munire et tueri urbes, præesse rei militari; Ducum delectum imperare Comitibus, et milites per pagos divisos ad bellum producere: Comitum vero delectum conscribere ac militibus sub Ducibus præesse. Comitum denique votum erat Ducatus tamquam dignitatum apex. Singula ex coævis scriptoribus erudite confirmat Antonius Dadinus lib.* 1 *de Ducibus et Comitibus provincialibus Galliæ cap.* 4 *et* 5. *Secundo similes Comites in prænominatis Belgicis regionibus fuisse persuadet eadem istic consueta tum regendi ratio, temporibus Caroli Calvi adhuc continuata: in cujus diplomate relato leguntur* Comitatus Atrebatensis *et* Leticus*: dein in Capitulis ejusdem anno* DCCCLIII *ad Silvacum factis* Missi *ad varios* Comitatus *designantur. Ex his fuisse* Torholtanum, Iseretium, Leticum, Tervanensem *et* Bononiensem, *ad quos tum* S. Folquinus Episcopus Tervanensis, *in cujus diœcesi erant, mittebatur ostendimus §* 5 *ad Vitam S. Anscharii in Februario. Alii suberant Episcopis vicinis; de quibus hæc istic leguntur:* Immo Episcopus *Tornacensis,* Adalardus, Abba, Waltcaudus, Odelricus Missi in Noviomiso, Vermendiso, Adertiso, Curticiso, Flandra, Comitatibus Engilramni et in Comitatibus Waltcaudi: *qui fuerint in* Austrebanto, Medenato *et pago* Pabulensi, *et apud Gandenses ac* E Tornacenses; *ut alibi probabitur.* Dottonem *sive* Attonem Tornacensium Comitem *sub Dagoberto referunt Baudemundus in Vita S. Amandi et Audoenus in Vita S. Eligii.* Austrobantiæ *vero* Comitem *fuisse* VIII *seculo Christi* B. Aldebertum, *maritum S. Reginæ, testantur* VIII *Octobris Acta S. Raguenfredis filiæ, primæ monasterii Dononiensis ad Scarpum fluvium Abbatissæ. Huic* Austrobantiæ *diploma Caroli Calvi, ut ante dictum est, subjicit* Lambras, *prope quas* Erchenoaldum *post mortem* Adalbaldi *in hujus possessione ædificasse castrum* Duacum *auctor est Andreas Silvius infra epitome* 5. *Sui deinde* Duaceno *castro sub quo fuerunt* Comites, *quorum jus postea hæreditarium factum cessit* Comitibus *primo* Valentianarum, *dein* Hannoniæ *universæ. Quapropter* Balduinus Comes Hannoniæ Hierosolymitanus *dictus apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap.* 112 *in diplomate Marchianensibus anno* MLXXXIX *dato appellatur* Comes Hainavensium et Valentianensium, nec non et Duacensium et Austrovantensium Comes. *Imperabat tum Flandris Robertus Frisius, cui Duacum cessisse, ejusque filio Roberto Juniori permisso Moguntiaci fœdere, ab* F *Imperatore Henrico attributum ferunt.*

Duces et Comites olim temporarii:

Comites in ditionibus prænominatis,

16 *His positis facilior ad exponendam* Adalbaldi *dignitatem via sternitur. Eum namque Hucbaldus deprædicat* in aula Regis carum valde et honorabilem; *auctor Vitæ S. Eusebiæ,* inter Palatinos Proceres potentissimum, *ut non tam inter* civitatum Comites *quam* provinciarum Duces *videatur censendus. Quem Ducis titulum ei attribuat Baldricus lib.* 1 *Chronici Cameracensis cap.* 22 *ubi S.* Maurontum *dicit* filium Adalbaldi Ducis atque Rictrudis. *Quod deinde fecerunt Andreas Silvius, ubique Marchianenses; quorum aliquis Poeta* Duacensibus *hunc* Ducatum *affingit in quodam de S. Rictrude rhythmo apud Beauschampium pagina* 88 *cujus aliquot versus hic damus.*

S. Adalbaldus ... Dux ...

posteriores ... appellatus,

Hac in die pangat pie
Noster chorus concanorus
Rictrudis præconia.

De Vasconum stirpe clara
Prodit istæ Deo cara
Factis, fama, moribus.

Annos Virgo sortita nubiles,
Apud viros fit nota nobiles,
Forma, vita, laudibus.

Nubit

Nubit Duci Duwacorum
Viro sancto, viro morum.
Viro summæ indolis etc.

*Beauschampius mox* nullum ambigendi locum *vult* relictum, cum in ore duorum vel trium testium stare dicatur verbum. *Sed hunc vel unicum quærimus ævo* S. Adalbaldi *propinquum. Auctor hujus non ante annum* MCC *vixit, quando olim Marchianenses scripserunt* castrum Duacense post mortem Adalbaldi extructum. *Colunt sane* Duacenses S. Adalbaldum, *virum illustri genere natum, et forte unius aut plurium provinciarum Ducem.*

## § IV *Loca conjugii et necis in Aquitania, ætasque S. Adalbaldi.*

A*ltera Galliæ regio conjugio et nece* S. Adalbaldi *illustrata*, Aquitania *est : cujus ea pars, quæ Garumna fluvio, Pyreneis montibus et Oceano continetur, Julio Cæsari sola fuit* Aquitania, *qua voce adjunctis et ab Augusto quatuordecim populis ad Ligerim fere extensa,* Aquitania III, *tum a distinctis in ea populis* Novempopulania : *denique sub Francorum regimine a novis habitatoribus maxima sui parte* Vasconia *appellata est, in duas deinde divisa nationes,* Basconiam *vulgo* Bascos, *et* Gasconiam *vulgo* Gascos. *Quam distinctionem circa annum Ch.* MC *observavit Guibertus Novigentinus in Gestis Dei per Francos in Oriente, ubi in editione Jacobi Bongarsii pagina* 536 *de* Gastone viro illustri atque ditissimo *dubitat*, utrum de Gasconia an Basconia foret. *Continet autem hæc* Basconia, *aliquibus* Vascitania, Lapurdensem agrum, Navarram inferiorem, *seu* Gallicam, et Vicecomitatum Solensem; *a reliqua* Gasconia, *alias* Vera Vasconia, *incolarum moribus, lingua et vitæ instituto plurimum diversa. Quia autem* Aquitania *universa sub imperio Visigothorum olim fuerat, etiam* Vascones *hos cum* Gothis *confundunt Andreas Silvius cum suis Marchianensibus, Beauschampius, Lhermite, aliique dum* Hernaldum Vasconem, patrem S. Rictrudis *ex regia S.* Hermenigildi Martyris *aliorumque* Visigothorum *familia censent oriundum : quod ut fidem habeat, certius esset probandum. Alarico namque Rege perempto,* Novempopulania, *Chlodoveo I cum reliqua* Aquitania; *anno* DVII *cessit, a posteris continua possessione detenta : dum hi* Vascones, antiquus Hispaniæ populus, *atque a* Gothis *diversus, eam occupare cœperunt sub annum Christi* DLXXXVIII, Regibus *tum* Austrasiorum Childeberto, Burgundionum Gunthramno, *ac reliquorum* Francorum Chlothario II *adhuc puero; quorum tum factas* depopulationes *describit Gregorius Turonensis lib. 9 Hist. Francorum cap. 7; atque sedibus suis prope Pyrenæos montes fixis pelli possint, optat in poemate ad Galactorium Comitem Fortunatus lib. 10 carm. 22. Eos potentia quotannis majore accrescentes, a* Theodeberto et Theoderico, *filiis Childeberti,* anno regni VII *Christi* DCII, devictos, *eorumque regimini* dato iis Duce Geniali, *subjectos esse tradit Fredegarius in Chronico cap. 21, additque cap. 54* Palladium ejusque filium Senocum Episcopum, anno Chlotarii XXIII, *Christi* DCXXVI exilio retrusos *tamquam* conscios rebellionis Vasconum *tunc motæ; ac tandem, ut dicitur cap. 57, a* Chariberto *ejus filio,* anno regni III *Christi* DCXXX *repressæ, iis iterum sub ejus* ditionem redactis, *atque ab obitu ejus ad regnum Dagoberti anno* DCXXXVII *translatis; cujus anno* XIV *Christi* DCXLI *cum rursus hi* Vascones fortiter rebellassent, *teste eodem Fredegario cap. 78, ab ejus exercitu* oppressi et perdomiti *sunt, immissis sub* Præfecto Chadoindo Referendario decem Ducibus, *quibus singulis sui suberant Comites.*

18 *Qui inter hos Duces appellatur* Ariardus, *seu* Chariardus, Dux ex genere Francorum, *forte* S. Adalbaldus *videretur quamvis aliam ob caussam a* Dagoberto Rege *ipse* inter Palatinos Proceres potentissimus, *et priore tempore quidem in* Vasconiam *missus, cum* S. Rictrude *matrimonio conjunctus fuerit : cui illa in Belgicam adducta peperit* S. Maurontum, *per sacrum baptisma a* S. Richario *regeneratum, quod sub* Dagoberto *factum fuisse Acta illius* XXVI *Aprilis requirunt. Aderat ea tempestate* S. Amandus Elnone *in vicino monasterio a se ab* anno regni Dagoberti XI, *Christi* DCXXXVIII *extrui cœpto, qui ante mandato Dagoberti exulare jussus, circa annum* DCXXXIV geminam B. Rictrudis aggressus patriam Vasconiam, hanc pulchram sibi cœlitus infuso irradiarat lumine stellam *ut Hucbaldus in hujus Vita tradit. Idem Amandus dicitur Buzelino lib. 2 Annal. Gallo-Flandriæ, in Vasconia utrumque matrimonio junxisse : quasi ante annum* DCXLII *Episcopatum Trajectensem reliquisset, quem anno tantum* DCXLVI *finiente aut sequente suscepit, cum ante et S. Clotsendem alteram eorum prolem de sacro fonte suscepisset, et fundum obtinuisset. Tertiam prolem* Eusebiam ex sancto lavacro suscepit Nanthildis Regina uxor Dagoberti : *seu, ut epitome 6 refert,* Rex Dagobertus et Nanthildis Regina. *Vita functi sunt* Dagobertus *anno* DCXLVI, Nanthildis *vero anno* DCXLVII : *ut vel hinc de ætate parentum conjici queat. Genita tandem ultima proles* S. Adalsendis, *quo tempore* Jonatus *Marchianense monasterium jam prope perfecerat, in eoque sanctimoniales congregabat; absente tunc in sua Trajectensi Episcopatu* S. Amando, *qui monachos istic haberi voluit. Cum autem hic renuntiata* cura Episcopali limina Apostolorum pro tertia vice petere decrevisset, prædicto Jonato Marchianensi Elnonense cœnobium similiter duxit commendandum *ut apud Buzelinum lib. 1 Gallo Flandriæ cap. 41 traditur verbis Chronici Elnonensis.*

19 *Sub hujus Jonati apud Elnonenses præfectura,* S. Adalbaldum *et occisum a Vasconibus, et relatum Elnonem, sepultumque supra versibus Poetæ Elnonensis retulimus : ut videantur circa annum* DCL *et Jonatus Elnonensibus præpositus, et SS. Amandus et Adalbaldus e Belgica profecti, ille Romam, hic in Aquitaniam; ubi insidiis circumventus et occisus fuit. Necem sanctissimi mariti luxit cum familia sua* S. Rictrudis. *Quo tandem luctu sopito, sollicitata est ad secundas nuptias, instante blanditiis Rege, urgente etiam minis, ut eundem ex Optimatibus suis nuberet. Consilio interim usa* S. Amandi, *qui Roma redierat, velum ab eo sacratum, coram* Rege *ad convivium* in villa Broylo *invitato, capiti imposuit : vitamque monasticam apud Marchianenses mox auspicata, tres etiam filias suas in ætate adhuc tenera uni despondit Christo : et* Eusebia *quidem apud* S. Gertrudem *proaviam in Hamatico monasterio educabatur, tanta sapientiæ ceterarumque virtutum expectatione cumulata, ut proaviæ mortuæ in* monasterii regimine successerit ætate duodennis. *Cum autem ea vivo adhuc* Rege Dagoberto *videatur nata circa annum* DCXLIII; *in Abbatissam Hamaticensem electa esset circa annum* DCLV, *quo tempore tribus minimum annis e vivis sublatus fuerat* S. Adalbaldus, *ut annus ejus cædi videatur* DCLII *assignandus. Interemptus autem est inter eundum, seu* itinerandum, *cum in* Vasconiam abiret, *ut in Vita S. Rictrudis et Eusebiæ legitur :* insidiis *vero consanguineorum,* cum per Aquitaniam iter perageret et ad Petragoricum solum pervenisset; *ut traditur in Chronico Marchianensi. Sunt autem Petracorii populus Aquitaniæ II, unde proximum iter conficitur in Aquitaniam III, seu Vasconiam. Rosweidus in Historia Ecclesiastica Belgica tradit* Ablatonis in agro Petrocoriensi martyrium subiisse. *Buzelinus se comperisse ait, cum* haud procul Ernoldi domo cæsum fuisse, *quod alibi non legimus;* Ablaton, *vulgo* Blaton *pagus est moderuæ Hannoniæ prope oppidum Condatum : ut aliqua possit confusio subesse.*

VITA

A

# VITA
## Ex Variis antiquis Scriptoribus.

### EPITOME I.
### ex Actis MSS. S. Rictrudis,
### *auctore Hucbaldo monacho Elnonensi.*

Temporibus ergo præfatis, cum crebro Francis Wasconia fieret *a* permeabilis, Rictrudis puella bonæ indolis, jam facta nubilis, videtur, deligitur atque eligitur a quodam Francigena, Adalbaldo nomine, natalibus orto præclaris et justis. Mater denique ejus Gerberta fuerat, filia S. Gertrudis in monasterio nunc Hammatico dicto, a se ædificato, requiescentis. Ipse etiam a puero optimis institutus disciplinis, copiosis pollebat et fundis et divitiis : atque in aula Regis carus valde erat et honorabilis. Dignus plane vir, qui maritus existeret dignæ Rictrudis : a quo juxta morem desponsatur, dotatur, atque in contubernium matronale, licet quibusdam nolentibus puellæ consanguineis, assumitur. Caussa vero uxoris ducendæ non fuit incontinentiæ, sed caræ sobolis habendæ. Sed et ea conveniunt in (B) utrisque, quæ spectari solent in eligendo marito vel uxore. In viro enim virtus, genus, pulchritudo, et sapientia, quæ ex his ad amoris affectum potior est, inerant : in uxore autem pulchritudo, genus, divitiæ, et mores, qui magis quam cetera quærenda sunt, habebantur. Et ne multis immoremur, secundum Apostolum erat illis honorabile connubium et thorus immaculatus.... Igitur compage fidei et caritatis sic adhærentes sibi, ut essent duo in carne una, et non jam duo, quia una caro, unanimes uno ore et concordi operatione honorificabant Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi, omnibus diebus suis servientes Domino in sanctitate et justitia coram ipso, qui habitare facit unanimes in domo. Nati quoque sunt eis filii secundum benedictionem Domini, quam primo dedit homini, Crescite, inquiens, et multiplicamini, fuitque eis primogenitus nomine Maurontus, postea Abbas et Levita sanctus, et filiæ tres sacræ virgines : Clotsendis post obitum matris ejus monasterii rectrix ; Eusebia bona Dei cultrix secundum interpretationem sui nominis ; post has quoque Adalsendis. Quos, cum essent parentes eorum justi, et per seipsos, et per familiares sibi servos Dei, educaverunt et erudierunt in timore Do- (C) mini, auctos ab infantia benedictione cœlesti. Mauronto siquidem venerabilis Deoque dignus Sacerdos *b* Richarius Pater spiritualis extitit, eumque per sacrum baptisma Deo regeneravit. Clotsendem egregius Pontifex *c* Amandus, quia sacris dignisque manibus e fonte salutari excepit, in omnibus Deo dignam reddidit. Eusebiam vero ex sancto lavacro Nanthildis Regina uxor Dagoberti suscepit. O vere beata et Deo placita progenies ! De hac denique dicitur certe : O quam pulchra est casta generatio cum claritate.... Post hæc bonæ et laudabilis memoriæ Adalbaldus, devotæ Christi famulæ Rictrudis maritus, a pago Austrobantinso, ubi etiam pluribus locupletabatur possessionibus, eundi Wasconiam nimium triste sais iter arripit. Quem nobilis matrona Rictrudis aliquantulum prosequitur ; sed quam citius domum, prout ei jussum fuerat, mœrens revertitur. Mens enim futuri quodammodo præsaga doloris, jam portendebat quod adhuc ignorabat : et quod nondum patiebatur, jam veluti lamentabatur. Quid multa ? Inter eundum insidiis malignorum, et, ut fertur, eorum quibus tam sanctum displicuerat matrimonium, vir justus appetitur, vulneratur, perimitur. Honorifice deinde, ut decebat, tumulatus (D) obsequio, defunctus seculo, vivit Deo : vivit, inquam, vivit ejus felix anima illi cohærens, quæ vera est vita. Quod attestantur signa, quæ ob illius declaranda merita, ad ejus mortua frequenter ostenduntur ossa. Neque multæ fiunt moræ in his nuntiandis Rictrudi, Dei famulæ : quæ tam tristi perculsa relatione, non modico afficitur animi mœrore : augescitque sensim dolor dolore dolentium sobolum ; crescit luctus luctu lugentium familiarum.

*a illustri prognatus genere,*

*ducit uxorem S. Rictrudem*

Hebr. 13. 4

Gen. 1. 28.

*gignit S. Maurontum, et tres filias sanctas,*

*b*

*c*

Sap. 4. 1.

*redit in Wasconiam,*

*occiditur,*

*claret miraculis.*

a *Sub Dagoberto Rege post obitum Chariberti.* — b *S. Richarius colitur 26 Aprilis.* — c *Ejus Vitam illustramus 6 Februarii.*

### EPITOME II.
### Ex Vita MS. S. Eusebiæ Virginis ejus filiæ,
### *auctore monacho Elnonensi.*

Sub ea tempestate cum eventuum varia occasione Wasconia et Francis et patriensibus fieret sub permeandi communitate, quidam Francigena Adalbaldus non ex mediocribus quilibet unus, sed inter palatinos Proceres potentissimus, locupletissimus in fundis et mancipiorum innumeris, visa ibi puella, nomine Rictrude, jam nubilibus contigua annis, quantum ad genuitatem nobilissimæ conditionis, animo in eam collapsus, nuptias petit a parentibus. Et (E) quia erat, ut dictum est, opinatissimus divitiis a propasia (siquidem mater ejus Gerberta S. Gertrudis nunc in Hammatico monasterio a se constructo quiescentis extitit filia) visum est parentibus memoratæ virginis non contrariare petitionibus viri tam illustris. Fit ergo actutum, quod Dei præscientia disposuerat fore fiendum, licet absque consensu quorundam virginis consanguineorum. Et juxta morem sponsalibus datis, dotibus enumeratis, in exemplum Patriarcharum sociantur, propagaturi semen, cui ab omnibus generationibus usque in seculum benedicetur. Nec sterilis puerpera in conceptione, peperit viro filium Mauronti nomine insignitum in baptismate, qui postmodum pro merito castigatæ vitæ, Diaconii etiam donatus est gradu et honore. Tres quoque filias ex eodem conjuge suscepit : Clotsendem, quæ postea in monasterio ejus Marchenensi præfuit ; Eusebiam quoque et Adalsendem, quæ repudiatis carnalibus nuptiis pretiosiorem his amplectentes virginitatem, meruerunt in terris vitam exemplificare cœlestem. Hos ergo parentes ad altiora contendere cupientes, et per se et per Dei servos sibi familiares studuerunt in lege Domini efficere perfectos et probabiles. Mauronto denique (F) sanctus Sacerdos Richarius bonorum omnium præconio dignissimus Pater spiritalis extitit. Clotsendem Præsul Amandus fama virtutum suarum quaquaversum notificatus ex sacro fonte suscepit : Eusebiam Regina Nantildis conjux Dagoberti Regis. In susceptione autem spiritualium filiorum valuit oratio tantorum Patrum, quæ eos Deo reddidit commendabiles, et sui pro posse imitatores. Quantus enim erga Dominum eorum fuerit affectus, indicium est miraculorum et virtutum per eos ostensarum effectus. Vir igitur illustris Adalbaldus felicissimæ virtutis maritus, caussis quibusdam rei familiaris exigentibus, arripuit iter Wasconiam itinerandum : insidiis appetitur eorum, quos supra diximus non assensisse in ejus conjugium. Prævaluit ergo iniquitas eorum adversus innocentem virum : sublatumque ab hominum oculis sistunt conspectibus Divinis, in consummatione certaminis parem factum suo sanguine decoratis. Affuit illico conniventia obsequii *a* famulorum Dei, a quibus sibi debitum accepit honorificæ sepulturæ locum, qui usque hodie meretur experiri, cujus pignora retineat commendata sibi. Nec potuit matri-familias esse celatum, quod ita futurum antea erat

*S. Rictrudem ducit uxorem,*

*par illi nobilitate :*

*gignit 4 liberos, dein sanctos :*

*occiditur, par Martyribus.*

*a*

A erat præscitum : quæ certissima facta, de viri consummatione, licet tristaretur pro sua viduitate ; tamen lætabatur in illius glorificatione : utpote quem sciebat stola immortalitatis candidatum, jam cum Christo regnare. Celebratis igitur pro eo exequialibus officiis, init consilium cum Philochristis, qui erant ei a secretis, de effectu suæ salutis, inter quos beatus Amandus consilii perspicacia et salubritate erat præcipuus. Cujus hortatu et admonitione aggressa, quod etiam adhuc viro vivente, si humanum aliquid contingeret, disposuerat facere, decrevit se divino famulatui mancipare sub sancta professione.

a *Hos infra Poeta* Angelos *asscrit.*

## EPITOME III.

### Ex poëmate MS. de Vita S. Rictrudis, *auctore Joanne monacho Elnonensi.*

Ergo supra satis tandem cum pervia Francis
Hæc eadem fieret Wasconia, quæ vocitata,
*a* a Varceia est alio cognomine, cumque frequenter
*In Vasconiam profectus* Jam penetraretur crebro properantibus illuc
Militibus Regis, Rictrudis sancta puella,
Flore juventæ perfectaque ætate potita,
B Cernitur, eligitur, blanditur diligiturque
Francigena a quodam prædulce viro atque venusto,
Nobilibus ceu præclaris natalibus orto,
*S. Adalbaldus, nobilis,* Nomine Adalbaldo, ex Gerberta matre creato,
Filia quæ fuerat Christi famulæ Geretrudis,
Quæ suffulta piis vitæ meritis requiescit
Nunc tumulata monasterio in Hamatico, ab ipsa
Muneribus propriis et sumptibus ædificato.
Hic etiam a puero jugiter monitis perfectæ
*dives,* Doctrinæ instructus, fundis opibusque vigebat
Largifluis, carusque extabat Regis in aula,
Actibus inque suis laudabilis et pretiosus,
*et pius :* Divinæ pariter pietati jure placebat :
Vir reverendus et illustris, qui fœdere casti
Conjugii dignus sponsæ fieret venerandæ,
Matronæque piæ, Rictrudis scilicet almæ.
A quo etenim juxta morem hæc ipsa decenter
*S. Rictrudem ducit uxorem* Desponsatur, suscipitur, donatur, et hæret
Sponsali pacto feliciter associata,
Atque decore pudoris juncta thoro immaculato.
O sociale decus, pietas, dilectio, virtus,
Sanctorum mentes quanto fervore fidei
Accensas reddunt opera ad bona semper agenda !
Nam sententia Apostolica hortatur famulantes
C Atque placere Deo cupientes, lege jugali
In cunctis ut sint connubia semper honesta.
*sancte ambo vivunt* Quorum membra vigore pudicitiæ decorata,
1 Cor. 6 20. Glorificando Deum et portando in corpore casto,
Membra ejus rectæ fidei merito efficiantur.
Præfatos igitur Sanctos dilectio vera
Consociavit, divini fervoris amore
Flagrantes simul, et pietatis honore vigentes ;
Ut fierent pariter duo in una carne manentes :
Rursus et essent non gemini, sed rite caro una,
Qui jugiter virtutum culmine proficientes,
Unanimes, una et sociali mente studebant
Magnificas semper Domino persolvere laudes,
Atque pii famulatus obsequio cupientes
Æterni arbitrio Inspectoris jure placere,
Immaculata suæ ducebant tempora vitæ.
Nempe simul his connexis compage bonarum
*eorum liberi* Virtutum, Domino tribuente, exorta refulsit
Natorum proles veneranda et sancta propago
*SS. Maurontus,* Scilicet egregius vir, post qui claruit almus
Abbas et Levita, assumptus sorte benigna,
Nomine Maurontus : germanæ ejusque sacratæ
Tres, quarum fuit una monasterii moderatrix
Post matris decessum, Clothsendis vocitata,

Vera Dei cultrix : huic Eusebia inclyta virgo D *ex vita S. Rictrudis*
Ordine nascendi successit, quæ reverenter
Actibus implevit, proprio quod nomine signat.
Tertia Adalsendis post has est denique dicta *Adalsendus,*
Quos etenim divina imbutos lege parentes
Sanctis doctrinam monitis docuere salubrem.
Hinc igitur meliora sequens hoc stemma beatum,
Eximiæ exercebat opus pietatis ovanter,
Assistendo inopum simul et miserando labores, *miseris succurrunt,*
Jejunis tribuendo cibum, sitientibus haustum,
Hospitibus tectum, nudis velamina dando,
Carcere constrictis juge concedendo levamen,
Infirmos nimio affectu mentis refovendo,
Funeris obsequio defunctis subveniendo.
Talibus invigilans mandatis denique Christi,
Exemplum justæ præbebat relligionis.
O quam pulchra manet semper miseratio casta!
Quæ fidei fulgore operumque decore refulget, Sap. 4 1
Præcinctos retinens lumbos, manibusque lucernas
Ardentes gestans, divina luce coruscas ;
Psalmicani psallendo sacri sententia scribit.
Hæc jugiter Dominum quærens generatio nempe est, *omni virtute claret.*
Corde, manu præstans, insons credendo, operando,
Dona pie : quæ percipiat promissa salutis
Gressibus et fidei virtutum scandat ad arcem,
Ut sibi proveniat tandem benedictio Christi. E
Mitis Adalboldus post hæc Wasconiam adire,
Disponens, a pago ubi ditabatur honeste, *S. Adalbaldus rediturus in Vasconiam,*
Munifica et gazarum fertilitate vigebat.
Triste suis nimium suscepit iter ; properantem
Hunc pia prosequitur conjunx, et sponsa benigna
Inclyta Rictrudis, præsaga mente dolorem
Portendens jam venturum, citiusque regressa,
Quæ nondum patiebatur, nec experimento
Noverat, hæc deflendo animi mœrore gerebat.
Cumque dehinc patriam ad præfatam verus abiret
Ille Dei cultor, hostiles forte malorum
Perpetitur hominum insidias, crudeliter atque
Cæditur, afficitur, mactatur, percutiturque, *occiditur*
Vulneribus diris laniatus, sicque peremptus
Eximitur mundo, cœli sed sede locatur.
Nec mora, suspectam perturbant nuntia mentem
Rictrudis Christi famulæ, fama volitante,
Mœstitia atque gravis postquam manifesta doloris
Extitit, ingenti gemitu, lacrymante tumultu *luctu suorum :*
Servorum, luctus nimium augebatur amarus
Lugentum sobolum, et deflentes prorsus alumni
Tristabantur. At illa Dei virtute repleta
Cœlesti fidei solamine ceu bona mater
Hos refovebat, proponens non esse dolendum F
Hæc super : at potius majestati referendum
Divinæ grates, quondam hic bonitatis amator,
Vir quamvis fuerit humanis rebus ademptus,
Militiæ tamen Angelicæ consortia adeptus
Promeruit nivea, in justorum adscribier albo.
Nam quantus qualisve fuit, patrata frequenter
Signa suum ad tumulum ostendunt pietate benigna. *patrat miracula,*
Nec dubie in cœlo hic decoratur luce perenni,
Mirificis cujus virtutibus ossa refulgent
In terris ; ubi multa fideli digna petenti
Munera præstantur hoc sacro interveniente.
Interea, memorande Pater, tua gesta decebat
Carmine dulcisono, et claris ornare Camenis.
Sed quia nulla datur misero mihi copia fandi,
Suppetit et tenuis tacitæ vix sermo loquelæ;
Pauca tamen refero; cum sint numerosa tuarum *invocatur a Poëta.*
Virtutum magnalia. Nunc precor, alme Patrone,
Ipse tuum ut merear semper sentire juvamen,
Atque tuis precibus Divino munere dignus,
Regna beata poli, et patriam penetrare supernam,
Qua Regem cernes feliciter omnipotentem,
Et rerum auctoris Domini specie atque decore
Perpetuo intuitu satiaberis, atque frueris,

Præmia

A Præmia terdenæ sumens condigna coronæ.
*Ex Vita S. Eusebiæ.* Civibus æthereis junctus per secla. Valete.

a *Ita S. Audoenus in Vita S. Eligii dicuntur* ferocissimi Vaccei ditioni Dagoberti hostili gladio subacti. *Baudemundus in Vita S. Amandi* : Vacceiam appellavit antiquitas, quæ nunc vulgo vocatur Wasconia, *ubi pluribus de hac re agetur.* — *Vaccia pro Vasconia.*

## EPITOME IV

### Ex poemate de Vita S. Eusebiæ.

Verum regnorum permixtio facta duorum,
Wasconiam impune Francis præstabat adire
Inter discursus, quos crebros fecerat ausus,
*Matrimonio junguntur SS. Adalbaldus et Rictrudis,* Mactæ virtutis quidam natalibus amplis
Francus (Adalboldum fert ætas prisca vocatum)
Illic conspecta generosæ stirpis alumna
Nomine Rictrude, capitur pellectus amore.
Indole præclara comis hæc quippe puella
Simplicitate sui se commendabat amanti.
Nec mora, conductis spondetur lege propinquis :
Non enim visus illis vir rejiciendus,
Quem complectendum faciebat gloria rerum,
Divitiis multis et magnum nomen honoris.
Sponsatam dotat, quod scripto jure resignat.
B Sic duo felici felices omine juncti,
Plus propagandæ sobolis, quam carnis amore.
*hujus amicis ægre ferentibus.* Displicuit pactum tali cessisse procorum
His consanguineis, qui fastu nobilitatis
Quoslibet illustres ducebant inferiores.
Indignum facinus cognatam hoc conjuge rentur,
Vindictaque modo dignum contendere bello.

. . . . . . . . . . . . . . .

Auspiciis primis, si vulgo creditur, illis
Filius est natus, et sacro fonte renatus,
*gignunt SS. Maurontum,* Nomine Mauronttus, ab avito stemmate ductus ;
Ipse Diaconii donatus honore potiri,
Virtutum plenam post duxit prospere vitam.
Tres etiam natæ, quæ postea virginitate
Christo sacratæ, virtutibus enituere :
*Clotsendem,* Glotsendis major natu, vitæque probatu,
Atque monasterii suscepit jura tueri.
Altera sectatrix promptissima virginitatis,
*Eusebiam* Claruit Eusebia, per quæ narrabimus acta.
Tertia quæ fuerit tantummodo nomine pandit
*et Adelsendem.* Sermo vetustatis, nihil amplius inde reliquit :
Et cur, nescitur ; multorum pauca feruntur
In libris : quod non adeo res proxima voto,
Scribere quæ merito sint conservanda sigillo.
C Aut si sunt scripta, situs hæc absumpserit : aut quod
*Acta eorum quæ perierunt.* Sustulerit casus. Nam fertur Gallica tellus
Northmannica cæde, populatu, perditione,
a *a* Olim deleta, vici, castella subacta,
Ecclesiæ sacris incensæ despoliatis :
Harum thesaurus sic deperiisse probatur,
Ornatus, Vitæ Sanctorum, plurima quæque,
Supra quæ præsens ætas dolet his caruisse.
A quibus excepti, quibus instructoribus alti,
Hos amplectentes, votis potiora, parentes,
Ingenuos natos commendant erudiendos
Divinæ legis fautoribus atque magistris.
*Mauronttus a quo in baptismo exceptus.* Sanctus Richarius meritis vitaque probatus
Maurontum sacri suscepit fonte lavacri.
Præsul Amande tuis conceditur inclyta lucris,
Glothsendis castæ decus exemplatio vitæ.
Eusebiam nitidis compsit Regina Mathildis.

. . . . . . . . . . . . . . .

Martyr Adalboldus cœlestia regna meretur.
Præsciérat proprüs consortem vis Deitatis
*S. Adalbaldus Martyr,* Martyrem Adalboldum merito sub honore vocandum.
Id qui contigerit, dicta ratione liquebit.
Testatu patris, matris datione, coemptis
*cujus possessiones.* In fundo dominus erat, et hos auxerat ejus
Donatæ larga possessio, prædia multa.

D Sæpe virum late parentis ad omnia terræ
Fulta fatigabat, privatim, publice, cura.
*rediturus in Vasconiam,* Impulit hæc etiam fatis erumpere caussam,
Ob quam Wasconiæ fines tentabat adire.
Captum consilio conjux deturbat ab illo,
Venturi præsaga mali : nec profuit illi.
Vicit fortuna, parcæ subtemina laxant.
Tunc iter accelerat, mora quamvis parvula vexat,
Spernit conductus, subiit discrimina solus.
Adsunt insidiis protecti more latronis,
*occiditur avulso capite,* Cognatæ nuptus quibus apparebat ineptus ;
Invadunt, lacerant, gazas sibi spargere certant,
Detruncant demum caput a cervice revulsum.
Emicat ad superos exultans spiritus : illos
Angit formido ; fugiunt ; nec sistere tutum.
Res admiranda, mira novitate secuta.
Nec putet idcirco creperum quis me : neque ficto
Uti pro facto, post famam plebis opinor.
*id manibus defert,* Nisibus erectum propriis stetit ecce cadaver
Martyris, ambabus manibus caput accipit, atque
Ulnis devectat, non prædux ullus euntis.
*Angelis comitantibus* Angelicus tantum chorus hymnizans comitatur
Usque locum tumuli. Mirantur numine facti,
*sepelitur.* Cernentes meritum Sancti, venerantur et illum :
Condigno tumulant loculo cum supplice voto.

a *Hinc patet aliquot seculis post Normannicas irruptiones hæc scripta.* E

## EPITOME V

### ex lib. I Synopseos Franco-Merovingicæ,

### *auctore Andrea Silvio*

Hæc B. Rictrudis, in diebus adolescentiæ, nupsit Adalbalbo, magnifico Duci, de genere Regis Dagoberti, cujus fratres etiam fuerunt, Sigefridus, Comes Pontivensis, maritus *a* S. Bertæ Blanziacensis; et Herchenaldus, Major-domus, et Patricius Clodovei, filii Dagoberti Regis Francorum; et Ernulfus, ac Lando Remensis. Hic Herchenaldus, post mortem Adalbaldi Ducis, fratris sui, in ejus possessione perædificavit Duacum castrum; et infra construxit ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ hodie dicitur *b* S. Amati. Beata igitur Rictrudis, post necem viri sui (fratres enim ejus, et cognati eum interfecerant, eo quod Adalbaldus de genere esset Francorum, nam Gotthi Francos vilipendebant) accepto consilio a B. Amando, cum eam ad secundas cogeret nuptias Rex, Marcianas venit, et tres filias suas, Gloscendem, Eusebiam, et Adelscendem Virgines inibi Deo obtulit.

*S. Adalbaldi Ducis fratres,* a — b — *obitus.*

a *Colitur S. Bertha vidua, fundatrix et prima Abbatissa monasterii Blanchiacensis 4 Julii. De Sigefrido et aliis fratribus ante actum.* — b *Fuit S. Amatus Episcopus Senonensis, colitur* 13 *Sept.* F

## EPITOME VI

### ex Vita et miraculis S. Rictrudis,

### *auctore monacho Marchianensi.*

Cum Dagobertus Rex Francorum pro fratre suo Hailberto, qui paullo ante defunctus Wasconiam rexerat, partes illas in potestatem redegisset; de amicis suis illic frequenter mittere consueverat, prout necessitas postulasset. *a* Erat tunc temporis Archenaldus quidam Francigena nepos Regis, et secundus a Rege in palatio ejus, vir prudens et magnæ gratiæ apud Deum et homines. Qui ad ædificandas tres ecclesias de suo procuravit sumptus et expensas : quarum una S. Petri *b* Latiniaci constructa est; alia S. Fursei apud *c* Perronam; tertia Duaci in honorem sanctæ Virginis Mariæ, quæ nunc S. Amati nominatur : juxta illam, turrem quoque munitissimam et miræ altitudinis construxit, quæ in jus proprium

*Vasconibus Dagoberto subditis.* a *frater Erchenoaldi Majoris-domus,* b c

A prium B. Rictrudi, post mortem viri sui, hæreditaria successione obvenit. Unde quia Flandriarum Comites turrem illam possident, prout sibi invicem succedunt, hujus rei caussa Marchianensi Ecclesiæ conferre quinque solidos annuatim consueverunt. Hujus frater

*Adalbaldus*

fuit Adalbaldus, qui pro quodam Regis negotio, in Wasconiam profectus est. Et hic reditibus affluens innumeris, potentia et genere, quia regia stirpe progenitus magnus erat, juxta nomen Magnorum qui sunt in terra, optimis disciplinis a puero institutus,

*ducit uxorem S. Rictrudem*

et in domo Regia admodum omnibus per omnia gratiosus, visa ibi puella nobili, de qua intendimus, pro ea sibi desponsanda in uxorem, parentes inquirit, precatur, et obtinet. Et ecce viri potentes puellæ consanguinei, frustra resistendo contradicunt, indignantes quod tantæ prosapiæ puella cuilibet Francigenæ jungeretur. Contendunt, et omnia irrita facere moliuntur. Sed non datur ultra: dotata enim virgine, et nuptiis solenniter celebratis, vir cum uxore in Franciam feliciter revertitur. Sed quod sola successionis caussa matrimonium inierint, statim in suæ conversationis initio cœpit apparere. Scientes enim membra sua esse templum Spiritus sancti, satagebant ut sibi esset honorabile connubium, et thorus immaculatus.

*in conjugio caste vivit*

B Debitum quoque sibi invicem reddendum non ignorantes, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacarent orationi; noverat uterque vas suum possidere in sanctificatione et honore non in passione desiderii. Denique vir non ad uxorem amarus, sicut se ipsam diligebat: et illa timorem viro deferens, subdita erat, sicut oportebat, in Domino. Erat ambobus veræ dilectionis indicium idem velle, et idem nolle: sed in ipso apice nobilitatis, multo nobiliorem matri Ecclesiæ devotionem quotidie impendebant. Interea nati

*gignit S. Maurontum et tres filias dein sanctas;*

sunt eis filii, sacer scilicet Mauruntus, postea monachus et religiosus Abbas, filiæ tres, a primæva ætate in virginitatis proposito placentes virginum Sponso, quos per se, et per viros sibi familiares et religiosos doctrina et exemplo, bonis moribus informare studuerunt. Unde bonum quod ætas immatura non dederat, hoc in eis multiplici virtutum decore, cooperante Dei gratia, brevi enituit. In quibuscumque etenim excessibus et levissimis timentes offendere Divinæ Majestatis aspectum, bene intra se compositi, carnis gloriam, et ejus voluptates pro nihilo habuerunt. Mauronto siquidem sacer Præsul Richarius, spiritalis doctor, et patrinus extitit, et eum per baptisma salutare Deo regeneravit. *d* Clotsendem Pontifex Amandus, et eam utpote filiam salubriter in-

F struxit. Eusebia vero, *e* Dagoberti Regis et Nanthildis Reginæ manibus, de sacro fonte suscepta est: qui possessiones dederunt, et *f* reditus multos in Francia, quæ omnia erant Ecclesiæ Marchianensi occulta Dei dispositione profutura. Post hæc Adalbaldus vir ab omnibus bonum habens testimonium, eundi Wasco-

*[illegible] ditum in Vasconiam*

niam iter arripuit; suis tamen contradicentibus, cum ploratu et ululatu multo: quem Rictrudis nobilissima matrona, quantum licuit, prosecuta est, quæ statim domum mœrens jussa revertitur, eum amplius non visura. Gaudium planctus excludit, et jam mens quodammodo mali præsaga, dolorem, quem passura est in proximo, veretur. Homines igitur nequam, quibus matrimonium displicuerat, cum propinquis et amicis consilium inierant, quomodo virum illius sanctum dolo tenerent et occiderent. Et jam ad perficien-

*occiditur, claret miraculis,*

dum scelus, quod conceperant, nacti tempus opportunum, inter eundum, præparatis insidiis, eum, qui nihil morte egerat dignum, occiderunt. Offertur pro eo sacrificium, et honorifice, ut decebat, sepelitur. Sanitatum vero gratia, quam usque hodie ad sepulchrum ejus quærentes inveniunt, testis est, quod in consortio Angelorum receptus, cum eis pari gloria lætetur. Nec mora. Malum, quod acciderat, B. Ric-



trudi et amicis ejus nuntiatum est, quæ tam gravi relatione perculsa, imprimis quid ageret, quid loqueretur, ignorabat, sed dum filiorum et totius familiæ dolor in voces erumperet lacrymosas, mater turbata gravius affligebatur. Sciebat modicum plorandum esse super mortuum, cujus mors pretiosa est in conspectu Domini, sed carnalis affectus naturaliter ab ea dolorem exigebat. D

*EX VITA S. RICTRUDIS defletur.*

a *Bauschampius hæc ita refert pagina* 377. Erant tunc temporis tres clarissimi fratres, Erchenaldus scilicet Major-domus atque Francorum Patricius, Adalbaldus Dux Duacensis et Comes Sigefridus, consanguinei supradicti Regis Dagoberti, viri prudentes et magnæ gratiæ apud Deum et homines. — b *Latiniacum ad Matronam, ubi nunc monasterium et oppidum vulgo* Lagny, *de quo egimus* 16 *Januar, ad Vitam S. Fursei lib.* 2 *cap.* 2. — c *De eo ibidem actum cap.* 3. — d *Bauschampius hæc ita legit pagina* 379. Clotsendem et Adalseendem beatus Pontifex Amandus, et eas utpote filiolas salubriter instruxit. *Sed de sola* Clotsende *alii etiam aiunt.* — e *Solius* Nanthildis *meminerunt alii.* — f *Creditur* Vermacum *villa prope Suess. unam urbem fundatum, vulgo* Vergny. *Ea cessit deinde Marchianensi monasterio, eique necessarium domesticis usibus vinum suppeditavit, ut tradit Buzelinus lib.* 2. *Annalium Gallo-Flandriæ. Ejusdem Verniaci mentio fit in diplomate Caroli Calvi, de quo supra actum.*

## EPITOME VII
### ex Chronico Marchianensi.

Hic Lotharius duxit uxorem Beretrudam quamdam nobilem et elegantem puellam, ex qua genuit Dagobertum Regem et Blithildem sororem ejus secundum quosdam chronographos. Alii dicunt hanc filiam fuisse primi Lotharii avi istius. Hæc nupsit Ansberto Duci nobili in *a* Germania, unde processit Karolida progenies regia. Ex hac progenie nati sunt tres clarissimi Principes, Adalbaldus Dux, et fratres ejus Herchenoldus Major-domus occidentalis Franciæ, et Sigebertus Comes. Huic Adalbaldo nupsit gloriosa matrona Rictrudis, sicut sequens scriptura declarabit. Hic vir generosus, multis locupletabatur possessionibus in pago, Flandrensi, Legiensi, Adartensi, Austrebatensi, et Pabulensi. In hujus pagi limite ad Australem plagam, situs est locus Marcinensis super fluvium Scarpo. *b* Anno regni Lotharii Regis vigesimo quarto, porro a nativitate S. Amandi quadragesimo, construxit idem B. Amandus Ecclesiam S. Petri in Blandinio, et post Marcianensem in honore ejusdem beati Apostoli in prælati Ducis Adalbaldi allodio. E

*Adalbaldus illustri stirpe a ortus,*

*dives possessionibus,*

*b*

Lotharius Rex Beretrude Regina mortua, secundam duxit uxorem nomine Sichildam; de qua genuit Haibertum. Haiberto igitur et filio ejus defuncto, omnia quæ acquisierat, sub Dagoberti rediguntur imperio. Ex illo tempore usque in præsens Wasconia et Francia, duo scilicet regna unum sunt facta. Dux igitur Adalbaldus in Wasconiam profectus, B. Rictrudem puellam alto sanguine ortam vidit, dilexit, legitimam uxorem duxit, et in his ultimis Galliæ finibus secum adduxit. Eo tempore Adalbaldus Dux et Herchenaldus frater ejus Major-domus reædificaverunt Duacum castrum, et infra castrum ædificaverunt ecclesiam beatæ Dei genitricis Mariæ, quæ nunc dicitur S. Amati. Beata igitur Rictrudis, ut dictum est, ex generosa Wasconum prosapia (Regium Stemma, ac Senatorum genus optimum) nobiliter orta, Adalbaldo Francorum Duci potentissimo, sub Rege Dagoberto, Clodovei videlicet patre, fratrisque ipsius Sigeberti Austrasiorum Regis, qui ipsius erant consanguinei, nobiliter nupta; genuit ex ea filium nomine Maurontum, et tres filias virgines sanctissimas, Clotsendem, Eusebiam, et Adalsendem. Mauronto S. Richarius Pontivensis, pater spiritualis extitit, Clotsendi S. Amandus Elnonensis, Eusebiæ Regina Nanthildis uxor Dagoberti Regis... In regno Clodovei Princeps et Patricius fuit Erchenaldus frater Ducis Adalbaldi de genere Dagoberti, in regno Sigeberti *c* Pipinus Saxo pater S. Gertrudis virginis F

*ducit uxorem S. Rictrudem,*

*gignit 4 liberos dein Sanctos*

*cognatus S. Pipini,*

*c*

44 Nivialensis

*EX CHRONICO MARCHIANENS.*

A Nivialensis cognatus præfati Principis... Dux igitur Adalbaldus, necessitate urgente, a pago Austrebatensi, quem vulgari nomine Ostrevannum vocant, in Wasconiam proficiscitur. Cumque per Aquitaniam iter perageret, et ad Petragoricum solum pervenisset, insidiis malignorum, et uxoris suæ consanguineorum, vir justus appetitur, vulneratur, perimitur. Indigne enim ferebant tam humili matrimonio utpote Francigenæ, quam gentem d Gothæ vilipendebant, sororem suam fuisse conjunctam. Cum autem ab impiis capite mulctatus fuisset, ut quædam e scriptura refert, ambabus manibus caput suum assumens, ad ecclesiam, in qua tumulandus erat, devexit. Ad cujus sepulchrum multa illo tempore miracula facta sunt. Corpus ejus postea inde sublatum est et ad ecclesiam S. Amandi f Helnone delatum: sed quo tempore, et a quibus personis id factum sit nobis est incognitum. Rex igitur, audita nece tanti viri, turbatus est, et omnis curia Francorum lugent patriam tanto Principe desolatm. D

*in agro Petragorico occiditur*

*caput defert, transfertur Elnonem.*

a Hic Romanus *ortu passim dicitur. In Genealogia S. Tarsitiæ* 15 *Januar.* ex genere Senatorum *De hac re actum supra* § 2 — b. *Hanc Chronologiam plenius corrigimus* 6 *Februar. ad Vitam S. Amandi, aliqua supra attigimus* § 4. — c *Vitam S. Pipini damus* 21 *Febr. De hac cognatione nihil alibi legimus. Filia ejus S. Begga nupta fuit Ansigiso, cujus frater creditur Walgisus pater S. Wandregili, cui ex materna origine consanguineus erat Erchenoaldus, qui illi ad condendum Fontanellense monasterium fundum dedit. Erant ita nobilissimæ hæ et piissimæ familiæ mutuis conjugiis arcte conjunctæ.* — d *S. Ardo Smaragdus in Vita S. Benedicti Abbatis Anianæ, quam damus* 12 *Febr.* eum ex Getorum genere, partibus Gothiæ oriundum *scribit, ubi ostendemus Getas a pluribus confundi cum* Gothis, *quos hic pro vicinis Vasconibus accipiunt.* — e *Forte poema supra datum intelligitur.* — f *Beauschampius pagina* 4 1 *ait* S. Adalbaldum *caput suum tulisse ab agro* Petracoriorum Elnonem ad Benedictinos ascetas, *quod hinc refellitur.*

# DE S. HADELOGA VIRGINE,

## KITZINGI IN FRANCONIA.

*J. B.*

### § I *Kitsingensis cœnobii ortus, interitus.*

*SECULO VIII. 2 FEBR. Kitzingum oppidum,*

Kitzingum *oppidum est* Franconiæ, *sub Marchionis Ansbacensis sive Onolsbacensis, e domo Brandeburgica ditione; uti Sebastianus Seroterus in Historica descript. orbis, Petrus Avtius in Generali descript. Europæ, aliique testantur. Nobile olim sanctimonialium Virginum instituti Benedictini cœnobium fuit: cujus originem ac situm ita Gaspar Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ exponit.* Kiezingense monialium, celebri loco, ex Comitibus videlicet, Baronibus, ac nobilibus parentibus, tantum natarum, potentissimum olim cœnobium, Ordinis D. Benedicti, intra ejusdem nominis præclaræ apud Ostrofrancos urbis mœnia, ad Mœnum amnem situm, fundatum est, non a Bonifacio, seu Vunefrido, primo Archiepiscopo Moguntino, sed ad ejus instantiam et preces, anno Domini DCCXLV, a D. Adelheide, vel (ut Trithemius appellat) Adeloga, Pipini Francorum Regis filia, ejus videlicet, qui in spatio XXXII annorum saxeum pontem construxit, per quem, hodie adhuc firmissimum, itur e Kiezingo ad Eppeshusium, suburbium e regione urbis in altera Mœni ripa situm. Est cœnobium id Herbipolensis diœceseos, subditum Eberhardo ejus loci Episcopo, ab Imperatore Henrico Claudo, anno Domini MVII.

*olim nobilium Virginum cœnobium,*

*Episcopo Herbipolensi donatum:*

C In eo diplomate regio dicitur cœnobium hoc, Abbatia Kiezingen dicta, in pago Gotsfeld sita: quod argumento est, nullam etiam tunc temporis istic urbem fuisse, sed pagum tantum et villam; quam a Kiezio, regio quodam pastore, ita dictam esse, a civitatis incolis fide dignis accepimus: qui asserunt, Piscatorum plateam initium fuisse civitatis vel villæ, ac monasterio etiam ipso vetustiorem: unde omnes ejus plateæ domunculæ monialibus loci vectigales et tributariæ semper fuerunt, et in hunc diem usque sunt.

*unde appellatum?*

2 *Hæc Bruschius. Cui fidem, quam alioqui non maximam meretur, Catholicæ ipse fidei desertor, abrogare hic tamen non possumus, cum vetera nobis ejus cœnobii monumenta non suppetant. Ante tamen annum* DCCXLV *Christi ædificatum illud esse fatendum, si verum est quod in ipsius S. Hadelogæ Vita traditur, ante Caroli Martelli, parentis ejus, obitum, qui anno* DCCXLI *contigit, illud esse constructum, atque ab ipso Carolo amplis possessionibus dotatum. Quamquam potuit sub Carolomanno Duce, aut Pipino Rege, Caroli filiis, atque Hadelogæ fratribus, a S. Bonifacio egregiis aliquibus statutis, ac constanti disciplina ad sanctitatem conformari, morum etiam fortassis magistra aliunde adscita, ut mox dicemus. Quod Pipini sive Regis, cognomento Brevis, sive Herstalli Majoris-domus, filiam facit Hadelogam Bruschius, mox refelletur, cum Carolo Martello natam ostendemus. Neque tamen qui potuerit hic annos* XXXII *in pontis constructionem impendere ab anno* DCCXIV *ad* DCCXLI *suprema Galliarum præfectura administrata, annis omnino* XXVII, *satis perspicimus. At nec pluribus annis rerum potitus est parens ejus Pipinus. Nisi si quis docuerit, quod non est a verisimilitudine alienum, illos in eo tractu ampla aliqua bona possedisse, ideoque alterutrum eorum privatis suis, aut clientum suorum impensis, antequam Reip. gubernacula susciperet, eam exorsum esse substructionem; aut quem ille faciendum pontem locasset, demum post duos ac triginta annos esse perfectum, ipso jam vita functo, ut solent ejusmodi publica opera quorum absolutionem dominorum præsentia non accelerat, in longum trahi. Non enim alioqui probabile videtur, tantum spatium ad ejusmodi fabricam necessarium fuisse. Quod conjicit Bruschius, Kiezingum S. Henrici Imp. ætate urbem non fuisse, ita sit sane, at non inde id sequitur quod in pago situm fuisse cœnobium dicitur; nam* pagus, *non semper vicum aliquem, vel raræ ædificatas domos plures, nullo circum communi aggere valloque septos significat: sed totius fusam hominum multitudinem, iisdem moribus atque institutis viventem. Cui Antistiti possessionem Kitzingi ab Imperatore datam ait Bruschius, is non Eberardus (si non mendosus est, quem idem edidit, Episcoporum Herbipolensium catalogus) sed Henricus agnomine Hezelinus fuit; quem quo argumento S Heriberti Coloniensis Episcopi fratrem affirmaverit, alibi discutiemus. Minus displicet quod a Kiezio regio pastore traditur factum loco nomen, etsi magis idoneum desiderare quis posset auctorem, quam imperitam plebem, rei præsertim tam vetustæ; vixque alibi testatæ. Tale alioquin Freckenhorsti cœnobii nomen ad* XXX *Januarii retulimus in S. Thiathildis Virginis Vita a Friccone subulco deductum. Qui Bruschio Kiezius, is scriptori Vitæ S. Hadelogæ* Kuccingus *est.* E F

*quando ædificatum?*

*antiquo ponte celebre,*

3 *Floruit porro honestatis ac sanctitatis fama Kiczingum: ut propterea illustres puellæ istuc, pietate bonisque moribus erudiendæ, mitterentur. Ita de S. Hedwige in ejus Vita* XV *Octobris dicitur:* Nam in ætate puerili in claustro Lusingo sacras litteras didicit; quarum studio et tempus in juventute expendit utiliter, ac in earum intellectum postmodum consolationis internæ et devotionis hausit gratiam excellenter. *Pro* Lusingo, *Surius* Lutzingensi *scripsit. Verum nos ante annos complures monuit litteris Nissa, urbe Silesiæ, datis Andreas Stredonius noster,* Kitzingensi, vel

*et egregia puellarum institutione,*

*inter quas S. Hedwigis.*

A *vel* Kitzingo, *esse legendum, Germanice* Kitzingen, *aut* Kutzingen. *Et MS. Carthusiæ Liranæ habet* in claustro Kiczingo : *patetque ex iis quæ mox de ejusdem S. Hedwigis sorore (Mechthilde, opinor) dicuntur :* Tertia vero fuit Abbatissa sanctimonialium Ordinis S. Benedicti in Luzingo Franconiæ monasterio supradicto. *Idem codex Liranus* Kiczingo. *Clarius at Hieronymus Dungershemius Oxenfurtensis* x *Februarii in S. Scholasticæ Encomio expressit cap.* 5 *nu.* 28. In eodem etiam monasterio Kitzingensi post lapso tempore, litteras docta est B. Hedwigis; et S. Elisabeth relicta B. Ludovici Comitis provincialis Thuringorum, cum matertera sua ibidem Abbatissa ad tempus est conversata, prout in Sanctarum illarum historiis est expressum. *In Vita S. Elisabethæ* XIX *Novembris ista scribit Theodoricus Thuringus lib.* 5 *cap.* 1 *in edit. Henr. Canisii :* Post hæc nobilis et religiosa fæmina Abbatissa de Kitzingen, B. Elisabeth secundum carnem matertera, miserata paupertatis ejus defectum nimium, ipsam allatam honorifice ad Dominum Bambergensem Episcopum evexit. Qui Dei famulæ avunculus, ipsam benigne et reverenter susceptam, cum omni honestate et caritative pertractavit. *Quæ ita Cæsarius in ejusdem Sanctæ Vita expressit :* Abbatissa de Kitzingen Herbipolensis diœcesis, B matertera B. Elisabeth, miseriis ejus et inopiæ compatiens, duxit illam ad avunculum ipsius Episcopum Bauenbergensem, qui satis honeste tenuit eam.

*ejusque soror, dein Abbatissa.*

4 *Olim hæc fuerunt Kitzingi decora sanctitatis et laudabilissimæ disciplinæ. Sed post Marchioni Ansbacensi ab Herbipolensi nescioquo Antistite oppigneratum : neque recuperari unquam potuit, etsi sæpius repræsentata a sequentibus Episcopis pecuniæ summa sit, pro qua pignori opposita cum cœnobio urbs erat, uti Petrus Avitus testatur. Unde ruina ac labes antiquissimi monasterii; quod* per Ansbacensis Marchionis Lutherismum, alios in usus vel abusus nunc translatum *scribit Nicol. Serarius noster Notat.* 14 *in Vitam S. Bonifacii, rer. Moguntiac. lib.* 3. *Quando id contigerit indicat Bruschius in Chronol. monasterior. citata :* Ultima, *inquit,* hujus cœnobii gubernatrix obiit anno MDXLIV. Postea a Brandenburgensibus Marchionibus occupatur totum monasterium, curæque Præfectorum traditur.

*Marchioni Ansbacensi oppigneratum,*

*dissipatum.*

## § II S. Hadeloga non est eadem quæ S. Thecla.

N*unc quæ fuerit Hadeloga, prima Kitzingensis cœnobii vel auctor vel habitatrix, quo patre nata, quærendum.* Hadeloga *passim a Trithemio et aliis appellatur, et teste Serario in notatione jam citata* Hadelonga *(uti et in Vita MS.) ac* Hadelloga; *Bruschio* Adeloga, et Adelheidis; *Dungershemio in Encomio S. Scholasticæ* Adaloia; *Lazio* Adalagia; *MS. Kalendario* Haldelogoda. Theclam *quoque dictam nonnulli existimant. Ita Serarius supra citatus, Trithemium secutus in Compendio Annalium sic scribentem :* Construxit etiam C *S. Bonifacius* plura monialium cœnobia : inter quæ illud eminet monasterium in oppido Kitzingen juxta Mogonum, Wirciburgensis diœcesis, cui præfecit sanctam Virginem, nomine Hadelogam, quam Teclam nominavit, ex Anglia oriundam. *Ita et Hermannus Greven in Addit. ad Usuard. hac die :* Hadelogæ Virginis, cognatæ S. Bonifacii Episcopi.

*Hadeloga varie appellata.*

*S. Thecla Virgo,*

6 *Verum diversa ab Hadeloga fuit Thecla. Hujus meminit Othlonus cap.* 30 *Vitæ S. Bonifacii, his verbis :* Prædicans ergo et baptizans sanctus Præsul Bonifacius in Thuringorum et Hessorum regionibus, perspexit messem quidem esse multam ibi, sed operarios paucos ad copiosam multitudinem credentium instruendam. Unde in provinciam patriamque suam mittens, exinde tam fæminas, quam viros religiosos, scientiaque varia imbutos, plures venire fecit suique laboris onus inter eos divisit. Inter quos erant præcipui quidem viri, Burchardus et Lullus, Willibalt, et Wunnibald frater ejus, Witta et Gregorius; fæminæ vero religiosæ, matertera scilicet S. Lulli, nomine Chunihilt, et filia ejus Berathgit, Chunidrut et et Thecla, Lioba et Walpurgis soror Willibaldi et Wunibaldi. Sed Chunihilt, et filia ejus Berathgit, valde eruditæ in liberali scientia, in Thuringorum regione constituebantur Magistræ. Chunitrud in Bagonariam destinata est, ut verbi Divini semina ibidem spargeret. Teclam vero juxta fluvium Moin, in locis Kihhingen et Ochsnofrutt nuncupatis, collocavit. Liobam quoque ad Biscofesheim, ut illic multitudini Virginum præesset, constituit. D

*quæ ex Anglia advocata a S. Bonifacio*

AUCTORE J. B.

*cum aliis religiosis fæminis :*

7 *Si quemadmodum extat Walburgis et Liobæ, ita reliquarum quoque Vita exstaret, majorem inde haurire lucem liceret. In Vita S. Liobæ, quam* XXVIII *Septembris dabimus, testatur Rudolfus Fuldensis monachus, Rabani discipulus,* pauca quæ refert, a viris venerabilibus ad suam notitiam pervenisse, qui ea quatuor discipularum ejus Agathæ videlicet, et Teclæ, Nanæ et Eoliobæ fideli relatione comperta, singuli et pro captu ingenii sui, sicut sibi tradita sunt, litteris mandare, et ad exemplum posteris relinquere studuerunt. *Verum an non duæ fuerint Theclæ, una senior quæ cum Lioba evocata ex Anglia memoratur, eique par, si non superior, videtur fuisse, prius enim* E *quam illa nominatur, altera junior, S. Liobæ discipula; merito dubitari potest. Certe Lioba cum in Germaniam venit, virtute quam ætate videtur provectior fuisse. Nam Winbrunnum cœnobium ab Ina sanctissimo Rege, de quo* VI *Februarii agemus, in SS. Cutburgæ et Kineburgæ sororum suarum gratiam, conditum est, ut quidam volunt, anno Christi* DCCXIII, *ut alii* DCCXX. *Demus etiam aliquanto prius id factum, cum regnum, quod ultro an.* DCCXXVI *deposuit,* XXXVII *annis Ina tenuerit. At Winbrunno cœnobio* post nonnullas Abbatissas et spiritales Matres prælata est Virgo religiosa, nomine Tetta, *cui Trkutgebam cognamenta Liobam,* adultam Virginem divinis studiis imbuendam tradidit *mater, ut in Liobæ Vita dicitur. At fuit fortassis illa S. Bonifacii adjutrix Thecla, una ex iis Virginibus quæ cum S. Cutburga, ut* XXXI *Augusti ad ejus Vitam dicemus, e Burkingensi cœnobio Winbrunnum migrarunt. Fuit enim S. Cutburga Berkingi (quod cœnobium infra Londinum ad Tamesim sorori suæ S. Ethelburgæ S. Erkenwaldus Londinensis Episcopus ædificarat) sub ejusdem Ethelburgæ Magistra S. Hildelitha, disciplinis monasticis informata : deinde cum cœnobium illi Ina Rex in Dorcestria ad Stourum amnem ædificasset, loco qui olim* Vindogladia *dictus putatur, vulgo nunc* Winburn, *et* Winburnminster; *ea cum aliis Virginibus commigravit. Harum e numero Theclam extitisse conjiciat quispiam, quod et Berkingi fuerit præcipui* F *nominis sanctimonialis Thecla, et paullo post e Winburnensi cœnobio in Germaniam Thecla aliqua sit missa, sanctitate et religiosæ institutionis scientia conspicua. Theclam Berkingensem recenset cum aliis, quibus librum suum de laudibus virginitatis dedicavit, S. Aldelmus, qui ab anno* DCCV *ad* DCCIX *Schireburnensem Ecclesiam administravit. Ita ille scribit :* Reverendissimis Christi Virginibus, omnique devotæ germanitatis affectu venerandis, et non solum corporalis pudicitiæ præconio celebrandis, quod plurimorum est; verum etiam spiritalis castimoniæ gratia glorificandis, quod paucorum est : Hyldilichæ regularis disciplinæ et monasticæ conversationis Magistræ; simulque Justinæ ac Cutburgæ, mihi contribulibus necessitudinum nexibus conglutinatæ Altgidæ, ac Scholasticæ Hidburgæ, et Berngidæ, Eulaliæ ac Teclæ rumore sanctitatis concorditer Ecclesiam ornantibus, Aldhelmus segnis Christicolæ Crucis et supplex Ecclesiæ vernaculus, optabilem perpetuæ prosperitatis salutem.

*S. Liobæ æqualis, aut senior,*

*antea Winbrunnum translata Berkingo,*

*cui et aliis Berkingensibus liber de virginitate dicatus a S. Aldhelmo:*

*Has*

A *Has Berkingenses fuisse patet ex Willielmo Malmesburiensi lib. I de gestis Reg. Anglor. cap. 2.* Accessit sacri cœlibatus studio, et librorum Aldelmi de virginitate lectio, Berkingensium quidem nomini dicata, sed omnibus eamdem professionem anhelantibus valitura.

AUCTORE J. B.

8 *Diversam porro hanc ab Hadeloga Theclam idem qui unam esse antea scripserat, Trithemius agnovit lib. 3 de viris illustr. Ord. S. Benedicti cap.* 172 *de Thecla ita scribens :* Thecla sanctimonialis fœmina, natione Anglica, quam S. Bonifacius ob penuriam messorum spiritualis tritici, de Britannia evocatam in Alemaniam, Abbatissam constituit juxta Moganum in loco qui dicitur Kizzingen, ut ibi quasi lucerna in caliginoso loco luceret, aliosque ad monasticæ imitationem vitæ suo exemplo provocaret. Nam usque ad hæc tempora monasteria in Alemania, maxime Virginum, pauca habebantur. Sancta autem fœmina multas in eodem loco animas Christo congregans, tandem in pace quievit. Claruit anno Dominici DCCXXX. *De Hadeloga autem cap.* 280 *ejusdem libri ista habet :* Hildeloga monialis et Abbatissa monasterii Rinckingensis, Virgo sanctæ et innocentis vitæ, et virtute humilitatis singulariter insignis quanti sit apud Deum meriti, crebis atque clarissimis B monumentis indicavit. Cujus festum agitur IV Nonas Februarias.

*diversa a S. Hadeloga :*

ANIMADV. PAPEB. 83

9 *De Thecla igitur agemus ad XV Octobris. Hic solus quæri potest, quomodo ab Othlono veteri scriptore, et aliis, dicatur Kitzingensi cœnobio præfuisse, cujus parens ac præses prima fuit Hadeloga. Venit in eum locum, ut positos sibi conjugii casses devitaret, Hadeloga : ibi proprio quodam impulsu pietatis, ac religiosi Presbyteri ductu, procul a turbis ac strepitu hominum maximeque illecebris Aulæ, sanctam agere vitam cœpit. Exemplum mox, ut semper lumine se suo virtus prodit, aliæ secutæ, ancillæ fortassis primo, dein aliæ ex eo tractu. Cum isthuc Bonifacius venit, eximius vitæ religiosæ magister, is omne illius familiæ institutum ordinavit, atque ad S. Benedicti Regulam, quæ in Anglicanis sanctimonialium cœnobiis vigebat, cuncta direxit. Quid si vel ideo Theclam illi cœnobio præfecit, ultro cedente Hadeloga? Hæc quidem, quæ iis orta natalibus erat, seque Christi humilitatem imitari velle profitebatur, multo erat honorificentius, alteri obtemperare, præsertim quæ religiosarum institutionum erat peritior. Ita nimirum, qua de paullo ante egimus, Ethelburga, quamvis et a fratre Berkingense ædificatum cœnobium esset, magistram tamen vel fratris voluntate accepit, vel* C *ultro adoptavit S. Hildelitam. Apud posteros tamen, quia monasterium illud ipsa inchoarat Hadeloga, suisque ac patris facultatibus dotarat, prima Abbatissa, quin vere mater et auctor illius exstiterat, habita. Et fortassis illud ipsa ad vitæ usque exitum rexit, Thecla, quæ Ochsenfurti haud procul Kitzingo degebat, illuc quandoque ventitante, ut eam piis sermonibus informaret ac monasterii ordinem et disciplinam lustraret, ipsa id rogante Hadeloga, Bonifacio probante. Aut tandem postquam vita functa est Hadeloga, ejus cœnobio præposita est Thecla, Ochsenfurti præfectura alteri data. Secunda Kitzingensis Abbatissa apud Bruschium Heilga appellatur quæ si eadem Thecla fuit, binominem fuisse, uti et Liobam, oportuit, aut hoc illi a sanctitate inditum nomen ; Heyligh enim Teutonice* Sanctum *significat.*

*quomodo utraque Kitzingensis Abbatissa dicta?*

### § III *S. Hadelogæ parentes, vita, festum.*

N*unc patrem Hadelogæ quæramus. Bruschius ita scribit :* D. Adeloga, vel Adelheidis, Pipini Francorum Regis filia, fundatrix et Abbatissa prima sui cœnobii fuit, nata et educata in Cygneo monte, præclara arce, Regis Pipini olim sede ac domicilio, quæ abest a Kitzingo unum tantum miliare. *Montem*

*S. Hadelogæ non Pipini Herstalli.*

*hunc Cygnæum Bruschius idem* Schwanberg *interpretatur. Pipinum arbitramur a Bruschio non Caroli Magni patrem intelligi, qui vere Rex fuit, sed Herstallum, sive Crassum, qui Major-domus cum esset, regnum Francorum universum Regesque ipsos regebat, sæpe ideo in Sanctorum Vitis Rex appellatus, uti et ipsius filius Carolus Martellus.* D

11 *Eum Pipino titulum Regis tribuit Scriptor Vitæ S. Hadelogæ, et hujus indicat parentes :* Erat siquidem, *inquit*, filia Karoli, filii Pipini Regis patris S. Gertrudis Virginis; et mater ejus Kunehildis vocabatur. *Cum Gertrudim audit Pipini filiam, ne Nivellensem suspicare Pipino Landensi et Iduberga sive Itta, natam. Alia fuit Gertrudis, Pipini Herstalli filia, quæ cum Adalongo Presbytero, ne invita nuptui traderetur a patre, in Franconiam fugit, ubi illius adhuc cernuntur in colle juxta Neostadium monasterium vestigia. Hanc Josephus Geldolphus Rychelius, et anonymus quidam non admodum antiquus Nivellanæ Gertrudis Vitæ scriptor, cum ipsam fuisse Pipini Landensis, filiam voluit : quod ad XVII Martii ostendemus dici nullo modo posse, cum hæc non nisi quatuordecim fuerit annorum, cum Pipinus obiit anno* DCXLVI, *qui ergo credibile videri potest, jam ante abiisse in tam longe dissitam regionem, horrentem adhuc idololatria, uti patet ex Vita S. Kiliani, qui XL post illius Pipini obitum annis* E *martyrio coronatus est? Deinde Adalongo Presbytero revelatæ ejusdem S. Kiliani et sociorum reliquiæ, tempore S. Bonifacii : quam is esse grandævus debuit, si venerat in Franconiam circiter annum Christi* DCXLIV, *jam Presbyter, nec omnino juvenis, custos adolescentulæ filiæ a sapiente fœmina datus? Et qui creditur Bonifacii tempore Kilianum ignorasse, quem vidisse poterat, atque adeo debebat, Evangelium prædicantem? Sed nimirum verissime eum ignorabat, quia pluribus post illius mortem annis in eas oras advenerat. Ita de secunda illa Gertrude scribit auctor Vitæ S. Kiliani, quam VIII Julii dabimus :* Venerabilis Virgo Gertrudis Pipini Regis Francorum filia, cum virum accipere nollet, cui eam pater sociare volebat, auxilio matris, quamdiu potuit, paternis in regnis latuit. Sed cum diutius latere non posset, venit in partes supradictæ Orientalis Franciæ, in locum, qui nunc corrupte Carleburg vocitatur, ibique de facultatibus suis in honorem beatissimæ Virginis Mariæ monasterium construxit, quod usque in præsentem diem permanet; ubi Atalongum Presbyterum et Bernardum Diaconum, quos secum adduxerat, ordinavit. Ipsa dehinc ad propriam terram rediit, quia procum sui conjugii obiisse cognovit, quæ usque ad vitæ terminum in virginitate per- F manens, virginitatis simul et morum probitate Deo complacuit. Prædictus autem Atalongus ignorabat Kilianum, forsitan ut vix ejus audiverit famam, quæ paullatim ignorantia absoleverat.

*(qui et ipse quandoque Rex appellatur, cujus filia S. Gertrudis,*

*alia a Nivellana,*

*ne nubere cogeretur,*

*in Franconiam fugit)*

12 *Meminit hujus quoque Gertrudis Hieronymus Dungershemius Ochsenfurtensis in Encomio S. Scholasticæ, quod X Februarii dabimus, diserteque* Pipini alterius filiam *appellat, licet cum seniore Gertrude eam deinde confundat. Idem Adalogam quoque ita prædicat :* Hujus sanctæ Virginis ex fratre germano neptis fuit beata Virgo Adaloja, Abbatissa prima monasterii Kitzingensis in Francia Orientali, similiter in diœcesi Herbipolensi cis Moganum siti; qui locus per eam in prædiis et personis brevi adeo auctus est, ut inter prima Germaniæ monasteria haberetur. Erat autem, ut de ea scriptum est, valde speciosa et virtuosa nimis, Deo et hominibus multum amabilis : at posthabitis Regibus ac Regum filiis, ex Britannia, Pannonia, Græciaque, pro ea instantibus, Christo se totam devoverat; patre ipsius Carolo Rege Francorum, quamvis primo plurimum indignante, post tamen per visionem commonito, eidem satis cooperante ; magnum nedum Virginum, ut tactum est,

*sed Caroli Martelli filia,*

*nuptias detestans,*

*Kitzingi cœnobium fundavit.*

A est, verum et Clericorum Divina ipsis facientium, multitudinem in monasterio præfato instituit. Fuit hæc in pauperes largissima, et multum compassiva, tanta per se eisdem ministrans pietate, ut Mater pauperum diceretur. Hæc etiam præter ceteras virtutum dotes miraculis clara, de grege, quem (ut ipsius asserit historia) religioni S. Scholasticæ dedicaverat, atque verbo doctrinæ et perfectæ virtutis exemplo paverat, maximam in vita et morte habuit sollicitudinem; adeo ut et erranti fere cuidam Sorori in somnis apparuerit, eamque in melius commonitione sacra reformaverit. Tandem post multos in via Dei sudores, sancto fine transitura, ejusmodi fidenter ad sponsum suum fecit orationem : Domine Jesu Christe, cujus amore terrenas nuptias contempsi, multosque labores et passiones sustinui, concede, ut cum migravero, in choro Virginum a te *sancte mortua.* recipi merear. Quod et ita factum esse signa mox ea decedente patrata certum reddiderunt. Doluit autem pro tanta Matre vehementer pauperum, quam paverat, multitudo : totaque regio ea ad eam, ut Patronam, per orationes devotas confugit.

13 *Hæc fusius recitare placuit, quod ex Kintzingensibus* B *monumentis, cum adhuc isthic religio vigeret, in vicino oppido notus scriptor acceperit, quæ Vitam confirmant, quam damus ex vetustis codicibus monasterii Bodecensis Ord. Canonicorum regularium diœcesis Paderbornensis in Westphalia. Mirabitur fortasse quispiam, cur neque Gertrudis hujus, neque Hadelogæ, in Pipini ac Martelli genealogia mentio fiat. At neque aliorum plurimorum Ducum aut Regum filiæ memorantur, præsertim quæ in remoto aliquo cœnobio vitam egerunt : et fortassis nonnullæ harum non erant legitimo thoro susceptæ. Quamquam Wolfgangus Lazius (cujus tamen non semper summa auctoritas, quod quæ profert non firmet certis veterum testimoniis) is tamen lib. 3 de Migrationibus gentium, Caroli Martelli recensitis liberis, addit :* Sunt qui illi et S. Adalagiam filiam tribuunt. *An Cunhildis S. Hadelogæ mater uxor fuerit Martelli, Pipini et Carolomanni genitrix, Suanichildis Odilonis Boii filia, an concubina, quæri potest. Hieronymus Henninges, quæ Martelli conjux, Pipini et Carolomanni mater fuerit, non indicat; Griphonem aut Suinhilde, sive Schundahilde, aut Nuchilde Theodonis Boii filia, Martelli pellice, natum : sed probare ista veterum testimoniis debuisset. Sammarthani VV. CCL. Suanichildem Pipini, Carolomanni, Griffonis* C *matrem, Odilonis Ducis Bavariæ filiam, legitimam Martelli conjugem fuisse affirmant. Eam Lazius Schwynhildem appellat.*

*Ejus Vita unde hic edita?*
NOT. 18

*Mater,*

14 *Agitur porro, ut supra ex Trithemio retulimus, et Carthusianor. Addit. ad Usuardum, festum S. Hadelogæ IV Non. Februarias. Quo die Benedictus Dorganius in Kalendario Benedictino :* S. Hadelogæ Abbatissæ, sanctitate claræ. *MS. Kalendarium SS. ejusdem ordinis :* Ipso die S. Haldelogodæ Virginis et Abbatissæ monasterii Rynkyngensis. *Hugo Menardus :* In Germania S. Hadelogæ Abbatissæ, innocentia et sanctitate conspicuæ. *Eadem habet* Wion, *monetque in Notis,* Rinckingensis cœnobii Abbatissam *fuisse. Philippus Ferrarius :* Kitzingi in Germania S. Adelogæ Abbatissæ. *Sed quod in Not. Canisium citat, haud scimus unde acceperit, cum in neutra editione Canisii quam habemus, annorum* 1573 *et* 1599, Hadelogæ *nomen extet. Memorat eam quoque Lahierius noster in magno Menologio Virginum.*

*anniversaria festivitas.*
NOT. 19

# VITA AUCTORE ANONYMO

D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS*

## E MSS. Canon. regular. Bodecen.

### *Descripta a Joan. Gamansio Soc.* Jesu.

## CAPUT I.

### *S. Hadelogæ genus, virginitas, fuga.*

Ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui auctor et Rex est Viginum, Virginis filius, quem Agnum sine macula sequitur... rex stola circumamictus candida,... laudem hujus Virginis Virgo mater Ecclesia devote suscipiat, et dignam ejus memoriam faciat. Est enim dignum et beatæ memoriæ commendandum, ut quas Christus pro virginitate coronavit, et bonorum operum fructu ad summa provexit, etiam nos cum magna veneratione concelebremus, et celebrando virtutes earum imitemur, quatenus ad summa cœlorum fastigia eas sequi mereamur.

*Prologus.*

2 Beata igitur Virgo Hadelonga, ex alto Regum et Imperatorum sanguine prognata, sacris virtutum moribus nobilitatis suæ natalem condecoravit, et probis actibus insignivit. Erat siquidem filia [a] Karoli, filii Pippini Regis, patris S. Gertrudis Virginis, et mater ejus Kunehildis vocabatur. Quæ cum esset speciosa valde et virtuosa nimis, et tam Deo quam hominibus multum amabilis, venerunt pro ea expetenda procorun non parva multitudo ; E Reges videlicet Regumque filii, de [b] Britannia, de Ungaria, et de Græcia ac de ceteris Regum provinciis et gentibus. Duces etiam et Marchiones optabant eam in matrimonio sibi copulari, propter elegantem formam pulchritudinis illius, et propter miram suavitatem virtutis et probitatis ejus. At illa, quia Domino nostro Jesu Christo se totam devoverat, spretis omnibus mundi potentatibus, ipsi soli Deo adhærebat, cui puro corde intra conscientiam placere cupiebat, dixitque quotidie in orationibus suis: Fiat, Domine Jesu Christe, cor meum immaculatum, ut non confundar. Et iterum orans dicebat: Domine Jesu Christe, fili Regis summi, si tibi placet mei corporis impolluta virginitas, mitte Angelum tuum, qui custodiat me, ut tibi possim conservare virginitatem corporis mei ; et immuta patris mei cor, ne me tradat huic seculo nequam, et filiis tenebrarum polluendam: credo enim si copulata fuero concupiscentiæ carnali propter amorem sordium terrenæ pulchritudinis meæ, obliviscaris mei, et sic tradar æternæ perditioni. Hæc dicens quotidie in orationibus suis, Virgo beata flebat nimis, et B. Mariæ semper Virginis diligenter adhæsit vestigiis; mittensque vocabat amicam suam secreto, et præcidens unum de capillis capitis sui, F totam se interius devovit castitati, propter amorem cœlestis regni, Dei Genitricem frequenter invocans, et dicens: Sancta Maria, Dei genitrix, Virgo virginum, mater et Regina castarum mentium, custodi me in mea, quam tibi devovi, virginitate; adjuva me ne tradar huic seculo, et ne separer a tuis Virginibus, quæ te a mundi hujus corruptione secutæ, æterni sponsi Christi, filii tui, merentur amplexibus absque omni contagione sociari. His et his similibus summæ devotionis affectibus Christi devota famula in secreto cordis sui Spiritum sanctum Advocatum et Protectorem habere promeruit; qui corpus illius ab omni sorde pollutionis emundans, templum sibi præparavit.

*S. Hadeloga ortu nobilissima,*

*nuptiis spretis,*

NOT. 20
*vovet castitatem, capillo uno præciso :*

*B. Virginis opem invocat :*

3 Dedit ergo ei Deus hanc prærogativam suæ donationis gratiam, ut omnium oculis esset gratiosa : et licet pater ipsius adversus eam nimio furore iracundiæ repleretur, eo quod virum nolebat accipere,

tamen

A tamen in Angelico illius aspectu conterritus et consternatus, reveritus est eam aliquamdiu, nec in aliquo eam audebat contristare. Sed diabolus, qui omnium bonorum est invidus, callide ei suæ fraudis opponebat insidias, volens ejus extinguere caritatem, qui pudicitiam vincere non poterat; ita ut quam non posset vincere illecebris carnis, superare tentaret in impatientia furoris. E contra Deus omnipotens, qui nihil reatus impunitum relinquit, voluit punire Regem propter peccatum quondam in *c* sorore patratum. Succendit etenimvero animum patris ad hoc diabolus, ut totus desæviat in filiam nubere nolentem.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS. multa idcirco sustinet a patre* NOT. 21

*c*

4 Illa autem iram patris leniter ferens, impatientiæ jaculum, quod ei diabolus suggessit, cum animi sui mansuetudine devicit. Tantam illi siquidem Dominus gratiam contulit, ut propter inclementiam patris, quam modeste sustinuit, omnes ministri curiæ, nesciente Rege, devotissime servirent eidem castissimæ puellæ. Inter quos præcipue Clericus quidam *d* Capellanus Regis, compatiens injuriæ, quam filia sustinebat a patre, ministrabat ei, tamquam dominæ suæ, et Christi Domini sui sponsæ. Quod ubi Rex quibusdam invidis prodentibus agnovit, tam filiam quam Clericum in maximo odio habere cœpit, et dixit: Ecce filia mea, quæ noluit Regibus, Ducibus, et Principibus nubere, modo in contumeliam mei, quem sibi voluit accepit in amicum, et in curia mea publice fornicatur cum eo. Vocansque unum de militibus, qui adstabant ei: B Vade, ait, et dic Clerico illi, ut una cum fornicaria sine dilatione recedat a curia mea; alioquin crastina die ejiciam eos utrosque cum contumelia sua.

*cum Capellano ab Aula expellitur:*

*d*

5 Audiens hæc Clericus ingemuit, et dixit: Deus cœli et terræ, scrutator cordium et omnium cogitationum, tu scis quam innocens sim hujus rei; verumtamen licet dominus meus Rex inclementiam suam circa me exercere disponat, non tamen deseram dominam meam; sed pro Christi amore libentissime deserviam ei, donec videam quid Dominus de ea facere dignetur. Erat enim idem Capellanus Clericus dives valde in auro et argento, eo quod Confessor esset totius exercitus Regis ac Principum, qui omnes multas oblationes contulerant ei. Omnes igitur facultates suas accipiens, discessit a curia Regis una cum domina sua: et veniens ad quoddam nemus, extirpata silva ædificavit ibi monasterium; coemptisque prædiis congregavit in eodem loco paucas sanctimoniales, inter quas dominam suam ordinans Abbatissam, instituit, ut regulam S. Benedicti et S. *e* Scholasticæ servarent, et castam vitam in Dei laude ducerent. Ipse quoque cum Clericis aliis, quibus ibidem præbendam constituit, Deo devotissime die noctuque ministravit, et Virginibus C Christi Missas quotidie celebravit. Locus iste dum adhuc rudis et novæ plantationis esset, nec adhuc nominis vocabulo vulgariter intitulatus fuisset, quidam pastor, nomine Kueringus, dum pasceret ibi pecora et armenta rusticorum circumquaque habitantium, capellam unam de grege suo ab ore lupi per invocationem S. Mariæ, cujus ibidem patrocinium colebatur, eripuit, quam et statim illuc ad altare S. Mariæ pro ostensione miraculi detulit; et ob hoc primum inibi factum miraculum, nomen loco illi Kueringen inditum est.

*eo comitante venit in Franconiam,*

*erigit Abbatissa,*

*e*

NOT. 22

*Kitzingæ adjecto miraculo*

a *De S. Hadelogæ parentibus, deque secunda* Gertrude *Pipini Heristalli filia, actum* § 3. — b *Facile quæ de Hadelogæ prosapia dicuntur, verosimilia videbuntur ei qui meminerit inter Francos, Anglos, Longobardos, ita varios connubia mixta, et circa illa Marcelli tempora, ac post illa, ac* 100, *adeoque et* 150 *annis prius, ut videre est apud Sammarthanos et alios.* — c *Hic soror pro filia, librarii vitio, posita, conjicere liceat, Gertrudi quoque sorori, servare virginitatem cupienti, adversatum esse patrem Martellum.*
d *De capella Regum Francorum, deque* Capellanis, *et* Capellanis Clericis, *ut hic nominantur, agemus alibi.* — e *Ita fere loquitur Hieron. Dungershemius,* § 3 *citatus, in Encomio S. Scholasticæ, quod integrum dabimus* 10 *Febr. Nulla quidem peculiaris S. Scholasticæ Regula fuit, verum ita Auctor Regulam S. Benedicti appellat, quatenus a fœminis sanctimonialibus observari potest, ac solet.* D

## CAPUT II.

### *Monasterium ditatum, miracula.*

Post aliquantum autem tempus audiens præfatus Rex, quod in bona conversatione esset filia sua, beata videlicet Virgo Christi Hadelonga, compunctus corde, eo quod tantam malevolentiam exhibuerat ei, venit illuc, et multa donaria ac prædia contulit monasterio, cui præfuit ipsa. In diebus illis venerabilis Clericus, quem prædiximus, Hierosolymam iens in confessione Christi defunctus est. Cumque adhuc Rex esset in eodem loco, apparuit ei Clericus in visione, dicens: Rex æternus, cujus imperium est sine fine, misit me, ut excusationem innocentiæ meæ suscipias, de infamia mihi imposita a te: quod si non feceris, scias me ante tribunal Christi paratum esse judicare de te. Crede ergo mihi in veritate, quæ Christus est, quia ego et domina mea, filia tua, sponsa Domini mei Jesu Christi, immunes sumus ab omni tali peccato. Et hoc erit tibi signum: In *a* anno hoc morieris tu, et filius tuus Pippinus regnabit pro te. Quod si non pœnituisses malum, quod egisti contra nos, jam data esset sententia damnationis de te. Evigilans Rex vocavit ad se filiam suam, et dixit ei: Filia et domina mea carissima, ora pro me, ut non requirat E Deus a me peccatum, quod feci contra te. Et iterum obtulit ei donaria plura prioribus, recessitque ab ea. Illa autem sine cessatione oravit pro patre suo, ut salvaret eum Dominus.

*ei parens reconciliatus,*

*visione Capellani mortui monitus,*

*a*

*multa donat.*

7 Diebus illis crescebat locus ille, et ditatus est nimis, ita ut multæ Virgines Deo consecratæ essent in eodem monasterio; sed et congregatio religiosorum *b* Clericorum non modica canonice viventium deserviret ibi Deo, et S. Mariæ, sacrisque Virginibus cum illo constitutis. Accidit autem per idem tempus, ut quidam Clericus juvenis et delicatus volens peccare cum monacha, illiceret eam, quatenus nocte exiret ad ipsum. Quod cum illa laudasset, et nocte consurgens per monasterium exire voluisset, adstitit in ostio ecclesiæ venerabilis Clericus ille, cujus Hierosolymis sepulchrum fuit in ipsis basilicæ foribus, dixitque ad eam: Quo vis ire, Domina Soror? Ad cujus interrogationem cum illa erubuisset, et præ pudore respondere non potuisset, subjunxit Clericus et ait: Redi, redi, Soror, ad ordinem tuum, nam fores istas commisit mihi Christus custodiendas. Vere dico tibi, quia citius morieris, nisi conversa fueris. Ille vero qui te illexit ad peccandum, jam vere mortuus est. Compuncta in hujusmodi verbis illa, rediit celerius, et incidens gravem infirmitatem per multos dies ægrotabat, ejusque exemplo ceteræ Sorores, quibus ipsa reatum suum singultuose confitebatur, cœperunt in melius proficere, et multo ardentius in proposito castitatis permanere. F

ANIMADV. PAR. 34.

*b*

*Sanctimonialis peccati periculo erepta,*

*eodem presbytero apparente:*

8 Alio quoque tempore dum quædam Soror lubricæ intentionis viam arripuisset, et amore cujusdam juvenis illecta de monasterio exire disposuisset, audivit in somnis dominam suam Abbatissam Hadelongam dicentem sibi: Soror carissima, ecce venit Christus, præpara te in occursum ipsius. Ecce Sponsus venit: exeamus obviam ei. Evigilans itaque Soror illa toto corde compuncta est, et ex eo tempore nullam tentationem carnis, sicut ipsa testabatur, passa est.

*alia ab Hadeloga in somnis monita.*

9 Fuit quidam ministerialis ejusdem Ecclesiæ satis dives et bene natus, qui cum esset juvenis, delectabatur

A lectabatur canibus et equis bonis, et interdum venationi libenter instabat. Habebat denique canes multos; inter quos unum parvulum maxime diligebat, qui ita individuus comes ei fuit ut neque dormiendo neque vigilando separari potuisset ab eo.

*Nobilis occisus in silva*

Die vero quodam, cum miles iste solus in equo per silvam iret, comitemque solum canem dilectum haberet, incidit in hostes, qui statim interfecerunt eum, tollentes prædam, equum videlicet ac vestimenta, et quidquid aliud avellere poterant; ipsumque corpus in densitate nemoris obruentes, abierunt.

*cadaver absconditum,*

Canis autem per tres dies custodiebat corpus domini sui. Cumque jam fame deficeret, rediit, et venit ad Dominam suam Abbatissam, in cujus ministerium sæpe cum Domino suo ante venerat, quasi querimoniam facturus de crudeli nece Domini sui. Quem ut conspexit, mirabatur satis de viro, quidnam factum esset de illo; sciens quia non sine caussa solum canem et tristem cerneret. Vade, ait, in nomine Domini, et mortuus si est Dominus tuus, duc nuntios meos, ut quærant et inveniant corpus ejus, ut sepeliatur.

*ductu canis*

Quo statim præeunte inventum est a famulis monasterii corpus præfati occisi Militis, et reportatum in civitatem, venerabiliter sepultum est circa monasterium; factusque est luctus et planctus magnus super eum.

*inventum, sepelit Hadeloga.*

10 Porro Domina Abbatissa scire volens quis esset auctor hujus sceleris, convocavit omnes servos suos, sed et vicinos homines pauperes et divites, B satis in hoc ostendens dolorem animi, quem habebat de amissione famuli sui. Cum igitur astarent omnes ante ipsam, astiterunt inter alios et illi, qui hujus sceleris auctores erant, securi quod nemo sciret malum, quod ipsi perpetrarant.

*homicidas incognitos et obstinatos*

Tunc exponens omnibus Abbatissa dolorem cordis sui, cum multis verbis hortaretur eos, ut si quis sibi conscius esset hujus rei, pœniteret in hoc seculo, ne periret in futuro. Sed cum nec aliquis se culpabilem profiteri vellet, in hujusmodi facto; conversa postremo ad Dominum cum altis suspiriis dixit: Deus occultorum cognitor, qui omnia scis antequam fiant, ostende per indicium aliquod potentiæ tuæ culpabiles illos, et recognoscant semetipsos, ut si hoc est placitum ante te, judicio tuo dispereant, ut ceteri, qui hujusmodi sunt, super hoc metum habeant.

*facultate ab ea facta,*

Dixitque ad canem, qui astabat: Vade in nomine Domini, et prode reos hujus criminis, quia tu solus interfuisti eorum nefandissimis factis. Quo dicto, canis statim irruit in illos, et unum quidem gutture permorso strangulavit, alium vero, qui prædam fecerat vestimentorum Domini sui, ita laniando discerpsit, ut neque vestimentorum vel carnium aliquid simul relinqueret in eo.

*dilacerant canes.*

Evidenti denique C judicio Dei factum est, ut omnes canes qui aderant, istum canem sequerentur, et quos iste invasit, omnes pariter invaserunt. Hujus rei tam manifesta examinatio ita terruit omnes latrones, quorum maxima multitudo tunc temporis erat in nemore illo, ut per multa tempora non fuisset in partibus illis aliquod latrocinium perpetratum. Multum esset, si omnia gesta hujus beatæ Virginis percurrere voluissem: unde quia brevitate gaudet omnis lector, succincte de transitu ejusdem pauca dicamus.

a *Obiit Carolus Martellus* xi *Kal. Novemb. an.* 741. — b *Tale fere Winbrunnense monasterium describit Rudolphus monachus in Vita S. Liobæ 28 Septembris*: In quo, *inquit*, loco duo monasteria antiquitus a Regibus gentis illius constructa sunt, muris altis et firmis circumdata, et omni sufficientia sumptuum rationabili dispositione procurata, unum scilicet Clericorum et alterum fœminarum: quorum ab initio fundationis suæ utrumque ea lege disciplinæ ordinatum est, ut neutrum illorum dispar sexus ingrederetur. Nunquam enim virorum congregationem fœmina, aut Virginum contubernium virorum quisquam intrare permittebatur; exceptis solummodo Presbyteris, qui in ecclesias earum ad agenda Missarum officia tantum ingredi solebant et consummata solemniter oratione statim ad sua redire. *Et post pauca, de S. Tetta Abbatissa loquens*, quæ utrumque monasterium, *inquit*, magna discretionis arte regebat. *Tale fuit Coludense S. Ebbæ monasterium, de quo Beda lib. 4 Eccl. histor. gent. Anglor. cap. 25. Tale Streneshalense, de quo 8 Febr. in Vita S. Elfledæ. Talia plura in eadem Anglia, quæ non erant alicui subjecta Abbati, sed Abbatissam habebant præsidem, cui religiosi Presbyteri, qui sacra administrabant Virginibus obtemperabant.*

*Abbatiss. feminarum*

*... virorum sacra iis curantium,*

D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

## CAPUT III.

### *S. Hadelogæ morbus, obitus, sepultura.*

Cum beata Virgo Hadelonga corpus suum vigiliis, jejuniis et orationibus multis diebus afflixisset, et multo labore cordis ac corporis sacrificium Deo in Spiritu contribulato præparasset, sciens ex Divina præmonitione diem sui transitus adesse, oravit ad Dominum, et dixit: Domine Jesu Christe, pro cujus amore nuptias terrenas contempsi, et intolerabile odium patris mei incurri, multosque labores ac passiones sustinui, miserere mei, et concede, ut ante diem exitus mei, per veram confessionem, et puram compunctionem, merear purificari, ut cum migravero ex hac luce, in chorum Virginum tuarum recipi merear a te.

*Hadelonga mortem sibi præscit.*

Hæc et his similia quotidie cum lacrymis exorabat, et licet infirmitate gravi laboraret, non tamen ab eleemosynis consuetis et pauperum curis ullo modo cessavit, ita ut propriis manibus pauperibus ministraret cibum, potum, ac vestimenta præberet, et infirmitatibus singulorum condoleret. Ut autem audiverunt pauperes, qui in vicino morabantur, ægrotationem ejus, cum lacrymis advenerunt, et flebili voce lamentabantur, quod amissuri essent dominam et ma- E trem suam. Quorum aliqui a diversis languoribus et debilitate membrorum, largiente Domino, sanati sunt per merita beatæ Virginis Hadelongæ.

*ægrotat, cum magno pauperum sensu:*

12 Nocte igitur Dominica, cum esset Purificatio S. Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi, Reginæ Virginum, quam ipsa Matrem et Patronam sibi elegerat, infirmari incipiens, Sorores sic omnes allocuta est: En ego ad Christum proficiscor: cavete, carissimæ, ne diabolus surripiat aliquam de ovibus, quas, cooperante domino, meo sudore in loco isto congregavi. Estote quoque sollicitæ, ne polluatur locus iste a diaboli instigatione vel aliqua carnali pollutione. Habete coram oculis, quomodo ego bonis vos exemplis præcessi, ut ita subsequi, Christo juvante, possitis.

*2 Febr.*

Et accipiens cum optima confessione corpus Dominicum, commendavit oves suas Christo bono Pastori, dicens: Domine Jesu Christe, Pastorum omnium Pastor optime, custodi oves istas, quas pretioso sanguine tuo redemisti, et non sinas eas diabolica invasione lacerari. Sed et meam animam commendo in manus misericordissimæ pietatis tuæ, qui tuam in cruce positus animam in manus Dei Patris omnipotentis commendasti. Hæc dicens emisit spiritum, cum Sanctis omnibus sine F fine mansurum.

*sumpta Eucharistia,*

*suas bene precata,*

*moritur.*

13 Corpus autem sacratissimæ Virginis studiosissime conditum aromatibus, cum devotis atque condignis exequiis, ante altare S. Mariæ semper Virginis, in sanctuario, diligenti cura collocatum est. Non est opus dicere quantæ lacrymæ Fratrum, Sororum, laicorum, sed et pauperum innumerabilium, quantus luctus et voces auditæ sunt, non solum in illo loco, sed in tota provincia illa, quorum omnium una sententia erat hac in prece: Oramus te, o sanctissima atque dulcissima Mater, ut sicut in hac vita bonis exemplis et virtutum operibus nos confovisti, ita apud Deum in æterna vita adjuvare digneris, et sicut tua commemoratione in terris gratulamur, sic etiam tua intercessione muniri mereamur in cœlis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui est omnium Sanctorum merces, gloria, gaudium, et corona, per omnia secula seculorum, Amen.

*sepelitur,*

*magno omnium luctu,*

*invocatur*

# DE SANCTIS MARTYRIBUS EBBECKESDORPIENSIBUS,

# THEODORICO EPISC. MINDENSI, MARQUARDO EPISC. HILDESHEIMENSI, BRUNONE DUCE SAXONIÆ; WIGMANNO, BARDONE, altero BARDONE, tertio BARDONE, THIOTHERICO, GERRICO, LIUTOLFO, FOLCWARTO, AVANO, THIOTRICO, LIUTARIO, Comitibus; ADERAMO, ALFUINO, ADDASTA, AIDA, altero AIDA, DUDONE, BODONE, WALO, HALILFO, HUNILDIUNO, ADALWINO, WERINHARTO, THIOTRICHO, HILWARTO, satellitibus Regiis, aliisque sociis et famulis; itemque ERLULFO EPISC. FERDENSI et GOSBERTO EPISC. OSNABRUGENSI,

G. H.

## Commentarius historicus.

### § I *Horum Sanctorum publica veneratio. Martyrii genus, tempus, locus.*

*Anno DCCCLXXX. II Febru.*

Ebbekstorpium *sive* Ebbekestorpium, *aut* Ebsdorpium, *insigne Virginum ordinis S. Benedicti cœnobium fuit, in ea Saxoniæ inferioris parte, quam Luneburgici Duces possident, quaque ab ipsa regionis Metropoli Luneburgo, versus meridiem et Brunsvicensem tractum itur, haud procul* Ultzena *ad ipsum fere regionis Meditullium sito oppido. In hoc cœnobio celeberrima fuit memoria multorum Martyrum, qui seculo Christi nono, ante conditum isthic monasterium, a* Danis, *seu* Normannis, *circumventi sunt, et fidei Christianæ odio trucidati. Acta eorum ab anonymo Auctore, partim ex obscura et confusa majorum fama partim ex schedis ipsarum fortassis sanctimonialium nullo judicio scriptis, seculo decimo tertio concinnata, extant in MSS. Nos e codice collegii Paderbornensis Societatis Jesu nacti ea sumus hoc exordio:* Alacrius solito magno Regi gentium Christo jubilando, concinat Sancta Mater Ecclesia de sanctorum Martyrum victorioso triumpho, in quibus inter ceteras humanæ felicitatis mansuetudines, tamquam matutinum sidus irradiavit integræ fidei sinceritas. Quorum gloriosa merita, et exemplaris C vitæ decor, in arcanis membranarum receptaculis, merito memoriis æternalibus reservantur. *Infra sect. 24 ostendit Auctor se anno* MCCXLIII *miracula spectasse. Acta illa Albertus Krantzius, ut anilium affinia fabularum explodit libro 2 Metropolis, a capite 6 ad 18; et quidem cap. 16 testatur se* rei gestæ historiam digessisse sacris Virginibus in Ebbekstorp degentibus, ad perpetuam rei memoriam, et ad prædictam fabulam eliminandam. *Hæc Krantzii lucubratio, post eamdem Metropolim excusa, et ipsa nobis visa est ejusmodi, ut nemini probari erudito possit. Nos e vetustioribus et quibusdam coætaneis Scriptoribus certiora proferemus: e codice etiam Paderbornensi, quæ Auctor patrum suo ævo vidit miracula, eaque fidem commerita: neque negligemus, si quid solidum Krantzius dabit.*

*Ebbekestorpium monasterium.*

*Martyrum Acta confusa in MSS.*

*et apud Krantzium*

2 *Auctor coævus, qui annales Francorum Fuldenses ad mortem usque Ludovici Junioris Regis Germaniæ, annum videlicet Christi* DCCCLXXXII *produxit, horum pugilum eadem his verbis describit:* Anno DCCCLXXXII. Hyems aspera et solito prolixior. Nam Rhenus et Mœnus fluvii, glaciali rigore constricti, longo tempore se calcabiles præbuerunt. Rex Hludovicus Natale Domini celebravit in Franconofurt: postea in Galliam profectus, filios Hludovici ad se venientes suscepit, totumque regnum Hlotharii suæ ditioni subjugavit. Inde ad expugnandos Nordmannos, qui in Scalta fluvio longo tempore resederant, convertit exercitum, initoque certamine plusquam quinque millia ex eis prostravit: in quo prælio Hugo filius Regis occubuit. In Saxonia cum Nordmannis infeliciter dimicatum est. Nam Nordmanni superiores existentes, duos Episcopos, quorum ista sunt nomina, Thiotrih et Marcuvart, et duodecim Comites, his nominibus appellatos, Brun Ducem et fratrem Reginæ Wigmannum, Bardonem, alterum Bardonem, et tertium Bardonem, Thiotherium, Gerricum, Liutolfum, Fulcwartum, Avan, Thiotricum, Liutharium, cum omnibus qui eos sequebantur, occiderunt. Præterea XVIII satellites Regios, cum suis hominibus prostraverunt, quorum ista sunt nomina: Aderam, Alfuvini, Addasta, Aida, Alcer, Aida, Dudo, Bodo, Wal, Adaluvini, Wernhardt, Thietrich, Ailuvart: exceptis innumerabilibus, quos in captivitatem duxerunt. Rex vero de Gallia rediens in Franciam, Pascha celebravit in Franconofurt. Sclavi, qui vocantur Dalmatii, et Behemi, atque Sorabi, ceterique circumcirca vicini, audientes stragem Saxonum a Nordmannis factam, pariter conglobati Thuringos invadere nituntur, et in Sclavis circa Salam fluvium, Thuringis fidelibus, prædas et incendia exercent. Quibus Poppo Comes occurrit, et Divino auxilio fre- F tus eos prostravit. Karlmannus frater Hludovici et Caroli, XI Kal. Aprilis obiit.

*eorum compendium ex Annalibus Fuldensibus.*

3 *Huc usque Annales Francorum Fuldenses a Chesneo editi tomo 2 Scriptorum historiæ Francorum. Consentiunt editi a Marquardo Frehero tomo 1 Scriptorum rerum Germanicarum; et qui, inter alias Historias et Annales Francorum, primo vulgati ex bibliotheca Petri Pithœi Parisiis 1588. In hisce Pithœanis desunt nomina* Satellitum Regiorum; *proque* Liutolfo et Liuthario, Liuttolfus et Liuttharius Comites *nominantur. Recensentur apud Freherum* Satellites; *sed qui supra* Wernhardt, *is* Werinhard *dicitur. In codice MS. cœnobii S. Trudonis,* Comites Theotherius et Gerricus, Thotericus et Gerrichus *appellatur, ac majori etiam diversitate ita Satellites referuntur:* Aderam, Alfuvini, Addasta, Aida, alter Aida, Dudo, Bodo, Wal, Halilf, Hunildium, Adaluvini, Werinhart, Tiutrich, Ailwart, *ubi duobus appositis* Halif *et* Hunildium, *omittitur* Alcer, *et legitur* alter Aida, *quod magis probatur: suntque universim expressi, non* XVIII, *sed* XIV, *qui numerus forte in aliis exemplaribus restituendus. Aventinus lib. 4. Annalium Boiorum,* Satellites *hosce* Præfectos *appellat, et duodeviginti censet fuisse, ac pluribus ejusdem nominis geminatis, eos omnes ita*

*Varii diverso modo scripti.*

A *ita enumerat :* Aderami, Assovini, Addastæ, Ædones bini; Botho, Valo, Adelvini bini, Bernardi duo, Theodericus, Elvaritus, Ariovistus, Isenothus. *Duo hi postremi ab Aventino additi, ignoti ceteris : omissi ab eo* Bodo, Halilf, *et* Hunildiun : *duplicati* Aderami, Asovini, Addastæ, Adelvini, Bernardi ; *qui aliis cujusque nominis singuli*, Aderam, Alfuvini, Addasta, Adaluvini, Weirnhardt. *In* Cyriaci Spangebergii *Chronico Mansfeldico cap.* 108. Satellites *hi* Præfecti militiæ *appellantur, ac recensentur hoc ordine* XVIII, *Latinis Aventini fere nominibus in Germanica versis :* Botho, *Walo*, Dietherich, Heilward, Ernst, Isenot, duo Asslein, duo Aderam, duo Adhasten, duo Hetten, duo Adelwin, duo Bernarden. *Comites Aventino* Duces *sunt, ita relati :* Bruno Regulus Saxoniæ, patruus Henrici primi Cæsaris Germaniæ, Bardo frater Luitgardæ Reginæ, Vichomanus, Bardones duo, Theoderici duo, Gericus, Luithulfus, Folmarus, Avanus, Lotharius. *Hæc ibi.* Brunonem Ducem, *non* Bardonem, fratrem Reginæ Lutgardis *fuisse infra dicemus. Aliquis autem* Bardo, *cum* Brunone *occisus, habetur* patruus S. Conradi Episcopi Constantiensis, *et cum eo a* Comitibus Altdorfensibus *prognatus. Colitur S. Conradus* XXVI *Novemb.* Liutharius *et* Leutulfus Comites *anno* DCCCLX, *ut referunt Capitula*

B *Caroli Calvi, in basilica S. Castoris apud Confluentes, paci inter Ludovicum et Carolum Calvum fratres, et eorum nepotem Lotharium stabiliendæ adfuerunt : quo etiam modo aliquis* Theodericus Comes *interfuit pactioni Aquisgranensi anno* DCCCLXX *inter Ludovicum seniorem Regem Germaniæ et Carolum Calvum fratres, in divisione regni Lotharii, tomo* 2 *Scriptorum historiæ Francorum. Sed num iidem dein a Nordmannis cum aliis Martyribus occisi fuerint, in neutram partem argumenta suppetunt. De Episcopis* Theoderico *et* Marquardo, *aliisque Præsulibus, qui passim tunc etiam occisi creduntur, seorsim agemus : uti capite proximo de* duce Brunone.

4 *Annus in tribus ante citatis editionibus Annalium Fuldensium præfigitur* DCCCLXXX, *a quo codex MS. S. Trudonis eorumdem Annalium discedit, et ab anno* DCCCLXX *ad finem historiæ, cujusque anni gesta ad præcedentem reducit, itaque hanc Saxonum cladem refert anno* LXXIX. *Verum rectius ea omnia contineri in excusis exemplaribus clarum atque evidens est multis ex locis. Hic unus in morte* Ludovici Balbi Regis Francorum *sat erit. Annales Bertiniani, qui ad annum usque* DCCCLXXXII *ab Auctore coævo deducuntur, tradunt hunc* Ludovicum, IV Idus Aprilis, die Parasceves jam

C vespere obiisse, et in crastina, scilicet in vigilia sancti Paschæ, sepultum anno DCCCLXXIX, *quo Pascha incidit in* XII *Aprilis. Huic consentiunt Annales excusi Fuldenses, neque potest ejus obitus ad annum præcedentem referri, quo Pascha fuit celebratum* XXIII *Martii. Iidem Annales Bertiniani cædem* Martyrum *innuunt contigisse anno* DCCCLXXX, *quo referunt* Ludovicum in Saxonia magnum damnum de fidelibus suis per Nordmannos sustinuisse. *De Nordmannorum horum sede, Ducum familia et variis incursionibus, agemus* III *Februarii ad Vitam* S. Anscharii.

5 *Diem, mensem, et modum, quo* Nordmanni superiores effecti, *hos* Episcopos, Duces, Comites, *ac* Satellites Regios *cum suis in odium fidei peremerunt tradit Dietmarus, qui Merseburgensis in Misnia Episcopus obiit anno* MXVIII. *Hic lib.* 2 *Chronici ait :* Ducem Brunonem, qui a Ludovico Rege in expeditionem ad Danos missus fuerat, cum Episcopis duobus Thiedrico et Marquardo, cæterisque militibus, IV Non. Februarii, fluminis inundatione interiisse. *Clarius Witichindus monachus Corbeiensis, Dietmaro antiquior, in suis Annalibus ad Mathildam Reginam, hanc inundationem exponit :* Bruno, *inquit lib.* I, cum Ducatum administraret totius Saxoniæ,

Animadv. Pap 35

In clade anno 880.

2 Febru...

... ...

Februarii T. I.

duxit exercitum contra Danos, et inundatione repentina circumfusus, non habens locum pugnandi, D periit cum omni exercitu ; *coactus scilicet cum tradere voluntati Nordmannorum, a quibus* innumerabiles in captivitatem abducti *dicuntur supra in Annalibus Fuldensibus*, occisi Episcopi et Duces, prostrati satellites Regii cum suis hominibus, et omnibus qui eos sequebantur. *Ægidius Gelenius in sacris Fastis Agrippinensibus, tradit* in glacie circumdatos a Nortmannis et Danis idololatris propter fidei Christianæ propugnationem interfectos esse. *M. Adamus Bremensis Canonicus, Dietmaro aliquanto junior lib.* I *historiæ Ecclesiasticæ cap.* 34 *Annalibus Fuldensibus assentitur :* Tunc Saxonia, *inquit*, a Danis vastata est, vel Nordmannis ; Brun Dux occisus, cum aliis XII Comitibus; Tiadericus et Marquardus Episcopi obtruncati. *Quæ eodem verba ex Adamo descripsit Albertus Stadensis in Chronico ad annum* DCCCXXVI. *Ericus Pomeranus Daniæ Rex in Historia gentis Danorum, ait :* Erik Barn Regem vastasse Saxoniam, Brun Ducem et XII Comites occidisse, tum Episcopos cum grege truncatos esse, plures urbes cum civibus, ecclesias cum fidelibus incensas esse ; Theodoricum et Narwardum Episcopos truncatos. *Sebastianus Munsterus, et cum secutus Franciscus Belloforestus lib.* 3 *Cosmographiæ universalis, in genealogia* S. Widekindi, *de* E *quo egimus* VII *Januarii, asserunt* Brunonem, Episcopos, aliosque ex ejus exercitu a Nordmannis religionis Christianæ hostibus, pro fide et nomine Jesu Christi fuisse occisos. *Hos* Normannos *sub propriis suis* Regibus *in Jutia resedisse docemus* III *Februarii.*

6 *Krantzius Acta eorum inscribit*, Veram historiam, de sanctis Martyribus in Ebbeckstorp monasterio, *et in Præfatione eorumdem Actorum ad* Deo dicatas et sacratas Virgines *in eo monasterio*, sub regula S. Benedicti militantes, *ait se* dedisse operam, ut explosa vanitate, res gestæ de Martyribus ibi tumulatis agnoscerentur, et populo deinceps, ut actæ sunt, enuntiarentur : *incitatque* ut agnita veritate fabulam projiciant, et sincera devotione Martyres Christi apud se quiescentes venerentur : *qui ut in Actis addit*, circumfusi in corona hostium, innumera multitudine cæsi sunt, *quando* placuit Deo ex terrigenis augere sanctorum agmina Cœlitum, et de sanguine domesticorum Martyrum ditare inopiam Saxoniæ. *Et deinde :* Hæc est illa sanctorum in Ebbeckstorf Martyrum strages. Inde sunt Sanctorum, quæ coluntur, Reliquiæ, non aliunde advectæ ; sed in loco cædis et peracti pro Christo martyrii tumulatæ. *Eadem habet lib.* 2 *Saxoniæ cap.* 31 *et lib.* 2. *Metropolis cap.* 3. F *In Mindensium Episcoporum Chronico incerti Auctoris, a Joanne Pistorio inter sex veteres Scriptores Rerum Germanicarum edito, dicuntur* Theodericus Episcopus Mindensis, *aliique* Episcopi, Comites, et fideles, juxta Ebekestorp in acie pro fide et patriæ defensione stantes imperterriti, Domino permittente, occubuisse, cœlosque petiisse sanguine laureati, in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. *quo etiam die eosdem refert Gelenius in sacris fastis Agrippinensibus, et ex Kalendario Germanico Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, et iterum, Krantzium secutus, Kalendis Augusti, ac utrobique sanctos* Martyres *appellat. Primo etiam Augusti referuntur in Actis MSS. quo fortassis die aliqua corporum elevatio, aut translatio contigit, ut is natalis ac Martyrii dies fuerit creditus.*

AUCTORE G. H.

occisi in odium fidei.

Martyres habiti cultu Ecclesiastico,

2 Febru. et 1 August.

## § II. *S. Brunonis genus, res gestæ.*

Bruno *Auctori Annalium Fuldensium ejus æquali*, Dux *dicitur et* frater Reginæ, *tunc videlicet, cum scriberet, anno* DCCCLXXX, *in Germania cum marito* Ludovico Juniore *regnantis. Ea in Annalibus Metensibus ad annum usque* DCCCLXXXIII *ab auctore itidem coævo productis,*

Bruno Dux frater uxoris Ludovici Regis Germaniæ.

45

AUCTORE G. H.

A *productis*, Liutgardis *appellatur. In iis ita legitur ad annum* DCCCLXXXII. Habuit Ludovicus Rex Liutgardem Reginam in matrimonium copulatam, ex qua filium unicum suscepit, quem nomine suo Ludovicum nominavit. Qui puerulus de fenestra cecidit, et confractis cervicibus statim expiravit. *Duxerat eam anno* DCCCLXIX, *regni Ludovici parentis* XXIX. *Cum enim obtenta contra* Orientales Sclavos victoria, ad partes Saxoniæ reverteretur Liuthgardam filiam Liuthdolpi Ducis Saxoniæ desponsavit, et in Francia Orientali in castro Aschaffenburg nuptias celebravit; *uti his verbis testatur Gobelinus Persona ætate 6 Cosmodromii cap. 42, et Krantzius lib. 2 Metropolis cap. 13 qui addit*, inde apparere Duces Saxoniæ jam tum fuisse in ea Regum æstimatione, ut nuptiis dignarentur filias eorum et thoro conjugali. *Hunc refellendus Witichindus, dum scribat* Liudgardam *hanc*, sororem Brunonis, nuptam fuisse Ludovico filio Arnulphi Imperatoris. Witekindum *secuti sunt Abbas Urspergensis, Albertus Stadensis, Joannes Cuspinianus, Aventinus, Peucerus, Reusnerus, Albinus, Sammarthani aliique quibus in Notis suis ad Witichindum opponit Henricus Meibomius diploma* Ludovici *prioris datum anno* DCCCLXXVII, *quod ex Chronico MS. Gandershemensis cœnobii, auctore Henrico Bodone profert*, B *in quo* Luitgardæ ac carissimæ prolis meminit Ludovicus.

*non Ludovici III filii Arnulphi*

8 *Egyhardus Uragiensis Abbas in Chronico Hildenesheimensium Episcoporum, edito a Christophoro Brouwero nostro post Vitam S. Godehardi, inter Sidera Sanctorum Germaniæ, ita de aliis* Brunonis *sororibus scribit :* Altfridus Episcopus anno Domini DCCCLII cum Ludolfo primo Duce Saxoniæ in Brunetheshusen, et quarto post hæc anno in Gandersheim Virginum cœnobium inchoavit, qui ecclesiam ibidem ædificare cœpit, et Hathemundam, ejusdem Ducis filiam Luidolphi, primam Abbatissam ordinavit : qui XVIII post anno Hathemunda defuncta Gerbergam sororem ejus secundam Abbatissam consecravit. Et anno DCCCLXXXIII, suæ ordinationis anno IV, Wigebertus ecclesiam in Gandersheim ædificavit, et Gerberga Abbatissa defuncta sororem ejus Christianam ibidem instituit Abbatissam. *Hæc Eggehardus. De Altfrido agemus* IV *Februarii ad Vitam B. Rabani Mauri. Harum* Brunonis *sororum meminerunt etiam Georgius Fabricius lib. 2 Saxoniæ illustratæ, et Gaspar Bruschius in Episcopis Hildeshemensibus, et potissimum Krantzius lib. 2 Saxoniæ cap. 29. De patre earum ista habet Witichindus :* Horum pater erat Luidolfus, C qui Romam profectus transtulit reliquias B. Innocentii Papæ : *quod factum anno* DCCCLIX *tradit Albericus monachus Trium-fontium in Chronico MS. apud* Chiffletium *in Vindiciis Hispanicis cap. 2, illique* Innocentius primus *est, qui colitur* XXVIII *Julii*. Ludolfum *hunc* Brunonis *patrem ait Fabricius propter integritatem morumque gravitatem in summa fuisse auctoritate, vires* Danorum *ductu et virtute sua ita obtrivisse, ut ipso vivente nullam Germaniæ provinciam amplius attigerint : eaque de caussa e* Marchione Ducem Saxoniæ Magnum *creatum. Dein vita functo* Brunonem *eidem* Ducem *subrogatum, non suo minus quam parentis studio Christianæ religionis amplificandæ Nordmannis invisum, ut nihil magis exoptasse videantur, quam ut hoc prælio superiores facti, eum cum præcipuis* Comitibus et Episcopis *tollerent e vivis. Ferrarius* I *Augusti ejus consignat memoriam :* Apud Hamburgum in Saxonia, sanctorum Martyrum Brunonis Ducis et trium Episcoporum, cum aliis multis Nobilibus, a Nordmannis pro Christi fide occisorum.

*fratres etiam*

*Abbatissarum Hathemudæ, Gerbergæ et Christinæ*

*filius Ludolphi Ducis Saxoniæ,*

*Martyr colitur.*

9 Bruno Ducatum reliquit fratri natu quidem minori, sed omni virtute multo potiori, Ottoni magno Duci : *ut de eo scribit* Wittichindus. *Is sub Arnulfo Imperatore, bello Italico summa fide et fortitudine gesto inclaruit. Dein* Arnulfi filio Ludovico tutor *datus, pari fide officium executus, inter cetera Hungaros repressit atque ad postulandas inducias adegit. Post pupilli obitum ad Imperium vocatus, senium excusavit, commendato Principibus* Conrado Francorum Orientalium Duce : *cui deinde ipsius Ottonis filius* Henricus Auceps *posterique longa serie Imperatores successere. Huic* Henrico *patrui sui* Brunonis *adeo cara fuit memoria, ut cum parentis nomen in filio* Ottone Imperatore *renovasset, alterum a suo nomine vocasset* Henricum, *tertium ab hoc patruo suo* Brunonem, *ut advertit Dithmarus appellarit. Nec vanum id fuisse omen singulorum fervida virtusque ostendere. Uti enim a* Magno Duce Ottone Otto Magnus Imperator *nomen accepit, atque ab* Henrico *altero filio, quem* Bavariæ Ducem *constituit, nepos orbi datus est* S. Henricus Imperator; *ita et a sancto patruo* Brunone *illic sanctissimus fortissimusque* Coloniensis Archiepiscopus Bruno *nomen sortitus. Hujus Vitam dabimus* XI *Octob. ex cujus initio de familia illa illustri præcerpenda hæc verba :* Atavorum ejus atavi usque ad hominum memoriam omnes nobilissimi, nullus in eorum stirpe ignotus, nullus degener facile reperitur. *An inter hos atavos, seu majores censendus sit* S. Widekindus, *qui tempore Caroli Magni Dux Saxoniæ fuit, in utramque partem aliqua, sed in neutram certa suppetunt argumenta. Avum* E B. Brunonis Ducis *omnes* Brunonem *appellant, quem Krantzius* pronepotem, *Fabricius supra ac Bertius lib. 2 rerum Germanicarum cap. 2, aliique* fratrem *faciunt* Widekindi : *contra* Mathildam conjugem Henrici Aucupis *scribit Witichindus Corbeiensis lib.* 1 ex stirpe magni Ducis Widechindi progenitam : *quod haud dubie de ipso* Aucupe, *si et inde prognatum credidisset, neutiquam silentio præteriisset.*

*ex hoc nepos Henricus Auceps Rex*

*pater Ottonis I Imp. et S. Brunonis Archiep.*

10 *Reliquum est de* Tanguardo, *sive* Dangmaro, *fratre* Brunonis, *ut quæratur, num hisce Martyribus annumerari debeat. Fabricius lib. 2 Saxoniæ illustratæ, ita scribit :* Dangmarus, ut et Bruno frater ejus, uxorem non habuit, prælio Ebbecsdorfio una cum fratre et exercitu reliquo periit, ut ex Annalibus Mindensium, Hildeshemiorum, Hamburgensium Krantzius annotat. *Sed quo in libro Krantzii id legerit, non tradit. In Actis horum Martyrum superfuisse* Tanquardum *ait Krantzius :* nec dubium, *inquit*, quin principes ejus temporis Tanquardus, atque Otto, cæsi Ducis Brunonis fratres germani, similem in suum quoque germanum pietatem intentarint, cupientes extractum de congerie cæsorum, principali ritu tumulare : sed non erat quo internosceretur nobilis a plebeio, dispensante Deo; ut qui in una Christi caussa ceciderc, F uno in loco tumulati colerentur, expectantes novissimam tubam. *Sed neque in Saxonia neque in Metropoli* Tanquardum *occisum, aut omnino prælio interfuisse tradit. Ab utroque, et potissimum a* Brunone, *extructum* Brunsuicum *idem scribit lib. 2 Saxoniæ cap.* 31. Bruno, Tanquardus, Otto, liberi fuere Ludolpho : quorum Bruno insigne nomen reliquit vico, quem ille primus inchoaverat, qui ex illo dictus est Brunonis vicus, jam diu Brunswicum, insigne oppidum in media Saxonia, ad rivum Onacri, qui influit Visurgum. Cujus oppidi parva primum initia multas per tempora habuere accessiones, ut per vices amplificatum, nunc in eas excreverit vires atque opes ut facile Principibus suis titulum indiderit, qui exinde vocantur Duces Brunswicenses. Sed hoc longe postea. Sinum excurrentis fluminis, stagni, aut maris, Saxones lingua sua wyck appellant. Inde Bruno excursum fluminis alterum, alterum Tanquardus non longo intervallo ædificiis honestarunt. Inde Brunswyck et Tanquardeswyck diu variata appellatione secernebantur; obtinuit autem Bruno, ut solus oppido nomen relinqueret : frater autem arcem communivit vicino loco, quæ de ejus nomine Tanguerode

*In Ducatu succedit ei frater Otto*

*Alter frater Tanquardus, socius, non martyrii.*

*sed extructi oppidi Brunsuici.*

A gueroile diceretur quo in loco ecclesia S. Blasio consecrata nomen retinuit, ut in urbe diceretur, extantibus muris prioribus, qui jam mœnibus civitatis ambiuntur *Hæc Krantzius qui eadem in Metropoli et horum Martyrum Actis repetit. Eadem habent Fabricius, Munsterus aliique passim recentiores, quod Georgius Braunius tomo primo civitatum orbis, ex Hermanno historico rerum Brunswicensium, factum scribit anno* DCCCLXXI *a* Brunone *ejusque fratre, quem* Theodorum, *seu* Theomarum *male appellat. Bertius lib.* 2. *cap.* 11 *a* Brunone *avo extructum scribit : at libro* 3 *huic* Brunoni *et Tanquardo illam laudem reddit. Contra* S. Swibertus Episcopus *sub initium seculi* VIII cum suis Presbyteris et Clericis migrasse ad Saxoniam, pervenisseque in grandem vicum, dictum Brunswick, ibique diebus aliquot prædicasse Christum, et convertisse multos *traditur in* Vita *ejus sub nomine* Marcellini Presbyterii *ejusque discipuli edita, sed plurimum a posteris interpolata, ut dicetur Kalendis Martii.*

## § III *Episcoporum Theoderici et Marquardi Sedes, gesta.*

Duo Episcopi *in* Annalibus Fuldensibus *supra* B *memorantur* occisi, Theodrich *et* Marcwart, *qui Ditmaro sunt* Thiedricus et Marquardus, *Adamo Bremensi* Thiadericus *et* Marquardus, *Alberto Stadensi* Tiadricus *et* Marquardus, *neque usquam hi aliorum Episcoporum meminerunt.* Theodericus *in Chronico Mindensi apud Pistorium* nominis primus, tertius Episcopus Mindensis, fundavit monasterium in Wunsterpe, in honorem Cosmæ et Damiani Martyrum. *In Annalibus Episcoporum Mindensium hoc eum elogio ornat Petrus Merssæus Cratepolius :* III S. Theodoricus inde vir sincerus gubernacula suscepit : hic bonus Antistes in illa turbulenta incidit tempora, quando Nordmanni per terras grassabantur, et multa ubique damna dedere. Occubuit igitur hic gloriosus Pontifex cum aliis quibusdam viris, qui pro ecclesia Dei occisi sunt Martyris autem, hujus scilicet Antistitis, corpus ob vulnerum deformitatem non potuit agnosci, locus autem interfectionis est in Ebbeckstorp. *Eadem in libro de assertione Missæ repetit Cratepolius, et cum aliis* pro religione occubuisse *affirmat Eadem fere habet Krantzius lib.* 2 *Metropolis cap.* 16 *Quanto tempore sederit nusquam legimus. Ante annum* DCCCLXV *Episcopum creatum fuisse constat ex* Vita S. Remberti C Archiepiscopi Hamburgensis, *quam damus* IV *Februarii. Cum enim hic ipso* die depositionis S. Anscharii *fuisset a Clero populoque in Archiepiscopum electus,* eum ad Regem Ludovicum adduxerunt Thiadricus Mendensis Ecclesiæ Episcopus et Adalgarius Abbas monasterii novæ Corbeiæ : cumque ille a Luitberto Moguntino Archiepiscopo consecraretur, in adjutorium consecrationis *astiterunt* Liudwardus Baderburnensis Episcopus et præfatus Thiadricus, *ut illic dicitur numero* 14. *Hinc corrigi Mindense apud Pistorium Chronicon debet, quod sub successore ejus exordium statuit Comitatus Flandriæ, et quidem, (nisi mendum typographi incuria in numeros irrepsit) anno* DCCXLVII. *In Chronico Hildenshemensi tomo* 3 *scriptorum historiæ Francorum* anno DCCCLXXIV Indictione, in Calendis Novembris dedicata est Ecclesia S. Mariæ in Hildenesheim, a venerabilibus Episcopis Alfrido ejusdem Ecclesiæ Episcopo, et Rimberto, atque Theodrico, sed et Luithardo, cum interventione religiosi Abbatis Adalgarii, monachorum et Canonicorum, *uti iterum explicamus ad* Vitam S. Remberti § 5.

Theodericus Epus Mindensis.

Martyr.

adstitit consecrationi S. Remberti an 865.

… Hildeshemensis 872

12 *De* S. Marquardo *ita scribitur in eodem Chronico Hildenshemensi,* Anno DCCCLXXV Ludovicus Rex obiit anno Regni sui XXXV. Alfridus Episcopus obiit. D Post Alfridum Ludolfus monachus Chorepiscopus eligitur, sed subitanea morte aufertur. Post hunc Marcuvardus successit, qui a Sclavis interfectus, quarto anno decessit. *Eggehardus in Chronico Hildenshemensium fere eadem habet :* Alfridus, *inquit*, in die Assumptionis obiit, et Asnede in cœnobio, quod fundaverat, est sepultus anno Domini DCCCLXXV, post Alfridum Ludolfus quidam monachus Corbeiensis postulatur, sed morbo præventus aufertur. V Marquardus. Hic Abbatias Saligenstad et Asnede negligenter amisit : et quarto ordinationis suæ anno a Sclavis est occisus. VI Wigbertus DCCCLXXX Domini anno in Episcopum est electus. *Hæc Eggehardus. Cum autem* Ludovicus anno DCCCLXXVI, V Calend. Septemb. Francofurti diem ultimum clauserit, *eodem dicendi obiisse anno* Alfridus *et* Ludolfus, *ac tandem sub finem ejusdem aut initium sequentis electus* Marquardus, qui quarto anno ordinationis, *Christi* DCCCLXXX, *a* Nordmannis, *non* Sclavis, *fuit interfectus hoc* II Februarii ; *quo eodem anno* Wigbertus *ejus successor in Episcopum est electus. Krantzius plurimum sibi contradicit lib.* 2 *Metropolis, ubi cap.* 12 *ait* Alfridum obiisse anno DCCCLXXVII, quo tempore strages illa fuit memorabilis sub duce Brunone in loco Ebbeckstorp : potuisse autem hunc Sanctum agmini interesse Sanctorum, sed monachali professione et ætate E senili jam fessa, armis enim interesse carnalibus *impeditum fuisse, et cap.* 14. In Heldesemensi, *inquit,* Ecclesia post Alfridum præfuit Marquardus, vir Deo et cœlo dignus, qui agmini Sanctorum interfuit ad annum Christi DCCCLXXVI in Ebbeckstorp pro Christo cæsus. *Bruschius in catalogo Episcoporum Hildeshemensium, erroribus ejus correctis, addit* Wigebertum successorem electum esse post martyrio coronatum Marquardum anno DCCCLXXX. *Demochares lib.* 2 *de sacrificio Missæ in Episcopis Hildeshemensibus,* V Marquardus, *inquit,* præfuit annis tribus Trucidatur Hamburgi a Sclavis et Danis infidelibus, sepelitur in monasterio Epplestorpensi honorifice anno DCCCLXXX. *Sequitur Cratepolius de eisdem Episcopis in assertione Missæ.*

AUCTORE G. H.

factus an 876 aut sequente.

13 *De horum duorum Episcoporum sacris pignoribus conquisitis* Krantzius *in Actis producit* testes Annales plurimi in circuitu Ecclesiarum. Nam, *inquit,* Mindenses cum se pro suo Pontifice Theoderico, viro sanctitatis eximiæ, ad stragem cæsorum corporum pro illo apud Ecclesiam suam honorifice tumulando, contulissent, jam erat indiscreta corporum congeries, inflicta vulnera et secutus inde tumor mortuæ et jam F putrescentis carnis, discrimen non reliquerunt. Idem passi Hildesemenses pro suo Pontifice Marquardo, ordine quinto, diligentiam facientes *Hæc de duobus dictis Episcopis utcumque certa et expedita.*

Corpora eorum agnosci nequiverunt.

## § IV *Episcoporum Erlulphi et Gosberti Sedes, obitus, cultus.*

D*ifficultas est magna de aliis* Episcopis, *qui a pluribus socii Martyrum asseruntur Acta MSS. Paderbornensia, omisso* Marquardo, *alios enumerant* Episcopos septem, Theodiricum, *seu* Thidericum Myndensem, Dudonem Paderbornensem, Drogonem Osnabrugensem, Dodonem Minnigardevordensem, Autridum Trajectensem, Reynbertum Hamburgensem et Erlorfum Verdensem *Iidem prætermisso* Dodone Minigardevordensi *referuntur in Chronico Mindensi apud Pistorium*, Theodoricus Mindensis, Dudo Paderbornensis, Drago Osnaburgensis, Aufredus Trajectensis, Albertus Hamenbergensis, Erlurfus Verdensis. *Quos ex Calendario Germanico hoc* II Februarii *ita retulit in Catalogum generalem Sanctorum Ferrarius :*

Varii crediti Episcopi martyrio affecti

A *rius* : Ebekestorpii in Vandalia sancti Martyres Theodoricus Episcopus Mindensis, Albertus Ep. Hamburgensis, Aufridus Ep. Trajectensis, Drogo Ep. Osnaburgensis, Dodo Ep. Paderbornensis, Erlulphus Ep. Werdensis, cum tribus Ducibus, xv Comitibus et aliis multis. *Krantzius in horum historia Martyrum pro* Episcopo Hamburgensi *substituit* Halberstadiensem, *his verbis* : Aderant frequentes in circuitu armati quantis poterant viribus Episcopi : Halberstadensis, qui tum Sedem habebat in Salingstadio, Hildesemensis, Verdensis, Paderburnensis, Mindensis, Monasteriensis, qui tum Mimegardevordensis, et Osnaburgensis. *De singulis agit in Metropoli : plerosque etiam enumerat Cyriacus Spangenbergius in Chronico Mansfeldico cap.* 108.

AUCTORE G. H.

15 *Idem Krantzius lib.* 2 *Saxoniæ cap.* 31 *cumque secutus Ubbo Emmius lib* 5 *rerum Frisicarum*, Episcopos tres cæsos *scribunt*, Mindensem, Hildeshemium, *de quibus egimus, et* Verdensem. *Hic* Erlulfus *est, quem Ferrarius et cum reliquis hoc die locat, et seorsim* xxii *Januarii* : Werdæ S. Erlulfi Episcopi : *iterumque* i *Augusti eum inter tres Episcopos ex Kranzio refert. Censetur ab eodem Krantzio lib.* i *Metropolis cap.* 31 *et a Demochare ac Bruschio in Catalogis Episcoporum* decimus ejus Sedis Antistes, successor Helgandi, *qui anno* DCCCXXXI *cum aliis Episcopis adstitit* Drogoni Metensi, S. Ansebarium Archiepiscopum Hamburgensem *consecranti, ut in ejus Actis dicitur. cap.* 5. *Verum ex eisdem Actis cap.* 9 *constat, cum circa annum* DCCCXLVII *Bremensis sedes cum Hamburgensi uniretur, præfuisse Sedi Verdensi* Waldgarium, *qui eodem anno* DCCCXLVII *interfuit concilio Moguntino sub Rabano, ut ad hujus Vitam dicetur. Huic tum iterum cesserat pars ante Hamburgensi Sedi in primo ejus institutione attributa, quæ aliquot post annis iterum dictæ Sedi Hamburgensi subjecta alia portio* Walgario *collata est. Statuendus igitur* Erlulphus *inter annos* XXXI *et* XLVII *ejus seculi, quem tamen, quo nescimus errore, Verdensium Annales, teste Krantzio deputant* collegio Sanctorum pro Christo ab Danis infidelibus cæsorum; *cumque etiam* trucidatum Ebbeck torpi et martyrio coronatum *agnoscit Bruschius, et aliis Episcopis conjungunt Spangenbergius, et Demochares, cujus sunt hæc verba* : S. Erlulphus Scotus, Martyrum loco Eppeckstorp anno DCCCLXXVI. *Camerarius in Menologio Scotorum* x *Februarii eum sic refert* : S. Erlulfus Martyr et episcopus Verdensis. *Natione hunc* Anglum aut Scotum, dignitate Abbatem fuisse, ex aliorum *opinione tradit Krantzius lib.* 2 *Metropolis cap.* 30. Verdensis, *inquit*, Ecclesia post Erlulfum Martyrem in Ebbeckstorp cum agmine Christianorum pro Christo cæsum habuit Walterum virum eo loco dignissimum, primum, ut arbitrantur, ex hujus nationis hominibus ortum. Nam prædecessores fere omnes Scotici aut Anglicani generis fuere, quod tituli testantur Abbatiarum, a quibus sunt translati. *Verum hic* Walterus *in Actis S. Anscharii est* Waldgarius, *et Germanus oriundus, quem secutus est* Wigbertus, ex sanguine S. Widekindi Ducis : *cui* Ludovicus II, *sive Junior*, Rex Germaniæ, *multa bona contulisse dicitur pro Ecclesia Verdensi, illustri statutæ nostræ Chronologiæ confirmatione.* Thomas Dempsterus *lib.* 5 *historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum cap.* 485, *statuit* S. Erlulfum in insulam Borealem Island am *abiisse, et barbaris istic fidem Christi annuntiasse. Mox occasionem sibi oblatam gloriæ Hibernis tribuendæ ratus Colganus, hoc* 2 *Februarii duos* Erlulfos *celebrat, ambos Hibernos : quorum alter in Islandiam abierit, alter* Martyr *fuerit* Episcopus Verdensis, *ante* Abbas Ardmachanensis, *sive* Armachanensis, *in* Hibernia. *Sed tota fides sit penes hos Auctores, donec antiqua proferant monumenta.*

Erlulfus Verdensis,

successor Helgandi

B

C

habitus natione Anglus aut Scotus,

aut etiam Hibernus.

16 *Alter horum* Episcoporum *est* Osnabrugensis, *quocumque is nomine appelletur. Hic supra in Actis MSS. Chronico Mindensi, et Catalogo Sanctor. Ferrarii, dicitur* Drogo, seu Drago *quo etiam nomine eum inter Martyres censet Krantzius lib.* 2 *Metropolis cap.* 16, *qui mox cap. sequenti sui oblitus, tradit* Osnaburgensi tum Ecclesiæ Episcopum Gosbertum *præfuisse*, interfuisseque agmini Episcoporum, qui una cæde mactati a Danis infidelibus, in loco Ebbeckstorp, pro Christo occubuerunt. *Et cap.* 26 Egbertum *vocat successorem* Gosberti, *qui* insigni cæde facta a Normannis inter alios fertur etiam occubuisse. *Et lib.* 3 *ejusdem Metropolis cap.* 23 octavus Ecclesiæ Osnaburgensis Pontifex dicitur Drogo, sub Ottone i ordinatus, qui anno CMLXIX III Idus Aprilis diem clausit extremum. *Consentiunt Catalogi Episcoporum Osnabrugensium Krantzii ad calcem Metropolis, Democharis Cratepolii, et qui præfixus est synodo majori Osnabrugensi anno* MDCXXVIII *mandato* Francisci Guilielmi *ejusdem urbis Episcopi excusæ. In hoc Gosberti sanctitas prædicatur his verbis* : S. Gosbertus, gente Suveo, sive Suecus, discipulus S. Anscharii, præstantissimi Apostoli Suediæ, sedet octo annis, ab LXVI ad LXXIV supra DCCC. *Cratepolius plura addit* : S. Gosbertus, *inquit*, ex schola S. Anscharii, præstantissimi Apostoli Suediæ, huic Ecclesiæ datus est Antistes. Fuit quidem strenuus verbi Dei concionator, verum rebus in Ecclesia turbatis ad suum Magistrum Ansgarium, qui tum temporis erat Sedis Apostolicæ Legatus, sese contulit ; et cum annis decem præfuisset, cum aliis piis viris in Dania Martyr occubuit. *Idem in Assertione Missæ eumdem et* Sanctum *appellat, et* Martyrem *ait* in Dania occubuisse.

D

Osnabrugensis non Drogo,

sed Gosbertus,

E

17 *Mira rerum omnium confusio. In Actis S. Anscharii, aliisque coævis scriptoribus, nulla hujus* Gosberti *occurrit mentio, nisi (quod omnino suspicamur)* Gaudbertus *sit* propinquus Ebbonis Archiepiscopi Remensis, *qui legationis S. Anscharii adjutor in Episcopali ordinatione circa annum* DCCCXXXVII Simon, *seu* Simeon *nuncupatus est, primusque* Episcopus ad partes Sueonum missus, honorifice a Rege et populo susceptus, cœpit cum benevolentia et unanimitate omnium Ecclesiam ibi fabricare et publice Evangelium fidei prædicare, *ut in Actis S. Anscharii dicitur cap.* 6 : *cumque Sueonum jam aliquot annis cum copioso fructu excoluisset, diabolico instinctu ab infidelibus capitur, ligatur, contumeliis et opprobriis afficitur, rebus omnibus spoliatur, atque regno ejicitur ; non tamen, ut Joannes Magnus in Metropoli Upsalensi lib.* i *scribit*, martyrio vitam consummavit. *Nec potuit a S. Anschario deinceps induci, ut regnum illud denuo tentaret, sed ut num.* 43 *fusius scribitur*, Ermenbertum Sacerdotem, nepotem suum, *tradidit socium S. Anschario, qui circa annum Christi* DCCCL *Sueonum iterum ingressi, fidem Catholicam plurimum promoverunt, facultate a Rege populoque concessa ut Ecclesiæ fabricarentur, et Sacerdotes in regno permanerent. Regresso S. Anschario*, Gauberti Episcopi nepos Erimbertus *Divina mysteria ibidem peregit ; donec circa annum* DCCCLXI *aut post paullo, submisso* Presbytero Ansfrido Dano, *recessus est. Hunc ergo* Gaubertum *eumdem esse suspicamur cum* Gosberto Episcopo Osnabrugensi *qui, ut propinquus ejus Ebbo ex Archiepiscopo Remensi factus fuerat Episcopus Hildeshemensis, et S. Anschario et Ludovico Regi admodum carus ad Martium usque anni* DCCCLIII *supererat, ita et hic ex* Episcopo Sueoniæ *electus fuerit* Osnabrugensem Sedem, *apud eumdem* Regem Ludovicum *gratiosus, quem super præcenta ultima Legatione cum S. Anschario adierat, rogatusque ab eo, num ipsi in hac voluntate concordes essent, respondit in hæc verba* : In Dei servitio nos semper concordes et fuimus et sumus, et istud unanimo consensu ita fieri cupimus, *ut cap.* 11 *dicitur.*

seu Gaudbertus,

ante in Sueonia missus

F

*Alius*

A *Alius extitit hoc tempore* Gosbertus, *pro Adalgario Episcopo Augustodunensi gubernator castri* Sine-muro *dicti in Burgundiæ Ducatu, ope S. Joannis Abbatis Reomensis sanatus, ut in tertia hujus Divi Translatione dicitur num.* 6 XXVIII *Januarii. Unde liquet* Gautbertum *et* Gosbertum *usurpata promiscue Francis nomina fuisse, uti* Gauzelenus *eo tempore Episcopus Parisiensis,* Goslenus *etiam dictus.*

*Ambo diversa occasione martyrio affecti:*

18 *Hæc de* Gosberti *vita ac nomine putamus non improbabili nos conjectura assecutos, sed mortis genus magis dubium; cum supra memorati Auctores* Martyrem *prædicent, nec tamen eum, ut neque* Erlulfum Ferdensem, *audeamus cæsorum agmini apponere: singulos seorsim a Nordmannis captos, atque odio fidei Christianæ occisos potius opinamur. Potuit* Erlulphus Helingaudo *successisse post annum* DCCCXXXI *et anno* DCCCXLV, *(quo tempore Hamburgum devastatum probamus ad Vitam S. Anscharii § 2) aut etiam citius gloriosam pro Christo mortem a Nordmannis inflictam oppetiisse, cui* Waltharius *successerit, et diœcesim, ut supra dictum, cum* S. Anschario *circa annum* DCCCXLVIII *ordinarit: quo modo Acta S. Anscharii, a S. Remberto successore conscripta, cum serie et ordine Episcoporum Ferdensium, absque ullo discrimine conciliantur. Potuit etiam* Gautbertus *seu* Gosbertus, in Daniam profectus, *cum*
B *aliis viris piis* Martyr occubuisse, *ut ex Cratepolio diximus. Potuit et in sua diœcesi, a Nordmannis sæpius vastata, odio religionis interfectus esse. Demochares a* Normannis anno LXXIV seculi IX interfectum *scribit. In Annalibus Fuldensibus dicitur* Rudolphus, *quem filium fuisse* Herioldi Regis Daniæ *ostendimus ad Acta S. Anscharii* § IX, *post regnum Caroli Calvi incendiis prædisque sæpe vastatum, anno* DCCCLXXIII *classem in regnum Ludovici induxisse, et conserto cum Frisionibus Orientalibus prælio, cum octingentis viris occubuisse. Aliæ plurimæ excursiones fuere, quibus hic Gosbertus, quem omnes* Martyrem *prædicant, eam palmam consequi potuerit. Denique eumdem sub nomine etiam* Heriberti, *(quem primum in Sueciam missum volunt, et in tres quasi viros distinctum) refert Joannes Vastovius in Vite Aquilonia de Sanctis Sueciæ, et* Gosbertum Martyrem *statuit. Cujus auctoritate usus* Raderus *noster eumdem Catalogo Sanctorum alphabetico MS. qui penes nos est, inscripsit. Demum in libro, qui* Athenæum Christianum, *ob Academiam Carolinam Osnaburgi anno* MDCXXX *restitutam, appellatur, hypotyposi 3 schemate* 3 S. Gosbertus IV Osnabrugensis Episcopus Martyr, naviculam S. Petri, id est, Osnabrugensem Ecclesiam S. Petro dicatam, fluctibus agitatam, inducit fluctus
C adversos ridentem. *Venerantur eumdem quidam ad diem* XXVII *Februarii.*

*S. Rembertus his Martyribus superstes:*

19 *Hæc de* Gosberto *et* Erlulfo *occurrere: amplectemur si quis certiora protulerit. Eorum forte reliquiæ aliquæ Ebbecstorpium delatæ, occasionem posteris dederunt, eos reliquis Martyribus, quasi eadem cæde mactatos, annumerandi. Certe* Rembertus Archiepiscopus Hamburgensis, *qui iisdem accensetur, octo post eos annis superstes in pace quievit, ut ex dicendis* IV *Februarii constat: qui tamen in Actis MSS. Paderbornensibus* Reymbertus, *Auctori Chronici Mindensis, Ferrario, aliisque dictus* Albertus Hamburgensis; *aut* Hamenbergensis *videtur. Krantzius in Saxonia, Metropoli et historia horum Martyrum, sæpius et operose* abfuisse S. Rembertum *inculcat. Ejus dein maxima emicuit caritas in captivis hac clade in Daniam abductis, a misera servitute liberandis, impensis bonis omnibus suis, ac sacratis etiam Ecclesiæ vasis, ut dicitur cap. 7 Vitæ. An ejus aliquæ, ut ceterorum, Ebbekstorpii reliquiæ fuerint custoditæ, haud comperimus.*

## § V *Aliorum Episcoporum, et Benedicti V Papæ obitus.* D

AUCTORE G. H.

*Nonnulli Martyres per errorem Episcopi dicti*

Q*uæ de ceteris narrantur Episcopis ibidem cæsis, veremur ne circa ea (ut Henricus Meibomius in annotationibus ad lib.* I Wittichindi *etiam sensit) quispiam homo imperitus oscitanter hallucinatus sit, aut certe aliquorum militum istic tunc occisorum nomina Episcopis perperam attribuerit. Nam qui supra inter* Satellites regios *numerantur in Annalibus Fuldensibus* Dudo et Bodo, *proclivi ob nominum similitudinem errore,* Episcopi *habiti,* Dudo Paderbornensis, *et* Dodo, *seu* Bodo, Mimigardevordensis, *seu* Monasteriensis: *quia horum nominum* Episcopi *utroque loco sederint, licet integro fere post seculo. Nam* Dudo *administrata annis* XXV *Paderbornensi Ecclesia, sub* Ottone Magno *anno* CMLX *decessit: cui* Dodo Monasteriensis, *etsi haud longo tempore sederit, creditur supervixisse. Utriusque illius Ecclesiæ Episcopum non expresso tamen nomine, recenset in Martyrum historia Krantzius: ast in Metropoli Monasteriensem Martyrem nullum memorat, uti nec Demochares aut Cratepolius. Paderbornensem* Luthariuin *Krantzius lib. 2 Metropolis cap.* 15 *describit, assignatis Sedi ejus annis* III *et* XX, *nulla facta cædis mentione. Bruschius* XXV *annis Episcopum vixisse ait, ordinatum anno* DCCCLII; *et cum Demochare*
E *et Spangebergio a* Nordmannis trucidatum *anno* LXXVII *ejus seculi tradit. Hunc Krantzius cap.* 16 Dudonem *censet esse, ut fuerit binominis, aut* Bisonem *ejus* successorem. *Forte quia* Luitharius, *seu* Liuttarius Comes *inter Martyres legitur in eum fuerunt errorem acti* Baduradus, *seu* Baturatus *decessor interfuit* Concilio Moguntino *anno* DCCCXLII *sub Archiepiscopo Rabano, ut ad hujus Vitam dicitur* IV *Februarii. Ipse autem* Luitharius *adstitit* Luidberto Archiepiscopo Moguntino, *cum ab eo anno* DCCCLXV *in* Hamburgensem Archiepiscopum *consecratus est* S. Rembertus, *ut* IV *Febr. in ejus Vita legitur. De* Bisone *ejus successore non videmus, quo potuerit argumento impelli Krantzius, ut pro Dudone eum inter Martyres censeret, cum cap.* 31 *scribat eum pervenisse* ad tempora Arnulphi Imperatoris. *Bruschius ad annum* CMIX *vitam ejus extendit.*

*Halberstadiensis,*

21 *Quem idem in historia Martyrum memorat Krantzius anonymum* Episcopum Halberstadiensem, *videtur insinuasse* Hildegrimum. Per cujus tempora, *inquit in Metropolis lib.* 2, *cap.* 13, fuit illa Danorum in vicinas provincias excursio frequens, et illa insignis strages in qua Dux Saxoniæ Bruno cecidit in loco Ebbeckstorp. *Bruschius obitum ejus refert ad annum*
F DCCCLXXXVII, et sepultum tradit in cœnobio Verdensi apud antecessores consanguineos suos. *Assentitur Demochares. Hunc, uti* Monasteriensem, *neutrius indicato nomine, inter Martyres refert* Spangebergius.

*Ultrajectinus,*

22 *Demum* Aufridus, *sive* Autradus Ultrajectinus Episcopus, *quem Acta MSS. itemque Chronicon Mindense, Ferrarius, Spangebergius, aliique hisce Martyribus jungunt, integro amplius seculo post hæc tempora Balduino Episcopo successit, ac post annum Christi millesimum vita functus, ut in historia Ultrajectina Joannes de Beka, et Willelmus Heda tradunt. Neque aliquis Episcoporum Albertus est, quem ab aliis Sedi Hamburgensi perperam attributum, Krantzius Ultrajectinis possit vindicare. Alius istic ante sederat* Albericus, *nonnullis* Alfricus, *qui* XIV *Novembr. colitur: sed neque hic potuit aquilam cæsorum interfuisse, mortuus circa annum* DCCCLXV, *frater decessoris sui* S. Frederici Martyris. *Alius est* Aufridus Danus Presbyter, *qui ex primis Sueciæ Apostolis, post* Ermubertum, nepotem Gaudberti, *cum tribus annis excoluit, sed reversus, ingravescente dolore defunctus dicitur in Actis S. Anscharii cap.* 14

23 *Unum superest MSS. Actorum mendum notatum a Krantzio aliisque, quod* Pontifex Romanus Benedictus

*AUCTORE G. H. Non adſuit Benedictus V Papa,*

A nedictus *reliquis Martyribus summa inscitia conjungitur. Est ille* Benedictus V, *quem ab Ottone Magno Imperatore depositum, ut refert Adamus Bremensis lib. 2 cap. 6,* Adalgagus Archiepiscopus Hamburgensis, reversus *Roma* in patriam, duxit in comitatu, et in custodia, sed magno cum honore, ad obitum usque detinuit, *quod* vir sanctus litteratusque esset, et dignus Apostolica Sede a populo Romano videretur; nisi quod per tumultum electus esset, expulso eo quem ordinari jussit Imperator. Igitur apud Adalgagum in sancta conversatione vivens, aliosque sancte vivere docens, cum jam Romanis poscentibus a Cæsare restitui deberet, apud Hammaburg in pace quievit IV Nonas Julii *anno* CMLXV *quem* Baronius *tomo* 10 *ad illum annum, num.* 2, *explosa hac fabula,* alia ratione dicendum censet Martyrem, nempe quod a Leone Pseudopontifice tam dira tamque contumeliosa sit passus, et exul ipse legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex sit defunctus; ut sancti Martyres idemque Pontifices Pontianus atque Martinus in exilio vita functi. Quod autem ut Martyr coleretur Benedictus, ne ob id Ottonis nomini nota inureretur, fingendi alium caussam Martyrii occasio data. *Reperitur* IV Julii Martyrologio Ferrarii *inscriptus. Quodsi cum sacrum ejus corpus Romam refer-* B *retur, aliquæ reliquiæ remanserint in Saxonia, quarum partem adeptæ sanctimoniales Ebbeckstorpianæ? Quod forte et aliquibus ante relatis Episcopis factum fuisse aliquis Saxonicarum antiquitatum curiosus indagator aliquando probabit.*

*anno 965*

*Hamburgi in exilio mortuus.*

## § VI *Miracula ad reliquias horum Martyrum,*

### ex MS. Paderbornensi.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo tertio manavit oleum ex ossibus sanctorum Martyrum, in die passionis eorum, quod ab ortu solis manere cœpit, et ad horam fere quartam stetit. Aderamus et nos psallentes in multa gratiarum actione in lacrymis effusa, et stillicidio illo supercælesti quo omnes spiritaliter peruncti. Abbas Villessensis aderat cum suis, testis et ipse fidelis, qui reportavit Ecclesiæ suæ memoriale ex oleo illo sacro, quod ministravit nobis Rex Regum, dives in omnes non mediocriter, sed ex abundanti præsentibus et spiritualibus et laicis, qui convenerant ad diem festum, ubi misericordia Dei nullius fraudavit C oculum in illius olei sacri manantis aperta visione. Quidam tamen, ut moris est humanæ tarditatis, non credentes liquorem sanctum divinitus datum, affirmabant rorem magis esse tenendum: sed Dominus bonitatis suæ donum non passus errore obscurari, abrasit dubium, in die scilicet passionis eorum, die medio ante in ipso fervore solis oleum ex ossibus sanctis fecit exurgere, populo concurrente et inspectante: ea videlicet hora, qua rorem descendere non esset opinabile.

*Oleum ex sacris ossibus fluit,*

25 Erat quodam tempore in die B. Petri pluvia vehemens: et Dominus more solito mirificavit Sanctos suos sacro oleo manante ex ossibus eorum, omnibus astantibus et hoc miraculum cernentibus. Affuit inter eos quidam ex Ordine Minorum Fratrum, nomine Echehardus, Deo valde devotus. Et dum omnes hæsitarent propter inundationem pluviæ quæ descendebat, *lychnus, quod tenebat, intinxit in liquore, et retractum imposuit candelæ, et arsit donec totum absumeretur quod fuerat intinctum. Præpositus Helricus ejusdem miraculi minus credulus, quodam tempore accepto turibulo infudit sacrum oleum, et arsit quasi liquor olivæ. Et sic fidelis Dominus circa opera sua omne solvit ambiguum. Benedicta gloria Domini, qui mirificavit sanctos Martyres, D quorum gloriam non audivimus, sed vidimus, et manus nostræ contrectaverunt gratiam quæ data est nobis. Lætemur et nos apud quos sancti Martyres veneranda pignora sua in gremio fovere clementer delegerunt. Quorum concives in præsenti feliciter effecti sumus, in futuro gaudio cumulatiore consortes felicius assumendi, sicut speramus, ipso donante, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

*iterum*

**forte lichnum*

26 Tempore Domini Manegoldi, qui erat Præpositus Canonicorum in Ebbeckestorp, Ecclesia Mindensis est incensa. Quæ reædificata, septies postea igne consumpta est. Mindenses igitur missis legatis alloquuntur capita Ecclesiæ nostræ, petentes ut accepto magno præmio redderent sibi corpus Pontificis eorum, Beati videlicet Theoderici, ut in tanto periculo eis sit præsidio. Reclamant omnes nullatenus annuentes. Quia inter tot millia unus dignosci non poterat: quin etiam si notus esset facie et nomine, nullo modo dimitterent thesaurum qui consilio Divino apud eos esset reconditus, et hoc eis ad lucrum maximum. Igitur qui missi fuerant, infecto negotio revertentes, turbatione non modica populum convenerunt. Ergo licet cassaretur desiderium eorum, patronum tamen suum quamvis absentem honore magnifico sublimare volentes, argenteum faciunt E monasterium, ad modum lacerti pulchro stemmate decoratum. Sacerdotem ante altare ponentes, ex latere turrim argenteam et sacristam stantem et nolas quasi compulsantem, hoc munus sibi fore munimen sperantes, ut ejus patrocinium hunc eis referret solatium et sic per merita sancti Martyris cessavit plaga incendii ab eis.

*Mindenses contra incendium petunt reliquias S. Theoderici,*

*huuc statuis argenteis honorant*

27 Structura, quæ erat circa corpora Sanctorum, ex vetustate collapsa fuerat, quæ ex negligentia civium non reædificabatur. Tunc idem prædictus Pontifex apparuit cuidam moniali in casula violacei coloris, infulatus ac mirifice decoratus, vultu serenissimo, præcipiens, quatenus pronuntiari faceret populo, iram Dei super eos in brevi futuram, pro eo quod locus, in quo requiescerent, valde haberetur despectus, et porci terram evellerent nullo penitus prohibente. Et subjunxit: Quibuscumque hæc narraveris, dices in testimonium, quod me corporalibus oculis videris, et quod quotidie sumus memores omnium nostri memoriam agentium apud summum Deum. Quo dicto, vir venerandus disparuit.

*hic ob neglectum cultum queritur.*

28 Quodam tempore, dum quidam rusticus illic gramen meteret pecoribus suis in pabulum, contigit ut ipse et uxor sua sensu privarentur, equus ejus et F omnia pecora morerentur. Et in hoc apparuit, quod Dominus sublimavit Sanctos suos dignis in cælo præmiis et in mundo miraculis: cui est laus in seculorum secula.

*Alius punitur,*

29 Eodem tempore erat quædam puella toto corpore contracta, quæ vehiculo imposita illuc a parentibus est adducta, et celebratis pro ea Missarum solemniis, pedes rediit ad propria, stupentibus et lætantibus omnibus qui aderant. Hæc temporibus Gervasii Præpositi acta sunt, qui gavisus in Domino sermonem fecit ad populum, quia Deus hoc de virtutum eorum testimonio signum dedit.

*contracta sanatur,*

30 Quædam bonæ nationis fœmina, dum laboraret in partu octo diebus, ad extrema devenerat, ita ut de sepultura ejus ageretur: quæ inter doloris aculeos separata, vidit se assidere foribus ecclesiæ, ubi sunt sancti Martyres tumulati. Vidit ergo sibi assistere virum ætate senem in habitu venerando, qui dixit ei: Scio quod gravi corporis molestia es depressa: si feceris quod persuasero, sanitatem recipies. Si ad quemlibet locum, ubi requiescimus, voveris te oblaturam quatuor denarios, continuo salva eris. Arbitrio tuo relinquo, quid ad capellam offerre

*puerpera liberatur:*

A offerre volueris. Evigilans autem ex visione certa reddita, matrem et astantes rogabat, ut quæ ei demonstrata fuerant, Domino devoverent, et statim peperit filium, et curata est sicut præviderat.

*pelluntur febres,* 31 Plebanus quidam dum laboraret in quartanis, voto se Sanctis obligavit, et quod amicos Dei fide honorasset, sanitate reddita ostendit.

32 Quædam monialis, dum penitus obsurduisset, *surditas,* gramen quod de tumulis Sanctorum carpserat tulit, auribusque imposuit, et protinus audivit.

33 Matrona quædam vehementi dolore oculorum *dolor oculorum,* gravabatur : oculos argenteos Sanctis transmisit, et et dolor continuo conquievit.

NOT. 23

34 Oppidanus quidam sacra unctione percepta, D dum pervenisset ad extrema, vocat uxorem, rogans *MIRACULA EX MS.* eam : ut ad memoriam Martyrum curreret, et pro ejus sanitate supplicaret. Hora qua mulier illuc advenisse videbatur, vir incolumis efficitur, qui die *periculosus morbus.* tertia ad agriculturam progreditur.

35 In his et aliis multis magnificasti, Domine, populum tuum, et pro ostendenda eorum vera gloria tua non desinunt miracula. Istos igitur Dei bellatores veneremur, qui tanta Dei dona miro testantur *Auctor Sanctos colit* in actu, ut nos eorum gloriosis meritis et intercessionibus participes fieri mereamur in perpetuæ claritatis regno Amen.

# III FEBRUARII.

## SANCTI QUI III NON. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sanctus Azarias, Propheta, in Judæa.
S. Blasius, Ep. Oretanus M. Centumfontibus in Hispania.
S. Celerinus, Diaconus Confessor,
S. Celerina, ejus avia, | Martyres, | in Africa.
S. Laurentinus patruus,
S. Ignatius, avunculus,
S. Felix
S. Felicitas, et alii | Martyres in Africa.
S. Fortunatus, M. Romanus, Antuerpiæ in Belgio.
S. Candidus, M. Romanus, Volaterris in Etruria.
S. Julianus, M. Antisiodori in Gallia.
ANIMADV PAG 36. S. Blasius, Ep.
VII mulieres, II pueri, | Martyres, Sebastiæ in Cappadocia.
S. Blasius armentarius, M. Cæsareæ in Cappadocia.
S. Paulus,
S. Simon, | Martyres.
S. Claudius Confessor.
S. Simplicius, Ep. Viennensis in Gallia.
S. Anatolius, Ep. Salinis in Burgundia.
S. Lupicinus, Ep. Lugdunensis in Gallia.
S. Tigrides,
S. Remedius, | Epp. Vapinci in Gallia.
S. Oliveria,
S. Liberata, | Virgines, Calvomonte in Gallia.
S. Laurentius Illuminator, Ep. Spoletinus in Umbria.
S. Philippus, Ep. Viennensis in Gallia.
S. Evantius, sive Eventius, Ep. ibidem
S. Hadelinus, Presbyter, Viseti et Cellis in Belgio.
S. Berlendis,
S. Nona,
S. Celsa, | Virgines, Merbecæ in Belgio.
S. Wereburga, Virgo in Anglia.
S. Nithardus, Presbyter M. in Suecia.
S. Anscharius, Ep. Hamburgensis, Daniæ et Sueciæ Apostolus.
S. Liafdagus, Ep. M. Ripæ in Dania.

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctus Salvator Ep. Belunensis in Marchia Tarvisina, *refertur hoc die a Philip. Ferrario in Catal. SS. Italiæ. Egimus de eo supra, quo die recoli ejus celebritatem idem Ferrarius testatur* III Januar.

S. Gaudentius Ep. Novarien. *Maurol. Canisius,* Wi*fardus, Herm. Greven. De eo egimus* XXII Januar.

S. Joannes Eleemon, Patriarcha Alexandrinus, *consignatur hic ab iisdem Maurolyco, Canisio,* Wi*fardo, Greven. Vitam dedimus* XXIII Januar.

S. Radegundis Virgo *refertur hoc die ab Herm. Greven in addit. ad Usuardum. Ea esse videtur, quæ a* S. Bathilde *Regina de sacro fonte suscepta, cum ea obiit septennis, ut ad ejus Vitam diximus* § 6 XXVI Januar.

S. Symphronius, | *martyrium in Africa passi memorantur in Martyrologio Romano Baronii. Verum ut infra dicemus, cum de* SS. Felice *et* Felicitate *agemus, non alii, esse videntur nisi* Hippolytus *et* Laurentius *Forosempronienses, de quibus actum* II Februar.
S. Hippolytus, |

S. Flosculus, Ep. Aurelianen. *videtur in hunc diem alicubi transferri ob festum Purificationis : refertur certe hic a Saussaio. Nos de eo egimus* II Februar.

Herbertus, *et* Gaudbertus, (Simon, *aut* Simeon *cognominatus*) primi regni Sueciæ Apostoli *censentur a Joanne Vastovio in Vite Aquilonari, seu libro de Vitis SS. Gothorum et Sueonum : qui* Herbertum *natione Belgam, post jacta Episcopatus Lincopensis in Suecia fundamenta, suspicatur fuisse primum Mindensem in Saxonia inferiore Episcopum qui alias* Herimbertus *et* Erkambertus *dicitur, et* Sanctus *patratis palam miraculis habetur, fertturque* VII *aut* IX Junii *obiisse. Nos ab hoc Mindensi Episcopo alium esse* Herbertum *putamus, eumdem nimirum qui* Gaudbertus, *cognomento* Simon, *appellatur : de quo in Actis S. Anscharii num.* 21, *deque utroque confuso in Prolegom.* § 2. *Eumdem nos, Vastovio dissentiente,* Gosbertum *esse venur, tertium Osnabrugensem Episcopum, quem cum Martyribus Ebekestorpiensibus celebravimus* II Februar.

S. Felix, M. in Africa, *celebratur infra hoc die. Alter ejusdem nominis in Martyrol. S. Hieronymi additur : forte pro* Felicitate, *de qua infra quoque.*

S. Lucianus, | Martyres in Africa, *referuntur in quodam vetusto Martyrol. ut infra dicemus, cum de* SS. Felice *et* Felicitate : *haud adhuc satis nobis explorati.*
S. Euphraxius, |

S. Geminianus M. in Africa, *memoratur in quodam MS. ut infra dicemus, cum de* SS. Felice *et* Felicitate. *Necdum nobis hic notus.*

S. Felix Ep. Lugduni, *in Martyrol. Rom. Baronii refertur. Non alius nobis videtur a* Felice *Afro Martyre, de quo hoc ipso die.*

S. Celerinus M. *in multis Martyrologiis, male interpunctis, videtur diversus a celebri isto Confessore statui, et tribui Lugduno. Unus idemque nobis videtur, licet in scitia quorumdam bis relatus. Idem quoque* Celer, *qui in Martyrol. S. Hieronymi, et S. Maximini minore MS. extat.*

Felix Ep. Beliccensis *inter* Sanctos *annumeratur hoc die a Saussaio, jungiturque* S. Lupicino *Lugdunensi, ex Theophili Raynaudi nostri in Indiculo SS. Lugdunensium conjectura, haud satis firma, nec asseveranter prolata, ut ostendemus cum de* SS. Felice, Felicitate, Lupicino *infra agemus.*

S. Hathelmus Cantuarien. Ep. an DCCXL in Anglia, *hoc die decessisse scribitur in MS. Florario. At nullus ejus nominis in Catal. Epp. Cantuarien. reperitur. Suspicamur* Nothelmum *esse, fortassis etiam* Nathelmum *dictum, qui Londoniensis Ecclesiæ Presbyter, plurima S. Bedæ monacho monumenta ad historiam conscribendam suppeditavit, ut hic memorat in Præf. ad Ceolulphum Regem. Is postea Cantuariensis Episcopus factus est, ipso quo Beda obiit anno, ut scribit Malmesburiensis; tenuit eam Sedem* V *annis, mortuusque est anno* DCCXLI

xvii *Octobr. ut apud Wigorniensem habetur. Ejus tamen nomen in nullo alio Martyrol. adhuc reperimus.*

Heridacus Presbyter *(qui Ecclesiam Homburgensem, Carolo Magno admittente, primus rexit, eratque si vita Imperatori diuturnior contigisset, isthic ordinandus Episcopus)* Sanctus *appellatur a Hermanno in Theatro conversionis Gentium, et* primus Danorum Apostolus *statuitur. De eo agimus in Vita S. Anscharii hoc die, nu.* 18 *et in Proleg. nu.* 39. *in Diplomate Ludovici Pii, nu.* 57. *Alibi in sacris Fastis ejus nomen non reperimus.*

Witmarus,
Erimbertus,
Hartgarius Eremita,
Ansfridus } Dani,
Rembertus
} Presbyteri ac viri Apostolici, *in prima Suecorum conversione laborarunt.*

Witmarus, *primus S. Anscharii an.* DCCCXXIX *socius, post ejus obitum adhuc vivebat in Corbeia Gallica, ut infra in ejus Actis nu.* 16 *dicitur : non tamen Episcopus fuit, quod in ejus elogio scribit Joannes Vastovius in Vite Aquilonia. In qua etiam Vite elogia habet* Hartgarii Eremitæ, et Erimberti, *cognati Gaudberti Ep. qui comes fuit S. Anschario in secunda ad Suecos profectione circa an.* DCCCLIII, *eoque inde abeunte, Ecclesiam isthic fundatam rexit, ut dicitur in iisdem Actis nu.* 49. *Agitur ibidem nu.* 55 *de* Ansfrido *et* Remberto *Danis, qui eamdem dein rexerunt Ecclesiam. Quorum omnium nulla in aliis Fastis mentio.*

Herigarius, *Bircæ urbis in Suecia Præfectus, a S. Anschario ad fidem Christi conversus, miraculis postea clarus extitit, quæ commemorantur in actis S. Anscharii cap.* 7. *Inter Sanctos et illustres Suecos merito refertur a Joanne Vastovio.*

Theodoricus I Ecclesiæ Metensis XLVII Episcopus, *refertur hoc die, et* Sanctus *indigetatur a Constantino Ghinio in Natalib. SS. Canonicorum ; a Saussaio* XVIII *Julii. Vir fuit eximiæ pietatis et prudentiæ. Meurissius Ep. Madaurensis in hist. Epp. Metens. lib.* 3 *pag.* 329 *tradit, quotannis* VII *Septemb. anniversarium pro eo officium fieri, in monasterio S. Vincentii, quod condidit, et præclare ornavit.*

S. Fotadus Ep. Scotus *refertur hoc die a Davide Camerario lib.* 3 *de Scotorum pietate : ac rursus* IX *Junii, quo et Philippus Ferrarius eum exhibet. Is Grimum et Malcolmum II Scotiæ Reges narratur conciliasse, appellaturque ab Hectore Boetio lib.* II maximus tunc Scotorum Episcopus, vir summa præditus virtute et clementia, *a Georgio Buchanano lib.* 6 magna tum apud omnes ob sanctitatis opinionem auctoritate. *Lesleus quoque lib* 5 *in Grimo ejus meminit. Horum nullus in Divos relatum affirmat, nedum ad hunc diem coli. Thomas Dempsterus lib.* 6 *histor. Ecclesiast. Scotor. nu.* 545 *fœde sui oblitus est, dum* S. Fothadum *eum esse vult, qui concubinariorum Sacerdotum caussam egisse contra* S. Dunstanum *Ep. Cantuarien. in* Synodo Kalnensi *memoratur, ac divina ultione oppressus, quem ipse* fraude nefaria extinctum *ait : cum Osbernus in Vita S Dunstani* XIX *Maii,* iniquitatis defensorem Heornelmum *appellet,* hominem tam ingenio quam loquacitate fere insuperabilem ; *Surius* Bernelinum. *Vincentius lib.* 24 *cap.* 80. *S Antoninus par.* 2 *tit.* 16 *cap.* 7 § 5 *Osberno consentiunt, falso in contrariam partem citati a Dempstero. Nos* Beornelmo *hoc, sive* Heornelmo *abjecto,* S. Fotadum *tantisper tamen omittemus, donec certiora assequamur.*

Helinandus, Ord. Cisterciensis monachus, in diœcesi Bellovacensi, cœnobio Frigidi-montis, *hoc die refertur a Saussaio et Chrysostomo Henriquez : et ab hoc quidem* Beati *titulo decoratur, ob illo inter* Pios *solum numeratur. Testatur Hugo Menardus, in Catal. SS. et BB. Ordinis Cister. qui in Missali an.* 1526 *Parisiis edito exstat, ejus quoque legi nomen. Vir fuit eximiæ virtutis et scientiæ. Conversionem suam a seculi vanitate ipse describit apud Vincentium Bellovac. lib.* 29 *cap.* 137. *Nondum satis nobis liquet, an palam* Beatus *habeatur.*

Zacharias, S. Francisci socius, *ab eoque in Lusitaniam missus, Alanquerii (quod oppidum est Ulyssipponensis diœcesis) magna opinione sanctitatis mortuus est : postea e tumulo sublatus, conditusque sub altari est, cum socio, cujus in annalibus Ordinis mirifice commendatur castimonia.* Zachariæ *rursus in honorificentiorem locum, intra murum majoris sacelli, translatæ Reliquiæ, uti auctor est Waddingus. Ejus natalem consignat Arturus* XX *Januarii, socii hoc die. Et hujus quidem corpus testatur Gonzaga* 3 *par. de orig. Seraph. relig. in* 2 *convent. provinc. Lusitaniæ,* in maxima esse apud omnes seculares veneratione. *Legitime* Beatis *adscripti sint necne, nondum nobis liquet.* ANIMADV. PAPED. 37.

Petrus Sys, Prior Dunensis monasterii Ord. Cisterc. in Flandria, *a Chrysostomo Henriquez in Menolog. refertur cum titulo* Beati ; *et insigni elogio; in quo, ex Chronico loci, tradit eum mortis suæ horam divinitus præscisse. Saussaius* Piis *eum accenset.*

B. Gundanus *Reperimus inter schedas Heriberti Rosweydi hæc ex codice quodam non antiquo Carthusiæ Bruxellen. descripta :* Item B. Gundani, qui cupas ligavit in vita.

Neuhal Abbas *refertur hoc die a Ferrario in gener. Catal. SS. his verbis :* In Scotia S. Neuhalis Abbatis et Martyris. *Citat in notis Wionem. Hic in appendice ad Martyrol. monasticum, littera A sic scribit :* Sanctus Abbas quidam de Neuhal Scotus pro fide Christi cervices dedit. *Citat Nicol. Sanderum, uti et Dempsterus hist. Eccles. gent. Scotor. lib.* 13 *nu.* 951 *ubi ista habet :* Sanctus Abbas quidam, ut puto, anonymus, de Neuhal monasterio, pro Christo cervices dedit, ait Nicol. Sanderus lib. 7 de visibili monarchia. Quo die Martyr hic colatur non inveni. Nam inter eos SS. quorum natales incerti, eum reponit Arnoldus Wion lib. 3 pag. 408 Scripta omnia interierunt. Quo tempore floruerit, non deprehendi, cum illi taceant. *Qui illi? Hoc est temere et oscitanter citare auctores non visos. Certe Sanderus non tacet tempore Elisabethæ Reginæ floruisse : at non ait :* cervices dedisse. *Sed lib.* 7 *pag.* 666. *recensens* religiosorum ordinum Archimandritas et Priores, tum Anglos tum Scotos, ob fidem suis sedibus pulsos ; *testimonio* 1637 *sic habet :* Abbas etiam de Neuhall Scotus.

S. Tarahata Virgo *refertur hoc die in Catalogo præcipuorum SS. Hiberniæ edito ab Henrico Fitzimone nostro : ab aliis pluribus* IX Februarii.

S. Adrianus, } MM Cæsareenses, *referuntur hoc die*
S. Eubulus, } *in Menæis Græcor. apud Galesinium item et Ferrarium. Martyrol. Roman. habet*
Adrianum V } Martii.
Eubulum VII }

S. Waldetrudis viduæ Translatio *officio duplici celebratur ab ecclesia Montensi in Hannonia hoc die, ejusque plurima meminere Martyrologia. Plenius de ea agemus die ipsius natali* IX April.

S. Germani Patriarchæ Constantinopolitani *agi hoc die Bortii in Aquitania solemnem memoriam scribit Saussaius in Supplem. Martyrol. Gallicani. Vitam dabimus* XII Maii.

S Deodatus Ep *refertur hoc die in duobus perantiquis Usuardi Martyrologiis monasterii S. Germani Parisiis, his verbis :* Latiniaco natalis S. Deodati Episcopi *Est* Latiniacum *Galliæ oppidum, ac monasterium olim celeberrimum, ad Matronam*

A *flumen, Meldas inter ac Lutetiam, vulgo* Lagny. *Huc translata pignora* SS. Deodati Ep. Maldegarii, Fulberti, Amsilionis, Lamberti, et unius ex Innocentibus, *memorat Molanus in addit. ad Usuard.* II *Junii. Quis sit hic* Deodatus Ep. *nondum comperimus; nam plures fuerunt ejus nominis Antistites: nominatissimus, qui Nivernensi episcopatu relicto, in Vosagi eremo habitavit, cujus Vitam dabimus* XIX Junii

S. Anna Prophetissa, filia Phanuelis, *colitur hoc die a Græcis, ut patet ex Menæis; a Latinis vero* I Septemb.

S. Remacli Ep. Trajectensis ordinatio *consignatur hic a Saussaio, Gelenio, Wione: natalis agitur,* III Septemb.

S. Simeon senex. *Menæa Scribit. Ferrarius Jaderæ in Illyrico coli hoc die: ritu scilicet Græcorum. Nos cum dabimus cum Eccl. Romana* VIII Octob.

S. Colmanus, *sive* Macduachus, primus Duacensis in Hibernia Episcopus, *refertur hoc die a Colgano, ex Hibernicarum Martyrologiorum fide. Fatetur tamen in Duacensi diœcesi ut Patronum coli (quo et nos eum ideo rejicimus)* XXVII Octob. D

Commemorationem *aliquam* Animarum *faciunt Græci hoc die, ut ex Menæis patet. Latini solennius* II Novemb.

S. Tryphon, Nicænus Martyr, *refertur hoc die in Usuardi MS. Parisiensi, ab Hermanno Greven. an.* 1521. *Canisio Martyrol. Colon. an.* 1490. *Ferrarius in gener. Catal. SS. testatur Ascrivii, vulgo Cattharo, urbe Venetæ ditionis in Dalmatia hodie* Tryphonem M. *coli publica celebritate, ut Patronum urbis; corpusque isthic religiosissime asservari. An alius hic sit, haud scimus ideoque rejicimus ad* X Novemb.

# DE S. AZARIA PROPHETA

## IN SYMBATHA, DISTRICTU JUDÆÆ.

J. B.

*SUB ASA R. JUDA III FEBR.*

GRæci III *Februarii* S. Azariam *Prophetam venerantur, uti ex Menæis patet, quæ ita habent*: Eodem die Propheta Azarias, filius Addo, in pace vitam finit.

Oracula reddente ante mortem Azaria,
Silet per obliquas ambages vaticinans Pythia.

*S. Azariæ natale,* Hic erat filius Addo, ex terra Symbatha, qui reduxit ex Israel captivos Judæos; et mortuus in agro suo sepultus est.

*pater Addo* 2 *Qui hic Addo dicitur, Azariæ pater, is in Chronico Alexandrino* Ἰωδὴδ *est, in vulgata versione* Oded, *apud* LXX ὠδὴδ, Oded. *Verum Hebraice iisdem litteris* עדד *scribitur* Oded *nomen* 2 *Parat.* 15. 1. עדד *et* Addo 2 *Parat.* 29. *et cap.* 12. 15. *et cap.* 13. 22 *punctis solum mutatis,* עדו. *Ut suspicari liceat Azariam celebris illius* Addonis Videntis *filium fuisse, qui vitatis suis memoratur Salomonis, Roboami, Abiæ res gestas* *Propheta et scriptor,* diligentissime *conscripsisse. Non igitur Propheta is fuit qui 3 Reg. 13 ad Jeroboamum Regem, impuras superstitiones sancientem, thuraque vitulis adolentem, missus, fuit deinde morte inobedientiam: nam qui gesta Abiæ Regis, anno Jeroboami* XX *mortui descripsit, non potest initio regni ejusdem Jeroboami extinctus cogitari.* C *Quin et potius, biennio post Abiam mortuo superstes videtur extitisse.*

3 *Et hic fortassis Abiæ filium* Asam, *sive* Asanem, *optimis præceptis ad pietatis instituit. Certe quod, ut* *fors et Asæ Regis magister* 2 *Parat.* 9. 29 *dicitur*, Visionem, *sive vaticinia ediderat* contra Jeroboam filium Nabat, *deinde a Rege Abia memorabili prælio victum, in quo quingenta millia virorum fortium ex Israel, id est, ex Jeroboami exercitu, ceciderant vulnerati, ad formandam Asæ adolescentiam assumptus videtur. Sed cujuscumque magisterio institutus, Azariæ æqualis fuit Asa,* regnavitque in anno *qui, idololatria sublata,* vigesimo Jeroboam Regis Israel, et quadraginta et uno annis regnavit in Jerusalem; *ut habetur 3 Reg.* 15. *Et, ut dicitur 2 Paralip.* 14. 2. fecit quod bonum et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa, et confregit statuas, lucosque succidit, et præcepit Judæ ut quæreret Dominum Deum Patrum suorum, et facerent legem et universa mandata: et abstulit de cunctis *feliciter regnat,* urbibus Juda aras et fana, et regnavit in pace. Ædificavit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, et nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente. *Bellum tamen erat, ut dicitur 3 Reg.* 15 inter Asa et Baasa Regem Israel, cunctis diebus eorum: *et Asa quidem urbes nonnullas cepit montis Ephraim, ut num. 8 dicemus. Sed nullum adhuc grave, aut ab externo hoste bellum motum erat.*

4 *Anno dein regni ejus* XIV, *non (ut scribit Josephus Judæus)* X, egressus est contra eum Zara Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia et curribus trecentis, et venit usque Maresa. *Quærit Jacobus Salianus noster, quæ caussæ Æthiopem moverint ad bellum hoc tam longinquum, tanto apparatu, Asæ inferendum: an copiarum magnitudo, an Regum Israelitarum dissidia, an spes prædæ, qualem ipse fortassis* *et Zaram R. Æthiopum cum 1000000* *Sesaci tunc miles, anno Roboami* V *de portari in Ægyptum viderat; an ira Numinis, ulcisci superbum Regem cupientis, et Judæos ejus spoliis ditare. Quasi vero Turcas, Mauros, Tartaros aliosque barbaros non sæpe audiverimus nostra memoria ad inferendum Christianis bellum, a Christianis quoque sollicitari. Fortassis, ut Achaz Rex Juda multis post annis Assyrium ad populandum Samariæ regnum invitavit, ita nunc Baasa, ut sibi quod Jeroboami excisa domo occuparat, regnum firmaret, adversus Asam opibus et populi multitudine* *ab ænulis excitatum,* *invalescentem, tamque urbibus aliquot montis Ephraim captis, sibi metuendum, ab ultimis Africæ finibus Æthiopes evocavit. Quid si Palæstini ipsi hoc bellum sus-* F *citarunt, perpetui Judæorum hostes? Bello certe huic immistos fuisse sacer scriptor ostendit, de victoribus Judæis 2 Parat. 14 ita loquens*: Tulerunt ergo spolia multa, et percusserunt civitates omnes per circuitum Gerare. *Quamquam et hæ potuerunt ad regnum Baasa ac tribum Simeonis spectare.*

5 *Cum ergo Maresam, urbem tribus Juda, pervenisset Æthiopum exercitus, eamque fortassis obsideret, jam olim a Roboamo munitam; adfuit Asa, habens in* *cum 580000 devicit,* exercitu suo portantium scuta et hastas de Juda trecenta millia, de Benjamin vero scutariorum et sagittariorum ducenta octoginta millia ... et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est juxta Maresa. *Josephus lib.* 8 *cap.* 6 Saphatam *scribit. Eadem est fortassis, quam Græci* Symbatham *vocant, Azariæ patriam. Instructa acie paucis verbis ita Divinum auxilium pius Rex imploravit*: Domine, non est *Deum ante precatus,* apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adjuva nos, Domine Deus noster. In te enim et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noster tu es; non prævaleat contra te homo. *Sensit illico fiduciæ suæ, quam in Divina ope locarat, et religiosæ precationis fructum.* Exterruit itaque Dominus, *ait Scriptura,*

*internecione delet.*

A *Scriptura*, Æthiopes coram Asa et Juda : (*quo modo exterruerit, non additur*) fugeruntque Æthiopes. Et persecutus est eos Asa, et populus qui cum eo erat, usque Gerara : et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, et exercitu illius præliante. *Distat Gerara ab Hierosolymis, ut patet ex Genes.* 22. 4. *tridui itinere. Maresa autem medio fere intervallo inter utrumque sita, ut in tabulis Adrichomii videre est.*

6 *Non Æthiopum dumtaxat, sed et Palæstinorum Geraritic regionis aut Simeonitarum, spoliis onustus redibat exercitus, cum in occursum venit* Azarias *Propheta. Quem ad locum? Cum Hierosolymis appropinquarent, inquit Josephus. Quid si ad* Sephatam *vallem, præsertim si ea Symbathu est, ipsius patria? Neque enim omnem exercitum Hierosolymam usque reducere necesse fuit : licet paullo post ad sacra eos rursus, sed non cum armis, evocarit, ut infra dicitur. Azarias igitur,* facto in se Spiritu Dei, egressus est in occursum

2 Paral. 15
*Azarias victori gratulatur,*

Asa, et dixit ei : Audite me, Asa et omnis Juda et Benjamin : Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis : si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, et absque Sacerdote doctore, et absque Lege. Cumque reversi fuerint in B angustia sua ad Dominum Deum Israel et quæsierint eum, reperient eum. In tempore illo non erit pax egredienti, et ingredienti; sed terrores undique, in cunctis habitatoribus terrarum : pugnabit enim gens contra gentem, et civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia. Vos ergo confortamini, et non dissolvantur manus vestræ : erit enim merces operi vestro.

*hortatur ad constantiam pietatis,*

7 *Quibus verbis duas illas tribus ad constantiam in Divino cultu hortatus, prædicit quæ decem aliis tribubus (contra quos et parens ejus Addo erat vaticinatus) propterea quod idola colerent, obventura essent mala. Sed ad sensum quoque mysticum delabitur, ea denuntians, quæ post illatam Messiæ suo, Jesu Christo, mortem, gens infelix esset acerbissima perpessura, ad finem usque mundi. Quæ et ipse Josephus Judæus agnovit : ait enim, Prophetam prædixisse,* secuturum tale tempus, in quo neque Propheta verax in populo reperiatur, neque Sacerdos justa decernens. Sed urbes eorum subvertendas, et gentem per omnes terras dispergendam, ubi erraticam semper ac sontem vitam agat. ἐπήλυν βίον καὶ ἀλήτην βιωσόμενον. *Gelenius vertit:* erronum more vitam acturam nullis certis sedibus. *Quas profecto calamitates, Josephi cœptas temporibus,* C *hactenus experiuntur infelices Hebræi, et porro experientur.*

*prædicitque mala Israeli obventura præsertim post Christi mortem*

8 *Obtemperavit Prophetæ monitis Rex. Ita 2 Paralip.* 15. 8. Quod cum audisset Asa, verba scilicet et prophetiam Azariæ filii Obed Prophetæ, confortatus est, et abstulit idola de omni terra Juda, et de Benjamin, et ex urbibus, quas ceperat, montis Ephraim. Et dedicavit altare Domini, quod erat ante porticum Domini : congregavitque universum Judam et Benjamin, et advenas cum eis de Ephraim, et de Manasse et de Simeon : plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo. Cumque venissent in Jerusalem mense tertio, anno decimoquinto regni Asa, immolaverunt Domino in die illa, de manubiis et præda, quam adduxerant, boves septingentos et arietes septem millia. Et intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dominum Deum Patrum suorum in toto corde, et in tota anima sua. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem. Juraveruntque Domino voce magna in jubilo, et in clangore tubæ, et in sonitu buccinarum, omnes qui erant in Juda, cum execratione : in omni enim D corde suo juraverunt, et in tota voluntate quæsierunt eum et invenerunt : præstititque eis Dominus requiem per circuitum. Sed et Maacham matrem Asa Regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulachrum Priapi : quod omne contrivit, et in frusta comminuens combussit in torrente Cedron.

*ejus verbis animatus Rex, idololatriam stirpitus excidit,*

*lege capitali proposita, populo jurejurando adacto.*

AUCTORE J. B.
*matre in ordinem redacta,*

9 *At videntur hæc jam antea ab Asa Rege gesta esse, primis regni sui annis. Ita 3 Reg.* 15 11. Et fecit Asa rectum in nomine Domini, sicut David pater ejus : et abstulit effeminatos de terra, purgavitque universas sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. Insuper et Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, et in luco ejus, et confregit simulachrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron. *Verum ejus Libri Scriptor, qui belli Æthiopici nusquam meminit, quæ prius quoque posterius gesta, simul retulit. Et fuere enimvero prius idola confracta, effœminatorum spurcitiæ sublatæ, sacra Priapi, quorum sacerdos erat Regina, excisa. Postea tamen et victoria celeberrima et Prophetæ verbis animatus Rex, omnes idololatriæ reliquias, identidem pullulantes, stirpitus excidit, proposita pœna capitali, adactoque ad jusjurandum populo matrem, quæ protervia muliebri simulachrum Priapi fortasse restituerat, in ordinem redegit, omni* E *regiæ dignitatis decore spoliatam. Qua pœna eum prius multasse non videtur, quod marito vivente, sors et socero Roboamo, peregrinum illum et infamem cultum suscepisset, sed cum pergeret contra Regis edicta spurcissimum idolum colere, et quod consequens est, nobiles fœminas exemplo suo ad flagitium legumque contemptum provocare, atque earum opera viros, omni privata auctoritate, ab aula quoque relegata est.*

*quod sacra Priapi, antea prohibita,*

*iterum coluisset.*

10 *Quid deinceps egerit Azarias, Scriptura non prodit. Græci, Pythiæ silentium aiunt imposuisse. Id quomodo contigerit, non exponunt : an prævaricatis contra impuros ejusmodi vates, eoque qui illas consulerent, severis ab Rege edictis, juxta ea quæ Levitici* 20. 27 *et Deuteron.* 18. 11 *sancita erant; an ejecto ab ejusmodi aliqua muliercula impuro spiritu, uti Paulus fecit Act.* 16. 16. *an silentio solum ei imposito, sive verbis et in perpetuum, sive præsentia sua; an denique certa edendo responsa, devotum legitimis sacris populum, ab incertis illis dæmonum oraculis averterit, fatidicasque illas suis ludibrio expositas sponte sua silere, nemine eas consulente compulerit.*

*Azarias Pythonissæ silentium imponit:*

11 *Addunt idem Græci, illum* ὑποστρέψαι ἐξ Ἰσραὴλ τὴν αἰχμαλωσίαν Ἰούδα, reduxisse ex Israel captivitatem Juda, *sive captivos Judæos. Anno enim eodem, Asæ* F xv, *et sequenti, bellum grave a Baasa Rege Israel incubuit. Hic, ut 3 Reg.* 15. 33 *dicitur*, anno tertio Asa Regis Juda, XXXIII *a rebellione decem tribuum*, regnavit super omnem Israel in Thersa, XXIV annis. Anno *dein* XXVI Asa Regis Juda regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. *Quod ergo dicitur 2 Paral.* 16. 1 anno XXXVI regni *Asa* ascendisse Baasa Rex Israel in Judam; *accipi debet de anno* XXXVI *a divisione regni : neque enim qui anno Asæ* XXVI *obiit Baasa, potuit decennio post ei bellum inferre. Hæc de tempore belli, quod satis acre fuit. Nam Baasa Ramam cepit; Josephus* Ἀραμαθὸν *vocat, urbem tribus Benjamin, in edito sitam loco, ut nomen indicat, ad viam quæ sola fere a Septemtrione, e plerisque provinciis Israelis Hierosolymam ducebat. Captam urbem communire cœpit Baasa*, ut nullus tute posset egredi et ingredi de regno Asa ; *ipse interim Baasa regnum idem vexare excursionibus identidem posset, atque urbes montis Ephraim, quas sibi Asa eripuerat, recuperare leviori negotio. Parabantur novi Asæ triumphi a propitio Numine (si uti ejus favore voluisset) non solum de Israelitis, sed et de ipsis quoque Syris, ut dicitur 3 Reg.* 16. 7.

*Baasa muniente Ramam,*

*opportune situm*

12 *Non ignorabat Asa quantum sibi suisque periculum pararetur :*

A *pararetur : nam* XL *solum stadiis, ut scribit Josephus, distabat Hierosolymis Rama, aut paullo amplius in sexto lapide ut S. Hieronymus et Eusebius tradunt. Non tamen exercitum Domini, veteranas scilicet suas legiones, quibus Libyes et Æthiopes anno præcedenti debellarat, excivit : non pristinos suos, pio Rege dignos, animos advocavit, non addictum ab Azaria Divinam opem exoravit. Sed pseudopolitica prudentia, se inferiorem confessus, dum videtur securius progredi velle, ingentem vim auri e suo ac templi ærario promptam, misit ad Benadad Damasci Regem, ut Baasæ regnum invaderet. Non distulit Syrus, quod rogabatur, auxilium : sed mox circa ipsos fontes Jordanis Dan urbem, quæ postea Cæsarea Philippi dicta, itemque Ahion et Abelmaim aliasque urbes tribus Nephthali cepit. Eo nuntio conterritus Baasa, opus inchoatum deseruit, ut regno consuleret. Asa vero congestam eo materiam ad alias sibi opportuniores muniendas urbes convertit, Gabaam nimirum Ramæ vicinam, olim Saulis habitatione celebrem, ac Maspha, sive Masphat, ubi judicia exercuisse Samuel, habitasse destructis Hierosolymis Godolias legitur. Pusillanimitatem ejus, Divino monitu, graviter increpuit Hanani Propheta. Neque tulit Rex, ipsa sua ignavia superbior effectus, monitorem; sed in carcerem compegit; Baasæ similis, qui ejusdem Hanani filium Jehu, ipsum impietatis arguentem, trucidavit. Non ita Asæ filius gloriosus et sanctus Rex Josaphat : is multis post annis cum paterno sese scelere obstrinxisset, impio Achabo præbens auxilium, et his qui oderant Dominum amicitia junctus, ab ejusdem Hanani juniore filio Jehu objurgatus, benigne accepit. Sed de his alibi.* D

*AUCTORE J. B. prope Hierosolymam,*

*Asa Syros evocat,*

*ideo reprehensus.*

13 *Hoc ipsum tempus esse, quo Azarias a Baasæ exercitu captos Judæos reduxit, sive pretio redemptos, seu sanctitatis suæ opinione et sacra eloquentia, libertatem iis eblanditus a Rege aut Proceribus.*

*Azarias captivos reducit.*

# DE S. BLASIO

## EPISC. ORETANO, MART., CENTUMFONTIBUS IN HISPANIA.

J. B.

SUB NERONE. IN PATRIA *Oreti, veteri urbe,*

Oretum, *Hispaniæ urbs fuit, veteribus memorata, ornata dein episcopatu, sed a Mauris, ipsorum certe temporibus, excisa. Ejus exstare vestigia testatur Ambrosius Morales in Antiquitat. Hispan. descriptione, inter conventum* Calatravæ *et vicum* Granatulam, *dimidia fere leuca ab loco utroque, isthic ædiculam etiamnum spectari ac pontem* Xavalon *fluviolo impositum, Romani utrumque operis, uti ex inscriptione probat quæ legebatur in marmore, quod sua memoria ab eo ponte revulsum, delatumque Almagrum duabus inde leucis distans oppidum. Illi porro ædiculæ nomen nunc vetus manere* Nuestra Señora de Oreto; *atque etiam* Acequera, *nam hoc pro illo ab Arabibus impositum existimatur. Utriusque nominis ita meminit Julianus Archipresbyter a Ramirezio editus, in Adversariis nu.* 148. In divisione Sedium, præcipue Toletanæ diœcesis, prima Sedes illi subjecta est Oretum; non Calatrava, sed S. Maria de Oreto, vel Aegueca, trans flumen Salabonem *etc. Nunc Prioratus isthic est Ordinis Calatravæ. Actum de eodem loco* 1 *Februarii in gestis B. Raimundi cap.* 2.

*(cujus vestigia exstant)*

C 2 *Plures, ante incursionem Maurorum, leguntur* Oretani Episcopi, *in Toletanis præcipue conciliis. Antiquissimus fuit (si vera scribit idem Julianus in Chronico nu.* 434 *ad Æram* 886) S. Blasius, qui apud oppidum vocatum Centumfontes in Celtiberia, in Neronis persecutione, in Hispania Martyr patitur. Oretanus Episcopus a S. Anastasio S. Jacobi Apostoli Zebedæi filii, dum in Hispania prædicaret, discipulo, creatus, in pretio habetur, et Deo honestante sacrum ejus corpus invisitur. *Luitprandus quoque ad eamdem Æram ista habet* : S. Blasius, Episcopus et Martyr, qui in Hispania apud Centumfontes, oppidum Celtiberiæ, passus est tempore persecutionis Neronianæ, anno LXVII; miraculis celebris micat.

*Episcopus fuit S. Blasius, sub Nerone martyrium passus*

*in oppido Cifuente,*

3 *Oppidum est,* Centumfontes, *vulgo* Cifuentes, *dictum, ad regni Toletani fines, in provincia Alcarria, versus* Tajuniæ *amnis fontes, haud procul* Seguntia *urbe, Comitatus titulo ornatum, ad illustrem* Silvarum *familiam pertinens. Illic sanctimonialium instituti Dominicani cœnobium extra oppidi muros visitur : in cujus ecclesia exstat sepulchrum ex alabastrite affabre elaboratum, quo conditum fertur* S. Blasii Ep. et Mart. *corpus. Hunc Centumfontanum et alii accolæ Sebastenum esse aiunt, de quo infra agemus, ostenduntque nescio quorum ædificiorum rudera, ad Tagum flumen, ubi* Sebasten *urbem stetisse volunt. Quin et provinciam* Cappadociam *assignant, et specum Antistitis sancti latebris sacratum, aliaque eo spectantia. Quæ tamen erudito nulli probant cum constet,* Agricolaum, *sub quo Sebastenus Blasius martyrium fecit, in Cappadocia Asiatica ac minore Armenia, uti infra ostendemus, præsidatum gessisse, atque isthic sub eo plures alios martyrium consummasse.*

*ubi ejus sepulchrum.*

*et creditur S. Blasius Episcopus fuisse,*

4 *Sed quia hujus* Blasii *Hispani Acta ignorarentur, quæ de altero tradita erant, huic adscripta, provincialium pia simplicitate. Apud eos certe in maxima est veneratione : nullius ut Divi nomen frequentius liberis suis in ea tractu imponant. Multæ quoque passim dicatæ ejus nomini ecclesiæ. Non est autem, cur quisquam potius quam a Sebasteno diversum hunc statuat, illius translatas in Hispaniam reliquias suspicetur : cum tanta earum alibi copia sit, ut unius hominis esse vix potuerint. Diversum certe Hispani scriptores, etiam antequam illa prodiissent Juliani ac Luitprandi Chronica, censuerunt. Thomas de Trugillo Thesauri Concionator. to.* 2 *parte* 2; *Alfonsus Villegas in Flore SS. Franciscus Padilla centur* 4 *cap.* 30 *Joannes Marietta de SS. Hispan. lib.* 2 F *cap* 37. *Et post eos Martinus Carillus lib* 2 *Annal. ad an. Christi* 306. *Joannes Tamayus de Salazar in historia S. Epitacii cap.* 5 *hujus S. Blasii meminit ; at plura de eo tradit in Martyrol. Hispanico ad hunc diem, iis quæ diximus congruentia. Meminit et Sanctius D'Avila Ep. Giennensis lib.* 3 *de veneratione sanctorum Reliquiarum cap.* 8 *nu.* 4. *Et plenius Franciscus de Ruspuerta in historia Ecclesiastica Episcopatus Giennensis seculo* 12 *cap.* 6 *nu.* 2

5 *Caput Sancti illius Blasii Lermam nuper translatum e Centumfontano parthenone, quando illuc Dominicanæ Virgines Centumfontibus, suadente Duce Lermæo, migrarunt.*

6 *Hieronymus Higuera noster Notat.* 293 *ad Luitprandi Chronicon ita scribit :* S. Blasii Martyris Hispani, sub Decio passi, celebris memoria est apud Hispanos. Toleti servatur ejus sacrum cranium in cœnobio sanctæ Trinitatis. *Is sit alius necne ab Centumfontano illo, cujus et ipse ibidem cum Luitprando meminit, non exprimit. Nam si idem, cur ad Decii tempora revocatur? Quomodo Lermæ caput est, cranium Toleti? Nisi forsan utrobique solum pars extet.*

*Caput ejus Lermæ.*

*an et Toleti?*

AUCTORE J. B.

# DE SANCTIS MARTYRIBUS
# CELERINA, IGNATIO, LAURENTINO,
## ET CELERINO DIACONO CONFESSORE.

J. B.

### § I S. Celerini et sociorum natalis, patria, aureola.

SECULO III. III FEBR.

Trium horum Martyrum uti Acta latent, laterent et nomina, nisi ea S. Cyprianus ep. 34 ad sancti ipsorum nepotis Celerini Confessoris laudem protulisset. Quamobrem meruit hic, etsi illi pridem ante martyrio coronati sint, eorum tamen veluti princeps in omnibus Martyrologiis memorari. Ita vetus Romanum a Rosweydo editum : B. Celerini Diaconi, et Celerinæ aviæ ejus, et Laurentini et Ignatii. MS. S. Richardi sub Bedæ nomine : In Africa B. Celerini Diaconi, et Celerinæ aviæ ejus, et Laurentini et Ignatii Martyrum. Usuardus : In Africa Natalis B. Celerini Diac. et Confess. et sanctorum Martyrum Laurentii, Ignatii et Celerinæ : de quorum omnium gloriosis laudibus extat B. Cypriani epistola. Eadem habet paullo pluribus verbis Bedæ vulgatus, nisi quod Laurentinum appellet, quem aliorum multa MSS. Laurentium : variant excusa, sed melioris notæ quæ sunt, Laurentinum. Wandelbertus quoque :

Horum Martyrum natalis.

B

Hisque cruore pio Celerinus cum Celerina
Emicat, Ignatius Laurentinusque Beati.

Prolixiori elogio eum celebrat Ado, Martyrol. Roman. ac reliqui prope omnes.

2 Videtur Wandelbertus eum, ut socios, Martyrem statuere. Galesinius existimat his tormentis admotum Romæ et in Africa et hic enectum. In Africa, inquit, sanctorum Martyrum, Celerini Diaconi, Celerinæ ejus aviæ, Laurentini patrui et Ignatii avunculi. Primo Celerinus Romæ post B. Fabiani Pontif. martyrium, in summo persecutionis impetu, una cum Moyse, Maximo, Nicostrato, Rufino, Urbano et Sidonio, in custodiam inclusus, præter ceteros omnia tormentorum genera constantissime superavit. Post, remissa paullulum persecutione, in Africam venit : ubi, Divino admonitu, Lector, deinde Diaconus factus, excitata vehementius Deciana contra Ecclesiam oppugnatione, cum illius principe et auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi ceteris viam facit; non brevi compendio vulnerum victor, sed adhærentibus diu et permanentibus pœnis, longæ colluctationis miraculo triumphator, a Domino accepit cœlestis gloriæ coronam. Huic avia Celerina honore consimili Divinæ dignationis æquatur. Patruus præterea ejus et avunculus, Laurentinus et Ignatius, in castris ipsi quondam secularibus militantes, sed veri spiritualesque Dei milites, dum Sathanam Christi confessione prosternunt, palmas a Domino, illustri passione, meruerunt. Verum non sunt omnia hæc veterum testimonio firmata. Nam Diaconum factum Martyrologia quidem asserunt; nec meminit S. Cyprianus. Neque, si tormenta illi in Africam reversa inflicta, aut mors, id Deciana factum persecutione, cui superstes fuit Celerinus. S. Cyprianus ep. 34 ut infra dicemus, quæ hic Galesinius de resumpto in Africa certamine refert, de Romæ suscepto prædicat, nimirum inter persecutionis initia ferventia, cum ipso infestationis principe et auctore congressum etc.

Celerinus non Martyr.

C

Tormenta in Urbe passus.

3 Canisius in 2 edit. Galesinium de more secutus, ita scribit : Item in Africa sanctorum Martyrum Celerini Diaconi, Celerinæ ejus aviæ, Laurentini et Ignatii, quorum ille Celerini patruus erat, hic avunculus : (unica vox Germanica, qua utitur, utrumque significat; vertimus ex aliis explicatius.) Hi omnes adversus mundum, carnem, dæmonem, eorumque administros strenue depugnarunt, atque horribili martyrio cum aliis multis in Deciana persecutione defuncti sunt, fideique suæ constantiam testati. Horum est apud Cyprianum in quadam epistola honorifica mentio. At non in Deciana persecutione occisi Celerina, Laurentinus et Ignatius, ut ex S. Cypriano patet : nam cum inter persecutionis initia ferventia certasse Celerinum dicat, de aliis ita loquitur : Avia ejus Celerina jam pridem martyrio coronata est, item patruus ejus et avunculus, Laurentinus et Ignatius ..... Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus. Scribebat ista Cyprianus ex secessu, in quem se abdiderat initio persecutionis : ante ergo persecutionem eorum memoriam publice egerat, et id meminisse Clerum suum ait. Constantius Felicius ante Galesinium, ab aliquibus Martyrem dici Celerinum scripsit : nempe ab iis qui Martyres appellant eos qui tormenta passi, etsi iis immortui non sint; Confessores vero qui Christum coram Judice confessi, nullis tamen tentati tormentis. Nunc autem Martyres minime indigetamus, nisi quibus illata mors est, aut ex toleratis antea tormentis secuta. Alia peccat idem Felicius, ita scribens : Celerinus Diaconus et Confessor : alii Martyrem dicunt. Erat Clericus S. Cypriani in Africa, nepos S. Laurentii Mart. nepotis S. Ignatii fratris avi ejus, et aviæ Celerinæ.

3 alii non sub Decio occisi.

E

4 Dubitat Pamelius Annotat. 3 ad ep. 34 S. Cypriani, Romanusne an Africanus fuerit Celerinus. Romæ certe ejus soror habitabat, ut infra ex ejus epistola ad Lucianum patebit, eratque huic in re, quæ exx extorribus ministraret, nec exigua tempore. An ipse istic quoque ante Decii tyrannidem habuerit domicilium, an solum eo venerit, vel negotiorum caussa, vel ut florentem sub Philippis Augustis religionem spectaret, in ambiguo est. Carthaginensem fuisse, (licet fortassis origine Romanum) inde liquet, quod a Cypriano Clericus ordinatus est; quodque patruus ejus et avunculus ac avia vel martyrium isthic fecerant, vel si alibi, certe inde orti, ut propterea Cyprianus pro eis sacrificia offerret, ut ante scriptum; sive, ut ep. 37 loquitur, commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebraret, velut suæ ecclesiæ Martyrum, aut ad eam spectantium. Erat in aliis locis per Africam horum celebris veneratio : nam S. Augustini sermo CCXXXVI de tempore, habitus scribitur in basilica S. Celerinæ.

Celerinus Romanus an Carthaginiensis?

F

ejus sacra ...

### § II Celerini confessio in tormentis : pro sorore lapsam sollicitudo.

Romæ agentem Celerinum, ut diximus, Decianæ persecutionis turbo oppressit. Nam cæsis Philippis Christianis Imperatoribus, ut xx Januarii ad S. Fabiani Vitam diximus in reliquos Christianos, Romæ præsertim, sævitum : ipseque Fabianus Papa anno Christi CCL, Decio et Grato Coss. martyrio coronatus est. Et post passionem ejus, ut habet liber de Romanis Pontificibus, Moyses et Maximus Presbyteri, et Nicostratus Diaconus comprehensi et in carcerem missi sunt. Fuit cum his Celerinus quoque comprehensus, et crudelibus tormentis examinatus, ut infra ex S. Cornelii ac S. Cypriani epistolis ostendemus. Dimissus (incertum

*AUCTORE J. B. liber in Africam redit,*

[A] *certum qua occasione) e custodia, in Africam profectus est, sed sub finem æstatis. Testis S. Cyprianus ep. 16 ad Moysen et Maximum Presbyteros et ceteros Confessores fratres Romam missa :* Et cunctos vos pariter et singulos repræsentavit affectibus nostris, fratres carissimi, Celerinus adveniens, fidei ac virtutis vestræ comes, et gloriosis congressibus Dei miles. Universos vos in illo veniente conspeximus; et cum caritatem circa me vestram dulciter ac sæpe loqueretur, in ejus sermonibus vos audiebamus. Satis ac plurimum gaudeo, quando a vobis per tales talia perferuntur. *Ostendit deinde autumno scriptam epistolam, cum annum fere in carcere egissent Confessores et* dignitas cœlestis *in ipsis* honoris anni dignitate signata esset, et jam revertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate transgressa.

*et S. Cypriano gesta narrat*

*sub autumnum.*

6 *Probabile est, quod ad Martyrol. hoc die annot. b censet Baronius, Celerinum hunc pietate et confessione illustrem,* functum apud Cyprianum munere tabellarii, vel potius legati. *Neque enim ignota cuivis, nec satis probatæ fidei homini, credit consuevisse litteras vel Episcoporum ad Episcopos, vel ad inclusos custodiis Confessores. Quod ex S. Cypriani facto probat Baronius.*

*ejus et Cleri Romani internuntius.*

7 *Dum Romæ ageret Celerinus verno tempore anni* [B] *insequentis, anni nimirum CCLI, insignem ad Lucianum Confessorem carcere detentum epistolam dedit, quæ apud Cyprianum in editione Pamelii est* XXI. *Quam hic integram dare operæ pretium est; ostendit enim egregiam ejus demissionem animi, sollicitudinem de sorore lapsa, zelumque Divini honoris : et, ut ep. 23 ipse Cyprianus scripsit,* Celerinus Confessor quam esset moderatus et cautus, et humilitate ac timore sectæ nostræ verecundus. *Ad quem locum pluribus citatis ejusdem Cypriani et Tertulliani locis ostendit Pamelius* sectæ *nomen hic in bonam partem accipiendum pro* confessione Christiana. *Eumdem autem esse* Celerinum, *qui Romæ cum Moyse et aliis captus fuit, quique eam exararit epistolam, censet in annot. ad Martyrol. Baronius. Dissentit (at non recte, nostro quidem judicio) qui Indicem in 2 tomum Annalium ejus concinnavit. Scribit enim :* Celerinus Confessor multa passus ordinatur a Cypriano, *deinde :* Celerinus alius Confessor sollicitus pro sorore lapsa.

*Ejus epistola pro sorore lapsa,*

8 *Romæ autem scriptam illam a Celerino epistolam probat Pamelius, ex Luciani Confessoris responso, qui inter alios salutari* Bassianum *jubet* et universum Clerum, *cum ex ep. 3, quæ est Cleri Romani ad Clerum* [C] *Carthaginensem de secessu Cypriani, dicatur :* Sciatis autem Bassianum pervenisse * ad vos. *Certius id liquet ex aliis Cypriani epistolis, ubi Luciani ut sui subditi meminit. Deinde ipse Celerinus ait, ubi tunc erat, fœminas quasdam lapsas a Præpositis juberi* tantisper sic esse donec Episcopus constituatur. *Atqui Carthago Episcopum habebat Cyprianum; Romana Cathedra, occiso Fabiano, nondum suffecto Cornelio vacabat. Sed ipsam demus epistolam :*

*Romæ missa Carthaginem,*

** Rigalt. ad nos.*

9 Celerinus Luciano salutem. Hæc cum tibi scriberem, Domine frater, gaudens et tristis eram : gaudens, eo quod audieram te pro nomine Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri tentum, et illius nomen penes magistratus hujusmodi confessum; tristis autem in eo quod ab eo ex quo te deduxi, numquam litteras tuas accipere potui. Et nunc modo duplex mihi tristitia incubuit, quod cum Montanum fratrem nostrum communem abs te de carcere ad me esse venturum sciebas; de salute tua, vel quid penes te agatur, mihi non significaveris. Et hoc solet contingere servis Dei, maxime eis qui in confessione Christi sunt constituti. Scio enim quoniam unusquisque jam quæ sunt seculi non attendit, quoniam coronam cœlestem sperat. Ego enim dixi fortasse oblitum te esse mihi scribere. Nam ut tibi quoque de infimo tuus vel frater dicar, si fuero di- gnus Celerinus audire; tamen cum essem et ego in [D] tam florida confessione, fratres meos vetustissimos memorabam, et eos litteris meis memoravi, caritatem pristinam eorum penes me meosque nunc esse. Peto tamen, Carissime, a Domino, ut si non ante cruore illo sancto laveris pro nomine Domini nostri Jesu Christi, quam litteræ meæ te in hoc mundo apprehendant; vel nunc si apprehenderint, mihi ad hæc rescribas. Sic coronet te, cujus nomen confessus es. Credo enim, quoniam etsi in hoc mundo nos non viderimus, in futuro tamen nos coronati a Christo complectemur. * Pete ut sim dignus et ego coronari cum numero vestro.

*ad Lucianum pro fide captum cui gratulatur,*

*sed queritur sui oblitum,*

*(excusans eum tamen).*

*contra quam ipse captus antea fecerit :*

*petit ut sibi rescribat,*

*et pro se oret :*

** Rigal.* Peto sim.

10 In magna tribulatione constitutum scias, et acsi sis mecum præsens, sic caritatis pristinæ reminiscor die ac nocte : Deus solus scit. Et ideo peto ut annuas desiderio meo, et mecum doleas in morte sororis meæ, quæ cecidit in hac vastatione Christo sacrificavit enim, et exacerbavit Dominum nostrum, quod nobis manifestum videtur. Pro cujus factis ego in lætitia Paschæ flens die ac nocte, in cilicio et cinere lacrymabundus dies exegi, et exigo usque in hodiernum, donec auxilium Domini nostri Jesu Christi et pietas..... per te vel per eos Dominos meos, qui coronati fuerint, a quibus postulaturus es, [E] ut veniam habeant nefanda naufragia : memor sum enim caritatis tuæ pristinæ, quod cum omnibus doleas sorores nostras, quas et tu bene nosti, id est, Numeriam et Candidam; pro quarum peccatis, quæ nos fratres habent, debemus excubare. Credo enim Christum secundum illarum pœnitentiam, et opera, quæ penes collegas nostros fecerunt extorres, qui a vobis venerunt, a quibus ipsis de operibus earum audies jam, pro eis vobis Martyribus suis petentibus indulturum credo.

*de sorore lapsa dolet,*

*et aliis*

*erga extorres valde hospitalibus :*

11 Audivi enim te floridiorum ministerium cepisse. O te felicem! Suscipe vota tua, quæ semper desiderasti : vel in terra dormiens, optasti pro nomine illius in carcere mitti; quod nunc tibi contingit, sicut scriptum est : Det tibi Dominus secundum cor tuum. Et nunc super ipsos factus Antistes Dei, recognovit idem minister. Rogo itaque, Domine, et peto per Dominum nostrum Jesum Christum, ut ceteris collegis tuis, fratribus tuis, meis Dominis, referas, et ab eis petas, ut quicumque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris, Numeriæ et Candidæ, tale peccatum remittant. Nam ipsam Etecusam semper appellavi (testis est nobis Deus) quia [F] pro se dona numeravit, ne sacrificaret : sed tantum ascendisse videtur usque ad Trianfacta, et inde descendisse. Hanc ergo non sacrificasse ego scio. Quarum jam caussa audita, præceperunt eas Præpositi tantisper sic esse, donec Episcopus constituatur.

*Ps. 19 5*

*rogatus indulgentiam a Luciano et sociis,*

12 Sed quatenus per vestras sanctas orationes et petitiones, in quas nos fidimus, quoniam estis amici sed et testes Christi, quod omnia indulgeatis. Peto ergo, Domine carissime Luciane, memor sis mei, et petitioni meæ annuas. Sic Christus coronam illam sanctam, quam tibi, non tantum in confessione, sed in sanctimonia tradidit, in qua semper cucurristi, exemplum Sanctorum semper et testis fuisti; ut omnibus Dominis meis, fratribus tuis Confessoribus referas de hoc facto, ut a vobis auxilium recipiant. Nam hoc, Domine frater, scire debes, me non solum hoc pro eis petere, sed Statium et Severianum et omnes Confessores, qui inde huc a vobis venerunt, ad quos ipsæ in portum descenderunt, et in Urbem levaverunt; quod sexaginta quinque ministraverunt, et usque in hodiernum in omnibus foverunt. Sunt enim penes illas omnes.

*ut et alii Confessores earum hospites rogent*

13 Plus autem gravare cor illud sanctum tuum non debui : cum sciam te prona voluntate operari. Salutant te Macarius cum sororibus suis Cornelia et Emerita,

*varii SS. salutant*

A Emerita, qui lætantur confessione tua florida; sed et omnes fratres : et Saturninus, qui et ipse luctatus est cum diabolo, qui et Christi nomen' est fortiter confessus, qui et ibi in pœna ungularum fortiter est confessus, qui et hic nimis rogat et petit. Salutant te fratres tui Calpurnius et Maria, et omnes sancti fratres. Nam hoc scire debes, me et dominis meis fratribus tuis scripsisse, quas peto illis eas legere digneris.

*Mendose edita epistola.*

14 *Hactenus Celerini epistola, edita a Pamelio Antuerpiæ an.* 1568 *non sine mendis, quæ corrigere omnia non potuimus, cum in editione Operum S. Cypriani Basileensi anni* 1540 *per Erasmum recognita, et Coloniensi an.* 1544 *per Gravium, quas ambas habemus, ea non extet epistola; et Morelii nobis desit editio, e qua eam Pamelius accepit,* minus accurate castigatam, *ut ipse annot.* 2 *fatetur : desunt enim quandoque voces aliquæ : neque eæ in Rigaltii editione, eleganter alioqui suppletæ : nam et ipse exemplaribus, ut in Observationibus fatetur, destitutus fuit. Quod dicitur Lucianus* floridiorum ministerium percepisse : *Pamelio magis placeret* floridorum, *et significari putat Martyres ipsos; uti et Rigaltius, qui Lucianum ait super eos* factum antistitem, *quia iis ministrabat, ipsorum desideria ad alios perscribens. Mihi autem inciderat dubitare, an non*

*quædam continens obscura.*

B *fortassis familia aliqua Christiana Carthagine* Floridorum *fuisset, aut duo tresve, nomine aut cognomine* Floridi, *qui solatium ac ministerium Luciano et aliis captivis exhiberent; uti Cyprianus ep.* 37 *hortatur Clerum,* ut Confessoribus in carcere constitutis omnis humanitas præbeatur. *Et vero aliquot retulimus in Januario* Floridas *Martyres Africanas. An fortassis tamen tormenti genus aliquod significatur?* Triumfacta *conjicit Pamelius locum fuisse in quo sacrificabatur : ambigit Rigaltius. Eum qui* Statis *appellatur lapsarum feminarum hospes Confessor, mallet idem* Statium *aut* Staeteum *dicere.*

*Lucianus, Celerino laudato,*

15 *Lucianus responsum ita ordiiur, estque epistola* 22 *apud S. Cyprianum in editione Pamelii, in Rigaltii* 21 : Lucianus Celerino Domino, si dignus fuero vocari collega in Christo, salutem. *eumque ita laudat :* Tu Deo volente ipsum anguem majorem, metatorem Antichristi, non tantum confessus deterruisti vocibus illis et verbis deificis, quibus scio quasi amatores fidei zelotypi disciplinæ Christi, in qua tenoris vivacitate versari te gaudeo, vicisti. *Recte notat Pamelius, hic quoque deesse aliquid ut sensus expleatur.*

*Pauli Martyris et aliorum nomine,*

16 *Plus deinde impertitur, quam petierat Celerinus :* Cum benedictus Martyr Paulus, inquit, adhuc in corpore esset, vocavit me, et dixit mihi : Luciane,

C coram Christo tibi dico, ut si quis, post arcessitionem meam, abs te pacem petierit, des in nomine meo. Sed et omnes quos Dominus in tanta tribulatione arcessire dignatus est, universi litteras ex compacto universis pacem dimisimus. *Et post pauca :*

*pro quibus rogabatur, indulgentiam donat,*

Et ideo, frater, peto, ut sicut hic, cum Dominus cœperit ipsi Ecclesiæ pacem dare, secundum præceptum Pauli, et nostrum tractatum, exposita causa apud Episcopum, et facta exomologesi, habeant pacem non tantum hæ, sed et quas scis ad animum nostrum pertinere. *In eamdem sententiam scripta extat ab eodem Luciano ad Cyprianum epistola, quæ inter Cypriani epistolas* XVII.

*et omnibus aliis.*

Universi Confessores Cypriano Papæ salutem. Scias nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem. Et hanc formam per te et aliis Episcopis innotescere voluimus. Optamus te cum sanctis Martyribus pacem habere. Præsente de Clero et Exorcista et Lectore, Lucianus scripsit.

17 *Reprehendit hanc Luciani temerariam indulgentiam S. Cyprianus, pluribus locis, missique ejus ad se ac Celerinum epistolas ad Clerum Romanum, uti ex ep.* 23 *patet, ubi S. Mapalici Martyris ac S. Celerini* *modestiam laudat; de Luciano vero ista habet :* Frater

D noster Lucianus et ipse unus de Confessoribus, fide quidem calidus et virtute robustus, minus Dominica lectione fundatus, quædam conatus est, imperiti jam pridem se vulgi auctorem constituens, ut manu ejus scripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur. *Quod factum pluribus redarguit, ortasque inde turbas narrat. Tum de Celerino rursus :* Exempla quoque epistolæ Celerini boni et robusti Confessoris, quam ad Lucianum eumdem Confessorem scripserit; item quid Lucianus ei rescripserit, misi vobis : ut sciretis et laborem circa omnia et diligentiam nostram, et veritatem ipsam disceretis; Celerinus Confessor quam sit moderatus et cautus, et humilitate ac timore sectæ nostræ verecundus : Lucianus vero circa intelligentiam Dominicæ lectionis, ut dixi, minus peritus, et circa invidiam verecundiæ nostræ relinquendam facilitate sua molestus. *Sed de his omnibus plenius agendum erit ad Vitam S. Cypriani* XIV *Septembris : extant de ista indulgentiæ lapsis temere impertitæ ratione plures apud eumdem Cyprianum epistolæ, pleræque datæ antequam S. Cornelius Pontifex esset electus.*

*AUTORE I. B. S. Cyprianus ejus imperitiam et temeritatem vituperat,*

*laudat Celerini modestiam.*

## § III *Celerinus Lector ordinatus.*

E *Interea cum adhuc in secessu versaretur Cyprianus, Celerinum (qui fortassis cum responso Cleri Romani in Africam redierat) in Ecclesiæ suæ Clerum adlegit, ac Lectorem ordinavit. Quod mox Clero suo ac plebi universæ significavit ep.* 34 *quam hic, quia eximiam Celerini commendationem continet, dare visum est.*

*Celerinus a Cypriano Lector ordinatus,*

19 Agnoscenda et amplectenda sunt, fratres dilectissimi, beneficia Divina, quibus Ecclesiam suam Dominus illustrare temporibus nostris et honestare dignatus est, commeatum dando bonis Confessoribus suis et Martyribus gloriosis, ut qui sublimiter Christum confessi essent, Clerum postmodum Christi ministeriis Ecclesiasticis adornarent. Exultate itaque et gaudete nobiscum, lectis litteris nostris, quibus ego et collegæ mei, qui præsentes aderant, referimus ad vos, Celerinum, fratrem nostrum, virtutibus pariter et moribus gloriosum, Clero nostro, non humana suffragatione, sed Divina dignatione conjunctum. Qui, cum consentire dubitaret Ecclesiæ, ipsius admonitu et hortatu in visione per noctem compulsus est, ne negaret. Nobis suadentibus, cui plus licuit, et coegit : quia nec fas fuerat, nec decebat, sine honore Ecclesiastico esse, quem sic Dominus honoravit cœlestis gloriæ dignitate.

*Clero honoratur,*

*Divina visione coactus acquiescens,*

F 20 Hic ad temporis nostri prælium primus, hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia ferventia cum ipso infestationis principe et auctore congressus; dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi ceteris viam fecit, non brevi compendio vulnerum victor, sed adhærentibus diu et permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator. Per decem et novem dies, custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit. Sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit : sed animum fide et virtute viventem nutrimentis spiritalibus Deus pavit. Jacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior judicantibus judicatus : et quamvis ligati nervo pedes essent, calcatus serpens et obtritus et victus est.

*tormentis pro fide generose toleratis,*

21 Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent et apparent in nervis hominis, membris longa tabe consumptis, expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira, quæ de virtutibus ejus ac laudibus fraternitas audiat. Et si aliquis Thomæ similis extiterit,

*Cicatrices ejus.*

A terit, qui minus auribus credat; nec oculorum fides deest; ut quis quod audit, et videat. In servo Dei victoriam gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria custodit.

*AUCTORE G. H.*

*imitator Celerinæ aviæ, Laurentini patrui, Ignatii avunculi Martyrum,*

22 Nec rudis iste aut novus est in Celerino carissimo nostro titulus gloriarum: per vestigia cognationis suæ graditur, parentibus ac propinquis suis honore consimili Divinæ dignationis æquatur. Avia ejus Celerina jam pridem martyrio coronata est, item patruus ejus et avunculus, Laurentinus et Ignatius in castris et ipsi quondam secularibus militantes, sed veri et spiritales Dei milites; dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus. Nec degener ergo esse, nec minor poterat, quem sic domesticis exemplis virtutis ac fidei provocabat familiæ dignitas, et generosa nobilitas. Quod si in familia seculari prædicationis et laudis est, esse Patricium, quanto majoris laudis et honoris est, fieri in cœlesti prædicatione generosum? Non invenio, quem beatiorem magis dicam; utrumne illos de posteritate tam clara, an hunc de origine gloriosa. Ita æqualiter apud B eos recurrit et commeat Divina dignatio, ut et illorum coronam dignitas sobolis illustret, et hujus gloriam sublimitas generis illuminet.

*qui jam ante palam celebrati.*

*meritus hunc honorem,*

23 Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio et miraculo ejus ipsius qui se persecutus fuerat, illustrem, quid aliud quam super pulpitum, id est, super tribunal Ecclesiæ, oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta et Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? Vox Dominum confessa in his quotidie, quæ Dominus locutus est, audiatur. Viderit an sit ulterior gradus, ad quem profici in Ecclesia possit. Nihil est in quo magis Confessor fratribus prosit, quam ut dum Evangelica lectio de ore ejus auditur, Lectoris fidem, quisquis audierit, imitetur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo et divini honoris societate conjunctus est, cum quo omnibus virtutis et laudis insignibus copulatus est. Pares ambo, et uterque consimiles: in quantum gloria sublimes, in tantum verecundia humiles, quantum Divina dignatione promoti, tantum sua quiete et tranquillitate summissi; et virtutum pariter et morum singulis exempla præbentes, C et congressioni et paci congruentes, illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus servis lætatur Dominus: in ejusmodi Confessoribus gloriatur: quorum secta et conversatio sic proficit ad præconium gloriæ, ut magisterium ceteris præbeat disciplinæ. Ad hoc eos Christus esse hic in Ecclesia diu voluit, ad hoc de media morte subtractos, quadam dixerim resurrectione circa eos facta, incolumes reservavit, ut dum nihil in honore sublimius, nihil in humilitate submissius a fratribus cernitur, hos eosdem fraternitas sectata comitetur. Hos tamen Lectores interim constitutos sciatis; quia oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, et gloriosos vultus in loco altiore constitui, ubi ab omni populo circumstante conspecti, incitamentum gloriæ videntibus præbeant. Ceterum presbyterii honorem designasse nos illis jam sciatis, ut et sportulis iisdem cum Presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum provectis et corroboratis annis suis: quamvis in nullo minor possit videri ætatis indole, qui consummavit ætatem gloriæ dignitate. Opto vos, fratres carissimi et desideratissimi, semper bene valere.

*ut et Aurelius,*

*uterque Confessor, uterque humilis,*

*aliis exemplo,*

24 *Cujus Aurelii hic meminit Cyprianus, eumdem epistola præcedenti Lectorem a se ordinatum Clero significarat, et amplissimis verbis laudarat,* illustrem adolescentem, ... in annis adhuc novellum, sed in virtutis ac fidei laude provectum ... bis confessum, et bis confessionis suæ victoria gloriosum; et quando vicit in cursu, factum extorrem, et cum denuo certamine fortiore pugnavit, triumphatorem et victorem in certamine passionis ... honore virtutis insignem, pudoris admiratione laudabilem *etc. Diversus is est, ut recte observavit Pamelius, ab eo Aurelio, cujus meminit Cyprianus ep. 23 ita scribens:* Aurelii quoque adolescentis tormenta perpessi nomine libelli multi dati ejusdem Luciani manu scripti, quod litteras ille non nosset, *qui enim Lector fieret, qui litteras non norat?* D

*Aurelii illius adolescentis duplex certamen.*

## § IV *Celerinus et alii Confessores Novatiani schismati adhærent.*

Majus *deinde oblatum Celerino nostro certamen in quo ille si non quidem omnino prostratus est, prolabi certe cœpit: sed mox, Dei gratia adjutus, strenue surrexit. In schisma, quod primus Antipapa Novatianus cum Novato Afro conscivit, pertractus erat cum aliis Confessoribus; de quibus liber de Romanis Pontificib. in Fabiano:* Eodem tempore (*post mortem scilicet Fabiani*) supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam Confessores, postquam Moyses Presbyter in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses xi *, sicut et multi fuerunt. *Spectat quidem hæc omnis controversia ad S. Cornelii Vitam, quam dabimus* XIV *Septembris; sed quia sæpe Novatianorum mentio incidit, paucula hic delibabimus, ex SS. Cornelii ac Cypriani epistolis.* E

*Confessores pertracti in schisma Novatiani:*

* f XII

26 Novatianus (*ut ex S. Cornelii ad Fabium Antiochenum epistola scribit Eusebius lib.* 6 *cap.* 35 *licet.* Novatum *cum vocet, uti et Græci alii, qui cum Novato Afro furoris illius satellite, eum confundunt*) Novatianus *igitur*, non a primo ætatis tempore in Ecclesia versatus, non certaminibus ullis pro ejus defensione susceptis clarus, non periculis pro pietate jactatus, sed ex Satana (qui ingressus in illum, diu est in intimo ejus pectore commoratus) primum credendi occasionem nactus est. Nam cum per Exorcistas spiritu illo malo esset liberatus, et post in gravem morbum incidisset, plane ut moriturus crederetur, in ipso in quo decumbebat lecto, aqua perfusus, baptismum percepit: si tamen homo ejusmodi vere baptismum percepisse dicendus est. Neque enim postquam convaluit, eorum quidquam accepit, quæ Ecclesiastico Canone præscripta sunt, ac ne Chrismate quidem est ab Episcopo delibutus. Qui igitur hujus expers, Spiritum sanctum consecutus est? Tamen presbyterii postea munus adeptus est, privata quadam gratia et benevolentia Episcopi: qui, cum Clerus universus ac laici permulti obsisterent, negarentque in lecto morbi caussa baptismo donatos, uti hic erat, in Clerum adscisci fas esse, deprecatus est, ut hunc solum ordinari a se sinerent. F

*qui nulla commendatione pietatis, a dæmone liberatus,*

*in lecto baptizatus,*

*nec deinde confirmatus, Sacerdos factus*

27 *Neque ita initiatus, qua decebat constantia sacerdotium gessit.* Persecutionis enim tempore, *ut ex eadem Cornelii epistola tradit Eusebius*, metu debilitatus, et nimia vitæ cupiditate adductus, se Presbyterum esse negavit. Nam cum a Diaconis advocatus rogatus quo esset, ut domo, qua inclusus delitescebat, egressus, Fratribus auxilium implorantibus succurreret, tantum abfuit ut Diaconis orantibus assentiretur, ut stomachabundus abscederet, dicens nolle se amplius Presbyterum esse, sed aliud philosophiæ genus capessiturum. *Quos Eusebius vocat* ἀδελφοὺς ἐπικουρίας δεομένους, Fratres auxilium implorantes, *Ruffinus catechumenos baptismum morte imminente petentes fuisse ostendit.* Scribit etiam de ipso, *inquit*, quod

A quod persecutionis tempore, cum in cellula quadam lateret, et a Diaconis (ut moris est) subvenire in exitu catechumenis rogaretur, timens procedere, denegabat se esse Presbyterum.

*adspirat ad pontificatum, id dissimulans,*

28 *His ille moribus, hac fidei firmitate ac zelo præditus, ausus est ad summum sacerdotium aspirare : sed, ut in citata epistola Cornelius scribit;* effrænem suam cupiditatem intra se occulens, simulatione, veluti involucro quodam, arrogantiam suam tegens. *Eoque artificio Confessores quosdam, ut mox dicemus, sibi conciliavit. Sed eruditionis ac facundiæ opinionem aucupatum indicat S. Cyprianus ep.* 52 *ad Antonianum Ep.* Jactet se licet, *ait*, et philosophiam vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet. *Et in ep.* 57 *ad Cornelium* : In perniciem fratrum lingua sua perstrepens, et facundiæ venenatæ jacula contorquens, magis durus secularis philosophiæ pravitate, quam philosophiæ lenitate pacificus.

*vana eloquentia tumidus.*

29 *Non ita tamen Ecclesiam suam Christus neglexit, ut tam ignavum ac vanum hominem admoveri ad ejus gubernacula, tam periculosis temporibus pateretur. Electus est igitur Cornelius Decio II et Etrusco Coss. sive anno Chr.* CCLI, *circa* X *Julii, de cujus electione scribit S. Cyprianus ep.* 52. Nam, quod Cornelium carissimum nostrum, Deo et Christo et Ecclesiæ B ejus, item consacerdotibus cunctis laudabili pietate commendat; non iste ad Episcopatum subito pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, et in Divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.

*sed Cornelius, vir probatæ pietatis, per omnes gradus Ecclesiasticos promotus,*

30 Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec, ut ceteri quos arrogantiæ tumor inflat, invasit : sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non, ut quidam, vim fecit ut Episcopus fieret; sed ipse vim passus est, ut episcopatum coactus exciperet. Et factus est Episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos litteras honorificas et laudabiles et testimonio suæ prædicationis illustres, de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, et de Sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio; cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri, et gradus Cathedræ sacerdotalis vacaret.

*non ambiens, sed coactus, omnium fere suffragiis Pontifex eligitur,*

C

31 *Et post pauca* : Tum deinde post episcopatum non exambitum, non extortum, sed de Dei, qui Sacerdotes facit, voluntate susceptum; quanta in ipso suscepto episcopatu suo virtus! quantum robur animi! qualis firmitas fidei! Quod nos simplici corde et perspicere penitus et laudare debemus : sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali Cathedra, eo tempore, cum tyrannus, infestus Sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur : cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quam constitui Romæ æmulum Sacerdotem. Nonne hic, frater carissime, summo virtutis et fidei testimonio prædicandus est? Nonne inter gloriosos Confessores et Martyres deputandus, qui tantum temporis sedit, expectans corporis sui carnifices, et tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem, et minas et cruciatus et tormenta, fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera ejus et membra laniarent? Etiamsi majestas Domini protegentis et bonitas Sacerdotem, quem fieri voluit, factum quoque protexit; tamen Cornelius, quantum ad ejus devotionem pertinet et timorem, passus est D quidquid pati potuit; et tyrannum, armis et bello postmodum victum, prior sacerdotio suo vicit.

*et Romæ manet intrepidus, ridens furentis Decii minas, paratus ad quamvis mortem.*

*AUCTORE J. B.*

32 *Evecto ad pontificatum Cornelio furere invidia Novatianus cœpit. Commodum illi adfuit ex Africa Novatus,* rerum novarum, *ut scribit S. Cyprianus ep.* 49 *ad Cornelium*, semper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia et stupore superbi tumoris inflatus, semper istic Episcopis male cognitus, quasi hæreticus semper et perfidus omnium Sacerdotum voce damnatus; curiosus semper ut prodat, ad hoc adulatur ut fallat, numquam fidelis ut diligat, fax et ignis ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. *Et post pauca :* Idem est Novatus, qui apud nos primum discordiæ et schismatis incendium seminavit ... Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conspicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, et ab eo in morte postmodum nec sepultus. Uterus uxoris calce percussus, et abortione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est? *etc.*

*Novatus Afer, homo fallax et multis sceleribus infamis,*

33 *Hic igitur Novatus, ut supra ex libro de Romanis Pontif. relatum,* separavit de Ecclesia Novatianum E et quosdam Confessores. *Imo Novatiani obsecutus ambitioni, Confessores ut ei faverent, fraudulenter induxit. Quod multis locis indicat S. Cyprianus. Et diserte ep.* 49. Idem est Novatus, qui apud nos primum discordiæ et schismatis incendium seminavit; qui quosdam isthic ex Fratribus ab Episcopo segregavit; qui in ipsa persecutione ad evertendas Fratrum mentes alia quædam persecutio nostris fuit. Ipse est qui Felicissimum, satellitem suum, Diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione et ambitione constituit : et cum sua tempestate Romam quoque ad evertendam Ecclesiam navigans, similia illic et paria molitus est, a Clero portionem plebis avellens, fraternitatis bene sibi cohærentis et se invicem diligentis concordiam scindens. *Neque Romanorum solum, sed et Romæ existens Afrorum plurimorum, ut idem ep.* 42 *scribit,* criminosis et calumniosis commentis suis turbavit mentes et corda confudit, una cum complicibus. *Et ep.* 52 *ad Antonianum :* Quamvis multa multorum vocibus ventilentur, et mendacia adversus Sacerdotes Dei, de diaboli ore prolata, ad rumpendam Catholicæ unitatis concordiam ubique jactentur.

*ab eo Confessores abstrahit, et alios, cum suis fœda mendacia de Cornelio spargens,*

34 *Sed quænam illa tandem jactari tanta potuerunt* F *adversus Cornelium, ut eum ipsi Confessores, virum probatæ virtutis, a* XVI *Episcopis, ut Cyprianus ait, electum aversarentur? Indicat Eusebius, vel potius Hieronymus in Chronico ad annum* I *Galli et Volusiani :* Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum et ceteros Confessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitentes apostatas recepisset. *Disertius omnia explanat Cyprianus in citata ad Antonianum epistola* : Quod autem quædam de illo *(Cornelio)* inhonesta et maligna jactantur, nolo mireris : cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, ut qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Explorasse autem collegas nostros scias, et verissime comperisse, nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum esse; sed eos demum, quorum caussa audita et innocentia comprobata sit, conjunxisse nobiscum. Nam et de Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est, ut ad te pertulit rumor et mendacium malignorum. Nam, sicut antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris, carissimus frater noster

*quod apostatas pœnitentes reciperet. libellaticus esset. Trophimum lapsum in gradum sacerdotalem restituisset;*

*AUCTORE J. B. quem tamen pœnitentem, et cum magna populi parte redeuntem,*

A Cornelius necessitati succubuit : et quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, et satisfaciente, et pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, et fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate et satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, et in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est : qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus; pro quo satisfaciebat Fratrum reditus, et restituta multorum salus : sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet; non secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerant, quasi locum Sacerdotis usurpet. Sed et quod passim communicare sacrificatis Cornelius tibi nuntiatus est, hoc etiam de apostatarum fictis rumoribus nascitur.

*communi consilio,*

*solum ad laicam Communionem admiserat.*

*Qui libellatici et sacrificati.*

35 *Hactenus Cyprianus, qui in eadem epistola esse inter* libellaticos *et sacrificatos discrimen magnum ostendit, id est, inter eos qui libellos obtulerant ut supplicia evaderent, et qui sacrificia idolis obtulerant. Sed de tota hac lapsorum recipiendorum ratione, deque habito Romæ ea caussa concilio, agere ad S. Cornelii Vitam licebit.*

*Celerinus quoque in schismo pertractus.*

B 36 *Nusquam tamen apud S. Cyprianum inter eos Confessores qui Novatiano adhæserunt memoratur Celerini nomen : verum hic in epistola S. Cornelii apud Eusebium nominatur, ut infra dicemus. Qui Indicem in 2 tomum Annal. Baronii confecit hunc quoque* Celerinum *credidit alium esse ab eo qui prius cum Moyse et aliis tormenta toleravit. Quod alii quoque videntur existimasse qui duos hoc die* Celerinos, *in Martyrologia retulerunt, ut infra dicemus.*

## § V *Novatianus creatur antipapa, Celerino et Confessoribus aliis assentientibus.*

*Novatianus cum suis a S. Moyse Conf. excommunicatus,*

A*dhuc detinebatur in carcere S. Moyses Confessor, cum conflatum est a Novatiano schisma. Ita S. Cornelius in ep. ad Fabium Antiochenum apud Euseb.* Cujus *(Novatiani)* amentem audaciam et insolentiam etiam Moses beatus Martyr, qui nuper apud nos fuit eximio et admirabili martyrio decoratus, dum adhuc in vita manebat, perspicue animadvertens, eum et quinque Presbyteros, qui una cum illo se ab Ecclesia segregarant, a communione submovit. *Hoc tandem post biennii fere captivitatem extincto, ea prorupit amentia Novatianus,, ut Episcopum se consecrari curaret.*

*frustra concordiam suadentibus Epp. a Cypriano missis,*

C *Conatus erat S. Cyprianus missis Romam Caldonio et Fortunato Episcopis ad concordiam eum ac sectatores ejus reducere : sed, ut ipse ep. 42 scribit*, diversæ partis obstinata et inflexibilis pertinacia, non tantum radicis et matris sinum atque complexum recusavit, sed etiam gliscente et in pejus recrudescente discordia Episcopum sibi constituit : et contra sacramentum semel traditum Divinæ dispositionis et Catholicæ unitatis, adulterum et contrarium caput extra Ecclesiam fecit.

*ex consensu Confessorum quorumdam,*

37 *Consensisse in novi creationem Episcopi Confessores Maximum, Nicostratum, et reliquos, patet ex Cypriani ad ipsos epistola* 44. Cum vos illic comperissem contra Ecclesiasticam dispositionem, contra Evangelicam legem, contra institutionis Catholicæ unitatem, alium Episcopum fieri consensisse, id est, quod nec fas, nec licet fieri, Ecclesiam alteram institui, Christi membra discerpi, Dominici gregis animum et corpus unum discissa æmulatione lacerari *etc. Et in ep. 46, quæ est Cornelii de ipsorum ad unitatem reversione, fassi dicuntur*, circumductos commisisse se schismatica, et hæresis auctores fuisse, ut paterentur ei manus quasi in Episcopum imponi.

38 *Quomodo autem et a quibus Episcopus sit ordinatus Novatianus exponit in citata jam sæpius ad Fabium epistola Cornelius apud Eusebium* : Vix credibile est, carissime frater, quantam in moribus varietatem, quantam mutationem exiguo momento in illo factam conspeximus. Nam splendidissimus iste scilicet, qui inusitato ac terribili jurejurando adjecto, fidem suis fecerat, se non aliquando episcopatum appetivisse; tamquam ex fallaci quadam præstigiarum impostura in medium projectus, derepente Episcopus apparuit. D

*qui jurarat se nolle fieri Episcopum,*

39 Etenim iste novæ sectæ inventor, et doctrinæ Ecclesiasticæ propugnator, quando Episcopatum, a Deo certe minime ei donatum, sibi vi arripere, et ex hominum manibus quodammodo extorquere nitebatur, duos e complicibus suis, de sua ipsorum salute prope desperatos, delegit, ut eos in remotum et exiguum quemdam Italiæ angulum mitteret; indeque Episcopos tres, agrestes homines, rudesque ac simplices, simulatione quadam veteratoria in fraudem inductos, abduceret, dicens et firmiter asseverans, eos quam celerrime debere Romam venire, ut videlicet lis omnis ac controversia per sententiam ipsorum aliorumque Episcoporum interpositam dirimeretur. Episcopi igitur, quoniam (ut diximus) simpliciores erant, quam ut improborum fallacias dolosque discernerent, Romam advolant. Hic iste eos, per quosdam sui similes ad eam rem comparatos, in certum locum includi curat. Ac cum circiter horam decimam ebrios ac crapula oppressos cerneret, vi E coegit, ut imaginaria quadam et vana manuum impositione Episcopum ipsum ordinarent : quem scilicet honoris gradum, parum sibi congruentem, hoc pacto per astutiam et fraudem invasit. Horum vero Episcoporum unus non multo post ad Ecclesiam reversus est, peccatum suum confitens ac flebiliter plangens. Quem populo universo pro eo deprecante, ad Communionem laicam recepimus : in reliquorum vero duorum Episcoporum locum alios misimus.

*advocatis aliunde 3 Epp.*

*velut ad dirimendum schisma,*

*ab iis jam ebriis ordinari se Episcopum curat,*

40 *Hæc Cornelius, qui aliud plane absurdissimum, post præclaram illam ordinationem Novatiani facinus narrat.* Cum, *inquit*, fecisset oblationes, et singulis partem distribueret, jurare pro benedictione miseros et infelices homines cogebat : atque ambabus manibus manus accipientium apprehendens, non prius dimittebat, quam ista jurassent : utar enim illius verbis : Jura mihi, inquiebat, per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te numquam a me recessurum et ad Cornelium rediturum. Atque miser homo non ante degustare sancta poterat, quam se illi devovisset. Et qui Sacramentum acceperat, pro Amen, quod dicere debuerat, dicebat : Numquam ad Cornelium revertar. *Hic ille erat nimirum vindex Ecclesiasticæ disciplinæ.* F

*cogitque communicantes jurare se ad Cornelium non redituros*

41 *Ista quidem sufficiebant, ut Confessores et quosvis homines cordatos, a Novatiano possent avertere, adhæsere tamen illi aliquanto tempore; quos, ut scribit Cornelius ep. 46 ad Cyprianum*, errantes et palabundos jam diu vidit et doluit *populus : videntur, nunciata Decii morte, e custodia dimissi, in qua cum S. Moyse hactenus fuerant detenti quidam eorum; Celerinus enim pridem, ut vidimus, liber erat.*

*aliquamdiu ei adhærent Confessores*

## § VI *Celerinus, aliique Confessores ad Ecclesiam redeunt.*

N*ovatianus Episcopatum, ut credebat, adeptus, continuo in Africam misit Maximum Presbyterum, Augendum Diaconum, et Machæum quemdam et Longinum, ut scribit ep. 41 Cyprianus. Verum cum hi inde fuissent expulsi, ut scribit Cornelius ep. 48 ad eumdem Cyprianum, alios eo legavit*, Nicostratum, *unum (pro dolor!) e Confessoribus*, Novatum, et Evaristum, et Primum, et Dionysium. *Tum vero, ut ep. 49 scribit ad Cornelium Cyprianus*, Novato illinc a vobis recedente,

*expulsis ex Africa ejus legatis*

*Novato illuc profecto,*

*ad Ecclesiam redeunt,*

A dente, id est, procella et turbine recedente, ex parte illic quies facta est, et gloriosi ac boni Confessores, qui de Ecclesia illo incitante recessarant, posteaquam ab Urbe ille discessit, ad Ecclesiam reverterunt. *Consentit liber de Romanis Pontificibus in Cornelio :* Sub cujus episcopatu, *inquit*, Novatus Novatianum extra Ecclesiam ordinavit, et in Africa Nicostratum. Hoc facto Confessores, qui se separaverunt a Cornelio cum Maximo Presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi, et facti sunt Confessores fideles.

*animadversis Novatiani sceleribus,*

43 *S. Cornelius in ep. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium scribit, Novatiani scelera detestatos ab eo defecisse :* Presbyter, *inquit*, nomine Maximus, e nostris, et Urbanus, qui bis ex constanti fidei confessione summam gloriam erant adepti; Sidonius item, et Celerinus, qui Dei clementia adjutus, omnia tormentorum genera maxima constantia pertulerat, quique carnis imbecillitate per fidei robur confirmata, strenue victoriam de adversario reportarat. Viri igitur hi cum Novatianum attentius considerassent, deprehendissentque callidam ejus fraudem, versutiam, perjuria, mendacia, intractabilem vitæ rationem, veteratoriam lupi instar amicitiam; eo relicto ad sanctam Ecclesiam reverterunt: atque omnes B ejus fallacias et maleficia, quæ longo tempore tegere ac dissimulare conatus esset, haud paucis præsentibus tum Episcopis tum Presbyteris, et laicis quamplurimis, exposuerunt, agnoscentes ac dolentes suam vicem, quod subdolæ illius et efferatæ bestiæ consilio adducti, ab Ecclesia vel ad exiguum temporis spatium descivissent. *Ruffinus quoque lib.* 6 *cap.* 33. Celerinum *inter resipiscentes Confessores recenset :* Sed et Sidonius, *inquit*, et Celerinus, qui valde clariores in Confessoribus habebantur, eo quod omnia tormentorum genera superaverant.

*errorem confitentes,*

*magno bonorum gaudio :*

44 *Quo autem modo, quoque fidelium sensu redeuntes excepti sint, scribit ipse Cornelius ep.* 46 *ad Cyprianum :* Quantam sollicitudinem et anxietatem sustinuimus de iis Confessoribus, qui dolo et malitia hominis callidi et veteratoris fuerant circumventi et pæne decepti, et ab Ecclesia alienati: tanta lætitia affecti sumus, et Deo omnipotenti et Christo Domino nostro gratias egimus; cum ii cognito suo errore, et intellecta hominis maligni, velut serpentis, astutia venenata, ad Ecclesiam, unde exierant, sicut ipsi ex suo corde profitentur, simplici voluntate revenerunt. Et primo quidem fratres nostri probatæ fidei, amantes pacem, unitatem optantes, tumorem illum C horum mollitum jam adnuntiabant. Fides tamen non idonea; ut facile nobis credere daretur, illos penitus esse mutatos. Postea vero Urbanus et Sidonius Confessores ad Presbyteros nostros venerunt, affirmantes Maximum Confessorem et Presbyterum secum pariter cupere in Ecclesiam redire. Sed quoniam multa præcesserant ab eis designata, quæ tu quoque a Coepiscopis nostris et litteris meis cognovisti, ut non temere eis fides haberetur, ex ipsorum ore et confessione ista, quæ per legationem mandaverant, placuit audire. Qui cum venissent, et a Presbyteris quæ gesserant exigerentur; novissime quod per omnes Ecclesias litteræ calumniis et maledictis plenæ, eorum nomine frequentes missæ fuissent, et pene omnes Ecclesias perturbassent; circumventos se esse affirmaverunt, nec quid in istis litteris inesset scisse: tantummodo circumductos commisisse se quoque schismatica, et hæresis auctores fuisse; ut paterentur ei manus quasi in Episcopum imponi. Qui, cum hæc et cetera fuissent exprobrata, ut abolerentur et de memoria tollerentur, deprecati sunt.

*prima significant se redire velle :*

*Pre... ... exprobrantibus jactatas in Cornelium calumnias,*

*... petun*

45 Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui et hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio quid circa personam eorum observari deberet, D consensu omnium statueretur..... His ita gestis in presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius et Macarius, et plerique fratres, qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes, ut ea quæ ante fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur: proinde atque si nihil vel commissum vel dictum, invicem omnibus remissis, cor mundum et purum jam Deo exhiberent, sequentes Evangelicam vocem dicentem beatos esse puros corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

*AUCTORE J. B. Cornelius, habita consultatione, eos audit,*

*Matth* 5. 8.

46 Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut et ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes et palabundos jam diu viderant et dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium, gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos quasi hodie pœna carceris fuissent liberati. Et ut ipsorum propria verba designem; Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ, electum a Deo omnipotente et Christo Domino scimus. Nos errorem nostrum confitemur: Nos imposturam passi sumus, circumventi sumus perfidia et loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quamdam communicationem cum schismatico et hæretico homine E habuisse, sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignorabamus unum Deum esse, ut unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere. Ista eorum professione non moveremur, ut quod apud potestatem seculi erant confessi, in Ecclesia constituti comprobarent? Quapropter Maximum Presbyterum locum suum agnoscere jussimus; ceteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus potestate sunt omnia reservata. Hæc igitur, frater carissime, eadem hora, eodem momento ad te scripta transmisimus.

*et coram populo*

*cum Pontificem agnoscentes,*

*et suum errorem detestantes,*

*recipit.*

47 *Significavere et ipsi Confessores Cypriano (qui ad id illos erat ep.* 44 *hortatus) se cum Cornelio Episcopo suo et cum universo Clero pacem fecisse. Cyprianus vero et ipsis ep.* 51 *de reditu ex schismate gratulatus est, et Cornelio ep.* 47. *Hæc fusius ad S. Celerini natalem deducta, quod reliquorum Confessorum, qui gradu Ecclesiastico et auctoritate potiores fuisse videntur, nondum reperimus in Martyrologiis nomina: nam ad S. Moysen, qui* XXV *Novemb. colitur, et schisma semper est aversatus, ista non pertinent.*

*Gratulatur iis et Cornelio Cyprianus.*

48 Novatianum *scribit Socrates lib.* 4 *hist. Eccl. cap.* 23 *(licet* Novatum, *ut alii Græci, vocet) Valeriano* F *Imp persecutionem adversus Christianos movente, martyrium fecisse. Sed, ut plura ibidem, non mentitur Socrates, Novatiani altero ferme post seculo sectator; tamen certa Cypriani in ep.* 57 *de ejus sectæ consortibus sententia :* Quamquam etsi aliquis ex talibus, *inquit*, fuerit apprehensus, non est quod sibi quasi in confessione nominis blandiatur, cum constet si occisi ejusmodi extra Ecclesiam fuerint, fidei coronam non esse, sed pœnam potius esse perfidiæ. *Sectatores ejus idem Cyprianus ep* 73 *ad Jubaianum sub initium* Novatianenses *appellat, alii passim velut a Novato* Novatianos, *ipsi se* καθαρούς, *superbo nomine, id est, puros dicebant. De eorum erroribus (neque enim in eo solum hærebant, ut lapsos ad pœnitentiam et communionem non reciperent) agit S. Epiphanius hær.* 59 *et Prædestinatus Sirmondi hær.* 38.

*Novatianus si pro Christo occisus, non tamen Martyr,*

*Catharorum hæresis parens.*

49 *Deinceps non nisi semel mentio fit S. Celerini. Nam liber de Romanis Pontif. in Cornelio ista habet :* Post hæc Cornelius Ep. Centumcellis pulsus est, et ibi scriptam epistolam de sua confirmatione, missam a Cypriano, quam Cyprianus in carcere scripsit, de Celerino Lectore accepit. *Quibus verbis significari existimamus,*

*Celerinus ... Cypriani litteras Cornelium affert.*

AUCTORE J. B.

A existimamus, Celerinum epistolam tulisse, qua Cyprianus Cornelium exulem confirmabat, et ad constantiam hortabatur, quod facit ep. 57 multis verbis laudata Cornelii confessione. An tunc in carcere fuerit Cyprianus, ad ejus Vitam disquiremus. Ista quidem habet : Providentia Domini monentis instruimur, et divinæ misericordiæ consiliis salubribus admonemur, appropinquare jam certaminis et agonis nostri diem. Sed cum Volusiano II et Maximo Coss. martyrio defunctus sit Cornelius anno Christi CCLIII. Cyprianus ad quinque annos ei superstes, demum Fulco (vel Tusco) et Basso Coss. an. Chr. CCLVIII coronatus est.

30 Ado in Martyrol. aliique ex eo, in aliam sententiam verba libelli de Rom. Pontificib. traxerunt. Ita enim ille : Sub persecutione Decii cum Presbyteris D et Diaconibus Centumcellis exilio deputatur. Ad quem confortandum multi Christianorum veniebant. Quo tempore B. Cyprianus scripsit ei de Celerino Lectore, quanta pro fide et confessione Christi sustinuerit. Quæ extat Cypriani de Celerino epistola, ea non ad Cornelium, sed ad Carthaginensem Clerum scripta est antea, ut supra indicavimus, cum adhuc in suo secessu moraretur Cyprianus. An plures epistolas ad Cornelium Centumcellis degentem scripserit Cyprianus, ut existimat Baronius ad an. Chr. 255 nu. 54. an unicam illam 57 incertum est : uti et, Celerinus, novumne in Africa certamen adierit, est quando quove lethi genere defunctus sit.

*quando et quomodo mortuus, incertum.*

# DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS
# FELICE, FELICITATE, et aliis.

J. B.

*III FEBR. Felicis et Felicitatis natalis.*

Frequens inter Afros Martyres Felicis ac Felicitatis nomen, ut ex Indicibus Januarii mensis perspicere est. Ambos hosce jungunt hoc die Martyrologia Tornacense S. Martini, ac Lætiense et Hermannus Greven : In Africa natalis Felicis et Felicitatis. MSS Prayense et Leodiense S. Lamberti, loco omisso : Item SS. Felicis et Felicitatis. In MS. Aquisgranensi fœda fit verborum transpositio : In B Africa Nat. S. Blasii, Celerinæ, et VII mulierum, cum duobus filiis unius. Felicis, Felicitatis. Vappingo depositio Episcoporum Tygridi et Remedii. Lugduno depositio Lupicini Christi, Laurenti, Ypoliti. Ita legendum videtur : Natalis S. Blasii et VII mulierum, cum duobus filiis unius. In Africa Celerinæ, Felicis, Felicitatis. Vapingo dep. Epp. Tigridi et Remedii. Lugduno depos. Lupicini Ep. vel forte, Confess. Christi.... Laurentii, Hippolyti. Memorantur etiam Felix et Felicitas in MS. Romano S. Cyriaci, inferius citando.

*An alius Felix Lugduni*

2 At Felix, in pluribus Martyrologiis, indiligenter descriptus, Lugduno tribui videtur junguique S. Lupicino Ep. In quibusdam additur et Celerinus. Bellinus de Padua : Lugduni, Lupicini, et Felicis itidem. Congruit Canisius. At Florarium, Maurolycus, Galesinius, plurimaque MSS. et excusa quædam Martyrologia, Usuardi nomine prætitulata, Carth. Colon. Doctrinale Clericorum Lubecæ an. 1490 editum : Lugduni SS. Lupicini Ep. Felicis et Celerini. Addunt Galesinius aliique complures : et Martyrum. Fatetur Galesinius, se duos posteriores addidisse ex Martyrol. MS. perantiquo. Baronius solus Felicem Episcopum nuncupavit, itaque Romano Martyrol. inscripsit : Lugduni SS. Lu- C picini et Felicis itidem Episcoporum. Adnotat a Beda solum Lupicinum referri; Felicem videri alterius urbis Episcopum fuisse. Nemo certe Felicem Episcopum hoc die consignavit; sed vel Felicem solum scribunt, vel Martyrem vocant. Et Martyrem quoque non omisit Baronius, sed duos Felices statuit; Martyrem in Africa, Lugduni Episcopum. Dubitat Theophilus Rainaudus, an non hic Bellicensis Episcopus fuerit : Saussaius asserit fuisse. De hoc infra, cum de Lupicino. Chronicon Hispaniense, quod Fl. Dextro adscribunt recentiores, ad an. Chr. 270 ista habet : Carthagine in Hispania S. Hippolytus ejusdem urbis Ep. quocum passi sunt alii quoque Martyres. Fidenter asserit Bivarius hunc esse quem Baronius ex MS. S. Cyriaci, cum Felice et Symphronio retulit in Martyrologium, Africanos perperam existimatos, quod Carthagine, sed Spartaria, passi essent. Ast ad an. 300 comment. 3 nu. 10 idem Chronicon sic habet : Carthagine Hispaniæ Felix Ep. M. et socii. Hos esse censet Bivarius de quibus XXIII Martii in Beda vulgato habetur : In Africa Felicis et aliorum XX. Mox tamen dubitat, an iidem sint qui III Febr. coluntur Felix, Symphronius, Hippolytus. E Joannes Tamaius de Salazar in Martyrol. Hispan. hoc die refert SS. Hippolytum Episcopum V Carthaginis Spartariæ, Felicem et Symphronium MM. Omnis probatio ex Dextri pendet auctoritate.

*cum Celerino,*

*et quidem Episcopus?*

*an Hispanus aliquis hic Felix et Hippolytus Ep.*

3 Felici Afro plures socios jungit Baronius, ita enim habet in Rom. Martyrol. Ibidem (in Africa) sanctorum Martyrum Felicis, Symphronii, Hippolyti et sociorum. Monet in Annal. hos omnes ex vetustissimo codice MS. monasterii S. Cyriaci in Thermis esse restitutos. Parum feliciter. MS. S. Cyriaci ita habet : In Africa Felicis, Symphroni, Laurentii, Ypoliti, Felicis, et S. Blasii : Rem magis illustrat MS. S. Hieronymi, in quo ista habentur : III Non. Nat. Felicis. In Forosimfroni, Laurenti, Hippolyti, Felicis, Celeris. Vappinico depas. Teridi, Remedi. Lugdun, depos. Beati Lupicini. Quæ cum expenduntur, et cum Agrisgranen. et S. Cyriaci MSS. conferuntur, haud videtur dubium agi de Foroscmpromensibus Laurentio et Hippolyto, de quibus diximus II Februarii. Et vero ii in utroque illo MS. II Febr. non referuntur; in MS. S. Hieronymi, plane ambiguo modo, ut ibi indicavimus. Videtur Celer pro Celerino, proque Felicitate alter Felix positus, nisi aliunde planum fiat et Celerem et alterum Felicem hic statuendos.

*an Afri Felicis socii Symphronius et Hippolytus?*

*an alter Felix? Celer?*

F

4 Certe in succincto quodam Martyrologio, quod ex vetustisimo codice imperialis monasterii S. Maximini nobis Alexander Wilthemius noster descripsit, ista habentur : III NON. FEB. In Africa Felicis, Celeris, Luciani, Eufraxi. Nondum nobis ullus occurrit Euphraxius. Lucianus memoratur Martyr quidam Africanus XIII Junii. Hicne idem sit, an ille a S. Cypriano culpatus laudatusque Lucianus S. Celerini amicus, haud assequimur.

*Euphraxius et Lucianus?*

5 Denique in recenti MS. Carthusiæ Bruxellen. post Felicitatis nomen adjicitur, et Geminiani. Qui hic sit, haud possumus dicere.

*Geminianus?*

# DE S. FORTUNATO
## MARTYRE ROMANO, ANTUERPIÆ.

J. B.

*III FEBR.*

*Jac. Tirinus e Soc. Jesu, scriptis clarus,*

Jacobus Tirinus Antuerpiensis e Societate Jesu, mirifica dum viveret morum suavitate, benignitate erga omnes, animique simul magnitudine insigni præditus, Ecclesiam Dei præclaris in sacram Scripturam commentariis, patriam vero duobus aliis plane eximiis ornamentis decoravit. Nam templum, cujus ideam ex Vitruvii aliorumque veterum architectonicis præceptionibus delinearat Franciscus Aguillonius collegii Societatis

A *cietatis Jesu Antuerpiæ Rector, ac fundamenta jecerat; ipse, collegio in Domum professam, ut vocamus, converso, eidem præpositus Domui, marmore Ligustico exædificavit, opus et materia et arte spectabile. Dein anno Christi* MDCXXII, *altera post absolutum ac dedicatum templum, Romam provinciæ Flandro belgicæ Procurator missus, complures Sanctorum reliquias impetravit, sacrum eidem templo splendorem, urbi præsidium allaturas.*

*templum Antuerpiæ ædificat, ornatque Reliquiis,*

2 *Est in his sancti Martyris* Fortunati *corpus, e cœmiterio S. Callisti via Appia effossum. Hujus natalem agimus* III *Februarii. Nam qui in Martyrol. Romano* II *Febr. memoratur* Fortunatus, *eumdem esse fortassis existimavit, cujus adeptus erat corpus, et quia ille dies celebritate Purificationis impeditus est, postridie ut coleretur, Joannis Malderi Antuerpiensis tunc Episcopi auctoritate, instituit. Acta porro hujus* Fortunati, *itidem ut alterius, de quo die* II *egimus, penitus nobis incognita sunt. Adscribemus hic Romani tabellionis instrumentum, quo declarat unde et quando effossæ ejus Reliquiæ, quando Tirino donatæ.*

*ut corpore S. Fortunati,*

3 Die XXIV Novemb. MDCXXII Romæ. Fidem facio B ego Notarius publicus infrascriptus, qualiter de anno MDCVI, de mense septembris, vigore quarumdam litterarum Apostolicarum, a Paulo Papa V felicis recordationis, Excellentissimo Domino Joanni Fernandez Pacheco Marchioni Villenæ, tunc pro Regia Majestate Catholica Oratori apud eumdem Pontificem, sub datum Romæ apud S. Petrum die V septembris MDCVI concessarum; (quarum litterarum tenor fuit registratus in officio D. Fulvii Passarini tunc Notarii Illustrissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Papæ Vicarii, sub die X Septembris ejusdem anni) fuerunt extracta ex pluribus Urbis cœmeteriis, seu cryptis, nonnulla Sanctorum corpora, D prout constat ex instrumentis rogatis per D. Hieronymum Marchettum Notarium publicum, et per me infrascriptum; qui dictæ extractioni personaliter interfuimus: et nonnulla dictorum corporum et Reliquiarum dictorum Sanctorum a dicto Excellentissimo Domino Marchione fuere dono tradita variis personis piis et devotis, juxta facultatem a Pontifice prædicto in dictis litteris Apostolicis sibi concessam. Inter quæ corpora fuerunt etiam extracta infrascripta, me Notario præsente, videlicet corpus S. Fortunati, corpus S. Innocentii Subdiaconi, corpus S. Cyrini, et corpus S. Cerealis: qui pro fide Christi omnes martyrium sustulerunt. Quæ omnia supra nominata corpora fuerunt extracta ex cœmiterio S. Callisti extra Urbem: nunc autem dono data a D. Antonio Corbo, qui fuit unus ex dictis extractoribus, pervenerunt ad manus R. P. Jacobi Tyrini Societatis Jesu. Et ideo requisitus ego Notarius infrascriptus præsentem fidem feci, me subscripsi, et meo solito signo signavi.

*an. 1606 e cœmiterio S. Callisti effosso*

*per Marchionem Villenæ,*

AUCTORE I. B.

*ipsi donato an. 1622.*

Ita est. Ego Matthæus Sorcius publicus Notarius Capitolinus.

*attestante Notario publico.*

Almæ Urbis Conservatores. D. Matthæum Sorcium nostrum esse publicum fidelemque Notarium, suisque scripturis semper et ubique fidem adhiberi testamur: et ideo præsentes fieri jussimus, nostro sigillo vallatas. Datum die XXIV Novemb. MDCXXII.

Fabritius Vallatus Secret.

4 *Hæc ibi. Colimus* S. Innocentium *festo duplici, die* IX *Augusti;* S. Cyrinum XII *Junii,* S. Cerealem V *ejusdem. Omnium reliquiarum quæ in nostra hac æde asservantur, dabimus alibi catalogum.*

# DE S. CANDIDO

## MARTYRE ROMANO VOLATERRIS IN ETRURIA.

I. B.

Volaterræ *antiquissima ac nobilissima civitas, inter* XII *principes Etruriæ olim habita; ea dein fide et gratia populo Romano conjuncta, ut de ejus incolis Cicero in orat. pro domo sua ista prædicet:* Hodieque, *inquit,* Volaterrani non modo cives, sed etiam optimi cives, fruuntur nobiscum simul hac civitate. *Sed major ei urbi ad omnem posterorum memoriam gloria, quod inter primas Italicarum* C *ab ipso Apostolo Petro, priusquam Romam pertingeret, Christianæ Religionis rudimenta quædam hausisse dicitur, ac dein secundum orbi Pontificem, primum latinæ originis,* Linum *dedit. Post tot ætates, ac vicissitudines rerum, etiamnum excellit non constantia solum orthodoxæ fidei, sed sincerissimo cultu pietatis, tum sacrarum procuratione mysteriorum, tum Cælitum custodiendis ac propagandis honoribus.*

*III FEBR. Volaterrani inter Etruscos olim potentes,*

*S. Lino cive gloriantes,*

2 *Multi (dicendum est enim et grato præconio iterum ac sæpius declamandum) multi, inquam, viri eruditi, ex omni ordine omnibusque populis, multi Antistites ac Principes, postquam didicere quid de sanctorum Actis moliremur, ultro vel MSS. codices, vel prælo etiam excusos, ad nos transmisere, ne res gestas sui ordinis familiæve aut nationis ignoraremus: quibus nisi maximas debere nos gratias confiteamur, ne nos et ab Sanctorum, quos laudare conamur, humanitate longissime recedemus, et indigni quoque favore Mortalium merito judicabimur. Nulla tamen, (quod fateri sine invidia licet) nulla, inquam, urbis, vel congregatio, etiam sacrorum hominum, adhuc Volaterranorum studium vel superavit vel æquavit.*

*præ multis, qui opus nostrum de SS. juverunt,*

3 *Postquam enim consilium nostrum de Sanctorum rebus gestis undique conquirendis atque illustrandis apud eos percrebuit, confestim publico consilio decrevere, ut omnes memoriæ Sanctorum, seu civium, seu advenarum, quorum isthic essent reliquiæ, Illustrissimo Antistite* Nicolao Sacheto *assentiente, accuratissime lustrarentur. Lecti ad eam rem Primores Senatus et Capituli, quorum omnium alibi nomina exprimemus, perennibus profecto digna encomiis. Hi omnium, quæ in urbe quæque in suburbiis sunt, Ecclesiarum ac cœnobiorum, magno labore et sumptu, perlustrantes sacraria et archiva, quidquid reliquiarum ac sacrorum monumentorum reperiunt,* F *publici tabellionis opera exacte et eleganter describi curarunt, et bene longum de iis commentarium ad eruditissimum et religiosissimum Patrem* D. Cyrinum Sanctium, *Ordinis S. Benedicti, Sacræ Theologiæ in Pisana academia Professorem, miserunt ut ad nos destinaret: quod per* R. P. Leonem Sanctium *fratrem suum, Societatis nostræ Sacerdotem, traditis in Romano collegio philosophicis Theologicisque scientiis, ac libris editis celeberrimum, curatum: ut horum utrique maximas etiam gratias debeamus.*

*publica auctoritate omnibus reliquiis et sacrariis perlustratis,*

*instrumentum scriptum de iis ad nos miserunt.*

4 *Eum nos commentarium ad* V *Junii, quando* SS. Justi *Episcopi et* Clementis *Presbyteri, civitatis Protectorum, anniversaria celebritas peragitur, aut sicubi opportunius videatur, integrum dabimus, ad illustrissimæ religiosissimæque urbis sempiternam laudem. Alibi ad aliorum natales Sanctorum, quæ ad singulos proprie pertinent, breviter delibabimus.*

*suo tempore edendum:*

5 *Atque hoc quidem die* III *Non. Februarii* S. Candidum *Martyrem venerantur, cujus non ita pridem Romæ reliquias acceperunt. Existimant enim (uti de* S. Fortunato *statuisse hic Antuerpiæ Nostros retulimus) illum* Candidum *esse, cujus, ac plurium aliorum, Romæ martyrio*

*colunt 3 Febr. S. Candidum.*

A *martyrio defunctorum, extat in plurimis Martyrologiis pridie consignata memoria, quo tamen die ob solemnitatem Purificationis, constitui illi publica veneratio, Officio Ecclesiastico sacrisque exequenda, non potuit. Nunc est cur idem necne sit Candidus, pluribus disputemus. Ita in citato commentario Volaterrani, de Ecclesiæ Cathedralis reliquiis agentes:*

*cujus caput in argentea theca in Cathedrali.*

6 Ostenditur nobis (*die* XII *Decembris* MDCXLVII) S. Candidi Martyris caput, cum collo, pectore et humeris: cujus Martyrologium Romanum IV Nonas Februarii meminit; sed Ecclesia Vulterrana ejus festum III Nonas dicti mensis recolit, ob Purificationis Mariæ Virginis concurrentiam: quo die etiam solenniter per civitatem caput ejus defertur. Integrum ejus caput in argentea imagine reclusa inventum est. Hanc Sancti effigiem, e piorum largitione, P. Marcus Casarellus, probitate morum et animi devotione insignis, faciendam curavit. Illius caput e reliquo corpore ad ecclesiam Cathedralem delatum fuit a D. Augustini Eremitarum templo. Reliquum corpus in familiæ Feorum capella, in dicta D. Augustini ecclesia, custoditur.

7 *Ceteræ ejusdem sancti Martyris reliquiæ, die* XVI *Decembris* MDCXLVII *visitatæ ita memorantur in eodem* B *commentario*: Statim præsentibus antedictis, præfatus Prior (*Joannes Venturius Pisanus*) et Domini Deputati S. Catharinæ capellam petierunt; in eadem per ferream craticulam cubito uno et dimidio altam, paullo plus uno altam sub altare arcam ligneam inauratam positam esse viderunt; et a cornu epistolæ ostiolum duabus occlusum seris. Clavis una a D. Camillo Bava, uti D. Æmilii de Feis genero, servatur: quam clavem ejus nomine, quia adversa laborabat valetudine, D. Canonicus Alexander Bava detulit. Altera vero tradita est a P. Baccalaureo F. Mario Jonnellio Vulterrano, illi jam concessa, uti antiquiori e Fatribus illius conventus filiis. Inde a P. Priore et Fratribus arca cum Feorum gentilitio stemmate

*corpus apud PP. Augustinianos,*

inaurata ex dicta ara ad altare majus deportata fuit: D quæ binis, ut supra de ostiolo diximus, est reserata clavibus. In ipsa arculam plumbeam, stanno per juncturas superfuso bene munitam reperimus, quam Magister Thomas Guerrerius ad id accitus aperuit. In eadem S. Candidi ossa vidimus, excepto capite, quod (ut supra notavimus) in Cathedrali servatur ecclesia.

8 Hujus Martyris corpus, ut asseritur, simul cum duobus aliis, ab Urbano VIII Pontifice Maximo Excellentissimæ D. Isabellæ de Mendoza, uxori in secundo loco Illustrissimi et Excellentissimi D. Pauli Joardani Ursini Ducis Bracciani, donatum olim fuerat. Illa vero antiquæ servitutis intuitu, quam Ursinæ Domui prædictus D. Eques Æmilius, quondam Cosimi de Feis, Patricius Vulterranus, fidelem et diutinam præstitit, prænominatum S. Candidi corpus eidem Equiti liberalissime concessit. Quod ille in suam capellam Vulterræ, in Divi Augustini templo, deferendum curavit: hac tamen conditione, ut S. Candidi caput posset inde ad Cathedralem deportare; sicut postea anno MDCXXXIII translatum fuit. Ut vero sancti Martyris reliquias cognovimus, arca a prædicto artifice fuit plumbo superfusa liquenti: capsula et ara ipsa ambabus fuerunt occlusa clavibus, quæ deferentibus sunt restitutæ. E

*ab Urbano VIII donatum Ducissæ Bracciani,*

*ab ea Æmilio Feo Patricio Volaterrano.*

9 *Hæc ibi de S. Candido: neque de eo plura alibi reperimus; præterquam quod nomen in multis Martyrologiis celebretur, si vere unus est ex illis* XXVIII, *qui* IV *Nonas Februarii Romæ martyrio perfuncti memorantur. De ceteris Sanctis nobilissimæ civitatis alibi: in quorum tabulas confidimus interea fore ut referatur* Raphael Maffeus Volaterranus, *nobilitate generis, scriptorum copia et elegantia, sed continentia præsertim, modestia, vitæ austeritate, pietate, longe clarissimus, ac post mortem in magna apud multos habitus veneratione, corpore ad annos plures incorrupto.*

*Celebris quoque sanctitatis opinione* Raphael Volaterranus *scriptor.*

# DE S. JULIANO MARTYRE

## AUTISIODORI IN GALLIA.

J. B.

SUB FINEM III SÆC. III FEBR.

Autisiodori in Gallia coli III *Nonas Februar.* S. Julianum Martyrem *tradunt Hermannus Greven in Addit. ad Usuard. MS. Florarium, Maurolycus, Felicius, Ferrarius. Dubium* C *erat nobis, quum nihil aliud de eo proderent, num Antiochenus* Juliani, *sive Antiocheni, cujus Acta dedimus* IX *Januarii aut certe Brivatensis, de quo agemus* XXVIII *Augusti, ageretur ea die Autisiodori celebritas, aliquave reliquiarum Translatio. Certiora prompsit Saussaius, dum in supplemento Gallicani Martyrologii ad hunc diem ita scribit*: Autissiodori S. Juliani Martyris, pro fidei, quam acceperat a S. Peregrino illius urbis Apostolo ac protomartyre, animosa prædicatione trucidati. *Accepta hæc remur e Breviario Autisiodorensi, aliisve monumentis, quæ non videmus. In Vita S. Peregrini, quam* XVI *Maii dabimus,* S. Juliani *nulla mentio. Missus dicitur in Gallias S. Peregrinus ad Sixto II Papa, Valeriani et Gallieni temporibus.*

*Sancto S. Juliani M.*

*conversi a S. Peregrino Ep. M.*

*3 Christi seculo.*

# DE SANCTIS MARTYRIS SEBASTENIS,

# BLASIO EP. II PUERIS. VII MULIERIBUS.

J. B.

## Commentarius prævius.

### § I. *S. Blasii natalis.*

SUB LICINIO IMP. III FEBR. C. 316 ...

Sebastia urbs Cappadociæ *apud Ptolemæum lib.* 5 *cap.* 6 *ac Plinium lib.* 6 *cap.* 3. *inque Actis Sanctorum et vetustis Martyrologiis celebrata; Armeniæ minori a plerisque recentiorum tribuitur: quia forte alii deinde fuere, quam illorum Scriptorum ævo, constituti limites Cappadociæ, quæ, ut Plinius eodem lib. cap* 8 *ait,* plurimis superfusa populis, longissime introrsus recedebat: *in Notitia certe Ecclesiarum Græca et Latina ea Metropolis statuitur Armeniæ* I. *Ipsi adeo concilio* I *Nicæno subscripsisse dicitur* Eulogius Sebastenus, provinciæ Armeniæ minoris. *Multi eam urbem nobilitavere Martyres, sub Diocletiano præsertim, ac deinde Licinio. Ab illo missi ad excindendam penitus in Armenia et Cappadocia Christianam religionem Lysias et Agricolaus, ambo Græci genere, ambo superstitionibus idolorum mire dediti, ad hæc ingenio et eloquentia prompti, indole autem feroces: uti in SS. Eustratii, Eugenii et sociorum Actis*

*Cappadociæ urbs an Armeniæ?*

*sub Agricolao Præside.*

A *Actis memoratur* XIII *Decembr. Et hic infra ex codice Baroniano. Et Lysias quidem jussus* πάντων τῶν λιμιτανέων ἐπιτροπεύειν omnia limitanea tutari; *alter vero* τὴν τῆς ἐπαρχίας πάσης ἀρχὴν διέπειν totius præfecturæ imperium administrare: *ut ibidem dicitur.*

*AUCTORE J. B.*

*multi Martyres*

2. *Multos hi peremere Christianos, prorogato inde a Diocletiani temporibus ad Licinium usque regimine. Et sub Diocletiano quidem, Duce Lysia,* Agricolao *Præside, palmam martyrii tulere, quos diximus*, Eustratius, Eugenius, Auxentius, Orestes, Mardarius, *aliique: sub Licinio vero eodemque Præside Agricolao,* XL *Milites, de quibus* IX *Martii agemus*; Carterius, Styriacus, *et socii* II *Novembris*; *et Miraculorum patrator* Blasius *Episcopus, cujus memoriam Ecclesia Romana* III *Februarii celebrat, Græci* XI. *Et quidem* III *Februarii ista habent MS. vetus Martyrol Brugense, MSS. S. Lamberti et S. Laurentii Leodii, ac Sobiense quod est Adonis*: S. Blasii Martyris. *At MSS. S. Martini Treviris ac Tornaci, Lætiense, S. Mariæ Ultrajecti, Domus professæ Societatis Jesu Antuerpiæ*: S. Blasii Ep. et Martyris. *Rabanus, Notkerus, Beda vulgatus, ac MS. S. Maximini Treviris*: In Sebastia civitate Cappadociæ, Passio sancti Martyris Christi Blasii Episc. qui sub Agricolao Præside capite

*in his S. Blasius Ep.*

*qui colitur 3 Febr.*

B truncatus, cum duobus puerulis, filiis unius mulieris de illis septem, quæ per prædicationem ejus confortatæ, sub eodem Præside martyrizaverunt. *Usuardi vetustissimum exemplar, quod olim fuit Augustini Hunnæi*: Apud Sebasten Cappadociæ civitatem, passio S. Blasii Ep. qui multorum patrator miraculorum, sub Præside Agricolao, post diutinam cæsionem atque suspensionem in ligno, ubi pectinibus ferreis carnes ejus disruptæ sunt; post teterrimum carcerem, ac demersionem laci, unde salvus exivit; jubente præfato Judice, capite cum duobus pueris truncatur. Novissime vero septem mulieres, quæ guttas sanguinis ejus defluentes colligebant, deprehensæ quod essent Christianæ, post dira tormenta gladio percussæ sunt. *Idem habet Doctrinale Clericorum et Martyrol. Coloniense, ambo anno* 1490 *excusa; et plurima MSS. Usuardi nomine prætitulata, in quorum tamen nonnullis provinciæ nomen omittitur. Agunt de eo quoque Canisius, Maurolycus, Galesinius, Felicius, Florarium. In Romano Martyrol. passus dicitur*, Sebastæ in Armenia: *et illud recte emendatum, quod septem illæ mulieres non* novissime, *ut in Usuardo habetur, sed* ante eum *gladio percussæ dicuntur.*

C 3 *MS. Martyrol. monasterii S. Richarii, Bedæ præferens nomen*, II *Februarii ista habet*: In Sebaste decollatio S. Blasii Ep. et Mart. *Ejusdem mensis die* XI *Menol. Græc.* Natalis sancti Martyris Blasii Episcopi Sebastæ, qui Maximian. Imp. passus est *Plenius Menæa in Lectione et variis canticis. At Latina Martyrologia non pauca eum* XV *Februarii reponunt, et quædam* Blavium, *alia* Blasium *appellant. Usuardi vetus MS. quod in monasterio S. Germani Lutetiæ asservatur, ejusdem Martyrologium excusum Lubecæ an.* 1475 *MS. Domus professæ Soc. Jesu Antuerpiæ, MS. Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti, Molanus in* I *edit. eodem elogio eum celebrant, quod nu.* 2 *ex Usuardo Hunnæi retulimus. Prolixius aliquanto habent Ado et Notkerus, qui recte illud annotant*, ipso adhuc agonizante, septem mulieres beatissimas... dato pretio sanguinis, vitam meritas æternam. *MS. Florarium*: Apud Sebasten S. Blasii Ep. et M. *MS. S. Richarii*: Eodem die S. Blavii M. cum VII mulieribus et II pueris *Vetus Roman. a Rosweydo editum*: Apud Sebasten passio S. Blavii Ep. *MS. S. Martini Treviris*: Apud Sebasten Blasii Ep. qui sub Præside Agriculano in ligno suspensus, ubi pectinibus ferreis carnes ejus diruptæ sunt, tandem capite truncatur. *Refert eum quoque Canisius illo die,* D *et in spelunca delitescenti aves cibum attulisse scribit, quod ex Petro de Natal. accepisse videtur, aut veteribus Breviariis, in quibus id quoque memoratur, uti et Actis ex MS. Baronii infra.*

*a Græcis* XI *Febr.*

*alibi 15.*

## § II. *S. Blasii ætas. Acta quadruplicia.*

*Acta ejus antiqua:*

A*cta S. Blasii descripserat Rosweydus ex vetusto MS. monasterii Gladbaccensis: quæ nos cum MSS. S. Maximini et S. Martini Treviris, ac Marchianensi, et Bonini Mombritii editione, contulimus: eademque extare in MS. Ecclesiæ S. Suiberti in Cæsaris-insula didicimus a Joanne Wilmio, ejusdem Ecclesiæ Decano, viro doctissimo atque humanissimo. Eadem habuit Metaphrastes ac paullum expolivit suo more; quæ Lipomanus to.* 5 *a Gentiano Herveto Latine versa vulgavit, atque ex eo Surius: quam nos editionem, et Græcum exemplar, subinde in Annotationibus citamus.*

*alia fusiora:*

5 *Alia Acta paullo prolixiora subjiciemus e MS. Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti, quæ et Coloniæ in MS. cujusdam Carthusiæ Thuringicæ extare accepimus, et quondam ex alio veteri codice nobis obtulit vir nobilis Stephanus Schenckingius, Canonicus Osnabrugensis, prudentia et litteris eximius, magno bonorum omnium dolore ante annos aliquot vita functus. Ex iis* E *Actis desumptæ sunt quæ in Breviario Mindensi an.* 1515 *edito habentur Lectiones.*

*item alia,*

6 *Alia ex insigni MS. Passionali monasterii Bodecensis Canonicorum regular. in diœcesi Paderbornensi, nobis communicavit Joannes Gamansius noster. Profitetur Auctor in Prologo,* B. Blasii passionem, jam ante quidem stylo memoriæ traditam, sed minus idonee, *se*, devotum laudatorem, *sibi* vindicasse explicandam: et non ex protervia, sed ex debito laudem hanc quantulamcumque tali Patrono obtulisse, quippe qui de ipsis faucibus mortis erutus vitæ vigeret restitutus. *Hic porro scriptor alia illa Acta, quæ secundo loco damus, non vidit, ut perspiciet qui caput tertium utrorumque contulerit. Non temere fortassis conjiciet quispiam, hæc Acta esse quæ conscripsisse dicitur Reginoldus* XI *Aistettensis Episcopus.*

*ab auctore per eum sanato,*

*forte Reginoldo Ep. Aistett.*

7 *Diversa ab his sunt Acta quæ ita citat Baronius in Notis ad Martyrol Rom. hoc die*: Habemus eorumdem Latina exemplaria pervetusta, quæ in quibusdam Ecclesiis legi consueverunt. *Ea ad nos Roma allata, hic quoque vulganda censuimus, non sola phrasi a tribus prioribus discrepantia. Ex iis sumptæ sunt Lectiones, quas Michael Monachus in Sanctuario Capuano pag.* 458 *in Officio hujus diei, quod ritu duplici Capuæ* F *peragitur, recitari scribit, hoc exordio*: Beatissimus Blasius Sebastes civitatis Cappadociæ Episcopus, pœnales expavescens inflictus. *Recte vero animadvertit*, sine dubio accepta hæc ex aliquo textu longiori antiquo. *Recitat quoque compendium Actorum S. Blasii Vincentius Bellovacensis in Speculo lib.* 12 *cap.* 45 *et* 46. *S. Antoninus par.* I. *tit.* 8 *cap.* I § 10. *Petrus de Natal. lib.* 3 *cap.* 75 *et* 76 *ac plerique recentiorum. Peculiarem de* S. Blasio *libellum Italice edidit an.* 1635 *Camillus Tutinus Neapolitanus, qui Acta Baroniana et forte Petrum Equilinum secutus. Citat is cap.* 12 *aliam Vitam quam non vidimus, scriptam ab Andrea Matthæo Monacho, Canonico Ecclesiæ Ebolitanæ.*

*alia e MS. Baronii*

*alia edita*

8 *In tempore martyrii S. Blasii assignando non omnes consentiunt. Constantius Felicius sub* Diocletiano an. Christi CCLXXXVII *coronatum*, licet alii ad Juliani Apostatæ tempora *referant, inquit. Eumdem annum* CCLXXXVII *statuit Florarii auctor. Canisius, et Acta a Monacho citata,* CCLXXXVIII. *Galesinius, et quæ e Baronii codice damus Acta,* sub Diocletiano *occisum videntur asserere. Menologium Græcorum* sub Maximiano, *Galerio, opinor, is enim Orientem post Diocletianum obtinuit. At Menæa, Acta secunda ac tertia,*

*Quo tempore martyrium subierit?*

A *tertia, Gobelinus in Cosmodr. æt. 6 cap.* 15 *Baronius in Annal. to.* 3 *ad an.* 316 *nu.* 45 sub Licinio.

AUCTORE J. B.

*sub Dioclet. delitescit :*

9 *Rexit quidem Sebastenam Ecclesiam S. Blasius tempore Diocletiani, cum S. Eustratius martyrum fecit. In ejus Actis* XIII *Decembr. ita habetur :* Episcopus autem civitatis Sebastenorum eo tempore latebat propter persecutionem, qui noctu venit ad eum, et datis custodibus pecuniis ingressus est ad S. Eustratium : audiverat enim de magna ejus sapientia, et quod Præsidem cum diis suis pudore affecerat. Et cum fuisset intra custodiam, pronus cecidit in faciem, et Sanctum adoravit, dicens : Beatus es, fili Eustrati, quod Dominus Deus tantam tibi dederit virtutem; memento autem mei quoque, te rogo. Respondit vero S. Eustratius : Ne sic facias, Pater spiritualis : sed ad eam, quæ est tibi data, dignitatem adspiciens, expecta hoc a nobis implendum tibi debitum. Cum ii ergo sedissent, dixit Eustratius *etc. commendat ei testamentum suum. Episcopus sacrificium offert præbetque Martyri Eucharistiam.* Tota ergo illa nocte mansit Episcopus apud S. Eustratium, eum audiens, et voluptatem capiens ex sermone Martyris. Cum mane autem factum esset, recessit, jubens eum valere, et promittens se nihil præteriturum eorum quæ in suo testamento statuerat.

*S. Eustratium in carcere visit,*

*eique Eucharistiam præbet,*

B

*ejus testamentum curat,*

10 *Narrata deinde Eustratii morte, addit :* Sanctissimus vero Episcopus Blasius, cum Sancti accepisset reliquias, easque cum S. Orestis reliquiis composuisset, ea implevit, quæ mandata fuerant in testamento S. Eustratii. *Non exprimitur* Blasii *nomen in Græco exemplari, quod habemus, Actorum S. Eustratii. Habuit id Lipomani codex : et consentiunt Menæa, quæ* XIII *Decemb. de S. Eustratio ista habent :* libellum sui testamenti τὸν τόμον τῆς διατάξεως αὐτοῦ S. Blasio Episcopo in carcere tradidit, a quo et immaculata mysteria percepit. *In elogio vero ipsius S. Blasii* XI *Februarii :* Hic fuisse dicitur, qui testamentum magni Martyris Eustratii, post mortem ejus, procuravit : ut in perantiqua tela inventus est depictus S. Blasius, medius stans inter quinque Martyres, proximus S. Eustratio, atque ex ejus manu volumen testamenti (τὸν τόμον τῆς διατάξεως) accipiens.

*ut patet e veteri pictura :*

11 *Si eodem anno, quo S. Blasius, certamen consummarunt* XL *milites die* IX *Martii, ut vult Baronius, oportet statim ab ejus excessu electum esse successorem. Nam cum eorum reliquiæ essent in profluentem abjectæ, post dies aliquot ab ipsismet revelatæ sunt* Episcopo civitatis illius ; *cujus tamen nomen non indicant Acta Latina, at Metaphrastes diserte :* sed tertio post die civitatis Episcopo Petro per visum Martyres aperuerunt, quo in loco reliquiæ servarentur. *Hic vero* Petrus *non diu eam Sedem tenuit, nam uti supra diximus,* Eulogius (*aliis* Eulalius) Sebastenus Armeniæ minoris Episcopus *Concilio Nicæno* I *an.* CCCXXV *subscripsit.*

*ejus successor Petrus,* XL *Martyres sepelit.*

C

## § III. *S. Blasii celebritas. Templa.*

Magnis *populorum studiis suscepta erga S. Blasium religio, ea potissimum caussa, quod puerorum atque animalium morbis præsentaneum sit ab ejus patrocinio remedium : nam horum sensus plebis animos (et sunt hi fere ad pietatem promores) præcipue afficit. Longum esset recensere, qua eum celebritate Ecclesiæ plurimæ venerentur. Raguzæ in Dalmatia ut primarius ejus Reip. Patronus, solenniter colitur festivitate ad quadriduum prorogata : ejusque effigies in omni illius Reip. moneta exprimi dicitur. Beneventani in Italia, uti Marius Vipera testatur, eum inter urbis suæ Tutelares adscivere, festumque ejus* ex præcepto Ecclesiæ servari *solet. Idem Mindæ ad Visurgim factum olim, idem*

*S. Blasii festum alibi solenne in populo,*

*Lubecæ, patet ex earum Ecclesiarum Breviariis, hujus anno* 1513, *illius* 1515 *editis.* D

13 *Græci eum amplissimi officii cæremonia honorant : Romana Ecclesia officio* 3 *Lectionum. Sequuntur Latinæ omnes, nisi si quæ majus aliquid sibi præscripsere; ut Capuana, quæ* duplex *Officium recitat, Monacho teste et Spoletina : diœcesis Neapolitana, et Canonici regulares S. Salvatoris,* semiduplex, Semiduplici *quoque ritu celebratur in diœcesibus Salmanticensi, Pampelonensi, Conimbricensi ;* duplici *in Palentina Segoviensi, Vallisoletana, Compostellana, Eborensi; inque Ecclesia Cathedrali Seguntina, ac civitate Asturicensi.* Semiduplex *illi officium sive* IX Lectionum, *decernunt Breviaria Sagiense, Ebroicense, Constantiense in Normannia, Andegavense, Virdunense, Lemonicense, monasterii S. Victoris Massiliæ,* duplex *Noviomense, Regiense, et modernum Parisiense. Neque Gallorum pietati Belgæ cedunt :* IX Lectionum *officium præscribitur in Brugensi Breviario an.* 1520 *excuso, Morinensi an.* 1541, *proprio Atrebatensi an.* 1632 Duplex *in Audomarensi an.* 1518, *Antuerpiensi* 1496, *Ultrajectensi* 1518. *Nunc Ultrajecti* 3 Lectionum *est, Antuerpiæ* semiduplex, duplex *Tornaci. Addamus et Germanica. Monasteriense an.* 1489 *statuit ut* VI Lectiones *recitentur, uti et Constantiense an.* 1561 : *ast an.* 1575 IX Lectiones, *uti et Raceburgense, Wormaciense an.* 1576, *Hildeshemiense an.* 1516. *Passaviense antiquum ac novum, Erbipolense item antiquum ac novum, Viennense, Augustanum, Olomucense. In Erfordiensi an.* 1518 duplex *erat. De Mindensi ac Lubecensi ante diximus. Non omnium Ecclesiarum suppetunt nobis Breviaria; nec quæ habemus, percurrimus universa, sed quæ ad manum erant. Satis idoneum id documentum est publicæ in Divum hanc pietatis.*

*alibi duplex aut semiduplex, in Italia, Hispania,*

*Gallia,*

*Belgio,*

*Germania :*

E

14 *Quid templa dicemus, ejus nomini dicata? Ut omittamus quod in ipso martyrii loco Sebasteni posuere, quæque alia post in Asia condita sunt; de templo ejus Constantinopoli ædificato ita habent Menæa :* τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῷ ἁγιωτάτῳ αὐτοῦ μαρτυρίῳ τῷ ὄντι πλησίον τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Φιλίππου ἐν τοῖς Μιλτιάδου Celebratur ejus festivitas in sanctissimo ejus templo, quod est juxta templum sancti Apostoli Philippi in Miltiadis *vico, vel regione, aut forte ædibus. In sola urbe Roma quinque consecratas illi ecclesias enumerat Octavius Pancirolus. Duæ olim Beneventi fuere, Mario Vipera teste; una parochialis intra muros, sed vetustate consumpta, foris altera. Habet Capuæ sacellum sibi dedicatum, plures in diœcesi Ecclesias liquit, uti ex antiquis monumentis Monachus probat. Canonici regulares Congregationis S. Salvatoris Ord. S. Augustini, in Officiis propriis aiunt se Ecclesias parochiales ei sacras habere. Plures extare in reliquo regno Neapolitano ait Camillus Tutinus : duas recenset, unam Marateæ, Aversæ alteram; et hanc ait a Principibus Normannis sub ipsa urbis incunabula fundatam, datamque sanctimonialibus instituti Benedictini, quæ eam etiamnum tenent.*

*templa ei dicata, Constantinopoli,*

*Romæ,*

*Beneventi,*

F

*alibi in regno Neapolit.*

15 *Neapoli duo ei dicata sacella fuisse scribunt Cæsar Eugenius Caraciolus, atque idem Tutinus, qui alterum ait vulgo* S. Jasi *sive* Jassi *nuncupatum : sed qua de re a centum prope annis agitata consilia erant, nuper (cum pestilens angina quæ per universum regnum grassata, magnam quoque in ipsa urbe, tenerioris primum ætatis, mox et adultorum, stragem ediderat, omnem superans medicorum industriam, quos corripuisset secundo aut summum tertio die enecans, conversa ad efflagitandam S. Blasii opem civitate, imminui primum, mox et remedia admittere cœpisset, ac demum omnino resedisset) novi templi, sane magnifici, insigni liberalitate impensas præstante populo, jacta a Cardinale Boncompagno, Archiepiscopo Neapolitano, esse fundamenta : ac primo in ea misso lapidi hæc incisa fuisse :*

*Neapoli, ob depulsum anginæ epidemiam,*

*novum inchoatum,*

JESVS

A

*anno 1632*

IESVS CHRISTVS LAPIS ANGVLARIS.
DIVO BLASIO EPISCOPO ET MARTYRI,
VRBANO VIII PONTIFICE MAX.
PHILIPPO IV REGE,
EMANVELE FONSECA PROREGE,
ANNO SALVTIS MDCXXXII
DIE XIX MENSIS APRILIS.

*jaciente primum lapidem Cardin. Boncompagno.*

in altero ejus latere:

FRANCISCVS CARDINALIS BONCOMPAGNVS
ARCHIEPISCOPVS NEAPOLITANVS
PRIMVM LAPIDEM IECIT.

*In eo vero lapide capsellam plumbeam positam ait, in qua tria condita erant numismata, quorum facies una* S. Blasii *effigie, altera Cardinalis gentilitiis tesseris erat insignita. Additum e plumbo volumen, intraque illud hæc in papyro scripta:*

D. O. M.

Divo Blasio Episcopo et Martyri Templum dicatum, Francisco Fontana, Joanne Antonio Constantino I. V. D. Jacobo Antonio Sanio I. V. D. Francisco Nola Art. et Medic. Doctore, Oeconomis.

*Recenset deinde Tutinus, quæ fidelissimi populi publico nomine, quæ Principum quorumdam privata liberalitate, collata sit ad opus inchoandum summa.*

16 *Antiquissima Erfurti in Thuringia* S. Blasii *ecclesia fuit, ut ex Lamberti Schafnaburgensis Continuatore colligere est: is enim sub finem ita scribit:* Anno DCCVII Dagobertus Rex Christianissimus construxit monasterium in Erffort in monte... et destructo castro, monasterium S. Petri ædificavit, rogatu Adeodati, vel Trutmanni, inclusi, (qui quidem tempore ejusdem Regis secus ecclesiam S. Blasii, quæ sita fuit juxta prædictam urbem, a Kygiberto Maguntino Episcopo fuit inclusus) et omnia quæ habuit in Thuringia a materna hæreditate, S. Petro Fratribusque ibidem Deo servientibus tradidit. *Eadem habet ipse Schafnaburgensis ad an.* 706. *nisi quod ecclesiæ S. Blasii non meminit, nec Episcopum, a quo inclusus fuit Trutmannus, nominat. Neque quidquam est quod non congruat, præter annum, nam Childebertus* Dagoberti II *parens tunc regnabat, qui anno* DCCXI *decessit. Ejus uxor, Dagoberti mater, quæ aut cujas fuerit ignorari fatentur Sammarthani: hinc habemus, eam possessiones in Thuringia habuisse et fortassis inde ortam.* Richbertus, *sive* Righertus, *aut* Sigebertus, *qui hic* Kigibertus, *Moguntinam Cathedram circa ea tempora tenuit, ut ex Serario nostro patet.*

B

*antiquissimum Erfurti.*

NOT. 24

17 *Nobile extat etiamnum in Germania, dicatum* S. Blasio *monasterium, cujus auspicia ab ipsa prope Divi ætate accersit Henricus Pantaleon Medicus Basileensis, qui 3 par. Prosopographiæ illustrium virorum Germaniæ, ubi de Gasparo Moltore agit hujus cœnobii Abbate, ita scribit:* Situm est illud in Hercinia silva, milliare unum ab oppido Waldshut. In eo loco statim post Diocletiani tempora, anno circiter CCC, Christiani quidam fuga elapsi convenerunt, et anachoritarum vitam agentes, Deum laudibus celebrarunt. Hisce cum S. Blasius Cappadociæ Præsul, et sub Licinio Cæsare anno CCCXII Martyr, apparuisse visus esset, atque admonuisset, ut constanter pergerent, et mundi minas contemnerent: ejus monita admiserunt, et eum Patronum agnoscentes, suam habitationem ab eo denominarunt. Hoc modo plus minus sexingentos per annos summa humilitate et manuum labore vixerunt, ac Benedictinorum ordinem professi, Priorem elegerunt, cujus auspiciis religionem iis in locis longe lateque propagarunt. Cum autem postea, Ottone I Cæsare existente, anno Domini DCCCCXLV Reginbertus, Baro in Seldenburen juxta Tigurinorum ditionem, Cæsari gratissimus et Consiliariorum primus, in prælio quodam contra Ungaros circa Augustam Vindelicorum manum amisisset, atque ad hujusmodi conflictus posthac minus utilis esset, totum sese Deo et religioni tradere statuit. Itaque S. Blasii monasterium accessit, atque omnibus bonis cum fratre Conrado divisis, suam partem, Cæsaris voluntate, Fratribus dono dedit, et eorum habitum suscepit, cum iis etiam per annos XIX magna sanctitatis opinione vixit. Sic factum ut multarum opum accessione ex Prioratu Abbatia facta, atque Beringus, vir pius et doctus, Reginberti voluntate, primus Abbas constitutus fuerit.

*Monasterium S. Blasii in Germania,*

C

*eo apparente cœptum,*

D

AUCTORE J. B.

*dotatum et in abbatiam erectum:*

18 *Hæc Pantaleon. Munsterus quoque lib. 3 Cosmogr. fundatum a Reginberto monasterium scribit, cum prius isthic Eremitæ habitassent. Verum an inde a Diocletiani temporibus coluisse eum locum anachoritas verisimile sit, disquirant alii. Potuerunt seculo octavo aut nono pii homines, sive ex aliquo ejus tractus monasterio profecti, sive immediate vitam secularem solitaria mutantes, S. Blasium, quem audissent simili ratione aliquando vixisse, sibi Patronum adoptare, ejusque dein apparitione atque adhortatione ad constantiam animari. Suspicati sumus aliquando, quod in Vita S. Findani Rhinoviensis XV Novembris dicitur (et infra § 5 nu.* 40 *referemus) S. Blasii reliquias e Rhinoviensi cœnobio in vicinum saltum fuisse deportatas; Cellam S. Blasii indicari, quæ in celebre monasterium postea evasit, situm in diœcesi Constantiensi, ad fluvium* Albini, *sive* Albam, *qui aliquot milliaribus supra Basileam miscetur Rheno ex Germanico sive dextro latere.*

*ubi situm?*

E

19 *Quis jam sacella altariaque enumeret S. Blasio dicata, in variis Germaniæ ac Belgii urbibus? Est hic Antverpiæ gerontocomium cum sacello* S. Blasii, *e regione cœnobii Beginarum, via Rubea, ut appellatur. Meminit illius Carolus Scribanius in Origin. Antverp. cap. 13 ubi hospitalia et pauperum receptacula enumerat. Stetit olim vico Clapdorpio: huc translatum an.* MDXLV. *Aluntur isthic vetulæ* XV *cum ancilla. Vidimus diploma Romæ datum an.* MCCCCLXXV, *quo Cardinales,* Philippus Portuen. Ep. Bartholomæus tit. S. Clementis, Oliverius tt. S. Eusebii, Marcus tt. S. Marci, Baptista tt. S. Anastasiæ, Ausias tt. S. Vitalis, Stephanus tt. S. Adriani, Antonius tt. S. Joannis Baptistæ et S. Balbinæ, Presbyteri, et Theodorus tt. Theodori Diaconus, *certis diebus indulgentias centum dierum conferunt visitantibus altare SS. Ægidii et Mariæ Magdalenæ,* in capella Infirmariæ op. Clapdor. *Testatur Scribanius* Infirmariæ *nomen loco fuisse. Nunc* S. Blasii *dicitur, ob Divi repositas isthic reliquias, ut reor; de his infra.*

*Sacellum Antverpiæ.*

## § IV. *S. Blasii reliquiæ.*

*Quod in Actis evenit sæpenumero Sanctorum eorum, qui eodem appellantur nomine, ut qui præcipuam habet sanctimoniæ famam, ejus res gestæ ceteris adscribuntur ab imperitis; in Reliquiis contrarium plerumque contingit, ut quæ multorum sunt, ea primario ejus nominis tribuantur: atque illorum etiam, quibus, (quod ignorabantur nomina, et remissior cultus ignotorum est) clari alicujus Sancti appellationem imposuere Antistes, non fraudis consciscendæ ergo, sed luculentioris provocandæ venerationis: nam hæc ipsa pignora progressu temporis, omnia ejus esse creduntur, cujus adoptatum nomen fuit. Ea caussa esse videtur, cur Sancti unius tam multiplices dicantur variis locis reliquiæ reperiri, ac nominatim* Blasii. *Duo in Martyrologio Romano* Blasii *referuntur, noster hic Sebastiæ coronatus, alter Verulis in Latio* XXIX *Novembris: tertium addunt Græci Cæsareensem hoc ipso die III Februarii: quartum Hispani, de quo supra. Plures etiam fortassis fuere. Sane innumeræ prope Ecclesiæ per Europam Blasianis exuviis gloriantur. Quasdam recensebimus, e pauculis auctoribus. Neque enim quas secernere non possumus, indagare sollicite omnes oportuit.*

F

*plurimæ S. Blasii reliquiæ extant, nec unius:*

21 *Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis*

AUCTORE J. B. Romæ, Caput,

A almæ urbis Romæ, has isthic asservari ait: Os gutturis in Vaticana S. Petri æde; dentem in S. Praxedis, regione 2, sive Montium; partem brachii in S. Mariæ Lauretanæ, eadem Urbis regione; partem scapulæ in sanctorum Apostolorum, itemque in Sanctæ Crucis in Jerusalem dicta; partem tibiæ in templo Jesu, sive Domus professæ Societatis. Michael Monachus pignus sancti brachii ejus in Cathedrali Capuana extare testatur. In Brundusina Metropolitana illius reliquiæ ejusdem aliquæ sunt, ut ex officiis Ecclesiæ an. 1583 Romæ excusis patet. Camillus Tutinus magnam partem corporis custodiri ait Muratææ oppido regni Neapolitani, indeque liquorum manare qui cratere argenteo exceptus piis hominibus impertitur, multarum inde ægritudinum medela.

Muratæ, ubi salutaris liquor emanat;

22 Idem scribit, partem capitis extare Neapoli in monasterio S. Ligorii, sive S. Gregorii Armeni, statuæ argenteæ inclusam; in ipsius quoque S. Blasii ecclesia, e regione jam memorati monasterii, alias ejusdem reliquias intra brachium argenteum. In Catalogo Sanctorum, quorum anno MDCXIX Decius Cardinalis Carafa, Archiepiscopus Neapolitanus, per totam diœcesim celebrari officio Ecclesiastico memoriam jussit, dicitur, die tertio Februarii ad ambas has ecclesias magnus fieri concursus populorum, ut beatum Martyrem et B sacras ejus reliquias venerentur. Idem Camillus, Neapoli in ecclesia S. Martini Episcopi, quæ est Carthusianorum, extare ait magnam brachii partem ab Joanna I Regina donatam: os gutturis et dentem in S. Eligii Ep. æde: Baroli scapulam. Barii, et (cujus rum ante scripsimus primarium Patronum haberi) Ragusæ, reliquias aliquas. Eboli, Principatus citerioris oppidum, eis Silarum amnem, in parochiali S. Eustachii ecclesia, in vase crystallino digitum S. Blasii servari, ejusdemque in quadam ampulla adipem, utrumque perenni miraculo illustratum, quale de S. Januarii capite ac sanguine narratur. Nam si coram digito ampulla illa collocetur, adeps continuo liquescit, coagulatur simul atque sejuncta sunt. Multis usque recentibus et certis experimentis testatum prodigium.

Neapoli, alibi in eo regno, Ragusæ, Eboli, ubi perpetuum miraculum,

23 Orbetellum Hispani Regis in Etruria oppidum est, nuper a Gallorum obsid one nobilitatum ad posteros: isthic in ecclesia majore caput S. Blasii servari, mento excepto, Tutinus tradit, magnaque coli pietate: repertum id fuisse in Ansedoniæ urbis ruinis, quam veterum Cosam fuisse eruditi censent, non uno excidio deletam. Distat id oppidum Orbetello quinque millibus passuum, in excelsa valle situm, prope Portum Herculis. Isthic S. Blasio dedicata ecclesia est. Scribit Tutinus celebrari C Orbetelli Inventionis memoriam XII Maii, ac postridie oppidanos frequentes excurrere Ansedoniam, quam ipse Lancedoniam vocat. Sacratum hoc pignus Franci quidam, ut idem auctor est, præpostera religione subduxere, inque navim intulere, asportaturi in patriam. Expedicaverant intempesta nocte vela, cumque longum jam iter confecisse sibi viderentur, ubi illuxit, in sinu Orbetellano, ad portum S. Stephani, hærere se animadvertunt: neque prius solvere inde potuerunt, quam reliquias restituissent Orbetellensibus, tum demum in secunda aspirante vento felicem cursum tenuere. Easdem reliquias postea subripuere Senenses, et in quadam urbis suæ ecclesia solenni pompa deposuere, additis custodibus: at postridie repertæ sunt Orbetelli in sacello majoris ecclesiæ, unde fuerant sublatæ, magna populi utriusque admiratione. Innumera isthic, S. Blasii patrocinio, fiunt miracula. Ideo ubi usque Roma, totaque ex Etruria, illuc plurimi confluunt et mense Maio ad Inventionis celebritatem, et in Februario ad diem ejus natalem. Volaterris quoque in eadem Etruria (de cujus pietate et humanitate civitatis supra hoc ipso die, cum de S. Candido ageremus, diximus) asservat Ecclesia Cathedralis reliquiarum S. Blasii particulam, in hierotheca, cui figura Ascensionis insculpta. Addendum et illud, priusquam ex Italia excedamus, brachium S. Blasii Mediolani in Monasterio S. Mariæ de Pace, Ordinis Minorum asservari, uti scribit Gonzaga 2 part. provin. Mediol. Conv. 2.

Orbetelli, in ruinis Ansedoniæ, sublatæ a Francis, et arcana restitutæ, dein a Senensibus, sed divinitus relatæ. Volaterris,

D Mediolani. NOT. 25

24 Neque expers cœlestis hujus thesauri Hispania est. Nam in Officiis propriis diœcesis Compostellanæ, an. 1596 editis, dicitur S. Blasii festum III Febr. officio duplici peragi, ex consuetudine antiqua Ecclesiæ Compostellanæ, quia habetur ejus brachium in monasterio S. Mariæ de Sar. Placentiæ quoque urbe Episcopali Extremaduræ provinciæ, sub Archiep. Compostellano, aliquæ sunt S. Blasii Ep. M. Reliquiæ, uti scribit Joannes Tamayus Salazar, qui et proprio officio coli tradit, cujus Orationem et Introitum recitat. Ulyssippone etiam aliquæ sunt ejus reliquiæ, quas Domui professæ Societatis Jesu ad S. Rochum donavit Joannes Borgia: quarum Translationem, an. MDLXXXVII factam, descripsisse Manuelem de Campos retulimus XXV Januarii et alibi. In Sicilia etiam sunt aliquæ. Ita Octavius Cajetanus noster in Idea operis de SS. Siculis, ad III Febr. Panhormi, in æde maxima Translatio Reliquiarum S. Blasii Ep. et Mart.

Compostellæ, Ulyssippone, NOT. 26 in Sicilia,

25 Gallia quoque partem earum habet, præclaram et certam. Testatur Saussaius in supplemento Martyrol. Gallicani hoc die: In Montepesulano, inquit, Narbonensis Galliæ Episcopali civitate, susceptio venerandi capitis S. Blasii Ep. et Mart. hac die Sebastæ in Armenia inclyto agone triumphantis: quod Urbanus V Papa, Ecclesiæ S. Benedicti ibidem fundator, in ea honorifice servandum hodie collocavit, ingenti cum pii in eumdem Christi Martyrem affectus significatione. Cujus ut venerationem ampliaret, Mimatensi Gabalorum Ecclesiæ, cujus alumnus erat, alias ejusdem sancti athletæ reliquias religioso munere contulit. Meloduni quoque aliquas custodiri idem Saussaius scribit ad III Februarii: Meloduni ad Sequanam, veneratio reliquiarum S. Blasii Ep. et Mart. qui hodie inclyto certamine Sebastæ in Armenia triumphavit: unde a Francis Christi bellatoribus in Gallias advecta aliquot ejus pretiosa pignora, illic in cœnobio S. Petri, perpetua veneratione observanda reposita sunt. Idem Saussaius ad XXII Septembris scribit, Dominica post festum S. Matthæi factam miraculosam inventionem reliquiarum SS. Gregorii Papæ, Aspasii et Blasii Epp. Mariæ Magdalenæ, Agnetis V. M. quæ in S. Petri cœnobio repositæ fuerunt.

Montepesulano in Gallia, E Mimate, Meloduni,

26 Nunc in Belgium descendamus. Neque mirari quisdam debet tot pignora hic esse Orientalium Sanctorum. Nam quo tempore Palæstinam Belgæ, Francique tenuere, quidquid rarum rerum, post vastatas a Saracenis toties tot jam annis provincias illas, reliquum fuit, huc certatim deportatum est. Quæ vero ex toto Oriente Constantinopolim velut in asylum devecta erant, ubi illud imperium occupavere Flandriæ Comites, et ipsi ad suæ ditionis ornandas urbes, honorandos amicos, huc transmisere: nonnulla etiam fortassis Præsulibus data, ad auxilia pecuniaria in bellum impetranda: multa alii vel detulerant reduces ipsi in patriam, vel suis inde miserunt. Certe S. Blasii, de quo agimus, plurimæ hic sunt, ut satis pleræque exiles, reliquiæ. Prima provinciarum Brabantia, hoc compluribus gaudet præsidio. Nam Antverpiæ in ea, quod § superiore diximus, sacello, via Rubea sito, intra capsam argenteam pars est, ut videtur, tibiæ, digiti fere longitudine, aliaque frusta minutiora: cujus dono, non liquet. Multi isthic anathemata Deo appendunt, ad depulsæ ægritudinis, alteriusve accepti beneficii testimonium. Inter reliquias Domus professæ Societatis Jesu dens est S. Blasii, et aliæ partes in pulverem redactæ. Diligemii, Ord. Præmonstratensis celebri cœnobio haud procul Bruxella, brachium ejusdem a Margareta uxore Joannis II Ducis Brabantiæ; Eduardi I Angliæ Regis filia, (cujus opus esse ferunt amplissimam aulam Furensem) ante trecentos fere et quinquaginta annos

in Belgio multæ, F, unde allatæ? Antverpiæ, ANIMADVERSIO 32

A annos donatum, servatur etiamnum, plurimis nobilitatum miraculis, uti præter alios testatur Augustinus Wichmanus Brabantiæ Marianæ lib. 3 cap. 38. Parci, ejusdem Ordinis monasterio juxta Lovanium, nonnullæ quoque extant ejusdem Sancti Reliquiæ. Os quoddam Mechliniæ in tirocinio Societatis Jesu, in hierotheca ad formam pyramidis efformata, et multis aliis reliquiis Sanctorum ornata. In eadem urbe parochialis et collegiatæ Ecclesiæ secundarius Patronus est S. Blasius, et solenni officio celebratur ad dies octo : quo tempore ingens undique affluit hominum multitudo, Sancti reliquias veneratura, os videlicet brachii quod Angelus sustinet ex argento fusus. Eæ reliquiæ in veteri templo, priusquam ea ædificaretur quæ nunc visitur illustris basilica, asservatæ fuerunt : unde allatæ, non constat, monumentis deperditis. Addita est loco, ubi nunc custodiuntur, inscriptio : Reliquiæ religiosissimi Antistitis et invictissimi Martyris Blasii, hujus loci Patroni, et ibidem frequentibus miraculis celeberrimi. Ea miracula præcipue in sanandis tumoribus, et gutturis doloribus cernuntur. In eam rem aqua benedicitur, intinctis Sancti Reliquiis. Est ibidem ad ejusdem promovendam venerationem institutum sodalitium, Indulgentiis peccatorum a Pontifice Max. honoratum ; cui facile ter mille nomina dederunt. Hinc aliquæ translatæ in Flandriam,

Mechliniæ,

B ut infra num. 30 dicemus, Reliquiæ.

27 Luxemburgi in Munsteriensi Ordinis Benedictini cœnobio, quod olim extra urbis muros erat, dens est unus S. Blasii. Religiosissimi ascetæ Lætienses, inter plurimas Divorum reliquias, quas elegantissime ornatas custodiunt, dentem quoque possident, ac costam, osque aliud satis spectabile : partem ossis Canonicæ Malbodienses. Summa pars capitis, ferreis pectinibus lacerata ostenditur in S. Dionysii cœnobio Ord. Benedictini juxta Montes Hannoniæ : Dens in Crispiniensi ejusdem instituti cœnobio, duarum horarum itinere Valentinianis distante, Viconiæ cœnobio elegantissimo Ordinis Præmonstratensis, reliquiæ aliquæ, capsa argentea conditæ ; itemque annulus aureus : magnique eo fiunt concursus ; ac patrari ibidem miracula dicuntur. Raulecurtæ pago ejusdem tractus, vulgo Roucourt dicto sitoque inter Athum, Tornacum ac Valentianas, reliquiæ S. Blasii visuntur intra argenteam lipsanothecam. Marchianis Ord. Benedictini cœnobio ad Scarpam flumen, aliquæ sunt a priore Contuariensi an. MCCXXXIV eo missæ. Haud procul Marchianis Aquiscinctum est, ejusdem instituti monasterium, ubi et hujus Divi pignus aliquod. Maxillæ particula Cameraci, in sancti Sepulchri monasterio : Blangiaci, Ord. Benedictini cœnobio in Artesia, os gut-

Luxemburgi, Lætiis, alibi in Hannonia,

Artesia,

C turis : in antiquissimo cœnobio S. Bertini Audomaropoli, costa una, ac duo dentes.

28 Duaci Flandriæ urbe, in insigni collegiata ecclesia S. Amati asservatur mandibula inferior S. Blasii Ep. M. argentea capiti inclusa, cum infula ærea deaurata, et aliæ ejusdem reliquiæ, cum aliis plurimis in uno feretro reconditæ Kalendis April. an. MCCXXV. At S. Petri collegiata ecclesia in eadem urbe, inter alias plurimas reliquias, habet costæ unius S. Blasii partem magnam. Tornaci in ecclesia Cathedrali est os notabile S. Blasii. Ibidem in monasterio S. Nicolai de Pratis Canonicorum Regularium, reliquiæ ejusdem Divi aliquæ. Gerardimonte, Flandriæ oppido, in Adriani Benedictino cœnobio mentum : Burburgi in nobilium Virginum Benedictini instituti ecclesia reliquiæ ejusdem aliquæ : aliquæ Gandavi apud Prædicatores : cochlear in parthenone Doorsselensi Ord. Cisterc. in eadem urbe : pars brachii Brugis in collegiata S. Mariæ Ecclesia : atque hanc Constantinopoli cum aliis reliquiis a Waltero Præposito an. MCCXXX missam fuisse, liquet ex ipsius Walteri diplomate.

Flandria,

29 Hæc fere ex Arnoldi Raissii, Canonici Duacensis, Hierogazophylacio Belgico accepimus, qui tamen neque omnia lustrare loca, cum Belgium bello arderet, neque a remotioribus accurate descripta impetrare potuit. Ultrajecti certe, præter eas reliquias, quas ipse ex Wilhelmi Hedæ historia refert a S. Bernulpho XX Ep. in S. Joannis ecclesia depositas, a Frederico Badensi, LVI Episcopo, repertas ; aliquas fuisse quoque in Cathedrali S. Martini nobis constat : at quid iis aliisque factum fuerit, postquam avita inde proscripta sunt sacra haud scimus.

D

AUCTORE I. B.

Item Ultrajecti,

30 Cruydbeca pagus est Wasiæ, duarum ab Antuerpia horarum spatio, ad læram Scaldis ripam. Isthic reliquiæ sunt aliquæ S. Blasii, ab ecclesia S. Mariæ Mechliniæ acceptæ. Agitur solenniter dies Translationis Dominica 2 mensis Maii, magnamque ab accolis habet venerationem. Obtenta in eum diem a Romano Pontif. Indulgentia plenaria. Sunt et Beveræ in eadem Wasia aliquæ, et hæ Mechlinia quoque obtentæ.

31 Sunt Coloniæ Agrippinæ et aliorum Sanctorum fere innumerabiles reliquiæ, ac nominatim S. Blasii istæ, ut Ægidius Gelenius in libris de magnitudine Coloniæ recenset : Brachium in ecclesia parochiali S. Jacobi : os magnum ex brachio in Carthusia : pars maxillæ in S. Martini parochiali, Minore dicta : Mandibula in collegiata S. Mariæ ad Gradus, hierotheca XIV. Costa in S. Antonii hospitali Canonica domo, capsa IV. Digitus in monasterio S. Claræ : Os in collegiata S. Mariæ in Capitolio : Ossicula duo in Metropolitana, hierotheca V. itemque in monasterio S. Bonifacii Virginum conventualium Ord. S. Francisci. Denique reliquiæ ejus aliquæ servantur in S. Gereonis collegiata ecclesia hierotheca V, XV, XXVI, in collegiata S. Severini hieroth. XIV. in monasterio S. Pantaleonis hieroth. XVII. in ecclesia SS. Joannis et Cordulæ : apud PP. Prædicatores : in Hollandico collegio. De allatis Roma Rhinoviam, infra § 5 agemus.

Cruydbecæ : Beveræ.

Coloniæ :

E

Rhinoviæ.

## § V. S. Blasii in homines beneficia.

Quod præbiturus jam carnifici cervices, Christum oravit S. Blasius, ut quicumque ipsius patrocinium imploraret, vel ob ejus memoriam ad gloriam Divini nominis faceret aliquid, præsertim si quod ossiculum aut piscis spina gutturi inhæreret, aliudve affligeret incommodum, aut necessitas premeret ; is præsentem propitii Numinis opem experiretur ; id et illi missa cœlitus vox eventurum spopondit, et frequentia miracula confirmant. Neque novitia isthæc devotio est, ut vani quidam homines garriunt. Aetius Græcus medicus, qui a Jano Cornario Latine versus extat inter Medicæ artis principes Henrici Stephani typis anno 1567 editus, Tetrabibli secundæ sermone 4 cap. 50 de devoratis ac fixis in tonsillas spinis, atque iis quæ in asperam arteriam delabuntur, post varia ex medicæ artis rationibus præscripta remedia, subjicit : Aliud, ad eductionem eorum, quæ in tonsillas devorata sunt : Statim te ad ægrum desidentem converte, ipsumque tibi attendere jube, et dic : Egredere os, si tamen os, aut quidquid tandem existis : quemadmodum Jesus Christus ex sepulchro Lazarum eduxit, et quemadmodum Jonam ex ceto. Atque apprehenso ægri gutture, dic : Blasius Martyr et servus Christi dicit : Aut descende, aut ascende. Quod hic est apprehenso ægri gutture, Camillus Tutianus habet, Crucis signo supra guttur expresso. Propagata ad extrema orbis terrarum illa adversus S. Blasium in ejusmodi necessitate pietas. In Arimensi regno apud Japones, anno MDLXXXIX, mulieri cuidam ita guttur transversa e pisce spina occuparat, ut neque cibum capere neque fere ducere spiritum posset. Accersitur e Societate Jesu Sacerdos, qui confessam (non sine magna difficultate) peccata, implorare S. Blasii opem jubet ; missurum se illi ejus reliquias : eas ipsa tertio reverenter osculata, applicat gutturi : atque illico et locuta libere est, et cibo sumpto obstaculum respiratus dimovit.

S. Blasii invocatio salutaris contra dolores gutturis,

F

et ab Aetio veteri medico præscripta,

præsenti ope probata in Japonia :

33 Solet

*AUCTORE J. B. item contra dentium dolores.*

A 33 *Solet vero non ad ea solum mala propulsanda invocari S. Blasius, verum et ad abolendas anginas ceteraque incommoda gutturis discutienda, sedandos etiam dentium dolores. Ad quæ remedia adhiberi variarum rerum, quibus utimur, benedictiones fas est, panis, vini, fructuum, seminum. Harum benedictionum formulas ex vetustissimo Benedictionario in membrana exarato, in ecclesia S. Stephani Neapoli asservato, recitat Camillus, nosque ab eo hic describemus.*

*Benedictio panis sub ejus invocatione,*

34 *Panis benedictio ista est :* Sit nomen Domini benedictum. *Resp.* Ex hoc nunc et usque in seculum. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit cœlum et terram. Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum, *etc.* Salvator mundi Deus, Domine Jesu Christe, qui hodiernam diem beatissimi Blasii martyrio consecrasti, et diversas creaturas ad salutem hominum creasti, qui ex quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiasti, ac populum Judaicum in deserto miraculose pavisti; ineffabilem misericordiam tuam suppliciter exoramus, et petimus, ut hos panes, quos plebs fidelis tibi devote hodie ad sanctificandum attulit, tua pietate † benedicere, et † sanctificare digneris : ut qui ex eis comederint vel gustaverint, ab omni gutturis plaga, et totius corporis infirmitate, meritis et intercessione B. Blasii Martyris tui, plenam recipiant sanitatem, et nos servos B tuos ab omni corporis et animæ ægritudine sanos conserves, Qui vivis, *etc.*

*vini,*

35 *Vini benedictio :* Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui vinum, quod lætificat cor hominis, in sacrificio offerri præcipis, et in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti ; tu qui es vitis vera, per intercessionem B. Blasii Martyris tui, multiplica super nos, servos tuos, pietatis tuæ misericordiam, quemadmodum fecisti cum Patribus nostris, in tua ineffabili misericordia sperantibus, pietatem : bene † dicere et sancti-† ficare tua pietate digneris hanc creaturam Vini, quam ad servorum tuorum subsidium tribuisti ; quatenus ubicumque fuerit fusum, vel a quibuslibet potatum, Divinæ benedictionis tuæ repleantur, et cum gratiarum actione in eorum visceribus sanctificetur ; Per te, Salvator mundi, qui vivis et regnas *etc.*

*fructuum,*

36 *Fructuum benedictio :* Domine Jesu Christe, qui famulum tuum Blasium hodierna die martyrio consecrasti, bene†dicere et sancti†ficare digneris hos fructus arborum, quos indigni detulimus, per invocationem nominis tui, et intercessionem gloriosæ C Virginis Mariæ, et gloriosissimi Martyris tui atque Pontificis Blasii, bene†dicere, et ad profectum præsentis familiæ, atque omnium fidelium absentium, provenire concede : ut in quemcumque locum deportati fuerint, salvi efficiantur, et omnis iniquitas sive illusio ab eorum habitaculis abscedat ; et quicumque ex eis tenuerint vel gustaverint, tua gratia et benedictione repleantur ; Qui vivis et regnas in secula seculorum *etc.*

*seminum*

37 *Seminum benedictio :* Creator omnium Deus, qui semina subtus terram posita fructificare et multiplicari facis, et in usus nostros misericorditer concedis ; intercedente B. Blasio Martyre tuo supplicationes nostras placatus intende, ut hæc seminum genera bene†dicere et sancti†ficare tua benignitate digneris : ut jumenta, quæ ex eis comederint vel gustaverint, a quacumque detineantur infirmitate, plenam recipiant curationem ; Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*aquæ.*

38 *Aquæ intincta S. Blasii reliquiarum particula benedicendæ formulam recitat Augustinus Wichmannus Brabantiæ Marianæ lib. 3 cap. 38 Diligenter usurpari solitam, hanc :* V. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit cœlum et terram. *Oremus.* Da, quæsumus, Domine, per attactum Reliquiarum D sancti ac gloriosi Martyris ac Pontificis Blasii, virtutem huic aquæ, ut quisquis ea digne utitur, in memoriam et honorem sancti ac gloriosi Martyris Blasii, cuncta se impetrasse lætetur. Per Christum *etc.*

39 *Lubet et spiritualia beneficia a sancto Martyre derivata in mortales, cœlestem, inquam, eorum infusam animis consolationem cum jucunda honoris ei deferendi prænotione, celebrare In Vita S. Findani, inclusi Rhinoviensis, qui nono Christi seculo vixit, ista habentur :* Item foris positus, priori anno quo claustrum erat ingressurus, omnibus noctibus stans in ecclesia in oratione pernoctavit. Igitur priori nocte antequam S. Blasii reliquiæ illuc de Roma allatæ sunt, more solito in basilica orans, vidit subito corporalibus oculis, columbam super altare sedisse, sensimque inde in cryptam volantem disparuisse. Crastina ergo die super ipsum altare easdem posuere reliquias, super quod Dei famulo ante apparuit hæc avis adstitisse.

*Reliquiarum ejus translatio S. Findano præostensa forma columbæ :*

40 Foris positus præcedente quoque tempore, cum similiter nocte intra basilicam solus existeret, et prædicti Martyris suffragia verbis imploraret, dicens : S. Blasi, qui peregrinus in his locis, sicut et ego, cognosceris, pro meis ad Deum intercede E peccatis. Cum hæc ingeminans, lacrymas suo more fudisset, stans ante altare quo sanctæ fuerant positæ reliquiæ, non inclinatus, sed erectus, sed tamen (ut referre solebat) obtutibus paullisper obtenebratis, vocem audivit hujuscemodi : Sedes tua in cœlo jam dimissis peccatis posita est.

*eidem indicat, peccata ipsi esse remissa :*

41 Iterum in arctissimo loco positus, (de quo, cum opportunum fuerit, pleniter explanare conabimur) cum mane diei futuri reliquiæ sæpe memorati Martyris ab eodem loco in vicinum saltum reportandæ fuissent ; præfatus Dei famulus magno exarsit desiderio, cupiebatque ut ipsius Martyris reliquias propriis efferre humeris mereretur ; cum jam dudum in eodem loco positus, voto se constrinxisset, inde nunquam se exiturum. Ut autem Dominus desiderium pauperis, ut ait Propheta, exaudiens adimpleret, ac famuli devotissimi vota rata esse concederet ; eadem nocte visus est sibi pontem Rheni fluminis, per quem de ipso monasterio exitur, cum copiosa multitudine transisse ; columbam quoque humeris suis insedisse, et eam se, ut cupiebat, humeris deportasse, et inde alios petere, iterumque sibi volantem adesse. *Eamdem historiam in* Helvetia sacra *habet Henricus Murerus. Est S. Blasius unus ex* XIV *Sanctis, quos* Adjutores *appellant.* F

*usque eidem sibi ejus reliquias gestare, quod, licet inclusus, optarat* Ps. 10. 17

# PRIMA ACTA

*ex vetustissimis MSS et Bon. Mombr.*

## CAPUT I.

### *S. Blasii Comprehensio, curationes hominum ac brutorum.*

In Sebastea civitate *b* Cappadociæ tradidit Deus ad correptionem eos, qui secundum gratiam ejus filii et hæredes existebant : ex Sebastea quidem Martyres sibi elegit usque ad sanguinem quæ in eo est, caritatem, fidem, atque confessionem ostensuros. Et quod melius est, non solum viros, sed et mulieres elegit ostensuras agonem certaminis, et usque in finem in Christo, per Crucis exemplum, coronam adepturas. *a b*

*Persecutione Sebasteæ sæviente,*

2 Unus horum extitit noster coronatus et victor Blasius. Iste enim Sanctus per totum vitæ suæ tempus mitis degebat, sicut et in Job legimus, purus, innocens, Deum colens, verax, mansuetus, ab omni

*Blasius Ep. vir sanctus,* Job 1

opere

A opere pravo se abstinens. Videntes ergo irreprehensibilem ejus vitam hi qui in Sebastea Cappadociæ civitate fideles existebant, elegerunt sibi eum in Episcopum. Ipse vero *c* pergens in montem qui vocatur *d* Argei, habitavit ibi in quadam spelunca: et concurrebant ad eum agrestes feræ. Et si forsitan contigisset *e* quocumque dolore teneri qualemvis ex eis, tamquam intellectuales concurrebant ad eumdem Sanctum in speluncam, et usque dum imponeret manus eis, benedicens eas non recedebant ab eo.

*latet in monte: accedentes ad se feras sanat.*

3 In illis itaque diebus jussit Agricolaus Præses congregari agrestes feras *f*. Egredientes autem bestiarum comprehensores, venerunt in montem, in quo degebat S. Blasius Episcopus. Et videntes speluncam, et multitudinem bestiarum adstantium ante eum consternantes se ad invicem, et admirati dixerunt: Quid hoc vult esse? appropiantes autem viri illi ad speluncam, invenerunt B. Blasium *g* orationem suam facientem. Et reversi nuntiaverunt Præsidi ea quæ viderant. Audiens autem Præses jussit plures milites cum illis pergere ut quantos invenirent illic esse absconsos Christianos sibi præsentarent. Euntes autem illi in prædictum montem, qui vocatur Argei, et ingredientes speluncam, invenerunt S. Blasium orantem; et dixerunt ei: Egredere; vocat te Præses. Videns autem eos Sanctus, gavisus B est, et dixit: Filioli mei, eamus simul. Memor enim mei est hodie Dominus. In hac enim nocte tertio mihi apparuit dicens: Surge, offer mihi hostias, ut assoles. Et nunc, filioli mei, bene venistis. Dominus meus Jesus Christus nobiscum est.

*sic inventus ducitur ad Præsidem, jam divinitus præmonitus.*

4 Cum ergo venirent, in itinere convertebat paganorum *h* parvulos ad Deum per bonam suam admonitionem, et incessabili ejus oratione mirabilia faciebat. Oblatos sibi infirmos, imponens super eos manus, sanos eos absolvebat; non tantum homines, sed etiam et diversæ animalia, cum se immitterent ad invicem: aut sicut sæpius contingit os impingi in guttur hominis, aut etiam aliud aliquid tale subito fieri, deducebant illi eos, et per dignas ejus orationes salvos eos Deus reddebat. Accidit autem ut cujusdam mulieris filius unicus, dum piscis portionem ederet, subito os in guttur ejus infigeretur, ut pæne mortuus maneret puer. Mater vero ejus audiens mirabilia Beati illius, apportans puerum jactavit eum ante pedes ejus semivivum cum lacrymis clamans, et dicens S. Blasio: Miserere filii mei, serve Salvatoris nostri Jesu Christi, eo quod unicus mihi est. Indicavit autem S. Blasio, quod subito contigerat filio suo. Sanctus vero Blasius *k* manus imponens puero, et guttur ejus signans, C elevansque oculos ad cœlum, oravit dicens: Qui invocantibus te, Domine Jesu Christe, velox existis auditor et salvator, exaudi orationem servi tui, et infixam spinam puero isti per tuam inenarrabilem abstolle virtutem, salvans eum. Et amodo sive in hominibus, sive etiam in volatilibus contigerit aliquando infigi qualevis os; et memor fuerit *l* nominis mei servi tui, dicens: Domine Jesu Christe, verus Deus noster, per orationem fervi tui Blasii, festina in adjutorium meum; mox fac in eum misericordiam tuam ad gloriam sancti tui nominis: et oratione facta mox sanum reddidit puerum matri suæ. *m*

*in via multos sanat manuum impositione, inhærentem puero gutturi spinam piscis precibus eximit, Patronus his in omnibus futurus.*

a *In MS. Ecclesiæ Cæsaris insulæ ita efferuntur prima hæc*: In Sebaste Cappadociæ civitate traditi sunt ad correptionem hi qui secundum gratiam Dei filii et hæredes existimabantur. *At MS. Gladbacense ita habet*: Cum semper Dominus dilexisset eos, qui secundum gratiam ejus Filii hæredes existebant, ex Sebastea etc. — b *Ita omnes MSS. et Metaphrastes.* — c *In MS. Græco exprimitur fugæ causa*: φοβηθεὶς τῶν τότε ἀρχόντων τὴν ἀσέβειαν καὶ παρανομίαν, veritus eorum, qui tunc rerum potiebantur, impietatem et iniquitatem. *Quæ absunt ab editione Surii et Lipomani.* — d *Græce est*: ἐν τῷ ὄρει λεγομένῳ Ἀργέῳ, in monte Dicto Argeo. *Felicius Argæum vocat Ptolemæus* Ἀργαῖον. — e *Metaph.* unam ex eis incidere in ejus meditationem, tamquam rationis prædita, expectabant etc. — f *Causam addit Metaphrast.* εἰς θεατρομαχίας καὶ κυνηγέσια τῶν τότε μαρτυρούντων ἁγίων, ut spectacula decertantium ad bestias ederentur, utque Sancti, qui tunc martyrium subibant, ab iis consumerentur. *Acta secunda habent*: ad spectacula vulgi. — g *Metaph.* sedentem tamquam in thalamo et dividentem unicuique id quod ei erat opus, per benedictionem atque curationes, et Deo fundentem preces. — h *Græce* Ἐθνικῶν παίδας, Gentilium pueros. *Lipom.* Gentiles. *Momb.* plurimos. — i *Metaph.* et malus maneret. — k *Mombr.* manum. *Metaph.* manu imposita gutturi pueri, sic oravit. — l *Additur in Gr.* ubi aliquis. — m *Addit Metaph.* ore numquam silente Deum laudantem atque glorificantem.

D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

## CAPUT II

### *Quæstio I et II. Beneficentiæ remuneratio.*

Cognitus autem erat Sanctus ille et in *a* Nicopoli: doctus enim erat et artis medicæ. Dum ergo per iter veniret ipse S. Blasius; mulier erat quædam paupercula, *b* unum habens suem, et nihil aliud possidens nisi tantum illum; et subito lupus irruens abstulit eum. Illa vero deprecata est S. Blasium contra eamdem feram. Sanctus autem ipse hoc audiens, subridens dixit ei: Mulier noli tristari, reddetur tibi porcus tuus, et veniebat per iter. Ipso vero lupus *c* in itinere suo festinans, et illæsum conservans porcum, reddidit eum viduæ.

*viduæ suem a lupo restitui imperat:*

6 Ingresso autem in civitatem Metropolim Sebasteæ B. Blasio, jussit eum Agricolaus mitti in carcerem. Et alio die Præses sedens pro tribunali, jussit sibi præsentari B. Blasium. Quem videns impius ille, cœpit primitus blandis ei sermonibus quasi E suadere, et salutis verbum in eum inchoare, dicens: Gaude Blasi, amice deorum. Sanctus autem Blasius respondens dixit: Gaude et tu, optime Præses. Verum non eos dicas deos, sed dæmones, qui æterno igni traduntur, cum his qui eos honorant. Iratus autem Præses, jussit eum fustibus cædi. Et dum *d* diu cæderetur, dicit Præsidi: Insensate persuasor animarum, alienare me speras per has pœnas ab amore Dei mei, et salvatoris Jesu Christi: sed non potes, quia habeo corroboratorem meum et salvatorem ipsum Dominum Jesum Christum, filium Dei vivi. Dum ergo non valeret iniquus ille alienare eum a Christi fide, jussit iterum reduci eum in carcerem. Audiens vero fidelis illa vetula et vidua *e* sustinentiam sancti Martyris et athletæ Christi Blasii, et perseverantiam fidei ejus, jussit occidi porcum, quem receperat a fera illa per S. Blasii jussionem: et coctum caput ejus et pedes mittens in aliquod vasculum, et ex fructibus terræ lumine accenso, obtulit sancto Martyri Christi in carcere, et petiit eum sumere. Gratias vero agens ille, gustans benedixit eam, et dixit: Mulier hoc exemplo perfice memoriam meam, et non minuetur domus tua bonis, quæ Dei sunt. Sed et si quis te imitans, hoc exemplo memoriam mei fecerit, incessanter habebit a Deo meo cœleste F donum, et benedictionem omnibus diebus. Et beata illa anus acceptans mandatum sancti Martyris, perrexit gaudens in domum suam, glorificans et benedicens Deum. Et expletum est in hac fideli vidua, quod enarratur ubique et quod fecit hæc ad memoriam ejus.

*conjicitur in carcerem: videt Præsidis blanditias, cæditur fustibus: reducitur in carcerem: ubi recreatur a pia vidua: jubet sic ejus sui memoriam, promissa mercede,*

8 Tyrannus autem ille *f* in secundo secretario jussit sibi præsentari sanctum Christi Martyrem Blasium. Et deducto eo, dicit ei: Blasi adoras Deos, aut vis perire? S. Blasius respondit: Dii qui cœlum et terram non fecerunt, pereant: illa vero quæ tu tu mihi quasi terrens tormenta promittis, vitæ mihi æternæ fiunt provisores. Videns autem iniquus ille immutabilem ejus mentem, jussit eum in ligno suspendi, et cum ferreis pectinibus carnes ejus *g* frangi. Dum ergo carnes ejus inciderentur, beatissimus Martyr Christi Blasius dixit impio Judici: O crudelissime, pœnis putas me terreri: sed habeo Dominum meum Jesum Christum, qui me confortat: et non dubitabo visurus has pœnas, expectans desiderabilia bona illa, quæ promissa sunt quærentibus eum.

*suspensus, ferreis pectinibus radditur.*

A eum. Itaque jussit impius Præses deponi eum de ligno, et mitti eum in carcerem.

*Auctore anonymo ex MSS. reducitur in carcerem.*

a *Camillus Tutinus scribit cap.* 3 Nicopoli *transisse Blasium, quod haud satis probabile est, nisi fallunt tabulæ geographicæ.* — b *Addit Metaphr.* fidelem *fuisse et* piam. — c *Mamb.* retro. — d *Metaphr.* multis horis. — e *MSS. habent* sustentationem. — f *Mombr.* in secundo die, secretario jussit. *Græce est* ἐν δευτέρᾳ προόδῳ, in secundo processu. — g *Græce* [illegible] acriter radi. *MSS. Marchian. et S. Maximini*, carminari.

## CAPUT III.

### VII Sanctarum mulierum martyrium.

Deportato autem eodem sancto Christi Martyre Blasio, septem beatissimæ mulieres timentes Deum, sequebantur eum, suscipientes guttas sanguinis, quæ ab eo cadebant, et semetipsas ungentes. Quas videntes iniqui illi, qui eum ducebant, tenentes eas deportaverunt Præsidi, dicentes quod et ipsæ Christianæ essent. Videns autem eas, dixit eis : Acquiescite, et sacrificate diis sacrificium. Responderunt autem illæ, et dixerunt ei : Si velis ut credamus et sacrificemus diis tuis, eamus nos juxta lacum, et tu mitte deos tuos in sacco, a bullans eos plumbo, et nos lavantes facies nostras in lacu b procidentes sacrificabimus eis. Lætus autem effectus Præses, attulit illis deos suos. Ipsæ vero Christianæ mulieres B accipientes eos jactaverunt in profundum lacus. Videns autem Præses quod factum est, alienatus facie, iratus est nimis, et percutiens manus suas, ut leo rugiens circa mulieres motus, dixit ministris : Quare non tenuistis deos nostros, ut non mitterentur in profundum lacus? Qui responderunt : In dolo tecum locutæ sunt mulieres istæ, et deos nostros profundaverunt. Mulieres autem respondentes dixerunt : Deus verus dolum non patitur aliquando; sed ligna vacua et lapides et aurum et argentum et omnes qui confidunt in eis.

*Ejus sanguinem colligentes 7 mulieres capiuntur.*

*Idola Præsidis in lacum projiciunt.*

10 Et iratus Præses jussit in caminum ignis mitti eas, et desuper plumbum fundi in eas, et pectines ferreos adduci, c et septem æreas tunicas exardere; expandere d autem tunicas candentes in alio loco, et dixit sanctis mulieribus : Eligite vobis unum de duobus; aut sacrificantes diis, eruite animas vestras, ambulantes super lineam; aut si nolueritis, judicari habemini in eis, quæ parantur vobis, tormentis. Una vero ex ipsis, duos filios habens, currens tulit lineam, et misit eam in caminum, et combusta est. e Pueruli vero dixerunt matri suæ : Non nos derelinquas in terra hac perire, sed sicut replesti nos dulci lacte tuo, ita reple nos et regni cœlestis C gaudiis.

*Contemnunt proposita tormenta,*

*pueris 2 sequentibus eas cohortantibus*

11 Mox autem jussit Præses suspendi eas, et carminari carnes earum cum pectinibus illis ferreis. Videbant autem milites illi, quod pro sanguine lac carnes earum f stillabant, et carnes earum sic erant tanquam flamma ignis, et ut nix dealbabantur. Angeli autem Domini descendentes de cœlo et g salutantes eas dicebant eis : Nolite dubitare; bonus enim operarius initium faciens in messem, et explens, benedictus est ab eo qui eum conducit, et accipiens mercedem suam lætus revertitur in domum suam. Ita et vos elaborate, ut percipiatis a Christo Deo vitam æternam. Tunc Præses jussit deponi eas et mitti in fornacem ignis, et missis eis, mox ignis extinctus est. Et egressæ a fornace illæsæ beatissimæ mulieres, dixit ad eas Præses : Omittite vestras magicas ambitiones, et procedentes adorate deos nostros. Sanctæ vero septem mulieres tanquam ex uno ore dixerunt : Gloria tibi qui regnas, Jesu Christe Deus noster, qui etiam et nos dignatus es vocare in viam tuæ pietatis. Et dixerunt impio : Festina explere; quod in nobis cœpisti, eo quod et nos vocatæ sumus in regnum cœleste.

*lac manat e laceratione, ab Angelis confortantur, a flamma illæsæ.*

12 Tunc iratus ille dedit in eas sententiam. Et D tollentes eas iniquitatis ministri duxerunt ad præfinitum locum. Sanctæ vero mulieres deprecabantur eos parcere eis h orare, et flectentes genua dixerunt : Quis Deus magnus sicut Deus noster, qui nos separavit a tenebris, et vocavit in hanc lucem dulcissimam? Et ideo petimus te, magne et terribilis Domine Deus noster, ut connumerare nos digneris primæ Martyri tuæ i Theclæ; suscipiens preces beatissimi Patris nostri Blasii, qui nos edocuit in hoc gloriosum martyrium, et ad possessionem vitæ æternæ pervenire. Et hæc orantes, et surgentes a terra expandentes manus suas ad cœlos, et prospicientes oculis et mundo corde, unanimes dixerunt : Gloria tibi, Domine Deus noster, qui nos dignatus es in hoc tuo sacrificio sistere, sicut oves : suscipe ergo animas nostras coram sancto et cœlesti tuo sacrificio. Infantes vero illi præcurrentes, ad eorum matrem dixerunt : Coronæ vestræ præparatæ sunt apud cœlestem Dominum Deum nostrum. Commendate etiam nos sancto et fortissimo Christi Martyri Blasio Episcopo et Patri nostro. Iniquitatis autem ministri truncabant capita sanctarum septem mulierum : et sic migraverunt ad Dominum truncatis capitibus propter veram fidem Domini nostri Jesu Christi. k

*morte damnantur h oratione facta, i plaudentibus 2 pueris, occiduntur. k*

a *Græce*, σφραγίσαι αὐτοὺς μολίβδῳ eos plumbo obsigna. — E
b *Mombr.* procedentes. *MS Gladb.* præcedentes. *Camillus Tutinus scribit Tyrannum ultro jussisse deduci eas in montem lacui vicinum, et nisi statuam Jovis, quam ferebant lictores, adorarent, saxis singularum collo alligatis, in lacum eas projici. Et cum ipsæ statuam contemplandam populo cessent et in lacum abjecis ent; ipsas quoque in eum præcipitatas, sed illæsas exiisse.* — c *Græce*, καὶ ἑπτὰ θώρακας χαλκοῦς πυρωθέντας [illegible], et septem æneas laminas candefieri. *Bellorac.* laminas ac deinde loricas vocat. — d *Metaph.* splendidum autem linteum expandit in alio loco. *Bellor. et* septem camiseas lineas in alio loco poni, *ac mox* vestes lineas *vocat.* — e *Camillus Tutinus scribit postquam pectinibus ferreis discerptæ fuerant, indutas tunicis ferreis ignitis, collocatasque in sedibus itidem e ferro et ignitis. Acta prima non explicant fueritne hoc illis ultimum tormentum, an solum ejus intentatus terror. Tutino utrumque consentiunt Acta ex MS. Baronii.* — f *MSS. Gladb. et S. Max.* guttabant. — g *MS. S. Martini Trevirensis*, salvantes. *MS. March.* liberaverunt eas de periculo. *Græce* θεραπεύοντες, curantes. *Tutinus scribit.* Angelum cœlesti unguento earum plagas subito persanasse. — h *MS. Marc.* ut orarent. — i *De S. Thecla agimus* 3 *Sept.* — k *In Græco est*, [illegible], illuc sunt in Domino. *Bercerius* recte, et occulte fuerunt consummatæ, *legit* κρυφαίως, in occulto. *Addit Bellorac.* Illarum autem septem mulierum quando decollatæ sunt, animæ de corporibus prodire tanquam Virgines de thalamo visæ sunt; omnes autem monilibus refulgentes, et ad cœlos quasi alarum remigio pervolantes. *Idem aliis verbis habet S. Antoninus, et Petrus Nœtal. Tutinus solum habet*, visas egredi animas, immenso cinctas splendore.

## CAPUT IV.

### S. Blasii et duorum puerorum martyrium.

F In tertia vero processione sedens pro tribunali iniquitatis Dux, jussit sibi præsentari beatissimum Episcopum Blasium. Et adducto eo, dixit ei : Vel nunc adoras deos, an non? Respondens autem Martyr Christi, ait ei : Impie, cæcus es, non vides lumen Dei verum. Nam quis hominum aliquando cognoscens Deum verum, idola adorat? Tu autem inique et obscure, scito quod Deum verum dereliquisti, et lapides adoras. Nam ego non a dubitabo minas tuas. Et ergo vis, ita exerce in me. Carnem quidem meam tradam tibi; nam animæ meæ Deus habet potestatem. Respondens vero Præses, dixit S. Blasio : Si te jactavero in lacum, quid te poterit adjuvare, quem dicis Christum, quem et adoras? Sanctus autem Christi Martyr ait illi : Ecce et execrabiles dæmones adoras, et speras salvari : et ego Deum vivum et verum adorans, in æternum credo salvus esse : et nunc edoceam te in hac aqua Dei mei virtutem. Tunc jussit impius ille mitti eum in lacum. b Ipse vero procedens signavit aquam, et mox stetit c sicut arida. Et sedens in medio lacus, dixit ad ministros iniquitatis : Si habetis deos, ostendite

*S. Blasius, contemnens Præsidis minas, a projicitur in lacum b c*

A tendite virtutem eorum, et introïte et vos huc. Et ingressi *d* sexaginta quinque viri, mox dimersi sunt in profundo aquæ. Angelus autem Domini descendens ad B. Blasium, dixit ei : Gloriose egredere, et suscipe præparatam tibi a Deo coronam. Tunc surgens B. Blasius ab aqua, et ambulans sicut in arida egressus est : et apparuit lux magna ante faciem ejus, ut etiam admirarentur omnes qui videbant eum.

*submersis militibus,*
*d*
*educitur ab Angelo,*
*luce circumfusus*

14 Impius vero dixit Christi Martyri : In tantum decrevisti, ut non adores deos? S. Blasius dixit : Cognosce miser, quod Christi servus sum, et non adoro dæmones iniquos. Tunc iratus sævissimus ille dedit in eum sententiam, dicens : Qui me contempsit et *e* Imperio contradixit, deosque inhonoravit, et sexaginta quinque viros perdidit, capite truncetur, una cum duobus illis *f* puerulis. Sanctus autem Blasius oravit dicens : Domine Deus meus, qui me liberasti ab idolis, qui de tenebris lucem fecisti ; Deus virtutum, qui sedes super cherubim, et aperis cataractas cœlorum, qui expandis arcum tuum in manu tua , qui diabolum percussisti, et draconem interfecisti ; exaudi me servum tuum : et si quis procidens adoraverit hoc sacrificium, qualiscumque spina, aut etiam os in guttur cujuscumque personæ impegerit ;
B si etiam et in diversas infirmitates inciderit ; sive in tribulationem aut periculum, aut si persecutionem patitur; suscipe, quæso, petitionem fideliter petentium te, Domine. Hæc autem eo orante descendit nubes de cœlo, et infulsit in eum, dixitque ei Dominus : Omnem petitionem tuam adimplebo, athleta dilectissime, non tantum hæc, sed et sicut viduæ illi, sicut orasti, faciam et benedicam omnem domum perficientium memoriam tuam. Horea vero eorum replebo omnibus bonis, propter tuam bonam confessionem, et fidem quam in me habuisti.

*addicitur morti*
*f*
*orat pro iis qui se invocabunt :*
*g*
*Christus in nube spondet facturum se quæ orarat ;*

15 Et hæc loquente Domino Jesu athletæ suo, mox *h* spiculator ejiciens beatissimum Martyrem Christi Blasium, una cum duobus illis puerulis, a prætorio, amputavit capita eorum in Sebastea civitate, *i* foris muros, super quemdam lapidem, mense Februario die tertia Accipiens vero quædam mulier prudens et Deum timens sancta eorum corpora, nomine *k* Elissa, reposuit in quo defuncti sunt loco pariter. In quo loco mirabilia Domini nostri Jesu Christi exuberant usque in hodiernum diem.

*h*
*plectitur capite cum 2 pueris*
*i*
*sepelitur :*
*k*
*miraculis claret*

16 *l* Audiens vero beata illa anus transitum sancti Martyris Christi, explevit memoriam ejus juxta intentionem, quam fecit in carcere, et non tantum illa mulier ex fructibus terræ afferebat benedictionem
C in reliquum, sed etiam omnes amici ejus : qui juxta ejus traditionem facientes, benedictionis gratiam iterum in tempore eodem reduxerunt, non tantum eidem fideli viduæ, sed etiam et omnium eorum amicorum. Traditum enim est hoc usque in hodiernum diem omnibus fidelibus, perficientibus memoriam beatissimi et gloriosi Christi Martyris Blasii, cum lampadibus, et hymnis, et gloria indesinenter. Passus est enim beatissimus Christi Martyr Blasius in Sebastea civitate, imperante Agricolao, regnante autem in nobis Domino nostro Jesu Christo, cujus est honor et gloria in sempiterna secula seculorum. Amen.

*l*
*peragitur anniversaria ejus memoria.*

a *Græce,* [illegible] non nocuam. — b *Addit MS. Baronianum infra,* marmoreo pondere ad collum ligato demersum. — c *Idem* aquam aut glaciali soliditate concretam. — d *Metaph. Belleth.* Et in *S8. MS. Baron.* quadam. — e *Metaph.* Imperatorem contempsit. — f *Hos quoque et Agricolao, priusquam sententiam ferret, interrogatos, generose illi respondisse, habent quarta Acta ex MS. Baron. Belleth. atque in carcere baptizatos a S. Blasio.* — g *Metaph.* quicumque ad hanc aram tuam accesserit. — h *Gr.* [illegible]. — i *Gr.* [illegible] intra turrim. — k *Mombr.* Elyphea *MS. S. Max* Helisea *Metaphr.* fideles et pii viri. — l *Desunt cetera Mombritio.*

# II ACTA

D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

## AUCTORE ANONYMO,

### *ex MS. Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti.*

## CAPUT I.

### *S. Blasii virtutes. miracula in brutis ac hominibus curandis, comprehensio.*

Tempore Licinii Imperatoris, qui Constantini Augusti sororem habebat, et rerum summam in Oriente tenebat, dira in Christianos persecutio facta est. Nam, ut in Tripartita *a* historia refertur, Licinius bello a Constantino fugatus, cum prius sectator fuisset dogmatis Christiani, mutata voluntate, plurimos Sacerdotum in suæ partis afflixit imperio . multos quidem et aliorum, præcipue tamen de collegio militari. Erant autem et in Sebastea plures, quos hujus nominis titulus ligabat; et ideo persecutionis tempestas eos involvebat. Inter quos, ut in Passione eorum legitur,, præcipui erant quadraginta *b* Milites, qui sub Agricolao Cappadociæ Præfecto et Duce Lysia famosissimum pro Christo martyrium compleverunt. Horum exemplum plures alii ex utroque sexu secuti, non solum viri, sed, quod
E magis mirum est, mulieres quoque, in Dei amore, in fide Catholica, ac veritatis confessione usque ad mortem et sanguinis effusionem persliterunt.

*a*
*Licinio Imp. Ecclesiam persequente, præsertim Sebasteæ;*
*b*

2 Verumtamen omnium, qui ibidem eo tempore passi sunt, primus et dux signifer erat Blasius Episcopus. Hic antequam Episcopus factus esset, medicinæ artis peritissimus fuit. Sed Deus omnipotens , qui de piscatoribus Apostolos, et de medico Evangelistam fecit ; etiam hunc a corporum medicina ad animarum curam transferre dignatus est. Siquidem omnes qui in Sebastea erant, tam Clerus quam populus, vitæ ejus sanctitate, et morum modestia delectati ; unanimi consensu, et voto concordi, eum ejusdem civitatis Episcopum elegerunt Factus autem Episcopus, se summum sacerdotum meruisse, et meritorum excellentia, et doctrinæ gratia, et miraculorum signis declaravit Erat enim vir magnæ humilitatis, miræ patientiæ, summæ pietatis, mente sanctus, corpore castus, actu innocens, eloquio purus, verbis verax, moribus modestus. Ita verus veri Dei cultor erat, ut de S. Job legimus, vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et ab omni penitus malo recedens.

*Blasius ex medico Episcopus,*
*vir sanctissimus,*
*Job 1.*

3 Verum quia gravis persecutio imminebat, juxta Dominicum vel exemplum vel præceptum, persecutorum gladium declinans, in quemdam montem, qui
F Argei vocatur, secessit : ubi quamvis humana frequentia desolatus esset, Divina tamen consolatione non est destitutus. Nam et crebris a Domino visionibus fovebatur, et anachoretis, quibus solatium plerumque Dominus concedere dignatus est, nequaquam inferior, ferarum tamen accessione suam solitudinem consolabatur. Undique enim per montis circuitum ad ejus speluncam, quasi Domino obsecuturæ, confluebant : et siquidem aliquam ex illis contigisset molestia et dolore vexari, ab illo curam, tamquam a vero medico, nutu quo poterant, postulabant : neque ab ipso, prius quam manu imposita et benedictione ejus cura percepta, discedebant.

*latet in monte,*
*Divinis visionibus fovetur,*
*accedentes bestias sanat, ac benedicit :*

4 Ea ibi tempestate Agricolaus ejusdem provinciæ Præses erat, immitis, ferox, crudelis, et secundum *c* nomen suum agrestis, atque Christianis omnino infestus Is munerum die, quo munera militibus dantur, et honores tribuuntur, agrestes feras *d* ad spectaculum vulgi plurimas congregari jussit. Cumque venatores, quibus captio bestiarum injuncta fuerat, montem protinus, qui his maxime abundabat,

*c*
*a venatoribus invenitur*
*d*

consecenderent

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A conscenderent; et nusquam ullam, ut non dicam capere, sed nec visu comprehendere quidem possent; montem circumquaque lustrantes, ad ultimum venerunt ad locum ubi S. Blasius in spelunca positus, sedulum Christo quotidie officium exhibebat. Ubi cum multitudinem ferarum ostio quidem speluncæ assistere, nec tamen eorum adventu exterritas moveri de loco vidissent, consternati et nimio pavore conterriti ad invicem dixerunt: Quidnam hoc vult esse? Neque enim tanta bestiarum multitudo sine caussa in unum locum congregata, nostro non terretur adventu. Itaque propius accedentes et diligentius rei veritatem perscrutantes, invenerunt S. Blasium in spelunca orationi vacantem. Quem nec appellare quidem ausi, festini cum tremore et reverentia discesserunt. Itaque ad Præsidem infecto negotio reversi ea quæ viderant nuntiaverunt.

*in spelunca orans,*

5 Tunc Præses iratus misit et alios plures cum illis, ut diligentius investigarent, sicubi aliquos in monte Christianos invenire possent; et sibi una cum S. Blasio exhiberent. At illi juxta imperium Præsidis montem hinc inde circumeuntes, postremo ad locum ubi S. Blasius degebat, venerunt: quem cum more sibi consueto in oratione positum invenissent, dixerunt ei: Egredere Blasi, Præses vocat te. Ad B hæc ille animo intrepido, et vultu satis hilari: Si Præses, inquit, filioli, me vocat, eamus simul, et in nomine Domini properemus. Nunc quippe mei memor esse Dominus dignatus est. Nunc est tempus acceptabile, in quo a vinculis corporis hujus absolvi et ad Christum venire debeo. Tertio mihi Dominus apparuit hac nocte, dicens: Surge Blasi, et e more tibi solito hostias offerre memento. Et nunc, filioli, bene venistis, et gratum mihi admodum nuntium pertulistis. Eamus ergo festini, et sit ipse nobiscum, qui mei corporis hostiam desiderat Dominus meus Jesus Christus. His dictis, nihil moratur, et in Domino de sua vocatione gavisus, simul perexit cum eis.

*citatur ad Præsidem,*

*e triplici apparitione præmonitus*

6 Jamque fama adventus ejus contigua loca peragraverat, et gregatim in ejus occursum paganos contraxerat. Adducebantur hinc inde parvuli, quos ab eo benedictionis gratiam consequi exoptabant. Jacebant omnes plateæ, per quas iter habebat, languidis et debilibus plenæ, qui ejus meritis salvari et confidenter credebant et supplices exorabant. At ille singulorum misertus, singulis etiam manus imponens, C et parvulos benedixit, et morbidos sanavit. Igitur Pagani tot ac tanta miracula videntes, quæ per ejus orationes Dominus faciebat, nonnulli conversi sunt ad Dominum per sua sancta monita.

*in itinere ægros benedictione sanat, præsertim parvulos:*

*quosdam miraculis convertit:*

7 Neque hominibus tantum S. Blasius in variis languoribus et diversis curam impendebat, sed et bestiis et jumentis, et læsis succurrebat, et noxiis imperabat. Siquidem ad utrumque testimonium duo sunt præclara satis miracula in præsenti itinere gesta. Erat in illis locis mulier quædam, quæ unicum habebat filium. Hic dum piscem manducaret, ossiculum piscis gutturi ejus inhæsit, quod nequaquam ulla potuit inde ratione sine ejus periculo evelli. Cumque præ dolore jam morti vicinus esse videretur, anxia mater huc illucque discurrere, et filii cruciatus suos putare cœpit. Quo se verteret, quid faceret, prorsus incerta manebat. Interea contigit B. Blasium ibidem cum militibus, qui eum ducebant, transitum habere. Itaque fama virtutum ejus audita, mulier filio ulnis imposito festina ad eum currit, et illic plena puerulum ante pedes ejus projecit, simulque et ipsa pedibus ejus provoluta cum lacrymis et ejulando clamare, et ita orare cœpit: Miserere mihi, sancte Dei, miserere salvatoris Jesu-Christi serve, miserere visceribus meis, miserere filio, misero mortis genere perituro. Unicus enim est, et si quid ei D adversi acciderit, me magis cruciabit; me, inquam, miseram matrem amplius torquebit, ut jam quoque me matrem ejus non existimem. Cumque ei indicaret, quomodo piscis ossiculum, dum comederet, gutturi ejus inhæsisset; misertus matris S. Blasius, misertus et pueri, manum ei imposuit, et guttur Dominica Cruce signavit. Post hæc oculis ad cœlum elevatis, ita oravit, dicens: Domine Jesu Christe, quem corde credo, ore confiteor, pro cujus nomine ducor ad mortem, Deus omnium exauditor et salvator; tu, qui omnium voluntatem timentium te facis, et deprecationem eorum exaudis, et salvos facis illos; exaudi me, quamvis indignum et peccatorem, servum tamen tuum, pro hujus mulieris orbitate, et istius pueri salvatione orantem. Exaudi me, et ossiculum gutturi ejus infixum omnipotenti tua dextera, et tua inenarrabili virtute evelle: ita tamen, Domine, ut et aliis ejus salvatio prosit. Nam quia tu Deus dives es in omnes qui invocant nomen tuum, et das omnibus affluenter; peto ut ad tui nominis gloriam et audientium salutem, et hujus tuæ virtutis testimonium, insuper venturis quoque seculis hujus virtutis effectus perseveret. Peto enim, Domine, ut si cui aliquando similis passio contigerit, sive homini, sive volatili, sive jumento, si quis tui nominis memor, tuum nomen cum fide, sub commemoratione et patrocinio E nominis mei invocaverit, ne subtrahas opem tuam sed ad juvandum festines. Hac oratione completa, puerum pristinæ sanitati restitutum reddidit matri suæ.

*puerum ossiculo piscis gutturi inhærente, periclitantem,*

*a matre obtestatus,*

*signo Crucis*

*et precibus sanat,*

*omnibusque se in tali necessitate invocaturis, opem a Deo precatur:*

8 Ita cum itineris progressu, et opinio simul ejus crescebat. Jam namque et in Nicopoli, quæ non longe f a Sebastea distabat, cognitus erat. Erat ibi mulier quædam vidua, senex et paupercula. Hæc magis in substantiola non habebat nisi unum tantummodo porcum: sed lupus de improviso ex silva adveniens eum abstulit, et silvas denuo petivit. Illa videns totum pene victum suum in porci damno ablatum sibi fuisse, S. Blasii, qui eo ibidem momento supervenit, opem contra lupi rapinam postulavit. At ipse, ut semper omnibus in suis necessitatibus compatiebatur, et hujus misertus, dixit ei: Noli mulier contristari: porcus tibi tradetur. Ecce enim lupus per iter, quo venerat, recurrens tuum porcum tibi illæsum reducet. Nec mora: dicto citius sermo illius adimpletur. Necdum quippe verba finierat, et ecce lupus anhelans recurrit, et porcum ante pedes mulieris illæsum projecit: et illico cum festinatione discessit. F

*f viduæ Nicopolitanæ porcum a lupo restitui facit:*

a Hæc in historia Tripartita lib. 1 cap. 8 referuntur. Agunt de Licinio Eusebius fuse in histor. Eccles. et Vita Constantini, Socrates lib. 1 cap. 1 et 2 Sozomenus, et alii. — b Horum Acta dabimus 9 Martii. c Ἀγρ[illegible] agrestem, asperum, truculentum significat. — d Vide post cap. 4 Act. 4 annot. f. — e Acta Romana habent [illegible] celebrasse [illegible] milites venerunt. — f Una tamen sane distabat, neque cum tantum aberrare [illegible] tabulæ [illegible], in quibus iter est Sevastia xxiii Comassa xv Doganis xxv Megalasso xvii, Mesorome xiii Nicopolim.

## CAPUT II.

### *Tormenta S. Blasio inflicta.*

Post hæc B. Blasius ingressus simul cum militibus Sebasteam, quæ est Cappadociæ metropolis, illo quidem die Præsidi non est præsentatus: præcepit enim eum interim in carcerem mitti. Altera enim die sedens pro tribunali jussit sibi eum præsentari. Qui dum exhibitus ei fuisset, primo blandis eum sermonibus appellare, et salutationis verbo lenire tentabat, dicens: Gaude, Blasi, amice deorum. S. Blasius dixit: Gaude et tu, optime Præses. Quod tamen gaudium tibi de cœlo administrabit ita Deus, si illos, quos dicis deos, non deos sed dæmones esse dicas: nam simulachra ista aurea et argentea dii non

*datur in custodiam*

*deos ridet*

non sunt, sed dæmonum latibula : et sicut vos ex metallo ut eos formare possitis, ea igne conflatis : sic ipsi vicissim æterno incendio pariter cum suis cultoribus cremabuntur. Et ideo, Præses, amicus eorum esse non possum, ne simul cum eis flammis gehennalibus tradar. Ad hæc S. Blasii verba Præses iratus jussit eum fustibus cædi. Cumque diutissime cæsus, neque vocem emitteret, neque colorem vultus mutaret, conversus ad Præsidem, dixit : Miror te, Præses, existimare iis me flagellis alienari posse ab amore Dei, et fide Salvatoris Jesu Christi. Nam licet ut deceptor animarum simplicioribus quibusque persuadere, et infirmioribus pœnis fidem suam extorquere possis ; mihi tamen non potes. Certus sum enim, quia neque tormenta, neque ipsa mors poterit me separare a caritate Dei. Habebo enim corroboratorem meum et salvatorem ipsum Dominum Jesum Christum, filium Dei vivum. Jamque tortores cædendo defecerant, et Martyr patiendo non defecit. Sed cum Præses videret se nihil proficere, sed ipsis quodammodo verberibus fortiorem eum fieri ; dimitti eum et iterum in carcerem retrudi jussit.

*cæditur fustibus,*
*vultu non mutato :*
*deficientibus tortoribus, remittitur in carcerem.*

10 Audiens autem paupercula illa, cujus porcum a lupo invasum S. Blasius sibi restitui fecit, ejus in pœnis patientiam, et in fide perseverantiam ; eumdem porcum occidi fecit, et cocto capite ejus et pedibus, et diligenter cum terræ fructibus simul in vasculo reponens, cum luminaribus ad eum properare cœpit et dato munusculo carcerario, in carcere ad eum intravit, et ista pro benedictione obtulit. Ille vero ejus devotione et tam pia voluntate delectatus, in Domino gavisus, de cunctis quæ attulerat cum gratiarum actione gustans, ita ei futura pandens, et sui memoriam facere petens, allocutus est : Scito, inquiens, mulier, jam corporis mei dissolutionem instare : et me quantocius bono certamine certato, cursu consummato, fide servata, ad Dominum per martyrium esse transiturum : et ideo mei agonis triumpho peracto, luminaria in hujus facti exemplum in mei memoriam succende : et si qua ad victum pertinent pro facultate tua pauperibus distribue et egenis. Deus autem meus, qui dixit, quod mihi ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, qui ad preces servi sui Eliæ fecit ut viduæ illi pauperi farina in hydria non deficeret, nec oleum in lecytho minueretur ; ipse domui quoque tuæ faciet numquam necessaria deesse, ac te in præsenti et in futuro bonis affatim omnibus abundare. Insuper et si quis tuum exemplum imitatus, similia in mei memoriam fecerit, ipsi Dominus bonorum omnium auctor et hic temporaliter retribuere, et in futuro vitam æternam condonare dignetur. Cum his vel promissis vel mandatis mulier dimissa, ad domum suam cum gaudio reversa est, glorificans et benedicens Deum in omnibus mirabilibus et misericordiis suis.

*Cibo recreatur a vidua :*
*jubet eam sui memoriam luminibus et eleemosynis agere,*
Matth 25. 40
3. Reg. 17. 16
*et mercedem, etiam temporalem, a Deo spondet,*
*ac omnibus eam imitaturis*

11 Præses vero jussit sibi secundo in secretario tribunal præparari, et ibidem sibi beatum Martyrem Blasium præsentari. Et adducto eo, dicit ei : Blasi, unum tibi elige e duobus, aut adora deos, et eris noster amicus ; aut certe, si hoc facere contempseris, diversis et gravibus suppliciis subjacebis, et mala morte damnaberis. S. Blasius dixit : Jam tibi dixi, Præses, deos non esse simulachra quæ colitis, ligna, lapides, æramenta, argentum et aurum, opera manuum hominum. Neque enim dii esse possunt, qui ab hominibus fiunt, et ipsi non fecerunt cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt : proinde et ipsi peribunt, et omnes qui confidunt in eis. Unde neque ipsos adoro ; neque tormenta, quibus me terrendum putas, expavesco. Per illa quippe ad vitam æternam me perventurum credo.

*[illegible] deos,*
*[illegible] tormenta,*

12 Tunc Præses videns animum ejus in Domino fixum, et mentem immutabilem esse, jussit eum in ligno suspendi, et ferreos pectines, unde lanæ carmentari solent, afferri : et inde dorsum ejus et totum corpus discerpi ac dilacerari. Jam sanguis decurrere, et carnes defluere cœperunt : jam et ipsi carnifices admiratione et lacrymis commovebantur : nec tamen in beato Martyre ullus doloris sensus poterat sentiri. Denique conversus ad Præsidem, ecce hoc est, Præses, ait, quod ex multo tempore desiderabam, ut mente a terris suspensa, et corpus simul in altum sustolleretur. Ecce jam caro spiritui consensit et spiritus adversus carnem non concupiscit. Jam cœlo vicinus terrena omnia et vestra vobiscum tormenta despicio. Idcirco vero hæc tormenta formidare, vel quasi gravia sentire non possum, quia habeo, qui me confortat, Dominum meum Jesum Christum. Idcirco has pœnas visibiles non pertimesco ; quia non æternæ sed temporales existunt. Nam æternorum intuitu, sive bonorum sive malorum, et bona vestra et mala prorsus pro nihilo duco, ineffabile illud in cœlis bonorum omnium expectans præmium, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparaverit Deus diligentibus se.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS*
*pectinibus ferreis discerpitur*
*exultans,*
*Deo confortante,*
*et æternorum cogitatione.*

## CAPUT III
### *Septem mulierum martyrium.*

Itaque Præses, cum videret tam diris suppliciis ejus in fide constantiam quasi convalescere, et quodammodo augeri, deponi eum de ligno jussit, et iterum in carcerem tradi. Cumque lætabundus et Domino hymnum dicens iret ad carcerem, septem mulieres, quæ ejus miraculis et doctrina atque constantia conversæ jam Christo crediderant, sequebantur eum. Nam neque tormenta Martyri inflicta, neque Præsidem tam immitem, neque ipsos qui ducebant eum, reveritæ, guttas sanguinis decurrentes, manibus et linteis suis excipiebant ; et semetipsas inde aspergentes, ejus passionis et triumphi se participes fore exoptabant. Quod videntes qui B. Blasium ad carcerem ducebant, comprehendentes eas obtulerunt Præsidi, dicentes : Has, Præses, Blasium ad carcerem sequentes, et se sanguine ejus aspergentes, comprehendimus ; et diligentius inquirentes cujus professionis essent, Christianas esse deprehendimus. Unde eas tenentes vestro conspectui obtulimus, ut vestro judicio examinentur.

*ejus sanguine collecto se aspergentes 7 mulieres,*
*comprehenduntur*

13 Videns autem eas Præses, interrogavit, si vere Christianæ essent. Quod cum se esse respondissent ; Nolite, ait, vano hoc nomine et bona vestra perdere et vitam : quin potius acquiescite mihi, et sacrificate diis, quibus parentes vestri et sacrificaverunt et sacrificant. Respondentes dixerunt : Si vis Præses, ut a Christi cultura recedentes diis sacrificemus, prius purificari debemus. Euntes ergo ad proximum stagnum, secundum morem facies nostras et totum corpus lavabimus. Proinde jube dari nobis deos, quibus nos vis sacrificare, ut postquam purificatæ fuerimus, ibi statim juxta ipsum stagnum mundæ eis sacrificare possimus. Tunc Præses lætitia repletus, et eas vere, ut dixerant, eis sacrificare velle existimans, plura deorum simulachra eis dari præcepit, misitque milites simul cum eis, qui eas et euntes et redeuntes observarent, et quid de sponsione facerent, providerent. At illæ, acceptis deorum simulachris, miserunt ea in saccos plumbo a repletos. Cumque simul cum militibus ad stagnum venissent, ubi maximam profunditatem esse sciebant, ibi eos jactaverunt.

*rogatæ ut idolis sacrificent,*
*postulant se cum iis ad stagnum duci,*
*a in quod illa projiciunt,*

14 Verum cum Præses hoc factum audisset, mente pene præ ira alienatus est. Denique iratus mulieribus, iratus et militibus, dixit : In vanum, ut video, vos

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS ac Præsidi dicunt,*

A vos simul cum eis misi. Quare tantum scelus non prohibuistis? Quare Deos nostros in profundum stagni jactari consensistis? Responderunt milites et dixerunt: Hoc, Præses, quod te delusit, ut deos nostros eis tradere juberes, hoc nos decepit, ne eos mergi prohiberemus. Neque enim sciebamus, quod cum dolo tibi loquerentur mulieres. Siquidem putabamus, quod vere eis, ut dixerant, sacrificare voluissent. Mulieres dixerunt: Christus noster neque dolum facit, neque patitur: de eo quippe scriptum

1 Pet. 2. 22

est: Qui peccatum non fecit; nec dolus inventus est in ore ejus. Cultores vero ejus etsi dolos plerumque patiuntur, non tamen faciunt: et ideo noli putare cum dolo nos tibi locutas fuisse, sed cum derisione. Neque enim putabamus te tam stultum fuisse, ut credere posses nos unquam a Christi cultura cedere, et idolis sacrificare posse. Idcirco quod tu vel milites tui decepti estis, non nostræ dolositati, sed vestræ stultitiæ imputare debetis: quin potius vestri vobiscum dii et dolos patiuntur et faciunt. Et de vobis quidem certum est, quod dolos sicut aliis facitis, sic vicissim ab aliis patimini: dii autem vestri, si dolos non paterentur, præcaverent ne mergerentur. Si dolos non facerent, ligna vacua, lapides fragiles, æra, argentum et aurum, pro Deo vero colere non persuaderent.

*non dolo id factum,*

*sed ejus stultitia, quam irriserunt,*

B

16 Tunc Præses nimia ira repletus, caminum in conspectu earum succendi, et, ad majorem terrorem eis incutiendum, pectines simul ferreos, quibus corpora earum discerperentur, et tunicas æreas, quæ eis igne candentes induerentur, afferri præcepit. Ad ultimum lineam coram se extendi jubens, dixit mulieribus: Jam quia verbis vos persuadere nequeo, tormentis exquiro, quod lingua non valeo. Igitur ad rectitudinem prioris fidei vestræ ostendendam, *b* super hanc lineam ambulate, neque ad dexteram neque ad sinistram declinantes, aut si hoc facere nolueritis, vel non valueritis, ista tormenta omnia in vos expendam. Una autem ex eis, quæ secum habebat filios duos itidem in martyrii agone positos, audacter currens eamdem lineam tulit, et in ignem incensæ fornacis misit: Sic, inquit, Deus ab hac vita auferret, et in ignem æternum mittet omnes qui aut Christum colendum non existimant, aut deos adorandos censent. Tunc parvuli intelligentes matrem hac occasione ad palmam martyrii esse perventuram, uno ambo ore dixerunt ad eam: Noli nos, mater sancta, noli in hac terra derelinquere, sed simul tecum ad cœlestia regna rape: et sicut nos adhuc infantulos terreno pane aluisti, sic jam fortiores pane replo cœlesti, quem nobis sæpius, utpote filiis alludens, promisisti.

*proposita tormenta rident,*

*b*

*pueris duobus matrem sequi ad mortem optantibus*

C

17 Tunc Præses præ nimio furore jam semetipsum non capiens, nec diutius ferre sustinens, suspendi eas, et pectinibus ferreis carnes earum exarari imperavit. Mira valde res et auditu rara. Ex vulneribus inflictis, militibus ipsis videntibus, lac pro sanguine decurrebat: sed et ipsa corpora earum tanquam flamma fulgida, et ut nix dealbata erant. Angelus autem Domini de cœlo descendit: et vulnera earum sanans dixit: Jam bene inchoastis; nunc ad finem tendite certaminis. Sicut namque mercenarius a messe sui laboris initium sumens, mercedem a suo conductore accipit, si ante messis finem a labore non recesserit: ita et vos jam pro Christo dura tormenta perpessæ, martyrii coronam accipietis, si in Christi confessione perseveraveritis. Qui enim usque in finem perseveraverit, hic salvus erit.

*ferreis pectinibus lacerantur, lacte emanante pro sanguine, ipsæ fulgentes, ab Angelo animantur:*

18 His prodigiis territus Præses, deponi quidem eas de eculeo jussit; neque tamen a crudelitatis suæ sævitia cessavit. Depositas namque mox mitti in fornacem ignis ardentis mandavit. Ubi dum secundum mandatum Præsidis missæ, sine læsione sui, sine adustione vestimentorum, hymnum Domino dicentes, huc illucque deambularent; mox ignis extinctus est. Ita de fornace egressæ, auro ter cocto puriores, et argento septuplum colato nitidiores, omnium in oculis splendentes et nive candidiores apparuerunt. Omnibus itaque admirantibus, Præses verecundiam, quem mente patiebatur, vultu dissimulans, ait ad eas: Hoc magicæ vestræ, quas Christus vester vos docuit, fecerunt. Sed jam has vanitates deponite, et vel sero deos nostros adorate: ne, quod ultimum est, capitali vos sententia damnem. Respondentes dixerunt: Neque Christus noster magicam docuit, neque servi ejus magicam sciunt: sed quia omnipotens Deus per cultores suos quod vult operatur. Tu enim quod minaris verbis, ostende et operibus: et quod pridem cœpisti, quandoque agonis nostri finem adimple. Nobis quippe dilationes tuæ ingratæ, nobis morulæ omnes longæ videntur, quia jam ad cœleste regnum vocatæ, et ad nostri certaminis coronam invitatæ sumus.

D

*projiciuntur in fornacem; igne extincto*

*exeunt illæsæ et splendentes.*

*Præsidem id magiæ tribuentem refellunt:*

19 Tunc Præses Agricolaus vehementer erubescens, quod eas exsuperare non posset, data sententia, capite eas truncari jussit. His sanctæ mulieres auditis, gratias Domino agentes, dixerunt: Gloria tibi, Christe, qui nos ad tuam misericordiam vocare dignatus es, et pro tuo nomine pati tribuisti. Ecce jam lætæ ibimus, ecce mortem pro tui nominis confessione alacres suscipiemus; ut ad te, qui es vera vita, venire valeamus. Cumque ad locum ubi decollandæ erant, gratulabundæ properarent, pueri, quorum supra mentionem fecimus, eas sequentes, ad matrem clamare cœperunt, et dicere: Jam, Mater sancta, vestræ vobis coronæ sunt præparatæ: sed quare nos deseris, aut cui nos derelinquis? Itaque commenda nos sancto Martyri et fortissimo atlethæ Christi Patri nostro Blasio Episcopo; ut quia cum matre non licuit, saltem cum Patre ad Christum, et ad regnum cœlorum perveniamus. His cum pueri querulis vocibus una cum eis ad locum suo triumpho præfinitum, pervenissent; beatæ mulieres copiam orandi a lictoribus petierunt. Qua accepta flexis genibus, et manibus simul cum oculis ad cœlum elevatis, hanc supplices orationem ad Dominum fuderunt: Domine Deus, qui nos de tenebris et utero matrum in hujus mundi lucem venire fecisti: tu qui nos per sanctum servum tuum Blasium ad tuæ caritatis notitiam de perfidiæ errore perduxisti; te laudamus, te benedicimus, te glorificamus: quia nos ad hanc nostræ glorificationis horam perducere, et sanctorum Martyrum tuorum numero connumerare dignatus es. Quis enim est sicut Deus noster? Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia. Et nunc, Domine Deus, quia inter cetera mirabilia tua, nos ancillas tuas ita glorificare dignatus es, et jam tempus est ut ad te veniamus, quem credimus corde, quem ore confessæ sumus, quem toto semper corde, ex tui nominis cognitione, desideravimus; tu nostri corporis sacrificium acceptum habere dignare: suscipe nos sicut oves occisionis, ac sanctæ Martyri tuæ Theclæ, quamvis minimas et indignas, in cœlis conjunge. Suscipe spiritum et animas nostras, quas in manus tuas, Domine, nunc per merita et orationem sancti servi tui Blasii commendamus; qui primus nos ad tuæ veritatis cognitionem, et tui nominis confessionem perduxit. Parvulos quoque hos, fac hujus sancti Martyris tui solatium habere et simul cum eo ad tuam misericordiam pervenire, Christe Deus noster, qui cum patre, et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia secula seculorum. Cumque pueri

*morti adjudicatæ*

E

*exultant,*

*pueris orantibus se S. Blasio ab iis commendari:*

*gratias Deo agunt,*

F

*et pro pueris illis orant.*

A pueri respondissent, Amen : mox a spiculatoribus sunt decollatæ pro Christo, et proprio sanguine coronatæ, ad Dominum, pro quo passæ sunt migraverunt.

a *Melius Metaph.* obsignatos. — b *Non videtur Auctor assecutus primi scriptoris sententiam. Græce apud Metaph. est,* περιπατοῦσαι ἐν τῇ ὀθόνῃ, ambulantes in linea veste

## CAPUT IV.

### *S. Blasii et duorum puerorum martyrium.*

Post hæc beatus Martyr Blasius iterum a carcere revocatur, iterum ad audientiam exhibetur, iterum tormentis subjicitur. Nam tertia jam sessione Præses sibi tribunal præparari præcepit : ubi cum S. Blasius adductus fuisset, Præses ait : Ad hoc te, Blasi, isto tempore distuli, ut aliquid; quod ad tuam utilitatem pertineat, hac dilatione deliberasses. Accede vel sero, et sacrifica diis. Quod si non feceris, jam te diutius non feram. Sanctus Martyr dixit : Cæcitatis tuæ tenebras, Præses, non satis admirari queo. Miror quippe te lumen, quod in aperto est et omnibus patet, non videre. Si enim verum lumen vidisses, nequaquam idola adorares. Si verum lumen vidisses, nequaquam ligno, lapidi, æramento, B argento et auro diceres : Deus meus. Quisnam nesciat opera manuum hominum deos non esse? Si hæc deos esse nescis, mitte in ignem, et cum ligna conflagrata, lapides disrupti, æra, argentum et aurum conflata fuerint; tunc esse vera quæ dixi comprobabis. Sed jam scio, quæ mihi propter rationem veritatis præpares tormenta : unde quævis tormenta, quævis exerceas in me supplicia; ego nihil horum, Christo me confortante, timebo. Siquidem corpus meum in potestate habes : animam autem non habes. Sic enim ipse Christus Dominus meus dixit : Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Potest enim ipse, cui servio, qui in cœlis est Deus, etiam corporaliter me, si vult, liberare de manibus tuis.

*S. Blasius ridens deos,*

*et Præsidis minas,*

Matth. 10, 28

21 Præses dixit : Et quomodo te Christus tuus, ut dicis, Deus eruere potest, si te in stagnum profundum demergi præcipiam? B. Blasius dixit : Stulte, et ecce tu idola, imo dæmones adoras, et tamen in tuis necessitatibus invocas, et auxilium ab eis speras : et ego Deum verum colens et adorans, unquam debeo de ejus potentia diffidere, unquam de C ejus adjutorio desperare? Et si enim dii tui, ut dicis ibidem demersi, inde emergi non potuerint; Christus tamen meus etiam in hoc elemento suam tibi virtutem ostendere potest. Neque enim est in aquarum substantia virtus ejus insueta. Nam, ut omittam quod aquis per Spiritum sanctum nostra peccata abluuntur, et ipse in corpore positus super undas maris tamquam super terram ambulavit, et sanctum itidem Apostolorum Principem Petrum pendulis super aquas vestigiis ad se venire præcepit. Unde qui Apostolo concessit, et mihi servorum suorum minimo concedere potest. His dictis, cum Præside et innumera populi multitudine venit ad stagnum. Cumque Dominica Cruce aquam signasset, mox ad sustinenda ejus vestigia tamquam arida effecta est : et velut in terra, ita super ipsas aquas currens, venit in medium stagni. Ibi residens, inde Præsidem, et omnem simul adstantem populum allocutus est : Si est in diis vestris aliqua potentia, vel si vobis in eis est aliqua confidentia, et vos aquas introite, et in nomine eorum super ipsas ambulate, ut ita demum virtutem eorum ostendatis. Ad hæc sancti Martyris verba octoginta viri auxilium deorum invocantes, aquas audacter ingressi, mox in profundum demersi sunt. Angelus autem Domini D de cœlo descendit, et lux simul super eum inenarrabilis refulsit. Et omnis populus, qui adstabat, lumen quidem videre poterat, sed Angelum præ nimio fulgore non cernebat. Angelus vero ad beatum Martyrem dixit : Egredere jam gloriose, ad coronam tibi a Deo præparatam festina. Tunc surgens, iterum super ipsas aquas tamquam, super terram ambulavit. Cumque de stagno egressus esset, omnis populus qui aderat, in luce, quæ apparuit super eum, et in splendore vultus ejus admirabatur.

*projicitur in stagnum:*

*quo, Cruce signato, non mergitur,*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*mersis militibus idem ausis: educitur ab Angelo, cum ingenti luce*

22 Præses tamen tot miraculis visis, nec ad parcendum Martyri flecti, nec ad credendum potuit adduci. Denique convocato eo, dixit : Jam video, Blasi, quod decrevisti, ut in obstinatione tua perdures, et deos non adores. Unde et me scias decrevisse ne jam tibi parcam, sed ultimam in te sententiam feram. Tunc iratus dictavit sententiam in hunc modum : Blasius, qui me contempsit, et Imperiali præcepto contradixit, deosque inhonoravit, et insuper octoginta viros aquis demersos interfecit, simul cum duobus pueris, quos magicis suis decepit, capite truncetur.

*adjudicatur morti cum 2 pueris:*

23 His sanctus Martyr auditis, de sui agonis jam fine securus, et Domino gratias agens una cum spiculatore et pueris ad locum suæ decollationi præs- E titutum properare cœpit. Ubi cum pervenisset et orandi facultatem a spiculatore nactus esset, flexis genibus, et corde simul ac manibus, oculisque ad cœlum sublevatis, in hunc modum oravit : Domine Deus meus, qui me de idolorum errore ad tuæ religionis cultum revocasti; Christe, qui lux vera es, et omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, meæ quoque ignorantiæ tenebras illuminasti; Deus virtutum, qui sedes super Cherubim, et cataractas cœli aperiens, das pluviam super faciem terræ, et in signum fœderis tui arcum tuum super eam extendis; tu qui humani generis hostem diabolum pro nobis crucifixus subjugasti, et vectem tortuosum draconem antiquum exsuperasti; adesto nunc mihi servo tuo exaudi orationem, quam pro tuo nomine decollandus ad te ultimam fundo. Adesto omnibus, et justa singulorum vota perfice, qui ob mei servi tui glorificationem nomen tuum glorificaverint vel ob mei memoriam ad gloriam tui nominis aliquid fecerint. Si cujus gutturi ossiculum inhæserit, vel aliquid forte in gutture incommodi passus fuerit, et tuam cum fide opem, cum patrocinii mei invocatione, postulaverit, ad ejus virtutis testimonium, quam olim per servum tuum fecisti, tu ei suc- F curre; et eum ab imminenti discrimine sublevа. Si quis infirmitate aliqua prægravatus, si quis in quocumque periculo positus, mei nominis memor fuerit, et tuum auxilium cum mea intercessione supplex imploraverit; tu et illum ab infirmitate sana, et istum a periculo libera, et omnibus prorsus in suis tribulationibus, te per nomen meum fideliter interpellantibus, adesse dignare.

*orat pro iis qui sui memoriam colent,*

*præsertim in dolore gutturis aut alia necessitate.*

24 Adhuc Martyr in oratione jacebat, et ecce nubes lucida infulsit super eum, et vox simul de nube insonuit, dicens : Ego sum Deus, qui te, athleta dilectissime, et glorificabo et glorificavi : proinde omnia quæ petisti, juxta singulorum fidem et utilitatem, ego adimplebo. Ego in infirmitate, ego in periculo, ego in qualibet tribulatione positos, si eum tuo me oraverint patrocinio, aut in præsenti liberabo, si eos liberari expedit, aut in futuro vitam eis æternam condonabo. Sed et pauperculæ illius, pro qua me orasti, et omnium perficientium memoriam tuam, domum benedicam, et tam in præsenti eos temporalibus bonis replebo, quam in futuro æterna eos mercede remunerabo. Et his dictis simul cum voce nubes discessit.

*qua voce Divina e nube missa, præstanda a Deo intelligit*

25 Et

A 25 Et ita demum Martyr, simul cum duobus pueris, foras muros Sebastæ civitatis, capite truncatus est. Collegit autem corpora Sanctorum quædam mulier, nomine Helysea, prudens admodum et timens Deum; et in eodem loco, quo decollati sunt, digne reposita pariter sepelivit. In quo loco innumera usque hodie miracula, in diversarum infirmitatum medela, ad gloriam nominis sui, et glorificationem servi sui, Dominus operatur. Ita Martyr carceris maceratione, verberum flagellis, equulei suspensione, pectinum dilaceratione, aquarum discrimine, et postremo gladii percussione approbatus, et pluribus et magnis miraculis gloriosus, e terris ad cœlos, ex hominibus ad Angelos, de mundo ad Dominum migravit.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS plectitur capite:*

*sepelitur: miraculis, a morte claret:*

26 Audiens vero paupercula illa, quæ in carcere ad eum venit, gloriosum transitum ejus; juxta Martyris præceptum, luminaria in ejus memoriam incendebat, et cuncta quæ vel de carne vel terræ fructibus habere poterat, pauperibus et egenis distribuebat. Cujus exemplum monitis suis plures alii, vel ex parentela ejus, vel vicinis vel familiaribus secuti, multa ex eo tempore in ejus nomine et memoria pauperibus erogare cœperunt: et hujus facti memoria etiam usque in hodiernum diem perseverat. Nam

*recolitur ejus memoria, cereis et eleemosynis.*

B semper annuo festivitatis ejus recursu, in loco martyrii ejus eleemosynæ et pauperum receptiones fieri, et lampades ac luminaria incendi, et hymni in ejus honorem et Dei gloriam celebrari solent. Passus est beatissimus Martyr Blasius Episcopus in Sebaste civitate, sub die tertio Nonarum Februariarum, sub Præside Agricolao, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum Patre simul et Spiritu sancto honor et gloria in secula seculorum, Amen.

# III ACTA

## AUCTORE ANONYMO,

### ex MS. monasterii Bodecen. Can. regular. *descripta a Joan. Gamansio Soc.* Jesu.

### PROLOGUS AUCTORIS.

Cum ab Apostolis Apostolorumque successoribus fundata per universum mundum Ecclesia fideliter floreret, et juxta Evangelicam similitudinem jacto versi Dei semine bona terra in aliis tricesimum continentiæ, in quibusdam sexa-

*Matth. 13, 8*

C gesimum viduitatis, in aliquibus centesimum sanctæ virginitatis fructum uberrim proferret, ad comprobanda etiam illa quæ secus viam et quæ in petrosis vel in spinis ceciderant; ad segregandas quoque a tritico paleas, Divinæ examinationis ventilabro purganda interdum etiam permundabatur. In singulis denique urbibus, vicis et regionibus, ex vulgi seditionibus persecutionis immanissimæ procella surgente, non solum fortioris ætatis viri et mulieres, sed et decrepiti senes, et impubes pueri et puellæ comprehenduntur, tribunalibus Regum et Præsidum sistuntur, ac primo quidem blanditiis, præmiis et honoribus ad denegandam fidem alliciuntur; deinde cunctis tormentorum generibus ante oculos expositis coguntur. Horum quidam, ut arundo ventis agitata, mox ipso pœnarum aspectu territi cedere: alii post primam et secundam vel tertiam quæstionem, utpote fundamento super arenam locato, ventis et inundatione impingentibus, miserabiliter cadere, captique venanti Babyloniæ facti, divitem dentibus ejus prædam exhibere. At hi qui domus suæ fundamentum super petram posuerant, quot pœnarum sustinuerunt genera, quæ lingua enumerare sufficiat? Alii carceralibus tenebris damnati, fame et siti enecantur, alii vivi decoriantur, quidam flagris,

*In persecutione multis cadentibus,*

*multi gloriose certant.*

D verberibus et plumbatis afficiuntur, alii lapidibus obruuntur, alii flammis exuruntur, quidam ad exemplum Dominicum cruci affiguntur, alii multipliciter excruciati postremo gladiis transfiguntur. Quibus enim Christus vivere fuit, et mori lucrum, dum hunc solum mentis oculis intendunt, hunc esuriunt, sitiunt, desiderant, omnes qui inferri possunt corporum cruciatus parvipendunt. Unde et corporibus eorum in pace sepultis, nomen et gloria manet in secula, laudemque eorum omnis concelebrat Ecclesia.

2 De quorum omnium numero unius præcellentissimi et pene incomparabilis viri, B. Blasii passionem, jam ante quidem stylo memoriæ traditam, sed minus idoneæ, ego, licet indignus, devotus tamen laudator, mihi vendico explicandam: non de mea quidem præsumens scientia; sed in illius confisus misericordia, qui ora mutorum aperit, et linguas infantium facit disertas. Quod si mihi aliqui velint imputari, quod me majora modumque meum excedentia præsumpserim, dent, rogo, veniam audaciæ. Quod si eorum auctoritas id agere dignata fuisset, mea inscitia eorum peritiæ libentissime cessisset. Simul et noverint me non ex protervia, sed ex debito laudem hanc quantulumcumque tali Patrono obtulisse, quippe qui de ipsis faucibus mortis erutus E vitæ vigeo restitutus. Ego prout possum balbutienti lingua propositum exordiat.

*Auctor Acta S. Blasii scribit, ab eo mortis periculo liberatus.*

## CAPUT I.

### *S. Blasii virtutes, miracula.*

Igitur beatissimus Martyr et fortissimus athleta Christi Blasius Sebasteæ, metropolis Cappadociæ, extitit indigena, nobili exortus parentela: sed hanc carnis nobilitatem, excellentior mentis generositas per morum decoravit probitatem, et honestæ vitæ conversationem. Erat enim prudens, mitis, aspectu jocundus, affabilis, castitate præcipuus, pietate et patientia præpollens; quem neque prospera extollerent, nec adversa dejicerent; caritate diffusus, misericordia omnibus amabilis, discretione solertissimus, omnigenarum virtutum floribus exornatus. Rara tunc temporis in eadem, quam prædiximus, urbe Christianorum conventicula erant: quippe in montibus et speluncis et in abditis terrarum, violentia persecutionis cogente, latebram fovebant Christiani. Nam Licinius, quem Christianissimus et totius religionis Imperator Constantinus Imperii collegam asciverat, sibique pro morum probitate et primæ fidei pietate, sorore sua ei in matrimonium F data, arctius devinxerat, ad sacrilegia paganismi prolapsus, fidei oblitus, in invidiam ejusdem Principis statum Ecclesiarum, quem prius omni studio instauraverat, nunc graviter turbando conquassaverat, et qui ante in persecutores Christianorum durissime ulciscebatur, ipse nunc versa vice persecutionis crudelissimæ auctor et machinator efficitur: Ecclesias, quas a Galerio Maximiano et Maximino destructas ipse propriis impensis reædificaverat, diruit: Dei populum, et maxime Sacerdotes et Clericos, novarum inventor pœnarum, exquisitis et inauditis cruciatibus afficit, nullumque tutum consistendi locum relinquit. At hi qui in Sebastia pauci numero remanserant, cum et ipsi inquantum poterant, occultarentur, B. Blasii in carne præter carnem viventis conversationem cernentes, unanimi concilio pari consensu et electione Præsulem eum sibi statuere.

*S. Blasii patria, genus, virtutes.*

*Episcopatus quali tempore ei impositus?*

4 Quibus cum aliquamdiu non solum verbo prædicationis, sed et sanctæ vitæ exemplis irreprehensibiliter præfuisset, eremi secreta cœpit meditari, crebis jejuniis, ac suspiriis, cum David proclamans: Quis

A Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? et volabo et requiescam. Elongavit fugiens et mansit in solitudine: *latebræ in monte* ut qui cum Martha hactenus in pratica vita desudasset, jam cum Maria theoriæ dulcedinem prægustare valeret. *Psalm. 54. 7* Reperto denique specu in monte Argæo, (qui ut Solinus perhibet, nivalibus jugis arduus ne æstivo quidem *a* sole torrente pruinis careret), *a* *ferarum consortium.* ibidem se contulit, solusque cum solo mussitans Deo, quamquam ab omni humanæ visitationis se submovisset solatio; agrestium tamen ferarum accessu frequentabatur creberrimo: quarum si quæ alicujus malæ valetudinis incommodo laborarent, tamquam intellectuali spiritu instigante, ad eum ferebantur, ejusque pedibus acclines medelam sanitatis, voce *curatio.* qua poterant, precabantur. Quam cum benedictione se consecutas esse sensissent, hoc ei beneficii, et quasi pro gratiarum actione rependebant, ut nequaquam ab eo recederent; sed veluti patrono famulorum more jugiter assisterent. O beatum virum, non inferiori gloria Heliæ et Danieli comparandum! quorum unus et ipse in eremo degens ferarum cohabi- *b* tator, rapacium coruorum *b* ministerio pascitur: alter vero in lacum leonum projectus, traditoribus suis ab eis coram se devoratis, ipse illæsus et securus in medio eorum requiescit. In hoc scimus eis B etiam eum præferendum, quod non solum inter bestias commorabatur, sed et in ægrotantes eas non *gratitudo.* parma sanitatum insignia operabatur. Tua Christe hæc sunt opera: pietatis tuæ hæc sunt magnalia. Et o miseranda et lugenda hominum stultitia! En irritionabilia animalia expetendæ a Dei servo sanitatis sensum habent: ea consecuta, ne velut ingrata videantur, officium pro posse rependunt: homines vero rationabiles, ad imaginem et similitudinem Dei conditi, obcæcatis mentium oculis, et induratis cordibus, nec Deum, nec Sanctos ejus agnoscendo reverentur; sed ligna et lapides ad auxilium sui invocant, his salutem suam et beneficia a Deo concessa deputantes.

5 His temporibus in eisdem partibus Agricolaus præsidatum agebat, qui omni bellua immanior, secundum possidentis et exagitantis se Satanæ voluntatem, genus Christicolarum graviter devastabat. Quodam vero die congregatis satellitibus suis et venatu missis, cum in montem Argæum devenissent, casu ad S. Blasii latebras devoluvuntur. *iis ante specum excubantibus.* Cernentes autem immensum gregem ferarum in unum conglobatum, vi timoris pene exanimes concidunt. Deinde recreato paullulum spiritu, quid- C nam hoc miraculi sit, inter se submurmurant: et mox rei veritatem certius exploraturi, vacillante licet gressu, illo pertendentes, spelæum reperiunt, et sicut humanæ curiositatis moris est, introspicientes, athletam Christi orationibus incumbentem *orans repertus.* deprehendunt. Quo viso, summa cum festinatione ad Præsidem redeunt, quæque viderant, narratione subtili referunt. At ille inhumanum pendens, et veluti lupus ad deglutiendam captam ovem rabie adactus, addito prioribus militum numero, morarum impatiens eos abire quantocyus urget, omnia loca diligenti inquisitione prescrutari; et quoscumque Christiani nominis reperiant, sibi præsentandos pertrahi jubet. Haud segniores illi insanis parent præceptis, abeuntesque specum pernici cursu ingrediuntur, sanctum virum adhuc precibus insistentem sic *citatur ad Præsidem.* alloquuntur: Surgens proficiscere; præsidalis jussio te suis jubet exhiberi conspectibus. Qui ab oratione consurgens, lætissimo vultu, hilari voce eos resalutat, dicens: Bene et opportune venistis, dulcissimi filii, gratulor de adventu vestro, quia tempus *divinitus præmonitus* meum jam adesse recognosco. Dominum enim meum Jesum Christum, cui servio, quem solum verum Deum corde credo et ore confiteor, hac nocte ternis mihi vicibus vidi apparentem, meque consuetudinaria sibi holocaustomata litare præcipientem. D *AUCTORE ANONYMO, EX MS.* Unde ipsius me gratia vocari credens, intrepido et constanti animo, quo vultis, carissimi, pergam. Ipse mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo.

6 Et surgens eadem hora lætus et hilaris iter arripit cum eis, te Christe semper in ore, te præ cordis oculis habens, te futuri agonis adjutorem sperans et remuneratorem. Sed nec in ipsa profectionis illius angaria ab opere prædicationis vacabat. Siquidem quoscumque Gentilium poterat, admonitionibus et exhortationibus ad Christum pertra- *in via prædicat* hebat, fidem dictorum, potentia signorum confirmante. Infirmos ab eis oblatos sola manuum impositione sanare, omnigenisque morborum doloribus potentis fidei virtute occurrens, solius orationis medicamen impendere. Nec in hominibus tantum, sed *ægros sanans manuum impositione et oratione,* et in diverso animalium genere, si qua fortassis læsione, ea laborare contigisset, hanc sanitatis gratiam operari. De quorum innumera multitudine, filius viduæ cujusdam testis ponatur, ut in hoc uno comprobetur, quod vel quantum tunc temporis con- *etiam bruta:* tulerit, aut nunc et usque in consummationem seculi, recta fide expetentibus misericorditer conferat. Isdem ergo puer dum vice quadam piscis edulio se reficit, subito spinæ in gutture ejus intolerabili cru- E ciatu cœpit affligi, et violentia doloris paullatim, in deterius crescente jam jamque egressum animæ præstolari. Cujus mater dum eum unicum haberet, *sic puerum, spina piscis gutturi inhærente pene suffocatum sanat* eique veluti jam exanimato supremas exequias luctuosa pararet, cognito beatum Antistitem Blasium ibidem transire, fide forti, spe de sanctitatis ejus meritis præsumpta, obvia currit, pedibus advolvitur, filium jam extremum halitum trahentem offert; ipsius casum suamque calamitatem cum lacrymis exponit, ut super se viscera pietatis et misericordiæ effundat, illum vitæ ac sanitati pristinæ restituendo, per Christum conjurat. At ille utpote totus caritatis visceribus plenus, fidem mulieris perpendens, ejusque miseriæ compatiens, genua flectit, nec solum pro præsenti puero, sed pro futuri temporis ægrotantibus, hanc ex intimo corde orationem Domino fundit: Domine Deus meus, Jesu Christe, qui prope es omnibus invocantibus te in veritate, qui voluntatem timentium te facis et deprecationem eorum exaudis: adesto et mei humillimi servi tui precibus, et hunc puerulum, ablata de gutture ejus qua angitur spina, matri incolumem redde. Precor *pro se invocantis orat:* etiam, Domine, ut ex hac hora cuicumque homi- F num hanc incidere passionem contigerit, si per commemorationem nominis mei, clementiam tuam in auxilium sui invocaverit, dicens: Domine Jesu Christe, verus Deus noster, per orationem servi tui Blasii festina in adjutorium meum, secundum multitudinem miserationum tuarum ei fideliter succurre, et ab omni infirmitatis, qua laboraverit, genere potenter digneris eripere. Quod si et diversa animalium et volatilium genera, quæ humanis deserviunt usibus, tale quid corripuerit, nomenque meum super eis invocatum fuerit; propitiare, Domine, petentibus, sanans ea, quia Deus miserationum et clemens tu es. Hæc cum perorasset surgit, signumque Crucis gutturi ejus imprimens, manu data eum sublevat, et incolumem matri, Deum jugiter collaudanti, reddit.

7 Jam fama nominis ejus, sanctissimæque vitæ munditia, etiam per totam Nicopolim increbuerat. Siquidem pro arte medicinæ, qua secundum secularem scientiam non minimum pollebat, ita jam etiam ante plurimis notus et amabilis extiterat. In ulte- *porcum a lupo ablatum restituit* riora itaque progresso occurrit anus quædam pannis et annis obsita, quæ ad subsidia totius vitæ, quam pauperrimam ducebat, nihil præter unam possidebat

AUCTORE ANONYMO, EX MS.

A possidebat suem, quam lupus invadens, rapacissimam expleturus ingluviem, exportaverat. Amplectens ergo Sancti vestigia, casum suum lacrymosis ei questibus intimat, et ut sui misereatur, ablatum sibi porcum restituens, miserabiliter efflagitat. Ille vero jeculariter hæc suscipiens, pie tristem consolabatur, dicens: Noli, paupercula, noli animum tuum mœrori intantum dedere, quia quod amissum defles, propediem tibi reddi gaudebis. Et ecce lupus, quasi per hæc verba interdictum degustandæ, quam rapuerat prædæ, audisset, eadem hora pervio cursu repedat, et sine ulla læsione integram illibatamque suem, cunctis videntibus, viduæ repræsentat.

a Abest ea vox a Solino Salmasii cap. 75 ut æstivo substantive dictum sit pro æstate. — b De apro quoque Blasio scribit Bollandus. Corvi quoque ei alimentum assidue deferebant. Idem tradit S. Antonio, Acta B. omnino habent, feras et aliam attulisse, ut alias corvi Eliæ ferebant, non male sint dispuncta.

## CAPUT II.

*Tormenta S. Blasio inflicta.*

Sanctus autem Blasius martyrii desiderio flagrans, et cum militibus cœptum iter accelerans, mox ut, ingressus metropolim Sebasteam, Præ-
B sidi nuntiatur adesse, claustris carceralibus jubetur includi, et postera die maturius eo surgente tribunalibus sisti. Quo præsentato, Agricolaus juxta interpretationem nominis sui (quodam enim sic interpretante, Agricolaus dicitur a agrestis blanditor)
*Præsidi intrepide respondens,* primo eum blande, sed ficte salutat dicens: Salveris, Blasi, pro deorum amicitia qua præpolles, omnibus honorande. Quem S. Blasius hilari vultu eodem modo resalutans ait: Salveris et tu, Præses illustrissime. Nolo te intantum falsitati dedas, ut, abstrusis contra intuendam veritatem mentis oculis, eos deos dicas, qui, opera manuum hominum, os habent et non loquuntur, et oculos et non vident, aures, et non audiunt, etc. Nam quod loqui videntur, ad decipienda misera hominum corda dæmones per eorum ora loquuntur. Cave ergo prudenter, ne tu colens et honorans similis eis fias; quia perpetuo tradentur igni cum omnibus qui confidunt in
*cæditur fustibus:* eis. Hanc ejus præclaram confessionem Præses furore cæcus non ferens, cum eum fustibus mactari jussisset, nec diutissime cæsus cederet, quin potius a Christo magis magisque confortari fateretur, confusus eum in carcerem recipi jubet.

9 Quod cum pro certo, fama vulgante, scisset
C anus illa paupercula, cui pridie per ipsius jussionem
Matth. 10, 42 lupus ablatam retulerat suem, memor Dominici illius dicti, quia quisquis dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam, pieque devotionis incitata voluntate, quod habuit, fecit, et eadem porca sua occisa, caput et pedes coxit: noctuque veniens ad carcerem secum detulit, et remuneratis custodibus, ut ad Christi athletam ingredi permitteretur obtinuit, accensaque lucerna ingrediens ei obtulit, ut ex his aliquid gustare dignaretur, obnixis deposcens
*cibo recreatur a vidua, mercedem, etiam temporalem, promittens* precibus. Qui suspiciens ad cælum, immensasque Deo grates referens, comedit, dansque illi benedictionem plenissimam, ut jugem sui memoriam habeat, hortatur: domum ejus, vel omnium qui hoc sequentes exemplum, sui sequus memorarentur, cœlestis benedictionis ubertate fœcundandas pollicetur. Cujus illa mandatum summa cum veneratione suscipiens læta se domum recipit; Deum pro gloriosissima confessione et sustinentia Martyris sui collaudans et glorificans. O vere divitem hujus viduæ paupertatem, et opulentiæ Crœsi Regis præferendam! O laudandam vetulæ fatuitatem, quæ etsi jam decrepita sensu poterat delirare, Evangelicæ tamen sapientiæ se haud expertem hoc monstravit, D
dum de crastino non cogitavit? O viduam illi Sareptanæ non incongrue comparandam, quæ dum pugillum farinæ, quem solum habebat, et parum olei, ut Heliæ esuriem satiaret, esuriens expendere non pertimuit, et ipsa cum filio a præsenti famis periculo liberari meruit, et meriti sui memoriam in secula dereliquit. Hæc nec inferior computanda videtur illi Evangelicæ viduæ, quæ dum duo minuta, id est, quadrantem, in dona Dei misit, Dominicæ vocis testimonio comprobata, omnibus, qui in gazophilacium æs jactaverant, divitibus præferri meruit; quia cum hi omnes ex abundanti sibi misissent, hæc ex penuria sua, totum quod habuit, dedit. Sic et hæc fidelis vidua fecit, quæ nihil aliud omnino, unde viveret, præter hunc unum possidens porcellum, ut sancto Martyri carceralibus claustris damnato subveniret, nec huic unico, quin potius nec sibi ipsi pepercit: unde nec recedet memoria ejus, et justitia ejus manet in seculum seculi.

10 Alia igitur die illucescente, Agricolaus tribunali in secundo secretario sibi præparato eductum de carcere B. Blasium præsentari jubet: astantem, ut diis suis sacrificaret, blanditiis exhortatur; si recuset, diversis tormentorum generibus attrectandum minatur. Abnegat, interitum diis, qui cœlum E
et terram non fecerunt, imprecatur; se Christi cultorem esse semperque futurum profitetur. Cur in inferendo promissa supplicia moretur, coarguit: horum se apparatu, quanto multiplicior sit, velut exquisitarum epularum ferculis delectari; virtutem sufferentiæ et fortitudinem sibi de cœlo a Christo subministrari. At Præses eum nec blanditiis inflecti, *ferreis pectinibus dilaniatur,* nec minis cernens terreri, suspensum in eculeo mandat excruciari, totumque corpus ejus, novo crudelitatis genere, ferreis pectinibus dilaniari. Fortissimus Dei agonista adhuc immobilis videtur *immobilis velut non sentiens.* permanere, oculos cordis et corporis ad cœlos erigere, te, Christe, infatigabili voce jugiter laudare et glorificare; nil se pœnarum sentire, cui tu adjutor adsis, Tyranno improperare.

a Videtur scriptor hic ab ἀγριοστόλος, deflectere Agricolai nomen, ut sit agrestis adulator. At potius ab ἀγριολαός, agrestis populus, ἀγριολαος, agrestis lapis dedit eodum.

## CAPUT III.

*Septem mulierum martyrium.*

Tunc ille cruentas lanistarum suorum manus persentiscens lassescere, ipsum nullatenus cedere, imo valentiorem tortoribus existere, quoad F
usque gravius aliquid, quo perimatur, excogitet, victus et confusus eum in carcerem reduci jubet. Quo cum a militibus deducitur, ecce mulieres quædam septem numero, quibus ipse Christi bonus odor factus fuerat odor vitæ in vitam, accepta in Deum fiducia sequuntur, sanguinem ex incisionibus dilaniati corporis distillantem fervent studio colligunt, corporaque sua optimi et pretiosissimi unguenti unguine liniunt. Hac de causa a carnifici- *7 mulieres, sanguinem ejus colligentes capiuntur:*
bus requisitæ, ne fortasse et ipsæ sint Christianæ, constanter profitentur, tenentur, ad Præsidem ducuntur, Crucifixi legibus obedire accusantur. Quas cum ille blandis persuasionibus ad thurificandum idolis exhortaretur, continuo pœnarum formidine se territas a fingentes, assensum suum præbituras a
pollicentur, ea conditione, ut ad lacum pariter progressæ manus et facies inde lavent, sicque diis allatis et in ipsa ripa venerabiliter locatis, mundis manibus et toto corpore, grata eis libamina litent. Mox summo exhilaratus gaudio, cum omni celeritate militibus voluntati earum parere præcepit, simul et ipse spectandi eventus gratia, moræ impatiens,

cum

A cum eis pergit. Ut igitur ad lacum perventum est, simulacbris in ripa locatis, summaque ambitione exornatis, sanctæ mulieres ea in manibus velut osculaturæ et oblaturæ suscipientes, in voraginem laci projiciunt.

*idola in lacum abjiciunt:*

12 Tum vero Præsidem cerneres mente alienatum, facie immutata expalluisse, et inter iram metumque æstuantem quid ageret, quove se verteret palpitare. Balbutiendo tamen vix exclamat, et milites circa eas stantes, cur diis suis non subvenirent, ne mergerentur, increpitat. Illis e contra excusantibus, dolositate mulierum se circumventos, numquam eas tantum flagitii admissuras credidisse. Sanctæ mulieres dixerunt: Divinitas jam humano non indiget auxilio, sed humanitas divino. Si dii fuissent, non vos eos, sed ipsi vos jugi custodia tueri debuissent. Quia vero ligna erant et lapides et æramenta, vestra hactenus defensabantur custodia. Ecce perierunt, similiter et vos, nisi resipiscatis, peribitis, et omnes qui confidunt in eis.

*deos rident:*

13 Tunc alter Nabuchodonosor cæcus furore, et tamquam leo rugiens, fornacem Babylonicis fomentis et viribus mandat succendi, plumbum reliquari, pectines ferreos afferri, septem tunicas æreas ad mensuram corporis sigillatim fieri. Contra vero in alio B loco pannum lineum candidissimum oppandi. Residens proinde pro tribunali, convocatis eis, dat arbitrium eligendi, quod libuerit, aut diis sacrificent, de præterito errore pœnitentiam agentes, et super lineum pannum ambulent, cum jucunditate vita perfruentes, insuper donis magnis honorentur; aut recusantes, tormentis, quæ in præsenti cernant, aliisque gravioribus, quæ excogitare possit, consumentur. Quarum una felix duorum pignorum mater, arreptum eumdem, super quo incedere jubebatur, pannum projecit in furnum candentem, qui mox flammis consumptus est; parvulis ei jugiter adhærentibus, et quod de tali ætatula vix cuiquam credibile videatur, commori cum ea summo desiderio præoptantibus.

*tormenta contemnunt:*

14 Cumque nullo modo flecti quirent, in eculeis suspenduntur, et ferreis pectinibus toto corpore dilaniantur. Sed eis ad Dominum proclamantibus. Ne tradas, Domine, bestiis animas confitentium tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem; et rursum: Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram; totius doloris expertes redduntur; ipsis carnificibus cernentibus, quod rivi lactei pro sanguineis de inflictis vulneribus emanaC rent, et dilaceratæ carnes niveo albore candescerent. Angelorum enim visitatione et afflatu recreatæ, ab omni plaga sanabantur: quorum et exhortationibus corroboratæ ad perseverandum usque in finem, pro percipienda æternæ palmæ corona commonebantur.

*pectinibus ferreis dilaniantur, lacte e vulneribus manante*

*sanantur et animantur ab Angelis.*

15 Post hæc Præsidis jussu ex eculeo depositæ, liquenti plumbo perfunduntur, nec læduntur. Dein septem tunicis æreis inclusæ, sed nec ab his quicquam læsionis perpessæ, camino jam ardenti immittuntur. Nec ipsis in hoc camino defuit, qui in illo Babylonico tribus pueris quondam adfuit. Nam mox flammis extinctis, cœlesti gratia irrorante refrigerantur, et egredientes sanis et integris corporibus, impio Judici repræsentantur. Sed induratum cor Pharaonis, nec tanta miracula Divinæ potentiæ, sed magicis deputat artibus. Cui sanctæ mulieres: Nos, inquiunt, gratias agimus Domino Deo nostro, qui nostri, licet peccatricum, misertus, tanta erga nos dignatus est operari magnalia, a quo ecce ad ingrediendam perpetuæ vitæ viam vocamur. Tu vero, carnifex inique, cujus cor satbanas obduravit, et oculos, ne verum videre possint, excæcavit, a cœptis ne desinas: ne, quæsumus, nobis moram facias, quia ecce patentem videmus, quam ingrediamur, regni cœlestis portam.

*liquente plumbo, et igne non læduntur*

16 Tunc per omnia victum se sentiens, quod unum D restabat, confusus, in omnes simul gladio animadverti mandat. Cumque a carnificibus perductæ fuissent ad locum, ubi felicem expleturæ erant cursum, impetraverunt ab eis quantulumcumque orandi spatium, et flexis genibus hujusmodi orationem fuderunt, dicentes: Domine, Domine, cujus non est similis in diis, et secundum cujus opera non est, quia magnus es tu, et faciens mirabilia, tu es Deus solus. Deus noster, qui vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt; qui de tenebris lucem splendescere facis, qui nos de infidelitatis tenebris in hanc splendidissimam veritatis lucem vocare dignatus es, immensam pietatis tuæ misericordiam obsecramus, ut per interventum beatissimi Martyris tui et Patris nostri Blasii, cujus verbis et exemplis fidei tuæ rudimenta percepimus, et ad hunc præclarissimum martyrii agonem animatæ sumus, nos licet indignas inter oves tuas connumerare, et in ea perpetuæ vitæ sorte, in qua sanctam Martyrem tuam Theclam constituisti, digneris deputare. His peroratis surgentes, manibus expansis, et oculis ad cœlum elevatis, tamquam ex uno ore dixerunt: Gloria tibi, Christe Deus noster, qui nos in hanc horam perducere dignatus es: et nunc, Domine, quia tibi sacrificium est spiritus con- E tribulatus, et cor contritum et humiliatum non spernis, in anima contrita et spiritu humilitatis nosmetipsas, quia aliud non habemus, holocaustum tibi sacrificamus. Suscipe animas nostras et perduc in regnum tuum.

*AUCTORE ANONYMO EX MS. addicuntur morti:*

*Deo gratias agunt:*

17 At illi duo parvuli, de quibus supra dictum est, cernentes matrem suam jamjamque finiri, nullam exinde, quemadmodum humana fragilitas, et maxime illa assolet ætas, tristitiam habuere, sed sancti Spiritus gratia confortari precabantur eam, ut quandoquidem ipsa jam ad perpetuæ coronæ palmam appropinquaret, se beatissimo Patri et Doctori commendet. Nec mora; extractis lictores gladiis sanctarum amputant capita mulierum; sicque, lutea mole corporis deposita, terrea linquunt, cœlestia secundo martyrii baptismo candidatæ, cum Christo jam in æternum regnaturæ, petunt. O beatam mulierum memoriam, in secula prædicandam, omnique laude celebrandam, quæ cum seculo sexum vincentes, caput serpentis calcaneo suo insidiantis contriverunt! Ecce nunc singulis animarum immortalitate stolis acceptis tripudiant, post in resurrectione corporum, cum occurrerint omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, binas recepturæ F stolas.

*pueris rogantibus, ut ipsos S. Blasio commendent,*

*plectuntur capite.*

a *Melius in secundis Actis postulasse ut dicuntur, irridentes tyrannum, qui stolida credulitate captus est.*

## CAPUT IV.

### *S. Blasii et duorum puerorum martyrium.*

His igitur ad cœlestia de presenti seculo nequam translatis, vas iræ et iniquitatis Agricolaus Judex, tertio jam pro tribunali residens, fortissimum Christi Martyrem Blasium carceralibus claustris evocatum sisti jubet, quem et ita affatur: Vel nunc consenti mihi, diis libamina offerendo: aut si ulterius distuleris, variis (per deos juro) pœnis sine procrastinatione interibis. Cui sanctus Episcopus respondit: Crudelissime carnifex, cujus cor secundum Isaiam excæcatum est, et aures aggravatæ, et oculi clausi; ne forte oculis videas, et auribus audias, et corde intelligas, et convertaris, et a Deo saneris: putasne me aliquibus tormentorum generibus a veritatis semita deflecti, lignis et lapidibus insensibilibus inclinari? Nempe si credis hoc, falleris, quia idem ipse qui semper fueram, et sum et semper ero verus Christianus.

*Isai, 6, 10*

*tertio Præsidi insultat S. Blasius.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A Christianus. Soli meo corpori crudelitas tua dominari valet, anima autem solius Dei dominio subjacet. Quis ergo magis metuendus est, utrumne tu qui occidis corpus, animam autem non poteris occidere; an Deus qui postquam occiderit, habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam? Nempe Deus est, cujus iræ vindictam vehementer pertimesco, promissa desideranter expeto: te vero cum minis tuis pro nihilo computo; imo ut quæ minaris, perficias, totis votis exopto.

19 Præses dixit: Ecce te, o insane et miserabilis, in laci voraginem submergi præcipio, et quid tibi conferre poterit auxilii, quem tanto studio colis et prædicas, Christus tuus? Aut qualiter te de manibus meis liberare quibit, qui nec semetipsum quidem de durissima, quam perpessus est, morte liberare quivit? Obmutesce (exclamat sanctus Martyr) infelix lingua, nec me audiente tamen Creatori irrogare audeas blasphemiam; quin potius huc pariter properemus, ne feceris moram, ut et in hoc canina impudentia tua cognoscat, quæ quantave sit virtus et potentia Dei et Regis mei, qui est Rex Regum et et Dominus dominantium. Quibus dictis, continuo omnibus anticipatis ad lacum se pernici gressu proritur, invocatoque Christi nomine, et signo Crucis

*aquis Cruce signatis non mergitur:*

B contra aquam edito, mox eam ipso supergradiente, velut in soli duritiem cerneres obduruisse. O factum Dominico facto æquiparandum! o virtutem Domini per servum in uno eodemque elemento renovatam! Dominus super tumentes fluctus maris siccis transit vestigiis, ecce servus in ipsius nomine super terribilem laci voraginem deambulans potenti fide, parique virtute, veluti super solidam terræ planitiem haud submergendus residet. Nec mirum, cum hoc ipse sequentibus se in Evangelio promiserit dicens: Qui in me credit, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet.

*Joan. 14, 12*

20 Igitur Præsidem, circumstantiumque militum vel populi multitudinem allocutus exhortatur, ut quandoquidem deos habere se jactitent, si qua sit in eis virtus, demonstrent. Proinde ingrediantur, et in nomine eorum ea loci, ubi ipse sedeat, secum resideant, hoc experimento divinitatem eorum se comprobaturum. De quorum frequentia mox ad hanc vocem sexaginta quinque viri prorumpentes, quasi plus ceteris de suorum deorum potentia præsumentes, lacum subintrant: sed continuo flante spiritu Divino submersi sunt, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Qui similis tui

*submersis 65 sequi ausis,*

C in fortibus Domine etc. inter hæc sanctus Martyr, concupiscente jam anima ejus in atria Domini, corde et carne ejus exultante in Deum vivum, Angelica visitatione et alloquio refovetur, ac hortatu hujusmodi et solamine animatur: Invictissime militum Christi, bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, jam egredere, ad stadium recurre: ecce enim ipse Christus, dux Martyrum, in dextera Dei Patris residens, finem certaminis tui expectat; coronam justitiæ manibus prafert, quam tibi vincenti justus Judex propediem reddet. Jam tibi patet Paradisus, rosarum et liliorum cunctique generis florum perpetuo viridantibus pratis amœnus, ubi te felix commilitonum tuorum jam victorum invitat, cum quibus et ipse jamjam perennem gestans lauream sine fine lætaberis.

*ab Angelo animatur:*

21 His hortamentis et sponsionibus alacrior redditus Angelica visione ablata, morarum impatiens exilit, moxque egressus tam immenso cælestis jubaris fulgore perfunditur, ut vibrantium radiorum vi cunctorum se intuentium hebetesceret visus. Quo miraculo cum omnes attoniti terrerentur, solus diaboli satelles Agricolaus jam nullatenus tantarum rerum magnitudine permovetur, sed jam desperans sanctum

*egreditur e lacu splendens:*

D Martyrem ullo modo aliquibus minarum vel blandimentorum generibus ad voluntati suæ parendum inflecti posse, metuens etiam, si diutius vitam ejus prolonget, multos eorum a deorum suorum sacris aversurum, hujuscemodi sententiam ex tabella recitari jubet: Blasium, Doctorem Christianorum, contemptorem venerabilium deorum nostrorum, qui perire quam præceptis nostris saluberrime impensis obedire malvit insuper tantam multitudinem ad deorum injuriam magicis suis artibus in lacu demersit, una cum duobus puerulis ejus doctrina infeliciter deceptis, gladio animadverti ad exemplum ceterorum jubemus.

*sententia e tabella recitata*

*damnatur*

22 Gloriossissimus vero Christi athleta, hoc audito, grates immensas Deo referens, flexis genibus et extensis ad cœlum manibus, hanc profudit orationem, dicens: Domine Deus virtutum, Deus omnipotens, qui sedes super Cherubim, intuens profundum abyssi; cui sedes est cœlum et terra scabellum pedum, qui omnia contines, omnia reples, tibi ago gratias, te laudo, te glorifico, quia me ab infidelitatis errore custodisti, et in tui nominis timore et amore confortasti, et ab omnibus corporis mei cruciatibus, quos hic minister diaboli pro idolorum suorum defensione mihi intulit, me eripuisti. Et nunc, domine

*orat pro invocaturis suum auxilium:*

E Deus, ineffabilem clementiam tuam deprecor, ut ab hac hora, si quis fidelium tuorum, alicujus tribulationis vel periculi, sive etiam persecutionis angustiis oppressus fuerit, aut diversis infirmitatum generibus laboraverit, vel si infixione spinæ vel ossis in gutture suo quemquam angi contigerit; memorque mei te ad auxilium sui in nomine meo per verba orationis meæ invocaverit, Domine Deus meus, fideliter petenti adsis, et quæque postulatus fueris clementer accommodare digneris.

23 Hæc cum perorasset, repente lucida nube illustratur, et in hunc modum Divina voce confirmatur: Blasi, athleta mi dilectissime, precem tuam exauditam, petitaque tibi scias esse concessa: et non solum hæc, quæ in præsentiarum petisti, præstabo, sed et fidelem viduam illam, omnesque tui memoriam celebrantes, benedictionum mearum ubertate perfundam. Horrea eorum frumento, apothecas vino et oleo omnibusque bonis replebo, et cuncta ad eos pertinentia propter te multiplicabo et consecrabo. Tu ergo, gloriosissime agonista meus, Jerusalem cœlestis portas jam victor ingredere, ubi mecum, sedeas in throno meo, sicut et ego vici mundum, et sedeo cum Patre meo in throno ejus. Quibus dictis, et ablata nube,

*Divina voce e nube intelligit se exauditum:*

F statim a lictore cum duobus puerulis prætorio ejectus, foras muros Sebaste extrahitur; ubi Pastor vere beatus cum geminis agniculis suis gladio victimatur. Sicque corruptibilis carnis exuvias deponentes, stolas suas in sanguine Agni lotas et dealbatas induunt. O omnibus crudelitatibus detestabiliorem persecutoris crudelitatem, quæ nec infantili ætatulæ parcere novit! O pretiosissimam Sanctorum mortem, non mortem sed potius vitam, non occasum, sed ortum dicendam! quia dum in terris occidunt, in cœlestibus verius oriuntur. Dum hic carne emori videntur, ibi spiritu vivere incipiunt; et ecce Agnum sequuntur quocumque ierit, vestiti vestimentis albis: et non delebitur nomen eorum de libro vitæ, sine macula enim sunt ante thronum Dei. Et sicut ab ipso judicari et vindicari sanguinem suum de manu persecutoris expetunt, ita et veneratoribus suis peccatorum indulgentiam, et ejusdem gaudii, quo ipsi feliciter perfruuntur, consortia misericorditer deposcunt.

*occiditur cum duobus pueris*

24 Quorum sacrata corpora a religiosa quadam femina, nomine Helisea, noctu furtim rapiuntur, et linteis aromatibusque diligenter condita, in eodem loco decollationis condigno honore tumulantur: ubi expetente credentium populorum fide, innumera miracula

*sepeliuntur*

*miraculis claret*

A cula eorum beneficiis ostenduntur. Venerabilis autem anus illa, cui sanctus Martyr suem a lupo ablatam restituerat, ut certo rescivit nuntio eum martyrio finitum corpore jam emigrasse, quemadmodum ipse adhuc vivens sibi commendaverat, convocatis pauperibus pauper ipsa pro posse memoriam ejus devotissime peregit. *anniversarium cultum sibi impensum muneratur.* Deinde accitis omnibus cognatis et amicis suis, optima consiliatrix, ut idem agerent exhortatur. Quibus sano consilio indubitanter consentientibus, et id opere hilariter complentibus, non solum illa, sed et ipsi Divinæ benedictionis largitatem in brevi persentiscunt, cunctis suis substantiis incrementa de die in diem mire capientibus. Sicque factum est, ut omnis cognatio illa memoriam ejus de anno in annum celebrare discerent, suæque posteritati per generationem et generationem id agendum contraderent. Complevit autem martyrium suum athleta Christi Blasius tertio Nonas Februarii, in civitate Sebaste, temporibus Licinii Regis, Agricolao præsidatum Cappadociæ agente; regnante in nobis Rege Regum, Christo Jesu, Domino Deo nostro, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

B

## IV ACTA

### AUCTORE ANONYMO,

*ex MS. codice Card. Baronii.*

### CAPUT I.

*S. Blasii episcopatus, latebræ, captivitas.*

a

Igitur cum Romani Imperii Diocletianus gubernaret habenas, tam immanissima contra Christianos exorta est persecutio, ut infra unius mensis spatium decem et septem Christianorum millia pro Christiana religione gladio necarentur. Hæc itaque persecutio decima describitur a Neroniana, qua primum Principes Apostolorum, Petrus cruce, Paulus gladio, perempti sunt. *b* Secundo autem hujus decimæ persecutionis anno, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus autem Mediolani purpuram deposuerunt. *b Diocletiani acerba persecutione,* Hi itaque ob domandam Dominicæ fidei potentiam, Diocletianus in Oriente, Maximianus in Occidente, Christicolas variis et inauditis machinis vexare cœperunt. Qui missis exhortatoriis ad cunctam regni sui ditionem apicibus, ac muneribus mul-C tis, quatenus nefandorum idolorum culturam in augmentum magis magisque applicare studentes, quoscumque Christianorum invenire potuissent, post variorum genera tormentorum eos morti tradentes sic inhumata eorum corpora bestiis alitibusque dejicerent, et ne ullus adesset, qui hac religione evidentius uteretur, qui non confestim funerea tangeretur sententia.

2 His itaque taliter fientibus, cum nec ista rabidissimis sufficerent canibus, direxere duos Achivorum provinciis ortos, Lysiam et Agricolaum, multa peritia præditos, *sævientibus in Christianos Lysia et Agricolao* quatenus tam Armeniæ quam Cappadociæ prævidentes, clementia et lenitate gubernarent eos, qui imperialibus paruissent statutis, omneque Christianorum genus funditus interimerent. Lysias igitur et Agricolaus, assumptis ex imperio muneribus, simul proficiscentes, Armeniam adierunt: quorum unus, videlicet Lysias Nicopoli, Agricolaus vero Sebastiæ præsedit. Qui cum profanandos idololatras cœpissent priscis excolere consuetudinibus, plurimi pro Domini nostri Jesu Christi religiositate suum sanguinem fundentes, cælorum regna mercari quantocitius studuerunt.

3 Ex quibus robustissimus athleta Christi B. Eustratius, post varios tormentorum conatus a Duce Lysia crudeliter illatos, sicque demum Agricolao D Præsidi directus, a quo carcere trudi jussus est. *AUCTORE ANONYMO, EX MS. captum ab his S. Eustratium visit S. Blasius,* Namque ea tempestate gloriosus Martyr et Pontifex beatissimus Blasius erat latibulo delitescens Sebastiæ ob validissimam, quæ contra Christianos exagitabatur, examinationem. Hic namque, ut fertur beatissimus Præsul ad prædictum gloriosum Martyrem Eustratium, clanculo suis cum Clericis abiit, et eum quo detinebatur carcere in Christo corroborans, visitavit: cui etiam alia die, pro Domino morituro *munitque Eucharistia.* Eucharistiam contulit. Qui cum sacri Corporis participum percepisset, tomum ab eo postulavit: quo delato, substantiæ suæ delegationem fecit: in qua vero delegatione, se S. Blasius suis cum Clericis subnotavit. *testamenti ejus curator designatus:* Qui per totam noctem ibidem pernoctantes matutina luce vale facientes, et dantes sibi pacis oscula, secum delegatione adhibita, ad propria latibula remearunt. Porro alterius diei hora tertia S. Eustratius migravit ad Dominum.

4 His igitur taliter decursis, B. Blasius pœnales expavescens inflictus confidens Dominicæ sententiæ qua dicitur: Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam: ad montem, qui Argæus vocitatur, *Matth. 10, 23 latet in monte, feris benedicit,* aufugiens in quodam se occulit antro; ibi diu demorans fidei suæ sagacissimus hospes. Ad quod itaque E specus promiscui ac diversi generis bestiæ advenientes, ferino quodammodo more benedictionem a Beatissimo Blasio expetebant: quæ nisi collata benedictione, impudentes ibi perseverantes, nullatenus abscedebant. Alimoniam quippe illi Divino nutu, sicut olim Prophetæ Heliæ corvi, deferebant assidue. *et ab iis pascitur:* Erat enim vir iste meritorum efficacia insignis, forma præstantior, animo stabilis, prodigiorum virtute præclarus, divinis meditationibus irretitus.

5 Qui cum adhuc in puerili versaretur ætate, archiatralem didicit artem, ut ætatem humana non *olim medicus,* impediret infirmitas. Porro sic in terreno militabat palatio, ut cælestem semper exquireret patriam, sic maluit activam eligere vitam, ut theoricam nullatenus desereret. De eo quidem longe lateque tantus inoleverat rumor, ut non solum Nicopoli, quæ haud *post, celebris opinione virtutis,* procul aberat a Sebastia, sed longe circumquaque positis urbibus ac municipiis, per omnia Sanctus nuncuparetur eximius. Præterea nunc qualiter hic Sanctus pro Domino Jesu Christo pugnaverit, qualiter dimicans diabolum ejusque complires superaverit, quo pacto superans triumphaverit, et qualiter triumphans martyrii palmam robustius perceperit: et quomodo valide agonizans, plurimis invitatis, cæ- F lestem lauream arripuerit, quantum his auxiliator, cujus omnipotentia omnis creatura subsistit.... solerti ingenio enucleare curemus.

6 Igitur cum Præses Agricolaus metropoli Sebastiæ præsideret, contra Christianos diabolico instigatus instinctu, ingenti in eos exardescens sollicitudine, plurimos superam transmisit ad ædem. Quadam itaque die accidit, ut ipse Præses Agricolaus quosdam milites venatum dirigeret: quibus euntibus, quo tota esset venatio, nullam ferarum capere viguerunt. Cumque per silvestria ac difficilia loca, seu per vallium ac montium crepidines fessi peragrarent; simili modo nil venationis attingere valuerunt. Venatione vero frustrata his revertentibus, *a venatoribus inventus,* ventum fuit ut ante antrum, quo S. Blasius latitabat, insciı pertransirent. Denique multitudo aprorum ac cervorum, caprearum videlicet et ursorum diversarumque aliarum bestiarum concursus subsistebant ante ipsius speluncæ latibulum, ac si oves impellente pastore proprio arcerentur ovili. Mox venatores circumspicientes substiterunt, et quidnam hoc esset attoniti cogitabant. His autem hujuscemodi pertractantibus, ex ipso prodiens latibulo Sanctus sciscitatus est eos:

 Unde

A Unde venitis? ait, vel quo vos tenditis iter?

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

Qui respondentes dixerunt : Ecce inquiunt, pro quibus euntes tot labores et pericula toleravimus, in medio circumpositus adstas eorum. Quibus Sanctus *prædam tunc non capturos edicit :* Domini ditione aliqua capitur creatura, ejusque nutu liberatur : nam quæ Deus evadere jussit omnipotens, humana capere non viget potentia, unde sciatis, quia hac profecto vice immunes ietis.

7 Tunc illi Sancto valefacientes, cœpto itinere ad urbem Sebastiam reversi sunt, et omnia gesta vel acta Agricolao Præsidi annuntiare celerius studuerunt; cui et dixerunt : Cum venatum iremus, Christicolam in Argæi montis quodam hominem invenimus antro, ad cujus latibulum multitudo nostræ venationis ferarum confugiens, ipsius antri perlustrans latibulum. *capi jubetur,* Nobis vero propterea obnixe admirantibus, foras quidam ex ipso specu prodiit Deicola, qui nos alloquens, ut reverteremur indixit; scilicet incassum esse capturam. Mox Præses, hoc audito, ingenti repletus gaudio, illico præcipit eis, ut celeri euntes cursu, ipsum e latibulo traherent, et sic ad eum vinctum deferrent. In ipso itaque noctis tempore, videlicet antequam ministri ad eumdem irent *in visione præmonitus,* ducendum, apparuit ei per somnum ter Dominus dicens.

Surge beate, Pater, Missarum perfice morem,
C Et Calicem gustato meum Corpusque fidele,
Ipsumque Calicem plenum bibe sanguine claro.

Cumque Sanctus evigilasset, intellexit quod eum Dominus ad calicem, hoc est, ad passionem martyriumque percipiendum vocaret; *sacro peracto,* alacri effertus spiritu surrexit, et sanctimonia solemni honore celebravit. Quo facto, ministri Præsidis applicuerunt, qui ante ipsius speluncæ astantes latibulum, dixerunt : *citatur ad Præsidem :* Homo Dei, egredere; Præses Agricolaus nos transmisit, ut te ad eum deferamus.

8 Currit interea fama hæc passim per populos, quod Præses Agricolaus ad Sanctum deducendum transmitteret Blasium; et cœperunt eos qui aliqua languoris molestia detinebantur, obvios ipso in itinere ponere. Tunc S. Blasius simul cum ministris *multos in via sanat,* ambulans, in nomine Domini Jesu Christi, a quacumque tenebantur infirmitate, curabat languentes. Ingrediente igitur Beatissimo Blasio in metropolim Sebastiæ, multitudo Christicolarum, quæ clanculo in ea degebat afflicta, palam egredientes, Christum Dei filium clara voce sonabant. Itaque cum sanctus *detruditur in carcerem.* Præsul Agricolao præsentatus fuisset, non interrogatum jussit eum arctissima mancipari custodia di- E cens : Crastina die congrua in eo sciscitatio erit.

a Hunc conjicias præfixum fuisse ab Auctore Prologum, qui hic deest. — b Ita Eusebius in Chronico. Cœperat nimirum illa persecutio an. Diocletiani 19.

## CAPUT II.

### *S. Blasii miracula, tormenta.*

Recluso itaque Beatissimo Blasio, in custodia, plurimi ad eum venientes Christianorum, benedictionem et robur fidei accipiebant. Interea accidit fortuitu, ut quædam mulier unicum haberet filium, qui cum ad mensam cum propriis considens, apposito pisce, ex eo comederet, contigit ut ei spina suo gut- *puerum spina gutturi inhærente periclitantem,* turi defigeretur. Cui cum nullum quisquam valuisset præbere solamen, mox mater ejus ad Beatissimum Blasium semineccem deferens puerum, ante fores carceris cum luctuosa voce deposcens, ut ejus unicum sanare dignaretur. Confestim S. Blasius compatiens dolori ejus, hanc orationis precem pro ipso puero fudit ad Dominum, dicens : Domine Jesu Christe fili Dei æterni, qui pro salute humani generis, in hunc mundum per virginalem adveniens uterum formam nostræ mortalitatis assumpsisti, ut nos D a morte liberans, immortali indumento indutos in illam incorruptibilem patriam feliciter inferres; unicumque viduæ sobolem, qui ad sepulcrum exanimis vehebatur, incolumen reddidisti; *oratione* supplex tuam gratiam deposco, ut puer istæ salvus suæ genitrici reddatur, et agnoscat quoniam tu es Deus solus in cœlo et in terra faciens prodigia. Expleta vero oratione vivificæ Crucis super os fecit vexillum: *et signo Crucis sanat,* statimque spineum evomens obstaculum, sospes atque congaudens ad propria remeans; tam affinibus quam longinquis, Regis æterni magnalia mirabili enucleavit affectu.

10 In crastinum vero judicii solium præparatum est, in quo Præses confidens Agricolaus, jussit beatum Præsulem suis assisti conspectibus, quem his ita aggressus est affatibus : Gaude dignus amice meus, et dignus amice Deorum, cui Sanctus :

Omnipotens Dominus, quo constat machina mundi,
Ipse tibi æternæ concedat gaudia vitæ.

Cui Præses : Qua uteris religione, qua vel patria ortus diceris, hospes? et Sanctus, Religione, inquit, Christicola sum; *Christum in judicio confitetur* patria vero hac quam possides urbe, Sebastianencis videlicet civis. Contra quem Præses : Si deorum nosterque velis mancipari amicus, Christus iste, quem asseris, nullo modo tuo ore sonetur. Beatissimus autem Martyr respondens : Si meo, inquit, Christus non veneratur ac personatur E ore, quis ergo personari debeat innotesce. At Præses dixit : Admiror obnixe tuam vecordiam, quod non intelligas deum deorum esse Jovem omnipotentem, quem Domini nostri Imperatores et universus incolit orbis. Sanctus vero Blasius dixit : Dic, oro, Præses, condecet fateri Deum qui creator est, an potius qui creatus? et Judex : Ille utique debet adorari Deus, qui cœlum terramque creavit, et quo constant cuncta creata; hoc est, Juppiter omnium creator et dominator elementorum. Cui Sanctus : Erras o invictissime Judex. *Deorum vanitatem ostendit:* Nam quem tu deum asseris, non solum ego sed et litteræ vestræ, dum in hoc seculo ut alius corruptibilis et mortalis homo ambularet, omne scelus eum peregisse, omnemque sordem exercuisse, perspicue demonstrant. Cum autem prout omnibus conditio venit humana, ipse ut nefarius homo nece corruptus humana, a teterrimis spiritibus stygialem est vectus ad ignem, ubi tetricis flammis tartareisque vermibus cruciatur in ævum. Hunc tu deum dicis? Porro si iste dicitur deus, similes ei fiant, qui venerantur, et qui colunt eum. Mox Agricolaus his auditis, secum indignans, præcepit eum F fustibus cædi, dicens : Jovem omnipotentem blasphemare nolito. Qui cum diu cæderetur, alacri vultu *cæditur fustibus :* dicebat :

Gloria sit tibi, Christe Deus, per secula semper,
Qui me conservans permittis vincere pugnam,
Antiqui hostis illatam fraude maligna.
Te idcirco laudans benedico corpore, corde.

Quo dicto, cernens in eo Judex tantam constantiam, *in carcerem retruditur.* jussit eum denuo carcere trudi.

11 His igitur tali ordine persecutis, contigit ut quædam mulier inops arvo suem aleret, et ex quo pascere deberet, ageret.

Ecce rapax properans lynceus apprendit obesum
Ejusdem viduæ porcum, quem juxta ad edendum *suem pauperi a lupo raptum,*
Ad saltum securus abit, ut manderet illum.
At ubi fortuna mulier mox comperit acta,
Crinibus evulsis proprios recidit amictus :
Ad Christi hominem lacrymans, quo carcere trusus
Concita devenit, lugubres defertque querelas.
Summe sacer, miserorum consolatio magna,
Redde meum, te posco, suem, Sanctissime Blasi.
Respondit Sanctus, et talia fæmina reddit :
Numquid ergo arripui, quem queris fæmina porcum?
Mox inquit mulier : Non tu, sed bestia sæva;

Sed

A Sed quoniam te credo Dei esse per omnia servum,
Qui cœlum, pontum, terramque creavit et astra,
Quæ vult, ipse facit cœlo, terraque, marique:
Idcirco te valde peto, ut mihi reddas amissum,
Bestia quem captans secum portavit amara.
Quippe quia quodcumque petis, largitur ab ipso.
Hæc ubi dicta Dei famulus hanc promere crevit,
*precibus restitui impetrat,* Admirans ejus fidem simul et probitatem,
Compatiensque dolori ejus, oravit et inquit:
Omnipotens, æterne Deus, Rex magne polorum,
Qui cœli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui non e magnis solum, sed vilibus inquam,
Disponis rebus, circum substantia cuncta:
Omnia tu quæcumque velis, facis ordine summo:
Cuique subest posse, fuerit cum prona voluntas:
Ast ubi deest velle, fugiet procul utique posse;
Sic ubi adest velle, properat ibi denique posse;
Exaudi me, quæso, Deus Salvator Jesu,
Et hujus viduæ, quem bestia cepit iniqua,
Restituat ducatque suem, reddatque misellæ;
Qui cum patre Deus regnas per secula semper.
Quo dicto agnovit divino flamine pulsus
*et divinitus cognoscit:* Sanctus, adesse lupum, porcum quoque reddere salvum.
Tunc, Propriam, dixit, mulier revertere ad ædem.
D Confidentia consolatam te facit ire.
Namque, Deo auxiliante, suem tibi bestia reddet.
Quo audito repedavit ovans mox fœmina pauper
In propriam ædem, suem salvumque per omnia nacta est,
Et grates Domino pro tali munere reddit.

Post hoc igitur pavens mulier, ne iterum talis ei proveniret eventus, illico suem illum interimi fecit, et Dei famulo, qui in custodia tenebatur afflictus, meruit ex eo quamdam particulam deferre, videlicet coctum .... panemque vinumque cum hortiferis sumens oleribus, ac uno in calatho positis sic ad eum reverentissimo duxit affectu. Quam vir Domini non spernens, allata non repudiavit: nam ex eo sumens edit, et ei gratias agens benedixit; et sic inops mulier ad propria remeavit. *cibum ab ea accipit:*

12 Post aliquot interea dies Agricolaus Præses, toto circumstante conventu, Christi Antistitem suo jussit præsentari obtutui; cui et dixit: Blasi, relatum est ante nostræ gloriæ consistorium, te solum esse, qui Christianam nescio quam fidem prædicans, plurimos ab intemerata nostræ religionis cultura retornans, ad nefandissimi tramitis perduxisti evidenter errorem. Unde fas etiam fuerat, te nullo C modo sciscitatum funerea pertractari sententia. Sed cum nostra clementia solito more humanæ passioni compatitur, et omnem hominem ad agnitionem vult verissimæ venire religionis, quemadmodum jam pluribus ita et tibi parcere maluimus, si nostris præceptis obtemperans, sacratissimis diis nostris debitam honorificentiam exhibere venerabiliter festines. Constantissimus enim et Martyr Christi hoc audiens respondit: Tunc utique nefandam fateor consecutus sum fidem, quando meam (heu!) per nefas ignarus nefandorum idolorum monstris inclinavi cervicem. Cum vero, ipso suffragante, Christum Dei filium cognovi; non nefandam, ut miser asseris, fidem, sed benignam sanctamque religionem, vitamque percepi æternam. Unde procul dubio tuæ examinationi compertum sit, quoniam quidem nullo pacto nullaque ratione diis vestris sacrificium exhibeo. Mox truculentissimus Præses immanissimo instigatus furore, jussit eum eculeo suspendi, dicens: Nunc comperiemus, si Deus tuus te ex hoc valet eruere, et allatis ungulibus corpus ejus effodi jussit, ut ungues discerpentes sanguinea unda prosequeretur. Ille autem roboratus in Christo omnia tormenta pro nihilo ducebat eorum. *Præsidi sistitur:* *in eculeo suspensus, ungulis laceratur:*

## CAPUT III.

### *Sanctarum VII mulierum martyrium.*

D *AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

Cernens autem in eo Judex tantam constantiam, eum retrudi mandavit. Nam cum duceretur ad retrudendum, quædam septem mulieres benignæ ac timentes Dominum, post tergum ejus lacrymabantur, ac sequentes, sanguinem, qui de ejus corpore diffluebat, bibulis colligebant linteaminibus, et ex eo se propriis manibus perungebant. Quas ministri talia paragere cernentes, ad Agricolaum apprehensas duxere, dicentes: Ecce et istæ Christo favent; nam cum sacrilegum illum duceremus, ut arceretur custodia, istæ de ejus corpore labentem carpebant sanguinem, et sibi miserrimæ liniebant. Confestim Agricolaus ingenti indignatione succensus, dixit ad eos: Tollite vobiscum statuam Dei nostri, et deferte eas ad lacum latitudinis immensæ: si voluerint adorare et sacrificare, sinite has abire. Alioquin ligato ad colla earum pondere vasto, in profundum eas demergite laci. Tunc ministri talia jussa percipientes, sumpta statua Dei sui, cum illis prædictis septem mulieribus lacum adierunt; et ostenso idolo dixerunt illis: Adorate deum hunc, et abite securæ. Si quo minus, ad profunda demergemini laci. Mulieres autem dixerunt: Conferte nobis Deum istum, quem asseritis, ut certe E discamus, si deus est: et apprehendentes statuam, subito demerserunt eam in lacum, dicentes: Deus enim es, auxiliare tui. Mox statua illa petivit abyssum. *VII mulieres sanguinem ejus colligentes, capiuntur:* *idolum in stagnum projiciunt:*

14 Quo viso apparitores valde turbati de Dei sui incommodo, eas apprehendentes ad Præsidem duxerunt, et quidquid gestum actumve fuerat, seriatim exponere curaverunt. Quo audito, Præses admiratione nimia percussus obstupuit; et paullo post in se reversus, præcepit eas illatis manibus in ligno a terra sustolli, videlicet exutas amictu, et sic eas ungulibus lacerari. Quo facto iterum jussit septem afferri subsellia ænea, et sic eas per singula supersedere præcepit. Quæ vero subsellia adeo erant ignita, ut scintillæ ex eis velut ex valde succensa fornace micarent. Sed Deus omnipotens, qui protector est omnium sperantium in se, et qui est gloria et virtus omnibus Sanctis ejus, misit Angelum suum, qui ita eas salubri perunxit antidoto, ut nulla earum corporibus nancisceretur obfuscatio; quibus omnino curatis, dixit: Bonum certamen, quod cœpistis, explere curate usque in finem; quandoquidem jam a Domino Jesu Christo perennis est vobis parata corona. *suspensæ, ungulis lacerantur:* *locantur in ignitis subselliis:* *ab Angelo illæsæ servantur.*

F Hæc ubi dicta dedit, teneras se misit in auras.

15 Una quidem earum duos filios habens, qui venientes ac talia pervidentes, dixerunt ei: Mater benigna, rogamus et obsecramus per illum, pro quo talia pateris, ut quemadmodum nos de tuæ mamillæ aluisti liquore, ita et nos Christianam hanc, quam asseris, fidem perdiscere satagas, ut non in hoc seculo orphanos dimittas, sed ad illius Patris, ad quem ire festinas, gaudia æterna tecum simul perducas. Quos ita apprehendentes ministri, Præsidi attulerunt: a quo accepto mandato, simul cum B. Blasio carceri manciparunt, qui et in ipso carcere ab eodem baptisma percipientes, sanctæ religionis institutione perducti sunt. *Pueri eas sequi cupientes,* *detrudunturin carcerem.*

16 Postera igitur die Agricolaus sedens pro tribunali, prædictas mulieres jussit suo examini adesse, quibus quassans caput dixit. Quousque, insanissimæ, ars in vobis principatur venefica? Fortassis ille seductor vos docuit, quem tenebrosa mandavi obligari custodia. Cui simul una voce dixerunt: Ille utique nos docuit idola contemnere, et Christum verum Dei filium adorare. Tunc Præses hoc audito, caminum fortiter succendi, et eas intromitti præcipit. Quæ dum in medio ignis constitutæ fuissent, cœlitus igne *illæ in fornacem ardentem missæ,*

*AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

A igne summoto ac si ventorum violentia aliorsum inclinato, sic septem mulieres tali prece omnipotentem Dominum collaudabant, dicentes :

Depromat cœlum, tellus tibi, pontus et æther,
Omnigenum genitor laudum præconia semper.
Arbiter immensus, qui sidera cuncta gubernas,
Sit tibi summa salus, et sit tibi gloria perpes :
Qui nobis Flamen de cœlis dirigis almum,
Qui hanc flammam expellens a nostro corpore cessas;
Tres quondam ut pueros salvasti Flamine sancto,
Propterea laudem solvat tibi terra polusque.

*Deum laudant,*

17 Ministri vero, qui pro foribus aderant, audientes eas in igne Dominum collaudare, cursu rapidissimo Præsidi nuntiavere, dicentes : Obsecramus te, Domine Præses, ne nobis tua irascatur indignatio, quia tam stupendum ac formidabilem visum cernentes, coram tua venimus enarrare instantia. Ecce etenim septem illæ præstigiosæ in medio circumpositi ignis, ut in frigidissimo persistentes loco, vivunt et spirant. Audivimus enim eas Deo suo persolvere laudes, ac eum magnificis collaudare præconiis. Cumque hoc Præses audisset, ingenti stupescens miraculo, ad caminum quantocyus properavit, maxima caterva stipatus; et excussis eis de camino, ait : Eligite vobis unum de duobus; aut adorate specietenus deos, B et abite securæ, aut certe gladio feriemini. Tunc hæ septem mulieres dixerunt, quasi uno schemate profitentes : Quodcumque vis agere, studeto perficere, quoniam nos nullo modo deos vestros, aut specialiter, aut quolibet modo adorare debemus : sed firmum scias, quia religionem, quam percepimus, hoc est, Christianam culturam, nullatenus abnegamus. Tunc Præses cernens tantam earum constantiam, tantamque in Domino Jesu Christo fixam habentes fidem, vix tandem definivit, dicens : Has septem mulieres, quas post multorum genere tormentorum nequaquam ad nostram religionem convertere valuimus, mucrone jugulari præcipimus.

*exeuntque illæsæ :*

*morti adjudicantur :*

18 Mox eas accipientes apparitores, extra urbem duxere Sebastiam. Quæ dum venissent ad locum destinatum, quo jugulandæ erant, orandi licentiam postulavere militibus, et impetraverunt; quæ statim humo se prosternentes propriis precibus se Domino commendaverunt : et surgentes ab oratione, omnes ad invicem osculatæ sunt, et curvatis humotenus genibus, spiculatores, ut summo ictu ferirent, admonuerunt. Ministri vero eas decollantes, prodientes animas e corporibus, tanquam renitentes auratis C monilibus Virgines de thalamo, prospexerunt; et ad cœli beatitudinem remigio alarum laudibus advectari magnificis; et valde admirantes ad propria reversi sunt. Corpora vero earum Christiani per noctem clanculo rapientes, ea sepelire venerando studuerunt affectu.

*decollantur,*

*animabus clare visis volare.*

## CAPUT IV.

### *S. Blasii et II puerum martyrium.*

His igitur tali ordine persecutis, Agricolaus Præses Beatissimum Blasium suo examini fecit assisti, quem tumenti pectore, facie permota, vibranti capite, ita est allocutus : Quousque, imprudens et excors, tuæ sententiæ peragis callem? vel quamdiu te nostra tolerat clementia? Ecce enim hortor et admoneo te, sacrificare diis, quos totus excolit orbis, et divorum Imperatorum obedire præceptis. Alioquin deterior erit (testor deos deasque) consumptio corporis tui, quam nefandarum illarum, quas tuis illexisti præstigiis, feminarum. Sanctissimus autem et Martyr Christi Blasius respondit : Utinam talis sit mei corporis et animæ internecio, qualis illarum, quas tu miser ore polluto memoras, fuit sanctarum ! Jam illæ pro quo passæ sunt, coronas immortalicias,

*S. Blasius ridens Præsidis minas,*

auro et pretiosissimis margaritis accepere nitentes; D et quoniam illum dilexerunt, qui juxta Prophetam Isaiam septiformi gratia plenus est, videlicet Spiritu sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, ac timoris Domini; propterea illæ septem, septenario æternæ felicitatis præmio, hoc est, universali gaudio fine sine perfruentur in ævum.

*Isa. II. 2*

20 Tunc iniquitatis censor Agricolaus Præses hoc audito, inenarrabili exardescens furia, suis præcepit complicibus : Deferte, inquiens, eum ad lacum; et ibi eum, marmoreo pondere ad collum ejus ligato, demergite. Milites vero jussa iniquissimi Præsidis perficientes, detulerunt eum ad lacum, et ligato ad collum ejus pondere vasto, ita eum in lacum projecerunt. Mox divinitus ipsius laci lympha glaciali est soliditate concreta, ita ut vir Domini super eam velut super aridam ambularet, qui gaudio exultans maximo gratulabundus cecinit, dicens :

*projicitur in lacum, lapidi alligatus :*

Omnipotens Dominus, quo constat machina mundi,
Qui cœlum terramque regis, qui fulmina mittis,
Quo sine nulla vigent cœli terræque creata;
Te cœlum, tellus laudet, te pontus in ævum.
Omnis te benedicat homo, veneretur, honoret.
Namque tuis pedibus lapis est lacus ille probatus.
Atque Petrum tua dextra levans statuit super undas. E
Et Israelitæ quondam te duce superno,
Vestigio sicco peragrarunt marmora rubra.
Sit cum Patre tibi simul et cum Flamine sancto
Gloria, majestas, virtus per sæcula compar.

*non mersus, Deum laudat stans super aquam :*

21 Qua igitur laude finita, alloquens, ad laci ripam qui astabant, ministros, dixit : O infelices et acerrimi, quare mentis vestræ oculos atra obcæcatos caligine non exeritis, nec intelligitis quanta est Domini mei Jesu Christi potentia, cujus imperio non solum rationabilia animalia, verum etiam cuncta obtemperant elementa? Ecce et vos ipsi cernitis, quoniam quidem hujus lympha laci, velut durissimi scopuli, Christo operante, induratur. Quo dicto, mox quidam eorum diabolico instigati spiramine, ut sanctum virum in profundum submergerent laci, temerarie adire conati sunt, qui statim ut latices pedibus tetigerunt, subito aquarum alluvione obtecti, nusquam comparuerunt. At Domini Antistes ultro de lacu egrediens, a militibus detentus est, et Præsidi delatus. Ministri vero Agricolao dixerunt : Tolle veneficum, tolle præstigiosum, accipe penes te sacrilegum, et extingue protinus maledictum. Nam ejus F ingressu lacus ille velut durissima natus est gleba camporum; et multos nostrorum, qui ad spectandum concurrerant miraculum, suis præstigiis ipso in lacu expetivit in mortem. Nos vero vix evasimus. Ipsum autem ex aqua sponte propria prodeuntem tuæ præsentiæ detulimus : jam quod tibi videtur exerce. Hoc autem firmum sit vestræ gloriæ, quoniam, si iste cito non fuerit extinctus, ejus phantasmatibus ac ludificationibus nefandis, tota hæc patria, nosque simul cum ea, ad internecionem usque funditus desolamur.

*demersis aliis qui lacum inierant,*

*ipse illæsus :*

*reducitur ad Præsidem :*

22 His auditis, Agricolaus Præses nimiis furiis stomachatus, ac ingenti contra eum exardescens animo, jussit duos pueros, qui arctissima erant mancipati custodia, ante se offerri. Qui dum allati fuissent, statuerunt eos una cum S. Blasio ante Præsidem, quos torvo alloquens vultu dixit : Testor vivificam et intemeratam deorum nostrorum culturam, quia si non illico diis nostris sacrificatis, et sancta, ut mos est, illis orgia libatis, confestim gladio feriemini. Et si prævalet vester, ut asseritis, nescio quis Christus, eruat vos de manibus meis. Quod si usque nunc per artem magicam tormentorum conamina elusisti, jam hic nulla prodest delusio, nullaque larvaris

*coram quo cum 2 pueris Christum intrepide confessus.*

A varis præstigii viget inspiratio. Cumque ad ista S. Blasius et duo pueri nullum dedissent responsum, iterum dixit ad eos Agricolaus Præses : Respondete ad interrogata, quæ dicta vobis sunt, cum fiducia : quoniam, sicut præfatus sum, si deos non modo adoratis, procul dubio gladio feriemini. Tunc beatissimus Martyr et Pontifex Blasius, simulque duo sanctissimi pueri, dixerunt : Jam sæpius tibi diximus quia nullo pacto nullaque ratione deos vestros, qui sunt idola surda et muta, adorare debemus, et non alio nisi Domino Jesu Christo sacrificium piæ devotionis offerimus. Jam quodcumque vis agere, age ; quia nullis videlicet minis terremur, nullis adversitatibus fatigamur, nullis perturbationibus emolimur, nullis machinationibus a recta, quam prædicamus, religione seducimur; sed roborati et intrepidi Christum Dei filium clara voce sonamus, et omnes quos tu miserrime dæmones colis, penitus respuimus et abnegamus. Mox iniquissimus Præses data sententia vix tandem definiens, inquit : Blasium sacrilegum et conviciosum, et diis nostris vituperationem inferentem, et Divorum Imperatorum præcepta spernentem, et quem nullatenus ad nostram culturam emollire valuimus, una cum duobus pueris ipsa religione utentibus, capite cædi jubemus.

*cum iis morti adjudicatur.*

B 23 Confestim apparitores eos apprehendentes extra urbem Sebastiam deduxerunt. Et cum ad locum, quo decollandi erant, advenissent, prædicti sancti pueri multum lacrymantes Beatissimo Blasio dixerunt : Beate Pater, ora pro nobis, quia turbatur sensus noster, et animus noster vacillans dividitur ad multa. Quibus dixit beatissimus Præsul : Nolite, o filii carissimi, nolite divini prælii certatores, nolite robustissimi milites, expavescere, nolite terreri; quia passio ista tantum habet timoris, tantumque terroris incutit metum. Nam pro quo hic terrena respuitis, ab eo cœlestia consequemini. State viriliter induti lorica fidei, et galea perennis salutis, quia jam vos candidatus et splendidus præstolatur exercitus. Hæc ubi dicta dedit, tendens ad sidera palmas, Dominum Salvatorem deprecans, dixit : Domine Jesu Christe filii Dei vivi, propitiare, quæso, nobis famulis tuis, ut non antiquus hostis aliquod obstaculum nostris anteferat oculis, et nec ipsum tetrum principem, neque teterrimos ejus complices lumina nostra intueantur, sed lucidissimi ac serenissimi animas nostras Angeli tui suscipiant, quoniam tu es Deus benedictus in secula. D

*pueros trepidantes animat:*

*AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

24 Cumque sanctissimi pueri respondissent, Amen; dixit ad eos sanctus Præsul : Flectamus genua, carissimi filii; flectamus; quia Pater noster, qui nos nasci et renasci fecit, præsto est. Positis itaque genibus, videlicet S. Blasius, et duo pueri, quorum nomina Deus scit, dixit magnanimus Pontifex : Feriamur gladio, ut cedat bravium. Et iterum intentis in cœlum oculis, dixit : In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, horumque duorum infantum. Cumque sancti pueri respondissent, Amen, jugulati sunt. Quorum veneranda passio, solennisque dies natalis eorum celebratur tertio Nonas Februarias.

*cum iis genuflexus plectitur capite :*

25 Post hoc Christianissima Helisea nomine, noctu quo sanctorum Martyrum venerabilia corpora jacebant, occulte pergens, et facto ibi sepulchro, sepelivit eos simul. In quo prope loco non longo post tempore ad honorem eorum constructa est basilica, in qua ipsis Sanctis opitulantibus, multis miraculorum prodigiis, Domino cooperante, eorum corpora perlucescunt, quod nullus hoc fieri ambigat usque in hodiernum diem. Et non solum in hac Sebastia Metropoli, verum etiam aliis procul positis civitatibus, scilicet ad quascumque nominis fama pervenit, multa mirabilia eorum intercessionibus sæpissime operantur : ipso nimirum hoc præstante, ob cujus amorem illi martyrium susceperunt, et ob cujus dilectionem nos illos devotissime veneramur; cui est cum Patre et Flamine sancto par gloria, eadem majestas, una deitas, una potestas, æqua virtus, una omnipotentia, nunc et semper et per immortalia secula seculorum. Amen. E

*facit miracula in loco sepulturæ,*

*et alibi.*

# DE S. BLASIO ARMENTARIO

## MARTYRE CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA.

J. B

*III FEBR.*

C *Plures* Blasios *extitisse supra diximus. Celeberrimus est, cujus nunc Acta retulimus, Episcopus Sebastenus. Alterum ex eadem Cappadocia celebrant Græci hoc die. Qui Cappadocem dici audit, et armentarium, inque saltu comprehensum; suspicetur fortassis eumdem illum Antistitem esse, in Argæo monte (ad cujus radices sita est Cæsarea) inter ferarum velut armenta comprehensum; nisi alius utrique finis vitæ, alia inflicta essent tormenta. De hoc ergo isthæc habent Menæa :*

*Diversus hic a Sebasteno,*

2 Habuere quondam Blasium caulæ boum :
Ast aula cœli nunc habet.

Hic Cæsarea Cappadociæ oriundus, parentes habuit admodum locupletes, qui ex copiosis armentis auctas opes benigne depromebant in pauperes. Orta dein persecutione, Blasius ut Christianus quærebatur, nec inveniri poterat, quamvis saltus ipsos ac solitudines hostes percurrerent. Quod ubi generosus adolescens intellexit, veluti ad regias epulas vocatus, ultro se persequentibus obtulit, eosque ut bene de se meritos hospitaliter excepit.

*Cæsareæ natus, piis parentibus,*

*ultro se offert persequentibus*

3 Ubi vero ad tribunal Judicis stetit, interrogatus, nomen, religionem, et omne vitæ institutum exposuit. Continuo igitur manibus pedibusque sublatus tensusque crudis nervis diu cæsus est. Deus tamen et dolorem lenivit, et plagas sanavit. Quod præstigiis magicis tribuens judex, in maximum lebetem, plenum bullienti aqua, eum immittit. Miraculum vero accidit, planeque stupore dignum spectaculum. Homo igne veluti vestimento circumdatus, ex illo etiam canebat. Quid deinde? Dies quinque in lebete detineri Sanctus jubetur. Verum Angeli eum fidenti animo esse jusserunt, et ne quam ignis ejus corpori noxam detrimentumve inferret, effecerunt. Quare jussi eum e lebete extrahere milites, cum et vivere eum et laudes Deo cum Angelis concinere audirent, ipsi quoque se Christianos esse professi sunt. Quod ubi Præses cognovit, alios submisit milites : sed hi quoque cum accessissent, Christianos se proclamarunt. Demum et ipse Præses accessit, et sanctum in bullienti lebete conspicatus, et aquam ratus refrixisse, oculos sibi ea perfundi jussit : quo facto et oculos et animam amisit. F

*suspensus nervis cæditur*

*in aqua ferventi 5 dies manet illæsus, servantibus Angelis :*

*conversos lictores,*

*extincto Judice,*

4 Sanctus vero Christi Martyr sumpta ex eodem lebete aqua credentes aspergens, in nomine sanctæ Trinitatis baptizavit. Deinde propinquus pecorum suorum stabulo factus, cum matri et domesticis, quæ conveniebant, mandata dedisset, spiritum Deo reddidit. Qui autem ejus morti adfuerunt, conspexerunt velut candidam et lucentem columbam ex ejus ore in cœlum evolantem. Itaque sanctum ejus corpus ipso loco sepultum est. Pedum vero ejus juxta altare germinans ac frondens altare inumbravit.

*baptizat :*

*moritur, anima specie columbæ visa egredi.*

*pedum ejus frondescit.*

5 Hæc

*AUCTORE J. B. Armentarius dictus.*

5 *Hæc Menæa. Quorum nihil est in Sebasteni Blasii Actis. Armentarium ipsum fuisse pedum illud indicat, et Menæa diserte id habent :* μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Βλασίου βουκόλου, Commemoratio S. Blasii bubulci, *sive* armentarii.

# DE SS. MART. PAULO ET SIMONE.

J. B.

III FEBR.

P*lures in variis Martyrologiis* Pauli *ac* Simones *Martyres, nusquam simul juncti. Neque de iis reperimus quidquam, nisi hæc in Menæis :* Eodem die Paulus et Simon gladio martyrium finiunt :

Hic scribere Paulum et Simonem oportet,
Ne forte lateant capitibus amputatis.

# DE S. CLAUDIO CONFESSORE.

J. B.

III FEBR.

S*unt et* Claudii *Martyres. Hic* in pace vitam finivit, *ut habent Menæa* ; itaque exultavit termino vitæ conspecto, ut solet qui luculenta invenit spolia. *Cetera nos latent.*

# DE S. SIMPLICIO
## EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA.

ANIMADV. PAP. 40.

J. B.

*INITIO SEC. V. III FEBR.*

A*lius hic est a* Simplide, *vel* Simplidio, *Viennensi quoque Episcopo, qui* XI *Februarii colitur : quamquam a Joanne Lievræo cap.* 16 *Antiquit. Viennen. hic* Simplides *ac* Simplicius, *appelletur. Sed fuit centum annis illo posterior,* XVI *ipsi Lievræo aliisque illius Ecclesiæ Episcopus, quibusdam* XV. *Habetur ipse quoque* Sanctus, *uti eum absolute indigetat Lievræus Viennensis Canonicus. Antiquitates Viennenses editæ a Joanne Boscio ita habent:* Successit Nicetio in Viennensi Cathedra B. Simplicius ; *et paullo inferius :* Post S. Simplicium ordinatus est S. Mamertus Viennensis Episcopus. *Quod tamen neuter festum illius, ut ceterorum, indicet, argumento est, ne ab Ecclesia quidem sua coli. Neque in B. Adonis aut alio veteri Martyrologio illius reperimus nomen. Inscripsit illud Martyrologio Gallicano ad* III *Nonas Febr. Andreas Saussaius, hoc addito elogio :* Viennæ S. Simplicii Episc. et Confess. qui, Zosimo Pontifice, mira sanctitate eam Ecclesiam rexit, nec minora Episcopalibus virtutibus ornamenta, quam honorum decora, piis jurium sacrorum vindiciis, ipsemet cui præerat Sedi adjunxit.

*Simplicii Ep. Vien. sanctitas, natalis :*

*jus Metropolitæ sibi vindicat, in Concil. Taurinensi, non an. 397 habito,*

2 *In Taurinensi quidem Synodo de primatus honore cum Episcopo Arelatensi certavit, ut ex can.* 2 *patet;* illudque a Synodo definitum est, ut qui ex eis approbasset suam civitatem esse Metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineret, et ipse juxta Canonum præceptum ordinationum haberet potestatem. *Vulgo habita ea Synodus creditur anno Christi* CCCXCVII, *Cæsario et Attico Coss. propterea quod epistolæ Siricii Papæ et Ambrosii Ep. quarum Can.* 6 *mentio fit, ad dictam Synodum scriptæ existimentur : quo argumento, haud sane videmus. Verba Synodi sunt :* Si qui ab ejus *(Felicis Ep. Trevir.)* communione se voluerint sequestrare, in nostræ pacis consortium suscipiantur, juxta litteras venerabilis memoriæ Ambrosii Episcopi, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis, dudum latas, quæ in Concilio, legatis *(Episcoporum Gallorum)* præsentibus, recitatæ sunt. *Verum quomodo* dudum latæ *litteræ erant, si recens ad Synodum scriptæ? Cur* venerabilis memoriæ *dicitur Ambrosius, qui (ut alibi ostendemus) anno* CCCXCVII *primum mortuus? Addit Sirmondus post mortem S. Martini, qui tamen mense Septembri anni* CCCXCVII *adhuc vivebat, habitam esse; cum Zosimus Papa ep.* 2 *dicat in ea* gravissimorum Episcoporum sententiis pro calumniatore damnatum *Lazarum*, cum Bricii innocentis Episcopi vitam falsis objectionibus appetisset : *quod ille de S. Briccio Turonensi Ep. S. Martini successore accipiendum censet. Neque tamen serius multo statui potest, cum idem Zosimus in ea epistola an.* CDXVII *data dicat*, dudum in Taurinensi concilio *ea esse gesta.*

*nec multo post.*

3 *Videtur Simplicius, quod sibi arrogarat jus, diu impune retinuisse ; donec Patroclus, licet in Cathedram Arelatensem, dum adhuc Heros viveret legitimus Antistes, fuisset intrusus an.* CDXII, *tamen sopitis, quas inde natas* inter Episcopos regionis illius *testatur Prosper*, *discordiis, antiquum Ecclesiæ suæ jus a Proculo Massiliensi, ac Simplicio Viennensi, usurpatum, vindicavit, Zosimi Romani Pontificis sententia ; ideo Romam profectus, ut ex Zosimi ep.* 5 *ad ipsum Patroclum liquet:* Quid de Proculi damnatione censuerim, *inquit*, tenet conscientia tua, cum meo interesses examini, nec te gestorum nostrorum auctoritas latet. *Quod ad Simplicii caussam proprie pertinet, in ep.* 3 *ad Epp. provinciæ Viennen. et Narbonen.* II *ita scribit :* Attamen illa præsumptio *Proculi* nos admodum movit, quod in Synodo Taurinensi, cum longe aliud ageretur, in Apostolicæ Sedis injuriam subripiendum putavit, ut sibi Concilii illius emendicata præstaret obreptio ordinandorum Sacerdotum, veluti Metropolitano, in Narbonensi II provincia potestatem. Et ne solus impudenter indebita postulando huic Sedi videretur intulisse convicium, socium sibi Simplicium Viennensis civitatis adscivit : qui non dissimili impudentia postularet, ut sibi quoque in Viennensium provincia creandorum Sacerdotum permitteretur arbitrium. Indecens ausus, et in ipso vestibulo resecandus, hoc ab Episcopis ob certas caussas Concilium agitantibus extorquere, quod contra statuta Patrum, et S. Trophimi reverentiam, qui primus Metropolitanus Arelatensis civitatis ex hac Sede directus est, concedere vel mutare ne hujus quidem Sedis possit auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam. Et quia redire in ordinem suum intermissa præcipimus, Metropolitanus Arelatensis civitatis Episcopus, cum inde a Trophimo, ordinationis seriem temporibus roboratam inviolabi in utraque Narbonensi et Viennensi auctoritate possideat. Data III Kal. Octob. Honorio Aug. XI et Constantio II Coss, *id est, Christi anno* CDXVII. *Eadem de Arelatensis Cathedræ prærogativa inculcat ep.* 1 *data eodem anno* XI Kal. April. *eadem ep.* 2 data X Kal. Octob. *eodem anno, item* 4 *data* III Kal. Octob. *et* 5 *eodem die,* 6 *quoque,* data III Nonas Martias *anni sequentis.*

*verum agente apud Zosimum PP. Patroclo Ep. illud Sedi Arelatensi restituitur, ac confirmatur.*

4 *Aliam Zosimi ad ipsum* Simplicium *Epistolam recitant*

A *recitant Boscius ac Lieuræus, quæ ita habet* : Zosimus Epicopus Simplicio Viennensi Archiepiscopo salutem. Revelatum nobis est, qualiter in Taurinensi Synodo caussas tuæ diœcesis prosecutus fueris. Et licet Arelatensi Episcopo, antequam legatus tuus venisset, propter reverentiam S. Trophimi, jus et pontificium super tres provincias habere scripserimus : tamen si ita est, ut scripta tua nobis missa continent, interim usque dum lucidius ventiletur, potestatem antiquam tibi manere permittimus : ut, sicut in Taurinensi gravissimorum Episcoporum Synodo, pacis concilio decretum est, viciniores tibi intra provinciam civitates vendices, donec plenius rei ordinem Caritas Apostolica prosequatur. Lazarum indebite Episcopum, criminatorem fratris, ordinatum, scias nostro judicio esse damnatum. Data sub die Kalend. Octobris, Honorio XI et Constantio CC.

*an id aliis Zosimi litteris dirisum?*

5 *Hactenus epistola : quæ an genuina censeri debeat, aliorum esto judicium. Nobis id haud facile persuadebitur. Ne Patroclum quidem ipsum* Archiepiscopum *compellat Zosimus, aut alios Leo, Hilarus etc. Cur vero* revelatum *sibi esse dicit, quod erat in Synodo multo ante gestum? an* relatum *scripsit? Nempe per Simplicii legatum, qui post litteras biduo ante datas* B *advenerat. Quam illa abhorrent a moribus illius Curiæ? Non ignorabat Zosimus Acta Synodi Taurinensis, quæ in litteris ante jam datis citarat : neque adversus Simplicium sententiam tulerat, nisi diligenter expensis, quæ ille pro jure suo afferre voluit : cum Proculi caussam scribat ep. 3 se* numerosa cognitione discussisse; licet ipse diu expectatus, fastidiose ferens sibi inducias attributas, convenire dissimularet. *Si idem in ventilanda Simplicii caussa contigit, an consequens est, ut illico, auditis obiter Legatis, quod biduo ante decreverat rescinderit sapientissimus Pontifex?*

*non videtur.*

6 *Quod tamen suaserat Synodus Taurinensis, et in hac epistola statuisse Zosimus dicitur, id postea a S. Leone ep. 5 ad Epp. Provinciæ apud Sirmondum*, data III Nonas Maii, Valentiniano Aug. VII et Avieno V. C. Coss. *sive an. Christi* CDL, *decretum est, ac postea confirmatum, ita enim illam controversiam, de qua in quorumdam utriusque Sedis Antistitum Vitis mentio erit facienda, terminavit* : Consideratis allegationibus utriusque partis præsentium Clericorum, ita semper intra provinciam vestram, et Viennensem et Arelatensem civitates claras fuisse reperimus, ut quarumdam caussarum alterna ratione, nunc illa Ecclesiasticis privilegiis, nunc ista præcelleret; cum C tamen eisdem commune jus quondam fuisse a gentibus proderetur. Unde Viennensem civitatem, quantum ad Ecclesiasticam justitiam pertinet, inhonoratam penitus esse non patimur, præsertim cum de D receptione privilegii, auctoritate jam nostræ dispositionis utatur. Quam potestatem, Hilario Episcopo ablatam, Viennensi Episcopo credidimus deputandam. Qui ne repente semetipso factus videatur inferior, vicinis sibi quatuor oppidis præsidebit, id est, Valentiæ et Tarantasiæ et Genavæ et Gratianopoli, ut cum his ipsa Vienna sit quinta, ad cujus Episcopum omnium prædictarum Ecclesiarum sollicitudo pertineat. Reliquæ vero civitates ejusdem provinciæ sub Arelatensis Antistitis auctoritate et ordinatione consistant. *Ita S. Leo. Mutationes postmodum aliæ evenere, pluresque Metropoles institutæ.*

*Factum id a S. Leone I PP.*

AUCTORE I. B.

7 *An acquieverit Zosimi constitutioni Simplicius, an jus suum prosequi cupientem mors oppresserit, in obscuro est. Non videtur certe multo serius decessisse, neque citius. Non enim Pontifex* impudentiæ *argueret pridem vita functum. Sane Hilarium Arelatensem multo acrius increpuerat, graviusque multarat Leo I. qui ep. 2 ad Epp. Provinciæ an.* CDXLIX *jam defunctum*, sanctæ memoriæ *appellat. Neque ullam habere similitudinem veri videtur, quod in Antiquitatib. Viennen. apud Boscium et Lieuræum asseritur*, S. Mamertum, *Simplicii successorem*, floruisse temporibus Arcadii et Honorii *qui ad annum* CDIXXVI *videtur superstes extitisse. Neque* E *multum ultra Zosimi ætatem in vivis fuisse Simplicium ratiocinari possumus ex iis quæ apud Gregorium Turonensem habentur lib. 2 hist. Franc. c.* 13. Apud Arvernum, *inquit*, post transitum S. Artemii Venerandus e Senatoribus Episcopus ordinatur. Qualis autem fuerit hic Pontifex, testatur Presbyter Paullinus, dicens : Si enim hos videas dignos Domino Sacerdotes, vel Exuperium Tholosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Ecolismæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrocoriis, utcumque se habent seculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei religionisque custodes. *Sive hic ille est Paulinus Presbyter, a quo vita S. Ambrosii conscripta est, uti* XVIII *Januarii ad S. Venerandi Vitam non improbabile nobis videri diximus, seu quis alius, ejus certe æqualis, qui sui seculi mala horum Antistitum virtutibus temperari prædicet, innuatque, se eos novisse ac vidisse; indicat tamen omnes tunc vita functos fuisse cum scriberet, præter Pegasium. De* S. Exuperio, *SS. Innocentii I Papæ et Hyeronimi scriptis claro, agemus* XXVIII *Septembr. de* S. Amando *Burdegalensi* XVIII *Junii. Hinc illud quoque habemus, fuisse inter celeberrimæ virtutis Antistites* F *habitum* Simplicium.

*Quando obierit Simplicius?*

*inter præcipuos sui seculi Epp. habitus*

# DE S. ANATOLIO EPISCOPO,

## SALINIS IN BURGUNDIA,

### Commentarius prævius.

J. B.

### § I. *S. Anatolii Salinarum Patroni natalis, Vita, miracula.*

III FEBR.

Regio Sequanorum, *quæ nunc* Comitatus Burgundiæ *appellatur, præstantes habet pluribus locis salinas : quas Romanis olim penitus ignoratas fuisse censet Ludovicus Gollutius lib. 2 de reb. Sequanicis cap. 24 neque enim aut neglecturos eos fuisse hanc immensi quæstus opportunitatem, qui omne ubique aurum argentumque effoderant, aut ipsorum cosmographos ac historicos non uspiam earum mentionem facturos fuisse, si tunc extitissent. Notæ tamen jam erant Regum Burgundionum temporibus seculo Christiano quinto, uti patet ex Vita S. Eugendi I Januarii, qui SS. Romani et Lupicini in Jura monte discipulus fuit, ubi nunc* S. Claudii *oppidum. Ejus ergo monachi ut cap.* 10 *Vitæ illius refertur*, dum diros metuunt ac vicinos Allemannorum incursus, qui inopinatis viantibus, non congressione in cominus, sed ritu superventuque solerent irruere bestiali... e limite Tyrrheni maris potius, quam de vicinis Heriensium locis coctile decernunt petere sal. *Ac paullo post* : aliis e vicino, quod timuerant, sospitibus jam reversis *etc. Qui Hertenses illi, haud comperimus : sed cum vicini fuerint atque Allemannorum incursibus patuerint, haud videtur ambigi posse, quin inter Sequanos fuerint.*

*Salinæ quæstuosæ in Burgundia.*

2 *Celeberrima porro maximeque copiosæ salinæ sunt in* Scodinga,

*AUCTORE J. B.*

A Scodinga, *quæ nunc* Salinensis vallis *appellatur pluribus distincta vicis, qui partim in herbosis siti montium jugis partim depressioribus jacent locis. Apud Fredegarium Scholasticum cap.* 24 *ea regio* Pagus Scutingorum *appellatur, vel, ut teste Chesnæo alii codices habent,* Scotengorum *et* Scutengorum : Defuncto, *inquit*, Wandalmaro Duce, in pago Ultra-Jurano et Scutingorum, Protadius Patricius ordinatur. *Item in divisione regni inter Ludovicum Germaniæ Regem et Carolum Calvum, in portione Ludovici est* Scudingum, *quod Salinas interpretatur Miræus, citata S. Anatolii Vita, in Codice Donationum. Præcipuum enim valli illi decus, inter duos montes longo spatio porrecta urbs* Salinæ, *quæ, ut Gilbertus Cognatus Sequanus, Nozerethi vicino oppido natus, in Burgundiæ descriptione tradit*, amplissima civitas, toto orbe nominata ac celebris, a salsis et altis fontibus, ibi juxta alios aquæ dulcis fontes scatentibus, denominata : unde sal igne densatum in usus quotidianos conficitur, candore præstans, ac maximum Burgundiæ vectigal; quod inde in finitimas regiones immensis curribus exportatur. *Laudat quoque Salinas ab ædium elegantia, salis copia, templis, mœnibus Franciscus Ranchinus descript. Europæ to.* 2 *Præclarum conficiendi salis artificium, et admirabilem officinarum fabricam atque* B *ordinem, fuse exponit Gollutius libro citato : brevius Jo. Jac. Chiffletius Vesontionis p.* 1 *cap.* 5.

*unde urbs Salinæ,*

3 *In hac urbe* S. Anatolius *Episcopus maximam obtinet venerationem. De quo Auctor Vitæ S. Maimbodi* XXIII *Januar. nu.* 6 *Burgundiam alloquens :* Post hos vero *(Columbanum, Deicolum, Columbinum)* celeberrimum Confessorem prædicamus Anatolium, ex Scottia itidem genitum, lumen tibi a Domino destinatum. *Ejus honori una e quatuor parochialibus urbis ecclesiis, collegiumque Canonicorum, dicata. Ita Cognatus :* Habet celeberrima Canonicorum collegia tria, in quibus principem tenet locum, quod est a D. Anatolio denominatum.... secundum est D. Maurici, tertium Michaelis... sunt et parochiæ quatuor, videlicet D. Anatolii, Mauricii, Joannis Baptistæ et Virginis Mariæ. *Ad australe urbis latus, stat in summa rupe castrum Belinum, infra hoc eremus* S. Anatolii, *infraque castri ecclesia. De his quoque agit Gollutius lib.* 2 *cap.* 22.

*ubi S. Anatolii ecclesia,*

4 *Celebratur* S. Anatolii *natalis* III *Nonas Februarii, quo die in Martyrol. Eccles. Metropolitanæ Bisontinæ ista leguntur, ubi recitat Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis ad* XVIII *Januarii :* III Non. Febr. in territorio Bisontinensi, vico Salinis, S. Anatolii Con- C fessoris, cujus sepulchrum magnis illustratur miraculis. *Andreas Saussaius in Martyrol. Gallicano :* Ipso die Vesontione, S. Anatolii Episcopi et Confessoris, qui natione Scotus, ut credita sibi a Domino talenta multiplicaret, in Burgundiam transmeavit : fixaque Salinis eremitica statione, qua verbo, qua sancto factorum gloria, incolas ad se confluentes, a rerum terrenarum cupiditate ad cælestis desiderium et studium admodum provexit, clarusque miraculis et meritis plenus, æterna demum properavit ad gaudia. In cujus venerationem, eo loco quo tumulatus est, basilica extructa fuit, Canonicorum collegio insignis : in qua perhonorifice conditus quiescit, Patronique titulo colitur. *Eum quoque referunt Molanus in addit. ad Usuard. et Ferrarius in generali Catalogo SS. ac Colganus in Vitis SS. Hiberniæ. At Claudius Robertus in Catal. Epp. Vesontionensium nu.* 63 *de eo ista habet :* Lingonis fit de eo officium duplex III Calend. Februarii. *Saussaius eo die :* Lingonis susceptio reliquiarum S. Anatolii Episcopi Bisuntini Confessoris, cujus natalis fulget insignis III Nonas Februarii. *Ferrarius vero rursus eum* IV *Septemb. refert, veluti si eo die natalis illius agatur, his verbis :* Vesontione S. Anatolii Episcopi. *David Camerarius lib. de Scotor. pietate ad* X *Decemb. S. Anatolium refert, sed alium, ut infra dicemus perperam Scotis adscriptum, qui Laodicenus Episcopus fuit, et* III *Julii colitur.* D

*cujus natalis 3 Feb.*

*Lingonis 30 Jan. ob reliquias,*

5 *Seculo post Christum undecimo, corpus* S. Anatolii *e priore tumulo refossum, ac honorificentius locatum in basilica, quam Hugo Salinarius, S. Stephani Vesontione Canonicus, ac Rudolphi Regis Capellanus, postea Archiepiscopus, reædificarat, ordine etiam Canonico in ea instituto. Qua de Ecclesia, Canonicisque, Joan. Jac. Chiffletius Vesontionis par.* 2 *in Hugone* I *agit. Ea vero* S. Anatolii *elevatio facta est* XIII *Junii, ut infra ex Pet. Francisco Chiffletio dicemus.*

*elevatio 13 Jun.*

6 *Ducentis post annis a Nicolao Archiepiscopo, qui ab an.* MCCXXIX *ad* MCCXXXV *Vesontinam Ecclesiam administravit, in elegantiorem thecam repositum est* S. Anatolii *corpus. Qua de re idem Jo. Jac. Chiffletius in Nicolao :* Inter alia quæ pie gessisse legitur, illud non in postremis censendum, quod S. Anatolii clarissimi apud Salinas Confessoris, Episcopi natione Scoti, qui vitam eo loco vixit solitariam, sacrum corpus honoratiore capsa includendum relevavit : cujus rei monumentum extat in Martyrologio basilicæ S. Anatolii Salinensis his verbis : Kal. Septemb. Salinis Relevatio B. Anatolii Confessoris atque Pontificis, per manus D. Nicolai Archiepiscopi Bisontini. *Eadem habet Miræus in Fastis Belgicis et* E *Burgundicis ad* XVIII *Januarii ex Martyrol. Bisontino; plane ut corrigendum videatur, quod scribit Cl. Robertus in Vesontionensib. de eodem agens Nicolao, ea in Salinensi Martyrol. haberi Calendis Februarii.*

*alia 1 Sept.*

*non 1 Feb.*

7 *Vitam* F. Anatolii *ex MSS. codicibus Salinensium transmisit nobis Pet. Franc. Chiffletius noster, docuitque in plerisque Burgundicarum Ecclesiarum Legendariis eamdem extare ; scriptum vero videri a* D *aut* DC *annis. Aliam ipse paullo breviorem, quam et nos hic dabimus, concinnavit. Priorem illam citat Gilbertus Cognatus ita scribens*, Vallis vero ipsa *(Salinensis)* olim Scodinga dicta fuit, ut in D. Anatolii historia legimus. *Gollutius quoque ex ea descriptionem vallis Salinensis affert initio cap.* 22 *lib.* 2. Cum in Scodingam, *inquit*, regionem Sequanorum Bisunt. Diœcesis ; in qua vallis est Romano itineri pervia, et nunc Salinarum locus. * Supra vallem hanc mons eminet amœnissimus, cui propter amœnitatem nomen imposuerunt majores nostri, Aureus. Ex eo namque fons perennis manans, vallem irrigat murmure suavissimo. *Quæ eadem licet variante aliquantum phrasi, habentur in Vita nu.* 6.

*Vita duplex,*

*prior alibi citata.*

* videtur aliquid deesse.

8 *In MS. quodam Carthusiæ Bruxellensis, sed plane recenti, ista de* S. Anatolio, *leguntur, quæ in Vita non* F *extant :* III Febr. Anatolii Episcopi et Confessoris, in oppido Salinarum in Burgundia quiescentis. Hic semel carbones, ubi fit sal, in gremio illæsus portavit. *Gollutius lib.* II *cap.* 21 *servatas* S. Anatolii *ope Salinas narrat. Nam cum anno* MCCCCXCII *Galli Salinis ejecti, Braconiam arcem vicinam (in qua natus S. Claudius Episcopus creditur) adhuc tenerent; Baudricourtius eorum Præfectus contractis celeriter Poliguiacum copiis sat numerosis (decem millia fuisse quidam memorant) Salinas recipere cogitabat, priusquam novis munitionibus firmarentur. Philippus Lorttæus Arrschii Dominus, ac Fredericus Chapelarius, cum longe minori militum numero, vias angustas ac depressas dumetis ac sentibus cinctas, per quas Gallis iter erat, circumsederunt, ac securos sub meridiem aggressi, prælio ad noctem protracto, plurimos peremerunt, ceteros in fugam verterunt, ac postridie victores in urbem redierunt. Neque interim officio suo defuerunt cives : nam omnis ordo, ætas, sexus diem illum (S. Antonio Abbati sacer is erat) jejuniis, precationibus, sacris procurandis, exegerunt; Senatus claves verbis* S. Anatolii *feretro imposuerat, ejus præcipue auxilio servatum iri urbem confisus. Viget etiamnum solennis tantæ rei memoria. Nam quæ tunc*

*Prunæ ab eo gestatæ innoxiæ :*

*urbs, ejus ope servata,*

*...ænis hostibus*

*hinc anniversaria supplicatio.*

A *tunc communi religione nuncupata ad Divi tumulum vota, ea quotannis publica instituta supplicatione exolvuntur. Plura id genus beneficia, cælitus illius ope obtenta, breviter perstringit Pet. Franc. Chiffletius. Gollutius assidue confluere populum ad venerandas ejus reliquias scribit lib. 2 cap. 22 et plurima maximaque fieri miracula, quibus bella aliæque publicæ calamitates propulsentur, et privatorum miseriæ sublevuntur.*

*crebra miracula.*

## § II. *S. Anatolii episcopatus, patria.*

*S. Anatolius Episcopus.*

P*assim Episcopum fuisse S. Anatolium tradunt. Nobis, quod Molanus et Ferrarius scripsere, Vesontionensem fuisse, haud probatur. Ille quidem in addit. ad Usuard. hoc die ita habet :* Civitate Bisontina S. Anatolii, ejusdem metropolis sanctissimi Episcopi et Confessoris. *Ferrarius :* Vesontione in Gallia S. Anatolii Episcopi. *Et addit in Notis :* Is natione Scotus fuit, et propter præclaras ejus virtutes Episcopus Vesontinus factus, ei Ecclesiæ sanctissime præfuit. *At* IV *Septemb. itidem in Notis :* Quotus tamen ejus urbis Episcopus fuerit, noscere haud potuimus. *Qui enim potuisset, cum ne vestigium quidem ejus rei extet apud Chiffletium, qui in Vesontione sua accuratum texuit ejus urbis Episcoporum catalogum, ac post eum Claudius*

*non Vesontinus :*

B *Robertus? An vero quem alibi terrarum gesserat episcopatum, vel submissionis studio, vel zelo salutis animarum aliis in oris curandæ, ultro reliquerit, Pontificis Romani auctoritate, aut extraordinario quopiam Divini Spiritus instinctu; an Sede dejectus ab improbis hominibus; an, quo olim frequens, Scotis præsertim, ordinatus Episcopus fuerit, ad facilius procurandam Ethnicorum conversionem, ubi visum esset, cum nulli certæ Sedi affigeretur ; an ne Episcopus quidem fuerit, sed ita a posteris sit, majoris dignationis gratia, appellatus, ut alii nonnulli in Belgio nostro et alibi, non disputamus : neque in alterutram partem sat valida suppetunt argumenta. Licet asserat Colganus indubitatum esse,* quod fuerit Episcopus et Confessor : *at solum probat, Episcopum vocari, et ut Episcopum coli.*

*an certo Scotus?*

10 *Idem extra controversiam esse ait*, quod genere et domo Scotus, sive Hibernus fuerit. *Non videtur id nobis tam certum, ut piaculum sit vel leviter dubitare. Atque infra dabimus viri eruditi judicium, qui Græcum aut Cilicem fuit, censetque* Scotum dici eo more, quo per Gallias priscis illis seculis peregrini omnes Scoti vulgo vocitabantur. *Ita ab historicis quibusdam exteri milites omnes, quamvis Gothi, Franci, Allemanni, Saraceni, Hungari essent,* Wandali *leguntur appellati.*

C *Quid quod in gymnasiis quibusdam Germaniæ externi et inopes studiosi Belgæ, Lotharingi, aliique, Scotti etiamnum vocentur? Cujus nomenclaturæ caussam quærentibus nobis ita Colonia rescripsit ante annos aliquot Eximius eruditione et humanitate, Doctor Henricus Franciscus Dierstorfius, Theologicæ Facultatis senior:* Celebris hic Coloniæ abbatia est, Ordinis S. Benedicti ; nunc S. Martini Majoris, olim, a Rheno circumlabenti et Scotis incolentibus, Insula Scotorum dicta. Hanc quia Scotigenæ aliquot seculis tenuerunt, plurima ex iisdem finibus juventus, studiorum caussa, ut fieri assolet, ipsos subsequuta est. Vivebant ex hisce non pauci, tenuioris fortunæ adolescentes, liberali Ubiorum munificentia ; quam velut alteri Cleanthes, aquas hauriendo, ostiatim psallendo, aliisque servitiis acuebant ; uti et in præsentiarum asseclas eorumdem factitare cernimus. Hinc phrasi nostrate, pauperes studiosos SCOTTEN appellamus. Credo Ratisponæ et alibi, ubi similia sunt Scotorum collegia, idem observari. Hæc Clarissimum virum Juris Civilis Doctorem Stephanum Broilmannum, Agrippinensis Antiquitatis studiosum investigatorem, Gymnasii nostri olim Professorem, inter mensalia collo-

*an dictus quia externus,*

*more alibi recepto?*

quia dicere memini. *Hactenus venerabilis ille senior.* D
*Nunc ad S. Anatolium revertamur.*

AUCTORE J. B.

11 *David Camerarius lib. 3 de Scotorum pietate,* Anatolium *(sive hunc sive alium quempiam)* non solum *Scotum, sed et Ionæ sive* Hu *insulæ Abbatem facit. Neque tamen quo eum refelleremus, argumentum suppeteret, qui nusquam catalogum Abbatum Huensium, sive Ionæ, aut Cellæ S. Columbæ, viderimus; nisi dum Bedæ auctoritate suam fulcit sententiam, hac ipsemet eam subverteret. Ita scribit ad* X *decembris, quo die nemo* Anatolium *ullum recenset :* S. Anatolius Confessor et Abbas, vir plane Apostolicus. De illo multa apud Bedam habes libro 3 historiæ, et alios. Præfuit Anatolius Abbatis officio in Iona insula. *At Bedam vel non legit, vel non intellexit, de alio plane* Anatolio *agentem, de quo S. Hieronymus lib. de illustr. Eccl. scriptoribus cap.* 73 *ita scribit :* Anatolius Alexandrinus, Laodiciæ Syriæ Episcopus, sub Probo et Caro Imperatoribus floruit; miræ doctrinæ vir fuit in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica : cujus ingenii magnitudinem de volumine, quod super Pascha composuit, et decem libris de Arithmeticæ institutionibus, intelligere possumus. *Nulli potest in mentem venire, ut putet hunc* Anatolium, *qui seculo Christiano* III *in Syria floruit, Abbatem in Iona Pictorum insula fuisse; ubi monasterium primum conditum est a S. Columba sub finem* VI *seculi.* Siquidem, *ut Beda scribit lib.* 3 *hist. Eccl. gentis Anglorum cap.* 4. anno Incarnationis Dominicæ DLXV (quo tempore gubernaculum Romani imperii post Justinianum Justinus minor accepit) venit de Hibernia Presbyter et Abbas, habitu et vita monachi, insignis nominis, nomine Columba, Britanniam; prædicaturus verbum Dei provinciis Septemtrionalium Pictorum, hoc est, eis quæ arduis atque horrentibus montium jugis, ab australibus eorum sunt regionibus sequestratæ... Venit autem Britanniam Columba regnante Pictis Bridio, filio Meilochon, Rege potentissimo, nono anno regni ejus, gentemque illam verbo et exemplo ad fidem Christi convertit. Unde et præfatam insulam ab eis in possessionem monasterii faciendi accepit.... quam successores ejus usque hodie tenent. *Quod Hector Boetius lib. 7 et Lesleus lib 4 Fergusium II Regem scribant in Iona cœnobium Honorii Imp. temporibus condidisse, cui id sine vetustioris testimonio probabunt? Ipsa Iona nomen a S. Columba accepit, cum antea* Hy *vel* Hu *vocaretur, ut alibi dicemus, quo forte S. Adamnanus præf. 2 in vitam S. Columbæ respexit, ubi ostendit quod* Iona *est Hebræis I, περιστερὰ Græcis, Latinis esse* Columbam.

*alius a Beda laudatus,*

*non Huensis Abbas, sive Hyensis,*

E

F

12 *Illius autem Laodiceni* Anatolii *meminit Beda lib. 3 cap. 3 de S. Aidano Lindisfarnensi Episcopo ita scribens :* Namque diem Paschæ Dominicum more suæ gentis,... a quartadecima luna usque ad vicesimam observare solebat. Hoc etenim ordine Septentrionalis Scotorum provincia, et omnis natio Pictorum illo adhuc tempore, Pascha Dominicum celebrabat ; æstimans se in hac observantia sancti ac laude digni Patris Anatolii scripta secutum. *Quæ de Laodiceno accipienda esse, clarius etiam liquet ex cap. 25 ejusdem libri, ubi Colmanus Episcopus ita pro ritu Scotorum disserit :* Numquid, *ait,* Anatolius vir sanctus, et in præfata historia Ecclesiastica multum laudatus, Legi vel Evangelio contraria sapuit, qui a quartadecima usque ad vicesimam Pascha celebrandum scripsit? Numquid reverendissimum Patrem nostrum Columbam et successores ejus, viros Deo dilectos, qui eodem modo Pascha fecerunt, Divinis paginis contraria sapuisse vel egisse credendum est? *Cui mox respondens S. Wilfridus, tunc Presbyter,* Constat, *inquit,* Anatolium virum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum : sed quid

*sed Ep. Laodicenus sec. 3*

*AUCTORE I. B.*

vobis cum illo, cum nec ejus decreta servetis? *Ergo non fuerat illic laudatus* Anatolius, *ut vult Camerarius, Abbas in Iona ; non enim diceret S. Wilfridus :* Quid vobis cum illo? *Neque illud,* cum nec ejus decreta servetis. *Nam si Abbas, ergo ex S. Columbæ, anno* DLXXXXVII *mortui, successoribus, quos jam Colmanus asseruerat eodem modo Pascha, etiam* XIV *luna, fecisse. Verum ipse Colmanus diserte eum a Columbæ successoribus sejungit, et ante Columbam nominat. Imo* in præfata historia Ecclesiastica laudatum ait. *Quæ illa ? Quam enimvero citarat Wilfridus? Non Ionensæ aliquod Chronicon, sed historiam Eusebii, in qua lib. 5 cap.* 22 *et seqq. multa habet de die Paschatis, ut lib. 7 cap.* 26 Anatolium *laudat.*

## § III. *S. Anatolius an Patriarcha Constantinopolitanus? an Adanæ Episcopus?*

T*homas Dempsterus historiæ Ecclesiast. gentis Scotorum lib.* I *num.* 43 *Sanctis cœli existimat* S. Anatolium *Patriarcham Constantinopolitanum, qui anno* CDXLIX *S. Flaviano Martyri successit, obiitque an.* CDLVIII. *Hunc ait* fuisse ex eorum Scotorum numero, qui Innocentium I Pontificem secuti : Apocrisiarium fuisse Theodosii Augusti junioris, et ex ea aulica dignitate ad majora vocatum, *ac S. Flaviano successisse : dein reliquias ejus in Burgundiam translatas. Ipsum enim S. Innocentium Papam, quia* Albanus *vocetur, concludit Scotum fuisse, quia Scoti se* Albanos *appellent. Id disquiremus ad* XXVIII *Julii. Non Theodosii Apocrisiarius fuit Anatolius Patriarcha, sed Dioscori et Ecclesiæ Alexandrinæ apud Theodosium : neque ex aulica dignitate vocatus ad episcopatum, sed ab Ecclesiastico munere : nam, ut Græci in Menæis referunt,* οὗτος πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισιάριος τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας ὑπάρχων, ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως προχειρίζεται, hic cum Presbyter esset et Apocrisiarius Ecclesiæ Alexandrinæ, Archiepiscopus Constantinopolitanus ordinatur. *At Liberatus Diaconus in Breviario de caussa Nestoriana cap.* 12 *ita scribit :* Ordinatusque est pro eo Anatolius Diaconus qui fuit Constantinopoli Apocrisiarius Dioscori. *Is deinde* post illa ordinationis suæ non inculpata principia, *ut ad eum scribens ep.* 53 *loquitur S. Leo Papa* Ordinatorum suorum errorem deserens, *ut idem habet ep.* 54 *ad Marcianum Augustum,* in assensum Catholicæ fidei salubri correctione transivit : *et licet non semel illius reprimi fastus ab eodem S. Leone debuerit, et nimia indulgentia, qua erga Eutychianos uti videbatur, castigari ; unde et Baronius eum sæpe severiore nota perstringit, tamen et miracula patrasse scribitur, et ab hæreticis occisus venenum fortassis, a Græcis, etiam Catholicis,* III *Julii colitur : quo die et Laodicenus ille senior* Anatolius, *de quo superiori § egimus, Martyrologio Romano inscriptus est.*

*Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus.*

*Catholicus fuit.*

*et sanctus :*

14 *Cur eumdem illum esse, qui Salinis colatur, censeat Dempsterus, duo profert argumenta : unum, quod Salinis ita habeatur,* S. Anatolius Scotus Archiepiscopus Constantinopolitanus. *Ubi id habetur? in vetustis codicibus? officii Divini Lectionibus? an tabula aliqua? Non vidit, sed a viro illustri Bruxellis commorante id didicit. Suspicamur, si quid isthic ejus modi extat, non* Constantinopolitanus, *sed* Chrysopolitanus, *id est,* Vesontionensis, *habere. Atque id supra refutavimus. Alterum est testimonium Paradini, qui in Burgundicis Antiquit. ita dicitur scribere :* Tempore Lotharii IV Regis per Legatos Constantinopolim ab eo missos, translatum fuit pretiosum corpus S. Anatolii Patriarchæ, quem Scotum faciunt. *Quas ille vocet Paradini Antiquitates Burgundicas, haud intelligimus. Vidimus illius scriptoris librum de antiquo statu Burgundiæ editum Basileæ, et Gallice conscriptos tribus libris Annales Burgundiæ, editos Lugduni an.* 1586. *In neutro opere id reperimus. Neque vero sat esse eum id scribere nisi aliud rei tam antiquæ testimonium proferret. Translationem illam contigisse ait Dempsterus,* sedente Leone VIII, regnante in Scotia Indulpho. *Subrogatus est Leo* VIII *Joanni* XII, *anno* CMLXIII, *per vim, nec a Baronio legitimus Pontifex agnoscitur ; obiit* CMLXV. *Regnabat tunc apud Scotos Indulphus, ut videre est apud Leslæum ; in Gallia Lotharius Ludovici Transmarini filius ; in Oriente imperabat Nicephorus Phocas.*

*dicuntur ejus reliquiæ Salinas translatæ*

15 *Si porro Galliæ Rex corpus* S. Anatolii *Constantinopoli obtinuit, quomodo id ad Sequanos, qui non ei parebant, sed Conrado Regi Burgundiæ, devenit ? An id Mathildis Conradi uxor a Lothario fratre obtinuit? Sed quo pacto videri verisimile potest, Auctorem qui Vitam S. Anatolii composuit altero (ut summum) seculo post Conradi Lotharique Regum tempora, scripturum fuisse, isthic ereminticam vitam egisse, si aliunde isthuc allatæ tunc reliquiæ erant? Esto, nulla habuerit litterarum monumenta, quæ sequeretur ; qui potuit tantillo spatio tam aliena a vero opinio, inhærere hominum animis, cum essent fortasse superstites, qui ab oculatis testibus intellexisse translationem illam possent si vere unquam facta esset? An tamen* S. Anatolius *Constantinopolitanus, quod ante Dempsterum in Kalendario Scotico scripsit Adamus Regius ad* III *Julii, Scotus fuerit, licebit isthic (si videbitur) disquirere.*

*haut satis probabiliter.*

16 *Alium Pet. Franciscus Chiffletius noster infra satis probabili conjectura, ex Asia* Anatolium *accersit, Adanæ in Cilicia primæ Episcopum. Extat S. Chrysostomi ad hunc epistola* III, *Cucuso data, quæ ita incipit :* Cum ardentem tuum erga me amorem, idque de facie minime notum, ex multorum sermone accepissem, *etc. Idem esse videtur* Anatolius, *cujus meminit Palladius in Dialogo de Vita S. Chrysostomi, ubi cum quonam viri Antistites, qui illi adfuerant, relegati essent aut ultro secessissent, retulisset, de aliis, qui forte non adfuerant illi quidem, cum in exilium ejiceretur, sed ejus tamen partes tuebantur inter quos erat ille Adanensis, ita scribit :* Reliqui de communione Joannis, partim quidem Attico communicarunt necessitate compulsi, et ad alias Ecclesias Thraciæ translati, partim nescimus ubi sint. Aiunt Anatolium in Gallias concessisse. Presbyteri vero in Arabiam et Palæstinam exularunt. Tigrius in Mesopotamiam relegatus est *etc. Ne quis Galatiam intelligi putet oportere, Georgius Alexandrinus in Vita Chrysostomi diserte scribit :* Ἀνατόλιον δὲ ἔφασαν εἰς Γάλλους ἀπελθεῖν, Anatolium vero dicunt ad Gallos profectum.

*Anatolius Ep. Adanæ,*

*S. Chrysostomi fautor,*

*in Gallias venit*

17 *Neque est quod ex citata Chrysostomi epistola conficere quis velit, eum e Sede sua ejectum non fuisse. Scribit ille quidem :* Verum etiamsi corpore disjuncti simus, arctissimis tamen animi vinculis vobiscum adstricti, tranquillam ac bellis vacuam regionem vestram potius, quam Cucusum incolere nobis videmur. *Potuit enim fortassis aliquamdiu primam illam effugere tempestatem, ut qui in urbe regia cum eo non fuisset : sed postea Arsacii, ejusque successoris Attici iram, ac Patriarchæ sui Antiocheni Porphyrii devitare furorem non potuit. Plures vero isthic commemorat Palladius, qui ereminticam et agrestem vitam egerint, qualem egisse in Gallia Anatolius traditur. Nam* Antonius, *inquit,* intra Palestinæ speluncas se inclusit... Brisso Palladii frater, Ecclesia sua sponte derelicta, in agello suo degit, terram propriis manibus fodiens... Joannes Æthrius Cæsareæ construxit monasterium... Elladius palatii Presbyter Bithyniæ in agello proprio degit... Silvanus autem sanctus Episcopus Troade piscatu sibi victum quærit.

*Sede sua pulsus.*

*Alii tunc Episcopi ejecti solitarie vixere.*

18 *Quanta vero perpessi sint omnes illi Antistites, dum in exilium pellerentur, præter cruciatus nonnullis illatos, ita universim scribit :* Retulit autem is, qui ab

*plurima passus et ipse forte est.*

A ab Episcopis redierat, Diaconus, eos a ductoribus suis, immissione quorumdam, intantum vexatos, ut tæderet etiam vivere, mortemque sibi imprecarentur omnes. Nam pecunias in sumptus necessarias iis auferentes, inter se partiti sunt; nudisque imponentes jumentis, bidui iter una conficiebant die, profunda jam nocte divertentes et nocturnis item tenebris ad iter exurgentes, ut neque infelices escas continere stomachus posset. Turpibus præterea obscœnisque sermonibus impetere illos non desistebant.

*An is Salinensis. ANIMADV. PAP. 41.*

19 *An revera tamen Salinarum Patronus sit Cilix ille, vel Syrus Anatolius, an potius (quod vetus habet traditio) Scotus aliquis Episcopus, haud certo statuere possumus. Utraque probabilis est opinio; sed vetus illa dejici tot seculorum possessione haud-temere debet.*

# VITA

## AUCTORE ANONYMO,

### *ex MSS. eruta a Pet. Franc. Chiffletio S. J.*

Christianæ religionis imitatio maxime sanctorum Patrum exemplis ad posteros emanavit, quos non tantum in fidei firmitate sine dubitatione solidatos, B posterorum accepit credulitas, verum etiam virtutis ipsius contubernio fretos, ad cœlum evectos ipsa non dubitat caritas. Ipsorum autem exempla sequi summum est sapientiæ, quorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ: et quoniam ipsorum prudentia ad vitæ ædificationem, suis tractatibus multa reliquit posteris, quorum plura vel casu deleta, vel vetustate abolita, vel igne cremata sunt, non abs re videtur, quædam quæ sparsa sunt memoria recolligere, et horum qui futuri sunt populorum ad imitationem boni exempli notitiæ tradere.

*Multa SS. Acta abolita:*

2 Vitam igitur beatissimi et Confessoris Christi Anatolii in quantum bonorum virorum relatione didicimus, posterorum memoriæ tradere curantes, ex ipsius gestis pauca libabimus, quæ certa et cognita esse præsenti populo cognovimus: ante enim oculos Divinæ majestatis nulli unquam quod non sit, fingere liceat, cujus bonitatis simplicitas omne figmentum evacuat. Nec enim ejus esse sapientiæ ipsam, quæ dicit, ignoramus sententiam: Os quod mentitur, occidit animam.

*hæc certa.* *Sap. 1. 11.*

3 Fuit igitur vir iste Scotticæ regionis oriundus, Pontificali officio, ut fert priorum assertio, præditus, C Dei intentus servitio, et operibus contemplativæ vitæ deditus; cui inerat mansuetudo cum patientia, cum moderatione abstinentia, cum sobrietate pudicitia: supereminentem donis omnibus caritatem amabat, quæ suæ religionis custos fidissima erat. De ejus genealogia investigari non satis duximus esse idoneum, quia personarum acceptio non est apud Deum: hoc tantum sane credimus, hoc credendo profecto amamus; quia digne vertitur in memoriam hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum.

*S. Anatolii patria,* *virtutes,*

4 Secutus autem Dominum B. Anatolius non ambulavit in tenebris, quia invenit lumen vitæ, et veritatis; qui cum pro Christo peregrinus efficitur, in conspectu Regum magnificatur et stola gloriæ, et immortalitatis induitur. Quantæ autem sanctitatis fuerit, ipsa quidem miracula indicant, quæ crebris exultationibus gloriosum ejus sepulchrum condecorant; ex quibus quædam tam visa, quam veridicorum relatu fidelium cognita, perstingere volumus, si prius quidem quomodo ad nos ipse pervenerit, exposuerimus.

*miracula.*

5 In Archiepiscopatu Bisunticensi, qui et *a* Chrysopolitanus appellatur, est quædam regio, nomine Scodinga, in qua est vallis *b* Romano itineri pervia, quæ Salinis bene suo sibi nomine dicitur, eo quod D sal ibi sufficienter conficiatur. Supra vallem quoque mons eminet amœnissimus, a sui situs pulchritudine nomen habens *c* Aureus; a cujus clivo fons limpidissimus emanat, qui diversis ægrotantibus morbis, si eo lauti fuerint, sanitatem accommodat. Vallis undique circum-clausa montibus, pro muro se porrigit inhabitantibus. Medium fluvius interfluit, qui *d* Furiosus, ex re vocabulum collegit, vel quod ingruenti pluvia subito et sine modo concrescit; vel quod populus alter in alterum urgente ira quasi furibundus insurgit. Sed quid de ea amplius dicimus?

*a* *b* *Scodinga* *AUCTORE ANON. regio:* *Aureus mons: c* *fons medicus: d* *Furiosus fl.*

Nobilis est fama multas memorata per oras.

6 Hanc igitur Dei famulus Anatolius, Divina id agente gratia, Roma regrediens ingressus, ad oratorium in eodem monte juxta fontem irriguum, qui montis superiora eluit, positum, in honore etiam beatissimi *e* Symphoriani, Æduensis Martyris dedicatum, orationis gratia eo divertens, a sociis quærit diludium. Videns itaque loci amœnitatem, modum et situm montis delectabilem, supernæ felicitatis toto mentis affectu contubernium jam sitiens, visus est orasse Dominum, ut eo in loco suæ sibi remunerationis conferret præmium. Omnipotens autem Dominus, qui dixit discipulis suis: Quodcunque petieritis in nomine meo, dabitur vobis, fidelem orationem famuli sui non aspernatus, paucis diebus E ibidem commorantis sanctam suscepit animam; tamquam aperte diceret: Hæc requies tua in seculum seculi: hic habitabis, quoniam elegisti eam.

*e* *S. Anatolii obitus:* *Joan. 16, 23.*

7 Quoniam igitur viri beatissimi finem sub brevitate tetigimus, nunc secundum nostri propositi ordinem quædam de ipsius miraculis enarremus: quorum idcirco parum dicimus, quia eorum multitudinem colligere compendiose non possumus. Est quædam villa a valle supra scripta octo milliariis distans, appellata nomine *f* Crementis, in qua rusticus quidam morabatur, cui erat vocabulum Petrus, qui filium ex concubina genuerat, qui nomen Ornatus habebat. Hic vero cum jam decennis esset, nullum usum viventis hominis in se monstrabat, quia occulto Dei judicio ita natura eum destituerat, quod ei nullum ex sensibus corporis, præter gustum exhibebat, non pedibus gradiens, non manu palpans, vix ore verbum intelligibile emittens, non sonum auribus trahens; nam retorti sub planta articuli nullo poterant vestigio inniti; digiti autem volæ compliciti, palpandi usu erant privati; lingua palato parum adhæserat, quæ vix verbum formare poterat; obstrusæ diutina conglutinatione aures totius soni F manebant expertes. Defertur ad egregii Confessoris sepulchrum, ponitur pro foribus ante atrium, nullo custode servatur; a patre, cui jam diuturna infirmitas tædium fecerat, deseritur. Sed Omnipotens, qui cuncta, cum non essent, condidit, pius et clemens facturam suam non deserit; per meritum namque sanctissimi Confessoris imperfectum supplevit, et ad perfectos artus in brevi reduxit.

*f* *ejus ope contractus, surdus, mutus sanatur,*

8 Erat quoque mulier pauperrima in eisdem finibus, cui similiter deerat usus corporis, quæ, suos non habens, ferebatur gressibus alienis. Retro versi calces dorsi posteriora comprimebant, manus conflexæ mirabiliter brachiis adhærebant: hæc deportata ad ædem Confessoris ante aram locatur: deformis species, et horribilis, et animantibus abjectior cunctis, Sanctum Dei nominatim appellat, cunctis qui aderant audientibus incessanter invocat: oratio ejus multos ad fletum incitat. Res mira, et ad laudem Domini in sancta Confessione fidelibus prædicanda, et omni devotione et admiratione laudanda! debile corpus subito, et spectante populo per artus singulos ad vigorem reducitur: ex terribili et horrida specie, pulchra forma, sancto spiritu artifice elicitur;

*item alia contracta.*

A elicitur; sine mora, nullo mortalium juvante mulier elevatur. *AUCTORE J. B.* Videres circumstantium multitudinem præ nimio gaudio flere, brachiis pectora percutere, Dei laudibus exultare; gloriosus Dominus jure et admirabilis prædicatur in Sanctis, qui tam facilem aurem præbet clamori pauperis, et quod natura derogat, immensa pietas exorata reformat.

9 Hæc denique et alia multa miracula dignatus est operari Dominus per dilecti sui Anatolii meritum, cujus sanctissimum corpus longo post tempore revelatum, *Reliquiæ elevatæ,* in eadem ecclesia sepultum est, ad plebis suffragium retento brachio, et ad benedictionem agendam in populo. Quodam vero tempore villa Salinis, agente id casu, accenditur; materiale subjectum ad succendendum facile habebatur, quia g abietibus pleraque domuum (quæ species arboris facillime igni succumbit) ibidem conficiuntur. Domus vero contiguo tectorio jungebantur, nullo interstitio procurrente; nec erat, una incensa, aliqua ambiguitas, alias omnes futuras esse cremandas. Populus autem humano jam desperato auxilio, *per eas restinctum incendium.* ad beati Confessoris recurrit subsidium, sanctum brachium adducitur in medium, opponitur contra ignis incendium. Mira res! vis totius Vulcani mox cecidit in momento, nullum incendium comparuit, ut compro-B baret Dominus, a periculis incendii, meritis sui Confessoris eos liberari, quem ipsorum devotio cœperat pro ejus amore venerari, cui laus, et imperium per infinita secula seculorum, Amen.

*Chrysopolis, id est Vesontio.* a Vesontio a curtis sceptoribus Chrysopolis, id est, aurea civitas appellata: qui causa, docet *Jo. Jac. Chiffletius Vesont. par. 1 cap. 12.* — b *Gollutius quoque lib. 2 cap. 22 Sequanorum opus esse censet lucum eum, ad tres leucas porrectum, in stratum lapide, ubi rupes desunt, quæ iter præbeant. De eodem agit cap. 10.* — c *Ita dictum censet Gollutius cap. 23 quod aurum illuc effoderetur, qua occasione sub Pontes reperti, qui rulli in eosum jam locupletiores et aureum reddunt.* — d *Gilberto Cognato* Furio est, sive Furiolo, sic dictus, quod urbem immunditiis purget. *Furiosus fl.* Sunt qui Furiosum, *imo* magis verecunde vocant, quod sit rapidus et cum celeritate et furore labatur. — e *In S. Symphoriano Martyre Augustodunensi, agemus 22 Aug.* — f *Mons, Cremensis, ut vidaeri Pet. Franc. Chiffletius.* — g *Cumantus.* Domus sunt magnificæ et lucculentæ, majoreque ex parte gypseæ parietibus tenuibus, in altum erectæ, interpositis crebris trabium craticulationibus. Vulgares etiam ex luto gypsato crustatæ sunt.

## ALIA VITA

*Ex schedis Pet. Franc. Chiffletii Soc.* Jesu.

Beatum Anatolium, Salinensium tutelarem inclytum, pene tantum ex miraculis novimus. *S. Anatolii episcopatus,* Diserte ratiocinantur, qui eum fuisse putant Episcopum Adanæ, Ciliciæ civitatis, in pa-C triarchatu Antiocheno; qui tamen æquitatis amore, D a partibus steterit Joannis Chrysostomi, Patriarchæ Constantinopolitani, adversus Theophilum Alexandrinum: eamque ob caussam exterris (ut in Vita Chrysostomi refert Palladius) in Gallias concesserit. Extant ad eum Chrysostomi in Cucuso exulantis litteræ, præcipuæ benevolentiæ testes. Græcum autem *zelum,* fuisse, aut Cilicem, qui Græca lingua uteretur, ostendit et Sedis locus, et nominis etymon, quod Græce Orientalem sonat. Scotus autem dici potuit, eo more, quo per Gallias priscis illis seculis, peregrini omnes, Scoti vulgo vocitabantur.

2 Cum ad Sequanos venisset, in territorium Scodingorum, felici omine juxta Salinas substitit, in clivo prærupti montis, ædiculæ opportunitatem nactus, *mors,* Symphoriano Augustodunensi Martyri sacræ, quam dulcis aquæ fons alluebat, perennis et copiosus. Ex eo loco felix anima ad cœlites emigravit; ibidem conditum corpus sex fere seculis delituit; donec ineunte undecimo post Christum seculo exhumatum, tumuloque honoratiore compositum est Idibus Junii, in basilica, quam Hugo (postea Bisontiensis Archiepiscopus) Humberti Domini Salinensis *elevatio,* et a Hermenburgæ filius, opere magnifico exstructam, E in honorem SS. Symphoriani atque Anatolii, sanctæque Virginis et Martyris Agathæ dedicari fecit; nobili ibi Canonicorum collegio constituto.

3 Transactis exinde annis ducentis, cum Anatolii sepulchrum plurimis, atque insignibus illustraretur miraculis, *item alia.* ossa ejus veneranda Nicolaus Bisontiensis Archiepiscopus, Calendis Septembris tumulo sublata, in pretiosam transtulit hierothecam. Ceterum quia constat, ejus ope ac virtute, cæcos, claudos, mutos, surdos, contractos, debiles, ægros cujusque generis percuratos; præcipuum, qui extinctus fuerat, salsuginis fontem, admoto ejus sacro capite repente excitatum; *miracula plurima omnis generis.* compressa quoque oppidorum incendia, exturbatos e corporibus malos dæmones, urbes obsidione liberatas, reportatas de hostibus victorias; imbres etiam pro re nunc laxatos, nunc inhibitos; periclitantes ubique servatos; eum merito in cœlis illorum cœtui insertum credimus, de quibus cecinit Propheta: Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Psal. 138. 17.

a *Eum Jo. Jac. Chiffletius Vesont. p. 2 cap. 48 ex veteri instrumento Henrici III Imp. tradit juxta eamdem ecclesiam habitasse, inque eam monachos Divionenses introduxisse: qui tamen jussu ejusdem Henrici, et Leonis IX Papæ, excedere coacti sunt, restitutique Canonici.* F

# DE S. LUPICINO

## EPISCOPO LUGDUNENSI IN GALLIA.

J. B.

*EUCHERIAN CIR CCCLXXXVI III FEBR.*

Illustri sanctimoniæ laude floruisse S. Lupicinum oportet, cum ejus in omnibus Martyrologiis celebretur ad III Nonas Februarii nomen. *S. Lupicini natalis,* Verba plurimorum supra retulimus, cum de SS. Felice et Felicitate esset sermo, quia pleraque ei Felicem socium jungunt, quædam etiam Celerinum; quorum neutrum nobis probari indicavimus. At non pauca seorsim eum referunt, Beda vulgatus, Rabanus, MSS. S. Maximini et S. Lamberti Leodii. Lugduni depositio B. Lupicini Ep. Addunt MSS. S. Mariæ Ultrajecti ac S. Martini Tornaci: et Confessoris. MS. Pragense: Sanctorum Epp. Lupicidi, Teredi, Remedii, Wandelbertus:

Ternis et Nonis Lupicini festa sacrantur.

*Acta incognita.* Acta vero omnino ignota latent. Petrus de Natal. lib. II cap. ult. nu. 49 Martyrem facit: Lupicinus Episcopus, inquit, Felix et Celerinus eodem die Lugduni passi sunt. Quo auctore fidem astruat?

2 Recte monet Joannes Savaro in Notis ad Sidonii Apollinaris ep. 15 lib. 7, vitiatas esse Episcoporum Lugdunensium tabulas. Nam apud Democharem post S. Eucherium, qui XX statuitur, hi locantur successores: Salonius, (Saloinus perperam scriptum) Desiderius, *ætas.* Veranus, Patiens, Africanus, Rusticus, Stephanus, Lupicinus, Viventiolus, XXX Lupus. In alio Catalogo apud eumdem, omissis Desiderio et Africano, ceteri post Eucherium sic enumerantur: Saloninus, Veranus, Petrus, XXIV Lupicinus, Rusticus, Stephanus, Viventiolus, Lupus. In utroque tamen pro Viventiolo Vincentium habet. Jacobus Severtius, Joannes Chenu, Claudius Robertus hac serie eos statuunt: Eucherius, Veranus, Patiens, Africanus, Rusticus, Stephanus, Lupicinus, Viventiolus, Lupus. Nos ita ordinamus, nullas tabulas secuti, sed rationes eas quas ad singulorum natales promemus: S. Eucherius, qui XVI Novemb. colitur. S. Patiens XI Septemb. S. Africanus I Maii: si tamen hunc inter Episcopos locandum, certo constiterit.

*Successor S. Rusticus.*

A *vit.* S. Lupicinus III *Febr.* S. Rusticus, *vel* Rusticius XXV *April.* S. Stephanus XIII *Febr.* S. Veranus XI *Novemb.* S. Viventiolus XII *Julii. Merito* SS. Veranum et Salonium, *S. Eucherii filios, quorum ille Venciensis, hic Genuensis Episcopus fuit, ab his disparat Savaro. Cum tamen* S. Avitus *Viennensis Ep. ut in ejus Vita* V *Febr. dicitur,* venerabilem Abbatem monachorum Veranum Episcopum Lugdunensibus dederit; *et* S. Viventiolum de grege Presbyterorum Dei electum, eisdem Episcopum designarit; *necesse est, alium* Veranum, *qui immediate ante* S. Viventiolum *sederit admittere. Fatetur Severtius, in Homiliario Ecclesiæ Lugdunen.* Rusticio *præferri* Lupicinum.

3 *Cum autem sederit Lugduni* S. Rusticus, *cum ad Gundebadum Burgundionum Regem legationem, Theodorici Regis jussu, suscepit S. Epiphanius Ep. Ticinen.* D *anno* XDIV, *ut* XXI *Januarii in hujus Vita dicitur; et* S. Patiens *circa an.* CDLXXV *concilio Arelat. adfuisse, mox et Lugdunensi dicatur; consequens est,* S. Lupicinum *inter an.* CDLXXX *et* XD *videri sedisse. At quamdiu sederit, quid egerit, passusve sit sub Ariano Burgundionum Rege, nusquam legimus. Chenu et Severtius scribunt, sacrum ejus corpus in S. Justi æde conditum. Neque amplius quid de eo narrat Saussaius in Martyrologio :* Felicem Belicensem *Ep. ei jungit, utique utrumque doctrina clarum extitisse : nempe Ordini consentaneo. At nemo alius Belicensem illum* Felicem *Sanctis accenset; nisi quod Raynaudus noster addubitet, ut supra indicatum.*

*Ad tomb... an. 494 sed hat... corpus ... tune*

ANIMADV. PAP. 42.

# DE SS. TIGRIDE ET REMEDIO

## EPISCOPIS VAPINCI IN GALLIA.

J. B.

III FEBR.

Vapincum, *sive* Vapingum, *Gallice* Gap, *urbs est antiqua provinciæ Narbonensis secundæ,* B *in Delphinatu, sub metropoli Aquensi, quæ in variis Notitiis provinciarum apud Chesneum to.* I *scriptor Franc. appellatur* Civitas Vappincensium, Vapensium, Vappangensium, Vapecensium, Vappensis : *estque egregie munita, arce supra collem adposita, uti Ranchinus, Chesneus, Brietius describunt.*

*Vapincensium Episcoporum*

*Tigridis et Remedii natalis 3 Febr.*

2 *Hic* III *Februarii coluntur* SS. Trigides *et* Remedius Epp. *quorum omnia fere Martyrologia meminerunt hisce Usuardi verbis :* Apud Vapingum Trigidis et Remedii Epp. *Addunt nonnulla,* et Confessorum. *Variant quædam in nominibus. Nam* Tigrides, *Maurolyco* Tigris, *MSS. quibusdam* Tergides, Tingides, Tygrides, Teredus, *Rom. Martyrol.* Tigrides, *pro* Remedio *habent quædam* Romedium. *Constantius Felicius :* Tigrus et Romedius juxta castellum Tapingum.

*alibi ad diversos dies relatus.*

3 *Saussaius, ubique junctos, disparat. Nam* I *Febr. scribit :* In territorio Vapincensi S. Tygridis Ep. et Confessoris. Hic Dei caritate exardescens, ovium salutem summo studio procuravit, Ecclesiaque ad Divinæ legis præscriptum diu gubernata, ad superna regna evectus, perennis a se meritæ gloriæ reliquit in terris monimentum. *Quæ quidem in omnem quadrant Sanctum Antistitem, præter id quod de diuturna gubernatione Ecclesiæ affirmat. Communia item sunt, quæ* III *Febr. habet de S. Remedio :* Vapingi sub Aquæ Sextiæ Metropoli in Phocensi provincia, S. Remedii Episcopi itidem et Conf. qui S. Tigridi ob præclaras virtutum dotes suffectus, iisdem vestigiis inhærens, E Ecclesiam creditam magna laude et copioso fructu pastoralis vigilantiæ direxit, datisque divinitus perfectæ sanctitatis indiciis, eodem tramite quo decessor aulam cœlestem ingressus est.

4 *Quando eam Sedem rexerint, quidve rerum egerint, omnino in obscuro est. Claudius Robertus eos post* Constantinum Ep. *locat qui Concilio Epaunensi interfuit; nullo prolato argumento. Petrus de Natal. lib.* II *cap. ult. nu.* 48 *ita scribit :* Tigris et Remedius Epp. apud oppidum Vapingum passi sunt III Nonas Februarii. *Vetus Romanum S. Hieronymi præfert :* Vappinicolæ passio Terili Remedi. *Pragense quoque MS.* Teredum *habet. Misit ad nos ab annis aliquot vir eruditus MS. catalogum SS. Umbriæ, in quo* SS. Tigridus et Remedius *martyrio affecti dicuntur, sed diversis temporibus,* in Papigno castello *prope Interamnam. Sed quia Equilinum citat, diserte Vapingo ea tribuentem, fidem non facit.*

*quando sederint?*

*an Martyres?*

5 *Saussaius in Supplem. Martyrol. ad* III *Februarii et* XII *Maii scribit, in parochiali ecclesia Borsii apud ad Lemovicum et Arvernorum fines, asservari argenteæ capsæ inclusa ossa* SS. Remedii *Vapincen. Ep. et* Germani *Patriarchæ Constantinopolitani,* multa cum incolarum devotione. *De S.* Germano *agemus* XII *Maii.*

*S. Remedii reliquiæ*

C F

### DE SANCTIS SORORIBUS VIRGINIBUS

# OLIVERIA ET LIBERATA

## APUD CALVUM-MONTEM IN GALLIA.

J. B.

SECULO VI III FEBR.

Non uni oppido in Gallia Calvimontis *est nomen. Nam, ut omittam* Calvimontensem *in Lotharingia* Comitatum, *cujus fortassis vocabulum nunc exolevit, extitit certe eo fere tractu ubi* Murta *fluvius in Mosellam influit, et nomine* Calmontis *memorari videtur in divisione regni Lotharii adduciturque portioni Ludovici, et jungitur* Sarachowæ superiori, *circa Saram, vel Sararum flumen sitæ. Verum hoc omisso Calvomonte, caput Bassiniacæ regionis in Campania* Calvimontis municipium est, *haud longe a Matrona amne,* altæ rupi superpositum, *ut scribit Papirius Massonus. Aliud est in Vexino* Calvomontium, seu Calvimontium, urbs perlepida, *ut scribit Philippus Brietius in Parallelis Geograph.* 2 *par. lib.* 7 *cap.* 3 § 3. *Cujus mentio est apud Ivonem Carnotensem ep.* 28. *Alius denique, qui huc facit, Calvusmons est tribus circiter leucis a* Castro Porciani, *neque longius multo a* Regiteste *Retelorum urbe distans. In eo monte anachoreticam vitam, tempore S. Remigii Archiepiscopi Remensis, egit* S. Berthaldus *Scotus, cum B. Amando discipulo suo, itidem Scoto; de quibus agemus* XVI *Junii. Postea Canonicorum regularium istic fundatum cœnobium fuit, ac deinde Præmonstratensibus datum. Ejus et Pagius in Bibliotheca Præmonstratensi et Claudius Robertus in Gallia Christiana meminere.*

*Calvomontensis, apud Retelos,*

*Ord. Præmonstratensis monasterio,*

2 *In hujus cœnobii ecclesia, præter S. Berthaldi, solent et sanctarum Virginum* Oliveriæ *et* Liberatæ *asservari magna cum veneratione reliquiæ. Sed parentum nostrorum memoria arx est in eo monte constructa, monasterium alibi in vicinia ædificatum, et ad hoc eadem sacra pignora deportata. Earum ita meminit Molanus in addit. ad Usuardum :* In Monte Calvo sanctarum

*coluntur SS. Oliveria et Liberata.*

*3 Februarii*

*AUCTORE J. B.*

A sanctarum sororum Oliveriæ et Liberatæ Virginum. *Refert eas quoque Ferrarius et alii. Saussaius ad v Februarii ita scribit:* In Monte Calvo transitus S. Liberatæ. *In Supplemento autem ad iii Februarii:* Apud Calvum Montem S. Olivariæ Virginis.

*discipulæ S. Bertholdi,*

3 *Edidit I. Lietaudus Prior Calvimontensis, anno* MDCXXXIV, *S. Bertholdi Vitam, in qua sanctarum harum Virginum meminit, licet alterum* Olivam *pro* Oliveria *vocet. Opinio populi est, ut ait, a majoribus accepta, a S. Bertholdo ad perfectionem institutas; oriundas Alta villa, pago ab Calvomonte sesquileucam distante.*

*eo tractu natæ,*

*Parentes earum alii Altæ villæ dominos volunt fuisse, alii saltem opibus et virtute claros. Sæpius clam parentibus ac notis ventitasse ad S. Bertholdum, ab eoque* D *cœlestem doctrinam hausisse, ac præsertim ad servandum pudicitiæ florem illibatum et cœlestis Sponsi thalamos expetendos, provocatas. Hinc ut se Sponso totas dicarent spretis parentum possessionibus, ac vitæ mortalis blanditiis, in saltu Calvomontensi vitam duxisse.*

*ubi fontes iis sacri,*

4 *In medio hujusce saltus duo egregii fontes manant, earum insigniti vocabulis, schlopi jactu dissiti invicem. Multi febribus, aliisve vexati morbis, ad S.* Oliveriæ, *sive* Olivæ, *fontem confluunt, atque in vicina ædicula, quæ nuper Galmeti Abbatis studio restaurata est, preces fundunt, ante antiquissimam ejusdem Virginis, etiam ædicula alias eversa reservatam, effigiem. Neque fere dies, Dominicus aut festus labitur, quin aliqui isthuc pietatis ergo conveniant. Hæc Lietavius.*

*et S. Oliveriæ sacellum.*

# DE S. LAURENTIO ILLUMINATORE

## EPISCOPO SPOLETINO IN UMBRIA

*J. D.*

*CIRCA AN. CHR. DLXXVI III FEBR.*

B

*Olim viri Apostolici e Syria in Italiam profecti,*

Venisse in Italiam e Syria *Diocletiani ac Maximiani temporibus, viros Apostolicos* XII, *traditur in Actis SS. Carpophori et Abundii quæ* x *Decembris dabimus, quæque apud Mombritium extant plurimis respersa mendis. Quamquam non desunt qui cum S. Petro Antiochia Romam profectos velint, ac plerosque ad Domitiani tempora pervenisse. Ii fuere,* Anastasius *ejusque duo filii* Breccius et Eutychius, *ac novem nepotes* Carpophorus, Abundius, Laurentius, Joannes, Teudila, Isaac, Proculus, Herculanus, Baractalis, *cujus tamen apud Mombritium nomen non extat.*

*ductore S. Anastasio M.*

2 Anastasius *martyrio perfunctus dicitur ad Aquas* Salvias, *qui locus prope abest a porta Capena, insigni monasterio ornatus, alteriusque S. Anastasii Mart. Persæ reliquiis, uti ad hujus Vitam* XXII *Januarii* § 4 *num.* 16 *diximus. Ludovicus Jacobillus to.* 1 *de SS. Umbriæ ad* v *Januarii in S.* Joannis i *Episc. Spoletini Vita tradit* v *Decembris occisum quia eumdem esse existimat, qui illo die memoratur in Martyrologio Romano. Nobis alius videtur, quippe a Baronio adscriptus in*

*diverso ab eo qui 8 Decemb. in Martyrol. habetur:*

*Martyrologium e Græcorum Menologio, in quo traditur,* ultro in stadium cucurrisse, et stans in medio consessu libere *prædicasse, atque ea propter flagris cæsus, obtruncatus, et in mare projectus. Quod brevius perstringens Baronius ait:* ardore martyrii sponte se persecutoribus obtulisse. *At S. Carpophori parens Anastasius* summa diligentia et sollicitudine inquisitus

C *a lictoribus adductusque ad tyrannum* nodosis fustibus diutissime cæsus, et demum teterrimo reclusus carcere, diuturna carceris maceratione *excruciatus, plexusque capite est ad Aquas Salvias. Quæ invicem non congruunt.*

*ceteri in Umbria variis diebus coluntur*

3 Breccius *sive* Brictius *Ep. multa passus, tandem Martulæ in Umbria in pace quievit* IX *Julii.* SS. Carpophorus *Presbyter et* Abundius *Diaconus Spoletii* x *Decembris martyrio coronati sunt.* S. Proculus *dicitur fuisse Episcopus Ursulanus et Interamnensis, coliturque (teste Jacobillo)* XIV *Aprilis: Ferrarius eo die* Proculum II *locat, ab Gothis interfectum, quem Ughellus* I *Junii, Jacobillus* I *Decembris statuit.* S. Herculanus I *Ep. Perusinus martyrio defunctus* VII *Novembris, quo tamen die Martyrologium Rom.* Herculanum *refert, quem alii primo Martii statuunt.* S. Baractalis *Spoletii pro Christo occisus* IX *Octobris.* S. Joannes I *Spoletinus Ep. dicitur apud Jacobillum* v *Januarii occubuisse.* SS. Theudilam, Isaac, Laurentium *scribit Ughellus to.* I *parte* 2 *pag.* 166, *die* XXII Julii martyrio consumptos: *quo die nomina eorum in nullis Martyrologiis invenimus; neque usquam* S. Eutychii *illius antiqui sive* Euticii *nomen.*

*alii seculo 6 itidem e Syria,*

4 *Multi iisdem nominibus, Gothorum floruere temporibus, seculo nimirum Christi sexto,* S. Eutychius *Abbas qui* XXIII *Maii colitur,* S. Isaac XI *Aprilis,* S. Joannes *Ep. Spoletinus Martyr* XIX *Septemb. et alius* *S. Joannes* Penariensis, *Abbas apud Spoletium,* XIX *Martii.* S. Proculus II *Ep. Interamnensis Martyr,* I *Junii vel Decembris, ut jam indicatum.* S. Herculanus II *Ep. Perusinus M.* I *Martii.* S. Laurentius E *Ep. Spoletinus* III *Februarii. Et quia horum quidam Syri fuere, (id enim de S. Isaac tradit S. Gregorius, de* S. Joanne Penariensi *ejus vita; aliqui etiam ex iis quos antea ex Actis SS. Carpophori et Abundii retulimus, indidem profecti; hinc fortassis et Fasti quarumdam Ecclesiarum turbati, et turmæ illæ Sanctorum, adscitis ab longe post secuta ætate, aut longe antecedente, auxiliis suppletæ veluti si utroque tempore ex Syria venissent quotquot numerantur: quod tamen de quibusdam inficiantur viri eruditi. Ita videmus quotquot olim ex Hibernia in Belgium nostrum venere diversis temporibus viri Apostolici, subinde ab imperitis scriptoribus, qui diu post illorum ætatem ut vixere, unius alicujus primarii socios statui omnes, quosdam etiam, qui nati in Belgio Galliave, iis jungi.*

*forte quidam iidem.*

5 *Utut se res se illa habeat, magnas Umbriæ circa veterum suorum Sanctorum res gestas, ortum, ætatem, contraxit umbras, si non tenebras. Erunt ex ea gente, qui eas doctis lucubrationibus aliquando dimoveant: et cœpere non infeliciter nonnulli; nemo tamen plenam adhuc lucem reduxit. Nobis tanto spatio remotis, neque omnium Ecclesiarum volentibus monumenta lustrare (multa quippe bellis urbiumque excidiis abolita) satis erit, si facem præferentes, etiam fumosam subinde ac minus* F *clarum, eminus subsequamur.*

*Res obscura.*

*S. Laurentius Illuminator unus e posterioribus*

6 *Et* S. Laurentius *quidem, qui secundæ illi advenarum e Syria turmæ adscribitur, hoc die refertur a Ferrario in Catalogo SS. Italiæ, a Ludovico Jacobillo* IV *Februarii, quia eo die Spoletii colitur, die tertio anniversario S. Blasii Ep. festo occupato. Meminit illius quoque Ferdinando Ughellus in Spoletinorum Antistitum Catalogo, atque e Syria venisse ad Vigilium Papam, et tertio Februarii, anno* DLXXVI *decessisse scribit; uti et Ferrarius: Jacobillus aliquando prius venisse tradit. Consentiunt omnes, ab antiquo ei* Illuminatoris *cognomentum attributum. Citant Jacobillus ac Ferrarius vetustas Lectiones in ejus festo recitari solitas, aliaque monumenta, quibus quia destituimur, Vitam ab Jacobillo Italice editam, Latine reddimus.*

*obiit 3 Feb. 576*

*celebris memoriæ tempore B. Pet. Damiani, sec. 11*

7 *Meminit* Laurentii, *licet non nominet, B. Petrus Damianus ep. 9 ad Nicolaum* II *Papam, qui anno* MLVIII *electus, mortuus est* XXVII *Julii* MLXI, *estque ea epistola Opusculum Damiani* XIX *de abdicatione Episcopatus, ubi cap.* I *ista habet:* Episcopus etiam ille Sabinensis, qui solium pontificale deseruit, et Farfense monasterium, contempta sacerdotali dignitate, construxit, quam nobilis in Christo vir fuerit, testis est antiqua traditio, quæ sanctitatis ejus insignia celebrat; testis moderna devotio, quæ piam ejus memoriam

A riam in benedictione frequentat. *Gregorius monachus Farfensis, B. Petri Damiani coætaneus, inferius citatus a Jacobillo, Sabinensem quoque Episcopum facit : Jacobillus contendit semper Spoletinum habitum a Spoletinis, qui ejus et reliquias possident, et anniversariam memoriam celebrant : fatetur tamen, a Spoletina Cathedra ad Sabinensem fortassis translatum. Ughellus et inter Sabinenses nonum numerat Laurentium, Farfensis monasterii conditorem ; et undecimum inter Spoletinos, quem dimissis insulis eremum petiisse scribit, nulla cœnobii Farfensis facta mentione ; neque idem sit an diversus quærit.*

*Sabinensis Ep. an Spoletinus?*

8 *Est* Farfense, *sive* Farfarense *monasterium, vulgo* di Farfa, *non procul* a Farfaro *sive* Fabari *amne qui supra* Feroniæ fanum *in Tiberim influit. Id Blondus in Umbria, sive quarta regione Italiæ, ita describit :* Longissimo tractu postquam Farfarus montes reliquit, per plana labitur culta, opacis undique tectus arboribus. Qua quidem in amœnissima planitie monasterium ipsi fluvio dextrorsum imminet amplissimum, Farfense appellatum, castella ad decem possidens, quorum primum Fara dictum, colli impositum est, monasterio imminenti. *Ipsum in colle situm monasterium tradit Leander in descriptione Umbriæ :* Dextra ejus, *inquit, id est Farfari,* pulchro in colle cœnobium B sumptuose quondam ædificatum Farfa. *Uterque ad dextram Farfari situm scribit, quia ab ostio ad fontes tendentibus dextrum : nos sinistrum diceremus, quia ipsi fluvio a fonte ceu capite prolabenti vere ad lævam jacet.*

*Farfensis monasterii fundator.*

*ubi id situm?*

NOT. 28

# VITA

## *Italice scripta a Lud. Jacobillo.*

### CAPUT I.

### *S. Laurentii in Italiam adventus, sacerdotium. Clerici regulares ab eo instituti.*

a, b c, d Quo tempore Ecclesiam Romanam *a* S. Hormisda regebat, Imperium *b* Anastasius, *c* Theodoricus Ostrogothorum Rex Italiam; *d* Severus Antiocheni Patriarchatus invasor, defensorque acerrimus Eutychianæ hæresis, Imperatoris, eadem contacti labe, potentia et auctoritate fultus, sub annum Christi DXIV crudele Catholicis Syriam habitantibus intulit bellum. Nam et Sedibus suis orthodoxos Antistites exturbabat, *e* subrogabatque hæreticos; aut si quos dejicere legitimo throno C non poterat, intrudebat tamen æmulos ac veluti rivales, qui sensim pestem in populos inferrent : aliaque designabat flagitia, et quibuscumque poterat malis Catholicos opprimebat. Ideo horum quamplurimi, ne cogerentur eam abominationem intueri, cui obsistere non possent, neque omnino fructum facere; e patria, Antiochia nimirum *f* Hierosolymis, Cæsarea, Laodica, aliisque Syriæ ac Palæstinæ locis, in exteras provincias, ubi tuto sibi piis esse et Catholicis liceret, demigrarunt.

*Severus Pseudo-episc. Antiochenus an. 514 Catholicos exagitat :*

*multi e Syria migrant.*

2 Ex omni hac multitudine coiere ad CCC, eo consilio ut Italiam peterent, caputque orbis Romam adirent, atque ibi Sanctorum corpora, ac dicata iis templa venerabundi circuirent : inde quibus locis modisque Pontifex Romanus censuisset, fidem Catholicam seminarent, vitamque, si fors tulisset, pro Christo profunderent, qui suam pro ipsorum salute prior posuisset. Venerunt itaque in Italiam, in diversas partiti turmas, homines circiter treceuti, viri, feminæ, monachi, Ecclesiastici, laici, ex omni ordine ac conditione; multi invicem sanguine conjuncti : uti memoratur in Actis S. *g* Carpophori Martyris : Sanctorumque *h* Isaac, *i* Eleutherii, *k* Joannis, *l* Lazari, et aliorum, qui ex eo cœtu fuerunt; uti et S. Laurentius fuit, cujus hic enarrare

*300 Romam :*

gesta aggredimur. Romæ ut simul omnes adfuerunt, D crebro secretis in locis conventus agebant, consuluto primum, summa cum demissione ac reverentia, Pontifice; a quo multi cooptati in Clerum, atque etiam sacerdotio initiati, et in varias partes Italiæ, bini fere, ad prædicandum Evangelium dimissi, plurimos, et sermonibus et vitæ sanctimonia, ad veram fidem studiumque pietatis pertraxerunt.

*EX ITALICO LUD. JACOBILLI INTERP. J. B.*

*NOT. 29*

*ex his quidam a Papa Sacerdotes facti, per Italiam prædicant.*

3 Quoniam vero exundante hæresum colluvione, Arianæ præsertim, Nestorianæ, Eutychianæ, et Theopaschitarum, sensim in plura ac turpiora scelera prolabebantur Antiocheni; Divina ultione primum interemptus fulmine est Anastasius Imperator anno DXVIII, dein Sede, per summam amentiam occupata, dejectus *m* Severus, demum Antiochia anno DXXV partim incendio deformata est, partim horribili *n* terræ motu concussa subversaque, cum infinita mortalium strage : ut videretur urbs ipsa adversus incolas suos insurgere, neque ferre posse tantam eorum adversus Deum ingratitudinem : ut ubi primum, qui Christi religionem profitebantur, Christiani fuissent appellati, illic potissimum Christo inimica grassaretur impietas.

*Severus pulsus,* *m* *n* *Antiochia terræ motu labefactata.*

4 Ut Romam venit, cum sacro quem diximus comitatu, Laurentius, benigne est ab S. Hormisda acceptus : nam cum cerneret sapientissimus Pontifex præditum optima indole, moribus candidissimis, insigni eruditione, et Divinarum rerum scientia, eum annis aliquot apud se retinuit, et per omnes gradus Ecclesiasticorum officiorum ad sacerdotium provexit. Dein bene illi precatus, ad quosdam veterum suorum sodalium in Umbriam ut proficisceretur annuit : a quibus ille propter singularem suam doctrinam, prudentiam, suavitatem morum, Patris loco habitus honoratusque est. Cum his industriam omnem cœpit ad culturam animorum conferre, ac præsertim ad lolium Arianæ hæresis, late sub sub Gothorum dominatu per Italiam succrescens, evellendum.

*S. Laurentius aliquamdiu Romæ degit :* E

*Sacerdos factus*

*in Umbria prædicat*

5 Quietæ dein vitæ studiosus, in ipso flore ætatis, ad locum *o* secedit octo millibus passuum Spoletio distantem, *p* Penolacum dictum, quod ad pedem Velini lacus jaceret. Hic viro locuplete, loci domino, assentiente, monasterium construit, in eoque se includit una cum eodem illo viro, qui ejus sese subdens disciplinæ, prædium ei quoddam suum monasterio vicinum donavit, eique egregio caritatis et et modestiæ studio deinceps ministravit, ac tandem sancto fine ibidem vitam clausit. Vulgata Laurentii F sanctitatis fama, multi ad illud monasterium confluxerunt e clero Ecclesiæ Spoletinæ, aliique e vicinis locis, ac se illi ad pietatem erudiendos tradiderunt. Hunc in modum sub annum DXXI illic Canonicorum regularium congregationem instituit, qualem fere CXXX annis prius Hippone in Africa S. Augustinus : neque enim S. Benedicti promulgata adhuc Regula erat.

*o* *p* *juxta Velinum lacum condit monasterium.*

*in eoque Clericos regulares instituit* ANIMADV. PAP 43

*a* *Creatus est Pontifex S. Hormisda an. 514 mense Julio; obiit 6 Aug. 524.* — b *Imperavit* Anastasius *a medio Aprili 491, ad 9 Julii 518, quo die fulmine ictus interiit.* — c Theodoricus *in Italiam venit an. 489, Odoacrem Regem an. 493 interfecit, ac tum initium habuit Gothorum in Italia regnum.* — d *Anno 513 Sedem Antiochenam per vim occupavit* Severus, *secta Acephalus, ejecto* S. Flaviano, *de quo agimus 4 Julii.* — e *Anastasius bibliothecarius in historia Eccles. scribit, eum* nonnullos Episcopos ferreis vinculis compeditos una cum Presbyteris et Diaconibus relegatos. — f *Numero* S. Elias *Episcopus* Hierosolymitanus, *ut veteri lubet Anastasio,* dum cogeretur ab Imperatore, aut Severo communicare, aut ab Episcopatu repelli, monachis confortantibus illum, ab Episcopatu projici magis elegit. — g *Hic diversus habetur ab eo* Carpophoro, *qui cum* S. Abundio *colitur* 10 *Decemb., ut alibi indicavimus. Hunc scribit Jacobillus vel sub annum* 510, *imperante Anastasio, vel sub Justiniano, venisse cum SS.* Laurentio, Herculano *et aliis* Romam, *ac tandem Perusii a Gothis odio Catholicæ religionis, quam prædicabat, interfectum 6 Januarii.* — h *Hunc certe quidem constat ex S. Gregorio lib. 3 Dial. cap. 14 Syrum fuisse, et in Umbria Gothorum temporibus vixisse.* — i *De hoc agit S. Gregorius lib. 3 Dial. cap. 21 et 33, at nusquam ex Syria venisse dicit, ut ad 6 Septemb. dicemus.* — k *Hic esse videtur* S. Joannes, *qui vulgo* Penariensis *cognominatur et natione Syrus.*

A Syrus fuit, ut dicitur in ejus Vita, quam 19 Martii dabimus. — l De hoc agemus, Jacobilloni secuti, 18 Februarii. — m Anno I Justini, Christi 518, agente Vitaliano militiæ Magistro, orthodoxæ fidei studiosissimo, jussus est Severus ejici et interimi, sed fuga elapsus est. Ita Anastasius in hist. Eccl. — n Evagrius hist. Eccl. lib. 4 cap. 5 scribit, post graviora crebraque incendia anno 7 imperii Justini, mense 10, Artemisio videlicet, id est Maio, 29 ejus mensis, feria 6, in ipso meridie Antiochiam terra motum accidisse, atque adeo domum Dei eodem. Verum ex dicti nota addita, videlicet proximæ nonæ Maii incidentis in feriam 6, cum littera dominicalis esset D, patet annum fuisse Christi 526, Justini 8. Anastasius dominum urbis ita exponit. Et pulchritudo civitatis exterminata est. Non enim facta est talis divinitus ultio in alia civitate per omnes generationes. — o Ferrarius ait a Vigilio Consul. in Sacerdotum numerum adscriptum, ubi et Ughellus, qui et ab eodem Spoletinum Episcopatum eodem tradit: neuter primi hujus servitii et Clericorum cœnobii meminit, sed videtur cum secundo confundere. — p Pedelucum appellatum est (ubi nunc quod hic Pesolucum scriptor appellat, haud scimus) juxta lacum Velinum in Umbria, quem alteri Lacum Pedeluci modo Itali vocant, lago di Pie di Luco, teste Leandro, Blondo, Cluverio.

IN ITALICO LUD JACOBILLI INTERP

J. B.

*Terræ motus Antiochiæ an. 526*

## CAPUT II

### *S. Laurentii Episcopatus, ejus abdicatio. Farfense cœnobium fundatum.*

Cum ea ratione annos fere xx exegisset Laurentius, nobili martyrio vitam finivit a S. Joannes Antistes Spoletinus. Clerus Laurentium, cujus celebris erat religionis fama, uno consensu ei subrogandum elegit; ratum habuit electionem Papa b Vigilius anno DXLI, et subdere oneri humeros, præ submissione id declinantem, coegit. Spoletina plebs, e gente sua assumi Episcopum, non peregrinum aliquem, conclamabat oportere; adeoque adventanti portas occlusit. Laurentius vir bonus ac modestus, ut arceri se ingressu urbis vidit, positis humi genibus, Deum precatus est, ut quoniam ejus in terris Vicario obediendi, salutemque hominum curandi studio, onus hoc suscepisset, Divinam suam super eo portando deponendove voluntatem declararet. Vix ea elocutus erat verba, cum portæ ultro patuerunt eoque ostento attoniti Spoletini, magno cum honore et gaudio eum acceperunt.

*a Eligitur Ep. Spoletinus invitus* *b exclusus a populo,* B *portas precibus aperit*

7 Laurentius nullam plane pontificalis officii partem prætermisit, assiduus in precatione, verbis cautus ac sincerus, largus in tribuenda eleemosyna, sollicitus in omni opere caritatis ac religionis exequendo, patiens in adversis, in commisso sibi negotio fidelis, constans ac firmus in Divinarum legum ac Constitutionum Apostolicarum observatione, promptus ad ferendum omnibus auxilium; adeo mitis et benignus, ut nemo ab eo non consolatione et alacritate perfusus abscederet, quantavis pressus molestia cum adisset. Tanta illius bonitate, prudentia, caritate permoti complures e populo, certatim ei possessiones, pecunias, supellectilem variam largiebantur, ut iis pro arbitrio uteretur. Is, parte donatarum istiusmodi possessionum retenta, ut earum proventu ipse victitaret, quamvis perparce, familiamque sustentaret, et successorum alimentis provideret, cetera in sacrarum ædium ornatum, cultusque Divini procurationem, ac pauperum sublevandam inopiam, erogabat. Erat cœlesti luce mirifice illustratus ac multis visum restituit, tum corporalem captis lumine, tum spiritualem vitiorum caligine obcæcatis, aliaque fecit Divina virtute miracula; ut hinc existimetur ei datum Illuminatoris cognomen.

*dignis Episcopi virtutibus floret* C *sibi donata bene dispensat.* *claruit in caecis, inde Illuminator dic*

8 Summ jam annos XL, menses IV, dies VIII, sancte paverat gregem; cum tranquillæ ac quietæ vitæ cupidine illectus, non sine populi mœrore, impetrato Pontificis assensu, d Petro cuidam, viro sancto, Episcopatum tradit anno DLXI, atque ad fundum Acutianum in Sabinos se recipit. Hic piorum hominum donationibus adjutus, templum ac monasterium construit, Deiparæ Virgini dicatum quod quia Farfaro flumini erat propinquum, Abbatia Farfarensis, vulgo DI FARFA, est appellatum. In eo ipse monachilem habitum sumpsit, cum non paucis secularibus, qui ejus institutione vitam ducere cupiebant: hi cum Abbatem eligere, ac S. Benedicti Regulam, late jam per Italiam et alias provincias celebratam, sibi custodiendam sumpsere. Vulgata sanctissimæ sibi ejus ac sociorum conversationis fama, opulenti quidam homines prædia, domos, possessionesque alias monasterio donarunt, atque ita frequentes eo ad vitæ monasticæ exercitationes confluxere, ut brevi amplissima extiterit probatissimorum monachorum congregatio.

*Episcopatu abdicat* d D *Farfense cœnobium condit,* *auctum mox viris opibusque.*

a Interfectus a Totilæ militibus, colitur 19 Septemb. — b Is S. Silverio an. 538 circiter, per vim intrusus, et mortuo legitime subrogatus vitandi schismatis causa, deinceps optimus Pontifex fuit, sedítque ad annum 555. — c Ughellus quoque Illuminatoris et cognomentum tribuit, cujus causam non indicant, licet fateatur clarum miraculis extitisse. — d De S. Petro S. Laurentii successore agunt Ughellus et Jacobillus, et nos ex illis 21 Junii.

## CAPUT III.

### *S. Laurentii obitus, celebris memoria. Farfensis cœnobii status.*

Ætate tandem ac meritis gravis, e vita migravit Laurentius in eodem Farfarensi monasterio, die III Februarii, anno DLXXVI. Corpus ejus in ecclesia religiose sepultum a monachis, dein sub aram majorem translatum. Anniversarium ejus festum in urbe ac diœcesi Spoletina die insequenti peragitur, S. Blasii solemnitate tertium diem occupante.

*moritur 576, 3 Feb.* *colitur 4.* E

10 De hoc sancto Episcopo et Abbate, III Februarii agit Ferrarius in Catalogo Sanctorum anno MDCXXV vulgato, his verbis: Spoleti S. Laurentii Ep. Meminit illius quoque S. Petrus Damianus in epistola ad Nicolaum II Papam. Joannes a V cum ecclesiam Farfarensem anno DCCII dedicasset, peculiari diplomate cuncta illius monasterii membra, bona, privilegia, b S. Thomæ Maurianensi, ejusdem Abbati ac restauratori, confirmavit: quo in diplomate appellat S. Laurentium Episcopum fundatorem dicti monasterii S. Mariæ Farfensis in fundo Acutiano. Gregorius monachus Farfarensis, e nobili ortus familia toparcharum Catini in Sabinis, anno MXCVIII sui monasterii composuit Chronicon. In eo tradit S. Laurentium primis Gothorum temporibus e Syria in Italiam venisse, cum c Susanna sorore sua, Isaaco et Joanne cognatis, qui juxta Spoletium monachi fuere; Episcopum Sabinensem factum, ea se dignitate abdicasse; monasterium Farfarense, in territorio Sabino, fundo Acutiano condidisse, ejusque primum Abbatem fuisse, atque ibi sancte mortuum: post ejus obitum, a Longobardis d eversum monasterium, ac demum Joanne V Pontifice, a prædicto Abbate Thoma, e Faroaldo Duce Spoletino impensas præbente, restauratum.

*laudatus a scriptoribus et Pontificibus* a b *sororem habuit Susannam.* c *Farfense monasterium eversum,* d *reparatum.* e F

11 Prima Gothorum tempora censentur ab anno Christi CCCLXXXIII ad DXXVI, quo omni spatio, rerum in Italia potitus est Theodoricus. Quod ergo statuimus, in Italiam venisse S. Laurentium anno DXVI, cum citati Chronici sententia concordat, cumque S. Gregorio Papa, qui lib. 3 Dial. cap. 14 de S. Isaac, S. Laurentii socio, scribit, PRIORIBUS GOTHORUM TEMPORIBUS DE SYRIÆ PARTIBUS AD SPOLETANAM URBEM VENISSE, ET USQUE AD EXTREMA FERE GOTHORUM TEMPORA PERVENISSE: idemque de sanctis Abbatibus f Spe et g Eutychio tradit. Eversum est regnum Gothorum anno h DLIV ab Narsete Eunucho, copiarum Justiniani Imperatoris duce. Falluntur, qui prima Gothorum tempora revocant ad annum CDXXX. Venit quidem Alaricus in Italiam cum potentissimo Gothorum exercitu; atque urbem Romam expugnavit anno CDX, at post dies paucos abscessit, Pannoniamque repetiit, ubi tunc Visigothi regnabant, qui deinde Hispanias occuparunt. Italiam invaserunt Gothi, sive Ostrogothi, anno CDXCIII, ductu et auspiciis Theodorici

*Quando in Italiam venerit S. Laurentius?* *Gothorum in Italia regnum fundatum an. 493* f g h *deletum 554*

A dorici Regis, qui anno DXXVI decessit. Non igitur prima Gothorum tempora ab anno CDX duci debent : a quo anno ad DLIV, quo Gothorum extinctus est dominatus, anni intercessere CXLIV, quot vixisse, consueto naturæ cursu, sanctos illos viros verisimile non est. Planior est ac securior via, ut ab anno DXVI fere ad DLIV vixerint, quod est XXXVIII annorum intervallum.

*k S. Laurentius Spoletinus Ep.*

12 Porro Laurentius in antescripto Chronico *k* Sabinensis Episcopus dicitur, cum Spoletinus fuerit, uti vetera omnia monumenta confirmant : eumque ut suum Antistitem semper habuit ac venerata est diœcesis Spoletina : asservatur corpus ejus Spoletii in S. Petri ecclesia, aguntque cives ejus anniversariam solennitatem. Si quis ab Chronici fide recedendum non putarit, dicendum erit, prius Spoletinum Episcopum fuisse, postea ad Sabinensem Cathedram translatum, ac demum hac etiam deposita dignitate, in Acutianum suæ diœcessis fundum concessisse, fundasse cœnobium, in eoque monachum factum. At si immediate Spoletino dimisso solio cœnobium condidit, non id egit nisi facultate ab Sabinensi Antistite facta, quippe in loco jurisdictioni illius subjecto.

*forte postea Sabinensis.*

B 13 Cum S. Laurentii discipuli, ipseque postea S. Thomas et alii Abbates ac monachi magna vigerent vitæ sanctitate, ex eo cœnobio plures ductæ coloniæ, multa, inquam, per Italiam ab iis fundata monasteria, Farfarensibus adstricta statutis. Multi quoque Spoletini Duces, Summi Pontifices, aliique potentes viri, multas ac magnas ei cœnobio donarunt possessiones. Extant vetera monumenta, quæ fidem faciant, possedisse Farfarenses in variis provinciis ecclesias et

*Farfenses monachi multa alibi erigunt cœnobia :*

D cœnobia DCLXXXIII, urbes duas, *l* Centumcellas cum suo portu et *m* Alatrium, castaldatus V, CXXXII castella, oppida XVI, VII portus, salinas VIII, XXXVIII fundos, XIV villas, molendina LXXXII, pagos CCCXV, complures lacus, pascua, decimas, portoria, atque alia bona. Multa ei in Umbria suberant monasteria et ecclesiæ : in diœcesi Spoletina monasteria duo, decem ecclesiæ; in Asisiensi monasterium unum, Ecclesiæ quatuor; duæ in Interamnensi. Data deinde abbatia Farfarensis anno MCCCLXXXVIII secularibus Clericis in Commendam, ut vocant; eoque introducti monachi Benedictini Germanicæ nationis. Verum anno MDLXVII amotis Germanis, alios e Congregatione Casinensi illic constituit Pius V Pont. Max. quibus præest Abbas claustralis, huic alter Commendatarius, qui in octo castella ac plures pagos temporalem ac spiritualem jurisdictionem obtinet : amplissimis aliis possessionibus Sedi Apostolicæ restitutis.

*AUCTORE I. B. l m eorum ingentes possessiones*

*nunc imminutæ.*

a *Imo* Joannes VI *fuit, si anno* 702 *datum est diploma. Nam* Joannes V 22 *Julii* 685 *creatus, mortuus est* 2 *Aug. anni insequentis. At Joannes* VI 29 *Octob.* 701 *creatus, mortuus est* 10 *Januarii* 705. — b *Colitur* S. Thomas *Farfensis Abbas, e Mauriana Sabaudiæ ditione oriundus,* 10 *Septemb. ut scribit Ferrarius in Catal. SS. Italiæ.* — c *Ferrarius scribit juxta prædictum monasterium Farfense cum fratre vixisse : an Sancti habeantur, nec ipse nec Jacobillus tradit.* — d *Ferrarius scribit* cum diu vetustate collapsum jacuisset, a Thoma an. 680 a fundamentis refectum. — e *Hunc quoque* Faroaldum *ejus nominis secundum Ducem Spoletinum Sanctis accenset Jacobillus, uti ad* 19 *Februarii dicemus.* f *Agit de S. Spe, sive Spen, Abbate, S. Gregorius lib.* 1 *Dial. cap.* 10, *sed non ait e Syria venisse : de quo ipsemet dubitat Jacobillus ad* 28 *Martii, quo colitur.* — g *Colitur* S. Eutychius 23 *Maii. Agit de eo S. Gregorius lib.* 3 *Dial. cap.* 15 *nec tamen asserit Syrum fuisse, quod et ipse Jacobillus in dubium revocat.* — h *Imo* Dem. i *Illirgi obiit, dum Siciliam petit.* — k *Idem supra citatus scribit S. Petrus Damianus.* l Civitatem veterem *habet auctor nunc juxta Centumcellarum ruinas, portu fluminum clara.* — m Alatrium, *urbs Hernicorum fuit, estque Campaniæ civitas Episcopalis,* Alatro *Italis dicta.* E

# DE S. PHILIPPO
## EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA.

*I. B.*

*CIRCITER AN. DLXXVIII. III FEBR.*

*Philippus Vienn. Ep.*

P*lurimi Viennensem Cathedram illustris sanctimoniæ suæ splendore ornarunt Antistites. Tres hoc ipso die Fastis adscripti,* S. Simplicius, *de quo jam diximus,* S. Philippus, *ejusque successor* Evantius. *Memoratur* Philippus *apud Joannem Chenu, Claudium Robertum, Joannem Boscium, Joan. Licuræum,* XXV *Episcopus,* XXIV *apud Democharem.*

2 *Acta ejus breviter sic perstringit Ado in Chronico ad tempora Tiberii Constantini Imp.* Philippus Viennensis Episcopus clarus floruit. Cujus tempore mo-C nasterium S. Andreæ subterioris Viennæ conditum a Remila Eugenia, Ansemundi Ducis filia, atque sub testamento Matri Ecclesiæ traditum. Nam aliud monasterium superius S. Andreæ, in colle civitatis situm jam erat. Fundaverat enim ipsum beatissimus Leonianus temporibus S. Aviti ejusdem urbis Episcopi : ubi eadem ipsa Remila sub regulari disciplina nutrita fuerat. *De* S. Avito *agemus* V *Febr. De* S. Leoniano XVI *Novemb. cujus et mentio fit* I *Januar. in Vita S. Eugendi cap.* 2. *Saussaius Remilam a Philippo devotis suasionibus inductam scribit, ut monasterium illud conderet; eamque* Remillam *vocat, alibi* Romeliam. *Boscius* Remiliam. *Patrem vero ejus,* Ansalmundum *vocant Saussaius et Licuræus.*

*Remilæ Virg. suadet, ut monasterium ædificet :*

3 *Anno regni Guntramni ac fratrum* VI, *Christi* DLXVI, *habitum est Concilium Lugdunense* II, *cui Philippus interfuit, et primo loco subscripsit. Baronius tom.* 7 *ad an.* 570 *num.* 23 primum *illud esse Concilium Lugdunense scribit; quia prius, tempore Sigismundi Regis habitum, non viderat, quod nimirum primus; postea edidit Sirmondus.* Philippi *conciliique illius mentio fit c.* Prima adnotatio. *dist.* 16. *ubi præcipuæ Synodi recensentur; et de hac quidem ista habentur :* Vigesima tertia Lugdunensis, in qua Patres XVIII statuerunt Canones, quorum auctor maxime Philippus Viennensis Episcopus extitit. *At non nisi sex illius Synodi canones exstant. Ea nempe omnia desiderantur quæ de Salonio ac Sagittario Episcopis statuta, quorum tamen caussa congregari præcipue Synodum illam Gunthramnus jusserat, uti Gregorius Turon. lib.* 5 *cap.* 20 *testatur.*

*interest Concilio Lugdun. 2*

*præcipuus ejus canonum auctor :*

4 Cum *deinde* contentio inter Guntramnum et Sigebertum Reges verteretur, *inquit Gregorius Turon. lib.* 4 *hist. Franc. cap.* 42 Guntramnus Rex apud Parisios omnes Episcopos regni sui congregat, ut inter utrosque quid veritas haberet edicerent. *Hæc est Synodus Parisiens.* IV, *habita anno Chilperici et fratrum Regum* XII, *Christi nempe* DLXXII. *Quid pro Regum reconciliatione actum sit, non liquet. Fatentur Episcopi in constitutione ad Ægidium Ep. Remensem, cui primo loco idem Philippus Viennensis subscripsit, se* pro caussis publicis, privatorumque querelis Parisius evocatos. *Successum Synodi indicat Turon. cap. citato lib.* 4 Sed ut bellum civile in majore pernicitate cresceret, eos audire peccatis facientibus distulerunt. F

*dein Parisiens. 4 pro pace inter Reges, convo-*

*frustra.*

5 *Dum Parisiis hærerent Episcopi, questus apud eos est Puppolus Carnotensis Episcopus, in Castro Duno, suæ diœcesis oppido ab Ægidio Ep. Remensi ordinatum Episcopum Promotum quemdam, contra Canones. Missa est ab iis ad Ægidium Constitutio Synodalis, ut Promotum ad se evocaret, ad secum retineret, ne quam deinceps suo Antistiti aut Ecclesiæ injuriam irrogaret. Dederunt et ad ipsum Sigebertum Austrasiæ Regem litteras, in quibus ista habent :* Nuper non absque conniventia gloriæ vestræ, sicut credimus, evocati Parisius venientes, novam inauditamque ordinationem in castro Dunensi, parochia denique Carnotina, factam

*Promotum intra alienam diœcesim ordinatum Ep. abdicat,*

*et Sigeberto R. scribit, ne eum defendat,*

 fuisse

A AUCTORE J. B.

fuisse cognovimus. Quam rem licet vix credere possumus cum consensu gloriæ vestræ fieri potuisse, tamen si cujuscumque prava suggestione præventi in hæc tam obscœna et Ecclesiæ universæ contraria consensistis, ab hujusmodi scandali defensione sinceritatis vestræ conscientiam expietis *etc. Subscripsit Philippus, post Sapaudum Arelatensem, his verbis :* Humilis vester Philippus reverenter audeo salutare. *Pertinebant tunc ad regnum Sigeberti* Dunenses et Turonici, *ut indicat Gregorius Turon. lib. 4 cap.* 45. *Et vero jusserat idem Rex Promotum isthic ordinari. Ita Turonensis lib. 7 cap.* 17. Promotus, qui in Dunensi castro, ordinante Sigeberto Rege, Episcopus fuerat institutus, et post mortem Regis amotus fuerat, eo quod castrum illud esset diœcesis Carnoteriæ; contra quem ita judicium latum fuerat, ut presbyterii tantum officio fungeretur, accessit ad Regem *(Gunthramnum)* deprecans, ut ordinationem episcopatus in antedicto castro reciperet. Sed obsistente Pappolo Carnotenæ urbis Episcopo, ac dicente : Quia diœcesis meæ est, ostendente præsertim judicio Episcoporum; nihil aliud potuit obtinere cum Rege, nisi ea quæ sub ipsius castri termino propria habebat, reciperet, in quo cum genitrice adhuc superstite moraretur.

*qui ordinari curarat, et fuoit usque ad mortem suam,*

D *postquam depositus.*

6 *Quando decesserit Philippus, nusquam legimus. Non potuit ultra annum Chilperici et Gunthramni* XXI, *Christi* DLXXXI *in vivis esse, cum mense Novembri ejusdem anni Concilio Matisconensi subscripserit ejus successor Evantius, ut infra dicemus. Diem vero obitus* Philippi *statuunt Boscius, Lieuræus, Claudius Robertus, Chenu,* III *Februarii quo die eum generali catalogo SS. inscripsit Ferrarius, Martyrol. Gallicano Saussaius : absolute* Sanctum *pronuntiant Boscius, Lieuræus, Chenu.*

*quo anno, et die obierit?*

# DE S. EVANTIO, SIVE EVENTIO,

## EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA.

J. B.

AN. CH. DLXXXVI. III FEBR.

B

Post Philippum, *inquit Ado in Chronico,* Evantius, vir sanctus, Episcopus Viennæ levatus est. Hic cum S. Prisco, et Artemio Senonico, et Remigio Biturigensi, et cum aliis sanctis Episcopis XX capitula Ecclesiastica perfecte roboravit. Quibus consedit quoque Syagrius Eduennensis Episcopus, vir summæ sanctitatis.

*S. Evantius Ep. Viennens.*

2 *Confundit hic Ado Concilia duo Matisconensia, quibus S. Evantius interfuit. Primum coactum est* tam pro caussis publicis, quam pro necessitatibus pauperum, *ut in præfatione dicitur,* ex evocatione gloriosissimi Domini Gunthramni Regis, *anno* XXI *regni ejus, Christi numerum* DLXXXI. *Interfuere Priscus Lugdun. Evantius Viennens. Artemius Senonens. Remedius Bituricens. Syagrius Æduorum, aliique* XVI. *Sanciti sunt Canones* XIX, *pleraque ad honestatem rerum ac personarum sacrarum spectantes. Secundum habitum est anno Guntramni* XXIV, *Christi* DLXXXIV, *interfueruntque* omnes Episcopi, qui in regno gloriosi Domini Guntramni Regis Episcopali honore fungebantur, *ut dicitur in Præfatione. Ibi conditi* XX *illi præclari de rebus Ecclesiasticis canones, ab Adone laudati. Sed decesserat tunc* Remedius, *sive* Remigius, *Bituricensis Episcopus, subscripsitque Concilio successor illius S. Sulpitius Severus.*

*intelect Conc. Matisc. an. 1 an. 581.*

*Item 2. an. 584*

3 *Inter duo illa concilia, celebratum est Lugdunense* III, *anno Gunthramni* XXII, *Christi* DLXXXII, *cui et* Evantius *subscripsit. Biennio post,* juxta imperium gloriosissimi Gunthramni Regis, *habita est Synodus in urbe Valentina* X *Kalendas Junii : e cujus Actis sola superest confirmatio eorum quæ tam ipse Rex,* quam bonæ memoriæ jugalis sua Austrechildis Regina, vel filiæ eorum, Deo sacratæ puellæ, id est, bonæ memoriæ Clodebergis, vel Clodehildis, locis sanctis contulissent. *Ei quoque confirmationi cum aliis* XVI *Episcopis* Evantius *noster subscripsit.*

*Lugdun 3, an. 582*

C

*Valentina 2 584*

4 *Ceteræ illius res gestæ nos latent. Hunc esse opinatur Christophorus Browerus noster* Eventium, *sive* Evantium, *aut* Aventium, *quem Venantius Fortunatus, lib. 3 ep. 2 ad Euphronium Ep. Turon. scribens, salutari his verbis jubet :* Dominum meum per omnia dulcissimum, filium vestrum Eventium, pro me multipliciter supplico salutari. *Non est cur viri eruditi conjecturam refellamus : sed nec qua firmemus. Minus arridet, quod ambigens quærit Henricus Canisius, an* Evantius *noster sit* Evantius Abbas, *cujus epistolam recitat to. 5 Antiquæ lectionis, parte 2. contra eos qui sanguinem animalium immundum esse judicabant, carnem mundam, quales repertos* in quibusdam Cæsaraugustæ partibus *scribit.*

E *Forsan S. Euphronii Ep. Turon discipulus*

5 *Obiit* S. Evantius *anno* XI *Childeberti Regis Austrasiæ, sive Christi* DLXXXVI. *Ita Gregorius Turonensis lib. 8 cap.* 39. Gravis tunc provinciam ipsam lues depopulata est. Obiit et Evantius Viennensis Episcopus, in cujus Sedem Virus Presbyter de Senatoribus, Rege eligente, substituitur : multique eo anno Sacerdotum ex hoc mundo migraverunt. *Idibus Januarii obiisse tradunt Lieuræus, Boscius, Ferrarius in gener. Catal. SS. et Chenu, qui perperam ad id firmandum Adonem citat. Refert eum quoque ad illum diem Saussaius in Supplem. Martyrologii; sed addit :* quem præcipue ob sanctitatis memoriam colendam indicant sacræ veteres tabulæ die III Februarii. *Ita ipse Ado Viennensis Ep. in Martyrol.* Viennæ S. Eventii Ep. et Confess. *Referunt eum eodem die Saussaius in Martyrol. Floratum, Galesinius et quædam MSS. At Beda vulgatus, Molanus et Hermannus Greven in addit. ad Usuardum, Martyrol. Colon. excusum anno* 1490 *MSS. S. Mariæ Ultrajecti et S. Gudilæ Bruxellis, hoc eum elogio celebrant :* Viennæ S. Eventii Ep. et Confess. gloriosi.

*obiit an. 586*

*an. 13 Januarii,*

F *colitur 3 Febr.*

# DE S. HADELINO PRESBYTERO.

## VISETI ET CELLIS IN BELGIO,

### Commentarius prævius.

J. B.

CIRCITER AN CHR. DCXC. III FEBR.

§ I *Cellæ S. Hadelini situs.*

Dionanto, *ditionis Leodiensis ad Mosam omnium* nobili *ac vetusto emporio, sesquihoræ itinere* Cellæ *distant, pagus insignis, in vallo* contigua saltui, *ut infra in Vita S. Hadelini dicitur,* qui adjacet fluvio Lætia. *Oritur* Lætia (*sive* Letia, *ut promiscue Molanus et Miræus scribunt,* Lessia *Fiseno nostro dictus, aliis* Lesccia, *vulgo* Lesch *aut* Les) *oritur, inquam, in Arduenna haud procul Bullonio, multisque anfractibus devolutus, tandem rupis hiatu absorbetur, tanto fragore, ut horrorem audientibus incutiat.*

*Cellæ in Arduenna pagus, haud longe a Lescia amne,*

A *incutiat, ac speciem quamdam inferni objiciat. Duarum inde leucarum spatio ad Hanum pagum denuo effluit eadem ex rupe; idemne tamen, an alius, explorari adhuc non potuit: paleæ enim concisæ vis ingens, et alia id genus, quæ ad plurima milliaria fluitare in aquis solent, sæpenumero injecta fuere: nec qua parte rursum emanat, ullum animadverti vestigium potuit. Idem tamen et priusquam se terris condit, et ubi emersit, nomen. Tandem Mosæ media supra Dionantum leuca miscetur, profundus ubique, et, si accolæ uti velint, navium capax.*

*amœno situ,*

2 *Leuca fere a dextra Lesciæ ripa distat pagus, quem* Cellas *appellari diximus, a S. Hadelini cella, sive monasterio. Per pagum vero alius labitur rivus, qui infra Cellas in Lesciam influit. Locum illum omnem ita Hadelinus Bietlotius Presbyter Cellensis in metrica S. Hadelini Vita delineat:*

Montibus est vallis quædam præcincta quaternis,
Arboribus multis consita, plena feris.
Illius in medio nitidus prolabitur amnis,
Qui non multiplici commoditate caret.
Nec pecori tantum, verum et cultoribus ipsis,
Usibus atque aliis utilis esse potest.
Non procul inde fluit piscosum Lessia flumen,
Cujus multa bonis prata rigantur aquis.

*alio rivo irriguus,*

*Ac deinde pluribus interjectis, ita pagum, templumque*
B *ejus S. Hadelino sacrum describit:*

Prima fuit forsan pagi Cellensis origo,
Hic siquidem, de quo dicere pauca juvat.
Vallicula est igitur circumdata monte quaterno,
Nomine quam Cellas fama vetusta vocat.
Sit licet antiquum, tamen est venerabile templum,
Cui simul est turris juncta vetusta nimis.
Gens animosa licet fuerit, bellique perita,
Attamen hæc multa relligione viget.
Reddere nam quoties solennia vota Tonanti
Contigit, ad templum plebs numerosa ruit.
Si quis eam numerare volet, fortassis eamdem
Vix sciet, et numero copia major erit.
Indubitante animo fidei servavit avitæ
Doctrinam, et veterum dogmata sancta Patrum.
Hæreseon technas est detestata nefandas,
Cunctos errores estque perosa novos.
Noxia spurcarum fugit irritamina rerum,
Moribus et cunctis est inimica malis.
Pagus in umbrosa quamvis sit valle locatus,
Non tamen omnigena commoditate caret.
Namque duo nitidi fontes de montibus altis,
Effundunt gelidas per loca vallis aquas.

*pios et Catholicos incolas habet.*

*Horum unus* Rivus S. Hadelini *dicitur, alter e vicino ad Septemtrionem monte defluens* Limonius fons.

C 3 *Haud longe a pago arx visitur perantiqua modico in colle illustris familiæ* de Cellis, *quæ Baronatus titulo ornata, ac pluribus Belgicorum Procerum domibus juncta affinitate, cum fortassis vel ab heroicis illis temporibus vicinus habuisset possessiones, vel post uncta esset, hinc sibi cognomen adoptavit. Est* Theodorici de Cellis *celebre nomen, qui religiosæ et solitariæ vitæ studio canonicatum Leodiensem, opimum in primis ac nobilem, dimisit, atque aliquot sibi junctis sociis,* Clarum-locum, *ubi S. Theobaldi sacellum erat, propter muros urbis Huensis expetiit, ibique pie ac laudabiliter vixit, atque instituti regularis Crucigerorum quod nunc in Belgio, præsertim ad tractum Mosæ, viget, fundamenta jecit; tandemque circiter annum* MCCXXXVI, XVIII *Augusti decessit, et ibidem sepultus est. Ita fere Crucigerorum Huensium Chronica memorant. Chapeavillus to. 2 de Epp. Leodiensib. Annot. ad cap.* 131 *Ægidii Aureæ-vallis, scribit, anno* MCCXXXIV *a Joanne Episcopo* fundatum monasterium Cruciferorum in Hoyo, quod primum et initiale est totius Ordinis.

*Ibidem arx familiæ de Cellis,*

*e qua Theodoricus Canonicus Leodien. vir pius*

4 *Ceterum nomen ipsum* Cellarum *pago inditum ut supra diximus, a cella sive humili tugurio, quod eo loci extruxit incoluitque S. Hadelinus; qui postea isthic monasterium condidit, cui et* Cellæ *nomen, ut aliis alibi quantumvis amplius cœnobiis, adhæsit. Id deinde in collegium Canonicorum, (haud comperimus quo tempore) mutatum.* D
*Breviarium Leodiense novum, ad III Feb. Lect. 3 videtur innuere, cum sepulchrum S. Hadelini miraculis illustraretur, tum demum ad illius honorem Canonicos illic collocatos. Ita enim habet:* Cujus ibidem sepulti meritis et miraculorum gratia, Cellense postea exurrexit Canonicorum Collegium. *Verum, ut idem Chapeavillus ad Joannis Hocsemii lib. 2 cap. 24 annotavit ex Chronico Gemblacensi,* Ecclesia S. Hadelini Cellensis erat una ex abbatiis S. Lamberti Leodiensis: *quod non facile alibi de ullo Canonicorum secularium collegio dictum reperietur, nisi id antea regularium fuerit. Idem ante Chapeavillum scripsit Molanus in Natalib. SS. Belgii, et post utrumque Miræus. Et vero amplæ illæ possessiones Hadelino a Pipino Duce, Gerza, Brone et aliis collatæ an ad ipsum solum, et non alios, isthic Divino mancipatos cultui, alendos pertinuerunt?* Ut conversationis, *inquit Vitæ Auctor,* in eodem loco augmentaretur affectus. *Nisi fortassis dubitare quis potest, cujusmodi sibi collegas adsciverit, Clericosne seculares sive Canonicos, an monachos, ipse a prima ætate, ut ejus magister Remaclus, monasticis institutionibus imbutus. Quid quod Visetenses S. Hadelini Canonici uti* E
*Molanus scribit,* ex prima fundatione verisimilius putent sese Benedictinos fuisse, cum Cellæ residerent ad Lætiam; habeantque *etiamnum* secularem Abbatem, Canonicum Leodiensem!

auctore i. b.

*Isthic quondam Canonicorum collegium, antea monasterium*

*a S. Hadelino erectum:*

5 *Eversum illud, aut vetustate collapsum est, quod ipsi tamen incoluisse Canonici videntur, Cellense monasterium. Stat ecclesia, atque ea titulus Præposituræ. In acclivis collis latere, haud longe a primaria ecclesia, alia est ædicula ubi cellam primum extruxit, atque eremiticam vitam egit Hadelinus,* in qua in hunc usque diem sepultura ejus cernitur; *quam et nos venerati aliquando sumus. Eam vero ædiculam,* in memoriam eremiticæ ejus vitæ, *ut Molanus scribit,* anachoreta inhabitat. *Eam sancti viri sepulturam ita describit Bietlotius:*

*eversum tum,*

*manet ædicula, et Eremita incurio*

Membra sepulturæ traduntur frigida sanctæ,
Ingenti populo concomitante pio.
Est locus umbrosus curvæ testudinis instar,
Quam trito Cryptam nomine turba vocat.
Subjacet hæc recte prædicto sæpe sacello,
Quæ mira populis relligione placet.
Hoc exangue loco tumulatur corpus opaco,
Mœsta pii populo funera flente Patris.
Illic non multos jacuerunt ossa per annos,
Quæ tandem rigida cuncta levantur humo.
Erigitur tumulus, sublato pectore, magnus,
Quo tegitur sanctus qui manet usque locus. F

*S. ejus veterem ibi sepulturam.*

6 *Hactenus de loco habitationis ac sepulturæ S. Hadelini. Hinc multiplicem Philippi Ferrarii errorem in Annot. ad 3 Februarii in Catalogo generali SS. refutes.* Hic sub disciplina, *inquit,* Remacli Episcopi vixit. Obiit Lætiis in Hannonia; quod oppidum alii Lessen, alii Leuze nunc appellari dicunt. De eo Molanus in Nat. SS. Belgii, et Trithemius lib. 3 cap. 319. Corpus diu in Cella S. Gisleni, ubi in cœnobio præfuit; postea Visetum translatum, ibi colitur. *Ita ille. Nec mirum est hominem Italum loca Belgii nostri minus exacte assequi potuisse. Quod* Lessen *Flandris dicitur, Gallis* Lessines, *Latine* Lessinia, *oppidum est ad Teneram amnem, inter Gerardimontem Flandriæ, et Athum Hannoniæ, oppida, ipsum vero utrius sit provinciæ, jam a multis retro seculis controversum fuit, uti to. 2 Flandriæ illustratæ, ex Meiero et Oudegestio ostendit* V. CL. *Antonius Sanderus. At quod* Leuze, *vel* Leuse *Gallice appellatur oppidum, Latine* Lutosa, *duobus milliaribus supra Athum in Hannonia situm, mœnibus carens,* per bella et conflagrationem fere in pagum redactum, *uti in Natal. SS. Belgii ad vitam S. Badilonis VIII Octobris scribit Molanus, qui et Baldrici Noviomensis Camera-*
*cense*

*Multiplex Ph. Ferrarii error, confundentis S. Hadelini Lætiam,*

*Lessiniam opp.*

*Lutosam pagum.*

*AUCTORE J. B.*

A *censе Chronicon citat lib.* 2 *cap.* 43 *ubi ista habentur:* Est monasterium quoque Canonicorum, in honore Apostolorum Petri et Pauli, in vico qui dicitur Lutosa, quod construxit B. Amandus: et est dives abbatia: ubi vir Dei venerabilis Baidilo requiescit. *Titulus capitis est:* De villa Lutosa. *At Lætiæ, vulgo* Liessies, *pagus et religiosissimum monasterium, ad Helpram flumen in adversa plane Hannoniæ parte, haud longe a Galliæ finibus: quo de monasterio pluribus actum VII Januarii ad Venerabilis Patris Ludovici Blosii, ejusdem loci Abbatis, Vitam. Demum* Cella S. Gisleni *oppidum est et perantiquum monasterium Haynam flumen, inter montes urbem Hannoniæ primariam et Condatum oppidum, de quo IX Octobris ad S. Gisleni vitam et alibi dicemus. Sed neque in hoc monasterio, quod vulgo existimatur (haud tamen solido fortassis argumento) primitus S. Basilii alumnæ Græcanicis institutionibus administratum, neque Lætiis, ubi primum circa tempora Pipini Regis conditum cœnobium est, neque Lutosæ habitasse S. Hadelinus legitur, sed Cellis apud Lescum flumen in Arduenna; quibus ex nominibus isti scriptori data errandi occasio. Minus excusabile erratum monachi Aureæ vallis sive Ægidii, sive alterius cujuspiam, qui ad cap.* 84 *Harigeri annotationem addidit quæ extat in Chapeavillo, in qua dicitur:* De Aquitania Gislenus

*Lætias monasterium,*

*Cellam S. Gisleni opp.*

B Cellensis *cœnobii fundator,* in quo B. Hadelinus discipulus S. Remacli præfuit, et ibidem corpore quiescit. *Alia S. Gisleni, alia S. Hadelini Cella est.*

## § II. S. *Hadelini Reliquiæ Viseti, veneratio.*

C*ellis per sexcentos et quadraginta circiter annos quievit S. Hadelini corpus, quod deinde Visetum an.* MCCCXXXVIII *translatum. Est Visetum Leodiensis ditionis oppidum ad dextram Mosæ fluvii ripam, Trajectum inter ac Leodium, medio fere situm intervallo, ab utroque duabus leucis distans; quod indicari arbitratur Miræus in divisione inter Ludovicum Germaniæ Regem et Carolum Calvum, his verbis:* Lingas, quod de ista parte Mosæ est, et pertinet ad Vesatum. *Sirmondus tamen et Chesneus legunt pro* Vesato, Velsatum. *Fuit illud anno* MCCCXXXIV, *quo nimirum Dominica* Lætare *incidit in* III *Id. Martii uti Joannes Hocsemius Canonicus Leodiensis qui annum tunc agebat* LXI *ætatis, scribit lib.* 2 *cap.* 19 *fuit, inquam, tunc Visetum* firmatum portis ligneis asseribus, et fossatis, *ab Adolpho Marcano Episcopo Leodiensi. Huc quadriennio post, anno nimirum* MCCCXXXVIII *migrarunt Canonici Cellenses, eoque S. Hadelini corpus deportarunt. Rem gestam*

*Visetum recens muris cinctum*

C *ita narrat idem Hocsemius lib.* 2 *cap.* 21 Undecima die ejusdem Octobris, in die Cordulæ Virginis, translatum est corpus B. Hadelini Cellensis cum collegio XII Canonicorum Viseti, tum propter tyrannidem Advocati loci, qui dicitur Dominus Cellensis, tum propter favorem Viseti, de novo muro lapideo cincti. Qua die ad perpetuam rei memoriam hos versus composui:

*translatæ a Canonicis S. Hadelini Reliquiæ,*

Anno mille, c ter Domini, quater x, duo præter,
Canonici læti cum Patronoque Viseti
Cellenses estis translati; Cordula testis.
Sis novus hic hospes Hadeline sacer, misero spes.

8 *Caussam modumque hujus Translationis ita exponit Joannes Chapeavillus Annot.* 2 *ad citatum Hocsemii caput, ex Chronico Gemblacensi:* Mota est discordia inter Canonicos S. Hadelini et Dominum Cellensem. Nam dictus Dominus libertatem eorum Ecclesiæ defraudabat, et prædictos Canonicos ultra modum opprimebat. Cum vero Ecclesia S. Hadelini Cellensis esset una ex abbatiis S. Lamberti Leodiensis, Domini Canonici consilio usi, feretrum cum corpore S. Hadelini clam suscipientes, ipsum Leodium transtulerunt, in ecclesia S. Lamberti collocantes. Quare Adolphus noster Episcopus et Capitulum Leodiense

*(Advocato eos opprimente)*

inter se super hoc consilium habuerunt, quid agerent. Tandem ad invicem concordati sunt, quod dictum feretrum S. Hadelini cum Canonicis prædictis transferrent apud Visetum: quod et factum est, et tunc ibi facta est Ecclesia Canonicorum. Tunc temporis Visetum novis muris et turribus super ripam Mosæ, ab Episcopo et Ecclesia Leodiensi, vallabatur. D

9 *Cornelius Santfliet Leodii ad S. Jacobum monachus Benedictinus, a Chapeavillo citatus, scribit visitatum ab Episcopo et Canonicis Leodiensibus feretrum, in eoque repertum fuisse corpus S. Hadelini:* Brachium solum, *inquit,* corpori deficit, quod in monasterio Stabulensi honorifice usque in præsens conservatur, ante multa annorum curricula illuc translatum. *Existimatur hic Scriptor, uti in Bibliotheca Belgica testatur Valerius Andreas, circiter annum Christi* MCCCLXI *obiisse. Os item brachii S. Hadelini asservari dicitur Hubinii ultra Chivenum oppidum. Cellis in majori ecclesia est os tibiæ, aliæ ejus reliquiæ in eremitica ædicula. Meminere porro Translationis corporis complures alii Scriptores, Chapeavillus in Annot. ad cap.* 51 *Harigeri, Franciscus Haræus in Compendio Vitarum SS. Constantinus Ghinius in Natalibus SS. Canonicorum, Molanus in Natalib. SS. Belgii, Miræus in Fastis Belgicis; qui tamen omnes falluntur, dum eam factam scribunt anno* MCCCXXXVII *cum diserte scribat* E *Hocsemius contigisse quo anno dies* XII *Octob. in feriam secundam incidebat, ac scilicet littera Dominicalis erat D; quod in annum* MCCCXXXVIII *quadrat: quare Miræus in Chronico eo anno refert, et Molanus in Indiculo SS. Belgii ac Wion in Annot. ad* III *Februarii.*

*visitatæ Leodii,*

*anno 1338, non 1337.*

10 *Consignata est hujus Translationis memoria* XI *octobris in MS. Florario SS his verbis:* Translatio S. Hadelini Confessoris Leodiensis MCCCXXXVIII. *Itemque in Catalogo generali Ferrarii, at rursus non sine mendis:* Hoc die Translatio corporis S. Hadelini Confessoris ex Cella S. Gisleni in Hannonia, Visetum in Brabantia ad Mosam. *Neque enim in Brabantiæ provincia situm est Visetum, neque e Cella S. Gisleni, Hannoniæ oppido verum e Cella S. Hadelini, pago ditionis Leodiensis in Arduenna, translatæ sacræ reliquiæ sunt, nec denique (quod in Annot. addit.) an* MCCCXXXIX *id contigit. Cellenses Translationem celebrant officio triplici, Dominica intra Octavam Nativitatis Deiparæ Virginis.*

*Anniversaria rei memoria 11 Oct.*

*et mense Septembri.*

11 *Cur vero Hocsemius, quod die S. Cordulæ contigit, id undecimo Octobris factum scribat, haud satis assequimur. Colitur S. Cordula* XXII *Octobris; at neque in moderno Leodiensi Breviario, neque in antiquo, quod an.* 1520 *editum, ulla S. Cordulæ vel* XI *vel* XXII *Octob.* F *mentio fit. Bertholetus* XXIX *Octob. translationem illam vult contigisse, caussamque migrationis lepide exponit.*

*an die S. Cordulæ facta?*

Triginta octo annis lapsis post mille trecentos,
Octobrisque dies bis duodenus erat.
Visetum corpus Leodino Præsule Adolpho
Transfertur, veluti scripta vetusta docent.
Cuncta simul veneranda migrat collectio Cleri
Cellensis. Caussas, Lector amice, rogas?
Mitia cur metuunt animalia cuncta leones?
Lanigera exosos cur timet agna lupos?
Cur fugit accipitrem volucrum genus omne rapacem?
Et pullus milvi cur timet insidias?
Bellua cur pisces agitabat balæna marinos?
Ranas cur fluidis ardea terret aquis?
Una et sola datur cunctis responsio: Nil est
In vivis, quod non noxia quæque fugit.
Presbyteris orbata suis Ecclesia quondam
Cellæa; atque tribus vix superesse datum.

*Præter præpositum duo alii sunt in primaria ecclesia, quorum unus Plebanus, alter Sacellanus: quartus in ædicula minore Eremita, et ipse Sacerdos.*

12 *Antiquissimam porro S. Hadelini esse venerationem patet ex Adonis vetustissimo Martyrologio MS. in monasterio*

*AUCTORE J. B. Natalis celebris in Martyrol. 3 Febr.*

A *monasterio S. Laurentii Leodii, in quo ad* III *Februarii, uti et in Martyrol. Ecclesiæ S. Lamberti ibidem ista habentur :* Et S. Hadelini Confessoris. *Eadem habet Benedictus Dorganius Hermannus Greven, et Martyrol. Coloniæ editum an.* 1490 *addunt :* De Aquitania. *Wion :* Apud Visetum S. Hadelini Confess. *Ferrarius et Menardus :* Apud Visetum in Belgio. S. *etc. Molanus :* Apud Visetum oppidum, S. *etc. Canisius :* In ditione Leodiensi, oppido Viseto, S. Hadelini Confessoris. *MS. Kalendarium Ord. Benedictini :* Ipso die S. Hadelini monachi Stabulensis, discipuli S. Remacli. Ep. *Andreas Bocius noster in Teutonico Martyrol.* Cellæ, S. Hadelinus Conf. discipulus S. Remacli. *Galesin.* Ad oppidum Viserum, S. Hadelini Conf. religiosæ vitæ et rerum divine admirabiliterque gestarum laude celebris. *MS. Florarium :* In oppido Viseti juxta Leodium, depositio B. Hadelini Confess. 3 lectiones. Hic fuit discipulus S. Remacli, XVII Trajectensis Episcopi Mulieri mutæ restituit loquelam, et plura mira fecit *Balduinus Willotus noster :* Cellis vico juxta Dionantum, obiit S. Hadelinus Confessor, Aquitanus, Stabuleti discipulus S. Remacli. Corpus ejus postea annum MCCCXXXVII, *(imo sequenti, ut supra ostendimus)* translatum est Visetum, ditionis Leodiensis oppidum, ubi B quiescit. *Agit de eo quoque Saussaius, in quo corrigendum, quod* Ursetum *pro* Viseto *ponit ubique : agunt et alii infra citandi. Qui Martyrologium Romanum Gallice versum, et ampliatum, Leodii edidit an.* MDCXXIV, *hoc die Translationem S. Hadelini celebrari Visetensibus scripsit : perperam : natalis hic est Octobri facta Translatio, ut ante dictum.*

## § III. *Vita S. Hadelini, et aliorum, à Notgero Ep. scripta.*

*Vita unde edita?*

V*itam S. Hadelini descripsit nobis e MS. codice, Patronorum Malmundariensium gesta continente, Joannes Gamansius noster. Eadem extat in vetusto codice monasterii S. Laurentii Leodii, et Cellis in* IX *Lectiones distributa. Eadem jam ante ab Herib. Rosweydo ex alio descripta codice erat. Auctorem ejus existimamus esse Notgerum Episcopum Leodiensem, qui ab anno* CMLXXI *ad* X *April.* MVII *illi Ecclesiæ præfuit. Alia quædam ejus scripta extant; ut Vita S. Remacli Episcopi* III *Septembris, Vita et Translatio S. Landoaldi* XIX *Martii; et fortassis quæ ab Harigero Lobiensi Abbate edita, et expolita Gesta Episcoporum Leodiensium.*

*Eam scripsit Notgerus Ep. Leodiens.*

14 *Fuit sane Notgerus egregie doctus ac pius; de* C *quo ista prædicat in Chronico Lobiensi Fulcuinus Abbas :* Cujus animi dotes et virtutum summam si pergam dicere, quoniam adhuc superest, adulari videbor. Unum pro certo dicendum est : quod sit, in quem Spiritus Dei donum singulare contulit veritatis et fidei. *Anselmus Canonicus cap.* 50 *omni morum elegantia insignitum vocat. Ægidius Aureæ vallis ait,* nobilitatem generis scientia et moribus illustrasse, a litterali scientia morum quoque ornamenta accepisse, et in utraque disciplina laudabiliter promotum, de scholis ad palatium transferri meruisse *etc. Verum quo animi ardore studia litterarum curarit, idem cap.* 55 *ita commemorat Anselmus :* Quanta fuerit illi in educandis pueris, scholaribusque disciplinis instruendis sollicitudo, hinc maxime probatur; quod semper, dum in via pergeret, longe seu prope, scholares adolescentes secum ducebat, qui uni ex Capellanis suis ex arctissima scholarum parerent disciplina. Quibus etiam librorum copiam, cum ceteris scholaribus utensilibus, circumferri faciebat : sicque fiebat, ut quos rudes et illitteratos a claustro abduxisset, ipsos quos prius magistros habuerant, in litterarum eruditione, redeuntes superarent. *Pergit deinde cap.* 56. Hujus eruditionis occasione, plurimi eorum, etiam in religionis ac sanctitatis disciplina D circa eum in tantum profecerunt, uti idonei fierent rectores Ecclesiarum. *Recenset aliquot egregios Antistites sub ejus formatos disciplina, Gontherum Salisburgensem, Rothardum et Erluinum Cameracenses, Haymonem Virdunensem, Hezelonem Tullensem, Adelbodum Ultrajectensem, Durandum Leodiensem, etc.*

*vir doctus ac probus.*

*AUCTORE J. B. (unde multi ex ejus disciplina præclari Episcopi)*

*pueros diligenter educavit,*

15 *Cum tanto studio juventutis pietate et litteris imbuendæ flagraret Notgerus, quos eruditione præstantes audiebat, eos singulari favore prosequebatur, aut in familiam etiam suam adoptabat.* Floruerunt his temporibus apud nos, *inquit Fulcuinus in Chronico Lobiensi,* studia litterarum, quibus ediscentis operam dantes opinatissimi fuere Scaminus, Theoduinus, et perspicacissimus horum Ratherius, *etc. Quare cum hujus Ratherii technis, turbatæ res Lobiensium essent, ipseque Fulcuinus Abbas loco motus; Notgerus ipso statim sui episcopatus exordio,* evocatis Abbatibus, Werenfrido videlicet a Stabulaus, et Heriberto ab Andagino cum aliquibus Fratribus primum conspirationis exordia quærit, inventa trutinat et discutit, discussa demum judicio utitur; ubi perspexit omnia esse frivola, Fratres Abbati reconciliat, ipsam restituit... pace nobis, per Dei gratiam, Nothgero agente, firmissima collata, Dominus Episcopus Leodium revertitur. *Hæc Fulcuinus. Cujus Continuator* E *aliud collatum Lobiensibus a Nothgero beneficium narrat :* Immunitatem Ecclesiæ nostræ, suggerente Domino Episcopo Nothgero ab Othone Imp. de nomine II innovari primum, postea eodem Episcopo agente, a Joanne Papa auctoritate Apostolica confirmari obtinuit Abbas Fulcuinus. Ex quo enim Franco de Abbate Lobiensi in Episcopum Tungrensem vel Leodiensem promotus, a Rege Arnulpho abbatiam episcopatui suo obtinuit, sub Episcopis usque ad Euracrum succedentibus, res nostræ per Præpositos et Decanos, quoscumque Episcopi ordinassent, agebantur : per Notgerum autem ejusdem Euracri successorem nobis concessum, et a præfato Joanne Papa confirmatum est, ut sicut ab initio usque ad Franconem, ita deinceps Abbatem habere deberemus, *etc.*

*doctos amans,*

*in his monachos Lobienses,*

*quibus Abbati Fulcuino reconciliatis*

*immunitatem et liberam electionem concedit.*

16 *Ex hoc sibi ita caro virtutum et doctrinæ Lyceo Harigerum, sive Herigerum monachum, studiorum vel suorum socium, vel alienorum formatorem, adsciuit Notgerus. De quo idem Fulcuini Continuator :* Apud exteros etiam et vita et scientia clarus extitit. Intantum enim prædicto venerabili Episcopo Nothgero carus et familiaris fuit, ut non solum in domesticis vel Ecclesiaticis rebus, sed in palatinis quoque ne- F gotiis, quorum tunc temporis præcipuus erat executor, idem Episcopus inter primos eum habuerit. Nec in Lotharingia solum, sed et in Italia, ubi Othoni II adhuc puero regnum præparabat, ejus obsequiis et consiliis usus fuerit. *Nihil igitur mirum, Notgeri opera aliqua Harigero adscribi, qui ei velut a commentariis erat, et fortassis scripta ejus expoliebat et emendabat, ac nonnulla, quæ suo edebat Episcopus, ipse proprio nomine edidit. Fulcuino Abbati an.* CMXC *mortuo, idem suffectus est, obiit* XXXI *Oct.* MVII, *septimo post Notgerum mense, non sine fama miraculorum. Sed de singulis Notgeri scriptis videamus.*

*Harigeri monachi opera utitur :*

17 *Primum scripsit Vitam S. Remacli, ut patet ex epistola ad Werenfridum Abbatem Stabulensem, quæ ita incipit :* Notkerus, quem, ac si indignum S. Mariæ Sanctique Lamberti mancipium, prædicant tamen Episcopum, Werinfrido venerabili in Christo Patri Sacerdoti salutis æternæ subsidium. Omnis antiquitas, ut ait Oratorum maximus *etc. Huic Vitæ apud Surium subjicitur liber miraculorum S. Remacli, in quo Danorum in Galliam irruptiones memorantur, ac variæ calamitates, quarum se spectatorem fuisse Auctor ostendit. Quod Gerardum Joannem Vossium, cetera accuratum,*

*scribit Vitam S. Remacli Ep.*

*AUCTORE I. B.*

A *ratum, impulit, ut vixisse Notgerum hunc scriberet sub Carolo Crasso, qui an.* DCCCLXXX *coronatus,* DCCCLXXXVIII *obiit; ac proinde duos Notgeros Leodienses Episcopos statueret. Verum tempore Caroli Crassi aut Arnulphi Impp. a monacho Stabulensi anonymo scripta est S. Remacli Vita, quæ incipit :* Oriundus fuit Aquitaniæ partibus vir venerabilis Remaclus. *Tum libri duo miraculorum ab eodem scripti Auctore hoc exordio :* Post expletum namque gloriosissimi agonis omnibus seculis laudabilem triumphum, quo deposito carnis indumento, immarcescibilem gloriæ idem nactus est coronam. *Hæc est Vita, cujus in illa ad Werenfridum epistola meminit Notgerus :* Obtulisti libellum de Vita tam nostri, quam vestri specialis Patroni, Domni scilicet Remacli, conquestus propter incuriam tamen prædecessorum vestrorum brevius quam ut res postularet pro magnitudine gestorum ejus esse * editum; simulque visus es, ut ne dicam precari, sed potius exhortari, ut eam non modo exemplari, verum aliquanto lepidius mandarem poliri, tum quod gestorum illius aliunde sumptorum suppetat copia, tum quod temporum, quorum diversitas nunc maxime scito opus est, ex chartulario vestro non desit notitia.

*100 annis ante ab alio scriptum miraculis tum factis;*

** Chapeavill. editum.*

18 *Scripsit præterea Notgerus S. Landoaldi Vitam,* B *ac Translationem ex villa* Wintershoven *ad Gandavense castri cœnobium, sive S. Bavonis. Cujus commentarii hic titulus est in vetustissimo MS. codice S. Bavonis :* Annotatio Notkeri sanctæ Trajectensis vel Leodiensis Ecclesiæ Præsulis, super Translatione sancti Confessoris Landoaldi Archipresbyteri, sociorumque ejus. *Epistola vero ejus ad Womarum Abbatem et monachos Gandenses data* XIII Kalend. Julii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXX, Ind. VIII, Imperante Domno Ottone post mortem patris an. VIII, episcopatus *ipsius Notkeri an.* IX, *ita incipit :* Notkerus, quem, ac si indignum S. Mariæ Sanctique Lamberti mancipium, prædicant tamen Episcopum, Womaro venerabili in Christo Patri et Fratribus Gandensibus, omnibusque quocumque locorum positis fidelibus, hæc non obliquo oculo lecturis, perpetuitatem vitæ cœlestis. Postulare imo exhortari facultatulam nostræ mediocritatis, Patres reverendissimi, non dubitastis, ut ex mirabilibus seculis omnibus et gentibus prædicandis, nostris diebus, etsi simus indigni, nobis quidem manifestatis, vobis insuper prærogatis, in Translatione Sancti scilicet Landoaldi Archipresbyteri et sociorum ejus revelatis, quia videlicet ex nostra ablati diœcesi, vestro, præordinante Deo, cesserunt juri, deleamus, C quantum ad nos usque fama vulgante potuit perferri, omnium, imo vestræ satisfacere petitioni. *Et post plura, consimilia iis quæ in epistola ad Werenfridum Stabulensem habentur, hæc subdit :* Jesum et sanctos Angelos ejus, Judicemque futurum testamur, nos parum aliud hic posuisse, quam quæ aut a Presbytero Saraberto, id sancte juranti, a nobisque (ut ipse retulit) fortiter per Deum et horum merita Sanctorum obtestato, audivimus, aut in scripto vestro nobis delato fideliter mandata reperimus; exceptis duntaxat iis, quæ ex Episcopali nostro decerpta, huic schedulæ pro temporum ratione videbantur congruenter præponenda. *Quod* Episcopale *scriptum vocat, id esse videtur quod de gestis Episcoporum ab eo collectum mox dicemus.*

*Vitam et Translationem S. Landoaldi,*

*rogante Womaro Ab. S. Bavonis,*

19 *In illa tamen de S. Landoaldo lucubratione operam Antistiti suo locasse Harigerum, colligere est ex historia ejusdem Translationis, quam, qui interfuit, monachus Gandensis conscripsit; ubi ista habentur :* At vero Dominus Abbas, tantis beneficiis visis, gratias omnipotenti Deo rependit. Nec multo post, inspirante Domino, pro cautela futurorum, seu, quod verius est, pro majori gloria Sanctorum, Priores nostros supra designatos, ad venerabilem Episcopum Leodiensis Ecclesiæ mittere curavit, supplici precatu D efflagitans, quatenus de translatorum Sanctorum reliquiis quæque digna per Clericos suos inquireret, et illi veritatem de iis omnibus renuntiarent in scriptis : quod, Domino donante, extemplo completum est. Nam requisiti in Synodo plena Sacerdotes et Clerici undique confluentes, quanta audierant et facta viderant de Sanctis nostris miracula, ore consono coram Episcopo suo proferebant. Iubente itaque eodem eximio Pontifice, ibidem miracula, quæ divulgaverant, sunt collecta, et per Dominum Heyngerum Didascalum, ac musicæ artis peritum, breviter quidem, sed satis diserte ac luculento sermone sunt descripta, nec non et ipsius Episcopi sunt auctoritate roborata; insuper sigilli sui impressione munita, atque Domino Abbati ac omnibus Fratribus Gandensibus fideliter missa. *Similia fere profert Miræus in Notis ad Sigeberti Gemblac. cap. 137 de Scriptoribus, et Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica ad nomen Harigeri. Sed sive historiam illam scripsit Notgerus, limavit Harigerus; sive hic composuit, et ille recensuit; nomine tamen Episcopi missa Gandensibus vulgataque est : neque enim de Episcopo tantoque suo Patrono loquens Harigerus,* ac si indignum *appellaret.*

*hic quoque Harigeri opera usus.*

20 *Denique gesta Episcoporum Leodiensium ad suam* E *usque ætatem collegit Notgerus. Id quia a Sigeberto et Trithemio non est traditum, Miræo et Valerio Andreæ non probatur. Asserit ipsemet Notgerus in epistola ad Werenfridum :* Non ejus modo, cujus meminimus, *inquit,* Sancti videlicet Remacli, verum ceterorum nostræ Sedis Pontificum tempora et gesta, quæ undecumque potuere corradi, ad nostra usque tempora collegi; et cujus potissimum anhelabas desiderio, Vitam inde exceptam votis tuis porrexi. *Hæc ille, in quem (ut supra ex Fulcuino retulimus)* Spiritus Dei donum singulare contulerat veritatis et fidei. *Verum quia hæc ipsa epistola præfixa est Gestis Epp. Leodiens. Harigeri nomine editis, verisimile nobis fit, non modo hujus fortassis opera usum in Vita illa conscribenda Notgerum, sed quæ collegerat de omnibus ad suam usque ætatem Episcopis, ei tradidisse limanda, et, ut videretur, edenda. Et certe cum omnium omnino gesta collegisse se Notgerus testetur, Harigerus non nisi* XXVII *commemorat; posteriorum* XVIII, *qui inter S. Remaclum et Notgerum sederunt, videtur perficere historiam non potuisse, aut edere noluisse. Ita de aliis Harigeri lucubrationibus Fulcuini Continuator, recensitis nonnullis ejus scriptis, ait :* Et alia quoque composuit, sed non exposuit.

*Gesta Epp. Leodiensium,*

*quorum pars expolita editaque ab Harigero;*

F

21 *Nunc cur Vitam S. Hadelini arbitremur ab eodem Notgero scriptam, exponendum. Auctor, Leodiensem se Episcopum fuisse, ostendit cap. 2, ubi ait :* Delegavit illic quoque ex reditibus, ut rem Ecclesiæ nostræ, villam quæ Mons Francheri vocatur. *Neque enim probari potest Menardi lectio, ut* Remensis Ecclesiæ villam. *Accedit quod eadem fere præfatio est, quæ Vitæ S. Remacli. Atque id familiare Notgero est : ita caput I Vitæ S. Remacli, primumque S. Landoaldi, eodem modo orditur :* Francorum regnum a sui principio semper infatigabile *etc. multaque in epistola ad Womarum Abbatem Gandensem, eadem sunt, aut plane similia iis quæ in epistola ad Werenfridum Stabulensem habentur. Tum illa Notgero familiaris formula testandæ modestiæ in c. I.* nobis, ac si indignis B. Hadelinum destinavit. *Videtur autem scripsisse hanc Vitam Cellensium monachorum rogatu.*

*Vitam S. Hadelini.*

22 *Extabat brevior alia S. Hadelini Vita in MS. S. Martini Ultrajectensi, hoc exordio :* Hadelinus in Aquitania nobili ex progenie ortus, cum S. Remaclo, postmodum Tungrensium Episcopo, in Franciam peregrinationis gratia venit. *Sed vel non admodum antiqua est Vita illa, vel postea adjecta sunt, quæ in ea leguntur :*

*Hujus alia brevior MS. Vita,*

A *leguntur* : Hujus Sancti corpus multo post tempore translatum est Visetum, una cum collegio Canonicorum Ecclesiæ suæ, ab Adulpho de Marcha Leodiensi Episcopo, circa annum Domini MCCCXXXVIII, XI die mensis Octobris.

23 *Aliam elegiaco carmine compositam Vitam dedit Joanni Gamansio nostro Eremita Sacerdos cellulæ supra tumulum S. Hadelini incola, quæ hunc titulum præfert :* S. Hadelini Ecclesiæ Cellensis Patroni Vita, in versus redacta per Hadelinum Bietlot Presbyterum Cellensem, anno a Christo nato MDLXXXIX, ætatis vero suæ circiter XLII. *Eam frequenter inferius citamus; integram dare operæ pretium non fuit. Fuit is Vicepræpositus Cellensis,*

*alia ab Hadel. Bietlotio scripta carmine,*

24 *Edidit quoque S. Hadelini Vitam Teutonico sermone Heribertus Rosweydus noster. Agit de eo Molanus in Natalib. et Indiculo SS. Belgii et in Chron. cap. 5. Franciscus Haræus in Compendio Vitarum SS. Hugo Menard. lib. I Observat. ad Martyrol. Benedictinum. Constantin. Ghinius in Natal. SS. Canonicor. Andreas Saussaius in Martyrol. Gallic. Ægid. Gelenius lib. 4 de magnitud. Coloniæ. Trithemius de viris illust. ord. S. Bened. lib. 3 cap. 319 ubi* Adelmum *vocat. Bartholomæus Fisen noster in historia et in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, Harigerus, de quo supra, in Gestis*

*item ab aliis,*

B *Episcopor. Leod. cap. 51 ubi ista habet, quæ in Vita aliter narrantur :* Sic et beatus Confessor Hadelinus, qui et ipse Aquitanicus, dum aliquando, ubi secesserat, grata Deo opera gereret, vidit in visione Patrem eumdem *(Remaclum)* sibi apparuisse, vultu venustum, crine reverendum, statura corporis præstantissimum, qui locum illi futuræ conversationis et perpetuæ requietionis ostendit, et fontem usibus hominum habilem demonstravit. Quod ita esse probatur, dum et in ipso loco corpore requiescit, et spiritu præsens multa credentibus ibidem beneficia præstare non destitit.

*S. Hadelino apparet S. Remaclus.*

## § IV. *S. Hadelini religiosæ vitæ tirocinium.*

B*artholomæus Fisen noster Histor. Leod. lib. 3 nu. 42 ad annum Christi* DCLIII, *quo jam abdicato episcopatu, in Stabulensi cœnobio commoratum fuisse S. Remaclum arbitratur, de Hadelino ita scribit :* Mira in primis fecunditate plantarium Stabulense germinabat, Remaclo cultore felicissimum. Asceticæ vitæ tirocinium isthic ponebat Hadelinus, et eximiam jam tum futuræ sanctitatis spem faciebat. *Idem lib. 4 nu. 15 de peregrinatione Romana Remacli agens, an.* DCLXIX *suscepta, ita scribit :* Viæ comitem habuit Hadelinum, gente Aquitanum, indolis præclaræ juvenem; qui posito in Stabulensi palæstra tirocinio, raræ cujuspiam virtutis expectatione universos suspenderat. *Idem de tirocinio vitæ religiosæ Stabuleti posito scribit in Floribus Eccl. Leodiensis. Andreas Saussaius ita habet :* Eadem die apud Ursetum *(voluit Visetum scribere)* S. Hadelini Confessoris, ipsius S. Remacli discipuli, qui ortu quoque Aquitanus, relicto solo paterno et cognatione, Stabuletum ad ipsum Remaclum se contulit, cujus et magisterio usus, et ab eo Cellas, ut monasterium ibi construeret, missus *etc. Videntur eidem sententiæ adstipulari Molanus in Natal. etc. Indic. SS. Belgii, Haræus, Ghinius, Chapeavillus in Annot. ad cap. 51 Harigeri, dum aiunt, relicta terra et cognatione sua,* venisse Stabuletum, ubi magisterio usus est S. Remacli. *Miræus in Fastis Belgicis solum ait,* fuisse S. Remacli discipulum, in monasterio Stabulensi, *neque diserte exprimit, isthicne alibi tirocinium vitæ monasticæ posuerit; venerit ne in Belgium cum jam constructum esset Stabuletum, an prius.*

*S. Hadelinus S. Remacli discipulus, an cum eo ex Aquitania venit Stabuletum?*

C

26 *At Vitæ illius scriptor cap. 1 nu. 3 ait :* cum Beato jam dicto Remaclo viam hanc paucis imitabilem arripuit, actuumque piorum et ærumnarum ipsius per omnia particeps, peregrinationis quoque multimodos perferens cum eo labores. *Et nu. 4.* Cerneus B. Hadelinus, quem nimio diligebat amore, a Deo et hominibus exaltatum, et pontificali Cathedra sublimatum, non est nostræ facultatis evolvere, quanta cor ejus et lingua repletum fuerit exultatione. *Atqui nondum tunc Stabuletum erat fundatum : ergo prius Remaclo adhæsit, quam hic eo se reciperet, quo demum relicto episcopatu,* B. Hadelino secum comitante, diu destinatum arripuit callem. *Eadem tradit Hugo Menard.* relicta Christi amore patria, in Austrasiam venisse cum S. Remaclo, quem sibi ad imitandum proposuerat. *Ac deinde Remaclum ait,* comitante S. Adelino, ad eremum profectum esse. *An fuerit tamen Hadelinus jam tum monachus, neuter expressit.*

D

*Auctore I. B an potius cum eo?*

27 *Bietlotius in metrica Vita scribit (quod nobis non probatur) ad Remaclum jam Episcopum venisse :*

Protinus extremas Francorum venit ad oras,
Quas habitant Treviri, gens animosa, viri.
Impiger illorum sequitur vestigia Patrum
Hic Divus; vitæ nulla pericla timet.
Tunc etiam morum nulli probitate secundus
Divus Præsul sorte Remaclus erat.
Ingreditur sacram venerandi Antistitis aulam :
Conviter excipitur : pauper egenus erat.
Scilicet ut cœlo prælucet stella sereno,
Et velut in templo lumina clara micant;
Sic quoque multiplici clarus virtute refulget,
Virtutumque aliis nobile monstrat iter.
Gratus erat cunctis, pueris, famulisque virisque,
Mitis ceu agnus fraude doloque carens.
Hunc sibi pro nato socioque Remaclus adoptat,
Atque in eum veri fertur amore patris.

*an prius Trajectum?*

E

*Videtur tamen innuere hic scriptor, jam antea notum fuisse Hadelino Remaclum, quem hujus dignitate gaudentem induxit :*

Hic pater elatum sacrata Sede Remaclum
Conspiciens, animo gestit ovatque suo.

*Favere huic sententiæ videtur Breviarium Leodiense Lect. 2 ubi ait :* ad B. Remaclum Tungrensem Ep. se contulit, et in Stabulai cœnobio primum solitariæ vitæ, actuumque piorum, et ærumnarum ipsius per omnia particeps *etc. Vetus Breviar. habet :* Venit ad locum situm in littore, qui Dionant dicitur, ad Mosam.

28 *Probabilius est, quod de sacerdotio subdit Bietlotius :*

F

Quippe Sacerdotis claro illustratur honore,
Quo minime dubium munere dignus erat.

*ibi Sacerdos factus,*

*Hunc imbuendis Christiana religione populis impendisse operam Hadelinum reamur, sui Antistitis strenuum adjutorem, et fuisse scribit Trithemius,* tam scientia Scripturarum, quam sanctitate morum multum venerabilem. *Eo spectat, quam hac die in solemnibus sacris Ecclesiæ Leodiensis, Cellensis, Visetensis recitant, Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, tuorum remunerator servorum, qui nobis B. Hadelinum Doctorem salutis præstare voluisti; concede nobis famulis tuis, ut ejus adjuvemur meritis, cujus lætamur virtutibus et exempli. Per Dominum *Cui etiam (teste Molano)* imago respondet. Pingitur enim Viseti in veste doctorali longa, coloris nigri, gestans in manu pedum, cui supereminet crux, eique cruci columba insidet. Ceterum Cellenses .. pingunt eum ut eremitam, quia ereniticam vitam apud eos egit : *alios alba et casula indutum, sinistra librum, dextra pedum, quale diximus gestantem.*

*populos docet; ideoque Doctor appellatur et pingitur.*

29 *Ubi ergo habitum monachicum suscepit Hadelinus? Non proditur. Fas est conjicere, Solenniaci aut Cavaeonguldum, sub Remaclo. Huic Solenniacensis cœnobii in ditione Lemovicensi curam commiserat S. Eligius,*

*S. Remaclus Abbas Solenniaci*

[AUCTORE J. B.]

A *S. Eligius, uti Notgerus, et Stabulensis monachus in Remacli Vita tradunt.* Post aliquantulum vero temporis, *inquit hic,* fama vulgante, per totam Galliæ provinciam auditum est de vita et actibus beati viri sæpe memorandi Remacli, et ad aures Procerum, qui tunc temporis palatio præerant, perventum est..... ac denudatum in regalibus aulis, tam magnificum virum non debere abesse præsentiæ Regis, ut illius prudentia disponerentur regni negotia: unde factum est, ut evocatus honorifice, uti decebat, ad limina perduceretur palatii, magnum omnibus futurus solamen.

30 *Ei deinde Casæcongidum monasterii præfecturam Sigebertus Rex commisit de quo Notgerus:* In loco, qui vocatur Casæcongedunus, super Sesmarum fluvium sito, cœnobium idem Rex, Optimatum suorum consilio, in honore Apostolorum Petri, Pauli et Joannis ædificaverat, quia congrua servorum Dei habitationi domicilia protendebat, munere largitatis suæ ditaverat, probatas Deo servientium personas aggregaverat, quibus B. Remaclum provisorem instituit, et ut inhabitantes juxta traditionem Patrum vivere assuefaceret demandavit. Extat usque in præsens locus orationis ejus in rupe excisus, unde infirmantibus usque nunc proveniunt beneficia.

[dein Casæcongeduni:]

B *Eadem habet Harigerus cap. 54 quibus consonant ipsius S. Sigiberti Regis diploma, quod I Februarii in Analectis ad Vitam S. Sigeberti § 3 num. 17 dedimus; in quo ista habentur:* Ideoque sub devotione animæ nostræ ..... monasterium regulare, in honore Patroni nostri Petri, Pauli, Joannis, vel ceterorum Martyrum, in terra nostra Arduennense, in loco qui dicitur Casegongnidinus, quem Sesomiris fluvius cingere videtur, et ex nostræ largitatis munere juxta Patrum traditionem cœnobium volumus construere; et ibidem Christo auspice Remaclum Abbatem constituimus: qualiter ibidem secundum ordinem et monita antiquorum Patrum conversari debeant. *Vestigium aliquod Casæcongidum superesse videtur antiquus Prioratus in pago Conguum, ad collegium Luxemburgense Societatis Jesu pertinens, ad amnem Sesmarum, ut Harigerus et Notgerus vocant, seu Sesomirim, ut S. Sigebertus, vulgo* Sesmoy *aut* Semoy, *inter Chinium et Bullonium oppida.*

31 *Hic igitur Abbas fuit Remaclus, cum Solemniaco evocatus esset in Austrasiam. Hadelinum autem, si laicum adhuc, sed perfectioris vitæ desiderio captum, secum deduxit, hic sacro habitu inter primos induit; si autem rudimentum vitæ religiosæ jam posuerat in Aquitania, hic certe ad ejus absolutionem nisus pertingere:*

[alterutro loco sub eo novitius Hadelinus,]

C *qua in re sancto Patri ita se probavit, ut eum secum Trajectum deduxerit, ejus et domestico exemplo sese ad pietatem excitaturus, et doctrina alios ad Christianarum virtutum officia hortaturus; quamobrem et sacerdotio eum initiavit. Ubi ponere episcopatum illi, Amandi decessoris exemplo, etsi non eadem ex caussa, licuit, Hadelinum secum Stabuletum, quod, uti et Malmundarium, præbente sumptus Sigeberto, episcopatus sui tempore ædificarat, perduxit: unde eum postmodum ad Cellense condendum asceterium dimisit.*

[Trajectum ducitur,]

[dein Stabuletum]

[postea Cellas missus.]

## § V. S. Hadelini ætas.

[Ætas ejus ex S. Remacli ætate petenda:]

*Arnoldus* Wion *floruisse S. Hadelinum scribit an.* DCLXX. *Franciscus Haræus et Heribertus Rosweydus obiisse circiter* DCLXXX. *Annus certus mortis colligi nullo certo charactere potest: reliquæ decursus ætatis ex Vita S. Remacli potest utcumque ordinari. Paucula igitur de Remaclo cursim perstringemus, plenius ad ejus Vitam III Septemb. cuncta discussuri.*

33 *Temporibus Heraclii Imp. et Clotharii II Regis Francorum, (quorum hic anno Christi* DCXXVIII, *cum regnasset annos* XLIV *ac menses aliquot; ille* DCXLI *obiit, cum imperasset* XXXI) *S. Remaclus* Aquitaniam nativitatis illustrabat auspiciis, *cum civitas metropolitana Biturigum haberet* Archiepiscopum S. Austrigisilum, Archidiaconum vero B. Sulpitium, in brevi post honore pontificali donatum. *Ita Notgerus, et Harigerus cap.* 48. Educatus est sublimiter bonæ indolis Remaclus, prout plurima facultatum suppetebat copia parentibus, sub Beato scilicet Sulpitio: in cujus veneratione constat ab eodem sancto viro plurimas in nostra diœcesi postea dicatas ecclesias. Deinde eum adultum, et totius bonitatis, prout tali competebat ætati, jam fructum ferentem tradunt B. Eligio, viro omnibus ejus temporis hominibus meritorum gratia præferendo, qui eum Solemniaco monasterio, quod ipse pio opere in sua construebat hæreditate, locavit... postea curam gregis sibi commissi illi committere non abnuit, onus et vices repartiri non dubitavit, seque servitio palatii, sicut compellebatur, reindulsit. D

[is sub S. Austregisilo natus, sub S. Sulpitio educatus,]

34 *De ætate S. Sulpitii Pii egimus ad ejus Vitam* XVI *Januar.* § 3. *Breviter ita colligi potest: Anno Childeberti* XVI, *Gunthramni* XXX, *Christi* DXCI *obiit S. Sulpitius Severus, de quo egimus* XXIX *Januarii; successit S. Eustasius sive Eustachius. Ita S. Gregor. Turon. lib.* 10 *cap.* 24 *et* 26 *sedit is annis* XII, *obiitque pridie Kalendas Januar. Ita Chenu Biturix. Huic ergo initio anni* DCIII *successit S. Apollinaris seditque annis* X, *obiit III Non. Octob. Inde S. Austregisilus sedit annis* XII, sicut ipse Angelo revelante cognoverat, *ut in ejus Vita* XX *Maii dicitur; obiit anno* DCXXIV; *eique S. Sulpitius Pius successit. Habemus ergo tempus adolescentiæ S. Remacli, et institutionis in monasterio Bituricensi, sub Sulpitio sive Archidiacono, sive jam Archiepiscopo.*

[quorum ille an. 612 Ep. factus, hic 624.]

E

35 *Fundatum est postea a S. Eligio in agro Lemovicino cœnobium Solemniacense, perfectumque anno* X *Dagoberti Regis, Christi* DCXXXVII *ubi S. Remaclus (ut Sigebertus in Chron. ad eum annum scribit)* ab Aquitania veniens, se in Christi tirocinio sub eo exercendum dedit. *Non recte ait ab Aquitania venisse Solemniacum, cum ipsi quoque in Aquitania essent Lemovices, verum a Biturigibus eo venit. Imo, ut ante retulimus, toti illi centum et quinquaginta monachorum congregationi præfectus est: unde conjici potest eum non solum litteris eruditum apud Bituriges, verum et monachum in Sulpitiano cœnobio fuisse. Quando in Austrasiam accersitus sit, non constat: verisimile est circiter* DCXLVI *aut* DCXLVII *Christi annum contigisse. Hic Casæcongidunensi cœnobio vel ædificando, vel certe ordinando regendoque præfectus est. Interea Trajectensem episcopatum deposuit S. Amandus an.* DCL, *non ante, cum ad eum adhuc Episcopum data extet a S. Martino Papa epistola post Concilium Romanum,* habitum imperii Domini Constantini *(potius Constantis II)* piissimi Augusti anno nono, sub die tertio Nonas Octobris, Indict. octava, *scilicet a Septembri inchoata, an. Christi* DCXLIX.

[Remaclus Solemniaci monachus an. 637 mox Abbas circiter 646 in Austrasiam venit:]

F

36 *Suffectus Amando est Remaclus, anno* DCL, *aut sequenti: sedit vero annis circiter decem, ut patet ex Chronico Trudonensi lib.* I *cap.* 8 *Ab eo enim jam Episcopo missus est Metas S. Trudo ad S. Clodulphum litteris imbuendus, uti Notgerus in Remacli Vita, Harigerus, Chronic. Trudonense lib.* I *cap.* 3 *tradunt. Anno sexto episcopatus Remacli, peractis litterarum studiis (et vix prius potuit) sacræ Scripturæ caput operam dare. Idem Chron. cap.* 6. *Tandem eum S. Clodulphus* ad sacerdotii usque culmen promotum sancto Patri et Coepiscopo Remaclo remisit, *ut in hujus Vita dicitur, anno episcopatus ipsius Remacli* X, *ut habet idem Chron. cap.* 8. *Licet autem ejusdem Chronici chronotaxis non satis apte congruat cum annis Imperatorum; tamen manifestum est minori spatio perfici hæc*

[650 fit Episc.]

[sedet annis 10]

[ut deducitur ex Vita S. Trudonis.]

A *hæc a Trudone vir potuisse; qui cum primum ad Remaclum venit,* puerili adhuc ætate floridus, primos emittere jam cœperat Deo gratæ juventutis fructus suavissimos, *ut habet Harigerus. Donatus quidem in Vita S. Trudonis, quam dabimus* XXIII *Novembris, solum ait petiisse eum* sanctarum litterarum studio erudiri; *postea tamen refert,* per Ecclesiasticos gradus feliciter pergentem, usque ad sacerdotalem dignitatem vitæ suæ merita perduxisse. *Deinde* transactis plurimis annis, cum jam vir Dei repletus esset divina scientia, maturusque tam ætate quam moribus existeret, *remissum in Hasbaniam, honorifice a S. Remaclo Episcopo susceptum.*

37 *Ipsum eodem anno* DCLX, *quo Metis rediit Trudo, abdicasse se episcopatu Remaclum patet ex eodem Chronico, dum tertio post Trudonis reditum anno, tertio videlicet episcopatus S. Theodardi, ab hoc dedicatum esse ait quod ille construxerat cœnobium,* III *Id. Octobris. Anno porro* VI *episcopatus Remacli ædificata esse monasteria Stabulense et Malmundariense, idem Chronicon cap.* 7 *tradit: quæ a S. Remaclo, adhuc episcopatum gerente, consecrata, Notgerus in ejus Vita et Harigerus cap.* 56 *scribunt, annuente Coloniensi Antistite in cujus diœcesi erat Malmundarium. Tandem ergo Stabuletum secessit Remaclus, Theodardo ad Trajectensem Cathedram erecto. Nonnulla S. Sigeberti diplomata extant quibus varia donat duobus illis monasteriis,* ubi vir venerabilis Remaclus Episcopus Abba Christo auspice præesse videtur, *de quibus* I *Feb. ad S. Sigeberti, et* III *Sept. ad S. Remacli Vitam. Diutissime isthic supervixit Remaclus.*

*Malmundarium et Stabuletum dedicat,*

*huc secedit an. 660.*

B

*Diu post superstes.*

38 *His ita deductis, S. Hadelini ætas sic videtur ordinari posse. Venit cum Remaclo in Austrasiam circa an.* DCXLVI *vitæ religiosæ tiro, aut certe candidatus annos fortassis natus* XX. *Partim Metis, partim Cosargongiduni, pietati et sacris litteris vacat. Anno* DCL *Trajectum proficiscitur cum eodem Remaclo. Post annos aliquot Sacerdos ab eo ordinatur. Anno* DCLX *Stabuletum cum eo secedit, et fortasis Romam eum comitatur. Tandem an.* DCLXIX, *ut censet Fisen, aut forte prius, ad Cellense cœnobium erigendum, aut eremiticam vitam ducendam ablegatur. Ubi ad* DCLXXX, *aut fortassis* DCLXXXX *Christi annum, aut etiam diutius, superstes fuit.*

*Hinc conjectura de S. Hadelini ætate.*

39 *Neque his ea repugnant, quæ in Vita S Hadelini habentur cap.* 2 *nu.* 8. *quibus consimilia sunt quæ Chapeavillus Annot.* 2 *ad cap.* 2 *Anselmi ex marginali annotatione codicis Aureæ vallis refert:* Hi cum B. Remaclo cœnobium Stabulaus inhabitare cœperunt, S. Theodardus primus ejusdem loci Abbas, antequam fieret Episcopus, S. Hadelinus, S. Lambertus, S. Hubertus, Christianus quoque sanctissimus, Florebertus, Papolenus, Anglinus, et ceteri multi. *Fuerunt hi quidem omnes illius cœnobii ascetæ, sanctitate primi non omnes habitationis ordine: nec si primi tamen id incoluissent, ideo consequens esset isthic tirocinium posuisse, cum aliunde potuerint evocari, vel ultro etiam confluere. Nam neque Remaclus ipse primum isthic monachicum habitum sumpsit, neque Theodardus, ut ex ejus Vita* X *Septemb. patet, ubi dicitur,* Clothario II regnante, ex devotione parentum suorum mancipatus monasteriali disciplinæ voluntarie portasse leve jugum Christi, *deinde Sigeberti Regis ac Grimoaldi Majoris-domus Remacli quoque et Cuniberti Epp. consilio, duobus illis monasteriis præfectus. Lambertus an monachus fuerit præterquam exilii tempore, inquiremus* XVII *Septembris. Certe Theodardo jam Episcopo commendatus a patre est,* divinis dogmatibus et monasticis disciplinis, in aula regia erudiendus. *S. Hubertus, de quo* III *Novembris, fuit fortassis aliquo tempore Stabuleti inter monachos, priusquam in eremum pœnitentiæ caussa, secederet; sed non sub Theodardo Præside inter primos loci illius religiosos, sed sub Lamberto demum Episcopo. Minus*

*Quomodo dicantur e primis Stabulensibus monachis, ut alibi novitius.*

C

*etiam S. Florebertus, si monachus fuit, ad prima cœnobii exordia revocari potest, quando ne natus quidem erat. De eo* XXV *April. De S. Papeleno, vel Baboleno,* XXVI *Junii. Non igitur illa vel annotatione, vel tabula Stabulensi compellimur asserere Hadelinum isthic habitum monachicum induisse. Anglinus, qui isthic nominatur, Stabulensis quoque Abbas dicitur fuisse, atque indubie S. Remacli discipulus, si vera sunt, quæ in libro Miraculorum S. Quirini scribit Malmundariensis monachus anonymus de S. Agilulfo Ep. Coloniens. de quo* IX *Julii agemus.* Nobili stirpe editus, *inquit,* Anglino loci hujus Abbati, a parentibus est traditus sub institutione monachi regulariter informandus. Qui Patris spiritualis mores et vitam spiritualiter imitatus, ejusdem, ex voluntate Dei, successor est factus: dein sedi Coloniensium Antistes datus, Abbatis etiam non deposuit onus *etc. Nam S. Agilulfum scribit Vitæ illius auctor eo tempore occisum, quo Carolus Martellus bellum cum Ragenfrido gerebat. Christianus vero, qui et Druthmarus, cognomento Grammaticus, qui infra cap.* 2 *nu.* 8 sapientissimus *appelatur, multo est ætate S. Remacli posterior; nam Stabuleti sub Sichardo Abbate traditur habitasse, is vero an. Chr.* DCCXCI, XVI *præfecturæ suæ mortuus. Extat hujus Christiani Expositio in Matthæum Bibliothecæ PP. to.* 9 *parte* I, *monachis Stabulensibus et Malmundariensibus dedicata; in qua dedicatione ostendit se iis sacras litteras exposuisse illisque de sancta cœnobiorum illorum disciplina pronuntiat:* Qui namque inter vos conversantur, non multum mirantur, si plurimi Sancti in monasteriis probabiles fuerunt. *Fuit is quoque Aquitanus, ut scribunt Sigebertus de Scriptor. Eccles. cap.* 71, *Trithemius, Gesnerus, Possevinus, Sixtus Senensis: licet ambigere quis possit, propterea quod ita scribat:* et usus loquendi melius intelligitur de his, qui de eadem provincia sunt: *nisi id velit significare, se de eodem quo ipsi esse regno Gallorum.*

D

E

# VITA

## AUCTORE NOTGERO EPISC.

*ex veteribus MSS.*

## PRÆFATIO AUCTORIS.

Omnipotens Dominus, *a* qui dives est in misericordia, cujus natura bonitas, voluntas efficientia, opus misericordia, hic in mundum salvandis omnibus venit, quia a reatu primæ prævaricationis liberum nullum invenit, divitias longanimitatis et bonitatis suæ omnibus prærogavit, voluntatis omnipotentiam in ingratis, et respectum gratiæ suæ in indignis efficacissime exercuit; quia opus misericordiæ salvatricis ut esset recuperabile misericorditer etiam providit. Namque, ut non est credendum aliquem ad salutem venire, nisi Deo invitante; sic nec invitatum quidem salutem suam operari, nisi Deo auxiliante. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus, qui non modo fautor et adjutor in incremento proficientium, verum remediabiliter providet ruentium casibus obviandum; dum et Angelica nobis præstat suffragia non deesse, et patrocinia confert Sanctorum, quos pro reatibus intercessores non dubitemus efflagitare. Quos cum passim et diversis donatos provinciis in commune conveniat honorare, singulos tamen quibusque locis misericorditer provisos attribuit, quos specialiter amplectendos et propensius exorandos voluit. E quibus nobis, acsi indignis, B. Hadelinum distinavit, cujus gesta occulere tanto culpabilius, quanto et impium necessaria creditis subtrahere auditoribus, et vobis id denegare invidiosum video petentibus. Ingratitudinis namque se, aliqua pollens scientiola, alligat

*a*

F

*SS. dantur a Deo provinciis Patroni.*

*Auctor hanc Vitam rogatus scripsit.*

A vitio, qui et bona asserere, et prava refellere, et Dei magnalia pro modulo negligit prædicare. Monstrat hoc evidens Evangelicus sermo, repositum mna in sudario, perditionis æternæ vindicans elogio. Quod evadere gestiens, saltem in isto non cunctabor proferre, si quæ de illo memoriæ occurrerint, quæ et nostri temporis homuncionibus tanto judico magis jure stupenda, quanto moribus eorum longius considero fore imparia. Adestote itaque exactores devoti, et quæ extorquetis anxii, suscipite intenti.

*AUCTORE NOTGERO EP.* — *Luc. 19.*

*a Eadem fere præfatio est Vitæ S. Remacli 3 Septemb. sed prolixior aliquanto: quæ et Gestis Episcopor. Leodiens. per Harigerum præfixa. In altero exemplari Vitæ S. Hadelini erat ad finem Vitæ adjecta.*

## CAPUT I.

### *S. Hadelini in Belgium adventus.*

*Hadelinus Aquitanus*

Igitur, sicut veridicorum retulit antiquitas, cetera ut istorum cohæreant stipulationi, fuit S. Hadelinus Aquitaniæ territorio cretus, nobili propagine ortus, in tenera ætate morum probitate grandævus, pueritiæ annos excedens, consortio senum, Salomonis hortamine, semper interesse cupiens. Et dum se quotidie ad majora niteretur extendere, etiam illius B famosi Patriarchæ exempla conatus pertentare, cui ait Dominus: Exi de terra tua et de cognatione tua, et veni in eam, quam tibi monstravero, terram. Quod etiam plures *a* audierat jam dudum actitare, et pro viribus suis illorum impar nolebat apparere. Sanctus scilicet *b* Agricius, *c* Maximus, *d* Paulinus ejusdem patriæ exules ad nostram, id est, *e* Francorum devenerant terram qui etiam postea Trevericæ Sedis Archiepiscopali insula sublimati, ibique obeuntes mortem, cum Domino, miraculis attestantibus, se vivere manifestant. Sic quoque B. Remaclus *f* Tungrensium Præsul almificus, et Deo dignus Sacerdos *g* tirar Rhenum fluvium circa *h* monasterium suum transeuntium consolator, ceterique ex eadem regione felici cursu nostros fines noscuntur adisse perplures. Horum, ut diximus, cupiebat imitator hic fore Sanctus, et *i* cum Beato jam dicto Remaclo viam hanc paucis imitabilem arripuit, actuumque piorum et ærumnarum ipsius per omnia particeps, peregrinationis quoque multimodos perferens cum eo labores.

*Gen. 12. 1* — *a* — *b c d* — *e* — *exemplo aliorum SS.* — *f* — *g* — *i* — *peregrinatur cum S. Remaclo.*

3 *k* Sed ut pauca de B. Remaclo, quia operum comes extitit, et qualiter uterque ad sua demigraverit loca, loquamur; accidit eo tempore, ut plebs Tungrensium esset viduata *l* Pastore, et *m* Sigebertus C Rex Austrasiæ præerat, qui, Mediomatricum urbe sedem habebat. *n* Cui plebs cum electione communi Sacerdotum, cum frequentia et audientia *o* Magistrorum, cum vociferatione etiam et acclamatione omnium ordinum, obtulit tale precum suarum votum, nemine sibi debere nisi Beatum præesse Remaclum; hunc Deo et hominibus acceptum, et nulli ejus ætatis secundum sanctitate: hunc Angelicis spiritibus gratum, hunc terram colentibus reverendum: ejus se multimoda expertos commoda beneficiorum, interventionis illius tam apud Regem quam apud Proceres sæpe sensisse suffragium, prudentiæ illius advertisse solertiam, cum regalibus crebro consiliis impenderet operam: non deesse ei scientiam Scripturarum, unde proferat nova et vetera: subesse ei omnem catalogum, cum dotis summa ab Apostolo in Episcopum deflorata. Talibus votis Rex favorabiliter assentiens, tantisque studiis officiose concordans, licet eo renitente et totis viribus reluctante, Tungrensi eum præfecit Ecclesiæ, ut verbi semina deinceps in plures diffunderet, quæ in se hactenus diu latentia *p* occuluisset.

*k* — *l m* — *n* — *o* — *qui populi petunt,* — *1. Tim. 3, 2 et Tit. 1. 7* — *n ab S. Sigeberto Rege,* — *fit Ep. Trajectense,* — *p*

4 Cernens B. Hadelinus, quem nimio diligebat amore, a Deo et hominibus exaltatum, et pontificali D Cathedra sublimatum, non est nostræ facultatis evolvere, quanta cor ejus et lingua repletum fuerit exultatione. Porro cujus meriti religionisque, quam integre in eodem extiterit regimine, qualiterve Stabulans et malmundarium monasteria construxerit pio labore, in vitæ ejus libro quisquis velit, poterit reperire. At vero postquam cultum servorum Dei in eisdem cœnobiis aggregaverat, habitacula quoque religionis usui apta magna ex parte disposuerat; quod semper habuit in voto, remotioris scilicet vitæ solitudinem, sic Deo annuente nactus est occasionem. Tandem, licet difficillime, impetravit tamen a Rege, ut alius sibi succederet, et sibi diu desideratam eremum adire liceret, ubi remotus a curis secularibus liberius inhiaret cœlestibus. S. Theodardi vitam satis probabilem Regi et optimatibus ostentavit, eumque vicem suam supplere et post se Cathedræ suæ subrogandum ex nomine designavit. *q* Plebem itaque suam sacris benedictionibus insignitam, B. Hadelino secum comitante, diu destinatum arripuit callem. *r*

*sed. Stabuleto et Malmundario constructis,* — *eo secedit,* — *S. Theodardo sibi substituto* — *q* — *r*

5 Sed cum Dominus ipsius benedicti Hadelini sanctitatis jubar super candelabrum ponere popularis disponeret notionis, contigit dum iter agerent, E *s* ut accumberent quietis gratia ambo: dormientique, de quo agitur, Sancto, alter vigilans, benignus scilicet Remaclus, solis radium, qui oberat vultui imminens soporantis, Angelico velari cerneret *t* umbramine. Evigilans autem, ait ad eum beatus Pontifex: Frater dulcissime, si quam nunc in somnis visionem agnoscis tibi ostensam fore, mihi indicare ne differas, carissime. At ille vultu submisso, primo renitens, sed post voci jubentis obtemperans, ait: Decreveram tibi, Pater beatissime, quæ videram, in præsenti occulere, verum evolutis aliquot diebus pronus humili devotione patefacere. Sed cum tuæ jussioni quicquam negare fas non sit, vidi, inquam, columbam, cum blando sopore quiescerem, de cœlo super me indignum alis expansis descendere, oculosque meos aliquantulum circumvolitare, sicque caput meum supersedere; neque hoc omen, quid boni portenderit, fateor ignorare. At beatus Pontifex Remaclus, hilari illum intuens vultu: Excellit, ait, o Hadeline, dignitas tua mediocritatem meam, indignum me tali fateor socio, quem famulatu vidi obumbrari Angelico. Te per diem sol non uret, neque luna per noctem, præscius ait Psalmista, qui nec in Christum, nec in illustratam per eum ejus excedes Ecclesiam. Columba quippe Spiritum sanctum, qui super Dominum in Jordanis fluminis baptismate F requievit, et eum oleo exultationis præ participibus suis unxit, ostendit. Ipse Spiritus gratia mitissimæ pietatis tuum cor illustravit, teque in sui servitio perenniter delegavit.

*s* — *Hadelinus dormiens ab Angelis obumbratur,* — *t* — *et mystico somnio recreatur* — *Psal. 120. 6*

6 Hæc et his similia sacræ eruditionis verba Hadelinus a Deo electus læta cordis aure audiebat, et ad majora se virtutum opera deinceps accingere cogitabat. Rursum benignus Pontifex Remaclus futurorum præscius ait ad eum: Accelera ergo, fili mi, alio quantocyus profectionem, consectans Christum præducem, vallem contiguam saltui, quæ adjacet fluvio Lactiæ, quem dicunt vicini, adiens, locum, Inter-quatuor-montes vocatur, inquire, *u* et illic Deo cohospite tibi habitaculum atque oratoriolum construe, Angelis ubi præsulibus, Domino Christo digne valeas militare. Ille hæc præsagia hilari mente suscipiens, vestigiis Pontificis provolvere nisus est. At ille benigno hortatu illum elevans, ut locum cum aliquantis comitibus *x* adiret, et procedente tempore, ut ad se sæpe visitationis gratia rediret, suadebat.

*a S. Remaclo mittitur in saltum Lettiæ,* — *u* — *x*

*a Ex altera addit, ætatis suæ; perperam, ut et allatis e reliquis patet, nec, . . . in Agricius, Maximinus, Paulinus ex ætate.*

A auctoritate interminavit Episcopali, ne quis post hæc eques oratorii illius attingeret fines. Delegavit illic quoque ex reditibus, ut *q* rem Ecclesiæ nostræ, villam, quæ *r* Mons Francheri vocatur; ubi miraculum, quod accidit et memoriæ dignum nunc intervenit, nefas silere putamus.

*auctore noti-er alia ei donata.*

*q*

*r*

a *Legebam*: ægræque uxoris scilicet juvamine, hospitio impetrato: *quasi difficulter, nec nisi uxoris patrocinio, a Rege hospitium impetrarit. Verum altera vita hanc lectionem persuasit: illa enim habet*: ægræque uxori reddidit sanitatem, scilicet suo juvamine hospitio impetrato. *Hæc in his canuntur*:

Infelix dicti tunc conjux ægra Regalis
Convaluit, subito quæ moritura foret.

*Fisen lib.* 4 *n.* 37 Regis uxorem admirabili prodigio sanitati restituerat Hadelinus. b *Alt. Vita* intervesceudum. — c *Eadem Vit.* ipsa animam. — d *Eadem fere in Vita S. Remacli dicuntur.* — e *Monasticæ vitæ tirocinium egit tempore Clodovei Regis: ubi, non proditur. SS. Remacli et Cuniberti consilio, perfectus est monasterio Stabulensi recens fundato.* f *Fuit hic S. Theodardo jam Episcopo traditus a patre,* divinis dogmatibus et monasticis disciplinis, in aula regia erudiendus. *An quia pluribus annis sedit Trajecti Theodardus, Lambertum ejus successorem a S. Remaclo susceptum fuisse in baptismate, recte conjicit Nokerus?* — g *Fisen lib. 4. num.* 22 *scribit Hadelinum, communi morbo, ad S. Lambertum adhuc* sanctioribus institutionibus induendum; postea apud ipsum feliciter tirocinio transiit e ad Stabulenses *ch.* excultum feliciter S. Remacli legibus. *Constat in Arduenna solitudinem extitisse. Non est impossibile, ut Hadelinum, primum monasterio de more exercitum probatumque. Sed de hoc 3 Nov. ad ejus Vitam.* — h *Non Ducis, ut Majoris-domus, Pipini* intrum Heristalli *qui alibi quoque Rex appellatur, quia Regibus imperaret, quod malle se quam Regem esse, aiebat filius ejus Martellus. Menardus dubitat, Rex alius fuerit, an avus ejus Pipinus Landensis: verum hic ante episcopatum Remacli decesserat anno Christi* 640. *Recognitus Regem quidem, sed Pipinum invocat. Addit Fisen,* Pipinum illius sæpe maxime animi sui negotiis, Hadelinum consulere solitum esse, et ejus pro se preces efflagitare. *Dedidatus ad templum ... ut collegium aut canonicum Deo assidue ministrantium instituerit; quia et quibus id aleretur, et illud instauraretur, fundos censusque attribuit. Juvat ipsum audire*:

Fama refert etiam veterum notissima Patrum,
Imo et adhuc hodie nobile vulgus ait.
Amplificum gelido constructum marmore templum,
Sumptibus et curis, magne Pipine, tuis
Nec satis id fecisse tibi; majora sed addis,
Et quantis ... ministres hinc amore flagres:
Sacrorum, Generose, creas sociale virorum
Collegium, precibus nocte dieque vocans.
i *Altera Vita*: in Fratribus loci: *al. Hic in tue.*
... hæc loci rogant servire profanis,
Nunc et adhuc et per fasque nefasque tenent.
*Possidentadhuc ... id canunt ... hæc cum*. — k *Altera Vita*: eidem S. Hadelino erogantes, ejus voluntariam paupertatem sublevare volebant. l *Al. V.* effectus. m *al. V.* cælibem. — n *al. V.* meliores. o *In Malmun. et Menard.* *V. Vit.* cum duobus assuetis venatoribus, forte etc. *Rosweyd. aliquibus et* Cum duobus venatoribus, *supplent per* Emblems, *canes venaticos intelligit.* — p *Videtur id post mortem S. Hadelini contigisse, aliquin fuerit haud temere conjicere, hunc Præsulem S. Lambertum fuisse, aut S. Theodardum. Adhuc nefas est circum sacellum equo vehi, ubi ne nuper quidem eadem mole recesse.* q *Altera Vita*: Ecclesiæ loci illius villam *Menard.* ut Beneusis Ecclesiæ villam r *Molanus* Frangerium montem *vocat. Pagus est inter Cordomontium et Marlemburgum oppida, per milliare distantem, ut nobis Cellenses significarunt, ad Canonicos S. Hadelini.*

*Pipinus Heristallus S. Hadelinum consulit,*

B

*ejusque monasterium dotat,*

*et templum construit, curat,*

## CAPUT III.

C

### *S. Hadelini miracula, obitus.*

Cum casu siti messores laborarent heriles, dirigunt Sancto conquerentes ex suis legatum humiliter exorantes remedium adhibere opportunum. Ille vero misisse illis jam retulit, verum segnitia delatoris ablatum. Ne vero siti periclitarentur laborantes diutina messores, Sanctus ad locum adveniens, bacillum quo iverat figit, et affectu intimo cordis oravit: Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, et Deus qui per B. Moysen et Aaron filiis Israel in deserto aquam de petra eduxisti, tu nobis in hoc loco aperi fontem benignitatis tuæ, et memor esto clementissimæ sponsionis tuæ; Petite, inquit, et dabitur vobis. Cujus orationis verba cordis Scrutator audivit, et *a* fons largiflue scaturiens continuo erumpit, sitibundos exsatiat, meritum viri declarat. *b*

*Fontem precibus elicit, baculo terræ infixo*

*a*

*b*

12 Emporium per idem tempus, quod dicitur Dionant, dum præteriret, ecce quædam mulier accurrens, mugitum vocis emittens, vestigia ejus osculabatur, sed quæ anhelabat corde, voce implere nequibat. Substitit ergo et populum circa adstantem, quænam esset, qualiterve id ei accidisset, interrogavit. At illi, quod multum jam temporis fluxerat, quod muta facta sit, intimant, et, ut ejus infortunii D et infirmitatis misereri dignetur, supplices offerunt preces. Et ille, Non hæc, ait, nostra sunt, sed sanctorum Patrum, quorum nos suppares esse meriti utinam contingeret vel extremi. Populus autem magnis clamoribus suggerebat, ut quia pietatem et clementiam semper docuerat, ipse quoque eam in miseria illius mulierculæ dignaretur ostendere. Qui statim pietate motus, et de verbis Domini, quæ discipulis suis promiserat, Omnia quæcumque orantes petitis, credentes accipietis, confisus, se totum ad Deum contulit devotus, prostratusque humi cum lacrymis orabat, Domine, inquiens, Jesu Christe, qui cæci nati oculos aperuisti, insuper et rudenti asellæ, cui natura negat, humana verba dedisti, et linguas infantium facis disertas, exaudi me de tua pietate præsumentem servum tuum, et propitius esse huic mulieri digneris: solve vinculum linguæ ejus, et aperi os illius, qui aperuisti os Zachariæ Prophetæ tui, ut non solum illa, sed et omnes audientes, te benedicant, te glorificent tibique fidelius serviant. Præsta hoc, fili Dei omnipotentissime, qui regnas cum Patre et Spiritu sancto sine fine. Oratione expleta, signum sanctæ Crucis ori ejus impressit. Mox illa Deo gratias cunctis audientibus egit, vocem laudationis attollit et post hæc Deo devota permansit.

Marc. 11, 24

*precibus et Crucis signo, mutæ vocem confert:*

E

13 Cujus rei admiratione permota quædam, ut fertur, potens matrona, nomine Aquila, cujus tunc erat *c* Anthegia villa notissima, dedit Deo ad Sancti sustentaculum *d* Rustina quod dicitur mansum. Hoc exemplo et altera, quæ *e* Wisa vocata, *f* cum tradere Deo per manum ejusdem, Beatissimi videlicet Hadelini, prædium, quod Veltz dicebatur, vellet, cognomen a vocabulo deducens Sancti, Montem S. Hadelini in posterum vocare disposuit; didicerat namque quia redemptio animæ viri divitiæ ejus. Quibus ita gestis infirmitate ultima præventa est. Cumque lectulum ejus plurimorum circumstiparet fidelium turma, de absentia viri sancti flebili cum eis est voce conquesta. Et cum interrogaretur a necessariis, cui illud delegare vellet, iterata sæpius voce respondit: Hadelino, Hadelino, inquam, Hadelino beato. Cumque *g* Wantum in manu, ut moris est, legaliter tradenda teneret, et sancti viri differretur adventus, exspiravit. Currens autem nuntius ad Beatum, qui tunc forte aberat, Hadelinum, indicavit ei, et dolorem morientis, et caussam sibi tradendæ possessionis. Veniente itaque Sancto, et cordis ejus pulsum manum rimante, si jam extincta funditus esset, rigentes occiduo casu articulos (mirum dictu) acsi vivens aperuit, et cunctis videntibus qui aderant, locum prædictum cum Wanto, quem tenebat, beato viro contradidit. Hujus rei tot et tanti existunt testes, quot regionis illius constant inhabitatores. Patet etiam clarius luce, dum incolæ eumdem locum videntur possidere, qui dictis fidem faciunt usque hodie.

*fundi ei donantur.*

*c*

*d*

*e f*

*g*

*f unum a mortua, per chirothecam,*

F

14 Procedente rursus tempore taurus casu petulcus ostium cujusdam effregerat. Cumque ejus inhabitatrix muliercula ejulatu flebilimo cuncta compleret, Heros benignus affuit, eamque, quid sibi accciderit, ut his tot homines clamoribus congregaret, inquisivit. Cognitaque rei notione, eam solatus est, dicens: Ne perturberis misera in tugurioli tui ruina, sed magis bonis operibus elabora, ut in illa domo, in qua mansiones multæ sunt, merearis fieri incola. Et hæc dicens *h* ostium signavit, et integritati pristinæ verbo reddidit, et admiratione cunctos adstantes replevit, seque domi, jactantiam fugitans, concitus abdidit.

*ostium fugure fractum, signo Crucis restaurat*

*h*

15 Igitur pauper spiritu, quia censu nequibat, affectu regnum cœlorum emere contendebat, mitissimaque

A simaque mente terram viventium possidere sedulus affectabat. Cumque esuriret et sitiret justitiam, saturari, cum Christi manifestaretur gloria, ambiens, famam seculi pro nihilo ducebat; et ut Deum mente conspiceret, limpidissimum cordis oculum a malivolentia et secularium curarum pulvere conservare studebat. Et licet caro adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, dum terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, semper concupiscere studeat, pacem iste mirificam faciens, spiritum carni, Deum spiritui dominari vigore compellebat herili, ut Deum Deorum in Sion videre, ejusque excubiis mereretur indeficue adhærere; et filius Dei, non quidem natura, verum gratia, vocari et esse. Sane internorum bonorum suorum formas et species sicut nemo ad plenum potuit inspicere, ita nemo sufficit explicare. Quas sicut ille studuit excolere, ita et laboravit occulere. Et cum hæc vellet augeri, nolebat agnosci; neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia: nulla illi propensior ex omnibus cura, quam ut de Deo in locutione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur.

*Quietus semper et humilis,*

16 Per plura ergo annorum curricula illic commorans sanctissima conversatione, post hujus vitæ

B multimodos laborum excursus, per plura beneficiorum et miraculorum commoda hominibus Deoque carus ostensus, diem sibi vocationis intelligens imminere, quo recompensaret honor in cœlis, quod triverat labor in terris, morem gerere decrevit subjectis. Quos accersitos, fideles quoque non parvi numeri ante se positos, et de abscessu suo mœstos, his ultimis solatus est verbis: Ecce carissimi Patres, atque amantissimi fratres, tempus resolutionis meæ instat, quo hæc torpentia membra spiritus relinquat, Judicique suo præsentandus occurrat. Non me terret proventus conditionis omni mortali communis, cum tota etiam sapientum vita commentatio esse debeat mortis. Vobis magis timeo, quos salvandos omnimodis volo. En ego viam universæ carnis sum ingressurus, et ad vos deinceps non reversurus; vos quoque morituros, carissimi, scitote, imo pœnitentiæ ideo tempus indultum non patiamini transire, quæso, incassum. Quisquis ergo vestrum cujuscumque criminis se sentit perpetratione maculatum, atque fovea majoris peccati absorptum, cito salubre suo supponat vulneri medicamentum, dum Judex porrigit pœnitenti misericordiæ manum. En patet, dum

*...rus miraculis...*

*...m ad commonendos suos adhortatur,*

C advivitur, janua misericordiæ, quæ post mortem obstruetur; sola patente, quæ contemptores præceptorum desertoresque Dominicorum puniendos suscipiat, porta gehennæ. Obsecro itaque vos per Christum, in quo vos nostis hactenus deviasse a vero, reconciliari satagite Deo. Orate, ut vos admonet Evangelica lectio, ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato. Quo loco nostræ sitæ sint res in commune, videtis. Et quia hic mundus in maligno positus sit, juxta mecum omnes attendite.

*Matth. 24, 20.*

17 Post has dulces paternæ pietatis admonitiones, et extrema caritatis verba, modica febre pulsatus, D et sacrosancti corporis et sanguinis Domini viatico confirmatus, illis dolentibus et flentibus, ipse autem gaudens et exultans pervenit ad eum, quem semper desideraverat Christum. Corpus ejus honorifice curatum, cum melodia psalmorum et hymnorum, in loco, quo ipse decreverat, est sepultum: ubi per ejus merita Dominus usque in præsens operatur miraculorum insignia, ad laudem et gloriam nominis sui, quod est benedictum in secula. Amen.

*Auctori notus... sumpta Eucharistia moritur.*

*claret miraculis.*

a Traditur fons ille nunc quoque magna reverentia frequentari, etiam ad remedia morborum. At Cellensis fons, qui et S. Hadelini dicitur, licet non ab eo ductus, jam sine honore esto copia aquam tamen aquam fundens. — b Aliter hæc effert altera Vita: Locum situm in littore per idem tempus, per vicum qui dicitur Dyonant, cum præteriret Sanctus memoratus. Ita Trajectum quoque vicum appellat Stephanus Ep. Leodien. qui an. 920 vivere desiit, cap. 1 Vitæ S. Lamberti: insigni ex prosapia, Trajectensi vico extitit oriundus. Et cap. 2: in memorato superius vico episcopalem administrabat dignitatem. At Godeschalcus Stephano multo antiquior in ejusdem Sancti Vita cap. 1 scribit: oppido Trajectensi oriundus fuit. Ut mirum non sit Dionantum vicum appellari a nonnemine, quo S. Maternus, tertio Trevirorum Antistes, Tungrorum, Eburonum, Condrusorumque Apostolo, jam urbs jam tum erat, ut lib. 1 nu. 42 Fisen scribit, longo situ, in Augusta valle, Mosam inter et abruptas rupes, cui a Diana nomen fuisse commemorant: hodie certe antrum urbe media ostentatur, quod Dianæ sacrum fuisse quondam, vulgus affirmat, et redditis oraculis celebratum. Ipse locus is est, qui fidem faciat. Plura de eo oppido ad Vitam S. Perpetui, 4 Novemb. — c Menard. Antexia. Antliee vulgo nunc appellatur, estque in medio pene itinere, quo Dionanto Florinas itur. — d Alt. Vita Custina. Menar. Rusticæ, ut vocant, mansum. Est mansus, sive mansum, villa, sive ager aliquis cum domo ad coloni habitationem. Vide Lindebrogii Glossarium Legum antiquar. et Vossium de vitiis sermonis. Passim eo vox occurrit in Vitis SS. Fran. Wissa; et in Flodo... Eccl. L... Werza. alt. Vita, Mynza et Minosa, Menar. Goiza: Surius Goyzia. — MS Malmund. haberet: eum traderet Deo per manum ejusdem, Beatissimi videlicet Hadelini, cognomen a vocabulo deducens Sancti, quod Mons dicitur prædium Veltz. alterum MS. Cum tradere Deo per manus ejusdem, beatissimi videlicet Hadelini, prædium, quod Mons dicebatur, vellet, addito nomine Sancti ob reverentiam ejus et honorem, Mons Hadelini in posterum vocari disposuit. Nec enim scimus tum verba linereamus, an etiam illud Veltz, quod rupem aut petram, atque etiam agrum fortassis, pro Veld, sonat lingua Teutonica, exponere debeat; haud satis decernimus: neque id tanti est. De eo Berlotius:

Hunc (agellum) hodie Sancti pratum dixere Hadelini
Incolæ: at immerito gens latialis habet.

Wantus, sive guantus, chirothecam significat, et passim occurrit in Vitis SS. ut in Vita S. Mauboldi 23 Januar. nu. 7 Tegumenta manuum, quæ Wantos appellant. In Vita S. Philiberti 20 Aug. talia Wantos illius illicita præsumptione furatus est. Et paullo post: Wantos ejus præsentaverunt abbatibus. Hæc eadem Sancti Vita sic habet: Mittens in cornu e cavillos, ut manitia, quæ nos peregrina lingua Wantos vocamus, beati viri furaretur, et deinde ad monasterium detulerunt manitia. Vide Glossarium legum antiquar. Lindebrogii et Vossium de vitiis sermonis, ubi pulchre observat Wantos chirothecas esse quarum tam æstate quam hieme usus sit, muffularum vero hieme tantum. Ita etiam Additione ad Capitula Caroli Magni et Ludovici Pii, cap. 22 ubi statuitur ut Abbas omnino provideat, ut unusquisque monachorum habeat ... Wantos in æstate, muffulas in hieme vervecinas. — Pro Wanto habet tertia Vita Chirothecas, Lenardus chirographum, Fisen cespitem: videtur autem hic Wasonem legisse, pro Wanto. Vetus Gallicum vocabulum est Wason, vel Wazon, pro quo moderni gazon dicunt, significatque cespitem, cui adhuc herba adhæret. Solebat lege Salica per festucam, Wantum, Wasonem possessio transferri, ut monet Antonius Dominicius Assertor s Gallicæ cap. 3. Plura symbola in tradenda possessione olim usurpata recenset Hieronymus Bignonius in Notis ad cap. 13 libri 1 Formularum Marculfi monachi, per festucam, sive juncum, aut scirpum, per cespitem, sive glebam, aut terram et herbam, per virgam, seu baculum, per Wantum, seu chirothecam, per cultellum cum cespite et festuca etc. Viget etiamnum in quibusdam Belgii nostri partibus consuetudo transferendi possessionem per festucam, alibi (sed fere solum fundorum) per cespitem. De cespite, cum ramo et cultello, vide hoc ipso die Vitam S. Berlendis cap. 1 nu. 5. — Aliter hoc miraculum narrat Berlotius:

Ostia taurus atrox effringere clausa solebat
Cujusdam viduæ: facta timore fugit.
Celsa domus tabulata suæ conscendit: et alta
Voce sibi auxilium sollicitumque petit.
Vidit ut hoc Divus motus pietate Hadelinus,
Mox taurum signo depulit inde Crucis.

*Vicus appellatum Trajectum, et Dionantum vetus oppidum hujus situs, ac nomen.*

*Mansus.* E

*Wantus, id est chirotheca,*

*Muffula ... ea ?*

*in transferenda possessione usurpatos, ut ... Waso, festuca, baculus etc.* F

# DE SS. VIRG. BERLENDE. NONA. CELSA.

## MERBECÆ IN BRABANTIA.

*Commentarius historicus. ... Merbecæ pago Brabantiæ,*

Est Merbeca, *ut scribit Miræus in Fastis Belgicis*, pagus Brabantiæ, in diœcesi Mechliniensi, haud procul a Ninovia Flandriæ oppido, ubi tres istæ Virgines, *Berlendis, Nona, Celsa*, quiescunt in parochiali ac collegiata septem Sacellanorum ecclesia pervetusta. *Eadem habet Molanus in Indiculo et Natalibus SS. Belgii. Videtur locus olim celebris fuisse: nam in Divisione regni Lotharii, inter loca Carolo Calvo attributa, sunt* Sonniacum, Antonium, Condatum, Merrebecchi, Siclinium (*ita legimus, quod vulgo* Ticlivium *excusum*) Luitosa: *hæc enim loca, collegiis Canonicorum etiamnum*

AUCTORE I. B.

A *num ornata claraque sunt*, Soignies, Antoigne, Condé, Seclyn, Lenze.

*natalis S. Berlendis,*

*et SS. Nonæ et Celsæ.*

2 *Natalem* S. Berlendis *idem consignat Molanus in addit. ad Usuard. ex illius Ecclesiæ Martyrologio ad* III *Non. Februarii his verbis :* Apud Merbeccam, depositio S. Berlendis Virg. *Eadem ex Molano habent Wion et Menardus, atque aliis verbis Ferrarius et Canisius. Galesinius alias duas addit :* In Belgis, *inquit,* sanctarum Virginum, Berlendis, Nonæ, et Celsæ. *Simul quoque memorantur in Fastis Miræi, Natalibus et Indiculo Molani, Martyrol. Saussaii, Menologio Virginum Lahierii. Ægidius Gelenius lib. 4 de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ pro* Celsa Lotham *scribit.*

*Vita S. Berlendis unde hic edita?*

*quando scripta?*

3 *Vitam S. Berlendis ex MSS. Lobiensi, Merbecensi, Rubeæ vallis, descripserat Rosweydus : nos cum exemplari cœnobii Corsendoncani Canonicorum regularium, cumque alio (quod Domus sanctæ Crucis Hornæ fuit) a Theodorico Pol Venlonensi Crucigero an.* MCCCCLXXVII *exarato, et alio Ultrajectino, sed contractiore, contulimus. Auctor videtur post annum Christi millesimum vixisse : non fuit certe coætaneus sanctæ Virginis, cum* Ducem Lotharingiorum *vocet* Witgerum; *quod gentis nomen non nisi altero post Berlendem seculo natum; multo etiam serius* Duces Lotharingiorum, *sive* Lothariensium, *aut* Lotharingiæ *appellari cœpere. Alia peccat hic scriptor, ut mox patebit.*

B

*an ipsa sub Dagoberto,*

*an anno 667 mortua?*

4 *Floruisse S. Berlendem scribit* Wion anno *Domini* DCXL. *Gelenius* temporibus Dagoberti Regis, *qui ineunte anno* DCXLIV *decessit. Serius aliquanto Berlendis obitum locat Florarii auctor.* Apud Merbecam, *inquit,* villam Brabantiæ, S. Berlendis sanctimonialis ac Virginis. Hujus pater Odelardus Comes fuit inter Antwerpiam et Condacum : mater vero soror extitit S. Amandi Ep. Hæc audire meruit voces Angelorum animam patris sui in cœlum deferentium. Insuper meruit mutationem piscis in carnem, et aquæ in vinum quadam die solenni. Sepulchrum quoque ejus, ligneum versum est in lapideum. Obiit anno salutis DCLXXVII. *Heribertus Rosweydus de ea agit in histor. Eccles. Belgii ad an.* DCLXXXVII.

ANIMADV. PAR. 44

*a patre exhæredata*

*post an. 664*

5 *Pater quidem ejus Odelardus* temporibus Dagoberti *militasse sub Witgero Duce dicitur cap.* I *Vitæ num.* 3. *At Witgerus in Vita S. Gudilæ dicitur* extitisse temporibus Sigiberti Regis, qui fuit Dagoberti Regis filius. *Potest sub patre ac filio Witgerus atque Odelardus militasse : at multo post ejus filia decessit. Id quod ita colligitur ex ipsiusmet Vita : Odelardus bona sua ac filiæ, quam exhæredarit obtulit S. Gertrudi jam mortuæ, et miraculis clarescenti pro*que *Diva palam habitæ. Obiit autem Gertrudis anno* DCLXIV, *ut satis certo constat. Nam Pipinus parens, uti* XXI *Febr. diximus, anno*

C DCXLVI *decessit, cum ipsa* XIV *esset annorum : S. Itta, sive Ituberga, mater* XII *annis post maritum : Gertrudis autem aliquot annis post matrem,* XXXIII *anno ætatis, die Dominico,* XVII *Martii, cum F littera Dominicalis esset, quod anno* DCLXIV *bissextili contigit. Odelardus autem post eam donationem factam aliquanti temporis spatio supervixit, Berlende Morsellæ agente. hæc dein Merbecæ ter quinos annos cum duobus, post patris mortem explevit, ut num. 12 dicitur : ut vel hinc videatur non ante annum* DCXC *defuncta.*

*postea minimum 18 aut 20 annis vixit*

*dum 17 post destructam Morsellam*

*ab Hunnis.*

6 *Ac fortassis serius multo. Nam prius quam Merbecam ad patrem sepeliendum reverteretur, cœnobium Morsellense, ut num.* 9 *dicitur, ab* Hunnis funditus erutum atque combustum fuerat, pauperique modo reædificatum. *Non quærimus hic, fueritne, dum bellis civilibus inter Majores-domus Ebroinum, Pipinum, etc. Gallia turbaretur, Hunnorum aliqua manus in Belgicam nostram, uti seculo* X, *evocata; an Frisonum hæc incursio fuerit, aliorumve a Scaldi piratarum; qui* Hunni *deinde sint a popularibus appellati, uti olim Barbari omnes* Hunni *aut* Wandali *dicebantur, postea* Normanni *ac* Saraceni. *Verum ea strages a quibus-*

*cumque illata hostibus, non paucis annis post obitum* D *S. Gertrudis contigit. Quod in hunc modum videtur confici posse.*

*a quibus non ante an. 680 (ut ex Vita S. Gudilæ colligitur)*

7 *S. Gudila, uti in Vita ejus narratur, nata est eo tempore, quo* B. Gertrudis vixit celeberrima in Dei rebus, *ab eaque de sacro fonte levata, circa annum fortassis* DCLV. *Deinde* intra monasterii claustra, *ab eadem* sua sancta consanguinea nec non spirituali Matre *ad pietatem instituta. Post obitum vero Gertrudis ad parentum ædes rediit. Post aliquod tempus, cum se parens uterque religioni mancipasset, mater S. Amalberga Malbodii, pater Lobiis, ipsa jam adulta et sui juris Lobias cum S. Reinilde sorore profecta est, ut facultates omnes suas Deo ac S. Petro offerrent. Cum ne in templum quidem admitterentur, recessit Gudila; Reinildis Divina virtute patefactis foribus ingressa, Sanctas pagum cum villis quinque ac possessionibus aliis Deo obtulit. Inde Hierosolymam aliaque sancta loca adiit cum servo unico et ancilla : post septennium Sanctas reversa Calcud tum loco nomen videtur fuisse)* humanum modum transcendens supra se vixit, et usque ad Hunnorum tempora, quasi in extasi mentis jam posita, terrenis cunctis calcatis, cœlestibus inhians, *contemplativæ* vitæ statum miraculis atque virtutibus refulgens obtinuit. *Ita in Vita S. Reinildis* XVI *Julii narratur; atque deinceps ab iisdem Hunnis sit*

*occisa est S. Reinildis.*

E *interfecta. Quæ omnia qui serio expenderit, fatebitur ejus cædem ante annum Christi* DCLXXX *non videri contigisse. Vivebat autem tunc adhuc Odelardus, neque fortassis adhuc filiam a suo consortio removerat, fratre quoque ejus Eligardo superstite, qui ab iisdem Hunnis interfectus est.*

*Non est a S. Autberto elevata Berlendis,*

*sed forte a SS. Adulpho et Floreberto*

8 *Quibus omnibus expensis, opinamur S. Berlendem circiter annum* DCC *obiisse. Unde quod num.* 15 *dicitur ab* Autberto Cameracensi et Florberto Tornacensi *Epp. ejus corpus translatum, infame erratum est; quamquam a Molano, Miræo, Wione, Saussaio, non animadversum. Obiit* S. Autbertus *an.* DCLXXV *Unde sequeretur Berlendem defunctam an.* DCXLV, *oblata a patre S. Gertrudi bona* DCXXVIII, *triennio antequam Gertrudis nasceretur. At neque* Florbertus *ullus Tornacensis Episcopus fuit. Duplex hic occurrit conjectura; nimirum scriptorem hunc vel in antiquis tabulis reperisse a Cameracensi et Tornacensi epp. elevatum sanctæ Virginis corpus, et temere nomina adscripsisse; aut* Florberti *reperisse et* Adulphi *nomina, proque hoc* Autbertum *restituisse, illum, qui Leodiensis, vel forte Trajectensis, aut Tungrensis scriptus erat, Tornacensem fecisse. Fuere certe coætanei S. Adulphus, sive Hadulphus, Cameracensis et Atrebatensis Ep. qui* XIX *Maii an.* DCCXXIX *dicitur obiisse, et S. Florebertus, qui S. Huberto parenti in Cathedram Leodiensem an.* DCCXXVII F *fertur suffectus, et habebat hic Furæ ædes, ubi parens obierat, ut tam potuerit e propinquo advocari ad eam elevationem, quam S. Lambertus, S. Huberti decessor, a S. Vindiciano itidem Cameracensi ep. ad consecrationem ecclesiæ in Hunolcurt, uti Baldricus scribit in Chronico lib.* I *cap.* 26. *Si cui hæc posterior conjectura probabitur, is statuet eam elevationem an.* DCCXXVIII. *Neque enim prius Episcopus fuit Florebertus, et Adulphus anno sequenti, mense Maio obiit.*

*an. 728*

9 *Consignata est Ecclesiasticis Fastis illius Elevationis memoria* VI *Nonas Maii, quo die Florarium ista habet :* Apud Merchecam in Brabantia Translatio S. Berlendis Virg. filiæ S. Odelardi Comitis, quæ et ipsa extitit de stirpe Karolidarum. *Quod Odelardum hic auctor* Sanctum *facit, id disertius habet in Indice :* Odelardi patris S. Barlendis v. 3 die Febr. *MS. quoddam Carthusiæ Bruxellensis ad* II *Maii de Berlende ita habet :* In Meerbeke pago finali Brabantiæ S. Berlindæ Virginis, unde orta, ibidem quiescit. *Molanus in addit. ad Usuard.* Merbecæ elevatio S. Berlendis Virg. et Celsæ atque Nonæ Virginum.

*2 Maii*

*Referunt*

A *Referunt earum quoque* Elevationem *eo die Wion, Menardus, Dorganius, Ferrarius, Saussaius.*

10 *Annis prius* XXIII, *quam ab Episcopis legitime e tumulo levaretur corpus S. Berlendis, septennio scilicet post ejus obitum, amici ac vicini sarcophagum refoderunt, ut, si possent, ligneum cum esset, lapideum substituerent : sed Divina virtute lignum in lapidem mutatum repererunt. Elevatum tunc fuisse corpus, Florarii auctor existimavit, ejusque Elevationis anniversariam memoriam recoli* IX *Septembris, ubi ita scribit* : Eodem die Elevatio corporis S. Berlendis Virginis et sanctimonialis, de stirpe Karolidarum. Qua de re magnum et evidens miraculum omnium oculis apparuit. Nam cum pridem propter inopiam petrarum sepulta fuisset in quercu cavata, ipsa reperta est mutata in petram. *Verum non ista Elevatio est, quæ illo die celebratur, sed posterior alia Translatio, sive reliquiarum in novam capsam transpositio, ab Abbate S. Gisleni, Episcopi ægrotantis vices gerente, facta* V Idus Septembris, *ut in libello Miraculorum S. Berlendis nu.* 8 *memoratur. Hæc Translatio inscripta ad eum diem Martyrologiis. Molanus in addit. ad Usuardum ita habet* : Merbecæ, translatio Berlendis, Celsæ, atque Nonæ, Virginum. *Referunt eam quoque Carthusiani Colonien. in addit. ad Usuard. Wion, Menardus, Canisius,* B *Ferrarius, Saussaius, aliique.*

*iterum postea translata 9 Sept.*

11 *Porro liber ille miraculorum, quem ex MS. Rubeæ vallis hic edimus, scriptus est ab aliquo Merbecensi, Pastore fortassis, aut Præposito, Perspicuum id efficitur ex cap.* 3 *nu.* 12 *ubi ita loquitur* : Et erat nostri quædam indigena loci. *Et nu.* 16. Est parochia nostræ contigua, nomine Wentica. *Testatur cap.* I *nu.* 3 *se quæ narrat,* multorum relatione fidelium didicisse, et conspexisse. *At nullam apposuit temporum notam, nec nomina edidit Episcoporum aut Abbatum.*

*Miracula ejus scripta a Merbecensi aliquo*

12 *Restat ut de* SS. Nona *et* Celsa, *quarum in Vita nulla mentio fit, quæramus. Ferrarius in Annotat. ad* III *Februarii,* S. Nonam *esse ait ipsammet Berlendis matrem, S. Amandi sororem : sed sui immemor,* II *Maii et* IX *Septemb. agi scribit* Translationem sanctarum Virginum Berlendis, Celsæ et Nonæ. *Et recte quidem, ita enim pleraque alia Martyrologia, et ipsa Merbecensis Ecclesia. In libello Miraculorum nu.* 14 *dicitur* : ad earumdem confugit Dominarum suffragium; *trium scilicet harum Sanctarum. Et nu.* 17 Matronæ sacræ *appellantur. Sed nu.* 13 sacræ Virgines. *Et nu.* 8. Inveniunt cum Virgine præfata (*Berlende*) adhuc duo reliquarum corpora Virginum, sic in unum corio involuta cervino, ut nihil præter C caput unius videretur deesse : quæ, ut aiunt, altera Celsa, altera Nona, vocitatæ sunt. De quibus itidem constat, quod maxime in Spiritu et veritate Deum coluissent : cetera, quia nos latent, Deo, cui omnia scire est, committamus. *In MS. supra citato Carthusiæ Bruxellensis, non tamen antiquo, ad* IX *Septemb. ista habentur* : Berlendis Virg. et sociarum ejus Celsæ et Nonæ. Fuerunt neptes ejus : hæc fuit filia Odelardi, Domini ibidem, et Nonæ sororis S. Amandi. *Videntur igitur fuisse filia Eligardi, et post patris cædem, sanctæ amitæ suæ cohabitasse.*

*SS. Nona et Celsa Virgines, neptes S. Berlendis*

# VITA

## AUCTORE ANONYMO,

*e sex codicibus MSS.*

## PROLOGUS AUCTORIS.

Cum ubique fideles Christicolæ nationum omnium, confisi atque protecti patrociniis Sanctorum omnium, eos venerantes intercessionibus eorum de cœlo postulent auxilium, et eorum Sanctorum, quorum in suis locis pignora habentur, reverentiam majoris dilectionis venerentur affectu; non incongruum arbitror, hujus D Virginis Berlendis, cujus patrociniis apud Deum possumus protegi, memoriam pro modulo styli humilis, verbisque licet impolitis retexere, et ad exemplar vitæ utriusque, animis audientium commendare.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS. S. Berlendis veneranda,*

2 *a* Hæc igitur Virgo, Berlendis nomine, licet secundum seculi dignitatem non infimis, sed ex totius regni nobilioribus orta parentibus, memoria digna extiterit, excellentiori tamen reverentia a nobis colenda est; quæ apud Christum veneranda refulget meritis, et gloriosa castimonia sanctitatis. Nam et cœlesti sponso jucundum in sua virginitate ædificavit habitaculum, et domus æternæ sibi, sacris insudans actibus, in cælo locavit fundamentum. Non enim immerito hæc Virgo ab illis debet honorari, quibus et ipsa in hac vita consanguinitate et familiaritate conjuncta fuit, vel qui ex ejus parentela genealogiam ducunt, vel qui ejus atque majorum illius, famulatui obnoxii, obsequiis eorum deservierunt. Indigena namque Merbecensis loci atque domina fuit, et ideo ejus orationibus Divini adjutorii rore irrigatus semper floruit et floret.

*præcipue a Merbecensis :*

a Priora desunt in codice Merbecensi, in Ultraject. totus prologus.

## CAPUT I.

E

### *S. Berlendis genus, parentes, exhæredatio.*

Tempore itaque Dagoberti Regis Francorum, pater ejusdem Virginis, Odelardus nomine, militans sub Witgero *a* Duce Lotharingiorum (marito S. Amalbergæ, quæ Lobiis quiescit, quorum filiæ fuerunt S. Reineldis, et S. Gudula) totius Ducatus exercitui præerat : atque præ ceteris ipsi Duci adhærens, familiarique amicitia perfruens, cuncta provido utilique consilio, quæ in domo et in exercitu illius gerenda erant, disponebat. Fuit autem possessio ejus *b* Humbereh et *c* Ascum castella duo : quorum alterum, scilicet Ascum, ab Hunnis destructum, alterum vero natura munitum, militumque copia defensum inexpugnabile perstitit. Quia igitur vir iste tam generosa propagine, quam divitiis atque *d* præsidiis, honorumque dignitate ampliatus pollebat, nam a portu Antuerpiensium usque *e* Condatum Comitatum regebat, puellam nobilissimam sororem beati Pontificis Amandi, nomine Nonam, in matrimonium sumpsit. Erat enim Virgo specie nimis decora, moribus honestis composita, castitate pudica, fide Catholica, omnique Evangelicæ doctrinæ scientia ad unguem erudita. Ex hac igitur genuit filium, F nomine Eligardum, qui in supra dicti castri destructione ab Hunnis interfectus fuit. Genuit etiam ex eadem conjuge filiam, Virginem facie quidem formosissimam, forma conspicuam personaque elegantem; sed omni probitate et industria luculentiorem, nomine Berlendem.

*nata Odelardo opulento Comite et Nona sorore S. Amandi :*

4 Tribus denique annis quater revolutis, post primæ noctis copulam, præfata Nona, uxor illius in Domino Jesu Christo obiit. Qua juxta humanæ consuetudinis debitum, primæ matris gremio ad reservandum beatæ resurrectioni commendata, vir idem seculo ulterius implicari noluit, implere cupiens quod ait Apostolus Paulus : Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem. Sed cum per prolixum tempus cum sola filia prædicta Virgine piis actibus instaret, eleemosynis et operibus bonis erga omnes, sed maxime erga domesticos fidei, viscera pietatis impenderet; remunerator omnium bonorum Deus, qui lucis filios, nondum rubigine peccatorum examinatos, flagellis sanctæ castigationis flagellat et castigat, ut excussa palea triticum purum in area munda recipiat, volens probare aurum *f* mundum in fornace purgatum, eumdem virum, sicut filium, multiplici languoris paterno verbere

*cohabitat patri viduo,*

*1 Cor. 7. 27*

*qui sanctis operibus vacans*

A verbere corripuit. Nam et languor eum diutinus invasit; et in ipso languore lepra eum graviter percussit.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*Berlendis sordes nimium horrens offensus,*

5 Cum igitur multo langueret annorum curriculo, defluentibus famulis tædio affectis, contigit quadam die solum cum sola filia in domo remanere. Qui cum ab ea potum peteret, continuo illa surrexit, scyphum concite lavit, potum infudit, patri portavit: qui bibit, eique scyphum reddidit. Sed serpens antiquus humano generi semper invidus, humilitatisque nescius, radicis omnium malorum superbiæ fuco Virginem aliquantulum infecit. Nam sitiens, post patrem bibere dedignans, poculum effudit, scyphum iterum lavit, potum imposuit, ac sic bibit. Quod pater aspiciens, nullum ei verbum fecit; sed tacitus mirabili indignatione tulit, iraque vehementi turbatus, vocavit servos, currum sibi statim parari jussit: super quem ascendens Nivellam petiit, ibique sanctæ *g* Gertrudi quidquid habebat in prædiis, cum omni milia servorum, ancillarumque, cum cespite, et ramo, cultelloque cum manubrio albo tradidit, ac filiam omni paternæ maternæque hereditatis jure privavit.

*ea exhæredata, omnia sua donat S. Gertrudi,*

6 In eadem autem traditione res stupenda, et ultra humanum modum admiranda, ad laudem ipsius qui condidit omnia, contigit. Nam cum idem vir ad feretrum accederet, omni obstinatione affirmavit se B nunquam ei prædium daturum, nisi ipsa beata Virgo propria manu reciperet. Qui cum ter quaterque clamaret: Sancta Gertrudis, hoc munusculum de manu mea suscipe, et noli me peccatorem ante te flentem et ejulantem spernere, nisi potius me alias daturum vis abire, confestim nutu, summi Tonantis, scrinium, in quo beata Virgo jacebat, sese aperuit, corpusque exanime manum porrexit, cunctisque cernentibus populis qui aderant, ramum cum *h* cespite cultelloque de manu viri porrigentis intra scrinium recepit, et sicut prius fuerat clausum ac sigillatum permansit. Tunc clamor ad cœlum tollitur, Creatorque omnium, qui gemitui suorum aures suæ pietatis numquam avertit, adoratur, ejusque famula, cujus meritis tam inopinatum miraculum, tamque jucundum, peccatorum præsentiæ exhibere dignatus est, summa devotione veneratur. Sed cum præmemoratus vir aliquanti temporis spatio, tribulationum igne ad exemplum Beati Job purgaretur; placuit illi qui nihil irremuneratum dimittit, illius patientiam remunerare, atque ejus animam, post laborum dolorumque desudationem, æterna requie collocare.

*manum e tumulo extendente,*

*aliquanto tempore post moritur.*

*a* In Vita S. Reinildis 16 Julii dicitur pater illius Comes, Witgerus nomine, totius Lotharingiæ ducatus officium gessisse. In Vita S. Gudilæ 8 Janu. cap. 1 num. 3 dicitur pater ejus exstitisse Witgerus, quem in [illegible] Comitatus egisse accepimus. In altera S. Gudilæ Vita, num. 1 exstitit quidam Comes, Wigerus nomine, in pago Brabantensi. De B. Witgero et S. Amalberga agemus 10 Julii. — *b* MS. [illegible] Grimbergh. [illegible] Ombergh, vel Hombergh, et Rombroeck. [illegible] — *c* MS. Rubr. Aselme. Celebris [illegible] locus, inter Bruxellam et Hostam. — *d* MS. Corsend. [illegible] — *e* MSS. Lobien. et Corsend. Condacum. S. Reinildis Condacensi castro, quod super Scelt fluvium situm est, ortunda dicitur. [illegible] Condacensi [illegible] fere spatio inter Antverpiam et Mechliniam situm. Et pertinuit is olim ad Lobienses monachos, ex donatione S. Reinildis, ut [illegible] At [illegible] Condatum, [illegible] Hannoniæ oppidum [illegible] Scaldis [illegible] tractus, neque in Condacum [illegible] Lobienses. Verum Brabantinum nostrum Condacum aliquot milliaribus [illegible] Scaldis [illegible] fluminis ostium, [illegible] milliaribus [illegible] Antverpia [illegible] fluminis, [illegible] contra incursus Barbarorum defenderetur. — Cat. nondum. *g* Vitam S. Gertrudis dabimus 17 Martii. — *h* De hac [illegible] per cespitem [illegible] et ramum [illegible] ad Vitam S. [illegible] ad cap. 3 annot. *b*.

*Condacum pagus Brabantiæ.*

## CAPUT II.

### *S. Berlendis sanctitas, miracula.*

Beata igitur Virgo Berlendis, animadvertens sese spoliatam bonis patriis ob reatum criminis, parvipendens honores hujus seculi, timensque iram D superni Judicis, quia patri dedignari præsumpsit, (audierat enim sæpe quod scriptum est: Qui patri vel matri injuriam intulerit, mortis æternæ sententiæ subjacebit) tanta mentis mutatione omnia mundana postposuit, ut non solum ciborum delicias vestiumque copiam respueret, sed etiam vilia, et contemptibilia habere recusaret. Mox subtus ad carnem cilicio induitur, inediaque et algoris uredine, martyrium desiderans, affligitur, corpusque jejuniis, et orationibus vigiliisque crebris perurgens, lacrymarumque imbres crebro fundens, non solum a peccatis purgari meruit, sed etiam superni sponsi gratiam invenit. Manus enim ejus quidquid boni invenire poterat, pauperibus erogabat: adeo ut vix aut nullatenus ab eleemosyna vacua foret, et sæpe cum pauper non inveniretur, in ejusdem manu desudaret.

*AUCTORE ANONYMO, EX MS.*

Deut. 26. 16

*Berlendis eximia in patientia,*

*austeritate, pietate, misericordia,*

8 Contigit autem eamdem Virginem in loco qui dicitur, Morsella *a* in cœnobio beatæ Dei genitricis Mariæ, sacri velaminis habitum suscipere, et multorum annorum curriculum cælibem vitam ducere. Cum ergo esset eadem Virgo in cœnobio, sanctis operibus summo certamine invigilans, cujusdam noctis medio, pulsante matutinali signo audivit voces sanctorum Angelorum in cœlum animam patris ipsius cum *b* canoro jubilo deferentium. Miræ ergo sanctitatis gratiæque supernæ hæc Virgo plena extitit, quæ E instar gloriosissimi *c* Severini Agrippinæ urbis Archiepiscopi, sicut ille in obsequio animæ B. Martini Angelorum choros audire meruit. Quæ tantæ suavitatis dulcedine modulationisque lenitate supra se velut in excessum mentis erecta, intentis in cœlum auribus lætitia tam beatæ refectionis refecta, interrogabat assistentem sibi famulam, si quæ audiebat audiret, et quæ intelligebat intelligeret. Quæ cum illa minime se audire vel intelligere responderet, intimavit ei beata Virgo animam patris sui corporeis nexibus solutam pro tribulationum patientia coronari, et a psallentibus Angelis in altum deferri. Accepta itaque cœnobita Domini licentia a Matre Monasterii, ad sepeliendum patrem suum Merbeeam adiit, et in ecclesiola, quam in honore B. Petrii ipse ædificaverat, juxta uxorem suam, matrem ejusdem Virginis, juxta morem nobilium, sicut decebat, eum sepelivit.

*a*

*fit Morsellæ sanctimonialis*

*b*

*c*

*audit animam patris ab Angelis cantantibus in cœlum ferri*

*it Merbecam, eumque sepelit*

9 Post mortem vero patris sui, quia cœnobium, in quo ordinata fuerat, quod prius ab Hunnis funditus erutum atque combustum fuerat, pauperique modo reædificatum, carebat appendiciis substantiaque, qua ibi famulæ Christi sustentari possent, quia in pane et aqua vix puellas sex detinere poterat, egen- F tibus famulis atque necessitate domi remansit: et in præfata ecclesiola die noctuque degens, se Domini servitio mancipavit. Numquam enim pes ejus a visitatione infirmorum quiescebat: numquam manus ejus a procuratione pauperum cessabat. Semper laus Dei assidua in corde ipsius erat: psalmorum hymnorumque cantus ex ore ejus numquam recedebat, psallens sibimet juxta Apostolum in canticis et hymnis spiritualibus in Domino. Nihil unquam neque hyemis, neque æstatis tempore, præter cilicium, quo super nudum corpus utebatur, *d* mattulamque, atque lapidem capiti suppositum, sibi substerni patiebatur. Vigiliis et orationibus assiduis, jejuniisque continuis corpus macerabat. Bis tantum in hebdomada, præter diem Dominicum Apostolicasque solemnitates, reficiebat. Carnem a die consecrationis suæ non comedebat, piscem aut cibum alium præter panem et aquam, nisi in præclaris solemnitatibus, non attingebat.

*ibi deinceps sancte et austere vivit:*

Coloss. 3. 16

*d*

10 Tantam ei Dominus ob beatæ vitæ meritum gratiam concesserat, ut quibuscumque infirmis, sive febricitantibus manus imponebat, saluti pristinæ restituebat.

A tituebat. Ea igitur de die in diem proficiente et de virtute in virtutem ascendente, tribus lustris in asperitate vitæ jam peractis, die Paschalis solennitatis contigit particulam piscis illi ad mensam sedenti apponi. Quæ (quod admirabile dictu est, et quasi incredibile) inter manus ipsius in carnem conversa, valde eam perterruit, et cum vehementi stupore, ministro indignans ait: Ignoscat tibi Deus. Quare me sic illudere voluisti? sciebas me carnem non comesturam, et eam mihi apposuisti. Quo negante et obnixe jurante, intellexit hoc nutu Dei factum fuisse, parumque gustavit, et a se submovit: protinusque a mensa surgens ecclesiæ et orationi ad laudem sui Creatoris se reddidit.

*ægros sanat manus impositione: piscis illi die Paschæ in carnem mutatur,*

*alias aqua in vinum:*

11 Hoc etiam silentio supprimi indignum arbitor, quod ille, qui servos suos glorificare et magnificare numquam distulit, poculum aquæ quodam die solenni sibi appositum in vini saporem convertit.

a De Morsella dicitur 8 Jan. ad Vitam S. Gudilæ cap. 2 num. 8. Erat autem in confinio villa Morzella vocabulo, distans ab eorum mansione duorum milliarium intersitio: in qua ædificatum fuerat oratorium, in honore Sancti Salvatoris dedicatum. Et num. 26 dicitur solita basilicam Sancti Salvatoris in Morzele devotissimis semper frequentare cursibus. Et num. 29: Translatum est corpus beatissimæ Virginis in basilicam Morzelensem. At multa [illegible] [illegible] translato S. Gudilæ corpore Carolus Magnus aggregavit illic sanctimonialium gregem, ut num. 32 et in 2 Vita num. 21 dicitur. Sed fortassis [illegible] Berlendis, [illegible] sanctimoniales alio recesserant, aut obierunt omnes, aut ab improbis hominibus exulæ [illegible] erant, ubi quæ donaverat Carolus Magnus, postea Wenemarus ejusque filius Ermenfridus occuparunt, ut ne ipse quidem Dux Carolus ea potuerit recuperare, contemtus S. Gudilæ corpore, quod Bruxellam transtulit. — b MS. Corsend. canore. — c [illegible] narratur in S. Severini Vita 23 Octob. — Matta, sive Mattula, legis est [illegible]. Vide Rosweydi Onomasticon ad Vitas PP.

*Morsellæ ecclesia, monasterium, destructum,* B *Mattula.*

## CAPUT III.

### *S. Berlendis mors. Translatio, miracula.*

Ter quinis igitur annis cum duobus post patris mortem expletis, cum Divina revelatione extrema hujus lucis tempora imminere sibi sentiret, convocatis Sacerdotibus, oleum sanctum petiit. Quo accepto, corpore et sanguine sui Redemptoris exitum suum consecravit, et sic ultimum spiritum cœlo reddidit.

*De morte divinitus admonita. Sacramenta suscipit:*

13 Congregati igitur cognati et amici ejus, servi et ancillæ et etiam majores regionis hujus, ad sepeliendum eam convenerunt: illamque modo congruo juxta tumulum parentum recondiderunt. Sed cum in quo eam reconderent, sarcophagum non haberent lapideum, quorum in hac regione penuria est, quercum magnam juxta templum stantem succiderunt, illique ex eadem quercu vas in quo posita est aptaverunt. Quantas autem virtutes per illam Dominus in eodem loco operari dignatus est, nec mens nostra valet edere nec lingua sufficit explicare. Multi enim cæci, luminibus redditis, sine duce domum redierunt; multi claudi, solutis a basibus, erecti sunt; surdis auditus redditus; linguæ mutorum solutæ; dæmonesque ad ejus sepulturam ex obsessis corporibus penitus expulsi sunt.

*sepelitur in tumulo ligneo,* C *qui post multa miracula ibi edita,* a

14 Cum ergo tot et tantis miraculis ejus sanctitas pollens longe lateque claresceret; placuit post septennium amicis et vicinis ejus sarcophagum videre, et si possent in melius ad ejus honorem mutare. In quo loco mira res et inusitatum miraculum humanisque auribus inauditum evenit. Nam cum eumdem sarcophagum in quo sancta Virgo jacebat, de terra ejicerent, cum prius ligneus fuisset, lapideus inventus est. Hujus rei notitia cum per hanc regionem divulgaretur, omniumque audientium animos ad laudem Dei et S. Berlendis extolleret: quædam mulier ex vicinia incredula permanens, atque hoc mendacium esse affirmans, ad videndum male credula venit. Sed mox ut sarcophagum vidit, a dæmone arrepta, ad terram cecidit. Quæ per triduum exanimis, non audiens, neque videns, ibi jacuit, donec Virgo sacra-

*lapideus factus reperitur.*

*incredula quædam punita:*



tissima, astantium precibus pulsata, pristinæ saluti eam restituit. D

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

15 Quibus miraculis tam jucundis tamque mirificis omnis regio permota, gaudens accurrit, et in honore beatæ Dei genitricis Mariæ sanctæque Berlendis Virginis ecclesiam, in qua nunc requiescit, fabricavit. Tricesimo itaque depositionis suæ anno, omnis multitudo finitimarum regionum, Divina inspiratione afflata, convenit cum duobus Episcopis, Cameracensi videlicet, nomine b Auberto, et Tornacensi nomine c Florberto; qui eam de sepulchro levaverunt, atque in scrinium, in quo nunc pausat, locaverunt.

*ædificatur ei ecclesia:* b *transfertur corpus:* c

16 Cum autem vellet Deus gloriam et honorem atque nomen suæ Virginis amplificare, contigit Tullis civitate, monachum quemdam cœnobii beati protomartyris Stephani, per visum, juvenem pulcherimum videre assistentem sibi, atque dicentem: Surge et vade in provinciam Brabantiæ, ad locum qui dicitur Merbeca, et de reliquiis sanctæ Virginis, nomine Berlendis, tenta habere, ut in ejus honore, in loco quem Deus tibi ostenderit, ecclesiam possis ædificare. Qui ad præfatum locum veniens, cum magno honore suscipitur, ibique diu manens in magna veneratione habetur, et ad ultimum templi custos efficitur. Nocte igitur quadam, cunctis sopore depressis, scrinium aperuit, et de Virgine quantum sibi placuit abstulit, ac tempore sibi congruo recessit. Veniens autem Dei ductu in solitudinem ad locum nomine d Timis sibi cœlitus ostensum, ibidem mansit, beatæque Virgini basilicam ædificavit, in qua signis et virtutibus atque miraculis coruscans, usque in hodiernum diem fulget admirabilis. Nam et congregatio monachorum religiosorum ibidem constituta Domino famulatur, et ipsius Virginis patrocinio illa patria a Domino sustentatur.

*reliquiæ ejus aliquæ a monacho Tullensi auferuntur,* E d *et miraculis illustrantur*

17 Deum igitur, qui tam magna et pene innumerabilia gloriose et laudabiliter operatur miracula in Sanctis suis, condecet colentes eum, amantes eum, credentes in eum, servientes ei, laudare, glorificare, et benedicere. Et ut ipsi mereamur ab eo conservari atque benedici, hujus Virginis precibus, cujus Domino juvante Vitam verbis licet incompositis transcurrimus, tota pia intentionis devotione poscamus, ut pervenire mereamur ad patriam supernæ hæreditatis. Migravit autem S. Berlendis Virgo ex hac luce et vita feliciter in Domino in Nonas Februarii, et exultat cum Sanctis perenniter, regnans cum Christo, cui est gloria, laus, et honor, cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per infinita secula seculorum, Amen. F

*Epilogus.*

a MS. Corsend. passibus. — b MS. Merbec. Ausberto; Corsend. Ansberto. Supra ostendimus [illegible] plus quam 80 annis post S. Autberti mortem, quæ an. 675 contigit, [illegible] 13 [illegible]. — c MS. Merbec. Norberto, Corsend. Nortberto. Neque Norbertus aliquis, neque Norbertus Tornacensis Episcopus fuit. Supra ostendimus, probabile videri hunc S. Florbertum Episcopum Leodiensem fuisse. — d MSS. quædam habent, Timnis.

# MIRACULA S. BERLENDIS

### *auctore anonymo, ex MSS.*

## CAPUT I.

### *Merbeca a Danis vastata; S. Berlendis sepulchro et miraculis illustrata.*

Pro meritis venerandæ Virginis Berlendis Divino per Angelum Dei afflatu propalatis, maxime benevolentia ejusdem compulsi, gratias referre Divina fulcimur consolatione; sine qua nobis hujusmodi quidquam etiam conari et ad effectum frustra est perducere. Nam mens nostra carnis blandita voluptatibus, negotiis intricatur

*Cur scribere miracula voluit?*

 rruentibus,

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A ruentibus, cum quibus quotidianis labimur (proh dolor) et nos deceptionibus: itaque utilissima postponentes, innitimur vilissimis. Sed resipiscamus necesse est, ad obfuscatum ingenium nostrum clarificandum, ut magis caritatis igne ferveat quam furva erroris caligine incumbens torpeat. Videmus equidem duo inter se admodum discreta; quodque eorum est elegantius, procul dubio calculemus. Quocirca quæ sinistra sunt, jure destituamus et dexteriora appetamus. Incipiamus, et Deus incrementum est daturus. Ipse enim dicit: Incipe, et ego complebo. Et nos hic exhilarati gratia, ad propositum torpentem vertamus linguam.

*Dei gratia sanctitatem adepta Berlendis.*
*Rom. 9. 15 et 16*

2 Postquam omnipotentis Dei gratia passim diffusa patuit, multosque diversi generis utriusque sexus illustravit, beatæ quoque Virgini Berlendi haud defuit, quia secundum prædestinationem regioni viventium illam addicere voluit. Velle hoc, ab eodem dico, ne quis despiciens imputet sibi Dei donum, non Deo. Nam ille: Miserebor, inquit, cui miserebor, et misericordiam præstabo cui miserebor. Non igitur volentis est neque currentis, sed Dei miserentis. Unde ergo liquet hac in corruptibili vita, quæ ejus sunt mundi, beatam Virginem parvipendere, et nisu toto jussis Dei indesinenter
B adhærere, cum prudentibus collegis oleo indeficienti lampadibus refertis ad Sponsi reditum excubias observare, ac jugis vitæ palatii cubiculum secum introire, inter æquales perpetuo gaudere, devote sibi famulantium cunctorumque fidelium in conspectu Domini preces offerre.

*ejus sepulchrum prope sonum, vix terram percutit*

3 Patet sanam doctrinam habentibus, quoniam appretiatur mors ejus in Domini obtutibus: et ne rudis quis titubet, ejus meritorum indicia testantur. Nam etiam ejus sarcophagum, cum maximi sit ponderis, adeo ut tria fere pergravaret paria boum, ita manu Dei sustentatur, ut vix una parte solum attingere valeatur. Et cum sæpe videmus etiam sic calculos terræ ad molis eorum mensuram ingressos, ut magna difficultate quandoque evellantur; quid aliud considerandum est in hac molis tanta levitate, nisi potentia ejus, cui quæ nobis impossibilia sunt, sibi constant esse facilia? Sed cum hæc ita sint, revertamur ad ea quæ multorum relatione fidelium didicimus, et nos ipsi conspeximus.

*a*
*Merbeca a Danis destructa reparatur.*
*liber alio missus in Græcum mutatur,*
*restituitur,*

4 Erat quidam Fredericus, cujus sub censura Nyvellensis, excepta Abbatissa, cœtus erat; nam ipsa omnibus imperabat. Hic cum in Præpositura
C sua, Merbecensi vico, Dominæ assensu Abbatissæ præesset, eumdemque ab impiis destructum a Danis locum repararet; inter hæc maximi librum pretii, ad alterius Ecclesiæ suæ opus, Merbecæ præparavit, sed ad propositum ne perduceret, composuit sibi Deus offendiculum. Nam volumen cum missum esset quo disposuit, veris ac patentibus conscriptum signis, meritis S. Berlendis meritis transfiguratum est in Græcum. Quo comperto intellexit vir prudens, beatæ Virginis rei librum acceptabilem: et reatum confessus, referri fecit, sanctoque loco relocavit; et aptitudine priori subito claruit.

*sacrilege rapto frumento suffocantur equi*

5 Eadem quippe ætate quidam, nomine Guyro, villanus, dum serendi caussa hordeum in ecclesia illa sumeret, illius ut patriæ est mos, duo assistebant milites, quo pascerent equos annonam sibi dari cum rogantes: qui cum renuisset, tulerunt vi et pasci fuderunt equis. Sed in primo morsu, spiritu belluæ nequam arreptæ, morte suffocatæ sunt. Ergo frementes detectis accurrentes ensibus miserum invadunt rusticum, et capite ipsum plectere cupiunt: veruntamen, cautione Divina, sacræ devotionibus Berlendis, non potuerunt. Mira res: cum aciem hujuscemodi etiam nec ferrum præcidendo retundere quean-

D doque valeat, caro, Dei providentia, retudit. Nam tametsi ter percussissent, signum dumtaxat ictus apparuit: sed Dei gratia non vulnus, nec dolor fuit. Quo facto ambo, remordentes reatus conscientiam, humillime se prostraverunt, et genibus cubitisque repentes ad satisfactionem magno cum timore sanctæ Virgini concesserunt arma. Sicque factum est, ut quod prius erat ad mœroris cultum, postea in Deo transversum esset in gloriæ habitum.

*cliens S. Berlendis, gladiis lædi non potest*
*arma Sanctæ tradit ipsa.*

Sic virtus vitium, superas sic, Christe, reatum.

6 Igitur mense Augusto messibus colligendis jam maturis, avidus quidam labore totam sollicitabat metere familiolam, quia neque dies solito nitebatur sereno, et nonam timebat propinquare horam noctis prævenientis festivum diem ad Vincula B. Petri Apostolorum Principis. Ecce jam ubique signis denuntiantibus terminum laboris, omnes cessabant: sed ille solus operari non destitit. Alii conviciis eum lacessunt, alii correptionibus, alii minis: sed nec sic sedari potuit. Denique Divina perculsus ultione quievit: manus enim, qua manipulum collegit, nervis *b* contracta fuit: et facto intervallo in B. Laurentii vigilia ad suffragia beatæ Virginis quo duceretur postulavit. Quo ubi perventum est, quod per illecebræ admisit commissum, sacratæ Virginis delevit meritum. Membrum autem, quod criminis E actu extitit percussum, pietatis gratia efficitur sanatum.

*Festum violans contractione manus punitur,*
*b*
*per S. Berlendem sanatur.*

7 Et nec silendum est, quod de sarcophago ejus evenit. Sed jam patet nobis cuncta naturaliter animantia bona appetere, mala devitare, ad potum ut sitim, ad operimentum ut frigus, ad umbram ut æstum, ad medicum ut morbum præcidamus, sic ad cibum festinamus ut esuriem pellamus. Illo quoque tempore multi febricitantes, gratiam quærentes, ad sepulchrum Virginis confluentes, aut tactu salubri, vel temerario, ejusdem sepulchri sanati sunt. Erat autem quidam quotidianis multatus febribus, qui salutem expetens quamdam precatur monialem, Rapburgis nuncupatam, (erant enim ecclesiastica sibi credita,) quatenus de sepulchro Berlendis pauxillum quid sibi daret. Illa quippe nihil suspicans offensionis, temere accurrit, ac rasuræ parum infra rasit: quod cum porrigere deberet ægrotanti, aperta manu nil præter sanguinis coagulum invenit, nec tamen dedit: nam potenti Dei virtute, ad mira ejus pandenda, lapis cruor effectus est. Sed cum a muliere fluxum patiente sanguinis Deus tangi voluit, quare hoc judicabile F de lapide fecit? Credo quia sanare non recusavit, sed temeritatem compescuit: quia quamvis inanimata foret substantia, tamen hanc manus Beatæ meritis Berlendis consecravit Divina.

*Tactu sepulchri ejus, morbi sanati*
*pulvis temere abrasus, fit sanguis;*

a B · Danorum in hanc tractu incursionibus fuse agitur in Vita S. Guidonis, to. 2 Francicor. Scriptor. Chesnii et in ejusdem Normannicis. — b MS. Corsend. confracta.

## CAPUT II.

### SS. *Berlendis, Celsæ, Nonæ translatio, miracula.*

Nec multum post temporis effluxerat, cum jam instante Divinæ dispositionis termino, pullulantem adhuc radicitus vellet Deus suum patefacere thesaurum, quorumdam incolarum corda fidelium, adeo ut quia corrosa et vetustate exesa tam sancti corporis theca visa est, conspirarent abjicere; novamque solido pulchre dolatam ligno, auro et argento decenter præparare. Sed quia absque Antistitis consilio nimime licuit, nuntios legant, et Episcopum consulunt. Qui quam religioso misso S. Gisleni Abbate, cum quodam probo pagi illius Decano, nomine Bono, (erat enim ipse morbo detentus) præcepit

*In novam thecam transfertur ejus corpus.*

A pit ut veterem thecæ compagem depangerent: testibusque adbibitis fidelibus, aliam non segne consignarent. Cumque ad id perventum est loci, et in *cum insolita fragrantia,* die quinto Idus Septembris, loculum designarent, repento miri fragrantia odoris nares astantium subintravit, mentesque eorum refecit. Inveniunt autem cum Virgine præfata adhuc duo reliquarum corpora Virginum, sic in unum corio involuta cervino, ut nihil præter caput unius videretur deesse: quæ, ut *simulque SS. Celsæ et Nonæ W.* aiunt, altera Celsa, altera Nona, vocitatæ sunt. De quibus itidem constat, quod maxime in spiritu et veritate Deum coluissent: cetera, quia nos latent, Deo, cui omnia scire est, committamus. Sed nunc ad digressionem redeamus. Item capsulam in quodam reperiunt angulo, quæ certa lactentis membra excepto continebat capitulo, ea vero Innocentis ferunt esse corpusculum. Igitur Sanctorum corpora cum laudibus et hymnis ceterisque Dominicis in id ipsum collata muniis, sine dilatione veneranter *in aliam corpus Innocentis W.* resignata clauduntur. At sacrum Innocentis corpusculum, quia gloriosa passione coronatum est, singularem accepit pro modulo locellum.

9 Cum igitur thecam, ut diximus, optimates decorare metallo averent pretiosissimo; et pecuniæ ob penuriam perficere nequirent: rursum Episcopi B licentia diversa cum sacris matronis ad supplemen- *ad ornatum novæ thecæ, cum venia Episcopi, circumferuntur reliquiæ;* tum augmentandum Sanctorum circuibant castra. Ecce autem in comitatu habentes viginti quatuor laicos et sex Clericos, adeunt villam præcipue egentem Cymbersaca dictam: et cum in commeatu nihil præter quinque hordeaceos haberent panes, nec alios reperirent venales; neque darentur oblationes, (credo quia sic indeficiens remunerator famulas suas præferre voluit) fame constricti eosdem tandem exegerunt panes, et sorte partiti sunt ad cujusque personam. Mirabilis Dominus in virtute, beatarum Virginum meritis, ut solet, paupertatem mutavit *panes eas ferentibus multiplicantur, et sapidissimi fiunt;* inibi cœlestem in opulentiam. Nam omnes qui aderant, nusquam quibusque ciborum industriis sumptuosius sunt refecti, quam illic pane illo, dono Dei condito altissimi: nec tantum eis suffecit, sed etiam superfuit: adeo ut et pauperibus et eis abundaret servientibus.

10 Sciendum quoque est, patenter Divinam sacræ suæ alumnæ Berlendi potentiam in magnis et in parvis pronam, parva ideo, quia et invisibiliter et visibiliter posse humanum constat fore. Quæ cum prælibatæ gratiæ opere apud beatissimam Dei famulam aliquamdiu præstolaretur Gertrudem, tempore C videlicet autumnali, quo Virgo clementissima a *quædam S. Gertrudi offerenda,* nonnullis præcipue frequentatur: accidit magno cum axe, oppidoque conferto, rusticos adventasse, et juxta beatam Virginem Berlendem debere measse: cumque præteriret axis, prægravatus est adeo, ut boum tractu jugi ac temonis rumperetur copula. Ecce qui nostri præcones aderant, instanter plaustrum Deo dedicatis alumnis tradi succlamabant. At *pro ligio saluti currus,* illi minime parentes, sed quidam per temonem, alii rotas propellentes, axem sic producere gliscebant. In cassum tamen laborabant: nam illis plurimum instantibus, nostrisque obnixe reclamantibus, a rotarum *a* modiolis decidebant humeruli, et curru *a Berlendis cedunt* obliso quid esset agendum hæsitantes stabant stupefacti. Cumque divulgarentur hæc in excomperto Prælatæ jussum est dimidium nobis dari, sibi autem residuum reservari.

11 Nec prætermittendum est, qualiter quædam in visu spirituali præmonita, visum Merbeccæ recepit. In tempestate cultus *b* Montis Gerardi, ubi supra *c* Tenerum castrum est locatum, erat quædam mulier diu cæcitate percussa. Jam tunc aut apud *d* Micenas, vel *e* Rosbeccam, et etiam B. Stephani curtem multi usum curæ, plurimi vero orationis gratiam quærebant: horum trium anxia quem potius adiret sollicitabatur. Nec mora: electione titu- D banti affuit beatus protomartyr Stephanus in visione, cruentatis indutus vestibus, qui eam talibus *AUCTORE ANONYMO, EX MS. cæca in somnis a S. Stephano monita it Merbecam,* præmonuit consulentem: Si vere recuperationis salutem expetis, Merbeccam adibis, et ibi sanaberis. Unde fiduciam habens nocte Pentecostes ad id commigravit loci, ac promissum observavit Christi testis beatissimi. In secunda vero feria, tertia hora diei, Offerenda jam dicta, et Secreta initiari incepta, apertis oculis lumina incensa, po- *ac visum recipit.* pulumque astantem cernit; ac Deo gratias voce magna proclamavit. Peractis rite Missarum solenniis fit lætitia ab omnibus Clericis hymnum concinentibus, signaque compulsantibus, laicis vero *f* Kyrieles celebrantibus.

a Modiolus *est medium rotæ, cui infiguntur extrorsum radii, cujusque tubo axis inseritur.* — b *De hujus oppidi origine, legibus, sacris ædibus, territorio, exstant Joannis Wasbergii libri tres.* — c *Qui hic* Tener, *supra* Tenera, *Teneria apud Sanderum* Dendra *quibusdam* Tenra *dicitur, Flandriæ imperialis fluvius, qui in Scaldim influit ad* Teneramundam *oppidum, ab eo ita appellatum, quasi* Teneræ os. — d Messenas *fortassis indicatum vult, celebre nobilium Virginum cœnobium altero ab Ipris lapide, fundatum ab Adela sive Adela, Balduini Pii Comitis Flandriæ uxore, ut Miræus ad an.* 1065 *scribit, ubi* Messinas *vocat, ad an.* 1062 Mescinas. — e *Est* Rosbeca *pagus ditionis Alostanæ sub Sottegemensi Baronatu, uti Wasbergius et Sanderus scribunt, et quidem (ut alter iste accepimus) cultu Deiparæ Virginis clarus. Est tamen et alia* Rosbeca *quæ tribus nostratibus leucis ab Iprensi urbe distat, ubi Philippus Arteveldus, cum suis Gandavensibus, memorando prælio cæsus a Francis, quos ad auxilium suum Ludovicus Malanus, Flandriæ Comes, evocarat. In hac quoque Rosbeca viget ejusdem magnæ Matris veneratio, ut ad illius honorandam statuam plurimi isthuc confluere soleant, illudque ævo nostro memorabile ferunt accidisse, ut quia circumferri in ambarvali supplicatione ea statua solet, omni eo tempore quo hæresis dominata est, omnibus circum locis fœdo situ silvescentibus, ea via, etsi bene longa, nullis sentibus urticisve aut arbustis deturpata sit. De utra Rosbeca hic agatur haud divinamus: nisi quod Messinis credi potest illa ulterior jungi.* — f *Id est, litaniis, quæ sæpius iterato* Kyrie eleison *inchoantur.*

Modiolus. Tenera fl. *Messenæ monasterium.* E *Rosbeca pagus, clade Flandrorum celebris, et cultu D. V.* AN MADV. PAP. 45.

## CAPUT III

### *Variæ ad S. Berlendis tumulum curationes.*

Digressionem igitur facere beneficiis sacratissimæ Dei famulæ, facti item a Deo miraculi, non est consilium, quia Scriptura dicit: Omnis laus in fine ca- *Psal. 78 III.* nitur. Et erat nostri quædam indigena loci, utrisque adeo coartata manibus, ut constrictis digitis pollices infigerentur carni duris tenus ossibus. Ipsa item, quippe usu manuum quæritare victum solita nendo atque texendo, ceterisque fœmineis factis, deficientibus jam necessariis artubus, tota ægrotabat qualitate corporis: quæque prius se hujus mundi professa est pauperem sine caussa gerere vitam, en F serio affirmabat se in salute divitem, in debilitatione vero cum caussa debiliorem. Quid plura? Tandem *Contracta membra, Sancta invocata, resolvuntur.* satis lassata, et ad nihilum fere redacta, Sanctam invocat precibus Berlendem anxia, quatenus manu careat læva; et ad consignandum se saltim vigeat dextera. Invigilavit sane Christi ancilla ejus obnixis precibus, et nocte sequenti postulata solitis complevit virtutibus: sed in ceteris membris convincitur arctius hæc dilatio. Lacrymosis precibus postulat se vehi beatæ Virginis obtutibus. Quo delata, confestim ceteris dissolvitur membrorum connexibus, et erecta, humillimis collaudat Deum vocibus, adhuc infirma levæ contractibus. Altera die decrescentibus crepusculis, conscendente sole gradum horæ primæ diei, confluxit tota plebs ad ministerium sacrum, erat enim Conversionis festum Apostoli Pauli. Ecce enim adducitur et ipsa, suorum manibus innixa, et coram altari prosternitur: orationi vacans, et inter Missarum solennia facta est velut mortua. Subito accurrit æditnus, et invenit jam sanguinis decurrentem rivulum, et in manu maximum vulnus. At ipse arripiens aquam respersit eam: et ecce vidit manum prius complicatam enerviter patefactam.

Sicque

A Sicque restituta incolumis et in Deo confortata rediit ad sua.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS

13 Dicere quoque est eventu mirabiliora, nonnullorum testimonio comprobata. Evenit igitur dies natalis Domini octava, quæ et ejusdem Circumcisio : et non parva plebis concio ad matutinales consuetudinario ritu inundavit hymnos. Et factum est verenter Clero pro modulo suæ pusillulæ congregationis concelebranti psalmodiam, cum cantore consuete in Evangelio antiphonam inchoante, a sacrarum cubiculo Virginum dulcifluus odor exsurgit, et quosque in templo existentes perfundit. Noc itaque distulerunt quidam quæque perscrutari occulta ecclesiæ, ne qua res supposita virtuti similaretur Divinæ. Deerat et ibi etiam tum incensum, sed ut civitas in vertice montis cacuminata utrimque lucide patet; sic admirabilis potentia Domini etiam volentibus non operta claret. Funditur interea magis magisque ampliando a Deo per omne capax templum et templi spatium : ut de pariete ad parietem, de area ad tecti fastigia non esset angulus irrefertus : sicque per totum mane spatians, veniente prima diei hora evanuit. Sciendum est sane Deum merita suorum cunctis revelasse : quatenus quantæ sunt gloriæ in cœlis, nullam habeant diffidentiam in terris, et B odoramenta eorum dulcifluе pro credentibus fore orationes.

*Ecclesia matutinarum tempore, dulci odore perfusa.*

14 Præterea quidam supradicti vici accola puer, dum quodam in tempore lectulum fessus languore incideret, morbo gravatus, mansit inclinatus nec propria virtute potens incedere, duobus innixus incessit bacillis. Quod cum diu toleraret, nec a quibusque recuperare mortalibus speraret; novissime ad earumdem confugit Dominarum suffragium, sed non in oculis inibi habitantium. Factumque est dum ibidem coram Dominica Cruce orationi vacaret, continuo erexit se, et stans per se solus magnificavit præcipue S. Berlendis merita : et exiliens baculos abjecit, et incolumis exivit. Postera die recurrens, lumen sacro prævexit loco, forte item a frequentia vacuato : et inde cunctis, quibus obvius fuerat, tam prosperum retulit casum.

*Contractus Sanctarum ope sanatus*

15 Cumque vulgo insignia sanctarum clarerent virtutum, erat quidam habitatione sepositus in vico, cui nomen est Udenchem, septem a loco nostro distante milliariis, qui continuam ignis ustionem in D ambobus patiebatur pedibus. Hic cum salutarem audisset sanitatum opinionem, ut itidem illuc deportaretur postulavit. Allatus igitur, in lævam altaris venientibus collocatur : et benigna Dei dispensatione precibus beatæ Virginis quam speciali functus fiducia invocavit, cum pedibus fumigans ac putens venisset, extemplo cruentare incipiens extinctus, et a fœtore incendii destitutus, cum gaudio ad sua remeavit. Alius quoque sæpe prænominati rusticus loci, Alstenus vocabulo, cum diu privaretur auditu, sanatis aurium arteriis, ibidem pristino restitutus est usui.

*sacer ignis curatus;*

*auditus recuperatus;*

16 Est parochia nostræ contigua, nomine a Wentira, unde quidam Erbenbertus, statura pusillus, multorum constipatione suorum tentus, (nam vesano inflatus spiritu et præcipue se ipsum vexavit) illuc quoque adductus est : sed prompta adeo renumeratione, et a sanctis Virginibus, cum fremebundus et insaniens venerat, sanæ mentis dissolutus redierat.

*energumenus liberatus,*

17 Quid amplius? Longum est ac fastigio agitari matronarum sacrarum, quam referre mira, quibus Deus mundo innotuit, cum ceteris cœlestibus quantæ existunt sibi dignationis : quia etsi corpora earum adhuc terræ socientur, spiritus procul dubio collegium Sanctorum, ut liquet, sortiuntur, nobisque deE promunt quantum in precationibus apud Censorem nostrum summum valeant. Et cum Dominus suos hac roborasset soliditate, mirabiliora, et, si ita dicam, inauditiora miraculis suis per eos effici debuisse; nullos lateat velle earum sanctarum Virginum, quoquo modo indifficulter, nutu Dei, explicari posse : quod ut in parvis ita et in magnis, in majoribus et maximis præmonstratur. Nam sæpe pecora, quia sacra attigerunt loca, meritis Sanctarum visa sunt debilitata. Eisdem quoque febrium extinctiones, morborum diversorum curationes; et quandoque, quod maximum est, dæmonum expulsiones, gratiarum actiones concessæ sunt, per Dominum nostrum Jesum Christum, Dei Patris filium, qui cum eo in Spiritu sancto vivit et imperat, æquale numen per omnia secula seculorum, Amen.

*varia facta miracula;*

*pecora loco sacro non pascenda.*

a Vulgo Windeke, et Denderwindeke, ut distinguatur ab altera Wendica, quæ quod ad Scaldim jacent Scheldewindeke dicitur

# DE S. WEREBURGA VIRGINE

C

## FILIA REGIS MERCIORUM IN ANGLIA, F

### Commentarius prævius.

a. a

*§ I. S. Wereburgæ progenies regia. Vita conscripta. Tempus præfecturæ monasticæ.*

SECULO CH. VIII. III. FEBR.

*S. Wereburgæ parentes Wulfherus Rex et S. Ermenilda,*

Progenita est S. Wereburga patre Wulfhero Merciorum, Mediterraneorum Anglorum, et regnorum Australium Rege Christianissimo, ejusque piissima conjuge S. Ermenilda Regina, cui sacer est dies XIII Februarii, qua cum Acta ejusdem Ermenildæ conjungemus res præclare a Wulfhero marito gestas, unaque regni Merciorum in ejus proavo Crida, seu Creadda fundati, aliarumque annexarum dein regionum situm conditionesque, necnon varios ex eodem Cridæ et Wulfheri familia succedentes Reges, inquiremusque, quomodo ab aliis S. Wereburga unica S. Ermenildæ proles habeatur; et tamen a nonnullis Ceonredus, seu Coenredus Rex (quem inter et Wulfherum regnavit S. Ethelredus hujus frater) dicti Wulfheri filius producatur. Sed vel maxime ibidem expungemus fabulosum parricidium, quo a viris, etiam in antiquitate historica Anglo-Saxonum alias eruditis, creditur Wulfherus, aut acerrimus a regni exordio Christianorum hostis, aut fœdissimus a fide baptismoque ante suscepto ad idololatriam relapsus, apostata, proprios filios in odium Christianæ religionis sua ipse manu interemisse : docebimusque SS. Wulfhadum et Ruffinum, qui ob fidem Christi occisi, Martyres coluntur, non fuisse fratres S. Wereburgæ, a dictis Wulfhero et S. Ermenilda genitos. Reliquam S. Wereburgæ stirpem maternam e Regibus Cantiorum, eisque conjunctam legitimis conjugiis familiam regiam et Anglorum Orientalium, et Francorum transmarinorum infra ad Acta ipsa explicamus. In eisdem referuntur Wedunum, natale S. Wereburgæ solum, ejusque miraculis illustre : Elyense monasterium, ubi vitam monasticam primo amplexa est. Triccingham, vulgo Trentham, alterum monasterium ejus morte clarum; ac tertium Hamburgense, ubi corpus ejus conditum, ac longo tempore Divina virtute mansit incorruptum

*frater an Ceonredus Rex,*

*non SS. Wulfhadus et Ruffinus Martyres*

*loca ab ea inhabitata.*

2 Acta S. Wereburgæ damus ex antiquissimo codice MS. ex Anglia a Gulielmo Cambdeno ad Rosweydum misso. Nomen auctoris non apponitur : is est, nostro judicio,

A judicio, Goscelinus ille, aut Gotzelinus qui, teste Malmesburiensi lib. 4 de Gestis Regum Anglorum cap. 1, innumeras Sanctorum Vitas stylo extulit, vel informiter editas comptius emendavit, post Bedam secundus in laudibus Sanctorum Angliæ enarrandis. Floruit is circa annum Christi MC, a S. Anselmo Archiepiscopo Cantuariensi aliisque ob doctrinam ac pietatem singularem in Angliam evocatus e Belgio, ubi ante monachus S. Bertini apud Audomaropolim varias Sanctorum Vitas illustrarat, eusque inter etiam stylo cultiore emendarat Vitam S. Amelbergæ Virginis, quam penes nos MS. habemus, edituri ad X Julii, diem ejus natalem. Eam autem Vitam dum hic cap. 6 suo stylo recusam agnoscit; et hujus se auctorem esse prodit. Utraque præterea Vita eadem ratione suis est capitibus propriisque titulis distincta. Præterea quam ex Catalogo scriptorum Britanniæ Molanus ad Usuardum VIII Julii, et hunc secutus Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica observant a Goscelino scriptam esse Vitam S. Witeburgæ Virginis, eam potius suspicamur S. Wereburgæ Virginis esse cujus illa magna matertera fuit, seu S. Sexburgæ aviæ hujus soror: quæ, ut infra dicemus, cum S. Wereburga ob nominis similitudinem confunditur: quamvis, ut plurimorum Sanctorum Vitam conscripsit Goscelinus, ita etiam utriusque et S. Wite-

*Vitam scripsit Goscelinus*

*forte sub nomine S. Witeburgæ ab aliis citatam;*

B burgæ et S. Wereburgæ Acta curasse potuerit cum Ramesiæ degeret non procul a monasterio Eliensi, ubi et S. Wereburga habitarat, et tum requiescebat corpus S. Witeburgæ, Derha ex Comitatu Norfolciæ, ubi constructo cœnobio vitam monasticam sancte egerat, istuc translatum; appositumque reliquiis sacris duarum sororum S. Etheldredæ et Sexburgæ, hujusque filiæ S. Ermenildæ. Ut denique S. Anselmus Hugoni Comiti, de quo infra, auctor fuit ut ecclesia monasteriumque Cestrense S. Wereburgæ daretur monachis; ita Goscelinum, ut hanc Wereburgæ Vitam conscriberet facile potuit inducere. Compendium hujus Vitæ habent Joannes Capgravius in Legenda Sanctorum Angliæ et codex MS. cœnobii Rubeæ Vallis prope Bruxellas, ipsis verbis Goscelini retentis, ut vel hinc colligere liceat, alia ejusdem Capgravii compendia sæpe ex eodem Goscelino desumpta esse: quod observamus ad Vitam S. Ermenildæ matris, et S. Laurentii Archiepiscopi Dorovernensis II Februarii, ubi plura de Goscelino damus.

*ejusdem epitome.*

3 Partim ex eadem Vita, partim aliunde hæc leguntur in Eliensi historia MS. Werburga filia S. Ermenildæ, post mortem patris sui, intravit monasterium S. Etheldredæ apud Ely, sicut legitur in Vita sua, priusquam mater sua idem monasterium intravit: cu-

*Elogium S. Wereburgæ ex Eliensi historia MS.*

C jus sanctitatem cum Rex Ethelredus patruus suus comperisset, eam inde cepit, et principatum monasteriorum sanctimonialiumque in regno suo ei tradidit. Sponsa igitur Domini Werburga, cum quibusdam Ecclesiis præesset, post dilectæ genitricis suæ obitum, jure prælationis etiam monasterium Elgæ suscepit. Cum ergo omnium familiæ et monasteriis sibi creditis, præ nimia caritate ardens, optaret adesse, et e contra nulli tolerabile videretur, sua dulci præsentia carere, elegit cum Divina præscientia Hehamburgæ monasterio corpore requiescere. Quamobrem præcepit Hehamburgensi familiæ, ut, ubicumque migraret ex hac luce, ipsi incunctanter venirent, corpusque ejus ad monasterium suum portarent... Legitur in Anglico, quod Sexburga in ecclesia de Scepeia, quam construxit, a Theodoro Archiepiscopo velamen sanctitatis accepit, atque ibidem filia sua Ermenilda sub ea normam religionis, spreto regni culmine, postea sumpsit; quæ dum iter apud Ely paravisset, filiam suam Werburgam pro se in monasterio Abbatissam, sicut diu optaverat, constituit. Est autem Shepeia insula Cantii Orientalis, in qua ob monasterium sanctimonialium tunc extructum, vicus etiamnum Minster appellatur.

*an fuerit Eliensis Abbatissa*

*e Shepeia is?*

4 De tempore quo aut reliquis monasteriis præposita fuerit, aut ex hac vita mortali ad præmium laborum suorum abierit, nihil uspiam traditum est. Monasterium Eliense cœpit ædificare S. Etheldreda anno DCLXXIII. Vita et regno functus est Wulferus Rex anno DCLXXV: a cujus obitu sub S. Etheldreda, anno DCLXXIX mortua, sacræ religionis habitum sumpsit apud Elienses, quibus secunda Abbatissa tum data est S. Sexburga: quæ Malmesburiensi lib. 4 de Pontificibus Anglorum dicitur sub religione et nomine Abbatissæ consenuisse. Sed tum prorsus vetula cujus ex filia neptis S. Wereburga jam pridem vivo patre Wulfhero nubilis sollicitantes ad matrimonium procos repudiarat. Hinc Edmardus Mathei in suo Indice chronologico ad Trophæa Anglicana Ordinis Benedictini hæc habet anno DCLXXX: Eodem tempore claruit S. Sexburga Regina et Abbatissa. Item S. Ermenilda ejus filia Regina, deinde Abbatissa: quasi non diu superfuerit S. Sexburga, eique tertia apud Elienses successerit S. Ermenilda: quod nobis magis probatur, quam quod legimus apud Wionem in Notationibus ad III Februarii, S. Ermenildam factam Abbatissam anno Christi DCCIII, quando eam, aut etiam citius, e vivis excessisse credimus. Quo autem tempore illa ad Elienses migravit, S. Wereburgam filiam præfecisse Shepeiano in Cantio monasterio dicenda esset, si Anglicano monumento ab Eliensibus citato fidendum est. Inde esset tum a patruo suo S. Ethelredo Rege evocata, et monasteri sanctimonialium regni sui jure Abbatissæ (ut explicat Wigorniensis ad annum DCLXXVI) præfecta: et simul a morte S. Ermenildæ matris Eliensis quarta Abbatissa facta. Ab eadem S. Wereburga Wedunam, Wulfheri patris sui Regiam sedem, in monasterium conversam esse tradunt post Ranulphum Cestrensem Cambdenus in Coritanis agens de Comitatu Northamptoniæ, Harsfeldius seculo 7 cap. 23 et Edmardus Mathei in suo de S. Wereburgæ Vita tractatu. S. Ethelredus relicto regno monachus factus est anno Christi DCCIV, quo tempore S. Wereburga adhuc supererat: ad quam vero senectutem pervenerit, quove anno decesserit, nusquam legimus. Aliqui S. Ermenildam matrem scribunt ad annum DCCX supervixisse, quod nos de filia ejus dicere mallemus, si tamen diutius non superfuerit.

D

*Facta sanctimonialis post annum 675.*

*Abbatissa quando Shepeiensis: et aliorum monasteriorum.*

E

*et Wedunensis ase extructi:*

*supererat post annum 704*

*quamdiu.*

## § II S. Wereburgæ reliquiæ Cestriam translatæ, ejus publica veneratio.

Duplex apud Britannos Urbs-Legionum, vulgo Caerlegion, seu Caerlion, dicta ab hibernis vel stativis legionum. Altera in Britannia II apud Silures, Isca priscis tum Legio II, a Ranulpho Cestrensi lib. I Polychronici cap. 48 Demetiæ, seu Suthwalliæ adscripta; in eaque illius parte ad fluvium Oscam sita, quæ Comitatu Monemuthensi circumscribitur. Sedem olim Archiepiscopalem sub primis Britonibus Christianis habuit, inde Landavam ac postea Meneviam, quam S. Davidis urbem dicimus, translatam. Hujus Urbis-Legionum cives fuisse SS. Aaronem et Julium in Diocletiani persecutione martyrii palma coronatos tradit, libro de excidio Britanniæ, Gildas Britannicorum scriptorum antiquissimus. Utrique istic a Britonibus ecclesiam erectam esse docent Giraldus Cambrensis lib. I Itinerarii Cambriæ cap. 5 et Galfridus Monemuthensis lib. 9 hist. Britan. cap. 12, de quibus agemus ad Kalendas Julias. Altera non minus clara permansit Urbs-Legionum, Britannis Caer-Legion, Caer-Leon-Vaur, Saxonibus Lege-cester, vulgo Anglis Chester, et a situ West-chester, Latine Cestra et Cestria, Comitatui adjuncto nomen dedit: Romanis creditur Deva, Devana, vel Divana dicta, a Cornaviis exculta, et provinciæ Flaviæ Cæsariensi adscripta: Ranulpho, qui hic suam historiam elaborarit, tempore Britonum caput et metropolis Venedotiæ et Nortwalliæ habetur, postea in confinio Anglorum ad conspectum Cambriæ: inter duo

*Urbs Legionum una in Australi Cambria,*

F

*ubi SS. Aaronis et Julii celebris:*

*alia nunc Cestria,*

AUCTORE G. H.

*olim a Britonibus detenta*

A duo marina brachia, *sive* duo flumina Dee et Mosee *sita. Creditur sub initium seculi septimi adhuc a Britonibus detenta, ejusque Episcopus cum aliis Britonibus interfuisse colloquio cum S. Augustino Dorovernensium Archiepiscopo in finibus Wicciorum et Saxonum Occidentalium instituto, de quo agit Beda lib. 2 cap. 2, et de Episcopis Britonibus varia disputat Usserius de Britannicarum Ecclesiarum primordiis cap. 5. Ranulphus Cestrensis lib. 5 Polychronici cap. 18 tradit S.* Wereburgam Hamburgæ sepultam usque ad adventum Dacorum jacuisse. *Tum* hiemantibus Danis apud Rypendon, fugatoque Rege Merciorum Burdredo *(quod factum esse anno* DCCCLXXXIV *legimus in Chronologia Saxonica)* Hamburgenses cives sibi timentes, cum feretro, corpus Virginis continente, tunc in pulverem resolutæ, ad Legecestriam, quæ nunc Cestria dicitur, tamquam ad locum tutissimum contra stragem barbaricam confugerunt.

*eo ossa S. Wereburgæ delata:*

6. *Volunt interim Cambdenus et Spedus, ubi de Cestria agunt, hanc a Danis misere deformatam esse, sed præclare restauratam ab Ægelfleda Merciorum Domina sorore Eduardi senioris Regis, qui Anglis imperavit ab anno* DCCCCI, *ad* DCCCCXXV, *sub quo Ægelfleda cum Ethelredo marito usque ad annum* DCCCCXII, *et vidua septem deinde annis Mercios rexit. Successit huic Eduardo*

B Æthelstanus, *a cujus tempore* in urbe Cestria, *secundum Ranulphum,* usque ad adventum Normannorum Canonici seculares, collatis vicissim possessionibus, ad Virginis laudes militarunt; *ut secundum Malmesburiensem lib. 4 de Pontificibus Anglorum,* ex antiquo sanctimonialium monasterium *fuit, inter quas* S. Werburgam cœlibatum professam plurimo temporum curriculo bonis enituisse virtutibus, *male adjungit. Anno Christi* DCCCCLXXIII *Cestriæ Eadgarum Regem pompa magnifica triumphantem vidit; quando Regibus Kynatho Scotorum, Malcolmo Cumbrorum, et Macco plurimarum insularum, et Subregulis Walliæ quinque ad remos locatis, ipse, clavo gubernaculi arrepto, a palatio ad monasterium S. Joannis navigavit; factaque oratione ad palatium remeavit, ut pluribus narrant* Wi*gorniensis aliique. Successit Eadgaro filius S. Eduardus, deinde Martyr, et post alios alter S. Eduardus Confessor; de priori agemus* XVIII *Martii, posteriorem celebravimus* V *Januarii, ubi cap. 7 Vitæ ejus,* Comes Leofricus vidit Christum in ara consistentem, dextera super Regem extenta signum sanctæ Crucis eum benedicendo depinxisse. *Hic* Comes Leofricus, et uxor nobilis Comitissa Godiva, Dei cultrix, et S. Mariæ semper Virginis amatrix devota, monasterium Con-

*monasterium S. Wereburgæ extructum,*

C ventri a fundamentis construxerunt: Leonense etiam et Winlacomense cœnobium, S. Joannis Baptistæ ac S. Werburgæ Virginis monasteria in Leogecestra sita, et Ecclesiam S. Mariæ de Stowe pretiosis ditaverunt ornamentis. Wigornense quoque monasterium terris, et Eveshamense ædificiis, ornamentis variis, terrisque locupletaverunt. Decessit Leofricus in bona senectute II Kalend. Septem. anno MLVII, *ut ad eum annum referunt Wigorniensis, Hovedenus, Westmonasteriensis, Cestrensis, aliique. Cambdenus addit* a Leofrico Ecclesiam Cestriæ in honorem S. Werburgæ positam esse. *Sub Gulielmo Conquæstore Petrus Episcopus Sedem suam Lichfeldia Cestriam ut observat Malmesburiensis, transtulit; dein, teste Wigorniensi, anno* .... *Coventriam relatam. Sunt autem Lichfeldia et Coventria urbes Comitatus Staffordiensis: a quibus omnibus sedibus sæpe posteriores Episcopi appellationem sumunt. Hic Gulielmus I Rex* Hugonem Lupum *hæreditarium Palatinum, Cestriæ Comitem creavit, cui ex hæredibus sex Comites ordine successerunt. Hic ille est* Hugo, *per quem* loco sanctimonialium monasterium Cestrense S. Wereburgæ monachis repletum *fuisse tradit Malmesburiensis de Pontif. Angl. lib. 4 quos tamen* monachos regulares

*a Leofrico Comite ornamentis ditatum*

*et forte e[x]structa addita:*

*inductis a Lupo Comite monachis*

*maruit Cestrensis successisse* Canonicis secularibus, D *quos* pauculos ejectos fœdo et paupere victu vitam transigentes *scribit etiam Malmesburiensis lib. 2 de Gestis Regum Angl. cap.* 13, *ut hi tum soli fuerint, aut sanctimonialibus additi, ad divinum officium decentius celebrandum. Cambdenus addit* ab Hugone Comite ecclesiam S. Werburgæ restauratam esse, monachisque auctore S. Anselmo concessam. *Quod factum esse anno* MXCII *sub Rege Guilielmo Rufo passim omnes scribunt cum Annalibus Stoi et Martyrologio Anglicano primæ editionis. In cujus posteriore editione tum primo ex Hamburgensi ecclesia traduntur solenni pompa translata Cestriam ossa S. Wereburgæ, extructaque ab Hugone ecclesia illi dicata cum monasterio, Sede nunc Cathedrali honorata: postquam sacræ reliquiæ apud Hamburgenses trecentos circiter annos requievissent, quos etiam Cestrensis annotarat: quamvis* fugato Rege Merciorum Burdredo, *ergo anno* DCCCLXXXIV, *ut supra demonstravimus, describat corpus ejus Cestriam translatum, ut errore quodam amanuensium* CCC *anni loco* CLXX *videantur intrusi; imo uti sub Gulielmo II ea translatio dicitur facta, ita octoginta circiter anni ultra assignatos trecentos fuissent elapsi: et si eidem Martyrologio credamus, in quo sub annum* DCLXXVI *traditur obiisse, erunt anni ab ejus obitu plures quadringentis.*

7 *Sub finem historiæ MS. monasterii Petroburgensis* E *observatur,* S. Werburgam in Leggecestre requiescere. *Referunt eamdem hoc III Februarii præter Martyrologium Anglicanum, Carthusiani Colonienses in Auctario Usuardi his verbis:* Item Wereburgæ Virginis. *Ferrarius in Catalogo Generali:* In Anglia S. Wetereburgæ Virginis; *quam in Notis* Wereburgam *vocat. Menardus in Martyrologio Benedictino:* In cœnobio Cestrensi, S. Werburgæ Virginis et Abbatissæ, filiæ Vulferi Regis Merciorum. *Edouardus Maihew in Trophæis Benedictinorum Anglorum:* Trincinghamiæ, vulgo Trentham, in Comitatu Staffordiæ S. Wereburgæ Virginis et Abbatissæ, splendore generis et sanctitate vitæ clarissimæ; *ejusque gesta ex variis recenset. Ejusdem Vitæ compendium refert hac die Hieronymus Porterus in Floribus Sanctorum Angliæ, in quibus etiam vita functa dicitur* circa annum Domini DCLXXVI *quo vitam monasticam, patre Wulfhero anno præcedente mortuo, forte auspicata. Arnoldus Wion eamdem cum S. Witeburga, magna matertera, confundit et celebrat* VIII *Julii.* In Anglia, *inquit,* S. Witeburgæ Virginis, Wulferi Regis Merciorum filiæ et sanctimonialis Elyensis, sanctitate et miraculis claræ. *Additque in Notis alios dici* Wereburgam et Vereburgam, *atque* ad Ermenilda matre Regina F oblatam fuisse Deo in cœnobio Elyensi circa annum Domini DCLXX. *Florarium MS.* XIX *Februarii hæc habet.* In Anglia S. Wicburgæ Virginis: *ut dubitari possit, de* S. Withurga *an vero* Werburga *auctor agat. An non etiam S. Wereburga cum S. Walburga Virgine et Abbatisa ob aliquibus confusa occasionem dederit ut hæc filia Regis crederetur, et pater ejus S. Richardus Angliæ Rex haberetur, inquiremus* VII *Februarii ad S. Richardi Vitam, et* XXV *Februarii die S. Walburgæ natali.*

*Cultus ex sacris fastis:*

*S. Wereburga confusa cum S. Witeburga,*

*et S. Walburga.*

8 *Agunt denique de S. Wereburga Florentius Wigorniensis ad annum* DCLXXV *et Westmonasteriensis ad* DCLXXVI *quibus dicitur* magnarum Virgo virtutum, multa Deo cooperante miracula patrasse, quibusdam Virginum Deo devotarum monasteriis præfecta, cum iis regulariter vivens, illisque in omnibus pie consulens, ad vitæ finem vero Regi Christo militasse; sicque e seculo migrans ad complexum et nuptias sponsi cœlestis intrasse. *Apud Malmesburiensem lib. 2 de gestis Regum Anglorum cap.* 13 S. Ermenildæ apud Hely et præcipue filiæ Wereburgæ apud Civitatem Legionem laudantur merita, extolluntur miracula, cumque omnibus petitionibus sint incunctanter

*Elogia aliorum.*

A tanter favorabiles, maxime orationes fœminarum et puerorum vicino et contiguo auxilii pede attingunt. *Quæ fere eadem leguntur apud Vincentium Bellovacensem lib. 23 Speculi historialis cap. 32, et Petrum de Natalibus in Catalogo lib. II cap. 67. Earum virtutum illustres præcones etiam sunt Polydorus Virgilius lib. 4. Historiæ Anglicanæ, Harpsfeldius seculo. 7 cap. 23, Andreas du Chesne lib. 6 Historiæ Anglicanæ, et passim alii.*

*patrocinium fœminarum et puerorum.*

9 *Vita sequens in codice MS. his capitibus distinguebatur, quæ hic præposuisse sufficit, facta more nostro nova divisione.*

*Vitæ in capita divisio in Codice MS.*

Cap. I Genealogia S. Wereburgæ.
II Conversatio in Elio monasterio.
III Conversatio matris suæ in eodem monasterio.
IV Præponitur monasteriis sanctimonialium Werburga a patruo suo Rege Æthelredo. Idem Rex hujus sanctitatis exemplo fit perbeatissimus monachus.
V Werburga ut mater pia, ita fit omnium ministra pro magistra.
VI Volatilium agmina præcepto captivat et relaxat.
VII Humilitas ejus. Carnificem retorta in tergum integrum cervice increpat, et supplicem reformat.
B VIII Transitus ipsius III Nonas Februarii.
IX Corpus ejus Triecengehamenses custodientes obdormiunt: et Hamburgenses divinitus reseratis foribus auferunt.
X Post novem annos elevata, inventa est toto corpore et vestibus ut vivens vernantissima.

# VITA
## AUCTORE GOSCELINO MONACHO
*ex MS. Gulielmi Cambdeni.*

### CAPUT I.
*Illustris ex quatuor Regiis familiis progenies S. Wereburgæ.*

Filia Regum, et sponsa Christi decentissima, Virgo Werburga in Cestria civitate requiescit, meritorum signis gloriosa. Clara est in tota Anglia, et pura sanctitate, et regia dignitate, et virtutum attestatione, atque Anglicarum historiarum celebritate. Aprimis Anglorum Regibus sublimiter splendescit; a Rege vero Dorobernæ, quod est Cantuariæ, potentissimo *a* Æthelbrichto, qui primus Anglorum Regum per Protodoctorem suum *b* Augustinum Christo C sacrari meruit, imo a quatuor regnis altum et sanctum genus trahit: quod hic sequenti ordine exponi dulce videtur; quo Dei gemma carius appretietur, et quasi de præviis sideribus hæc matutina stella clarius spectetur. Æthelbrichtus igitur ex *c* Berta Regina filia Regis Francorum, *d* Eadbaldum cum Æthelburga filia procreavit, quem suæ pietatis et regni optimum hæredem reliquit. *e* Æthelburga vero Regina post proprii Regis Nordanhumbrorum *f* Edvini interfectionem, reversa ad fratrem Eadbaldum in villa *g* Liminnga monasterium ædificavit, in quo cum *h* S. Eadburga requiescit. Eadbaldus quoque ex alterius *i* Regis Francorum filia Emma *k* Eormredum atque *l* Ergombertum Principes sanctamque Virginem *m* Answytham, quæ apud *n* Folcanstam deposita veneratur, propagavit. Eormredo autem ex inclyta conjuge Ossava nati sunt *o* Æthelredus, atque Æthelbrichtus, quos innocenter jugulatos, splendida lucis *p* columna de cœlo prodidit Christi Martyres, quatuor quoque sibi filiæ sanctæ *q* Domneva, Æermenberga, Ærmenburga, et Ærmengida, velut paradisiaci fontis quadrifida emicuere flumina. Fratri vero ejus Ergomberto Regi *r* Annæ Regis filia *s* Sæxburga, soror perpetuæ Virginis *t* Æthel-

*S. Wereburga, nata regia quadruplici stirpe.*
*a* *b* *Cantuariorum S. Ethelberto oborta,* *c* *d* *e* *f* *Eadbaldo prognata,* *g* *h* *i k* *l* *m n* *et Francorum ab uxores;* *o* *p* *q* *r* *s t*

drethæ, regaliter conjuncta peperit *u* Ægbrichtum D ac *x* Lotharium Reges, cœloque dignas *y* Eormhildam atque *z* Eorkengodam Reginas. Eormhilda *aa* Wlfero Regi Marciorum, *bb* Pendæ Regis filio, tradita, splendidissimam Werburgam, cui hæc parentalis purpura infloratur, generavit.

*Auctore G. M. Ercomberto avo, et S. Sexburga filia regis Anglorum Orientalium:* *x y z* *aa bb*

2. Beatissima vero matertera ejus Virgo Eorkengoda amore sacræ religionis peregrinata trans mare requiescit, ubi se a Domino susceptam tamquam advenam suam multis virtutibus ostendit. At beata et regia *cc* Domneva regio Wlferi germano Merwale conjugata, ad summæ Trinitatis gratiam triplicem Virginitatis protulit lauream, sanctissimas scilicet sorores *dd* Mildburgam, Mildrydam, et Mildgydam, quæ distinctis monasteriorum suorum lapidibus irradiant patriam. Natus est ei et Merevin filius, qui ad sanctos innocentes a baptismate raptus est parvulus. Almifluæ quoque Werburgæ generositatem ac sanctimoniam proxime exornant sanctissimæ amitæ suæ Pendæ Regis filiæ, *ee* Kyneburga et Kynewida, quæ cum propinqua sua beatissima Tibba *ff* Burgensem superni janitoris Petri illustrant ecclesiam. Suus vero genitor prænominatus ac patrui Reges, id est, Peada, *gg* Ædelredus ac prædictus Merwala prædictarum sororum fratres, Christianæ institutionis non solum cultores, verum etiam primi atque intensissimi fuere E propagatores: et sicut Ædelbrictus Dorobernæ, ita Wlferus in Merciis Christianitatem primus dilatavit. Sic itaque, ut præmisimus, ex quatuor regnis, et antiquis Regibus rosa Christi Werburga floresccit. A principe susceptæ fidei Ædelbrichto Cantuariorum, a Berta vel Emma Francorum, ab Anna Rege, et avia Sexburga Orientalium Anglorum, a patre vero luculentissima facta Merciorum. Hæc vero ad gloriam prædicandæ Virginis prætitulantur, ut de radice sancta ramum sanctum deceat sanctitudo; imo de contempta regni excellentia major adscribatur claritudo. Restat nunc, ut explicemus sanctam ipsius conversationem, et probabilem in Domino finem.

*S. Ermenilda matre et Wlfero Rege Merciorum:* *cc* *aliæ consanguineæ Sanctæ* *dd* *ee* *ff* *gg* *patrui Reges:*

*a* S. Ethelbertus Rex [illegible] obiit anno 616, colitur 24 Februar. quo die de ejus majoribus agemus. — *b* S. Augustinus colitur 26 Maii, ejus socius et in Archiepiscopatu successor S. Laurentius 2 Februar. — *c* Berta, S. Gregorio Adilberga, filia Chariberti Regis Parisiorum, [illegible] S. Wereburgæ [illegible] anno 570. Chilpericus [illegible] 562, Chlodoveus [illegible] 569. — *d* Eadbaldus [illegible] regnavit [illegible] 616, [illegible] 640, [illegible], teste Beda lib. 2 cap. 6, anathematizato omni idololatriæ cultu, [illegible] et abdicato connubio non legitimo [illegible], suscepit fidem Christi, et baptizatus, Ecclesiæ rebus, quantum voluit, in omnibus consulere ac favere curavit. [illegible] lib. 3, [illegible] 8. — *e* Colitur S. Ethelburga 8 Septemb. Beda lib. 2 cap. 9 Edelburga, alio nomine Tate, [illegible] matrimonio occasio fuit fidei percipiendæ genti Northanhymbrorum. Quam ad [illegible] epistolam [illegible] Papa, refert Beda cap. II. — *f* S. Edwinus, primus Rex Christianus Northanhymbrorum, regnavit annis 17, occisus anno 633, 12 [illegible] obiit de [illegible] Beda [illegible] cap. 9, [illegible] ad cap. 20. — *g* Rex Eadbaldus sorori suæ Ethelburgæ dedit villam Liminng, in qua ipsa monasterium construxit, et a B. Honorio Archiepisc. [illegible] velamine consecrata, mater plurimarum Virginum et viduarum fuit. [illegible] S. Honorii [illegible] Lyming [illegible] seu [illegible] Septentrionali [illegible] Elham, non procul a mari, et portu [illegible]. — *h* Eadburga, sive Edburga, [illegible] S. Ethelberti, [illegible] sit cum sorore Eadburga requiescit [illegible] auctori magis congruit. Sed ea Edburga [illegible] quæ [illegible] Abbatissa monasterii S. Mildredæ cujus corpus ea transtulit in novam ecclesiam, dedicatam a Cuthberto Archiepiscopo, quem Nothelmo xvi kalend. Novemb. anno 741 defuncto [illegible] Chronicon Saxonicum. — *i* Quis fuerit hic Rex, [illegible]. Emmam enim regnante monarcha Francorum Chlotharius II, cujus fuerit aut filia, aut soror [illegible] Austrasiorum aut Burgundionum [illegible]. — *k* Vita Ercomredus et Ermenredus, in Historia [illegible] S. Sanctus dicitur. — *l* Ercombertus, avus S. Werburgæ, regnavit ab anno 640 ad 664. Hic, teste Beda lib. 3 cap. 8 [illegible] præcepit, et jejunium quadragesimale observari. — *m* S. Eanswyda, sive Enswida colitur 12 Septemb. — *n* Folkstanum, [illegible] in Cantio, Anglo-Saxonibus religionis nomine celebre fuit [illegible] monasterio, quod Eanswida Eadbaldi Regis Cantii filia Virginibus consecravit, nunc vicus est, ejusque partem maximam abrasit Oceanus, [illegible]. — *o* Coluntur hi fratres Ethelredus et Ethelbrictus 17 Octobris, quo die ad [illegible] translati sunt sub Rege Ethelredo. — *p* Radius prolixæ immensæque lucis instar flagrantis facis per summum aulæ regiæ culmen, [illegible], usque ad cœlum protendere Regi visus est. *Vita MS.* — *q* In eadem Vita dicuntur

*S. Ethelbertus* *Berta,* *Eadbaldus* *S. Ethelburga* F *S. Edwinus,* *Eadbaldo Liminnga monasterium* *S. Edburga,* *Ercombertus.* *Folkstonum monasterium* *SS. Ethelredus et Ethelbrictus Mart.*

A

*AUCTORE GOSCELINO EX MS.*

*Anna Rex.*

*S. Ethelreda,*

*SS Erkengotha et Ethelburga*

*Merwaldi uxor,*

*filiæ sanctæ.*

*SS Kineburga et Kineswida.*

*dicuntur* Dompnena, Ermenburga, Etheldritha et Ermengitha. *Ex his* Ermenburga *colitur* 19 *Novembris.* — r Anna *alter* *fratrum, Rex Anglorum Orientalium, occisus anno* 654. *Ex deservitionis post* S. Sigebertus *Martyr* … 17 *Septemb.* Ipse Anna *Bedæ lib.* 4 *cap.* 20 vir bene religiosus ac per omnia mente et opere egregius, *in Eligensi historia MS. etiam* Sanctus *appellatur.* — s S. Sexburga *… colitur* 6 *Julii* … S. Withburga et Ethelburga, 7 et 8 *Julii.* — t S. Ethildritha, Etheldreda *sive* Etheldrudis, *prima Tondbert* o *Principi, tum Egfrido Nordhumbrorum postea Regi annis* 12 *nupta, virginitatem servavit, agit de ea Beda lib.* 4 *cap.* 19 *et* 20 *Colitur* 23 *Junii. Incepit regnare Egfridus anno* 670. — v Egbertus *avunculus regnavit in Cantio ab anno* 664 *ad* 673. — x Lotharius, *alter avunculus, post fratrem regnavit ad annum* 685. — y S. Ermenilda *mater colitur* 13 *Februar.* — z Earcongota, *sive* Erkengotha … *S. Ethelburga Abbatissa vixit in monasterio S. … Meldensis, non procul ab urbe Parisiorum, colitur S. Eargonta* 23 *Februarii et S. Ethelburga* 7 *Julii, agit de iis Beda lib.* 3 *cap.* 8. — aa Wulferus *pater regnavit ab anno* 657. — bb *Regnavit* Penda *avus paternus ab anno* 626 *ad* 655, *cui tum* Peada *alter filius, dein* Wulferus *successit.* — cc *Contra* … *Vita S. Milburgæ apud Capgravium, et Vita MS. fratrum SS. Ethelredi et Ethelbricti. Contra* S. Ermenburgam Merwalæ, *seu* Merwaldo, *nuptam scribunt* … *Angl.* … 4. … *ad annum* 675. *Westmonasteriensis ad annum* 670. — dd *Colitur* S. Milburga 23 *Februarii*, S. Mildreda, *seu* Mildritha 13 *Julii* … S. Milwida *… Januar.* … *Merewaldo* … 23 *Februarii.* — ee SS Kineburga et Kineswida, *aliis* Chineburga et Chineswida, *coluntur* 6 *Martii* … S. Tibba *conjunctim* … 13 *Decemb.* … — ff *Corpora harum anno* 963 *dicuntur translata ad* monasterium de Burgo S. Petri, *vulgo* Peterburgum … *et* … *De eo* … *ad Vitam S.* … — gg S. Ethelredus *colitur* 4 *Maii. In appendice* … *Mercelinus, ubi etiam* Merewaldus, *hic* Merwala, Sanctus *habetur.*

B

## CAPUT II.

*Conversatio S. Wereburgæ in Eliensi monasterio : præfectura variorum monasteriorum.*

*a*

*Amore Christi*

*procos rejicit,*

C

*spernit splendorem aulæ regiæ :*

*b*

*ingreditur monasterium Eliense,*

*c*

A tenero ergo ævi flore, cum formæ pulchritudo insigniter responderet generositati suæ, cœpit speciosa facie cum speciosissima mente ad illum, qui speciosus est forma præ filiis hominum, *a* contendere : cujus ut inæstimabilem dulcedinem prægustare potuit, protinus in ejus amorem anhelo pectore exarsit, et, ut cervus ad fontes aquarum, virginalis anima ejus in ipso sitivit : adeo dulcis et suavis Spiritus Domini a Patre dilectionis procedens illam attraxit, cœlestes concupiscentias in ejus corde accendit, terrenas exstinxit. Illa amore perpetuæ virginitatis ad sponsum æternæ integritatis convolavit, procos et amatores regifices angelica pudicitia repulit, imo Christus electam sibi inhabitans omnibus appetitoribus eripuit. Sanctissima parens non cessabat assiduis monitis irrigare hortum Domini, et plantare in ea immarcescibilia germina paradisi, et accendere lampadem ejus oleo et flamma caritatis inextinguibili. Ad illam enim vitam flagrantissimam prolem exercebat, quam ipsa adhuc sub jugo maritali gemitibus inenarrabilibus suspirabat. Verum altissima Dei providentia benigne dispensans omnia, matrem eam in regno statuit omnium inopum, omnium necessitudinum refugium, simul etiam ut piis visceribus pignus Deo gigneret acceptissimum, et ampliorem coronam dilaturum tandem reciperet desideriorum. Viluerant divitiæ tam matri quam filiæ; palatium habebant pro monasterio : aurum, gemmæ, vestes auro textæ, et quidquid fert pompatica mundi jactantia, onerosa sibi magis erant, quam gloriosa; et, si forte his uti ad tempus regia compelleret dignitas, dolebant se potius vanitati subjectas tanquam captivas.

4 At vero virginalis B. Werburgæ libertas, mox ut valuit, hæc vincula exuit, et ad *b* Eligense monasterium cum officio sublimium parentum hostia Dei commigravit, ubi primum beata, et intemerata matertera sua *c* Ætheldreda, ac deinde soror ejusdem Virginis, sua ut prædictum est, avia, principabatur Sexburga. Illico abjicitur cultus terreni nitoris, induitur habitus sacræ religionis, vestis pulla pro ornamento gloriæ, velum capitis humile pro regni assumitur diademate. Ita præclara Virgo certabat fastum mundi calcare; mente et conversatione, velut hic peregrina, ad supernam patriam tendere; tota animi summissione humillimam Christi exhibere ancillam, quam ipse exaltare dignaretur in sponsam. Omnes monasterii famulatus anticipabat : omnibus se inferiorem exhibebat : erga omnium necessitates vulneratæ caritatis viscera impendebat.

D

*humilitati studet :*

*Cap. 3.*

*d*

*e*

*mater Ermenilda vidua ingreditur idem monasterium,*

*certat cum filia in virtutum progressu,*

5 Jam Deo amabilis pater ejus Wlferus, multarum ecclesiarum ædificator, Christianæ fidei summus amator ac dilatator, quippe qui etiam subjectos Reges, *d* datis provinciis in mercedem, ad Christi cultum attraxit, septimo decimo imperii sui anno *e* de temporali regno ad perenne transivit. Tunc beatissima Regina Eormenhilda post pios fletus triumphans se solutam a mundiali catena, diu desideratam conversationem arripuit, et cum beata filia in Eligensi monasterio jugum Domini suave subiit. Hic deinceps tanta virtutum flagrantia in omni sanctitate et religione vixit infatigabilis, ut et Virginibus exemplum esset castitatis ac totius virtutis. Contendebant alterutra pietate mater et filia, quæ humilior, quæ possit esse subjectior : mater sibi præferebat ejus, quam genuerat, virginitatem; Virgo matris auctoritatem : utrimque et vincere et vinci gaudebant. Nunc autem in eodem cœnobio ad salutiferam ipsius benignissimæ parentis tumbam conspicue elucescit, quibus clementiæ visceribus se in cunctos diffuderit, dum corporaliter vixit; adeo ut experti ipsius beneficia audeant fideliter asserere, quod nullus credulus petitor frustretur ejus ope.

E

*claret miraculis.*

*Cap. 4.*

*S. Wereburga præficitur monasteriis Merciorum,*

6 Igitur patruus almæ Werburgæ Rex Æthelredus, qui fratri Wlfero successerat, cum sancta mente totius sanctitatis esset benignissimus, videns in beata nepte divinam prudentiam ac sanctimoniam altius resplendere, qui nimirum virtutem poterat ultra germanitatem diligere, tradidit ei monasteriorum Sanctimonialium, quæ in suo regno pollebant, principatum. Pulchre sane superna id actum est providentia, ut sacræ institutionis, cujus perfecta erat discipula, in salutem multorum decentissima foret magistra.

*a S. Ethelredo Rege dein monacho,*

*f*

*g*

7 Rex vero magis ac magis cœpit imperii tædere, dum se reputaret inter secularia negotia quasi animal acclive terræ, illam vero columbinis pennis meritorum ad cœlum volitare, et quid plura? Non quievit æstus spiritus sui, donec *f* vigesimo nono regni sui anno in *g* Bardeniensi cœnobio de Rege efficeretur monachus, qui idem jam favore superno probatur meritis venerandus.

*Cap. 5.*

F

*suavis erga subditas,*

*in omni virtute exercitata,*

*h*

8 Dilectissima autem Deo Werburga, erga subjectos ita erat magistra, ut potius videretur ministra : æquabat, vel magis subjiciebat se infimis; malens, si liceret, locum extremitatis quam prælationis. Portabat omnes quasi viscera sua, fovebat ac si uterina pignora, erudiebat exemplo attentius quam imperio. Totam possederat dilectio, et benignitas, pax et hilaritas. Ad indigentes promptissima illi largitas : ad afflictos compatientissima erat pietas : adversa ridebat patientia, vincebat fiducia, calcabat cœlesti lætitia : ad usum vero divinæ sapientiæ accipiebat prospera, abstinentiam pro deliciis, vigilias pro *h* somno, labores pro voluptate, lectiones et orationes sacras pro epulis habebat : corpore in terris, animo conversabatur in cœlis.

*Elia monasterium.*

*Bardeni.*

a *Capgrav.* et MS. R. … *vol.* consciendere. — b *Elige Bedæ lib.* 4. *cap.* 19 *alias* Elia et Eli, *olim monasterium, nunc oppidum in insula cognomini, ab anguillis juxta Bedam appellata, ad fluentationem in Comitatu Cantabrigiensi apud Orientales Anglos.* — c *Extruxit illud monasterium an.* 673, *obiit an.* 679. — d *Illos plene illustramus* 13 *Febr.* — e *Anno* 675. — f *Anno* 704 … *regnare a morte Wulferi an.* 675. — g Bardena, Beardena Peartaneon, *vulgo* Bardney, *in Comitatu Lincolniensi, non procul ab urbe ad australem ripam Withamæ.* — h MS. *Cumbdem* solennis.

capui

A

## CAPUT III.

### *Obedientia anserum silvestrium. Inobedentia villici punita.*

Cap. 6. Sed jam forsitan lectorem lassamus, dum miracula suspendimus. Majora miraculis sunt merita, quibus ipsa fiunt miracula: quia possunt esse perfecta merita absque signis, signa vero nihil sunt absque meritis. At vero multis mirabilibus effulsisse probatur dignissima Virgo, et in Eligensi cœnobio, et quocumque degebat loco. In *a* Weduna autem regio patrimonio suo, quod est in Hamtuna provincia, jocundum et celeberrimum a generatione in generationem hoc ejus miraculum asseritur ab ipsa plebe tota.

*Meritis et miraculis emicat.*

10 Cum in ipsius Wedunæ mansione moraretur regia Virgo, agros ejus solito infinita aucarum *b* indomitarum, quas gantas vocant, depopulabatur multitudo. Nuntiat domesticus ruricola hoc damnum Dominæ suæ. Tunc illa magnanimi fide præcepit illi, ut omnes adduceret, et includeret, more scilicet animalium, qui depascunt alienas segetes. Vade, inquit, et omnes has volucres introduc huc. Itabat ille altius obstupescens, an garriret, an deliraret hæc jussio. B Quomodo enim suspectus advena tot volatilia ire gressibus in vincula cogeret, quibus per cœlum evadere liceret? Quomodo, inquit, ad primum accessum meum in æthera fugientes huc convertam? Tunc Virgo propositum urgens: Vade, ait, quantocyus, et ex nostro jussu omnes adduc in custodiam nostram. Ille timens vel supervacuum dictum divæ præceptricis negligere, post omnes vadit, dicensque illis: Ite, ite ad Dominam nostram; omnes ante se, ac si captiva pecora, agit. Nulla avis de tanto cœtu pennam levavit sed quasi implumes pulli vel alis excisæ pedetentim se permovebant, pedestri incessu summissis collis velut pro confusione reatus sui adventabant: sic intra curiam judicis suæ trepidæ et suppressæ quasi damnatæ se collegere, ibique; *c* retruduntur captivæ, vel magis servantur indulgentiæ.

*Anseres silvestres ejus voci obediens rusticus, in stabulum adigit*

11 Noctem illam filia lucis, uti consueverat, in hymnis cœlestibus ac precibus perpetuat. Mane omnes advenæ elatis vocibus concrepant ad Dominam, quasi veniam et emigrandi poscentes licentiam. At illa, ut erat erga omnem Dei creaturam benignissima, absolutas jubet dimitti, interminans, ne ultra auderent in hunc locum regredi. Unam autem ex eis qui- C dam ministrorum exiens furto abstulerat, et occulerat: cumque omnes elatis pennis in aera se sustulissent, seseque circumspiciendo requisissent, damnum contubernii sui una absente *d* percensent. Extemplo universus exercitus supra domum Virginis *e* glomeratur, ingenti strepitu injuriam collegii sui conqueritur: cœlum undique diffusis copiis obtegitur, ut quasi hac voce humana judicium miseratricis suæ implorare viderentur: Quare, Domina, cum omnes nos relaxaverit tua clementia, una ex nobis tenetur captiva? Et potest hæc iniquitas latere in domo sancta tua, et fœda rapacitas valere sub tua innocentia? Egressa ergo divina Virgo ad murmur tantæ plebis, et querimoniam, intellexit caussam, ac si præfatis verbis auditam. Protinus perscrutatum *f* furtum reus ipse publicat receptamque volucrem suæ genti pia conciliatrix associat, et abire simul prædicta conditione mandat. Quibus nimirum sic gestiebat, dicebat benigno animo: Benedicite volucres cœli Domino. Nec mora; omnis illa concio ita avolavit, ut nulla hujus generis avicula in ipsa terra almæ Werburgæ, ut famose memoratur, ultra reperta sit. Bene ergo illi pecualis creatura parebat, quæ omnium Creatori tota devotione jugiter obtemperabat. Tale prorsus miraculum in Vita beatissimæ Virginis *g* Amelbergæ, quam nostro stylo recudimus, legitur, quatenus in eodem opere eadem fides utriusque, licet diverso tempore et loco exstiterint, comprobetur.

*eas ipsa postridie dimittit, unicam furto ablatam redeuntibus reddit.*

D *AUCTORE GOSCELINO EX MS.*

Cap. 7. 12 Quantæ autem humilitatis fuerit, quantæ etiam apud Deum sublimitatis, in eodem loco Wedunensi aliis confirmatur indiciis. Erat illi armentarius, vir piæ conversationis, et quantum licuit sub humana servitute sanctæ vitæ, qui et suis locis fama meritorum perpetuatur ac recolitur festive, *h* Alnotus nomine. Hunc villicus Dominæ cum forte laniaret cruentissimo verbere, et ille omnia in Dei nomine toleraret mansuetissime, alma Virginis compassio non ferens dolorem, proruit ad pedes indignos lanistæ, clamans cum prece, et increpatione: Parce pro Dei amore, quare excarnificas hominem innocentem, apud altissimum Inspectorem omnibus nobis (ut credo) acceptiorem? Cumque ille vel præ furore vel præ superbia tardius flecteretur, continuo dura cervix et torva facies superna indignatione *i* in terga illi reflectitur. Sic demum, quod magis debuerat, ipse ad pedes Dominæ provolvitur, et veniam, quam insonti negaverat, suo reatu cum lacrymis deprecatur: statimque interveniente Virginis clementia, in pristinum statum reparatur. Vir autem Domini memo- E ratus jacet ad *k* Stowam una leg'a a Buccabrive, quem in silvæ anachoreticam vitam ducentem latrunculi martyrizaverunt, et divina signa Deo acceptabilem, uti celebratur, *l* perdiderunt.

*Villicum, verberato S. Alnoto, increpat, divinitus punitum precibus sanat.*

a Weduna, in Itinerario Antonini, ut censet Camdenus, Bannavenna, vulgo Wedon, ad Aufonam fluvium qui inde Northamtoniam defluit, caput provinciæ quæ hic Hamtuna dicitur. — b Capgr. et MS. Rub. vel silvestrium aucarum id est, anserum. — c Ibid. recluduntur. — d Ibid. perpendunt. — e Ibid. congregatur. — f Malmesbur. de gestis Pontif. lib. 4 adjungit novum miraculum, quod vel aucam illam a rustico comestam Jubet ergo S. Wereburga ossa recolligi: nec mora; signo virgineæ manus medicante, cutis et caro ossibus superducta, cutis cœpit plumescere, donec ales animata saltu primo alacri, mox volatu se libravit in æthera. Quæ omnia vero adeo [illegible] Camdenus in Northamptonia ait miracula ejus in fugandis anseribus credulos scriptores decantasse. — g Colitur 10 Julii, in ejus Vita MS. idem miraculum narratur, aves gantæ etiam appellantur, una a puero offerali subtracta et absumpta traditur et postridie quasi ad aliarum preces recepta. — h In priore editione Martyrol. Angl. c. refertur 27 Febr. at 23 Novemb. in posteriore. — i MS. Cambden. integra: an supra in tinte integrum melius Capgr. et MS. Rub. [illegible] — k Vulgo Stow et Stowe juxta Wedunam e Buccabrive alibi Bugbrok, Bulbroock, in MS. Uccabrue. — l Potius prodiderunt.

*Weduna. an auca comesta revixerit? S. Amelberga. S. Alnotus*

## CAPUT IV.

### *S. Wereburgæ mors, sepultura, translatio.*

F

Cap. 8. Præterea haud dubium est, amantissimam Deo Werburgam quam multis aliis signis enicuisse, et cœlesti beneficio diversos ægros ac debiles curasse. Potuit etiam divina inspiratione plura præscire ac prædicere, diemque ultimum, quem semper præ oculis habebat, totaque vigilantia cum flammanti lampade eminus observaverat, jam proximum ignorare nequibat. Cum ergo omni familiæ, et monasteriis sibi creditis præ nimia caritate jugiter optaret adesse; et e contra nulli tolerabile videretur sua dulci præsentia carere; elegit tamen divina præscientia et voluntate *a* Heamburgæ monasterio requiescere corpore, quæ omnibus semper repræsentaretur mente. Quamobrem præcepit *b* Heamburgensi familiæ, ut ubicumque migraret ex hac luce, ipsi *c* incunctanter venirent, corpusque ejus ad suum monasterium transportarent.

*Amat ut sepulturam in monasterio Hamburgensi*

14 Venit ergo cœlicolæ Virgini diu desideratus finis terrenorum laborum, ac dolorum, et ingressus cœlestium æternorumque gaudiorum: nox immortalitatis processit, et dies æternitatis illuxit: tenebræ transierunt, et lumen verum luxit, ac sol lætitiæ perennis ortus est illi. Gaudebat beata anima quasi ad epulas invitata, videlicet de exilio ad patriam, de carcere

*AUCTORE GOSCELINO E MS.*

*moritur apud Trenthamenses:*

A carcere ad regnum, de morte ad vitam, de captivitate ad triumphum, de tyrannide seculi ad illum, quem desiderabat, sponsum sempiternæ gloriæ, transitura. Deposita itaque in cœnobio quod *d* Tricengeham appellatur, per languorem et mortem corporis ad immortalia solennia ab angelicis choris assumitur, et in cœlestem curiam supernis concentibus triumphatur, cujus depositio tertio Nonas Februarii celebratur.

Cap. 9.

*Frustra his custodientibus,*

*corpus auferunt Hamburgenses;*

15 Corpus sacrum in ecclesiam defertur, et in medio populi Tricengehamensium obseratis diligentissime januis custoditur, certantibus nequidquam omnibus, ut Heamburgenses excluderentur, et per suum obsequium vel defensionem præceptum vatidicæ Virginis vinceretur, sacerque thesaurus in eodem loco perperam retineretur. At non est sapientia, non est consilium contra Deum. Dum enim nocte ipsa attentius vigilarent, subito sopor gravissimus omnes occupat. Supervenit illico copiosa plebs Heamburgensium cum Dei ministris, extemplo omnia ostia monasterii, cadentibus in terram seris et vectibus, reserantur illis. Irruunt ergo omni custodum turba somno sepulta, rapiunt nullo se adversæ partis movente *e* glebam Virginis, et auferunt, secumque cum ingenti lætitia et gratiarum actione laudisona ad B Heamburgense monasterium confusis rebellibus deducunt.

*claret miraculis*

16 Quis itaque pensare sufficiat, quanta solennitate ipsius anima suscepta sit Deo, cujus corpus ad requiem prælectam transferri tanto dedit prodigio? In hoc ergo sacro loco Dei margarita cum debita reverentia et solenni jubilo tumulata, plurimis signorum indiciis se probat vivere in cœlesti regia; sanitas ægrotis, lumen cæcis, auditus surdis, sermo mutis restituitur: leprosi mundatione, et diversis languoribus oppressi una salute percepta gratulantur. Tot itaque post mortem suam vitæ reformat quæ tam sancte vivebat.

Cap. 10.

17 Post hæc etiam inenarrabilis Domini gratia in ipsa carne virginali diutius incorrupta evidenter ostendere est dignata, qualiter sibi placuerit intemerata ipsius pudicitia cum mente, qua Deum videbat, mundissima. Post novem siquidem annos ejus sepulturæ, suggerentibus Heamburgensibus, placuit Regi *f* Ceolredo, qui tunc regnabat Merciis, quatenus sacrosancta ipsius gleba de tumulo elevaretur, clamantibus cunctis indignum esse, ut tanta lux multorum sub modio terræ absconderetur. Ablato ergo operculo speluncæ, cum putaretur ab omnibus more humanæ conditionis tota caro defluxisse et tantum C nuda ossa superesse; inventa est potius Virgo integerrima quasi in dulci strato obdormire, vestes nitidissimæ et sanæ, sicut primitus induta erat, omnino apparuere: facies candida, et genæ roseæ, tamquam in primævo flore, amoto reverenter velamine, sunt visæ. Attollitur clamor gratiarum in cœlum, tantæque gratiæ admiratio in laudes Domini accendit frequentem populum. Assumitur ergo a Sacerdotibus solemniter adornatis, cum supplicibus votis et canoris chorizantis Ecclesiæ modulis. Explorantibus adhuc diligenti studio, nulla penitus in ea læsio, nulla reperta est corruptio. Ita demum reconditur in theca sibi competenter parata, ubi conspicue fideles populos illustrat preclara lampade sua.

*corpus cum vestibus incorruptum,*

*elevatur,*

18 Duravit diutius sub Angelica custodia hic honor illæsi corporis, usque ad tempora scilicet *g* Paganorum, et diem malorum: quando justissima D Dei dispensatione hæc patria Anglorum, tradita est gladiis Gentilium. Tunc demum vitalis gleba voluit cedere mortali legi, atque resolvi, ne impiis manibus eam contingerent hostes, miraculorum Dei increduli, et beneficiorum ingrati. *h* Potuit plane Dei omnipotentia et in die malorum dilectam suam protegere, sicut servavit plerosque Sanctos hujus patriæ ab iniqua contagione, qui adhuc usque jam post quadringentos amplius annos vernant integro et incorrupto corpore, et poterunt indubitanter usque in finem pro Divino arbitrio perdurare. Verumenimvero mirabilis et gloriosus Deus in Sanctis suis, mira et inæstimabili providentia alios in majorem gloriam resurrectionis ad tempus resolvit, alios perpetua incorruptione in exemplum promissionis suæ custodit. Tot nobilissimi Martyres et summi Sacerdotes Domini a bestiis, vel avibus, vel ignibus sunt consumpti. Posuerunt, inquit Psalmographus, mortalia servorum tuorum, Domine, escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. Quo major fuit ignominia, eo major erit gloria. Summus Martyrum primicerius Stephanus, dum legitur multa signa in vita fecisse, non ibi tamen legitur mortuos suscitasse. Post mortis vero triumphum omniumque membrorum resolutionem, plerosque mortuos describitur vitæ reddidisse, ut a E mortis injuria major nasceretur vitæ potentia. Magnæ itaque gratiæ Dei respectus erat in B. Werburgæ corpore solido, sed major spes æternæ renovationis restat in jam consumpto.

*consumitur,*

Psal 78. 2.

19 Celebremus ergo promptissima devotione sacratissimam ipsius festivitatem, quia omnis ejus celebritas ad Christi Domini pertinet honorem, qui ita eam condignis meritis fecit celebrabilem: quam nimirum nobis providit ante se Interventricem, quatenus per dilectæ suæ venerationem, suam mereamur propitiationem, qui non habemus meritorum executionem. Tanto quippe benignius illam exaudiet orantem pro nobis, quanto accensiores fuerimus in ipsius Deo offerendis præconiis. Annuat nobis semper memorandæ Werburgæ Coronator, quatenus per ejus sancta suffragia, et hic profutura desideria consequamur, et in æternum beatæ visionis ac resurrectionis suæ consortia mereamur. Annuat, inquam, ipse Salvator, qui cum Patre et Spiritu sancto in omnia secula regnat et dominatur. Amen.

*Invocanda S. Wereburga.*

a *Vulgo* Handbury *in Staffordia australi.* — b *Capg. et MS. Rub. vel* suis manibus. — c *Vel* apud Hamburgense monasterium corpus suum transferrent et incunctanter sepelirent. — d Tricingham *alias, vulgo* Trent-ham *in* [illegible] *non* [illegible] *Trentæ, postquam ei illapsus est amnis* [illegible]. — e *Alt.* corpus. — f Ceolredus S. [illegible] *anno* 709 *in monachum abituro, Rex factus an.* 710 [illegible] [illegible] — g *Alt.* Danorum. *Cœperunt hi Angliam vastare ab an.* 832. [illegible] *Merciorum* [illegible] *an.* 8[illegible] [illegible] *Merciorum* [illegible] *Burrhedo Rege cum Danis* [illegible] 868 *et* 872 [illegible] *et Rege Burrhedo anno* 874 *Romam* [illegible] 877 *Regi Ceolwulfo concessa est* [illegible] *regnum Merciorum* [illegible] *Anglorum* [illegible] *in monarchiam coalescente, Edwardus Rex* [illegible] *Merciorum Comite Ethelredo* [illegible] *anno* 9[illegible]2 *Eadmundus Rex Merciam* [illegible] *urbes* [illegible] *Stamfordiam,* [illegible] *totamque Merciam in suam redegit potestatem,* [illegible] *Chronologus Anglo-Saxo,* [illegible] *Dani redierunt in Angliam anno* 991 [illegible] *ab anno* 1010 *ad* 1016 *quo Canutus Danorum Rex* [illegible] *anno sequenti totius Angliæ imperium adeptus* — h *Capgr. cum MS. Rub.* [illegible] Translataque tunc sunt ossa illius apud Cestriam, ubi usque in hodiernum diem requiescunt, meritisque ejus crebra fiunt miracula.

F

*Trent-ham.*

*Ceolredus Rex.*

*Mercia a Danis subjugata,*

*et liberata*

DE

# DE S. NITHARDO PRESBYTERO
## MARTYRE IN SUECIA.

G. H.

*Circa an. Chr. DCCCXL. III Febr. S. Nithardus socius Gaudberti Episcopi*

Inter viros Apostolicos qui primi Sueciam adiere Evangelii prædicandi caussa, *memorantur* Gaudbertus Episcopus, Simon *cognominatus, adjutor Legationis* S. Anscharii Archiepiscopi Hamburgensis, *ejusque comes itineris et nepos* S. Nithardus, *regni illius Protomartyr; quem, mox acturi de* S. Anschario, *hoc die referimus, quod ejus natalis ignoretur. De* Gaudberto *egimus* II *Februarii inter* Martyres Ebbeckestorpienses *cap.* 4. *iterum acturi infra in* Actis S. Anscharii *cap* 6. *ubi narratur num.* 21 ad partes venisse Sueonum, honorifice a Rege et a populo susceptum, publice Evangelium fidei prædicasse ecclesiamque cœpisse ibi ædificare: *sed num.* 22 *dicitur* populus Sueonum diabolico instinctu, fervore zeli accensus, præfatum Gaudbertum Episcopum insidiose persecutus: *quo* factum est, ut ad domum, in qua manebat, unanima conventione, pars quædam populi, caussa direptionis, irruerit, et nepotem quidem ipsius, Nithardum nomine, gladio peremerit, et odio Christiani nominis percussum, Dei Martyrem fecerit. Ipsum vero cum ceteris sociis, qui simul aderant, ligaverunt, et diripientes omnia, quæ apud eos invenire potuerunt, contumelia et opprobriis affectos, a finibus suis expulerunt. Quod tamen non Regio jussu factum, sed populari tantum conspiratione est perpetratum. *Hæc in* Actis S. Anscharii, *quæ etiam extant inde excerpta apud Chesneum tomo* 3 *scriptorum historiæ Francorum; ubi tamen* Hithardus *scriptum.*

*in conversione Suecorum, gladio perimitur, in populari conspiratione,*

B

2 *Adamus Bremensis lib.* I *historiæ Ecclesiasticæ hunc Gaudberti* Capellanum *vocat, et plures cum eo occisos arbitratur.* Tunc quoque, *ait*, anno Ludewici senioris novissimo, Gaudbertus Episcopus zelo Gentilium a Sueonia depulsus, et Nithardus Capellanus ejus martyrio cum aliis coronatus est. *Quæ iisdem verbis descripserunt Albertus Stadensis in Chronico ad an.* DCCCXL. *Et Krantzius lib.* I. *Metropolis cap.* 33 *ubi* Vitardus *vitio typographico dicitur. Joannes Magnus in Metropoli Upsalensi lib.* I Gaudbertum *etiam martyrio tunc affectum, perperam arbitratus est.* His et aliis, *inquit*, compluribus in Suetia virtutibus patratis, Ansgarius in Hamburgensem Ecclesiam se contulit, relinquens in loco suo apud Bircham sanctissimum virum Simonem Pontificem, et Nitardum venerabilem Presbyterum, qui cum Christianam doctrinam, diligenti pietate et pia diligentia, induratis et perfidis prædicarent, gravissimas persecutiones sustinuerunt, et tandem glorioso martyrio vitam suam feliciter consummarunt. *Et infra*: Occiso sanctissimo Episcopo Simone, et venerabili Presbytero Nithardo, magna Gothiæ pars ad idololatriam est relapsa. *An Gaudbertus in senio a Nordmannis martyrio affectus fuerit, disputatum* II *Februarii. Non fuerunt hi in comitatu S. Anscharii, sed ab eo in Sueciam missi. Post necem S. Nithardi et expulsionem Gaudberti,* Sueciam *septem fere annis absque Sacerdote fuisse, traditur num.* 25 *in* Actis S. Anscharii, *a quo tum* Ardgarius anachoreta *missus est: eo reverso, ipse* Anscharius, *jam Bremensi Sede Archiepiscopatui Hamburgensi unita, cum* Erimberto, *altero nepote* Gaudberti, *eo profectus, publica Regis* Oleph *auctoritate, populique consensu ecclesiam erexit, eamque Erimberto Presbytero commisit. Joannes Vastovius in Vite Aquilonia* Nithardum Martyrem *scribit, tempore* Olai *Regis, sæva persecutionis tempestate ab* Amundo *excitata, cum aliis nonnullis Christianis glorioso martyrio coronatum. Joannes Magnus supra arbitratur* Ingevallum, *seu* Ingellum *tunc regnasse, a quo* Amundus, *sive* Anoundus, *valetur a regno expulsus: quo etiam in furore populi hanc tempestatem probabile est fuisse excitatam. De Regibus Sueciæ, Birca emporio, et viris Apostolicis in illud regnum missis agemus* § II *ante Acta S. Anscharii.*

*anno 840: non episcopus Gaudbertus: sub quo Rege?*

E

*Animadv. pag. 40.*

# DE S. ANSCHARIO
## ARCHIEP. HAMBURGENSI, DANORUM SUECORUMQUE APOSTOLO, BREMÆ IN SAXONIA INFERIORE,

### Commentarius prævius.

G. H.

### § I *Hamburgi erectus a S. Anschario Archiepiscopatus. Magnitudo provinciæ.*

*An. Chr. DCCCLXV.*

*Saxones, populus occupatis Germanorum citeriorum Britannorumque regionibus notissimus, nec minus Augustorum Cæsarum administrato olim Imperio clarus, creduntur primam sedem habuisse trans Albim Germaniæ Borealis fluvium, in ea peninsulæ parte, quæ S. Anscharii ævo Nordalbingia et Transalbiana Saxonum provincia dicebatur; nunc vero Holsatia appellatur ad Slesvicum oppidum porrecta: ubi Anglis quibusdam intermediis, continuabatur ditio Cimbrorum, nunc Jutia nominata; de cujus oppido Ripa, uti Anglorum Slesvico infra agemus. Porro Saxones hi, Germaniam citeriorem ingressi, primo Albim inter et Rhenum in provinciis Oceano vicinioribus consederunt et qua excellebant nauticæ artis peritia, maritimas Frisiorum Belgarumque oras sæpius infestatas tandem subjugarunt, Britanniamque ipsam, junctis sibi vicinorum Anglorum viribus occuparunt. Nec terra minus industrii, latius sibi subdiderunt Germaniam contiguam; in qua eorum seculo Christi octavo ditiones et populos varie divisos, atque a Carolo Magno subactos descripsimus* VII *Januarii in Vita S. Wittekindi Ducis et* XXVIII *ejusdem in Caroli Magni Actis. Nonnulla etiam prioribus seculis a Saxonibus gesta diximus Kalendis Februariis ante Acta S. Sigeberti Regis.*

*Saxonum natale solum Nordalbingia seu Holsatia; variæ migrationes.*

2 *Ceterum Saxones Transalbiani, Legatis Caroli Magni barbaro furore anno Christi* DCCXCVIII *occisis, diutius restiterunt, dum Carolus jam Imperator, plurimis eorum cum mulieribus et infantibus in Franciam translatis, agros sæpius vastatos donaret Abotritis, vicino Sclavici generis populo, ut ad annos* DCCCII *et* DCCCV *in Annalibus ejusdem Caroli refert Eginhardus. Accessit mox bellum cum Rege Daniæ Godefrido, seu Gotrico: quo anno* DCCCX *extincto, paxque cum successore Hemmingo composita, Egidora fluvius utrimque et Germanici imperii et regni Danici est terminus stabilitus. Loca tum istic notiora, leguntur Holdunstetin, sive Holdunsten (unde Holsteiniæ, quam dicimus Holsatiam, fluxisse origo videtur) super Albim fluvium, ubi Imperator anno* DCCCIV *aliquamdiu moratus est: Esesfelt* super

*Nordalbingia subacta a Carolo Magno, loca tum in ea præcipua,*

A *super ripam Sturiæ fluminis, ejus jussu anno* DCCCIX *occupatum, cœptumque muniri: et Hochboki seu Hohbuoch aut Obuoki castellum, Albi flumini contiguum, in quo residebat Odo Legatus Imperatoris et Orientalium Saxonum erat præsidium. Illud anno* DCCCX *a Wilsis captum dirutumque, exercitus Francorum sequente anno restauravit, ut tradunt annis citatis, Annales Eginhardi, Bertiniani, Fuldenses, aliique. Illud autem castellum Hochbuochi inquiri a viris doctis posset num haberi queat Hamburgum, aut certe arx ejusdem, si ab aliquo, quod tum fuerit, oppido distinguatur. Præfectum sane a Carolo istic constitutum Odonem sive Otonem, nonnullis Utonem, et Vltonem dictum, passim omnes observant.*

*Castellum Hochbuochi, an forte Hamburgum.*

3 *Huic Nordalbingiæ fide Christi imbuendæ Carolus Magnus Heridacum præposuit Presbyterum, curaturus, nisi mors intercessisset, ut Episcopus ibidem ordinaretur. Quas Deus primitias servavit S. Anschario, sub ejusdem imperio Caroli circa annum* DCCCI *nato, et in Corbeia vetere, seu Gallica, monastico habitu sub annum ætatis circiter duodecimum donato. Is sub imperio Ludovici Pii adolescens scientiis humanis divinisque egregie instructus, easdem publice mox alios Doctor tradidit, primo in ipsa suæ professionis loco, tum in Corbeia nova seu Saxonica prope Visurgim extrui cœpta, illuc anno* DCCCXXIII *missus. Herioldo dein Regi e Dania expulso Moguntiæque baptizato, datus a Ludovico Pio anno* DCCCXXVI *itineris comes, ultra biennium adfuit. Reversus ad Corbeiam novam ob morbum Autberti socii, in ea anno* DCCCXXIX *sub Pascha defuncti; rursus ab Imperatore ad Sueones missus, per medium eos annum primis fidei Christianæ rudimentis instruxit. Labores utriusque missionis fusius infra deducuntur. His experimentis probatus, ab Imperatore designatur Archiepiscopus Hamburgensis, atque a Drogone Metensi, adstantibus Ebbone Remensi, Hetti Trevirensi, Otgario Moguntino Archiepiscopis, consecratur anno* DCCCXXXI, *cum trigesimum ætatis annum expleret. Romam profectus pallium Archiepiscopale a Gregorio* IV *Papa accepit, Legatus etiam Apostolicus, ad Danos, Sueones, Sclavos aliasque Aquilonares gentes auctoritate Pontificia constitutus. Utrumque dignitatem, et Archiepiscopatus, et Legationis Apostolicæ, diplomate infra proferendo, illi permisit Ludovicus Imperator Idibus Maii, Indictione* XII, *anno Imperii* XXI, *Christi* DCCCXXXIV.

*ubi S. Anscharius, natus anno 801,*

B

*post varia exercitia,*

*Archiepiscopus consecratus est anno 831.*

4 *Hæc accurate deducenda nobis fuerunt, quod a doctis quibusdam viris alia temporis ratio ineatur, occasione Hetti Archiepiscopi Trevirensis, quem non potuisse consecrationi S. Anscharii tunc adesse credunt, quippe anno dicto* DCCCXXXI *S. Amalario ejus decessore adhuc superstite, needum ad eam dignitatem promotum. Profertur testimonium Amalarii, qui libro de Ordine Antiphonarii cap.* 58 *scribit se* Romam venisse anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXI, Indictione IX, sub Imperio Domini et piissimi Imperatoris Ludovici, et Apostolatu gloriosissimi Apostolici Gregorii. *Quibus verbis inductus Browerus noster docet lib.* 8 *Annalium Trevirensium*, anno enim DCCCXXXII obiisse, IX Idus Junii. *Verum alius est Amalarius ille scriptor, et Episcopo Trevirensi ætate suppar, ex Clero Ecclesiæ Metensis, quem in Prologo dicti libri suum agnoscit. Hunc eumdem opus de Ecclesiasticis officiis, Ludovici Imperatoris jussu scripsisse, observavit Sirmondus noster in Notis ad Opusculum* IX *Ennodii de benedictionibus Cerei. Episcopum vero Amalarium vita functum esse anno* DCCCXXII *auctor est Crutepolius lib. de Episcopis Germaniæ. Juxta Sirmondum etiam citius obiit,* dum interpretatur conventum generalem medio mense Octobri anno DCCCXXI apud Teodonis villam celebratum (*cujus meminit Eginhardus in Chronico*) esse concilium adversus Clericorum persecutiones habitum, *a Burchardo lib.* 6, *cap.* 5, *et Ivone par.* 10 *cap.* 134 *descriptum, insertumque tomo* 2 *Conciliorum Galliæ, cui* interfuerunt XXXII Episcopi, Aistolfus Moguntiensis, Hadabaldus Coloniensis, Hetto Trevirensis, Ebbo Remensis Archiepiscopi, cum suis Suffraganeis. *Qui iidem Archiepiscopi inter Missos Dominicos in Capitulari* 2 *Ludovici Imperatoris cap.* 25 *numerantur, relati a Baronio ad annum* DCCCXIX, *ab eodem Sirmondo ad* DCCCXXIII, *quo certe aut etiam præcedente hi Missi, designati videntur, Ebbone suis ad Danos Legatione plurimum impediendo, substitutoque, quando ei non licuerit, Rotundo. Verum his etiam rationibus omissis, et dictum ad Theodonis villam concilium, et Legatio Missorum Dominicorum necessario ante annum* DCCCXXVI *peracta est, quo Haistulfi successor Otgarius Moguntinus Archiepiscopus Herioldum Regem baptizavit, quinquennium ante, quam Hetti Trevirensis adesset S. Anscharii consecrationi supra memoratæ. Nonnulla infra in Epistola S. Anscharii lucem huic quæstioni conferent.*

*adstante Hetti Archiep. Trevirensi,*

C

*constituto non anno 832,*

*sed ante 826.*

D

5 *Propria Hamburgensis, S. Anschario data diœcesis, erat sola Nordalbingia, a qua in Decretis Gregorii* IV *et Nicolai* I Archiepiscopus Nordalbingorum *appellatur. Ea autem, ut in Actis num.* 36 *dicitur,* admodum parva, solum quatuor baptismales ecclesias habebat, *ante ab Imperatore Ludovico commendata Episcopis vicinis, Willerico Bremensi et Heligaudo Ferdensi; quod Acta tradunt num.* 19 *et Adamus Bremensis lib.* I *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 12 *ex libro Donationum Ecclesiæ Bremensis. Idem Adamus lib.* 2, *cap.* 8 *tres assignat ex prædictis Ecclesiis,* Hammaburg metropolim apud Sturmarios, Scenenfelt apud Holzatos, et Mildintorp apud Thiatmarsgoos, *seu Ditmarsos. Fuerunt Holanstedin præterea et Essesfelt loca ante indicata, tum Welna, seu Welanaus, Ebboni Archiepiscopo ab Imperatore donata, atque ab illo in Gauzbertum translata: denique Heligenstadium, depositis a S. Anschario reliquiis S. Maternani, posteris notum, quæ infra deducentur. Terminos dictæ diœcesis Hamburgensis sequentibus seculis extensos describit Helmoldus lib.* I. *Chronici Sclavorum cap.* 6. Præter honorem, *inquit*, Metropolitanæ Sedis, qua omnes nationes, seu regna complectitur Aquilonis, habet utique Hammenburgensis Ecclesia præscriptos terminos suæ parochiæ, ultimam scilicet partem Saxoniæ, quæ est trans Albiam et dicitur Nordalbingia, continens tres populos, Thetmarsos, Holsatos, Stormarios. Inde extenduntur termini ad Winithos, eos scilicet, qui dicuntur Wagiri, Obotriti, Kyzini, Circipani, et usque ad flumen Panim, et urbem Dimin. Ibi est limes Hammenburgensis Ecclesiæ. *Hactenus Helmoldus. Urbs hæc Demminum etiamnum exstat, Ducatus Pomeraniæ limes, quo cum vicinis lacubus, fluvioque Peni dirimitur a Meklinburgica ditione, in cujus orientali plaga erant Kyzini et Circipani, in occidentali vero Obotriti, sub quibus etiam continebantur Polabingi, Lingones, Warnabi ab Adamo lib.* 2 *cap* 10 *conjuncti. Wagirorum regio hoc adhuc tempore Wagria dicitur, Holsatiæ annumerata.*

*Diœcesis termini, et in ea templa*

E

*Sclavi vicini postea subjecti.*

F

6 *Hæc Winithorum, Winulorum, aut Wandalorum ac vicinorum Sclavorum ditio, sub Ottone* I *Imperatore, seculo decimo, fide Christiana imbuta, proprium accepit Episcopum, Edwardum Adamo lib.* 2 *cap.* 8, *aliis cum Krantzio lib.* 2 *Wandaliæ cap.* 30 *et* 31 *Marcum dictum, Sede ejus Aldenburgi in Wagria assignata. Huic duo alii Episcopatus, seculo undecimo, sub Henrico* III *Imperatore, Conradi Salici filio, adjuncti, Mecklinburgensis, et Raceburgensis. Quæ pluribus deducimus ad Vitam S. Godescalci Martyris, Wandalorum Principis,* VII *Junii, et* X *Novembris in Actis S. Joannis Martyris primi Mecklinburgensis Episcopi. Verum Mecklinburgo bellis Wandalicis seculo duodecimo deleto, et Aldenburgo plurimum labefactato, Sedes hæ translatæ sunt, prior Suerinum, altera*

*Episcopi sui translati et aucti.*

A *altera Lubecam : manseruntque Episcopi harum trium diœceseon Archiepiscopis Hamburgensibus seu Bremensibus subjecti. Miratur idem Helmoldus lib.* I. *cap.* 6 *a SS. Anschario et Remberto non majori cura adlaboratum fuisse in dictis Wandalis seu Sclavis ad fidem Christi convertendis, quod adscribit* incredibili populi hujus duritiæ, non autem prædicatorum illorum torpori, quibus animus circa vocationem Gentium adeo fuerit affectus, ut nec opibus, nec vitæ pepercerint. *Infra in Actis nu.* 21 *Anscharius pueros ex genere Sclavorum emptos, aut ex captivitate liberatos, curavit in Christiana religione educari, quorum auxilio in gente illa convertenda postea uteretur. De S. Remberto, ejusque erga populi hujus conversionem zelo, agemus* IV *Februarii.*

*Conversio Sclavorum an ab Anschario procurata?*

## § II *Bremensis Episcopatus Hamburgensi unitus. Stabilita Chronologica S. Ancharii.*

*ANIMADV. PAP. 47*

*Cursum felicem cœpti Archiepiscopatus stitit strages Hammaburgi, a piratis direpti exustique. Factum id ultimo Ludovici Pii anno, Christi* DCCCXL *scribunt Adamus lib.* I *cap.* 21, *Albertus Stadensis in Chronico, Krantzius, aliique : adduntque prædium* Ramsolam a B quadam venerabili matrona, Ikia nomine, in Episcopatu Ferdensi *illi fuisse oblatum,* tribus ab Hammaburgo rastris, *hoc est, Krantzio interprete*, passuum millibus *dissitum : ubi S. Anscharium volunt cœnobio constituto gregem dispersum collegisse : inde Hammaburgensem Ecclesiam sæpius visitasse, Nordalbingos in fide suscepta confirmasse, aliaque sancta exercitia sep*tennio *integro peregisse. Cur non ergo aliqua hujus domicilii sive habitationis Ramsolanæ facta in Actis mentio, ubi omnia ordine tam exacta proferantur, si potissimum ab anno* DCCCXL *ad* DCCCXLVII *istic Archiepiscopus resedit? Contra* nullam *dicitur num.* 31, in hac provincia cellam huic legationi commodam habuisse, *ideoque ut ei* subsistendi solatium faceret Rex Ludovicus, dare ei Episcopatum Bremensem statuisse. *Deinde aliud tempus requirunt tria hæc in Actis ex diplomate Nicolai Papæ num.* 40 *conjuncta :* Torholtana cella, *prius* Reginario Comiti a Carolo Calvo Rege *donata : dein* metropolis Hammaburgensis *incensa dirutaque ; tum* sedes Bremensis obitu Episcopi *viduata. Post bella ergo inter tres Reges fratres ob singulorum possessionem gesta, regnum Ludovici Pii parentis, anno* DCCCXLIII *mense Augusto apud Virdunum tres in partes dispertitum est. Carolo Calvo cessit Occidentalis Francia, in eaque Torholtana cella, quam* C *anno sequenti Reginario Comiti concesserit ut infra §* 5 *pluribus dicitur. Annus dein sequitur* DCCCXLV, *quo hæc de direptione Hammaburgensi referuntur in Annalibus Fuldensibus*. Nordmanni in Fresia tribus prœliis conflixerunt, in primo quidem victi, in secundis vero superiores effecti, magnam hominum multitudinem prostraverunt. Castellum etiam in Saxonia, quod vocatur Hammaburg, populati, nec inulti reversi sunt. *Eadem in annalibus Metensibus leguntur. In Annalibus Bertinianis et Gestis Normannorum eodem anno dicuntur* Dani ad Albim a Saxonibus devicti, *scilicet quando post Hamburgum direptum reversi sunt non inulti. Sunt autem horum Annalium scriptores ducentis minimum annis Adamo et Alberto antiquiores, atque ævo S. Anscharii propiores.*

*Hamburgum exustum non anno 840,*

845

8 *Brema in maritima Saxoniæ inferioris parte ad dexteram Visurgis fluvii ripam urbs visitur, Episcopatu tempore Caroli Magni erecto insignis, quem primus administravit S. Willehadus, ut pluribus ad hujus Vitam* VIII *Novembris dicetur. Illi substitutus est Willericus, quem sub* Ludovico Pio Transalbianis populis prædicasse, et Ditmarsos, *eorumque* ecclesiam Mildintorp frequenter visitasse *scribit Adamus lib.* I *cap.* 12. *Huic anno* DCCCXXXVII *vita functo successit Leuderi*cus, *ad quem S. Anscharium Homburgo pulsum confugisse testis est idem Adamus cap.* 23 : Fertur, *inquit,* venisse Bremam, atque ab Episcopo ipsius loci, qui doctrinæ ac virtutibus ejus invidit, depulsum esse. Posthæc *addit* Leudericum Bremensem Episcopum decessisse IV Kalend. Septembris : *cujus annos fatetur idem se pro certo scire non potuisse, cum ejus Sedi ante cap.* 20 annos octo *attribuerit, ab anno* XXXVIII *ad* XLVI *istius seculi determinandos. Mox ab hujus obitu de S. Anschario, Sede Hamburgensi pulso cella ante Torholtana privato, Episcopatui Bremensi præficiendo, agi cœptum apud Ludovicum Regem, qui utrum Canonica id auctoritate liceret, discuti voluit in publico Episcoporum conventu in Synodo fortassis Moguntina anno* DCCCXLVII *sub B. Rabano habita. Certe in Epistola Episcoporum Synodali ad Ludovicum Regem, legitur* Anscharius *interfuisse, nisi corrupta lectione* Verendarius Episcopus Curiæ *sit substituendus; quod præsentes ibi* Coepiscopi, ad diœcesim *seu provinciam* Archiepiscopatus Moguntini, *pertineret. De ea Synodo agemus* IV *Februarii ad* Vitam *B Rabani. In hoc ergo aliove Episcoporum conventu Sedes Bremensis, Archiepiscopatui Hammaburgensi unita est, traditaque S. Anschario gubernanda, postquam sedecim annos fuerat ad dignitatem Episcopalem ordinatus, ut etiam observarunt Adamus lib.* I *cap.* 24 *et Krantzius in Metropoli lib.* I *cap.* 42.

D

*sed Ansgario*

*ut S. Anschario,*

*anno 847*

E

9 *Obierat jam ante Hadabaldus Archiepiscopus Coloniensis, cujus Sedes cum diutius vacaret, S. Anscharius plenam Bremensis diœcesis possessionem susceperat; ob quam a sua provincia avulsam Guntharius dein Archiepiscopus Coloniensis constitutus, novam S. Anschario creavit difficultatem, postea Warmaciæ coram duobus Regibus, Ludovico, ejusque nepote Lothario et multis utriusque regni Episcopis sublatam. Anno id* DCCCLVII *factum fuisse suadent Annales Fuldenses his verbis :* Rex Ludovicus mense Februario colloquium habuit in Confluente castello cum Lothario nepote suo : tempore vero quadragesimæ placitum habuit apud Vangionum civitatem, quæ est Wormatia. *Et aliquot interpositis :* Habita est Synodus apud Mogontiacum circa Kalend. Octob. præsidente Carolo Archiepiscopo, ubi inter alia, quæ ventilata sunt de jure Ecclesiastico, præsentata est epistola Guntharii Coloniensis Episcopi ad Altfridum Episcopum directa, in qua legebatur contigisse Coloniæ terribilem tempestatem *etc. En eo anno colloquium Ludovici et Lotharii Regum, conventus Wormatiæ, et Archiepiscopatus Guntharii, ejusque reconciliatione facta familiaritas cum Episcopis provinciæ Moguntinæ. Requisitam a Guntharia Apostolicam approbationem, missi Romam Legati impetrarunt a Nicolao I sub exordium pontificatus datam. Nam teste Adamo cap.* 27 in Privilegio Papæ notatur annus Domini DCCCLVIII, qui est ab ordinatione Archiepiscopi XXVIII. *Eo autem anno, Benedicto III XVI Februarii defuncto, substitutus Nicolaus præclare hactenus propositos annos confirmat. Supervixit S.* Anscharius *ad hunc* in Februarii diem anni DCCCLXV, *quod etiam notatum ab Adamo cap.* 31, *Alberto Stadensi in Chronico aliisque.* Mensibus aut plus quatuor gravi laborarat dysenteria, anno ætatis LXVI, Episcopatus vero XXXIV *contracta, ut Acta referunt num.* 68. *et annum a nobis propositum tum nativitatis, tum Episcopatus initii indubitatum reddunt.*

*Frustra reclamante Arch. ep. Coloniensi,*

F

*approbatur a Nicolao Papa*

*anno 858*

*moritur an. 865.*

10 *Ipse interim Anscharius, ejusque successor S. Rembertus, modum aliquem subjectionis Coloniensi Antistiti detulerunt, quem deinde Adalgarius Remberto subrogatus neglexit. Unde, urgente Hermanno Archiepiscopo Coloniensi, major recruduit difficultas, quam explicat exaggeratque ea de re missa ad Adalgarium epistola Formosi Pontificis, infra danda : qua dispensative censet Papa Bremensem Ecclesiam ad subsidium* Archiepiscopi

*Subest Archiepiscopo Coloniensi …*

AUCTORE G. H.

A *Archiepiscopi Hamburgensis, cum aliquo tamen subjectionis respectu, permanere posse, dum fundatis novis Episcopatibus Hamburgensi Antistiti subjiciendis, Bremensem Ecclesiam recipiat Sedes Coloniensis. Adamus lib. cap.* 41, *et Albertus Stadensis in Chronico ad annum* 896 *occupatis præjudicio animis queruntur,* Formosum Papam et Arnolfum Regem consensisse iniquis decretis Episcoporum, *quos apud Triburiam volunt convenisse, ob Synodum istic anno* DCCCXCV *congregatam, in qua conqueruntur* Adalgarium Archiepiscopum in cauda concilii positum fuisse. *Certe medius inter Episcopos subscripsit hoc titulo:* Adalgarius Episcopus Bremensis. *Verum aliam ante Francofurti collectam fuisse Episcoporum Coloniensi Archiepiscopo subjectorum Synodum, in qua nec per se, nec per Vicarium comparuerit Adalgarius, requirit epistola Formosi Papæ, quam non videntur legisse Adamus et Albertus, quos sicuti Baronius anno* 895 *sect.* 4 *et Binius in suis ad Triburiensem synodum notis, quasi omnia eodem et loco et tempore gesta essent, conjunxerunt. Addunt Adamus et Albertus* Bremam omni tempore sub Adalgario et Hogero Coloniæ factam esse suffraganeam. *Imo in Concilio Engelenheimensi, sub Agapeto* II *Papa anno* CMXLVIII *habito, inter Episcopos etiam medius subscripsit* Adaldagus Episcopus Hammaburgensis. B *Observat Krantzius lib.* 2 *Metropolis cap.* 21 Adalbertum, *sive* Albertum, Archiepiscopum Hamburgensem, *de quo infra iterum et ad Vitam S. Remberti agemus, seculo Christi* XI *apud Summum Pontificem, et Imperatorem (nam utrique sui Præsulatus utrique percarus fuit) effecisse, ut in suam dignitatem Hamburgensis reduceret Ecclesia, metropolitico jure adversus Colonienses gavisa. Quod autem Legationis jurisdictio hisce Archiepiscopis, ut Hamburgensibus, annecteretur dum novi in Aquilonaribus regionibus constituti sunt Archiepiscopi, prædicti leguntur* Hamburgenses *appellati, non autem aut raro admodum* Bremenses. *Ipse Adamus Ecclesiæ Bremensis Canonicus, quem prædictis statutis valde offensum vidimus, suam Historiam inscribit* Liemaro Archiepiscopo Hamburgensi, *dicti Adalberti successori. Quartus a Liemaro ordinatus anno* MCXXIII *Archiepiscopus Adaltero ab Innocentio* II *Papa in pluribus Epistolis, a Philippo Cæsare, de quo mox agemus editis* Hammenburgensis Archiepiscopus *appellatur, itemque* Lundensem aliosque Daniæ Episcopos restituit, *quos postea Adrianus* IV *Papa prorsus exemit: a quo tempore, relicto Hamburgensi nomine,* Archiepiscopos Bremenses *dictos fuisse Privilegia varia illis collata, et* C *simul cum Adamo a Lindebrogio edita confirmant. Hinc liquet SS. Anscharium et Rembertum Archiepiscopos Hamburgenses potius dici debere, Bremenses vero Episcopos. Ipse Anscharius in Præfatione ante miracula S. Willehadi, se* Bremensis Ecclesiæ Præsulem *scribit. Verba infra referuntur.*

*sublata XI seculo,*

*Archiepiscopi Hamburgenses*

*Bremenses a seculo XII appellati,*

## § III *Acta S. Anscharii conscripta. Elogia de eo variorum.*

Mortuo *Anschario successit* S. Rembertus, ipso mox depositionis die a Clero et populo electus: *qui primus inter curas assumpti muneris, decessoris Acta summatim colligens, assumpto socio, edidit* libellum gestorum *ex certissimo sciendi* quippe præ cunctis familiaris illi in omnibus adesse solitus, indivisibilis Legationis comes, et omnium gestorum conscius. *Ne tamen de se familiariorem gratiam jactanter* videretur proferre, suppresso suo nomine, *meminit* frequenter cujusdam fidelissimi discipuli, *qui ipse est Rembertus. Hæc additis hic verbis* IV *Februarii in hujus Vita referuntur nn.* 6, 11, *et* 14 *eisque consentiunt Acta S. Anscharii, in quibus dicitur num.* 59, 68 *et* 71, discipulus pene in omnibus conscius, familiarissimus, *jussus* extremas *eo moriente* preces fundere. *Hic, ut omne aberrandi periculum evitaretur, nu.* 2, revelationes interserere elegit, quas ille *Anscharius* indicaverat, qui ei familiarius adhærebant. *Iterum num.* 5 *et* 6 Visiones, sicut ipse dictaverat, verbis illius enarrat. D

*Vita S. Anscharii a S. Remberto,*

*familiari discipulo,*

12 *Adamus Bremensis lib.* I *Hist. Eccl. cap.* 31 *existimat* Rembertum hunc librum ad Fratres cœnobii direxisse novæ Corbeiæ: beatificans illos, quod talem miserint; et suis congratulans, quod talem suscipere meruerint Pastorem. *Adamum Krantzius aliique recentiores sequuntur. Verum Corbeiam Gallicam intelligi debere series continuata Vitæ confirmat. Ita hujus cœnobii monachos alloquitur num.* 1, 3 *et* 9, vestro beneficio talem meruimus, *qui, necdum cœpta extrui nova Corbeia,* apud vos tonsuratus, atque in monasticis disciplinis positus, apud vos Deo oblatus obedientiam promisit, una cum aliis Fratribus vestris directus ad has Saxoniæ partes, in quibus cœptum fieri monasterium, nomenque mutuatum a loco habitationis vestræ, ut nova Corbeia appellaretur. *Iterum, quæ in Corbeia Gallica facta sunt, alloquens illos nn.* 9 *et* 57, *ait* Reverentiæ vestræ notissima, et qualis apud vos effulserit, vobis optime compertum. *Ita num.* 10, 12, 16 *et* 35 *dicuntur* Walo monasterii vestri Abbas, Audbertus monasterii vestri Frater, E Witmarus socius ex vestra Fraternitate, *qui omnes ad Corbeiam Gallicam spectant* et Reginarius Comes, *cui a Carolo Calvo cella Turholtana data fuerat,* vobis bene cognitus, *in eadem scilicet vetere Corbeia. Præterea Franciæ hinc opponit ea, quæ in Saxonia contigerunt: ita num.* 15 Anscharius regio jussu ab hinc (*ex Corbeia nova*) ad Palatium vocatur; *et num.* 21, fuerunt cum eo hic *Hamburgi* ex societate vestra *Corbeiæ Gallicæ* sancti Patres nostri Magistri. *Rursus certitudinem horum Actorum confirmans,* Quanta, *inquit nn.* 9, inter vos, *in Francia,* sanctitate fulserit, vestrorum testimonio comprobabitur. Nobis autem ea, quæ apud nos, *in Saxonia,* gesta sunt narrare cupientibus indagandum primo *etc. Acta autem Bremæ Sede Episcopali, non autem in Corbeia nova conscripta esse colligimus ex num.* 59. *ubi adducuntur* testes Fratres, apud nos (*id est Bremæ*) et in nova Corbeia degentes. *Denique Acta non diu post obitum S. Anscharii conscripta fuisse exigit citatus num.* 8. Witmarus præsens ejus rei testis, *qui cum eo circa annum Christi* DCCCXX *in Corbeia vetere* scholam puerorum rexerat, *postea ejus primæ ad Sueones* Legationis socius, *idemque num.* 16 *plurima omittit, quæ melius ipse, qui interfuerat, intimare posset.* F

*inscripta*

*Patribus Corbeiæ Gallicæ,*

*mox ab ejus obitu:*

13 *Acta hæc deperdita, uti credebat, deplorat Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annos* 826, *num.* 37, *et* 858, *num.* 5, *ubi aliquo spicilegio facto, quod multa Adamus aliique rerum Septemtrionalium Scriptores suæ historiæ intexuerint, nonnulla etiam in Actis S. Remberti victuræ ejus præconia reperiantur, conatur magnam illam jacturam resarcire Baronii exemplo, Joannes Vastovius in Vite Aquilonia seu de Sanctis, qui Scandinaviam magnam illustrarunt, Harræus, Lippeloos aliique in suis de Vita Sanctorum tractatibus, aliquod virtutum rerumque gestarum S. Anscharii compendium ediderunt. Primus ejus Acta luce publica donavit Philippus Cæsar, Bremæ olim in æde S. Anscharii Canonicus et Pastor sed heterodoxus, inde abjurata hæresi sacræ Theologiæ Doctor orthodoxus, qui* ex pervetusto et authentico, *ut præfatur,* Hamburgensis Ecclesiæ codice MS. *edidit typis Coloniensibus anno* MDCXLII Triapostolatum Septemtrionis, *seu* Vitas et gesta SS. Willehadi, Anscharii et Remberti, *inscripsitque* Francisco Guilielmo Episcopo Osnabrugensi, et Arnoldo Corbeiæ novæ Abbati; *in qua Præfatione, quod ante refutavimus, indicavit hanc* Vitam a S. Remberto dedicatam *fuisse* Abbati, Patribus

*periisse credita,*

*truncata nuper edita,*

tribus et Fratribus *hujus* novæ Corbeiæ. *Eadem Acta ex alio codice MS. bibliothecæ monasterii Bodecensis in Westphalia descripta nobis transmisit Joannes Gamansius noster. Verum, quisquis hæc Acta a Philippo Cæsare edita, cum Vita infra danda accuratius contulerit, continuo deprehendet illa pluribus in locis truncata fœde, atque immutata esse; quod subinde a nobis observatum obiter indicamus. Integra ergo atque intaminata damus ex codice MS. Parisiensi bibliothecæ monasterii S. Germani de Pratis Ordinis S. Benedicti, descripta a Reverendo Domino ac Patre Anselmo Michaele istic religioso. Eadem exstant in bibliotheca Corbeiæ Gallicæ, cujus codice MS. usi sunt Franciscus Chesneus et Hugo Menardus : ille quam plurima inde vulgavit verbis primigeniis tomo 3 Scriptorum Historiæ Francorum; hic ad calcem Martyrologii Benedicti in Appendice ad librum* I *Observationum Vitam inde suo stylo formavit. Stephanus Joannes Stephanius in Notis ad lib. 9 Saxonis Grammatici de Historia Danica indicat penes se quoque esse Vitam S. Anscharii ex veteri Codice MS. desumptam, quam potius suspicamur eamdem cum MSS. Hamburgensi et Budecensi.*

*integra hic datur :*

14 *Hæc eadem Acta heroico carmine depinxit* Gualdo Corbeiæ Francicæ Poeta, *inscripsitque* Alberto, *sive* Adalberto Archiepiscopo Bremensi, *qui post annos a condita vetere Corbeia quadringentos elapsos, a* MXLIII *ad* MLXXII *Provinciæ illius Antistes, omnibus Septemtrionalibus regnis advigilavit. Poema illud ex MS. Codice ante memoratæ bibliothecæ S. Germani de Pratis, ab eximio Domino ac Patre Luca Forestiers ex eodem monasterio sacræ Theologiæ Doctore Parisiensi erutum, nobis Ambiano transmisit Reverendus Dominus Joannes Cauchie Ordinis Præmonstratensis ibidem Canonicus et ad S. Germanum Martyrem Pastor. Antiquiora hisce Actis omnibus præponimus diplomata, tum Pontificia Gregorii* IV *et Nicolai* I, *tum Cæsareum Ludovici Pii, collata pro S. Anscharii seu Legatione ad infideles, seu confirmatione Archiepiscopatus Hamburgensis, sive denique ejusdem Sedis cum Episcopatu Bremensi conjunctione. Addimus Decretum Paschalis* I *et Epistolam Formosi Papæ : illo explicatur Legatio in Ebbone cœpta, hac jurisdictio ab Archiepiscopo Coloniensi in Episcopatum Bremensem prætensa. Hic etiam priora quatuor capita Actorum S. Remberti, quibus eximia virtus S. Anscharii admodum illustratur, inserenda forent, nisi mox IV Februarii Lectori illa Vita proponeretur.*

*cum alio carmine translata a Gualdone,*

*not. 31*

*præpositis diplomatis Pontificum et Imperatoris.*

15 *Celebrant præter honorificentissimam S. Anscharii memoriam omnes fere Daniæ, Sueciæ, Frisiæ et Flandriæ scriptores ; Adamus Bremensis, et in Observationibus ad eum Andreas Velleus; Albertus Abbas Stadensis in Chronico; Saxo Grammaticus in Historia Danica, et in Notis ad eum Stephanius; Albertus Krantzius in Metropoli, Dania, Suecia, Saxonia; Joannes Adolphus Cypræus in Annalibus Episcoporum Slesvicensium ; Joannes Isacius Pontanus et Joannes Meursius in Danicarum rerum Historia;* Joannes Magnus *in Historia Suecorum et Vitis Pontificum Upsalensium; Joannes Letznerus in Chronico Corbeiæ Saxonicæ; Martinus Hamconius, Bernardus Furmerius, Pierius Winsemius et Ubbo Emmius in rerum Frisicarum Historia; Suffridus Petrus de Scriptoribus Frisiæ; Wernherus Teschenmaker in Annalibus Cliviæ-Juliæ-Montiæ; Jacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ; Antonius Sanderus in Flandria illustrata; Jacobus Malebrancus de Morinis et alii. Trithemius denique de viris illustribus Ordinis S. Benedicti, aliique rerum monasticarum Scriptores.*

*Varii Scriptores ejus gesta referunt*

16 *Omittimus hic recensere singulorum de S. Anschario elogia : sufficiant pauca ex confessione heterodoxorum prolata, ut hi, dum veram S. Anscharii religionem deprædicant, se propria sciant sententia condemnari. Ex his Joannes Isacius Pontanus lib. 4 historiæ Danicæ in Haraldo et Regnero Regibus ita scribit :* Ansgarius, vir virtute et doctrina conspicuus, in Daniam ad prædicandum Christi Evangelium demissus, multos ibi sudores, multaque pericula dum tolerat, magnam plebis multitudinem ad veri Dei cultum, veramque Dei religionem traducit. *Bernardus Furmerius lib. 6 Annalium Frisicorum, auctoritate et decreto Ordinum Frisiæ Franequeræ anno* MDCIX *editorum, hæc tradit :* S. Anscharius e vita migrat, vir litteris sacris atque profanis æque eruditus, qui tam in schola, quam templo strenue semper docuit, pauperes aluit, captivos redemit, afflictos consolatus est, barbarisque Evangelium annuntiavit, etiam cum vitæ et fortunarum periculo, foris Apostolus, intus monachus numquam otiari visus. *Ubbo Emmius lib. 5 rerum Frisicarum.* Anscharius, *inquit,* multæ doctrinæ et pietatis vir, Jutas, Danos, Suedos adiit, labores et pericula multa toleravit, magnam plebis multitudinem Christiana religione imbutam sacro fonte abluit *etc. Joannes Meursius lib. 3 Historiæ Danicæ hæc de Rege Erico* I *qui nobis Horicus appellatur, tradit :* Ansgarius Bremensium Antistes, qui in Daniam pridem venerat, cum Ericum antea Moguntiæ cum fratre Haraldo sacris item Christianis imbuisset, revocata ejus temporis memoria, suada mox oratione et salutari animum ad pietatem, quam exuerat, post biennio reducit, atque rursum idolorum cultum abolet, et edicto promulgato, si quis fidem Christianam amplecti vellet, id cuique liberum statuit. quin Ericus, promovendæ pietati ædem sacram, quam Slesvici Haraldus frater pridem struxerat et everterat Regnerus, denuo condit, ac Doctori pietatis Christianæ Ansgario dicat. Inter quæ religio Christiana efflorescit, Ecclesia incrementa in dies majora capit, Ericus animum ad pietatem sine fuco applicat *etc. Hæc Meursius, magna profecto et S. Anscharii laude et Catholicæ religionis commendatione ; sed non absque pluribus mendis historicis. Nam primo Horicum* Regem filium Godefridi et Roruc fratrem Herioldi *confundit, infra § IX accurate distinguendos. Secundo* Slesvici *refert ecclesiam ab* Herioldo *constructam, a* Regnero *eversam, ab* Horico *reædificatam, sub quo eam primum erigi permissum est. Tertio* Horicus *Christianam religionem, quamvis ei faveret, numquam tamen amplexus est : multo minus* Moguntiæ *ante baptizatus, ubi Herioldo post susceptum baptismum, redituro in Daniam, quæsitus comes S. Anscharius. Qui aliique ejus errores infra clarius commonstrantur. In laudem S. Anscharii effusi præterea sunt Stephanius Velleius aliique, quibus omnibus Acta S. Anscharii verum antiquæ historiæ rerum Danicarum originem ostendunt, et cum ea orthodoxam fidei Catholicæ religionem.*

*Elogia heterodoxorum :*

*Furmerii,*

*Emmii,*

*Meursii.*

## § IV *S. Ancharii cultus. Templa ejus nomini dicata.*

Quam *eximia Anscharius vixerit sanctitate, suggerunt ejus et S. Remberti Acta, confirmant Reges Danorum et Suecorum, ejusdem industria amici nomini Christiano conciliati. Ex his* Horicus Danus *ad* Oleph, *seu* Olavum Suecorum Regem *infra nu. 45, mittit* S. Ancharium, quem *commendat ut sibi per omnia* cognitum, *testaturque* se in vita sua numquam tam bonum vidisse hominem, nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem invenisse : idcirco cognita ejus sanctissima bonitate, omnia, quæ in regno suo caussa Christianæ religionis disponere vellet, se ei concessisse, *etc. In vita S. Remberti dicitur num. 3.* Anscharius vir summæ sanctitatis ; *et* Rembertus ejus sanctitatis imitator : *cui nu. 7,* ut in futura vita præmiorum consortium adipisceretur *deposcenti, post triduanas fusas preces respondit,* se in futuro seculo æternæ

*Sanctus dum viveret habitus,*

A æternæ beatitudinis participes ab invicem non separandos, *scilicet*, ob unius fidei devotionem, *num.* 12, et ejusdem officii administrationem meritis æquales. *Hi a mutuo conspectu, quamvis multis ante S. Rembertum annis e vivis excessisset Anscharius, non potuerunt divelli. Nam, ut legitur num.* 25, quæcumque agebat aut omittebat Rembertus, de omnibus futuris sibi eventibus præsagium semper capiebat ex visionibus S. Anscharii: *qui* in qualitate vultus sui apparens, solebat ostendere, qualiter se immiscere rebus agendis deberet. *Non minus ejus sanctitatem in Corbeia Gallica innotuisse docet S. Gerardus ex monacho Corbeiensi Abbas Silvæ-Majoris, in Prologo ad Vitam S. Adalardi a se conscriptam, et II Januarii a nobis vulgatam. Ibi laudatur* S. Anscharius auditor et nutritius S. Adalardi, a Walone *hujus* fratre electus, ut a Rege Ludovico cum Herioldo Rege Danorum mitteretur, quique postea pro fide Christi multis pœnis ab eisdem affectus, tandem in Bremæ Archiepiscopatu suo requievit, multis meritis decoratus.

*Ab obitu honoratus, a S. Gerardo laudatus.*

18 *Nomen sacris Fastis inscriptum exhibent plura Martyrologia MSS. sub Usuardi nomine ad usum Ec-* B *clesiarum Belgicarum aucta, his verbis:* Apud Bremam S. Anscharii ejusdem loci primi Episcopi; *additur* et Confessoris *in antiquo Martyrologio Coloniensi. Hujus loco in MS. Floracio adnotatur,* annus salutis DCCCL *quo floruit, diu postea superstes. Molanus in posteriore editione Additionum ad Usuardum, errore priore correcto,* primum Episcopum appellat Bremæ et Hamburgi unitorum. *At primus Archiepiscopus Bremensis, minus tamen proprie, in Martyrologio Canisii Germanico anno* 1573 *excuso legitur:* Item apud Bremam sancti Confessoris Anscharii, primi ejus Archiepiscopi, quem Ludovicus filius Caroli Magni una cum novella in Christo plebe Saxonum dignum Pastorem et Episcopum constituit. *In Martyrologio Romano ita legitur:* Eodem die S. Anscharii Bremensis Episcopi, qui Suevos et Danos ad fidem Christi convertit. *Eadem habet Menardus in Martyrologio Benedictino quæ aliquanto fusius Wion deducit:* Apud Bremam, *inquit,* S. Anscharii primi ejusdem civitatis Archiepiscopi, qui auctoritate sibi a Gregorio IV concessa, prædicans Gentibus, Suevos et Danos ad fidem convertit. *Ubi per Suevos intelligi debere* Sueones, *seu Suecos infra deducetur. Dorganus hos expressit in suo Calendario Benedictino:* C S. Ansgarii, *inquit,* Archiepiscopi qui multos populos ad fidem convertit, et Sueonum, Gothorum, Danorum et Aquilonarium partium Apostolus magnus vocatur.

*Nomen in Martyrologiis.*

19 *Petrus Galesinius majore eum encomio celebrat his verbis:* Hamburgi, S. Ansgarii Episcopi et Confessoris. Hic Hamburgensis primus Archiepiscopus ad populos omnes, qui ad Septemtrionem pertinent, sanctæ Romanæ Sedis Legatus, procurandæ omnium saluti, propagandæque religioni totus deditus, Suetiis et aliis provinciis verbum Dei prædicavit, Episcopos ac Reges illius regionis et litteris et coram adhibiti sui libere monuit. Sic multis laboribus pro ecclesia Dei perfunctus, sanctissime quievit in Domino. *Hæc Galesinius. De Regibus, Episcopis, et S. Anscharii ad eos litteris infra agemus. Andreas Saussaius in Martyrologio Gallicano eumdem Flandrorum præterea et Frisonum Apostolum facit.* Eodem die, *inquit,* gloriosus transitus S. Anscharii, Septentrionalium Gentium Apostoli, nec non Episcopi Bremensis et Confessoris, qui ope fultus Divina, et Ludovici Pii Francorum Regis ac Imperatoris munifica pietate, Frisios ac Flandros, adhuc a Christianis sacris abhorrentes, Christi suavi jugo penitus subdidit, educatoque S. Remberto, quem Episcopatus ac Apostolatus sui reliquit successorem, in Thoroltano cœnobio, quod eidem laboranti inopia ad D fovendam vitam et pios conatus prædictus Ludovicus Pius contulerat, Apostolico munere optime perfunctus spiritum in cœlum emisit. *Hæc Saussaius. De Apostolatu Anscharii ad Flandros Frisiosque §§ sequentibus agemus.*

*Elogium Galesinii, et Saussaii.*

20 *Dies III Februarii S. Anschario sacer, solenni cultu in diœcesi Bremensi et Hamburgensi solebat celebrari, desumptis Officii Ecclesiastici Lectionibus, Antiphonis, et Responsoriis ex ejus Vita, hic ne prolixiores simus omissis; curioso Lectore ad antiquum Breviarium Bremense, anno* 1486 *Coloniæ excusum, remisso. Unicam imploraturis ejus auxilium damus inde descriptam Antiphonam, cum Oratione, seu Collecta. Antiphona:*

*Officium Ecclesiasticum: Antiphona.*

Pastor Apostolice, lux Danorum, Sueonumque
Sedis Romanæ Legatus in ultima terræ,
Anschari, nobis pius in Christo Pater adsis.

V. Ora pro nobis sancte Pater Anschari *etc. Oratio:* Deus, qui populo tuo æternæ salutis B. Anscharium ministrum tribuisti, præsta, quæsumus, ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem semper habere mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum, *etc. In Breviario Slesvicensi anno* 1512 *excuso hæc legitur Oratio:* Deus, qui B. Anscharium E Pontificem donasti sanctum Doctorem genti Danorum, ipsius intercessione da nobis remissionem omnium peccatorum, et supernorum tripudia gaudiorum. Per Dominum, *etc. In Breviario Raceburgensi et Missali Suecico valde antiquis, sequens IV Februarii cultus S. Anscharii sacer est, hoc die S. Blasio dicato.*

*Orationes.*

21 *Ecclesia S. Anschario sacra Hamburgi etiamnum extat; in qua cum et doctrinam Christianam populo tradidisse, et Divina ministeria peregisse, scribit Joannes Adolphus Cypræus lib. 3 Historiæ Slesvicensis cap. 6: additque ab Esaia Crusio, Bremensi, Societatis Jesu Sacerdote, edoctus, illam* ædem nulla unquam ætate potuisse profanari, atque ad alios usus transferri: neque enim mercatoribus aliisque rebus familiaribus ac domesticis agendis tractandisve profanari: sed ipsos variis territos spectris conjecisse, unde etiam pupillorum atque orphanorum cesserit sustentationi. *Hæc Cypræus. At Bremæ ad S. Anscharium, et canonicum et Pastorem fuisse Philippum Cæsarem ante memoravimus. Observat hic in suis notis ad hanc Vitam num.* 71, templum *illud* splendissimo ædificatum esse, turri prealta foris, et intus organo preclaro ornatum, et adhuc ad S. Ancharium dici; *in eoque* collegium duodecim Canonicorum *etiam post* F *introductum Lutheranismum perseverare: ab initio a* S. Anschario fuisse constitutum Hospitale duodecim pauperum, qui reliquorum accedentium et recedentium gererent curam. *Idem Cæsar tradit num.* 2, *absorpta ex nomine S. Anscharii prima syllaba, ejus apud Bremenses* templum, turrim, plateam, *vulgo dici* Sent Scharies kirch, thor, strass. *Quod nobis evidens contra ipsum Philippum argumentum est, nomen ejus correctius* Anscharius, *quam* Ausgarius *scribi: quo modo tum Acta ejus soluta et stricta oratione e Francia nobis transmissa, tum Breviaria supra citata, nomen Anscharii exhibent.*

*Templa S. Anschario sacra Hamburgi et Bremæ.*

*Nomen correctius scriptum.*

## § V *Torholtana cella S. Anschario concessa, dein ablata. An Flandri ab eo conversi. Eorum limites et varii Comitatu vicini.*

*Amplissimam provinciam a pluribus retro seculis Comitatus titulo Flandria continet, ævo S. Anscharii non admodum celebris, parvis adhuc limitibus inclusa. Nam, qua Zelandicis insulis proxima, mari Oceano ostioque Scaldis occidentali adjacet, eam solum tum continebat ditionem, in qua hoc tempore visuntur Brugæ celebre emporium, oppida Slusa, Dammum, Ardenburgum, Middelburgum et Isendicum. Hunc populum ducentis ante S. Anscharium annis, fide Christiana instruxit*

*Termini antiqui Flandriæ.*

A *instruxit S. Eligius, anno Christi* DCXLVI *ordinatus Episcopus Noviomensis, ut in hujus Vita, ad Kalendas Decembris danda tradit S. Audoenus, cum illo eodem die et loco in Episcopum Rotomagensem consecratus: ante quem qui Flandriæ meminerit, needum Scriptorem ullum legimus. Flandros ob eo tempore Christi suavi jugo subdi cœptos, neutiquam ævo S. Anscharii a Christianis sacris abhorruisse opinamur, contra quam relatus ante sensit Saussaius. Hujus Flandriæ contiguus fuit pagus seu Comitatus Torholtanus, cujus, quantum assequimur, terminum Occidentalem ad Oceanum Westenda, Orientalem Ostenda, sua nomenclatura significant. In hoc Torholtano pago est Rockashemum, vulgo Rockem, seu Roxem vicus prope oppidum Aldenburgum, olim Prioratu monastico S. Michaelis insignis, qui Childerici* III, *anno* III, *Christi* DCCXLIX *monachis Sithivensibus, seu Bertinianis urbis Audomarensis, a Felice Presbytero donatus* XII *Kalendas Augusti; deinde anno regni Caroli Magni* II, *Christi* DCCLXIX *emptione luculenta prædii cujusdam Sigeradi ab Hardrado Abbate auctus traditur ab Iperio in Chronico Bertiniano MS capitulo 6 par. 1, et cap. 8 par. 2, quem sequuntur Malebrancus noster tomo 2 de Morinis lib. 5 cap. 61, et Sanderus Tomo 1 Flandriæ illustratæ in Franconatu.*

*a S. Eligio fide Christi imbuta,*

*200 ante S. Anscharium annis.*

*Ei vicinus Comitatus Torholtanus,*

B 23 *Huic autem Comitatui nomen dedit Torholtum antiquum oppidum et celebre, a quo, licet procul dissito, portæ urbis Gandensis et Iprensis, quibus Torholtum aditur, sunt olim Torholtanæ cognominatæ. In eo oppido monasterium seculo Christi* VII *sub Dagoberto* I *Francorum Rege creditur fundatum, ex quo* Domlinus Presbyter, duce itineris Angelo, *circa annum Christi* DCLVII Gandavum *profectus, adstitit* S. Bavoni moribundo, *ut Theodericus Abbas testatur in hujus Vita ad Kalendas Octobris. Annum prædictum obitus* S. Bavonis *confirmamus* VI *Februarii ad Vitam S. Amandi, a quo si dicatur monasterium Torholtanum extrui cœptum, non admodum videtur, moribus institutoque ejus vivendi considerato, improbari posse. Quod huc spectat, Ludovicus Pius Imperator ordinando in Episcopum Hamburgensem S. Anschario, ad suum suorumque sustentationem donavit hunc locum; in decretis Nicolai Papæ et Ludovici Pii, uti in Actis SS. Anscharii et Remberti cellam* Torholt, *aut* monasterium, *sive etiam* monasteriolum *appellatum. Id olim* Imperatoribus militiam et dona, *collatum vero S. Anschario* tantum dona *debuisse traditur infra in Diplomate Ludovici Pii. Ejus loco jam esse* Ecclesiam collegiatam *sub administratione* Præpositi, VII Canonicorum, *et* VIII Sacellanorum *observat*

*ubi in oppido Torholto monasterium*

*donatum S. Anschario,*

C *Sanderus, exhibita etiam loci idea topographica, pagina 322 Flandriæ illustratæ. Ab obitu Ludovici Pii, hisce ditionibus cum Francia occidua ad Carolum Calvum anno* DCCCXLIII *devolutis, Comitatum hunc Torholtanum cum altero vicinoobtinuit* Reginarius Comes, *quem*, excluso S. Anschario, *referunt infra Acta num.* 35, *ipsum* Monasterium Torholtanum, *more illius ævi, possedisse: quemadmodum eodem prorsus tempore Adalardum Comitem, assumpto Abbatis titulo, præfuisse monasteriis SS. Quintini et Vedasti observamus ad hujus Vitam* VI *Februarii.*

*ereptum a Reginario Comite*

24 *Præerat adhuc* Reginarius Comes Torholtanis, anno DCCCLIII, *quando Carolus Rex apud Silvacum, ut in ejus Capitulis legitur, Missus per suum regnum ordinavit, qui populo subjecta constitutiones factas denuntiarent, ubi quarto loco leguntur:* Folcoinus Episcopus, Agalgarius, Engilscalcus, et Berengarius Missi in Comitatu Berengarii, Engilscalci, Gerardi, et in Comitatibus Reginarii. *Alterum Reginarii Comitatum verosimilius in territorio moderno Furnensi locisque vicinis situm fuisse arbitramur, atque ab amne istic Isera dici pagum Iseretium in antiquis monumentis Bertinianis apud Malebrancum in scholiis ad lib. 1 de Morinis cap. 12 sub finem. De aliis hæc probabiliori conjectura assequimur, ut Gerardus Comes,* VI *Novembris in Actis S. Winoci laudatus, reliquam ad Bononiam usque obtinuerit maritimam provinciam: Engilscalcus præfuerit Comitatui Lætico, seu Lisensi, qui Ipris Casletum et Aerium versus ad utrumque Lisæ latus extendebatur, de quo Comitatu egimus* II *Februarii ad Vitam S. Adalbaldi Ducis. Demum Berengarius, qui circa annum* DCCCXXIII *a Ludovico Pio inter Missos Comites deputatur lib. 2 Capitulorum ejus cap. 25, possederit circa Lisæ fontes Comitatum Teroanensem. Primus Missorum S. Folcoinus, seu Folquinus, Episcopus Teroanensis, biennio post hanc Missionem anno* DCCCLV *in Mempisco in Hiecclesbeke obiisse* XIV *Decemb. traditur in ejus Vita auctore altero Folquino seculo sequenti Abbate Laubacensi. Est autem Mempiscus, seu Menapiscus, cui Hiecclesbeka, etiamnum Baronatu illustris in agro Bergarum S. Winoci, tum includebatur, antiqua Menapiorum sedes, Casletum usque in tabulis Roberti Frisii Comitis Flandriæ apud Meyerum ad annum* MLXXI *extenta: quibus merito vindicandi dicti Reginarii et Engilscalci Comitatus Iseretius, Læticus, et Torholtanus, relicto Morinis Comitatu tum Teroanensi, tum Bononiensi sub regimine Berengarii et Gerardi. In diœcesi S. Folquini tunc Torholtanum fuisse pagum confirmant præterea quæ de Prioratu Bertinianorum Roxemiano supra diximus. Ad Flandriam vicinam a Carolo Calvo tunc missus venit S. Immo Episcopus Noviomensis, in cujus diœcesi ea, etiam sub S. Eligio, continebatur. Demum prædictum* Reginarium Comitem *referunt infra Acta num.* 63 iram Regis Caroli incurrisse, *suosque* Comitatus *cum* cella Torholtana *amisisse, quos suspicamur prædictæ Flandriæ postea adjunctos. Dubium est, num hic fuerit* Ragenarius Comes, *quem in conflictu* Caroli Calvi *cum* Ludovico Juniore Rege Germaniæ, *nepote ejus,* anno DCCCLXXVI occisum esse *tradunt Annales Bertiniani et Metenses. Hæc pluribus dicenda nobis fuerunt quod Flandriam jam pridem sub singulis Forestariis, aut etiam Comitibus, seu Marchionibus, latissime posteriores passim Scriptores extendant. Denique in cella S. Anschario assignanda corrigendi Pontanus et Cypræus, quorum ille lib. 4 Danicæ in Haraldo et Regnero Regibus intellexit* Tourhoutinum Campiniæ Brabanticæ oppidum, *sed extra Caroli Calvi ditionem. Hic vero Cypræus in historia Ecclesiastica Slesvicensi cap. 4 majori errore scribit* monasterium Galliæ Thuronense, *quod Majus-monasterium vulgo Marmoustier solet appellari.*

*Febuarii T. I.*

*hujus aliorumque Comitum sedes*

D *AUCTORE G. H.*

*apud Morinos et Menapios,*

*in diœcesi Teroanensi.*

E

## § VI. *Patria S. Anscharii: qui Frisii ab eo edocti. Ostergaus et Dorstadum loca illustrata.* F

M*artinus Hamconius in suo de Frisia opusculo S. Anscharium origine Frisium, et gentis suæ Apostolum hoc carmine deprædicat:*

Anscharius Læviam Wardenæ natus ad amnem,
Hamburgo haud primus tantum Archiepiscopus urbi,
Sed quoque pagano est sacratus Apostolus omni
Trans Albim populo, Borealia regna colenti.
Dum vero ablueret (Frisiæ cum gente minoris
Mundato Erico Danorum Rege) Suevos,
Trux subit Hamburgum miles Normannicus: unde
Bremam abit, ac istic a summo Præsule, binis
Unitis Cathedris, mitra decoratur utraque:
Primitiis felix Hamburgum, funere Brema.

*Non videtur patria Frisius,*

*De Frisiæ minoris gente ob eo conversa mox agemus, ubi origo ejus Frisica fuerit discussa. Suffridus Petrus decade 6 Scriptorum Frisiæ num. 7 natale ejus solum et prima in litteris addiscendis posita fundamenta ita describit:* S. Anscharius natus in civitate Vardena, quam progressu temporis inundatio maris oppressit

A *sem aliasque regiones Francis subjectas, Frisiæque Germonicæ vicinas, ad confinia Danorum pervenire potuissent. Novimus et Stadum Adamo lib. 2. cap. 22.* Stadium, opportunum Albiæ portus præsidium, *Krantzio lib. 1 Saxoniæ cap. 4* Dorstadium vocatum oppidum priscum, unde Stadio fuerit origo, *ubi Slesvicenses, Sueonesque, sicut in vicina Hamburgo potuerint fide Christiana imbui, suosque Cathla eleemosynas distribuere. Verum in alto apud Francicos illius ævi Scriptores de Stadio Dorstenique silentio, et* Dorstatum *et* Dorstadum *eumdem locum arbitramur in Batavorum antiquorum ad Rhenum insula, Romanis* Batavodurum, *in Annalibus Fuldensibus, Bertinianis aliisque* Dorestadum, Dorestatum, Vicum-Dorestadum, emporium Dorestatis, *appellatum : sæpius a Nordmannis, potissimum anno* XXXV, XXXVII, XLVII, *et* LXIII *supra* DCCC *vastatum, dirutum, incensumque : ab Herioldo Rege, ejusque fratre Rorıc, sub Ludovico Pio, jure beneficii possessum : ab eodem Roric sub Lothario Imperatore occupatum, eique concessum ad resistendum piraticis Danorum incursionibus : a Godefrido demum et Rudulpho filiis Herioldi Regis, aliisque Nordmannis, in sedem belli ad vicinas regiones misere devastandas electum quæ mox exactius deducentur.*

*non est Dorstena ad Lippiam,*

*neque Stada prope Albim,*

*sed Durostadium Batavorum ad Rhenum,*

*sedes postea Danorum,*

*urbs olim magna,*

30 *Ceterum apud* Wilhelmum *Hedam in Rixfrido* VII *Ultrajectino Episcopo dicitur* urbs magna, *hæc Episcopo* in possessionem a Carolo Magno tradita : *additurque privilegium ab eodem Imperatore Abbati S. Germani Parisiensis concessum, quo* Dorestadum *cum* Virodumo, Aurelianis, Ambianis, Neomago, *præcipuis regni emporiis,* ab omni teloneo immune *decernitur. Jam quod ad Acta S. Anscharii spectat, commodissimam Coloniæ navigandi Dorestadum opportunitatem esse, neminem latet. Ad hoc etiam emporium Dani Sueonesque soliti navigare, plurimas repererunt ecclesias, in eisque Sacerdotes Clericosque sancta vita, piaque conversatione eminentes; a quibus et vanam deorum superstitionem, et salutarem Christi religionem edocti, sacro potuerint baptismo expiari : in eosque vicissim suas Cathla eleemosynas partiri. Nam testes nobis sunt S. Marcellinus Presbyter in Vita S. Suitberti Episcopi Ferdensis ad Kalendas Martias illustranda, et Joannes de Beka in Hungero* II *Episcopo Ultrajectino,* in maximo vico Duerstat dedicatas *fuisse* LII *(aut, ut alter,* LV) ecclesias parochiales, *quas ex hac Vita S. Anscharii discimus non uni oppido necessario includendas esse, quod Cathla eas visitando videatur agrum vicinum circumiisse, coacta ob defatigationem vino empto vires reficere.*

B

*pluribus ecclesiis illustris,*

ANIMADV. PAG. 48.

C

## § VII. *Reges Daniæ ævo S. Anscharii, confusi Scriptores Danicos.*

D*uplex Historicorum genus in antiquitate Danica observamus : aliud coævorum Francorum, qui seculo Christi nono cum S. Anschario viventes, ob bella Francorum cum Danis tum gesta, plurimorum successionem Regum accurate indagarunt. Horum Historiæ domesticas traditiones a nulla tamen antiquitate commendatas (quod secundum genus dicimus) præferunt Scriptores Danici, variis pro se Regum productis catalogis : quorum primus statui potest Runicis litteris nuper ab Olao Wormio editus, in quo tres ultimi Reges referuntur,* Christophorus, Ericus *filius, hujusque filius alter* Ericus *anno* MCCCXIX *vita functus, cum jam ultra annos quadringentos et quinquaginta mortem obiisset Anscharius. Alter suam a Regio Scriptore Erico Pomerano accepit dignitatem, utinam sinceram etiam antiquitatem. Supervixit ad annum* MCDLIX *Ericus Rex, tractatu Chronologico ad annum tantum* MCCLXXXVIII *deducto. Tertium edidit catalogum Erpoldus Lindebrogius ad Regem Christiernum* IV *continuatum. Præ his omnibus emicuit circa annum* MCC *Saxo Grammaticus trecentis et quinquaginta annis* S. Anschario *junior : cujus Historiam ob non pauca immista fabulosa post alios non immerito perstringit Joannes Gerardus Vossius lib. 2 de Historicis Latinis cap. 55. Saxonem in sua Dania fere sequuntur Krantzius et Meursius defendit in suis ad eum Notationibus Stephanius. Hic ad librum* IX *schema seu figuram genealogicam deducit : ex qua* Rex Gotricus, seu Godefridus *anno* DCCCX *vita functus, pro certiore et ab omnibus admisso fundamento proponitur. Hujus ergo Godefridi* pater *assignatur* Gormo, *ex fratre anonymo* nepos Hemmingus, *deinde propius Godefridi* filius Olaus, nepos Ringo sive Anulo, *ex eoque tres* pronepotes Haraldus Klag, Ericus, et Hemmingus, *ac demum* abnepos Gutlorm *filius Haraldi Klag. Iterum ex ejusdem Godefridi filia nupta Sigvardo Norvago assignatur* nepos Sivardus, *qui cum Ringone conflixerit, tum ex illo prognati* pronepotes Regnerus Lodbrog et Reginfridus, *dein hujus Reginfridi filii novem, Godefridi* abnepotes, *qui continuo bella cum Haraldo Klag gesserint, suntque hi : I* Juarus, *qui patri in Anglia successerit, alias* Inguar, II Ericus *alias* Herich, III Regnoldus, *alias* Rodulfus, IV Sigvardus, *alias* Sigafridus, V Biorno, VI Agnerus, VII Vitsercus, VIII Ubbo, IX Fridlevus *alias* Godefridus. *Denique* abnepos, *a Sigvardo progenitus* Ericus puer.

*Saxo Grammaticus,*

AUCTORE G. H.

*fabulosa miscent,*

*confundunt genealogiam,*

32 *Hæc Stephanius, a quo in nonnullis dissentit Meursius. Primum* Ringonem *statuit natum ex secunda filia Regis Gotrici nupta eidem Cimbro. Contra* Hemmingum *seniorem* filium Olai *statuit,* Gotricumque avum *ejus non patruum. Sivardo* Haraldi *junioris et Erici fratris familiam præfert. Ex his* Reges *hoc proferuntur ordine :* Haraldus, Gormo, Gotricus *seu* Godefridus, Olaus, Hemmingus, Sivardus *cum* Ringone, Regnerus, Juarus, Sivardus *illius frater,* Ericus *frater Haraldi.* Ericus *filius Sivardi. Ita Meursius secutus Saxonem, apud quem tamen* Juarus *potius in Anglia quam Dania regnavit : qui etiam* Juarus, *a Krantzio omittitur, et cum priore* Erico *fratre Haraldi abest a catalogo Olai Wormii. Apud Ericum Pomeranum* Sivardo *succedunt* Anulo *et* Sigefridus, *supra* Sivardus; *his* Reinfridus *et* Haraldus, *tum* Ericus *senior et* Ericus *puer cum stupenda temporum confusione, quam de Hemmingo Rege agens agnoscit Meursius,* intuitaque *addit* in his tabulis nihil certi admittere. *Eo usque tamen tempora succedentium Regum ad certos calculos revocanda sunt, ut ea quæ scribuntur facta, fieri potuisse satis probetur. Agnoscit Meursius semel iterumque,* Gotricum *Regem seu* Godefridum, *anno* DCCCX *mortem occubuisse, quem calculum infra confirmabimus. Successor introducitur filius* Olaus, *cujus regnum suo tempore non determinatur. Olao substitutus* Hemmingus *et Erico Pomerano et Meursio dicitur* XXVIII annos regnasse : *ut quamvis Olaus aliquot tantum menses egisset in regno, hic tamen necessario attigerit annum* DCCCXXXVIII, *a quo* Sivardus *cum* Ringone *regnum adeptus, integro quinquennio statuitur* Sclavos *oppugnasse, belloque deinde civili cum* Ringone *suscepto, ex inflicto vulnere obiisse, regni successore* Regnero *relicto, anno, ex Meursii calculo, minimum* XLIV *supra* DCCC. Regnerum *scribunt et Meursius et Saxo, rebus domi compositis, bellum in* Norvagia *contra* Froum *Regem confecisse, tum ex* Lagertharta uxore Fridlevum *et* duas filias *procreasse : dein rebelles sibi* Cimbros, Scanos, Hallandosque *domuisse, postea priore conjuge repudiata* Thoram Suecam *amavisse, ex eaque* VII *filios genuisse : et post subactas* Saxoniam, Sueciam, Norvagiam, Angliam, Orcadas, *rediisse in* Daniam, *et ex* Svanloga *illam secundas nupta, tres filios sustulisse : denique* Gothiam, Russiam, *et remotum longe* Hellespontum *subjugasse, ac tamdiu supervixisse, dum septem filios ætate adultos variis regnis præfecerit. De annis regni hujus* Regneri *totius credidit Meursius nihil dicere ; sed mox Juaro successori initium regni assignat anno*

E

*et ordinem Regum succedentium,*

*Gotrici,*

*Olai*

*Hemmingi,*

F

*Sivardi,*

*Regneri,*

*Juari,*

A *anno DCCCXXXVI, aut sui prorsus immemor, aut chronologiæ arithmeticæque oblitus.*
*AUCTORE G. H.*

33 *Mouet interim* Regis Erici Pomerani fidei non facile detrahendum, *cui* Regnerus per decem annos urbes Franciæ vastavit, Parisiis in Ecclesia S. Germani, et Aquisgrani in palatio Imperatoris stabulum equorum fecit, multaque mala Ecclesiæ intulit. *Quæ Meursius ægre probabit ante annum* XXXVI *contigisse, differenda saltem ad annum* XLV *aut* LXXXI *supra* DCC. *sed post Regneri obitum.* Ivaro *post regnum annis quinque administratum extincto, substitutus dicitur frater*
*Sivardus II.*
Sivardus, *cui, cum* Sigvardo Norvago *confuso, successerunt apud Ericum Pomeranum,* Annulo *et* Sigefridus, *(alias* Ringo *et* Sivardus II) *qui post decem regni* annos in prælio ambo corruerunt. Pars autem Annulonis cruenta victoria potita, Reinfridum et Haraldum in regnum posuit, factaque inter eos pugna *novem annis* Haraldus tandem Reinfridum de regno expulit et solus regnavit. Tunc filii Sigefridi Haraldum de *regno expulerunt,* qui ad Imperatorem Ludovicum *confugit,* et anno Domini DCCCXXVI apud Maguntiam baptizatus *est. Hæc ille. Eumdem annum* baptismo Herioldi *supra assignavimus; sed quali reliquorum temporum confusione relata apud Ericum Pomeranum,* cujus fidei nihil detractum *patitur Meur-*
B *sius?* In regnum, *pergit Ericus,* restitutus Haraldus Christianitatem *reliquit,* quem anno DCCCXXVIII S. Ancharius veniens ad Daniam *revocavit* ad Christianitatem, *et* ecclesiam in Heideby construere
*Horicus senior,*
fecit, post quem Ericus frater ejus regnavit. Hujus tempore Rollo Dux Danorum Franciam intravit, et Carolum Regem compulit dare sibi terram, quæ nunc Normannia dicitur. *Quod anno* CMXI *contigisse docet coævus scriptor Dudo a S. Quintino lib. 2 de Moribus Normannorum. Quam ea tempora procul ab anno* DCCCXXVIII *distant! Meursius initium regni Erici attribuit anno aut* XLVII *aut* LVII *illius seculi: ita dum conjecturis utitur incertis, in ambiguo fluctuat. Tempus regni Erici, ejusque a se descriptæ cædis silet, quamvis ex Annalibus Fuldensibus, Metensibus, Bertinianis et*
*Horici junioris.*
*Gestis Normannorum manifestum sit, anno circiter* DCCCLIV *interiisse, regno juniori* Erico, *sive* Horico, *relicto.*

## § VIII. *Emendata successio Regum Daniæ.*

Q*uantis involvantur erroribus Scriptores Danici, ostendi paucis debuit, ne Acta Sanctorum illis contraria, adversa mox stylo subdantur: nunc ad certiora temporum horum monumenta properamus, et singula paucis*
C *probamus. Primo Annalibus Eginhardi et Loiseliani tomo 2 Scriptorum Historiæ Francorum anno 812 referuntur fratres* Anulo *et corrupte* Amulo Rex *tunc occisus, ejusque successores* Reginfridus *et* Herioltus,
*Herioldi baptizati ...*
*4 fratres,*
*simul* Reges, *et apud* Carolum Magnum *tum obses* Hemmingus, *anno sequente remissus. Alius* Herioldi frater Roruc *dicitur in Annalibus Fuldensibus et Metensibus anno* 850. *Hi quinque fratres, ex quibus* Hemmingus *in iisdem Annalibus Fuldensibus an.* 837 *dici-*
*pater Halpdanus,*
*tur* filius Halpdani, *tunc in* Walchra *insula Selandiæ Belgicæ ab aliis Normannis occisus, eum autem insulam deinde* Herioldo *fratri tutandam fuisse traditam infra ostendemus.* Halpdanus *ergo, horum quinque fratrum parens, floruit circa annum* DCCLXXXII, *quo in iisdem Annalibus Fuldensibus legitur* Missus Sigefridi Regis ad Carolum Magnum *senioris* Herioldi *filius, aut ducta in uxorem filia gener. In Annalibus Eginhardi et Loiselianis anno* 812 *jus regni* Anuloni *datur*
*avus Herioldus*
*Ree, pater …*
*Gormon, patruus Sigefridus*
*quod nepos esset* Herioldi quondam Regis, *quem avum horum quinque fratrum statuimus. In Catalogo Regum Danorum Lindebrogio edito* filius successorque Herioldi, *seu* Haraldi, *statuitur* Gormon pater Sigefridi *et* Godefridi, *seu* Gotrici, *deinde* Regum. *Ex his* Sigefridus *anno* DCCLXXXII S. Wittekindum Saxonem, *necdum* D *religionem Christianam amplexum, ad se confugientem suscepit;* Legatos ad Carolum Magnum *an.* DCCLXXXII *misit; alios ab eo remissos anno dein nonagesimo octavo accepit, ut legitur in iisdem Annalibus Eginharti, et Poetæ Saxonici, a quo* Sifridus, *seu* Sigfridus, *appel-*
*et Godefridus Rex,*
*ex hujus fratre Hemmingus Rex,*
*latur. De* Godefrido Rege Danorum, *ejusque cum* Carolo Imperatore *susceptis bellis, agunt omnes Francorum antiquorum Annales, ab anno potissimum* IV *usque ad* X *supra* DCCC, *quo, illi* mortuo Hemmingus filius fratris ejus in regnum successisse *eisdem verbis ubique traditur: eodem prorsus modo* Reginholdus filius fratris *ejus dicitur anno* DCCCVIII interfectus, *frater hujus* Hemmingi; *cujus alii duo fratres* Hanewin et Angandeo pace cum Legatis Caroli anno DCCCXI firmata *innotuerunt. Hos fratres referunt Annales Loiseliani, Eginhardi, Bertiniani ac Vita Caroli Magni Auctore incerto. Priores etiam duos* Reginholdum *et* Hemmingum Regem *Annales Fuldenses, et Metenses ac monachus Egolismensis in Vita ejusdem Caroli. Ex his* Reginholdus, *aliquibus* Reginbaldus, Reginbaldus *et* Reynaldus *est uti* Angandeo *etiam* Gaudeo; *at quo* Godefridi *fratre procreati sint non proditur. Suspicamur ex eo silentio, et quieta post obitum Godefridi in regnum successione, natos ex seniore aliquo ejus fratre, qui ante vita functus fuerit, quam patri in regnum suc-*
*inde Sigefridus junior,*
*cederet.* Hemmingo Rege *anno* DCCCXII *defuncto,* Sigefridus nepos Godefridi, *et* Anulo *successionem prælio*
E *dirempturi, ambo occiduntur.* Sigefridus *Scriptoribus Danicis* Sigvardus, *an seniore* Sigefrido *pronepotus prætenderit jus successionis,* filiis Godefridi *ultro adhuc quiescentibus? De* Anulone, *qui Danis* Ringo *est (quod* annulus *Germanis Danisque* ryngk *appellatur) ejusque fratribus* Reginfrido *et* Herioldo *tum* Regibus *constitutis ante actum est.*

35 *Contra hos* quinque filii Regis Godefridi, *hac-*
*V filii Godefridi, simul Reges.*
*tenus quieti, arma sumpserunt, quousque eos sequentibus expulerunt: interfectus in conflictu* Reginfrido *et seniore* filio Godefridi, *qui a Danis Scriptoribus videtur* Olaus *dici, sed regno perperam et* Godefridum
*Olaus,*
*inter et* Hemmingum *assignato. Supererant* quatuor filii Godefridi *simul regnum gubernantes, quos unus diu oppugnavit* Herioldus *copiis Saxonum et Obotritorum adjutus. Tandem discordia inter fratres exorta, eorumque duobus expulsis, duo alii anno* DCCCXIX Herioldo *in societatem regni assumpto, quiete aliquamdiu rexerunt, missis etiam anno* XXII *ejusdem seculi ad* Ludovicum Pium Legatis. *Verum anno sequente* Herioldus *ad* Imperatorem *venit, auxilium rogaturus contra minas* filiorum Godefridi. *Quo dissidio crescente, anno* DCCCXXVI *idem* Herioldus *cum uxore et magna Dano-*
F *rum multitudine Moguntiæ baptizatus est, multisque acceptis ab Imperatore muneribus cum* S. Anschario *ad* confinia Danorum *reversus, nullam regni partem recipere potuit. Hæc pluribus prosequitur Eginhardus qui anno* DCCCXXIX *suos Annales concludit. Eadem leguntur in Annalibus Bertinianis et Metensibus et Vita Ludovici Pii. Annales etiam Fuldenses ad annos* 821 *et* 823 *referunt* filios Godefridi *et ad an.* 826 Herioldum baptizatum. *Unus ex* filiis Godefridi Rex Danorum
*Horicus idem monarcha,*
*appellatur* Horicus *in Annalibus Eginhardi, Bertinianis et Metensibus ad annum* 827, *quem tandem solum* monarchiam regni Danorum *tenuisse referunt infra Acta S. Anscharii num.* 41. *Hic* Rex Danorum *suos ad* Imperatorem Legatos *misit annis* XI, XIII *et* IX *supra* DCCCXXX, *ut pluribus exponitur in Annalibus Bertinianis. Ceterorum* fratrum *nomina in Gestis Francorum non exprimuntur. Ut aliquod fabulosis Danorum narrationibus fundamentum fuerit, arbitramur appellatos* Ragnerum, Jugnarum, *seu* Ivarum *et* Sivardum, *ab*
*Danorum, … Sivardi,*
*Danis inter Reges numeratos. In Fragmento Chronici Fontanellensis ad annum* 845 *dicitur* Ragnerus Dux Normannorum cum classe sua Parisios venisse, *quem Aimoinus lib.* 1. *Miraculorum S. Germani Episcopi*

A copi Parisiensis oppelat Regenarium Ducem Normannorum, auctoremque totius mali, qui in Daniam redux totius expeditionis eventum cum Regi Horich narraret, epileptico divinitus morbo punitus, triduo post miserrime diffusis visceribus vitam finerit. Hic illis Ragnerus est, cui ex tribus uxoribus plures filios volunt susceptos, et in variis ab eo debellatis regionibus constitutos Reges: interque eos Ivarum et Sivardum illi in regni Daniæ successisse. Forte illius Rogneri filius fuit Gudurm, Fratre Horici Regis natus, qui piratico more ad annum usque DCCCLIV vixit, quo reversus in Daniam oppugnavit Horicum patruum tanta mutuæ cædis contentione triduo continuata, ut de stirpe regia Godefridi nisi unus puer, nullus remaneret: uti unanimi consensu referunt Annales Fuldenses, Metenses, Bertiniani, Gesta Normannorum, et Acta S. Anscharii infra num. 54, ubi puer ille, qui successit, Horicus junior oppellatur, quem Dani Scriptores volunt patre Sivardo procreatum.

*ex his prognati Gudurm,*

*et Horicus junior &c.*

## § IX. *Acta postrema Heriolti; hujus fratris Roruc, filiorum Godefridi et Rudolphi.*

Defuncto Imperatore Ludovico Pio, secutus Herioltus, B Rex olim Danorum, partes Lotharii Imperatoris, ab eo obtinuit Walchram seu Walacras in Selandia Belgica aliaque vicina loca, anno DCCCXLI in beneficium collata, ut tradunt antiqui Annales MSS. Hospitalis S. Nicolai prope Cusam, qui ut plurimum editis Bertinianis consentiunt: subinde lacunas eorum supplent. Idem Herioltus apud Nithardum nepotem Caroli Magni lib. 3 Historiæ conatus est cum Otgario Archiepiscopo Moguntino, Hattone Comite aliisque anno DCCCXLIII et Mosellam Lothario servare, et transitum Ludovico et Carolo Calvo fratribus prohibere, sed irrito successu. Moriens ante annum DCCCL Herioltus reliquit superstites filios Rodulphum et Godefridum, quos memorant Annales Bertiniani ad annos 852 et 861. At Roruc ut testantur Annales Fuldenses anno 850, defuncto fratre Heriolto, apud Lotharium proditionis crimine, falso, ut fama est, insimulatus, tentus et in custodiam missus: unde fuga lapsus, in fidem Ludovici fratris, Regis Germaniæ, admissus, cœpit piraticam exercere, loca regni Lotharii vastare, Dorestadum occupare et possidere. Hunc Roruc confundunt cum filio Godefridi Horico seu Erico seniore Rege Danorum, plerique Daniæ Scriptores, Saxo Grammaticus lib. 9, et in Notis ad eum Stephanius, Krantzius lib. 4, cap. 12, C Pontanus lib. 4, Meursius lib. 3, aliique.

*Heriolti postrema Acta,*

*obitus, filii Rodulfus et Godefridus, frater Roruc*

*cum Horico Rege confusus,*

37 Verum post Horicum Regem Danorum anno DCCCLIV occisum, hic Roruc cum Godefrido filio Heriolti, qui anno DCCCLII a Lothario Imperatore defecerat, ex Frisia Daniam patriam repetiit spe potestatis regiæ nanciscendæ. Dein cum consensu Lotharii junioris, defuncto patre, classem duxit anno DCCCLVII in fines Danorum, et consentiente juniore Horico Rege Danorum, partem regni inter mare et Egidoram, cum sociis suis obtinuit: ut tradunt partim Annales Bertiniani annis 852 et 855, partim Fuldenses anno 857, in quibus plura sequentibus annis traduntur, et potissimum relicto in Daniæ parte Godefrido, reditus Rorici in Frisiam, ad cujus colloquium defuncto Lothario perrexisse Carolum Calvum apud Noviomagum castellum anno DCCCLXX, cumque Roricum biennio post Trajecti ad Mosam benigne suscepisse, at socium Rodulfum, alterum Heriolti filium, infidelia machinantem remisisse, docent iidem Annales Bertiniani. Addunt Fuldenses ad annum 873 Rodulfum hunc classe in regnum Ludovici educta, consertoque prælio cum octingentis viris occubuisse, cum ante Roruc in palatio Aquensi susceptus fuisset in dominium Ludovici. Nec videtur Roruc diu superfuisse, cujus quasi proximus hæres sibi Frisiam depoposcit Godefridus;

*imperant in Jutia*

*et F... a*

*A... u...*

*R...*

quo et Sigefrido Ducibus devastata incensaque sunt anno D DCCCLXXXI et sequente Trajectum, Leodium, Tungri, pagus Hasbanicus, Ripuaria regio, et monasteria Inda, Stabuletum, Malmundarium, Prumia, Aquense palatium, Bonna, Colonia Agrippina, Trevirorum urbs, aliaque loca. Quare Carolus Crassus tunc Imperator cum hoste victore transigere coactus, data Godefrido in uxorem Lotharii Regis filia Gisla, petitam Frisiam aliosque honores, quos Roricus patruus habuerat, ultro concessit. Verum ille adornata cum Hugone uxoris fratre in Carolum Crassum conspiratione ante dolo circumventus, anno DCCCLXXXV cum omnibus, qui et aderant, Normannis trucidatus est, infelici filiorum Heriolti exitu: quæ pluribus deducunt Annales Metenses.

*ac Tun... g... n*

*et ducta Gisla filia Lotharii*

*Godefridus.*

38 Sigefridus, quem alterum Ducem expeditionis Normannicæ et socium hujus Godefridi diximus, appellatur in Annalibus Fuldensibus anno 873 Rex Danorum, missis etiam pacis faciendæ gratia ad Ludovicum Regem Legatis, ut ex eis sociis, quibus Daniæ pars inter mare et Egidoram concessa fuit, videntur censendus, ex fratribus forte Heriolti oriundus, quod ejus frater Halbdenus, nomine ab avo Halpdano sumpto, appelletur. Sigefrido post Gallias ferro, rapinis incendiisque devastatas anno DCCCLXXXVII interempto, sub auspiciis Rollonis Ducis reliqua in Gallia deinceps E bella Normannica gesta sunt, dum ipse Christianam fidem amplexus, ducta in uxorem Caroli Simplicis filia Gisla, oram Galliæ maritimam in dotem accepit, ab eo tempore Normanniam appellatam. Hic autem Rollo ejusque posteri consanguinei Regum Daniæ habentur, ex aliquo prædictorum Principum et Heriolti familia forsan origine ducta: quod fratre Rurim occiso, urbe eversa, a Rege Daniæ expulsus legatur apud Dudonem et Gemmeticensem in Normannicis.

*Sigefridus in*

*et Rollo Dux, qua origine nati.*

## § X *Viri Apostolici in conversione Danorum. Templa prima erecta.*

Primus ad ferocissimos Danorum populos iter evangelizandi convertit circa annum Christi DCC S. Willebrordus, regnante istic Ovgendo, homine idololatriæ debito, moribusque obdurato: quare acceptis XXX inde pueris ad populos Francorum Willebrordum reverti festinavisse tradit in ejus Vita VII Novemb. Alcuinus Caroli Magni Præceptor. Præterito S. Willebrordo, a Hermanno in Theatro conversionis Gentium primus statuitur Heridagus cui a Carolo Magno in ultima Saxoniæ regione trans Albim parochiam fuisse F commissam ante diximus, ex Actis et Diplomate Ludovici Pii infra dandis. Verum nusquam aliquod vestigium reperitur, quo ulterior ejus in Daniam iussu possit progressus. Illustrior conatu suo fuit Ebbo circa annum DCCCXVI, Archiepiscopus Remensis ordinatus; sed ob conspirationem cum Lothario contra Ludovicum Pium non parum obscuratus: non tamen e Tabula virorum Apostolicorum, qui Danorum conversioni adlaborarunt, abradendus, quem defunctum S. Anscharius virum divino Spiritu afflatum deprædicat in Epistola ad Episcopos Germaniæ infra danda. Hic ergo Ebbo e Germania oriundus, et collactaneus Ludovici Pii, missus ab hoc ad Reges Danorum, filios Godefridi, Legatus, consilio Imperatoris et Romani Pontificis auctoritate, prædicandi caussa ad terminos Danorum accessit, multosque ex eis ad fidem venientes baptizavit, ut referunt Annales Eginhardi, Bertiniani, et Metenses ad annum 823, et ad præcedentem Fuldenses. Decretum Paschalis Papæ super ejus missione infra damus: uti ejusdem confirmationem in Decreto Gregorii IV. Idem Ebbo infra in Actis num. 20 et 21 propinquum suum Gauthbertum Episcopum vice sua Legatum ad Suecones direxit, cella Welnao, quam prope Albim construxerat, ei collata, datoque socio nepote suo Nithardo, ob odium Christiani nominis postea interempto.

*Viri Apostolici ad Danos conversos profecti: S. Willebrordus,*

*Ebbo Archiep. Remensis,*

AUCTORE G. H.

*Slesvici et Ripa,*

A *nobilitata. In peninsula Cimbrica prioribus quinque Episcopus Sedes fuerunt: et de Slesvico quidem et Ripa jam ante satis actum est. Qua inde Jutia versus Septemtrionem extenditur, continet ad mare Balthicum Arhusiam deinde Wibergam ab utroque mari æque dissitam: demum Wendilam, seu Vendelam, vulgo Vensussel, in extremo peninsulæ angulo, provinciæ istic Vendaliæ caput; quam etiam Burglam alii dictam volunt, et populi olim Vandalici sedem: a qua Episcopus Burglaviensis subinde, aut Vandalicus appellatur, posterioribus seculis etiam Alburgensis, Sede Alburgi ad Lymfordum sinum maris Balthici constituta. Alia tum Aldenburgi in Wagria, Sclavorum sedes, de qua § 1 egimus, Ezzonem Episcopum habebat. Inter insulas eminet Selandia, tum Hafnia urbe regia, et academia, tum Episcopatu Roschildensi illustris, de qua egimus VI Aprilis ad Vitam S. Wilhelmi Episcopi, seculo istic XII vita functi. Inter Selandiam et Jutiam Fionia insula Othoniam habet dignitate Episcopali ornatam, cujus Episcopo tum subjiciebatur procul dissita Forria insula Oceani Germanici Britannici; qua Albis in mare exoneratur, postea ob cœnobium istic ab Eilberto Fioniæ et Forriæ Episcopo extructum, Heilichlandia appellata.*

*Selandia,*

*Fionia, et Forria*

47 *Hactenus de Episcopis Danorum. Progreditur ad Suecos Adamus:* In Suediam vero, *inquit,* consecravit Adalbertus sex, Adalwardum et Acilinum, *(supra Eccilinum)* item Adalwardum et Tadicum, *(supra Adalhardum et Thiedolfum)* nec non Simonem atque Joannem monachum. *Priores duo Sedem* B *habuerunt Scaræ, seu Scaranæ, Westrogothiæ versus lacum Venerum urbe. Sequentes duo resederunt Sigtunæ, seu Sictunæ, supra a nobis descriptæ, cujus Sedes Upsaliam deinde translata est, et Archiepiscopalis totius regni facta. Joannes sub initium sui Episcopatus Birræ vixit, celeberrimo, ut diximus, regni emporio; quo destructo, Sedes Lincopiam in media Ostrogothia sitam translata, deinceps permansit. Denique Simon supra Stenphi dictus, Scritefinnos primus docuit, Halsinolensis factus Episcopus, cujus provinciam Helsingiam ad mare Bothnicum, ab Upsalia dirimit Gestricia interjecta. Hæc de Suecis.* In Nordwegiam, *addit idem Adamus,* duos tantum Episcopos Adalbertus consecravit: Tholf et Sewardum, *quorum illum in subscriptionibus ad Acta SS. Anscharii et Remberti omissum, Adamus in Descriptione Norwegiæ docet ordinatum* in civitate Trondemi, *vulgo Trumheim et Truntem, Latinis Nidrosia, ad Nidericum fluvium in Septemtrionali Norwegia, postea in Sedem Archiepiscopalem erecta.* Sywardus, *seu* Sevardus, *certa* C *nondum assignata Sede, ut de pluribus ab aliis ordinatis Episcopis observat idem Adamus,* Norwegensis *dicitur Australi ejus regni ditioni præcipuæ, in plures postea Episcopatus divisæ, præpositus.*

*apud Suecos,*

*in Westrogothia,*

*Upsaliæ,*

*in Ostrogothia, Helsingia:*

*in Norvegia Septemtrionali*

*et Australi*

48 *Ultra Norwegiam* Orcades *insulæ sunt, quæ minores regno Scotiæ, cui hoc tempore subjiciuntur, quarum* in civitate Blascona *ab* Adelberto ordinatus Episcopus Torolfus, *corrupte* Blascomensis *in subscriptionibus appellatus. Demum sub circulo Arctico* Islandi, *usque magis polares, ut Geographi loquuntur,* Groenlandi *(quarum insulæ, si fides Angrimi Jonæ libro de Rebus Islandicis adhibenda, necdum cum viveret S. Anscharius cœptæ fuerunt inhabitari) ad fidem Christi tunc convertebantur, missa ad eos ab Adalberto Bremensi epistola per Islephum, seu Slepnum, ad eas insulas Episcopum ordinatum Scalternordensem, seu Scalholtinum. Earum omnium regionum Episcopatus subjectas* Archiepiscopo Hamburgensi *esse scribit Innocentius II Papa ad Adalberonem anno* 1133, *quam Epistolam edidit cum aliis ejusdem tribus de eadem materia Philippus Cæsar. Hæc de Legatione ad Septemtrionales regiones aliquanto distinctius exposuimus, ut quam abundanti fructu eadem* Legatio *(verba sunt Adami sub finem libri)* primum a S. Anschario in-

*in insulis Orcadum,*

*Islandia et Groenlandia*

*Hujus Legationis auctor,*

cepta, prosperis per annos CCXL aucta incrementis D *et regionibus illis fide Christi imbutis perfecta fuerit, evidenter constaret. Insuper cum ante memorati Episcopi Actis SS. Anscharii et Remberti reperiantur subscripti, arbitramur illos et eisdem Actis plurimum excitatos, et horum Sanctorum implorato patrocinio sæpius adjutos: ideoque Acta illa, ut præcipua in eos gloria redundaret, appositis omnium regionum nominibus interpolata.*

*et Patronus S. Anscharius.*

## § XIII. *Reliquiæ Sanctorum a S. Anschario in suam Diœcesim illatæ. Monasteria extructa. Libri conscripti.*

I*nter primos Ecclesiæ Remensis Archiepiscopos, plures eximia sanctitate excelluerunt, Ecclesiastico dein veneratione culti, quorum sacræ reliquiæ ad varias Ecclesias delatæ sunt. S. Donatiano ideo apud Brugenses primarium templum, jam cathedrale, dedicatum fuisse diximus* XIV *Octob. De aliorum quatuor reliquiis nobis hic sermo est, videlicet:* SS. Sixti et Sinnicii *primi et secundi istius Sedis Episcoporum, quorum natalis Kalendis Septemb. celebratur, tum* Materniani VI et Remigii XV, *quorum ille diem* XXX *Aprilis, hic Kalendas Octobris sibi sacras habet. Has* reliquias Anscharium dono Ebbonis Archiepiscopi suscepisse *docet Adamus lib.* 1, *cap.* 19, *silent fere Adamo antiquiores* E *Scriptores. Imo Flodoardus lib.* 1 *Historiæ Ecclesiæ Remensis cap.* 5 *scribit* reliquias S. Materniani et aliorum Sanctorum ab Hincmaro Archiepiscopo Remensi *donatas* Ludovico Regi Germaniæ *a quo tum forte S. Anscharius accepit, nisi aut alias earum partes etiam Regi donarit, aut eas ante ab Ebbone Remis ablatas donatasque S. Anschario, intercessione Regis Ludovici, suo diplomate confirmarit Hincmarus. Certe* ad honorem Dei et B. Sixti Confessoris cellam Torholtanam S. Anschario a Ludovico Pio *ante tempora Hincmari donatam fuisse, infra hujus diploma convincit: ut tum videatur S. Sixti sacras reliquias obtinuisse Anscharius: qui ejus et S.* Sinnicii pignora cum aliorum Martyrum patrociniis in urbe Hammaburg collocasse *dicitur post Adamum ab Alberto Stadensi in Chronico ad annum* 833. *Direpta incensaque Hamburgo, quod anno* DCCCXLV *contigisse ante probavimus,* Anscharium reliquias SS. Sixti et Sinnicii aliaque patrocinia apud Ramsolam locasse *tradunt idem Adamus cap.* 22, *Albertus anno* 841 *et Krantzius lib.* 1. *Metropolis cap.* 30; *imo* S. Anscharium *solitum fuisse* caput S. Sixti *secum conferre infra referetur. Alii scribunt apud Remenses præcipuas ejus reliquias* F *esse. Quod Kalendis Septemb. examinabitur.* Corpus vero S. Materniani *a* S. Anschario apud Heligenstad depositum *fuisse tradunt idem Adamus et Albertus. Est is locus ad sinistrum latus Sturii fluvii infra Itzehoam oppidum. Extruxisse ad Visurgim* S. Rembertum Præposituram Buccensem, *ejusque ecclesiam dedicasse* ad honorem Dei et S. Materniani Confessoris, IV *Februarii dicetur. Alias* S. Materniani reliquias a Ludovico Rege depositas fuisse in ecclesia Egmondana *tradunt Colvenerius in Catalogo Episcoporum Remensium, et Miræus in Fastis Belgicis* XIV *Octob.* B. Remigii cimilia Anscharium cum ingenti honore servavisse Bremæ *docent idem Adamus et Albertus, et quidem anno* 833, *sed alia tempora ejusdem apud Bremenses residentiæ requiri ipsa verba indicant. Varias hujus corporis translationes, Remis cum plurimis miraculis factas, describunt Flodoardus lib.* 1 *cap.* 20, 21 *et* 22 *et Hincmarus in Vita.*

*IV Episcoporum Remensium*

*reliquias accepit S. Anscharius.*

*SS. Sixti*

*et Sinnicii*

*deposuit Hamburgi,*

*deinde Ramsolæ*

*S. Materniani Heligenstadii,*

*S. Remigii Bremæ.*

50 *Reliquias* S. Willehadi, *primi* Bremensis Episcopi, *a se solenni pompa translatas describit in ejus Vita S. Anscharius.* Corpus, *inquit,* ipsius nos cum maxima fidelium turma, ac Cleri innumerabilis conventu sublatum, feretroque impositum, magnis populorum

*Corpus S. Willehadi transfert, ecclesiam dedicat,*

A pulorum vocibus in laudem Dei ac beati viri concrepantibus, die depositionis ejus, in nova, quam tunc dedicavimus, collocavimus basilica, ubi honorifice compositum, magnifice postmodum atque innumeris claruit virtutum indiciis, et de die in diem meritis beati viri multiplicia ibi crescunt miraculorum signa, ab anno, *addit Adamus lib.* I, *cap.* 30, DCCCLXI, ab ordinatione Archiepiscopi XXX. *Eadem leguntur apud Albertum in Chronico, Krantzium lib.* I *Metropolis cap.* 4, *et Auctorem Historiæ Archiepiscoporum Bremensium post Adamum excusæ.*

*anno 861.*

*extruxit monasteria Hamburgi, Ramsolæ, Bremis,*

51 Variarum Congregationum Anscharium curam suscepisse *scribunt Adamus cap.* 29 *et Krantzius cap.* 41. *Earum* primam *statuunt* Hamburgi, *sed* barbarica incursione depulsam, Ramsolamque translatam. *De hoc loco ante egimus.* Secundam in Bremis *collocant* sanctorum virorum, qui habitu usi Canonico, regula vivebant monastica. Tertiam sacrarum Virginum congregationem in Briximon, *seu* Brixmon. *Forte eamdem Historia Archiepiscoporum Bremensium* conventum *vocat* Sanctarum Virginum in Barsen, *cujus sæpius meminit Adamus: in alio vetere scripto Ecclesiæ Bremensis,* Bersen *dicitur,* Birsina *vero et* Birchusinum, *seu* Birsne *et* Birchusinum *in*

*Briximon,*

*Barsenæ*

B *Privilegiis Ottonis* I *et* II *et S. Henrici Imperatorum, post Adamum editis, aut etiam a Meibomio ad Annales Witichindi Corbeiensis illustratis. Inter* Virgines in Briximon, devotam Christi matronam Ludgard totum matrimonium suum obtulisse cœlesti sponso, magnumque chorum castitatis suo nutrivisse ducatu *addunt Adamus et Krantzius.* Ad curam autem pauperum et susceptionem peregrinorum Anscharium multis locis hospitalia præparasse. Unum vel præcipuum habuisse Bremæ, quo veniens quotidie infirmis non erubuit ministrare, quorum plurimos verbo vel tactu sanavit. *In illo hospitali templum postea S.* Anschario dicatum *fuisse, introducto* duodecim Canonicorum Capitulo, *ante diximus. Anonymus quidam Presbyter Bremensis in MS. Historia Helmoldi continuato apud Adolphum Cypræum lib.* I *Historiæ Slesvicensis cap.* 3 *tradit S.* Anscharium prope Idzehoe *Holsatiæ oppidum*, in Welna parvum oratorium in honorem S. Sixti, cujus caput semper secum deferebat, consecravisse: *ibidemque* cum aliquibus monachis propter serenitatem loci solitum aliquando ad contemplandum residere: cumque communiter in pane et aqua carnem subigeret, una dierum aquam in vinum conversam fuisse, fonte *etiam*

*hospitalia plura,*

*& oratorium in Welna.*

C sancto habito, ubi illa aqua fuerat extracta. *De ejus* in pane et aqua *abstinentia agitur in Actis cap.* 15. *Sed alia Legenda citatur, ex qua illud miraculum Presbyter Bremensis descripsit. An non potius* Heligenstadium *prope* Idzehoam *intelligendum; cum* Welna *videatur* Wenalao, *seu* Weld *prope* Hamburgum, *ut ad cap.* 5 *dicetur?*

*In aquam in vinum versa-est?*

52 Vitæ actuumque S. Willehadi insignem librum fideli stylo exarasse S. Anscharium, *imo* Vitam ejus et miracula singulis libris comprehendisse *docet Adamus cap.* 11 *et* 30. *Ipse* Anscharius *ante* miracula *hæc præfatur:* Dono omnipotentis Dei, qui gratuita pietatis suæ præordinatione, quosque in Ecclesia sancta Pastores constituit ac Doctores, Anscharius Bremensis Ecclesiæ Præsul, universæ per orbem concordi fraternitate degenti fidelium societati pacem et beatitudinem in Christo orat sempiternam. *Quæ eadem ante primum prologum, aut certe his similia extiterunt. In ea meminit* Folcardi Presbyteri, Emmingi Comitis, Atrebani Clerici, Benjamini, Gervali sociorumque, S. Willehadi discipulorum, odio nominis Christiani gladio peremptorum. Episcopos *eodem teste Adamo cap.* 31, tam voce quam litteris, ut vigilarent super gregem Dominicum, commonuit Anscharius, hos arguendo, illos obse-

*Vitam et miracula S. Willehadi,*

*et martyrium ejus discipulorum,*

*Februarii T. I.*

crando. At vero Romanorum Regibus pro sua Legatione, Regibus Danorum pro Christiana fide crebro mandavit. *Krantzius lib.* I *Metropolis cap.* 42 *conqueritur,* Epistolas S. Anscharii, *quas plures suo tempore extitisse testatur Adamus,* per incuriam periisse: teneri *vero* devotionis ejus breve, sed clarissimum monumentum, libellum Psalmorum summam paucis includentem, qui qualis in majoribus fuerit, attestetur. Anscharium *eum* libellum *solitum* Pigmenta *appellare indicant Acta num.* 59, *ubi et aliorum librorum asceticorum ab eo conscriptorum mentio fit; quos etiam injuria temporum interiisse credimus. Unam ejus de Legatione Epistolam a Philippo Cæsare cum variis Pontificum et Ludovici Pii decretis editam subjungimus.*

D

*Auctore G. H.*

*varias epistolas,*

*aliosque asceticos tractatus*

## § XIV. *Epistola S. Anscharii.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Anscharius gratia Dei Archiepiscopus, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ Præsulibus in regno duntaxat Ludovici Regis commanentibus. Nosse vos cupio, quia in hoc libello continetur, qualiter Ebbo Remensis Archiepiscopus divino afflatus Spiritu, temporibus Domini Ludovici Imperatoris, cum consensu ipsius ac pene totius regni ejus *a* Synodi congregatæ, Romam adiit, ibique a Venerabili Papa Paschali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit. Et qualiter postea Ludovicus Imperator hoc opus sublimavit: seque in omnibus largum præbuit et benevolum, et cetera quæ huic Legationi contigerunt. Quapropter suppliciter deprecor, ut apud Deum intercedatis, quatenus hæc Legatio crescere et fructificare mereatur in Domino. Jam enim Christo propitio et apud Danos et apud Sueones Christi fundata est Ecclesia, et Sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam, ut has literas in bibliotheca vestra ad perpetuam memoriam reponi faciatis, et prout locus dictaverit tam vos quam successores vestri, ubi utilitatem perspexeritis, notum omnibus istud faciatis. Omnipotens Deus faciat vos omnes hujus operis pia benevolentia participes, et in cœlesti gloria Christi cohæredes.

E

a

*S. Anscharius mittit Episcopis*

*decretum Paschalis Papæ.*

a *Celebrata fuerit ea Synodus antequam ederet Ludovicus Pius Capitulare* ... *inter Missos ab eo decretos* ... Ebbo Archiepiscopus, quando potuerit, *ubi titulo* quando ei non licuerit Rotaldo Episcopo; *ob non* ... *Legatione alia et pr.e relapsus Archiepiscopus exceptione concessa.*

F

## § XV. *Decretum S. Paschalis Papæ super Missione Ebbonis.*

Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei. Universis sanctissimis Fratribus Coepiscopis, Presbyteris, seu ceteris Ecclesiasticis Ordinibus, gloriosissimisque Principibus, Ducibus, sive magnificis Comitibus, vel cunctis Christianis Dei fidelibus.

a

*Paschalis Papa*

Cum religiosissimum constet, curam ac sollicitudinem *b* erga Dominicum gregem, quem Divina dispensatione suscepimus gubernandum, atque cœlestia pabula salubri communicatione subministrandum, maxime his qui in compitis et pagis sub principe tenebrarum callida persuasione persistunt, et viam vitæ ignorantes, devii non quæ sursum sunt, sed quæ deorsum, stulta instigatione perquirunt. Sed quia in partibus Aquilonis quasdam Gentes consistere, quæ necdum agnitionem Dei habuere, nec sacra unda baptismatis sunt renatæ, sub umbra mortis existere, et magis creaturæ quam Creatori ignava mente servire cognovimus, idcirco præsentem Reverendissimum Fratrem ac Coepiscopum nostrum Ebbonem sanctæ Remensis Ecclesiæ Archiepiscopum necessarium cum consensu fidelium Dei duximus,

b

*ad partes Aquilonis*

*mittit Ebbonem*

A illis in partibus pro illuminatione veritatis dirigendum. Quatenus auctoritate beatorum Principum Apostolorum Petri ac Pauli, nostra fraterna vice informatus, ante corpus et confessionem ipsius Principis Apostolorum evangelizandi publica auctoritate liberam tradidimus in omnibus facultatem: ut verbum vitæ viamque salutis ubique provideat, et fidei normam cælesti educatione confirmet, atque Apostolicæ institutionis doctrinam, omni diabolico errore depulso, viva voce corroboret. Et si fortasse ad hoc divinum pertinens officium, aliquid dubium emerserit, ad sanctam Dei Catholicam atque Apostolicam Romanam Ecclesiam recurrendo, semper ex ejus hauriat purissimo fonte latices, unde et a cordibus mortalium, Divina interveniente gratia, noxios emundare possit errores. Collegam namque divinæ huic administrationis Legationi providentes, *c* Halitgarium religiosum adjicientes ministrum constituimus; quatenus ad Sedem Apostolicam opportuno valeat tempore de credito negotio facilius, præstante Domino, intimare, et nunquam se in qualibet parte huic nostræ auctoritatis ministerio commisso negligere: cui coram districto Judice inde rationem reddere, et de statuto ministerio pœnas recipere sempiternas non dubium esse præfigimus.

*AUCTORE G. B.*

*c et Halitgarium,*

B 55 Pro quo omnes exhortantes unanimiter commonemus per amorem omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi atque Apostolorum ejus venerationem, ut in omnibus necessitatibus Legationis hujus, totis viribus eis solatiari certetis, et in nomine Domini nostri Jesu Christi, sicut scriptum est, recipere debeatis: Qui vos, inquit, recipit me recipit, et qui vos spernit me spernit. Et iterum: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Unde magis magisque commonemus, ut provida devotione, et largo caritatis affectu, puraque mente ac sincera intentione, quæque itineri huic necessaria prospiciatis, nec pia benignitate pro viribus succurrere renuatis: ut pro certo hujus pietatis opere participes, apud Deum dignæ retributionis meritum percipiatis, seu cœlesti descriptione hujusmodi pro compensationis munere in consortio Sanctorum connumerari valeatis. Si quis vero huic Dei officio ad illuminationem Gentium a sancta Catholica Apostolica Ecclesia pro consultu Ecclesiastico destinato assensum vel auxilium præbuerit, per interventionem beatorum Apostolorum, Martyrum quoque atque Sanctorum omnium, in cœlestibus gaudiis talibus pro meritis mereatur adscribi. At vero, si quis, (quod non optamus) contrarius C adversator huic divino cultui institerit, vel in quoquam præpedire conatus fuerit, et his vel cooperatoribus eorum ad hoc per agendum ministerium temerator extiterit; ex Divina jussione et Apostolica auctoritate anathematis vinculo puniatur, et perpetua condemnatione reus diabolica sorte damnetur.

*Matth. 10, 40. Matth. 25, 40, ad eis subveniendum alios adhortatur.*

a Sedit S. Paschalis ab anno 817 ad 824, quo 14 Maii obiit et colitur. — b Deest verbum, forte impendere. — c De Halitgario et Ebbone actum § 10.

## § XVI. *Præceptum Ludovici Imperatoris, super Missione S. Anscharii.*

a In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ludovicus Divina propitiante clementia Imperator Augustus. Si specialibus cujusque fidelium nostrorum necessitatibus perspectis, subveniendum esse Imperialis auctoritas monstrat; quanto magis ad debitam generalitatis providentiam æquum dignumque pertinet, ut et Ecclesiæ Catholicæ atque Apostolicæ, quam Christus suo pretioso sanguine redemit, eamque nobis tuendam regendamque commisit, piam ac sollicitam in cunctis oporteat gerere curam; et, ut in ejus provectu vel exaltatione con-

*Ludovicus Pius*

D gruam adhibeamus diligentiam, novis ad ejus necessitatem vel utilitatem atque dignitatem pertinentibus rebus, nova imo necessaria et utilia provideamus constituta. Idcirco sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, præsentibus scilicet et futuris, certum esse volumus, qualiter Divina ordinante gratia nostris in diebus, Aquilonalibus in partibus, in gente videlicet Danorum sive Sueonum, magnum cœlestis gratia prædicationis sive acquisitionis patefecit ostium; ita ut multitudo hinc inde ad fidem Christi conversa, mysteria cœlestia Ecclesiasticaque subsidia desiderabiliter expeteret. Unde Domino Deo nostro laudes immensas persolventes extollimus, qui nostris temporibus et studiis sanctam Ecclesiam, sponsam videlicet suam, locis in ignotis sinit dilatari atque proficere. Quamobrem una cum Sacerdotibus, ceterisque Imperii nostri fidelibus, hanc Deo dignam cernentes caussam valde necessariam atque futuræ Ecclesiæ dignitati proficuam, dignum duximus; ut locum aptum nostris in finibus evidentius eligeremus, ubi Sedem Episcopalem per hoc nostræ auctoritatis præceptum statueremus; unde omnes illæ barbaræ nationes æternæ vitæ pabulum facilius uberiusque capere valerent, et sitientes salutis gratia præ manibus vel oculis haberent incessanter; insuper et magnorum progenitorum sacra lucrandi studia nostris in diebus nunquam deficerent.

*ob spem conversionis*

*Danorum et Sueorum*

*judicat*

*Sedem Episcopalem statuendam.*

E 57 Genitor etenim noster gloriosæ memoriæ Karolus omnem Saxoniam Ecclesiasticæ religioni subdidit, jugumque Christi adusque terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit. Ubi inter has utrasque gentes, Danorum videlicet sive Wandalorum, ultimam Saxoniæ partem sitam, et diversis periculis, temporalibus videlicet et spiritualibus, interjacentem prospiciens, Pontificalem ibidem Sedem fieri decrevit trans Albiam. Unde postquam terram Nordalbingorum laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipsis Christianitatis initiis patratam per septennium passi sunt, ne locus ille a barbaris invaderetur, *b* Ecberto Comiti restituere præceperat, non jam vicinis Episcopis locum illum committere voluit. Sed ne quisquam eorum hanc sibi deinceps Parochiam vindicaret, ex remotis Galliæ partibus quemdam Episcopum, *c* Amalarium nomine, direxit, qui primitivam Ecclesiam ibidem consecraret. Sed et eidem Ecclesiæ sacras reliquias ac plura Ecclesiastica munera, pia largitate, specialiter destinare curavit. Postmodum vero captivis optatam ad patriam undique confluentibus, eamdem F Parochiam cuidam Presbytero, Heridac nomine, specialiter commendavit: quem universæ Nordalbingorum Ecclesiæ, videlicet ne ad ritum relaberentur Gentium, vel quia locus ille lucrandis adhuc Gentibus videbatur aptissimus, disposuerat consecrari Episcopum, ut ipsa occasione vel auctoritate, summa in ipsis terminis Gentium sedulitate prædicandi sancta multiplicaretur Ecclesia, dum vicinorum ipsius novitatis Episcoporum multæ latitudinis cura non sufficiebat discurrere per omnia. Delegavit etiam eidem Presbytero quamdam cellam, *d* Hrodnace vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem jam dicti viri velox ex hac luce transitus pii genitoris nostri in diebus ejus fieri prohibuit; ego autem, quem Divina clementia in sedem regni ejus asciverat, cum in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædicti patris mei studium regni in finibus peractum minus caute attenderem, suadentibus quibusdam jam dictam cellam ad *e* Indam monasterium contuli, vicinam vero Parochiam vicinis Episcopis interim commendavi.

*Karolus magnus, Saxonia subacta Christo,*

*trans Albim misit*

*b*

*c Amalarium Episcopum,*

*et Heridachum Presbyterum,*

*d Rodnacæ cella assignata.*

*e ... monasterium ...*

58 Nunc autem tam propter suprascripta Ecclesiastica lucra in Gentibus demonstrata, quam et propter

*Ludovicus Pius*

A pter votum pii genitoris nostri, ne quid ejus studii imperfectum remaneat, statuimus una cum consensu Ecclesiastico, præfata ultima in regione Saxonica trans Albiam, in loco nuncupato Hammaburg, cum universa Nordalbingorum provincia, Ecclesiæ proprii vigoris constituere Sedem. Cui et primum præesse atque solenniter consecrari per manus *f* Drogonis Mettensis et summæ Sanctæ Palatinæ dignitatis Præsulis, Anscharium fecimus Archiepiscopum, astantibus Archiepiscopis Ebbone Remensi, Hetti Treverensi, et Otgario Mogontiacensi, cum plurimis aliis generali in conventu totius Imperii nostri Præsulibus congregatis, assistentibus quoque specialiter et consentientibus atque consecrantibus, Helingaudo, atque Willerico *g* Episcopis, a quibus jam, dictæ Parochiæ partes a nobis sibi olim commendatas recepimus. Cui videlicet Anschario, quia præfatis in Gentibus hæc nostris in diebus dignissima in convocatione Gentilium vel redemptione captivorum monstrata sunt lucra, tam nostra quam sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis auctoritate, hanc Deo dignam in Gentibus commisimus Legationem, ac proprii vigoris adscribere decrevimus dignitatem.

*f Hamburgensem curat consecrari Anscharium Archiepiscopum.*

59 Et ut hæc nova constructio periculosis in locis cœpta subsistere valeret, nec prævalente barbarorum sævitia deperiret, B quamdam cellam Turholt nuncupatam tam huic novæ constructioni perenniter servituram, quam suæ successorumque suorum in Gentibus Legationi ad nostram nostræque sobolis perpetuam mercedem Divinæ obtulimus majestati. Homines quoque, qui ejusdem cellæ beneficia habere videntur, ab omni expeditione, vel militia, sive qualibet occupatione absolvimus, ut isdem venerabilis Episcopus ad hanc Deo dignam peragendam in provisis temporibus Legationem, nullum in hoc patiatur impedimentum. Dona vero quæ ex eadem cella nostris partibus dare solebant, et nobis quoque successoribusque nostris similiter dari volumus. His exceptis, majus minusve in convocatione Paganorum, vel redemptione captivorum, sive ejusdem Sedis supplemento multimodis periculis circumdato, vel ibidem Deo militantium solatio, ob amorem Dei ac *h* B. Sixti Confessoris ejus perpetuo delegamus. Res quoque præfatæ Sedis et præscripti monasterii sub plenissima defensione et immunitatis tuitione volumus, ut consistant ac tueantur: ita ut nullus judex publicus, aut alia qualibet potestate publica prædita persona, de eorum rebus *i* freda, tributa, *k* C mansionaticos, vel paratas, aut teloneum, vel fidejussores tollere, aut homines ipsorum tam *l* litos quam et ingenuos, super terram eorum manentes distringere; nec ullas publicas functiones, aut redibitiones, vel illicitas occasiones requirere vel exigere præsumat. Sed liceat prædicto venerabili Episcopo suisque successoribus, ac omni Clero sub eorum regimine constituto, quiete in Dei servitio degere, et pro nobis proleque nostra, atque statu totius Imperii nostri, Divinam misericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas sui vigoris perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, et annuli nostri impressione signare jussimus. Data Idus Maii, *m* Anno, Christo propitio, XXI Imperii Domini Ludovici piissimi Augusti, Indictione XII. Actum Aquisgrani, Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

*Cellam Turholtam attribuit.*

a Multa ex hoc Decreto eisdem fere verbis in Actis referuntur. — b Egbertus Comes Esesfelt ad Sturiam fl. occupatum munivit anno 809, paci inter Carolum Magnum et Hemmingum Regem Danorum similiter anno 811 interfuit, ut tradunt Annales Loiseliani, Eginhardi, aliique. — c Alius ab Amalario Trevirensi anno 813 a Carolo Magno Constantinopolim misso. Certe hi non venere ad Aquisgranenses illos, quidam ex remotis, ad nostris ex vicinis Galliæ partibus. — d Rodnach cella in Gallia, Adamus lib. 1 cap. 11. Rodenach cella a Karolo Magno donata, in diplomate Frederici Imperatoris Hartwico Archiepiscopo Hamburgensi anno 1158 dato. Est autem Rotnacum oppidum modernæ Flandriæ in antiquo Bracbanto, inter Tornacum et Aldenardam. — e Inda monasterium prope Aquisgranum fundatum a S. Benedicto Abbate Anianæ, ad cujus Vitam 12 Februarii, plenius Indam, Rotnacum, et hanc Ludovici donationem exponemus. — f Drogo frater Ludovici Pii Præses concilii ad Theodonis villam anno 835 depositioni Ebbonis subscripsit. — g Ferdensi et Bremensi. — h Sixtus Archiepiscopus Remensis etiam in Actis antiquis Confessor dicitur, in Martyrologiis nonnullis ad Kalend. Septemb. Martyr. De ejus reliquiis S. Anschario donatis egimus § 13, uti de Torholto § 5. — i Fredum teste Turonensi lib. 4 de Mirac. S. Martini cap. 27 est compositio fisco debita, ad pacem obtinendam. Fride et vrede Germanis et Belgis pacem significat. — k Hæc duo, et mansionaticus et parata sæpe conjunguntur: illa hospitium, seu tecta ad permanendum prædiuo indicatur, hæc alimenta hospitibus præparanda. — l Liti, litones, lidi, leddi homines peculiari nexu quasi membrum Principi aut reip. obstricti. Lidt Germanis et Belgis membrum est. — m In Privilegiis Ecclesiæ Hammaburgensis additur: Anno Domini Jesu Christi 834 et recte; corrigendus vero apud Adamum cap. 17 annus 843.

*Egbertus Comes, Amalarius Episcopus, Rotnacum,*

*D AUCTORE G. H. Inda, Drogo Archiepiscopus, S. Sixtus Confessor, Fredum, mansionaticus et parata, liti.*

## § XIII. *Decretum Gregorii IV Papæ, de eadem missione.*

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Omnium fidelium dinoscentiæ certum esse volumus, *a* qualiter beatæ memoriæ præcellentissimus Rex Karolus, tempore prædecessorum nostrorum, divino afflatus Spiritu, Gentem Saxonum sacro cultui subdidit, jugumque Christi, quod suave ac leve est, adusque terminos Danorum sive Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit: ultimamque regni ipsius partem trans Albiam inter mortifera Paganorum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur Gentilium, vel etiam quia lucrandis adhuc Gentibus aptissima videbatur, proprio Episcopali vigore fundare decreverat. Sed quia effectum mors prohibuerat, succedente ejus præcellentissimo filio Ludovico, Imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter implevit. Quæ ratio nobis per venerabiles *b* Ratoldum sive *c* Bernoldum Episcopos, necnon et *d* Geroldum Comitem vel Missum venerabilem relata est confirmanda. Nos igitur omnem ibi Deo dignam statutam providentiam cognoscentes; instructi etiam præsentia Fratris filiique nostri Anscharii, primi Nordalbingorum Episcopi, per manus Drogonis Mettensis Episcopi consecrati, sanctum studium magnorum Imperatorum tam præsenti auctoritate, quam etiam Pallii datione more prædecessorum nostrorum roborare decrevimus: quatenus tanta auctoritate fundatus prædictus filius noster ejusque successores, lucrandis plebibus insistentes, adversus tentationes diaboli validiores existant: ipsumque filium nostrum, jam dictum Anscharium, Legatum in omnibus circumquaque Gentibus Sueonum sive Danorum, necnon etiam Slavorum, vel in F ceteris ubicumque illis in partibus constitutis divina pietas ostium aperuerit, una cum Ebbone Remensi Archiepiscopo, statuentes, ante corpus et confessionem S. Petri, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem; ipsamque Sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honore Salvatoris sanctæque ejus et intemeratæ genitricis semper Virginis Mariæ consecratam, Archiepiscopalem deinceps esse decernimus. *e* Consecrationem vero succedentium Sacerdotum, donec consecrantium numerus augeatur ex Gentibus, sacræ Palatinæ providentiæ interim committimus. Strenui vero prædicatoris persona, tantoque officio apta, eligatur semper successio. *f* Omnia vero a venerabili Principe ad hoc Deo dignum officium deputata, patria etiam pia ejus vota auctoritate firmamus, omnemque resistentem vel contradicentem anathematis mucrone percutimus, atque perpetua ultione reum diabolica sorte damnamus; ut culmen Apostolicum more prædecessorum nostrorum, caussamque Dei pio affectu zelantes ab adversis hinc inde partibus totius munimus. *g*

*Gregorius de rebene instructus. E*

*confirmat Archiepiscopatum Hamburgensem*

61 Et quia te, carissime fili Anschari, Divina clementia nova in Sede primum disposuit esse Archiepiscopum, nos quoque Pallium tibi ad Missarum solennia

*dat S. Anschario pallium,*

AUCTORE G. H. A solennia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis uti, et Ecclesiæ tuæ perpetuo statu manentibus privilegiis uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor morum a te vivacitate servandus est. Si ergo Pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant, quanto sudore quantaque cura debeamus esse pervigiles nos, qui Pastores animarum dicimur, attendamus. Et ne susceptum officium in terrenis negotiis aliquatenus implicare debeas admonemus. Vita itaque tua filiis tuis sit via: in ipsa si qua fortitudo illis inest, dirigant, in ea, quod imitentur, aspiciant, in ipsa, se semper considerando, proficiant; ut suum post Deum videatur esse bonum, quod vixerint. *et sacra monita.* Cor ergo tuum neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque adversa dejiciant; districtum mali cognoscant; pium benevoli sentiant; insontem apud te culpabilem malitia aliena non faciat; reum gratia non excuset: viduis ac pupillis injuste oppressis defensio tua subveniat. Ecce, Frater carissime, inter multa alia ista sunt Sacerdotii, ista sunt Pallii; quæ si studiose servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas Fraternitatem Vestram diu conservare B dignetur incolumem, atque post hujus seculi amaritudinem ad perpetuam perducat beatitudinem. *b*

*Rotoldus Ep.* *Bernoldus Ep.* *Geroldus Comes*

a Sedit Gregorius IV ab anno 827 ad 843. — b *Rotoldus, seu Rotardus, Episcopus Suessionensis, [illegible] anno 833. [illegible] anno 833.* — c *Bernoldus, seu Bernaldus, Episcopus Argentoratensis, [illegible] Episcopo, [illegible] 2 [illegible] 832.* — d *Gerardus Comes [illegible] 846 [illegible] in Vita S. Benedicti [illegible] 14 [illegible] infra in Actis S. Anscharii num. 20. [illegible] in Bulla Nicolai Papæ infra [illegible] 40 [illegible].* Itaque [illegible] a dilecto filio nostro Ludovico ad hoc Deo dignum officium deputatum, nostra etiam pia ejus voluntati [illegible] *[illegible]* — g *Eadem [illegible] in Bulla Nicolai Papæ.* — h *Apud Pantinum additur,* Amen. Datum anno 834.

## § XVIII. *Decretum Nicolai Papæ.*

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentis temporis scilicet et futuris, salutem et Apostolicam benedictionem. Quisquis Dominum et Redemptorem nostrum Jesum Christum de sinu Patris ad terram pro demonstranda cordibus hominum vera et certa fide C descendisse non dubitat, profecto non ignorat, omnes qui ejusdem fidei per gratiam ipsius participes facti sunt, et præcipue Nos, qui per primum tantæ virtutis ministrum locum præcipuum tenemus, hominibus debere lucrandis insistere, et per universas Gentes verbi semina serere, et solatia serentibus ministrare. Nunc autem quia Ludovicus sublimissimus Rex per Salomonem venerabilem Episcopum civitatis Constantiæ nostro studuit Apostolatui intimare, quod piæ memoriæ Ludovicus Imperator genitor suus quemdam monachum nomine Anscharium, de monasterio Corbeiensi tulisset, et collocasset eum juxta Albiam fluvium in confinibus Danorum et Slavorum, Saxonumque in castello Hammaburg, inter duos Episcopatus, Bremen et Verde, de quibus tollens ecclesias et decimas ad sustentationem provehendi caussa jam fati Episcopi Clericorumque ejus, condonasset in prædicto loco, annuente ac solemnia Sedis Apostolicæ privilegia præbente prædecessore nostro beatæ memoriæ Papa Gregorio, cujus et auctoritate in supradicto Nordalbingorum populo Sedes constituta est Archiepiscopalis, in castello superius memorato Hammaburg, et in eadem quoque Sede Archiepiscopus, accepto a Sede Apostolica Pallio primus est ordinatus Anscharius, cui a præfato Pontifice delegata est cura seminandi verbum D Dei et animas lucrandi Deo *b*... *b*

a Sedit Nicolaus ab anno 858 ad 867. — b *Reliqua sæpe [illegible] Pontificis verba referuntur supra in Actis num. 39 et 40. Item annectebatur adhortatio de pallio et bono Pastore, jam cum Decreto Gregorii IV vulgata. Denique varia quæque non satis inter se congruentia adjiciebantur, quæ etiam omittimus. Diploma hoc anno Pontificatus Nicolai primo, Christi 858, Archiepiscopatus Anscharii 28, datum esse supra § 2 ex Adamo diximus.*

## § XIX. *Epistola Nicolai Papæ ad Horicum Regem Daniæ.*

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei *a*, Horico Regi Danorum. Multas omnipotenti Deo gratias egimus in adventu Fratris et Coepiscopi nostri Salomonis, qui missus a Filio nostro glorioso Rege Ludovico et munera tua obtulit et de fide tua, quam etiam ante baptismi gratiam per prævenientem Dei misericordiam jam habere dignosceris, nos plurimum exhilaravit. Et ideo levantes oculos ad eum, qui solus est Verus et Unicus atque Omnipotens, incessanter pro salute tua clementiam ejus suppliciter exoramus: ut qui dixit de tenebris lucem splendescere, et sancti sui Spiritus illustratione caliginem ignorantiæ vel infidelitatis e cordibus illorum, qui credituri erant in nomine ipsius, sua præveniente gratia dissipavit, jamque in te miserationis suæ opus E ostendere solita pietate curavit; ipse quoque oculos tuos ad cognoscendam veritatem aperiat, e pectore tuo ignorantiæ tenebras abigat, duritiam et velamentum cordis tui removeat, lumenque tibi veræ fidei ac religionis ostendat, atque te ad suam attrahat cognitionem, et ad salutarem fontem et ad perenne regnum et ad vitam perducat æternam; ubi est gaudium sine mœrore, satietas sine fastidio, salus continua, vita indeficiens, pax non habens finem, et summa manet securitas ac sempiterna gloria; ubi videbitur Deus sicuti est, et omnes justi cum illo regnabunt, et regnum ipsorum nec terminis angustiatur, nec prœliis agitatur, nec fine concluditur, nec consummatione finitur. Quod agnoscentes nos, qui fidem Christi tenemus, et Christiani vocamur, credimus in ipsum, qui talem nobis vitam et regnum promisit, ac multo amplius illi servimus et colimus pro illa vita, quam pro ista, quæ tota misera est, tota plena periculis, ubi est mœror continuus, satietas cum dolore, sanitas brevis, vita mortalis, jurgia, ac suspecta securitas, et cito deficiens gloria, ubi scriptum est: Militia est vita hominis super terram, et: Quasi dies mercenarii dies ejus; ubi, inquam, F regnum breve est, et jugibus bellis concutitur, et post paululum de manu possidentis amittitur, dum etsi non virtute hominis, tamen conditione mortis aufertur. Desine ergo idola colere, et dæmonibus jam servire desiste. Omnes enim Dii Gentium, dicente Psalmista, dæmonia; Dominus autem cœlos fecit. Itaque qui fecit et *b* qui factus est, Creator et non creatura colendus est. Ecce enim idola tua manufacta, surda, muta, et cæca sunt, et quam tibi salutem possunt conferre, ipse, quæso, perpende, cum similiter nullum auxilium, cum sint sine sensu, valeant omnino præstare. Deum igitur cole, ipsum adora, ipsi soli singularem servitutem impende, qui est omnipotens, omnitenens, inenarrabilis, immensus, infinitus, simplex, incommutabilis, incircumscriptus, immortalis, totus bonus, totus misericors, totus sanctus, qui tibi et in hoc seculo auxiliari potest, et in futuro beatificare, qui tibi post mortem vitam dabit quæ non finitur, et regnum tribuet, si eum perfecte colueris, et amaveris, quod nesciat prorsus occasum, nec sentiat ullum sui status aliquando decrementum. Illuminator omnium Deus omnipotens illuminet cor tuum et ad agnitionem suam perducere dignetur.

*a* *Preces pro Rege fundit.* *docet vitam æternam.* *miseriam hujus vitæ.* Job 7. 1. *vanam idolorum culturam.* *b* *verum Deum colendum.*

a

A a Est hic Horicus junior, qui puer regnum accepit anno 854, et ultra annum 888 quo S. Rembertus decessit, creditur regnasse. Hunc a S. Anschario placatum Christianitatem suscepisse, suisque omnibus, ut Christiani fierent per edictum mandasse, scribit Adamus cap. 28. et Albertus ad annum 858. Unum Regem Daciæ qui Horicus dicitur, a S. Remberto baptizatum esse traditur in veteri serie Præsulum Ecclesiæ Bremensis, edita cum historia Archiepiscoporum Bremensium post Adamum edito. Quæ miramur nusquam in Vita SS. Anscharii aut Remberti proferri. Ex hac epistola eum Christianis favisse constat, et ex Actis S. Anscharii permisisse subditis fidem Christi, si vellent, amplecti. De ejus stirpe supra egimus. — b Dicta particula non.

*Horicus junior Rex.*

## § XX. *Epistola Formosi Papæ ad Adalgarium Archiepiscopum Hammaburgensem.*

a Formosus *a* Servus Servorum Dei, Reverendissimo
b et sanctissimo *b* Adalgario Archiepiscopo Hammaburgensi. Arbitrabamur tuam sanctimoniam, prout injunctum fuerat, ad Apostolicam Sedem festinare,
c quatenus disceptatio, quæ inter te et *c* Hermannum Agrippinæ Coloniæ Reverendissimum Archiepiscopum ventilatur, de Bremensi Ecclesia finem perciperet. Sed ipso per suos vicarios insistente, et querimoniam multiplicante, cur tuam non exhibueris præsentiam, saltem per defensorem Vicarium, non modicum miramur. In quo suspicare tribuitur summopere, contentionem non odire, qui judicii æqui-
B tatem conatur subterfugere: præsertim cum et Ma-
d guntiæ sanctissimus *d* Archiepiscopus, cui de hac re, ut veritatem inquireret per confratres et conlimitaneos Episcopos injunctum fuerat, ad nos scribens significaverit; quatenus venientibus Reverendissimis
e Episcopis ad *e* Franckenford, de hac eadem re diligentissima facta fuerit inquisitio, omnesque Diœce-
f sani ejusdem Coloniensis Episcopi, *f* Francho vide-
g h licet Tongrensis, *g* Vodelbaldus Trajectensis, *h*
i Wofelmus Mimigardevordensis, *i* Drogo Mimdo-
k mensis, *k* Egilmarus Osnabrugensis, sub testificationis prætextu testificati sunt, usque ad te nullum Bremensis Ecclesiæ Præsulem modum subjectionis Coloniensi Antistiti contempsisse, sed semper decessores suos, qui eidem Bremensi Ecclesiæ præfuerunt a temporibus suæ Christianitatis, Sedi Coloniensi fuisse subjectos. Verum quia tantorum virorum testimonium frustrari non expedit, et ad statutum veniendi tempus festinare vel delegare vicarium distulisti, tanti temporis querimoniam, ac Legatorum constantem instantiam nihili pendere inhumanum videbatur. Quapropter arctati, hinc ne Coloniensis Ecclesia justitiam perderet, inde ne Hammaburgensis Ecclesia, quæ ad Gentium vocationem instituta
C fuerat, subsidio destituta deficeret; dispensative censuimus, quatenus quoadusque divina suffragante gratia, prælibata Hammaburgensis Ecclesia intantum dilatetur, ut Episcopiam instituere valeat, jam memoratam Bremensem Ecclesiam ad subsidium habeat; et quoties in magnis ac prænecessariis Canonicis negotiis oportuerit, non subjectione aliqua, sed affectu fraternæ caritatis Hammaburgensis Archiepiscopus, qui ejusdem Bremensis Ecclesiæ regimen obtinet, per se aut vicarium suam vicem gerentem, in adjutorium Coloniensis Archiepiscopi invitatus accedat. Dilatata autem Hammaburgensi Ecclesia, largitore omnium bonorum annuente, et fundatis Episcopiis, sæpe memorata Coloniæ Sedes Bremensem recipiat Ecclesiam. Inhumanum quippe est inter seculares, aliena jura pervadere; quanto magis sanctissimos Episcopos statutos a Patribus transgredi terminos, et eos litigare, qui pacis debent subditis exempla præbere? Hæc autem ad hoc decreta est dispensatio, ut pax vigeat, cesset contentio, et justitiæ vigorem misericordiæ compassio temperet, scientes sine pacis bono nullum Deo munus fore acceptabile.

*Urgente Hermanno Coloniensi Archiepiscopo,*

*Subjectio Bremensis Ecclesiæ Coloniensi adjudicatur.*

a Sedit Formosus ab anno 891 ad 896. De hoc controversia agitur § 2 num. 10. — b De Adalgario plura dicuntur in Vita S. Remberti, cui ab initio Archiepiscopatus socius fuit, tum publica D licentia et Synodi auctoritate Coadjutor, demum eidem successit anno 888, vita functus anno 909. — c Hermannus creditur electus Archiepiscopus Coloniensis anno 890 et superfuisse ad annum 925. — d Haddo Adamo et Alberto seu Hatto, qui Moguntinus præfuit ab anno 891 ad 912. — e Hanc corrupte Adamus, Albertus, Baronius ad annum 895 num. 4 Wormatiæ quæ ... controversia peracta scribunt apud Triburiam quæ in Annalibus Fuldensibus ad annum 875 et 897 dicitur villa seu curtis regia, inter Moguntiam et Oppenheimium ad dexteram Rheni ... ubi Synodus alta habita fuit anno 895. — f Franco Episcopus Leodiensis ab anno 856 ad 903, dicitur Tungrensis, quia Leodium in Tungrorum ... — g Vodelbaldus, aliis Odelbaldus, et Odilbaldus, Ultrajectinus ad Rhenum ab anno 866 ad 900. — h Wolfelmus Mimigardevordensis, postea Monasteriensis, ... catalogo Krantzii et Lentzpolii ... Luberto ... et successorem accepisse Berthaldum, cujus ... ad annum 895. Nos ordine ... Wilhelmus, qui hæc ... Krantzius et ... Hi tres Franco, Odelbaldus et Wolelmus ... in Synodo Triburiensi. — i Drogo, aliis Drogo, Mindensis, ... Synodo Triburiensi, Mindensis aut Mimidonensis, sub quo anno 896 ... monasterium ... traditur a Krantzio lib. 3 cap. 8. — k Egilmarus Osnabrugensis etiam interfuit Synodo Triburiensi. 33 annos Episcopum fuisse scribit Krantzius cap. 7.

*AUCTORE G. H. — Hermannus, Hatto, Triburia.*

*Franco, Odelbaldus, Wofelmus, Drogo, Egilmarus.*

# VITA

### Auctore S. Remberto Archiepiscopo.

### *Ex variis MSS.*

## PRÆFATIO AUCTORIS

E Dominus sanctissimis, et in Christi amore præcipua veneratione recolendis ac diligendis Patribus et Fratribus, in sacratissimo Corbeiæ monasterio Deo militantibus, filii atque discipuli Reverendissimi Patris Anscharii perennem perpetuæ felicitatis orant in Domino dominantium pacem et salutem.

Diu per Domini gratiam Pastoris boni munere delectati, prædicationibus et exemplis informati, meritis et intercessionibus suffulti; nunc tandem ejus præsentia desolati, satis perpendimus, quid pro nobis gemendum, quidve pro eo gratulandum sit. Etenim verus Dei cultor abstinens se ab omni opere malo, et in simplicitatis modestia permanens, certam de se præbuit fiduciam, quod hinc sublatus, ad Deum, quem semper tota devotione dilexit, cuique semper animo intendebat, sine cunctatione pervenerit. Unde pro retributionis ejus præmio vere nobis gratulandum credimus; pro nostra autem desolatione necessario supplicandum; ut, qui humanitus tanto destituti sumus Pastore, cœlitus divino muniri mereamur auxilio. Inter varias etenim pressurarum angustias positi, veraciter jam sentimus quid amiserimus, et quid pro probis dolere debeamus satis intelligimus. Vivente enim ipso, nihil nobis deesse credebamus; F Ejus namque sanctitatem Reges honorificabant, Pastores Ecclesiarum venerabantur, Clerus imitabatur, populus universus admirabatur, et dum illum cuncti sanctum et justum prædicarent, nos quoque tanquam corpus capiti pro ejus bonitate venerandi ac laudabiles videbamur. At nunc tanto munere frustrati, de nostris meritis non præsumimus; quin magis timido corde expavescimus, ne peccatis promerentibus, luporum patere incipiamus morsibus. Mundus namque in maligno positus, magis ea quæ justa et sancta sunt evertere, quam religiosa quærit erigere; et inimicus humani generis diabolus, quanto sanctiorem ac religiosiorem quemque conspexerit ducere vitam, tanto majori conamine adversa quæque objicit; ut ea quæ sancta sunt destruat, et ne ab aliis imitentur, callida suasione ac pravis intentionibus auferat. Nos itaque inter formidolosa pericula suspirantes, licet multiplicia mala temporaliter timeamus, Divinum tamen adjutorium nobis, licet indignis, non defuturum credimus, ideoque vestram devotissimam sanctitatem supplici corde rogamus, et petimus, ut memores nostri intercedere pro nobis ad Dominum dignemini, quo nunc nos ejus misericordia non derelinquat, sed adjutor noster benignissimus

*S. Anscharius suis auctoritatem conciliabat.*

*Anscharii discipuli implorant præsidium Corbeiensium.*

A dentes, servato introitu amplissimo apparuerunt: qui et ipsi reverenter ad Orientem respectantes, ineffabiles Domini laudes promebant. Laudes vero in commune canentium suavissimam mihi refectionem ingerebant, sed post reversionem ad corpus retinere nullo modo poteram. In ipso vero Orientis loco, erat splendor mirabilis, lux inaccessibilis, nimiæ atque immensæ claritatis, cui inerat omnis color pretiosissimus, omnisque jocunditas: omnes vero Sanctorum ordines, qui undique lætantes circumstabant, ab ipso gaudium hauriebant. Qui splendor tantæ magnitudinis erat, ut nec initium ejus, nec finem contemplari valerem. Et cum circumquaque longe vel prope respicere possem, in ipsa immensitate luminis, quid intus haberetur, contemplari non poteram, sed tantum superficiem cernebam; ipsum tamen inibi esse credebam, de quo Petrus ait: In quem desiderant Angeli prospicere. Ab ipso namque claritas immensa procedebat, ex qua omnis longitudo et latitudo Sanctorum illustrabatur. Ipse quoque quodammodo erat in omnibus, et omnes in eo; ipse omnes exterius circumdabat, ipse omnes interius satiando regebat; ipse superius protegebat, ipse inferius sustinebat. Sol vero et luna nequaquam lucebant ibi, nec cœlum ac terra ibidem visa sunt. Sed B neque ipsa claritas talis erat, quæ oculos contemplantium impediret, sed quæ oculos gratissime satiaret. Et cum Seniores sedentes dixerim, in ipso quodammodo sedebant; nam nil corporeum erat ibi, sed erant cuncta incorporea, licet speciem corporum habentia, et ideo ineffabilia. Circa sedentes vero splendor ab ipso procedens, similis arcui nubium, tenebatur.

*Apocal. 11. 16.* — *et Deum in homine,* — *1 Petri 2. 12.*

6 Cum itaque a præfatis viris coram hac immensitate luminis, ubi mihi majestas Dei omnipotentis, nemine monstrante, esse videbatur, præsentatus fuissem, vox suavissima, omni sonoritate clarior, quia mihi omne seculum visa est complexisse, ab eadem majestate procedens, ad me facta est, dicens: Vade, et martyrio coronatus ad me revertaris. Ad quam vocem omnis conventus Sanctorum, Deum hinc inde laudantium, conticuit, atque submissis vultibus adoravit. Denique speciem, a qua hæc vox formata esset, prorsus non vidi. Post quam vocem tristis factus, quia ad seculum redire compellebar, sed de revertendi promissione securus, cum prædictis ductoribus exinde remeambam; qui mecum tam euntes, quam redeuntes, nihil locuti sunt, sed tam pio affectu in me respiciebant, quemadmodum mater C unicum filium contemplatur; sicque ad corpus redii. In eundo vero ac redeundo, nec labor erat nec mora, quia quo tendebamus statim aderamus. Et licet aliqua visus sim de tanta dulcedine dulcedinum enarrasse, fateor tamen, quia nequaquam stylus tanta exprimere potuit, quanta animus sentit. Sed nec ipse animus sentit ut fuit, quia illud esse mihi videbatur, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Ex hac itaque visione, quam, sicut ipse dictaverat, verbis illius enarravimus, præfatus servus Dei et perterritus et consolatus, cœpit se sollicitius in Divino exercere timore, bonisque operibus de die in diem ardentius inhærere, spemque de Dei misericordia præsumere, quod quadam ipse disponeret occasione, ut ad palmam martyrii posset pertingere. Quod tamen quia corporaliter gladio imminente non contigit, qualiter in mortificatione crucis, quam jugiter in suo corpore pro Christi nominis honore portavit, Deo miserante completum sit, cum de obitu illius narrare cœperimus, latius explicabimus.

*a quo intelligit se Martyrem futurum,* — *redit ad vitam,* — *sanctissime vivit*

a Hæc verba a matre ei dicta perperam nonnulli asserunt.—b Dies Carolo supremus vitæ 28 Januarii anno 814.

## CAPUT II.

### *Præfectura scholarum in utraque Corbeia. Visiones.*

D *AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS*

Post hæc vero, cum Magister fuisset Scholæ ad a S. Petrum, eundo vel redeundo ad claustrum, consuetudinem sibi fecerat in oratorio B. Joannis Baptistæ secretius precibus insistere. Itaque post duos annos superioris visionis, quadam nocte visum est ei, quod ad idem oratorium caussa orandi divertisset; cumque ab oratione surrexisset, ecce vir per ostium veniebat, statura procerus, Judaico more vestitus, vultu decorus; ex cujus oculis splendor Divinitatis, velut flamma ignis, radiabat. Quem intuitus, omni cunctatione postposita Christum Dominum esse credebat, atque procurrens ad pedes ejus corruit. Cumque prostratus in facie jaceret, ille ut surgeret imperavit. Cumque surgens coram illo reverenter adstaret, atque, præ nimio splendore ex oculis ipsius emicante, in faciem ejus intendere non valeret, blanda voce ipsum allocutus est dicens: Dic, ait, iniquitates tuas, ut justificeris. Cui servus Dei respondit: Domine, quid necesse est tibi dicere? tu omnia nosti, et nihil te latet. Ille autem subsecutus, ait: Scio quidem omnia, sed ideo volo ut confiteantur mihi homines peccata sua, ut remissionem accipiant. Cui cum omnia, quæ ab infantia gesserat, indicasset, et ille posthæc in orationem prostrato E ipse erectus adstaret, dixit: Noli timere, quia ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Post quam vocem ille qui apparuerat recessit. Et vir Dei excitatus somno, de fiducia remissionis peccatorum suorum confortatus, immenso tripudiabat gaudio.

*Docet pueros; a* — *in somno Christum videt,* — *a quo peccata totius vitæ confessus,* — *absolvitur;*

8 Quo etiam tempore contigit, quod vestræ Reverentiæ notissimum est, ut quidam puerulus in schola, Fulbertus nomine, a socio suo tabula percussus, ad mortem usque perductus sit. Pro qua re prædictus servus Dei nimium tristis effectus est, quod sub cura magisterii sui tanta negligentia inter sulditos sibi acciderit. Verum appropinquante hora exitus ipsius pueri, vir Domini forte sopori deditus lectulo incubabat, cum ecce vidit in somnis ipsius animam a corpore sublatam Angelico ministerio ad cœlum deferri; se quoque miro et ineffabili ministerio, Deo disponente, pariter comitari. Cumque cœli secreta penetrassent, pueri præfati animam in quamdam purpuream mansionem conspexit introduci, et inter agmina Martyrum collocari. Ibique ei datum est, agnovisse, quod quia ipse puer vulnus sibi illatum F satis patienter tulit, et animam fratris usque ad mortem diligens, pro percussore suo nimium benigne intercessit, patientiam et benignitatem ejus Divina remunerante pietate, inter Martyrum choros deputatus sit. Hoc autem tam celerius in hora mortis ejus demonstratum est, ita ut dum is adhuc moreretur, venerandus Pater Witmarus (qui cum eo tunc scholam puerorum regebat, et hujus rei testis præsens adest) cum pro hoc ipso illum excitans, obitum discipuli nuntiaret, ille se hoc quoque ante scire responderit. Quod profecto Domini gratia, caussa consolationis, ei videre concessit, ut, quia pro hac re nimium tristabatur, ex salute pueri mœstitiam sui relevaret animi.

*videt puerum inter Martyres coronari,* — *propter patientiam, et occisoris dilectionem,*

9 His itaque et aliis quam plurimis revelationibus atque visionibus vir Dei cœlitus inspiratus, quanta inter vos postmodum sanctitatis gratia ac bonitatis excreverit, vestrorum, qui tunc affuere, testimonio melius comprobabitur. Nobis autem ea, quæ apud nos gesta sunt, narrare cupientibus, primo indagandum videtur, propter eos qui hujus rei forte minus conscii sunt, qua occasione a loco stabilitatis suæ huc secesserit; et cum apud vos Deo oblatus sit, ibique

*aliis visionibus illustratur*

A debantur necessaria, et cum præfato Herioldo ire præcepit; denuntians, ut ejus fidei maximam impenderent sollicitudinem; eumque et suos, qui simul cum eo baptizati fuerant, pia exhortatione, ne ad pristinos reducerentur, diabolo instigante, errores, continue *d* laborarent, simulque etiam alios ad suscipiendam Christianitatem verbo prædicationis strenue commonerent. Dimissi itaque ab Imperatore nullum habuerunt socium, qui eis aliquid servitii impenderet: quoniam nemo ex familia Abbatis cum eis sua sponte ire, nec ille quemquam ad hoc invitum cogere volebat. Herioldus quoque, cui commissi fuerant, adhuc rudis et neophytus, ignorabat qualiter servi Dei tractari debuissent. Sui quoque tunc nuper conversi, et longe aliter educati, non multa super eos cura intendebant. Cum gravi itaque difficultate hanc suscipientes peregrinationem, pervenerunt Coloniam. Ubi tunc temporis venerandus Antistes *e* Hadeboldus compatiens eorum necessitati, dedit eis navem optimam, ubi sua reponerent, in qua erant duæ mansiunculæ satis optime præparatæ. Hanc itaque prædictus Herioldus conspiciens, elegit in eadem navi cum illis manere, ut ipse una, et illi potirentur altera mansiuncula. Sicque inter eos familiaritas cœpit et benevolentia crescere; sui
B quoque ex hinc servitium eis diligentius impendebant. Inde ingressi per *f* Dorstratum, et vicina Frisonum transeuntes, ad confinia pervenerunt Danorum. Et quia interdum pacifice in regno suo Herioldus Rex consistere non poterat, dedit ei memoratus Augustus ultra Albiam beneficium, ut si quando ei necessarium esset, ibi subsistere posset.

*iter agressi,*

*veniunt Coloniam,*

*unde, navi sibi donata,*

*Dorstratum, tum ad fines Daniæ.*

14 Præfati itaque servi Dei cum eo positi aliquando inter Christianos, aliquando inter Paganos constituti, cœperunt verbo Dei insistere; et quoslibet poterant ad viam veritatis monere. Multi enim exemplo et doctrina eorum ad fidem convertebantur, et crescebant quotidie qui salvi fierent in Domino. Ipsi quoque Divino inspirati amore, ad promulgandam devotionis suæ religionem, cœperunt curiose pueros quærere, quos emerent et ad Dei servitium educarent. Præfatus quoque Herioldus ex suis aliquos sub eorum cura erudiendos posuit. Sicque factum est, ut scholam inibi parvo tempore statuerint duodecim aut eo amplius puerorum. Alios quoque hinc inde sibi adsciverunt servitores et adjutores, cœpitque eorum fama et religio in Dei nomine fructuosius crescere. Cum itaque in hoc sancto proposito biennio, aut eo amplius, morarentur, contigit jam
C dictum Fratrem Autbertum infirmitatis gravari molestia. Qua de caussa inde ad novam Corbeiam deductus, languore diutino ingravescente, felici, ut credimus, transitu, in tempore Paschæ, sicuti et ipsi antea a Domino revelatum fuerat, diem sibi clausit extremum.

*Erudiunt Paganos,*

*pueros emunt, iisque et aliis scholam aperiunt.*

*Socium reducit morte ejus præivida.*

a Heroldus, Heroldus, Haroldus, *et* Haraldus, *cognomento* Klag seu Clagus, *de quo* [illegible] *majoribus, fratribus, filiis, aliisque* [illegible] *supra actum.* — b Wala Walacti, Walactus, Walo, Walon Valo, *patre Bernardo, fratre* [illegible] *natus, a patruele Carolo Magno* [illegible] *Comes summo habitus* [illegible] *Danorum anno* 811 [illegible] *et Carolo testamento subscripsit, ut tradit Eginhardus in hujus Vita* [illegible] 33, *et in Annalibus ad anno* 811 *et* 814. *Sub Ludovico Pio* [illegible] *monachus Corbeiensis, fratri suo S. Adalardo anno* 823 [illegible], *ut in hujus Vita* [illegible] *Abbate scripsi.* — c *Professione ejus monasterii consulatur.* — d *MS. Hamburg.* coborarent. — e Hadeboldus, Hadaboldus, Hadabaldus, *Archiepiscopus Coloniensis, de quo* [illegible] *Synodo ad Theodonis villam, et inter Missos* [illegible] *Ludovico* [illegible] Hildebaldus *Caroli Magni testamento subscripsit, cujusque* [illegible] *statuitur.* — f Dorstatum *in MS. Corbeiensi, alias fere* Dorsratum, *infra* Dorstadum, *oppidum Batavorum ad Rhenum, ut pluribus supra demonstratum est.*

## CAPUT IV.

### *Apostolatus Sueciæ.*

Interim vero *a* contigit Legatos Sueonum ad memoratum venisse Ludovicum, qui inter alia legationis suæ mandata clementissimo Cæsari innotuerunt,
D esse multos in gente sua, qui Christianæ religionis cultum suscipere desiderarent. Regis quoque sui animum ad hoc satis benevolum, ut ibi Sacerdotes Dei esse permitteret. Tantum ejus munificentia mererentur, ut eis prædicatores destinaret idoneos. Quos religiosissimus audiens Imperator, plurimum exhilaratus, denuo quærere cœpit, quos in illas partes dirigeret, qui probarent utrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti Missi illi intimaverant, et cultum Christianæ religionis illis tradere inciperent. Unde factum est, ut iterum cum memorato *b* Abbate vestro Serenissimus Imperator tractare cœperit, si quem forte de suis monachis invenire posset, qui pro Christi nomine in illas partes ire vellet, aut certe qui cum Herioldo moraretur, et is qui cum eo erat servus Dei Anscharius illam susciperet legationem. Qua de re contigit, ut regio jussu abhinc ad palatium vocaretur. Cuique denuntiatum est, ne se raderet antequam ad præsentiam Imperatoris veniret. Vir autem Dei ad quod vocaretur omnino prænoscens, cœpit toto cordis fervore in amore Dei exardescere, et omne gaudium existimare, si lucrandis sibi animabus liceret insistere. Si quid quoque in hujusmodi profectione contrarie-
E tatis sive adversitatis ei potuisset accidere, proposuit animo patienter pro Christo tolerare, nihilque dubietatis in corde pro tali gerebat opere; quoniam visionis Divinæ, quam ante præviderat, consolabatur munere. Siquidem supradicto tempore, cum apud vos maneret, et jam duabus visionibus cœlitus inspiratus haberetur, quadam nocte visum est ei, quod venisset in quamdam domum, ubi plures ex ordine prædicatorum, ad prædicandi officium præparati adstabant; coram quibus subito in excessu mentis raptus, videbat immensi luminis claritatem super solis radium de cœlo emissam se circumfulsisse. Cumque miraretur, quid hoc esset; vox quoque pene similis illi, quam in prima visione se audisse narraverat, facta est ad eum, dicens: Dimissum est peccatum tuum. Cui ille divino, ut credimus, afflatus Spiritu, respondit, dicens: Domine, quid vis ut faciam? et iterum vox sonuit dicens: Vade, et annuntia Gentibus verbum Dei. Hanc itaque visionem servus Dei pertractans animo, lætus gaudebat in Domino, videns jam ex parte impletum, quod sibi imperatum fuerat, et ad majorem laboris sui cumulum etiam Sueonibus verbum Dei nuntiare cupiens.

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.*

*Petentibus in fide instrui Suecis,*

*revocatus ab Imperatore ad palatium,*

*excitatur memoria habitæ antea revelationis,*

*quo prædicare Gentibus jubebatur,*

16 Cum itaque ante præsentiam Cæsaris adductus, interrogatus ab eo fuisset, utrum legationem istam
F suscipere vellet, libera voce respondit se paratum ad omnia, quæ illi pro Christi nomine sua auctoritate decrevisset injungere. Tunc Dei providentia socium illi ex vestra fraternitate venerabilis Abbas invenit Nomine Witmarum, tanto operi satis condignum et voluntarium. Porro cum Herioldo esse disposuit Patrem devotissimum Gislemarum, fide et operibus bonis probatum, atque in zelo Dei ferventissimum. Suscepit itaque legationem sibi a Cæsare injunctam, ut in partes iret Sueonum, et probaret utrum populus ille ad credendum paratus esset, sicuti Missi supradicti intimaverant. In qua legatione, quanta quamque gravia perpessus sit mala, melius ipse, qui interfuit, præbetus Pater Witmarus intimare poterit. Nobis hoc tantum narrasse sufficiat, quod dum in medio fere essent itinere, in piratas offenderunt. Et cum negotiatores, qui cum eis ibant, se viriliter defenderint, et primo quidem victoriam ceperint, in secundo tamen ab iisdem piratis devicti ac superati sunt; ita ut naves et omnia quæ habebant eis tulerint, et ipsi vix pedibus ad terram fugientes evaserunt. Ibi itaque et munera regia, quæ illuc deferre debuerant, et omnia quæ habuerant, perdiderunt, excepto

*In Sueciam profectus cum Witmaro monacho,*

*NOT. 31*

*spoliatur a piratis,*

AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.

A excepto parum quid, quod forte prosilientes e navi secum auferre et asportare poterant. Inter quæ, et pene quadraginta libros, quos ad servitium Dei sibi aggregaverant, illis diripientibus, amiserunt. Hoc itaque facto cum quidam reverti, quidam in antea ire disponerent, servus Dei a cœpto itinere nulla ratione flecti potuit; quin potius in Dei ponens arbitrio quid illi contingeret, nequaquam redire disposuit, antequam nutu Dei dinosceret, utrum in illis partibus licentia prædicandi fieri posset.

17 Cum gravi itaque difficultate pedibus post hoc per longissimam viam incedentes, et, ubi congruebat, interjacentia maria navigio transeuntes, tandem ad portum regni ipsorum, qui Byrca dicitur, pervenerunt; ubi benigne a Rege eorum, qui Bern vocabatur, suscepti sunt, Missis ejus referentibus, qua de caussa advenerint. Cognita itaque legatione eorum, et cum suis de hujusmodi negotio pertractans fidelibus, omnium pari voto atque consensu, dedit licentiam eis ibi manendi, et Evangelium Christi prædicandi, concessa libertate, ut quicumque vellent eorum doctrinam expeterent. Itaque alacri corde servi Dei, videntes prospere ea quæ optaverant suc-B cessisse, populis ibi constitutis verbum salutis adnuntiare cœperunt. Plures quoque erant, qui eorum legationi favebant et doctrinam Domini libenter audiebant. Multi etiam apud eos captivi habebantur Christiani, qui gaudebant jam tandem se mysteriis divinis posse participari; probatumque est omnia ita veraciter constare, sicuti Missi ipsorum Serenissimo Cæsari innotuerant, et baptismi gratiam nonnulli devote expetebant. Inter quos Præfectus vici ipsius et Consiliarius Regis, admodum illi amabilis, Herigarius nomine, sacri baptismatis donum suscepit, atque in fide Catholica firmissimus exstitit. Ipse namque in hæreditate sua ecclesiam fabricavit, et in Dei servitio semetipsum religiosissime exercuit. Hujus viri diversa extant insignia, et ejus invictæ fidei multa probantur indicia, quæ in sequentibus evidentius exponemus.

*benigne a Rege excepti,*

*in conversionem gentis incumbunt.*

*a Anno 830. De Legationibus ad Sueos, Birca emporio et Rege Berno, vide Bollandianos § n. — Erat Wala Abbas tunc a (?) in Palatio Imperatori gratus, quem hic anno sequenti 830 ex Palatio jussit ad monasterium redire, ut legitur in Vita Ludovici.*

## CAPUT V.

### *Archiepiscopatus Hamburgensis.*

Peracto itaque apud eos altero dimidio anno, præ-C fati servi Dei cum certo suæ legationis experimento, et cum litteris regia manu more ipsorum deformatis, ad Serenissimum reversi sunt Augustum. Qui honorifice et cum maxima pietatis benevolentia ab eo suscepti, narraverunt quanta Dominus secum egerit, et quod ostium fidei in illis partibus ad vocationem Gentium patefactum fuerit. Hoc itaque devotissimus audiens Imperator, immenso lætificabatur gaudio; pariterque recolens, quæ jam olim apud Danos circa Dei cultum concepta fuerant, et laudes et gratias omnipotenti Domino referens, ardore fidei succensus quærere cœpit, quo modo in partibus Aquilonis, in fine videlicet Imperii sui, Sedem constituere posset Episcopalem, unde congruum esset Episcopo ibi consistenti, caussa prædicationis, illas frequentius adire partes, et unde etiam omnes illæ barbaræ nationes facilius alternusque capere valerent Divini mysterii sacramenta. Cum itaque pro hujusmodi sollicitudine, cura vigilanti instaret, quibusdam fidelibus suis referentibus ei innotuit, quod, cum gloriosæ memoriæ Pater suus Carolus Augustus omnem Saxoniam ferro perdomitam, et jugo Christi subditam, per Episcopatus divisit, ultimam partem ipsius provinciæ, quæ erat in Aquilone ultra Albiam, nemini Episcoporum tuendam commisit, sed

*Reversi ad Imperatorem,*

*(quod Carolus Magnus facere decreverit)*

ad hoc reservare decrevit, ut ibi Archiepiscopalem D constitueret Sedem; ex qua, Domini gratia tribuente, etiam successio fidei Christianæ in exteras proficeret nationes. Qua de re *a* primitus etiam ibi ecclesiam per quemdam Episcopum Galliæ, Amalharium nomine, consecrari fecit. Postea etiam ipsam parochiam Presbytero, Heridach nomine, specialiter gubernandam commisit; nec omnino voluit, ut vicini Episcopi aliquid potestatis super eum locum haberent. Quem etiam Presbyterum consecrari disposuerat Episcopum, sed velocior ejus de hac luce transitus hoc ne fieret impedivit. a

19 Post obitum itaque tantæ memoriæ Augusti, filio ejus, supradicto videlicet Imperatore Ludovico, in sede regni ejus collocato, suggerentibus quibusdam, partem illam provinciæ, quæ ultra Albiam erat, in duo divisit, et *b* duobus vicinis Episcopis interim commendavit. Non enim satis attendit Patris sui super hoc constitutionem, aut certe omnimodis ignoravit. Ista vero facta occasione, qua jam fides Christi in partibus Danorum atque Sueonum per gratiam Dei fructificare cœperat, cognito patris sui voto, ne quid ejus studii imperfectum remaneret, cum consensu Episcoporum, ac plurimo Synodi Conventu, in præfata ultima Saxoniæ regione trans Albiam, in civitate Hammaburg Sedem constituit E Archiepiscopalem, cui subjaceret universa Nordalbingorum Ecclesia, et ad quam pertineret omnium regionum Aquilonalium potestas, ad constituendos Episcopos sive Presbyteros in illas partes pro Christi nomine destinandos. Ad hanc ergo Sedem Dominum et Patrem nostrum Anscharium prædictus Imperator solemniter consecrari fecit Archiepiscopum, per manus Drogonis Mettensis Præsulis, et summæ sanctæque Palatinæ dignitatis tunc Archicapellani; adstantibus Archiepiscopis, Ebbone Remensi, Hetti Trevirensi, et Olgario Maguntiacensi, una cum pluribus aliis, in conventu Imperii, Præsulibus congregatis; assistentibus quoque, et consentientibus, ac pariter consecrantibus, Helingando et Willerico Episcopis; a quibus jam dictas parochiæ illius partes commendatas ceperat. Et quia diœcesis illa in periculosis fuerat locis constituta, ne propter barbarorum imminentem sævitiam aliquomodo deperiret, et quia omnimodis parva erat, quamdam cellam in Gallia, Turholt vocatam, ad eumdem Sedem perpetuo serviturum ejus legationi tradidit. b

20 Et ut hæc omnia perpetuum suæ stabilitatis retinerent vigorem, eum honorabiliter ad Sedem direxit Apostolicam, et per Missos suos venerabiles F Bernoldum et Ratoldum Episcopos, ac Geroldum illustrissimum Comitem, omnem hanc rationem sanctissimo Papæ Gregorio intimari fecit confirmandam. Quod etiam ipse, tam decreti sui auctoritate, quam etiam Pallii datione, more prædecessorum suorum, roboravit, atque ipsum in præsentia constitutum Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, sive Danorum, necnon etiam Sclavorum, aliarumque in Aquilonis partibus gentium constitutarum, una cum Ebbone Remensi Archiepiscopo, qui ipsam legationem ante susceperat, delegavit, et ante corpus et confessionem S. Petri Apostoli publicam evangelizandi tribuit auctoritatem; et ne horum quidquam in futurum irritum fieret, omnem resistentem, et contradicentem, vel quolibet modo his sanctis studiis piissimi Imperatoris insidiantem, anathematis mucrone percussit, atque perpetua ultione reum diabolica sorte damnavit. Porro, ut præmisimus, eadem legatio auctoritate *d* Paschalis Papæ Ebboni Remensi Archiepiscopo prius commendata fuerat. Siquidem ipse, ut credimus, Divino afflatus spiritu, pro vocatione Gentium, et maxime Danorum, quos in palatio sæpius viderat, et diabolico deceptos errore c d

*erecto Archiepiscopatu Hamburgensi,*

*consecratur Archiepiscopus,*

*accepit cellam Turholt,*

*a Papa Pallio donatus,*

*Legatus Septentrionalium regionum statuitur,*

*ut ante fuerat Ebbo Episcopus Remensis.*

A rore dolebat, ferventissimo ardebat desiderio, et pro Christi nomine se suaque omnia ad salutem Gentium tradere cupiebat. Cui etiam Dominus Imperator locum unum ultra Albiam, qui vocatur *e* Welanao, dederat, ut quoties illas in partes pergeret, locum subsistendi ibi haberet. Multotiens itaque ipse ad eumdem venit locum, et pro lucrandis animabus multa in Aquilonis partibus dispensavit, ac plurimos Religioni Christianorum adjunxit, atque in fide Catholica roboravit.

*e* *Welanao.*

a *Philippus Cæsar ex MSS. Hamburg.* primitivam et ibi ecclesiam. *MS. Budecense,* primitivam etiam ecclesiam ibi *&c. Sequuntur ex Præcepto, seu diplomate Ludovici supra tradito desumpta sunt; et isthic illustrata, aut etiam § 1 c. 5.* — b *Bremensi et Ferdensi.* — c *In MSS. Budecensi et Hamburgensi additur* secundo, *pro quo Philippus Cæsar excudit* quarto. — d *Paschalis diploma cum epistola S. Anscharii dedimus, ex quibus ipsa hic verba descripta confirmant. Acta ex codicibus Parisiensi et Corbeiensi hic data, quæ in MSS. Hamburgensi et Budecensi admodum obscura erant, nulla facta mentione Ebbonis.* — e Welanao, Welna, *vulgo* Wehl, *seu* Wedel, *infra Hamburgum, ubi statua ingens visitur et creditur Rolandi consanguinei Caroli Magni ab hoc ei erecta; ut observat Philippus Cæsar in notis ad hanc Vitam num. 66. De Rolando egimus ad Vitam Caroli cap. 3 litt. d.*

## CAPUT VI.

### *Gautberti Episcopi in Sueciam adventus, et exilium. Hamburgum combustum.*

B Verum post ordinationem Domini et Patris nostri Anscharii superius comprehensam, visum est illis, de eadem legatione inter se conferentibus, necessarium esse, ut aliquis illi ordinaretur adjutor, qui in partibus Sueonum ministerii Episcopalis officio fungeretur: quoniam in regione tam longe posita præsens adesse deberet Pontifex, et ipse solus ad utrumque locum minus sufficeret. Cum consensu itaque et voluntate prædicti Imperatoris, venerabilis *a* Ebbo quemdam propinquum suum, Gauthertum nomine, ad hoc opus electum, et pontificali insignitum honore, ad partes direxit Sueonum; cuique ministeria Ecclesiastica, et necessarios sumptus tam ex sua quam ex datione regia abunde tribuit, eumque quasi vice sua, qui idem prædicandi officium prius auctoritate Apostolica suscepisset, Legatum in gentibus Sueonum esse constituit. Cui etiam postea clementissimus Augustus, suggerente eodem venerabili Præsule Ebbone, cellam, quam ipse in loco memorato Welanao construxerat, quasi locum refrigerii tradidit, ut scilicet ad ipsius ministerium officii perpetua stabilitate deserviret. Prædictus itaque Gauthertus, quem ipsi consecrantes honore Apostolici nominis Simonem vocaverunt, ad C partes veniens Sueonum, honorifice et a Rege et a populo susceptus est, cœpitque cum benevolentia et unanimitate omnium ecclesiam inibi fabricare, et publice Evangelium fidei prædicare: fiebatque gaudium salutis Christianis ibi degentibus, et de die in diem numerus credentium augebatur. Interim quoque Dominus et Pastor noster in diœcesi sibi commissa et in partibus Danorum strenue suum implebat officium, et exemplo bonæ conversationis multos ad fidei gratiam provocabat. Cœpit quoque ex gente Danorum atque Sclavorum nonnullos emere pueros, aliquos etiam ex captivitate redimere, quos ad servitium Dei educaret. Quorum quosdam hic secum retinuit, quosdam ad cellam prædictam Thurholt nutriendos posuit: fueruntque cum eo hic ex societate vestra sancti Patres nostri et Magistri, quorum doctrina et institutione feliciter nobiscum religionis Divinæ crevit opinio.

*Assignatur ei adjutor Gautbertus,* *a* *qui consecratur Episcopus, et Simon vocatus,* *in conversionem Sueorum incumbit.* *ut in Danorum et S. lavorum S. Anscharius*

22 Verum cum hæc in utraque parte laudabiliter et Deo digne agerentur, *b* contigit ex improviso piratas advenientes Hammaburgensem civitatem navigio circumdedisse. Quod cum inopinate et subitanee accidisset, spatium non fuit pagenses congregandi. Quippe cum et Comes, qui eo tempore præfecturam loci illius tenebat, illustrissimus vir D Bernarius tunc deesset; Dominus vero Episcopus ibi positus cum his qui aderant in urbe ipsa, vel in suburbio manentibus, primo quidem audito adventu eorum, locum ipsum continere voluit, donec majus eis veniret auxilium. Sed impellentibus Paganis, et civitate jam obsessa, cum eis resisti non posse conspicit, quomodo pignora sanctarum *c* Reliquiarum asportarentur præparavit. Sicque ipse Clericis huc et illuc fuga dispersis, etiam sine cappa sua vix evasit. Populi quoque a loco ipso exeuntes, et hac illacque palantes, plurimis aufugientibus, quidam capti, plerique etiam perempti sunt. Denique hostes, direpta civitate, et omnibus, quæ in ea vel in vico proximo erant, spoliatis; cum vespertino tempore eo adventassent, noctem ipsam cum sequenti die et nocte ibi consederunt; sicque succensis omnibus ac direptis, egressi sunt. Ibi ecclesia miro opere magisterio Domini Episcopi constructa, una cum claustris monasterii mirifice compositis, igni succensa est. Ibi bibliotheca, quam Serenissimus memoratus Imperator eidem Patri nostro contulerat, optime conscripta, una cum pluribus aliis libris, igne disperiit; sicque omnia, quæ inibi aut in Ecclesiasticis ministeriis, aut in aliis thesauris et facultatibus habuerat, aut prædatione aut igne, hostili impetu direpta sunt, E ut quasi nudum eum dimiserint. Quippe cum pene nihil exinde prius elatum sit, nec tunc quidem aliquid subventum, nisi quod quisque fugiens casu arreptum secum forsitan exportare potuit. Pro quibus omnibus Dominus et Pater sanctissimus nullatenus vel animo molestabatur, vel labiis peccavit; sed cum omnia fere, quæ ab initio episcopatus aggregare vel in fabricam ædificiorum componere potuerat, uno velut momento perdidit, illud Beati Job sæpius verbis replicabat: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. Job. 1, 21

*b* *Hamburgo a piratis obsesso,* *AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.* *c* *fuga evadit;* *urbe direpta,* *et incensa,* *omnia amittit,* *nec dolet.*

23 His itaque ita peractis, cum Dominus Episcopus cum suis in multis esset pressuris et calamitatibus, et Fratres congregationis ejus una sanctissimis pignoribus, varia loca circumeundo huc illucque vagarentur, et nusquam sederent quieti; prævalescente iniqui machinatione, contigit etiam diabolico instinctu, ut populus Sueonum, fervore zeli accensus, præfatum Gautbertum Episcopum insidiose persequi cœperit. Factumque est, ut ad domum in qua manebat, unanima conventione, pars quædam populi, caussa direptionis, irruerit, et ne- F potem quidem ipsius, *d* Nithardum nomine, gladio peremerit, et odio Christiani nominis percussum Deo, ut credimus, Martyrem fecerit. Ipsum vero cum ceteris sociis, qui simul aderant, ligaverunt, et diripientes omnia, quæ apud eos invenire potuerunt, contumeliis et opprobriis affectos a finibus suis expulerunt. Quod tamen non Regio jussu factum, sed populari tantum conspiratione est perpetratum. Divinæ vero majestatis clementia hoc nequaquam inultum abire passa est: sed pene omnes qui affuere, quamlibet diverso modo, in parvo tempore puniti sunt; de quibus multa dici poterant, sed ne fastidium legentibus inferamus, unius tantum mentionem curavimus facere, ut qua pœna ceteri evindicati fuerint, ex hujus perditione pateflat.

*Populari Sueonum tumultu* *S. Nithardus occiditur,* *d* *Gaubertus Ep. pellitur.* *punitis cœlitus auctoribus.*

24 Quidam namque in terra illa Potens extitit, cujus filius in eadem conspiratione cum aliis fuerat, et quæ sibi de spoliis inibi captis provenerant, in domum patris sui contulit. Post quod factum cœpit substantia illius minui, et pecora ac familia deperire; ipse quoque filius, Divina ultione percussus, interiit; sed et uxor ejus, cum filio ac filia non multo interjacente spatio, obiit. Cum itaque se excepto filio uno parvulo, omnibus bonis suis defraudatum videret,

*Furto ablatum ejus liberum detinens, mulctatur morte suorum,*

cœpit

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS*

*consulto divinatore,*

A cœpit miser Deorum iras expavescere, et quod hæc omnia alicujus Dei offensione pateretur, mente tractavit. Qua de re, sicut ibi moris est, quemdam adiit divinum rogans, ut cujus Dei offensam haberet, et qualiter eum placare deberet, ipsi indicaret. Agens itaque ille, quæ circa cultum hujusmodi observare solebat, omnes Deos illorum ipsi placatos esse respondit; Deum vero Christianorum illi omnimodis infensum : Christus, inquit, sic te habet perditum; et quia quodlibet eorum, quod illi consecratum fuerat, in domo tua manet conditum, ideo venerunt super te omnia mala hæc, quæ passus es, nec poteris ab his liberari, donec illud in domo tua manserit. Hoc ille audito, mente pertractans sollicita, quid illud esse posset, de filio suo recordatus est, quod ex spoliis supradictis quemdam librum in domum suam advexerit. Qua de re horrore nimio percussus, et quia Sacerdotis tunc inibi deerat præsentia, quid de eodem libro faceret omnimodis nescius, secum illum longius retinere nullatenus ausus est. Tandem vix reperto consilio, in conspectu eum populi, qui in eadem villa manebat, attulit, et quæ passus sit retulit. Cumque se omnes ignaros consilii super hac re dicerent, et tale aliquid in domo sua recipere vel habere pertimescerent, ipse eum diutius apud se retinere obstupescens, honeste compositum ad quamdam ligavit sepem, denuntians ut quicumque vellet, eum inde sumeret, et pro reatu commisso Domino Jesu Christo voluntariam satisfactionem vovit. Quem librum quidem Christianorum exinde sublatum in sua advexit domo, ex cujus ore etiam ista cognovimus; qui postea magnæ fidei et devotionis extitit, ita ut psalmos apud nos postea memoriter sine litteris didicerit. Taliter ergo et ceteri sive morte, sive peste, et damno rerum suarum puniti sunt; et liquido omnibus patuit, quia qui sanctum Dei pontificem, et suos inhoneste tractare et spoliare præsumpserant, gravissimam Domini nostri Jesu Christi senserint ultionem.

B

*alligat librum sepi;*

*unde eum Christiani sustulere.*

a Adamus lib. I cap. 18 carpit Ebbonem, quasi occupatione seculi delectatus ipsemet in Sueciam non abierit. Sed verius de eo sensisse Anscharium, supra ostendimus. — b Anno 845 ut § 2 probatum contra Adamum, Krantzium, aliosque, qui annum ponunt 840. — c De his reliquiis egimus § 13. — d Ejus Natali incognito, ne pereat memoria, hoc eum die cum S. Anschario celebramus.

## CAPUT VII.

### *Ardgarii Presbyteri in Sueciam iter. Miracula et obitus Herigarii.*

C

*Ardgarius a S. Anschario in Sueciam mittitur.*

Post hæc itaque locus ille septem fere annis sine sacerdotali fuit præsentia; pro qua re Domnus et Pastor noster Anscharius nimio mœrore anxius, Christianæ religionis fidem ibi cœptam perire non sufferens, et maxime pro filio suo, quem supra memoravimus, Herigario condolens, quemdam Anachoretam, Ardgarium nomine, illas in partes direxit, et ut specialius eidem adhæreret præcepit. Ipse itaque eo adveniens, officiose susceptus est ab ipso Herigario, et Christianis, qui ibi aderant, magnum suæ præsentiæ exhibuit gaudium. Cœperuntque, sicuti primo fecerant, ea quæ Dei sunt devote quærere, et ritum Christianitatis lubenti animo custodire. Nemo quoque incredulus ejus prædicationi audebat resistere, quia qua pœna mulctati fuerant, qui servos Dei inde expulerant, mente pavida meminerant. Suggestione quoque præfati Herigarii, Regis, qui tunc erat, jussu et licentia, publice cœpit Dei celebrare mysteria. Qui videlicet fidelissimus vir Herigarius, tempore quo sacerdotalis ibi deerat præsentia, multa ab infidelibus sustinuit opprobria : sed largiente Divina gratia, signis cœlestibus ejus petitione veræ fidei declarata sunt præconia. Ex quibus, ut promisimus, aliqua hic interserere curavimus, quo ejus fidei invictus declaretur animus.

26 Quadam namque vice ipse in quodam sedebat Placito, scena in campo ad colloquium parata : ibi cum inter alias locutiones illi deos suos laudassent, quorum favore prospera sibi multa provenirent, et illi quod solus a consortio omnium inani fide aberraret, improperarent; ipse, ut erat spiritu fervens, respondisse dicitur : Si tanta est de Divina majestate dubietas, quod tamen dubium esse nullo modo deberet, probemus miraculis, quis sit majoris potentiæ, vestri multi, quos dicitis, dii, an meus solus omnipotens Dominus Jesus Christus. Ecce tempus adest pluviæ, (siquidem pluvia tunc imminebat) invocate vos nomina deorum vestrorum, ne pluvia super vos descendat; et ego invocabo Dominum meum Jesum Christum, ne aliqua stilla pluviæ me contingat; et si quis in hac parte se invocantes exaudierit, ipse sit Deus. Hac itaque facta inter se conventione, cum illi omnes in una parte sederent, ipse vero cum uno puero in altera, cœpit unusquisque eorum invocare deum suum, ille quoque invocabat Dominum Jesum Christum. Et descendens immensa de cælo pluvia, ita omnes illos aquis infudit, ut quasi in flumine cum vestimentis jactati viderentur, etiam folia ramorum de umbraculo ibi facto, super ipsos decidentia, virtute Divina illos oppressos ostenderent; super ipsum vero et puerum qui cum eo erat, nec una descendit pluviæ gutta. Quo facto confusis illis et admirantibus : Ecce, inquit, videtis, quis sit Deus; nolite me, infelices, ab ejus cultura revocare, quin potius ab erroribus vestris confundamini, et veritatis viam discite.

D

*Herigarius, concertatione cum idololatris inita,*

*his, dum deos invocant, pluvia oppressis, manet intactus;*

E

27 Alio quoque tempore contigit, ut dolorem in tibia sua sustineret nimium, ita ut non aliquo modo se movere a loco, in quo erat, posset, nisi portaretur. Cum hanc ergo diutius sustineret molestiam, cœperunt multi ad eum caussa visitandi venire; et quidam adhortationibus, quo pro salute sua diis sacrificaret, commonere; quidam improperiis, quod sine Deo esset, lacessere, et idcirco eum salute carere. Cum itaque hæc sæpius agerentur, et ipso constanter malis eorum suggestionibus resisteret, postremo non ferens eorum calumniam, respondit, Nequaquam se a vanis simulacris auxilium petere velle, sed a Domino suo Jesu Christo, qui posset in momento, si vellet, eum ab infirmitate sua sanare. Et accitis illico domesticis suis, ut ad suam eum deferrent ecclesiam, præcepit. Ubi positus coram cunctis, qui astabant, supplices ad Dominum preces effudit, dicens : Domine mi Jesu Christe, ut sciant hi miseri, quia tu es Deus solus, et non est alius præter te, da mihi servo tuo in hac hora pristinam corporis mei sanitatem, ut videntes inimici magnalia tua, de suis erroribus confundantur, et ad agnitionem tui nominis convertantur. Fac, quæso, quod peto propter nomen tuum sanctum, quod est benedictum in secula, ne sit confusio confidentibus in te Domine. Post quam vocem, Divina eum medicante gratia, confestim sanissimus est redditus, et de ecclesia per semetipsum egressus, pro salute sua Deo gratias agebat, et in Christi fide convalescens magis magisque incredulos confundebat.

*dolore tibiæ,*

*invocato Christo,*

F

*subito liberatur.*

28 Per idem fere temporis accidit, ut etiam quidam Rex Sueonum, nomine a Anaundus, ejectus regno suo, apud Danos exul fuerit. Qui fines regni quondam sui denuo repetere cupiens, cœpit ab ipsis auxilium quærere, spondens quod, si se sequerentur, multa eis donaria possent provenire. Proponebat enim eis vicum nominatum Byrca, quod ibi multi essent negotiatores divites, et abundantia totius boni, atque pecunia thesaurorum multa. Ad illum itaque vicum se illos promittebat ducturum, ubi sine exercitus sui damno, multo suæ necessitatis fruerentur commodo. Illi ergo promissis muneribus delectati,

*a ab Anaundo Rege expulso,*

*cum Danis in Sueciam redeunte.*

A ti, et thesaurorum adquisitione avidi, in auxilium ejus expeditorum ad pugnam hominum viginti et unam naves impleverunt, et cum eo destinaverunt. Ipse vero de suis naves habebat undecim. Exeuntes ergo de Danis, ad vicum insperate venerunt memoratum, et forte tunc Rex ipsorum longius inde aberat, et Principes ac populi multitudo congregari non poterant. Tantum supradictus Herigarius Præfectus ipsius loci, cum eis qui ibi manebant negotiatoribus et populis, præsens aderat. In magna ergo angustia positi, ad civitatem, quæ juxta erat, confugerunt; cœperunt quoque diis suis, imo dæmonibus, vota et sacrificia promittere et offerre, quo eorum auxilio in tali servarentur periculo. Sed, quia civitas ipsa non multum firma erat, et ipsi ad resistendum pauci, miserunt ad eos legatos, dexteram et fœdus postulantes. Quibus Rex præfatus mandavit, ut pro redemptione ipsius vici centum libras argenti persolverent, sicque pacem haberent. Quod illi, ut petebat, statim miserunt, et a Rege jam dicto susceptum est.

*Bircenses pecunia direptionem redimunt;*

29 Porro Dani graviter hujusmodi conventionem ferentes; quia non sicuti disposuerant actum fuisset, cœperunt velle super eos subito irruere, et locum ipsum funditus deprædari atque incendere, dicentes unum quemlibet negotiatorem plus ibi habere, quam B sibi oblatum fuisset; et nullo modo se tantam calumniam sufferre posse. Cum hæc ergo inter se agerent, et ad diripiendam urbem, in quam confugerant, se præpararent, hoc quoque illis innotuit. Unde rursus pariter congregati, cum nullo modo vires haberent resistendi, nullaque eis spes esset refugii, ad vota et sacrificia majora diis suis offerenda se invicem cohortabantur. Contra quos iratus fidelis Domini Herigarius: Maledicta sint, inquit, a Deo nostro vota et sacrificia vestra cum idolis vestris. Quamdiu vultis dæmonibus servire, et vos ipsos ad perniciem vestri votis inanibus in paupertate redigere? Ecce multa obtulistis, et ampliora vovistis, insuper et centum libras argenti dedistis, quid profuit vobis? Ecce omnia, quæ habetis, veniunt diripere; uxores vestras et filios vestros ducent captivos; civitatem et vicum igni succendent; et vos gladio peribitis. Quid ergo vobis prosunt simulachra vestra? Ad quam vocem illi omnes perterriti, et qui agerent nescii, unanimiter responderunt: Salus nostra et consilium sit in tua deliberatione, et quidquid nobis suggesseris, sine dubio faciemus. Quibus ille: Si, inquit, vota spondere vultis, vovete et reddite omnipotenti Deo, qui regnat in cœlis, et cui ego in conscientia pura, C et fide recta deservio. Ipse omnium Dominus est; in voluntate ejus omnia sunt posita; nec est qui ejus ditioni possit resistere. Si itaque ejus auxilium toto corde petieritis, omnipotentiam ipsius vobis non defuturam sentieris. Accepto igitur ab eo consilio, tunc unanimes et voluntarii exeuntes, sicut ibi consuetudinis erat, in campum, pro liberatione sibi jejunium et eleemosynas Domino Christo devoverunt.

*at Danis direptionem minantibus,*

*suadente Herigario,*

*Christum invocant,*

30 Interim Rex præfatus cum Danis agere cœpit, ut sorte perquirerent, utrum voluntate deorum locus ipse ab eis devastandus esset. Multi, inquit, dii sunt ibi potentes, ibi etiam ecclesia olim constructa est, et cultura Christi a multis Chistianis ibi excolitur, qui fortissimus est Deorum, et potens sperantibus in se quocumque modo vult auxiliari. Necessario ergo quærendum est, utrum Divina ad hoc voluntate incitemini. Quod illi, quia sic apud eos moris erat, nequaquam abnuere potuerunt. Quæsitum est igitur sortibus, et inventum, quod cum sua hoc prosperitate nequaquam perficere possent, neque locum ipsum eorum deprædationi a Deo concessum. Iterum quæsitum est, in quam partem ituri essent, ubi sibi pecuniam acquirerent, ne vana spe frustrati ad sua vacui remearent. Cecidit sors, quod ad urbem quamdam longius inde positam in finibus Sclavorum ire D deberent. Hoc ergo Dani divinitus sibi imperatum credentes, a loco memorato recesserunt; ad urbem ipsam directo itinere properarunt, irruentes super quietos, et secure habitantes, improvise illam urbem armis ceperunt, et captis in ea spoliis ac thesauris multis, ad sua reversi sunt. Rex vero ille, qui ad eos prædandos venerat, pace cum eis fœderata, argentum quod ab eis acceperat, reddidit, et apud eos aliquamdiu resedit, volens genti suæ reconciliari. Sicque Domini gratia, propter fidem servi sui Herigarii, populum illius loci ab hostium incursu liberans bonis suis restituit.

*et Danis in Sclavos conversis,*

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.*

*liberantur,*

31 Quo facto ipse in conventu publico eamdem rem proposuit, et ut, quis Deus esset, intentius providerent, monuit, dicens: Heu miseri, vel jam nunc intelligite, quod vanum sit a dæmonibus auxilium petere, qui non possunt in tribulationibus subvenire. Suscipite fidem Domini mei Jesu Christi, quem probatis verum Deum esse, qui vobis nullum habentibus refugium, suæ miserationis tribuit auxilium. Nolite ultra culturam superstitiosam quærere, et inani sacrificio idola vobis placare; verum Deum, qui omnium quæ in cœlis et terris sunt dominatur, colite, et ipsi vos subjicite; ipsius omnipotentiam adorate. Denique post hæc tanto alacrior, quanto E frequentibus Dominus beneficiis in fide robustior factus; publice ubicumque aderat, partim exultando virtutem Domini et fidei gratiam cunctis nuntiabat, sicque bonum certamen usque ad finem suæ perduxit vitæ; consummatoque boni operis cursu, languore ingravescente, astante jam dicto Artgario Sacerdote, Divinæ commendatus clementiæ, communione sacra percepta, feliciter in Christo obiit; de cujus fidei constantia multa adhuc dici poterant; sed quia brevitati studuimus, hæc dicta sufficiant.

*Herigarius inculcat fidem Christi,*

*pie moritur.*

a Anaundus, Anoundus *et* Amundus. *de eo nostram conjecturam dedimus supra* § ii, *ubi de Regibus Sueciæ egimus.*

## CAPUT VIII.

### *Fridburgis obitus. Reditus Ardgarii e Suecia.*

Illis quoque temporibus apud eos matrona quædam fuit valde religiosa, quam nulla unquam improborum perversitas a fidei suæ rectitudine pervertere potuit; cui frequenter in quacumque necessitate positæ, ut more eorum idolis sacrificaret, suggestum est; sed illa immobilis fidei suæ munia non reliquit, vanum esse dicens, a simulacris mutis et surdis auxilium quærere; et abominabile sibi videri, ut his, quibus F in baptismo renuntiaverat, denuo intenderet, et sponsionem, quam Christo promiserat, falleret. Si enim, inquit, malum est hominibus mentiri, quanto magis Deo? Et si bonum est inter homines fidem constare, quanto magis, qui fidem Domini accipit, nullatenus debet ab ea immutari? Dominus, inquit, meus Jesus Christus omnipotens est, ipse mihi, si in ejus fide perseveravero, et sanitatem, et omnia quibus indiguero, præstare poterit. Prædicta religiosa fœmina, Fridburg nomine, in bonitate vitæ et fidei constantia laudabilis, dies vitæ suæ usque ad tempus produxit senectutis. Cum jam appropinquaret dies mortis suæ, et post discessum Domini Simonis nullus tunc ibi adesset Sacerdos, ipsa amore sacrificii, quod audierat viaticum esse Christianorum, de vino aliquantulum in quodam fecit reservari vasculo, et filiæ suæ in fide commendans, ut si quando ei ultimum tempus instaret, de ipso vino, quia sacrificium non habebat, ei in os distillaretur; ut vel sic Domini gratiæ exitum suum commendaret. Illud itaque vinum tribus fere annis apud eam conservatum est, sicque contigit illuc prædictum advenisse Sacerdotem Artgarium. Quo ibi posito, ipsa quamdiu vires

*Fridburgis matrona in fide constans,*

*vinum benedictum pro viatico servarat,*

*ab Ardgario Eucharistia munita obit*

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.*

A vires habuit, religionis suæ devotionem exercuit, Missarum solemnia et salutaria monita sedulo ab eo exquirens. Verum inter hæc, languore se præoccupante, cœpit infirmari; sollicita de obitu suo memoratum ad se accersiri fecit Presbyterum, et accepto de ejus manu viatico optato, feliciter migravit ad Dominum.

*cujus filia*

33 Illa vero eleemosynis intenta semper, quia in seculi rebus dives erat, filiæ suæ prædictæ Cathlæ injunxerat, ut post suum ex hac luce discessum, cuncta, quæ illius erant, in pauperes dispensaret. Et qui hic pauperes minus inveniuntur, post obitum, inquit, meum cum tibi primum opportunitas evenerit, venditis omnibus, quæ hic dispensata non fuerint, sume tecum argentum et vade *a* Dorstadum; ibi sunt ecclesiæ plurimæ et sacerdotes ac Clerici, ibi indigentium multitudo. Illo adveniens, quære qui te doceant fideles, quomodo ea dispenses, et pro animæ meæ remedio omnia distribue. Post excessum itaque matris filia, quæ mater jusserat, strenue adimplevit; arreptoque itinere perveniens ad Dorstadum, religiosas exquisivit ibi fœminas, quæ cum ea loca sancta circuirent, et quid cuique dispensare deberet eam instruerent. Cum quadam die dispensandi caussa loca sancta cuircuirent, et medietas jam distributa

*a ejus jussu Dorstadum profecta,*

*pecuniam pauperibus distribuit;*

B esset, dixit sociis suis: Nunc lassæ sumus, melius est, ut aliquid de vino ematur, ut refocillemur, et sic demum cœpta peragamus. Datis igitur ad hoc *b* quatuor denariis, et viribus resumptis, quod cœpere peregerunt; quibus completis, ipsa ad hospitium suum rediens, saccum, in quo argentum fuerat, in quodam loco vacuum posuit; sed largiente superno munere denuo ipsum locum adiens, sicut ante fuerat plenum invenit. Quæ tanto obstupefacta miraculo, adscitis ad se fœminis, quæ secum prius ierant, quod sibi contigerat ostendit; coram quibus quid inde esset computans, tantum invenit quantum illo adduxit, exceptis quatuor denariis. Consilio itaque ab eis accepto, fuit ad Sacerdotes qui ibi probabiliores videbantur, et ipsum miraculum eis innotuit, qui gratiam Dei pro tanta ejus bonitate laudantes, quod ejus labori ac bonæ intentioni Dominus ea retribuerit, intimabant. Quia tu, inquiunt, matri tuæ obediens fuisti, et fidem tuam circa eam illibatam servasti, et eleemosynas illius strenue implesti; Dominus omnium bonorum retributor pro necessitatis tuæ subsidio ista tibi contulit. Ipse est omnibus sufficiens, nullius indiget, ipse omnia quæ pro ejus distributa fuerint nomine, in cœlesti regno recompen-

*b quam reperit divinitus in sacco repositam.*

C sabit. Quod ita esse ne aliquo modo dubitares, et ne te census dati distributio pœniteret, hoc te Deus miraculo certificare dignatus est. Hoc jam signo, quod mater tua cum domino salva sit, firmiter crede; hoc miraculo admonita, tu quoque pro Christo tua dare ne timueris.

*Artgarius e Suecia discedit.*

34 Igitur post excessum prædicti viri Herigarii, jam memoratus Sacerdos Dei Artgarius, amore solitariæ, quam antea duxerat, vitæ ab illis partibus egressus locum suum repetiit. Sicque demum Christiani ibi positi sacerdotali sunt præsentia destituti. Quare manifesto patuit indicio, quod ad corroborandum fidem præfati viri Herigarii, et supradictæ matronæ Frethuburgis, pariterque ut exitum eorum Divinæ commendaret clementiæ, et quod fideliter desideraverant, mysterium videlicet sacræ communionis, pro ultimo viatico perciperent, jam dictus Anachoreta Artgarius ad illas partes destinatus fuerat.

a Locum hunc de Dorstado illustravimus supra § 6. — b In MS. Rubeæ vall. septem denarios, at Poeta infra etiam quatuor scribit.

## CAPUT IX.

### *Episcopatus Bremensis Hamburgensi unitus.*

D

Verum inter hæc superius comprehensa, *a* contigit bonæ memoriæ Ludovicum serenissimum Imperatorem, Divino ordinante judicio, vita præsenti decessisse. Post cujus obitum cum de regni divisione magna fieret perturbatio, Pastoris quoque nostri aliquando labefactari cœpit legatio. Nam cum Cella supradicta Turholt in partem concessisset venerandi Regis Caroli, ipse eam a servitio, quod pater suus disposuerat, amovit; et vobis bene cognito dedit Reginario. Pro qua re cum a Fratribus suis gloriosissimis Regibus, et a multis quoque aliis sæpius fuisset admonitus, et ipse eorum petioni nullatenus assentiret, jam dictus Pater noster tunc cœpit atteri necessitatibus et indigentiis. Unde contigit, ut et Fratres vestri, qui tunc cum eo hic aderant, ad vestram societatem redierint, et multi quoque alii caussa paupertatis eum dereliquerint. Ipse tantum cum paucis, qui cum eo substiterant, prout poterat se agebat, et licet in paupertate degens, injunctum sibi officium nequaquam deserere voluit.

*a Torholtano monasterio sibi ablato,*

*penuria premitur S. Anscharius;*

36 Dominus quoque humilitatem ejus, et patientiæ fortitudinem conspiciens, quia cor Regis in manu Domini est, Clementissimi Domini et *b* Senioris nostri Ludovici Regis, qui post patrem suum hujus regni gubernacula suscepit, ad hoc animum incitavit, ut quærere inciperet, unde ei solatium subsistendi facere posset, quo Legationis suæ mandatum perficere posset. Et quia in hac provincia cellam nullam huic Legationi habebat congruam, erat autem ibi juxta Episcopatus Bremensis Ecclesiæ tunc desolatus Pastore, illum ei dare disposuit. Unde in *c* publico conventu Episcoporum, ceterorumque fidelium suorum tractare cum eis cœpit, utrum hoc ei facere canonica auctoritate liceret. Dominus enim et Pastor noster hoc sibi periculosum esse aliquo modo formidans, et ne a quibuslibet nævo cupiditatis reprehenderetur, caute providens, non facile huic dispositioni assentiebat. Jubente itaque Rege hæc eadem res in Concilio Episcoporum ventilata est. Qui multis præcedentibus exemplis probaverunt, bene posse fieri, ut quia diœcesis illa, ad quam ipse ordinatus fuerat, admodum parva erat (nam non nisi quatuor baptismales habebat ecclesias) et hæc ipsa multotiens jam Barbarorum incursibus devastata, ista ei caussa solatii adjungeretur.

E

*b a Ludovico Rege Germaniæ,*

*accipit Episcopatum Bremensem,*

*c*

*probante concilio Episcoporum;*

37 Verum, ne in aliquo scrupulum Ferdensis pateretur Episcopus, quod etiam partem de suo episcopatu ultra Albiam sumptam ipse cum Bremensi tota simul parochia retineret, statuerunt, ut, sicut tempore Domini *d* Ludovici primo fuerant, Episcopatus ipse et Bremensis et Ferdensis restituerentur, et ipse teneret Bremensem, ex qua major pars diœcesis suæ sumpta erat, quæ etiam tunc erat præsentia Pastoris desolata. Quo decreto ita ab Episcopis constituto, ipse jubente Rege Bremensem suscepit diœcesim gubernandam. Porro partem parochiæ, quæ ultra Albiam ad se pertinere debebat, *e* Waldgarius recepit tunc Ferdensis Episcopus. Quod cum ita aliquamdiu esset, iterum diligentius ipsa re in alio concilio Episcoporum ventilata, visum est eis non bonum esse, ut Sedes, ad quam ille ordinatus fuerat, ab alio Episcopo teneretur: (nam Hammaburg tunc in partem cesserat Waldgarii) potestatem quidem Regis esse dicentes, ut diœcesim parvam et admodum captivatam augeret, locum tamen ad episcopalem dignitatem auctoritate Apostolica firmatum, nullatenus immutandum. Unanimo ergo consensu, cum voluntate Regis prædicti piissimi Ludovici, Episcopi ibi constituti censuerunt, ut Sedem, ad quam

F

*reddit partem diœcesis Hamburgensis Episcopo Ferdensi,*

*d*

*e*

*postea ipsum Hamburgum recepit,*

A *parte alia diœcesis Ferdensis tradita.* quam consecratus fuerat, Pater noster Anscharius reciperet, et si quid ultra Albiam ex Ferdensi ipse retineret diœcesi, ex Bremensis Ecclesiæ parochia illius Sedis restitueret Episcopo. Quod ita et Regio jussu, et synodali Episcoporum decreto, ipsius quoque Waldgarii memorati Ferdensis Episcopi voluntate et assensu, perfectum est.

a *Anno* 840, *de bello inter tres filios, paceque anno* 843 *composita, Torholto et Rebaco egimus* § 5. — b *Seniorem pro Principe, Domino et Hero accipi, sæpius observavimus: potest hic etiam Senior dici respectu Ludovici filii, qui cum scriberetur Vita, administravit Saxoniam, in eaque illi anno* 878 *defuncto successit.* — c *Forsan anno* 848 *in Synodo Moguntina, de hac conjunctione Sedium egimus* § 2. — d *Ludovici Pii Imperatoris.* — e *De Waltgario egimus* 2 *Februarii ad Acta S. Erlulfi decessoris, quem cum Martyribus Ebbekestorpensibus retulimus.*

## CAPUT X.

### *Conjunctio Episcopatuum oppugnata; auctoritate Apostolica confirmata.*

Porro cum hæc agerentur, Colonia civitas, ad quam Bremensis parochia suffraganea erat, eo tempore absque benedictione *a* episcopali degebat. Quod quia diuturnum extitit, illud etiam sine illius loci Pontificis præsentia necessario decernendum fuit. Postea tamen consacrato ad eum locum venerabili præsule *b* Gunthario, hoc ipsum Dominus et Pater B noster ei suggerere studuit, ut sua quoque auctoritate firmaretur. Cui tamen rei ipse admodum contrarius exstitit. Qua de caussa postmodum in Wormacia civitate positis *c* duobus Regibus, Ludovico scilicet et Lothario, coram multa Episcoporum utriusque regni frequentia, præsente venerabili Patre nostro, hæc eadem res exposita est. Quod cum ab omnibus bene ita ordinatum probaretur, ut prædictus quoque Pontifex Guntharius hoc ipsum sua auctoritate firmaret cuncti rogaverunt. Qui primo quidem fortiter his reniti cœpit, justum non esse multipliciter ostendens, ut Sedes suffraganea in Archiepiscopalem Sedem verteretur; nec se debere honorem Sedis suæ in aliquo minuere. Postremo tamen et ipsis Regibus, et cunctis simul Episcopis ibi aggregatis, pro hoc ipso eum rogantibus, et omnino caussa necessitatis id licitum fore dicentibus, respondit, si Apostolica auctoritate firmaretur, ex se quoque ratum esse.

*a Guntharius Archiep. Coloniensis initio contrarius, b*

*c a Regibus et Episcopis rogatus,*

*Sedium conjunctioni subscribit, si Papa annuat,*

39 Quo responso accepto, cum etiam omnes Suffraganei ejus hæc eadem consensissent, piissimus Rex jam dictus Ludovicus cupiens et patris sui eleemosynam in omnibus augmentare, et quod ipse disposuerat per omnia ratum fieri, Reverendissimum C Salomonem Constantiæ civitatis Episcopum pro hoc ipso ad Sedem direxit Apostolicam. Cum quo etiam Dominus et Pater noster Anscharius, quia ipse per se non poterat, filium suum Fratrem nostrum Nordfridum misit Presbyterum, qui officiosissime a sancto suscepti Papa Nicolao, Legationis suæ mandatum ei plane et dilucide retulerunt. Qui prudenter et sollicite ea, quæ ab ipsis dicebantur, mente pertractans, et Deo inspirante pro lucrandis animabus Gentilium hanc constitutionem justam esse decernens, voluntatem Regis nostri sua auctoritate firmavit. Denique ut ipsam rem diligentius ab eo elucubratam, manifestius aperire possimus, verba ipsius interponere decrevimus. Cum enim caussam legationis ejus, et cetera superius comprehensa, plene et breviter recapitulasset, denique subjunxit: Cujus delegationis et auctoritatis et Pallii acceptionis pagina nobis est a Ludovico filio nostro per Salomonem sanctissimum Episcopum destinata, juxta morem sanctæ Ecclesiæ Romanæ bullata. Per cujus tenorem paginæ hæc ita fuisse comperimus, sicut pietas nobis jam fati Regis per fidelem virum, Salomonem scilicet Episcopum, intimavit. Unde nos vestigia tanti Pontificis et prædecessoris nostri sequentes Gregorii, omnemque ibi D Deo dignam statutam providentiam agnoscentes, magnorum Principum votum, Ludovici videlicet divæ recordationis Augusti, et æquivoci ejus filii excellentissimi Regis, tam hujus Apostolicæ auctoritatis præcepto, quam etiam Pallii donatione, more prædecessorum nostrorum, roborare decrevimus; quatenus tanta fundatus auctoritate prænominatus Anscharius, primus Nordalbingorum Archiepiscopus, et per ipsum successores ejus, lucrandis plebibus insistentes, adversus tentamenta diaboli validiores existant. Ipsum quoque filium nostrum jam dictum Anscharium Legatum in omnibus circumquaque gentibus Sueonum, sive Danorum, necnon etiam Sclavorum, vel in ceteris, ubicumque illis in partibus constitutis Divina pietas ostium aperuerit, publicam evangelizandi tribuimus auctoritatem, ipsamque Sedem Nordalbingorum, Hammaburg dictam, in honore sancti Salvatoris, sanctæque ejus intemeratæ genitricis Mariæ consecratam, Archiepiscopalem deinceps esse decernimus. Atque ut strenui prædicatoris Episcopi post decessum crebro dicti Anscharii Archiepiscopi, persona tanto officio apta eligatur semper successura, sub Divini judicii obtestatione statuimus.

*missus Romam Legatus,*

*Nicolaus Papa confirmat*

*hac bulla,*

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS. legationem Septentrionalium regionum S. Anschario concessam;*

*et Archiepiscopatum Hamburgensem;*

40 Verum quia Carolus Rex frater sæpedicti Regis Ludovici, post decessum Imperatoris patris sui piæ memoriæ Ludovici, abstulit a prænominato loco, qui dicitur Hammaburg, monasterium quod appellatur E Turholt, utpote quod post partitionem inter fratres suos in regno suo conjacere videbatur, situm in occidentali Francia, quod ille genitor suus ad supplementum et victum Episcopo et Clericis ejus dederat; cœpere, sicut fertur, omnes ministri altaris recedere, deficientibus quippe necessariis sumptibus, ab ipsis recesserunt gentibus, et eadem ad Gentes Legatio per hujusmodi factum defecit; ipsa quoque metropolis Hammaburg pene deserta facta est. Igitur dum hæc agerentur, mortuus est diœceseos Bremensis Episcopus, quæ huic contigua esse dicitur. Cumque sæpedictus Rex et hanc diœcesim vacantem, et illam novellam institutionem cerneret deficientem, insuper et utramque hanc Ecclesiam Dei permittente occulto judicio, per barbarorum sævitiam admodum attenuatam, quærere cœpit, qualiter prædicta Bremensis Ecclesia prædictæ novellæ Archiepiscopali uniretur ac subderetur Sedi, nostro hoc votum roborante decreto. Unde per sæpenominatum venerabilem Missum, Salomonem videlicet Constantiæ civitatis Episcopum, nobis hoc relatum est confirmandum ac postulatum est nostra auctoritate roborandum. F Nos igitur id subtili perpendentes examine, animadvertimus propter instantem necessitatem, et animarum lucra in Gentibus demonstrata, utile fore. Omnia enim quæ prodiena Ecclesiæ probantur existere, et Divinis non resultant præceptionibus, licita et facienda esse non dubitamus; maxime in tam novellæ Christianitatis plantatione, in qua varii solent eventus contingere. Quamobrem auctoritate omnipotentis Dei, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et hoc nostro decreto decernimus, secundum reverendissimi Regis Ludovici votum, ipsas prædictas diœceses, Hammaburgensem videlicet et Bremensem, non deinceps duas, sed unam esse et vocari, subditque Sedi quæ prædecessoris nostri decreto Archiepiscopali est munere sublimata; restituta dumtaxat de Bremensis Ecclesiæ rebus episcopatui Ferdensi parte inde ablata. Nullus vero Archiepiscopus Coloniensis ullam sibi *d* deinceps in eadem diœcesi vindicet potestatem. Quinimo et ipsi et omnibus omnino suademus veræ religionis cultoribus, ut sacra hac Legatione fungentibus adjutorio et solatio sint, quatenus gratia hujus beneficii plenam mercedem reci-

*eique unitum Episcopatum Bremensem,*

*d a jurisdictione Archiep. Coloniensis eximit.*

pere

AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS. Matth. 28. 19. Matth. 10. 40.

A pere mereantur ab eo qui dixit : Ite, docete omnes gentes, et : Quicumque receperit vos, me recipit. Itaque omnia a dilecto filio nostro Rege Ludovico ad hoc Deo dignum officium deputata, nostra etiam pia ejus vota auctoritate firmamus. Et quia casus præteritorum nos cautos faciunt in futurum, omnem quoque adversantem, vel contradicentem, atque piis nostris his studiis quolibet modo insidiantem, anathematis mucrone percutimus, atque perpetuæ ultionis reum diabolica sorte damnamus : ut culmen Apostolicum, more prædecessorum nostrorum, caussamque Dei pro affectu zelantes, ab adversis hinc inde partibus tutius muniamur. His itaque decretis atque institutionibus Papæ sanctissimi Nicolai, Bremensis Ecclesia adjuncta et unita Sedi Hammaburgensi, quæ prius metropolis constituta fuerat, facta est Archiepiscopalis.

Sedes Coloniæ vacat.

a Gelenius lib. 1. Coloniæ Agrippinensis syntagmate 6, caussam Sedis vacantis attribuit irruptioni Normannicæ, quod Godefridus et Siffridus Normanni Rheno vecti anno 883 Coloniam occuparint, penitusque protriverint. Verum anno id 881 factum esse ex Annalibus Fuldensibus aliisque docuimus § 9. b Idem Gelenius Guntharium tradit Archiepiscopum creatum anno 851, quod serius factum suspicamur ob hanc controversiam potissimum agitatam anno 857, ut § 2 deductum est. — c Sub Ludovico erat Brema, sub Lothario Colonia. — d Contra hanc exemptionem perpetuum reclamatum fuisse a Coloniensibus Archiepiscopis, eamque solum, dum necessitas urgeret, indultam esse, constat ex diplomate Formosi Papæ.

Brema exempta.

B

## CAPUT XI.

*Legatio in Daniam resumpta ; in Sueciam parata.*

Verum, quia de diœceseos illius ratione ita firmata hæc præoccupando diximus (multum enim temporis fuit, ex quo Sedem illam gubernandam suscepit priusquam auctoritate Apostolica firmaretur) ad ea quæ prius gesta sunt redeamus. Namque suscepta Bremensi parochia, iterum spiritu cœpit fervere intimo, quia jam tunc unde daret habebat, si quid posset in partibus Danorum pro Christi elaborare nomine. Unde frequentius a Horicum adire, qui tunc solus monarchiam regni tenebat Danorum, et muneribus eum, et quibuscumque poterat obsequiis, conciliare studuit ; ut sua licentia, prædicationis officium in regno ejus fieri valeret. Aliquoties namque regia etiam legatione ad eum mittebatur, et quæ ad fœdera pacis et utriusque regni utilitatem pertinebant, strenue et b fideliter peragebat. Qua de re cognita fide et bonitate sancti viri, prædictus Horicus Rex multo eum affectu cœpit venerari, et libenter C ejus consilio uti, ac familiarissimum in omnibus habere, ita ut et inter secreta sua, dum de negotiis regni cum Consiliariis tractaret, ipsi liceret interesse. Ea quoque quæ inter populum hujus terræ, videlicet Saxonum, ac regnum ipsius, caussa fœderis, debebant constitui, non aliter nisi de fide illius volebat firmari. Hoc ille dicens omnimodæ fidei nunquam esse, quod ille et laudasset et spopondisset. Hac itaque familiaritate potitus, cœpit etiam illi persuadere, ut fieret d Christianus. Ille quoque omnia, quæ ei ex Divina intimabat Scriptura, benigne audiebat, et bona prorsus ac vera dicta ea esse laudabat, seque in plurimum delectari, ac libenter ea Christi velle gratiam promereri. Cui post talia vota Pater sanctissimus patienter suggerere cœpit, ut Christo Domino concederet hanc benevolentiam, quod ei gratissimum foret, ut in regno suo ecclesiam fieri permitteret, ubi Sacerdos omni tempore præsens adesset, et verba Divini seminis, ac baptismi gratiam quibuscumque suscipere volentibus traderet. Quod ille benignissimo concessit affectu, et in portu regni sui ad hoc aptissimo, et huic regioni proximo e Sleaswic vocato, ubi ex omni parte conventus fiebat negotiatorum, ecclesiam illi fabricare permisit ; tribuens locum, in quo Presbyter maneret ; data pariter licentia, ut quicumque vellet in regno suo fieret Christianus. D

S. Anscharius familiaris Horico Regi Danorum.

Cum e[illegible] nascenti

ecclesiam Sleswici extruit.

42 Hac ergo Domnus Episcopus noster accepta licentia, statim quod diu desideraverat perfecit ; et consecrata ecclesia in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, et constituto ibi Presbytero, gratia Dei in eodem loco fructuosius crescere cœpit. Multi namque ibi antea erant Christiani, qui vel in Dorstado, vel in Hammaburg baptizati fuerant, quorum quidam primores ipsius vici habebantur, et gaudebant facultatem sibi datam Christianitatem suam observandi. Quorum exemplo multi quoque alii et viri et feminæ, relicta superstitiosa idolorum cultura, ad fidem Domini conversi baptizabantur. Factumque est gaudium magnum in ipso loco ; ita ut etiam gentis hujus homines absque ullo pavore, et quod antea non licebat, et negotiatores tam hinc, quam ex Dorstado, vicum ipsum libere expeterent, et hac occasione facultas totius boni inibi exuberaret. Et cum multi inibi baptizati supervixerint, innumerabilis tamen f albatorum multitudo exinde ad regna conscendit cœlorum. Quia libenter quidem signaculum Crucis recipiebant, ut catechumeni fierent, quo eis ecclesiam ingredi, et sacris officiis interesse liceret ; baptismi tamen susceptionem differebant, E hoc sibi bonum dijudicantes, ut in fine vitæ suæ baptizarentur ; quatenus purificati lavacro salutari puri et immaculati vitæ æternæ januas absque aliqua retardatione intrarent. Multi quoque apud eos infirmitatibus detenti, cum se frustra idolis pro salute sua sacrificasse viderent, et a propinquis suis desperarentur, ad Domini misericordiam confugientes Christianos se fieri devovebant ; cumque accito Sacerdote baptismi gratiam percepissent, statim incolumes Divina largitate fiebant. Sicque crevit in eodem loco Dei miseratio, et ad fidem Domini conversa est multitudo.

multos Christo lucratur.

f

sanitate variis inter baptizandum collata.

43 Inter hæc vero Domnus et Pater noster Anscharius etiam pro gente Sueonum, eo quod Sacerdotis absentia tunc desolati essent, nimio condolens affectu, a præfato poscere cœpit Rege Horico, sibi in omnibus familiarissimo, uti sui auxilio fines illius regni petere posset. Qui cum maxima benevolentia hanc quoque petitionem ejus suscipiens, ita se per omnia facturum promisit. g Qua de caussa Domnus Episcopus noster cum præfato cœpit Gautberto Pontifice de hoc ipso tractare, necessarium esse dicens, ut iterum provideretur, si forte gens illa divinitus monita Sacerdotes secum manere pateretur ; ne fides Christi illis in partibus cœpta, eorum negligentia aliquando deperiret. Prædictus vero Pontifex F Gautbertus, qui et Simon, se inde expulsum, rursum locum illum repetere non animo respondit ; nec id valde proficuum fore posse, imo magis periculosum, si denuo priorum reminiscentes, aliquid perturbationis erga eum excitarent. Sibi magis congruum videri, ut ille iret, qui hanc legationem primo suscepèrat, eique benignius ibi habitus fuerat. Ipse vero cum eo nepotem suum mitteret, qui ibi, si locus prædicandi inveniretur, remaneret, et sacerdotali apud eos officio fungeretur. Hoc itaque ratum inter se decernentes, coram præsentia clementissimi Regis venerunt Ludovici, caussamque hanc ei retulerunt, atque ut ejus licentia ita fieri permitteretur exorabant. Qui sciscitatus, utrum ipsi in hac voluntate concordes fuissent, responsum a venerabili Gautberto Pontifice tale accepit : In Dei, inquit, servitio, nos semper concordes et fuimus et sumus, et istud unanimo consensu ita fieri cupimus. Itaque Serenissimus Rex in Dei caussa semper voluntarius, secundum quod inter eos convenerat, legationem hanc pro Christi nomine Pastori nostro injunxit

g Gaudberto redditum in Sueciam recusante,

[illegible] a Ludovico Rege impositam admittit.

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.*

A xit religiosissimo, suæ quoque partis, sicuti et Pater ejus fecerat, ad Regem Sueonum mandata ei committens.

44 Igitur devotissimus Pater noster ad hoc iter præparare se cœpit, et ut quantocyus hoc expleret ferventiori incitabatur spiritu. *animatur memoria factæ sibi olim visionis,* Siquidem et hoc cœlitus sibi injunctum credebat, visione quadam imbutus, quam antea viderat. Visum namque est ei, quod pro ipso itinere valde esset sollicitus, et quod ad quemdam deveniret locum, in quo erat structura ædificiorum magna, et mansiones diversæ, ubi obvius sibi quidam factus, locutus est ei dicens: De itinere quo sollicitaris, et de his quæ sunt in corde tuo, ne supra modum contristeris, quia hic est quidam Propheta, qui te de his omnibus certum reddet, et ne aliqua menti tuæ super hoc insideat dubitatio, dicam tibi quis sit ille Propheta: Abbas quidam clarissimus Adalhardus ipse nunc est Propheta a Domino ad te missus, qui tibi ea quæ proventura sunt annuntiabit. Quo ille audito exhilaratus animo, visus est illi respondisse: Domine, ubi inveniam eum? Et ille: Tu, inquit, cum labore invenies eum, nec est licitum tibi cuiquam insinuare. Tunc visum est ei, quod iter per circuitum mansionis ipsum quærendo,
B et in mente sua tractaret. Si, inquit, non interrogatus a me annuntiaverit mihi, quæ sunt in animo meo, tunc verum illum Prophetam comprobabo. Ad quamdam ergo perveniens mansionem speciosissimam, vidit eum ibi in solio suo sedentem, et statim recognovit. *et verborum S. Adalardi,* Ille confestim pronuntians intentus in eum dicere cœpit: Audite insulæ, et attendite populi de longe, Dominus ab utero vocavit te, de ventre matris tuæ recordatus est nominis tui, et posuit os tuum quasi gladium acutum; in umbra manus suæ protexit te, et posuit te quasi sagittam electam; in pharetra sua abscondit te, et dixit tibi: Servus meus es tu, quia in te gloriabor. Quo dicto extento brachio manum dexteram ad eum cœpit erigere. Ille autem hoc viso, ad genua ejus accessit, sperans eum se velle benedicere. At ille subjunxit: et nunc hæc dicit Dominus, formans te ex utero servum sibi; dedi te in lucem gentium, ut sis illis in salutem usque ad extremum terræ. Reges videbunt, et consurgent Principes, et adorabunt Deum tuum et sanctum Israel, quia glorificabit te. Hanc ergo visionem servus Dei cum ante profectionem illam longe vidisset, certum tenebat animo, Dei se imperio ad partes illas incitari; et maxime in verbo,
C quod dictum est illi: Audite insulæ. Quia omnis fere patria illa in insulis est constituta. Et quod subjunctum est: Eris illis in salutem usque ad extremum terræ. Quia finis mundi in Aquilonis partibus in Sueonum conjacet regionibus. Denique verbum, quod cum Propheta Jeremia in fine commutatum est, scilicet: Quia glorificabit te, ardorem desiderii, illi maximum nutriebat, quia palmam martyrii olim sibi promissam hoc significare putabat.

*Hericus Re-*

a Horicus, Horichus, Oricus, Horuc, Ericus, *Godefridi Regis anno* 813 [illegible] *cum quatuor fratribus*, [illegible] Boruc, *seu* Boricho [illegible] — b MS. [illegible] — c *Idem MS* [illegible] — d [illegible] *baptizatum*. — e Sleaswic, Slieswich, Slesvicum [illegible] *supra egimus*. — f *Recens baptizatorum* [illegible] *quæ induebantur, vestem* g *Sequentia de* [illegible] *in MSS. Bambergensi et Budecensi, quæ tamen* [illegible] *Historiam tradit Adamus cap.* 20.

## CAPUT XII.

### *Legatio Sueciæ. Ecclesia constructa.*

Profectionem itaque hanc suscepturos, jam dicti Regis Horici Missum pariter et *a* signum secum habuit. Qui Regi Sueonum, nomine *b* Olef, partis suæ mandatum tale intimari jussit. *a b Cum Legato et litteris Regis Danorum,* Servum Dei, qui ex parte Regis Ludovici missus, fines regni ejus pete-



D ret, sibi per omnia cognitum fore, ac se in vita sua numquam tam bonum vidisse hominem; nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem invenisse; ideoque cognita ejus sanctissima bonitate, omnia quæ illi in regno suo caussa Christianæ religionis disponere vellet, se ei concessisse, ipsumque petere ut similiter in regno suo ei permitteret culturam Christianitatis, quam optabat, statuere, quia ipse nihil aliud quam quod bonum et rectum foret, vellet perficere. Susceptum itaque peragens iter, viginti ferme diebus navigio transactis, pervenit ad Byrcam, ubi invenit Regem et multitudinem populi nimio errore confusam. *venit in Sueciam,* Instigante enim diabolo, adventum beati viri omnimodis præsciente, contigit eo ipso tempore, ut quidam illo adveniens diceret, se in conventu deorum, qui ipsam terram possidere credebantur, affuisse, et ab eis missum, ut hæc Regi et populis nuntiaret: Vos, inquiunt, nos vobis propitios diu habuistis, et terram incolatus vestri cum multa abundantia nostro adjutorio in pace et prosperitate longo tempore tenuistis; vos quoque nobis sacrificia et vota debita persolvistis, grataque nobis vestra fuerunt obsequia. *diabolico vaticinio turbatam,* At nunc et sacrificia solita subtrahitis, et vota spontanea segnius offertis,
E et, quod magis nobis displicet, alienum Deum super vos introducitis. Si itaque nos vobis propitios habere vultis, sacrificia omissa augete, et vota majora persolvite; alterius quoque Dei culturam, quæ contraria nobis docetur, ne apud vos recipiatis, et ejus servitio ne intendatis. Porro si etiam plures deos habere desideratis, et vobis nos non sufficimus, *c* Ericum quondam Regem vestrum nos unanimes in collegium nostrum asciscimus, ut sit unus de numero deorum. c Hoc ergo diabolicum mandatum publice denuntiatum, in adventu Domni Episcopi mentes cunctorum perturbabat, et error nimius ac perturbatio corda eorum omnium confuderat. Nam et templum in honore supradicti Regis dudum defuncti statuerunt, et ipsi tamquam Deo vota et sacrificia offerre cœperunt.

46 Adveniens itaque illuc Domnus Episcopus, ab amicis suis, quondam ibi cognitis, quærere cœpit, quomodo Regem super hac re interpellaret. *amicis dissuadentibus,* Qui omnes toto animo contradicentes, asserebant nihil omnino ea vice legationem ejus proficere posse; sed, si quid haberet pretii, ea ratione eum dare debere, ut vivus inde evaderet. Quibus ille: Non, inquit, pro vitæ meæ redemptione aliquid hic daturus sum; quia, si Dominus meus ita disposuerit, pro ejus no- F
mine paratus sum hic et tormenta subire et mortem pati. Cum ergo pro hac re in maxima esset positus anxietate, tamen accepto consilio Regem ad suum invitavit hospitium. *Regem convivio excipit,* Cui convivium exhibens, dona quæ potuit obtulit, et legationis suæ mandata retulit. Nam et antea per Missum Horici, et per fideles Domni Episcopi, qui ibi manebant, caussa adventus ipsius eidem Regi denuntiata fuerat. Delectatus itaque et caritatis ipsius benevolentia, et munerum datione, se quidem quæ ille suggesserat gratanter velle respondit. Antea tamen hic, inquit, fuerunt Clerici, qui populari seditione hinc, non regio jussu, ejecti sunt. Quapropter et ego hanc legationem vestram confirmare nec possum, nec audeo, priusquam sortibus deos nostros consulam, et populi quoque super hoc voluntatem interrogem. *prospero successu;* Sit Missus tuus in placito mecum proximo, et ego pro te loquar populo. Et si quidem diis fautoribus illi tuæ consenserint voluntati, quod quæsisti prosperabitur; sin autem, et hoc tibi notum faciam. Sic quippe apud eos moris est, ut quodcumque negotium publicum magis in populi unanima voluntate, quam in regia consistat potestate.

47 Hoc ergo Pastor noster devotissimus responso

AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.

A Regis accepto, totum se ad Domini convertit refugium, jejuniis et orationibus vacans, atque in contritione et afflictione cordis seipsum in conspectu Dei humilians. Verum ipso inter has pressurarum angustias posito, cum dies placiti appropinquaret, quadam die inter sacra Missarum solennia dum Sacerdos altari adstans mysteria sacra benediceret, illi in terra prostrato, cœlestis infusa est inspiratio. Siquidem Spiritus sancti dono interius roboratus, et fiducia maxima in anima confortatus, cognovit sibi omnia proventura uti vellet; unde eidem sacerdoti sibi in omnibus familiarissimo post Missam denuntiavit nihil trepidationis se habere debere, quia gratia Dei secum comitaretur. Cui interroganti, quo modo id sciret; divinitus sibi inspiratum respondit. Quam mentis ejus illustrationem Frater ille satis recognovit, quia taliter eum consolari divinitus multis antea probavit indiciis. Hanc ergo animi ejus fiduciam statim rei confirmavit eventus: nam Rex congregatis primo Principibus suis, de hac Patris nostri legatione cum eis tractare cœpit: qui sortibus quærendum statuerunt, quæ super hoc deorum voluntas esset. Exeuntes igitur more ipsorum in campum, miserunt sortes, cecíditque sors, quod Dei voluntate

*imploratum Dei auxilium adfore intelligit:*

*sorte in judici favorem educta;*

B religio Christianorum ibi fundaretur: quod factum unus ex primoribus, amicus Domini Episcopi, statim ei innotuit, et ut consolaretur animo admonuit, dicens: Confortare, viriliter age, quia Deus voluntati et legationi tuæ non abnuit. Sicque ipsa fiducia sumpta spiritu interiori lætificatus, exultabat in Domino.

48 Deinde cum dies Placiti advenisset, quod in prædicto vico Byrca habitum est, sicut ipsorum est consuetudo, præconis voce Rex, quæ esset eorum legatio, intimari fecit populo. Quo illi audito, sicut erant antea errore confusi, diversa sentire et tumultuare cœperunt. Quibus ita perstrepentibus, consurgens unus, qui erat senior natu, in medio plebis dixit: Audite me, Rex, et populi. De cultura ipsius Dei pluribus nostrum bene est jam cognitum, quod in se sperantibus magnum possit fore subsidium. Nam multi jam nostrum sæpius et in marinis periculis, et in variis necessitatibus hoc probaverunt. Quare ergo abjicimus, quod necessarium nobis et utile scimus? Aliquando tempore quidam ex nobis Dorstadum adeuntes, hujus religionis normam profuturam sibi sentientes, spontanea voluntate suscipiebant. Nunc multæ interjacent insidiæ, et piratarum infestatione

*et tumultu populari*

*a seniore peroratur*

C periculosum valde nobis iter illuc factum est. Quod ergo tam longe positum prius quærebamus, hic nobis modo oblatum, quare non suscipimus? Et qui hujus Dei gratiam nobis in multis utilem probavimus quare servos ejus nobiscum manere non libenter assentiamus? Attendite, populi, consilium vestrum, et nolite abjicere utilitatem vestram. Nobis enim quando nostros propitios non possumus habere Deos, bonum est hujus Dei gratiam habere, qui semper in omnibus potest et vult ad se clamantibus auxiliari. Hoc ergo ita perorante, omnis multitudo populi unanimis effecta, elegit, ut secum et sacerdotes essent, et quæ competebant mysteriis Christi, sine ulla contradictione fierent. Rex itaque surgens a placito, statim cum Misso Domini Episcopi suum direxit nuntium, mandans populi unanimitatem ad suam voluntatem conversam, sibique per omnia placere; necdum tamen se plenam ei licentiam concedere posse, donec in alio placito, quod erat in d altera parte regni sui futurum, idipsum populis ibi positis nuntiaret. Tunc iterum bonæ memoriæ Pater noster consueta sua sibi requirens subsidia, Divinam clementiam intentius exorabat. Et ecce placiti tempus advenit, et Rex præconis voce legationem Domini Episcopi, atque omnia pariter,

*populo.*

*d*

*assentiente altdi concilio populi,*

quæ in priore placito dicta et acta fuerant, intimari D fecit. Divina ergo providentia largiente, omnium corda ita adunata sunt, ut prioris placiti consensum cuncti laudarent, et se quoque his assentiri velle modis omnibus faterentur.

49 Hoc itaque facto, convocato ad se Rex Domno Episcopo, quæ fuerant gesta retulit, sicque omnium unanima voluntate et consensu decrevit, ut apud eos et ecclesiæ fabricarentur, et Sacerdotes adessent; et quicumque vellet de populo absque contradictione fieret Christianus. Domnus autem et Pastor noster prædictum nepotem venerabilis Gautberti Episcopi, Erimbertum nomine, manibus Regis commendavit, ut suo auxilio et defensione munitus, Divina mysteria ibidem ageret. Cum etiam Rex in præfato vico atrium unum ad oratorium dedit fabricandum. Domnus quoque Episcopus Presbytero ad habitandum alterum cum domo emit, præbensque idem Rex benignissimum circa Domnum Episcopum dilectionis suæ favorem, fidelissimum quoque in omni parte suis circa Christianæ religionis cultum se fore velle promisit. Sicque per Domini gratiam rite omnibus peractis, Domnus Episcopus ad sua reversus est.

*Ecclesiæ construendæ facultatem accipit;*

*Erimbertum Presbyterum Regi commendat,*

*redit ad suam sedem.*

a *Adamus sigillum interpretatur.* b *Joanni Magno vocatur,* Olaus Tretello 107 *Rex, de eo absque supra a tom.* c *Plures antea apud Sueones fuisse Reges Erici nomine appellatos* ... *Joannes Magnus, qui lib. 4 cap.* 27 Ericum ... *tempore Alexandri Patriarchæ, ut fides penes auctorem. In MSS. Corbeiæ ut* Horicus *dicitur.* — d Suecia *scilicet, quod* circa Gothiæ *urbis* ... .

E

*Ericus Rex inter Deos.*

## CAPUT XIII.

*Incrementum Ecclesiæ in Suecia. Victoria bellica.*

Porro angustiam maximam mentis, quam in ipso perpessus est itinere, dum illud iter pararetur Domino revelante, Pater noster sanctissimus ante præscivit. Visum namque est illi quadam nocte, quod tempus esset passionis Domini, et quod ille præsens adesset, cum Dominus Jesus Christus a Pilato duceretur ad Herodem, et rursus ab Herode ad Pilatum; denique cum a Judæis et militibus sputa et opprobria patiens, per omnia membra verberibus, ut ipsi videbatur, affligeretur; ipse non sufferens sic illum puniri, accurrens, opposuit se post dorsum ejus verberantibus, omniaque verbera, quæ illi infligebantur, ipse in corpore suo susciperet, excepto quod statura procerior, capite ille eminentior videbatur, et idcirco illud defendere non poterat. Hanc itaque visionem miles invictus Christi, quid significaret, prius non F cognovit, quam de hoc itinere reversus mente tractavit, quanta opprobria et irrisiones ibi sustinuerit, et in quanta angustia fuerit, quantasque blasphemias in Deum illatas ibi sustulerit. Nam quantum ad ejus pertinuit animum, ibi ille sine dubio pro Christo passus est, et ibi Christus in servo suo prius sibi illata denuo sustinuit improperia. Porro quod caput illius defendere non poterat, hoc significare putabat, quia caput Christi Deus, quod passiones, quas Sancti in hoc mundo pro Christo sustinent, partim etiam ad ipsam Dei pertineant majestatem, quas ipse in se quodammodo compatiendo suscipiens, ad tempus quidem tolerat, sed quandoque districte judicabit sicut scriptum est: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.

*Passione Christi in capite visa.*

*confirmatur in adversis perferendis.*

51 Nec prætereundum quoque videtur, qualiter virtus Domini post hanc profectionem jam dictis Sueonibus patefacta sit. Gens enim quædam longe ab eis posita, vocata a Chori, Sueonum principatui olim subjecta fuerat, sed jam tunc diu erat, quod rebellando eis subjici dedignabantur. Denique Dani scientes tempore supradicto, quod Domnus Episcopus jam in partes Sueonum advenerat, navium congregata multitudine ad eamdem perrexerunt patriam, volentes et bona eorum diripere, et sibi eos subjugare.

*a Curlandos de Danis victores,*

A subjugare. Regnum vero ipsum quinque habebat civitates. Populi itaque inibi manentes, cognito eorum adventu, conglobati in unum cœpere viriliter resistere, et sua defendere; dataque sibi victoria, medietate populi Danorum cæde prostrata, media quoque navium eorum diripuerunt, auro et argento spoliisque multis ab eis acceptis. Quod audiens prædictus Rex Olef, populusque Sueonum, volentes sibi nomen acquirere, quod facere possent, quæ Dani non fecerant; et quia sibi etiam antea subjecti fuerant, innumerabili congregato exercitu illas adierunt partes. Et primo quidem improvise ad quamdam urbem regni ipsorum, vocatam *b* Seeburg, in qua erant septem millia pugnatorum, devenientes, penitus illam devastando et spoliando succenderunt. Exinde confortati animo, dimissis navibus, iter quinque dierum arripientes, ad aliam urbem ipsorum, quæ *c* Apulia dicebatur, effero corde properabant. Erant autem in ea urbe quindecim millia bellatorum. Cum itaque illo advenissent, conclusis ipsis in civitate, isti a foris urbem debellare, illi deintus cœpere viriliter repugnare; illi intrinsecus defendebant, isti exterius impugnabant. Sicque transierunt dies octo, ut omni die a mane usque ad vesperam dimicantes, bello instarent, et multi hinc et inde caderent: neutra tamen pars victoriam obtineret.

*Sueci oppugnant, Seburgum incendunt,*

*Apuliam obsident,*

B 52 Cum ecce nono die populus Sueonum diutina cæde fatigatus, cœpit angustiari, et timido corde expavescens, hoc solum cogitare, quomodo inde evaderet. Hie inquiunt, non proficimus, et naves nostræ longe absunt. Nam quinque dierum, ut prædiximus, iter erat ad portum, in quo naves eorum stabant. Cum ergo quid sibi esset agendum, nimium turbati omnimodis nescirent, quærendum sortibus statuerunt, utrum dii eorum vellent auxiliari, ut vel victoriam caperent, vel vivi inde evaderent. Missis itaque sortibus, neminem deorum, qui eis subsidio esse vellet, reperire potuerunt. Quod cum denuntiaretur in populo, ululatus et gemitus immensus excitatus est in castris, omnisque virtus ab eis recessit. Quid, inquiunt, infelices acturi sumus? Dii recesserunt a nobis, et nullus eorum adjutor est nostri. Quo fugiemus? Ecce naves nostræ longius sunt positæ, fugientibusque nobis isti insequentes usque ad internecionem nos delebunt. Quid ergo nobis erit? Cum itaque in tanta essent angustia positi, quidam negotiatorum, memores doctrinæ et institutionis Domni Episcopi, suggerere eis cœperunt: Deus, inquiunt, Christianorum multotiens C ad se clamantibus auxiliatur, et potentissimus est in adjuvando. Quæramus, an ille nobiscum esse velit, et vota illi placita libenti animo spondeamus. Omnium itaque rogatu supplici missa sors, et inventum quod Christus eis vellet auxiliari. Quod cum publice denuntiatum cunctis innotuisset, omnium corda ita subito roborata sunt, ut confestim ad urbem expugnandam intrepidi vellent accedere. Quid, inquiunt, nobis nunc formidandum, quidve pavendum est? Christus est nobiscum: pugnemus, et viriliter agamus, nihil nobis obstare poterit; nec deerit nobis certa victoria, quia potentissimum Deorum nostri adjutorem habemus. Conglobati ergo omnes læto et forti animo ad debellandam profecti sunt urbem.

*auxilio a Diis non impetrato,*

*Christum invocant,*

53 Cumque in circuitu adstantes pugnam inire vellent, ab his qui intrinsecus erant postulatum est, ut copia eis daretur loquendi. Quod cum Rex Sueonum annuisset, illi subsecuti sunt: Nobis jam pax magis quam pugna placet, et fœdus vobiscum inire cupimus. Et primo quidem quidquid ex spoliis Danorum præterito anno in auro et armis acquisivimus, vobis pro munere fœderis damus. Deinde pro unoquoque hominum in hac urbe constitutorum dimidiam libram argenti offerimus, et insuper censum, quem antea solebamus vobis dare, persolvimus; et D datis obsidibus, abhinc subjecti et obedientes, sicut antea fuimus, vestro imperio esse volumus. Cum hæc itaque oblata fuerint, necdum tamen animi juvenum sedari poterant; verum alacriores facti, et absque metu imperterriti, pugnare tantum desiderantes, se armis urbem et omnia quæ haberent vastaturos, ipsosque captivos abducturos dicebant. Rex vero et Principes saniori consilio dextras ab eis accipientes, fœdus inierunt, et thesauris innumerabilibus, atque obsidibus triginta sibi collatis, cum gaudio ad sua reversi sunt. Denique pace inter eos fœderata, statim Sueones Christi Domini nostri omnipotentiam collaudantes, ejusque magnificentiam, quod vere magnus esset super omnes Deos, totis viribus prædicantes, quid ipsi, per quem tantam obtinuissent victoriam, vovere deberent, sollicite quærere cœperunt. Unde a Christianis edocti negotiatoribus, qui simul aderant, Christo Domino placitum devoverunt jejunium, ita ut ad sua reversi, postquam domi septem dies essent, alios septem a carne omnes pariter abstinerent. Sed et post hoc quadraginta diebus evolutis, ipsi quoque unanima conventione quadraginta sequentes similiter a carne abtinentiam agerent. Quod et factum est, omnesque qui ibi adfuerant hoc statutum libenti perfecerunt E animo; multi etiam posthac reverentia et amore Christi apud eos jejunia, quæ Christiani observabant, insistere incipientes, et eleemosynis, (namque hoc Christo gratum didicere) quoslibet pauperes adjuvare cœperunt. Sicque favore omnium, prædictus Erimbertus Sacerdos libere apud eos, quæ Dei sunt agere, et cunctis Christi potentiam laudantibus, religionis Divinæ in illis partibus devotio augmentum sui ab illo tempore, sine ullius contradictione, cœpit habere.

*victoriam obtinent,*

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS*

*persolvunt vota jejunia,*

*et eleemosynas*

a Chori, Chorlandia, Curlandia *Adamo in Chorographia, qui tradit* gentem *fuisse* crudelissimam, aurum *ibi* plurimum, equos optimos, domus auguribus et necromanticis plenas. *Quod tamen* insulam *accipserit, minus sibi cognitam ostendit. Cingitur mari Balthico et sinu Livonico, at terra continua est Livoniæ, Samogitiæ et Lituaniæ.* — b *Seburgum sive Seeburgum etiamnum ad dexteram ripam Dunæ fluvii arx Ducis Curlandiæ dicitur in Semigallia provincia, dicta quasi terræ finis, uti nos docuit Theodorus Locrstenius Societatis nostræ Sacerdos ex hac Curlandia oriundus.* — c *Forte Pilta in confinibus Curlandiæ et Samogitiæ ad flumen Weiam*

*Curlandia.*

*Seburgum*

## CAPUT XIV.

*Incrementum Ecclesiæ in Dania inter persecutiones. Viri Apostolici in Sueciam missi.*

Inter hæc vero *a* Divino contigit judicio, ut piratarum infestatione memoratus Horicus Rex, quibusdam propinquis ejus regnum ipsius invadere conantibus, *b* bello interemptus sit. Cum quo pariter omnes primores terræ illius, qui olim Domno Episcopo familiares et amici habebantur, gladio interierunt. Deinde post hæc constituto in regno ipsius Horico juniore, quidam illorum, quos ille tunc habebat Principes, et minus antea Domno cogniti fuerant Episcopo, persuadere ei cœperunt, ut ecclesia apud eos facta destrueretur, et religio Christianitatis ibi cœpta annihilaretur, dicentes Deos suos sibi iratos esse, et quod ideo tanta eos mala invenerint; quia alterius et incogniti Dei culturam apud se receperint. Qua de re Comes præfati vici, Sleauvicht videlicet, nomine Hovi, qui huic religioni præcipue resistebat, et ad destruendam Christianitatis fidem Regem provocabat, Ecclesiam ibi factam prohibuit observari; unde et Presbyter, qui ibi aderat, persecutionis acerbitate compulsus, inde recessit. Pro hac itaque re Domnus Episcopus nimium sollicitus et tristis effectus fuerat; quia nullum tunc cum Horico juniore de amicis habebat, quos antea largissimis donationibus sibi familiares acquisierat,

F

*Horico occiso succedit alter Horicus,*

*is persecutionem Sleswici cœptam,*

AUCTORE S. RIMBERTO, EX MSS.

A acquisierat, per quos eum ad Domini voluntatem conciliare posset. Unde quia humano destitus fuerat, ad Divinum solito more concurrit auxilium. Nec spes sua eum fefellit. Consolatus est quippe eum Dominus spiritali in animo, consolatione, et certus omnino factus est, quod nullo modo, ut hostes Christi machinarentur, religio ibi cœpta deperiret. Quod ita Domino annuente, non multo post contigit. Nam cum pro hac sola eadem caussa ad prædictum Regem ire disponeret, Domini præveniente gratia, idem Rex expulso prius de vico memorato jam dicto Comite, ita ut numquam postea in ejus gratiam redire potuerit, ad Dominum Episcopum suum gratis direxit legatum, mandans ut Sacerdotem suum ad propriam remitteret ecclesiam; non se minus quam seniorem Horicum Christi velle gratiam promereri asserens, Dominique Episcopi amicitiam obtinere. Quo facto, cum ipse quoque Reverendissimus Pater noster ad ejusdem Regis præsentiam, cum adjutorio Burchardi illustrissimi Comitis, venisset, qui etiam antea apud Horicum seniorem adjutor illi in omnibus fuerat, et apud Regem utrumque bene poterat, quia propinquus erat ipsorum, tanta gratia a juniore susceptus est Horico, ut statim ei omnia, quæ antecessor suus caussa Christianitatis in regno suo fieri permiserat, ipse quoque concederet. Insuper etiam, quod antea nefandum pagani videbantur, ut c clocca haberetur in ecclesia consensit. In alio quoque vico regni sui, d Ripa vocato, similiter locum, ubi ecclesia fabricaretur, tribuit; et ut ibi e Sacerdos præsens adesset, suæ potestatis licentiam dedit.

*rescindit;*

*alteram ecclesiam concedit Ripæ.*

B

35 Denique dum hæc agerentur, prædictus venerabilis Gausbertus Episcopus ad gentem Sueonum quemdam misit Presbyterum, nomine f Anfridum, qui ex gente Danorum oriundus erat, et a Domino Ebbone ad servitium Domini educatus fuerat. Qui cum illo advenisset, memoratus Erimbertus Sacerdos exinde reversus est, et ille ibi cum multa omnium amabilitate tribus demoratus est annis aut amplius. Post hoc vero audito Domini Gausberti obitu, ipse quoque exinde reversus, et apud nos aliquamdiu conversatus infirmitatis molestia correptus, aggravescente dolore defunctus est. Quo facto Dominus Episcopus non sufferens fidem Christianitatis ibi cœptam perire, suum illuc misit Presbyterum, nomine Ragimbertum; qui cum satis ad hoc idoneus, et tantæ profectionis valde esset voluntarius, et ad portum memoratum Sleswic in quo naves cum negotiatoribus, qui cum eo ituri erant, constabant, pergeret, diabolica machinatione, in via Danorum latrocinantium insidiis circumventus, et his quæ habebat spoliatus, die Assumptionis S. Mariæ ipse quoque in bonæ voluntatis cursu feliciter consummatus est. Quod cum Domini Episcopi animum nimio affecisset mœrore, nequaquam tamen a cœpta retrahi potuit voluntate, verum in hoc opus alium ordinavit Episcopus Presbyterum, ex gente Danorum progenitum, nomine Rimbertum, quem cum ad illas partes pro Christi nomine destinasset, benigne ille a Rege et populo susceptus est, Divina apud eos mysteria, largiente Domino, libere g hactenus celebravit. Denique et ipsis, sicut et ceteris, quos inter Paganos ante constituerat, denuntiavit Sacerdotibus, ut nullius aliquid concupiscerent, neque peterent sed ut magis, exemplo B. Pauli Apostoli, ipsi quoque manibus suis laborarent, et victu ac vestimento contenti essent, pie eos adhortatus est: quibus tamen ipse et sequacibus eorum, quid necessarium habebant, insuper et, et quid pro amicis acquirendis dandum erat, de suo abundanter ministrabat.

*In Sueciam mittit Presbyteros, Anfridum,*

*Ragimbertum,*

C

*Rimbertus Danus,*

*a S. Anschario instructi.*

36 Porro inter has multiplices variasque angustiarum pressuras, quas ubi commemoravimus de eadem legatione,... Domini ut prædictum est, semper inspiratione roboraretur, ne a cœpto desisteret opere; tamen Domini quoque Ebbonis memorati Remensis Archiepiscopi, qui hanc legationem primo susceperat, non modice eum in hac caussa et devotio mentis est fervor consolabatur animi; siquidem ipse intimo pro vocatione gentium flagrans spiritu, jugiter eum ad fidei gratiam in partes istas promulgandam incitabat, et ut cœpta non desereret, strenue commonebat. Cujus verbis exhortationis, et maximo ardore mentis, quo ad hoc fervebat, iste beatus vir provocatus, indubitanter officii sibi commissi curam agebat; nec aliqua unquam incommoditatis adversitate a cœpto opere averti poterat. Et licet innumera fuerint prædicti Pontificis suasoria monita quibus Pater noster intimo consolabatur gaudio; illius tamen semper recordabatur sermonis, quem de hujus legationis caussa in ultimo collocutionis suæ habuere tempore. Nam cum Dominus Episcopus noster, dinumeratis multis, quæ sibi contigerant, angustiis, quid de eadem legatione sibi videretur ipsum requireret, qualemque consolationem sibi super hoc dicere vellet, ab eo sollicite exposceret; ille quasi prophetico afflatus spiritu, respondit: Certus sum, inquit, quia, quod nos pro Christi nomine elaborare cœpimus, fructificare habet in Domino. Nam ita est fides mea, et sic firmiter credo, imo veraciter scio; quia, etsi aliquando propter peccata quodammodo impeditum fuerit, quod nos illis cœpimus Gentibus, non tamen unquam penitus extenuetur; sed fructificabit in Dei gratia, et prosperabitur, usquequo perveniat nomen Domini ad fines orbis terræ. Hæc itaque fides fuit eorum, hac voluntate exterarum gentium fines petierunt, hujus religionis amore pro Domino certaverunt, a quo et præmium laboris sui sine dubio percepturi sunt. Hujus devotionis voluntas ab animo Domini et Patris nostri numquam recessit, et pro salute Gentium numquam orare cessavit: quin potius, cum assidua fere piratarum infectatione, quæ ex Gentibus jam dictis veniebat, parœcia illius in circuitu vastaretur, ac familia diriperetur, ille tamen pro adversantibus et insidiantibus sibi jugiter exorabat, et pro conversione eorum, qui sibi malefaciebant, apud Dei misericordiam sine cessatione rogabat; petens ne statueretur illis in peccatum, quod ignorantes Dei justitiam, errore diabolico decepti, Christianorum rebus essent infesti. Cujus sollicitudinis caussa intantum fervebat, ut etiam in infirmitate positus novissima, jam dictæ suæ legationis caussam numquam antea tractare et disponere omiserit, quousque ultimum exhalaverit spiritum vitæ; in quo religionis ardore a seculo susceptum credimus, quod maxima secum comitante fidelium multitudine, quos ex gente Danorum atque Sueonum Domino lucratus intuitu boni certaminis illius, Divina remunerante clementia, in die resurrectionis omnium, gloriose et feliciter regna penetravit cœlum.

D *Hic excitatur zelo Ebbonis,*

*et ultimo colloquio;*

E

*orat pro Gentium conversione,*

F *ad mortem usque sollicitus.*

Not. 32

a [illegible] Rex hactenus et simulate in bonum temporale regni [illegible] fidei Christianæ [illegible], nusquam [illegible] quod [illegible] — b Anno 82.. ut supra [illegible]. — c Glocca, clocca, Klocca, Germanica lingua campanam significat. Legitur in Vita S. [illegible] 8 Septemb. in Constitutionibus Caroli Magni et aliis ejus ævi scriptoribus. — d Ante annum 857, quo hanc partem Jutiæ [illegible] ubi plura de Ripa [illegible]. — e [illegible] Rembertus [illegible] S. Rembertus [illegible]. — f [illegible] Anfridum. — g [illegible] S. Rembertus Episcopus [illegible]

*clocca.*

## CAPUT XV

*S. Anscharii pœnitentiæ, preces, eleemosynæ.*

Sane quia de legationis ejus caussa et cura, qua alios servare cupiebat, multa jam diximus; qualis in semetipso, et pro salute propriæ animæ extiterit,

A rit, qualiterque corpus suum afflixerit, jam nunc tempus est enarrandi. Qualis namque apud vos in monasterio, in omni devotionis suæ studio, effulserit, vobis optime est compertum; tamen, ut auditum habemus, ipse adolescens et juvenis senibus et grandævis mirandus videbatur et imitandus. *S. Anscharius et monachus et Episcopus,* Jam vero sumpto apud nos episcopatu, hoc omnino, quod in monasterio inchoaverat, modis omnibus augmentare, et vitam omnium Sanctorum imitari studuit, specialius tamen B. Martini. Cilicio namque ad carnem non solum in die, sed etiam in nocte usus est; *cilicio induitur,* et magnopere populis verbum Domini prædicando studebat prodesse: interdum tamen, ut semetipsum in divina exerceret philosophia, in solitudine manebat; ad quod opus cellam aptam sibi constructam habebat, quam appellabat Quietum locum, et amicum mœrori. *amat solitudinem,* Ubi cum paucis demoratus, quotiescumque a predicatione et Ecclesiasticis offliciis, ab inquietudine Paganorum liber esse poterat, habitavit: ita tamen, ut numquam proprium commodum et solitudinis amorem gregis sibi commissi præponeret utilitati.

58 Porro quousque juventutis aliquatenus potitus est robore, persæpe panem in pondere et aquam in mensura sumebat; maxime quamdiu solitudine ei B uti licitum erat; quo tempore, non modice, ut ipse affirmabat, a spiritu tantatus est cenodoxiæ. *parcus in victu,* Studebat namque inimicus humani generis, peste jam dicta animam illius inficere, et magnus ipse oculis suis videbatur, quia taliter abstineret. Qua de re tristis factus, et ad Domini pietatem in oratione conversus, postulabat, ut sua eum gratia ab hac perniciosissima impietate liberaret, quod et factum est. *contra vanam gloriam pugnat,* Cumque pro hac re sollicitius intentus esset precibus, quadam nocte sopori deditus, vidit se quasi usque in cœlum rapi, totum seculum ac si in teterrimam vallem collectum; ex quo tamen et Beatorum animæ, licet raro, Angelico ministerio rapiebantur, et ducebantur in cœlum; in qua videlicet tenebrosa valle, ostensum est ei etiam quasi sementinum quoddam, ex quo genus humanum ducit originem. Cumque hæc omnia admirans et horrescens aspiceret, jussus est ut attenderet, quo initio in hanc vitam veniret; ac dictum est: Unde, inquit, homini ulla jactantia esse poterit, qui de tam vili origine in convalle lacrymarum procreatus sit, *cœlesti ostento animatus,* et quidquid boni habuerit, non a se, sed ab eo, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, acceperit? Si igitur ulterius, inquit, ab C ulla tentatus fueris cenodoxiæ peste, istud in mentem memorare, unde progenitus sis, et cum Dei gratia liberaberis. Quod ita et factum est. Jam vero postquam senuit, non adeo potuit de cibo abstinere; potus tamen ei semper aqua fuit; nisi quod propter vanam gloriam vitandam magis, quam aliquam suavitatem capiendam, aliquantulum ipsi aquæ quam bibiturus erat, de potu admisceret. Quia tamen in senectute sua solita nequivit uti parcimonia, studuit hoc eleemosynis et orationibus, multisque aliis bonis compensare. *capt[illegible] redimit* Hujus rei gratia multos redemit captivos, quibus libertatem dedit; nonnullos tamen eorum ad Dei servitium educandos, litteris divinis instruere jussit.

59 Porro ad devotionem sibi in Dei amore accendendam quam studiosus fuerit, testantur codices magni apud nos, quos ipse propria manu per notas conscripsit, qui solummodo illa continere noscuntur, quæ *[illegible]* ad laudem omnipotentis Dei pertinent, et ad peccatorum redargutionem, ad laudem quoque beatæ et æternæ vitæ, et terrorem gehennæ, et quidquid ad compunctionem pertinet, et lamentum. Testes sunt et Fratres, apud nos et in nova Corbeia degentes, quos pro hoc opere frequenter postulavit; quique illi nonnulla hujuscemodi conscripta miserunt. Sed D nunquam illi sat esse poterat, quin omnem vitam suam in luctu et lacrymis exigere vellet. *AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS.* Nam licet illi compunctio cordis frequenter lacrymas excitaret, *studet compunctioni* non tamen ei unquam sufficientes videbantur, nisi quod in ultimo ætatis suæ anno hanc gratiam diu quæsitam, Domino largiente, promeruit, ut quotiescumque vellet ploraret. Denique ex ipsis compunctivis rebus, ex sacra Scriptura sumptis, per omnes psalmos propriam aptavit oratiunculam; *preculas sibi ad hoc concinnat,* quod ipse pigmenta vocitare solebat; ut ei psalmi hac de caussa dulcescerent; in quibus videlicet pigmentis, non punctionem verborum curabat, sed compunctionem cordis tantum quærebat; in quibus pigmentis aliquando Dei laudat omnipotentiam, et judicium; aliquando semetipsum vituperat; aliquando Sanctos, qui Deo obediunt, beatificat, aliquando miseros et peccatores luget, quibus omnibus semetipsum semper deteriorem, dicebat; quæ tamen, aliis canentibus cum eo, finito psalmo, ipse solus tacitus ruminare solebat. Nec ulli ea manifestare volebat; quidam tamen nostrum, qui ei familiarissimus erat, magna vi precum vix obtinuit ab eo, ut ei ipsa pigmenta sicut ille cantare solitus erat, dictaret. Quæ tamen ipse conscripta vivente eo nemini innotuit, sed post obitum ejus quibusque legere volentibus E exhibuit.

60 Inter psalmos autem cantandum frequenter etiam manibus operari solebat; nam his temporibus rete operabatur. De ipsis vero psalmis dispositum habuit, *Psalmos per tempora disponit,* quos in die, quos in nocte cantaret; quos dum se ad Missam præparabat cantaret; quos dum discalceatus ad lectum ire volebat. Mane autem semper quando se calceabat, et lavabat manus, Litanias cantabat, et sic ad ecclesiam profectus, tres aut quatuor Missas celebrari faciebat, ipse astans et officium agens; statuto tamen legitimo tempore in die publicam Missam, nisi aliqua ei incommoditas accidisset, ipse cantabat. *Missas audit, celebrat,*

61 In eleemosynis vero dandis, quam ipse liberalissimus fuerit, quis enarrare poterit, cum omnia quæ habebat in Domini voluntate necessitatem patientibus subministrare cupiebat? *eleemosynis juvat pauperes,* Ubicumque enim aliquem in necessitate positum sciebat, ex quanto poterat eum adjuvare satagebat. Et non solum in propria parochia, sed etiam in longinquis regionibus positis subsidium sui adjutorii ministrabat; specialius tamen *a* hospitale pauperum in Brema constitutum habebat, ad quod decimas de nonnullis villis disposuit, ut ibi cum quotidiana susceptione pauperum ægroti recrearentur. F Per omnem episcopatum suum decimas animalium et omnium redituum, decimasque decimarum, quæ ad eum pertinebant, in pauperum expensionem distribuebat: et quidquid argenti vel cujuslibet census illi proveniebat, in usus indigentium decimabat. Insuper in quinto anno omnium animalium, licet antea decimata fuerint, ad eleemosynarum dationem, iterum ex integro decimationem faciebat. De argento etiam, quod ad Ecclesias in monasteriis veniebat, quartam partem ad hoc ipsum destinabat. *pupillos, viduas, anachoretas,* Curam ergo pupillorum et viduarum maximam semper habebat, et ubicumque anachoretas esse sciebat, sive viros, sive feminas, frequentibus visitationibus et donis ipsos in Dei servitio confortabat, et necessariis subsidiis adjuvare studebat. Habebat quoque in zona propria semper sacculum cum nummis, ut, si quando egens veniret, et dispensator eleemosynæ suæ deesset, ipse sine mora, quod daret, haberet. Studebat enim illud Beati Job dictum per omnia implere, ut nec saltem oculos viduæ aliquando expectare faceret: Sicque et oculus *Job. 31. 16* cæco et pes claudo et pater pauperum omnino esse studebat. In quadragesimæ vero tempore quatuor pauperes

A pauperes quotidie in Brema ad escam suscipi jubebat, duos scilicet viros et duas fœminas, et viris quidem ipse cum Fratribus pedes lavabat; fœminis autem in prædicto hospitali pauperum, vice illius, quædam Deo sacrata, quam ipse in Dei voluntate et religionis amore probatam habebat. Denique cum parochias more episcopali circuiret, antequam ipse ad convivium accederet, pauperes præcipiebat introduci; quibus aquam etiam ad manus lavandas exhibebat, et eulogiis datis miscebat, et mensa ante ipsos posita, sic demum ad convivium suum cum hospitibus accedebat. Et ut misericordiæ ac pietatis ejus viscera exemplis approbemus, vidimus quondam, cum inter multos alios cujusdam viduæ filium in longinqua regione captivum abductum, in Sueonum videlicet, pretio redemptum, ipse secum ad propriam reduxisset; et cum ipsum mater sua gaudens videret reversum (sicuti mos est fœminarum) præ gaudio in conspectu ejus astans lacrymata fuisset; ipse quoque Episcopus compunctus non minus flere cœperit, statimque filium ipsum viduæ libertate donatum matri reddidit, domumque gaudentes ire permisit.

*AUCTORE S. REMBERTO, EX MSS. eorum pedes lavat; captivum redemptum matri flenti flens reddit.*

*a* I. e. ea hospitali Capitulum dein Canonicorum fuisse erectum, templo S. Anschario dicato ante diximus.

B

## CAPUT XVI.

### *Illustrationes divinæ. Miracula.*

*Phil. 3, 20. Revelatione divina futura cognoscit;*

Et quia conversatio ejus, secundum B. Paulum Apostolum, semper erat in cœlo, nonnumquam ipse cœlestibus revelationibus, sicuti jam præfati sumus, licet multa omiserimus, illustrabatur interim, ita ut fere omnia, quæ ei proventura erant, antea semper, sive per somnium, sive per intimam revelationem in mente, sive per excessum, ipsi cognita fierent. Nam quod diximus fieri in mente, hujusmodi esse putamus, sicut in Actibus Apostolorum legitur: Dixit, inquit, spiritus Philippo. Ad omnia enim, quæ forte præcipua definire debebat, spatium cogitandi habere volebat, et nihil temere disponebat, antequam gratia Dei illustratus, ipse in mente sua sentiret quid melius esset; sicque superna visitatione certificatus in mente, sine cunctatione quæ agenda erant disponebat. Porro ea quæ per somnium videbat, sicuti jam superius multa comprehensa sunt, tam vera erant, ut numquam ea cassata reminiscamur. Nam, ad probationem hujus rei omissa referamus, antequam ad Bremensem invitaretur Ecclesiam, quadam nocte visum est ei, quod venisset in quam- C dam regionem amœnissimam, in qua invenit B. Petrum Apostolum; cumque illum admiraretur, venerunt quidam homines petentes, ut ipse, Beatus videlicet Petrus, eis Pastorem et Doctorem destinare deberet. Quibus cum ille respondisset: Hic est, quem debetis habere Pastorem, Dominum Episcopum coram se stantem proponens. Visum est ipsi quod terræ motus fieret magnus, et ipse in terram cecidisset, et quod venisset vox super eum, et magna suavitas in mente, unctio videlicet Spiritus sancti, ita ut se quasi innovatum sentiret in gratia Christi. Vox vero quæ venit quasi benedictionem super eum fudit. Posthæc iterum, sicut ipsi videbatur, jam dicti viri admonuerunt Apostolum, quo eis Doctorem quemlibet destinaret (contrarii enim esse videbantur iis, quæ ille eis ante proposuerat); quibus ille quasi indignando respondit: Nonne dixi vobis, quia hic esse deberet, qui in præsentiarum stat, quid dubitastis? Nonne audistis vocem super eum Spiritus sancti ad hoc delapsam, ut eum vobis consecraret Pastorem? Quo dicto, somno expergefactus. Quod triennio ante viderat quam ad Bremensem regendam invitaretur Ecclesiam, certus omnino factus est, quod alicubi in nomine Domini ire deberet, sed quo, nesciebat. Postquam vero regio jussu ad Bremensem Ecclesiam venit, et eam in honore S. Petri consecratam didicit, et nonnullos quoque ibi invenit, qui eum non libenti reciperent animo, recordatus est visionis suæ, hacque de caussa consensit, ut illam regendam susciperet diœcesim. Nam aliter numquam se hoc facere voluisse, attestando dicebat.

*Act. 8, 29. in visione agnoscit a S. Petro se Pastorem et Doctorem datum* D *Bremensibus;*

63 Eo quoque tempore quando cellam prædictam Turholt habuerat, quoniam omnis ei cura de vocatione Gentium erat, ut eis in sua legatione prodesse potuisset, nonnullos pueros, ex Northmannis vel Sclavis emptos, in eadem cella, caussa discendi, ad sacram militiam nutriendos *a* posuerat. Quorum quosdam prædictus Reginarius, quando illi cella ipsa *b* data est, inde abstulit, et ad suum servitium misit. Qua de caussa cum nimium esset domnus Episcopus anxiatus, post paullulum visum est illi, quod venisset in quamdam domum, invenissetque ibi et venerandum Regem Carolum et ipsum Reginarium, Quos ipse, ut ei videbatur, de iisdem pueris increpavit, asserens quod eos ad Dei omnipotentis servitium nutrire disposuerat, non ut Reginario servirent. Quo dicto, visum est ei, quod idem Reginarius levato pede suo ad os calcitraret Domni Episcopi. Denique hoc facto, mox visum est ei, quod Jesus Christus prope eum adstaret, diceretque Regi præfato pariter et Reginario: Cur, inquit, hic hominem vos tam turpiter dehonestatis? Scitote, quia iste Dominum habet, et vos de hac caussa non eritis inmulctati. Quo dicto ipsi exterriti facti conturbati sunt; Domnus vero Episcopus evigilavit. Quod illi ostensum quam verum fuerit, testatur ultio Divina, quæ super ipsum venit Reginarium. Nam non multo post iram Regis meruit, et cellam ipsam una cum omnibus, quæ ex parte Regis habebat, perdidit, nec ulterius in gratiam pristinam redire potuit.

*prævidet ob Turholtam ablatam* *a* *b* E *Comitem Reginarium puniendum;*

64 Verum de pastorali ejus gratia, qualis quantaque exstiterit, præterisse ni videamur; in illo certe probavimus, quam verum sit, quod B. Gregorius in figura pastorum; qui in nativitate Domini super gregem suum vigilabant, de Pastoribus Ecclesiæ dixit: Quid est, inquit, hoc, quod vigilantibus pastoribus Angelus apparuit, eosque Dei claritas circumfulsit, nisi quod illi præ ceteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse sollicite sciunt? Dumque ipsi pie super gregem vigilant, Divina super eos gratia largius coruscat. In omni enim actione illius gratiam Dei cum eo comitasse multis experimentis probavimus. Nam quod ipse gregis sui custodia sollicitus, multa sublimia videre promeruit, F et in mente superna frequentius visitatione inspiratus sit, superius jam in multis comprehensum ostendimus. Denique etiam exterius gratia Dei in eo largius coruscante, sermo quoque prædicationis illius multa suavitate perfusus, partim erat horribilis, ut certo probaretur indicio, infusione spirituali verba ejus moderari; in quo miscens terroribus blandimenta, vim Divini prætenderet judicii, in quo veniens Dominus terribilis peccatoribus, et blandus apparebit justis. Hac quippe gratia in verbis et vultu admirandus erat; ita ut eum potentes et divites, maxime tamen contumaces et protervi terribilem attenderent, mediocres vero quasi fratrem complecterentur, pauperes autem quasi patrem piissimo venerarentur affectu.

*ob sollicitudinem pastoralem erga subditos* Homilia 8 in Evang. *gratia Dei excitatur,* *in verbis suavis, et gravis.*

65 Porro licet signa virtutum, velut instrumenta jactantiæ, caute fugeret, tamen eo non quærente et hæc ipsa non deerant; quod evidenti probatum est indicio, quia scilicet mandatum Domini ex ore illius in irritum prolatum non cessit. Nam cum quodam tempore in Frisia, in pago, Ostergao, in die Dominica prædicaret populo, et inter alia prohiberet, ne quis in die festo opus servile exerceret, quidam illorum,

*c* *Contra monitum ejus*

A illorum, ut sunt contumaces et stolidi, domum reversi, quia serenus erat aer, in pratum euntes, collecto fœno acervos fecerunt. Quibus factis advesperascente die omnes illi acervi, qui eadem die facti fuerant, divinitus igni consumpti sunt, illæsis illis permanentibus qui in anterioribus diebus in medio præparati constabant. Quo facto populi in circuitu manentes, fumum a longe cernentes, hostes adesse putantes, timuerunt valde : sed diligentius rei veritatem perscrutantes, contumaciam nonnullorum probaverunt esse mulctatam.

*fœnum die festo collectum igne cælesti ardet.*

66 Nec silendum arbitramur, quia, cum quodam tempore gens Nordalbingorum plurimum deliquisset, quorum delictum hujusmodi erat, videlicet cum nonnulli miseri captivi de Christianis, qui apud barbaros affligebantur, inde effugerent, et ad Christianos venirent ad prædictos Nordalbingos, qui proximi noscuntur esse Paganis, ipsi eos capiebant, et in vinculis ponebant ; quorum alios iterum Paganis vendebant, alios suo mancipabant servitio, aut aliis Christianis venumdabant. Cum igitur hoc Domno innotuisset Episcopo, et de hac re nimium anxius esset, quod in sua diœcesi tantum nefas contigisset, sed qualiter id emendari potuisset, non satis ratione colligebat : quoniam in hoc nefandissimo scelere B erant plurimi irretiti, qui potentes apud eos et nobiles habebantur. Denique cum de hac re nimium esset anxius, quadam nocte Divina ei apparuit consolatio. Videbatur namque illi, quod Dominus Jesus esset in præsenti seculo, sicut olim fuit, quando suæ præsentiæ doctrinam et exempla populis prædicabat ; visumque est ei, quod esset cum multitudine fidelium, et quod ipse Domnus Episcopus cum eo in eodem esset itinere lætus et gaudens; ut ipsi videbatur, erat in omnibus contumacibus terror divinitus illatus, et ereptio fiebat oppressorum, et quies magna in omnibus ; ita ut nihil contrarietatis in ipso videretur esse itinere. Post hanc itaque visionem confirmatus, ad prædictum populum suum ipse paravit profectionem, ea videlicet voluntate, ut et miseros, qui irrationabiliter servituti addicti fuerant et venditi, quoque pacto liberaret: et, ne in posterum aliquis tantum malum committere auderet, cum Domini gratia prohiberet. In qua profectione tantam illi Dominus gratiam concessit, tantumque auctoritatis ejus contumacibus terrorem incussit, ut, licet essent nobiles et male potentes, nullus tamen illorum suo imperio auderet contradicere : sed quærebantur miseri, ubicumque venditi fuerant, et donati liber- C tate, dimittebantur ; ut irent quocumque vellent. Insuper, ne ulla fraus in futurum pro eadem re obtenderetur, conventionem talem fecerunt, ut non juramento nec testibus se ullus eorum, qui in prædicta rapacitate maculati fuerant, defenderet; sed judicio omnipotentis Dei se committeret aut ipse, qui pro tali scelere impetebatur, aut certe captivus quem alius impetebat. Hoc ergo facto, in ipso itinere Dominus veraciter exhibuit, quod fidelibus pollicitus est, dicens : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Tanta prosperitate et gaudio iter illud perfecit, ut quidam cum eo comitantes dicerent, numquam se in vita sua tam bonum et tam suave iter egisse.

*Christiani a Nordalbingis capti,*

*ab eo, visione cælesti recreato,*

*liberantur.*

Matth. 28. 20.

67 Quanti vero oratione illius et unctione olei sanati sunt, enumerare non possumus. Hoc enim multorum assertione comperto, certatim ad eum non solum de ipsius diœcesi, sed etiam de longinquo venire solebant ægrotantes, medicinam ab eo salutis poscentes. Ipse tamen hæc omnia semper occultari maluit, quam vulgari. Nempe cum de hujusmodi virtutum signis aliquando coram eo fieret sermo, ipse cuidam suo dixit familiari : Si dignus essem apud Deum meum, rogarem quatenus unum mihi concederet signum, videlicet ut de me sua gratia faceret bonum hominem. D

*Oleo sacro sanitas recepta.*

AUCTORE S. RIMBERTO, EX MSS.

a Anno 837 S. Anscharium profectum fuisse Torholtum scribit Stadensis in Chronico: meminit ejusdem itineris Adamus. — b Circa annum 844. de Regnario supra egimus. c Osterga, Asterga, Ostringia, Ostergaus pagus in Comitatu Embdano, de quo supra actum.

## CAPUT VIII.

### *Morbus, obitus, sepultura.* *

Præterea cum talis ei esset vita, in infirmitate tamen corporis proprii pene assidue laborabat, omnis quippe vita ejus fere martyrium fuit. Quippe in laboribus plurimis infra diœcesim propriam, propter incursiones et deprædationes barbarorum, necnon et contradictiones malignantium, insuper, et cruciatione propria, quam sibi ipse in corpore suo pro amore Christi numquam cessavit inducere. Sed quid facimus, qui post tot dulcia et salubria, illud cogimur referre, quod sine nostro luctu non valemus explicare? Nam ætatis suæ anno sexagesimo quarto, Episcopatus vero trigesimo quarto, gravi cœpit corporis morbo laborare, dysenteria scilicet jugi, qua, cum per multos dies, mensibus videlicet quatuor et amplius, acriter laboraret, et se ad mortem urgeri sentiret, semper Deo gratias agebat, mi- E noremque ipsum laborem esse dicebat, quam sua mereretur iniquitas; illud Beati Job sæpius decantans : Si bona suscepimus de manu Dei, quare mala non suscipiamus? Tamen se propter supradictas visiones martyrio potius quam tali infirmitate credebat consummari, tristis admodum factus, sibimetipsi et peccatis suis cœpit reputare, quod quasi spe certissima, sua esset culpa defraudatus ; illudque Psalmi sæpius decantans : Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Quem videlicet mœrorem cum suo fidelissimo a discipulo, qui ei conscius, querendo revelaret, et cum ipse consolari intentius studuisset, dicens, quod non ei promissum fuisset, ut gladio trucidaretur, aut igne cremaretur, aut in aqua necaretur; sed ut cum corona martyrii ad Dominum venire deberet, nullatenus tamen consolationem recipere potuit. Denique cum sæpius de eadem re cum discipulo suo, qui ei conscius pene in omnibus fuit, colloqueretur; et summopere ipsum consolari voluisset, ad memoriam ejus revocare studens, quantam in Dei servitio sustinuerit quantamque corporis sui pertulerit molestiam, et quod etiam ipsa infirmitas novissima gravis nimium et diuturna, et satis ipsi pro martyrio reputari potuisset; ipse F tamen nullo modo consolationem recipiens, sed in supradicto manebat mœrore.

*Martyr tota vita,*

*æger dysenteria,*

Job 3. 10.

*ob vitam martyrio non consummandam tristis,*

Psal. 118. 137.

*a*

*animatur a S. Remberto,*

69 Unde factum est, ut Dominus servum suum, non jam ut prius per somnium, sed apertius consolari dignatus sit ; quatenus tanto mœrori suæ gratiæ præstaret remedium. Nam, cum quadam die ad Missam in oratorio consistens, pro hoc ipso nimium sollicitus esset, subito in excessum mentis raptus, audivit vocem quasi vigilans, quæ ipsum vehementer increpabat, quod nullatenus de Dei promissione dubitare debuisset, quasi aliqua iniquitas Dei potuisset pietatem vincere. Firmissime crede, inquit, et nullatenus dubites, quia utrumque tibi Deus sua gratia faciet, id est, et peccata dimittet, pro quibus modo sollicitus es, et omnia quæ promisit implebit. Qua consolatione suscepta, ipse quoque consolabatur semetipsum ; et exinde sollicitius quæque in diœcesi sua procurando cœpit disponere. Insuper privilegia Apostolicæ Sedis, quæ erant de legatione ejus facta, in multis libellis jussit describere, et per omnes pene Domni Ludovici Regis Episcopos destinare. Ipsi quoque Regi Ludovico, filioque ejus æquivoco, hoc ipsum dirigens, addens et sui nominis

*voce cælesti admonitus*

*Conversionem Gentium Episcopis et Regibus commendat.*

A nis litteras, quibus postulavit, ut hæc in memoriam haberent, simul etiam, prout dictaret res, adjutorio essent, quatenus legatio ipsa, Dei auxiliante gratia, et ipsis adjuvantibus, fructificare et crescere in Gentibus potuisset.

*AU TOME S. REMBERTO, EX MSS.*

70 Porro cum jam per tres menses continuos, prædicta laboraret infirmitate, et Epiphania Domini transisset, optare cœpit, quatenus eum in purificatione sanctæ Mariæ ad Domini gratiam transire liceret. Qua ergo festivitate appropinquante præcepit Clero et pauperibus convivium præparare, ut in ipso sanctissimo die epularentur. Jussit etiam, ut tres fierent cerei magni ex sua speciali cera. Quibus factis, in ipsa vigilia prædictæ festivitatis fecit eos ante se ferri, et unum ante altare S. Mariæ accendere præcepit, alterum vero ante altare S. Petri, tertium ante altare S. Joannis Baptistæ, optans ut ipsi eum de corpore susciperent egredientem, qui in supradicta visione olim ejus fuerant ductores. Ceterum prædicta infirmitate ita erat fatigatus et attritus, ut pene jam in corpore ejus nihil remaneret, exceptis ossibus, nervis ligatis et corio tectis. Attamen ipse semper in Domini laude se exercebat. Illucescente vero jam dictæ festivitatis die, pro eo Missas sicut quotidie soliti fuerant, cuncti qui adfuere Sacerdotes, ce-

*In Purificatione B. Mariæ*

*tres cereos accendi curat,*

B lebrarunt. Ipse vero ordinare cœpit, qualiter ad populum fieret sermo, asserens se nihil eodem die gustaturum, donec publica finiretur Missa. Qua finita cum paululum comedisset et bibisset, per omnem diem studiosius suos commonere, et ad Domini servitium accendere studuit, nunc communiter, nunc sigillatim quemque, prout poterat, ad Divinum animans servitium ; maxime tamen ejus cura et sollicitudo fuit de sua legatione ad Gentes. Noctem quoque sequentem in talibus admonitionibus perduxit continuam.

*ultimo suos monet.*

71 Fratres vero, qui aderant, cum litaniam facerent, et psalmos ex more pro ejus exitu decantarent, admonuit ipse, ut etiam hymnum ad laudem Dei compositum, id est, Te Deum laudamus, pariter cantarent, fidem quoque Catholicam a B. Athanasio compositam. Mane vero facto, omnibus qui aderant Sacerdotibus, sacra solennia Missarum pro eo celebrantibus, Dominici corporis et sanguinis communione percepta, elevatis manibus precabatur, ut, quidquid in eum quoquo modo peccasset, Divina ei hoc pietas dimitteret. Deinde versiculos istos cœpit frequentius repetere : Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.

*moriturus per ... Te Deum laudamus, symbolum S. Athanasii*

*communicat*

C Et : Deus, propitius esto mihi peccatori. Et : In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Cum hæc ipse sæpius repeteret, et frequenti anhelitu jam ea frequentare non valeret, eidem Fratri præcepit, ut hæc eadem vice illius frequentando cantaret, sicque oculis in cœlum intentis, Domini gratiæ commendatum spiritum exhalavit. *b*

*moritur ... b*

72 Cujus corpore ex more curato, feretroque imposito, cum ad ecclesiam deferretur, iterari visus est luctus omnium, et vox una plangentium, maxime tamen Clericorum, orphanorum, viduarum, pupillorum et indigentium. Quamvis enim de illius salute non sit dubitandum, quis Religiosorum aut fidelium se a fletu continere poterit, cum ille nos desolatos reliquerit, in quo solo pene omnium antiquorum vigebant exempla Sanctorum? Siquidem, ut ab ipso electorum omnium capite incipiamus, Christum inopem inops ipsi secutus est, cum Apostolis omnia dereliquit, et cum S. Joanne Baptista primævum tempus a turbarum frequentia remotum ducens, monasteria solitudinem expetiit ; videlicet cum temporis processu quotidiano profectu excrevisset, et de virtute in virtutem ivisset, vas electionis ad portandum Christi nomen coram gentibus, cum beato

*... planctus.*

*Imitator fuit Christi, et Apostolorum,*

Apostolo Paulo, deputatus ; pascendarum Christi D ovium postmodum curam, cum Principe Apostolorum Petro, suscepit ; in quo regimine qualem se quantumque exhibuerit, hoc vel maxime probare videtur, quod inter cœlum et terram medius, inter Deum et proximum sequester, nunc Divinæ visioni et cœlestibus revelationibus intererat, nunc commissorum sibi actus et vitam disponebat, ad quas active et contemplative geminas alas ideo ipse sufficiebat, quia cum mundicordes soli, juxta Evangeliorum fidem, Dominum credantur visuri, ipse virgo ab eo Matth. 5. 8. electus, cum sancto et Apostolo et Evangelista Joanne, et mente et corpore virgo in ævum permansit. Et tanta insuper ad cunctos caritate tenebatur, ut cum beato Protomartyre Stephano etiam oraret pro suis persecutoribus. O vere beatum et omni laudis præconio dignissimum virum, quem talem ac tantum imitari, quem solum plurimorum, tot simul habere virtutes contigit! Qui mente sanctus, et corpore castus, cum Virginibus, Agnum, quocumque ierit, sequetur ; qui semper in confessione Christi perseverans, gloriosum admodum inter Confessores locum habebit ; qui in sublimi illa cum Apostolis Judicum sede in regeneratione sessurus est, ac mundum, quem contempserat, judicaturus, et cum Martyribus justitiæ coronam et palmam martyrii E adepturus!

*et reliquorum Sanctorum :*

73 Martyrii duo genera esse constat, unum in pace Ecclesiæ occultum, alterum persecutionis articulo ingruente manifestum : utrumque voluntate tenuit, ad alterum effectu pervenit. Quia enim quotidie semper lacrymas, vigilias, jejunia, carnis macerationem, et desideriorum carnalium mortificationem in ara cordis Deo mactabat, martyrium profecto, quod pacis tempore non potuit, voto consecutus est. Quia vero ad apertum corporis martyrium persecutoris sibi animus non defuit, quod opere minus potuit, voluntate adeptus est. Quamvis hoc quoque martyrium opere eum habuisse omnino negare nequeamus, si tantos ejus pro Domino labores, juxta Apostolum, attendamus, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus ; in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate ; præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia ejus quotidiana sollicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmabatur, et ipse non infirmabatur? Quis scandalizabatur, et ipse non urebatur? Qui ergo tot ac tantis est pro F Domino et corporis adversitatibus et animi æstibus excoctus, quomodo Martyr esse jure negabitur? Nam si sola vitæ per gladium terminata martyrio deputaretur, nequaquam sanctum Evangelistam Joannem calicem suum Dominus bibiturum esse testaretur, quem nunquam vitam martyrio finivisse scimus. Proinde si illum juxta Dominicam sententiam inter Martyrum numerum adscribendum esse non dubitamus, de eo quoque, quem prænotavimus, sancto plane ac beato admodum viro, omnino ambigere non debemus. Martyr enim fuit, quia juxta Apostolum et ipsi Galat. 6. 14 mundus et ille mundo crucifixus erat. Martyr fuit, quia inter diaboli tentamenta, inter carnis illecebras inter persequentes Paganos, inter obsistentes Christianos semper imperterritus, et immobilis, et invictus in Christi confessione usque ad exitum vitæ permansit. Martyr fuit, quia cum Μάρτυς testis dicatur, ipse Divini semper verbi et Christiferi nominis extitit testis. Quia in re nemo miretur eum ad hoc, quod summo ipse desiderio optabat, et sibi repromissum putabat martyrium non pervenisse, quia nec hoc sibi pollicitum juxta hujus nominis interpretationem probatur. Et certe poterat in accepto corporis martyrio

*Martyr voto et voluntate,*

*quoduo opere, 2 Corint. 11. 26 etc.*

*... S. Joannis Evangelistæ.*

A tyrio aliqua forte suæ menti elatio subrepere : quod ut caveretur hoc Divina prudentia et spopondit et concessit; videlicet ut meritis suis nihil minueretur, et humilitati, quæ omnium est custos virtutum, provideretur.

*ejus virtutes imitandæ.* 74 Quocirca, quia jam ex his, quæ superius commemoravimus, claret, quantæ vir iste sanctitatis, quanti apud Deum meriti fuerit restat, ut, sicut ipse Christi imitator in omnibus fuit, sic nos quoque ejus imitatores esse studeamus. Sic quippe fieri quibit, ut et ipse semper usque ad consummationem seculi nobiscum vivere possit in terris, et nos post præsentis vitæ transcursum cum eo in cœlis vivere mereamur. Vivet namque nobiscum in terris, si eum vitæ sanctitas et doctrinæ recordatio nobis repræsentat : vivemus nos cum ipso in cœlis, si ejus exempla sequentes, ad eum semper toto desiderio, et tota virtute tendamus, ad quem nos ille præcessit, Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

a *Hunc fuisse S. Rembertum scriptorem hujus Vitæ probarimus* § 3. — b *Reliqua desunt in MS. Hamburgensi apud Philippum Cæsarem et in MS. Rudecensi. Hujus loco nonnulla Crantzio subjungebantur, quæ Chronologiam concernebant.*

B

ANIMAD. PAG. 49.

# ALIA VITA METRICA

Auctore Gualdone monacho Corbeiæ Veteris,

*Ex MS. Parisiensi monasterii S. Germani de Pratis.*

## a PROLOGUS AUCTORIS.

a

b Principium *b* libri lacrymas babet : Acta notandum
Dulce tuis, Alberte, decus, jubar igne vaporum,
Ecclesiæ turris, regni diadema decorum,
Gloria Pontificum, Regum venerabile numen.
Quod tibi mater init, Corbeia, sume volumen.
Id tamen ante tui sibi direxere priores,
Sed non illa suos acuit scriptura tenores.
Per planum discurrit iter sermone pedestri :
Non semper tumulos moderamine flectit equestri.
Scanditur hæc senis pedibus, modulante Thalia,
Quam petimus, ne vestra velit reprobare sophia.
Hæc pro pignoribus collatis dona rependit,
Cujus ab uberibus felix puer ille pependit,
*Laus Corbeiæ Francicæ,* Qui lac salvificum Scythico stillavit in orbe,
Primus et in vestra surrexit Episcopus urbe.
C Quam speciosa fuit tua, mater sancta, juventus,
Cujus adhuc vernat jam canis sparsa senectus !
Qualis erat, cum Regis opes Adalardus et aulas
Respuit, atque tuas albo cum vellere caulas
*S. Radberti,* Ingrediens, primoque gradu surrexit ab uno !
c Hic tibi *c* Radbertum genuit; sapientia cujus
Guttura ditavit, dociles ingressa recessus,
Contra Catholicos ne sibilet impius anguis.
Verus in altari Christi de corpore sanguis
Stillat, et occisi pro mundo carnibus Agni
Vescimur in terra per quod revocamur ad astra :
Fitque per hoc epulum Domini mens nostra sepulchrum
Hanc Scriptura fidem tenuit, quam condidit idem
Matris Corbeiæ Rector Paschasius ipse,
Tertius a primo decimus, sed quartus ab ipso,
d Qui dedit *d* Ausoniis leges et fœdus in armis,
*Adalardi,* Regni præsidium, lux mundi, gloria Regum,
Et Pater, et custos, Adalardus nobilis Heros.
*et Anscharii,* Hic tuus, Anschari, bonitate Magister in omni
Extitit, hoc dulces hausisti fonte liquores,
Queis irrorasti Sclavos, Danosque rigasti :
His aquilone rigens, corisque minalibus arens,
Tota madet guttis, fœcundaque fruge salutis,
Erroris lolium contrivit humus Sueonum :



Invia terrarum rivis potantur aquarum. D
*Auctore Gualdone, ex MSS.* Stagnat enim fluviis eremus, prius usta pruinis;
Per deserta rubent incultis sentibus uvæ,
Cum jugiter redolet lignum felicis olivæ :
Cedrus odora, comis abies, sublimis et ulmus
*illustri arborum et virgultorum paradigmate* Collibus incubuere : venustat humillima buxus.
Quæ nescit labi convalles fronde virenti.
Fontibus irriguis divini gratia roris,
Exprimitur, per quam reparatur languidus Adam,
Per torrentis aquas fidei doctrina redundans
Rite figuratur, eremi sitis unde rigatur.
Spina manum lacerat, Doctoris lingua cruentat
Cor delinquentis verbi mucrone potentis :
Quas Deus infundit, quas mens liquefacta refundit,
De lacrymis animæ, pendent in sentibus uvæ,
Contusi myrtus quæ corporis alligat artus,
Exprimit afflictis affectum compatientis.
Myrtus membra fovet; compassio tristia mulcet,
Pectore propellit curas, animumque reducit :
Et quid elemosynæ speciem nisi fructus olivæ
Innuit, hac flammas assumit ab arbore lampas.
Et dum diffusis opibus miseretur egenis,
Fructus elemosynæ, liquor ut redolentis olivæ,
Emicat ante Dei faciem splendore perenni.
Quæ cariem nescit, quæ nulla labe putrescit,
Quos virtus celebrat sua, cedrus odora figurat : E
Horum tota Dei domus halat odore suavi.
Qui meritis operum per signa potentia rerum
Christi pace vigent, nullaque putredine lucent,
Hirta comis abies sublimi vertice nubes
Excrescendo petit, cœlumque cacumine tangit :
Quis tenet hanc speciem, nisi qui trans æthera mentem
Vibrat, et in terris positus caput inserit astris?
Ulmus opacat humum per frondea brachia, fructum,
Non habet ipsa, tamen portat cum germine vitem :
Divitiis mentes ut frondibus exuberantes
Et mundi culmo portendi remur ab ulmo :
Sed quamvis terræ famulantes, germina ferre
Virtutum nequeunt, justis umbracula fiunt;
Quos dum sustentant botrum cum palmite portant.
Buxus nec fructum præfert, neque crescit in altum :
Est tamen hirtarum fœcunda virore comarum :
Imbecilla per hanc speciem protenditur ætas :
Quæ si cum fructu non tollit ad alta cacumen,
Sed tamen æternum fidei tenet ipsa virorem.
*indicat Danorum conversionem.* Quid virgulta per hæc discurrit sermo poetæ,
Quidve per excessum perstringit verba Prophetæ?
Rite sub arboribus typicum paradigma ciemus.
Namque per Anscharium Dominum plantasse videmus
In Danis hortum virtutis odore refertum. F
Cum cedro spinam, cum mirto sevit olivam :
Hæc fragrat, hæc pungit; micat hæc, ea membra c..
Nam redolet virtus, fit enim correctio clavus
Fit medicina dolens, miserans jubar, et liquor ungens;
Alta petens abies, ulmus frondosa, virescens
Buxus, ut accumulent horti, speciosa cohærent.
Hac Theoria videt, hac vitis ab arbore pendet,
Hac viret alma fides, quæ nec sub sidere cancri
Æstuat, biberno nec marcet frigore Tauri,
Ergo per Anscharium glacialis et invia tellus
Danorum, Domini frondescit uti Paradisus :
Occidit umbra nocens, feralis silva comantes
Ramos deposuit, luci cecidere vacantes,
Usibus errorum latebræ patuere magorum,
Excessit cultura deum polluta cruentis
Officiis : pecudum jam non furit augur in extis :
Omnis in Ecclesiæ populus Sacramenta cucurrit,
Reppulit omne nefas, Christo sua colla subegit.
Imperat in terris Deus, exulat invidus anguis.
At qui barbariem domuit, qui propulit hostem,
Signifer et Domini præcursor in urbe Bremensi
*Laus Alberti Archiep. Hamburgensis.* Transque Albim regnat, sed Gallica rura serenat,
Pignoribusque suis ditat cunabula matris,

 Unde,

*AUCTORE GUALDONE, EX MSS.*

A Unde, Pater, digne grates, Alberte, referre
Non tibi sufficimus; meditari quippe nequimus
Quid de te primum sit nobis commemorandum.
*f* Si genus occurrit, *f* Regum de sanguine prodit
Stirpis origo tuæ: sed nobilitatis opimæ
Fultus apex titulis, transcenditur indole mentis:
Præminet imperio ditione Hierarchicus ordo:
Altior officii gradus est diademate regni.
Quamvis per Regem conscendit honoris ad arcem,
Infula Pontificis plus est, quam purpura Regis.
Nil tibi detractum, nihil est, Alberte, negatum,
Gloria, nobilitas, species, decus, ampla facultas,
Progenies quæ prima putat mortalis, et ambit,
Omnia sufficiunt tibi, nil fortuna reliquit,
Quo possit uti, quo possit opinio tendi,
Quæ partim conferre solet natura quibusque,
Dona suæ cumulavit opis locupletius in te.
Corporis est habitudo decens, jocunda senectus,
Cor prudens, mens sancta, fluens dulcedine pectus,
Aspectu frons læta suo, vox blanda loquentis,
Gratior in sermone favi dulcore liquentis,
Affectu miseris pietas effusa benigno.
Larga manus, nulli vultu contracta retorto.
Ergo quid, almo Pater, reparati corporis Israel
Currus, et auriga, Christi libamen, et ara,
Tene levem dicam nubem, residemve columbam?
B Nil defraudabo tibi, nomen utrumque vocabo.
Dum terris eclens, animo cœlestibus hærens,
Abdita rimaris: hominum dum pectora guttis
Doctrinæ irroras, quasi nubes æthera tranas.
Cum vero refugis per turpia lucra rotari,
Nec cohibes oculos per devia quæque vagari:
Cum mitis, placidus, non exardescis in ira,
Ad propriam resides sine felle columba fenestram.
Hæc super urbs Romana tibi sacravit honorem,
Legatum terram quem fecit in ulteriorem
Sedis Apostolicæ, primoque Vicarius urbis:
Castra Dei metator habes in finibus orbis.
Sic tua majestas adeoque potentia crevit,
Ut rerum dominæ, quæ mundi regna subegit,
De solio Romæ confidat Episcopus in te;
Qui cœlos reserat, qui vincula cuncta resolvit,
Auspiciis, Patriarcha, tuis ad regmina surgit.
Ergo tuæ, petimus, memor esto senilis alumnæ.
*Illi Corbeiam commendat.* Ne titubet, sis turris ei roburque columnæ,
Qua nihil in terris fuit excellentius unquam.
*g* Extulit hanc *g* Bathildis humo Regina puellam,
*h* Fecit ei thalamum genitrix pulcherrima *h* Regum
*i* Pulchra subornavit gemmis *i* Simonique dicavit
C Cum thalamo sponsam; Petrus illi contulit arrham,
Libertatis opem, sibi ne manus æmula dotem
Auferret per vim, vel eam subverteret olim;
Nupta semel soli, post se non nuberet ulli:
*k* Nec sibi rivalis *k* Præsul foret Ambianensis,
Neve bonis sponsæ præsumeret improbus esse.
Talibus auspiciis centum quater hactenus annis,
Altrix Anscharii conjunx Corbeia Petri,
*l* Quamvis pertulerit discrimen libera mansit.
Verum quæ quondam viguit quasi libana cedrus,
Jam senio marcens dependet ut arida quercus.
Sed tamen hæret humo, nec turbine flectitur ullo.
Ergo manum prætende, libenter Episcopus urbis
Romanæ decernet ei, quodcunque rogabis.
Talem se lætetur anus genuisse nepotem;
Quo tutante suam conservet libera dotem.
Maternis laribus sacro de corpore pignus
Transmissum per te fœdus renovavit utrimque,
Quod Deus æternet nobis, omnique gubernet
Tempore, te, mortis Pater, eripiendo periclis.
Contra naturam quem compulit esse Poetam,
Gualdo tibi fidus, sanctissime Præsul, amicus.
Tu, ne forte scaber stylus, informisve character
Irruget nares doctas aut differat aures,
Corrige, transductis abolens errata lituris. D

*Titulus præfixus.* a *Præponebatur hic titulus postea potius adjunctus.* Vita S. Anscharii in Gallia monachi, Bremensis Archiepiscopi, Suevorum ceterorumque Septentrioni subjectorum populorum Apostoli, in easque regiones a latere Legati, incipit ad Albertum itidem post eum in easdem plagas prædicationis caussa horum populorum salutis desiderio transportatum. *Hæc ibi. Porro usus Ecclesiæ* *Legatus a latere.* *Romanæ* Legatos a latere *nuncupat solos Cardinales extra Curiam missos, ut post Albonum, Azorium, aliosque docet Barbosa, lib. 1. Juris universi Ecclesiastici cap. 4 sect. 67 aut certe si alius Papæ Officialis aut extraneus sit, hoc exprimi debere in litteris Legationis docet Andreas Barbatius Tractatu de Cardinalibus Legatis in Præludio sect. 3 De Adalberto seu Alberto Archiepiscopo Hamburgensi, Sueonibus seu Suecis, hic Suevis, et Archiepiscopis, tum necdum Bremensibus appellatis, ante egimus.* — b *Vox* libri *deerat, ad titulum talem* c. III. primi libri. *translata, licet in libros opus non dividatur.* — c *S. Paschasius Radbertus colitur* *S. Pascharii Radberti liber.* 26 *Aprilis Liber ejus de corpore et sanguine Christi exstat cum reliquis operibus a Sirmondo nostro erutis. Illius meminit S. Gerardus in Vita S. Adelardi 2 Janu. Ejus corpus miraculis clarum elevatum est a Widone Episcopo Ambianensi, tempore Gualdonis Poetæ.* — d Italiæ regnum, ejusque Regem Pipinum juniorem ad statum Reip. et ad religionis cultum, utiliter, juste atque *S. Adalardus Pipinum Regem informat.* discrete informavit S. Adalardus.. depositaque tyrannica potestate pacem Italis reddidit *ita S. Radbertus in ejus Vita cap. 5. Alludit Poeta ad libellum S. Adalardi de Ordine Palatii ab Hincmaro in Epistola de Regis institutione explicatum. Deest verbum* perungit, *aut simile.* — f *Adamo Bremensi dicitur lib. 3 cap. 3* genere nobilissimus *De eo supra actum et iterum IV Februarii* *Adalbertus Arch. Hamburg.* *§ 4 ad Vitam S. Remberti. Vir major fuisset, et aulæ dignitates fugisset, Et abblandiuntur Poeta, Adamus, Scriptores coævi.* — g *De S.* Bathilde *fundatrice Corbeiæ egimus* 26 Januarii. — h *Chlotharii III, Childerici II et Theoderici de quibus et S. Bathildis* *omnis actum* I *Februar. ad Vitam S. Sigeberti.* — i *S. Petro Apostolo, ad cujus honorem Corbeiam extructam diximus.*—k *Alludit ad privilegium libertatis monasterio Corbeiensi a Bertefrido Ambianensi Episcopo, anno VII Chlotharii III concessum, tomo I Conciliorum Galliæ.* —l *Ergo scripta hæc Vita anno circiter* 1065. E

## CAPUT I.

### *S. Ancharii pueritia, Tirocinium monasticum, Visiones.*

*Præsulis Anscharii tenet actus iste libellus:* Cap. I.

Qualiter altrici quondam tellure profectus,
Solus uti rutilans, quod noctis nubila pellit,
Disponente Deo, Danorum regna petivit.
In tenebris mortis gens illa sedebat et umbra:
Mors erat errorum populis caligo profunda,
Barbara sacrilego cultu portenta colebant, *Propositio Poetæ:*
Horrendumque nefas vice religionis habebant.
Nondum Justitiæ sol luxerat in regione:
Nullus adhuc liquidis baptismi mersus in undis,
Per Sacramenta piæ fidei deterserat in se
Aut labem propriam, vel quam pater intulit Adam.
Ergo Dei penitus leges miserabile vulgus
Ignorans, sacris operam dabat impietatis.
Ast opifex hominum, qui librat pondera rerum,
Te, Pater Anschari, Deus illum misit in orbem,
Ut per te populi dissolveret impietatem. *invocatio S. Anscharii.*
Ergo, beate Pater, stellanti sede recepte, F
In terra positis fer opem fidentibus in te.
Addere pauca tuis amor est epigrammata gestis.
Vela damus pelago: votis, Pater alme, faveto.
Libri principium lacrymas et gaudia miscet
Corbejæ Patres in primis rite salutant,
Discipuli Patris Anscharii, gemitumque frequentant,
In partes animi fluctu pietatis aguntur,
Et nunc ad lacrymas, ad gaudia nunc rapiuntur:
Quod Pater occubuit, quod mortis debita solvit,
Plangunt et lugent; petiit quia sidera, gaudent,
Ut sit in exemplum lecturis vita per ævum,
Tradunt notitiæ bona quanta peregerit ipse.

*Arguit infantem levitatis Virgo vacantem.* Cap. 2.

Virtutum meritis primis excrevit ab annis.
Lustrum ferme puer compleverat, et sua mater
Cesserat humanis, thalamis illata supernis.
Tradiderat natum pater artibus erudiendum.
Cum sociis pueri pariter proclive vagantis *Puer in visione*
Arguit errantem per somnum visio mentem:
Lubricus et limi locus humens labe tenaci
Infantem quadam sopitum nocte tenebat:
Ut vix inde suum posset committere gressum.
Sed

A Sed via propter erat, mulier speciosa per illam
Ibat, eam multas vultu formaque venustas
*a Deipara avocatur a vanitate mundi:* Vidit pone sequi, matremque suam comitari.
Ut tener agnus ovem, cupiebat adire parentem;
Sed palus obstabat, gressumque movere nequibat.
Ac mulier, Sanctam quam credidit esse Mariam,
Dixit ei : fili, vis esse comes genitrici?
Otia mundanæ levitatis lubrica sperne,
Sperne voluptatem, gravitatis habeto rigorem :
Nullus enim nostri poterit collega videri,
Captus ludibrio, quod nos horremus. Ab illo
Tempore se totum puer immutavit in actum :
Ut vitæ species sociis mirabilis esset.

Cap. 3. *Principis interitus monachi deterruit actum.*

Cæsariem tonsus post hæc, monachumque professus,
Cœperat in studiis sancti torpere rigoris :
*monachus excitatur obitu Caroli Magni;* Cum subito Regem Carolum cognovit obisse,
Et vitæ sceptrisque modum simul imposuisse.
Regis decessu gravis illum terruit horror,
Rursus et in totis incanduit ossibus ardor,
Rursus amore Dei cœpit languescere justus,
Prorsus cœpit ei florens arescere mundus.
Venerat ergo dies omni pietate celebris,
In quo discipulos quondam sacer imbuit ignis :
B Nox erat, et somnus languentes solverat artus,
Cum subito sese moriturum cernit et ipse,
Horrescens mortem, Petrum vocat atque Joannem.

Cap. 4. *Occurrunt tutelares animæ Petrus atque Joannes.*

Jamque per excessum de corpore raptus abibat,
Splendidiorque virum species et vultus obibat :
*in extasi ductus a SS. Petro,* Ecce repente viri forma cultuque verendi
Apparent, unus cano planoque capillo,
Jam senior, miti vultu, facieque rubenti,
Veste coloratus, habitu brevis, et moderatus,
Indicio formæ Petrum cognovit adesse.
Alter erat longus, juvenis, macer, ore serenus,
*et Joanne,* Fusca cæsarie crispus, barbatus, habensque
Purpuream vestem, quem credidit esse Joannem.
Hi circumstantes, animam per luminis auram
Ad quemdam duxere locum, qui torridus igne
Flammivomo, vere sibi purgatorius esse
Constiterat, nullo narrante quid esset. In illo
*patitur pœnas purgatorii,* Demissus tot sustinuit tormenta malorum,
Inter pressuras densosque globos tenebrarum,
Immemor ut mundi vix sufficeret meditari,
Qui tam difficilis potuisset pœna parari.

Cap. 5. *Offertur Domino, productus ab igne vaporo.*

C At cum per visum triduo pateretur in umbris,
Quod sibi mille fuit spatium prolixius annis;
Ecce iterum rediere viri, sed splendidiores :
Qui circumstantes immobiliterque meantes
Per calles incorporeos, in lumine puro
Ducebant animam, seu rettulit ipse : Videbam,
Inquit, Sanctorum cœtus orientis in orbe,
Longe diversos, quosdam vicinius esse,
*recreatur cœli odore,* Hos procul adstantes, omnes tamen aspicientes
Auroram, manibus tensis orientis ad ortus :
Isti summissis, resupinis vultibus illi,
Numen adorabant, quod solis ab axe micabat.
Jam locus auroræ nos accipiebat, et ecce
Luminis ante fores secus introitum Seniores
Quatuor atque quater quini totidem reverenter
Effulti soliis, resonabant cantica laudis,
Dulcis erat laus illa quidem, carmenque suave :
Redditus at terris ea non potuit retinere.

Cap. 6 *In splendore Dei non est modus aspicientis.*

Lucis inaccessæ splendor mirabilis illic;
Sed vincebat idem jubar in spatiis horizontem,
Ut nec principium nec finem cernere possem. D
*auctore Qualdone, ex mss.* Purpurei splendoris erat color atque serenus :
Inde pias animas satiabat grata voluptas.
Sed per circuitum quamvis acies oculorum
Iret, et in partes diversas volveret orbes;
*et lumine immenso,* Quod tamen intus erat, visu penetrare nequibam,
Exteriora videns, intrinsecus esse putabam
Luminis auctorem, lux unde profunda ruebat,
Qua per circuitum chorus ille sacer radiabat.
In cunctis Deus unus ibat, manus omnis in ipso
Sanctorum, supra quam *b* ... Deus intus et extra, *b*
Omnia gyrabat Deus, idem cuncta regebat :
Non polus aut tellus, non Cynthia, sed neque Phœbus,
Hac in parte mihi penitus potuere videri.
Nil ibi corporeum, nil materiale videntum,
Lux radiis aciem non impediebat ibidem.

*Vox de martyrio sonat, et non paret imago.* Cap. 7.

Quamvis ergo senes fulciri sede putarem,
Attamen absque throno chorus ille sedebat in ipso,
A quo lux rutilans quasi fons manabat inundans :
Cujus erat species ut in arcu splendida nubes.
Cumque per immensam Divini luminis auram
Luminis ad fontem deductus forte fuissem,
Omnipotentis ubi majestas esse videtur, E
*Martyr prædicitur futurus,* Atque viri mecum summissis vultibus illud,
Numen adorassent, tonuit fragor altus ibidem
Vocis clarisonæ, quæ verbum protulit ad me :
Huc cum martyrio victor rediturus, abito.
Hic chorus obticuit, vox alta silentia fecit :
Nec vidi formam, quæ vocem protulit illam.

*Digressu luget, reditus solamine gaudet.* Cap. 8.

Hinc ergo digrediens nimium tristatus abibam
Sed de spe reditus, solamina concipiebam.
Porro viri, placide fixis obtutibus in me,
Me deducebant, et tam pie respiciebant,
Quo vultu tenero mater blanditur alumno,
Nil redeundo mihi, nil prorsus eundo locuti :
Corporis his ducibus sic sum per membra refusus.
Hoc in progressu veruntamen atque regressu
Nec labor ullus erat, mora nec nos ulla tenebat :
Quo tendebamus, quamquam properanter, eramus.
Et licet ex tanta videar dulcedine pauca,
Enarrasse, tamen rerum depromere partem,
Quas animus sentit, carnalis lingua nequivit,
Nec mens ipsa capit, nec enim vis corporis haurit,
Auris, cor, oculus splendorem luminis hujus.
Hæc justi mentem summæ virtutis ad arcem
Visio promovit, cœpitque beatior esse.
Inque dies Domino se mortificando litare F
*ob sui mortificationem.* Martyr, uti roseam posset contingere palmam,
Quam licet hostili non ille dicaverit ense,
Per Crucis introitum Martyr fuit absque cruore.

*a Hinc numeros incipimus, in quorum loco transferimus capita parva Auctoris: relictis eisdem Capitibus in quæ priorem Vitam distinximus.* b *Dies ... forte aderat. In priore Vita*, quodammodo erat in omnibus.

## CAPUT II.

### *Præfectura scholarum in utraque Corbeia. Visiones.*

*Orat, Christus adest, gemit, ille piacula delet.* Cap. 9

Inde magistratus regimen Præceptor adeptus,
Cum Sanctum peteret Petrum, claustrumve rediret,
Gressum figebat, Sanctique Joannis adibat
Privatis aptum precibus lacrymisque sacellum :
*In somno a Christo apparente,* Illius ut sacram clam se mactaret ad aram.
Et jam bis tropeum sol volverat aureus annum,
Ex quo per visum raptus fuit in Paradisum :
Se procumbentem precibus cum justus eodem
Quadam

A Quadam nocte videt, sed cum discedere vellet,
*Auctore Gualdone, ex mss.* Ecce per introitum veniebat vir venerandus
Schemate Judaico, procerus et ore coruscus,
Cujus ab aspectu splendor stillabat ut ignis,
Luminis indicio facies erat Omnipotentis :
Intuitus vultum, Christum fore credidit ipsum,
Et nil cunctatus, pedibus provolvitur ejus :
Cumque jaceret humi, prostratum surgere jussit.
Cum staret Domino coram reverentius ergo,
Ejus et ardentem conspectum ferre nequiret,
*peccata confessus,* Dixit ei blande : Tua nunc delicta fatere :
Justificeris uti ; Non est opus, omnia nosti,
Ille refert, te nulla latent. Mihi cuncta patescunt,
Inquit, eoque mihi volo mortales profiteri,
Quatenus absolvi valeant, veniamque mereri.
Ergo repente viro cum simplicitate professus,
Omne quod a primis scelerum commiserat annis.
*absolvitur.* Ne vereare, tuas, ego sum, qui deleo culpas.
Hæc ubi vox sonuit, vir splendidus ille recessit,
Ac Domini servus somni torpore solutus,
Exultare sibi venia peccata remitti.

Cap. 10 *Albo martyrii puerum videt attitulari.*

Contigit hæc inter, puerum quod perculit alter
In caput e tabula, mortis comitante ruina :
B Qui percussus erat, Fylbertus nomen habebat.
Hic Pater Anscharius somno mœrore solutus,
Illius Angelicis animam vectarier ulnis
*Videt puerum Martyribus annumerari ob patientiam.* Vidit ad æternam requiem, cœloque receptam,
Martyribus Christi feliciter annumerari :
Et didicit, quoniam meruit patientia palmam.
Sic prælectus homo cœli secreta videndo,
Crebrius in somnis processit eo bonitatis,
Ut simul ignitum jubar et splendore coruscum
Abscondi gremio modii non posset opaco.
Hoc ignorantes, caussam fortasse movebit
Matrem Corbejam qua conditione reliquit,
Cum persistendi Sacramentum fecerit illis.

Cap. 11. *Cœlica quo penetrat radio, terrena terebat.*

Sed ne præcipites evertat quæstio mentes,
Haud levitas hominem rapuit, nec religionis
Fregit propositum, patriis digressus ab oris.
Cœnobium quoddam, nomen dixere moderni
*In Corbeia Saxonica.* Corbejam, dictam de nomine matris eorum,
Saxonum in terris, quas Visera perluit amnis,
Regum progenies, et Regum nobilis hæres,
Exilio remeans Adalardus condidit Abbas,
Illuc Anscharium direxit ad erudiendum,
C Pignora prima suæ Corbeia mater alumnæ,
*docet et concionatur.* Quo turbis crebro verbum Domini faciendo,
Undique cum ruerent, et templi septa replerent,
Ad Christi cultum formam dedit et documentum,
Nobilis ipse Pater, populique locique Magister.

## CAPUT III.

### *Apostolatus Daniæ.*

Cap. 12 *Regni primatus recipit Rex fonte renatus.*

Regibus interea Danis insurgentibus arma,
Privatus sceptris Herioldus fraude paternis,
Supplex Augustum Rex expetit Ludovicum ;
*Herioldus Rex Danorum* Ejus uti per opem regni repararet honorem.
Regem magnifice detentum Cæsar apud se
Cœpit adhortari, suscepto nomine Christi,
Fonte perennis aquæ lavacrum novitatis adire :
Sic ope Francorum citius sibi subveniendum,
Si foret in populis communio relligionis.
Tandem mollitus Divino Numine Danus,
*baptizatur,* Credidit, et liquidas fontis descendit in undas,
Quem Cæsar niveis, ut mos est, induit albis,
Et Pater in lavacri natalibus extitit illi.

*Mittere quem possit Cæsar cum Rege requirit.* D Cap. 13

Auspiciis opibusque suis, altricibus oris,
Cæsar item profugum missurus sceptra receptum. *cui redituro*
Ut direpta sibi, solerter quærere cœpit,
Sicubi forte virum sibi quis reperiret honestum
Ac pietate gravem, verbi virtute potentem,
Qui cum Rege libens prodiret, eique cohærens,
In sermone Dei superesset jure Magistri,
Ingrueretque suis in dogmate relligionis.
Unde Sacerdotem super hac aliosque fideles
In cœtu Procerum re conveniendo suorum, *comes quæritur Sacerdos*
Cæsar huic operi sibi quemlibet insinuari
Orabat dignum, simul et procedere promptum,
Æternæ populis lumen proferre salutis.

*Prodendo monachum Wala lætificat Ludovicum.* Cap. 14.

Omnibus ergo virum se scire negantibus esse
Quemlibet, hoc pondus qui vellet sponte subire,
Exul ut externis Regem sequeretur in oris.
Abbas Corbeiæ veteris Wala prosilit ante.
Esse sibi monachum fassus, perferre paratum, *Evocatur S. Anscharius*
Si contingat ei, mortem pro nomine Christi :
Vitam, propositum, mores animi, quoque votum
Cum laudavisset, docuit quod idoneus esset
Clangere signa Dei, vexillum tollere Christi : E
Se nescire tamen num sponte migraret in orbem.
Non tolerando moram, Cæsar præcepit ad aulam,
Acciri monachum, cui providus Abba quid actum,
Aut dictum foret, exposuit : retulitque vocari
Cæsaris ad solium, quæ caussa coegerit illum.
Anscharius sese facturum naviter esse
Cuncta refert injuncta sibi pro nomine Christi.

*Sanctus inesse sibi votum profitetur eundi.* Cap. 15.

Hinc vir ab Augusto, coram productus, abire
Vellet utrum cum Rege rogatus ad ultima terræ,
Per verbum Domini Danos evellere morti. *lætus admittit,*
Hanc, ait, aggrediar constanti pectore pugnam.
Abbas inquit : Ego non hoc te fasce gravabo.
Quod si sponte subis, fas nostri juris habebis.
Arbitrium de te gratum mihi noveris esse.
Ille nihil Domini præponere se, infit, amori :
Omnibus ultro modis ego me suppono labori.

*Exilio monachi graviter turbantur amici.* Cap. 16.

Res ubi percrebuit, vulgique per ora cucurrit,
Isque clientelæ discurrens rumor ubique
Claruit Abbatis, multis inopina stupori
Caussa fuit, propriis quod cedere vellet ab oris,
Quod sibi posthabitis consanguinitate propinquis, F
Dulcia fraternæ linquens consortia turmæ, *et adversantibus resistit*
Barbariem sævam peteret gentemque profanam.
Pluribus opprobriis quidam simul et maledictis
Deterrendo virum, tentabant frangere votum.
Ille nihil motus nec duris cedere pronus,
Fixior hærebat cœptis, annixa voluntas
Flecti non poterat, sed cum properaret ad aulam
Abbas, ipse domi turba semotus ab omni,
Contiguum quoddam vinetum solus adibat :
Illic orabat latitando, librisque vacabat.

*Autbertus Fratrem dum tentat, adhæret eidem.* Cap. 17.

His erat Autbertus Frater cum Patre diebus,
Qui cum crebro virum latebræ captare recessum,
Et nimis attentum, curisque ingentibus ægrum,
Cerneret auferri cœtu, cum nemine fari,
Rem miserando die quadam devenit, ubi ipse
Vineti vacua secretus agebat in umbra : *Et in proposito [illegible]*
Præmissoque vale, viridi consedit in herba :
Tum percunctari cœpit, quid mentis haberet :
Utrum pro Domino Danos peregrinus adiret.
Ille dolis falli metuens : Id quærere noli,

Neve

A Neve meam super his mentem turbaveris, inquit.
Non tibi decipulæ laqueus protenditur a me,
Ille refert, de te sed certius omnia nosse,
An tibi sit cordi via Gentis, pande volenti.
Tunc heros alacris pro sedulitate rogantis
Intulit : An vellem Paganis ferre salutem,
Est mihi propositum : placet, idque refellere verbum
Horreo, quin sanctæ rapior pietatis amore,
Gentibus ire salus, errorum solvere nexus :
Nec valet inde meam mentem pervertere quisquam.
*fit comes Autbertus ;* Tunc Autbertus ei : Non, inquit, solus abibis ;
Hoc ego pro Domino tecum luctamen inibo,
A Pastore mihi si copia fiat eundi.

Cap 18. *Conformes Patri veniunt in fœdere Christi.*

Vinxit ut ergo fides amborum fœdere mentes,
Obvius Abbati fuit ipse domum redeunti,
Insinuatque viæ collegam se reperisse,
Fidum concivem, subiturum sponte laborem.
Nomen personæ cum quæreret ejus, et ipse
Diceret Autbertum ; sibi mira relatio multum
Intulit horroris, stupuit studium novitatis,
*nobilis,* Affectare virum, quem nobilitaret origo
Prosapiæ veteris titulis et sanguine longo,
*provisor monasterii,* Gratior in rebus sibi qui popularibus esset,
Provisorque domus post se loca prima teneret.
B An tamen ire velit, rogat ille : fatetur, amicum
Se non posse pati patria decedere solum.
Æterni sese compelli Regis amore,
Esse viri comitem, pro posse ferendo juvamen,
Si comitetur eum sua vel permissio Fratrum.
Abbas respondit : Si mavis ire, licebit,
Attamen ex famulis ego nullum depoto vestris
Obsequiis quemquam : nec enim procedere cogam
Invitum nobis, nisi quemlibet inveniatis,
Qui velit ire simul, fieri peregrinus et exul.
Quo foret aversus, non sic est inde locutus
Nobilis ille pater, sed eo quia flagitiosum
Cogere nolentem tunc temporis esse colonum
Inter Paganos erat et nimis invidiosum.

Cap. 19. *Quæ sunt apta viæ Cæsar legavit utrique.*

Cæsaris oblati post hæc obtutibus ambo
Athletæ Christi, conjurant fœdere sacro
Contra fana Deum sese committere bellum,
*Imperator necessaria donat* Eminus emissis Reges urgere sagittis,
Cominus ense Dei prorumpere pectora vulgi.
Cæsar agens grates, Divum locupletius hostes
Ornat, et in tanto quæ credit idonea bello,
C Armis Ecclesiæ munitos jussit abire
Post Regem, liquidis quem nuper merserat undis :
Esse sui memores monet arcus inter et enses,
Et triplicem fidei clypeum prætendere Regi.
Confirmare suos noviter hæc castra secutos :
Ne minus instructis hoc in certamine Martis
Æmula vulnificam manus intorquendo sagittam,
Falleret incautam funestis fraudibus alam.

Cap 20. *Nullus amicorum voluit comes esse virorum.*

*iter absque famulo incepit,* Cæsare digressis igitur, Regemque secutis,
Nullus in obsequium comitum fuit, aut famulorum,
Nemo sequi voluit, nullum Pater ire coegit.
Rex erat ignarus, rudis utpote pignoris hujus,
Quem deferre Dei famulis deberet honorem.
Porro suis, qui dissimili ratione priorem
Duxissent vitam, protendere sedulitatem
Assuetus : neque cura frequens erat, unde profectus
Difficilis fuit, et nimii via plena laboris.
*navigant Coloniam* Ut tuta tandem statione Colonia classem
Excepit ; monachis compassus Episcopus urbis
Hildeboldus opem tulit, attribuendo biremem,
In qua vectari deberent, vasa reponi,
Firmis extructam compagibus, et satis aptam

D Duplicibus tectis : illectus schemate navis *AUCTORE GUALDONE, EX MSS*
Rex elegit ea vehier, frueretur ut una
Ipse domo, monachis esset pars altera navis.
Inter eos ita crevit amor, reverentia sanctis,
Officium majus, famulantum cultior usus. *Dorstatum,*
Hinc per Dorstratum, Fresonum prætereuntes
Proxima, Danorum sistunt in littore naves.
Ergo quod interdum Regem consistere tutum
In solio regni prohibebat motio belli, *ultra Albim :*
Fixit ei certum trans Albim Cæsar asylum.

*Fructificante fide, moritur socius logothetæ.* Cap. 21.

Hic aliquando viri loca per diversa secuti
Regem, Gentiles inter Christumque colentes,
Ut discursus erat sibi, promulgando salutis *instruunt Paganos,*
Dogmata, nonnullos rapiebant ore draconis,
Quotque diebus erant fidei quos rete trahebat.
Sic novus in Domino fœcundæ matris ab alvo
Ecclesiæ fœtus fontis currebat ad ortus. *baptizant,*
Ipsi autem sacri spiraminis imbre refusi,
Uberius sacræ pro relligionis amore
Cœperunt vigili studio curaque frequenti
Quærere, quos emerent pueros, Christoque dicarent. *pueris scholam aperiunt :*
Nec non ex propriis aliquos Rex tradidit ipsis,
Quos ad militiam nutrirent Omnipotentis.
Inde brevi senos schola bis collegit ephebos,
E Ascitis etiam sociis hinc inde quibusdam,
Cum fructu late sibi crevit opinio famæ.
Sol bis signiferi spatium lustraverat orbis,
Hoc in gymnasio cum desudantibus ipsis,
Mors, quæ cuncta metit, fœdus sociale diremit.
Contigit Autberti valetudine membra gravari,
Pro quo Corbeiæ juniori ductus, ut ante
Præscierat, tortus multis languore diebus, *moritur Autbertus.*
Cessit naturæ solenni tempore Paschæ,
Exutus ictu felici carnis amictu.

## CAPUT IV.

### *Apostolatus Sueciæ.*

*Missurus Bircam, monachus revocatur ad aulam.* Cap 22.

Gentis barbaricæ Sueonum contigit inde
Legatos quosdam venisse ad Cæsaris aulam :
Qui cum mandatis habitis de rebus agendis,
Imperatori dixerunt, fonte renasci
Velle suæ gentis quosdam, Dominoque dicari :
Esse suum Regem promptum satis ad pietatem : *Sueeis petentibus in fide instruit,*
Præcones tantum mercantur habere per ipsum.
Cæsar ad omne bonum promptissimus, experimentum
F Ex re qui caperet, missum decernit ut idem,
Si foret in populo devotio credulitatis,
Inciperent normam sibi tradere relligionis.
Corbeiæ pro quo Rector consultus ab ipso
Est iterum, si quem monachum sibi prodere posset,
Aut qui regna libens Sueonum visere vellet,
Vel potius cum Rege maneret, ut in regionem
Anscharius rerum Domini legatus abiret.
Ergo Dei propere famulus revocatur, et ante,
Quam veniens oculis assisteret Imperitantis,
Attondere comam prohibetur, radere barbam.

*Principis ad nutum subit ultro negotia rerum.* Cap. 23.

Militis invicti mens præscia se revocari
Ad studium pugnæ, Christi flagrabat amore,
Omne bonum ratus invigilare lucris animarum *S. Anscharius excitatus memoria revelationis,*
Proposuit patienter homo perferre periclum ;
Hæc si forte sibi via quid peperisset acerbi,
Neve per anfractus raperet dubitatio pectus ;
Fundarat certam spem cordi visio quædam,
Incoleret primævus adhuc quo tempore cunas
Matris Corbeiæ, solitus ventura videre
Intuitu mentis per somnia plena figuris.
Lumine conspicuam per somnum venit in aulam
Interim

A Interius vero Doctorum plurimus ordo
AUCTORE GUALDONE, E 2 MSS. Stabat ad officium verbi prodire paratus,
In facie quorum subita vertigine raptus,
Se radiis Phœbi vallatum, fulgidiori
Æthere delapso splendere videbat ab alto,
Deficiens oculis tanto vibramine lucis.
Dum stupet, insonuit vox ferme simillima voci,
Quam prius audierat summi Patris ante tribunal
Dicere, Scito tuum me delevisse reatum.
Quid vis, afflatus Divini flaminis aura.
Ille refert, ut agam? Vox inquit, Gentibus insta
In sermone Dei. Quod oroma vir ille tenaci
Pertractans animo, Domino plaudebat; eo quod,
Quæ prædicta forent, partim completa videret.
Et, quia virtutis meritum tritura laboris
se paratum Cæsari offert: Accumulat, populis Sueonum præco salutis
Ardebat fieri, sua quærere lucra Tonanti.
Ergo ubi venit ad Augustum consultus, ad idne,
Aggrederetur iter? facturum noveris esse
Quidquid pro Domino mandaveris, inquit, et ultro.

Cap. 24. *Protulit insidias, rapuit pirata carinas.*

Dum nutu Domini Pastor venerabilis illi
proficiscitur Invenit socium, Witmarum nomine, sanctum
cum Witmaro, Insignemque virum te, Regi de more probatum
B Athletam Christi voluit cum Rege morari.
Cæsaris imperio Sueonum partibus ergo
Delegatus, uti missorum dicta probaret,
Illius terræ gens utrum credere vellet,
Quas autem latebras obiit, quantumve pericli
Pertulerit, vacat in lepido sermone revolvi.
Witmarus novit mala, quæ pariter toleravit.
Ut medium tenuere rates iter æquoris alti,
Piratas hominum genus insatiabile lucri
Incurrere; fugæ spes non fuit: insonuere
A clamore poli, fremuit bellona, priori
Concursu pugnæ, summo conamine multo
Se defensantes, victos repulere latrones.
spoliatur a piratis, Congressu vero manus impacata secundo
Prævaluit, prædæ patuerunt omnia, vixque
Diffugiendo viri pedibus per littora nudi
Evasere; rapax tenuit pirata carinas:
Obtinuit gazam, libros et regia quædam
Munera, nil victis ex omni merce reliquit.
Id præter quod dum fugeret sibi quisque recondit.
Turbine dejecti, plures statuere reverti,
Ulterius quidam procedere: non tamen usquam
Militis electi potuit sententia flecti.
C Arbitrio potius committens Omnipotentis,
constans in adversis, Quidquid in adversis posset contingere caussis,
Proposuit retro non ante reflectere gressum,
Vomere quam verbi sulcasset agros Sueonum.

Cap. 25. *Auget oves Domini libertas sacra loquendi.*

Præcepto pelagi procursu, calle pedestri
Explicuere viam per dura, per aspera longam:
Interfusa locis multo conducta biremis
benigne a Rege Æquora transmisit; tandem se Byrca recepit.
Quo portu Regem Bern invenere morantem;
et proceribus excipitur Cur veniant, qui sint Regi, Legatio pandit.
Rex per consultum decernit, quid sit agendum.
Una fuit Procerum sententia, par quoque votum,
Sanctis permitti jus inter eos habitandi,
Jus indicandi cælorum regna volenti:
Esse facultatem monitis vitalibus aurem
Inclinare suam, novitatis discere formam.
Ut licuit tandem populis proferre salutem;
Inspirante Deo, fidei nova crevit origo,
Et verbum Domini cum multis esset amori
Indigenis terræ; tum, quos retinebat apud se
convertit multos, Captio, Christicolis erat exultatio cordis:
Participando sibi demum mysteria Christi,
Post longam esuriem cœli contingere panem:

Indiciis rerum tenuit labor experimentum, D
Quidquid ad Augustum tulerat legatio, verum
Constitit: et Christi plures in carne renati
Fonte perennis aquæ, veteris contagia vitæ
Deposuere, novam nacti pietatis abollam. et Herigarium Præfectum,
Credidit inter eos Herigarius inclytus heros
Præfectus vici, Regis Consultor, et illi
Fidus, qui lavacri perfusus rore perenni,
Erexit mentem summæ virtutis ad arcem,
Esset ut indicio fidei, quam rure paterno
Condidit ecclesiam: sunt et miracula quædam,
Quæ Deus ostendit per eum, quem glorificavit.

## CAPUT V.

### *Archiepiscopatus Hamburgensis.*

*Tripudiat reditu Legati Cæsar et actis.* Cap. 26.

Gentibus ergo viri vitalis semina verbi
Per senos menses Christo sulcante serentes,
Ut mos est terræ, quas Rex inscripserat ipse,
Cum chartis redeunt: et limina fausta revisunt,
Ut sibi indicium facit experientia certum,
Cæsaris, officii totius honore recepti.
Quid fecisset eis Dominus, quod finibus illis Redeuntem
Sit patefacta fides, quod verbi vomere Gentes Imperator lætus excipit,
Excultæ, duplicem referant ex semine frugem, E
Insinuant. Animo Cæsar rumore secundo
Exultans alacri, cum grates Omnipotenti
Redderet, in Danis recolendo jubar Deitatis
Exortum quondam, noctem vacuasse profundam;
Cura solerti quærebat, Pontificalis
Posset ut institui Sedes Aquilonis in oris,
Finis ut Imperii præclusus limite tali,
Principium fieret Regni quod fine careret, Episcopatum
Ejus ut Ecclesiæ Rectorem crebrius ire erigere statuit,
In partes illas compelleret ipsa facultas,
Ex quo doctrinæ leviori fracta ligone,
Effera barbaries fructus daret uberiores.

*Quod Rex proposuit, suspensum morte reliquit.* Cap. 27.

Rex autem Carolus quando compescuit omnem
Saxoniam ferro, lavit baptismate Gentem,
Pontificesque suos populis statuendo quibusque, quod Carolus
Qui sunt trans Albim, sub Præsule voluit esse: Magnus facere
Decernebat enim Princeps in finibus illis decreverat,
Poni Pontificem, qui summi culmen honoris,
Scilicet Ecclesiam regeret metropolitanam,
Ex qua, flante Deo, fidei stillaret origo F
In reliquas Gentes, in terras ulteriores.
Ecclesiam, quæ prima locis adolevit in illis,
Sanxit Amalharius Gallorum Præsul ab oris:
Pontificum vero nulli sub jure redactam
Augustus Heridac commisit parochiam:
Quem simul ad summi culmen promosset honoris;
Ni citius rueret præventus tempore mortis.

*Urbs quo flat Boreas fit mundi climate prima.* Cap. 28.

Ast ubi post mortem patris Ludovicus ad arcem
Regni surrexit, patriam quæ transjacet Albim
A quibusdam monitus, binos per pontificatus
Distribuit: quid enim pater ejus senserit olim,
Ponere Pontificem quod voluit in regionem
Terrarum domitor, non comperit Imperator.
Hunc in Danorum regionibus et Sueonum
Sorte salutiferi cum sensim gratia Christi
Vitam spirantem jam fructificasset odorem,
Ut concepta fide spes esset firmior ex re,
Ac patris affectus per se prodiret in actus,
Orbis Romani Rector, lux aurea mundi,
Victor magnificus, cultorque Dei Ludovicus,
Ut coram multis ageret consultus inde, metropolim
Hammaburgensi Synodum collegit in urbe. statuit Hamburgum:

Collegit

A Collegit proceres regni, venere Priores,
Arbitrio quorum per Pontificum synodalem
Censuram, fluvium trans Albim in finibus urbem
Saxoniæ positam matrem, caput, atque tribunal
Nordalbingorum fore censuit Ecclesiarum.
Omnibus ut terris simul et populis Aquilonis
Et prælata foret sedesque.... et metropolis esset.
Presbyter et mittendus Episcopus omnis in illis
Finibus, egrederetur ab hujus Præsule Sedis.

Cap. 29 *Ex quo pinguescit caput, infula rore madescit.*

Hanc igitur tota Synodi plaudente corona
Primus Pontificum, reverenter Ebone Remensi
Assistentibus, Otgarioque Maguntiacensi.
Cum medius Hetti fulciret eos Treverensis,
*ejus Archiepiscopus fit Anscharius,* Archimandritam sacrari Cæsar ad aram
Anscharium fecit, quem circa justa peregit
Drogo Palatinæ tum forte Hierarcha capellæ,
Drogo vir illustris Metensis Episcopus urbis.
Patribus, Imperii quos culmen in urbe coegit,
Inter Helingandus fuit et Coepiscopus ejus
Vulgericus, eam qui pridem paroechiam
Per dispertitum tenuerunt pontificatum,
Rem confirmando, Patris caput illiniendo
Unguentis Hermon, queis barba fragravit Aaron.
B Sed ne barbaricis incursibus hæc diocesis
*accipit cellam Torholt,* Ad nihilum redigi posset, pro sorte pericli
Cæsar ad hæc cellam Turholt solatia partam
Cespite Gallorum, quo devitando tumultum
Præsul, ubi fremeret rabies, secedere posset,
Contulit Ecclesiæ servitum tempus in omne.

Cap. 30. *Decreto Papæ Scythico legatur in orbe.*

Hoc ut præceptum firmum foret omne per ævum,
Gregorio Papæ, multo comitatus honore,
Qui sanciret idem Romam legatus in urbem :
Perrexere duo, pariter comitante Geroldo
*a Papa pallio donatus,* Consule, Radoldus ductores et Bernoldus
Christi cultorum Rectores Ecclesiarum,
Sedis Apostolicæ decretis hæc solidare.
Papa beatificus Regis mandata probavit,
Ac pallæ tribuendo decus munimine sanxit
Juris Apostolici, statuens, ut Episcopus orbi,
*Legatus statuitur Gentium septentrionalium.* Barbara Danorum quem gens colit et Sueonum,
Quemque colunt gentes Boreæ glacialis ad arcem,
Cum Domno, terræ cui sors obvenerat ante,
Esset Romanæ Sedis Legatus, Ebone;
Concessaque palam sibi libertate docendi
Ante locum, veneranda sacrat quem gleba beati
C Corporis, ante tuam, Paradisi janitor, arcam
Addidit edictum super hoc anathema tremendum,
Quo se nectendum sciret cum principe mortis,
Hoc quicumque bonum subverteret ariete fraudis,
Cæsaris aut studiis occurreret invidus hostis.

Cap. 31. *Verba Dei Danis prior intulit Ebo Remensis.*

Porro quod anterius calamus contexuit, hujus
Officii sortem tulerat gentisque vocandæ,
Numine Paschalis Papæ, prius Ebo Remensis.
Quippe vir Angelicus, mitis sine felle columba,
Credere quod fas est interni flaminis aura
Cum foret afflatus, cupiens inferre salutem,
Cœlitus æternum populis infundere lumen,
*uti ante fuerat Episcopus Remensis,* Pro Danis, quos implicitos errore videbat
Cæsaris arma sequi, lugubri corde dolebat :
Ad tamquam lampas accenso pectore flagrans,
Ardebat desiderio succurrere mersis
Gentibus horrenda caligine perditionis,
Pro Christo penitus seque et sua tradere promptus.
Augustus Welam trans Albim cesserat illi
Fundum, cum peteret patriam quo degere posset.
Ergo locum crebro visebat Episcopus Ebo,
Plurima dispensans, animarum lucra frequentans, D
Confirmando fide lotos baptismatis imbre. AUCTORE GUALDONE, EX MSS.

## CAPUT VI.

### *Gaudberti Episcopi in Sueciam adventus, exilium. Hamburgum combustum.*

*Jure ministerii Simon est suffectus Eboni.* Cap. 23.

At pater Anscharius feliciter urbe regressus,
His compellanti sese de rebus Eboni
Pontificem terræ sacrandum censuit esse, *Gaudbertus fit adjutor,*
Qui præsens populis foret in studio Deitatis,
Jure ministerii concessus Apostolus orbi
Et legem Domini statuendo vicarius ipsi :
Namque locis solus non posset adesse duobus.
Ergo favente pio sibi Cæsare, nobilis Ebo
Lumbos Gautberti cujusdam Pontificali *consecratur Episcopus,*
Zona præcinxit, caput ejus rore rigavit,
Qui super arva Sion stillat de montibus Hermon.
Contulit ornatus, quibus ecclesiasticus usus
Indiget, atque viæ sumptus explevit abunde,
Ubertate sua, dono simul imperiali :
Direxitque virum pro se populis Sueonum,
Ut commissa sibi legatio cederet illi,
Officiumque suæ vicis exerceret in orbe.

E

*Dogmate Gautberti caligo fugatur Averni.* Cap. 33.

Post hæc Augusti clementia contulit illi
Cellam Wellanu, primo quam cessit Eboni.
Id Pater ille suo tamen impetravit alumno,
Quod sibi perpetuum certæ stationis asylum
Esset, et ipsius locus ille vacaret in usus.
Rex autem Simonem (dedit hoc sibi gratia nomen *Simon dictus,*
Ordinis) et terræ populus suscepit honeste.
Et quia corda regit hominum, qui tempora ponit
Rebus, et æterno circumdat secula vallo,
Auspiciis terræ primis et Rege favente,
Ecclesiam Domino fundamine cœpit ab ipso *Sueeos convertit,*
Ædificare, palam credendi tradere formam.
Christicolas illic positos gaudere videres,
Gentiles haurire Dei de fonte liquores,
Crescere credentum per quot momenta dierum
Agmen, et Ægypti currus in gurgite mergi,
Israel dulcisonis modulari carmina Psalmis.

*Multos erudit pueros, quos ipse redemit.* cap. 34.

Anscharius vero jus Pastoralis agendo *uti S. Anscharius Sclavos et Danos :*
Naviter officii Pater in propria diocesi,
Inde per exemplum vitæ, tum per documentum,
Lucrari Domino plures pueros coemendo,
Quosdam Sclavorum, quosdam de gente Danorum
Quosdam captivos ad opus Deitatis alendos ;
Nonnullos quorum retinens in dogmate secum,
Quosdam prædictæ direxit ad ubera cellæ.
Sed comites habuit sibi, quos Corbeia misit,
Sanctorum genitrix, monachorum cella beatrix,
Hammaburgensis schola queis edocta Magistris
Crevit, et ad florem perducta refudit odorem.

*Effugit urbe Pater : rapit illam barbarus ater.* Cap. 35.

Ergo Deo digne gereret cum Præsul uterque
Hammaburgensem piratas contigit urbem *Hamburgo obsesso*
Ex improviso multo vallasse liburno,
Ad propugnandum cogi manus indigenarum
Plurima non potuit ; spatium properantia rupit
Hostis, terrifico vallantis mœnia gyro.
Non erat obsessis arcere pericula mortis
Virtus, cum Præses Bernarius urbis abesset.
Urbe Pater positus, primi terrore tumultus
Tentavit retinere locum : sed barbara murum *fuga evadit*
Ut vis irrupit ; formido suprema coegit
Cedere ; vix tantum rapiens sacra pignora secum
Integer

A Integer evasit, cappam tamen hostis ademit :
*Auctore Gualdone, ex MSS.* Cessit uti laicus fugiendo per avia Clerus;
Et quidam capti, plerique fuere perempti.
*eo direpto et incenso,* At fera barbaries totam diffusa per urbem,
Postquam congessit gazam biduumque peregit,
Ædibus incensis discessit onusta rapinis.
Hoc domus Ecclesiæ claustrumque flagravit ab igne,
Ut cultus alii, flammis arsere libelli :
Non tamen idcirco Pater ingemuit, licet illo
*omnia amittit.* Turbine perdiderit, quæcumque paraverat illic.
In rerum damnis viguit patientia fortis.

Cap. 36. *Pellitur e terris Simon, æger morte nepotis.*

Pressuris igitur cum multis afficeretur,
Ac per circuitum manus errabunda suorum
Pignora deferret, usquamve quiescere posset;
Contra Gautbertum fremuit rabies Sueonum,
*A Suecis* Et face pars populi quædam succensa furoris,
Præsulis hospitium circumvallando, Nithardum
Perculit insontem mucronis morte nepotem
*Nithardus occiditur,* Ejus martyrium pro Christi nomine nactum.
At vero comites alios ipsumque ligantes,
Ejecere suis spoliatos turpiter oris.
*alii pelluntur.* Sed, qui cuncta videt momenta latentia rerum,
Hoc transiro nefas Deus est non passus inultum :
B Impia namque manus paucis punita diebus,
Pertulit exitium diversa sorte malorum.
Unius cladem pro cunctis scribimus autem.

Cap. 37. *Pœnituit sceleris pœnæ terrore sequentis.*

Vir fuit in terra quidam ditissimus illa :
*Furto sublatum librum detinens punitur,* Hujus in hac rahie consensit filius, atque
De spoliis partem patris portavit ad ædem;
Morte repentina sed mox deteeit, et una
Interiit conjunx, simul alter filius ejus.
Ut videt orbatum sese miser, esse Deorum
Credidit offensam, quæsivit ab augure caussam.
Augur agens sortes, sibi Divos esse faventes
Asserit, in Christum factum docet esse reatum.
Sed neque placari Christum, neque posse repelli
Vim morbi penitus, dum res possederit ejus.
Ergo per augurium tremefactus barbarus ille,
Evertendo domum, librum res inter apud se
Repperit, hunc, plebem rem promulgando per omnem,
Cum, qui susciperet, nullum reperire valeret,
Nam miseranda lues hominum formidine mentes
Terruerat, rursum proprii sub culmine tecti
Barbarus horrescens sanctum retinere libellum,
*eum sepi alligat.* Ne prorsus clades deleret iniqua penates,
Viminis coram sepem suspendit ad unam,
C Post ex plebe sibi nullo spirante renti,
Judicio cujus patuit vindicta reatus,
Quidam cultorum Christi tulit inde libellum.

## CAPUT VII.

### *Ardgarii in Succiam iter. Miracula et obitus Herigarii.*

Cap. 38. *Mittitur ad populos, queis deest, Eremita Sacerdos.*

Taliter afflictis ferali peste profanis,
*Ardgarius in Sueciam mittitur,* Non fuit in septem post annis Rector ibidem.
Anscharius pro quo tactus mœrore profundo,
Ardgarium quemdam direxit eis eremitam.
Hunc Herigarius multo suscepit honore,
Filius Anscharii; nec plebs correpta timore
Obstitit, opprobriis hominem cum crebro protervis
Ante redargueret, quod nullum numen haberet :
Sed sua jam miris radiarat opinio signis.

Cap. 39. *Turba madet pluviis, æger viget, ingruit hostis.*

Quadam forte die turbis coeuntibus, ipse,
Idola cum vulgus Christo præferret, Agamus,
D Inquit, judicium de relligione Deorum.
*idololatris pluvia obrutis,* Plurimus ecce super nos est in nubibus imber,
Si quis in hac turba pluviam non senserit, illum
Sit manifesta fides summæ Deitatis amicum,
*manet intactus Herigarius :* Fecerat arboribus cæsis umbracula vulgus;
Cum puero longe solus consederat ille.
Verum cum tantus stillaret ab æthere nimbus,
Ut penitus scenas torrens stravisset inundans,
Ac veluti mediis populus maduisset in undis;
Nec pluviæ stillam sensit Herigarius unam.
Hoc quoque provenit, quod crus aliquando doleret,
Viribus ut propriis sese removere nequiret :
Verum paganis suadentibus, idola votis
Ut placaret homo, divis de more litando;
*dolore tibiæ sanatur :* Sprevit et ecclesiæ ferri se fecit, ibique
Orans cum lacrymis, adstantibus undique turbis,
Promeruit celerem Christo medicante salutem :
Inque domum sanus Domini cum laude reversus,
Auxit propositum, vulgus reprimendo profanum.
Regno privatus, Sueonum Rex Avoundus,
Collectis Danis, prædæque cupidine ductus,
Appulit ad Bircam, populo metuente rapinam.
Ludibrium, eadem, cum nulla repellere Regem
Esset eis virtus, placuit deposcere fœdus.
Rex petit argenti sibi libras adnumerari
E Centum pro vico, misso pro pace tributo.
*direptio a Suecis removetur* Displicuit Danis vehementer pactio Regis,
Ire super plebem, subvertere funditus urbem,
Compulerat vulgus quo transmigrare tumultus.
Disponunt miseri, sola formidine victi,
Quod nequeunt armis, tutantur mœnia votis.
At Herigarius Christi munimine fisus,
Cives corripuit. Sacris quid inanibus, inquit,
Pauperiem vobis et perniciem cumulatis.
Idola quid prosunt? nulli succurrere possunt.
Est Deus in cœlis, cujus si corde petatis
*Christo invocato.* Auxilium, vere vos conservabit ab hoste.
Consilium placuit, Christo plebs munera vovit.

Cap. 40. *Parcitur obsessis, urbs provenit altera Danis.*

At Rex per sortem quæsivit, si locus idem
Pro voto Danis in prædam cederet ipsis.
*Hoste alio profecto :* Sors aliam Regem proficisci jussit ad urbem;
Qua propere Dani nullo prohibente potiti,
In sua cum multis alacres rediere rapinis.
Argentum vero totum Rex reddidit ultro.
*obit Herigarius.* Tunc Herigarius, Christi quia maxima virtus
Esset, prodigiis populum docuit manifestis.
Post hæc decubuit, pacisque sopore quievit.

F

## CAPUT VIII.

### *Fridburgis obitus. Reditus Hardgarii e Suecia.*

Cap. 41. *Fortis amore Dei fit compos fœmina voti.*

His quoque temporibus quædam matrona fidelis,
Firmiter inter eos cultum tenuit pietatis :
*Matrona in fide constans,* Barbara tempestas quam nec mortalis egestas
Flectere prævaluit; Christo sed semper adhæsit,
Propositumque piæ fidei servavit adusque
Extremum tempus : quia cum ruinosa senectus
Urgeret, vini modicum sibi vase recondi
Fecit, uti moriens Sacramenti non foret expers :
Quod cum jam ferme tribus annis esset apud se,
*Eucharistia munita obit,* Contigit Ardgarium Domini venisse ministrum,
De cujus manibus percepto corpore Christi,
Exuta carne gravi, sedes petiit Paradisi.

Cap. 42. *In vacuis Virgo loculis stupet ære reperto.*

Hæc autem Cathlæ vivens præceperat ante,
Christi pauperibus proprios expendere census.
Filia præceptis cupiens parere parentis,

Mater

A Mater ut occubuit, Dorstadum prompta petivit :
*pecunia pauperibus distributa,* Illic personis sociata fidelibus, ipsam,
Quam secum tulerat, loca per sacratissima gazam
Tradidit : ergo die quadam confecta labore,
Quatuor ad vinum nummos sibi misit emendum.
Viribus assumptis post hæc rebusque peractis,
*reperitur in sacco.* Venit ad hospitium, congesta pecunia, saccum,
Quo fuerat, posuit procul, explicitumque reliquit :
Argento plenum subito sed repperit ipsum.
Fœmina prodigio stupuit perterrita tanto.
Et cum Presbyteris caussam retulisset, ab ipsis
Hoc didicit verbum : Cœlum penetrasse profundum
Quas dispersit opes, quos pertulit ipsa labores
Matris ad imperium : quapropter fœmina Christum
Crederet exhaustam rursus cumulasse crumenam.

*Cap. 43.* *Terra caret sacris, Eremita recedit ab oris.*

Ut Herigarius mortales exuit artus,
*redit e Suecia Ardgarius.* Cessit et e terris Frideburg matrona fidelis,
Ardgarius cultor eremi, Christique Sacerdos,
Advertit mentem, vitam reparare priorem :
Egressusque locum rediit quo venerat ipsum,
Sicque Sacerdotis benedictio partibus illis
Rursus defecit, sacer ut Eremtia recessit.

B

## CAPUT IX.

### *Episcopatus Bremensis Hamburgensi unitus.*

*Cap. 44* *Rex obit, ad damnum venit in divortia regnum.*

Interea mundi sidus cecidit Ludovicus :
*S. Anscharius,* Regis post obitum secuit partitio regnum,
Quod Patris Anscharii rem maxime debilitavit.
In partes regni Carolus, cui Francia cessit,
Pontificis cellam Turholt de jure removit,
*Torholta sublata* Quam pater ante suus legarat ei Ludovicus :
Nec Fratrum monitis potuit sententia Regis
Flecti : cumque virum premeret penuria rerum,
*penuria premitur :* Adversis fracti se deseruere ministri.
Perstitit ipse tamen vice Christi Pastor ibidem.

*Cap 45.* *Fit Rector Bremæ, propriumque receptat ovile.*

Sed qui corda regit Regum Deus, instimulavit
Rectoris regni super hoc animum Ludovici,
Rebus ut attritis succurreret : ergo Bremensis
Ecclesiæ Sedem Cæsar Rectore carentem,
Auxit Pontifici, sed judicio synodali ;
Ac ne jacturam Ferdensis Episcopus ullam
C Ferret in hoc, Synodus distingui Pontificatus,
Hoc est, Ferdensem percensuit atque Bremensem,
Qua ratione prius discreverat eos Ludovicus.
*accipit unitum Episcopatum Bremensem.* His ita dispositis regimen tulit ipse Bremensis.
Porro Walgarius, Ferdensis Episcopus, ejus
Trans Albim positam suscepit parrochiam.
Rursus Pontifices synodum de rebus agentes,
Decrevere sibi justum non posse videri,
Qua fuit ipse Pater sacratus Episcopus, alter
Ut teneat Sedem, cum jam Romanus eumdem
Sanxerit esse locum Præsul Metropolitanum.
Ergo pari voto Rex et celeberrimus ordo
Pontificum Sedem Patri statuere priorem :
Walgarius cessit, sic res pacata quievit.

## CAPUT X.

### *Conjunctio Episcopatuum Romæ approbata.*

*Cap 46.* *Præsul et cedit, Romam legatio tendit.*

*Archiepiscopus Coloniensis* Urbs autem Rectore Colonia forte vacabat
Iisdem temporibus, quod rem minus impediebat,
Namque Bremensis ad hanc esset cum subdita Sedem,
Præsulis illius poscebat caussa favorem.

*Februarii T. I.*

Urbis Guntharius tandem moderamen adeptus, D *AUCTORE GUALDONE, EX MSS.*
Hoc ut firmaret, cum Domnus eum monuisset
Anscharius, valde contrarius extitit ; unde *contrarius,*
Warmatia geminis post Regibus urbe consetis,
Hoc est, Lothario magnoque simul Ludovico,
Pontifices regni rem contigit ante referri.
Hoc actum juste cunctis profitentibus, ipse
Contra multiplici cœpit ratione reniti
Guntharius, sese commissæ Sedis honore
Privari, dicendo bonum non esse nec æquum.
Pontificum monitis, postremo rogantibus ipsis
Regibus, et tota synodi suadente corona, *consentit,*
Annuit : et sese promisit legibus esse
Cessurum, canonem si Papa probaret eundem ;
Rex augere suum cupiens opus atque paternum,
Romam Pontificem Salomonem misit, eam rem *missis Romam legatis.*
Auribus inferri Sancti Papæ Nicolai,
Anscharius pro se Nordfridum jussit abire.

*Verbum Papa probat, rem junxit, et inde perorat.* *Cap. 47.*

Quo cultu decuit, Legatos Papa recepit,
Quorum mandatis vigilanti corde volutis,
Hoc fore Catholicum decernens et pie cautum,
Ferre manum populis errorum nocte sepultis,
Regis firmavit votum canonemque probavit; *Papa confirmat*
Esse bonum cujus hic ponere verba putamus : E
Ut lector paucis, aucto quocumque vitato,
Scire velit seriem inter hoc ignobile carmen.
Ut quantum libuit præmissa recensuit, infit
Pagina Romanæ signata notamine bullæ.
Ad nos pervenit hoc omne quod insinuavit,
Missus ab Augusto Præsul Salomon Ludovico,
Nobis explanans, quod sit concessa potestas
Anschario, Scythicis ut sit Legatus in oris *Legationem ejus,*
Sedis Romanæ, pallii redimitus honore.
Et nos Gregorii sequimur vestigia nostri
Prædecessoris, Regumque favendo benigne
Votis magnorum, canonem firmamus, et ipsum
Anscharium sacræ legis decernimus esse
Latorem populis, qui sunt in finibus illis ;
Ut fidei lumen si perlustraverit orbem
Prædicet armatus gladio, cui Spiritus almus
Est acies, per quem squamosum strangulet anguem. *et Archiepiscopatum Hamburgensem :*
Ecclesiam vero, cui mundi præsidet ipse
Salvator, quam Virgo suo sacravit honore,
Nordalbingorum Sedem decernimus esse,
Ut domus ipsa prothos, sit pontificalis et archos
Et, cum naturæ fœdus dissolverit esse,
Successor dignus virgam sibi vendicet ejus. F

*In jus Ecclesiæ Rex urbem simplat utramque.* *Cap. 48*

At quoniam frater Ludovici, filius alter
Augusti Carolus Ludovici, quem pater ejus,
Præsulem et ad Clerum cultuque cibоque fovendum
Hammaburg tribuit Turholt, vehementer ademit,
Quod postquam regnum secuit partitio fratrum,
Cellam continuit, quam Rex in parte recepit,
Francia deciduas mundi qua vergit ad oras.
Altaris sacri custodes atque ministri *Episcopatum Bremensem*
Demigrare loco victu carpere negato.
His igitur caussis siluit legatio Gentis :
Desiit ipsa prope Sedes metropolis esse.
Interea carnis Bremensis Episcopus urbis
Clausit iter, cæci raptus de turbine mundi :
Hæc urbs Ecclesiæ vicina Metropolitanæ
Cum foret, orbatam Rex esse, petere novellam
Immo barbariæ populari prorsus utramque
Prospiciens, sedes uniri sanxit et urbes,
Hammaburgensem supplens, subdendo Bremensem.
Hoc per Pontificem nobis patuit Salomonem
Juris Apostolici firmandum robore nostri;
Discussam juste caussam perpendimus esse,

AUCTORE GUALDONE, EX MSS.

A Proficuam populis erroribus eripiendis :
Cum fieri liceat quod non in lege repugnat,
Ac magis Ecclesiam fit fas augere novellam,
Quæ solet ancipiti casu plerumque moveri.

Cap. 49.

*Roborat edictum subdens anathema tremendum*

Hinc auctore Deo, quod Rex petit, indice Petro,
Hammaburgensem determinat atque Bremensem
Non debere duas jam dici parroechias,
Ut locus alteruter jam non erit unus et alter,
Sed quasi corpus idem, fiet thronus unus et idem;
Archipræsul erit sedem quicumque tenebit :
Ut jam Gregorius decrevit Papa beatus.
Quod tamen Ecclesiæ sublatum creditur esse
Antea Ferdensi, referat de jure Bremensi,
Urbs vero quæcumque Colonia Pontificatu
Extulerit : nullo premat Ecclesiam dominatu :
Insuper ipse, simul Dominum quicumque verentur,
Subveniendo rogamus ut ipsis auxilientur,
Sorte ministerii, Christo quibus auspice, fungi
Contigerit, pro quo cumulatior in Paradiso
Fiat ei merces, qui gentes evocat omnes;
Quem recipit, quisquis recipit, quos dirigit ipse
Ad pietatis opus : quapropter Rex Ludovicus
Quidquid devovit, Christo quæcumque dicavit,
B Robore firmamus, quo Petri jura tenemus.
Et quia nos rerum discrimina præteritarum
Cogunt sollicite, quæ sunt ventura cavere ;
His oblatrantem studiis anathematis omnem
Personam gladio jugulamus, et igne vaporo
Arsuram Sathanæ damnamus sorte gehennæ.

*eximit a jurisdictione Coloniensi.*

## CAPUT XI.

### *Legatio in Daniam resumpta : in Sueciam parata.*

Cap. 50.

*Ecclesiam Danis instaurat munere Regis.*

Ergo modo tali suscepta Sede Bremensi
Anscharius Danis iterum mandata salutis
Tradere fervebat, Regemque frequenter adibat.
Hoc regnum solus tunc forte tenebat Horicus,
Et nunc obsequiis, nunc illum flectere donis,
Cœpit, ut in populum cœli fas pandere regnum
Esset, et inferret terræ mysteria Christi.
Crebrius ergo virum regni pro fœdere missum
Rex inter primos venerari cœpit amicos,
Cujus tanta fides erat, ut decernere Reges
Si quid deberent, mediator Episcopus esset
C Sic in amicitiis admissus Præsul eumdem
Christicolam fieri suadebat sedulo Regem.
Ille favebat ei, captus dulcedine verbi,
Christi præsidium fassus se velle mereri.
Tunc suggessit ei, Christo nil gratius esse,
In ditione sui quam si permitteret ipse
Regnique Ecclesiam fundari quolibet urbe.
Ille pio favit nutu, portuque Sleswich
Ecclesiam fieri permisit, et esse volenti
Converti, liquidam fas currere fontis ad undam.

*S. Anscharius familiaris Regi Danorum*

*ecclesiam Slesvici extruit,*

Cap. 51

*Flore novo fidei seges exuberat paradisi.*

Hoc pietatis opus Pater ergo licenter adeptus,
Nec mora subrepsit, quod inibat, rite peregit ;
Christi Presbyterum, populis Sacramenta daturum,
Ut locus accepit, fidei nova gloria crevit.
Vix Primores baptismatis ante liquorem
Quidam contigerant, multi quoque percipiebant,
Sexus uterque sacris mergi properabat in undis.
Jam tuto portum nautis adeuntibus ipsum
Cunctorum superabat eis opulentia rerum.
Sed cum post undam lavacri superesse quibusdam
Contigerit, niveis pars multa migravit in albis,
Percipiendo quidem Crucis admirabile signum,

*multos convertit,*

D Esse bonum differre sibi baptismatis usum
Credebant, vitæ supremum tempus ad usque.
Ut mox in Domino vitali fonte renati,
Felices animas efflarent immaculati.
Multi languentes, ipsa formidine mortis,
Sese perfundi faciebant rore perenni.
Mox divina salus ægros diffusa per artus
Incolumes morbis homines reddebat abactis.
Si tua, Christe, loco soboles adolevit in illo.

*sanitate variis inter baptizandum collata.*

Cap. 52.

*Quo Simon ire negat, Pastor Sueonibus instat.*

Pro populis etiam Sueonum Pastor habendo
Curam, quod nullus foret in regione Sacerdos,
Regem præfatum deposcere cœpit Horicum,
Ut sibi ferret opem, quo posset visere Gentes.
Paruit oranti Rex auxiliumque spopondit.
Intulit ad Simonem Gautbertum Præsul eam rem
Esse bonum populi mentes iterato probari ;
Ne per neglectum fidei plantatio pessum
Iret, quæ pridem stillaverat in regionem.
Propulsum sese Gautbertus Episcopus inde,
Non audere locum regredi profitetur ad illum,
Plebs iterum recidiva sibi ne bella moveret.
Hoc ipsum potius luctamen inire deceret,
Qui prius ad Gentes tulerat mandata salutis,
E Et nihil adversi fuerat perpessus ab ipsis ;
Se non posse, suum tamen allegare nepotem,
Qui Sacramenta Dei populis aperiret eisdem,
Inter eos habitans, tenebris si forte remotis
Lumen Evangelii radios infunderet orbi.
Hoc ita proposito rem Cæsaris auribus ambo
Insinuant. Rex in Domino laudabilis illud
Approbat, et Christi præconem dirigit illuc
Ad Regem terræ, genitor quod fecerat ante,
Dans privatarum rerum mandata seorsim.

*Gaudberto reditum in Sueciam recusante,*

*instructus Regum litteris ipse eo abit,*

Cap. 53.

*Spicula sollicitæ menti sunt dicta Prophetæ.*

Ut super Anscharium legatio pependit,
Ardor eum Divinus ad hoc impellere cœpit.
Accelerare viam suadebat visio quædam :
Propter iter dubium curarum turbine pressum
Devenisse locum se viderat, ordo domorum
In quo multiformis erat, multique recessus.
Vir percurrit ubi quidam, sibi, Parce vereri,
Dicens, neve via te sollicitaverit ista :
Hic etenim quemdam tibi noveris esse Prophetam.
Menti ne qua tuæ dubietas possit inesse,
Hoc animadvertas, quondam clarissimus Abbas
A Domino missus tibi vates est Adalardus.
Ille refert : ubi nam dic, quæso, videbo Prophetam?
Per te repperies, inquit, fas prodere non est. F

*animatur memoria factæ sibi olim visionis,*

Cap. 54

*Circuit et dubitat, coram venit ille Propheta.*

Vestigando virum gyrabat in orbe domorum,
Hoc volvens animo : Vatem sic esse probabo,
Si secreta meæ mentis patefecerit ipse :
Cum subito quamdam jucundi luminis aulam
Ingrediendo, senem vidit sublime sedentem,
Agnovitque virum, qui sic est orsus ad illum :
Insulæ et populi procul hoc attendite verbum :
Te Deus ab utero matrisque vocavit ab alvo,
Os dedit ut frameam, manuum te fovit in umbra,
Te velut electam pharetra condendo sagittam :
Servus, ait, meus es, qui per te glorificabor.
Hoc dicendo manum protendit, et intulit : Et nunc
Gentibus in lucem Dominus Deus inque salutem
Te dedit, extremæ fines telluris adusque,
Spectabunt in te Reges coramque toparchæ
Surgent atque colent Dominum te glorificantem.
Hoc igitur verbum cum viderit ante profectum,
Afflatum sese credebat cœlitus esse,
Iret ut ad populos Aquilonis in orbe remotos :
Palma martyrii sperans se posse beari.

*et verborum S. Adalardi.*

CAPUT XII.

A

## CAPUT XII.

### *Legatio Sueciæ. Ecclesia constructa.*

Cap. 55. *Quanta viro virtus sit, Olef commendat Horicus.*

*Inducitur a Legato Regis Daniæ,*

Ergo viæ tamdem Pater aggrediendo laborem,
Secum prædicti legatum Regis Horici
Deduxit pariter, qui Regi diceret Olef :
Rex servum Domini Ludovicus dirigit ad te,
Quem per cuncta mihi spectatum noveris esse,
Moribus insignem, sanctumque, virumque fidelem.
Hunc ego (nam virtus homines superemmet ejus,
Quos rego) Danorum populis inducere cultum
Catholicæ fidei permisi : quæso, quod ipsum,
In ditione tui possit disponere regni.

Cap. 56. *Præveniendo senem Sathanas everterat orbem.*

*reperit Sueciam turbatam,*

Exactus igitur bis denis ferme diebus
Appulit ad Byrcam : Regem populique catervam
Dæmonis impulsu nimio fervere tumultu
Repperit errorum ; præveneral ergo beatum
Forte virum quidam, qui terræ numina quemdam
Diceret inter se conventum constituisse,
A Divis ipsum populis notescere missum.
Hactenus a nobis in pace plagam tenuistis,
B Felices vobis fuimus, dum nos coluistis.
Sed cadit a vobis nunc rarior hostia nobis,
Idque quod est gravius nobis, inducitur unus
Ecce Deus, sacris nostris inimicus et aris.
Quod si forte parum nobis impendere cultum
Est vobis, vestrum Regem cum scimus Horicum,
In cœtu nostro Deus iste domesticus, ergo
Nosque simul votis placate : sed illud
Æternum numen vestrum non intret in orbem.

Cap. 57. *Vulgus cum terret, plaudit Rex, et bene spondet.*

Hic igitur populos adeo perverterat error,
Vota quod offerrent, quod thurificando litarent
Defuncto Regi, posito fundamine templi :
At Pater antiquos super hoc convenit amicos ;
Qui dixere, virum frustra venisse, nec illum,
Ni redonat sese, vivum decedere posse.

*Regem convivio excipit,*

Se nihil ille refert mortis terrore daturum :
Pro Christo potius tormenta subire paratum.
His super afflictus diverso turbine mentis,
Cœpit consilium, Regem sibi nectere donis :
Convocat hospitio, mensam proponit, et offert
Munera, tum demum quod vellet, apertius infert.
Alloquio dulci Patris obsequioque frequenti
C Illectus, plane sibi Rex mandata placere
Asserit : ante tamen populi per seditionem,
Non jussu Regis, fore de regionibus illis
Propulsos quosdam, nunc se decernere caussam

*prospero successu.*

Solum non posse, nisi numina consulat ante.
Sed tuus intersit præsenti nuntius, inquit,
Si vis, in placito mecum, populumque rogabo.
Sortibus arcanum scrutabor velle deorum.
Et tu quod quæris si diis fautoribus ipsis
Vulgus laudarit, tua res tranquilla manebit :
Verum quicquid erit tibi nuntius insinuabit.

Cap. 58. *Cessurum præscit sibi cœlitus, omne quod ambit.*

Accepto Regis responso præco salutis
Christi præsidium tutumque petivit asylum,

*Imploratum Dei auxilium ad, re intelligit*

Esurit, et vigilat, flet, humi sua membra volutat.
Volveret ergo virum cum tanta molestia rerum,
Jamque propinqua dies placiti foret, accidit inter
Cœlestem mensam dum forte litaret ad aram
Presbyter, infundi Sanctum spiramine Christi :
Concipiens equidem Divinum pectore rorem,
Novit uti vellet sibi res cessura quod esset.
Inde Sacerdotem monuit ne forte timeret,
Cum sibi pro certo virtus divina faveret,

Quod Fratri patuit, qua multis ante probavit
D Indiciis rerum solari cœlitus illum.
Fit Patris ergo fides rara : Rex nam scilicet Olef

*AUCTORE GUALDONE, EX MSS.*

Primo Principibus mandata recensuit ejus :
Quærere per sortem Divum statuere favorem.

*sorte in fidei favorem educta.*

Protinus in campum, veluti mos poscit eorum,
Egressi missis viderunt sortibus, illis
Velle Deum, quod vera fides adoleret in oris.
Res ea Pontifici statim differtur amici
Indicio, se confortet, soletur, agatque
Pectore constanti, quoniam Deus annuit illi.
Exilit Angelicus Pater hoc solamine fultus.

Cap. 59. *Turba fremit, senior verbum facit, et silet error.*

Lux ubi processit placiti, Rex ipse coegit
In Byrca populum ; tum morem præco secundum,
Quid velit Antistes, cœtum promulgat ad omnem.

*Tumultu populari*

Exoritur mixtus clamor creberque tumultus ;
Infidum vulgus querulum facit error iniquus.
Murmure confusis fremituque strepentibus illis,
Surgens in medio quidam provectior ævo,
Sic est ad Regem populumque locutus eumdem :
Hujus jure Dei cultura probabilis, inquit,
Est, in se cum præsidio sperantibus adsit.
E Quam rem supremis experti sæpe periclis.

*a seniore perorante*

Ex nostris quidam Dorstadi sponte lituram
Chrismatis et sacrum jam percepere lavacrum.
Quærere quam libuit procul, ad nos gratia venit.
Et nunc in manibus spem libertatis habemus.
Utile consilium cur ergo repellimus ? istum
Res probat esse Deum qui summovet omne periculum.
Inter nos servos hujus habitare sinamus.

*(hic desunt versus aliquot, ut patet, etiam in libro prosaico ita notatur)*

. . . . . . . . . . . . . . .
Edici nequeunt, vel si succurrere nolunt.
In quo certa salus, hunc nobis conciliemus.

Cap. 60. *Cœtus abit : causæ pars consonat altera terræ.*

*sopito.*

Talibus oranti plausit collectio vulgi,
Ut Christi domini cultores atque ministri
Inter eos habitent, et munia sacra frequentent.
Conventum solvit Rex, et notescere fecit
Anschario verbum : se vero cedere nondum
Posse licenter ei, donec pars altera regni,
Ad quam deferret caussam, consulta probaret.
Ergo die placiti, cum rursus in agmine vulgi
Rex per præconem rem declarasset eamdem,
Totius turbæ sonuerunt ora favore.

Cap. 61. *Rex flat, et unda fluit, stat Presbyter, ille recedit.*

F At ubi, quæ voluit, populo plaudente, peregit,
Advocat ad sese Sanctum Rex, ecclesiasque

*ecclesiam exstruit,*

Dat libertatem fabricandi per regionem :
Esse Sacerdotes secum decernit, et omnes
Qui vellent liquidis mersare licenter in undis.
Præsul Heribertum, quem diximus esse propinquum

*præficit Heribertum,*

Gautberti, manibus Regis commisit, ut ejus
Mystica præsidio sacra protegeretur agendo.
In vico fundum, quo conderet ille sacellum,
Rex dedit, ære domum Pater ipse coemit et hortum,
Inde Sacerdoti quoniam deferret honorem, *redit*
Rege sibi spondente suam remeavit ad urbem.

## CAPUT XIII.

### *Incrementum Ecclesiæ in Suecia. Victoria bellica.*

Cap. 62. *Objicit in somnis sua Christi terga flagellis.*

Hunc Pater angorem mentisque viæque laborem
Præscivit longe, navim quam solveret, ante.
Viderat in somnis vinctum cæsumque flagellis

*Passione Christi in raptu visa*

Ut quondam, Christum, tormenta Crucis subiturum.
Jeru

A Jeru forte Salem sese præsente per urbem
AUCTORE GUALDONE, EX MSS. Herodi duci, rursum sub Præside sisti,
Passim militibus Domini laniantibus artus,
Cum colaphis gemeret, cervix faciesque maderet
Immaculata sputis, sese proripuit et ipsis
Flagris oppositis plagas suscepit et ictus
Tergo, procumbens igitur laterique cohærens,
Cetera cum prorsus tegeret loca corporis ejus,
Nam sibi præstabat, caput obvelare nequibat.
Hæc Domini miles, quid visio significaret,
Non intellexit primo, sed ubi inde redivit,
Tractanti secum, per quot discrimina rerum
Transierit, quantum fuerit derisus, in illum
*confirmatur in adversis perferendis.* Evomuere viri convicia quanta profani,
Claruit hæc in se Christum maledicta tulisse.
Sed Christi caput est Deus, ejus membra fideles,
In quibus affecto patitur pietatis agones.

Cap. 63. *Dira bella Chori committunt omine Dani.*

Quanta salus Christum sic credere, barbara demum,
*natio* Natio contemnit, bellorum sorte probavit.
Quædam, dicta Chori, Scythici gens incola mundi,
Cum foret imperio Sueonum subdita, rupto
Fœdere dissensit, pactumque fidemque revulsit.
B Nec latuit Danos ea res ad bella protervos.
*Curlandos de Danis victores,* Ergo manu valida cum multa classe coacta,
Fluctibus expensis appulsi ad littora gentis,
Insistunt bello, dominandi tanta libido,
Prædæ tanta fames. At regni quinque per urbes
Divisus populus tanto terrore tumultus,
Una convenit, totisque resistere cœpit
Viribus, et Danis ingenti cæde subactis,
Ad mediam partem pertritum perculit hostem:
Pars abit infaustæ classis, patet altera prædæ,
Ac nimius argentum victrix pervasit et aurum,
Vasa virum, vestes, clypeos, sua tela, bipennes.

Cap. 64 *Occupat et delet Segeburg, exercitus Olef.*

Casu Danorum comperto Rex Sueonum
Olef collegit naves totumque coegit
*Sueci oppugnant* Imperii gentem; cupiens acquirere nomen:
Si victor Danis animo præstaret et armis,
Ac fieret terræ Rex et dominator, ut ante.
Æquore transvectis igitur portuque receptis
*Segeburgum invadunt,* Navibus in tuto, glomerantur et impete facto,
Illius regni quandam properanter adorsi
Munitam septem pugnantum millibus urbem,
C Expugnaverunt Segeburch ignemque dederunt.

Cap. 65. *Imminet Appuliæ. Mars arma cruentat utrimque.*

Inde viri primo successu robore sumpto,
Puppibus eductis pelago, portuque relictis,
Per terram peditus discurrunt quinque diebus.
Ter quinis celebrem bellantum millibus urbem
*Appuliam obsident.* Ampuliam, spoliis, armis, opibusque potentem,
Aggere circumdant et muros ariete pulsant.
Turribus e summis cives pugnando resistunt,
Missilibus saxisque viros sudibusque repellunt,
Atræ grandinis instar utrimque volatile ferrum
Errat et incautis infert lacrymabile fatum.
Traxerat ambiguus bellum labor octo diebus:
Nulla quies intra, creberrimus impetus extra,
Et sine spe palmæ fragor, hinc concursus ab urbe,
Plaga, dolor, gemitus, sanguis, furor, ira, tumultus,
Par erat exclusis, par valli robore clausis.

Cap. 66 *Missa sorte gemunt, quod castris numina desunt.*

Nona dies pugnæ Sueonum pectora fregit.
Corde manus tremuere, simul vigor ossa reliquit.
Decernunt quid agant, redeant, urbemve relinquant?
*Auxilio a Diis non impetrato,* Sed procul est classis, via longa, gravissimus hostis
Imminet a tergo, mors est sibi sæva cupido; D
Ecce mori metuunt, et bello cedere nolunt.
An urbem vincant armis sanive recedant,
More suo missis inquirunt sortibus: illis
Ast quia præsidium dii nolunt ferre, repertum.
Dicitur in castris, ubi diræ missio sortis,
Invasit nimius horror miserabile vulgus:
Flent, lugent, ululant, gemitu planctuque cruentant
Pectora, se mœstis incusat turba querelis.
O miseranda manus, gens perdita, quo fugiemus?
Nulla fugæ, spes nulla viæ: nos deseruere *dolent,*
Numina, castra Dii nolunt infausta tueri.
Sunt procul inde rates: cædendo sequetur euntes
Hostis, et ut pecudes ferro sternemur inertes.

. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . Cap. 67.

Jam sine cæde viris sola formidine fractis,
Dogmatis Anscharii memores, errore pericli,
Quidam nautarum Christum sensere probandum
Sortibus, offerri sibi munera, vota voveri,
Utrum vellet eis iter hic aperire salutis;
Qui Deus adversos retro committere casus *Christum invocant,*
Et valet, et miseros solet exaudire rogatus.
Mittitur ergo Ducum monitu, populique precatu
Sors, et felici casu canit auxiliari
Velle sibi Christum: quod ut est in castra relatum, E
Clamor lætitiæ summo ferit astra fragore.
Robur et ingenitus juvenum vigor induit artus.
Concurrunt alacres animis, virtute potentes,
Funditus eversis urbem rescindere muris.
Quid formidandum jam nobis, quidve timendum?
Exclamant. Deus omnipotens hæc castra tuetur:
In manibus nostris victoria certa tenetur.

*Civis fœdus init, pubes armata resistit.* Cap. 68.

Jam circum muros acies directa, sub armis
Stabat, et eductis gladiis horrebat et hastis.
Urbis conclusæ cum proclamatur ab arce,
Ut cum rege sibi sit copia concionandi.
Cedit et assultum cohibet Rex atque tumultum:
Cives continuant et sic de pace perorant:
Parcite jam nobis, potior concordia bellis
Est, et in hoc fœdus vobiscum percutiemus.
Bello navali Danis æstate priori
Quidquid in argento, tulimus quoque quidquid in auro, *victoriam obtinent*
Arma, rates, vobis dabimus pro pignore pacis,
Pro maribus nostris, quos continet ambitus urbis,
Argenti mediam capitum per singula libram,
Vectigal solitum super hoc reddemus in annum.
Obsidibusque datis in fœdere conditionis
Subjicimur vestræ ditioni, sicut et ante. F
Hæc mollire tamen juvenum promissa ferocum
Non poterant animos: ira belloque frementes
Conspirant ferro flammisque regalibus urbem
Perdere captivam, terris abducere gentem.

*Rex pacem statuit, datur obses, et urbe recedit.* Cap. 69.

At Rex et primi Procerum de pace locuti,
Congressu pugnæ pactum sibi tutius esse, *accepta præda redeunt*
Iram fregerunt juvenum, dextrasque dederunt.
Ter denos vades igitur pro pignore cives
Tradunt: argenti numerari summa vel auri
Non potuit, numerum superavit copia rerum.
Legibus impositis terræ de pace colonis,
Solvitur obsidio. Sueones Marte secundo
Gavisi, repetunt naves, patriamque revisunt.
Confessi Christum, per quem meruere salutem,
In virtute deos super omnes esse potentem.
Inquirunt, quid agant, illi quæ vota rependant.
Auspice quo tanti sibi sit data palma triumphi.

*Nauticus in totis favor est in laude Tonantis.* Cap. 70.

Quidam de nautis, qui Christi nomen haberent,

Edocuere

A *persolvunt vota jejunia.*
Edocuere viros, ipsi quæ vota voverent.
Scilicet appulsis ratibus felicibus undis
Ad patrium littus, cum septem luna diebus
Cederet auroræ lucis hebetata rubore,
Jejunando dies septem non tangere carnes,
Inde quater denis epulatos carne diebus,
Continuare quater decies jejunia rursus
Omni complacuit populo, totumque peregit :
Sobria Catholico ritu jejunia multi,
Inter eos duxere dehinc in nomine Christi,
Et quia didicerant Christo nil gratius esse,
Mendicos fulcire bonis cœpere benigne.
Heribertus eos inter sic dogma sacerdos
Catholicæ fidei pandebat plebe faventi.

## CAPUT XIV.

### *Incrementum Ecclesiæ in Dania inter persecutiones. Viri Apostolici in Sueciam missi.*

Cap. 71

*Rex interficitur, gens sævit, terra movetur.*

Contigit hæc inter piratas insidiari
*Horrico seniori* Regno Danorum, certamen et inde moveri :
In quo confossus quoque Rex defecit Horicus,
B Occubuere Duces terræ simul atque Tribuni,
*succedit alter Horricus.* Rerum Pontificis fautores, ejus amici.
Regni primatum junior suscepit Horicus :
Alteritas Regum fuit immutatio rerum.
Consilium regni Proceres vertere moderni,
Cum quibus Anscharius, senior dum vixit Horicus,
Fœdus amicitiæ nullum devinxerat ante.
Unde novum Regem suasere, juberet ut ædem
Funditus Ecclesiæ subverti stantis apud se,
Et terra pelli penitus mysteria Christi :
*Sacerdos Sleswico pellitur,* Se mala perpessos offensaque Numina dicunt,
Induci regno, quod barbara sacra tulerunt.
His permotus Horich Vicecomes ipse Seleaswich
Sacrilegæ mentis vir, Christi legibus hostis,
Ecclesiam claudi jussit, cultumque relinqui
Legis Divinæ; compulsus Presbyter inde,
Discessit profugus tanti terrore tumultus.

Cap. 72

*Mens præsaga senis fit certa vocamine Regis.*

Fecerat Anscharium cum sollicitudine tristem
Res ea, quod veterum nullum cum Rege fidelem,
Qui sibi præsidium conferret, habebat amicum.
Humana privatus, opem sibi more petivit
Divinam solito nec eum spes illa fefellit.
C Namque superna viri mentem solatio certam
Reddidit, ut sciret rabiem nil posse malignam :
Quod fidei lumen tenebris operiret ibidem
Nubes erroris, pallens caligine mortis.
Exitus edocuit, quod mens præsaga futurum
Viderat, ad Regem quoniam pro rebus iturum.
*revocatur,* Nuntius ante diem Regis prævenit, eumdem
Tum mandantis ad ecclesiam debere remitti,
Velle patrociniis sese committere Christi,
Nil in amicitiis a se minus esse colendum,
Pontificem coluisse senem quam sciret Horicum.

Cap 73.

*Pontificem donat Rex, et jus omne reformat.*

Ergo Pater super his cum Regem sanctus adisset,
Et coram Burgardus eum Comes exhibuisset,
Nobilis et magnus Regi vir utrique propinquus,
Quo fautore senem sibi conciliarat Horicum,
Senserat et fidum per cuncta negotia rerum,
Rex gratanter eum summoque recepit honore,
*altera ecclesia conceditur Ripæ.* Restituitque libens regali jura favore,
Jam collata sibi dono senioris Horici,
Ecclesiæque nolam trabibus permisit ab altis
Appendi, quod grande nefas erat ante profanis :
Cessit et in portu regni, qui Rippa vocatur,
Ut domus ecclesiæ nova Christo construeretur.

*Is venit, hic intrat, redit hic, et febre laborat.* D

*AUCTORE GUALDONE EX MSS.* Cap. 74 *In Sueciam missi*
Anfridum quemdam nutrirat Episcopus Ebo
Ordine Presbyterum, sed carnis origine Danum :
Qui per tempus idem Sueonum missus in orbem.
Mansit apud populos, præfatus et inde Sacerdos
Venit Erimbertus. Cum vero Presbyter idem
*Anfridus,* Gente favente sibi tribus annis esset ibidem,
Præsulis audito Gautberti fine secessit,
Inde dies aliquot post vitæ tempora clausit
Ultima, correptus febre, carnis morte solutus.

*Presbyterum spoliat latro, nudum Christus adoptat.* Cap. 75.

Anscharius, ne forte fides ibi cœpta periret,
Anxius, ad populum, cœli qui rore rigaret
Corda, Regimbertum satis hoc operamine dignum
Mittere disposuit : sed Presbyter ille Seleaswich,
*Ragembertus,* Quo portu puppes stabant, et nautica pubes,
Cum peteret, captum manus impacata latronum
Detinuit, res diripuit, nudumque reliquit.
Hic ad nos rediens felici morte beatus,
Transiit ad superos, terris pro parte retentus,
Quo mundi Regina die de carne migravit
Et regni solium super astra Maria locavit.

E

*Tota Sacerdoti gens est cum Rege favori.* Cap. 76.

Impatiens animi Pastor turbatus in hac re,
Impositis manibus alium sacravit, eumque
Misit, ut in populis impleret opus Deitatis.
Illi Riberto nomen, natalis origo
*Ansbertus,* Et genus e Danis erat : hunc rex totaque gentis
Excepit digne facies, habuitque benigne.
Huic etenim Pater ille pius legarat, ut omnem
Turpis avaritiæ mallet contemnere labem,
Neve quid a populo peteret, manuumque labore
Tegminis et victus usum sibi quæreret ipse.
Sic inter Gentes statuit quos esse ministros
Omnes commonuit, quod si quid propter amicos
Lucrandos dandum foret, a se sanxit habendum.

*In fervore senis cor Spiritus urit Ebonis.* Cap. 77.

Quamvis semper eum per tot discrimina rerum
Unxerit interius Divini gratia roris,
*Excitatur S. Anscharius zelo Ebonis* Ne torpore pii curam laxaret agonis;
Hoc tamen in studio vehementer Episcopus Ebo,
Cui fuit in primis legatio credita Gentis,
Illius mentem verbis animantibus igneis
Inflammarat, ut in populis mandata salutis
Promulgaret, et intrepidus luctaminis hujus
F Curreret in stadio : pro gentibus ille vocandis
Cœlitus æterni flaminis flagrabat amoris,
Cujus adhortatu Pater hic pro nomine Christi
Bella gerens, nullo potuit terrore moveri.

*Quod labor in Domino fructum ferat, asserit Ebo.* Cap 78.

Multis quippe virum monitis formaverat Ebo :
Sed tamen illius nunquam de pectore sermo
Inter eos habitus supremo affamine, prorsus
Evelli potuit, nec Præsulis ore recessit.
*et ultimo colloquio:* Nam quæ passus erat cum Dominus Episcopus illi
Ærumnas retulisset, eumque rogaret ut ipsi
Quid super hoc esset sibi visum dicere vellet :
Tunc velut afflatus divini Numinis aura,
Responsum dedit : Est nil spe mihi certius ista,
Fructificante Deo quam quod labor iste maniplos
Colliget, et fructum dabit : at si quando procellam
Humani sceleris tempestas moverit ullam,
Non tamen arebit penitus, sed fructificabit
Fruge salutari, nomen laudabile Christi
Finibus externis dum dilatabitur orbis.

*Fregit nulla virum vis, aut populatio rerum.* Cap. 79.

Sic desiderium succenderat ardor eorum :

Tanta

A Tanta fides animi direxit ad extera mundi
AUCTORE GUALDONE, EX MSS.
Regna viros, sacræ pro religionis amore :
Adversus Zabulum Christi sic arma tulerunt,
A quo non dubiam palmam sudoris habebunt.
Hæc pietas, hic verus amor, hæc gratia numquam
Cessit ab Anschario, genus implacabile quamquam
Piratæ raperent famulos terrasque gravarent
Ecclesiæ crebris incursibus; ille beatus,
*orat pro Gentilium conversione :*
Ille pius, mitis, patiens Pater, atque benignus
Orabat Dominum semper, ne veteret illis
Hoc in peccatum, quod gens intenta rapinis,
Quam delusisset Sathanas erroribus, esset
Ignorando Deum rebus damnosa piorum.
Hoc adeo viguit mentis fervore per omne
Tempus, quod summo positus languoris agone,
Non tamen ante suæ disponere sortis omisit
Munia, quam moriens oris spiramina clausit.
In quo proposito præventum credere fas est,
De tumulis hominum caro mortua quando resurget,
Multis Danorum comitantibus et Sueonum,
Quos salutavit, cum conscendere regna polorum.

## CAPUT XV.

*S. Anscharii pœnitentiæ, preces, eleemosinæ.*

B *Et parvo victu, scabro se mulctat amictu.*

Cap. 80.
Ferbuerit sane constat pro Gentibus ipse
Quantum salvandis : superest evolvere qualis
Extiterit, sanctam quo duxerit ordine vitam.
Quantus Corbeiæ fuerit novere priores :
Sicut fama refert, mirandus apud seniores
Vixit adhuc juvenis, nimii fervore rigoris :
Jam vero promotus ad arcem Pontificatus,
Augmentum capiendo pios excrevit in actus.
Cum zelando Patres, vitam sequeretur eorum,
Martinum sanxit specialius esse sequendum.
Cilicio subtus nudos obvolverat artus,
*cilicio induitur,*
Usu nocturno, non tantum dico diurno,
In verbo Domini populis prodesse studebat.
Liber ab officiis aliquando remotus agebat :
Ad quod opus cellam sibi vir fabricaverat aptam :
*amat solitudinem*
Nomen et Placidus locus et mœroris amicus.
Otia duxit in hoc remoratus dogmate secum
Cum paucis, quotiens siluere negotia rerum :
Ecclesiæque tamen sibi prætulit utilitatem,
Dum viguit corpus, dum rexit membra juventus,
Dimensos latices, appensos pondere panes,
*parcus in victu,*
Degere cum licuit, solum sæpissime sumpsit.
Gloria vana viri quo tempore cor terebravit.

C *Quis foret ignorat, dum vana mente superbit.*

Cap. 81
Cœperat ergo sibi vir maximus esse videri,
Qui sic tale fatuis tenuisset viscera carnis.
Sensit ut internus pestis crudescere virus,
Sollicitus pro re, precibus sibi consulit ipse.
*vanam gloriam vitat*
Nocte soporifera torpebant languida membra,
Reppulerat carnis somnum vigilantia mentis :
Se super astra rapi, fauresque dehiscere mundi
Vidit, ut horrendæ vallis baratrum, tamen inde
Felices animas consurgere lucis ad auras
Angelico ductu : sed in ipso vallis hiatu
Quædam sementis species apparuit illi,
Unde genus hominum carnis prorumpit in ortum.
Aspiciendo stupor totum pervasit et horror :
Horruit aspectu super hoc mirabile visu :
Audiit et vocem se pertractare jubentem,
Præsentis vitæ quo processisset in esse
*visione originis humanæ*
Principio, dictumque sibi fuit : Ergo videto,
Unde superbit homo modo, quem sic vilis origo
Et cum peccatis peperit in convalle doloris,
Et si quid bonitatis habet, non accipit a se :
Luminis est a Patre bonum quo ducitur omne.

D
Ortus ergo tui primordia commemorabis,
Si cor ulterius turbaverit improba pestis :
Et tibi subveniet Deus, et vis illa recedet.

*Escas, non potus, auxit ruinosa senectus.*

Cap. 82
Ast ubi consenuit, non sic jejunia duxit,
Sed tamen hausit aquam semper, licet auxerit escam,
*senior minus jejunat,*
Ni quia vitando vanæ contagia laudis,
Quæ bibiturus erat, modicum stillabat in undis,
De potu tenuem nihil indulcando saporem.
Indulgere cibis si compulit ægra senectus,
Sparsit opes, fuditque preces : operatio virtus,
Virtutum radix, et earum sedula nutrix.
Captivos de servitio plerosque redemit
*captivos redimit :*
In libertatem, quorum sub jure redegit
Christi nonnullos, Divinis usibus aptos.

*Languet amore, sitit lacrymas, et habendo profundit.*

Cap. 83.
Quam fervens in amore Dei fuit et studiosus,
Indicio libros, quos ipse notavit, habemus,
In quibus Omnipotentis laus æterna resultat;
*libros pios conscribit,*
Tum delinquentum correptio crimina multat,
Laus quoque perpetuæ lucis terrorque gehennæ :
Id quod lamentum producit, corda legentum
Emollit lacrymis, stimulis et pungit amoris.
E Hoc desiderium senis insatiabile Fratrum
Multis Corbeiæ veteris, plerisque novellæ
Notuit, his libris aliquid conferre rogatis :
Sed lacrimas ciens, et luctu pectora scindens,
Pagina nulla sibi poterat satis esse, volenti
*in lacrymas effusus*
Perpetuo mœrore suam producere vitam.
Nam licet assiduo lacrymarum rore maderet,
Cor tamen ardebat, cum mens liquefacta sitiret.
Tandem supremo Dominus sibi præstitit anno
Ætatis, vellet quotiens, ut flere valeret.

*Conterit in Psalmis pigmentum nectare mellis.*

Cap. 84
Ex sacris collecta libris oramina Psalmis
*preces sibi e Psalmis format,*
Aptavit quædam cordis quoque alentia flammam,
Quod genus orandi placuit Pigmenta vocari,
Quod sibi tota per hæc modulatio dulcior esset.
Quæ non verborum phaleris sterilive lepore
Texuit, interno permiscuit illa sapore :
Et nunc judicium collaudat Cunctipotentis,
Glorificatque pios, modo sontes luget in illis,
Omnibus esse tamen se judicat inferiorem,
Decantando quidem Psalmos, in fine silebat;
Et tacitus psallente choro pigmenta tenebat.
Pandere nolenti quidam cum posset apud se
Vix precibus multis extorsit, quæ tamen ipse
F Scripta sibi, vivente viro, non prodidit ulli :
Exposuit vero post mortem scire volenti.
Inter psallendum contexere rete solebat :
Non linguam, non ipse manus torpore sinebat.

*Nox, aurora, suos habet, ara, cubatio, Psalmos.*

Cap. 85.
Disposuit Psalmos, et quos in nocte citaret,
Quos redeunte die quos dum libare pararet,
*eos per tempora disponit :*
Quos jam discinctus dum lecto poneret artus.
At cum mane sibi velamina circumferret
Muniretque pedes, oculosque manusque lavaret,
Os Letaniæ cantu resonabat, et inde
Ibat ad Ecclesiam, tum tres aut quattuor adstans
Missas rite sibi faciebat concelebrari.
*Missas audit, celebrat.*
Tempore legitimo Missæ solemnis agebat
Ipse ministerium, si non audire volebat.

*In sumptus inopum decimat pecus atque metallum.*

Cap. 86.
Jam vero quam pauperibus pie prodigus iste
Vir fuerit, quantum dederit, comprehendere mente
Non opus est : in amore Dei discrimina passis
Subveniendo ferebat opem pro posse : nec illis,
Indigenas terræ tantum quos noverat esse,

Indigenas

AUCTORE GUALDONE, EX MSS.

A Longinqua positis sumptus dabat in regione.
*Largus in eleemosynis dandis.* In Brema stabulum speciale dicavit egenis:
Hinc de contiguis decimas conducere villis
Constituit, quibus æger, inops, peregrinus, et hospes
Esset babendo cibos recreato corpore sospes.
At pecudum decimas ex omni Pontificatu
Ad se spectantes, inopum dirimebat in usu.
Nec minus argenti censum decimabat in anno.
Rursus ab integro decimans animalia quinto,
Omne caput decimum manibus tradebat egentum.
Porro monasteriis quod cederet in ratione
Argenti quartam partem discrevit in hac re.

Cap. 87. *Æs tulit in zonis, ne pauper abiret inanis.*

Ergo super viduas, pupillos, anachoretas.
Maxima cura sibi, pasci, munuscula mitti,
Corpora subsidiis recreari, pectora verbis :
*secum fert nummos in usum pauperum,* In zona propria semper pendente crumena
Ibat cum nummis, pauper si quando veniret.
Nec foret œconomus præsens, ut munus haberet:
*Job. 31. 16.* Illud Job studuit de se complere, quod inquit,
Ne faceret viduæ cunctari lumina, sicque
Orbis erat cœco, claudo pes, tutor egeno.

Cap. 88. *Corporis ima lavat, pauper sedet, ille ministrat.*

B Omni vero die sacrati temporis, in se
Quod quater decies currit, faciebat egentes
Quatuor induci, sexus utriusque Bremensi
*eorum pedes lavat,* Hospitio, maribusque pedes Pater ipse lavabat :
Hoc quædam, Dominum metuens reverenter, agebat
Pro se fœmineis incumbens fœmina plantis.
Si per Episcopii terras aliquando migraret,
Primum pauperibus domus, ad quamcumque veniret,
Poneret ut mensam, sibi desudabat in escam.
In quibus obsequiis adeo fore promptus, ut imbres
Funderet in manibus, misceret pocula panes
Inferret mensæ, sic demum accumberet ipse,
Hospitibus secum conscitis ad comedendum.

Cap. 89. *Mœsta probarit anus, quantum fuit ille benignus.*

Fas est exemplis, cujus fuerit pietatis,
Promere : nunc versu, quod claruit indice visu,
Expediam. Viduæ cujusdam captus ab hoste
Filius, in regnum ductus fuerat Sueonum.
*captivum matri reddit.* Præsul enim juvenem, descendens in regionem,
Exilio solvit pretio, secumque reduxit
In patriam, mater quem cum genebunda videret ;
Immaduit lacrymis animo gaudente profusis.
Res inopina boni pectus muliebre resolvit,
C Nec minus undanti fletu Pater ora rigavit,
Et juvenem viduæ comitem permisit abire,
Liber abit servus lacrymis auroque redemptus :
Accepit fletum pietas, quæ præbuit aurum,
Et tamen ingemuit ; pareret, cum gaudia, flevit

## CAPUT XVI.

### *Illustrationes divinæ. Miracula.*

Cap. 90. *Omnia præscivit, nec eum res ulla fefellit.*

Ergo beatus homo, quia civis erat Paradisi,
Crebrius æternis splendoribus irradiari
In terris meruit : vel cum sopor ossa rigaret,
*Revelatione divina futura cognoscit.* In somnis arcana videns ; aut cum vigilaret,
Sive per excessum, vel mente per interiorem
Intuitum, fere rem venturam noverat omnem.
Si foret interdum magnum quid forte gerendum,
Nil inconsulte statuens, optabat habere
Tempus tractandi secum, dum cœlitus illi
Gratia suggereret Domini, quid rectius esset.
Sic animo certus caussam fidenter agebat :
Jamque Sion montem trepidatio nulla movebat.
Sed quæcumque sibi locupletius emicuerunt
In somnis, adeo mysteria certa fuerunt,
Ut nequeat falsi quid eum vidisse probari.
Argumenta fidem faciunt in rebus apertis,
Visus et auditus dijudicat in manifestis.

*Per visum terræ Pastor decernitur esse.* Cap. 91.

Ergo prius Bremam quam processisset ad urbem,
Præsul ut esset ibi, devenerat in regionem
Quamdam per visum, peragrans ea Tempe, beatum
Introitum vitæ qui pandit in æthere, Petrum
Repperit, et valde mirari cœpit, et ecce
Advenere viri quidam de Gente petentes,
Ut Præceptorem legaret Apostolus illis.
*In visione agnoscit se datum Pastorem* Vobis Pastor erit, coram quem cernitis, inquit.
Hic vir ut Anscharium promovit, tum sibi visum
Est magno terram motu tremuisse, ruinam
Perpessam, terræ vocem venisse super se,
Quæ pluit in mentem tantæ dulcedinis imbrem,
Ut se perfundi flatus aspergine sacri
Sentiret, totum Christi novitate refertum.
Vox delapsa fuit benedictio. Postea vidit
Prædictos iterare viros, ut quemlibet illis
Doctorem legaret Apostolus. Ille modestis
Respondit veluti dedignans : Nonne ego dixi
Quod vobis iste deberet Episcopus esse.
Idcirco super hoc audistis ab æthere vocem E
Advenisse sacri spiraminis, oppilionem
Ut sacraret eum vobis. Hic excita somnum,
Ut solet, excussit sibi mens ; et visio cessit.
Post tamen annalem sol ter circumtulit orbem,
Quam Bremensis ad Ecclesiæ consurgeret arcem ;
Quolibet ob Dominum cum se præscriret iturum.

*Quod sopor involvit, plebis dissensio solvit.* Cap. 92.

Imperio Regis tandem directus ad urbem,
Ætheris Ecclesiam tibi, Claviger, esse dicatam
*et Episcopum Bremensibus* Repperit, ac quosdam eum dissentire videret,
Ex re cognovit, quid visio significasset
Sic urbis dictæ consensit Episcopus esse,
Ante quod omnino renuebat. Tempore vero
Quo Turholt tenuit, quosdam de gente coemit
Sclavorum pueros, quos legibus erudiendos
Catholicis, cella Pater educabat in illa
*ob Torholtam ablatam* Horum nonnullos Rainarius expulit inde,
Quando sibi cellam Carolus concessit, eusque
Rex tibi, Christe, tulit, hominum servire coegit.

*Dux furit, ultor adest, tremit ille, nec irrata vox est.* Cap. 93.

Cum super hoc pateretur Episcopus anxietatem
Immodicam, venisse domum se vidit in unam : F
*prævidet* In qua Rex Carolus simul et Rainarius ipse
Inveniebatur, quos ille redarguit inde,
Quod pueros, nutrire Deo quos disposuisset,
Usibus hosce suis Rainarius applicuisset.
Concitus ille furore, pedem surrexit, ut ejus
Tunderet os : sibi visus adest assistere Christus,
Et sic ad Regem dixisse virumque rebellem :
Qui vos estis, ait, qui sic immobilitatis
Alterius servum, licet illum non timeatis?
Servus habet Dominum, quod non impune feretis.
*Rainarium puniendum.* Hoc sermone viri tremuerunt. Ille sopori
Eripitur ; nec se delusit visio, nempe
Pœna mali vindex, fuit hujus oromatis index.
Post paullo tantam siquidem Rainarius iram
Principis incurrit, quod eum placare nequivit,
Ultra sed cellam cum rebus perdidit ipsam.

*Clemens, facundus, lenis fuit, et metuendus.* Cap. 94.

Hanc etiam partem decurrat inepta poesis ;
In pastorali fuerit moderamine qualis.
Ad quod dixisti sanctissime Papa Gregori
In specie vigilum, Christi quibus Angelus oritur
Tradidit, Ecclesiæ Pater, hunc vigilem meruisse
Vallari

*AUCTORE GUALDONE, EX MSS.*

A Vallari splendore Dei: videre cohortes
Angelicas super excubias gregis opiliones.
Hic vigilanter oves, Christus quas morte redemit,
Pavit, et ad vitæ fontes et pascua duxit,
Promeruitque frui divini luminis aura, *Gratia Dei excitatur.*
Mente videre Deum, mysteria nosse superna.
Agnovere sui, quoniam comes extitit illi
Et dux in rebus faciendis cœlica virtus.
Gratia quippe Dei radiabat in ore venusto:
Dulcior inde favi redolentis nectare sermo
Emanans, erat horribilis tamen et metuendus;
Blandimenta metus consperserat unde modestus, *in verbis blandus et severus.*
Terror blanditiis influxerat unde modestus:
Et fera terrebat Pater et pia corda fovebat,
In quo judicii jam quædam forma futuri
Præcedebat, ubi Judex erit ille severus
Et blandus justis, et iniquis intolerandus.

Cap. 95. *Prata virum Fresiæ flammescunt ætheris igne.*

Hæc erat in verbis igitur vultuque docentis
Gratia, terribilem quod cum locuplesque potensque
Aspiceret, tremeretque procax, at pauper inopsque
Ut Patrem coleret, fratrem mediocris amaret,
Quærere nolenti virtutum signa, caventi
Ne, qua pruriret mens ex virtute, periret.
B Non tamen hæc aberant, quoniam prolata nequibant
Illius ore viri Domini mandata resolvi.
Hoc autem Fresiæ quod contigit in regione,
Cœlum conspexit, tellus exusta probavit. *Fœnum die dominico collectum,*
Forte dies solennis erat lux prima dierum,
Quæ nomen trahit a Domino, qui rupit avernum:
Præsul in Ostargo verbum de more salutis
Fecerat ad populum, terræ prohibendo colonis,
Exerceret opus festis ut nemo diebus.
Ac quidam de plebe truces hominesque baburri,
Ut rubere domum, cœli cum suda sereni
Rideret facies, nec læderet aera nubes,
Prata petunt, fœni cumulos faciunt: sed acervos,
Vesper ut advenit, combussit cœlicus ignis,
Stulta die cumularat eo quodquot manus; acti
Anteriore tamen non sunt incendia passi. *igne cœlesti ardet.*
At per circuitum populi consurgere fumum,
Et procul ignivomas ferri per inane favillas
Cernentes, valde timuere, putando super se
Hostilem venisse manum: discussa superbam
Res docuit mentem flammis cœlestibus ultam.

Cap. 96 *Flagitio populi mœret mens, deficit illi.*

Nordalbingorum facinus reor esse notandum:
C Quove modo Præsul crimen correxerit illud.
Captivi quidam de terris Christicolarum,
Cum devenissent ad barbara regna, malorum
Ponderibus fracti, properabant inde reverti.
Sed nihil horrisonas miseris rupisse catenas *Christiani a Nordalbingis capti,*
Profuerat, aut oneri pede consuluisse fugaci,
Nordalbingorum quoniam gens forte locorum
Proxima Paganis, profugos constringere vinclis,
Cum colerent Christum, Paganis vendere rursum,
Vendere Christicolis emptoribus impietatis,
Proh dolor, audebat, vel eosdem jure tenebat
Servitii. Lugubre nefas, quod ut attigit aurem
Præsulis, indoluit rem commisisse fideles
Illicitam populos, esset quibus ipse Sacerdos.
Sed cum participes sceleris fore nobiliores
Audisset populi, vulnus reserare volenti
Consilium pro re non sufficiebat apud se.

Cap. 97 *Prosequitur Dominum, cor tollit gloria rerum*

Cum super hoc igitur fluctu quateretur et æstu
Curarum, solitam meruit solaminis auram.
Alta quies noctis fessis diffusa medullis
Obruerat corpus, sed cor erexerat intus:
Visio processit, quæ mentis nubila tersit.
Vidit, in hoc, fuit ut quondam, Deus orbe quod esset, D
Cum populis documenta dedit; viditque quod isset *ab eo*
Sanctorum multa circumvallante caterva:
Quorum se comitem progressu sensit eodem.
Exultare sibi, quoniam nihil esse molesti, *visione recreato.*
Tantus erat terror tumulis illatus et horror:
Cœlitus ac fieri, nullo spirante reniti,
Libertas captis, optata redemptio vinctis.

*Corrigitur facinus, rapitur de carcere vinctus.* Cap. 98.

Hæc Patris in Domino firmavit visio mentem,
Iret ut ereptum miseros, componere sontem
Flagitio populum, facinus damnare nefandum.
Movit iter, petiitque viros: ubi gratia Christi
Sic prævenit eum, quod nemo resisteret illi.
In primis opibus, tum nobilitate potentes
Pœnituit fecisse malum, timuere minores:
Compedibus vincti vulgo scrutantur, et ante *liberantur*
Producti, malunt ubicumque, sinuntur abire.
Pactum constituunt, nullum, jurando, tueri
Oppositum crimen; sed jus examine Christi
Tollat uterque suum pariter popularis et exul.
Hanc adeo Pater ergo viam feliciter egit.
Esset ut indicio Dominum fecisse, quod inquit:
En ego vobiscum sum temporis omne per ævum. Matth. 28, 20.
Porro viæ comites, alacres ex prosperitate E
In tam felici se numquam calle fuisse
Asseruere, palam dicentes, ergo videmus
Quod Dominus vere nostros direxerit actus.

*Exul et affinis tulit æger dona salutis.* Cap. 99.

Dicere nemo valet, quantos orando saluti *oleo sacro*
Reddidit, ægra fovere olei medicamine sacri *morbos pellit.*
Membra, quod experti passim vulgando celebrem
In virtute virum terram fecere per omnem.
Non modo finitimos, longinquis rumor ab oris
Suaserat infirmos ad dona venire salutis.
Occultare tamen quam divulgare volentem,
Gratia quanta foret in virtute medenti, *ita est ali-*
Hoc uni dixisse ferunt aliquando suorum, *deest forte api.*
Cum fieret coram se mentio prodigiorum:
Quem Deus audiret, si scirem me fore dignum;
Jam peterem, mihi vellet uti concedere signum,
Ut faceret de me, quo possem vir bonus esse.

## CAPUT XVII.

### *Morbus, obitus, sepultura.*

*At formido virum torsit, vis lingua malorum.* Cap. 100

F Sed tamen illius morbi violentia corpus
Urgebat, fortis cum sic in robore mentis
Esset, vita quidem fere pertulit omnis agonem
Martyrii, flammis duri decocta laboris.
Plurima bella pati, quærendo negotia Christi,
Contigit externus, metus et labor extitit intus, *Martyr tamen vita*
Propter barbariem prædas violenter agentem:
Pondera tanta viri contra veniendo maligni
Auxerunt linguis spirantes virus, ut anguis.
Id, præter proprii cruciatus corporis, illi
Quid nisi martyrium fuit et cœleste tropæum?
Dulcia quæ cecinit rerum monumenta piarum,
Cogitur ad lacrymas luctu confusa voluptas.
Restat in occultu lugubri plaudere versum
Luctisonum Musæ; sed nolens carmen inire:
Sed licet ora riget fletus, creberque fatiget
Guttura singultus, contundat pectora planctus;
Patris ad exequias tamen invitabo Camenas.
Quatuor ad sextum decies cumulaverat annum:
Tot rota totius vitæ fuit acta diebus.

*In languore gemit, quod Christi victima non fit.* Cap. 101.

At vero decimum ter Episcopus egerat annum

Quattuor

A Quattuor adjectis, quo tempore lurida pestis,
*æger dysenteria* Quam dysenteriam dicunt, in carne ruinam
Intulit, exhausit vires, vitalia torsit,
Jugi digerie bis bino passio mense;
Tabuerat corpus, labor attenuaverat artus :
Senserat urgeri sese glaucomate lethi :
Inde Deo grates cum redderet uberiores,
Dicebat scelerum merito minus esse flagellum.
Illud proclamans, illud Job sæpe frequentans :
Job. 3. 10. Si Domini tulimus bona, quare non toleremus
Et mala? Mœror erat tamen inde gravissimus illi,
*ob vitam martyrio non consummandam tristis,* Quod se martyrio, non hoc discrimine solvi
Rebatur, veluti per somnum viderat olim.
Ergo senex animo sibimet reputabat amaro
Extorrem palmæ factum victricis honore,
Ipsum laurigera se defraudasse corona,
Per vitium culpæ spem sanguinis evacuasse.
Psal. 118. 137. Cantans cum gemitu, quod ait Psalmista : Deus tu
Justus es, et recte caussam decernis et æque.

Cap. 102. *Carnis lingua silet, vox cœli pectora mulcet.*

Hanc animi tandem cum panderet anxietatem,
Discipulo, qui fidus erat, qui cetera norat
Interiora, senis vitæ prope conscius omnis;
*animatur a discipulo* Isque laboriferum cordis lenire tumultum
B Et consolari cupiens, cum diceret ipsi :
Non fore promissum, se vel fornace cremandum,
Aut obtruncandum gladio, fluctuve necandum,
Sed neque dissectum ferris, aut rupibus actum,
Casu fælici scansurum culmina cœli
Sed cum martyrii palma debere reverti :
Se propter Christum diversa pericula passum,
In stadio fidei palmam meruisse triumphi.
Si nihil adversi vita tolerasset in omni,
Accumulare tamen juguli felicis honorem
Lethalis morbi poterat labor ultimus illi.
Attamen attolli solamine dulcis amici
Non potuit senior : conceptus pectore mœror
Dulcorem mentis potarat felle doloris.
At Domini pietas, cui semper prona facultas,
Mœstos solari, contritis corde mederi,
Mœroris nebulam tersit, pacando procellam,
Sollicitæ mentis superi medicamine roris :
Corripuitque senem, stillans vigilantis in aurem
Vocem sensificam, non quam sopor ingerit umbram
In somnis, animæ, cum torpent membra sopore.

Cap. 103. *Spes redit, ancipitem solidat correctio mentem.*

C Ergo die quadam, cum mystica fercula mensam
*Voce cœlesti recreatur* Ornarent Domini, sacri de carnibus Agni,
Æger et ante sacram resideret Episcopus aram;
Sollicitusque nimis, subito libramine mentis
Raptus in excessu, carnisque reductus ab æstu,
Ereptusque sibi, venientis ab æthere verbi
Voce redarguitur vehementer, quod quateretur
Mentis arundineæ ventosis motibus ipse :
Qui de promissis dubitasset Cunctipotentis:
Seu vis ulla mali Dominum pervertere possit,
Aut aliquod facinus bonitatem subruat ejus.
Indubitanter, ait, credas, quod utrumque salutis
Auctor perficiet : tibi nam peccata remittet,
Quæ modo te torquet, modo quæ te cura remordet :
Et tibi promissi cumulabit gaudia voti :
Fiet, et optatam pariet tibi visio palmam.
Vox siluit, Pater intremuit, mentemque recepit,
Mentem compositam, mentem mœrore piatam,
Melliflui mentem solaminis imbre madentem.

Cap. 104 *Unit Pontifices, monet ejus epistola Reges.*

Inde Dei famulus vigilanter Pontificatus,
*Concives item Gentium Episcopis et Regibus commendat:* Quantum prævaluit, librare negotia cœpit :
Regni Pontifices passim mittenda per omnes
Sedis Apostolicæ fecit decreta notare

Pluribus in foliis, Boreæ glacialis in oris D
Quæ sibi pro populis fuerant legata vocandis. *AUCTORE GUALDONE, EX MS.*
Hoc etiam terræ Dominis et Regibus æque,
Ut genus alternum sic nomen habentibus unum,
Cum foret ille Pater, foret illi filius alter,
Commendans proprios apices direxit, et ambos
Commonuit curæ jus relligionis habere :
Hujus propositi pro Regis amore superni
Ut memores essent, et uti pro tempore ferrent
Præsidium, sese Domini comitante favore :
Quatenus in Gentes legatio fructificaret.

*Clerus, inops prandent, lychnis sacraria lucent.* Cap. 105

Mensibus ergo tribus cum jam violentia corpus
Pestis tabificæ torsisset, eoque labore
Viribus exhaustis raperet vicinia mortis
Ad suprema virum, celeberrimus ille dierum,
Sideris indicio qui duxit ab orbe remoto
Gentes ad Christi præsepe, refulserat orbi
Egressus tropici de finibus aigocerotis,
Phœbus ad imbrifluam currum raptaverat urnam,
Instabatque dies Hypapanti dictus Achivis,
Festus in Ecclesia pro partu virginitatis, *In Purificatione B. Mariæ*
Quo coram Domino Verbum Patris innuba Virgo
Intulit in templum velamine carnis opertum,
Observare legem; cum nil deberet eidem;
Quæ non in partu muliebri tabuit actu, E
Concipiendo quidem non perdidit integritatem.
Hoc in solenni cupiens homo corpore solvi
Sanctus, ut ad Dominum procederet in Paradisum,
Lux ubi lætitiæ jam proxima cœpit adesse,
Pauperibus Christi pariter cleroque parari
Solennes epulas fecit, jussit quoque ternas
Candelas fieri sibi de cera speciali,
Accendi primam quarum præcepit ad aram *tres cereos accendi curat*
Virginis, æternæ peperit quæ gaudia vitæ,
Quæ reserando polum, mortis conclusit abyssum.
Stella Maria maris, mater jus omne tenentis.
Qui cœli portam pandis, tibi, Petre, secundam
Obtulit : ac Domini Baptistæ tertia cessit.
Hoc erat in votis, ut eum vos susciperetis
Eductum carni, clarissima lumina mundi :
In visu quondam quem Judicis ante tribunal
Ut jam rettulimus, solis duxistis ad ortus.

*Urbe sibi tota litat : pergustat et inde perorat.* Cap. 106.

Et jam decoctis diro languore medullis,
Aruerat penitus, quasi testa, solubile corpus :
Lurida consumptis extabant carnibus ossa F
Nervis juncta suis, et amictu carnis operta.
Attamen in Domini mens integra laude vigebat,
Spiritui mox membra senex moritura dicabat.
Jamque die tenebris illucescente remotis,
Multa Sacerdotum manus advenerat ad urbem
Proque salute viri Missas celebrando, per omnem
Ecclesiam, corpus Christi tum sanguinis haustus
Obtulerant oculis solenniter Omnipotentis.
Ad populum vero, quo debitus ordine sermo
Promulgaretur, digessit Episcopus illud :
Affirmando cibum penitus se tangere nullum
Omnibus officiis dum publica Missa peractis *ultimo suos adhortatur :*
Finem fecisset, quæ postquam dicta fuisset
Languentem pavit stomachum modiceque rigavit
Guttur, et inde diem vitæ præcepta per omnem
Inculcando suis verbi virtute potentis,
Ad Christi cultum mentes animavit eorum.

*Clerus adest, Psalmis vox tota resultat et hymnis.* Cap. 107.

Sed tamen in primis commissa vocatio Gentis
Sollicitum tenuit : noctem quoque taliter egit; *moribundus petit legi*
Ejus in egressum jam sancta frequentia Fratrum,
Quæ circumstabat, Psalmos de more canebat.
Quos Pater Angelicum monuit modularier hymnum,

*AUCTORE GUALDONE, EX MSS.*

*Te Deum laudamus, Symbolum Athanasii, Cap. 103.*

A Quo Te laudamus, Deus, in quo te profitemur,
Catholicamque fidem quam composuisse Beatus
Fertur Athanasius, rosea jam lampade Phœbus
Terras lustrabat, tenebras aurora fugarat :

*Libat, et obdormit, plebs glebam mœsta recumbit.*

Presbyteris pro se Missas celebrantibus, ipse
*communicat,* Corporis ut fragmen sumpsit sacrique liquorem
Sanguinis, erexit dextram, Dominumque rogavit,
Ut, quicumque modo læsisset quolibet illum,
Indulgeret ei, venia delendo reatum.
Crebrius hæc iterans, et suspirando frequentans :
Juxta quod soli tibi jus, Deus, est misereri,
Gratuita parcendo mei bonitate memento :
Et peccatori mihi tu placabilis esto :
Me manibus commendo tuis : a principe mortis
Eripe, Christe, Crucis pro quo tormenta subisti.
Hinc in supremo ducens spiramine vitam,
Cum jam vinciret vocis defectio linguam,
*moritur,* Hæc vice verba sui de Fratribus innuit uni
Dicere, sic altum vibranti lumine cœlum
Aspectuve animam Paradisi misit ad aulam.
Corpus ad ecclesiam cum deferretur humandum,
Ingens luctus erat; modus in lacrymis viduarum
*sepelitur magno luctu :* Non fuit, orbatos, inopes, clerumque videres
Flere, genas alapis contundere, vellere crines.
B Cujus enim gemitum posset compescere pectus,
Quo præsente gregis Pastor foret ille sepultus!
Quem licet in Domino nullus dubitaret obisse,
Officium pietatis erat tamen ingemuisse :
Cultor enim Domini nulli virtute priorum
*imitator Christi,* Aut meritis dispar, speculum tulit omne piorum,
Christi pauperiem primis imitatus ab annis,
Ut vir apostolicus; quæ sunt peritura, reliquit :
Seque monasterii placida statione retrusit,
Amotus turbis, studium zelando Joannis :
In quo gymnasio laurum virtutis adeptus,
Alter ut in verbi sudet certamine Paulus,
*Apostolorum,* Gentibus æternæ Deitatis nuntius esse,
Assertor Christi decernitur, inde regendi
Officio Simonis curam suscepit ovilis.
Altior ille gradus fuit illi plurima virtus;
Quod valet esse palam, siquidem libramine quondam
Ætheris et terræ medio suspensus, utrimque
Discurrens interque Deum populumque sequester;
Nunc celeri penna mentis super astra volabat :
Nunc commissorum sibi caussas conciliabat.
Hujus enim geminæ pennam virtutis utramque
C Habuit ipse, Deum si mundis corde videndum
Credimus, hic virgo primævi floris ab ipso
Electus, fœdam labem non pertulit unquam
Corporis aut animi, sed compar virgo Joanni
Mansit in æternum. Jam vero tantus in illo
Fervor mentis erat, pietas in corde benigno
Tanta redundabat, veluti Protomartyr, ut isto
Non minus oraret, vario vallatus ab hoste.
O sanctum vere dignumque per omnia laudo.
Quem multiformi virtutum dote beari
*et reliquorum Sanctorum.* Contigit, et solum simul obtinuisse bonorum
Quidquid in antiquis partim fuit! Ergo pudoris
Labe contexens, ac virgo cohortibus hærens
Virgineis, Agnum sequitur, quocumque per altum
Æthera tendit iter : gemmisque micantibus inter
Fulcra Sacerdotum radiantem tollit amictum,
Juris Apostolici sortitus in ordine sedem,
Judicio dirimet, quem sprevit parvulus orbem
Martyribus vero vitæ consertus in albo,
Victricis palmæ potietur ovanter honore
*Martyr affectu,* Martyrii siquidem duplex genus esse fatetur
Hoc in pace latet; patet illud et ense dicatur :
Hoc albet lacrymis; illud rubet unda cruoris :
Hæc tenuit votum; species tulit altera fructum, D
Fletibus, esurie tabescens excubiisque,
Dum carnis vitulam cordis mactavit ad aram,
Martyrii calicem, non effundendo cruorem,
Ebibit, affectu Martyr, non temporis usu.
Quamvis ergo caput sibi non avulserit ensis,
Obtulerat jugulum, sed voto defuit hostis; *voto :*
Attendendo tamen, quanto sua membra labori
Subdiderit, violâm non inficiabimur illi.
Quid juxta Paulum creberrimus ille viarum
Sudor, et undarum fragor, incursusque latronum, 2 Corin. 11. 26 etc.
Quid genus et gentes, mare quid, eremusque, quid urbes,
Quid fratres falsi, quid mille pericula lethi,
Algor, acerba fames, sitis, excubiæque frequentes?
Tot simul ærumnæ pepererunt nonne coronas,
Victricem laurum, et rubicundi sanguinis ostrum?
Præter bella, virum quæ per momenta dierum
Vallavere foris, timor anxius Ecclesiarum
Excoxit mentem. Quis enim fuit æger, et ille
Non ægrotavit? quis scandala pertulit, et se
Non conflagravit violenti flamma doloris?
Ergo tot internis facibus torrente camino
Pectoris exustus, per tot discrimina ductus,
Palma martyrii frustrabitur? anne putandum
Est occisorum tantum genus esse beandum?
Nonne sacrum Domini calicem bibit ille Joannes,
Verbera carnificum quem non rapuere, nec enses? E
Quod si Martyribus disjungit nemo Joannem,
Laurigeris ducibus hunc inserat Oppilionem.
Martyr quippe fuit, quoniam sibi mortuus iste
Mundus erat, mundoque crucem conscenderat ipse.
Gloria martyrii merito decernitur illi :
Namque dolis Sathanæ carnisque vaporibus actus,
Inter Gentiles animos mundique tumultus,
Dum neque terreri, neque sicut arundo moveri
Prævaluit, semper tot fluctus perstitit inter
Invictus, Christi vita Confessor in omni.
Dum Martyr Græca, quod testis voce Latina
Innuit, et speciem translatio reddit eamdem;
Obtineat nomen, tenuit qui martyris omen,
Testis, Christe, tuus, tua sed puer arma secutus,
Ergo quod ardenti voto cupiebat, et ipsi
Promissum fuerat, diademate nemo refellat
Esse coronatum, palmamque cruoris adeptum.
Forsitan in stadio poterat prurire cruoris
Urtica, privandus ob hoc mercede laboris,
Liber ab hoc, moderante Deo, discrimine tutus
De meritis nihil imminuit, nec humillima virtus,
Quæ dat cautelam reliquis, est passa ruinam.
Jam quoniam plane prædicta probasse videntur, F
Qua viguit bonitate senex, quicumque movemur *ejus virtutes imitandæ.*
Ad laudes ejus, superest imitemur ut actus.
Sic quoque nobiscum versabitur, ipse per altum
Si virtutis iter nos viderit ire magister.
Nos quoque post mundi momenta merebimur illi
Conregnare polo, si pectore semper anhelo
Tendimus ad Dominum per blanda, per aspera Christum
Ex quo procedit, Patri quem Spiritus unit.
Ecce procellosis tibi, Sancte, occurrimus undis,
Sit rimosa licet, jam tandem littora puppis
Attigit, et madidum collegit navita velum.
Fluctibus in mediis te sæpe vocavimus ambo,
Anschari, fer opem, ne nos Acheronte sub imo
Sorbeat infernus, sed possideat Paradisus.
Anschari præsul, nobis civis et exul, *cujus patrocinium Poeta invocat.*
Luminis ad fontem nos transfer, ad Omnipotentis
Regna, quibus habitas in deliciis Orientis,
Floridior palma, speciosus sicut oliva
Ante thronum Domini, quo Rex cum Patre perenni
Jure triumphat Amen, flos Virginis et Deus idem.

DE

A

ANIMADV. PAP. 60.

D AUCTORE G. H.

# DE S. LIAFDAGO EPISC. MART.

## RIPÆ IN DANIA.

G. H.

CIRCA AN. CMLXXX. III FEBR.

*Ripæ fides Christi annuntiata,*

*extirpata,*

**R***ipa, Cimbrorum antiqua sedes, modernæ etiamnum Jutiæ, seu Jutlandiæ oppidum, qua Nibsa fluvius in Oceanum occidentalem, seu Germano-Britannicum, influit. In hoc loco ecclesiam extruxit S. Anscharius facultate concessa ab Horico Juniore Rege Daniæ, qui Horico Seniori occiso successit an. Ch.* DCCCLIV *: eamque creditur commendasse* Remberto *cuidam* Presbytero, *ut scribit Adamus Bremensis lib.* 1. *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 28. *Verum quia Roruc, frater Heroldi Regis Moguntiæ an. Ch.* DCCCXXVI *baptizati, ab anno* DCCCLVII *partem hujus regni Daniæ possedit cum sociis suis, Godefrido, Sigefrido, aliisque qui Reges Ducesve Normannorum, reliquas Galliæ, Belgicæ, et Germaniæ partes, capitales ipsi fidei nostræ hostes, vastarunt, ut ante Vitam S. Anscharii pluribus deduximus, cœpta religionis Christianæ fundamenta non potuerunt perfici. Quocirca Witichindus Corbeiensis lib.* 3 *Annalium agnoscit* Danos

B antiquitus, *seu seculo nono,* fuisse Christianos, sed nihilominus idolis ritu Gentili servientes. *Et Krantzius lib.* 3 *Metropolis cap.* 26. *ait,* malitia temporis subversum, quod Anscharius et Rembertus plantaverant.

*resuscitata.*

2 *Nova deinde fidei Christianæ plantandæ accessit occasio, quando seculo sequenti ab Ottone primo Imperatore Haroldus Rex Daniæ devictus, fidem Christi admisit : quo tempore, inquit Adamus lib.* 2 *cap.* 2, Dania Cismarina, quam Jutlant incolæ appellant, in tres divisa Episcopatus, Hammaburgensi Archiepiscopatui est subjecta : *quando* beatissimus Archiepiscopus Adaldagus omnium primus ordinavit in Daniam Episcopos, Haroldum ad Sliaswich, Liafdagum ad Ripam, Reinbrandum ad Arhusam. Quibus etiam illas commendavit Ecclesias, quæ trans mare in Finne, Seland, ac Scone, ac in Sueonia. Hoc factum est anno Archiepiscopatus XII, *Christi* CMXLVIII. *Nam Unnoni Archiepiscopo anno* CMXXXVI *sub medium Septembris defuncto successit Adaldagus. Ad illum annum eadem ex Adamo describit in Chronico Albertus Stadensis. Meminit eorumdem Episcopatuum Helmoldus lib.* 1. *Chronici Slavorum cap.* 9. *Pergit Adamus :* Et hæc quidem initia cœlestis misericordiæ secutum est

*Episcopus datus S. Liafdagus,*

C tale incrementum, Deo cooperante, ut, ab illo tempore usque in hodiernum diem, Ecclesiæ Danorum multiplici Borealium Gentium fructu redundare videantur. *Quæ omnia ex Adamo eisdem verbis descripsit Albertus Krantzius lib.* 3. *Metropolis cap.* 17.

3 *De zelo Liafdagi agit idem Adamus cap.* 16. Episcopi qui in Dania ordinati sunt, Inhored, Liafdag, Reinbrand, et post eos Harig, Stercolf, Folcbrecht, Metha et alii *: et infra :* Ceterorum vero Episcoporum vix aliquem sic clarum (*atque Odinkarum seniorem*) prodit antiquitas, præter Liafdagum Ripensem, qui et miraculis celebris fuerat, et transmarinis prædicavit, hoc est Sueonibus et Nordmannis. *Eadem habent Krantzius lib.* 3 *Metropolis cap.* 40, *et Albert. Stadensis ad an.* 984, *quo ejus mortem non refert, licet id asserat Joannes Vastovius in Vite Aquilonia, ubi eum Sanctis Sueciæ annumerat, hoc prolato elogio :* Lifdagum, oriundum Frisia, inter alios Apostolicæ dignitatis viros Adaldagus in Præsulem ordinatum Sueonibus, Danis, Normannis præfecit prædicandique illi commisit provinciam. Et vero cum nullæ adhuc certæ Episcopis constitutæ essent Sedes ob persecutiones passim ingruentes, vel ad habitandum securæ, quisque plantandi studio Christianismi in ulteriora progressus, verbum Dei tam suis, quam alienis prædicare certabat. Sic sane vir sanctus zelo divino fervens, provincias sibi creditas solerter obivit, verbumque salutiferum Dei in agro cordis humani serens, multos Christi Ecclesiæ aggregavit : dumque in dies populum cœlestis doctrinæ adminiculo multiplicaret, et ipse vitæ sanctimonia iter cœlestis regni commonstraret; spiritum tandem, profuso sanguine pro Christi religione, reddidit, ab infidelibus in civitate Ripensi trucidatus anno salutis humanæ nongentesimo quinquagesimo, multis post mortem clarescens miraculis. *Per Normannos secutus Adamum intelligit Norwegos, cum Dani olim, præcipue dicti* Normanni *sint. Unde martyrium ejusque annum habuerit Vastovius, nobis incertum. Eum secutus Raderus noster in Catalogo Sanctorum, qui apud nos needum typis vulgatus est,* Martyrem *eumdem scribit. Diem uterque ignorat ; quocirca eum hoc iii Februarii subjungimus Actis S. Anscharii in quibus num.* 50 *agitur de Ecclesia Ripæ conversu, de qua et in Prolegomenis actum §.* 10. *Annus Martyrii potius idem esset, quo* Haroldus Rex, *qui inter* Martyres *censetur, occisus est,* novissimis temporibus Adaldagi Archiepiscopi, *quando* Christianitas in Dania turbata est, pulchrisque divinæ religionis initiis inimicus invidens homo superseminare zizania conatus est *, quando* subito facta conspiratione, Dani Christianitatem abdicantes, Suein Regem constituerunt, bellumque Haroldo indixerunt *: ut tradit cap.* 18 *lib.* 2 *Adamus, et alii post eum : quæ accuratius excutienda erunt* 1. *Novemb. quo obiit Haroldus Rex anno* 980, *ut indicant versus antiqui Epitaphii ejus :*

*clarus miraculis,*

E

*prædicat Danis, Suecis, Norwegis,*

*martyrio coronatur,*

*circa annum* 980.

F

Post Natale Dei dum scripsimus octuaginta
Nongentos, meruit scandere cœli.

# IV FEBRUARII.

## SANCTI QUI PRID. NON. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sancta Veronica, matrona, Hierosolymitana, Romæ.

NOT 33 S. Eutychius, Martyr Romæ.

| | |
|---|---|
| S. Aquilinus,<br>S. Geminus,<br>S. Gelasius,<br>S. Magnus,<br>S. Donatus,<br>S. Gelasius alter,<br>S. Geminus alter,<br>S. Donata, | Martyres, Forosempronii. |
| S. Phileas, Ep. Thmuitanus,<br>S. Philoromus Tribunus Militum.<br>et alii plurimi. | Martyres Alexandriæ in Ægypto. |

S. Gelasius, puer, Placentiæ.

S. Theoctistus, Martyr.

S. Joannes Ep. Irenopoli in Cilicia.

S. Abrahamius, Ep. Arbelorum, Martyr.

B S. Isidorus Pelusiota, monachus et Presbyter in Ægypto.

ANIMADV. PAG. 31. S. Aventinus, Presbyter, Trecis in Gallia.

S. Aventinus Ep. Castroduniin Gallia.

S. Vincentius Ep. Trecis in Gallia.

S. Theophilus Pœnitens, Vicedominus Adanæ in Cilicia.

S. Jasimus Thaumaturgus.

S. Liefphardus Ep. M. Hunnonis-curiæ in Belgica II.

S. Modanus, Abbas in Scotia.

S. Ulgisus, sive Wlgisus, Ep. et Abbas Lobiensis in Belgio.

B. Rabanus Maurus, Archiep. Moguntinus.

S. Nicolaus Confessor, Archimandrita Studitarum. ANIMADV. PAG. 32.

S. Probatius Presbyter, Novigenti in Gallia.

S. Rembertus Archiep. Hamburgensis, Bremæ in Saxonia inferiore.

S. Gemmulus M. Gannæ in ditione Mediolanensi.

S. Gilbertus, Fundator Ord. Sempringhamensis in Anglia.

S. Obitius Confessor, Brixiæ in Italia. E

B. Joanna Valesia, Regina Franciæ, Fundatrix Ord. Annuntiatarum.

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctus Eventius Ep. Viennensis, *hoc die in perantiquo MS. Martyrol. S. Mariæ ad Gradus Colon. legitur. De eo egimus* III Februar.

S. Anscharius Ep. *in quibusdam vetustis Breviariis colitur hoc die officio duplici, propter celebriorem fortassis* S. Blasii *solemnitatem, quæ cum incidit in* III Februar.

Christi fuga in Ægyptum, *annotata hoc die ab Hermanno Greven in addit. ad Usuard. et ab Lahierio nostro in Menologio Virginum.*

Festum Virtutum decem Deiparæ Virginis *celebratur officio duplici in Ordine Annuntiatarum* B. Joannæ, *ut tradunt idem Lahierius et Colvenerius in Kalendario Mariano hoc die. Sunt autem hæ virtutes:* Puritas, Prudentia, Humilitas, Fides, Devotio, Obedientia, Paupertas, Patientia, Misericordia sive C Caritas, Filii patientis commiseratio *: de quibus infra hoc ipso die in Regula* B. Joannæ.

S. Symphorianus M. *inscriptus hic Martyrologiis manu exaratis, Bruxellensi et Leodiensi. Scriptorum errorem, et erroris caussam infra indicamus, cum de Martyribus Forosemproniensibus agimus.*

S. Themeius, *vel* Themius, *legitur inscriptus Martyrologiis, Aquisgranensi, Rabani, Bedæ, Hermanni Greven perperam; uti infra ostendemus, cum de Martyrib. Forosemproniensibus erit sermo.*

S. Victoria vidua, in persecutione Wandalica una cum aliis necata, *refertur hic a Galesinio, ex MS. codice; nobis adhuc ignota.*

S. Andreas, Pater sanctus, religiosus sapiens Doctor, *in Martyrol. Coptico collegii Maronitarum Romæ, reperisse hoc die dicitur: is videtur* S. Isidorus Pelusiota *esse ut infra ad hujus Vitam dicemus.*

S. Cuanna, *sive* Cuone, *aut* Cuannachæi, Abbatis *Vitam habemus, sed mutilam, e MS. Seminarii Hibernorum Salmanticensis: quam, a nobis olim Hugoni Wardæo Ord. Minorum communicatam, ex ejus schedis vulgavit Joannes Colganus to.* I de SS. majoris Scotiæ, *ubi ex Fastis Hiberniensibus tradit* IV *Februarii coli, regia Nelli Magni stirpe ortum, fratrem uterinum et discipulum* S. Carthagi, *sive* Mochudæ *fuisse, ejusque in episcopatu Lismorensi successorem. Verum, quia quæ scribit non satis invicem congruunt, eam hic Vitam omittimus. Natum enim ait* seculo sexto ad finem decliuante; *circa annum* DCXX *a* S. Carthago *e Rathenensi Midiæ cœnobio missum in Momoniam; dein e Lismorensi monacho, vel Abbate, Kilchuanensis in Conacia monasterii Abbatem, ac demum post S. Carthagi mortem, (quam ait an.* DCXXXVI *contigisse) Lismorensem Episcopum factum esse: prius tamen, cum adhuc Kilchuannæ esset, cum S. Furseo, tunc Peronæ in Gallia commorante, circa annum* DCL *societatem iniisse. At* XV *Februarii in Vita S.* Farannani, *eumdem ait cum* F *aliis quatuor viris sanctis, ex eadem Nelli familia prognatis, circiter annum* DLXXX *missum in Hy insulam, ut S. Columbam in Hiberniam ad synodum evocarent: et inter eos quidem legatos,* viros graves, generisque splendore et sanctitatis opinione conspicuos, *primum numerat* Cuanum, *ante* S Baithenum, *qui anno* DXCVIII *obiit secundus Abbas Hyensis. addit* Cuannam, *sive* Cuanum *a* S. Columba *præfectum loco qui deinde* Kilchuanna *dictus. Quid, quod* S. Carthagus, *in Vita, quam* XIV *Maii dabimus, dicitur a* Bletmaco, Ædæ Slane *filio, Rege Hiberniæ, Rathenia pulsus, Lismorense monasterium ædificasse; cum tamen* Bletmacus *an.* DCLVIII *Rex sit factus? Sed ipsa quoque Carthagi Vita illic examinanda.*

B Onastaneus, Præsul Londriarum, *frater S. Lietphardi memoratur infra in hujus Vita nu.* 2, summa veneratione dignatus ab Anglis. *Gulielmus Gazæus in hist. Ecclesiast. Belgii tradit* Sanctorum catalogo adscriptum. *Aliud de eo nil reperimus. Infra autem discutiemus, quomodo seculo Christi* VII, *etsi cum Britannis in Cumbria viveret,* Præsul Londriarum *sit appellatus.*

S Eldadus *refertur hoc die in Martyrol. Sarisburiensi Richardi*

A Richardi Wytfordi, traditurque Glocestriæ vel vixisse vel coli. Adhuc nobis ignotus.

S. Anciradus Eremita et Martyr, ab Henrico Murero in Helvetia sancta, inter Sanctos diœcesis Constansiensis recensetur, licet fateatur cædis ac sepulturæ locum ignotum esse. Annumeratur a Nicolao Crusenio de monachismo S. Augustini, parte 2, cap. 14, Thoma de Herrera in Alphabeto Augustiniano, Joanne Marquezio in Originibus Eremitarum S. Augustini cap. 17, inter professores Eremiticæ S. Augustini Regulæ: etsi Herrera difficulter id persuaderi fateatur. Crusenius non id alio probat argumento, nisi quod circa Scalabim Lusitaniæ urbem, ubi habitasse traditur, monasteria aliqua olim extiterint, ad jus pertinentia Eremitarum Augustinianorum: quæ diligentissime Marquezius excussit loco citato. Alioquin quidquid de Anciraldo ab illis proditur, ex Luitprandi Chronico sumptum est, in quo ad annum Chr. DCCCL ista leguntur: S. Anacirardus Eremita ex Germania venit in Lusitaniam, et in ripa fluminis Tagi, prope civitatem Scalabim, sancte degit; et reversus in Italiam, non procul a lacu Tigurino, vulneribus confectus, martyrizatur IV Februarii. Eadem sed aliquantum variantibus verbis refert Julianus: S. Hancarardus Eremita ex Germania venit in Hispaniam
B Lusitanam, et in ripa fluminis Tagi prope civitatem Scalabitanam, aliquot annos sancte degit: reversus autem ad Alpes, non procul a lacu Tigurino, vulneribus latronum confossus, martyrio coronatur. Agitur ejus dies natalis IV Februarii. Manent aliqua vestigia adventus hujus sancti Abbatis in Lusitaniam, in oppidis ejusdem provinciæ Atangia et Meinardo. Censet Hieronymus de Higuerra noster, S. Ancirardum eumdem esse qui Lietphardus dicitur, cujus hoc die damus Vitam, haud sane congruentem iis, quæ Luitprandus de Ancirardo sive Ancirado scribit. Joannes Tamaius de Salazar in Martyrol. Hispan. ad IV Februarii multis contendit esse S. Meinradum, cujus Vitam dedimus XXI Januarii. Interfectus est hic quidem eadem ætate, apud eosdem Helvetios, a latronibus: sed nusquam in Actis mentio fit ejus in Lusitaniam profectionis. Et vero cui credibile fiat, hominem Germanum fervente Maurorum acerbissima persecutione, non modo in ultimam Lusitaniam penetrasse, sed et plura
NOT 34 isthic monasteria condidisse?

S. Sanasolas Presbyter refertur in antiquo MS. Martyrol. Ecclesiæ Aquisgranen. et in addit. ad Usuard. Hermanni Greven. Quis ille fuerit, adhuc inquirimus.

Simon Abbas, primum Alciacensis deinde an. MCXXXI
C Sithiensis, sive Bertinianus fuit: sed quod lite, quam Bertinianis intentarant Cluniacenses, nondum decisa, absque horum assensu electus esset, Pontificis Maximi sententia abdicatus est: cui sententiæ reverenter obtemperans, uti scribit Ipertus in Chronico Bertiniano, oneri cum dignitate cessit anno Domini MCXXXVI, et in Gandavum locum nativum sibi secessit; ubi fere XII annis religiosissime vixit. Tandem anno MCXLVIII migravit e vita IV Februarii, uti ex hoc ejus epitaphio patet.

Abbas sacratus, virtute vigens monachatus,
Cœlo translatus Simon jacet hic tumulatus.
Quarta dies Februi pace favet requiei.

Appellatur ab Hugone Menardo in Martyrol. Benedictino Beatus, Sanctus a Saussaio in Gallicano, quem titulum ei neque Iperius, neque alii Belgici
NOT 35 Scriptores tribuunt.

Hugo Presbyter hic adscriptus Martyrologio Usuardi ab Hermanno Greven absque alio elogio. Plures alibi illius nominis Sancti: qui hic sit, non divinamus.

Christianus monachus Heisterbacensis, sive Vallis S. Petri Ord. Cisterc. in diœcesi Colonien. in nocte S. Agathæ spiritum reddidit, inquit, Cæsarius, D ejusdem instituti et cœnobii alumnus, illustrium miraculorum lib. 4 cap. 30. Eum absolute S. Christianum appellant hoc die Wion, Menardus, Dorganius, Ferrarius. Ast Ægidius Gelenius, Canonicus Coloniensis et Archiepiscopalis historiographus, qui Ecclesiasticas antiquitates, istius præsertim diœcesis, et monumenta Sanctorum diligentissime indagavit, nec parce solet Sanctitatis aut Beatitatis titulos tribuere; quibus ii competunt, solum Venerabilem Christianum vocat. Chrysostomus Henriquez Menologio suo inscripsit ad VII Septembris, ac Beatum indigitavit. In Kalendario Ord. Cisterc. Divione an. MDCXVII edito, quod sequi se Chrysostomus profitetur, nullus ei titulus additus.

Christianus alter, ejusdem instituti Sacerdos e monasterio Hemmenrode, sive Claustro, diœcesis Trevirensis, ita refertur in citato Kalendario Ord. Cisterc. hoc die: Christianus monachus in Hemmenrode. Chrysostomus et Gaspar Jonghelinus Beatum vocant: Gelenius solum venerabilem. Quidam non satis eum a præcedenti secernunt. Præclara sunt quæ de eo scribit Cæsarius lib. 5 cap. 6, et lib. 7 cap 16.

Elisabetha, Tertiana Ord. Minorum, admirabilis puella, quæ XIII ætatis suæ anno obiit, non sine sanctitatis opinione, jacetque in conventu Panormitano in Sicilia, uti tom. I Annal. ad an. 1224 E nu. 43 scribit Wadingus: refertur hoc die et Beato titulo ornatur ab Octavo Cajetano in Idea Operis de SS. Siciliæ, et ab Franc. Lahierio in Menol. Virginum: ab Arturo vero in Martyrol. Franciscan. XVI Martii. An tamen illi is decretus sit ab Ecclesia honos, ambigimus: licet Ferrarius videatur asserere, Officium de ea pridem recitari, sed dubitat nunc eadem sit quæ Elisabetha Amerina: ut quæ de Amerina idem tradit, non satis constant. Testatur Cajetanus, Panormi elogium ad sepulchrum ejus appensum in ecclesia S. Francisci.

Elisabeth, Ameriæ in Umbria monialem Ord. Minorum, vocat Beatam Ferrarius in generali Catal. SS. et hoc die consignat, atque ex eo Arturus a Monasterio in addit. ad Martyrol. Francisc. Addit Ferrarius in Annotat. ex libro, ut ait, Congreg. Rituum, Hujus Officium cum propriis lectionibus ann. 1603 sub Clemente VIII concessum. Verum illustrissimus D. Augustinus Carlenus Canonicus Amerinus, omni adhibita diligentia, nihil de ea reperire potuit, neque Ameriæ, ne ab ipsis quidem Religiosis Ord. S. Francisci quorum aliqui etiam an. MDCIII Ameriæ vivebant, neque Romæ in libris Con- F gregationis Rituum, quos consuli curavit. Unde patet, Ferrarium vel male Amerinis Beatam illam Elisabeth attribuisse, vel aliter memoria lapsum.

Dominicus, Ord. Prædicatorum Religiosus, hydropisi sancte mortuus hoc die (cum ei prius apparuisset S. Agatha) memoratur a Joanne Marietta lib. 12, histor. SS. Hispan. cap. 61. Sed non ait venerationem ei publicam haberi.

A Pasqualina B. Angelæ Fulginatis socia fuit, omnium ejus arcanorum conscia, et sanctitatis sedula imitatrix, uti in hujus Vita IV Januarii videre licet, nu. 33 et 87 ac potissimum 57. Eam quoque Beatam appellat Ludovicus Jacobillus to. I de SS. Umbriæ ad IV Februar. uti et Gonzaga in Catal. BB. tertii Ordinis, et Arturus in Martyrol. ac Franciscus Lahierius in Menol. Virginum. Obiisse traditur hoc die, an. MCCCXIII, miraculisque post mortem divinitus illustrata. An tamen ei publici honores Sedis Apostolicæ auctoritate habeantur, nobis haud constat.

S. Vedalus Confess. refertur a Canisio et Ferrario hoc die, ab aliis V. Februar.

S. Richardus Rex Angliæ hoc die refertur, et quidem laurea martyrii ornatus, ad Hermanno Greven in addit.

A *addit. ad Usuard. et Molano in 1 edit. ac Canisio. Colitur* vii Februar.

S. Taraghta Virgo in Anglia. *Ferrar. Loher. Ea videtur quæ* Atracta *alius dicitur, de qua* ix Februar.

S. Castor Presbyter et Conf. *refertur hoc die in MS. SS. Florario. De eo agemus* xiii Februar.

S. Gilbertus Ep. et Confess. *Bellin. Agimus hic de* S. Gilberto Sempringhamensi, *qui Episcopus non fuit. De Episcopo Meldensi* Gilberto *sive* Giselberto, *aut* Gisleberto, xiii Februar.

S. Walbergis Virgo *memoratur hoc die in Martyrol. Sarisbur. Richardi Wytfordi an.* mdxxvi *Londini excuso. Vitam ejus dabimus* xxv Februar.

S. Papias, S. Diodorus, S. Claudianus, { Martyres, Attaliæ in Pamphylia cæsi *memorantur apud Galesinium hoc die. De his mentio fit in Actis S. Nestoris* xxvi Februar.

S. Hadrianus M. Cæsareæ Palæstinæ *occisus refertur hoc die in Menol. Græcorum edito ab Henr. Canisio: in Menæis pridie: in Martyrol. Romano* v Martii.

S. Waldetrudis *memoratur hoc die in MSS. quibusdam Kalendariis, propterea fortassis quod ejus Translatio (quam Montibus celebrari diximus iii Februarii) festo S. Blasii impeditur. Vitam dabimus* ix Aprilis.

B S. Abdalas monachus, *hoc die a Phil. Ferrario in gener. Catal. SS. S. Abramio* Ep. *jungitur; ex Menologio Græcorum, ut ait, quo, nescimus. In eo quod typis vulgatum,* xvii *April. refertur* S. Abdellas, *sive* Abdellas Presbyter M. *de quo agemus* xxi *vel* xxii April.

S. Jacobus Apostolus, filius Alphæi, hodie patitur, *inquit Kalendarium Copticum die* x *mensis Amschir, qui est* iv *Februarii. Latini eum colunt* i Maii.

Martyres xxxix in Palæstina ad metalla damnati, deinde trucidati, *hoc die in Martyrol. Gallice edito Leodii an.* 1624, *referuntur; in Romano et aliis* iv Maii.

S. Gilbertum, *qui hoc die colitur, existimarunt Petrus de Natal. lib. 3 cap. 83. Galesinius, Felicius, Baronius in Not. ad Martyrol. Rom. Aubertus Miræus in Notit. Ecclesiarum Belgii cap. 56.* S. Guibertum *esse, sive* Wibertum, Fundatorem monasterii Gemblacensis, *sive* Gemmelacensis, *in Brabantia, qui colitur* xxiii Maii.

S. Gilbertum fundatorem et Abbatem monasterii Novemfontium, *Ord. Præmonstrat. scribit Miræus in Chronico ejusdem Ordinis hoc die obiisse, deceptus fortassis alterius* S. Gilberti *nomine. Colitur alioquin hic* vi Junii. D

S. Advini Ep. et Confess. *in Exiensi ad Oldum flumen apud Agennenses cœnobio, agi hoc die commemorationem, scribit in Martyrologii supplemento Saussaius. Is hactenus nostris Fastis ignotus. Fatetur ipse, ejus gloriosum transitum colendum incidere in diem* xvi Augusti.

S. Hippolytus, S. Bostrenus, { *Forosempronensibus Martyribus junguntur a Galesinio; cujus errorem infra refellemus. Est* Bostrenus *gentile nomen, non proprium viri. Colitur vero* S. Hippolytus Bostrenus *Metropolita, ac deinde Portuensis Ep. ac Martyr* xxii Augusti.

S. Simeon senex, *qui Christum in templo suscepit, ad hunc diem inscriptus est Martyrologiis Galesinii, Canisii, Ferrarii, Witfordi, Felicii, ac Petri Equilini Catalogo lib. 3 cap. 80. at Romano* viii Octobr. NOT. 36

S. Valeria, S. Polena, { W. *hic cum* S. Lietfardo Ep. M. *referuntur a Saussaio: coluntur* viii Octob.

S. Gilbertum Abbatem *memorat Saussaius hoc die, atque Tolosæ in ecclesia S. Saturnini* corpore quiescere. *At* xxvi *Martii ponit ejus aliorumque Sanctorum Elevationem. Nihil aliud de eo comperimus. Si Gilbertus est* viii *Abbas Cistercii, qui Tolosæ obiisse traditur, is (si quidem Beatis adscriptus) referendus est ad* xvii Octobr. E

S. Gelasius Papa *refertur hoc die in MS. Florario, colitur* xxi Novembr.

S. Adami, S. Evæ { protoplastorum e Paradiso ejectionem *religioso planctu prosequuntur Græci in Menæis hoc die. Atque hic primus occurrit dies, quo (si nimirum Pascha in* xi *Kal. April. inciderit) cum solemni aspersione Cinerum Christianis illud inculcatur,* Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris; *quam eamdem in* Adamum *proscriptum Deus Genes.* 3. 19 *dictavit sententiam. Dominica vero ante Christi Nativitatem,* Adami et Evæ *atque aliorum Justorum memoriam peragunt iidem Græci; uti dicemus ad* xix Decemb.

S. Gregorius Presbyter Spoletinus et Martyr *hoc die refertur in Sanctuario Cremonensi Peregrini Merulæ, qui caput illius, partemque corporis, Cremonæ asservari ait, eo translatam sub annum* cmlxx. *cui et Ludovicus Cavitellius in Annalib. Cremonensibus suffragatur. De eo agemus cum Martyrol. Rom.* xxiv Decemb.

C

# DE S. VERONICA

## MATRONA HIEROSOLYMITANA,

G. H.

## Commentarius historicus.

F

### § I. *Effigies Christi data S. Veronicæ.*

SÆCULO I. IV FEBR. *Sudarium vultus Christi (quod Romæ servatur,*

Sixtus iv *Pontifex Romanus, in bulla erectionis duarum beneficiatorum, data Kalendis Martiis anno* mcdlxxxii, *affirmat basilicam S. Petri Romanam præ aliis Urbis orbisque ecclesiis excellere, ob Salvatoris nostri Sudarium, plurimasque Sanctorum reliquias, pie istic religioseque asservatas. De quibus reliquiis agit Nicolaus* iv *Pontifex litteris apud S. Mariam Majorem, Idibus Aprilis, anno* iii *sui Pontificatus, Christi* mcxc *datis hoc exordio.* Ille qui solus Romanam fundavit Ecclesiam. *dein hæc subjunguntur:* In ea namque basilica, sui pretiosissimi vultus Imaginem, quam Veronicam fidelium vox communis appellat, in singularis amoris insigne tribuit venerari, et in ea gloriosissimum corpus ætherei Janitoris, ac innumerabilium Martyrum, aliorumque Sanctorum, venerandas reliquias collocavit. *Imo plurimos Pontifices, Clementem* vi, vii, viii, *Gregorium* xiii *aliosque, sacrosanctum Sudarium appellare* Veronicam *refert Jacobus Grimaldus basilicæ Vaticanæ chartophylacii Proprœfectus apud Bzovium in Annalibus ad annum* mccxvi *num.* xvi, *unde hæc testimonia excerpsimus. Fuit autem* S. Veronica, *aliis* Verenice, Beronica *et* Berenice, *religiosa quædam Hierosolymis femina, quæ, ut habet Christiana traditio, Christi crucem gestantis, atque ad montem Calvariæ properantis, faciem videns impie tractatam ac deformatam, propius accessit, capitisque velum detractum ei porrexit, quo faciem sudore et cruore defluentem detergeret: cui mox benignissimus Salvator noster Imaginem vultus sui, perfecte huic velo impressam, in amoris sui pignus atque monumentum, reddidit. Hanc Effigiem vultus Dominici, a sancta ea matrona,* Veronicam *adhuc appellari, citati auctores volunt.*

Veronica *dictum)*

*accepit a Christo crucem bajulante*

*S. Veronica.*

2 *Bernardus*

A 2 *Bernardus Breydenbachius Decanus Moguntinus in sua peregrinatione trans marina anno* MDII *excusa, narrat se cum Dynasta Solmensi aliisque sociis* XIV Julii anni MCDLXXXIII, processisse per viam illam longam, per quam Christus de domo Pilati usque ad crucifixionis locum ductus est: *ac* devenisse ad domum S. Veronicæ, quæ ad passus quingentos et quinquaginta distat a domo Pilati: ubi Christus ejus peplo Imaginem faciei suæ impressit, quæ hodie Romæ visitur. *Adrichomius in descriptione Hierosolymitana num.* 118 *unum eam Crucis accurate distinguit; et num.* 44 *ait* domum Veronicæ angularem fuisse: *quam Quaresmius lib.* 4 *Elucidationis terræ sanctæ, peregrinatione* 6, *cap.* 13, *refert* hoc tempore videri non in angulo viæ, sed in medio hinc inde continuas habentem alias domos, esseque in læva parte euntibus ad Calvarium, ac septimum locum viæ dolorosæ consideratione ac veneratione dignissimum. *Alphonsus Salmeron tomo* 10 *Commentariorum in Historiam Evangelicam tractatu* 33 *censet*, Veronicam adfuisse inter mulieres, *ad quas* Jesus conversus dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me: sed super vos ipsas flete et super filios vestros *etc. Ubi Christus reprehendit opinionem illarum, existimantium* B *eum, ut imbecillem, et qui se tueri non posset, coactum pati; neque intelligentium aut caussam mortis ejus, aut peccatum illorum, qui eum occidebant: uti præclare docet Franciscus Suares in* 3 *part. S. Thomæ tomo* 2, *disput.* 36, *sect.* 2. *A quibus mulieribus removendam putamus* S. Veronicam, *dilectam Christi discipulam; a cujus ædibus, ex quibus egressa venerandam Christi faciem sanguine fœdatam abstersit, separant locum mulierum plangentium, qui hodœporicon Passionis Christi in lucem ediderunt.* Non procul inde *ab ejus ædibus, ut traditur in Peregrinatione Jerosolymitana Principis Radzivilh*, est exiguus collis in quo mulieres stabant flentes, quas alloquebatur Christus. *Breydenbachius interponit* domum divitis epulonis in inferno sepulti. *At juxta Adrichomium*, Christus a loco, ubi Veronica illi occurrit, per CCCXXXVI gressus et II pedes *venit* ad portam judiciariam, ubi rursum cum Cruce lapsus est. Deinde ardua, saxosa atque paullatim ascendente via versus Septemtrionem processit per CCLXLVIII gressus et II pedes ad bivium quoddam, ubi mulieres plorantes allocutus est.

*offerens velum capitis ante ædes suas,*

*Luc. 23. 27.*

*distincta a mulieribus plorantibus.*

3. *Quaresmius loco indicato opinatur, velum a S. Veronica Christo exhibitum, non lineum, sed bombycinum fuisse, quod in regionibus Orientis magis in usu* C *sint telæ bombycinæ, ex eisque fere conficiantur vela capitum, utpote ob subtilitatem levitatemque commodiora. Addit, Turcas ex bombyce factas tiaras quas vulgo turbantes vocant, gestare. Sed hæc controversia dirimenda Romæ est, ab oculatis veli istic servati judicibus. Memorabile etiam est, quod de sacrosancta Christi effigie, quæ in eodem Sudario cernitur, tradunt ex Joanne Lanspergio homilia* 19 *de Passione Domini, Daniel Mallonius in explicatione stigmatum Christi sacræ Sindoni impressorum cap.* 14, *Carolus Stengelius in historia Passionis Christi cap.* 67, *Quaresmius, aliique, Christi faciem in eo Sudario impressam retinere et adspicientibus monstrare vestigium alapæ armata manu inflictæ.*

*Num illud bombycinum,*

*an alapam inflictam referat?*

4 *Et hæc de Sudario a Christo* S. Veronicæ *tradito apud Christianos orthodoxos indubitata sunt, et a Jacobo Gretsero nostro tractatu de Imaginibus non manufactis aliisque contra rabiem hæreticorum hujus temporis propugnata: at quo modo idem sudarium ab* S. Veronica *Romam fuerit delatum, minus certum est. Quæ magis apud auctores probabilia reperiuntur, hic seligemus: ac primo recensemus tractatum quemdam MS. sub hoc titulo:* Incipit notificatio, qualiter Tiberius Cæsar pro ipso, *id est, Christo*, Hierosolymam direxerit. *Cujus hoc est exordium:* Factum est Tiberio et Vitellio Consulibus, cum eodem tempore Tiberius D Cæsar gubernaret Imperium, necesse fuit, ut in partibus Hierosolymorum virum prudentem dirigeret, ut Christum Jesum possit videre Tiberius *etc. Multa displicent in eo tractatu, fortassis ab aliquo ex relatione S. Methodii mox dando similive historia depravato, ejusdemque generis cum tractatu præcedenti ejusdem Codicis MS. cui illum Compilator ut appendicem in titulo conjunxit. Est autem tractatus qui præponitur de Passione Christi sub hoc titulo:* Incipiunt gesta Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, inventa a Theodosio Imperatore in Hierusalem in prætorio Pontii Pilati in Codicibus publicis. *Hunc tractatum sub nomine Pontii Pilati ad Imperatorem editum esse indicant in fine hæc verba:* Ideo suggero Regi, ne quis aliter nuntiaverit, æstimans credendum mendaciis Judæorum, et direxi potestati vestræ omnia, quæ gesta sunt de Jesu in prætorio meo. *Est forte aut idem tractatus aut certe amplificatus, cujus meminit, ante tempora etiam Theodosii Junioris, S. Epiphanius Hæresi* 50, *quæ est Quartadecimanorum: quorum aliqui unam eamdemque diem* Paschalis semper observabant, accuratam se gloriantes hujus instituti rationem duxisse ex Actis Pilati, in quibus scriptum est, VIII Kalendas Aprilis Christum esse passum: E *quod in hoc tractatu sub initium legitur his verbis:* Factum est anno XIX Imperatoris Tiberii Cæsaris Romanorum, et Herodis, filii Herodis, Regis Galilææ, anno XIX principatus ejus, VIII Kalendas Aprilis *etc. Sed his omissis ad S. Veronicam redimus.*

*AUCTORE G. H.*

*adjuncta Actis Pilati de Passione Christi.*

*Ejus historia e qua MS. recitatur,*

## § II. *Effigies Christi a S. Veronica Romam lata. An ea neptis Herodis Regis?*

Cardinalis *Baronius tomo* I *Annal. Eccles. anno* 34 *nu.* 138 *testatur*, Romæ in bibliotheca Vaticana asservari libellum MS. de translatione sacrosancti hujus veli Romam facta, *quam historiam ait Joannes Molanus lib.* 4 *de sacris imaginibus cap.* 2. graviter conscriptam, et antiquissimis characteribus, totam perlegisse Thomam Stapletonum, *virum libris editis orbi universo notum. Utinam commentarium istum obtinere licuisset, atque hoc loco in publicum proferre! cujus jacturam aliunde conamur sarcire. Ac primo* S. Veronicam *sacram hanc effigiem Romam tulisse omnium scriptorum consensus est. In chronico sub Flavii Lucii Dextri nomine edito, hæc leguntur ad annum Christi* XLVIII: Hierosolymitani Judæi vehementer infensi B. Lazaro, Magdalenæ, Marthæ, Marcello, Maximino, Josepho ab Arimathia nobili decurioni, et aliis F plurimis; navi sine remigio velisque ac sine gubernatore eos imponunt, et exulare mandant, qui per vastum mare divinitus delati, ad Massiliensem portum incolumes appellunt. Veronica sancta mulier, *ex plurimis comitibus aliqua, tum a Gallia Romam* venit, ibique Divino relicto vultu, miraculis clara, migrat ad Dominum anno LXX.

*ANIMADV. CAP. 63.*

*Sudarium S. Veronica creditur tulisse Romam*

*an in comitatu SS. Lazari, Marthæ, ac Magdalenæ?*

6 *S. Methodius, Olympi et Pataræ maritimarum Lyciæ urbium, ac postea Tyri Episcopus, in Chalcide Græciæ martyrio coronatus* XVIII *Septembris, plurimos libros (a S. Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 83 *relatos) confecit*, et multa alia, *uti hic* [illegible], quæ vulgo lectitantur, *ut supra diximus* II *Februarii ad festum Hypapantes Domini, sive Purificationis B. Mariæ Virginis* § I. *Hic in aliquo opusculo historiam Imaginis Christi a S. Veronica velo exceptæ, ac Romam delatæ exposuit, a Mariano Scoto in Chronico ad annum Christi* XXXIX *descriptam his verbis:* Tiberius in Campania moritur veneno anno XXIII Imperii sui, ætatis vero LXXVIII. Methodius sic: Interim Tiberius circiter XXII annos sui principatus exactis, vivendi finem fecit, qui de Domino Jesu Christo hoc apud Senatum usus est consultu: Si Deus est, inquit, perit

*juxta S. Methodium*

*a Tiberio Cruce evocata*

AUCTORE G. H.

A terit rebus nobis inutilibus prodesse; si homo est, Reipublicæ subvenire. Hic lepra vexatus non modica, desiderabat, auditis Divinis virtutibus, gratiam ejus per nuntios comprobare; sed non potuit ad hoc pertingere: quia Christo jam post resurrectionem cælo præsidente, fama compererat, Pontio Pilato adjudicante Judæis traditum, et a suis militibus crucifixum, sepultumque tertia die resurrexisse; sed furatum a discipulis, custodibus appretiatis diffamatum esse, a quadam matrona, nomine Veronica, quæ ipsius Salvatoris nostri aspectum, ipso exprimente atque contradente, ad evidentiam testificandæ veritatis, et observandæ fidelitatis nicemate suo (*legendum arbitramur in schemate, ut infra patebit*) reconsignatum habuit. Quæ dum nuntios convenisset, et ita esse atque se habere per omnia evidentissime asseruit, Romam ab ipsis delata est, atque in præsentiam Principis adducta, speciem Divinæ testificationis ostendit et virtutem perfecti medicaminis gratia Christi mirabiliter effecit. Qui dum compperisset Pilatum Dominici cruoris reum extitisse, Senatu decernente, utpote, qui sine audientia Romam non consultus talia præsumeret, jussus est exilii supremam damnationem subire: non multum post ipse, ut dictum est, vivendi finem fecit. Huc usque
B Methodius, *et ex illo Marianus Scotus. Quam Methodii Episcopi historiam allegant Baronius citato anno* 34 *num.* 138, *Gretserus de Imaginibus non manufactis, cap.* 16. *Cornelius a Lapide in cap.* 27 *Evangelii S. Matthæi, Simon Maiolus pro defensione sacrarum Imaginum centuria* I *cap.* 3, *et tomo* I *Dierum canicularium, colloquio* 20, *Quaresmius libro* 4 *cap.* 14 § 4, *aliique plures.*

7 *Jacobus Philippus Bergomas in Supplemento Chronicarum ad annum Christi* XLIV *hæc refert:* Veronica mulier Hierosolymitana, Christi discipula, matrona siquidem sanctitate ac pudicitia insignita, his temporibus a Tiberio Cæsare per Volusianum necessarium suum, virum strenuum, e Hierosolyma cum Sudario Christi Romam accersitur. Detinebatur quidem idem Cæsar magno infirmitatis morbo: qui cum primum mulierem sanctam suscepisset, et Christi Imaginem contigisset, ab omni infirmitate curatus est. Ob quod miraculum ipsa Veronica ab ipso Cæsare magno in pretio deinceps habita est. Ibidem enim usque ad mortem cum Petro et Paulo Apostolis, atque Clemente Pontifice Ecclesiam Dei constituens, perseveravit. Hæc ipsa est, quam Dominus a sanguinis fluxu fatigatam (ut sacra Evangelii habet historia) vestimenti ejus fimbriam tangendo
C sanaverat: a quo etiam Passionis ejus tempore eadem Imagine vultus sui signum amoris donata fuit. Ipsa autem Imago, panniculo sic impressa, Clementi Pontifici et successoribus ejus ab eadem ex testamento declarata, nunc usque ibidem in B. Petri templo a Christi fidelibus maxima cum religione invisitur. Quam et multi per tempora exquisitis celebravere laudibus, inter quas illa singularis habetur, quæ incipit: Salve, sancta facies *etc. Hæc ibi. Hymnum illum infra referemus.* Præfationes Ambrosianæ, quas in peragendis Missis dici consuevisse *testatur memoratus Maiolus, referunt dictum* Volusianum Cæsaris Tiberii necessarium, cum ingenti gibbo in dorso laboraret, tactu ejus Sudarii, corporis rectitudinem recepisse. *Eusebius in Chronico ad annum Tiberii* XXIII *tradit,* Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, hunc retulisse ad Senatum, ut inter cetera sacra reciperetur. Verum cum ex consulto Patrum, Christianos eliminari Urbe placuisset, Tiberium per edictum accusatoribus Christianorum comminatum esse mortem; *illudque scribere* Tertullianum in Apologetico, *cujus verbis relatis eadem fusius deducit Eusebius lib.* 2 *Histor.*

*traditur magno cum morbo liberasse,*

Matth. 9. Luc. 8.

*et effigiem S. Clementi dedisse,*

*et a Volusiano curato claram*

*Eccles. cap.* 2 *quem reliqui Scriptores sequuntur.* D

8 *In chronico sub nomine Juliani Petri Archipresbyteri S. Justæ, ex bibliotheca Olivarensi edito, ad annum* XC *hæc leguntur:* Per hoc tempus, sicut Apostolicis diebus, Romæ in magno pretio erat Sudarium illud sacratissimum, quod Clementi primo, Romano Pontifici, reliquit piissima mulier Beronice, quam alii corrupte vocant Veronicam, quæ neptis ex sorore Salome magni Herodis, nupsit viro nobili Amatori. Vixit aliquando in urbe Cæsarea Palæstinæ, aliquando vero Hierosolymis. Fuit autem illa mulier, quam ex fluxu sanguinis aliquando curavit Christus. Depicta est imago Christi curantis mulierem in pariete, cujus lacinia, ubi tangit hederam, curat ex omni morborum genere. Quidam volunt passam martyrium Antiochiæ cum aliis quinquaginta, ut tradit Beda. *Hæc ibi. Josephus,* I *de bello Judaico cap.* 6 *tradit* Antipatrum ex uxore Arabissa, *nomine Cypride genuisse filios quatuor,* Phasaelum, et Regem Herodem et Josephum et Pheroram, et Salomen filiam; *de qua idem Josephus agit in Antiquitatibus Judaicis lib.* 15 *cap.* 4 *et* 11, *lib.* 16 *cap.* 6 *et* 11 *et lib.* 17 *cap.* 1. *Eusebius in Chronico ad annum Imperii Augusti Cæsaris* 40, *et regni Herodis* 30*: tradit* Herodem virum sororis suæ Salomæ interfecisse, et cum eam alii tradidisset uxorem, etiam hunc necasse. *Fuit autem* E *primo nupta* Castabaro Idumæo Gazæ Principi, *eique peperit* Berenicen, *supra in Juliani Chronica indicatam: verum a* S. Veronica *prorsus aliam. Nam hæc* Berenice nupta Aristobulo, Herodis Regis filio genuit, *teste Josepho lib.* 1 *belli judaici cap.* 18, Herodem Agrippam, Aristobulum, Mariamnem, et Herodiadem, *matrem Salomes saltatricis, quæ caput S. Joannis Baptistæ postulavit sibi in disco dari. Ea Berenice S. Veronica multo senior, quæ, priore marito Aristobulo ad Herode patre occiso, nupta fuit cuidam Antipatro, ut frustra fingatur uxor Amatoris, de cujus et S. Veronicæ conjugio infra agemus: ac deinde num ea fluxu sanguinis fuerit a Christo liberata inquiremus; ubi ante de cultu ejus sacro actum fuerit. Hic sufficit ostendisse quam parum Chronico Juliani fidendum sit, quod nimium aliqui extollunt, atque inter eos, Franciscus de Ruspuerta seculo* 12 *Historiæ Giennensis, cap. ultimo §* I, *et Joannes Acuna Adarveus Prior Ecclesiæ parochialis Anduxarensis libro de Imaginibus Christi non manufactis, ac postissimum de sacro velo S. Veronicæ urbis Giennensis, de quo infra agemus, Hispanico idiomate edito anno* MDCXXXVII; *ubi tractatu* 33 § I *verba Juliani refert, et* § 2 *hanc Herodis ex sorore neptem mire extollit, ac S. Veronicam, de qua agimus, credit fuisse, e stirpe illa regia prognatam.* F

*In Chronico Juliani fingitur S. Veronica ex genere Herodis Regis.*

*filia Salomes ejus sororis,*

*Berenice*

*mater Herodiadis*

## § III. *Cultus sacer S. Veronicæ.*

Quæ *supra Berenice ex Judæa, ac forte ante Christum natum mortua fingebatur* S. Veronica *pia et Christiana matrona; jam mutato sexu in eodem Juliani Chronico ex* S. Beronico *fingitur* S. Veronica Martyr. *Ille est qui* cum quinquaginta aliis Antiochiæ passus *colitur* XIX *Octobris, in omnibus fere Martyrologiis, etiam Bedæ MSS. exemplaribus: in cujus exemplari excuso confusionem esse etiam advertit ibidem in Annotationibus Baronius*

10 S. Veronicam *Romæ e vita migrasse ac terræ mandatam esse tradit Octavius Pancirolus in absconditis thesauris Urbis, regione* 7, *ecclesia* 17. *Natalem ejus ita celebrat Petrus Galesinius in suo Martyrologio Romano* IV *Februarii*. Romæ item S. Veronicæ, quæ ad eam urbem Hierosolyma Sudarium Domini attulit. *In Notationibus addit,* Gervasium Tilebenensem, Blondum, aliosque de ea scribere. *Galesinium eisdem verbis describit Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum; ast in Catalogo Sanctorum Italiæ hoc elogium concinnat*

*Confunditur ea letn cum S. Beronico Martyre Antiocheno*

*colitur 4 Februarii.*

A *concinnat :* Veronica religiosa femina, ut habet vetus traditio, quo tempore Chistus Salvator noster ad patibulum ducebatur, lineum capitis sui peplum ei ad faciem tergendam cruore, ex sacro capite spinis coronato defluente, porrexit : cui Divini vultus illius imago divinitus impressa remansit. Hoc sancta fæmina Romam detulisse, eoque Tiberium Augustum difficili morbo laborantem sanasse fertur. Porro illud ad S. Clementis manus pervenisse, et successorum, a quibus in Vaticana ecclesia asservatum ad hæc usque tempora, non sine maxima populi Romani devotione, quotannis exponi solet. Vultusque sanctus, ac Sudarium Veronicæ nominatur. Ipsa vero Veronica pridie Nonas Februarii obdormiisse fertur. *Eadem die Nicolaus Reusnerus in Diario historico refert*, Veronicam Virginem Martyrem *citato Martyrologio Romano, ita quodlibet Martyrologium Ecclesiasticum appellans.*

11 *Alii referunt eam* XXV *Martii, rati eo die Christum pro salute hominum passum, suam tum S. Veronicæ effigiem dedisse. Ita Florarium MS Sanctorum* : Item S. Veronicæ matronæ. Hæc Hierosolymitana matrona sancta, a Tiberio Cæsare, qui claruit anno salutis XLVIII, per Volutianum Romam accersitur. Tiberius autem magna infirmitate detentus, cum susce-

*et 25 Martii.*

B pisset S. Veronicam et imaginem contigisset, curatus est. Hæc est quam Dominus a profluvio sanguinis, per tactum fimbriæ vestimenti ejus, sanaverat, ut dicitur Matthæi IX et Lucæ VIII : a quo etiam Domino, tempore Passionis, Imagine in amoris signum donata fuit. Quæ quonam Imago panniculo impressa Clementi Pontifici et successoribus ab eadem ex testamento relicta est, et nunc usque in basilica S. Petri ostenditur. In cujus laudem dicitur hæc oratio : Salve sancta facies nostri Redemptoris *etc. ut supra ex Bergomensi diximus, quem huic auctori Florarii MS. lucem prætulisse, aut certe utrumque ex eodem fonte sua hausisse indicat res eadem, eisdemque verbis prolata. Hermannus Greven in auctario Usuardi et Canisius in Martyrologio Germanico :* Veronicæ sanctæ matronæ, cui Dominus Imaginem faciei suæ Sudario impressam reliquit.

12 Missale juxta morem sanctissimi Doctoris et Pontificis Ambrosii, impressum anno MDLX, *habet* Missam *legendam* in festo S. Veronicæ Matronæ, *cujus* cantus et præfatio *indicantur* requirenda in communi unius matronæ. *Lectio recitatur ex Epistola B. Pauli ad Romanos capite* VII, *hoc exordio* : Scientibus legem loquor *etc., Evangelium vero sumitur ex*

*De ea extat Officium Ecclesiasticum in Missali Ambrosiano,*

C *capite 5 Marci a versu.* 20. Cum transisset Dominus Jesus in navi rursus trans fretum *etc. in quo agitur de muliere a profluvio sanguinis, attactu vestimenti ejus sanata. Orationes propriæ ibidem hæ referuntur : prima super populum :* Præsta nobis, quæsumus, misericors Deus, ut, qui B. Veronicæ festivitatem devotis obsequiis celebramus; ejus intercessionibus per tuam clementiam adjuvemur; et de præsentis seculi fluctibus liberemur; Per Dominum *etc. Altera super sindonem Oratio :* Da, quæsumus, sancte Pater, ut B. Veronica, quæ in conspectu Majestatis tuæ extitit gratiosa, suis orationibus nos per fidem integram ac sanctæ vitæ munditiem gratos tibi reddat pariter et devotos; Per Dominum *etc. Tertia Oratio super oblata hæc est :* Supplices te rogamus, omnipotens æterne Deus, ut devotionis nostræ munera tibi complaceant, quæ tuæ Majestati offerimus consecranda ad B. Veronicæ reverentiam et honorem, et animarum nostrarum tutelam pariter et salutem; Per Dominum *etc. Quarta demum Oratio post Communionem hæc recitatur :* Sit nobis, Domine, mentis et corporis salutifera medicina sacrosanctum corpus Domini nostri Jesu Christi, quod ad S. Veronicæ laudem percepimus et honorem. Per eumdem Dominum *etc.*

13 *Alia extat Oratio excusa anno* MDLV *in Missali* D *Augustano, eamque legentibus quadraginta dies indulgentiarum ab Innocentio Papa* IV *concessos esse rubrica præfixa Missæ de* S. Veronica *seu* Vultu Domini, *aut* sacra Effigie Christi, *inscriptæ, significat. Eadem legitur in Missali Ecclesiæ Moguntinæ ex mandato Bertoldi Archiepiscopi anno* MCDXCIII *excuso. Præfuit autem Ecclesiæ Pontifex* Innocentius IV *ab anno* MCCXLIII *ad annum* MCCLIV. *Ast* Innocentius III *sedit ab anno* MCXCVIII *ad* MCCXVI, *ad quem obitus ejus annum orationem similem attribuit huic Innocentio* III *Matthæus Westmonasteriensis in Floribus Historiarum Anglicanarum his verbis.* Eodem tempore dum Papa Innocentius processionem faceret solennem Romæ, et illa Effigies Dominici vultus, quæ VERONICA nuncupatur, populo aspicienda veneranter deportaretur, ipse Papa ipsam loco solito aptavit : sed in crastino inventa est versa stans modo indebito : ita scilicet, quod frons deorsum, barba versus humum verteretur. Quo audito Dominus Papa timens valde hoc apparuisse in triste præsagium, composuit et constituit unam Collectam in honorem Veronicæ dicendam, et dicentibus veniam decem dierum concessit. *Eadem fere refert Matthæus Parisiensis in historia Anglorum initio gestorum Henrici* III *Regis asseritque* Orationi adjectum quemdam Psalmum cum quibusdam versiculis, et E eadem dicentibus concessam decem dierum indulgentiam : ita scilicet, ut quotiescumque repetatur, toties dicenti tantumdem indulgentiæ concedatur. *Hæc ibi. Odoricus Rainaldus in Histor. Eccl. ad an.* 1216 *num.* 7, immutatam illam imaginem *ait nonnullos* fabellam suspicari. *At* supplicationem, aliaque pietatis opera in dubium revocari *non permittit. Indulgentias autem ad* XL *dies auxerit* Innocentius IV *juxta relatum Missale Augustanum. Qui a Matthæo Parisiensi Psalmus appelletur, forte hymnus antiquus est a Bergomensi et auctore Florarii supra indicatus. Est ea doxologia rhythmica, in antiquis Missalibus* Sequentia *appellata, quam præter Missale Augustanum, ex monumentis Ecclesiæ Giennensis tradit Acuna Adarreus tractatu* XLII, *et ob celebrem memoriam S. Veronicæ, una cum versiculis et Oratione hic damus.*

*AUCTORE G. H. aliisque I.*

*Indulgentiæ concessæ ad honorem sacri Sudarii :*

14 Salve, sancta facies
Nostri Redemptoris,
In qua nitet species
Divini splendoris,
Impressa panniculo
Nivei candoris,
Dataque Veronicæ
Ob signum amoris. F
Salve decus seculi,
Speculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt
Spiritus cælorum :
Nos ab omni macula
Purga vitiorum,
Atque nos consortio
Junge Beatorum.
Salve nostra gloria
In hac vita dura,
Labili et fragili
Cito transitura,
Nos perduc ad patriam,
O felix figura,
Ad videndum faciem,
Quæ est Christi pura.
Esto nobis, quæsumus,
Tutum adjuvamen,
Dulce refrigerium
Atque consolamen,
Ut nobis non noceat
Hostile gravamen;
Sed fruamur requie
Cum Beatis. Amen.

*de eo Hymnus AN MADV PAP. 54*

A *Vers.* Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.
AUCTORE G. H. *Resp.* Dedisti lætitiam in corde meo.

*Oratio.* *Oratio.* Deus, qui nobis signatis lumine vultus tui, memoriale tuum, ad instantiam B. Veronicæ imaginem tuam Sudario impressam, relinquere voluisti; præsta, quæsumus per sanctam Crucem et gloriosam Passionem tuam, ut, qui eam hic in speculo et ænigmate veneramur in terris, desiderabilem ac veram faciem læti ac securi videre mereamur in cælis: Qui vivis ac regnas etc.

15 *Extat illustre tertii Ordinis S. Francisci monasterium sacrarum Virginum Murciæ apud Hispanos, urbe olim regia, extructum sub titulo S. Veronicæ, erga quam par affecta erat monasterii hujus fundatrix Domina Isabella Alarconia, eique præscripsit pro insignibus imaginem Christi faciem suam velo impressam S. Veronicæ porrigentis. Agunt de eo monasterio Franciscus Cascales in Historia Murciæ tractatu 16 sub finem, et Acuna Adarveus tractatu 33 § 1. Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano* XIX *Mai* Violantam a Cordoba, Beatam *appellat et* monasterii S. Veronicæ de Murcia fundatricem, *quæ istic tertii* instituti alumna circa annum MDLXXVI, nonagenaria *major obierit: forte prima monasticam vitam istic amplexa. Ob singularem erga S. Veronicam affectum, pars aliqua e domo ejus inter reliquias sacras asservatur in ecclesia monasterii S. Stephani, vulgo Jerusalem, in urbe Bononiensi: ut testis est Donatus Pallicnus Luparius in historica ejusdem monasterii relatione Bononiæ anno* MDC *edito, tractatu* 8 § *de Reliquiis altaris sanctæ Crucis.*

*Monasterium S. Veronicæ Murciæ*

*reliquiæ Bononiæ.*

B

Not. 37.

## § IV. *Conjugium S. Amatoris et S. Veronicæ: adventus utriusque in Gallias: ac sacra ibidem veneratio.*

ANTON. N. CAP. 83.

In *Fragmentis, quæ Luitprando, sive Eutrando, vulgo attribuuntur, numero* CCIX *hæc leguntur:* S. Amator conjux Veronicæ, cui Dominus faciem suam expressam dedit, famulus sanctæ Virginis Mariæ et Joseph, et Domini bajulus ac nutricius, post discessionem ejus ad cælos, ejus hortatu S. Martialem cum conjuge secutus est ad Gallias, ubi, sicut viderat prope Nazareth eremitas montis Carmeli, eam vitam in editissimo monte secutus est. Vixit ibi multos annos, agens vitam magis cælestem quam terrenam. Creditur decessisse anno LXXV, celebratur 1 die Novembris. *Hæc in illis Fragmentis, quæ primum locum mererentur, nisi, cum memorato Chronico Juliani, supposititia multis viderentur. Horum auctoritate nixi Alegræus et Lezana, S. Amatorem Carmelitis adscribunt, ille in Paradiso Carmelitici decoris statu 2 ætate 2 cap. 18, hic tomo 2 Annalium Carmelitarum anno 75 num. 4. Reliqui suam fidem ex aliis auctoribus nancisci debent.*

*De SS. Amatore et Veronica relatio e fragmentis Luitprando attributis:*

C

17 *Petrus Subertus, Decretorum Doctor, urbisque S. Papuli, sub Metropoli Tolosana, Episcopus, vita functus anno* MCDLXV, *in libro de Cultu vineæ Domini, seu Visitatione Episcopali, a Joanne Cappinsio recognito, atque anno* MDIII *in lucem edito, tradit par. 7 cap. 3.* Veronicam *primo* valde familiarem et præcordialem amicam fuisse beatæ Virginis Mariæ matris Dei: *secundo* uxorem fuisse viri Dei Amatoris: *tertio* hos duos conjuges Amatorem et Veronicam in comitatu S. Martialis in Gallias venisse, secumque tulisse de lacte B. Mariæ, et de capillis ejus, et duos ejusdem B. Mariæ subtulares, *horumque* alterum S. Martialem posuisse in Ruteno, alterum in rupe Anicii, quæ nunc Podium B. Mariæ dicitur. De capillis vero ejusdem partem posuisse in Miniate, (*potius* Minate, *vulgo* Mende) partem aliam in civitate Alvernia, quæ nunc Clarus-mons dicitur. *Quarto* S. Amatorem in rupe, quæ nunc Amatoris dicitur, solitariam vitam elegisse, altari in honore B. Mariæ Virginis, vili tunc quidem loco et schemate, sed nunc toto mundo honorabili, a B. Martiale inibi dedicato: vitamque ibi S. Amatorem finivisse præsentem, corpusque ejus incorruptum sanctam expectare resurrectionem. Uxorem *denique* ejus Veronicam secutam ubique B. Martialem prædicantem, tandem in territorio Burdegalensi supra mare senio confectam resedisse, capellula sibi ibidem a B. Martiale in honore B. Mariæ Virginis dedicata, quæ Solac dicitur, eo quod solum lac beatæ Virginis ibi positum est: aliis, quas habebat B. Veronica, reliquiis Dominæ nostræ per prædictas ecclesias distributis. *Hactenus Episcopus Subertus in Cultu vineæ Domini simul excuso cum Baculo Pastorali Joannis Francisci Pavini, a Paulo II Judicis sacri palatii creati, quem librum de hac historia auctore Jacobo Cappinsio citat Odo Gissenus Societatis nostræ, in Relatione historica Deiparæ Virginis* Roquemadorensis, *sive a rupe S. Amatoris, cap.* 8

*certior Suberti Episcopi S. Papuli,*

D

18 *Eodem cum Suberto tempore vivebat S. Antoninus Florentinus Episcopus, imo illi superstes ad annum* MCDLIX *vitam perduxit. Hic* I *parte Chronici titul.* 6, *cap.* 25 § 2, *in epitome Vitæ S. Martialis hæc eadem contraxit:* Venit, *inquit de S. Martiale,* cum B. Petro Romam, et per eum missus fuit in Galliam; habens in comitatu suo Amatorem et conjugem ejus Veronicam, quæ familiaris et præcordialis amica fuit Virginis Mariæ. Sanctus vero Amator in rupe, quæ modo Amatoris dicitur, solitariam vitam egit ibique obiit. Veronica autem S. Martialem prædicantem secuta est in territorio Burdegalensi, ibique consenuit *in antedicto* Solaco, *vico nobili, aliis* S. Mariæ de Solaco, *prope ostium Garumnæ fluvii, circa quem locum a Ptolemæo constitui Novomagum urbem Biturigum Vibiscorum tradunt Elias Vinetus, Bertius, ac potissimum Dadinus lib.* I *Rerum Aquitanicarum cap.* II. *Antoninum describit Burketus par.* I *Annalium Aquitaniæ cap.* 3. *Episcopis hisce Suberto et S. Antonino, duobus seculis et amplius, senior Robertus Abbas de monte S. Michaelis in Normannia, in supplemento Chronici Sigeberti ad annum* MCLXXI *eamdem historiam att git.* Henricus, *inquit,* Rex Anglorum perrexit caussa orationis ad Roccam Amatoris, qui locus in Cadurcensi pago montaneis et horribili solitudine circumdatur. Dicunt quidam, quod B. Amator famulus B. Mariæ, et aliquando bajulus et nutricius Domini fuit, et assumpta piissima matre Domini ad æthereas mansiones, ipse Amator, præmonitus ab ea, ad Gallias transfretavit, et in prædicto loco vitam eremiticam transegit.

*S. Antonini Episc. Florentini,*

E

*Roberti Abbati de monte,*

19 *Colitur S. Amator* XX *Augusti: cujus aliqua Acta MSS. habemus in novem lectiones, ad Matutinum in Officio Ecclesiastico recitari solitas, distributa, juxta quæ* Veronica moribus et fide Amatori non dispar socia, vixit in justificationibus Domini sine querela: et prædicante Domino Jesu Christo verbi divini semen in corde pio suscepit, ut terra bona, vetustate purgata, centuplum suis temporibus reddiditura; ac propter sanitatem infirmatis gravissimæ ad tactum fimbriæ Dominici vestimenti clementer indultam, in fervore fidei et amoris divini Jesu Christi copiosius exarsit. Regenerata namque secundum fidem in Christo, seculo renuntiavit, relictisque omnibus satagit jussa Christi perficere, et reliquias maxime de beata Virgine colligere, et cetera pietatis opera devote complere: unde gloriosum lac mamillarum Virginis gloriosæ, cujus servitio se totam conferre meruit, ut humilis pedissequa et ancilla, humiliter et utiliter recollectum, vestes etiam ejusdem Virginis et cetera multa talia, nec non Mamphorum cum impressione similitudinis faciei Dominicæ, a nomine dictæ mulieris Veronicam nuncupatam, prout Romæ ostenditur, fideliter collegit, et salubriter custodivit...

F

*Anonymi in Vita MS. S. Amatoris.*

A vit... Persequente Ecclesiam Christi Saulo, jussu cœlestis nuntii navem casu inventam cum S. Amatore ascendit, ducenteque Domino ac misericorditer protegente, in occiduas partes pervenit. Constructo siquidem vili schemate parvo tuguriolo, eremiticam vitam duxit, ac tamdiu ibidem orationi et jejunio se dedit, donec B. Martialis a Lemovicinis illuc advenit, qui eos speciali dilectione, sicut compatriotas et notos et fideles devotissimos, diligebat. Relicta itaque conjuge propria apud Solacum orationi et contemplationi, beatissimus Amator, de præcepto et consilio beatissimi Martialis, Romam petiit, et beatissimum Petrum Apostolorum Principem visitavit : manensque in urbe Romana fere per biennium, vidit quomodo crucifixus est Petrus, et Paulus etiam decollatus : et defuncta supradicta Veronica Lemovicas reversus eremum petiit, habitaculumque præparavit in valle Cathurcina *etc.*

20 *Hactenus illa Acta, juxta quæ Veronica S. Amatoris conjux eadem est, quæ imaginem Christi velo excepit. Cujus sacrum cultum refert Saussaius* XV *Februarii his verbis :* In Aquitania commemoratio S. Veronæ, alias Veronicæ, matronæ, quæ Sudario faciem Domini crucem portantis extersit, cujus admiranda effigies ipsimet linteo remansit impressa,

*Colitur S. Veronica 15 Februarii,*

B sicut hodie cernitur Romæ, ubi magna religione servatur. *Idem Saussaius* XX *Augusti in Supplemento de S. Amatore hæc scribit :* In agro Caturcensi S. Amatoris Confessoris : qui ex discipulo S. Martialis Doctor Evangelicus factus, Caturcenses in fide uberius edocuit, sanctitateque clarus obdormivit in Domino. *Hæc Saussaius, ratus S. Martialem, ut scribit* XXX *Junii, fuisse discipulum S. Petri : et non venisse in Gallias anno Christi* CCL, *uti ex Actis passionis S. Saturnini Martyris retulit seculo Christi sexto S. Gregorius Episcopus Turonensis lib.* I *Historiæ Francorum cap.* 30. *De cujus adventu extat docta dissertatio Joannis Cordesii Canonici Lemovicensis, Latine edita a Francisco Bosqueto parte* 2 *Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ, in quarum priore parte Bosquetus lib.* I *cap.* 23 *Gregorii Turonensis sententiam amplectitur; rejectis Actis, quæ sub nomine Aureliani ejus in Sede Lemovicensi successoris, circumferuntur. Quæ plenius discutiemus* XXX *Junii ad Vitam S. Martialis. Quod huc spectat, fatemur plurima in citata hactenus relatione de S. Veronica, uxore S. Amatoris difficilia apparere : eamque* Veronam, *seu* Veronicam, *aliam forte esse ab illustri illa matrona Hierosolymitana, cujus velo suam Christus effigiem impressit : maxime si in*

*S. Amator 20 Augusti.*

C *Gallias seculo Christi tertio in S. Martialis comitatu profecta, ibidem ex hac vita sancte decesserit.*

## § V. *An S. Veronica sanguinis profluvio a Christo liberata : ac sub nomine Venicæ seu Venisæ colatur?*

Nicodemus in Evangelio suo, *teste Salmerone nostro tomo* 10 *commentariorum in historiam Evangelicam tractatu* 33, tradit mulierem fluxu sanguinis curatam, *cujus meminerunt Matthæus cap.* 9, *Marcus cap.* 5, *et Lucas cap.* 8, vocatam fuisse Veronicam. *Addit Salmeron,* sibi hactenus compertum non esse, an eadem hæc fuerit, quæ hoc officium *veli oblati* Christo præstiterit. *In Dextri Chronico ad annum* XLVIII, *traditur* Verenice, Divino relicto vultu, Romæ migrasse ad Dominum, quam dicunt sanatam a Christo e sanguinis fluxu. *Eadem etiam asseritur* Veronica *in Vita MS. S. Amatoris, in MS. Florario, et in chronicis Juliani Petri, et Jacobi Philippi Bergomensis, quorum verba supra attulimus. Ex eadem causa creditur eadem, quæ a mulieribus potissimum invocatur in propriis huic sexui morbis, licet syncope unius syllabæ facta S. Venica, seu* Venisa, *appelletur. Ita in Normannia Gal-*

*S. Veronica creditur profluvio sanguinis a Christo liberata,*

*... mine Venicæ seu Venisæ prope Rotomagum ...*

D *lica, uno ab urbe Rotomagensi lapide, qua versus Diepam aut Ambianum abitur, ad viam regiam sacellum* S. Venisæ *sacrum visitur juxta vicum vulgo* le bois Guilliame, *quasi* Silvam Guilielmi, *appellatam, cujus vici Parochus, dicti sacelli collator, rogatus nuper respondit, hanc* Venisam, *seu* Venicam, *haberi eamdem esse, quæ alibi* Veronica *colitur : idque præterea probari hoc argumento, quod a dextero latere altaris* S. Venicæ, *exposita sit vulgaris imago Christi patientis faciem e sindone gestans, a S. Veronica nomen sortita : a sinistro vero latere adjuncta est S. Fiacrii imago, qui alibi* S. Venisæ *individuus comes, colitur* XXX *Augusti. Ceterum invocatur istic S. Venisa pro omnis generis fluxu sanguinis, ejusque festum magna populi frequentia pridie diei Cinerum in Bacchanalibus celebratur. Vidimus duplex Officium Deiparæ Virginis juxta usum Ecclesiæ Romanæ, ab aliquot annis Rotomagi excusum, legimusque in Calendario præfixo nomen* S. Venicæ *ad diem* XXVI, *in altero* XXVII *Februarii.*

*AUCTORE G. H.*

*invocatur ibidem pro quocumque fluxu sanguinis :*

22 *Valentianæ, seu Valencenis, celebri Hannoniæ apud Belgas urbe, colitur eadem etiam* S. Venisa, *aliis* Venisia, Venesia, Venecia *dicta : cujus patrocinium mulieres ægræ pro ordinandis menstruis implorantes, fasciolis, seu purpureis, seu candidis, juxta proprias hujus morbi species variis, per novem dies continuos accinguntur : quas postea, optatam sanitatem adeptæ, in*

*Valencenis colitur S. Venisa a mulieribus pro ordinandis menstruis,*

E *gratiarum actionem prope statuam* S. Venisæ *appendunt : quarum cumulus, ob multitudinem incolarum peregrinorumque istuc concurrentium, adeo accrescit, ut frequenter debeant auferri. Non solent tamen scriptis consignari procuratæ hujus intercessione sanitates, tum quod frequentes sint ac satis circumquaque notæ, tum potissimum propter morbi immunditiem honestioribusque matronis, quarum testimonia exigerentur, innatum pudorem. Alii, hic, quærunt reperiuntque solamen, dum doloribus capitis affliguntur. Est autem in urbe media Valencenensi, non procul a magno foro, e regione celebris Abbatiæ S. Joannis Canonicorum Regularium, quoddam ptochotrophium, cujus pars est antiquissimum templum S. Ægidio urbis Patrono sacrum, in cujus altari extra chorum S. Fiacrio dicato, præter statuam hujus supra tabulam altaris erectam, visitur a dextris statua lignea sesquipedalis S. Venisæ, caput inclinatum manu dextera sustinentis, et librum sinistra gestantis. An aliquæ istic reliquiæ S. Venisæ aliquando servatæ fuerint, incertum. Magna plebis religio est erga antiquam lipsanothecam, in qua variorum Sanctorum reliquiæ ostenduntur. Hæc fere communicarunt Reverendus Dominus Antonius Dutremannus Prior relati monasterii Canonicorum Regularium S. Joannis, et præno-*

*et dolore capitis :*

*ejus statua,*

F *bilis vir Dominus Franciscus Dixmudanus, Toparcha de la Bulqur, variis istic honoribus perfunctus, et pro sua pietate dicti ptochotrophii Præfectus. Transmisit idem antiquum MS continens Missas recitari solitas de SS. Venisa et Fiacrio, adjunctis ternis Orationibus de S. Ægidio Patrono, ac totidem de S. Maria Deipara. De S. Venisa, hic titulus præfigitur :* Missa S. Venisæ Martyris, aut alterius Virginis et Martyris. *Introitus :* Me expectaverunt peccatores. *Pro Epistola recitatur Lectio libri Sapientiæ,* Confitebor tibi, Domine Rex. *Evangelium de decem Virginibus. Orationes communes, quarum prima nomen non exprimit, quod recentiori manu adscriptum est* B. Venesiæ Virginis et Martyris. *Verum in Oratione secreta et post Communionem* Venecia Martyr *effertur. Ita supra ex Reusnero diximus nominari* Veronicam Virginem et Martyrem : *et Ferrarius in Notis ad Catalogum Sanctorum Italiæ refert, Virginem dici a Galesinio : quod forte alibi lectum male huic attribuit, cum non habeatur in memorato supra Martyrologio, Venetiis anno* MDLXXVIII *excuso. Demum quia in eadem Missa MS. post Epistolam et Graduale legendum præscribitur, aut Alleluia cum versu, aut ejus loco a Septuagesima, dicendus*

*officium Ecclesiasticum,*

A *cendus Tractus,* Qui seminant in lacrymis, *necessario ante* XXI *Februarii coli debuit : forte hoc* IV *Februarii, natali S. Veronicæ, seu* XV *ejusdem, cum Veronica conjuge S. Amatoris : a quibus diebus potuit cultus translatus esse in feriam* III *post Dominicam Quinquagesimæ, qua pridie Cinerum (quando ab opere servili fere animi recreandi conviviorumque habendorum caussa cessatur) antiquitus coli consueverat : inde forte in diem* XXVII *Februarii apud aliquos veneratione translata. De ptochotrophio et templo S. Ægidii agit Henricus Dutremannus parte 3 Historiæ Valentinianæ cap. 14.*

*AUCTORE G. H. cultus variis diebus Februarii,*

23 *Tornaci urbe ad Scaldim celebri, traditur S. Venisa a trecentis annis sacro cultu honorata in templo parochiali S. Margaritæ, cui anno* MDCXXIV *altare erectum est, atque a Maximiliano Rasseghemio, ex illustrissima familia Villanorum a Gandavo Episcopo Tornacensi, consecratum : visiturque ejus antiqua imago una manu caput sustentans, altera ventri adpressa. Invocatur ejus patrocinium in morbis feminarum ante indicatis, et ob effectus ab ejusmodi morbis provenientes honestiore vocabulo dicitur coli ad pellendum pallidum colorem. Impetrato autem remedio, in gratiarum actionem solent etiam istic clam offerri strophiola, linteamina, candelæ, maxime in ejus festo, quod feria III post Dominicam Quinquagesimæ pridie Cineralium etiam ibidem celebratur. Ista ad nos*

*antiquus cultus et altare Tornaci.*

B *facta inquisitione transmisit Tossanus Bridoul Societatis nostræ, editis libris clarus. Hæc de S. Venisa, seu Venisia : quam arbitrantur nonnulli diversam a S. Veronica, contra quos in re dubia nihil statuimus.*

24 *Potuit certe S. Veronica a sanguinis fluxu, similive morbo, Divina ope, sanata fuisse. Unde aliis eam cum Evangelica Hæmorrhoissa, duodecim annos sanguinis fluxum passa, confundendi fuerit data occasio. S. Ambrosius tomo 2 operum lib. de Salomone cap. 5, tradit* Christum largum sanguinis fluxum siccasse in Martha, dæmones pepulisse ex Maria, corpus redivivi spiritus calore constrinxisse in Lazaro. *Ast alia a S. Martha Evangelica Hæmorrhoissa, patria Syro-Phœnissa, ex civitate Cæsarea Philippi oriunda. Illa* mulier *illa* nobilissima æque ac ditissima, *ut verbis Baronii anno 31, num. 74 utamur,* tanti non immemor beneficii, ne illud aliquando hominum memoria excideret, egregio monumento testatum posteris omnibus cupiens, æneis simulacris tam Jesu, quam sui effigiem referentibus, rei gestæ memoriam futuris seculis in perpetuum commendandam voluit : Quandoquidem cum non liceret ullo pacto Judæis simulacrum cujusvis, quavis occasione, formare, dici non potest eam fuisse Judæam feminam, Martham Mariæ et

*Alia a S. Veronica Hæmorrhoissa Evangelica,*

*Syro-Phœnissa,*

C Lazari sororem. *Adde neque S. Veronicam Hierosolymitanam. Historiam statuæ erectæ narrat Eusebius lib. 7 historiæ Ecclesiasticæ cap. 14, his verbis :* Cæsaream Philippi, quam Phœnices Paneada vocant... mulierem illam sanguinis profluvio afflictatam, quam, sanctorum Evangeliorum testimonio, a Salvatore nostro morbi remedium invenisse cognovimus, ex ea civitate oriundam, illiusque domum ibi ostendi, et admirabilia quædam Salvatoris in eam beneficii monumenta, et quasi tropæa ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius æneam mulieris effigiem genibus flexis, et manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam : huic e regione viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vestitu ad talos demisso decenter ornatam, et manum mulieri porrigentem : ad cujus pedes in ipsa basi peregrinam quamdam et inusitatam herbæ speciem enasci : quam quidem ubi ad ænei vestitus fimbriam excreverit, morbi cujusque generis medicandi vim et facultatem habere. Hanc statuam effigiem Jesu exprimere dicunt : quam ad nostram usque ætatem manentem, ipsi ad eam civitatem profecti, oculis cernebamus. *Hæc Eusebius.* At Julianus Imperator, *juxta Sozomenum lib. 5 Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 20, cum certior factus esset, Cæsareæ Philippi præclaram esse Christi statuam, quam mulier, quæ sanguinis profluvio laborabat, cum esset morbo liberata, ibi collocaverat; eam deturbavit, suamque in ejus loco posuit. Quo facto ignis violentus de cœlo delapsus, statuam illam circiter pectus persecuit, caputque una cum collo in terram dejecit, atque in faciem humi ea in parte defixit, quæ fuerat a pectore divulsa. Ex quo quidem ad hodiernum diem æra, tamquam fulminis ictu ambusta manet. Id temporis igitur Gentiles statuam Christi tanta cum violentia trahebant, ut eam confringerent. At Christiani postea ejus fragmenta cum collegissent, in Ecclesia posuerunt, ubi etiam adhuc custoditur.

*Cæsareæ Philippi statuam Christo erexit.*

D *a Iuliano apostata eversam*

## § VI. *Pietas Catholicorum erga Effigiem Christi, a S. Veronica Romæ relictam.*

Joannes VII Pontifex Romanus *creatus anno* DXCV, fecit, *referente Anastasio bibliothecario in ejus Vita,* Oratorium sanctæ Dei genitricis intra ecclesiam B. Petri Apostoli, cujus parietes musivo depinxit : illicque auri et argenti quantitatem multam expendit, et venerabilium Patrum dextra lævaque vultus erexit. *Effigies illas, picturasque exhibet apud Bzovium ad annum* 1216 *num.* 16, *supra memoratus Jacobus Grimaldus : additque dictum* Oratorium situm fuisse in ultima laterali navi, ad dexteram ingredientibus basilicam S. Petri, versus Apostolicum palatium, *ibidemque eumdem Joannem Pontificem statuisse altare* sanctissimi Sudarii, eique superne imminens ciborium marmorei vermiculatique operis, sex columnis innixum; religiosissime continens Velum pretiosissimum sacratissimi vultus Salvatoris nostri Jesu Christi. *Memoria consecrationis altarium hujus oratorii ex antiquo Martyrologio, in quo sunt nomina benefactorum basilicæ Vaticanæ, ita refertur :* Consecratio altaris sacrosancti Sudarii; item altaris S. Mariæ ad præsepe post ipsum, IX Kalendas Decembris in festo S. Clementis. *Ob utrumque altare deputatos hunc Oratorio ministros appellari* Clericos et mansionarios S. Mariæ in Beronica, *diploma anno* MXI *factum ostendit. In portis æneis, dictum ciborium sacrosancti Sudarii claudentibus, hæc verba incisa fuerunt :* Cælestinus Papa III fecit fieri hoc opus pontificatus sui anno VII, *Christi* MCXCVII.

*Circa annum 705*

E

*Romæ extructum altare sancti Sudarii,*

*consecratum 23 Novemb.*

26 *Variæ processiones traduntur ob venerationem sancti Sudarii institutæ. Primo, juxta antiquissimum Graduale bibliothecæ Vaticanæ,* in nocte Nativitatis Domini processionaliter itur ad Sudarium Christi, cantando Te Deum laudamus, ibique celebratur Missa. *Secundo juxta librum de Officio Ecclesiastico a Benedicto Canonico S. Petri ad Cælestinum II anno Christi* MCXLIII *scriptum, Pontifex Dominica III Adventus, quam vocant* Gaudete, *Missarum solemnia in basilica S. Petri celebrat, ac postea vadit* ad Sudarium Christi, quod vocatur Veronica, et incensat, et altare S. Mariæ similiter. *At præcipuam Processionem ob Innocentio* III *Pontifice institutam referunt ejus Acta antiqua, a Francisco Bosqueto, una cum Epistolis ejusdem, edita, et ab Odorico Raynaldo Hist. Eccl. ad an.* 1223 *num.* 21 *inserta : in quibus prope finem hæc traduntur :* Fecit et propriis sumptibus ad opus infirmorum et pauperum hospitale sancti Spiritus, apud S. Mariam in Saxia, in strata publica, juxta Tiberim, ante Basilicam S. Petri.. Instituit autem apud hospitale prædictum stationem solennem Dominica prima post Octavam Epiphaniæ, in qua populus illuc confluit Christianus ad videndum et venerandum Sudarium Salvatoris, quod cum hymnis et canticis, psalmis et faculis, a basilica S. Petri ad locum illum processionaliter deportant; et ad audiendum et intelligendum

*ad id processiones, nocte Nativitatis,*

F

*Dominica 3 Adventus :*

*al. Saxia*

*solenniter Dominica 2 post Epiphaniam*

*ad Hospitale sancti Spiritus,*

A dum sermonem exhortatorium, quem ibi facere debet Romanus Pontifex de operibus pietatis, et ad promerendam et obtinendam indulgentiam peccatorum, quam exercentibus se ad opera misericordiæ pollicetur : ad quæ ut alios non solum verbis provocet, sed exemplis, egenis omnibus ad spirituales illas nuptias concurrentibus, panes, carnes et denarios constituit elargiri : quorum omnium rationem idem prudentissimus Præsul exposuit in Homilia, quam super illius Evangelium exaravit. *Hæc ille. In eo Homilia ita scribit Innocentius Papa :* Invitatur et filius ejus Jesus cum discipulis suis ad has nuptias salutares, quoniam effigies Jesu Christi a ministris Ecclesiæ ad hunc locum hodie venerabiliter deportatur : ut ejus gloria fidelibus populis, qui conveniunt ad has nuptias pietatis et misericordiæ celebrandas, desiderabiliter demonstretur. Nec quis ergo famelicus ab his nuptiis revertatur, universi qui hac in tentatione conveniunt, ut de cetero liberalius se exhibuerint salubriter celebrare, de injunctis pœnitentiis unus remittatur annus ad ampliorem obtinendam indulgentiam peccatorum, ut sic aquam convertat in vinum sponsus Christus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

*instituta ab Innocentio 3*

27 *Hæc Innocentius* III, *vita functus anno* MCCXVI,
B XVII *Julii : cum ante supra relatam Orationem de S. Veronica et hac Christi effigie composuisset. Innocentio subrogatus Honorius* III *ejusdem Processionis meminit in epistola ad Rectorem et Fratres dicti hospitalis, data* III *Nonas Julii, anno pontificatus* VIII, *Christi* MCCXXIV, *hoc exordio :* ad commemorandas nuptias salutares, *ac deinde inter alia hæc scribit :* Quia Jesus cum discipulis suis ad has nuptias in Cana Galilææ, ubi Mater ejus erat, legitur invitatus, idcirco rationabiliter instituimus, ut effigies Jesu Christi a B. Petri Basilica per ejusdem Canonicos ad dictum hospitale, ubi memoria beatissimæ Matris ejus recolitur, infra capsam ex auro et argento et lapidibus pretiosis ad hoc specialiter fabrefactam, venerabiliter deportetur, fidelibus populis, qui ad has nuptias celebrandas devote convenerint, desiderabiliter ostendenda. Ut autem nos, qui Domino revelante venerandum aliis aperuimus Sacramentum, eo etiam inspirante imitandum aliis præbeamus exemplum, concedimus, statuimus et jubemus, ut pro mille pauperibus extrinsecus adventantibus, et trecentis personis intus degentibus, decem septem libræ usualis monetæ, ut singuli accipiant tres denarios, unum pro pane, alterum pro vino, aliumque pro carne, ab Eleemosynario summi
C Pontificis annuatim vobis in perpetuum tribuantur : et Canonicis supra dictis, qui præscriptam effigiem Salvatoris processionaliter deportabunt, singulis duodecim nummi et cereus unius libræ, qui deferatur accensus, de oblationibus Confessionis B. Petri præstentur. Quia vero non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, debet huic Stationi Romanus Pontifex cum suis Cardinalibus interesse, ut et Missarum solennia ibi celebret, et exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem. Neve fidelis populus famelicus ab iis nuptiis revertatur, præter doctrinam, spiritualem quoque sibi cibum impendat, remissionem unius anni de injunctis sibi pœnitentiis indulgendo *etc.*

*confirmata ab Honorio 3*

*additis pluribus eleemosynis,*

28 *Eadem privilegia confirmarunt, qui seculo illo* XIII *vixerunt Pontifices,* Alexander IV, Clemens IV, Gregorius IX, Nicolaus III *et* Nicolaus IV. *Dein* Bonifacius VIII *anno Jubilæi* MCCC, *teste Joanne Villano lib. 8 cap. 36, jussit eamdem Christi effigiem singulis diebus Veneris et festis solennibus populo demonstrari.* Urbanus V *anno Pontificatus sui* VIII, *Christi* MCCCLXX, *dedit Jacobo Episcopo Aretino, suo in Urbe Vicario, facultatem ostendendi populo dictum* Sudarium Feria quarta, Cœna Domini, Parasceve ac Sabbato sancto majoris hebdomadæ, in festo Ascensionis Dominicæ, et prima D Dominica post Octavam Epiphaniæ. *Fredericus* III *Imperator, post susceptam a* Nicolao V *coronam Imperialem, magno videndi contingendique Sudarii desiderio accensus, quod solis Canonicis concessum est, habitu ornamentoque Canonicorum, quasi Canonicus basilicæ S. Petri esset, ascendit, vidit, tetigitque. Omitto alios Pontifices, quorum jussu Sudarium solenniter fidelibus ostensum est, aut ipsi illud in solemni processione gestarunt, ut* Paulus II, *referente Ciaconio, fecit nudis pedibus anno* MCDLXX *ad victoriam adversus Turcas obtinendam. Demum* Pauli V *jussu anno* MDCVI *feria* III *majoris hebdomadæ, celeberrima supplicatione instituta, in novam basilicam S. Petri eadem Christi effigies translata est, ut Jacobus Grimoldus oculatus testis pluribus refert apud Bzovium, ex cujus collectione plura adducuntur instrumenta, diplomata, et codices manuscripti, ad sacræ hujus imaginis antiquam venerationem probandum.*

*sacrum Sudarium sæpius ostendi solitum.*

AUCTORE G. H.

*relatum in novam basilicam Pauli V.*

## § VII. *Effigies ad archetypum efformatæ, et cultu celebres.*

*Imagines ad archetypum Romanum Sudarii S. Veronicæ depictæ coluntur publice multis in locis. Una in diœcesi Laudunensi, ad Belgii fines juxta Capellam oppidum Tiraschiæ, magno peregrinantium concursu ostenditur, in cœnobio Virginum instituti Cisterciensis, quod* Monasteriolum *vocant, vulgo* Monstreuil les Dames.
E *Eam anno* MCCXLIX *Roma misit Jacobus Pantaleo Tricassinus, qui factus postea Urbanus* IV *Papa, rogatus a sorore sua Monasterioli sanctimoniali. Epistolam ipsius e Gallico Latine a Joanne Jacobo Chiffletio editam lib. de linteis sepulchralibus Christi cap. 34 hic subjicimus.* Venerabilibus et devotis Sororibus dilectis in Domino, Abbatissæ et Religiosis conventus Monasterioli, Jacobus de Trecis, Archidiaconus Laudunensis, sancti Patris nostri Papæ Capellanus, salutem ac postmodum integram perfectamque fruitionem et claram visionem boni diu expetiti. Per relationem carissimæ sororis nostræ intelleximus, quod ex ardenti affectu desideratis videre, et apud vos habere faciem et figuram nostri Salvatoris, quam in nostra habemus custodia, cum qua visus est in terris, et versatus cum hominibus speciosus præ filiis hominum : quodque ex ejus contemplatione devoti affectus vestri magis accenderentur, et intellectus vestri puriores redderentur. Nos igitur, qui lubentissime volumus procurare ea omnia, per quæ possitis acquirere gratiam Dei in hoc mundo, et æternam gloriam
F in futuro, cupientes, quantum in nobis erit, satisfacere sanctis desideriis supradictæ sororis nostræ dilectæ, mittimus vobis sanctam Faciem superius memoratam. Neque attendite, quod invenietis eam decolorem et flaccidam. Nam, ut ii qui semper resident sub aere temperato frigido, et quiescunt continuo in locis amœnis, habent carnem albam et delicatam ; et e contra, qui versantur perpetuo in agris, habent perustam, nigricantem et alteratam ; ita fuit hæc beata Facies sole et ardore tribulationum decolorata, ut habetur in Canticis, cum Dominus noster laboraret in agro hujus mundi pro redemptione nostra. Idcirco vos rogamus enixe, ut propter reverentiam illius, quam repræsentat, recipiatis eam, ut S. Veronicam, seu veram ipsius imaginem et similitudinem : tractetis eam pie, leniter et condecore, ut ex ejus contemplatione melius habeatis. Memores nostri estote in vestris sanctis precibus et meditationibus ; et certo credite, quod cum maximo honore et veneratione hic videtur, nobis ea quippe per sanctos viros concessa. Actum anno gratiæ MCCXLIX, * III Julii die Lunæ post festum SS. Petri et Pauli. *Hæc ex monumentis Monasterioli Chiffletius eumque secutus Chrysostomus Henriquez in Vitis Patrum monasterii Dunensis*

*Imago Veronicæ in agro Laudunensi,*

*Roma missa ab Urbano IV needum Papa,*

Cant. 1, 5.

*an.* [illegible] 1249.

* *forte* V Julii

A *nensis in Flandria cap.* 21 *in Abbate Theoderico, qui Ecclesiæ suæ consecrationem curaturus sacram illam Imaginem Monasteriolo eo detulit, quo majore solennitate nova ecclesia ab Episcopis Radulpho Moriuensi (in cujus diœcesi tum Dunense monasterium erat) et Joanne Tornacensi dedicaretur. Et vere dum sacra Effigies circiter tres menses illic honoraretur, virtute Divina multis infirmis sanitas restituta est, cæcis visus, surdis auditus, mutis loquela et claudis gressus : at conantibus piam hujus Effigiei venerationem impedire horrenda non defuit punitio, qua alii territi sincere ad pietatem debitam conversi sunt : ut pluribus prosequitur Henriquez cap.* 17, 18, 19 *et* 20 *dicti libri. Eamdem Effigiem Monasteriolo Quintinopolim Veromanduorum anno* MCDXCV *delatam, laborantibus ex oculis maxime opitulatum esse, testis nobis est idem Chiffletus.*

*auctore G. H.*

*miraculis clara :*

30 *Aliud ejusdem instituti Cisterciensis antiquum monasterium Caduinum apud Petrocorios in diœcesi Sarlatensi, anno Christi* MCXIX, *ut auctor est Gaspar Jongelinus in Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis, fundatum, inter alias reliquias religiose servat Sudarium Redemptoris nostri Jesu Christi, quod Abbas Bertrandus du Moliu anno* MCCCXCII, *veritus ne Angli militis direptioni monasterium exponeretur, Tolosam detulit. Historiam Translationis ex annalibus publicis Tolosanæ urbis refert Guilielmus Catellus lib.* 2 *historiæ Occitaniæ in descriptione urbis Tolosanæ et templi de Tauro, et lib.* 5 *de Archiepiscopis Tolosanis, e quibus Petrus a S. Martiali, memorato anno* MCCCXCII *acceptum sacrosanctum Sudarium, assumptis novem Præsulibus, populo ultra tria millia hominum accurenti ostendit videndum in ecclesia S. Rochi tum recens condita, die* XXVIII *Octobris, Apostolis Simoni et Judæ dicata, et per urbem totam portatum deposuit in ecclesia de Tauro in vetera urbis regione : in cujus vicinia empta a Syndico urbis domus est, excipiendo Abbati ejusque monachis destinata. Anno* MCCCXCIX, *Regis Francorum Caroli* VI *mandato, ab Episcopo Santonensi et Abbate Caduinensi, adjunctis Tolosanæ urbis syndico, assessore et nonnullis e Clero viris, sacrum hoc pignus Parisios delatum est ; ac post aliquam temporis moram Tolosam reportatum. Cum deinde et Tolosani thesaurum illum sibi detinere mallent, et contra Abbas suo monasterio debitum repeteret, controversia tam Romæ quam Parisiis in curia Pontificia Regiaque agitata, Abbas, Rege ita jubente, sacrosanctum Sudarium cistæ argenteæ inclusum, e collegio S. Bernardi, in quo tum custodiebatur, per suos monachos Caduinum referri curavit. Hæc ex Catellio. Chiffletus loco supra indicato duplici errore hanc Christi effigiem Cadurci in Vasconia tradit servari. Vasconibus in tertia Aquitania, seu Novem-populonia, habitantibus, at Cadurcis ad primam Aquitaniam spectantibus, quibus Petrocorii vicini sunt in* II *Aquitania, sub quibus monasterium Caduinum in diœcesi Sarlatensi situm diximus.*

*alia servata in diœcesi Sarlatensi,*

*seculo 14,*

B

*Tolosam delato,*

*restituta Caduino cum Cadurco ab aliis confuso :*

C

31 *Tertium vultus Christi velum cum magna religione asservatur apud Hispanos in Cathedrali ecclesia urbis Giennensis in Bætica ; et bis quotannis, feria* VI *in Parasceve Domini, et festo assumptionis B. Mariæ Deiparæ, cui ea ecclesia dicata est, magna cum reverentia et sancto quodam timore atque horrore spectantium, populorumque celebritate atque concursu, fidelibus spectandum proponitur. Historiam hujus sacræ Imaginis Giennensis ediderunt memorati Raspuerta et Acuna Adarreus, ejusdemque passim alii historiarum Hispanicarum Scriptores meminerunt. Rejecimus supra quæ in Chronico Juliani Petri fabulosa referuntur de S. Veronica quam dicimus istic confundi primo cum Berenice nepte Herodis Regis et matre Herodiadis, secundo cum S. Berenice virgine ac Martyre Antiochena, tertio cum hæmorrhoissa Evangelica. Sub nomine ejusdem Juliani extant Adversaria, in quibus hæc traduntur num.* 336. A temporibus antiquissimis apud Garesenos, id est, Jaenenses, id est, Giennenses allata facies Christi una

*alia Giennæ urbe Bæticæ,*

*an sub Gothis et Mauris?*

D de tribus ex urbe Roma, maxima cum veneratione colitur et ostenditur peregrinis. *Et num.* 337 : Hæc a temporibus Gottlticis remansit in custodia summoque pretio apud Christianos Muzarabes inter Mauros. *Hæc ibi : quæ Raspuerta et Acuna Adarreus arripiunt, ut sacrosancta, ac quæ conjiciunt tamquam sibi contraria ab aliis objicienda conantur conciliare. Et Raspuerta, allegata Sancii Davila Episcopi Giennensis conjectura opinatur § 6, sacrum illud velum a S. Euphrasio, dum a sanctis Apostolis Petro et Paulo in Hispaniam mittebatur, una delatum esse : quod absque antiquarum auctoritate nequimus approbare. Egimus de S. Euphrasio* I *Februarii, ad Vitam S. Cæcilii Episcopi : plenius acturi* XV *Maii die ejus natali.*

32 *At seposita Juliani Petri auctoritate, aliquot annis post hosce tractatus ab Raspuerta et Acuna Adarreo editos, vulgarunt Rodericus Mendez Silva Descriptionem universalem urbium Hispanicarum et Ægidius Gonzales Avila Theatrum Ecclesiasticum regni Castellæ, traduntque ambo in suis libris anno* MDCXLV *excusis, Nicolaum de Biedma, ex nobilissima in regno Galliciæ familia oriundum, creatum anno* MCCCLXVIII *Giennensem Episcopum, postquam auctoritate Gregorii* XI *plurimos Hispaniæ Lusitaniæque Episcopatus, ac militarium Ordinum magisteria sive præfecturas anno* MCCCLXXVI *visitasset, dono accepisse sacrosanctum Sudarium vultus Christi, S. Veronicæ olim donatum, ac Roma Giennam deportatum in Ecclesia sua Cathedrali deposuisse : additque Avila in ædibus Episcopalibus reperiri antiquam picturam referentem imaginem hujus Episcopi Nicolai, venerantis sacrum velum S. Veronicæ, illudque ab eo Roma allatum fuisse elogio picturæ addito indicari.*

*an Roma anno 1376 allata?*

E

33 *Interim Avila, positæ chronotaxis non satis memor addit* sanctum Regem Ferdinandum cum istac ad obsidionem urbis Hispalensis transiret, sacram hanc effigiem Gienna secum detulisse, ut tali præsidio tutus felicem expeditionem obtineret. Regem inde abiisse ad æternum ac securissimum regnum, et sanctam Veronicam Giennam esse relatam. *Est urbs Hispalis Mauris erepta anno* MCCXLVIII : *ergo antequam sacra hæc Effigies Giennam esset allata annis* CXXVIII. *Vita functus est Hispali Ferdinandus anno* MCCLII, III *Kalendas Julii quo die de eo agemus. De Regis pietate Lucius Marineus Siculus lib.* 5 *de Rebus Hispaniæ ita scribit :* Divus Ferdinandus Hispaniæ Rex non immerito inter sanctos annumerandus est : summa enim sanctitate, miraculis innumeris, et moribus integerrimis admodum claruit. quippe qui Dei effigiem, quam semper habebat apud se, devotissime adorabat summaque veneratione celebrabat. Ab ea itaque quidquid ei necessario et honeste petebat, facile semper assequebatur. Hoc igitur Dei numine adjuvante, Hispali aliisque pluribus oppidis, fugatis Mauris, potitus est. *Hæc ille de alia Christi effigie intelligit, qui deinde sub finem ejusdem libri* 5, *titulo* de sacris in Hispania ædibus, *ita scribit :* Mentesa quoque, quam Jaennam vocant, una de primariis Bæticæ provinciæ civitatibus, Christi Sudario, quod dicimus alio nomine Veronicam, non immerito gloriatur. Hoc enim sanctissimo munere donata civitas illa est admodum felix, est admodum dives, et visitatur a multis, et maxime colitur. Ceterum hoc Sudarium qui diligenter intuentur, cujus sit coloris, discernere minime possunt. Tanta inest ei divinitas et colorum varietas, *Hæc Marineus, cujus non satis æquus interpres Raspuerta* § 5, effigiem Dei, *Hispanice* la Veronica, *reddit.*

*non hanc veneratus sanctus Rex Ferdinandus,*

F

*sed aliam Christi effigiem.*

34 *Clemens Papa* VII, *in Bulla indulgentiarum huic Ecclesiæ anno* MDXXIX *concessa, hæc verba interserit :* In qua *ecclesia*, sicut accepimus, una devota et venerabilis imago vultus ipsius Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi Sudario impressa, et B. Veronicæ, ut pie creditur, tempore salutiferæ Passionis relicta,

*indulgentiæ illic concessæ,*

A relicta, reconditur : et a tanto tempore citra quod hominum memoria non extat in contrarium, honorifice custoditur, magnaque inibi cum devotione, et in magno populi concursu, certis diebus ostenditur etc. *Quæ Clementis* VII *verba Julius* III *repetit in altera Bulla huic Ecclesiæ concessa anno* MDLIII. *Utramque integram exhibet Acuna Adarveus tractatu* 29 *; ac tandem in appendice adjungit Litanias ab Episcopo Sancio Davila Hispanico idiomate de sancta hac Christi Effigie compositas, quæ, dum ea populo ostenditur, recitari solent. Agunt præterea de hoc Giennensi velo S. Veronicæ memoratus Sancius Davila de Veneratione reliquiarum, Hippolytus Vergara de sancto Rege Ferdinando, Gabriel Vasquez lib.* 2 *disput.* 2 *cap.* 1, *Carthagena lib.* 10 *homil.* 20 *Franciscus Bivarius comment. ad Dextri Chronicon ad annum* 48, *Martinus Roa de antiquitate et veneratione Imaginum cap.* 5, *Ambrosius Morales in antiquitat. Hispan. Pineda par.* 2 *Monarchiæ lib.* 10 *cap.* 23, *Franciscus Garcias del-Valle in Concionatore Evangelico inter elogia Ecclesiarum Hispanicarum, Petrus Medina de Magnitudine Hispanica, Joannes Marietta de Sanctis Hispaniæ, Ferdinandus Ojea Ordinis Prædicatorum regni Mexicani, lib.* 4 *Vitæ Christi cap.* 32, *ac plures alii a Roderico Mendez Silva, Acuna Adarveo et Francisco de Ruspuerta indicati.*

*de ea Litaniæ :*

*ejus memoria apud Scriptores.*

B 35 *Inter insulas Ionii maris Reipublicæ Venetorum subjectas visitur Zacynthus, cum urbe insula cognomine, in qua S. Veronicam aliquod Christi sudarium incolis ad ejusdem fidem conversis donasse, legimus in quodam Calendario Iconum MS. a moderno auctore instar adversariorum congesto ; nullo, quod dolemus auctore citato.*

*An aliqua imago Zacynthi ?*

36 *Hæc de Imaginibus solenniorbus S. Veronicæ, de quibus cum Gretsero pronuntiamus :* Hujusmodi sacra pignora et lipsana ex imitatione habita, et ex prototypo sæpius expressa, occasionem dedisse posteris, ut sibi persuaderent se verum exemplar possidere, cum non nisi imaginem ex primo Sudario vel sindone effigiatam haberent. Qui error omni culpa caret, cum et in primis illis, et in his, quæ ad imitationem illorum adumbrata sunt, unus Deus Redemptor noster honoretur. *Opinantur aliqui cum Ruspuerta et Acuna Adarveo, velo S. Veronicæ triplicato faciem Christi fuisse impressam, servarique unum Hierosolymis alterum Romæ, tertium Giennæ : forsan in eum sensum abrepti a Juliano Petri supra referente* ad Giennenses adlatam faciem Christi unam de tribus ex urbe Roma : *forte istic solenni applicatione ad archetypum sacratis, quarum aliæ duæ sint apud Francos in cœnobiis relatis Monasteriolensi et Cadumensi, quæ gloriantur, has sibi effigies multo ante tempore donatas. Non obsumus tamen credentibus triplicem imaginem velo triplicato impressam fuisse, quod Christus eadem facilitate fecerit, qua uni : si inveterata Ecclesiarum traditio id factum fuisse persuadeat.*

D *AUCTORE G. H. Quomodo eæ effigies instar prototypi colantur ?*

*an Veronicæ velum triplicatum ?*

37 *Germanorum erga hanc effigiem non spernendam devotionem indicat Gretserus cap.* 17. *de Imaginibus non manufactis, ubi tradit in postica parte altaris summi solere imaginem Veronicæ depingi, et homines altare circumeuntes (pleramque enim ita ædificari ut sit circumeundi locus) signo Crucis imagini impresso, mox eodem signaculo, frontem suam notare : et hoc more tam usitato, ut hujusmodi imagines ex assiduo attactu intra paucos annos atterantur, debeantque renovari. De Indorum Japonumque erga hanc Veronicæ effigiem singulari devotione meminimus nos aliquando apud Maffeum aliosque rerum Indicarum scriptores legisse.*

*erga eam effigiem devotio Germanorum.* E

# DE S. EUTYCHIO, MARTYRE ROMANO.

J. B.

*IV FEBR.*

In *Martyrologium Romanum* restitutus ex antiquis monumentis S. Eutychius, *teste Baronio in annot. ad Martyrol. Additum elogium :* Romæ S. Eutychii Martyris, qui illustre martyrium consummavit, sepultusque est in cœmeterio Callisti, cujus sepulchrum S. Damasus Papa versibus exornavit. *Extant hi in ecclesia S. Sebastiani, ad cœmeterium Callisti, via Appia, tabulæ marmoreæ incisi, quos ex Baronio hic damus.*

*S. Eutychii natalis,*

*sepulchrum,*

Eutychius Martyr crudelia jussa tyranni,
Carnificumque vias pariter tunc mille nocendi
Vincere quod potuit, monstrantis gloria Christi.
Carceris illuviem sequitur nova pœna per artus :
C Testarum fragmenta parant, ne somnus adiret.
Bisseni transiere dies, alimenta negantur.
Mittitur in barathrum Sanctus. lavat omnia sanguis
Vulnera, quæ intulerat mortis metuenda potestas.
Nocte soporifera turbant insomnia mentem.
Ostendit latebra insontis quæ membra teneret.
Quæritur, inventus colitur, fovet, omnia præstat.
Expressit Damasus : meritum venerare sepulchrum.

*tormenta,*

*inventio,*

*Eadem soluto stylo Ferrarius expressit in Catal. SS. Ital. ubi* barathrum *interpretatur*, puteum Martyrum sanguine plenum.

2 *Quia Acta ejus interciderunt, dubitari fortasse potest, an non hic sit* S. Eutychius Presbyter, *cujus in Actis S. Secundi Martyris* I *Junii mentio fit. Cum enim quæstionarii, qui S. Secundum saxo alligatum Ameriæ in Tiberim jecerant, Spoletium revertentes feroci ursæ occurrissent, alieu octo occisi fuere, reliqui vix evaserunt, clamantes :* Vere homo iste est magni Dei cultor. Et hæc dicentes, venerunt ad B. Eutychium Presbyterum, ubi latebat absconditus ; et mittentes se ad pedes ejus, cum lacrymis rogabant eum, ut baptizari ab eo mererentur. Quibus ille respondit : Vos tantum credite Christo Domino nostro, et quidquid unquam mali gessistis, per fidem baptismatis ejus condonabitur vobis. Allata itaque aqua, baptizati sunt per B. Eutychium Presbyterum eadem hora promiscui sexus numero duodecim : qui abeuntes ad sua, gratias Deo referebant cum lætitia magna. *Hæc ibi. At nusquam in Martyrologiis illius B. Eutychii mentio. Fortassis in tractum Spoletinum concesserat ut lateret ; Et hinc Romam vel raptus est ad tormenta, vel ultro reversus, martyrii ansam invenit, sub Maximiano, sub quo et* S. Secundus *coronatus dicitur.*

*sacerdotium,* F

*ætas,*

3 Corpus S. Eutychii, *inquit Baronius*, e dicto cœmeterio Callisti translatum est ad basilicam S. Laurentii, in Damaso dictam, ad Theatrum Pompeii. *Isthic sub ara majore asservari scribit Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis almæ Urbis, regione* 12 *ecclesia* 3. *In indice Reliquiarum testatur brachium ejus unum extare in ecclesia S. Luciæ in Silice, sive in* Orphea.

*translatio.*

*IV FEBR.*

*NOT. 38.*

# DE SANCTIS MARTYRIBUS FOROSEMPRONIENS. AQUILINO, GEMINO, GELASIO, MAGNO, DONATO, alio GELASIO, alio GEMINO, DONATA.

J. B.

*V FEBR.*

V*ario modo in Martyrologiis horum Sanctorum nomina exprimuntur, locusque certaminis. Quædam nulli certo loco eos assignant. Ita MS. cœnobii S. Cyriaci Romæ :* Nativitas Gemini, Galasii, Manniæ, Donati, Aquilini. *Martyrol. MS perbreve e monasterio S. Maximini Treviris :* Gemini, Zelasi, Donatæ, Aquilinæ *MS. Lætiense antiquum :* Natalis SS. Gemini, Gelasii et Magni *Wandelbertus*

*Sancti hi martyrio coronati*

AUCTORE I. B.

Forosempronii:

A *Wandelbertus quoque, licet solum* Aquilinum *nominet:*

Tum pridie Nonas Aquilinus vindicat almus.

*Alia Martyrologia Forosempronii coronatos tradunt. Ita vetus Romanum, quod S. Hieronymi inscribitur:* In Forosymphroni Nat. Gemini, Gelasi, Mamnæ, Aquilini et Donatæ, item Gemini, item Donatæ. Thimoi Filææ Episcopi cum filia sua. *Sed hæc postrema, quæ ad* S. Phileam Tmueos Episcopum *spectant, quibusdam errandi materiam præbuerunt; ut* Themoinm *adderent Martyrum illorum numero. Ita Beda:* In foro Synfronii, natale Gemini, (*MS.* Germini) Gelasii, Manini (*MS. habet* Mann) Aquilini et Donati, item Themon, Gelasii. *Rabanus:* In foro Sanfronii, Nativitas Gemini, Gelasii, Mali, Aquilini et Donati, item Donati, Themoi, Gelasii. *Notkerus:* In foro Symphroni nativitas SS. Gemini, Gelasii, Manini, Aquilini et Donati. *MS. Ecclesiæ Aquisgranensis:* In Forosymphroni, Gemini, Gelasi, Aquilini, Manni, Donati, item Donatæ, Themi, Gelasii. *MS. Divitis Augiæ* In foro Sinfroni natale Gemini Gelasii, Mannii, Aquilini et Donatæ.

2 *Alii denique Forumsempronii, quæ urbs est Umbriæ, forum aliquod Romanum rati, scripsere passos* Romæ ad forum Sempronii. *Fora* XVIII *Romana recenset Alexander Donatus noster, plura alii, nullum*

B *Sempronii. Tamen Usuardus, Bellinus, Maurolycus, et plurimi MSS. codices habent:* Romæ foro Sempronii sanctorum Martyrum Aquilini, Gemini, Gelasii, Magni et Donati. *Sequitur Galesinius:* Romæ in foro Sempronii sanctorum Martyrum Aquilini, Gemini, Gelasii, Magni, Donati Hippolyti et Bostreni, qui Aureliano Imp. coronati sunt. *Hæc mox discutientur. Animadvertit fortasse Canisius, non fuisse Romæ Sempronii forum, itaque in secunda Germanici Martyrologii editione scripsit.* Romæ sanctorum Martyrum Aquilini, Gemini, Gelasii, Magni, et Donati, qui pro Christi confessione decollati sunt. *Ita MSS. quoque S. Mariæ Ultrajecti, S. Martini Treviris, S. Gudilæ Bruxellis, et Constantius Felicius:* Romæ sanctorum Martyrum Aquilini, Gemini, Gelasii, Magni, Donati. *Vetus quoque MS. monasterii S. Martini Tornaci, Eusebii, Bedæ, Hieronymi nominibus prætitulatum:* Romæ SS. Gemini, Gelasii et Magni. *At recte veram lectionem restituit Baronius,* Forosempronii, *absque Romæ nomine.*

quod quidam factum scribunt Romæ ad forum sempronii,

aut saltem Romæ,

sed perperam.

3 *Magna in quorumdam nominibus, ut patet, varietas est.* Aquilinus, *in Vita SS.* Aquilanus *est;* Aquilonus *in MS. Carmelit. Coloniensis, in breviore MS. S. Maximini,* Aquilinus. Gelasius, *in MS. S. Cyriaci* Galasius; *in eodem S. Maximini* Zelasius; *apud Petrum*

C *de natal.* Galesius, Gegelasius *in MS. Carmeli Colo.* Magnus *in MS. S. Hiero.* Manna; *S. Cyriaci,* Mannia; *Beda vulgato,* Mannus; *MS. Aquisgran.* Mannus; *Notkero et MS. Divitis Augiæ,* Manninus, *Rabano* Malus. Donatus *in MSS. Hieron. et Max.* Donata; *in MS. Carmeli Colon.* Donatianus. Geminus *in MS. Bedæ,* Germinus. *Additi tres.* Gelasius *alter ex Beda, Notkero, MS. Aquisgranensi.* Donata *ex eodem MS. Aquisgr. et Hier. atque Addition. Carth. Colon. ad Usuard. qui Notkero est* Donatus. Geminus *denique ex MS. Hiero. pro quo* Themi *nomen fortassis est in*

corum nomina varie expressa.

*Addit. Carthusian. Colon. et MS. Aquisgranensi: apud* D *Bedam vero et Rabanum* Themoius: *nisi hoc, ut monuimus, ex* Thmuo *S. Hieronymi corruptum, pro* Thmui *urbe.*

4 *Quos Galesinius addidit, ex Eusebii Chronico, ut ait,* Hippolytum et Bostrenum, *aliquam viri alias docti et gnavi oscitantiam produnt. Scribit Eusebius ad annum Alexandri imp. sextum:* Geminus Presbyter Antiochenus, et Hippolytus, et Beryllus Episcopus Arabiæ Bostrenus, Clari scriptores habentur. *At* Bostrenus *non viri nomen hic est, sed* ἀπὸ τῶν Βόστρων πόλεως Ἀραβίας, ἐθνικὸν βοστρηνός, καὶ βοστραῖος *ut est apud Stephanum, a* Bostris urbe Arabiæ gentile Bostrenus et Bostræus, *hoc tamen postremum* Bostrensis *malim Latine efferre. De illo* Bostrorum, *sive* Bostreno *Episcopo* Beryllo *agit S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 60, *de* Gemino *Presbytero cap.* 64 *et* 61 *de* S. Hippolyto, *qui deinde Episcopus Portuensis fuit, et colitur* XXII *Augusti. At si recte etiam Eusebium intellexisset Galesinius, non debuisset tamen sub Aureliano coronatos asserere, post annum scilicet* CCLXX, *quos ille floruisse circa annum Alexandri* VI, *Christi* CCXXVII *scripserat. Additur* Symphorianus *a quibusdam, qui quod legerant fortassis* ROMÆ IN FORO SYMPHRONII, AQUILINI, *etc., ut supra quidam codices habent, ita distinxere:* Romæ in foro, Symphoriani, Aquilini, *etc., MS. S. Gudilæ Bruxellis:* item Symphoriani Martyris. *MS. S. Lamberti Leodii:* Item S. Symphoriani et Aquilini. *Sunt quidem in sacris fastis aliquot* Symphoriani *Martyres, sed huc non pertinent.*

male iis additi Hippolytus et Bostrenus,

ac Symphorianus.

AN MADV PAP. 56.

E

5 *De tempore quo martyrium fecerunt, licet fortassis conjicere, sæviente adhuc Diocletiani et Maximiani persecutione contigisse; quando et* S. Maurentius *ejusdem urbis Patronus non procul inde cum sociis aliquot coronatus est, ut* XXXI *Augusti dicemus. Quo lethi modo finierint certamen, in obscuro est. Scribit Petrus de Natal. lib.* 3, *cap.* 82, *hos omnes* pro confessione nominis Christi, *jussu* Urbis Præfecti, capitali sententia vitam finivisse. *Sed neque sic determinatum est genus mortis; nec in Adone, quem citat, ea extant. Ferrarius in Catal. SS. Italiæ, et Canisius supra,* capitis abscissione martyrium complevisse *scribunt; etsi absque auctore, (nam quos Ferrarius producit, id tacent) probabili tamen conjectura quia usitatissimum illud erat supplicium.*

Eorum ætas

ac mortis genus:

6 *Testatur Ferrarius eorum festivitatem Forosempronii celebrari primum cœptam anno* MDLXXXIV, *curante Octavio Accarumbono ejus urbis Episcopo, Romana Rituum congregatione prius consulta:* sacellum iis in publicis civitatis ædibus extructum: cereum *hoc die* ab ipsa civitate in ecclesia Cathedrali quotannis in ipsorum memoriam offerri. *corpora eorum in eadem Cathedrali sepulta existimari. Quem Ferrarius* Accorambonum, *Antistitem, Ferdinandus Ughellus to.* 2 *Italiæ sacræ* Accorambonum et Accorambonium *vocat; ubi ab eo* palatium Episcopale ampliatum, sacram turrim erectam, publicas supplicationes precesque institutas *testatur; ipsumque* Patrem pauperum appellatum, ac singularis æstimoniæ titulo insignem *habitum.*

festivitas Forosempronii instituta, sacellum, anniversarium donarium.

F

NOT. 39.

# DE S. PHILEA EPISC. THMUITARUM, ET S. PHILOROMO TRIBUNO MILITUM,

G. H.

## ALIISQUE PLURIMIS MARTYRIBUS ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO,

### Commentarius prævius.

§ I. *Sedes Episcopalis S. Phileæ, martyrii locus, tempus, Acta; opuscula ab eo scripta.*

ANNO CCCIV IV FEBR.

*Thmueos urbis Ægypti*

Thmuis antiqua *Ægypti inferioris urbs, Ptolemæo lib.* 4 *Geographiæ cap.* 5, Metropolis præfecturæ seu nomi Mendesii, *cui vicinum Nili ostium* Mendecium, *aut nomen dedit, aut acceptum referre debet. Fuit ea urbs subsecutis dein temporibus Augustamnicæ primæ annumerata sub metropoli Pelusio, de quo et horum locorum tractu infra agimus ad Vitam S. Isidori Pelusiotæ. Ceterum perierit ne* Thmuis, *num id loci fuerit, ubi nunc* Migni *visitur, ignoratur. Thmuitarum Ecclesiam rexit Episcopus* Phileas.

*Episcopus S. Phileas,*

A leas, *imperante Diocletiano, quem anno Æræ Christianæ* CCLXXXIV, *mense circiter Septembri, a quo Ægyptii epocham Martyrum ordiuntur, ad Imperium evectum esse sæpius diximus, abeoque ferale edictum adversus Christianos latum esse per eos dies quibus Passionis Dominicæ sacra memoria colebatur, anno Imperii ejus* XVIII, *Christi* CCCII, *quem Eusebius lib. 8. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. Imperii ejus* XIX *fuisse scribit, solitus ipse annos singulos a Paschali mense numerare. Gravissima mox per totum Imperium, et maxime in Ægypto, exorta persecutione, S. Phileas a suis Thmuitensibus abstractus est,*

*Alexandriæ*

*carcerique Alexandriæ, ut infra dicetur, diutius inclusus. Moram aliquam captivitatis exigunt et litteræ* S. Petri Alexandrini Episcopi, *tum exulis, infra proferendæ, ad* SS. Phileam, Hesychium, Theodorum, *aliosque Confessores carcere detentos, et potissimum epistola ipsius* Phileæ *ad suos Thmuitas de illustri plurimorum Martyrum peracto ante certamine, in Actis num. 3 contenta. Quare martyrium ejus differimus in annum Diocletiani* XX, *Christi* CCCIV *quo arbitramur passum fuisse*

*occisus anno 304.*

*Phileam mense Februario, cum sequenti Aprili Diocletianus rei Christianæ, cui supprimendæ par non erat, tædio affectus, Imperium deposuit, privatam vitam ducturus.*

2 *De historia martyrii* S. Phileæ *ita scribit Ruffinus*

B *Presbyter Aquileiensis lib. 8 Hist. Eccl. cap. 10, juxta editiones anno* MDLXXIX *a Joanne Scilla et* MDXXVI *a*

*Acta martyrii a Ruffino recognita.*

*Goffredo Baussardo adornatas* : Hujus Phileæ Martyris passionem apud Gregorium historiis egregie conscriptam recognovi : atque mirabiliter eum apud impios de Divina religione nimium disputasse, ut et necem Socratis Philosophi, quam apud Athenas pro veritate tulerit, in testimonium illis protulisset. *Ea Acta hactenus inedita nacti sumus ex tribus Codicibus*

*hactenus inedita dantur ex 3 MSS.*

*MSS. quorum unus fuit Nicolai Belfortii, Canonici Regularis in cœnobio S. Joannis Baptistæ de-Vineo apud Suessiones; alterum diu habuimus, concessum a religiosissimis viris antiqui monasterii S. Maximini prope Treverim : ex tertio, qui extat apud Canonicos Regulares monasterii Budecensis in Westphalia sub diœcesi Paderbornensi, descripsit nobis eadem Acta Joannes Gamansius Societatis nostræ. In ultimis duobus Codicibus tantum ea continentur, quæ capite secundo proferimus. Ex volumine Belfortiano, quæ primo capite damus, supplentur et fere omnia eisdemque verbis in historia Ecclesiastica Ruffini leguntur, forsan ut plurimum in ejus recognitione adjecta. Confirmat eadem Acta*

*a S. Hieronymo citantur,*

*S. Hieronymus de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. 78 his verbis* : Phileas de urbe Ægypti, quæ vocatur

C

Thmuis, nobili genere et non parvis opibus, suscepto Episcopatu elegantissimum librum de Martyrum laude composuit ; et disputatione Actorum habita adversus Judicem, qui eum sacrificare cogebat, pro Christo capite truncatur. *Quæ omnia in hisce*

*scripta a Gregorio teste oculato.*

*Actis continentur : unde eorumdem auctorem Gregorium ipsi Phileæ coævum fuisse, et eorum disputationem observasse colligimus ex prologo, ubi hæc verba,* nostris temporibus, et nobis præsentibus gesta, *innuunt.*

3 *Hic autem liber de Martyrum laude est epistola ejus*

*Epistola S. Phileæ,*

*ad suos Thmuitas scripta, infra num. 3 relata, quam etiam Eusebius et Nicephorus historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruerunt, ille lib. 8, cap. 10, hic lib. 7, cap. 9. Ejusdem meminit Honorius de Scriptoribus Ecclesias-*

*de Martyrum laude,*

*ticis cap. 79 ipsissimis fere S. Hieronymi verbis. De eodem hæc scribit Trithemius de scriptoribus ecclesiasticis* : Phileas Episcopus Thebaidæ civitatis in Ægypto, vir nobilis atque doctissimus, non minus moribus, quam eruditione Scripturarum insignis, post multos labores, et editos pro utilitate fidelium varios

*aliaque ejus opuscula,*

tractatus, tandem sub Maximiano Imperatore pro fide Christi Martyr effectus, evolavit ad superos. De cujus scriptis extat disputatio habita contra Judicem iniquum libro uno, et de Laude Martyrum libro uno.

D Alia quæ scripsit, nobis incognita sunt, quamvis multa ferantur a Patribus. Claruit sub Maximiano

AUCTORE J. B.

Principe, anno Domini CCXL. *Hæc Trithemius. In cujus numerum, litteris Arabicis conscriptum, conjicimus errorem Typographicum irrepsisse ; quo pro anno* 240 *legendus sit annus* 304. *Disputatio S. Phileæ contra Judicem in Actis a Gregorio scriptis cum ejusdem Epistola continetur. Quem autem profert Trithemius Imperatorem, est Maximianus Herculeus a Diocletiano in socium Imperii assumptus, primum anno* CCLXXXV *Cæsar, dein anno proxime sequenti Augustus creatus, postremo auctoritate illius adductus, deposita purpura, eisdem Calendis Aprilis dicti anni* CCCIV *cum illo privatus factus est.*

4 *Præterea quod Trithemius Phileam scribat* Thebaidæ civitatis *Episcopum, videtur hausisse ex aliquibus MSS. codicibus S. Hieronymi. Nam* Suffridus Petrus *teste Antonio Possevino in Apparatu sacro de S. Philea,* adnotavit in Martiniensi codice MS, pro

*Non fuit ipse aut alter Phileas Episcopus urbis Thebaidæ.*

Thmuis haberi Thebais, ut et Sigeberg. cod. MS. Quam caussam fuisse, *addit Possevinus*, cur isti, qui potius Farragines quam Bibliothecas hæretici consarcinarunt, duos facerent Phileas : alterum Thebaidos, alterum Thmuensem, Episcopos. *Quo loco Possevinus Gesnerum et Simlerum tacite carpit. Ut omittamus* Thebaida *non urbem, sed regionem esse,*

E

*quam accurate descripsimus* XVII *Januarii* § 1 *ad Vitam S. Antonii. Omnibus his forsan data erroris occasio ob Eusebium et Nicephorum minus attente perlectos. Cum enim immediate ille lib. 8 cap. 9 de Martyribus Thebaidos in dicta Diocletiani persecutione passis egisset, nulla locorum distinctione præposita, varia describit certamina, a se tum in Ægypto existente visa, ipsumque addit martyrium SS. Phileæ et Philoromi : de hoc agitur num. 6 infra in Actis. Lubet addere verba Eusebii ex dicto libro 8, Græcis eodem cap. 9, Latinis cap. 10, ubi hæc habet, quæ ab eo Nicephorus descripsit.*

5 Atque isti Martyres admiratione digni quidem fuerunt : sed illi præ ceteris videbantur egregie ad-

*Eusebii testimonium*

mirabiles, qui quamvis divitiis, nobilitate, gloria, eloquentia et philosophiæ cognitione illustres essent, hæc omnia tamen pro vera pietate et fide in Servatorem et Dominum nostrum Jesum Christum pro nihilo ducerent. Talis erat Philoromus, vir magistra-

*de S. Philoromo,*

tum non illum quidem vulgarem adeptus, sed ad Imperatoris negotia Alexandriæ procuranda delectus : qui non sine magna gloria et honore (ut Romanorum mos fert) a satellitibus stipatus, in dies singulos de controversiis ad se relatis judicium tulit. Talis Phi-

*et S. Philea,*

F

leas etiam Thmuitensis Ecclesiæ Episcopus, vir plane cum in civilibus patriæ institutis et Ecclesiæ ministeriis valde præstabilis, tum Philosophiæ disciplinis eximius. Isti duo, cum permulti et cognati et alii amici eos obsecrassent ; cum præterea viri primarii, qui cum imperio erant, orassent ; cum ipse Judex denique hortatus esset, ut sui ipsorum caperent misericordiam liberorumque et uxorum curam gererent ; nequaquam ejusmodi virorum precibus adduci potuerant, ut vitæ cupiditate aliqua ex parte delectarentur, et Divinas leges de confessione et negatione Servatoris nostri penitus contemnerent : sed virili animo et mente digna Philosophis, imo vero pia et digna Deo, contra omnes Judicis minas, contra contumelias fortiter se opponentes, ambo capitibus abscissis abierunt e vita. *Hæc Eusebius. Quæ omnia infra in Actis leguntur, soli fere* Phileæ *attributa. Cum autem* S. Philoromus *negotia Imperatoris procuraret Alexandriæ, huic tum adjunctus est S. Phileæ, post pro-*

*Alexandriæ passus.*

*tectionem ejus apud judicem assumptam. Præterea dum* Phileas martyria *juxta Eusebium* Alexandriæ facta narret litteris ad suos Thmuitas perscriptis, *clare indicat, se Alexandriæ fuisse* in carceris custodia, *ubi* ante extremam de se in judicio latam sententiam *hanc*

AUCTORE G. B.

*epistolam scripsit, qua capite undecimo recitata, pergit Eusebius cap. 12 et 13 narrare illustres aliquot Palæstinæ Martyres, ac tandem ita concludit :* Per idem tempus, (*quo ad* IX Calend. Aprilis *aliquot* Martyres securi percussos *retulit*) duo ex Imperatoribus, quorum alter, *Diocletianus* primum et summum Imperii gradum, alter *Maximianus Herculeus* secundum post illum obtinebat, ad privatam quamdam vitæ rationem se transtulerunt. *Quod calendis Aprilis factum esse diximus.*

*necdum deposito Imperio a Diocletiano et Maximiano.*

6. *Eusebius iterum meminit S. Phileæ eodem lib. 8, cap. 25, cui hic inscribitur titulus :* De Ecclesiæ Præsidibus, qui fuso sanguine veram, quam professi sunt, pietatem ostenderunt. *Et sic exorditur :* His igitur temporibus illustres et eximii Martyres, per universum mundum magna gloria decorati, cum suæ mentis magnitudinis et roboris spectatores ubique non sine caussa obstupefecerunt; tum insignia divinæ revera et inexplicabilis Servatoris nostri potentiæ indicia suis recte factis ante omnium oculos statuerunt. Verum quemque nominatim historia prosequi, ut longum, ita vix posse fieri videtur. Attamen inter Ecclesiasticos Præsides, qui in præclaris civitatibus martyrium passi sunt, primo omnium, tamquam in columellas ad piorum memoriam erectas, regni Christi testem Anthimum Episcopum urbis Nicomediensium, qui capitis pœna mulctatus, mortem obiit, inscribamus. Ex Martyribus autem Antiochiæ Lucianum illius Ecclesiæ Presbyterum, piis vitæ institutis facile præstantissimum, qui Nicomediæ etiam, imperatore præsente, cœleste Christi regnum, primum sermone per apologiam, deinde rebus gestis palam prædicavit... Ex illis qui Alexandriæ, qui in reliqua Ægypto et Thebaide egregie et præclare occubuerunt, Petrus ipsius Alexandriæ Episcopus divinum quoddam decus eorum, qui veræ in Christo religionis Doctores et Magistri extiterunt, primus hoc loco citetur : et Presbyteri una cum illo Faustus et Didius et Ammonius, perfecti Christi Martyres. Phileas item et Hesychius et Pachomius et Theodorus, Ecclesiarum, quæ sunt in Ægypto, Episcopi, aliique præstantes viri præter istos prope infiniti, qui in Ecclesiis regionis et loci cujusque, ubi habitabant, multorum sermone celebrantur. *Hactenus Eusebius : ad quem respiciens S. Hieronymus loco supra de Ecclesiasticis Scriptoribus memorato, asserit* Phileam pro Christo capite truncatum eodem in Ægypto persecutionis auctore, quo Lucianus Nicomediæ : *quem capite præcedenti tradiderat passum esse sub persecutione Maximini, quæ Maximiani erat. De S. Luciano egimus* VII *januarii, de S. Anthimo acturi* XXVII *Aprilis, quem idem Eusebius ante tradiderat cap.* 6, *in eadem* Diocletiani persecutione, capite propter Christi testimonium cervicibus abscisso, mortuum esse, *sententia necis lata a Diocletiani socio Maximiano, cujus Acta meminerunt. Unde clarum est dicto capite* XXV *Eusebium cum quadam recapitulatione insigniores Ecclesiæ Antistites in ea persecutione, quam Diocletianus a se cœptam collegis, et successoribus quasi hæreditaria possessione cum Imperio obtinendam tradidit, Martyrium passos recensere : et, cum juxta Baronium ad annum* 310, *num.* 23, *prærogativa excellentiæ ceteris Ægypti Episcopis Petrum Alexandrinum cum ejusdem Ecclesiæ Presbyteris anteposuisset; subjungere alios, qui ante Petrum consummarunt martyrium, Phileam, Hesychium Theodorum atque Pachomium, de quorum die natali infra agimus.*

*Recapitulatio apud Eusebium præcipuorum Martyrum. Anthimi, Luciani, Petri Alexandrini, Phileæ, et aliorum ea persecutione occisorum.*

7. S. Petrus *juxta Eusebium lib. 7 cap. ult. sub finem,* in Episcopatu Alexandrino duodecim annis continuis cum summa dignitate floruit. Qui cum triennium prope ante persecutionis tempus in Ecclesia illa gubernanda contrivisset, de reliquo vitam duriore exercitatione et magis severa traduxit, Ecclesiarumque utilitati omni cura ac studio prospexit, ac propterea nono persecutionis anno, capite amputato, est a Deo insigni martyrii corona donatus. *Referunt hujus Acta apud Baronium anno* 306 *num.* 82, *ex illius alteroque Vaticano MSS. codicibus* S. Petrum Alexandria sponte recessisse, cum quæreretur ad necem; ne ejus caussa civitas Alexandrina, adversantibus Christianis, tumultu exagitaretur : quando tum in Palæstina, tum etiam in adjacentibus insulis diu latuit, litteris interea suos roborans, ac præsertim Phileam, Hesychium, et Theodorum, quos omnium Confessorum, qui tenebantur in carcere ultra sexcentos sexaginta numero, Signiferos vocat et Præceptores : eosque cum consummatos martyrio audisset, ingenti se lætitia affectum esse testatur, pro quorum agone semper Deum precibus interpellaverat. *Hæc ex Actis MSS. hactenus minus complete editis.*

*Petrus Alexandria exul, consolatur captivos, Phileam aliosque, et audito eorum martyrio lætatur.*

## § II. SS. *Phileæ et Philoromi memoria in sacris Fastis. patria Sociorum Martyrum.*

8. Sicuti urbs Thmuis *ignotum Europæis nomen est, atque a communi Latinarum syllabarum conjunctione recedens; ita proclivius fuit, ut majoribus mendis erroribusque amanuensium, maxime in Martyrologiis aliisque libris MSS. subjiceretur. Hinc corrupte* Thimus, Thymus, Thynnis, Thynuis, Thynius, Thymnis, Thannis, Taphnis, Thumois, Thmois, Theonis, Chanai *etc. legitur. De voce* Thebaidos *ante diximus.* Fileas *etiam et* Filoromus *in multis codicibus scribitur. Ac primo in antiquissimo Martyrologio Romano, quod S. Hieronymi nomen præfert, ita legitur :* Thimoi Filiæ Episcopi cum Filia sua. *MS. Richenoviense :* Timuæ Episcopi cum Filia sua. *Ancipites hic hæremus quod in Actis* uxor liberique S. Phileæ *referantur, num aliqua filia simul martyrii coronam cum patre suo adepta sit. Pronius tamen in silentio aliorum, tutiusque conjectamus mendum esse, legendumque* Fileæ Episcopi cum Filoromo. *Aliud mendum est in antiquo MS. Trevirensi S. Martini.* In Ægypto Phileæ Episcopi et Confessoris, *quem capite plexum certo constat. In alio etiam antiquo MS. Monasterii S. Richarii, quod Bedæ adscribitur :* In civitate Thymnis passio B. Phileæ ejusdem urbis Episcopi, et Philoromi Tribuni Romanorum militum.

*Nomen Thmuis varie corruptum. In aliquibus Martyrologiis expressi soli Phileas et Philoromus :*

9. *Quæ eadem fere, sed correctius copiosiusque leguntur in antiquo Martyrologio Romano a Rosweydo edito :* In civitate Ægypti Thmuis, B. Phileæ ejusdem urbis Episcopi, et Philoromi Tribuni, et innumerabilium Martyrum. *Eadem leguntur in MS. Coloniensi ad Gradus S. Mariæ. At Pragense, Ultrajectinum S. Mariæ, Leodiense S. Lamberti, Antuerpiense Domus professæ Societatis Jesu, aliaque MSS. fere conveniunt cum Beda excuso his verbis :* In civitate Ægypti, quæ appellatur Thmuis, passio B. Phileæ ejusdem urbis Episcopi, et Philoromi Tribuni militum Romanorum, cum quibus etiam innumera multitudo fidelium ex eadem urbe Pastoris sui vestigia sequens, in persecutione Diocletiani martyrio coronata est. *Interponit Notkerus ex Actis hæc pauca de S. Philoromo :* Qui constantiam Episcopi admiratus et eum laudibus prosecutus, pariter cum eo capite plexus est. *Quibus omissis hæc superaddunt in fine Usuardus, Bellinus, aliique :* Sicut octavus liber Ecclesiasticæ historiæ loquitur. *In MS. Coloniensi Carmelitarum dicuntur* Philippeus Episcopus et Filomus Tribunus. *In alio antiquo MS. ex Italia, dein Lotharingia allato, solus memoratur* B. Florianus Martyr : *nomine forte ex utroque corrupto. Additur* innumera fidelium multitudo *in utroque Martyrologio. At quæ supra dicitur* persecutio Diocletiani, *a nonnullis omittitur, ab aliis nominatur* persecutio Deciana, *mendo magno, cum persecutio a Decio mota quinquaginta annos*

*alibi additi innumerabiles Martyres, etiam ex eadem urbe.*

A *nos hanc Diocletiani præcesserit. Auctor Florarii MS. et Ado* decimam persecutionem *habent, uti eam appellant Augustinus lib.* 18 *de Civitate Dei cap.* 52 *Orosius lib.* 7, *cap.* 27 *aliique. Verba Florarii hæc sunt:* In civitate Ægypti quæ vocatur Thymnis, passio B. Phileæ Episcopi, et Philoromi Tribuni, tempore Diocletiani et Maximiani, Romanorum Imperatorum, anno salutis cccv, sub decima persecutione, anno ejusdem primo. Tunc etiam in præfata civitate, quemadmodum Pastor eorum Phileas prædictus, universi Christiani in contiguo mœnibus campo capite plexi sunt.

*in decima persecutione passi.*

10 *Ado de adjuncta multitudine hæc ex Ruffino lib.* 8 *cap.* 9 *copiosius refert :* In civitate, *inquit*, Ægypti, quæ appellatur Thmuis, passio B. Phileæ ejusdem urbis Episcopi, et Philoromi Tribuni militum, cum quibus etiam innumera fidelium multitudo ex eadem urbe, Pastoris sui vestigia sequens, persecutione Diocletiani martyrio coronata est. Sedente namque pro tribunalibus sævissimo Præside efferuntur innumeri fidelium populi. Quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos, capite plecti jubet : cumque certatim se et sponte, confessione præmissa, gladio subjicerent, ille inhumanus et crudus, nec multitudinis contemplatione, nec virtutis eorum magnanimitate permotus, duci nihilominus omnes et B cædi capite jubet. Verum hi constanter et fortiter cum lætitia et exultatione, mortem præsentem velut æternæ vitæ principia rapiebant. Denique cum priores quique jugularentur, reliqui non desidiæ aut torpori animos indulgebant; sed psallentes et hymnos Deo canentes, locum quisque sui martyrii expectabat, ut hæc agentes, etiam extremos spiritus in Dei laudibus exhalarent. O vere mirabilis et omni veneratione dignus grex ille beatorum, turma virorum fortium, corona splendoris gloriæ Christi! Hanc sane coronam pretiosior omnium lapis et gemma nobilior adornabat, hanc turmam præibat Ductor illustrior, hunc gregem Pastor nobilior decorabat : Phileas huic nomen est, qui erat Episcopus urbis ipsius. Hic nobilitatem primi generis secundum animi virtutem de cœlestibus trahebat : de terrenis vero, quantum ad sæculum pertinet, primus in republica Romana honoribus functus. Eruditione quoque liberalium litterarum, et omnibus, quæ ad animi virtutem pertinent, exercitiis apprime eruditus. Hic cum plurimos propinquos et consanguineos, nobiles viros, in eadem urbe haberet, frequenter ad Præsidem ducebatur : ejusque monitis acquiescere, C tot et tantis propinquis exorantibus, respectum habere uxoris, et contemplationem suadebatur suscipere liberorum, neque in cœpta præsumptione persistere. Ast ille, velut si saxum immobile unda allideretur, garrientium dicta respuere, animos ad cœlum tendere, Deum in oculis habere, parentes et propinquos, sanctos Martyres et Apostolos ducere. Aderat tunc quidam vir agens turmam militum Romanorum, Philoromus nomine : qui cum videret Phileam circumdatum lacrymis propinquorum, et et Præsidis calliditate fatigari, nec tamen inflecti aut infringi ullatenus posse, exclamat : Quid inaniter et superflue constantiam viri tentatis? Quid eum, qui fidem Deo servat, infidelem vultis efficere? Quid eum cogitis negare Deum, ut hominibus acquiescat? Non videtis, quod aures ejus vestra verba non audiunt, quod oculi ejus vestras lacrymas non vident? Quomodo potest terrenis lacrymis flecti, cujus oculi cœlestem gloriam contuentur? Post hæc dicta, cunctorum ira in Philoromum versa, unam eamdemque sententiam cum cum Philea subire poscunt. Quibus libenter annuens Judex, utrumque plecti capite jubet. Passi sunt hi beati Martyres sub persecutione decima. *Hæc omnia Ado : priora ex Usuardo, reliqua* D *ex Ruffino. In fine* decimam persecutionem *adscripsimus ex codicibus MSS. Lobiensi et Leodiensi S. Laurentii : cujus loco in Morinensi codice alioque apud Rosweydum legebatur* Deciana persecutio, *pro qua vocem* Diocletiani *substituit Rosweydus, minus proprie tum secundo repetitam.*

*Elogium ex Adone.*

*martyrum.*

*S. Phileæ Pastoris.*

*et S. Philoromi.*

AUCTORE G. H.

11 *Quæ Ado sub initium ex Ruffino narrat, eadem dedimus* v *Januarii ad diem natalem Martyrum in Thebaide sub Diocletiano occisorum. Verum ipse Ruffinus Eusebium secutus, cum ante de Martyribus Thebaidos egisset, quasi ab illis hos distincturus, hæc verba interponit :* Verum et nos ipsi per idem tempus, cum Ægypti partibus iter ageremus oculis nostris inspeximus, ut sedenti pro tribunalibus sævissimo Præsidi *etc. Unde suum elogium Ado prosequitur, apud Thmuitas mortem obiisse Phileam et Philoromum ratus, ob urbem Thmuin in Martyrologiis præpositam. Quæ sæpe non tam locum passionis indicant, quam aut sacras Martyrum reliquias istic esse depositas, aut ecclesias eorum cultui peculiarius dedicatas, aut denique Martyres istic in dignitate aliqua Ecclesiastica civilive viguisse. Iterum Ado circa medium post hæc verba de* Philea, qui erat Episcopus ipsius urbis, *omisit hæc a Ruffino addita, et infra in Actis repetita :* quæ appellatur Thmuis, *quibus hic indicat aliam, in qua passus fuit, subintelligi urbem, et clare nominat Eusebius* E Alexandriam *fuisse. Imo alium a Thmui locum tormentorum exigunt hæc Judicis ad Phileam verba infra num.* 3. Memento quod te cruciaverim; in civitate enim tua te potuissem injuriare, *quod actis gratiis admisit Phileas.*

*Locus in Martyrologiis sæpe ponitur alius ab eo, in quo Sancti obierunt.*

12 *Sorius, excepto Philoromo, non addunt antiquiora Martyrologia, S. Hieronymi, Trevirense et Centulense supra memorata. At Romanum antiquum Rosweydi et Coloniense S. Mariæ ad Gradus, solum referunt* innumerabiles Martyres, *forsan ut esset aliqua memoria eorum, quos S.* Phileas *in Epistola sua ad Thmuitas Actis inserta commemorat; et quorum* Signiferos et Præceptores *Phileam aliosque carcere conclusos Episcopos vocat S. Petrus Alexandrinus ante memoratus, imo* Pastorem *Phileam Ruffinus, Ado aliique. Ita etiam Galesinius in Martyrologio;* Thmuæ, *inquit*, in Ægypto S. Phileæ Episcopi et Philoromi Tribuni, Martyrum, quibuscum innumerabilis Christianorum multitudo, Maximiano Imperatore, constanter suscepto pro Christi laude certamine, varie contrucidata coronatur. *Constantinus Felicius hæc ita refert :* Philoromus Tribunus, vir eruditissimus, ab Imperatore Diocletiano, cui admodum carus erat, in Magistratu Alexandrino apud Ægyptios constitutus, et Phileas F Ægyptius, vir magna doctrina præditus, Episcopus Thmuitensis, cum multis aliis ob confessionem Christi capite plexi. *Hanc multitudinem cum Beda, Usuardo, Adone aliisque* Thmuitas *facit Martyrologium Romanum his verbis :* Thmuis in Ægypto passio B. Phileæ ejusdem civitatis Episcopi et Philoromi Tribuni militum, qui in persecutione Diocletiani, cum a cognatis et amicis suaderi non possent ut sibi parcerent, ambo datis cervicibus palmas a Domino meruerunt : cum quibus innumera multitudo fidelium, ex eadem urbe, Pastoris sui sequens exemplum, martyrio coronata est. *In Actis juxta codicem Budicensem*, S. Phileas cum innumera multitudine suæ urbis fidelium Culciano sistitur, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos capite plecti jubens, postremo his verbis Episcopum alloquitur : Phileas, sacrifica diis *etc. Quæ verba* de singulorum confessione *ab Adone supra ex Ruffino desumpta, de variis Ægyptiis istic referuntur.*

*An horum socii Martyres cujuscumque generis?*

*num soli Thmuitenses*

13 *Officio Ecclesiastico celebrantur* SS. Phileas et Philoromus *in Breviario Romano sub Paulo* III *a Francisco Quignonio tit. sanctæ Crucis Cardinale confecto, in eoque recognito : in quibus Lectio tertia ad Matutinum*

*De iis officium Ecclesiasticum.*

AUCTORE GR. COÆVO, EX RUFFINO.

A *tiam propria, fere ex Ruffino abbreviata est; additurque* Phileam propter multa documenta et ingentem sanctitatis ejus opinionem, magno suorum civium consensu, Episcopum effectum esse, eoque munere per multos annos sanctissime functum. *In Breviario Ultrajectino Leidæ anno* MDXVIII *excuso coluntur SS. Phileas et socii officio communi de Martyribus.*

14 *Celebris est memoria S. Petri Episcopi Alexandrini, quem supra diximus ad Phileam aliosque Episcopos carceri inclusos epistolam misisse. Græci de eo agunt* XXIV *Novembris; Latini antiquiores omnes postridie, seu* XXV *Novemb. adduntque cum eo simul et* alios plures ex Ægypto Episcopos trucidatos, fere cum Clericis et laicis sexcentos sexaginta. *Eodem autem die solemnitate S. Catharinæ impedito, posteriores in* XXVI *Novembris ejus cultum transtulerunt; ut Bellinus, Maurolycus, Galesinius aliique et plenius Martyrologium Romanum apposito etiam nomine* S. Phileæ *his verbis*: Alexandriæ natalis S. Petri ejusdem urbis Episcopi, qui cum esset omnibus virtutibus ornatus, Galerii Maximiani præcepto, capite obtruncatur. Passi sunt etiam Alexandriæ in eadem persecutione sancti Martyres, Faustus Presbyter, Didius, et Ammonius, itemque Phileas, Hesychius,

nomen Phileæ etiam 26 Novemb.

B Pachomius, et Theodorus, Episcopi Ægyptii, cum aliis Sexcentis sexaginta, quos persecutionis gladius evexit ad cælos. *Hæc illa. Adjungitur Phileas cum aliis Alexandriæ occisis, quos supra allegatus Eusebii locus conjunxerat, etiam juxta Baronium cum quadam recapitulatione repetitus.*

# ACTA AUCT. GREGORIO COÆVO

*recognita a Ruffino Presbytero,*

edita ex tribus MSS.

## CAPUT I.

*Persecutio Diocletiani S. Phileæ captivitas, et epistola ad Thmuitenses.*

a Gloriosissimi Martyris Phileæ scripturi passionem, non incongruum duximus, eorum quæ *a* nostris diebus, et maxime quæ nobis præsentibus gesta sunt quando et ipse Beatus passus est, memoriæ tradere vel pauca de pluribus: ut noverit lector, quam duris temporibus tam constantissimi viri martyrium reservaverit

b Dominus. *b* Etenim ante nostri temporis per-

C secutionem, quam mirabiliter quamque magnifice per universum mundum sermo Christi et pietatis doctrina processerit, et in quantam sublimitatem ascenderit, enarrare vires nostras superat. Nosci tamen et ex hoc possibile est, quod aliquanti ex Principibus Romanis, et facultatem regendi provincias jurisque dicendi nostris prævidebant, et conjugibus ac ministris atque universæ domui suæ, non solum credere in Dominum Jesum Christum, verum et cum omni fiducia ac libertate in fide agere sinebant: ita ut illos sibi familiares ducerent, de quibus certi erant, quod pro fide Christi nihil perfidum sa-

c perent: sicut fuit opinatissimus ille *c* Dorotheus in cubiculo Regum, qui propter fidem Christi fidelissimus in omnibus habebatur. Unde et cunctis præferri honore meruit et amore: cum quo et Gorgonius, ceterique cum ipsis in Domino fideles, vel qui intra palatium in summis honoribus erant, vel qui ad provincias gubernandas præferri ceteris fidei contemplatione merebantur. Jam vero multitudines coeuntium intra ecclesias populorum, et præcipue in diebus festis innumerabiles catervas, per loca singula confluentes, quis digne poterit explicare; cum ne ipsæ quidem antiqua receptacula sufficerent, sed quoti-

In summo loco Christianum (?)

die orationum domus dilatarentur, ita ut amplitudo D earum concludere instar urbium videretur?

d 2 *d* Hanc sane coronam pretiosior omnium lapis et gemma nobilior adornabat, hanc turmam præibat doctor illustrior, hunc gregem pastor nobilior decorabat. Phileas huic nomen est, qui erat Episcopus urbis ipsius quæ appellatur Thmuis. Hic nobilitatem primi generis, secundum animi virtutem, de cœlestibus trahebat: de terrenis vero, quantum ad seculum pertinet, primis in Romana republica honoribus functus. Eruditione quoque liberalium litterarum, et omnibus, quæ ad animi virtutem pertinent, exercitiis adprime eruditus, novissimam hanc, quæ prior est omnium, secundum Deum philosophiam ita suscepit, ut omnes qui præcesserant anteiret. Ad quod astruendum, licet digressionem facere videamur, non videtur absurdum, si aliqua ex opusculis ejus, in quibus de Martyrum passionibus memorat, operi huic breviter inseramus. Scribens igitur ad Thmuitas, id est ad populum sibi commissum, ait inter cetera:

floret S. Phileas:

3 Horum nobis bonorum exempla præbuerunt beati Martyres: qui una nobiscum in agonibus perdurantes, secundum quod ex divinis Scripturis fuerant instituti, oculum mentis suæ in Deo habentes defixum, mortem pro pietate absque trepidatione cupie-

describit certamina Martyrum,

bant. Indesinenter etenim considerabant, Dominum E nostrum Jesum Christum, propter nos hominem factum, hoc nos docuisse, ut usque ad mortem obluctemur adversus peccatum. Siquidem ipse non rapinam arbitratus sit, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu repertus ut homo, humiliavit seipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Cujus exemplo beati Martyres, omnes cruciatus et pœnas susceperunt, ne fidei conscientiam macularent: quoniam quidem perfecta in eis caritas foris ejiciebat timorem. Quorum si velim nunc tolerantiæ enumerare virtutes, et exponere robur constantiæ; nec mihi copia tanta sermonis est, nec puto aliis, nisi his solis qui oculis suis intuebantur quæ gesta sunt, videri credibilia. Erant enim expositi omnibus volentibus pro libidine inferre supplicia: et si quod aliquis per otium excogitans novum genus supplicii detulisset, licebat inferre. Verberabantur ergo alii fustibus, alii virgis, flagris quoque alii, nonnulli loris districti, vel funibus appensi. Et erat studium per singulos pene, novum genus invenire supplicii. Post tergum alii vinctis manibus appendebantur, et trochleis distenti membratim divellebantur. Jam vero ungulis exarari, ve-

tormenta pro libidine carnificum varia excogitata.

tus et leve ducebatur. Quod etsi forte genus suppli- F cii cuiquam fuisset adhibitum, non ut latronibus et homicidis solet, tantum latera fodiebantur; sed ad ventrem et femora ac tibias, et usque ad ungues ungula perveniebat. Sed ne facies quidem ac vultus et frons, a tormentis remanebat immunis. Addebatur et hoc super omnia, ut posteaquam fuissent humana corpora absque omni humanitate laniata, exposita in publico, et nudata non solum veste, sed etiam cute, crudele cunctis prætereuntibus spectaculum fierent.

e 4 *e* Quosdam columnis districtos, et post tergum distortis brachiis vinctos relinquebant. Jam vero hi qui ante Præsidem suspendebantur, non id solum tempore, quod ab eo vel discutiebantur vel cruciabantur; sed totum pene diem, cum alii actus agerentur in equuleis exigebant, si forte aliquis jugis pœnæ conti-

f nuatione a propositi firmitate decideret. *f* Tanta vero in his crudelitas erat, et intantum ab eis omnis penitus humanitatis sensus aufugerat; ut posteaquam omne corpus vel tormentis vel verberibus fuisset absumptum, trahi nudum pedibus rursum juberetur ab carcerem, atque nervo pedibus conclusis, recentibus adhuc vulneribus, rejicerentur in solum, testarum fragmentis substerstratum. Interea quamplurimi usque

a quibus alii in carcere mortui sunt.

A que ad mortem constanter et fortiter perdurantes, inventoribus scelerum inaniter intentatæ crudelitatis pudorem non minimum conferebant. Alii vero recepta corporis sanitate, ad reparandos denuo agones, dispensatores pœnarum sponte provocabant. Quos illi erubescentes rursum ad tormenta revocare, ipsa eorum audacia perterriti, capite eos cædi jubebant.

*alii ad nova supplicia confirmati.*

a *Rufinus lib. 8 cap. 9, sub persona Eusebii scribit:* Verum et nos ipsi per idem tempus cum in Ægypti partibus iter ageremus oculis nostris inspeximus, ut sedenti pro tribunalibus sævissimo Præsidi offerebantur innumeri fidelium populi *etc. ut supra ex Adone retulimus.* — b *Hæc referuntur cap. 10 ejusdem libri* 8. — c *Coluntur* SS. Dorotheus *et* Gorgonius 9 *Septemb.* — d *Sequentia leguntur cap.* 8. — e *Eusebius in epist. le Christophorsono ita habet:* Alii pependerunt ad porticum (*Nicephorus lib.* 7 *cap.* 9 ex fornice) una manu affixi, et articulorum membrorumque distensionem, quæ omnem doloris superabat acerbitatem pertulerunt. Alii vultu alterius in alterum obverso et columnis, pedibus non ad terram missis appensi (*Nicephorus* ad columnas vultu ad eas verso) sicuti, cum funes acrius retraherentur et contentius corporis gravitate ac pondere acerbius premerentur. — f *Additur apud Eusebium:* Præter alia tormentorum genera istud novum præterea, quod sequitur, adversarii nostri invenerunt. Nonnulli enim post verbera in compedibus ligneis positi erant, et pedes, alter ab altero, ad quartum foramen distenti distractique, adeo ut necessario supini jacerent, nec possent propter plagarum vulnera recens toti corpori inflicta se ullo modo commovere. — g *Addit Eusebius:* ut eos hortaretur, ut pietati in Christo post mortem suam, quæ brevi ipsum esset occupatura, mordicus adhærescerent.

*Varia tormenta.*

## CAPUT II.

B *Illustris inter tormenta Christi confessio. Martyrium SS. Phileæ et Philoromi.*

Istæ sunt veri in Domino Philosophi beati Martyris Phileæ voces, quas in vinculis positus, et in carcerem reclusus, commissæ sibi Ecclesiæ scribebat: quibus una secum socios eorum Martyrum, et consortes cœlestium faceret coronarum. Sed jam tempus est, ut ad ejus apertam cum Judice congressionem veniamus. a Imposito igitur Philea super ambonem, Culcianus Præses dixit illi: Potes jam sobrius effici? Phileas respondit: Semper ego sobrius sum, et sobrie dego. Culcianus dixit: Sacrifica diis. Phileas respondit: Non sacrifico. Culcianus dixit: Quare? Phileas respondit: Quia sacræ et divinæ Scripturæ dicunt: Qui immolat diis, eradicabitur, nisi soli Domino. Culcianus dixit: Immola ergo Domino soli. Phileas respondit: Non immolo. Non enim talia sacrificia desiderat Deus. Sacræ enim et divinæ Scripturæ dicunt: Ut quid mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? dicit dominus. Plenus sum, holocausta arietum, et adipem agnorum, et sanguinem hircorum nolo: nec si similam offeratis. Unus autem ex Advocatis dixit: De simila nunc indicas, aut pro anima C tua nunc agonizas? Culcianus Præses dixit: Qualibus ergo sacrificiis delectatur Deus tuus? Phileas respondit: Corde mundo, et sensibus sinceris, et verborum verorum sacrificiis delectatur Deus. Culcianus dixit: Immola jam. Phileas respondit: Non immolo: b nec enim didici. Culcianus dixit: Paulus non immolavit? Phileas respondit: Non; absit. Culcianus dixit: Moyses non immolavit? Phileas respondit: Solis Judæis præceptum fuerat sacrificare in Jerosolyma Deo soli, nunc autem peccant Judæi, in locis aliis solemnia sua celebrantes. Culcianus dixit: Cessent inania verba ista et vel adhuc sacrifica. Phileas respondit: Non inquinabo animam meam. Præses dixit: Animæ hic curam facimus? Phileas respondit: Animæ et corporis. Culcianus dixit: At curam corporis cujus? Phileas respondit: Corporis hujus. Culcianus dixit: Caro hæc resurget? S. Phileas respondit: Utique. Culcianus iterum dixit illi: Paulus non negavit Christum? Phileas respondit: Non. Absit! Culcianus dixit: c Hoc jura mihi. Phileas respondit: Non est nobis præceptum jurare. Sacra enim Scriptura dicit: Sit vester sermo, Est, est; Non, non.

*Exod. 22, 20*

*S. Phileas renuit sacrificare diis.*

*c jurare Matth. 5, 37.*

6 Culcianus dixit: Paulus non erat persecutor? Phileas respondit: Non. Absit. Culcianus dixit: Paulus non erat idiota? Nonne Syrus erat? Nonne Syriace disputabat? Phileas respondit: Hebræus erat, et Græce disputabat, et summam præ omnibus sapientiam habebat. Culcianus dixit: Fortasse dicturus es, quod et Platonem præcellebat. Phileas respondit: Non solum Platone, sed etiam cunctis Philosophis prudentior erat: etenim sapientes docuit. Et, si vis, dicam tibi sermones ejus. Culcianus dixit: Jam sacrifica. Phileas respondit: Non sacrifico. d Culcianus dixit: Conscientia est? Phileas respondit: Ita. Culcianus dixit: Quomodo ergo quæ ad filios tuos et conjugem conscientia est non custodis? Phileas respondit: Quoniam quæ ad Dominum est conscientia eminentior est. Dicit enim sacra et divina scriptura: Diliges Dominum Deum tuum qui te fecit. Culcianus dixit: Quem Deum? Phileas extendit manus suas ad cœlum, et dixit: Deum qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt, Creatorem et e factorem omnium visibilium et invisibilium et inenarrabilem, qui solus est et permanet in secula seculorum. Amen.

D AUCTORE GREGORIO COLVIO, EX RUFINO.

*S. Paulum defendit*

*Dei veri dilectionem docet*

Deuter. 6, 5.

7 f Advocati Phileam in plurimis loquentem Præsidi prohibebant, dicentes ei: Cur resistis Præsidi? Phileas respondit: Ad quod interrogat me, respondeo ei. Culcianus dixit: Parce linguæ tuæ, et sacrifica. Phileas respondit: Non sacrifico. Animæ enim meæ parco. Quoniam autem non solum Christiani parcunt animæ suæ, verum etiam Gentiles, accipe exemplum Socratis: cum enim ad mortem duceretur, adstante ei conjuge cum filiis suis, non est reversus: sed promptissime canus mortem suscepit. Culcianus dixit: Deus erat Christus? Phileas respondit: Ita. Culcianus dixit: Quomodo persuasus es de eo, quod Deus esset. Phileas respondit: Cæcos videre fecit, surdos audire, leprosos mundavit, mortuos suscitavit, mutos loqui donavit, et infirmitates multas sanavit: fluxum sanguinis habens mulier tetigit fimbriam vestimenti ejus, et sanata est; mortuus resurrexit, et alia multa signa et prodigia fecit. Culcianus dixit: Est Deus crucifixus? Phileas respondit: Propter nostram salutem crucifixus est. Et quidem sciebat, quia crucifigendus erat, et contumelias passurus, et dedit semetipsum omnia pati pro nobis. Etenim Sacræ Scripturæ hæc de eo prædixerant, quas Judæi putant se tenere, sed non tenent. Qui vult ergo, veniat et aspiciat, si ita se non habet. Culcianus dixit: Memento quod te honoraverim, in civitate enim tua te potuissem injuriare; volens autem te honorare, non feci. Phileas respondit: Gratias tibi ago, et hanc mihi perfectam gratiam præsta. Culcianus dixit. Quid desideras? Phileas respondit: Temeritate tua utere: fac quod tibi jussum est. Culcianus dixit: Sic sine caussa vis mori? Phileas respondit: Non sine caussa, sed pro Deo et veritate. Culcianus dixit: Paulus Deus erat? Phileas respondit: Non. Culcianus dixit: Quis ergo erat? Phileas respondit: Homo similis nobis, sed Spiritus divinus erat in eo, et in Spiritu virtutes et signa et prodigia faciebat.

E

*Christum confitetur Deum,*

*optatque pro eo mori*

F

8 Culcianus dixit: Beneficium te dono fratri tuo. Phileas respondit: Et tu gratiam hanc perfectam mihi præsta: utere temeritate tua, et quod tibi jussum est, facias. Culcianus dixit: Si scirem te indigere: et sic in hanc amentiam venisse, non tibi parcerem. Sed quia substantiam multam habes, ita ut non solum te, sed prope cunctam provinciam alere possis, ideo parco tibi, et suadeo te immolare. Phileas respondit: Non immolans, mihimet ipsi parco. Advocati ad Præsidem dixerunt: Jam immolavit in g phrontisterio. Phileas dixit: Non immolavi certe: sed vero sacrificasse dicas. Culcianus dixit: Misera uxor tua tibi intendit. Phileas respondit: Omnium spiritualium nostrorum Salvator Dominus Jesus Christus, cui ego vinctus servio, potens

*seponit uxorem miseris,*

A tens est ipse, qui me vocavit in hæreditatem gloriæ suæ, et hanc vocare. Advocati ad Præsidem dixerunt: Phileas dilationem petit. Culcianus dixit ad Phileam: Do tibi dilationem ut cogites tecum. Phileas respondit: Sæpe cogitavi, et pro Christo pati elegi. Advocati et officium una cum curatore, et cum omnibus propinquis ejus (Plurimos enim propinquos et consanguineos nobiles viros in eadem urbe habebat) pedes ejus complectebantur, rogantes, ut respectum haberet uxoris, et curam susciperet liberorum. Ille, velut si saxo immobili unda allideretur, garrientium dicta respuere, animo ad cælum tendere, Deum habere in oculis, parentes et propinquos sanctos Martyres et Apostolos ducere.

*AUCTORE J. B.*

*et liberorum:*

9 Aderat tunc *h* quidam vel agens turmam militum Romanorum, Philoromus nomine. Hic cum vidisset Phileam circumdatum lacrymis propinquorum, et Præsidis calliditate fatigari, nec tamen flecti aut infringi ullatenus posse, exclamavit dicens: *i* Quid inaniter et superflue constantiam viri tentatis? Quid eum, qui Deo fidelis est, infidelem vultis efficere? quid eum cogitis negare Deum, ut hominibus acquiescat? Non videtis, quod oculi ejus vestras lacrymas non vident, quod aures ejus verba vestra non audiunt? terrenis lacrymis non flecti, cujus B oculi cælestem gloriam contuentur? Post hæc dicta, cunctorum ira in Philoromum versa, unam eamdemque eum cum Philea sententiam subire poscunt. Quod libenter amplectens judex, ambos feriri gladio jubet.

*defenditur a S. Philoromo*

*cum eo adjudicatur morti,*

10 Cumque exissent, et irent ad locum cædis consuetum, frater Phileæ, qui erat unus ex Advocatis, exclamavit dicens: Phileas *k* abolitionem petit. Culcianus revocans eum dixit: *l* Quid appellasti? Phileas respondit: Non appellavi; abeat. Huic infelicissimo noli intendere. Ego autem magnas ago gratias Regibus et Præsulatui, quoniam cohæres factus sum Jesu Christi. Posthæc exiit Phileas. Cumque pervenissent ad locum, ubi jugulandi erant, extendit manus suas Phileas ad Orientem, et exclamavit dicens: D Filioli mei carissimi, quicumque Deum colitis, vigilate ad corda vestra, quia adversarius noster sicut leo rugiens circuit quærens quem devoret. Nondum passi sumus, carissimi: jam incipimus pati: nunc cœpimus esse discipuli Domini nostri Jesu Christi: attendite præceptis Domini nostri Jesu Christi: invocemus Immaculatum, Incomprehensibilem, qui sedet super Cherubim, Factorem omnium, qui est initium et finis, Cui gloria in secula seculorum: Amen. Hæc cum dixisset, carnifices jussa Judicis exequentes, infatigabiles amborum spiritus, ferro cæsis cervicibus, effugarunt, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum, Amen.

*in fraude fratris constans,*

*adhortatur Christianos.*

*capite plectitur cum S. Philoromo.*

a *Hinc incipiunt Acta in MS. Treverensi absque ullo prologo, qui ejusmodi præponitur in MS. Bodecensi:* Est civitas in Ægypto, Thymuis appellata, cui præsulatus officio præfuit quidam, Phileas nomine, vir animi virtute per omnia præditus, liberalium quoque scientia litterarum apprime eruditus, ante Episcopatum primis in Romana republica honoribus functus. Hic tempore Diocletiani, cum Christianorum persecutio ferveret, vel maxime tentus cum innumera multitudine suæ urbis fidelium Culciano sistitur Præsidi, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos capite plecti jubens, postremo his verbis Episcopum alloquitur: Phileas, sacrifica Diis *etc.* — b *MS. Bodecense:* Diis immolare non didici, sed soli Deo. — c *MS. Trever. et Belfor.* Ego juravi, jura et tu. — d *MS. Bodecense hæc interponit:* Erant ibi quam plurimi propinquorum Phileæ una cum uxore ipsius et filiis, viri genere nobiles, sed paganicis ritibus degeneres: quibus cum lacrymis virum Dei, quatenus Præsidi acquiesceret, rogantibus, ille, velut si saxum immobile unda allideretur, ita garrientium dicta, animo cælum intendens, respuebat. Quos intuens Præses, dixit Phileæ: Quomodo filiorum tuorum et conjugis lacrymis non flecteris, ut sacrifices? Phileas respondit: Quia Deum meum plus illis diligo. Præses dixit: Quem Deum *etc. Aliqua horum infra leguntur, supra etiam ab Adone e Ruffino relata.* — e *MS. Belfortii* Dominum omnium invisibilem sine seductione. — f *MS. Bodecense:* Advocantes ergo parentes B. Phileam in partem, dixerunt ei. — g φροντιστήριον *monasterium, ἀπὸ τοῦ φροντίζειν meditando, contemplando seu studendo dictum.* — h *MS. Treverense* Tribunus. — i *Hæc etiam supra ab Adone ex Ruffino relata est.* — k *MS. Belfortii,* appellationem. *MS. Bodecense,* dilationem. — l *MS. idem:* Dilationem petisti? *deinde,* Non petivi.

*Alius prologus.*

E

# DE S. GELASIO PUERO,

## PLACENTIÆ IN ITALIA.

*J. B.*

*Initio sæc. V in flor. S. Gelasius Placentiæ colitur 4 Febr.*

Placentiæ in Gallia Cisalpina colitur Officio Ecclesiastico semiduplici, ut vocant, S. Gelasius Confessor IV Februarii: ad quem diem Ferrarius in generali Catal. SS. Placentiæ in Gallia Togata S. Gelasii Confessoris, plura habet in Catal. SS. Italiæ, ut mox dicemus. Quando vixerit S. Gelasius, C inde fit manifestum, quod frater ejus natu major Opilius, qui VII Octobris colitur, adhuc Acolythus interfuisse memoretur Translationi S. Antonini Martyris per S. Sabinum Ep. factæ. Fuit autem S. Sabinus, ut XVII Januarii diximus, æqualis S. Ambrosii obiitque sub exitum quarti a Christo orto seculi; anno (ut quidam apud Ferrarium conjiciunt) CCCXCV: Ferdinandus Ughellus to. 2 Ital. Sacr. videtur ad an. CCCCXIX obitum ejus rejicere. Ei successit S. Maurus, qui sedisse dicitur usque ad annum CCCCXLV, aut juxta Ughelli calculum ad CCCCLII., agitur ejus celebritas XIII Septembris. Ab eo autem et S. Gelasius sepultus est, et SS. Donninus ac Victor Diaconi ordinati; qui deinde una cum ipso Gelasio, verbo prædicationis aliisque piis operibus, maxime vero circa cultum Divinum, operam dedisse narrantur. At non aliter videtur Gelasius prædicationi operam dare potuisse, nisi prædicantibus aut sacra peragentibus ministrando, si (ut infra ex Ruffino monacho dicetur) puer adhuc erat, cum decessit.

*quando vixerit?*

2 Actorum ejus epitomen continent Officia Ecclesiæ Placentinæ, a sacra Rituum Congregatione Romæ approbata XXIII Martii MDCII, et XV Aprilis MDCIII, et Claudii Rangoni ejusdem Ecclesiæ Episcopi jussu excusa an. MDCXXXV. In iis Lectio IV diei quartæ Februarii quæ S. Gelasio sacra est, ita habet: Gelasius Placentiæ nobilibus et Christianis parentibus natus, ab ineunte ætate singulari Divinæ gratiæ munere insignis, præclarum sibi parati regni cælestis habuit indicium. Nam adhuc puer cum Opilium fratrem aliquando in cubiculo orantem invenisset, dignus est habitus, qui Angelorum multitudinem cum illo colloquentem oculis cerneret, simulque vocem audiret: Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum. Porro autem cum idem ætate simul ac vitæ sanctitate floreret, et tamquam oliva fructifera in domo Dei uberes bonorum operum fructus proferret, ad cælestem patriam emigravit. Sacrum ejus corpus primum a S. Mauro Placentiæ Episcopo in æde B. Savini extra urbis mœnia conditum, et deinde in novam ipsius S. Savini basilicam, Everardo Episcopo, allatum, Fabricius ejusdem civitatis Antistes anno salutis MCCCCLXXXI in honestiorem prædictæ Ecclesiæ locum solemni cærimonia transtulit, una cum corporibus SS. Peregrini, Victoris et Donnini, qui in eadem ecclesia quiescebant.

*Acta ex Offic. Placentino.*

*videt Angelos:*

F

*audit vocem cælestem:*

*moritur*

*sepelitur, 2. transfertur,*

3 *Hæc in dictis Officiis. Eadem fere habet Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Coluntur vero Sancti, quorum a Fabricio Ep. translata corpora,* Peregrinus X *Februarii,* Victor *Diaconus* VI *Martii; nam alius fuit* S. Victor *primus Placentiæ Episcopus, S. Savini decessor, de quo* VII *Decembris,* Donninus *Confess.* XV *Maii. De singulis agemus suis locis.*

*cum aliis SS. NOT. 40*

4 *Ferdinandus Ughellus to. 2 Italiæ sacræ, in catal. Placentinorum Epp. ex codice scripto an.* 1253 *a Ruffino*

A *fino cœnobii S. Sabini monacho, de loco sepulturæ* S. Gelasii *et aliorum ista tradit, ipsis Ruffini verbis* : Reperi in quodam vetustissimo Martyrologio, quod duo viri sapientia et bonitate præclari, sanctitate et religione ornati, de civitate Romana (unus vocabatur Constantinus et alter Opinianus) fundaverunt primo quamdam ecclesiam in campanea Placentina ad honorem Dei et XII Apostolorum. *Et paullo ante cum de S. Mauro Ep. agit* : Istam vero Ecclesiam Moxiarum ædificarunt Constantinus et Opinianus, qui de Roma fuerunt, ad honorem XII Apostolorum, quam consecravit beatissimus Antistes Sabinus ; cujus corpus hic requiescit cum quinque corporibus Sanctorum. Ad suum latus requiescit S. Victoria Virgo soror sua, quæ fuit Abbatissa de monasterio S. Michaelis Archangeli in civitate Placentia, quod fuit de omni genealogia sua. Ad pedes B. Sabini est altare S. Martini Confessoris et S. Eusebii monachi, cujus festivitas est in conceptione S. Joannis Baptistæ. In alia cuba juxta Orientem sepulchrum SS. Victoris, Domnini Diaconi, ac Gelasii infantis, qui fuit frater B. Opilii, cujus corpus requiescit in basilica S. Antonini Martyris. Ad latera eorum aliud sepulchrum Abbatis Victorini de ista Ecclesia, et alii. Ego Maurus ultimus Episcopus... pridie Nonas Februarii S. Gelasium sepelivi, B pridie Nonas Martii sepelivi corpus S. Victoris Diaconi, Idus Maii recondivi corpus S. Domnini. X Kalendas Januarii migravit de hoc seculo beatissima Victoria. *Non sunt tamen hæc a S. Mauro scripta, ut suo loco ostendemus, sed (ut ibidem habetur) ab Effrem Abbate.*

*ex ecclesia, olim a 2 Romanis ædificata*

*(in qua plures SS. sepulti)*

5 *Ab Hungaris deinde Longobardiam an.* DCCCCII, *ut Regina scribit aliique populantibus, combustum est illud S. Sabini templum cum Placentinam Ecclesiam Everardus administraret* XXIX *Antistes, qui* Hevrardus *aliis, et* Envardus *apellatur diciturque anno* DCCCXCIII *electus,* CMIV *obiisse. De eo jam citatus Ruffinus monachus apud Ughellum ita scribit* : Tempore quo currebant CMII, irruerunt Pagani et inimici Crucis Christi, et destruxerunt et combusserunt quidquid repererunt extra Placentinæ mœnia civitatis, tyrannica rabie hostili gladio humana corpora trucidantes : et tunc cremarunt et destruxerunt penitus ecclesiam S. Savini, quæ in honorem XII Apostolorum fuerat D primitus consecrata. Et prædicta narrata inveniuntur per Dominum Envardum egregium Præsulem Placentinum : qui totis viribus studuit istud monasterium, in quo sumus, de novo videlicet fabricare. Dum igitur sedula perscrutatione quærerem privilegia, quæ fundationem hujus monasterii continerent ; reperi quoddam privilegium D. Envardi Ep. Placentini, confectum tempore Beringarii Regis CMIII : quo privilegio continebatur, quod prædictus D. Envardus, congregato concilio Clericorum, disposuit ecclesiam B. Savini denuo fabricare : sicque prævidit locum extra mœnia civitatis Placentinæ, in quodam suo prædio juste et legaliter acquisito, in quo monasterium B. Savini de novo ædificavit, cum officinis ad cultum monasticum fabricatis. Et hac de caussa prope civitatem Placentiæ prædictus Episcopus dictam ecclesiam transmutavit, propter enormitatem Paganorum, ne eam denuo concremarent.

*ab Hungaris combusta an. 902,*

AUCTORE G. H.

*alibi reædificata, addito monasterio ;*

6 *In hoc ergo novum monasterium translata sunt ab Envardo Ep.* SS. Gelasii Victoris, Domnini, Peregrini *corpora, anno* CMIII, *ut habet Ughellus; qui hanc appositam in nova illa S. Sabini ecclesia inscriptionem testatur* : CONRADVS EPISCOPVS IN HOC TVMVLO CORPORA SS VICTORIS, DOMNINI, GELASII ET PEREGRINI RECONDIDIT, ANNO DOMINI DCCCCXXXXIII. *Monet ipse restituendum* E *annum* DCCCCIII, *cum anno* DCCCCIV *decesserit* Envardus, *quem scribit, perperam ab Huberto Locato* Conradum *vocari dicique ad annum* DCCCCXVII *pervenisse, et corpora Sanctorum an.* CMXI *transtulisse. De* S. Sabino, *cui et prior illa ecclesia et monasterium hoc consecratum est, egimus (ut ante scriptum)* XVII *Januarii : sed nondum hic Ughelli tomus prodierat, e quo plusculum lucis haurire potuissemus.*

*in hanc translatus S. Gelasius cum aliis SS.*

7 *Posterior sacrorum corporum translatio, de qua agit Ferrarius,* Fabricii Macliani *Mediolanensis, Episcopi Placentini* LXXVIII, *studio curata est. Is anno* MCCCCLXXVI *a Tortonensi Sede ad Placentinam transiit, Ughello teste, eamque deinceps* XXXII *annos tenuit, et præclaris ædificiis, possessionibus auctis, pluribus habitis conciliis ornavit, et hoc cumprimis sacrorum pignorum Translatione aliorumque, ut S. Opilii* X *Maii.*

*iterum translatus an. 1481.*

# DE S. THEOCTISTO MARTYRE.

J. B.

IV FEBR.

C **P**lures *nomine* Theoctistis *celebrantur Sancti. Nam ut omittamus sanctum illum Abbatem* Theoctistum, *qui* III *septemb. colitur, de quo multa præclara memorantur in S. Euthymii Magni Vita* XX *Januarii; et* S. Theoctistum *Patricium et Eunuchum, de quo Græci agunt* XX *Novembris; jam supra* IV *Januarii retulimus* S. Theoctistum *Cucumi Abbatem : diximus quoque* VIII *ejusdem mensis, in Græcorum Menæis memorari* Teoctistum, *sed (ut nobis quidem videtur) monachum, una cum Agathone. In iisdem quoque Menæis tres celebrantur* Theoctisti *Martyres, unus hoc die* IV *Februarii, alter* III *Octobris, tertius, of-* F *ficio navicularius,* VI *Septembris, omnes capite plexi. Neque aliud hic de nostro narrant, nisi* Divinis sacræ religionis tectum armis, nudatam obtulisse ferro cervicem.

*Plures SS. Theoctisti :*

*hic capite plexus.*

Θείας ἐνσπασθεὶς πίστεως θείας ὅπλοις,
Γυμνοῖ τράχηλον Θεόκτιστος τῷ ξίφει.

# DE S. JOANNE EPISCOPO

## IRENOPOLI IN CILICIA.

J. B.

POST AN. CCCXXV.
IV FEBR.

**I**renopolis *urbs est Ciliciæ secundæ, Ptolemæo memorata lib. 5 cap. 8. Hæc colit* IV *Februarii* S. Joannem *solere tradunt Menæa his verbis* : Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ ἐν Εἰρηνοπόλει, ἑνὸς τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ. Eodem die memoria S. P. N. Joannis Irenopoli quiescentis, qui unus fuit e Sanctis Patribus concilii Nicæni. *In vulgatis ab Alphonso Pisano, Severino Binio, Demochare aliisque, Nicænorum Patrum catalogis, numero trecentorum et octodecim desunt plures quam nonaginta. Recensetur vero inter eos, quorum nomina extant, unicus* Joannes, *isque* provinciæ Persidis, *non Irenopolis, Episcopus.*

*S. Joannes, unus e PP. Nicænis, Irenopoli colitur,*

2 *Hanc vero Sedem tunc* Narcissus *tenebat, quem inter Arii fautores Theodoretus hist. Eccles. lib. 1 cap. 7 ita enumerat* : Καὶ ὁ Νερωνιάδος Νάρκισσος, Κιλικίας δὲ δευτέρας· ἡ Νερωνιὰς ἐστι πόλις, ἣν νῦν Εἰρηνούπολιν ὀνομάζομεν. Et Narcissus Neroniadis Episcopus : est vero Neronias urbs Ciliciæ secundæ, quam Irenopolim jam vocamus. *Ex his corrigas licet, quod in Actis Concilii Nicæni lib. 2 apud Pisanum inest mendum, dum veluti duo recensentur provinciæ Ciliciæ Episcopi,* Narcissus Neronianus, et Narcissus Irenopolis. *Et antea post Canonum secundam editionem,* Narcissus Neronianus, et Narcissus Hierapolis. *Unus idemque*

*ubi tunc Episcopus Narcissus*

*AUCTORE G. H.*

*Arii fautor*

A *idemque est Narcissus Neroniadis, sive Irenopolis Episcopus, qui antea Ancyrano concilio cum aliis* XVII *Episcopis interfuit, et in Nicæno Arii damnationi cum ceteris subscripsit, ac postea turpiter prævaricatus, cum aliis hæreticis est a concilio Sardicensi anno Christi* CCCXLVII *a communione Ecclesiæ sejunctus,* Narcissus a Neronopoli.

*Ipse ubi sederit?*

3 *Alione ea tempestate* Irenopolis *extiterit, cui Joannes hic sanctus Antistes præfuerit, haud comperimus. Aliam quidem Georgius Cedrenus memorat ab Irene Augusta instauratam, ideoque* Irenopolim *appellatam, in Macedonia sitam, quæ prius* Berrhoea *dicebatur. Sed nihil ea nomenclatura ad Nicæni concilii tempora* D *annis quadragentis, et quod excurrit, priora, pertinet. Fortassis Irenopoli Ciliciæ decessit, dum ad suam Sedem revertitur* Joannes, *sive ille sit provinciæ Persidis Episcopus, seu cujus alterius Sedis : aut eo post mortem delatus ; neque enim Irenopolitanus Episcopus dicitur fuisse. Quibus præconiis Patres Nicænos universim extollit Gregorius Presbyter citatus a nobis* XIII *Januarii ad S. Leontii Ep. Cæsariensis Vitam, num.* 10, *ea debent cum hoc quoque sancto Antistite, quatenus fas est communicari; cum propriis illius Actis destituamur.*

# DE S. ABRAMIO SIVE ABRAHAMIO,

## EPISC. ARBELORUM IN PERSIDE, MART.

J. H.

*AN. CH. CCCXLVIII. IV FEBR.*

*Sub Constantino multi in Perside Christiani,*

Constantini Magni temporibus late Christi propagata religio est, non solum per Romani imperii provincias, sed ad exteros quoque nationes. De Persis testatur idem ipse Imperator in epistola ad Saporem Regem, quam Eusebius lib. 4 de Vita Constantini cap. 9 et seqq. ac Theodoretus lib. 1 histor. Eccles. cap. 25 recitant : Τούτῳ τῷ καταλόγῳ τῶν B ἀνθρώπων, λέγω δὴ τῶν χριστιανῶν· ὑπὲρ γὰρ τούτων ὁ πᾶς μοι λόγος, πῶς οἴει με ἥδεσθαι ἀκούοντα, ὅτι καὶ τῆς Περσίδος τὰ κράτιστα ἐπὶ πλεῖστον, ὥσπερ ἐστί μοι βουλομένῳ, κοσμεῖται. Isto hominum genere (Christianos dico, de his enim omnis mihi sermo est institutus) cum audiam præcipuas Persidis *urbes ac provincias* quam maxime, quod mihi unice in votis erat, exornari, quanta me perfundi censes voluptate? *ac deinde eos illi accurate commendat.*

*ab eo Sapori R. commendati,*

2 Cum autem progressu temporis, *ut Sozomenus lib. 2 cap. 8 scribit,* eorum numerus vehementer cresceret, ut et conventus publicos in ecclesiis agerent, et Sacerdotes ac Diaconos haberent : ea res Magorum animos non mediocriter offendit : ii enim, velut tribus aliqua sacerdotalis, successione quadam inde ab initio religionem Persarum administrant. Judæos quoque magna afficit molestia, qui præ invidia, naturaliter quodammodo iis insita, religioni Christianæ semper infensi esse solent. *Utrorumque igitur instigatu immanis mota a Sapore Rege, tunc bellum adversus Romanos gerente, persecutio est. Tributis primum exhausti Christiani promiscue omnes, et Præfectorum feritate exagitati.* Postbac, *inquit Sozomenus,* C Sacerdotes et ministros Dei gladio trucidari, ecclesias dirui, earum thesauros et ornamenta in ærarium publicum redigi, Simeonem *Seleuciæ et Ctesiphontis* Episcopum, ut regni Persarum et religionis proditorem, adduci jubet impius Sapor. *De hac persecutione scribit S. Hieronymus in Chronico ad annum* VII *Constantii, qui est annus* CCCXLIII *æræ vulgaris* : Sapor Rex Persarum Christianos persequitur. *Quibus verbis non diserte quidem asserit, tum primum exarsisse persecutionem : quod est tamen verisimilius cum primæ Magorum et Judæorum adversus Simeonem criminationes fuerint, teste Sozomeno,* quod Imperatori Romano amicus esset, quodque ei Persarum res proderet. *Ergo bellum jam antea Persas inter et Romanos erat exortum, quod anno primo Constantii, motum, ex S. Hieronymi Chronico intelligimus : scribit enim, eo anno* Saporem Regem Persarum, Mesopotamia vastata, duobus ferme mensibus Nisibin obsedisse. *Excitatam primum anno Constantii et Constantis septimo illam a Sapore persecutionem, statuit quoque Baronius ad an.* 343 *nu.* 10.

*Magis et Judæis instigantibus,*

*multi occisi,*

*an. 343*

*J[illegible] ch[illegible] gerente,*

3 *Quam acerba illa fuerit persecutio, ex his Sozomeni verbis lib. 2 cap. 13 conjicere licet :* Vix, *inquit,* percensere quis possit universa, quæ ab iis *(Martyribus)* gesta sunt, quinam fuerint, aut unde, qua ratione martyrium fecerint, aut qualia sustinuerint tormenta : varia enim sunt apud Persas, quadam crudelitatis ambitione excogitata. Verum ut summatim dicam, feruntur, quorum colligi nomina potuerunt, viri ac mulieres, ad sedecim millia tunc martyrio perfuncti : præter hos adeo multi trucidati sunt, ut ne iniri quidem eorum numerus potuerit, nedum nomina percenseri, a Persis, Syris, et Edessæ in- E colis, qui magna ad eam rem diligentia incubuerunt.

*dira persecutio,*

*qua innumeri cæsi,*

4 *Eorum celeberrimi sunt,* Simeon *jam memoratus,* Usthazanes, Abdechalas, Ananias, Pusices, Azades, Tarbula *Virgo, et alii, de quibus* XXI *et* XXII *Aprilis agemus. Episcopos, præter Simeonem, ea persecutione coronatos martyrio, viginti duos recenset Sozomenus lib. 2 cap 12. inter hos* Abramium, *quem Menæa tradunt* ἐπίσκοπον Ἀρβὴλ τῆς Περσίδος, Episcopum Arbel Persicæ urbis *extitisse.*

*inter eos S. Abramius, Ep. Arbelorum,*

5 *In Actis SS. Acepsimæ et sociorum* XXII *April. mentio fit viri cujusdam crudelis* ὃς Ἀδέσχε μὲν ἐλέγετο, ἐκ πόλεως δὲ ὥρμητο Ἀρβὴλ καλουμένης, qui Adesche quidem dicebatur, ortus vero erat ex civitate quæ Arbel vocabatur. *Is jussus a Judice est sanctos Martyres Joseph et Aithalam ad suam civitatem ducere, Christianorum ministerio obruendos lapidibus, atque in eo solertiam scilicet suam probare. Hæc illa urbs est, de qua Q. Curtius lib. 4, de Dario loquens,* Jam pervenerat Arbela, *inquit,* vicum nobilem sua clade facturus. *Non tamen ad Arbela commissam ultimam Darium inter et Alexandrum pugnam, idem postea declarat, cum Darium ait,* ingens spatium fuga emensum, media fere nocte Arbela pervenisse. *Cur ad Arbela* F *dimicatum Græci dixerint, exponit Strabo lib. 16 ita scribens :* In Aturia pagus est, nomine Gaugamela, apud quem Darius superatus amisit imperium : quare hic locus insignis est, ut et nomen ; Cameli enim domum ea vox sonat. . . . Pagum Macedones hunc cum tenuem esse viderent, Arbela vero habitationem memorabilem, ab Arbelo, ut tradunt, Athmonei filio conditam, circa Arbela et prælium et victoriam fuisse, famam sparserunt, eamque scriptoribus tradiderunt. *Ita Strabo, qui,* Ἄρβηλα κτίσμα, ὥς φασιν, Ἀρβήλου τοῦ Ἀθμονέως, *vocat. Xylander vertit,* Arbela ab Arbelo, ut aiunt, Athmonei filio condita. *Nobis ille conditor videtur potius* Ἄρβηλος Ἀθμονεὺς *dictus,* Arbelas Athmonita, *vel* Athmonides. *Est certe apud Stephanum* Ἄθμονον *unde* Ἀθμονεὺς *gentile, locus Cecropidis regione in Thracia.*

*urbis in Perside,*

*ad quam cletus dicitur Darius, quod potius ad vicum Gaugamela factum.*

6 *Fuere igitur* Arbela *Alexandri ævo* κατοικία ἀξιόλογος, memoratu dignum oppidum, *ut non mirum sit, cum et ob situs opportunitatem, et celebritatem famæ, sub Macedonum imperio, dein et Parthorum contra Romanos et Syros bellis, essent fortassis amplificata, accepta dein Christi religione, throno Episcopali esse ornata. Tenuit eum aut primus, aut certe celeberrimus, S. Abramius : sub quo Arbelitæ multi Christiani erant, a quibus obrui lapidibus*

*Multi Arbelæ Christiani,*

A *lapidibus SS. Josephum et Aithalam impii volebant, ut in ipsorum et S. Acepsimæ Actis narratur. Iidem Christiani Arbelitæ prohibiti fuere, ne Sanctis aliquid solatii afferre, in tetrum carcerem detrusis, possent. Ex eadem civitate extitit tunc præclara illa* Isdandula, *quæ adacta ut lapidibus Sanctos peteret, aut obelisco arundini alligato pungeret, non modo renuit crudele facinus, sed ipsos Judices lictoresque liberrima oratione castigavit. Ex eadem civitate pia mulier aditum ad carcerem noctu mercata a custodibus, domum suam Sanctos deduxit, et qua potuit cum famulis suis ratione eos recreare, doloresque eorum lenire conata est.*

*et ferventes.*

7 *Sed ipse sanctus Antistes* Abramius, *cujus hæc fortassis monitu, institutione certe, agebantur, martyrii quoque coronam anno quinto persecutionis, Christi nimirum* CCCXLVII, *vel* CCCXLVIII *ineunte, consecutus est. Colitur a Græcis* IV *Februarii. Ita Menologium ab Henrico Canisio editum :* Item sancti Martyris Abrahamii Persæ. *Petrus Galesinius :* In Perside, S. Abramii Ep. et Martyris; qui Saporio Persarum Rege, diis immolare jussus, cum hoc præcise negasset, multis ac variis affectus suppliciis, denique abscisso capite, coronatur. *Plenius de eo agunt Menæa. Ferrarius :* In Perside S. Abrahamii Ep. et M. sub Sapore Rege. Ibidem S. Abdalæ monachi. *Citat Menologium Græcorum : in eo quod Canisius edidit, non memoratur* Abdalas IV *Febr. sed* Abidellas *Presbyter* XVII *Aprilis, qui in Menæis* Abdellas *appellatur.*

*sub S. Abramio Ep. qui 4 Febr. colitur.*

B

8 *Cardinalis Baronius to. 3 ad an. 309 num. 6 quia tanta crudelitate in Christianos debacchatus Sapores junior est, in dubium revocat S. Marcelli Papæ et Martyris Acta, quæ* XVI *Januarii dedimus : in iis enim cap. 3 dicitur* Saporis Regis Persarum *rogatu, missus in Persidem S. Cyriacus ejus filiam Jobiam a dæmone liberasse, eamque et patrem atque alios* CCCCXX *baptizasse. Atqui non fuit ille Sapores Magnus, sive senior, dudum ab Odenato Palmyrenorum Rege victus, cum qui sextus ab eo regnarat Narses, sive Narsæus, jam ab ipso Diocletiano esset debellatus. Non etiam junior* Sapores *fuit, Narsæi nepos, necdum Diocletiano imperante natus, nedum filiæ jam adultæ parens. Non tamen id tantum apud nos habet momentum, ut ideo antiqua illa Acta temere respuamus. Potuit* Sapores *ille medius regii sanguinis Satrapa aliquis esse, aut vicinæ gentis urbisque regulus. Quid si* Misdates *Narsetis filius, Persarum Rex, uti ejusdem* Narsetis *decessor* Uraranes Seganesna, *binominis fuit? Quid si* Saporis *pater fuit ille Sapor a S. Cyriaco conversus, gener Narsetis? Videtur id ex Agathia colligi: quo teste Sapor adhuc in utero matris,*

*Quis Sapor Rex a S. Cyria o conversus?*

C *regno inauguratus est, cum prius ex Magorum responsis didicissent Satrapæ, marem futurum. Eum enim, inquit ille scriptor,* regii generis successio ad regnum vocabat, qui ex matre hac nasceretur. *Non autem Misdatis posthumus filius fuit, cum successorem habuerit Sapor Artaxercem* germanum fratrem, *ut idem ait ; ergo natu juniorem ; alioquin præ illo, necdum nato, regno admovendum. Cum ergo ex Eutropio lib. 9 constet Narseum avum fuisse Saporis, hic ejus filiæ natus fuerit, patre fortassis Sapore Christiano : ideoque et amicitia illi Constantini ambita, et Christiana res ejus favore, filio adhuc regni tractandis habenis inhabili per ætatem, amplificata.* D

*an Narsæi gener, pater Saporis per. Agathiam?*

*SECTORE 1. 8*

9 *Sed hallucinatur fœdum in modum Agathias, dum lib. 4 scribit, anno Saporis* XXIV *Nisibin urbem sub Persarum venisse potestatem, prodente Joviano, Juliano repente deperdito. Si periit Julianus, et pacem cum Persis coactus est Jovianus anno Saporis* XXIV, *ergo hic anno Christi* CCCXXXVIII, *Constantio III natus est : qua ergo ratione an.* CCCXXXVIII *idem Sapor Mesopotamiam vastavit, eamdemque Nisibin obsedit ; atque antea ad Constantinum Magnum, an.* CCCXXXVII *mortuum, Legatos misit? an priusquam nasceretur? Melius scripsisset Agathias,* XXIV *anno belli adversus Romanos suscepti id contigisse. Sed ista hactenus.*

*Ut hoc mendum Agathiæ.*

10 *Petrus Teicheira lib. 1 de Regib. Persar. cap. 24 Saporem hunc* Xapur *vocat, sed de eo nihil se relatu dignum comperisse ait, atque anno* LXXII *post Alexandri Macedonis mortem ad regnum ait evectum, omissis scilicet Græcis Regibus, Parthis quoque, et primis* VIII *e Persarum genere. Ei successisse scribit* Ardxir Bada Khon, *qui Agathiæ* Artaxerces *est ; huic* Xapur Zabel Ketaf, *sive* Saporem *Artaxercis filium ; et* Baharom Kermonxa, *sive* Varanem Cermasal ; *illi filium* Yazd Gerd, *qui est* Isdigerdes. *Sed quod ait hic Auctor Christum* Ardxir Baba Khon *temporibus natum, plane abest a vero longissime ; sed profitetur se quæ de Persarum Regibus scripta apud eos compererit tradere, non ea firmare ac tueri velle. Verum ad S. Abramium redeamus, cujus Vitam ita paucis referunt Græci in suis Menæis.* E

*et Teicheiræ.*

## VITA EX MENÆIS GRÆCOR.

*ANIMADV. PAP. 58*

Anno quinto motæ in Perside adversus Christianos iniquæ admodum et impiæ persecutionis comprehensus est a principe Magorum S. Abramius. Qui cum ab eo urgeretur ut Christum negaret, ac Solem adoraret : Quomodo, inquit, infelix et miser, non desinis nos ad ea quæ non decent, agenda hortari? An æquum est, ut Creatorem relinquam, et creaturam et opus Dei mei adorem? Hæc verba non mediocriter tyrannum adversus Sanctum concitarunt. Jubet igitur Magorum princeps continuo produci Sanctum, et humi sterni, ac silvestribus virgis cædi. Quo facto, cum cerneret Archimagus eum generose omnia perferre, F adeoque et pro tortoribus orare, ac dicere : Domine, ne statuas illis hoc peccatum, non enim sciunt quid faciunt ; jubet ense caput illi recidi. Amputata igitur cervice, martyrium finivit S. Abramius in vico qui Telman dicitur.

*S. Abramius respuens solem adorare, virgis cæditur, deinde capite plectitur.*

# DE S. ISIDORO PELUSIOTA,

## MONACHO ET PRESBYTERO IN ÆGYPTO,

## Commentarius historicus.

G. H.

### § I. *S. Isidori cultus sacer, locus natalis, exercitatio monastica, sacerdotium.*

Pelusium, *a quo cognomen Pelusiotæ sortitus* S. Isidorus *Ægypti propriæ sumptæ (quæ Ægyptus inferior, et fere Delta indigetatur) urbs inter primarias post Alexandriam habita, a temporibus Apostolorum creditur fide Christiana imbuta, ac throno Episcopali jam olim honorata. Inter Episcopos quippe provinciæ Ægypti, qui Concilio primo Nicæno anno Christi* CCCXXV *interfuerunt, reperitur Dorotheus Pelusianus. Tempore autem suo, Ammonio successisse Eusebium scribit S. Isidorus lib. 2 epistola 127. Cum provincia Augustamnica ab hac Ægypto dirimeretur, cujus divisionis meminerunt in suo rescripto Gratianus, Valentinianus, et Theodosius Augusti lib. 4 Codicis de Vectigalibus et commissis, tum metropolis Augustamnicæ constituta est Pelusium : a qua urbe* Πελουσιακὸν στόμα *appellatur. Nilus enim postquam ceteram unico alveo Ægyptum permeavit, ubi ad Delta venit, in duos velut*

*Nascitur S. Isidorus in urbe Pelusio Ægypti.*

*provinciæ Augustamnicæ.*

*ad primum ostium Nili,*

A *fluvios scinditur, quibus suam originem reliqua ostia debent. Unus ad Orientem decurrens, a Bubasto urbe* Βουβαστικὸς ποταμὸς *dictus, non procul a Pelusio in mare devolvitur. Hinc Stephanus de urbibus :* Πηλούσιον πόλις Αἰγύπτου, εἰς ἣν τὸ πρῶτον στόμα. Pelusium urbs Ægypti, ad quam effluit primum ostium, *scilicet Nili versus Orientem, seu Palæstinam. In Synodo Ephesina Œcumenica, juxta datam divisionem, Episcoporum alii Augustamnicæ, alii Ægypto provinciæ adscribuntur. Et S. Isidorus lib.* 1, *epistola* 152 γείτονα Αἰγύπτου, vicinam Ægyptum *cognominat.*

*colitur S. Isidorus, inscriptus fastis Græcorum,*

2 *Græci in suis Menæis primario cultu* IV *Februarii venerantur S. Isidorum, et in his versibus ad nomenclaturam Pelusii alludunt :*

Πηλουσιῶτα χαῖρε, χαῖρε πολλά μοι,
Τὸν πηλὸν ἐκδὺς, καὶ χαρᾶς τυχὼν ξένης.
Ἐνδ' Ἰσίδωρον ἔθεντο τετάρτῃ σήματι ὑγρῷ.
Pelusiota gaude, gaude mihi plurimum,
Luto exemptus, et gaudium nactus novum.

Imposuerunt Isidorum sepulchro perhumido quarta, *scilicet Februarii. quo die hoc elogio aliquod Vitæ compendium nobis tradunt :* Memoria sancti Patris nostri Isidori Pelusiotæ. Hic Sanctus gente Ægyptius, claris et piis parentibus natus, et Theophili ac Cyrilli Alexandrinorum Pontificum cognatus agnoscebatur. B In omni divina humanaque scientia ad summum eruditionis fastigium provectus, ingenii monumenta plurima laude memoriaque digna, studiosis litterarum reliquit. Rejectis etiam ingentibus opibus, relictoque splendidissimo genere cum omni vitæ præsentis felicitate, secessit in Pelusianum montem : arreptaque monastica vita, sibi istic vacavit, et cum Deo familiaritatem ingressus, totum fere orbem docendo divinis suis sermonibus illuminavit : peccantes ad pœnitentiam adduxit, justos confirmavit, contumaces gladio verbi Dei redarguit, et ad virtutem excitavit. Quin et Imperatoribus, quæ ad Imperii administrationem usui erant, suggessit et persuasit. Denique omnibus se consulentibus ex sacræ Scripturæ fluentis sapientissime respondit. Dicuntur ab ipso decies mille epistolæ conscriptæ. Cum ergo ita præclare ex Dei lege vitam transegisset, in gravi senectute e vivis excessit. *Hactenus ex Menæis, quæ fere eadem leguntur in nova Græcorum Anthologio sub Clemente* VIII *Romæ excuso. Meminerunt ejusdem hoc die reliqua Græcorum Menologia et Horologia.*

*et Latinorum,*

3 *Eumdem Latini sacris tabulis adscripserunt. Martyrologium Romanum :* Pelusii in Ægypto S. Isidori monachi, meritis et doctrina conspicui. *Galesinius majore* C *eum exornat elogio, sed fere e Menæis descripto :* Pelusii, *inquit,* S. Isidori Confessoris. Hic piis parentibus natus, Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopi necessarius, domesticis externisque disciplinis valde eruditus, piæ religionis studio, spretis contemptique humanis rebus, in montem se abdidit : ubi suscepta monachalis vitæ ratione, omne tempus modo in sanctis precibus, modo in sacris libris commentandis, modo in epistolis scribendis consumpsit. Quo epistolarum genere, cum eas pene infinitas exararit, non privatis solum, sed magistratibus, Præfectis, et Episcopis mirifice profuit. Sic vita sanctissima acta et multis Dei operibus mirabiliter gestis, obdormivit in Domino. *Molanus in Auctario Usuardi brevius servatis verbis Horologii Græcorum, quod citat :* Die quarta sancti Patris Isidori Pelusiotæ. *Quod Molani auctarium cum Usuardo confuderunt Antonius Possevinus in Apparatu sacro, Andreas Schottus ad Epistolas S. Isidori a se editas, et, qui hos in errorem abduxit, Joannes Chatardus in suo de S. Isidori vita scriptisque judicio præfixo, ejusdem epistolis a Billio Latine redditis, quas ille ob hujus mortem Parisiis excudi curavit.* Usuardus, *inquit,* Martyrologus, quinque ejusdem nominis (*Isidori*) in album Sanctorum retulit, inter quos hujus nostri Pelusiotæ meminit, ejusque festum quarta die Februarii celebrari tradit. D *Hi quinque in Indice conjunguntur, ex quibus ad quintam Februarii a Molano adscriptus etiam est ex Metaphraste* S. Isidorus Martyr Alexandrinus : *cujus non meminerat Usuardus. Plures Sanctos ejusdem nominis hoc toto opere proferemus.*

*an Carmelitis annumerandus?*

4 *Marcus Antonius Alegræus in Paradiso Carmelitici decoris statu* 3, *cap.* 6, S. Isidorum Pelusiotam monachum *Carmelitis adscribit* extractum ex veteri Catalogo illustrium Carmelitarum, et manuscripto fidissimo de viris illustribus Carmelitis ab Episcopo Alguerensi elaborato; *et conqueritur* Basilianos hunc, sicut et alios ex Carmelitis, quasi alienæ essent indigenæ gloriæ, sibi nullo accommodare jure; *citato ad marginem* Apparatu sacro Possevini, *qui de S. Isidoro agit absque ulla mentione aut Carmelitarum aut monachorum S. Basilii, quem idem Alegræus statu* 2, *cap.* 103, inter Carmelitas accenset : Siquidem, *ait in Nota adjuncta,* Basilius per annos XIV saltem inter veros Carmelitas, Carmeliticum institutum professus est. Etsi postea vocatis e Carmelo Fratribus in monte Didymi monasterium constituerit, et duplici sub forma institutum monasticum composuerit, regulam per modum dialogi dederit iis, qui eum in Patronum eligentes de ordine S. Basilii postea vocati sunt, diversam ex tunc a Carmelitis reli- E gionem constituentes Basilianam, a Carmelitis vere ortam etc. *Quibus studio, de S. Basilio scribit Lezana tomo* 2 *Annal. Carmelit. an.* 363. *Quæ ab antiquioribus Scriptoribus probari mallemus, et hic seponimus, ad Vitam S. Basilii* XIV *Junii commodius excutienda. Verum quidquid fuerit de utroque ordine monastico et Carmelitarum apud Syros ac Palæstinos, et S. Basilii apud Cappadoces vicinosque Asiæ populos, alii fuerunt monachi magna varietate vivendi ab illis et inter se distincti, qui illis temporibus in Ægypto et Thebaide vixerunt, ut passim in variis Sanctorum Actis a nobis ostenditur, et confirmant Vitæ Patrum a Rosweydo libris* X *editæ, in quibus historia monastica Ægypti potissimum continetur, absque ulla hujus Carmeli mentione.*

*Natus non in Græcia,*

5 *Græcum origine credidit eum fuisse idem Alegræus, dum asserit;* Græciæ partibus, ubi fuerat ortus, inter Heliades suos sepultum : *si tamen auctor hic Græciam Europæ regionem distinguat ab Ægypto, in qua constituit* Abbatem montis Pelusiaci. *Ægyptum genere statuunt reliqui cum Menæis. Facundus Episcopus Hermianensis lib.* 2 *defensionis Trium Capitulorum,*

*sed Ægypto,*

virum *appellat* sanctissimum et magnæ in Ecclesia Christi gloriæ, Presbyterum Ægyptium Pelusiotam. *Menæa insuper cognatum faciunt Episcoporum Alexan-* F *drinorum Cyrilli et Theophili.* Cyrillum natione Græcum, patria Constantinopolitanum *arbitratur etiam Alegræus, quod* XXVIII *Januarii ad Vitam ejus* § 2 *rejecimus, natumque Alexandriæ apud patruum Theophilum genitum dici, ubi ejus sorores aliosque consanguineos habitasse, ex antedictis ibidem ostensum est. Atque ita Ephræm, qui tempore Justiniani Imperatoris Patriarcha Antiochenus fuit, apud Photium in codice* 228 *testatur* Isidorum monachum clarum domo Alexandrinum, et summis Sacerdotibus venerabilem *fuisse.*

*apud Alexandrinos,*

*discipulus S. Chrysostomi.*

6 *Nicephorus Callistus lib.* 14 *Historiæ Eccles. cap.* 30 Joannis magni, *seu Chrysostomi,* discipulos *statuit* Nilum asceten venerandum, Isidorum Pelusiotam, et plurium sermone celebrem Marcum monachum. *Quæ idem pluribus prosequitur cap.* 53. Non virtute tantum, *inquit,* egregii tum floruere viri, sed et doctrina factis ipsis consona enituit. Utraque enim philosophia si concurrat, celerius mentem in sublime tollit, et bono ei, quod desiderio votoque omni expetimus, unit atque conjungit. Nam veluti duabus alis, cui utraque illa contigit, utitur : atque in cœlum evolans, quam celerrime progressu pleno pervenit. Quales

A Quales viros ea tempestas protulit, virtute et doctrina magnam gloriam consecutos. Talis Isidorus ille fuit, qui in Pelusio monte præfuit. Nilus et Marcus præclari ascetæ, et sapientissimus item Cyri Ecclesiæ Antistes Theodoretus; quorum magna gloria est, ut verbis Poetæ utar. Præceptore ii in utraque philosophia usi sunt magno Chrysostomo. *Hæc Nicephorus, qui capite sequenti de hisce tribus condiscipulis eorumque libris elucubratis agit : ex his Historiam cædis sanctorum Patrum juxta montem Sinam in Arabia a Saracenis occisorum a S. Nilo conscriptam dedimus* XIV *Januarii.*

*excultus inter monachos jam pridem ibi habitantes.*

7 *Loca prope Pelusium plurima a monachis jam olim exculta fuisse indicat S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis Abbatis, in cujus itinere, post obitum S. Antonii anno* CCCLVI *vita functi, per Ægyptum facto ita scribit :* Valedicens plurimis, cum infinito agmine prosequentium venit Betheliam, ubi persuasis turbis ut reverterentur, elegit quadraginta monachos.... Quinto igitur die venit Pelusium, visitatisque Fratribus, qui in vicina eremo erant, et in loco qui dicitur Lychnos morabantur, perrexit triduo ad castrum Thebarum *etc. Ipse S. Isidorus lib.* 1, *epistola* 318 ἐσχατιὰν *appellat, id est, extremum secessum. Vitam S. Isidori monasticam istic peractam ita paucis attingit*

B *Evagrius lib.* 1 *Hist. Eccles. cap.* 15. Eodem Imperatore *Theodosio juniore* regnante, magno in honore fuit Isidorus (*quem in titulo* Pelusiotam *appellat*) cujus gloria ob illius tum facta tum dicta longe lateque pervagata est, omniumque sermone celebrata. Iste carnem sic maceravit laboribus, sicque animum arcanis in divinis doctrinis saginavit, ut vitam Angelicam in terris traduceret, et vivam expressamque effigiem vitæ monasticæ et divinæ contemplationis omnibus perpetuo intuendam proponeret. *Hæc Evagrius, quem fere descripsit Nicephorus supra citatus :*

*exemplum perfectionis habitus,*

Divinus Isidorus, *inquit,* jam inde ab adolescentia in monasticis laboribus desudavit, et ita carnem maceravit, animamque arcanis sublimioribusque doctrinis fovit, ut Angelicam prorsus degeret vitam, et viva animataque monastici instituti divinæque contemplationis columna, et veluti primarium quoddam exemplum flagrantis æmulationis doctrinæque spiritualis esset.. *Dignitate* Presbyterum *vocant Facundus ante citatus, et Suidas.*

*Presbyter,*

Καθηγησάμενον τοῦ Πηλουσίου ὄρους *scribit Nicephorus præfuisse, instituisse, aut præceptorem fuisse in Pelusiaco monte. Ita Strabo lib.* 14 *Geographiæ* καθηγήσασθαι Καίσαρος τὸν Ἀθηνόδωρον *dixit.* Præceptorem Cæsaris fuisse Athenodorum.

*an etiam Abbas?*

C *Sixtus Senensis lib.* 4 *Bibliothecæ sanctæ, Possevinus, Alegranus, Ferrarius in Topographia aliique Abbatem appellant : quo nomine antiquiores non utuntur.*

## § II. *Defensus a S. Isidoro honos S. Chrysostomi. Monita data S. Cyrillo Alexandrino.*

P*hotius tomate* 232. *in excerptis e libro Stephani Gobari Tritheitæ,* Apponit ad hæc, *inquit,* testimonia, et quomodo Theophilus et cum eo tota Synodus, erga Joannem S. Chrysostomum affecta fuerit. Qualem habuerit opinionem de S. Joanne Cyrillus et Atticus. Quid senserit S. Isidorus Pelusiota de Theophilo et Cyrillo Alexandriæ Episcopis, et de S. Joanne Chrysostomo; illos odii erga Chrysostomum accusavit, hunc vero laudavit et coluit. Severus impulsus, ut S. Isidorum reprehenderet, non inventa caussa aliqua, affingit illi, quod cum Origene senserit, etsi idem iterum per sese, a veritate superatus, id revocet.

*Ex invidia Origenis annumeratus,*

*Hactenus Stephanus apud Photium. Extat S. Isidori ad Severum epistola* 368, *lib.* 1, *qua arrogantiam reprimendam esse docet his verbis :* Quemadmodum hoc natura minime concessit, ut ovis cum leæna pabuletur; sic nullo omnino modo fieri potest, ut fastus idem cum monastica vita domicilium habeat. Nam D ille belluinus est, frænique impatiens; hæc autem bona omnia obsequenti animo excipit, resque molestas et acerbas toleranter admodum ac fortiter admittit. Quamobrem si te ad hujus studium atque exercitationem accinxisti, ab illo abscede, ne te per eum malo aliquo is mulctet, qui adversum Dominum cervicem erexit, atque id agit ac studet, ut omnes superbiæ suæ et ruinæ imitatores habeat. *Hæc S. Isidorus ad Severum, si tamen idem fuerit, cujus apud Photium mentio facta.*

AUCTORE G. H.

*defensor S. Chrysostomi,*

9 Quod *autem* aperte Chrysostomum defenderit, vehementer Arcadium, et Cyrillum, atque hujus patruum Theophilum perstrinxerit, eorumque sinistras adversus virum eum susceptas molitiones taxarit, *testis nobis est ante memoratus Cyrillus. Et ipse Isidorus doctrinam S. Chrysostomi plurimum extollit : ita lib.* 4, *epist.* 224 *scribit* gloriam scriptorum, quæ sapientissimus Joannes post se reliquit, ubique terrarum dispersorum usque ad terminos terræ et maris extremos penetrasse. Quis enim est, *addit,* qui illis non capiatur? Quis est ex hominibus post ipsum natis qui non gratiam habeat Divinæ providentiæ, quod post ipsum natus sit? Quodque non abierit expers et ignarus divinæ illius lyræ, quæ fabulam musicam præ eorum quæ de ipsa celebrantur magnitudine, E omni certe fide superiorem sibi arrogavit. Non enim feras bestias divina illa sua musica capi fecit; sed ferinis moribus præditos homines mansuetos reddidit, feritatem ipsorum mitem ac cicurem faciens, et ad mansuetudinem ac concinnitatem quamdam traducens *etc. Et lib.* 1, *epist.* 156 *librum ejus de Sacerdotio cum encomio auctoris præclare commendat :* Nullum, *inquit,* pectus hujus lectio penetravit, quod non divino amore sauciarit, ut qui augustam quidem ac venerandam rem accessuque difficilem Sacerdotium esse ostendat, verum sine ulla reprehensionis labe consectandam esse doceat. Siquidem sapiens ille et eruditus arcanorum Dei interpres, Joannes Byzantinæ Ecclesiæ, atque adeo Ecclesiarum omnium oculus, librum eum ita subtiliter et prudenter atque accurate condidit, ut omnes tam qui, ut Deo gratum est, sacerdotio funguntur, quam qui negligenter et ignave sacerdotalem dignitatem administrant, hic et virtutes suas et offensiones reperiant. *Idem mirificam Chrysostomi dictionem laudibus extollit lib.* 2, *epist.* 42 *insertis litteris Libanii Sophistæ ad illum etiamnum juvenem, cum orationem in Imperatorum laudem habuisset, scriptis, ut explicat Nicephorus, utraque epistola historiæ suæ inserta.*

*laudat libros ejus utilissimos,*

*et potissimum de Sacerdotio*

F

10 *Idem Isidorus lib.* 1, *epist.* 152, *ad Symmachum :* Petis, *inquit,* a me, ut divini viri Joannis tragœdiam tibi exponam. At eam explicare nequeo. Mentem enim res ista superat. Verum pauca quædam audi. Vicina Ægyptus hoc semper in more habuit, ut inique ac perdite se gereret, Mosem videlicet repudians, et Pharaonem adsciscens, humiles ac demissos flagris lacerans, laborantes opprimens, urbes extruere jubens, et mercedem negans, atque ad hoc usque tempus in iisdem studiis hærens. Siquidem insano lapillorum amore flagrantem, atque aurum pro numine habentem Theophilum, quatuor sociis, imo conspiratis, septum ac munitum, in medium proferens, pium virum ac divinarum rerum doctrina præditum expugnavit, odium videlicet atque inimicitiam, quam adversus eum, qui eodem quo ego, nomine appellatur, ostendit, velut improbitatis atque importunitatis propugnaculum nactus. At Davidis tamen domus invalescit : domus autem Saulis, ut cernis, debilitatur : tametsi vir ille superata vitæ tempestate ad cœlestem tranquillitatem migraverit. *Hæc ibi. Vita functus est S. Chrysostomus* XVIII *Calend. Decemb. anno* CCCCVII. *Theophilus autem supervixit usque ad annum*

*expositus adversum ab eo Theophili animo,*

A *annum* CCCCXII, *quo, Honorio Augusto* IX *et Theodosio Augusto* V *Consulibus,* XV *Octobris e vita excessit. Alter autem a Theophilo exagitatus, est S. Isidorus monachus et Presbyter Alexandrinus, S. Antonii magni discipulus, cujus natalem celebravimus* XV *Januarii, ubi* § 3 *deduximus, quas a Theophilo passus est calumnias, ostendimusque a nonnullis eum perperam cum S. Isidoro Pelusiota confundi.*

AUCTORE G. H.

11 *Theophilo apud Alexandrinos successit S. Cyrillus, quo tempore Constantinopolitanæ Ecclesiæ præerat S. Atticus; de hoc egimus* VIII *Januarii, de illo* XXVIII *ejusdem mensis: ubi diximus a Romano Pontifice diu multumque laboratum esse, ut ab iis S. Chrysostomi nomen sacris tabulis inscriberetur: quod monitu S. Isidori et apparitione Deiparæ Virginis motum fecisse Cyrillum docet Nicetas Philosophus apud Nicephorum Callistum lib.* 14, *cap.* 28 *his verbis:* Quoniam dissidium hoc quidem ex æmulatione, quamvis non secundum scientiam, non autem ex invidia, neque diabolica contentione manavit, non oportere virum et doctrina et virtute præstantem hac una in re claudicare, quo minus ad summam perfectionem perveniret, Deo visum est. Homines enim illi erant, et humanis affectionibus obnoxii. Quapropter aliquanto post Cyrillus cum magno illo viro etiam post ejus

*nomen Chrysostomi ut diptychis Ecclesiasticis inscriberetur,*

B mortem in gratiam rediit, erroremque suum cum multis aliis concitantibus, tum maxime Isidoro Pelusiota nunc reprehensione, nunc admonitione eum cohortante, divina etiam et arcaniore quadam revelatione accedente, correxit. Videre namque visus est seipsum sacris ædibus expulsum esse a Joanne, comitatu, et divino quod circa eum erat satellitio, maxime freto, et Matrem Domini pro ipso deprecantem Joannem, atque cum multa etiam alia, tum illud præcipue, quod pro ipsius gloria plurimum ille decertarit referentem, ut in sacra templa reciperetur, orare etc. *Hactenus Nicetas, de quo plura dicemus* XXIII *Octob. ad Vitam S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani ab ipso scriptam.*

*permovit S. Cyrillo,*

12 *Facundus supra memoratus scribit S. Isidorum pro vitæ ac sapientiæ suæ meritis ut Patrem ab ipso* Cyrillo et honoratum esse et vocatum. *Quod idem confirmat Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ cap.* 9 *et* 10. *Ad hanc paternitatis nomenclaturam alludens S. Isidorus præclare monet Cyrillum lib.* 1 *epist.* 370. Terrorem, *inquit,* mihi Scripturæ exempla inferunt, atque ut ea quæ opus est, scribam, necessitate adducor. Nam sive pater sum, ut ipse ais, condemnationem Heli pertimesco, propterea quod peccantes filios non cas-

*eo* (*ut Pater ab ipso habitus*) *monet*

1 Reg. 3 et 4

C tigavit, sive, ut potius persuasum habeo, filius tuus sum, quippe qui magni illius Marci speciem atque habitum præferens, angorem mihi ac sollicitudinem affert Jonathæ pœna: quia patrem Pythonissam quærentem minime prohibuerat, ob idque ante eum, qui scelus admiserat, is qui prohibere poterat, in bello interiit. Quamobrem ne et ego condemner, et tu Divinum judicium subeas, simultates ac dissidia comprime. Ne privatæ ac domesticæ contumeliæ ultionem, qua tanquam ære quodam alieno a mortalibus obstrictus es, in viventem Ecclesiam deriva, atque æternam ipsi dissensionem pietatis specie atque obtentu compara. *Acriori aliquanto stylo eum monet epistola* 310 *ejusdem libri primi, quam cum præcedenti in suis operibus edidit etiam Facundus.* Præposterus favor, *inquit,* haud acute cernit, odium vero nihil cernit. Quapropter si ab utraque lippitudine purus atque immunis esse studes, noli violentas sententias ferre: verum illata crimina justo et integro judicio committe. Quandoquidem Deus etiam, qui omnia scit antequam oriantur, pro sua humanitate descendere, ac Sodomorum clamorem perspicere voluit; hinc videlicet nos ad res accurate perscrutandas ac perpendendas erudiens. Multi enim ex iis, qui Ephesi

1 Reg. 28 et 31

*ut dissidia tollat,*

*juste judicet,*

coacti sunt, te traducunt, ut tuas inimicitias persequentem et ulciscentem, ac non ea, quæ Jesu Christi sunt, orthodoxe quærentem. Theophili, inquiunt, ex sorore nepos est, illiusque mentem ac sententiam imitatur; ut enim ille perspicuum adversus divinitus afflatum ac Deo carum virum Joannem furorem effudit, sic etiam iste gloriari ac se jactare expetit: etiamsi alioqui latum sit inter eos, qui accusantur, discrimen. *Hæc ibi. Aderat S. Cyrillus Ephesi in Synodo Œcumenica anno Christi* CCCCXXXI *congregata contra Nestorium, qui Christum asserebat duplici constare persona, ac S. Mariam negabat Dei matrem appellari posse. Quod mysterium eidem S. Cyrillo præclare exponit Isidorus lib.* 1, *epist.* 323, *quam citat Anastasius Sinaita locis ante memoratis. Omittimus alias ei missas epistolas. Unica hæc sententia complet epistolam* 306 *lib.* 3 *eidem Cyrillo scriptam:* Quemadmodum Rex, qui legibus paret, viva lex est; eodem modo Sacerdos, qui sanctionum Ecclesiasticarum imperio subest, tacita norma et regula est.

D

*inimicitias non ulciscatur,*

*sit regula Sacerdotum.*

## § III. *Epistolæ a S. Isidoro scriptæ. Laus virginitatis. Monita ad virtutes.*

D*octrinam S. Isidori magnis plurimi auctores laudibus efferunt.* Multa opera *eum* utilitate omni plena scripsisse *refert Evagrius. Facundus* duo millia epistolarum ad ædificationem Ecclesiæ *ab eo scripta tradit. Numerum epistolarum auget Suidas.* Isidorus, *inquit,* Presbyter, Pelusiota, vir eloquentissimus, Philosophus, atque Rhetor, epistolas ter mille Divinam Scripturam interpretantes scripsit, et alia quædam. *Nicephorus de ejus scriptis hæc habet:* Multa ab eo scripta sunt variæ utilitatis plena: potissimum autem epistolarum omnis generis divina simul et humana gratia refertarum prope millia decem, in quibus scripturam omnem clarius exponit, et omnes omnium hominum mores instituit: quippe qui dicendi genere ad docendum accommodato in eis utatur. Satis quoque ille declarat, quo ardore erga honestatem, erga Ecclesiam, et eos qui temere injuria afficerentur, flagravit. Multum præterea in lucubrationibus suis invehitur in eos, qui non recte episcopali sacerdotalique munere fungerentur. *Idem epistolarum numerus in Menæis Græcorum et apud Sixtum Senensem expressus est: sed an is litteræ Græcæ in alterius locum irrepenti attribuendus? Certe singuli characteres,* ι, γ *et* β, *inferne punctis subnotati, significant millia duo, tria, aut decem. Imo simili errore tres tantum illi epistolas a Suida attributas aliquis inferret, quod Græce in editione ejus Veneta per Aldum, Basileensi tam Frobenii quam Wolfii, et Genevensi ab Æmilio Porto adornata, illud ipsum* γ *cum superno accentu, non subnotato puncto legatur. Extant modo typis Parisiensis excusæ S. Isidori epistolæ bis mille centum ac tredecim, libris quinque distinctæ: quorum tres priores ex interpretatione Jacobi Billii Prunæi, quartus a Conrado Rittershusio, quintus ab Andrea Schotto Societatis nostræ Presbytero, eruti ac Latinitate donati, seorsim ante fuerant in lucem dati. Has autem S. Isidori epistolas* ut impias hæreticos calumniari solere, *auctor est Ephræm Episcopus Antiochenus supra memorato apud Photium loco.*

E

*Epistolas scripsit 2000.*

*alias 3000,*

*alias 10000,*

F

*Ex iis excusæ 2113.*

14 *Illustre illud est Billii de hisce epistolis ejusque auctore elogium:* Sunt istæ Isidori epistolæ perbreves fere omnes, et perpetuo quodam laconismo contextæ; sed doctrina et utilitate copiosæ. Eas enim Scripturæ testimoniis et exemplis ubique aspergit et condit. Hæreses aliquot strictim ac velut per transennam quandoque confutat. Nam, ut verus D. Joannis Chrysostomi discipulus et imitator, totus in moribus informandis occupatur, virtutis locuples laudator et præco, et vitiorum acerrimus insectator.

*commendatæ ab editoribus, Billio*

A tor. Unde eam ob rem in multorum offensionem et odium incurrisse, sibique multas structas insidias alicubi testatur. *lib. 2, epist. 122* Si quis, inquit, fructus ex reprehendendi libertate oriretur, nemini ipse hac in re cessissem, etiamsi ob eam caussam insidiis persæpe appetitus, verum, cum hoc tempus silentium postulet, Judicem expectemus. Ex Gentilium libris pauca hic interserit, contentus Scripturis sacris: ut quæ et vim majorem habeant, et Christiano Doctore et lectore digniores sint. Solet etiam has suas epistolas præclara aliqua sententia vel elegante quadam cohortatiuncula claudere, atque ita lectori aculeum quemdam infigere. *Hæc Billius ante epistolas a se editas præfatur: quibus similia scribit Schottus in sua ad epistolas a se erutas præfatione ad Eminentissimum* *Schotto,* *Cardinalem Alphonsum a Cueva:* Agnosces, *inquit*, mihi crede, legendis sacris hisce epistolis, quia moratæ sunt, et sacræ Scripturæ loca plurima explanant, odorem pietatis singularem: ad hæc S. Joannis Chrysostomi discipuli, eloquentia proximi, vocem cum voluptate exaudies. Me certe, dicam ingenue, ita ad hanc diem omnes ejus epistolæ typis evulgatæ, a Jac. Billio Prunæo Abbate, dum lego, lego autem frequenter, alliciunt, nihil ut in hoc genere cum Magni Basilii asceticis scriptis legerim, B audierim jam magis, ad animi domandas perturbationes, et a vitiis vi summa deterrendum; nihil denique ut ad virtutem instillandam illustrius existat. Castigat enim per litteras, stylum adhortando stringens, seculi sui vitia, præsertim Cleri: sic Zosimum bipedum nequissimum, et scelerum ejus ξυνωρίδας egregie et crebro increpat, Maronem, Martinianum, Eustathium atque Eusebium terræ pondera: stimulos interea dilectionis ad resipiscendum validos subdit; mores denique emendare satagit, et a recto aberrantes in viam redire ad frugemque reverti cogit. *Hactenus Schottus. Inter vitia autem Cleri acriter labem Simoniacam reprehendit. Jam*, inquit *Possevinus*, *et Possevino,* cum Epistolæ Isidori Pelusiotæ sententiis ac brevibus adhortationibus aculeum lectori perutilem infigant, suaserim probis et eruditis Gymnasiarchis, ne tantam sinerent elabi occasionem, qua eas discipulis interdum prælegerent, sicque earum mores, dictionem ac pietatem iis instillarent.

15 *Magnam S. Isidori apud Imperatorem Theodosium, Magistratus et Episcopos auctoritatem, testantur epistolæ ad ipsos scriptæ.* *crepat ad Episcopos* *Ex his Episcopis plurimi interfuerunt Concilio Ephesino*, Theon Herculis Sethraiti, Hermogenes Rhinocoruræ, Abrahamus Os- C tracinæ, Lamperius Cassii, Alipius Sellæ, Strategius Athribedos *ex provincia omnes Augustamnica.* Macarius Metelitarum et Theopemptus Cabasorum, *ex vicina Ægypto.* Heraclides Heracleensium *Arcadiæ*, Evoptius Ptolemaidos *Pentapoleos etc. Ex epistolis eam lubet apponere, quam ad Theodosium Imperatorem scripsit, cum intellexisset quæ in ea Synodo Ephesina minus recte ab ejus Comitibus agerentur. Extat ea lib.* *et Theodosium Imperatorem* *1, num. 311 cum hac inscriptione:* Theodosio Imperatori, de securitate Synodo præstanda. Si tu tantum temporis tibi sumis, ut iis, quæ Ephesi decernenda sunt, intersis, non dubito, quin ea ita se habitura sint, ut a nemine reprehendi queant. Sin autem turbulentis odiis calculos permiseris, quisnam a cavillis ac dicteriis concilium vindicabit? Huic autem malo remedium attuleris, si ministros tuos a dogmatum præscriptione removeas (ut qui magno hiatu ab eo distincti ac dirempti sunt, ut simul et Imperatori et Deo inservire studeant) ne aliquid Imperio quoque motum ac jactationem afferant, perfidiæ suæ machinas ad Ecclesiæ petram elfringentes: nam ea firmo loco defixa est, eamque caussam habet, ut ne ipsi quidem inferi portæ dominentur, quemadmodum is, qui eam constabilivit, pollicitus est. *Hæc ad Theodosium Imperatorem. Est lib. 3 epistola* D *quinta ad Eutonium Diaconum*, in illud dictum Salvatoris de Ecclesia, quod portæ inferi *etc. cum hic addimus:* *ECCLESIAM* *et inexpugnabilem:* Non tamquam nemo Ecclesiæ bellum indicturus, atque extinguere adnixurus esset; verum quod multi quidem adversus eam pugnaturi, sed tamen vincendi ac profligandi essent, dictum est: Et *Matth. 16. 18* portæ inferi non prævalebunt adversus eam, subaudi Ecclesiam. Sic quippe contigit. Oppugnata enim est, sed non oppressa; verum iis ipsis, qui eam extinguere tentaverunt, splendidior emicuit. Quid igitur miraris, si sancti etiam viri bello exagitentur? Ex bellis enim præclariora tropæa, atque ornatiora spolia esse videntur. *Hæc ille.*

16 *Certamen ejusmodi cum præclaro perpetuæ virginitatis encomio profert lib. 3, epistola 351, Antonio Scholast conscripta, cujus partem hic damus, ut, quam altas virtus ea in animo illius egerit radices, ipsemet nobis auctor sit et testis. Ita ergo incipit:* Virginitatis *laudat virginitatem* certamen, magnum quidem et præclarum et divinum est, (nam adversus insitam corporis voluptatem ipsi bellum est) quod tamen in aliis certaminibus labores minuit. Facile enim amorem pecuniarum vincet, cum corporis ornatum, ac virum et liberos, ob quæ pecuniarum quæsitio hominibus philosophiæ non addictis necessaria esse videtur, minime curet. Mo- E rori etiam haudquaquam obnoxia erit, non enim ramos protulit, cum quibus et curæ et mœrores efflorent. Viventibus quippe filiis sollicito animo esse coguntur, morte autem functis in luctu versari. *Et multis de matrimonii molestiis interjectis addit:* Nec tamen hæc eo commemoro, quod illos, qui honorabile connubium amplectuntur, abjicere ac proscribam: (absit) verum ut eos, qui lubrica et petulanti lingua matrimonium virginitati anteferre audent, perstringam. Quanto enim cœlum terra et anima corpore, tantum etiam virginitas conjugio antecellit. Illa enim primas partes in acie tenet, ac phalangis frontem exornat, illustriaque tropæa statuit: hoc autem cum mediocre sit, atque imbecillioribus adminiculi loco concessum, potest quidem eos, qui ipsum illæsum custodiunt, servare; at non item ad virginitatis fastigium subvehere... Non ergo cum his, qui soluti ac liberi sunt, certare se posse existiment: nec qui augendis opibus, corporique adornando universam vitam suam addixerunt, eadem præmia se accepturos esse arbitrentur, quæ ii, qui Deo se totos consecrarunt, ac quæ Domini sunt, curant. Verum in congruenti gradu seipsos tenentes adversus eos, qui ad cœleste cacumen ascenderunt, linguam F ne acuant,... neque eam adversus virginitatem instruant: verum ut Reginam ipsam honore prosequantur, eique se subjiciant, ut eam et propugnatricem et interventricem habeant. Soli enim eos, qui virginitatem amplexi sunt, Lunæ autem eos, qui continentiam, ac denique stellis eos, qui honorabile connubium amplexi sunt atque conservarunt, comparare licet: maxime cum S. Paulus calculum suum *1 Cor. 15. 41.* addat, ac dicat aliam esse gloriam solis, aliam gloriam lunæ et aliam gloriam stellarum.

17 *Hæc de virginitate. Quibus similia de singulis virtutibus lector ejus epistolis inserta reperiet, magnumque agnoscet eum virtutum æstimatorem, in eisque plus ponderis constituisse, quam in eminenti doctrina, aliave egregie scribendi loquendique scientia, quod paucis docet* *doctrinæ antepenit vitam spiritualem,* *Patrimum monachum lib. 1, epist. 14.* Ea quidem, ut audio, *inquit*, indole, naturæque bonitate præditus es, ut studiose discas, egregieque loquaris. At spiritalis vitæ iter per actionem potius, quam per sermonem feliciter cedit. Quare si immortalia præmia tibi curæ sunt, præclare loqui parvipendens, id stude ut bene agas. *Eamdem methodum præscribit Apollonio Episcopo lib. 3 ep. 363.* Quoniam eos, *inquit*, qui

A qui ita conditi sunt, ut arbitrii libertatem habeant, invitos et repugnantes ad pietatem trahere nec honestum est, nec videtur; idcirco da operam, ut suasione, ubi occasio se offert, adhibita, per tuam vitam ac mores, eos qui in tenebris degunt, illumines. *Quam autem humiliter ac submisse sentire de se debeat homo acquirendæ virtutis studiosus, præclare docet epistola* 373 *libri* 3. Is quidem, *inquit*, qui virtutem colit, præclaram coronam habet: at qui virtutis officia præstans, minime tamen se præstitisse existimat, hoc etiam ipso, quod ita affectus sit, splendidiorem coronam habiturus est. Non minoris enim, quam virtutes ipsæ, laudis est, cum ex virtute aliquid geras, minime tamen te gessisse arbitrari. Imo ut rectius loquar, hoc cum adest, illa quoque magna esse indicat; cum autem abest, maxima quæque imminuit. Quamobrem qui virtutes suas magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existimet, ac tum magnæ erunt.

*AUCTORE G. B. ac bonos mores,*

*et sui contemptum in via perfectionis.*

## § IV. *S. Isidori zelus contra hæreticos, doctrina sincera, fuga mulierum, libri scripti.*

E*x hisce S. Isidori epistolis crebra Annalibus suis præclara inseruit testimonia Baronius: ita anno Christi* B 416, *num.* 29, *malevolas Gentilium obtrectationes, quas ob varias in Christiana religione exortas hæreses conceperant, egregie refutat allata epistola* 90 *lib.* 2, *additque S. Isidorum hujus quæstionis scopum attigisse, cum, cur plures hæreses sint, et quid in singulis faciendum, Apollonium Episcopum instruat. Omissæ huic epistolæ aliam substituimus, quæ est* 389 *libri primi, Thrasio cuidam calumniatori inscripta, testis eximii ejus adversus Arianos zeli.* Lubens, *inquit*, ex te sciscitarer, qui cavillis nos petis, atque acerbum et infestum te nobis judicem præbes, si te Imperator ad propugnaculum collocasset, turrisque urbis custodem constituisset; ea autem suffoderetur, atque concuteretur, ut hostibus ad urbem aditus pateret; an non instrumentis omnibus atque armis, quæ vel recondita haberes, vel comminisci posses, uti ereris, prohibens ac tela jaciens, conatumque hujusmodi frangens, atque tum urbem ac teipsum a periculo vindicans, tum Imperatori fidem ac benevolentiam conservans? Nobis autem, quos Deus Ecclesiæ suæ magistros præfecit, eo nomine succenses, quod Ario, qui non modo cum pio grege bellum gerit, sed etiam permultos interemit, obsistimus? Ego vero eam ob caussam periculum omne contemno: ac quidlibet C potius facere desierim, quam ut non illum, quam maxime queam, feriam.

*Contra hæreticos magno zelo insurgit:*

19 *Idem Baronius ad annum Christi* 404 *num.* 78 *citat epistolam S. Isidori ad Cassianum, cum agressus esset vitam monasticam profiteri, qua eum, in primis sibi coercendam esse linguam, admonuit. Extat ea epistola lib.* 1, *num.* 309 *Cassiano monacho inscripta, quem Collationum Patrum auctorem arbitratur Baronius, ac tum in Ægypto scribendi hausisse argumentum. De eo agemus* XXVIII *Februarii, et plenius ad* XXIII *Julii quod Massiliæ in monasterio S. Victoris colitur. Dein ad annum Christi* 415, *num.* 27 *et sequentibus, cum ex S. Hieronymo Palladium Galatum Episcopum Helenopolis Baronius descripsisset, quod, cum soleret assidue cum feminis religiosis versari, magna tamen jactantia gloriaretur, omnis penitus se concupiscentiæ expertem esse; addit eo nomine etiam per epistolam ab Isidoro Pelusiota redargutum esse. Extat ea lib.* 2 *num.* 284, *ex qua aliquot hic monita transferimus, utpote, teste Baronio, tanti viri profuturum omnibus monumentum:* Mulierum, *inquit*, congressus, vir optime, quantum fieri potest, fuge. Nam eos, qui Sacerdotum munere funguntur, sanctiores ac puriores illis esse oportet, qui ad montes fugerunt. Siquidem illi et sui et plebis, hi autem sui dumtaxat curam gerunt... Quod D si etiam, ut cum ipsis congrediaris, necessitas aliqua te obstringat, oculos humi dejectos habe, atque ipsas quoque, quonam pacto spectandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum animos astringere atque illustrare queant, locutus fueris, statim avola: ne forte diuturna consuetudo vires tuas emolliat, et infringat... Quod si a mulieribus honore affici cupis, maxime quidem hoc spiritualem virum haudquaquam decet. Ut, ut autem se res habeat, nihil tibi cum fœminis commercii sit, ac tum ab illis honorem consequeris... Muliebris enim natura intolerandam se præbet, cum quis ipsi blanditur: at contra eos omnium maxime suspicit et admiratur, qui majore libertate præditi sunt, amplioreque auctoritate apud eas utuntur. Quod si te frequenter cum ipsis versari, nec ullo inde detrimento affici dixeris, id quidem fortasse mihi persuaderi sinam. At illud item velim ab omnibus fidem adhiberi, a quibus lapides extenuari, ac rupem aquæ guttis continenter cadentibus excavari dicuntur. Quorum verborum hujusmodi sensus est: Quid rupe durius fingi potest? Quid item aqua mollius, et quidem aquæ guttula? Et tamen assiduitas naturam vincit. Quod si natura, quæ ægre dimoveri potest, dimovetur, idque quod minime debebat, perpetitur; qua tandem arte ac E ratione voluntas, quæ facile movetur, a consuetudine non vincatur et evertatur?

*monet, raro et caute cum mulieribus agendum:*

20 *Aurea est hæc ejus sententia in Concilio* II *Niceno, Actione* I *prædicata, et ex S. Joanne Damasceno lib.* 3 *de Imaginibus repetita, qua traditur S. Isidorus Pelusiota dixisse:* Ναοῦ λόγος οὐδεὶς ὃν οὐ στέφει ἄγαλμα. Templi nulla ratio habenda, quod non ornatur imagine. *Adjungenda hic pars epistolæ* 55, *libri primi, cujus hæc est inscriptio:* Hieraci clarissimo, de Miraculis reliquiarum Martyrum. *Et sic incipit:* Si te istud offendit, quod Martyrum corporum cinerem, propter eorum erga Deum caritatem atque constantiam, honore afficiamus; eos qui ab ipsis medicinam accipiunt, interroga: atque, quot morbis remedium afferant, intellige. Sic fiet ut non modo id, quod ad a nobis fit, non irrideas, cavillisque incessas, verum etiam, quod recte et cum laude fit, imiteris. *Advertant ad hæc animum hæretici horum temporum, quibus utinam S. Isidori epistolæ magis redderentur familiares. Facilius perspicerent, iniquissimum a se inferri bellum monachis et sacerdotibus, templis et monasteriis, imaginibus et reliquiis Sanctorum, omni denique religioni fideique orthodoxæ, nec non omnium cælestium gratiarum datori Christo Domino in sacrificio Missæ oblato. De* F *hoc mysterio lubet adjicere epistolam ejus Dorotheo Comiti inscriptam, qua sindonem altaris, quæ, quia sacra Eucharistia ei imponitur, Corporale dicitur, paucis exponit. Est ea* 123 *libri* I. Pura illa Sindon, *inquit*, quæ sub Divinorum donorum ministerio expansa est, Josephi Arimathensis sacrum servitium est. Ut enim ille Domini corpus sindone involutum sepulturæ mandavit, per quod universum mortalium genus resurrectionem percepit; eodem modo nos Panem propositionis in sindone sanctificantes, Christi corpus sine dubitatione reperimus, illam nobis immortalitatis in medium fontis proferens, quam Salvator Jesus, a Josepho funere elatus, posteaquam a morte ad vitam rediit, largitus est. *Hæc ipse. Venerentur orthodoxi Catholici corpus Christi in sacratissima Eucharistia* ([illegible]) *præsens, et contra impiorum hæreticorum rabiem injuriamque ex epistola* 100 *libri* 3 *Marono Presbytero scripta hoc sibi solatium assumant:* Non iis, qui injuriam accipiunt, sed iis, qui inferunt, periculum omne impendere, eosque trepidare atque contremiscere oportere. Quod si ita est, injuriam perpeti malum non est, sed eam inferre, nec illatas injurias perferre scire. *Hæc paucula ex præclaris ejus*

*docet imagines in templo exponendas,*

*reliquias Martyrum honorandas;*

*Corpus Christi in Eucharistia adesse.*

A *ejus epistolis sufficiat deprompsisse, futurum unicuique incitamentum ad frequentem earumdem lectionem.*

*Scripsit libros contra Gentiles,*

21 *Præter epistolas S. Isidorum alios etiam scripsisse libros ex ipsis epistolis colligimus. Horum unus est ad Gentiles, cujus meminit lib. 2 epistola 137 Hermino Comiti scripta, in qua ejusdem libri argumentum exponit.* Quod improbus homo secunda omnia habeat, ac contra vir probus, atque omnibus laudibus, quæ in hominem cadere possunt, cumulatus, in acerbissimis malis versetur, res profecto est conjectu atque comprehensu difficilis, atque humanæ naturæ modulum quam longissime excedens. Id enim Divinis judiciis permittere necesse est. Ac si recte sentire velimus, soli summæ illi atque ab omni labe alienæ menti, consilii hujusce cognitione appensa relictaque, ad ea quæ in manibus nostris sunt (quæ etiam vix a nobis reperiri solent) nos conferemus. Quoniam autem rectæ doctrinæ, quantum per vires licet, opem ferre oportere censes, in eo libro, quem ad Gentiles edidimus, nos quoque pro virili nostra parte opem tulimus. Quem si legeris, quæstionis hujusce solutionem intelliges. *Quid præterea eodem libro pertractet scribit Arpocræ Scholastico epistola 228 ejusdem libri, hisce verbis :* Quod divinandi ars apud Gentiles nugarum plena erat, atque incassum omnium ore celeB brabatur, in libro adversus Gentiles a me demonstratum est : *ibidemque aliquot allatis exemplis stoliditatem Gentilium irridet. At lib. 3 epistola 233 scribit ad eumdem Herminum Comitem, de suo opusculo contra*

*et contra Fatum.*

*Fatum :* Quoniam scribis, *inquit*, me Orationem, vel, si vere loquendum est, Oratiunculam potius, de eo quod Fatum non sit; elucubrasse, quæ a nonnullis quidem mirificis laudibus extollatur, a nonnullis autem aliis libris, qui de hoc argumento a quibusdam elaborati sunt, præstantior habita sit; atque ut eam adte mittam, precibus a me contendis, ideirco eam mitto. Tu vero ne famæ judicium in sententia ferenda sequere : verum eam accurate perpende atque explora. Ac si ea commode a me scripta sit, Deo gratiam habe : sin autem in ea desiderari videatur; humanæ imbecillitati, quæ minime, ut cupit, loqui potest, ignosce.

22 *Copti Ægyptii hoc die in suo Martyrologio colunt* D S. Andream *Ægyptium, quem cum S. Isidoro Pelusiota forte confundi ex encomio Coptico quod hic addimus, conjici posset. Est autem Coptis x dies mensis Mechir, qui nobis quartus Februarii.* Hoc die, *inquiunt*, requievit Pater sanctus, Religiosus sapiens, Doctor Catholicus, Andreas. Fuit hic sanctus ex Grania Ægypti, fuitque cognatus sanctis Patriarchis Philippo et Cyrillo Præsulibus Alexandrinis. Non fuit huic puero par ingenio : et propterea erudierunt ipsum omni genere disciplinarum, tam spiritualium, quam civilium, et erudierunt ipsum quoque in libris Ecclesiasticis. Deinde in omni disciplina Græcorum, in quibus omnes alios suos excellebat, et cum omnibus istis erat optimus Religiosus et cultui divino maxime deditus. Quo quidem factum est, ut brevi omnium in se oculos converteret : ita ut conarentur ipsum omnibus modis apprehendere, et præficere Patriarchatui, sive Sedi Alexandrinæ : sed hic mundo mortuus fugit noctu, et venit in montem Pharma, ubi monasticam vitam egit in monasterio illius loci. Deinde contulit sese ex hoc in parvam quamdam speluncam, in qua substitit solus spatio biennii : in qua, et composuit libros numero et qualitate singulares, quos et Principibus et Regibus misit, ut ex ipsis ad meliorem vitam informarentur. Explanavit E quoque plurimos alios libros, quam plurimos Ecclesiasticos commentarios, videlicet in antiquam et novam Legem : quæ in hunc usque diem in Ecclesia Ægyptia leguntur. Misit quoque ad Patriarchas et Episcopos, et reliquos homines epistolas numero octodecim millia. Et cum hæc exercitia gloriosa summa cum laude et fructu peregisset, se totum Deo consecravit, intentus orationibus noctu diuque : quibus in exercitiis morbo præventus oppressusque migravit ad Dominum. Oratio et benedictio ejus sint nobiscum. Amen.

AUCTORE G. H.

*An a Coptis Andreas appelletur?*

*Qui hic* Philippus *dicitur, est* Theophilus *avunculus Cyrilli.* Mons Pharma *Palladio in Historia Lausiaca cap.* 23 *est* Pherme mons in Ægypto, abducens in vastam Scetes solitudinem, *in quo tum* quingenti homines exercebantur.

# DE S. AVENTINO PRESBYTERO

## TRECIS IN GALLIA,

C

### Commentarius prævius.

F

J. D.

#### § I. *S. Aventini res gestæ, habitatio.*

INITIO VI SEC. IV FEBR. *Duo SS. Aventini, Trecensis et Castrodunensis*

Duos Galli eodem die Aventinos venerantur, *si quidem non fallunt monumenta, quæ cujus notæ ac meriti sint, post dicemus. Horum alter Trecis quiescit, domo Biturix; alter Castroduni, ubidem ortus, illustri genere ; ille mediocri loco, atque adeena monachus in Œconomum Ecclesiæ Tricassinæ lectus, mox eo abdicato munere monasticæ vitæ redditus, dein ordinatus Sacerdos ; alter pridem initiatus, et Archidiaconus Ecclesiæ Carnotensis factus, ad ejusdem infulas raptus fuit : uterque secessum, ut sibi Deoque liberius vacaret, expetiit. Primum de Trecensi agemus.*

*Illius Vita, rudis et impolita,*

2 *Ejus Vitam Nicolaus Camuzatus in Promptuario Antiquit. Tricassinar.* in publicum protulit, rudem *illam* et politioris limæ indigentem, *atque* innumeris mendis scatentem, *licet* cum plurimis exemplaribus collatam. *Ea, præter paucula miracula, hæc solum memorat : a* S. Cameliano *Ep. Trecensi Œconomum illius Ecclesiæ constitutum; dein solitariæ vitæ studio tugurium extra urbem inhabitasse, mox longius abscessisse ut se vulgi multitudini ac visitationi subduceret : vita functo templum ab Vincentio Antistite positum.*

3 *Plura alii. Nam S. Gregorius Turonensis S. Lupo Episcopo famulatum scribit. In Vita S. Lupi, quam* XXIX *Julii dabimus, post recensitos illustres ejus discipulos ,* S. Polychronium *Virdunensem Ep. publico cultu celebrem* IV *Maii,* S. Severum *Treverensem* XV *Octob.* S. Alpinum *Catalaunensem* VII *Septembris,* S. Camelianum *Trecensem* XXVIII *Julii, additur :* Horum Pontificum contubernio interfuit cluentissimus, nomine Aventinus, qui cujus fuerit virtutis, non tam exhibitio miraculorum, quam scripta pandunt vitæ. *Profectus est S. Lupus cum S. Germano Autissiodorensi in Britanniam, ad convincendam hæresim Pelagianam, (an Florentio ac Dionysio Coss. anno Chr.* CCCCXXIX, *an Aetio* III *et Symmacho, anno Christi* CCCCXLVI *alibi disquiremus: nam hoc Beda, Sigebertus et alii, illud Prosper asserit) sui certe pontificatus anno secundo : hunc ergo iniit an.* CCCCXXVIII *vel* CCCCXLV, *tenuit autem annis* LII, *atque in eitata jam illius Vita obiisse dicitur,* Anastasio tenente monarchiam regni, *Christi scilicet* CCCCXCVI *aut* CCCCXCVII *juxta Bedæ sententiam, vel* CDLXXX, *Zenone imperante, juxta Prosperum. Ejus prædicatur in captivis redimendis eximia caritas : cujus virtutis ab eo studium discipulus hausit Aventinus, ejus fortassis antea*

*is cum aliis SS. discipulus fuit S. Lupi Ep. Trecensis.*

A *antea hac ipsa in re administer; divinis certe portentis in proposito confirmatus. Testis est S. Gregorius Turonensis de glor. Confess. cap. 68 ita scribens :*

*AUCTORE I. S.*

*capti vos redimit,*

4 Huic Antistiti *Lupo* famulabatur Aventinus quidam religiosus, ad quem post hujus obitum captivi fecere confugium : quorum domino Aventinus pretium obtulit, sed ille obligans se sacramento, ait : Numquam hæc nisi in pago meo sum accepturus, deditque dexteram suam, quod si illuc pecuniam transmitteret, iste confestim captivos a vinculo servitutis absolveret. Transmisso itaque pretio, oblitus dominus fidei suæ, dum captivos absolvere dissimulat, ipse ligatur. Nam statim summitas digiti de manu, quæ fidem fecerat, dolere graviter cœpit. Deinde paullatim dolor accrescens, per manum brachiumque totum extenditur. Quid plura? Truncatum ad ipsam juncturam cubiti brachium cecidit, et hic spiritum exhalavit. Uxor vero ejus post hæc voluit eos iterum ad servitium revocare : sed capitis dolore percussa, virum secuta est. Et sic hi in ingenuitate perpetua, absque illius scripturæ munitione, manserunt.

*resistentibus fidemq. e frangentibus, divinitus punitis.*

5 *S. Camelianus S. Lupi successor*, videns eum de cœlesti munere habere gratiam, commendavit tradens ei promptuaria sua. *Non tamen eum e Bituriguin provincia ideo accersivit Camelianus, ut videtur*

B *Camuzatus existimasse; sed dudum Trecis versatum probatumque, Œconomum familiæ suæ et Ecclesiæ constituit, circiter quingentesimum annum Christi, ut idem conjicit auctor.*

*fit Œconomus Epi cope :*

6 *Non diu tamen id munus gessit Aventinus, qui legitur paullo post* Abbas cum Fratribus in congregatione sancta Divinis cultibus in monasterio assidue constitisse, *quo tempore Theodericus Clodovæi filius Arvernos subjugavit, post debellatos in Vocladensi campo Gothos, cæsumque eorum Regem Alaricum anno Christi DVII, aut certe, si quis id magis probet, viginti fere post annis cum Arcadii Senatoris Arverni rebellione irritatus Theodericus, graviter Arvernos afflixit. Sermo de Vita S. Fideli, qui apud eumdem Camuzatum et in MSS. extat ista narrat:* Fuit enim ex Arvernis urbis incola, nobilique genere; qui quondam a Theoderico Rege sceptra Francorum dispensante juvenis adhuc captivus ductus fuit ad privatam sedem, alieno imperio servire coactus. Tamen patriæ prælectus a Deo ad dominandum sibi in Trecassina urbe, prædestinatione Domini ad ipsum manifestum est pervenisse. Jamque in adolescentia constitutus, et clericatus officio susceptus, lacrymabiliter coactus, parentes dereliquit invitus. Ibi eum Divina pietas præmissa redemptione consistere voluit, ubi se

*redit ad monasterium :*

C confitendo Domino, admirandis virtutibus publicaret. Eodem itaque tempore, memorabilis vir Aventinus Abbas eo in loco cum suis Fratribus in congregatione sancta, Divinis cultibus in monasterio consistebat. Denique spiritualis in visu ei admonitio prænuntiabat, ut captivulum Fidolum, a regione exulem ad se venientem, redimendum exciperet, et in communi consortio pari collegio retineret. Vir autem ille dum sæpius de visione pertractaret, cernit post paullulum, ante ostium captivulos præterire. Interrogat si haberent captivum, qui vocaretur Fidolus. Illi aiunt : Domine Abba, non renuimus, si vis redimere sortitum Ecclesiæ. Qui misericordia motus, duodecim tribuens aureos, et cupiditati satisfecit prædonum, et captivulo succurrit solatio. Quem in sinu gratiæ vir egregius amantissime connexum æternæ vinculo caritatis suscipiens, spiritualem filium effecit de captivulo, et non ut servum, sed jam veraciter diligebat ut Dominum.

*... Abb. ,*

*Divina revelatione monitus,*

*S. Fidolum adolescentem captivum redemit 12 aureis,*

7 *Altera S. Fidoli Vita quæ incipit*, Venerandi Patris *etc. hæc tradit contigisse sub Theoderico et Theodeberto Childeberti filiis, eorumque avia Brunechilde,* vivente tamen *S. Cameliano S. Lupi successore, qui* D LXX *annis prius decessit quam illi regnum capesserent. Sed menda ea correcta quid de S. Aventino tradat, operæ pretium est adscribere :* Contigit venerabilem quoque Fidolum capi cum ceteris, atque in modum alterius Joseph duris irretitum ligaminibus abstractum patria duci a barbaris. Necesse vero erat eos, in quorum sorte vir Domini præda factus devenerat, per Trecorum confinia iter habere, ubi post B. Lupum vicem Apostolicam eo tempore administrabat Camelianus, omnimoda bonorum actuum claritate conspicuus, nonus ab Amatore, qui primus illius ordinatus est Pontifex civitatis. In hujus autem urbis territorio quidam Dei servus, Aventinus nomine, super subditum sibi monachorum gregem pii Patris sollicitudinem impendebat, multis miraculis amicus Dei olim declaratus, sicut est in promptu cuique volenti cognoscere, si quis ejus gesta, quæ hactenus habentur, attentius velit evolvere. Is vero revelatione admonitus, jubetur redeuntibus barbaris ire obviam, ac pro redimendo viro Dei, quam poscerent, dare pecuniam.

*raptoribus per territorium Trecense transeuntibus,*

8 Famulus itaque Christi Aventinus visionem secum retractans crebrius, ac Divinis jussis obsecundare satagens, ocyus obviam processit illis advenientibus. Qui cum longe adhuc positi essent, venerabilem Fidolum inter ceteros recognovit, tam ex Divina revelatione, quam ex speciali quadam gratia, quæ illius refulgebat in facie.

*quibus ultro occurrens,*

E

*Fidolum agnoscit.*

Quos sic intrepidus collaudat vir venerandus : Ad vos non usibus hominum necessaria mercimonia quæsiturus advenio, sed unius tantum redemptione captivi ut desiderio satisfiat cordis mei. Cumque eis, quis ille esset, designasset, tantam gratiam ipsius sermonibus conferri placuit Divinæ pietati, ut absque ulla refragatione quod petebatur devotissime annuerent : perceptisque a viro Dei duodecim tantum aureis, philochristum Fidolum nexibus absolverunt captivitatis. Quem agnum Christi mansuetissimum vir eximiæ sanctitatis Aventinus, de raptorum manibus exemptum, secum ducens, sancto illi gregi, quem regebat, sine mora inseruit. At non multo post hæc dierum labente curriculo, clericatus ei imposito onere, Divinis officiis arctius mancipare curavit.

*ac monachum facit.*

9 *Hæc ibi. At prior Vita ante Clero adscriptum ait, quam Arvernis abduceretur. Quid postea de Fidolo statuerit Aventinus, ibidem commemoratur :* Cernens itaque vir venerabilis Aventinus egregium juvenem in dies magis ac magis ad virtutum alta conscendere, unanimi Fratrum consilio, præpositturæ ei locum delegavit : ut tanto securius orationi et Divinæ contemplationi posset insistere, quanto sciret eum nihil extra communis regulæ ordinem agere vel jubere.

*dein Præpositum,*

F

10 Cum vero superna pietas et B. Aventinum propter innumeros agones, quos ut miles Domini invictus fortiter superaverat, de hujus seculi peregrinatione vellet eruere, et fidelis sui Fidoli vitam ad exemplum mortalibus monstrare; quatenus lucerna super candelabrum posita omnibus in domo Domini luminis sui radios ostenderet; super memoratus servus Dei, gratia inspirante, anachoreticæ vitæ accensus est desiderio, ut curis omnibus absolutus, liberius adhærere posset Deo. Vocatis ergo extemplo discipulis, cum desiderium, quo flagrabat, aperuisset, concordi omnium assensu, S. Fidolum, licet multum renuentem, licet admodum reclamantem, ætatisque suæ caussam humiliter prætendentem, pro se illis ordinavit Abbatem. Deinde secedens ad locum quemdam, juxta vicum, cui antiquitas Insulæ nomen dedit, super ripam Sequanæ situm, ab urbe Trecassina sex fere distantem passuum millibus, usque ad vitæ suæ terminum in eodem mansit solitarius : qui quantis ibidem miraculis refulserit, libellus gestorum

*postea Abbatem :*

*ipse solitarius vixit.*

A rum ejus plenius indicat, ad quem lectorem mittimus.

11 *Non ergo immediate a penus Episcopalis præfectura in solitudinem abiit Aventinus, sed ad cœnobium, e quo videtur antea ad ædes pontificias, claustrumve Canonicorum abstractus Cameliani imperio fuisse. Et vero etiam in illo secessu ultimo* habebat secum monachum, qui ei aliquid pro consolatione ministrabat. *Quo in loco solitariam vitam egerit, non omnino liquet.*

*quo loco non satis constat*

*Camuzatus* in pago rusticano, duabus leucis ab urbe Tricassina dissito, ejus nomine insignito, *commoratum censet :* postea vero sese in alium locum recepisse, in quo extructum sacellum seu ædicula, quæ vulgari vocabulo Capella Ozæ appellatur, et ad jura cœnobii Molismensis in diœcesi Lingonensi siti pertinet, nec a prædicta urbe longius quam septem leucis removetur. *Idem tamen in Notis ad Vitam S. Fidoli dubitat, an cœnobium, in cujus is regimine S. Aventino* succrevit, duabus *an* septem leucis remoto ab urbe Tricassina loco constitutum *fuerit; an potius* in oppidulo, cui nomen Insula, duabus leucis ab *eadem* urbe disparato, quod etiam Ozæ amne interluitur, ubi nunc situs est Prioratus, qui a cœnobio Molismensi pendet, *additque* nulla prorsus dicti cœnobii, ingenti postea secuta vastitate funditus diruti, reliqua su-

B besse vestigia. *Nicolaus Des Guerrois existimat* S. Aventinum *primum secessisse paullum extra suburbia, ad locum tunc satis a vulgi aditu semotum, ubi dein a S. Vincentio Ep. extructa ecclesia, nunc parochialis, S. Aventino sacra, intraque urbis postea dilatata muros inclusa : secundum vero ejusdem Sancti tugurium fuisse, non ad* Capellam Ozæ, *septem leucis ab urbe Trecassina distantem ; verum ubi nunc* S. Aventinus prope Verrecias, *pagus ita dictus, distans Trecis septem millibus, sive leucis duabus paulloque amplius : ibi enim rivum quemdam in Sequanam defluere : aut certe ut jam dictum ex Camuzato, ubi oppidulum* Insula, *atque Oza rivus.*

12 *Temerarii fortasse videamur, si conjecturam promamus ab eorum sententia dissentientem, qui ipsi coram contemplati sunt loca, quod nobis non contigit. Suspicamur aliquando, ubi nunc S. Aventini intra urbem, amplatis nimirum pomœriis, ecclesia visitur, stetisse quod ipse Sanctusque Fidolus administrarunt cœnobium, aut propinquo loco : quod ἀναχωρήσεως suum primum legit tugurium, id fortassis circa Verrecias, aut non procul; postremum in loco Insula dicto.*

*Monasterium videtur intra pomœrium urbis fuisse,*

13 *Posterioris hujus loci meminit Papirius Massonus in lib. de fluminibus Galliæ pag.* 158. In Vita, *inquit*, S. Aventini reperio hæc verba : Exinde removit se

C sponte sua, et petiit insulam septem millibus fere ab urbe Tricassium distantem, quam alveus Sequanæ vel Osæ fluminis in modum coronæ circumdant : (ea Marchionatus titulo hodie exornatur) quem alii codices simpliciter Losam appellant. Oritur vero apud Capellam Molismæ cœnobio tributam sex aut septem milliaribus ab urbe Tricassinorum distantem, apud Osam, ac tandem prope Sanceium vicum, quarta parte milliaris ab eadem disparatum, ... in Sequanam funditur. *Ista Massonus. Des Guerrois ad annum* 545 *pag.* 108 *existimat in eo loco,* Insula *dicto, monasterium extitisse, in quo SS. Fidolus et Aventinus vixerint. Quæ jam dictis non congruunt.*

*solitaria habitatio inter Sequanam et Osam fl.*

## § II *S. Aventini festum, Ecclesia, Reliquiæ.*

T*andem S. Aventinus pridie Non. Februar. in pace quievit, incertum quo anno. Inscriptum Martyrologiis nomen, Usuardi, multisque MSS. quorum quædam Bedæ præferunt nomen, hisce verbis :* Trecas S. Aventini Ep. et Confessoris. *Addunt nonnulla ;* cujus gesta habentur. *Episcopus non fuit, in quo Usuardum in secunda editione correxit Molanus, prævere MSS. aliqua et Romanum. Galesinius ita eum celebrabat ;* Trecis S. Aventini Confessoris miraculis et caritatis laude clari. *Pluribus de*

*Ejus natalis,*

*Februarii T. I.*

*eo agit Saussaius. Ejus festum, ante* XL *annos, cum scriberet Camuzatus,* solenni more et ritu celebrabatur. D *MS. Martyrologium quod in Italia manu veteri exaratum, huc e Lotharingia missum, penes nos est, ita habet :* Trecas S. Aventinionis Ep. et Conf.

AUCTORE I. B.

15 S. Vincentius *Ep. (qui S. Cameliano successisse circa annum* DXXVI *putatur, decessitque ante annum* DXLVII, *quo synodo Aurelianensi* V *subscripsit* Ambrosius Ep. Ecclesiæ Tricassium) *hic, inquam, Vincentius,* in S. Aventini honore basilicam subtus urbem Tricassinam diligenter fundari præcepit, in qua simul conjuncto latere requiescit. *Eum opinamur ad monasterium S. Aventini pertinuisse, quo corpus ejus, forsan a Fidolo, relatum ; nisi si sub mortem filios suos revisens, apud eos migravit.*

*ecclesia ei dicata,*

16 *Ea frequentata religionis ergo a sanctis viris. De S. Frodoberto dicitur in ejus Vita 8 Januarii, cap.* 4 *nu.* 17. Interea paucorum dierum interlabente curriculo, ad basilicam B. Aventini Confessoris, ejus gratia, EX MORE, Christi famulus accedebat : cumque jam fores ecclesiæ perintraret, *etc. S. Prudentius Ep. Trecensis, cujus festum agitur* VI *Aprilis, in sermone* de vita et morte gloriosæ Virginis Mauræ *apud Camuzatum, ita scribit :* Dicta siquidem die (*Parasceves*) inter Sextam et Nonam apud S. Aventini eccle- E siam, in suburbio civitatis ipsius, sanctæ prædicationis semina ego peccator miserrimus, talis qualis Episcopus, pro officii mei debito, in cordibus audientium jaciebam, et pro modulo meo divini sermonis hamo piscabar pisciculos, etsi paucos et parvos. Aderat et Maura attente audiens et sedens inter alios auditores, quæ nulla unquam occasione ab hujusmodi pia occupatione potuit revocari, *etc. Agemus de S. Maura ad* XXI *Septembris. Ea ecclesia, ut jam diximus, nunc intra mœnia urbis est ; tunc non longe dissita, ut ex eo sermone liquet.*

*frequentata a S. Frodoberto Ab.*

*S. Prudentio Ep.*

*S. Maura V.*

17 Reliquiæ *vero S. Aventini,* lignea capsula, auro exterius bracteata, in ecclesia *collegiata* S. Stephani, una cum multis aliis reverentissime custodiuntur, *ut notat Camuzatus.* Quod et mnemosynon quoddam, *inquit,* ex ipsa capsula depromptum, partem eorum quæ in eam condita sunt complectens, indicat hoc tenore : CORPVS S. AVENTINI CONFESS. MAGNAM PARTEM CORPORIS S. AVTINI M. VNI DISCIPVLIS IESV CHRISTI. MAGNAM PARTEM CORPORIS S. VRSI EP. ET CONFESS. RELIQVIÆ S. GETVLII ALBANIÆ EP. BRACHIVM S. IVSTINIANI M. RELIQVIÆ SS. MAVRORVM TRANSLATÆ DE ECCLESIA B. GEREONIS IN COLONIA. *De* S. Altino *agemus* XXXI *Decemb., de* S. Urso *Ep. Trecensi Conf.* XXVI *Julii de* F S. Getulio *M. at non Episcopo,* X *Junii, de SS. Mauris MM.* XV *Octob.* S. Justinianus M. *nondum nobis notus, nisi fortassis frater sit S. Justi sive Justini pueri Martyris, de quo* XVIII *Octobr. Servatur ea capsa Reliquiarum, teste Nicolao des-Guerrois, post summum altare, editiore loco et in aliquidem arcuato, juxtaque feretrum, quo conditæ reliquiæ S. Hoyldis V. de quo* XXX *Aprilis. Hanc alibi idem Auctor, anno* MCLIX *in basilicam illam S. Stephani translatam scribit.*

*Reliquiæ in basilica S. Stephani, in capsa inaurata,*

18 *In Creungo vico est ecclesia S. Aventino dicata, cujus costa una illuc anno* MDCV *die* XVII *Novembris translata est. Sunt et Reliquiæ ejus aliquæ in parochiali ecclesia S. Aventini, quam diximus olim foris ædificatam, nunc intra mœnia esse : in eaque magno hominum concursu et pietate honoratur pridie Nonas Februarii.*

*aliæ alibi.*

## VITA, AUCTORE ANONYMO,

### ex MSS. edita a Nic. Camuzato.

### CAPUT I.

*Œconomi munus a S. Aventino administratur, non sine miraculis.*

Tempus et conversationem S. Aventini simplici

*Præfatio Auctoris*

66 sermone

A

AUCTORE ANONYMO, EX CAMUZATO.

sermone breviter strictimque edisseram, si ejus intercessio et oratio apud Deum Patrem obtineat, quod in pectus cordis nostri veniat, ut exilis ingenii angusta mediocritas saltem tenuis ad modum frugis pariat, quod ad copiam fœcundi cespitis culminibus ingravescat. Aggrediar tamen facultate qua valeo.

*S. Aventinus Trecas venit.* *a* *b* *c* *Ob virtutes gratus S. Cameliano Ep.*

2 Fuit Aquitaniæ parte regionis, Bituricæ urbis oppidi indigena, *a* parentibus mediocribus Tricassinæ civitati proselytus adveniens. *b* Audivit autem vir Apostolicus *c* Camelianus Episcopus famam nominis ejus in operibus bonis: erat enim in eo mens humilis, castitas plena, sapientia multiplex, prudentia magna, caritas benigna. Derelicta hujus seculi fallacia et vanitatis insania, jactavit in Domino cogitatum suum, in Domino confidens: transmigransque fuit in monte anima sua, sicut passer, non timens mala, quoniam Dominus cum eo erat, quemadmodum Spiritus sanctus per David Prophetam ait. Et, de stercore extollens pauperem, ut collocet eum cum Principibus populi sui, et solium gloriæ teneat. Idem quoque in oratione, quotidie ecclesiæ limina frequentabat.

Psal. 22. 4. et ps. 112. 7

*ejus œconomus constituitur.*

3 Specialiter vero intelligens vir Apostolicus, et videns eum de cœlesti munere habere gratiam, commendavit tradens ei promptuaria sua: ad quæ ille volens nolens addictus et valde constrictus, quod ordinatum fuerat cum gratiarum actione accipere oblatum non renuit. Dum hæc ageret et eadem tenere videretur, inde pauperibus viduis ac pupillis dapes copiosas erogabat: quantum exinde egentibus dispensabat, tantum amplius divino imperio amplificabat.

B

*in pauperes liberalis,*

*vinum in lagena adcrescere facit*

4 Cum autem esset in promptuario lagena bacchi centenaria, de qua quotidianis diebus in domo Ecclesiæ communi pariter hauriebant, idemque ministrabat, et nullo modo umquam minuebatur, sed potius accrescebat, ut habet curiositas hominum occulta Dei perscrutari beneficia, prædictus vir Apostolicus volens cognoscere quod ex Dei nutu fiebat, jussit mittere virgam palmæ, ut sciret quantum exinde potatum fuerat, et quantum superesset. At ubi alterius personæ manus accessit ministrare, continuo cessavit fons ille, cujus erat minister, ut deinceps infra paucos dies exinanita lagena atque evacuata esset. Dum id gestum esset, quod ad stupefacienda corda hominum, vel ad magnitudinem gloriæ nominis ejus adcrescebat, dat ei S. Camelianus licentiam properandi in partem, quam ire vellet.

C

a *Des-Guerrois,* Francum *facit: haud facile probaverit.* — b *Idem ait, a parentibus, post hæc, ultro decessisse, Dei amore. Camuzatus, a S. Cameliano accersitum.* — c *Colitur* S. Camelianus 28 *Julii; adfuit concilio I Aurelian. ubi* Camillianus *appellatur. Hunc Petrus Pithoeus coll. S. Lupo suffectum an.* 47[illegible], *decessisse* 530. *Camuzatus et Des-Guerrois obitum ejus statuunt an.* 525.

## CAPUT II.

### *S. Aventini vita eremitica, Sacerdotium.*

*a* *anachoreticam vitam agit.*

Post hæc tugurium sibi ad fontem *a* cujusdam Ecclesiæ collocavit, in quo non multum temporis commoratus, sed paucis diebus ibidem habitavit: videns se crebrius a vulgi multitudine ac visitatione publicari, cogitans intra arcana cordis sui, ne ad offensionem Dei veniret, aut implere non posset quod voluntas animi spoponderat Deo, exinde removit se sponte sua, et petiit insulam septem millibus fere ab urbe Tricassium distantem, quam alveus Sequanæ vel Osæ fluvius in modum coronæ circumdant: et nihil aliud secum detulit, nisi panem, rastrum, semen olerum, pauxillum salis, hordei granum, milium vel *b* panicium, unde victum haberet; quærens locum, ubi cellulam sibi exiguam manibus fecit, lento vimine textam, in qua sibi latebram collocavit.

*cumque austerum* *b*

6 Cum jam autem intervallo temporis ibidem degeret, ac solitam duceret vitam, ad Leviticum onus consecratur, donec ad Sacerdotale ministerium ascendit, psalmorum scientia adprime eruditus, quam Spiritus sanctus in os ejus infundebat, et sermonibus declarabat. Dominus denique perfectum et consummatum docet fieri, qui omnibus bonis suis venditis ac derelictis, et in usum pauperum distributis, thesaurum sibi condit in cœlum, eum dicit posse Dominum sequi, et gloriam Dominicæ Passionis imitari, qui expeditus et succinctus, nullis laqueis rei militaris secularisque involutus, sed solutus ac liber, ut possit cum Deo in cœlesti sede habitare. Sed nos in hac admonitione ad propositum revertamur.

D

*consecratur Sacerdos:*

7 Cum jam temporis spatio in loco solitudinis, quem sibi elegerat, habitaret, et cœlestem in terra duceret vitam, cibus ei alter non erat, nisi panis hordeaceus permixtus oleribus ac radicibus herbarum, quem paractis triduanis diebus media jam hebdomada cum aqua in refectionem sumebat. Indesinenter ad orationem in cinere et sacco jacebat. Vestimentum autem ejus ad membra corporis hirsutum cilicium, tunica squalida, cingulum pelliceum, *c* epideten habens laneam, cucullam venustam, calceamentum pedum ejus cothurnum: lectulus vero, ubi parumper requiescebat, pelliculis cooperiebatur.

*Jejuniis et pœnitentiis se macerat.*

*c*

E

a *Exponit Des-Guerrois, juxta fontem, manantem ad pedem cujusdam colliculi deserti, aut certe a vulgi frequentia remotæ.* — b Panicum *videtur legendum.* — c Ependyten *forte* laneum *scribere voluit. Diximus* 17 *Januar. ad Vitam S. Antonii,* § 15 nu. 68 ἐπενδύτην *esse exteriorem vestem, quæ monachis Ægyptiis pellicea, seu melote, in Occidente pluribus lanea.*

## CAPUT III.

### *S. Aventini cum feris familiaritas.*

*Ursum precibus recitatis in cellam admittit,*

Interea tempora sua edisseram vobis et historiæ ejus primordia. Quodam intempestæ noctis silentio, venit ad speluncam sancti viri fera terribilis, ursus de silvestri loco truculentus, ac veluti si raptis catulis in saltum abiret, speluncam, quam vir sanctus inhabitabat, irrumpere quærens, rugiens ac rabie furoris circumfremens: consternatus atque attonitus vir sanctus, jam sibi discrimen mortis imminere ante oculos viderat. Heu! heu! exclamat ad Dominum vivum conditorem cœli et terræ, intrepidus recurrens ad arma præsidii, et ad carmina David: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem: cumque jam in oratione perseveraret, et jam albescente polo aurora removeret umbram caliginis et tenebrarum, vir sanctus patefecit ostium cellulæ, et ingressa est jam dicta bestia, ceu fessa ac mitis caput et aures in terram declinans, ad pedes sancti viri accubans, eosque lambere cœpit, porrexit pedem priorem vulneribus læsum, ubi adhuc imminens ligni truncus, velut spina penetraverat, atque ibidem hærebat. Perspicue vero vidit, quod sibi eam auferri quærebat: apprehendens itaque incunctanter vir beatus pedem saucium, eruit ab eo stipitem ligni, aquam cum summa diligentia exquirens, cum qua tepida emollivit infirmitatem pedis, quæ intrinsecus induruerat, feram benedixit, plagæ foramen liniens, et circumdans ligamento pelliculam, ut ad sanitatem pristinam redire potuisset. At ubi ursus percepit perfectam medicinam membrorum, continuo vastas repetens solitudines silvarum, postea nusquam comparuit. Post hoc miraculum cerva feralis antrum beati viri ingressa est, ne ab hominibus caperetur.

Ps. 15. 10

F

*et stipitem e pede extrahit:*

*cervam excipit:*

*pellit precibus dæmonem equiti laqueos parantem.*

9 Denique cum iter ageret, properans ad urbem Tricassinam, vidit hominem super sonipedem sedentem, ac velociter currentem, et post tergum ejus dæmonem residentem, tunc ait ad comites suos: Ecce hominem video, quem diabolus intendit præcipitare, quem sequitur tempestas valida, fulgura et tonitrua, grandines

A grandines vel pulveris fumus usque ad æthera volans. Eodem jam perituro prope, precati sunt socii ejus, qui cum ipso iter agebant, ut liberaret animam ejus a laqueo mortis : vir sanctus prostravit se in orationem, et illico adversarius ille dejectus est in terram, et postmodum nusquam comparuit.

*avibus cibum familiariter præbet :*

10 Cetera itaque miracula non prætermittamus. Quotiescumque extenderet manum suam per ostium fenestræ videntibus cunctis cum fracto micarum pane, de quo solebat edere, veniebant volatilia cœli, et vescebantur in manibus illius usque ad satietatem, et postea revertebantur. Præterea de angue illo, ubi focus erat, qui in camino edidit fœtus : exinde eum illæsum atque intactum dimisit abire. Igitur interea beatus vir S. Aventinus, habebat secum monachum, qui ei aliquid pro consolatione ministrabat, atque solatium eum magno studio impendebat : hic sæpius ad fluvium cum vasculo progrediens ad capiendos pisciculos, illi vivos deferebat. Sanctus vir ille in fluvium eos rejiciebat dicens : Redite ad officium libertatis, ut vivere possitis.

11 Quadam die dum per loca solitudinis deambularet, casu cum pede contrivit anguem, at ille caput elevans, morsu venenifero pedem sancti viri voluit percutere, statimque ad respectum viri Dei, jam pene mortuus effectus est. Vir sanctus pietate ductus inclinavit se ad orationem, et jam dictum anguem vivum et incolumem abire permisit. Multæ insuper virtutes habentur de eo, quæ in hoc opusculo non sunt comprehensæ, maligni siquidem spiritus in obsessis corporibus proclamabant, ejus meritis cruciari. D

*AUCTORE J. B. anguem pede contritum precibus sanat :*

12 Jam sermo hujus orationis finem postulat, quia antea dies quam oratio cessabit, non ut virtutes deficiant, sed quia quæ incognita sunt, a nobis adnotari non possunt. In cujus honore vir Sanctus Vincentius Episcopus basilicam subtus urbem Tricassinam diligenter fundari præcepit, in qua simul conjuncto latere requiescit. Sic beatus vir obiit in pace, sub pridie Nonarum Februariarum, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

*ejus et S. Vincentii Trecensis sepultura.*

# DE S. AVENTINO EPISCOPO

## CASTRODUNI IN GALLIA.

B E

### Commentarius prævius.

J. B.

SECULO VI IV FEBR.

*S. Aventinus Ep.*

Alter hic est Aventinus, *Dunensis Archidiaconatus, Episcopali potestate, administrator, cum in Sedem Carnotensem ordinatus esset. Multi eum cum Trecensi Aventino, quod in eumdem diem utriusque inciderunt feriæ, confuderunt, illumque Episcopum vocarere; quod hujus erat decus. Asservatur hujus corpus in Ecclesia S. Medardi in suburbiis Castroduni.* Est autem Castrodunum, *sive* Dunum Castrum, *Carnotensis diœcesis in Gallia oppidum, munitum et in edito situm loco, quod ipsum indicat nomen; dunum enim, ut alibi diximus, rupem aut collem sonat, nec abditur urbium nominibus, nisi quæ alto sunt situ. In ea igitur, quam diximus, parochiali S. Medardi Ecclesia sepulchrum visitur S. Aventini in ipso ecclesiæ muro, fornice tectum. Multi eo confluunt, magna pietate, capitis præcipue doloribus remedium oraturi.*

*Castroduni colitur :*

*medetur doloribus capitis*

2 *Ex ejus Ecclesiæ MS. codice* Vitam S. Aventini *nacti sumus, rhythmo Gallico scriptam, rudi satis et impolito : quam ita vertimus, ut sententiam omnem redderemus, non quæ superflue multa adjecta erant, neutiquam ad modernam Galliæ linguæ elegantiam exacta. Summa vitæ est, germano ejus S. Solenni in Episcopum Carnotensem electo, sed quia id declinaret onus, fuga elapso, ordinatum esse Aventinum : at reverso paullo post Solenni, contendisse populum ut prior electio rata esset, itaque ab eo missum esse Aventinum, ut Dunensibus pro Episcopo præesset, nam vere erat Episcopus : quod ille munus præclare gessit, multisque ornavit miraculis.* C

*ejus Vita unde?*

3 *Idem in S. Solennis Vita, quam* XXIV *Septembris dabimus, ita traditur :* Defuncto Carnotensium urbis Episcopo, succedit Dei spiraculum scintillave cor Regis, ut non alius ibi nisi Solennis sacraretur Episcopus. Interrogaverat enim famam ejus, et ipsa vulgata erat in universa urbe. Audiens itaque venerabilis Solennis edictum Principis, cernensque Pontifices, qui eum ad consecrandum venerant, fugit latenter, et triduo in spelunca quadam latitavit. Quærebatur autem et non inveniebatur : ille latebat in antro, iste replebatur mœstitia : ille solennes fundebat preces ad Dominum, iste consolationem tristis quærebat. Abdite gerebantur jussa Principis, ne quis mortis puniretur sententia. Considerantes igitur oves, quas sancta Mater Ecclesia parturit, ne rapacis lupi faucibus rabido morsu laniarentur, Aventinum Archidiaconum laudibus dignis acclamantes, Pastorem simul et Sacerdotem instituerunt. Cum episcopale igitur nactus fuisset consortium, dilectio Solennis separavit Sacerdotem a convivio.

*S. Solennis Episcopum Carnotensem electo, sed fuga elapso.*

*Aventinus ordinatur :*

4 Audivit itaque B. Solennis in caverna, ubi latebat, quasi auram lenem in silentio noctis currentem, frementque vociferantem. Aventinus Episcopus holocaustum obtulit Deo. Et cum hæc audisset, ita fudit ad Dominum preces : Domine, da lucernam Verbi lucere pedibus meis ad semitam lucis ; ut benedicat anima mea nomini sancto tuo. Egressusque ibat occurrere Sacerdoti. Expectabatur autem desideratus, sicut arida sitiens pluviæ guttas, et omnes rogantes erant Deum, hinc plebes sonant vocibus, et hinc rumor populi fremit in strepitu, deinde cuncti concrepant vocibus : Ecce Solennis dignus est, Episcopus ordinetur. Ad quorum laudes exierunt Episcopi, et summo repleti gaudio dixerunt : Dignus est, Episcopus consecretur. Nondum adhuc fuerant egressi de templo, et apprehensum duxerunt ad aras templi, et induerunt eum stola candida, et coronam pretiosam imposuerunt ejus capiti, tradentes ei baculum pastoralem, ut dispersas oves congregaret ad fidem sanctitatis. Dicit itaque S. Solennis : Quid ergo faciemus de Aventino Episcopo? Responderunt omnes : Si post tuum super tes fuerit obitum, dignitatis obtineat locum ; sin autem, tuo sit obtemperans principatui. Vir autem Domini, pietatis visceribus commotus, ne sancta macularetur religio, et ejus animus in aliquo obfuscaretur, dedit sub cura illius regiminis oppidum cognominatum Dunum, ubi omnibus diebus vitæ suæ religionis cultum securus exerceret. Post ter denos vero dies Ludewicus Rex contra Gothorum aciem armatum ducebat exercitum etc. F

*sed illo reverso,*

*mittitur Castrodunum.*

5 *Vitam integram dabimus* XXIV *Septembris; cujusmodi ea sit; nam, quod ceterarum scripturam refellitur testimonio, Clodovæum ait, quando adversus Alaricum Wisigothorum Regem movit, adhuc Gentilem fuisse, et parta victoria cum multis suorum baptizatum a S. Solenni. Breviarium Carnotense* Clodovæi Catechisten *vocat, ejusque baptismo Remis adfuisse tradit. Sebastianus Roullardus in Parthenia, sive Ecclesiæ Carnotensis historia cap.* 10 *fatetur victoriam de Gothis, cujus omen e Solennis Ecclesiastico cantu Regi oblatum fuit, contigisse*

*quando S. Solennis,*

*AUCTORE J. B.*

A *tigisse post Clodovæi baptismum, in ordinanda tamen Sedis ejus chronologia cum MS. Vita non concordat. Hæc ita habet:* Sanctus vero Solennis cum sex lustra et quatuor more aristarum vitæ volveret curricula, pontificalem promotus in honorem florebat in Ecclesia, clari luminis decoratus fulgore, per tres quoque Olympiadas gerens triumphum de hac luce migravit ad Dominum. *Roullardus anno Christi* CDLXXXIV *Episcopum factum ait,* DXV *decessisse.*

6 *Saussaius in Martyrol. Gallican. 24 Septemb. de Aventino ita meminit:* Ne delatum honorem reciperet, tamdiu se abdidit *Solennis*, quousque Aventinum in sui renitentis vicem surrogatum audivit. Tunc enim secure, ut putabat, de latebra egressus, in urbem rediit, novo Præsuli honoris primitias præstiturus. At necdum Adventinus ordinationis munus receperat. Moxque ut apparuit Solennis, facto ad eum ingenti populi concursu, ab his raptus, atque ad ecclesiam deductus, Adventino lubenter digniori se honorem pontificalem cedente *etc. Receperat enimvero ordinationis munus Aventinus, ut ex dictis patet ac mox dicendis.*

*quando S. Aventinus, vere Episcopus, obierit, incertum.*

7 *Quando decesserit S. Aventinus, et an* S. Solenni, *ut convenerat, suffectus sit, non constat.* Solennem *certum est, et, si ei successit, ipsum quoque Aventinum ante* B *annum Christi* DXXXVI *aut etiam* DXXXV *obiisse, nam anno Childeberti Regis* XXVI *aut* XXVII *habitum est concilium Aurelianense, cui subscripsit* Ætherius Ep. Ecclesiæ Carnotensis. *At si forte (ut Paulino Antiocheno factum, qui S. Meletio cesserat, prius mortuo subrogandus, cui tamen prælatus deinde Flavianus) nulla pacti habita ratione, Solenni immediate successit S. Ætherius, potuit diutius vitam produxisse Aventinus, adeoque ad annum* DXLIX, *Childeberti* XL *pervenisse, ut habet Vita.*

*interest S. Aventinus concilio Aurelian. circa an. 509.*

8 *Ceterum pro Episcopo se habuisse, patet ex Concilio Aurelianensi primo, cui ipse postremo loco subscripsit* Aventinus Ep. Ecclesiæ Carnotenæ. *Adnotat Sirmondus, alios codices habere:* Aventinus Episcopus de Carnotas. *et* Ex civitate Carnotas Aventinus Episcopus. *alios,* Episcopus Ecclesiæ Dunensis; *pro quo ab aliis scriptum,* Diniensis, Diviensis, Diensis, Dignensis, *ut videre est apud Binium. Censet Sirmondus, quia Dunum castrum est diœcesis Carnotenæ, ab eo ejus Sedis Episcopos Dunenses interdum esse appellatos. Nos S. Aventinum putamus Dunensem Episcopum appellari, quia Duni vere functus Episcopi munere sit, sive sit postea Carnotum translatus, seu priore solum titulo contentus isthic manserit, ubi et obiisse Roullardus testatur.*

*Ejus forte exemplo, sed contra Canones, Promotus, Episcopus Dunensis factus, deponitur.*

9 *Aventini porro fortuna, promoto paullo post ad oc-* C *cupandam Dunensis Episcopi dignitatem argumentum fuit, qui, ut videtur, civis erat ejus loci. Is favore Sigeberti Austrasiæ Regis, (cui Dunenses post Chariberti mortem parebant) ingratiis Pappoli Carnotensis Antistitis, ab Ægidio Remensi Archiepiscopo, ad cujus provinciam neque Carnutes, neque Dunum pertinebant; sed ad Constituti Senonensis,* contra Canonicam disciplinam Episcopus consecratus *fuerat, ut in Constitutione Synodi Parisiensis* IV, *anno Chilperici et fratrum Regum* XII, *Christi* DLXXII *aut sequenti habitæ, dicitur. Et rogarunt quidem illius synodi Patres Sigebertum, ut promoti caussam non defenderet: at nihil impetravere. Quid deinceps consecutum sit, indicat S. Gregorius Turonensis lib. 7 hist. Franc. cap. 17 ita scribens:* Promotus vero, qui in Dunensi castro, ordinante Sigeberto Rege, Episcopus fuerat institutus, et post mortem Regis amotus fuerat, eo quod castrum illud esset diœcesis Carnotenæ, contra quem ita judicium latum fuerat, ut Presbyterii tantum officio fungeretur; accessit ad Regem (*Gunthramnum*) deprecans ut ordinationem Episcopatus in antedicto castro reciperet. Sed obsistente Pappolo Carnotenæ urbis Episcopo, ac dicente, quia diœcesis mea est, ostendente præsertim judicia Episcoporum; nihil aliud potuit obtinere cum D Rege, nisi ea quæ sub ipsius castri termino propria habebat reciperet, in qua cum genitrice adhuc superstite moraretur. *Aventinum quoque Archidiaconum solum Dunensem fuisse existimat Roullardus, sed citata subscriptione concilii Aurelian. refellitur.*

# VITA

## ex rhythmo Gallico succincte concinnata.

*S. Aventinus nobili genere ortus, S. Solennis Ep. frater,*

Quo tempore Clodovæus (is qui postmodum, S. Clotildis uxoris suæ hortatu ac precibus, Christi fidem Francorum Regum primus amplexus est) Galliam, multis afflictam cladibus, imperio regebat; *Castroduni* quæ tunc *urbs Clara* dicebatur, Joannes extitit Comes, vir pius juxta ac prudens, et civibus suis longe dissimilis, quorum plerique tunc Gentilitiis superstitionibus obstricti tenebantur. Is cum Blæsensis Comitis filiam Agnetem, pari pietatis ac sapientiæ laude conspicuam, duxisset; tres ex ea filios, Solennem, Aventinum, Joannem, ac filiam Agnetem suscepit. Verum hæc vix egressa e cunis, baptismoque lustrata, decessit. Filii egregie ad omnem morum honestatem ac vitæ sanctimoniam educati sunt.

*cum eo educatur, fit Sacerdos, dein Archidiaconus,*

2 Flavius Agnetis avunculus, Carnutum Episco- E pus, Solennem et Aventinum scientiis liberalibus imbuendos suscepit, Joanne ad parentum solatium domi relicto. Cumque illorum præclaram indolem, ad omnium studia virtutum incitatam, probasset, in Clerum eos Ecclesiæ Carnotensis, licet admodum adhuc adolescentes, sed longe præcellentes suis æqualibus, atque omnibus unice caros, cooptavit. Dein ætate scientiaque provectos sacerdotio initiavit. Demum Archidiaconi munus, primorum Cleri consensu, Solenni obtulit: ast eo operose deprecante, Aventino illud, invito quoque diuque obluctato, imposuit. Magnam vero Aventinus in ea sustinenda persona laudem virtutis atque eruditionis promeritus est, sibique omnium mirificum quemdam amorem conciliavit. Solennis in Canonicorum collegium, quamvis periculorum metu aliquantulum obnitens, allectus est.

*postea, fratre electo fugiente, Episcopus,*

3 Defuncto dein Flavio Antistite, annuente Clodovæo Rege, Clerus ac populus subrogandum ei Solennem censuere, doctrina, prudentia, innocentia vitæ, Divinæ gloriæ zelo, commendatum. Id ubi agi sensit Solennis, fugam arripit, seque in specum quamdam abdit, ne tanto oneri subjicere humeros cogeretur. Ejus cognita fuga, turbata plebs universa, ne diutius tamen Pastore careret, incunda denuo F suffragia conclamat. Creatus ergo est S. Aventinus, invitus et ipse, sed consensu coactus, atque ab Episcopis, qui advocati convenerant, ordinatus.

*sed eo reverso et ordinato, mittitur Castrodunum.*

4 Ingens erat omnium exultatio, ut viæ omnes atque agri festis vocibus Aventinum Antistitem celebrantium personarent. Eæ ipsæ voces ingeminatæ identidem a transeuntibus ante S. Solennis latebras, aures ejus animumque adverterunt. Ergo ratus se periculo defunctum, Deo gratias agit, proditque, germano gratulaturus, quam ipse effugisset, dignitatem. Sed contra ac sperabat, res cessit. Ut enim in conspectum populi venit, vociferantur universi, adesse Solennem, Episcopum consecrandum, qui prior sit electus. Quid multa? Rapiunt invitum, ac nequidquam abnuentem, et deprecantem ne fratri tanta injuria fiat, ne Regula Ecclesiastica, quæ duos in una Cathedra collocari Episcopos prohibet, violetur. Illi contra: Gratus ades; Episcopum te Carnutes poposcerunt, Episcopum habebunt. Germano, ut tibi mentem atque consilium Deus dederit, tu prospicies. Ne obsiste votis tuorum. Attonitus tumultuantis populi favore Solennis, cessit tandem, atque Aventinum

A Aventinum ad Dunenses legavit, sacra curaturum vice sua, sed Episcopali auctoritate.

5 Est is tractus in Belsia, opimus admodum ac frumenti vinique ferax, incolarum quoque subtili et urbana indole celebris. Ejus tunc principes, ut ante scriptum, ipsius Aventini parentes erant, non opibus magis ac genere, quam virtute et prudentia clari. Eos igitur ut revisat, ac si qua opus sit soletur, in viam se dat Aventinus. Ut conspecta illi eminus patria est, ad modicam quietem consedit: ac mox *Angeli monitu,* somnus fatigato subrepsit, in eo vero Angelum visus est sibi videre et audire edicentem, parentem quidem utrumque obiisse, sed pergeret ipse juxta flumen, ad locum *Buxerias*, olim *Sub urbe*, dictum. *Joanni fratri occurrit,* Eunti germanus ejus Joannes solitarius occurrit, qui lepra fœdum in modum inquinatus, eoque ab urbe ac civium congressu sua sponte semotus, domicilium sibi isthic, et juxta ædiculam, in qua Deo preces offerret, construxerat, dicaratque Deiparæ *eumque a lepra sanat:* Virgini. Illacrymatur spectaculo Aventinus, et benigne fratrem salutat, ac deterso fletu, ei osculum præbet, tum benedicens lepram omnem momento pellit, sanumque eum ac vegetum reddit. Sed mox inde se proripit, ne tanti miraculi auctor agnosceretur ac honoraretur. Excepta est Duni subita illa B Joannis Comitis incolumitas magno populi Deum collaudantis gaudio, secutaque multorum ad Christum conversio, etiam eorum qui longe aberant, famam tamen rei acceperant. *in rupe habitat,* Aventinus tugurium sibi struit in rupe, quam serpentium aliorumque venenatorum animalium copia fecerat inaccessam, nihil tamen illi incommodi afferebat, velut sanctitatem *inter serpentes.* ejus reverita, et ad preces Deique laudes assidue vacabat, quodammodo attenta, ut ne strepitum quidem sibilumve ederet.

6 Multi ejus casam adire certatim cupiebant mortales. Nec defuere vaferrimi dæmonis insidiæ. Dum in illo secessu Deum inflammato studio precatur, vocem percipit plangentis ac lamentantis cujuspiam. *dæmonem mulieris specie sibi insidiantem,* Commiseratione motus, et vocem secutus, mulierem reperit, quæ se opulentam et illustrem asserit, a prædonibus spoliatam, etiam vestimento, ac famulos ipsos duos, existimantes eam jam mortuam, prædonibus in ejus diripienda re adjutores fuisse. Scitari Sanctus, ecquid a se solatii postulet. Illa vero, Fame, inquit, ac frigore enecor: sub tectum me, quæso, deductam cibo refice. Aventinus sagax artificiorum Sathanæ: Opperire me, inquit, sub hujus *cellæ aditu arcet,* umbra arboris, dum quæ flagitas procuro. Tum escas C profert, quibus sua in specu vesci ipse consueverat: En, inquit, panis hordeacei, quo victito, frustum. Eo levare famem potes, dein ad cumulum vel solatii *et Crucis signo fugat:* ejus vel suæ securitatis, Cruce eam signat. Non tulit isthæc arma diabolus, atque immani vociferatione se victum testatus in auras abiit. Prostratus in genua Aventinus, prolixe Deo gratias agit, qui se ab improbissimi hostis insidiis liberarit.

7 Celebrior in dies existebat ejus miraculorum fama. Felicem se ducebat, quisquis ejus frui alloquio meruisset. Morbos enim aliaque mala, Divina virtute depellebat. Rogatus ab accolis ut eorum domicilia viseret ac benediceret, benigne annuit: sed cum longa inedia ac labore fessus, gravi etiam siti cruciaretur, paullum a via secedit, flexisque genibus Deum orat, ut sibi idoneo remedio subveniat. Adfuit illico Numinis pietas. Cum enim surrexisset Aven- *fontem precibus et Cruce elicit* tinus, ac subrecto in cœlum animo, vultu in terram demisso, ter eam baculo pulsasset, efformato Crucis signo, fons limpidissimus exiliit. Perculsi miraculo quidam, cessere, cui adhuc repugnarant, veritati: admodum triginta ipsa aqua baptizati, qua et Sanctus sitim demum corporalem restinxit.

8 Cum *Urbs clara*, quæ nunc *Dunum castrum*, appellatur, gravi pestilentia laboraret, rogatus ab D oppidanis, ut tanto malo remedium afferret, eo se *AUCTORE J. B.* *Castroduni pestem sedat,* contulit, duplicemque depulit luem, et auræ insalubris, qua corpora enecabantur, et, quibus animi gravius tabescebant, errorum: neque quisquam omnium fuit, qui non Christi fidem susciperet, quam Aventini et miracula et sanctitas facile persuadebant. Alium item locum, simili modo, utraque contagione *et alibi,* liberavit, interna primum, atque illico, ut hæc abierat, externa quoque. Plures fama exciti ejus miraculorum, exuere pertinaciam, ultroque ad eum acces- *ac multos convertit* sere baptismo abluendi. Posito igitur Castroduni domicilio, sedulo ad sui gregis procurandam ac tuendam salutem incumbit Aventinus: obit ac lustrat districtum omnem sibi commissum, publica prædicatione privatisque sermonibus omnes ad studium virtutis exhortans, adscitis aliis tanti muneris idoneis administris. Tria ipse in ea urbe templa suo *tria templa ædificat:* ære fundavit, dicavitque unum Christo Salvatori ac S. Joanni Baptistæ; alterum S. Stephano Protomartyri, tertium Dei Genitrici Mariæ. Adversus omnes hostium gregi suo insidiantium assultus, sacrarum præcipue scripturarum præsidio, Christique Crucifixi effigie se suosque muniebat; in egenos erat perquam liberalis. E

9 Tandem septuaginta quinque natus annos, febri exhaustus, animam Deo reddidit, IV Februarii, *moritur, anima instar columbæ egredi visa:* Childeberto regnante, anno Christi DXLIX. Videre qui adstabant candidam columbam ab ejus ore sursum evolare. Sepultus est, uti mandarat, ipso quo *sepelitur in suburbano oratorio:* decessit loco, extra urbem, in oratorio quod sibi ædificarat, ubi nunc parochialis est ecclesia S. Medardi, peregrinorum ad opem S. Aventini implorandam, votaque persolvenda, confluentium frequentia celebris.

10 Dum corpus ejus sepulturæ traderetur, advena quidam isthac iter habuit, haud mediocris (ut videbatur) fortunæ. Is conspecta pompa funeris, illudque curantium planctu, tanti viri jactura dolentium, petulanter irridere eos cœpit. Nec impune: *blasphemus isthic punitus,* nam cum propius cuncta curiose speculaturus accessisset, illico oculis, mox et reliquis sensibus captus, immobilis constitit. Verum adstantibus sancti viri auxilium invocantibus, redditus is sibi est, actisque Divo gratiis, Christi venerari, quæ adhuc repudia- *Divi ope curatus.* verat, sacra serio cœpit.

11 Visum est deinde ædiculam, in qua conditus erat, ampliare. Sed quia inchoandum opus erat ex ea parte ubi sacrum corpus jacebat, transferri illud F e rupe ea in Chorum oportuit. Mirum dictu: iterum Divina virtute in priorem locum revolutum est, ne- *Corpus ultro mutat locum* mine adstantium capiente quo id modo ac ratione factum esset. Defixi miraculo qui aderant, Carnotum quosdam ad Episcopum allegant. Is continuo advolat, et cognito quod evenerat, et quorsum ipse accersitus esset, hortatur ut sese omnes ad honorandum Deum in Sancto suo præparent. Curati ipso tempore *ad id curati quidam,* lunatici aliquot. Episcopus triduanum jejunium et preces indicit: dein Missam ipse peragit: ac demum ad collocandum in loco, in quo nunc est, sacrum corpus omnes accinguntur. Faber aderat quidam, qui ut rem prope perfectam vidit, superbe se operi ingerit: Frustra estis, inquiens, nisi ego manum *arrogantia punita.* admovero; nisusque præcidere angulum, qui aptandus supererat, humi corruit, jacensque immotus vociferatur: Surge, S. Aventine, quid me premis enecasque? Confiteor justas me meæ arrogantiæ pœnas dare. Obsecro te, Sancte Dei, hoc me cruciatu exime. Non diu supplicem aspernatus Aventinus, incolumem reddidit.

DE

A *tem primi e Clero, et ferme Presbyteri assumi. Ita ante citatus Petrus ad Synodum Nicænam missus, sub initium singularum Actionum dicitur* εὐλαβέστατος πρῶτος Πρεσβύτερος τῆς κατὰ Ῥώμην ἁγιωτάτης Ἐκκλησίας τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Πέτρου. *Et Latine vertitur ab Anastasio Bibliothecario :* Petrus religiosissimus Archipresbyter, (*subinde* Protopresbyter, *aut* primus Presbyter) quæ Romanæ est sanctissimæ beati Apostoli Petri Ecclesiæ. *Imo* Archipresbyterum *olim habitum esse* Vicarium natum Episcopi, *post alios Juris Canonici Doctores observat Augustinus Barbosa lib. 1 Juris Ecclesiastici universi cap.* 25. *In Orientali etiam Imperio tempore Zenonis Joannem Tabennesiotam ex Presbytero et Œconomo Patriarcham Alexandriæ factum, et sub Heracleona ex eodem Officio. Presbyteriique dignitate Paulum pariter assumptum Patriarcham Constantinopolitanum, refert Theophanes apud Jacobum Goarem in Notis ad Caput 1 Codini Curopalatæ de Officiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Posteriores Græci Œconomum tantum Diaconum voluerunt. Ita supra memoratus* Anatolius, *S. Gregorii Vicedominus,* Diaconus *fuit. De magno Œconomo Ecclesiæ Constantinopolitanæ posteriorum temporum agitur pluribus in Euchologio Græcorum ab eodem Goare aliisque illustrato*

*Presbyter.*

*aut Diaconus.*

3 *Quando vero hæc S. Theophili conversio contigerit,* B *a regni Persici notitia pendet. Ac primum a quo tempore Persarum regnum, imperante apud Romanos Alexandro, sub annum Christi* CCXXVI *instauratum est, usque ad ejusdem regni occasum, Isdegerde ultimo rege anno* DCXXXII *vita imperioque privato, plurima singulis seculis bella Romanos inter et Persas gesta sunt, adeoque hæc verba Auctoris infra num.* 1 : Priusquam fieret incursio Persarum in rempublicam Romanorum, *non sunt nude intelligenda de prima aliqua irruptione, qua verbi gratia, sub Sapore primo aut Antiochia direpta est, aut Valerianus Imperator captus, vilisque instar mancipii habitus cujus cervicibus pedem imponeret Sapores, equum conscensurus. Sed Auctor exprimit aliquam Persarum incursionem, quæ post obitum Theophili contigerat, omnibus istic, quibus suam historiam scribebat, optime notam; postquam Ecclesiæ sub Imperatoribus Christianis constitutæ quiete per suos Episcopos et Metropolitas regebantur. Albericus monachus Trium-fontium in Chronico MS. ad annum* DXXXVIII *agit de* Theophilo pœnitente per B. Mariam reconciliato : *Sigebertus in Chronico ad annum præcedentem* DXXXVII, *uti etiam in Floribus historiarum Westmonasteriensis, scilicet cum* Justinianus Cæsar rerum potiretur, *quo imperante tradunt hæc contigisse Canisius et Bredenbachius infra* C *citandi. Et consimul incursio Persarum deinde facta. Certe Vitiges Gothorum Rex anno belli Gothici desinente quarto, qui convenit in annum Christi* DXXXIX, *missis ad Chosroen seniorem Persarum Regem legatis, eum concitavit ad pacem cum Romanis violandam, jam tum suapte sponte satis concitatum, et Africanis atque Italicis Justiniani successibus invidentem. Repetitum ergo bellum Persicum est anno Justiniani exeunte* XIII, *Christi* DXL, *quo nullis præsidiis firmato limite Romano, subito Orientem invasit Chosroes, Syriam vastavit, Antiochiam cepit incenditque, ac late populationem circumtulit, quam Cilicia vicina satis est passa : dum induciæ circiter annum Christi* DXLV *instaurarentur, anno deinde* DLI *prorogatæ majore Romanorum ignominia, tributum Persis pendere coactorum : ac tandem pax plenior inter eos in annos septemdecim sancita est anno* DLXII. *Quæ omnia plenius leguntur apud Procopium de bello Persico et Gothico, Agathiam, aliosque istorum temporum scriptores. Martinus Polonus refert aliquanto serius hanc Theophili historiam sub Justino* II *Imperat. et Vigilio Papa : quod minus probamus.*

*Inter varias Persarum incursiones,*

*contigit hæc pœnitentia circa an. 538,*

*sub Justiniano,*

*subsecutum bellum Persicum.*

## § II. *Acta varia pœnitentiæ S. Theophili : ejusdem memoria sacra.*

D

AUCTORE G. H.

Acta S. Theophili, ac potissimum ejus lapsum et pœnitentiam per intercessionem sanctissimæ Dei genitricis Mariæ factam, cum piissimo ejus obitu, scripsit Eutychianus, ejus individuus famulus : ut ipse post Acta ex Metaphraste apud Lipomanum et Surium testatur, his verbis :* Ego autem Eutychianus humilis et peccator, qui fui natus in ædibus hujus beatissimi Theophili, et deinde Clericus hujus Catholicæ Ecclesiæ, cum secutus meum Dominum, ei inservissem in afflictione, quæ vidi oculis meis et auribus audivi a beata ejus lingua, secure et certo scripsi, quæ ei contigerant, et exposui fidelibus amicis et piis viris, ad gloriam Dei omnipotentis et Domini nostri Jesu Christi, qui glorificatur in Sanctis suis. *Hæc Auctor : quæ infra omissa sunt in Actis aliis Latinis, a Paulo Diacono translatis; ubi Auctor tamen* Eutychianus *præfigitur : quem deinde in Patriarcham Constantinopolitanum assumptum tradunt nonnulli, quos secuti sunt Petrus Canisius tomo 2 de Verbi Dei corruptelis, lib. 5, cap. 20, Tilmannus Bredenbachius lib. 2 Collationum sacrarum cap. 3. Verum hi, uti veremur, confuderant* Eutychianum *hunc cum S.* Eutychio, *qui e Phrygia oriundus, Amaseæ vitam monasticam duxit : atque inde cum vices Metropolitani suppleturus Constantinopolim ad Concilium quintum Œcumenicum esset missus, ibidem in locum Mennæ Patriarchæ vita functi electus est anno* DLIII. *Ac rursus, post Sedem illam duodecim fere annis administratam, Amaseam exul remissus est anno* DLXV, *quod assentiri nollet Justiniano, neganti Christi carnem etiam ante resurrectionem pati aliquid aut corrumpi potuisse. Sed post annos iterum duodecim ab exilio Constantinopolim revocatur, ibidem sanctissime ex hac vita migravit anno* DLXXXII, *die* VI *Aprilis, qua ejus Acta plenius illustrabimus. In his de vastatione Persarum, sub Justino juniore circa annum* DLXXII *facta, hæc leguntur :* Impiorum Persarum in Rempublicam nostram impetum omnes scimus, cum novus Nabuchodonosor Chosroes Sebasten venit et Melitenen. Cum igitur in magnas tunc augustias atque discrimen adductæ res essent; vicini omnes fere tum Nicopoli, tum Cæsarea, tum Comanis, tum Zela, ex aliisque finitimis civitatibus Amaseam tanquam in locum munitissimum se conferebant *etc. Quæ speciem quamdam prioris sub Justiniano incursionis Persarum in Syriam et Ciliciam repræsentant. Fuit autem hæc S. Theophili historia medio inter utramque irruptionem tempore conscripta ab* Eutychiano, *prorsus a S.* Eutychio *distincta, qui in Antiocheno Patriarchatu, eodem tamen tempore degebat.* E

*Acta scripsit Græce Eutychianus Theophili discipulus,*

*testis oculatus,*

*alius a S. Eutychio Ep. Constantinopolitano,*

*ante annum 572*

8 *Hanc S. Theophili historiam, olim Latine translatam, sed hactenus ineditam, damus ex tribus antiquis codicibus MSS monasteriorum Belgicorum, Aquicinctini, Lætiensis et S. Gisleni.* Interpres Paulus Diaconus Neapoleos *in titulo indicatur : ejus meminit Sigebertus cap. 69, de scriptoribus Ecclesiasticis, his verbis :* Paulus Diaconus Neapolitanæ Ecclesiæ transtulit de Græco in Latinum Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ : *in cujus Præfatione (quod mirum est non advertisse Sigebertum) ita scribit :* Domino gloriosissimo ac præstantissimo Regi Carolo. Sciens gloriosissimam Majestatem vestram tam Divinis eloquiis, quamque Sanctorum præcedentium exemplis valde delectari, cum jamdudum libellum conversionis Mariæ Ægyptiacæ, cum tomulo de cujusdam Vicedomini pœnitentia, Domino meo obtulerim; quia ille ipse casu quodam deperiit, nunc iterum jussui vestro in eodem restaurando devotus fui. *Vossius lib. 2. de Historicis Latinis cap. 31, Regem, cui Paulus librum suum dicavit, esse non Carolum Calvum, sed Carolum Magnum, ideo sibi persuadet, quod Sigebertus, dum* F

*Latine vertit Paulus Diaconus Neapoleos,*

*dubium an sub Carolo Magno,*

Pauli

AUCTORE G. H.

A *Pauli meminit, cum Bedæ proxime subjungat, multisque præmittat, qui ante annum octingentesimum vixere. Verum quantum hæc Vossii ratio fallat, demonstrat Anianus ab eodem Sigeberto proxime huic Paulo Diacono subjunctus, qui Alarici Regis Gothorum Cancellarius, edidit Leges Theodosii imperatoris Aduris in Novempopulania, anno Christi* DVI, *tribus fere seculis ante Imperium Caroli Magni. De Aniano agit Sigebertus cap.* 70, *et contra cap.* 62 *egerat de S. Benedicto Abbate Anianæ et Indæ, qui jubente Ludovico Pio Imperatore scripsit anno* DCCCXVII *Concordiam Regularum Patrum, de quo plura ad ejus Vitam* XII *Februarii.*

6 *Quis ergo Carolus fuerit, cui suum opusculum inscripsit Paulus Diaconus, ex methodo Sigeberti non liquet. Uterque, et Carolus Magnus et nepos ejus Carolus Calvus magni optimorum studiorum, illustriumque Doctorum fautores fuerunt. Propendemus magis in tempora Caroli Calvi, quem Hericus monachus S. Germani Antissiodorensis, in Vita hujus, carmine a se edita, sic alloquitur in Epistola illi inscripta :* Multa sunt vestræ monumenta clementiæ, multa symbola pietatis. Illud vel maxime vobis æternam parat memoriam, quod famatissimi avi vestri Caroli studium erga immortales disciplinas, non modo ex æquo repræsentatis, verum etiam incomparabili fervore transcen-

*num potius sub Carolo Calvo.*

B ditis : dum quod ille sopitis eduxit cineribus, vos fomento multiplici tum beneficiorum, tum auctoritatis usquequaque provehitis, imo, ut sublimibus sublimia conferam, ad sidera perurgetis. Ita vestra tempestate, ingenia hominum duplici nituntur adminiculo, dum ad sapientiæ abdita persequenda omnes quidem exemplo allicitis, quosdam vero etiam præmiis invitatis. *Quod autem ad peritos linguæ Græcæ, quibus Paulus annumerandus est, spectat, post pauca idem Hericus addit :* Luget Græcia, (quam sui quondam incolæ jamdudum aspernantur, vestra potius magnanimitate delectati, studiis allecti, liberalitate confisi) dolet, inquam, se olim singulariter mirabilem, ac mirabiliter singularem, a suis destitui. Dolet certe sua illa privilegia, quod nunquam hactenus verita est, ad climata nostra transferri. *Ac tandem concludit :* Quidquid igitur litteræ possunt, quidquid assequuntur ingenia, vobis debent. *Huic etiam Carolo Calvo direxit Hierarchiam Dionysii Areopagitæ a se de Græca in Latinam translatam Anastasius Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, uti legitur in Vita Joannis Papæ* VIII.

7 *Paulo Diacono aliquanto junior fuit Simeon Metaphrastes, qui hanc S. Theophili pœnitentiam, ab Eutychiano scriptam, elucubratis a se aliorum Sanctorum Actis adjunxit, retulitque* IV *Februarii, quam Latine redditam a Gentiano Herveto edidit tomo* 5 *Vitarum*

*Acta a Metaphraste edita vertit Gentianus, vulgarunt Lipomanus et Surius.*

C *sanctorum Patrum Aloysius Lipomanus, et ex eo Laurentius Surius eadem* IV *Februarii. Hos adeant quibus animus est, magnificentiam Dei erga Sanctissimam Virginem Matrem suam copiosius ostendere, plenusque elogia ac titulos ejusdem Deiparæ ex utraque Vita decerpere, et contra obtrectatores ejus elucidare. Priorem hic sufficit Vitam, olim Latine factam, primo in lucem dari.*

8 *Est nobis pervetustus Codex MS. in quo varia carmine Heroico hæc continentur, et quidem hoc ordine :* Passio S. Laurentii. Vita S. Alexii. Pœnitentia Vicedomini per Genitricem Dei mirabiliter salvati. Passio SS. Thebæorum Martyrum. Poema de Gemmis. Excerptum de scriptis Solini *etc. Nullus auctor apponitur, quem opinamur* Marbodum, *ex Archidiacono Andegavensi* Episcopum Redonensem, *anno* MXCVI *in Concilio Turonensi, tum mense Martio ad tertiam Quadragesimæ hebdomadam habito, ab Urbano* II *Pont. Rom. creatum. Eum Sixtus Senensis lib.* 4 *Bibliothecæ sanctæ appellat* Poetam suorum temporum eximium et sacrorum eloquiorum professorem insig-

*Eadem carmine etiam scripta.*

*forsan a Marbodo, dein Episcopo Redonensi.*

nem : *a cujus illustri calamo plures Sanctorum Vitas* D *daturi sumus, etiam soluta oratione deductas. Inter Poemata jam recitata*, passionis S. Laurentii et passionis Thebæorum *auctorem agnoscit hunc* Marbodum *Sigebertus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 158, *eumque secuti Trithemius, Possevinus,* Vossius, *Pitseus et alii.* *Poema* de Gemmis et lapidibus *auctore* Marbodæo, *seu* Merboldo *(ita nomen varie scribitur) sæpius excusum esse tradit in Bibliotheca Gesnerus, citaturque aliquando a Vincentio et Alberto, aliisque hujuscemodi auctoribus* Liliarii *vel* Lapidarii, *interdum etiam* Evacvis *nomine : non quod* Evanx *fuerit cognominatus, ut asserunt Balæus, Pitseus aliique, sed ob exordium hujus Poematis, quod tale est :*

Evax Rex Arabum legitur scripsisse Neroni.

*Tum post versus viginti et octo sequitur ab illis citatum initium.*

Annulus ut gemmam digitis aptandus haberet.

*Ejusdem* Marbodi *interposita poemata de Vita* S. Alexii et pœnitentia S. Theophili *conjicimus esse; illud daturi* XVII *Julii, hoc reliquis Actis S. Theophili addimus, ob sententiarum gravitatem et verborum pondera luce publica dignum. Plura de Marbodo dicentur* XIII *Februarii ad Vitam S. Licinii Episcopi Andegavensis, quam agnoscit se* Archidiaconum Ecclesiæ Andegavensis *scripsisse, quo etiam tempore, aut etiam prius, cum junior esset, hæc aliaque poemata ab eo arbitramur elaborata.*

*tum forte Archidiacono Andegavensi :*

E

9 *Marbodo senior est Rosuitha sanctimonialis, quæ in monasterio Gandershemensi apud Saxones seculo Christi decimo floruit : inter cujus opera, a Conrado Celte Protrucio anno* MDI *typis evulgata, extat poema de lapsu Theophili Vice-domini et ejus pœnitentia, cujus exordium hic adscribimus.*

*alii a Rosuitha sanctimoniali*

Postquam lux fidei crescens per climata mundi
Siciliam * tenebris errorum solvit ab atris;
Vir satis illustris nutritur partibus istis,
Nobilitate potens, meriti splendore refulgens.
Hicce Theophilus fuerat de nomine dictus,
Puri sacrata tinctus baptismatis unda :
Quem devota patrum Divinis cura suorum
Obsequiis igitur primis signavit ab annis :
Atque sui dulcem pie sollicitando nepotem
Cuidam Pontifici credidit nimium sapienti :
Quo nutriret eum studio florente docendum,
Ipsius ingenium mentisque rigaret agellum
De sophiæ rivis septeno fonte manantis.

* *lege* Ciliciam

*Omittimus reliqua, quæ apud eumdem Conradum legi possunt. Meminit Rosuithæ ejusque poematum Trithemius libro de viris illustribus Germaniæ, Possevinus, Vossius, ac plures alii. Epitome hujus historiæ continetur in MS. Lectionario Ecclesiæ Audomarensis ex* F *Lectionibus, quæ intra Octavam Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ ad Matutinum leguntur die septima : cum omittimus desumptam ex historia a Paulo Diacono translata. Conclusio annectitur hujusmodi :* Talibus ergo factis approbatur, quia mater Domini ubique imperiosa est, ubique magnifica : certe cui pronum est sanctos Angelos in ministerium mittere, et ad beneplacitum suum inferorum pacta cassare... Veniant peccatores cum Theophilo tundentes rea pectora cum interno fletu; ipsi quoque, si vere pœniteant, desideratam veniam adepturi. *Aliud compendium exhibet Zacharias Lippeloos* IV *Februarii, sed ex versione Gentiani Herveti contractum. Eumdem historiam refert Vincentius Bellovacensis lib.* 21 *Speculi historialis cap.* 69 *et* 70 : *quam etiam enarraturus Petrus Canisius lib.* 5 *de Maria Deipara Virgine, cap.* 20, *sic præfatur :* Quoniam de Mariæ miraculis tractare sumus exorsi, age plures minimeque suspectas aut ambiguas historias inducere pergamus, quibus non modo veterum in Deipara invocanda studium et ardor comprobetur, sed ejusdem etiam invocationis Divinis miraculis

*Actorum alia compendia.*

A miraculis obsignatæ certa et evidentia testimonia magis magisque fulgeant. Cum Cæsar Justinianus rerum potiretur, Theophilus quidam in oppido Ciliciæ Adana *etc. Eamdem a Canisio contractam historiam tradit Bredenbachius lib. 2 cap.* 3. *In Palatio Bruxellensi inter Codices MSS. ab antiquis Ducibus Burgundiæ relictos, extat Gallico idiomate præclarum opus de variis miraculis per intercessionem sanctissimæ Deiparæ patratis, in quo primum eminet beneficium huic Theophili pœnitenti præstitum, et historia late refertur.*

*mentio hujus historiæ apud S. Damianum,*

10 *Meminerunt hujus conversionis plurimi illustres scriptores : atque imprimis S. Petrus Damianus, qui a sexcentis fere annis floruit, sermone, de Nativitate B. Mariæ ita scribit :* Quid tibi negabitur, Maria, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus revocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fæcis et miseriæ sublevasti. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis revocare. *S. Bernardus in sermone super verbis: Apocalypseos,* Signum magnum, de *B. Maria, perorat ad eamdem his verbis.* Tu peccatorem quantumlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit. Tu illum a desperationis barathro pia manu retrahis, spei B medicamen aspiras: foves, non despicis, quousque horrendo Judici miserum reconcilies. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te Theophilus restauratus gratiæ. *Hæc S. Bernardus, quem fere describit S. Bonaventura in speculo B. Mariæ Virg. lect.* 9. *Agit de eodem B. Albertus Magnus in Bibliis B. Mariæ cap.* 9 *Cantic. et ad illud Jeremiæ,* Descende in Domum figuli, *ubi ait :* Domus figuli est Virgo Maria, *et infra :* Hæc est domus, in qua reformatus fuit miser Theophilus, sicut in laudibus ejus canitur in prosa : Theophilum reformans gratiæ. *Est autem, teste Colvenerio in Calendario Mariano 4 Febru.* § 3 *num.* 3. *prosa diei Annuntiationis, quæ incipit :* Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, Virgo serena. *Extat, ut idem tradit, inter Hymnos et prosas, quas Hermannus Torrentinus edidit, in fine illius operis, et in scholiis historiam explicat. Eadem prosa Hermanno Contracto attribuitur post Durantum ab Antonio Balinghemio nostro in Parnasso Mariano par* 2 *hymno* 39. *ex undecim Missalibus edita, uti et alius hymnus num.* 43. *ex Missali Cluniacensi, qui incipit :* Angelicæ nos respice, *in quo fit mentio ejusdem Theophili et Mariæ Ægyptiacæ. Additur et tertius num.* 67 *ex Missali antiquo Romano : qui incipit :* Dulcis ave pœnitentis. *In* C *eo dicitur :* Tu es reis advocata, per te fuit reportata venia Theophilo. *Eamdem historiam agnoscunt Fulberius Carnotensis serm.* 1 *de Nativitate B. Mariæ, Honorius Augustodunensis serm. de Assumptione ejusdem, S. Antoninus in Summa theologica par.* 4 *tit.* 15 *cap.* 45 § 6, *ac passim recentiores.* Attingunt quoque hanc historiam Centuriatores Magdeburgenses, *inquit Canisius,* sed rem adeo frigide narrant, nullum ut Mariæ honorem deferre dignentur, studio videlicet veritatem supprimentes, quam tamen, nisi sint prorsus impudentes, negare non possunt.

*S. Bernardum, S. Bonaventuram, B. Albertum Magnum, in hymnis Ecclesiasticis,*

11 *Theophilum sancte ex hac vita ad Dominum migrasse tradunt Acta ejus singula : addunt Canisius et Bredenbachius,* eo demum pervenisse, ut ob vitam sancte actam catalogo Sanctorum sit adscriptus, ac solennis ejus memoria quarto Februarii quotannis in ecclesia celebretur: *quo die historiam hanc a Metaphraste, Lipomano, Surio, Lipeloo relatam esse diximus. Rosweydus noster lib.* 1 *de Vitis Patrum in Notationibus ad Acta S. Mariæ Ægyptiacæ num.* 4 *ait,* Theophili festum occurrere die IV Februarii : *quo hæc Theophili revocatio et pœnitentia recolitur etiam a Molano in Auctario Usuardi. Longiore elogio eum celebrat Constantius Felicius in suo Martyrologio Italice edito, seu Februarii T. I.*

*et in fastis sacris 4 Februarii,*

D Persam *origine fuisse perperam adjunxit. Ferrarius in nova Topographia ad Martyrologium Romanum sub titulo* Adana, *annotat* IV Februarii Theophilum Œconomum. *In Martyrologio Germanico cum* XIII *Octobris actum esset de S. Theophilo Episcopo Antiocheno, additur :* Item in Cilicia alterius sancti Confessoris Theophili, qui prius post negatum Christum ejusque Genitricem, proprio suo chirographo sese diabolo dicavit : postea pœnitentia peccatorum facta, a sanctissima Virgine Maria liberatus, chirographum suum recepit. Triduo dein elapso migravit ad Christum : in cujus transitu Angelorum cantus auditus est, et Deus per eum multa mirabilia operatus. *In Auctario MS. Carthusiæ Bruxellensis ad Usuardum,* XIV *Octobris hæc leguntur :* Item B. Theophili Confessoris in una civitate Ciliciæ Vicedomini, mire pœnitentis ob negationem, quam fecerat, Dei; sed per beatam Virginem veniam impetrantis ac salvati; quia per ipsam chirographum, quo diabolo homagium fecerat, recepit, et in signum gratitudinis Sequentiam edidit : Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, Virgo serena etc. Et post triduum obdormivit in Domino, exemplum pœnitentiæ cunctis, et fiduciæ in Christi matrem.

*AUCTORE G. H. 13 Octobris, et 14 Octobris.*

MIRACULUM S. MARIÆ E

# DE THEOPHILO PŒNITENTE,

## AUCTORE EUTYCHIANO,

## interprete Paulo Diacono Neapoleos.

*Ex III Codicibus MSS.*

### CAPUT I.

*Theophili a vita pia discessus, Christus et S. Maria abjurati.*

Factum est, priusquam incursio fieret in Romanam Rempublicam execrandæ Persarum gentis, fuisse in una civitate nomine *a* Adana, Ciliciorum secunda regione, quemdam Vice-dominum sanctæ Dei Ecclesiæ, nomine Theophilum, moribus et *b* conversationibus præcipuum, qui quieta ac omnimoda moderatione, pertinentes Ecclesiæ res et Christi rationabile ovile optime regebat; ita ut Episcopus ejus hilari sobrietate repausaret in eum, et *c* in omnem dispositionem Ecclesiæ seu plebis universæ. Unde a majori usque ad minorem omnes gratias illi agebant, et diligebant eum : nam orphanis, *d* nudis, et egenis providentius commoda ministrabat. F

*Theophilus fidelis administrator bonorum Ecclesiæ,*

2 Contigit itaque, vocante Deo, ejusdem civitatis Episcopum vitam finire, statimque Clerus omnis ac populus universus affectualiter diligentes eumdem Vice-dominum, et industriam illius cognoscentes, communi consilio decreverunt eum creari Episcopum. Et celebrato decreto, mox ad Metropolitanum *e* direxerunt Episcopum : quo suscepto, virique compertis virtutibus, annuit petentibus effectum, et dirigens ad promovendum Episcopum prænominatum, accersiri præcepit Vice-dominum. Et prius quidem susceptis Metropolitani Episcopi litteris, ambulare distulit, rogans omnes, ne eum compellerent fieri Episcopum; sed sufficere sibi esse Vice-dominum, asserens et contestans indignum se esse tanti honoris officio; sed imminente populo, *f* brachio sublatus, ductus est ad Metropolitanum Episcopum, et susceptus cum gaudio. Sacratio imminebat : at ille prostratus pavimento, comprehensis pedibus Episcopi, precabatur, nihil in se tale exerceri, immeritum se omnino Episcopatus gradu proclamans, et sua bene nosse peccata. Cumque diu hæreret pavimento, et pedibus provolveretur Episcopi, tractandi secum trium dierum accepit spatium. Post diem autem tertium vocatum

*Episcopatum oblatum constanter recusat.*

*AUCTORE EUTYCHIANO, INTERPRETE PAULO DIACONO, EX MSS.*

A catum eum ad se cœpit commonere Episcopus, et ejus collaudare solertiam : at ille nihilominus tantæ Sedis ascendere gradum se esse indignum clamabat. Videns itaque Episcopus tantam ejus in obstinatione constantiam, et quod omnino acquiescere nollet, dimisit eum, atque alterum promovit dignum ad ejusdem Ecclesiæ peragendum Episcopatus officium.

*Vice-domini officio privatur :*

3 Porro ordinato Episcopo, cum ad propriam remeassent civitatem, quidam de Clero instigaverunt, ut amoto illo, alium Ecclesiæ ordinaret Vice-dominum. Quo facto, suæ tantum domus is, qui a priori recesserat officio, agebat curam. Igitur callidus hostis et humani generis invidus inimicus, eumdem virum modeste degere, et bonis conversari *g* operibus conspiciens, pravis cogitationibus cor illius cœpit pulsare, immittens illi Vice-dominatus zelum et ambitionis æmulationem, convertitque illum ad abominanda hæc et iniqua consilia, quibus non Divinam sed humanam desideraret gloriam, et vanam ac transitoriam magis quam cœlestem appeteret dignitatem; intantum, ut etiam maleficorum postularet auxilium.

*opem Magi Hebræi implorat :*

4 Erat denique in eadem civitate Hebræus quidam nefandissimus, et omnino diabolicæ artis operator, qui jam multos, infidelitatis argumentis, in foveæ perditionis immerserat barathrum. Quippe inani glo- B ria succensus Vice-dominus incurrit miserrimus in ruminationem indigestæ cupiditatis hujus seculi, et urebatur ambitionis desiderio. Unde festinus perrexit noctu ad præfatum Hebræum, pulsansque januam, aditum pandi precabatur. Videns igitur eum Deo odibilis ille Hebræus ita corde contritum, vocavit intra domum, et dixit ei : Cujus rei caussa ad me venisti? At ille corruens provolutus pedibus ejus, dicebat : Quæso te, adjuva me, quoniam Episcopus meus opprobrium in me exercuit, et hoc operatus est in me. Respondit ei execrabilis ille Hebræus : Crastina nocte hora ista veni ad me, et ducam te ad patronum meum, et subveniet tibi, in quo volueris. Ille autem hæc audiens gratulatus fecit ita, medioque noctis venit ad eum. Nefandus vero Hebræus duxit illum *h* ad Circum civitatis, et dixit ei : Quodcumque videris, aut qualemcumque audieris sonum, ne terrearis, nec signum Crucis tibi facias. Illo autem spondente, subito ostendit ei albos chlamydatos cum multitudine candelabrorum clamantes, et in medio

*deducitur ad consessum diabolicum :*

principem sedentem. Erat enim diabolus, et ministri ejus. Tenens autem infelix ille Hebræus manum Vice-domini, duxit illum ad flagitiosum illud concilium; et ait ad eum diabolus : Quid nobis hunc ho- C minem adduxisti? Respondit : Ab Episcopo suo præjudicatum, vestrumque adjutorium postulantem, Domine mi, perduxi eum. Dixit autem ille : Quale illi adjutorium dabo, homini servienti Deo suo? Sed si meus famulus esse cupit, et inter nostros milites reputari, ego illi subvenio, ita ut plus quam prius facere possit, et imperare omnibus, etiam Episcopo. Conversus Hebræus dicit illi misero Vice-domino : Audisti quid dixit tibi? Respondi : Audivi, et quæcumque dixerit mihi faciam, tantum subveniat mihi. Et cœpit osculari pedes ipsius Principis et rogare eum. Dixit diabolus illi Hebræo : Abneget filium Mariæ, et *i* ipsa quæ odio sunt mihi, faciatque in scriptis, quia abnegat per omnia; et quæcumque voluerit impetrabit a me : tantum abneget *k*. Tunc introivit in Vice-dominum illum satanas, et ait :

*[illegible] et Matrem ejus*

Abnego Christum et ejus Genitricem, faciensque chirographum, imposita cera signavit annulo proprio; et abscesserunt utrique cum nimio perditionis suæ gaudio.

5 In crastinum autem, Divina, ut reor, providentia motus Episcopus, cum omni honore revocato ex secessu Vice-domino, turpiter quem ipse promoverat ejecto, priorem constituit Vice-dominum; præ- D buitque ei coram omni Clero et populo auctoritatem dispensationis sanctæ Ecclesiæ atque possessionum ei pertinentium, cunctæque plebis, ac duplo tantum quam antea fuerat præpositus, denuo est honore sublimatus, ita ut peccasse se clamaret Episcopus, quod tam idoneam et perfectam personam aliorum regiminibus subjecisset, et illum inutilem et minus idoneum promovisset. Et jam ordinatus cœpit disponere et elevari super omnes idem Vice-dominus, omnibus cum metu et tremore obedientibus ei et ministrantibus per parvum tempus. Execrabilis vero ille Hebræus frequenter pergebat occulte ad Vice-dominum, et dicebat ei : Vidisti quemadmodum beneficium et celer remedium ex me et patrono meo, in quibus deprecatus es, invenisti? At ille, Confiteor, et omnino gratias ago concursioni tuæ.

*restitutus pristinæ administrationi,*

*gratias agit mago.*

a *Deerat urbis nomen in MSS. suppletum ex Metaphraste.* — b *MS. Gislenianum*, vita. — c *Idem MS* ab omni dispensatione. — d *Gentianus*, viduis — e *MS. Aquicinct.* duxerunt. — f *MS. Gislen* brachiis sublatis. g *MS. Aquicinct.* actibus. — h *Gentianus vertit*, hippodromum. — i *MS. Gislen.* eos qui odiosi *Clarius Gentianus*, illam ipsam : eos enim valde abominor. — k *Additur apud Metaphrasten :* Theophilus autem cum hæc audivisset, dixit ei : Faciam omnia, quæ mihi jubes, dummodo consequar quod desidero. Simul atque hoc audivisset dolosus hostis humani generis diabolus, Theophili quondam OEconomi barbam jucunde demulcet, et cœpit eum, os ori admovens, deosculari, et dicit ei : Salve de cetero germane mi amice et fidelissime.

## CAPUT II. E

*Theophili pœnitentia. Spes veniæ a Deipara Virgine impetrata.*

Et cum parvum tempus in tali jactantia et abnegationis suæ fovea commoraretur; Creator omnium ac Redemptor noster Deus, qui mortem non vult peccatorum, sed conversionem *a* et vitam; recordatus priorem ejus conversationem, et in quibus sanctæ Dei ministraverit Ecclesiæ, quod viduis et orphanis et egenis optime ministraverat, non despexit creaturam suam, sed dedit ei conversionem pœnitentiæ. Et in se reversus de tanta elatione atque abnegatione, sobrietate recepta, cœpit humiliare proprios sensus, et affligi in his quæ gesserat, jejuniis atque orationibus, et vigiliis vacans, multaque in mente conferens, et se fraudatum salute conspiciens, æterni incendii atque inextinguibilem flammam considerans, cruciatus, et animæ migrationem, stridorem dentium et vermem non morientem; hæc omnia proponens sibi, malo timore conterritus, cum gemitu et amaris lacrymis dicebat : O miserrimus ego, quid feci, et quid operatus sum! Quo jam pergam cumulatus luxuriis, ut salvam faciam animam meam? Ubi F vadam infelix ego peccator, qui negavi Christum meum et sanctam ejus Genitricem, et feci me servum diaboli per nefandæ cautionis chirographum? Quis putas hominum poterit illam abstrahere de manu vastatoris diaboli et adjuvare me? Quæ mihi fuit necessitas cognoscendi nefandissimum et comburendum illum Hebræum? Erat enim ante paullulum Hebræus ille a lege et *b* judice condemnatus. Quid enim sic honorantur qui Deum et Dominum derelinquentes accurrunt diabolo? Quid enim mihi profuit temporale commodum, et superciliositas vana hujus seculi? Væ mihi misero peccatori, quomodo lucem perdidi, et ivi in tenebras? Bene eram, quando *c* ad dispensationem propriam secesseram. Quid desideravi, propter vanam gloriam et vacuam opinionem tradere miseram animam meam in gehennam? Quale petam auxilium, qui auxilio fraudatus sum a diabolo? Ego hujus rei noxius : ego perditionis animæ meæ auctor sum : ego proditor salutis meæ. Væ mihi, qualiter sum raptus ignoro? Væ mihi, quid faciam? Ad quem ibo? Quid respondeam in die judicii, quando omnia nuda et *d* aperta erunt? quid dicam in illa hora quando justi coronabuntur, ego

*Resipiscit :*

*casum suum deplorat :*

A ego autem condemnabor? Aut quali fiducia adstabo regali illi tribunali terribili? Quem postulem, quem rogem in illa tribulatione? Aut quem deprecer in necessitate illa, quando omnes sua et non aliena tractabunt? Quis mei miserebitur? Quis mihi subveniet? Quis me proteget? Quis patrocinabitur? Vere nullus ibi, nullus adjuvat; sed omnes pro se reddunt rationem. Væ miseræ animæ meæ, quomodo captivata es? Quomodo demolita es? quomodo *e* alienata es et labefacta? Quali corruisti ruina? Quali demersa naufragio? Quali cœno convoluta es? Ad qualem confugies portum? Ad quale concurres remedium? Væ mihi misero, qui supplantatus, et in barathro demersus, surgere nequeo!

*e*

7 Cum hæc intra se concionaretur cum anima sua, et hæc semina salutis in ejus corde consererentur; solus pius et misericors Deus, qui propriam non despicit creaturam, sed suscipit, tali eum sensu circumsedit. Tunc ait Vice-dominus: Licet sciam, quia Dei filium natum de sancta et immaculata semper Virgine genitrice Maria, Dominum nostrum Jesum Christum, et ipsam per illum, quem male cognovi, Hebræum negaverim, tamen ibo ad eamdem matrem Domini sanctam, gloriosam et lucidam, et ipsam solam interpellabo ex toto corde et anima mea, faciamB que orationes et jejunia in venerabili ejus templo sine cessatione, donec per eam inveniam in die judicii misericordiam. Et iterum aiebat: Sed qualibus labiis deprecari præsumam benignitatem ejus, ignoro, Scio enim quia pessime transgressus sum abnegando eam. Aut quale exordium confessionis meæ faciam? Quali corde qualive conscientia confidens, impiam linguam et polluta labia movere tentabo? Vel de quibus primum peccatis pœnitentiam agam, vel remissionem expetam? Miser ego, et si temerarius hoc agere præsumpsero, ignis de cœlo descendens comburet me, quia jam non feret mundus mala, quæ ego feci miserrimus. Væ misera anima mea, surge de tenebris quæ te comprehenderunt; procidens interpella Genitricem Domini nostri Jesu Christi, quia vere potens est huic reatui imponere sanamenta.

*proponit confugere ad Virginem Deiparam Mariam:*

8 Et hæc secum cogitans, animatus fortiter, relictis laboriosis hujus seculi offendiculis, cum omni studio promptaque voluntate procedens coram sancto et venerabili templo immaculatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ, petitiones atque postulationes die noctuque incessabiliter offerens, jejuniis et vigiliis prævacavit, ut a tali noxa receptus redimeretur, et ut a pernicioso supplantatore, et a maligno dracone, C et ab illa, quam gesserat abnegatione eriperetur, faciens quadraginta diedus et noctibus jejunia et orationes deprecando protectricem nostram, Matrem Domini Salvatoris.

*in templo ejus 40 diebus orat et jejunat*

9 Post expletionem vero dierum, medio noctis apparuit manifeste universale auxilium, et parata protectio vigilantium ad eam Christianorum, verum confugium ad se concurrentium, errantium via, et redemptio captivorum, tenebrosorum lumen, verissimum afflictorum confugium et tribulantium consolamen, Domina nostra et vere Mater Christi, dicens ei: Quid sic o homo postulans permanes temere fastidioseque, ut te adjuvem hominem qui abnegasti filium meum Salvatorem mundi et me? Aut quomodo possum postulare, eum remittere tibi mala, quæ gessisti? Quibus oculis aspiciam in vultum illum misericordissimum Filii mei, quem tu negasti, et præsumam eum rogare pro te? Quali fiducia possim postulare eum, cum tu apostataveris ab eo? Quove modo adstabo tribunali illi terribili, et præsumam aperire os meum, et et petere clementissimam illius bonitatem? Non enim patior videre filium meum derogari injuriis. Esto, o homo, ea quæ in me peregisti peccata, possunt aliquid habere indultum, eo quod ita pie diligam genus

*a Deipara Virgine*

*dure increpatur*

Christianorum, et maxime eos qui recta fide et conscientia pura currunt ad templum meum, his modis omnibus annuo et succurro, et ulnis meis foveo et visceribus circumplector: filii autem mei *f* exacerbatores nec audire patior, nec videre; quia multo certamine et labore, cordisque contritione egent, ut ejus possint excipere benignitatem. Valde enim misericors et nimis justus et pius existit judex. D

AUCTORE EUTYCHIANO, INTERPRETE PAULO DIACONO, EX MSS.

*f*

10 Vir autem ille respondens dixit ei: Etiam, Domina mi, semper benedicta, etiam protectio generis humani, etiam Domina portus et susceptio ad te confugientium; scio, Domina, scio quia valde peccavi in te et in eum qui ex te natus est, Dominum nostrum, et non sum dignus misericordiam impetrare: sed habens exemplum ab his, qui antea peccaverunt in filium tuum Dominum nostrum, et meruerunt per pœnitudinem indulgentiam peccatorum de quibus commiserant, et ideo accedere præsumo. Nisi enim fuisset pœnitentia, quomodo Ninivitæ salvati fuissent? Nisi pœnitentia esset, Raab meretrix non salvaretur. Nisi esset pœnitentia, quomodo David post prophetiæ donum, post regnum et Dominicum testimonium in barathrum fornicationis et homicidii cadens, pœnitentiam verbo ostendens, non solum indulgentiam tantorum meruit peccatorum, sed etiam denuo prophetiæ donum accepit? Si non fuisset pœnitentia, E quomodo B. Petrus Apostolorum princeps, primus discipulorum, columna Ecclesiæ, qui claves regni cœlorum a Deo suscepit, Christum Dominum non semel aut bis sed ter negans, postea duriter lugendo, et indulgentiam tanti delicti meruit et majorem honorem adeptus pastor constitutus est dominici rationalis ovilis? Si non esset pœnitentia, quomodo Zachæum, et ipsum principem publicanorum et calumniatorem, suscepit? Si non esset pœnitentia, quomodo B. Paulus ex persecutore vas electionis effectus est? Si non esset pœnitentia, quomodo illum, qui apud Corinthios fornicatus erat, suscipi jussit Apostolus, dicens; Ne calumnietur a satana? Si non esset pœnitentia, quomodo ille Cyprianus, qui tanta perpetraverat mala, qui etiam utero habentes incidebat et totus flagitiis induebatur, vehementius confortatus est a Justina, ad pœnitentiam convolans, non solum tantorum malorum remissionem accepit, sed et martyrii coronam sortitus est? Unde et ego miser peccator tantorum confitens indicia pœnitentiæ, accedo postulans benignam misericordiam tuam, ut dexteram mihi protectionis impendere et indulgentiam peccatorum largiri digneris, per filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, in quem ego F miser peccavi.

*peccati remissionem magna cum fiducia expectat aliorum exemplo:*
Jonæ 3. 10.
Josue 6. 25.
2 Reg. 12. 13.

11 Hæc denique illo confitente, sancta et venerabilis Domina nostra, Dei Genitrix, sola casta, sola sancta, et anima et corpore benedicta, quæ sola habet facundiam apud eum quem genuit Christum, tribulantium consolatio, afflictorum compassio, nudorum vestimentum, senectutis baculus, concurrentium ad eam protectio valida, quæ sanctis visceribus cunctos circumfovet Christianos, dicit ei: Confitere mihi, o homo, quia quem ego peperi filium et tu abnegasti, quia est Christus filius Dei vivi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et ego rogabo pro te, et suscipiet te. Et respondit illi Vicedominus: Et quomodo præsumam, Domina mi semper benedicta, ego infelix et indignus sordidum et pollutum habens os, qui abnegavi filium tuum, et Dominum nostrum, et supplantatus sum vanis desideriis hujus seculi? Non solum autem, sed et hoc quod habebam ad remedium animæ meæ, venerandam dico crucem, et sanctum baptismum quem accepi, pollui per inscriptum amarissimæ abnegationis chirographum. Dicit ei sancta et immaculata Dei genitrix Virgo Maria: Intantum accede et confitere illum: misericors

*Deipara Virgine exigente,*

AUCTORE EUTYCHIANO, INTERPRETE PAULO DIACONO, EX MSS.

A misericors enim est et suscipiet lacrymas pœnitentiæ tuæ, sicut et eorum qui pariter et sinceriter accedunt ad eum. Propterea enim Deus existens, carnem in me accipere dignatus est, non *g* infirmata Deitatis ejus substantia, ut salvum faceret genus humanum.

*Professionem fidei facit.*

12 Tunc beatus ille vir cum reverentia et competenti *h* oratione, submisso vultu cum ululatu confessus est, dicens : Credo, adoro, et glorifico *i* unum de sancta Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum, filium Dei vivi, ante secula a Patre ineffabiliter natum, novissimis autem diebus descendentem de cœlo et incarnatum Deum verum de Spiritu sancto, et ex te sancta et immaculata semper Virgine Maria, qui processit ad salutem generis humani, ipsum confiteor esse perfectum Deum et perfectum hominem ; qui propter nos homines peccatores pati dignatus est, et conspui alapisque cædi, et super vivificabile lignum manus extendi, sicut pastor bonus ponens animam suam pro nobis peccatoribus, sepultusque est et resurrexit et adscendit in cœlum cum carne, quam ex te castissima ac vera matre sua suscepit ; venturusque est cum sancta gloria sua judicare vivos et mortuos et reddere unicuique secundum opera sua, non accusatore egens, sed ex ipsis correptis operibus conscientia accusante nos, aut excusante, atque B quale uniuscujusque opus sit, igne examinante. Hæc confiteor anima, corde, et corpore colo, adoro, et amplector : et cum hac mea precatoria cautione toto mentis annisu habita offer me, sancta et immaculata Virgo Dei Genitrix, filio tuo Domino nostro : et non abomineris neque despicias deprecationem peccatoris, qui raptus, supplantatus, et deceptus sum, sed libera me ab iniquitatibus, quæ me comprehenderunt et a procella turbinis, quæ me possidet, qui denudatus sum a gratia sancti Spiritus. Et cum hæc dixisset, tamquam aliquam ab eo satisfactionem suscipiens sancta Dei Genitrix, spes et sustentaculum generis Christianorum, redemptio errantium, et vera via confugientium ad eam, fons fluctuantium, quæ intercedit pro peccatoribus, refugium pauperum, consolatio pusillanimorum, mediatrix Dei ad homines, dicit ei : Ecce ego, propter baptismum, quod accepisti, per filium meum Jesum Christum Dominum nostrum, et propter nimiam compassionem, quam circa vos Christianos habeo, credens tibi, accedo et rogo illum pro te, provoluta pedibus ejus, quatenus te suscipiat.

*Deiparæ Virginis opem adductam habet.*

a MS. Gislen. ut vivant. — b Idem MS. judicio. — c MSS. Aquicint. et Lætiense. a dispensatione secretus sum. — d MS. Gislen. C excervicata patebunt. — e Idem MS. captiva facta. — f MS. Gislen. exacerbationem. — g MS. Aquicin. infamata. — h Idem MS. utilitate. — i MS. Gislen. sanctam Trinitatem.

## CAPUT III.

### *Peccata remissa. Chirographum redditum. Obitus Theophili.*

Et cum ista visio apparuisset, et dies factus esset, abscessit ab eo immaculata Dei genitrix Virgo. Et per triduum amplius Vice-dominus postulans et enixius in terram faciem percutiens, in eodem venerabili templo sine cibo permanens, lacrymisque locum infundens, non recedebat, conspiciens ad clarum lumen et ineffabilem vultum gloriosæ Dominæ nostræ Dei genitricis Mariæ, ab ea spem salutis suæ præstolabatur. Unde rursum sola protectio vera, sola consolatio ad se confugientium, *a* sola clarifera nebula, quæ nutrita est in sancto sanctorum, apparuit hilari vultu et lætis oculis et mansueta voce, dicens ei : Homo Dei, sufficiens est pœnitentia tua, quam ostendisti salvatori omnium et creatori Deo. Suscepit enim Dominus lacrymas tuas, et petitionibus tuis annuit propter me ; si quidem et tu hæc observaveris in corde tuo Christo filio Dei vivi usque

D ad diem obitus tui. At ille respondit ; Etiam, Domina mea, observabo ut non prætercam sermones tuos, quia te habeo post Deum protectionem et patrocinium ; et in tuo adjutorio confidens non omittam quæ promisi et confessus sum. Scio enim, Domina, scio, quia alia protectio hominibus non est, nisi tu semper benedicta. Quis enim, Domina mea, immaculata Virgo, speravit in te et confusus est? Aut quis hominum precatus est omnipotentiam adjutorii tui et derelictus est ? Unde et ego rogo peccator et luxuriosus perennem fontem benignitatis tuæ, viscera misericordiæ mihi impendere erroneo et decepto, qui in profundo cœni dimersus sum, et jube ut recipere possim execrabilem illam abnegationis chartulam atque nefandam cautionem *b* signatam, ab eo, qui decepit me, diabolo ; quia hoc est quod omnino titillat miserrimam animam meam.

14 Iterum ergo lugens valde prædictus vir nimiumque deflens atque instanter postulans omnium unicam spem, et salutem animarum nostrarum, Sanctam et semper Virginem Mariam deprecabatur. Post tres vero alteros dies, tamquam in visione exhibuit ei S. Maria chartulam cautionis habentem sigillum de cera, sicut dederat illam apostaticam cautionem : et de somno surgens invenit chartulam super pectus suum prænominatus Vice-dominus, et E lætus effectus contremuit, ita ut etiam omnium membrorum ejus juncturæ pene solverentur.

*Abjurationis chirographum recipit.*

15 In crastinum vero, cum esset Dominicus dies, pergens in sanctam Catholicam Ecclesiam, post lectionem sancti Evangelii jactavit se subtus pedes sanctissimi Episcopi, et subtiliter omnia enarravit, quæ gesta fuerant per execrabilem et perniciosum Hebræum ac maleficum, et suam elationem atque negationem et chirographi conscriptionem, propter inanem gloriam seculi hujus ; deinde confessionem suam ad Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, et pœnitentiam per miracula, tum et indeficientem fontem intemeratæ Dei Genitricis, per quam et chirographum pessimæ abnegationis recepit. Et porrigens sanctissimo Episcopo signatum tradidit in manus ejus, omnibusque admirantibus clericis simul et laicis, mulieribusque et infantibus, postulavit, ut in publico coram omnibus legeretur iniquissimum illud et horribile chirographum : cognovitque omnis populus quæ ei contigerant, et qualiter ei reddita fuerat chartula negationis.

*Episcopo peccatum ejusque remissionem explicat :*

*petit omnia populo manifestari,*

16 Unde et clamabat Episcopus, ac dicebat : Venite omnes fideles, glorificemus verum Dominum nos- F trum Jesum Christum. Venite omnes, videte stupenda miracula, venite omnes Christo dilecti et videte illum, qui non vult mortem peccatoris, sed conversionem et vitam æternam. Venite, videte lacrymas diluentes peccata, venite carissimi, videte lacrymas delentes vulnera iniquarum actionum, et candidiorem nive animam demonstrantes. Venite, videte lacrymas convolare, portantes animas ad Dominum. Venite, videte lacrymas remissionem peccatorum impetrantes. Venite Christiani omnes, considerate lacrymas iram Dei removentes. Venite, conspicite quantum valet gemitus animæ et cordis contritio. Quis non miretur, Fratres mei, ineffabilem patientiam Dei ? Quis non stupeat inenarrabilem compassionem et caritatem Dei erga nos peccatores? Nam et quadraginta diebus legislator Moyses jejunans, a Deo conscriptas tabulas suscepit, et hic frater noster quadraginta diebus permanens in venerabili templo immaculatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ, priorem gratiam, quam negando perdiderat, jejunando et orando a Deo recepit. Demus igitur et nos simul cum eo gloriam Deo nostro, qui sic misericorditer exaudivit pœnitentiam confugientis ad se, per interventionem immaculatæ semper virginis Dei Genitricis

*cum illustri encomio misericordiæ Dei,*

*Exod. 24, 18*

*et Deiparæ Virginis.*

A nitricis Mariæ, quæ est inter Deum et homines *c* potens verissimaque spes desperantium, quæ est refugium afflictorum, quæ maledictionem humanæ naturæ compescuit, quæ est vera janua vitæ æternæ, ad quam omnes peccatores pulsamus et aperitur nobis, et apud eum quem genuit Dominum nostrum petitiones offert, et accipit peccatorum nostrorum indulgentiam. Recordare ergo et nostri, sancta Dei genitrix, qui ad te vigilamus pura fide et confugimus, et non relinquas pauperrimum ovile, sed deprecare pro eo apud misericordem Dominum, et intercede, ut conservetur ab incommodis et sine calumnia. In te enim speramus omnes Christiani, ad te confugimus, ad te oculos nostros die noctuque expandimus. Te enim et eum, qui ex te natus est, et ex te carnem suscepit, Dominum nostrum Jesum Christum salutamus et glorificamus. Et quid jam loquar aut dicam, aut qualem laudem vel gloriam Domino Deo omnipotenti Jesu Christo, qui ex te natus est, offeremus? Certe magnificata sunt opera tua, Domine, et non sufficit lingua ad gloriam mirabilium tuorum. Vere magnificata sunt opera tua, Domine, certe congruum est huic Evangelii dictum : Afferte stolam primam, et induite illum et date annulum in manu ejus et calceamenta in pedibus ejus : et afferte vitulum B saginatum et occidite ; et edentes lætemur, qua frater noster mortuus fuerat et revixit, perierat, et inventus est.

17 At postquam surrexit Vice-dominus, rogavit eum Episcopus, ut combureret illam nefandissimam chartulam. Quod et factum est, et videntes populi execrabile chirographum, et negatoriam cautionem combustam igni, cœperunt cum multitudine lacrymarum clamare : Kyrie eleyson. Et annuens manu Episcopus ut tacerent, ait : Pax vobis. Et cœpit solemnia Missarum celebrare, et post expletionem sacrorum mysteriorum, perceptaque sacra mysteria, statim effulsit facies venerabilis Vice-domini sicut sol. Et videntes omnes subitaneam viri transfigurationem, amplius glorificabant Deum, qui facit mirabilia magna solus.

*sumpta Eucharistia facies ejus resplendet.*

18 Et accedens ad venerabile templum Dei Genitricis, quæ eum liberavit ab execrabili illo errore, *d* modicum gustans, dissolutus corpore infirmatus est in eo loco, in quo et sepultus est, ubi etiam et beatam illam visionem vidit, declinans se tamquam confixus in eo loco. Et post triduum osculans fratres tradidit beatam animam in manu Filii Dei et immaculatæ semper Virginis Mariæ. Omnia sua egenis C distribuit, et optime cuncta disponens, talique confessione glorificans Deum, migravit ad Dominum, cui est gloria nunc et semper per omnia secula seculorum, Amen.

*in templo B. Virginis obit et sepelitur.*

a *MS. Gislen.* clarificare solita morientium nebulas. — b *Idem MS* signationis. — c *MSS. Aquicin. et Lat.* fons verissimus, quæ est spes. — d *Gentianus* cum parum requievisset *forte ex varia lectione codicis MS. Græci* γευόμενος *et* παυόμενος.

# EADEM HISTORIA METRICA

ANIMADV. PAP. 60.

## auct. (ut creditur) Marbodo Ep. Redonensi

*Ex Codice MS.*

### CAPUT I.

*Theophili vita pie cœpta : lapsus in scelera Christo et S. Maria abjuratis.*

*Theophilus Vice-dominus, vir præclarus,*

Quidam magnorum Vice-domnus erat meritorum,
Theophilus nomen : tenuit quoque nominis omen.
Quippe malum cavit, cultum Deitatis amavit :
Totus in Ecclesiæ caussis, totus theoriæ,
Totus in activis studiis . quo pro patre quivis
Pauper gaudebat, per eum nec egenus egebat:
Pontificem, clerum, plebes, hic publica rerum
Spes sustentabat : et ad omnia sancta vacabat. D

AUCTORE FORTE MARBODO EX MS.

Mortuus hinc fletur Præsul, conventus habetur
Pro successore, sit eo qui dignus honore.
Complacuit sacer, ut meruit, vir ad hoc memoratus;
Hic vetuit, quod onus metuit grave Pontificatus.
Dum petitur, nec is obsequitur, communiter itur :
Eligitur, quia diligitur, meritus quia scitur.
Consilium sanum venit ad Metropolitanum,
Qui jubet, ut veniat, quo confirmatio fiat :
Cogitur, excusat Vice-domnus, et ire recusat :
Nec valuit; quia plebs voluit, quem sustulit alumnum;
Ut decuit, fert : nec tacuit quoque dicere psalmum.
Tunc a Pontifice summo rogitatur amice,
Ut flectat mentem, laudet magis omnipotentem,
Consilium mutet, nec pontificare refutet.
Clerus et accessit, eademque monendo lacessit ·
Plebs eadem dicit, nec eum sententia vicit :
Ac importunus obnititur omnibus unus,
Dicens : Non esse se plura subire necesse ;
Sed sibi sufficere bene credita jura tenere :
Non attentandum, quo se metuat superandum.
Ergo renitentem, nec Patrum jussa sequentem
Hunc dimiserunt: alium cui substituerunt,
Ordine qui functus, ritu quoque Præsulis unctus.

*oblatum Episcopatum recusat.*

2 Cum dispensaret, res ecclesiæque notaret,
Invidiæ fastu, facienteque dæmonis astu, E
Præsul pulsatur, a multis cum videatur,
Parte quod ex omni præstaret honor Vice-domni:
Et nimis elatus ejusdem sit dominatus,
Quo nisi privetur, cito quilibet experietur,
Culmen ut inde male vilescat Pontificale.
His Præsul fractus, Vice-domni discutit actus,
Quos quasi devovit, hunc officioque removit :
Cui successorem promovit deteriorem.
Theophili tunc res nihili factæ tenuantur :
Dissimili vice, nec stabili, quia cuncta rotantur.
* Dum sua copia, priscaque gratia rarificantur.
Sic opulentia sicque potentia se comitantur,
Deficiunt ubi res, marcescunt illico vires,
Dat famulos fatum, sequiturque favor dominatum.
Ista recordatus Vice domnus præmemoratus,
Ingemuit miser, et doluit se despoliatum ;
Pœnituit modo postposuit quia Pontificatum.
Displicuit, prius ut viguit per prospera fultus;
Nunc eguit, populoque fuit probro quasi stultus.
Sic stupuit, sic desipuit pro sorte malorum :
Cui nocuit, cui surripuit fraus dæmoniorum.

*privatur beneficio Vice-domini.*

* *al.* Nam

3 Nunc aliquis siquidem vir pestifer et magus idem,
Hebræus gente, se dæmone plenus agente,
Ut videt afflictum, nec non quasi mente relictum, F
Mox adit, hortatur; dolor instans ut referatur,
Forsan prodesse: nihil, etsi narret, obesse.
Ille refert mœstus caussas ex ordine questus,
Divitiæ quantæ, seu quantus honor fuit ante,
Quo modo privatus vilesceret adnihilatus.
Huncque recepturum, seu mature periturum.
Lætior is factus, est consilium dare pactus,
Pactus et hoc jurat, quod (si certum fore curat,
Juret et ipse fidem pacto, quod tradet, eidem)
Jura gradus prisci poterit quoque sic adipisci,
Ut Vice-domnatum ferat ultra Pontificatum,
Summus summorum, quanto magis inferiorum.
Ille fidem spondet, tantum monet, irrita non det
Rerum promissa, nec mutet mente remissa.
Nunc, ait, ausculta, quæ mando fide tibi multa.
Rex meus est satanas, res non solitus dare vanas;
Sed miseris solitus succurrere, dans quoque ritus
Quosdam servandos illis, quos ducit amandos ·
His bona suppeditat, hos rebus honoreque ditat.
Sub tenebris noctu, serva tempus memor hoc tu,
Illi te sistam, sed, ne trepidaveris istam
Pompam, præmoneo, veniet splendente trophæo.
Stans tantum credas, tibi nec signum Crucis edas;
Per

*implorat opem magi Hebræi :*

*prohibetur signum Crucis facere :*

*AUCTORE FORTE MARBODO, EX MS*

A Per quod eum signum nequeas reperire benignum.
Experiere bonum tunc ad tua vota patronum.
Ergo miser lætus, hoc consolamine fretus,
Jussis parere, nec segniter illa tenere
Sese promittit, quem sic magus in sua mittit.
4 Inde per horrorem noctis, dum cuncta soporem
In terris agerent, nec quavis luce niterent
Stellæ vel luna, dictus miser et magus una
Ut convenerunt, ad quæ loca constituerunt,
Vociferante mago, satanas Rex, mortis imago,
Illius signa, turba comitante maligna,
Ipse teter, fuscus, barathri tamen igne coruscus,
Splendentique parum, decet ut Regem tenebrarum,
Adveniens sedit sublimis: huic magus edit:
Ecce Pater, quali vel quam cura speciali,
Ut tua laus et honor crescant, tua juraque, conor.
Est par servire Dominis, jussis et obire.
• Est bene servire Dominis, adversa ferire.
Gloria majorum plebs est numerosa suorum.
Ergo tuam partem lucror per quamlibet artem,
Subducens Christo proprios; ut cernis in isto.
Iste potestate spoliatus, opem petit a te,
Cui nimium læso solita faveas ope, quæso;
Exemplo ductus quo proveniet tibi fructus,
Qui sic augetur, dum quis tua dona sequetur,
B Hæc modo prætende miserendo, Pater reverende,
Hujus perpes eris dominator, si misereris.
Fili, deliquit multum, satanas ferus inquit,
Qui favet indignis per debita dona benignis
Et nocet, ut nosti, sibimet, qui consulit hosti:
Hostis et hic meus est, nec, dona ferat mea, jus est.
Non mihi fas sibi ti signatos stigmate Christi:
His dare nil possum, quia valde perosus eos sum.
Ast hic, præstari si quid vult, seque juvari,
Christum cum Christi baptismate, Matreque Christi
Abneget, abscedat ab eis, mihi sponteque credat:
Ut tunc gratetur me Principe, quando fruetur
Sorte mei regni sub Averni sede perenni:
Condelectatus mihi quando feret cruciatus,
Sustineat lætus vermes, incendia, fletus.
Hoc mihi convivis poterit pacto fore quivis.
Tunc mea dona feret, si nobis fidus adhæret;
Sed mihi suspecta nimis est hæc perfida secta,
Christi cultorum, quoniam mihi quilibet horum
Obsequitur, fractus adversis; votaque nactus,
A me discedit, et Christo rursus obedit,
Qui vehemens mea jura premens, fovet hunc revo-
[cando;
Quem pia gratia cogit, ut omnia salvet amando.
C Theophilus dixit: Illum, quem plebs crucifixit,
Christum cum Christi baptismate Matreque Christi
Abnego: credo tibi, satanas. Mox talia scribi
Fœdera præcepit, et eo signante recepit.
Hoc ubi perficitur, ambobus ovantibus itur.
Exerit ergo dolum dæmon, non pristina solum
Reddere, sed plura superaddere complacitura,
Ut Princeps mundi dispensans gaudia mundi.
5 Nec mora: compunctus Præsul, populus quoque
[cunctus,
Pro prius abjecto, nec jure, nec ordine recto,
Se peccasse sonat, Vice-dominatumque redonat:
Qui mox elatus subito fastu, dominatus
Jus exercebat, renovans ut quæque volebat:
Ipsi parebant, ipsum cuncti metuebant.
Sæpius invisit magus hunc, cui sors ita risit:
Ut congratetur, socius quia mortis habetur:
Ut moneat pacti satana cum Principe facti:
Neve sui doni foret immemor atque patroni;
Immo pro dono pareat per cuncta Patrono.
His miser intendit monitis, gratesque rependit:
Fœdus mandatum fore jurat et inviolatum.

*ducitur ad consessum dæmonum:*

*scripto negat Christum et S. Mariam:*

*fit iterum Vice-dominus:*

*gratias agit Mago.*

## CAPUT II. D

### *Pœnitentia Theophili.*

Sic irretitus, et rerum flore potitus,
Exultat stultus, jam Lazarus ille sepultus,
Jam desperatus; fœtensque jacet religatus.
Sed verus medicus: Dormit meus, inquit, amicus;
Excitet hunc mea vis. O Christi gratia suavis!
Non peccatoris vult mortem; sed melioris
Ad studium vitæ conversum vivere rite.
Hujus præteritæ nec despexit bona vitæ;
Quam studiis vivis inopi succurrere cuivis,
Quam, quæ debebat, bene dispensare solebat.
Utilis ad quæque sibi providus Ecclesiæque.
Hæc Deus attendit, qui centuplicata rependit;
Vere propitius, qui Petrum vidit, et hujus
Cor vidit, tetigit, et in hoc sua spicula figit.
Figit, quippe redit miser ad cor, protinus edit
Cordis mœrorem, stupet, ingeminatque dolorem.
Namque status prisci sane cœpit reminisci.
Pensat confusus, a dæmonibus male lusus:
Lapsus quomodo sit de culmine, cum neque prosit,
Quod beat incipere, sed fine beante carere.
Estque recordatus simul æterni cruciatus:
Ignis inextinctus barathro quia personat intus, E
Et damnatorum stridor, planctusque reorum,
Fœtor et impurus, et vermis non moriturus.
Cogitat hæc animo, tunc mœrens cordis ab imo:
Insomnis durat, non jam sua gaudia curat.
Quo prius immensum tumuit, formidine sensum
Dejicit afflictus, ceu vulnere qui stupet ictus:
Seque perisse putat. Tunc talia mente volutat:
7 Ecce per admissum scelus, heu miser, heu mihi
[quis sum!
Dum starem tutus, quo sum labendo volutus?
Quo pergam? quid agam? qui mortiferam gero plagam.
Non est Salvator, nisi tu Deus ipse Creator,
Ergo Dei nato te cum Genitrice negato,
Quis me salvabit, fideique reconciliabit?
Quid prosunt fastus per iniquos dæmonis astus,
Sic conquisiti, sic Principe dæmone niti?
En servus factus, en perpetuo fore pactus
Sum civem satanæ me propter nomen inane,
Et pactum scripsi, quod tradens obligor ipsi.
Hei mihi, quod scripsi, quis fortior abstrahet ipsi?
O si nescissem, si numquam consuluissem
Hunc detestandum, barathroque magum cruciandum,
Judice damnatum longe prius ut sceleratum!
Cur, qui te prodit, cur quisquis te Deus odit, F
Sic exaltatur, et honoribus amplificatur?
Quid valuit, mihi quod placuit, quod ab hoste petivi?
Quippe fluit, quod mane eluit, quod mane cupivi.
Sola terit, nec culpa perit, nisi quæ venialis
Extiterit, ceu culpa ferit mea me specialis.
Judicium, non effugium, mihi denique restat.
Auxilium, vel consilium, quia quis mihi præstat,
Ante Deum mea caussa reum me quando vocabit?
Quodque meum scelus est, in eum spes nulla piabit:
Cumque sciam quod non veniam mea caussa meretur,
Quid faciam, cui nulla viam spes ferre videtur?
Quisque sibi meditatur ibi, se quomodo purget,
Vixque sibi valet; omnis ibi justos timor urget.
Pro me non aliquis stabit, cum jungar iniquis.
Væ mihi tunc misero! tunc plangetur quia sero
Hic dolor æternus, nec luctum finit Avernus:
Hic facies sævæ, nihil auditur nisi væ, væ.
Qui cruciatur, ad hoc reparatur, ut hic patiatur:
Dumque precatur, ut excipiatur, ut eripiatur,
Nemo juvatur, nemo levatur, pœna novatur:
Mors dominatur, nec miseratur, nec satiatur.
Heu defraudatus, sum luce Dei spoliatus!
Obsitus illecebris, circumfususque tenebris!
Demens

*Gratia Dei excitatus,*

*pœnitentia ducitur sui facti:*

*deplorat casum suum:*

*extimescit judicium Dei,*

*et pœnas inferorum:*

A Demens ergo mei sum proditor atque fidei.
Perdit enim mentem, qui denegat Omnipotentem.
Heu quam peccavi, qui memet mortificavi!
Apprime vitiis animæ miser implicui me,
Et minime datur, ut lacrymæ veniant: at opimæ
Si venient, non sufficient mala tanta lavare:
Inficient magis, et facient mala * cor stimulare. *al. commemorare.*
Sponte rui, nec pertimui, me subdere sordi.
Desipui miser, ut sapui mala dulcia cordi.
Esse meum datur esse reum, nocet heu, nocet esse!
Sic piceum, sic tartareum, dum vivitur esse:
Esse perenne deinde paratur in igne gehennæ.
8 O mi! quid faciam? pars Christi quomodo fiam?
Ut justis jungar, fidei meritisque refungar?
Heu quo deveni, prolapsus in extima cœni!
Surgere non fas est, non surgere velle nefas est.
Hoc sed conabor, sed opem cujusque precabor.
*statuit implorare opem S. Mariæ:* Quamvis peccarim, quamvis te, Christe, negarim,
Et regnatricem per secla tuam Genitricem;
Ocyus ibo tamen, ejus quærendo juvamen,
Poscens Reginæ cœlestis opem sine fine,
Nec capiens escam, nec potum, nec requiescam.
Unde cibor, fletus erit, et dolor irrequietus,
Mente Deo tota fundendo gemens mea vota.
Hæc audere tamen, puto criminis est cumulamen,
B Dum peccatoris oratio sordeat oris.
Plus irritatur infensus, quando rogatur.
Et si præsumam, primordia qualia sumam?
Rumpat vindicta ne cœlestis mea dicta?
Vocibus indignis ultor ne concrepet ignis?
Utraque pœna gravis orare tacereque pravis,
Dissuadet terror, vult spes, gemitusque fit error.
Sed fas transibo, quamvis temerarius ibo:
Ut potero, faciam, pulsando, rogando Mariam.
*in templo ejus 40 dies jejunans orat:* Sic exhortatus Vice-domnus se memoratus,
Et confortatus abit, in templo quoque stratus
Consolatricis mundi Domini Genitricis,
Jejunans, plorans, pernox et perdius orans,
Atque quaterdenos peragendo dies ita plenos,
Perstitit immotus, contrito pectore totus.

## CAPUT III.

### *Increpatio S. Mariæ apparentis, et spes veniæ impetrandæ data Theophilo.*

Astitit inde pia dicens huic Virgo Maria:
Cur sic vexaris, homo, nec fletum moderaris,
Me vexans Nati Matrem per scripta negati?
Quæris et hoc per me, cum prodideris pariter me?
Aut mos est hostem placari posse per hostem?
C Offendet potius, et caussa gravabitur ejus.
Cur igitur poscis, quos sic temerasse renoscis?
*a S. Maria apparente reprehenditur,* Sed, dum clamatis ad me Matrem pietatis,
Non poterit fieri, quo possum non misereri.
Nam non grata parum gens est mihi Christicolarum,
Gratis præ reliquis recolit mea lumina si quis,
Nominis estque mei memor amplo corde fidei;
Hunc quovis pacto salvare benigna retracto,
Hunc extollendo, refovendo, monendo, regendo,
Ast irritatum labor est accedere Natum,
Me pariter potius offensio commovet ejus.
Nunc tamen accedam, nec eum complexa recedam,
Dum fractum placem, dum missa feram tibi pacem.
Est judex equidem pius, at justissimus idem,
Dans quod debetur, illos premit, his miseretur.
Percutit, ignoscit, ut res et gratia poscit.
Expedit hoc ergo, quo linquens crimina tergo,
Sollers quisque vacet reus, illum quomodo placet.
Si tamen æquetur, plagæ bene cura medetur:
Lenior hos curat dolor, hos decet acrior urat.
Nunc opus unguentis, nunc fortibus experimentis:
Quos nequit unctio, sedat adustio sæpe tumores,
Sanat sectio, non confectio sæpe dolores:
Sic correptio, quos non suasio, dat meliores: D
Corrigit hos percussio, dirigit hos miseratio. *AUCTORE FORTE MARBODO, EX MS.*
10 Dixerat. Huic fatus vir reddidit hæc animatus:
Inclyta cœlorum Regina, salus populorum,
Gloria Sanctorum, speculumque decoris eorum, *peccati veniam fidenter petit,*
Electissima, præcelsissima Mater honorum,
Virgo piissima, tu certissima spes miserorum,
Tu studii, tu consilii latrix potioris,
Naufragii simul et varii tutela laboris.
Peccavi, Domina, nimis, et premit ista ruina.
O quam peccavi, qui te Dominumque negavi!
Confiteor, quia detineor culpis miserandus:
Et vereor, quia, quod mereor, ferar ecce cremandus.
Quippe caret venia scelus hoc, mi sancta Maria. *exempla Ninivitarum,*
At sunt multa satis exempla datæ pietatis
In delinquentes, miserabiliterque ruentes.
Sic Ninivitæ protelant tempora vitæ,
Sicque salvatur Rahab, Israel sociatur. *Rahab:*
Sicque manu fortis David Rex crimine mortis *Davidis,*
Sese fœdavit, quod majori duplicavit;
Sed quod peccavit, deflendo gradum reparavit:
Inde prophetia, clarus quoque psalmigraphia.
Si liceat fari, mea culpa valet similari
Petro constanti Dominum bis terve neganti; *S. Petri,*
Quem quia respexit Salvator, protinus exit
Flendo satisfacere dignus, Dominumque videre, E
Ecclesiæ Princeps, veniæ quoque forma deinceps.
Donatur venia quoque Magdalena Maria, *S. Magdalenæ,*
Quæ bene dum flevit, maculas abolevit,
Jam Domino grata, jam seclis concelebrata,
Sicque vocante reus Domino placet ille Zachæus.
Sic statuit Paulum, quæ stravit gratia Saulum. *S. Pauli,*
Qui graviter cecidit, talem Corinthia vidit:
Hinc Paulus scribit: Quia talis carne peribit,
Ut vivat melius salvatus spiritus ejus.
Talis et insanus magus extiterat a Cyprianus: *a S. Cypriani:*
Quot sordes illi, tot erant non forte capilli.
Quippe malignatus et dæmonibus sociatus,
Justa profanabat, parvos uteroque necabat.
Tandem compunctus redit, Ecclesiæ quoque junctus
Est per Justinam, mentem mutando ferinam.
Hinc Præsul factus, aliorum corrigit actus,
Martyrio dignus. Fecit Deus ista benignus:
Ut vult, ut præscit, qui nil, nisi nescio, nescit.
Me quoque tantorum relevant exempla virorum:
Ne male desperem, quia desperans remanerem.
Namque mei miseri potis est Dominus misereri:
Si tu Sancta roges, si Natum parcere coges.
Parcet enim pro te, quem parcere cogo, rogo te.
Velle tuum faciet Natus, tu præcipe, fiet.
Nempe tui juris est ferre manum ruituris: F
Cum naturalis tibi sit pietas specialis,
Conditionalis et sit tibi gratia talis:
Humani generis ut * casibus auxilieris *al. Sorti prospiceris.*
Sicut tutatrix, ut mater, et ut mediatrix.
Ipse Deus certe fit nobis hic homo per te.
Ergo Deo mediam præstans hominique Mariam
Te Pater ille dedit, cui mundus totus obedit.
Huic est affandi tibi fas, Natumque precandi:
Dumque loqui proli tibi sit facundia soli,
Tam prolis caræ tu viscera sancta precare.
11 Virgo sub hæc, Fili, dixit, jam more virili,
Ad bona prisca redi, credas quoque debita credi:
Voceque sinceræ fidei mentisque fatere, *a Deipara in spem veniæ erigitur,*
Ex me quod Natus, et per tua scripta negatus,
Semper viventis Christus Patris Omnipotentis
Filius est vere, qui finem nescit habere;
Et qui venturus est, judiciumque daturus
Secum victuris, nec non a se perituris.
Talibus attractus, respondit homo tremefactus:
Qualiter audendo, Dominumque Deumque fatendo,
Os queo tam dire fœdatum nunc aperire;
Quod male fœdavi, cum te, Præsancta, negavi,

Ac

A Ac ex te Genitum, Sacramenti quoque ritum,
*AUCTORE FORTE MARBODO, EX MS.* Gratia quo quemque salvat baptisma, Crucemque?
Tota salus hominis bis rebus inest quia binis.
Abjurans sprevi, sic ad mea damna recrevi:
Fascibus elatus, sed crimine præcipitatus.
Absit mens dubia, respondit Sancta Maria,
Constans accede tantum, credendaque crede:
Atque salutaris bona pristina confitearis.
Namque Deus vehemens pietate per omnia clemens,
Suscipiet flentem te sicque satisfacientem.
*coram ea fidem suam profitetur,* 12 Respondit, Credo, totum tibi me quoque dedo:
Confiteorque Deum, baptisma, Crucisque trophæum:
Quod Patris et Nati vel Flaminis est Deitati
Compar Majestas, nec dispar et una potestas:
Nescit et utrumque qui finem principiumque,
Per quem subsistunt elementa, nec ulla resistunt.
Hic Patris æterna proles de sede superna
In secli fine veniens, carnis genuinæ
Functus natura, prodit te Virgine pura:
Te speciei, te regalis progeniei,
Te meriti deici, supra quam copia dici.
Utpote scrutantem renes et corda probantem
Quem peperisti, cui placuisti, fœmina Christi.
Sic humanatus Deus, est homines miseratus
Præter peccata patiens mortalia fata.
B Hinc moriens, mortis fractis apud infera portis,
Sanctis illuxit optabilis, unde reduxit
Secum captivum populum, se mox redivivum
Discipulis pandit: hinc victor sidera scandit,
Qua sedet a dextris consors Patris Omnipotentis,
Hinc et venturus est, judiciumque daturus
Secum victuris, nec non a se perituris:
Non accusante quoquam vel justificante,
Hic certis signis erit omne probans opus ignis.
Nam si justorum mens conscia, sive malorum
Hic accusabit illos vel justificabit,
Cuique suum donans, condemnans, sive coronans.
Hæc credens animo confessus, ob hoc tua primo
Inde patrocinia cunctorum quæro, Maria.
*opem implorat,* Ut juver, ut relever, ut in hoc examine server;
Tu pia me Nati suplex offer bonitati.
Nec tibi sit durum, quod flagitat os male purum:
Purifica potius illud cum vocibus ejus,
Maxima delicta ne præpediant mea dicta.
Tuque Dei Mater, satanas fac reddat ut ater,
Quod testamentum scripsi sceleris monimentum:
Cautio nam talis me terret ut exitialis.
Hanc precor, ut nosti, tollas, quoniam potes hosti.
Nam tibi posse dedit, cui vis contraria cedit.
C Exere posse tuum, mea spes, defensio, scutum,
Exere posse bonam te demonstrando patronam.
Perdar, salvabor, quicumque tuus reputabor.
13 Tunc pia prænatis hominum Mater pietatis
Talia dicentem, miseransque satisfacientem,
Sicut, ait, dixi, vos cultores Crucifixi,
Una fides, Chrisma, vel spirituale Charisma,
Quotquot rite dicat, sacer hos mihi cultus amicat:
*addictum impetrat:* Præcipue tales, qui cultu sunt speciales.
Ergo meum Jesum pro te, quamvis ita læsum,
Supplex affabor, pedibusque voluta precabor.
Ut restaureris gradu quo lapsus haberis.
Hæc ubi verba dedit, disparens illa recedit.

*a Colitur hic Cyprianus Martyr cum S. Justina Virg. 29 Septemb. ubi bene advertit Baronius eum a pluribus confundi, uti et hic fit, cum S. Cypriano Episcopo Carthaginensi.*

## CAPUT IV.

*Theophilo peccata remissa: chirographum restitutum: ejus obitus.*

Tunc homo commotus, tremit hoc afflamine totus.
Ac ibi perstabat triduo, precibusque vacabat,
Fletibus infundens faciem, loca sanctaque tundens:
Nec quam dilexit, oculos ab imagine flexit. D
Astat rursus ei blandæ Virgo faciei,
Quem solans dicit: Tua jam constantia vicit,
Ut tibi Salvator parcat vere miserator, *intelligit peccata esse dimissa:*
Commissis veniam propter me dando Mariam.
Hanc igitur serves, mala nec rursus coacerves
Sit felix obitus pro fine boni tibi ritus:
Constat opus fine, quod quisque metet sine fine.
Ne cedas igitur, quia cedens quisque feritur
Turpius a tergo; pugnans ne cesseris ergo.
Ille refert: Utique, mi Sancta, Deoque tibique
Me voveo totum, firmet tua gratia votum.
Te duce, te comite, regar usque sub ultima vitæ. *gratias Deiparæ agit:*
Non est spes alia præter te, Sancta Maria,
Humani generis sortem tu prima tueris.
Nemo speravit frustra, te nemo vocavit,
Salvas quærentes, exaudis quoque petentes.
Me credo soli tibi, tu me spernere noli.
Sitque mei cura tibi sectantis tua jura.
Et quod adhuc restat, quod adhuc me valde molestat,
Membranam dico, data quæ prius est inimico:
Qua teneor strictus, qua mente reverberor ictus:
Hæc fac reddatur, quia mens hinc excruciatur.
Sic iterans plorat, iterum se sternit, et orat.
Ut reddatur ei proscriptæ charta fidei.
15 Rursus postridie splendens persona Mariæ E
Porrigit in somno testamentum Vice-domno, *chirographum recipit,*
Cera signante munitum, ceu fuit ante.
Experrectus at is tremit hoc signo novitatis,
Ex nimia quem lætitia stupor, ut solet, angit:
Exiluit, tum quæ monuit spes carmina pangit.
Carmina talia, quæ magnalia testificantur:
O sapientia, quæ regit omnia, quæque creantur,
Magnificentia, summa potentia quam comitantur,
Indignos vocat, unde duces locat Ecclesiarum,
Dans sua fœdera, dans quoque munera justitiarum,
Sacro Numine præstruit ordine quos animarum;
Hæc veneretur, glorificetur, magnificetur.
Ergo die, quæ pro requie Domino feriatur,
Turba frequens, pia jura sequens, ad templa gregatur:
Officiorum cumque sacrorum laus celebratur,
Haud tulit ille moram, sed stratus Præsule coram.
Omnia quæ gesta fuerant, fecit manifesta: *prælectum populo in templo*
Artibus ut magicis, sese credens inimicis
Deceptus fuerit, dum mundi gaudia quærit.
Quomodo jurarit hosti, Dominumque negarit:
Scripserit et pactum, signando per hoc scelus actum.
Et quia compunctus sit abhinc, fideique rejunctus
Per Matrem Christi, quæ chartam reddidit ipsi.
Chartaque monstratur, cunctis, petit, illa legatur. F
Hæc legitur, lecta postquam, sunt gesta retecta.
16 Illico, quam pangit populus, laus æthera tangit;
Præsul et ipse pius præcentor carminis hujus *Episcopo laudante misericordiam Dei,*
Sic ait, Audite, cunctique videre venite,
Quæ Dominus fecit, fecit magnalia quæ scit;
Magna potens fecit, animam lassamque refecit:
Immo, quam stravit fera mors, hic vivificavit.
Hinc exultate, Dominoque Deo jubilate:
Quem peccatoris mortem sic nolle probate.
Nam revocans movet, et solita fovet hunc pietate,
Datque pium Sanctis socium vitæque beatæ.
Ista videntes, ista stupentes, glorificate:
Talia munera, tam pia viscera magnificate.
Qualis et enitet hic, qui pœnitet, ecce notate:
Fructiferarum vim lacrymarum considerate.
Nam lacrymis tumor ex animis plagæque medentur:
Harum flumine pectora crimine lota foventur:
Hoc medicamine pro relevamine quæque fruentur:
Morbida, sordida, turgida, lurida, sic abolentur:
Pœnaque vindicis, iraque judicis effugientur.
Quas miseratio, sive remissio vera sequentur:
Promeritus dolor, interitus, lacrymis removentur:
Per gemitus, lacrymas, reditus super astra merentur.
Ergo

A Ergo mirari non sufficit, et venerari,
Non enarrari, non laudibus æquiparari,
Quæ sapientia, quæ patientia Cunctipotentis,
Quæ compassio, quæ dilectio sit miserentis
Circa peccantes, et criminibus famulantes.
Sed jam signorum vestigia cerne priorum.
Nam Moyses, lator legis sacer, et mediator,
Inter parentem populum, Dominumque jubentem,
Escis et rebus dum quadraginta diebus
Abstinet, atque vacat precibus, Dominum beneplacat
Iratum populo; legem meruitque secundo.
Exemplo simili pius hic vir mente virili,
In templo Jesu Matris sine corporis esu
Explevit numerum totidem lacrymando dierum :
Ipsum placatum dum redderet ante negatum,
Propitiante pia nec non mediante Maria.
17 Talia præstantem, lapsos quoque sponte vocantem.
Summum laudemus, veneremur, glorificemus,
*et benignitatem S. Mariæ :* Ipsius et Matrem, restauravit quia fratrem :
Quæ lucis fons est, quæ lucis ad atria pons est :
Quæ fovet afflictos, peccati turbine victos :
Ipsa levat fessos, vitiorum pondere pressos :
Hæc desperatis spes, præstat opem bonitatis :
Porta Dei, portis hæc est contraria mortis,
B Mentis sinceræ precibus quæ sueta patere.
Per se tendentes, se suppliciterque petentes,
Cunctos admittit, Dominoque poloque remittit :
Ad quam pulsamus, oculos et corda levamus :
Ad quam pulsamus humiles, alitumque rogamus :
Ad quam clamamus animis, precibus vigilamus :
Ad quam clamamus, exclusi ne maneamus.
Hæc nos confortet, ut vult, et sicut oportet :
Hæc nos tutetur, hæc et nostri memoretur :
Nosque sui memores det per placitos sibi mores ;
Jugi conatu gaudere suo famulatu.
Quod det possimus, det quocum posse velimus.

Nam cui servimus, hac si spernente perimus? D
Hanc nos expetimus, cujus præconia scimus, *VICTORE MARRONO, EX MS.*
Ad quam confugimus, quo non fugisse nequimus.
Conspicimus siquidem, per eam qua frater hic idem
Clade sit ereptus, meritum super hæc et adeptus.
Ex hoc gratatur Pater, et bonus ille profatur :
Jam ritu festo sint annulus et stola præsto ;
Velenturque pedes, vituli pinguis quoque cædes
Nos convivari, gaudere det, ac epulari.
Namque tibi, Christe, peccans frater reus iste
Vivere desivit, sed jam post funera vivit.
Ac est inventus, sub perditione retentus.
Hinc quid dicamus, his cum non sufficiamus?
Sed formidamus vindictam si taceamus.
Ergo flectentes dulci pro carmine mentes,
Hoc suspiremus, quod non proferre valemus.
18 Hæc gaudens cecinit Præsul sacer, ac ubi finit,
Surgit humi stratus Vice-domnus, cumque precatus
Est, ne servetur, sed charta nefanda crematur.
Utque cremabatur, laus a populis iteratur : *Eucharistia munitus,*
Et Kyrie eleison, est Missarum quoque canon
Ordine perfectus ; Sacramentisque refectus
In virtute Dei Vice-domnus, per faciei
Fulsit splendorem, rutilo non sole minorem.
Cuncti mirantur hæc, et trepidi venerantur :
Plausibus hymnidicis sic ad templum Genitricis E
Est Christi ductus, post præteritos ubi luctus
Corpore jam nutans ægro, tamen illa salutans
Jugi, devota, prece, spe, loca, signaque nota,
Per triduum durat, nec jam mortalia curat.
Cumque salutasset fratres ; et quod superasset *pie moritur.*
Ex rebus, servis Christi, miserisque catervis
Ut dispertivit, sine fine beatus obivit.
Quæque prius stratus, fovet hæc loca nunc tumulatus,
Qua collaudatur, qua virtutes operatur,
Præstans solamen justis precibus Deus. Amen.

# DE S. JASIMO THAUMATURGO.

J. B.

IV FEBR.

Extat in Græcorum Menæis et Maximi Episcopi Cytheræi Βίος Ἁγίων S. Jasimi Thaumaturgi nomen, Fastis Latinis ignotum. Unum illud prædicat de eo Maximus : Sanctus et Thaumaturgus, *id est, operator miraculorum,* Jasimus in pace vitam finit. *Addunt Menæa, ejus solo ac mutu cinere dispertiri infirmis* medicabilem gratiam, ἰάσιμον χάριν. *Miracula per reliquias.* *Nihil aliud adhuc de eo nobis compertum.*

# DE S. LIETPHARDO EPISC. ET MART.

C

## HUNNONIS-CURTE IN BELGICA II,

F

### Commentarius prævius.

G. H.

§ I. *Locus Martyrii. Veneratio. Vita Conscripta.*

*CIRCA ANNUM DCXL. IV FEBR. S. Lietphardus in Arida-Gamantia occisus,*

Arida-Gamantia silva, olim spelunca latronum, *describitur in vita B. Heldemari Eremitæ fundatoris Aroasiæ* XIII *Januarii. Sita est hæc* Aroasia *altero lapide a Bapalmo oppido Artesiæ, huic* Aridæ-Gamantiæ *inclusa, quæ hinc* ad fluvium Sabim, *vulgo* Sambre, continua protendebatur. *Hujus silvæ aliqua adhuc pars extat in finibus Artesiæ, qua Cameracensi agro et Picardiæ conjungitur, a vicinis pagis cognomina sortita ; cujus latus boreale* silva Haurincurtiana *occupat, cædi S.* Lietphardi *assignanda, a qua versus Scaldim abeuntibus proximus vicus occurit* Trescaltum, *vulgo* Treçau, *primo S. Lietphardi sepultura natus.* *Tresalti sepultus,* *Ad alteram Scaldis ripam, translatis eo S. Lietphardi sacris ossibus, illustris facta est* Hunonis-curia, *sive* Hunulfi-curtis, *in diœcesi Cameracensi, sed Regis Francorum dominia subjecta, tertio circiter milliari Belgico a Cameraco sita.* *translatus Hunonis-curiam,* *Quo in loco, ut* Baldericus *lib.* 1 *Chronici Cameracensis cap.* 29 *testatur,* Amalfridus vir illustris cum uxore sua Childebertana monasterium fundavit, quod S. Vindicianus Episcopus Cameracensis una cum S. Lamberto Leodiensi Antistite in honorem S. Petri consecravit, ibique Clericos et sanctimoniales constituit, *eisque, ut addit lib.* 2 *cap.* 10, filiam suam Aurianam præfecit. *monasterium sanctimonialium et Clericorum,* Fuitque olim religione florens et opibus, (tunc autem *circa annum Christi* MLXX, *quo Chronicon suum scribebat Baldericus, nondum Episcopus Noviomensis)* postquam viris militaribus beneficiatum est, ad paucos Canonicos derivatum ; *quibus annales Benedictini succeserunt, a Bertinis monachis introducti, eorumque Modecatoribus aliquandiu subjecti : dein proprios Abbates consecuti.* *dein monachorum Benedictinorum* *In hoc loco cum S. Lietphardo requieverunt SS. Valeria et Pollena sorores, quarum fratrem moderni scriptores S. Lietphardum statuunt, absque ulla in antiquis monumentis mentione. Eæ simul* VIII *Octobris Ecclesiastico cultu honorantur. Horum trium Sanctorum ossa, ut a bellorum incommodis securiora*

A *essent, ex hoc Hunoniscuriensi monasterio ad urbem*
AUCTORE G. H
*S. Quintini translata, in ejus expugnatione anno* MDLVII *perierunt una cum antiquis libris authenticisque monumentis, ut nullum istic superesse antiquitatis vestigium tradat Franciscus le Bar in suis tractatibus Monasticis necdum editis tomo 6 par. 2.*

*colitur officio Ecclesiastico,*

2 *His non obstantibus, monachos Hunoniscurienses quotidie in officio Ecclesiastico facere commemorationem S. Lietphardi et duarum Virginum, ex litteris Eleutherii Pontani, primi collegii Cameracensis Societatis Jesu Rectoris, scribit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, et Miræus in Fastis Belgicis* VIII *Octobris. Et hoc* IV *Februarii non tantum solenni cultu coli S. Lietphardum in ecclesia Hunoniscuriensi, sed etiam in vicino territorio Cameracensi indicant lectiones ad Matutinum in officio Ecclesiastico recitari solitæ, infra dandæ, atque a Molano in Natalibus Sanctorum Belgii hoc* IV *Februarii citatæ. Eumdem referunt varia Martyrologia*

*refertur in variis Martyrologiis :*

*MSS. sub nomine Usuardi ad usum Ecclesiarum Belgicarum aucta, Albergense Canonicorum Regularium, Ultrajectinum Clericorum S. Hieronymi, Leidense Sororum domus S. Ceciliæ, Martyrologium Coloniense anno* MCDXC *excusum, et Hermannus Greven in Auctario ejusdem Usuardi, his fere ubique verbis :* Ipso die S. Lietphardi Anglorum Episcopi et Marty-

B ris : *nonnullis* Archiepiscopus *dicitur. Molanus in suo Auctario ad Usuardum locum* Hunecourt *addit. Canisius* Cameracensem diœcesim. *At* Cantuariæ Archiepiscopum *faciunt Ferrarius, et Menardus, qui Ordini S. Benedicti adscribit. Saussaius in Martyrologio Gallico,* In superiori Picardia, *inquit,* S. Liefardi Cantuariensis Archiepiscopi et Martyris, qui temporibus Leonis III Papæ, cum Roma in patriam solutis votis rediret, ab impiis in nemore Trecaultio prope Atrebatum nefarie interemptus est. Hujus sacrum corpus ad Hunonis-curiam delatum, et in Benedictinorum asceterio Cameracensis diœcesis conditum, ibidem aliquamdiu jacuit, donec miraculorum gloria micans, Quintinopolim una cum pretiosis exuviis SS. Valeriæ et Polenæ sororum ejus translatum fuit. *Hæc Saussaius. Rexit Ecclesiam Leo III ab anno* DCCXCV *ad annum* DCCCXVI, *altero post cædem S. Lietphardi seculo, neque in ejus locum substituendus est Leo II supremæ Ecclesiæ dignitate functus anno* DCLXXXIII, *post S. Lietphardi Martyrium annis circiter quadraginta. Deinde cum Hunoniscuriam corpus S. Lietphardi deferretur, necdum Benedictini ibidem monachi degebant, sed sanctimoniales cum subordinatis sibi Canonicis, ut post Molanum bene observat Constan-*

C *tinus Ghinius, qui eum hoc die celebrat in Natalibus Sanctorum Canonicorum. Denique sacrum corpus non ob gloriam miraculorum Quintinopolim translatum est, sed ut rabies furorque belli sævientis evitaretur, ibi dum pax rursus quietem redderet, depositum : quod etiam indicant Raissius in Hierogazophylacio Belgico, Miræus in Fastis Belgicis et Balduinus Willot in appendice ad Martyrologium Romanum Gallice translatum : qui locum cædis assignat inter dictum Quintinopolim et Chasteletum oppidum : quem melius Saussaius attribuit nemori Trecaultio, quod silvam Havrincurtianam dici supra monuimus, sed ab urbe Atrebato aliquot leucis remotam. Celebratur ejusdem memoria in Martyrologio Anglicano, in Catalogo Sanctorum diœcesis Cameracensis apud Gulielmum Gazæum, et in Calendario Sanctorum Belgii cum piis Catholicorum gemitibus a Dauroutio editis, aliisque.*

*Vita ejus scripta*

3 *Vitam S. Lietphardi damus ex codice MS. Nicolai Belforti Canonici Regularis monasterii S. Joannis Baptistæ de Vineis prope Suessionem. Auctor vixit post introductos in monasterium Hunonis-curiæ monachos Benedictinos cujus mutationis meminit num. 5. Forte etiam Auctor ex ipsis istic monachis Benedictinis fuit :*

*an a Benedictino Hunoniscuriensi?*

*ita in horum favorem scribit* Canonicis voluntarie cedendibus sub regula S. Benedicti deservire mona- D chorum congregationem. *Et num. 2 se istic habitare insinuat his verbis :* Novissimorum ejus apud nos gesta insignia pristinæ sanctitatis argumento esse possunt. *Ea miracula altero libro, quem necdum potuimus assequi, comprehendit; cujus meminit sub finem :* Transeundum est, *inquit,* nobis ad illa, quibus mirificavit Dominus hunc Sanctum suum intus et extra, postquam venerari cœpit locatum corporis sui pretiosissimum margaritum in præfata S. Petri basilica. *Hæc miracula in proœmio, ait, se habere ab iis, qui viderant, aut ab oculatis testibus acceperant. Quæ non cadunt in tempora martyrii, aut corporis translati Hunonis curiam sub Fulberto Episcopo Cameracensi, qui sedit ab anno* CMXXXIV, *ad annum* CMLVI. *Non videtur, ceteroquin diligens, auctor satis assecutus, quas Dagobertus Rex controversias cum Regibus Britonum habuerit, ideo minus benevole hic explicatas : quas conamur ex aliis scriptoribus exponere; ac deinde, quomodo* S. Lietphardus Episcopus Cantuariensis *appelletur, indicare.*

## § II. *Regnum Cadruelis. Tempus martyrii S. Lietphardi.*

ANIMADV. PAP. 61.

Menardus *lib. 2 Observationum ad Martyrologium Monasticum fatetur* obscurum esse, quis fuerit Car- E duelis Rex Angliæ, *conjicitque* quemdam in illa regione Regulum fuisse. *Verum hic est Rex Britonum ob bella cum S. Edwino aliisque Regibus Northanymbrorum gesta notissimus, de quo cum Beda agunt Malmesburiensis, Cestrensis, Westmonasteriensis, Monumetensis, Capgravius, Sigebertus, Harpsfeldius, Polydorus Vergilius, aliique; a quibus varie appellatur* Caedwalla, Cadwalla, Cedwalla, Ceduualla, Ceduala, Caduallo, Cadouallo, Cadoualla, Carduela. *Fuit autem juxta Monumetensem lib.* 11 *historiæ Britonum* filius Caduani. *Hic ergo* Rex Britonum, *teste Beda lib.* 2 *hist. Eccl. gentis Anglorum cap.* 20, adversus Edwinum, cum genti Anglorum simul et Britonum gloriosissime præesset, rebellavit, auxilium præbente illi Penda Rege Merciorum. Et conserto gravi prælio occisus est Edwinus anno DCXXXIII, ejusque totus vel interemptus vel dispersus est exercitus. in quo bello filius ejus Osfrid juvenis bellicosus etiam cecidit. Quo tempore maxima facta est strages in Ecclesia vel gente Northan-hymbrorum, maxime quod Penda esset Paganus. At Cadwalla vero quamvis nomen et professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, ut nec sexui quidem muliebri, nec innocuæ parvulorum parceret ætati: F quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet : multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum, Britanniæ finibus erasurum se esse deliberans. *Et lib.* 3 *cap.* 1 Interfecto Edwino, suscepit regnum Deirorum Osricus, Berniciorum Eanfridus. Uterque Sacramenta regni cœlestis, quibus initiatus erat, anathematizando perdidit. Nec mora. Utrumque Rex Britonum Ceadwalla impia manu, sed justa ultione, peremit. Qui superveniente Oswaldo Rege fratre Eanfridi cum parvo exercitu, sed fide Christi munito, interemptus est cum immensis illis copiis quibus nihil resistere posse jactabat. *Hæc ibi. Coluntur S. Edwinus* XII *Octobris et S. Oswaldus* V *Augusti. Bedam describunt citati supra auctores.*

*Cadruelis varie appellatus, Rex Britonum, debellavit S. Edwinum, aliosque Reges, superatus a S. Oswaldo*

5 *Quod* S. Edwinus Britonum Rex *appelletur, ita explicat Galfridus Monumetensis :* Orta discordia inter Edwinum et Caduallonem, *hunc facto congressu* millia multa amisisse, *relictisque* Britonum provinciis exercitui Edwini, fugisse in Hiberniam : tandem cum fere in desperationem revertendi incidisset, Salomonem Regem Armoricanorum Britannorum *consanguineum (eodem enim atavo Malgone prognatos*

*adjutus a Britannis Armoricis*

*ambos*

A *ambos tradit)* adiisse, illumque auxilium et consilium, quomodo in regnum suum reverteretur, rogasse : *ei* decem millia militum Regem Salomonem commisisse, consertoque prælio Pendam Regem Merciorum captum, datisque obsidibus se Cadualloni subdidisse, et contra Edwinum Regem auxilium præbuisse. *Hi* Britanni Armorici (*quos* post obitum Chlodovei I sub Francorum fuisse potestate, et Duces non Reges appellatos, *tradit Gregorius Turonensis lib. 4 Historiæ Francorum cap 4*) *sæpissime contra Francos hostiles irruptiones fecerunt, quarum aliquot enumerat idem Gregorius, ut contra Chilpericum Regem lib. 5 cap.* 27, 30, *et* 32, *contra Chlotarium II ejus filium, et Guntramnum lib. 9 cap. 18 et 24, et lib. 10 cap. 9. Quos* Britannos *Fortunatus lib. 3 Poematum carmine 8* insidiatores *appellat.*

inimicis Francorum;

Armoricorum cum Dagoberto Rege Francorum, bellum,

6 *Quod huc spectat, temporibus Dagoberti*, Regem Britannorum *fuisse* Judicaelem *referunt Fredegarius in Chronico cap. 78, Monachus S. Dionisii in Gestis Dagoberti cap. 38, eumque secuti Aimoinus lib. 4 historiæ Francorum cap. 29, Sigebertus ad annum 648, Anselmus Abbas in Vita S. Judoci fratris 13 Decembris, qui* Rodichaelum *vocat filium* Rethaeli Regis Britonum. *At Baudrius hist. Britanniæ, et Argentræus in historia Britanniæ pluribus deducunt, bellum exortum* B *inter Dagobertum Regem Francorum et Judicaelem Regem Britonum, firmatque Argentræus lib. 2 cap. 3 ex Chronico MS. Majoris-monasterii, Baudrius cap. 12 ex Chronico MS. Capituli Briocensis : in cujus fragmento sub finem operis adjuncto, dicitur in prælio sub his Regibus inito*, Guido Comes Carnotensis a Britonibus captus. *Certe* Dagobertus *apud Fredegarium* anno regni XIV, *Christi* DCXLII misit nuntios in Britanniam, ut, quæ Britones male admisissent, velociter emendarent, et ditioni se subjicerent : alioquin exercitus in Britanniam debuisset irruere. Quod audiens Judicaile Rex Britannorum, cum muneribus ad Dagobertum perrexit, ibique veniam petens, cuncta quæ sui regni Britanniæ pertinentes, leudibus Francorum illicite perpetraverant, emendandum spondidit, et semper se et regnum quod regebat Britanniæ, subjectum ditioni Dagoberti et Francorum Regibus esse promisit. *Quæ eadem apud alios leguntur. Ex hoc bello Regis Dagoberti iram, cujus meminit Vita infra num. 2, adversus Regem* Cadruelem, *seu Cadualonem aut* Cadwallam *excitatam arbitramur, cum hic Rex, quam ante expulsus opem auxiliumque a Britannis Armoricis acceperat, in suum restitutus regnum grato debitoque animo referret : imo quemadmodum apud Galfridum ipse juvenis apud hos Armoricos educatus*, C frequenter ante alios in præliis congressum cum hostibus fecit virtutemque suam præclaris probitatibus famose egit : *ita in dictis contra Dagobertum irruptionibus, aut filius ejus, si forte præfuerit, aut alii ejus subditi adversarios Duces, Tribunosve militum offenderint, qui dein se vindicandi occasionem quæsierint, oblatâque tandem hac male fuerint usi.*

pax firmata

pro Armoricis auxilia Britonum a Cadruele missa.

7 *Filius in Actis* ejusdem *cum patre nominis* Cadruelis *appellatur, a Galfrido* Cadualadrus, *natus sorore Pendæ Regis Merciorum : quem tamen, dum iter ejus Romanum describit, cum S. Ceadwallo Rege Saxonum Occidentalium confundit.* Cadualadrus *inquit*, abjectis mundialibus propter Dominum regnumque perpetuum, venit Romam, et a Sergio Papa confirmatus, inopino etiam languore correptus, duodecima autem die Kalendarum Maiarum ab anno Incarnationis Domini DCLXXXVIII a contagione carnis solutus, cœlestis regni aulam ingressus est. *Apud Bedam vero lib. 4, cap. 12* Ceadwalla Rex Occidentalium Saxonum imperium, superni regni amore compunctus, reliquit, ac Romam abiens ibi vitam finivit. *Annus itineris assignatur* DCLXXXVIII *in epitome Bedæ et Chronico Wigorniensis, in quo, anno sequente* XII Kalend. Maias *traditur* obiisse, baptizatus die sancto Sabbathi Paschalis, Pontificatum agente Sergio, *a quo juxta Chronicon Saxonicum* baptizatus *est*, Petrus cognominatus, et circiter unam septimanam postea defunctus : filius Coenbirhti nepos Cadæ. *Alter apud Galfridum* Cadualadrus est filius Cadualonis, nepos Caduani : *cui imperium assignatur ultra* XII *annos, acceptum a Cadualone parente, qui* senio et infirmitate gravatus XV Kalend. Decembris ab hoc seculo migravit : *postquam* Wulfherus, *eo donante*, regnum Merciorum accepisset. *Quæ non cohærent. Nam juxta Bedam* in Regem levatus est Wulfherus anno DCLVII, *et* Cadwalla Rex Britonum a S. Oswaldo interemptus anno DCXXXIII: *quod magis congruum Actis S. Lietphardi, et bellis Judicaelis cum Dagoberto gestis. Perrexisse ergo Cadruelem Romam, aliquot ab obitu patris annis, vero simile est, et S. Lietphardum in reditu ante occisum, quam pax anno* DCXLII *inter Dagobertum et Judicaelem sancita fuit. Multos tum idololatras, qui S. Lietphardum Episcopum in odium Christi occiderint, vixisse in Belgio dicemus* VI *Februarii in Vita S. Amandi, et passim alibi. De Wulfhero Rege Merciorum agimus* XIII *Februarii ad Vitam S. Ermenildæ Reginæ ejus conjugis. S. Ceadwalla Rex Occidentalium Saxonum colitur* XX *Aprilis. Ejus* Epitaphium jubente Sergio Papa Romæ positum *exhibet Wigorniensis ad annum* 689, *quod dicto* Cadualadro Regi Britonum *applicat Argentræus lib. 1 cap. 28. Baudrius etiam catalogo Sanctorum adscribit. Quæ plenius dicto* XX *Aprilis refutabuntur. Nonnulla attinguntur* XI *Februarii in Vita S. Inæ Regis, et hujus S. Ceadwallæ apud Saxones Occidentales successoris.*

Cadruelis filius cum S. Ceadwalla Rege Saxonum Occident. confusus.

D AUCTORE G. B.

S. Lietphardi cædes sub Dagoberto.

E

## § III. *Episcopatus S. Lietphardi.*

*Acta num.* 2. S. Lietphardum *tradunt fuisse* Cantorbiæ Pontificem, germanum B. Onastancii Londriarum Præsulis. *Quæ autem Francis* Cantorby *dicitur, est* Cantuaria, *olim* Dorovernum *seu* Dorovernia *metropolis regni Cantii, sub S. Ethelbertho Rege (cujus Vitam damus* XXIV *Februarii) facta sedes Archiepiscopalis sub initium seculi Christi* VII. *Ante adventum vero Anglo-Saxonum creduntur tres Archiepiscopatus apud Britannos fuisse* Londinensis, Eboracensis, *et* Carlegionensis; *de hoc ultimo egimus* III *Februarii ad Vitam S. Wereburgæ, acturi de Eboracensi et Londinensi* VII *Februarii, die Natali S. Anguli Episcopi et Martyris. Quomodo autem seculo Christi* VII *tempore Dagoberti Regis Francorum et S.* Lietphardus *fuerit* Episcopus Cantuariensis, *et* B. Onastancius Londinensis, F *etiam teste Menardo supra citato*, non caret difficultate. Nam S. Lietphardus, *ait*, non reperitur in Catalogo Archiepiscoporum Cantuariensium (*idem de B. Onastancio dicendum*) apud Guillielmum Malmesburiensem et alios. Id caussa esse potest, quod dimisso Archiepiscopatu, Romam peregrinatus in alieno loco obierit. Quemadmodum B. Gregorius Turonensis S. Arnulphum Martyrem inter Archiepiscopos Turonenses non recensuit, quod abdicato munere sponte ob Christum peregrinus varia loca lustraverit, et in alieno solo, nempe in saltu Parisiorum, trucidatus lauream martyrii sit consecutus. Qui fit ut jure S. Lietphardum inter monachos Benedictinos hic annumeremus, quod illis temporibus nulli Archiepiscopi Cantuarienses nisi Benedictini ordinis crearentur. *Hæc Menardi de S. Lietphardi monachatu et Episcopatu conjectura, quæ ut levioribus innixa est fundamentis, ita facilius evertitur. Ac primo Beda teste, hi primi a conversione S. Ethelberti Regis numerantur Archiepiscopi Dorovernenses seu Cantuarienses :* S. Augustinus, *qui lib. 2 cap. 4 ne* Ecclesia vel ad horam Pastore destitueretur, adhuc vivens ordinavit successorem S. Laurentium, *de quo egimus* 11 *Februarii. Hic autem cap. 7* postquam S. Mellitus *ante* Londoniæ Episcopus,

S. Lietphardus Episcopus Cantuariensis,

non Anglo-Saxonum, in Cantio.

A Episcopus, Sedem Dorovernensis Ecclesiæ suscepit, regnum cœleste conscendit, in Ecclesia S. Petri sepultus. Mellito *deni* anno DCXXIV migranti ad cælos, statim successit S. Justus, Roffensis Ecclesiæ Episcopus, *ut dicitur cap. 8 et cap.* 18. Hæc inter Justus Archiepiscopus ad cœlestia regna sublatus est IV Iduum Novembrium, et Honorius pro illo est in præsulatum electus; quintus ab Augustino Antistes. *Hic autem* Honorius, *ut dicitur lib.* 3 *cap.* 20 ex hac luce migravit anno DCLIII, et cessante Episcopatu per annum et sex menses electus est Deusdedit. *cum jampridem vita functo Rege Dagoberto, esset martyrio S. Lietphardus coronatus; ut illum hiatum non potuerit supplere. Potius ergo Benedictini monachi S. Lietphardum colunt: quod ejus Reliquiæ in monasterio Benedictino tam diu requieverint: uti a nobis de aliis Sanctis sæpius observatum est. Quid quod inveteratæ Anglo-Saxones inter et Britones inimicitiæ non talem Cantuariæ Anglorum Episcopum permisissent Regi Britonum tanti itineris comitem? Denique nullus apud Londinenses, præter S. Mellitum inde pulsum, vivo S. Lietphardo, fuit istic Episcopus: ut alia nobis ratione hæc difficultas sit elucidenda.*

AUCTORE G. H.

B 9 *Cum Britanni Christiani sub Anglo-Saxonibus veræ religionis hostibus magis magisque opprimerentur,* tunc anno Christi DLXXXVI, *juxta Westmonasteriensem in Floribus Historiarum,* Archipræsules Theonus Londoniensis, et Thadiocus Eboracensis, cum omnes ecclesias sibi subditas solo tenus destructas vidissent, cum pluribus ordinatis (*Episcopis potissimum aliarum Ecclesiarum*) qui in tanto discrimine superfuerant, cum Reliquiis Sanctorum in Cambriam diffugerunt, timentes Barbarorum irruptione tot et tantorum, sacra ossa veterum a memoriis hominum delerentur, si ipsa imminenti periculo minime subtraxissent. *Similia refert Galfridus lib.* 11, *sed absque temporum distinctione. Suam etiam Sedem cum Archiepiscopis Londinensi et Eboracensi aliisque Episcopis, sub Anglo-Saxonibus, ad illud usque tempus detinuisse Episcopos Dorovernenses colligimus ex Godwino, in Commentario de Præsulibus Angliæ in* S. Oudoceo in Episcopo Landavensi, *quem tradit ab obitu* S. Thelai *avunculi et* antecessoris sui, Principis, Procerum et universi populi consensu electum, consecratum esse Doroberniæ, quæ nunc Cantuaria, ab Archiepiscopo ibidem. Reversum inde a Rege Mourico una cum Regina, Proceribus, Clero, et plebis numero ingenti C exceptum, in occursum ejus prodeuntibus et solenni processione in ecclesiam eum deducentibus. *Hæc Godwinus ex Codice Landavensi, ut arbitratur Spelmannus in Apparatu ad Concilia Britanniæ, ubi* S. Oudoceum *tradit* Episcopum fuisse circa annum DLX, *variaque Concilia sub eo tum habita profert pagina* 62 *et* 63. *Colitur S. Oudoceus* II *Julii, decessor Telians* IX *Februarii, ad cujus Vitam dicemus illum consecratum in Cambria fuisse ab aliquo, qui se istic pro exulibus Dorovernensem Episcopum ferret.*

sed per hos pulsis Episcopis anno 584,

etiam Dorovernensi,

10 *Hi ergo Episcopi circa dictum annum* DLXXXVI (*ante quem regnum Merciorum inceptum Heptarchiam Anglo-Saxonum compleverat*) *e suis Sedibus pulsi,* numquam *cum Cambris, teste eodem Westmonasteriensi,* a fide Christi recesserunt: in hoc tantum reprehensibiles, quod semper gentem Anglorum quasi per eos propriis finibus proscripti, odio mortali perstringant, nec illis libentius quam canibus communicare velint. *Ex hoc nationum odio, etiam post adventum S. Augustini aliorumque a S. Gregorio Papa missorum ad Anglos et Saxones Apostolorum, suos sibi hi Britones ejecti detinuerunt Episcopos, qui subditis suarum provinciarum secum exulibus præessent, quales fuisse credimus S. Lietphardum, ejusque fratrem Onustancium, qui Britones Londinenses et Dorovernos seu Cantuarienses in Cambria exules eodem potissimum rexerunt tempore,* D *quo earumdem provinciarum incolis Anglo-Saxonibus post S. Augustinum præerant SS. Laurentius, Mellitus, Justus, Honorius omnes Archiepiscopi Dorovernii, vacante post S. Mellitum Sede Londinensi. Quod autem S. Oudoceus supra apud Godwinum et Spelmannum dicatur ab Archiepiscopo Cantuariæ ordinatus, et S. Lietphardus in variis Martyrologiis appelletur Archiepiscopus, vel e pia olim Cambrorum æmulatione contigit, qua, ne in titulis cederent Anglis, eos Archiepiscopos nuncuparunt, vel certe scriptores, qui utrumque e posterioribus Anglorum Episcopis judicarunt, errore abducti, Archiepiscopos vocarunt. Hi autem Episcopi in Cambria vixerunt, instar multorum eo seculo Episcoporum Apostolicorum, nulli Sedi affixi, suarum diœceseon exulibus sæpe plurimum dispersis invigilantes. Hæc nostra de Cadruelis regno et S. Lietphardi Episcopatu conjectura est; e crassa veterrimæ Britonum Ecclesiæ caligine eruta; cujus penes doctiores judicium relinquimus.*

Christianorum Cantiorum in Cambria exulum:

quare Archiepiscopus dictus,

## § IV. *Vitæ Epitome ex Natalibus Sanctorum Belgii Joannis Molani.*

In Hunonis-curia natalis S. Liephardi Anglorum Archiepiscopi et Martyris. Fuit hic Canturbiæ in E Anglia Episcopus germanus B. Onastantii Londriarum Præsulis, qui tempore Dagoberti Regis, cum Carduele Rege ob S. Petri beneficia elegit Romam adire. Unde exoluto peregrinationis suæ voto rediens, in Aridæ-Gamantiæ nemore est trucidatus, et a ruricolis Trescalti sepultus; sed accedentibus miraculis digniori loco collocatus. Cum autem apud ruricolas memoria ejus negligeretur, Fulbertus Episcopus Cameracensis sacra pignora ad suam civitatem transferre statuit; sed non potuit. Divina enim revelatio habebat, eum transferendum esse ad ecclesiam B. Petri, quæ est in Honnecourt: ubi Deo serviebant sanctimoniales ad nuptias Agni vocatæ, et eis subordinati Canonici, qui exequebantur, quod fæmineo sexui Ecclesiasticus ordo non permittit. Postmodum tamen illis sponte cedentibus, usque in hodiernum diem est congregatio Benedictinorum, qui corpora S. Lietphardi et sororum ejus Valeriæ et Pollenæ ad urbem S. Quintini transtulerunt, ut essent a bellorum incommodis securiora, ubi tamen in expugnatione urbis perierunt.

S. Lietphardi corpus

illustratur miraculis,

Divina revelatione transfertur,

perit Quintinopoli.

## § V. *Alia Vitæ Epitome e libro lectionum, quæ cantantur in officio Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis.* F

Tempore quo Dagobertus imperium Galliæ tenebat, Rex Cadruelis Anglicis gentibus jura dabat. Adversus quem insanus Rex Galliæ tanta ira æstuabat, ut, quam posset crudelitatem in eum exercere, non differret. Cadruelis ille filium genuit, sui nominis hæredem, et Christianam profitentem religionem. Is sub Christi veneratione peregrinationem eligens, S. Petri Apostoli beneficia petiturus, Romam adire decrevit. Præmisit igitur legatos Regi Franciæ, quem suæ necis cupidum sciebat: utpote per cujus regiones transitus erat futurus. Qui tamen etsi non modo petitam pacem non impetratam, sed comminationes, quibus quasi præmonitus cavere posset, retulissent; tamen timorem Domini hominum timori superordinans, periculum mortis promissæ inire prælegit, potius quam absistere desiderio decretæ peregrinationis. Huic socius religionis et periculi vir vitæ venerabilis Lietphardus aderat, B. Onastantii Londiarum Præsulis (quem summa veneratione dignantur Angli) germanus: ipse Canturbiæ Pontifex in hoc itinere Regi divini officii et sanctæ exhortationis minister: vitæ cujus præteritæ ordinem sui compatriotæ celebrant. Sed cur non nobis plene cognitum,

Cadrueli proficiscenti

Romam,

socius fit S. Lietphardus.

A cognitum, non plene expositurus attingerem? Novissimorum ejus, apud nos gesta et cognita insignia pristinæ sanctitatis argumento esse possunt. Hi autem cum immensa fidelium multitudine in fines adversantis tyranni transvecti, priusquam fama rei impias aures tangeret, transierunt. Furor vero ad ruinam præceps, dilatione ingemit: et, Licet nos, inquit, abeuntes fefellerint, redeuntes nulla liberabit nostrave segnities improvida, vel eorum vitabunda sagacitas. Missis igitur circumquaque ministris iniquitatis, quacumque transituri essent, jubet observari. Cum vero expleto voto illi jam in patriam reverterentur, ut ad nemora a arrogantiæ ventum est; satellites iniquitatis insurgunt, trucidant universos: inter quos beatum Dei Lieiphardum Præsulem, Deum in cujus confessione permanserat invocantem, martyrio consummaverunt. Cujus corpus incolæ cujusdam ruris, quod Trescaltum appellatur, in horto sub quadam arbore sepelierunt. Ubi postea dominum horti dignitatem sancti corporis nescientem, cum stabula purgaret, fimum comportare contigit. Unde factum est, ut quod indignum beato corpori fuerat, qua pœna decuit vindicaretur. Animalia enim illius, cum nulla vicinis lues nec toti pago obesset, gravi morbo consumebantur: et qui inter suos non erat B rerum possessione minimus, quique suos omnes justitia et laudabili conversatione superabat, pauperior quasi Deo abominabilior effectus est. Mirantur universi et condolent: ipse cum tota domo assidua fundit lamenta, scrutatur conscientiam, utrum culpam tanta calamitate puniendam posset invenire: et piis orationibus ac susceptis jejuniis divinam animadversionem mitigare contendit. Ecce autem dum fessus diurnis fatigationibus noctu membra sopori dedisset, divina revelatione caussam suæ afflictionis cognovit: moneturque sanctum corpus ad ecclesiam in dextera parte alteris locandum transferre. Ille igitur ut primum aurora mundum tenebris expediverat, vicinos convocat, refert quæ viderat, et ad transferendum virum, eorum auxilia implorat. Quod illico exultans, multitudo complevit. Ex quo vir qui per incognitam injuriam omnem substantiam perdiderat, assidui luminis condignam venerationem exhibens, plura perditis recuperavit.

*a in reditu occisus.*

*divina revelatione reperitur.*

a *Imo Aridæ Gamantiæ, ut in Vita et supra dictum.*

# VITA

## Auctore monacho Benedictino,

### *Ex MS. Nicolai Belfortii.*

C

Probabilem sanctorum virorum militiam, peractæque militiæ gloriosum terminum Patribus nostris studium fuit mandare memoriæ: ut posteri et Deum in fragili materia mirabiliter operantem laudare, et exemplum beatæ imitationis discant habere. Nos igitur licet ab eis vita et scientia longe dissimiles, obsequium negare non audemus, orantes interim et deprecantes, ut, qui usum sermonis insensibili donare potest lapidi, per eam, quam sermonis dignitate perfecit, creaturam dignetur sonare; et, qui polluti oris non admittit confessionem, nostram misericorditer diluat impietatem. Nemo autem suspicetur, quod dubium sit, nos quasi certum velle auditoribus commendare. In nobis quippe omnis incredulitas convincitur, qui impugnavimus referentes et quasi fabulis imbutos delusimus: donec illi tandem partim quæ viderunt asserentes, partim a non vanis parentibus visa afferentes, partim quoque veterum, qui præsentes rem viderunt, attestationem litteris aliquatenus traditam opponentes, nostram incredulitatem confuderunt: ut potius libeat jam addiscere quam impugnare, et venerari quam irridere. Hauriant igitur non incredulæ aures, pia acquiescat affectio, glorificetur mirabilis Deus in opere, laudetur opus in Deo venerabile. D

*Sinceritas auctoris in hac Vita describenda*

*Auctore monacho Benedictino ex MS.*

2 Tempore igitur quo Dagobertus imperium Galliæ tenebat, Rex Cadruelis Angliçis gentibus jura dabat, adversus quem Rex Galliæ tanta ira æstuabat, ut et quantam posset crudelitatem exerceret, et ad majorem, si quando daretur occasio, animum pararet. Ecce autem volenti animo optata adest facultas. Cadruelis enim ille filium ejusdem nominis genuerat: qui divitiis regni cor non apponens, sed sub Christi veneratione, peregrinationem eligens, S. Petri beneficia petiturus, Romam adire decrevit. Præmisit autem Regi Galliæ (per cujus regiones erat transiturus) legatos, quibus non pacem sed comminationes referentibus, tamen vir Deo devotus, timorem Domini hominum timori anteponens, promissam mortem inire prælegit, quam decreta peregrinatione abstinere. Huic socius aderat vir venerabilis vitæ Liphardus, B. Onastancii Londriarum Præsulis (quem summa veneratione dignantur Angli) germanus, ipse Cantorbiæ Pontifex, in hoc Regis itinere divini officii et sanctæ exhortationis minister. Cujus vitæ præteritæ ordinem sui compatriotæ celebrant: et novissimorum ejus apud nos gesta insignia pristinæ sanctitatis argumenta esse possunt. Hi ergo cum immensa fidelium multitudine in adversarii fines E transvecti, priusquam rei fama impias aures tangeret, transierunt. Furor vero ad ruinam præceps, dilatione ingemit, dicens: Et licet nos abeuntes fefellerunt, redeuntes tamen non liberabit ulla nostrave segnities vel eorum vitabunda sagacitas.

*Cadruelis filius Regis Britanniæ proficiscitur Romam,*

*comitatur S. Lieiphardus:*

3 Missis igitur circumquaque ministris, qui illorum reditum observarent; cum expleto voto illi jam in patriam reverterentur, ut ad nemora Aridæ-Gamantiæ ventum est, satellites iniquitatis consurgunt, trucidant universos: inter quos et B. Lifardum Præsulem, Deum (in cujus confessione permanserat) invocantem, martyrio consummarunt. Cujus corpus ab incolis cujusdam ruris, quod Trescaltum appellatur, in horto sub quadam arbore sepultum est.

*Hic in reditu occisus in finibus Ariesiæ.*

4 Horti istius dominum, dignitatem sancti Corporis nescientem, contigit postea fimum illuc portare, ut stabula purgarentur. Unde mox factum est, ut, quod indignum beato corpori erat, qua pœna decuit, vindicaretur. Animalia quippe illius (cum nulla vicinis lues nec toti pago obesset) morbo consumebantur: et qui inter suos non erat rerum possessione minimus, imo et laudabili conversatione omnes superabat, pauperior quasi Deo abominabilis effectus est. F Mirantur vicini et condolent: ipse cum tota domo assidua fundit lamenta, scrutatur conscientiam, si culpam tanta calamitate puniendam posset invenire, et piis orationibus ac susceptis jejuniis Divinam animadversionem mitigare contendit. Ecce autem, dum fessus diurnis fatigationibus noctu membra sopori dedisset, Divina revelatione caussam suæ afflictionis cognovit, moneturque sanctum corpus ad ecclesiam, in dextra parte altaris locandum, transferre. Ut primum igitur aurora tenebris mundum expedivit, vicinos ille convocat, refert quæ vidit, et ad transferendum beatum virum auxilia implorat: quod illico exultans multitudo complevit. Ex quo, vir ille, qui per incognitam injuriam bona sua perdiderat, assidui luminis condignam venerationem exhibens, plura perditis recuperavit. Quæ protinus fama totam replens viciniam, adjacentes incolas illexit: qui ex veneratione proventum provenire multis experimentis probantes, magis magisque supplicationibus insudabant, et Sancti patrocinus protectos se gratulabantur.

*Corpus divi ia revelatione inventum,*

*defertur in ædem Trescaltinam:*

*claret miraculis*

5 Postquam vero multa dies jam ferme cognitionem primæ translationis obscuraverat, nec res inter rurigenas

A rurigenas fidem, quam decuit, inveniret; Deo (quem nulla suorum tangit oblivio) placuit, non modo rurigenis et illiteratis, sed Principibus, et universo Clero, ipsique Pontifici, cui nomen Fulbertus, merita sui militis aperire. In ecclesia namque Hunonis-curiæ (in qua disponente Deo Canonicis, qui ante deserviebant, voluntarie cedentibus, nunc sub regula S. Benedicti deservit monachorum congregatio) multæ sanctimoniales a prima institutione ordinatæ fuerunt: et quod divini officii fæmineo generi non permittitur, his subordinati exequebantur Canonici.

*AUCTORE MONACHO BENEDICTINO. EX MSS.*

*ut Hunonis-curiam transferatur,*

*revelatur sanctimoniali cæcæ,*

6 Harum sanctimonialium una lumine privata, nomine Restituta (cujus vitam adhuc celebrat fama, per generationes descendens) dum levi sopore quiesceret, visione manifesta, quidquid de beati viri corpore actum fuerat, et quid porro agendum esset, cognovit. Monebatur enim cum universis Sororibus et Fratribus locum, quo beatum corpus requiescebat, visere, et ad suam Ecclesiam transferre. Post jejunia itaque et devotas orationes Episcopus consulitur, qui non multo post cum universa civitate accessit: omnes quoque vicinarum partium populi convenerunt, et res nequaquam aliter inventa, sanctimoniali fidem indubitabilem acquisivit. Ipsa quoque sanctimonialis, quem mente præsenserat, restituto lumine, B Sanctum videre meruit.

*dein visum adepta:*

7 Quo viso miraculo, Episcopus sibi jus esse in omnibus, quæ tota contigissent parochia, affirmans, repertum corpus secum ducere disponebat. Sed voluntati Dei quis resistet? Quis ostensionem sanctimoniali factam evacuaret? Dum jubente Pontifice portitores ad urbem iter converterent, protinus sol, qui modo exsiccabat, pluviosa densitate nubium celatus, quasi noctis tenebras induxit: cerei extinguuntur: ad urbem iter intendens quisque fatigatus promovere non potest: ventus repente coortus, grando quoque ac nix vento agitata, quamtumvis fortes impedit ac detinet. Præterea qui leve pondus susceperant, intolerabiliter gravati, socios advocant in auxilium: sed nolentem, quotquot accesserunt, movere nequiverunt: ut non pondere, sed Dei viderentur teneri voluntate. Mox Episcopus non esse consilium contra Deum, ceu litteris didicerat, experientia cognoscens, a suo sensu ad Dei nutum conversus est, et jam non disponere, sed Dei dispositioni studuit obedire. Cujus coacta permissione iter portitorum reflectitur: et statim cerei, qui hominum opera datum ignem perdiderant, ex nivibus mirabilem jam accipiunt illuminationem. Nulla deprimit C gravitas gerulos, nulla tempestas retardat comitantes populos: sed solstitialis efficitur calor, et nix quæ prioris itineris fuerat impedimentum, fit secundi auxilium, et sitis videlicet temperamentum.

*Cameracum transferri nequit,*

Prov. 21. 30

*Hunonis-curiam defertur:*

*recipiunt visum duo cæci,*

8 Jam dum tripudians conventus, cum canticis Sanctum Dei prosequeretur, et cujusque sexus et conditionis generatio laudes Deo decantaret; majorem lætitiam Divina pietas exhibuit. Auditis enim D circumquaque his miraculis, cæci duo advenerunt, moxque juxta feretrum assistentes, lumen oculorum totis animæ viribus deposcunt. Crescit in eis gemina exultatio: lætantur se perfectos homines, reddita luce, et tanguntur mirabili Dei operatione, quæ quocumque audita loco, omni fideli caussa esset lætitiæ. Ecce iterum novæ laudis materia, ecce iterum prædicabilis Dei potentia. Cum nondum voces laudantium quiescerent, quidam omni membrorum officio destitutus adfertur: Et tu, inquiens, qui hodie multa beneficia contulisti, noli mihi claudere aurem pietatis tuæ: sed qui meis exigentibus vinctus sum peccatis, tuis intervenientibus liberer meritis. Priusquam ergo hujusmodi verba finiret, novum vigorem membris irrepere persensit: et relicto portantium ministerio, desiliens ad feretrum accurrit: et qui portatus accesserat, sancto corpori portando succedebat. Qui igitur pro cæcorum illuminatione laudes nondum finierat populus, replicat: et in singulorum operum locis ligno Crucis erecto, memoriam facti usque hodie manentem consecrat. Talibus itaque operibus insignis Liphardus ab exultanti multitudine perducitur, et in quadam B. Laurentii collocatur ecclesia: ubi geminatis patrociniis, multi infirmitatibus occupati receperunt sanitatem. E

*sanitatem usu membrorum destitutus,*

*Cruce in beneficii memoria erecta,*

*et multi ægri.*

9 Jam fortassis movere poterit aliquem, cur B. Liphardus, vir tantus ac talis, hunc Hunonis-curiæ locum nullius nominis, nullius dignitatis privilegio eatenus decoratum elegerit: sed si ea, quæ superius comprehensa sunt, cautius adverterit, ab hoc animi motu citissime conquiescet. Prædictum est enim illum ad corpus B. Petri vota sua delaturum cum Rege suo Romam petisse; et in redeundo, apud Trescaltum, non longe videlicet ab Hunonis-curia (in qua et tunc fulgebat et adhuc fulget oratorium S. Petro assignatum) martyrio vitam præsentem finisse. Non igitur abhorret a fide Christiana, si credamus Petrum mellitis hujus viri votis dulcoratum, hunc (qua hæc contigit occasio) voluisse apud Hunonis-curiam sibi specialiter inhærere in prædicta sui nominis basilica. Quantum enim sit Petro familiaris et intimus grex Martyrum, testis est Roma, tot Christicolarum ipsius Petri vestigia sequentium sanguine purpurata. Sed jam satis sint ista. Transeundum est nobis ad illa, quibus mirificavit Dominus hunc Sanctum suum, intus et extra, postquam venerari cœpit locatum corporis sui pretiosissimum margaritum, in præfata S. Petri basilica. Ac ne ingrati videamur, pro iis quæ prætaxata sunt, gratiarum actiones Deo reddamus, ut et ad dicenda quæ sequuntur convalescamus. F Sit igitur laus et jubilatio in omnes æternitates Patri ingenito: qui per suorum gesta servorum, glorificari dignatur Filium suum unigenitum: qui cum eo et Spiritu sancto Deus vivit et regnat trinus et unus, per omnia secula seculorum. Amen.

*cur S. Lietphardus Hunonis-curiam elegerit.*

J. B.

# DE S. MODANO ABBATE IN SCOTIA,

IV FEBR.

*S. Modani Acta.*

De S. Modani *die natali, ætate, gradu dignitatis, quæstio est; Actis vel deperditis, vel etiamnum absconsis. Eos strictim delibasse videtur, qui, sub annum* MDIX *Christi, Aberdonense Breviarium concinnavit; nisi fortassis solam secutus est famam. Alia monumenta habuit David Camerarius, e Sconensi ad Taum flumen cœnobio, ut quidem eos citat. Hector Boetius solos nominum indices, aut titulos summaque capita narrationum, expressisse videtur. Leslæus, Conæus, aliique ab Hectore descripserunt, omnes incuriose. Hectoris verba sunt, ad calcem libri* 8 In *Conguilli* locum Conranus frater germanus, ingenti omnium applausu. Rex est surrogatus, anno virginei partus quingentesimo primo, qui Ambrosio regni fuit quartus, et Anastasio Romanorum Principi duodecimus. Fuere hac tempestate, vel certe haud multum ab ea diversa, viri sanctitate et doctrina pollentes; Remigius Remorum Antistes..... Maxentius Abbas, Leodegarius, Arnulphus..... Inter nostrates Colmannus Priscus, Medanus, Modanus et Euchinus Episcopi, Christi dogmatis per Scotorum et Pictorum agros pii concionatores.

*Dicitur vixisse circa an. 500,*

*cum aliis SS.*

2 *Isthæc ita reddidit Leslæus lib. 4 de gestis Scotor. in Conrano R.* Hoc tempore præter SS. Colmanum, Priscum, Medanum, Modanum et Euchinum Episcopos et Confessores, Scotia egregium peperit alumnum,

*(quorum gesta alios hyperbolice aucta,*

A num, Winfredum a nonnullis dictum, qui eo majori laude dignus fuerat; quod Regis Scoti erat filius *etc. Aliquid præterea adjicit Georgius Conæus de statu religionis apud Scotos lib.* I *pag.* 30 Sanctos Colmanum, Priscum Medanum, Modanum, claros vera pietate et constanti Christi confessione Episcopos, commendat præter egregia merita, S. Winfredi, Regis filii, non vulgaris educatio : quem philosophia, cum sacra tum profana, alte adeo imbuerunt; ut is relicta Scotia, ubi regali stemmati major honos habebatur, quam animi ipsius patiebatur moderatio, peregre ad Evangelium propagandum sit profectus.

*nomina corrupta)*

3 *Verum illi indiligenter Hectoris verba expenderunt, qui* Colmanum, *quem principio sexti post Christi nativitatem seculi scribebat fama virtutis floruisse*, Priscum *seu seniorem appellarit, respectu scilicet alterius* Colmani, *qui post S. Finnanum Lindisfarnensis Episcopus anno* DCLXI *creatus dicitur : ipsi vero duos fecere* Colmanum *ac* Priscum *Episcopos. Idem* Modoco *ab iis factum. Scripserat Hector lib.* 6. Inter nostrates eadem fere tempestate (*Constantii-Chlori Cæsaris, et Crathlinthi Regis, circiter annum Christi* 300) fuere, *inquit*, sacra doctrina pollentes Amphibalus Antistes, Modocus priscus, Calanus, Ferranus *etc.* Priscum *hunc vocat Modocum, si cum* Modoco, *seu* Medoco, *vel* Aidano
B *Fernensi Ep. de quo* XXXI *Januarii, conferatur. At Leslæus lib.* 3. Floruere circa hæc tempora apud Scotos Amphibalus, Modocus Priscus, Calanus, Ferranus: *Conæus ad tempora Constantii, Constantini Magni F. retulit :* Huic, *inquit, Crathlinto Regi*, apud nostrates æquales fuere Modocus, Priscus, Calanus, Ferranus. *Nec dubitat Thomas Dempsterus duos* SS. Priscos, *lib.* 15 *histor. Eccles. gentis Scotor. citatis Hectore Leslæoque, consecrare, et scriptis utrumque celebrem astruere; hunc quidem libro* contra Ethnicorum superstitiones *edito; juniorem illum libro* homiliarum de Sanctis.

*vel circa an.* 800.

4 *Non quærimus hic, extiterintque, et quo ævo, quos, præter* Modanum *ac* Medanum, *utroque loco Hector commemorat. Idem lib.* 10 *fol.* 191 *sub Achaio, Caroli Magni Imperatoris æquali et amico Rege Scotorum*, Modanum Medanumque germanos, monasticæ vitæ addictos, imitandæ virtutis se ad posteros præbuisse exemplaria *scribit. Hectorem de more sequitur Leslæus lib.* 5 *pag.* 177. *Dempsterus (qui* Winfredum, *a Leslæo memoratum, vult* S. Fridolinum *esse, de quo* VI *Martii agemus) eosdem esse putat ab Hectore antea ad Conrani tempora, mox ad Achaii relatos : censet ipse*, quo tempore vixerint in ambiguo esse ; *Adami Regii Kalendarium Scoticum sub Conrano locat.*

*Neutrum constat.*

C 5 *Idem Kalendarium, uti et Aberdonense Breviarium, natalem* S. Modani *pridie Nonas Februarii consignant;* Medanum, *sive* Mildanum XIV *Novembris, uti et David Camerarius. Hermannus Greven. in Addit. ad Usuard. utroque die* Modanum Abbatem *habet. Colganus* IV *Febr.* Modanum *Abbatem Hibernis accenset, licet præter Leslæi, Boetii, Camerarii verba de eo nihil proferat. Joannes Wilsonus in priori editione Martyrologii Anglicani* XXVI *Aprilis ambos refert; atque celebres in Scotia Hiberniaque fuisse, cum isthic Catholica vigeret religio, ac multa iis dicata altaria : in posteriori editione, utrumque* XIV *Maii habet. At Ferrarius generali Catal. SS. ad* XIV *Aprilis* Medanum ; Modanum Midanumque *fratres, ad* XXVI *inscripsit.*

*Colitur 4 Febr.*

*non 26 Apr.*

*nec 14 Maii.*

6 *Habemus igitur* S. Modani *natalem. De ætate non liquet. Nam quod Camerarius scribit sub annum* DXXII *Driburgi, (juxta Twedam amnem, haud procul Melrosa vetusto cœnobio, ad ipsas Angliæ fines;) monachum esse factum, deinde Abbatem; veremur ut probare possit, isthic tunc monasterium fuisse; cum ea loca Anglis parerent, aut si Pictis, certe utrique Gentiles adhuc essent. Longe verisimilius est, quod in citato Breviario dicitur :* Scoticam gentem ad Occidentalem plagam fluminis de Forth, seu maris Scoticam incolentem, *sacra doctrina imbuisse : nam occiduum modernæ Scotiæ tractum primo occupavere Scoti, ac tunc tenebant. Egimus de Fortha nobili æstuario, sive* mari Scotico, XIII *Januarii ad Vitam S Kentigerni cap. 4 Not. f. ubi* flumen Fordense *appellatur. Consentit Camerarius, atque* in Stirlingensi agro, *et in* Falkirk, *(qui locus non longe a Fortha distat) celebrem etiamnum ejus esse memoriam.*

*prædicavit in Sterliam, ad Occidentem Fortha :*

D

AUCTORE I. B.

*Demum circa Dunbarton, senio ac laboribus fractus obiit. Diximus ad citatam S. Kentigerni Vitam cap.* 6. *Not. a* Dunbritton, *et per metathesim* Dunbarton *dictam esse arcem munitissimam, quæ olim* Arcluid *vocabatur, id est*, supra Cluidam *flumen, Bedæ et Adamnano in Vita S. Columbæ* Petra Cluidæ, *aut* Cloithæ *appellata, quia ad* Glottæ, *seu* Cludæ *ac Levini amnium confluentes jacet. De* Arcluta *egimus quoque* XXIX *Januarii ad Vitam S. Gildæ, inde oriundi,* § 3 *nn.* 27 *Ultra Levinum, variis cinctum æstuariis* Rosnethum *visitur, ubi S. Modani ædes ac reliquiæ olim fuere. Dempsterus tradit Brechinæ, urbe episcopali in Angusia provincia, celebre ejus fuisse nomen.*

*mortuus juxta Dunbarton arcem :*

*cultus Rosnethi et Brechinæ :*

7 *Quem quidam Episcopum, alii monachum, nos Abbatem, ex veteris illius Breviarii fide, nuncupamus : an Ordinis fuerit Benedictini ut Wion ac Wilsonus volunt, haud nobis expeditum est pronunciare. Si sexti seculi initio vixit, ut Hector, Leslæus, Dempsterus, licet sententiæ utcumque dubii, et expressius Adamus Regius, scripsere; ante institutum, aut certe extra Italiam propagatum S. Benedicti Ordinem, monachus fuit : ea nimirum eruditus disciplina, qua plurimi illa tempestate apud Scotos Britonesque et præsertim Hibernos. Et si sub annum* DCCC *floruit, cum non Angli modo scotique sed et Picti Christum colebant, ac late per Britannias propagata S. Benedicti religio erat, plane credibile est cum illi se mancipasse, seu Driburgi, ut vult Camerarius, si isthic cœnobium fuit, seu Melrosæ, sive alibi.*

*Abbas videtur fuisse :*

E

*an Ord. Benedictini?*

8 *Dempsterus scripsisse eum plurima tradit, e quibus ante* 150 *annos superfuerint de Episcopi officio libri tres. Ubi illi, aut cui tunc lecti? Nefas videtur existimare ille auctor, si quisquam veterum illorum Sanctorum non etiam doctrinæ, adeoque editorum librorum, laude decoretur.*

*an aliquid scripserit?*

# VITA

## ex Breviario Aberdonen.

Sanctus Modanus, pater venerabilis, et plurimorum monachorum Pater metuendissimus, religiosissimusque. Hic ab infantiæ suæ primordiis sub regula et monachali habitu cunctis vitæ suæ diebus vivebat in paupertate, castitate et obedientia, sicuti miles Christi strenuus et bellicosus, adversus diabolum, carnem et mundum instabilem continue militando, lorica fidei, virtutis et justitiæ et vitæ exemplo armatus, eisdem superando, omnia relinquens, Christum sequendo et Apostolos in prædicando, miraculorum ostensione ; abjectis divitiis, stemmate regio, et hæreditate terrena, cucullo humili se induit, ut Christo seipsum hæredem faceret.

*S. Modanus a prima ætate monachus,*

F

2 In ciborum frugalitate et parcimonia corpus ubique macerabat, pane et aqua interdum contentus : neque vino usus est, sicut nec carnis comestione. Nonnumquam herbiculis et fontis latice subigere famem et sitim, satisfaciendo, carnis naturam coercebat, et macilentam reddidit, ut castigatione corporis vitia carnis, eam domando, superaret, ut inter cunctos suæ religionis speculum et forma diceretur in via veritatis, virtutis et vitæ sanctitatis.

*in victu austerus,*

3 O quantis B. Modanus hic etiam a fidei luce errantibus amissum reddidit visum, et illum quo Christum reddidit, reparavit intuitum! Auribus surdis et infidelitatis obduratione damnatis ad percipiendam vocem cœlestium mandatorum, pretiosum infudit verbo veritatis auditum, ut vocante Domino ad misericordiam

*multos convertit*

A misericordiam responderint per obedientiam. Vinctos *AUCTORE J. B.* vero per longam incuriam labe peccati, castigationibus et exhortationibus expiando, Dei virtute in se operante, solvit et liberavit.

4 Merito igitur huic viro sancto et Deo caro Modano praecelsum et illud imponitur nomen, quasi Modos odiens vanos, seu Motus vacuos, vel Mores angelicos habens; cui nihil cælestis defuit gratiæ, pro voto petenti. Gravitas namque morum, et vitæ ejus austeritas, ipsum virum sanctum, castum et pudicum cunctis palam fecit. *proprios sensus refrænat.* Aures, oculos aliosque sensus exteriores quinque, quos Mortis fenestras appellare solebat, ita domuit, ut illicita quæcumque seu peccati fomenta nullatenus sentirent. Etenim fenestras illas quinque seris divini timoris et amoris obstruxit.

5 De multorum cordibus filiorum iniquitatum luxuriam castitate fugavit, iram patientia dejecit, *alios ad studium perfectionis adducit:* invidiam dilectione extinxit, superbiam humilitate prostravit, acediam diligentia, vigiliis et orationibus superavit, atque singula alia vitia virtutibus his adversis compescuit, intantum ut universa Scotica gens, quæ per Occidentalem plagam fluminis de D Forth, seu maris Scoticani incolebat, et apud Falkirk, sua doctrina imbuta existeret.

6 Prædicta vero Scotorum gente, meritis, miraculisque et prædicatione, B. Modani et suorum discipulorum, qui eum comitabantur, ad inviolatam Christi fidem, ut supra, conversa; B. Modanus nimiis laboribus, vigiliis et divinorum studiorum occupationibus, pro dicta gente et sui salute, annorum multitudine fatigatus, sicque deficiente virtute naturali, vix se pedum incessu movere localiter poterat: *senex in locum secretum secedit* animum tamen ad prædicandum promptum et expeditum semper habens, ad secretiora loca se transtulit, et ad Oceanum Scotiæ, non longe a Dunbarton et Lochgarloch, in loco omnium hominum sequestrato, per maria et montes excelsos circumdato, multis clarus miraculis obdormivit in Domino. *clarus miraculis moritur:* Quo in loco parochialis ecclesia de Rosneth ejus honori dedicata extat: ubi sanctissimæ hujus reliquiæ, in quadam capella cœmeterii ejusdem ecclesiæ, maxima in veneratione requiescunt et venerantur. *ejus Reliquiæ.*

# DE S. ULGISO, SIVE WLGISO,

B

## EPISC. ET ABBATE LOBIENSI IN BELGIO,

E

### Commentarius historicus.

J. B.

*SECULO VIII IV [illegible].*

Cœnobium est Lobiense in Belgio, ad Sabim flumen, in ipsis provinciæ Leodiensis Hannoniæque confinibus, antiquum ac celebre. Cujus situm ac nominis etymon Fulcuinus, illius Abbas, qui anno DCCCCXC decessit, Chronici sui exordio ita explanat: *Lobiensis monasterii situs,* Est locus, inquit, ubi intra terminos pagi, quem veteres a loco ubi superstitiosa gentilitas fanum Marti sacraverat, Fanum Martinse dixerunt; juniores a nomine profluentis fluvii Haynau vocaverunt; et pago Sambrino Sambra fluens blanda et amœna ripa decurrat: quem, hinc inde prominentibus collibus, planities quædam, et nemorum opacitas et opportunitas loci gratissimum reddit. In quo loco rivulus delabitur in Sambram, quem Laubacum vocant, eumdemque putant nomen loco dedisse: licet sint aliqui, qui pro opportunitate capiendarum ferarum (undique enim saltu cingitur, vicinaque erat Liptinas ii eo tunc regio, et prisco nomine permanente C Forestis adhuc dicitur) eo quod Rex pergens venatum, ibi sibi fieri jusserit obumbraculum ad temperandum solis æstum, quod Lobiam vocant, inde putant locum dictum nomine permanente; rivulumque a loco, non locum a rivulo nomen traxisse: quod videtur magis verisimile esse. Teutones huc astipulare videntur: nam locus ille eorum lingua Lobach dicitur. Et Lo quidem vocant obumbrationem, Bach autem rivum:

2 Breviùs B. Anso, octavus Lobiensis Abbas, in Vita S. Ermini Episc. et Abbatis, quam XXV Aprilis dedimus, de monasterio, inquit, quod derivative ex nomine fluvioli decurrentis per monasterium in amnem qui proprie nuncupatur Sambra, vocatur Laubacus. *[illegible]nun,* Alias Laubacum est neutro genere, in Vita S. Ursmari to. I Francic. Scriptor. Chesnæi, Laubias indeclinabile Eam, inquit, quæ est in Laubias, Christi Ecclesiam. At Fulcuinus in Chronico, S. Landelinum ait Lobiis demigrasse et paullo post, cui Lobbias apostolatus locum delegaverat Dominus. Eadem S. Ursmari Vita: Cum Lobia non sit Sedes episcopalis. Idem in historia Miraculorum, Mirac. 23 Lobiæ Pontifex appellatur. Harigerus in ejusdem Vita metrica cœnobium Laubiam, et Laubacum vocat, rivum Lobiam.

3 Hoc loco latrocinari solitus Landelinus, postquam S. Autberti Cameracensis Episcopi, magistri olim sui, diuturna lamentatione et jugi prece, ut lib. 2 Chronici Camerac. cap. 37 scribit Baldricus, a nefaria vita conversus est, ad eumdem locum secessit, eumque, ut habet Fulcuinus, sacris studiis initiavit, ut quem commaculaverat vitiis, dedicaret virtutibus; ut ubi superabundaverat peccatum, superabundaret et gratia, sicut ait Apostolus. In quo loco et ecclesiam sibi pro tempore constituens, deflebat quibus antea oblectabatur, manu et labore victum quærens, lasciviamque carnis jejuniis et vigiliis domans, et exercebatur summo mentis conamine in his quæ sunt Dei, ut omnes mirarentur, videntes commutationem dexteræ Excelsi. *fundatio, S. Landelino pœnitente,* Talibus igitur exercitiis, pluribus ad id studii confluentibus, speculum factus est: sicque Lobiensis cœnobii fundator extitit primus. Hæc Fulcuinus. Inde Crispinum migravit Landelinus. Nam, ut scribit loco citato Baldricus, ubi locus viri sancti pia conversatione florere cœpisset, et ex munificentiis Regum, sive potentum quorumlibet, quanto rebus F externis, tanto etiam numero monachorum interius abundaret, mox inde remotus, siquidem ut Deo strictius manciparetur, secretiorem locum expetere æstimavit. *locupletatio* Sed hæc plenius in S. Landelini Vita XV Junii.

4 Caussa illi Lobiis migrandi forsitan et Liptinæ fuere, Pipini Majoris-Domus palatium, horæ intervallo inde distans, vulgo nunc Lectines, qui locus sub Pipini filio ac nepotibus adeo celebris extitit, ut synodus isthic an. DCCXLIII habita sit. Fugerit vir sanctus vel distractionum occasionem a frequentia Lobiis concurrentium aulicorum, vel laudes, quibus eum fortassis nonnulli onerabant. *eo Crispinum migrante,* Quantum vero Liptinæ jam ante quingentos annos a pristino splendore deciderint, patet ex Miraculo XIX S. Ursmari, ubi ista habentur: Liphtinas nomen est fundi in pago Hainoensi, olim sedes regia, cum adhuc pax et justitia sibi obviarent in terra, nunc in beneficium plurimis distributus, vix sufficit annuis reditibus unius.

5 Secessurus autem Lobiis Landelinus, ut scribit Baldricus, eo loci præfecit beatum virum Dei Ursmarum, piis moribus præditum in functoria tantum prædicatione sacratum Episcopum. *Abbas S. Ursmarus,* Pipini voluntate id factum dicitur in Vita S. Ursmari to. I. Script. Francic. Chesnæi: Post discessum a Laubaco S. Landelini.

A delini, quem recedere ab eo loco gratia illuminandi Crispinium, ubi nunc requiescit, suaserat Spiritus Domini; B. Ursmarus (cui Laubias apostolatus et exercitii sancti delegaverat Dominus) verbo prædicationis et virtutum meritis clarus, accersitus a Pipino seniore..... idem monasterium suscepit regendum, per Hidulphi interventum, qui erat unus ex Principibus Regis majoribus. Ubi etiam pastorali inthronizatus cathedra, tanta, *etc. Eadem fere Fulcuinus, et brevius Sigebertus in Chronico.*

6 *Fueritne antea Ursmarus, ut quidam existimarunt, Suessionum Episcopus; an nulli certæ Sedi adstrictus, ordinatus tamen quo majori gratia et dignitate in conversionem gentium incumberet; an denique ut Aulæ Pipini, jam Regibus imperantis, Capellanus esset, ac majori polleret auctoritate (uti olibi Drogonem Ep. Metensem, ea caussa titulo* Archiepiscopi *ornatum a Pontifice adnotavimus) disputandum erit ad ejus Vitam* XVIII *Aprilis. Dubitat ipse Fulcuinus, cujus verba, quia ad Ulgisum quoque spectant, visum hic recitare.* Quare autem, *inquit*, eum Episcopum fuisse dicimus, sæpe a nobis quæsitum est. Nam textus descriptus Vitæ ipsius Episcopum eum fuisse docet; locum autem vel tempus ordinationis ipsius, vel a quibus ordinatus sit, omnino silet. Sed in chartis sub ejus tempore factis, ac perantiquis membranarum peciolis, quæ continentur in ecclesia nostra, inscriptum eum invenimus sub nomine Episcopi et Pontificis. Varia est de hoc seniorum nostrorum relatio; dicentibus quibusdam, quod prædicandi gratia, ut competebat tunc rudimentis novellæ fidei, ad compescendos superfluos ritus gentis barbaricæ, Episcopus fuerit ordinatus; quod factum quoque de S. Amando legimus: quibusdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionemque suam ratione quadam tuentibus; quod videlicet locus regius regia munificentia constructus, regio (ut dictum est) palatio contiguus, scilicet Liptinis, nulli committeretur, nisi prius esset ordinatus Episcopus. Quam dignitatem et in plerisque successorum ejus durasse, in subsequentibus dicemus. Quid horum verius sit, lectorum arbitrio committimus; nec in utramvis partem sancto viro derogamus, dum, quidquid horum sit, eum fuisse Episcopum non denegamus.

*simul Episcopus,*

B

*dubium an certæ Sedis.*

7 *Hæc Fulcuinus, qui deinde de S. Ermino ejus successore scribit:* Antequam decederet *Ursmarus*, fractus longa molestia, se vivo S. Erminum successorem sibi substituerat, in quem familiaritate quadam speciali se totum transfuderat, utpote in dilectum hæredem et gratissimum successorem. *Alter paullo B Anso in S. Ermini Vita:* Senescente vero S. Ursmaro graviterque infirmante, permiserunt spirituales filii sui ei licentiam deponendi se de culmine regiminis. Qui depositus cœpit suadere eis, ut hoc ipsum jugum Sancto imponerent Ermino Episcopo. Protinus vox omnium Clericorum ac laicorum una efficitur, ita ut nullus in his omnibus inveniretur, qui non ejus electionem clamaret. *S. Ursmarus postea obiit, ut habet Fulcuinus,* anno DCCXIII Dominicæ incarnationis, nobis in perpetuum Domino Deo regnante, et Pipino agente in sceptris; *Herstallio nimirum, sive Crasso, de quo hactenus, patre Caroli Martelli. S. Erminus vero, ut Anso scribit,* provectus ætate, et plenus dierum, in senectute bona anno septingentesimo et trigesimo septimo ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, VII Kalendas Maias perrexit ad Dominum.

*2 S. Erminus Ep.*

C

*mortuus an. 737*

8 *De S. Ermini successoribus, ut tandem ad S. Ulgisum veniamus, scribit idem Fulcuinus:* Habuit etiam et cooperatores et coabbates, Sanctum utique Abel, Scotum genere, et S. Wlgisum Episcopum Dominum Amulvinum æque Episcopum: qui utrum sibi invicem successerint, an S. Ermino spiritualibus occupato rebus locum in commune tractaverint, nihil certi reliquit antiquitas. Non tacuit tamen locum Lobiensem eos et tenuisse et gubernasse, sed et pro opportunitate temporum locum emeliorasse. *Alioquin post S. Erminum, inquit idem scriptor,* extitit Theoduinus Abbas; sub quo, Karlomanno Majore-domus concedente, villam Fontanas, quam Sambra alluit, Ecclesia nostra habere meruit; in cujus concessionis charta sic subscriptum est: Actum Liptinas villa publica, quo facit Februarius * dies sex, anno secundo regnante Hilderico. Et in hac stipulatione, signum, inquit, Karlomanni Majoris-domus qui hanc donationem fecit firmavitque. *Hanc donationem ita consignat Bucherius noster ad an.* DCCXLIII Theodevinus Ab. Lobiensis villam Fontanas ad Sambram impetrat a Karlomanno Majore-domus, Liptinis VI Februarii, an. II regnante Hilderico. Fulcuinus, Concilium Liptinense, seu Listinense, in Hannonia, Cal. Martii. *At concilium Liptinense habitum est tempore interregni, anno* DCCXLII *uti patet ex ejus præfatione:* Ego Karlomannus Dux et Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini DCCXLII, XI videlicet Kalendas Maii, cum consilio servorum Dei et Optimatum meorum, Episcopos qui in regno meo sunt, cum Presbyteris ad consilium et synodum pro timore Christi congregavi. *Annus vero secundus Hilderici fuit* DCCXLIV, *patet ex præfatione Concilii suessionensis:* In Dei nomine et Trinitatis. Anno DCCXLIV ab Incarnatione Christi et Luna XIV, in anno secundo Childerici Regis Francorum, ego Pipinus Dux et Princeps Francorum. *Non ergo sexto Februarii facta illa Fontanarum donatio est, sed anno* quo facit Februarius bis sex, *licet in MS. exemplari Fulcuini scriptum sit* Dies sex, *ut retulimus.*

*tum S. Ulgisus Ep. et alii,*

D

*AUCTORE I. B. incertum an simul.*

*Theoduinus erat an. 744*

* *lege,* bis.

*anno 2 Childerici III.*

E

ANIMAD. PAP. 62.

9 *S. Ermino successisse S. Theodulphum, huic S. Ulgisum scribunt Ægidius Waldeus in historia Gallica Sanctorum Lobiensium, Miræus in Fastis Belgicis aliique passim, nulla facta Theoduini mentione; perperam, ut ex dictis patet. At* Theoduino Abbati, *ut scribit Fulcuinus,* successit S. Theodulphus Episcopus in provisione prædicti loci, partim sub Pipino præfato Principe, post facto Rege; novem vero annis sub Carolo Rege, post facto imperatore.... obiit autem an. DCCLXXVI Dominicæ incarnationis, die vero festivitatis S. Joannis Baptistæ. Anso hunc sequitur in regimine. *Bartholomæus Fisenus noster, S. Ermino S. Ulgisum immediate an.* DCCXXXVII *successisse scribit. Quod omnino videtur asserendum, si quidem ipse, Amolwinus, Abel successive loco præfuerunt, et non simul cum S. Ermino, uti hic antea cum S. Ursmaro. Et vero, nisi forte alio ad Christi colendam vineam translati, non diu eam dignitatem tenuerunt, cum anno, ut diximus,* DCCXLII *jam Abbas esset Theoduinus.*

*tum S. Theodulphus.*

F

10 *Fuit S. Ulgisus, ut ante scriptum, simul Abbas et Episcopus. Hariolatur enim solito more Trithemius, dum lib. 3 de viris illustr. ord. S. Benedicti cap.* 256 *ita scribit:* Vulgisus ex Abbate Lobiensis cœnobii, Episcopus ibidem, vir sanctæ ac religiosissimæ conversationis, cujus multa feruntur insignia facta, monachorum et rector et incitator egregius fuit. *Et lib. 4 cap.* 192 Willegisus monachus et Abbas Lobiensis cœnobii, et postea ejusdem urbis Episcopus, vir excellentis ingenii, et magnæ eruditionis, sanctitatis suæ plura monimenta reliquit, tam in cœnobio quam in pontificatu. *Sed neque urbs Lobia erat vel S. Ulgisi vel Trithemii ævo, aut nunc est.* Villa *tamen, sive oppidum, appellatur in diplomate Guilhelmi Comitis Hannoniæ, dato* XXIX *Aug. an.* MCCCCIX *apud Waldæum. Deinde* S. Wlgisus *simul et Abbas et Episcopus extitit. Quam multa sint ab eo præclare facta, minime ambigimus: verum ubi eorum mentionem reperit Trithemius? ubi ejus eruditionis? quære sanctitatis ejus legit monumenta? Fulcuinus certe quingentis annis, et quod excurrit, Trithemio senior, et ejusdem monasterii*

*S. Ulgisi Acta, contra quam scribit Trithemius,*

*ignorata,*



*Abbas,*

A *Abbas, ita scribit* : Sed et de S. Wlgiso Episcopo nihil ad nos præter parum perlatum est. *Molanus* Vitam per Nordmannos intercidisse *arbitratur, adstipulante Fiseno. At Fulcuinus, Nortmannis Belgicam populantibus, corpora Sanctorum Lobiensium scribit Thudinium esse deportata, propugnaculum et munitissimum castrum. Quidni et scripta? Sed cur Ulgisi et aliorum quorumdam gesta ignorentur, ea videtur esse caussa quam Fulcuinus indicat, de S. Ursmari elevatione anno* DCCCXXIII *facta loquens* : Abhinc ergo cœpit, inquit, beati viri celebris fama crebrescere, et confluentibus languentium turmis ad diversa sanitatum genera, miraculis coruscare. Quæ multa prædecessorum nostrorum seu ignavia, seu imperitia ad tempus jacuerunt, et studia litterarum sunt prætermissa.

*qua caussa?*

11 *Quando obierit S. Ulgisus, ut jam diximus, non constat : illud constat, sepultum esse, uti et S. Ursmarum et alios* in ecclesia, quæ sita est in cacumine montis *(ut scribit in S. Ursmari Vita B. Anso)* ad cujus radices situm est monasterium. *Nam ipsius monasterii ecclesiam, ut habet Fulcuinus,* nequaquam passus *S. Ursmarus* pollui cadaveribus mortuorum, fecit aliam in honore S. Mariæ in montis vertice, cui subjacet prædictum monasterium, ubi cœmeterium constituit esse fidelium, et ad quam conflueret populus. Nam illicitus, ut nunc quoque, nisi certo tempore, apud aliam erat fœminarum accessus. *Testatur Miræus in Orig. cœnobiorum Benedictinorum in Belgio, ac Fisen noster, hactenus neminem in Lobiensi monasterio sepultum fuisse.* B

*ejus sepultura,*

12 *De S. Wlgisi veneratione constat Fulcuini testimonio* : Invenitur, *inquit*, in nostris perantiquis Martyrologiis dies natalis ejus sic adnotatus : Pridie Nonas Februarii, in Laubaco monasterio depositio S. Wlgisi Episcopi. Sed et mausoleum ejus, in quo conditus jacet in promptu est cernere. *Celebratur natalis ejus Binchii ac Lobiis, Molano teste, festo duplici majore, ut vocant. Extat ejus nomen non solum Lobiensi Martyrologio (quod est Adonis, sed subinde interpolatum) verbis jam ex Fulcuino recitatis inscriptum, sed et plerisque recentiorum, Molani, Canisii, Ghinii, Saussaii, Ferrarii, Bucelini, Balduini Willotii, Wionis, Dorganii. In antiquis cœnobii Lobiensis monumentis comperisse se scribit Ægidius Waldæus, ante annum Christi* DCCCC *elevatas fuisse SS. Ulgisi et Amolwini reliquias; et Ulgisum quidem in magna tunc fuisse veneratione, multis ad ejus concurrentibus tumulum, qui deinde veteri ecclesia ampliata obstructus sit.* D

*anniversaria celebritas 4 Febr.*

*elevatio ante an. 900.*

13 *Cum deinde bello, quod anno* MCCCCVI *adversus Joannem Bavarum Ep. Leodiensem a factiosis, qui Heydrosii, quasi Osores juris, vocabantur, excitatum est, Lobiense oppidum eversum et flammis maximam partem absumptum esset; translatum est ad oppidum Binchiense, annuentibus Joanne Episcopo, ejusque fratre* Wilhelmo *Hannoniæ et Hollandiæ Comite, collegium Canonicorum, una cum Sanctorum reliquiis, anno* MCCCCIX XX *Junii; recoliturque ea Translatio anniversaria memoria Binchii Dominica secunda post festum S. Joannis. De qua ad Vitam S. Ursmari plenius agemus, deque novis argenteis feretris, quibus eæ Reliquiæ inclusæ. Visuntur autem Lobiis in superiore ecclesia vacui eorum tumuli, in crypta sub choro. Coluntur vero alii Sancti, quorum Binchii nunc sunt corpora,* S. Ursmarus *Ep.* XVIII *April.* S. Erminus *Ep.* XXV *April.* S. Amolwinus *Ep.* VII *Febr.* S. Abel *Ep.* V *Aug.* S. Theodulphus *Ep.* XXIV *Jun.* S. Hidulphus Dux XXIII *Junii*, S. Amelberga *mater S. Gudilæ* X *Julii.* E

*Reliquiæ Binchium translatæ 1409*

*inclusæ argenteo feretro.*

14 *Molanus in prima editione Addit. ad Usuardum ad* IV *April. ista habet* : Eodem die Translatio sanctorum Confessorum Ulgisi, Amulguini, Theodulphi, Abel, atque Hildulphi. *Licet autem in altera editione hæc omiserit, consignant tamen eamdem Translationem Canisius, Wion, Menardus, Dorganius, Ferrarius. Quæ ea sit, nescimus : quamvis Wion eam quæ* XX *Junii facta intellexisse videatur; scribit enim* : Binchii, ex monasterio Laubiensi, translatio VII Abbatum et Episcoporum Laubiensium. *Fortassis Binchium advecta velut ad refugium eo die sacra corpora sunt, ac postea solenniter translata.*

*an secundo translatæ?*

# DE B. RABANO MAURO

## ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO IN GERMANIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

C

### § I. *Vita B. Rabani scripta.*

*ANNO DCCCLVI. IV FEBR. De B. Rabano Mauro*

Effulsit B. Rabanus *splendidum Theologorum sui temporis sidus : cujus doctrinæ virtutisque radiis illustrata Germania hoc usque gloriatur, se hunc præclarissimum Ecclesiæ luminibus haud imparem protulisse orbi Doctorem. Opera ejus, quotquot reperiri potuerunt, collecta olim a Jacobo Pamelio sunt, ac deinde opera studioque Georgii Colvenerii in lucem typis Coloniensibus missa. Illis præponuntur, quæ illustres Scriptores de Rabano elogia et testimonia dederunt. Addi iis possunt Nicolaus Serarius, et Christophorus Browerus e Societate nostra : ille libro 4. Moguntiacarum rerum de Rabano distinctas quinque supra viginti resolvit quæstiones ; iste in Antiquitatum Fuldensium libro 2 cap. 13, lib. 3 cap. 13 et 14 et lib. 4. in quinto Abbate Fuldensi varia de eodem proponit.*

*edita testimonia*

*et quæstiones.*

2 Vitam B. Rabani *tribus libris scripsit* Joannes Trithemius *ante Spanheimensis, tum Herbipolensis ad S. Jacobum Abbas; eamque dicavit* Alberto Brandeburgensi, Archiepiscopo Moguntino et Magdeburgensi *cujus imperio præfatur se* primum auctorem, hoc opusculum composuisse, atque ex diversis auctorum libris in unum codicem laboriose comportasse, *cum jam tum* a transitu ejus de hoc mundo computarentur anni quinquaginta novem atque sexcenti, anno *scilicet* millesimo quingentesimo quinto decimo. *Quare post tantum temporum intervallum non admodum mirandum est, si subinde aliqua correctione indigere ostendatur. Testem lib.* I *num.* 18, *lib.* 2 *num.* 14 *et* 16, *et lib.* 3 *num.* 13 *adducit* Meginfridum in lib. I de temporibus gratiæ, *de quo ita judicat in Chronico Hirsaugiensi ad annum Christi* MC. Claruit etiam his temporibus Meginfridus monachus Fuldensis Chronographus, qui velut rosa inter spinas, ita studiosus inter desides, carnales, ignarosque sui monasterii monachos, clarus emicuit. Is inter cetera ingenii sui opuscula, historiam sui monasterii ab origine diligenter complexus, Abbates singulos secundum ordinem temporis sibi invicem succedentes inseruit, et uniuscujusque gesta breviter annotavit : eorum quoque cœnobiorum, quibus vel monachos ex Fuldensi missos novit, vel Abbates, pari ratione meminit, quorum vel successiones Abbatum, vel memorabilia facta interserendo, compendiose descripsit. Ex cujus viri laboribus multa me fateor in hoc opere nostro, de Hirsaugiensi historia, necessaria commiscuisse. *Hæc Trithemius de Meginfrido : cujus historiæ jacturam luget Browerus lib.* I *Antiq. Fuldens. cap.* 14. F

*Vita a Trithemio scripta,*

*ex Meginfrido,*

3 *Meginfrido altero fere seculo senior Rhegino Abbas Prumiensis.*

A *Prumiensis, secundum Chronicorum librum de rebus præcipue Francorum contextum, ad annum Christi* DCCCCVIII *perduxit. Hujus Rheginonis Chronicon allegat Trithemius lib. 3 Vitæ, num. 4 : verum quod is Rabani in sua historia non meminerit, eum arbitramur aut Annalium Fuldensium auctorem a Trithemio creditum, aut certe hunc memoria lapsum. Extant hi Annales Fuldenses sæpius editi, a Petro Pithœo, Marquardo Frehero, et Andrea Chesneo, apud quem tomo 2 scriptorum historiæ Francorum præponitur hic titulus:* Annales Francorum Fuldenses ab anno Incarnationis Domini DCCXIV ad annum CM in cœnobio Fuldensi sub ditione Ludovici fratris Caroli Calvi Regis incepti, et usque ad excessum Arnulphi Imperatoris continuati : ab incertis, sed illius ævi Auctoribus. *Browerus in suis Annotationibus ad carmina Rabani, horum Annalium auctorem indicat* Walafridum Strabonem, *Rabani discipulum, quem asserit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* DCCCXLVII, Chronicam monasterii Fuldensis inchoasse, quæ per alios succedentes continuata, non parvum in editione *sui* operis juvamen præstiterit. *Ex hoc Chronico descripsit Trithemius lib. 3 Vitæ pleraque a Rabano Archiepiscopo gesta, quæ in Annotationibus observamus. Utinam etiam in prioribus libris ejusdem Chronici vestigiis*

*et Annalibus Francorum Fuldensibus.*

B *institisset! certiorem in annis computandis fuisset ducem secutus.*

4 *Antiquissimus rerum Rabani scriptor est* Ruodolfus *seu* Hruadolfus *aut* Rudolfus, *cujus sæpe mentionem fieri in Antiquitatibus Fuldensibus a Pistorio editis arbitramur, ubi chartas donationum sub Ratgario Abbate anno regni Caroli Magni* XLV, *Christi* DCCCXII, *et Ludovici Imperatoris anno* I *et* II, *Christi* DCCCXIV, *et sequenti scripsit Cancellarius, aut Scholasticus, aut Clericus. Sub Egile vero Abbate, ejusque successore Rabano anno* VIII, IX, X *et* XI *regni Ludovici, Christi* DCCCXXII, *et sequentibus, easdem chartas donationum scripsit Subdiaconus : dein Presbyter* Vitam B. Rabani, *sive, ut ad illam observat Browerus noster*, non tam Vitæ Rabani Phœbus hic noster vestigia premit, quam operum, quæ reliquiis transferendis et instruendis ecclesiis Rabanus suscepit, exequitur seriem. *Extat ea edita ex codice MS. Ecclesiæ Fuldensis apud Browerum lib. 3 Antiquitatum Fuldensium cap. 14 sub gemino hoc titulo :* Liber Rabani de reliquiis Sanctorum. Vita Rabani Abbatis edita a Rudolfo Presbytero. *Eadem Vita cum altera a Trithemio scripta extat ante opera Rabani cum hoc solum titulo :* Vita Hrabani Abbatis edita a Rodolpho Presbytero et Magistro. *Incognita fuit Trithemio.*

*Acta ejus necdum Archiepiscopi scripsit Rudolfus*

*Presbyter,*

C *Monachum fuisse Fuldensem et discipulum B. Rabani testatur ipse Rudolfus num. 5 Vitæ :* Huic itaque, *inquit*, monasterio Fuldensi quintus a B. Bonifacio præfuit in regimine Hrabanus Abbas et præceptor meus. *Scribit autem, quæ aut ipse vidit, aut ab oculatis testibus accepit. Ita num. 19 asserit :* Hæc miracula, quæ modo retuli, ab eis, qui præsentes erant, et ea se vidisse testati sunt, didici : cetera vero, quæ scripturus sum, ipse coram positus vidi : quia ex eis, qui ad perferendos sacros cineres missi fuerant, unus eram. *Agit de corpore S. Venantii anno* DCCCXXXVI *Fuldam translato. Et num. 34 :* Abbas circa honorem Sanctorum magnam gerens curam, me et quosdam Fratres obviam misit. *Acta ea sunt anno* DCCCXXXVIII. *Quæ B. Rabanus Archiepiscopus fecit, non attingit; sed post descriptam num. 49 ejus a regimine abdicationem anno* DCCCXLII *factam, recensitosque libros ab eo elucubratos, finit suam historiam; nisi reliqua desiderentur.*

*ejus discipulus,*

*testis oculatus*

5 *Edidit idem* Vitam S. Liobæ Virginis et Abbatissæ, *ad diem* XXVIII *Septembris referendam*, imperio, *ut præfatur*, venerandi Patris ac præceptoris sui Rabani Abbatis provocatus. *Quidni ita ejus jussu de Reliquiarum translatione ad cultum Sanctorum promovendum hunc laborem impendit, eique catalogum librorum adjecit? Eum scholis Fuldensibus præfuisse, et Ludovico Regi Germaniæ a concionibus et confessionibus extitisse, indicat charta donationis a Browero prolata, qua Rex Scholasticis Fuldensibus fauturus*, Luitulfo, Christano, et Hessoni, Comitibus, ceterisque fidelibus *edicit*, se censum et regios colonos et eorum omnium utilitatem, pro æternæ mercedis augmento, concedere cuidam fideli Clerico, Oratori et Confessori suo, Rudulpho videlicet monacho, qui præest scholaribus in monasterio S. Bonifacii Fuldæ; velleque fructum ad ceteros transire Scholasticos. Datum Fuldæ monast. VI Kal. Febr. Indict. XII. *Supradicti* Comites Christanus, Leutulfus, Hessi *in Capitulis Caroli Calvi leguntur in basilica S. Castoris apud Confluentes anno* DCCCLX *interfuisse reconciliationi Lotharii junioris cum patruis Ludovico Rege Germaniæ, et Carolo Calvo Rege occiduæ Franciæ. Obitus Rudolfi refertur in Annalibus Fuldensibus ad annum Christi* DCCCLXV : Ruodolfus Fuldensis cœnobii Presbyter et monachus, qui apud totius pene Germaniæ partes Doctor egregius et insignis floruit historiographus et poeta, atque omnium artium nobilissimus auctor habebatur, VIII Idus Mart. diem ultimum feliciter clausit. *In annum sequentem hæc differt Petrus bibliothecarius in historia Francorum abbreviata apud Chesneum tomo 3. Scriptorum historiæ Francorum. Ab Ermenoldo, sive Ermenrico, in Vita S. Solæ Abbatis,* E *x Decemb. salutatur in præfatione illi facta*, Didascalus, et venerandus Magister, et omni arte ex Rabani doctrina peritissimus, magni ac multiplicis ingenii vir.

*alia Vitam S. Liobæ*

D *AUCTORE G. H.*

*Confessarius Ludovici Regis,*

*mortuus anno 865,*

*vir eruditissimus.*

## § II. *Patria et nomina B. Rabani.*

De *natali B. Rabani solo, Britannos inter et Germanos quæstio olim controversa, ob nonnullorum hujus temporis scriptorum aviditatem, qua suæ patriæ viros illustriores levissima ratiunculæ cujusdam umbra adscribunt, paucis hic est resolvenda. Raphael Volaterranus libro* 19. *Anthropologiæ, in qua componenda anno* MDV *distinebatur, errorum suorum duces ita profert :* Rabanus, *inquit*, Anglicus monachus, summusque Theologus, carmine prosaque disertus, ut scribunt Ricobaldus Ferrariensis, et Ptolomæus Lucensis, fuit Præsul Meldensis, Bedæ discipulus, tempore Ludovici Pii, et Gregorii V. Scripsit in librum Paralipomenon secundum, et Macchabæos : habuit etiam conciones ad populum : Scholam Parisiensem tunc primo inchoatam, sua doctrina celebriorem reddidit. *Vixerunt, eodem Volaterrano teste lib. 18 et 22, ab eo citati, Ptolemæus Lucensis, Ordinis Prædicatorum, circa annum* F MCCLXX, *et Gervasius Ricobaldus Ferrariensis, Canonicus Ravennas, circa annum* MCCC, *cujus historiam necdum scimus in lucem prolatam. In verbis Volaterrani multa difficilia sunt. Primo, ex affinitate nominum*, Meldensis *urbs Galliæ ad Matronam fluvium, cum Moguntina Germaniæ metropoli ad Rhenum confunditur : hæc quippe vulgo* Ments, Maintz *et* Mayence; *illa* Meaux *et* Melds *appellatur. Secundo, nullum in Meldensi cathedra unquam sedisse Rabanum, ex catalogo Episcoporum Meldensium apud Joannem Chenu, et Claudium Robertum manifestum est. Quo tempore Moguntinis præerat Rabanus, apud Meldenses Hubertus, sive Hurbertus erat Episcopus, qui interfuit Conciliis Meldensi anno* DCCCXLV, *Turonensi* DCCCXLIX, *Suessionensi et Vermeriensi* DCCCLIII.

*B. Rabanus patria non fuit Anglus,*

*neque Meldensis Episcopus,*

7 *Verum non æque constat, num hæc tempora assignentur apud Volaterranum, ubi* Bedæ discipulus, *et* Præsul *dicitur fuisse* tempore Ludovici Pii, et Gregorii V. *Pontificatum gessit hic a* XII *Junii anni* CMXCVI ad XVIII *Octobris anni* CMXCIX, *cum annis* CLIX *Ludovicus Pius e vivis abiisset, quo imperante regimen Ecclesiæ assumpsit Gregorius IV*, XXIV *Septemb. anni* DCCCXXVII : *et supervixit ad annum* DCCCXLIII, *cum triennio ante obiisset Ludovicus*

*neque S. Bedæ discipulus,*

AUCTORE G. H.

*dovicus Imperator. Utrique superstes fuit Rabanus necdum ad Episcopalem dignitatem assumptus. Verum ad scholam venerabilis Bedæ, ultra integrum tum seculum vita functi, frustra discipulus Rabanus a pluribus relegatur. Inter hos præcipuus Vincentius Bellovacensis lib.* 23. *Speculi historialis cap.* 173 *ex Chronicis ita scribit de Albino Flacco :* Scientia vitaque præclarus, sapientiæ studium de Roma Parisios transtulit, quod illuc quondam e Græcia translatum fuerat a Romanis : fueruntque Parisiis Fundatores hujus studii quatuor monachi Bedæ discipuli, Rabanus et Alcuinus, Claudius et Joannes Scotus. *Andreas Chesneus in Præfatione ad opera Alcuini a se illustrata, utrumque negat : eum scilicet et Bedæ discipulum fuisse, et Parisiis unquam docuisse. In Vita Alcuini auctore Anonymo, sed coævo, dicitur* beati gentis Anglorum Bedæ doctissimi discipulo Hechberto Præsuli, meritis Magistro simili, traditus. *Et quidem fuit hic Hechbertus, sive Ebertus, Archiepiscopus Eboracensis ab anno Christi* DCCXXXI, *quo Beda mortuus est, ad annum* DCCLXVII : *quæ tempora Egberti attigit Alcuinus, in senectute anno* DCCCIV *vita functus. Sed hæc plenius discutientur ad ejus Vitam* XIX *Maii. Verum esto, fuerit Alcuinus Academiæ Parisiensis fundator ; tamen plurima obsunt, quæ vetant credere Rabanum fuisse aut potuisse existere ei socium in Academia illa instituenda : qui adhuc adolescens ejus sub obitum discipulus fuit apud Turones.*

*neque cum Alcuino Parisiensis Academiæ Fundator.*

ANIMADV. PAP. 63.

8 *Alii Scotum dixerunt Rabanum, forsan mutata superiorum verborum lectione decepti, qua monachi illi quatuor* Rabanus et Alcuinus, Claudius et Joannes Scoti, *non hic solum* Scotus, *traduntur. Apud Robertum Gaguinum, qui anno* MD *floruit, hæc ita leguntur lib. 4 de rebus Francorum :* Delati nave ex Scotia Claudius et Joannes, Rabanus quoque et Alcuinus ex Venerabilis Bedæ discipulis, etc. *Sed in his insolenter forte et pingui stylo excutire voluit, ut eum solere in iis, quæ ad Italiam pertineat, arguit Jovius in elogiis, et in aliis conqueritur Jacobus Mejerus lib.* 17 *Rerum Flandricarum. Gaguinum secuti in Historiis suis Scoti, Hector Boethius lib.* 10, *Joannes Lesleus lib.* 5 *in Donaldo V, et David Camerarius in Menologio Scotorum ad* IV *Januarii, ubi hæc habet :* S. Rabanus Maguntius Maurus, Academiæ Parisiensis fundator, Abbas Fuldæ, Abbas (*lege* Archiepiscopus) Moguntiæ. De eo agunt Wion in Adjunctis, Josias Simlerus, Gesnerus, Lilius Giraldus, Ferrariensis, Balæus ipse, juratus pietatis et Scotiæ hostis, centuria 2 cap. 17, Zabarella Cardinalis apud Chassanæum, et alii, qui omnes fatentur eum esse natione Scotum : *quod facilius revocaret, quam probaret eos dixisse. Wion loco citato de solo natali silet ; sed probat ex Annalibus Fuldensibus eum* IV *Februarii, non Januarii obiisse. Ob auctoritatem Riccobaldi Ferrariensis a Volaterrano Anglicum monachum haberi supra dictum est. Gesnerus relato Rabano Anglico ex Volaterrano, quasi ab hoc diverso, addit :* Apparet omnino eumdem esse cum sequente Rabano, quamquam diversa quædam ceu de duobus Rabanis scribantur, cum ille Anglicus, hic Teuthonicus dicatur. *Et mox* Rabanum Maurum *dicit in annotatione* Teuthonicum, ex civitate Fuldensi in Buchonia. *Gesnerum describit Simlerus in epitome, nec Scotiæ meminerunt. Balæus centuria et capite prolatis de Alcuino agit, Anglumque appellat, nulla Rabani facta mentione. An Giraldus et Zabarella eadem fide a Camerario adducantur, non libet disquirere, locis, quibus de eo agant, non indicatis. Thomas Dempsterus Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum, lib.* 16 *num.* 1037 *Rabanum quam maximo conatu suæ nationi adscribit, quasi in Scotia natum, atque in Mailrosensi monasterio vitam religiosam sub regula D. Benedicti amplexum, deinde post fundatam Parisiensem Academiam, a Carolo Magno Meldensi Episcopatu donatum, sed maluisse inter monachos Fuldenses adoptari, ubi sub eodem Carolo ei cura monasterii sit commissa. Verum post mortem Caroli Magni, anno Christi* DCCCXIV, *vita functi, elapsi octo anni sunt, antequam Rabanus Abbas crearetur, quod anno* DCCCXXII *factum. Fabula de Meldensi Episcopatu, et Parisiensi fundata Academia jam satis rejecta. De Monasterio Scotiæ Melrosensi egimus* XXIII *Januarii ad Vitam S. Boisili. Monachum ibidem egisse Rabanum* in gloriam gentis suæ *primus* finxit *Dempsterus, si ex lege talionis ita loqui liceat : quod probrum ipse ibidem objicit Trithemio* Germanum *asserenti* Rabanum. *Certe auctores ipse suos proferat, aut aliud in eum retorqueri posset convicium, quo ea a monachis* Germanis *conficta scribit, quæ aliter nequit refutare. Sed ad certiora properemus.*

*Non etiam Scotus ortu est*

*neque in monachus Mailrosensis.*

9 Germanum, *seu* Francum Orientalem, *reliqui eum fecerunt : Philippus Bergomas in supplemento Chronicarum ad annum* 833, *Hartmannus Schedel in Chronico Chronicorum, Wion lib.* 2 *Ligni vitæ cap.* 26, *Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis. Et fere ex Fulda oriundum volunt Trithemius in Vita lib.* 1 *num.* 5, *de Viris illustribus Ord. S. Benedicti lib.* 3 *cap.* 319, *et lib.* 4 *cap.* 81. *lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, et in Catalogo illustrium Germaniæ Scriptorum : Eisengrenius in Catalogo testium veritatis, Sixtus Senensis in Bibliotheca sancta lib.* 4. *Possevinus in Apparatu sacro tomo* 2, *Serarius lib.* 4 *Rerum Mogunt. in Rabano quæst.* I, *Browerus lib.* 1 *Antiq. Fuldens. cap.* 2, *et alii a quibus dissentimus cum Colvenerio in Prolegomenis ad opera Rabani, neque absque urgenti ratione. E vita migravit B. Rabanus in vico habitationis suæ, tribus a Moguntia milliaribus in descensu Rheni ad dexteram sito,* Vinicella, Wincella *et* Wunckel *appellato : ex quo vico corpus ejus, sicut vivus ordinarat, Moguntiam relatum est, et in ecclesia S. Albani sepultum. Huic sepulturæ affixum epitaphium refertur infra a Trithemio lib.* 3 *Vitæ num.* 15, *quod ipse in memoriam ejus scriptum tradit, sed a quo silet. Rabanum, antequam moreretur, illud composuisse, et sibimet parentasse asserunt Wion et Browerus locis citatis : Serarius quæst.* 25 *et ultimo idem probat ex MS. Wimpfelingio, et a nemine addit hactenus negatum : quod postea fecit Dempsterus loco ante citato* in gloriam gentis suæ. *Ex hoc epitaphio* Moguntinum Rabanum *arbitramur fuisse. In eo hi versus ita distinguendi leguntur :*

*Origine Germanus,*

*natus non Fuldæ,*

*sed Moguntiæ,*

Urbe quidem hac genitus sum, ac sacro fonte renatus
In Fulda post hæc dogma sacrum didici.

*Ita interpungunt Colvenerius loco citato, Baronius tomo* 10 *Annal. Eccles. anno* 856 *num.* 26, *Browerus in libro quo Hrabani Poemata ex antiquis MSS. recensuit. Huic interpunctioni favent, quæ in libro Rabani de Universo adscripta ex MSS. profert Colvenerius his verbis :* Rabanus Maurus, Moguntiæ natus et renatus, et a puero in Fulda monachus, deinde cella inclusus, tandem in Archiepiscopum assumitur : cujus idonea sunt opuscula in utriusque Testamenti pagina, et ante portam prædictæ civitatis meridianam apud S. Albanum sepulchri ejus ostenditur memoria, in Sanctorum Archiepiscoporum Martini et Bonifacii capella. *Sic ibi : quæ ex ipso epitaphio desumpta sunt, absque ulla utrobique Abbatialis dignitatis mentione.* Cella inclusus *dicitur ad hujus versus allusionem :*

Cella tamen mihimet mansio grata fuit.

10 *Quid, quod Fulda licet præclaris ædificiis et muris excelluerit, non urbs tamen neque oppidum tempore B. Rabani censeri potuerit. Id plurima tum facta diplomata atque a Pistorio edita requirunt. Supplices apud Carolum Magnum, referente Browero lib.* 1 *cap.* 6. *ex antiquis monumentis, monachi Fuldenses contra Ratharium Abbatem, sub quo ibidem vixit B. Rabanus, instabant, ut ædificia immensa atque superflua et cetera inutilia opera omitteret, quibus Fratres acciderct ultra modum fatigari, et familias foris deperire. Et Ludovicus Pius ad Ægilem in depositi Ratharii locum electum Abbatem,*

*illa tum necdum urbe existente,*

A *Abbatem, in hujus Vita jussu B. Rabani a Candido scripta, ita affatur :* Immensa vero ædificia, Pater, et opera non necessaria, quibus familiæ foris et intus Fratrum congregatio fatigatur, exhinc penitus ad mensuram dimitte. *Quæ ædificia in altera Ægilis Vita metrica Candidus hyperbole Poetica ingentia mœnia appellat :*

— Undisonis serpens ubi labitur amnis
Fulda, unde iste locus, ubi ingentia cernis
Mœnia, prima olim nomen ab origine sumpsit.

*Hæc de ædificiis, quæ nusquam legimus Fuldæ tum nomen aut urbis aut oppidi peperisse. Moguntia ergo urbe* B. Rabanus *oriundus, natione fuit, ut tum loquebantur,* Francus. *Quo ipse modo in versiculis suis, quibus, assumpta persona Alcuini præceptoris sui, Acrostichа sua de Cruce commendat, se* Francum *appellat :*

*hac Francorum Orientalium metropoli.*

Ipse quidem Francus genere est, atque incola silvæ
Buchoniæ, *etc.*

*Ita* regnum Ludovici *in Annalibus Fuldensibus ad annum* 852 *constat* ex Orientali Francia, Bajoaria, et Saxonia. *Horum* Francorum *in Ven. Bedæ epitome* S. Bonifacius *dicitur* Episcopus, *cujus Sedes erat Moguntia : quæ a Reginonis continuatore ad annum* 353, Metropolis Franciæ regiaque civitas, *et a Viterbiensi parte* 17. *ad annum* 710 inclyta Francorum sedes *nominatur.*

B 11 *Hæc de patria. De ejusdem nomine et agnominibus pauca hic addenda. Trithemius infra libro* 1. *Vitæ,* Rabanum cognomento Maurum, familia Magnentium *facit. Serarius quæst.* 2 *ob suum erga Hebraicam linguam affectum, in Rabani nomine illustre omen agnoscit, cum Doctor Magisterque tantus fuerit. Hebræis enim a multiplici doctrina* Rab Doctorem *dici, unde Rabbinis sua dignitatis nomenclatura. In scriptione ejusdem nonnulla diversitas, quod* Rabanus, Rhabanus *et* Hrabanus *scribatur, eodem prorsus modo, quo* Ludovicus, Lotharius, *similiaque nomina etiam cum adspiratione leguntur,* Lhudovicus, Lhotarius *et* Hludovicus, Hlotharius. *Freculphus Episcopus Lexoviensis, de quo infra plura, in sua ad Rabanum epistola, Commentariis hujus in Genesim præfixa, litteram prænominis primam seorsum annotari petit, ubi propria animi sensa exponeret. Cui Rabanus in suo responso addicit se,* si quid Divina gratia indigno sibi elucidare dignata est, in locis necessariis cum nota agnominis interposuisse : *ubi per prænomen* Rabanus *et per agnomen* Maurus *intelligi oportet, ut ipse in Præfatione Commentariorum suorum in libros Regum ad Hilduinum Abbatem clare explicat, cum occasione hujus agnominis.* Ubi sensum, *inquit,* meis verbis expressi, aut ubi juxta sensus

*Nomen Rabani*

*vere scriptum,*

*agnomen a Mauro*

C eorum *(Patrum antiquorum)* similitudinem, prout Divina gratia mihi concedere dignata est, de novo dictavi; M litteram, Mauri nomen exprimentem, quod Magister meus, beatæ memoriæ Albinus mihi indidit, prænotare curavi. *Inditum id suspicamur ad honorem S. Mauri discipuli S. Benedicti, cujus Vitam dedimus* XV *Januarii. Non recte ergo conjicit Dempsterus ab habitu corporis Maurum vocatum. Magnentii, aut Magnentianæ familiæ, quam profert Trithemius, nulli coævi, quos viderimus, meminerunt. Sigebertus de scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 90 *sub distinctione ita cognominat :* Rabanus, *inquit,* qui et Maurus, seu Magnentius, ex Abbate Fuldensi, Archiepiscopus Moguntiæ. *At Serarius ait* videri subtimuisse, ne quia Rab Germanis corvus est, Rabanus putaretur corvinus, ideoque sese ad Hebræam vocem, quæ multum, magnumque significet, contulisse, Magnentiumque appellasse. *Quid Dempsterus velit, dum cognomento Gallico Magnentium vocatum scribat, non capimus.*

*ab Alcuino inditum.*

*Magnentii cognomen a posterioribus additum.*

12 *Sophista etiam appellatur in Annalibus Fuldensibus ad annum* 844, *a Sigeberto ad an.* 824, *Vincentio Bellovacensi in Speculo historiali lib.* 24 *cap.* 28, *S. Antonino par.* 2, *tit.* 14 *cap.* 5. *eisdem ubique verbis :* Rabanus Sophista, et sui temporis Poetarum D nulli secundus : *a Trithemio lib.* 1. *Vitæ num.* 13, Sophistarum omnium nominatissimus *dicitur habitus et fuisse. Ob variam scilicet in omni genere scientiarum eruditionem nomen Sophisticum tum magnam laudem conferebat.*

AUCTORE G. H.

*Sophista honoris causa appellatus.*

## § III. *Studiorum locus, tempus, socii B. Rabani.*

Qui *B. Rabanum gente Anglum aut Scotum dixerunt, Bedæ discipulum fecere, licet seculo fere distarent. Quorum opinione rejecta, verius dicunt alii, audiendo Alcuino Flacco operam eum navasse, quod hic disceptandum. Trithemius lib.* 2 *de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap.* 26, *ita de Alcuino scribit :* Hic fuit discipulus quondam Venerabilis Bedæ Presbyteri in Anglia, post cujus decessum cum tribus sociis monachis venit in Galliam, et aliquamdiu in monasterio Fuldensi moratus, plures ex monachis clarissimos enutrivit discipulos : inter quos habuit præcipuos Haymonem postea Episcopum, Isuardum monachum, et Rabanum Maurum tunc puerum, qui in virum magnum postea excrevit. *De harum Alcuini scholarum apud Fuldenses præfectura, nullum alibi est vestigium : neque ipse in hac sua sententia perstitit Trithemius, qui infra lib.* 1 *Vitæ cap.* 2 *vult* Alcuinum Romæ fuisse E custodem et ministrum ecclesiæ Lateranensis, ac scholis monachorum publicis præsidentem, *atque ad eum Romam a Ratgario Abbate missum* B. Rabanum cum Haymone et Diedone, *quorum ille postea fuit* Episcopus in Halberstat, *hic tertius a Rabano Abbas* Fuldensis. *Tertium denique regimen assignat idem Trithemius in Chronico Hirsaugiensi in Lantberto primo Abbate :* Præceptorem, *inquit,* habuerat Rabanus ex discipulis Bedæ Anglici monachi verendissimum virum Albinum monachum, et Abbatem monasterii S. Martini Turonensis, Magni Caroli imperatoris quondam didascalum, a quo ipse hauserat in Gallia, quod alios in Germania postmodum docebat.

*Alcuinum audit præceptorem,*

*non Fuldæ,*

*neque Romæ :*

*sed in Gallia,*

13 *In Vita lib.* 1 *num.* 12 *aut* Parisiis, *et* Suessione apud Gallos docuisse Albinum. *Ad Suessiones nusquam legimus Rabanum missum, quem sub Alcuino Parisiis studuisse tradit Serarius quæst.* 10. Parisiis, *inquit,* Albinum docendi munere perfunctum esse, illiusque nobilissimi scientiarum emporii fundamenta cum doctissimis aliquot viris aliis jecisse, testes quotquot de Academia illa scripsere, ita ut hic non dubitem, Rabanum eam, qua post eminuit, variam sane ac multiplicem doctrinam ex uberrimo illo fonte hausisse. *Sed hi testes una cum eum Albino Academiæ Parisiensis fundatorem dixerunt. Hæc lib.* 5 F *Ligni vitæ cap.* 71 *asserit, cum* Lutetianam Academiam, ab Anglis et Scotis monachis ante inchoatam, ad perfectionem ac omnis intimæ eruditionis cumulum perduxisse. *Bruschius in descriptione Fuldensis monasterii, et Cyseugreitius in catalogo testium veritatis* Gymnasii Parisiensis Professorem *faciunt; eos, qui B. Rabanum natione Anglum aut Scotum, Bedæ discipulum; Alcuini socium dixerunt, temere secuti.* Parisiis Rabanum vixisse, nedum Doctoris ibi, vel discipuli munere functum esse, veterum neminem prodidisse *scribit Browerus in scholiis ad Poemata Rabani sub initium, qui deinde ad Poema* 13 *beneficia perantiqui MS. indicis Abbatum hæc refert :* Ratgarius in partibus Germaniæ parentibus nobilibus natus, susceptus est a S. Sturmione in monasterium Fuldense, et successit Baugulfo in regimine Abbatiæ anno Domini DCCCII, et depositus fuit anno Domini DCCCXVII. Hic nobiliter rexit monasterium per XVI annos. Rabanum et Hattonem Thuronis direxit ad Albinum Magistrum, gratia liberales discendi artes; Brunonem ad Einardum variarum artium Doctorem peritissimum.

*non apud Suessiones,*

*aut Parisios,*

*sed in monasterio Turonensi S. Martini,*

A tissimum; Modestum et Candidum cum aliis ad Clementem Scotum Grammaticæ studendi gratia. *Huic MS. monasterii Fuldensis adstipulantur, quotquot de Alcuino scripserunt. Auctor Vitæ coævus :* Postquam Albinus, *inquit*, ad Karolum reversus est, S. Martini apud Turones præficitur Pastor monasterii. *Chronicon Turonense.* Anno DCCXCVI Karolus Rex instituit Canonicos in ecclesia B. Martini Turonensis, auctoritate Adriani Papæ, eisque S. Alchoinum Magistrum suum Abbatem præfecit. *Cum onere docendi scribit Monachus Sangallensis lib. I Vitæ Caroli Magni :* Dedit Albino, *inquit*, Carolus Rex Abbatiam S. Martini juxta Turonicam civitatem, ut quando ipse absens esset, illic requiescere, et ad se confluentes docere deberet. Cujus in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli, sive Franci, antiquis Romanis vel Atheniensibus æquarentur. *Magnam etiam Alcuinum inter et monachos Fuldenses fuisse animorum conjunctionem indicat Auctor Vitæ :* Cum, *inquit*, senectute unaque infirmitate plus solito se sentiret affectum, diu ut secum tractaverat, velle se significavit Regi Karolo seculum relinquere, postulans licentiam apud S. Bonifacium monasticam vitam secundum regulam S. Benedicti ducere, monasteriaque sibi commissa suos ut inter discipulos B divideret, si fieri posset. Sed Rex terribilis et pius unum cum omni postulationis affectu denegavit : alterum libenter audivit, flagitans, quietissimus Turonis æque honorificentissime ut resideret, sibique et omni sanctæ Ecclesiæ commissa non detrectaret. Onera vero seculi, quæ ipse habuerat, discipulis ut petierat, libentissime dispertiit. Fecit ergo et ipse Albinus, ut Rex sapientissimus rogaverat, non quærens, quid sibi foret utile, sed quod multis ; ac Turonis diem novissimum præstolatus fuit. Decessit *autem, ut idem scribit*, die Pentecostes XIV Kalend. Junii anno DCCCIV.

*Auctore G. H.*

15 *Hinc B. Rabanus ab eo institutus, cum* a Ratgario Abbate, qui in regimine successit anno DCCCII, Thuronis directus *legatur, vix alterum annum habuit, quia mors Alcuinum illi præceptorem eripuerit. Aliam procul a vero arripuit chronotaxim Trithemius in Vita lib. I cap. 2, qua ab anno DCCCVI, sexennio integro usque ad annum* DCCCXII, *statuit sub eo Rabanum exercitatum, eodem forte nixus fundamento, quo Romæ tum Alcuinum dicit vixisse* Custodem et Ministrum ecclesiæ Lateranensis ; *his verbis desumptis, ex carmine quod libro de Cruce præponitur; quasi Alcuinus adhuc superstes fuisset sub pontificatu Gregorii IV anno* DCCCXXIII C *electi, eique coram Romæ librum hunc obtulisset. Errorem late pervagantem adduxit vulgata hæc inscriptio :* Intercessio Albini pro Mauro. *Verum Auctor carminis est ipse Maurus Rabanus, sed assumpta persona Albini : Patronus, quem invocat, S. Martinus : civitas, ad quam libri exemplar dono transmittit, Turonum est, ubi Albinus Doctor et Rabanus discipulus vixerunt. Hoc probant versus ipsi, eorumque genuinus titulus ex probato et pervetusto MS. ante Poemata Rabani a Browero evulgata.*

*sub initium seculi IX.*

*Post Alcuini obitum,*

16 Versus Mauri ex persona Albini Magistri sui de libro sanctæ Crucis ad S. Martinum directo, ubi Magister pro discipulo suo S. Martinum deprecatur.

*ex ejus persona scripsit hoc carmen :*

Sancte Dei Præsul, meritis in secula vivens,
Caussam, quam ferimus, suscipe mente pia.
Nempe ego cum fueram custos, humilisque minister
Istius ecclesiæ, dogmata sacra legens,
Hunc puerum docui Divini famine verbi
Ethicæ monitis, et Sophiæ studiis.
Ipse quidem Francus genere est, atque incola silvæ
Bochoniæ, huc missus discere verba Dei :
Abbas nempe suus, Fuldensis Rector ovilis,
Illum huc direxit ad tua tecta, Pater.
Quod mecum legeret metri scholasticus artem,
Scripturam et sacram rite pararet ovans. D
Ast ubi sex lustra implevit, jam scribere tentans,
Ad Christi laudem hunc edidit arte librum :
Quo typicos numeros, tropicas et rite figuras
Indidit, ut dona panderet alma Dei,
Passio quid Christi mundo conferret honoris,
Qualiter antiquum vinceret et chelydrum :
Quod sic venturum sancti cecinere Prophetæ,
Ac libri legis grammate rite dabant.
Et quia se meminit nutritum in dogmate claro
Istius ecce loci, hinc tibi dona feret.
Quæ licet indigna et vilia sint, tu tamen ipsa,
Patronus mitis, accipe, quæso, pie.
Altithrono et redde pignus, quod præstitit ipse,
Instanter poscens artifici veniam.
Qui quantum potuit, non quantum debitor ipse
Extitit, ut grates redderet ore Deo.
Crimine pro miseri largas tum funde petentis
Alme preces Domino : sicque juvato tuum.
Qui multa infanda semet egisse fatetur,
Ætas lasciva quanta patrare solet.
Sed spes firma manet, bonitas et magna Tonantis,
Ipsum quod salvet Omnipotens Medicus :
Sanguine qui proprio laxavit debita mundo,
Abluit et fonte crimina multa sacro.
Tantum tu precibus ipsum meritisque sacratis E
Commenda Christo, sicque beatus erit.
Præsentem ut vitam peragat, sospesque futuræ
Servetur patriæ, protege, sancte, tuos.

*Planissimus cuicumque horum verborum sensus est, si* Præsul Dei sanctus et Pater *sit* S. Martinus, *cui Turones omnia debent, ubi* Abbas *seu* custos *et* ecclesiæ minister Alcuinus, *ad quem* Abbas Fuldensis Ratgarius B. Rabanum direxit.

17 *De sociis studiorum cum B. Rabano Fulda missis, item Trithemio movet index MS. Abbatum Fuldensium citatus, in quo dicitur* Ratgarius Rabanum et Hattonem Thuronis direxisse ad Albinum magistrum. *Apud Trithemium vero in Vita ;* Rathgarius misit Hrabanum cum aliis duobus monachis Haimone et Diedone, quorum prior postea fuit Episcopus in Halberstat; posterior vero Hattoni in Abbatia Fuldensi Fratrum electione successit *anno* DCCCLVI, *ut referunt Annales Fuldenses, ab obitu Alcuini* LII, *atque ita septuagenario major in sua electione fuisset. Potuit* Diedo, *qui aliis* Thiotto *dicitur, cum suo decessore* Hattone *confundi : imo et ipse* Haymo *seu* Heimmo *in hujus locum irrepsisse apud Megingfridum aliosque scriptores, quos secutus est Trithemius loco citato, et de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti lib.* 2 *cap.* 32 *et* 144 : F *ubi addit se nihilominus nosse tria monasteria, quæ eum velut suum defendant : eorum unius partes suscipit lib.* 4 *cap.* 195. Haymo, *inquit*, monachus Hersfeldensis, et tertius Abbas ibidem, ac deinde in locum Tiagrini tertius Episcopus Halberstatensis consecratus, rexit eamdem Ecclesiam strenue XIII annis, moritur anno Domini DCCCXXXIV, Indictione XII. *Ast Abbatem eum* Hersfeldiæ fuisse, nec Lambertus Schafnaburgensis hoc tempore recipit, nec probat Historia publica *apud Browerum lib. I Antiq. Fuld. cap.* 13 *:* siquidem ab anno DCCCXXX, usque ad annum DCCCXLVI, Brunonem sedisse testatur, qua tamen annorum intercapedine Haymo factus est Episcopus. *Rectius igitur Chronicon MS. Saxo-Franconicum loco dicto a Browero citatum :* Anno Domini DCCCXL, Heimo Hersfeldensis monachus, tertius Episcopus Halberstaden. a Ludvico filio Pii Ludvici mittitur, et anno XIII, suæ ordinationis VI Kal. Aprilis obiit, et Halberstad sepelitur, in cujus locum Hildigrin Episcopus est ordinatus. *Sic ibi* V Kalen. Aprilis defunctum anno DCCCLIII, *referunt Annales Fuldenses. Hunc locum expressit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an.* 847. Claruit in Saxonia, *inquit*, Haymo ex monacho Hirsfeldensis

*Socius B. Rabani Hatto Fulda missus,*

*non Diedo,*

*neque Haymo,*

*ex monacho Hersfeldensi*

*Episcopus Halberstadensis,*

A feldensis cœnobii, tertius Episcopus Halbestatensis, qui anno Domini DCCCXL, Indictione III, in Episcopum ordinatus, præfuit annis XIII, in omni sanctitate et doctrina. *Potuit tamen Haimo aut ab Hirsfeldensi Abbate missus ad Alcuinum apud Turones cum B. Rabano adolevisse, aut potius in monasterio Fuldensi sub disciplina B. Rabani studuisse. Ipse Rabanus in Præfatione libri de universo, Hemmoni dedicati sic scribit :* Memor sum boni studii tui, sancte Pater, quod habuisti in puerili atque juvenili ætate in litterarum exercitio, et sacrarum litterarum meditatione, quando mecum legebas non solum Divinos libros, et sanctorum Patrum super eos expositiones, sed etiam hujus mundi sapientiam, de rerum naturis solertes inquisitiones, quas in liberalium artium descriptione, et ceterarum rerum investigatione composuerunt. *Ob quæ verba inter discipulos Rabani censet etiam Serarius quæst.* 12 *: sic enim in carmine citato dicitur etiam B. Rabanus cum præceptore suo Alcuino* legisse metri scholasticus artem. *Qui anno Imperii Ludovici Pii* II, III, IV, VII, X *et* XX, *in Antiquitatibus Fuldensibus apud Pistorium sub Abbatibus Ratgario, Egile et Rabano varias donationum monasterii Fuldensis chartas scripsit Hemmo, eumdem forte cum Episcopo Halberstadiensi censendum esse, temporis doctrinæque ratio* B *ostendit.*

*forte Rabani discipulus.*

## § IV. *Disciputi B. Rabani ad Episcopalem dignitatem promoti.*

*Ex discipulis Rabani*

Trithemius lib. I Vitæ num. 18 *recenset ex Megenfrido excellentiores et præcipuos B. Rabani discipulos : quorum alii variarum diœceseon Antistites, alii diversorum cœnobiorum Abbates, alii scholis publicis præfecti, alii sanctitate doctrinave illustres, deinde floruerunt. Præ ceteris eminet* Carolus *Rabani in Archiepiscopali dignitate Moguntiæ successor, si tum monachus Fuldensis, quod Trithemius assumit, probetur fuisse. De eo ita scribitur in Annalibus Francorum Fuldensibus MSS. cœnobii S. Trudonis, ad an.* 856 *:* Mense Februario, IV die mensis, defunctus est Hrabanus Archiepiscopus Moguntiacensis Ecclesiæ : cui Karolus Pipini Regis filius, qui de custodia Corbeiensis monasterii lapsus ad Hludowicum Regem patruum suum defecerat, in Episcopatum successit VIII Id. Martias, non solum ex voluntate Regis, verum etiam ex consensu et electione Cleri et populi. *Pipinus a Ludovico Pio patre constitutus Rex Aquitaniæ, regno dein privatus e vita discessit anno* DCCC- C XXXVIII. *Hujus alter filius Pipinus junior Aquitaniam invasit, cui cum studeret Carolus frater, a Carolo Calvo patruo in monasterium trusus est : quod ita in Chronico Fontanellensi tomo* 2 *Scriptorum Franciæ refertur ad an.* 849 : Isto anno mense Martio cepit Vivianus Comes Carolum fratrem Pipini, qui ad auxilium fratri ferendum Aquitaniam destinabat, *et paullo post :* Placitum habuit Rex Carolus generale cum Francis in urbe Carnotensi : in quo loco Carolus prædicti Pipini frater tonsoratur, et in monasterio Corbeia continuo dirigitur. *Est hæc Corbeia Franciæ, non Saxoniæ, cui eum perperam adscribit Joannes Letznerus in Chronicis Corbeiæ Saxonicæ. Wion lib.* 2 *Ligni Vitæ in Archiepiscopis Moguntinis, ait* Carolum ex Rege Aquitaniæ primum S. Petri Corbiæ Galliciæ, deinde cœnobii Fuldensis monachum, postmodum, Archiepiscopum Moguntinum, *sed nec sic B. Rabani tum Archiepiscopi discipulus statueretur, qui vir biennio ante hujus obitum* anno DCCCLIV, jam Diaconus ordinatus a Corbeiensi monasterio *recessisse dicitur in Annalibus Francorum Bertinianis : in quibus, uti etiam in Capitulis Caroli Calvi, legitur hujus jussu* Pipinus *Caroli frater senior etiam* attonsus, et ad monasterium S. Medardi custodiendus habitu monachico deductus, *auxilio duorum monachorum effugisse. Alius ergo ab Archiepiscopo Moguntino* Carolus *fuit discipulus B. Rabani : sed patria* Francus Orientalis, *qui a Trithemio cum hoc Carolo confusus, et ad Archiepiscopalem dignitatem promotus traditur.*

*non fuit Carolus Archiepiscopus Moguntinus*

*filius Pipini Regis Aquitaniæ,*

*in Corbeia Franciæ attonsus,*

D

AUCTORE G. H.

*cum altero Carolo confusus :*

19 *Alter a Trithemio discipulus Rabano datur* Freculphus, Episcopus Lexoviensis *in Normannia,* patria Saxo, et monachus Fuldensis. *Trithemium plures secuti sunt, nemo, quem legerimus, prævivit.* Albini discipulus *dicitur ab eodem Trithemio in Catalogo illustrium virorum. An apud illum in notitiam B. Rabani devenit? Hujus rogatu* scripsisse B. Rabanum in Pentateuchum *testatur infra Rudolfus num.* 30. *Imo ante singulos Pentateuchi libros* Rabanus, *eo tempore* Abbas *non pridem constitutus, proprias præposuit ad* Freculphum *tum* Episcopum *præfationes, in quibus nusquam insinuatur, hunc sub ipsius disciplina adolevisse, eo ætate procul dubio grandiorem.* Freculphi *etiam* ad Rabanum epistola *extat ante Genesim illi dicatum cum hac inscriptione :* Freculphus Episcoporum infimus Venerabili Abbati Mauro et Consacerdoti, in Christo Dei filio salutem ; *absque ullo in ipsa etiam epistola vestigio, quo eum suum magistrum agnoscat : cum altera glorietur* amore insatiabili sophiæ veneranda præceptore Elisacharo, *cui priorem tomum Chronici sui, ejus* imperio, et obedientiæ, *ut loquitur,* gratia *confectum, inscripsit. Fuit* Elisacharus, *sive* Helizachar Presbyter Canonicus, Abbas *datus monasterii Centulensi S. Richarii in agro Pontivo, et Gemmeticensi in peninsula Sequanæ : de quo egimus* XII *Februarii ad Vitam S. Benedicti Abbatis Anianæ, cui an.* DCCCXXI *morienti aderat.*

*neque Freculphus Episc. Lexoviensis.*

*discipulus Elisachari :*

E

20 *Tertius ad Episcopalem dignitatem ex Rabani discipulis pervenisse dicitur* Altfridus, qui Fulda missus ad Corbeiam Saxonicam scholasticus, postea quartus Hildelsheimensis Ecclesiæ Pontifex ordinatus est. *Verum ne eum Otfrido* monacho *eum Trithemius confuderit, plurimum veremur. Scribunt de eo Trithemius de Viris illust. ord. S. Benedicti lib.* 3 *cap.* 207, *et lib.* 4 *cap.* 196, *et in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 847. *Wion in Episcopis Hildeshemensibus, Letznerus in Chronico Corbeiensi cap.* 9 *: ubi anno* DCCCXXIX *ad monasticam vitam admissus dicitur, a quibus aliisque scriptoribus nulla mentio fit aut monachatus Fuldensis, aut disciplinæ Rabani. Apud Eggehardum Uragiensem Abbatem in Chronicis a Browero post Vitam S. Godehardi Episcopi Hildeshemensis inter Sidera illustrium et sanctorum virorum Germaniæ editis, legitur* IV Episcopus Altfridus constitutus anno DCCCXLVII, sedisse annis XXIX, in die Assumptionis obiisse anno DCCCLXXV. *quo die in nullo martyrologio nomen adscriptum reperimus : licet* Sanctum *appellet Trithemius lib.* 2. *num.* 15 *et Wion loco citato. Ab hoc Altfrido alius est* Otfridus Presbyter et monachus Wissenburgensis *apud Spiram Nemetum, astrorum ac divinarum rerum peritia excellens, et Germanicæ orthographiæ præcipuus inventor. Extat opera Joannis Cordesii Canonici Lemovicensis una cum opusculis et epistolis Hincmari Archiepiscopi Remensis aliqua hujus Otfridi de hac sua Orthographia Theotisca, et Evangeliorum in eam translatione epistola, inscripta Ludberto seu Liudtberto Archiepiscopo Moguntino, in qua hæc de B. Rabano :* Hunc igitur librum, *inquit,* vestræ sagaci prudentiæ probandum curavi transmittere, et quia a Rabano venerandæ memoriæ, digno vestræ Sedis quondam Præsule, educata mea parvitas est, præsulatus vestri dignitati, sapientiæque commendare curavi. *Vixit hic Liudbertus in dignitate Episcopali ab anno* DCCCLXIII *ad annum* DCCCLXXXIX, *in cujus Actis de Otfrido scribit Serarius lib.* 4 *rerum Moguntiacarum, et ante lib.* I *cap.* II, *cujus etiam doctrinam laudant Marcus Velserus lib.* 2 *rerum Boicarum, Browerus lib.* I *Antiq. Fuld. cap.* 14, *et Trithemius in Chronico Hirsaugiensi*

*neque Altfridus Episcopus Hildesheimensis,*

F

*a quo alius Otfridus Presbyter,*

*a Rabano educatus*

A *giensi ad annum* 863, *in Catalogo illustrium virorum Germaniæ, et de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi* auditorem *eum* et discipulum *facit* Rabani Mauri Abbatis Fuldensis.

*AUCTORE G. H.*

*ejus discipulus Ruthardus Episcopatum recusat.*

21 *His annumerandus aut etiam præferendus Ruthardus, qui oblatum anno* DCCCLIII *a morte Haymonis episcopatum Halberstadiensem recusavit, et quietem vitæ monasticæ, studiumque scripturarum honoribus opibusque duxit præferendum. Sanctis adscriptus traditur in Martyrologiis monasticis Wionis et Menardi, et Catalogo Generali Ferrarii* XXV *Octob. quo die plenum dierum et sanctitate mortuum anno Domini* DCCCLXV, *scribit in Chronico Hirsaugiensi Trithemius ex Meginfrido, ubi* Ludovicus *appellatur* Imperator, *qui* Rex *tantum* Germaniæ *fuit, Ludovici Pii Imperatoris filius. Ab eo S. Bonifacii Episcopi passionem Heroico carmine duobus libris pulcherrime exaratam esse refert idem Trithemius.*

## § V. *Ex discipulis B. Rabani varii Abbates.*

*Ex discipulis Rabani*

Inter *præclaros Abbates, qui Rabano gloriantur Magistro, eminet* Walafridus Strabo Abbas Augiæ divitis, vir doctus et sapiens, qui in litterarum scientia apud suos illustris ante alios habebatur, *ut de eo* B *scriptor coævus Iso monachus Sangallensis dixit lib.* 2 *de miraculis S. Othmari Abbatis, cujus Vitam priore libro, uti etiam S. Galli duobus libris contexuit hic Walafridus, ut plenius dicetur* XVI *Octob. et* XVI *Novemb. ad illorum natalem. Trithemius agit de eo lib.* 2 *de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap.* 35, *et alium ab eo facit* Strabum monachum Fuldensem : *illum ad scholasticam Rabani disciplinam nusquam admittit; hunc infra lib.* 1 *Vitæ, num.* 18, *præcipuum recenset discipulum, quem lib.* 2 *num.* 4, *a Rabano jam Abbate vult* monachorum scholæ præfectum : *et lib.* 2 *de viris illustribus ordinis S. Benedicti cap.* 41, *appellat ejus* scribam, qui opuscula ejus de schedis ad mundum scribebat. *Similia repetit lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, et in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 847. *Trithemium sequuntur Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, Surius, Margarinus de la Bigne, aliique viri doctissimi. Verum re tota accuratius discussa unus idemque est Walafridus Strabo, seu Strabus, Abbas Augiensis, atque alter Strabus Rabani discipulus, qui Glossam ordinariam in universam Scripturam sacram ex veterum Patrum monumentis primus adornavit. Inter alias ejus lucubrationes extant varia Poemata ex Bibliotheca S. Galli edita ab Henrico Canisio tomo* VI C *antiquæ lectionis, et Bibliothecæ Patrum inserta. In his, in quodam ad Grimaldum carmine hunc de suo nomine lusum facit :*

*Walafridus Strabo, seu Strabus,*

*perperam in II divisus,*

Edidit hæc Strabus, parvissima portio Fratrum,
Augia quos vestris insula alit precibus.
Strabonem quamquam dicendum regula clamet,
Strabum me ipse volo dicere, Strabus ero.

*in Augiæ monasterio*

23 *Ad hoc Augiæ divitis monasterium puer pæne, ut tempora illa ferebant, admissus, sub disciplina præceptoris sui* Tattonis *accrevit, atque in ejus persona annos quindecim natus, jam tum adolescens magnæ expectationis, versus scripsit, e quibus sunt aliqui ad* Heltonem, *sive* Ebbonem, Archiepiscopum Remensem, et Degam Chorepiscopum Trevirensem *missi. Iterum cum* annum ætatis pene decimum octavum transegisset, *sub eodem* Tattone præceptore et Erlebaldo Abbate *visionem Wettini monachi, quam Haito seu Hetto, tum relicto Episcopatu Basileensi monachus Augiæ, soluto stylo conscripserat,* versibus Hexametris exemplavit, *ut præfatur ad Grimaldum. Facta hæc visio anno* XI *Ludovici Pii, Christi* DCCCXXIV, *mense Octobri, ut ipse testatur in Poemate Strabus, eique consentiunt Hermannus Contractus, et auctor perantiquus Chronici brevis monasterii S. Galli tomo* 3 *Scriptorum*

*adolescens carmina scit,*

*historiæ Francorum : cujus etiam meminit Hincmarus* D *tractatu* 50 *tomi* 2 *operum. Exorsus est hoc Poema Strabus in Paschate, anno, ut conjicimus, proxime sequenti* DCCCXXV, *ideoque circa annum Christi* DCCCVII *natus, tum annum ætatis decimum octavum fere explebat. Supervixit Tatto præceptor ejus ad annum Christi* DCCCXLVII, *quando ob nominis celebritatem obitus ejus refertur in ante dicto Chronico Sangallensi. Ab hujus disciplina, et Augiæ monasterio ablegatus est Strabus; sed quando et qua de caussa non constat. Anno* XVI *Ludovici Imperatoris, Christi* DCCCXXIX, *ætatis suæ circiter* XXII *vixit in Palatio Aquisgrani, et versus de Imagine Tetrici, interlocutoribus Scintilla et Strabo, fecit, usus istic familiaritate* Grimaldi Capellani, *quem ideo* suum *etiam* magistrum *appellat.*

*degit in palatio Ludovici Pii ;*

24 *Adhæsit etiam B. Rabano; sed quo potissimum tempore, incertum. Inter hujus opera extat tomo* 6. *Glossa Latino-barbarica cum hac inscriptione :* Hrabani Mauri Abbatis Fuldensis Glossæ Latino-barbaricæ de partibus humani corporis. Walafridus Strabus Mauri discipulus :

*Fuldæ studet sub Rabano tum Abbate ;*

Sic homo consistit, sic corporis illius artus
Expositos Mauro Strabus monstrante tenebo.

*Abbatem eum appellat in Præfatione ad Epitomen a se in Leviticum ex majori Rabani lucubratione concinnatam, ubi sic ait :* Sequentis libri, id est, Levitici, E brevissimam annotationem ego Strabus tradente Domino Rabano Abbate, viro in multis scientiæ divinæ eloquiis spectabiliter adornato, quantum tenuitas ingenioli mei permittebat, abbreviare curavi. *Inter Poemata ejus tria reperiuntur ad Maurum Rabanum, Abbatem Fuldensem, magistrum suum, quæ inde excepta post Rabani Poemata a se illustrata edidit Browerus. Epitaphium ipsi vita functo scripsit Rabanus tum Archiepiscopus, ut quod in scholiis observat idem Browerus eum* in S. Galli ac Fuldensi monasteriis educatum : *potius* adultum vixisse Fuldæ *ex dictis constat. Profecto, nisi multum fallamur, in illustri Fuldensi Academia Theologicis historicisque imbutus studiis, scripsit Annales Fuldenses, de quibus supra actum, et collegit monumenta veterum Patrum, e quibus Glossam ordinariam confecit. Num etiam inter monachos S. Galli vixerit, atque ex ejus cœnobii Decano creatus sit Abbas Augiensis, cum apud antiquos non legerimus, neque hic asserimus, neque sic opinantibus contraimus. Pluribus id exagitat Jodocus Metzlerus monachus S. Galli apud Canisium in Præfatione ad Poemata Strabi. Abbas Augiensis creatus creditur anno Christi* DCCCXLII, *vita functus* DCCCXLIX, *quo anno ita Epidannus in Chronico monasterii S. Galli tomo* 3. *Scriptorum Franciæ:* Walachfredus Abbas Augiensis abiit. Iste vir litteratus Vitas SS. Galli et Othmari ad petitionem Gozperti Abbatis compilavit eleganter. *Dies obitus in Ephemeridibus monasterii S. Galli tomo* I. *Alamannicarum rerum assignatur* XV Kalend. Septemb. Walachfridus Abbas obiit, vir in divinis et humanis litteris versatissimus. *Hæc modo de Walafrido Strabo sufficiunt, a quo alium Strabum nec Fuldensem, nec Francum, neque Anglicum admittimus. De eo iterum ad Vitas SS. Galli et Othmari agemus.*

*creatus Abbas Augiensis,*

*moritur anno 849.*

F

25 *Strabo hunc conjungimus eruditissimum virum Lupum Abbatem Ferrariæ, quod monasterium Galliæ est in diœcesi Senonum, et Bethlehemiticum etiam appellatur. Nescivit, quod mirum est, Trithemius, eum Rabani discipulum fuisse. Nactus studiorum suorum fautorem S. Aldricum, ex Abbate Ferrariensi Archiepiscopum Senonensem, sub variis præceptoribus divinis humanisque scientiis præclare institutus, ingenii sui non modicum monumentum reliquit Epistolas ad Lotharium Cæsarem, Carolum Galliæ, et Edilulphum Angliæ Reges, ad Episcopos aliosque suæ ætatis doctos viros, quas ex MSS. codicibus in lucem protulerunt Papirius Massonus libello singulari, et Chesneus tomo* 2, *Scriptorum*

*Lupus natione Gallus,*

A *torum Franciæ. In epistola quæ Fulda est ad Einhardum missa, ita de sua institutione scribit:* Mihi satis apparet propter seipsam appetenda Sapientia, cui indagandæ a sancto Metropolitano Episcopo Aldrico delegatus, doctorem Grammaticæ sortitus sum, præceptaque ab eo artis accepi. *et infra:* Ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem, vobis vicinior factus sum. Nam a præfato Episcopo ad venerabilem Rabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum scripturarum. *Successit S. Aldricus Jeremiæ anno Christi* DCCCXXVIII, VII *Decemb. mortuo: nondum tamen consecratus, cum in diplomate Ludovici et Lotharii, quo anno* DCCCXXIX *varia indicebantur Concilia, sanciretur, ut in Parisiorum urbem conveniret futurus Antistes Senonicus, Sede scilicet adhuc vacante. Celebratum concilium Parisiense* VIII *Idus Junias illius anni* DCCCXXIX. *Quoto Sedis suæ anno Lupum Fuldam dimiserit, non legimus. Non se inde recessisse nisi post obitum S. Aldrici scribit ipse Lupus epist.* 41 *ad Immonem Episcopum Noviomensem:* Propitio, *inquit,* Domino Deo nostro sospes regressus sum, præterque Domini ac Nutritoris mei Aldrici, quantum ad me attinet, plenum infortunii obitum, et quorumdam aliorum amicorum, non est, quod mihi extrinsecus accidisse admodum triste crediB derim. Cur autem vobis significari petieritis, quos libros in Germania vel scripserim, vel legerim, demiratus sum.

*a S. Aldrico missus Fuldam,*

*Interpretem sacræ Scripturæ audit Rabanum,*

*post annum 829,*

26 *Nec diu postea Abbas creatus est; qua de re ad Rabanum ita scribit epist.* 40. Reverendissimo Patri, eximioque Præceptori Rabano Lupus plurimam salutem. Non potui hactenus gratias vobis agere, tamen, quantas affectu habuerim, occultorum Cognitor semper inspexit. Deinceps autem si idem Deus vitam vestram produxerit, optatamque pacem reformaverit, non erit impossibile quod animo geram, factis ostendere. Namque consensu Fratrum nostrorum X Kal. Decemb. cœnobium Ferrariense mihi commissum est, Dominusque noster Carolus mira me dignatione fovens, gratia sua donavit. Vestra igitur benevolentia me, unaque congregationem mihi creditam, sacris orationibus, quæso, commendare dignetur; ut, sicut studia mea plurimum eruditione adjuvistis, sic officii difficultatem assiduis precibus temperetis. Ceterum audivi sarcinam administrationis vestræ vos deposuisse, et rebus divinis solummodo nunc esse intentos; Hattoni vero nostro curam sudoris plenam reliquisse. *Annus tum labebatur* DCCCXLII: *cum viginti Fuldensibus præfuisset Rabanus, et nunc, ut hinc manifestum est, sacras Scripturas prælegeret Abbas;* C *qui eidem Lupo necdum Abbati, post ejus abs se discessum ita scribit:* Venerando Fratri et Commilitoni Lupo, Christi ministro, Rabanus servus servorum Dei in Domino salutem. Postquam desiderabili præsentia tua corporaliter carui, in animo, crede mihi, dilectione tua numquam vacuus fui; sed sedulo revolvens studium, quod habebas in meditatione Divinæ Legis, et modestiam morum, quibus inter nos conversans, non parum multis amabilis eras, petitionis tuæ, nec non et sponsionis meæ memor, Collectarium in Epistolas Pauli Apostoli, prout potui, confeci. *Extat ea epistola ante ipsum Collectarium tomo 5 operum. Meminit hujus epistolæ Trithemius in Chronico Hirsaugiensi anno Christi* DCCCLI, *quo Lupum hunc Abbatem cum Lupo Servato Presbytero Germano confundit. De hoc agemus ad Vitas SS. Maximini Episcopi Trevirensis* XXIX *Maii, et Wigberti Abbatis Fritzlariensis* XIII *Augusti, ab ipso conscriptas.*

*creatus Abbas Ferrariensis,*

*circa annum 842,*

*confusus cum Lupo Servato Germano,*

27 *Tertius inter Abbates, si Trithemio fidendum, censeri potest* Liutbertus, *seu* Luitbertus, *primus Hirsaugiensis monasterii Antistes: de quo apud antiquos scriptores nihil legimus; sed plurima, quæ videri possunt, refert Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, in quo annos natus octodecim dicitur monachus apud Fuldenses* D *factus anno Christi* DCCXCVI, *Rabani primum condiscipulus, deinde auditor: Abbas creatus anno* DCCCXXXVIII, *diem extremum clausisse* III *Idus Junii anno* DCCCXLIV.

*Liutbertus Abbas Hirsaugiensis,*

AUCTORE G. H.

28 *Liutberti frater traditur* Buno Abbas Hirsfeldensis, *et sub Abbate Bongolfo Fuldæ vixisse. Ei inscripsit Lupus vitam S. Wigberti anno* DCCCXXXVII: *cujus ecclesiæ fundamenta ipse* Buno et Rabanus Abbates anno DCCCXXXI fodisse *dicuntur apud Lambertum Schasnaburgensem, qui* Brun *appellat, eique anno* DCCCXLVI *extincto, successorem tribuit* Brunuart, *quem* Bernardum *vocat Trithemius infra in Vita lib.* 1 *num.* 18, *statuitque* Rabani discipulum, et ex monacho Fuldensi creatum Abbatem, *sub quo anno Christi* DCCCL *dedicatam esse ecclesiam S. Wigberthi* V *Kal. Novemb. a Rabano Archiepiscopo, scribit idem Schasnaburgensis, obitumque refert ad annum* DCCCLXXV.

*Brunuart Abbas Hirsfeldensis,*

29 *Demum ex Rabani disciplina, juxta Trithemium in Catalogo illustrium virorum Germaniæ, floruerunt in monasterio S. Galli* Hartmundus et Werembertus, *quorum ille aliis* Hardmudus, *sive* Harthmuctus *est, et post Grimaldum, cujus ante administrator fuerat, Abbas S. Galli creatus anno* DCCCLXXII: *qua prælatura alteri anno* DCCCLXXXIV *commissa inclusus vitam solitariam egit: de quo legendi Hepidannus in annalibus brevibus, Monachus Sangallensis lib.* 2 *de rebus bellicis* E *Caroli Magni cap.* 15, *Ratpertus de origine monasterii S. Galli cap.* 8, 9, 10, *et Ekkehardus de casibus ejusdem monasterii cap* 1 *et* 2, *qui eum cognatum et notissimum Ruodolfo Burgundionum Regi scribit: nullus tamen Rabani discipulum facit. Jodocus Metzlerus apud Canisium in Præfatione ad Poemata Walafridi Strabi, omisso Hartmundo, asserit* Helpericum et Werembertum *fuisse ejus discipulos: quibus Browerus lib.* 1 *Antiquitatum Fuldensium adjungit* Hartmundum. *Sed de aliis omittimus exactius inquirere.* Rudolphum *vitæ ejus scriptorem supra num.* 4 *et* 5 *illustravimus.*

*varii alii:*

## § VI. *Ætas et scripta Rabani necdum Abbatis.*

P*leno progressuri gressu, aliquos Trithemii errores declinandos præmonemus. In duobus prioribus Vitæ libris anni nativitatis Rabani discrepant ab annis Christi integro circiter triennio, quod præverti necesse est. Hoc triennium ipse Trithemius sustulit in fine libri secundi, quo biennium solum statuit inter depositionem ab Abbatiali officio, et promotionem ad Archiepiscopatum Moguntinum, cum quinque annos cum aliis auctoribus interpositos restituit in Chronico Hirsaugiensi in Liutberto primo hujus monasterii Abbate. Verba ejus sunt:* F Denique anno DCCCXLII, qui Abbatis Liutberti quartus annus erat, de Fuldensi monasterio per fraudes quorumdam incitatus exiit, atque ad Ludovicum filium Ludovici senioris Imperatoris confugiens, usque ad mortem Otgarii Archiepiscopi Moguntinensis, qui eum expulerat, propter quam nescio caussam, quasi exul remansit. Sed post annos quinque, mortuo Otgario, Rabanus Archiepiscopus in ejus locum suffectus est anno Domini DCCCXLVII, Indictione X, omnium suffragio: sedit annis novem *etc. Hæc ibi Trithemius, quæ omnium Chronologorum calculo probari suis locis dicetur. Hisce necessario connectenda, quæ de ejus depositione scribit in Vita sub finem libri secundi:* Anno igitur, *inquit,* nativitatis ejus quinquagesimo septimo, ut Meginfridus Fuldæ postea monachus est auctor, facta est inter eum et monachos ejus, sollicitante diabolo, gravis quædam et nociva dissensio.

*Trithemii lapsus chronici*

*ex ipsius verbis emendati:*

31 *Hisce locis collatis, cum Rabanus egerit anno Christi* DCCCXLII, *ætatis quinquagesimum septimum, natus est non anno Christi* DCCLXXXVIII, *sed triennio citius anno* DCCLXXXV: *et, si juxta Trithemium novennis Fuldense ad monasterium ductus fuerit, annus tum fuit non* DCCXCVII, *sed* DCCXCIV. *Quæ in sequentibus magis stabilientur.*

*Nascitur Rabanus anno 785,*

A *lientur. Trithemius num. 11 libri 1. vult Rabanum a Ratgario Abbate missum ad præceptorem Alcuinum anno ætatis decimo octavo, quem male assignat anno Christi* DCCCVI; *cum certum sit ex supra dictis Alcuinum anno* DCCCIV, *e vivis excessisse. Deinde manifestum est Ratgarium, a quo omnium scriptorum consensu missus est ad Alcuinum Rabanus, Abbatem constitutum esse non anno* DCCCIV, *ut hic tradit Trithemius, sed anno* DCCCII, *quod supra demonstratum. Agebat tum Rabanus ex nostro calculo annum decimum septimum : quæ ætas necessaria concedenda est, ut ultimo ante obitum Albini biennio, et quidem non integro, potuerit Theologicis ob eo scientiis informari. An post obitum Albini apud hujus successores studia sua continuarit, ut ita sexennium, quod eum apud Albinum mansisse scribit Trithemius num. 15, censeatur explevisse, nusquam legimus.*

*AUCTORE G. H.*

*missus ad Alcuinum anno 802,*

32 *Anno ætatis suæ vigesimo quarto (qui ex calculo posito est decimus supra octingentesimum, non decimus tertius) statuitur a Trithemio num. 17, scholis Fuldensibus præfectus : in quo munere scripsit de sancta Cruce duos libros, alterum metrico stylo, alterum soluta oratione. De hoc opere Candidus, qui eo Abbate litterarum et scientiarum laude florebat scholis Fuldensibus præfectus, in præfatione ad Vitam Ægilis Abbatis ita introducit Rabanum secum loquentem :* Exerce, *inquit,* temetipsum legendo, et aliquid utilitatis adde dictando. Nam dum ego ibidem, ubi nunc ipse moraris, quondam commanerem, librum prosa et versibus in laudem sanctæ Crucis Divina gratia inspirante incepi, atque fidelibus legendum studioso labore consummavi. *Rudolfus infra in Vita num. 49, scribit* Rabanum testatum esse, primum scripsisse anno ætatis suæ circiter trigesimo in laudem sanctæ Crucis duos libros *etc. Testimonium illud videtur petitum ex carmine supra num. 14 allato, quod ex persona Alcuini Præceptoris direxit ad S. Martinum, ubi ita canit :*

*præficitur scholæ Fuldensi anno 810,*

B

*scribit libros de Cruce,*

Ast ubi sex lustra implevit, jam scribere tentans
Ad Christi laudem hunc edidit arte librum.

*Ubi cum Baronio apud Serarium lib. 4. Rer. Mogunt. in Rabano quæst. 10, per* sex lustra *potius triginta anni intelligendi, quam viginti quatuor; licet annis tantum quatuor lustra includi, aliquorum sententia sit. Trithemius num. 29 libri 1 Vitæ, annum hunc ætatis trigesimum, quo et ipse hoc de sancta Cruce opus confectum tradit,* a Dominica nativitate *statuit fuisse* octingentesimum decimum octavum. *Verum, ut jam sæpius monuimus, triennio inde ablato, annus ejus seculi decimusquintus cum trigesimo ejus ætatis rectissime congruit. Eodem prorsus errore Ratgario Abbati defuncto successisse Ægilem anno Christi octingentesimo vicesimo scribit Trithemius num. 30 ejusdem libri, corrigendus ab Annalibus Fuldensibus, hac temporis et successionis ratione assignata.* Anno DCCCXVII, Ratgarius Abbas Fuldensis cœnobii, accusatus a Fratribus, et convictus, deponitur : et anno DCCCXVIII, Monasterio Fuldensi Eigil Abbas electus et ordinatus est.

*anno 815.*

C

33 *Annum Rabani ad Sacerdotalem ordinem promoti, in solo Trithemio reperimus ætatis tricesimum assignari num. 14, quem convenire in annum Christi decimum quintum ejusdem seculi noni supra probatum est. Hanc suam ordinationem grato animo recolit Rabanus in Præfatione ad tres libros de Institutione Clericali, quos Haistulpho Moguntino Archiepiscopo dicavit, inter alia eum sic alloquens :* Tuo magisterio me semper libens subdam, a quo recordor me accepisse dignitatem Ecclesiasticam. *Annus tum labebatur decimus nonus ejusdem seculi, ut in Epigrammate post finem horum librorum ad eumdem Haistulphum observat his versiculis :*

*Sacerdos scribit de Institutione clericali*

Nam quia tu templum dedicasti Martyris almi,
Per servum donum hoc Martyr et ipse dedit.
Nam est nonus decimus octingentesimus annus,
Ex quo Salvator venit in arva pius.

*anno 819*

*De hac dedicatione Annales Fuldenses Rabano consentiunt.* Hoc anno DCCCXIX, basilica S. Bonifacii Martyris in cœnobio Fuldensi ab Hestulfo Archiepiscopo dedicata est in honorem Domini Salvatoris et omnium Sanctorum ejus, translataque sunt ossa sancti Martyris Kal. Novemb. D

34 *Eidem Hoistulpho inscripsit deinde Rabanus a se expositos* in Matthæum *libros octo, et diversas ejus hortatu factus* homilias. *In priore præfatione* se indignum Presbyterum *appellat : in posteriore* vilem servitorem servitorum Dei ; *tum in Abbatem Fuldensem electus. De cujus anno eadem manet cum Trithemio controversia, quod lib. 2 Vitæ num. 2 velit, Ægile anno* DCCCXXV *e vivis sublato, successisse Rabanum anno ætatis suæ trigesimo septimo, quem et nos retinemus, sed triennio iterum dempto, anno Christi* DCCCXXII *conjungendum, quo Annales Fuldenses hæc habent :* Eigil Abbas Fuldensis cœnobii defunctus, Hrabanum successorem accepit. *Consentiunt Hermannus Contractus in Chronico :* Anno DCCCXXII, Fuldis Eigil Abbas obiit : cui Rabanus, vir doctus, et divinorum librorum tractator egregius, successit. *Et Marianus Scotus monachus Fuldensis lib. 3 Chronic. ætate 6 :* Anno DCCCXXII Eigil Fuldensis Abbas obiit, cui Rabanus successit. *In ea dignitate, ut Rudolfus ait num. 5 Vitæ,* aut alios sacris litteris instruebat publicus ipse Professor, *ut ex dictis supra confirmatur,* aut in legendo, aut dictando, divinis Scripturis semetipsum pascebat : *ut præclaræ in illas expositiones, de quibus jam egimus, fidem faciunt.* E

*in Matthæum, et Homilias,*

*creatus Abbas*

*anno 822,*

## § VII. *Scripta Rabani creati Abbatis.*

Rabanum *Fuldensis cœnobii creatum Abbatem primo Freculphus Episcopus incitavit, ut suis observationibus Pentateuchum illustraret. Epistolæ missæ hæc inscriptio :* Freculphus Episcoporum infimus Venerabili Abbati Mauro, et Consacerdoti in Christo Dei filio salutem. *Concluditur hac formula :* Mea parvitas vestræ injungit fraternitati, qui fiduciam de tua dilectione simul et obedientia habeo, ut ocyus tanti operis studium adhibeas, fiducialiter impero. Bene, Frater, valeas, nostrique assidue memor fias. *Moram gessit Freculpho Rabanus Abbas, licet multis officii sui difficultatibus intricatus. Ita testatur in Præfatione ante Genesim illi inscripta :* Cum propter curam gregis Dominici, ne ei necessaria desint, tantum occupatus sim, ut nec aliorum dicta perlegere, nec propria excogitare liceat. *Et in præfatione ante Leviticum :* Cum in desertis locis conversans, maxima occupatione detinear, qua servire ac necessaria providere famulis Christi, sub regula S. Benedicti degentibus, quotidie compellor. F

*scribit in Pentateuchum ad Freculphum Episc.*

36 *Absolutis in Pentateuchum commentationibus,* rogatu Episcopi Frederici *exposuit librum Josue. Browerus in scholiis ad Poema Hrabani eidem Frederico inscriptum, fatetur cathedram, ubi sederit, se ignorare : quod mirum, Rabani operum tam strenuo indagatori contigisse; cum in Præfatione ante Judices et Ruth (verba infra damus)* Trajectensis Ecclesiæ Episcopus *appelletur. Extat illa expositio MS. tribus libris distincta apud Petrum Franciscum Chiffletium nostrum, qui a nobis rogatus descriptum Prologum Divione transmisit, ex quo paucula referimus :* Domino, *inquit,* beatissimo veræque caritatis officio plurimum venerando Friderico Episcopo Hrabanus vilissimus servorum Dei famulus in Christo salutem. Studium tuum ac diligentiam in sacrarum Scripturarum meditatione, plures, qui sanctitatem tuam noverunt, laudant : et merito, quia assiduus es in lectione, et frequens in doctrina, prout ratio Ordinis tui postulat, quem lucem mundi cum Apostolis Salvator nuncupat... Nec absurdum est, quod facis, licet nos ad hoc officium impares atque indigni simus, cum ibi quæris sacræ legis

*in Josue ad S. Fridericum Episc. Ultrajectinum,*

*Matth. 5. 14.*

A legis confirmationem, unde accepisti Christianæ religionis exordium. Sanctissimus ergo Antistes et beatissimus Christi Martyr Bonifacius gentem Fresonum, cui tua dilectio præest, non solum verbo, sed etiam sanguinis sui effusione ad fidem Christi convertit. *Quæ de Sede Ultrajectina Frisonum olim Metropoli sunt intelligenda. Colitur S. Fredericus* XVIII *Julii. Quo anno occisus fuerit, non satis constat apud auctores. Acta MSS. requirunt Ludovicum Pium Imperatorem in libertatem a sua custodia, in quam a filiis datus erat, fuisse restitutum: quod factum est Kalendis Martiis anni* DCCCXXXIV. *Ad Imperatorem mox ex Italia reducta est conjux Juditha, cujus machinationi cædes S. Frederici imputatur. Dein eodem anno, quod moriens juxta eadem Acta prædixerat futurum,* classis de Danis veniens in Frisiam, *(ut legitur in Annalibus Bertinianis)* aliquam partem ex illa devastavit, et inde per vetus Trajectum ad emporium, quod vocatur Dorestadus, venientes, omnia diripuerunt: homines autem quosdam occiderunt, quosdam captivatos abduxerunt, partemque ejus igni cremaverunt. *Hæc de anno cædis S. Frederici, cui non diu ante, ut ex mox dicendis constabit, Josue elucidatum miserat Rabanus: qui eosdem libros, sed aliquot post annos, obtulit Imperatori Lothario, ut hic grato animo in* B *epistola ad Rabanum expositioni ejus in Ezechielem Prophetam apposita testatur.*

*occisum anno 834*

37 *Humbertus Episcopus Herbipolensis in epistola ad Rabanum, expositioni in Judices præposita hæc tradit:* Auditum habeo super Heptaticum vos fecisse sermonem, ac super Matthæi Evangelium, nec non et super Regum, superna adjuvante gratia pariterque veterum innitente auctoritate, multa utiliter scribendo dictitasse: quapropter caussa familiaritatis vestram obsecro Fraternitatem, ut mihi scribere, mihique tua dirigere studeas opuscula. *Eos tunc libros a Rabano expositos scire potuit vicinus Episcopus Humbertus, licet nondum omnes essent juris publici facti.* Heptaticum *appellat libros bibliorum septem priores: Pentateuchum scilicet cum libris Josue et Judicum, ut clare explicat Rabanus in suo ad Humbertum responso, quod est ipsa ad Judices Præfatio:* Dignatus es, *inquit,* mihi scribere, quatenus nostrum opusculum super Heptaticum tibi dirigerem, feci quantum potui, et novissimam partem illius, hoc est, super Judicum et Ruth, quam ad manus in præsenti habui, tuo nomini consecratam, modo direxi. Priores vero librorum commentarios, hoc est, Pentateuchi Moysi quos petente sancto viro Freculfo, non sine labore C edidi, jam sibi ad rescribendum transmisi: quos cum recepero, exemplar eorum tibi scriptum destinabo. Jesu Nave vero expositionem bonæ memoriæ Fridurico Trajectensis Ecclesiæ Episcopo nuper transmisi: hoc similiter, ut mihi redditum fuerit, si Dei voluntas est, tibi committere curabo. *S. Fridericum anno* DCCCXXXIV *occisum esse diximus; quo eodem aut certe sequenti anno* DCCCXXXV *hæc scripta fuerunt.*

*in Judices et Ruth ad Humbertum Episc. Herbipolensem,*

*circa annum 835:*

38 *Progressus Rabanus in suis commentationibus, Hilduino Abbati S. Dionysii dicavit libros quatuor Regum, quem in Præfatione ita alloquitur:* Quia vestra sanctitas per quemdam Fratrem nostrum, quem ad Palatium præterito anno direximus, nostræ parvitati suggerere dignata est, quatenus aliquod volumen vobis utile mitteretur. *Et in Præfatione in libros Paralipomenon ad Ludovicum regem:* Ante annos aliquot, *inquit,* rogatu Hildoini Abbatis in Regum libros secundum sensum Catholicorum Patrum quatuor commentariorum libros edidi, quos et sanctissimo genitori vestro Ludovico Imperatori præsentialiter in nostro monasterio obtuli. *Hinc error patet, præfationem hanc non esse* ad Ludovicum Imperatorem, *ut in operibus excusum legitur, sed ad ejus filium* Ludovicum Regem Germaniæ. *Verum* Ludovico Imperatore hortante, *ut scribit Rudolphus, hos potuit initio edidisse cum propria ad eum, quæ perierit, præfatione.* D

*in libros Regum ad Hilduinum Abb. S. Dionysii,*

*in Paralipomenon*

*ad Ludovicum imperat.*

AUCTORE G. H.

39 *Eodem fere tempore* Augustæ Judithæ *Ludovici Pii uxori obtulit suam expositionem in* Juditham et Estherem, *in ea, metrico stylo, in hac, soluta oratione præfatur: sed mirum est, utrobique id in titulo omissum ab editoribus operum prætermitti. Non diutino interposito tempore in* libros Machabæorum *explanationem* Geroldo Archidiacono *sacri palatii Ludovici Imperatoris, et in* Sapientiam *atque* Ecclesiasticum Otgario Archiepiscopo Moguntino *inscripsit. Horum omnium meminit in præfatione ante Hieremiam ad Lotharium Imperatorem, ubi ita scribit:* Post commentariolos, quos mea parvitas in Heptaticum, et in libros Regum atque in Paralipomenon edidit, post explanatiunculas Historiarum Esther, Judith, atque Machabæorum, nec non et voluminis Sapientiæ atque Ecclesiastici, aliorumque opusculorum meorum labores, ad extremum in Hieremiam manum misi. *De tempore hæc addit:* Opus expositionis Hieremiæ Prophetæ, quod bonæ memoriæ genitore vestro Ludovico Augusto adhuc vivente inchoaveram, et post abitum ejus consummaveram, vestræ devotioni simul et auctoritati committo. *Defunctus est Ludovicus Pius Imperator Kalendis Julii anno* DCCCXL. *Hinc liquet de præcipuis operibus in illud usque tempus a Rabano conscriptis, et* E *quo sint singula ordine perfecta. Sigebertus non absque mendo, ad annum Christi* DCCCXXVII *refert editos tractatus in libros Sapientiæ et Ecclesiastici ad Otgarium Episcopum, quos sub finem imperii Ludovici Pii oportet editos fuisse.*

*in Judith et Esther ad Juditham Imperatricem in Machabæos, in Sapientiam et Ecclesiasticum ante annum 840:*

*in Hieremiam*

*ad Lotharium Imper.*

40 *Nec solis his lucubrationibus contentus Rabanus, animum ab aliis negotiis avocavit. Anno* DCCCXXXI *feria secunda* VI *Idus Julii cum Brunone Abbate Hirsfeldensi fundamentum jecit ecclesiæ S. Wigberti, cujus reliquiæ Friteslaria, approbante Carolo Magno, Hirsfeldiam fuerant translatæ. Consulendus Lambertus Schafnaburgensis in Chronico. Reliquias etiam variorum Sanctorum ex Italia accepit Rabanus, et ad suum Fuldense monasterium transferri solenni cultu procuravit annis Christi quinto, sexto, et octavo supra octingentesimum trigesimum, ut pluribus infra describit Rudolphus testis oculatus, capite secundo, et sex sequentibus. Quanta industria Abbas monasterii sui proventus auxerit, docent nos chartæ donationum ultra centum et viginti tum factarum, in Antiquitatibus Fuldensibus a Pistorio vulgatæ.*

*variis interim negotiis occupatus,*

## § VIII. *Scripta reliqua B. Rabani: relicta cura Abbatis.*

F

*Aderant hisce temporibus Rabano Walafridus Strabus, et Lupus Ferrariensis, ut supra dictum, quorum ille brevissimam annotationem Levitici, tradente Domino Rabano Abbate, abbreviare curavit, ut in Præfatione Lectorem monet: et Lupo adhuc Diacono rogante, collectorium in Epistolas Pauli confecit, eique post reditum a Fuldensi monasterio in Gallias misit, ubi is* XXIII *Decemb. Abbas Ferrariensis creatus est, cum ante Rabanus Abbatialem Fuldensium curam cum dignitate Hattoni reliquisset anno Christi octingentesimo quadragesimo secundo: cum, inquit Rudolphus,* monasterium sibi commissum per annos viginti nobiliter rexisset, *et simul præclara hæc volumina scripsisset; Lambertus Schafnaburgensis in Chronico, Anno* DCCCXLII Luitharius expulsus est a regno, et Raban Abbas de monasterio. *De Trithemio supra dictum.*

*scribit in Paulum ad Lupum Ferrariensem, ante annum 842.*

42 *Eumdem etiam reliquos libros tam novi quam antiqui Testamenti sua interpretatione illustrasse affirmant Trithemius aliique recentiores, secuti Honorium Augustodunensem, qui libro de illustribus Ecclesiæ scriptoribus ait* Rabanum scripsisse mirabilem librum de mysterio sanctæ Crucis, et totum vetus et novum Testamentum exposuisse. *Verum hæc e Rudolfo descripta*

AUCTORE G. B.

A *scripta censeri possunt, dicente,* hortatu Fratrum atque amicorum adgressum esse scribere expositiones librorum divinorum, tam veteris quam novi Testamenti, *et postea solos illos, de quibus egimus, recenset: reliquo silentio insinuans Rabanum ante suam a regimine Abbatiali seu depositionem, seu ultroneam cessionem, alios Scripturæ sacræ libros non exposuisse. Quæ extant in Ezechielem Prophetam, aliquamdiu post Jeremiam evulgata, inscripsit eadem Lothario Imperatori, corporis sui allegans infirmitatem. Eorum non meminit Rudolfus, evidenti signo Rabanum post suam a cura Abbatiali libertatem hæc scriptitasse.*

*in Ezechielem ad Lotharium Imper.*

43 *Recenset Trithemius libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti, in Catalogo illustrium Germaniæ Scriptorum, et infra lib. 3. Vitæ num.* 11 *ejus expositionem in* Esdram et Neemiam, Tobiam, Jobum, Psalterium Davidis, Proverbia Salomonis, Ecclesiasten et Cantica Canticorum, Isaiam, Danielem, *et* duodecim *quos* minores Prophetas *appellamus. In* Evangelia SS. Marci, Lucæ et Joannis, *in* Acta Apostolorum, Epistolas Canonicas, et Apocalypsin. *In enumerandis libris sæpius vacillando, eos a se conspectos non fuisse, innuit Trithemius: ita cum alibi assignasset unicum tomum, infra in Vita plures attribuit expositioni* Jobi, Psalterii, Pro- B verbiorum, Ecclesiastæ, Cantici Canticorum, Actuum Apostolorum, et Apocalypseos. *In* Isaiam *modo viginti, alibi tantum octo libros asserit factos: cujus Prophetæ nec non et Evangelii S. Joannis priora interpretationis verba citantur, quæ in aliis cum ipsis libris manent ignota. In* Danielem *ab eo scriptum fuisse constat ex præfatione in libros Machabæorum ad Regem Ludovicum, in qua hæc habentur:* Præterito anno transmisi tractatum in Danielem Prophetam, quem non solum ex dictis majorum, quin et ex nostræ parvitatis feceram. Nunc vero quia tempus illud, quo Romana Ecclesia constituit libros Machabæorum legi in Ecclesia, eorumdem librorum expositionem, quam ante annos aliquot rogantibus amicis sensu historico simul et allegorico dictaveram, Excellentiæ vestræ defero. *Eidem Regi Ludovico inscripsit expositionem in varia Cantica:* Nuper, *inquit,* quando ad vos in cellula monasterii nostri, quæ vocatur Ratestorph, vocatus veni, et sermo fuit inter nos de Scripturis sacris, persuadere mihi dignati estis, ut Cantica, quæ in Matutinis laudibus sancta canit Ecclesia, vobis allegorico sensu exponerem. *Trithemius aliique substituerunt in hujus locum expositionem in Cantica Canticorum; et Sygebertus in Catalogo Script. Eccles. cap.* C 90, *simili errore citat* super Esdram, super Judith *ejus expositionem, quæ* super Esther et Judith *facta est. Habuit hic parvam operum ejus notitiam. Demum quod Allegoriæ in universam sacram Scripturam ab eo extent compositæ, facile credi vulgo potuit expositos ab eo sacros libros utriusque Testamenti.*

*in Danielem ad Ludovicum Regem,*

*et Cantica varia,*

*allegorias sacræ scripturæ.*

44 *Omitto versus Poeticos aliosque minores tractatus varia occasione a Rabano vulgatos, quos Rudolfus num.* 11. *recenset:* De Coepiscoporum ordinatione ad Drugonem Episcopum Metensem, Epistolam *nuper a Sirmondo nostro editam* de Prædestinatione, Gratia et libero arbitrio ad Notingum Episcopum Veronensem, *in cujus Præfatione refert hujus ad Imperatorem Ludovicum occursum:* de Oblatione secundum Regulam S. Benedicti, de Honore et observatione erga parentes, *nonnullaque alia ad* Ludovicum Imperatorem, *quæ cum præcedentibus eo superstite scripta sunt.* De Cognatione et magicorum præstigiis ad Bonosium Abbatem, *forte successorem suum Hattonem, qui Bonosus dictus fuit. Tum hæc cum sequentibus tractatibus,* de pœnitentia et Canonibus ad Otgarium Archiepiscopum, *et* de Computo *scripta fuissent sub initium quinquennalis otii, post abdicatam dignitatem Abbatialem: quo tempore suum tractatum absolvit Rudolfus.*

*tractatus varios,*

45 *Progressus in scriptione Rabanus, et quas censuimus expositiones in Ezechielem, Danielem, Cantica varia, et si qui alii libri in sacram Scripturam latent, absolvit cum aliis variorum generum tractatibus; inter quos eminent Libri viginti duo,* de Universo, *seu* Natura rerum, *aut de* Proprietate verborum, *et* rerum mysticarum significatione, *ad* Hemmonem Episcopum Halberstadiensem, *quem in Præfatione ita alloquitur:* Postquam me Divina Providentia ab negotiorum exteriorum cura absolvit, teque in Pastoralis curæ officium sublimavit; cogitabam quid tuæ sanctitati gratum et utile in scribendo conficere possem. *Idem opus petenti Ludovico Regi postea submisit, cum epistola etiamnum operi præfixa. Cujus quinquennalis otii anno tertio, Christi quadragesimo quarto istius seculi,* librum, quem *olim* de laude Crucis composuerat, per Asceribum et Hruodbertum monachos monasterii Fuldensis Sergio Papæ, S. Petro offerendum, transmisit: *ut isto anno tradunt Annales Fuldenses. Post reditum horum monachorum scripsit epistolam ad Hebrardum Comitem contra Gothescalcum nuper a Sirmondo editam.* D

*de Universo ad Hemmonem Ep. Halberstadiensem.*

46 *Commentarii in Regulam S. Benedicti, qui sub nomine Rabani tomo* 6. *operum continentur, ab aliis adscribuntur Smaragdo: sive is Abbas fuerit monasterii S. Michaelis in Lotharingia aut Saxonia; sive S. Ardo Smaragdus monachus monasterii Anianæ in Septimania, quem celebrabimus* VIII. *Martii, quo die ea exactius inquiremus. Smaragdo eos attribuit Aimoinus monachus Floriacensis in sermone de S. Benedicto his verbis:* Smaragdus quoque expositionem in ipsius regulam commentatus, hos præmisit versiculos: E

*Commentarii in regulam S. Benedicti non videntur esse Rabani.*

Quisquis ad æternum mavult conscendere regnum,
Debet ad astrigerum mente subire polum.

ANIMADV. PAP. B

*Est ea præfatio metrica commentariis hisce etiam in editione Rabani adjuncta, quæ desideratur in priore editione, qua Smaragdus cum commentariis Joannis de Turrecremata in eamdem S. Benedicti regulam editus Coloniæ anno* MDXXXV *extat. De Martyrologio Rabani egimus § 8 in Præfatione ante Januarium.*

## § IX. *Archiepiscopatus Moguntinus B. Rabani. Concilia ab eo habita.*

Q*uæ in ratione temporum B. Rabani subducenda difficultas fuit, ea fere sublata est. Una de interposito otio, quod relicta dignitate Abbatiali habuit usque ad mortem Otgarii Archiepiscopi Moguntini, brevissime repetenda. Trithemius lib.* 2 *Vitæ num.* 16 *solum biennium assignat: contra in Chronico Hirsaugiensi quinque annos requirit, et verius. Rudolfus in Vita num.* 49, *ait,* F *postquam* per XX annos monasterium rexisset, deposito curæ pastoralis pondere ad ecclesiam S. Petri in monte ad orientem monasterii constructam se contulisse. *Creatum esse Abbatem anno* DCCCXXII, *supra probavimus: secessisse ergo relicto munere Abbatiali anno* DCCCXLII, *cum Schafnaburgensi in Chronico: et post quinquennium interpositum* anno DCCCXLVII, Otgarium Moguntiacensem Episcopum XI Kal. Maii obiisse: in ejusque locum Rabanum ordinatum esse V Kal. Julii *dicendum est cum Annalibus Fuldensibus editis a Pithœo, et Chesneo: aut potius* VI Kal. Julii, *ut in eisdem Annalibus MSS. S. Trudonis et a Frehero editis legitur. Consentiunt in anno Schafnaburgensis et Marianus Scotus aliique. Trithemius hic lib.* 3 *Vitæ num.* 1 *ait,* VI Kal. Julii, *seu* XXVI *Junii,* in festo SS. Joannis et Pauli Martyrum *consecratum Rabanum: in cujus ætate ejusdem calculus corrigendus. Docuerat ante ex Meginfrido anno ætatis quinquagesimo septimo a munere Abbatiali depositum secessisse: probavimusque non biennio tantum, sed quinquennio interjecto ordinatum Archiepiscopum. Egisse igitur annum ætatis non quinquagesimum*

*B. Rabanus fit Archiepiscopus Moguntinus anno 847,*

*ætatis 62*

A *gesimum nonum, sed sexagesimum secundum ex dictis certum est.*

*I Concilium celebrat anno* 847

48 *Concilia celebravit tria. Primum jussu Regis Ludovici circa Kalendas Octobris anno Archiepiscopatus primo, Christi* DCCCXLVII, *ob frequentes apud Regem depositas querelas, quod bona Ecclesiarum, jura pariter et personæ assidue a laicis invaderentur: uti ad illum annum observat Baronius num.* 25. *Ex epistola synodali cum subjectis capitulis ad Ludovicum Regem missa, illud Provinciale fuisse constat:* Dignissimæ Reverentiæ vestræ, *inquiunt*, patefecimus nos humillimi famuli vestri, Rabanus videlicet Moguntiacensis Ecclesiæ indignus Archiepiscopus cum Coepiscopis meis, qui ad prædictæ Ecclesiæ diœcesim pertinent; hoc est, Samuele, Egorbaldo, Baturato, Hebone, Gorbratho, Hemmone, Waltgario Ansgario, Otgario, Lantone, Salomone, et Gebehardo cum reliquis collegis nostris Chorepiscopis, Abbatibus, monachis, Presbyteris, et ceteris Ecclesiasticis Ordinibus.

*cum Episcopis Provinciæ.*

*eorum Sedes,*

49 *Coepiscoporum Sedes sub Moguntino sunt hæ duodecim:* Verda, Hildesheymium, Halberstadium, Paderborna *in Saxonia inferiore et Westphalia*, Herbipolis *in Franconia*, Wormacia, Spira, Argentoratum *ad Rhenum*, Aistadium *ad Almonum non procul a Danubio*, Augusta *ad Licum in Suevia*, Constantia *ad*

B *lacum Acronium seu Bodanicum, et* Curia *apud Rhætos in Alpium jugis Germanicis. Quibus prædicti duodecim Episcopi hoc modo assignandi: Verdæ* Waltgarius, Hebbo, *hic* Hebo, *Hildesheymio*, Hemmo *Halberstadio*; Baduradus, seu Baturatus, *Paderbornæ*; Godebaldus, Gausbaldus, Gosbaldus *seu* Gotfwaldus, *hic* Egorbaldus, *Herbipoli*; Samuel *Wormaciæ*; Gebehardus *Spiræ*; Otgerus, *hic* Otgarius, *Aistadio*; Lanto *Augustæ*; Salomon *Constantiæ: in quibus ratio expedita est. Restant Argentoratum et Curia: illi* Bernaltus *putatur præfuisse, cui forte tum mortuo successerat* Gorbratus; *Curiæ vero* Verendarius *ab aliis assignatur, qui hic forte* Anscharius *appellatur: nisi adfuerit tum Hamburgo expulsus Archiepiscopus S. Anscharius, sed is secundum a Rabano obtinuisset locum. In ejus*

*et varia notitia:*

*Vita in Februarii agitur num. 37 de Waltgario, num. 39 de Salomone, num. 20 de Bernalto seu Bernoldo Argentoratensi; sæpius de Ebbone, potissimum num. 20 et 56 et § 10 et 15 in Prolegomenis: de Otgario Aistadiensi ad Vitam S. Walburgis* XXIV *Februarii. Interfuit hic expeditioni militari anno Christi* DCCCLVII, *juxta Annales Fuldenses: confœderationi vero seu pacificationi inter Carolum Calvum, Ludovicum et horum nepotem Lotharium, apud Confluentes initæ anno* DCCCLX,

C *adfuerunt Salomon et Gebehardus. Hic iterum juxta Annales Bertinianos ad alterum pacis tractatum perficiendum ad Carolum Calvum missus est anno* DCCCLXIII. *Browerus in scholiis ad Poemata Rabani num. 4, Ratisponam tum Metropolitano Franciæ Orientalis subfuisse conjicit, ratus pro* Baturato *mendose scripto, legendum hic esse* Baturicum *Episcopum Ratisponensem. Quod ex jam dictis corruit.*

*II Concilium habet anno* 848,

50 *Alterum Concilium instituisse Rabanum anno sequenti circa Kalendas Octobris legitur in eisdem Annalibus Fuldensibus. Hoc magis celebre passim æstimatum ob Gotescalcum in eo hæreseos damnatum, Remosque ad proprium Archiepiscopum Hincmarum remissum. Quos Rabanus ad hoc Concilium evocarit Episcopos, nusquam apud antiquos legimus. Conjicimus illos eosdem convenisse Coepiscopos, qui anno elapso, tamquam*

*cum eisdem fere Episcopis.*

*ad* Moguntinæ Ecclesiæ diœcesin *seu provinciam pertinentes, fuerunt congregati. Dubium an reliqui adjuncti, qui in regno Ludovici sub aliis Archiepiscopis degebant, ut in tertio Concilio mox referendo factum est. Hincmarus apud Flodoardum lib. 3 cap. 13 in Epistola ad Nicolaum Papam, quæ tomo 2 operum* XVII *est, refert* Gothescalcum ab omnibus Episcopis Germaniæ damnatum, *cujus scilicet Germaniæ eo tempore et Ba-*

D *joariæ Ludovicus Rex dicebatur. In hac Germania præter dictos ante Episcopos censebantur* Archiepiscopus Hamburgensis, *tum etiam* Bremensis, *dein* Mindensis, Osnabrugensis, Monasteriensis, *qui suberant Archiepiscopo Coloniensi, Lothario Imperatori subjecto. An etiam Episcopi Bajoariæ adfuerint, prorsus incertum.*

AUCTORE G. H.

51 *Nullos ex regnis Lotharii, aut Caroli Calvi evocatos fuisse magis nobis probatur ob Gothescalcum non ante in Franciam occiduam ad Hincmarum transmissum quam* juramento confirmasset in regnum Ludovici ultra non rediturum, *ut testantur Annales Fuldenses. Plurimum miramur a Baronio ad hunc annum num. 4, aliisque viris magnis proferri catalogum Episcoporum et Abbatum a Trithemio Chronico Hirsaugiensi insertum, et unicum tantum perstringi errorem, quo dixit jussu Lotharii Imperatoris convenisse Episcopos, cum is in regno Germaniæ ad Ludovicum spectante, nullam rerum agendarum haberet facultatem. Inter Episcopos Germaniæ sub Ludovico regno primus a Trithemio censetur* Altfridus Episcopus Hildesheimensis *verum is tertio abhinc anno, scilicet* DCCCLI *Ebboni* XX *Martii mortuo tandem successit, ut supra et ad Vitam S. Anscharii dictum est. Quem citat* Ludericum Bremensem, *uno tum alterove anno vita functum fuisse diximus ante eamdem S. Anscharii Vitam num. 6. Quem Lotharii regno evocatum addit* Hetti Archiepiscopum Treviro-

*(in quibus Trithemius emendatus)*

E *rum anno* DCCCXLVII *e vita migrasse tradunt Annales Metenses a coævo scripti. Præterea annumerat* Hildeboldum Archiepiscopum Coloniensem, *quem etiam ante hunc annum e vita abiisse colligitur ex eadem vita S. Anscharii num. 38. Inter Abbates Germaniæ refertur* Einhardus Abbas Selgenstetensis, *quem potius anno* DCCCXLIII *mortuum esse monuimus* XXVIII *Januarii ante Vitam Caroli Magni num. 9. Verba ipsa Trithemii hac posita correctione damus.* Fuerunt inter alios, *inquit*, ibi præsentes cum Rabano celeberrimi viri Episcopi, Hetti Archiepiscopus Trevirensis, Hildeboldus Archiepiscopus Coloniensis, Altfridus Episcopus Hildesheimensis, Haymo Episcopus Halberstatensis, Ludericus Episcopus Bremensis: Liutbertus primus iste Abbas S. Aurelii Hirsaugiensis, Waldo Abbas Fuldensis, Einhardus Abbas Selgenstetensis, Brunwart Abbas Hirsfeldensis, Bertolphus Abbas Mediolacensis, Adventitius Abbas, Metensis postea ibidem Episcopus, Radulphus Abbas S. Medardi Suessionensis, postea Bituricensis Archiepiscopus: et alii multi Episcopi, Abbates et monachi, inter quos complures erant vita et doctrina famosissimi. *Ex his* S. Radulphus *in Divos relatus colitur* XXI *Junii.* Adven-

F titium *etiam Sancti titulo ornat Claudius Robertus in Gallia Christiana: ejus cognatus* Bertolphus *ex Abbate Mediolacensi factus est Archiepiscopus Trevirensis. Qui hic* Waldo *dicitur Abbas Fuldensis, alias Hatto est, et Bonosus cognominatur: de eo aliisque sæpius ad hanc Rabani Vitam agimus. Idem Trithemius in citato Chronico Hirsaugiensi ad annum* DCCCLI, *ait* Lupum Servatum *etiam huic Synodo interfuisse. Ceterum cum antiquorum Scriptorum desint testimonia, et Hincmarus tantum meminerit Episcoporum Germaniæ, tot Galliæ Abbates e regno Caroli Calvi vocati, videntur potius expungendi.*

*III Concilium habet anno* 852

52 *Tertium denique et celeberrimum* Concilium *ex* præcepto Ludovici Regis Rabanum habuisse anno DCCCLII, cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bajoariæ et Saxoniæ, *tradunt Annales Fuldenses. Sed utinam Acta si alicubi in carosis chartis delitescunt, tandem extructa reviviscant! Hæc de Conciliis. Quæ potissimum opera conscripserit in senio suo Archiepiscopus, nusquam apud antiquos legimus. Ex aliis præclare gestis recenset Schafnaburgensis* anno DCCCLI, dedicatam ecclesiam S. Wigberti V Kalend. Novemb. a Rabano Moguntiacensi Archiepiscopo.

§ X.

## § X. *Obitus B. Rabani. Nomen in fastis sacris.*

AUCTORE G. H.

*Moritur anno 856.*

*Lambertus Schafnaburgensis in Chronico* anno DCCCLVI, *inquit*, Rabanus Archiepiscopus obiit; cui Carolus successit. *Consentiunt Marianus Scotus, Sigebertus, et passim cum Annalibus Fuldensibus reliqui Chronographi. Trithemius assentitur infra in Vita lib. 3. num. 14. in Vitæ Compendio, et in Chronico Hirsaugiensi. Ast in Catalogo illustrium Scriptorum Germaniæ et de Viris illustribus Ord. S. Benedicti lib. 2. cap. 39 et lib. 4. cap. 81 scribit anno* DCCCLV *vita functum. Gulielmus Eisengrenius in Catalogo testium veritatis mortuum asserit anno* DCCCLVII. *Verum antiquioribus fides habenda. Idem Trithemius in Vitæ compendio, et Catalogo illust. Script. Germaniæ addit annum ætatis tum egisse* LXVIII. *Verum juxta Chronologiam ante stabilitam tribus annis adjectis dicendus, qui natus anno* DCCLXXXV *fuit, pervenisse ad annum ætatis* LXXI. *In mense et die obitus ab aliis secedit fere solus Trithemius, qui in Vita ejusque compendio assignat* VI *Kalendas Novembris, Pontificatus anno nono, quem completum ait in Catalogo Scriptorum Germaniæ. In Vitæ compendio addit mensem quartum supra annum nonum, quem statuerat ibidem, et in Actis, ordinatum* XXVI *Junii anni* DCCCXLVII. *In Annalibus Fuldensibus, a Chesneo, Pithæo et Frehero editis, hæc ita referuntur:* Anno DCCCLVI, mense Februario, IV die mensis defunctus est Hrabanus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ, habens in Episcopatu annos novem, mensem unum, dies quatuor: cui successit Carolus *etc. Verum cum in iisdem Annalibus dicatur* ordinatus Archiepiscopus VI *aut* V. Kal. Julii; *necessario, addito mense uno, et quatuor diebus obiisset* XXXI *Julii, aut* I *Augusti. MS. exemplar Annalium Fuldensium monasterii S. Trudonis in Belgio ea verba, de annis in Episcopatu novem, mense uno et quatuor diebus, non habet, ab alio postea inepte intrusa. Sic igitur refert:* Anno DCCCLVI mense Februario, IV die mensis defunctus est Rhabanus Archiepiscopus Mogontiacensis Ecclesiæ; cui Karolus Pipini Regis filius, qui de custodia Corbeiensis monasterii lapsus, ad Hludovicum Regem patruum suum defecerat, in Episcopatum successit VIII Idus Martii. *Ex quibus certo deducitur obiisse anno Episcopatus nono nondum completo, desideratis mensibus tribus, et diebus circiter viginti.*

*ætatis 71.*

*4 Februarii.*

*anno Archiepiscopatus 9.*

54 *Hoc* IV *Februarii nomen Martyrologiis monasticis est inscriptum. Wion:* Mogontiæ S. Rabani Archiepiscopi, et Ecclesiæ Doctoris, qui post vitam in compositione librorum, et prædicationibus exactam, sanctitate clarus migravit ad Christum. *Dorganius:* S. Rabani Archiepiscopi, et Ecclesiæ Doctoris. *Menardus:* Moguntiæ S. Rabani Episcopi doctrina eximii. *Sequitur Ferrarius in generali catalogo Sanctorum:* Hoc die Fuldæ S. Rabani Episcopi Moguntini. *Et iterum ex Kalendario Germanico,* XXVI *Septembris, sive* VI *Kalend. Octob.* Fuldæ in Germania S. Rabani Episcopi Moguntini. VI *Kalend. Novemb. seu* XXVII *Octob. obitum retulit Trithemius; ex quo mense integro aberrarit aut Ferrarius, aut Kalendarii Germanici auctor. Eodem forte modo David Camerarius in Menologio Sanctorum Scotiæ maluit eumdem a quarto Februarii ad quartum Januarii transferre. Verba ejus supra examinavimus. Hos Martyrologos hac censura perstringit Browerus in scholiis ad Epitaphia Rabani num.* 6: Sanctis, *ait*, annumerari Rabanum, etsi privati quidam monent Scriptores; in publicum tamen vel hic etiam Fuldæ neque probantur, neque audiuntur, *scilicet, ut officio Ecclesiastico colatur.*

*Nomen in Martyrologiis 4 Febru. 26 Sept.*

*4 Januar.*

55 *Trithemius lib.* 3 *de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap.* 199 *annumerat eum* Sanctis et Canonizatis, *de quibus præfatur se eo libro agere. Præterea lib.* 3 *Vitæ num.* 16 *ait,* ad *ejus* tumulum magnum populi fuisse concursum, et plura narrari facta miracula: *deinde* Sacellum ejus mansisse sine honore: *tandem*, sanctissimum corpus ejus Moguntia in Saxoniam translatum fuisse anno MDXV, *eamque Translationem se* descripsisse speciali syntagmate, *quod huc usque videre non licuit. Ejus loco damus, quæ in Vita S. Maximi Archiepiscopi Moguntini (qui* XVIII *Novemb. colitur). Idem Trithemius de hac Translatione scribit:* Cum Albertus, *inquit*, anno Moguntini Archipontificatus sui primo, Magdeburgensis autem secundo, pro Dei amore, et reverentia Sanctorum, apud Moguntiam circumeundo, sacras more suo visitaret ecclesias, basilicam Martyris S. Albani devotus intravit, et videns præscriptorum decem Pontificum sancta corpora sine honore neglecta, auctoritate non minus Apostolica quam ordinaria usus, corpus S. Hrabani quondam Archiepiscopi totum, S. Maximi Episcopi medium, permissione Canonicorum inde abstulit, et in Saxoniam transferens, apud Hallas oppidum in basilica castri S. Mauritii, solenni processionis officio collocavit anno Dominicæ nativitatis millesimo quingentesimo quinto decimo, Indictione Romanorum tertia. *Qua occasione Trithemium eodem anno Vitam B. Rabani scripsisse ex supra dictis constat. In quodam codice nostro MS. referente Acta Patronorum Moguntinensis civitatis, catalogus quidam legitur sub hoc titulo:* Hæ sunt reliquiæ Sanctorum, quorum corpora seu ossa requiescunt in Ecclesia S. Albani Martyris. *ac deinde relatis variis Sanctis additur:* Item requiescit ibi Sanctus Rabanus, qui quondam fuit Abbas Fuldensis, et postea factus seu electus Episcopus Moguntinensis. *Nos interim solo Beati titulo honoramus.*

*Reliquiæ in Saxoniam translatæ*

*anno 1515:*

*olim Sancti titulus tributus.*

# VITA

## Auctore Rudolfo Presbytero, *monacho Fuldensi, ejus discipulo.*

### PRÆFATIO.

Scriptores rerum Ecclesiasticarum cum sapienter tum etiam utiliter instituerunt, Vitas et facta justorum, et secundum Divina præcepta viventium virorum, per litterarum revelationes tradere posteris: merito a fidelibus magnis ideo laudibus extollendi, quod non invidiose silentes ea prætermiserunt; sed caritate, quæ omnibus prodesse desiderat, abundantes, ad exemplum recte vivendi cunctis imitari volentibus, fidei veritate subnixi, protulerunt. Si enim non ita fecissent, nequaquam scire potuissemus, quid sancti Patriarchæ, quid Prophetæ, quid Apostoli, quid etiam ceteri sancti Martyres et Confessores Christi gesserint, vel docuerint; quibusque signis et virtutibus ante vel post mortem suam claruerint, nisi ex eorum scriptis credita et intellecta nosceremus, qui ea non captandæ propriæ laudis intentione protulerunt, sed ut per ejusmodi exempla, ad emendandos pravos mores humanæ præsumptionis, et ad collaudandam Divinæ majestatis potentiam, quorumcumque animos incitarent. Itaque eorum laudabile institutum pro modulo meo sequens facultate qua valeo, scribere nitor virtutes et miracula, quæ Deus per Sanctos suos *a* modernis temporibus facere dignatus est, quorum sacri cineres in regionem nostram illati, quotidie fidelibus caussa salutis existunt: credens, me non inaniter, imo utiliter, et mihimetipsi et multis aliis laborare: mihi quidem, quia præmium laboris mei cum eis, quos ob laudem Dei in simili opere sudantes imitatus sum, me habiturum esse per Dei gratiam confidens; aliis vero, quia rebus cognitis veneranda Sanctorum solennia fidelius amplectuntur, et majore mentis devotione accensi, in laudem Creatoris sui lætius adsurgunt.

*Sanctorum acta conscribi utile posteritati.*

2 Temporibus

A 2 Temporibus igitur Ludovici Imperatoris, qui post genitorem suum, Carolum Magnum Imperatorem, per annos *b* septem et viginti, Francorum tenuit imperium, multorum reliquiæ Sanctorum ab urbe Roma in Franciam delatæ sunt; quarum aliæ quidem ab eis adductæ sunt, qui jussu Dominorum suorum, ut id efficerent, Romam profecti sunt: aliæ vero per Clericos sanctæ Sedis Apostolicæ, et cives Romanæ urbis allatæ, vel per viam, qua ferebantur vel in locis, quibus susceptæ et conditæ sunt, multis et magnis miraculorum signis, cujus essent apud Deum meriti, claruerunt. Constat namque reliquias S. Sebastiani Martyris ab urbe Roma devectas, et ab *c* Hilduino Abbate apud Augustam *d* Suessionum Galliæ civitatem, in Ecclesia *e* S. Medardi Confessoris venerabiliter conditas, tantis et inauditis omnibus retro generationibus florere *f* miraculis, ut revelatio eorum fidem excederet, nisi certum esset omnibus fideliter credentibus, quod Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui gloriosus est in Sanctis suis, mirabilis in majestatibus, faciensque prodigia, omnia, quæcumque voluerit in cœlo et in terra, sine B ulla difficultate potest efficere. Ossa quoque beatorum Martyrum *g* Marcellini et Petri, *h* Proti atque Hyacinthi, cum reliquiis S. Hermetis, non minore miraculorum gloria in diversis sanitatibus infirmantium quotidie fulgent: quæ et ipsa a Roma translata et *i* Einhardo Abbati adducta juxta Mœnum Germaniæ fluvium, in villa, quæ prius Mullinheim, nunc autem *k* Saligunstat dicitur, digna celebratione a fidelibus venerantur. De quorum translatione simul et virtutibus, quas per eos Deus operatus est, quia diligenter memoriæ traditum est, hic dicere omitto.

*Reliquiæ Sanctorum Roma ad Francos delatæ,*

*S. Sebastiani Augustam Suessionum,*

*S. Marcellini, Petri, Proti, Hyacinthi et Hermetis Saligenstadium,*

3 De ossibus vero B. Alexandri Martyris, et aliorum Sanctorum, quorum nomina suis locis dicentur, scribendum esse censeo: qualiter, et a quibus, vel ad quæ loca translata sint, quibusque signis et virtutibus, sive in itinere quo ferebantur, sive in locis quibus condita sunt, floruerint, memoriæ mandandum: ut cum de translatione, et miraculis eorum, secundum veritatem gestorum fuerit sermo prolatus; quibus in locis a fidelibus veneranda debeant inveniri, per scripta valeat agnosci.

*aliorum Fuldam*

a Colvenerius in editione Coloniensi, modernos temporibus nostris. — b Non completo, remissis octo fere mensibus, successit patri vita functo an. Ch. 814 die 28 Januarii: vivere desiit an. 840 die 21 Maii. — c De hoc Abbate pluribus agitur in citata Historia Translationis: potissimum cap. 1 et ante Vitam S. Sebastiani § 7. — d Colvenerius, Suessorum, alii Suessionum. — e Pompa hæc translationis ad cœnobium S. Medardi describitur cap. 9. De S. Medardo agemus 8 Junii. — f De his agitur ibidem cap. 10, 11, 12, 17, et 18. — g Coluntur hi 2 Junii, quo die dabimus ex MSS. codicibus Historiam Translationis ab Eginharto C descriptam. Extat de eadem Translatione carmen B. Rabani tomo 6 operum ejus, estque hymnus 24. — h De his agetur 11 Septemb. de S. Hermete 28 Augusti. De horum reliquiis Romæ ablatis et sibi missis agit Eginhartus lib. 4 citatæ historiæ reliquiarum SS. Petri et Marcellini. — i Browerus, ab Einardo Abbate, perperam. Reliquiæ namque SS. Marcellini et Petri et Roma apportatæ sunt a Ratleico notario suo, aliæ vero a quodam monacho suo aliisque Sabbatino dicto, familiari Deusdonæ Diaconi Romanæ Ecclesiæ, cujus industria fuerant impetratæ, ut pluribus dicetur 2 Junii. De Einardo, sive Eginharto, actum est 28 Januarii ante Vitam S. Caroli Magni § 2. — k Id est, Beata civitas. Unde Trithemius corrigendus, qui in compendio de Origine gentis Francorum, ex Hunibaldi fabulosis libris, tradit in Clodio Crinito, urbem hanc conditam a Salagasto sapiente et philosopho Francorum, ac legum Salicarum scriptore: eumque cum in hac a se nominata urbe mortuum, combustum, urnæque impositum anno Clodii 16. Plura de Mulinheim et Saligenstadio dicentur 2 Junii.

*Salingenstadt.*

## CAPUT I.

### *Fuldæ a B. Rabano Abbate ecclesiæ erectæ.*

In ea parte Germaniæ, quam Franci, qui dicuntur Orientales, inhabitant, locus est ex nomine vicini *a* fluminis, Fulda vocatus, situs in saltu magno, qui moderno tempore ab incolis illarum regionum *b* Bochonia appellatur: quem *c* S. Bonifacius Martyr, Legatus in Germaniam ab Apostolica Sede directus, et Episcopus Moguntiacensis Ecclesiæ ordinatus; quia secretus erat, et a populari frequentia valde D remotus, impetravit a *d* Karlmanno *e* Rege Francorum, et cum auctoritate *f* Zachariæ, sanctæ Sedis Apostolicæ summi Pontificis, *g* monasterium in eo constituit monachorum, anno ante passionem suam decimo, qui fuit ab Incarnatione Dominica quartus et quadragesimus et septingentesimus annus.

*Fuldæ monasterii*

AUCTORE RUDOLFHO PRESBYTERO.

*a S. Bonifacio constructi,*

5 Huic itaque monasterio *h* quintus a B. Bonifacio præfuit in regimine Hrabanus Abbas et præceptor meus, vir valde religiosus, et in Scripturis divinis adprime eruditus: cujus omne studium fuit in meditatione legis Domini, et in doctrina veritatis, curaque maxima circa disciplinam monasticam, et profectum discipulorum. Mens ejus ad ea disponenda, quæ ad cultum Divinum pertinent, semper erat intenta. Quotiescumque a curis secularibus (quas prout possibile erat, toto nisu declinabat) liber esse permittebatur, aut alios sacris litteris instruebat; aut in legendo vel dictando, divinis Scripturis semetipsum pascebat. Inter hæc et alia, quibus in oratione, vigiliis et abstinentia, ceterisque virtutum titulis formam se sibi subditis præbebat, monasterium totum domibus apertis et habitaculis congruentibus extruxit: et ecclesiam ex diverso metallorum, pretiosarumque vestium genere, pulchra varietate E decoravit. Per cellas quoque Fratrum sibi commissorum, et per alia loca multa ad se pertinentia, in quibus prius non erant, ecclesias, cum permissione Episcopi sui construxit: quas collectis undecumque Sanctorum reliquiis, eorum nomine et honore consecrari fecit.

*Abbas quintus B. Rabanus,*

*pietati et scientiis addictus,*

*templa exstruit,*

6 Erant etiam per diversas provincias prædia monasterio subjacentia, partim ex donis Regum, partim ex liberalitate fidelium personarum, propter amorem Dei et venerationem sancti Martyris Bonifacii illuc collata: quorum alia quidem per *i* villicos ordinavit; alia vero, et maxime illa, in quibus ecclesiæ fuerant, Presbyteris procuranda atque disponenda commisit. E quibus, qui in Italia prædium procurabat, quod Adumar quondam Comes S. Bonifacio tradidit, nomine Addo, inde rediens, inter cetera retulit *k* Alabingum quemdam, potentem in Italia virum, mandasse Abbati, quod cujusdam sancti Martyris ossa vellet ei transmittere, si congruus ab eo venerationi illius locus exhiberetur, partemque hereditatis suæ, quam in Francia, unde oriundus fuit, habebat, solemni donatione loco illi conferre disponeret, ad de- F serviendum usibus eorum, qui ibi essent servituri. Quibus ille auditis, quia multum in Domino gavisus, talium rerum desiderio non parum movebatur, absolutisque celeriter caussis, propter quas Presbyter venerat, remisit eum in Italiam, mandans memorato viro Alabingo, in translatione Reliquiarum sancti illius Martyris non segniter agendum; quin potius propter varios eventus rerum omni velocitate, ut efficeretur, esse festinandum. Jam se divinis officiis faciendis basilicam congruentem habere constructam, et omnia parata, quæ ad susceptionem et cultum hujusmodi rerum usus exposcit: neque aliquid esse ex hac parte impedimenti, quin pollicitationem suam, si voluntas non defuerit, valeat implere.

*Reliquias Sanctorum exornat.*

a Hic Buchoniam Hassiamque perlapsus, Fuldam miscetur. — b Alias Buchonia, a fagis nomen sortita, quæ Teutonibus Buchen dicuntur. Ita Candidus B. Rabani discipulus in Vita Ægilis Abbatis:

Patriis evectus ab oris
Ducitur in silvam, Fagi de nomine dictam,
Buchoniam.

— c Hæc pluribus ad ejus Vitam 5 Junii. — d Hic an. Ch. 741 a morte patris Caroli Martelli rexit Franciam Orientalem, cum Thuringia, Suevia, sive Alamannia, relictis Pipino fratri Burgundia, Provincia, Neustria. Anno 747 monasticum institutum amplexus, vitam sancte peregit. — e Potestate, non titulo, Rex fuit: quem frater ejus Pipinus, Childerico Merovingorum postremo in monasterium detruso, auctoritate S. Zachariæ Pontificis, obtinuit an. Ch. 752. — f Præfuit Ecclesiæ a 6 Decemb. anni 741 ad 15 Martii anni 752, quo die colitur. — g Legendus Browerus de Fuld. Antiq. potissimum cap. 3 et 4 libri 1, ubi primordia fundati conditique

*Buchoniæ unde dicta.*

*AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO.*

*conditque monasterii profert.* — h *Decessorum mentio fit in sequenti Vita.* — i Laicos *margini adscripserunt Colvenerius et Browerus.* — k *Alias* Italabingum.

## CAPUT II.

### *Reliquiæ S. Alexandri miraculis claræ.*

Cumque profectus esset Presbyter, ut in Italiam reverteretur; contigit, ut quidam Diaconus Romanæ Ecclesiæ, nomine *a* Deusdona, veniret in Franciam, specie quidem, quasi pro quibusdam suis necessitatibus Regis opem imploraturus; re autem vera Sanctorum, quas secum habebat, Reliquias alicui Religiosorum in Francia virorum daturus, cujus adjutorio posset inopiæ suæ aliquod capere supplementum. Transcensis igitur Alpium jugis, cum ad plana et campestria descendisset, in finibus Alamannorum venit ad quamdam villam, quæ vocatur Kentibruto, in pago *b* Turibganne, ubi Ecclesiam cum Reliquiis ingressus, cum benigne a Presbytero susceptus esset, dedit ei partem reliquiarum B. *c* Alexandri Martyris sub altare Ecclesiæ collocandam. Quo facto mox quanti meriti apud Deum esset, miraculis declarantibus cœpit ostendi. Audientes enim populi Sanctorum allatas Reliquias esse, debiles et ægrotos et variis incommodis afflictos undique cœperunt adducere, credentes, per orationes Sanctorum pristinam recuperare sanitatem. Inter quos fœmina quædam immundo spiritu possessa, basilicam introivit: cumque a Presbytero juxta morem Ecclesiasticum exorcizaretur, per os illius dæmon respondit: Si ab ea fuisset ejectus, statim in aliud vas, quod sibi in eadem regione concessum esset, ingredi deberet: Othmarum quemdam, quem intraturus esset, ex nomine designans. Ad quem Presbyter, quia non procul habitabat, mox nuntium mittens, jussit, ut confessione facta peccatorum pœnitentiam ageret, ne forte facinorum suorum merito fieret *d* sub ditione inimici. Qui præceptis obediens, ad pœnitentiam, quam diabolus semper aversatur, tota mente confugiens, insidias evasit inimici: dæmon vero per virtutem sancti Martyris ipsa die ejectus, fœminam quam tenebat, sanæ mentis et incolumem reliquit.

*Kentibruti ad Reliquias S. Alexandri*

*liberantur energumena,*

*et confessione peccatorum facta, obsidendus a dæmone:*

B

8 Item quædam fœmina, orationis caussa veniens ad reliquias Sancti, duas inaures pro munere obtulit ad altare: quas ancilla, quæ in ejus obsequio erat, super altare positas concupiscens, cum inter ceteras mulieres, quæ advenerant, orationi incumberet, optavit in corde suo, ut eas cum justitia redemptas habere potuisset. Cumque inter orandum id animo volutaret, mox mirum in modum, aliis ab oratione surgentibus, ipsa se erigere *e* nullatenus potuit; sed ita, ut super genua sua orationi incubuit, quodam rigore contracta permansit. Interrogata autem a Presbytero caussam peccati, cujus merito tam subitam membrorum contractionem pertulisset, vel quid animo gereret, quando in oratione procubuit, respondit nullam sibi aliam læsionis suæ caussam videri, quam inaurium illarum concupiscentiam. Cui Presbyter: Si Sancti, inquit, Alexandri voluntas sit, sic eas, sicut desiderasti, possideas. Surge et tolle illas de altari. Ad cujus vocem, mox illa, sanitate recepta, surrexit, linteumque, quod circa caput suum habuit ad altare volens offerre, nullo conamine de capite potuit abstrahere. Quod cum videret Presbyter, et ex recuperatione sanitatis intelligeret, puellæ etiam inaures, quas desideraverat, divinitus esse concessas, datis ei inauribus ait: Accipe munus, quod desiderasti, atque tibi gratis a Sancto Dei non pro temporali pretio cognosce esse donatum. Illa vero gratias agens Deo, et merita S. Alexandri glorificans, domum cum domina sua gaudens reversa est.

*anathema oblatum concupiscens, membrorum rigore punitur,*

C

*sanatur*

9 Postea contigit, quasdam pauperculas mulieres orandi gratia ad sanctas illas Reliquias devota mente properantes venisse ad fluvium *f* Thuriseo; cumque non possent absque navigio transire, nec haberent quod pro naulo darent (non enim eis erant nisi quinque tantum panes ad viaticum) nauta autem cum vehementer instaret, naulum ab eis exigens; tandem obtulerunt ei quatuor panes, uno tantum sibi ob necessitatem victus reservato: sed cum ille adhuc non acquievisset, dederunt ei et quintum; magis eligentes ad tempus famem moribundi corporis perpeti, quam victuram perpetuo animam sanctæ orationis fructu privare. Recepto autem quinto pane, in alteram amnis ripam fœminas miser ille navigio transposuit; assumptisque panibus, ac ceteris, quas simili inhumanitate contraxerat, rebus, ad propria redire volens, subita nervorum duritia ita deriguit, ut de loco, in quo erat, ullo se conamine movere non posset: stabatque stupefactus, ac pavore perculsus cogitare cœpit, unde ei tanti mali contingeret casus. Tandem, accusante conscientia, in se reversus, scelus, quod commiserat, recognoscit: commissique pœnitens, ad Sancti Reliquias, quæ jam tunc ab omnibus fere regionis illius incolis religiosa veneratione frequentabantur, pro absolutione sua ire desiderat: statimque Divina miseratione gradiendi facultatem recipiens, proficiscitur, ecclesiam intrat, panes ante altare cum publica facinoris sui confessione deponit. Quos ut mulieres receperunt, integram sanitatem adepti, domum suam cum gaudio repetivit.

D

*naulum injustum a peregrinantibus ad Reliquias exigens*

*nervorum constrictione obrigescit,*

*voto facto sanatur:*

E

10 Item quidam de comitatu Geraldi Comitis, nomine Perathgarius, filius Theodaldi, iter agens, cum venisset secus ecclesiam, in qua sancti Martyris positæ sunt Reliquiæ, et vellet præterire; admonitus a puero, qui comitatus est eum, ut ad sacras Reliquias, caussa orationis, paullulum declinaret, respondit, sibi tunc quidem esse festinandum propter legationem Domini sui peragendam: tempore vero opportuno ad orationem esse veniendum. Inter hæc verba subito equus, cui sedebat, invisibili potentia fixus stabat immobilis, et, licet nimium calcaribus fatigatus, nullo modo ad ambulandum poterat impelli. Unde factum est, ut confusus ac pavore perterritus, descenderet de equo: et quod prius equitando facere contempsit, implevit ambulando. Perrexit igitur ad ecclesiam, et coram Reliquiis sancti Dei Martyris, expleta suppliciter oratione agrum juris sui, qui possessioni Ecclesiæ illius contiguus erat, pro salute animæ suæ, solenni donatione ei contulit; sicque itinere suo, quo missus fuerat, libero cursu perrexit.

*equite ad Reliquias honorandas non deflectente,*

*equus immobilis redditur:*

F

11 Alio quoque tempore contigit, ut vir quidam de orientalibus Alamanniæ partibus, cum sociorum suorum comitatu non modico, caussa orationis, ad prædictas Reliquias veniret, portans secum donaria ad sacrarium Domini offerenda. Quæ cum posuisset super altare, protinus elapsa in terram ceciderunt: factumque est, ut tertio superposita, nihilominus in terram corruerent. Unde Presbyter intelligens, aliquid inesse latentis nequitiæ menti vel actibus offerentis, ait ei, ut sua tolleret, et ad propria remearet: monuitque eum circa salutem animæ suæ esse sollicitum, ac pura confessione et dignis pœnitentiæ fructibus conscientiam suam mundare, quo orationes ejus et munera deinceps Deo potuissent esse placabilia.

*donaria tertio de altari decidunt*

12 Erat vir quidam in eadem regione, Sygibaldus nomine, ex cujus servis inter ceteras multitudines, quæ ad orandum confluebant, unus ad ecclesiam venit, susceptusque a germano suo ejusdem ecclesiæ servo, apud eum diebus aliquot mansit. Cum autem reverteretur, subito in itinere, quo gradiebatur, obmutuit. Qui vero cum eo erant, cognito quod acciderat, duxerunt illum ad dominum suum, eique gestæ rei

*mutus loquelam recipit.*

rei ordinem per omnia pandebant. Dominus vero servi statim eum remisit ad ecclesiam, et quia per merita sancti Martyris Christi recuperata pristina sanitate curatus est, tradidit eum in loco Reliquiarum ejus perpetuo serviturum. Multa quidem et alia in eodem loco divinitus fieri miracula, a commeantibus celebri sermone nuntiantur, quæ huic operi, ne forte prolixa narratio legentibus fastidium generaret, inserere nolui : hæc autem, quæ commemoravi, in quodam libello inde allato suscepi, et eodem ordine, quo scripta erant, licet non eis verbis, quia certa esse videbantur, inserui : ut ex his cetera, quæ vulgari sermone referuntur, veracius credi, et certius valeant sciri.

*Deusdona et Sabbatinus.*

a *De Deusdona, ejusque familiari Sabbatino, ita Browerus lib.* 3 *Fuld. Antiq. cap.* 13 : Utriusque ut in Reliquiis tractandis, exportandisque solertiam veteres approbent, licet forte rerum successu, eos tamen in re tam sacra neque optima fide, neque caste versatos, qui Eginardum adierit, facile quivis intelliget. Sed iidem nihilominus præclare industrii homines operam itidem hic Rabano impigre navarunt, quod ex Rudolfi historia manifestum evadit; quam quisquis cum Eginardi commentario conferre voluerit mutua opera majorem illico utrimque facem allucere sibi sentiet. — b *Browero*, Zurichgaw ; *nunc atque* Turihgave, Turgaw vel Durgow notus in Alemannia, et finibus Helvetiorum tractus, *inter Constantiam et Tigurum.* — c *Infra num.* 14 *Papa dicitur, uti etiam a Rabano poemate* 109 *et* 117. *Colitur* 3 *Maii. Caput ejus a Leone IV in urbem illatum scribit Anastasius Bibliothecarius.* — d *Colonia* inimico, *quasi vox obnoxius deesset.* — e *Browerus*, nulla arte non potuit. — f *Idem* Thurbisco, *vulgo* Thur : *a quo districtus ille communiter* Turgow *dicitur, influit in Rhenum inter Schafhusam et Rhinsebium. Hinc situs* Kentibruti *ante memorati conjici potest.*

*S. Alexander Papa.*

*Thur flur.*

## CAPUT III.

### *Prima Reliquiarum Fuldam translatio ad B. Rabanum.*

Supradictus autem Diaconus, itinere, quo cœperat, in *a* Franciam venit, ac primum se ad Einhardum contulit, cujus supra mentionem feci, erat enim ei familiaris : deinde commendatis sub signaculo Sanctorum Reliquiis, ibi in ecclesia beatorum Martyrum Marcellini et Petri conservandis, Moguntiam profectus est, ubi tunc erat quidam Presbyter ex monachis nostris, nomine Theotmar, pro caussis quibusdam ab Abbate ad *b* Otgarium Archiepiscopum missus. Is cum Diaconum vidisset, cognito quod esset Romanus, percontatus est, ob quam caussam tam procul a patria peregre esset profectus; auditisque caussis itineris, hortari eum cœpit, ut partem Reliquiarum, quas se habere confessus est, suo donaret Abbati, sciens se proculdubio ob id bene ab eo fore remunerandum. Placuit Diacono suadentis consilium, factaque promissione dimisit Presbyterum, die qua tunc inter eos convenerat, ad locum ubi Reliquias dimisit, obviam ei reversurum; et si Abbati conventio eorum placuisset, Reliquias suscepturum. Ille autem cum festinatione monasterium revertens, primum responsa Archiepiscopi retulit Abbati : deinde quomodo cum Diacono de Reliquiis condictum habuerat, intimavit. Quibus ille auditis, valde gavisus est, volensque velociter experiri fidem sponsionis, remisit eum, et alterum cum eo Presbyterum ex Fratribus nostris, nomine Artharium, cum munusculis, sicut promissum erat, Diacono perferendis. Ad cujus hospitium cum venissent, allatis muneribus, Reliquias, quas promiserat, reposcebant. Tum ille : Deliberatum, inquit, habeo, vobiscum pariter ad monasterium proficisci, et non solum partem Reliquiarum, sicut promisi, sed etiam totum, quod modo habeo ex omnibus, quas ad hanc terram attuli, vestro Abbati offerre, ejusque fidei me cum eis pariter committere. Erat autem eo tempore *c* festivitas sanctorum Martyrum Marcellini et Petri, ad quam quia magna multitudo populi confluxerat, et Diaconus quosdam ex eis, apud quos hospitabatur, suspectos habebat (veritus est enim, ne forte eorum machinationibus, vel fraude, vel violentia Reliquias amitteret) visum est eis, non prius loco egredi, quam transacta festivitate populus ad sua remearet, miseruntque ad Abbatem, Diaconi voluntatem nuntiantes : ipsi interea, quæ itineri suo, et subvectioni sanctarum Reliquiarum necessaria videbantur, parare curabant. Erat etiam non procul ab eis Presbyter, unus ex Fratribus nostris, nomine Anthadus, Præpositus locorum in illis partibus monasterio subjacentium, cui injunctum erat, ut statutis temporibus inde necessaria Fratribus administraret. Hunc statuerunt accersire, quo facilius id, quod inchoatum habebant, et efficere moliebantur, fraterno roborati consilio, implere potuissent.

*Cum onere remunerationis Reliquiæ promittuntur B. Rabano :*

*AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO.*

14 Qui cum venisset, et finita solennitate populus ex maxima parte jam recessisset, paratis omnibus, quæ itineris eorum usus postulabat, loculum, quo sanctæ Reliquiæ erant reconditæ, elevantes, cum hymnis et laudibus ferre cœperunt, undique per viam confluentibus populis, et elata in excelsum voce divinas laudes cantantibus, ac sic iter eorum Domino prosperante, cum turba non modica, quæ feretrum sequebatur, die altera ad monasterium venerunt. Fratres autem occurrerunt eis cum Crucibus ac cereis, adventum eorum præstolante Abbate in *d* ecclesia B. Joannis Baptistæ, quæ erat in itinere eo distans a monasterio Africum versus quasi stadiis novem. In quam II Non. Junii cum sacris Reliquiis intrantes, populo qui eos de diversis veniens per saltum secutus est, et jam reverti volebat, orandi ac vota solvendi spatium dabant. Quibus peractis levantes loculum, ad monasterium venerunt, ad basilicam B. Bonifacii Martyris cum laude et lætitia ingressi, juxta altare, in parte meridiana, feretrum cum sacris cineribus posuerunt.

*solenni pompa transferuntur*

*Fuldam in templum S. Bonifacii :*

15 Altera autem die Deusdona Diaconus, et germanus frater illius, nomine Theodorus, laicus, primo mane cum Abbate ac duobus Presbyteris, quorum ego alter eram, seorsum Basilicam ingressi, loculum aperuerunt, et singulorum ossa Sanctorum, sicut in pulvinis semotim condita fuerant, proferentes, Abbati dederunt, coxam videlicet ac pedem S. Alexandri Papæ et Martyris : et brachium *e* Felicissimi Diaconi, caput S. *f* Concordiæ Martyris, ac partem de ossibus sanctorum Episcoporum, *g* Fabiani atque *h* Urbani Martyrum Christi; pedem B. *i* Castuli : ac dentem S. *k* Sebastiani : De ossibus SS. *l* Pamphili Presbyteri et Martyris, *m* Papiæ, Mauri atque *n* Victoris : sanctæ quoque *o* Felicitatis matris septem filiorum, et sanctarum Virginum ac Martyrum, *p* Emmerentianæ atque *q* Basillæ, partes non parvas, in singulis sacculis seorsum conditas. Quas cum ille venerabiliter suscepisset, et cum honore ac reverentia deosculatas loculo reconderet, post paucos dies, remuneratum Diaconum ac fratrem ejus remisit in patriam, promittentes, se cum aliis Sanctorum Reliquiis (si eis vita comes ac Divinus favor adesset) iterum ad eum esse venturos.

*exhibentur in diversis singulorum nominibus :*

16 Postquam illi reversi sunt, ut irent in patriam suam, evolutis diebus admodum paucis, memoratus Abbas cum auctoritate Otgarii Archiepiscopi Moguntiacensis Ecclesiæ per *r* Reginbaldum *s* Corepiscopum ejus, ossa sanctorum Martyrum Alexandri et Fabiani cum magno honore intulit in ecclesiam beatæ Genitricis Mariæ, ad septentrionalem plagam monasterii sitam, atque in arca saxea inclusis eorum plumbeis loculis ad orientem altaris collocavit IV Kal. Augusti, erigens desuper ligneum ædificium, mechanica arte fabricatum, quod argento et auro atque lapidibus pulchra varietate decoravit : addens etiam versus, quibus, unde, et quo, et ad *t* quem translati sunt, declaratur, metrica lege compositos, et litteris aureis scriptos, hoc modo :

*alio transferuntur ad ædem S. Mariæ*

Pontifices summi, Roma huc quos misit habendos,



Rectores

*AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO*

A Rectores fuerunt Sedis Apostolicæ.
Hos servos Christi Hraban suscepit ovando,
Illorumque ossa hoc condidit et loculo.
Levitæ ergo duo prædicta ex urbe secuti,
Venerunt istuc digni et honore suo,
Quos idem famulus Domini mox obvius astans
Supplex accepit, hicque simul posuit:
Martyr Alexander, Martyr Fabianus et ipse,
Hoc venere simul, Doctor uterque pius.
Discipuli Syxti Papæ, dignique ministri,
u Felicissimus hic *u* Agapitusque manent:
Omnes hi pariter aulam hanc satis ossibus ornant,
Virgo Dei genitrix quam dicat et meritis.
Vos quoque, qui intrastis templum, istos cum prece fusa
Patronos vobis quærite in auxilium.

*aliæ reponuntur in basilica S. Bonifacii.* Reliquorum vero Sanctorum ossa, qui supra nominati sunt, in arca, quam ad instar arcæ fœderis Dei ex ligno fabricatam atque deauratam cum Cherubin ac vectibus suis in basilica B. Bonifacii Martyris in absida orientali posuerat, condidit, donec venerationi eorum locum congruum pararet. Quod et postea cum Dei adjutorio, quam celerrime potuit, devotus implevit. Hæc autem gesta sunt anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXV, Indictione XIII, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo (B) Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

a Browerus arbitratur hunc esse secundum adventum Deusdonæ, cujus meminit Eginhardus in fine Historiæ Translationis SS. Marcellini et Petri. Sed nec annus, nec mensis conveniunt. Tum dicitur advenisse circa medium fere mensem Augustum, et x Calendas Septemb. in [illegible] [illegible], anno scilicet 830 Gregorii Papæ IV anno 3. infra mensis Junius et annus 835 signantur. — b Decessit Rabanus [illegible], factus Archiepiscopus circa finem anni 82[illegible] aut initium sequentis, ut observat Serarius lib. 4 rer. Mogunt. Illi Rabanus inscripsit Commentarium in Sapientiam et Ecclesiasticum, ac librum [illegible] [illegible]. Laudes ejus et epitaphium descripsit inter Poemata. — c 2 Junii. — d Jam dux Johansberg annotat Browerus. — e Colitur 6 Augusti. Meminit ejus Rabanus poemate 69 et 120. — f 13 Augusti. Rabanus poem. 31. — g De eo actum 20 Januarii. Rabanus poem. 34, 112, 119, 123, 139, 143, etc. — h 25 Maii, Rabanus poem. 109, 119, 129. — i 26 Martii, Rabanus poem. 31. — k Actum etiam 20 Januarii, Rabanus poem. 33, 115, 139, 143. — l 21 Septemb. — m In utriusque natali 29 Januarii hunc locum expressimus num. 9. — n Varii SS. Victores: in solo Januario duodecim celebrantur, forte hic sorius est S. Zenonis, de quo infra num. 24. Utriusque natalis est 20 Aprilis. De eo Rabanus poem. 73, 121. — o 23 Novemb. — p Eum celebravimus 23 Januarii. — q 20 Maii. Rabanus poem. 35, 64. — r Hic videtur Reginaldus esse, cui dicavit Rabanus libros de Ecclesiastica disciplina. Ejus epitaphium extat inter poemata. — s Corepiscopus et Chorepiscopus usu illius ævi idem fuit, qui modo Episcopus in Pontificalium functione Vicarius est, et vulgo Suffraganeus dicitur. Abbates eo tempore illud munus ut plurimum obiisse docet Browerus in scholiis ad 12 Poema Rabani, exemplo S. Wolfardi et Abbatis Fritsflariensium, de quo ad illius Vitam 13 Augusti. Alii sunt supra Corepiscopi, qui eidem Archiepiscopo suberant. — t Browerus, ad quæ loca. — u Hinc patet hos versus non nisi sequentibus annis factos, post acceptas S. Agapiti reliquias, de quibus infra.

*Chorepiscopus*

(C)

## CAPUT IV.

### *Secunda Reliquiarum Fuldam translatio. Miracula per S. Venantium facta.*

*a Aliæ reliquiæ Romæ deferuntur.* Post hæc autem anno sequente venit quidam laicus ab urbe Roma, *a* Sabbatinus nomine, cum sociis suis in Franciam, ferens secum Reliquias: auditoque nomine supra memorati Abbatis, cujus devotionem in divino servitio, ac veneratione Sanctorum longe lateque fama divulgabat, venit ad eum VIII Kal. Maii, deditque illi ossa S. *b* Quirini Martyris, qui fuit in *c* Siscia urbe Pannoniæ quondam Episcopus, et ossa B. *d* Romani militis, qui a B. Laurentio baptizatus, statim capitali sententia consecutus est martyrium; de corpore S. *e* Cornelii Papæ ossa XIII, et de corpore S. *f* Calixti Papæ X, de corporibus vero SS. *g* Nerei et Achillei ossa XVI, Sancti autem *h* Turturini ossa et S. *i* Stactei de cineribus corporis maximam partem, et ossa X. Ille vero universa hæc venerabiliter suscepta in arcam, quam supra sub duobus Cherubin positam diximus, supplici devotione collocavit.

(D) 18 Igitur dum hæc agerentur, Addo Presbyter Abbatis, quem supra ad Alabingum quemdam pro suscipiendis alicujus Sancti ossibus Italiam missum fuisse retulimus, corpus B. *k* Venantii Martyris, in territorio Ariminensis urbis inventum, sustulit, et in Franciam redire festinavit. Ac primo quidem propter metum incolarum illud occulte ferebat: deinde vero postquam Alpium juga transiit, et in fines Bajoariorum pervenit, jam securior effectus, feretro impositum, confluentibus undique populorum turbis, et excelsa Deum voce laudantibus, detulit in cellam, quæ vocatur *l* Suolenhus, sitam in regione *m* Sualavel Dominorum, et ad australem plagam altaris ecclesiæ in feretro, sicut allatum erat, honorifice posuit. Erat autem eo tempore Præpositus cellæ illius ex Fratribus nostris, nomine Santharatus: qui statim misso nuntio omnem rei gestæ ordinem mandavit Abbati, rogans sibi renuntiari, utrum sanctas illas Reliquias in eo loco, ubi tunc erant, permanere voluisset, an sibi ad monasterium transferri. Omnes enim populi regionis illius id petebant idque summis votis optabant, ut corpus sancti Martyris ibi habere mererentur, cujus opem in diversis infirmitatum sanitatibus quotidie sentiebant. Abbas vero cum audisset, mox de suis duos monachos Presbyteros misit ad prædictum Fratrem, præcipiens eis, quanta potuissent celeritate, sanctas illas Reliquias sibi adferrent. (E) Erat enim jam tunc per omnes pene regiones illas celebre nomen S. Venantii Martyris, propter virtutes et miracula, quæ Christus Dominus et Rex Martyrum, per eum facere dignatus est. De quibus, quæ facta sunt in eodem loco, priusquam venirent, qui ab Abbate missi fuerant, paucis arbitror esse perstringenda.

*k Translatio corporis S. Venantii,*

*l m*

*in itinere miraculis clarum*

19 Nam cum adhuc feretrum cum sacris ossibus juxta altare esset positum, quædam fœmina de ipso pago, quæ ante sex annos oculorum lumen amiserat, rogavit se illuc adduci, credens sibi per merita et orationes S. Venantii Dominum propitiari: cumque perducta esset, et ante feretrum prostrata suppliciter orasset, visum recepit. Post hæc altera mulier filium suum sexennem, ex utero claudum, ante Reliquias sancti Martyris posuit, et expleta laude vespertina, ceteris ad sua regressis, ipsa cum puero pernoctavit; mane autem facto, sublatum adhuc, sicut fuerat, debilem domum reportans, in lectulum posuit: cellariumque suum, ut puero panem daret, intravit, a quo cum fuisset egressa, filium suum, quem claudum in lecto reliquit, cum aliis ejusdem loci pueris in platea ludentem reperit, ita sanum, (F) ut nec signum aliquod in eo pristinæ debilitatis remaneret. In quo liquido ostenditur, quod suffragantibus meritis S. Venantii puer ille sanatus sit, per virtutem ejus qui et filium Reguli, et puerum Centurionis verbo curavit, et in omni loco præsentia suæ majestatis, quæcumque voluerit, facillime potest efficere, Jesus Christus Salvator noster, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen. Hæc quidem duo miracula, quæ modo retuli, ab eis, qui præsentes erant, et ea se vidisse testati sunt, didici: cetera vero, quæ scripturus sum, ipse coram positus vidi, quia ex eis, qui ad perferendos sacros cineres missi fuerant, unus eram.

*sanantur cæca fœmina,*

*et claudus puer*

20 Igitur cum venissemus ad locum, quem Suolenhus vocari supra diximus, paratis celeriter omnibus, quæ ad devectionem sanctarum Reliquiarum necessaria videbantur, prima luce post completum matutinum officium, celebratis ex more Missarum solenniis, cum ingenti luctu ac mœrore eorum qui ibidem erant remansuri, sanctum illum thesaurum sustulimus, atque iter ingressi portare cœpimus. Erat enim cœlum grave nubibus obscurissimis, et quæ cito in ingentem pluviam resolvi possent, nisi id

*tempestas aeris, et inundatio fluvii amovetur*

A id virtus Divina fieri prohiberet. Nam tota nocte illa, sine intermissione pluebat, ita ut nobis iter illud ea die inchoari posse minime videretur: sed superna gratia per merita Sancti sui, id quod timebatur, longe aliter esse fecit. Nam ut pergere cœpimus, mox dissipatis nubibus, cœli serenitas venit, et per viam luti parum inventum est. Rivi quoque, qui in tam magna et jugi pluvia, ut ea nocte erat, crescere solebant, pene nihil crevisse reperti sunt. Pergentes autem per singulas villas, obviis populorum turbis excipiebamur, qui nos in dicendis laudibus divinis, et in sacro onere ferendo, non segniter adjuvabant, donec veniremus in locum, qui vocatur *n* Holzkircha, situm in Alamannia: ubi congregata maxima multitudine promiscui sexus et ætatis cum ingenti lætitia suscepti sumus. Erat autem ibi oratorium non grande, quod intrare ac feretrum inferre volentes, præ multitudine turbarum, quæ præibant, et quæ sequebantur, minime potuimus, ac per hoc sub dio, in loco editiore altari erecto, ac feretro juxta illud posito, rursus Missarum solennia celebravimus: ubi inter celebrandum duæ mulieres spiritibus immundis obsessæ vexari cœperunt, et mox per virtutem Christi, ac merita S. Venantii, fugatis dæmonibus, integerrimam mentis et corporis meruerunt recipere sanitatem.

*n*

*energumenæ 2 liberantur:*

B

21 Expleta autem Missarum celebratione, cum populus ad sua revertisset, oratorium, quod vicinum erat, sanctos cineres intulimus, ac feretrum pone altare posuimus; ordinatis qui ibi excubias ducerent, atque divinis laudibus dicendis operam darent, ipsi nos in hospitium recepimus. In ipsa autem nocte, cum ad nocturnas vigilias divinæ laudes dicerentur, quædam mulier muta, per merita sancti Martyris, soluto linguæ vinculo, loquelam recepit. Nec multo post altera mulier spiritu immundo possessa, et brachium habens aridum, per orationes sancti Martyris ejecto dæmonio ita perfecte corpore et mente sanata est, ut die crastina feretrum cum ceteris ipsa portaret. Mane autem facto cum Missarum solennia agerentur, quædam mulier, quæ tribus semis annis cæca fuerat, visum recepit. Et altera, dextram manum habens debilem, per merita Sancti consecuta est integram sanitatem.

*sanantur muta,*

*energumena arido brachio,*

*cæca,*

*dextra debilis:*

22 Cum autem inde promovere parassemus, et in ipso profectionis nostræ articulo solenniter a Sacerdote diceretur Oratio; unus ex Clericis, qui nobiscum erant, nomine Otheri, cui suscipiendorum munerum, quæ a populo offerebantur, cura commissa fuerat, partem quamdam allatæ pecuniæ *o* furatus, subito cecidit, et in conspectu totius multitudinis, quæ innumerabilis undique confluxerat, spiritui traditus immundo, vexari cœpit, et eousque a dæmonio possessus est, donec a circumstantibus allata pecunia, quam in zona absconderat, per merita et orationes sancti Dei Martyris tam perfecte curatus est, ut ab eodem loco incolumis cum laude Dei, ac publica sceleris sui confessione feretrum comitaretur, donec loco suo sanctæ Reliquiæ conderentur. Neque enim prius aliquid hujuscemodi insaniæ ab infantia, usque ad tempus illud, in eo auditum aut visum est, sed nec postea, quamdiu vixit, potestas in eum data est inimico. Igitur inde profecti venimus in villam, quæ vocatur *p* Truhtimintiga: ubi juxta sacros cineres in ecclesia positos, quatuor mulieres in ipsa nocte ab immundis spiritibus liberatæ sunt.

*liberantur ob sublatum anathema a dæmone obsessus, o*

C

*et 4 energumenæ:*

*p*

a *Hic circa annum Christi* 829 *attulerat Eginharda Saligenstadium reliquias SS. Proti et Hyacinthi.* — b *De ejus martyrio variisque Reliquiarum translationibus agimus* 6 *Junii. Rabanus poem.* 121, 127. — c *Alias* Syscla, *ad Sarum fluvium. Ejus passim antiqui meminerunt.* — d 9 *Augusti.* — e 13 *Septemb. Rabanus poem.* 34, 109, 121, 142. — f 14 *Octob. Rabanus poem.* 142. — g 12 *Maii. Rabanus poem.* 136. — h *Hujus necdum in ullis fastis natalem reperimus.* — i 28 *Septemb.* — k *Episcopus fuit hic S. Venantius Martyr. Diversus ab eo nec Episcopus, qui Camerini colitur* 18 *Maii, martyrio istic coronatus.* — l Solenhoff *margini adscriptum et* Cella S. Solæ *vulgo dicitur. Situm id monasterium in Eistatensi diœcesi apud rivum Altmonum, a S. Sola, Solo, sive Sualone fundatore, qui* 10 *Decemb. colitur, Fuldensi monasterio subjectum: cui postliminio, cum exemptum esset, B. Rabanus impetrato Ludovici Pii diplomate, recuperavit. Vide Browerum lib.* 2. *Antiq. Fuld. cap.* 13. — m *Browero* Sualeveldono. *In Vita S. Solæ* pagus vel domus Sualva. *In diplomate Ludovici Pii* Sualefeldtpagus *juxta fluvium Altmule, cui etiam adjacent Eystadium et Papenheimium, a quo non procul distat monasterium Haidenheimense, in quo obiit S. Walburgis in pago etiam Sualefeldino, ut* 25 *Februarii dicetur.* — n *Nova terrarum S. Augustini inter Mœnum et Tuberam a Trotando Principe extructum in pago Waltsassen super fluvium Altmule in moderno Comitatu Wertheimensi, olim Holzkircha a Carolo Magno S. Bonifacio traditum. Variis versibus illud illustravit B. Rabanus, quorum nonnulli infra proferuntur.* — o *Browero*, fraudasse *seu* fraudatus. — p *Idem*, Truhmuntiga *et* Truchtmund.

D

*AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO.*

*S. Sola.*

*S. Venantius Martyr.*

## CAPUT V.

### *Alia S. Venantii miracula. Reliquiæ a B. Rabano depositæ.*

Nec prætereundum arbitror esse miraculum, quod merito huic Sancto Dei adscribitur. Ante enim quam ad prædictam villam ventum esset, quædam matrona nobilis, audito quod per regionem illam Sancti Dei Reliquiæ veherentur, (erat enim in via ad alium quemdam locum ire volens) relicto quo tendebat itinere, obviam nobis properavit, fibulamque suam auream, quam lingua Francorum Spangam vocant, in ipso transitu perdidisset: quam cum diu cum omni comitatu suo, qui erat non modicus, quæreret, et minime reperiret, cœptum iter carpebat dicens: Si Domino nostro Jesu Christo placet, cujus sancti famuli Reliquiis supplex occurro, fibula, quam perdidi, facile est ut a quolibet inventa mihi restituatur. Venit ergo, et adoratis Reliquiis, oblatisque muneribus, cum rediret, occurrit ei quidam homo ignotus, eamdem fibulam præ se ferens in manu: quam cum illa suam fore dixisset: Recipe, inquit, quia per orationes Sancti, cujus Reliquias venerata es, reddita est tibi. Atque ita mulier accepto, quod suum erat, itinere suo pergebat, laudans et benedicens Deum.

*fibula aurea recuperatur:*

E

24 Altera autem die, celebratis primo mane Missarum solenniis, cum sanctis cineribus iter ingressi, venimus in locum, qui vocatur *a* Hassarodt, in quo monasterium est monachorum, qui egressi cum Crucibus et capsis Sanctorum Reliquias continentibus, divinas laudes concinentes, ex illa parte fluminis adventum nostrum expectabant. Nos vero cum venissemus ad pontem fluminis, propter multitudinem, quæ ab Alamannia nobiscum venerat, et jam redire volebat, ut orandi locum haberet, parumper constitimus. In quo loco ex accolis regionis illius non minima pars populi e diverso nobis occurrit, inter quos fœmina quædam vellus lanæ ferens, cum manum ad feretrum, munus oblatura, extenderet; lana, quam tenebat, velut fumus evanuit. Quod cum vidisset illa, pavens ac tremens cœpit quærere Presbyterum, cui peccatorum suorum confessionem daret, consiliumque suæ salutis acciperet. Interrogata autem, si lana, quæ de manibus ejus evanuit, esset furtiva; confessa est, non a se furatam, sed a quadam socia sua sibi fuisse donatam: cumque res diligenti inquisitione vestigaretur, inventum est, quod ovis, a qua vellus illud sumptum est, proprio possessori erat fraude sublata. Ibi quidem turba illa, quæ nos, ut diximus, ab Alamannia prosecuta est, adoratis atque osculatis sacris Reliquiis, domum reversa est. Monachi vero, qui nos in altera fluminis ripa opperiebantur, et alia multitudo, quæ nobis ibi occurrit, comitati sunt nos divinis laudibus usque ad eum locum, in quo simili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur. Quæ cum similiter, ut prior, facta oratione, ad sua reversa est. Hoc modo per singulos dies a mane usque ad vesperam comitantibus nos, et Kyrie eleison cantantibus populorum turbis, cum ingenti gaudio gradiebamur.

*a*

*lana ovis furtivæ oblata evanescit:*

F

25 Cum

*AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO*

A 25 Cum autem adpropinquassemus villæ, quæ vocatur *b* Hamalunburg, sita super fluvium nomine Sala; quæ fuit quondam fiscus regius, donec ex largitate Pipini Regis Francorum, partibus S. Bonifacii Martyris, solenni donatione collata est: occurrerunt nobis cum cereis et Crucibus Fratres nostri, qui habitabant in Cella, quæ ob hoc, quod ab eo quondam est habitata, *c* Baugulfi vocatur, et cum eis ingens multitudo virorum ac mulierum ex diversis locis undique confluentium. Inter quos erat claudus quidam, de ipsa villa, quam supra nominavi, qui propter cruris ac pedis unius imbecillitatem duobus se baculis ad incedendum sustentabat: is, ut nobis paullulum consistentibus, populus, qui occurrit, sacras Reliquias adoraret, in conspectu multitudinis, per merita sancti Martyris, tam perfectę curatus est, ut ultra in ambulando baculorum amminiculo non egeret.

*claudus gressum recipit:*

26 Cum autem pergentibus nobis, et sacrum onus ferentibus, ventum esset ad fluvium; invenimus Abbatem nostrum cum Sacerdotibus, ac monachis, et magna multitudine hominum, in altera ripa fluminis adventum nostrum expectantem. Erat quidem ibi transitui nostro navis parata, sed non in apto loco ad terram subducta: idcirco præceptum est nautis, B ut eam nobis obviam ducerent: qui longe sursum ab eo loco ad littus venimus. Illis vero festinantibus, ut jussa explerent; cum funem solvissent, et in navem descendere parassent; subito e manibus eorum lapsa in amnem, vi quadam invisibili contra impetum fluminis acta ferebatur, donec ad locum, quo sacrum onus susceptura erat, littori applicita pervenit. Transpositis autem Reliquiis, et in prato adjacente Missarum solenniis propter multitudinem sub dio celebratis: cum in oratorium, quod in villa erat, feretrum cum sacris cineribus poneremus, mulier quædam nervorum contractione ita curvata, ut penitus ad videndum cœlum se erigere non posset, cunctis, qui aderant, videntibus, coram Sancti Dei Reliquiis ab incommodo, quo jam per multos annos laborabat, in momento temporis, virtute Divina, liberata est. Postera die inde profecti, venimus in locum, vocabulo *d* Lihtolnesbah, qui est in saltu Bucenia, IV leucis distans a Vuldensi cœnobio: ubi suscepti ab accolis silvæ, quorum magna multitudo obviam venerat, cum in oratorio feretrum posuissemus; quædam mulier paupercula filium suum sexennem, a nativitate surdum, et mutum, in ulnis ferens, C ante Sancti reliquias posuit, ibique pernoctans, die crastina, ut populi dicebant, audientem et loquentem reportavit.

*navis adverso flumine properat ex cipiendas Reliquias:*

*contractione nervorum incurva erigitur:*

*surdus et mutus sanatur.*

27 Nos vero completis matutinorum laudibus, Missarumque solemniis rite peractis, cum populis divinas laudes concinentibus iter ingressi, cum venissemus ad conspectum monasterii, ecce Abbas noster, qui nos pridie præcessit, ad ordinandam susceptionem sanctarum Reliquiarum, obviam venit, et cum eo omnis multitudo Fratrum nostrorum, exceptis, quos vel ætas, vel infirmitas exire prohibuit, cum Crucibus et cereis, portantes in loculis ossa beatorum Martyrum Urbani et Quirini, quæ de Roma nuper allata supra memoravi. Erat etiam cum eis et Reginbaldus Corepiscopus, et infinita hominum multitudo, qui propter Litanias majores, quæ tunc *e* Idibus Maii mensis, de diversis locis ad monasterium convenerant: cumque suppliciter adorassent cum summa veneratione, susceptum corpus B. Venantii Martyris, ecclesiam S. Joannis Baptistæ quæ distat, ut præfatus sum, a monasterio quasi stadiis novem, cum hymnis et laudibus intulerunt. Quod Reginbaldus Corepiscopus, facta oratione, in absida ecclesiæ ad orientem altaris, in arca saxea recondidit, cineresque sanctorum Martyrum Urbani et Quirini, pariter deposuit, singulos seorsum in singulis loculis D inclusos: ubi, orationibus eorum fideliter Deum deprecantibus, *f* beneficia præstantur usque in præsentem diem, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi: qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum.

*Reliquiæ solenni pompa in ædem S. Joan. Baptistæ deferuntur:*

28 Abbas vero desuper ligneum crexit ædificium, quod ex auro et argento decenter ornavit, scriptis in circuitu metricis versibus, gestæ rei caussam declarantibus, hoc modo:

*a B. Rabano versibus honorantur.*

Præcursor Domini, Christum qui tinxerat undis,
  Hanc aulam inhabitat, sanctificatque domum.
Quatuor hancque viri, Christi magnalia scriptis
  Qui jam expresserunt, ecce colunt pariter.
Sed homines sancti valde, et sacro ordine clari,
  Non minus exaltant nobilitantque locum,
Quos huc diversis duxit ex partibus orbis,
  Servorum Domini strenuus actus amor.
Urbanum Roma, Quirinum Siscia misit,
  Quos pie suscipiens continet iste locus.
Insignis Præsul Sanctus Venantius, atque
  De Arimino veniens hic simul ipse manet.
Hos quoque susceptos Hrabanus sorte locavit
  Sarcofago hoc digne, edidit et titulum,
Deposcens omnes, templum qui gressibus intrant,
  Ipsum ut commendent rite Deo precibus. E

a *Colvenerius*, Hassarcodt, *monasterium ad Mœnum fluvium.* — b *Alias*, Hamelburg, *notum hoc ævo oppidum, cujus cives anno Ch.* 1540 *a fide orthodoxa defecisse observat Browerus in Chronologia Abbatum Fuldensium.* — c *de* Baugulfo *Abbate pluribus agitur in sequenti Vita cap.* 1. *De Cellarum origine et modo disputat Browerus lib.* 1, *cap.* 7 *et de hac Baugolfi Cella lib.* 4 *in Chronologia.* — d Lichtesbach *margini et indici adscripsit Browerus.* — e *Adde* celebrabantur, *aut quid simile. Erat autem annus Christi* 836, *quo Pascha erat* 9 *Aprilis, Ascensio Christi* 18 *Maii et primus Rogationum dies Idibus Maii.* — f *S. Venantium hoc in loco miraculis mox claruisse testatur Ludovicus Pius Imp. in Præcepto traditionis prædii Uerspruggen B. Rabano donati, quod profert Browerus lib.* 3. *Antiq. Fuld. cap.* 13. *In eo dicuntur* miracula facta longe lateque celeberrima: ultroni sanati, dæmoniaci liberati, paralytici curati, cæci illuminati, et ex omnimoda infirmitate genus humanum salvatum.

*miracula S. Venantii:*

## CAPUT VI.

### *Tertia Reliquiarum ad B. Rabanum translatio: varia miracula.*

Post hæc allatæ sunt reliquiæ sanctorum Episcoporum *a* Cornelii atque Calixti, et sanctorum Martyrum, *b* Agapiti, *c* Georgii, Vincentii et *d* Maximi; sanctarum quoque Virginum, *e* Cæciliæ et *f* Eugeniæ, *g* Dignæ et Emeritæ, atque *h* Columbanæ. Attulit autem eas quidam Clericus Italicus, nomine Felix, anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVII, die quinto mensis Aprilis. F

*Aliæ Reliquiæ afferuntur.*

30 Post cujus reditum, non multis diebus interpositis, *i* Theodorus frater Deusdonæ, cujus supra mentio facta est, cum quodam socio suo Sabbatino, ab urbe Roma profectus Alamanniam venit: et, sicut dudum promiserat Abbati, Sanctorum reliquias secum detulit, ossa videlicet *k* B. Quirini, qui in Siscia, Pannoniarum oppido, quondam Episcopus erat, et temporibus Diocletiani Imperatoris sub Amantio Præside inter multas, quas pro Christi nomine pertulit, passiones, ligata ad collum mola, in flumen præcipitatus est: cumque diutissime super undas nataret, cum spectantibus locutus est, ne suo terrerentur exemplo, et oratione a Domino, ut mergeretur, obtinuit. Cujus corpus inventum, et a fidelibus honorifice sepultum est II Non. Junii. Incursione autem barbarorum in partes facta Pannoniæ, populus Christianus, accepto corpore B. Quirini Martyris, Romam fugit, et sacras Reliquias via Appia, tertio milliario ab Urbe, in ecclesia Apostolorum Petri et Pauli, ubi aliquamdiu jacuerunt, sepelivit in loco qui dicitur Catacumbas.

*etiam SS. Quirini,*

31 Detulit etiam et Reliquias Urbani Papæ et *l* Confessoris, cujus doctrina suo tempore multi coronati

A nati sunt martyrio : ossa quoque S. Cæciliæ Virginis, quæ sponsum suum, fratremque ejus, Christo lucrata, Martyres fecit; et ipsa deinde martyrizata, ignem quidem superans, sed ferro occisa, sub Almachio Urbis Præfecto : necnon et ossa SS. *m* Tiburtii et Valeriani atque Maximi. Quorum primi quidem sub prædicto Almachio Urbis Præfecto, fustibus cæsi et gladio sunt percussi : ultimus vero tamdiu plumbatis verberatus est, donec redderet spiritum. Attulit quoque ossa SS. Agapiti, Januarii, et Magni, Diaconorum B. Sixti Papæ : qui una cum eo sub *n* Decio decollati sunt, sicut in gestis pontificalibus legitur. *o* Zenonis quoque Diaconi et *p* Hippolyti Martyris ossa; qui tempore Decii Imperatoris ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, et per cardetum tractus, emisit spiritum. *q* Aquilæ etiam atque Priscillæ, uti Actus Apostolorum testantur, quondam comitum Pauli, sacrosanctas Reliquias detulit. De quibus per viam, qua ferebantur, magnum atque inauditum contigit miraculum : vero etenim cruore visæ sunt maduisse : nam tantus humor sanguinei coloris de loculo, in quo conditæ fuerant, distillavit, ut vestes quoque portantium inficeret, mentesque spectantium rei novitate percelleret.

*Urbani, Cæciliæ, et aliorum.*
ANIMADV. PAP. 65.
*Cruor ex ossibus distillat.*

32 Igitur cum venissent, suscepit eos Santhratus B Frater noster, quem cellulæ Suolonis præpositum fuisse supra diximus : et adventum quidem eorum cum celeritate nuntiare curavit Abbati; Reliquias vero in loco, qui vocatur Holtzkircha, honorifice collocavit, sabbato sancto Pentecostes *r* Kal. Junii. Convenit autem illuc multitudo magna virorum ac mulierum : inter quos adducta ést puella quædam duodennis, a nativitate cæca et brachiis cruribusque contracta : quæ per merita et orationes in ipsis vigiliis et sanitatem membrorum et visum recepit oculorum. Inde post dies VIII mulier quædam cæca visum recepit : et hominis cujusdam, a nativitate muti, ad loquendum lingua restituta est. Post hæc, die tertia, quædam mulier, quæ tribus continuis annis nihil *s* videns, per merita Sanctorum lumen recipere meruit. Et sequenti die alterius mulieris manus contracta, pristinæ restituta est sanitati.

*sanantur tres cæcæ, mutus manibus contracta,*

33 Igitur dum talia apud Reliquias Sanctorum divinitus agerentur; venerunt, qui ab Abbate missi fuerunt ex monachis nostris Presbyteri tres; quorum unus vocabatur Megingor, alter Œdoltus dicebatur, tertius autem Theothmarus erat, idem cujus feci mentionem in Translatione Reliquiarum beati Martyris Alexandri. Qui secundum mandatum, quod C habebant, acceptis Sanctorum ossibus, quæ allata fuerant, cum honore et reverentia ferre cœperunt. Comitata est autem eos multitudo magna virorum ac mulierum psallentium, et divinas laudes gratulabunda voce canentium. De pagis quoque et de villis certatim populi confluxerunt, adducentes secum spiritibus immundis obsessos, et diversis infirmitatum generibus afflictos; credentes per merita et orationes Sanctorum, desideratam recipere sanitatem. Inter quos adducta est mulier dæmoniaca, nomine *t* Hruodmuvi. Erat enim *u* de potestate S. Kyliani Martyris, habitans in villa, quæ vocatur Asbah. Mox igitur ut pervenit ad conspectum loculi, quo Sanctorum Reliquiæ ferebantur, arrepta ab immundo spiritu diu multumque torquebatur; donec per Dei gratiam in conspectu multitudinis tam perfecte curata est, ut deinceps incolumis, et sanæ mentis, in Dei laudibus perseveraret; quæ prius frequenter hujusmodi incommodo laborare solebat.

*et in solenni translatione energumena,*

34 Hoc quidem gestum est sexta feria XIII Kalendarum Augustarum. Abbas vero circa honorem Sanctorum magnam gerens sollicitudinem, me et quosdam ex Fratribus obviam misit, præcipiens ut ossa sanctorum Martyrum, Januarii et Magni, dimitterentur in monasteriolo, quod vocatur Holtzkiricha, D situm in provincia Waldsazi : ceterorum vero Sanctorum Reliquiæ ad se ducerentur. Occurrimus autem eis in villa, quæ dicitur Biscofesheim : ubi in Dei laudibus pernoctantes, et excubias ducentes, altera die, quæ erat Dominica, ad Holtzkiricham cum sanctis Reliquiis pervenimus : positoque in ecclesia juxta altare feretro, cum sacra Missarum solemnia celebrarentur, mulier quædam a dæmonio curata est. Nam cum miserabiliter in conspectu populi cruciaretur; musca nigerrima, et miræ magnitudinis, ab ore ejus visa est avolare : post cujus egressum, recepta mentis sanitate curata est.

*AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO.*
*alia dæmone muscæ forma abacto,*

35 Sequenti autem die, dimissis ibi, ut præceptum erat, ossibus sanctorum Martyrum Januarii et Magni, atque in loculo, sicut allata fuerant, pone altare venerabiliter positis; cum ceteris Sanctorum Reliquiis profecti sumus prosequentibus nos Fratribus et magna multitudine hominum regionis illius. Undique etiam ducebantur infirmi, et variis passionibus affecti : inter quos puella quædam, nomine Selina, in ipso itinere, quo gradiebamur, arrepta a dæmonio cucurrit, et morsu feretrum apprehendens, mox sanæ mentis effecta est; acceptoque sanctæ Crucis vexillo, gaudens et laudans Deum, Sanctorum Reliquias præcedebat. E

*alia feretro morsu apprehenso,*

36 Cumque venissemus ad Mœnum fluvium, sanctimoniales de monasterio, quod vocatur Zellinga, cum Crucibus et cereis egressæ, nos susceperunt, ingressique cum sacro onere ecclesiam, ut populus, qui nobiscum venerat, et jam tunc reverti volebat, locum haberet orandi, ac vota solvendi sexta hora diei solemnia celebravimus : quibus expletis cum omni illa multitudine venimus ad navem. Erat etiam ex adverso in altera ripa fluminis turba non modica, adventum nostrum opperiens. Nobis autem cum sacris ossibus navem ascendentibus, ecce ancilla quædam Mahthildæ Abbatissæ monasterii illius, nomine Liobsuind, morbo contracta vetusto, et humo ita adclivis, ut ad videndum cœlum nequaquam se erigere valeret, venit reptans pedibus, manibus *x* scabellis innixis : cumque navem vellet ascendere, nec posset; unus ex nostris Fratribus, Gozmundus nomine, elevatam posuit in navem : transpositis autem nobis et in littus alterum cum sacris ossibus egressis mox mirum in modum per virtutem Dei et merita Sanctorum, mulier ita curata est, ut sine cujuspiam adjutorio se erigeret, ac scabellis, quibus eatenus innitebatur, summitatem feretri tangeret. Stabat etiam adhuc innumerabilis multitudo promiscui sexus et F ætatis ex utraque parte fluminis, inter quos erat Reginolfus quidam Presbyter Humberti Episcopi, qui adscenso editiore loco mulierem sanam populis in divina laude clamantibus ostendit; ut gesto miraculo multi testes, multi etiam Dei fierent laudatores. Sed et domina illius attestata est, ex multis annis eo morbo contractam illam et inutilem effectam, usque ad id temporis perseverasse, quo per Dei gratiam et Sanctorum ejus orationes ab ejusmodi incommodo liberata est.

*in terram incurvata,*

37 Inde profecti cum divino adjutorio die tertia, hoc est, VIII Kalend. Augusti, ad monasterium pervenimus. Egressi autem Fratres cum Crucibus atque cereis, occurrerunt nobis in clivo montis, qui vocatur Hurodleichesberg. Turba autem non modica ex accolis eremi, partim quidem nobiscum, partim vero obviam veniens illuc confluxerat : substitimus paullulum, ut convenientibus spatium daretur orandi : et ecce, mulier quædam, quæ erat ab annis decem, et eo amplius, clinica, portabatur : cumque perlata a portantibus feretrum tetegisset, continuo recepta omnium sanitate membrorum, gaudens et laudans Deum, remeavit ad propria. Fratres vero susceptas Sanctorum

*clinica*

*AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO.*

A Sanctorum Reliquias cum hymnis et laudibus in ecclesiam B. Bonifacii Martyris intulerunt, positasque cum loculo, sicut allatæ fuerant, juxta altare beatorum Apostolorum, die noctuque congrua veneratione frequentabantur.

a *Alias horum Pontificum Reliquias biennio ante attulerat Sabbatinus, supra num.* 17. — Agapitus, Januarius et Magnus *infra dicuntur diaconi S. Sixti Papæ, quibus* Vincentius *quoque socius fuit. Coluntur cum S. Sixto 6 Augusti. Agit Rabanus de S. Vincentio poem.* 120. — c *Rabanus poem.* 31. *videtur intelligi magnus* Georgius, *qui* 23 *Aprilis colitur.* — d *An socius SS. Tiburtii et Valeriani, qui iis infra junguntur?* — e 22 *Novemb. Rabanus poem.* 122, 131, 135, 145. — f 25 *Decemb. Rabanus poem.* 114, 122. — g *Coluntur hæ Virgines et Martyres* 22 *Septemb.* — h *Hujus natalem necdum reperimus. An S.* Columbæ, *seu* Cordubensis, *seu* Senonensis, *quarum illa* 17 *Septemb. hæc* 31 *Decemb. colitur, an potius Felicis alicujus, nos latet.* — i Lunisonem fratrem Deusdonæ *sæpe nominat Eginhartus in Hist. Translationis Reliquiarum SS. Marcellini et Petri, cujusque avaritiam culpat.* — k *Aliquas hujus S. Quirini attulerat biennio ante idem Sabbatinus: reliqua cum Actis datis* ix *Junii consentiunt.* — l *Imo Martyris, ut supra num.* 13. *ubi Deusdona aliquas hujus Reliquias dedit.* — m *Coluntur* 14 *Aprilis. Rabanus poem.* 32, 120, 131. — n *Sub Valeriano Imp. ut 6 Augusti dicetur. Rabanus poem.* 127. — o *Varii Zenones coluntur. Hujus Diaconi necdum natalem reperimus.* — p 17 *Augusti passus sub Valeriano, non Decio. Agit Rabanus poem.* 40, 48, 121. — q 8 *Julii. Rabanus poem.* 126. — r *Browerus,* v Calend. Junii *reperiam. Nam anno citato* 838 *festum Pentecostes incidit in* 2 *Junii. Ipsis ergo Calendis Junii fuit Sabbathum Pentecostes.* — s *Forte* viderat. — t *Colvenerius* Hrodolvinum. — u *Id est, ut exponit Browerus,* ex ditione Franconici soli. *Colitur S.* Kilianus *Episc. Herbipol. 8 Julii.* — x *Browerus* scammelis, *et mox* scammelis, *forte* scamnulis.

*S. Columbana.*

## CAPUT VII.

B

### *Depositæ a B. Rabano Reliquiæ SS. Januarii et Magni : miracula facta.*

His ita gestis, cum dies aliquanti transissent, vir venerabilis, Hrabanus, Abbas, *a* Humbertum Wirziburgensis Ecclesiæ Episcopum invitavit ad monasterium, quod Holzkirichu vocari jam supra dictum est, et quia ad ejus diœcesim locus pertinebat, cum illius auctoritate ossa sanctorum Martyrum, Januarii et Magni, venerabiliter ibi in arca saxea ad Orientem altaris collocavit, VIII Kal. Nov. super quam ligneum erigens ædificium, auri argentique metallo pulchra varietate decoravit, scriptis in circuitu metricis versibus litteris deauratis, hoc modo :

*a* — *Ad Reliquias in Holzkirch depositas,*

Ecce viros istos, præclaros valde Patronos,
 Roma decus orbis miserat huc pariter :
Quos quoque Hrabanus humilis susceperat Abbas,
 Præsule cum Humberto rite locavit et hic :
Hic Magnus pausat, Januarius atque,
 Officio insignes, atque sacris meritis;
Qui cum Pontifice Christo mucrone perempti
 Levitæ, cœlo reddiderant animas.

39 Igitur ex eo tempore, quo eorum sacræ Reliquiæ ibi conditæ sunt, divina usque hodie populis C præbentur beneficia. Per orationes enim et merita eorum debiles et infirmi curantur, et ab obsessis corporibus dæmones effugantur, ac desiderata fideliter orantibus vota præstantur. Ex quibus pauca miracula, quæ ab his qui præsentes erant, et ea se vidisse testati sunt, ad meam notitiam litteris denotata, breviter intimare curavit. Villa est ab eo monasterio passibus mille, stans ad meridiem, nomine Gundichenhus, ex qua mulier quædam nomine Adalburg, cum sedisset ad mensam una cum marito suo, ut cibum caperet, subita contractione nervorum ita deriguit, ut unguibus in palmam defixis nequaquam digitum a digito potuisset explicare. Quod cernens ejus maritus, quanta potuit celeritate, prædictam ad monasterium Presbyteris et Fratribus loci illius præsentavit, supplicans, ut pro sanitate illius Divinam clementiam precarentur. Ducta est igitur ad memoriam Martyrum, Fratribusque vespertinum celebrantibus officium, et illa coram altari prostrata, et orante, dextera ei manus restituta est, altera autem die, circa horam tertiam, recepta etiam sinistræ manus sanitate, cum gaudio remeavit ad propria.

*curantur nervis contracta,*

40 Altera quoque villa est etiam non longe a monasterio, nomine Hohhus, in qua puella quædam, cum staret ad textrinum opus, subitaneo impetu spiritus maligni arrepta, manibusque contractis inutilis effecta est : cumque per continuos tres dies ac tres noctes æstuans, et vociferans, multa ignota, quasi cognita, loqueretur; S. *b* Gerdrudam appellabat, aliorumque Sanctorum nomina proclamabat, inter cetera quoque adfirmabat, *c* Luciam de cœlis descendentem se admonere, ut ad S. Januarium, Magnumque Martyres properaret, aiebatque se prædictos Sanctos videre, et usque ad locum, ubi requiescunt, nominatim exprimens, ire desiderabat. Quo cum fuisset a parentibus adducta, Presbyteris ac monachis loci illius eadem ex ordine replicavit. Pater autem puellæ tres denarios super contractam filiæ suæ manum positos, dextera sua, manum illius ad altare cum munere porrexit : quod cum factum fuisset, mox mirum in modum per orationes Sanctorum, in uno eodemque momento et denarii super altare ceciderunt, et puellæ integra mentis ac manus sanitas restituta est. D

*mentis et manus impos,* — *b* — *c*

41 Erat etiam illis temporibus mulier quædam in villa, quæ dicitur Erlabah, distans a monasterio leucis duodecim, quæ per decem annos continua immundi spiritus vexatione laborabat. Hanc parentes sui plena fide perduxerunt ad memoriam sanctorum Martyrum, stante Eburhardo Presbytero juxta altare, E ac Missas celebrante ; cumque pro ea fuisset oratum, subito immundum nescio quid ac fœtidum evomuit, pariterque cum vomitu egresso dæmonio curata, et sanæ mentis effecta est, factaque peccatorum suorum confessione, gaudens et laudans Deum reversa est ad domum suam.

*energumena,*

42 Vir quidam erat in regione illa, *d* Freuvericus nomine, de villa quæ vocatur Bettinga; cujus ancilla, vocabulo Gersuind, subito obmutuit, ac per VII continuos dies muta permansit : octavo autem die ad memoriam Martyrum adducta, per merita eorum pristinæ restituta est sanitati. Nam cum in ecclesia publice Missarum agerentur solennia, et lectio legeretur Evangelii, stantibus omnibus juxta morem cum silentio et reverentia, illa repente quasi vi quadam acta erupit in vocem, et, Kyrie eleison, coram omni populo exclamavit, ac si per virtutem Dei et merita sanctorum Martyrum, recepta locutione, domum reversa est.

*d* — *muta, Kyrie eleison exclamans.*

43 Dies erat natalitius sanctorum Martyrum Januarii et Magni : præceptum est omnibus, ad jus monasterii illius pertinentibus, viris ac mulieribus, ut ea die rurali ac servili opere vacarent, diemque festum dicarent. F Contigit in villa quadam, quæ a *e* Schlavis Christianis habitabatur, ut unus eorum, parvipendens honorem Sanctorum, cum suis exiret in agrum, metensque segetem, et messam congregaret in acervos, ceteris solennes ferias celebrantibus. Interea igitur aer densissimus crevit in nubes, et tempestas sæva exorta est, fulgura ventique vehementer undique ferebantur, coruscationes quoque valde terribiles et fulgura discurrentia horrorem nimium mortalibus ingerebant : factumque grande miraculum, Domino discernente inter venerantes, et festa Sanctorum ejus contemnentes. Omnes enim acervi frugum, quos miser ille ea die messos congesserat, cœlesti igne consumpti sunt, ceteris, quos vel ipse, vel concives ejus pridie messuerant, illæsis permanentibus, tantusque timor ex hoc omnes perculit in circuitu, ut deinceps festa Sanctorum summa colerent reverentia.

*e* — *fruges in festo demessæ, igne cœlesti pereunt :*

44 Contigit etiam in die solennitatis, ut puella quædam de villa Munbrunnosi, nomine Solina, filia Bernalahi, de quotidiana vexatione maligni spiritus tam perfecte sanaretur, ut ab ea die nequam spiritus numquam eam invaderet. Talibus quidem miraculis, et aliis innumerabilibus, quæ, brevitati studentes, omittimus, Dominus noster Jesus Christus declarare

*Libera ur ... monaca.*

A declarare dignatus est merita Sanctorum suorum, Januarii et Magni, quorum ossa ordine supradicto translata et condita esse constat. Cetera vero corpora Sanctorum, quæ vel eodem, quo isti, vel alio tempore adducta sunt, translata et condita sunt, juxta fidem gestorum declarabo.

a *Huic inscripsit Rabanus Commentarium in libros Judicum et Ruth, et Epistolam, in qua disputat, quota generatione licitum sit connubium.* — b *Colitur* 17 *Martii.* — c 13 *Decembris.* — d *Browerus,* Freviuricus. — e *Colvenerius,* asclavis *al.* a Sclavis *De Sclavis Germaniæ populis sæpius agimus, et nominatim* v *Februarii ad Vitam S. Domitiani Ducis.*

## CAPUT VIII.

### *Templa et oratoria a B. Rabano constructa: Reliquiis ornata.*

a Locus est a monasterio Fuldensi decem et *a* eo amplius leucis distans, ad Boream, nomine Rathesthorph, a monachis quidem habitatus, sed ad præfatum monasterium eo tempore ad Hrabanum Abbatem pertinentibus, in quo pulchram et divinis officiis congruentem noviter construxit ecclesiam: quam picturis et diversorum varietate metallorum decenter ornavit, altaribus et Crucibus ex auro argentoque paratis, vasisque diversis generis, quæ divinus

*B. Rabanus Rathestorphi, extruit ecclesiam, Reliquiis ornat,*

B cultus exposcit, congruenter adhibitis. In quam cum auctoritate Humberti, qui Herlolfum Presbyterum illuc vice sua miserat, ossa B. Cæciliæ Virginis, et sanctorum Martyrum Tiburtii et Valeriani intulit: atque in sarcophago saxeo post altare posuit, singulorum ossibus in locis singulis seorsum conditis, erectamque desuper, ut ei moris erat, ligneam tumbam auro paravit et argento. Titulum quoque rei gestæ seriem declarantem, metrico carmine compositum, litteris deauratis in circuitu conscripsit, in hunc modum:

Postquam Rex Regum Christus super æthera celsa
 Victor conscendit, arbiter omnipotens;
Servorum turbam hic liquit, plebemque fidelem:
 Qui verbo et factis plurima lucra darent.
Inter quos isti, quorum hic membra quiescunt,
 Virtutum titulis eximii fuerant.
Hi pompam mundi spernentes, rite tenebant
 Martyrii palmam, virgineumque decus.
Germani ecce duo hic pausant, quos Virgo beata
 Lucrata est Christo dogmate Cæcilia.
Valerianus adest unus, Tiburtius alter,
 Nomine præclarus, clarior et meritis:
Has tres personas, Romana ex arce meantes,
C Suscepit Hraban, Christe, tuus famulus,
Patronosque sibi exoptans fieri, arte magistra
 Ornavit tumulum, condidit et titulum.

46 Ædificavit etiam ecclesiam valde conspicuam in monte excelso, XII fere stadiis ad orientem a suo monasterio distantem: quam cum ex præcepto Otgarii Archiepiscopi per Reginbaldum Corepiscopum ejus in honorem beatorum Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum atque Virginum, omniumque sanctorum Spirituum cœlestium fecisset consecrari, intulit in eam ossa *b* S. Felicitatis, matris VII filiorum Martyrum, et S. Concordiæ: sanctarum quoque Virginum Basillæ, Emmerentianæ, *c* Candidæ et *d* Eutropiæ. Quibus addidit ossa ac vestimenta SS. Aquilæ et Priscillæ, V Kalend. Octobr. erectamque desuper, sicut et in ceteris fecerat, ligneam fabricam, auro argentoque decoravit, scriptis ex utraque parte versibus, qui gestæ rei ordinem declararent, hoc modo:

*aliam in Monte S. Petri,*

Hic locus ecce tenet Sanctorum condita rite
 Ossa, simul memorans, et pia facta colit.
Mater Felicitas, sancta et Concordia, nutrix
 Hippolyti: hic pausant Candida et Eutropia.
Paulinamque hospes Aquila hic et Prisca quiescunt,
 Eugenia hic Virgo atque Basilla manent.
Virginis Agnetis hic collactanea sistit,
 Nempe Emerentiana Martyr et ipsa sacra.

D *AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO.*

Transtulit quoque eadem die ossa B. *e* Leubæ Virginis, cujus Vitam atque gesta brevi dudum libello comprehendi, et posuit ea in crypta ejusdem ecclesiæ post altare, in honorem sanctæ Dei Genitricis, sanctarumque Virginum Christi dedicatum, in arca saxea, quam etiam ligno circumdatam, auri argentique metallo decenter ornavit.

47 Sequenti autem die per manum prædicti Corepiscopi collocavit Reliquias sanctorum Episcoporum, Cornelii, Calixti, *f* Sixti, Sinitii, Nicasii et *g* Felicis. Stactei quoque et Pamphili Presbyterorum, et sanctorum Martyrum *h* Crispini et Crispiniani, Nerei et Achillei, Sebastiani quoque, Castuli, et Romani, Papiæ et Mauri, atque Valeriani: Sanctarumque Virginum, Cæciliæ, Eugeniæ atque Anastasiæ Martyrum Christi in Ecclesia B. Bonifacii Martyris, in loco, quo prius sanctum corpus illius quiescebat. Ædificavit enim ibi turrem lapideam post altare, in cujus turris summitate media condidit prædictorum ossa Sanctorum, arcæ saxeæ diligenter inclusa, super quam culmen columnis quatuor sustentatum erigens, auro ornavit et argento. Intra quod arcam oblongam quadrangulo schemate factam posuit, quam etiam

*alias Reliquias reponit in æde S. Bonifacii,*

*in turri a se extructa*

E auro et argento atque lapidibus ornans, singulorum Sanctorum imaginibus decenter expressis decoravit, versusque quasi ex persona ejusdem arcæ prolatos in circuitu conscripsit, hoc modo:

Nomine quos noto locus hic et imagine signat,
 Præclaros Christi ecce Dei famulos,
Qui corde impavido fuderunt sanguine sacro,
 Pro Christo jam animas exposuere suas.

Sed et in turre subjecta versus conscripsit: quatuor quidem in uno latere, et quatuor in altero, elegiaco carmine, hoc modo compositos:

Martyribus Christi, quorum hic ossa quiescunt,
 Hrabanus humilis condidit hunc titulum.
Horum tu, Lector, si noscere nomina cures,
 Arca superposita pandit et ipsa tibi.
Roma decus mundi, laus rerum, summa potestas,
 Hos jam Lectores Pontificesque habuit:
Cum quibus hic pausant sumpti de partibus orbis
 Virtute clari, Christe, tui famuli.

In reliquis vero duobus lateribus, asclepiadeo carmine hos versus conscripsit:

Felices nimium atque beati,
Quos Rex Christus ovans arce superna
F Sanctis pro meritis collocat astris:
Vitam perpetuam reddit et illis,
Qui templum Domini gressibus intrant:
Hos nunc ammoneo, corde benigno,
Christum suppliciter ut prece poscant:
Quod cum Martyribus sidera præstet.

48 Aliorum autem Sanctorum reliquias de diversis partibus orbis plurimas congregavit, atque in oratoriis, quæ tempore sui regiminis numero XXX construxerat, et ab Episcopis in quorum diœcesi fuerant, dedicari fecerat, honorifice collocavit. De quorum locis, et consecrationum auctoribus, atque temporibus, Sanctorumque nominibus, quorum stolis illustrantur, si vita comes, et divinus favor affuerit, locis opportunis, scire volentibus, declarabo.

*et in 30 a se constructis oratoriis*

a *Colvenerius,* et octoangulus. — b *De hac et tribus sequentibus actum supra num.* 15. — c *Quæ hæc Candida incertum. Duas ejus nominis dedimus* VII *Januarii. An ex iis, quæ Romæ passæ dicuntur in Martyrol. Romano* 6 *Junii,* 29 *Augusti, et* 1 *Decembris?* — d *An soror S. Nicasii Episcopi Remensis, cujus infra fit mentio? Utriusque natalis* 14 *Decemb.* — e *Acta S. Leubæ, seu Liobæ, Virginis et Abbatissæ jussu B. Rabani a Rudolfo scripta, dabimus* 28 *Septemb. Agit de ea Rabanus poem.* 110, 131, 135, 138. — f *Hi tres fuerunt Episcopi Remenses, a quibus* Sixtus et Sinitius, *aliis* Sinicius *Browero* Sinisius, *coluntur* 1 *Septemb.* — g *Fuit Episcopus Remensis, de quo* 21 *Februar. Rabanus poem.* 32. — h 25 *Octob. Rabanus poem.* 126. *De aliis ante actum num.* 15, 17, 29, 31.

*S. Candidæ.*

## CAPUT IX.

A

AUCTORE RUDOLPHO PRESBYTERO.

## CAPUT IX.

### *Abbatiale munus depositum. Libri conscripti.*

Cum igitur vir ille venerabilis monasterium sibi commissum per annos *a* XX nobiliter rexisset, deposito curæ pastoralis pondere, ad ecclesiam quam ad Orientem monasterii S. Petri in monte constructam esse supra dixi, se contulit: ibique manens, ac Deo serviens, cœlesti philosophiæ vacabat. Erat enim in Scripturis a pueritia valde studiosus, et secundum donum sibi cœlitus datum, lectionem divinorum librorum plurimum adamavit, atque in his sæpius meditatus est, unde etiam hortatu Fratrum suorum atque amicorum, adgressus est *b* scribere expositiones librorum divinorum, tam veteris quam novi Testamenti. Nam, ut ipse testatus est, primum scripsit anno ætatis suæ circiter *c* trigesimo in laudem sanctæ Crucis duos libellos, hoc est, unum metrico stylo, cum figuris mysticis, quæ in divinis libris longe ante prænotatæ sunt: ut in his manifestaretur Christi passio et redemptio nostra, in figura sanctæ Crucis esse prænuntiata. In quo etiam soluta oratione subjecta est uniuscujusque figuræ explanatio: et sic viginti octo, excepta superliminari pagina, videntur in ea contineri figuræ, simul cum expositionibus suis. Sequentem autem libellum ideo conficiendum putavit, quem etiam in viginti octo capitulis breviavit, ut locutionem metri prioris libelli in eo lucidiorem faceret. Posthæc scripsit ad *d* Hertolfum Archiepiscopum de institutione Clericorum libros tres: in quibus de Ecclesiasticis ordinibus, et officiis diversis, quæ in Ecclesia geruntur, ratio demonstratur, et ordo discendi ac modus docendi verbi Dei declaratur. Ad quem etiam scripsit tractatum super Evangelium Matthæi, consummans illum octo libris. Cujus et hortatu fecit Homilias diversas per totum annum, ad diversas festivitates. Et de variis vitiis atque virtutibus subjunxit sermones, ad prædicandum populo Dei.

*Liber a regimine secedit; libros varios tota vita conscripsit.*

B

*de Cruce,*

*de Institutione Clericorum,*

*in Matthæum Homilias,*

30 Posthæc rogatu Episcoporum, *e* Frecholfi videlicet, *f* Fridurichi et *g* Humberti, scripsit in Pentateuchum, commentariorum libros XXIX, hoc est: in Genesim libros IV, in Exodum libros IV, in Leviticum libros VII, in Numerorum libros IV, similiter et in Deuteronomium libros IV, in Jesu Nave quoque libros IV, et in Judicum libros duos, in Ruth quoque librum unum. Fecit etiam, rogatu *h* Hiltuvini Abbatis, libros IV in expositione libri Samuelis et Regum. Similiter, *i* Ludovico Imperatore hortante, in Paralipomenon edidit libros IV. Scripsit præterea expositionem in historiam Judith, librum unum: et in historiam Hester similiter librum unum; quos tradidit Judith Augustæ. Librum quoque Machabæorum priorem, petente Geroldo *k* Archidiacono, libellis duobus explanavit, sequentem vero libello uno. Librum quoque, qui nuncupatur Sapientiæ, hortatu *l* Otgarii Archiepiscopi, in tribus libellis, prout potuit, enodavit. Et librum Jesu filii Syrach, qui appellatur Ecclesiasticus, decem libris similiter elucidavit. In *m* Hieremiam quoque prophetam XX libros expositionis, juxta sensum majorum, edidit. In Epistolas quoque Pauli, hortatu *n* Lupi Diaconi collectarium fecit, colligens de diversis opusculis Sanctorum Patrum sententias eorum, et in ordinem disponens, in XXX libris illum determinavit.

*in plures Scripturæ sacræ libros,*

C

31 Sunt quoque alia opuscula ejus, quæ ad interrogata diversorum, ei respondere necessarium fuit. Quorum unum est de *o* Coepiscoporum ordinatione, super quo ad Drogonem *p* Archiepiscopum scripsit librum unum. Ad Notingum quoque Episcopum Veronensem, de præscientia ac prædestinatione Dei, de gratia et libero arbitrio scripsit librum unum: in quo, quid recte sentiendum esset, ostendit. Nam ad Ludovicum Imperatorem, scripsit librum unum D contra eos, qui oblationem secundum regulam S. Benedicti destruere volebant. Cui et misit epistolam consolatoriam post calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum suorum et optimatum: in qua ex Divinis testimoniis ostendit, quod falsum judicium non potest rite condemnare innocentem: in qua etiam novissime provocat eum ad indulgentiam in se commissorum. Postea hortatu ejusdem imprimis fecit Collectarium unum de sententiis divinorum librorum, in quo primum testimoniis divinis probavit, observandum esse honorem parentum, et subjectionem potestati a Domino ordinatæ. Deinde de diversis speciebus virtutum, et e contrario vitiorum, testimonia de auctoritate divina in eodem opere subjunxit, demonstrans qualiter unicuique ordini in Ecclesia Deo militandum sit: quod opus XI. capitulis consummavit. Ad interrogata quidem Bonosi Abbatis respondendo, quomodo cognationis commixtio declinanda sit, et magica ars devitanda, confecit librum unum. Scripsit quoque libellum unum ad Otgarium Archiepiscopum, in quo primum de pœnitentia legitima, et spe indulgentiæ, deinde diversa capitula de Canonibus diversorum Conciliorum subjunxit, ad corrigenda hominum vitia et instituta religionis Christianæ roboranda. Præterea quoque, Macario E monacho petente, de Computu confecit Dialogum unum. *q*

*et varia ad diversos opuscula*

a *Anno* 842 *ut supra dictum. Trithemius hinc emendandus tum in anno, tum potissimum in fuga ad Ludovicum Regem.* — b *De libris scriptis supra actum.* — c *Anno Ch.* 815. — d *Aliis,* Haistulphum, *Archiepiscopum Moguntinum, qui sedit ab anno Ch.* 814 *ad* 826, *et Sacerdotem ordinavit Rabanum; et hos libros priores inscripsit an. Ch.* 819. — e *Episcopi Lexoviensis, cui dicavit Pentateuchum.* — f *Episcopi Ultrajectensis, cui inscripsit libros Josue, quos solum tres numerat codex MS. Chiffletii.* — g *Huic Episcopo Herbipolensi obtulit suas in Judices et Ruth lucubrationes.* — h *Abbatis S. Dionysii, et Archicapellani sacri palatii Ludovici Pii.* — i *At quæ modo præponitur Præfatio, est ad Ludovicum Regem Germaniæ, alterius filium.* — k *Archidiacono sacri palatii, cujus familiari colloquio se frui tum in palatio Vangionum civitatis, id est, Wormatiæ scribit in Præfatione Rabanus.* — l *Fuit hic decessor Rabani in Archiepiscopatu Moguntino, et sedit ab anno* 826 *ad* 847. *Ei etiam Ecclesiasticum inscripsit.* — m *Absolvit post obitum Ludovici Pii Imperatoris, qui interiit in kalendis Julii anni* 840. *Obtulit filio ejus Lothario Imperatori.* — n *Lupus e discipulo Rabani Abbas Ferrariæ in Francia.* — o *Forte* Chorepiscoporum, *annotarat Colvenerius. Liber hic necdum typis vulgatus.* — p *Est hic* Drogo *filius S. Caroli Magni ex concubina Regina, in palatio Ludovici Pii nutritus, dein* Episcopus Metensis, *a Sergio II* Vicarius Sedis Apostolicæ in Gallia et Germania *designatus anno Ch.* 844. *In epistola Sergii ad Episcopos Transalpinos* Archiepiscopus Metensis *appellatur, qua præeminentia diu ante sub fratre suo Ludovico Pio usus, præsedit in Concilio apud Theodonis villam anno* 835, *et Ebbonem Remorum Archiepiscopum gradu suo dejecit. Legatur Hincmarus in posteriore opere adversus Gothescalcum cap.* 36, *ubi leguntur subscripsisse* Drogo Archiepiscopus, Hetti Archiepiscopus *etc., et concluditur his verbis:* Hæc scriptura data est a Drogone, qui Synodo præsidebat una cum Hetti Episcopo Trevirensi, Fulconi, qui successor in Sede Remensi Ebbonis designatus fuerat. — q *Annotat Browerus.* Desiderata nonnulla in MS. expleat velim qui potest.

*Drogo dictus Archiepisc. Metensis.*

F

# ALIA VITA

## Auctore Joanne Trithemio Abbate.

### PROLOGUS.

Reverendissimo in Christo Patri, Illustrissimoque Principi et Domino, D. Alberto, sanctæ *a* Moguntinæ Sedis et Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo, sacri Romani Imperii Principi Electori, per Germaniam Archicancellario atque Primati, Halberstatensis Ecclesiæ Administratori, *b* Brandeburgensium Marchioni, Stetinensium, Pomeranorum, Cassubiorum, et Sclavorum Duci, Nurenbergensium Burggravio, ac Rugiorum Principi, Joannes Trithemius, Abbas monasterii S. Jacobi majoris Apostoli, in suburbanis Herbipolensis civitatis, quondam vero Spanheimensis, ordinis S. Benedicti, quicquid ad Deum oratio prævalet peccatoris.

Obedivi

A Obedivi mandatis tuis, Reverendissime Præsul, et Vitam beati prædecessoris tui Hrabani Mauri Magnentii, sacræ quondam Moguntinæ Sedis tuæ Archipontificis, atque Doctoris celeberrimæ opinionis atque doctrinæ, ex diversis temporum scriptoribus veraci et succincta narratione in unum volumen comportavi. Nec mirum, si plura gestorum ejus silentio pertransivi: quippe qui nullum ante me fixum, solidum et sufficientem de hac ipsa materia potui habere scriptorem; sed primus auctor esse sine præcedente compellor, et ex multis atque diversis agellis decidentes colligere spicas, Dominicisque thesauris novus messor manipulos inferre antiquos. Ab ejus namque transitu de hoc mundo ad Dominum, usque ad nos, anni computantur quinquaginta novem atque sexcenti; cujus longa intercapedo temporis multa per eum gloriose facta perpetuam in oblivionem deduxit. Plures, fateor, historiarum scriptores varia laudum præconia de hoc beatissimo atque doctissimo viro in suis lucubrationibus passim hinc inde scripserunt, quorum tamen nullus Vitam ejus continuata serie composuit. Qua ex re labor mihi gravissimus occurrebat: quia, dum per diversos auctores, quid quisque de Hrabano scripserit, compulsus sum quærere; B singula, quæ reperi, minus lepide atque concinne potui ordinare. Quis enim, nostris maxime temporibus, ad hæc tanta reperiatur idoneus, ut ea faciat litteraria perennitate reviviscere, quæ per tot annos in oblivione mortalium constat permansisse? Pudeat Germaniæ Pontifices innatæ, ut ita dixerim, socordiæ, qui vanitatibus dediti, et Dei honorem in Sanctis negligunt, et decorem patriæ turpi dissimulatione contemnunt. Compatior infelicitati nationis meæ Germanicæ, cujus tanta est feritas animorum, ut neque suos recte noverit instituere natos, neque eos, qui sese moribus et doctrina ceteris præstantiores exhibere studuerunt, condignis laudum et meritorum titulis consueverit honorare. Ab eo namque tempore, quo sanctus Archipræsul Hrabanus migravit ad Christum, usque ad ordinationem tui pontificatus, Reverendissime Præsul Alberte, Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopi extiterunt numero, si recte memini, c quinquaginta, e quibus Hrabani, sanctissimi viri, memoriam nullus revocavit ad mentem, nomen ejus posteritati notum facere nullus eorum attentavit.

*Auctoris studium in vita B. Rabani describenda*

*excitatur, in tanta Principum Germaniæ socordia,*

c

2 Tibi reservatum est hoc sanctum opus, Christianorum Christianissime Præsul, et Eminentissime Princeps, tuo nomini debetur tanti gloria viri, qui C veterum atque sanctissimorum Pontificum imitatione, te in cunctis verum Christi studes exhibere ministrum, et irreprehensibilem Ecclesiæ tibi commissæ verbo et exemplo Pontificem. Felix proinde Moguntina, te moderante, sancta Ecclesia, qui sacra Sanctorum ossa tumulis reverenter elevata, populis veneranda præstas fidelibus: et quæ veterum incuria mox erant resolvenda in cinerem, memoriæ perpetuæ firmiter commendasti. Unde Germani omnes jure te Lumen suum, et decus immensum prædicant, qui Dei cultor es maximus, venerator Sanctorum ejus integerrimus, religionis Catholicæ defensor constantissimus, genere Princeps nobilissimus, vita et moribus omnium sine controversia clarissimus, et idcirco numquam sine honore nominandus. Hæc et his majora Divinæ miserationis cumulata beneficia pensiculans Sedes Apostolica, quod nulli apud Germanos eatenus contigisse legitur, Principem ætate juvenem, sed moribus senem, cum vix annum attigisses quintum atque vigesimum, præmissa electione Fratrum Canonica, te Moguntinæ Sedis et Magdenburgensis Ecclesiæ Archiepiscopum, atque Primatem Germanorum Pontificum omnium constituit, tibique munus consecrationis placida benignitate

*pietate erga Sanctos Alberti Electoris*

ANIMADV. PAR. 1di.

*triplici dignitate Ecclesiastica collata.*

cum palliorum decore utriusque Ecclesiæ concessit. D Insuper ut nomen ter Maximi sive Triarchi merito videare consecutus, Administratorem te insignis Ecclesiæ Halberstatensis constituit, et gloriam Celsitudinis tuæ super omnes Germaniæ Pontifices sublimavit. Quod Divina præordinatione factum non ambigit, qui vitam et mores tuos ab ineunte noscens ætate, studiosius pensiculavit. Nam teneris ab annis res divina tibi semper in animo fuit, nihilque dulcius, quam Clericorum choris interesse psallentium, aras pulchro decore ornare, sanctorum et beatissimorum Martyrum Christi simul et Confitentium ossa vario et nitido splendore auri vestire et argenti. Quod ego de tua religiosissima Celsitudine tanto verius confidentiusque scribere potui: quanto diutius ante decennium conversatus in curia Serenissimi Principis Joachimi, Brandenburgensis Marchionis, Imperiique Principis Electoris, germani tui, apud d Ursulam Coloniæ ad Sprevum, principem te, d juvenemque singulari pietate in Deum ferventem, et vidi plenius et audivi.

*AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.*

3 Cum igitur Divina miseratione præventus, adhuc puer adolescens, tanta pietate, tanta caritate ac devotione sanctissimis te Christi ministeriis aptare gestires, ut non modo senioribus stuporem, sed etiam universis, qui te videre, audire, seu alloqui meruissent, grandem inuteres admirationem; quis negare E poterit, nisi demens, te, antequam nascereris in mundum, Divina providentia electum, et segregatum in hoc ministerium trini Pontificatus: in quo non solum tibi multimoda sanctitatis merita potes acquirere, sed commissos etiam tuæ fidei mortales vita, doctrina, et pastorali auctoritate ad justitiæ vias revocare? His maximis a summa Dei providentia honoribus susceptis, optime facis, operibus ipsis verum te Pontificem exhibendo: qui præter multorum consuetudinem Præsulum, cœlestibus terrena postponis, et præfers æterna caducis. Unde beatum te dicent Germaniæ populi omnes, si tamen (quod faxit Omnipotens) usque ad finem perseveraveris in cœpto proposito sanctitatis. Sunt æmuli, non dubites, quibus juvenilis iste fervor sanctitatis tuæ habetur suspectus, in quo si, miserante Deo, permanseris, auges bonis lætitiam, et misanthropis haud parvam confusionem. Ego autem sciens devotionem tuam in Sanctos Dei, confido te in bene cœptis, eorum precibus et meritis permansurum, et bonis quotidie studiis additurum meliora: quousque tandem illorum particeps effectus, sine fine gaudeas in cœlis, quorum nomen et memoriam, cum tanto mentis de- F siderio et animi fervore, honoras nunc sedulo Præsul viator in terris. Hrabanum apud Moguntiacos despectum, et pene sempiterna oblivione sepultum, in nomine Justi summa eum veneratione levasti de terra, propter quod et omnipotens Dominus animam tuam cum Sanctis suis exaltabit in patria.

*et fervente pueritia zelo:*

*quo Reliquias B. Rabani elevavit.*

4 Et ego ne defuerim tam sancto ministerio tuo, libens, quod mihi nuper imposuisti, onus suscepi, Vitamque memorati Pontificis beatissimi, qua potui diligentia, ex diversis auctorum libris in unum codicem laboriose comportavi, in quo si non satisfeci tuo desiderio, sit bona voluntas in paupercula sufficiens obedientiæ pro merito. Obedivi jubenti, feci quantum potui, et totum quod mihi de laudibus tanti Pontificis occurrebat, tuo nomini sacratissimo dedicavi. Suscipe ergo manibus consecratis, Reverendissime Princeps, primitias frugum Trithemiani sterilis agelli, tuo Pontificatui summa cum humilitate ferentis oblatas, et qui summus es Dei Sacerdos, paleas a granis dignanter secerne, ut sterile parvitatis meæ opusculum de vita S. Hrabani Præsulis tuo imperio compositum, tibique dicatum, eo securius in lucem prodeat, quo sub ferula Pontificalis Eminentiæ

*et hanc Vitam mandanti conscribit.*

*AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.*

A Eminentiæ tuæ, diligentius enucleatiusque fuerit emendatum. Adest enim Serenitati tuæ copiosa cum auctoritate scientia, unde non solum defendere hanc lucubrationem meam ab injuria poteris detractorum, sed etiam, cum opus fuerit, adamussim castigare. Vale Pontificum Princeps. Ex meo cœnobio, sexta die mensis Novembris, anno Domini millesimo quingentesimo quintodecimo.

a *Electus 9 Martii anno* 1514 *ante Archiepiscopus Magdeburgensis et Administrator Halberstadensis, dein a Leone Papa* X *an.* 1518 *inter Cardinales ascitus: vita functus* 21 *Septemb. an.* 1545. — b *Filius Joannis Electoris Brandeburgensis.* — c *Ita ut primus illorum quinquaginta sit B. Rabanus, ultimus Albertus.* — d *Berlinum sedes Electoris, conditum denominatumque fertur ob Alberto Urso principe Anhaldino circa annum Christi* 1142, *sicut vicina huic oppida* Bernovia, Bernavicum, Berwaldia. *Est autem* Ursus *idiomate Teutonico* Ber. *Berlino adjacet Colonia oppidum, ab eo Spreio fluvio separatum.*

*Berlinum Colonia.*

# LIBER I.

## Vita privata B. Rabani.

### CAPUT I.

*Ortus, educatio, tirocinium vitæ monasticæ.*

Hrabanus, cognomento *a* Maurus, familia Ma-B gnentius, natione Francus Orientalis, patria Buchonicus, in oppido Fuldensi nascitur, quarto Nonas Februarii, anno Dominicæ Nativitatis septingentesimo octogesimo octavo, Indictione Romanorum undecima, qui fuit Caroli Regis Magni Francorum *b* vicesimus, et Romani Pontificis Adriani primi septimus decimus annus. Cujus pater, nomine *c* Ruthardus, Magnentiana familia satus, vir dives et potens, multo tempore sub Francorum Principibus in Germania strenue militat. Mater vero dicebatur Aldegundis, honestissimæ conversationis mulier, quæ ipsum filium suum ab infantia Deum timere docuit, litteris imbuit, et non minus exemplo, quam verbo docilem ejus animum ad omne opus bonum diligentissime erudivit. Enimvero pia mater, cum adhuc mens nati esset puerili teneritudine flexibilis, mores ejus ad Christi dogmatis integritatem laudabiliter instituit, lascivos pueritiæ motus prudentissima ratione compescuit, ecclesiam visitare, Dei sermones audire, et Divinis crebro interesse mysteriis adhuc pene infantem continuata sollicitudine mandavit. Erat autem Hrabanus puer, tam naturæ donis, quam gratiæ muneribus a Domino multipliciter præventus: quæ magna cum tempore sumpserunt incre-C menta vigoris, donec postremo virum ad summæ perfectionis apicem perduxerunt. Ingenio fuit docilis, memoria vivacissimus, mente simul et corpore sub pulcherrima dispositione pudicus atque castissimus: in cujus moribus relucebat integritas, et singularis in animo tranquillitas rutilabat. Omnia tamen ista in eo dona tam gratiæ, quam naturæ clarius enituerunt, cum ad virilem pervenisset ætatem, in qua virtutum culmen omnium perfectus operator ascendit. Quantum vero ad visibilis pertinebat hominis rationem, corpore satis admodum fuit robustus, complexione mixto sanguine phlegmaticus, plus corpore pinguis, quam macilentus, capite fortis et magnus, omniumque membrorum proportione forma decente dispositus.

*Nascitur B. Rabanus an. 788,*

*pie educatur,*

*præclaris animi et corporis dotibus præditus.*

6 Unde cum bonæ puer indolis de die in diem semper ad meliora proficeret, et jam tunc quoddam in eo futuræ dignitatis et sanctitatis præsagium reluceret; metuens pia mater, ne corruptibile corpus in medio pravæ nationis positum, qualibet occasione deturparet animam, neve terrena inhabitatio sensum deprimeret multa cogitantem: tradere illum ad monasterium debuerat, in quo purius eum posse conversari minime dubitabat. Sed hoc matris propositum a principio genitori non placuit, quod tamen

*novennis in monasterium ducitur,*

postea, Divino inspiratus numine, approbavit. Hu-D manum siquidem facile mutatur consilium, quotiens Divina potestas suum ab æterno prædestinatum operatur instinctum. Præfuit in diebus illis *d* novello Fuldensi monasterio reverendissimus Abbas, nomine *e* Baugolfus, vir magnæ religionis, et multarum in Christo virtutum: qui S. *f* Sturmo ejus loci primo Abbati succedens, annis præfuit *g* quinque et viginti, nomen sanctitatis apud Germanos omnes consecutus gloriosum. Hujus Abbatis clarissimi magisterio Hrabanus puer, cum esset annorum circiter novem, a parentibus traditur: et juxta normam sancti Patris Benedicti, monachis instituendus commendatur. Facta est hæc in monasterium Hrabani solennis traditio vicesima prima die mensis Martii: quæ fuit ejusdem sanctissimi Patris Benedicti festivitate solennis, anno Dominicæ Nativitatis septingentesimo nonagesimo septimo, Indictione Romanorum quinta.

*Baugolfo tum Abbate,*

7 Claruit eo tempore in memorato monasterio Fuldensi ingens multitudo monachorum: qui arduam pro Dei amore vitam ducentes, a vino et carnibus omni tempore abstinebant, et nec jus carnium præter infirmos, omninoque debiles, sumebant in cibum, nec hujus mundi voluptatibus utebantur. Pa-E nis eorum cribrarius erat et rusticus: fabæ, pisa, et olera cibus: aqua vel cervisia, potus. Vivebant de laboribus manuum suarum, sicut veri Patris nostri Benedicti sequaces et monachi, cum nullos eo tempore in monasterio servos permitterentur habere seculares. Nam quidquid operis necessarii faciendum in monasterio claustralibus occurrisset, non secularium, sed manibus fiebat monachorum. Omnes tunc monachi ad monasticæ regulæ puritatem vivere satagebant, in communi sub unius directione Pastoris, in vera paupertate sine peculio, castitatem mentis et corporis inviolabiliter conservantes, omnipotenti Deo in fraternæ caritatis vinculo serviebant. O felix ætas, et tempora charismatibus sancti Spiritus abunde fructuosa, quando claustralis vitæ Professores erant optimi, et omni decore virtutum mirifice ornati et præditi. His viris in monasterio Fuldensi vita et conversatione sanctissimis, Hrabanus puer Divina ordinatione conjunctus, venerabili cuidam monacho seniori, Rathgario nomine, scientia litterarum, et sanctis moribus imbuendus committitur, a quo diligentissime ad optima quæque informatur. Bonæ quoque dispositionis puer, bonum assecutus Doctorem, Divina miseratione adjuvante, mox sanctæ F conversationis primordia, quantum ætas illa permisit, bene inchoavit, in meliusque successive perduxit, et optimo tandem fine consummavit.

*sub rigida regulæ Benedictinæ observatione,*

*nactus præceptorem Rathgarium,*

8 Postea vero quam annum sextum decimum complevisset ætatis, anno videlicet Dominicæ nativitatis in carne *h* octingentesimo quarto, Indictione Romanorum duodecima, Baugolfus Abbas Fuldensis migravit ad Dominum, anno regiminis sui vicesimo quinto. Quo non sine opinione sanctitatis magnæ sepulto, prænominatus Hrabani Mauri præceptor Rathgarius electione Fratrum unanimi tertius in Abbatia succedens, præfuit annis *i* sedecim, vir probatæ religionis, et magnæ sanctitatis. Hic Hrabanum præ ceteris singulari diligebat affectu, propterea quod eum noverat plus omnibus ad obedientiam promptum, et in lectionibus divinarum Scripturarum indefessa sollicitudine studiosum. Videbat illum ad ardua natum, et qui verbo et exemplo multis esset cum tempore profuturus in salutem. Noverat etiam salutarem Pastoribus necessariam esse doctrinam, cum bona hominis vita sine scientia spirituali divinarum Scripturarum non sufficiat ad institutionem subditorum. Nam qui sibi soli est bonus, utilis aliorum Rector esse non potest. Propterea Rathgarius docilem

*dein Abbatem*

*studium pietatis et scientiarum conjungit.*

A docilem puerum nequaquam statuit negligendum, quem illustratum Divino spiritu multis non dubitabat fore præponendum. Nec sua fuit confidentia frustratus, cum major evaserit Hrabanus eruditione, dignitate, simul et merito sanctitatis, quam suorum aliquis vel cogitare potuisset, vel mente concipere.

9 Mox enim ut annos pueritiæ superavit, se totum divinis mancipavit obsequiis, in ecclesia frequens, in choro psallentium assiduus, et sine vani- *additus choro et orationi,* tatis nota in servitio Domini singularis. Nullus monachorum inter cantandum et legendum illo fuit alacrior: nullus ad obedientiam seniorum inter omnes promptiorem se nuquam exhibuit. Deum pura mentis elevatione semper amavit super omnia, cujus ordinatissimæ voluntati quidquid acceptum noverat, implere summo conatu satagebat. Ea vero, quæ Divinæ voluntati didicit esse contraria, numquam in cordis ergasterium censuit admittenda. Mentis suæ oculum a pulveribus terrenæ cupiditatis purum custodivit et mundum, atque in medio confratrum suorum omni tempore sine offensione vivebat. In oratione sancta pene fuit continuus, in lectione divinarum Scripturarum sine intermissione laudabiliter occupatus.

10 Nemo illum vidit otiosum, non fabulis, seu otiosis sermonibus illum quisquam audivit intentum, B neque more complurium per claustrum discursibus *silentio et cellæ* vanis quisquam reperit vagabundum. Deo semper mente deditus, aut lectioni Scripturarum incubuit, aut scripsit aliquid pro communi Fratrum utilitate, vel certe secum in cella solitarius habitans erat. Nihil enim dulcius illi fuit, quam continuum sanctarum studium Scripturarum, et ideo cellæ monasticæ secretum, multis importabile claustralibus, paradisi delicias reputavit. Quod enim piscibus rivus et aqua, hoc bonis et studiosis monachis rectissime dicitur cella. Nam sicuti pisces diu vivere sine aqua nequeunt; sic monachi crebrius extra cellam discurrentes, in vera mentis puritate non subsistunt. Cella enim monachis est officina virtutum, et mundus nimium frequentatus multorum causa vitiorum. Cella monachis est divinæ schola scientiæ, extra quam cœlestis non datur sapientiæ doctrina. Unde monachus, qui secretum cellæ non diligit, ad veram scientiam Scripturarum Dei minime pertingit. Quod beatissimus Pater hic noster, Sanctus probe considerans Hrabanus, cellam ab infantia sua dilexit monasticam, in qua conscientiam suam ab operibus mundi vanis custodivit illæsam, et omnium scripturarum, tam humanarum quam divinarum, plenam fuit assecu- C tus scientiam. Cellæ namque secretum amœnitati comparatur paradisi, in qua delectabiliter consistens, ac sibi per divini amoris continuum exercitium unitus, mente simul et corpore habitavit, secum in domo Dei quietus, animo Creatori suo devotus, nulli fratrum molestus, nulli gravis, nulli onerosus, sed acceptus bo- *omnibus vinculo caritatis conjunctus* nis omnibus, et in vinculo caritatis fraternæ sincere dilectus. In eo fuit completum, quod per Prophetam Je- *Threnor 3 27* remiam dudum legitur pronunciatum: Bonum est homini, cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua: quia sedebit solitarius et tacebit, quoniam levabit se supra se. Hæc sunt purificatæ convivia mentis, quæ nemo intelligit, nisi qui accipit: nemo vero accipit, nisi qui se pro Dei amore ab omni carnis illecebra veraciter segregavit. Non enim consentiunt in unum cohabitare vera gaudia mentis, et corruptibiles deliciæ ventris: quoniam duobus contrariis servire dominis Salvator omnium dicit non esse possibile. Beatus igitur magnus iste servus Christi Hrabanus, qui gratia Spiritus sancti præventus in consilio impiorum non abiit, et in via peccatorum non stetit, *Matth. c. 24. Psal. 1, 2.* nec in cathedra derisorum consedit, sed in lege Domini fuit voluntas ejus confirmata et stabilis, et in justificationibus ejus meditatio illius die permansit ac nocte. Beatus, inquam, vir iste, et omni posteri- D tati merito venerandus, qui in hac mortalitate posi- *AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.* tus, semen bonum in benedictionibus Domini seminavit, de quo nunc fructum æternæ felicitatis manducat in cœlis. Propter quod omni censetur honore dignus, ac sempiterna memoria celebrandus; qui factus imitator discipulorum Domini, doctrina et moribus universam illustravit Ecclesiam, et varios hæreticorum errores disputando scribendoque confutavit, de quibus suo inferius loco plenius dicturi sumus.

a *De varia ejus nomenclatura, tempore et loco natali actum* § 2 *et* 7. — b *Imo annus erat regni Caroli* 29 *et Pontificatus Adriani* 16 *cum hic Papa electus sit* 9 *Februar.* 772, *ille Pipino patri* 24 *Septembris anno* 768 *mortuo successerit.* — c *In Vita S. Stephani Papæ iii dicuntur ad hunc* a Pipino Rege directi Fulradus Abba et Rothardus Dux. *Sed quis hunc eumdem confirmabit cum hoc B. Rabani parente?* — d *Circa annum Ch.* 744 *cœpto.* — e *Aliis* Bangolfus, Baugulfus et Baugolf. — f *De eo ita Annales Fuldenses anno* 779: Sturmi Abbas Fuldensis cœnobii moritur, cui successit Baugolf ejusdem monasterii monachus. *Obiit autem* S. Sturmius *seu* Sturmio 16 *Decemb. Colitur præcipue* 20 *Aprilis.* — g *Imo duobus tantum* et viginti. *In Annal. Fuld. an.* 802 *hæc referuntur:* Baugulfus Abbas Fuldensis cœnobii, relicta quam habuit potestate, Ratgarium successorem habuit. — h *Anno* 815 *obiisse contendit Browerus lib.* 4 *Fuld. Antiq. cum depositæ præfecturæ superfuisset annis tredecim.* — i *Imo* 15 *tantum, ab anno* 802 *ad* 817, *quo* a Fratribus depositus *legitur in eisdem Annalibus.*

## CAPUT II.

### *Studia B. Rabani sub Doctore Alcuino.* E

Cum ergo B. Magnentius octavum decimum ætatis a suæ annum attingeret, qui fuit Dominicæ nativitatis *b* octingentesimus sextus, et incredibili divinarum Scripturarum teneretur amore, jamque omnes deputatos sibi Doctores atque Magistros vel æquasset, vel etiam superasset eruditione et doctrina; nec tamen in his, ad quæ discendo pervenerat, posset esse contentus; sed pro magnitudine desiderii sui ad majora sacri studii arcana festinaret; locum ad tempus mutare profectus caussa decrevit. Nam eo *Studiorum desiderio flagrat:* tempore studium litterarum generale, sicut postea, necdum in Fuldensi monasterio vigebat. Monachi etenim humili Scripturarum intelligentia contenti, moribus graves, et subrusticana simplicitate imbuti, altiora scientiæ studia non curabant. Unde beatissimus juvenis cum pro ingenti Scripturarum desiderio, propter Magistrorum penuriam animum suum in proprio satiare monasterio non posset, sciretque, Rathgarium se Pastorem habere favorabilem, quadam die ad pedes ejus provolvitur, et quid haberet in animo summa cum humilitate manifestum faciens, consensum sui senis deprecatur. Placuit petitio adolescentis Abbati; et consilio seniorum adhibito, fa- F cilem postulanti dedit consensum. Cernebat enim senior providus, ut paullo dictum est prius, gratiam in eo relucere Divinam, cujus illum operatione magnum non dubitabat esse futurum, unde et libens petita concessit.

12 In diebus illis florebat in regno Francorum Albinus, qui et Alcuinus, natione Anglicus, professione *c* monachus, ordine Levita, dignitate *d* Abbas monasterii sui Martini Turonensis, Caroli Regis Magni quondam Præceptor, in omni varietate Scripturarum doctissimus, qui primus apud Gallos et Italos, *e* Romæ, Parisiis et Suessionis, scholis monachorum publicis prælatus, multa scripsit ad utilitatem communem, et plures in omni scientia auditores educavit doctissimos. Ad hunc venerabilem *missus ad Alcuinum* virum, eo tempore in *f* urbe Roma custodem et ministrum Ecclesiæ Lateranensis, ac scholis monachorum publicis præsidentem, Rathgarius Abbas de Fulda misit Hrabanum cum aliis *g* duobus monachis, Haimone et Diedone; quorum prior Episcopus postea fuit in Halberstat, posterior vero Hattoni in abbatia Fuldensi Fratrum electione successit. Albinus ergo missos ad se monachos de Fulda sub magisterii

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.

A rii sui ferula suscipiens, omnem circa illos diligentiam adhibuit, et nullis pro salubri eorum institutione laboribus pepercit. Hrabanum tamen, quem ceteris acutiorem ingenio videbat, propensiore studio prosequebatur docendi, et singulari cura sollicitudinis circa illum vigilabat.

h

13 Annis *h* sex continuis apud Albinum magistrum Hrabanus studiosissimus auditor atque discipulus Romæ permansit, et discendis Scripturis indefessum studium sedulus impendit. In his artibus septem, quas professores earumdem liberales vocant, evasit doctissimus, et in omni scientia, tam divinarum quam humanarum traditionum, non erat illi secundus. Enimvero quam eruditus fuerit in grammaticis, in rhetoricis, in logicis, in arithmeticis, in geometricis, in poeticis et musicis, in astronomicis et mathematicis, in physicis et metaphysicis, in philosophicis et theologicis, in humanis quoque et divinis, quicumque plenius intelligere desiderat, ejus volumina, quæ et plura sunt et elegantissima, diligentius revolvat. In disputando tanti fuit acuminis, ut omnium Sophistarum nominatissimus haberetur et esset. Unde, veluti alter Augustinus hæreticorum terror et malleus erat, quos omnes facili congressione superabat et vicit.

*in omni genere scientiarum exercetur :*

B 14 Et cum tantam omnium scientiarum esset copiam adeptus, numquam tamen in superbiam fuit elatus, numquam suo se judicio inaniter super alios extulit, numquam simpliciores et minus in Scripturis eruditos etiam leviter contempsit. In vera namque humilitate fundatus monastica, parvulus in oculis suis apparebat, et quanto major extitit, tanto se peramplius humiliavit. Noverat enim, monachi scientiam sine vera humilitate mentis, perniciosam esse stultitiam, etiamsi apud homines doctissimus habeatur. Dicit enim Scriptura : Doctrina viri per patientiam dinoscitur. Patiens autem veraciter nemo dici meretur, qui humilis non fuerit et omnipotentis nutui plena voluntate subjectus. Hrabanus autem noster, verus Dei amator, qui et humilis et patiens veraciter extitit, quanto in bonis studiis amplius profecerat, tanto magis animum suum coram Deo et hominibus humiliabat. Non illum vana terreni honoris ambitio traxit ad studium, non paupertas vel inopia fecerat monachum in Scripturis esse studiosum : sed Dei amor, qui vincit omnia, mentem illius incenderat ad spiritualis scientiæ incrementa. Nihil est difficile bonæ voluntati, nihil formidabile Deum veraciter amanti. Unde cum se totum Divino mancipasset

*cum magna submissione,*

*Prov. 19, 11. modestia animi,*

C obsequio, nihilque in hoc mundo quæreret, nihil cuperet vel optaret, nisi Deum solum et scientiam Scripturam; dignum se Christo studuit exhibere ministrum, a quo noverat omne donum mortalibus provenire perfectum. Semper aliquem divinæ lectionis codicem versabat in manibus, semper in semetipso sibi unitus aliquid operabatur bonæ operationis. Et neque diebus neque noctibus ab investigatione divinarum cessabat Scripturarum. Nam præter illud tempus, quod vel inevitabilis necessitas requirebat naturæ, vel divini cultus ratio postulabat, quod reliquum erat, omne Scripturarum studio impendebat : idque totum se arbitratus perdidisse, quod aliter quam in Dei laudibus, aut sacris fuisset lectionibus expensum. Propterea quotiens ab actionibus poterat vacare publicis, suis utiliter insistebat privatis, semperque oratione præmissa speciali devotione mentis ad Deum, aut legit, aut scripsit, aut legentem in scholis Albinum audivit Magistrum. His illum sacris intentum studiis, et sine intermissione continuanter occupatum, magna Dei miseratio cunctarum virtutum decoravit ornatu, contulitque optanti sensum per omnia consummatum intelligendi Scripturas, deditque bene merito Sanctorum scientiam, et in cunctis operibus bonis consummationem. D

*continua diligentia,*

*perfectam doctrinam assequitur*

15 Annis tandem sex Romæ apud Magistrum cum ingenti doctrinæ profectu expletis, beatus Dei famulus, una cum Haimone et Diedone, Pastoris sui edicto revocatur ad Fuldense monasterium : qui tametsi multo libentius sub directione Præceptoris in annos plures cœptum continuasset studium, suo tamen promptus obedivit Abbati, sciens obedientiam cunctis monachorum prævalere virtutibus, per quam solam iter patescit claustralibus ad patriam cœlestem. Anno igitur Dominicæ nativitatis octingentesimo *i* duodecimo, Indictione Romanorum quinta, B. Hrabanus annum agens ætatis quartum atque vicesimum, Abbatis sui præcepto de Roma cum Haimone et Diedone ad monasterium Fuldense revertitur; anno videlicet Abbatiæ Ratbgarii memorati octavo. Quem Fratres cum magna caritatis lætitia susceperunt, dona multiplicia in eo divina honorantes : quippe qui noverant illum non solum propter scientiæ præeminentiam, magistrum esse venerabilem, sed multo magis ob vitæ meritum, cunctis in Christo virtutibus locupletem. Enimvero per illud sexennium, quo Romæ sub Abbatis magisterio litteris operam dederat, in omni scientia, tam humana quam divina, supra omnes coætaneos suos mirifice profecerat, evasitque summus in omni scibili philosophus, poetaque disertissimus, et Theologus, cunctorum judicio excellentissimus. Tanta denique et E Romæ et Fuldæ, cunctis vitæ suæ diebus, virtutum et meritorum sanctimonia claruit, quod eorum, qui cum eo habitabant, gratia illum Dei præventum speciali, nullus dubitavit. Unde sibi non solum profuit, sed multis verbo, scriptis et exemplo salutis iter ostendit.

i

*redit Ful*

a *Plurimos hujus capitis nævos emendavimus* § 3. — b *Alcuinus an.* 804 *mortuus est : ad quem missus est Rabanus an.* 802. — c *In Chronico Turonensi dicitur Canonicis præfuisse : de monachatu ejus silent antiqui.* — d *In Concilio Romano an.* 799 *sub Leone III habito, appellatur actione* 2 Abbas monasterii S. Martini. — e *Docuisse Alcuinum in Italia Romæ, aut etiam Parisiis, aut Augustæ Suessionum, apud antiquos non legimus.* — f *Mendum illud correximus supra ostensa occasione erroris ex carmine operi de Cruce præfixo, non recte intellecto.* — g *Imo cum unico solum socio Hattone missus est, non Romam, sed ad monasterium Turonense S. Martini.* — h *At secundo anno regiminis Ratgarii mortuus est Alcuinus.* — i *Et hæc annorum ratio ex dictis corruit.*

## CAPUT III.

### *B. Rabani sacerdotium : præfectura scholæ Fuldensis : discipuli.*

Rathgarius quoque, venerabilis Abbas, qui, ut supra diximus, illum præ ceteris arctius diligebat, F ejus profectui miro congratulabatur affectu, gavisusque talem se habere discipulum, qui jam idoneus esset, quoscumque et alios docere, magnificas omnipotenti Deo gratiarum retulit actiones. Verum ut Ecclesiastici ordinis collatione major esset Hrabano inter Fratres auctoritas, per singulos sacri ministerii gradus evectum, postremo Rector illum tricesimo ætatis anno ad sacerdotalis officii dignitatem promovit. Qui Presbyter consecratus, nihil pristinæ humilitatis omisit, nihil monasticæ conversationis et puritatis neglexit : sed majori se humilitati subjiciens, totum ad regularis observantiam disciplinæ animum convertit, cunctisque Fratribus suis se obsequentissimum exhibuit : et vel orationi, vel sacræ lectionis studio semper intentus fuit. Cella, sicut prius est dictum, paradisus illi extitit, et chorum psallentium Fratrum, cœlum reputavit. Et quia cunctis pro Christi nomine humiliter obsequi studuit, jure omnibus dilectus fuit. Amabant eum sancti seniores ut filium : venerabantur studiosi juvenes, ut cœlestis doctrinæ Magistrum. Omnes quoque in communi totius illum religionis monasticæ habebant exemplum, et summum eruditionis Christianæ documentum. Præcipuo tamen

*Sacerdotio ornatur,*

*omnibus carus*

A tamen congratulationis officio Rathgarius Abbas reverentissimus exultabat, quod illum, quem singulari prosequebatur affectu amoris, tanta cerneret insignia possidere virtutum. Et vere dignus fuit amari ab omnibus, qui Conditorem omnium puro semper dilexit affectu. Completa fuit in illo placida illa æternæ sapientiæ pollicitatio dicentis : Ego diligentes me diligo : et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Mecum sunt, inquit, divitiæ et gloria, opes supernæ et justitia. Melior est fructus meus auro, et lapide pretioso; et genimina mea argento electo. *(Prov. 8, 17, 18, 19)* Dilexit Hrabanus etenim sapientiam Dei Patris, cujus notitia credentibus datur per fidem in Scripturis sanctis : quarum lectioni tanto crebrius incubuit, quanto Deum sincerius amavit. Ejus gutturi fructus sacræ lectionis semper dulcis extitit, quem in fervore sancti Spiritus gustavit. O quam suavis est veraciter gustanti sapor divini amoris, per quem hujus mundi cuncta dulcescunt adversa, et forti animo vilescunt omnia blandimenta ! Nihil præter divinum in affectum cordis admittitur, ubi solus Creator super omnia amatur. Hujus sacri ergasterii summus operator extitit Hrabanus iste, de quo loquimur, in quo spiritualis doctrinæ plenitudo exuberans, totam illustravit Ecclesiam, et plures erudi-B vit ad justitiam.

17 Et ne ordine præpostero diutius evagemur, operæ pretium judicavimus intermissa repetere, et quæ circa Hrabanum ab Urbe reversum, priusquam Presbyter fuerit ordinatus, sint gesta, breviter annotare. *(cum ante scholis præfectus,)* Rathgarius memorabilis Abbas utilitati cupiens consulere plurimorum, de Fratrum suorum consilio, scholam in monasterio Fuldensi publicam instituit : cujus magisterium S. Hrabano, de Italia nuper reverso, commendavit. Anno itaque Dominicæ nativitatis octingentesimo tertio decimo, indictione Romanorum sexta, Hrabanus annorum viginti quinque monasterii monachorum scholæ præficitur : et eum docendi modum, quem ab Albino nunc didicerat, etiam tenere apud Fuldenses monachos inviolabilem jubetur. Qui mox ut docendi subivit officium, per omnia curavit Albinum sequi et imitari Magistrum, *(docuisset monachos,)* ut juniores videlicet monachos primum doceret in Grammaticis, et cum apti viderentur ad majora, gravioribus etiam formarentur institutis. Cumque hujus novæ institutionis apud Germanos fama transisset in publicum; plures cœnobiorum Prælati eam docendi formam laudantes, alii monachos suos ad Fuldam miserunt sub Hrabani ferula sacris imbuen-C dos studiis; alii vero scholas erexerunt in monasteriis propriis, quibus præceptores de memorato cœnobio doctiores quosque præfecerunt. Sed in tempore brevi valde crevit numerus discipulorum Hrabani docentis, et per totam Germaniam et Galliam eruditionis et sanctitatis ejus veneranda opinio se diffudit. *(et seculares :)* Unde factum est, quod non solum Abbates monachos, sed etiam nobiles terræ filios suos Hrabani docendos magisterio subdiderunt. Quos ille, ut erat mansuetissimus, omnes summa cum diligentia informabat, prout uniuscujusque vel ætas vel ingenium permittebat; alios in Grammaticis, alios vero in Rhetoricis, atque alios in altioribus divinæ atque humanæ philosophiæ scripturis, sine invidia communicans quod singuli ab eo postulassent. Omnes vero quos in auditorium suum docendos admisit, non solum prosa, sed etiam carmine, quidquid occurrisset scribere informavit.

18 Multos insignes, doctos atque sanctissimos *a* auditores habuit, *(a ex iis Fuldæ illustriores fuerunt monachi,)* quorum excellentiores atque præcipuos Megenfridus, in libro de temporibus gratiæ quartodecimo, nominatim commemorat, et sunt isti : *(b)* *b* Strabus, monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, qui magistro in regimine scholarum Fuldæ successit, vir in omni plenitudine Scripturarum D doctissimus, metro exercitatus et prosa, multa in utroque genere conscripsit. *(AUCTORE TRITHEMIO ABBATE. Strabus, Freculfus Ep. Lexovien.)* *c* Freculfus, monachus Fuldensis, patria Saxo, postea Episcopus Lexoviensis in Rotomagensi provincia, Christianæ fidei prædicator egregius, qui et ipse plura opuscula conscripsit. *(c)* *d* Luthbertus, monachus Fuldensis, et postea primus Abbas in Hirsaugia, Spirensis diœcesis, patria Suevus, Doctor in omni varietate Scripturarum eminentissimus, nec minus vitæ merito, quam eruditione præclarus, qui nonnulla ingenii sui monumenta reliquit, et multa suis bona monachis impendit. *(d Luthbertus Ab. Hirsaugien.)* *e* Hirdolfus monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, et primus apud Sanctum Aurelium Hirsaugiæ scholarum magister, homo integerrimæ conversationis et doctrinæ, qui et ipse multa utilia conscripsit. *(e Hildolfus et Ruthardus scholæ Hirsaugiæ præfecti,)* *f* Ruthardus, monachus Fuldensis, et secundus apud Hirsaugiam scholasticus post mortem Hildolfi, qui cum esset doctissimus, plura composuit. *(f)* *g* Bernardus, monachus Fuldensis, et postea Hirsfeldensis Abbas, patria Francus orientalis, vir sapientia et moribus clarus, multa lucubravit. *(g Bernardus Ab. Hirsfeld. Bertholfus et Joannes scriptores,)* Bertholfus, monachus Fuldensis, patria Doringus, vir tam in divinis Scripturis quam in litteris humanis longe doctissimus, qui et ipse nonnulla scripsit. E Joannes, monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, poeta et musicus insignis, qui et plura scripsit, et cantum Ecclesiasticum primus apud Germanos varia modulatione composuit. Vingbertus, monachus Fuldensis, patria Saxonicus, vir miræ simplicitatis, et magnæ nihilominus eruditionis, vitæ merito, et clarus virtutibus effulsit. *(Vingbertus pius,)* *h* Egbertus, monachus Fuldensis, vir vitæ admirabilis, et multo tempore voluntarie pro Christo inclusus, miraculis coruscans, nonnulla composuit. *(h Egbertus inclusus. Carolus Archiep. Moguntinus,)* Carolus, monachus Fuldensis, patria Francus orientalis, magnæ sapientiæ et eruditionis homo, quem ferunt, mortuo præceptore *i* Moguntinum meruisse Archiepiscopatum, et nonnulla edidisse volumina. *(i)* *k* Altfridus, monachus Fuldensis, patria Saxonicus, mira sanctitate et eruditione clarus, Deique verbi prædicator egregius, qui de Fulda missus ad novam in Saxonia Corbeiam scholasticus, postea quartus Hildelsheymensis Ecclesiæ Pontifex ordinatur. *(k Altfridus Ep. Hildeshemen.)* Omnes præscriptos Hrabani apud Fuldam insignes discipulos, Meginfridus historiarum scriptor commemorat, et varia dicitur scripsisse opuscula. Ex aliis quoque cœnobiis ad se missos insignes habuit auditores multos doctrina et vitæ sanctimonia celeberrimos : quorum nomina per memoratum scriptorem expressa, nos isthic amore brevitatis omisimus, ne tædium induceremus. F

a *De discipulis præcipuis actum* § 4 *et* 5. — b *Walafridum Strabum Abbatem Augiæ hunc esse supra ostendimus.* — c *Discipulum fuisse Elrachari diximus num.* 19. — d *Alius* Luthbertus *de quo Trithemius, in Chronico Hirsaugiensi.* — e *Hujus nusquam alibi meminit Trithemius, ne quidem in Chronico Hirsaugiensi. An* Rudolphus *intelligendus Vitæ prioris auctor?* — f *Inter Sanctos refertur a Wione, Menardo, Ferrario* xxv *octob.* — g Brunuart *aliis dicitur.* — h *Alius ab hoc fuit Egbertus duobus seculis junior, creatus* 22 *Abbas Fuldensis anno Ch.* 1048, *vita functus* 17 *Novemb. an.* 1058, *uti ad hos annos scribunt Schafnaburgensis et Marianus Scotus. De eo hæc tradit Leslæus lib.* 5 *de Rebus Scotorum in Machabæo* 85 *Rege:* Egebertus quoque Abbas Fuldensis, hoc tempore viguit, cui suffectus Sigebertus Scotus, virtute et pietate est consecutus, ut Moguntinus Archiepiscopus omnium conspiratione declaretur. *Verum ejus successorem non* Sigebertum, *sed* Sigefridum, *apud Germanos ex Eppesteinia familia oriundum fuisse docent Browerus lib.* 4 *Antiq. Fuld. et Serarius lib.* 5 *rer. Mogunt. Ob verba Leslæi* Egebertum *Scotis adscripsit Wion appendice ad Martyrologium monasticum:* S. Egbertus, *inquit,* Scotus Abbas Fuldensis vir doctrina et sanctitate conspicuus. *Utrumque citant, et* Egbertum *Sanctis annumerant auctor Martyrologii Anglicani, et Camerarius in Menologio Scotorum, hic* xix *Novemb. ille* xxvi *ejusdem Novemb. Hunc sequitur Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, et cum altero* Egberto *confundit, cum utique vixisse ad annum* 690. *An non majori jure hic Rabani discipulus Sanctis adscriberetur, qui* miraculis *dicitur* coruscasse? *Verum solidiora requirimus antiquorum testimonia.* — i *Hæc supra refutata sunt.* — k *De eo egimus num.* 20.

*(Egbertus Abbas Fuldensis non colitur.)*

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.

## CAPUT IV.

### *Ratio docendi B. Rabani : scientia linguæ Græcæ.*

Curavit etiam hic beatissimus monachorum institutor auditores suos erudire, non minus ad timorem Dei et mandatorum observantiam, quam ad intelligentiam Scripturarum, sciens in sancto Propheta Daniel scriptum : Quoniam qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti · et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Parum est enim ad scientiam hominis claustralis intellectum erudire, nisi etiam studeas pro viribus affectum ad Dei amorem accendere. In quo docendi genere beatus Doctor Hrabanus præ ceteris notabiliter emicuit : qui suos auditores imprimis ad justitiam erudivit, quibus inter legendum crebro persuadere conatus est, mores suos regularibus conformare sanctionibus, evangelicisque ante omnia semper obedire institutis. Docuit illos mundum et omnes voluptates carnis pro Dei amore contemnere, vanitates transitorias et seculi pompas fugere, et omnem concupiscentiam inordinatæ voluntatis declinare. Deum pura mente super omnia diligendum monuit, et sedulo, ut se reminiscerentur morituros, discipulis Lector inculcavit.

*Daniel. 12. 3*

*Discipulis bonos mores et vitam sanctiorem inculcat.*

20 Monasticæ religionis tam sincerus fuit amator, ut in auditorium suum neminem admitteret, nisi prius mentem ejus diligentissime super integritate observantiæ regularis explorasset. Unde si quos mente aut corpore vagos, et ad observantiam monasticæ disciplinæ minus reperisset idoneos, tamquam animalia bruta et bestias immundas, ab accessu montis divinarum Scripturarum arcebat, dicens : Scriptum est : Bestia, quæ montem tetigerit, lapidibus obruatur. Propterea, Fratres, abite, et primum discite vos mente componere, ut moribus emendatis digni sitis cum Mose, Dei sermones in montis cacumine audire. Nemo enim Dei Scripturas discendo utiliter percipit, cujus adhuc anima vitiorum pulvere sordescit. Et hæc forma docendi sancto viro semper familiaris extitit, ut studio litterarum justitiæ præponeret disciplinam, et scientiæ Scripturarum anteferret pietatem. Qui tanto facilius justitiam et virtutum observantiam persuadere potuit, quanto eas non modo verbis, sed etiam operibus demonstravit. Singularem habebat docendi gratiam, et persuadendi maximam facilitatem. Nam et ingenio fuit acutus, et facundia disertus, voce quoque tubali sonorus, et quadam gravitate venerandus. Unde quotiens ratio postulavit, sola potuit voce terrere improbos, et non minus humilitate mulcere prostratos. Conveniens animæ domus corpus, Domino largiente, consecutus: et magna fuit in eo dilectionis auctoritas, et non minor cum mansuetudine affabilitatis humanitas. Qua moderatione ab adolescentia temperantissime usus, et sibi tranquillus extitit, et discipulis Doctor utilis fructuosusque, ut pro tempore merebantur, occurrit.

*Discolos et immorigeros a sua disciplina arcet,*

*Exod. 19. 12*

*moderate severus.*

21 Fuerunt eo tempore, Meginfrido testante, in cœnobio Fuldensi monachi sub regula S. Benedicti, omnipotenti Deo in summa religione famulantes, numero centum quinquaginta, qui omnes, ut supra dictum est, a vino et carnibus abstinebant. Ex his duodecim ad minus, in omni scientia Scripturarum doctissimi, dicebantur Seniores : quorum consilio Abbas in quotidianis necessitatibus utebatur, ut opus non esset universam fatigare congregationem. Quotiens vero ex his duodecim quispiam, vel ad aliud cœnobium missus, vel morte fuisset sublatus, ex doctioribus et sanctioribus mox alius in ejus locum Rectoris et Seniorum electione constituebatur. Et hæc laudabilis Seniorum constitutio multis annis duravit, quamdiu videlicet studium Scripturarum in Fuldensi monasterio, quod S. Hrabanus inceperat, viguit. Ista autem fuit lex duodecim Doctorum, ut singulis legerent singuli juxta principalis ordinationem Magistri, qui semper tertius decimus erat, et propterea omnium deputator lectionum, cui et obedire ceteri post Abbatem omnes tenebantur.

*Monachis (non) Fuldæ 150*

*præerant 12 seniores et Magister post Abbatem*

22 Fama sanctitatis et eruditionis Fuldensium monachorum, et Sancti præcipue Hrabani, per totum se regnum Francorum longius diffundente, filios suos multi nobiles et ignobiles ad serviendum Domino in eorum consortium tradiderunt : e quibus postea plures in Germania Ecclesiæ Pontifices habuerunt atque Pastores. Regulari etenim observantia durante, nullus a Dei servitio repellebatur, sive nobilis esset, sive ignobilis : sed juxta præceptum Legislatoris Benedicti, cunctis aditus patuit pura intentione converti volentibus. Quæ tamen consuetudo cum successu temporis, et in Fuldensi monasterio, et in plerisque aliis contra intentionem regulæ cernitur immutata, postea videlicet quam et divitiæ religionem extinxerunt, et luxus cum ambitione pessima studium eliminavit Scripturarum. Fervor eo tempore incredibilis fuit monachorum, *a* sanctarum studium Scripturarum, qui per S. Hrabanum Fuldæ cœpit, ut supra diximus, et brevi per omnia pene cœnobia Germaniæ et Galliæ convaluit.

*studia illa e monasteriis eliminarunt divitiæ et luxus.*

23 Nec erant Latino patrioque sermone contenti; sed linguam discere Græcam atque docere, necessarium fore discipulis divinæ speculationis arbitrati, etiam Hebraicæ Chaldaicæque notitiam cum labore fuerunt assecuti. Sanctus namque Hrabanus, Albini Romæ auditor, *b* Theophilum quemdam Ephesium habuit præceptorem, a quo Pelasgi sermonis intelligentiam apprehendit sufficientem, quam reversus in patriam, suis quoque discipulis absque invidia communicavit. Enimvero, cum esset vir omnium non solum studiosissimus, sed etiam sine contradictione cujusquam doctissimus, optime intellexit, neminem apud Latinos veraciter eruditum, et in sacris litteris consummatum posse reperiri, qui notitiam Græcæ linguæ non fuerit assecutus. Quod eo confirmo fidentius, quo, arte impressoria multiplicatis hodie Græcis voluminibus, et ipse sub bonis præceptoribus quantulamcunque hujusce sermonis intelligentiam apprehendi. Nam sicuti rivulus ex fonte, ita ex lingua Græca, Latina descendit. Quisquis ergo fontis notitiam despicit, vim et proprietatem rivuli, poculo cujus utitur, minime cognoscit.

*Rabanus Græce doctus,*

24 Jure igitur omnis Germania simul et Gallia tripartita hunc beatissimum Doctorem veneratur Hrabanum, ut unicum totius eruditionis principem; a quo et Pontifices Romani susceperunt Ecclesiasticæ disciplinæ, et monachi Scripturarum salutarem clavem intelligentiæ. Merito, inquam, Germanorum posteritas omnis Hrabani laudes in perpetuum personabit, qui primus omnium veteri barbarie pulsa, suam fecit nationem sermone Latinam. Primus enim omnium sub fide Christi Germanos et Græcam resonare linguam docuit et Latinam. Nullus ante illum, apud Germanos vel natus vel institutus, Græci sermonis notitiam habens, tot volumina tam eleganter, tam proprie, tamque concinne atque Latine uspiam conscripsit. Si qui vero apud Germanos in regno Francorum ante ipsum docti fuerunt, non indigenæ, sed Græci, Romani, Galli, Scoti, Britanni, seu advenæ aliunde venientes extiterunt. Beatissimus autem Christianæ fidei Doctor insignis Hrabanus, unicus et primus Germanorum institutionum Princeps, et Magister disciplinæ, qui nullum ante se in sua habuit natione præcedentem scientiæ consummatæ Doctorem, Divino (haud dubium) succensus instinctu, quod domi habere non potuit, Romæ laudabiliter

*suos ex indigenis primus docuit linguas Græcam et Latinam.*

A biliter quæsivit, invenit, didicit, et Germanis sine invidia reportavit, priscamque de patria barbariem fugavit. Gentem suam gemino decoravit ornatu, qua et moribus ad sanctitatem politiorem reddidit, et infusa sermonis Romani elegantia in omnem scientiæ plenitudinem introduxit. O Doctorem cunctis venerandum seculis! O litteratorum Principem, omnibus viris doctis perpetua celebrandum festivitate, qui vitam in carne duxit sanctissimam, et universis Ecclesiæ filiis doctrinam effudit salutarem! Jure, inquam, vivaci memoria commendandus est omnium, qui non solum exemplo tunc præsentibus æternæ pabulum vitæ præbuit, sed etiam posteritati suis scriptis documenta salutaria reliquit. Vere dignus est, cujus in benedictionibus memoriam celebret omnis per Germaniam posteritas, per quem nobis tanta mentis et corporis provenit utilitas.

*Theophilus Græcus.*

a *Videtur* erga *deesse.* — b *Quod Browerus in notationibus ad Vitam S. Sturmionis de Trithemio veritus fuit, ut Lectori verba dederit, quæ dari sibi non postulet, etiam de eo hic vereri possemus. Sed unde Trithemio innotuit, ab hoc Theophilo Rabanum Græcas Romæ litteras edoctum? Forte ex Alcuini ad hunc epistola septuagesima secunda inter hujus opera.*

## CAPUT V.

### *Celebritas ordinis S. Benedicti. Opus B. Rabani de Cruce.*

B

Fidem Christi orthodoxam summa cum alacritate semper docuit: sacram eodem Scripturam apud Germanos primus reddidit: vitam Apostolicam ducens, perniciosos hæreticorum errores constantissima ratione confutavit. Denique, sicut in superioribus est dictum, primus omnium apud Germanos publicam monachorum scholam tenuit: in qua non solum claustrales, sed plures etiam secularis vitæ homines habuit auditores. In ministerium divinarum Scripturarum scientias convertit seculares: et, veluti Socrates alter, tractam e cœlo philosophiam in ethicam transmutavit. Propterea, ut me dixisse memini, auditores suos in omni doctrina litteraturæ secularis ad plenum instituit: eosque imprimis grammaticos, dialecticos, rhetores, arithmeticos, geometras, astronomos, musicos, atque poetas statuit: et postea idoneos ad divinarum Scripturarum scientiam introduxit. Hæc forma docendi per ipsum didascalis tradita, multis annis in Fuldensi monasterio perseveravit, et successu temporis ad plura Germaniæ cœnobia non sine maxima utilitate translata fuit, sicuti facile per veterum scripta comprobatur. Eo C tempore, præter solum Ordinem sancti Patris Benedicti, nulla fuerunt claustralium per totam Germaniam cœnobia: cum neque Cistercienses adhuc essent instituti, neque Fratrum Conventus Mendicantium, neque alterius cujusvis observantiæ singularis, qui omnes longe postea supervenerunt. Et ideo quotiens in hoc opere mentionem de monachis facimus, non alii quam Benedictini sunt intelligendi, nisi nominatim alterius professionis exprimatur specialiter.

*Exemplo Rabani et norma ejus docendi,*

*studia in aliis monasteriis floruerunt,*

26 Ad multos annos duravit in cœnobiis monachorum istud mirabile studium Scripturarum, et viros sanctitate non minus, quam doctrina sacer Ordo Benedicti produxit innumerabiles. Legimus enim, sicuti ex supputatione annalium nostrorum constat manifestum, quod ex monachis, Ordinem sancti Patris Benedicti professis, quatuor et viginti per successum temporis sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ fuerunt Pontifices, Cardinales ducenti sexaginta novem, Archiepiscopi per diversas mundi Ecclesias mille sexcenti octoginta quatuor, Episcopi vero quatuor millia quingenti duodecim. Denique catalogo *a* Sanctorum ex eodem Ordine reperiuntur ascripti quindecim millia sexcenti, præter moniales et alios innumeros, quorum nomina ignoramus. Hi sunt D fructus monachorum studii salutaris, in quo, plantante Hrabano, multa millia in omni doctrina et sanctitate totam illustrarunt Ecclesiam. Sed non duravit in finem hæc sancta consuetudo monachorum, quoniam quod laudabiliter cœpit ex tempore, etiam cum tempore turpiter defecit. Nam circa Dominicæ nativitatis annum millesimum centesimum, multiplicatis in Ecclesia Dei variis institutis claustralium, studium a monachis nostris tepescere cœpit, ac pene defecit.

*numerus Prælatorum Ecclesiæ et Sanctorum ex Ordine S. Benedicti.*

a

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.

27 Hrabanus autem Maurus, monachorum Scholasticus insignis, posteaquam scholis præfuerat annis quinque, manum apposuit ad scribendum, ætatis suæ anno tricesimo: qui fuit Dominicæ nativitatis octingentesimus octavus decimus, Indictione Romanorum undecima. Et cumprimis quidem scripsit mirabile illud opus de laudibus sanctæ Crucis, quod postea dicavit Gregorio summo Pontifici quarto. De quo in supplicatione pro Mauro sic ait præceptor *b* Albinus:

*Rabanus scribit opus de laudibus sanctæ Crucis,*

b

Hunc puerum docui divini flumine verbi;
  Ethicæ monitis et sophiæ studiis.
Ipse quidem Francus genere est, atque incola sylvæ
  Buchoniæ, huc missus discere verba Dei.
Abba suus namque Fuldensis rector ovilis,
  Illum huc direxit, ad tua tecta, Pater. E
Quo mecum legeret metri scholasticus artem,
  Scripturam et sacram rite pararet ovans:
Ast ubi sex lustra implevit, jam scribere tentans,
  Ad Christi laudem hunc edidit arte librum.

Quæ vero, quanta, et qualia deinceps scripserit, tam in calce hujus voluminis, quam in libro de Scriptoribus ecclesiasticis lector studiosus poterit invenire. Nullus ante illum Germanus tot volumina composuit: tot utiles Ecclesiæ tractatus tanta venustate elegantiaque Latini sermonis rutilantes, in natione Theutonica prius nemo lucubravit. Nam vetus et novum ex integro Testamentum in voluminibus multis exposuit, et commentariis pulcherrimis luculenter exornavit. Quod quidem scribendi studium, ab eo tempore usque ad mortem suam, per annos triginta novem, sine intermissione semper continuavit.

*et plurimos libros,*

28 Anno autem Domini nostri Jesu Christi octingentesimo vigesimo, Indictione Romanorum tertia decima, *c* Rathgarius Fuldæ Abbas tertius, cui Fratrum electione quartus in ordine Abbatum succedens, Ægilo, vir senex et religiosus, præfuit annis quinque, sub quo beatus Hrabanus cœptum strenue docendi continuavit officium, vitam in omni plenitudine virtutum agens religiosissimam, et sacram indesinenter explanans Scripturam, ad gloriam Dei omnipotentis, Qui vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

c

*Ratgario Abbati succedit Ægil.*

a *De his ita Baronius ad an. Ch. 494 num. 77*: Cum innumerorum pene sanctissimorum atque etiam doctissimorum Patrum Patriarcha Benedictus fuerit fœcundissimus propagator; perperam mea sententia illi faciunt, qui ei, quos non genuit alienos partus supponunt, qui, inquam, nimio ejus Ordinis, sub quo profitentur amore, nonnullos fama illustres viros, qui etiam ante S. Benedicti tempora floruerunt, ejusdem fuisse regulæ professores imprudenter et inconsulte nimis affirmant. Etenim non fœcundis, sed sterilibus supponi altera soboles consuevit. Præstitit hoc inter alios Trithemius, auctorque ceteris posterioribus fuit ipsum faciendi. *Hæc Baronius. At plurimos, quorum nusquam meminit Trithemius, hujus Ordinis Sanctos profitemur.* — b *Imo ipse Rabanus in persona præceptoris Albini tum pridem defuncti: et Patronus, quem deprecatur, est S. Martinus, non Gregorius IV Papa, uti supra ostensum.* — c *Deest hic verbum,* depositus est, *aut quid simile. Rationem temporis non convenire dictum est num.* 32. *De schismate Fuldensi sub Ratgario Abbate extat Poema Rabani num.* 30. *De depositione ejus pluribus agit in Vita Ægilis successoris Candidus tum monachus Fuldensis.*

*Sancti Ord. S. Benedicti.*

LIBER II.

A

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.

# LIBER II.

## Vita B. Rabani Abbatis.

### CAPUT I.

### *Electio in Abbatem. Studia promota.*

Hactenus, Reverendissime Præsul, et Princeps Illustrissime Alberte, primum de vita S. Hrabani prædecessoris tui librum, auxiliante Domino Deo, continuavimus, in quo conversionem ejus ad institutiones monasticas, studium quoque et eruditionem Scripturarum aperta narratione digessimus: ut, quo fervore Divini amoris simul et fraternæ caritatis vir tantus conversationem suam inceperit, posteritatis memoriæ perpetuo commendaremus. Nunc autem insequenti libro, quem secundum adjicimus, primo tempus, quo Fuldensi monasterio præfuit Abbas, quantum se vires nostræ tenues nimium extendunt, stylo commendare pergimus: ut historiam ordine debito non fraudemus. Verumtamen non pollicemur, nos omnia scripturos, quæ in abbatia gessit; sed ex multis consignamus paucissima, utpote, qui propter negligentiam scriptorum invenire nequivimus, quæ restabant potiora.

*Præfatio hujus libri.*

B

2 Anno igitur Dominicæ nativitatis octingentesimo *a* vicesimo quinto, Indictione Romanorum tertia, mortuus est Ægilo, Fuldensis monasterii Abbas quartus, anno regiminis sui quinto, vir moribus et vita religiosus, et divinarum Scripturarum amator præcipuus. Post cujus sepulturam Hrabanus Maurus Maguntinus, Doctor et Scholasticus, monachorum celeberrimus, Fratrum electione communi Abbas in ordine quintus instituitur, anno ætatis suæ tricesimo septimo, et præfuit annis duobus et viginti. Pastorem se ovium Christi exhibens, in omni sanctitate vitæ spectabilem, et in opere semper efficacem. Primus Fuldæ Abbas fuit a B. Bonifacio Archiepiscopo institutus *b* S. Sturmus, natione *c* Anglicus, anno Domini septingentesimo quadragesimo tertio, Indictione Romanorum undecima, præfuitque annis sex et triginta. Postquam Baugolfus Abbas præfuit annis viginti quinque; cui successit Rathgarius annis sedecim: quo mortuo, Ægil Abbas præfuit annis quinque. Et illo vita defuncto S. Hrabanus, in ordine Fratrum quintus, ut diximus, fuerat ordinatus. A fundatione itaque monasterii Fuldensis usque ad ipsum Hrabanum, per annos octoginta duos, Abbates per ordinem quatuor extiterunt.

*B. Rabanus eligitur Abbas Fuldensis:*

C

3 Hrabanus itaque memorati cœnobii quintus Abbas institutus anno prænotato (qui fuit annus Ludovici Regis Francorum Pii *d* decimus, Eugenii Papæ secundi annus quoque secundus, et *e* Othgarii Archiepiscopi Moguntini primus) in humilitate pristina perseveravit, et vitam, sicuti consueverat, in omni puritate mentis et corporis coram Deo indesinenter continuavit. Deum munda conscientia dilexit super omnia, pro cujus amore contempsit universa. In toto corde suo mandatorum ejus semper memor extitit, et numquam a bono studio cessavit. In oratione tam devotus et continuus extitit, ut nemo, conversationis ejus ignarus, putasset illum lectioni Scripturarum vel *f* momentaneo potuisse intendere, vel novæ compositionis quidquam lucubrare. Rursus in legendis divinis Scripturis, in lucubrandis quotidie fermo novis voluminibus, atque in docendis institutendisque ad pietatem Divini cultus, ad regularis disciplinæ observantiam, et morum integritatem monachis commissis, nec minus in ordinanda cura domestica, tam frequens fuit et sedulus, ut eranti nullum videretur habere momentum. Amor quippe Dei, quo totus ardebat incensus, non permisit esse otiosum, quoniam, sicuti expertus verissime Beatus testatur Gregorius: Amor Dei numquam est otiosus. Operatur enim magna, si est, quod si operari renuit, profecto verus Dei amor numquam fuit.

*accuratum aut et subditorum curam gerit:*

D

*S. Greg. hom. 30 in Evang.*

4 Beatus itaque Abbas Hrabanus ovium Christi sollicitus, parum indulgens suæ infirmitati naturæ, omne tempus, quod occupationibus rei familiaris subripere potuit, orationi et studio impendit. Monachum habuit nomine *g* Strabum, patria Francum, ex urbe *h* Præapolitana oriundum, virum in omni scientia divinarum humanarumque litterarum doctissimum, carmine ac prosa, longa exercitatione peritum, nec minus vitæ merito, quam Scripturarum eruditione venerandum, quem post se monachorum *i* scholæ præfecit, et introductum docendi modum observare et continuare mandavit. Qui Strabus et prosa et carmine plura scripsit. Ipse denique Hrabanus, vigilantissimus pastor, munus docendi propter Abbatiam penitus non deseruit, nec a componendis voluminibus cessavit. Amator nempe Dei sincerus, quotiens opportune potuit, docendi officium, ut prius repetivit. Unde, quo liberius vacare posset interius, procuratores rerum temporalium sufficientes constituit et idoneos de quorum fidelitate non potuit dubitare. Regnum Dei ante omnia quærere studuit, et de rebus transitoriis se nimis anxie numquam intromisit. Et quia Deum in toto corde suo dilexit super omnia, hujus vitæ ab ipso necessaria consecutus est magna in abundantia. Circa regimen tamen animarum valde sollicitus extitit, et oves Christi sibi commissas verbo salutis, exemplo sanctitatis, et pabulo necessariæ sustentationis studiosissime pascere curavit.

*Strabum scholæ præficit,*

*alios rebus temporalibus curandis:*

E

5 Sub ejus regimine monasterium Fuldense rebus atque personis crevit quotidie, et fama sanctitatis monachorum ejus per totum Francorum se regnum diffudit. Præcipue tamen Abbatis Hrabani opinio doctrinæ et sanctimoniæ in ore fuit omnium celebris et gloriosa, non solum apud Germaniæ Francos, sed apud Gallicanos quoque et Italos: cujus viri fama Reges et Principes, Episcopos et Doctores quoslibet etiam longius distantes, in ejus venerationem permovit. Omnes incomparabilem ejus mirabantur doctrinam, et conjunctam eruditioni sanctitatem laudibus continuis prædicabant ubique. Ex omni regno Francorum, quod tunc erat unum, Germanis et Gallis, ad audiendum illum certatim confluebant viri multarum facultatum periti, et se fore beatos existimabant, qui ad ejus fuissent familiaritatem admisi. Multi quoque Principes, nobiles et cives Hrabani magisterio filios suos commiserunt imbuendos, variis atque magnificis præceptorem donis et muneribus honorantes. Quos ille tanta sedulitate docuit, qua major excogitari vix potuisset. Fuit enim laborum patiens, et qui sibi nihil onerosum aut grave judicabat quod vel ad Dei honorem, vel ad proximi pertinebat utilitatem, unde sibi soli natus videri non voluit, qui salutem aliorum semper, ut propriam quæsivit.

*bona per Europam monasterii fama dispersa, monachos*

*et discipulos multiplicat.*

F

a *Imo anno* 822 *supra probatum est.* — b *Alias* Sturmius, Sturmio et Sturmis, *cujus Vitam scripsit ejus discipulus Ægil Abbas* IV. — c *Ægil in Vita.* Norica provincia exortus, nobilibus et Christianis parentibus generatus et nutritus fuit. *ubi Browerus annotat Boios intelligi, quod Norici in Bojorum ditionem migrarint. De aliis Abbatibus satis actum.* — d *Potius* undecimus *fuisset Trithemio, cum* 28 *Januarii anni* 814 *S. Carolo Magno patri successerit, aut certe* primus *tantum Eugenii Papæ* II, *creati anno* 824 *die* 19 *Maii.* — e *Hunc toto anno* 825 *et fere sequentis* 826 *adhuc Haistulphum Otgarii decessorem vixisse scribit Ferarius lib.* 4 *rer. Mogunt. atque* 28 *Decemb. in festo Innocentium anni* 826 *obiisse, cui potius anno* 827 *successor datus est Otgarius. Haistulphus Sanctis annumeratur in Actis MSS. Patronorum civitatis Moguntinæ.* — f *Forte* momento. — g *Hunc eumdem esse Walafridum Strabonem, dein Abbatem Augiæ diximus supra dictum* § 3. — h *An* Poapolitana *scribendum?* ποα *herba, ut urbs* Herbipolis *intelligatur. De loco ejus natali alibi nihil legimus. Trithemius lib.* 2 *de Viris illustribus ubi Strabum a Walafrido alium statuit, utrumque* natione Teutonicum *scribit cap.* 35 *et* 41. — i *De eo supra egimus. Gerungum* II *Abbatem Hersaugiensem, ejus Fabricii capulum fuisse probat in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 834 *Trithemius, aiunt se* reperisse Strabi libellum de Arithmeticis dimensionibus, cui præposuit epistolam ad hunc Gerungum sic incipientem: Reverendissimo merito atri; ætate Filio, littera discipulo, gratia Magistro, Gerungo Abbati æternæ

*Haistulphus.*

A æternæ beatitudinis præmium possidere. *Hæc ibi quæ difficilia sunt: nam Walafridus Strabus quinque ante annis obiit, quam hic Gerungus creatus fuerit Abbas, quod a Browero non animadversum, qui eadem cap. 14 libri 1. Fuld. Antiq. et Strabum esse Walafridum, mortuumque anno 849 tradit, et hunc probat Gerungum discipulum ejus fuisse.*

## CAPUT II.

### *Dotes B. Rabani ad regendum. Virtutes.*

Ad regimen animarum, Deo providente, valde fuit idoneus, vigilantia, pietate, discretione, prudentia, opere, et doctrina nulli secundus. Non erat penes illum acceptio personarum, sed electio sola meritorum : qui statim, ut Abbas ordinatus fuerat, ut justitiæ magistram, in omnibus Benedicti Patris sequebatur regulam, a qua in omni vita sua numquam temere declinavit. In ipsa namque regula sic Abbas Benedictus mandat Abbati : Non præponatur ingenuus ex servitio convertenti : nisi alia causa rationabilis existat. Enimvero sive servus, sive liber, omnes unum in Christo sumus, et sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus, quia non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si humiles et meliores ceteris in bonis et sanctis operibus inveniamur. Hæc et alia monasticæ perfectionis instituta B sanctus Abbas Hrabanus, una cum evangelicis præceptis atque consiliis, observatione studuit adimplere continua; et fidelem se Christi ministrum atque vicarium in monasterio exhibuit. In doctrina sua regulam custodivit Apostolicam, in qua Paulus amator Christi præcepit, dicens ad discipulum : Argue, obsecra, increpa, id est, misce discreto examine temporibus tempora, et terroribus blandimenta. Durum magistri, et pium patris affectum subjectis sibi monachis exhibuit, quando indisciplinatos et duros corde severius arguit, obedientes vero, mansuetos et humiles, ut in melius proficerent, paterno affectu benevolus obsecravit. Numquam dissimulavit peccata delinquentium, sed mox ut oriri cœpissent vitia, radicitus amputavit. Honestiores enim et animis generosiores, prima vel secunda admonitione blandus corripuit, et oratione mansuetissima confestim ad sanitatem mentis revocavit : improbos vero, si qui occurrissent, duros corde, superbos et inobedientes non verbis modo, sed etiam verberibus et abstinentia severius castigavit, sciens scriptum : Quia stultus non corrigitur verbis. Et iterum : Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte.

*Excellit gratia regendi,*

S. Benedictus regula 2.

2 Tim. 4. 2 *severitatem suavitate miscet :*

Proverb. 18. 2

Proverb. 23. 14

7 Meditationem Dominicæ passionis in corde suo C singulari devotione quotidie solebat revolvere, et pro morte Salvatoris innocentissima lacrymans et gemens gratias referre. Fertur enim sanctam in consuetudinem duxisse, ut numquam cibum sumeret, nisi prius gratias agens, vitam, actus, et passionem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, ab Incarnatione incipiens ad ascensum ejus in cœlum, per singulos articulos meditando, gemendo et orando percurrisset. In argumentum est veritatis opus illud de laudibus sanctæ Crucis, in quo summa diligentia et devotione, mysteria Dominicæ passionis enodavit. Nisi enim patienti Christo magnopere fuisset compassus, tanta laudum præconia numquam in ejus passionis memoriam scribere potuisset. Verum, quia mentem Christo compatientem habuit, vires, quas negavit infirmitas, pietas ministravit. Omnium namque spiritualium exercitiorum Dominicæ passionis est maximum, in quo monachus, qui recto et sapido modo fuerit assiduus, cito magnum inveniet conversationis internæ profectum. Monachum in hac sancta meditatione homini mundano præposui, propterea quod exutus negotiis secularibus ad meditationem Dominicæ passionis, vitæ et mortis, aptior jure censetur.

*addictus meditationi de Christi passione :*

8 Hrabani autem conversatio multum segregata D fuit a mundo, propterea factus est Deo proximus, et sibi per binarium in ternario monastice unitus. Hujus sanctissimæ conversationis ad monadem ternarii mysterium nemo utiliter intelligit, qui adhuc vitiorum pulvere sordescit. Quisquis enim purgatus a voluptatibus carnis, et segregatus a vanis mundi sollicitudinibus, in domo Domini secum solus habitat; jam oculos mentis apertos habere laudabiliter incipit, et nihil præter Deum solum vel amat vel metuit. Quo sanctissimo purgationis genere beatissimus Abbas Hrabanus mirifice illustratus, Deum super omnia timuit : in cujus apparere conspectu aut reus, aut a bono opere vacuus, horribile judicavit. Quocirca futuræ sibi mortis imaginatione crebro perterritus, cui esset villicationis suæ rationem quandoque redditurus, sedulo cogitabat, sciens artem esse omnium artium regimen animarum. Continuam ergo futuræ rationis reddendæ memoriam revolvebat in mente : sciens nimirum culpæ pastoris incumbere, quidquid in ovibus suis paterfamilias minus utilitatis potuerit invenire. Propterea summo conatu sic statuit vivere, ut, quantum fragilitas permittit humana, securior appareret coram Deo in reddenda ratione. Unde non minus opere quam sermone, verum se omni tempore Pastorem ovium Christi studuit exhibere. Et ob id E omnia, quæ discipulis docuit esse contraria, in suis factis ostendit non agenda. Omnipotenti Deo se gratum in cunctis actionibus exhibere studuit, quem pura conscientia, mundo corde, et ferventissimo caritatis desiderio amavit. Ad seipsum recta conversatione semper ordinatus extitit, et a semitis justitiæ minime declinavit. Ad subditos quoque suos debita sub vigilantiæ cura ordinatum se præbuit, quorum utilitatem et profectum in omnibus quæsivit. In caritate proximi propter Deum ardens fuit et fervidus, nulli gravis unquam, nulli injuriosus, nulli molestus, sed neminem lædens, benefecit universis. Evangelicis obedienter inhærens præceptis, bonum quod sibi fieri, secundum rectum rationis judicium, voluit, prior ipse aliis sedulo impendit. Omnes in Christo sincere dilexit, omnes honore prævenit, et cunctis pro viribus benefacere curavit.

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.

*frequens in conscientia examinanda :*

*ferveus in caritate Dei et proximi :*

9 Semetipsum sibi pro Christi amore veraciter abnegans, evangelicis mandatis, ac monasticis institutionibus suam in cunctis voluntatem subjecit : mortificatisque perniciosis desideriis et voluptatibus carnis, Christianæ arma patientiæ assumpsit, et sub confessionis ordine martyrio non caruit : utpote qui corpus suum jejuniis, vigiliis, orationibus, disciplinis, et aliis duris exercitationibus monasticis, sine F intermissione graviter maceravit, carnibus, vino, et quibuslibet esculentis lautioribus semper abstinuit : fabis, pisis, et oleribus naturæ indigentiam utcumque sustentavit. Quasi Paradisi delicias amavit jejunium, et necessitatibus carnis semper præposuit animæ nutrimentum. Quidquid necessitatibus suis potuit subripere, in usus mox pauperum censuit erogare. Nam piissimus cum esset in pauperes, et Abbas Fuldæ, et Archiepiscopus Moguntiæ, tanta eos commiseratione prosecutus est, ut de crastino nullam videretur habere providentiam. Unde et a bonis viris, Deumque timentibus Pater nominabatur inopum, et hospes egenorum. Ab illis vero, quos auri cupido insatiabilis avaritiæ flammis incenderat, non pius, non misericors, non munificus, sed prodigus, vane gloriosus, et dissipator substantiæ Christi, per injuriam potius nuncupari consuevit. Ita virtus semper habet osores, qui Pharisæorum et scribarum exemplo, bonum, quod negare in proximo nequeunt, in partem malam atque sinistram temere pervertunt. His similia Beatus Hrabanus ab improbis passus est multa, qui cum pietatem ejus in pauperes

*deditus abnegationi sui et jejunio :*

*liberalis in pauperes*

*cum obloquio nonnullorum,*

 haud

*AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.*

A haud negare possent, vanitatis studio ascribere non timebant, asserentes illum vanæ laudis amore ductum, eleemosynas facere potius, quam pro honore Dei. Sed vir Domini militans sub fide Christi, qui radio Divini amoris stabili jam firmitate ardebat, nec vana blateronum curavit obloquia, nec a bono, quod inchoaverat, opere propterea cessavit : quamvis non modo detractionibus suorum, sed etiam conviciis urgeretur. Nec tamen mirum, si in tanta congregatione bonorum inveniebantur etiam nonnulli minus perfecti, aut mali, cum inter duodecim Apostolos Christi, unus fuerit inventus traditor esse Magistri : et e septem primis Ecclesiæ Diaconibus sui extiteret nominis auctor erroris. Verumtamen non dereliquit Omnipotens famulum suum in tribulatione, quem in camino paupertatis multipliciter probatum invenit esse fidelem, ac stabili firmitate voluntatis bonæ pene invincibilem.

## CAPUT III.

### *Avaritia monachi varie punita. Mulieribus accessus ad monasterium a B. Rabano prohibitus.*

B Nullus eorum, quibus Dei amor cordi fuerat, et sacrarum studium Scripturarum, facientem eleemosynas virum Dei molestabat in aliquo, sed ex monachis illi, quos ministros et dispensatores rerum domesticarum constituerat, facibus avaritiæ succensi, bonis obnitebantur studiis sui Pastoris. E quibus unus fuit, nomine Adelhardus, patria Francus, homo plus æquo in rebus mundi sollicitus, quem Pater majorem cellerarium domus constituerat, cujus historiam infelicitatis ut scribamus, ratio postulat æquitatis. Clementissimus inquam Pater publico mandavit edicto, ut quotiens ex Fratribus monasterii aliquis morte commutaret hanc miserabilem vitam, ejus præbenda in cibo et potu integra, et sine diminutione, per dies triginta continuos pro animæ defuncti salute pauperibus deberet erogari. Contigit autem anno Hrabani Abbatis duodecimo, qui fuit Dominicæ nativitatis octingentesimus tricesimus septimus, Indictione Romanorum quintadecima, plures in Fuldensi cœnobio monachos, vocante Domino, ab hac misera futuram transmigrare ad vitam. Unde vir sanctus, et defunctis compatiens et pauperibus viris, ipse Adelhardo, dispensatori domus, seriosius mandavit, coram omnibus dicens ei : Cura, Frater,

*Adelhardus monachus jussus pro refrigerio defunctorum eleemosynas dare,*

C quam diligentissime, ut præbendas defunctorum Fratrum nostrorum plenas et integras, sicuti pro eorum salute constitui, singulis fideliter pauperibus distribuas. Quod si neglexeris, animam tuam in districto Dei judicio ream fore noveris, et puniendam. Respondit Adelhardus, se Patris jussa libenter facturum. Sed, o virus mortiferum, quam noxia est semper claustralibus avaritia, quos et propriæ salutis facit immemores, et contra puritatem monasticam in superbia pertinaces! Adelhardus piger ad obedientiam, tardus ad pietatem, et ardens totus ad avaritiam, pauperum inopiam neglexit, et nimia cupiditate seductus, suffragia mortuis debita fraudulenter subtraxit. Nam partim contemptu Abbatis, cujus obluctabatur pietati, partim avaritia, non minus quam tepiditate perniciosa, datus in reprobum sensum, quiescentium in Domino præbendas, aut in totum retinuit, aut infideliter pauperibus ministravit.

*eas præ avaritia detinet :*

11 Sed non tulit æquitas Divina tantam ejus temeritatem sine vindicta. Quadam namque die, cum externis rerum curis nimium occupatus, hora jam esset tardior, et dormientibus ceteris per locum capitularem solus tenderet in dormitorium, lucernulam ex more in manibus gestans, vidit illic per gyrum monachos consedere plurimos, consueto schemate D nigro indutos : et nimio terrore correptus, quid ageret, nesciebat. Erat enim tardior hora noctis, qua Conventum simul tunc adunatum suspicari non potuit. Unde cum diligentius intueretur, singulas Fratrum nuper vita defunctorum umbras esse cognovit, quibus stipendia subtraxerat ordinata, et ultra modum perturbatus animo, retrocedere tentabat. Sed nimius pavor, sanguine concitato in adversum, et crura obrigescere fecit et pedes, usque adeo, quod se movere de loco non potuit. Consurgunt mox impetuose spirituum defunctorum terribiles umbræ, prostratumque nimio pavore videntem, indumentis, virtute occulta, spoliarunt, ac dorso non solum, ut nobis est consuetudo castigandi, nudato, sed insuper corpore toto miserum cædunt, sensibiliter virgis verberant, percutiunt, horribili vocis imagine consonantes : Arripe, infelix, avaritiæ, quam meruisti, vindictam, post triduum graviora recepturus, posteaquam nobiscum inter mortuos fueris computatus. Evanescentibus mox umbris, remansit Adelhardus jacens, ut mortuus, circa medium vero noctis, cum Fratres consurgerent ad laudes matutinas, flagellatum miserum repererunt, in loco Capitulari jacentem, mortuo quam vivo similiorem. Qui deportatus ad infirmitorium, et ad se tandem Fratrum ope re- E versus, quid viderit, et quæ mala perpessus fuerit, audientibus revelavit, et quod die tertia moriturus, juxta verbum apparentium sibi spirituum prædixit. Et ne somnium existimarent, aut solius passionem mentis : Cernite, inquit, plagas, et verberum considerate livores, quia nemo sic dormiens, absque impressione aliqua violenta extrinsecus poterit signari. Intuebantur miserabili severitate percussum astantes, nec lacrymas poterant continere, inter quos sanctus Pastor Hrabanus, qui nimis periclitanti ampliori compatiebatur affectu caritatis, et piæ commiserationis. Curavit ergo sollicitus, quod officium requirebat Abbatis, jamque viribus deficientem, paterno monebat affectu de commissis pœnitentiam agere, et de misericordia Dei nullatenus desperare. Quem etiam, salubri admonitione contritum et pœnitentem, sacramentis præmunivit Dominicis, morientemque precibus Domino instantius commendavit. At ille sub magno et aperto signo veræ contritionis die tertia migravit e vita.

*ab umbris defunctorum apparentibus*

*crudeliter castigatus,*

*tertio post die moritur :*

12 Quo mortuo, beatissimus Abbas Hrabanus omnipotenti Deo sacrificium hostiæ salutaris pro reme- F dio animæ illius obtulit, jejunia et orationes et sibi et Fratribus indixit, eleemosynas auxit, et in salutem ejus, quidquid boni poterat, misericorditer impendit. Cum ecce defunctus, tricesima die post mortem suam, in cella oranti Hrabano post matutinas visibilis et squalidus apparuit, et quid pateretur, etiam habitu et assumpto schemate quodammodo demonstravit. Ad quem nihil territus vir Domini ait : Quomodo est, Frater, et quid circa te tunc agitur, qui tam squalidus mihi appares? Dic mihi, per Dominum precor, quid tibi profuerunt orationes nostræ, castigationes et jejunia? Cui respondit spiritus : Orationes vestræ omnipotenti Deo gratæ et acceptæ fuerunt, mihique non in parvum relevamen profuere pœnarum : sed plenam obtinere veniam nequeo, donec Fratres nostri ascenderint in cœlum purgati, quos ergo in carne positus, mea tenacitate ac negligentia in pœnis purgatoriis retardavi. Nam et præbenda mihi alioquin debita ipsis in subsidium provenit, sicuti Divina justitia ordinavit. Sed oro te, Pater, duplicentur præbendæ pauperum, et confido, quod Dei miseratione citius liberabor. Promisit vir sanctus, quod postulavit defunctus. Duplicavit egenis præbendas, et orationes continuavit. Unde post alios tringinta dies iterum claro schemate defunctus apparuit

*in purgatorio in pœnam suæ avaritiæ bonis viventium operibus, aliis applicatis, diutius punitur.*

A paruit vivo Pastori, se jam tunc liberatum retulit, Domino Deo, et Hrabano gratias egit. Ex eo tempore Fuldenses monachi pavore tam miserabilis historiæ perculsi, et curam satisfaciendi pro mortuis Fratribus adhibuere sollicitam, et Abbatis sui præcepta sine contradictione, ac si divinitus emanassent, custodire satagebant. Nam, cum hujus facti apud eos memoria, qui tunc inter mortales vivebant, penitus esset indelebilis, mentes omnium tanto perculserat metu pavoris, quod non solum debitas vita defunctis Fratribus præbendas distribuebant integras et plenas in usus pauperum, sed unus etiam quisque de sua portione victus quotidie subtrahens aliquid sibi, libens in subsidium contulit egenorum.

*Ingressum in monasterium interdictum*

13 Fecit et aliam valde necessariam constitutionem beatus Abbas Hrabanus, quæ, ut fertur, usque in præsentem diem in monasterio servatur. Sciens enim quam sit monachis frequens conspectus mulierum periculosus, illis maxime, qui juniores ætate in timore Domini adhuc minus exercitos habent sensus, de consilio duodecim seniorum cunctis perpetuo mulieribus ad monasterium interdixit accessum. Quæ sancta constitutio ut robur obtineret perpetuum, transitum fœmineo sexui per aquilonarem urbis portam, extra quam situm est monasterium, perpetua B sanctione prohibuit et negavit. In hujus primordio constitutionis matrona quædam nobilis, curiositate fœminea superata, sancti Abbatis inhibitionem contemnens, adjunctaque sibi familiarium turba, per vetitam urbis portam exivit, et ecclesiam monasterii præsumptuosa temeritate intravit. Quæ mox a dæmone arrepta, horribiles cœpit emittere voces, astantesque nimio pavore perterruit. Quam ligatis manibus sui reportarunt in oppidum, et salutem ejus cum lacrymis, Hrabani et monachorum precibus commiserunt. Verum, Domino permittente, tam crudeliter in eam sæviebat dæmonium, quod intra paucos dies mori fuit compulsa, dæmonio in ea sine intermissione clamante : Pro me data est sententia Dei, quoniam nemo, sola morte excepta, me ab hoc vasculo ejiciet. Similia nonnullis constat postea contigisse mulieribus, quas sub simili præsumptione dæmonium invasit. In festis tamen S. Bonifacii Martyris et Dedicationis hodie mulieribus ad ecclesiam monasterii tantum accessus permittitur, quod B. Hrabani, et multis postea temporibus penitus negabatur.

*fœmina contemnens,*

*a dæmone ad mortem usque obsidetur.*

## CAPUT IV.

C *B. Rhabani miracula, nova monasteria erecta, abdicatio regiminis.*

His et aliis multis per virum Dei laudabiliter constitutis, et mirabiliter patratis, nemo de ejus sanctitate poterat dubitare, cujus nutui omnes tam promptam cernebant Divinam adesse potentiam. Unde nomen ejus in toto regno Francorum factum est magna celebritate gloriosum : et multi de remotis terræ provinciis ejus fama eruditionis et sanctitatis excitati, ad videndum illum et audiendum quotidie confluebant, qui conversatione ac moribus ejus perspectis, ad meliora profecerunt. Multis in abbatia Fuldensi virtutibus coruscavit et signis, quorum a nobis memoriam nimia intercapedo temporis abscondens oblivione perpetua sepelivit. Ita mortalibus semper vilescunt præsentia, ut quantumlibet excellenter suis temporibus dicta seu facta insignium virorum, non solum commendare litteris despiciant, sed etiam laudem adhibere meritis eorum dignam contemnant. Veterum magnifice gesta et legunt avide et laudibus celebrant, sed contemporaneos sibi viros, etiamsi veteribus sint meliores, quasi notos et ob id minoris pretii, spernendo meritis privant. Tam est iniqua

*Sanctitate celebris B. Rabanus,*

D mortalium de rebus æstimatio semper, ut incognita miretur et laudibus celebret : nota vero, et sibi præsentia tamquam nihilum vilipendat, fidem majorem incertis scriptis præstans alienis, quam scientiam vel æstimationem oculis propriis. Hinc fit injuria multis, qui magna fecerunt in hoc mundo temporibus suis, et scriptorum vel penuria, vel negligentia, nullam aut parvam apud posteritatem memoriam sunt consecuti. Sic Hrabanus sanctissimus Abbas magnas fecit in diebus suis virtutes, nec tamen condignam meritis a scriptoribus accepit memoriam. Refert enim supradictus auctor Meginfridus in volumine de temporibus gratiæ, Hrabanum hunc beatissimum Abbatem suis ad Deum orationibus cæcos illuminasse duos, claudos gressibus formasse quatuor, de humanis etiam corporibus plures ejecisse dæmones, et multis aliis claruisse miraculis. Sed quo hæc facta sint ordine, non satis luculenter expressit. Propterea tamen de sanctitate illius dubitandum non est, quod Vitam ejus non invenimus ex ordine ab antiquis compositam : cum similia multis Sanctorum acciderint. Verum si quis de hujus viri sanctimonia dubitat, libros, quos magno labore quondam edidit, attentius revolvat. Optima scripsit, quoniam Divino spiritu illustratus, pure, sancte, et irreprehensibiliter in medio pravæ nationis vixit. Nec aliter vivere potuit, qui tam sancta docuit et scripsit. Nam cum esset ardens in Divino amore, nullum sine spirituali exercitio tempus præteriit, quippe qui se totum Dei servitio mancipavit. Legit utilia, scripsit sancta, docuit recta, operabatur cœlestia, et sine intermissione meditabatur divina.

*AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.*

*miracula patrat;*

*sanctos libros scribit :*

E

15 Hæc illum sancta conversatio, et nobis merito venerabilem fecit in terris, et cum Sanctis Dei omnibus gloriosum reddidit in cœlis. Deo juvenis in monasterio cœpit vivere : ac bene cœpta fideliter usque ad mortem continuavit. Monachus fuit innocens, Abbas in Deo semper proficiens, Archiepiscopus inter perfectos excellens fraternæ caritatis amator et cultor ferventissimus extitit, et salutem omnium studiosissime quæsivit. Unde zelo Divini amoris accensus, multis cœnobiis, quæ tunc fundabantur de novo, et monachos ex suis dedit rogatus, et doctrina præclaros Abbates. Infirmiores quosque, et minus in observantia regulari zelatos atque perfectos, in monasterio secum detinuit : et sub virga disciplinæ ad meliora quotidie compellere non cessavit. Ad monasteria vero noviter fundata, non misit infirmos, sed fortes, non tepidos et carnales, sed moribus et F eruditione consummatos atque perfectos. Anno regiminis sui abbatialis tertio decimo, qui fuit Dominicæ nativitatis octingentesimus tricesimus octavus, Indictione Romanorum prima, cum Erlafridus quidam Comes in Calba *a* monasterium in memoriam S. *b* Aurelii Pontificis apud Hirsangiam, Spirensis diœcesis, novum a fundamento construxisset, missa legatione in Fuldam cum precibus Otgarii Archiepiscopi Moguntini *c* Hrabanum Abbatem, monachos ab eo petiit, et ejus dispositioni cœnobium, quod erexerat, commendavit. Qui pro Dei reverentia precibus annuens supplicantis, Luthertum Hirsangiæ primum Abbatem constituit, cui de suis monachos in omni religione perfectos monastica quindecim numero conjunxit. Ad monasterium quoque *d* novæ Corbeiæ, quod in Saxonica regione, quæ nunc *e* Westgallia nuncupatur, fundari cœpit anno Dominicæ nativitatis *f* octingentesimo vicesimo secundo, indictione Romanorum quintadecima, monachos postea consummatos destinavit, viros eruditos atque sanctissimos, inter quos S. *g* Altfridus, postea quartus in Hildelsheim Pontifex, unus extitit : per quem Deus multa signa et miracula fidelibus ostendit. At alia quoque plura cœnobia, eo tempore noviter constructa,

*ad alia monasteria excolenda ex subditis mittit,*

*Hirsangiam Luthertum Abbatem,*

*Corbeiam S. Altfridum.*

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE

A structa, beatus Pater Abbates misit et monachos, quorum nomina brevitatis amore silentio pertransivimus: utpote qui ad finem historiæ rationaliter festinamus.

16 Cum itaque reverendissimus Abbas Hrabanus in lege monastica irreprehensibiliter, et multos verbo et exemplo ad justitiam erudiret; sævit in eum totius boni adversarius, et variis modis viri propositum enervare, penitusque subvertere laborabat: et multis variisque nocendi mediis virum sanctum aggressus, cum animi ejus constantiam nequaquam posset perfringere, subditorum ejus mentes ad odium Pastoris callida studuit machinatione provocare. Anno igitur nativitatis ejus *h* quinquagesimo septimo, ut Meginfridus Fuldæ postea monachus est auctor, facta est inter eum et monachos ejus, sollicitante diabolo, gravis quædam et nociva dissensio, cujus tamen caussam non expressit, quam *i* Ludovicus Germanorum Rex, frater Lotharii Imperatoris ac Regis Italiæ, filius Ludovici primi, cum audivisset, missis ad Fuldam nunciis, Hrabanum ad se vocavit Abbatem, et monachorum temeritatem regali auctoritate compescuit, venientemque cum honore suscepit, et biennio ferme secum in curia regali detinuit. Interea monachi Fuldenses pœnitentia ducti,

B oratores miserunt ad Regem, humili supplicatione rogantes, ut ablatum sibi redonaret Abbatem. Quod tamen facere, propter caussam rationabilem, et Abbas ipse renuit, et Rex admittere nullatenus consensit. Mansit ergo in aula regia beatus Abbas Hrabanus *k* biennio, usque ad mortem Otgarii Archiepiscopi Moguntini, monachis interim lamentantibus.

*Dissensione orta,*

*relicto monasterio, degit apud Ludovicum Regem Germaniæ.*

a *Hæc plenius referuntur initio Chronici Hirsaugiensis, ubi* Comes in Calve *dicitur.* — b *Hic est Aurelius Riditianorum Episcopus, S. Basilii Magni synchronus et coætaneus, quem Galesinius, Ferrarius aliique referunt coli 9 Novemb. Trithemius* 23 *Maii.* — c *Addenda præpositio* ad. — d *De nova hac Corbeia actum 6 Januarii in Vita S. Adelardi per Radbertum, cap.* 16 *et S. Gerardum Abbatem cap.* 9 *et in Februario ad Vitam S. Anscharii.* — e *Imo* Westphalio. *De origine hujus vocabuli multa congerunt Geographi moderni, et Wernerus Rolewinck libro de situ et moribus Westphalorum cap.* 2, *quorum nullus a Gallis nomen illis concedit. De iis Poeta Saxonicus, qui Arnulphi Imperatoris ævo vixit, ad annum* 772 *hæc habet*:

Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim:
Nomina nunc remanent, virtus antiqua recessit.
Denique Westphalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longe terminus amne
A Rheni distat. Regionem solis ad ortum
Inhabitant Oosterlingi, quos nomine quidam
Ostphalos alio vocitant, confinia quorum
Infestant conjuncta suis gens perfida Sclavi.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius.

*Sunt ergo* Westphali *dicti, quod* in occidua parte *seu limine aut limite Saxonum occidentali habitarent, Oostphali quod in Orien-*

C *tali est.* West *occidens,* Oost *Oriens,* palen, limites, fines, limina regionum *aut* imperii. — f *Consentiunt in anno auctor antiquus de Constructione monasterii novæ Corbeiæ apud Meibomium et tomo 2 Scriptorum Franciæ, Schafnaburgensis in Chronico, Albertus Crantzius lib.* 1 *Metropolis cap.* 19 *aliique.* — g *De Altfrido egimus num.* 20 *in Prolegomenis.* — h *Ex hoc loco* § 7 *ostendimus in ætate Trithemium huc usque triennio aberrare.* — i *Imo Rabanum ad ecclesiam S. Petri in monte ad orientem monasterii secessisse, librosque ceptos absolvisse, dictum in priore Vita num.* 49. — *Quinquennio privatim vixisse certum est ex supra dictis.*

*S. Aurelius.*

*Westphalia unde dicta.*

# LIBER III.

## Vita B. Rabani Archiepiscopi.

### CAPUT I.

### *Archiepiscopatus Moguntinus. Concilia habita.*

Igitur post mortem memorati Archiepiscopi Moguntini Otgarii (qui fuit in ordine Archipræsulum quintus, et obiit anno Dominicæ nativitatis octingentesimo quadragesimo septimo, Indictione Romanorum decima, mensis Aprilis die vicesima prima, in monasterio S. Albani Martyris apud Moguntiam, in capella S. Bonifacii cum honore sepultus, anno pontificatus sui *a* vicesimo secundo) B. Hrabanus

D Maurus Magnentius Abbas Fuldensis promotione Ludovici Regis, in Archiepiscopum Moguntinum electus, votis Procerum successit, et præfuit *b* annis novem, mensibus quatuor. Cui substitutus in abbatia Fuldensi *c* Hatto præfuit annis septem. Hrabanus itaque Abbas anno ætatis suæ quinquagesimo nono, qui fuit Lotharii Imperatoris septimus, et quarti Leonis Papæ *d* secundus, Germanorumque Regis Ludovici æque septimus, et Dominicæ nativitatis jam prænotatus, in Archiepiscopum ordinatus, pristinum vitæ rigorem non solum in nullo minuit, sed quasi tunc primum inciperet converti ad Deum, regularis observantiæ disciplinam in multis auctam, usque ad mortem custodivit. A carnibus et vino imprimis abstinuit, delicias non quæsivit, nullas infirmæ carnis aut mundi voluptates sive illecebras ullatenus admisit: balnea et omne quod corpus tenerum fovet, sed mentem resolvit, damnatione perpetua refutavit: gregem sibi commissum, ut verus Pontifex, fervidusque Christi minister, summa diligentia custodivit; quem verbo, exemplo, simul et hujus vitæ pabulo, qua potuit sollicitudine, pavit et enutrivit. Ab ejus memoria numquam recessit Apostolica sententia Pauli, dicentis: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, castum, virtutibus ornatum, prudentem, pudicum,

E hospitalem, atque salutaris scientiæ doctorem: non vinolentum, non percussorem, sed modestum: non litigiosum, non cupidum, et qui testimonium habeat bonum ab his etiam, qui foris sunt; ut non in improperium incidat, et in laqueum diaboli. Quæ omnia crebrius in mente revolvens, nihil eorum, quæ Pontificalis ministerii officium requirere videbatur, omisit: sed irreprehensibilem se cunctis in operibus bonis semper exhibuit. Ordinatus autem fuit in Archiepiscopum, sicut est dictum, *e* vicesima sexta die mensis Junii, quæ fuit SS. Joannis et Pauli Martyrum festivitate solennis apud Moguntiam in ecclesia cathedrali, Rege Ludovico, et multis aliis præsentibus.

*Otgario Archiepiscopo Moguntino defuncto succedit B. Rabanus.*

*sancta vita subditis præit.*

I. Tim. 3.

2 *f* Eodem anno, jubente Ludovico Rege, apud Moguntiam in monasterio S. Albani Martyris, circa principium mensis Octobris Synodum habuit: ad quam non solum de sua provincia, sed etiam de aliis plures Episcopos et Abbates convocavit; quorum consilio, multa pro communi utilitate rei ecclesiasticæ prudenter ordinavit. *g* Per idem tempus mulier quædam, Thierda nomine, pseudoprophetissa de partibus alienis venit ad Moguntiam: quæ Salomonis

F Episcopi Constantiensis parochiam suis vaticiniis non modice perturbaverat. Nam certam de proximo instantem consummationis seculi diem, aliaque perplura, quæ soli Deo sunt cognita, quasi divinitus sibi revelata, se scire, publice prædicabat, dicens, eodem anno ultimum mundi diem imminere. Unde multi ex populo utriusque sexus timore perculsi, ad eam venerunt oblatisque muneribus, se illius orationibus, quasi alicujus Sanctæ, commendabant. Et quod gravius est, sacri etiam ordinis viri doctrinas Ecclesiasticas postponentes, illam quasi magistram cœlitus destinatam sequebantur. Hæc ad præsentiam S. Hrabani Archipræsulis, et aliorum Episcoporum apud S. Albanum deducta, et diligenter de suis assertionibus requisita, Presbyterum quemdam sibi ea suggessisse, et se talia quæstus caussa in populum seminasse, professa est. Quapropter synodali judicio publice cæsa flagellis, ministerium prædicationis, quod irrationabiliter usurpaverat, et sibi contra morem ecclesiasticum vendicare præsumpserat, cum dedecore maximo et manifesta confusione amisit, suisque vaticiniis tandem confusa finem imposuit.

*Synodum convocat.*

*pseudoprophetissam multos decipientem punit.*

3 *h* Gotescalcus quoque *i* Presbyter quidam, natione

A tione Gallus, ex Remorum *k* diœcesi adveniens, de prædestinatione Dei novum et perniciosum seminabat errorem. Dicebat enim, tam bonos ad vitam æternæ felicitatis, quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter a Deo prædestinatos esse: et nec illis nocere, si peccent, nec malis et præscitis prodesse, si ad melioris vitæ propositum convertantur, eo quod providentia Dei omnino sit infallibilis. Contra quem beatissimus Archipræsul Hrabanus campum disputationis latum ingressus, tam Scripturarum auctoritate, quam evidentia rationis eum coram omnibus, Deo auxiliante, superavit, et vi argumentationis usque adeo reddidit mutum, quod nihil pro sua opinione amplius potuit inferre. Benedictus per omnia Deus, qui perniciosissimum dogma erroris per os famuli sui Hrabani confutavit. Rationabiliter itaque a S. Hrabano convictus, superatus, et confusus in conspectu Episcoporum, Abbatum, et cæterorum omnium, qui fuere præsentes, correctionem assumpsit, erroremque suum *l* publice revocavit. De sententia vero Synodi sanctæ ad *m* Episcopum proprium Hincmarum Remis transmissus est, dato prius juramento confirmationis, ne in regnum Ludovici, hoc est, Germanicum amplius rediret. *n* Multa quoque in eadem synodo et alia fuerunt utiliter de- B creta, quæ alibi habentur.

*k Gothescalcum oppugnat.*

a *Aliis* vigesimo primo, *quod ordinatus putetur sub initium anni* 827, *aut finem anni præcedentis.* — b *De iis supra actum in Prolegomenis num.* 53. — c *Hattonem anno* 842 *succedentem in ecclesiam S. Petri Rabano successisse certum est ex epistola* 40 *Lupi Abbatis Ferrariensis ad Rabanum.* Audivi, *inquit,* sarcinam administrationis vestræ vos deposuisse, et rebus divinis solummodo nunc esse intentos: Hattoni vero nostro curam sudoris plenam reliquisse. *Obitum ejus assignant Annales Fuldenses ad annum* 856, *quo pridie Idus Aprilis scribitur decessisse. Præfuit ergo* annis *non* septem, *sed circiter* tredecim. *Reliqua suggeret Browerus in Fuldensibus, cui his Annalibus certior lux effulget, quam ex veterum Abbatum catalogo MS. relato in scholiis ad Poemata Rabani num.* 28 *ubi dicitur* per annos 22 rexisse ab anno 841 ad 862. — d *Imo* primus. *Nam Sergio hoc anno* 847 *pridie Idus Aprilis defuncto, eodem die Leo successit. Anastasius Bibliothecarius, et ex eo Baronius num.* 7. — e *Sequentem diem seu v Kal. Julii assignant aliqui.* — f *Annal. Fuldenses:* In eodem anno, jubente Ludovico Rege, apud Mogontiacum Synodum habuit circa Kal. Octob. — g *Hæc describit ex iisdem Annal. ubi dicitur* venisse mulier ex Alemanniæ partibus, nomine Thiota. *Eamdem historiam refert Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad annum* 848. — h *Anno sequenti in alia Synodo damnatus fuit, ut supra dictum.* — i *Imo et monachus monasterii Orbaci, fundati a S. Regulo Archiepiscopo Remensi in eo sepulto, sub finem septimi seculi de quo agemus XXV Novemb.* — k *Potius* Provinciæ Archiepiscopalis *ut jam loquimur, quod Orbacum sit diœcesis Suessionensis. Sic* diœcesin *pro* provincia *accipit Rabanus in epistola Synodali ad Ludovicum Regem supra relata num.* 30 *in Prolegom.* — l *In synodica epistola Rabani ad Hincmarum Archiepiscopum Remensem scribit* incorrigibilem eum repertum, et recludendum esse, nec sinendum amplius errorem docere, et seducere populum Christianum. *Et in ultima ad eumdem epistola scribit,* eum præsentem a sua nequitia avelli non potuisse. *Sigebertus ad annum* 849 *ait* convictum, sed tamen in suo perseverasse errore. — m Archiepiscopum. *Nam proprius Episcopus erat Suessionensis* Rothardus *seu* Hrothadus *qui etiam Carisiacæ Synodo interfuit, in qua dicitur* honorem presbyteralem per Rigboldum Chorepiscopum, cum esset Suessonicæ parochiæ monachus, inscio civitatis suæ Episcopo, usurpasse. — n *Decreto synodi Carisiacæ,* honore presbyterali dejectus *est, ut* improbus virgis cæsus, et ne alios noceret, ergastulo retrusus.

*Hatto Abbas Fuldensis.* Diœcesis *pro provincia.*

## CAPUT II.

### *Persecutiones. Eleemosynæ. Zelus animarum.*

Verum silentio prætereundum non est, quemadmodum omnis boni hostis et inimicus diabolus sanctis Hrabani studiis adversabatur in omnibus die ac nocte quærens et observans ejus vitæ semitas, ut eum vel a sanctitatis revocaret proposito, vel publicæ neci exponeret, aut confusioni personali. Nec a male cœptis quievit, quousque tandem in brevi plurium animas subditorum subvertit. Nam cum vix *a* duos in pontificatu menses implesset, suis pene omnibus, instigante spiritu maligno, cœpit nimium displicere: quorum tanta fuit subsecuta temeritas, ut occultum de morte illius tractarent consilium. Conspirantes enim adversus eum ex Clericis Ecclesiæ Moguntinæ complures, quorum vitia et inordinatam conversationem vir sanctus rationabiliter arguebat, de laicis

*a Invidia malevolorum conspirantium appetitur,*

etiam multos nobiles et ignobiles in suam perversam D societatem occulte traxerunt, et malum in proprium Pontificem consilium adunarunt. Fuit autem Hrabanus Pontifex et in se rectus, integer, et justus; ad subditos vero zelosus, et pastorali sollicitudine vigilantissimus: qui cum Ecclesiæ ministros ad Canonicas constitutiones juxta officii rationem vellet reducere, pravorum contra se mentes graviter irritavit. Et nisi providentia Divina, quæ numquam in sua dispositione fallitur, aliter ordinasset, manus impiorum effugere minime potuisset. Sed non est consilium hominis contra Deum. Eodem namque tempore, quo Hrabanus Archiepiscopus Synodo præsidebat apud S. Albanum, Ludovicus Rex in civitate Moguntina Procerum regni celebrabat conventum, qui homines S. Hrabani, ut *b* Regino testatur in Chronicis, conspirantes adversus Dominum suum publice convictos, cum eo pacificavit, et unicuique pro mensura delicti satisfactionem injunxit.

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.

Prov. 21.

*a Ludovico Rege defenditur* b

5 Anno post hæc Dominicæ nativitatis octingentesimo quinquagesimo secundo, Indictione Romanorum quintadecima, qui fuit pontificatus B. Hrabani quintus annus, iterum celebrata est Synodus Rege Ludovico jubente apud Moguntiam, in monasterio S. Albani Martyris, ipso Hrabano præsidente Archiepiscopo, in qua pene omnes Episcopi, et Abbates *c* Franciæ Orientalis, Bavariæ atque Saxoniæ, E cum Rhenanis et Mosellanis comparuerunt propriis in personis. Multa in ea Synodo statuta sunt, ad communem utilitatem Ecclesiæ proque morum correctione Deo famulantium Clericorum; quæ omnia Ludovicus ipse regali auctoritate confirmavit. Et Episcopi quidem synodales quæstiones in concilio determinabant; Rex autem cum Principibus in civitate sedandis litibus invigilabat.

*in alia Synodo præclara sancit.* c

6 Anno Dominicæ Nativitatis octingentesimoquinquagesimo, Indictione Romanorum tertia decima, qui fuit S. Hrabani annus in Pontificatu tertius, Germaniæ populos gravissima fames oppressit, maxime circa Rhenum habitantes. Nam unus modius de frumento Moguntiæ vendebatur pro decem *d* nummis argenti, quorum sex et viginti unum hodie faciunt auri florenum. Ex qua supputatione constat unum octale frumenti, quod Maldrum vocant, plus quam tres solvisse florenos dictæ mensuræ Moguntinensis. Morabatur autem eo tempore B. Hrabanus Archiepiscopus in quadam villa parochiæ suæ, cui vocabulum est Wincella, quæ in descensu Rheni fluminis ad dextram ferme tribus a Moguntia distat miliaribus, et nunc ab incolis terræ Winckel nuncupatur. F In ea residens, pauperes de diversis locis advenientes quotidie plus quam trecentos suscipiebat, et alimento sustentabat, exceptis his, qui in præsentia illius assidue vescebantur. Venit autem inter alios, una dierum et mulier quædam ex villa Crucinaco (quæ nunc *e* oppidum est) oriunda, inedia pene consumpta, cum infante parvulo, cum aliis pauperibus refocillari desiderans. Quæ prinsquam limen portæ domus Episcopalis transcenderat, præ nimia imbecillitate corruens in terram, spiritum exhalavit. Puer vero mamillam matris defunctæ jacentis, quasi viventis, de sinu protrahens et sugere tentans, multos intuentes ad fletum coegit. Quæ cum beato Pontifici nuntiata fuissent, ingemuit, et præ nimio compassionis dolore lacrymas cohibere non potuit.

d

*In fame publica 300 pauperes alit,*

e

7 Ex illa die per omnem regionem misericordiam prædicari fecit egenis, eleemosynas pro viribus auxit: pauperibus undecumque venientibus necessarium præsentis vitæ pabulum abundantius ministravit. Hanc ejus munificentiam in pauperes omnipotens Deus gratam habens, duplici beneficio remunerasse legitur: dum ei copiosam hujus vitæ provisionem in præsenti retribuit, et animam illius tandem a corpore

*alios ad eleemosynas incitat:*

A corpore separatam, æternæ felicitatis in cœlo deliciis perpetuo satiavit. Dispersit enim hujus vitæ divitias pro Christi amore, et dedit pauperibus, propter quod et Justitia ejus manet in seculum seculi, et * convivium ejus cum Sanctis omnibus exaltatur in gloria. Christum Jesum unigenitum Dei filium, cujus minister erat et Pontifex, amavit super omnia, pro cujus honore fidelem se ovium ejus Pastorem exhibuit, inscios docuit, pauperes pavit, errantes et per devia peccatorum præcipitatos ad viam justitiæ paterna solicitudine reduxit. Vere justus et sanctus, qui post aurum non abiit, nec in thesauris pecuniæ speravit. Omnis confidentia ejus fuit in Domino, pro cujus amore cetera omnia despexit. Unde rerum temporalium curam exemplo priscorum Pontificum viris commisit idoneis: quorum relevatus ministerio, spiritualibus intentius vacaret.

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.
Psal. III. 9
* al. cornu.
Eccli. 31, 8

8 Ea vero, quæ pontificale requirebant officium, in tota diœcesi per semetipsum administrabat, lectioni divinarum Scripturarum, meditationi quoque, orationi et contemplationi, quotiens a pontificali poterat ministerio vacare, semper fuit intentus, et sanctitatis exercitium, quod monachus in cœnobio didicerat, etiam Archipræsul factus, sine intermissione continuans, numquam intermisit. Verbum Dei B prædicare sibi commisso populo non erubuit: quippe qui se Apostolorum consecutum esse ministerium recognovit. Enimvero sicut non meretur dici Apostolus, qui vacans mundi negotiis vel otio, verbum Dei commissis sibi populis non prædicat; ita Episcopali honore penitus est indignus, qui neglectis sive postpositis spiritualibus, sola temporalia curat. Transiens ergo per vicos, perque castella et villas, Apostolorum more, Hrabanus cum clericis nonnullis et monachis, quos ad hoc ministerium novit idoneos, Evangelium Dei populo nuntiavit, delinquentes corripuit, pœnitentes Domino reconciliavit, mores clericorum totis viribus ad Apostolicam institutionem reformare studuit, pro quorum directione salubri, tres libros notabiles ad Haildolfum quartum Archiepiscopum Moguntinum, antecessorem suum *f* prius lucubravit.

diœcesin obit absque vicario,
concionatur in vicis et pagis:
f

9 Quotiens vero ab actionibus Ecclesiæ publicis vacabat, mansionem residentiæ corporalis tenebat vel in memorata villa circa Rhenum Wincella, vel in Moguntia, circa majorem ecclesiam, in domo episcopali, aut certe in monte, haud procul a prænominato vico, qui de nomine illius dictus est Bisthoferus, in quo nunc monasterium S. Joannis Baptistæ cernitur esse constructum. C Frequenter etiam manere consuevit in cœnobio sancti Martyris Albani (quod in monte prope Moguntiam *g* Richolfus tertius Archiepiscopus construxit anno Domini septingentesimo nonagesimo sexto, Indictione Romanorum quarta) propter monachorum inibi Deo famulantium vitæ sanctitatem. In monasterio etiam Canonicorum *h* S. Victoris extra Moguntiam sæpius habitabat, cum propter aeris temperiem, tum propter loci et situs amœnitatem. Ibi nonnulla pro fidelium ædificatione scribens composuit, ubi et S. Lullus quondam Archiepiscopus orationi meditationique insistere consuevit.

residet variis in locis et monasteriis.
g
h

# CAPUT III.

## *Libri a B. Rabano conscripti.*

Hic jam reor opportunum, ut quam plura, quamque utilia scripserit volumina Hrabanus iste sanctissimus Pontifex, ab anno ætatis suæ tricesimo usque ad finem vitæ per annos ferme *a* octo et triginta, quibus numquam a studio Scripturarum et editione librorum cessavit, posteritatis memoriæ commendem. Fuit enim, quemadmodum in superioribus dictum est, per Germaniam omnium doctissimus, qui multitudine, utilitate, facundia, et elegantia E librorum a se editorum, nec præcedentem quemquam habuit similem, nec post se reliquit æqualem. Quod verum ex eo constabit facilius, si titulos librorum ejus per ordinem exprimamus, non quo sunt editi, sed a nobis collocati.

a Primus Germaniæ scriptor,

11 Scripsit igitur ad Freculfum Lexoviensem in Normannia Episcopum, quondam *b* discipulum suum, de quo supra diximus, in Genesim libros quatuor, in Exodum libros quatuor, in Numeros libros quatuor, in Leviticum libros quatuor, in Deuteronomium libros quatuor, in historiam Josue libros duos, in historiam Judicum libros duos, in historiam Ruth librum unum. Ad Hildovoinum Abbatem S. Dionysii super historiam Regum libros plures, in Paralipomenon libros quatuor, in *c* Esdram et Neemiam libros tres, in historiam Tobiæ librum unum, in historiam Judith libros septem, in historiam Hester librum unum, in historiam Job libros plures, in totum Psalterium libros plures, in Proverbia Salomonis libros plures, in Ecclesiasten libros plures, in Cantica Canticorum libros plures, in librum Sapientiæ libros tres, in Ecclesiasticum libros decem, In Esaiam Prophetam libros viginti, in Ezechielem libros viginti, F in Danielem Prophetam libros tres, in duodecim Prophetas minores libros duodecim, in historiam Machabæorum libros tres, in Evangelium Matthæi libros octo, in Evangelium Lucæ libros tres, in Evangelium Marci libros quatuor, in Evangelium Joannis libros plures; ad Lupum Servatum Presbyterum in omnes Epistolas Pauli Apostoli libros tres et viginti, in Actus Apostolorum libros plures, in Epistolas Canonicas libros septem, in Apocalypsin Joannis libros plures; ad Gregorium Papam quartum de laudibus sanctæ Crucis laboriosum et mirabile opus libros duos; ad Haimonem Episcopum Halberstatensem de Universo libros viginti duos, de Universali natura librum unum; ad Hailolfum quartum Ecclesiæ Moguntinæ Archiepiscopum de institutione, vita et moribus Clericorum libros tres; ad Heribertum Episcopum de quæstionibus Canonum librum unum; ad Reginbaldum Episcopum de eadem materia librum unum, de benedictionibus Patriarcharum librum unum, de divinis officiis libros octo, de computo Ecclesiastico libros duos, præparamenta septem artium liberalium, multa juvenis volumina composuit, Epigrammaton libros quatuor, de metrica compositione libros tres;

b edidit commentarios in Scripturam,
c
et varios alios tractatus.

*a* Imo hæc anno Archiepiscopatus 2, Christi 848 contigisse ex sequentibus certum. — *b* Non Rhegino, qui Rabani non meminit, ut ¾ monuimus, sed auctor Annalium Fuldensium, in quibus hæc leguntur ad annum 848: Ludovicus Rex circa Kalend. Octob. generale Placitum habuit apud Moguntiacum, in quo Legatos fratrum suorum, et Nordmannorum, Sclavorumque suscepit, audivit et absolvit. Homines etiam Hrabani Episcopi adversus Dominum suum conspirantes publice convictos cum eo pacificavit. — *c* Annales Fuldenses ad hunc annum 852 sic referunt: Habita est autem et Synodus ex voluntate atque præcepto ejusdem Serenissimi Principis (nempe Ludovici) in civitate Moguntia metropoli Germaniæ præsidente Rabano Venerabili ejusdem urbis Archiepiscopo, cum omnibus Episcopis atque Abbatibus Orientalis Franciæ, Bajoariæ et Saxoniæ. Et illi quidem de absolvendis quæstionibus Ecclesiasticis tractatum habebant. Rex vero cum D Principibus et Præfectis Provinciarum publicis caussis, litibusque componendis insistens, postquam Synodalia eorum decreta suo judicio comprobavit et Legationes Bulgarorum Sclavorumque audivit et absolvit, Bajoariam reversus est. *At Moguntinos fuisse extra regnum Ludovici certum est.* — *d* *Annales Fuldenses iterum descripsit, in quibus* decem siclis argenti *legitur: reliqua de Maldro Trithemii expositio est. Caritatem Rabani in hac fame laudat idem Trithemius in Chronico Hirsaugiensi ad an.* 841 *et* 856. — *e* *Palatinatus Inferioris. Deest nomen loci in Annalibus Fuldensibus.* — *f* *Anno Christi* 819 *necdum tum Abbas, ut supra probatum.* — *g* *Sedit Richolfus ab anno* 787 *ad* 814. *Ecclesia S. Albani consecrata est an.* 805 *kal. Decemb. Cœnobium hoc monachorum concessu Martini Papæ anno* 1419 *in Canonicorum collegium commigravit. Vide Serarium in Moguntiacis lib.* I, *cap.* 30 *et* 31, *et lib.* 4 *in Archiepiscopo* 3. — *h* S. Willibaldum *profert Wicelius in Hagiologio* scripsisse vitam S. Bonifacii, et rescripsisse in loco qui S. Victoris extra muros dicitur, ubi Lullus et Rabanus vacabant orationibus: *quæ a Trithemio amplificatore adjecta sunt, cum S. Willibaldus ante obierit, quam Rabanus nasceretur, de S. Lullo agimus* XVI *Octob. de S. Willebaldo* VII *Julii.*

A tres; ad Ludovicum Germaniæ Regem libros et epistolas edidit plurimas, de materiis diversis et variis sibi ab eo propositis. Epistolas quoque, sermones et homilias plures, et sine certo numero scripsit, composuit, et dixit: quorum singulorum per ordinem facere mentionem nimis foret lectoribus tædiosum. Multa enim et alia scripsisse creditur, quæ in cognitionis nostræ ergasterium necdum pervenerunt.

12 Hæc sunt Hrabani doctissimi, atque sanctissimi Archipræsulis opuscula, quæ me legisse memini, quorum editioni per annos, sicut diximus, octo et triginta, primum Fuldæ monachus et Scholasticus, deinde Abbas, et postremo Archiepiscopus sine intermissione pro Dei gloria et fidelium utilitate maxima insudavit. Fuit enim vir sua ætate Germanorum omnium studiosissimus, et universalis facile princeps doctrinæ, qui sapientia et eruditione in sua natione omnes superavit, vicitque præcedentes, nec similem post se habuit inter sequaces. Ab eo namque tempore, quo scholasticam apud Fuldam claustralibus palæstram instituit, per annos ferme quadringentos, multi in Ordine sancti Patris Benedicti per totam Europam monachi doctissimi claruerunt, de quibus in primo libro Virorum illustrium Ordinis nostri memorati complures nominatim recensui: et

*Ejus exemplo Benedictini monachi 400 annis doctrina floruerunt.*

B etiam non paucos, in volumine de Scriptoribus ecclesiasticis, dudum collocavi. Eo tempore proverbium illud verum extitit, quo dicebatur: Scientia Scripturarum in cucullis latitat monachorum. Monachi enim tunc fuerunt studiosi atque doctissimi, qui non solum Latinis, sed etiam Græcis litteris apud Germanos et Gallos studium diligens impenderent. Nostris vero monachis postremo voluptates carnis et otia lectioni Scripturarum præferentibus, Græcorum etiam litterarum scientia pariter apud Germanos et Gallos penitus defecit. Supervenerunt nova Fratrum instituta Mendicantium, et novos studiorum modos cum familiari quodam atque campestri genere scribendi attulerunt.

a *Imo* quadraginta annorum, *ut ex nostro calculo constat.* — b *Hoc in Prolegom. num 19 rejectum.* — c *Varios e sequentibus non videri conscriptos supra dictum.*

## CAPUT IV.

### *Diligentia. Patientia. Obitus. Sepultura.*

Hrabanus autem primus inter Germanos Doctor universaliter eruditus, scientia profundus, eloquio disertus, et solidus vita eminuit et conversatione,
C doctissimus religiosus atque sanctissimus: vere dignus, gratus, et acceptus Deo Pontifex semper extitit, in cujus ministerio die et nocte tam sollicite vigilavit. Quidquid facere ad honorem Dei potuit, nullo unquam tempore, nullave occasione prætermisit. Plures per diœcesim Moguntinam ecclesias de novo constituit, vetustas et ruinosas etiam multas reparavit. Monasterio Fuldensi Abbas præsidens, monasticas præposituras nonnullas condidit, et quædam cœnobia monialium sui ordinis in finibus Buchonici nemoris fundavit. Sed et alia memoratu digna gessisse multa legitur, miraculis quoque variis coruscasse memoratur; de quibus cum certum ac manifestum non constet nobis veritatis testimonium satius duximus tacere penitus, quam incerta litteris commendare.

*Monasteria et templa extruit aut reformat:*

14 Hoc vero, quod Meginfrido testante cognovimus, etiam styli officio posteritati commendare non dubitamus. Hrabanus etenim reverendissimus Præsul, tam in abbatia Fuldensi, quam in pontificatu ecclesiæ Moguntinæ, multas ab æmulis injurias, oblocutiones, detractiones, et contumelias, etiam a suis propriis, sine demerito sustinuit, et sæpe usque ad mortem periclitatus fuit. Quæ omnia pro Dei amore patientissime sustinuit, et quidquid adversi D
contra eum accidit, suis peccatis humiliter adscripsit. Unde non solum se patientem in adversis semper exhibuit, sed quod majoris est meriti, cuncta sibi contraria etiam voluntarie pro caritate Domini toleravit. Enimvero cum esset omnium Pontificum suo tempore mansuetissimus, persecutores et æmulos suos numquam vocavit ad pœnam, nec verbo nec facto ullam de ipsis unquam petivit vindictam. Fundatus enim Divinæ glutino caritatis supra firmam petram, nulla tentatione potuit a Domino separari: viam timoris et amoris Domini a teneris pueritiæ annis recte vivendo ambulare didicit. Nemo illum vidit præter justæ rationis modestiam ira commotum, nemo reperit animo perturbatum: sed bonæ conscientiæ testimonio lætus, mente semper fuit pacificus, et sibimetipsi cum Deo unitus, omni tempore tranquillus. Permansit constans in his exercitiis pietatis: et quanto se viciniorem morti sensit vel credidit, tanto mentem a caducis et vanis mundi studiis amplius elongavit. Jejuniis, vigiliis, orationibus, sacris eleemosynis, prædicationibus, et aliis bonis operibus, sine intermissione fuit intentus, et omni tempore in officina Divini amoris utiliter occupatus.

*AUCTORE TRITHEMIO ABBATE. in variis persecutionibus patiens,*

*numquam contra rationem perturbatus:*

15 Cum autem tempus ab æterno venisset præordinatum, quo misericors et miserator Dominus famulo suo pro meritis bonæ voluntatis mercedem E
dare prædestinavit felicitatis æternæ, correptus febre, lecto decubuit, et crescente morbo, tandem ad extrema pervenit. Qui visione præmonitus Angelica, ultimum sibi hujus vitæ miserabilis instare certamen, exitum suum lætus Dominicis Sacramentis munivit, et libris suis partim ad Fuldam, partimque ad monasterium S. Albani extra mœnia civitatis Moguntinæ, provide distributis, ad Dominum, quem toto corde semper amaverat, inter orationis verba feliciter emigravit, *a* sexto Calendarum Novembrium, a
anno Dominicæ nativitatis octingentesimo quinquagesimo sexto, Indictione Romanorum quarta, pontificatus sui anno nono. In cujus transitu voces canentium Angelorum auditæ sunt, dicentium: Iste Sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui gaudio ducitur Angelorum, quia in hac peregrinatione, etc.

*ab Angelis præmonitus,*

*eisque canentibus moritur*

16 Mortuus est autem beatissimus Archiepiscopus Hrabanus apud Vinicellam, habitationis suæ vicum, ad littora Rheni. Cujus sacrum corpus, sicut vivus ordinaverat, Moguntiam relatum est, et in Ecclesia sancti Martyris Albani cum honore sepultum. De F
quo sequens invenitur epitaphium, in memoriam ejus scriptum:

Lector honeste, meam si vis cognoscere vitam,
Tempore mortali discere sic poteris.
Urbe quidem hac genitus sum, et sacro fonte renatus,
In Fulda post hæc dogma sacrum didici.
Quo monachus factus seniorum jussa sequebar,
Norma mihi vitæ regula sancta fuit.
Sed licet incaute hanc, nec fixe semper haberem,
Cella tamen mihimet mansio grata fuit.
Ast ubi jam plures transissent temporis anni,
Convenere viri vertere fata loci:
Me abstraxere domo invalidum, Regique tulere,
Poscentes fungi Præsulis officio,
In quo nec meritum vitæ, nec dogma repertum est,
Nec Pastoris opus jure beneplacitum.
Promptus erat animus, sed tardans debile corpus,
Feci, quod poteram, quodque Deus dederat.
Nunc ego te ex tumulo, Frater dilecte, juvando
Commendes Christo me ut precibus Domino:
Judicis æterni me ut gratia salvet in ævum,
Non meritum aspiciens, sed pietatis opus.
Hraban nempe mihi nomen est, lectio dulcis
Divinæ

*Epitaphium*

A

AUCTORE TRITHEMIO ABBATE.

Divinæ legis semper ubique fuit.
Cui, Deus omnipotens, tribuas cœlestia regna,
Et veram requiem semper in arce poli.

17 Et iste quidem beatissimi Pontificis Hrabani finis, in hoc mundo vivendi extitit. Cujus sanctum corpus annis sexcentis quinquaginta novem in memorato cœnobio sancti Martyris Albani sepultum, in sarcophago juxta murum chori elevato permansit. Ad cujus quoque tumulum a principio magnus populi fuit concursus, et plura narrantur facta miracula: qui tamen successu temporis omnino defecit, et sacellum ejus diu sine honore permansit. Unde providentia Dei cuncta gubernantis, ad nominis sui

*Reliquiæ in Saxoniam translatæ.*

D

gloriam, et famuli sui perpetuum honorem, sanctissimum corpus ejus de Moguntia ordinavit, et voluit in Saxoniam transferri anno præsenti quo hoc scripsimus, Dominicæ videlicet nativitatis millesimo quingentesimo quintodecimo, Indictione Romanorum tertia. Quæ quidem translatio per quem, qualiter, quando, et quorsum sit facta, speciali syntagmate descripsimus ad laudem, et gloriam Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti: qui Deus est, vivit et regnat unus per omnia secula seculorum, Amen.

a *Imo hoc* IV *Februarii supra probatum est.*

# DE S. NICOLAO CONFESSORE

## ARCHIMAND. STUDITAR., ORD. ACOEMETORUM CONSTANTINOPOLI,

G. H.

## Commentarius prævius.

ANNO DCCCLXVIII. IV FEBR.

Ordinis Acœmetorum, *olim in Ecclesia Orientali celeberrimi*, Fundatorem *dedimus* XV *Januarii* S. Alexandrum*: qui cum Constantinopoli juxta ædem S. Mennæ Martyris trecentis*

B

*E monasterio Acœmetorum*

*monachis præfuisset, inde fugatus, in venerando monasterio a se ad ostium Ponti constituto, circiter annum Christi* CDXXX *vita functus, reliquit successorem* Joannem. *Hic monasterium in Bithyniam transtulit ad fauces Bospori,* LX *stadiis Constantinopoli dissitum, in locum* Γομῶνα *appellatum, quem* Εἰρηναῖον *dixerunt, quod pacem quietemque isthic sibi monachi nacti viderentur. Joanne e vivis sublato, monasterium istic extruxit* S. Marcellus *ejus successor, cujus Vita danda est* XXIX *Decembris. Ejus tempore* Studius quidam vir præclarus, *ut ait Nicephorus lib.* 15 *cap.* 23, Roma Constantinopolim venit, et Divo Præcursori templum erexit: in quod monachus ex monasterio Acœmetorum induxit, quod divinissimus Marcellus extruxerat: in quo perpetui hymni canerentur, sodalitate monachorum in tres cœtus divisa. *Michael in Vita S. Theodori, (de utroque infra agemus) apud Baronium anno Ch.* 798 *num.* 2, *cum de* Studio Fundatore *egisset, addit,* nullo unquam tempore defuisse, qui communem in eo monasterio vitam agentes, præclara virtutis ac religionis suæ argumenta darent; quoad Deo invisus Constantinus Copronymus, indicto monachis bello, cum ceteris omnibus hos pariter adjecit. Postquam vero in pristinum statum res Ecclesiæ redierunt, cessavitque schismatis persecutio; eumdem locum monachi iterum, sed perpauci, nec plures, ut ferunt, numero quam duodecim inhabitarunt. *Hæc Michael. Innuntur tempora Constantini cum matre Irene imperantis, quando anno* DCCLXXXVII *in Concilio Nicæno* II, *hæresi Iconoclastarum proscripta, cultus sacrarum imaginum est restitutus. Hujus Concilii Actioni* IV *post Episcopos primus subscripsit* Σάββας Ἀρχιμανδρίτης καὶ Ἡγούμενος μονῆς τῶν Στουδίων. Sabbas Archimandrita et Hegumenus, *seu* Præfectus, monasterii Studitarum. *Post Sabbam subscripsit* Πλάτων Ἡγούμενος καὶ Ἀρχιμανδρίτης Σακκουδεῶν. Plato Hegumenus et Archimandrita Saccudeonis. *Utriusque nomen eidem Concilio sæpius subscriptum legitur.*

*sumpti primi Studitæ:*

*ejecti,*

C

*restitutique:*

2 *Hujus S. Platonis ex sorore nepos* S. Theodorus, *ex eo Saccudeonis monasterio assumptus, Studitarum regimen suscepit, antequam* S. Nicolaus *decennis, circa annum Christi* DCCCIII, *ex Creta Constantinopolim missus, ab eo litterarum studiis fuit applicatus. Monachus deinde factus Nicolaus, et Sacerdos consecratus, individuus eidem* Theodoro *permansit ad obitum ejus socius, in exiliis, carceribus, tormentis. Vita functus est* S. Theodorus XI Novembris, die Dominica, Indictione V, anno ab origine mundi VI M CCCXXXV *qui more Græcorum*

*S. Nicolaus monachus,*

*socius S. Theodori*

*cum sua Indictione a Septembri inchoatus, incidit, in annum Christi* DCCCXXVI, *cyclo Solis* XXIII, *littera Dominicali G. Legendus Michael ejus discipulus apud Baronium dicto anno* 826, *num.* 47 *et* 48. *Additis dato numero annis* XLI, *accrescit* annus mundi VI M CCCLXXVI *infra num.* 58 *observatus cum* Indictione I, *convenitque in annum Christi* DCCCLXVII *ac sequentem, ut a Septembri computant Græci: atque ita e vivis excessit* S. Nicolaus IV *Februarii anno* DCCCLXVIII.

*mortui anno 826:*

E

*obiit anno 868.*

3 *Græcam S. Nicolai Vitam ex codice MS. Medicæo Regis Francorum, sed majore parte mutilam, Latine redditam prælo paraveramus; cum eamdem integre ex alio itidem Regio codice reperimus editam a Francisco Combefisio, tomo* 2 *Auctarii novi ad Bibliothecam Patrum Græco-Latinam, quam hic damus, servata fere ejus Latina versione. Ejus hæc apud eum inscriptio:* Βίος τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Νικολάου, Ἡγουμένου τῆς εὐαγεστάτης μονῆς τοῦ Στουδίου. Vita sancti Patris nostri ac Confessoris Nicolai, Præpositi sanctissimi monasterii Studii. *In nostro exemplari aliquanto aliter hæc habebantur:* Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου καὶ ἀοιδίμου πατρὸς ἡμῶν Νικολάου, *etc. Auctor hujus Vitæ, teste etiam Combefisio, vir eruditus nec inelegans, studita fuit: ita nu.* 27 indignum se in monachum ab Anatolio Præposito *tradit* attonsum, *ab eoque monasterium illud multis fuisse annis gubernatum: cujus jussu illustre castitatis exemplum interserit, quod ille a* Cypriano S. Nicolai discipulo *olim didicerat. Forte tertius post obitum* S. Nicolai *creatus est* Anatolius Studitarum Hegumenus, *sive* Archimandrita. *Primus vir inclytus* Clemens *num.* 56, *et* 58 *diu satis monasterii Præfectum egit, et successorem habuit* Hilarionem, *sub quo* Antonius Monachus *et* S. Nicolai discipulus, *ab eo apparente fluxu sanguinis liberatus, quadraginta dein elapsis annis adhuc supererat cum auctor hanc Vitam scribebat,* S. Nicolao *fere suppar, ejusque discipulis coævus. Eamdem Scriptoris ætatem indicant reliqua, tum quæ num.* 3 *de Creta scribit needum Saracenis erepta, imperioque Romano restituta, quod anno* DCCCCLXI, *Indictione* IV, *a Nicephoro Phoca factum est: tum quæ sub finem perorat num.* 59 *tristem id temporis Ecclesiæ Orientalis statum perstringens, quando a Bulgaris Saracenisque ædes sacræ cremabantur, et terra Christianorum sanguine madebat.*

*Hujus Acta Græce scripsit*

*monachus Studita,*

F

*coævus discipulis S. Nicolai.*

4 *Imitatus est* sacros quosdam, *ut vocat num.* 32; Ecclesiæ Doctores, qui res S. Theodori præclare gestas ad perpetuam memoriam, ceu donum quoddam, ad Christianæ reipublicæ communem utilitatem depinxerunt. *Hi sunt ejus discipuli* Naucratius *et* Michael, *quorum ille illustris ob varios carceres cruciatusque toleratos Confessor, successor S. Theodori et S. Nicolai decessor, Studitarum Hegumenus encyclicam*

*Ejusdem meminerunt scriptores Vitæ S. Theodori.*

epistolam

A *epistolam de obitu S. Theodori dedit* ad Patres Fratresque spirituales ubique dispersos, et persecutionem propter Dominum sustinentes. *Eam epistolam Græco-Latinam edidit idem Franciscus Combefisius tomo* II *Auctarii ad Bibliothecam Patrum Græco-Latinam. Michael vero integram S. Theodori Vitam accurate scripsit, quam ex interpretatione Jacobi Sirmondi Societatis Jesu viri doctissimi, Baronius in Annales Ecclesiasticos retulit, cum quam plurimis ejusdem S. Theodori epistolis: ex quibus et hanc S. Nicolai vitam infra in Annotationibus illustramus.*

*et in Epistolis S. Theodorus,*

*et S. Nicolaus Papa.*

5 *S. Nicolaus* I *Pontifex Romanus consecrat memoriam hujus S. Nicolai, dum petit ab Imperatore Michaele Theophili filio, cum præcipuis Archiepiscopis et Hegumenis ipsum mitti Romam ex parte S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani contra Photium invasorem, de quibus agitur infra in Actis cap. 8. Est ea S. Nicolai Papæ epistola* VIII *in Conciliis Binii, in qua hæc leguntur :* Porro si venire illi, *Ignatius et Photius*, per se nequeunt, primo quidem ipsi, cujus rei caussa venire non valent, nobis per satisfactorias litteras indicent; deinde... mittantur de parte Ignatii Archiepiscopi quidam, Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicæ, Constantinus Larissæ, Theodorus Syracusanorum, Metrophanes Smyrnæ, et Paulus B Episcopus Ponti Heracleæ; Hegumeni autem Niceta Chrysopoleos, Nicolaus Studii, Dositheus Osii Dii, atque Lazarus Presbyter et monachus, qui dicitur Cazaris. Qui nisi fuerint missi, suspectos vos reddetis, quia hos, in quibus certificari possimus, a nostris obtutibus subtrahere studiose curatis. Et ideo neminem ceterarum partium admittemus, nisi forte ex latere vestro destinatos esse veraciter valeamus cognoscere. *Hæc ibi, quæ a Baronio referuntur ad annum* 865. *num.* 93. *quo tempore S. Nicolaum carceri inclusum fuisse infra ex Actis constat. Ex memoratis Archiepiscopis solus Metrophanes Smyrnensis interfuit Concilio Œcumenico* VIII *Constantinopoli anno* DCCCLXIX *pro S. Ignatio contra Photium habito. Aliorum tum fere vita functorum successores leguntur adfuisse,* Barnabas Cyzici, Theodorus Thessalonicæ, *et* Euthymius Larissæ Metropolitani.

*Nomen in Menæis Græcorum,*

6 *Græci in Menæis ejus celebrem memoriam agunt* IV *Februarii, proferuntque illustre ex Actis ejusdem desumptum elogium, quod hic damus, relatum etiam a Maximo Episcopo Cytheræo; estque hujusmodi.*

*et Vitæ epitome.*

Sanctus hic in insula Creta natus, cum Theophanem cognatum suum vellet videre, Constantinopolim advenit, eumque inter Fratres Studii connumeC ratum reperiens, et ipse monasticam vitam amplectitur. Per omnem vero institutionem progressus, accuratissimeque monasticæ educationis normam edoctus, sacerdotio initiatur. Ad summum enim virtutis gradum pervenerat. Quid vero deinde? Cum Theodoro monasterii Præposito divinus Nicolaus exilio mulctatur. Unde revocati, a Leone merito ferinum nomen adepto, Christique hoste, quod cultores sacrarum imaginum essent, taureis cæduntur. Deinde carceri includuntur : rursumque examinati flagellantur : ac vincti in carcerem retruduntur. Tribus vero annis in carcere illo detenti, et fame, et siti, et nuditate conflictati, Smyrnam ablegantur : ibique flagris cæsi, pedibus ligno insertis in carcerem projiciuntur. Viginti vero mensibus elapsis Leo defunctus est, atque ad alterius vitæ tribunalia missus. Tunc beati Christi Confessores dimissi, Chalcedonem contendunt : et ter beatum Nicephorum cum salutassent, ambo istic degunt. Sed paullo post imperante Michaele Cæsare in Prasen ablegantur, deinde Acritam, ubi multis certaminibus probatus Theodorus ad Dominum emigravit. Sed Cæsare vitam relinquente, filioque ejus Theophilo in imperium succedente, in Sanctos bellum recruduit. Verum ipso etiam Theophilo e vita decedente, et Theodora religiosissima, ejusque filio imperium suscipientibus, D pacequc stabili facta, postquam Basilius Macedo imperium accepit, Sanctum hunc Nicolaum multorum certaminum victorem, multis obtestationibus inductum, Studitarum Præpositum constituit. Cum ergo talia ac tanta certamina sanctissimus hic Nicolaus confecisset, multis attritus incommodis, anno vitæ quinto et septuagesimo in pace requievit.

MONACO STUDITA EX MSS GRÆCIS

# VITA

ANIMADV. PAP. 67.

auctore monacho Studita, interprete Francisco Combefis

*cum MS. Græco collata.*

## PROLOGUS.

Quibus Olympiaca certamina laudis thema proposita sunt, exque iis honores divinis proximos clientibus addere cupiunt, verbis ex rhetorica arte compositis, laudationem efferentes, sermonum efficacitati, ac suavi elocutioni rei summam concedunt : quo plane disciplinæ potius, quam vera rerum lex, accurate laudentur. Ita enim natura comparatum est, ut quidquid desiderio habetur, aliis superius ferri ambiat. E Qui autem summorum virorum res præclare gestas demirantes, eos ex illis exornare volunt, haudquaquam rhetoricis suasionibus, aut philosophicis argutationibus, summam fortitudinis eorum victoriam comprobant : quin magis, sola veritatis explicatione, eaque res gestas defunctorie exhibentes, virtutem egregie describunt, palamque certaminum magnitudinem testatam faciunt.

*Historia non subtilitatibus Oratorum verbis involvenda,*

*sed sola veritate exornanda :*

2 Age igitur, nos quoque, ex quo instituta nobis oratio magnum illud pietatis lumen, ac communem Patrem nostrum Nicolaum, vi sermonis in medium producit, exigua quædam ejus rerum, prout per facultatem licuerit, describamus, memoriæ fomentum quoddam futura, quo Lectorum utilitati consultum sit; jamque diuturno tempore silentio tecta, ac oblivionis profundo obscura, pro debiti ratione extrahentes, quamquam rudius, veritati tamen studentes, posteris declaremus. Nihil enim justo inde commodi accedet, quamquam narratione præclare composita laudatio ejus apud plures resonet : verum populi lætitiam habebunt, ab aure ad animum derivantes, quod utile est. Memoria enim Justi lætabuntur populi multi : nosque in primis Christi populus, sanctus grex : qui et Patris, Deique pariter amantes sumus, quique F quotidie convivii hujus dulcedinem percipimus, ad sepulchra assidui, sacrorumque ac spiritualium simulacrorum contrectatione, quibus vel id solum ad virtutis imaginem, præ aliis, hisce gloriari sufficit. Verum nobis auspex sit Christus Deus, ac Patris Verbum, Deique sapientia et virtus, affectæ mentis nostræ pigritiam ac segnitiem corrigens, sermonemque prætendat in oris apertione, ac manum movens, ad gestorum Patris scribendam narrationem, sermonis undequaque moderandi, tamquam Sermo ipse, curam suscipiat.

*hæc de S. Nicolao ad virtutem incitat,*

*Christo auspice composita.*

## CAPUT I.

### *S. Nicolai patria, educatio, studia.*

Vir iste (ut parum quid moremur in patria quæ educavit) fuit quidem oriundus Creta clarissima insula, Christi tunc libertate fulta, viribusque deinceps ac ædificiorum magnitudine gloriante : quamquam in ea *a* nunc, exsecranda olim Agaris abortio, Ismaelisque ancillæ filii genus pessimum, in Christi figuram ex Isaac ortum novæ electionis gregem, servus, inquam, flagrionis proles, nostrorum scelerum in

*S. Nicolaus oriundus ex Creta,*

*a Saracenis post subacta,*

*auctore monacho Studita, ex mss. græcis.*

A in nos armis utens in captivitatem *b* redegit. Dei siquidem mandatorum violatione, cœleste a nobis auxilium repellentes, voluptatumque mixtione, animi ingenuitatem immutantes, traditi sumus, ut verbis Scripturæ utar, in gentem insipientem, mutua sanguinum effusione fracti ac subacti. Ut autem oratio serie quadam procedens commodum habeat, in medium producatur, qui primus ejus insulæ pietatis gubernacula suscepit, magnus scilicet *c* Titus Apostolus, ac quid ad ipsum Vas electionis de ejus incolis edisserat, designans sermone Spiritus legem, ostendat. Nam quia per intemperantiam in omni pervicaciter vitio insanientes videbat, hoc ita ad eum ait : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri : non ea omnino, pium genus omne Cretensium, dictionis vi innuens ; quin e converso eos, qui vivendi licentia, ac qualis fere brutarum animantium habeat, animi puritatem contraria ventris turpitudine, affectionibus ad terrena depressis, dedecore allicerent, ejusmodi sermo subnotat. Quippe moris est Scripturæ, ut propter occultam ac invisibilem animi naturam, quandoque ventrem, quandoque uterum per figuram appellet, tamquam qui sermonis escas capere, ac rursus digerere habeat : quamquam aliter hic, pigritiæ flaccitas assumitur. B Vere etenim, talium animi ventres pigri, ac malæ bestiæ ab Apostolo vocantur, qui magis in luxuriam erumpant, quam Spiritus sancti dona capiant. Minime gentium ergo ex designatis extitit Magnus Nicolaus : quin longe ab eis moribus distans, patriæ magis gloriatio, honoris partes supra omnes obtinuit. Ut enim luci tenebræ, vitæque mors ; ita et virtutes profanis animis adversæ sunt, ac e converso. Liquet autem proverbium hoc, non Apostoli esse, sed Epimenidis poetæ Cretensis. His porro obiter tantum enarratis, ad ipsum jam vertamus stylum, dante Deo sermonem in apertione oris.

*Deuter. 32. 21*
*Rom. 10. 19*
*per S. Titum olim ad Christum conversa)*
*Tit. 1. 12*
*a Cretensium vitiis*
*extitit immunis :*

4 Fuit itaque, ut jam diximus, viro patria Cretensium solum, propria civitas nuncupata *d* Cydonia, cujus appellationis gloriæ, supereffluens quidam bonorum fons, comes est. Puris enim limpidisque fluentis undique irrigua, frumentum ac vinum aliosque fructus ceteris exuberantius profert. Quin et præclara gloria inclytus Martyr *e* Basilides ex Martyrum illa venerabili *f* decade Urbe ista oriundus erat : in qua etiam athletæ nostri parentes domicilium habentes, non solum generis claritudine, sed et pietatis caussa, omnium ore magnificabantur. Qua enim ratione ferrum magnetem trahit, sic et laus universo- C rum virtute præditos sequi consuevit. Sua porro in Deum pietate, faustæ prolis munus præclare promeriti, Magnum hunc *g* genuerunt : ac tamquam parvulum in Christo, una cum reliquis ejus clarissimis fratribus corporalem ætatem ad cultum in spiritu subvehentes, docebant. Pueri enim tenera ac facilis natura, haudquaquam durior obnititur, ad quodcumque ductori placuerit. Idcirco operæ pretium multæ sobrietatis, ut ad meliora ; amplioris vero etiam diligentiæ ac sollicitudinis, ut ne secus atque oportet discipulum provehat ac instituat. Ceterum illi ceu alumni Ecclesiæ, per eam quoque educandum curarunt, litteris instituentes ac præceptionibus pietatis. Sic ergo a principio optima ac purissima informatione a parentibus præclare instituitur, quam bene admirabilis David, matutinam, ac nocturnæ oppositam, dicit.

*natus Cydoniæ.*
*pie a parentibus educatur :*
*Psal. 138. 16*

5 Ubi jam autem ætatis flos primam annorum decadem numerasset, perceptaque elementa, quoad satis erat, juvenis animum ad capessendas disciplinas formassent ; cum primum rursus beatitudinum gradum, a Patre luminum de cœlo vocatus, conscendere deberet, ac pauper spiritu fieri pariterque corpore humiliari, Byzantium urbium omnium principem *h* ingreditur atque ad illustre ac clarissimum D virtutis gymnasium, magnum, inquam, Studitarum cœnobium, ad patruum, nomine Theophanem, velut invisendi caussa, a parentibus mittitur. Is enim illic asceticæ palæstræ exercitator agebat, cum nuper lucidissimum luminare, ac magnus veritatis defensor ac præco *i* Theodorus, spiritalem illam Fratrum navim dirigendam suscepisset, piorumque dogmatum splendore orbem totum illustraret.

*decennis missus Constantinopolim,*
*ad patruum Theophanem Studitam,*

6 A divina ergo apparitione sortitus nomen Theophanes, susceptum amanter nepotem osculatus est, puerumque Ecclesiæ dono illi pro nominis ratione, Theodoro scilicet, ejus benedictione donandum, obtulit. Is autem, igneos pietatis fulgores emittens scintilla, urbanos pueri mores, aptumque virtutis perceptioni animum provido oculo conspicatus, eum benedixit, jussitque quod esset immaturiori ætate, ut in puerorum diversorio, haud longe a monasterio, litteras edocendus, una cum pueris coætaneis hactenus ageret. Agebant enim seorsum sub magno illo, in domo quadam monasterio vicina, jugi contubernio pueri, ita eo cavente, ceu animorum præclaro moderatore, ut ne qua inde monachis molestia fieret. Proficiebat ergo sapientia, ætate, ac gratia, æqualium ludos omnino aversans ; quippe qui a puero E admodum ingenio dexter atque sobrius esset. Superna namque providentia, cui mortales diversis donis coronari placuit, propriam cuique indolem cognatam fere indidit, ut videntes possint discernere ; siquidem, ut ait quidam Sapiens : Amictus, gressusque, ac risus viri, de illo annuntiant. Quia vero pro ætatis ratione provehens, ingenue admodum ac studiose disciplinas prævias, et quibus ad majora aditus præstruatur, didicerat, jamque deinceps pingendi scientiam, qua recte scribatur, comparare oportebat ; hanc nihilominus abunde adjecit, utilissimus effectus scriba, velox naturæ celeritate, qua maxime plures comparatum habent, rem ejusmodi cum laude præstare. Quamobrem suæ in Christo conversationis non paucis brevi experimentum præbens, omnibus admirationi habebatur, communique Præposito animi sulcum mandatorum aratro, quotidie scindente ac excolente, virtutis multiplicis fructus proferebat. Primus e cœtu omni æqualium divinum Dei templum, in quo stationem habebant, ingrediebatur, omniumque novissimus inde exibat : ac sacris Patrum narrationibus attente aurem inclinans, eorumque Vitas per dies singulos versans, ad rerum meliorum scientiam provehens, deinceps illuminabatur. Uti enim irrigatio arborem, abundansque materia ignem con- F sistere facit ; sic sane (quacumque tandem id ratione eveniat) gubernantium cura, sequentium est auctrix.

*a S. Theodoro Studitarum Præposito benedicitur,*
*applicatur studiis :*
*Eccli. 19. 27*
*cum doctrina virtutem imbibit.*

a *Circa annum Christi* 930 *aut* 940 *cum auctor scriberet.* — b *Sub Michaele Balbo Imperatore, de quo infra, circa annum Ch.* 828 *Agunt de Creta intercepta Joannes Curopalates, Zonaras, Cedrenus aliique in Michaele.* — c *De S.* Tito *et Cretensium conversione egimus* 4 *Januar.* — d Cydonia, Cydon, et Cydonis *urbs,* et Cydonia *provincia.* Canea *jam dicitur juxta Bellonium,* κῦδος *decus et gloriam significat, ad quod alludit auctor.* — e S. Basilidem *et socios novem sub Decio in Creta capite plexos refert cum Græcis Martyrologium Rom.* 23 *Decemb.* — f *Andreas Cretensis in encomio de S. Tito* inclitam decadem Martyrum *etiam appellat,* τὴν ἀοίδιμον τῶν Μαρτύρων δεκάδα. — g *Circa annum Ch.* 793 *imperante Constantino Leonis et Irenes filio.* — h *Circa annum* 803 *imperante Nicephoro.* — i *Precibus Irenes Augustæ iterum post filii necem imperantis et S. Tarasii Patriarchæ adortus S. Theodorus, regimen Studitarum suscepit : ut tradit Michael in ejus Vita apud Baronium anno* 798 *num.* 1 *Forte ex priore suo monasterio is ejus olim ad Irenen scripsit post* civilia tributa Byzantii, *ab ea* donata, *secundum Theophanem* mense Martio nona Indictione, *anno* 801, *ad quem annum Baronius a num.* 22 *eam epistolam refert. Imperavit dein Irene ad* 31 *Octob. anni sequentis* 802, *quo tempore in eiusdem præfecturam cum Studitarum suscepisse hæc Acta etiam innuunt.*

*S. Theodorus fit Abbas Studitarum.*

## CAPUT II.

### *S. Nicolai vita monastica, sacerdotium.*

Jam autem ab imberbi in virum auctus, exque imperfecta ætate perfectam assecutus, carnis sensum militantem

A militantem adversus legem Spiritus festinans destruere, vestimentum salutis illic *a* detonsus induit, ornante eum manibus suis sancto Patre nostro ac Confessore Theodoro Angelico monachorum habitu. Plane enim par erat, ut, cum ambo multa essent acturi pro æmula vivaque intemerati Christi Dei nostri similitudine, velut alter quidam Timotheus Pauli opera admirandus hic pugil regeneraretur: quo sic per eos, uti per præfatos, curreret Evangelium nostrum. Se enim totum Beatus hic ejus tradens voluntati, velut homo erat, quantum ad ipsum spectabat, voluntate carens, procul ac longissime a propria factus voluntate. Nec vero ad eum tantum, quin et ad alios deinceps parvos pariter ac magnos, eamdem obedientiam leni animo, ejusque sensu contracto, præclare ostendebat, ceu quædam ad omnes inanimis statua, divino timore fixus, inersque ad id omne, quod insolentia ac zelus, furorque, ac ira et odium videatur: ita ut sodales monachos stupore afficeret, qui suis ipse palam operibus, magnum eis occulti hominis specimen exhiberet.

*a Habitum monasticum a S. Theodoro suscipit,*

*eximius in obedientia,*

8 Pietatis siquidem amor nullam desiderii satietatem, ut ne captus animus in eum feratur, permittit: quin ignem igni, desideriumque adjungens desiderio, amantem incendit, atque ad rem quamlibet insuperabilem reddit. Quis enim præ illo virtutem B amplexatus est, humilitatis divitias in eminenti possidente sensu, sensumque abjectum in sublimi humilitate? Quis sic bene sensus instituit, ex sensilibus, ea quæ superant sensum, faciens philosophari? Quis prudentiam cum fortitudine, ceu amicas vires optime adeo conjugans, Lydio sibi curru, ut verbis Poetæ loquar, cursum fecit? Plane uti prudens dispensator, seu etiam fidelis servus, quod utrique conducibile erat, qua carni, qua spiritui, justa lance divisit. Continentiæ porro qualitatem, vigiliarum sedulitatem, altissimam precum rationem, lacrymarum illuminationem, quis vel unam e multis, uti unus ipse universas alternavit? Et continentia quidem, mentis sobrietatem comparavit, vigiliis contemplationem, precibus compunctionem, lacrymis castitatis sanctificationem. Quamobrem juxta Salomonem, risum reputavit errorem; reliquam vero corporis voluptatem, luctum nominavit, nullo eorum delectatus, quæ ævo hoc dulcia videantur. Ceu enim claustris, Dei metu, per passionum vacuitatem, triplicem probe animam cingens, non sivit, ut cupiditates perturbationi conjunctæ, divitias spiritus, sensuum rapina prædarentur. Quamobrem impermotus extitit, a vero deinceps appetibili pendens. Atque, ut verbo dicam, C nihil prorsus est universorum, ut quis sapiens ait, in quo ille non omnes superarit.

*et ceteris virtutibus:*

*Symonidis Lyrici.*

*Eccle. 2, 2*

9 Quamobrem par erat, ut, qui talis esset, atque in natura, quæ supra naturam erant, peregisset, quique ævo nostro perfectus homo audiret, ad perfectiorem gradum proveheretur, laborumque præmium, magnum illud virtutum fastigium, *b* sacerdotium recipiens, super candelabrum poneretur. Sane vero provectus est pro meriti ratione, non, ut quidam, a se ipse procurrens, aut mercatus munere; sed Patris sola jussione, ac Fratrum communis cœtus obsecratione. Quippe satis ei erat ad talem suasionem cura multorum, et ut viribus majora adiret. Nec enim obedientiæ amans periculum subveretur unquam, suo ipse judicio ad omnia Præsidenti devotus. Quis vero explicare possit, quanta ab inito sacerdotio certamina subierit? Magnus Paulus ea olim descripsit, dum Pontificem magnum, qui cœlos penetravit, sermone depinxit ac designavit; quem is utique, quantum per humanam fragilitatem conceditur, imitatione expressit. Nec id mirum: siquidem factus erat deus adoptione, ac per gratiam Altissimi filius.

*b*

*fit necnon Sacerdos*

*Hebr. 4, 14*

10 Moralis porro conversationis, ac vitæ studiosæ D cumulo, nec operum illi communio cum Fratribus deerat: quin manibus laborabat, optimeque, ut quis alius, ductis litteris libros conscribebat, nihilo minori, puto, præditus manuum celeritate, quam Asael ille pedum erat. Cujus rei argumento sunt, cum libri exarati, tum ejus reliqua opera.

*libros scribit:*

*2 Reg 2, 18*

11 Denique cum sic bene Spiritus gratiis dives ageret, venit ad eum Titus germanus ejus secundum carnem, homo vagus, *c* captam patriam ac parentum in ea detentionem nuncians; plenamque luctu, factæ cædis ab agrestibus porcis, impiis scilicet Ismaelitis, hominum ad Dei imaginem conditorum, tragœdiam multis lacrymis narrans. Quapropter finem tunc deinceps accepit, quod diu antea a Sophonia Propheta super eam futuri præsciis oculis fuerat celebratum: Væ enim, inquit, qui habitatis funiculum maris, *d* advenæ Cretensium. Verbum Domini super vos, et perdam vos de habitatione. Et erit *e* Creta pascua gregum, et ovile pecudum. Sane quidem vibratur gladius nimbis tentationum, multisque modis arcus nobis correctionis tenditur, ac quibus conversio a peccato postponatur. Si autem nihilo inde meliores effecti, pejores evadimus, tum demum clementer missa, gravem nobis pro beneficio mortem operantur: siquidem calix Domini, vini meri plenus est mixto. Ceterum vir hic magnus fratrem recipiens, prudoque consilio in monachum detonderi suadens, E eumdem secum cursum inire fecit, ac ipsis quoque moribus fratrem suum ostendit.

*c*

*fratrem capta Creta exulem suscipit,*

*Soph. 2, 8*

*d*

*e*

*Psal. 74, 9*

*ad monasticam vitam perducit:*

12 Habebat sane communis Pater noster ac Dei famulus Nicolaus, ipsam vitam suam, tacentem quamdam exhortationem: habebat et fratrem, ceu accuratam quamdam virtutum ejus imaginem: quin omnes tandem, ceu alium quempiam medium solem, virtutum radiis collucentem, a Deo datum illud munus, animis utilem, ac præclarum convivam, Magnum Theodorum habebant: eratque revera virtutis schola: novus quidam paradisus multiplici florum genere vernans. Etenim ad istos accedebant, *f* Joseph quoque sapientissimi Patris nostri frater, ac postmodum celebris Thessalonicensium civitatis factus Archiepiscopus: quin et *g* Timotheus, *h* Athanasius quoque, et *i* Naucratius, ac alii plures, quos brevitatis caussa omitto, in terrestri illo cœlo agebant. Quos enim mores conjungunt, locus quoque in unum cogit: quos autem mores dividunt, omnis quoque locus separat. Locus enim in moribus laudatur, vicissimque mores in loco amati laudem habent. Solet enim non raro, cum frustrari loco consueto, tum sejungi a coalumnis, multum gerenda virtute F laxitatem præstare.

*f Illustres viri e monasterio sacrisque auctus.*

*g h*

*i*

a Antequam in exilium S. Theodorus detruderetur, quod factum est post Pseudosynodum Constantinopoli mense Januario, Indictione 2, anno 809 contra ipsum habitam, erat tum S. Nicolaus annos 16 natus. — b Sub imperio Michaelis Curopalatæ, cognomine Rhangabe, qui imperavit a 3 Octobris anno 811, ad Julium anni 813. — c Hic aliquid præponi, si non ex Græcis, omissum debet. Intercepta Creta est sub Michaele Balbo, non autem Michaele Curopalata, ut ante dictum. — d Hæc duo secundum 70 Interpretes leguntur. Editio vulgata: Gens perditorum. — e Editio vulgata: Et erit funiculus maris, requies pastorum. — f Colitur S. Josephus 15 Julii. Variæ ad eum epistolæ S. Theodori exstant apud Baronium; in anno Ch. 809 num. 47, anno 815 num. [illegible], anno 816, num. 43, quarum ultimam sic concludit: Saluto eos, qui Reverentiæ tuæ famulantur: qui mecum est, Nicolaus scilicet, ut famulus supplex veneratur. — g Aliquis Timotheus colitur 1 Feb. qui in pace dormivit, sed utrum hic fuerit, nescimus. — h Ad hunc Athanasium exstat epistola S. Theodori apud Baronium anno Ch. 809 num. 39: ejusque meminit in epistola ad Naucratium eodem anno 809 num. 44 et sacerum appellat, qui, ut etiam observat Baronius, antea visus est lapsus pedibus. — i Ad Naucratium plurimas scripsit S. Theodorus epistolas, quarum aliquot profert Baronius ad annos Christi 809, 814, 815, 816, 818, 819 et 820: e quibus patet eum sub Nicephoro et Leone Armeno variis carceribus probatum, illustrem pro fide Christi exstitisse Confessorem. Epistolam ultimam sic concludit: Te cum omnibus qui mecum est, Nicolaus salutat. De eo infra iterum agitur.

*S. Josephus Ep. Thessalonic.*

*Timotheus,*

*Athanasius,*

*Naucratius,*

## CAPUT III.

AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS.

## CAPUT III.

### *Persecutio sub Leone Armeno Iconoclasta. Exilium S. Nicolai.*

Enimvero cum sic pulchre hic vinea Domini Sabaoth palmitibus luxuriaret, ac fructu onusta esset, montesque mundanæ affectionis, mentis, inquam, motuum vitiositatem, ac sublimitatem, sub umbra sua tegeret, ac velut quibusdam stolonibus diversa ac varia virtutum ornamenta in mundi fines mitteret, jamque Christi Ecclesia, in omni decore, gradu, ordineque adaucta, ac fide in rectorum dogmatum sereno tuta esset; repente velut nubes quædam ab *a* Orientis partibus improvise ac inexpectato oborta, tetra nocte omnia replevit: nimirum Leo quidam Armeniorum oriundus stirpe, vir revera nocens pessimusque, nomine solo, non re ipsa, pietatis Sacramentum tenens: quem multi recens instructum Satanam perspicue nossent, essetque, ac nominaretur, Michaele Imperii Romani sceptra pie tum moderante, ac cum jam *b* Huni ad *c* Liba regiones vastarent. Hunc ille miserum, primum creat exercitus Ducem, multisque stipatum, adversus præfatam gentem suppetias Imperio mittit. Is porro perinde ac nomen, sic et voluntatem feram inferens, intusque animo latens consilium premens, ac patris *d* Constantini Copronymi, qui et ipse *e* Leo fuit, ejusque filii *f* Leonculi hæresim tenens, miser homo, adversus beneficum Deum universorum Regem, ejusque regnum insurgit. Sane vero cum merentes sub ipso turmas, *g* donorum multa largitione, stultus homo, decepisset, veniens ad *h* partes Thraciæ extra urbem, impie scelestus adversus pios Christianos *i* Imperator renuntiatur; regiamque, iconoclasta palam audiens, ingreditur.

*Leo Armenus homo pessimus, Dux exercitus, malis artibus occupat Imperium iconoclasta,*

14 Cum autem *k* exiguo tempore siluisset, idque subdole, quo tuto sibi Imperium muniret, mox contra cœlum aperuit os suum, blasphemiam eructans adversus Christum universorum Deum, negans sacras imaginum figuras esse erigendas, ut quæ *l* idolorum simulachra essent. O amentiam! Non enim intellexit turpitudinis statua, quorum exemplaria contrariam liquido rationem habent, palam quoque habere ab iis deductas similitudines. Quæ enim inter se contrarie habent, omnino etiam contrariam mutuo inferunt communionem. Alterius enim ad alterum, idoli, inquam, ac imaginis contraria ratio, uti Christi et Belial, ex utrisque liquet. Idolum enim tanquam quod aliquid, ipsamque adeo mentiatur exemplaris similitudinem, imago autem tanquam similis, sic præ illo proprie nominatur. Verum nihil ejusmodi intelligere voluit miser homo, atque a bestia nomen habens: quinimo more Corybantum, ut ita dicam, insaniens, atque adversus Christum, ejusque intemeratissimam figuram furore bacchans, cum viros quosdam animo reipsa corruptos, ejusque per omnia pravis consiliis adstipulantes invenisset, fore putavit, ut per eos Christianæ pietatis Sacramentum fabulam faceret. Haud tamen valuit præstare, ac quamquam instar sagittæ valide admodum percutiens, validius in Ecclesiæ pugiles impingens, retusus est.

*abrogat cultum sacrarum imaginum:*

15 Cum enim in sacra quadam palatii æde, Sacerdotum ac Patrum nostrorum, circumquaque ipsum stipante milite, turbam congregasset; medius ipse præsidens, arroganti ac fremebundo sensu, adversus magnum *m* Pontificem sociosque, quod per errorem in venerabilium imaginum restitutionem consensissent, velut pro concione orabat. Tumque deinde videns, ut ii, Spiritus gladio, nugarum ejus garrulitatem varie mediam secarent (quamquam nullius perinde atque Herois ac magni Patris nostri Theodori audaciam stuperet) ea re miser in furorem actus, omnes ad unum, multa ira exæstuans, regia expellit, ac quamprimum singulis locum exilii sancit.

*Sacerdotes sibi contrarios in exilium pellit,*

16 Quambrem deportatur *n* Pontifex, cui a victoria nomen: sed et omnes relegantur, quotquot Christi imaginem quadam ad exemplar habitudine venerarentur. Ante omnes autem relegantur, ut pleraque omittam, commune illud lucentissimumque nomen, Dei, inquam, munere datum oblectamentum, una cum discipulo strenuoque fidei propugnatore ac Confessore Patre Nicolao. Vix enim ille, hic illic errantem sermonem ab imbecillitate, commiserationе manum prætendens, sibi adjunxit: quamquam is, haud peculiare aliquod argumentum complectens, communes potius ambobus Magistris agones, hujus historia texenda exequitur. Ne quis vero ea nos parte vituperet. Non enim ex arte compositis suasionibus, quin potius veritate, eaque una, ejus res exornare providimus. Majus autem deinceps ex paterno ei accedet encomium, modo ne solum defunctoria oratio, probatam operum laudem ex inscitia deprimens, reprobam faciat. Præter enim exilii pœnam, quodque ab impiis implacabile bellum strenuus pugil indidem pertulit, etiam Patri famulans continue adhæsit, necessariorum corporis indigentiam, maxima constantia ferens, seque ei per omnia bonum Consiliarium, officiosumque parastatam ac adjutorem exhibens. Verum celeberrimi Patris Theodori partium sit ista edisserere, qui ei fortitudinis coronam varie per *o* epistolas plexuerit. Nos autem interim prosequamur quæ sunt nostri propositi.

*Relegantur Nicephorus Patriarcha, et cum S. Theodoro S. Nicolaus, ejus perpetuus in confessione et pœnis socius:*

17 Quia igitur impotenti ira, ac contra indemnatos beatosque viros, prædamnatus Imperator sententiam tulerat; extorresque in castro quodam *p* Apolloniadis lacui vicino, cognomento Metopa, annum integrum carcere detenti egerant; eorum ubique pervagante fama, discipulisque, ac multis aliis clanculum ad eos ingredientibus, eum omnes fere resumptis animis ad integrandum orthodoxum fidei certamen animarentur; re, nescio qua ratione, comperta, mittit statim novus Amalecites indignusque purpura Imperator, eosque ad castrum aliud in Orientali themate, nomine *q* Bonita, transfert, jubens ut ne quem omnino viderent, ullumve sermonem de fide miscerent.

*in carcere alios ad fidei certamen animat, ab iis separatur.*

a Agarenis Orientem vastantibus, Orientalium Dux Leo Armenius commisso prælio ad duo millia cecidit, multis equis et spoliis potitus. *Ita Zonaras.* — b Huni sive Avares *ob bella cum Carolo Magno gesta noti, Pannoniam tunc incolebant, quam adeo desertam pluribus præliis factam tradit Eginardus in hujus Vita 28 Januarii, cap. 4, ut ne vestigium humanæ habitationis circa regiam Cagani appareret. Quare plurimos Hunnorum in Bulgariam vicinam tum migrasse, et cum Bulgaris Thraciam devastasse hac calligine Bulgaros ubi solum memorant. Nicephorus in Breviario historico Hunnorum ac Bulgarorum primordia se dicturum promittit, et dein de Hunnis silens; eosdem cum Bulgaris etiam censet.* — c *suburbia et portas urbis Constantinopolitanæ: nam partem Thraciæ adjectam* Liba *dici infra cap.* 9 *probatur.* — d *Constantinus Copronymus Iconoclasta regnavit ab an.* 741 *usque ad an.* 775. — e *Copronymus Leonis Isaurici, antesignani Iconoclastarum, filius fuit, invasit Isauricus Imperium anno* 717. — f *Hic Leo post quinquennii imperium obiit anno* 780. *Hujus uxor fuit Irene, quæ cum filio Constantino, dein eo intercempto, sola regnavit.* — g Leo militum Orientis Dux, Imperii cupiditate adductus, corruptis, quibus præerat, legionibus et una cum ipsis relicto ordine absque ulla caussa fugæ se commisit: quod reliquus exercitus, *sub Imperatore Michaele pene de Bulgaris victor,* conspicatus perculsus est, ita ut virtus ejus elangu sceret, et Bulgari, qui jamjam terga versuri expectabantur, recepto animo, clamore, Romanos invaderent et ita victoriam, quam amiserant, recuperarent. *Ita Curopalata ac Cedrenus.* — h *Ibidem constitutus,* ut Bulgarorum excursiones prohiberet *teste Curopalate, apud quem aliosque reliqua hic congruenter leguntur.* — i Idus Julias, feria 2, Indictione VI *apud Theophanem aut ejus Continuatorem. Cadunt ea in annum* 813 *litera Dominicali B. Postero vero die a S. Nicephoro Patriarcha coronatus est.* — k *Reliquis istius anni mensibus.* — l *Ita Pseudosynodus Constantinopolitana sub Constantino Copronymo (ut legitur in Vita S. Stephani Junioris cum Operibus Damasceni edita, et 28 Novemb. illustranda)* sacras imagines vocavit idola *quod etiam Leoni Armeno a S. Theodoro in congressu hic relato objectum fuisse refert in hujus Vita Michael apud Baronium ad annum* 814 *num.* 18 *ubi clarius idoli et imaginis differentia adfertur.* Idolum *inquit,* est, quod dæmonis, aut alterius cujuspiam ex iis, quæ Gentiles turpiter pro Diis coluerunt, speciem repræsentat. Imago autem Sancti alicujus, aut Sanctorum Domini figuram depingit. — m *Est hic S. Nicephorus, cujus Acta dabimus* 13 *Martii. Frustra privatim tentarat ante imperator*

*Huni et Bulgari. Liba. Idoli et imaginis differentia. S. Nicephorus Patriarcha CP.*

A *Imperator eum ad suas hæreses attrahere.* — n *Exul S. Nicephorus annos* 14 *vixit in monasterio S. Theodori Martyris a se constructo, vita functus anno* 828. — o *Ut Theodorus in epistola ad dispersas ubique fraternitates apud Baronium anno* 820, *num.* 20 *vocat* Nicolaum concaptivum suum, laboris socium, commilitonem suum, illorum autem Fratrem verissimum. *Similia in ejus epistolis passim leguntur.* — p *Michaelis in Vita S. Theodori ad an.* 814 *num.* 42. Quem mox vicinus Apolloniæ locus in castro, quod e paludis regione Mesopa nuncupatur, custodiæ traditum excepit. *Est autem Ptolemæo lib.* 5 *Geographiæ* Appollonia ad Rhyndacum fluvium, *qui per Mysiam Asiæ regionem in Propontidem effluit. Strabo lib.* 12. Apollonirida paludem et Rhyndacum fluvium *etiam conjungit. Suidas nomen huic loco Attalum Regem Asiæ dedisse tradit a matre sua Pergami in eadem Mysia sepulta. Ibi ergo* Mesopa, *seu potius* Metopa *castrum fuerit, ita dictum, quasi frons ad eam paludem fuerit. Ita vicus* Metropa *memoratur* 20 *Januarii in Vita S. Euthymii Abbatis num.* 14, *sed Hierosolymam inter et Iordanem situs,* Metopon *etiam promontorium exhibet Ortelius in Tabulis antiquæ Turciæ ad Bosporum Thracium et Pontum Euxinum.* — q *Baronius ad an.* 815 *num.* 20 *ait* longius abductum ad Bonita, ibique ita clausum, ut neminem videre, neminem alloqui posset, non paucis, non pluribus, nec quidquam aliud denium libere agere. *S. Theodorus Smyrnam scribens* Orientalem *hanc plagam appellat Smyrnam vero* Khracensem, *ut procul fuerint amandati, et longius inter utrumque locum describit Michael ibi ad annum* 819 *num.* 21, *ubi num.* 22 *epistola ea Theodori refertur.*

*Lacus Appolloniadis.*

*Metropa castrum.*

*Bonita castrum,*

## CAPUT IV.

### *Cruciatus et verbera S. Nicolao inflicta.*

Ut ne autem extra propositum ferri videamur, plus justo sermonem protrahentes, age, fluctus plurimos a puppi pulsantes, immanis procellæ violentiam edicamus. Cum enim magnus Theodorus non B modo vicinos, verum etiam multo locorum intervallo dissitos, qui post impiam hæresim abduci consensissent, ad pietatis iter per Epistolas postliminio traheret; una quadam ex illis, incerto casu ac improvise in feri ac leonino pectore hominis manus incidente, quam is, ad Christi Confessores, sanctarum imaginum ad orationem a principio describens, ejusque dogmatis plenam contentionis ac novitatis insaniam traducens scripsisset; furore accensus, ac pro hominis ratione, leonis instar scelestus rugiens, quam celerrime satellitem verbera illaturum mittit. Vemens ille fremens ac minabundus, Sanctos e custodia educit, ac inique, iniquo ac scelerato Imperatore iniquior, insano furore actus, *a* taureis centum in oculis Theodori magnum Nicolaum cædit. Illumque rursus totidem plagis verberat, tumque pene voce defectos pari certamine beatos viros, in custodia ponit, ac ostium obstruens, jubensque fame enecari, relinquit.

*Ob epistolas missas*

*cum S. Theodoro diris verberibus,* *a*

19 Quis vero tantos illos agones, illatam ea re Sanctis vim enarrans, satis assequi queat? Quis insidias, quas sunt passi a custodibus, feralemque furorem, ac penuriæ necessitatem delineaverit? Nec C enim impiis hominibus veneranda erat ad miserationem senectus, uti neque juventutis sobrietas animi reputabatur; quin potius odio in eos diu noctuque instar canum miseri latrantes, necessaria quoque esca execrandi homines privabant, alternis quaternisque diebus, quandoque per hebdomadam totam, vix modici panis *b* frustum aliquod projicientes, quin et ipsam aquam scelesti homines eis denegabant. Ac sane major est, quam ut sermone exprimi possit, immensa illa illata vis. Num ergo ob eam vexationem haud quidem pugnacem dogmatum constantiam amiserunt? Visine sunt certaminibus impares, minuere aliquid dicendi libertatis? Haudquaquam. Vide enim ampliorem hinc fortitudinem, ac sonum prædicationis majorem.

*et fame cruciatur,* *b*

20 Cum enim *c* necdum eorum corpora bene sanas a prioribus plagis cicatrices haberent, en tibi malus alius impii Imperatoris impius magis nuntius, cædes spirans, ac furoris œstro quodam agitatus advenit, una secum librum inferens, apertoque carceris ostio divinos viros incondito clamore inde educit, ac monstrans epistolam, quam manibus teneret, ab eis adversus Imperatorem scriptam, cogebat edicere, quando, ac quomodo et ad quos misissent. Vide ergo fortium pugilum pugnam aliam ac certamen. Ut D enim abs se compositam, missamque, ac cujus causa factum sit confessi fuissent; in furorem conversus execrandus homo, fortem illum Ecclesiæ adamantem *d* magnum inprimis Nicolaum confestim nudari jubet. Viris autem sublimem ab utraque manu tenentibus, alii dire taureis cædebant. Porro defluebat in terram sanguis Martyris: vidensque scelestus ad longum satis tempus vapulantem sine voce, animo exasperatus miserabilis, jubet sic nudum, ac sanguine commaculatum, sub dio frigore necandum relinqui. Erat siquidem tunc hibernum tempus, tertia nimirum præsentis Februarii mensis, cum hoc accidit Sanctis. Mox vero ita furens, Ecclesiæ columnam Theodorum adit, eumque rursum multis verberibus cædens, redit vicissim ad Magnum Nicolaum, multaque instar hiemalium nimborum sermonum jaculis mittens carmina, conabatur abstrahere a pietate in Patrem. Is autem eum observans fovensque, pessimum hominem ab officio vetantem, in se provocabat.

*c*

AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS.

*d* *taureis cæsus,*

*frigori exponitur:* *a S. Theodori amicitia avelli nequit:* *dire cæsus, funiculis torquetur,*

21 Enimvero ille quidem instar aspidis, iræ præsens venenum labiis repositum ferens, jubet ejus cum brachia tum ulnas iterum flagellis, quæ *e* rheeas dicunt, cædi; sed et ab utraque manu carnivorus canis funes alligans, atque per horas plures tendens, vi- E rum sanctum torquebat. Tum vero blanditiis quoque minas nequissimus temperans persuadere nitebatur ut et fidem negaret. Ut autem conatum omnem, velut si marini fluctus petræ allidantur, in spumam dissolvi vidit; omnino jam animum Tyrannus despondens, eum miser una cum Patre intra carcerem claudens, ac ostium obstruens, tandem et ipse confusus abscessit.

*e*

22 Sane vero videre erat ex verberum illa carnificina, Martyris Nicolai brachia, nihil minus torribus exporrecta. Verberum siquidem excoriatione, ac funium tensione distentis nervis, vique tanta a naturali interius motu prohibitis defectisque, jacebat ceu grave aliquod onus portatu difficile, spectaculum miserabile adspectantibus, in crucis modum rigentibus lacertis, palam omnibus factus. Plane vero mansurus erat ea corporis dispositione, nisi tandem custodes paullum animi feritate mitigata, cum naturæ vim superantem violentiam perspexerent, cum aqua tepida adipem quoque petenti sæpius Patri Theodoro ob inopiam præbuissent. Is, adjunctis precibus, spongia leniter demulcens, ac quotidie plagas oblinens, paucis diebus insanabilem illum manuum dolorem dissolvit, ac perfecta discipulum sanitate F donavit. Sed et ipse nihilominus Magnus Nicolaus, idipsum piæ curationis officium *f* Patri exhibebat, emortuas tormentorum vi carnes, ac instar mandilis pendentes a corpore, perite abscindens, ac omni parte Patris curam gerens. Quas vero ac quantas necessitates, toto illo triennii spatio pertulerint, angusto illo ac tenebricoso detenti carceris angulo, ne dici quidem facile queat. Nam quis, rogo, etiam paullo plenius eam corporis inflationem describat, quæ ex tormentis vere gravis illa ac prope immedicabilis Sanctis accidit? Non solum enim contra solum iniquum Imperatorem, impiosque præfectos decertabant, verum etiam ipsi quoque legi naturæ vim inferebant, depugnantes adversus famem et sitim, frigusque ac nuditatem.

*usu membrorum destitutus*

*sanatur fomentis a S. Theodoro adhibitis,*

*f*

23 Ac sane cum non *g* modicum effluxisset temporis spatium, iterum crudelis Imperator ab eo loco ad Smyrnæ metropolim traducit: quos exceperunt *h* custodia atque *i* verbera, amboque utrisque pedibus *k* ligno revincti erant. Cum autem *l* viginti denuo menses in eo carcere morati essent, corporisque affectionibus superiores facti, virtutem, uti probante tormentorum igne insuperabilem, ita et adversus mortem

*g* *Smyrnam traductus* *h* *i* *k l* *menses 20 detinetur*

AUCTORE MONACHO STUDITA EX MSS. GRÆCIS.

A mortem audere ostendissent; ipse qui juste arcum iræ tendit, adversariosque tollit, juxta Prophetæ oraculum: Qui non reliquit virgam peccatorum illudere hæreditati justorum, recordatus gemitus compeditorum, atque comedentem Jacob Leonis nomine bestiam.

Psal. 7, 13. Eccli. 36, 9. Psal. 124, 3. et 78, 11.

a Michael ad an. 816 num. 7. Anastasius ab Imperatore missus, sanctum virum crudeliter flagellat, centum illi verberum ictus incutiens, semianimem humi jacentem destituens. Tum obscuro utroque carcere inclusit, unaque ejus discipulum Nicolaum, qui Magistro assiduus comes erat, et numquam ab ejus latere discedebat, custodibus præcipiens, ut fame ambos aliisque incommodis vexarent, ut, si quid vitæ illi adhuc superesset, hoc ipsum brevi absumeretur. — b Hæc pariter fere ita S. Nicolao scribente inquiunt Theodorus, sanctam solam sacram Eucharistiam. Habebat, inquit Michael num. 12, sacrum partes aliquas vivifici corporis, peragebatque divina mysteria, quandocumque celebrandi facultas erat, hunc solum cibum, nullum alium degustans, etc. Subinde multo ... — b Ea de re Theodorus, qui postea hæc scripsit Theodorus apud Baronium eadem num. 16. In carcere detinebamur ego Raterque Nicolaus, cum ante custodiæ foramen positi custodes nemini ex impiorum edicto, propius contingere sinebant. Tum tu Dei fiducia freta nutrices, quodammodo lactabas, alebas, potum dabas, consolabaris, hortabaris, te ipsa in apertum mortis periculum conjiciens, custodes muneribus concilians. Salutat te Frater Nicolaus, et ego Dominum ac consolatorem tuum. — c Michael triennium integrum interponit, et Baronius sequentia refert ad annum 819, num. 13. — d Michael ibidem num. 14. Nicolaum prius ejus discipulum, tamquam epistolæ notarium, in oculis Magistri nudum extendi cædique jubet. Deindeque Sanctum illum exuens centum illi verberum plagas imponit, omnia propemodum membra dissecans ossiumque ipsorum nexus et colligationes destruens, quæ sola illi supererant. Transit inde rursus ad Nicolaum, ratus illum propter verbera molliorem factum, verbisque asperrimis ad sacrarum imaginum Magistrique ejurationem instigat. Theodorus ad dispersas fraternitates l. 2, num. 18. Plagis affecti ambo fuimus pro nomine Domini. Etenim et Frater Nicolaus pulcherrime et fidelissime decertavit. Vidimus ex carnibus nostris fluentem in terram sanguinem, conspeximus vibices, saniem, etc. — e Idem Michael. Ut vero fortiorem illum, quam antea esset, sensit, cum lotis intextis, vinculisque recens excisis, manus ac pedes reliquumque corpus dilanians, iteratis plagis exulcerans, sub dio sic affectum reliquit, duplici tormento vexandum frigoris ac verberum doloris: tum enim Februarius mensis agebatur. De Rheco Ideri pater Combefisius. — f Idem num. 15. Sui ipsius curam omittens Nicolaus, totus in illius Theodori curam convertitur, ac ptisanæ aliquantum depascens, rigare arentem Patris linguam cœpit, modicoque in os infuso poto, moribundum refocillavit, ac veluti mortuum vitæ restituit. Ut vero vitalem et vim redisse sensit, ad marcida jam membra medicanda se convertit: pleraque enim carne penitus corrupta et gravedolente tabo ac sanie confecta putruerant, et cernere erat partes alias ab aliis pendentes omnesad usum jam factas inutiles; quam ob caussam cultello eas detruncat, et a sanioribus avellit: si hoc forte pacto reliqua cohærere possint cicatricemque obducere. — g Idem num. 16 spatium 90 dierum interponit qui a 3 Februarii ad 4 Maii elapsi sint. — h Idem num. 21 obscurum sub terra carcerem appellat. — i Idem hæc ita refert. Iterum Anastasius ita fervens Martyrisque sanguinis sitibundus, verbera prioribus acriora Sancto inflixit; lætusque rediit ad Imperatorem, cum tertio jam Theodorum cecidisset, ita ut centenos per vices ictus pertulerit, discipulo ejus Nicolao pari pœna decertante. Theodorus in epistola ad nos ... Smyrnæ scripta num. 4. De nobis, inquit, peccatoribus ne torqueamini, licet audieritis nos flagellis iterum cæsos esse. Tulimus precibus vestris cum gratiarum actione hilariter, etsi ad modicum ærumna. Salutat vos plurimum Nicolaus frater vester. — k Leonem etiam in Theodorum ... ipso alligatos fuisse. — l A 4 Maii 819, ad 25 Decembr. anni 820, aut quæ nocuisse annumerato. Michael ad an. 820 num. 8 annum integrum ac dimidium numerat neglecto utroque mense imperfecto.

Nicolao inflicta verbera,

cibus oblatus.

iterata verbera

B

fomenta adhibita.

alia verbera.

C

## CAPUT V.

### *Mors Leonis Imp. Persecutio remissa.*

Quamobrem placuit, ut quibus locis Divinam is Emmanuelis irrisioni habuerat Incarnationem, in iisdem *a* jugulatus ipse, miserabilem abrumperet animam, qua minime putabat ratione: habuitque perspicue finem Salomonis illud in eum oraculum. Ait enim: Stultus complexus est manus suas, et comedit carnes suas. Huic autem congrue sacra quoque occinunt Esaiæ tuba, cum ait: *b* Quemadmodum vestimentum in sanguine conspersum, non erit mundum; ita neque tu eris mundus, quoniam terram meam perdidisti, et populum meum interfecisti. Cum sic ergo stupenda illa morte, in sacro Dei templo Imperator miserabiliter cecidisset, oritur ejus loco, non sol aliquis ortu suo matutinum lumen ad diei illustrationem præstans, sed, velut quis dicat, stella matutina, ab illuni atraque nocte, diem et non diem fidelibus ministrans. Quidam enim *c* excubitorum Michael, arreptis Romani Imperii sceptris, quamquam maxime hæreticorum fermento saginatum liquebat, eam tamen immensam cruciationem, quam D decessor adhibuisset, Christi Confessoribus *d* remisit, bonum se eis ac humanum per omnia præbens. Summaque, videre erat diversis cruciatibus exhaustos ac longo carcere maceratos, velut ad se invicem conserta spiritali chorea, certaminibus gloriari, tamquam si vitulos dicas a vinculis solutos.

*a* Occiso Leone Armeno, Eccle. 4, 5

*b* Isai. 14, 20

*c* et remissa sub Michaele Balbo persecutione.

*d*

25 *e* Tunc sane magnæ quoque illæ pietatis columnæ Theodorus ac Nicolaus Smyrna discedentes, solo utique nixi baculo, locum ex loco pedibus iter carpendo mutantes, ad *f* Prusæ partes devenerunt: atque *g* hinc tandem petentes Calcedonem, deincepsque a tropæo appellati Patriarchæ aspectu recreati, justo satis tempore læti admodum cum eo commorantur. Tunc videns communis ille Pastor toto corpore eos stigmata Jesu circumferentes, honore prosequebatur, habebatque venerationi, ac in omnium conspectu, cum tempus tulisset, sermonum consertis symbolis exornabat. *h* Facessat mota adversus istos invidia, manumque ori dementes imponant, qui sua ipsi nequitia, Orbis illa luminaria invicem adversa, effræni hactenus, ore calumniantur.

*e* S. Nicolaus cum S. Theodoro

*f*

*g*

summo honore a S. Nicephoro excipitur;

*h*

26 Ceterum Pontifex hos bene consulentes assumens, et una cum eo præcipui Metropolitæ operæ pretium duxerunt, ut coram Imperatorem adirent; sperantes fore, ut subingressa in Ecclesiam scandala ac nequam hæreticos dejicerent. E Ac vero virum quemdam in dignitate constitutum sequestrum adhibentes, ingressi sunt ad Imperatorem, eique pro omnibus, ut quisque valebat, gratias egerunt. Cum jam Theodorus sermonem de Ecclesiæ sanis dogmatis proposuisset (jusserat enim a victoria appellatus Nicephorus Patriarcha, ut is fidem exponeret) perculsus Imperator ejus verbis, nolensque, ut rem dicam, dare solutionem Ecclesiæ; quippe qui velut Antesignanus Iconomachorum, ejusdem ac illi sententiæ esset: Tu, inquit ad Divinum Theodorum, in more positum habes, sceptris resistere: velut improperans plenam illam libertatis reprehensionem, quam communis illa Ecclesiæ fax, ceu Phinees æmulator, sub duobus Imperatoribus *i* Constantino ac *k* Nicephoro fecisset. Sane enim ob animi oculos versantem habebat, quam is quoque miserabilem *l* mortem Nicephoro Imperatori a Bulgaris inferendam, ob aliene a ratione contentiosinsque defensas adulterinas nuptias, spiritu Prophetico prædixisset: metuque percussus; Siquidem, inquit, etiam hostes viri virtutem reverentur, hisce eum verbis modeste repellebat. Denique ubi Imperator lubentissime sacrum Patrum senatum *m* securitatis sacramento firmasset; quod spectat ad recta dogmata, omni satisfactione vacuos e Palatio jussit F abire.

cum iis Imperatorem adit,

monita fidei respuentem:

*i*

*k*

*l*

libertatem impetrat.

*m*

*a* Occisus est Leo anno 820 ipsa Natalis Dominici nocte in templo, dum intra adyta altaris ingressus, arrepta thuribuli catena vel sacra Cruce percutientium ictus exciperet, ut tradunt Curopalates, Cedrenus aliique. — b Ita juxta 70 Interpretes. Vulgata editio habet: Non habebis consortium, neque cum eis in sepultura: tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti. — c Michael Amorii in Phrygia minore natus, a lingue vitio Balbus dictus, cum Dux legionis Romanæ stricto gladio Leonem a se interfectum iri minitabatur, nisi libens acciperet Imperium: a quo deinde Patricius factus, et scholæ excubitorum Comes. Curopalates aliique. — d Edicto reditum omnibus indulgente, ut ait Michael ad annum 821 num. 25, ubi illustris epistola S. Theodori ad Michaelem Imperatorem ea de re. — e Post septimum exilii annum, ait Michael num. 28, ubi exacte iter prosequitur. — f Prusa Bithyniæ urbs ad confinia Musiæ: ubi Olympi incolæ accurrerunt videndi illius cupidi et audiendi, ut tradit Michael num. 32. — g Michael. Relicta Prusa Chalcedonensem viam ingressus est Theodorus cum S. Nicolao, Theoctistum visurus, ... pergit deinde ad Patriarcham Nicephorum certaminis socium et amicum in cœnobio suo ad fretum sito commorantem. Chalcedon urbs Ponti ad Bosporum Thracium. — h Ob incestuosas nuptias Constantini Imperatoris, filii Irenes, benedictas Josephus Presbyter et Œconomus olim a S. Tarasio rejectus, sed dein a Nicephoro admissus: unde hujus etiam communionem declinaverat S. Theodorus cum suis monachis. Quibus difficultatibus sub Michaele Curopalate sublatis, S. Nicephoro communicarant S. Theodorus aliique illoque cohortante Nicephorus sub Leone Armeno. — i Constantinus sub tutela matris Irenes factus Imperator anno ætatis 10, Christi 780. Hic abdicata Maria legitima uxore, Theodotem

Leo occisus

Michael Balbus Imp.

Prusa urb.

reconciliati S. Theodorus et S. Nicephorus.

A *tem cubiculariam duxit, Augustamque coronavit mense Augusto anni 795. Ideo S. Theodorus, licet ei Theodote esset sanguine conjuncta, palam pronuntiavit Imperatorem excommunicatum esse, ut tradit Michael ad illum annum num. 57 et 58.* — k Nicephorum *Imperatorem redarguit S. Theodorus, quod Josephum, qui incestuosas nuptias Constantini benedixerat, et sub introductam forminam coronarat, in statum pristinum sacerdotii restituisset. Videndus Baronius ad annum* 806 *num.* 7 *et seq. et annum* 809 *num.* 6, *quo* mense Januario, Indictione 2 *juxta Theophanem*, Nicephorus Imperator Synodum adversus illos, *Theodorum et socios*, celebrari præcepit, per quam a monasterio et urbe dejecti, exilio sunt destinati. — l *Curarat dici Nicephoro* : Hæc ubi omnium vindex et spectator oculus meis verbis prænuntiat : Scito te, quam viam nunc ingrederis, ex ea numquam reversurum. Itaque juxta Justi vaticinationem barbaricis manibus captus, non solum vitam turpiter amisit, sed caput ipsum amputatum Bulgarorum genti ad ludibrium reliquit. *Ita Michael ad annum* 811 *num.* 5 *et* 6, *Theophanes aliique.* — m *Hæc securitas infra cap.* 7 *explicatur.*

*Constantini incestuosæ nuptiæ.*

*Mors Nicephori Imp.*

## CAPUT VI.

### *Illustre exemplum castitatis.*

Congrue autem, ex quo huc sermone devenimus, aliquid animorum saluti conducibile, præsenti operi adjiciendum putavi. Gestum illud id temporis in Bulgaria sub Nicephoro Imperatore, uti jam in superioribus dixi; quodque is modo jussit describere, qui indignum me in monachum attondit, atque a multis annis monasterium nostrum, virtutis communis Doctor, gubernat ac regit; quique in monasticis B facinoribus encomium nobis aucturus venit. Scio nosse vos omnes Pastorem nostrum *a* Anatolium. Is alendæ animæ mensam apponens, in hunc fere modum spiritalis convivii lætitiam incepit. Quidam, inquit, Sancti hujus Patris nostri Nicolai discipulus, *b* Cyprianus nomine, in more positum habebat, ut quotannis *c* senem quemdam pro exilii ratione domicilium habentem, dignamque senectute vitam Angelicæ similem præferentem, uti sermo processu commode docturus est, adiret. Videns ille miransque antiquam a puero Cypriani ad ipsum affectionem, ceu quamdam hereditario jure possessionem, hancce gesti ab eo certaminis narrationem adolescenti reliquit; universis per illum, quod illud utile habet, communicans.

*Inserta hæc jussu Anatolii Præpositi,*

*narravit S. Nicolai discipulus.*

28 Dicebat enim : Juvenili adhuc ætate, *d* Scholariorum agmini adscriptus eram. Cumque Nicephorus Imperator universo exercitu comitante adversus *e* Scythas movisset, contigit, ut casu quodam, quales humanis rebus solent accidere, solus omnino relinquerer, postque exercitum sequens abirem. Quodam autem loco circa partes Thraciæ, cum vespera occupasset, pernoctare volens, susceptus sum apud fœminam valde opulentam, atque, ut existimo, cui moris esset, C hospitio advenas excipere. Illa, lautam mensam apponens, multaque animi jucunditate cœnam porrigens, insatiabilem quamdam benignitatem in me exhibebat. Unde etiam post cœnam ac epulas, sublimi strato domire curans, multam mihi requiem, viæ omnem fatigationem dissolvens, indulsit. Verum, qui semper invidet diabolus, nec in hoc bono sine crimine procedere sivit : quin potius, malam fœminæ voluptatem stultus subinserens, ut mecum turpi consuetudine misceretur, urgebat. Surgensque lecto quo dormiebat, meum deinceps dormientis petit, verborumque turpitudine ad illicitum concubitum trahere satagit. Ego autem quantum poteram a me repellens : Jure merito, aiebam, mulier, tametsi bellum haudquaquam in barbarorum novacula positum esset, castitatem Legibus Divinis præceptam oportebat inviolatam servare. Sin autem belli armatura, justitia est, si quidem ita voluptatis gladio saucius, meam ipse miser jugulavero animam, qui ad pugnam cum hoste conserendam proficisci possim, qui jam ipse ante prælium mortuus existam? Illa porro sermones hujuscemodi audiens, cum paullulum recessisset, ad me rursus venit, iisdem verbis ad amorem pelliciens. Ipse nihilominus secundo quoque repulsam illam verbis ad castitatem provocantibus

*Juvenis exercitum secutus,*

*in hospitio*

*ad luxuriam ab hospita provocatus eam sæpius repellit,*

irrigabam. Ut autem tertio etiam instantem vidi, D atque ad inferni profundum detrahere cupientem, tum vehementius infremens, ipsaque hora meo ipsius gladio consciscendam illi comminatus mortem, inde exurgens, ac conscendens equum, concito cursu propositum iter pergebam. Tum illa, fore suspicans, ut fabula per me vulgaretur, ad necem quærens, post me servos suos emisit, jubens omnino occidi. Dei tamen immensa clementia ab his illaturis necem, uti ab illa mortale animæ vulnus inflictura, clientem liberavit : miraque quadam ratione, recta per aliam viam incedere fecit.

*AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS.*

*illique mortem minatus fugit,*

*divinitus morti ereptus :*

29 Cum autem haud ita pridem Bulgariæ fines attigissem, intraque eos, nullo alio itineris comite omnino solitarius iter haberem, atque ad montem quemdam, distento cogitationibus animo, propius accessissem (ita vero sub ipsam hanc horam, eram revera Divinam inspectionem, atque eam, quæ mihi supervenisset, calamitatem, totus lacrymis perfusus, mecum animo reputans) vocem quamdam, desuper a montis cacumine me vocantem, audivi. Porro metu perculsus, eo quod plane solus essem, ægreque anhelitum ducens ac tremens, ad eum qui vocabat faciem converti : figensque oculos, novum supra naturam spectaculum perspexi : nimirum, gigantea sta- E tura albis indutum senem, cujus vestimenta solis instar refulgerent. Is manum protendens, jubet cito ad eum ascendam. At ego depulso statim timiditatis pondere, gaudioque commixtus, ad eum ascendo, inventumque sedentem in terra, pronus adoravi. Tum ille gratiose imprecatus, jussit ut surgens, rectus ab ejus dextris starem. Porro habebat pedes sic quodammodo in solo explicatos : manu autem campum monti subjectum plenum corporibus videndum ostendit, stantesque in eo exercituum turmas una cum Imperatore : ac num alienigenarum nostraque castra seorsim cognoscerem, percontabatur. Cum autem hæc ego palam confessus essem; Vide, inquit ad me, nihil metuens. Porro autem dum illi, ad vindicandam quisque suam aciem, arma vibrantes instruerentur, dextrum hic pedem elevans sinistro superponit : tum video nostram aciem multa vi adversariorum aciem invadentem, eamque totam perrumpentem. *f* Cumque Scythæ penitus interirent, essentque necantibus versari terga; en rursus ille pedem sinistrum elevans, supra dextrum deinceps ponit; tumque exurgentes barbari, miserabiliter *g* nostros interficiendo urgebant. Ego autem novo hoc ac mirabili spectaculo velut stupefactus ac attonitus, F stabam adspectans quæ gerebantur : nimirum tum illam hujus commutationem pedum, alternamque vicissim inequitationem, tum acerbam ac amarissimam illorum cadente gladio necem. Cumque sic ad usque solis occasum hujusmodi corporis habitu pedumque commutatione cuique parti victoriam sanxisset, eosque aptans, perinde atque reliquum corpus æquali situ composuisset; ii quoque pugnæ mutuæ finem imponentes, terribile illud bellum dissolverunt.

*in visione senem quante apparente,*

*alterno pedum ejus motu,*

*mutuas cædes utriusque exercitus intelligit,*

*f*

*g*

30 Tunc ille surgens, stansque rectus, ex me quærebat, num eorum qui cecidissent summam inire possem, ac num locus aliquis relictus esset vacuus, mortui corporis expers existens? Me autem impotentiam prætendente, ac palam confidente, nullum me ejusmodi locum conspicere; putare tamen soli quid exiguum extare, quantum strato bovis corpori satis videatur, jugulatorum medium, intentoque in illud digito monstrante, respondit ille : Vides spatium illud expers corporis mortui relictum? Tuum utique, nullinsque prætereа fuit. Quippe in illo moriturus, cum aliis eras in escam tradendus cœli volucribus. Quia tamen tuum corpus servasti incorruptum, nec turpi passione animum polluisti; idcirco te Deus a terribili horrendaque necessitate ac amara morte clementer

*et se ob castitatem servatam cædi ereptum.*

*AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS*

A clementer liberavit. His vero dictis, ab oculis meis evanuit.

*fit monachus :*

31 Tum ego, horrore multo ac stupore paullulum inclinans caput, metu agitatus, adoransque sanctum solum, in quo pedes ejus stetissent, descendens e monte, totamque noctem iter retro faciens, paucis huc diebus adveni, animo constitutum habens, ut humilis ipse, quamquam indignus, Deo qui salvum effecisset, hocce habitu suscepto, servirem. Tu ergo quoque, fili Cypriane, cum tibi tentationes supervenerint, noli tristari : quin potius viriliter sustinens, ac castitatis bonum semper ambiens appetensque, Deum adjutorem habiturus es, qui non despicit sperantes in ipsum. Nos autem hic deinceps narrationem ejusmodi, etsi digressione fusiorem, utilem tamen finientes, calamum vertamus ad communium Patrum nostrorum historiam.

*suadet castitatem.*

a *Circa annum Ch. 930. aut 940. quo Auctor hæc scripsit* — b *Combefis num* 23 *suspicatur hunc* Cyprianum e S. Nicolai discipulo *factum esse* socium S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, cum hic aufugit mutato habitu custodes latens. *Nicetas in hujus Vita* 23 *Octob.* Cyprianum *ejus* discipulum *vocat. Refert Baronius illam fugam ad annum Ch.* 861, *num.* 21. — c *Combefis hunc* senem *cum* Cypriano *confundit, memorat num.* 23 tunc militem, postea vero monachum, cum se Dei clementia a miseranda illa strage ac cæde Romani exercitus a Bulgaris ob servatam castitatem liberatum intellexisset. — d *Erant* Σχολάριοι *tamquam custodes Imperatoris continenter in aula versantes, premii loco et reliquis* D *militibus selecti. De his agemus* 7 *Febr. ubi de sanctis* IV *Protectoribus Imperatoris Nicomediæ passis.* — e *Ita etiam Michael* Bulgaros *vocat* Scythas *ad an.* 811 *num.* 5. — f *Theophanes etiam Nicephori prosperum in Bulgariam ingressum refert, cui tum dixit Crumnus Rex Bulgarorum* Ecce vicisti. Tolle ergo quidquid tibi placuerit, egredere in pace. — g *Illustriores viros cum Nicephoro interfectos narrat idem Theophanes.*

*Cyprianus discip. S. Nicolai.*

## CAPUT VII.

### *Recessus et solitudo S. Nicolai sub Michaële Balbo et Theophilo. S. Theodori Studitæ obitus.*

*Ob persecutionem discedit cum S. Theodoro Nicolaus*

Cum itaque Cæsar Michael, uti jam supra dictum est, quanquam nonnihil a proposito divertimus, fidei robur in auxilium habere respuisset, ac propterea per summam agrestis animi stoliditatem, quemque pro libito suo sentire sanxisset; omnino autem venerandarum imaginum cultores intra urbem *a* sedere vetuisset; sancti Patres nostri Theodorus ac Nicolaus valedicentes sanctissimo Patriarchæ, ac cum illo existentibus omnibus, ad supra *b* designatum junctum sinui Prusæ locum abeuntes, illic demorabantur. Enimvero, cum populi seductor *c* Thomas in Romanum orbem rabiem exerceret, jubente Imperatore, iterum vel inviti in regiam urbem revertuntur. Postque brevi inde abeuntes, vicinam *d* Acritæ promontorio peninsulam, magni Martyris *e* Tryphonis C nomine appellatam, petierunt : ubi tandem multis certaminibus gloriosum Patrem ac beatissimum Theodorum communis vitæ finis excepit. Migravit autem maxima nominis celebritate, *f* die undecima mensis Novembris : ejus vero beatum tabernaculum inde translatum *g* ad vicinam insulam, nomine Principem, gloriosæ ac sanctæ sepulturæ mandatur. Verum de hoc scripserunt sacri quidam Ecclesiæ *h* Doctores, ceu donum quoddam ad Christianæ Reip. communem utilitatem, ejus res præclare gestas depingentes ad perpetuam memoriam.

*illique morienti adest*

*et prope ejus sepulchrum*

33 Lucens vero illa columna Ecclesiæ Nicolaus, Patre suo spiritali orbatus, assidue sepulchro hærebat, certaminibus adjungens certamina, ac sudoribus monasticæ exercitationis sudores, Patrisque jacturam pro hujus seculi usu quotidie lugens : cumque in locum multi Byzantinorum ac maxime ordinis senatorii, plures quoque ex vicinis regionibus, ad eum confluebant; quem miserationis speculum, vario virtutum splendore ornatum, scirent. Eos ille, qua erat cordis rectitudine, suscipiens, ac paternis visceribus amplexans, cuique membro congruam medelam adhibebat, apud omnes, ceu verborum animi probus curator, admirationem habens, atque ut D Christi Confessor, venerationem.

*manet :*

*accedentes instruit.*

34 Ceterum e vivis sublato Michaele, ac filio ejus *i* Theophilo Imperii sceptra adepto, bellum iterum adversus pios instauratur, diraque verbera in eos proferuntur. Quo etiam tempore duo illa lumina, e *k* Moabitide regione nobis exorta, Christique Ecclesiam sanæ doctrinæ fulgoribus illustrantia, quos nostri a Deo afflatos ac divinos Patres vocitant, Theodorum, inquam, ac Theophanem, natura fratres (siquidem etiam fide germani erant) ille Deum amare operibus negans (quamquam nuda hinc denominatione Theophilus appellabatur) quod Christum in imaginibus colerent, eumque venerarentur, tenens, post multa *l* tormenta, eorum impie insculpens faciem, novum insolensque commune hominibus spectaculum traduxit.

*i Theophilus Imp.*

*k S. Theodori et Theophanis facies versibus incisis fœdat cruciatque.*

*l*

35 Tunc quoque cum pia quædam mulier Patrem nostrum Nicolaum, propter obtinentem obscuram pravæ hæresis noctem, crebra locorum mutatione male atteri videret, velletque tamquam alia Sunamitis in magni Elisæi modum hospitio recipere; haud procul ab urbe ad Thraciæ partes suburbium plane a turbis semotum habens, illud offert Christi famulo, rem rite pro nominis ratione appellationi accommodans plenam misericordia, munus quam magnum, E pacem nimirum, uti a pace Irene dicta, una cum possessione præbens. Illic itaque demoratus est, hæreticorum insidias timens. Postmodum vero suo illud monasterio firmata donatione adjecit, Phirmopolis appellationem habens.

*S. Nicolaus in suburbio latet :*

36 Ubi porro Theophilus jam diem *m* obiisset, unoque misere tumulo hæresis pariter merito, quod existimo, circumscripta esset, ac Christi amans uxor ejus *n* Theodora cum filio Michaele admodum juvene Romani Imperii arcem suscepisset, impiusque *o* Jannes, ceu præludio quodam æternæ ultionis, hic quoque abdicationem a divinis sortitus esset; magnusque *p* Methodius Ecclesiæ gubernacula Pontifex obtineret, a Deo afflatis Patribus in unum coeuntibus, initium habuit *q* Orthodoxiæ celebritas; cum orbis jam fines serenitas haberet, Christique Confessores velut stellæ quædam, universum Ecclesiæ firmamentum illustrius ornarent. Tunc plane etiam communis Pater noster ac Christi famulus *r* Naucratius ab exilio rediens, venit Byzantium, proque certaminum merito, multo cum honore ab Imperatrice ipsoque Patriarcha susceptus vir inclytus, eorum rogatu sacræ Fratrum sodalitatis in unum tunc congregatæ in venerabilissimo Studii monasterio præfecturam suscepit : quam quidem magnus Theodorus multis F nuper laboribus enutriens adaugensque, ad millenarium fere numerum provexerat. Eratque rursus novo vigore vegetum Christi illud ovile, velut cuidam Paradiso simile, multas virtutum rosas ac spiritus suaveolentiam adspectare volentibus præstans.

*m sub Michaele Imp. Catholico*

*n*

*o*

*p et S. Methodio Patriarcha,*

*q*

*r Naucratius præficitur Studitis :*

37 At vero Nicolaus Pater, quam amicam haberet longam ex certaminibus in carcere quietem, undequaque venans, eaque quotidie compunctus, quamquam maxime pro amicitiæ jure pariter cum Fratribus commorari volebat : haud tamen sinebatur meliori studio, amica solitudine jugiter laborare desiderans. Quamobrem plurimum tempus in præfato diversorio agens, rarius huc in Patrum se consortium dabat. Per *s* id tempus illustris quoque ac lætitiæ plena Translatio contigit Confessoris ac sancti Patris nostri Theodori ab insula Principe ad nostrum hoc monasterium, providente piissima Augusta, ac magno Pontifice, universoque Ecclesiæ cœtu concurrente : fuitque gloriose depositus *t* vicesimo sexto Januarii, juxta inclytum ac afflatum a Deo ejus *u* avunculum Platonem, una cum fratre ac Episcopo Joseph, a dextris ad Orientalem partem delubri *x* sancti

*S. Nicolaus solitudinem amat :*

*s transferuntur reliquiæ S. Theodori Studitæ*

*t*

*u*

*x*

A sancti Præcursoris : quo utique loco, sacræ etiam *y* victoriosorum Martyrum Reliquiæ conditæ sunt.

*y*

a *Michael ad an.* 821 *num.* 39, *ait* Imperatorem noluisse imagines in urbe regia erigi, sed extra eam procul, et ubicumque voluerint. — b *Michael tradit* ad Crescentis loca redivisse, *et ante num.* 32 *post primum ab exilio cum S. Nicephoro congressum,* ad Crescentis loca petiisse, *quæ hic supra omissa desiderantur.* — c *De Thoma Tyranno agunt Curopalates, Cedrenus et alii; ipse etiam Imperator Michael in epistola ad Ludovicum Pium Imperatorem apud Baronium an.* 824 *num.* 22. — d *Acritas Ptolemæo promontorium Bithyniæ ad Propontidem, qua Chalcedone versus Austrum abitur.* — e *Colitur hic celebris Tryphon* 10 *Novemb. Nicææ in Bithynia sub Decio occisus.* — f Die Dominica, *ut ait Michael ad annum* 826 *num.* 47, Indictione 5 *ut ejus testamento apposita confirmatur, ibidem num.* 48. *Quæ in eum annum* 826 *conveniunt, littera Dominicali G. numeraturque* annus ab origine mundi 6335, *in Septembri cœptus.* — g *Græce* πρὸς τὴν γειτονιῶσαν Πρίγκιπον, in vicinam insulam Principem, *quam exhibet talem in tabulis antiquæ Thraciæ Ortelius, observatque eamdem in Constitutionibus Emanuelis Comneni Imperatori referri.* — h *Hi sunt sæpius citatus Michael, et Naucratius in sua Encyclica de obitu S. Theodori.* — i Mense Octobri, Indictione 8, *ut scribunt Curopalates, Cedrenus, aliique : ergo anno* 829. — k *Hos ex* Palæstina et urbe Hierosolyma *prognatos tradunt Acta propria* 27 *Decemb. Sunt autem hi alii a S. Theodoro Studita, et Theophane patruo Nicolai.* — l *Hæc S. Theodorus describit missa ad Joannem Episcopum Cysicenum epistola quæ Actis eorum inserta. Insculptos fronti duodecim versus refert Cedrenus, eisque scribens S. Methodius sepulchro inclusus ea alludit.*

Princeps *insula.*

Quorum libris inscripta sunt cœlestibus
Nomina, piæque frontes compunctæ notis :
Hos qui sepultus ante funus est suum
Vinctos salutat, et ipse vinculis gravis.

*S. Theophanes pace Ecclesiæ reddita factus est Episcopus Nicænus.* — m *Potitus imperio* anno 12, menses 3 *juxta Cedrenum et Zonaram, diem obitus Baronius assignat* tertium Kalend.
B Februarii, *ergo anni* 842, *ut istic num.* 4 *legitur.* — n *Theodora Augusta et mater ejus Theoctiste ob cultum sacrarum imaginum apud Theophilum Imperatorem delatæ, discrimen callida tergiversatione excusserant, ut apud Curopalatem legitur.* — o *Aliis* Joannes, *Iconoclasta, Patriarcha Constantinopolitanus fuit sex annos juxta Zonaram, factus anno* 835. *Theophili Imperatoris ante pedagogus.* — p *Colitur S. Methodius* 14 *Junii. De eo egimus* 5 *Febr. in Prolegomenis ad Acta S. Agathæ.* — q Orthodoxia *dicitur festus dies, quo sacrarum imaginum restitutio quotannis celebratur Dominica* 1 *Quadragesimæ.* — r *Hujus* Naucratii *est forte hymnus, qui sub nomine Theodori Studitæ editus canitur in erectione sacrarum imaginum, et Græco Latine refertur a Baronio ad annum* 842. — s *Michael apud Baronium ad an.* 844 *num.* 20 post annos decem et octo *ab ejus obitu.* — t *Ergo anno* 845, *si anni* 18 *completi fuerint.* — u *Michael.* In quo et Magni Platonis, et beati quoque Josephi dives arca pariter asservatur. *Fuisse autem S. Platonem S. Theodori avunculum testatur hic in Oratione funebri, ubi illi duas assignat sorores natu seniores, ex quarum altera ipse genitus fuit. Combefis* ex matre avum vertrat. *Græce* τῷ ἐκ μητρὸς αὐτοῦ θείῳ, *idest avunculo. Coluntur Plato* IV *Aprilis, Josephus* 14 *Julii.* — x *Studii monasterium ad honorem S. Joannis Baptistæ constructum fuit.* — y *Græce,* τὰ τῶν καλλινίκων Μαρτύρων ἱερὰ λείψανα. *Joannes Zemisces Imperator in expeditionibus bellicis invocare solebat sanctos Martyres victoriosos, quos Cedrenus vocat* τοὺς καλλινίκους Μάρτυρας. Τούτοις δὲ προμάχοις ἀεὶ καὶ προβόλοις κατὰ τῶν πολεμίων ἐχρῆτο ὁ βασιλεύς. His auspicibus et antesignanis adversus hostes uti solebat : *additque ex his duos* Theodoros *nomine fuisse, quorum alter Dux Heracleæ in Ponto colitur* VII *Februarii, ubi etiam de altero Theodoro Tirone, cui dies* IX *Novembris sacer est, agimus : et* § 4 *hujus Imperatoris erga eos pietatem describimus.*

*Orthodoxia.*

*Martyres* καλλίνικοι, *victoriosi.*

## CAPUT VIII.

### *Præfectura Studitarum. Discessus*
C *ob Photium intrusum in Sedem S. Ignatii.*

Methodio autem pietatis defensore ac præcone ad beatam illam sortem *a* commigrante, cum *b* Ignatius Pontificalis apicis gubernacula suscepisset, admirabilis ille, multisque certaminum coronis revera inclytus Naucratius, decima octava Aprilis mensis, *c* in idipsum soporatus est, obdormivitque, successorem suum relinquens, beatum Confessorem ac multa passum Patrem nostrum Nicolaum. Is vero animo reputans dignitatis magnitudinem ac ejus onus, semperque secum, sibi contubernalem ac domesticam virtutum arcem, humilitatem ferens, eam rem lugens moleste habebat. Cedens nihilominus multis Patrum obsecrationibus, eam admittit ordinationem : qui id proprie humilitatem sciret, ut ea quis potiora habeat, quæ multis videntur, quam quæ propria ipse voluntate approbat.

*a b sub S. Ignatio Patriarcha*

*c*

*At S. Nicolaus Præpositus Studitarum :*

39 Cum autem triennii spatio nobilem illam Fratrum onerariam, ad virtutum lucra, divini Spiritus aspirantibus auris, honeste admodum direxisset; quod plane, uti jam sermo liquido ostendit, quietis amans, ut quis alius, esset, eoque desiderio vehementius incensus, haud ultra quatientia cogitationum jacula ferre posset: ubi pauca quædam ea de re Patribus coram habita oratione exposuisset; demum proponit qui ejus loco præfecturam gesturus esset, Sophronium quidem nomine, ac presbyterii dignitate præfulgentem virum, quique nihilominus appellationis gratiam temperantiæ augmentis re ipsa obsignaret. Quippe ferunt, uti non raro loqui accidit, quadam simplicitate ac candore ipsum de seipso beatum virum ad auditorum utilitatem quandoque dixisse : Numquam se ab eo tempore, quo monachi habitum induisset, panis aut vini aut cujusvis alterius cibi, qui impinguare possit, eam quantitatem sumpsisse, quæ ventri explendo esset.

*qui præfectura post triennium translata*

D

*AUCTORE NONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS.*

*in Sophronium,*

*virum sobrium,*

40 Huic ergo in præsentia Pontificis relicto grege, *d* exiens vir sanctissimus, in præfato resedit Phirmopolis hospitio. Quippe loci eum delectatio tenebat, cum ille mores potius, quorum caussa locus studio esset, adipisci contenderet. Ceterum ubi inclytus Sophronius annis quatuor præclare monasterium auxisset, ac solertiæ præmium, bonorum operum divitias consecutus esset, dieque tertia mensis Novembris *e* ad Dominum migrasset, Patris amantes monachi, cum ultra Sancti absentiam ferre non possent, proprium ejus quietis hospitium petentes, eumque rursus tamquam filiorum amantem ad suscipiendam præfecturam cogentes, ad monasterium duxerunt : isque interim paterna pietate in filiis quotidie lætabatur.

*d in solitudinem recedit : post annos 4*

*e resumit regimen.*

41 Cum itaque juxta nominis rationem Christi munus illud Ecclesiæ concessum, Christi, inquam, amans ac religiosissima Imperatrix a Michaele filio, E ubi jam ille infantiæ balbutiem abjecisset, ab aula *f* dejecta esset; cum nimirum novus Imperator malum Consiliarium Bardam Theodoræ fratrem sibi adhibuisset, amboque ita Remp. inter se partiti essent, ut alter Imperium, alter Cæsaris sibi honorem vendicaret; non exiguam inde subjecto populo voluntatum in invicem confusionem, qua non putabant ratione, in se ipsi Divinas leges violantes, fecerunt. Ille siquidem, supercilium tollit in matrem; hic præterea in ipsam quoque naturam peccavit, naturæ actionem temere usurpans contra naturam. Vide enim quid gereretur. Nimirum, miserabilis Cæsar Bardas, adversus filii thorum scelesto insaniens *g* externus conjux cum propria nuru, jugumque alterius simulis ac filii perturbans, noscebatur. Dei ergo Pontifex, atque a Theophoro, Magno, inquam, *h* Ignatio nomen habens, id facinoris, quoad fieri posset, corrigere studens, constans ex Divinæ legis præscripto, jugiter admonebat, obsecrabat, increpabat, sperans fore, ut ea ratione scelus omnino exscinderetur. Haud enimvero iniquæ copulæ amor quidquam miserum ad frugem meliorem redire sinebat. Ceterum ubi sacer Pontifex hominem obstinatum vidisset, ac extrema linea peccati servum, arcet deinceps ab ecclesiæ sacris liminibus, hanc ei præstans emendationis materiam. At ille ira pariter ac cupiditate aliene a ratione confixus, potentiam in tyrannidem arrogantia vertit : universoque populo comitante, fremens, sensuque excelso *i* templum ingrediens, ac intra sacra adyta penetrans, horrendis mysteriis impertiri a Pontifice flagitabat.

*f*

*Bardas ab Imperatore Cæsar creatus,*

*ob incestum scelera*

*g*

*h*

2 Tim. 4. 2

F

*excommunicatus,*

*i*

42 At ille æmulator, sermonum *k* siromaste, sceleris illi reprehensionem publice prætendens, medius præcordiis graviter confixit, vacuumque atque confusum ab ecclesia ejecit. Is vero furore totis præcordiis actus, tandem Imperatori persuadet, ut Magnum Ignatium a sua deturbet Sede, quod etiam haud diu post accidit. Tum vero quid? Ignatio per tyrannidem *l* expulso, Photium quemdam nomine, tunc *m* primi secretarii munere fungentem, *n* multa virum religionis ac scientiæ fama, eligunt : quem statim detonderi jubentes, Pontificali dignitate sublimant. Quid autem

*k*

*S. Ignatium Sede pellit,*

*l m*

*n*

*Photium subrogat.*

A autem zizania singula ea occasione exorta dicere attinet, cum illa universi Ecclesiæ alumni perspicua habeant? Ceterum aptandum argumentum Pastori nostro Nicolao.

AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS.

43 Hic itaque, qui se prorsus Christo ac Deo devovisset, ac omni parte ad ejus se mandatorum normam composuisset; qui flore primo juventutis patria relicta peregrinus factus esset, quique more Apostolico Fratrum in infirmitatibus socius, una undique affligi cuperet, uti accuratam imaginem ac similitudinem, ita et communionem inviolatam servans, ab iniqua se incompositorum conscientia abrumpens, ac una cum fratre e Monasterio discedens, in ejusdem hospitio degebat, quod *o* Preneti situm est. Hujus rei sparsa fama, cum, percrebrescente toto populo rumore, fidem omnino haberet; sciens jam olim Cæsar sublimem viri virtutem, utque is omnium ore decantaretur, stupensque, quam ejus dementiæ, viri sancti illa discessio, redargutionem auctura esset, imperii vires detegendo adhibuit. Ubi ejus hospitii locum didicisset, statim morosus homo, persuasibilibus sermonum suorum verbis, in sententiam Patrem pellicere molitur: unaque socium Michaelem Imperatorem in *p* Pythiorum balneis assumens, cito conscensa nave, virum sanctum *q* Prænesti invenerunt, D verbaque blanditiæ jaculorum instar prætendentes (quippe gravis erat eorum tyrannis, ac quæ facile virili quoque virtute animos demutare posset) iis Sanctum a sententia revocaturos putabant. Tunc vero communiori Magnus ille ad eos sermone: Par quidem erat, ut qui in Deum, ejusque Divinas leges peccaveritis, ejus apprehenderetis disciplinam, nec iram in furore in vos ipsi traheretis. Judicium quippe durum fiet in iis qui præsunt. Quia vero pœnitentiæ medicos putrescentia ulcera consolidare rennitis, hæc dicit Spiritus sanctus: In malum tandem vobis res cedet.

*S. Nicolaus Photii communionem evitans,*

*discedit :* o

*Imperatorem et Bardam sibi blandientes* p q

*redarguit* Sap. 6. 6

a *Anno Christi* 847, 14 *Junii.* — b S. Ignatius *Michaelis Curopalatæ Imp. filius. Colitur* 23 *Octobris.* — c *Anno* 853. — d *Anno* 851. — e *Anno* 855. — f *Anno* 830, *cum plus annos* 14, *juxta Zonaram, cum eo regnasset.* — g *Græce* ξένος ὑμέναιος πρὸς τῷ ἰδίῳ νυμφῶνι, καὶ ἑτερόφοιος ζυγὸς ἐξαρχεθεὶς ἐγαμβρεύετο. *Ubi* ξένος *vertit Combefis* novus, *qui potius* peregrinus, barbarus, externus *est.* νύμφη *eadem est* sponsa, *quæ etiam juxta interpretes Cedreni, Zonaræ et Nicetæ in Vita S. Ignatii* nurus *est; per* ἑτερόφοιος ζυγὸς *exprimitur conjugium filii, qui respectu matrimonii alius a patre, cui in reliquis simillimus et proximus est, proprium jus habet: quod insano furore perturbavit Bardas.* — h *De* S. Ignatio *Episc.* apo *Antiocheno,* Theophoro *dicto, egimus* 1 *Februar.* — i *Festo Epiphaniæ, inquit Nicetas.* — k *Attulit ad divinum zelum Phinees, qui Num.* 25 *v.* 7 *fornicantes Zambri Israelitam, et Cozbi mulierem Madianitidem occidit arrepto pugione. Græce* λαβὼν σειρομάστην ἐν τῇ χειρὶ, *quæ vox* 4 *Regum* 11 *v.* 10 *vertitur* hasta. — l *Anno* 858, *post annos* 11 *in Patriarchatu exactos.* — m *Græce* πρωτοασηκρήτην τότε ὑπάρχοντα *qui primus a secretis erat, qui etiam apud Cedrenum et Curopalatem leguntur.* — n *Cedrenus* καὶ σοφίᾳ γνώριμον, virum, *inquit interpres Curopalatæ,* ob sapientiam clarum; *Zonaras* ἐν λόγοις διασημότατον, eruditionis nomine celeberrimum. — o Πραίνετον *Socrati lib.* 6 *Hist. Eccl. cap.* 14 ἐμπόριον ἀντικρὺ τῆς Νικομηδείας κείμενον. Prenetum emporium situm e regione Nicomediæ *in Bithynia.* — p *Nicetas Choniates lib.* 3 *de rebus Alexii Angeli ait, hunc ad* Pythia castrametatum esse *ut calidis aquis inhiaret. Meminit eorumdem Procopius lib.* 5 *ædificiorum Justiniani: est locus Bithyniæ.* — q *Imo* Preneti *(de quo jam egimus) legendum remur.*

C

Preneton

Pythia.

## CAPUT IX.

### *S. Nicolai exilium et carceres. Regimen monasterii resumptum.*

His itaque illi sermonibus exasperati, inde vacui abscedunt, in commodum aliud tempus spes suas reservantes. Quemdam siquidem pone se ad Sanctum destinantes, significant, non debere in ullo sui monasterii hospitiolo degere. Ac velut ulciscentes, statim ejus loco, Achillam nomine, virum utique probis undique moribus, Præpositum ordinant. Ipsi autem quod in proverbio est, nullum non movebant funem, quo Sanctum caperent. Dei autem famulus Nicolaus sic a propriis pulsus, atque iis propius accedere vetitus, locum ex loco, cum egestate tum *a* senio confectus, mutabat. Tum vir quidam ita divexari videns, D cui idem atque Samueli Prophetæ clarum obtigisset nomen, ejus uti appellationis, ita et operum ac veritatis consortium ambiens, ac pretium redemptionis animæ, divitias egenis large impertiens, in *b* urbe ad partes Liba semotum locum ac quieti aptum coemens, proposito animi rectissimo, viro sancto offert, commodum ea largitione amanti quietem præstans: quem is locum Dei gratia illustre tandem *c* monasterium, optimam in eo a principio basim figens, effecit. Postmodum enim, cum unum quemdam e suis discipulis, Evarestum nomine, accersisset, non solus ille asceticæ palæstræ certaminibus, Evarestum se, id est, placentem ac gratum ostendit; verum etiam locum ipsum per eos, qui in eo placerent Deo ac religiose mererentur, beneplacitum fecit, qui ejus hactenus placitis intercessionibus præclarisque meritis egregie abundet, totique fere Orbi venerationi habeatur, cum olim Cocorobii locus appellatus esset. Denique dum interim vir sanctus venerabili illo loco bene quietus ageret, eum Photius Pontifex cum Augustis, modis omnibus ad se trahere moliebatur, utque ad eum accederet, inducere tentabat. Ejus quippe supra omnes alios gloriam captabat. Id ubi vir admirabilis intellexit, eorum volens cavere insidias, fuga se in *d* Pryconnesum proripit, indeque *e* Mitylenen abit: quo loco ubi diu satis demoratus esset, tandem in *f* Cherronesum una cum proprio fratre, apud Xamelium habitaturus, reductus est.

*Achilla Studitis præfecto,*

*fugatur :* a

b *quietum locum obtinet :*

c

*inde ob insidias Photii migrat.*

E d e f

45 Porro præfatus Achillas ubi annis quinque in Sancti monasterio gregem gubernasset, *g* Archiepiscopus Nacoliæ *h* in partibus Orientis creatus est: a quo præfecturam iniens Theodosius, cum annum unum et ipse præfuisset, vivis exemptus successorem Eugenium habet. Sed et ipse cum menses quatuor præfecturam tenuisset, Theodorus *i* Santabaris oriundus, ac idcirco a nonnullis Santabarenus appellatus, successor suffectus est: cui demum, cum annum unum Præpositi personam gessisset, Sabas a *k* Callistrato, ejus discipulus, qui tunc *l* Pontificium agebat, ordinatus succedit. Cum autem magnus Pater Nicolaus *m* annos septem in præfato loco, cum naturæ necessitatibus, tum ipsa senectute attritus, egisset, inde vinctus ad suum ipsius reducitur monasterium, præfatoque Sabæ traditus, in carcere ad *n* biennium maximo corporis neglectu arctaque admodum custodia tenetur.

g h

*post Theodosium, Eugenium, et Theodorum,* i

k l

m

*sub Saba Studitarum Præposito, in carcere maceratur.*

n

46 Quia nihilominus peccatorum viæ tenebrosæ sunt, nec sciunt quomodo offendunt; quo finis a Sancto in duos Cæsares prænuntiatus tunc primum occuparetur, junctis copiis Imperator Michael ac Cæsar, in *o* Cretam adversus Ismaelem exercitum educunt. Tumque *p* in via mutuo in se furore concitatis, Cæsar insidiis appetitus, misere gladio dissectus *q* jugulatur. Reversus autem ille, *r* brevi et ipse perinde calicem iræ bibit, unum eundemque, juxta quod vir justus pronuntiarat, inveniens finem. Mox vero Basilius Cæsar Romani *s* Imperii sceptra moderanda suscipit: jubensque sacram fieri Synodum, post redditam *t* Ignatio Pontificalem Sedem, quærens communem nostrum Patrem ac Ecclesiæ lumen Nicolaum, obsecrabat, ut et ipse monasterii sui curam reciperet, una secum obsecrationis intercessorem Episcopum adhibens. At ille commissum a se munus rejiciens, cum affectæ senectutis impotentiam caussabatur, tum ab iis, qui illic præfecturam gessissent, exantlatos labores atque molestias: Habes, inquit, Imperator, ad omnia quæ jusseris, multa alacritate tuæ devotum voluntati: verum a te unum hoc rogo, ut ne libertatem ac dimissionem meam impedias: cui magni lucri compendio accedat, ut a tua sanctitate manifester ac protegar. Demum Imperator benevole virum beatum excipiens, ac persuadens pristinæ

Prov. 4. 19

F

o

*Michaele ac Barda jugulatis,*

p q r s

t

*sub Basilio Imperatore resumit regimen.*

A pristinæ præfecturæ munus etiamnum obire, multa animi voluptate ab aula remisit: quamquam etiam ad se crebrius accersebat, ejus simplicitate vehementer delectatus.

a *Prope septuagenarius.* — b *Constantinopoli: cujus pars Thraciæ objecta,* Liba *dicitur cum suo suburbio, quo usque supra Bulgari regionem vastarunt.* — c *Cantacuzenus lib. 1 cap. 40 tradit corpus Irenes uxoris Andronici junioris* Byzantium deportatum, in Libis monasterio, *ἐν τῇ τοῦ Λιβὸς μονῇ* magnifice ac regia pompa funeratum esse, *an illud quod a S. Nicolao extructum?* — d *Græce hic, πρὸς τὴν Πρικόννησον, aliis* Proconnesus, *Ptolemæo* Prœconnesus, *insula Propontidis prope Cyzicum.* — e *Urbem insulæ Lesbi, quæ* Metellino *jam dicitur.* — f *Peninsulam Thraciæ ad Hellespontum notissimam, ut mirum sit Combefis* putare ipsam esse vicinam Acræ promontorio, in qua Theodorus diem obiit. — g Nacolia *urbs Phrygiæ salutaris, cujus Episcopus Nicetas subscripsit Concilio* vii Œcumenico *Nicææ anno 787 habito. In plerisque Notitiis Episcopatuum Orientis subjicitur tertius Metropolitæ Synnadensi: abest ab Ordine Præsidentiæ Metropolitarum in Thronos quinquaginta distinctorum, ut forte tum exemptus fuerit, atque ita hic* Archiepiscopus *dictus.* — h *Græce ἐν τοῖς τῆς Ἀνατολῆς μέρεσι. Hinc ea regio Asiæ dein* Anatolia et Natolia *dicta est, quod respectu Constantinopolis sit ad* Orientem. *Ita in Vita S. Lucæ Junioris 7 Februarii Achaia et Peloponnesus dicuntur τὰ ἑσπέρια partes Occidentales, respectu ejusdem Imperii Constantinopolitani.* — i Zaudapa *urbs Mysiæ ab Avaribus anno 5 imperii Mauricii Imperatoris eversa juxta Theophanem. An is aliusve locus indicetur dubium.* — k Callistratia *urbs Galatiæ maritima ad Pontum Euxinum Ptolemæo. Græce hic ἐκ Καλλιστράτου.* — l *Photium intelligit, cujus hic et forte præcedentes erant fautores.* — m *Ab anno 858, ad 863.* — n *Itaque ad annum 867.* — o *Agunt de ea expeditione Curopalates, Cedrenus, Zonaras aliique, et maxime Nicetas in Vita S. Ignatii.* — p *In Asia non procul Epheso,* ubi Mæander fluvius, *inquit Curopalates,* influit in mare. et Horti sunt locus maritimus. — q Prima tunc dies erat mensis Aprilis decimæ quartæ Indictionis. Reversus Michael Imperator Byzantium, Basilium sibi filium adoptat, Imperii sacra unctione decorandum curat die festo Pentecostes 26 Maii, Indictione 14, *ita Curopalates, quæ conveniunt in annum 866 littera Dominicali F, cyclo Solis 7 Lunæ 12, Paschate celebrato 7 Aprilis: ut mirum sit Baronium referre ad annum sequentem 867.* — r *Anno sequenti* 867 initio Indictionis i, xii Kalend. Octob. *ut tradit Nicetas.* — s Proclamatur Imperator regia occupata. *Nicetas.* — t Die Dominica 23 Novemb. *juxta Nicetam eodem anno 867 littera Dominicali E, cyclo Solis 8. Synodus Œcumenica habita est anno 869.*

Liba. Pryconnesus Nacolia Natolia.

B *Bardæ mors.*

## CAPUT X.

*Miracula S. Nicolai in vita. Collatio cum aliis Sanctis.*

*Claret miraculis, 1 Corint. 14. 22*

Hinc enimvero operæ pretium duxi, beati viri laboribus, etiam consequentes fructus brevi narratione subnectere, ac pauca quædam ejus miracula lectoribus insinuare, quo absoluta consistat narrationis utilitas. Quamquam enim signa infidelibus, juxta quod Scriptura habet, Dominus tamen ad majorem famulorum suorum gloriam, eorum dona, quibus natura beneficio afficitur, in fidelibus distribuit. C Læti ergo divina Spiritus miracula edicamus.

*a moribundas sanat, Eudoxiam Augustam, in visione apparens,*

48 Quippe *a* Eudoxia Christi amantis Imperatoris uxor, per hos dies in morbum gravem incidit, jamque omni medicorum auxilio, morbo in mortem inclinante, destituta erat. Cum autem Imperator ea re mœstus, dire quiritaretur, ac animo angustiaretur, incidens interim visio, læto animo effecit. Putabat enim illa, cum modicum degustaret somnum, senem quemdam videre, monachum quidem habitu, quemque multa gloria honestaret, se in hæc verba affantem: Confide, inquit, fore, ut modo minime moriaris, quin amodo, optatæ sanitatis commoda persensura es. Tum illa somno soluta rem statim cum viro communicans, Imperiali decreto, omnes in urbe sanctimoniæ laude præcellentes viros, ceu invisendi ergo ad se ascendere jubet. Quamobrem etiam Pater noster una cum Patrum choro in palatium veniens, vultu Moysis instar glorificato, liquido is ipse Augustæ innotuit, qui in visione verba oppignerasset. Magna itaque voce, in gratiarum actionem effusa, palam traducens, gloriosa Dei in ipsam per eum magnalia prædicavit. Imperator autem, adstansque omnis caterva, virum admirantes, congruis honoribus prosecuti sunt. Symbolice puto, Christi famulus illi simile miraculum portento quodam operatus est, quod nominis Patronus Nicolaus olim edidisset; cum nimirum *b* Imperatori in visu apparens, ab injusta

*similis S. Nicolao Myrensi, b*

D nece *c* viros liberavit. Enimvero, miraculo subnectentes miracula, Patris virtute ediscamus.

AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS.

*c d et Helenam Patriciam signo Crucis;*

49 Helena quippe *d* Manuelis Patricii quondam uxor, cum perinde atque Augusta, portis inferni vi morbi propior accessisset, jamque sui ad suprema pro morientium ratione officia parati essent; accedens Magnus ille, ac manu ægrotantis caput attingens, Crucisque signo desuper in aere expresso, corpus consignans, mortis recessum vegetavit. Confestim enim sanitate recepta, a diro dolore, quo tenebatur, liberata est.

*prædicit a medicis deposito varium magistratum,*

50 Sed et hoc præfato ejus viro memoratur accidisse. Nimirum, cum humi lecto jacens decumberet, jamque a medicis supremam mortis sententiam accepisset, rogabat adesse virum sanctum, clamore flagitans, ut se Angelico monachorum habitu perornaret. Ad quem Sanctus: Haudquaquam. Nec enim, fili, conducibile foret, qui brevi infirmitatis hujus symbola relinquens, magistratuum præfecturas Dei munere administraturus sis. Ubi itaque hoc evenerit, te deinceps coma deposita ad beatam illam sortem bonis operibus refertum assumpturus sum. Porro finem habuit prædictio, eventusque prophetiam secutus est. Etenim relicta ille cum lecto ægritudine, diversisque illis Magistratibus defunctus, cum tandem modicum ægrotasset, juxta viri justi sententiam, comam deponens, migravit ad Dominum.

*et genus mortis;*

E

*e parentibus f ob infantes morientes mæstis*

51 Theophilus autem, qui perinde atque Melisseni, *e* Lydiates appellabatur: quippe vir eorum gener erat, impositamque illis a genere appellationem, ipse etiam merito abusione ferebat. Nam et *f* Protospatharii dignitate ornatus erat. Nati porro ex eo infantes, vitam statim cum morte commutabant, amboque parentes jucundissimo eorum gaudio ac vita carebant. Plane enim mulcent, quæ maxime infantes rudi lingua balbutimenta pronuntiant. Bono itaque consilio, ambo conjuges magnum hoc lumen adeuntes, ejus se objiciunt pedibus, multisque lacrymis exponunt, quem ex orbitate prolis dolorem persentirent. Ac vero, ceu quodam clypeo, adversum improvisam illam mortis infantum violentiam sese munientes, hunc ipsum magnum virum, ut susceptoris a divini baptismatis regeneratione munus obire dignaretur, obsecrant. Haud tamen ille postulatis annuit. Caput nihilominus infantis superstitis manu sinistra tenens, dexteramque desuper elevans, ac abunde precatus: Domum, inquit, abite. Hæc enim dicit Spiritus sanctus: Vivet puella (quippe fœmina erat) vestrisque ipsi oculis filios filiorum ejus visuri estis, sicque vos etiam ab humanis cum lætitia migrabitis. Porro hic quoque rerum eventus Patris sermones consecutus est: *g* filiique orbitate multotorum filiorum parentes extiterunt, qui filiis orbi erant.

F *longam vitam filiæ, et progeniem nepotum:*

*g*

*comparatur cum viris illustribus*

52 Quid vero singula prosequar? Sane probatum fuit magnum hunc virum prophetico schemate et miraculorum dioptra omnino ornatum esse: quamquam longo temporis lapsu pleraque illorum oblivionis profundum absorbuit. Quia enimvero obscure quodammodo præ sua imbecillitate instituta oratio, ejus res præclare gestas designavit; age jam res ejus antiquorum rebus gestis conferentes, hunc quoque declaremus viri præstantiam. Nec enim Spiritus dona particularia sunt, locisque ac personis addicta, tametsi eorum virtus est diversa. Soli quippe nos, quæ individua sunt, in parte particulatim in invicem partimur ac dividimus, qua sumus in aliquos, affectionem prodentes. Sic autem consideremus. Miraris Abelis cor rectum, novaque munerum primitiva, quando etiam a Deo laudem meruerunt: spem quoque Enos, ac Enochi translationem. Verum hujus quoque si lubet mirari ab infantia ipsa novam sensus animi in Deum demutationem, universasque ætatum primitias,

*Abele, Enos, Enocho,*

AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS.

A primitias, rationalis, inquam, hostiæ ex spiritu contrito pretiosiorem munerum oblationem, quæque inde spes, ac mentis quotidiana, ad ea, quæ sensum exuperant, translatio accedit; quanto illic ex circumstanti externaque substantia, huic autem, ex ipsismet propriis oblatio consummatur. Sin autem Protoplasti in manu Dei formationem, moramque in Paradiso, ac primo latam legem, Patri nostro ex adverso produxeris; majus quam minus encomium virtutis inveneris, integram inde mandati abrogationem assumens, *h* Paradisique vix non cum justis accepturus voluptatem: siquidem juxta magni Pauli sententiam, impossibile est quemquam consummari.

*Adamo,*
*h*
Hebr. 11. 40

53 Laudas Noemum, quod diluvii aquas in justitia evaserit, quodque bruta animantia arcæ ligneæ ambitu continuerit: Abrahæ item hospitalitatem, novamque Deo offerentem unigeniti hostiam, susceptum, inquam, ex repromissione immolantem: sed et hujus lauda ex hæretica illuvione ad Deum perfugium, quodque genera multa rationalium salvarit: animi item purgationem, quamque sacerdotii jure Christo ipsi ac Deo hospitalem paravit mensam: quippe qui etiam totum se, mensam sacram, ac spiritale holocaustum effecerit. Plane mirabilis Isaaci B ante etiam nativitatem promissio: hic enimvero ipse statim *i* ultro promisit, post etiam nativitatem. Mira quoque est Jacobi scala, ceu novi cujusdam ac admirandi sacramenti designatio, viri item circa pecudes solertia, nec non tanta illa duodenæ prolis ex lumbis ejus propagatione felicitas. Sed et hujus mirabilis virtutum morali conversatione erecta scala, nec non pascendi ratione præditos peritia, ac demum copiosa ex lumbis spiritali partu filiorum editio.

*Noemo, Abrahamo,*
*i*
*Jacobo,*

54 Beatissimus Job in stercore positus, tantaque illa in malis tolerantia, omnium ore celebratur. Hic autem fortitudinem illam ex desudatis certaminibus vulnerumque cicatrices indutus, longamque aliis aliisque locis carcerum exercitionem stercoris instar inferens, nihilominus illo tolerantiam coluit. Magnus Moyses, tamquam qui Deus Pharaonis, mirabilisque populi ductor, ac mitis legislator, ut quis alius fuit. Sed et hic nihilominus, perinde atque ille, Deus adoptione, ac legislator mitissimus, omnes admonens hortansque abstinere a malis actibus, virgaque depurgati animi ac vacui ab affectionibus, varia miracula patrans. Imitatus est Davidis illud in bellis inexpugnabile robur, hæreticorum phalanges invicta C fortitudine fugans. Mitto dicere zelum Phinees, ac Eliæ Carmelum, Elisæique in melote duplici dono concessam spiritus vim: in quibus Magnus hic excellentia virtutis, quam fieri potest, utrisque eos partibus expressit.

*Jobo,*
*Moyse,*
*Davide,*
*Phinee, Elia, Elisæo.*

a Ex concubina Michaelis Imp. facta uxor Basilii. — b Constantino magno, ut ad illius vitam 6 Decemb. dicetur. — c Tres Duces exercitus. — d Manuel Patricius hujus Basilii Imperatoris interfuit Concilio Œcumenico VIII Constantinopoli anno 869 habito, inter συνακροωμένους τοὺς ἀνδρείους πατρικίους, ut Acta Concilii Græca habent, refertque ab Anastasio hujus Concilii interprete initio singularum Actionum, magnificentissimus, aut laudabilissimus Patricius Manuel. Cui Emmanueli Patricio Tabellariorum Præfecto Metrophanes Metropolitanus Smyrnæ [illegible] Photii epistolam præclaram scripsit, quæ dictæ Synodo additur, juncta epistolæ Hadriano Papæ missæ, et a Baronio Annalibus inserta ad an. 870 num. 45. — e [illegible] Asiæ, cujus incolæ locum addidit. Hanc [illegible] Suidæ, [illegible] more, ut est, [illegible] quod nomen ad Melissenos translatum hinc apparet. — f Protospatharius præerat reliquis spathariis, id est, satellitibus. Spatha latior gladius. Interfuit eidem octavæ Synodo Œcumenicæ nomine Imperatoris Theophilus laudabilissimus Proconsul et Patricius: forte etiam Protospatharius, ita apud Eustathium in jure Græcorum Πρωτοσπαθάριος καὶ Ἔπαρχος. Apud Codinum Curopalatam cap. 2 de Officiis Constantinopolitanis inter officiales Palatinos XXXV censetur Protospatharius, ad quem locum lege notas observationes Jacobi Goaris. Theophilus etiam Protospatharius quidam legitur apud Nicetam, sed qui tandem dicitur γελωτοποιὸς καὶ μῖμος καὶ πάντων ἐσχατώτατος, scurra, mimus et omnium maxime profanus, unus per derisionem a Michaele Imperatore Patriarcha constitutus. A quo aut hic alius, aut postea, cum diu vixerit, in alium virum mutatus. — g Græce Καὶ πολυπαιδίας [illegible]. Quæ hunc potius sensum efficiunt: Multamque prolem obtinuerunt, qui ante interitu liberorum absque prole mœrebant. — h Combefis monet hæc caute legenda ob insinuatum errorem, dilati in purum usque mundi gloriæ paradisi, in quo errore versata fuit magna pars sequioris Græciæ. — i Alludit ad prophetiam Theophilo factam. D

*Manuel Patricius.*
*Theophilus protospatarius.*

## CAPUT XI.

### S. Nicolai mors, sepultura, miracula.

Quod si etiam Josephi in Ægypto frumentationem quæris, procede modo, majora præ iis visurus, quæ interrogasti. Nam quia, juxta quod ait magnus Apostolus, postquam athleticæ palæstræ bene certamen certasset, commune tandem naturæ debitum persoluturus, morbo detentus, humili jacebat lecto, filiis jam circum turmatim adstantibus, mortisque exordia tristi luctu plangentibus, quæsiisse ferunt virum beatum, num aliquo necessariorum carerent, mœstam puto ea ratione eorum oppignerans animam. Illi autem nova ac insolita Patris percontatione turbati, eam, quæ nuper acciderat, exposuerunt necessariæ annonæ penuriam. Tunc vir magnus altum pectore suspirium ducens, ac velut afflatus Numine: Equidem, inquit, abeo, atque ad meos Patres commigro. Hoc enim in præsentiarum mihi repositum scio: vobis autem iis, qui olim manna Israeli in deserto, ac aquam de petra abunde suppeditavit, ipse vobis triduo a mea disjunctione largum annonæ præbebit commeatum. E

2 Tim. 4. 7
*Æger suos consolatur:*
*uberem annonam prædicit:*

56 Ubi autem dari signum Fratribus ligni pulsatione, humili vocis insinuatione jussisset, sacrum jam monachorum cœtum in unum congregatum videns, communi eorum consilio eum eligit, qui in monasterii præfectura successurus esset. Is porro admirabilis ille Clemens fuit, vir plane pro nominis ratione instar fructiferi palmitis virentes semper virtutum botros ferens, ac tum Œconomi officio defungens. Ille autem plusculum morbo attritus, totus ante eam migrationem mentis ab humanis translatione excedens, ac extra factus extendens pedes, atque in Crucis modum manus componens, multa fiducia abducentibus sanctis Angelis, depositus animam tradidit anno vitæ ipsius septuagesimo quinto, a mundi autem creatione sexies millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, die quarto mensis imparis, I Indictione, qui est Februarius *a*. *a*

*Clementem successorem constituit*
*sancte moritur.*

57 Porro ejus multis compunctum, plurimaque certaminum gloria inclytum tabernaculum, una cum B. Naucratio depositum est, ad dextram partem, in gloriosissimo ac sacro Martyrum sacello, quod a dextris delubri Præcursoris situm est: quo item loco, F sancti Patris nostri Theodori præclarissimus ac venerabilissimus honorabilis loculus constitutus est. Quid vero inde? Ergone, ubi migrasset, oblitus est, quæ prophetans prædixisset? aut serus atque oportebat, aut termino dilatiori, quam haberet promissio, curavit evenire? Haudquaquam. Post triduum enim gloriosæ ejus migrationis, navim unam, e maximis Christi amantis Basilii Imperatoris, frumento plenam misit, monasteriique horrea implevit: ut multo stupore perculsus B. Clemens hæc verba pronuntiaverit: Ecce, inquit, Patres, communis Pater noster post triduum, juxta quod promiserat, suæ in nos affectionis debitum implevit, novum nobis suæ apud Deum fiduciæ argumentum præbens.

*sepelitur:*
*frumenti copiam submittit.*

58 Habes quæsiti solutionem, Josephi in Ægypto observatam liquido annonæ provisionem: quamquam hic miraculum longe miraculo præstet. Ceterum ad prodigium aliud orationem converto. Cum enim vir inclytus Clemens diu satis monasterii Præfectum egisset, atque ad Dominum quintadecima die mensis Julii migrasset, jamque Hilarion, congrue omnino nomini morum hilaritate habens, præfecturam gereret; sancti Patris nostri Nicolai discipulus Antonius nomine, a nonnullis ab accidente nigredine Maurus appellatus, a multis annis fluxus sanguinis morbo

*Hilarione Præposito Studitarum,*

A morbo exugebatur, vi tanta ægritudinis, ut restituendæ sanitatis medicos spes omnis defecisset. Huic tandem præfatus Pater Hilarion, ut in cella, in qua olim Christi famulus Nicolaus inclusus fuisset, decumbens, corporis disjunctionem sustineret, permisit. Dum ergo impensius gaudens in ea demoratur, apparens illi vir sanctus in somnis, in hæc verba compellat : Humilis Antoni, quis te morbus moleste habet ? Ut autem, inquit, morbum explicavi, ejusque vim remediis majorem detexi · Ne, inquit vir magnus, ultra timueris : quippe amodo, nihil morbo hoc molestiæ creante, sanus eris. Tumque ad me ipse rediens, non jam in somnis, sed ipsis coram oculis ejus e cella exeuntis posteriora aspexi. Quapropter sanguinis quidem fluxio actutum compressa est, multaque odoris fragrantia circumquaque cellam pervagata, humile cor meum immenso gaudio replevit. b Jam tum *b* anni quadraginta fluxerant, isque nihil molestiæ ab eo patiens morbo, Dei gratia vivebat. Et hæc hactenus dicta sint. Plurima enim silentio omittenda sunt, quo brevitatis regulam servemus : cum et alioqui oratio debilior sit, quam ut miraculorum vim valeat enarrare ; hac parte auris ad fidem durioris utilitati prospiciens.

*Antonium discipulum suum, in suo cubiculo decumbentem,*

*fluxu sanguinis sanat*

59 Nos quidem, beate vir, ad ea, quæ longi temporis lapsu silentii profundo obruta remanserant, B pro eo desiderio, quo humilis noster animus in te habet, vitiosum atque contritum calamum extendentes, tamquam ex rerum abs te præclare gestarum pelago, exiguum hoc memoriæ fomentum, seu etiam vile obsonium, sermonem hunc inclytæ ac sanctæ memoriæ tuæ offerentes, dedicavimus. Tu vero nos propitius e cœlis intuere, quodque jugiter comes adest carnis bellum, quotidie alleves, miseræque vitæ nostræ exiguitatem prospere dirigas, quam nulli casus inexpectato excipiant : ac procul a sæva perturbationum procella, animi navim gubernes ac regas, pacemque Ecclesiæ cœtui a Deo obtineas. Vides enim quamtam, quamque immobiliter diem obtegentem, iram exhibeat : destruasque gentium indomitarum audacem impetum, ac animi insolentis superbiam. Vide enim, qualia nunc præsumantur : ecclesiæ incenduntur, ac terra Christianorum madet sanguine : suadeasque tuis intercessionibus, ut vel fide recta ad antiquam revertantur gloriæ ingenuitatem, vel penitus collidantur, tamquam gentes quæ bella volunt. Ita quæso, præstes, ut bona in Deum spe moribus rite compositis gloriemur gloriam submittentes Patri, Filio, ac Spiritui sancto, individuæ uni substantiæ ac Deitati, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

D *AUCTORE MONACHO STUDITA, EX MSS. GRÆCIS*

*Auctor patrocinium ejus implorat*

*pro se*

*et Ecclesiæ pace.*

a *Anno 868 ut supra dictum* — b *Hunc Auctorem S. Nicolao supparem esse, eo aliquanto juniorem supra probavimus* E

# DE S. PROBATIO PRESBYTERO.

## NOVIGENTI IN GALLIA.

*IV FEBR.* J. B.

Novigentum, *sive* Novientum, villa *fuit* in pago Parisiaco, *quam (ut in Vita S. Remigii to. 2. Scriptorum Francicor. apud Chesnæum dicitur)* cum omnibus ad se pertinentibus, Matri Ecclesiæ Parisius civitatis, ubi Presbyter extitit ordinatus, donavit *S. Chlodoaldus, Chlodomiri Regis filius, Chlodovæi I nepos.* In qua villa plenus virtutibus migrans ad Dominum, in ecclesia, quam ipse ædificaverat, corpore fuit in pace sepultus. *Id nunc* S. Chlodoaldi fert nomen, *vulgo* S. Clou, *ut scribunt Papirius Massonus in Descript. Franciæ per flumina pag. 252. Jacobus Breulius in Antiquit. Paris. lib. 4. Andreas Chesnæus in Antiquitat. Præfecturæ Paris. cap. 4. Colitur* S. Clodoaldus VII *Septembris.*

*In pago S. Clodoaldi juxta Parisios*

2 *In eadem S. Clodoaldi ecclesia memoria quoque extat* S. Probatii *Presbyteri, cujus natalis celebrari dicitur Kalendis Junii, Inventio Reliquiarum Pridie* C *Non. Februarii; licet neutro die in ullo Martyrologio, quod quidem viderimus, ejus extet nomen. Vitam, vel potius obscuram, nec magni momenti, elogium, cum Inventionis historia, e veteri codice ejusdem (ut remur) loci descriptum, reperimus in schedis Rosweydi, ac hic damus. Vixit ante obsessam a Nortmannis Lutetiam, quod anno* DCCCLXXXVI *contigit, at quanto ante tempore, an ipsius fortasse Clodoaldi ævo, non constat.*

*colitur S. Probatius Presbyter.*

## VITA

### AUCTORE ANONYMO,

*ex veteri codice MS.*

### CAPUT I.

S. *Probatii ordinatio, virtutes, mors.*

Beatus Probatius, Confessor Domini egregius, omni veneratione dignissimus, in sacri fonte baptismatis, Divino quodam præsagio tale vocabulum sortitus, actus suos probate examinans probus est in conspectu Altissimi inventus : qui deifica præventus gratia, ab ipsis cunabulis exordium sanctitatis ingressus, lucubrationibus continuis promeruit, ut gradatim probis actibus inoffense conscensis, gradatim etiam dignus inveniretur Ecclesiastico ordine. Et merito : quippe, qui se totum in cunctis sedem templumque consecraverit Dei : qui ea quæ sunt hujus mundi parvipendens, totum se cœlesti mancipavit meditationi. Tandem igitur miles Christi præcipuus, calcato mirabiliter omni mundano luxu, custos sacrorum vasorum efficitur, et sacerdotali podere trabeatus, tunica talari est mystice infulatus, castis operibus usque ad consummationem deditus, virili palæstra continuo agonizans, contra carnis oblectamenta omnia membra sua typice linea donavit coarctando interula.

*S. Probatius, juxta etymon sui nominis, probatæ virtutis, gradatim ordines Ecclesiasticos suscipit : fit custos sacrorum vasorum, dein Sacerdos,*

2 Verum religione perpetua cultui Divino mancipatus, et decreta veteris Testamenti, quæ quidam juxta litteram perpendebant, vir Dei justus et sine querela, Divinis radiatus edictis, ex quinque panibus hordeaceis Pentateuchi deifico nutu enucleatis, duobus provide piscibus superimpositis, mystico sensu animadvertens, semetipsum cum plurimis, coram quibus laudabiliter vixit, hora competenti sacrificium immaculatum obtulit. Quæque nempe a quibuslibet ex Scripturis sunt litteratorie prosecuta, ab eodem, amore Dei, dinoscuntur medullitus insecuta. Meditando quippe, quia littera occidit, Spiritus autem vivificat, omne quod in utraque Scripturæ præcepto carnali aure sive oculo valuit haurire, allegorice juxta mysticum discutiens intellectum, voluit examinare. Sanguinem pro certo noluit comedere; quia quodcumque bonum potuit habere, non ex se, ut ad se, sed ex dono Dei professus est accidisse. Neque etiam jumenta diversæ naturæ permisit una commisceri ; qui dum vitali est spiritu vegetatus, noluit quemlibet fidelem infideliter sociari cum pagano. Agrum non sevit semine diverso ; quia inter Dei verba pravum noluit dogma inserere in congregationis electorum agro. Indui insuper refugit veste ex duobus texta : quia non fuit duplex in corde, ut foris appareret simplex, intus vero elatus et perniciosus.

*deditus studio Scripturarum,* F

2 Cor. 3. 6

*veteris legis Sacerdotum actiones mystice exprimens.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A niciosus. Poma quin etiam quæ germinant, sibi quoquo modo fuerunt indigna : per quod datur intelligi quod opera novitiorum, quamvis sint bona, non sunt in exemplum tradenda : ne ex hoc inflati, antequam sint firmati, incidant in laqueum Diaboli. Honorandus extitit in regula, id est, in judicio sanctarum Scripturarum, et in pondere æquo novit aliorum peccata ponderare ut sua. Non discooperuit caput suum; quia auxilium Dei, qui est ut omnium, nequaquam a se evellit. Non scidit vestimenta : non enim vagatus est per diversa vitia. Non egessus est de Sanctis; quia de bonis et sanctis nunquam discedere studuit. Virginem duxit uxorem, animam scilicet sanctam et immaculatam. Non cæcus affuit, id est, indoctus : quia sibi et ceteris jugiter lumen veritatis ostendit. Non claudus; quia diligendo Deum, non odio habuit proximum, et recipiendo vetus Testamentum, etiam in se demonstravit novum. Nec parvo naso vel grandi; discretionem denique habuit interiorem, parvam atque magnam. Neque fracto pede; quia sensum in bonis operibus adeptus est integrum. Neque gibbosus; quia non sic terrena dilexit, ut sine cœlesti amore fuerit. Nec lippus; avaritiæ siquidem non studuit. Neque albuginem passus B est, cupiditatem videlicet; nec perpetua libidine victus, nec vitiis pressus. Neque fuit tusis testiculis; quia alios generavit per prædicationem. Levit 22. 24

*a pueritia Deo devotus, fervens, abstemius, pius,*

3 Ab ineunte ætatis flore Christo militans, rupit laqueos seculi, et intantum exarserat, ut, si iisdem temporibus non deesset persecutionis occasio, absque mora divino se præparasset discrimini. Constrinxit membra sua inæstimabilis abstinentiæ frænis et orationibus assiduis, vigiliis quoque continuis, caussa reprimendarum secularium cupiditatum, et profectuum honorum adipiscendorum. Et ita ab ipsis crepundiis, Ecclesiasticis institutionibus, exemplar se ceteris instituit, ut quam plures ad se confluentes catervas caussa fidei, sacra religione et verbo salutari reficeret, exemplis quin etiam evidentissimis informaret, tranquillus animo, serenus aspectu : aderatque sibi in omnibus Deitatis gratia, quæ per innumerabiles illius temporis miserebatur Divinæ mancipationi. Profligabat cunctis sermonem per exhortationem vitalis dogmatis, insudans plures seu unum de squalloribus mundialis ergastuli naviter eruere. *multos convertit :*

4 Crebraque cum fierent ab eo orationum lucra, sacris lucubrationibus pernoctare satagebat, omni custodia cor suum muniendo servans, ne pateret C commum locus insidiatori, et habenti milleformes nocendi artes, totius probitatis æmulo, et veritatis inimico, conatus omnes adversus Dei milites versanti, omnium mentes corrumpere meditanti, quo domicilium Domini improvise perrumperet, perrumpendo corrumperet, corrumpendo laniaret, laniando substerneret. Tantus in eo habebatur erga suum et omnium Conditorem affectus, ut pro posse nulli in Divina agonizatione inveniretur secundus. Primo regnum Dei et justitiam ejus requirens, consequenter reminiscebatur, quia inquirentes dominum, non deficient omni bono. Spe sua in Deo collorata, vultum fletibus irrigabat, ac frequentius pugnis tunso pectore, multa et innumerabilia suspiria ab intimo cordis protrahebat, vigilias jejuniaque continua.

*excellit oratione, custodia sensuum, amore Dei,* Ps. 33. 11 *spe, compunctione, vigiliis, jejuniis :*

5 Cum itaque tantæ sanctitatis floribus decussatim decoratus, vir omnibus imitabilis vernando polleret, et velut quoddam solare jubar, suis contribulibus undique foetus effulsisset, atque suæ desudationis flagrantia, et odore conversationis bonæ, et bonorum operum exuberantia, longe lateque omnia complesset contigua loca : bono certamine peracto, cursu consummato, elapsus de præsentis seculi ærumnis, transitoriis penitus calcatis, carnali mole deposita, se poli compsit in arvis, cœlestis curiæ phalangi unitus D in astris; de cetero æternaliter gavisurus, cujus semper voluntati parcere efficaciter studuit se committi. His ab ipso invitatur verbis : Euge, serve bone et fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Cui si lex conditionis humanæ mortis debitum inflixit, fulgent attamen viventia signa mausolei. Quod facile patebit, si Christicolæ cohorti electus et Domini ætherio detentus habitaculo, nostro repræsentetur calamo. Quoniam dum Sanctorum replicantur gesta, fideles pullulant succrescendo, augmentum grex fidelis talibus accipit, suis nisibus ut videor videre, tendit ad supera. Sed quia antiquiori tempestate ea quæ fuerunt frequentius ab eo mirabiliter actitata, ingruente paganorum persecutione sunt funditus oblivione pessundata; quod hodie quia multorum approbatur testimoniis, subnectendo stylo mandare operæ pretium duximus : ne tantus athleta Domini fortissimus, in cujus manibus dum adviveret in arvis, lucernæ ardentes bonæ insudationis, practicæ pariter et theoricæ vitæ luce, manifestius exemplar probæ actionis, suis successoribus reliquerunt : ideoque ejusdem actio boni operis, ut legitur, et contemplatio Divinitatis, geminam vitæ requiem suscipit. Difficile est enim, ut malo peragantur exitu, quæ sunt bono inchoata principio, et E diuturno elaborata sacræ meditationis studio. Jugi etenim cogitationis ratione versabat in mente, quod recitamus olim quemdam sapienter affirmasse; qui scilicet tempus bene vivendi expectat, similis est rustico volenti flumen transire, et expectanti donec totum defluat.

pueritia *pie moritur* · Matth. 25 21 et 23. · *illustratur miraculis,* · *quorum antiqua oblivione deleta.* · Horat. lib. 1 ep 2. v. 42

## CAPUT II.

### *Reliquiarum S. Probatii inventio. Miracula.*

Verum ad propositum reflectentes calamum, qualiter emeritus Domini Probatius, quibus indiciis præsenti innotuerit seculo, exarare opportunum arbitrati sumus : ut liquido pateat, quanta sit omnipotenti Deo de sibi ancillantibus cura. *a* Imminentibus igitur Paganorum Septemtrionalium, a transmarinis partibus adventantium, infestationibus, omnibus pene Occidentalibus Galliarum partibus, Confessor Christi Probatius et Sacerdos altissimus a sui Provisore loci, defossa humo cujusdam vineæ occulcatur, ne sancto canibus attributo, Francia tanto, quod absit, privaretur Patrono.

*a Normannis Gallias populantibus, Reliquiæ ejus defossæ :*

7 Quo in loco tamdiu Sanctus Dei latuit, quamdiu F tandem visa Dei pietas, Christiani afflictione populi atque suspiriis gemituum vix tolerabilium aure suæ clementiæ perceptis, finem tot tantisque fere inauditis calamitatibus imposuerit. Quid plura? Tranquillitatis luce Galliarum climati orationibus Sanctorum restituta, noluit omnipotens dispensatio celatum amplius subdi humo, cujus spiritus substratis sibi sideribus, in cœlesti Sion regnat cum ipso in æternum. A Deo itaque die ordinato, quo tantus thesaurus diu absconditus, superis negatus diutius, repararetur mundo; die quadam prætaxata œconomus vineæ, cum eam juxta morem diligenter coleret, accedens ad locum ubi pretiosissimi Confessoris atque agonistæ divini Probatii membra, metu Paganorum, quemadmodum prælibavimus, fuerant humata; evulsa tellure, quod tenebat, rastro protinus nutu Divino os ejus de pristino, quem natura dictaverat, removetur loco: nec tamen sermonis privatur officio. Neque enim ultione hujus facinoris tali divinitus mulctatur signo, sed ut cœlestis gemma diadematis, diutius occultata sub modio, nacta occasione repræsentaretur lucernali radio. Fit ad Pontificem *b* Lutetiarum urbis illius temporis talis relatio. Itur ad eumdem locum sine dilatione a Clericis, et circum contigua innumerabili utriusque sexus multitudine : indictoque

*pace reddita, fortuito inventæ* · *os ejus qui invenerat, detortum,* · *b*

A que mox omnibus salutari jejunio, quid ex hoc sit agendum percuntatur. *c* adeo copioso intercessionis auxilio. Cum subito prætitulatus cultor, plurimis ejulatibus ingemiscens, interventu memorandi Confessoris cœleste sibi sensit adesse remedium, optatoque recreatur levamine : tollit voces ad æthera, cum magna alacritate totis contestans vocibus, illic quemlibet Sanctorum latere, de quo multa inesset cura majestati Divinæ.

*c populo orante et jejunante*

*restitutum :*

8 Confestim itaque instar mapaliorum modicum ibidem ædificatur tugurium, ut successorum traderetur memoriæ, illic sancti viri corpus quiescere. Ad quod celebrata prioris facti opinione, multi confluentes ægroti, consequuntur illico salubrem animæ corporumque valetudinem. Cumque ex improviso fama laudabilis longe lateque propagata, circumquaque peragrando promulgari cœpisset; magis magisque locus tumulationis illius, per Divinam dispensationem, signorum gratia illustratur. Cœpit igitur Deus magnificari in Sancto suo, et magnæ virtutis opera magnificentioribus propagari successibus. Confluebat ad ejus *d* polyandrum diversus populi concursus, meritis sancti Confessoris, benedictionem salutarem suppliciter opperiens. Atque præter aliquam ætatis, sexus, personarumque discretionem, cunctis beatum B virum fideliter interpellantibus, lucra sanitatum mercantur. Sicque medicina cœlestis humanis infusa membris, omni collata incolumitate sospitatis, gaudentes ad propria remeare permisit. Taliter gratuita Omnipotentis largitas, gratiam, quam suo militi concesserat, vehementius magnificabat. Cujuscumque nempe membra ignis febrium miserabiliter æstu nimio consumpserat, abjecto calore nimio, lætabatur post paullulum vegetari medullas suas vigore ingenito. Quisquis paralysi dissolutus, vix quodlibet membrorum fungebatur officio, Sancti interventu pristinum sentiebat suis artubus restitutum officium. Omnes igitur Sancti bustum venerabiliter aggredi tentantes, ubertim superinfuso cœlestis medicaminis rore, hilares Christi servatoris opitulatione, adepta sospitate repedabant ad sua, cum ingenti stupore simul et exultatione.

*ædificato sacello,*

*multi sanantur,*

*d undique isthuc confluentes,*

*febricitantes,*

*paralytici, etc.*

9 Quadam die hinc illinc plebeia multitudine affluenter concurrente, nec sibi invicem succurrente, dum alvei *e* præripia Sequanici innumerabilibus occupa-

*e*

rentur adventantium vestigiis, fortuito classis omnimodatim ulteriori crepidini, qualiter ab eis *f* flumen transfretaretur, nullatenus affuit. Et clamor cœlo, vulgus miserabile sidera penetrat lamentabili ejulatione : luctus indicibiles. B. Probatii provehentibus suppetiis, intersunt cœlesti miserationi. Sicque Domino aurem tot tantisque gemitibus inclinante, ut etiam sui Confessoris interventione suos quoque de multifidis languoribus erueret accelerante, nutu deifico educente, navis quædam, quæ in parte ripæ ulterioris penes Sancti bustum *g* tonsillis fuerat applicita, absque nauclero resoluta, quodammodo Angelico ductu flumen illud transmeat; ac facto imperat, quod lingua proferre natura negante nequibat. Exanimes effecti omnes stupore conentuntur invicem, ac veluti rapti in extasi, præ nimia admiratione digitos superponunt ori. Tandem saniori usi consilio, navem conscendunt illico; et protinus cœlesti remige solummodo velificante, phaselus referta populorum copia, ad ulteriorem ripam repedabat, unde prius fuerat abacta. Moxque omnibus qui se sibi commiserant evacuata, eatenus idipsum frequentat, quatenus universis, qui sospitatis gratia confluxerant, transpositis, mirabilem Deum enuclearet in Sanctis suis talis tamque extollendi præconio facti. Aditur ab ipsis omnibus pretiosæ humationis locus : intolerabilis extollitur in sublime ægrotantium gemitus : luctus in gaudium commutantur : Divini perfusione roris quibuscumque catervatim infunditur medicina cœlestis; Sanctique membris sub tellure constitutis, multitudo sanatur populi confluentis. E

D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*f navis ultro resoluta advenas ultra Sequanam vehit*

*g*

a *Iste* [*ro*] *seculo Gallias infestarunt Septemtrionales piratæ, sive Normanni, ipsamque Lutetiam Parisiorum anno 886 obsederunt.* — b *Merito quamvis imperitiamne scriptoris licet incusare, qui hunc Principem non nominarit.* — c *An a Deo?* — d *Id est*, sepulchrum. *Ita 13 Januar. in Vita S. Viventii cap. 7 num.* 37, donec inveniatur Sancti polyandrum. *Et 15 Jan. in hist. Translationis S. Mauri cap. 7 num. 41* exornare non desinit polyandra Sanctorum. *Et 25 Jan. in Vita 2 S. Præjecti Ep. M. cap.* 3 *num.* 23, ad polyandrum sancti Famuli exorandum. *a Græco* πολυάνδριον, *quod potius cœmeterium significare videtur, ubi multi viri. 17 Jan. in prologo ad Vitam S. Sulpitii suum videtur pro quolibet monumento* fulget tamen viventium miraculorum polyandrio. — e *Ita* [*illegible*] *15 Januar. in* [*præf.*] *Translationis S. Mauri :* Abbas monasterii, quod in præripio ripæ Ligeris fluminis situm, Glannafolium ex antiquo appellatur. — f *Nunc etiam Sequana lapideum* pontem habet, [*illegible*] *Massonio de fluminib. Gall.* — g *MS.* habebat tonsilli. *Est* tonsilla *palus dolatus et præferratus, qui navis religandæ causa in litore pangitur. At Papias ait, uncinum esse, ad quem in litore defixum funes navium ligantur.*

Polyandrum.

Præripium.

Tonsilla.

F

# DE S. REMBERTO

## ARCH. HAMBURGENSI, BREMÆ IN SAXONIA INFERIORE,

ANIMADV. PAP. 58.

C

a. n.

### Commentarius prævius.

#### § I. *Cultus sacer S. Remberti.*

*Ad S. Ascharii Vitam, III Februarii, pluribus deduximus Saxonum antiquam sedem Transalbianam, Hamburgensem in ea Archiepiscopatum constitutum, eidem Bremensem Episcopatum unitum, populosque utrique Sedi subjectos, Legationem insuper auctoritate Pontificia ad Gentes Danorum, Suecorum Sclavorumque convertendas institutum, virosque Apostolicos in ea sedulo gnaviterque exercitatos, Reges eorum, potissimum Danorum, legitima successione probatos, Torholtum denique tunc cum monasterio oppidum e sua antiquitate ignoratum : quæ omnia magnum huic commentationi lucem dabunt. Successit S. Anschario Magistro suo fidissimus discipulus* S. Rembertus, *in utraque et Legationis Apostolicæ et Archiepiscopatus Hamburgensis dignitate, ipso, ut dicitur infra in Actis num.* 14, mox depositionis *illius* die, concordi Cleri populique consensu electus. *Qui dies non absque singulari mysterio, sacro ejus cultui dicatus est : scilicet ut is, qui in Actis num.* 3, 7 *et* 12 sanctitatis Anscharii *laudatur* imitator, *illique* ob unius fidei devotionem, ejusdemque officii administrationem, meritis *habetur* æqualis, *ejus denique oraculo, se in futuro* seculo æternæ beatitudinis participem ab eo non separandum, *certior factus fuit, ut is, inquam, ab eodem in veneratione Ecclesiastica non distaret.*

ANNO DCCCLXXXVIII IV FEBR.

*Repetenda hic ex Actis S. Anscharii :*

*huic succedit S. Rembertus,*

*merito æqualis,*

2 *Postridie ergo Natalis S. Anscharii, seu IV Februarii, plurima eum referunt Martyrologia. Florarium MS.* : Apud Bremam S. Remberti Episcopi et Confessoris. *Martyrologium Romanum :* Eodem die S. Remberti Episcopi Bremensis. *Hermannus Greven et Molanus in additionibus ad Usuardum, et Canisius in Martyrologio Germanico :* S. Remberti Archiepiscopi Bremensis et Confessoris, qui a S. Anschario ejusdem urbis Episcopo educatus, eidemque in regimine succedens, non solum suos laudabiliter rexit, verum etiam infidelibus frequenter Christum annuntiavit. *Imo Archiepiscopum* Hamburgensem, *cujus Sedi Episcopatus Bremensis unitus erat, appellatum fuisse supra*

*colitur 4 Februar. tum electus Episcopus,*

*AUCTORE G. H.*

A *supra probatum est. Galesinius hæc eodem die refert :* Bremæ S. Remberti Episcopi et Confessoris. Hic B. Anscharii ejusdem urbis Episcopi discipulus, primo monachus, deinde Episcopus, pie in omni vita ita se gessit, ut, admirandis in rebus perspecta ejus sanctimonia, adscriptus sit in numero Sanctorum. *Ante Episcopatum monasticam vitam eum professum docuit quoque Trithemius lib.* 3 *de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti cap.* 210. Rembertus, *inquit*, ex monacho Corbeiensis cœnobii Archiepiscopus Bremensis secundus, vir sanctæ conversationis, fide, innocentia et pietate singularis, magnis enituit signis. Rexit Ecclesiam Bremensem strenue novem annis. Claruit anno Domini DCCCLXX. Ejus festum agitur pridie Nonas Februarii. *Eadem fere habet idem Trithemius lib.* 4 *cap.* 89, *ubi ait* claruisse anno Domini DCCCLXXXV. *Imo utroque* claruit *tempore, quem infra trademus* Archiepiscopum Hamburgensem *creatum anno* DCCCLXV, *non solum* novem *sed* viginti tribus annis *supervixisse ad* LXXXVIII *istius seculi. Præterea* S. Rembertum, *suscepta Archiepiscopali dignitate, vestem monasticam, ex voto olim a se facto, in* nova Corbeia *assumpsisse, et reliquam deinde vitam* juxta regulam S. Benedicti *composuisse tradunt Acta num.* 15. *Quo jure eum sibi vindicant Benedictini. Kalendarium ordinis S. Bene-*

*juxta regulam S Benedicti vixit.*

B *dicti MS. monasterii Antuerpiensis S. Salvatoris :* S. Rynberti Archiepiscopi Bremensis tertii, et primo monachi Corbeiensis. At secundum Archiepiscopum Hamburgensem *fuisse certo constat. Menardus in Martyrologio Benedictino :* Bremæ S. Remberti Episcopi, discipuli S. Anscharii, qui a magistro plantatam in Dania fidem, pietate, doctrina et miraculis irrigavit. *Idem in Appendice ad lib.* I. *Observationum tradit* minus recte a nonnullis scriptum esse, eum monachum fuisse factum in cella Turholt : *quod fecerat Wion in Martyrologio monastico :* Bremæ, *inquit*, S. Remberti Episcopi et Confessoris, qui potens opere et sermone clarus miraculis, quievit in pace ; *qui dicitur in Annotationibus*, Turholti a primæva ætate vitam monasticam duxisse irreprehensibilem, sed a S. Anschario inde abductus, ac cœnobio Corbeiensi prælatus, eidem postmodum in Archiepiscopatu Bremensi successisse. *De hoc S. Remberti apud Turholtanos monachatu atque apud Corbeienses præfectura, in Vita Apud Surium aut Krantzium, quos Wion citat nulla fit mentio. Celebrant eumdem hoc die Dorgunius in Calendario Benedictino, Miræus in Fastis Belgicis, Sanderus in Hagiologio Flandriæ, aliique Vitæ ejus Scriptores, infra proferendi.*

*mortuus non 4 Febr.*

C 3 *De die obitus altum est in Actis silentium. Wion in suis ad* XI *Junii Annotationibus et Vastovius in Vite Aquilonia tradunt eum* ex hac luce pridie Nonas Februarias excessisse. *Verum Adamus Canonicus Bremensis, Albertus Abbas Stadensis, Krantzius Theologiæ Hamburgi professor ejusque collegii Decanus* depositionem S. Remberti *referunt* III Idus Junii, *quo die* celebriorem *ejus* festivitatem agi *observant Wion et Molanus in secunda editione Usuardi, qui* XI *Junii ita scribit :* Bremæ S. Remberti Archiepiscopi et Confessoris. *Idem Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii præclaram Vitæ epitomen ex Surio et Krantzio collegit, quam magis contraxit Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, quibus eum adscribit. In Martyrologio Germanico anno* 1599 *edito hoc eo die elogium profertur :* Item Bremæ sancti Archiepiscopi et Confessoris Remberti, qui multa præclara ad Dei honorem in Ecclesia peregit. *Meminerunt ejusdem illo* XI *Junii Wion, Galesinius, qui* Rombertum *vocat, Hermannus Greven et auctor Florarii MS. a quibus* Rumbertus *appellatur. Eodem die in Breviariis Bremensi et Raceburgensi, officio Ecclesiastico colitur, et quidem ab Hamburgensibus cum octava, uti observat Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii.*

*sed 11 Junii, quo etiam colitur.*

D 4 *Ferrarius* VIII *et* X *Junii eum celebrat, priore die,* Bremæ, *inquit*, in Saxonia S. Remberti Episcopi Hamburgensis : *posteriore vero,* Bremæ S. Remberti Episcopi. *Illic allegat Tabulas Ecclesiæ Bremensis, hic Albertum Krantzium lib.* 2. *Metropolis cap.* II : *apud quem* III Idus Junii *legi diximus, ut possit hinc conjici Ferrarium etiam altero loco aberrare. Idibus Junii eumdem in Fastis MSS. referunt Carthusiani Bruxellenses, quibus favet Jacobus Meyerus lib.* 2 *Annalium Flandriæ ad annum* 887, *ubi tradit se ei* Idibus Junii indictas invenire ferias : *quo loco* III Idus *reponi debet. Ita in MS. Codice monasterii Bodecensis, de quo mox agemus, legitur* coli pridie Kalendas Februarii, *pro quibus* Nonas *substituere oportet. Peculiaris de eo in Raceburgensi Breviario, quam hic apponimus, legitur Oratio.*

*Per errorem dies 8, 10, et 13 Junii et 31 Jan. indicantur.*

*Oratio antiqua de eo.*

Deus, qui B. Reymbertum Confessorem tuum atque Pontificem, Doctorem præcipuum Catholicæque fidei prædicatorem, eligere dignatus es ; præsta, quæsumus, ut, ipso pro nobis interveniente, peccatorum nostrorum exui malis, et tibi, Domine, sinceris mentibus deservire mereamur. Per Dominum nostrum *etc.*

## § II. *Vita S. Remberti conscripta.*

E Vitam S. Remberti *mox ab obitu ejus scriptam duo hactenus typis vulgarunt, primo mutata phrasi Laurentius Surius ad hunc* IV *Februarii, nuper vero primogenio stylo Philippus Cæsar (ex Canonico et Pastore Bremensi ad S. Anscharium acatholico, nunc orthodoxus sacræ Theologiæ Doctor) in* Triapostolatu Septemtrionis, *quem de* Vita *et* Gestis SS. Willebadi, Anscharii et Remberti *typis Coloniensibus an.* XLII *hujus seculi edidit, usus codice MS. Ecclesiæ Hamburgensis pervetusto. Eamdem nos Vitam nacti sumus opera Joannis Gamansii nostri ex tribus codicibus MSS. quorum duo exempla suppeditarunt Carthusiani Colonienses, tertium Canonici Regulares monasterii Bodecensis in Westphalia. In his tribus codicibus nulla erat capitum distinctio : eam ex codice Hamburgensi proponit Philippus Cæsar, a Suriana divisione longe aliam ; una fere sectione a capitulis apud Adamum Bremensem citatis diversam. Namque Adamus excerpit ex capitulis* 16 *et* 18, *apud Philippum leguntur capitibus* 17 *et* 19 : *quamvis non desint Adamo errores typographici citato* capitulo XX, *quod illi necessario fuit* XIIX. *Quare nos variis hisce exemplaribus collatis damus Vitam novis capitibus, more nostro, distinctam, Notationibusque illustratam.*

*Vita ante edita,*

*hic datur ex variis MSS.*

F 6 *Scriptor hujus Vitæ, si tamen unicus, Surio etiam judice,* vir gravis fuit, *et* S. Remberto coævus, *uti etiam observat Lambecius in originibus Hamburgensibus. Certe num.* 15 *testatur* adhuc hodie, *cum scriberet,* superesse cum multis aliis Adalgarium *ejus postea in Archiepiscopatu successorem, anno Christi* CMIX *vita functum. Præterea Virginis Deo sacratæ (cui* S. Rembertus *epistolam capiti* 6 *insertam scripsit) nomen reticetur, quod ea adhuc superstes* vitandæ jactantiæ caussa *illud* noluerit palam edici. *Vitam hanc ab* Adalgario *scriptam esse censet Notatione* 73 *Philippus Cæsar :* Ut, *inquit*, quemadmodum S. Willehadi Vitam scripsit S. Anscharius, et hujus S. Rembertus, sic S. Remberti Vita scripta sit per Adalgarium, qui ei egregium testimonium observatæ monasticæ vitæ et regulæ perhibet. *Verum obstant nonnulla : primo laus Adalgarii num.* 15 *et* 27 *prolata, ubi dicitur* vir venerabilis, vir conversatione insignis *et* conversationis S. Remberti imitator. *Secundo scriptorem moriente* S. Remberto *abfuisse indicatur num.* 28, *dum* transitus ad Dominum subjuncto ordine factus esse perhibetur : *cum tamen num.* 27 *et auctoritate Regum, et Synodi approbatione* Adalgarius illi *datus* Coadjutor, *non fuisset permissus in obitu illius pridem præscito abesse.*

*scripta ab auctoribus synchronis,*

*non Adalgario successore,*

A *abesse. Tertio* attestans Adalgarius *profertur num.* 15. *certe ab ipso scriptore alius. Verius censet Adamus Bremensis cap.* 32 Vitam S. Remberti a Fratribus Corbeiæ novæ datam, *quæ*, quis fuerit et qualiter vixerit, breviter et dilucide comprehendit. *In ea certe Vita accurate adferuntur, quæ hanc* Corbeiam *concernunt : ita num.* 14 in Archiepiscopum *electus* Rembertus *ab* Adalgario monasterii novæ Corbeiæ Abbate ad Ludovicum Regem Germaniæ *ducitur. Et num.* 15 Archiepiscopus *jam consecratus* in monasterio novæ Corbeiæ vestem monasticam suscipit, *sociumque sibi ex monachis* alterum Adalgarium Diaconum fratrem Abbatis *adsciscit,* monachum de monasterio novæ Corbeiæ *num.* 27 *appellatum, et* assentientibus Abbate et Fratribus monasterii ejus, *in* Coadjutorem *et* successorem Archiepiscopatus *assumptum.*

*sed monachis Corbeiæ Saxonicæ,*

7 A pluribus *præterea* monachis, *uti ex Adamo monuimus, Acta hæc conscripta fuisse confirmat Vitæ contextus; in qua omnia ea, quæ ad Scriptorem pertinent, a nobis hic in cumulum congesta, continenter plurali numero proferuntur. Ita num.* 1 Scripturi, in quantum hæc comperimus, fideliter enarramus. *num.* 3. Nunc nos de ejus *(S. Auscharii)* sanctitatis imitatore scripturi incipiemus. 4 Officium Episcopo injunctum diximus. 6 De quo loquimur, et egressum de schola dicimus. 7 Mentem gratia Dei illustrari diximus, juxta sententiam quam protulimus. 8 Interpretationem reperimus. 9 De Scriptura sacra proposuimus *et* exponere indicavimus. 12 De Apostolo proposuimus, *et* nostrum est æquales meritis credere. 16 Facta vix a nobis explicari possunt. 18 Ut nusquam sapientius factum sciamus. 19 De qua loquimur, hic ponere decrevimus epistolam. 21 Epistolam hanc hic posuimus. 24 Unum commemoramus. 26 Nostris temporibus... sufficiat nos comprobasse 28 Modo protulimus, *et* eo loco enarrabimus. 31 Memoria retinemus. et passim alibi, Ut de quo diximus. *Demum quantum conjectura assequimur, Vitam hanc conscriptam fuisse credimus sub* Abbate novæ Corbeiæ VI, Bavone, *seu* Bonone I, *viro* præclare erudito, magnaque studiorum diligentia, et varia librorum lectione industrio, nec non ob singularem erga subditos suos affectum titulo Amatoris Fratrum *decorato : a cujus calamo* Acta sui temporis *prodiisse commemorat Adamus cap.* 35, *ex quorum naufragio unam hic nobis tabulam arripuit, illustri a* S. Remberto *patrato miraculo in suam historiam ejus verbis transcripto. Illud infra damus; ideo in Vita fortassis a* C *subditis omissum, quod in Historia sui Antistitis jam esset evulgatum.* Bavonem *hunc seu* Bononem, *Corbeiæ novæ præfuisse ab anno* LXXXIII *ad* LXXXXVIII *supra octingentesimum traditur in Catalogo antiquo Abbatum ejus monasterii in Chronico Corbeiensi a Joanne Letznero Germanice vulgato.*

*pluribus collaborantibus,*

*an tempore Bavonis Abbatis?*

8 *Demum Vitam, quam olim scriptam fuisse commemoravimus, eam esse, quæ hic editur, probant nonnulla : primo* Decretum Gregorii IV *super institutione* Archiepiscopatus Hamburgensis III *Februarii excusum, cujus verba hic num.* 14 *allegantur. Deinde quæ infra num.* 11 *ex* Vita S. Anscharii *descripta proferuntur, eisdem plane verbis ibidem num.* 68 *et* 71 *leguntur. Præterea consentiunt et sententiæ et verba, quæ ex hisce Actis in suam Historiam transtulit Adamus Bremensis a cap.* 32 *ad* 36. *ut merito judicarit Baronius anno* 888 *num.* 7 illius Adamum meminisse Vitæ, quæ a Surio sine auctore edita reperitur *sed quæ istic stylo mutato, hic primogenia datur. His non obstantibus, aliquam dictis codicibus MSS. bibliothecarum Germanicarum deesse sinceritatem observavimus ad Acta S. Anscharii* § 3 *et* 12, *ex duplici MS. Francico, Parisiensi et Corbeiensi integre perfecteque obtenta ; et dum inde nequivimus Acta S. Remberti*

*Eadem, ut probatur,*

*parum interpolata.*



*nancisci, duas iis adspersas labes eluimus; quod loca* D *nonnulla Septemtrionalia, ad quæ Legatio Archiepiscoporum Hamburgensium undecimo Christi seculo extenta fuit, intruderentur : et varii Episcopi tum ordinati, in codice Hamburgensi tanquam Vitæ hujus approbatores legerentur subscripsisse. De tertio mendo ob investituram Episcoporum contra Ecclesiasticam libertatem ab Henrico III Imperatore tum arreptam infra agemus. Celebrant præterea S. Remberti memoriam plerique Daniæ, Sueciæ, Saxoniæ, Frisiæ et Flandriæ Scriptores, quorum catalogum deduximus* § 3 *ad Acta S. Anscharii. Vitam ejusdem* Remberti *in epitomen redactam ex Surio descripserunt Latine Franciscus Haræus, Zacharias Lippelous, Gallice Jacobus Doubletius, Germanice Henricus Fabricius, Belgice Henricus Adriani et Heribertus Rosweydus. Sed his antiquiora sunt, quæ, tum in Historia Archiepiscoporum Bremensium a Carolo Magno ad Conradum IV Imperatorem deducta, tum in Vetere scripto de Ecclesia Bremensi referuntur una cum Adami Historia studio Lindebrogii evulgata, quas mox examinabimus. Meyerus præter Vitam S. Remberti a se editam, versibus Lyricis eum etiam a se celebratum tradit in Annalibus Flandriæ ad annum* 887.

AUCTORES

*a variis in epitomen contracta.*

## § III. *S. Remberti patria.*

E

Acta S. Anscharii *quemdam proferunt num.* 55 Rembertum Presbyterum, in opus Evangelii ad Sueones missum, benigne a Rege populoque susceptum, divina libere apud eos mysteria celebrasse. *Hunc Philippus Cæsar annotatione* 63 *scribit* S. Rembertum *fuisse, ideoque, ut in Actis eisdem additur,* ex gente Danorum progenitum. *Verum cum suo ubique nomine suppresso, se sub* fidissimi discipuli *titulo in Actis illis descripserit Rembertus, hic ad confusionem evitandam alterum origine* Danum *esse adjunxit, et* hactenus apud Sueones divina mysteria celebrare, *dum ipse S. Rembertus morienti Anschario adesset, ejusque jussu ultima precum verba prælegeret, ac deinde ejus Vitam a se conscriptam evulgaret. Joannes Vastovius variorum narrationes conciliaturus tradit in Vite Aquilonia* S. Rembertum anno DCCCXLVIII in Suecia ab Anschario relictum fuisse, *dum* templum Ripæ erectum in Jutia, illi commendaretur. *Scimus in Vetere scripto Ecclesiæ Bremensis legi, ab eo* ecclesiam Ripensem fundatam esse : *quod gloriæ decus cum alii viderent* S. Anschario *deberi, saltem ab eo* ecclesiam Ripensem S. Remberto commissam *fuisse præsumpserunt; quem infra Acta num.* 11 in omnibus S. Anschario familiarius adesse solitum, Bremæ in hoc devotionis loco *tradunt* cum F Episcopo familiariter perseverasse. *Præterea utrique commorationi et* Sueciæ *et* Ripensi *refragantur Adamus Bremensis cap* 31, *Albertus Stadensis ad annum* 865, *Krantzius lib.* 2 *Metropolis cap.* 2, *Auctor Chronici antiqui cum Adamo editi, qui volunt* Rembertum, *dum successor* S. Anscharii *ab hujus obitu eligeretur, ejus solum* Diaconum *fuisse, quasi necdum ad presbyterii ordinem promotum.*

*Non fuit ortu S. Rembertus Danus*

*a S. Anschario in Sueciam missus,*

*neque Ripensi ecclesiæ præpositus.*

10 *Scriptores rerum Frisicarum varios produximus* § 6 *ad Vitam S. Anscharii, qui hunc e* Frisia *sua oriundum contendunt. Ex his Martinus Hamconius in Adelrico Adelen et de Apostolis Frisiæ,* S. Rembertum cognatum *scribit* S. Anscharii *quem* Wardenæ ad Laviçam amnem *mavult* natum, *licet* Francum *ab aliis censeri addat. Suffridus Petrus Decade* 7 *Scriptorum Frisiæ num.* 1 Rembertum *asserit* conterraneum et cognatum S. Anscharii, *quem decade* 6 *num.* 7 *scripserat* natum in civitate Frisiæ Vardena, postea inundatione aquarum oppressa ablataque. *Pierius Winsemius lib.* 4 *Chronici Frisiæ,* Anscharium *ortu* Frisium *esse contendit : de* Remberto *vero quod nec audeat* Flandris *eum eripere, et libenter suis* Frisiis *attribueret, quæstionem indecisam relinquit. Contra Ubbo*

*Non fuit cognatus S. Anscharii,*

*neque in Frisia natus.*

*AUCTORE G. H.*

*Emmius lib. 5 rerum Frisicarum* Anscharium genere Francum, Rembertum *vero* fuisse Frisium perhiberi *docet. Bernardus Furmerius lib. 5 et 6 Annalium Frisicorum utrumque et* Anscharium *et* Rembertum Frisiis *adscribit. Varia circa* S. Anscharium *menda ab hisce Scriptoribus prolata correximus dicto* § 6, *ubi eum origine* Francum *fuisse docemus: ut vel ideo, quod ejus* cognatum et conterraneum Rembertum *(sed absque ullo fundamento) dixerint, nequeat* Frisiis *amplius annumerari.*

11 *Joannes Adolphus Cypræus lib. 1 Annalium Slesvicensium cap. 4 profert* S. Remberti *elogium, sed vario aspersum labe. In eo namque statuit* Rembertum libellum de Vita S. Anscharii a se conscriptum dedicasse Fratribus Corbeiæ novæ, *quod a pluribus assertum ad hujus* Vitam § 3 *refutavimus. Asserit idem* Rembertum sacris initiatum, Ripam in Jutiam ab Anschario missum, atque ablegatum fuisse, ut ibi Ecclesiam regeret, verbum Dei doceret, ac sacris Christianorum rudium animos imbueret. *Quæ nobis minus probari jam ostendimus: alia infra rejiciemus: quod hic facit,* educatum Rembertum *tradit* in monasterio Galliæ Thuronensi, *ibidemque* Turonensem scholam in erudienda juventute aliquot annos summa laude, fructu et utilitate gubernasse: *deinde* scholæ Corbeiensi præfuisse, de consilio S. Anscharii Rectorem constitutum. *De illustri illis temporibus schola Turonensi* Majoris-monasterii S. Martini, *quod vulgo* Marmoustier *appellatur, egimus hoc die ad Vitam B. Rabani* § 3, *quod hic cum* monasterio *seu* cella Torholtana *confundi a Cypræo certum est. Inde a disciplinis scholasticis, quibus instituebatur, ab* Anschario *evocatus, infra num.* 6 individualis Legationis *ejus* comes *refertur fuisse, ut rejici debeat ejus ante Episcopatum monachatus, monachorumque præfectura, nec non scholasticarum exercitationum quocumque demum loco gubernatio suscepta.* Turholti *vero num.* 4 Rembertus *in scholis* inter pueros *tum instituebatur, quando* S. Anscharius *istic præsens,* accitis ad se parentibus, *cum* tonsura habituque Ecclesiastico *in Clerum assumptum, sibi adoptavit. Hunc cum* Brabantum *dixisset Isaacus Pontanus lib. 4 Danicæ, ubi* Turnhoutum Brabanticæ Campiniæ *oppidum hac cella, seu monasterio, instructum fuisse perperam, ut alibi monuimus, arbitratus est. Atqui* Turholtum *(quod tum extra* Flandriam, *parvis adhuc limitibus determinatam, in proprio Comitatu fuisse docuimus) ab eo fere tempore in eadem* Flandria *continetur inclusum, melius* Flandrum *eum, aut* Torholti in Flandria natum *asserunt Meyerus ad annum* 887, *Molanus in Indiculo et Natalibus Sanctorum Belgii* XI *Junii, Miræus in Chronico Belgico ad annum* 888, *et Fastis Belgicis hoc* 4 *Februarii, Sanderus de Sanctis Flandriæ lib.* 3, *Rosweydus in Annalibus Belgii ad annum* 864, *et passim plerique Scriptores: ut mirum sit eum a Saussayo in Martyrologio Gallicano non æque, atque* S. Anscharium, *insertum fuisse.*

*non studuit aut docuit apud Turonenses*

*sed Turholti oppido,*

*non Brabantiæ*

*sed modernæ Flandriæ*

## § IV. *Investitura Archiepiscopalis circa S. Remberti a posteris afficta.*

In *Veteri scripto de Ecclesia Bremensi, simul cum Adami Historia Ecclesiastica edito, hoc de* S. Remberto *elogium profertur, sed non absque condigna censura prætereundum.* Beato, *inquit auctor,* Ansgario immediate successit B. Reimbertus, secundus Archiepiscopus dictæ Ecclesiæ, quem B. Ansgarius commendavit, sic inquiens: Dignior est Reimbertus dignitate Archiepiscopali, quam ego Archidiaconatus officio: qui Regem Daciæ baptizavit, et Ecclesiam Ripensem fundavit, et quia plures infirmos, quos ibidem sacro baptismatis fonte purificavit, etiam ab omni corporis ægritudine sanavit. Ipse etiam Regem Sueciæ baptizavit, et totum ejus regnum in fide Christi solidavit, et ipse inter cetera sanctitatis miracula legitur tempestatem maris sedasse, et hominem a dæmonio liberasse, scilicet Karolum filium Ludewici Imperatoris, nec non cæcum illuminasse per signum Crucis, quod Episcopali more faciebat. Etiam anno Pontificatus Domini Reimberti duodecimo Ludewicus Pius Cæsar obiit. Post cujus mortem multiplicata sunt mala super terram, ita quod a Danis et Normannis urbes cum civibus, Episcopi cum cleris interfecti sunt et Ecclesiæ cunctæ incendio perierunt, Saxonia, Colonia, Aquisgrani civitates ab iisdem destructæ sunt: Palatium, quod Karolus Imperator in Aquisgrani gloriose construxerat, stabulum equis suis fecerunt. *Hæc ille Auctor anonymus; cujus ultima pars totidem verbis refertur in Historia Archiepiscoporum Bremensium, scilicet* anno Domini Reimberti XII Ludovicum Pium Cæsarem magnum obiisse, *ac deinde* multiplicata esse mala, *etc. Quis vel tenuissima historiarum scientia imbutus, non continuo advertit hæc tempora inepte perturbari?* Ludovicum Pium Imperatorem, *seu* Cæsarem, *cum* Torholti *in studiis* Rembertus *adolescens excoleretur, mortem obiisse anno* DCCCXL, *at* Ludovicum *filium ejus* Regem Germaniæ, *patrem* Caroli Crassi *a dæmonio liberati, supervixisse ad annum Archiepiscopatus S. Remberti* XII, *vita functum* V *Kalend. Septemb. anni Christi* DCCCLXXVI, *sed quis eum* Pium *cognominavit,* Cæsarem *aut* Imperatorem *appellavit? Alius tum* Ludovicus, *filius* Lotharii Imperatoris, *Italiam cum Imperatoris titulo obtinebat, ad annum Christi* DCCCLXXV, *Archiepiscopatus Remberti undecimum superstes.*

*Elogium S. Remberti ex veteri scripto*

*in eo Ludovicus Pius, cum filio et nepote confusus.*

13 *Similibus chartis confusis videtur usus Adamus, ex quibus hæc scribit cap.* 32. Pallium Rembertus Pontificale suscepit a Papa Nicolao, ferulam pastoralem a Cæsare Luthewico, sicut in privilegiis dignosci potest. Quæ autem sequuntur, ex Vita ejus excerpta sunt, *quasi priora in Vita non legerentur, postea intrusa: ubi num. 6 traditur,* Rembertum *a* Ludovico Rege *honorifice susceptum fuisse* cum Pontificalis baculi juxta morem commendatione, *scilicet* juxta morem *ab interpolatore desideratum, ut gratum beneficium præstaretur* Henrico III Imperatori, *seu* IV Regi Germaniæ, *qui ab anno* MLVI *ad* MCVIII *per duos et quinquaginta annos imperavit ab* Romanis Pontificibus *plurimo tempore divulsus fœdo dissidio, quo* Episcopos *et* Abbates *privata auctoritate, quam* investituram *appellant, constituit. De hac* investitura *post Baronium, Bellarminum, aliosque accurate disserit Gretserus noster in Apologia Baroniana cap.* 1 *et in* Βασιλικῷ δώρῳ, *cap.* 5. *Ceterum privilegia Ecclesiæ Hamburgensis et Bremensis accurate eruta studio operaque Erpoldi Lindebrogii, extant cum Adami Bremensis historia excusa. In iis nullum ejusmodi, quale adstruitur ab Adamo, privilegium reperitur. Ast ista leguntur dicti* Henrici Imperatoris, *quibus plura confert beneficia* Archiepiscopis Hamburgensibus, Adalberto, *ejusque successori* Liemaro, *suis intimis amicis, uti fidem facit privilegium Romæ post expugnatam Urbem anno* MLXXXIII *datum, in quo ita loquitur* Imperator *de* Liemaro: Bello Saxonico duabus pugnis gravissimis maximo periculo nobis adfuit; sed et apud Sedem Apostolicam contra Hiltebrandum perturbatorem orbis *(contumelia hæc est contra Gregorium* VII *Pontificem Romanum)* magnis difficultatibus et anxietatibus legatione nostra functus est, tribus vicibus ad expugnandam urbem Romam et capiendam nobiscum venerat. Huic ob fidem in nos tantam et voluntatem quam optimam, Abbatiam Altene perpetuo jure possidendam tradidimus. *Ubi addit, se etiam* Adalberto ejusdem Sedis venerabili Archiepiscopo, viro eruditissimo, atque egregie fideli, curtem Liesmundi, complura alia prædia, Comitatus et donaria multa atque ornamenta contulisse. *Effusus est in laudem dicti*

*Investituræ Episcopalis per Imperatores excogitata antiquitas,*

*adhærentibus Henrico 4 Archiepiscopis Hamburgensibus Liemaro,*

*et Adalberto,*

A *dicti* Adalberti *Adamus toto lib. 4, quem cap. 46 et ultimo tradit,* Majorem-domus in Palatio *dicti* Henrici constitutum, a fidelitate *ejus* nec minis nec blandimentis Principum rescindi potuisse. *Imo quod* Imperator *tum adhuc junior* omnia consilio Adalberti ageret, non tam illum, quam hunc Archiepiscopum culpandum judicari, *traditur in Historia Archiepiscoporum Bremensium.*

14 *Anno* MLXXII *Adalberto substitutus Liemarus ad annum* MCI *supervixit, cui tum suam Historiam inscripsit sæpe memoratus Adamus. Atqui post hujus mortem Bremenses adhæsisse Henrico Imperatori in fœdo investituræ abusu docet Ebbo in Vita antiqua S. Ottonis Episcopi Bambergensis lib.* I. *cap.* 6, Hoc siquidem tempore, *inquit,* Ecclesia liberam electionem non habebat, sicut postea sub Henrico V, mediante piæ memoriæ Callisto Papa, actum est ; sed cum quilibet Antistes viam universæ carnis ingressus fuisset, mox Capitanei civitatis illius annulum et virgam pastoralem ad Palatium transmittebant; sicque regia auctoritas, communicato cum Aulicis consilio, orbatæ plebi idoneum constituebat Præsulem. Itaque cum, ut diximus, virga pastoralis et annulus Episcopi Bremensis Imperatori offerretur ; mox ille, accersito unice dilecto sibi Ottone, munera hæc ei conservanda

*oblatis illi annulo et virga pastorali.*

B tradidit. Post paucos vero dies rursum annulus et virga pastoralis Ruperti Babebergensis Episcopi Domino Imperatori transmissa est. *Factum id anno* MCII, *cum præcedenti obiisset Liemarus. At S. Otto tum designatus Bambergensis Episcopus, initio passus est Imperatoris manu se investiri ; sed animadvertens id contra Canones factum esse, religione tactus, noluit consecrationem accipere, nisi* de manu Pontificis Romani annulum et baculum *acciperet, ut ibidem legitur cap.* 10. *Hæc de* investitura *illa a* Bremensibus *tum usurpari solita : et Actis S. Remberti intrusa, cum subscriptionibus* XIX Episcoporum *a dicto* Adalberto *ordinatorum, et* Gronlandorum, Islandorum, Scriefindorum *aliorumque populorum nominibus, diu post ævum SS.* Anscharii *et* Remberti *repertorum. Adamum, hactenus refutatum, usitato sibi more descripsit Albertus Stadensis ad an.* 865 *totidem verbis :* Pallium Pontificale suscepit a Papa Nicolao, ferulam pastoralem a Cæsare Luthewico, *Krantzius vero lib.* 2 *Metropolis cap.* 2 *nomine Cæsaris sublato, alteram partem modeste emendatam, sic explicat* Ferulam, *inquit,* pastoralem, hoc est, investituram feudalem, a Ludovico Rege Germaniæ suscepit. *Verum ultra temporale dominium, intelligi Ecclesiasticam aliquam jurisdictionem ab Im-*

*non absque jurisdictione Ecclesiastica.*

C *peratoribus arrogatam sibi vindicatamque ex ante dictis manifestum est.*

## § V. *Templa et cœnobia a S. Remberto erecta. Conversiones Gentium.*

I*nter alia acta Ecclesiastica, quibus interfuit* Rembertus, *censeri potest* dedicatio ecclesiæ S. Mariæ in Hildenesheim, *facta* anno DCCCLXXII, Indictione V, a venerabilibus Episcopis Alfrido ejusdem Ecclesiæ Episcopo, et Rimberto, atque Theodrico, sed et Luithardo, cum interventione religiosi Abbatis Adalgarii, monachorumque et Canonicorum, *uti referunt Annales Hildesheimenses tomo 3 Scriptorum historiæ Francorum. De* Altfrido *egimus hoc die ad Vitam B. Rabani : Vitam* S. Theodorici Episcopi Mindensis *dedimus* II *Februarii : De* Luithardo Episcopo Paderbornensi *et* Adalgario *Abbate Corbeiensi infra agimus cap. 4 et sequentibus.*

*S. Rembertus consecrat cum aliis ecclesiam Hildesheimensem*

16 Ceterum, *teste Adamo, cap.* 37, præcipuam Rembertus curam egit Hamburgensis cathedræ, tam Fratribus quam pauperibus opportuna ministrans solatia, omniumque districtam sollicitudinem habens, *et* quatuor a decessore Anschario fundatis cœnobiis,

*extruit monasterium Buccense*

quintum ipse *addidit* in solitudine Bukkin, *alias* Bukkin, Bucken *et* Buckum *dicta. Adamus describitur ab Alberto ad an.* 882, *Krantzio cap.* 11 *libri* 2 *Metropolis, in Annalibus antiquis cum Adamo editis, et in Historia Archiepiscoporum Bremensium, in qua* conventualis ecclesia *vocatur* cum Præpositura et Canonicis secularibus, quos ibi regulariter vivere præcepit Rembertus, ad honorem Dei *et* S. Materniani Confessoris. *Fuit hic* Episcopus Remensis, *cujus aliquas reliquias ab* Ebbone S. Anschario, *aliquas etiam ab* Hincmaro Ludovico Regi Germaniæ *donatas fuisse, docuimus ad* Vitam S. Anscharii § 13. *Ad hanc* Buccensem Præposituram *Brema navigio derectum* Alebrandum Archiepiscopum, *in eaque febri extinctum fuisse tradit Adamus lib.* 3 *cap.* 63. *Mentio ejusdem monasterii fit in Privilegiis S. Henrici et Frederici Imperatorum datis anno* III, XIV *et* CLVIII *supra millesimum.* D

*AUCTORE G. H.*

17 *Helmoldus in Chronico Slavorum lib.* I. *cap.* 6 *miratur* Sclavos *vicinos, seu* Wandalos, *aut* Winulos, *a SS.* Anschario *et* Remberto *neglectos fuisse : quod* duritiæ illius populi *adscribit;* non autem *horum* prædicatorum torpori, quibus animus circa vocationem Gentium adeo fuerit affectus, ut nec opibus, nec vitæ pepercerint. *Quod autem S.* Rembertus *per se non potuit efficere, per suos cooperatores Corbeiæ novæ monachos præstitit.* Tradit enim, *apud eumdem Helmoldum,* veterum antiqua relatio, temporibus Ludovici secundi (*qui ab anno* LXXVI *ad* LXXXII *istius regnavit*) egressos fuisse de Corveia monachos sanctitate insignes, qui Sclavorum salutem sitientes, impenderunt seipsos ad subeunda pericula et mortes pro Legatione verbi Dei. Peragratisque multis Sclavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui Rani, seu Rugiani dicuntur, et in corde maris habitant. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam insulam lucrati sunt, ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi, et in commemorationem S. Viti, qui est Patronus Corveiæ. *Hactenus Helmoldus. De* S. Vito *ejusque ad Corbeienses translatis reliquiis agemus* XV *Junii. Dicta autem insula maris Balthici notissima etiamnum,* Rugia *appellatur.*

*collaborat in conversione Sclavorum* E *per monachos Corbeienses,*

18 *Exclamant Adamus cap.* 37 *et Albertus ad annum* 878, quia vastatio Normannorum vel Danorum exessit omnem crudelitatem, eo plus mirum videri, sanctos Dei Confessores Ansgarium et Rembertum per tanta pericula maris et terræ illas gentes adiisse et prædicasse, ante quarum impetus nec armati Reges aut potentes Francorum populi subsistere potuerunt. *In elogio S. Remberti ex vetere scripto Ecclesiæ Bremensis supra dato,* Rembertus Regem Daciæ, *seu* Danorum, *et* Regem Suetiæ baptizasse *dicitur, et* totum *hujus* regnum in fide Christi solidasse. *Epistolam* Nicolai Papæ *ad* Horicum Regem Danorum *dedimus* III *Februarii, ex qua constat hunc Christiano nomini favisse, verum fidem nondum suscepisse ; quod tamen adstruunt Adamus cap.* 28 *et Albertus ad annum* 858, *docentes eum a* S. Anschario ita placatum esse, ut Christianitatem ipse susciperet. *Quod istic mirum videri diximus, nusquam in* Vita S. Anscharii *aut* Remberti *legi.*

*et Danorum*

*an horum et Suecorum Reges converterit?* F

## § VI. *Victoria precibus S. Remberti impetrata.*

B*avonem, seu* Bonenem, Corbeiæ Saxonicæ Abbatem *sextum, qui octo post obitum* S. Remberti *annis vivere desiit, diximus supra Acta sui temporis illustriora scripsisse : quæ fragmento aliquo prolato, Adamus lib.* 1, *cap.* 35 *commemorat :* Nec incongruum, *inquit,* videtur, quoniam de persecutione diximus, quæ tunc late efferbuit in Ecclesias, grande miraculum per merita S. Remberti Fresonibus ostensum tangere, quod

*Cæsis Normannis* 10,377

A quod Scriptor Gestorum ejus nescio cur omiserit.

AUCTORE G. H.

Sed Bono Corbeiensis Abbas de sui temporis Actis scribens, non reticuit, dicens : Cum modernis temporibus gravis barbarorum irruptio in omni pene Francorum regno immaniter debaccharetur, contigit etiam eos Divino judicio ad quemdam Frisiæ pagum devolvi, qui in remotis ac mari magno vicinis locis situs est. Norduide hunc appellant, quem subvertere aggressi sunt. Erat enim illic eo tempore

*orante S. Remberto,*

venerabilis Episcopus Rimbertus, cujus adhortationibus et doctrinis confortati et instructi Christiani, cum hostibus sunt congressi, et prostraverunt ex eis decem millia trecentos septuaginta septem, pluribus insuper, dum fuga præsidium quærunt, in transitu fluviorum necatis. *Hæc ille. Addit Adamus :* Cujus rei miraculo usque hodie (ducentis circiter post annis) merita S. Remberti penes Frisones egregia, et

*celebri apud posteros memoria :*

nomen ejus singulari quodam gentis colitur desiderio; adeo ut collis, in quo Sanctus oravit, dum pugna fieret, perpetua cespitis viriditate notetur. (Et lapis, *ut additur in Historia Archiepiscoporum Bremensium*, in quo genua flectens brachia posuit, juxta Oslinge vestigium ostendat) Nordmanni plagam, quam in Fresia receperunt, in totum Imperium ulturi, cum Regibus Sigafrido et Gotafrido per Rhe-B num et Mosam et Scaldam fluvios Galliam invadentes, Christianos obtruncarunt, ipsumque Regem Carolum bello petentes, ludibrio nostros habuerunt. *Hæc Adamus. De* Godefrido *filio* Heriolti Regis, *cui* Carolus Crassus, *data in uxorem* Lotharii Regis *filia* Gista, Frisiam *concessit, uti et de* Sigefrido *egimus* § 9 *ante* Acta S. Anscharii.

20 *Eamdem ex Adamo describunt precibus* S. Remberti *obtentam victoriam Albertus Stadensis ad annum* 876, *Krantzius lib.* 2 *Metropolis cap.* 10 *et pluribus in Historia Martyrum Ebbeckstorpiensium post Indicem hujus Metropolis excusa, Ubbo Emmius lib.* 5 *Historiæ rerum Frisicarum anno* 880, *Bernardus Furmerius lib.* 6 *Annalium Frisicorum, Martinus Hamconius de viris Frisiæ illustribus in S. Remberto : qui omnes, cum Auctore historiæ Archiepiscoporum Bremensium,*

*an in ditione Nordana Frisiæ Orientalis,*

*supra memoratam* Nordwidam, *jam* Nordam *dici volunt, quam etiam* Norduicum *appellatam Furmerius supra et Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad* XI *Junii observant. Est autem* Norda *caput Norwidæ, seu Norderlandiæ regionis, sedes Nordani populi, Embdæ ambitu par aut major, pulchritudine, opibus, cultu haud dubie proxima, quamquam mœnium expers,* XII *passuum millibus recta in Boream recedens, intimo-*C *que in sinu æstuarii Oceani Germanici sita : a qua non procul visitur vicus* Osterloech, *fortasse* Oslinge, *locus oratione* S. Remberti *illustris : ad cujus diœcesim tota ea regio pertinebat.*

21 *His non obstantibus, in aliam quamdam opinionem alliciunt Annales Fuldenses ad annum Christi* 876; *in quibus ita legitur :* Frisiones, qui vocantur Occi-

*num vero Norduici in Frisia occidentali seu Hollandia?*

dentales, cum Normannis dimicantes, victores extiterunt; omnesque thesauros, quos Normanni plurima loca spoliando congregaverant, abstulerunt atque inter se diviserunt. *Erat autem tum* Frisia Occidentalis, *quæ deinde seu a Danorum provincia, seu alia de caussa nomine accepto, Hollandia dicta, veteris* Frisiæ *partem includit transrhenanam in qua etiamnum* Westfrisiæ *nomen celebratur. Visitur istic* Nordvicum, *ultra antiquum Rheni alveum, Scriptori Saxonico in* remotis ac mari magno vicinis locis, *ea de caussa* Nordvicum supra mare *cognominatum, circiter* V *millia passuum a Lugduno Batavorum dissitum, et Normannorum irruptioni continenter expositum : unde etiam plagam hic acceptam ulturi, per Rhenum, et vicina Mosæ Scaldisque ostia Galliam ingressi, crudelissime Christianos obtruncarunt, potissimum anno* DCCCLXXXI *et sequente, ut passim Francorum Scriptores coævi describunt, et nos attigimus ad Vitam S. Anscharii* § 9. D

## § VII. *Ætas, et annus obitus S. Remberti.*

*Nulla in Actis mentio fit annorum S. Remberti, ut mirum non sit in varias a diversis abitum esse sententias. Ex his supra rejecimus Trithemium, qui* novem annos *eum* rexisse Ecclesiam Bremensem *scripsit. Cypræus lib.* I *Annalium Ecclesiæ Slesvicensis cap.* 4 annos novemdecim *eum* præfuisse *scribit ; sed male habita annorum collectorum ratione. Nam ab anno illius seculi* LXV *ad annum* LXXXVIII *(necessario viginti tres intercurrunt)* Archiepiscopum vixisse *affirmat, quos melius collegit Lambecius in Originibus Hamburgensibus. Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum* 887 *ejus obitum refert, calculo Gallorum a Paschali festo suos annos incipientium excusandus, si mense Februario et non Junio mortem Rembertus obiisset. Accurate ergo Adamus tradit cap.* 38 obiisse *eum* anno Domini DCCCLXXXVIII Indictione VI; depositionem *autem ut supra docuimus,* celebrari III Idus Junii, sedisse, *ut cap.* 32 *idem affirmat,* annos XXIII; *utpote electum* IV *Februarii anni* DCCCLXV. *Adamum sequuntur Albertus, Krantzius et passim alii.*

*vixit Archiepiscopus, non 9, aut 19, sed 23 annos : defunctus non anno 887 sed 888 :*

23 Senio gravari cœpit *infra in actis num.* 27, *cum* apud Ludovicum seniorem *(anno* 876 *vita functum)* E obtineret Coadjutorem Adalgarium, *ut quinquagenario majorem tum fuisse existimemus. Fuerit in lucem editus anno ejus seculi* XX *aut circiter ; dein annos natus* XII, *inter ceteros scholares pueros* pene minimus *a S. Anschario in Clerum, dato illi cum tonsura Ecclesiastico habitu, assumptus, cum is Archiepiscopus Hamburgensis consecratus, Turholtum sibi donatum primo lustraret circa annum* DCCCXXXII. *Annos proinde* XLV *natus ad Archiepiscopalem dignitatem fuerit promotus et* LXVIII *anno ætatis, meritis plenus, migrarit e vita.*

*natus circa an. 820, vixit circiter 68 annos.*

# VITA

Auctoribus monachis Corbeiensibus,

*Ex variis MSS.*

## CAPUT I.

*Archiepiscopatus Hamburgensis institutus. S. Remberti in Clerum adoptatio.*

*Prologus.*

Scripturi Vitam cum omni semper veneratione memorandi Remberti Pontificis, quæ officii ejus primitus occasio fuerit, aut quem ad hoc institutorem vel conversationis Præfectum habuerit, seu qualiter ad F hoc electus deinceps vixerit, inquantum hæc comperimus, fideliter enarramus.

2 Cum Imperator *a* Ludovicus regni Francorum monarchiam teneret, auctori sublimationis suæ Deo, talem devote vicem reddere curavit, ut Ecclesiæ Dei, in regno ejus constitutæ, decenti vigore *b* proficerent, servorum quoque et ancillarum Dei status cum honoris incremento latius excresceret. His ejus assiduis meditationibus ex divina inspiratione subintravit etiam memoria, qualiter serenissimus pater suus Karolus, cognomento Magnus, gentem Saxonum eotenus infidelem ad fidem Christi converterit, usque adhuc, ordinatis per ipsam provinciam sufficienti numero Episcopis, et Sedibus eorum provide distributis, extremam ad plagam Aquilonarem ejusdem provinciæ partem ad hoc reservaverit, ut ibidem Archiepiscopalis constitueretur Sedes : unde prædicatio verbi Dei finitimis fieret populis *c* Sueonum, Danorum, Northwehorum, Farriæ, Gronlandan, Islandan, Scridevindam, Sclavorum, nec non omnium Septemtrionalium et Orientalium nationum, quocumque modo nominatarum, qui paganicis adhuc erroribus involvuntur. Sed ad hoc opus constructa est

*Caroli Magni decreto.*

A est tantum et dedicata Hammenburgensis Ecclesia in confinio Danorum et Sclavorum, in extremis videlicet partibus Saxonum, inter eos qui dicuntur Nordalbingi, et una cum incolis locorum, eadem Ecclesia jussu ejusdem gloriosi Imperatoris Karoli ad gubernandum est Presbyteris commissa: donec opportuno tempore, deputatis prius ad locum episcopalibus sufficientiis, Archiepiscopum ibidem faceret consecrari.

*ecclesia Hamburgi extructa.*

3 Ipso autem ante hujus effectum voti ex hac vita sublato, piissimus filius ejus jam dictus Ludovicus cum fidelibus suis hanc ejus intentionem retractans, Anschariurn summæ sanctitatis virum, ut pater decreverat, privilegii Archiepiscopalis et ordine et nomine sublimari, et jam dictæ novellæ Ecclesiæ rudibusque adhuc in fide populis Rectorem, ac gentibus, ut dictum est, necdum fidelibus erogatorem verbi divini fecerat ordinari. Cujus a pueritia in Dei timore conversationem, vel cum ætatis processu virtutum incrementa, aut quantis indiciis præmonstratum sit pontificatus et prædicationis ejus officium, et quomodo per Sedis Apostolicæ privilegia ejus omnis sit caussa munita, studiumque ejus et profectum in lucrandis Deo animabus, quas vel in fide roborare, vel de paganismo ad Christianitatem ducere quotidie satagebat, quisquis scire cupit, legat libellum B Vitæ ejus, et quantæ sanctitatis vir ipse fuerit perpendet. Nos nunc de sanctitatis ejus imitatore simul et dignitatis successore Remberto scripturi, qualiter primo ei cognitus sit et consequenter adscitus, hinc jam loqui incipiemus.

*Ludovicus Pius præficit Archiepiscopum S. Anscharium.*

4 Cum jam prædictæ noviter institutæ Hammenburgensis Ecclesiæ termini essent angusti, et ad tantum officium, quod Episcopo ejus injunctum diximus, sumptus ex illius pertinentiis collecti non sufficerent, ipsosque, qui provenire possent, reditus frequens hostilis irruptio diriperet; ne per hoc vir Dei impediretur a prædicationis officio, quod in Gestis ejus Legatio ad Gentes vocari solet; memoratus Imperator Ludovicus quamdam in Gallia cellam, d Turholt vocatam, eidem Legationi tradidit perpetuo servituram. Quodam autem tempore Dominus Episcopus ibidem degens, aspexit quosdam pueros joco et inanibus cursibus ad e ecclesiam festinare: quorum quidam inter ceteros pene minimus graviter incedens, et pueriles levitates sollicite devitans, orationem cum reverentia et timore peregit, surgensque signo Crucis frontem munivit, et, quasi maturioris ætatis esset, suam per omnia continentiam C exhibuit. Animadvertit ergo vir Dei sacram religiosi pueri infantiam Divinæ jam servitutis amore flagrasse, accitisque ad se parentibus ejus, nomen pueri, quod Rembertus vocaretur, edidicit: et consensu eorum accepto, tonsuram ei et ecclesiasticum habitum imposuit. Sicque eum ibidem paterna sollicitudine commendans, studiose erudire præcepit, paucisque diebus transactis inde discessit, et suscepti pastoralis officii suæque ad Gentes Legationis instanter operam egit.

*a quo in monasterio Torholtano*
*d*
*e*
*S. Rembertus, puer pius,*
*in Clerum adsciscitur,*

5 Posthæc puer jam Deo dilectus, magis magisque in gravitate proficiens, et discendis liberalibus disciplinis ardenter instabat, et inter hæc orationibus, ceterisque bonarum rerum occupationibus assuetus, in paucis annis omni maturitate et scientia virtutum perfectus emicuit: et jam tunc juxta Psalmistam concaluit cor ejus intra ipsum, et in meditatione ejus exarsit ignis, invenire cupientis, quid ei in hac vita consistenti exequi maxime prodesset. Cui talia meditanti occurrit juxta quemdam f sapientem primam philosophiæ definitionem meditationem esse mortis, idque toto pectore g exhausit, ut omni vitæ suæ tempore, hanc summam sapientiæ consequi niteretur: quatenus tempore mortis suæ de neglectu præmeditationis ejus non contristari, D sed potius per observationem Scripturæ admonentis et dicentis: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis; quantum humanæ conditioni possibile esset, de peccatorum vel cautela vel remissione securus lætificari mereretur.

*Psal 38. 4*
*inter studia*
*f*
*g*
*meditationi mortis deditus,*
AUCTORIBUS MONACHIS CORBEIENSIBUS, EX MSS.
*Eccli. 7 40*

a *Ab anno* 814 *ad* 840. — b *MS. Coloniense*, perferrentur. — c *De hac ad Aquilonares populos Legatione ante Acta S. Anscharii* § 12 *egimus, ostendimusque Acta et S. Anscharii et S. Remberti in MSS. Germanicis interpolata esse intrusis locis, ad quæ ea Legatio undecimo seculo extenta fuit. Quare hunc locum ex Decretis Pontificis Gregorii IV et Nicolai I, atque ex genuinis Actis S. Anscharii codicum MSS. S. Germani de Pratis et Corbeiæ Franciæ, ita emendamus*: Prædicatio verbi Dei finitimis fieret populis Sueonum sive Danorum, nec non etiam Sclavorum, vel in ceteris, ubicumque illis in partibus constitutis, *etc. Singulæ etiam infariæ nationes dicto* § 12 *exponuntur.* — d *Torholtum in moderna Flandria prope Brugas, de quo actum* § 8 *ante Acta S. Anscharii.* — e *MS. Rodecense*, ecclesiasticum habitum. — f *Plato in Phædone hoc non absimile apophthegma profert*: Οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι. Qui recte philosophantur, mortem meditentur. — g *Colon.* intraxit.

*Locus de Legatione interpolatus emendatur.*

## CAPUT II.

### *Familiaritas S. Rembertii cum S. Anschario. Sanctitas ostensa.*

Venerandus igitur Præsul, qui eum Divino mancipavit servitio, sicut in Gestis vitæ ejus legitur, quæ illi ventura, vel ab ipso gerenda erant, pene omnia E vel per a somnium vel per intimam revelationem in mente prænoscere et præordinare solebat. Quæ autem ipsa fuerit intima in mente revelatio, scriptores Vitæ ejus tale quid esse arbitrantur, quale in Actibus Apostolorum sæpius repliatur: Dixit autem Spiritus illi, vel illi discipulo. Unde non est diffidendum, quod vir Dei non ex eventu, sed Divinæ admonitionis attactu, quem occultiori sensu, utpote vir spiritualis, in anima percipere solebat, hunc felicem, de quo loquimur, puerum cum tanto paternitatis affectu Divinis asciverit ministeriis: quin potius in tenore conversationis et modo, quo semper deinceps apud illum tractatus et habitus est, verisimile videtur, quod evidenter a Deo sit ei revelatum, quia successor illi in Episcopatu futurus fuisset. Nam cum primo in discendis artibus et disciplinis scholaribus districtio Magistrorum ei remitteretur, quod usitata locutione egressum de schola dicimus; mox eum Dominus Episcopus indivisibilem suæ legationis comitem esse constituit, venientemque de præfato, in quo eum nutriendum commendavit monasteriolo, cum gaudio suscepit, consciumque suorum in omnibus permiserat esse gestorum; in quibus ipse Deo cum omni pietate, sive occulte sive F manifeste famulabatur.

*a Revelatione S. Anschario facta,*
*Act. 8. 10 et 11.*
*prævisus in Episcopatu successor,*
*comes Legationis assumitur:*

7 Denique cum quodam die juxta morem simul assisterent ad orationem, jamque supplicatione finita egredi de ecclesia pararent, quasi secretioris gratiæ munus in discipulo Pontifex agnoscens, eum his verbis alloquitur: Oportet te, inquit, fili Remberte, semper illi gratias agere, qui de turbidis seculi fluctibus ad portum quietis te vocavit: ad quem quia video indubitanter te animum applicare, fateor amoris tui me affectu flagrare, eamdemque dilectionem fineteuus ex mea parte circa te durare non dubites. Cui ille respondens: Indignus sum, inquit, Domine, tanta gratia tua: quia tamen hanc in me ostendis clementiam, meritis tuis apud Deum id obtineri deposco, ut in futura vita præmiorum tuorum consortium adipiscar. Tunc sanctus Episcopus (cujus mentem gratia Dei sæpius illustrari diximus, ad prænoscenda, quæ illi futura essent) his verbis dignissimi Remberti nullum quidem ad præsens dedit responsum, tertia vero die transacta, ipso jam sollicitudine fatigato cogitationum, quare scilicet ad hanc petitionem suam reticuerit Episcopus, talem ei reddidit consolationem: Jam, inquit, obtinui a Domino, ut

*intime amatus,*
*petens ejus in cælo frui consortio,*
*certior fit,*

AUCTORIBUS MONACHIS CORBEIENSIBUS EX MSS.

A ut in futuro seculo, sicut petisti, ab invicem non separemur : ubi ita æternæ beatitudinis participes erimus, si nostra nos virtute ad hanc pertingere posse non præsumamus, quod est reatus superbiæ, per quam ceciderunt, qui operantur iniquitatem : nec rursum desidia torpentes obliviscamur, quod dicitur: In Deo faciemus virtutem. Sed quotidie studeamus, ut bonum opus, sicut admonet B. Gregorius, habeatur nobis in voluntate : ac sic consequenter confidamus, quia juxta eumdem Doctorem ex adjutorio Divino erit in perfectione. Si autem quem movet, hanc trium dierum dilationem ad hoc responsum fecisse Episcopum, meminerit nos prædixisse mentem ejus a gratia Dei ad prænoscenda futura sæpius illuminari : de quo tamen his ipsis, quæ subjecta sunt, verbis in ejus ita scriptum habetur Vita. Ad omnia ergo, quæ forte præcipua definire debebat, spatium cogitandi habere volebat ; nec quicquam temere disponebat, antequam gratia Dei illustratus, in mente sua ipse sentiret quid melius esset. Sicque superna visitatione certificatus in mente sine cunctatione, quæ agenda erant, disponebat. Hæc de *b* Vita ejus idonee nos inseruisse lector intelligat, ut ex hoc testimonio comprobaretur, nihil eum ad petitionem hujus sanctissimi discipuli sui Remberti respondisse, B nisi quod triduano spatio menti ejus Spiritus sanctus infudit, juxta sententiam, quam etiam superius de Actibus Apostolorum protulimus.

*Psal. 59, 14*

*triduo precibus fusis.*

8 Accedit etiam ad præsagium virtutum beati viri visio quædam, de ipso revelata procuratori Antistitis prima mox nocte adventus ejus Hammenburg, cum ipse adhuc in prima ætate adolescentiæ fuisset. Videbatur enim eidem procuratori, conspexisse se ipsum Rembertum sedisse in fastigio oratorii, signumque Ecclesiæ unum, quod nos *c* cloccam vocamus, in cœlo apparuisse, a quo ligamen lineum, ut assolet, in modum funis demissum usque ad ipsum dependeret Rembertum : per quod ipse idem signum hilariter traxisse, et sono ejus dulciter delectatus esse videbatur. Cui somnio congruam ex divinis Scripturis interpretationem reperimus. Præcipitur Moysi a Domino, ut inter alia vestis sacerdotalis mystica indumenta, hæc etiam fiant : Deorsum, inquit, ad pedem ejusdem tunicæ per circuitum quasi mala Punica facies ex hyacintho et purpura et cocco bis tincto et bysso retorta, mixtis in medio tintinnabulis. Quare ergo hic tintinnabula adjungi præcepta sint, inferius ostenditur. Ut audiatur, inquit, sonitus, C quando ingreditur Pontifex sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur. *d* Sacerdos ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia iram contra se occulti Judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Quia igitur futurum erat, ut summo Ecclesiæ gradu conscenso, vir Domini ornamentis spiritualibus enitéret ; ut etiam prædicationis officium insigniter egisse probaretur, recte in fastigio templi, quod significat apicem Pontificalem, cum doctrinæ suavissimo et cœlitus attracto sonitu ad convocandam servitio divino sacram Christi plebem sedisse videbatur : hoc enim in hujus ostensione visionis personans, attractu ejus signum cœleste significare potest, quod in veste Pontificis tintinnabula monstrare probantur.

*in visionem de eo factam,*

*Exodi 28*

*explicatur in veste Pontificis*

*tintinnabula,*

9 Qualiter etiam cetera, quæ de Scriptura sacra proposuimus, sacerdotalis habitus ornamenta spiritualiter in se semper exhibuerit, ad profectum simul et imitationem legentibus exponere judicavimus. Malis itaque Punicis utebatur, in quibus multa interius grana uno foris cortice teguntur : quia ipse semper multifariam virtutum operationem uno caritatis munimine undiqueversum tectam gestabat. Hæc autem mala punica ex purpura et hyacintho et cocco bis tincto et bysso retorta erant : quæ cuncta illi aptissime conveniunt. Omni enim desiderio semper D quærebat cœlestia, quæ per hyacinthum significantur : pro nomine Christi usque ad martyrium paratus, quod intelligitur in purpura : amore Dei flagrans et proximi, quod per coccum bis tinctum exprimitur. Sicut byssus de terra eruta longo exercitio siccandi, tundendi, purgandi, coquendi et nendi gramineum solet perdere et candidum in se recipere colorem ; ita ipse cum magno continentiæ labore quasi nativum exsudans humorem, ad decorem dignæ Dei puritatis, solerti jejuniorum, et vigiliarum, et orationum, et lectionis, patientiæ et humilitatis instantia pervenit. Quibus omnibus tintinnabula habuit permixta : quia raro aliud ab illo, quam prædictarum virtutum suavissimus sonitus audiebatur, qui rursum operum ejus sublimitate audientium mentibus commendabatur : sicut et sequens de illo hujus opusculi textus manifestius ostendet.

*mala Punica,*

*hyacinthus, purpura,*

*coccus bis tinctus, byssus*

a *Potissimum capp.* 1, 2, 4, 12 *et* 16. *Certe num.* 60 *ita legitur :* Dominus servum suum *Anscharium*, non jam, ut prius per somnium, sed apertius consolari dignatus est. — b *Hæc in Actis S. Anscharii omisit Rembertus, quod ad suam spectarent laudem.* — c Clocca *pro Campana, etiam in Vita S. Anscharii legitur num.* 50, *ubi de ea egimus.* — d *Ea descripta sunt ex lib.* 2 *Curæ Pastoralis S. Gregorii Magni cap.* 4. E

*Clocca*

## CAPUT III.

### *Anima, ejus jejunio, ex Purgatorio liberata. Obitus S. Anscharii.*

Cum adhuc esset in obsequio decessoris sui Domini Anscharii, apparuit ei Presbyter Arnulphus jam diu defunctus, et percunctanti de ejus caussa in alterius seculi vita, dolenter respondit : Ego, inquieus, dum adhuc in carne essem, negligenter de animæ meæ agebam salute, gravitatem personæ meæ competentem non servans, otio sæpius vacans, et aliquando etiam in indicto jejunio carnem manducans, aliaque similiter interdicta in esca et potu frequenter usurpans, pro talibus commissis indignus fui hactenus ad præsentiam Dei venire. Si tua, ait, fraternitas pane et sale et aqua contenta, a ceteris victualibus abstinentiam quadraginta diebus pro me facere vellet, credo dein me per Dei misericordiam ab hujus repulsionis meæ sententia sive pœna liberari. Cui cum ipse, ut ei videbatur, ita polliceretur se facturum esse, expergefactus de somno, mox ut Episcopum alloqui potuit, visionem omnem ei exposuit : acceptoque ab eo consilio, toto spatio quadraginta dierum nullo cibo alio vel potu usus est, nisi F pane tantum et aqua. Eodem tempore tanto dolore dentium fatigabatur ut ipsis sibi panem ad reficiendum *a* commodi sustinere non posset. Quamobrem ipsum panem comminutatim terendo, seu manibus confricando, in ipsam aquam commiscebat, et ad levamen dentium quodammodo instar pultis emolliebat : in quo etiam ad augmentum abstinentiæ ea, quæ in simplici decoctione panis esse possent, plurimum defecerunt, et vis scilicet alimenti et suavitas ac delectatio saporis. Expletis autem diebus istius abstinentiæ, ipse Presbyter, pro quo hæc agebantur, per visum apparuit cuidam feminæ, quæ multis diebus paralytica jacebat, nomine *b* Helahwih : cui longa quidem infirmitas membra gravavit ; sed tamen, ut de *c* quodam B. Gregorius dicit, ipsa infirmitas eadem membra a bono opere non ligavit : quotidie enim ad Ecclesiam se deportari faciens, verbum vitæ ibidem delectabatur audire, hymnisque et laudibus, prout potuit, die noctuque vacare. Huic, ut dictum est, per visum apparens Presbyter memoratus, famulo Dei Remberto gratias referri petivit de parcimonia pro ejus salvatione exacta : et intantum sibi profecisse mandavit, ut abnegatum sibi prius ad conspectum Dei accessum, et aulæ cœlestis introitum, per hanc condonatum

*Ut ex purgatorio Presbyterum liberet,*

*40 dies pane et aqua victitat*

*a dolore dentium vexatur*

A condonatum constaret. Ipse vero Rembertus inter eos, inquit, adscribetur, de quibus dicitur : Fulge-
Sap. 3 7 bunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto dis-
Psal. 83, 8 current ; et de quibus Psalmista : Ibunt de virtute
*visionibus non effer ur.* in virtutem. Istiusmodi visionibus vir Dei nil unquam animo extolli solebat, sed per humilitatis tutissimam semper viam incedens, ita quodammodo virtutum gradus quotidie ascendit, ut sæpe dictum semper at
Hom. 7 *in Evang.* tendere videretur B. Gregorium dicentem : Unusquisque nostrum, fratres, magnus esse studeat, sed tamen magnum se quodammodo esse nesciat, ne, dum sibi
*d* magnitudinem arroganter tribuit, amittat *d*.

11 Quamdiu ergo fuit in corpore vir Domini Anscharius, iste servus Dei Rembertus præ cunctis familiarius illi in omnibus adesse solebat, de quo aliquoties nobis in hoc opusculo mentio incidit, ut libellus gestorum præfati Pontificis, ab ipso Rem-
*Fidissimus discipulus,* berto alioque condiscipulo ejus editus, testatur : in quo videlicet libro ubicunque commemoratio fit
*e f* cujusdam *e* fidissimi discipuli ejus, quod *f* frequenter lector ibi inveniet, sciat ipsum Rembertum esse. Sed quia, ut diximus, cum alio quodam editor extitit gestorum eorumdem, idcirco veritatem rei suppresso nomine suo exprimere voluit, ne de se familiariorem gratiam jactanter proferre videretur. Sic enim et
B beatus Evangelista Joannes in Evangelio fecit, ubi suam semper personam maluit indiciis rerum accidentium, quam proprio designare vocabulo. Quatenus autem in hoc devotionis loco cum Episcopo familiariter sanctus vir Rembertus perseveraverit, ex verbis præfati libelli agnoscitur, quibus de transitu
*g* Domini Episcopi ita commemoratur. *g* Percepta, inquit, Dominici Corporis et Sanguinis communione, sanctus Pontifex Dominum deprecabatur, ut quicumque in eum quoquo modo peccasset, Divina ei hoc pietas remitteret. Deinde versiculos istos cœpit fre-
Psal. 24 7 quentius repetere : Secundum misericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine ;
Lucæ 18, 13 et, Deus propitius esto mihi peccatori, et, In manus
Psal. 30, 6 tuas, Domine, commendo spiritum meum. Cumque hæc sæpius repeteret, et frequenti anhelitu jam ea
*morienti alternas preces rependit S. Anschario* frequentare non posset ; cuidam Fratri præcepit, ut hæc vice illius frequentando caneret ; sicque oculis in cœlum intentis, Domini gratiæ commendatum spiritum exhalavit. Hic ergo, quem vice sua verba orationis pro se frequentare præcepit, Rembertus fuit, cui in loquelæ suæ defectu, voti sui verba commendans Episcopus, per eum se compensare credidit, quidquid ipse minus orationum jam moriens per-
C agere posset : quoniam et propter vitæ ejus meritum pro se illum exaudiri non dubitavit, et quod ille fecit, non discrevit ab eo quod a se ipso factum fuisset : quia cor unum et anima una, unus spiritus et una fides erat semper in eis.

12 Denique cum in infirmitate ipsa, qua de hac vita migravit, consilium quæreretur a Domino Anschario de successore ejus eligendo, et qualem etiam de Remberto, quid videretur inquirerent, respondisse fertur, quod hoc sui non fuerit ministerii discernere ; quia forsitan ipse in Episcopatu multorum animos haberet offensos, quod emendare magis debuisset ; quoniam per hoc motum ipsum animorum
*ab eo aptus ad Episcopatum declaratur.* augeret, quod ipse talem ad successionem personam denominaret, quæ fortassis in commoditate sua gravaret subjectos, et amaræ fierent propter hoc contra ipsum querimoniæ. De meritis tamen, inquit, Remberti sciatur, quia dignior est ipse Archiepiscopali, quam ego subdiaconatus officio. Hæc de se magnæ humilitatis intentione sanctus prolocutus est Episcopus ; tamquam verus observator ejus, quam et ipse olim habuit in perfectione monachorum regulæ B.
cap. 7 Benedicti, dicentis : Septimus, inquit, humilitatis gradus est, si non solum omnibus inferiorem sua se lingua pronuntiet monachus, verum etiam intimo D
cordis credat affectu, humilians se et dicens cum *Aut omnibus cohærentiis MSS.*
Propheta : Ego autem sum vermis, et non homo. Psal. 21 7
Solent enim sancti viri, cum fortia agunt, de semetipsis vilia sentire, juxta quod de semetipso David coram Arca Domini saltando, regni sui potentiam despiciens, dixit : Ludam et vilior fiam plus quam 2 Reg 6, 22
factus sum, et ero humilis in oculis meis. De quo et Phil. 2, 2
Apostolus admonet dicens : Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Quorum prius, hoc est, Prophetæ testimonium beatus vir Anscharius *magna ejus humilitas.*
ita in se custodire solebat, ut de semetipso intus humilia sentiens, honorem exterius non requireret, quasi dicens : Ludam et vilior fiam. Nec rursum per hoc, quod vilem se exterius præbuit, interius intumesceret, implendo potius quod sequitur : Et ero humilis in oculis meis, id est, qualem me exterius despiciens exhibeo, talem me interius attendo. Qua despectus sui intentione implevit etiam quod de Apostolo proposuimus, ut omni contentione et inani gloria carens, per humilitatem sibi alios superiores arbitraretur. Unde et superius est scriptum, quod potioris quam ipse esset meriti, beato viro Rem- E
berto tantopere dedit testimonium. Sed quamquam ipse humilitatis causa de se talia dixerit, nostrum tamen non est quemlibet eorum alteri præponere, sed æquales fuisse meritis credere, quos et unius fidei devotio et ejusdem officii, licet diversis temporibus, administratio commendet æqualiter.

a MS Budecense, comedi — b MSS. *Coloniensia* Helabwich et Nelabwich *quod nomen a Surio omissum.* — c *Ita est S.* Servulus, *quem celebrat S. Gregorius homilia* 15 *in Evangelia, et lib.* 4 *Dialogorum cap.* 14. *Colitur* 23 *Decemb.* — d *Addit Gregorius,* quod intus latet. — e *MS. Coloniense,* fidelissimi. — f *Passim num.* 2, 5, 6 *et* 69, *ubi et* conscius pene in omnibus fuisse *dicitur. Plura* § 3 *ante Acta S. Anscharii referuntur.* — g *Hæc in eisdem Actis leguntur num.* 71.

## CAPUT IV.

### *Archiepiscopatus Hamburgensis S. Remberti : Vita ejus monastica. Eleemosynæ.*

Quamquam igitur, sicut nunc diximus, sanctus Pontifex non libenter aliis, pro offensa eorum vitanda, de successuro sibi aliquo referre voluisset, ne suum tamen pene in omnibus consocium hac gratia in fine defraudaret, triduo ante obitus sui diem *Successor prædicitur.*
aperuit secretum suum viro Dei Remberto, quod post se deberet ad Pontificatus apicem promoveri. F
Tum ille reniti cœpit, ad tantum ministerium nec viribus nec meritis se idoneum esse proclamans. Cui sanctus Episcopus, Dei dispositionem esse commemorans, quod ipsi prædixit, competentes admonitiones adjunxit, quod suam voluntatem ad Divinæ dispositionis judicium inflectere deberet, juxta illud B. Thomæ Apostoli Domino dicentis : *a* Dominus *a*
meus es tu, et ego servus tuus sum : fiat voluntas tua. Ad hæc glorioso Remberto reniti vel contraire defecit constantia, quando Episcopum divinitus hæc accepisse sciebat.

14 Nec ulla ambiguitas fuit Clero vel populo inter plures de electione, sed ipso mox die *b* depositionis *b*
Domini Anscharii, Rembertum concorditer elegerunt. *eligitur Archiepiscopus,*
Cum cujus concordiæ pacto ad gloriosum tunc temporis Regem *c* Ludovicum adduxerunt eum viri ve- *c*
nerabiles *d* Thejadricus Mindensis Ecclesiæ Epis- *d*
copus, et *e* Adalgarius Abbas monasterii novæ Cor- *e*
beiæ. Susceptusque ab eo honorifice, *f* cum ponti- *f*
ficalis baculi juxta morem commendatione, episcopatus est sortitus dominium. In *g* chartis autem Apos- *g*
tolicorum Romanæ Sedis Pontificum, a quibus privilegium Archiepiscopale *h* sancitur Sedi, quam tunc *h*
ipse

*AUCTORIBUS MONACHIS CORBEIENSIBUS, EX MSS.*

A ipse suscepit, etiam hoc continetur; ut, quia propter novellam ejusdem Sedis institutionem, et necdum conversos ad fidem populos, suffraganei non habentur Episcopi, a quibus discedente uno alter Archiepiscopus consecretur, Palatinæ interim providentiæ succedentium per tempora Pontificum consecratio sit commissa, donec numerus suffraganeorum Episcoporum, canonice eum consecrare debentium, ex Gentibus suppleatur. Cum hujus ergo ad ordinandum eum tenoris insinuatione venerabilem Rembertum gloriosus Rex direxit ad *i* Luitbertum Archiepiscopum Moguntiensem, a quo jussu ejus est consecratus: ut provide actum sit, quatenus in adjutorium consecrationis non unius metropolis, sed duarum convenirent Suffraganei, *k* Lindwardus videlicet Paderburnensis Episcopus, pertinens ad Moguntiam, et præfatus Theadricus Suffraganeus Archiepiscopi Coloniensis: quo sita permixtim adesse idcirco complacuit, ut tam hujus consecrationis actio, quam etiam Domini Anscharii primitus ad Sedem ipsam simili modo facta ordinatio, signum esset futuris temporibus, quod ad nullam nominatim condiœcesitatem quorumcunque Episcoporum pertineat ad *l* hanc Sedem consecrare Episcopum, sed tantum, ut diximus, Palatinæ hoc commissum sit providentiæ, donec consecrandi numerus ex Gentibus suppleatur.

*i* *consecratur ab Archiep. Moguntino.* *k* *l*

B

15 Habuit hic sanctissimus vir olim hoc votum de se factum, ut post discessum Domini Anscharii monachicum mox et propositum acciperet et habitum. Unde cum consilio consecrantium se Pontificum, mox post ordinationem ad monasterium novæ Corbeiæ properans, vestem quidem illius professionis ex integro suscepit; conversationis autem illius professionem ita fecit, ut conversationem suam et stabilitatem morum suorum et obedientiam secundum regulam S. Benedicti exhiberet, inquantum labor et occupatio suscepti Pontificatus permitterent: et, ut in hujus promissionis effectu veracius assuesceret, aliquem de Fratribus ejusdem monasterii sibi præstari rogabat, cum quo, cum ipsi in monasterio esse non liceret, solatium haberet assiduæ inde meditationis et usum continendi se juxta moderamen regulare, quod promisit. Ad quod et deputari placuit insignem conversatione virum, gradu Diaconem, nomine Adalgarium, germanum videlicet et æquivocum *m* Abbatis ejusdem monasterii, de quo supra diximus. Hic vir venerabilis in conversationis ejus imitatione simul et successionis dignitate adhuc *n* hodie superest, cum multis aliis attestans, quia sanctus Pontifex, cujus Vitam scribimus, nihil ex occasione pastoralis curæ de monachica perfectione perdiderit, adeo ut nullus etiam intra ipsa monasteria viventium instrumenta bonorum operum, quæ eorum regula commemorat, æque, ut ipse, servaverit.

*Corbeiæ vestem monasticam accipit:* *ascito socio Adalgario* *m* *n*

C

*regulam observat:*

16 Cujus facta quidem vix a nobis explicari possunt, sed quotidianam ejus cum Deo conversationem, et animum cœlo semper intentum, nostræ tenuitas scientiæ nequaquam edicere vel saltem perpendere valet. Grave ducebat ullum tempus vacuum absque opere Dei transigere, sed orationi lectio, lectioni apud illum semper successit oratio, et si aliquid accessisset, quod eum ab oratione impedire videretur, semper tamen quæ justa sunt agens, sine intermissione sentiendus est orasse, ut docet B. Augustinus: Illi, inquit, qui in Divino versatur officio, omnia gesta ejus dictaque pro oratione reputantur.

*semper legit aut orat,*

17 Vigiliarum usum moderanter agebat, abstinentiæ modum ita exercuit, ut semper illi essent quotidiana jejunia, et refectio saturitatem fugiens. In quo videlicet hoc attendebat, ut juxta B. Hieronymum ita corporis frangeret appetitum, ut ad lectiones et psalmodiam atque altaris ac Pontificatus sui officium vires ei non deficerent. Nihil enim prodest, ut ait idem Hieronymus, biduo triduoque vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium: illico enim mens repleta torpescit, et irrigata humus spinas libidinum generat. Quod vir Dei, ut diximus, in se cavere volens, moderamen jejunii ita custodivit, ut Dominus in Evangelio Judæos arguens, quod nec Joannem jejunantem, nec ipsum manducantem et bibentem susciperent, subjecit, dicens: Et justificata est sapientia a filiis suis: *o* ostendens per hoc, filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo nec in manducando esse justitiam; sed in æquanimitate tolerandi inopiam et temperantiam, per abundantiam non se corrumpendi, atque opportune sumendi, vel non sumendi ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est.

*jejunat quotidie,* Ep. 22 ad Eustochium

D *sed discrete:*

Matth. 11. 19

*o*

18 Quidquid etiam ad usus et sustentationes pauperum beatæ memoriæ decessor suus institutum habebat, in nullo hoc ipse disjecit: sed omnem curam et diligentiam adhibebat, ut omnia ad id statuta, nullum suis temporibus caperet detrimentum; sed potius suo quotidie studio aliquid adderetur. Erat enim pro indigentium levamine *p* hospitale constitutum in Episcopatu ejus, ad quod tanta subsidiorum sufficientia deputata est, ut nusquam copiosius et sapientius hoc ipsum procuratum esse sciamus. Sed etiam extra episcopatum ubicumque fuisset, semper constitutos habebat, qui pecuniam in sacellis ad dandum pauperibus gestarent, ipseque ad hoc ipsum in zona sua marsupio cum nummis utebatur semper: ut, si quando dispensator eleemosynæ suæ in adventu egentis deesset, ipse sine mora haberet quod daret. Inerat enim ei sollicitudo, ne quis talium a se sine levamine abscederet, suisque ut facerent similia, jugiter adhortationes faciens, dicere solebat: Non tardandum est, ut cunctis pauperibus succurramus, quia quis sit Christus vel quando ad nos veniat, ignoramus.

*hospitale promovet,* *p*

E

*liberalis in pauperes.*

a Joan. 20 28 dixit Thomas: Dominus meus et Deus meus. *Scriptor in capitulo hoc subjungit sequentia.* — b 4 *Febr. postridie obitus illius anno* 865. — c *Is erat Ludovicus senior Rex Germaniæ, filius Ludovici Pii.* — d S. Thiadricus *alias* Theodericus, *Mindensium Episcopus, anno* 880 *occisus, de eo egimus* 2 *Februarii* § 4. — e *Adalgarius* 3 *Corbeiæ novæ Abbas, juxta catalogum antiquum Abbatum Corbeiensium creatus anno* 856, *et* 864 *Reliquias S. Luttrudis ad suum monasterium transtulit. Videtur ea alias dici* Lutrudis sanctimonialis, *quæ in Martyrologio antiquo Coloniensi Germanico altisono refertur Corbeiæ coli* 22 *Septemb. De Corbeia nova actum est* 2 *Janu. ad Vitam S. Adalardi Fundatoris, et* 3 *Febr. ad cap.* 1 *Vitæ S. Anscharii.* — f *Verba hæc intrusa esse ostendimus supra* § 4. — g *Intelliguntur Decreta Gregorii* IV *et Nicolai* I, *data* 3 *Febr.* — h *MS. Rinderense*, sortitur. — i Luidbertus, *alias* Ludibertus, et Lindbertus, *ordinatus Archiepiscopus Moguntinus an.* 863, *ad quem Coloniam ad Lotharium nepotem permittente, missus est. Nam ex Rheno* Moguntia *cum* Wormaria et Spira *in divisione obtinuit Ludovicus.* — k Lindwardus, *in MS. Hamburg. est* Luidhardus *Surio* Linduardus. *Brouwero* Luitharius et Lutharius, *Paderbornensis Episcopus, de quo egimus* 2 *Feb. quod ab antiquibus Martyribus Ebbekestorpensibus annumeretur. Videndus* § 4 *et* 8. — l *Hæc exaggerantur, ob jus ab Archiepiscopo Coloniensi apud Formosum Papam postulatum in Episcopatum Bremensem. Ipsius Formosi litteras ad Adalgarium datas, recitavimus* 3 *Febr.* § 20. — m *Hinc corrigendus catalogus Abbatum Corbeiensium apud Letznerum, ubi ipse Abbas dicitur in Archiepiscopum assumptus.* — n *Mortuus deinde anno* 909. — o *Hæc sunt verba S. Augustini lib.* 2 *quæstionum Evangelicarum cap.* 11. — p *Hospitale Bremense a S. Anschario institutum, a S. Remberto nobiliter auctum esse tradunt Adamus cap.* 38 *et Albertus ad an.* 882: *mutatum dein in Canonicorum collegium, dicata S. Anschario ecclesia, diximus ante hujus Vitam* § 13.

*S. Thiadricus* *Adalgarius Ab.* *S. Luttrudis seu Lutradis.* *Luidbertus Arch. Mogunt.* F *Lindwardus Ep. Paderborn.* *Hospitale Bremæ.*

## CAPUT V.

### *Castitas a S. Remberto sanctimonialibus commendata, zelus animarum.*

Interea, juxta admonitionem B. Gregorii, etiam eleemosynam verbi incessanter agens, doctrinæ salutaris studio jugiter instabat, recolens, quod idem ait Doctor, plus esse, ut verbi pabulo victura in perpetuo mens reficiatur, quam venter morituræ carnis pane terreno satietur. Hujus rei gratia Excerptum legentibus utile de libris S. Gregorii fecit, et propria manu conscripsit, Epistolasque nonnullas ædificationis plenas ad diversos composuit, quarum una est

Homilia 6 in Evang. *Verbum in concionibus*

A est ad quamdam Dei ancillam in monasterio quod
a dicitur *a* Heresi constitutam, ceterasque Sorores
ibidem in Dei famulatu consistentes. Hæc autem Dei
b famula, de qua loquimur, *b* neptis erat venerabilis
Episcopi Luithardi, cujus supra mentionem fecimus,
*epistola scripta* qui se sancto viro cum omni devotionis affectu devinxit, ut non solum ipse sanctitatis amator ejus existere, verum etiam omnes ad se quoquo modo pertinentes illi commendare studuerit, præcipue istam, de qua loquimur, ab infantia Deo oblatam, et in virginitate permanentem neptem suam : quæ et propria devotione promeruit, ut unicam dilectionis suæ filiam vir sanctus eam nominare solitus sit, quæ licet nomen suum vitandæ jactantiæ caussa pa-
*sanctimonialibus inculcat* lam nolit edici, ipsam tamen ad ædificationem sacris Virginibus, quamvis tacito nomine ejus, ad quam scripta est, specialiter hic ponere decrevimus epistolam ita se habentem.

20 Carissimæ filiæ ceterisque Virginibus et sponsis Christi Rembertus, gregis Dei vilis servulus in Domino salutem. Frater Adelgarius, nuper a vobis rediens, dixit mihi, graviter vos ferre, quod parvitatis meæ litteras raro suscipiatis. Quod modo mihi emendare cupienti, quid scribere debeam, nihil con-
B venientius occurrit, quam ut vos de vestræ sanctita-
*castitatem* tis commoneam proposito. Si igitur ad sublimissimam gloriam pervenire vultis, omni virtute incorruptionem corporis ac spiritus excolere debetis : interiori enim potu ac pabulo puritatis subministrari necesse est etiam exterioris hominis castitatem, eamque jugiter ad perseverantiam perpetuæ incorruptionis
*in humilitate conservandam,* animari. Illæ namque sunt veræ et incorruptæ Virgines, non quæ metuunt; sed quibus non licet fornicari. Quod donum si per Dei gratiam adeptas vos senseritis, quanto magnæ estis, ut sacra monet Scriptura, humilitate vos in omnibus et coram Deo inve-
Eccli 3 20 nietis gratiam. Ea enim via pervenire debetis ad Christum Dominum et sponsum vestrum, quia ipse
Matth 11 29 dixit : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Curandum itaque est, ut omni custodia mens servetur a tumore superbiæ : non enim ante oculos Dei vacuæ transvolant cogitationes nostræ. Intus ergo videt Deus quod mentem elevat, et idcirco foris permittit invalescere, quod deponat. Dicit quippe per
Osee 5. 4 Oseam contra Israelitas Deus : Spiritus fornicationis in medio eorum, et non cognoverunt. Qui ut osten-
lib. 26 in Job cap. 18 deret, sicut dicit B. Gregorius, quod caussa libidinis ex culpa prorumpat elationis, mox subdidit, dicens :
C Et respondebit arrogantia Israel in faciem ejus. Ac si diceret : Culpa, quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondebit. Proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim spiritus sub Deo premitur, caro illicite super spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum dominium carnis sibi, si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si Auctorem suum superbiendo contemnit, jure a subjecta carne prælium suscipit. Hinc est enim quod longa continentia repente solvitur; hinc quod plerumque et usque ad senium virginitas servata vitiatur. Quia enim negligitur humilitas cordis, rectus Judex despicit etiam integritatem corporis, et quandoque per apertum malum reprobos annuntiat, quos dudum reprobos in occulto tolerabat. Nam qui diu servatum bonum subito perdidit, apud semetipsum aliud malum intus tenuit, ex quo aliud subito erupit : ac per hoc omnipotenti Deo etiam tunc alienus exstitit, quando se ei per munditiam corporis inhærere monstravit.

21 Hæc ergo, filiæ, non ideo scribo, quod in vobis quidquam de qualitate superbiæ vel vanæ gloriæ
*quos dic...* Apoc. 14 4 cognoverim : sed quia vos opto in illarum consortio esse, de quibus legitur : Quoniam sequuntur agnum quocumque ierit. Ubi multos cecidisse doleo, vos caute
D ambulare desidero, optoque ut dicat vobis Dominus
*AUCTORIBUS MONACHIS CORBEIENSIBUS EX MSS* et sponsus vester : Tota pulchra es amica ea, et ma-
Cant. 4 7 cula non est in te. Itaque sequimini Agnum in præceptis suis, ut ipso auxiliante illum sequi valeatis in æterna vita, cantando canticum quod nemo potest dicere nisi chorus virgineus. Hæc pulchre B. Augus-
*de sancta Virginitate cap 27* tinus, Virgines admonendo, exposuit : Pergite, inquit, sancti Dei, pueri et puellæ, mares et feminæ, cælibes et innuptæ, pergite perseveranter in finem : laudate Dominum dulcius quem cogitastis uberius : sperate felicius, qui servitis instantius : amate ardentius, cui placetis attentius : lumbis accinctis et
*agnum sequantur.* lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat a nuptiis. Vos affertis ad Agni nuptias canticum novum, quod cantabitis in citharis vestris; utique tale, quale nemo potest dicere nisi vos. Sic enim vidit in Apocalypsi quidam præ ceteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus Domini
Apoc. 14. 2 solitus erat : ipse vos vidit duodecies duodena millia Sanctorum citharædorum illibatæ virginitatis in corpore, inviolatæ veritatis in corde. Sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo. Sequimini eum in virginitate cordis et carnis, quocumque ierit. Quid enim consequi, nisi imitari? De quo B. Pe- E
1 Petri 2. 21 trus, Christus, inquit, pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

Hanc epistolam hic ideo posuimus, ut legentibus appareat, quantum, sicut admonet Apostolus, studi-
1 Tim. 6 3 um habuerit ejus, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, et quam potens fuerit in ipsa doctrina etiam alios exhortari.

22 Præterea legationis suæ officium, quod ad prædicandum *c* Gentibus verbum Dei primitus a decessore suo susceptum est, et postmodum sibi successionis jure quasi hæreditarium provenit, impigre c executus est; ipse quidem per se, quoties aliæ occupationes sinerent, eidem legationi insistens, semper autem constitutos habens Presbyteros per quos et
*Gentiles convertit,* verbum Dei Gentiles audirent, et solatium captivi Christiani haberent, ad *d* ecclesias inter ipsos Paga- d nos constitutas, longe ab ecclesia Sedis suæ, quodque gravissimum erat, *e* marinis discriminibus adeundas : e quæ discrimina ipse frequentius et abundantius sustinens, sæpe, tamquam de se testatur Apostolus,
*in marinis periculis.* 2 Cor. 11. 25 naufragium pertulit, sæpe in proximo erat, ut eum eodem dicere posset, nocte ac die in profundo maris fui. Sed profecto aderat ei Spiritus sanctus, qui in
F exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, et spe futuræ beatitudinis omnia præsentis vitæ aspera deliniret, et gravia relevaret. Consolabatur enim continua meditatione sermonis
Rom 8 18 Apostolici : Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ac sic, quæcumque fuerant dura laboranti, mitescere solebant eadem propter Christum sustinenti.

a *Nomen omittunt Surius, Adamus cap* 38, *Krantzius lib.* 2 *Metropolis cap.* 11. *Est autem* Heresi *alias* Nova herisia *vulgo* Nienheerse *Collegium Canonicarum ab urbe Paderbornensi itinere trium horarum dissitum in montanis seu petris, quibus diœcesis Paderbornensis in Cissilvanam et Transsilvanam discernitur.* — b *Forte ea est, quæ Henschenio soror dicitur* Luithardi, *et hujus cœnobii fundatrix* D. Walburgis *perpetua virgo. Eam* Wion *et Ferrarius Sanctis adscribunt, referuntque* XXV *Februarii, quo S. Walburgis Anglo-Abbatissa Heidenheimensis colitur : cum qua suspicamur ab illis confundi, ut istic dicemus. Ad* Helmtrudem *sanctimonialem in eo monasterio coli docet Mat. Merianus in Topographia Westphaliæ de urbe Paderborna agens.* — c *Danis potissimum, et Sueonibus, seu Suecis, de quibus actum* 3 *Februarii.* — d *Sleswici et Ripis in Dania, et Bircæ in Suecia erexerat S. Anscharius, quibus ipse alias adjunxerit.* — e *Tale describitur in Vita S. Anscharii num.* 16

*Nienheerse monasterium.*

*Walburgis Nienheersensis.*

*Helmtrudis.*

## CAPUT VI.

*Captivi a S. Remberto redempti. Ejus mansuetudo et miracula.*

*Captivos liberat* Ad redemptionem captivorum pene cunctis quæ habebat

*AUCTORIBUS MONACHIS CORBEIENSIBUS, EX MSS.*

A habebat expensis, cum multorum adhuc apud Paganos detentorum miseriam cernere cogeretur, etiam altaris vasa ad redemptionem eorum impendere non dubitavit. *a* In quo dum quibusdam minus sublimiter intelligentibus non recte videretur fecisse, quasi ad alios usus redigeret, quæ sacris erant deputata ministeriis, et a quodam interrogatus fuisset, quare ita faceret; justa ratione suscitanti satisfaciens: Non ignoro, inquit, res Ecclesiastici officii digne tractandas, et sub magna fore obligatione ad hoc opus depositas. Verumtamen plus est apud Deum per hæc subvenire captivis Christianis in angustia constitutis, quam esse possit depositum ista custodiendi: et si necessitas incubuerit duorum bonorum unum eligere et alio carere, oportet assumere quod est melius, et relinquere quod habetur inferius. Unde et ego, ait, cum nullum aliud habeo consilium, non impie ago, si Christianum, qui filius Dei est, cum thesauris Ecclesiæ redimo: cum et semper invenire possimus, quod ad usum sacri sufficiat ministerii; irrecuperabile autem sit si Christianus in captivitatis afflictione deficiat.

*a impensis vasis sacris.*

24 Exempli autem caussa unum de hujuscemodi factis commemoremus, in quo non minus in potentia miraculi, quam in opere misericordia refulsit. Cum B venisset quadam vice ad partes Danorum, ubi Ecclesiam novellæ Christianitati constructam habebat in loco qui dicitur *b* Scleswich, vidit multitudinem Christianorum catenatam captivam: inter quos *c* una sanctimonialis, ut eminus illum conspexit, cum genuflexione, et crebra capitis inclinatione tam illum venerari, quam ejus misericordiam pro sua redemptione precari videbatur, et ut eam intelligeret fuisse Christianam, elevata altius voce cœpit cantare Psalmos. Episcopus autem miseratione commotus, divinitus eam adjuvari cum lacrymis orabat: ad cujus preces mox disrupta est catena de collo ejus qua vincta tenebatur: ne tamen ipsa aufugeret, eam inter manus habentes Pagani facile obtinebant. Tunc sanctus Episcopus anxio de illa motus affectu, tenentibus eam Paganis plura diversi generis pretia pro ipsa cœpit offerre, sed illi nullam conditionem volebant, nisi suum daret equum, quo ad propriam cellam uti solebat. Quod ille non detrectans facere, repente desilivit de equo, et cum omni quam ipse ad eum habuit paratura, pro eadem dedit captiva, redemptamque libertati donavit, et quo vellet abire permisit; duplex, ut diximus, per hoc factum de se *d* memoriale laudis relinquens, quod et virtute orationis suæ catenam fregerit, et simul hoc insigne C opus misericordiæ demonstravit.

*b*
*c Sanctimonialem redimit,*
*catena precibus fracta,*
*equo oblato.*
*d*

25 Proinde juxta præceptum Apostoli, quo servum Domini jubet mansuetum esse ad omnes, ita vixit, ut suis temporibus nullus, sicut ipse, *e* Mosaycum illud assimilaverit, quod vir mitissimus super omnes fuisse homines describitur. Aliquoties tamen sine ullo ejusdem mansuetudinis detrimento, ita inquirendis vel discutiendis caussis constans ac fixus in sua sententia mansit, ut a nemine posset in aliud deflecti. Quod autem diximus absque mansuetudinis detrimento hoc fieri, tam veraciter in illo adimpletum est: ut nil unquam iracundiæ commotionisve contradicentibus ostenderit, nil verbis asperis contra eos egerit. Sed familiaribus colloquiis et delectabili continentiæ gestu cunctis amabiliter sit executus, quidquid intendebat. De ea tamen, quæ illi inerat, inflexibilitate animi a quodam familiarius interrogatus, quæ infra habentur, exposuit: Quæcunque, inquit, agere debeo, seu omittere, vel de omnibus futuris mihi eventibus præsagium semper capio ex visionibus Domini et decessoris mei Anscharii. Solet enim mihi ipse apparens in qualitate vultus sui ostendere, qualiter me immiscere debeam rebus agendis: et quidquid de illo sentio, nullam ad hoc exequendum dissimulationem facere possum. D

*2 Tim. 2. 24*
*e*
*Num. 12. 3*
*mitis,*
*affabilis,*

26 Fertur etiam, antiquorum more Sanctorum, quædam fecisse miracula frequenter, videlicet, dum iret ad *f* Sueoniam, tempestatem maris orationibus suis sedasse, cæci cujusdam oculos illuminasse per Confirmationem, quam Episcopali more cum chrismate sacro in eodem faciebat: sed et *g* filium quemdam Regis dicitur a dæmonio liberasse. Cui etiam affirmationi hoc astipulari videtur, quod multis astantibus Episcopis clamor vexati ab ore sæpius sonabat, Rembertum solum inter eos digne commissum egisse officium, ipsumque sibi esse cruciatui, auctor vocis testabatur. Sed quia nostris temporibus, ut dicit Psalmista, defecit Sanctus, et diminutæ sunt veritates a filiis hominum, nec facile accipitur, quemquam ex modernis viris talia fecisse; sufficiat nos hactenus comprobasse, quod hic vir Domini sanctitatis apicem conscendit per eas virtutum species, quas in Evangelio Dominus ad beatudinem promerendam proponit: Beati, inquiens, pauperes spiritu etc. de octonario virtutum catalogo, quo significatur per resurrectionis gratiam spei nostræ implenda perfectio. Nec miracula illi defuerunt spiritualia, quæ etiam nunc in Ecclesia a fidelibus fieri testatur B. Gregorius, exponens verba Domini dicentis: Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et, si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, et bene habebunt. Sed de his singulis expositionem præfati Doctoris percurrere longum est, et non necessarium, cum Homilia hæc continens in promptu habeatur, ad quam nos Lectorem mittentes, cœptum opus de Vita Domini Remberti consummare debemus.

*f cæcum illuminat Sacramento Confirmationis:*
*g*
*miracula patrat,*
*Psal. 11. 2*
*Matth. 53*
E
*Hom. 29 in Evangelia*
*Marc. 16. 17 et 18*

27 Cui cum jam senio gravari cœpisset, etiam continuus dolor pedum ad molestiam ei accessit. Unde apud gloriosum primo Regem Ludovicum, quo commendante Episcopatum suscepit, et postea apud filios ejus *h* Ludovicum et Karolum hoc obtinuit, ut insignis vir Adelgarius, monachus videlicet novæ Corbeiæ, ut supra retulimus, illi præstitus, ita in adjutorium illi confirmaretur, quatenus, dum sese quælibet infirmitas præpediret, in ipso haberet solatium circumeundi *i* Episcopatum, placita adeundi, et, quando exigeretur, in expeditionem vel ad palatium cum comitatu suo proficiscendi, nec multo post electionem succedendi sibi in ipso confirmari, et per manus acceptionem hominem illum Regis fieri, et F inter Consiliarios ejus collocari obtinuit: assentientibus Abbate et Fratribus monasterii ejus, ac sancta synodo hæc omnia roborante.

*impetrat Adalgarium Coadjutorem et successorem.*
*h*
*i*

a *Adamus eisdem cap. 34 relatis, addit eum* dixisse cum B. Ambrosio: Melius est animas Domino, quam aurum servare. Pretiosa sunt ergo illa vasa, quæ animas de morte redimunt. *De Normannicis incursionibus actum supra die* 2 *et* 3 *Februar.* — b *MS. Bulec.* Scleswich. *Colon.* Sleswick. *Hamb.* Sliaswich. *de eo egimus* 3 *Febr.* § 10. — c *Cyprænus lib.* 1 *Histor. Slesvic. cap.* 4 *sequentia toti multitudini captivorum perperam attribuit.* — d *MS. Colon.* memorabile. — e *MS. Colon.* in Mosaicum *aliud* ipse Moysi assimulatus fuerit qui vir, *etc.* — f *Eadem MSS. Colon.* Sueciam et Suetiam, *quæ nomina eo ævo non reperiuntur usitata.* — g *Hic creditur Carolus Crassus, dein Imperator, filius Ludovici tum Regis, quem in multis contra patrem conspirationibus se adversæ potestati traditum esse, fateri solitum referunt Annales Fuldenses et Bertiniani ad annum* 873, *Adamus cap.* 37, *Albertus Stadensis an.* 876, *Krantzius lib.* 2. *Metropolis cap.* 10, *et auctor Fastorum Marianorum hac* 4 *Februarii in elogio S. Remberti. De eodem egimus supra* § 4. — h *Ludovico seniori anno* 876 *vita functo successit in Franconia et Saxonia Ludovicus filius, eoque anno* 882 *exstincto frater ejus Carolus Crassus, ante Alemanniæ Rex, dein Imperator et Rex Franciæ occidentalis, qui regno Germanico ad filium fratris Carlomanni Arnulfum anno* 887 *delato, defunctus est Idibus Januarii anno* 888 *ut exacte tradunt Annales Fuldenses.* — i *MS. Hamburg.* circuendi.

*Carolus Crassus obsessus,*
*Reges Germaniæ.*

## CAPUT VII.

### *Morbus. Mors. Sepultura.*

Post hæc etiam, velut expeditior a negotiis secularibus,

A ribus, omni instantia quotidie ampliare satagebat, quidquid boni prius exercuit. Nec diu postea in hac vita duravit, cujus transitus ad Dominum subjuncto ordine factus esse perhibetur. Anno pene integro ante obitus sui diem quibusdam fidelibus suis secretius intimavit, multa sibi ostensa fuisse signa, quibus præsciret se non diu in hac vita mansurum. Et quod eos, quibus hæc loquebatur, in hac vita jam ultra non esset visurus : Quædam, inquit, hujus rei præsagia mihi venerunt, quæ modo non licet aliis indicare; visionem tamen hac nocte mihi ostensam vobis refero, qua evidentissime discessum meum *Prædicit mortem suam,* præfiguratum esse intelligo. Videbatur enim mihi, quod in Ecclesia quadam muro firmissimo per medium intercepta, ego ex una parte muri fuissem, ex altera vero parte teneretur Dominus et decessor meus Anscharius : conspexique innumerabilem mul- *visione præmonitus :* titudinem utriusque sexus, more quærentium aliquid, hac illacque converti : nec quidquam ex eo quod quærebant potuisse inveniri. Quibus Dominus Anscharius : Quid, inquit, quæritis? At illi annulum meum se quæsisse respondentes, audierunt rursum ab Episcopo, ut cessarent eum quærere, quoniam ipse secum illum esset habiturus. Hæc dum quibusdam, ut diximus, narraret Dominus Rembertus, ex B hoc multisque aliis indiciis asseruit se esse certificatum, quod eodem anno foret exiturus de hac vita. Et ut memoria ejus audientium animis per verba, quæ recedens diceret, arctius imprimeretur, hoc quod etiam ab eis amari noverat, admonitiones eis salutares fecit, non mediocriter verbis ejus in gratiam ædificationis profluentibus. Posthæc valedicens eis, discessit ab eis, nec ulterius, ut ipse prædixit, eum viderunt. Qualiter autem somnium hoc, quod modo protulimus, evidenti effectu in obitu ac depositione ejus, ut ipse intellexerat, completum sit; congrue eo loco enarrabimus, quo commemorandum erit qualiter anima ejus ad cœlum sublevata sit, et quomodo corpus ejus sepulturæ traditum habeatur.

*a* 29 *a* Duodecimo igitur die ante transitum suum perveniens ad Ecclesiam Bremensem, ipse mox dio infirmitate correptus est : cumque per horas omnes infirmitas graviter cresceret, ipse semper psalmodiis *in morbo pius,* et lectionibus sacris intentus, sese ad futurum de hac vita transitum sollicite præparabat, et quamquam languoris immanitas corporeis viribus defectum ingereret, animo tamen semper invictus, Apostolicam prætendebat fortitudinem, de qua dicit :
2 Cor. 12, 10 Quando ego infirmor, tunc fortior sum et potens.
C Septimo ante obitum die mysterium sacræ unctionis cum oleo sancto ei fieri præcepit, et una cum com- *inungitur, quotidie communicat :* munione Corporis et Sanguinis Domini usque in diem animæ exeuntis de corpore hoc salutare remedium omni die percepit. Et cum migraturus esset de mundo, convocatis Presbyteris et universis Fratribus, veniam petivit de omnibus quæcumque fortassis in aliquem illorum peccasset. Et cum ipse vicissim reconciliationem fecisset omnibus Christianis, a quocumque in eum aliquid commissum fuisset, veniamque eis a Domino poposcisset, percepto Corpore et *moritur :* Sanguine Domini sacram emisit animam. Tunc vero incredibilis gemitus omnium subsecutus est, maxime pauperum, has inter fletus voces emittentium : Væ nobis, Pater sancte, quomodo jam post te vivemus? Tuis eleemosynis in victu et vestitu hactenus sustentati, a quo deinceps hæc merebimur? Sed tibi, inquiunt, supplicamus, Christe, ut anima famuli tui D sentiat, te nunc memorem dictorum tuorum, quibus *AUCTORIBUS MONACHIS CORBEIENSIBUS, EX MSS.* promittere dignatus es, a te esse remunerandum, quicumque uni ex minimis tuis aliquid solatii in nomine tuo fecisset. Matth. 25, 40

30 Ipse vir Dei, cum adhuc viveret, humilitatis intuitu præcepit, ne in ecclesia sepeliretur. Quod præceptum transgredi non audentes Fratres ecclesiæ illius, sepelierunt eum foris basilicam, prope tumbam *b* S. Willehadi extra murum ecclesiæ orienta- *b* lem : ipsumque sepulchrum postea, superextructo et *sepelitur extra templum,* in honore S. Michaelis sanctorumque Martyrum Stephani atque *c* Viti dedicato oratoriolo, adornavit *c* *d* Adelgarius, de quo supra diximus, qui et sancto *d* viro successit in episcopatu : sicque completa est visio supra memorata de sua et Domini Anscharii in una ecclesia detentione; sed muri medii interpositione ipsis ab invicem sejunctis. Est enim præfatum oratoriolum contiguum præfatæ antiquæ ecclesiæ, muro tantum ejus orientali ex uno in aliud aditum intercludente, et in ipso, ut diximus, novo oratoriolo Dominus Rembertus sepultus est; in antiqua vero *Completur visio.* Ecclesia Dominus Anscharius requiescit. Et hoc est quod ipse in visione ipsa dixisse videbatur, quod annulum Domini Remberti secum habiturus esset, ipso mox Domino Remberto per fidem et operationem bo- E nam perfecto, non longe post cum ipso conjungi debente tam in vicinitate sepulchri, quam in beatæ requiei perceptione. Sicut olim, ipsi Divino spiritu revelante, prædixit. Per annulum quippe fides significatur, qua nobis imago Dei imprimitur. Et quia ipso manus ornari solent, quibus operatio designatur, recte per hoc ostenditur, ornamento fidei bonum opus inesse semper debere. Quod quia Dominus Rembertus in sua conversatione commissis sibi semper exhibuit, recte in præsagio mortis ejus multitudo plebis annulum ejus quæsisse ostensa est : per quod significatum est, tempore mortis ejus, qui illi fuere commissi, anxie desideraro, ut adhuc exemplis in illo perspectis perfrui mererentur; sed hoc jam fieri non posse tempus expetebat requiei ejus, quam Episcopus Anscharius, plebem a quærendo annulo compescens, significavit, dum eum esse diceret secum habendum.

31 Suspensa est etiam supra sepulchrum ejus lampas lignea, ut lumen continuum in ea ibidem haberetur : subtus ipsam vero in superficie sepulchri velamen jacebat expansum, in quo fertur præclarum *Lampas lignea* contigisse miraculum, quod in quantum ex relatione *comburitur,* narrantium, vel memoria vel intellectu retinemus, *velo illæso.* ita gestum esse constat. Contigit quadam nocte con- F flagrasse eamdem lampadem, ac primo crebros carbones decidisse ex illa super velum memoratum, atque illico subsequi etiam casum totius lampadis, ipsumque supra idem velum totam comburi, absque ulla læsione ipsius veli. Quod nulli dubium esse debet ad declaranda merita servi sui Christum fecisse, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen *e*. *e*

*a* MSS. *Hamburg. et Colon.* Duodecim diebus. — *b De corpore* S. Willehadi *a S. Anschario translato egimus ante hujus Vitam* § 13. — *c* S. Viti *cultus, ob reliquias Corbeiam translatas, a monachis Corbeiensibus per Septentrionem plurimum promotus est, ut dicetur* XV *Junii.* — *d In MS. Rubeæ-vallis additur,* vir sanctus. — *e Quæ appendebantur apud Philippum Cæsarem subscriptiones Episcoporum, illustravimus* § 14, *ante Vitam S. Anscharii.* *S. Vitus,*

A

AUCTORE J. P. ANIMADV. PAP. 69. J. B.

# DE S. GEMMULO MARTYRE,

## GANNÆ IN DITIONE MEDIOLANENSI.

D

*IV FEBR. S. Gemmulus colitur Gannæ*

Varesium *oppidum est ditionis Mediolanensis, quod Leander Albertus* Varescium, *ab aliis* Vicum Varronis, Varsisium *a nonnullis,* Vallesium *quoque velut a situ vallium, et* Varisium *tradit appellari. Ei propinquus jacet pagus, Ganna dictus,* S. Gemmuli *Martyris cultu celebris. Hujus natalem ita ad hunc diem consignat Philippus Ferrarius in generali Catal. SS.* In territorio Mediolanensi S. Gemmuli Martyris. *In Annotationibus testatur* Hyemulum *quoque appellari. In Catal. SS. Ital. scribit,* quoties pluviæ inopia laborant incolæ, illam S. Gemmuli intercessione impetrare solere : *quo tempore vixerit ignorari. Martyrium ejus ex quodam Ecclesiæ Gannensis MS. ita narrat.*

*4 Febr.*

*invocatur pro pluvia.*

### VITA EX FERRARIO.

Gemmulus, natione Germanus, cum Episcopo, cujus nepos erat, ex Germania Romam ad sanctorum Apostolorum limina proficiscens, apud Gannam (pagus est agri Mediolanensis, Varisio oppido proximus) a latronibus, qui episcopi equum rapuerant, quosque ad restitutionem blande hortabatur, impie truncatus est; cum ab eis interrogatus, an libenter martyrium pro Christo subiret, nihil sibi antiquius accidere posse respondisset. Qui (mirandum!) caput sustulit, eoque cervici aptato ad Episcopum usque pervenit, ab eoque sepultus est. Illud etiam admiratione dignum, quod lapides ejus fontis, in quem sanguis Martyris profluxit, sive nati, sive immissi, ad hæc usque tempora rubescant, quasi sanguine tincti; ex quibus plures S. Carolum Borromæum, dum diœcesim visitaret, abstulisse devotionis ergo, fama est.

*occisus a latronibus, quos monebat*

*avidus martyrii; caput tollit, et cervici imponit*

*Lapides in fonte ab cruore rubent*

B

# DE S. GILBERTO,

E

## FUNDATORE ORD. SEMPRINGHAMENSIS IN ANGLIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

#### § I. S. Gilberti nobilis progenies. Ordo Sempringhamensis institutus.

*ANNO MCLXXXIX IV FEBR. Apud Coritanos*

*in Comitatu Lincolnia,*

*et ditione Chestevenæ,*

Q*Uam Britanniæ majoris regionem Orientalem sub Romanis Coritani incolebant, provinciæ Flaviæ Cæsariensi in gratiam Theodosii Imperatoris deinde attributam; quamque sub primis Anglo-Saxonibus Middelengli, Merciorum postea regno adjuncti, possederunt; in ea celebris Comitatus Lincolnia visitur, subdivisus in Lindissiam, Chestevenam, et Hollandiam : de Lindissia, seu Lindissarorum provincia, Middelenglis, ac Merciis fusius agemus XIII Februarii ad vitam S. Ermenildæ Reginæ Merciorum. In Chestevena, qua Hollandiam attingit, Arelandia centuria est, sive, ut istic loquuntur, Wapentachia; quod Præsides, ut in S. Eduardi Confessoris Legibus habetur, suas olim præfecturas armorum contactu auspicarentur. Eminet ibi Folkingamium oppidum, antiquo* C *dominio Baronum de Gandavo illustre : quorum primus Gilbertus de Gandavo, nepos Balduini Comitis Flandriæ, habetur apud Guilielmum Cambdenum in Coritanis, qui magnos illi reditus munificentia Guilielmi Conquæstoris Regis Angliæ obtigisse docet ex antiquo MS. secundum quod hujus Gilberti filius Walterus genuit Gilbertum II et Robertum; a quo hæredes in tribus Gilbertis, filio, nepote ac pronepote continuantur : quorum aliquos etiam Lincolnienses Comites fuisse observat Andreas Chesnæus in Genealogia Gisnensi et Gandavensi lib. 4, cap. 1 et 14. Primus omnium Gilbertus ibidem traditur filius Radulphi a Gandavo, Domini Alostani, et Gislæ, quam opinatur Chesnæus filiam Balduini Barbati, et sororem Balduini Insulani Comitum Flandriæ.*

*varii Gilberti ex familia Flandrica de Gandavo,*

*Barones Folkingamii*

2 *Hujus porro Insulani filia Mathildis, nupta Guilielmo Conquæstori, genuit Guilielmum II, Rufum dictum, et Henricum I Reges Angliæ : ex cujus filia Mathilde et Godefrido Comite Andegavensi et Cenomanensi natus est Henricus II Rex Angliæ. Sub his Regibus floruit S. Gilbertus, natus patre Jocelino, viro nobilissimo, genere Normanno : quales reliqui Barones Folkinghamii, Regum consanguinei, habiti sunt, quamvis ex Flandria oriundi. Eadem cum illis stirpe S. Gilbertum prognatum esse, licet certis non constet tabulis, innuunt idem Gilberti nomen, eadem ex transmarinis partibus nobilissima origo, idemque, utriusque quasi domicilium. Vicinissimum enim Folkingamio, et ferme, ut cum antiquo MS. citato loquamur,* manerio seu pertinentiis *ejus inclusum est Sempringhamum, dominium Jocelini et S. Gilberti. Ceterum hæc curiosis rerum genealogicarum indagatoribus examinanda, sufficit ad laudem S. Gilberti proposuisse. Videri etiam potest Catalogus Nobilium, qui immediate prædia a Rege Conquæstore obtinuerunt, apud Chesneum in Normannicis sub finem libri : ubi* Gislebertus de Gandt *legitur.*

*an etiam S. Gilbertus Dominus Sempringhamensis?*

3 *Natus est S. Gilbertus circa annum Christi* MLXXXIII, *regnante adhuc Guilielmo Conquæstore : adolevit atque in virum præclarum accrevit sub ejus filiis Guilielmo Rufo, et Henrico I, quorum ille in Regem consecratus est anno* MLXXXVII *die Dominica,* XXVI *Septembris; inter venandum vero sagitta incaute percussus vitam finiit anno* MC, *die* II *Augusti feria quinta : cui suffectus frater Henricus supervixit ad annum* MCXXXV. *Sub his claruit Robertus Bloet ex Regni Cancellario Lincolniensis Episcopus factus anno* MXCIII, *vita functus anno* MCXXIII, *in cujus familia aliquamdiu versatum fuisse S. Gilbertum, tradit Harpsfeldius in Historia Ecclesiastica Anglicana seculo* 12 *cap.* 37. *A morte Roberti Episcopus Lincolniensis consecratus est die Dominica,* XXII *Julii dicti anni* MCXXIII, *Alexander ortu Normannus, promotus a patruo suo Rogerio Episcopo Sarisburiensi, cui summa apud Henricum Regem rerum agendarum extitit auctoritas. De utroque agunt Wigorniensis ejusque continuator, Malmesburiensis, Huntindoniensis, qui suam huic Alexandro inscripsit historiam, Parisiensis, Westmonasteriensis, et Neubrigensis lib* I *rerum Anglicanarum cap.* 6.

ANIMADV. PAP. 70.

*natus circa an* 1083,

F

*degit in familia Epp. Lincolniensium*

4. *Ab hoc Alexandro S. Gilbertus sacerdotio initiatus, ejusque Pœnitentiarius factus, Ordinem Sempringhamensem instituit, cujus initium refert Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi* MCXXXV, *ut istic tradit cap.* 8 *num.* 81. *Sub hujus anni finem Regi Henrico, die secundo Decemb. mortuo, successit Stephanus,* XXII *ejusdem mensis, die Dominica coronatus : sub quo et Rogerii et Alexandri prospera fortuna*

*Ordinem Sempringhamensem auspicatur.*

A *fortuna in miserrimum statum immutata est: sed illo anno* MCXXXIX *ex mœrore extincto, suam proximis annis Alexander recepit dignitatem: Romamque bis profectus, magnam iniit gratiam tam apud Regem, quam Pontifices Lucium* II *et Eugenium* III, *ipso tum Romæ præsente,* XXV *Februarii anni* MCXLV *creatum. Reversusque in Angliam, ecclesiam suam incendio fœdatam innovavit, atque, ut refert Neubrigensis,* ad tollendam duorum *ante* extructorum castellorum invidiam, et quasi expiandam maculam, totidem monasteria construens, collegis religiosis implevit. *Horum cœnobiorum alterum* Canonicis Regularibus simul et sanctimonialibus apud Haverholmam extructum *docet Godwinus de Episcopis Lincolniensibus: et quidem* Gilbertinis sub titulo S. Mariæ in Comitatu Lincolniensi *datum, ad tempora Henrici* VIII *cum primo Sempringhamiensi monasterio permansisse tradit Joannes Spedus in Catalogo ædium religiosorum sub eo Rege subversarum.*

*accipit monasterium Haverholmense.*

5 *Joannes Picardus in Notis ad Neubrigensem profert tabulas MSS. Episcoporum Lincolniensium, in quibus dicitur* sub Alexandro S. Gilbertus Fundator de Sempringham claruisse, et novum Ordinem anno MCXLVI instituisse. *Quo anno,* mense Augusto, Altissiodorum, *ut scribit Huntindoniensis lib.* 8, Alexander ad Eugenium Papam, qui tunc ibi morabatur, profectus est: sed ex intempestiva caloris nimietate seminarium B languoris attulit in Angliam: unde mox infirmitati, deinde languori, tandem morti succubuit, sepultus in capite jejunii *anno* MCXLVII. *Erat ergo ante annum præcedentem Ordo Sempringhamensis institutus, tam forte auctoritate Eugenii Papæ confirmatus. Nam* normas vivendi religiosas suis *a Gilberto* præscriptas, cum ipso ordine et instituto, ab Eugenio III Papa confirmatas, *scribit Pitseus de illustribus Angliæ Scriptoribus ætate* 12, *num.* 258, *qui tamen corrigendus est, quod Balæum temere secutus (agit hic de S. Gilberto centuria* 3 *Scriptorum Britanniæ sect.* 25) *velit Ordinem Sempringhamensem incepisse anno* MCXLVIII, *cui tum Episcopus Alexander, anno præcedente extinctus, nullum potuisset subsidium conferre. Illo autem anno* MCXLVIII *in capitulo generali* apud Cistercium, *ut tradit qui præsens aderat Gaufridus in Vita S. Bernardi lib.* 4, *cap.* 4, juxta morem Abbatibus congregatis Eugenius Papa Venerabilis adfuit, non tam auctoritate Apostolica præsidens, quam fraterna caritate residens inter eos, quasi unus ex eis. *Hunc istic Pontificem adiit Gilbertus, jussusque in cura Ordinis sui suscepta persistere, potest censeri iteratam obtinuisse Religionis confirmationem. Familiarem tum* C *iniit notitiam cum SS. Bernardo et Malachia eodem anno,* II *novemb. in monasterio Claravalle mortuo. Maurique ante citatus contendit, non hoc anno, sed* MCXXXV consultum adivisse S. Bernardum, *quod Actis utrisque, aliisque Scriptoribus contrarium ulteriore non indiget refutatione. Statuta ex variis regulis monasticis excerpta idem Eugenius Papa etiam approbavit, dein vita functus* VIII *Julii anni* MCLIII.

*Eugenius Papa Ordinem approbat utrum anno* 1136?

*num an* 1148 *S. Gilberto in Franciam profecto?*

## § II. *Ordini Sempringhamensis iniustæ calumniæ, et extinctæ. Varia monasteria.*

Non *defuerunt obtrectatores, qui admirabilem hujus instituti sanctitatem, et singularem utriusque sexus castitatem, quam laudare eos atque amare decuisset, fœdis mendaciis contaminarent; adeo ut Alexander* III *Pontifex Romanus, qui universæ Ecclesiæ præfuit ab anno* MCLIX *ad* MCLXXXI, *demandarit rei cognitionem Episcopis Wintoniensi Henrico Regis Stephani fratri, et Norwicensi Guilielmo Turbe, origine Normanno, qui (impedito propter affectam valetudinem Wintoniensi) caussa accurate discussa, innocentiam Gilberti scripta epistola Pontifici indicavit: eam Joannes Picardus ex codice* MS. *in notis ad Neubrigensem vulgavit, quam hic damus.* D

*Ordinis hujus innocentia defenditur.*

AUCTORE G. H.

*epistola ad Alexandrum III missa.*

7 Sanctissimo Patri, summo Pontifici Alexandro, suæ Sanctitatis servus Willelmus Norvicensis, salutem et cum summa devotione obedientiam. Statuta Paternitatis vestræ ex pietatis et rationis fonte procedere nulli dubium est: et ea sola spiritui nostro complacent, quæ Spiritus sanctus suggerit, et veritatis dulcedine condiuntur. Inde est, quod vestræ Majestati audeo scribere, cum sim pulvis et cinis, et testimonium perhibere veritati, quam visu et rerum argumentis expertus sum. Gilbertus de Sempringham tum ex vicinitate, tum ex celebritate sanctitatis, qua præeminet, mihi incognitus esse non potest. Anima ejus sedes sapientiæ est, et mens ejus haurit de Spiritu sancto, quæ aliorum auribus excellenter infundit. In lucrandis et conservandis Deo animabus tam studiosus et efficax est, ut ex comparatione ejus, tædeat me ignaviæ meæ: et mihi et consimilibus meis Propheta improperet, dicens: Erubesce Sidon, ait mare. In sanctimonialibus, quarum multitudinem innumeram Deo acquisivit, fervet et religionis amor, et castitatis diligentissima custodia, et se ab hominum visu et colloquiis gloriantur esse exceptas, ut merito eis conveniat quod scriptum est: Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia. De Canonicis, quorum innocentiæ apud Clementiam vestram audio esse derogatum, testor E Deum et animam meam, quod nec verbum infamiæ memini me audisse: cum ex propinquitate loci, et frequentia venientium ad nos, ignorare non possem. Accessus ad sanctimoniales hic eis penitus inhibitus est, ut nec Priori quidem eorum videndi vel loquendi cum aliqua licentia pateat: et in perceptione Eucharistiæ et dans et accipiens invicem ignorantur. Habent siquidem domos suas, claustrum et oratorium, in quo dormiunt, meditantur et orant. A Conversis suis tantum exigit, ut vitam, quam professi sunt, inviolabiliter conservent: quod et ipsi me præsente, se devotissime facturos, promiserunt. Quod illis prædecessorum nostrorum et vestra auctoritate firmatum est: et quod illi post longam experientiam profitentes devoverunt; ipse mutare non præsumit, ne levitatis et præsumptionis arguatur.

*indicatur sanctitas Gilberti.*

Isai 23. 4

*sanctimonialium,*

Cant 2 16

*Canonicorum,*

*Conversorum*

8 Lis tamen, quam adversus eum suscitaverunt plus tepidi quam ferventes caritate, utinam dirimeretur talium judicio et testimonio, qui haberent zelum Dei secundum scientiam; qui ex inspectione Apostolicorum privilegiorum, et rerum ipsarum evidenti cognitione, veritatem agnoscerent, et regularis observantiæ nec inexperti essent, nec ignari; et F quos non tæderet susceptæ religionis, et manu missa ad aratrum, non respicerent retro! Vir vero confectus senio, et virtutum plenior quam dierum, non est deterrendus, ne a proposito ad multorum ruinam deficiat, sed hortandus et demulcendus, ut perseveret ad conservandam salutem, quam Deus per eum operatus est in medio terræ nostræ. Rarescunt quotidie grana in area Domini, sed paleæ multiplicantur. Deus sanctitatem vestram Ecclesiæ suæ conservet incolumem. Vale.

*Lis a tepidis mota*

*prudenter dirimenda.*

9. *Hactenus epistola Guilielmi Episcopi Norwicensis in Norfolcia, vicina Chestrevenæ provincia, ad Alexandrum* III, *cui varii de eodem Gilberti instituto scripserunt: atque inter alios, teste Harpfeldio,* Prior Bridlingtonensis et Wintoniensis, *tum* Archiepiscopi Rogerius Eboracensis et S. Thomas Cantuariensis, *cujus illa de re tradit epistolam extare inter eas, quæ adhuc non sunt impressæ. Sed nullus ipso* Rege Henrico II, *qui Stephano anno* MCLIV *vita functo successerat, accuratius id præstitit. Hic* gravissime tulit laicos illos qui (*ita verbis Regis narrat Harpfeldius*) ante professionem

*Defenditur ab aliis Antistitibus,*

*et Rege Henrico II.*

AUCTORE G. H.

A sionem rustici erant, et glebæ adscriptitii, perfide a disciplina, quam scientes et prudentes religiosa contestatione amplexi erant, scelerate deficere, et de ea tamquam justo severiore conqueri, aliamque leviorem et mitiorem postulare, et cum non impetrarent, cœlum terramque movere ausos. Quam si eos Pontifex excutere pateretur, denuntiat futurum, ut ipse et Proceres possessiones, quas illis attribuerant (id quod inversa priore disciplina se facere merito posse existimavit) penitus auferrent. Hæc et alia Pontificem commoverunt, ut privilegia ab Eugenio et Adriano data, disciplinamque omnem a Gilberto suis prescriptam, fixa et immota ad omnem memoriam manere decreverit : et scriptis tam ad Regem, quam Episcopos ipsumque Gilbertum litteris, voluntatem suam ea de re, præfractosque illos viros ad officium omnino cogendos, significarit. *Ita Harpsfeldius. Utinam ex epistolæ ad majorem S. Gilberti Ordinisque Sempringhamensis commendationem extarent! Illis abunde refutarentur obscœnæ narrationes de Gilbertinis a nonnullis satyricis lascivisque poetis confectæ : quas gestit Balæus referre, ratus forte suum a monachatu apostasiam similibus figmentis decorandam. Ex dictis supra Antistitibus ultimus eam dignitatem assecutus est S. Thomas anno* MCLXII, *e Cancellario in Archiepiscopum*

D *Cantuariensem electus; biennioque post ob dissidium cum Rege ex Anglia discessit : ante quod tempus hæc tota Gilbertinorum commotio prorsus sedata fuit.*

ante annum 1164

10 *Florebat eo tempore Robertus de Querceto in Sede Lincolniensi, Alexandro anno* MCXLVII *mortuo suffectus, vita functus anno* MCLXVII, *a quo cœnobium S. Catharinæ juxta Lincolnium Gilbertinis extructum fuisse tradunt Joannes Spedus, et Franciscus Godwinus, apud quem, forte errore typographico, Londinum loco Lincolniæ excusum est. Extiterunt præter tria memorata monasteria in eodem Comitatu Lincolniensi Alvingamense, Catelegense, Nuncottonianum, Sixleense, sub titulo S. Mariæ Neustadianum, Nun-ormesbiense et Syxhilliense : in Comitatu Norfolciensi Mamundanum, et Shuldehamiense : in Cantabrigia Fordhamense : in Northamptonia Catesbyanum : in Eboracensi diœcesi Wattonianum, quod regnante Stephano extructum inter prima numerandum. Omittimus plura recensere. Horum annuos reditus computat Joannes Spedus, quod hæc monasteria sub Henrico* VIII *aut subversa sint, aut in alios usus translata. Aliqua a morte S. Gilberti extructa discimus ex Alvingamensi, quod Episcopum Dunelmensem Antonium Beccum seu Beucum, qui centum annis post S. Gilbertum floruit, fundatorem agnoscebat.*

Varia S. Gilberti monasteria,

C 11 Albos Canonicos Gilbertinos *usitato Anglis nomine illos nuncupat Spedus, ab aliis Albis Canonicis Ordinis Præmonstratensium distinctos, illosque renovatæ disciplinæ Canonicorum cultores tradit Pitseus : quibus assumpta quadam illius Ordinis reformatione Regulam fere S. Augustini præscripsit, uti S. Benedicti suis sanctimonialibus. Utraque autem Regula ex aliis monasticis disciplinis adaucta* Statuta Gilbertinorum *appellantur. Præter quæ traditur scripsisse* Exhortationum ad Fratres librum unum, Epistolarum ad diversos librum unum *et nonnulla alia, de quibus, dum hactenus inedita latent, (si non etiam perierint) certum aliquod non licet judicium formare. Interea Henrico* II *die* VI *Julii anno* MCLXXXVIII *extincto, successit filius ejus Richardus* I, *a Gulielmo Conquæstore* VI, *sub quo S. Gilbertus anno ætatis* CVI *ad cælos abiit anno* MCLXXXIX, *ut Acta infra docent : Harpsfeldius scribit* MCXC *obiisse; Wilsonus in Martyrologio Anglicano, non absque mendo, notat* MCLX.

Statuta,

libri scripti.

## § III. S. *Gilberti Vita scripta : in Sanctos relatio.*

*Gilbertum sanctitate celebrem fuisse, dum viveret, epistola Gulielmi Episcopi ad Alexandrum Pontificem* D *ante data significat. Ejusdem sanctitatis præco illustris est Gulielmus Neubrigensis, qui anno Christi* MCXXXV *natus res Anglicanas sui temporis usque ad annum* MCXCVII *perduxit. Hujus de S. Gilberto paucis tum annis mortuo hoc extat elogium lib.* I *cap.* 16. Nec silentio, *inquit,* prætereundus est venerabilis Gillebertus, vir plane mirabilis, et in custodia fœminarum singularis, a quo etiam Ordo Sempringhamensis sumpsit exordium, et cum celeri provectu celerem statum. Hic ab annis, ut dicitur, adolescentiæ propria nequaquam salute contentus, sed lucrandarum Christo animarum zelo ignitus, infirmiorem sexum propensius cœpit æmulari Dei æmulatione, pio ausu sumpto ex propriæ castitatis conscientia, et gratiæ supernæ fiducia. Cumque cœptis ejus favor videretur arridere Divinus, veritus ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset, si erumpentem zelum moderatrix scientia non condiret, præsertim minus adhuc a majoribus institutus, tam arduam sollicitudinem arripuisset; virum sapientiæ et sanctitatis titulis clarum, venerabilem scilicet Abbatem Clarevallensem S. Bernardum adeundum putavit : cujus venerandis consiliis informatus, atque in suo proposito roboratus, tanto ferventius, quanto confidentius, piis cœptis insistere non cessavit : prosperatusque est in his, quæ gere- E bat, et, sicut de nobili Patriarcha dicitur : Ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est, tam in multitudine copiosa ad omnipotentis Dei servitium aggregata, quam in adjectione rerum temporalium ad necessaria subsidia corporum, juxta illud Dominicum : Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.

Sanctus in vita habetur :

mox ab obitu a Neubrigensi laudatus,

Gen. 26. 13

Matth. 6. 33

13 Denique servorum Dei duo, et ancillarum Dei octo non ignobilia construxit monasteria, quæ et numerosis replevit collegiis, et juxta datam sibi sapientiam regularibus ornavit institutis. Et quidem circa servos Dei instituendos abundavit indulta ei divinitus gratia, in sollicitudine fœminarum. Quippe in hac parte meo judicio palmam tenet inter omnes, quos instituendis regendisque fœminis religiosam operam impendisse cognovimus : et quidem ante annos aliquot spiritualibus lucris onustus, jamque decrepitus cœlestis sponsi paranymphus migravit ad Dominum. Porro filiorum et filiarum ejus numerositas permanet : potensque est in terra semen ejus, et generatio ejus benedicetur in seculum.

commendata monasteria.

14 *Hæc Neubrigensis. Eodem cum Neubrigensi tempore vixit Auctor Vitæ S. Gilberti, quam hic damus, ante evulgatam in Legendæ Sanctorum tomo* II, *seu Historia Sanctorum nova Coloniæ* MCDLXXXIII *et Lovanii biennio post excusa. Hujus compendium servatis fere Auctoris verbis edidit Franciscus Haræus inter Vitas Sanctorum ad* IX *Februarii, præfatus eam ex Codice* MS. per ejus contemporaneum : *uti etiam post Haræum monet Joannes Gerardus Vossius lib.* 2. *de Historicis Latinis cap.* 54. *Eamdem Vitam, sed plurimum contractam, habet Joannes Mauburnus de Bruxellis in Venatorio Sanctorum Ordinis Canonicorum Regularium cap.* 133 *juxta nostrum Codicem MS. aut lib.* 2, *cap.* 90 *juxta exemplar a Picardo ad Neubrigensem citatum. Nulla in hac Vita mentio est publicæ venerationis a Pontifice Romano concessæ, corporisque a terra elevati. Referuntur ea in aliis Actis, quæ damus ex Codice MS. cœnobii Rubeæ-Vallis prope Bruxellas, ante a Joanne Capgravio in Legenda nova Sanctorum Angliæ Londini anno* MDXVI *excusa.*

Vita conscripta

F

alia in compendium contracta

15 *Sunt hæc in compendium reducta ex longiore Vita, in qua* de miraculis fuse agi *tradit Harpsfeldius,* potissimum ad sepulchrum pii viri patratis. Accepta *inquit,* ibidem beneficia cæcos, claudos, mutos, surdos,

miracula

A dos, paralyticos, febricitantes, hydropicos, furiosos, dæmoniacos, aliosque variis ægritudinibus ad deplorationem omnium amicorum et medicorum oppressos, palam ingentique gratulatione denuntiasse. Et, ne quid ficti aut simulati gereretur, omnia ad diligentissimam accuratissimamque disquisitionem et cognitionem non solum ex sanatorum, sed ex testium integerrimorum testimonio fideque revocata esse. Cui cognitioni non solum alios multos doctrina, pietate, religione insignes, sed et Hubertum Cantuariensem Episcopum interfuisse, aut potius præfuisse. Quæ cum tam essent ubique manifesta et illustria, significata esse Romano Pontifici per Priores de Chiekland et de Cateleya, per Priorem et conventum de Tyma, Kyrkeham, Abbates de Darlingkersted, et Renesby, Kirkestall, Divi Albani, Suinesheved, Brunna, Croxtona, per Gulielmum Comitem Estsexiæ, per Episcopos Bangoriensem, Roffensem, Eliensem, Norvicensem, Coventrensem, Londoniensem, et Hubertum Cantuariensem: huic aliisque quibusdam Innocentium III rerum accurate investigandarum curam delegasse. Quem de rerum gestarum per B. Gilbertum magnitudine et varietate affatim instructum, corpus ejus in editiorem angustioremque locum, memoriamque ejus, inter ceteros B cœlestes cives in posterum celebrandam curasse. Atque hæc in annum Domini MCCII et III Idus Octobris et Regis Joannis, qui et ipse his de rebus ad Pontificem scripsit, tempora incidisse. *Hæc aliaque apud Harpsfeldium, et forte ex Actis fuse conscriptis, quæ hactenus non potuimus nancisci. Joannes Rex Richardo I fratri suo, anno Christi* MCXCIX *e vulnere extincto, suffectus vixit ad annum* MCCXVI. *Innocentius III præfuit Ecclesiæ ab anno* MCXCVIII *ad eumdem annum* MCCXVI. *Hubertus denique ex Episcopo Sarisburiensi factus Archiepiscopus Cantuariensis anno* MCXCIV, *vita functus est anno* MCCV.

*impetrata canonizatio,*

*facta an. 1202*

## § IV *S. Gilberti celebris cultus.*

Nomen *S. Gilberti Martyrologiis variis ab eo tempore inscriptum. Ita MSS. Leidense monasterii S. Cæciliæ, Ultrajectinum Clericorum S. Hieronymi, Albergense Canonicorum Regularium, Brugense Guilelmitarum et quidem primo loco, Coloniense anno* 1490 *excusum:* Natale S. Gilberti Confessoris: qui *(ut addit Molanus ad Usuardum)* Sempingamiæ quiescit, in monasterio quod ipse condiderat. *Hermannus Greven ad Usuardum:* In Anglia Gilberti Abbatis et Confessoris, qui G multos regulariter vivere docuit. *Florarium Sanctorum MS.* In Anglia Gilberti Presbyteri et Confessoris, de Ordine Canonicorum Regularium, anno salutis MCLXXXIX. *Ubi melius* Presbyter, *quam ab aliis* Abbas *appellatur. Majore mendo Bellinus:* Eodem die S. Gilberti Episcopi et Confessoris: *qui titulus* Episcopi *rectius abest a Martyrologio Romano: in cujus Notis Baronius eum cum* S. Guiberto Abbate Gemblacensi *in Brabantia confudit, dum scribit hujus* nobilis monasterii fundatorem et vita migrasse anno Domini DCCCCLXII, *ejus* natalem referri a Molano in Indiculo et in Natalibus Sanctorum Belgii, *ejusque* Vitam a Sigeberto ejusdem cœnobii monacho scriptam *tradi* apud Surium XXIII Maii. *Ita etiam Maurolycus,* Eodem die, *inquit,* S. Gilberti Confessoris, qui Gemmalense cœnobium extruxit tempore Othonis I Imperatoris. *Hic adeptus Germaniæ regnum anno* DCCCCXXXVII, *Romamque profectus dicto ante anno* DCCCCLXII *Imperator acclamatus, atque a Joanne Papa* XII *coronatus, supervixit ad annum illius seculi* LXXIII. *In eodem errore versantur Petrus de Natalibus in Catalogo lib.* 3, *cap.* 83, *Galesinius in Martyrologio Romano, Canisius in Germanico, Constantinus Felicius aliique; imo Abbatem illum Gemblacensem Ordinis Be-*

*Nomen in sacris fastis:*

*confusum cum S. Guiberto Gemblacensi.*

*nedictini Canonicis adscribit Ghinius:* Natalis, *inquit,* D S. Gilberti Confessoris, qui fuit Fundator nobilis monasterii Gemblacensis, in quo arctius religiosæ vitæ genus Christo Regi militans duxit: tandem mercedem recepturus, migravit a seculo anno salutis DCCCCLXII.

AUCTORE G. H.

17 *Eumdem S. Gilbertum, locorum facta confusione, Galliæ adscribit Saussaius in Martyrologio Gallicano, his verbis:* Item eodem die S. Gilberti alterius Confessoris, qui magnam vitæ perfectionem assecutus, monasterium Sempigamiæ in Hunonis-Curia fundavit, ejusque loci factus Abbas, collectis a se alumnis religiosæ conversationis traditis monitis et exemplis, cœlestem migravit ad patriam. *Est autem Hunonis-Curia vicus cum monasterio ordinis Benedictini in Gallia Belgica ad Scaldim fluvium, inter hujus fontem et urbem Cameracum, procul a Sempringamo apud Anglos in Comitatu Lincolnia sito. De Hunonis-Curia supra egimus ad Vitam S. Lietphardi Episcopi, qui istic potissimum colitur. Meliore elogio honoratur in Martyrologio Anglicano:* Sempringhami in Lincolnia Comitatu, depositio S. Gilberti Confessoris, et nobili Normannorum sanguine oriundi, ac Fundatoris Religiosorum in Anglia dictorum Gilbertinorum, ubi duodecim hujus Ordinis extruxit monasteria, octo ad usum fœminarum, et quatuor pro viris: ac post vi- E tam pie sancteque actam, plenus ac venerabilis senex annorum, decessit ad Dominum nostrum anno Christi MCL, ac Sempringhami sepultus: ubi magna cum veneratione sanctum ejus corpus conservatum fuit usque ad tempora Henrici VIII. Propter multa miracula, quæ ibi facta sunt, Sanctorum albo inscriptus est a Papa Innocentio III. *Hieronymus Porterus in Floribus Sanctorum Angliæ, ejus Vitam fere ex Nicolao Harpsfeldio describit. Agit de eodem Gabriel Pennottus in Historia Ordinis Clericorum Canonicorum lib.* 2, *cap.* 70, *num* 2.

*et Sempringhamum perperam Galliæ adscriptum,*

*in Anglia situm:*

18 *Quod tamen sanctimonialibus fere præscripserit Regulam S. Benedicti, in Martyrologiis etiam monasticis refertur. Wion:* Eodem die in Anglia S. Gilberti Confessoris, qui Sempingamiæ quiescit, in monasterio, quod condiderat. *deinde* Ordinem a S. Gilberto sub Regula S. Benedicti institutum *esse, confirmare conatur, quod id legatur apud* Hieronymum Pauli Barcinonensem in Provinciali Ecclesiarum impresso Romæ MXDIII. *Wionem a Picardo in Notis ad Neubrigensem oppugnatum defendit Menardus lib.* I *Observationum ad suum Martyrologium Benedictinum, cui S.* Gilbertum *inscripsit: contenditque,* non esse expungendum ex albo Sanctorum Benedictinorum, F qui et monachus fuerit, et vitam suam ad ritum monachorum Cisterciensium composuerit. *Hac de caussa Chrysostomus Henriquez eum ita celebrat in Menologio Cisterciensi:* In Anglia S. Gilbertus, melliflui Bernardi discipulus, vir zeli Apostolici, severissimæ ac rigidissimæ vitæ, puritatis eximiæ, prophetico dono illustris, et stupendorum miraculorum patrator mirificus.

*veneratio apud Benedictinos,*

*et Cistercienses*

19 *Addit Henriquez in Notis ex Nicolao Brabone, auctore moderno,* S Gilbertum in monasterio Claravallensi, antequam ordinis sui jaceret fundamenta, sub S Bernardi magisterio monasticæ vitæ didicisse rudimenta. *Quæ mallemus antiquis monumentis stabiliri. Nam primo cum S. Bernardus anno* MXCI *nasceretur, octo circiter annorum puer tum accrescebat Gilbertus. Secundo contraxit quidem hic, juxta Acta* notitiam familiaritatemque *cum S. Bernardo, ejusque est, teste Neubrigensi,* venerandis consiliis informatus, atque in suo proposito roboratus, *sed anno Christi* MCXLVIII, *cum is sexagenario major, jam pridem Ordinem instituisset, ab Alexandro Episcopo Lincolniensi, tum vita functo, præcipue adjutus. Tertio Abbates Cistercienses cum Papa Eugenio negarunt illi ex suo Or-*

*An horum Ordinis fuerit.*

*dine*

A *dine petitum auxilium, dicentes,* monachos suos aliorum religioni, et præsertim Monialium, præesse non licere ; *ut infra dicitur in Actis : ut mirum sit Montalbum lib. 2. cap. 23, verba hæc, quæ ab Henriquez ad Menologium citantur, protulisse :* Gilbertini habitu et omnibus aliis rebus sunt Cistercienses. Papa enim Eugenius III, utpote Cisterciensis, quando eorum Ordinem approbavit, præcepit, ut Regulam S. Benedicti secundum institutum Cisterciensium observarent : et sic eam servant, et festum S. P. N. Bernardi post Gilbertum, et utriusque Ordinis legislatorem S. Benedictum solenniter colunt. *Quæ singula certius probanda sunt. Hos secutus Carolus de Visch in Bibliotheca Scriptorum Cisterciensium, suo Ordini etiam S. Gilbertum annumeraverat : verum ob nostras rationes sub calcem libri sententiam mutavit. Joannes Bromtonus, qui apud Anglos floruit seculo Chr.* XIV *Abbas Jornalensis Ordinis Cisterciensis, ita de S. Gilberto scribit :* Hoc tempore scilicet anno Domini MCLXXXVIII obiit S. Gilbertus Fundator alborum monachorum Ordinis de Sempynpham : *nulla facta sui Ordinis mentione.*

*officium Ecclesiasticum.*

20 *Officio Ecclesiastico coli olim solitum S. Gilbertum in Ecclesia Romana colligimus ex Kalendariis præfixis Breviariis anno* MCDLXXIX et MXD *Venetiis excusis,* B *et Missalibus Norimbergæ anno* MCDLXXXIV *et Venetiis* MDVIII *editis : in quibus* pridie Nonas Februarii S. Gilberti Confessoris *officium præscribitur, sed totum de Communi, ut vocant, recitandum. Bononiæ hoc die celebrari festum S. Gilberti in æde S. Joannis in monte, ejusque aliquas reliquias adservari in ecclesia S. Jacobi Majoris tradit Masinus in Bononia illustrata ad* IV *Februarii, ac videtur de hoc Sancto intelligendus.*

## VITA AUCTORE COÆVO,

### *ex antiqua Historia Sanctorum.*

*a* *b* *S. Gilbertus Anglus,*

Beatus Gilbertus in Anglia, loco qui dicitur *a* Somplimgeam, genitus, patrem habuit Militem, *b* Jocelinum nomine, strenuum quidem viribus, opulentum facultatibus, et conspicuum moribus. Mater vero Gilberti, antequam iste nasceretur, vidit in somnis, quod quasi de supernis luna in suum descenderet sinum. Sequiter prius studens, præ verecundia seu timore propriam patriam reliquit, adiens partes Gallicanas ; nomen Magistri acquirens et gradum. Ita castus semper vixit, ut nullus umquam ipsum tetigisse mulierem audivit. Rediens igitur ad partes natales, C pueros et puellas instruxit tam scientia, quam moribus, et adhuc seculares coegit vivere regulariter, et illi fuerunt sui Ordinis plantæ primitivæ.

*studet in Gallia, castus, docet pueros.*

2 Postea pater suus, Patronus Ecclesiarum Somplimgeam et *c* Circtonis tunc temporis vacantium, ipsum, ut ait, renitentem ad easdem præsentavit. Ipse vero quidquid ex redditibus, vel alio modo habere potuit, præter sola vitæ stipendia in pauperum usus reservavit. Interea Gilbertus invitavit quemdam de Condecurionibus suis ad orationem, et, quoties inter psallendum occurrebat nomen Dei vel Domini, vel aliquod simile, flectebat genua : unde ita fatigatus est Clericus ille, ut juraret se numquam cum ipso oraturum.

*c* *Clericus additus eleemosynis, genuflexiones.*

3 Postea Episcopo Lincolniensi Alexandro adhæsit, cum numquam curæ pastoralis officium prætermisit. Ordinatus itaque ad omnes sacros Ordines Gilbertus ita sancte se habebat, quod in via morum pontem fecit Pontifici, cujus venerat vitam imitari : et acceptis ab eodem clavibus ligandi atque solvendi, ejus Pœnitentiarius, licet renitens, factus est. Cum quidam Archidiaconatum ei offerret, renuit accipere dicens, se nosse aliam viam paratiorem ad interitum. Proponens Sanctus sua pauperibus erogare, puellas quasdam in Somplimgeam ab Episcopo ante imbutas, D sub pariete ecclesiæ S. Andreæ collocavit, eisque necessaria ministravit. Postea accepit laicos mares, quos exterioribus et gravioribus negotiis præfecit, et tam his, quam illis habitum quemdam humilitatis significative tradidit. Post hæc multi potentes prædia et fundos eisdem offerentes, per multas provincias multa monasteria sub ejus regimine ædificare cœperunt, incohante Episcopo Lincolniensi Alexandro, cum Rege Anglorum *d* Henrico secundo. *d*

*Sacerdos, Pœnitentiarius, monasteria varia instituit :*

4 Post hæc adiit *e* Capitulum Cisterciense, ubi *e* tunc forte aderat Papa Eugenius, ut se cura gregis sui exueret, et ipsam monachis Cisterciensibus committeret. Sed Dominus Papa et Abbates asserentes hoc ei non licere ; jussus est ab Apostolico persistere in officio. Fertur quoque Papam voluisse ipsum *f* in Archiepiscopum Eboraci sublimasse; si fama *f* meritorum, quæ tunc in ipso comparuit, sibi *g* prius *g* innotuisset.

*adit Eugenium Papam,*

5 Fratres vero laici, quos Gilbertus omnium domorum suarum curæ præfecerat, *h* contra ipsum ege- *h* runt, diffamantes et objicientes ei, quod esset sacer ordinis, et Ecclesiarum institutionum subversor. Horum enim insolentiam cum argueret, diabolica suggestione insurrexerunt contra eum. Porro Gilbertus asseruit prius guttur suum fore secandum, quam E primam eorum professionem, et Ordinis institutionem mutaret. Quidam autem eorum veniam postulantes, ad pacem et concordiam redierunt : sed qui schismatis auctores principales extiterant, morte indecenti obierunt. Comperta vero adversariorum malitia, ipse Rex Henricus secundus, et fere omnes Episcopi et Prælati denuntiaverunt veritatem rei summo Pontifici. Qui rescribens, indulsit Magistro Gilberto, et successoribus suis, ne quis ea, quæ suæ Religionis erant, sine majoris et sanioris partis consensu audeat mutare, vel illis superaddere : concedens eis plenam auctoritatem corrigendi, quæcumque de cetero emerserint in Ordine. Ob ecclesiarum suarum necessaria citra mare et ultra discurrens ad Regum et Pontificum palatia, aliquoties non modo verbis impetitur, sed et verberibus.

*contra rebelles subditos impetrat favorem Regis, Episcoporum et Pontificis :*

6 Omnia monasteria sua æqualiter dilexit. Quamdam monialem igne libidinis æstuantem aspere arguendo sanavit. Et quemdam Fratrem ira agitatum usque ad monasterii desertionem, levi ictu in maximam convertit mansuetudinem. Quædam monialis Præposita ad extremum vitæ perducta convaluit, dum morbo inhiberet Gilbertus, per virtutem obedientiæ, ne accederet. Tempore quo Cruce signati F sunt omnes Nobiles Occidentalium regionum, audiens Pater Gilbertus Henricum Regem *i* Cruce sig- *i* natum, gemens ait quasi prægnosticando : Placuit Deo finem ponere rebus. Quod dictum rei probavit eventus. Nam Rex Henricus *k* obiit, licet non in illo *k* itinere. Imperator Fredericus obiit *l* versus Jerusa- *l* lem : et innumeri alii potentes in illa expeditione defuncti sunt. Magnatum quoque precibus, et premiis multimodis quandoque denegabat ; simplici petitioni Fratrum, vel unius alicujus justi, gratanter annuebat.

*vitia emendat, moribundam sanat, prædicit eventum Cruce signatorum.*

7 Conquestus est aliquando post refectionem, se deliquisse per crapulam ; cum mirarentur sodales sic vitam posse transigi humanam. Omni tempore a carnibus abstinens, tempus Quadragesimale, et Adventus Domini sine piscibus duxit. Discum pauperum, quem discum Domini nostri vocavit, mensæ suppositum semper primitiis et præcipuis ciborum partibus inpinguavit. Vasis ligneis, et testeis, et cochlearibus utebatur corneis. Flevit nonnumquam inter epulas, quod sic oportuit quotidie cadentem refocillare naturam. Indumenta habuit non plura, neque pauciora in hyeme, quam in æstate. Forma habitus ejus

*quo cibo utebatur, quibus vestibus.*

A ejus erat tunica, et pallium in loco fibularum præconsutum, et inseparabili capucio. Post completam septimam horam super lectum tota nocte non jacuit: sed sedit non depositis diurnis vestibus: et quia a tergo non erat, quod occiput pendulum sublevaret, caput ante anteriora depressit, ut sic somnum fugaret. Tantæ fuit compassionis, ut, cum videret quemdam peccantem usque ad desperationem, et vere postea pœnitentem, lacrymatus est coram cunctis præ gaudio, et omnes congaudere monuit.

*quo modo dormiendi:*

8 Post hæc Rotgerum Somplimgeam ex discipulo sibi Magistrum præfecit, et professionem Ordini, et loco Somplimgeam rite devovit: et sic habitum Canonicum apud *m* Bulingtonam suscepit: profitebatur Rotgero jam Præposito S. Gilbertus per omnia sicut Patri. Interea *n* dum gloriosum Martyrem Thomam Cantuariensem Archipræsulem usque ad proscriptionem Rex Angliæ infestaret, accepit Gilbertus in *o* monasteriis suis; insuper dedit ei de Fratribus suis comites viæ suæ, qui ejus itinera satis circumspecte dirigerent. Cum idem Sanctus lumine privatus ex defectu naturæ, seu lacrymarum inondatione, verbum exhortationis in monialium Capitulo faceret; vidisse se testatus est lacrymas a maxillis monialis defluentes.

*obedit Rotgero Præposito m*

*n juvat S. Thomam Cantuar. o*

*cæcus videt lacrymas alterius:*

B 9 Morbo proinde et senio compulsus migrare, mandavit Ecclesiis suam imminere dissolutionem. Nocte igitur Natalis Domini nostri, Corporis Dominici et Extremæ unctionis munitus est Sacramentis. In spatio sibi a Deo indulto, accesserunt ad eum multi Prælati et alii, ut ejus benedictione et ejus allocutione consolarentur. Obiit igitur sanctus Pater Gilbertus, singultantibus omnibus, pridie Nonas Februarii, anno Domini millesimo centesimo ortuagesimo *p* nono: sepultus autem est in monasterio Somplimgeam, inter majora altaria, ubi ex utraque parte parietis interclusus, hinc a viris, illinc a mulieribus posset adorari. Non multum post obitum sancti viri, quidam Canonicus illius Ordinis vidit in somnis Fratrem nuper ante defunctum, quem cum inter cetera de Magistro Gilberto interrogaret, respondit: Non est, inquit, nobiscum; altior tenet eum locus: ex quo enim migravit, ad Virginum chorum translatus est. Multa autem alia facta, et mirabilia per eum Dominus in vita, et post mortem ipsius operatus est; quæ hic caussa brevitatis non sunt conscripta.

*extremis Sacramentis munitus,*

*obit,*

*p sepelitur*

*inter Virgines in cœlo elevatus creditur*

a *Mauburnus* Sompligena, *alii* Sempingham, et Sempringham, *de situ ante actum.* — b *Alii* Jocelinum. — c *Alii* Tiringtonis, *seu* Tyringtonis. *Est autem* Thorington *vicus Lindesiæ, in centuria seu wapentachio Wrongou, prope fontem rivuli unde in* C *Withamum infra Lincolniam defluentis.* — d *Ab obitu Alexandri Episcopi anno* 1147, *ad regni Henrici II initium* 1154, *intercurrunt anni* 7, *ut hic videtur opus ab Episcopo perpetrare inchoatum, deinde a Rege promotum esse.* — e *Anno* 1148. — f *Quando S. Guilielmo, ob falsas potissimum criminationes, rejecto, Henricus Murdacus ex Abbate Fontanensi Ordinis Cisterciensis ab Eugenio Papa creatus est anno* 1143, *ut tradunt Parisiensis et Westmonasteriensis, non* 1142, *ut Godwinum secutus scribit Gaspar Jongelinus in Purpura S. Bernardi, de Archiepiscopis ordinis Cisterciensis in Anglia, cum eo anno adhuc superesset Innocentius II Papa, inter quem et Eugenium fuerunt Cœlestinus II et Lucius II. Sed hæc accurate discutienda sunt viii Junii ad Vitam S. Guilielmi Archiepiscopi Eboracensis, post obitum Henrici iterum assumpti. De his Archiepiscopis legendus Neubrigensis lib.* 1 *cap.* 17 *et* 26. — g *Mauburnus ait,* eum ne Eboracensis constitueretur, aufugisse: *quod hinc refellitur.* — h *Mauburnus addit causas esse, quod* tam stricte servaret disciplinam, ut nulli fas esset a Regula exorbitandi. — i Anno 1188 in Januario Regem Henricum Crucis signaculum suscepisse de manibus Archiepiscoporum Remensis et Wilhelmi Tyrensis, *scribunt Rodulfus de Diceto, Gervasius Dorobornensis, Parisiensis et Westmonasteriensis, et pluribus Neubrigensis lib.* 3 *cap.* 23 *et Rogerius de Hoveden.* Suscepit *autem* cum sua gente Cruces albas. — k *Anno* 1189 *feria quinta,* 6 *Julii, in castro Chinone Cenomanensis agri in Gallia, attritus bello Gallico, et filiorum ad partes hostiles defectione: quæ legenda apud Neubrigensem lib.* 3 *cap.* 25, *et alios.* — l *Anno* 1190 *in flumine suffocatus circa partes Armeniæ minoris.* — m *Mauburnus,* Briglichtona. *Est autem* Bullington *in supra dicto Wapentachio Wrangou, quo hæc minus a Lincolnia urbe distat.* — n *Anno* 1165. — o *Tum S.* Thomas mutato et habitu et nomine Lincolniam venit, *indeque a* paucis cognitus per ignotas vias et semitas ad mare properavit, equitans in noctibus, et in diebus latens inter amicos et notos, *ut pluribus Rogerius ad eum annum, qui tamen* comites itineris *assignat* duos Fratres Ordinis Cisterciensis, et unum solum servientem: *ut hi Gilbertini directores itineris diurni assumpti fuerint, non continui socii permanserint.* — p *Mauburnus* secundo; *quod ex tempore Henrici Regis Cruce signati optime refellitur. Bromtonus octavo, sed forte calculo eorum abductus, qui annos a Paschate inchoant.*



D

AUCTORE COÆVO.

# ALIA VITA

## *Ex MS. Rubeæ-Vallis et Capgravio.*

Sanctus enim Gilbertus, in loco Sempingham ab incolis vocato, nobili prosapia ortus. Pater ejus Jocelinus, Miles strenuus, genere Normannus, mater natione Anglica fuit. Cui, priusquam nasceretur, visum est in somnis, quod descendentem a supernis lunam suscepisset in sinum. Natus autem puer sanctus, in domo patris sui adeo abjectus mansit, quod nec famuli domus cum eo cibum sumere dignarentur: corporali enim schemate incompositus et incultus erat. Litteris tamen traditus, et parum proficiens, patriam deseruit, et liberalibus in Gallia studiis deditus, magistri nomen et gradum habere meruit. In Angliam demum rediens, pueros et puellas instruxit: qui primi erant, in quibus ordo Sempinghamensis initium sumpsit, quos adhuc seculares et ipse non solum scholasticis rudimentis, sed et moralibus, et monasticis instituit disciplinis. Silere in ecclesia, simul quasi in dormitorio dormire, non nisi locis statutis loqui et legere, eos informavit. Ab ineunte E enim ætate animas Deo lucrifacere, et quibuscumque poterat verbo et opere proficere et exemplo satagebat. Pretiosis et nitidis secundum natalium dignitatem utens indumentis, justitiæ et veritatis erat amator: omnium sibi favorem et gratiam comparavit.

*S. Gilbertus*

*puer abjectus,*

*studet in Gallia:*

*docet pueros cum litteris virtutem:*

2 Ejus denique conversatione laudabili delectatus pater, ad Ecclesias de Sempingham et Tiringtonem cum multum renitentem præsentavit. Assumptus itaque ad regimen animarum, *a* una cum suo Capellano in domo cujusdam parochiani sui hospitatus; cum forma filiæ hospitis, quæ ei sedule ministravit, occulta utrique surreperet contagio; visum est Gilberto in somnis, quod manum suam in sinum prædictæ puellæ injecisset nec inde eam extrahere posset. Vir igitur castissimus vehementer expavescens, a loco illo velociter se transtulit. Hæc enim virgo postmodum de septem primis erat, in quibus vir sanctus Ordinem inchoavit. Quidam parochianus suus cum de decimis frugum suarum fraudem fecisset; compulit Gilbertus rusticum illum ex *b* grangia *c* bladum ejicere et per singulas *d* gerbas coram se numerare; et decimam partem in acervum congerens, in media platea accenso rogo in detestationem tanti criminis et terrorem aliorum consumi fecit. Quidquid enim F præter stipendia vitæ necessaria habuit, pauperibus et egenis erogare curavit.

*Clericus a*

*castus,*

*b c d*

*decimas furto ablatas accendit*

3 Gradum sacerdotii tandem adeptus, eleemosynæ largitioni indulgens, pauperes elegit, quorum paupertas timore Dei pariter et amore esset honesta. Septem Virgines a strepitu mundi et hominum aspectu inclusit, præcepta vitæ dans eis et disciplinæ, monasterii necessaria ædificia construxit, fenestram unam patentem per quam necessaria immitti possent statuendo. Crescente demum numero Fratrum et Sororum, Cistercium ad Papam Eugenium adiit: monachos Ordinis illius utpote regulæ arctioris, suo operi incepto præficere decrevit. Dominus autem Papa et Cistercienses Abbates Ordinis sui monachos aliorum religioni, et præsertim monialium, præesse non licere dixerunt. Data est autem et injuncta B. Gilberto a Papa Eugenio custodia gregis sui: et B. Malachiæ Hibernensi Archiepiscopo et Bernardo Clarevallensi Abbati in illo itinere adeo familiaris effectus est, ut ipso solo præsente per orationem eorum cuidam ægroto fertur sanitas collata. Insignia etiam amoris, baculum scilicet tam præsulis quam Abbatis, in quibus virtutes sanctæ sunt, accepit et *e* orarium cum

*Sacerdos instituit religiosorum instituit:*

*agit cum Eugenio Papa, SS. Malachia et Bernardo*

*e*

*AUCTORE ANONYMO EX MS. ET CAPGR. monasteria in usum virorum et mulierum ordinat:*

A cum manipulo in monumentum sui Abbas dedit ei. Regressus autem in Angliam, viros discretos qui tam viris quam mulieribus viam salutis panderent, et pastorale officium exhiberent, instuit. Habitacula Clericorum a domibus monialium procul statuit, ut Canonici longius ab illis remoti, nullum ad eas haberent accessum, nisi pro administrando aliquo divino Sacramento sub multorum testimonio. Videri autem detecta facie omnino moniales prohibuit. Quidquid autem intus sive extra fieri sive significari oportet, duo senes probati extrinsecus, et duæ Sorores maturæ interius deputantur, per quos tantum audientes et mutuo non videntes, quidquid necessarium est, nuntiatur. Monialibus Regulam B. Benedicti, Clericis vero Regulam S. Augustini proposuit: et ea quæ minus in Regulis illis invenit, a multis monasteriis statuta excerpsit, et collegit, Papæ Eugenio misit et confirmata recepit.

*Regulam præscribit:*

4 Præter pauperum, et infirmorum leprosorum, viduarum et orphanorum xenodochia, quæ construxit, ecclesias conventuales tresdecim magno labore et industria in vita sua constituit: in quibus duorum millium et ducentorum numerum in obitu suo reliquit. Omnium ecclesias æqualiter dilexit, et circa omnium negotia æque sollicitus fuit. Majores culpas ejus examini reservari statuit, minora ceteris discutienda reliquit. Libros multos scripsit, verba ejus nihil aliud, quam sapientiam et scientiam sonuerunt: monialem igne libidinis succensam aspera castigatione sanavit: et Fratrem iræ stimulis agitatum, levi baculi sui ictu in maximam mansuetudinem convertit. Equitatura ejus simplex et comitatus honestus: aliis largus satis, sibi parcus apparuit. A carnibus omni tempore, nisi in maximo languore, abstinuit: ab esu piscium per Quadragesimam et Adventum se temperavit: olera et legumina et hujusmodi vilia libentius sumpsit. Primam piscium partem Deo, reliquam fere totam commensalibus communicavit. Erat enim vas positum in mensa coram ipso, quod Discum Domini Jesu appellare consuevit; in quo non solum ciborum reliquiæ, sed et partes præcipuæ ad opus pauperum repositæ erant. Sæpe ad mensam sedens, lacrymas fudit: vasis ligneis et testeis, et coclearibus tamen corneis utens, omnem mundi vanitatem exclusit, et metallorum superfluitatem. Post mensam lectioni, orationi sacræque meditationi indulsit, et toto anni circulo æqualibus utens indumentis, nec plura in hyeme nec pauciora in æstate quæsivit. Rogerum *f* quemdam ex filio Patrem et ex discipulo Magistrum sibi præfecit et obedientiam illi faciens, habitum canonicum suscepit.

*in 13 monasteriis, 2200 regul.*

B

*vitia emendat.*

*parcus in cibo,*

*vestibus*

*f*

C

5 Cum autem S. Thomas exul in Gallia moraretur, a ministris regiis multam trans mare pecuniam contra præceptum Regis sancto Episcopo misisse notatur. Coactique sunt tam ipse quam omnes cœnobiorum suorum Præpositi et procuratores coram Judicibus Regis assistere: propterque ejus sanctitatem oblatum est ei, ut præstito sacramento fidem faceret, falsum esse, quod suggestum erat. Ille vero, quia id in injuriam Ecclesiæ redundaret, renuit; malens subire exilium, quam tale præstare juramentum. Suspensa itaque diu sententia, cum Judices illum condemnare timerent, supervenientibus litteris Regis, cum suis ad monasterium suum redire permittitur. *g*

*S. Thomæ Cantuariensi non misisse se pecunias,*

*etsi vere, jurare recusat*

D

*g*

6 Vexato aliquando sancto viro valida febre, accessit quidam ad eum compatiens illi. Cui Sanctus: Nunquid, ait, sensisti, quanta est febrium anxietas? Et ille: Non. Cumque quæsisset Sanctus, an febres illas vice sua, ut ipse liberaretur, vellet suscipere, et ille annuisset; mane sequenti corripitur febre homo ille, Patre sancto omnino liberato. Quidam sancti Patris *h* pedules in pedibus gestans, a podagra, qua detinebatur, omnino liberatur: et alter febricitans ex scypho Sancti potando curatur. Cum autem flamma ignis invalescens hospitio S. Gilberti appropinquaret: et ille residens in fenestra oraret, et psalleret; mox alteram partem domus flamma depascens, ejus præsentiam quasi abhorrens, illam ubi resedit partem transvolavit: et viciniora loca circumquaque arripiens, alia hospitis ædificia intacta reliquit.

*pellit febres,*

*h podagram,*

*incendium:*

7 Anno autem Domini millesimo centesimo octuagesimo nono et vitæ suæ centesimo sexto, sanctus Dei servus Gilbertus, operibus bonis et exemplis plenus, cœlestia penetrans, pridie Nonas Februarii, in monasterio Sempinghamiæ ab eo fundato cum honore sepelitur. Canonizatus est autem et in Sanctorum Catalogo ascriptus a Papa Innocentio, anno Domini millesimo ducentesimo secundo: et eodem anno, tertio Idus Octobris corpus ejus de terra translatum in scrinio honorifice reponitur. In nocte vero diem obitus sui præcedente, viderunt multi globum igneum immensum, et quasi candelas multas simul accensas tertio de cœlo descendere, et rursum ascendere supra tectum basilicæ contra sepulchrum ejus: et tertio quasi culmen ecclesiæ penetrare et introcadere videbatur. Die vero quo seculum reliquit, circiter viros religiosos septingentos, et sorores religiosas mille quingentas Deo famulantes reliquit.

*obit.*

E

*Sanctis adscribitur: transfertur*

a *Addit Harpsfeldius:* Munus susceptum tanta diligentia, cura, sedulitateque administravit, ut concionandi frequentia, claroque suo omnium virtutum exemplo parochianos valde ad pietatis suæ imitationem inflammaret: ita ut non multum a monachorum disciplina abesse viderentur: illustreque, quocumque pergerent, cujus Pastoris oves forent, pietate sua documentum darent. — b Grangia *horreum, prædium et villa. Unde Cæsario lib. 5, cap. 17 aliisque* grangiarius *villicus, aut horrei præfectus. Grangiæ nomine utitur auctor Vitæ B. Rogerii Abbatis Elimi'ii 4 Januar. cap. 5.* — c Bladus, et bladum, *frumentum, semen, fructus, vox apud scriptores medii ævi usitata; uti* imbladare, imbladatio *et* imbladata: *seminare, frugum satio, locus consita. Auctor Vitæ B. Rogerii dicto cap. 5,* tellus magis frumentum, quam aliud bladum ferre potest. *B. Odoricus 14 Januarii in sua peregrinatione seu Vita:* terra blado abundans, *etc.* — d Gerba *mergitem seu manipulum spicarum significat.* — e Orarium, *pro rocquetta, seu veste linea Episcopali sumi, subinde pro linteo ori admovendo diximus x Januarii ad Vitam S. Agathonis Papæ litt. Cc. In Concilio Toletano IV cap. 28 Presbyteris et Diaconis etiam orarium datur; non autem subdiaconis: ut Stola esse videatur. Ita Petrus Blesensis sermone 41.* Orarium, quod et Stola dicitur, *quæ hic cum manipulo fuerit donata.* — f *Harpsfeldius* Ecclesiæ Maltonæ Canonicum *vocat.* — g *Idem addit:* Qui jam liber et abiturus, palam apud Judices contestatur, se objecti criminis omnino immunem. Mirari valde omnes quod ultro jam fateretur, quod in tanto prius periculo positus, cum id pudore veritateque salvis potuisset, præstare tamen noluisset. Ceterum ille altiore usus consilio neque ex dignitate sua aut Ecclesiæ, neque sine malo exemplo futurum putavit si suppetias, quas revera non tulit, tulisse tamen Antistiti suo debuisse existimavit, tam solenni apud tribunalia contestatione se nullas tulisse professus fuisset. — h Pedules *pro laneis calceis videntur poni.*

Grangia

Bladum.

F

Gerba.

Orarium

Pedules.

# DE S. OBITIO CONF. BRIXIÆ IN ITALIA,

*I. B.*

## Commentarius historicus.

*CIRCITER AN. MCC. IV FEBR. Longobardicarum urbium olim bella, et horum causæ*

*Frequentibus et cruentis bellis invicem collisæ olim Galliæ Cisalpinæ urbes, iis præsertim temporibus quibus Germani Imperatores impius armis excindere Pontificis Romani dominatum moliebantur. Et illæ quidem ita ducebantur in partes, ut magis tamen insita popularium animis odia exercerent. Nempe qui serendis inter mortales inimicitiis vacant dæmones, cum vinculis sunt, quibus coercebantur a Divina justitia soluti, totas gentes, sæpe aliam communiter speciem prætendentes, alio interim fine motas, in perniciem impellunt. Solet tamen propitium Numen, etiam ex hisce malis, aliquid ad hominum salutem, sui-*

*que*

A *quæ nominis gloriam elicere. Id adeo cernere est in eo bello quod eo tractu exarsit sub annum* MCXCI; *quo anno Imperii coronam a Cœlestino* III *Henricus* VI, *Frederici Ænobarbi F. cepit.*

2 *Id bellum, ac belli caussas, post alios ita breviter Carolus Sigonius perstrinxit, hist. de regno Ital. lib.* 15. Eodem anno bellum alterum, *inquit*, inter Lombardos est ortum, principio a Brixianis et Bergomatibus, qui contentionem de finibus instauraverant, instituto. Brixianis Mediolanenses, Bergomatibus Cremonenses studebant. Ceterum Cremonenses cum pro Bergomatibus ad Civitatem, castrum Bergomatium, cum Carrocio substitissent, magnum incommodum acceperunt. Nam cum Idibus Juliis trajecto amne Ollio agrum Brixianum populabundi inissent, ab hostibus oppressi, prælio dimicare coacti sunt : hostium autem multitudine superante, in fugam compulsi, non solum Carrocium amiserunt, sed etiam una cum Bergomatibus partim capti, partim flumine Ollio mersi, multi etiam ferro fœde occisi sunt. Ea victoria ingentis speciem triumphi victricibus civitatibus præbuit. Carrocii corpus Mediolanum rei gestæ monumento translatum. Brixiani malum et nolam Brixiam deportarunt, atque ad perennem trophæi de vicinis hostibus parti memoriam, malum in templo B maximo suspenderant, nolam vero in turrim populi subduxerunt, atque ut in diebus Carnisprinii publicæ lætitiæ gratia pulsaretur, instituerunt.

*an. 1191 a Brixianis et Mediolanensibus victi Cremonenses, amisso Carrocio :*

3 *Eadem fatetur Lodovicus Cavitellius Cremonensis, et quidem suorum civium desiderata quinque millia, partim occisas, partim aquis mersos, mille vulneratos, captos totidem. Congruit Elias Capreolus lib.* 5 *hist. Brixianæ, nisi quod id gestum velit, Nonis Julii cum festum celebraretur* S. Apollonii *Ep. Explicat lib.* 7 *Sigonius quid sit* Carrotium : Vexillum *nempe*, quod in curru impositum, magna religione ad bella mittebant, magnaque cura in prælio defendebant. *Et lib.* II *scribit*, carrocio exui, insignis probri loco per ea tempora habitum. *Donatus Bossius* Carrocerum *vocat et hanc victoriam multum imminuit, sed totam tribuit Mediolanensibus, et ad annum* MCXC *refert.*

*(quid id esset, et quanti fieret)*

4 *Prosequitur Sigonius lib.* 15, *quæ deinceps factæ vastationes agrorum, præliaque, et ut Cremonenses novo carrotio spoliati sint; atque tandem auctore Trusardo, Legato Cæsaris, anno* MCXCIV *coaluerit pax : Capreolus post primam illam Cremonensium cladem, ista commemorat : Bergomates Brixianorum fines sequenti hieme populatos, Calleptum castellum nocturno assultu recuperasse, die* XXIX *Martii. Dein adjunctis Cremonensium* C *copiis Pontolium usque, sive Olii fluminis pontem, extremam Occasum versus Brixianorum munitionem* VII *die Julii venisse. His occurrisse Brixianos* XII *millia, et manu conserta, Cremonensium ac Bergomatium multos trucidatos, multos Ollio amne haustos, non paucos Brixiam captivos abductos.*

*an. 1192 iterum victi*

5 *Huic prælio, atque, ut verosimile est, etiam priori,* D Obitius *Eques Brixianus, vir fortissimus, interfuit. Hunc memorant, dum hostibus animose instat, inque Ollii ponte dimicat, eo ob nimium commistæ multitudinis pondus subito collabente, ipsum quoque in amnem corruisse, et nocte tota, peculiari Numinis beneficio, inter cæsorum mersorumque acervos servatum illæsum : tum a civibus suis extractum, in castellum quoddam, ut refocillaretur, devectum : ibi cum jaceret, sopore correptum esse; et postquam experrectus est, retulisse deportatum sese fuisse ad inferorum loca, atque innumerabilem in ea vidisse animarum multitudinem deturbari, itaque densam, ut decidere e cœlo nix solet, ac variis planeque horrendis laniari cruciatibus. Positis igitur armis redisse Brixiam, secumque singulare illud Dei erga se beneficium reputantem, deinceps religiosissimam vitam egisse, eoque defunctum in S. Juliæ tumulatum æde. Ubi fertur cum a multis magna fiducia invocaretur, haud pauca perpetrasse miracula.*

*AUCTORE J. B. tunc Obitius Brixianus, fracto ponte inter mortuos servatus, in raptu inferos videt : sancte exinde vivit.*

6 *Hæc Capreolus. Eadem ferme Ferrarius, qui raptum tamen ad inferos scribat Obitium, dum inter hostium cadavera jaceret; additque* miraculis et viventem et mortuum claruisse, *atque ista enarrat ex antiquis monumentis, ut ait, cœnobii sanctimonialium S. Juliæ, quibus eum ait, quoad supervixit, pœnitentiæ caussa inservisse.*

*sanctimonialibus famulatur:*

E

7 Cum pons, *inquit Ferrarius*, super Ollio construeretur, ac architecti manus sub trabe pressa contrita fuisset, illam Obitius involutam pallio, manibus suis fovens, mirabiliter sanavit.

*contritam manum sanat.*

8 Cum corpus ad sepulturam efferretur, multique languentes aqua, qua illud lotum fuerat, aspersi sanarentur; ancilla quædam fistulis et plagis plena, cum aquam minime invenire potuisset, terra ea aqua madefacta, plagas tetigit, continuoque sanata est.

*aqua, qua mortuus lotus, morbi curati.*

9 Mulier cæca ad S. Obitii tumulum a puellis delata, cum illa vehementius oraret, visum recepit; domumque, ductorem viæ non requirens, reversa est. Mulier quoque toto corpore contracta ad tumulum Obitii deducta, non sine ingenti qui eam noverant admiratione, curata fuit.

*ad ejus sepulchrum cæca illuminata curata contracta,*

10 Vir etiam quidam ita manibus ac pedibus languens erat, ut vix fulcris nixus loco dimoveri posset : qui per annum in area apud S. Obitii sepulchrum moratus, cum illud ex devotione tetigisset, gradiendi recepit facultatem.

*et languens quidam*

11 *Addit Ferrarius, etsi in Tabulis Ecclesiæ Brixiensis non sit Obitii nomen annotatum;* ejus tamen natalem in ecclesia S. Juliæ V. et M. ubi corpus ejus asservatur, celebrari. *Eumdem ipse catalogo generali* F *SS. ita ad hunc diem inscripsit :* Brixiæ in Italia Transpadana S. Obitii Confessoris. *Galesinius quoque :* Brixiæ, S. Obitii Confess. ad cujus sepulchrum multa miracula Dei munere edita sunt.

*Colitur 4 Febru.*

# DE B. JOANNA VALESIA,

## REGINA FRANCIÆ, FUNDAT. ORD. ANNUNT. B. MARIÆ,

*ANIMADV. PAP 71*

### Commentarius prævius.

*G. H.*

### § I. *B. Joannæ stirps regia. matrimonium contractum et diremptum.*

*AN. CH. MDV IV FEBR. Apud Bituricenses*

Avaricum Biturigum, *quod Bituricam passim dicimus, illustris Aquitaniæ primæ metropolis, est sedes plurimorum Ducum ex Regum Francorum stirpis Valesiæ sanguine prognatorum ab anno Christi* MCCLX *facta. Ea istic dignitate claruerunt Joannes filius tertius Regis Joannis, et frater Philippi Audacis Ducis Burgundiæ : alter Joannes quartus filius Regis Caroli* VI, *uti etiam illius frater Carolus, dein Rex hujus nominis* VII; *ejusque postea filius quartus etiam Carolus dictus. Post quem eo Ducatu honoratus est Franciscus filius tertius Ludovici* XI, *ac frater beatissimæ Reginæ Joannæ, quæ post divortium initi cum Ludovico* XII *matrimonii, factum anno* MXDVIII, *obtinuit etiam hunc Ducatum Bituricensem, ac reliquam vitam in ea urbe sancte traductam finivit* IV *Februarii anni Christi* MDV : *qui sæpe tamen* MDIV *numeratur, quod initium anni tunc a Paschate ducerent Franci, ut sæpius dictum est.*

*obit B. Joanna anno 1505 :*

2 *Nobilissima*

*[illegible] oriunda ab Regibus Valesiis,*

2 Nobilissima hæc Joanna et Valesia et Francica cognominatur ob illustres suos majores Reges Franciæ in stirpe Valesiorum continuatos. Pater namque illi fuit Ludovicus XI, avus Carolus VII, proavus Carolus VI, abavus Carolus V, atavus Joannes, tritavus Philippus Valesius, filius Caroli Ducis Valesii, cui originem debet stirps Regia Valesiorum. Hic autem Dux Carolus filius fuit Philippi Audacis Regis Francorum, ac nepos S. Ludovici, ad quem sufficit adduxisse progenitores B. Joannæ. Quo autem intervallo generationum distant inter se hujus Joannæ pater Ludovicus XI, et S. Ludovicus ejus nominis IX; eodem hic gradu abest ab Hugone Capeto primo illius familiæ Rege: in cujus posteris per quintum filium S. Ludovici Robertum Regia Borbonia progenies jam Francicum regnum obtinet. Quo autem tempore singuli fere septem ultimis seculis regnarint, passim chronologi et historici rerum Francicarum docent, et nos sæpe aliis occasionibus referemus. Proclamatus Rex Hugo Capetus mense Maio anno CMLXXXVII. S. Ludovicus cœpit regnare anno MCCXXVI. Philippus Valesius Remis coronatus est XXII Augusti anni MCCCXXVIII.

*aliisque Francis:*

3 Pater B. Joannæ Ludovicus Rex factus anno MCDLXI, cui anno MCDLXXXIII vita functo successit filius Carolus frater B. Joannæ: quo mortuo nullaque post se prole relicta anno MXDVIII jure sanguinis regnum devolutum fuit ad Ludovicum Ducem Aurelianensem, natum patre Carolo itidem Duce, et avo altero Ludovico Duce etiam Aurelianensi, fratre Caroli VI Regis, quorum pater Carolus V Rex Sapiens appellatus, proavus fuit et Ludovici XI patris B. Joannæ, et Ludovici XII ejusdem mariti. Huic patre adhuc vivo atque jubente nupta Joanna, et postea mortis reo suis ipsa lacrymis vitam impetravit. A morte enim patris Ludovici XI, cum Carolus VIII, frater B. Joannæ, annum agens XIII, sub Annæ senioris sororis, Petro Borbonio Bellojocensi nuptæ, tutela, regnum suscepisset, Dux Ludovicus B. Joannæ maritus Petrum Borbonium et Annam sibi proximo heredi prælato ægre ferens, regnum tumultu belloque civili interturbavit: deinde cum Franciscus Britanniæ Armoricæ Dux aliique Proceres in societatem ejus venissent, commisso cum Regiis Ducibus prælio ad fanum S. Albani in Armoricis, victoria pariter ac libertate destitutus est anno MCDLXXXVIII. Captus mutato non semel custodiæ loco, diu apud Lusinianum in Pictonibus detentus, ultimo turri Bituricensi inclusus est, ibique ferme triennio detentus; donec crebris B. Joannæ conjugis apud Carolum VIII fratrem precibus et lacrymis liberationem impetravit, mox in amicitiam etiam Regis interiorem admissus. Agunt de hac rebellione Francici Historici in Carolo VIII et Ludovico XII, et nominatim Paulus Æmilius, Arnoldus Ferronus, Franciscus Belcarius lib. 8. Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis aliique.

*nubit Ludovico, dein Regi XII*

*cum Carolo VIII rebellem,*

*captumque*

*liberat:*

4 Petro huic Borbonio tritavus fuit memoratus ante Robertus, filius S. Ludovici. Desponsata illi fuerat Ludovici XII soror Maria: verum Ludovicus XI successui illius matrimonii intercessit, suamque Petro filiam Annam tradidit III Novemb. anno MCDLXXIII, quæ primo Borboniorum ramo extincto, marito filiisque supervixit ad annum MDXXII, et moriens præter alia variis monasteriis donata, etiam conventui Bituricensi Annuntiatarum, a sorore sua B. Joanna fundato, benefecit. De quibus legendi Sammarthani lib. 23 Historiæ Genealogicæ Francorum cap. II, aliique ab iis citati.

*sororem habet Annam benefactricem Annuntiatarum.*

5 At prædictus Franciscus Britanniæ Armoricæ Dux, Regi Carolo post cladem Ludovici reconciliatus, anno MCDLXXXIX e vita excessit: cujus origo per Duces plures Britanniæ et Comites Drocarum ad Regem Francorum Ludovicum VI, Crassum dictum, abavum S. Ludovici et abnepotem Hugonis Capeti deducitur apud Sammarthanos lib. 34 et 35 et apud Andream Chesnæum tractatu de familia Drocensi. Hujus Francisci ultimi Armoricorum Ducis heres relicta fuit Anna, quam Maximiliano Romanorum Regi, dein Imperatori, tunc ob mortem Mariæ Burgundicæ viduo, desponsatam, Carolus VIII sibi uxorem accepit, repudiata Margarita Maximiliani filia, quam sibi Ludovico patre auctore desponsarat. Extincto dein primo ramo familiæ regiæ Valesiorum in Carolo VIII, regnum accepit Dux Aurelianensis, ut supra dictum. Ludovicus XII maritus B. Joannæ, quem hæc cura, inquit Ferronus lib. 3, angebat, quod Anna Carolo prius nupta Britannorum principatum secum auferret. Visa res est gravissima, et quietem gallicam convulsura. Adhibito intimorum consilio, de repudianda Joanna Valesia uxore consilium iniit: huic uni vitam acceptam et captivus et odio apud fratrem flagrans Ludovicus debebat. Repudiaretne Regis sororem, et eam sororem, cui tantum deberet? Quid si Proceres Gallici graviter id ferant? Hæc aliquantulum agitata torserunt Regem. Denique populus uxorem, cui tot annis Rex assuevit, repudiari quo tandem pacto augurabitur? Vicit aliorum sententia, qui et metu cum Joanna contractum matrimonium, et contestationibus eo tempore adhibitis id constare, neque fœdere ullo naturali contractum aiebant, asserente id Ludovico. Maligni rerum æstimatores varie id ejus factum incessebant. Quasi aiebant vero id esse simile potest, cum Regi Carolo tres essent liberi, cum mœrens uxor captivi vitam a fratre multis lacrymis impetrasset, metum, si quis initio adhibitus sit, numquam purgatum? Nullum mariti officium in tam bene de se meritam uxorem ab eo collatum? non pellectum animum, non mitigatum tot lacrymis, quas profuderant uxoris oculi pro marito liberando?

*Ut Anna heres Britanniæ,*

*ante Carolo Regi nupta,*

*a Ludovico XII ducitur*

*B. Joanna repudiatur,*

6 Ad Pontificem itum est Romanum. Is erat Alexander VI, Borgiæ filii extollendi avidissimus, omnesque etiam quærens occasiones ampliandi ei imperii. Ac ratus Ludovici amicitiam ad eam rem aptissimam, judices ei dedit. Hi fuere Philippus Luxemburgus Cardinalis, Ludovicus Albigiorum Pontifex, Ferrandus Septensis Episcopus. Hi tandem dissolverunt lata sententia matrimonium: eoque factum est, ut Rex Annam Caroli uxorem cum Britannorum principatu acciperet. Hæc pluraque alia æquo acerbius Ferronus. Quam tamen Alexander Pontifex filii honoribus importune velificari visus sit, describunt Guicciardinus lib. 4 rerum Italicarum, Spondanus ad annum 1498 num. 4. Frison in Gallia Purpurata in Philippo Cardinale Luxemburgico, tunc Legato Pontificis a latere in Gallias, ubi et Ferrandus Nuntius Apostolicus erat. Horum et Ludovici de Ambosia sententia profertur ex Annalibus Nicolai Gillii in dicta Gallia Purpurata, et infra in Processu Beatificationis cap. 4 num. 46.

*auctoritate Ecclesiastica matrimonio dirempto,*

7 Verum hæc admodum populo displicuisse scribit ex antiquo MS. Episcopus Attichius in Vita B. Joannæ cap. 6; Judicesque ait, non absque calumnia cognominatos Caipham, Annam, Herodem, et Pilatum, quod judicium tulissent contra sanctam Dominam, ne Franciæ Regina in posterum foret. Imo factum Regis vehementer improbasse Doctores aliquos Parisienses tradit Christianus Massæus illius ætatis historicus in Chronico ad annum 1498. Magister Joannes Standonc, inquit, et doctrina et sanctitate præclarus, constanter arguebat Regem, qui ira percitus toto regno interdixit. Exul Mechliniæ et Lovanii scholam pauperum instituit. Habuerat discipulum Magistrum Thomam Warnet, qui audacter in delirantem Regem invectus, ferme captus, fuga lapsus evasit, et scholam Valencenis erexit. Plura legi possunt apud Massæum, qui Standonco domi suæ ad mensam suscepto ministravit. Hunc Dominum a Viletta, et Capettarum collegii Montis-acuti Parisiis reformatorem, et quasi secundum fundatorem tradunt ante citati Frison et Attichius.

*reclamante populo,*

*et aliquibus Doctoribus Parisiensibus.*

A chius, uti Hilarion a Costa in Vita B. Joannæ. Inter Religiosos et Concionatores, qui huic se divortio opposuerunt, eminuit celebris in aula Orator Oliverius Maillardus Franciscanus, cujus pro veritate intrepidum animum deprædicat idem Attichius cap. 6. Demum hoc divortium Deo non placuisse post aliquot alios scribit Attichius, eo quod circa horam diei undecimam, qua sententia hæc debebat publice enuntiari, magna cælitus crassaque nubes supra urbem delapsa, meridiem, ablato solis splendore, quasi in tristem commutarit noctem, ut debuerit facibus accensis prolata charta recitari. Supervixit in hoc cum Ludovico XII contracto matrimonio Anna Britannica ad annum Christi MDXIII. Ejus Vitam descripsit a Costa in Historia sua Catholica.

*tempestate cælitus immissa*

8 Quatuor ab eis procreati sunt liberi, e quibus duo masculi ante eos mortui, alterum quoque ramum familiæ Valesiorum regiæ extinxerunt, corona translata ad collaterales consanguineos Comites Engolismenses, e quibus Franciscus I Rex Carolo patre, et Joanne avo Engolismensibus, proavo Ludovico Aurelianensi Duce, filio Caroli V Regis Francorum prognatus, duxit uxorem Claudiam filiam Ludovici XII et Annæ Britannicæ, qui erant consanguinei parentibus patruelibus nati.

*Regnum ad Franciscum I delatum.*

## § II. Ordo Annuntiatarum institutus B. Joannæ veneratio. Vita conscripta.

B

Duplex in Ecclesia sub nomine Annuntiatarum viget Ordo sanctimonialium, alter Genuæ institutus sub Clemente VIII, anno MDC, ut tradit Attichius, aut anno MDCIV secundum Spondanum in Annalibus num. 9. Fundatrix fuit Matrona Genuensis Maria Victoria Fornera, quæ primo matrimonio juncta, defuncto viro de manibus Archiepiscopi suscepit sanctæ conversationis habitum; vestem scilicet albam et scapulare cum pallio æthereï coloris: unde etiam Cælestinæ dicuntur; at nomen Annuntiatarum illis datum, quod præcipua devotione ad mysterium Annuntiationis B. Mariæ afficiantur. Ab eo diversus est Ordo Annuntiationis B. Mariæ Avarici Biturigum integro seculo citius a B. Joanna institutus. Utuntur autem hæ sanctimoniales veste talari leucophæa seu grysea, ut vulgus loquitur, in testimonium vitæ pœnitentis, quam profitentur: chlamydem vero prorsus candidam ex humeris in pedes desinentem gestant, in memoriam virgineæ puritatis Deiparæ, quam æmulantur. Ornantur insuper scapulari, ut vocant, rubro in formam crucis ante pectus aptato, memoriæ passionis Dominicæ assidue in mentem revocandæ, ut post alios tradit Miræus libro de Ordine Annuntiatarum cap. 1, C quæ et in ipsarum Regula paucis attinguntur. Cœnobia Ordinis hujus enumerat Miræus tredecim ad annum usque MDCVIII, quo eum tractatum edidit. Sed ex iis undecimum apud Montem-Pessulanum in Gallia extructum negat Attichius post Vitam B. Joannæ anno MDCXLIV editam, ubi catalogum exhibet trium et triginta monasteriorum, ex quibus quatuordecim in Belgio.

*Ordo Annuntiatarum Genuensium,*

*alius Bituricensium B. Joannæ:*

*hujus cœnobia 33.*

10 In his omnibus monasteriis IV Februarii die obitus ejus hanc Antiphonam, quæ epitomen vitæ continet, decantari docet Attichius cap. 25 vitæ: Obiit inclyta et meritis plena, Sancta Joanna a Francia, illustrissima Ludovici XI quondam Regis filia, et soror alterius, videlicet Caroli VIII, quæ viro soluta, caste vivens, mundo orbata, et divinis ac sacris addicta, hujus sancti cœnobii, imo et totius Ordinis sacrorum beneplacitorum Evangelicorum fundatrix ac rectrix extitit pientissima, cujus sacrum pignus honorifice intus sepelitur, miraculis clarens. Porro nunc Beata in cælo laureata, perpetuo cum Beatis Deo fruitur. Obiit die quarto Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo quarto. Hæc ibi, quæ eodem modo leguntur apud Sammarthanos lib. 18 cap. 5, ubi Vitam ejus describunt. Idem Attichius in Præfatione Vitæ ejus ad Lectorem, refert quotannis IV Februarii

*Veneratio B. Joannæ:*

D in ecclesia Annuntiatarum Bituricensium sub concionem sacram, quæ tum istic ad ejus honorem habetur, cantari solitam Prosam ea modulatione, quæ in Hymno de Confessoribus, cujus prima verba sunt, Iste Confessor, adhibetur: in eaque Prosa Joannam sæpius Sanctam et Beatam nuncupari: ejus opem auxiliumque publice invocari, atque ab iis, qui ex oppidis pagisque Bituricensibus, sacra ad ecclesiam Annuntiatarum processione instituta, supplices ejus intercessionem imploratum accedunt, nomen inter sanctas Virgines Ecclesiasticis Litaniis adjungi, nec ab ullo Archiepiscopo impediri in hoc suo cantu: Sancta Joanna ora pro nobis; ejusque demum imaginem semper publice fuisse venditam, expositamque in templis potissimum sui Ordinis, videntibus et scientibus Ordinariis, idque cum diademate radiisque gloriæ, ut vocantur, cum nomine Beatæ subscripto. Talem ipse post Præfationem exhibet cum Virgine Deipara in nube apparente, subscriptisque his verbis: B. Joanna Valesia filia Ludovici XI, soror Caroli VIII, uxor Ludovici XII, Regum Franciæ, Fundatrix Ordinis Annuntiatarum. In his omnibus censet Attichius non peccari in decretum Pontificium anno MDCXXV ab Urbano VIII latum, quo, ne hi sanctitatis tituli signave externa absque Sedis Apostolicæ indulto ulli in posterum attribuantur, prorsus inhibetur, nisi a longo admodum E tempore, permissione ejusdem Sedis Apostolicæ aut Ordinariorum, talis veneratio fuerit usitata, quam ante hujus Bullæ promulgationem centum prope annos huic augustissimæ Principi datam asserit, sperarique Beatificationem testimonio consensuque provinciarum universali et hactenus indultam, sancto Romani Pontificis oraculo certum brevi irrevocabilemque pronuntiandam. Cum Attichio Episcopo Regensi etiam Henricus Spondanus Apamiarum Episcopus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi 1604, num. 9, Beatam Joannam appellat.

AUCTORE G. H.

*nomen in Litaniis,*

*imago in templis.*

11 Arturus Monsterius in Martyrologio Franciscano hoc eam encomio exornat: Pridie Nonas Februarii apud Bituricas Beatæ Joannæ Franciæ Reginæ Virginis, Fundatricis Ordinis Monialium Annuntiationis sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, quæ summis virtutibus decorata, maximis etiam claret miraculis. Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ita scribit IV Februarii: Bituricis obitus sanctæ memoriæ pientissimæ Principis Joannæ Franciæ Valesiæ, Annuntiatarum Fundatricis, quæ rara mundi despicientia admirabilis sceptra fastidiens, Christi suave jugum assumpsit: liliaque spinis commutans, sancto collecto sodalitio, in asceterio, quod condidit, reclusa, F eximios omnis virtutis flores, et suavissimos pietatis odores emisit, ac demum meritis plena, in omni sanctitate vitam finivit, plurimisque in tumulis claruit signis adeptæ beatitudinis.

*memoria annua Martyrologiis inscripta.*

12 Ceterum pro solemni Beatificatione obtinenda confecit Andreas Fremiotus Archiepiscopus Bituricensis anno Christi MDCXVII Processum de Vita et miraculis Joannæ, ad Paulum V Pontificem deferendum, qui deinde Urbano VIII ab Oratoribus Christianissimi Galliarum Regis Ludovici XIII et serenissimæ Hispaniarum Infantis Isabellæ Claræ Eugeniæ Belgarum Principis (quam hæc patre Philippo II Rege Hispaniarum, matre Elisabetha Francica filia Henrici II, nepte Francisci I Regum Francorum fuit oriunda) exhibitus est, præposita Vitæ epitome Urbano Pontifici inscripta. Quos duos tractatus typis Plantinianis anno MDCXXIV excusos hic damus more nostro in capita distinctos et nostris observationibus illustratos. Acta ejusdem B. Joannæ inseruit Rosweydus noster Vitis Sanctorum Belgice editis, et fere ex Hispanico Ribadeneiræ translatis. Eadem Gallico sermone plures conscripserunt: ex quibus præcipui sunt Nicolaus Gazæus harum Annuntiatarum apud Bethunienses in Artesia Præfectus, Hilarion a Costa Ordinis Minimorum lib. I Historiæ Catholicæ de Vitis illustrium

*Processus Beatificationis formatus*

*Vitæ epitom.*

*Acta Belgice et Gallice scripta.*

A *illustrium virorum et matronarum seculi* XVI *et* XVII.

*Ex processu edito.*

13 *Ludovicus Attichius ex eodem Minimorum Ordine factus Episcopus Rejensis, post varias priores editiones eamdem Vitam edidit anno* MDCXLIV *Reginæ Matri Regenti inscriptam; eamque fuse deductam in* XXV *capita distinxit; adjuncta sub finem epitome Vitæ P. Gabrielis Mariæ, Ordinis S. Francisci; qui B. Joannæ Confessarius fuit, et secundus Annuntiatarum Institutor habetur: cujus industria conscripta est approbataque a variis Pontificibus Regula Annuntiatarum, quam Gallice subjungit idem Attichius, Latine vulgavit Miræus. Est autem diploma Leonis Papæ* X, *cui Regula ea, decem virtutibus beatissimæ Virginis Deiparæ distincta, includitur: eaque, ut adnotat Attichius in sua ad eam Præfatione, potissimum desumpta ex illustrationibus divinitus B. Joannæ communicatis, ejusdemque affectum eximium in virtutibus Deiparæ Virginis imitandis ostendit. Auctores, qui B. Joannæ meminerunt, longa serie enumerat ad suum Martyrologium Arturus Monsterius, a quo fere solum Christianum Massæum omissum opinatur Attichius in Præfatione sua, qui capite* XXIV *tradit a P. Gregorio Miranda religioso Franciscano editum anno* MDCXV *catalogum centum triginta miraculorum; e quibus bicentia post præcipua pro Processu Beatificationis selecta credimus. Pauca alia, quæ ab anno* MDCXXXIII *ejus intercessione perpetrata sunt, refert idem Attichius* B *cap. 25. Denique hæreticorum Calvinistarum rabies, dum ante annos centum et amplius, ut infra dicitur, scelestas manus in sanctissimum ejus corpus injecit, abunde testatur, quam venerationem, quam ipsi detestantur, solitam a Catholicis adhiberi.*

*Regula Annuntiatarum diplomate Leonis X approbata.*

*varia miracula edita:*

*hæreticorum rabies.*

## VITA
## URBANO PAPÆ VIII INSCRIPTA.

### CAPUT I.

*Epitome vitæ ante Ordinem institutum.*

Beatissime Pater,

Joanna Valesia (de cujus Vita et Miraculis Processum, Archiepiscopi Bituricensis auctoritate institutum, cum debito Beatitudinis vestræ cultu exhibemus) filia fuit Ludovici XI, soror Caroli VIII, conjux Ludovici XII, Regum Galliæ. Nata est anno a Virginis partu *a* millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, et statim cum Electis (Deo sic disponente) a prima ætate *b* affligi cœpit, atque adeo C ad extremum usque spiritum nulla lætitiæ vel solatii corporalis aura ei aspiravit, licet gaudio superabundaret in spiritualibus. Quintum jam agens annum, continuis ac ferventissimis Deiparam (quam singulari cultu et amore prosequebatur) precibus rogabat, ut qua in re gratissimum ei præstare posset obsequium, patefacere sibi dignaretur: quæ mox *c* respondere ei videbatur, quod Religionem honori suo consecrandam aliquando esset fundatura. Postmodum, *d* Divino instinctu *e* quemdam ex Ordine Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, qui sibi a confessionibus esset, delegit.

*Joanna ex regia stirpe orta,*

*multis tota vita adversis afflicta, a B. Virgine ordinem Religiosum a se fundandum edocta,*

2 Cum vero Ludovico XII diu ante regnum nupsisset, Duci adhuc Aurelianensi; is, Carolo absque liberis *g* defuncto, in regno suffectus, suasu aulicorum Procerum, ne Britanniæ Ducatus abalienaretur, Annam ejus provinciæ heredem et Caroli viduam duxit uxorem, Joanna dimissa. Caussa divortii metus prætexebatur, et quod non sponte eam duxisset, sed compellente patre virginis Ludovico XI Rege *h*; ideoque numquam illam attigisset. Neque Joanna graviter se opposuit, sed libens ad alterius æternique Regis cultum se convertit; et mente quidem læta ac tranquilla, quod Alexandrum VI Pont. indulsisse et *i* dispensasse intellexisset. Ducatum porro Bituricensem dono a Rege accipiebat *k* cujus D se fructibus Bituricensi in urbe agens, alebat, alia que piis usibus impendebat.

*nubit Ludovico XII:*

*facto divortio,*

*Bituricas discedit*

3 Ibidem totam se dabat pietati ac vitæ spirituali, quam ab ineunte ætate feliciter fuerat auspicata: teneram carnem duro cilicio et ferrea catena (uti etiam post mortem ejus evidentius compertum est) affligebat: argenteorum *l* clavorum tenui asserculo seu tabellæ infixorum acumina nudo pectori admovebat; nocturno tempore corpus suum flagellis domabat; mirifice insuper in cibo ac potu rigida et abstemia, per totam quadragesimam et Feriis *m* sextis ac Sabbatis per annum jejunabat; nec lacticiniis, nisi urgente necessitate, utebatur. Omnibus pauperibus, afflictis, et infirmis, opem non minus spiritualem quam corporalem adferebat.

*assidua in exercitiis pietatis, pænitentiæ, misericordiæ.*

a *San-Marthani et Attichius post alios natam scribunt anno* 1464. — b *Iidem referunt eam minus gratam fuisse Regi patri suo, tum quod vultu et etiam corpore deformior appareret, tum quod magis pie ac vitæque monasticæ, quam modo vivendi aulico addicta videretur. Addit Attichius tenuem illi censum annuum, quo regiam suam dignitatem sustentaret, a patre assignatum, qui mille et ducentos florenos non excederet: vestibus indui solitam admodum modestis, neque his tritis aliis ideo expetitisse; rebus oblatis magna cum patientia et humilitate contentam.* — c *Verba a Deipara et ipsi arcente hæc prolata scribunt Costa et Attichius.* Dilecta mea filia Joanna, priusquam ex hoc vita discedes, ad meum honorem fundatura es religionem, quæ maximam, quæ fieri potest, lætitiam filio meo et mihi adferet: *additur non sex annos ætatis attigisse.* — d *Apud Attichium dicitur de eligendo Confessario solicita, hanc sibi vera ab crucifixum Missæ audivisse vocem.* Dilecta mea sponsa, si vis a Matre amari, quære vulnera Filii. *Et inde intellexit Directores suæ conscientiæ assumendos Patres ex Ordine Seraphico S. Francisci.* — e *Is fuit Joannes de la Fontaine, tum Guardianus Conventus Ambosiæ in provincia Turonia Pictaviensi, cui socius aderat Gilbertus Nicolai, dein Gabriel Maria nuncupatus, quem cum altero confundit Monsterius, et Guardianum Ambasiæ appellat.* — f *Annos nata* 16 *juxta Costa et Attichium, ergo anno* 1480 *non* 1476 *ut, citato Tilleto, scribunt Sammarthani, et tum annis circiter* 18 *nupta, antequam regnare cœpit Ludovicus* XII *maritus.* — g *Anno* 1498 — h *Addit Spondanus hunc* Ludovicum XII a Ludovico XI patre Joannæ de sacro fonte susceptum fuisse nec veniam Pontificis ad hoc spiritualis cognationis impedimentum dirimendum intervenisse. — i *Sententia refertur, infra in Processu Beatificationis cap.* 4 — k *Addunt Sammarthani accepisse etiam dominia Castellionis ad Ingerem fluvium in agro Turonico, Castelli novi ad Ligerim, et Pontisaræ. A quodam etiam auctore tradi censum ejus circa annuum duodecim millium florenorum fuisse.* — l *Attichius cap.* 9 *docet clavos quinque fuisse, et asserculum formam Crucis habuisse. Omnia autem hæc pænitentiæ instrumenta adhuc in conventu Bituricensi servari. Costa addit clavos fuisse longos duobus digitis.* — m *Attichius addit* Ferias quartas, *nec piscibus eam in Quadragesima, nisi urgenti necessitate usam.* — n *Hæc infra explicantur in Processu Beatif. cap.* 7. E

### CAPUT II.

*Ordo Annuntiationis Virginis Mariæ a Joanna institutus: a Pontificibus approbatus.*

Dum hisce piis operibus et officiis humilis ac devota Princeps occupatur, detegit tandem cordis sui F secretum Confessario suo R. P. Gilberto Nicolai (qui postea a Leone X Pont. Max. *a* Gabriel Maria nuncupatus fuit) summque ei indicat desiderium et affectum fundandi Ordinem Annuntiationis gloriosæ Virginis Mariæ. Is primo quidem contradixit: at deinde, cognita voluntate et revelatione Divina, plenissime annuit, negotiumque quam maxime promovit. Itaque hujus consilio *b* adductæ sunt ex urbe Turonensi decem castissimæ virgines, libenti hilarique animo secularibus nuntium remittentes ut nuberent æterno Sponso. Cum his Ordinem suum auspicata famula Christi, a Confessario suo obnixe petiit, ut illas spiritualiter religioseque vivendi modum, et omnia ad monasticam disciplinam pertinentia, edoceret; quod et libenter præstitit, duobus Fratribus in laboris hujus societatem assumptis. Pergebat interim ipsa in spiritualibus exercitiis, erga Passionem Dominicam inprimis devota. Et quidem in horto suo sacrum Domini sepulchrum construi, eique Crucem apponi curaverat: ubi sæpissime gemitibus inenarrabilibus et lacrymis copiosis Patrem cœlestem orans in abscondito, nudum pectus lapide tundebat.

*Consilium fundandi Ordinem Confessario indicat*

*assumptis decem virginibus auspicatur*

*erga Passionem Christi pia affecta*

5 Anno

A 5 Anno a Christo nato millesimo quingentesimo primo, crescente filiarum numero, crescebat et ejus devotio; agebatque cum Confessario de Regula ad majorem suæ religionis et Ordinis promotionem componenda, indicans ei revelationem a purissima Virgine Maria sibi hac de re factam, quæ illam ex sacro Evangelio concinnari, et a Sede Apostolica approbari vellet juxta suum Filiique sui decretum. Quo cognito, reverendus Pater gratias Deo egit, preces Joannæ et filiarum ejus postulavit, ac Regulam ex verbis Evangelicis, decem primarias sanctissimæ Virginis Mariæ virtutes continentem, studiose conscripsit: quam perfectam primum Virgini Deiparæ devotissime obtulit, ac deinde pientissimæ Ducissæ Joannæ tradidit, quæ eam summopere probavit.

*Regulam Ordines accipit ex virtutibus Virg. Deiparæ*

6 Quare piæ illius voluntati obsequens, pro Regulæ confirmatione Romam profectus est: ibique *c* supplex Ducissæ desiderium Summo *c* Pontifici exposuit. Sed contradictiones et repulsam a Cardinalium cœtu, Ordinis novitatem improbantium, passus, post crebras sollicitationes, Dei et Deiparæ ope invocata, ac Missæ Sacrificio devote peracto, discessum re infecta jam meditabatur. Verum cum gradus Palatii descenderet, ecce subito a Joanne Baptista B Ferrario, Episcopo et Cardinale Mutinensi Pontificis (ut vocant) Datario, accersebatur: quo deinde fautore et procuratore, juxta SS. Francisci et Laurentii, qui ei de nocte apparuerant, admonitionem, Alexander vi Pont. Max. Regulam diplomate suo, *d* omnium Cardinalium consensu, dicto anno *d* millesimo quingentesimo primo confirmavit. Post Alexandrum Julius ii anno *e* millesimo quingentesimo sexto, *e* deinde Leo x anno millesimo quingentesimo decimo septimo idem Institutum approbarunt, et privilegiis stabilierunt. Quorum exemplo postmodum Paulus v ejusque successor Gregorius xv eumdem Ordinem multis etiam gratiis et indultis honorarunt. Porro cum Joanna monitu divino voluisset sive jussisset, ut filiæ suæ regimini Fratrum Minorum Regularis Observantiæ subessent, idipsum Pontifices Romani exinde ratum esse voluerunt.

*approbatam,*

*post SS. Francisci et Laurentii patrocinium,*

*a variis Pontificibus:*

7 Itaque præfatus Pater, Regula brachio suo alligata, itineri se accingit; in quo proinde a multis periculis, uti a latronibus et excelsi montis præcipitio, non sine miraculo præservatur. Bituricum reversus, Regulam Joannæ obtulit; quæ eam super ægram virginem decumbentem posuit, et ægra pristinam illico sanitatem recepit. Tum demum Joanna, a Con-C fessario suo admonita, monasterium virginibus suis ædificari jussit, in cujus ædificatione ipsi opifices a plurimis, gravissimis, et præsentissimis periculis *f* (*f* Deo illos mirabiliter protegente) conservati fuere. Sæpissime interim suas invisebat, et de spirituali earum progressu sedulo inquirebat. Ægrotis, tamquam sibi ipsi, in omnibus inserviri curabat. Tanto denique amore erga eas afficiebatur, ut numquam aliquo proficisceretur, quin prius illas accederet. Anno vero ab Incarnatione Domini millesimo quingentesimo secundo reverendi Patris consilio sacræ virgines habitum Religionis suscepere, quibus mox aliæ, honestissimæ et nobilissimæ, sese adjunxere.

*claram miraculis*

*primum monasterium construit.*

a *Gabriel Maria dictus ob singularem Deiparæ Virginis atque Annuntiationis Angelicæ cultum, diplomate super ea re dato, cujus exemplar apud Virgines Annuntiatas dicitur extare. Ejus memoriam quotannis hæ Virgines celebrant 27 Augusti, quo die Arturus Monsterius in Martyrologio Franciscanorum de eo agit: qui contendit eum olim* Nicolaum Gilberti *dictum et ab* Alexandro vi Gabrielem ab Ave Maria appellatum. *Verum hæc Vitæ conformius scribit Attichius in Vita ejus, una cum Vita B. Joannæ edita anno* 1641. *Uterque alios scriptores Actorum ejusdem refert.* — b *Anno* 1500 *die* 27 *Maii ex earum una Andrea appellabatur, alias ex urbe Ambosiana duci adductas tradit Attichius cap.* 10. — c *Ante P. Guilelmum Morin eam regulam Papæ frustra præsentasse tradit Attichius cap.* 13. — d 14 *Februarii.* — e 25 *Julii cujus diploma infra damus.* — f *Miracula in extructione cœnobii facta referuntur in Processu Beatificationis cap.* 7.

## CAPUT III.

### *Joannæ in Deum amor, et heroicarum virtutum exercitatio.*

D
EX PROCESSO EDITO.

Porro pientissima Princeps immensas pro omnibus immortali Deo gratias agens singulari cultu et devotione erga augustissimum Eucharistiæ Sacramentum ferebatur; tantaque cum pietate et lacrymarum copia, sacra Synaxi se reficiebat, ut in aliis quoque devotionem excitaret. Quodam vero tempore infirma putabatur: sed intellexit reverendus Pater Confessarius, infirmitatem ex devotione nasci: unde ab eo interrogata, dicere coacta fuit, se ad epulas quasdam in proximum diem a Christo invitatam. Postridie igitur sub Missæ sacrificio tota in lacrymas effusa, et in ecstasim rapta, vidit Christum ejusque Matrem (prout postea Confessario suo valde urgenti fideliter retulit) prædictas epulas, duo scilicet corda in disco, sibi offerentes. Volens proinde et ipsa cor suum secundum Christi petitionem apponere, manum in sinum misit; illudque non reperiens, plurimum obstupuit, dulcissimo Jesu suaviter ei arridente. Sed nihil mirum, si non reperit, quod jam cordi Christi per amorem unitum, in eo magis quam proprio in corpore vivebat. Præcipue enim ad ex- E celsam illam arcem confluebat, qua nulla fortior, nulla munitior; hoc est, ad sanctæ orationis præsidium: cujus alis in cœlum frequenter sublata, terrenorum oblita, suavissimo Dei colloquio fruebatur. Ille vero in humili ancilla Dei orationis fructus erat uberrimus, quod jam in benedictionibus dulcedinis præventa, et calicem illum præclarum, qui cor inebriat, delibans, ardentis caritatis igne erga Deum et proximos toto pectore æstuabat. Quare vetere quodam aulæ suæ administro Domino de Gaucour, gravissime cum præsentissimo mortis periculo *a* febricitante, ut pro eo oraret requisita, caritatis officio *a* non defuit; adeoque sine mora ad Oratorium suum se conferens, bonorum omnium auctorem Deum non minus ferventer quam humiliter pro ejus sanitate precata est, et ecce, mox febris imminuta est, imo ex toto recessit.

*Devota erga Eucharistiam,*

*a Christo et B. Virg. Maria duplici corde oblato,*

*suum non reperit*

*addicta orationi,*

*ea febrim pellit:*

9 In festo vero Pentecostes anni *b* millesimo sexcentesimo quarto optima Ducissa tria Ordinis vota *b* in manibus Patris Gabrielis Mariæ emisit, insuper et claustrum vovens in hunc modum, ut absque ipsius Confessarii consensu numquam extra civitatem Bituricensem vel ad aliquam ædium suarum F egrederetur, ac deinceps sub splendida veste sanctum Religionis Marianæ habitum devote gestavit. Ejus exemplo, sacram professionem aliæ quædam Virgines fecere; quarum numerus, Deo ejusque Matre tam mirabiliter quam efficaciter cooperantibus, quotidie auctus est. Ubi vero una et viginti virgines convenissent, nec ullis sumptibus devota Domina in monasterio construendo pepercisset; in festo Præsentationis beatæ Virginis Mariæ, corpus et animam, conventum, omnesque filias suas, tam præsentes quam futuras, sanctissimæ Trinitati ac Deiparæ Virgini commendavit, et obtulit. Quo peracto, ex reverendi Patris Confessarii sui consilio, illas juxta Regulæ præscriptum perpetuo *c* claustro ex- *c* inde obstruxit: quod piissimæ filiæ summa animi hilaritate (utpote ad quod tantopere anhelarant) susceperunt. Illas autem, uti ipsa perfectioni quam maxime studebat, ita perfectas esse summopere cupiebat; adeo ut minimos etiam defectus in iis corrigeret, ne in graviores inciderent.

*Vota Religionis emittit:*

*se, suasque perpetuo claustro obstringit.*

a *De febri hac pulsa agitur in Process. Beatif.* — b *Imo juxta Gosta Attichium, Sammarthanos et alios anno* 1503. — c *Sub peccato mortali ut infra in Regula dicitur.*

CAPUT IV.

A

EX PROCESSU EDITO.

## CAPUT IV.

### *Joannæ obitus. Miracula. Cadaver a Calvinistis combustum.*

In suavissima Epiphaniæ Domini solennitate, pia Christi famula filiabus suis postremam attulit oblationem, auri, thuris, et myrrhæ; mysticum horum et sensum et rem ipsam ingerere volens: earum deinde preces expostulans, corpore ægram se fassa est. Aderat vero ancillæ suæ Joannæ is, qui eam unxerat, Spiritus Domini, et ipse Dei virtus et sapientia Christus; cujus virtute et gratia fiebat, ut incerta et occulta, adeoque vitæ suæ exitum diu ante *a* cognosceret. Hinc a filiabus suis discedens, cum ad horti portam (qua pro libitu suo ingrediebatur et egrediebatur) pervenisset, eam omnino obstrui jussit, utpote qua non amplius usura esset, quemadmodum et rei probavit eventus: nam exinde ægra semper decubuit, ac tandem spiritum Deo reddidit.

*Ægrota a Christo mortem instantem edocetur.* *a*

11 Hora igitur exitus sui imminente (quæ erat noctis decima) per cubiculariam sive pedissequam suam, Mariam Pot, in aliud se latus transponi, cortinas claudi, et candelæ lumen, tamquam sibi nocens, auferri præcepit. At illa, his peractis, intra cortinas se recipiens, per horam ibidem mansit, ut majorem ægrotantis Dominæ curam gereret. Tum vero ingens veluti tædæ ardentis *b* lumen lecticam circumcingere, corpori piæ Christi famulæ insidere, deinde paulatim diminutum supra pectus et os ejus requiescere, ac tandem illo disparente, fulgentem animam ex corporis ergastulo ad verum lumen, quod Christus est, evolare, prædicta cubicularia sedulo animadvertit. Media item nocte, supra Monialium templum, omnes nubeculam quamdam conspexerunt, non minus candidam quam præfulgidam; quæ diutius ibidem hærens, ac post evanescens, animam illam sanctissimam, conscientiæ nitore candescentem, et meritorum copia refulgentem, ad cœlestem æternæ claritatis patriam recessisse, evidenter significabat. Quinque jam vel sex horis post obitum elapsis, facies ejus usque adeo formosa et rubicunda apparuit, ut viva potius quam mortua videretur.

B

*lumine cœlesti moriens illustratur:* *b*

*nubecula præfulgida a morte honoratur:*

12 Interea tristes filiæ pientissimam Matrem multis lacrymis absentem deplorant, quam in posterum præsentem habere nequeunt. Accedit R. P. Gabriel Maria, et tam pro earum solatio, quam pro piæ Christi famulæ commendatione, inter cetera, quæ hactenus retulimus, memorabilia, hæc firmiter asserit: nempe eam in contumeliis, vituperiis, aliisque injuriis plurimum semper gavisam fuisse et exultasse: ejus corpusculum Divini amoris ardorem, quo flagrabat, sustinere non potuisse: nullum fere mortalium hic in terris tot spiritualibus consolationibus affluxisse: tantam vero in ea fuisse animi demissionem, ut non nisi coacta ipsique soli Confessario suo, quidquam de his aut de vita sua aperiret, ita namque se gessisse exterius, ac si nihil contigisset interius.

*olim injuriarum patientissima,*

C

*consolatione divina abundans:*

13 Nec prætermittendum est, quod ad ejus gloriam Dominus superaddidit. Nam dum sacrum illud corpus honorificentissime ad ecclesiam deferretur, id percipiens Presbyter *c* Maturinus, horti præfectus, qui tunc temporis articulari morbo omnibus affectus membris decumbebat, ad cubiculi sui fenestram deferri se postulavit: tum vero, conspecto funere, in genua procumbens, pientissimam Christi famulam oravit, ut si quid apud Deum valeret sibi opitulari dignaretur. Mirum dictu, vix preces finierat et sanitatem integram recepit.

*c* *morbum articularem pellit:*

14 Toto ergo vitæ cursu sanctissime transacto, Joanna fere quadragenaria Biturici in Domino obdormivit pridie Nonas Februarii, anno salutis (juxta stylum Romanum) millesimo quingentesimo quinto. Ad hujus vero piissimæ Heroinæ sepulchrum, ipsam pie invocantibus beneficia Dei, intercessione et meritis ejus, numquam defuere; hodieque miracula non raro patrantur ad ejus tumulum, etsi ab impiis Calviniani dogmatis sectatoribus violatum. Anno enim millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Calvinistis in busta cineresque Sanctorum passim per Galliam sævientibus, et civitate Bituricensi ab iisdem intercepta, tres milites inclitæ Joannæ monumentum ingressi, ut arcam plumbeam, cui sacrum illud pignus inclusum erat, tollerent: ubi ipsum *d* corpus attigerunt, ter suspirantis gemitum ex eo emitti perceperunt: unde præ nimio terrore ad fugam compulsi, aliis stupendum hunc eventum narrarunt. His autem postmodum majori numero accurrentibus, ut corpus ad locum combustioni destinatum raperent, scelestus quidam idipsum pugione transfixit: quod deinde non sine maximo miraculo copiosissimum sanguinem effudit, cum tamen ultra quinquaginta octo annos sepulturæ mandatum fuisset.

D

*miraculis claret.*

*Calvinistis cadaver ejus contingentibus,*

*d* *ter illud suspirat:*

*annos 58 mortua sanguinem fundit:*

15 Non immerito itaque Virgines Annuntiatæ Bituricenses, aliæque omnes Fundatricis suæ memoriam quotannis, ipso obitus die, his verbis renovare consueverunt: Obiit inclyta et meritis plena, Joanna de Francia illustrissima quondam Regis filia, et soror alterius, videlicet Caroli VIII: quæ viro soluta caste vivens, mundo orbata, et divinis ac sacris addicta, totius Ordinis sacrorum Beneplacitorum Evangelicorum fundatrix et rectrix extitit pientissima. Cujus sacrum pignus Biturigis honorifice sepelitur, miraculis clarens; porro nunc in cœlis laureata perpetuo cum Beatis Deo fruitur.

E

*annua memoria honoratur,*

16 Quare, Beatissime Pater, Christianissimus Galliarum Rex Ludovicus XIII et Serenissima Hispaniarum Infans Isabella Clara Eugenia, cum universo Virginum Annuntiatarum cœtu, supplices rogant, ut, quam hactenus privata plurimorum suffragia Beatam dixere, eam talem publica Beatudinis vestræ sententia ad majorem Dei Deiparæque gloriam renuntiare ne gravetur.

*Beata privato suffragio.*

a *Mors ejus Confessario revelata fuisse dicitur in Processu Beatif. num. 63, et Cometa mortis prænuntius visus num. 64.* — b *Eodem num. 64 de hoc lumine agitur.* — c *Confirmatur hoc miraculum ibidem num. 65.* d *De cadavere cum vestibus incorrupto reperto, ad attactum hæreticorum ingemiscente, et ab iisdem combusto testes citantur in Processu Beat. cap. 3 num. 17, et cap. 4 num. 27.* — e *Sanctam etiam Beatamque appellari in eodem elogio supra dictum.*

F

# PROCESSUS

### *ad Beatificationem Joannæ obtinendam,*

### Auctoritate Andreæ Fremoti Archiepiscopi Bituricensis confectus.

## CAPUT I.

### *Libellus supplex Virginum Annuntiatarum Bituricensium Archiepiscopo Bituricensi oblatus.*

Exponunt, quam possunt humillime, Religiosæ Virgines, Mater Ancilla, et filiæ conventus Annuntiationis B. Mariæ in hac urbe Bituricensi, quod anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo nonagesimo nono Domina Joanna filia Galliarum Regis Ludovici XI, soror Regis Caroli VIII, atque uxor Ludovici XII, nomine Ducissæ Biturigum sese transferens ad hanc urbem, ibidem incitata zelo et devotione erga sanctissimam Dei Genitricem semperque Virginem Mariam, ecclesiam et conventum in honorem ejusdem sanctissimæ Virginis Annuntiatæ ædificari curavit, fundavitque: et postquam admodum devote et sancte hac in urbe vitam egit, mortem

*Synopsis vitæ et mortis Joannæ.*

A mortem obiit anno millesimo quingentesimo quarto, mense Februario, sepultaque est in ecclesia dicti conventus Annuntiationis B. Mariæ, qui ejusdem Ordinis est primus. A quo tempore usque ad annum millesimum quingentesimum sexagesimum secundum (quo civitas hæc Bituricensis ab hæreticis direpta est) innumera patrata sunt miracula, erga eos qui summa cum devotione sepulcbrum Ducissæ defunctæ visitarunt: et continuo deinde usque in præsens (licet corpus ipsum a perduellibus hæreticis in cineres redactum sit) plurimi a variis morbis liberati sunt; atque in dies, fusis ad Deum in dicta ecclesia precibus, liberantur. Et quidem jam a quadriennio aut circiter observatum est, crebriora quotidie miracula et curationes fieri frequentiores.

*Virgines Annuntiatæ petunt processum institui super miraculis ejus.*

2 Quare Oratrices votis omnibus anbelantes ad Beatificationem prædictæ Dominæ, Illustrissimam Dominationem vestram quam humillime orant atque obtestantur, ut inquiri jubeat tam in vitæ sanctitatem præfatæ Dominæ, quam in opera et miracula quæ facta sunt, quotidieque fiunt in dicta ecclesia, erga eos qui ejusdem Dominæ præsidium implorant, ad obtinendam a Deo in variis corporis molestiis gratiam atque auxilium. Et in hunc finem impertiri litteras suas ne gravetur, quibus mandet B coram se citari, quos Oratrices ad majorem veritatis indagationem in præsentiarum citandos proponunt a... Quod faciendo, bonum et justum Deoque gratum Illustrissima vestra Dominatio præstabit officium, eruntque Oratrices æternum obligatæ ad Deum Opt. Max. pro Illustriss. vestra Dominatione deprecandum.

Subsignaverat, Touchebeuf, Procurator Virginum Religiosarum, Matris Ancillæ, filiarumque conventus Annuntiationis B. Mariæ.

a *Omisimus longum catalogum testium citandorum, quod iidem deinde referantur.*

## CAPUT II.

### *Decretum Archiepiscopi de instituendo Processu super Vita et miraculis Dominæ Joannæ.*

*Questio instituenda super vita et miraculis ejus decernitur anno* 1617.

Viso libello supplice, a Virginibus religiosis, Matre Ancilla, et filiabus conventus Annuntiationis B. Mariæ, in hac civitate Bituricensi, nobis oblato; libentes eidem libello annuimus, decernimusque quæstionem de actis illo contentis coram nobis institui, duobus testibus præsentibus. Graphiarium vero in hunc C finem eligimus Magistrum Claudium Rebours, qui nobis jampridem a secretis; litterasque nostras impertimur ad citandos testes necessarias, tam prænominatos, quam post nominandos, qui de actis in dicto libello contentis poterunt testari. Actum Biturici, in palatio nostro Archiepiscopali, die decimo tertio mensis Aprilis, anno millesimo sexcentesimo decimo septimo; coram testibus, venerabilibus Dominis, Jacobo Daubenton, præposito et Canonico ecclesiæ Abbatialis S. Stephani Divionensis, et Petro Bariotte Canonico Bituricensis ecclesiæ Collegiatæ D. Virginis de Montermoyen.

*Ad citandos testes et exigendum juramentum, Archiepiscopi decretum 17 Aprilis.*

4 Die decima septima ejusdem mensis et anni, hora nona ante meridiem, comparuit coram nobis Archiepiscopo, in nostro palatio Archiepiscopali, Magister Jacobus Touchebeuf, Procurator Virginum religiosarum, Matris Ancillæ, filiarumque conventus Annuntiationis B. Mariæ; qui nobis retulit, se virtute nostrarum litterarum per Joannem Beauvois Notarium curasse his iisdem hora, loco, et die, coram nobis citari ad dicendum ex fide testimonium de actis dicto libello contentis, super quibus per nos interrogabuntur et examinabuntur, Magistrum Petrum Roulin, et Joannam Descrosses ejus uxorem,

D Petrum Lelasche satellitem regium, Magistrum Joannem Helyot cum uxore, Magistrum Joannem d'Orleans Advocatum Curiæ hujus urbis, et honestam matronam Genovevam Janpitre ejus uxorem, Magistrum Danielem Bidard, Fratrem Jeremiam Belleteste Religiosum, Petrum Musnier ephippiorum mercatorem, Joannem Babou, Gasparem Bonzerat, Magistrum Petrum Chardon Presbyterum, Severinum Chauveteau vinitorem, Stephanum Belloste membranarum mercatorem, ejusque filium Joannem Belloste, Joannem le Clerc molitorem, Petrum Taupin, Antonium de la Rue cum uxore, Gabrielam Manzay viduam Petri Mazay, honestam matronam Mariam Sevorat viduam Magistri Joannis Nauldet, Mariam Duou, Guilielmam Passavant, Jacobam Turfin, Claudiam Bernard uxorem Andreæ Chertier, Stephanam Solendre, Joannam Bernard viduam Joannis Mery, Catharinam Huet uxorem Claudii Sagordet, Joannam Bouchetel uxorem Petri Andouin, Carolam Pynet uxorem Joannis Voulte satellitis Regii, et honestam virginem Joannam Champaville, omnes Biturici commorantes. Postulavit deinde novas a nobis litteras, ad denuo citandos qui non comparuerint; rogavitque ut iis, qui comparuerunt, præiremus verba juramenti soliti, et in tali casu requisiti. Cum itaque supradicti, Helyot et ejus uxor, Bidard, Belleteste, Babou, Bonzerat, Chauveteau, le Clerc, Taupin, de la Rue, Duou, Passavant, Bernard, Solendre, Huet, et Champaville non comparuerint, novo eos decreto in sequentem diem denuo citari jussimus, postquam dicti Beauvois testimonio nobis constitisset, legitime eos fuisse citatos. Quod vero ad supradictos qui adfuere, Roulin cum uxore, Lelasche, d'Orleans cum uxore, Musnier, Chardon, Stephanum et Joannem Belloste, viduam Mazay, Sevorat, Turfin, Bernard, Bouchetel et Pynet; recepimus solenne ab eis jusjurandum, quo tactis sacris Evangeliis promiserunt et jurarunt, verum se testimonium dicturos, de quibus a nobis fuerint interrogati et examinati. Itaque audiendis et examinandis prædictis testibus assignavimus locum in sacello d'Estampes, fundato in ecclesia nostra Bituricensi, hac ipsa die et hora, coram Magistris Jacobo Daubenton et Petro Bariotte testibus.

*Decretum II 21 Aprilis.*

5 Die vigesima prima ejusdem mensis Aprilis, ejusdemque anni millesimi sexcentesimi decimi septimi, hora nona ante meridiem in nostro palatio Archiepiscopali, coram nobis Archiepiscopo præsentibus prædictis testibus, iterum comparuit Procurator religiosarum Virginum, Matris Ancillæ, filiarumque conventus Annuntiationis B. Mariæ, qui F nobis retulit, se virtute litterarum nostrarum per præfatum Beauvois citasse juridice ad comparendum hodierna die, his loco et hora, ut verum et probum testimonium dicant, de quibus fuerint interrogati et examinati, R. D. Patrem Claudium Guillain, Rectorem Collegii convictorum Societatis Jesu, Antoniam Macee, Joannam Quenouille uxorem Jacobi Chebiton, Guilielmam Quenouille uxorem Nicolai Laureau, Magistrum Danielem Bidard, et Notessam Vignot uxorem Joannis le Jeune: novamque eos citandi decretum postulavit, qui modo haud comparuerint. Et quia dicti Bidard et Quenouille non comparuerunt, legitime licet citati, sicuti nobis per prædictum Beauvois satis compertum, alteras ad eos denuo citandos litteras concessimus. Quoad supradictos autem, Guillain, Macee, Quenouille, et Vignot, qui comparuerunt, solenne ab ipsis accepimus juramentum, quo jurarunt nobis et promiserunt, fideliter se responsuros, de quibus a nobis fuerint interrogati et examinati: et his atque aliis, qui similiter jurarunt, eumdem in supradicto sacello locum assignavimus, his die et hora cum sequentibus diebus.



6 Die

*EX PROCESSU EDITO. Decretum III. 28 Aprilis.*

A 6 Die vigesima octava prædicti mensis et anni, hora decima ante meridiem, in nostro palatio Archiepiscopali, coram nobis Archiepiscopo, præsentibus supra nominatis testibus, tertio comparuit prædictus Procurator religiosarum Virginum, Matris Ancillæ filiarumque conventus Annuntiationis B. Mariæ; et dixit, se mandato nostrarum litterarum diei decimæ tertiæ hujus mensis et anni, in hodiernum diem ad hunc locum et horam citari curasse, ut probum et fidum testimonium proferant, eorum de quibus per nos interrogabuntur et examinabuntur, honestam matronam Michaelam Favure, Dominam Mariam Defanzay, Amatum Matrat, Magistrum Joannem Asse, Dominam Mariam le Comte, Silvanum Coquillon, Gabrielam Bovard, Natalem Piandon, Petrum Chantereau, et Stephanum Vernier; et pro secundis vicibus, Joannem Helyot cum uxore, et Guilielmam Passavant; sicut testimonio præfati Beauvois satis nobis comprobavit, novum contra prædictos testes decretum requirens, cum pœnæ irrogatione nisi comparuerint. At cum postea prænotati testes comparuerint, ab ipsis quoque recepimus juramentum, quo nobis promiserunt et jurarunt, se dicturos et responsuros veritatem de actis per prædictas Virgines Religiosas propositis, et B quorum caussa sunt citati: iisdemque hac die et hora audiendis locum in dicto sacello assignavimus.

## CAPUT III.

### *Testimonia a juratis testibus prolata, ad decretum primum Archiepiscopi.*

Die decima septima mensis Aprilis supradicti anni, in præfato sacello, nos Archiepiscopus prædictus audiendis testibus vacare incepimus, præsentibus prædictis Dominis Daubenton et Bariotte, modo et ordine subsequenti.

*Meritis Joannæ depulsa utriusque tibiæ inflatio et oculorum dolor*

Venerabilis et prudens Dominus Petrus Chardon Sacerdos, Sacellanus in magno hospitali hujus civitatis Bituricensis, a viginti quatuor annis aut circiter ibidem commoratus, unius et quinquaginta circiter annorum, interrogatus de iis, quæ religiosarum Virginum, Matris Ancillæ, ac filiarum conventus Annuntiationis B. Mariæ, hujus civitatis Bituricensis, libello supplici continentur, cujus et lectio ei fuit exhibita; per sacros Ordines a se susceptos, et tactis manu sacris Evangeliis, dicit et affirmat, se quidem prædictum Conventum Annuntiationis B. Mariæ haud ignorare, minime tamen novisse ali- C quam religiosarum Virginum, neque eis aut alicui earum affinitate vel sanguine vel domestica familiaritate junctum, cognovisse autem quamdam matronam Michaelem Sadelle, natam in parochia de Foncherolles, in diœcesi de Sevet, in Burgundia, ætatis (uti ipsa asserebat) circiter septuaginta annorum, quæ in supradicto hospitali hujus civitatis Bituricensis gravi utriusque tibiæ inflatione vexata fuit, tantoque insuper oculorum dolore, ut videre difficulter admodum potuerit; atque hanc, postquam novem diebus continuis in supradicta Virginum Annuntiatarum ecclesia Deum orasset, per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ, recepisse plenam tam tibiarum quam oculorum sanitatem. Idque jam a biennio vel circiter contigisse testatus est, nec aliud se de prædictis Actis scire, et prælecto ei testimonio suo, in eodem perstitit, ac persistit, et in hæc verba subscripsit: Ego infrascriptus affirmo, ea quæ modo testatus sum, esse verissima. P. Chardon.

8 Honesta matrona Gabriela Manzay, vidua Petri Mazay, olim mercatoris Bituricensis, habitans in parochia S. Ambrosii, annos nata circiter septuaginta quinque, testis producta super Actis dicto Libello contentis, affirmat cum juramento (quod tactis D manu sacris Evangeliis, libroque Missali, ab ea suscepimus) se ecclesiam et monasterium Virginum Annuntiatarum hujus civitatis Bituricensis et aliquas ex iisdem Virginibus novisse, quibus tamen nulla affinitate vel consanguinitate juncta sit. Interrogata vero de Actis dicto supplici libello contentis, asserit, se ante decem vel undecim annos gravi brachii malo ita afflictam fuisse, ut ejus usu omnino privaretur: votum novemdiale proinde Dominæ Joannæ Franciæ concepisse; quod cum in dicta Virginum Annuntiatarum ecclesia solvere cœpisset, integre fuisse sanatam. Affirmat insuper, cum perduelles hæretici hanc civitatem ingressi essent anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, vidisse se corpus prædictæ Dominæ Joannæ e monumento ab iis sublatum, et in arca prædicti conventus depositum, idque integrum et nulla ex parte corruptum; spectante idipsum magna populi multitudine; atque audivisse voces aperte dicentium, feminam quamdam la Fayette nominatam acicula pupugisse corpus prædictæ Dominæ in una mamillarum ex qua sanguis profluxerit. Atque hæc se scire de Actis dicto supplici libello contentis prædicta matrona asseruit; suoque ei testimonio prælecto, in eodem perstitit; et quod unicum novit scribere, suum hic E nomen subscripsit: Gabriela Manzay.

*usus brachii gravi malo afflicti restitutus:*

*corpus post annos 58 integrum,*

*sanguinem fundit.*

9 Honesta matrona Maria Sevorat, vidua honorabilis viri Magistri Joannis Nauldet, olim Advocati Curiæ Bituricensis habitans in parochia S. Petri le Guillard, quinquaginta circiter annos nata, testis producta, *a* asserit ante viginti quinque circiter annos, filium suum primogenitum, Magistrum Joannem Nauldet, gravi et periculoso morbo (quem medici strumaticum dicebant) laborasse, se proinde, concepto voto, novem diebus ecclesiam Virginum Annuntiatarum frequentasse, et Dei opem per merita et preces prædictæ Dominæ Joannæ Franciæ implorasse, et nona nocte filium intregræ restitutum fuisse sanitati, nullo adhibito remedio humano. Atque hoc se scire, etc.

*a struma subito abacta:*

10 Honesta matrona Anna Bernard, vidua Joannis Mery incola hujus urbis Bituricensis in parochia S. Petri le Guillard, nata annos circiter sexaginta quinque, testis producta, affirmat, anno nonagesimo nono supra millesimum quingentesimum, mense Julio, filium suum, ætatis anno circiter decimo tertio, ita graviter altero crure laborasse, ut non nisi duobus fulcris sustentatus incederet: itaque se dictum filium Dominæ Joannæ Franciæ devovisse, et novendiali voto in ecclesia Virginum F Annuntiatarum a se persoluto, eumdem integræ restitutum fuisse sanitati. Quod miraculum meritis et intercessioni prædictæ Dominæ adscribendum credit; additque, filium tam gravi malo laborasse, ut, ante votum, crus ei medicorum judicio abscindendum fuisset. Dicit insuper se audivisse, anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, cum perduelles hæretici corpus præfatæ Dominæ Joannæ e sepulchro extraherent, ex eorum numero quempiam arrepto pugione inflixisse corpori vulnus, et continuo sanguinem emanasse.

*sanatum crus abscindendum,*

11 Magister Marius Julianus, studiosus in Universitate Bituricensi, habitans in parochia divæ Virginis Mariæ du Fourchault, patria *b* Vastinensis, annos natus circiter duos et viginti, alius testis productus affirmat, se, cum gravissima per duos fere annos vexatus fuisset febri, quæ bis singulis mensibus acri eum tibiarum tumore affligeret, tandem mense Augusto proxime elapso intellexisse, crebra fieri in dies miracula in ecclesia Virginum Annuntiatarum hujus urbis; per preces et vota quæ ibidem Dominæ Joannæ Franciæ, dictæ ecclesiæ et conventus

*b depulsa febris, et tibiarum tumor;*

A ventus Fundatrici, reddebantur: atque hinc occasionem haud neglexisse ad eamdem Dominam confugiendi; et re ipsa vovisse, se ibidem curaturum celebrari tres Missas: quibus mox celebratis, nullas amplius sensisse febres, firmaque deinceps semper usum valetudine. Porro matrem suam de hoc miraculo factam certiorem, cum ipsa in gravem morbum incidisset, sub finem superioris mensis Martii, votum pariter eidem Dominæ Joannæ nuncupasse, et subito pristinæ restitutam sanitati: ejusque rei nuntium se a matre recepisse, cum mandato ut aliquot ibidem Missas celebrari curaret; quas se curasse testatur, et omne hoc beneficium meritis et intercessioni prædictæ Dominæ Joannæ adscribere.

12 Religiosus Frater Jeremias Belleteste, Ordinis Fratrum Minorum, in conventu Virginum Annuntiarum Bituricensi degens, ætatis circiter sexaginta annorum testis productus... affirmat se, quia una cum earumdem Patribus Confessariis circiter annos septemdecim habitavit; spectasse variorum hominum *oculorum dolor.* concursum, vota precesque in dicti conventus ecclesia offerentium: et quidem jam a triennio multo frequentiores concurrisse, ut novemdiale votum, quod pro sua vel aliorum infirmorum salute susceperant, Dominæ Joannæ Franciæ dicti Conventus Funda- B trici solverent: et novemdialibus votis persolutis cum Missæ sacrificio, ægros convaluisse; allegans rationem scientiæ, quod plures ipse celebraverit Missas ex eorum intentione, qui sanitatem ibidem recuperarunt. Insuper vidisse se asserit, ante unum circiter mensem, puellum quemdam decennem, ex oppido Yssouldun, gravi affectum oculi dolore, et medicorum judicio summopere de eo periclitantem; qui, cum novemdiale votum in præfata Ecclesia solvere cœpisset, ipso die septimo optime convaluit.

13 Stephanus Belloste, membranarum mercator, incola Bituricensis in parochia *c* S. Boniti, ætatis circiter triginta octo annorum, productus testis... *renum, coxarum et crurum dolor,* asserit se per sexennium gravi renum, coxarum, et crurum dolore fuisse vexatum; ita ut nihil laborare et vix incedere potuerit: atque ante duos circiter annos, precibus in ecclesia Virginum Annuntiatarum fusis, ac Dei ope implorata, per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ, integræ restitutum sanitati; adeo ut deinceps, atque etiam nunc libere incedat et laboret. Affirmat insuper, se filium suum Joannem Belleste; ætatis jam circiter tredecim annorum, difficili aliquando strumarum morbo afflictum, commisisse curæ atque industriæ chirurgi C cujusdam, ex celeberrimis hujus urbis cognomento *struma,* Divini: qui cum aperte fateretur se in eo curando operam et oleum perdere, malo eo magis augescente, quo plura remedia adhiberet; adduxisse ad ecclesiam Virginum Annuntiatarum, et Divina ope per merita et intercessionem Dominæ Joannæ invocata, sanitatem eum recepisse, in qua etiam nunc perseverat.

14 Joannes Belloste, filius prædicti Stephani Belloste ætatis circiter tredecim annorum, productus *ulcera,* testis... asserit meminisse se ante tres circiter annos ulceribus in collo ac facie acerbissime fuisse afflictum, et per quatuor menses commissum industriæ expertissimi cujusdam chirurgi, cognomento Divini; qui cum frustra artis suæ remedia adhibuisset, tandem a patre deductum ad ecclesiam Virginum Annuntiatarum hujus civitatis, et post fusas ibidem preces, ab ulceribus fuisse liberatum, quæ dictus chirurgus strumas esse affirmaverat.

15 Prudens ac honestus vir Petrus Musnier, ephippiorum mercator Bituricensis, habitans in parochia *d* S. Ursini, ætatis circiter quadraginta octo annorum, productus testis... asserit se in ecclesia Virginum Annuntiatarum circa festum S. Joannis *podagra,* Baptistæ proxime elapsum, novemdiale votum solvisse, et Divinam opem per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ implorasse, ut a gravissimis podagræ doloribus, qui ipsum ultra mensem lecto affixerant, liberaretur; postquam vero ultimo novemdialis voti sui die Missam celebrari curasset, ita se fuisse sanatum, ut nullos exinde dolores senserit. D *EX PROCESSU EDITO.*

16 Honesta matrona Carola Pynet uxor prudentis viri Joannis Voulte satellitis regii, habitans Biturici in parochia S. Joannis des Champs, ætatis circiter quinquaginta quatuor annorum, testis producta... affirmat vexatam se fuisse duplici quartana febri, et *febris et ulcera.* tanto ulcerum dolore in tibiis, ut ei gressus pene fuerit ademptus; novemdiali autem voto a se soluto in præfata Virginum Annuntiatarum ecclesia, et Missæ sacrificio per Sacerdotem celebrato, oblato item cereo, Divinaque ope per merita et intercessionem præfatæ Dominæ Joannæ Franciæ invocata, integræ se restitutam fuisse sanitati, neque ulceribus aut tibiarum dolore amplius cruciatam.

17 Honesta matrona Jacoba Turfin, vidua Martini Cottenoire, quondam in hac urbe mercatoris coriarii, habitans in parochia S. Petri le Marche, ætatis sexaginta quinque circiter annorum, testis producta... affirmat anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, ingressis hanc urbem Bituricensem perduellibus hæreticis, se vidisse eos corpus E Dominæ Joannæ Franciæ tollentes e monumento fornicato (quod etiam nunc in præfata Virginum Annuntiatarum ecclesia visitur) atque ipsum corpus *Joannæ cadaver cum vestibus integrum repertum, ab hæreticis combustum.* tunc temporis adhuc integrum extitisse, manibus junctis, vestitum habitu Ordinis Virginum Annuntiatarum, cum pulvinari sub renibus; et ab hæreticis istis, se item spectante, fuisse concrematum, et in cineres redactum in dictæ ecclesiæ vestibulo, adeo ut nulla prædicti corporis pars supersit, omnesque arcas (quarum una erat plumbea) ab iisdem ablatas. Dicit insuper, se novemdiale votum non semelin præfata Virginum Annuntiatarum ecclesia solvisse ad matris suæ intentionem, quæ, dum viveret, podagra laborabat; et prædictæ Dominæ Joannæ intercessionis auxilio levamentum sibi præstari sentiebat. Addit insuper, se ante annum novemdiale pariter votum reddidisse, ob graves brachiorum et tibiarum quibus affligebatur dolores, a quibus deinde liberata sit, ut quam optime nunc valeat. *Ejus meritis, dolor podagræ mitiatus, brachiorum et tibiarum ablatus,*

18 Honesta matrona Joanna Bouchetel, vidua Petri Andouin, quondam pellionis in urbe Bituricensi, habitans in parochia S. Petri le Marche, ætatis circiter septuaginta quinque annorum, testis F producta, affirmat anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo pistorem quemdam ad Quatuorcolumnas hujus urbis commorantem, gravi tibiarum *duorum dolor tibiarum et tertii pedum debilitas depulsa.* dolore cruciatum fuisse, ita ut duobus fulcimentis sustentari debuerit; seque in præfata Virginum Annuntiatarum ecclesia novemdiale votum pro ejus salute persolvisse, et statim ita eum convaluisse, ut fulcimentis in posterum haud egeret: quod hæc ipsa testis, ad prædictam ecclesiam detulisse se ait, ibidemque Missam in gratiarum actionem celebrari curavisse. Affirmat insuper, se novemdiale votum pro salute cujusdam Dominæ, nomine Grevequin, hujus urbis incolæ, pedibus omnino debilis, implevisse: quæ mox ita firmata est, ut sub finem novemdialis voti ipsamet templum adierit, et Sacrum fieri curarit. Addit præterea, jam a quadraginta quinque annis maritum suum prædictum Andouin ex gravi tibiarum dolore decubuisse, nulloque modo ambulare potuisse; se vero pro eo Deum rogasse in præfata Virginum Annuntiatarum ecclesia, eumque per merita et intercessionem dictæ Dominæ Joannæ Franciæ pristinam sanitatem recepisse, ac post militiæ adversus perduelles hæreticos inscriptum fuisse.

19 Die

*Ex processu edito.*

19 Die decima nona mensis Aprilis prædicti anni, in præfato sacello, per nos Archiepiscopum, et testes prænominatos, progressum fuit ad examen infrascripti testis. Magister Petrus Roulin, Notarius regius, Biturici habitans in parochia divæ Virginis du Fourchault, ætatis circiter unius et quadraginta annorum, productus testis... affirmat, se Feria hebdomadæ secunda, nona Maii superioris anni millesimi sexcentesimi decimi sexti, gravi pleuritide cum intensis febribus tactum fuisse, ita ut vix respirare valuerit; tanto insuper afflictum renum dolore, (qui septem vel octo diebus ante inceperat) ut de vita periclitaretur. Itaque in difficili et continuo isto languore, recordatum se miraculorum, quæ in ecclesia Virginum Annuntiatarum per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ ejusdem conventus Fundatricis evenissent, eidem Dominæ se devovisse, et dolorum levamen statim percepisse, et duos post dies semet ecclesiam adiisse, ut novemdiale votum, ab uxore reddi inceptum, persolveret : cumque quatuor tantum vicibus templum frequentasset, ab omni dolore fuisse liberum, nulla adhibita venæ incisione, vel medicamento, pieque se credere, per merita et intercessionem prædictæ Dominæ Joannæ integram recuperasse sanitatem.

*Pleuritis et dolor renum.*

a Formula juramenti et subscriptio eisdem ubique verbis repetita ad nauseam lectori evitandam omittuntur. — b Vulgo Gastinois ex Vastinio ad Ligerim flumen. — c Vitam S. Boniti Episcopi Arvernorum dedimus 15 Januarii. — d S. Ursinus I Bituricensis Episcopus colitur 9 Novemb.

## CAPUT IV.

### *Testimonia a juratis testibus prolata ad decretum secundum.*

Feria sexta, vigesima prima mensis Aprilis prædicti anni, hora secunda post meridiem, in præfato sacello progressum fuit ad examen infrascriptorum testium. Reverendus Pater Claudius Guillain, præfectus collegii convictorum Societatis Jesu in hac urbe Bituricensi, ætatis circiter quadraginta quatuor annorum, testis productus... affirmat undecim dicti collegii convictoribus gravi infirmitate correptis, quibusdam febris tertianæ, aliis quartanæ hieme proxime elapsa, novemdiale votum se vovisse, in ecclesia Virginum Annuntiatarum ad sepulchrum Dominæ Joannæ Franciæ solvendum; seque primo atque ultimo voti reddendi die Missæ sacrificium oblaturum, ut Deus Optimus Maximus per merita et intercessionem prænominatæ Dominæ dictos infirmos curare dignetur : et mox septem ex iis ab omni febre fuisse liberatos, voto etiam nondum persoluto : quod pie tribuit meritis et intercessioni præfatæ Dominæ Joannæ.

*Sublata febris.*

21 Notessa Vignot, uxor Joannis le Jeune vinitoris, commorans in parochia S. Ursini Bituricensis, ætatis circiter triginta quinque annorum, testis producta... testatur filio suo ante duos circiter annos gravi herniæ malo laborante, novemdiale se votum pro ejus salute in ecclesia Virginum Annuntiatarum reddidisse, Deumque rogasse ut per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ sanare eum dignaretur; voto autem persoluto filium plene convaluisse, nec deinceps ullam morbi molestiam sensisse : idque se meritis atque intercessioni præfatæ Dominæ firmiter adscribere.

*Hernia.*

22 Joannes le Clerc, molitor in molendinaria mola a S. Austregesili : in parochia Castri Bituricensis, ætatis circiter viginti septem annorum, testis productus... affirmat se ante duos circiter annos gravi tibiarum dolore et ulceribus pessimis afflictum, novemdiale votum solvisse, et Missæ sacrificium offerri curasse in ecclesia Virginum Annuntiatarum; votoque persoluto, statim melius habuisse, ulceribus multum coeuntibus, ita ut commodius incederet, atque etiam nunc incedat, quem duodecim annos dolor iste tibiarum continuo afflixerat. Et licet plenissime non sit sanatus, multo tamen melius solito incedit : idque meritis et intercessioni prædictæ Dominæ Joannæ Franciæ adscribit.

*Dolor tibiarum.*

23 Honesta matrona Joanna Descrosses, uxor Magistri Petri Roulin Notarii regii, habitans Biturici in parochia divæ Virginis du Fourchault, ætatis circiter viginti septem annorum, testis producta... affirmat, se Quadragesima elapsa anni millesimi sexcentesimi decimi sexti, tribus circiter septimanis ante Pascha gravi et intolerabili dolore in sinistra mamilla fuisse vexatam, ita ut filiolam suam lactare nequiverit; certiorem autem factam miraculorum, quæ quotidie in ecclesia Virginum Annuntiatarum Bituricensi per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ, Fundatricis ejusdem ecclesiæ et conventus, patrantur, novemdiale se votum vovisse, per se vel per aliam ibidem solvendum : quod cum reddere ipsa cœpisset, tertio mox die se a gravi malo liberatam; quod sine ulla humana ope, trifariam ultro eruperat, adeo ut statim filiolam lactare potuerit, et deinceps semper lactarit : votoque nondum persoluto, integræ restitutam fuisse sanitati; firmiterque se ea Dominæ Joannæ Franciæ meritis et intercessioni attribuere.

*E mamillæ.*

24 Antonia Macee, habitans in parochia S. Petri le Marche in hac urbe Bituricensi, ætatis circiter quinquaginta annorum, testis producta... affirmat, superiore Quadragesima anni supra millesimum sexcentesimi decimi sexti, tam gravi se afflictam fuisse brachii sinistri dolore, ut omni ejus usu orbata, non nisi adhibito dexteræ manus auxilio movere illud valuerit : at novemdiali voto in ecclesia Virginum Annuntiatarum persoluto, integras recuperasse vires, prout etiam nunc sana perseverat, et sinistri non minus quam dextri brachii usu gaudet : idque meritis et intercessioni Dominæ Joannæ Franciæ adscribit.

*Malum brachii.*

25 Honesta matrona Joanna Quenouille, uxor Jacobi Chebiton, habitans Biturici in parochia S. Petri le Piellier, ætatis circiter quinquaginta sex annorum, testis producta... affirmat ante duos circiter annos se gravi quodam oculi dextri tumore instar furunculi oppressam fuisse, ita ut præ dolore videre nil potuerit; at postquam novemdiale votum Dominæ Joannæ Franciæ vovisset ac reddidisset, integræ restitutam sanitati, per merita (ut pie credit) et intercessionem præfatæ Dominæ.

*Oculi tumor.*

26 Honesta matrona Michaela Favure, vidua præclari viri Magistri Natalis Guyon, quondam Electi Bituricensis, habitans Biturici in parochia S. Petri le Guillard, ætatis circiter septuaginta duorum annorum, testis producta... affirmat sæpissime afflictam se fuisse capitis tibiarumque doloribus dum uterum gestaret; at novemdiali voto in ecclesia Virginum Annuntiatarum Bituricensi non semel persoluto, et Divina ope ad sepulchrum Dominæ Joannæ Franciæ invocata, meritis ejus et intercessione fuisse liberatam. Dicit insuper, se a socru audivisse, præfatam Dominam, quam vivam probe ipsa cognoverat, non absque eximiæ sanctitatis opinione vitam peregisse, ac nudis pedibus supplicationes obire consuevisse : Regem ipsum Ludovicum XII, qui eam repudiarat, cum aliquando in sacro hujus urbis Sacello post tapetem se abscondens, tantopere pietati et devotioni addictam observaret, desiderio ejus motum ingemuisse : illam vero curasse ædificari domum, in quam se a mundi illecebris cum aliis piis virginibus subduxit, quas in omni sanctimonia et morum disciplina pro viribus erudiebat : in qua domo et cursum vitæ ipsa complevit in omni severitate, ac sanctitate. Addit,

*Dolor capitis et tibiarum.*

*Joannæ sanctitas.*

A Addit, vidisse se Religiosam Virginem in prædicto conventu, nomine Margaretam Sagordet, toto quadriennio ægram, mutam, ac membris debilem : quæ cum se Dominæ Joannæ Franciæ sincero animi affectu devovisset, statim ei oblata est (prout ipsa testi huic retulit) pulcherrimæ cujusdam Dominæ facies, a qua moneretur gratias Deo agere ; et eo ipso momento linguæ beneficio donata, quamdam ex Sororibus advocavit : atque hæc attonita, aliis miraculum nuntiavit ; quæ omnes pariter accurrentes, summa cum voluptate loquentem audierunt, et in gratiarum actionem die subsequenti solennem indixerunt supplicationem ; in qua Soror ipsa Margareta Sagordet comparuit, et paullo post integras totius corporis vires ac sanitatem recepit. Atque hæc omnia meritis et intercessioni præfatæ Dominæ Joannæ dicta testis adscribit ; additque, se haud semel magnum hominum concursum in prædicta Virginum Annuntiatarum ecclesia spectasse, sua novem dierum vota reddentium, pro impetranda morborum medela.

*ægræ et mutæ loquela et vires collatæ.*

27 Honorabilis vir Joannes Helyot, Antigrapheus domus Illustrissimi Principis Condæi, habitans Biturici in parochia divæ Virginis du Fourchault, ætatis circiter sexaginta quatuor annorum, testis productus... affirmat, anno millesimo quingentesimo B sexagesimo secundo, quo civitas Bituricensis a perduellibus hæreticis, Duce Domino de Montgommery, *b* intercepta fuit (etsi mox a Carolo Rege IX recuperata) recordari sese, civitate jam a militibus pariter et incolis direpta, tres quatuorve milites, ex agmine ductoris *c* Mire, hæreticos Lutheranos, cuidam cui aderant Jacobo Trouillet carminario, commoranti tum in parochia S. Medardi hujus urbis, ac pene quotidie in domo matris ipsius testis operanti, ipso audiente retulisse, nunquam se fuisse tam attonitos, quam in ecclesia Virginum Annuntiatarum Bituricensi. Siquidem universo templo spoliato, reliquias quæsituri in monumentum, quo corpus Dominæ Joannæ Franciæ conditum erat, descenderant, et arcam plumbeam repererant, eaque aperta, corpus prædictæ Dominæ ita integrum et formosum spectaverant, ac si recens terræ mandatum fuisset : volentesque invertere ipsam arcam, vocem gemebundam ex ipso corpore prodeuntem perceperant : eaque perterriti, arcam ipsam dimiserant : cujus tamen ipsos postea pœnituerat : quia alii deinde milites advenerant ex agmine ductoris Blanchet, qui nihil spoliorum in prædicto conventu et ecclesia invenientes, præfatum corpus excusserant, arcamque vacuam C abstulerant. Paullo vero post urbis recuperationem, dictus Trouillet, a prænominato teste rogatus, totam hujus rei gestæ seriem explicavit, adstante testis matre, jam defuncta : et fassus est, se etiam ipsum quandam gementis vocem ter aut quater percepisse. Unde attonita mater, etsi tum a vera fide Catholica alienior, ipsum Trouillet increpavit, pessime fecisse arguens piæ Principis corpus excutiendo : atque addens, se a matre sua, quæ eam vivam olim noverat, haud semel intellexisse, Principem fuisse Deo admodum devotam, ac omni virtutum genere vere ornatam. Dictus item testis affirmat, se ex matre jam ad fidem Catholicam conversa subinde audivisse hanc vocem : Graviter omnibus timendum, si de salute tam piæ Principis dubitandum. Addit insuper, se in præfata Virginum Annuntiatarum ecclesia magnam vidisse populi frequentiam et devotionem pro obtinenda morborum medela : se quoque, anno supra millesimum sexcentesimo decimo quarto, gravi tibiæ et genu afflictum dolore, novendiale votum Dominæ Joannæ Franciæ vovisse, et vigesima quinta Augusti dicti anni solvere cœpisse ; quarta vero aut quinta post die, sibi de prædicta Principe cogitanti, pulcherrimam quamdam Dominam, ac splendidissime ornatam, in somnis apparuisse : ac D mox experrectum, velo lecti remoto, magnum in cubiculo conspexisse splendorem ; quo stupefactum, Crucis signo se munivisse, lumenque disparuisse : postea excitasse uxorem, eique omnia enarrasse, seque integræ sanitati fuisse restitutum.

*Cadaver incorrupte repertum,*

*ad attactum hæreticorum ingemiscit*

*mulier hæretica convertitur*

*laborans affecta tibia et genu sanatur,*

*ex processu eo, ro.*

28 Honesta matrona Joanna Guillot, uxor honorabilis viri Joannis Helyot ætatis circiter quinquaginta novem annorum, testis producta... affirmat, conspexisse se magnum populi concursum in ecclesia Virginum Annuntiatarum Bituricensium, fundata per Dominam Joannam Franciæ, crebrasque ad illam tamquam Sanctam fieri orationes, ad repellendas varias corporis molestias et morbos, inflationes inprimis, et nervorum contractiones. Vidisse quoque Joannam Durand filiolam Magistri Petri Durand, quondam Graphiarii Bituricensis, ætatis circiter trium annorum, miro totius corporis ac præcipue ventris vexatam tumore, ita ut crepare fere videretur : voto autem Dominæ Joannæ Franciæ pro ejus sanitate concepto, adductaque ad templum filiola, tumorem imminui cœpisse ; et novendiali voto persoluto, sanatam mirabiliter fuisse, et exinde sanam perseverasse, per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ, ut pie creditur. Testatur insuper, se vidisse quamdam ex Virginibus Religiosis ejus- E dem conventus, nomine Margaretam Sagordet, quatuor annis infirma afflictam valetudine, omnique membrorum destitutam usu, excepto manuum, quibus difficulter confessionem suam exarabat ; quæ toto illo quadriennio muta, tandem corde, quod ore haud poterat, præfatæ Dominæ Joannæ se devovit : paulloque post eximiam et pulchram Dominam de nocte conspexit, sibi dicentem : Surge filia, et Deo gratias age : statimque advocavit infirmis Sororibus dicti conventus præfectam, quæ summa cum admiratione ipsam audivit loquentem, retulitque miraculum aliis ejusdem conventus Virginibus Religiosis : quæ sine mora, rei novitate perculsæ, accurrerant, et in gratiarum actionem solennem instituerant supplicationem : quam ipsa, leviter Sorori ducentis manu adjuta, obivit, et Dominæ Joannæ, ut constanter creditur, intercessionis auxilio pristinas omnium membrorum vires recepit.

*depulsæ crebræ inflationes et contractiones nervorum ;*

*corporis et ventris tumor,*

29 Domina Maria Desanzay, uxor nobilis viri Magistri Jacobi Bigot, Consiliarii et Procuratoris Regii in municipio et Curia Bituricensi, habitans in parochia divæ Virginis du Fourchault, ætatis circiter quinquaginta duorum annorum, testis producta... asserit habuisse se filium nomine Jacobum Bigot, F quondam Consiliarium Regium, hujusque urbis Bituricensis Electum, qui anno ætatis circiter tertio gravi et periculosa gutturis infirmitate correptus, nullo chirurgorum aut medicorum remedio sanari potuit ; ideoque se ex piorum consilio Dominæ Joannæ Franciæ illum devovisse, et novendiali deinde voto in ecclesia Virginum Annuntiatarum Bituricensi a se persoluto, pristinæ restitutum fuisse sanitati, prædictæ Dominæ Joannæ, ut pie credit, meritis et intercessione.

*periculosus gutturis morbus,*

30 Amatus Matrat negotiator cannabinus, commorans Biturici in parochia S. Boniti, ætatis circiter annorum quinquaginta, testis productus... asserit octodecim se menses gravissimo tibiarum dolore atque inflatione vexatum fuisse ; triplicique in iis ulcere erumpente, omnem se Medicorum opem advocasse, sed nullam medelam sensisse, imo contra malum ipsum in dies augeri, ita ut noctu dieque intolerabili et continuo cruciatu affligeretur. Admonitum vero de singulari plurimorum devotione in ecclesia Virginum Annuntiatarum Bituricensi qui a variis corporis molestiis et languoribus ibidem liberarentur, meritis et intercessione Dominæ Joannæ Franciæ

*inflatio et exulceratio tibiarum,*

EX PROCESSU EDITO.

A Franciæ inibi sepultæ, votum eidem se vovisse, et per quindecim dies in dicta ecclesia preces suas continuasse, et finiisse ipso solenni festo Pentecostes, anni millesimi sexcentesimi decimi quinti: tertio vero post inceptas preces die levamen sensisse, atque adeo integram corporis sanitatem recuperasse, tantummodo ulcerum vestigiis relictis : idque meritis et intercessione ejusdem Dominæ Joannæ, ut firmiter credit.

*a S. Austregisilus colitur 20 Maii: de eo agimus 6 Februarii ad Vitam S. Amandi. — b Narrant hunc hæreticorum tum rebellionem, urbisque Bituricensis interceptionem, et recuperationem omnes passim Historici Francici, qui illius temporis res gestas scribunt, inter quos Belcarius lib. 9 num. 52 et 53, Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad dictum annum 1562 num. 12. At Bituricis tum etiam combustum fuisse corpus S. Guilielmi Archiepiscopi, cujus Vitam dedimus 10 Januarii, tradit Atrebius cap. 24, additque in basilica Cathedrali S. Stephani plurima hujus hæreticorum furoris vestigia videri posse. — c Eidem Attachio* Miregrand *dicitur.*

## CAPUT V.

### *Alia testimonia prolata.*

Guilielma Passavant, vidua Claudii Ballot, commorans Biturici in parochia de Montermoyen, ætatis circiter quadraginta octo annorum, testis producta, B affirmat ante quatuor circiter annos filiolam suam strumis in gutture summopere afflictam fuisse : quas dum animadvertisset ipsius testantis mater, postmodum defuncta, et miraculorum meminisset, quæ in ecclesia Virginum Annuntiatarum, fusis ad Deum et Dominam Joannam Franciæ ejusdem ecclesiæ et conventus Fundatricem precibus, in dies contingerent; strumosam filiolam eidem Joannæ, ejusque intercessioni devovit : et pro salute illius, singulis Feriis secundis unius anni, in dicta ecclesia oravit, eamque ante anni finem impetravit; ut etiam nunc ab omni struma immunis vivat, nulla adhibita humana ope. Itaque se meritis Dominæ Joannæ beneficium hoc adscribere profitetur atque addit, se etiam in eadem ecclesia novemdiale votum sæpius solvisse pro pluribus pueris strumosis et herniosis; qui itidem omnes convaluerunt, et bene se habent, prout ab eorumdem parentibus accepit.

*struma gutturis,*

*struma et hernia variorum,*

32 Præclarus vir Magister Joannes Asse, Notarius et Procurator fori Ecclesiastici Bituricensis, incola parochiæ S. Joannis des Champs, ætatis circiter triginta annorum, testis productus, asserit ante duos circiter annos gravi se nephritide laborasse per tres quatuorve menses; qua postmodum cessante, tanto cruciatum C fuisse tibiarum dolore, ut ægre se movere posset. Quare sanitatis recipiendæ ergo vovisse se ecclesiam Virginum Annuntiatarum invisurum, per se vel per alium, ibidemque oraturum Deum pro salute obtinenda per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ, ejusdem ecclesiæ et conventus Fundatricis : cumque per dies novem ibidem preces continuari, Missæque sacrificium offerri curasset, melius se habuisse, atque adeo eidem Sacrificio interfuisse, ab omni corporis cruciatu deinceps immunem, firmiterque se sanitatem hanc attribuere præfatæ Dominæ meritis et intercessioni

*nephritis,*

33 Domina Maria le Comte, vidua præclari ac prudentis viri Magistri Jacobi Nandion, quondam Advocati Curiæ hujus urbis Bituricensis, commorans in parochia S. Joannis des Champs, ætatis circiter annorum quinquaginta quatuor, testis producta, affirmat quatuor annorum spatio graviter se laborasse doloribus stomachi, ventris, scapularum, sinus ac pectoris; sæpissimeque ex nimiis cordis angustiis provocatam fuisse ad vomitum, et quandoque sanguinem vomuisse : omni vero humano remedio frustra adhibito, confugisse tandem superiori anno ad implorandam opem Dominæ Joannæ Franciæ, Fundatricis conventus Virginum Annuntiatarum; et novemdiali voto tertium a se persoluto, prædictos do- D lores paullatim mitigatos prorsus tandem recessisse: aitque se post singula novem dierum vota unam Missam curasse celebrari; et sanitate recuperata, in gratiarum actionem denuo novem dierum preces continuasse in dicta ecclesia; pie credendo se sanitatem a Deo obtinuisse meritis et intercessione præfatæ Dominæ Joannæ.

*varii dolores pectoris, ventris, etc., et sanguinis evomitio,*

34 Silvanus Coquillon, faber carrucarius, et incola Bituricensis in parochia S. Boniti, ætatis circiter quadraginta annorum, testis productus... asserit festis Paschalibus proxime elapsis usque adeo se renum dolore afflictum fuisse, ut omni labore abstinere et aliquamdiu decumbere cogeretur : at cum de miraculis inaudiisset, quæ quotidie in ecclesia Virginum Annuntiatarum Bituricensium per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ, dictæ ecclesiæ et conventus Fundatricis, evenirent ; votum se novemdiale Deo et eidem Dominæ vovisse, et per uxorem solvi, cereumque offerri curasse, et deinde melius habuisse : post singulis diebus Dominicis ipsummet præfatam ecclesiam visitasse, et mox integræ restitutum esse sanitati, dictæ Dominæ (ut pie credit) meritis et intercessione.

*dolor renum,*

35 Honesta virgo Gabriela Bovard, filia prudentis E viri Joannis Bovard, satellitis regii, commorans in parochia sancti Petri le Guillard, ætatis circiter novemdecim annorum, testis producta... affirmat ante quindecim circiter menses continuis novem diebus Deum in Ecclesia Virginum Annuntiatarum rogasse ut, per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Franciæ, Fundatricis ejusdem ecclesiæ et conventus, dignaretur sanitatem tribuere Gabrielæ Degoy filiæ Guilielmi Degoy pelitoris Bituricensis, (quam de sacro Fonte ipsa susceperat) membris omnibus usque adeo captæ ac debili, ut subsistere haud posset : ante novem vero dierum finem firmari eam cœpisse; ac postmodum, nulla adhibita medicorum ope, optime habuisse, Dominæ Joannæ, ut constanter credit, meritis et intercessione.

*debilitas membrorum,*

36 Natalis Piandon, præfectus pilæ palmariæ Bituricí in parochia S. Ursini, ætatis circiter annorum viginti, testis productus... asserit, abhinc duos circiter annos gravi sinistri femoris vexatum fuisse incommodo, ita ut se sustinere nequiverit, idque nullo apparente vel tumoris vel inflammationis signo: quare consideratis miraculis, quæ quotidie in ecclesia Virginum Annuntiatarum contingebant, votum novemdiale vovisse Dominæ Joannæ Franciæ Fundatrici ejusdem ecclesiæ et conventus, ibidemque F reddidisse, et Sacrum fieri curasse; aitque se primo die tanto cruciatum fuisse dolore, ut tribus horis ad ecclesiam vix pervenerit, quamvis non procul ab ea moraretur : quotidie deinde melius se habuisse, et voto persoluto libere et sine ulla molestia ambulasse, atque integram recuperasse sanitatem, eamque credit per merita et intercessionem præfatæ Dominæ sibi evenisse.

*malum femoris,*

37 Prudens vir Petrus Chantereau, mercator telarum, et incola Bituricensis in Parochia S. Petri le Guillard, ætatis viginti quinque circiter annorum, testis productus... asserit ante unum circiter mensem filium suum nomine Simonem hernia graviter laborasse, ita ut sæpius ad vomitum provocaretur : se vero de miraculis, quæ quotidie in Virginum Annuntiatarum ecclesia fierent, admonitum, novemdiale votum pro salute filii vovisse; eoque persoluto, illum melius habuisse, et postmodum omnino convaluisse, pieque se id tribuere meritis et intercessioni Dominæ Joannæ Franciæ, ad quam preces et vota sua direxerat. Hoc sibi satis perspectum etc.

*hernia,*

38 Reverendus in Christo Pater ac Dominus Carolus de Boucherat, Abbas Pontiniacus Ordinis Cisterciensis,

A terciensis, in diœcesi Autisiodorensi, commorans Biturici in parochia S. Austregisdi, ætatis circiter viginti annorum; affirmat se ante tres hebdomadas duplici aut triplici quartanæ febris accessu cruciatum Dominæ Joannæ Franciæ novemdiale votum vovisse atque illud in Bituricensi Virginum Annuntiatarum ecclesia reddidisse, Divinamque opem implorasse ad monumentum in quo olim ejusdem Dominæ Joannæ corpus quievit: voto autem nondum persoluto, a quartana prorsus fuisse liberum, præter medicorum hujus urbis opinionem, quibus infirmitatem suam indicarat, et responderant diuturnam fore febrim, et quæ totam hiemem ipsum detineret: quare repentinam hanc sanitatem precibus et meritis præfatæ Dominæ Joannæ adscribere se testatur.

*febris.*

39 Michaela Challotte, uxor Danielis Lonzay vinitoris, habitans Biturici in parochia S. Fulgentii, ætatis circiter quadraginta sex annorum, testis producta... affirmat, ante annos plusquam tres difficili se hernia laborasse: quæ quidem per quinquennium ita miseram afflixerat, ut vel minimo labore abstinere cogeretur: ideoque se tandem votum Deo et Dominæ Joannæ conventus Virginum Annuntiatarum Fundatrici vovisse, et novem dierum preces in ecclesia prædicti conventus continuasse; primo vero B die meliuscule se habuisse, ac deinde plenius convaluisse: nec ullum amplius dolorem sensisse, aut etiamnunc sentire. Asserit præterea, superioribus vindemiis adnisam se fuisse, sustentando currui uvis onusto; et exinde gravi femoris dolore vexatam, novemdiale denuo votum in eadem ecclesia persolvisse, et integræ restitutam fuisse sanitati, prout et nunc sana perseverat. Quæ proinde meritis et intercessioni supradictæ Dominæ pie attribuit.

*hernia.*

*dolor femoris.*

40 Prudens vir Stephanus Vernier, auletes, incola Bituricensis in parochia S. Joannis des Champs, ætatis circiter annorum sexaginta, testis productus, asserit, se ante tres menses usque adeo ex podagra laborasse, ut necesse sibi fuerit decumbere: novemdiale autem votum Dominæ Joannæ Franciæ, Fundatrici conventus Virginum Annuntiatarum Bituricensium, se vovisse, et per filiam reddi curasse: secunda deinde meliuscule, ultima vero voti soluti die plene convaluisse, et postmodum præfatam ecclesiam ipsummet sanum adiisse, ibidemque Rem divinam fieri curasse. Hoc se scire etc.

*podagra.*

41 Venerabilis ac prudens Dominus Stephanus du Pre, Sacerdos, habitans in parochia de Brexeuil, modo Biturici præsens, ætatis circiter viginti novem C annorum, testis productus... affirmat ipso die gloriosæ Deiparæ Virginis Assumptioni sacro, anno supra millesimum sexcentesimo decimo sexto, repentina paralysi affectum fuisse, in tantum ut omni femorum et tibiarum usu privaretur, et continuo in sella gestatoria detentus, nusquam ambulare posset: frustra vero adhibitis humanis remediis, admonitum se tandem fuisse, cum decima octava Julii proxime elapsa ex balneis Borbonianis per hanc civitatem reverteretur, de miraculis quæ in ecclesia Virginum Annuntiatarum contingerent, ad vota precesque in honorem Dominæ Joannæ Franciæ fusas: atque hac occasione votum eidem Dominæ vovisse, et curasse se ad eamdem Ecclesiam per duos, quorum ope utebatur, viros deferri: ibidemque precibus suis persolutis, pecuniaque celebrando ad intentionem suam Missæ sacrificio deprompta domum reductum fuisse; ibique in sede sua collocatum, paullatim dolorum levamen percepisse, et mox sponte surrexisse, ac deinde virorum, quos advocabat, adminiculo per cubiculum ambulasse, et in gratiarum actionem cum iisdem erupisse, acclamantibus et applaudentibus miraculo, dictæ Dominæ Joannæ meritis et intercessione patrato: affirmatque, decem integris mensibus sese movere non potuisse; jam vero uno subalari D fulcro atque uno scipione sustentatum absque ullo incedere dolore: hoc vero beneficium omnino se Dominæ Joannæ meritis et intercessioni adscribere; de quo ut Deo prædictæque Dominæ gratias ageret, se in hanc urbem denuo deductum, hesterna die in dicta Ecclesia Missæ sacrificium celebrari curasse.

*paralysis.*

*EX PROCESSU EDITO.*

42 Prudens vir Joannes Chamerlat, mercator Bituricensis in parochia S. Ursini, ætatis circiter triginta novem annorum, testis productus... affirmat mense Augusto anni millesimi sexcentesimi duodecimi, solo comitatum famulo ac viro quodam Religioso, in Burgundiam perrexisse, et prope oppidum Sancerre reperisse fontem, atque ex eo bibisse, statimque evasisse surdum auricula dextra: quo incommodo etsi attonitum, iter tamen haud interrupisse: in reditu vero sensisse sub dicta auricula quamdam pustulam ad pisi unius crassitudinem; cumque mali speciem nesciret, medicamentum suppuratorium adhibuisse per tres menses, sed frustra: itaque acicula eamdem pustulam transfixisse, ut puris materiam commoveret: at pluribus tum ulceribus faciem totam inficientibus, medicos et chirurgos consuluisse quorum aliis strumam, aliis cancrum esse affirmantibus, se votum divæ Virgini a Hilaratrici (vulgo de Liesse) et b S. Marculpho vovisse, et ter eo ivisse, imo et a Christianissimo Rege tactum fuisse: se- E cundo vero ac tertio ad loca ea itinere, paullo melius se habuisse, cum tamen animadverteret se haud plene sanari, ulceribus faciem assidue infestantibus, et de miraculis edoctus esset, quæ Deus in ecclesia Virginum Annuntiatarum hujus urbis per merita Dominæ Joannæ Franciæ operabatur, novem dierum preces se vovisse, Deo in dicta ecclesia persolvendas pro impetranda per ejusdem Dominæ merita et intercessionem sanitate: et quia tunc temporis in pago et parochia de Savigny, tribus ab hac urbe milliaribus distanti, habitabat, novem diebus continuis jejunum ex eodem pago ad dictam Virginum Annuntiatarum ecclesiam venisse: ac nono voti sui die, cum Missæ sacrificium ibidem offerri curasset, et sacra se Communione refecisset, integræ restitutum fuisse sanitati; atque ab eo tempore, quod jam supra biennium est, sanum perseverare: idque meritis (ut pie credit) atque intercessione ejusdem Dominæ Joannæ.

*varia facici ulcera.*

*a*

*b*

43 Nobilis Domina Maria de Mareuil, filia Domini Bonaventuræ de Mareuil, quondam Equitis duorum regiorum Ordinum, et regiæ quinquaginta cataphractorum equitum turmæ Ductoris, ac Dominæ F Lucretiæ de Beaucaire; vidua Clarambaldi le Picard Domini olim pagi parochialis, vulgo dicti Chasteau des Chappelles, in territorio Briensi, et Præfecti Stabulo Serenissimæ et potentissimæ Dominæ Ludovicæ Lotharingæ, Reginæ et Donatariæ Franciæ, supremique Œconomi Illustrissimi generosissimique Principis ac Ducis Vindocinensis; ipsa modo in civitate hac Bituricensi præsens, ætatis circiter quadraginta annorum, testis producta... affirmat se, post gravissimum morbum, membris omnibus captam fuisse ac debilem, adeo ut nec pedibus insistere multo minus incedere potuerat: ante mensem vero ad votum Dominæ Joannæ Franciæ concipiendum divinitus incitatam fuisse; et porro de piendissimæ olim Principis vitæ sanctitate edoctam, votum Deo et Dominæ Joannæ vovisse; et quidem in hac urbe Bituricensi, et in Virginum Annuntiatarum ecclesia, ad monumentum in quo ejusdem Dominæ corpus olim quievit, persolvendum: votoque mente solummodo, sed pleniori cum affectu suscepto, novas subito recepisse vires, adeo ut mox quartam milliaris partem pedibus citra difficultatem confecerat, nec in reditu fatigaretur: itaque hac occasione ad prædictam

*debilitas membrorum.*

tam

*Ex processu edito.*

A tam Virginum Annuntiatarum ecclesiam venisse (quam ante hac numquam adiisset, etsi sæpius hanc urbem) precesque ibidem ac donaria sua Deo ac Dominæ Joannæ obtulisse, et gratias de obtenta sanitate egisse : qua plenissime jam fruitur; et ad dictum pagum Chasteau des Chapelles redire modo desiderat, qui ab hac urbe Bituricensi sexaginta circiter milliaribus, a Parisiensi octo tantum distat.

a *Albis* Lætitiæ *in agro Laudunensi in Picardia superiore.* — b *Est Corbiniacum, vulgo Fanum S. Marculphi in eodem agro Laudunensi, quo Reges Francorum pergere solent statim atque inuncti sunt. Colitur Kalendis Maii : et invocatur Patronus a laborantibus struma.*

## CAPUT VI.

### *Decretum Archiepiscopi de examinandis publicis tabulis et scripturis.*

Die quarta Augusti, anni millesimi sexcentesimi decimi septimi in nostro palatio Archiepiscopali coram nobis Archiepiscopo supradicto, hora decima ante meridiem comparuit Magister Jacobus Toucheboeuf Procurator Religiosarum Virginum, Matris Ancillæ et filiarum conventus Annuntiationis B. Mariæ in hac urbe Bituricensi : qui nobis exposuit, se antehac haud paucos curasse audiri et examinari testes B ad miraculorum quæ quotidie in ejusdem conventus ecclesia patrantur probationem; sed nostras insuper requiri, quæ in singulis hujus urbis parochiis publicentur, litteras monitorias, ad omnes et singulos qui tabulas aliquas aut documenta penes se servant, quæ ad probandum Dominæ Joannæ vitæ sanctitatem spectent, aut miracula tam in vita quam post mortem ejus patrata contineant. Quapropter dicto Procuratori nobis supplicanti, ut nostras litteras monitorias impertiri dignaremur, et simul compulsorias ad omnes et singulos qui ejusmodi tabulas aut documenta possident; libentes annuimus, litterasque impertiti sumus.

*Litteræ monitoriæ publicatæ*

45 Post, decima tertia Septembris, anni millesimi sexcentesimi decimi septimi, in nostro palatio Archiepiscopali coram nobis Archiepiscopo prædicto hora prima pomeridiana comparuit dictus Procurator Virginum religiosarum, Matris Ancillæ, et filiarum conventus Annuntiationis B. Mariæ, qui nobis indicavit se curasse tribus diebus Dominicis, in parochialibus hujus urbis ecclesiis, dictas nostras litteras monitorias publicari (prout nobis, tam litterarum earumdem exemplis, quam Parochorum testimoniis infra singula adscriptis constat) pluresque se tabulas C et documenta reperisse, quæ legitime nostra auctoritate excerpi, conferri, et verbali huic Processui inseri, rogavit; ut his etiam litterarum monumentis, actorum (quæ articulatim descripta nobis exhibuit) veritas constet. Quare justam ejus postulationem exaudientes, hoc ipsum jam nunc agi mandavimus; et quidem juxta formulam nobis ab eodem exhibitam; quæ hic subjungitur :

*de sanctitate Joannæ*

46 Primo, Domina Joanna Franciæ, Ducissa Bituricensis, vitam vixit sanctissimam : ut quæ cilicium quotidie gessit, hospitalia et carceres visitavit, ibidemque ingentes eleemosynas elargita est : et quoscumque tandem pauperes morbis affligi vel ulceribus infestari intellexit, statim visitavit, curans iis se astante medicinam adhiberi, omniaque necessaria suppeditari.

*et miraculis*

Deinde, cum eadem Domina monasterium Virginum Annuntiatarum ædificari curaret, plura operariis contigerunt miracula, tam iis qui muris extruendis quam puteo ejusdem cœnobii effodiendo operam navarunt.

Denique, statim ab ejus obitu, imo antequam corpus terræ mandaretur, crebra patrata sunt miracula, tam erga eos qui corpus ad Virginum Annuntiatarum ecclesiam deferri aspicerent, quam qui locum sepul- D turæ accederent. Et quidem ab obitus ejus tempore usque in præsens, mirabilia hæc beneficia haud defuerunt, vel etiam nunc desunt, iis qui eadem ecclesiam visitantes, Divinam opem per merita et intercessionem ejusdem Dominæ implorarunt, vel nunc implorant.

Itaque juxta hanc formulam concinnata sunt Excerpta, modo et ordine subsequenti.

47 In primis oblatus est nobis ab honorabili viro Magistro Joanne Cornillat, cive Bituricensi, et nuper Graphiario Latrunculatorum Bituricensium in hac ipsa urbe, liber quidam rubro corio vitulino coopertus : cui titulus, Annales Franciæ, a destructione Troiæ usque ad regnum Caroli IX Galliarum Regis, auctore Nicolao Gilles, Regi a secretis et Ærarii Regii Antigrapheo; impressus Parisiis anno MCLXVI, et duobus distinctus tomis, quorum prior CXLII folia, posterior CLXXIX continet; a folii vero CXXIX pagina secunda posterioris tomi, usque ad folii CXXX paginam primam, ubi de gestis Ludovici XII agitur, excerpi jussimus quæ sequuntur :

*Excerptum ex annalibus Nicolai Gilles,*

In nomine Dei, sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus sancti, Amen. Visa lite pendente coram nobis Philippo tituli SS. Petri et Marcellini Cardinale Lutzenburgensi et Cenomanorum Episco- E po, Ludovico Episcopo Arbigensi, et Ferdinando Episcopo Septensi, a Sanctissimo Patre ac Domino nostro Papa selectis Judicibus, controversiæ inter Ludovicum XII Christianissimum Galliarum Regem, actorem ex una, et Serenissimam Dominam Joannam Franciæ, citatam ex altera partibus; viso item Rescripto Apostolico, petitione actoris et responsione citatæ, cum ulterioribus exceptionibus et replicationibus respective, positionibus, desuperque responsis ex una alteraque partibus; testibus quoque productis ab actore, et adversus eos exceptionibus, aliisque documentis, et conclusionibus sumptis in caussa, et citatione ad audiendum jus dici; habito insuper consilio cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis utriusque Juris Doctoribus et Professoribus quam plurimis : dicimus et decernimus per sententiam nostram definitivam, Deum præ oculis habentes, matrimonium inter dictas partes initum, esse et fuisse nullum; damusque licentiam actori, in quantum opus, auctoritate Apostolica, aliam quamcumque uxorem ducendi, compensatis expensis. Cui sententiæ cum numquam esset *a* reclamatum, vel ab ea appellatum, Rex Ludovicus XII dispensatione Pontificia in matrimonium duxit Dominam Annam Ducis- F sam Britanniæ, viduam Caroli Regis Octavi; donavitque Dominæ Joannæ Franciæ Ducatum Bituricensem, cum honesto comitatu, suis semper sumptibus alendo. Ipsa vero exinde Biturici vixit, admodum pie et sancte; adeo ut postmodum defunctæ meritis et intercessione, plurima ad ejus sepulchrum miracula divinitus facta passim celebrentur.

*de matrimonio Ludovici XII cum Joanna nullum declarato.*

48 Deinde a venerabili et prudenti viro Magistro Francisco Ralement, Priore Ecclesiæ de Salles in hac urbe, oblatus nobis est liber albo cooperculo tectus, et inscriptus, Historia Bituricensium, eorum originem, antiquitatem, gesta illustria, privilegia, et immunitates, cum singulari ejusdem Provinciæ descriptione, complectens, scriptore Joanne Chaumeau, Domino de Lassay, Advocato Municipii et Curiæ Bituricensis, impressus Lugduni apud Antonium Gufflais, anno MDLXVI, continens CLXXXIII folia. Unde a folii LXXVII pagina secunda, usque ad folii LXXVIII paginam primam, excerpta sunt quæ sequuntur :

*Excerptum ex historia Bituricensium Joannis Chaumeau.*

Princeps Joanna castam se in primis et continentem ostendit; acquiescendo sententiæ, cujus virtute Ludovicus XII Annam Britanniæ uxorem duxit, donavitque Dominæ Joannæ Franciæ Ducatum Bituricensem,

*de vita ejus sanctissime peracta.*

A ricensem, cum illustri comitatu, quem suis ipse sumptibus continue aluit. Secessit deinde Regia hæc Princeps ad civitatem Bituricensem, in qua vitam sanctam et omni laude dignissimam peregit. Constat siquidem vixisse admodum continenter et severe, et socias sibi adscivisse sacras Virgines, in omni se pietate exercentes : jejuniis item ipsam vacasse, cilicio carnem domuisse, et sæpius se afflixisse semoto omni comitatu. Caritate vero plena, pauperibus honestis et verecundis libentissime subvenit, iisque assidue curandis chirurgum mercede conduxit. Porro in urbe Bituricensi Virginum religiosarum monasterium ædificari jussit, quibus et ab Annuntiatione sanctissimæ Virginis nomen imposuit, et certam vivendi normam præscripsit. Cujus monasterii ædificandi curam eximio cuidam civi Bituricensi, Georgio, Domino de Masnay, viro architecturæ peritissimo, cujus et in aliis negotiis opera utebatur, mandavit : et quidem cœnobium ita extructum est, ut merito nihil in eo desideretur : pro ejus vero fundo Dominis Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ de Montermoyen octingentos aureos solatos persolvit. Ex hac vita vero decessit anno millesimo quingentesimo quarto, mense Februario, sepultaque est in sacro Virginum Annuntiatarum monasterio, a se extructo;
B maximo sui omnibus relicto desiderio, sed pauperibus in primis, ob insignem erga eos liberalitatem, summamque in Regia illa dignitate submissionem. Fundamenta insuper jecit novi cujusdam collegii, hodie S. Mariæ nomine appellati : sed huic omnia necessaria providere cogitantem mors prævenit.

a *Cum ex sententia Joannæ judicaretur, dicitur respondisse.* Magna fit mihi injustitia, sed Deus in omnibus laudetur, quem scio, illam permittere ut habeam occasionem ei melius serviendi, quam hactenus fecerim, et adimplendi primum meum desiderium fundandi Ordinem ad honorem Virginis Mariæ. *Ita Attichius cap.* 6.

## CAPUT VII.

### *Miracula in cœnobii extructione, et morte Joannæ facta.*

*Excerptum ex libro MS. Franciscæ Guyard de Villelume.*

Denique per Fratrem Jeremiam Belleteste Ordinis S. Francisci, in ipso Virginum Annuntiatarum conventu habitantem, oblatus est nobis liber manu Franciscæ Guyard Virginis religiosæ ejusdem conventus anno MDLXI conscriptus, cooperculo nigro tectus, duplicique æreo claustro munitus, folia ducenta nonaginta tria complectens : qui in primo ipso folio inchoatur his verbis Latinis : Jesus Nazarenus Rex Judæorum : titulus triumphalis. In nomine
C Mariæ Virginis Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, Amen. Decem autem postremis ultimæ paginæ lineis in hunc modum finitur : Ego Soror Francisca de Villelume, Discreta, testor vidisse me et audivisse omnia quæ hoc volumine continentur, tam de vitæ sanctitate Dominæ Joannæ, quam etiam defuncti Patris nostri Gabrielis Mariæ, quem ipsa vidi et cognovi : utque in posterum major his fides habeatur, præsentem librum manu propria subsignavi : Soror Francisca de Villelume.

Hunc librum prædictus Belleteste sancte affirmavit sibi traditum ab illustri et religiosa Virgine Magdalena Chambellan, vicaria dicti conventus, ut excerperentur, prout excerpi mandavimus, a folii sexagesimi tertii pagina secunda, usque ad sexagesimi sexti paginam primam, ea quæ sequuntur :

In signum veritatis brevem hunc tractatum manu propria conscripsi die quinta mensis Aprilis anni MDVII ante festum Paschatis, et signavi : Beneamatus Georgius.

50 In primis ego Beneamatus Georgius, annos circiter quadraginta novem natus, fidem facio, Dominam Joannam Franciæ Ducissam Bituricensem, mihi stabuli sui Præfecto indigno monasterii et ecclesiæ fabricam mandasse : cujus ecclesiæ funda- D

*EX PROCESSU EDITO.*

menta ad viginti octo pedum altitudinem fodi curavi, eo quod jam olim terra ea commota esset : iisque ad viginti quinque circiter pedes effossis, deliberarunt fossores, utrum ad prandium abirent, an contignationem sustentandæ utrimque terræ prius pararent : atque inter deliberandum prægrandem scalam subito ascenderunt : cumque ad summitatem ejus nonnulli pertigissent, ingens terræ moles utrimque conjuncta super reliquos decidit; et quidem tanta, ut trecentæ carrucæ onerari ea potuissent : nemo tamen, Deo mirabiliter eos protegente, læsus est. Stupendum certe miraculum, et quod credere vix quisquam posset, nisi coram, uti ego, aspexisset.

*Servantur illæsi operarii magna terræ mole obruti,*

51 Item, postquam omnem illa terræ molem amoveri curassem, plures mox adhibui cæmentarios, qui quam citissime fundamentorum expedirent structuram : et quo celerius eadem perficeretur, magnam undequaque laterum copiam per plures advehi carrucarios mandavi; quorum unus præproperus cum alios in lateribus exonerandis prævertere contenderet, carrumque onustum circa semitam fundamentorum deflecteret, lapis quidam sub rota terræ infixus vehiculum subvertit, omnesque lateres in quatuordecim vel quindecim opifices, fundamentis jaciendis occupatos, dejecit : at vero clementissimus E Deus ita omnes conservavit, ut nemo vel minimo incommodo sit affectus, quamvis ad quindecim vel sedecim pedum altitudinem lateres in eos deciderint : idque magni proculdubio miraculi loco habendum.

*et opifices integro laterum carru prostrati,*

52 Item, dum horti parietes, qui totum conventum ambiunt, jam effossis fundamentis, struerentur; operarius quidam cognomento le Regnard (qui cæmentariis in hac monasterii substructione assiduus serviebat, et propius habitabat) ut forte alios matutinus prævenerat, ingentia quædam rudera in fundamenta projicere incepit, mecum una spectante Dominæ nostræ Antigrapheo, grandiusque saxum, cui vix erat attollendo, apprehendit; quod in humeros sublatum, cum in fundamenta abjicere tentaret, pedibus forte aberrans, simul cum saxo ipse capite pronus decidit, ita ut præsentes timeremus, ne ex casu in mortem incidisset : sed Deo eum protegente, nulla ex parte læsus est, tantum in fronte leviter velut acicula incisus. Quod pro insigni sane miraculo haberi debet, attenta eorumdem fundamentorum altitudine ad sedecim vel octodecim pedes.

*alius in fossam delapsus,*

53 Notandum item est sequens miraculum, prioribus omnibus majus, quod in prædicti monasterii F puteo (unum et viginti hexapodes alto) substruendo evenit. Nam cum effossa usque ad aquam terra, cæmentarii in imo putei fundo operari inciperent, primisque lapidibus jactis, majora saxa in semicirculi formam adaptata superstruere pararent; Jacobus quidam, cognomine Grandis, in summo putei est constitutus, tamquam maxime robustus et idoneus ad saxa ex rechamo dimittenda, ne ab iis scilicet læderentur, qui in profundo erant cæmentarii tres cum totidem servis. Contigit autem, me præsente, dictum Jacobum duo saxa corbi voluisse imponere ad demittendum, quæ aliquamdiu in tabulato juxta ipsum posita, a levi quadam pluvia madebant : unde cum alterum eorum sportæ vellet imponere, manibus ipsius elabitur; et denuo istud arripere conatus, alterum, se inclinando, pede propellit : atque ita utrumque simul saxum decidit, e summo cui Jacobus insistebat tabulato, usque ad putei fundum; et duplicem contignationem cadendo perfregit, ac pariter dejecit. Jam vero attende, tantam saxorum et lignorum mole in sex opifices, in profundo putei unum et viginti hexapodes alti constitutos, corruisse; eosque mirabili Dei Providentia

*alii in puteo ex illapsu saxorum et lignorum illæsi.*

*EX PROCESSU EDITO.*

A ita fuisse conservatos, ut nemo eorum vel minimum sit læsus. Ego autem casum hunc propius ad puteum contemplatus, cæmentarios suis singulos nominibus appellavi, at nemine mihi respondente, inclamare incepi : Deus bone! infelices isti homines extincti sunt. Jacobus deinde aufugit; et denuo ego cæmentarios nominatim vocavi : Guilielme, inquam, Michael mi amice, loquere mihi; atque hic in has aut similes voces erupit : Ecquid malorum huc injecisti? videris nos suffocare voluisse. Tum roganti mihi : Num quisquam læsus? Minime, respondit. Postea cum omnes ascendissent, saxa et ligna hinc inde juxta duorum virorum latera, absque alicujus incommodo, decidisse affirmarunt : quod profecto summopere est admirandum.

Omnia autem hæc miracula vir optimus Beneamatus Georgius Dominæ suæ retulit, quæ Deo ejusque sanctissimæ Matri gratias egit, rogavitque, quotquot deinceps cœnobii sui fabrica occuparentur, ut omni eos discrimine pergerent conservare.

54 Folio centesimo decimo quinto ejusdem Libri excerpta sunt quæ sequuntur :

Postridie diei festi S. Vincentii Domina nostra graviter infirma decumbebat : quod cum filiæ ejus intellexissent, (quippe per Patrem suum Confessa-
B rium ipsas admoneri curaverat) omnes summo mœrore affectæ singulis horis ad Sanctorum suffragia invocanda se converterunt, continuisque orationibus, jejuniis, aliisque corporis castigationibus institerunt, ut optimæ Dominæ suæ ac Matri sanitatem a Deo impetrarent. Verum Deus Optimus Maximus jam vitæ ejus terminum decreverat atque horam, sanctis ejus laboribus finem imponendi, piisque operibus, quæ per omnem vitam egerat, dignam mercedem

*mors Joannæ revelata ejus Confessario.*

tribuendi. Insuper Reverendo Patri ejus Confessario Rem divinam facienti, et stanti in cornu altaris, apparuerat defunctus Pater Joannes de la Fontaine (quemadmodum in articulo mortis promiserat, se illi, Deo permittente, appariturum, post decem Missas, quas pro ipsius defuncti anima addixerat, celebratas) et Dominam intra decem dies e vita decessuram prædixerat; aliquaque nonnulla, quæ Reverendus Pater nulli unquam mortalium voluit patefacere.

55 A folio centesimi decimi octavi pagina secunda, usque ad primam centesimi vigesimi, deprompta sunt hæc subsequentia :

Circa vesperam diei quartæ mensis Februarii, morbo ingravescente, omnino debilitata est : statim-
C que pulsata major ecclesiæ S. Stephani campana, quæ populum ad orandum pro ejus sanitate excitaret : sed et Cometes quidam supra palatium ejus apparens, vitæ ipsius finem instare portendebat, omnibus ad illius adspectum ingemiscentibus.

*per cometam prænuntiata*

Piissima vero Domina Patrem suum spiritualem, qui ei aderat, mœrore affectum ac pæne confectum considerans, jussit paululum quieti se daret, mox se eum revocaturam promittens, si pejus se habere sentiret; quod optimus Pater rogavit, ut faceret, et simul cum reliquis secessit; paucis exceptis mulieribus ei familiarissimis, quæ ægrotantis curam sustinerent. At vero notandum hic præclarum Dominæ desiderium, in summa tranquillitate et quiete, absque omni suorum strepitu, diem suum obeundi. Si quidem Carolæ Reginæ matris suæ meminerat, tantam in extrema mortis hora a crebra aulicorum visitatione molestiam passæ, ut cum Deo se colligere difficulter admodum potuerit : et ne quid simile sibi forte contingeret, verebatur. Verum benignissimus Deus, voto ejus satisfaciens, eam cum optata mentis tranquillitate de vita decedere permisit. Digressis itaque omnibus, præter paucas quas dixi mulieres, in alteram se lecti partem transponi, claudique cortinas postu-
D lavit; deinde et lumen, tamquam oculis suis molestum, auferre Mariæ Pot cubiculariæ suæ mandavit; quæ illico obsecuta, eo in loco illud se posuit, ubi maxime in promptu, si opus, foret : ac deinde intra cortinas se recepit, quo commodius Dominæ suæ opitulari, et facilius vocantis vocem percipere posset. Post unam vero circiter horam, clarissimo lumine lecticam illustrari animadvertit; et de accensa a quopiam face dubitans, extra cortinas prospexit : sed nullum ibi lumen observans, denuo intra eas se recepit, et insolitum splendorem iterum conspexit; et primum per totum Dominæ suæ corpus diffundi, deinde paullatim imminutum supra pectus et os ejus residere, ac postremo evanescere, observavit. Pie profecto credendum, splendorem illum divinitus fuisse immissum, ad vitæ sanctitatem beatæ hujus Dominæ probandam, atque ut constaret Dominum Jesum Salvatorem felicissimam ejus animam ad cœlestem Matris suæ benedictæ societatem evocasse : cujus scilicet honori novum in Ecclesia militanti sacrarum Virginum Ordinem fundaverat. Porro Maria Pot subito tanti luminis recessu attonita, caput suum propius Dominæ suæ admovit; sed nullum pulsum aut spiritum sentiens, arrepta mox candela adstantibus eum magno animi mœrore ait : Domina nostra omni et pulsu et halitu caret, aspicienda est; E
et in faciem curiosius ipsa intendens, exspirasse eam deprehendit, unde altiori voce inclamare cœpit; sed frustra, cum anima jam ad cœlum evolasset. Statim igitur Reverendus Pater accersitus est, cum omni virorum et fœminarum illustrium familia; tantusque omnium luctus exortus est, ut nil nisi lamentationes et miserabiles ploratus audirentur.

*lumine cœlesti illustrata.*

## CAPUT VIII.

### *Miracula varia.*

A Folii centesimi quinquagesimi sexti pagina secunda, usque ad folium centesimum sexagesimum tertium, excerpta sunt quæ sequuntur :

Inprimis, Domina Joanna adhuc superstite, quidam vetus ejus minister Dominus de Gaucourt admodum graviter et periculose ex vehementi et continua febri laborabat; quem multi Nobiles amicitiæ ergo invisentes, monuerunt, Ecclesiæ se Sacramentis muniret, ut boni piique Catholici mortem obiret. Unus autem suggessit, optimæ Dominæ suæ Joannæ Franciæ orationibus se commendaret; asserens eam tot virtutibus esse præditam, tantique apud Deum meriti, ut suis ei precibus sanitatem obtinere possit. F
Cui ille fidem adhibens, Dominæ mox supplicavit, divinam pro ministri sui salute opem invocare ne gravaretur. Cui ipsa benigne annuit: et ad Oratorium suum se recipiens, Deum pro eo oravit : et subito febris ejus imminuta est, et paullatim omnino decessit.

*Joannæ adhuc vivæ precibus febris pellitur.*

57 Aliud miraculum, scriptum olim manu propria Beneamati Georgii, quod suis ipsemet oculis vidit, estque testis fide dignissimus. Vidi, inquit, quod statim ab obitu piissimæ Dominæ meæ, Presbytero Maturino, quondam horti ejus præfecto, beneficium evenit, qui arthritide omnibus afflictus membris, continuo ex ea decumbebat, nec nisi aliena adjutus manu vel minimum se movebat. Habitabat autem in ædibus Domini Nicolai Bany, in superiori cubiculo quod respicit plateam, qua ab ecclesia de Montermoyen ad palatium itur. Itaque quo die, defunctæ Dominæ corpus e palatio ad Virginum Annuntiatarum ecclesiam, comitante universo civitatis Bituricensis Clero, sepeliendum efferebatur, Dominus Maturinus, gravissimis doloribus lecto detentus, ubi Clerum cantantem audivit, subito exclamavit : O Domina, numquam mihi deinceps videnda! vocavitque

*ejus a morte invocatione arthritis.*

A que Capitaneum de Maubranches Joannem de la Bergeune, fenestræ in cubiculo ipsius Maturini innixum, pompamque funebrem avide spectantem. Ab, inquit, amice mi, adjuva me, et deduc ad fenestram, ut saltem charissimæ Dominæ meæ corpus semel adhuc aspiciam. Ille libens juvit, et ad fenestram multo cum labore deduxit, sola interula et toga indutum. Qui cum Dominæ suæ corpus intueretur, ipsam genibus flexis rogavit; si quid apud Dominum Deum posset, pro infelici famulo, jam Domina sua orbato, et membris omnibus capto ac debili, deprecaretur, qua fusa prece, se a fenestra haud dimovit, sed reliquam funebrem pompam spectavit, eaque absoluta, Capitaneo ipsum ad lectum reducere cupienti: Mitte me, inquit, mi amice: divino enim beneficio et charissimæ Dominæ meæ precibus me sanatum sentio, et continuo exsiliens, femoralia et thoracem ipse arripuit, et sine ullius opera non minus commode quam antehac unquam se vestivit. Capitaneus, nulla interjecta mora, Domino Architriclino Maurion miraculum hoc nuntiavit: quocum ego ad Dominum Maturinum accurri; qui mirandæ hujus rei seriem nobis enarravit, et postridie in dicta Virginum Annuntiatarum ecclesia solenne ipse Sacrum pro anima Dominæ suæ decantavit; et de eximio hoc miraculo ipsas Virgines Religiosas certiores B fecit.

*iterum,*

58 Aliud miraculum. Quidam ex molitoribus Domini de Daugy ita graviter morbo articulari cruciabatur, ut animi impos videretur. Itaque ipsius frater eum monuit, dicens: Quæso, mi frater, precibus Dominæ Joannæ Franciæ te commenda, et bene valebis. Is vero fratris consilium tamquam deliramentum aspernatus, postmodum ipse ter quaterque somniavit, quod se prædictæ Dominæ commendaret, Deumque illa pro ipsius salute oraret, et primo quidem parvi id fecit; at tandem frequentiori somnio admonitus, divinum quemdam instinctum agnovit, et se serio prædictæ Dominæ devovit: seque lecto suo decumbentem, vehiculo ad Virginum Annuntiatarum ecclesiam transferri curavit: ibidemque ad sacrum ipsum corpus delatus, majori quam antehac dolore affiictari se sensit: sed mox, fusis ad Deum et Dominam Joannam precibus, convaluit; relictisque ibidem fulcris, sanus domum rediit. Deo prædictæque Dominæ gratia esto.

59 Sequuntur quæ Frater Ambrosius Basset, Ordinis S. P. N. Francisci Religiosus, mihi retulit, et verissima affirmavit, tum miracula, tum alia acta C memorabilia Dominæ Joannæ Franciæ: quæ et ipsemet vidi et cognovi, ex quo in hoc Virginum Annuntiatarum Bituricensium conventu Superiorum mandato vixi, videlicet a die XIV Novembris anni MDVI. Verum priusquam progrediar, quædam memoratu dignissima præmittam, quæ ab iis didici, quibus olim ejusdem Dominæ patebant arcana. Satis superque constat, quod Christo in ipsius membris omni studio servierit, unguentaque abunde fieri curaverit, passim pauperibus distribuenda. Selegerat autem probas aliquot personas, quæ ubique in egentium necessitates sedulo inquirerent; in primis piam quamdam Matronam nomine Belinam, juxta ipsum palatium commorantem, quæ in dies, quibus in locis maxime egeni laterent, pientissimæ Dominæ indicabat: recipiebatque ipsa pecunias, quas iisdem, una cum unguentis, suo arbitrio impertiret. Audivi vero ab ipso, qui jubente Domina unguenta præparabat, R. D. Stephano Mathe, palatii ipsius Dominæ cantore; et olim (priusquam sacris initiaretur) Ludovici XI Dominæ parentis chirurgo, maluisse se, ut ipsa Domina propriis manibus unguenta applicaret, a quibus majorem iis inesse virtutem credebat. Quod certe præclarum fuit eximiæ ejus bonitatis et

*Joanna pauperum inopiæ liberalissime succurit,*

sanctitatis testimonium. At vero idem Dominus Stephanus Mathe hoc ipso anno MDXV vivit, atque etiam D nunc de summa ejus erga pauperes olim misericordia testari potest: adeo ut propriis ipsa manibus ulcerosas pauperum fœminarum tibias curaverit; et quidem flexis genibus, quo commodius ungere et obligare plagas posset: idque tam suaviter et benigne præstabat, ut singulare omnibus humilitatis, charitatis, et pietatis exemplum præberet. At vero afflictæ illæ fœminæ, ab ejus attactu, optatam sanitatem recipiebant.

*EX PROCESSU EDITO.*

*ulcerosas tibias ungit et obligat.*

60 Aliud miraculum. Die XXIII mensis Augusti anni MDVII Philippa Vesne vidua Ursini Cousart, ex Parochia de la Celle de Brueres, huc advenit, Deo Deiparæque et Dominæ nostræ Joannæ Franciæ gratias actura, et votivum munus oblatura: sancteque nobis affirmavit, gravi se fuisse afflictatam manuum dolore, et imprimis pollicis sinistri, adeo ut nulla ejus curandi spes esset, sed mox amittendi metus: instinctu autem Antonii Mostier, coloni Domini de Merlac, Deo Virginique Matri votum concepisse, nec non defunctæ haud ita pridem Ducissæ Dominæ Joannæ Franciæ, cujus sanctitatis fama omnem fere regionem jam impleverat: et statim a concepto voto, purulentam quamdam induratamque materiam e pollice erupisse, et paulo post manus E fuisse sanatas.

*Ejus a morte invocatione sublatus dolor manuum,*

61 Aliud miraculum. Die decima mensis Novembris anni MDVII, Petra Bernace, uxor Joannis l'Aisne, lanionis, incola oppidi Boygenci ad Ligerim, mihi per fidem suam affirmavit, tanto se alterius brachii affectam fuisse dolore, ut eo omnino privari metuerit: ubi vero ab aliis admonita Deo et Dominæ Joannæ se devovisset, quarto post die magnum dolorum levamen sensisse, et modo optime se habere: atque huc venisse, ut pro admiranda hac sanatione Deo Deiparæque ac Dominæ Joannæ Ducissæ Bituricensi gratias ageret immortales.

*malum brachii,*

62 Aliud miraculum. Anno *a* MDXVIII nobilis vir Petrus de Vaulx, incola Parochiæ S. Albini de Lunery, quæ quatuor milliarium intervallo a civitate Bituricensi abest, ad nos venit, retulitque rem perpetua memoria dignam: nempe, filiam se habere, jam duodecim circiter annos natam; quæ sæpe, et subito, atque adeo quandoque decies in die cadere solebat, membris et sensibus capta, instar eorum qui morbo caduco laborant: quæ eam infirmitas quinque circiter annos afflixerat. Post varias autem peregrinationes, quas pro salute filiæ susceperat, ipsamet interdum adducta; tandem se una cum uxore F filiæ matre, Deo, et B. Virgini Mariæ, ac Dominæ Joannæ votum novemdiale concepisse, quod ipsa filia ad ejusdem Dominæ sepulchrum persolveret: et statim, concepto hoc voto, filiam integræ restitutam sanitati, largius comedisse, cum antea non nisi paucissimo cibo uteretur; neque amplius cecidisse, ab omni deinceps morbo immunem. Laus Deo, Virgini Matri, et sanctæ Dominæ Joannæ. Aderant prædicta omnia audientes, Frater Petrus Declose ex Ordine S. P. N. Francisci, et Petrus Gilbert modo Sororum Avainensium Minister. Paulo post idem Nobilis filiam huc accersiri curavit, ut novemdiale votum solveret, quod rite ipsa implevit, peccatis supplici confessione expiatis, et sacra sumpta Communione. Parens vero prægrandem cereum armis suis insignitum obtulit, ingentis hujus beneficii monumentum: atque insuper eximium Ordinis S. Dominici Theologum huc advocavit, qui palam populo miraculum prædicaret, quod Deus Optimus Maximus per Dominæ Joannæ merita et intercessionem erga ejus filiam operari dignatus est.

*a*

*epilepsia,*

*miraculo e concione publicato,*

63 Aliud miraculum. Die IV Julii, anni MDX, Jacobus Jolinet mercator, habitans in civitate Andegavensi

EX PROCESSU EDITO.

A gavensi juxta porticum S. Nicolai, nobis bona fide affirmavit; se post vota Deo Deiparæque, et Dominæ Joannæ Franciæ Ordinis B. Virginis Mariæ Fundatrici, concepta et reddita, ab intolerabili podagræ malo fuisse liberatum; quæ fere per triennium ita graviter eum afflixerat, ut nec pedibus incedere nec equo vehi posset: at biduo post soluta vota, ita se fuisse curatum, ut libere ambularet, nec alterius cujusquam ope indigeret: modo vero huc cum uxore advenisse, ut laudibus Deum ejusque Matrem semper virginem, et Dominam Joannam Franciæ veneraretur. Hujus miraculi narrationi interfuere, D. Michael Guerin, Sacerdos et Pastor parochiæ de Brion prope Chasteauroux, D. Petrus Guerin, Sacerdos et Vicarius in Herisson, Magister Hugo Baudras Sacerdos, et Sororum hujus Conventus, modo Receptor; Frater Guilielmus Peurgault, earumdem Sororum Pater Confessarius, Frater Petrus Foussemenard; et ego Frater Antonius Basset, modo, atque ab ipso fundati hujus cœnobii initio, Superiorum jussu hic degens: alii item plures, utpote Joanna Valette, Catharina Rogere, et Catharina Boulee.

*podagra.*

64 Aliud miraculum. Die XXIII Julii, anni MDX, Domina Catharina Anna de Clavieres, uxor Laurentii de Charvalette, viri nobilis, Domini de Clavieres, et Capitanei de Monbrison, nobis retulit, et B sancte affirmavit, graviter se undecim circiter annos ex brachio dextro laborasse, adeo ut omni ejus usu destituta, assiduos insuper sustinuerit dolores: at postquam se Deo, Virgini Matri Mariæ, et Dominæ Joannæ hujus cœnobii Fundatrici commendasset, illico fuisse sanatam, et huc modo cum marito advenisse, ut Deo Deiparæque ac Dominæ Joannæ gratias pro accepto beneficio rependeret. Aderat hæc narranti ipse maritus; itemque vir honestus Petrus Galevard ex parochia de Farques prope Brueres ad Carim fluvium, ejusdem loci Graphiarius; Petrus Claveau, Dionysius Gilbert hujus Parochiæ de Montermoyen, aliique plures.

*debilitas brachii.*

65 Aliud miraculum. Die v Junii, anni MDXI vir nobilis Jacobus de la Trimouille, Dominus de Lignac, modo habitans in Castellania Argantomagensi prope pagum S. Gualteri, et in uxorem habens Dominam Franciscam de Beaumont, nobis bona fide affirmavit, se in pluribus negotiis, quæ longum foret enarrare, Divinam opem per merita et intercessionem Dominæ Joannæ Fanciæ invocasse, eaque semper feliciter sibi successisse. In primis nobis retulit, se aliquot ex una atque altera conjugibus proles sus-C cepisse; at vero haud diu superstites, una excepta filiola, ætatis modo viginti duorum mensium: quæ et ipsa in gravissimum morbum incidit, qui jam mortem ipsi afferre videbatur: itaque se ad divinum auxilium et intercessionem Dominæ Joannæ, concepto pro salute filiæ voto, confugisse, et illam continuo sanitatem recepisse: at varie impeditum distulisse se aliquantisper voti solutionem, atque interea tanto omnium membrorum et præcipue lateris dextri dolore correptum fuisse, ut mortem sibi imminere crederet: quare in tam gravi vitæ periculo, ut alias solet, Deo et Dominæ Joannæ se commendasse; serio promittendo, ad ejus tumulum vota, quam posset citissime, soluturum. Et quidem die D sabbatino proxime elapso, qui fuit mensis Maii ultimus, se gravissimos dolores sensisse; sed mox imminutos, voto illo constanter a se suscepto; quod hodie ad Dominæ Joannæ sepulchrum persolvit, et Deo immensas gratias cum gaudio egit. Idem Dominus de la Trimouille nobis insuper testatus est, se aliquando pro amico magnam pecuniæ summam spopondisse: qui cum officio deesset, solutionis damnatum, iterum de more suo Deo Dominæque Joannæ supplicasse, et ab omni damno fuisse immunem, deinceps ejus negotii mentione ultro oppressa. Interfuit his audiendis Philippus de Beaumont, vir nobilis ac Dominus ipsius loci de Beaumont prope Chasteauroux, cum Philippo Renault famulo prædicti Domini de la Trimouille, et Magistro Hugone Baudras Sacerdote et Receptore Sororum hujus Conventus. Omnia hæc miracula suprascripta in ordinem redegit optimus Pater Frater Ambrosius Basset, qui sanctam Dominam olim vidit et cognovit, et ab ejus obitu in hoc Conventu assidue vixit; sedulo eos observans et audiens, qui meritis et intercessione ejusdem Dominæ sanitatem aliaque beneficia a Deo impetrarunt: et proinde testis est omni fide dignissimus.

*morbus letalis,*

*dolor lateris et membrorum.*

66 Postquam hæc legitime excerpta essent, Pro-E curatori Virginum religiosarum, Matris Ancillæ, et filiarum Conventus Annuntiationis B. Mariæ injunximus, ut sua singulis volumina, prænominatis scilicet Cornillat, Ralement, et Belleteste, reddantur; prout statim ea restitui curavit. Deinde prædictus Touchebeuf, dictarum Virginum Religiosarum Procurator, auctoritatem publicam postulavit eorum omnium quæ hactenus acta essent: rogavitque mandare ne gravaremur, ut præsens verbalis Processus concludatur; idemque decreto et auctoritate nostra Archiepiscopali sancitus, et a nobis nostroque Secretario subsignatus, ac solenni nostro sigillo munitus, tabellario a nobis eligendo committatur, ad Sanctissimum Dominum nostrum Paulum v deferendus, ut de optata Dominæ Joannæ Franciæ Beatificatione ex æquo et bono decernatur. Voluimus igitur et mandavimus, Processui huic finem imponi; eumque decreto et auctoritate nostra Archiepiscopali comprobavimus, et comprobamus, ac manu propria subsignavimus, itemque a Secretario nostro subscribi, et majori nostro sigillo muniri jussimus, tradique Stephano Rameau civitatis hujus Bituricensis nuntio, ut Lugdunum ad Dominum Cabot mercatorem deferat, qui Romam ad Illustrissimum F et Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Lugdunensem, ibidem modo præsentem, transmittat; ut Sanctissimo Domino nostro Pontifici Maximo offeratur; et de prædictæ Dominæ Joannæ Beatificatione, quod ratio et æquitas postulant, statuatur. Actum anno et die supradictis.

*Processus ad Paulum v deferendus, pro ejus Beatificatione obtinenda.*

Subsignatum, P. Archiepisc. Bituricensis.
et infra, Rebours (Secretarius) et Touchebeuf Procurator.

a *Annus* 1618 *perperam excusus, ex Attichio correctus est; quem ordo annorum continuatus requirit esse* 1608.

# V FEBRUARII.

## SANCTI QUID. NONIS FEBRUAR. COLUNTUR.

SANCTA AGATHA, Virgo Martyr Catanæ in Sicilia.
S. Theodula, S. Boethus, S. Evagrius, S. Macarius, et alii — Martyres, Anazarbi in Cilicia.
S. Revocatus, S. Saturus, S. Felix, S. Saturninus, S. Gelasius — Martyres in Africa.
S. Legontianes, S. Domitianus — Martyres, Teate in Aprutio.
Sancti Martyres in Ponto.
S. Calamanda, Virg. Mart. in Catalania.
S. Agricolaus, Episc. Trajectensis in Belgio.
ANIMAD. PAP. 72. S. Avitus, Episc. Viennensis in Gallia.
B S. Ingenuinus, sive Genuinus, Ep. Sabionensis in Tiroli.
S. Berthulphus, Abbas, Renticæ in Belgio.
S. Indractus, S. Dominica ejus soror, et socii IX — Martyres Glastoniæ in Anglia.
S. Vodalus, cognomento Benedictus, Suessione in Gallia.
B. Domitianus, sive Tuitianus, Dux, B. Maria ejus uxor, puer anonymus — Milstadii in Carinthia.
S. Polyeuctus, Patriarcha Constantinopolitanus.
S. Albinus, sive Albuinus, Ep. Brixinen. in Tiroli.

S. Adelheidis, Virgo, Vilicæ in diœc. Colonien.
S. Agatha Hildegardis, Palatina Carinthiæ.

Martyres, Nangasachi in Japonia:

Ordinis S. Francisci — Sacerdotes: S. Petrus Baptista, S. Martinus de Aguirre, S. Franciscus Blancus; Laici: S. Philippus a Jesu, S. Gonsalvus Garcia, S. Franciscus a S. Michaele,
Societatis Jesu: S. Paulus Michi, S. Joannes Soan, alias Goto, S. Jacobus, sive Didacus, Kisai
S. Cosmus Tachegia,
S. Michael Cozachi,
S. Paulus Ibarchi,
S. Leo Catasumarus,
S. Ludovicus,
S. Antonius,
S. Matthias,
S. Bonaventura,
S. Thomas Cozachi,
S. Joachimus Saccachibara,
S. Franciscus,
S. Thomas Danchi,
S. Joannes Chimoia,
S. Gabriel,
S. Paulus Suzuchi,
S. Caius Franciscus,
S. Petrus Suchegirus, E

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

C Sanctus Theodosius in Scopulo *sive ὁ ἐν σκοπέλῳ in Menæis Græcorum refertur hoc die. Egimus de eo* XI *Januarii, cum iisdem Menæis, ut quidem remur. Nam quæ isthic de* Theodosio, *eadem hic prædicantur; Antiochiæ nobili genere ortum, relicta patria, in monte exiguam cellam incoluisse, indutum cilicio, catenis cervicem, lumbos, manus ligatum; rediisse demum in patriam, metu hostium, qui isthic Agareni nominantur, hic Isauri, consentanee ad ea quæ et Theodoretus scribit. Si idem ille qui hic, cur duobus diebus locetur, haud conjicimus; si diversus, quæ illic ex Theodoreti Philotheo et Moschi Prato spirituali relata sunt, ad hunc debent transferri, de hoc nimirum ab iis scripta: at de illo aliud nihil occurret dicendum, quam quæ eadem Menæa illo die* XI Januar.

S. Mauri Abbatis Translationem *aliquam refert hoc die Saussaius: quæ nobis haud nota, ut in præfatione ad historiam Translationis nu.* 3 *diximus* XV Januar.

S. Liberatæ Virginis in Monte Calvo transitus *hoc die consignatur a Saussaio in Martyrol. Gallic. De ea et* S. Oliveria *sorore egimus.* III Febru.

S. Fortunatus Martyr *in duabus Bedæ editionibus jungitur sanctis Martyribus* Felici, Saturnino *etc. de quibus infra: abest tamen a Bavaricis duobus Bedæ MSS. exemplaribus, ideoque hic a nobis omissus.*

S. Felicia Virgo Caralitana et Martyr *refertur a Dionisio Bonfant in Triumpho SS. Sardiniæ lib. 7 cap.* 10. *qui ejus corpus an.* MDCXXVII, XIII *Martii inventum testatur, conditum in latericio tumulo, qui marmorea tabula opertus, hanc exhibebat ei incisam epigraphen:* Hic jacet B. M. Felicia, quæ vixit plus min. annorum VIII, requiebit in pace Non. Februar. ✝ *At quia necdum comperimus, quæ de numerosis illis Divorum reliquiis nostra ætate apud Sardos repertis, Apostolicæ Sedis sententia sit, hanc aliosque tantisper omittimus.* F

S. Pupaquius Caralitanus hoc die martyrio coronatus sub Diocletiano *asseritur a Dionysio Bonfant lib.* 12 *Triumphi SS. Sardiniæ cap.* 18, *corpusque inventum* VII *Octobris, an.* MDCXXI, *cum hac inscriptione:* Hic jacet B. M. Pupaquius: vixit annis plus XLI. requiebit in pace sub D. NONS FEBRS. *Exspectamus, uti jam diximus, de plerisque illis reliquiis nuper in Sardinia repertis, judicium Apostolicæ Sedis.*

S. Adjutus Ep. Viennensis *a Petro de Natalib. lib.* 3 *cap.* 86 *et Maurolyco memoratur.* Avitus *est, de quo fuse infra agemus hoc ipso die.*

Audentia mater S. Aviti, *ab mariti* S. Isicii *thoro, mutuo consensu, sejuncta, continenter et sancte plures annos vixit: an, ut filius ac maritus, in Divorum sit tabulas relata, necdum comperimus.*

Fuscina,

A Fuscina, soror S. Aviti Ep. | Fuscina senior, | Severiana, | Aspida, — ejusdem consanguineæ, — *sanctimoniales extitere, virtute illustres, ab eoque prolixe commendatæ; an uspiam publica veneratione cultæ, nescimus. De iis infra agemus ad ejus Vitam* § 1.

S. Geminus Ep. Nisibensis, *refertur a Constantino Ghinio in Natalib. SS. Canonicorum, ex Joanne de Nigrovalle Præmonstratensi. Nobis ignotus est; nisi sit fortassis S.* Genuinus, *sive* Ingenuinus, Ep. Sabionensis : *nam et is* Geminus *legitur appellatus a quibusdam.*

Agnellus Tridentinus, | Fontejus Feltriensis, | Junior Veronensis, | Laurentius Bellunensis, | Maxentius Juliensis, | Orontius Vicetinus, | Agnellus Equilinus, | Hadrianus Polensis, | Petrus Altinensis, | Rusticus Tarvisinus, — Episcopi, *a Petro de Natalib. lib.* 3 *cap.* 85 Sancti *appellantur; ac deinde in Indice totius operis singillatim referuntur, non indicato tamen cujusquam eorum natali die. At priores sex subscripsisse leguntur epistolæ pseudosynodi in Mariano, et schismate a Romana Ecclesia separati fuisse. Verum Petrus synodum illam, Paulum Warnefridi Aquileiensem Diaconum secutus, legitimam credidit : addiditque*
B *posteriores quatuor, quorum duo sunt ab ipso Paulo nominati. Philippus Ferrarius in Catal. SS. Italiæ,* Agnellum Tridentinum *Nonis Februarii refert cum* S. Ingenuino; *cujus ut schismatis socius fuit, sic fortassis et resipiscentiæ. Janus Pyrrhus Pincius lib.* 2 *de Vitis Pontificum Tridentinorum, ubi eum* XXIV *recenset, nihil de sanctimonia ejus publicitus testata memorat. Ipse quoque Ferrarius in generali Catal. SS. ubi* Angelum *scribit, fatetur neque coli illum, neque in tabulis Ecclesiæ Tridentinæ descriptum legi. Extat luculentus catalogus Sanctorum Ecclesiæ Veronensis ab Augustino Valerio Ep. Veronensi contextus : nullus in eo* Junior. *Nominatus est is quidem in Catalogo, quem Baptista confecit, Episcoporum Veronensium, sed absque* Sancti *titulo; decessorque fuisse dicitur* S. Senatoris, *de quo egimus* VII *Januarii. De horum vero Episcoporum schismate plene infra agemus in Vita* S. Ingenuini *Ep. Sabionensis.*

S. Constantius, *quibusdam* Constantinus *dictus, Sabionensis Episcopus, S. Ingenuini successor hoc die anniversaria memoria celebrari traditur a Ghinio in Natalib. SS. Canonicorum. Negat Raderus, licet* Sanctus *vocitetur, sacris Fastis Ecclesiæ Brixinen-*
C *sis inscriptum, ut plenius infra dicemus in Vita S. Ingenuini hoc die,* § 5 *nu.* 39 *et* 40.

Babylonius Diaconus et Confessor Pictavis, *extat inscriptus Additionibus ad Usuardum ab Hermanno Greven Carthusiano, et MS. Florario. Ignotus nobis, et ipsi Andreæ Saussaio, diligentissimo Gallicanorum Sanctorum collectori, atque Henrico Ludovico Castanæo Ep. Pictavensi in Litaniis Pictonicis, et in eas Notationibus.*

S. Joannes Junior asceta *refertur hoc die ab Octavio Cajetano in Idea operis de SS. Siciliæ. Quia nusquam adhuc de eo quid legimus, tantisper, dum illa prodeant Cajetani monumenta, eum hic omittimus.*

Buo *memoratur quidam a Dempstero lib.* 2 *hist. Eccl. gentis Scotor. in Islandiam, religionis Christianæ isthic disseminandæ gratia, cum S.* Erlulpho *profectus, ac* Sanctus *ab eo appellatur. Colganus veritatis Jonæ Arngrimi verbis, Hibernis eum asserit, ac* Beatum *vocat hoc die : quo et a Davide Camerario Scoto refertur, ac* Sanctus *dicitur. Nil amplius nobis de* Buone, *quam supra de* Erlulpho *liquet : quamquam ejus in destruendis idolis ardor animi ab Arngrimo jam citato, Islandicorum scriptore, sed heterodoxo, celebretur.*

Fingenius *quidam, apud Meurissium in historia Episcopor. Metensium,* gente Hiberniensis, *præfectus est ab Adalberone* II *monasterio S. Symphoriani, quod idem Antistes reædificarat. Colganus hunc* Beatum *indigetat, et refert hoc die,* Fingenumque *vocat, qui apud Meurissium, et in diplomate Ottonis* III *quod recitat,* Fingenius *est. Nullo tamen argumento probat Colganus, inter Sanctos aut Beatos referendum, nisi quod ejus nominis quidam in MSS. Hibernicis hoc die memoretur, et* virtuosus *appelletur. Ideoque merito hunc omittimus.* D

Bertrada Virgo, | Gerberta mater ejus, — *prima soror, altera mater* S. Adelheidis, *una cum ea Sanctis annumerantur ab Hermanno Greven Carth. Colon. Et* Gerberga *quidem (ita enim vulgatius scribitur) etiam ab aliis* Beata *appellatur, ut infra dicemus ad Vitam S. Adelheidis in præfat. nu.* 5. *De utriusque sanctitate cap.* 1 *nu.* 3 *et cap.* 2 *nu.* 5. *Verum neque an illis hic palam honos habeatur, nec quo die, adhuc comperimus.*

Ingela Virgo, *memoratur ab Hermanno Greven in Addit. ad Usuardum, et MS. Florario. Nobis ignota.* Angelam *sonat nostrate Teutonica lingua.*

Benevenutus *Ord. S. Francisci laicus,* Beatus *appellatur a Gonzaga* 1 *par. histor. Seraphicæ in Beatis Ordinis, a Petro Rodulphio Tossinianensi, et Arturo a Monasterio in Martyrol. hoc die, diciturque miraculis claruisse, quorum nonnulla Pisanus commemorat lib.* 1 *Conformitat. fructu* II, *parte* 2. *Quiescit Recineti in Piceno. Haud scimus a Cœlitum ei honores, Sedis Apostolicæ judicio, habeantur.* ANIMADV. PAP. 73. E

Christophorus Papiensis, *Ordinis Minorum laicus,* paupertatis, humilitatis, patientiæ, laborum, atque continentiæ summus amator *fuit, ut tradit Franciscus Gonzaga de origine Seraphicæ religionis par.* 2, *conventu* 12 *provinciæ S. Francisci. Ludovicus Jacobillus to.* 1 *de SS. Umbriæ refert illum hoc die, et* Beatum *appellat, secutus Arturum in Martyrol. Franciscano, et Danielem Perusinum in Catal. SS. et BB. Ord. Minorum, edito an.* MDCIX. *Hunc nos non vidimus : Arturus non satis probat,* Beatum *palam haberi : neque hoc satis esset, absque Sedis Apostolicæ indulto, cum non nisi sub annum* MDXL *obierit, in Burgo sancti Sepulchri. Gonzaga certe non appellat* Beatum, *sed* Fratrem *duntaxat.*

S. Andreas Abbas Elnonensis *memoratur hoc die ab Hugone Menardo in Martyrol. Benedictino, et ab Saussaio in Gallicano. De eo agemus* VI Februarii.

S. Drausus Ep. Conf. *refertur hoc die in quodam manu recenti exarato codice.* Drausius *est* Ep. Suessionensis, *qui colitur* V Martii. F

S. Martini Ep. Dumiensis inventio *contigit an.* MDXCI, V *Februarii. De eo agemus ad* XX Martii.

S. Quirini, | S. Pantaleonis — Martyrum transportatio *consignata est hoc die in MS. Martyrologio Ecclesiæ S. Mariæ ad Gradus Coloniæ : apud alios,* VI *Februarii. Corpus* S. Pantaleonis *attulit Coloniam Hadamarus Abbas Fuldensis, cum a S. Brunone Romam ad pallium obtinendum missus esset.* S. Quirini *reliquiæ aliquæ ibidem in Tuitiensi S. Pantaleonis cœnobio asservantur, claræ miraculis. De* S. Quirino *agemus* XXX Aprilis. *De* S. Pantaleone XXVII Julii.

S. Isidorus Alexandrinus Martyr, *a Cardinale Baronio ad hunc diem Martyrologio Romano inscriptus est : cum idem sit, cujus nomen jam olim et in Romano et in omnibus aliis Martyrologiis legebatur Idibus Maii; in Græcorum Menæis pridie. Quare et nos eum rejicimus in* XV Maii.

S. Remaclus, monachus monasterii S. Eligii, *refertur hoc die in quodam MS. Martyrologio monastico, non admodum antiquo. Haud alius nobis notus* Remaclus, *quam Trajectensis Episcopus, S. Amandi successor,*

A *successor, antea in Solenniaco S. Eligii cœnobio monachus, cujus Vitam dabimus* I Septemb.

Virginis unius e S. Ursulæ sodalitio corpus *hoc die in* Marcolensi *cœnobio susceptum scribunt Gelenius et Saussaius : sed perperam hic* virginale asceterion *id vocat. Si* Maricolense *intelligunt, non procul Landricioco oppido, est id virorum Ordinis Benedictini : si* Mareolense *juxta Atrebatum, est Canonicorum regularium. Atque huc translatum illud corpus an.* MCCLXI, *Nonis Februarii, tradit Raissius in Hierogazophylacio Belgico, et Crombachius noster historiæ Ursulanæ lib. 8 cap. 23, qui tamen perperam* Marcolense, *pro* Marcolensi, *scribit. De his sanctis Virginibus agemus* XXI Octobr.

S. Andreæ Apostoli episcopatus in Patris urbe Achaiæ ordinatio *consignatur hoc die in vetustis Martyrologiis, MS. S. Hieronymi, sive veteri Romano, MS. Trevirensi, Bedæ vulgato, Rabani, Notkeri ; ejus et Saussaius meminit hoc die. Nos ad* XXX Novemb.

F. Joannes, *appellatus* Bonus Cocus monasterii Viridis vallis in Sonia silva, *hoc die adscriptus est Martyrologio manu exarato, sed non antiquo. Hic est* Joannes de Leewis, *quem huic quoque diei assignat Rosweydus in Fastis SS. et Ferrarius in generali*
B *Catalogo. Obiit, ut Miræus et Molanus tradunt,* XXII *Januarii, quo die a Raissio refertur. Nos de eo agemus, cum de* Joanne Rusbrochio *ejusdem cœnobii Priore,* II Decemb.

S. Joannes Confessor Ord. Canonicorum regularium, *hoc die inscriptus est Martyrologio Anglicano a Joanne Wilsono, qui Fastos Rosweydi nostri citat. Sed* Joannis, *quem diximus,* Boni Coci, *cognomentum* de Leewis *Wilsonum fefellit, ut Lewes Sussexiæ oppido, aut certe* Lewensi Rapo, *sive districtu circumsito, oriundum illum crederet, aut ibi commoratum, ideoque cognomen adeptum. Eum Ferrarius quoque ut diversum a nostrate* Joanne de Lewis *refert, his verbis :* In Anglia S. Joannis Confess. *Citat Martyrol. Anglicanum, et (quod ridiculum est) Rosweydum in Catal. SS. Britanniæ, qualem Rosweydus nullum edidit.*

S. Platianus, *aut (ut legendum censet Athanasius Kircherus noster)* Felicianus, Papa Romanus sub Claudio, *refertur in MS. Martyrol. Coptico collegii Maronitarum Romæ. Videtur* S. Eutychianus *esse, aut* S. Felix I. *Et hic quidem* Claudio II et Paterno Coss. *anno Æræ vulgaris* CCLXIX *pontificatum adeptus, sed* Aureliano Imp. II et Capitolino Coss. *anno*
C *Chr.* CCLXXIV *martyrium fecit : eique successit* S. Eutychianus, *qui colitur* VIII Decemb.
S. Felix XXX Maii.

Memoria aliquorum Sanctorum antiqui Testamenti : D

S. Abrahami Patriarchæ et Sacerdotis, cui prima expresse facta est promissio Christi Salvatoris.
S. Saræ ejus uxoris.
S. Melchisedechi Sacerdotis et Regis Hierosolymorum, secundum cujus ordinem, teste Davide, Christus factus est Sacerdos in æternum. Psal. 109. 4
S. Loth filii fratris S. Abrahami.
S. Isaaci Patriarchæ, filii et hæredis S. Abrahami, qui natus est patre centum annorum, et matre Sara LXXX annorum.
S. Rebeccæ ejus uxoris.
S. Jacobi eorum filii.
S. Rachelis, S. Liæ, hujus uxorum.
S. Rubeni, S. Simeonis, S. Levi, S. Judæ, S. Issachar, S. Zabulonis, S. Gadi, S. Aser, S. Dan, S. Nephthali, S. Josephi, S. Benjamin, XII Patriarcharum illorum filiorum, e quibus provenīant XII tribus filiorum Israel. Præcipue memoratur S. Josephus, qui præmissus in Ægyptum, præfuit domui Regis, ac familiæ omni in Ægyptum evocatæ præbuit salutem.
S. Ephraim, S. Manassis, filiorum S. Josephi.

*Ita e lib.* III *Catalogi Sanctorum Petri de Natalibus, Martyrologium Sarisburiense Richardi Witfordi hoc die. Agitur de iis fere omnibus in Menæis Græcorum, Dominica ante Nativitatem Christi, et referuntur* XIX *Decembris. Seorsim mentio est de S. Abrahamo* IX *Octobris, ubi et poterit de S. Sara uxore agi, imo et de S. Melchisedecho, nisi alius occurrat dies. S. Loth patruo adjungunt Græci in Menæis, die* IX *Octobris.* E *At quod magis miramur, reliqui seorsim non memorantur in Fastis Græcorum, neque uspiam in tabulis Ecclesiasticis Latinorum, non Isaacus olim instar Christi obediens usque ad mortem, non Jacobus a* Gen. 32. 28. *Deo Israel vocatus, quia contra Deum fortis ; quorum uti et Abrahami jampridem mortuorum appellatione gloriatur Deus, dicens sæpius :* Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, *et Christus addit :* Exodi 3, *etc.* Non est Deus mortuorum, sed viventium. Matt. 22. 32 *Et reliqui Patriarchæ sunt Duces signatorum, quorum singuli* duodecim millia signati ex omni tribu filiorum Israel *in Apocalypsi referuntur. De quibus omnibus, nisi commodior interea occurat dies, agendum erit cum Græcis* XIX Decembris. Apoc. 7

S. Tropus Episc. Confess. *in quodam MS. Martyrol. ponitur hoc die additis his verbis :* in civitate F Arelatensi, *unde colligimus S. Trophimum esse, qui colitur* XXIX Decemb.

# DE S. AGATHA VIRG. MART.

## CATANÆ IN SICILIA,

### Prævius ad Acta commentarius.

J. B.

§ 1. *S. Agathæ natalis, martyrii tempus.*

A. CBR. CCLI. V FEBR.

Catana *Siciliæ urbs, ad Ionium sita pelagus, Ætnæque horrifici montis radices, ab Græcis condita, iisdemque diu habitata, dein et Campanis; sed colonia demum civium Romanorum amplificata, ut Plinius testatur lib. 3 cap. 8, ipsaque Messana, Strabonis geographi ævo, Augusti scilicet Tiberiique temporibus, frequentior; etiamnum inter tres totius insulæ celeberrimas Panormum Messanamque numeratur. Ac multa ostentat illa quidem decora antiquitatis; nullum tamen præclarius* Agatha *Virgine ac Martyre : quam propterea Græcum Menologium ac Menæa merito* Κατάνης τὸ καύχημα, Catanæ gloriationem *compellant; Rocchus Pirrus Siciliæ sacræ to. 2 Notit. 1 Eccl. Catanen. nu. 3,* totius Siciliæ decus et ornamentum immortale : *ejusque corpus sanctissimum Mauritius Ep. in historia Translationis infra num. 1,* totius Siciliæ pignus et amabile patrocinium.

Catanæ gloria S. Agatha,

2 *Ejus nomen, ut loquitur Thomas Fazellus de reb. Siculis decade 1 lib. 3 cap. 1* tanquam Catanæ urbis tutelare, maximo, totius Siciliæ virorum ac mulierum conventu, Nonis Febr. quam religiosissime colitur. *Neque Catanæ solum illius eo die celebratur natalis, sed, ut ante* CCL *annos scripsit in Calendario Ecclesiastico generali Radulphus de Rivo Tungrensis in*

colitur illic, et ubique, 5 Febr.

A *in Belgio Decanus*, ubique ex Sicilia Agathæ V. et M. IX Lect. *Est antiquissimis Martyrologiis ad eum diem illius adscriptum nomen. Ita vetustissimum Romanum, quod sæpius sub S. Hieronymi nomine citavimus* : In Sicilia, civitate Catenas, nat. Agathæ Virg. *Consonat aliud ab Heriberto Rosweydo nostro editum* : S. Agathæ Virg. apud civitatem Catanensium. *Et Richenoviense, sive Divitis Augiæ* : Sicilia, in Cathana civitate, passio S. Agathæ V.

AUCTORE J. B.

ut ex totius Martyrologiis patet,

3 *Fusius Usuardus* : Apud Siciliam, civitate Catanensium, natalis S. Agathæ Virg. et Mart. quæ post alapas et carcerem, post equuleum et tortiones, post mamillarum abscissionem, post volutationem in testulis et carbonibus, tandem sub Judice Quintiano martyrio consummata est. *Ado Ep. Viennensis in* libello de festivitatibus sanctorum Apostolorum, et reliquorum qui discipuli aut vicini successoresque Apostolorum, fuerunt, *S. Agathæ Acta, quæ infra dabimus, paullum contracta exhibet; in Martyrologio vero ista habet, quæ et in MSS. variis etiam Bedæ nomine prætitulatis, leguntur* : Apud Siciliam, civitate Catinensium, passio S. Agathæ Virg. sub Decio Imp. Proconsule Quintiano : quæ post alapas et carcerem, post eculeum et tortiones, post mamillarum abscisionem, sed a Domino sanationem, post volutatio-
B nem in testulis et carbonibus, tandem in carcere consummata est. *Quæ Ado et Usuardus, eadem exprimunt pleraque alia, etiam recentiorum, Martyrologia ; contractius quædam, alia diffusius. Wandelbertus Prumiensis, qui ante DCCC annos vixit, hæc de ea canit* :

Sicaniæ populus Nonis sibi subdit Agathes
Virginis eximio virtus celebrata decore.

et Græcis

*Eumdem referunt hoc die Græcorum Menæa, Menologium, Anthologium.*

non sub Diocletiano passa,

4 *In vulgato Bedæ Martyrologio, itemque Rabani, et MSS. monasteriorum Lætiensis, S. Martini Tornaci, S. Cyriaci Romæ, atque Aquisgranensi, et aliis quibusdam, libroque S. Aldelmi de laudibus virginitatis, non sub Decio, sed sub Diocletiano adepta palmam dicitur. Id quod ita annotat refellitque pervetus MS. Martyrologium monasterii S. Maximi, cetera cum Rabano ut plurimum congruens* : Apud Siciliam, civitate Catinensium, passio S. Agathæ Virg. sub Decio Imperatore, Proconsule Quintiano. (Alii habent sub Diocletiano, sed falsum esse ipse passionis textus ostendit :) quæ post alapas et carcerem etc. *Acta Latina quæ infra ostendemus probatissima censeri, referunt* passam sub Decio Imp. ipso Decio ter Consule. *Baronius in Notis ad Martyrol. ex iisdem Actis, et in Annal. ex S. Pro-*

sed sub Decio, tertium Consule,

C *nii Actis, eumdem tertium Decii consulatum admittit, licet in eo a nobis discrepet, quod ad annum Christi* CCLIV *referat. Dissentiunt magis etiam a nobis, et quandoque a se ipsis, qui nullos certos characteres secuti, nunc huic nunc illi anno Christi adscribunt sanctæ hujus Virginis Martyrium.*

5 *Ita breviter ordinandi consulatus Decii. Invasit imperium Æmiliano* II *et Aquilino Coss. anno Æræ vulgaris* CCXLIX, *eodemque anno alterutri Consulum suffectus est. Anno* CCL, *Decio* II *et Grato Coss. uti ex libro de Romanis Pontificibus ad* XX *Januarii diximus, occisus est S. Fabianus Papa, ipso initio persecutionis. Tertius igitur consulatus incidit in annum Christi* CCLI, *qui vulgo Decio* II *et Etrusco Coss. alibi duobus Deciis Coss. signatur. Eo anno, Consule tertium Decio Augusto, supra* I *Februarii diximus S. Pionium martyrii lauream adeptum. Alibi quoque mentio fit quarti consulatus Decii parentis, ac secundi Decii Cæsaris, quem nimirum inierunt* CCLII *Christi anno, quo ambo perierunt, cum imperasset pater menses* XXX, *uti Aurelius Victor scribit.*

sive anno Chr. 251.

6 *Hæc de S. Agathæ martyrii anno; de die consentiunt omnes, Nonis Februarii contigisse. Tamen quod jam citavimus vetus Martyrologium Romanum, sive S. Hieronymi, iterum* XII *Julii ista habet* : Sicilia civitate Cathena Agathæ. *An hæc alia fortassis junior? an potius aliqua tunc contigit S. Agathæ reliquiarum olim translatio, aliave celebritas? Posterior translatio, quæ anno* MCXXVI *facta,* XVII *Augusti recolitur, ut infra dicemus.* D

refertur iterum 12 Julii.

## § II. *S. Agathæ celebritas ex scriptis SS. PP.*

Hymno honorata a S. Damaso,

Sanctus *Damasus, qui quarto Christi seculo, Valentiniano imperante, Romanam rexit Ecclesiam, hunc in S. Agatham hymnum cecinit, quo breviter illius Acta complexus est.*

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ,
Christus eam sibi qua sociat,
Et diadema duplex decorat.
Stirpe decens, elegans specie,
Sed magis actibus atque fide,
Terrea prospera nil reputans,
Jussa Dei sibi corde ligans,
Fortior hæc trucibusque viris,
Exposuit sua membra flagris.
Pectore quam fuerit valido
Torta mamilla docet patulo.
Deliciæ cui carcer erat, E
Pastor ovem Petrus hanc recreat :
Lætior inde magisque flagrans
Cuncta flagella cucurrit ovans.
Ethnica turba rogum fugiens,
Hujus et ipsa meretur opem :
Quos fidei titulus decorat,
His Venerem magis ipsa premat.
Jam renitens quasi sponsa polo,
Pro misero rogita Damaso :
Sic sua festa coli faciat,
Sic celebrantibus ut faveat.

Præfatione a S. Ambrosio

8 *S. Damaso suppar fuit S. Ambrosius. Hujus extat to.* I *Liturgicorum Latinorum, præter alia hæc Præfatio in dat. S. Agathæ.* Æquum et salutare. Nos te in hoc præcipue die, digna laude præconii canere in quo Agatha triumphans, hostia tuæ majestati oblata est. Cui tantam contulisti victoriam, ut ipsa sæva et aspera victricem tremerent tormenta. Cujus lampas coruscis emicat fulgoribus, ut reseratas poli ingredi valeat januas. O Felix et inclyta Virgo, quæ meruit Domini pro laude fidelis martyrium sanguine clarificare suum ! O illustris et gloriosa, gemino illustrata decore, quæ inter tormenta aspera, cunctis præclara miraculis, et mystico pollens suffragio, F Apostoli tui meruit visitatione curari ! Hanc Christo nuptam susceperunt Angelorum agmina, quæ mentis ejus sanctitatem indicarunt, et patriæ liberationem. Per eumdem Christum. *Extat et alia S. Gelasii Papæ præfatio in iisdem Liturgicorum libris.*

et S. Gelasio,

Officium S. Hieronymo,

9 *Ibidem* Lectionarius *est, S. Hieronymo adscriptus in quo ista habentur* : Non. Febr. natal. S. Agathæ Virg. Lectio libri Sapientiæ : Confitebor tibi Domine Rex. Sequent. S. Evang. secundum Matth. Simile est regnum cœlorum x Virg. *Idem Evangelium assignat huic festo Kalendarium Romanum nongentis annis antiquius, ex MS. codice monasterii S. Genovefæ Parisiis nuper editum ab Joanne Frontone ejusdem monasterii Canonico regulari et in Academia Parisiensi Cancellario. Mutavit homiliam Pius* V *Pont. Max. cum Evangelio, quod nunc legitur ex cap.* XIX *S. Matthæi* : Accesserunt ad Jesum Pharisæi. *Ob præclara porro Agathæ merita,* dicuntur Psalmi in toto Officio de communi Sanctorum virorum : *quod Barth. Gavantus annotavit. Meminit quoque festi S. Agathæ S. Gregorius in libro Sacramentorum, et in Antiphonario : idemque Canoni Missæ nomen illius inseruit.*

quod nunc mutatum ;

Canoni inserta a S. Gregorio,

10 *In*

A

*laudata a S. Augustino,*

10 *In libro Soliloquiorum animæ ad Deum, qui extat to. 9 Operum S. Augustini, estque (judice Bellarmino in lib. de scriptorib. Eccl.)* pius et doctus et Augustini ingenio non indignus, *licet neque a Possidio numeretur inter ejus scripta, neque a Beda citatus reperiatur ; in eo igitur libro cap.* 12 *mentio fit* S. Agathæ, *etsi nomen ejus non exprimitur :* Hanc tuam dulcedinem ineffabilem, *inquit,* et illa gustaverat Virgo, de qua legimus, quod lætissima et glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata. *Quæ eadem habentur in Actis Latinis Quæst.* I *nu.* 6. *Ejusdem ita meminit Venantius Fortunatus lib.* 8 *car.* 4 *quod est de virginitate :*

*S. Venantio Fortunato,*

Euphemia illic, pariter quoque plaudit Agathæ,
Et Justina, simul consociante Thecla.

11 *S. Aldelmus, Schireburnensis in Anglia Episcopus, in libro quem carmine conscripsit de laude Virginum, cap.* 32 *S. Agathæ certamen celebrat, et aliquanto elegantius in libro de laudibus virginitatis cap.* 22. *At* 23 *capite ita scribit :* Mihi quoque operæ pretium videtur, ut S. Agathæ rumores, castissimæ Virginis Luciæ præconia subsequantur : quas Præceptor et pædagogus noster Gregorius in Canone quotidiano, quando Missarum solennia celebrantur, pariter copulasse cognoscitur, hoc modo in catalogo Martyrum ponens : Felicitate, Anastasia, Agatha, Lucia : quatenus nequaquam litterarum serie sequestrentur, quæ contribuli populo apud Siciliam genitæ, simul cœlesti gloria gratulantur. *Quorum verborum sententiam non recte assecutus Rocchus Pirrus in cit. Notit. Eccl. Catan. nu.* 4 *ita de Aldelmo scribit :* Qui a D. Gregorio (ut ipse ait) fidei documenta edoctus est, et baptismi sacramentum suscepit. *Non id sane voluit S. Aldelmus, sed, ut alii passim, S. Gregorium agnovit communem gentis Anglorum Magistrum, qui primus ad eam Evangelii prædicatores miserit.*

*S. Adelmo :*

B

*quatenus hic S. Gregorii discipulus,*

12 *Ceterum mortuus est S. Aldelmus anno* DCCIX, *cum Ecclesiæ Schireburnensi* annis quatuor strennissime præfuisset, *uti auctor est Beda lib.* 5 *cap.* 19. *Abbas vero anno* DCLXXV *constitutus erat cœnobii, quod tunc Maildulfesburch dicebatur, postea Malmesbury :* in quo videlicet loco a primo ævo infantiæ, atque ab ipso tirocinio rudimentorum liberalibus litterarum studiis eruditus, et in gremio sanctæ matris Ecclesiæ nutritus vitam duxerat ; *uti constat ex Leutherii Episcopi diplomate apud* Willielmum *Malmesburiensem lib.* I *de gestis Regum Angl. cap.* 2. *Et vero si temporibus S. Gregorii, qui anno* DCIV *obiit, ea ætate fuit Aldelmus, quæ fidei doctrinam capere posset, cur non prius tanta vir eruditione ac sanctimonia, nec nisi annos natus minimum* CX *ad infulas est admotus, cum esset tamen Præsulum idoneorum doctorumque magna penuria? Sub S. Maildulpho;* a primo ævo infantiæ *institutus est Aldelmus; non ante annum* DCXXXVI *Christi, ut ex citato Willielmo colligere est. Ait enim eo anno,* Post adventum B. Augustini Anglorum Apostoli XL, *primum conversos esse* Cinegislum *et* Quicelmum *Occidentalium Saxonum Reges per* S. Birinum, *ut non videatur tanto ante in eorum, decessorisve Ceolfi regno monasterium ceu publicum sacrarum litterarum gymnasium extitisse. De* S. Aldelmo *agemus* XXV *Maii, de* S. Maildulpho XVIII *Aprilis,* in *Decembris de* S. Birino.

*100 annis eo junior,*

*ab infantia eruditus in monasterio S. Maildulphi.*

C

*non ante an 636.*

## § III. *S. Isidori Hispalensis, ut creditur. Hymnus duplex in laudem S. Agathæ.*

*Hymni S. Isidori de S. Agatha*

T*estatur Baronius in Notis ad Martyrologium,* duos hymnos scriptos legi in Breviario Toletano S. Isidori quibus canuntur *S. Agathæ* triumphi. *Obiit S. Isidorus minimum* LXX *ante S. Aldelmum annis, sub extrema Heraclii Imp. tempora. Ejus scripta a variis recensentur : edita quoque sunt typis ; et in his forte aliena quædam illi adscripta. In neutra classe est Toletanum illud Breviarium, quod Muzarabum vocant, vel qui in eo recitari dicuntur hymni. Illud nos Breviarium necdum vidimus. Hymnos de S. Agatha, qui ei adscribuntur, narti aliunde sumus, editos et manu exaratos : quos hic damus, sub ejus nomine, ut accepimus ; rudes illos quidem, sed antiqua ac sancta simplicitate gratiosos.*

D

AUCTORE I. B.

*qui non sunt inter ejus operibus editi.*

HYMNUS I

Adesto plebs fidissima :
Venustum festum gratia
Laudem deprome carmina,
Christoque vota maxima.
Beata Virgo Agatha
Fide * et clara germine,
Mundi refellens noxia,
Adepta est cœlestia.
Hæc gnaviter Christum amans
Ipsumque solum prædicans
Extenta jussu Præsidis
Arctatur in imo carceris.
Sævi furore Judicis
Christi puella teritur :
Sed Virgo sancta impiis
Libare renuit aris.
Tunc demum Martyr acrius
Afficitur verberibus :
Pectoris papilla tollitur,
Castumque corpus tunditur.
Reddit papillam integram,
Curatque omnia vulnera
Magnus sed Christi Senior,
Disrupit claustra carceris.
Sic sic puella sanctior
Tanto adepta præmio,
Genu orando flectitur,
Funditque cœlo spiritum.
Mox namque clarus juvenis
Tabellam scriptam deferens,
Mente sancta pronuntians
Defensionem Patriæ.
Nam montis Ætnæ incendium
Cursu dum rapidissimo
Ad Urbem pronum flectitur,
Claret puellæ meritum.
Tunc e sepulchro Martyris
Plebs sacrum velum deferens :
Cujus pia præsentia
Extinguit mox incendia.
Jam Virgo nunc sanctissima
Plebi fideli proroga
Peccatorum indulgentiam,
Pacis reddendo commoda :
Quæ olim concives tuos
Magno ab igne eruis ;
Tu redde nos jam liberos,
Jugo remoto pessimo.
Sic cunctis sit fidelibus
Locus quiete placidus,
Tutelam præsta orphanis,
Subsidiumque viduis.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu paraclito
Regnans per omne seculum, Amen.

* *al. præclara*

*S. Agathæ prædicans genus,*

*constantiam in tormentis,*

E

*obitum,*

*epitaphium,*

*miraculum per velum,*

F

*eumque invocans.*

HYMNUS II

Festum insigne prodiit,
Chorus cum voces in aula resonet,
Cunctorum Deo dicata plebs alterna
Tota pandite vota.
Hæc Virgo sacra, germineque clara
Seculi cuncta respuit caduca,
Christum secuta, acriori pœnæ
Subdidit membra.



Judex

A

*AUCTORE I. E.*

Judex iniquus ipse Quintianus
Virginem sanctam Agatham cum vidit,
Decem malignis fœminis obscœnis
Tradi præcepit.

*S. Agathæ vexatio in lunæ domo,*

Quam cum vidissent, blandiuntur verbis:
Audi præceptum Judicis monentis.
Adora Deos, et lucra vitam;
Præmiaque multa.
Sed fide plena nobilis puella
Execrat cuncta vanitatum verba,
Spemque fixam retinet in Christo
Semper invicta.
Quam Quintianus præsentari jubet;
Idola vana cogit adoranda
Fortis puella Christum est professa
Fide perfecta.
Iratus Judex sibilat crudelis,
Tortores suos excitat; in mamillis

*cruciatur,*

Torqueri jubet delicatum corpus
Puellæ sacræ.
Pœnas illatas viriliter portat,
Corpus intactum Domino conservat;
Fide, qua credit, omnia tormenta
Fortiter vincit.
Additur pœna crudelis et sæva,
Virginis sacræ torquetur mamilla;

B

*mamilla abscissa,*

Diuque torta abscindi præcepit
Ubera sacra.
Tunc Virgo sancta in carcere trusa,
Fortis in Christo facta est athleta,

*per Angelos sanata,*

Cujus cœlestis Angelica cura
Sanat mamillam.
Splendor sanctus tenebras illustrat,
Per totam noctem lux e cœlo micat:
Pavore multo territi custodes
Fugiunt omnes.
Furore plenus ultroneus tortor

*post nova tormenta*

Testas acutas, ignitos carbones,
Corpus sacratum volutari jubet
Latere nudo.
En terræ motus factus est immanis,

*et terræ motum*

Mœrorque cunctos terruit tortores;
Unum oppressit, nomine Silvanum,
Pars parietis.
Omnis conventus illic civitatis,
Tremore viso, sic concurrunt omnes,
Judicem sævum volentes occidi:
Fugit ipse.

*p... ...rs,*

Post Virgo lecto carcerali clausa
Expandit manus, Dominum exorans,

C

Sacram efflavit animam in cœlo
Tegi... ...ncta.
Angelus Dei descendit de cœlo,
Corpusque sanctum tumulat honoris,
Tabulam signat aureis scriptam
Litteris sacram.
Judex iniquus nunquam erubescens;
Volens inquirit ejus facultates,
Pessima morte, morsibus equorum,
Necatur.
Mirata satis produxerunt signa,
Anno vertentis facta contrahantia.
Æthneus ignem mons eructavit
Ignem ardentem.

*miraculum patratur,*

Videntes cuncti regnum venientem,
Velum sepulchri simul expandentes,
Ignis stetit lo... ...ndo
Corpus beatum.
Deus, qui tanta tribuisti dona
Virgini tuæ, cœlestia regna,

*invocatio*

Nobis indignis ob honorem ejus,
Dilue culpas.
Ob cujus laudem Clerus hic decantans,

D

Precibus ejus tibi sit acceptus,
Ratumque reddat plebis tuæ victum
Honore sacrum.
Sacerdos vita habeatur clarus,
Moribus bonis tibi sit ornatus,
Ut digne possit tuum immolare
Corpus beatum.
Cujusque festum annuis recursibus
Laudum honoris persolvimus votum,
Ejus obtentu lætemur cum Sanctis
Tuis in cœlo.
Hæc in honorem carmina, quæ dixi,
Virginis sacræ merita narravit,
Tuo ex dono hæres sit in cœlo
Sanctorum choro.
Gloria tibi Patri glorioso,
Et Jesu Christo Redemptori nostro;
Qui tecum regnat cum Spiritu sancto
Juge per ævum, Amen.

*Hymni S. Josephi Confessoris,*

16 *Citantur et S. Josephi Hymnographi in S. Agatham Hymni, aliaque encomia. Nobis haud constat, utrius sint Josephi; an ejus qui S. Theodori Studitæ frater fuit, celebraturque in Menæis* XV *Julii, in Menologio Canisii* XXIV *ejusdem; an potius alterius, qui, junior aliquanto, colitur* III *Aprilis. Confessor fuit uterque: ille quidem ob sacrarum imaginum defensionem,*

E

*hic ab impio Photio relegatus: erat autem hic Siculus, parentibus Plotino et Agatha genitus. Habemus quatuor alios Hymnos, sed multo inferiores, quos cecinit nuper Michael Monachus, Decretorum Doctor, Canonicus*

*Michaelis Monachi,*

*Presbyter Capuanus, cujus extat insigne ac pium opus, quod* Sanctuarium Capuanum *inscripsit. Eos post Monachi avunculi sui decessum, ad nos misit doctissimus idemque humanissimus Silvester Aussa. Verum integros*

*Barthol. Petracci.*

*hic dare opus non fuit. Omittimus quoque Hymnos sex, quos, sane elegantes, concinendos ad Vesperas, Matutinum, Laudes diei natalis ac Translationis, olim panxit, et Messanæ, Laurentii Vallæ opera, edidit an.* CIↃIↃXV *Bartholomæus Petraccius noster, cujus quoque inferius afferetur auctoritas.*

## § IV. *S. Agathæ Latina Acta, longe præferenda iis quæ in Metaphraste et Menæis extant. Unde hic edita?*

S *Agathæ* præclara Acta, *inquit Baronius in Notat. ad Martyrol.* tam Latinis quam Græcis fuere notissima. Ipsa autem Latina exemplaria reperiuntur

*S. Agathæ Acta Latina probatissima.*

in vetustis codicibus, qui usui erant Ecclesiis, quos et Passionaria, seu Sanctoralia, vulgo appellabant. *De iis Actis Joannes Hesselius a Lovanio, S. Theologiæ*

F

*Doctor, severi alioquin judicii vir, in Censura de quibusdam Sanctorum historiis, a Molano edita, ita pronuntiat:* S. Agathæ Vita omnino placet, incipit: Quintianus Consularis Siciliæ. *Ab ipso quoque S. Augustino, aut certe antiquo et pio scriptore Soliloquiorum animæ ad Deum, eadem Latina Acta citantur, ut § 2 nu. 10 retulimus. Neque enim, quod* ad carcerem lætissima et gloriantur ierit, quasi ad epula invitata,

*a PP. citata.*

*in Græcis Actis, quæ in manibus sunt, legitur: legitur autem in illis antiquioribus Latinis, atque ex iis apud S. Adonem Ep. Viennensem in libro de festivitatibus. Obiit autem Ado anno* DCCCLXXV, *cum juvenis esset Simeon Metaphrastes, qui, ut ostendimus in Prælat. ad Acta SS. mensis Januarii, vix altero et vicesimo post anno cœpit Sanctorum res gestas colligere. Ab Heriberto Rosweydo, viro doctissimo, ad hæc ipsa S. Agathæ Acta illud universim in scheda quadam annotatum reperi:* Ego in historiis Sanctorum ita statuo, ubi Latina antiqua suppetunt exemplaria, iis standum, relictis Græcis recentioribus.

18 *Ea autem Acta ab illis descripta videntur, qui tunc Catanæ ipsimet agonem Virginis spectarant. Id colligere*

A *colligere est ex quæst. 3 nu. 13, ubi ista habentur :* Unde suspicati sumus, quod Angelus ejus fuerit. *Augustinus Inveges parte 2 Annal. Panormit. ad an. Chr. 234 nu. 23 contendit, quia Græca fuerit Sicilia, longe majorem fidem Actorum Græcorum, (quæ nimirum in Menæis et Metaphraste extant) quam Latinorum esse oportere ; itaque sententiam suam confirmat, aut certe amplificat :* Cui, *ait,* potius credendum, Græco Menologio, Græco Martyrologio, Græco Breviario, Græcæ historiæ ? an *etc. : Menologium exstare quoddam in bibliotheca Vaticana dicitur, Basilii Macedonis Imp. jussu collectum. Id non vidimus. Quod Latine versum fertur a Cardinale Sirleto, editumque est ab Henrico Canisio, et est Menæorum compendium, hoc non citat Inveges : quam cum rem utitur probare, ejus ibi nulla mentio, ut infra ostendemus; neque in altero quod in Græco Horologio habetur, nedum in ejus epitome per Christophorum Patricium et Proconsulem Mitylenæum, aut in Maximi Cytheræi minori Horologio. Martyrologium Græcum quodnam est, aliud a Menologio? Menæa fortassis. Quod igitur Breviarium ? an novum Anthologium, quod Antonius Arcudius Clementi* VIII *dicavit? Historia Græca, ab eo laudata est Metaphrastæ narratio. Arcudius e Menæis ad verbum transcripsit S. Agathæ elogium : Menæorum collectores Metaphrasten*

*scripta a spectatoribus,*

*longe præferenda Menæis et Metaphrastæ,*

B *sequuntur in Sanctis celebrandis, quorum apud eum res gestæ aliquanto fusius enarrantur, atque ipsa ejus quandoque retinent verba.*

19 *Quid nos ergo tandem moveat, ut Menæa et Metaphrasten Latinis Actis præferamus? Non antiquitas Metaphrastæ, quæ circiter* DCCC *annorum est. Nam quæ illius ab eruditione, integritate vitæ, copia qua usus est veterum codicum, sit auctoritas, (claritas enim generis, ac magistratus quem gerebat amplitudo, haud magnum ad eam rem afferunt momentum) ostendimus in Præfatione generali ad Acta SS. præfixa Januario mensi cap.* I § 3. *ubi quæ in eum severius a Cardinale Bellarmino pronuntiata, utcumque diluimus ; illud interim confessi, defuisse ei facultatem recognoscendi quæ collegerat aut dictarat. Id quod Psellus in ejus laudatione fatetur, ut videre est apud Surium ad* XXVII *Novembris : et venuste ex Pselleio retulit Simon Wangnereckius noster in Prolegomenis ad librum, quem* Pietatem Marianam Græcorum *inscripsit, nu.* 28. Denique serio potem, *inquit,* (quod nunc primum occurrit, dum illas Metaphrastæ laudes, a Psello compositas, attentius lego) quædam, quæ minus subsistant, Vitis Sanctorum inspersa fuisse, per illam ingentem scribarum Simeonis multitudinem, vel voluntate vel

*cum hic non admodum antiquus,*

*multis usus amanuensibus,*

C casu. Tradit enim Psellus ternas Amanuensium classes a Simeone adhibitas esse : et primum quidem orbem Scribarum (quem ait extitisse non parvum) litterarum notis excepisse dictata : Scribas vero secundos, ex annotatis primorum nova transscripsisse exemplaria : ac denique tertios Scribas censorum induisse personas ; atque omnia, quæ correctione digna viderentur, mutasse : ad hæc tantam harum Simeonis lucubrationum multitudinem extitisse, ut eas ipse studiosius paullo recolere non potuerit. Unde jam nihil mirandum, quod in Vitas a Metaphraste conscriptas, quædam minus apta irrepsisse videantur : non enim omnia sphalmata Auctor tam occupatus (utpote Magnus Imperatoris Logotheta, sive Cancellarius) advertere potuit, a librariorum vel ruditate vel ausu profecta. *Hæc ille : quæ legenti, minus illud mirum videbitur, quod toties in suis annalibus Baronius* errare *ac* hallucinari *Metaphrasten scribat, dubitet alibi num* qua fides adhibenda *ei sit.*

*eorum scripta recognoscere non potuerit,*

*in quibus ideo nonnulla minus accurata*

20 *Sed dandum hic exemplar sic interpolatorum, sive ab ipso Metaphraste, sive ab ejus amanuensibus, legitimorum Actorum, et quidem ex eadem Sicilia, ipsaque Catana urbe. Illic anno Æræ vulgaris* CCCIII *pridie Idus Augusti, martyrio coronatus est* S. Euplius, *sive* Euplus, *Diaconus, cujus certamen ex publicis præsidialibus Actis recitat Baronius to. 2 ad an. 303 nu. 146 et nos cum aliis MSS. collato, integra edemus* XII *Augusti. Hic visum, partem delibare et conferre cum narratione Metaphrastæ. Ita ergo habent :* Sub Diocletiano * octies et Maximiano septies Coss. sub die IV Id. Augustas, in Cateniensium civitate, cum esset extra velum secretarii B. Euplus, præclamavit dicens : Christianus sum, et pro Christi nomine mori desidero. Audiens Calvisianus Consularis dixit : Ingrediatur qui clamavit. Et cum ingressus fuisset B. Euplus secretarium Judicis, Evangelia portans, tunc unus ex amicis Calvisiani, nomine Maximianus, dixit : Non decet tales chartas eum tenere contra legem regalium præceptionum. Calvisianus Consularis dixit ad B. Euplum : Hæc unde sunt, et si de domo tua exierunt? B. Euplus respondit : Non habeo domum hic, Dominus meus Jesus Christus novit. Calvisianus Consularis dixit : Tu ea huc deportasti ? B. Euplus respondit : Per me ea huc deportavi, sicut et ipse vides. Calvisianus Consularis dixit : Ecce sicuti nunc ea portasti, me præsente in conspectu meo lege ; et dic mihi, ut et ego sciam. Et cum aperuisset Evangelia B. Euplus, legit secundum Matthæum, dicens : Dixit Dominus Jesus : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quia ipsorum est regnum cœlorum. Item aperuit secundum Marcum, dicens : Omnibus qui credunt mihi, ipsis datum est cognoscere regnum Dei. Item secundum Lucam : Dixit Dominus Jesus turbis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat Crucem suam, et sequatur me. Idem secundum Joannem : Omnis qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet in æternum. Et cum clausisset Evangelia, Calvisianus Consularis dixit : Hoc quid vult esse ? B. Euplus respondit : Lex Domini mei, quæ mihi tradita est. Calvisianus Consularis dixit : A quo? B. Euplus respondit : A Jesu Christo, filio Dei vivi. Calvisianus Consularis dixit : Quomodo innotuit ejus confessio, publice tradatur.

D

AUCTORE J. B.

*ut patet in Actis S. Eupli 4,*

* *MSS.* novies

*qui ultro se audientiæ Consularis obtulit,*

*sacra scripta deferens,*

*ac legens,*

Matth. 5. 10

E

Marc. 4. 11

Luc. 9. 23

Joan. 6. 35

21 Diocletiano octies et Maximiano septies Consulibus sub die IV Idus Augustas, cum in medio B. Euplus tractus fuisset, Calvisianus Consularis dixit ad B. Euplum : Quæ per tuam confessionem hodie dixisti, quid dicis de his? Tunc B. Euplus signaculum Christi faciens in fronte sua dixit : Quæ tunc dixi, et nunc ea confiteor. Calvisianus Consularis dixit : Habuisti aliquando lectiones, quas vetuerunt piissimi Imperatores? B. Euplus respondit : Habui. Calvisianus Consularis dixit : Et ubi sunt ? Cui B. Euplus respondit : Apud me sunt. Calvisianus Consularis dixit : Habes eas? B. Euplus respondit : Habeo. Calvisianus Consularis dixit : Torqueatur Euplus, quoad usque confiteatur se deos veros omnipotentes adorare... Tunc Calvisianus audiens hæc, ira commotus, jussit eum amplius torqueri. Et dum diutissime torqueretur, sustinuit certamen orthodoxæ fidei. Tunc Calvisianus impius Consularis sententiam dedit, dicens :... Euplum, quia scripturæ impietatis ab eo ostensæ sunt, jubeo judicio nostro gladio interfici. Tunc B. Euplus gratias egit Domino nostro Jesu Christo, quod advenisset tempus coronam accipiendi. Eunte autem eo cum gaudio, omnis plebs vestigia ejus sequebatur, admirantes fortitudinem animi ejus. Ipsum autem refovente gratia Christi, vultu fulgebat, et lætus præsumpto animo ambulabat, quasi pergens ad nuptias.

*dein publice eadem, quæ in secretario, confessus,*

F

*sæpius tortus,*

*ad mortem, ut ad nuptias, lætus abiit :*

22 *Conferat nunc, qui volet, eadem ex Metaphraste edita a Lipomano et Surio Acta; et perspiciet, quam ea lacinosa, imo inepte coagmentata, additis non solum tormentorum variis generibus, sed et plurimis miraculis. Vel ipsa Eupli comprehensio, ac prima quæstio, quam frigida!*

A *frigida! Commemorato* Pentaguri *cujusdam in Siciliam urbemque Catanam adventu cum novis Imperatorum edictis, de Calvisiano (quem cum Acta Latina Consu*larem *appellent, ipse solum* in ea urbe Præsidem *fuisse ait, inque eo præsidatu a Pentaguro confirmatum) ista deinde subdit :* Interea Calvisianus a patre suo diabolo elatus, et impiis edictis Imperatorum confisus, magnopere intumescebat, ingentes spiritus et superbiam præ se ferens. Vocatis igitur ministris : Agite, inquit, vos, exite ad urbis plateas et finitimas regiones, ac si quem inveneritis qui Christum confiteatur, vinctum ad me ducite. Si enim hoc feceritis, vobis annona et victus publice suppeditabitur : ad hæc honores multos a me percipietis.

*AUCTORE I. B.*

*quem ait Metaphrastes apud Calvisianum solius Catanæ Præsidem*

23 Cum hæc ille diceret, unus ex eorum numero qui illi adstabant : Est, inquit, in hac urbe homo quidam, Euplius nomine, librum secum habens, quo populos et multitudinem ipsam circumvenit, affirmans magnum esse Deum Christianorum. His auditis, valde perturbatus est Calvisianus, et ait : Adducite vinctum ad me hominem istum, adducite. Statim satellites per urbis plateas Euplium perquirentes, invenerunt eum in cellula quadam morantem, et Dei Evangelium docentem. Quem subito comprehensum, manibus post terga colligatis, ad Calvisiani Præsidis B tribunal adduxerunt. Tunc impius et nefarius Calvisianus, cum ambas ejus manus et pedem alterum ad ipsius genu colligari fecisset. Tune, inquit, es deorum nostrorum desertor, et Imperatorum contemptor, qui neque ipsorum edictis obtemperas, neque præpotentes deos adoras? etc.

*accusatum,*

*ejus jussu perquisitum etc.*

24 *Adeone Græcorum admirator, et Metaphrastæ amicus est quisquam, qui hæc præ Latinis, quæ retulimus, vera et legitima esse Acta putet? An non idem in S. Agathæ gestis suspicari possumus factum ab eodem Metaphraste ejusve amanuensibus? addita, inquam, esse ex ipsorum ingenio, quæ in Latinis non habentur? Quamquam pressius aliquanto Latinis inhæsere hic, quam in Euplio, et quæ addita sunt, ex parte sumpsere ex S. Methodii oratione, ut postea dicemus, et Methodio fortassis antiquioribus Græcis Actis, quæ dabimus.*

*sic forte S. Agathæ Acta interpolata.*

25 *Verum quam a Metaphraste plenam omnino non habent Acta hæc auctoritatem, nanciscantur oportet a Menologiis aut Menæis, seu sacrarum precum libris, quibus in Divinorum Officiorum celebratione Græcæ Ecclesia ab omni retro memoria utuntur. Nam ab antiquissimis Patribus, Charitone, Euthymio, Theoctisto, Sabba, aliisque composita traditaque esse quæ in iis continentur, ex iisdem Henschenii Prolegomenis* C *liquet. Multa sane ab illis usurpata, ac forte composita, Patribus, sed et multa ab aliis haud æque antiquis, quorum aliqui S. Methodio, quem diximus, coævi fuere. At series integra Menæorum nuper admodum, non eadem est ævo digesta. Quippe quæ etiam hymnos exhibeant a Philotheo compositos Constantinopolitano Patriarcha schismatico, imo et hæretico, qui circa annum Christi* MCCCLXII *eam tenuisse Sedem traditur, ut in iisdem Prolegomenis nu. 28 annotatum. Nonne exinia est ab illa antiquitate, scriptorisque religione commendatio? Quia tamen iisdem Menæis, etiam qui Romanæ Ecclesiæ reconciliati sunt Græci utuntur, et novum Anthologium Arcudii dicitur a Clemente* VIII *approbatum, quod est Menæorum veluti breviarium quoddam ; nos ea nullo modo respuimus. Sed quod inde sumptum est, negamus antiquis Latinis Actis præferri oportere, imo vel comparari cum iis posse, præsertim cum hæc in omnibus Latinis Ecclesiis soleant ab immemorabili ævo recitari ; et quæ nunc quoque in Breviario Romano leguntur festo S. Agathæ propriæ antiphonæ, ex iisdem sint Latinis Actis concinnatæ, uti et Lectiones.*

*Quæ in Menæis habentur,*

*partim ab antiquis PP. accepta,*

*partim a neotericis, etiam schismaticis, conscripta :*

*Acta latina recitata in Latina Ecclesia,*

26 *Nam quod Siciliam, ipsamque præsertim Catanam, Græcam fuisse aiunt, ideoque Græca præ Latinis statuenda, nihil ponderis habet. Primum, id si ita est,* D *proferant S. Agathæ Acta Græce eo tempore scripta, ut nos Latina. Menæa ad Siciliæ antiquæ Ecclesias nil spectant, quæ semper Romanis usæ ritibus, utpote ab Romano pendentes Pontifice, ut ex S. Gregorio et aliis Patribus liquet. Esto, græcizaverint fortassis aliquantum, cum, Occidentali extincto imperio, Græcis paruerunt Imperatoribus, aut cum a Saracenis occupata insula, ad Græcos plurimi confugere, atque ab iis diu auxilium frustra expectavere. At S. Agathæ tempore Græce locutos promiscue Siculos omnes qui probant? An quia ab Græcis orti, et Græci appellati? Ea ratione plures in Italia urbes, quasdam in Gallia et Hispania, ab Græcis conditas, Græcum ad ea tempora retinuisse sermonem, eoque nunc in Actis Sanctorum qui illic vixere, inque ceteris monumentis, ut legitima habeantur, recurrendum probaverint; haud sane assentientibus nobis. Nam cum Romani Latinæ linguæ usum in Africam ac Hispanias, ultimamque Galliarum Belgicam nostram, atque ipsam adeo Britanniam orbe toto submotam, invexerint; quid de Sicilia censendum, prius multo connexa fœderibus cum populo Romano, toties tot exercitibus tam diuturno tempore vel domita, vel defensa, ab tot Romanis Prætoribus* D *fere per annos ante S. Agathæ ætatem administrata? Quid, quod urbium quarumdam habitatores Campani? Coloniæ præterea multas in urbes,* E *ac nominatim Catanam ductæ, an illico dominantis Urbis sermonem abdicarunt?*

*quam secuta semper in sacris Sicilia,*

*nec promiscue Græce locuta tempore S. Agathæ,*

27 *Sed quid his opus argumentis, cum S. Euplii, uti ex præsidalium notariorum publicis tabulis transcripta sunt, Acta* Latina *habeamus? Unde conficitur, in judiciis saltem Latinam linguam viguisse, atque apud honoratiores qui judiciis aderant, etsi plebs, paucique alii privatim primigenium idioma retentassent : uti videmus ab Hibernis, aversantibus Anglorum et dominatum et linguam, factitari, et in Germaniæ magnæ atque Illyrici provinciis quibusdam, ubi Teutonicus sermo penitus in urbibus ac nobilium familiis inolevit, agrestibus adhuc Sclavice loquentibus. Sed nec aliquidem Catanæ habuit locum, si verum est, quod ad annum 254, nu. 15 idem scribit Inveges. Ait enim quæ in tabella, quam Angelus intra S. Agathæ sarcophagum recondidit, inscripta dicuntur, non nisi hoc litterarum compendio expressa fuisse : M. S. S. H. D. E. P. L. Atqui et cives Catanenses et accolæ pagani intellexerunt,* mentem sanctam, spontaneum honorem Dei, et patriæ liberationem *significari : Latine igitur sciebant : neque enim mentio fit interpretis, qui latentia mysteria explicarit. Sitne tamen iis litteris illa efformata epigraphe, haud possum asseverare : ator auctoris Græcæ linguæ usum eo ævo Siciliæ vindicantis con-* F *fessione.*

*ut patet ex Actis S. Euplii*

*et S. Agathæ epitaphio.*

28 *Hæc porro Latina Acta olim a Bonino Mombritio edita, cum* XVI *exemplaribus MSS. contulimus; videlicet, quod Joannes Ulmerius ad S. Martinum Lovanii Canonicus regularis olim sua manu descripserat, quod Capua misit Silvester Aiossa, Monasterio-Westphaliæ Stephanus Schenckingius, Cæsaris-insula Joannes Halmius ibidem Ecclesiæ S. Seberti Decanus ex antiquissimo codice; itemque e MSS. Ecclesiarum S. Audomari, S. Martini Ultrajecti, S. Mariæ-majoris Romæ, PP. Oratoris ibidem, quod a Card. Baronio citatum; monasteriorum Rebdorfensis in Germania, S. Maximini Treviris, S. Martini ibidem, S. Mariæ Bonifontis in Gallia, Marchianensis in Belgio, Hospitalis S. Nicolai juxta Cusam, Domus professæ Societatis Jesu Antuerpiæ. Plura erant in promptu apud amicos exemplaria, quæ adire minime necessarium duximus, quando quidem exordio ac fine cum plerisque horum convenirent.*

*Unde hic edita Latina Acta.*

§ V.

## § V. *S. Agathæ Græca Acta, antiquiora Metaphrastæ.*

*Ut Græcis S. Agathæ Actis (quæ solum antea contendimus potiora Latinis multo antiquioribus haberi non oportere) suum etiam honorem reddamus, triplicem de ea conscriptum Græce commentariorum proferemus : primum Græca Acta, Latinis aliquanto strictiora, ab incerto auctore composita, depromptaque e civitatis Messanensis tabulario; dein quæ pridem in manibus sunt, sub nomine Metaphrastæ; ac demum S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani in eam panegyricum sermonem. Quæ quidem si ad scriptorum ætatem ordinanda essent, Metaphrastæ, utpote Methodio junioris, illius Orationi postponeremus lucubrationem. Sed ut ipsa inter se Acta, cumque Latinis comparari ab lectoribus queant, ea conjunximus : Methodii vero quia non simplex est narratio, sed omnibus rhetorum pigmentis artificiose exornata, eam in postremum locum conjecimus. Et de Methodio quidem ipso agemus § septimo deque hac ejus oratione.*

*triplicia Acta Græca :*

30 *Priora autem Acta Græca accepimus Catana, ex vetusto codice Messanensi fideliter descripta, uti ex Messanensis et Catanensis Senatus testimonio, quod subjectum, constat. Et sunt quidem illa nitide satis exarata, non absque tamen aliquibus contra orthographiam mendis, sed quæ nihil sensum perturbent. Testimonium prius ita habet :* Senatus nobilissimæ urbis Messanæ, ac almi studii ejusdem urbis magnus Cancellarius, fidem facit ac testatur, in recondito suo thesauro (ubi asservantur antegrapha Romanorum Consulum, Imperatorum, ac Regum Siciliæ prisca privilegia, atque etiam complura Græca Latinaque manuscripta volumina tum sacra tum profana) fuisse inventam Vitam Virginis Agathæ, ejusque exemplar fuisse transmissum ad Illustrissimum Clarissimæ urbis Catanæ Senatum, tamquam pretiosissimum thesauri donarium, ut in Catanensis curiæ senatoriæ archivio pariter reconditum asservetur : quippe in ea Vita dilucide exprimitur vera et genuina beatæ Virginis Agathæ patria. Hujus igitur nostri prisci autographi MS. epigraphe hæc est : Βίος τῆς Ἀγάθης παρθένου. Historia vero sic ait : Βασιλεύοντος Δεκίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντός τε τῆς Σικελίας Κυντιανοῦ, πρὸς τὸν καλούμενον χριστιανὸν πικρῷ θανάτῳ παραδίδονται, τό τε ποίνην πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι ἀποθανεῖν γενέσθαι παρεσκεύασαν, καὶ ἡ μεγαλόφρων ἁγία Ἀγάθη, πατρίδος μὲν Κατάνης, γονέων ἐπισήμων καὶ λαμπρῶν ὑπάρχουσα. Αὐτὴ πάντων καταφρονήσασα, εἰς τοὺς ὑπὲρ χριστοῦ ἀγῶνας ὡπλίξετο. Περὶ ἧς καὶ πρότερον ἔτυχεν ἀκούσας ὁ ἡγεμὼν Κυντιανὸς, ὡς κάλλει καὶ εὐγενείᾳ καὶ πλούτῳ τὰς ἄλλας πρόξεν νενίκηκε, καὶ αἱ τίαν ἐπιτίθη συλλαβὼν τὴν παρθένον, καὶ τὸ δοκοῦν αὐτῆς ἐπιτελέσας, εὔρων δὲ πρόφασιν τὸ ἀσεβὲν πρόσταγμα, ὡς χριστιανὴν αὐτὴν συλλαβεῖν προσέταξε τοῖς δημίοις, ἔξω Κατάνης ἐν Πανόρμῳ διατρίβουσαν ποιουμένης. Quæ verba illico tradita fuere Admodum Reverendo Patri Hortensio Scammacca Leontino Societatis Jesu Sacerdoti, sacræ Scripturæ professori, omnisque eruditionis Græcæque linguæ in nostro Messanensis collegii gymnasio, atque etiam Panormitano, peritissimo, qui illa sic in Latinum expressit : Vita B. Agathæ Virginis. Imperante Decio Cæsare, Præside autem Siciliæ Quintiano, exiit edictum, ut qui Christo nomen dedisset, crudeli morti tradetur. Tunc autem ad pœnas multi quidem atque alii ad mortem obeundam se compararunt : magnanima etiam Virgo S. Agatha in patria quidem Catana nobilibus illustribusque parentibus orta : hæc cum omnia despexisset, ad certamina pro Christo subeunda armata fuit. De qua cum prius forte audiisset Præses Quintianus, quod pulcritudine et nobilitate et divitiis longe alias superaret, et caussam componere studuit, ut Virginem in manibus haberet, et suum de illa decretum perficeret. Nactus autem prætextum, id est, impium Decii Imp. edictum, jussit satellites illam, quippe Christianam, comprehendere, cum extra Catanam Panormi ea moram faceret etc. Unde prædictæ fidelissimæ descriptioni ejusdem priscæ quidem (ut conjici potest ex vetustate characterum et fumosarum attritarumque paginarum) historiæ, tamquam autenticæ et fide dignæ indubia potest præstari fides. In quarum rerum testimonium nostro solito urbis sigillo has præsentes in pede munitas dedimus. Messanæ die xxiii Aprilis, xi Indict. cIↄ Iↄcxiii.

*priora ex MS Messanensi, ut patet ex testimonio Senatus illius urbis : cum exordio, Latine redditum ab Hortensio Scammacca ;*

AUCTORE J. B.

Franciscus Costa pro secr.

*Appositum erat sigillum urbis, in cujus circumflexu, seu περιφερείᾳ ista habentur :* † S. P. G. R. DECRETO MESSANA NOBILIS ET REGNI CAPUT.

31 *En alterum clarissimæ urbis Catanæ testimonium.* Senatus Clarissimæ urbis Catanæ fidem facimus ac testamur, supra dictum exemplar Vitæ S. Agathæ Virginis et magnæ Christi Martyris, apud nos ortæ ex nobilibus illustribusque parentibus, fuisse et esse fideliter exscriptum ex autographo, olim reperto in thesauro et musæo Nobilissimæ urbis Messanæ, quod ab ejus Illustrissimo Senatu anno cIↄ Iↄcxiii fuit cum litteris fide publica subscriptis ad nos transmissum, nostroque jussu illud fuit insertum magno codici in quo sunt descripta prisca Romanorum Pontificum diplomata ac Bullæ, regiaque omnia privilegia, ac rerum nostrarum memorabilium antiqua monumenta, quæ summa cum diligentia in recondito archivio asservantur. Ideoque præscripto exemplari tanquam autentico omnimoda est adhibenda fides. Et in testimonium præmissorum has præsentes fieri fecimus sub magno nostri Senatus sigillo, manuque nostra ac magistri Notarii Principalis subscriptas. Datas Catanæ die primo Maii, iv Indict. millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

*eadem Catana huc missa, cum attestatione Senatus*

D. Alphonsus Paterno Juratus.
D. Hyacinthus Tudiscus Juratus.
Don Joseph Maria a Valle Juratus.
Don Franciscus Ramondetta Juratus.
Don Hyacinthus Paterno Juratus, Eques ord. Alcantaræ.
Don Cæsar Ansalone
major Mag. Notarius Principalis.

*Appressum erat magnum urbis sigillum.*

32 *Vel in paucis, quæ testimonio Messanensium inserta sunt, Græcis verbis perspicere est, quod ante diximus, mendose quædam scripta, ut plerumque etiam vetustissima Latina exemplaria omnigenarum Vitarum. Nam, ut alia omittam,* ὡπλίξετο *pro* ὡπλίζετο, ἔυρων *pro* εὑρὼν, ἀσεβὲν *pro* ἀσεβὲς, *posita, et multo omissum* ἐξῆλθε πρόσταγμα *aut quid simile. Deinde* ποίνην *quod pro* ποινὴν, *aut* εἰς ποινὴν *sumit ille interpres, nos pro* τοίνυν *perperam scriptum censuit : itaque accepit Constantinus Lascaris :* Tunc autem, *inquit*, ad præsens multi quidem et alii ad mortem obeundam se compararunt, magnanima etiam Virgo *etc.*

*menda in iis contra orthographiam :*

33 *Nam eam vitam vir ille doctissimus Latine integram vertit, seu Messanæ repertum, sive aliunde eo allatam : morti enim proximus copiosam selectamque, quam sibi magno studio comparaverat ex Græcia, bibliothecam publico Messanensium usui testamento legavit : uti testatur Paulus Belli e Societate Jesu doctus vir et gravis, ad calcem libri quem* Gloriam Messanensium *inscripsit, seu* Dissertationem de Epistola B. Mariæ Virginis ad Messanenses, *ubi ad retundendam cujusdam, quem Aristarchum appellat, iniquitatem et acrimoniam, ex professo Elogium contexuit ejusdem Lascaris. In hoc cum scribit illustri ortum genere, occupata a Turcis Constantinopoli, in Italiam, ut plures alios,*

*vertit ea Constantinus Lascaris,*

A *semper rem tangit : alias veterum lucubrationibus subjicit suas, non par tamen pondus habentes. Cerni id potest in S. Simeonis Stylitæ Vita die v Januarii, cujus prior pars tota est Theodoreti, qui ante Sanctum ipsum mortuus, cetera a Metaphraste adjecta.*

*subinde paullum interpolata,*

ANIMADV. PAP. 74.

*2, quæ ab eo expolita.*

39 *Alterum genus Vitarum est, quas ipse totas vel scripsit vel dictavit : et sunt eæ splendide, graviter, ornate compositæ, ut viri disertissimi sanctissimique fœtum agnoscas. Atque ab hoc potissimum opere* Μεταφραστής, *id est* Interpres, *sive* Translator *dictus videtur; qui alioquin apud Græcos historicos vulgo* Logotheta *appellatur, ab ea, quam in rep. gerebat, dignitate. Tertium genus ejus scribæ elaborarunt, et ipsi quoque eleganti stylo præditi, probatique sapientissimo illi viro : non tamen ea eruditione et notitia antiquitatis, ut non multa fuerit ipse emendaturus, si tantum ei superfuisset otii, ut recognoscere omnia posset. Quartum denique plane adjectitium est genus Vitarum, quas videlicet, alibi repertas, posteri ad volumina Metaphrastæ addiderunt, ipsi forte nec visas, nec, si vidisset, probandas omnes. Hoc quam late pateat genus, quæve ad illud pertineant, non usquequaque facile est definire : cum multæ fuerint fortassis ejus sumptu collectæ aut etiam descriptæ, ut postmodum recenserentur suo suorumve studio, quod tamen fieri deinde non potuerit.*

*3 quæ ab ejus scribis,*
*4 plane alienorum :*

B 40 *Nunc ergo illud a nobis videndum, ut quo in classe hæc Agathæ Acta locanda sint pronuntiemus. In secunda aut tertia. Sunt enim vel ipsius stylo Simeonis vel ejus scribarum expolita. Stylus satis declarat, ex eo deprompta esse officina : sed cur ejus opera potius, quam, qui ei famulabantur, scribarum, elaborata affirmemus, nihil est.*

*S. Agathæ, 2 vel 3 generis:*

41 *Hæc autem Acta Latine olim vertit Gentianus Hervetus, edidit Aloysius Lipomanus, atque ex hoc Laurentius Surius. Aliud nos Græcum exemplar e bibliotheca Christianissimi Regis nacti sumus, quod in Latinum ante biennium transtulit, nitide juxta ac fideliter, Joannes David Henxtorius Antuerpiensis, Joannis Fortunati Henxtorii medici clarissimi filius, xv tunc natus annos, sed poeticis rhetoricisque studiis, ac Græcis litteris, supra ætatem insigniter imbutus. Nos versionem ejus cum autographo accurate contulimus, ne quis ansam cavillandi arripere posset, Notasque nunc nostro addidimus. Plura alibi, Romæ præsertim atque in Sicilia, extare Græca exemplaria feruntur; sed, ut fidem faciunt quæ inde citantur, huic ut plurimum congruentia.*

*unde hic editur?*

*translata a Joanne David Henxtorio*

42 *Nunc faciendum videtur, ut quoniam Metaphrasten censemus priora Græca Acta secutum, addidisse ad ea quædam, alia amplificasse aut mutasse, id utrorumque*
C *Actorum conferendis locis aliquot comprobemus. Plenius sibi lector utriusque collatione satisfaciet, si quando Græca integra edamus in lucem. Quod igitur Messanensia Acta simpliciter dicunt,* Ἡγεμονεύοντός τε τῆς Σικελίας Κυντιανοῦ, Et Quintiano Siciliam regente : *id Metaphrastes erudite amplificat :* Ἡγεμονεύοντος δὲ Κυντιανοῦ τῆς Σικελῶν νήσου τῆς Ἰταλῶν ὑπαρχίας. Quintiano vero Siciliam insulam, ad præfecturam Italiæ pertinentem, administrante. *Fortassis paullum ante Metaphrastæ ætatem, priusquam insula amitteretur, qui eam gubernabat, ab Imperatore ipse tamen et qui reliquas Imperii in Italia tenebat. Sed verisimilius est respexisse virum doctum ad veterem Notitiam Imperii, in qua* Sub dispositione viri illustris Præfecti Prætorio Italiæ, diœceses *erant*, Italia Illyricum, Africa. Provinciæ Italiæ decem et septem : Venetiæ, Æmiliæ... Campaniæ, Siciliæ, Apuliæ et Calabriæ, Lucaniæ et Bruttiorum... *Qui autem Siciliæ præerat,* Consularis *dicebatur unus e* XXII, *quos* in partibus Occidentis *eadem Notitia locat.*

*collata cum prioribus Actis Græcis,*

*alia docte amplificata,*

43 *Quod in Messanensi exemplari est,* πρὸς τὸν καλούμενον χριστιανὸν πικρῷ θανάτῳ παραδίδοσθαι, ut quicumque se Christianum diceret, acerbæ neci dederetur ; *amplificat alter, eleganter pene pueriliter :* ὥστε πάντα τὸν θρησκεύοντα τὴν εὐσεβῆ τοῦ Θεοῦ θρησκείαν πικρῷ θανάτῳ παραδίδοσθαι, ut quicumque religiosum veri Dei cultum exerceret, acerba morte necaretur. *Omittit vero quod in altero habetur :* Tunc igitur et alii multi ad oppetendam mortem sese compararunt. *Tum illud* Μεγαλόφρων ἁγία Ἀγάθη, πατρίδος μὲν Κατάνης, γονέων δὲ ἐπισήμων καὶ λαμπρῶν. Magnanima Virgo S. Agatha, cui patria quidem Catana, parentes vero clari et illustres; *ita partim corrigit, partim amplificat :* ἡ ὁσία καὶ μεγαλόφρων Ἀγάθη, ὁρμωμένη μὲν ἐκ τῆς Πανορμιτῶν πόλεως, ἐπισήμου δὲ καὶ λαμπροῦ γένους ὑπάρχουσα. Sancta et magnanima Agatha, ex Panormitana civitate oriunda, nobilissimis vero edita parentibus. *Quæ deinde sequuntur,* πάντων καταφρονήσασα εἰς τοὺς ὑπὲρ Χριστοῦ ἀγῶνας ὡπλίζετο, res omnes aspernata, se ad certamina pro Christo armabat; *Metaphrastes priora amplificat, retinet ultima :* πατρίδος, γένους, δόξης, καὶ πάσης τῆς προσκαίρου ζωῆς καταφρονήσασα, εἰς τοὺς περὶ Χριστοῦ ἀγῶνας ὡπλίζετο, patriam, genus, gloriam, et quidquid ad temporariam hanc vitam spectat, pro nihilo ducens sese ad certamina pro Christo armabat.

*al. ... ite*

D AUCTORE J. B.

*nonnumquam in speciem pugnantia;*

44 *Sequentia ita immutat, ut quæ in Messanensi codice indicatur caussa fugæ, eam vel reticeat vel obscuret. Messanensis codex ita habet :* περὶ ἧς καὶ πρότερον ἔτυχεν ἀκούσας ὁ ἡγεμὼν Κυντιανὸς, ὡς κάλλει, καὶ εὐγενείᾳ, καὶ πλούτῳ τὰς ἄλλας πάσας ὑπερβάλλει [?]. De qua cum prius inaudisset Quintianus Præses, longe eam pulchritudine, opibus, nobilitate ceteris præcellere *etc. At Metaphrastes :* Κυντιανὸς δὲ ὁ ἡγεμὼν ἀκούσας περὶ τῆς ὁσίας καὶ ἀθλοφόρου Ἀγάθης, ὡς καλὴ καὶ εὐπρεπεστάτη τυγχάνουσα πάσας ὑπερβέβηκεν τὰς κατ᾽ αὐτὴν *etc. Quæ ita ad verbum reddi possunt :* Quintianus vero Præses audiens de sancta et victoriosa Agatha, quod pulchra et honestissima esset, et cunctas *etc.*

E *alia mutata phrasis :*

45 *Sed nihil attinet omnia prosequi. Solum id addam quod de Ætnæ profluvio sub finem memoratur; in Messanensi quidem MS. his verbis :* ἡ αἰτναῖον ὄρος πῦρ κατηρεύξατο, καὶ καθάπερ ποταμὸς ἐρχόμενος πάντα κατέφλεγε, καὶ κατελθὼν ἔμελλε πᾶσαν τὴν τῶν Καταναίων πόλιν κατακαῦσαι. Ætna mons ignem eructavit; qui amnis instar effluens cuncta exurebat, et appropinquans, Omnem Cataniensium civitatem concrematurus videbatur. *Metaphrastes :* τὸ δὲ ὄρος ἡ Αἴτνη πῦρ ἐξερεύξατο, καὶ καθάπερ ποταμὸς ῥοιζούμενος σφόδρα, οὕτως κατέρχετο διαλύων τοὺς λίθους ὥσπερ κηρὸν ἐκ τῆς κορυφῆς τοῦ ὄρους, ἐμέλλων φλέξαι καὶ ἀπολέσαι πᾶσαν τὴν τῶν Καταναίων πόλιν. Ætna mons ignem evomuit, qui fluminis instar ingenti mugitu devolvebatur, ab summo vertice lapides velut ceram dissolvens, ipsamque urbem Cataniensium correpturus ac penitus consumpturus ignis videbatur.

*quædam exaggerata.*

F

*Atque ex his satis perspicuum fit, Metaphrasten ejusve scribam aliquem solita sua eloquentia, quæ pressius erant scripta, dilatasse, ac mutasse phrasim, verbis tamen quandoque iisdem retentis.*

## § VII. *S. Methodii Patriarchæ Constantinopolitani Oratio in S. Agatham.*

T*ertiis hisce Actis orationem subjungemus S. Methodii : non illius, de quo egimus II Februarii, in tractatu de Hypapante, Patarorum ac deinde Tyri Episcopi et Martyris, cujus complura extant opera; sed alterius, quingentis fere et quinquaginta annis junioris, aliquanto antiquioris Metaphraste, uti antea diximus. Fuit autem hic Methodius eruditione, pietate erga Deum, castimonia, zelo Catholicæ religionis, exilii aliarumque ærumnarum perpessione, obitis legationibus, longe clarissimus : ac propterea, ut primum e vita excessit Theophilus Imp. Reique publicæ, pro Michaele filio admodum adolescente, gubernacula Theodora Augusta suscepit;*

*S. Methodius Patriarcha Constantinopolitanus,*

*cepit; hujus Procerumque consilio in patriarchalem thronum erectus est, Janne deturbato, homine sacrilego, anno ineunte Æræ Christianæ* DCCCXLII. *Atque ejus mox industria, quæ ante annos* CXX *a Leone Isaurico introducta Iconomachorum hæresis erat, ac non semel succisa, identidem pullularat, radicitus evulsa est, uti plenius ad ejusdem Methodii Vitam* XIV *Junii dicemus.*

*auctore S. Methodio.*

47 *Scripta quoque illius prædicantur. Nam ut erat sanctissimis juxta ac sapientissimis viris Theodoro et Theophani arcta amicitia conjunctus, ita et ingenii cultu par. Argumento sunt versus, quos per piscatorem ad eos remisit e sepulchro, cui cum duobus latronibus erat a Theophilo inclusus. Eos versus recitat Cedrenus. Menæa quoque et doctis sermonibus et scriptis orationibus excisam ab eo Iconomachorum hæresim tradunt. Extat apud Theodorum Balsamonem ejusdem* Methodii sanctissimi Patriarchæ constitutio *de recipiendis lapsis, sive* de iis qui abnegaverunt per diversos modos et ætates. *Quæ constitutio, cum orationibus variis et ritibus aliis ad lapsorum receptionem pertinentibus, ab doctissimo Jacobo Goar in Euchologio Græcorum edita, notisque illustrata. Apud citatum Balsamonem aliud extat ejusdem Methodii rescriptum, aut canon* de segregationibus, *sive excommunicationibus, et quidem, ut ex titulo colligere est, monasticis.*

*multa scripsit,*

*(quorum quædam extant)*

48 *Edita sunt a Jacobo Gretsero nostro tomo 2 de Cruce, duarum orationum fragmenta, quarum una est* adversus eos, qui dicunt, Quæ utilitas Crucis? *altera* ad eos quos pudet Crucis Christi. *Præfert fragmentum utrumque* Methodii Episcopi *nomen: quem hunc eumdem esse, non temere fortassis liceat conjicere, vel ex his verbis:* Ἐντεῦθεν οἱ τῇδε βασιλεῖς, πάσης πονηρᾶς ἕξεως ἐπὶ σκεδασμῷ, τὸ σταυροειδὲς παραλαμβάνεσθαι αἰσθόμενοι σχῆμα, τὰ καλούμενα τῇ ῥωμαϊκῇ διαλέκτῳ βέξιλλα ἐμηχανήσαντο. *Quæ ita vertit Gretserus:* Hinc Reges nostri, ad dissipandum omne malum, figuram Crucis assumendam censuerunt, et vexilla, ut Latino sermone appellantur, confecerunt. *Neque enim illa possunt existimari scripta esse ab altero S. Methodio Tyri Episcopo, quandoquidem illius ævo Crucem adeo non efformabant in vexillis Imperatores, ut etiam omni contumelia ac probro persequerentur. Et vero hic scriptor se in regia urbe eam orationem habuisse scripsisseve ostendit iis verbis* οἱ τῇδε βασιλεῖς ἐμηχανήσαντο, qui hic regnaverunt Imperatores, confecerunt. *Fuit quidem et alius Patriarcha Methodius anno* MCCXLI, *sed neque Constantinopoli, quam Latini tenebant, sacris præsedit, neque ea erat eruditione, ut hanc tam elegantem elucubrare panegyricam posset. Ita enim de eo scribit Georgius Acropolita cap. 42 Historiæ:* Ἐγένετο δὲ μετ' αὐτὸν Μεθόδιός τις καλούμενος μοναχός, ἡγούμενος ὢν τῆς κατὰ Νίκαιαν Ὑακίνθου μονῆς, ἀνὴρ συχνὸν μὲν εἰδέναι ποιῶν, ὀλίγον καὶ ἴδρις ὤν. ἀλλ' οὗτος τρεῖς καὶ μόνους μῆνας ἐπιπολιτεύσας τοῦ θρόνου τὸ ζῆν ὑπεξῆλθε. Post eum fuit monachus quidam, nomine Methodius, monasterii Hyacinthi, quod Niceæ est, præses, qui multarum quidem rerum scientiam præseferens, revera tamen perpauca callebat: verum is tres tantum menses throno potitus, obiit. *Sed ad Methodium Confessorem revertamur.*

*et quædam solum conjectura illi adscripta,*

*certe non junioris Methodii Patriarchæ CP.*

49 *Propterea quod, ut nostri temporis Iconoclastæ, ita et veteres illi sic sacras imagines impugnabant, ut longe crudelius adversus Sanctos ipsos Virginemque Deiparam bellum susciperent, qui imagines tuebantur viri sancti, multo etiam studiosius Divorum ipsorum honorem sermonibus scriptisque defendebant. Ita S. Theodorus Studita encomium S. Platonis et varios de Sanctis hymnos composuit. Methodius quoque et pro veneratione imaginum, ut relatum ex Menæis, et de Sanctorum rebus gestis varias edidit lucubrationes. Harum duæ extant; nimirum S. Dionysii Areopagitæ Vita, quam Græco-latine Balthasar Corderius noster edidit. De ea Anastasius Bibliothecarius in epistola ad Carolum Calvum:* Hujus autem Passionis textum B. Methodius, qui a Sede Apostolica Constantinopolim Presbyter missus, ejusdem urbis tenuit pontificium, et ex tunc inter Sanctos ab omnibus ob suæ confessionis et agonis certamen veraciter veneratur et colitur, edidit, pauca de multis præcedentibus scriptis excerpens. *Flodoardus lib. 3 histor. Remen. cap. 18 recensens Hincmari Ep. scripta,* Item de passione, *inquit,* S. Dionysii a Methodio Constantinopolitano Græce dictata, et ab Anastasio Romanæ Sedis Bibliothecario Latine conscripta. *Plenius ad* IX *Octobris agemus de hac Dionysii Vita, in qua quidam arbitrantur Methodium,* pauca de multis præcedentibus scriptis excerpentem, *ut Anastasius ait, multa de eorum qui tunc in Gallia, et fortassis qui Romæ eruditionis laude florebant, sensu et judicio permiscuisse, dum quæ duorum sunt uni attribuit Dionysio. Sed de hoc alibi.*

*orat. quæ aliæ innotuerunt ... S. Methodius,*

*et de Sanctis,*

*ut Vitam S. Dionysii,*

50 *Scripsit idem orationem in laudem S. Agathæ, et in ea tum Latina Acta complexus est, tum alia addidit partim ex Græcis Actis, quæ § V censuimus ante ejus ætatem scripta, partim quæ in Sicilia ipse, sive ex veteri fama, sive aliis ex monumentis, jam olim didicerat. Nam Siculum ipsum fuisse, Syracusis natum, a Leone Allatio doctissimo juxta ac humanissimo viro accepimus. Certe jam citatus Anastasius Bibliothecarius qui eadem qua ipse Methodius vixit ætate,* a Sede Apostolica Constantinopolim Presbyterum missum *scribit, ut non in Thracia natum, aut vicina alia provincia, innuere videatur.*

*et orationem in S. Agatham:*

*et erat ipse Siculus:*

51 *Eam orationem idem nobis misit Allatius, Latine versam a Leonardo Pate Messanensi Professore: priorem autem ejus partem, usque ad nu. 10 Græce, ex antiquissimo codice in membrana exarato, qui in Bibliotheca Patrum Oratorii Romæ exstat, descriptum: monuitque reliquum a Siculis quibusdam, eam Bibliothecam lustrantibus, laceratum, quod de Sanctæ natali loco ageret. Antea tamen integram inde descriptam fuisse, et Messanæ apud eumdem Leonardum extare.*

*unde hæc ea edita?*

52 *Acriter eam Orationem impugnat Augustinus Inveges ut suppositiam, ideoque non indicari unde prodierit. Extare quidem Romæ in bibliotheca PP. Oratorii, exordium ejus vel fragmentum aliquod, præfixo Methodii nomine: sed huic esse reliqua assuta,* magna varietate artis, styli, phrasis, verborum, *ut appareat a moderno quopiam scriptore, et fortassis non uno, interpolatum: nec edici, ubi autographum extet, solum Roma missum ad Vincentium Ruinundum e Societate Jesu Presbyterum, sed Catanensem. Cur non ea prolata, cum de S. Agathæ patria Romæ lis esset; nisi quia vel nihil allatura præsidii credebatur, nondum additis quæ Catanensium caussæ patrocinarentur; vel si jam erant attexta, authenticum exhiberi Judicibus instrumentum non poterat, quo constaret e veteri aliquo codice descriptam?*

*a quibusdam rejecta ut supposititia.*

53 *Mihi numquam persuadere potui, viros graves ac pios fraudem ejusmodi molituros, ut dolo malo veterum scriptorum, Sanctorum præsertim, monumenta adulterarent. Est enim id non simplex mendacii crimen, sed gravis impietas: cum, pro qua olim labores mortemque sustinuerunt, nunc in cælis contemplantes Creatoris rerumque aliarum purissimam veritatem, ut eam impugnent evertantque, veluti revocentur in vitam. Sed peremptorie accusationem illam omnem elidit, quod retulimus, gravissimi viri Leonis Allatii testimonium, qui et addidit, nemini dubium esse posse, quin ea oratio sit a S. Methodio scripta, propter stylum ac doctrinam, quæ hic et in reliquis ejus operibus omnino par elucet, cum alioquin multorum ejus ævi scriptorum asper sit stylus, ac minime huic similis. Nobis quoque, simul ac eam legimus, docta et gravis ea oratio, planeque ejusmodi visa, cujus neque S. Methodium, neque alium ejus ætatis ac gradus scriptorem, pudere merito debeat.*

*(quis credat?)*

*[illegible] Leone Allatio.*

*et revera egregia.*

§ VIII.

A

## § VIII. *Alia a posterioribus scripta de S. Agatha:*

*Scripsere quæque de S. Agatha Bellovacensis,*

S. *Methodio ac Metaphrastæ coætaneus fuit* S. Ado *Viennensis in Gallia Archiepiscopus, uti* § 4 *est indicatum, illo junior aliquanto, hoc senior : is libro de festivitatibus Acta Latina retulit phrasi servata, sed paullum contracta. Annis* CCC *post Metaphrasten vixit in Gallia Vincentius, ex ordine Prædicatorum, magni nominis scriptor, vulgo* Bellovacensis *appellatus, sive fuerit apud Bellovacos natus vel inde ortus, aut diu ibidem commoratus, sive alia caussa id cognomentum adeptus, cum plerique Burgundionem faciant : Episcopus certe Bellovacensis (quod Possevinus, Miræus, Vossius atque alii tradiderunt) non fuit. Hic Speculi historialis lib.* II *cap.* 42, 43, 44 *eadem Acta exhibet, alia plerumque phrasi : nam quod in editione Duacensi adscriptum est,* Gesta hæc S. Agathæ convenire cum iis, quæ a Surio adferuntur ex Metaphraste, *solum verum est, quatenus cum Latinis Actis concordat in multis Metaphrastes. Jacobus de Voragine ex eodem Prædicatorum Ordine, Episcopus Genuensis circiter annum* MCCXCII *creatus, vir doctus et sanctus, uti alibi ostendimus, in Historia Lombardica, sive Legenda Aurea, eadem Latina S. Agathæ Acta exhibet, fere integra. Eadem et Claudius Rota ejusdem Ordinis Theologiæ Professor ante annos* CL *recognovit. S. Antoninus ejusdem instituti alumnus, dein Archiepiscopus Florentinus, qui an.* CIↃCCCCLIX *decessit,* I *par. Chron. cap.* 7 *tit.* 7 § 5 *ea quoque Acta ex Bellovacensi, ut cetera fere, recenset. Antonino centum fere annis antiquior fuit (non ei suppar, ut alias putavimus) Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, qui hæc quoque Acta narrat lib.* 3 *Catalogi SS. cap.* 84.

*Jac. de Voragine Ep. Genuen.*

B

*S. Antoninus Ep. Florent. Petrus Ep. Equilinus,*

55 *Inter horum duorum scriptorum Petri et Antonini ætatem, collecta videntur (etsi id nobis nondum plane constet) magna Menæa Græcorum, de quibus egimus in citata nostra ad Januarium præfatione. In iis compendium quoque extat Actorum quæ sunt conscripta a Metaphraste; atque illud de S. Agathæ anniversaria Constantinopoli celebritate additur :* Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῆς σύναξις ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτῆς, τῷ ὄντι ἐν τῷ τρικόγχῳ. Peragitur celebritas ejus in ipsius templo, quod est in Triconcho, *sive in loco urbis Constantinopolitanæ* Ad tres conchas *dicto. Quæ in Menæis, eadem in Anthologia Arcudii, verbis totidem, extat Actorum epitome, eadem in Cytheræo.*

*Menæorum collectores.*

56 *Citat Augustinus Inveges alia S. Agathæ Latina Acta e codice Senatus Panormitani. Quando ea scripta, a quo, quanti facienda, haud equidem facile definiero, cum paucula solum inde delibet; quale illud est de ortu sanctissimæ Virginis :* B. Agatha filia fuit cujusdam Gentilis nobilissimi ex ordine militari, *qui* Agathonius nomine vocabatur, de domo et familia Altifloris. Nobilis Agathonius cum dives esset et omnibus fortunæ bonis copiosissimus, *animo tamen torquebatur, quod hærede careret; quippe florenti ætate militiam secutus, procul a conjuge ac patria. Cum autem domum rediisset, senior laboribus fractus, hortatus est conjugem, ut secum Apollinem, cujus per omnem vitam fuerat cultui addictissimus, precibus ac votis obtestaretur, ipsis ut hæredem, si qua adhuc suppeteret ratio, largiretur. Illa Junoni potius, parturientium præsidi, offerenda vota contendebat. Demum convenit, ut vir Apollinem, uxor Junonem invocaret, et ab utro numine prolem impetrassent, ei præcipue honorem haberent.* Orantibus ergo genuflexis, subito totum eorum palatium contremuit, *et vox hæc e penetralibus domus exaudita : Verus Deus, qui cælum ac terram, et quidquid in iis est, creavit, quem vos ignoratis,* dabit vobis filiam, quæ per totam Siciliam templa Apollinis et Junonis devastabit. *Cohorruere primum ad eam vocem, dein ut se collegere, dubitabant tamen, magisne læturi promissa prole, an dolore denuntiata idolorum ruina deberent.* Duobus post

*Acta alia ab anonymo scripta,*

C

*ANIMADV. PAP. 75 quæ tradunt parentibus senibus et Gentilibus Panormi*

*arcana voce promissam,*



mensibus cognovit mulier se concepisse, ac peperit quamdam filiam, cui Agatha nomen impositum est ex nomine patris sui Agathonii. *Deinde* orta inter cives Panormitanos seditione, Agathonius vehementer indignatus, cum omni familia sua Panormo recedens, Catanam nobilem provinciæ illius civitatem profectus est.

D

*AUCTORE J. B.*

*ipsos inde Catanam migrasse;*

57 *Tum Virginis ad Christum conversionem ita narrat, quisquis ille est, Auctor :* Peractis ergo a nativitate puellæ decem annis, in quibus semper cum omni modestia et patientia parentibus obedivit, *etc. Erat autem semper otii impatiens, faciebatque suis ipsa manibus domestica opera, a matre propterea sæpe objurgata : cui modesta ac sapiens Virgo respondebat, non expedire ut vita hæc otiose consumatur; agendum semper hominibus operis aliquid, ne cogitationes improbæ, quæ menti incidunt, labefactare eam possint. Hisce argumentis aliisque id genus a matre impetravit, ut vetulam quamdam in ædes acciperet, a qua ipsa texendi artificium addisceret.* Erat hæc vetula Christiana occulta : *quæ propensum in virtutem animum Virginis conspicata, exponebat ei Christi vitam, passionem, miracula, gloriam; addens, eum si toto animo diligeret, adepturam non temporalia bona et caduca, sed vitam æternam, divitias immensas, gloriam inexplicabilem.* Quæ omnia audiens sancta puella, cœpit idola deinceps spernere, ac parentum superstitiosas Gentilium cæremonias increpabat.

*eam otii impatientem,*

*conversam cum 10 esset annorum :*

E

58 *Reclamant his Actis quidam, aliudque afferunt patris nomen, atque etiam matris, ex Catanensium quorumdam recentiorum scriptis, ad eam fortassis famam, quæ illic viget, conformatis. Panormitana porro Acta, cum nullo veteri testimonio confirmentur, verisimile est, postquam Barbarorum servitute liberata est Sicilia, ac fortassis perdita post, ex fama populari composita esse. Ex simili narratione piæ plebis ortum videtur, quod noster Cornelius a Lapide scribit de S. Agathæ fuga in Melitam insulam, caussa declinandi matrimonii, ad quod eam mater impellere nitebatur : ut bis Catana profugerit, primum ne invita cogeretur ad nuptias, dein ut Quintiani impuri hominis Catanam adventantis effugeret laqueos. Primam fugam videri potest indicasse Metaphrastes, cum cap.* I *num.* 4 *Virginem introduxit referentem, primum sibi pro continentia certamen fuisse, in quo diabolum semina voluptatum ingerentem vicerit, prius etiam quam Aphrodisiæ traderetur. Quamquam ea victoria intelligi potest de carne ac diabolo relata, cum et illius titillationi restitit, et hujus fraudulentas suggestiones elusit. Verum de fuga illa ab urbe in qua domicilium habebat, duplex fuerit, an unica, aut etiam nulla, viderint alii. Acta Latina fugæ non meminerunt, solum id habent :* B. Agatham a suis fecit apparitoribus coarctari. *Quintianus nimirum; quasi Catanæ comprehensa fuerit. Paulus Æmilius Sanctorius Catanæ se intra domesticos parietes continuisse Agatham scribit, indeque abstractam, missis lictoribus.*

*quando ea Acta composita? alia itidem ex fama,*

*tradunt eam in Melitam fugisse, ut nuptias vitaret,*

F

59 *Cornelii verba sunt hæc Comment. in Acta Apostolorum cap.* 28 *v.* 1, *ubi inter beneficia ab Apostolo Paulo in Melitam ac Melitenses profecta, quintum statuit,* quod S. Paulus sæpe Melitam ab incursu hostium tutatus sit. Ut alia taceam, *inquit,* sub annum Domini CIↃCCCCLXX, cum Mauri classe octodecim millium militum eam invaderent, jamque tormenta disponerent ad quatiendam urbem veterem, tertio die apparuit S. Paulus veste stellata, quali depictus visitur in ecclesia Cathedrali, ac vibrans gladium, equo insidens, stipatus innumera multitudine, visus est invadere Turcarum agmina : cumque in eum Turcæ multas conjicerent sagittas, omnes in ipsosmet retortæ et repercussæ resilierunt, eosque vulnerarunt et perdiderunt. Visi pariter fuere duo alii insulæ Tutelares, S. Georgius et S. Agatha : quam fama est ibidem persecutionem Siculam fugientem latitasse,

*ibique velum texuisse, ut tempus lucraretur.*

A latitasse, ac celebre illud velum Ætnæ incendia compescens contexuisse; idque instar Penelopes ea arte, ut quæ per diem texuerat, noctu retexeret; eo quod matri urgenti eam ad nuptias, eas detrectans, responderet, sibi prius velum hoc pertexendum esse. Quocirca S. Agathæ marmoream statuam tunc in muro collocarunt, sed facie a Turcis aversa et ad urbem conversa: verum illa suapte vi faciem ad Turcas convertit, tanto fragore, quantus est bombardarum majorum; adeo ut eodem perculsi Turcæ solverint obsidionem, seque in fugam dederint.

*AUCTORE G. B. urbs servata statua ejus in mœnibus locata*

60 *Hæc Cornelius, nullo citato auctore. Franciscus Abela in Melitæ descriptione lib.* 1, *Notit.* 4 *eadem ex ipso narrat, sed* CIƆIƆLI *ait contigisse: uti et* I. *Baudoinus, qui in histor. Ord. S. Joannis lib.* 13 *cap.* 10 *scribit piam quamdam sanctimonialem significasse antiquæ urbis Melitensis præfecto, divinitus sibi revelatum, obsidendam quidem urbem, sed si statua S. Agathæ in propugnaculo portæ vicino collocetur, ut videri ab hostibus possit, et sacrum Missæ ibidem religiose semel peragatur, periculum evasuram. Quod insigni pompa curatum, ut populi pietati fieret satis, ac militibus animi adderentur. Animadversum deinde, Turcis assidue in propugnaculum, ubi Divæ effigies erat, jaculantibus, numquam eam tactam fuisse: nec aliud quidquam prodigii memorat.*

*ex Divina revelatione:*

B *Testatur Abela loco citato, Petrum Carreram in suis rerum Catanensium commentariis confutare Cornelii narrationem, et negare antiquam esse in Melita S. Agathæ venerationem: sed hanc ipse confirmat, quod et crypta illic visatur et vastissimum subterraneum cœmeterium, S. Agathæ nomine, cum antiquis ejus aliorumque Sanctorum Græcanica arte pictis imaginibus; quo convenire quotannis Divæ festo Canonici Ecclesiæ Cathedralis soleant, sacraque peragere, adstantibus urbanis magistratibus, et dotem elargiri pauperibus aliquot puellis nuptui elocandis: et populum universum illuc tunc confluere ejusdem sanctæ Virginis honorandæ gratia.*

*antiqua illic ejus veneratio et solemnis.*

## § IV. *S. Agatha Panormitana sit an Catanensis, ipsæ inter se urbes disceptant.*

S*anctorum duplex patria est: una quæ in vitam eos mortalem procreavit, si non tamen exilium dicenda potius est quam patria, tot cumulata ærumnis; beata altera, et, ut quisque eorum sapientissimus ac religiosissimus fuit, assiduis inflammatisque votis expetita, in qua non nati quidem, sed scripti etiam nos sumus, ut Sanctus loquitur Beda, et* cives decreti. *Atque ita*

*Sanctorum patria alia cœlestis, alia terrestris:*

C *passim Martyres legimus de patria interrogatos a tyrannis, respondisse se cœlestis Jerusalem esse cives. Ita quoque in S. Athanasii Ep. Methonensis Vita 31 Januarii cap. 2 num. 5 loquitur Petrus Argivorum Episcopus:* Patria igitur hujus, qui nunc mihi laudandus est, beati Patris Athanasii, prima quidem ac vera, illa est cœlestis, ubi una cum Sanctis ab æternitate fuerat adscriptus, et a teneris unguiculis ab electione non excidit: altera vero patria, tantum a prima distans, quantum a veritatis luce caligo tenebrarum, vanaque simulacra rerum, Catana. *Imitatus videtur hic scriptor S. Andream Cretensem, qui in Oratione in S. Patapium ita loquitur:* Viro autem isti strenuo nobilique, cujus patria, cœlestis illa Jerusalem, Petri et Pauli mater. *Et paucis interjectis:* Conabor enim, quanta fuerit facultas, seu ex adverso contendendo ac opposita comparatione, duplicem ejus patriam studiosis vobis ostendere: alteram quidem, cujus ortus e terra sit, dissolutioque in terram; alteram autem e cœlo, æternamque ac immortalem.

62 *Et illam quidem terrestrem obnoxiamque occasui patriam, adeo suam Sancti non putavere, ut et magnis animis contemnerent, et effugere totis viribus conarentur: nedum honorem sibi ac decus aliquod ab ea assiguari vellent, aut ei se ullo modo obstringi. Idque non illa solum ratione, qua Socratem scribit Cicero Tuscul. quæst. lib.* 5 cum rogaretur, cujatem se esse diceret, *respondisse,* mundanum; totius enim mundi se incolam et civem; *aut qua ibidem Teucer pronuntiasse quidam dicitur,* Patriam esse, ubicumque est bene; *verum id spectabant in patriæ sive despectu quasique abdicatione, sive voluntaria oblivione, sancti homines, ut liberius ipsorum animus peregrinaretur, assurgeret certe cogitatione ac voluntate in cœlum, qua se donatos beatissima civitate meminissent: ibique jam eorum esset cum purissimis illis mentibus conversatio.*

*hanc fugerunt,*

D

*ad illam adspirantes:*

63 *Non ita tamen existimandum est, exuisse eos patriæ caritatem, in cœlumque transtulisse, ut non civibus suis bona optarent, vera præsertim et quorum sit fructus sempiternus. Nam qui et honesto naturæ instinctu et gravissimo Dei præcepto jubebantur, uti et nos, parentibus amorem honoremque impendere; non etiam patriam poterant, quæ communis est parens, non diligere: quando et sapientes præscribunt, et dictat innata nobis ratio, majorem ei quam parentibus gratiam deberi. Et inest ille nunc quoque receptis in cœlum Sanctis honestissimus sensus caritatis, ut iis bene velint qui ipsis sanguine conjuncti sunt, et patriæ, quæ eos tulit alu itque, optime.* E *Licet enim eos qui ipsorum vel honorem amplificant, vel benefacta imitantur, quamvis nulla sibi vel soli natalis vel familiæ necessitudine devinctos, magis suo favore ac patrocinio protegant, quam qui sola patriæ communione aut etiam sanguinis ipsos contingunt, neque vel decora eorum celebrant, vel sectantur exempla; tamen ubi res utraque ad demerendam eorum caritatem conspirat, patria, inquam, genusve, et imitatio cum religiosa veneratione conjuncta; tum demum præcipuam quamdam benevolentiam favoremque ostendunt. Et vero illud accidit vicissim, ut in mortalium animis major ingeneretur ardor colendi eos, quos vel eadem ortos stirpe, vel in iisdem habitasse tectis, iisdem in templis orasse, intra eadem mœnia versatos meminerunt; majorque fiducia impetrandi quæ eos suppliciter poposcerint.*

*favent tamen jam suis civibus,*

*magisque ipsos colunt sui cives.*

64 *Gloriari itaque civitates illæ merito possunt, quæ Sanctos in hanc vitam protulerunt, quasique in campum emiserunt, in quo sibi nobilissimam victoriam æternumque triumphum pepererunt. Recte enim S. Methodius infra cap.* 5 *num.* 28. Martyres, *inquit,* dum tormenta et cruciatus pro Christo patiuntur, non solum sibi gloriæ coronam contexunt, Ecclesiæ laudem, Deoque honorem exhibent, sed etiam, dum ad exemplum suarum virtutum imitandum cives provocant F suos, eisdem cœlestes favores, non auri argentique pretio, sed profusi sanguinis thesauro promerentur. Neque vero sanctarum Virginum pro Christo trucidata corpora, in vili marmore jacentia, minus utilia cognatis civibusque patriæque sunt, ubi in vitam mortalem edita fuerunt, quam fortissimorum virorum exercitus pro patria pugnantium.

*ideo urbes de eorum natalibus gloriantur,*

65 *Quam ob caussam minime vituperandum earum civitatum studium videtur, quæ ut Sanctorum gloriosos natales sibi vindicare possint contendunt: si quidem et ipsorum Sanctorum conantur gloriam ac venerationem propagare, et illam in suis civibus morum disciplinam retinent, ac præcipue juventutis ad eas artes instituendæ rationem, quibus illi ad sanctimoniæ absolutionem pervenerunt. Ita de S. Vincentii Martyris cunabulis certare urbes Hispaniæ aliquot retulimus* XXII *Januarii. Aliæ de aliorum ortu Cælitum pugnant. Nescio tamen an de ullius natali loco acrius ac religiosius, quam de S. Agathæ unquam certatum sit. Duæ enim Siciliæ urbes, vetustate, opibus, religione celeberrimæ, Catana et Panormus, civem esse suam confirmant. Neque nova ea controversia est: nam Fazellus dec.* I *lib.* 3 *cap.* 1 *ubi de Catana agit ac S. Agatha, fatetur* de *hujus* patria

*et pro iis contendunt:*

*acerrime de S. Agatha Catana et Panormus,*

A tria contendere Panormitanos. *Præclarum id esse certamen (dummodo absint quæ caritatem possunt scindere) pronuntiat in Idea operis de SS. Siciliæ Octavius Cajetanus noster pag. 60 his verbis:* Animum advertisti, ut reor, mi Lector, duabus a me urbibus D. Agatham Indice Topico adscriptam: de industria factum, qua decorum ad certamen extimularentur. Et digna illa, pro qua non duæ, non, ut pro nobilissimo Poeta, septem Græciæ civitates, sed omnes flagrantibus studiis certent.

*lite etiam Romæ agitata*

66 *Neque solum scriptis libris ea utrimque disceptata controversia, sed ad ipsius est Romani Pontificis judicium pertracta, et eorum sanctissimo illo tribunali agitata. Prolixe seriem totam litis ejus deducit Augustinus Inveges ex Mariani Valguarneræ adversariis. Nam cum recognosci precum publicarum, quæ recitari in Ecclesia Romana consuevere, Breviarium mandasset Clemens* VIII *Pontifex Maximus, instituta ad eam rem peculiari Antistitum aliorumque eruditorum hominum congregatione, quæ* Congregatio Reformationis Breviarii *dicebatur; suggestum fuit a Stephano Tuccio Societatis Jesu Presbytero, doctrinarum Theologicarum et Ecclesiasticæ antiquitatis scientissimo, pariterque sanctissimo viro, corrigendum videri quod in Breviario, Pii* V *auctoritate edito, ad nonas Februarii habebatur,* B Agatha Virgo Catanæ in Sicilia nobilibus parentibus nata: *nam a Simeone Metaphraste, veteri scriptore, traditum, Panormi esse ortam. Primum ergo voces illæ,* Catanæ nata, *deleri jussæ; post hæ substitutæ,* Panormi orta.

*tempore reformationis Breviarii sub Clemente VIII.*

67 *Cum mortuo pridem Tuccio, Bernardus Colnagus Catanensis ex eadem Societate, et ipse raræ cum eruditionis, tum præsertim sanctimoniæ opinione clarus, intellexisset brevi publicatum iri novum Breviarium, in quo ista de S. Agathæ patria ad eum modum essent mutata; omnem sibi movendum lapidem duxit, ut ei decreto intercederet, et patriæ suæ avitum Tutelaris Divæ assereret. Erat tunc Romæ Marianus Valguarnera Eques Panormitanus, singulari præditus doctrina: is Colnago generose repugnare. Lis ergo contestata. Actores primarii Colnagus, et Valguarnera: cum hoc studia laboremque sociarat Berlingerius Ventimiglia et ipse Eques Panormitanus. Parti utrique Proceres varii patrocinabantur; Panormitanis præcipue Simonis Tallaviæ Cardinalis de Terranova favebat auctoritas, quam sibi plurimum obstare innuit in quadam epistola Colnagus, e qua hoc fragmentum recitat Inveges:* Denique Illustrissimus Cardinalis Terranova est Cardinalis, ego vero pauper Sacerdos. *Tenuit ea lis integrum* C *trimestre. Excussi libri omnes veteres, aliaque monumenta, Judices erant cum alii Præsules, tum præcipue Cardinales duo sapientia et vitæ integritate clarissimi, Robertus Bellarminus et Silvius Antonianus: videtur et Cæsar Baronius ad caussæ cognitionem adhibitus.*

*Actores præcipui P. Colnagus et Valguarnera.*

68 *Tulit tandem Pontifex ex horum judicio sententiam, non qualem fortasse partes præstolabantur, sed quæ esset dignitati Ecclesiæ Romanæ consentanea, ut ita in Breviario reponeretur:* Agatha Virgo in Sicilia nobilibus parentibus nata, quam Panormitani et Catanenses civem suam esse dicunt. *Illud quippe caveri unice a Pontificibus solet ac debet, ne quid non modo falsum, sed ne controversum quidem in Divini officii libros referatur, palamque in publicis precibus recitetur. Ideo enim S. Gelasius Papa multorum Acta Martyrum apocrypha esse sanxit, nec omnino debere publice in Ecclesia legi, quod in iis inessent quædam non usquequaque exploratæ veritatis. Quæ vero Sanctis singulis fuerit patria haud perinde fortassis sua interesse censet Ecclesia aut quærere aut definire.*

*sententia Pontificis,*

69 *Præclarum hoc sapientissimi Pontificis judicium merito deprædicat Inveges. Vellem tamen, cum pronuntiata ab Salomone libro Regum 3, cap. 3 inter disceptantes mulierculas sententia non comparasset, quasi natalium sanctæ Martyris gloriam dividi Pontifex, et neutri integram, sed dimidiam utrique dari, ut ille infantem, jusserit. Pronum enim est, ut, quod illic sequitur, arripiatur ab adversariis:* D *Hæc mater, quæ Regis judicio non acquiescit, et ne dividatur rogat. Fatetur enim ipse, jam quinquaginta per annos, quot ab eo Pontificis judicio fluxerunt, nullum genus scriptorum, seu quæ typis excusa, seu quæ exarata manu sunt, intactum relinquere Catanenses, si quid alicunde eruere possint, quo se in pristinam possessionem restituant. At Rocchus Pirrus Cardinales judices ita laudat:* Qua in re sapientum virorum amo prudentiam, qui ita pro Panormitana urbe tulere suffragium, ut Catanam simul celeberrimam urbem eo jure, quod sibi illa vindicabat, atque ad civium pietatem, ad Virginis Agathæ venerationem faceret maximopere, penitus non spoliarint.

*laudata,*

AUCTORE J. B.

*sed minus accepta Catanensibus.*

70 *Monuerunt me superioribus annis ex Italia amici, ne hos ignes utcumque sopitos ventilarem, neve in illam dimicationem ingrederer, e qua me sine alterius offensione civitatis expedire nullo modo possem. Enimvero quæ esse offensa in investigatione veritatis potest? Nam si argumentum aliquod proferamus, quo veritas detegatur ac veniat in lucem, quis est, nisi si quem iniqua possessio delectat, qui non lubens quamprimum veritati* E *det manus? sin erunt incerta quæ depromemus, nihil illa bonæ fidei possessorem lædent. Cui autem credibile videatur, nolle civitates illas nobilissimas, ut quæ in publico orbis terrarum judicio acta, ac decreta sunt, ea ne usurpemus sermonibus, ne litteris commendemus ad nostram posterorumque memoriam? Cumque Pontifex pronuntiarit, Panormitanos et Catanenses eam civem suam esse dicere, an inhibere possunt, ne cur utrique id dicant, inquiramus? Imo quo jure id penitus sileri a nobis volunt, hominibus exteris tantoque remotis spatio terrarum ac marium, quod cives suos sinunt, atque adeo jubent editis libris publicare, ut si fieri possit ad notitiam perveniat gentium omnium? Nam Petrum Carreram Catanensem tradit Augustinus Inveges prolixo atque erudito opere comprehendisse, quas et in Colnagi nostri adversariis legerat, et ipse excogitare potuit rationes, ut Catanensem eam fuisse probaret. Rocchus Pirrus, et fusissime ipse Inveges, Thermitanus hic, ille Netinus, uterque Panormitanis addictus, quæ pro Panormitanorum jure facerent retulerunt, quæque ab Catanensibus objicerentur, atque hæc etiam studiose diluerunt ac confutarunt.*

*Licere hic nobis quoque de ea re scribere,*

*post alios.*

71 *Ab his duobus (nam Carreram non vidi) sumam expendamque argumenta utrimque allata. Neque afferam omnino quidquam, unde mihi sive Catanenses sive* F *Panormitani succensere merito possint, nisi suos primum scriptores voluerint damnare. Nam si quod testimonium ab illis auctoribus citatur, quod mihi non id conficere videatur, ad quod probandum sit allatum, jus fasque mihi ut sit postulo, negandi vim istiusmodi argumenti, ac multo magis si quid falsum sit, inficiandi. Quis enim tam iniquam mihi scribi legem velit, ut si bractea orichalci pro lamina aurea obtrudatur, non mihi liceat proclamare, orichalcum esse? Profiteor autem in tota hac commentatione nihil a me dictum iri, quod non confidam tum et sanctæ eorum Patronæ et ipsis acceptum fore, quam et illam mihi propitiam, et ipsos amicos esse percupio. Imo, nisi jam in lucem exissent, quæ dixi, opera, auderem utrosque orare, quod anno Chr.* CIↃ IↃC XVII *in Idea operis de SS. Siciliæ, antea citata, pag. 61 Octavius Cajetanus noster:* Ut ambæ urbes, *inquit,* pro suo in Divam amore, ac potius pietate, ad nos scribant, quo subnixæ jus suum tueantur, copioseque ut exponant, impense oramus: rationibus dein perspectis examinatisque, judicium nostrum, omni procul partium studio, proferemus. *Ita ille.*

*quorum referemus argumenta,*

*et modeste expendemus.*

§ X.

AUCTORE J. B.

A § X. *Argumentum præcipuum Panormitanorum, ex Simeonis Metaphraste auctoritate.*

Pro Panormo facit

*Primum sibi in hac disputatione locum jure vindicat Panormus*, felix et inclyta urbs, nobilis et præclara, caput regni, exemplum fidei, patria Principum, sedes Regum, *ut eam Catana ipsa in epistola quadam ante annos* CCC, *et quod excurrit, compellasse fertur. Et minori quidem illa testium ac suffragatorum instructa numero est, sat gnara appendi ac librari testimonia debere non numerari: neque illud præcipue considerandum, quot homines rem quampiam affirment, sed quam sapientes ac graves: neque in incondita multitudine robur exercitus situm. Omnia tamen, quæ afferuntur, fide optima recensebo, nihilque aut imminuam aut exaggerabo, nisi quatenus necesse erit rei ipsius explanatione id fieri.*

I auctoritas Metaphrastæ,

73 *Primum igitur, maximeque validum argumentum, quo Panormo S. Agathæ natales vindicentur, est* SIMEONIS LOGOTHETÆ, *qui vulgo* METAPHRASTES *appellatur, auctoritas. Quam tanti faciunt qui pro Panormo scripserunt, ut ea sola everti omnes adversariorum rationes posse existiment. At cum eam nimium stabilire*

magna,

*contendunt, proferunt quædam, viris doctis non facile probanda. Quia enim, aiunt, Græce olim locuti Cata-*

B *nenses ac Siculi plerique, ideo Græca ceteris prævaleant oportet, atque adeo, qui in Græcis princeps, Metaphrastes. Atqui S. Agathæ tempore minime locutos*

non quia Græcus,

*Græce Siculos omnes, saltem in judiciis, ex præsidialibus Actis S. Eupli supra ostendimus. Ut id tamen iis ultro concedamus, quomodo conficient, Græca, minimum* DCLX *post S. Agathæ martyrium annis scripta, præferri debere Latinis, quæ ipso tempore legitimis tabulis consignata, ab iis qui quæ gesta erant vel spectaverant ipsi, vel ab oculatis auritisque testibus acceperant; quæque citata ab antiquis Patribus, et inserta Breviario Romano? Quæso, an quia Latine locuti sunt Romani, pluris facienda sit historia quæpiam bellorum Punicorum post quingentesimum Æræ Christianæ annum Latine scripta, quam Polybii Græca, qui plurima quæ scripsit, vel geri viderat, vel iis gerendis adfuerat opemque et consilium attulerat? Aut si quis bella Belgica nostræ ætatis sermone Teutonico post* DCLX *annos litteris tradet, eo solum nomine Stradæ nostro erit præferendus, quia jam sit Belgarum proprius ille sermo?*

74 *Non id spectandum præcipue, qua lingua scripta sit historia quæpiam, verum an ab iis qui viderunt, quive de aliis audierunt qui ipsi viderant: aut si lon-*

C

sed quia [illegible] tus, diligens, et aliis præsidiis instructus

*gum intercessit inter rem gestam ejusque descriptionem spatium temporis, an saltem qui eam litteris tradit vir sit eruditus, probus, accuratus, qui omnia discutere superioris ætatis monumenta possit ac soleat, ut merito haberi ei fides debeat: quales Romanæ historiæ scriptores fuere T. Livius et Dionysius Halicarnasseus. Non ergo quod Græcus fuit Metaphrastes, ideo solum præferendus ceteris, qui de S. Agatha scripserunt; sed quia et clarus generis nobilitate, et pollens opibus atque auctoritate, et singulari præditus pietate ac doctrina, poterat plurima veterum monumenta consequi, cupiebatque ea diligenter perscrutari et exornare stylo. Talem enim virum fuisse Metaphrasten alibi ostendimus, etsi fateri oporteat, non semper eum, propter maximas occupationes, quod cupiebat, fuisse assecutum. Quod tamen ejus tanti habitam auctoritatem vociferantur, ut statim ob eam Judices Panormitanis caussam adjudicarint, credat qui nescit quid de eo Bellarminus et Baronius, qui inter Judices erant, scriptum reliquerint. Nos non minus solum, sed longe honorificentius de illo sentimus.*

[illegible] credebat S. Agatham Panormo oriundam,

75 *Jam videamus, de S. Agathæ patria quid scripserit.* Ἡ οὖν ὁσία καὶ μεγαλόψυχος Ἀγάθη, ὁρμωμένη μὲν ἐκ τῆς Πανορμιτῶν πόλεως, ἐπισήμου δὲ καὶ λαμπροῦ γένους ὑπάρχουσα. Erat igitur sancta et magnanima Agatha, ex Panormitana civitate oriunda, D claro autem et illustri genere. *Vertit Gentianus Hervetus:* Sancta ergo magnique et excelsi animi Agatha, quæ nata quidem erat ex civitate Panormitana,

aut natam Panormi,

erat autem insigni et claro genere orta. *Acriter hanc Gentiani interpretationem oppugnant Catanenses, negantque vocem* ὁρμώμενος, *cum multa significet, pro nato vel orto usurpari, sed* oriundo. *Est quidem ea ordinaria magisque genuina notio, ut idem sit quod* oriundus *quasique* profectus *aliquo ex loco, ubi ejus parentes majoresve nati sunt, uti illi apud Livium dec. 3 lib. 4* Hippocrates et Epicides nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis, exule avo. Pœni ipsi materno genere; *fatendum est tamen, sæpe* ὁρμώμενος *idem esse quod* natus. *Ita Menæa* XXVI *Octobris de S. Demetrio Martyre:* Οὗτος ἦν ἐπὶ Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν βασιλέων, ἐκ τῆς Θεσσαλονικέων ὁρμώμενος πόλεως. Hic fuit sub Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, ex Thessalonicensium natus urbe. *Patet id ex ejus Vita, ubi dicitur* ὃν ἤνεγκε μὲν ἡ μεγάλη πόλις Θεσσαλονίκη, quem quidem tulit magna urbs Thessalonica.

(utrumque enim vox Græca ὁρμωμένη significat).

*De S. Justina Virgine et Martyre ita loquuntur eadem Menæa* II *Octob.* ὁρμωμένης καὶ αὐτῆς ἐξ Ἀντιοχείας, quæ et ipsa Antiochiæ nata erat. *Patet ex Græca Vita:* ταύτῃ πατρὶς μὲν, ἣν ἐδηλώσαμεν, Ἀντιόχεια. Ipsi patria erat, quam declaravimus, Antiochia. *Congruunt Latina ejusdem Justinæ et Cy-* E *priani Acta:* Addebatur autem Virgo Justina, cujus pater erat, Edesius nomine, in civitate Antiochia. *Plurima alia liceret sic usurpatæ vocis* ὁρμώμενος *exempla proferre.*

non Galermi vico juxta Catanam,

76 *Aliud effugium quærunt Catanenses: nempe* Panormum, *unde oriunda, aut ubi nata, dicatur S. Agatha, non illam esse celeberrimam urbem, sed vicum Catana distantem tria circiter millia passuum, dictumque nunc* Galermum. *Confirmant auctoritate Theodontii cujusdam, mihi ignoti scriptoris, quem citat Joannes Bocatius lib.* II *de genealogia Deorum cap.* 10. *ubi Thaliam narrat Jovis pellicem, cum gravida tellure esset absorpta, ut ipsa optarat metu Junonis, dein ea maturo jam fœtu reclusa, geminos peperisse,* Palicos *ab eventu dictos,* ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, *quasi denuo reversos quos pro diis Siculi coluere: lacus quoque esse in immensum profundos mirabili calidarum aquarum scaturigine perpetuo ebullientes, quos olim accolæ* Dellos *vocabant, et Palicorum fratres credebant, juxta Menas urbem, ubi et Paliciæ urbis vestigia aiunt spectari: quibus de rebus plures agunt scriptores. Hæc ubi retulit Bocatius, ista* F *subdit:* Cur autem Jovis dicti sint filii, et absorpta mater sit, reddit talem Theodontius rationem; dicit autem, haud longe a Panormo non ignobilem fuisse scrobem loco ubi dicebatur Thalia, in quam omnis aqua, quæ a plaga illa montis Ætnæ ob imbrem cadebat, mergebatur: et quidquid tunc fuisset in cavernam dejectum, non multo post in lacus seu fontes Palicorum ebullientes videbatur emergi. Per quod apparebat, imbrem, quam Jovis, id est, aeris, opere natam volunt, eo in loco sub terras condi, et demum apud lacus Palicorum iterum nasci: et sic ex Jove nati Palici. *Hæc Theodontius apud Bocatium.*

(qui et Panormus dictus,

77 *Porro cum civitas Panormus longissime ab Ætna distet, ut quæ ex hac delabitur aqua non possit in scrobem illi vicinam defluere;* Galermum *esse conjiciunt Catanenses, qui vicus fortassis olim* Γάνορμος *dictus, quasi amœnus portus seu statio navium: quod nomen in* Galermum, *itidem ut in Palermum Panormi, longinqua ævi mutasse videri potest vetustas. Quid si* Γάνορμος *scriptum erat, et Metaphrastes ejusve amanuensis* Πάνορμος *legit, duarum litterarum Γ et Π similitudine deceptus? Explodit hanc conjecturam Inueges: fatetur tamen a Theodontio, forsan et Bocatio, videri scriptum* Ganormus; *cur non itidem in codice, quo usus Metaphrastes, idem fuisse nomen potuerit, rationem nullam affert.*

[illegible] per errorem pro Ganormo

*Duplicem*

A *Duplicem tamen, non Acta Metaphrastæ solum, sed et priora alia Græca suggerunt : innuunt enim utraque, sed hæc præsertim, Panormum secessisse prudentissimam Virginem, ut impurissimi Quintiani libidinem vitaret, Catanam tunc insidentis, ad quam urbem parvulam a parentibus delatam Agatham, ibique adolevisse fatentur Panormitani. At si solum ad propinquum vicum abiisset Agatha, parum sane tuta fuisset : neque diceret ipsa apud S. Methodium, se* longe a patria ac paterna domo quiete egisse. *Panormum igitur se recepit, unde minimum oriunda erat, et habebat fortassis consanguineos potentes. Altera ratio est, quod idem Quintianus post mortem Virginis, ad res ejus diripiendas Panormum versus profectus est, non Galermum, seu Ganormum: neque enim inter hunc vicum et Catanam Simæthus amnis labitur, sed facile* VIII *M. P. ab ea urbe, cum Galermus non nisi tribus distet : in Simætho tamen periisse, Latina etiam Acta referunt. Interceptum igitur hoc effugium est.*

*nec enim ibi latere potuisset.*

*nec in Simætho perire Quintianus,*

78 *Aliud arripiunt, hunc in modum : Ex Metaphrastæ verbis certo non constat Panormi natam, sed originem solum inde duxisse, cum* ὁρμωμένη *vox, qua utitur, minus proprie illud quam hoc significet. Nam quod Panormum versus iisse ad bona ejus occupanda Quintianum retulimus, id priora quoque Græca Acta tradunt, quæ*
B *tamen Catanæ ortam asserunt. Habuit illa forsan Panormi domum, ut ait Metaphrastes, sive propriam seu pretio conductam : ibi tyrannus, cum illa se spectabili ortam genere fassa esset, multam reconditam vestem, argentum, tabulas, signa, resque alias magnificas credidit; sive ei sua avaritia imponebat, seu vere Agatha quas ei res parentes sui reliquerant, eas illic sepositas habebat, quia ut omnia illico effunderet in pauperes antea minime opus fuerat, Ecclesia sub Philippis Christianis Imperatoribus placidam obtinente tranquillitatem. Quod autem Pirrus aliquot codices MSS. cum Romæ hæc controversia agitaretur, allatos scribit,* quorumquilibet ante DC aut DCC etiam annos scriptus fuerat; *et in iis* sæpissime Panormi natam prædicari Agatham; *id Catanenses verum esse negant : fuisse enim dumtaxat plura exemplaria ejusdem Vitæ per Metaphrasten (ut nos quidem asserimus, ipsi vix fatentur) scriptæ : in omnibus autem aliud nihil quam quod relatum est de S. Agathæ patria haberi, idque ambiguæ interpretationis. Si qui autem tunc* DCC *erant annorum codices, eos multo ante quam ad scribenda Sanctorum Acta animum adjecit Metaphrastes, exaratos fuisse oporteret : quomodo ergo Metaphrastæ? Itidem ut decrepiti homines solent seniores se quam sint dicere, seu fallente memoria, seu*
C *quia id pulchrum videatur, longe communem metam transsiluisse; ita et libris putant ab exaggerata antiquitate conciliari auctoritatem.*

*ad diripiendas res Agathæ eo tendens.*

*Quam antiqua Metaphrastæ exemplaria?*

## § XI. *Alia Panormitanorum argumenta.*

A*rgumentum est ex Græcis Menæis, sive Divinorum Officiorum per singulos menses descriptionibus; ubi de S. Agatha ista leguntur :* Αὕτη ἦν ἐκ πόλεως Πανόρμου τῆς κατὰ Σικελίαν, ipsa *erat* ex Panormo urbe Siciliæ. *Vertit Matthæus Raderus noster :* Panormitana hæc fuit in Sicilia nata. *Neque est quod quisquam hoc ex schismaticorum Græcorum penu promptum argumentum cavilletur, cum Menæis hisce, ut alibi docuimus, etiam Orthodoxi utantur. Estque hoc mille testium instar, cum millent hæc palam in Divinis Officiis recitent ac probent.*

*2 pro Panormo faciunt Græca Menæa.*

80 *III Ex Anthologio eorumdem Græcorum, quod excusum est Romæ in ipso Vaticano typographio anno* CIↃ IↃ LXXXXVIII, *ab Antonio Arcudio concinnatum, dedicatumque Clementi* VIII, *ubi ut pleræque Lectiones eædem sunt quæ in majoribus Menæis, ita de S. Agatha totidem plane verbis mentio fit.*

[illegible]

81 *IV Ex libro Maximi Episcopi Cytheræi, qui* D *inscribitur :* Βίος ἁγίων, Vitæ Sanctorum, *quos ex Menæis ad verbum fere descripsit, et in vulgarem Græcorum linguam vertit, excudique Venetiis curavit : ubi hæc habentur :* Αὐτὴ ἦτον ἀπὸ τὴν χώραν τῆς Σικελίας καλουμένην Πάνορμον. Hæc erat ex loco Siciliæ qui Panormus appellatur.

AUCTORE I. P. Βίος ἁγίων [illegible]

82 *V Ex Menologio Græco, quod Basilii Macedonis Imperatoris jussu conscriptum ferunt, ipsorumque quorum elogia continet Divorum imaginibus ornatum, et in Vaticana asservatur bibliotheca. Hoc quia pro Panormitanis citatur Menologium, idem esse opinor e quo ista Pirrus profert :* Agatha Virgo et Martyr ex urbe Panormo apud Siciliam. *Verum de eo, quia non vidi, nihil possum pronuntiare, nisi laudari a Baronio, et diversum esse ab eo, quod, ab Sirleto Cardinale versum, edidit Henricus Canisius : nam in hoc istis solum verbis mentio fit S. Agathæ :* Et sanctæ Martyris Agathæ.

ANIMADV. PAP. 76.
*Menologium Basilii Imp.*

83 *VI Est ipsorum Catanensium testimonium in epistola, quam in MS. quodam Chronico Ecclesiæ Agrigentinæ extare tradit Pirrus, ex eoque Inveges, datam anno* CIↃCCCXXV, *in qua ita Panormum civitatem compellant :* Ne obliviscaris inter omnes tuæ virtutis actus laudabiles, ad defensores insigni pro tutela tuorum, illius sacratæ Virginis Agathæ, quam in te ortam fama prædicat et scriptura declarat, vexillum erigere, quæ in Christo Jesu martyrio coronata E liberationem patriæ impetravit. *Neque hujus possum testimonii fidem firmare. Ea penes Pirrum, illud citantem, esto.*

*Catanensium epistola,*

84 *VII Ex Mariani Valguarneræ adversariis, ubi oratoria istha e prætermissio adhibita :* Missas facimus Traditiones omnes nostras, ne cui forte leviores, videantur, quod suam Panormitani civem D. Agatham asseverant : Domum, in qua illa orta est : Vineæ aream, ubi nunc ecclesia ejus nomine est condita : Saxum, illius vestigia, cum Panormo Catanam deferretur, divinitus insculpta præseferens. *Quæ ne quis impugnet, ista ad probationem addit :* Quarum Traditionum ad majorem auctoritatem (quia illas Panormi vigere negabant) LXX Seniorum urbis fidem, cum civium tum exterorum, quin etiam Catanensium, coram nostro Archiepiscopo jurejurando adactorum, Romam Panormitani descriptam miserunt. *Hæc Marianus; rem aliquanto majorem habitura, si priorum seculorum famam, non ultimi solum, probarent.*

*traditio testata, vestigium saxo impressum,*

85 *De eo Sanctæ vestigio (nam unicum est, licet Marianus plurali numero utatur) ita scribit Pirrus :* Testis est saxum illud, unde equo insiliit discessura; in quo Panormitani etiamnum Virginis impressum vestigium colunt, in templo prope Australem urbis F portam, cui a D. Agatha nomen est. Ex quo saxo, veteri ævo, die D. Agathæ sacro, liquorem morbis salutiferum emanasse in laudato MS. codice Vaticanæ bibliothecæ se vidisse ac legisse plurimis dixit Marianus Valguarnera. *Unde didicit Pirrus, Virginem hic equo insiluisse, cum Metaphrastes et priora Acta solum tradant pedem saxo imposuisse ad corrigiam adstringendam? Inveges ad annum Chr.* CCXXXIV, *num. 8, ibidem conscendisse equum scribit; et ad annum* CCLIII *num.* 16 *contendit eam reliquum illud iter pedibus nequaquam confecisse. Quod autem objiciunt Catanenses, vestigium illud non esse iis simile quæ Catanæ impressa lapidi spectantur, imo ne hominis quidem videri, rotunda ferme figura, egregie refutat idem Inveges : esse enim pedis calceo puellari incincti vestigium, quantitate et forma simillimum Catanensibus; quippe ut Petri Carreræ librum accepit, in quo illa expressa, sese illico ad eam ædem abiisse, et ad hoc illorum excusam figuram applicuisse, atque omnino parem deprehendisse. Esse vero saxum, in quo id cernitur vestigium, rude et impolitum, longum tres palmos, duos latum. Verum ut id demus, inquiunt Catanenses, cujus nulla apud Metaphrasten aliumve scriptorem qui ante annos* C *et* L *vixerit,*

[illegible] *quæ Catanæ visuntur*

*xerit, mentio extat; quid id ut patria Panormus habeatur, facit? Minus etiam quod sequitur.*

86 *VIII Oleaster ad S. Agathæ preces, juxta eum locum ubi corrigiam alligarat, subito enatus. Is etiamnum in horto ecclesiæ, in qua saxum illud ab sancta Virgine pedis impressione signatum, asservari diximus, ostenditur, crassus et procerus, sed in olivam insitione mutatus. Patriam tamen qui designet non video. Metaphrastes eo* τὰς γνώμας τῶν Πανορμιτῶν στηλιτεύεσθαι *scribit;* notari mentes, *sive genium ac sensum,* Panormitanorum. *Melius alia Acta Græca, non ita universam ad cives omnes, sed ad eos solos, qui, Agatham eo usque comitati, retro abierant, id referunt:* Παραχρῆμα ἀνῆλθεν ἐλαία ἄκαρπος ἐξελέγχουσα τὰς γνώμας τῶν ἀπίστων ἐκείνων ἀποδήμειν. Illico exortus est oleaster; redarguens incredulorum illorum, qui abierant, mentes.

87 *IX Argumentum ex Latina quadam S. Agathæ Vita petitur, de qua agit Inneges ad annum Christi* CCXXXIV. *Nos supra § 8 num. 58 videri compositum diximus, postquam Sicilia fuit ab Saracenorum tyrannide liberata, ex fama potius, quam certis ullis monumentis: eoque minus posse nos, quantum ei niti debeamus, statuere, quod non integram viderimus. Ex iis tamen quæ recitat Inneges, habemus Panormigenitam, admodum adolescentem cum parentibus Catanam migrasse, ita decennem adjunctam Christo. Et hinc saltem antiquior, quam quæ antea probata est, traditio confirmatur.*

88 *X Marini Valguarneræ erudita conjectura, tum ex aliis ducta indiciis, tum præsertim, quod inter primarias supplicationes* (quas, *inquit,* non nisi Sanctis Tutelaribus, aut civibus majores nostri decreverunt) *sit ea, quæ die S. Agathæ ab immemorabili tempore solennissime peragitur.*

89 *XI ab eodem Valguarnera allatum, quod plurima jam olim S. Agathæ dedicatæ Panormi ecclesiæ sint. Nam quod quidam suspicantur, non admodum antiquas, sed quo fortassis tempore Joannes Paternio Panormitanus Antistes fuit, ab anno* CIↃCCCCLXXXIX *ad* CIↃ IↃXI, *ædificatas, et quidem a Catanensibus; uti ipse, itidem Catanensis, solenniter agi S. Agathæ festum lege sanxit, id refellit Inneges. S. Gregorii I Papæ et Thomæ Fazelli testimonio. Sed aliam videtur Fazelli editionem, quam quæ penes nos est* Werhelanu *anni* 1589, *habuisse. Quod enim in nostra, dec. I lib. 8 cap. I pag.* 169 *lin. ultima habetur:* Tertia porta a S. Agatha, cujus ædicula ad passus circiter CC ab ea dissidet, nomen suscepit; *id ipse, pag.* 171 *ita referri scribit:* Quarta, in eodem urbis aspectu (septentrionali) Rogerii et Guilielmorum Siciliæ Regum ætate, ut in eorum Privilegiis legimus, S. Agathæ de Villa, ab æde ejusdem propinqua, nomen habet. *Nostro in libro neque illa pagina quidquam simile est, et Quarta porta a* Mazara urbe habere nomen *dicitur, sed pagina* 170. *S. Gregorius in Registro lib. 7 Indict. 2 ep. 27 ista habet:* De possessionibus Faiani, Nasusiani et Laboniani, positis in provincia Sicilia, territorio Panormitano, de quibus inter Præpositos monasterii SS. Maximi et Agathæ, quod Lucusianum dicitur, et e diverso administratores xenodochii in hac urbe constituti, quod Valerii nuncupatur, longa se traxit contentio, *etc. Lucusianum hoc SS. Maximi et Agathæ monasterium* VI *M. P. ab urbe Panormitana remotum fuisse scribit idem Inneges.*

90 *XII Eadem Panormitanorum traditio prædicat, habuisse Sanctam Panormi paternum* palatium, ac villam, *in suburbio fortassis, atque amplas possessiones, in ea regione quæ* Zisa *dicitur. Similia quoque ostentant apud se Catanenses.*

91 *XIII Adonem citat Pirrus ejusdem caussæ patronum, qui in libello de festivitatibus, cujus antea meminimus § 8 num.* 51, *nullam quidem facit Panormi mentionem, hæc tamen habet:* Quintianus post hæc iter arripuit ut facultates B. Agathæ investigaret, et ut teneret omnes de parentela ejus. *Unde sequitur, et hos et illas Catanæ non fuisse: cur enim non his prius injiceret manus, quam longinqua sectaretur? At nihil penitus bonorum ejus Catanæ occupasse, nulli ex Sanctæ consanguineis facessivisse negotium memoratur. An seditionem plebis veritus? Imo solum ut hanc declinaret excessisse Catana voluit nonnulli, quod manifeste Acta refellunt. Estque hoc non exigui ponderis argumentum.*

92 *XIV Breviarium Romanum ante Pii* V *tempora numquam eam Catanæ natam indicavit: at nec Panormi. Habemus excusum Venetiis an.* 1479, 1490, 1524, *atque Argentinæ* 1508. *in quibus hæc solum habentur:* Natale S. Agathæ Virg. et Mart. in Sicilia civitate Catanensi, sub Quintiano Proconsule, Imperatore Decio. Qui consularis vir cupiens, *etc. Quod deinde Cardinalis Quignonius concinnavit (est penes nos quintuplex ejus editio) sic habet:* Decio Imperatore, Quintianus Siciliæ Præses captus amore nobilis atque egregia forma Virginis Agathæ in urbe Catana, *etc. Quæ externa Catanæ faveant, infra videbimus. Breviarium Spirense anni* CIↃ IↃ XC *ita habet:* Agatha Virgo Catanensis, Panormi claris natalibus nata. *Idem habet Moguntinum anni* CIↃ IↃLXX, *nisi quod pro* nata, in eo sit oriunda; *quam vocem Panormitani sæpius in eodem Breviario pro natam vel ortam usurpari ostendunt.*

93 *XV Si qui scriptores* Catanensem Agatham *scribunt, id propterea dici aiunt Panormitani, quia Catanæ ejus asserventur reliquiæ, ibique Lauream adepta sit martyrii. Si qui* Catanæ natam, *Catanamve ejus* patriam *affirment. Nempe, inquiunt, quia cœlo eam Catana reddidit, quasique peperit,* patria *ejus dicitur. Sed scitari Catanenses possunt, qua deinceps phrasi loqui homines debeant, cum de cujuslibet patria quæstio est? an necessaria semper circumlocutio sit, ut dicatur in auras mortales alibi venisse, alibi in lucem immortalem evasisse; quandoquidem* nascendi *vocem, et* patriæ, *nobis saltem Christianis, velint ambiguæ esse significationis?*

94 *XVI Testimonia virorum eruditorum, qualia multa congerunt Catanenses, citanda hic forent: sed neque ea nobis occurrerunt, neque Panormitani, Metaphraste uno potissimum freti, de iis admodum laboravere: nec reticere tamen* Julium Mazarinum, *e Societate Jesu, et ipsum Panormi natum. Is concione 45 in* Miserere *ita scribit:* Simile quid scriptum habetur ex Metaphraste in Vita S. Agathæ, et Adone Episcopo. Evocata Palermo, natali suo solo, Catanam, religionis ergo. *Quæ deinde subjungit, habentur quidem apud Adonem, sed pro patria gratis citantur. Idem Mazarinus concione* 106. Quintiano tyranno objiciebat generosa Martyr et Virgo Panormitana, dicens. Summa ingenuitas est, qua servitus Christi comprobatur. Petrus Ribadeneira *ex eadem Societate, in Vitis SS. ita scribit:* Nata erat in urbe Panormo, uti asserit Metaphrastes. Natam *quoque* Panormi *tradit* Silvanus Razzius *tom.* I *de feminis sanctitate illustribus, ubi se Vitam S. Agathæ fatetur e Metaphraste describere, uti et in Vitis Gallicis Sanctorum* Renatus Benedictus.

## § XII. *Catanensium argumenta ex PP. et scriptoribus ante annum Chr.* CM.

*Nunc Catanensium non tam testes audiendi, quam integra fere contemplanda acies, ac machinarum, quibus adversarios oppugnent, genus omne. Isthæc nos percensebimus, uti ante Panormitanorum, fide optima, sed quadam brevius paullo, ne præter numerum mole ipsa obruamur.*

96 *I Argumentum ex antiquissimis et probatissimis Latinis Actis, quibus cetera tamen omnia in hoc congruunt. In iis igitur qu.* 3 *num.* 13 *ista leguntur:* Dum aromatibus

A aromatibus condiretur corpus ejus, et cum nimia diligentia collocarent illud; venit quidam juvenis, sericis vestibus indutus, quem sequebantur amplius quam centum pueri, omnes ornati et pulchri... Hic ergo veniens intravit ad locum ubi condiebatur corpus ejus, et posuit ad caput ejus tabulam brevem ex marmore, in qua scriptum erat: Mentem sanctam, spontaneum honorem Deo, et PATRIÆ LIBERATIONEM.

*ubi in tabella Angelica promissio liberationis patriæ,*

*Quam vero qui hæc spectabant interpretati sunt patriam? Perspicuum id est ex sequentibus num.* 15 *verbis:* Ut autem evidenter scriptura illa, quam Angelus Domini posuerat, firmaretur; post anni circulum, circa diem natalis ejus, mons Ætna eructavit incendium... Tunc paganorum multitudo fugiens de monte descendit, et venerunt ad sepulchrum ejus, et auferentes velum, unde erat coopertum sepulchrum ejus, statuerunt illud contra ignem venientem ad se, et ipsa hora stetit ignis divisus... ut comprobaret Dominus noster Jesus Christus, quod a periculo mortis et incendii eos S. Agathæ meritis et orationibus liberasset. *Si Panormus illi patria erat et hujus eo epitaphio promittebatur liberatio; cur igitur,* ut evidenter scriptura illa, quam Angelus Domini posuerat, firmaretur, *Catana liberata est? An si Titio summus in urbe sua magistratus divinitus sit addictus, firmabitur vaticinium*

*firmata in Catanæ liberatione,*

B *si Caio is deferatur?*

97 *Non ignorant argumenti hujus vim Panormitani sed variis ambagibus declinare eum nituntur. Nam primum negant Angelum fuisse. Diserte tamen vel hoc ipso miraculo prolatum id putat, quem sibi unice patrocinari existimant, Metaphrastes:* Ut autem, *inquit,* certa et inconcussa redderetur, quæ jam increbuerat fama, Angelum fuisse qui tabulam in ejus tumulo deposuerat anno vertente, *etc.* Ἵνα δὲ ἀπαράβατος ὁ λόγος ᾖ, ὅτι Ἄγγελος ἦν ὁ τὴν πλάκα ἀποθέμενος ἐν τῇ λάρνακι τῆς μάρτυρος, *etc. Alii Panormi liberationem, quæ vere patria Martyris esset, promitti aiunt: liberatum enimvero a furore Quintiani, Agathæ meritis. Cur ergo anno demum vertente firmatam epitaphii sententiam Acta tradunt, quando Ætnæ repressum profluvium? et non ipso quo Virgo obierat die aut summum postero? III* Patriam explicamus, *aiunt apud Inrgem, ubi cœlo nata est, quemadmodum* Natale *Ecclesia pro mortis die accipere solet. Numquam ego Romam Petri Paulique patriam dici, Christi Hierosolymam, Parisios Dionysii legi, et si iis locis obierint mortem, et quædam gentes Romam* Petri *urbem appellitent, uti et Sion civitas David dicitur, quæ tamen patria ejus non erat, id est, solum natale: id enim omnes patriæ nomine intelligunt.*

*Panormitanorum responsa, non ab Angelo delatam*

*Panormum a Quintiano liberatam:*

*Catanam patriam fuisse martyrii,*

2 Reg. 5. 7

C *IV fatentur Catanam ejus patriam dici, quod isthic diu domicilium habuerit: et est quidem istud aliquid; nam videtur, qui civitate donatur, natus alibi, patriam sibi quasique genitricem adsciscere eam civitatem, cum in civium numerum adoptatur, præsertim si illic educatus est, quod de Agatha Panormitani fatentur. Ita P. Julius Cæsar Coturius, dicere mihi olim solebat, Trajectum urbem sibi patriam esse non naturæ, sed gratiæ; quia natus Bruxellis, Trajecti esset pietate et litteris imbutus, ibique ad Societatem Jesu animum adjecisset. V volunt Panormitani in hoc S. Agathæ epitaphio* patriæ *nomine omnem Siciliam intelligi. VI ea verba sic explicant: Agatha, mentem sanctam habuit, spontaneum honorem Deo dedit, vobis, o Catanenses, patriæ vestræ liberationem impetravit, vel VII, in hunc modum: Habetote, o Catanenses, mentem sanctam, spontaneum Deo honorem reddidote, et patriæ liberationem impetrabitis. Catanenses contra, ingeniosis istis interpretationibus nil opus esse, quando qui omnibus obvius est illorum sensus verborum maxime perspicuus sit et facilis, ac verus, totque miraculis, non anno solum proximo post martyrium, sed omnibus deinceps secutis ætatibus, uti infra narrabitur, confirmatus.*

*domicilii*

*et gratiæ*

*aliter verba explicanda.*

98 *II Menæa, et si in Lectione, quam plerumque* D *sumunt ex Metaphraste, Panormi natam prædicent, in adjunctis tamen odariis, quæ sunt pleraque e veterum Patrum scriptis sumpta, Catanæ favent. Orant enim Sanctam, ut* patriam *turbidis rebus, quemadmodum olim exitio quod ignis minabatur, eripiat. Quam vero urbem prius eripuerat? Suas reliquias servantem. An non igitur hæc patria? En ipsa Menæorum verba:* Ὅρμημα ἀκάθεκτον πυρὸς αἰτναίου (*perperam excusum* ἐνθαίου) ἀνέστειλας σαῖς εὐχαῖς, ἀγαθώνυμε, καὶ πόλιν διέσωσας, τὸ σεπτόν σου, μάρτυς, λείψανον τιμῶσαν. Impetum effrænatum ignis Ætnæi repressisti tuis precibus, o bono insignita nomine, et urbem servasti sanctas tuas reliquias honorantem. *Postea vero in alio cantico:* Νικητικοῖς ἐν στεφάνοις κοσμηθεῖσα, θεόφρον Ἀγάθη, δεξιᾷ ζωαρχικῇ νῦν λυτρωθῆναι δυσώπησον τὴν πατρίδα σου ζάλης, ὡς πρὶν πυρὸς ἀνέστειλας ὁρμὴν ἵνα ὕμνοις σε πάντες ἀπαύστως μεγαλύνωμεν. Victricibus coronis ornata, divina sapiens Agatha liberari vitæ moderatrice dextera nunc PATRIAM TUAM tempestatibus exora, ut prius ignis impetum repressisti; ut te omnes incessanter hymnis magnificemus.

AUCTORE J. B.

*2 argumentum ex Menæis,*

*urbem, ubi Reliquiæ, liberatam,*

*eamque patriam esse:*

NOT. 41.

99 *III proferunt Catanenses, quæ S. Luciæ in viso S. Agatha dixit. Ea fusius recitabuntur infra in Sylloge miscellaneorum miraculorum cap.* I. *Quæ huc faciunt, sunt ista:* Sicut per me Catanensium civitas sublimatur a Christo, ita per te Syracusana civitas decorabitur a Domino. *Hoc in eo situm decus volunt Panormitani, quod utraque verbis, in qua defuncta martyrio erat, tutelam assumpsit, auxitque miraculis dignitatem. Sigebertus Gemblacensis, qui ante* DXL *annos scripsit, in eo pares ipsas Virgines facit, quod utraque suam urbem fidei splendore illustrarit, ac nunc in cœlis tueatur. Ita enim S. Agatham loquentem inducit.*

*3 Catana ab ea illustrata, Syracusæ a S. Lucia,*

E

Quæ morte nostra terra notabitur,
Hanc deputata sorte tuebimur:
Gaudent patrona me Catenæ,
Sunto tuæ tibi Syracusæ.
Per me Catenis vera patet fides:
Ut sint Catenis ergo fide pares
Tu Syracusas fac fideles:
Hoc sub amore fient sodales.

*At Catanenses non sola fide promitti pares fore urbes et suæ Patronæ tutela, sed omnino ejusdem decoris socias, quippe quod Divæ verbis neutiquam determinetur. Atqui Syracusas constat ortu Luciæ, fidei et pietatis exemplis, aliisque benefactis, ac demum martyrio, publica ejus reliquiarum veneratione, miraculorum gloria, atque apud Deum patrocinio sublimatas. Quæ nisi eadem Catana ab S. Agatha percipiat, næ illa falso, si non vane, dixisse videbitur:* Sicut per me... ita per te... *Cum dicere debuerit modestissima Virgo:* Quam per me Ca*tanensium civitas sublimatur a Christo,* magis per te *Syracusana civitas decorabitur a Domino.*

*ergo etiam ortu:*

F

100 *IV Actorum Græcorum, quæ antea nobis probari diximus ut antiqua, et graviter scripta, manifesta est sententia:* Magnanima Virgo Agatha, cui patria quidem Catana, parentes vero clari et illustres. *Deinde aiunt,* extra Catanam Panormi commoratam: *et innuunt, Catana ipsam eo secessisse, ut Quintiani libidinem declinaret. Tandem et bona eam Panormi habuisse ostendunt, cum ad ea occupanda Panormum versus profectus Quintianus sit, inque Simætho amne perierit.*

*4 ex Actis Græcis:*

101 *V Hymni duo e Breviario Musarabum proferuntur, qui a S. Isidoro Hispalensi Episcopo scripti, vel recogniti existimantur; quos et supra dedimus. De patria Virginis isthæc in priori hymno habentur:*

*5 ex antiquis Hymnis in Breviario Muzarabum*

Mox namque clarus juvenis,
Tabellam scriptam deferens,
Mente sancta pronuntians
Defensionem patriæ:
Nam montis Ætnæ incendium
Cursu dum rapidissimo

Ad

Ad urbem pronum flectitur,
Claret puellæ meritum.

*Cur enim post* defensionem patriæ *prædictam, illud* *subdit,* Nam? *nisi ut promissa eventu secuto confirmet?* *Ac paullo post:*

Quæ olim concives tuos
Magno ab igne eruis.

*Scutum solitum opponunt adversarii;* patriam *martyrii, et* concives, *quorum in civitate vixit obiitque, si non etiam ejus jure donata.*

*6 ex S. Aldelmo,*

102 *VI S. Aldelmum Scirburnensem in Anglia Episcopum, qui* DCCIX *anno Christi decessit, caussæ suæ patrocinari arbitrantur Catanenses: non ego. Nam elidit quam ex ipsorum sententia jam retulimus, S. Agathæ verborum expositionem, quasi sola martyrii gloria, non etiam ortu suo, pares Syracusas Catanamque fore prædixerit. ita enim scribit:* Etenim sicut Catanense municipium præ ceteris Trinacriæ urbibus, Agathæ martyrio feliciter coronatur; ita famosissimæ Christi tirunculæ Luciæ prærogativa Syracusas oppidum Siciliæ prosperis successibus sublimatur. *Ast, inquiunt, idem Sanctus affirmat, duas illas Virgines* contribuli populo apud Siciliam genitas: *sive autem quod idem solverent tributum,* contribules *populos dixit, sive quod ex eadem oriundi natione essent;*

*non satis solidum:*

*Panormum illa non tangunt, quæ nec tributum solvebat, sed decimas, nec eidem, cui Syracusæ, Quæstori: et Syracusæ Catanaque a Græcis conditæ, a Phœnicibus Panormus, neutri ideo illarum contribulis. Nimis hæc subtiliter excogitata. Familiaris S. Aldelmo est vox* contribulis, *quæ ei non solum idem significat quod Latina* tribulis, *id est, ex eadem tribu, sed ex eodem populo seu natione. Si quis tamen eum contendat vere ad origines earum urbium respexisse, nolim acrius repugnare. Nam et in titulo libri de laudibus virginitatis quasdam Virgines sibi* contribulibus necessitudinum nexibus conglutinatas *appellat, quod ex eadem ortæ essent Westsaxonum gente; ac mox cap.* I *de ludis Olympicis agens, ita scribit:* Alius cum caterva contribulium phalerato vectus cornipede; *ubi volunt per* contribules *intelligi ejusdem urbis aut provinciæ homines.*

*7 ex S. Methodio Patriarcha CP. multiplex,*

103 *VII S. Methodii incontroversum pro Catanensibus suffragium est, in Oratione de qua egimus* § 7, *quamque infra dabimus. Agatha ipsa ita loquens introducitur cap.* 2 *num.* 10. Dum hic *(Panormi, ut alii exponunt, ipse locum non nominat)* liquit quiete agere neque continere longe a patria ac paterna domo. *Et num.* II Ubi vero Catanam appropinquabat, magnus civium suorum numerus illi obviam prodivit: et mulieres quidem... inter se laudibus constantiam Virginis extollebant, quod impias Proconsulis oblatas nuptias ne auditu quidem dignata esset, ideoque solum vertere sapienter decrevisset. *num.* 13 Bona demum patriæ ac civibus extitisti, quippe quibus tuam in maximis ærumnis constantiam, etc. *Et cap.* 4, *num.* 20. Vix igitur Agatha ignes tetigerat, cum ecce patria tellus, filiæ suæ vicem miserata, funditus contremuit, et quasi materno sensu prædita esset, *etc. Et num.* 27 Hodie igitur Christiana Ecclesia sese exornet... patriaeque Catanæ dignam gloriatione prædicet. *ac deinde:* Cum nobilissimis orta esset natalibus in urbe Catanensium. *Demum cap.* 5 *num* 28 Tumultuati sunt quidem cives ejus adversus Quintianum. *num* 31. In re adeo trepida, sic volente Numine, in mentem illis venit Angelicum oraculum ad Agathæ caput depositum, deliberatione patriæ sibi promissa. *Pluraque eo capite in eumdem sensum congeruntur:* Nostram item civem Agatham. Patrium solum, urbem, civesque, suæque nativitatis palatium, ac sacrosancta Martyris monumenta, audebant hi profluentes igne obruere! *Quid hisce opponant Panormitani, supra retulimus.*

## § XIII. *Aliud Catanensium argumentum, ex Oratione (ut videtur) S. Petri Thaumaturgi Episcopi Argivorum.*

*8 ex Vita S. Athanasii Ep. Methonensis.*

*Octavum idque sane validum argumentum ex S. Athanasii Methonensis Episcopi Vita, sive Petri Argivorum Episcopi funebri in eum laudatione, petitur. Eam ad* XXXI *Januarii edidimus ex MSS. codicibus Græcis magni monasterii S. Salvatoris Ordinis S. Basilii Messanæ, Latine redditam a Francisco Blanditio nostro. Postmodum didicimus, ea re offensos fuisse Panormitanos quosdam, quod non potius Octavium Cajetanum nostrum, ac Philippum Ferrarium, secuti, ad* XXIX *Julii retulissemus. Nec dissimularunt, se id hac consilio factum putare, ut esset præjudicatio quædam ejus caussæ, quæ nunc tractatur. Verum si tam illis, quam est nobis, in ea re simplex ac sincera mens esset, abstinerent, opinor, ea reprehensione. Quid enim? An cum nobis vir religiosus et doctus significasset, Catanæ in patria sua memoriam agi eo die Sancti indidem orti, non ei potius fidem habere debuimus, quam externo nullum citanti ejus quod statueret auctorem? Et ne quidem ostendunt ipsi ad eum diem, quo posui, non pertinere. Si tamen foret in die error aliquis, meus certe non est, nec mihi possunt merito irasci: Neque vero adeo pondus esset argumenti nullum: cum parum referat, ex vulgato jam libro sumptum sit, an solum manu exarato, modo probatus sit uterque. Fatentur autem eam orationem et doctam esse, et Messanæ exstare: sed quod ex ea sumitur argumentum, aiunt non esse ejusmodi qui infirmari a se possit.*

*31 Januarii a nobis merito relata,*

*scripta a Petro Ep. Argivorum,*

105 *Tria hic mihi exponenda: Quis ille fuerit Petrus Argivorum Episcopus? Quid de S. Agathæ patria scripserit? An ejus recte explanata ab interprete sententia sit? Retulimus in nostra ad eam orationem præfatione, nos ab interprete admonitos, auctorem* illum videri Petrum Siculum esse, qui anno II Basilii Macedonis, Christi IↃ CCCLXVIII Timbricam, Armeniæ civitatem, pro captivorum permutatione legatus, novemque isthic menses moratus, scripsit de Manichæorum, quos isthic didicerat, erroribus librum, qui a Matthæo Radero nostro Latine versus extat in libro IX Bibliothecæ veterum Patrum. *Hanc ita conjecturam retulimus, et* Petrum Siculum *appellavimus, quod deinde vidimus ab interprete adjectum, cum codex Græcus solum hunc titulum præferat:* Πέτρου ἐλαχίστου ἐπισκόπου Ἀργίων ἐπιτάφιος εἰς τὸν μακάριον Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον Μεθώνης. Petri humillimi Argivorum Episcopi funebris oratio *(nam in Græco λόγος subintelligitur)* in B. Athanasium Episcopum Methones.

*non Petro Siculo, Basilii Imp. Legato in Armeniam, ut quidam conjiciunt*

*non satis solido*

106 *Ceterum præter commune nomen, et ætatem, qua ambo possunt videri vixisse, nulla affertur, quamobrem unus idemque censeri debeat, ratio. Stylum aiunt viri docti in scriptis utriusque disparem. Ego antea conferre non potui, neque nunc opus est; quando alia se mihi longe verisimilior obtulit conjectura, ut mutare sententiam, aut potius (quia nihil ibi definieram) ab interpretis opinione recedere statuerim, etiam prius quam Inveges viderem librum, tum aliis ob caussas dissentientis a Blanditio, tum quia nullo et hic argumento, quod conjectat, probet. Fatetur tamen Inveges, esse Petri Argivorum Episcopi eam orationem, et Græcam, ubi diximus, extare.*

*sed S. Petro Thaumaturgo,*

107 *Conjicio ego, compositam a* S. Petro Thaumaturgo, *sive Miraculorum patratore, Episcopo Argivorum, qui die* III *Maii colitur, vixitque ea ætate, ut nosse S. Athanasium potuerit; quandoquidem frater ejus Paulus, ipso id anus detrectante, Corinthiorum Episcopus a Nicolao Mystico Patriarcha Constinopolitano sit creatus. Successit autem in patriarchatum Nicolaus S. Antonio Cauleæ, de quo* XII *Februarii agemus, circa annum Christi* IↃCCCXCI, *obiitque, ut testatur Cedrenus,* Ind. III *Christi anno* IↃCCCCXXX, die XV Maii. *Ab hoc*

*qui circa annum Chr. 900 vixit.*

potius

A *potius Nicolao evectum esse ad Corinthiorum Cathedram Paulum Petri fratrem, quem ab altero Nicolao Chrysobergio dicto, qui* LX *post annis vixit, censet eruditissimus P. Jacobus Goar Ordinis Prædicatorum, qui ex Gabrielis Naudæi, viri eruditissimi, MS. Synaxario brevem nobis hujus S. Petri Vitam descripsit, quam hic recitabimus, ac dein Latine reddemus.*

*ejus Græca Vita.*

108 Τῇ γ' τοῦ Μαΐου, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Πέτρου τοῦ Θαυματουργοῦ ἐπισκόπου Ἄργους.

Οὗτος τὴν πατρίδα μὲν ἔσχε τὴν Κωνσταντινούπολιν, γονέων δὲ ἐφύη εὐλαβῶν, μοναχῶν γεγονότων πανοικεσίᾳ. Κατὰ ζῆλον δὲ ἐκείνων γίνεται καὶ αὐτὸς μοναχὸς, ἀσκήσει καὶ ἀγρυπνίᾳ καὶ τῇ τῶν θείων μελέτῃ πάντας ὑπερβάλλων. Ὅθεν ὑπὸ Νικολάου Πατριάρχου ΚΠ καταναγκάζεται τῆς Κορίνθου γενέσθαι ἀρχιερεύς. Τοῦ δὲ μὴ πεισθέντος, Παῦλον ἀντ' αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν χειροτονεῖ. Καὶ συγκατῆλθε τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἐν Κορίνθῳ. Βίᾳ δὲ τῶν Ἀργείων καὶ παρακλήσει τῶν Ναυπλίων χειροτονεῖται καὶ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Ἄργους ἐπίσκοπος. Καὶ τοσοῦτον ἔσπευσεν εἰς εὐποιΐαν, ὡς μηδὲν καθ' ἑκάστην ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ εὑρίσκεσθαι. Ὅθεν καὶ ἐπλούτησε καὶ τὴν τῶν θαυμάτων ἐνέργειαν. Λιμοῦ δέ ποτε γενομένου, καὶ πολλὰς τρέφοντος μυριάδας, ἐν ἑνὶ πίθῳ ἀλεύρου ὀλίγου ὑπολειφθέντος, δι' εὐχῆς τοῦτον πλήρη ἀπέδειξεν. Αἰχμαλώτους δὲ, οὐκ ἔστιν ὅσους
B εἰπεῖν, ἀνερρύσατο, καὶ κόρην δαιμονῶσαν παρευθὺ ἰάσατο. Καὶ τὰ μέλλοντα προὔλεγε, καὶ τὸ τέλος προέγνω τὸ ἑαυτοῦ. Ἑβδομήκοντα δὲ γεγονὼς ἐτῶν ἐν εἰρήνῃ πρὸς Κύριον ἐξεδήμησε.

109. III Maii, S.P.N. Petri Thaumaturgi Episcopi Argivi.

*Fuit Constantinopolitanus, monachus,*

Hic patriam quidem habuit Constantinopolim, piis autem natus est parentibus, qui cum universa familia monachi facti sunt. Eorum exemplo et ipse Petrus factus monachus, exercitatione, vigilia, meditatione rerum Divinarum omnes superabat. Quare eum Nicolaus Patriarcha Constantinopolitanus inducere cupiebat, ut summum Corinthi sacerdotium susciperet. Verum cum onus deprecaretur, pro eo Paulum ipsius fratrem initiavit. Venit tamen cum fratre Corinthum. Sed violenta Argivorum sollicitatione, simulque Naupliorum deprecatione, consecratus et ipse est a fratre Argivus Episcopus. Atque in tantum beneficentiæ studuit, ut nihil illi quotidie in penu esset reliquum : unde et virtute miraculorum ditatus est. Cum aliquando fame invalescente, multa hominum millia aleret, atque in vase unico modicum quid farinæ superfuisset, illud fusis ad Deum precibus ad summum impleri obtinuit. Captivos haud
C facile est dicere quot liberarit. Puellam quoque a dæmone correptam subito curavit. Prædixit futura, ac suum quoque obitum præscivit. Septuaginta demum natus annos in pace ad Dominum migravit.

*frater Pauli Ep. Corinthii, ab eo ordinatus Argis Episcopus, miraculis clarissimus,*

110 Nauplia *(cujus incolarum deprecatio cum Argivorum sollicitatione conjuncta fuisse dicitur)* τὸ τῶν Ἀργείων ναύσταθμον, τὸ δ' ἔτυμον ἀπὸ τοῦ ταῖς ναυσὶ προσπλεῖσθαι, *ut habet Strabo lib. 8 Geograph.* Argivorum navale, sic dictum quod navibus impleatur. *Stephanus autem :* Ναυπλία πόλις Ἄργους. Nauplia urbs Argi, sive Argivæ ditionis. *Neque enim ipsum mari Argos adjacet. Qui vero hic* Ναύπλιοι *dicuntur, iis Stephano* Ναυπλιεῖς *sunt.*

*a Nauplia incolis, una cum Argivis, expetitus,*

111 *Hunc ergo* Petrum *non modo vitæ sanctimonia, sed et doctrina conspicuum fuisse conjectamus; quippe in regia natum urbe, ubi tunc Metaphrastes, aliique e Studiano præsertim monasterio, eruditionis laude florebant, omnesque ad studia liberalium artium ipse Imperator Leo suo exemplo provocabat, qui Sapiens ac Philosophus appellatus. An alia tamen Petrus scripserit, haud scimus : et hanc nostram de ea oratione conjecturam si quis certiori auctoritate eliserit, lubentes retractabimus, eique gratiam habebimus.*

*doctus.*

*Februarii T. I.*

112 *Nunc quid de S. Agathæ patria Petrus scripserit audiamus. In ea quam diximus, funebri S. Athanasii laudatione, ista habet :* Πατρὶς τοίνυν τοῦ νῦν εὐφημουμένου πατρὸς πρώτη μὲν καὶ ἀληθὴς, ἡ οὐράνιος, εἰς ἣν μετὰ τῶν ἀπ' αἰῶνος ἁγίων, ἐξ ἁπαλῶν τῶν ὀνύχων ἀπογραψάμενος, τῆς προθέσεως οὐ διήμαρτε. Δευτέρα δὲ, κἀκείνης τοσοῦτον ἀποδέουσα, ὅσον ἀληθείας σκιὰ καὶ ἰνδάλματα, Κατάνη μεν, προσεχὴς Σικελίᾳ, πόῤῥω περίπυστος. Ὧν εἰ βουληθείην νῦν ἐπαινεῖν τὰ ἐξαίρετα, θέσιν καὶ κάλλος καὶ μέγεθος, ἀέρων εὐκρασίαν, καὶ ὑδάτων τὸ ποτιμώτατον, δένδρων εὐκάρπων τε καὶ ἀκάρπων πλῆθος, ἀνδρῶν ἐπὶ σοφίᾳ τε καὶ ἀνδρίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ λαμψάντων πληθὺν, ὡς καὶ τὴν ἐξάκουστον Ἀγάθην τὴν μάρτυρα, ἐν ταύτῃ καὶ γεννηθεῖσαν καὶ τραφεῖσαν καὶ μαρτυρήσασαν διὰ Χριστὸν, καὶ τὸ ἅγιον αὐτῆς κατάκεισθαι λείψανον εὐδοκήσασαν, ὃ καὶ ῥύακες πυρὸς τῆς ὑπερκειμένης Αἴτνης ᾐδέσθησαν κατερχόμενοι, τὸ παραδοξότατον, *etc. Quæ ita Franciscus Blanditius noster Latine vertit, nosque edidimus :* Patria igitur, qui nunc mihi laudandus est, beati Patris Athanasii, prima quidem ac vera, illa est cœlestis, ubi una cum Sanctis ab æternitate fuerat adscriptus, et a teneris unguiculis ab electione non excidit : altera vero patria tantum a prima distans, quantum a veritatis luce caligo tenebrarum, vanaque simulachra rerum, Catana quidem urbs præclara in Sicilia, excellens imprimis. Igitur in præsenti si omnia eximia vellem recensere, situm, pulchritudinem, magnitudinem, aeris temperiem, saluberrimam aquarum naturam, ingentes feracium ac sterilium arborum silvas, frequentem virorum sapientia, prudentia, fortitudine, justitiaque illustrium multitudinem, ab incepto intempestive digrederer : quemadmodum longe celeberrimam Virginem Agatham Martyrem, quæ ea in urbe et nata et educata, et cruciatibus affecta est propter Christum, quæque ut sacrosanctæ sui corporis reliquiæ ibidem conquiescerent gratum acceptumque habuit, quas quidem ignei torrentes ex supereminente Ætna defluentes, præter omnium expectationem, venerabundi sunt reveriti.

D

*AUCTORE J. B.*

*de S. Agathæ patria quæ scribat?*

*Latine reddita a Franc. Blanditio.*

E

113 *Hanc interpretationem multis impugnat Inveges, et alii ab eo citati. Singula, quæ is objicit, expendemus. Primum ea verba,* Κατάνη μὲν προσεχὴς Σικελίᾳ πόῤῥω περίπυστος, *ita interpungit et explanat :* Κατάνη μὲν προσεχὴς, Σικελία πόῤῥω, περίπυστος. Catana quidem proxima, remota vero Sicilia, celeberrima. *Nam in autographo* Σικελία *esse in recto, non* Σικελίᾳ *in Dativo casu : neque* ἐν *interponi, ut significetur* in Sicilia. *Verum* προσεχὴς Σικελίᾳ *interpres* in Sicilia *vertit : recte; quasi* Siciliæ adnatam, adhærentem, incumbentem *dicat, ac velut* ab Sicilia apud se habitam. *Si* πόῤῥω *pro remote positum esset, deberet hæc minimum esse constructio, ut intelligi posset,* ἡ δὲ πόῤῥω Σικελία, remota vero Sicilia. *At non nisi duplicem assignat patriam scriptor, cœlestem et terrestrem; non iterum hanc declarat se in remotam et propinquam velle distribuere. Nec video (licet quosdam ita loqui meminerim) cur ei qui Catanæ sit natus, propior sit Catana quam Sicilia. Si quis regionem aut provinciam velit afferre ad ejus de quo agitur laudem, potest sane ex oratorum, quæ etiam Inveges citat, præceptis, natum dicere in Sicilia; et cum ea recensuerit quæ generatim ad Siciliæ commendationem pertinent, tum addet, inter omnes Siciliæ urbes Catanam aut Panormum peculiari hac laude excellere, et demum ortu quoque talis hominis gloriari. Verum qui propior una, altera remota dici debeat, non video. Est ipsa quidem regno prior antiquiorque, quam qui in ea sunt populi, vici, urbes; non remotior. Sic ergo Petri verba interpungi atque exponi debere videntur :* Κατάνη προσεχὴς Σικελίᾳ, πόῤῥω περίπυστος. Catana in Sicilia existens, longe celeberrima. *Illud de nominativo ac Dativo ex eorum genere est, quæ plurima incuriosi amanuenses committunt; ut in nostro quoque*

*contra eam versionem objectiones grammaticales, solutæ :*

F

*Græco apographo videre est. Aliud tamen a Paulo Belli nostro Messanæ ex sancti Salvatoris Basilianorum monachorum bibliotheca accepimus, in quo diserte* Σικελία *scriptum.*

*Item aliæ.*

114 *Arguit deinde Blanditium Inveges, quod* σὺν *pro* ὢν *legerit, atque* Igitur *verterit. Propius nihil fuit, quam ut suspicarer ego pro* οὖσα *positum, cum scriptum esset* περίπυστος ὤν. ὢν *restitui, ut sit* quarum. *Catanæ nimirum Siciliæque. Patitur Inveges* ἧς *quoque, id est* cujus *scribi : sed manente* Σικελία *numquam nisi ad Catanam referre poterit. Illud quoque perperam exponi queritur,* Ἀέρων εὐκρασίαν, aeris temperiem : *vult* aerum *dici : per nos licet, sed necesse non est, cum in plurali numero vix usurpetur, et significatio eadem sit etiam in singulari. Æque et aeres esse varios, variis tempestatibus in urbe una dicemus, et aerem tota insula lenem ac placidum : ne quid in ea voce esse præsidii putetur, ad persuadendum, quæ dicta sunt, de universa dici provincia, non de urbe una.*

115 *Præcipue illud displicet, quod* ἐν ταύτῃ γεννηθεῖσαν, τραφεῖσαν, μαρτυρήσασαν, *vertit, Blanditius :* in ea urbe natam, educatam, martyrio defunctam, *sive, ut habet,* cruciatibus affectam. *Nam in Græco non haberi vocem illam* urbe, *sed solum* ἐν ταύτῃ, in hac, *nempe Sicilia. At vetusta, quam stabilivimus lectione,* Κατάνη προσεχὴς Σικελίᾳ, *dici id non potest : et si de Catana est sermo, venustius repetitur* in hac urbe.

*et præcipue ubi in urbe Catana nata S. Agatha dicitur.*

*De Catana autem nisi hæc intelligi auctor voluisset, quid necesse erat Agatham potius quam Luciam, aut alium quemcumque Sanctum Siculum adferri? quid locum nativitatis, educationis, martyrii conjungi? quid de reliquiis isthic depositis fieri mentionem? Imo non unam Agatham recensere ejusque reliquias debuisset; sed scribere, multos in ea genitos alitosque sanctos homines, eorumque reliquiis varias urbes ornari ac muniri. Voluit ergo Catanensi Athanasio Agatham addere ex eadem urbe natam. Ita inferius cum Athanasii parentes scribit Patras urbem Peloponnesi migrasse, addit :* in qua urbe Andreas primus ad apostolatum vocatus, .....per crucem beatissimum finem consecutus est. Εἰς τὰς ἐν Πελοποννήσῳ παλαιὰς Πάτρας κατῆραν, ἐν αἷς καὶ ὁ πρῶτος ἐν ἀποστόλοις κληθεὶς Ἀνδρέας.... τὸ διὰ σταυροῦ μακαριώτατον τέλος ἐδέξατο. *Patet et Græcis,* in qua urbe *addendum ad vitandam amphibologiam. Ergo ut hæc quasi ornatus gratia, cum de Patris loquitur, addit S. Andream in urbe illa, non generatum in Peloponneso, actum in crucem; ita cum de Catana loquens Athanasii patria, quæ alia addidit de S. Agatha, videntur omnino ad Catanam proprie spectare.*

## § XIV. *Pro Catanensibus citati Pontifices, Reges, Episcopi, Sancti, scriptores varii, Breviaria, traditiones, etc.*

*Alia depromunt argumenta Catanenses, neque omnino nullius roboris.*

*Testimonium Urbani II Papæ,*

*IX est* Urbani II *Pontificis Maximi auctoritas. Consecratus est Urbanus,* IV *Id. Martii, die Dominico an.* CIↃLXXXVIII. *Obiit* IV *Kal. Aug.* CIↃLXXXXIX. *Erat autem, ut scribit Platina,* doctrina et sanctitate vitæ quovis grandi magistratu dignus..... sanctissimus Pontifex, et non opere solum et exemplo, verum etiam scriptis contra hæreticorum dogmata Ecclesiam Dei confirmavit. *Ac proinde non videtur, si qui illi ab epistolis erant, quidpiam iis inseruissent, et si ornatus duntaxat gratia, quod veritati aut receptæ ea ætate opinioni non congrueret, toleraturus fuisse; quamvis id alioquin ad fidei doctrinam moremque disciplinam non pertineret. Is igitur in diplomate, quo Episcopatum Catanensem, post pulsos Saracenos restitutum (quod diploma integrum ex legitimo apographo descriptum, infra damus) ita loquitur :* Constat Cataniensem (ubi B. Agatha et orta et passa est) civitatem, dignitatis Episcopalis antiquitus gloria claruisse. *Respondent Panormitani, diploma olere phrasim Siculam : videri quod in parenthesi est* (ubi B. Agatha, *etc.*) *a quopiam insertum, vel ita legendum :* ubi B. Agatha torta et passa est : *vel e supplice libello sumptum, uti et alia. Manifestum saltem videtur, eam tunc, id est, ante annos* IↃXL *receptam fuisse opinionem, quod Catanæ orta S. Agatha esset.*

*Alexandri III.*

117 *X et XI ex gemino* Alexandri III *Papæ diplomate, cujus utriusque authenticum penes nos exemplar est : datumque alterum est, ut infra dicemus, anno* CIↃCLXVIII, *alterum* CIↃCLXXI. *In utroque eadem leguntur verba, ex Urbani diplomate transscripta, quasique confirmantur.*

118 *XII* Gisleberto *Gallo, qui Constantinopoli* in aula Regis militari fungebatur officio... *ipsa S. Agatha,* per nocturnam visionem, semel et iterum atque tertio se representans, præcepit, ut se ab ecclesia, in qua jacebat, latenter ablatam, Cataniam, ubi pro Christo fuerat coronata martyrio, reportaret. *Verum neque dixit se ibi natam, nec alioquin ex verbis id confici potest.*

*Mauritii Ep. Catanensis.*

119 *XIII* Mauritius *Episcopus, in præfatione historiæ Translationis, testatur,* corpus beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ ad proprios deductum esse alumnos. *Vide citatum hymnum ab eodem compositum Mauritio, in quo ista canit multo clariora :*

Defende tu Trinacriam
O Rosa venerabilis,
Et præsertim tuam patriam
Cataniæ tam nobilis.

*At Mauritii testimonio hoc minus tribuunt auctoritatis Panormitani, quod, licet alibi natus, erat tamen Catanensis Episcopus, debebatque Ecclesiæ suæ suffragari. Etiamne si falsum putasset, vir gravis ac religiosus? Eu gratiæ fieri quemquam Episcopum velle, ut vel leviter mentiri pro Ecclesia sua cogatur?*

*Abbatis Archiepiscopi Panormitani,*

120 *XIV Ergo saltem Archiepiscopus Panormitanus suis civibus suspectus esse non potest. Est is* Nicolaus Tudescus, *Juris Canonici peritissimus, qui vulgo* Abbas Panormitanus *appellatur; ideo, opinor, quia cum antea scripta ejus sub nomine* Abbatis *citarentur, quia Maniacensis cœnobii Abbas erat, ubi Archiepiscopus Panormitanus est factus, utrumque conjunctum est nomen, ut* Abbas Panormitanus *citaretur : vel quia antea* Abbas, *tunc* A. Panormitanus *subscribebat, putarunt lectores Abbatem Panormitanum dici, cum* Archiepiscopus *esset legendum. Quamquam Pirrus antea* Abbatem Panormitanum *dictum contendit, et patria fuisse Panormitanum. Fazellus dec.* 1 *lib.* 3 *cap.* 1 *ita scribit :* Nicolaus cognomento Todiscus Catanensis fuit. *Idem asserit Bellarminus, Miræus, Ciacconius, Ughellus, atque alii qui de scriptoribus Ecclesiasticis et Cardinalibus scripserunt. Cl. Marius Aretius Patricius Syracusanus in Chorographia Siciliæ, edita an.* CIↃIↃXLIV, *ista habet :* Nicolaus quoque Tudiscus, cognomento Abbas, proximis ante annis juris prudentissimus, qui multa scripsit, Catinæ claris ortus natalibus, Archiepiscopus Panormitanus. *Atque ipsemet in* 1 *partem lib.* 2 *Decretal. in proœmio ita de se loquitur :* Ego Nicolaus de Tudesco Cataniensis Siculus,.... confisus de implorato auxilio, ad ipsius honorem cujus res agitur, ac de piissimæ ac devotissimæ Virginis ipsius genitricis Mariæ gloriosissimæ, et Agathæ patronæ et compatriotæ meæ, et Luciæ præclarissimæ Siculæ, cujus hodie pervigilium colimus, non minus Benedicti, cujus a pueritia habitum gero, ad destinati operis perfectionem fidentiori et feliciori animo condescendo.

*Blandini historici.*

121 *XV Blandinus monachus, qui ante* IↃ *annos vixit, in miraculis S. Agathæ cap.* 1 *num.* 2 *ista habet :* Quod vero ita Cataniam præteriere *Hispani piratæ,* illius adscribitur gloriæ, quæ propriæ est liberatio patriæ.

A 122 *XVI Frederico* II *Imperatori, cum cædi Catanenses omnes destinasset, uti infra in Sylloge Miscellaneorum miraculorum c.* 9 *fusius narratur, divinitus hæc minæ ingestæ :* Noli offendere patriam Agathæ, quia ultrix injuriarum est.

*Frederici* II *Imp.*

123 *XVII Vincentius Bellovacensis, de quo ante diximus* § 8 *num.* 54 *de S. Agatha scribit lib.* II *Speculi historial. cap.* 52 Quæ in urbe Catanensium nobilis genere, mente et corpore pulcherrima, Deum semper in omni sanctitate colebat. *Eadem habet Claudius Rota ejusdem Ord. et quædam Breviaria. At non hinc conficitur, ibi natam, sed solum habitasse, quod Panormitani non negant.*

*Belvacensis,*

124 *XVIII Ludovicus, Petri* II *filius, Rex Siciliæ, in privilegio, quo Catanam,* sororem tertiam, *ut ait,* datam Panormo ac Messanæ, *multiplici ornat immunitate, ita loquitur :* Divine, ut credimus, natalis nostræ auctrix Agatha fuit beata Cataniæ, quia sicut nos in sua patria nasci voluit.

*Ludovici Regis Sicil.*

125 *XIX S. Vincentius Ferrerius ex Ordine Prædicatorum vir apostolicus, qui anno* CIƆCCCCXIX *decessisse traditur, hæc habet in sermone de S. Agatha :* Cum esset nobilior genere, pulchrior corpore, et famosior in bonitate, civitatis Catanensis.

*S. Vincentii,*

B 126 *XX* S. Antonius, *ex eodem ordine Archiepiscopus Florentinus, adducitur ad easdem firmandas partes; sed minus etiam favet, quam duo jam citati Vincentii. Scribit enim par.* 1 *Chron. cap.* 7 *titul.* 7 § 5. Passa est B. Agatha, Virgo nobilis genere, pulchra corpore, speciosior fide, in Catana civitate Siciliæ. *Quis id negat?*

*S. Antonini,*

127 *XXI S. Antonino annis* CLX *antiquior fuit* Jacobus de Voragine, *Episcopus Genuensis, iisdem S. Dominici institutis formatus, auctor historiæ Lombardicæ, sive Legendæ Aureæ, quam in Præfatione Januario præfixo cap.* 1 § 4 *contra Georgii Wiceli imperitam censuram ac Ludovici Vivis dicteria defendimus. Is eadem fere habet quæ Bellovacensis :* Agatha Virgo ingenua mente, corpore pulcherrima, in urbe Catanensium Deum semper in omni sanctitate colebat. *Ac postea Angelicam tabellam, in ejus sepulchro positam, ita exponit :* Mentem sanctam habuit, spontaneam se obtulit, honorem Deo dedit, et patriæ liberationem fecit.

*Jacobi de Voragine,*

128 *XXII* Paulus Regius, *Vici Æquensis in regno Neapolitano Episcopus,* I *parte Operum spiritualium Clementi* VIII *dicata an.* CIƆ IƆLXXXXIII, *qua multorum Sanctorum Vitas complexus est, pag.* 813 *ita de S. Aga-* C *tha scribit :* Nobilissimo genere nata Cataniæ, formosa animo et corpore, sed Christianæ fidei gloria multo formosior.

*Pauli Regii Ep. Vicen.*

129 *XXIII* Paulus Æmilius Sanctorius, historiarum scriptor præclarus, *ut in ejus epitaphio apud Ughellum dicitur, qui multis in Curia Romana muneribus præclare gestis, Consentinus dein Archiepiscopus factus, ac postremo Urbanas, ubi grandis natu decessit; in libro de* XII *Virginibus Martyribus, quem eidem Pontifici dicavit, S. Agathæ Vitam ita orditur :* Catana ad Ætnæ radices sita montis est, Naxiorum olim colonia.... Ex hoc oppido Agatha traxit ortum, nata Ulpio et Proculo Pontiano consulibus, in patria mactata posterioribus seculis ad famam sempiternam et monumentum.

*Sanctorii Archiep. Urbinates,*

130 *XXIV Ecclesiæ illi in urbe Catanensi dicatæ, supplicationes anniversariæ, aliaque proferuntur, uti et a Panormitanis supra. Ea natale solum an probent, expendant alii.*

*Catanæ ei ecclesiæ dicatæ,*

131 *XXV Traditio esse dicitur Catanæ, palatium illic ejus parentes habuisse : ipsam autem eo relicto habitasse in domo exigua, quam fama est extitisse via quæ* Jacob *dicitur, ubi nunc antiquissimum sacellum* S. Mariæ a Gratiis, *de quo infra in Sylloge miraculorum c.* 9 *num.* 57. *Allegant denuo S. Vincentii Ferrerii testimonium, quod ita habet :* Mortuis parentibus, remansit D hæres illius magni palatii patris sui : quæ exemplo Christi dimisit palatium patris, et ornamenta, et vasa aurea et argentea, et restrinxit se in quadam parva domo, ut simplex persona.

*ejus palatium, domus ...*

AUCTORE J. B.

132 *XXVI De ejusdem juxta Catanam fundis illud citant ex P. Colnagi MS. memoriali :* Nos non longe ab urbe nostra digito indicare possumus, quem fundum hodie vulgus Bonvicinum appellat, et B. Agathæ patrimonii partem, non obscura populi voce traditam. *Addunt alii ab amne Simætho ad urbem usque Leontinorum protensus illius fuisse possessiones : ipsumque Simæthum inferiorem, vulgo* la Giarretta di Sotto, *nunc et a multis retro temporibus, appellari* la Giarretta di S. Agatha.

*possessiones.*

133 *XXVII Proferunt Catanenses Breviaria; ac præsertim Romanum Pii* V, *quo Ecclesia ab anno* CIƆ IƆLXVIII *ad* CIƆ IƆCII *usa est, in eo ista habentur :* Agatha Virgo Catanæ in Sicilia nobilibus parentibus nata. *Non esse autem committendum, ut exprobrari ab hæreticis possit Ecclesiæ, eam aliquando falsa in publicis precibus, auctoritate Pontificis, recitasse. Nam licet in ea Breviarii recognitione, quam fieri Clemens* VIII *jussit, mutata sint quædam, non tamen prioribus fides detracta, sed indicata solum nobilissimæ urbis in oppositum con-* E *testatio. Ita illi, qui et alia antiquiora citant variarum Ecclesiarum propria Breviaria, ut Ambianense anno* MDL *excusum, quod ita habet :* In urbe Catanensium beata Virgo Agatha nobilibus orta erat parentibus. *Erfurtense an.* MDXVIII *editum :* Cum B. Agathe in urbe Catanensium ab ineunte ætate pudice vivens floreret. *Eadem habent Wormatiense an.* MDLXXVI. *Spirense an.* MCCCCLXXVII *et* MDVII. *At Moguntinum an.* MCCCCXCV *et* MDVII, *ac Passaviense* MDV, Agatha Virgo, mente ingenua, et corpore pulcherrima, in urbe Catanensium Dominum semper in omni sanctitate colebat. *Citant et alia, quæ non vidimus, neque hæc magnopere Panormitanis adversantur, cum fateantur hi, ab ineunte ætate Catanæ habitasse.*

*Breviarium Rom. Pii* V

*et alia,*

134 *XXVIII Sunt revelationes sanctimonialium aliquot feminarum,* Franciscæ Contarellæ, Agathæ Bolanæ, Franciscæ Colnagæ, *quibus vel per ipsam Sanctam, vel alio quopiam modo ostensum fertur divinitus, ut ex Carrera scribit Inveges, Catanæ natam Agatham, et ubi parentum ejus magnificæ ædes steterint. Exsibilant Panormitani illa* oracula muliercularum, *ut vocant. Momentum certe in judicio habere nullum possunt : cum, etsi vere reddita divinitus forent (qualia multa certum est ad piorum animarum solatium vel institutio-* F *nem iis aperiri) tamen quamdiu ab Ecclesia approbata non sunt, nullam omnino obtineant auctoritatem, ac ne vulgari quidem id libris debeant, neque pro concione ut veræ revelationes commemorari.*

*Revelationes, non probatæ.*

## § XV. *Catanensibus favent recentiores multi scriptores.*

Q*uæ jam recensita est media acies, Pontifices Maximos, Reges, Episcopos, Sanctos, scriptores alios vetustate commendabiles exhibuit, machinasque Breviariorum ac Revelationum. In postremum agmen conjiciemus turmas aliquot recentiorum scriptorum, quibus tamen sua eruditio haud modicam conciliavit auctoritatem, quibusdam etiam non obscura vitæ sanctitas. Sed ne viritim eos citemus, in quasdam potius veluti turmas partitos, in subsidiis locabimus.*

*alii multi scriptores*

136 *XXIX Prima turma est scriptorum, quorum quæ citantur opera, ipsi non vidimus, sed testimonia ex iis translata.* Franciscus Maurolycus, *Abbas Messanensis, cujus solum habemus Martyrologium, in historia Siciliæ, eam appellat* Virginem Catanensem. *Idem habet* Petrus Ricordatus *monachus Cassinensis in historia monastica, ubi claros homines Catanæ ortos recenset.*

*quidam nobis non lecti,*

Angelus

A Angelus Sangrinus *Abbas Cassinensis in hymno quodam* Catanæam Virginem *vocat, item* Martyrem et Virginem Catanæam, et fœcundi Catanensis agri germen odorum. *At* Laurentius Fulginas *Hymnorum lib.* 3 *hym.* 19 Catanensis urbis stirpe sublimem. Matthæus Silvagius *Catanensis ex ordine Minorum strictioris observantiæ Theologus Historicus, et Mathematicus, qui circa annum* MCCCCXC *vixit, de Sicilia agens ita loquitur :* Est ibi clarissima Catanensium civitas, Beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ patria. Benedictus ab Uva *monachus Cassinensis in vernaculo poemate de quinque prudentibus Virginibus, Agatham dicit* Catanæ natam; *quæque contra afferuntur, fabulas esse.* Bartholomæus a Paternione, *ex eadem familia monachus, in Etrusco quodam poemate de Agatha loquens,* Nata est Catanæ, *inquit,* ista Virguncula.

*alii qui solum Catanensem vocant :*

137 *XXX Secunda turma, eorum qui* Catanensem *solum appellant, maxima est : paucullos, quos legimus ipsi, nominabimus.* Cl. Marius Aretius *Syracusanus in Chorographia Siciliæ :* Ubi nunc templum est Divæ Agathæ Virginis Catinensis, *ac deinde :* Arsit et altero post S. Agathæ Catinensis martyrium anno. Andreas Eborensis *in libro Exemplorum memorabilium tit. de castitate, vocat* Agatham Catanensem Virginem, *pari plane modo quo* Luciam Syracusanam Virginem. B *Idem habet* M. Marulus *Spalatensis lib.* 4 de religiose pieque vivendi institutione per exempla *cap.* 8 *de castitate fœminarum.* M. Antonius Coccius Sabellicus *Exemplorum lib.* 5 *cap.* 8 de patientia in dolore ferendo : Agatha Catinensis Virgo. *Michael Monachus vir doctissimus, auctor Sanctuarii Capuani sæpius a nobis citati, in Hymnis MSS. quorum supra meminimus* § 3 *num.* 16, *ita habet :* Ave Virgo Catanensis, *et in alio :* Catanensis ave Rosa.

*qui diserte ibi natam, Siculi.*

138 *XXXI Tertia scriptorum Siculorum turma est, qui expressius de patria ejus loquuntur.* Antonius Philotheus de Homodeis *in Ætnæ topographia ita scribit de profluvio ignis Catanam versus decurrente :* Intercedente pro patria Virgine Agatha, ea tota, ignis congeries... constitit. *Et postea :* Catinenses adhuc idolorum superstitione affecti, ob earum civis martyrium Agathæ, in Christum credentes, fideles effecti sunt Christiani. *Editi sunt Messanæ an.* MDCX *ab Laurentio Valla Hymni et epigrammata* in D. Agatham Virg. et Mart. Catanensem, *suppresso nomine auctoris, qui erat* Bartholomeus Petraccius *Mamertinus, e Societate Jesu. In primo epigrammate dicitur* orta ubi passa necem. *Hymno* 2 :

Gratus ut civis moribundam ab igne
C Ocyus vasto rapiens. *Idemque post repetit.*
*Et Hymno* 6 Gementum
Civium casus miserata.

*Denique, ut alia omittam, in hoc epigrammate sensum suum satis declarat, S. Agatham alloquens :*

Si soror et conjux Christi es, cur dissona longe
De te vota tuis urbibus esse sinis?
Non urbs una sibi te civem vendicat; urbes
Te Catana ut civem, teque Panormus amant;
Illa ait : Ætnæis nata est in finibus; ista,
Nascentem hanc noster vidit Oretus, ait.
Christina et Nympha cum sis antiquior, unde est
Quod postrema tibi sacra Panormus agit?
Cur Catanæ e contra primo dignaris honore,
Sola capis templum, solaque vota capis?
Nata es (vis dicam?) Catanæ, sed adulta Panormi,
Et tis distinctis sponsa sororque locis.
Mox repetis Catanam, et tunque fers ubera linquis:
Sic soror hic iterum tis, ubi nata soror.

Benedictus Salvagus *I. U. D. in Apologia pro* pietate Messanensium § 7, *breviter et eleganter quamplurima congerit argumenta : sed tandem, cum alio quodam, quem defendit, viro docto,* satius ratus veritatem *(ut ait)* animo complecti quam rixari, *fatetur* fieri potuisse ut Panormi sit nata; *et,* omnibus municipibus duas D esse patrias, alteram naturæ, seu loci, alteram civitatis, seu juris. Paulus Belli, *e Societate Jesu, eruditione, prudentia, pietate illustris, in citata superius* Gloria Messanensium, *de Constantino Lascare loquens, haud obscure declarat se a Catanensium partibus stare.*

*Itali.*

139 *XXXII Italorum turma quarta.* Jacobus Philippus Bergomensis *ex ordine Eremitarum S. Augustini, qui anno* MDXVIII *decessit, ætatis* LXXXV. *Is in Supplemento Chronicarum, ad an.* DCCXLI *ante Christi adventum,* Catinam *vocat* Agathæ sanctissimæ patriam atque sepulchrum. *Et lib. de claris mulieribus cap.* 85 *sic inter alia loquitur :* Erat adolescentula et genere invisaque formositate ac celebri ingenio et doctrina, inter Catanienses fœminas plurimum insignita, *etc.* Leonardus de Utino *S. Th. D. ex Ord. Prædic. in sermonibus de SS. an.* MCCCCLXXVIII *denuo recusis Nurenbergæ, de S. Agatha ita loquitur :* Cum enim esset nobilissimis orta natalibus in civitate Katania, spreta seculi vanitate, Christi ancilla effecta. Raphael Maffeus Volaterranus *(quem supra cum de S. Candido Mart. ageremus in Febr. pag.* 330 *prædicavimus* nobilitate generis, scriptorum copia et elegantia, *ac* præsertim continentia, modestia, vitæ austeritate, pietate, longe clarissimum); *Geograph. lib.* 6 *de Catana loquens,* Nunc multo celebrior, *inquit,* Agathæ E Virg. natalibus. *Juxta quæ intelligendum, quod lib.* 1 *Anthropologiæ, sive Commentarior. urbanor. lib.* 13 *idem scribit :* Agatha Virgo Catanensis et Martyr. Baptista Mantuanus *Ordinis Carmelitani Generalis, qui an.* MDXVI, *ætatis* LXXVIII *decessit, in ipso quidem Virginis agone* Catanæam Agathen *vocat, sed lib.* 2 *Fastorum liquidius sensum suum exponit his versibus :*

Diva vale, nostrique memor dignare quotannis
Non Catanam solum patriam, Siculosque penates,
Sed nostros etiam veniens invisere fines,
Et pacare animos hominum, qui sæva per omnem
Italiam mittunt vesani incendia Martis.

Marcus Guazzus *in Chronicis an.* MDLIII *editis, ita scribit :* Nata est in civitate Catania in insula Sicilia Agatha Martyr. Constantius Felicius *in Kalendario:* Agatha Virgo et M. colitur ab Ecclesia, hæc in urbe Siciliæ Catana, ubi nata erat, multa tulit tormenta, *etc.*

*Belgæ.*

140 *XXXIII Postrema turma Belgarum est, e quibus duos solum producam, præclaros ac mihi familiariter notos scriptores. Primus est* Franciscus Haræus *Ultrajectinus, e quo admodum sene olim Lovanii, cum Theologiæ darem operam, multa didici, quippe qui omnem fere Europam peragrarat, ipsamque etiam Moscoviam cum* F *Possevino nostro adierat, cohabitaverat Romæ Cardinali Bellarmino, cum plerisque suæ ætatis viris doctis egerat, legeratque quamplurima : is ergo in Vitis SS. an.* 1605 *editis ita scribit :* Agatha Virgo Catanæ in Sicilia nobilissimis parentibus nata. *Alter est* Aubertus Miræus *Bruxellensis, Ecclesiæ Cathedralis Antverpiæ Decanus atque Episcopi Vicarius generalis, vere πολυμαθὴς, ac præsertim antiquitatum sacrarum scrutator indefessus. Hic in Notitia Episcopatuum Orbis ista habet :* Catana V. E. vetus in Sicilia, sub A. Montisregalis, gloriatur cive et Martyre S. Agatha, cujus corpus ibidem in Cathedrali adservatur.

## § XVI. *Nostrum de tota controversia judicium.*

*et de quidam jam citatos scriptores contemnunt.*

P*leraque eorum scriptorum, quos Catanensibus suffragantes jam produximus, cum olim Romæ essent citati, respondisse Marianus Valguarnera fertur in hæc verba :* Quod triobolares nescio quos scriptores nobis opponunt, quis hæc audiens non stomachetur? quis æquo animo ferat? *Ita memorat Inveges Annalium Panormit. par.* 2. *pag.* 191. *Miror homini erudito, eruditorum*

A *rum hominum, ne addam sanctioris vitæ professione clarorum, tam vilia fuisse copita et scripta; singula ut ternis obolis æstimaret. Major est Augustini Invegis comitas ac moderatio, qui etiam quos refutat, humaniter et honorifice appellat. Nos certe plures, ac merito quidem eos facimus, quorum in componendis libris, ad inflammandam pietatem, moresve informandos accommodatis, desudavit industria.*

*Nos correctionem Breviarii reveremur*

142 *Sed quærere nonnullos jam arbitror, qui ipsi tandem de tota hac controversia sentiamus. Primum veneramur, quod est a Pontifice Maximo decretum, ut in Breviario ita rescriberetur :* Quam Panormitani et Catanenses civem suam esse dicunt. *Atque id sentimus non modo verissime, sed et sapientissime pronuntiatum. Cavendum enimvero non modo ne falsum quid in publicas Ecclesiæ Lectiones precesque ingeratur, sed nec ejusmodi quod ulla unquam ratione argui falsitatis queat, aut in dubium certe revocari.*

*nec arrogamus nobis de re tota judicium,*

*Deinde ingenue profitemur, non esse nos ea vel ingenii perspicacia vel copia doctrinæ præditos, ut de re tantis studiis, tanto tempore agitata, ferre judicium audeamus : aut si feramus, tantum adjicere pondus posse, ut in nostram sententiam dissidentes invicem partes inclinemus. Diligentiam certe quidem studiumque multorum mensium impendimus, ut quæ a variis tradita sunt* B *evolveremus ac fide summa recenseremus. Diximus tamen, quam vim singula argumenta, aut præcipua quidem, habere nobis viderentur : qua ipsa in re liberam cuique secus sentiendi potestatem reliquimus : uti relictam nobis, ab iis qui prius scripserant, sentiebamus.*

*æque utrique parti addicti·*

143 *Testamur autem arcanorum arbitrum Numen, ipsamque sanctissimam Virginem Agatham; perinde esse nobis utrius partis sit jus potius, utri, inquam, urbi gloria natalium Virginis debeatur : neque enim vere utrique, pari saltem modo, potest competere, cum plus uno natalis cuiquam locus esse non possit. Ea igitur fide ac sinceritate hic agimus, ut ne tenuissima adhærescere nomini nostro gratiæ in alteratram partem suspicio possit.*

*imo similes controversias, alioquin utiles,*

144 *Licet autem ad honorem sanctæ Virginis parum, aut nihil fortasse, referat, utra in urbe sit nata; refert tamen (ut nobis videtur) quamplurimum, ut ipsæ inter se de ea re urbes contendant : modo citra odia, motusque animorum eos, qui Christianæ, qua invicem devinctæ esse debent, communioni adversentur : verum ut nitore ac magnificentia templorum, solemnique sacrorum apparatu, ac potissimum Sanctæ ipsius constanti æmulatione, superare invicem adnitantur. Et vigebit certe quidem in iis urbibus studium exercitatioque virtutis, dum ea manebit contentio. Nam si illa vilipendere cœperint, parum* C *deinde laborabunt, ut suam fuisse illam demonstrent, cujus omne ab virtute, quæ jam contemnatur, decus extiterit. Eatenus autem ea favenda contentio, donec clare patescat veritas, cui nefas velle repugnare. Quæ porro pietate, vitæ innocentia, eruditione clari homines ad eam rem excogitant, aut aliunde eruunt argumenta, ea an ad veritatem patefaciunt viam mature inquirendum, non ipsimet illico oppugnandi aut publica opprimendi auctoritate. Et hæc est caussa, cur, quas ut fructuosas probamus de Sanctorum natalibus, aut etiam reliquiis, contentiones, modestas tamen eas et amicabiles, nos tamen perinvito stylo exequamur, cum veritati numquam et parti utrique simul, sæpe, illa salva, harum neutri satisfieri possit.*

*amice tractamus.*

145 *Demum ambas hasce nobilissimas urbes optamus pace, opibus, gloria, sed potissimum religione studioque virtutum omnium florere, patrocinio Sanctæ Martyris, cujus maxime satagunt, ea etiam contentione, honorem amplificare. Nobis autem ejusdem gloriosæ Virginis favorem tutelamque imploramus.*

# ACTA S. AGATHÆ

## ex Bonino Mombritio et XVI Latinis MSS.

### QUÆSTIO I.

### *S. Agatha varie tentata, alapis cæditur.*

Passionis beatissimæ Virginis et Martyris *a* Agathæ, quæ passa est in provincia Siciliæ, in urbe *b* Catanensium, sub Decio Imperatore, ipso Decio *c* ter Consule, die Nonarum Februariarum, recitamus historiam. *a b c*

*S. Agatha passa Decio tertium Cos.*

2 Quintianus, *d* Consularis provinciæ Siciliæ, audiens sanctam opinionem Virginis Deo dicatæ Agathæ, multifaria intentione perquirebat, ut ad eam pertingeret. Per singula enim crimina mentis suæ, singulorum in se vitiorum exagitabat affectus : utpote pro gloria seculi concupiscens suam opinionem extendere, nobilissimis ortam natalibus Dei famulam fecit arctari, ut qui erat *e* de genere ignobili natus, per hoc personaret ad aures vulgi, quod tantus esset ac talis, qui posset etiam spectabilium sibi subjugare personas : ut libidinosus autem, ad aspectum Virginis pulcherrimæ oculorum suorum concupiscentiam commovebat : et ut avarus ad facultates ejus cupiditatis suæ fræna laxabat : atque ut idololatra et dæmonum servus, fervore impietatis suæ inflammatus, Christi nomen audire non poterat. E

*d capta a Quintiano Consulari, e ignobili, luxurioso, impio;*

3 His et hujusmodi, ut diximus, furiis comprehensus, B. Agatham a suis fecit apparitoribus coarctari, et fecit eam cuidam matronæ tradi, nomine Aphrodisiæ, quæ habebat *f* novem filias turpissimas, sicut fuerat et mater earum. Hoc autem fecit, ut per dies triginta quotidie blandirentur ei, et mutarent *g* animum ejus : et modo promittendo læta, modo *h* terrendo asperis, sperabant ejus mentem sanctam a bono proposito revocare. Quibus S. Agatha dicebat : Mens mea solidata est, et in Christo fundata : verba vestra venti sunt, promissiones vestræ pluviæ sunt, terrores vestri flumina sunt; quæ quantumvis impingant in fundamenta domus meæ, non poterit cadere; fundata enim est supra firmam petram. Hæc autem dicens *i* flebat quotidie, et orabat; et sicut *k* sitiens in ardore solis fluenta fontium concupiscit, ita desiderabat ad martyrii coronam attingere, et diversa pro Christi nomine supplicia sustinere.

*traditur Aphrodisiæ pervertenda, f g h cui precibus et lacrymis resistit, i k cupida martyrii :*

4 Videns igitur Aphrodisia mentem ejus immobilem permanere, abiit ad Quintianum, et dixit ei : Facilius possunt saxa molliri, et ferrum in plumbi mollitiem converti, quam ab intentione Christiana mens istius puellæ revocari. Ego enim et filiæ meæ sine cessatione vicibus nobis invicem successimus, et per diem et noctem nihil aliud gessimus, nisi ut ageremus qualiter animum ejus ad consensum boni consilii inclinaremus. Ego etiam et gemmas et ornamenta insignia, et vestimenta auro texta obtuli : ego domos et prædia suburbana repromisi : ego varium ornatum domus, ego familias diversi sexus et ætatis exhibui : sed ista omnia quasi terram, quam pedibus suis conculcat, ita pro nihilo computavit. Tunc iratus Quintianus jussit eam ad secretarium suum adduci, et sedens pro tribunali, hoc initium sermonis arripuit : Cujus conditionis es? B. Agatha respondit : Non solum ingenua, sed ex spectabili genere, ut omnis parentela mea testatur. Quintianus Consularis dixit : Et si ingenua probaris et nobilis, cur moribus te servilem personam *l* ostendis? S. Agatha dixit : Quia ancilla Christi sum, ideo me servilem ostendo personam. Quintianus dixit : Certe si ingenua eras et nobilis, quomodo te ancillam esse commemoras? S. Agatha dixit : Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur. Quintianus dixit : Quid ergo? Nos ingenuitatem non habemus, qui servitium Christi

F *cui blanditiis ac minis, cum filiabus, nil proficiente, tribunali sistitur : fatetur se, licet nobilem, ancillam Christi, l*

A Christi contemnimus, et deorum culturam sequimur? S. Agatha respondit: Ingenuitas vestra ad tantam *m* captivitatem devenit, ut non solum vos peccati faciat servos, verum etiam lignis et lapidibus faciat obnoxios.

*In MSS. Latinis. quæ vera ingenuitas: m*

5 Quintianus dixit: Quidquid furioso ore blasphemaveris, pœnæ poterunt vindicare. Dic tamen antequam ad tormenta venias, cur deorum sancta contemnas? S. Agatha dixit: Noli dicere, deorum; sed dic, dæmoniorum. Dæmonia enim sunt isti, quorum effigies in *n* æramenta convertitis, quorum marmoreas et gypseas facies inauratis. Quintianus dixit: Elige tibi unum e duobus, quodcumque volueris, consilium; aut diversas pœnas inter damnatitios quasi stulta incurrere; aut quasi sapiens et nobilis, quod te natura dictavit, sacrifica diis omnipotentibus, quos veros deos esse vera divinitas demonstrat. S. Agatha respondit: Sit talis uxor tua, qualis dea tua Venus fuit; et tu sis talis qualis *o* Jupiter deus tuus extitit. Quintianus hoc audiens jussit eam *p* alapis cædi. Cui et dixit: In injuriam *q* Judicis noli temerario ore garrire. S. Agatha respondit: Dixisti deos tuos esse, quos vera divinitas demonstrat: sit ergo uxor tua talis ut Venus, et tu ut Jupiter, ut et vos possitis in deorum vestrorum numero computari. Quintianus dixit: Apparet te hoc eligere, ut diversa tormenta sustineas, quæ repetitis me injuriis tuorum sermonum exagitas. S. Agatha respondit: Miror te virum prudentem ad tantam stultitiam revolutum, ut illos tuos dicas deos esse, quorum vitam non cupias tuam conjugem imitari; et dicas tibi injuriam fieri, si eorum vivas exemplo. Si enim veri dii sunt, bonum tibi optavi, ut talis vita tua sit qualis eorum fuisse perhibetur. Si autem execraris eorum consortium, mecum sentis. Dic ergo eos tam pessimos esse, tamque sordidissimos, ut qui maledicere voluerit aliquem, talem illum optet esse, qualis fuit execrabilis vita eorum.

*deos irridet n — o — p q cæditur alapis — B Verum deos ridet, quibus nec ipse Judex se aut uxorem suam esse similes velit*

6 Quintianus dixit: Quid mihi verborum superfluus cursus? aut sacrifica diis, aut variis suppliciis te faciam interire. S. Agatha respondit: Si feras mihi promittas, audito Christi nomine mansuescent: si ignem adhibeas, de cœlo mihi rorem salutiferum Angeli ministrabunt; si plagas et verbera, habeo intra me Spiritum sanctum, per quem universa tua tormenta despiciam. Tunc Quintianus, agitans caput, jussit eam in carcerem tenebrosum recipi, C dicens ei: Cogita tecum, et pœnitere, ut possis evadere tormenta horribilia, quæ te fortiter laniabunt. Agatha respondit: Tu minister Sathanæ, tu pœnitere, ut possis evadere *r* tormenta perpetua. Tunc Quintianus jussit eam celerius trahi ad carcerem: quia eum voce publica *s* confutabat. Sancta autem Agatha lætis ibat et glorianter carcerem intravit, et quasi ad epulas invitata, gaudens agonem suum Domino precibus commendabat.

*minas contemnit: — r detruditur in carcerem iterum. s*

n Quædam MSS. habent Agathes, uti et in reliquo decursu Actorum. — b In quibusdam codicibus legitur, Cathinensium; in aliis Catheneusium et Cathanensium. — c [illegible] quod in vulgatis [illegible] habetur, Decio et Grato Coss. alibi exprimitur Decio II et Grato, quasi Decius anno [illegible] [illegible] fuerit, [illegible] postea pro Decio II et Rustico, esse Decio III et Decio Cæsare [illegible] Decio III et Decio II, anno [illegible] quo anno [illegible] [illegible] vulgaris 252 qua Coss. signati in Fastis Gallus et Volusianus [illegible] supra dicimus §1 num. 4 et 5. — d [illegible] Nostra [illegible] xxii Consularibus [illegible] qui Siciliam rexerit [illegible] 13 Nov. in Actis S. Euplii Calvisianus Consularis [illegible] Agathæ Acta [illegible] pro Consulari [illegible] Proconsulem, Prætorem, Præsidem. — e Quod in MSS. habent, degener et ignotus [illegible] Chronicon [illegible] [illegible] anno Christi 300, [illegible] 2 ad 13 [illegible] Sorti in Cantabria S. Centolla civis Toletana, Consulis L. Bagonis Quintiani filia [illegible] passa sub hujus patre L. Quintiano fortissima Virgo S. Agatha passa cum Helena vidua, in persecutione Diocletiani. [illegible] Quintianum [illegible] [illegible] Consulem [illegible] quos anno 235 cum L. Catilio Severo Consul fuerat [illegible] parentem aut avum fuisse S. Centollæ V. M. de qua 13 Augusti [illegible] Non video cur [illegible] [illegible] perstringatur, si 17 aut 18 annis ante Romæ Consul fuerat. Eumdem

Bivarius esse Quintianum putat, sub quo Ravennæ S. Fusca V. cum Maura nutrice martyrium fecit quod ad 13 Februarii expendemus. — f Belluac. lib. 11 cap. 42 Aphrodisiam ait meretricem fuisse, et quinque et filias tribuit, ejusdem, ut ait, officii. MSS. Baronii et Wilmi, ac S. Antoninus, septem. — g MS. Wilm. amictum. Anforte censuit scriptor, cum habitu modesto esset induta, ut quæ sunt timoratæ student Virgines; eo illi detracto, mollem ac vanum injectum? — h MS. Capuan. minando aspera. Duo nostra MSS. modo terrendo aspera. — i Ut intelligas pie lector, quantum hoc integerrimæ Virgini tormentum fuerit, inter assidua illa ac violenta lenocinia tanto tempore versari, evolve quæ inferimus in Sylloge Miraculorum cap. 1 num. 8 a Michaele Monacho narrantur. — k Quædam MSS. adjiciunt, cervus. — l Addunt MSS. quædam habere. — m MS. Wilm. servitutem. — n Alia MSS. æramento. al. æramentum. MS. S. Mariæ majoris, in ære vertitis. — o MSS. multa habent, Jovis. — p. MS. Schecking lapidibus. — q MS. Baronii. Principis Belulorf Ducis. Quædam MSS. Injuriam Judicis, absque in. — r MS. S. Mariæ majoris et quædam alia æternam damnationem. — f Quædam MSS. confundebat. D

## QUÆSTIO II.

### *S. Agatha equuleo torta et mamillæ abscissione, divinitus curatur.*

Sequenti igitur die impiissimus Quintianus suis eam aspectibus jussit aptari, cui et dixit: Quid tractasti circa salutem tuam? Agatha respondit: Salus mea Christus est. Quintianus dixit: Quousque infelix protrahis intentionem vanam? Denega Christum, E et deos incipe colere, et consule tuæ juventuti, ne acerba morte consumaris. S. Agatha dixit: Tu nega deos tuos, qui sunt lapides et ligna: et Creatorem tuum, qui te fecit, Deum verum adora; quem si contempseris, acerrimis pœnis et perpetuis incendiis subjacebis. Tunc iratus Quintianus jussit eam *a* equuleo ingenti suspendi et *b* torqueri. Cumque torquerent eam, dixit ad eam Quintianus: Relinque intentionem animi tui, ut vitæ tuæ possit esse consultum. S. Agatha respondit: Ego in his pœnis ita delector, sicut qui bonum nuntium audit, aut sicut qui videt quem diu desideravit, aut sicut qui invenit thesauros multos, ita et ego delector in his pœnis temporalibus posita. *c* Non enim potest triticum in horreum poni, nisi theca ejus fortiter fuerit conculcata et redacta in paleas: ita et anima mea non potest in paradisum Domini cum palma intrare martyrii, nisi diligenter feceris corpus meum a carnificibus attrectari.

*S. Agatha iterum Christum confitetur: — equuleo torquetur. a b — et in tormentis exultat — c*

8 *d* Tunc iratus Quintianus jussit eam in mamilla *e* torqueri, et tortam diutius *f* eam *g* abscindi. S. Agatha dixit: Impie, crudelis, dire tyranne, non es confusus amputare in fœmina, quod ipse in matre suxisti? Sed ego habeo mamillas integras intus in F anima mea, *h* ex quibus nutrio omnes sensus meos, *i* quas ab infantia Christo Domino consecravi. Tunc Quintianus jussit eam iterum in carcerem mitti, et jussit ut nulli liceret medicorum introire ad eam; et *k* neque panem neque aquam ei ministrari.

*d — e f g abscinditur ei mamilla. — h — i — neque in carcerem retruditur, ubi neque [illegible]*

9 Cumque fuisset inclusa, ecce circa mediam noctem *l* venit quidam senex (quem antecedebat puer luminis portitor) ferens diversa medicamenta in manu sua, qui se medicum esse commemorans, cœpit eam his verbis alloqui: Licet te nimis corporalibus pœnis afflixerit Consularis insanus, sed tu eum gravioribus suppliciis extorsisti responsionibus tuis: et licet ubera tua torserit et excidi fecerit; *m* sed illius ubertas in fel convertetur, et in amaritudine erit anima illius in æternum. Tamen quia ibi eram qua hora hæc patiebaris, consideravi et vidi, quia potest curam salutis tua mamilla suscipere. Tunc S. Agatha dixit ei: Medicinam carnalem meo corpori numquam exhibui: et turpe est, ut quod tamdiu ab ineunte ætate mea conservavi nunc perdam. Dicit ei ille senex: Et ego Christianus sum, et noli vereri. Dicit ei Agatha: Et quæ potest verecundia mea circa te esse, cum tu sis senior et major natu? *n* Ego vero licet puella sim, ita totum corpus meum laceratum est, ut vulnera ipsa non permittant aliquid stimulari in mente mea, unde possit

*k — l ab Apostolo ei apparente, — m — recusans operam corporalem medicinam. — n*

A possit verecundia excitari. Sed ago tibi gratias, Domine Pater, quia dignatus es mihi sollicitudinem tuam impendere: hoc tamen scias, quia ad corpus meum medicamenta ab homine facta numquam accedent. Dixit ad eam ille senior: Et quare non permittis ut curem te? Agatha respondit: Quia habeo salvatorem Dominum Jesum Christum, qui verbo curat omnia, et sermo ejus solus restaurat universa: hic, si vult, potest me salvam facere. Tunc subridens senior dixit: Et me ipse misit ad te: nam et ego Apostolus ejus sum; et in nomine ejus scias te esse salvandam. Et cum hæc dixisset, subito ab oculis ejus sublatus est.

*verbo curatur,*

10 Tunc projiciens se in orationem S. Agatha dixit: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia memor es mei, et misisti ad me Apostolum tuum, qui me confortavit et recreavit viscera mea. Et dum complesset orationem suam, respiciens ad omnes maculas corporis sui, salvata esse omnia membra sua cognovit: nam et restaurata erat mamilla ejus. Ita autem per totam noctem lux refulsit in carcere, ut præ pavore custodes carceris fugerent, et carcerem apertum derelinquerent. Tunc dicebant S. Agathæ personæ quæ ibi erant inclusæ, ut abiret. Illa autem dixit: Absit a me ut ego coronam meam perB dam, et eos qui custodes sunt tribulationibus tradam. Ego enim adjuta a Domino meo Jesu Christo, perseverabo in confessione ejus, qui me salvam fecit *o* et consolatus est me.

*etiam mamilla restituta, luce per totam noctem perdurante: recusat, carcere aperto, fugere:*

*o*

a *De forma equulei multis agit Inveges. Metaphrastes solum habet suspensam.* — b *Genus tormenti ita indicat Breviarium Rom.* Admotis candentibus laminis, in equuleo torquetur. *Metaphrastes ait spathulis incisam. Methodius infra num.* 17 Expediuntur fasces, flagellis virginale corpus obtunditur, deinde ferreis ungulis fidiculisque latera sulcantur. *Sanctorius quoque virgis cæsam, et ardentibus laminis ustulatam scribit.* — c *Bellorac.* Scio enim quod oportet flagellari triticum, antequam reponatur in horreum. S. *Antoninus,* flagellari. — d *Quidam tortam ei ac præcisam mamillam volunt, dum adhuc equuleo esset distenta: alii depositam primum ex equuleo, denuo vestimentis nudatam, revinctis post tergum manibus alligatam columnæ, bubulis nervis diverberatam, atque mamilla cruciatam tradunt. Citat Carrera antiquam imaginem, e Vaticana bibliotheca acceptam, quæ S. Agatham columnæ alligatam exhibet, duos utrimque carnifices, quorum prior ardentem tedam plagæ admovet præcisæ jam ac humi jacentis mamillæ, alter secundam præcidit ferreo cultro, quali fere ad secandum corium utuntur sutores. Alii tres adhibitos ad barbarum hoc ministerium tortores conjiciunt ex his hymni veteris, quem S. Isidoro Hispalensi tribuunt, verbis:*

*quomodo et abscissæ mamillæ?*

Iratus Judex jubilat crudelis,
Tres suos excitat, in mamillis
Torqueri jubet delicatum corpus
Puellæ sacræ.

*Ast idem hymnus MS. ad nos missus, sic duos priores versus exhibet:*

Iratus Judex sibilat crudelis,
Tortores suos excitat, in mamillis, *etc.*

C e *Forcipe apprehensam, fune crudeliter adstrictam contortamque putat Inveges. Nec leve castæ Virgini tormentum fuit, impuris manibus contrectari dicata Christo ubera, neque ullius mortalis vel aspectu solo hactenus temerata: incisa etiam forsan sunt ungulis spathulisve. Sanctorius* intactas a verberum ictu in reliqua membrorum laniatione *mamillas mansisse ait.* — f *Utraque abscissa creditur, uti jam ex antiqua imagine indicatum. Et vero, ut infra dicetur, duæ diversis locis asservantur. MS. S. Mariæ majoris de ejus curatione per S. Petrum agens habet:* Nam et restauratæ erant mamillæ ejus. — g *Id præcipuum supplicium existimatur, ubi nunc S. Agathæ columna visitur in atrio ecclesiæ S. Agathæ veteris: marmor illic muro affixum, in quo ista leguntur:* D. O. M. Hic Quintiana impietas quod in matre clementer suxit, in Agatha crudeliter amputavit, an. Dom. cclii. — h S. *Antoninus,* scilicet intellectum et voluntatem. — i *Alii* quos, *nempe* sensus. *Ex hoc loco concludunt quidam non anno* 10 *ætatis, ut habet MS. Panormit., sed multo ante virginitatem Deo vovisse S. Agatham: et sane etiam in hisce regionibus (quid ergo apud ingeniosissimos Siculos?) ita quandoque puerorum atque adolescentularum animos pervadit divinus Spiritus, ut sexto aut septimo anno ætatis profiteantur se Deo servire velle, nolle nubere etc. eaque aversentur quæ huic innocenti devotioni sunt contraria. Quam multi Sancti ac Sanctæ ea ætate religionem ingressi? Tamen* infantiæ *vox longius etiam patet. Nam S. Ambrosius, uti* 21 *Jan. retulimus, de S. Agnete tredecenni loquitur:* Infantia computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa. — k *Male ergo Sanctorius ait,* exiguum panem ad sustentandum spiritum attributum. — l *Rocchus Pirrus in Notitia Ecclesiæ Catanensis num.* 6 *scribit* extare adhuc fenestram, per quam ingressum esse Apostolum ad Agatham fama est. *Id si de ostio intelligit, verum est, licet nunc obstructum illud sit; sin de fenestra alia, quæ lumen aliunde admitteret, negat Carrera apud Invegem, ullam unquam fuisse, cum plane subterraneus specus sit, sed per gradus descendisse, perque ostium intrasse Apostolum.* — m *MS. Ultimeri et alii:* illius mammæ *(MS. Bonifacii et duo nostri,* ulcera*)* in felle et amaritudine convertentur, et in nimio cruciatu erit anima illius in æternum. — n *Bellorac.* Ego vero licet puella

*quomodo antra tortæ?*

*ubi*

*qua ætate voverit castitatem?*

sim, ita turpiter lacerata sum, quod etiamsi Christiana non essem, nemo posset de me capere voluptatem. *Quidam MSS.* ut vulnera ipsa non permittant te aliquid stimulare in mentem meam. *Alii MSS.* te aliquid stimulare in carne mea. — o *Quidam cibus quoque ab Angelo allatos scribunt, putant alii Divina virtute corroboratam, ut post tot tamque atrocia tormenta ferre quatriduï inediam potuerit.* D

EX MSS. LATINIS

## QUÆSTIO III.

### *S. Agatha, iterum torta, expirat, sepelitur, Catanam servat.*

Factum est autem, post *a* quatuor dies jussit eam iterum Quintianus ante suum tribunal adstare, cui et dixit: Quousque furiaris contra decreta Principum invictissimorum? Immola diis: sin autem, scias te acrioribus tormentis aptandam. Agatha respondit: Omnia verba tua fatua et vana sunt et iniqua, præcepta tua aerem ipsum maculant. Unde miser et sine sensu et sine intellectu es. Quis enim vult ad auxilium suum lapidem invocare, et non Deum summum et verum, qui me dignatus ab omni plaga, quam in me exercuisti, ita curare, ut etiam mamillam meam integerrimam meo corpori restitueret? Dixit ei Quintianus: Et quis est qui te curavit? Agatha respondit: Christus filius Dei. Quintianus dixit: Iterum Christum habes nominare *b*! Agatha respondit: Ego Christum confiteor labiis, et corde invocare non cesso. E

*a*

*profano Judici insultat:*

*b*

12 Quintianus dixit: Nunc videbo si Christus tuus *c* curabit te. Tunc jussit *d* testas acutas spargi, et sub testas carbones vivos immitti, et in iisdem nudo eam corpore volutari *e*. Cumque hoc fieret, subito locus, in quo sanctum corpus volutabatur, commotus est, et pars parietis cecidit, et oppressit consiliarium Judicis, nomine *f* Silvanum, et amicum ejus, nomine *g* Falconium, quorum consilio perpetrabat scelera. Sed et omnis civitas Catanensium *h* a vi terræmotus exagitata est. Denique omnes concurrerunt ad secretarium Judicis, et cœperunt nimio tumultu agere, quod sanctam Dei famulam impiis cruciatibus fatigaret, et idcirco omnes periculum sustinerent. Tunc Quintianus fugiens, ex uno latere terræmotum metuebat, ex alio autem latere seditionem populi formidabat. Iterum igitur *i* jussit eam in carcerem recipi: ipse autem *k* ad posterulam secretarii fugiens, in januis populum dereliquit. Sancta vero Agatha, ingressa iterum in carcerem, expandit manus suas ad Deum, et dixit: Domine, qui me creasti, et custodisti me ab infantia mea, et fecisti me in juventute viriliter agere; qui tulisti a me amorem seculi, qui corpus meum a pollutione separasti; qui fecisti me vincere tormenta carnificis, ferrum, ignem et vincula; qui mihi inter *l* tormenta virtutem patientiæ contulisti: te deprecor ut accipias spiritum meum modo: quia tempus est ut me jubeas istud seculum derelinquere, et ad tuam misericordiam pervenire. Hæc cum dixisset coram multis cum ingenti voce, emisit spiritum. F

*c d supra testas et carbones volutatur:*

*e*

*f*

*terræmotu et seditione populi*

*g*

*h*

*territo Judice, reducitur in carcerem:*

*i*

*k*

*ibique orans expirat:*

*l*

13 Quod audientes pii populi cum nimia *m* celeritate venerunt, et auferentes corpus ejus posuerunt in sarcophago novo. Factum est autem dum aromatibus conditur corpus ejus, et cum nimia diligentia collocarent illud; venit *n* quidam juvenis sericis vestibus indutus, quem sequebantur amplius quam centum *o* pueri, omnes *p* ornati et pulchri, quem nemo unquam viderat antea in civitate Catanensium, nec postea eum aliquis vidit, nec inventus est aliquis, qui diceret hunc se scire. Hic ergo veniens intravit ad locum ubi *q* condiebatur corpus ejus, et posuit ad caput ejus tabulam brevem ex marmore, in qua scriptum est: MENTEM SANCTAM, *r* SPONTANEUM HONOREM DEO, ET PATRIÆ LIBERATIONEM. Posuit ergo hanc scripturam, ut diximus, intra sepulcrum ejus ad caput, et tamdiu ibi stetit, quamdiu

*m*

*aromatibus condita sepelitur,*

*n*

*o p*

*q*

*appositâ per Angelos tabula epigraphe:*

*r*

EX MSS LATINIS.

A diu cum omni diligentia clauderetur. Clauso igitur sepulchro abscessit, et, ut diximus, non est ulterius visus nec auditus in regione vel in tota provincia *s* Siciliorum. Unde *t* suspicati sumus, quod Angelus ejus fuerit. Et hanc scripturam divulgantes qui viderant, omnes Siculos sollicitos reddiderunt: et tam Judæi quam etiam Gentiles unanimes cum Christianis communiter cœperunt venerari sepulchrum ejus.

*invocatur etiam ab Ethnicis et Judæis,*

14 Tunc Quintianus arripuit iter cum Officio suo ad investigandas facultates ejus, et ut teneret omnes de parentela ejus: qui judicio Dei in medio flumine interiit. Denique dum transiret flumen per navim, duo equi fremitum circa se dantes, calcesque jactantes, unus eum morsu invasit, et alter calce percussum dejecit in flumen *u* Symæthum: et non est inventum corpus ejus usque in præsentem diem. Unde crevit timor et veneratio circa B. Agatham, et nullus unquam molestus fuit ejus generi.

*Quintianus male perit.*

15 Ut autem evidenter scriptura illa, quam Angelus Domini posuerat, firmaretur; post anni circulum, circa diem natalis ejus, mons Ætna eructavit incendium, et quasi fluvius torrens ita ignis vehemens, et saxa et terram liquefaciens, veniebat ad Catanensium civitatem. Tunc paganorum multitudo B fugiens de monte descendit; et venerunt ad sepulchrum ejus, et auferentes *x* velum unde erat coopertum sepulchrum ejus, statuerunt illud contra ignem venientem ad se; et ipsa hora stetit ignis *y* divisus. Cœpit autem ignis die *z* Kalendarum Februariarum et cessavit die Nonarum earumdem, qui est dies sepulturæ ejus: ut comprobaret Dominus noster Jesus Christus, quod a periculo mortis et incendii eos S. Agathæ meritis et orationibus liberasset: cui est honor et gloria et potestas in secula seculorum, Amen.

*Velo S. Agathæ repressum Ætnæ incendium.*

*a* Sanctorius xiii die et [illegible], [illegible] scripserat, sed aberravit librarius. — *b* Addunt MSS [illegible] et Baronii quem ego nolo addere. — *c* MS Baronii [illegible] *al.* curat de te. — *d* Carcera apud Inveges, [illegible] ubi nunc juxta Septemtrionalem urbis murum [illegible] est Calcara dicta, quo verbo fornacem Siculi significant. Medio illius [illegible], in [illegible] altaris [illegible] idem [illegible], qua terra [illegible], quam inde ad morborum remedia, ut [illegible] homines auferunt.

*Pulvis ad remedia morborum.*

*e* [illegible] carbonibus ut [illegible], quo factum, ut ardorem Agatha non sentiret. [illegible] ut licet carbonibus adureretur ac torreretur, calorem tamen nullum sentiret. Acta Latina et Metaphrastes [illegible] Methodius cap. 4 num. 21 [illegible] manillarum præcisionem, adustionem ignis, corporis discerptionem pertulisse [illegible], ejusque sensum, describit. S. Aldelmus in libro de laude Virginum ita scribit:

*S. Agatha volutata in carbonibus an senserit ustionem?*

Sic quoque carnifices torrebant igne puellam,
Virgineos artus [illegible] torribus atris;
Sed dicto citius perdebat flamma vigorem;
Ignibus [illegible] membra puellæ.

C

— *f* Mombr. et MSS [illegible] Rebdorf. Silvinum. Ultimera, Ultraj. et unus noster codex Salvinum. — *g* MS Ultim. Falconium. Ultraj. Falcaniam. Mat. et March. Falconium. [illegible] Falconium. Unus noster codex Falconeum. — *h* [illegible] MSS [illegible], ubi hic terræmotu [illegible] ubi hic [illegible] terræmotu. — *i* [illegible] Agatham [illegible] reduci imperat in carcerem. — *k* MS S. [illegible] et S. Mariæ majoris in posterula. [illegible] et nostrum post secretarium. Rebdorf. ad posteriora secretarii. Baron. per posterulam. — *l* Al. torquentes. — *m* MS [illegible], celebritate. — *n* S. Antonin. Angelos in forma juvenis albis [illegible]. — *o* Mombr. et MS. S. Mariæ majoris, viri. — *p* Al. [illegible], armati *al.* albati. — *q* Quædam MSS. condebatur, et [illegible] ut [illegible] intraret, cum conderetur, haud dubie a solis matronis [illegible]. — *r* Ita Mombr. et varia MSS, at quædam habent: Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo [illegible] tabella uti infra dicetur. — *s* Ita varia MSS ut S. Mariæ majoris, Siculorum, quædam Siciliæ. — *t* Ita Mombr. et MSS. pleraque [illegible] scripta [illegible] Acta. [illegible] tamen MSS habent, suspicatur a multis. Rebdorf. fideliter crediderunt cuncti. [illegible] non dubium est. [illegible] non tractantur, quidam ea sic correxerunt, aut potius vitiarunt. — *u* MS. Ultimerii, Psemithum. Audom. Bonif. March. Ultraject. [illegible], in flumine Semetra. Baron. Simethum. Capuan. Symetheon. [illegible] Mombr. et MSS S. Mar. et S. [illegible] Metaph. Psemythum apud Herici. Psemithum Inveges Simetum vocat. [illegible] orthographia [illegible] Siciliæ antiquæ lib. 1 cap. 10, Carrera tradit, flumen magnum, flumen Cataneuse et flumen Giarrettæ appellari; quia [illegible] trajicitur, quæ Siculis Giarretta dicitur. Duplex est autem Symæthi (ut ait) trajectus, superior et inferior, qui propius a mari

D dicitur, et S. Agathæ dicitur aut Leontinensis, a via quæ Catana illac ad Leontinos ducit. — *x* S. Antonin. cortinam, quæ erat cooperta [illegible] velum ejus statuerunt, etc. — *y* Alia MSS divinus quidam divinitus. — *z* MSS. Baronii, Ultimerii, duo nostra pridie Kalendas.

# ALIA ACTA

## auctore Græco anonymo, ex MS. Senatus Messanensis, INTERPRETE J. B.

### CAPUT I.

### *S. Agathæ patria, comprehensio, constantia blanditiis flagrisque tentata.*

Imperante Decio Cæsare, et Quintiano Siciliam regente, latum edictum est ut quicumque se Christianum diceret, acerbæ neci dederetur. *a* Tunc igitur et alii multi ad oppetendam mortem sese compararunt, et comprimis magnanima Virgo S. Agatha, cui patria quidem Catana, parentes vero clari et illustres. Ea ceteras res omnes aspernata, se ad certamina pro Christo armabat.

*Decii persecutione, S. Agatha ad martyrium se parat.*

2 De qua cum prius inaudisset Quintianus Præses, longe eam pulchritudine, opibus, nobilitate ceteris præcellere, occasioni omni imminebat, ut Virgini injiceret manus, ejusque consensum assequeretur. Reperto igitur prætextu impii edicti, velut Christianam comprehendi eam ab lictoribus jussit, E extra Catanam, Panormi commorantem. Cum ii Athletam invenissent, ita interrogant: Ecquid edictum Imperatoris nosti? Cur diis nostris non sacrificas? Si sacrificaveris, cum gloria et honore ad Præsidem te *b* reducemus: sin minus, gravia quæque et acerba tibi infliget. At sancta Virgo, freta superna armatura, stabat Deum invocans. Lictoribus autem præstolantibus, illa domum suam ingressa, et in cœlum defigens oculos, Dominator Domine Jesu Christe, inquit, tu animum meum vides, tu nosti desiderium meum: tu in me dominare, adversus tyrannum custodi me. Ovis tua sum: dignam me fac quæ diabolum vincam.

*a Quintiano, jam ante in eam intento, capi jubetur:*

*lictoribus ut ei pareat suadentibus,*

*Christum orat:*

3 Finita oratione, egreditur firmissimi muri instar, et cum lictoribus strenue iter capessit: secumque interea colloquens, dicebat: Primum pro pudicitia decertavi, malique incentorem dæmonem, nefaria quæque generi hominum occulte inseminantem, superavi. Gratias tibi ago. Et nunc spectatorem habens immortalem Regem Dominum Jesum Christum, innumeris Angelis stipatum, aggrediar mortem. Hæc F et his similia cum lacrymis dicens, iter faciebat. Atque inter eundum, pedem lapidi cuipiam imposuit, corrigiam ejus solutam alligatura: et retro aspiciens, neminem vidit sequentem ex civibus qui eam deduxerant. Tum vero Sancta, magno affecta mœrore, oravit dicens: Domine omnipotens, propter eos qui ditissi sunt ancillæ tuæ pro tuo nomine suscepturæ certamen, ostende miraculum. Atque illico exortus est oleaster, redarguens incredulorum illorum, qui abierant, mentes.

*in via cum lacrymis meditatur:*

*miraculo oramus sibi difficultatem testatum obtinet:*

4 Cum autem Catanam esset ingressa, jussit eam Præses cuidam matrifamilias, nomine *c* Aphroditæ, quæ novem filias habebat, tradi ad dies triginta: ut malignis verbis et operibus eam circumvenientes, immutarent animum ejus, et ad immolandum idolis pellicerent. Quæ sanctam Virginem nunc pollicitationibus, nunc blanditiis, alias minis aggressæ, adamante fortiorem invenerunt, planeque inexpugnabilem. *d* Una sum, inquiebat; seque ipsam vincebat, et: Mens mea, aiebat, fundata est super petram, qui Christus est, ideoque firmissima et immobilis. Hæc videns Aphrodita, ad Quintianum abiit, et hæc retulit: Facilius est lapides mollire, et ferrum in plumbum

*ab Aphrodite et filiabus per dies 30 tentatur,*

*frustra*

A plumbum transmutare, quam hujus animum Virginis a Christianismo abstrahere. Clare deinde explicuit citra ullam dissimulationem, quæ ipsa, quæ filiæ dixerint ac tentarint, sed nihil omnino persuadere potuisse, ab omnibus quæ proponerentur abhorrenti.

*e*

5 Quintianus autem pro tribunali sedens, *e* adduci eam in prætorium jubet, itaque alloquitur : Quo orta genere es? Sancta respondit : Non solum ingenuis ac nobilibus, sed et locupletissimis nata parentibus sum. Quintianus dixit : Si ingenua et illustris es, cur servilem personam præ te fers? *f* Humilians se Agatha ait : Ancilla certe quidem sum Christi, ideoque, ut recte ais, servæ instar me habeo. Quintianus dixit : Vere libera mihi esse videris : tu vero, quod non es, cur te ipsam servam facis? Et Agatha : Nostra, inquit, ingenuitas et gloria iis in rebus consistit, quibus Christi servitus declaratur : Tum Quintianus : Quid nos? liberi non sumus, qui Christi servitutem execramur? Agatha respondit : Vos ad talem devenistis servitutem et captivitatem, ut non solum servi improborum dæmonum ac peccati, sed et detestabilium sensuque carentium idolorum opifices sitis, honorem eum qui Deo convenit, lapidibus et lignis deferentes.

*coram Præside fatetur se nobilem, sed ancillam Christi,*

*f*

*idololatras servos esse :*

6 Quintianus dixit : Si quid insanias ac blasphe- B mes, acriter te puniemus. Sed priusquam tormenta adhibeantur, dic mihi : Cur deorum venerationem execraris? Et Agatha : Ne deorum dicas, sed dæmonum. Dixit Quintianus : Elige tibi mentem bonam et rectam, et sacrifica diis; sin minus, punieris, ac dira multa patieris, et ad extremum tandem sacrificabis. Agatha respondit : Sit uxor tua, sicut dea tua Venus, tuque ut Jupiter deus tuus. Ego Christi mei fidem non erubescam. Quintianus ista audiens jussit eam virgis cædi, ut quæ Præsidem affecisset injuria. Sancta dixit : Non vis in deorum, quos obtrudis, sortem ac numerum venire? Te miror, qui diis tuis similis esse nolis, eorumque frui vita. Id tibi ut eveniret optavi : et tu iratus, cædi me mandasti. Quintianus dixit : Quid multis opus est verbis? Aut sacrifica, aut diversis suppliciis te excruciabo. Sancta respondit : Etsi in me feras immittas, audito nomine Dei mei mansuescent : si ignem adhibeas, Angeli Christi mei rorem subministrabunt : si plagas et flagra infligas, Spiritus veritatis me e tuis manibus eripiet. Tunc Quintianus caput agitans, jussit eam in obscurum carcerem abduci, dicens : Cogita, Agatha, et pœnitentia flectere, ne dira flagra patiaris. Sancta dixit : Ipse tu pœnitentiam age, ut C æterna supplicia tibi præparata effugias. Iratus Quintianus jussit eam abstrahi atque in carcerem conjici.

*deos ridet,*

*tuisque similem optat Præsidem :*

*flagellatur :*

*tormenta contemnens,*

*conjicitur in carcerem*

a *Multa e.c his actis superius explicata, et cum Metaphrastæ Actis comparata, supra* § 6. — b *Græce est* : ἀνάξομέν σε πρὸς τὸν ἡγεμόνα. — c *Ita Græce*, Ἀφροδίτη, *idemque rursum infra*. — d *Græce est* Μία ἔστω, εἶπε, αὐτὴν ἐπιτείνουσα. ἡ διάνοιά μου ἐπὶ πέτραν. — e Ἀχθῆναι ἐν τοῖς ἀρχίοις. — f *Debet id fortassis ad præcedentia referri* δούλειον πρόσωπον ἐπιφαίνεις ταπεινομένη; ἡ Ἀγάθη etc. servilem personam præ te fers abjecta? *Ita interpunctum erat, ut vertimus*.

## CAPUT II.

### *S. Agathæ tormenta alia; mamilla abscissa, a S. Petro curata.*

Postridie autem coram se adductæ ait : Cogitasti de salute tua? Illa respondit : Salus mea est Christus. At ille : Nega Christum, Agatha, et deos venerare, ne præmature ætatem abrumpas. Sancta autem : Tu deos tuos nega, qui lapides et ligna sunt, et accede ad Creatorem ac verum Deum. Iratus Quintianus jussit eam suspendi, et *a* spathulis laniari. Cumque ita torqueretur Sancta, dixit : Tormenta tua gaudium mihi afferunt et vitam : exulto dum hæc a te patior. Iratus Quintianus jubet mamillam ejus torqueri, diuque tortam præcidi imperat. Tunc S. Agatha dixit : Impie et crudelis tyranne, non erubuisti talia in mamillam designare, quam ipse in matre tua suxisti? At licet exteriorem resecueris mamillam, interiorem aliam in anima habeo, quam præcidere non poteris. Tunc iratus jussit eam denuo in carcerem retrudi, vetuitque ne medicus ullus ingredi ad eam sineretur, et ne panis ei vel aqua præberetur, aut alia ulla curatio ei adhiberetur.

*iterum coram Præside deos ridet,*

*a in equuleo spathulis mulctatur :*

D

AUCTORE ANONYMO, EX MS. GRÆCO, INTERPR. J. B.

*mamilla ei torquetur et amputatur : remittitur in carcerem, fame enecanda :*

8 Cum in carcere esset, circa mediam noctem apparuit ei senis specie Petrus Apostolus, (quem puer præcedebat lampadem præferens, ac plurima pharmaca) ipse se medicum profitens. Eam deinde compellans ait : Crudelibus in te flagris tyrannus desævit, sed fortiter perferendo illustriorem tuam indolem ei manifestasti; quare amputari mamillam tuam præcepit. Et ipsius quidem anima in dolore erit sempiterno, tu autem cum Sanctis choreas inibis. Verumtamen sine me mamillæ tuæ mederi. Sancta vero : Numquam, inquit, corpori meo adhibita est medicina, et nunc turpe esse duco, id corrumpi. Respondit ei senex : Et ego Christianus sum, et confidens fore ut te sanarem, huc veni : tu ne verecunderis. Illa vero respondit : Multas ob caussas, rationi maxime consentaneas, haud patiar ut curationem corpori meo impendas. Cur enim, inquit senex, E medicinam recusas? Et illa : Habeo Dominum Jesum Christum verbo instaurantem universa. Tunc subridens senex ille : Ipse me, inquit, ad te misit, et ego illius sum Apostolus. Et ecce in ejus nomine sana facta es; atque ea fatus, videri desiit.

*S. Petro instar medici apparente,*

*et mamillam curare volente,*

*recusat, et verbo ab eo sanatur :*

9 Tunc Sancta precari in hunc modum cœpit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia memor mei fuisti, et misisti ad me Apostolum tuum, qui renovavit membra mea. Et aspiciens seipsam, sanam invenit, mammamque ut ante fuerat. Ac tota reliqua nocte lux carcerem circumfulsit, ita ut custodes fugerent, carcere aperto relicto. Videntes quod acciderat qui in carcere erant, ita S. Agatham alloquuntur : Ecce, fores apertæ sunt, et nemo adest custodum; egredere et fuge. Sancta respondit : Non mihi hoc accidat, ut certaminum meorum corona priver, et carceris custodes in periculum conjiciam : habeo enim adjutorem Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei viventis.

*luce cælesti perculsis custodibus,*

*carcere aperto abire non vult*

a Σπαθίζεσθαι.

## CAPUT III.

### *S. Agathæ in carbonibus volutatæ mors, sepultura; Catana velo ejus servata.*

F

Post quartum autem diem jussit eam Quintianus suo sisti tribunali, eamque intuitus : Quousque, ait, perstas in contemptu edicti invictorum Imperatorum? Aut diis sacrifica, aut multa sustinebis supplicia. Sancta autem : Verba, inquit, tua vana sunt, et tuorum Imperatorum edicta iniqua, ipsum coinquinantia aerem. Stultus est qui lapides ac ligna colit. Vidisti tuo jussu amputatam mamillam, en aliæ pro ea recreverunt. Insaniens Quintianus : Quis te curavit, inquit? Respondit Agatha : Jesus Christus filius Dei viventis. Quintianus dixit : Rursus Christum confiteris, quem horreo vel audire? Sancta ait : Non desinam corde et labiis eum glorificare.

*Præsidis verba ridet,*

*seque a Christo sanatam prædicat, mamilla etiam restituta :*

11 Tum Quintianus : Nunc sciam an Christus te sanabit. Et confestim jussit acutas testas spargi, interque eas ignitos carbones projici, atque in hisce Virginem nudo corpore volutari. Cumque ista tam crudelia illic fierent, locus subito terræmotu contremuit, parsque in pavimentum prolapsa, Silvanum Quintiani consiliarium oppressit, ejusque amicum Falconium, quorum consilio isthæc iniqua perpetrabat.

*super carbones et testas volutatur*

*terræmotu et concursu populi*

*AUCTORE ANONYMO, EX MS GRÆCO, INTERPR. J. B.*

A bat. Universa quoque Catanensium civitas impetu terræmotus concussa est, adeo ut cives omnes *a* in regiam convenirent, et vehementer Præsidem turbarent. Tunc Quintianus seu terræmotus seu populi timore, remisit iterum Sanctam in carcerem. Ingressa in eum Sancta, sublatis in cœlum manibus, ait : Gratias tibi ago, Domine, quod gratiam mihi dederis, ut viriliter pro tuo nomine decertarem, auferens a me vitæ præsentis cupidinem, ac talem corpori meo virtutem tribueris. Exaudi me, Domine, et dignam fac ancillam tuam, ut vanum hunc mundum relinquens, copiosæ misericordiæ tuæ particeps fiam. Finita oratione, statim Domino spiritum reddidit.

*a — perculso Præside, reducta in carcerem, orans moritur:*

12 Audiens populus quod factum erat, convenit magna diligentia et reliquias sanctæ Martyris Agathæ religiose deposuit. Adolescens vero quidam, cum centum pueris, splendide indutus, ignotus cunctis Catanensibus, veniens ad locum, ubi adhuc sacrum jacebat corpus, allatam marmoream tabellam in sepulchro posuit, in qua *b* ita scripserat : Mens sancta spontanea, honor Dei, et patriæ liberatio. Cumque hoc scriptum intus ad caput Virginis posuisset, ac monumentum obsignasset, abscessit, nulli amplius in urbe visus. Unde quidam existimarunt eum vere Angelum Virginis fuisse.

*sepelitur, apposito per Angelum epitaphio. b*

B 13 Audiens vero Quintianus mortuam esse sanctam Dei Martyrem, ad res ejus occupandas abiit, (erat enim opulenta) et sumpta tota sua cohorte Panormum versus profectus est. Vixque iter erat ingressus, cum eum Divinum judicium occupavit. Volens enim trajicere flumen quoddam, nomine Psimethum, ingressus scapham cum equis suis, submersus est. Nam duo impetu in eum facto, alter quidem ore eum suffocabat, alter calcibus cædens in flumen eum dejecit. Ac deinde diu quæsitum sceleratum ejus corpus reperiri non potuit. Quæ cum ita gesta essent, auctus est Sanctæ honor ac veneratio apud Christianos.

*Præses ab equis in flumen dejectus perit.*

14 Post annum autem, ipso quo deposita erat die, Ætna mons ignem eructavit, qui amnis instar effluens cuncta exurebat, et appropinquans omnem Catanensium civitatem concrematurus videbatur. Accolæ autem et cives ignem metuentes, ac fiduciam in Virgine locantes, confugerunt ad ejus sepulchrum, et velum eidem sepulchro circumpositum auferentes, igni opposuerunt : et confestim, Dei providentia, precibus Virginis, constitit ignis, exortus quidem Kalendis Februarii, quinto autem ejusdem mensis die repressus : in quo die celeberrimam ejus solen-C nitatem agimus, collaudantes Dominum nostrum Jesum Christum tantas illi gratias largitum, quibus digni omnes efficiamur. Amen.

*Ignis ex Ætna profluens, ejus velo repressus.*

a Ἐπὶ τὰ βασίλεια προσῆλθεν. — b Ita expresse Græca, ἐπεγράψας οὕτως.

*ANIMADV. PAG. 77*

# ALIA ACTA

## auctore Simeone Metaphraste, *ex Græco MS. Regis Galliæ,* INTERPRETE *a* JOANNE DAVIDE HENNXTOVIO.

### CAPUT I.

### *S. Agathæ patria. Iter Panormo Catanam.*

Imperante Decio Cæsare, Quintiano vero Siciliam insulam, ad *b* præfecturam Italiæ pertinentem, administrante ; promulgatum est edictum, ut quicumque religiosum veri Dei cultum exerceret, acerba morte necaretur. Sancta igitur et magnanima Agatha, *c* ex Panormitana civitate oriunda, nobilissimis vero edita natalibus, ut impium vulgari decretum intellexit, patriam, genus, gloriam, et quidquid ad temporariam hanc vitam spectat, pro nihilo ducens, sese ad suscipienda pro Christo certamina armavit. D

*Decii persecutione, c Agatha ad certamen se parat.*

2 Quintianus vero Præses cum sanctam ac generosam Agatham formæ honestate et elegantia *d* puellis cunctis æqualibus suis longe antecellere inaudisset, modum excogitabat, quo Christi Virginem comprehenderet, inque suam sententiam pertraheret. Atque in hac nefaria mentis agitatione quotidie moliri ac tentare omnia non cessabat, donec ei liceret libidinis suæ œstrum ad effectum deducere. Quocirca præclaram et illustri ortam genere ancillam Christi, eo prætextu quod esset Christiana, comprehendi jubet et in conspectum suum adduci. Erat autem ipsa insigni morum compositione, et gratia sermonis ornata, ut facile eximia pulchritudinis specie intuentium posset sibi animos subjicere. Quintianus vero impurus ac perversus cum esset, *e* conspecta Virginis specie, illico captus amore est, simul et fortunis illius inhians, vultu ipso animi perturbationem prodidit.

*a Quintiano Præside d impuro et avaro e*

3 His ergo modis, uti diximus, in furorem actus Quintianus, militibus ut S. Agatham comprehendant mandat. Hi Catana egressi, ita eam alloquuntur : Decretum adversus te promulgatum est a Cæsare ac Præside, quia neque diis sacrifices, quos Augustus colit, nec patrio ritu eos venereris. Sed vel nunc fac inducas in animum diis immolare, ut te cum omni E honore et gloria *f* ad Consulem adducamus. S. Agatha accepto e superis clypeo, arma non mundana sed cœlestia adversus tyrannum generose expellit. Lictoribus vero eam urgentibus, ut secum iter capesseret, tyranno sistenda, in *g* domum suam ingressa, sublatis in cœlum oculis, dixit : *h* Domine Jesu Christe, tu nosti animum meum, tu affectum perspicis : ipse tu dux meus esto adversus tyrannum. Ecce enim jam prostratus est, jam a me conculcatus. Et nunc Domine propter magnum et supereminens nomen tuum, *i* in quo vitam puram castamque traduxi, obsecro, *k* accelera et vince diabolum, suscipiens lacrymas meas.

*capi jubetur : militibus suadentibus ut eis pareat, f g h Christum orat: i k*

4 Hæc precata, Panormo discessit, firmi muri ac vallo undique circumsepti similis ; atque alacriter cum satellitibus gradiebatur, virtutis pulcritudinem mente pertractans : Primum, inquit, pro continentia certamen suscepi, omnisque improbitatis auctorem diabolum, identidem semina voluptatum generi hominum ingerentem, vici et calcavi, per gratiam Domini nostri Jesu Christi. Verum, o improbe et veritatis inimice, non vides stadium meum esse immortale, in quo exultant justi pariter et Angeli, quodque ipse spectat immortalis Filius Dei Dominus Jesus F Christus, millenis Angelorum legionibus cinctus? Et hæc secum ipsa loquens lacrymas fundebat.

*it generose Catanam, meditans cum lacrymis :*

5 Inter eundum autem calcei ejus soluta corrigia est, *l* quam pede super lapidem posito adstrinxit. Ac post tergum respectans, neminem vidit sequentem ex omni civium numero, virorum ac mulierum, eam deducentium : omnes quippe ea relicta domum redierant. Illa magno affecta sensu doloris, ita Deum precata est : Domine omnipotens, propter eos qui ancillæ tuæ pro nomine tuo certaturæ diffisi sunt, magnum aliquod ostentum exhibe. Et subito exortus est *m* oleaster, ingenium ac sensum notans Panormitanorum.

*l recedentibus Panormitanis, eorum levitatem divinitus notari obtinet. m*

a *Dum jam Prolegomena nostra ad S. Agathæ Vitam sub prælo essent, et nominatim* § 6 *ubi de nobili hoc et eruditio adolescente, egimus, ipse, cum prope a meta abesset philosophiæ, deque universis ejus partibus Theses publice propugnare pararet, Deiparæ Virgini dicatas ad vitæ pertigit metam,* IV *Non. Augusti, festo* S. Mariæ de Portiuncula, *anno* MDCXLIII, *febri extinctus, atque in S. Gertrudis Canonicorum Regularium basilica, honorifice sepultus.* — b *Vertit Hervetus* Quintiano autem Præside insulæ Siciliæ, Italorum provinciæ, *non recte, ut ea superius* § 6 *num.* 42 *exposuimus.* — c *Satis id supra explicatum.* — d *Græcum exemplar habet : ὡς κατὰ καὶ ἐυπρεπεστάτη τυγχάνουσα πάσας ὑπερβάλλειν τὰς κατ᾽ αὐτὴν παῖδας. Interpres pro παῖδας videtur νεανίδας legisse. Ita et Hervetus exposuit* quod formæ pulchritudine superaret omnes sui temporis adolescentulas. *Alioquin suspicari*

*Jo. Davidis Henxlovii obitus*

A *suspicari quis possit. Metaphrasten per σανίδας exprimere voluisse tabellas, quibus ejus effingeretur forma, quasi dicat nulla satis ejus pulchritudinem adumbrari imagine potuisse.* — e *Græce est,* ἐρασθεὶς τῇ ὄψει τῆς παρθένου, τὸν ὀφθαλμὸν αὐτῷ συνεταράττετο. *Gentianus vertit*, captus amore Virginis, oculum suum perturbabat. *Verum quid illud* τῇ ὄψει. *Quomodo ex aspectu Virginis in amorem erat raptus? An eam obiter viderat, priusquam illa Catana profugeret? An solum pulchritudinem ejus didicerat aliorum narratione, et imagine, vel lineamentis et coloribus expressa, vel descripta verbis? Eodem forte spectant σανίδες, de quibus jam dictum.* — f *Ita Græce* προσαγαγωμέν σε τῷ ὑπάτῳ. *Hervet.* ad Præsidem. *Priora Acta habent,* ἀνάξομεν, reducemus. — g *Scribit Augustinus Inueges, duas esse Panormi ecclesias S. Agathæ honori dicatas, quas vulgi recepta existimatio tradit bina illius palatia fuisse, unum tamen eo tempore in urbe, in pomœrio alterum: nunc utrumque intra muros est.* — h *Græce* Δέσποτα κύριε *ac mox iterum. Ubi subinde Latine ponitur,* Dominator Dominus. — i *Gr.* ἐν ᾧ ἔζησα σεμνὸν βίον. *Hervet.* In quo vixi hucusque honestam et gloriosam vitam. — k *Idem Hervetus, fusiore fortassis usus exemplari*, sed festina, et vince diabolum et ejus ministrum Præsidem, ne dicat: Ubi est Deus ejus? tamquam sacrificium et et oblationem meas accipiens lacrymas in odore suavitatis: quoniam tu es Deus solus, et te decet gloria in secula, Amen. — l *Inueges scribit prævidisse Agatham, quod indecorum videretur, si puella eorum militibus corrigiam calcei adstringeret.* — m *Græce,* ἐλαία ἄκαρπος, olea infructuosa. *Ostenditur etiamnum in horto dictæ ecclesiæ, uti antea ex Inuege retulimus.*

## CAPUT II.

### *S. Agathæ constantia, blanditiis tormentisque tentata.*

B Ingressam jam in urbem Catanam jussit Præses matrifamilias cuidam tradi, nomine *a* Aphrodisiæ, quæ adolescentulas habebat *b* filias, ut verborum morumque lenociniis in transversum eam impellerent, ac mentem ejus immutarent, atque ad sacrificandum idolis inducerent. Et hæ quidem nunc magnos honores ei pollicentes, quandoque intentantes minas, sperabant sanctam Virginem suis illecebris ad idololatriam pertractum iri. *c* Cum autem fallacibus hisce delinimentis rationem ei sensumque eripere niterentur, generosa Christi Martyr ita iis respondit: Mens mea supra petram fundata est, neque unquam poterit a Christi caritate separari. Verba vestra ventis similia evanuere: conversatio vestra, pluvia est; minæ, fluvii. Allisi quidem hi sunt ad domum nostram, sed eam concutere nequaquam potuerunt; fundatam quippe super petram, qui Christus est. Hæc cum diceret, non cessabat ipsa sibi lacrymarum copia sinum inundare: Quemadmodum enim cervus anhelat ad fontes aquarum, ita desiderabat anima ejus prodire in arenam, genus omne cruciatuum pro fide Christi, magna alacritate perferre festinans.

*a S. Agatha traditur mulieri cuidam pervertenda:*

*b*

*c ejus et filiarum illecebras ac minas fortiter contemnit:*

6 Aphrodisia igitur cernens inconcussum et immobilem Agathæ animum, ad Quintianum accedens ait:
C Facilius est lapides mollire, vel ferrum in plumbum convertere. *d* Nam et ego et filiæ meæ assidue diu noctuque nihil aliud egimus, modo inculcantes promissa, modo minas intonantes. Ego margaritas, insignia ornamenta, pretiosas vestes, aurum, domos, prædia suburbana, mancipia, ei sub oculos posui: at cuncta hæc eo loco habet, quo terram, quam pedibus calcat, ac nihili prorsus æstimat. Tunc iratus Quintianus jussit *e* in secretarium duci, sedensque pro tribunali, ita eam compellat: Quo tu genere orta es? S. Agatha dixit: Non solum ex ingenuo et illustri sum genere, sed et cognationem habeo amplis affluentem divitiis. Quintianus dixit: Si ingenua es et illustris, cur moribus servæ personam induisti? Agatha dixit: Recte tu quidem; nam ancilla sum Christi, propterea que servam me profiteor. Quintianus dixit: Si vere ingenua es, quomodo *f* servam te esse confirmas? Agatha respondit: Ingenuitas nostra et gloria in eo sita est, ut Christi servitus ostendatur. Quintianus dixit: Quid ergo? Nos libertate caremus, qui Christi servitutem detestamur? Agatha dixit: Ad talem redacti estis servitutem et captivitatem, ut non solum servi facti sitis peccati, verum etiam cultores sensu carentium et

*d*

*e sistitur Præsidi:*

*fatetur se, nobilem licet ancillam Christi,*

*f*

*quæ vera nobilitas:*

execrabilium simulacrorum, qui Deo debetur, lapidibus et lignis honorem tribuentes. D

*AUCTORE METAPHRASTE INTER. J. D. RENATOVIO.*

7 Quintianus dixit: Si quid insane blasphemaveris, sumi de te supplicium poterit. At priusquam in mea incidas tormenta, edissere qua caussa deorum religiones averseris. Agatha respondit: Noli deorum dicere, sed dæmonum; quorum effigies in æramenta transmutatis; quorum e marmore et gypso efformatos vultus inauratis. Quintianus dixit: Bonum adhibe tibi ipsi consilium, et sacrifica. Ni feceris, varios subibis cum reorum turba cruciatus; cumque amplissimæ tuæ cognationi fœdam inusseris notam, demum dolore coacta sacrificabis omnipotentibus diis. Agatha dixit: Fiat *g* uxor tua ut Venus dea tua, tuque Jovis dei tui similis evadas. Quæ cum audisset Quintianus, *h* cædi eam virgis imperat dicens: Ne præsidi contumeliam ore arroganti intuleris. Agatha dixit: Quos deos tuos esse dixisti, eorum tu te in sorte ac numero esse nolis? Quintianus dixit: Manifestum est, te plura appetere tormenta, quæ me tot injuriis ut ad ea procedam incites. Agatha dixit: Miror te, prudentem alioqui hominem, eo devenisse insaniæ, ut nolis diis tuis similis effici, eorumque vitæ consortio frui. Nam si dii tui sunt, eosque veneraris, cum precata sim, ut qualis eorum est, et tua esset vita, qua ratione interpretaris me tibi injuriam irrogare voluisse? Sin eorum respuis conditionem, et tu mecum abominandos eos appellas. E

*deos ridet,*

*g iisque similem optat Præsidem cum suis;*

*h ideo verberatur, sed dicta defendit:*

8 Quintianus dixit: Quorsum insolentes jactas voces? aut diis sacrifica, aut diversis te suppliciis dedam. Agatha dixit: Si feras in me immiseris, audito Christi nomine mansuescent: ignem si admoveris, rorem mihi e cœlis Angeli suppeditabunt: si flagra inflixeris ac plagas, habeo Spiritum veritatis, qui me e tuis manibus liberabit. Tunc caput quatiens Quintianus jussit eam in *i* obscurum carcerem abstrahi, dicens: Considera etiam atque etiam apud te, Agatha, tuique te pœniteat, ut mea declinare tormenta valeas. Agatha dixit: Teipsum factorum tuorum pœniteat, ut æternos evadas cruciatus. Tunc inflammatus ira Quintianus jussit eam trahi in custodiam. At S. Agatha magno perfusa sensu voluptatis, et veluti gestiens præ lætitia, precibus certamen suum Domino commendabat. *k*

*tormenta contemnens,*

*i in carcerem ducitur*

*exultans:*

*k*

a *Quidam, ut Inueges scribit,* Venerem *vocant; et talem ac plebeiam alii, alii nobilem faciunt; omnes vita turpissimam. Existimantur ejus palatii esse quæ Catanæ cernuntur ruinæ, publici armamentarii muris conquinatæ. Incerta conjectura.* — b Quinque *dicuntur fuisse in editione Lipomani. Aberat numerus a Græco nostro exemplari. Latina Acta, et Græca e codice Messanensi,* novem *habent.* — c *Refert ex Carrera Inueges, dari in cantationibus quoque ac diabolicis præstigiis appetitam, quibus superiorem Spiritus sancti numen præstiterit: hinc contra fascinum ac veneficia invocari, præsentissimo remedio, ut sæpe clavos, glomus pilorum, aliaque fœda evomant, illius ope, qui veneficiorum cantionibus malisque artificiis in ægritudinem inciderant.* — d *Addit Hervet.* quam mentem hujus puellæ a Christi amore traducere. *Aberant hæc a nostro MS.* — e *In Vita Latina est,* ad secretarium. *Græce,* ἐν τῷ σεκρέτῳ. *Hervet.* In secretum. *Quid sit* secretarium, *exponit Vossius lib. 3 de vitiis sermonis cap.* 48, *conclave nimirum in quo reorum caussa expendebatur a Judicibus, ut plurimum velo ab atrio, sive publici judicii loco sejunctum; quamquam, ut hinc patet, erat in ipso quoque secretario tribunal. De hoc eodem Catanensi secretario agitur 12 Augusti in Actis S. Eupli* In Catanensium civitate, cum esset extra velum secretarii B. Euplus, præclamavit dicens: Christianus sum, et pro Christi nomine mori desidero. Audiens Calvisianus Consularis dixit: Ingrediatur, qui clamavit. Et cum ingressus fuisset B. Euplus secretarium Judicis, *ac post multa* Calvisianus Consularis dixit: Quomodo innotuit ejus confessio, publice tradatur. Cum in medio B. Euplus traditus fuisset, *etc. Quæ omnia longe aliter narrantur a Metaphraste, ut supra indicavimus.* — f *Vult Inueges, aureis argenteisque vasis usam, et omni ornatu ac splendore, qui nobilitatem ejus decebat. Qua igitur ratione servæ* personam induerat? *Aut quo ille spectasset ornatus ac luxus, cum Christo virginitatem pridem consecrasset, tantoque custodisset studio, ut ne medicinam quidem adhibere corpori vellet?* — g *Negant alii Quintianum uxorem habuisse: cur alioquin, aiunt, Agatham esset procatus, cum polygamia Romanis non permitteretur? At non constat, voluisse sibi Agatham legitimo connubio jungere: et erant Romanis usitata repudia.* — h *Gr.* ἐκέλευσεν αὐτὴν ῥαπίζεσθαι. *Hervetus:* jussit ei impingi colaphum. *An etiam illud 2 Cor.* 11 25 τρὶς ἐρραβδίσθην, *vertet,* ter mihi colaphus impactus? *Latina tamen Vita habet,* jussit eam alapis cædi. — i *Extat is etiamnum, ut ex Carrera scribit Inueges, sed in sacellum mutatus, janua vetus, quæ occidentem spectabat, obstructa, nova aperta ad meridiem,*

F

*contra incantationes invocatur,*

*Secretarium.*

*Carcer S. Agathæ.*

AUCTORE VETA-PHRASTE, INTERP. J. D. BENXTUVIO.

S. Agathæ vestigia in saxo Catanæ.

A *diem, qua in templum itur, cui junctum sacellum. In hoc quotidie Missæ sacrificium offertur : præcipuus ea concursus piorum hominum feria 4 quæ ejus honori peculiariter Catanæ dicata : quarta feria cujusque mensis primo exponitur solemniter ibidem venerabilis Eucharistia. — k Fratrum a truculentis lictoribus Agatha, ut impetu in terram prolaberetur, in duos lapides impegit qui instar ceræ impressos pedes admiserunt, ac lapsum steterunt, et cernuntur etiamnum in utroque expressa vestigia pedis calceati. Hi lapides semper in veneratione habiti, ad quam ad veterem januam, quæ nunc obstructa, loco obscuro positi minus apte cerni poterant, anno 16 0 sunt ad latus novæ collocati sunt autem ambo nigri et duri. Ita Inveges ex Carrera et aliis. Positum ad veterem januam fuit hoc distichon :*

Hic fixit rutura pedes impulsa furore
Carnificis rabido, carceris antra petens.

## CAPUT III.

### *S. Agathæ, post varios cruciatus, abscissa mamilla, a S Petro persanata.*

*S. Agatha iterum ad tribunal tracta,*

Sequenti vero die impius Quintianus coram tribunali suo adstare jussam ita alloquitur : De salute tua cogitasti? S. Agatha respondit : Salus mea Christus est. Quintianus dixit : Infelix, quem ad finem tua sese infausta distorquebit ratio? Christum abjura, et colere deos incipe, atque vitæ ætatique tuæ consule, ne intempestivam oppetas mortem. Agatha dixit : Tu tuos deos abjura, qui sunt lapides et ligna, et accede ad effectorem rerum omnium ve-
B rum Deum, qui te creavit; ne in pœnas æternas devolvaris, atque interminatos cruciatus. Accensus furore Quintianus *a* jussit eam suspendi, et spathulis incidi. Quod cum fieret, dicebat ei Quintianus : Muta mentem, Agatha, ut vitæ tuæ parcatur. Agatha dixit : Ingentem mihi tormenta tua *b* pariunt delectationem. Haud aliter lætitia exulto, quam qui felicem nuntium accepit, quique quem desiderabat cernit, aut thesaurum reperit. Ita temporariis hisce tuis suppliciis delector, quæ te mihi inensurum minaris. Neque enim potest frumentum secure in granario conservari, nisi prius palea nudatum fuerit. Similiter nec anima mea potest in Paradisum admitti, priusquam corpus meum omnimodis cruciatibus per tuos carnifices fuerit laniatum.

*a suspenditur ac spathulis inciditur,*
*b et in tormentis gaudet :*

*in mamilla torquetur, eaque præcisa*

10 Excandescens Quintianus primum mamillam ejus torqueri, exin diu et immaniter tortam amputari jussit. Sancta vero Agatha dixit : Impie crudelis, et sacrilege tyranne, non erubuisti ista exercere in femina, et quam in matre suxisti mamillam præcidere? Verumtamen licet exteriorem mihi mamillam resecueris, aliam habeo in anima mea mamillam, quam exscindere nunquam valebis : est enim Christo
C Deo meo ab infantia mea consecrata. Iratus Quintianus jussit eam in carcerem retrudi, vetuitque ne quis medicorum ad eam intromitteretur, neu panis aut aqua illi præberetur.

*includitur carceri, fame et siti enecanda*

11 Cum in carcere reclusa esset, sub mediam noctem, senili forma apparuit ei Apostolus Petrus, præcedente puero ne lampadem gestante, ipse plurima habens in manu medicamenta, seque medicum esse dicens, hisce eam compellat verbis : multa quidem et atrocia tibi impius tyrannus tormenta admovit, ast usque adeo nihil profecit, ut potius tuæ constantiæ aspectu contabuerit : proptereaque mamillam tibi torqueri ac deinde præcidi mandavit. Ipsius vero anima æternum in dolore cruciatuque permansura est. Quoniam autem, cum hæc patiebaris, adfui, animumque intendens perspexi sanari mamillam tuam posse, ea caussa huc veni. S. Agatha ei respondit : Numquam omnino corpori meo medicinam adhibui; et nunc turpe existimarem, morem optimum, quem a prima pueritia constanter retinui, infringere. Respondit senex : Et ego Christianus sum, ac confido fore, ut a me saneris, ideoque ad te veni. Tantum ne te pudeat, neu me metuas. Respondens Sancta dixit : Qui vero fieri potest, ut cum tu senio confectus sis, ego juvencula quidem,

*S. Petro instar medici cum Angelo invenit,*

*et curationis spem faciente,*

*recusat corporalem medicinam,*

sed corpore suppliciis consumpto, ipsa vulnera animum stimulent? Magis tamen verecundari debeo, plagas ipsas indecore nudare. Quare tibi gratias ago, venerande Pater, quod dignatus sis huc venire, ut curam medelamque corpori meo adhiberes. Illud tamen scias velim, nulla unquam ratione passuram me, ut corpori meo admoveantur hominum studio parata medicamenta. Cur enim, ait senex, me tibi mederi non pateris? S. Agatha dixit : Habeo Dominum meum Jesum Christum, qui solo nutu omnia curat, et prostratos verbo erigit. Ipse, si velit, poterit me quoque indignam famulam suam sanare. Subridens senior dixit : Et me ipse misit. Ego enim sum ejus Apostolus. Aspice te, quemadmodum persanata sis. Quibus dictis, e conspectu ejus repente subductus est. D

*prudenti verecundia,*

*sed verbo curatur :*

12 Tum vero prostrata in preces Agatha : Gratias tibi ago, inquit, Domine Jesu Christe, quod mei fueris recordatus, miserisque Apostolum tuum, qui me confirmavit, et membra mea reparavit. Absoluta precatione, conversis ad corpus oculis, et vulnera sanata, et restitutam mamillam deprehendit. Tota vero nocte per carcerem lux resplenduit, ut fulgore territi custodes aufugerent, et carceris fores apertas relinquerent. Qui vero isthic erant rei, cum quod evenerat vidissent, dicunt S. Agathæ : En fores pa- E
tent, neque eas quisquam observat; exi et fugam arripe. Absit, inquit Agatha, ut corona priver meorum certaminum, et carceris custodes in periculum adducam. Adjutorem enim habens Dominum meum et Deum Jesum Christum filium Dei vivi, usque ad finem perstabo in confessione ejus, qui me sanavit consolatusque est.

*eo disparente, Christo gratias agit*

*carcere lucente et aperto fugere recusat :*

a *Græce,* [illegible] *Interpres vertit* jussit eam suspensam verberari. *Modum non exprimit, qui erat, ut caro ejus pectinibus, sive gladiolis secaretur.* — b *Gr.* [illegible]. *Vertit Herretus :* Tormenta tua gaudii thesaurum mihi recondunt.

## CAPUT IV.

### *Ultimum S. Agathæ certamen. Mors ejus, ac tyranni. Catana servata illius ope.*

*post 4 dies tracta ad Præsidem,*

Post quartum vero diem sisti illam pro tribunali præcipit Quintianus, aitque illi : Quousque tandem Imperatorum edictis adversaberis? Vel diis sacrifica, vel te gravioribus tormentis excruciabo. Sancta respondit : Verba tua omnia vana sunt; acta vero et tua et Imperatorum iniqua, quæ vel aerem ipsum inquinent. Quamobrem miser et nullo sensu prædite, F
dic mihi, quis lapides et ligna, quibus nullus est sensus, quem roget? Viden' pro ea, quam mihi præcidisti, mamilla, aliam succrevisse, virtute Domini mei Jesu Christi? Insania percitus Quintianus exclamat : Quis te curavit? Agatha respondit : Jesus Christus, filius Dei vivi. Quintianus dixit : Iterumne Christum appelas, cujus ego ne audire quidem nomen volo? Agatha dixit : Non cessabo eum et appellare labiis et corde celebrare.

*a Christo se sanatam, mamilla etiam restituta prædicat super ignitos carbones et testas volvitur :*

14 Quintianus dixit : Nunc cognoscam ego, an te liberet Christus; acutasque protinus testas humi sterni jussit, et ignitos carbones interspargi, inque hæc eam projici. Quod dum fieret, repente locus ille terræmotu concussus est, parsque in solum prolapsa, adjutorem Præsidis, nomine *a* Silvanum oppressit, hujusque amicum Falconium, quorum præcipue instigatu ita dire sæviebat. Neque hoc solum, sed universa pene Catanensis civitas terræmotu vehementer agitata est, ut cives passim ad prætorium concurrerent, valdeque Præsidem terrerent.

*a terræmotu, et concursu populi*

15 Tunc Quintianus primum quidem terræmotu perculsus, dein populi concursu perturbatus, jussit S. Agatham reduci in custodiam. In quam ingressa, sublatis ad cœlum manibus dixit : Gratias tibi ago, Domine.

*territo Præside, reducitur in carcerem, ibique orans moritur :*

A Domine, qui me dignam habuisti, quæ pro sancto nomine tuo certarem, et ablato a me præsentis vitæ desiderio, corpori quoque meo tolerantiam suffecisti. Exaudi me, Domine, ancillam tuam, dignamque redde, quæ mundum hunc deseram, copiosamque tuam assequar misericordiam. Sic precata, protinus spiritum reddidit.

*sepelitur* 16 Quod cum audisset populus, summo studio ad carcerem accurrit, et magnanimæ Martyris reliquias tuto in loco collocavit. Adolescens vero quidam, secum centum ducens pueros splendidissime ornatos, universis ignotus Catanensibus, veniens ad locum in quo sanctæ erant positæ reliquiæ, tabulam marmoream, quam attulerat, apposuit, ita inscribens: MENS SANCTA, SPONTANEUS HONOR DEI, ET PATRIÆ LIBERATIO. Hanc tabulam cum intus ad Sanctæ caput deposuisset, capsamque obsignasset, abscessit, neque uspiam ulterius in civitate visus est: unde suspicio fuit, Angelum eum Martyris fuisse. *apposita per Angelos mirabili epigraphe.*

17 Quintianus vero cum vita excessisse Martyrem accepisset, ad ipsius facultates occupandas se contulit: accepta igitur tota sua cohorte *b* Panormum properabat. At vix iter ingressus, justo Dei judicio, in fluvio quodam, haud procul distante Catana, nomine Psemithο, interiit. Nam cum eum vellet trajicere, ac pontonem cum equis suis esset ingressus, B duo ex iis sævire impetumque in eum facere cœperunt: et unus quidem ore in illum invectus eum suffocabat, alter incutere calces non cessabat, donec in Psemithum amnem deturbaret. Corpus autem ejus a multis perquisitum, numquam inveniri potuit. *Præses ab equis in flumen dejectus perit.*

18 His ita gestis, crevit honor ac veneratio sanctæ Martyris, neque quisquam ulli ex ejus cognatione negotium facessere ausus est. *c* Ut autem certa et inconcussa redderetur, quæ jam increbuerat fama, Angelum fuisse qui tabulam in ejus tumulo deposuerat, anno vertente, circa martyrii ejus diem, apparuit. Etenim Ætna mons ignem evomuit, qui fluminis instar ingenti mugitu devolvebatur, ab summo vertice lapides velut ceram dissolvens, ipsamque urbem Catanensium correpturus ac penitus consumpturus ignis videbatur. Qui igitur circa montem habitabant, etsi essent Gentiles, ad templum Martyris concurrunt, sublatumque velum, quo circumcincta erat urna, ex adverso ignis constituunt. Cum ecce Divina providentia, subito repressus est ignis. Contigit vero illud miraculum quinto Februarii, quo ipso die certamen finivit Agatha, quo et nos festa celebritate prædicamus Dominum nostrum Jesum C Christum, ut ipsius sanctæ martyris precibus veniam impetremus peccatorum, magnamque misericordiam, nunc et semper et in secula seculorum, Amen. *Ignis ex Ætna defluens velo S. Agathæ repressus ipso ejus anniversario die.*

a *Ita MS.* Σιλουανὸν, φαλκώνιον. *Herretus* Vulteium et amicum ejus, nomine Theophilum. *Surius tres appressos scribit,* Falconium, Silvanum et Ulcum. — b *Innuges scribit, hoc ipsum tradit Bellovacensis. Hujus verba lib. 11 cap. 44 sunt:* Quintianus autem pergens investigare divitias ejus, cum esset in navi, duobus equis calcitrantibus in flumen projectus est, et corpus ejus nusquam potuit inveniri. *Nulla mentio Panormi.* — c *Græce:* ὡς δὲ ἐπηρχάσατο ὁ λόγος εἶναι, ὅτι Ἄγγελος ἦν, τὸν πίνακα ἀποθέμενος ἐν τῇ σορῷ τῆς μάρτυρος, ὤφθη περιφανέστατος τοῦ ἐνιαυτοῦ. *Non recte Herretus, et alii eum secuti:* Quo autem in loco apparuit immutabilis ille Angelus, qui tabulam imposuit in capsa Martyris, impleto anno ejus consummationis mons Ætna ignem eructavit. *Sepulta fuit, ubi nunc est templum quod S. Agathæ veteris appellatur, ubi etiamnum ejus sepulchrum religiose honoratur: ipsoque loco, aut juxta eum apparuit Angelus. Neque concipi potest, quomodo istinc flammas Ætna evomuerit, quæ fluminis instar devolutæ, ab summo vertice lapides resolverent,* venirentque versus civitatem Catanensium; *si in ipsa urbe, sita ad imas Ætnæ radices, hiatus patefactus ignes eructabat.*

# S. METHODII ARCHIEPISC. CP.

D ANIMADV. PAP. 75.

## ORATIO IN S. AGATHAM

*Ex MS. PP. Oratorii Romæ*

Latine reddita a Leonardo Pate.

### CAPUT I.

*S. Agathæ laus ab Divina prædestinatione, vaticinio, sexu, virginitate, nomine petita.*

Quoniam ipsamet admiratio me ad dicendum excitavit, quoniam voluntas item ipsa ad desiderandum me impellit: contra vero ipsummet desiderium mihi persuadet, ut maxime velim vobis omnibus, (Patres Fratresque quotquot simul hic adestis, ac prope me adstatis) ut ex mea taciturnitate in verba prorumpam admiratione permotus, et desiderii silentiique mei vinculis solutionem inveniam, hac memoranda die sanctæ Martyris Agathæ cruciatibus consecrata; quodque vos attonitos reddit, ac proinde silentio deditos, hoc equidem ex mea vel loquendi impotentia admirabundus eloquar. Sunt etenim, sunt nonnullæ res omnino præter opinionem admirabiles, quæ sicut aliquando silentium pariunt, ita etiam aliquando suggerunt facundiam: quod E utrumque parit magnitudino miraculi, atque ipsa plane argumenti amplitudo. Hoc autem publicum, atque inusitatum spectaculum, cui vel ipsi oculi faciunt fidem, (quippe valde præter opinionem jam pridem fuit) adductis in medium rationibus explicare contendam. Est enim, est, sicut in compositis sermonibus, semen fœcundæ sapientiæ ipsa præceptorum observatio, ita miraculorum exhibitio emanat ex martyrio propter Deum, atque ex Virginitate et puritate mentis, quæ sunt vera Divinarum virtutum imitamenta. Quod igitur ad miraculorum effectionem spectat, sub finem vobis edisseram. Nunc vero, ut principium narrandi faciam, ipsam Martyrem commendabo, quæ quidem, uti dicebam, fons est atque origo miraculorum; et primum equidem ubinam, et quam ob caussam convenimus, plane edisseram. *a EXORDIUM. Auctor admiratione miraculorum provocatus ad dicendum,*

2 Anniversaria sanctæ Martyris commemoratio in unum hunc locum nos omnes collegit, ut nostis, o mei doctores, antiquæ quidem Martyris, et primariæ propter insigne certamen, sed vero recentis quæ quasi nunc decertando vincat propter divina miracula, quibus quotidie coronatur, pulchreque decoratur. Martyris, quæ opportuno quidem tempore ostendit amoris ardorem sui erga Deum, continuis vero F tempestatibus in manu habet miraculorum *b* potestatem et efficientiam pro justa retributione, quandoquidem et fortis animi promptitudo, qua prædita erat, et corpore propter Christum penitus dilectum declaratur, ut quæcumque acciperet, retribueret. Dat quidem illa corpus, et firmum liberæ voluntatis propositum, atque hæc a Deo obfirmata juxta Divinam electionem, recepit autem nominis celebritatem, et regium diadema, illustrior effecta, quam si filios aut filias procreasset, atque adeo omni prolis fœda voluptate despecta sublimior. *festo S. Agathæ. b eam laudat, assidue facientem miracula,*

3 Et quoniam de iis, quæ ad liberos gignendos pertinet, memini, deque regio diademate mentionem feci, dicere jam incipiam. Mulier quidem est per solam naturam, non quidem per electionem, sicut reliquum fœmineum genus, quarum, quasi præsagientium futura, consuetudo etiam in ludicris puellaribus operam navat liberis educandis ac nutriendis; sed Virgo, quæ ne ludendo quidem puellares ineptias aliquando effingere visa est. Mulier dixi, sed addidi Virgo. Mulier quidem, propterea quod a principio ab sapiente Adamo (erat enim tunc vere sapiens, quippe nondum in peccatum lapsus) impositum hoc nomen *Mulierem, sed Virginem, (quod pulchre nutibus illustrat) ab infantia castitatis studiosam.*

A nomen fuit, scribens enim Moyses ingenue etiam nominis interpretationem, quam Adamus addidit, indicavit, dicens : Hæc vocatur Virago, quoniam ex viro sumpta est; Virgo autem, quod ex immortalis Dei Verbo (quod etiam propter me in carne sua mortem gustavit) indivisoque Dei filio nata est ; ut loquitur Theologus Joannes : Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in eum, qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Mulier igitur Virgo, quæ nos invocavit ad nostrum religiosum epulum, illa est mulier bene desponsa uni viro Christo, ut verbis utar Apostoli Pauli de thalami conjunctione : Virgo, cui etiam ipse conjugii auspex non incussit timorem, utrum deciperetur, sicut olim aviæ nostræ Evæ Satanas per insidiosum serpentem. Mulier, quæ ne notam quidem inflictæ sibi a Decio refert lacerationis : Virgo, quæ vulneribus a Quintiano affecta dissimulat. Mulier, quæ tyrannicorum ponderi edictorum non se submisit ; Virgo, quæ Principum œstro percitorum rabido furori non cessit. Mulier, quæ in tempestate imperiosiorum fluctuum haudquaquam naufragium fecit : Virgo, quæ in retia gerentium principatum non in-
B cidit. Mulier, quæ fert justitiæ leges : Virgo, quæ propria scribere manu suum non veretur institutum. Mulier, quæ tumidum superbiæ fastum subjugavit : Virgo, quæ Martyris cursum strenue peregit. Mulier, quæ non c purpura, fucatisque umbris, et velamentis vultus formam mentiri suam passa est, neque medicamentis, et ex vivo argento confectis vestes, manuumque lineamenta inficere ; sed Virgo, quæ conscientiæ a lumine, coloreque sanguinis veri divinique Agni et labia sua et genas et linguam purpurissabat exornabatque ; necnon etiam continua mentis cognitione necem sui studiosi Amatoris, quasi nuper sanguine madentis, revolvebat, intusque circumferebat ; ut hæc stola ejus confessionis non solum indelebilem ferret Christi notam purpurei sanguinis alte jam imbibiti, sed etiam virginalis d eloquentiæ thesauros advenientibus posteris elegantes ejusmodi colores una cum non deficiente verborum scaturigine impertiret.

*Gen. 2, 23* — *Joan. 1, 12* — *2 Cor. 11, 2* — AUCTORE METAPHRASTE INTER J. D. BENATON O. — *invictam in tormentis,* — *a luxu vestium alienam,* — *Passioni Christi addictam,*

4 Hæc itaque vere bona, quippe Dei pars existens eidem Sponso suo, et rursus nobis boni communione, qua e nominis sui vim significationemque refert, Agatha, ab ipso bonitatis fonte Deo concessa, donoque data. Quid autem magis beneficum, quam summum bonum ? Et quid magis celebrandum laudis
C præconiis quispiam inveniat, quam Agatham? Agatha, cujus bonitas ad nomen, ad ipsamque rem quadrat. Agatha, quæ rebus præclare gestis bonum nomen præsefert, et in ipso nomine præclare abs se gesta demonstrat. Agatha, quæ vel suo nomine allicit, ut ad sese omnes maximopere occurrant : quæ etiam suo exemplo docet, ut ad verum bonum, qui solus Deus est, omnes sine mora secum contendant. Agatha, quæ signum erexit, quid de se decretum fuerat, ut fieret, atque in lucem edita, quid per gratiam decretum erat, peregit. Agatha per f vaticinium parentibus divinitus prænuntiata, atque a Deo ab æterno præcognita. Agatha, quæ etiam illos non fefellit, qui hoc ei nomen imposuere, et invocantibus nomen hoc præsto est, facileque respondet.

*merito Agatham appellatam, id est, Bonam,* — *divinitus prænuntiatam,*

5 At enim Deo singuli manifesti sunt, ut loquitur, sacra Scriptura : Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus, ad quem sermo noster collimat ; verum omnia prædefinita sunt a cognoscente ; ipsa etenim præcognitio importat procreatoris Dei circa res singulas cognitionem, quæ quidem et rationem habet Divini consensus et concursus, et præterea modum liberæ voluntatis eorum, qui divino solum beneplacito procreati libere in opus prodeunt : prædestinatio vero

*Heb. 4, 13* — *a Deo prædestinata*

extremum errorum lapsum non permittit, sed con- D fert ad eum, qui prædestinatur, bonam et propensam voluntatem opificis Dei cum libero humano arbitrio, et ut prorsus ratione beatissima inter omnes, et sanctissima domina nostra Regina Virgo, Deique parens, a divino Verbo, quod in ea habitavit, eamque effinxit, ex omnibus gentibus delecta fuit; ita etiam hæc ejusdem Deiparæ filia et ancilla (quæ nunc faustis acclamationibus decoratur a nobis, quæque nostra præconia, nostrasque gratiarum actiones Deo per Virginem Deiparam offert) prædestinata fuerat ut Martyr esset et electa; et per Divinum liberum propositum præparata, quemadmodum Virgo, nostra domina, habitaculum Dei effecta fuit. Ab hac enim ipsa et unica Domina, et Virginum matre Deipara, et matre Virgine hæc discipula et ancilla, et (ut ita dicam) Deiparæ filia Domino suo et Deo, et rerum omnium Opifici sese sponsam tradere didicit.

*ut Martyr esset* — *et sponsa Christi.*

a *Sat multa de hac oratione, ejusque auctore, dicta* § 7. — b *Hinc patet multa olim S. Agathæ meritis accidisse miracula, cum præter id quod in repressis Ætnæ ignibus eluxit, nullum modo extet ante relatas Constantinopoli reliquias factum.* — c *Conjicimus hinc, atque ex Actis Latinis, ubi et exprobrat tyrannus quod servilem personam induerit, eam, non quidem, ut quæ nunc sanctimonialem vitam profitentur Virgines, vili induuntur habitu qui tamen apud virtutis veros æstimatores perhonorificus est, illa tunc palam rerum humanarum contemptum ipsis vestimentis ostentasse, luxum tamen mundumque muliebrem aversatam, ac modesto usam amictu. Concionatorie id exaggerasse videtur S. Vincentius Ferrerius in serm. de S. Agatha :* Mortuis parentibus, *inquit,* remansit hæres illius magni palatii patris sui : quæ exemplo Christi dimisit palatium patris et ornamenta et vasa aurea et argentea, et restrinxit se in quadam parva domo, ut simplex persona. *Et paucis interjectis :* Voluit indui pauperrime ut Beguina, et dabat patrimonium pauperibus amore Dei et vivebat propriis manibus, filavit, suit, et texuit, quia nullus potest continue orare. *Verba illius forte Paulus Æmilius Santorius :* Non sinuosis illi vestibus non gemma capillum insignire, aut unguento linire, sed serico lanthini velo coloris (quod adhuc aspicimus Catanæ) oblegere, *ubi luxum removet, modestum amorem admittit.* — d *De S. Agathæ eloquentia illud extat in Menæis elogium :* Diffusa est gratia in labiis tuis, o Martyr, a bonitate nomen indepta. Diserte enim confutasti aperte impudentem, eloquio divinitus tradito locupletata. — e Ἀγαθὸς *quippe* bonum *significat,* ἀγαθὴ bonam. — f *Itaque nequit hinc sequi, parentes S. Agathæ fuisse Christianos ; præterquam quod identidem orationem hanc, principio excepto, proclamet Methodii non esse, sed mediocri cujuspiam scriptoris, nec dignam fide. Præfert ipse vaticinium, quod supra ex codice Panormitano relatum est* § 8 *num.* 56.

*S. Agatha an sanctimonialis?* E

## CAPUT II.

*S. Agathæ properantis ad martyrium ardor, Divinæ opis imploratione et miraculis roboratus primum cum turpi lenu certamen.*

Agatha igitur revera bona, et jure optimo Deo gratissima amica hæc pertulit quidem ut mulier esset, et ad liberorum procreationem inepta, verum ut virginitatem suam custodiret, et summis votis F exoptavit, et omnino decrevit. Cum igitur audiret scriptum quoddam decretum Decii Imperatoris per totam Romanam ditionem passim vulgari, illud Agatha derisit ; cumque velut ostium ventis perflantibus humani consensus obserasset, ipsi naturæ postes opposuit, et interminatam propensionem animæ, et corpus, velut in medio templi Hierosolymitani velum cordatæ mentis interjecit, quod consensum arceret, ipsaque mentis contemplatione Seraphicis adjuncta spiritibus, ter sanctum sui numen solum ad misericordiam impetrandam supplicabat, hujuscemodi usurpans verba liberæ ingenuæque gratiarum actionis apud Deum : Tu quidem, o Domine, jampridem hostem corporis mei caussa bellum inferentem, et velut equum ipsa corporis membra adhibentem, atque utentem ipsa natura contra naturam, dignatus es me, ut subjugarim et calcarim ; tu item etiam nunc, o amator hominum, qui indeficientem meum erga te amorem probe nosti, sis mihi in hoc certamine opitulator, et, qui ex intimis erumpit præcordiis, fontem excipe lacrymarum, ac tribue de ipso hoste mihi gloriosam victoriam, o animarum humanique generis amator, qui etiam, quod

*Ea Decii edictum ridet.* — *et ut antea voluptates corporis,* — *sic tormenta ut vincat*

A quod propria manu victoriosum certamen cum nostro eodem hoste iniisti, nobis adscribere ac tribuere benignissime non es dedignatus : quam etiam ob caussam, o peccati expers Domine, de nostra sumptam pro nobis carnem induisti.

*cum lacrymis precatur :*

7 Illa vero hæc Christum precabatur, non ut certamen evitaret, sed ut vires sibi sufficerentur ad martyrium. Exaudierat enim Agatha mulierculam quamdam pessimis artibus deditam cum Quintiano de se communicantem, et idcirco perquam paratissima prono in terram procidit vultu, odioque contra persecutorem, contraque ipsum peccatum, ardenti etiam amoris erga Deum excitata desiderio, ad intactos Domini pedes advolvitur, sicut ad ejus vestis laciniam illa olim Hæmorrhoissa : et profluvium quidem non inhibuit, hoc enim non patiebatur: potius vero (sicut Joannes virgo fluentum Theologiæ ex accubitu super Divinum et immaculatum pectus) illa lacrymarum rivos, quo uberius dimanarent, accepit. Surgit igitur post precum satietatem, perinde ac si accepisset Divini auxilii tesseram, corde quidem, certaque spe sibi victoriam per fidem pollicetur, ideoque sic loquitur : Ecce jam Christi virtute hostilis potentia in favillam redacta, conculcata, et extincta est a mea pudicitia : quod reliquum est, confidens alacri animo ad stadium procurram.

*Math. 9, 20*

*spe plena,*

B

*satellites comitatur,*

8 Itaque summa mentis constantia ad Tyrannum pergit inter lictores lætabunda, cum de sui generis nobilitate, magnisque et multis rerum fortunis nihil plane meminisset, ac ne verbo quidem, quod ad res suas pertineret, prolato, sed simplici expeditoque gressu præcurrebat eos, qui eam ducebant : ita ut hos quidem trahi potius ab Agatha, quam Agatham ab ipsis trahi viderent spectatores, qui vel ipsa oculorum acie illius celeritatem prosequi nequirent. Atque hi, qui virginalis animi promptitudine erudiri, et ad prudentem audaciam incitari debuissent ad mortem pro virtute oppetendam, tamen e contrario, per innatam inconstantiam, cervorum instar, cordis trepidationem penitus impressam foventes, veloci reversione beatam Virginem miseri reliquerunt. At illa dum incederet, lacrymas ubertim profundens, ita secum ad preces conversa loquebatur, seseque ad majorem constantiam inflammabat. Primum quidem pro virginali pudicitia propter Christum sponsum meum decertavi, delicias ut rem abominandam aversata, ut ne de improviso per illecebras expugnarer. Agesis etiam nunc adesto alacritati animi mei, o dulcissime mi candidate; qui solus efficis et potes omnia : ostende meam hanc humilem mentem cunctis rebus terribilibus sublimiorem; ita ut etiam animo eas pro nihilo ducam, neque quidquam existimem instar levis cantilenæ aut strepitus, etiam si decies mille sint, qui necem mihi intentent.

*imo præcurrit:*

*a suis relicta,*

*Christo iterum cum lacrymis se commendat,*

C

*ac diabolo insultat :*

9 Sub hæc quasi vero oculis inspiceret, mente enim certe intuebatur hostem suum, eidem tamquam præsenti exprobravit. Non vides, inquiens, meum stadium, o veritatis hostis, quique ab ea alienus es, ad quod contemplandum universa Angelorum ac justorum accurrit multitudo exultantium, et, ut decet, collætantium ? Me autem ipsam interim non animadvertis, o veterator, sub Amatoris mei umbra dormientem, et sub certaminis præmiorumque arbitro Christo viriliter decertantem, ideoque quæ Magister meus edocuit exercentem, et pro viribus expleturam re ipsa sperantem ? Providebam enim Dominum meum in conspectu meo semper, quoniam a dextris mihi est, ne commovear.

*corrigiam solutam adstringit:*

10 Talia dicentis contigit ut in ipsa cursus celeritate calceamenti corrigia solveretur : sedulitatem autem, etiam cum illam colligare vellet, maxime ostendit masculinam, et conversa, et comitantium omnino neminem intuita, preces quidem fudit opitulanti Deo : *a* Domine omnipotens, qui non deseris te amantes, et in te suas spes collocantes, esto adjutor meus in altero certamine, quod mihi parari jam video, et ad quod accingor, gratia tua opitulante : hisce autem, qui me tantisper exceperunt, dum hic licuit quiete agere, meque continere *b* longe a patria, ac paterna domo, ut ne auribus quidem acciperem nuptialia Quintiani nuntia, condignam vicem reddas, et effice, ut sermones mei, quos privatim habui de te vero Deo, deque unigenito Filio tuo, et de castitate, et de judicio, in eorum cordibus perseverent. Sed quoniam vereor, ne eorum memoria diffluat, (ecce enim me occulte dereliquerunt omnes) ostende, quæso, his urbis incolis magnum aliquod miraculum. Et cum hæc Virgo fuisset precata, illico sterilis olea exorta est, quæ publica notabat ignominia eos, qui per speciem honoris eam deduxerant, timideque aufugerant.

D

INTERPR. LEON. PATE.

*a*

*orat pro suis hospitibus,*

*b*

*et ad eos movendos oleastrum subito oriri impetrat:*

11 Strenua autem Virgo ex eo miraculo magis animata (quippe jam senserat exauditis precibus Divinum sibi adesse numen, ejusque Angelos, qui se tuerentur ab lictorum injuriis) corde intrepido se in viam dedit. Ubi vero Catanam appropinquabat, magnus civium suorum numerus illi obviam prodiit, et mulieres quidem aliquot ejus vicem dolebant, aliquot etiam, quibus Christianum pectus magis sapiebat, inter se tacitis laudibus constantiam Virginis extollebant, quod *c* impias Proconsulis oblatas nuptias ne auditu quidem dignata esset, ideoque solum vertere sapienter decrevisset. Matronæ vero primariæ civitatis, quibus propter nobilitatis, opum, ac divitiarum famam locus datus fuerat a satellitibus, ad Agatham salutandam accedentes, in osculo sancto eam susceperunt, deque reditu gratulatæ animum faciunt, ut stadium suum conficiat virtute dignum : et quæ tam constanter primo certamine servandæ Christo sponso suo virginitatis solum migrando encurrit, ac fugiendo pervicit hostem, nunc in altero agone pro Fidei professione usque ad mortem fortiter dimicando, Quintianum debellet, ac moriendo gloriose tandem triumphet. Illa vero : Meas, inquit, spes in Deo collocavi : ejus mihi Filius vires sufficiet, et ejus freta auxiliis, Tyranni minas, verbera, tormenta, cruciatus, mortem denique ipsam devincendam spero atque opto.

*a Catanensibus obviam progressis*

E

*c*

*laudatur*

*et animatur :*

12 Præses vero, ubi accepit Agatham ad urbem adventare, ut aliquantisper turbatam civitatem, ac præsertim animos consanguineorum mulceret, in Aphrodisiæ nobilis feminæ, sed famosæ, domum divertere illam, atque honorificentissime excipi jubet, cavens ne aliquem ex propinquis ejus illuc introduci pateretur. Quæ tibi mens animi tunc inerat, Virgo integerrima, cum te inclusam spectabas in illo Aphrodisiæ, novemque muliercularum matri perquam similium, prostibulo potius, quam nobilium honesta domo? Quidnam animo virginali meditabaris in sordido illo infamium Sirenum cœnoso lupanari verius quam remoto dignoque Virginum gynæceo? Non equidem vereor, ne non tu honestas aures profanis illarum incantamentis obturaveris, sed scire sane gestio, si fas esset, in quasnam rerum Divinarum meditationes, ipsos triginta dies noctesque, sanctissimam mentem tuam defixeris. Sed quoniam hæc, quibus nihil arcanius esse debet, nos mortales de te in cœlo degente audire non licet, liceat mihi certe nunc sanctis viris, qui in hujusmodi calamitates inciderunt, te comparare.

*traditur Aphrodisiæ pervertenda,*

F

13 Quid etenim te Virginem sanctissimam Davidi quam simillimam judicem, qui Saulis Regis furorem declinans in ferarum speluncis latitabat quidem, sed ibidem cum Deo colloquens, sicut in augusto ac religioso templo ante Divinam aram prostratus sibi esse videbatur, ubi preces, lacrymasque fundebat, ubi

*sed similis Davidi,*

A ubi Divinum implorabat auxilium, ubi se, ac vitam suam pro victima Deo offerebat. Tu vero in Aphrodisiæ....... hæc aliaque multo majori cum ardore Christo obtulisti, qui te a tuis desideriis non fraudavit. Quin etiam ibidem mancipata, virum illum desideriorum Danielem imitabaris, qui in fœtido leonum lacu odoriferum orationis thymiama summo Numini incendebat, meruitque tandem septimo die a jejunis septem leonum faucibus incolumis evadere. Tu vero cum ipsos triginta dies Virgo purissima adversus decem leænas in domestico lacu in servanda Deo virginitate decertasses, multo integrior evadere meruisti. Neque obliviscebaris Jonæ, qui in abyssum dejectus, ipse piscis ventre tamquam Hierosolymitano templo usus, laudes Deo fundebat ac preces, quibus a Deo auditis ex ore piscis vivus ejectus in terram publice concionabundus magnæ civitatis saluti consuluit. Tu vero Agatha, vere tibi Virgo bona, bona etiam Deo Martyr, bona demum patriæ, ac civibus extitisti : quippe quibus tuam in maximis ærumnis constantiam intuentibus, atque admirantibus specimen Christianarum virtutum dedisti, ita ut neque divitiarum pollicitationibus, neque propositis deliciarum oblectamentis, neque adeo tormentorum minis ac periculis, neque vero Imperatoris B Decii decreto de subeundis ultimis cruciatibus, dimoveri potueris a proposito servandæ virginitatis, fideique Christianæ professione. Eras quippe quasi firmus in pelago scopulus, qui ventorum flatus, ingruentium pluviarum lapsus, frementium undarum impetus contemnit potius, quam timet, diffringitque fortius, quam illis cedit.

*INTERPR. LEON. PATR.* — *Danieli.* — *Jonæ.* — *omnia ejus promissa et minas contemnit:*

a *Quæ hactenus relata, in MS. Patrum Oratorii Græce exstant, et nos inde accepimus. Cætera inde absunt, ut ante diximus.* — b *Videntur Panormitani asserere, migrasse primum Agatham, adhuc infantulam, cum parentibus Panormo Catanam; ibique adolevisse : (unde alioquin Catanensibus ita fuisset nota, ut apud Quintianum ejus nobilitatem ac pulchritudinem deprædicarent?) ac deinde Panormum ad lares paternos reversam.* — c *Nusquam in Actis Latinis, ut diximus, mentio expressa fit fugæ; neque ad nuptias expetita dicitur a Quintiano, qui uxorem habebat, sed potius ad stuprum,* ut qui erat de genere ignobili natus per hoc personaret ad aures vulgi, quod tantus esset ac talis qui posset etiam spectabilium subjugare personas. *Exstant passim apud scriptores exempla importunissimæ libidinis Prætorum Romanorum in provinciis in alienas filias ac conjuges. Lege, qui ea requiris, apud Ciceronem quæ C. Verres Prætor in eadem Sicilia gesserit, et in l. 3 quæ ante a [illegible]. Sanctorius existimat Quintianum sibi jungere matrimonio Agatham voluisse. Qui igitur potuit prudentissima Virgo qu. 1 num. 8 optare, ut talis esset uxor Quintiani qualis dea sua Venus, si sciebat eum uxore carere, neque ad legitimum conjugium expeti? Quod votum Virginis ita idem Sanctorius exponit :* Rogabo Jesum Christum Dominum meum, ut uxor tua (si thoro fortasse es alligatus) talis moribus et gloria evadat qualis amorum Regina Venus.

*an a Quintiano ad legitimum conjugium expetita?*

C

## CAPUT III.

*S. Agathæ inflicta tormenta, gravia et multiplicia. Mamillæ ei a S. Petro restitutæ, vulnera sanata.*

Quas quidem Agathæ virtutes cum esset admirata omnis illa muliercularum colluvies, ad Quintianum pergit Aphrodisia, nuntiatque sese ac filias operam perdidisse; faciliusque Ætnæa saxa in ceram converti, quam Agathæ cor in obstinatione servandæ Christo virginitatis obduratum emolliri aliquamtulum posse. Tum ille ad suum citari Virginem tribunal jubet, qui renascentes pristinæ cupiditatis iræque flammas eum diu per astum suppressisset. Ætnæ similis, quem non semper ignem ab horrendis faucibus ejaculari fertur, sed quibusdam interjectis temporum intervallis ebullientes intus flammas ubi continuit, protinus majores evomit ignitos fluvios, globosque ejaculatur. Et : Scio equidem, inquit, te ex nobili opulentoque genere ortam esse : tuique sanguinis splendorem cognati tui, quorum opera in magnis imperii rebus non semel usus sum, testantur: quid igitur caussæ est, ut posthabitis nostris diis humilem Christianorum vitam, ancillarum in morem

*Quintiano intrepide respondet,* — *et Christi servitute gloriatur,*

in obscuro agas? Et illa : Recte me ancillam autumas; sum enim Christi Dei mei ancilla, cui omnes D creatæ res, velint nolint, famulantur. Verum hæc conditio non ingenitam familiæ meæ nobilitatem obscurat, sed illustrat magis : neque ego me nobilem atque ingenuam prædicarem, si non unico veroque Deo, ejusque unigenito Filio, caste pieque servirem, sed vitiis ac voluptatibus vitæ, diisque vestris, non vere Diis, essem obnoxia.

15 Hæc satis intrepide apud Præsidem Agathæ alloquenti, protinus satelles manu sacrilega in faciem colaphum impingit, ut Virgo Christi, vere bona discipula boni Magistri, similibus initiis martyrium imitaretur, sponsoque *a* suo sponsa similis appareret. O quam belle purpurissatas tunc dilecta Virgo genas dilecto suo ostentabat! quam pie virginali rubore, ac decoro livore ornatum vultum in cœlum extollebat, oculosque lacrymis cruoreque respersos ad Christum dirigebat, ut iisdem ipsis propter ejus amorem vulneratis Divinum pectus vulneraret, sponsique cor transfixum ad majorem sui amorem illiceret atque inflammaret!

*utroque alapa percutitur* — *a*

16 Post igitur multiplices intentatas Agathæ minas, ad tenebricosum detrudi carcerem eam jubet Quintianus. Pergebat vero illa magno animi gau- E dio, vultusque lætitia, et quasi ad nuptiale epulum invitata, ad ergastulum humi depressum maturabat. Quo dum illam satellites magno impetu detrudere conabantur, divinitus factum est, ut durus lapis Virginis pedibus quasi venerabundus cederet, ac immobilem servaret Agatham : cujus vestigia ibidem impressa magna cum religionis observantia omnes mortales venerantur; ut per hoc etiam miraculum Christus sibi *b* in cœlum hilariter ascendenti, ac de terris triumphanti, Agatham similem declararet, etiamsi in carcerem illa descenderet, quippe quæ illuc gloriose incedendo de Aphrodisia devicta lætissimum triumphum Angelis et hominibus agere videbatur.

*detruditur in carcerem, sed ne cedat impedit lapis, pedibus ei inhærentibus,* — *b ac vestigia relinquit:*

17 Virgo igitur volens ac lubens in carcerem includitur : ubi noctem insomnem agens, Divinarum rerum contemplationi cum lacrymis operam navat, utque sibi cœlestes in agone cruciatuum vires Christus sufficiat, precatur. Vix illuxerat, cum iterum ad tribunal Quintiani Virgo sistitur : ubi cum audacter pro Christi fide ac virginitate tuenda se mori malle professa esset, continuo manibus pedibusque colligatis in præparato distenditur equuleo : expediuntur fasces, flagellis virginale corpus obtunditur; deinde ferreis ungulis ac fidiculis latera sulcantur; tum can- F dentibus aduruntur laminis; demum vix enatæ torquentur mamillæ, et crudeliter denticulatis forcipibus discerpuntur; in quo cruciatu magnanima Virgo insolentem sævitiam exprobrat Quintiano : enimvero inquiens, impius, et crudelis es, naturæ hostis humanæ; quippe non erubescis mamillas sæviter amputari in Virgine, quas infans blande in matre suxisti. Sed quamquam hasce caducas præcidisti, haudquaquam alteras, quas reconditas in anima, ab infantia Christo meo consecratas servo, poteris avellere.

*suspensa in equuleo, flagellatur, ferreis ungulis,* — *fidiculis, ignitis laminis, mamillarum abscissione torquetur, quod ipsa tyranno exprobrat:*

18 Excanduit Quintianus, ubi non adhuc consternatæ puellæ intrepidas voces ex virili pectore prodeuntes accepit. Et ne se victum fateretur, Agatham in carcerem reduci jubet, custodibusque edicit, ut continenter vigilent, ne quis ex propinquis chirurgum submittat, neu cibum potumve clanculum audeat ministrare. Ibi Virgo inclusa, sacris intenta precibus, hujuscemodi verbis Christum alloquebatur : O qui sponsus sanguinum jure nunc dici potes, gratias tibi ago immortales, quod per potentiam tuam me superiorem tormentis effecisti : suscipe, quæso, hosce pectoris cruciatus in laudem et honorem nominis

*jubetur inedia macerari:*

A minis tui, et in gloriam Ecclesiæ tuæ. Et ecce sub mediæ noctis silentium, inter illas obscuri carceris tenebras, veneranda specie quidam senex, (quem puer præibat, facemque præferebat) illeque se chirurgiam callere affirmabat, ac pollicebatur avulsas mamillas curari posse. Tum illa : Medicamenta equidem, venerande senex, corpori meo numquam exhibui; sed habeo Dominum meum Jesum Christum, qui unico nutu, si voluerit, me curabit. Et ego, inquit senex, Apostolus ejus sum, et in nomine ejus viden' ut curata sis ?

*a S. Petro apparente,* *medicinam recusans,* *verbo sanatur.*

19 Sed quid ego in hoc ergastulo moram traho ? jam diu illud Catanense theatrum suis elatis flammis me vosque omnes advocat, animisque præsentibus spectaculo ibidem exhibendo nos adstare jubet, ubi super flammantes carbones, ignitaque testarum fragmenta tenerrimum Virginis corpus collocatur. Atque nunc hæc lectuli species illa mihi videtur esse, quam Sponsa describens a floribus commendavit, cui nec purpureæ rosæ desunt candentis ignis, nec lilia corporis virginalis. Complectantur igitur ignes rosei, atque lambant potius, quam adurant lilium virginale; complectantur, inquam, neque spinis suis dilacerent : ardeat, ut lubet, ignis in spinis, sicut in rubo Mosaico, et si comburere amat, suas comburat B spinas, sed lilio parcat candidissimæ virginitatis. Jacet enim Agatha, ac vallatur flammis, sicut spinis lilium. Meretur hujus præmii prærogativam votum virginitatis, ab infantia Deo nuncupatum, et illibato candore servatum.

*in ignitis carbonibus et testarum fragmentis volutatur :*

a *Cui nimirum apud Annam Pontificem* unus assistens ministrorum dedit alapam. *Joan* 18. 22 — b *Cujus quippe ultima vestigia humo impressa in monte Oliveti hodieque monstrantur, ut pluribus Patrum ac Historicorum testimoniis confirmat Baronius tom.* 1 *Annal. ad an. Chr.* 34 *num.* 232 *et seqq. et passim alii Scriptores.*

## CAPUT IV.

### *S. Agathæ mors, sepultura, epitaphium ab Angelo appositum : hujus pars prior explicata.*

Vix igitur Agatha ignes tetigerat, cum ecce patria tellus, filiæ suæ vicem miserata, funditus contremuit, et quasi materno sensu prædita esset, apertis non uno in loco faucibus, ore multiplici exclamabat, clareque testabatur, quam vehementer doleret, quamque juste indignum crudeleque illud spectaculum detestaretur, in eam plane rationem, qua, rerum omnium conditore Deo in crucem acto, universum C contremuit terræ elementum, immane Judæorum scelus, impiumque nefas ferre non valens. Liceret fortasse affirmare Catanensem tellurem id temporis quasi ludibundam exultasse, choreasque duxisse, quod in lectulo illo ignito, quasi in geniali thalamo, filiam suam Agatham jam Christi sponsam videret collocatam, sperans de sanguineo filiæ martyrio fortiter consummato uberrimam nepotum segetem ad Evangelicam lucem nascituram. Vere etenim ille invitus fatebatur sanguinem martyrum esse semen Christianorum. Sed multo certius equidem censeo, eamdem terræ concussionem non ab aere in ejus visceribus violenter concluso, neque aquis ab eisdem præcordiis perrumpentibus fuisse factam, sed vero ab Angelis de cœlo descendentibus, quibus familiare est terram quatere, suoque adventu impios a malis faciendis absterrere, pias vero mentes in studiosis actionibus confirmare. Id quod evenisse legimus ad Christi sepulchrum paullo postquam ille redivivus ex inferis triumphavit : ad quod descendente Angelo magnus terræ factus est motus, qui ubi sepulchrum reclusit, milites quidem illud custodientes metu exanimatos in fugam convertit, a piis vero mulieribus omnem timorem excussit.

*subito terræmotu* *ab Angelis excitato,*



21 Opem igitur Agathæ in incendiis jacenti ecquis dubitet Angelos attulisse, roreque cœlesti eos ignes, flammasque aspersisse ? Nonne hæc nostra Virgo, divinitus illustrata, roris hujus salutarem pluviam sibi spoponderat, cum Quintianum alloquebatur : Si ignem, inquiens, corpori meo adhibeas, rorem mihi salutiferum de cœlo Angeli ministrabunt. An vero Angeli, ipseque Angelorum Rex Christus frustra haberet Agathæ spes in se collocatas, ita ut Virginis verba inania infirmaque censeret Quintianus ? An hujus Virginis animus, qui semper a lethalibus libidinis ignibus abhorruerat, eosque omnino extinguendos curaverat, penitusque Deo fixus inhæserat, nunc suum corporis organum, quod pro servandæ virginitatis fide super ignitos carbones, acutasque testas flammantes injici pertulerat, ab iisdem vel mediocrem injuriam præter conceptam spem perpeti spectaret? An etiam ille Filius hominis, cujus gloria est quasi unigeniti Dei, qui voluit quartus interesse cum tribus pueris in fornace Babylonica, adeo ut nihil eos ignis læserit, ille in igneo lectulo propter se jacentem Agatham, sibique desponsam, quippe quæ ab infantia sibi adhæserat, eratque secum facta unus spiritus, dimitteret amburendam? Adfuit, adfuit sponsæ Agathæ sponsus, qui per Angelos suos spiritus factos et terram fecit tremere, producE tis ventis de arcano suorum thesaurorum; fecitque incendium illud Agathæ substratum quasi auram roris flantem, ita ut neque virginale corpusculum tangere, neque ejus animum contristare, neque molestiæ quidquam inferre auderet ignis. Adfuit, inquam, Christus, secumque nobile Angelorum agmen, tam nobili spectaculo, dignoque quod cœlestibus oculis cerneretur, adeo ut jure optimo Agatha clamare potuerit : Vidisti, Domine, et spectasti agonem meum quomodo pugnavi in stadio, et quia volui fidem virginitatis custodire, jussa sum non solum suspendi in equuleo, et in mamillis totoque corpore excarnificari, sed etiam in igne collocari : sed tui Divini amoris fervor mihi vires sufficit, o bone Sponse, fulcitque hisce flammis, velut rosarum floribus, stipatque odorifero carbonum quasi pomorum et aromatum suffitu, ita ut carnificum tormenta hæc credulia, et hosce ignitos carbones, hilariter sustineam, amanterque complectar, non tamquam ignes cruciantes, sed tamquam vernos flores, et purpureas coronas mihi adblandientes, iisdemque quasi rubicundis pyropis concinnari patiar, et gaudeam, pretiosas torques ac monialia, omnem mundum nuptialem, ac vestem martyrii, ut hisce decorata ornamentis ad cœlestes F thalamos admittar.

D *INTERPR. LEON. PATR.* *ipsa rore cœlesti,* *per Angelos vel Christum affuso,* *servatur illæsa.*

22 Inter hæc Quintianus terræmotu, duorumque nece amicorum, ante ejus oculos oppressorum ruinis parietum, pavefactus, maximoque populi tumultu conturbatus, obortoque clamore Catanensium, Virginem incolumem servare volentium, exanimatus, illico Agatham in carcerem reduci jubet : quæ civium cœlestium exercitu, populique turmis stipata, de jam superato Quintiano, ac tormentis omnibus triumphum agitans, in venerandum ingreditur carcerem ne dicam, an regium palatium, an vero potius cœlestis templi sacrosanctum vestibulum? ubi Virgo stans oculis in cœlum sublatis, passisque in crucis speciem brachiis virginalibus orans in hæc verba linguam solvit : Domine Jesu Christe, magister bone, gratias tibi ago, qui me hoc honore dignatus es, ut decertarem pro nomine tuo, qui abstulisti a me mortalis vitæ amorem, mihique cœlestes vires sufficisti ut tormenta perferrem; tu idem Domine Deus exaudi preces meas, et dignare ancillam tuam, ut hanc terram dimittat, atque ornata purpureo triumphalis martyrii peplo, flammeoque virginali contecta, ad immarcescibilem æternæ gloriæ coronam feliciter perveniat.

*ob tumultum populi remissa in carcerem.* *Deum precata moritur :*

A perveniat. Hisce peractis precibus illico immaculatum Deo tradidit spiritum.

*INTERPR. LEON. PATE.*

*sepelitur honorifice,*

23 Quod ubi populus carcerem circumstans cognovit, magno cum pietatis studio ac reverentia, corpus generosæ Martyris in monumento honorifice composuit. An vero sponsus Agathæ Christus, qui gloriosus est et mirabilis in sanctis Martyribus suis, hanc amabilem ejus Sponsam, et Martyrum Siculorum eximiam Reginam, quam etiam in terris viventem miraculis cohonestaverat, mox in cœlo secum triumphantem non redderet longe clariorem? Et cujus Virginis linguam testem suæ divinitatis disertam Christus fecerat, secumque castum amorem, ac nuptialem fidem jusserat publice profiteri, mox eidem corpus iis de caussis cruciatum quiescere in obscuro marmore pateretur inglorium? Fecit utique, fecit dignissimæ hujus Sponsæ suæ Christus sepulchrum gloriosum, non per unum aut duos Angelos cœlitus missos, paucis mulieribus conspicuos, sicuti suam speluncam, ubi extra Hierosolymam ipse Sponsus jacuerat, sed per centum spiritus cœlestes humanam decoræ juventutis formam indutos, qui dum virginale corpus a Christianis civibus decore collocatur, conspicui omnibus, cœlestem psalmodiam decantarunt. Quidam vero inter eos longe pulcherrimus adolescens ad sepulchrum nondum opertum accessit, cœloque delatam marmoream tabellam ad Virginis caput apposuit, in qua ejus encomia erant breviter exarata: MENS SANCTA SPONTANEA, HONOR DEO, ET PATRIÆ LIBERATIO.

*apparentibus 100 Angelis et cantantibus*

B

*uno epitaphium apponente,*

24 Quid hoc unum meum os, meaque mortalis lingua audet amplius laudes Agathæ celebrare, quas non centum Angelorum ora, non totidem cœlestes linguæ verbis volantibus attingere valuerunt? Sed illas ipsas magno silentio cœlestibus digitis ille ceteris major Angelus, Virginis nuper custos, dictante descripsit Deo, admiratusque Agathæ angelicas ac prope divinas virtutes, protinus inde discessit. Certe ut ipse quoque præsens esset, fieretque particeps in lætitiis cœlestibus, quibus civitas omnis cœlestis profundebatur ad triumphum Martyris omnium magnanimæ, suoque jure esset Paranymphus ad ingressum pulcherrimæ Christi Sponsæ in thalamum sibi a Matre Virginum Virgine Deipara præparatum: necnon ut idem custos Angelus, qui certaminibus disputationum tormentorumque Agathæ semper interfuerat, eaque supra puellare ingenium ac vires, quasi auritus oculatusque testis, perceperat, singulaque admirabundus spectaverat, mox per totum cœlum victimas caneret virginales, invitaretque beatos cœlestis militiæ exercitus ad Filium Dei ac Deiparæ Virginis collaudandum, quod talem fecisset in imbelli Virgine Victoriam.

*nempe ejus custode,*

*moxque abscedente ut animæ paranymphus esset cœlum ingredienti,*

C

25 Sed fortasse verius inde Angelus discessit, quia cum virginalis mentis purissimam sanctitatem, ardentissimum spontaneæ Martyris amorem ac desiderium, eximium in maximis tenelli corporis cruciatibus Christo sponso exhibitum honorem ab Agatha publice testatus esset, erubuit prope tam nobile corpus consistere, eo quia longe clariora per illud facinora in terris edidisse Agatham cognoscebat, quam ipsemet purus spiritus in cœlo contra draconem patraverat; ideoque aeriam humani corporis speciem exuere maturavit, nempe fassus se a mortali adolescentula longe superatum, et in auras evanuit ad eum plane modum, quo ab Jacob Patriarcha, quocum similis Angelus luctabatur, nec illum superare poterat, dimissionem petiit Aurora ascendente. Et quia jam lætissimæ Agathæ anima quasi cœlestis ac rosea Aurora ad cœleste fastigium, soliumque gloriæ sublimis ascendebat, exueratque jam mortale corpus, indecorum Angelo videbatur in terris moram facere, ut mortalibus oculis adhuc sese conspicuum exhibere. Vel certe huic Angelo, ejusque centuriæ cœlesti, illud usu venit ad Agathæ sepulchrum, quod binis olim Seraphim, qui dum divino Verbo mortalem carnem assumpturo Angelicum illud Trisagium concinerent, divinamque sanctitatem ei optime congruere conclamarent, sese totos alis velabant, sedentis majestatem et gloriam contemplari nequeuntes. Hujus enim Virginis nostræ Angelus, cum propter integerrimam virginitatem Agathæ mentem sanctam declarasset, sanctam item ejus voluntatem propter acerbissimos cruciatus hilariter perpessos, quibus mirifice Christus Deus toto cœlo terraque fiebat gloriosus, animadvertens novum se Trisagium cecinisse, adeoque mirificis Agathæ sanctitatis splendoribus Angelicam obtundi mentem invisibilibus alis sibi consulendum censuit, itaque sublimis evanuit.

*vel quod erubesceret, ab ea in corpore victus,*

*ut ille cum Jacob luctans,*

D

Esa. 6

*et qui audiente Esaia trisagium cecinerant.*

26 Sed quæso te, o cœlestis Angelorum centuria, unam saltem mihi Angelicam linguam ac manum ad breve temporis spatium accommoda, ut cœleste Epithalamium, quod vos cum Agathæ corpusculo in obscuro sepulchralis marmoris condidistis, in lucem proferam, paucaque vestra (ut soletis) verba in eo descripta, ac reconditis mysteriis obvoluta, fas mihi sit edisserere. Et quidem vos jure optimo ab virginalis mentis sanctitate laudes Agathæ celebrare occepistis. Virgo etenim hæc cum adhuc infans esset, nullo mortali magistro edocente, sed Spiritu sancto intrinsecus suadente, virginitatem Deo consecravit, adeoque toto vitæ decursu excolere satagebat, ut nullis eam secularibus curis, aut nuptialibus colloquiis macularit, quin imo rerum omnium creatarum immemor, Divinæ vacans contemplationi, eam reddiderit puriorem, ideoque ad eximium Divini amoris excessum subvolarit, et pro Sponsi sui tuenda fide ad cruciatuum agonem pervenire maxime exoptarit. Quas ob res factum est, ut ejus ardentibus desideriis ex pura avidaque mente scintillantibus, obsecundarit Deus, sibique honor æternus, gloriosus, immortalis pullularit; ipsaque Ecclesia et candida et rubicunda mortalibus ac cœlestibus oculis cœperit apparere.

E

*S. Agatha ab infantia Deo vovet virginitatem, et studiose custodit,*

*multaque patitur,*

27 Hodie igitur *a* Christiana Ecclesia sese exornet, cum jam suam gloriosam intinxerit purpuram purissimis Martyris Agathæ cruoribus, atque adeo gaudeat et exultet, canatque ejus victorias ac triumphos, patriæque Catanæ dignam gloriatione prædicet, orbemque terrarum impleat Agathæ Christique nominis celebritate. Enimvero quænam creata res magis admirabilem Dei potentiam, quid magis prædicabilem ejus sapientiam, quid magis amabilem ejus bonitatem ostendat, quam in fragili fœminarum corpusculo viriles animos, atque heroicas virtutes intueri? Inter fœminas autem quid illustrius invenias, quam tenellas Virgines Deo per votum integritatis consecratas? Inter Virgines vero post Deiparam Virginem quid delectabilius agit in stuporem, quidve admirabilius Ecclesiam Christi delectat, quam hæc Virgo singularis Agatha? Quæ quidem sapientis Regis consilio obsecuta, non solum de primitiis corporis sui, sed etiam de tota sua substantia honorandum sibi decrevit Deum. Cum enim nobilissimis orta esset natalibus in urbe Catanensium, corpore pulcherrima, divitiis opulenta, eloquentia sermonisque lepore admirabilis, virtute prudentiæ conspicua, animique fortitudine prædita singulari, hæc aliaque corporis animique ornamenta singula Christo Deo, ejusque honori et gloriæ mancipavit; quin se quoque ipsam quasi nihilum despexit propter Christi dilectionem, continenterque Domino suo dignos honores ad usque vitæ occasum exhibuit. Totum hoc ipsum testatur breve Epithalamium, atque Angelicum oraculum, quod non ad inutilem verborum ornatum, neque ad speciosa encomia, sed ad veras Agathæ virtutes

*a*

F

*in utroque Dei gloriam illustrans.*

*nobilis ac dives et præclaris naturæ donis conspicua, hæc omnia Dei honori impendens:*

A virtutes æternis monumentis consignandas, divinitus fuit descriptum.

a *Hinc sumptum, quod inter alia in Menæis extat odarion* στολιζέσθω σήμερον ἡ ἐκκλησία, πορφυρίδα ἔνδοξον καταβαφεῖσαν ἐξ ἁγνῶν ῥείθρων Ἀγάθης τῆς μάρτυρος. χαῖρε, βοῶσα, Κατάνης τὸ καύχημα. Induat hodie Ecclesia gloriosam purpuram, in Martyris Agathæ casto sanguine tinctam, Salve, proclamans, Catanæ gloriatio.

## CAPUT V.

*Catana S. Agathæ meritis servata, Ætnæ ignibus velo ejus repressis. S. Luciæ prædictum martyrium.*

Sed non pigeat extrema cœlestis oraculi verba paullisper pensitare; sunt enim altera pars illius, quod sub initium proposui. Enimvero Martyres, dum tormenta et cruciatus pro Christo patiuntur, non solum sibi gloriæ coronam contexunt, Ecclesiæ laudem, Deoque honorem exhibent, sed etiam, dum ad exemplum suarum virtutum imitandum cives provocant suos, eisdem cœlestes favores, non auri argentique pretio, sed profusi sanguinis thesauro promerentur. *per Reliquias suas patriæ præsidio est :* Neque vero sanctarum Virginum pro Christo trucidata corpora, in vili marmore jacentia, minus B utilia cognatis civibusque, patriæque sunt, ubi in vitam mortalem edita fuerunt, quam fortissimorum virorum exercitus pro patria pugnantium. Quis enim *cives et cognatos a Quintiano liberat,* de crudelissimo Quintiano, ejusque asseclis, tam subitam facilemque victoriam consequi potuisset, præter Agathæ meritum apud Deum, illiusque potentiam adversus hostes? Tumultuati sunt quidem cives ejus adversus Quintianum, eumque in fugam verterunt, metuque perculsum ex urbe expellere valuerunt; sed ille, quia incolumis ex eorum manibus evasit, ferocior est effectus, cogitabatque contra Agathæ cognatos, ab se extorres factos, qua nece, qua suppliciis rabidum animum exsaturare, eorumque pingues rerum fortunas, una cum Agathæ patrimonio, Imperatoris ærario inferre. Hæc impius machinabatur, minime vero pientissimæ Virginis ultionem *eo submerso.* vitavit. Quintianum enim scapha sedentem, dum Simethum fluvium Catanæ proximum trajiciebat, duo equi ferocientes qua morsibus in faciem jactis, qua calcibus in corpus illisis, in profluentem deturbant semimortuum : quem mox ejus servi neque vivum, neque mortuum diu quæsitum invenire potuerunt. Invenit illico eum malorum dæmonum exercitus, qui flagitiosam illam ejus animam egredi re- C luctantem, ex voragine extractam, in proximas Ætnæ flammas perpetuo destinatam adduxit.

29 Militat enimvero pro Sanctis suis Deus, qui sicut Pharaonem, Israeliticas Tribus terra marique persequentem, tandem in mari Rubro cum curribus et equitibus suis involutum suffocavit; ita Quintia- *ut olim Pharaone,* num neces ac rapinas anhelantem, per ejusdem equos fluvialibus marinisque aquis abreptum demersit. O quam belle Catanensium mulierum chorus Marianum canticum usurpavit, dicens : Cantemus *ideoque Mariæ epinicion meretur.* Agathæ, gloriose enim magnificata est, per equos equi ascensorem dejecit in mare. Fortitudo mea, et laus mea Agatha, et facta est mihi in salutem. Ipsa est soror mea, glorificabo eam. Agatha gloria mea, et exaltabo eam. Dixit inimicus : Persequar, et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea. Flavit furor equorum, et ille submersus est in aquis vehementibus. Quis similis tui in fortibus, Agatha, magnifica in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia? Tu vero es Catanensis civitatis gloria, tu honorificentia populi nostri : et, quod virginitatem amaveris, tradidit Dominus Quintianum in manu tua, erisque benedicta in æternum.

30 Agite nunc auditores, et ab aquis gradus fiat nobis miraculorum Agathæ ad Ætnæos ignes. Legis- D tis plerique, credo, Ætnæ nomen in antiquis histo- *INTERPR. LEON. PATR.* riis nostrorum scriptorum, quas etiamnum apud nos habemus : vel certe ejus montis famam toto orbe celeberrimam audistis : sed fortasse hic nonnulli adsunt, quos Ætnæ nomen adhuc latet. Ætna igitur *Ex Ætna erumpentr igneo torrente,* mons est excelsus quidem, nubibusque longe superatis Catanæ urbi impendet. Illius dorsa perpetuis albicare nivibus testantur, qui de nostratibus ad Catanensem portum appulerunt, feruntque per declivia frequentibus habitari pagis, villisque. Testantur etiam Ætnæi verticis *a* crateres perpetuo fumi- a gare, ac vapores igneos, ciueresque sulphureos eructando circumquaque dispergere, magno cum agrorum, silvarum, ac pecudum detrimento. Contigit vero, Kalendis ipsis Februarii anni insequentis B. Agathæ martyrium, ut diffractis Ætnæ lateribus, Tarta- *omniaque late vastante,* reus ac fæculentus ignis, vehementius solito effervescens, eruperit, ac præcipitis spatiosique torrentis instar debacchando, obvia quæque devastarit, cursusque adversus Catanenses pagos, urbemque ipsam direxerit.

31 Quid consilii paganam gentem illam crebris terræ successionibus et bombis perterrefactam, incendiique profluentis horrore stupidam, ac pene exanimatam cepisse putatis? In re adeo trepida, sic E volente Numine, in mentem illis venit Angelicum *pagani, memores S. Agathæ epitaphio promissam patriæ liberationem,* oraculum ad Agathæ caput depositum, de liberatione patriæ sibi promissa. Animos igitur sibi facientes, Festinemus, inquiunt, ad nostræ Virginis sepulchrum : cujus opem nunc primum publice imploramus. Certa enim est in cœlesti ejus Epitaphio descripta promissio de patriæ liberatione, neque de tam magnæ Martyris efficacia meritorum apud Deum, neque de propensa nostræ Virginis in patriam voluntate, ambigendum. Quod si olim duorum fratrum *b* b civium nostrorum naturalis pietas erga parentes valuit Ætnæa incendia remorari, ne se devorarent, et quia piis humeris impositos illos auferrent, in cujus pii facinoris memoriam majores nostri illis *c* c sacros honores impenderunt; quid facere par est nostram item civem Agatham, quæ ne Deum nostrum, ac rerum omnium parentem desereret, in vivos ignes testasque candentes injici passa est, et quæ ne fidem castitatis Christo semel datam frangeret, mortalem vitam libenter voluit profundere? Quod si Agatham adhuc mortalem, pro Christo comburi exoptantem, carnificum incendia attingere non audebant, numquid ejusdem nolentis, quæ jam prope F Christum assistit immortalitate donata, patrium solum, urbem, civesque, suæque nativitatis palatium, ac sacrosancta Martyris monumenta audebunt hi profluentes ignes obruere? Minime enimvero hic igneus torrens Catanensem tellurem attinget, quæ Virginis recenti adhuc cruore respersa, validius apud Deum clamat, quam Abelis sanguis : ideoque nihil nobis desperandum est, recentibus tam bonæ civis Agathæ meritis patrocinantibus.

32 Hæc illi colloquentes ad sanctæ Martyris sepulchrum festinantes accurrunt, preces fundunt et lacrymas, velum, quod virginale corpus tegebat, extrahunt, bacillo in aerem extollunt : itaque armati fidentesque grassantibus incendiis obviam prodeunt. *ex sepulchro velum illius tollunt,* Mirum visu : illico præcipites illi torrentes ignei, quasi præsentis Virginis potentiam, ac Martyris majestatem reveriti, cursum sistunt, rabiem ponunt, calorem extinguunt. Quid hic prædicem funiculum coccineum ex fenestra Rahab appensum, qui ad sui conspectum, propter vitam duobus tantum Israelitis servatam meruit totam ejus domum incolumem servare? Turpe enim fuerit hujus malæ olim mulierculæ vittam cum venerando virginalis capitis conferre velamine. Indecorum etiam fuerit ter optimam Agatham

*INTERPR. LEON. PATE.*

A tham alienis ornamentis, et emendicatis fucis exornare, cum ipsa satis superque propriis laudibus meritisque præcellat. Liceat tamen hoc Virginis velamen sacro Pontificis Aaronis thuribulo comparare, quod cum ille igne thureque replesset, contraque incendium objecisset, stetissetque inter mortuos ac viventes, continuo cessavit plaga. Hoc enim velamen cum ex Agathæ attactu sacros quosdam sibi odores imbibisset, cumque se ac Dominam in ignibus jacentem servasset incolumem ac illæsam, hujusmodi promeruit adversus ignes potentiæ prærogativam, ut ad sui intuitum odoremque incendia omnia contremiscant, atque illico sopiantur, sine ullius mortalis internecione.

*sanctius villa Rahab Jerichontinæ, simile potius thuribulo Aaronis*

33 Liceat etiam hic Mosaicam Arcam ante oculos vestros proponere, quæ ubi Jordanis alveum Sacerdotum invecta humeris intravit, admirabundæ steterunt aquæ, et montis instar intumescebant, neque ad eam audebant accedere, nempe divini Numinis præsentiam et majestatem, eo quo poterant modo, reveritæ. Spectastis Arcam Jordanis aquas dividentem, eorumque cursus remorantem? Quæso nunc mentis oculis perspicite Ætnæa incendia, quasi liquefacta metalla torrentis instar decurrentia, atque

*atque Arcæ Moysis,*

B obvia quæque, etiam lapideos montes, velut ceram dissolventia: quorum ardores cursusque, neque ingentes fontes, neque fluvii ex liquefactis nivibus occurrentes, extinguere vel certe mitigare potuerunt. Sed quid fontes fluviique valeant adversus tam magnum igneum proluvium, cum illud ipsum Ionium mare suas comburi aquas olei instar pertulerit, ideoque intra humidos profundosque sinus suos locum illi concedat, ac fugiens antiqua littora mutare, longeque se contrahere oportuerit? Cum igitur nihil alti durissimorum lapidum montes, rupesque ingentes, nihil etiam inimicum maris elementum, contra ignes Ætnæos conari possent, ejusque vires retundere; exiguum sane Virginis Agathæ velamen a civibus suis in sublime elatum, ventisque expositum, (mirum dictu) protinus et incendia exstinxit, et rapidum cursum repressit. In cujus præclari facinoris monumentum, lærulenta illa incendia in arduos montes horrentium saxorum, exustarumque rupium conversa, pro æterno virginalis victoriæ trophæo erecta subsistunt, comprobantque oraculi veritatem de patriæ liberatione, de cœlo per Angelos delati. Quam etiam ob caussam velamen illud quasi Agathæ vexillum de igne triumphantis læto populorum

*eumque in altum sublato horribiles illos ignes reprimunt,*

*relicto monumento horrentium saxorum.*

C plausu circumfusum, in arcam, in qua Dux ipsa victoriæ quiescebat, inclusum fuit, ut majori cum veneratione ac pietate in adversis patriæ rebus servaretur.

34 O centies, et millies vere bona Virgo, et Martyr! bona, inquam, tibi ac Sponso tuo Christo; bona etiam patriæ, tuisque civibus quos tam evidenti miraculo incolumes servasti! Vere non est alia civitas, quæ experta sit sanctos cives suos ita sibi propitios, sicut Agatham regio Catanensis. Neque vero tam bona Virgo erga suos tantum propensam habuit voluntatem, sed in externos etiam sua beneficia plenis manibus diffudit. Quorum fama permota *d* Lucia Virgo inter Syracusanas nobilissima, Eutychiæ parenti sanguinis fluxione laboranti persuasit, ut Catanam ad sanctæ Virginis Agathæ templum sepulchrumque simul pergerent. Cumque jam illa incruentum sacrificium pro matre ibidem offerendum curasset, suasque preces cum lacrymis miscuisset, Agathæ sepulchrum complectendo, pieque exosculando, in levem somnum incidit. Atque sibi videre visa est B. Agatham in cælo inter Angelorum ac Virginum choros clare fulgentem, specie super omnes augustiore, verbaque hæc sibi promentem audire: Lucia Virgo, cujus integritas me invitat,

*S. Luciæ pro matre ad S. Agathæ sepulchrum oranti*

*d*

*apparet ipsa gloriosa,*

D ut te Sororem appellem, quid per me a Christo, utriusque nostrum sponso, valetudinem matri tuæ deprecaris? Tu teipsa propter virginitatis tuæ florem illibatum illam impetrasti, et ecce jam convaluit. Sed et quæ tibi ventura sint, enuntio; nam post martyrii coronam, quam brevi indues, Christi sponsa mecum in cœlestem thalamum ingredieris: et sicut per me Catanensium civitas illustratur a Christo, ita per te Syracusana exornatur. Atque hæc loquuta sublimis abiit, et Lucia expergefacta parentem sanam reperit. *e*

*matremque sanatam edicit, et paratam ipsi martyrii coronam.*

*e*

a In Ætnæ vertice hiatus duo sunt, *inquit Solinus cap.* II, crateres nominati. *Ita et Plinius lib.* 3 *cap.* 8. Crater ejus patet ambitu stadiorum 20. *Strabo autem lib.* 6 *testatur*, λαμβάνειν μεταβολὰς πολλὰς τὰ ἄκρα τοῦ ὄρους διὰ τὴν νομὴν τοῦ πυρός, ποτὲ μὲν εἰς ἕνα κρατῆρα συμφερομένου, ποτὲ δὲ σχιζομένου. Montis summitates varie mutati ob ignis grassationem; qui alias in unum colligitur craterem, alias in plures scinditur partes. *Testatur et Fazellus plures subinde aperiri hiatus; majoris crateris ambitum ad 4 millia passuum patere: alii ad* 24 *stadia. Et videtur non semper eadem esse amplitudo. Inferior crater in pulcri rotunditatem angustius esse traditur. Horrenda sunt quæ de illis hiatibus idem narrat Fazellus testis oculatus, ac Philotheus de Homodeis, et alii apud Cluverium Siciliæ antiquæ lib.* 1 *cap.* 8. — b *Egimus de his fratribus* 31 *Januarii ad Vitam S. Athanasii Methonensis Episcopi cap.* 2 *num.* 3 *ubi* Amphinomus et Anapias *appellantur, hic a Valerio Maximo Anapus, ab aliis* Anapius et Anapis. *Syracusani cives suos fuisse aiunt*, Emantiam et Critonem *nominatos. Sed in Catanensi destructa gesta res est.* — c *Strabo lib.* 6. Horum memoriam ita posteritas munerata est ut sepulchri locus nominaretur CAMPUS PIORUM. — d *i e S. Luciæ, matris que ejus curatione infra agemus, et plenius ad* 13 *Decemb. quo colitur.* — e *Videntur adhuc aliqua deesse. Neque enim ita abrupte desinere potuit tantus orator.* E

*Crateres Ætnæi.*

# DE RELIQUIIS ET ECCLESIIS
# S. AGATHÆ
## Commentarius historicus.

*J. B.*

### § I. *S. Agathæ ecclesia et reliquiæ Romæ in Suburra.*

Q*uæ post* S. Agathæ *martyrium, ad illius gloriam, partim Dei beneficio, partim mortalium religione, Catanæ per multas ætates facta sunt, paucis perstringit Paulus Æmilius Santorius sub finem suæ de ea narrationis, ac demum ita concludit:* Adde inter barbaricam feritatem, vim armorum, luem temporum, faces ferrumque, in excidio rerum, inter bellicosissimos ferocissimosque Italiæ populos, extructas arces, erecta monumenta, dicata Agathæ mœnia et urbes. *Quæ omnia persequi non possumus: de reliquiis ejus ac miraculis nonnulla, quæ occurrent, ac de templis apud primarias quasdam urbes illi dicatis, colligemus.*

*Templa in honorem S. Agathæ erecta:*

2 *Ac primum, extat Romæ illius antiquissimum templum, in fine collis Quirinalis versus* Planam Suburram *situm. Tres quippe colles ad orientalem Urbis partem visuntur,* Exquilinus, Viminalis, Quirinalis, *qui cum ad forum Romanum desinant, vallem inter se relinquunt, quæ* Suburra *olim dicta, planaque est primum, dein acclivior, ut ex Marliano nostroque Donato liquet. Et ille quidem lib.* 3 *cap.* 18 *situm templi sic commonstrat:* Viminalis collis ab occasu partem Quirinalis oppositam habet, et valli interjacenti Planæ Suburræ fuit nomen, ubi ad radices tamen Viminalis, ferme e regione S. Agathæ, Silvani templum *etc.* F

*unum Romæ in colle Quirinali*

*juxta Suburram,*

3 *Ricimer Gothus, qui an. Ch.* CCCCLVII *ex Magistro militum Patricius factus, anno dein* CCCCLIX *Consul fuit, decessitque an.* CCCCLXXII Festo et Marciano Coss. *cum paullo ante perfidia barbarica Anthemium Imp. socerum suum occidisset; hic igitur Ricimer, ædem illam* S. Agathæ, *ut in Notis ad Martyrologium scribit Baronius,* marmorum crustis et nobilibus picturis musivo opere intextis, quibus sacrosanctæ Salvatoris et XII Apostolorum imagines exprimuntur, magnificentissime ornavit. Declarat id enim vetus inscriptio, quæ ibidem in apside his verbis legitur: FL. RICIMER V. I. MAGISTER VTRIVSQVE MILITIÆ, PATRICIVS ET EXCONS.

*a Ricimere adornatum,*

A CONS. ORD. PRO VOTO SVO ADORNAVIT. Post hæc autem cum Reges Gothi, iidemque Ariani, Romæ regnarent, illorum sacerdotes eamdem sibi ut propriam, quasi hæreditario jure, vendicarunt, tenueruntque donec Roma et Italia pulsi sunt. *Hæc Baronius. De ea S. Agathæ ecclesia ita scribit Anastasius in S. Gregorii Vita :* Dedicavit ecclesiam Gothorum, quæ fuit in Suburra, in nomine B. Agathæ Martyris. *Platina in Gregorio, eam ecclesiam vocat* Fl. Ricimerii viri consularis opus, ut litteræ musivæ indicant. *Imo litteræ musivæ, jam ex Baronio relatæ, eam ædem Ricimere antiquiorem indicant, ab eoque solum adornatam.*

*a Gothis Arianis occupatum,*

4 *Quomodo sit a S. Gregorio expurgata, commemorat ipse lib. 3 Dial. cap. 30 ita scribens :* Sed neque hoc sileam, quod ad ejusdem Arianæ hæreseos damnationem in hac quoque urbe ante biennium pietas superna monstravit. Ex his quippe quæ narro aliud populus agnovit, aliud autem Sacerdos et custodes ecclesiæ se audisse et vidisse testantur. Arianorum ecclesia in regione Urbis hujus, quæ Suburra dicitur, cum clausa usque ante biennium remansisset ; placuit ut in fide Catholica, introductis illic B. Sebastiani et S. Agathæ Martyrum reliquiis, dedicari debuisset : quod et factum est. Nam cum magna populi multitudine venientes, atque omnipotenti Do- B mino laudes canentes, eamdem ecclesiam ingressi sumus. Cumque in ea jam Missarum solennia celebrarentur, et præ ejusdem loci angustia populi se turba comprimeret ; quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subito intra suos pedes huc illucque discurrere senserunt. Quem dum unusquisque sentiret, et juxta se stantibus indicaret, idem porcus ecclesiæ januas petiit, et omnes, per quos transiit, in admirationem commovit, sed videri a nullo potuit, quamvis sentiri potuisset. Quod idcirco Divina pietas ostendit, ut cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret.

*diu clausum, a S. Gregorio expiatum, diabolo forma porci egrediente,*

5 Peracta igitur celebratione Missarum recessimus : sed adhuc nocte eadem magnus in ejusdem ecclesiæ tectis strepitus factus est, ac si in eis aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte gravior sonitus excrevit, ac subito tanto terrore insonuit, ac si omnis illa ecclesia a fundamentis fuisset eversa, et protinus recessit, et nulla illic ulterius inquietudo antiqui hostis apparuit ; sed per terroris sonitum, quem fecit, innotuit, quod a loco, quem diu tenuerat, coactus exibat.

*dein duabus noctibus strepitum excitante,*

6 Post paucos vero dies, in magna serenitate aeris, super altare ejusdem ecclesiæ nubes cœlitus C descendit, suoque illud velamine operuit ; omnemque ecclesiam tanto terrore ac suavitatis odore replevit, ut patentibus januis nullus illic præsumeret intrare. Sacerdos quoque et custodes, et hi qui ad celebranda Missarum solennia venerant, rem videbant, ingredi minime poterant, et suavitatem mirifici odoris trahebant. Die vero alio cum in ea lampades sine lumine dependerent, emisso divinitus lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies, cum expletis Missarum solenniis, exstinctis lampadibus custos ex eadem ecclesia egressus fuisset, post paullulum intravit, et lampades, quas exstinctas reliquerat, lucentes reperit : quas negligenter extinxisse se credens, eas jam sollicitus extinxit et exiens ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accensas invenit : ut videlicet ex ipso lumine aperte clarescceret, quia locus ille a tenebris ad lucem venisset.

*nube altare obumbrante, ac suavi odore diffuso, lampadibus divinitus accensis, secundo :*

7 *Quæ illatæ in eam ecclesiam sanctorum Martyrum* Sebastiani et Agathæ *reliquiæ narrantur, eas pleræque S. Gregorii editiones* SS. Sthephani et Marthæ *fuisse tradunt : sed ut jam ediximus habet nostrum MS. et Joannes Gillotius, in aliis exemplaribus referri annotavit. Et S. Zacharias Papa in Græca Dialogorum interpretatione diserte habet :* τοῦ μακαρίου Σεβαστιανοῦ D καὶ τῆς ἁγίας Μάρτυρος Ἀγάθης λείψανα *uti* XIX *Januarii ad Acta SS. Marii et Marthæ* § I *nu.* 4 *et* XX *ad Acta S. Sebastiani* § 4 *num.* 19 *monuimus. Atque ita legit Joannes Diaconus, qui in Vita S. Gregorii lib.* 2 *cap.* 31 *ita scribit :* Præterea cum Arianorum basilica, in regione urbis hujus quæ Suburra dicitur, clausa usque ad Gregorii pontificatus tempora remansisset, placuit ei, ut in fide Catholica, introductis illuc B. Sebastiani et S. Agathæ Martyrum reliquiis, dedicari debuisset : quod factum est. Nam cum magna populi multitudine Gregorius laudes canendo perveniens, basilicam præfatam ingressus est. *Ac cetera, quæ jam relata sunt, ipsis fere Gregorii verbis narrat. Gratianus quoque de consecr. dist.* 1 *cap.* 22 SS. Sebastiani et Agathæ *positas isthic reliquias tradit, uti et S. Antoninus* 2 *par. tit.* 12 *cap.* 3 § 9.

AUCTORE J. B.

*ei illatæ SS. Sebastiani et Agathæ reliquiæ :*

8 *Neque solum expiavit eam ecclesiam S. Gregorius, sed ut quos olim habuerat proventus, ad sartatecta ac sacra quoque curanda ei, restituerentur effecit. Ita ipse in Regist. lib.* 3 *ep.* 19, *quæ est ad Leonem Acolythum :* Quia ergo, *inquit*, ecclesia S. Agathæ sita in Suburra, quæ spelunca fuit aliquando pravitatis hæreticæ, ad Catholicæ fidei culturam, Deo propitiante, reducta est ; ideo hujus auctoritatis tenore commonitus, pensiones omnium domorum in hac urbe cons- E titutarum, quas prædictam ecclesiam temporibus habuisse Gothorum constiterit, et annis singulis congregare non desinas, et quantum in sartis tectis, vel luminaribus, aliaque reparatione ejusdem ecclesiæ necessarium fuerit, erogare modis omnibus studebis. Quidquid vero exuberare potuerit, feliciter rationibus te Ecclesiasticis inferre præcipimus.

*reditus annui restituti :*

9 *Hanc eamdem S. Agathæ ædem pictis imaginibus egregie idem exornavit Gregorius. Testatur id Adrianus* I *Papa sub finem prolixæ epistolæ ad Carolum Regem Francorum, qua refelluntur objectiones contra* VII *Synodum, simulque confirmat quod de* S. Agathæ *reliquiis diximus, ita scribens :* Sed et ecclesia Arianorum, cujus ipse S. Gregorius in Dialogis suis meminit, placuit eidem S. Gregorio, ut in fide Catholica, introductis illic B. Sebastiani et S. Agathæ Martyrum reliquiis, dedicari debuisset, quod et factum est. Et post miraculum, quod in eadem ecclesia factum est, diversis historiis ipse B. Gregorius pingi fecit eam, tam in musivo quam in coloribus, et venerandas imagines ibidem erexit, et a tunc usque hactenus venerantur.

*picturæ positæ :*

10 *Eam ecclesiam Nonis Februarii, ipsis nimirum S. Agathæ feriis, visentibus, sacram Indulgentiam concessere Pontifices, uti Octavius Pancirolus in Indice* F *festorum et Indulgentiarum perpetuarum, ad Thesauros absconditos almæ Urbis addita, testatur. Idem in regione secunda Montium, eccl.* 49, *quæ est hæc ipsa Suburrana,* digitum *illic* S. Agathæ *asservari auctor est. An is illic a S. Gregorio collocatus sit, an aliæ reliquiæ vel in altari conditæ, vel alibi additæ haud scimus.*

*Indulgentia hoc die : digitus S. Agathæ.* NOT. 42

## § II. *Aliæ S. Agathæ ecclesiæ, cœmiterium, reliquiæ in Urbe.*

E*st alia Romæ ædes* S. Agathæ *honori dicata, cum monasterio, a S. Gregorio* II, *qui a* XXII *Maii anni* DCCXIV, *usque ad* XI *Februarii* DCCXXXI *Ecclesiam gubernavit. Anastasius in ejus Vita :* Eo namque tempore, moribus certe Honesta et nomine Pontificis mater ab hac vita subtracta est. Post cujus obitum Gregorius domum propriam in honorem sanctæ Christi Martyris Agathæ, additis a fundamento cœnaculis, vel quæ monasterii erant necessaria a novo construxit : prædia illic urbana vel rustica pro monachorum obtulit necessitate. Fecit autem in eadem ecclesia B. Agathæ ciborium ex argento, quod pensat libras septingentas

*Aliud templum trans Tiberim a S. Gregorio II conditum et ornatum :*

A gentas et viginti, arcus argenteos sex, pensantes singulos libras xv, canistra decem pensantia singula libras xii, et alia dona multa largitus est. *Accidisse Honestæ mortem anno* DCCXVII *ostendit Baronius. Quamdiu eam ecclesiam possederint monachi, in obscuro est. Data est a Clemente* VIII *Pontifice Congregationi quæ* Doctrinæ Christianæ *dicitur. Sita est autem in regione* VIII *Transtiberina, uti Pancirolus scribit.*

*auctore J. B.*

12 *Aliud olim extitit via Aurelia S. Agathæ templum, cujus meminit Donatus lib. 4 de urbe Roma cap. 3. Ædificavit illud S. Symmachus Papa, qui sedit a* XXII *Novembris* CCCCXCVIII, *ad* XIX *Julii* DXIV. *In ejus Vita Anastasius* : Hic fecit basilicam sanctæ Martyris Agathæ via Aurelia in fundum Lardarium, et a fundamento cum fonte construxit, ubi posuit arcus argenteos duos. *De hoc fundo et ecclesia ex Bulla quadam Leonis* IX, *data anno ejus quinto, Indictione* VI, XII *Kalendas Aprilis, anno nimirum Christi* CIƆLIII, *ista referuntur lib. 2 Romæ Subterraneæ cap. 12* Concedimus etiam fundum unum in integro, quod vocatur Cleandris, cum ecclesia sanctæ Martyris Agathæ posita in collo Pino. Insuper casam Lardariam milliario ab Urbe secundo, et fundum Adtalianum cum casis, vineis, terris, sicut designatum esse videtur, cum thermis, cryptis, monumentis, positum foris portam B. Petri Apostoli via Aurelia. *Eademque* B *transscripta referuntur ex antiquiore bulla Leonis* IV *Papæ, data anno* DCCCLIV, *Indict.* II. *Ea nunc eversa est : visuntur tamen parietina, et veterum picturarum indicia quædam, ad villam quæ* Casale S. Agathæ *dicitur, aditurque et a porta S. Petri et Aurelia, situ ubi duæ illæ coeunt viæ.*

*aliud via Aurelia a S. Symmacho,*

13 *Sub ea ecclesia cœmeterium est, sed nunc obstructum, quod* S. Agathæ *dicitur, antea fortassis* S. Lucinæ, *aut* SS. Processi et Martiniani ; *quia horum a S. Lucina isthic tumulata corpora sunt. Ita eorum Acta* II *Julii* : Nero autem Imperator præcepit dicens : Non tardentur, sed celerius extinguantur. Pompinius vero, filius Paulini Magistri Officii, cœpit fortiter urgere Præfectum Urbis Cæsarium. Tunc Præfectus data in eos sententia, jussu ejus ejiciuntur de custodia, et ducti foras muros urbis Romæ, in via quæ Aurelia nuncupatur, ibi gladio capite sunt amputati. Beatissima autem Lucina cum hoc videret, sequebatur eos cum familia sua, usque dum pervenirent juxta formam aquæductus; ubi etiam et decollati sunt, et corpora eorum relicta sunt truncata, a canibus devoranda. Tunc sanctissima fœmina Lucina collegit corpora eorum, et condivit cum aromatibus pretiosis, et sepelivit in prædio suo in arenario, juxta locum ubi decollati sunt, sub die VI Nonas Julii, C via Aurelia. *Hic illis erecta ecclesia est, clara miraculis, quæ eorum meritis faciebat Deus, uti testatur S. Gregorius hom. 32, quæ in eadem ecclesia habita est.*

*et Cœmeterium, ubi antea sepulti SS. Processus et Martinianus,*

14 S. Gregorius II, *qui a* XVI *Februarii* DCCXXXI *sedit usque ad* XXIX *Novemb.* DCCXLI, tectum basilicæ SS. Processi et Martiniani a novo construxit, suppósita pila fabricis fortissimis post eorumdem Sanctorum veneranda corpora, ad firmamentum murorum basilicæ sanctæ. *Ita Anastasius ; qui et tradit a Paschale* I *eadem sacratissima corpora in Urbem translata, in oratorio intra ecclesiam S. Petri* honorifice recondita. *Petrus Mallius lib. 2 Romæ Subterraneæ cap. 12 tradit dicta corpora de* cœmeterio S. Agathæ in ecclesiam B. Petri delata. *Factum id cœmeterio nomen ab æde* S. Agathæ, *quæ SS. Processi et Martiniani ecclesiæ proxima fuit, si non eadem. Appellatum autem est* Cœmeterium B. Agathæ ad Girolum; *sive rivus quispiam ea voce, vel aquæductus significetur, seu molæ fortassis. Verum illius cœmeterii, uti diximus, obstructus nunc aditus est.*

*post in Urbem translati.*

15 *Illud quoque ad S. Agathæ honorem pertinet, quod quæ in eadem alma Urbe est Textorum congregatio, eam Patronam ac Tutelarem veneratur : licet quam* D *tenent, et a fundamentis instaurarunt ampliaruntque vetustam S. Marci ecclesiam, in secunda regione Montium, via Alexandrina sitam,* S. Mariæ de Angelis *appellarint. Gestant illius sodalitatis Confratres candidam e tela vestem : inque ea Deiparæ Virginis Angelis circumdatæ imaginem. Ita Pancirolus eccl. 26 regionis 2. Ut autem* S. Agatham *sibi patronam adoptarent, inducti sunt fortassis populari illa opinione, quæ eam asserit et texendi artem in puellari ætate didicisse, et velum sibi texendo ac retexendo, importunitatem matris ad nuptias eam cogentis elusisse.*

*S. Agatha Romæ Textorum patrona :*

16 *De eo velo inferius agemus, cum de repressis per illud Ætnæis ignibus erit sermo. Partem ejus aliquam Romæ in æde S. Praxedis, partem in S. Dominici asservari, unaque et mamillæ ejus particulam, scribit citatus Pancirolus : partem humeri in ecclesia S. Mariæ de Consolatione; vestimentorum ejusdem in S. Adriani æde.*

*variæ ecclesiæ ejus reliquiis ornatæ :*

## § III. *S. Agathæ reliquiæ alibi in Italia, Hispania, Belgio, Germania.*

*Alibi quoque in Italia reliquiæ S. Agathæ venerabiliter asservantur. Nam Volaterris in Etruria, (de cujus urbis constanti et magnifica religione diximus ad* III *Februarii cum de* S. Candido *Martyre ageremus) Vola-* E *terris, inquam, in Fratrum Minorum Conventualium templo extat* pars cranii S. Agathæ Virg. et Mart. *cum pluribus aliis Sanctorum reliquiis : quas omnes traditur Alexander* II *Pontifex, Piscensi Ecclesiæ donasse. Fuerat is, ut aiunt, primum oppidi Pisciæ Plebanus, dein Episcopus Lucensis, tandemque Pontifex Romanus creatus sub finem anni* CIƆLXI, *obiit* XXII *Aprilis,* CIƆLXXIII, *Ind.* XI. *Is ergo majori ejus oppidi ecclesiæ, a se consecratæ, variorum Sanctorum reliquias donavit : quarum postea partem Julianus Antonii, Pisciæ Plebanus, assentiente Lucensi Episcopo, Volaterranis Nobilibus cognomento de Guidis largitus est. Guidii an.* CIƆ IƆXIII *in æde S. Francisci, ubi magnificum sacellum et sarcophagum honorificum sibi erexerant, deposuerunt, inclusas arculæ inauratæ, duabus munitæ seris, quarum claves penes seniorem familiæ Guidiæ asservantur.*

*pars cranii ejus Volaterris,*

18 *Habuit olim et Sipontum Apuliæ urbs aliquas S. Agathæ exuvias, uti* VII *Februarii in S. Laurentii Episcopi Sipontini Vita legere est. Nam priusquam Constantinopoli ad eam regendam Ecclesiam solveret, obtinuisse a Zenone Imp. brachium S. Stephani, Sanctæque Agathæ mamillam dicitur. Sed cum Sipontum appulsus, eas vellet honorifice ad Cathedralem Deiparæ Virginis ædem deportare, nullo conatu moveri inde potuerunt : donec ipso loco ædificaturum se ad eorumdem* F *Divorum honorem templum vovit. Tunc enimvero solenni pompa ad pontificiam basilicam eorum delatæ sunt Reliquiæ :* ubi virtutes earum exuberant usque in præsentem diem, *ut in Vita prima perantiqua habetur cap. 2 num. 7. Earumdem mentio fit cap.* I *num. 6 alterius Vitæ, atque etiam in metrica. Quod autem mamilla dicitur, aut mamillæ pars, sancto illi Antistiti data ab Imperatore ante annum* IƆ, *cogimur suspicari, duas eas mamillas, quæ a virginea pectore præcisæ a carnificibus fuerunt, Constantinopolim postea esse deportatas, ad S. Pulcheriam fortassis, aliamve Augustam. Quæ vero Constantinopoli Tarentum indeque Catanam anno* MCXXVI *allatæ cum reliquo corpore narrantur mammæ, eæ fortassis sunt, quas illi Petrus Apostolus restituit, non quæ avulsæ erant, invisibili Angelorum ministerio pectori ejus applicando, sed novas Divina virtute procreando, quasique ex ejus purissimo sanguine compingendo. Nam cum utroque modo facta ea curatio existimari queat, hic ad asserendam iis historiis fidem accommodatior videtur.*

*Reliquiæ olim Siponti,*

*eo a S. Laurentio Ep. allatæ*

*claræ miraculis.*

*Quomodo pluribus locis mamillæ, vel earum partes?*

19 *Capuam sub annum* DXX *reliquiæ aliquæ S. Agathæ sunt Constantinopoli allatæ. Ita scriptor Salernitanus*

A *nus anonymus a Camillo Peregrino editus in Historia Principum Longobardorum, antea sub Heremperti nomine ob Antonio Caracciolo vulgatus :* Ecclesia, *inquit,* beati Protomartyris Stephani, quæ sita est in veterrima urbe Capuæ ab Imperatore Helenæ filio Constantino, eamque in honorem Apostolorum dedicari decrevit, licet postea a Beatissimo Germano ejusdem Episcopo urbis, ob collatas ab Imperatore reliquias beati Protomartyris Stephani, necnon et B. Agathæ Virginis, proinde eam in honorem Protomartyris Stephani vocari jussit. *Vitam S. Germani Ep. Capuani dabimus* XXX *Octobris, in qua, ut ab S. Hormisda Papa legatus ad Justinum Imp. sit, quasque res Constantinopoli egerit referemus. Michael Monachus in Sanctuario Capuano tradit, SS. Stephanum et Agatham ex eo tempore Tutelares habitos Cathedralis basilicæ; nomine Apostolorum, quibus dicata tempore Constantini fuerat,* apud populum abeunte in dissuetudinem : *esse enim revera Constantinianam basilicam, quæ nunc S. Stephani dicitur, estque et semper fuit, Cathedralis, non vero quæ* Divi Petri ad corpus *appellatur in civitatis meditullio sita.*

*reliquiæ Capuæ.*

20 *Quas vero S. Agathæ reliquias accepisse a Justino Imperatore S. Germanum scribit auctor citatus, papillam sanctæ illius Virginis esse, asserit idem Monachus;*

B *dinque in campanili, recepto olim more, asservatam, lapsuque temporis excidisse ejus memoriam; donec ictu fulminis decussus in terram est vertex campanilis, repertumque ac recognitum est sacrum illud pignus, et in Thesauro Ecclesiæ reconditum. Ita* certa traditione referri. *Scribit idem monachus,* montem S. Nicolai, Capuæ proximum, antiquitus Montem S. Agathæ nuncupatum, *propterea quod in eo dicata illi ecclesia; etsi a quo aut quando posita sit, non constet,* Conspicitur etiam hodie, *inquit,* ecclesia vetus prope ecclesiam S. Nicolai, et in illa picturæ Virginis et Martyris, etsi propter antiquitatem vix earum una vel altera dignosci potest : optime dignoscitur illa, quæ Virginem pectore dorsoque nudam, taurinis loris flagellatam repræsentat. *Demum et alias recenset in diœcesi Capuana S. Agathæ dedicatas ecclesias.*

*iterum repertæ;*

*ibidem mons ab ea appellatus*

21 *Aliæ in easdem Campaniæ oras allatæ eodem seculo reliquiæ S. Agathæ. Patet ex S. Gregorii epistola* 52 *libri* I, *quæ data est Indictione* IX, *anno ejus ordinationis primo, Christi* DXCI, *ubi ista scribit Joanni Episcopo Surrentino.* Quoniam Savinus Abbas monasterii S. Stephani insulæ Capris suggessit nobis, se S. Agathæ Martyris reliquias jam olim apud se habere con-

C cessas, et in monasterio suo vult ipsa sanctuaria collocari; ideo ad prædictum monasterium te jubemus accedere, et si ibidem nullum corpus constat humatum, prædicta sanctuaria solenniter collocabis, ut devotionis suæ potiatur effectu. *Joannes Gillotius in editione operum S. Gregorii an.* CIↃ IↃLXXI *adornata habet* insulæ Cabis, *monasterio præfuisse Savinum : aliæ editiones* Capris, *et rectius. Est enim insula,* Capreæ *dicta,* Capri *etiamnum Italis, tribus millibus a Minervæ promontorio, octo a Surrento dissita, nobilitata Tiberii secessu.*

*reliquiæ in Capreis insula,*

22 *Bononiæ in Æmilia ecclesia est olim S. Agathæ, nunc S. Mariæ de Castilione dicta, ædificata, ut traditur a S. Petronio, restaurata cum ruinam minaretur, a Gerardo Ep. sub annum* CIↃ CXCVI. *Ita tradunt Celsus Falconius, et Antonius di Paolo, Masinus in Bononia perlustrata, qui et scribit ejus reliquias extare in ecclesiis S. Stephani, S. Petri, S. Juliani. Prætereo oppida arcesque in eadem Italia, pagosque et in Belgio nostro a S. Agathæ nomine sortitos nomina, quia appellationis mihi comperta occasio non est : uti et templa illi dicata, ut quod retulimus 7 Januarii ad Vitam S. Crispini* I *num.* 5 *quodque infra memorabimus, ex Bernardo Sacco, Ticini ædificatum : quodque 3 Februarii in Vita 2 S. Anatolii num. 3 Salinis in Burgundia*

*Bononiæ,*

*in honorem SS. Symphoriani, Anatolii, Agathæ dedicatum, collegioque Canonicorum ornatum.* D



23 *Aliquas extare Placentiæ in Hispania S. Agathæ reliquias tradit Joannes Tamaius Salazar in libro de S. Epitacio cap. 6. At cap. 5 hanc ejus festo recitari in Divino Officio orationem ait :* Da nobis, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, cum B. Agatha mentem sanctam sortiri, et spontaneum tibi honorem tribuere; et ut ejus precibus, quæ etiam patriæ liberationem obtinuit, æternæ beatitudinis patriam liberi ingrediamur. per Dominum *etc. Ægidius Gonzalez Davila, Regis Catholici Historiographus, in Theatro Ecclesiastico Ecclesiæ Ovetensis narrat, Æra* MCI, *sive anno Christi* MLXIII, *consecratum in monasterio S. Vincentii in eadem urbe altare* in honore S. Marinæ, in quo reconditæ sunt reliquiæ S. Mariæ Magdalenæ, S. Agathæ, S. Agnetis, S. Eulaliæ *etc.*

*Placentiæ in Hispania,*

*Oveti,*

24 *Plura in Belgio nostro loca reliquiis S. Agathæ gloriantur : cumprimis Aroasia, ut* XIII *Januarii ad Vitam B. Heldemari cap.* 10 *retulimus. Duaci in collegiata S. Amati ecclesia testatur Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico,* partem brachii *ejusdem Sanctæ asservari : in monasterio Belliprati sanctimonialium Cisterciensium in eadem urbe* os magnum *ejusdem* sanctæ Virginis et Martyris : de ejus ossibus *Cameraci in ecclesia S. Autberti :* caput *in Cambronensi Cisterciensis instituti cœnobio apud Hannones :* partem costæ *in Forestensi ordinis Benedictini parthenone juxta Bruxellam. Demum inter Reliquias Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ* frustula *sunt quædam* Reliquiarum S. Agathæ V. M. *ex urbe Wesaliensi olim huc allata, cum ea a Marchione Spinola esset occupata.* E

*variis locis in Belgio,*

NOT 43

25 *Habuit et Praga Bohemiæ metropolis sacri hujus thesauri partem aliquam : nam in Pragensi MS. Martyrologio, post elogium ex Adone supra relatum ista adduntur :* De cujus reliquiis piissimus Princeps Karolus IV Romanorum Imperator semper Augustus et Bohemiæ Rex, in Ecclesia Pisana in Tuscia obtentas donavit Ecclesiæ Pragensi.

*Pragæ,*

26 *Coloniæ Ubiorum in variis Ecclesiis ostenduntur S. Agathæ reliquiæ, quædam hujus nostræ, plures fortassis aliquarum S. Ursulæ sodalium, nam aliquot ex iis* Agathæ *leguntur appellatæ. Quod enim in illustri S. Gereonis ecclesia testatur Ægidius Gelenius servari hermæ argenteæ et inauratæ inclusum S. Agathæ V. et M.* caput, *id ipsemet* unius ex sodalitio S. Ursulæ credit *esse, merito sane, cum noster Crombachius junctum ei capiti* spiculum ferreum *narret, quod Gelenius, vel librarius,* titulum ferreum rubigine plurima exesum *scripsit. In eadem ecclesia, hierotheca* XV *et* XXIV *apud eumdem Gelenium aliæ particulæ reliquiarum S. Agathæ esse memorantur. In abbatia S. Pantaleonis extat, eodem teste, hierotheca* XX. Mandibula S. Agathæ cum dente, *et* XIX *hierotheca ejusdem* digitus : Os unum *in ecclesia Canonicarum Capitolinarum :* duo ossicula manus *in Carthusia :* Cranium, *et* digitus ex manu, *intra hermam argenteam in cœnobio S. Agathæ Virginum Benedictinarum :* Reliquiæ aliquæ *in Metropolitana, inque collegiata S. Cuniberti, in parochiali S. Pauli, apud PP. Augustinianos et Cruciferos, inque ecclesia S. Maximini Virginum Regularium sub Regula S. Augustini viventium. Illud demum addit Gelenius,* dicatum esse honori ejusdem Virginis montem S. Agathæ supra trajectum Viperæ fluvii in Ducatu Montium. F

*Coloniæ in multis ecclesiis, sed quædam forte alterius Agathæ,*

## § IV. *Tabula sepulchro S. Agathæ imposita, Cremonam allata.*

P*ræter eas S. Agathæ reliquias, quæ partes sacrosancti ejus corporis censentur, uti sunt ossium particulæ, aliorumque frusta membrorum, duo extant ejus pignora,* ac

*AUCTORE J. B.*

A *ac veluti singularis honorificentiæ monumenta, Velum, quod* Grympam *vocant, et Tabula marmorea, corpori intra tumulum ab Angelo adposita, de qua hic, de Velo infra, agemus. De Tabula illud tradit universim Guilielmus Durandus, Mimatensis sive Gabalitanus in Gallia Episcopus, in Rationali Divinorum officiorum lib. 7 cap.* 6. B. Agatha post multa tormenta in carcere mortua est : ad cujus caput in tumulo posita est visibiliter tabula per Angeli ministerium, in qua scriptum erat : Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, et patriæ liberationem. Ideoque consuetudo inolevit, cum tabula ejus imaginem continente fieri processionem. *Ita ille, de eorum agens ritu locorum, quæ generatim S. Agatham colunt, etsi nullas ejus exuvias possideant.*

*S. Agathæ imago quæ gestetur in supplicationibus :*

28 *At Cremonæ apud Insubres ipsa ea tabula, quotannis festo S. Agathæ, solemni supplicatione, circum urbem defertur, numerosa civium turba prosequente, præsertim fœminarum, quarum est singularis erga sanctam Martyrem religio. Per octo vero dies, qui eam celebritatem antecedunt, perque totidem subsequentes, eadem tabula palam ad venerationem exponitur, frequentibus accensis ad eam luminibus.*

*Tabula sepulchro ejus imposita, cum veneratione servatur Cremonæ,*

29 *Quo autem tempore ac modo tabula hæc, uti et hu-* B *merus ejusdem Divæ ac veli pars, (quam hæc quoque illic asservari auctor est in Sanctuario Cremonensi Peregrinus Merula) quando, inquam, et a quo sint Cremonam allata, haud satis constat. Quidam ea fere tempestate id putant contigisse, qua et in Capreas reliquias aliquas devenisse diximus. Nam Ludovicus Cavitellius in Annalibus Cremonensibus, commemorata Longobardorum in Italiam irruptione, quæ accidit anno* DLXVIII, *subdit* : Ex Catania urbe Siciliæ per Presbyterum Cremonensem tabula Divæ Agathæ, cum ejus humero, fuit asportata Cremonam, et reposita in templo tunc erecto in ejus honorem prope portam Pertusii. *Id confirmat Merula, Sicardi Cremonensis Episcopi, qui anno* CIↃCCXV *decessisse traditur, testimonio, ex alterius auctoris relatione : ab ea vero ædicula, quæ illi dicata in suburbio extra portam Pertusiam fuerat, postea in eam basilicam, in qua modo asservatur, translatam, incertum quo tempore.*

*eo allata seculo 6*

*in suburbio deposita,*

30 *Hanc basilicam scribit idem Merula ab religiosis viris ac mulieribus, qui eam ædificarant, Deo et S. Petro oblatam sub annum* CIↃLXXVIII, *B. Gregorio* VII *Pontifice Romano acceptante donationem, idque ex hujus Brevi Apostolico liquere : testari autem in Privilegio quondam Henricum* IV *Imperatorem, ædificatam a Cre-* C *monensibus in suorum expiationem delictorum, ac Principi Apostolorum oblatam, ad Dei honorem, pro Romani Imperii incolumitate, ac reverentia Apostolicæ Sedis. Addit Merula, primum a secularibus Clericis administratam, dein ab Urbano* II *circa annum Christi* CIↃXC *Lateranensibus Canonicis commissam, ac demum secularibus Præpositis : sæpius interea restauratam ornatamque, et denuo a Cæsare Speciano Antistite consecratam* III *Kal. Septemb. an.* CIↃ IↃCI. *Demum eam esse unam e* VII *Ecclesiis, quas, ut in urbe Roma, visitari, cum spirituali quæstu Indulgentiarum, supplicante Cardinale Camporio Cremonensi Episcopo, sanxit an.* CIↃ IↃCXXII *Gregorius* XV *Pontifex Maximus.*

*dein in urbem ad magnificentiorem ecclesiam illi dicatam deportata*

31 *Dominicus Bordigallus in MS. Chronico eodem referente Merula, testatur in hanc immediate ædem allatam Catana sacram hanc tabulam, neque tempore tamen, nec modo, quo id factum sit, indicato. Verba Bordigalli sunt :* In hoc templum D. Agathæ, adest quoque tabula cum historia D. Agathæ quam alias Præpositus unus dictæ Ecclesiæ a Catanea urbe Siciliæ in hanc urbem et templum tulit. Proprietatem, Deo permittente, et meritis D. Agathæ, habet extinguendi ignem a domibus comburentibus, si contra opposita fuerit. Testimonium de his perhibeo, experientia docente et visu.

*incendia restinguat*

32 *P. Julius Mazarinus noster concione* 45 *in Psalmum* D 50 *scribit, hanc* tabulam marmoris candidissimi *esse, in eaque,* brevi compendio egregias virtutes *S. Agathæ* et laudes exaratas fuisse. *Augustinus Inueges ad annum Christi* 254 *num.* 15 *ait, has et tabulæ inscriptas litteras* M. S. S. H. D. E. P. L. *quæ Acta superius relata aliique scriptores exponunt :* Mentem sanctam, spontaneum honorem Deo, et patriæ liberationem.

*quid in ea scriptum?*

*ANIMADV. PAP.* 79.

33 *Refert deinde ex Petro Carrera, cum S. Carolus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis Ecclesiam Cremonensem (perperam tamen* Veronam *posuit pro Cremona) visitasset, omnesque Sanctorum reliquias discoopertas inspexisset, ut prolata Angelica hæc tabula fuit, noluisse eam discooperiri, sed positis humi genibus religiose eam veneratum fuisse. Ejus exemplo idem egisse Nicolaum Sfondratum tunc Cremonensem Episcopum, qui deinde Gregorius* XIV *Pontifex Maximus fuit. Facta illa Cremonensis Ecclesiæ per S. Carolum visitatio anno* CIↃ IↃLXXV, *uti Carolus Episcopus Novariensis, et Joannes Petrus Jussanus lib. 3 Vitæ ejus, ac Josephus Ripamontius historiar. Eccl. Mediol. parte 3 lib. 3 memorant. Addit Inueges ex auctore anonymo, si fulserit aut tonuerit, proferri cœleste illud marmor, eoque fulgura fulminaque dissipari ac propulsari.*

*honorata a S. Carolo Borromæo*

*et Nic. Sfondrato post Pontifice :*

*adhibetur contra fulmina.*

34 *Refragatur iis quæ hoc* § *et narrata sunt Antonius* E *Philotheus de tabula hac ita scribens in Ætnæ topographia :* Qui lapis (ut fama per manus hominum ducta refert) religiosissime Catinæ conservatur in præsentem usque diem. *Sed falli arbitror.*

*An Catanæ sit?*

## § V. *S. Agathæ reliquiæ Panormi et Catanæ, hinc avectæ Constantinopolim circa annum* CIↃXL *per Georgium Maniacem.*

In *Siciliam redeamus, quæ S. Agathæ eximiis virtutibus ornata, fortissimo martyrio nobilitata, maximis deinde miraculis illustrata. Ea enim et plurimas ostentat illi dicatas passim ecclesias, et Reliquias insignes integri quodammodo corporis. Non omnes percensere ecclesias in animo est : præcipuæ sunt in duabus iis urbibus, quas sibi natalium ejus vindicare decus antea retulimus, Panormum dico et Catanam. Et Panormi quidem binæ sunt intra muros, ambæ, ut accepisse se a majoribus cives asserunt, Inuege teste, sanctæ Virginis quondam palatia, sive ampla domicilia. Est et alia in pomœrio haud longe a porta, eaque saxum illud asservat, cui Virgo corrigiam adstrictura pedem imposuit, perenneque vestigium alte impressit.*

*S. Agathæ Panormi ecclesiæ,*

36 *Est porro reliquiarum pars in basilica cathedrali,* F *pars in S. Petri palatina æde. De utraque Inueges in Indice, de hac ita Rocchus Pirrus tom. 2 Notit. 1. Eccl. Catanea.* Cujus brachium ego in thesauro Reliquiarum Sanctorum apud regium templum S. Petri de Palatio Panormitano vidi, adoravi, et in thecis argenteis asservatum, uti Thesaurarius, inclusi.

*Reliquiæ ;*

37 *At Catanæ, ut in Notat. ad Martyrol. Nonis Februarii scribit Petrus Galesinius,* cum aliarum rerum monumentis urbs illustris est, tum longe clarissima martyrio, sepulchro, et templo religiosissimo, quod Urbano II Pontifice Angerius Episcopus extruxit, Beatissimæ Agathæ Virginis. *Fuit Angerius,* sive Ansgerius, *post recuperatam de Saracenis Catanam, prius illius Antistes, circiter annum Christi* CIↃXCI *ab ipso Urbano consecratus, vir pius. Huic Mauritius an.* CIↃCXXIV *successit, cujus anno tertio relatum Constantinopoli Catanam est S. Agathæ corpus.*

*templum Catanæ*

*circa annum 1100 conditum :*

38 *Id quo modo Constantinopolim antea fuerit avectum, ipse Mauritius infra commemorat his verbis :* Stragem fidelium *Siculorum* Constantinopolitanus audiens Imperator, Exarchum, quem in bellicis rebus habebat expertissimum, vocabulo Maniacem, cum armata manu in Siciliam destinavit ; qui in brevi totam peragrans insulam, eam ferro incendio-

que

A que perdomitam in ditionem accepit. Qui Maniacus corpus Deo dilectæ Virginis Agathæ, cum multis aliorum Sanctorum corporibus Constantinopolim, quæ prius fuerat vocata Byzantium, delegavit; credens Orientis Imperium, jam jamque casurum, per eorum preces et merita posse in robur pristinum relevari. Sic igitur translatum est corpus beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ de Cataniensi civitate Byzantium, ibique decenter a quibusdam loci incolis est conditum, et devotissime veneratum. *Hæc ille. Sed tempus translationis inquirendum.*

*corpus inde asportatum antea Constantinopolim per Georgium Maniacen,*

39 Georgius Maniaces protospatharius, Gudelii Maniacæ filius, *re adversus Arabes bene gesta, anno Christi* CIↃXXX, *Indict.* XIII, *a Romano Argyro Imp.* inferioris Mediæ Dux est creatus. *Idem Indict.* I. *an.* CIↃXXXIII, sitis ad Euphratem urbibus imperitans, ac Samosatis, degens, *Edessam de Arabibus recepit, Salamane Turco prodente*, inventamque epistolam Christi Domini manu ad Augarum scriptam Byzantium ad Imperatorem misit, dein et libras quinquaginta ad eumdem misit, annuum ab Edessa tributum. *Anno sequenti a Michaele Paphlagone Imp.* Aspracaniæ, sive Mediæ superiori præfectus. *Anno* CIↃXXXVII, *Indict.* VI, *jam Patricius, in Siciliam cum exercitu* B *missus est, ut Apolapharem Saracenorum in ea insula Ameram contra Apochapsum fratrem tueretur. At fratres hi pace facta, eum insula pellere conati sunt, adscitis ex Africa auxiliaribus copiis; quarum* tanta edita est a Maniace strages, ut sanguine profluens inundaret. Dein urbes Siciliæ XIII cepit, paullatimque procedens totam insulam subegit.

*Ducem strenuum,*

*sacrarum Reliquiarum studiosum, qui an. 1037 in Siciliam missus,*

*Saracenos expulit,*

40 *Anno* CIↃXL, *Indict.* VIII, *reversos cum majoribus copiis Carthaginienses iterum memorabili prælio fudit. Sed cum Stephanum Imperatoris sororium, classis Præfectum, quod Barbarorum Ducem permisisset lemboelabi, custodum negligentia, acriter verbis atque etiam verberibus excepisset;* ab hoc accusatus est, quod res novas adversus Imperatorem moliretur, et captivus Constantinopolim abductus, inque carcerem detrusus. *Stephano insulæ præfectura commissa, qui universam mox incuria sua et ignavia perdidit, Messana excepta, quæ tantisper Imperio servata. Obiit deinde Imperator* X *Decembris, Indict.* X *anno Christi* CIↃXLI. *Suffectus Stephani jam memorati filius Michael Calaphatus: qui cum imperasset menses* IV, *dies* V, *Zoe Augusta die* XXI *Aprilis, Indict.* X. *an.* CIↃXLII *ei oculos erui jussit, inque monasterium retrudi. Eadem* Patricium Georgium Maniacen, quem jam ante Michael e custodia dimiserat, Magistri honore ornavit, cumque amplissima potestate in Italiam misit: *ubi* C *ille, quamquam non sat justis instructus copiis, artibus tamen imperatoriis, utcumque restituit rem.*

*sæpius victos;*

*perduellionis accusatus captusque.*

*amissa per alios insula,*

*denuo in Italiam cum potestate mittitur,*

41 *Sed cum Romanus Sclerus, quocum veteres illi inimicitiæ erant, ad maximas dignitates a Constantino Monomacho Imp. erectus, Maniacæ et possessionibus in Oriente multa damna intulisset, et thalamum violasset, effecissetque ut potestas ei abrogaretur; hic furore percitus, corruptis Italicis militibus, Pardum protospatharium, cui tradere provinciam jubebatur, interfecit, ipseque sumpto diademate ac ceteris Imperii insignibus Imperator est ab exercitu salutatus: sed ubi missas contra se ab Imperatore copias profligasset, inter festas omnium acclamationes, subito ex equo delapsus expirat, non extante vulneris auctore, quod in pectore lethale acceperat. Caput a cervicibus recisum Constantinopolim delatum, Indict.* XI, *sub exitum anni* CIↃXLII *aut initium sequentis.*

*sed per æmulos depositus, rebellat,*

*et victor occumbit an. 1042,*

## § VI. *De tempore avecti relatique S. Agathæ corporis, Siculorum quorumdam refutata narratio.*

H*æc pluribus ex Cedreno aliisque scriptoribus deducenda fuere, ut quo tempore vixerit Maniaces sanctæque* D *Virginis transtulerit corpus, constaret. Nam Siculi ad Michaelis Balbi tempora referunt, qui Imperium* XXV *Decembris anno* IↃCCCXX *invasit, tenuitque annos* VIII, *mensibus* IX. *Ita de Maniace Rocchus Pirrus tom.* 2 *Notit.* 1 *Eccl. Cataneu.* Michaelis Imperatoris vices, *inquit*, gerebat Georgius Maniaces: is vero ad Imperatoris gratiam promerendam, Catana, D. Agathæ et Syracusis D. Luciæ VV. et MM. corpora Byzantium transtulit, donoque ea Imperatori est elargitus anno Sal. IↃCCCXXII, juxta plerosque nostrates. *Jucundum vero donum Imperatori Iconoclastæ et Hagiomacho attulisset Georgius, sanctarum Virginum, quas abominabatur, exuvias.*

AUCTORE J. B.

*non abstulit S. Agathæ corpus an. 822.*

43 *Thomas Fazellus quæ præterea de Maniace plane aliena a vero narrent Siculi, ita describit 2 dec. lib.* 6 *cap.* I. Fabulosa plane ac ridicula quædam opinio multis ante seculis continuata Siculos habuit; Georgium Maniacem Constantinopolitani Cæsaris in Sicilia Præfectum, per proditionem a fide abductum, insulam sibi occupasse, et in ea omnium primum Barones ac Comites creasse: cujus ut perfidiam Cæsar ulcisceretur, se mortuum mentitus, uxorem ut ad novas nuptias Maniacem invitaret, effinxerit. Unde Maniaces, Imperii potius quam uxoris cupi- E dine allectus, Constantinopolim concesserit; filium interim in Sicilia Præsidem hac instructum cautela relinquens, ut, si fraus subesset, Saracenis, qui sunt in Africa, insulam statim dederet. Atque ita Maniacem apud Constantinopolim captum proditionis pœnas luisse: filium vero, ut imperatum sibi fuerat, confestim ascitis magno numero ex Africa Sarracenis, Siciliæ imperium eis teadidisse. Hæc opinio adeo vulgata apud Siculos, in omnium animis ita alte radices egit, ut si quis eam convellere conetur, Æthiopem prius dealbaturus sit, quam eos a sententia abducat: præsertim quod eam antiquissimis annalium monumentis et Capitulorum Regni auctoritate confirmatam habeant. *Ita Fazellus, qui et plura offert ad eam confutandam fabulam.*

*ver auctor fuit traleculæ Saracenis Siciliæ,*

44 *Constat sane ex Cedreno aliisque scriptoribus,* Euphemium *quemdam, cum Virginem a tenera ætate Deo dicatam, e monasterio extraxisset, atque ad se invitam traduxisset, ut decretum in se ab Imperatore Balbo supplicium averteret, conspiratione cum aliis turmarum ductoribus facta, Præfecto Siciliæ ad caussam cognoscendam adventanti armata vi restitisse: dein missis ad Ameram Africæ legatis, pollicitum, modo ab eo Imperator declararetur, omnem se ei Siciliam subjecturum. Venisse Ameram cum validis copiis, quibus instructum Euphemium Imperatoris Romani titulo insi-* F *gnivit, ejusque opera Siciliam omnem invasit. Ac dedit quidem Euphemius brevi suæ libidinis ac perduellionis pœnas; Sicilia vero in barbarorum cessit potestatem, anno Christi* IↃCCCXXVIII, *Balbi penultimo, in tertium* an. 828 *usque seculum.*

*sed Euphemius sub Michaele Balbo*

45 *Quam refutat Fazellus vulgi Siciliensis fabulam, eam quantum attinet ad Maniacæ rebellionem, ac sacrarum Reliquiarum exportationem, nulla quidem injecta Sarracenorum mentione, sed multis tamen exaggeratam ineptiis, recitat Petrus de Natalibus lib.* 2 *cap.* 99. *Quem quia multi temere sequuntur, operæ pretium est audire, ac breviter refellere. Ita ergo habet:* Translatio corporis S. Luciæ ad civitatem Venetiarum circa annum Domini CIↃXL facta est. Nam dum Rogerius Constantinopolitanus Imperator circa annum Domini CIↃX in Romania et Sicilia dominaretur, Maneiacem, Principem sibi dilectum et prudentem, Vicarium ad Siciliam misit: qui sagaciter Imperatori rebellans, Siciliam tyrannide occupavit. Quod Imperator audiens doluit, et de consilio Reginæ se ægrotantem et deinde mortuum simulavit: pauperem quoque defunctum capsa inclusum sui loco regaliter tumulari

*male etiam fingitur Maniaces an. 1010 missus in Siciliam,*

*AUCTORE J. B.*

A lari fecit : ipse vero biennio latuit; ita quod vere mortuus ab omnibus credebatur. Post duos annos Regina per solennes nuntios Maneiacem de suo conjugio requisivit : qui assensum præbens, ordinatis nuptiis, solenniter Constantinopolim cum muneribus advenit, et corpora SS. Agathæ et Luciæ secum de Sicilia asportavit. Qui dum Constantinopolim venisset, ab Imperatore de latibulis prodeunte interficitur, et regnum Siciliæ recuperatur, et corpora Virginum Constantinopoli honorifice reconduntur. Post hæc anno Domini CIↃXL, dum Veneti cum Siculis Constantinopolim cepissent, corpora duarum Virginum auferentes, condixerunt adinvicem, ut corpus S. Agathæ Siculi rehaberent, et corpus S. Luciæ Veneti ferrent secum; quod et factum est.

*et capta a Latinis Constantinopoli receptum S. Agathæ corpus*

46 *Hæc Petrus, quem ita sequitur Maurolycus in Martyrologio* XVIII *Januarii :* Item translatio corporis B. Luciæ Virginis, ex Constantinopoli ad Venetam urbem, anno salutis CIↃXL. Capta enim Constantinopoli, ita Siculi cum Venetis convenerant, ut ex duarum Virginum reliquiis, quas antea Michaelus Imperator interfecto Maniacho, ex Sicilia Byzantium devexerat, Agathæ corpus adepti, reliquum concederent. *Eadem anno* CIↃXL *translatum esse Constantinopoli Venetias S.* B *Luciæ corpus scribunt Galesinius, Ferrarius, Canisius, Felicius. At non nisi eo anno, aut certe præcedenti, asportatum est Constantinopolim S. Agathæ corpus, et aliquæ fortassis S. Luciæ reliquiæ.*

*anno 1040,*

47 *Sed Petri narrationem discutiamus : Primum Imperator Rogerius nullus sive in Occidente sive Oriente extitit; nisi quod Fredericus* II *a quibusdam* Rogerius *appellatur : sed is ducentis post annis vixit. Imperabat anno* CIↃX *Constantinopoli Basilius Romani Junioris* F. *Constantini Porphyrogeniti N. annum jam quintum et trigesimum : qui anno deinde* CIↃXXV, *ut scribit Cedrenus,* in Siciliam molitus expeditionem, Orestem quemdam de fidissimis suis eunuchis præmittit cum magnis copiis : ipse fato interceptus, subsequi non valuit. Nam mense Decembri, Indictione IX... subito correptus morbo decessit. Ast in Sicilia Orestes protospatharius, *ut idem postea tradit Cedrenus,* rei bellicæ imperitus, cum negotium inepte esset agressus, Sarraceni capto tempore Romanos subito adorti, qui plerique luxuria cœliacum morbum contraxerant, haud exigua eos clade affecerunt. Quam ut resarciret Imperator, ex Græcia et Macedonia collectum egregium exercitum in Italiam misit : qui C tamen ipse quoque nihil potuit præclarum efficere, ob Ducis inscitiam atque malitiam. *Missus deinde Maniaces ut ante diximus.*

*cum post Orestem an. 1025 missum*

*et aliam Ducem,*

*victos ambos, ille eo venerit*

48 *At si hic Græca fraude erat capiendus, quam parum politicum excogitatur consilium, ut se palam Imperator mortuum simulet, et quidem ad integrum biennium, ac scilicet per ceteras Imperii provincias aliis Ducibus ad res novandas quam maxime proclivibus ansam præbeat invadendi dominatus? Postremo occupata a Latinis Constantinopoli fingitur revectum in patriam sacrum pignus, idque anno* CIↃXL, *cum non nisi* CLXIV *post annis ea urbe potiti sint Latini, Christi anno* CIↃCCIV. *At medio fere intervallo, anno nimirum* CIↃCXXVI, *cum Græcorum imperium regeret Joannes Comnenus, qui et Calojoannes sublatum clam Constantinopoli S. Agathæ corpus, et Catanam revectum.*

*et capta ut Constantinopolis an. 1204, annis 78 prius relatæ Reliquiæ.*

49 *Historiam translationis et facta eo anno miracula scripsit Mauritius, cujus supra meminimus, secundus Catanensis post expulsos Sarracenos Episcopus. Eam a Petro Carrera editam e Sicilia accepimus, cujus partem antea Rocchus Pirrus tom.* 2 *Notit.* I *Ecclesiæ Catanensis vulgarat. Inscripta est Martyrologiis Translationis illius memoria ad diem* XVII *Augusti a Francisco Maurolyco, Octavio Cajetano, Ferrario. Quæ consequentibus aliquot annis evenere præterea miracula, a Blandino Monacho, plerorumque oculato teste, descripta, nuperque edita, subjungemus.*

*Relationis historia, anni celebritatis memoria*

*Miracula postea facta.*

50 *Multi deinceps ad venerandas S. Agathæ reliquias Catanam confluxere mortales. Inter alios S. Silvester Trainensis, cujus Vita 2 Januarii num. 2 ita habet :* Peregrinandi cupidus, de Abbatis licentia V Id. Februarii (*forte* Nonis Februarii *legendum*) Catanam ad Corpus B. Agathæ Virginis et Martyris venerandum venit. Qua in re illud mirandum, quod cum Catana a Troynopoli XL millibus passuum absit, quæ quis equo per diem æstivo tempore vix confecerit, Silvester tamen pedester hiberno tempore Catanam profectus, ac precibus ad Virginis tumulum persolutis, domum eadem die reversus est. *Haud multum sane dubitamus, quin idem ille sit, qui infra in narratione Mauritii Ep. cap.* 5 *num.* 26 Abbas *appellatur : venit hic certe ut ille Traina, parique celeritate.* D

*Visitata Reliquiæ a S. Silvestro eremita:*

51 Corpus *autem S. Agathæ, uti Sanctorius scribit gravis auctor,* argentea inclusum capsula, quotannis in magna feriarum celebritate, frequentissimoque piorum illuc decurrentium conventu, oculis exponitur ad eliciundas lacrymas (.....) et pietatem. Ostentantur et manus, carne adhuc fulgida, oblongæ et pulchræ, non dedecentes reliquam corporis speciem : simul et mammæ.

*quomodo nunc reconditum caput? quales manus?*

52 *Quæ corporis sacri species ac capitis fuerit ante* CLI *annos, cum id Jacobus Ramirez Ep. Catanensis intuitus est, memorat apud Rochum Pirrum in Notit. Eccl. Catani, Joannes de Falco Netinus Ordinis Prædicatorum, his verbis :* Die XVIII Aprilis, IV Indict. CIↃ IↃI, die Lunæ, hora secunda noctis, Reverendissimus Jacobus Raymeres de Gosman Catanensis Episcopus, una cum Magnifico Alvaro de Paternione, tamquam Patricio... fuit in custodia beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ : dictusque noster Episcopus volens videre caput dictæ Virginis, fecit aperire quoddam catarractum in capite dictæ Virginis, et sic extraxerunt caput ibi positum et invenerunt caput purum et immaculatum. Capilli nonnulli ad colorem avellanæ, oculi ejus erant clausi, aures desiccatæ, os ejus parum apertum, dentes albissimi, pellis faciei impassulata seu desiccata, nasus erat sanus et venustissimus : et coopertum erat caput quodam velo serico albissimo, sano et novo. O mira res! quod jam sunt plures anni, quod non est memoria hominum, quod tale caput apertum numquam fuit a tempore Reverendiss. Joannis Pixitelli Ep. Catanensis; quod jam anni sunt adhuc LX vel circa. Et sic postea viderunt intus corpus ejus, et viscera atque interiora arida et quasi impassulata, odorantia omni mirabili odoramento, et refragrantia Divino odore. Sic omnes ibi stantes osculati sunt caput, et reposuerunt ad suum locum : et admirati omnes recesserunt devote, et plenis lacrymarum oculis *etc.* Joannis Pixitelli *mentio infra fiet, cum de Ætnæis ignibus agetur. Characteres hic expressi apte invicem congruunt : An.* CIↃ IↃ *littera Dominicali* D, *Indict.* IV, *Pascha* XI *Aprilis fuit : itaque hæc Reliquiarum visitatio facta est postridie Dominicæ in Albis.* E F

*quale an. 1501 caput, cum id ab Ep. visitatum.*

*et corpus reliquum.*

53 *Inveges par.* 2 *pag.* 228 *scribit, manum S. Agathæ ac pedem discoopertum exponi populorum venerationi. Ideo fortassis in Bartholomæi Petraccii carminibus supra citatis peculiare legitur* in Manum S. Agathæ *epigramma, aliudque* in Pedem.

*Manus et Pes seorsim spectantur*

## HISTORIA TRANSLATIONIS
# CORPORIS S. AGATHÆ V. M.
### CONSTANTINOPOLI CATANAM
*auctore Mauritio Ep. Catanen.*

Absolutio Domini Mauritii Catanensium Præsulis.

Mauritius Divina protegente gratia Cataniensium Præsul

A Præsul cum omnibus *a* suis cœnobitis, omnibus Episcopis, Abbatibus, monachis, Clericis, militibus, viris ac mulieribus, in Christo pie viventibus salutem.

*Mauritius Ep. omnes invitat ad visendum corpus S. Agathæ,*

Gaudium, quod in præsenti nobis evenit tempore, vobis celare nolentes, his litteris patefacimus, quatenus una nobiscum corda vestra lætentur. Igitur sciat Dilectio vestra, Fratres carissimi, corpus beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ ad proprios deductum esse *b* alumnos, unde ex parte omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, vice B. Petri Apostoli, cui a Domino ligandi atque solvendi collata est potestas, de omnibus peccatis, quæ confessi fuerint, venientes ad suum sacratissimum corpus recto corde adorandum, tertiam partem dimittimus. Et si forte incepto itinere quis morte præveniente obierit et confessus peccata sua fuerit, omnia dimittimus ei, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

*concessis indulgentiis.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen.

a *Ita* Ansgerius, *Mauritii decessor*, in Abbatem et Episcopum *electus dicitur in Privilegio quodam Rogerii Comitis apud Rocchum Pirrum*. Ab initio enim, *inquit idem Pirrus*, sub disciplina regulari Ordinis S. Benedicti constituta est Catanensis Ecclesia, in qua ad nostra fere tempora perduravit. — b *Inde conficiunt Catanenses, S. Agatham apud se genitam alitamve.*

B

## *Incipit Epistola Mauritii Cataniensis Episcopi de Translatione S. Agathæ Virginis.*

Mauritius, nomine, non merito, Cataniensis Episcopus, universis ejus provisioni commissis filiis, et Fratribus omnibus intra Siciliam sub Christianæ legis professione salutem.

Tob 12 7 Divinorum eloquiorum promulgata sanctione didicimus, quoniam sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare honorificum est. Et idcirco, Dilectissimi, pro humanæ mentis ignavia remanere nullatenus debet occultum, quod gratuita pietate sui, pro omnium salute communi, vult Dominus omnipotens fieri manifestum. Ipse quippe in sua natura immutabilis persistendo, mutabilitates humani generis, quod deceptione diabolica variis semper atque multimodis vitiorum jaculis vulneratur, sanare, et in bono solidare procurat. Et nunc sanctæ Scripturæ dulcibus eloquiis admonendo, nunc minarum suarum asperitatibus deterrendo, nunc Sanctorum suorum exemplis et miraculis demulcendo, et sic ad æternam vitam prædestinatos informans, de malis bonos efficit, de collatis sibi beneficiis ad se laudandum et glorificandum promptiores reddit. C Igitur et nos pro inæstimabili beneficio nuper nobis, non nostris meritis, sed sua bonitate, collato, illi devotas gratiarum rependimus actiones, et ut vos congaudendo nobiscum eadem faciatis, vestras præsentibus nostræ pusillitatis apicibus pulsamus aures. Reddidit enim nobis Agathæ beatissimæ Virginis et Martyris corpus sanctissimum, totius Siciliæ pignus et amabile patrocinium. Quo autem ordine, quibusve ministris actitatum, quantisque miraculorum indiciis declaratum, cunctis scire volentibus in hujus scripti pagina declaramus, brevitati studentes, et verborum ambages penitus devitantes. Quapropter studiosos quosque lectores, qui hunc qualemcumque dictatum legere dedignati non fuerint, dulciter admonemus, ne in nobis linguæ nitorem, vel verborum ornatus inquirant, sed simpliciter et veraciter edita simplici et veraci mente suscipiant, scientes procul dubio Deum non philosophica disertitudine, sed in simplicitate et veritate semper esse quærendum.

*Gratias agendas esse pro recuperato S. Agathæ corpore.*

*Excusatio styli simplicis.*

D *AUCTORE MAURITIO EP.*

### CAPUT I.

### *S. Agathæ corpus Constantinopolim avectum, inde in Italiam revectum non sine miraculis.*

Sicut in antiquorum libris authenticis invenitur; *a* Decio persecutionem Christicolis ingerente, beatissima Virgo et Martyr Agatha martyrio coronata est in provincia Siciliæ, apud urbem Cataniam, sub Quintiano Proconsule ibique sepulta longo quievit *b* tempore, Domino per eam miraculorum insignia faciente. Verum post multa annorum curricula populus Christianus, suis peccatis promerentibus, justitia Divina castigante, in vindictam traditus est manibus barbarorum. Qui diruentes ecclesias et civitates, totam circumquaque provinciam suo dominio subdiderunt serviliter. Quam stragem fidelium Constantinopolitanus audiens *c* Imperator, Exarchum, quem in bellicis rebus habebat expertissimum, vocabulo Maniacum, cum armata manu in Siciliam destinavit; qui in brevi totam peragrans insulam, eam ferro incendioque perdomitam in ditionem accepit. Qui Maniacus corpus Deo dilectæ Virginis Agathæ cum multis aliorum Sanctorum corporibus Constantinopolim, quæ prius fuerat vocata Byzantium, delegavit, credens Orientis Imperium, jam jamque casurum, per eorum preces et merita posse in robur pristinum relevari. E Sic igitur translatum est corpus beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ de Cataniensi civitate Byzantium, ibique decenter a quibusdam loci incolis est conditum, et devotissime veneratum.

*Siciliam a Saracenis occupatam,*

*recuperat Maniacus,*

*et S. Agathæ reliquias transferri Constantinopolim.*

3 Volente autem Domino, cujus universa reguntur imperio, relatum est tali modo: Anno Incarnationis ejus millesimo centesimo vigesimo sexto, Indictione quarta, Apostolicæ Sedi præsidente post Calixtum *d* Honorio, duo quidam Latini apud urbem Constantinopolim mansitabant, quorum unus Gislebertus, alter vero *e* Goselinus vocabatur, prior quidem genere Gallus, sequens autem Calabricus. Cui videlicet Gisleberto, qui in aula Regis militari fungebatur officio sicut ipse præsentibus nobis asseruit, per nocturnam visionem se beatissima Virgo et Martyr Agatha semel et iterum atque tertio repræsentans præcepit, ut se ab ecclesia, in qua jacebat, latenter ablatam, Cataniam, ubi pro Christo fuerat coronata martyrio, reportaret. Quæ visio, quoniam nonnullis videtur incredibilis, a nobis non debuit humanæ rationis libramine discuti, sed Dei cuncta F scientis judicio reservari. Hoc tamen veraciter affirmare possumus, quia nisi Deus voluisset, ad nos Virgo beatissima non rediisset. Ceterum nos legem sequentes historiæ, reliqua prosequamur ex ordine.

*ipsa an. 1126 Gisleberto apparens,*

*jubet se referri Catanam:*

4 Gislebertus ergo, solus tam magnos ausus inchoare formidans, socium sibi fide constrictum Goselinum accersens, quieto tempore noctis una cum illo scala supposita, in qua jacebat corpus Virginis, ecclesiam introivit, illudque reperientes *f* furto laudabili rapuerunt, et in cophino rosis odoriferis hinc indeque referto venerabiliter collocarunt. Protinusque ad domum Goselini, cum thesauro sibi divinitus attributo, gressu concito repedentes, caput Virginis venerandum in duabus scutellis, quanta potuerunt honorificentia, condiderunt. Artus vero reliquos, ne quovis indicio possent detegi, in duabus pharetris, quas vulgo *g* Turcasias nominant, attulerunt.

*is cum Goselino reliquias tollit*

*et caute obtegit,*

5 Interea tantæ rei statim circumquaque fama discurrens, populari motu ad aures usque *h* Principis pervolavit, dicens evenisse sibi et ipsius imperio triste præsagium, Agathæ scilicet corpus amissum. Nec moram patitur missis ubique cursoribus, per totam civitatem, perque vicini maris littora regia proponuntur

*at per custodias Imperatoris elapsus*

A proponuntur edicta, ne quis ab Urbe non interrogatus abscederet. Sed quid valet humana custodia contra Divinæ dispositionis industriam? Non est, ait sapientissimus Salomon, sapientia, non consilium contra Dominum. Nam prædicti viri nullo se molestante vel istius facti ab eis sciscitante negotium, ab urbe regia, Domino protegente, progressi, portum maris adeunt, ibique conscensa navi, vento prosequente secundo, veloci *i* remigio Smyrnam usque perveniunt.

*AUCTORE MAURITIO EP.*

Prov. 21, 30

*Smyrnam appellit :*

*i*

6 Quo in loco diebus quatuor commanentes, et Turcasias, ubi sanctas occultaverunt Reliquias, aptius componere disponentes, gravi terræmotu sunt repente perterriti, et repentino terrore turbati. Gislibertus autem, Goselino sapientior atque fidentior, socium suum, ne trepidaret, multiplici consolatione confortans, aiebat Divinam illis adesse præsentiam, nulloque prorsus eventu se debere terreri, aut a cœpto desistere, quos talis tantique potentatus Domina sui comitatus præsidio roboraret. Extemplo *k* facta dictis æquantes, ratem inde Corinthum navigare volentes facta pactione conscendunt, et maria pacata pro voto sulcantes, ad optatum prædictæ civitatis portum, Domino prosperante, perveniunt. B Sic nil obfuit terreni Regis vetitum, cui cœlestis Imperatoris virtus obstat; nullum potens defuit auxilium.

*ibi socium terræmotu turbatum animat,*

*k*

*et Corinthum navigat :*

Quis tua, Christe Deus, referat magnalia digne,
Immeritis famulis quæ grato numine confers?
Quæ tibi lingua, vel ingenium, quis denique sensus
Condignas poterit vel ad horam reddere grates?
Lingua silet, pavet ingenium, sensus stupet omnis,
Dum tua mira loqui cupiunt, et dona fateri.

7 Igitur Corinthum pervenientes, ut diximus, ibidem plus necessitate, quam voluntate quatriduo substiterunt, optantes invenire navigium, quo vehente possent in Siciliam devenire. Sed cum desiderio deesset effectus, post diurni temporis fatigationes nocturno sopore depressis, ut postmodum retulit, Gisliberto nominato superius imago beatissimæ Virginis admirandæ venustatis, crinibus dissolutis, apparuit, et plurimum de ipsius tarditate conquesta, ut cum socio se comitante navigaret, admonuit: simulque per visum navem ostendit, quæ jam anchoram levans cursum dirigere properabat. Qui statim evigilans, indeque nociva morositate contempta festinans, juxta illud:

*monitus a Sancta in somnis,*

Tolle moras, semper nocuit differre paratis...

*noctu solvit*

C pervenit ad portum, ubi per omnia suæ voluntatis et diutinæ præoptationis compos effectus, naulica consuetudine distributa, navem subiit, nulloque vel sibi vel nautis, interventu Virginis, obstante periculo, una cum Goselino laboris et consilii socio, *l* Methonæ littori applicuit.

*venitque Methonen*

*l*

8 Inde quibusdam negotiatoribus sociati, feliciter Adriaticum mare transmeantes, Altissimi volente consilio, Tarentum salvi perveniunt ad littus: in quo descendentes civitatem adeunt Tarentinam, ibique celebrata Missa super Virginis gloriosæ Reliquias, ac sumpto cibo, pristinum redeunt ad littus, ubi etiam depositis artubus a pharetris, caussa melioris repositionis, factum est Divino miraculo, quod reponentes gloriosas Reliquias Virginis gloriosæ, gloriosam, credentes ipsam jam reposuisse, extra dimiserunt mamillam, ubi fons quidam aderat. Ad quem femina quædam vidua, fama laudabilis, morum honestate venusta, caussa abluendi pannos, cum quadam filia sua parvula, quam adhuc lacte nutriebat, advenit: quæ lotis pannis somno soporata fortiter obdormivit. Puella autem, naturali instinctu appetens refocillari, materna quærebat ubera, ut lac sugeret, ut consueverat, eundoque manibus pedibusque hinc inde discurrens, ad gloriosam mamillam D miraculo Divino pervenit, quam in ore ponens illam sugere cœpit, a qua lac miræ dulcedinis emanabat.

*inde Tarentum,*

*ubi mamillam Sanctæ casu relinquunt.*

*ex ea lac sugit infantula.*

9 Igitur puella tam maxima delectatione sugente, apparuit matri Virgo gloriosa, dicens: Surge, et vade, quia filia tua meam tenet in ore mamillam, quæ consurgens venit ad filiam, viditque illam mamillam, sicut in somnis viderat, in ore tenentem. Ea ibi relicta, ad civitatis Episcopum festinanter cucurrit, et per ordinem omnia explicavit. Quo comperto ab eodem, convocato universo civitatis Clero, et populo in unum coadunato, venerunt processionaliter ad locum, ubi jam puella relicta fuerat. Omnes insimul advenerunt, mamillam volentes extorquere prædictam ab ore puellæ, sed nec blanditiis, nec vi extorquere valuerunt. Tunc præcepit Episcopus, quod omnes Sacerdotes confiterentur cum devotione et reverentia, et quilibet per se deberet accedere ad puellam, forte inter eos esset aliquis fama et vita laudabilis, cui prædicta mamilla divinitus condonetur. Quo etiam peracto, prædictam mamillam nec sic aliquo pacto habere potuerunt.

*cujus mater, a Sancta admonita, Episcopo rem aperit.*

*eripi sibi eam mamillam non sinit infantula,*

10 Tunc Sacerdos quidam bonæ vitæ, morumque honestate compositus, dicit Episcopo: Fiat processio in Ecclesiam *m* S. Cataldi. Tunc præcipiente Episcopo facta est dicta processio. Dum cantarent Letanias, et devenirent ad beatam Virginem Agatham, cantantes, S. AGATHA ORA PRO NOBIS, puella, quam Sacerdos gestabat in ulnis, mamilla in ipsius E Sacerdotis sinum ab ore projecit, tenensque ipsam Sacerdos, eam Episcopo reverenter consignavit, et sic perceperunt illam fuisse mamillam gloriosæ Virginis Agathæ. Tunc Sacerdos ille, Episcopo concedente, de domo sua ecclesiam in honorem Virginis Agathæ construi fecit, ibique serviens sub habitu monachali sanctissime suam vitam finivit.

*m*

*postea in processione Sacerdoti ultro tradit,*

*qui domum suam Sanctæ consecrat.*

a *Diximus supra in Latinis Actis quæst. 1 num. 1 annot. c.* Decio ter Consule *coronatam martyrio S. Agatham, anno Ch.* 251. — b *Anni fluxerunt a martyrio S. Agathæ ad irruptionem Saracenorum* 577, *id est, ab anno* 251 *ad* 828. *Sed non nisi* 212 *post annis translatum est Constantinopolim illius corpus : licet Reliquiæ ejus aliquæ antea essent et in Italiam translatæ, et Constantinopolim quoque, unde eas Capuam deportavit S. Germanus Ep. ut ante dictum.* — c *Hic fuit* Michael IV *sive* Paphlago, *ut ante dictum, Zoes filiæ Constantini VIII. maritus, perque eam adeptus Imperium. Antea tamen, ut supra ex Cedreno retulimus, Basilius Imp. ejusdem Zoes Augustæ patruus, bellum adversus Saracenos Siculos paraverat, præmiseratque Orestem protospatharium. Fors et alii ejusmodi expeditionem meditati : primus per Maniacem perfecit Michael.* — d Callisto 2 *successit* Honorius 2 *an.* 1124, 28 *Decemb. mortuusque est* 14 *Febr.* 1130. — e *Parrus* Goselinum *vocat.* — f *Idem* facto. — g *Idem* Tharcassios, *et postea* Tarchasius. — h Calojoannis *sive* Joannis Comneni *Imp.* — i *Pirrus,* navigio Armiram usque per. — k *Par* facta die, æquantes ratem, inde *etc.* — l Methone *urbs Peloponensis, de qua 31 Janu. ad Vitam S. Athanasii Ep. et alibi egimus.* — m S. Cataldus *Episcopus et Patronus Tarentinus colitur* 8 *Martii, teste Ferrario.*

AN MADV PAP. 80.

F

## CAPUT II.

### *S. Agathæ corpus Catanam relatum, facta ea die miracula.*

Hæc jamque narravimus, ut immensa miracula, quibus summa Clementia suam Virginem honoravit, liquerent. Ad historiæ igitur seriem redeamus. Repositis itaque artubus in pharetris Virginis gloriosæ, abinde dicti Gislibertus et Goselinus navigio recedentes, brevi pervenerunt in Siciliam. *a* Sed priusquam cetera prosequamur, de situ loci quædam majorum relatione dicamus. Sicilia a Siculo Herculis filio nuncupata, una provinciarum Italiæ fore perscribitur, a qua parvi admodum freti, sed periculoso sejuncta dissidio, tribus promontoriis dextra lævaque protenditur, Peloro, Pachyno, atque Lilybæo. Fretum illud, quo ab Italia disseparatur, ut diximus, Charybdin et Scyllam habet, quæ fabulose dicitur succincta canibus, et navigantium delatrare naufragia. Huic adjacet Messana, civitas insignis ædificio, rebus opulentissima, quæ locorum dignitate merito totius provinciæ caput extat. Ad hanc prædicti viri Reliquiarum

*a*

*Gislibertus reliquias Messanam defert,*

A Reliquiarum beatissimæ Virginis Agathæ portitores navigatione peracta venerunt, et in ea jam securi manentes pausaverunt per triduum.

12 Gislibertus autem, quod mente captabat, implere desiderans, salubri percepto consilio, Messanæ socium, nihil de ejus legalitate diffidens, cum corpore Deo dicatæ Virginis in quadam domo reliquit, et ad Cataniam propere veniebat. Ego autem Mauritius, qui ejusdem urbis pontificatu fungor immeritus, tunc temporis in quodam castro Ecclesiæ nostræ, quod *b* Iacium dicitur, commanebam : cum idem vir illuc adveniens, ad me se velle secretum loqui professus est : præmissoque salutationis alloquio, remotis omnibus, solus cum solo locutus, postquam perpendit me toto nisu, totoque mentis affectu, beatissimi corporis affectare Reliquias, et illius Evangelici negotiatoris exemplo, qui pretiosam margaritam inveniens, eam venditis omnibus comparavit; omnia mihi commissa pro loco et tempore pro tanto thesauro dare paratissimo *c* seriatim gesta detexit. Et, ut secum duos de Fratribus nostris, ad sanctarum Reliquiarum subvectionem, mandare studerem, devotus expetiit.

*iisque socio commendatis*

*b*

*ad Ep. Catanensem excurrit*

Matth. 13. 46

*c*

13 Ratus igitur non incongruum fore, quod dixerat, duos monachos reverentissimos Holdomannum B et Lucam, quos tanti negotii fideliter exequendi censebam idoneos, cum eo Messanam destinavi quantocyus, ut tantum thesaurum, nobis Divina largitate donatum, honore cum debito deportarent. Qui jussa non segniter adimplentes, sub omni celeritate corpus detulere sanctissimum : quod ego lætabundus aspectu præ omnibus, qui mecum aderant, solotenus advolutus, Deum suppliciter adoravi. Deinde Reliquias de Turcasis reverenter extraxi, et statim mira odoris suavitas emanavit, ut *d* juxta illud Evangelicum, tota domus nectare gratissimo repleretur. Quibus in nova capsa, tantæ rei condigna, diligenti cura in eodem castro repositis, lætus Cataniam properavi, et cunctis *e* Fratribus in unum astitis, quod gestum fuerat, intimavi. Qui Deum totius bonitatis auctorem collaudantes, mecum communi decrevere statuto, eidem Dominæ nostræ humiliter pariter et lætanter occurrere, et in urbem, ubi palmam martyrii simul et virginitatis, hoste superato, promeruit, cum hymnis et laudibus illam reportare.

*qui per duos monachos Iacium ullatas*

*veneratur :*

*d*

*e*

14 Die igitur constituto, videlicet decimo sexto Kalendas Septembris, eam quidam Fratres nostri a castro, quod diximus, honorifice detulerunt. Nos vero illi occurrimus, humilitatis indicium solenni gaudio C salubriter admiscentes, nudis pedibus, et in albis vestibus procedentes. Ad hoc vero insolitum et prorsus insigne spectaculum, magna sexus utriusque, diversæ conditionis et ætatis et fidei facta est concursio populorum, ita ut nos eundo et redeundo præpedirent, et se constipatione sui quam plurimum angustarent : ubi quædam res accidit omnino relatu dignissima, et ad laudem beatissimæ Virginis prædicanda. A prædicto castro usque Cataniam triginta octo stadiorum saxosi itineris spatio, *f* duo puerulì cereos accensos ante sancti corporis portavere Reliquias, qui neque ventorum flatu, neque *g* puerulis, ut assolet, insolentia levitatis lumen amisere, sed semper clarissimum servavere. Tali igitur dignitate, tantoque triumpho, ad suæ civitatis, quam sibi Deus omnipotens perpetuo privilegii jure contulit, voluit remeare basilicam, ubi quo decuit loco posita, miraculis ingentibus, quantæ sit apud Christum virtutis et gloriæ, circumquaque demonstrat.

*dein Catanam translatæ 17 Aug.*

*f*

*cerei, quos puerulì gestabant per 38 stadia, non extincti.*

*g*

15 *h* Eadem autem die jam ad vesperum inclinata, quædam juvencula, ut ferebatur, a nativitate cæca, manu simul et pede debilitata, ante sanctum corpus medelam quæsitura fideliter adoravit, quæ, nobis et multis aliis spectantibus, visum recepit, et utriusque membri sospitatem, Virginis interventu, promeruit. D

*h*

*ad sanctas reliquias sanata cæca et debilis,*

16 Alia quoque mulier, genere Consentina, a multo jam transacto tempore crudeli dæmonio vexabatur, quæ ante beatum corpus adveniens, quam immani hospiti suum teneretur hospitium, sibilis et ululatibus testabatur. Affuit et huic Virgo dilectissima, quæ et dæmonium effugavit, et illam pristinæ sanitati restituit : quam dum circumstantes sanam, sibique signum vivificæ Crucis memoriter imprimentem adverterent, itemque Deo laudum modulamina resonarent, Fratres cubilibus quiescentes, vocum sonoritate protinus excitati surrexerunt, et populo sociati, TE DEUM LAUDAMUS, signis concrepantibus, cantare cœperunt.

*AD TUNC PACE lœdit.*

*energumena,*

17 Adhuc autem istius miraculi per ora cantantium concrepante tripudio, quædam rebus paupercula, fide ditissima, suum filium a nativitate mutum Agathæ Virgini beatissimæ fletibus præsentavit et precibus. Cui beata Virgo novum loquendi officium hactenus inusitatum contulit, et matrem de filii sanitate lætificans, a luctu diuturno sedavit. His visis magis ac magis clamor attollitur populorum, Deum laudantium, ejusque nomen benedicentium.

*mutus,*

18 Non tamen Virgo sacratissima a pietate cœpta cessavit : nam quædam puella lumine privata quinquennio, clamare cœpit : Gratias ago Deo, quoniam E luminibus orbata fui, et modo clarissime video. Patrato igitur tot et talium miraculorum insigni præconio, Fratres Matutinorum vigilias consuetudinaliter celebrarunt, et sic cum ingenti gaudio ad sua strata reversi sunt.

*cæca.*

a *Pirrus immediate subdit, omissa Siciliæ descriptione :* et Messanam applicaverunt, civitatem insignem ædificio. — b *Pir.* Iatium. — c *Idem*, statim festa. — d *Idem tria hæc verba omittit. Videtur auctor alludere ad illud Joan.* 12, 3. Et domus impleta est ex odore unguenti. — e *Pirrus* : illabus in unum ascitis ; *mendose, ut patet ex sequentibus, ubi dicuntur* Fratres nostri, *Clerici scilicet vel monachi Catanenses, corpus Sanctæ dedisse.* — f *Pir.* dum populi. — g *Idem*, pueriis *Pirrus habet* neque periculis (ut assolet) insolentiæ levitatis. — h *Sequentia apud Pirrum desunt.*

## CAPUT III.

### *Concursus ad S. Agathæ corpus, quidam in itinere defuncti, sanati.*

Nobis autem alia, quæ per eam sunt perpetrata, miracula ordinatim narrare volentibus, ne quis inde dubitet, Dominum veritatis amatorem, testem judicemque proponimus, cujus protestatu credat nos nil a tramite veritatis extraneum more laudantium dicere, sed ne prolixitas fastidium generet, plurima præterire. Quid enim hoc facto videtur iniquius, quam F laudem illorum, qui veritati fide semper et operibus placuerunt, mendaciorum fucis quibuslibet colorare? Illi enim, si mendaciis obtegi, dum viverent, voluissent, ad veritatis consortium post mortem nullatenus pervenissent. Sed absit hoc a fidelium mentibus, qui credunt se etiam de otiosis verbis rationem in die futuri examinis reddituros, aliquid stulta temeritate confictum quasi ad Sanctorum prædicare præconium. Hæc igitur necessario prælibantes eumdem Dominum nostræ intentionis adesse prævium invocemus, et sola futuræ remunerationis mercede contenti, floccipendentes verborum elegantiam, cetera quæ restant plebeio famine proferamus.

*Auctor protestatur se fideliter hæc referre.*

20 Matrona quædam Syracusani Præsulis Dapiferi copulata connubio, olim a dæmone vel sævo possessa, ad Amicam Dei venit, ut ab infestatione inimici ejus, mereretur ipsius orationibus liberari : nec tamen est sua petitione frustrata ; nam et a dæmonis invasione liberata est, et Dominici corporis communione percepta, nobis, et, qui aderant, universis palam signa suæ salvationis ostendit. Vir autem suus saluti ipsius congratulans, sibi per Virginem bonitatis concessæ non immemor, ad illam una cum

*energumena liberata.*

*AUCTORE MAURITIO EP. ANIMADV. PAP. 51.*

A cum conjuge gratias reddere venit, munus obtulit, et ad propria Deum benedicendo remeavit.

21 Hujus fama bonitatis
Mox per urbes evolans
Perstrepensque, tam longinquos
Quam propinquos advocat;
Monens omnes, se debere
Dei Sanctam visere,
Et quod illis opus esset,
Ab eadem quærere:
Ægris plane persuadens
Sospitatem petere,
Sanis vero delictorum
Veniam deposcere.

*magnus fit ad sacras reliquias concursus:*

Qui sopitæ tarditatis
Hac in caussa nescii,
Et peccati sese multum
Prægravantis conscii,
Aulam sanctæ pari voto
Frequentabant Virginis,
Et dimitti sibi noxam
Flagitabant criminis.
Quibus aures inclinabat
Virgo sacratisssima,
B Et juvabat illos ope
Misericordissima,
Hos ab omni corporali
Curans ægritudine,
Solvens illos a nodoso
Sathanæ ligamine.

22 Nec multo post eadem Virgo Domina nostra, pro nostra pace sollicita, quemdam de istius terræ Magnatibus, divitiis et summa nobilitate conspicuum, vocabulo Henricum, nocte per somnum visitavit, dulci voce compellans, ut ad se visitandam quam citius pergeret. Qui protinus excitatus, dum hæsitans resedit in lectulo, nec conjugi sciscitanti, quid hoc esset, indicare voluit, sed somni pondere prægravatus rursus quieti membra dedit. Cui sancta Virgo hæc eadem persuadens apparuit. Mox ille, vir sagacis ingenii, Dei voluntatem intelligens, uxori quid vidisset aperuit, et ad ecclesiam Virginis venit. Qui votorum suorum debita solvens, Fratribus Cataniensibus, quos olim pro quibusdam caussis habebat exosos, amicus effectus est: et sic cum magno quæstu lucrorum spiritualium ad propriam remeavit domum. Utinam domum illam infestantibus taliter eveniret, et fortassis eveniet; nam juxta illud Poeticum:

*eo venit quidam bis a Sancta monitus,*

*et reconciliatur Clero Catanensi:*

C Grata superveniet, quæ non sperabitur, hora.

23 Ad edomandam autem illorum vecordiam, qui contra Sanctos ora impudenter aperiunt, rememoratu digna recitare volumus, ut quicumque ea audierint, pertimescant, et Sanctis, quos omnipotens Deus honorat, condignum honorem exhibeant. Mulier quædam in civitate Messanensium commanebat, in cujus domo beatissimæ Virginis Agathæ, quos supra recolimus, portitores, hospitium quoddam acceperant. Cui cum vicini familiariter dicerent: Eia, ne pigriteris ad domum beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ properare, ut sicut ipsa tuam domum dignata est introire, se pro te dignetur Divinam clementiam implorare; fœmina perflata superbia, non se, ait, abire. Sed vocem temerariam gravis est illico subsecuta vindicta: nam auris ipsius, quæ saluberrimis monitis obsecundare despexerat, magno cruciata dolore, justissima damnata est surditate. Et quia durum est contra stimulum calcitrare venit necessitate cogente Cataniam, et coram Virgine piissima suam cum lacrymis cœpit profiteri culpam, cujus precibus Virgo clementissima annuit, et dolore sanatæ pristinum audiendi sensum reddidit.

*blasphema fit surda,*

*Catanæ sanatur:*

Tunc clamans mulier, Grates tibi Virgo beata
Semper, ait, referam, quæ verbere cæsa salubri
Persensi celerem te compatiente medelam. D
Mecum proclament omnes tua mira videntes:
In te laudetur Deus, in te glorificetur.

Postea ad domum suam sic castigata ingreditur, Dei, qui percutit et medetur, cunctis referendo magnalia.

24 Sequenti autem tempore aliud per Virginem beatissimam factum est, Domino cooperante, miraculum. Quidam carpentarius, Michael nomine, per biennium fuerat paralysi dissolutus, intantum ut absque alterius adjumento se sublevare non posset. Qui famam audiens miraculorum per sanctæ Reliquias Virginis patratorum, asello sedens, quæsiturus opem, jam supra nominatam veniebat ad urbem. Appropians autem illi fluvio, qui duobus milliaribus distat ab urbe, a commeantibus expetivit, ut se ab illo, quo portabatur animali, deponerent. Quem dum deposuissent, membrorum tumentium et dissolutorum (mirabile dictu) solidata compage, nullo adminiculante, fluvium transmeavit, et propriis pedibus ambulando Cataniam usque pervenit. Omnibusque, Deo et ejus famulæ referendo gratias, se repræsentans, suæ curationis eventum fideliter continuavit, multisque contestantibus claruit, illum et tanto temporis spatio mala valetudine laborasse, et sospitatem integerrimam per S. Agatham, modo quo dictum est, E meruisse. Ob hoc iterum Cleri gaudimonio populique jubilantis, signa tinniunt.

*paralyticus in ipso itinere curatur;*

Et cuncti Domino laudum modulamina solvunt,
Quamvis si centum linguæ essent, oraque centum,
Centum voxque sonos pariter dein redderet una,
Ejus signorum non posset dicere mira.

Quis enim enumeret multitudinem debilium diversa infirmitate laborantium, quorum plurimi Domino præstante sanantur; alii vero, ipsius occulto judicio, semper tamen justo, in suis langoribus dimittuntur? Non enim humanum est inquirere cur istis sanitas, et cur illis insanabilis detur infirmitas: beatus est autem, qui corripitur a Domino.

*multique alii ægri*

25 Duobus vero modis a sacra Scriptura scimus prave agentes a Domino justissime flagellari, id est, ut aut ipsi cessent peccare pœnarum timore contriti, aut alii similia perpetrare formident, illorum exemplo commoniti. Cujus rei gratia, cujusdam lenonis nequitiam, et, qua mulctatus est, celerrimam ultionem præterire silentio non debemus, ut sui consimiles audiant, et ejus timore imitatores fieri pertimescant: nam juxta illud Salomonis, qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter; qui autem depravat vias suas, manifestus erat. Inter innumerabilem hominum multitudinem, qui undique ad corpus F beatissimæ Virginis confluebant, accidit, ut quædam muliercula orationis caussa veniret, quæ dum paululum ad requisita naturæ de via secederet, et ejus socii aliquantulum præterirent, leno quidam adveniens, ut illi misceretur in crimine, libidinosis affatibus suadebat. Mulier autem trepidans, et tam nefarium opus pertinaciter metuens: Absit, ait, frater, absit; non me tali facinore polluam; quoniam ad domum sanctæ Virginis Agathæ Dominæ nostræ properare volo, et idcirco illam tam nequiter offendere nequeo. Tu quoque talem pestem diabolicæ persuasionis a te abjice, ne Virginis sanctissimæ iram incurras, et protinus mala morte depereas. Leno vero, omnino surdus ad ista, mulieri vim inferre tentabat: cui reluctanti et contradicenti pro viribus affuit illa, cujus tendebat ad aulam, quæ suam vernulam virtute muritica liberavit, et illum terribiliter coercens officio loquendi privavit. Quod ne alicui videatur incredulum, quamplures fidelissimi testes adsunt, qui hæc suis oculis se vidisse veraciter asseverant. Nos autem ad coercendos luxuriosos et lubricos hoc prodigium formidabile memorantes, ad ea, quæ dicere cœpimus, redeamus.

*Prov. 10. 9*

*eo tendenti mulieri vim inferens, fit mutus.*

## CAPUT IV.

A

## CAPUT IV.

### *Ægri et energumeni a S. Agatha sanati.*

Nonnumquam omnipotens Deus, cujus judicia abyssus multa, mirabili dispositione sui quosdam famulorum suorum infirmari permittit ad tempus, ut si quid in eis superfluum fuerit, doloris angustia resecetur, ut eo devotius serviant, quo illi paternis verberibus castigati mundius appropinquent. Sicut enim vas electionis beatus inquit Apostolus, quem diligit Dominus, corrigit et castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Ideo justus in pœnis gaudere debet, et impius in suis prosperitatibus formidare. In hac vita multotiens parcit Deus impiis, et non parcit electis. In futura autem vita perpetualiter parcit justis, et numquam parcet iniquis. Valde itaque necessarium est, justum in hoc mundo verberibus Domini castigari, ne de benefactis suis inaniter extollatur, et mercedis æternæ fructum amittat. Quod melius ostendemus, si cujusdam Fratris repentinam percussionem, et citissimam per gloriosam Virginem et Martyrem Agatham sanationem ad ejus gloriam referamus. Quidam namque Græcus Abbas, B vir valde venerabilis, comperto beatissimæ Virginis reditu, auditis quoque mirabilibus, quæ per eam Dominus faciebat, de Trayna civitate Siciliæ Cataniam cum septem monachis veniebat: quorum quidam equitabant, quidam propriis pedibus ambulabant. Inter quos quidam novitius erat, vocabulo Abbas, qui velociter cursitando ad domum sanctæ Virginis festinabat, sed repentino tumore, et maximo dextri cruris dolore percussus, de loco se movere non poterat. Quid ageret, et quo se verteret, ignorabat. Abbas autem Fratris dolori compatiens, ei præcepit, ut nisu, quo posset, ad cellulam, quæ non longe aberat, properaret, ibique ejus præstolaretur adventum, et reditum, ut ad suum habitaculum pariter remearent. Discedente vero Abbate cum monachis, æger ille monachus, solo decumbens, in medio obdormivit itineris. Cui Virgo beatissima per visum apparens: Quid agis, inquit, Frater? Et ille: Volebam, Domina, ad beatisssimæ Virginis Agathæ desideranter adire præsentiam, sed meis interceptus criminibus subitæ infirmitatis languore percussus sum; et idcirco hic in via remansi omni solatio destitutus. Tunc illa: Surge, ait, Frater, et sequere me, quoniam ego sum Agatha, cujus desiderio fatigaris, C ut ad ejus corporis visionem pervenias. Excitatus tanta ac tali monachus mellіflua visione, se quidem sanum reperit, sed Virginem, cum qua loquebatur, visibiliter videre non potuit. Cumque tendere se putaret ad cellulam, in qua sibi mandatum fuerat residere, stupendo satis modo, et admiratione digno, Abbatem et monachos, qui jam perrexerant, nesciens antecessit, et quasi totum illud viæ spatium pervolaret, non longe se a supradictæ mœnibus civitatis invenit. Cognoscens autem illum Abbas, et videns, quod tanta illos velocitate præcesserit, ignarus rei, quomodo, et unde venerit, curiosus sciscitatur. At ille nequaquam suæ sanitati ingratus, cuncta, quæ sibi sancta Virgo fecerat et dixerat, enarravit ex ordine. Tunc Abbas et monachi, voluntate gaudioque non dispari, magnis Deum collaudando vocibus, urbem ingressi sunt, suæque laudationis libamine corpus sanctissimum venerantes, sicuti optaverant, suo desiderio potiti sunt. Quo peracto ad suum lætabundi rediere cœnobium. Nimirum hoc est, quod superius diximus, utilitatis caussa, vel suæ vel aliorum, qui Domino servientes, præsentialiter flagellantur, illoque salubri flagello de bono in melius provehuntur. Nemo cum viderit energumenos immundis spiritibus fatigari, illos abhorreat quasi derelictos a Domino, sed humanæ debet D miseriæ compati, quæ multotiens non sponte, sed coacte, Divinis obsecundat imperiis, ut per hoc, secundum illud Apostoli, nonnumquam Sathanæ tradatur in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Ergo quotiens viderimus aliquos diabolo mancipatos in corpore, duabus ex caussis fieri hoc a Deo judice justo credamus, videlicet vel ad corporalem castigationem temporaliter, vel ad damnationem perpetualiter; sed cuicumque illud fuerit detrimentum, nobis sit ad timorem Domini documentum.

*Heb 12 6* — *monachus in itinere correptus morbo,* — *a S. Agatha apparente sanatur,* — *et socios antecedit:* — AUCTORE MAURITIO EP. — *1 Cor. 5. 5*

27 Illis autem commonitionis caussa prænotatis, cujusdam dæmoniaci curationem subsequenti stylo promamus. Quidam Græca natione progenitus, vocabulo Spicbius, in castro quod Geracium dicitur, sub professione monastica in oratorio sancti Protomartyris Stephani commanebat. Qui jam per decem annorum curricula nequissimo dæmonio vexabatur, quem quando arripiebat, per septem horarum spatia detinebat; cujus mater, Anna nomine, comperiens rumoribus hinc indeque resonantibus, quod Deus omnipotens multos malignorum spirituum infestationibus laborantes jam per meritum sanctissimæ Virginis liberasset, ad domum ejusdem sacratissimæ Virginis filium comitata, ut illi sanitatem propitia E largiretur, illam gemitibus, lacrymis, et verbis orabat. Vovit etiam Domino, quod si suum sanaret filium, seculum relinqueret, et sub cultu monastico sibi perpetuo deserviret. Sancta autem Virgo miseræ miseriæ misericorditer miserta, fidem matris pro filio deprecantis amplectitur, et opem quam fuerat postulata, largitur; nam cum uterque membra labore diutino fatigata sopori dedisset, visum est illi arreptitio stellam clarissimam de scutellis, ubi sanctum fuerat caput, exire, suoque capiti leniter assidere. Qui confestim exurgens horrendissimam vocem emisit, ita ut cuncti qui aderant terrerentur. Subsequenter igitur eidem beatissima Virgo et Martyr apparuit, et, utrum sanari vellet, inquisivit. Cui cum protinus responderet: Volo, Domina mea, et ideo cum devotione ad te confugi; illa dæmoniacum feriens alapa, dæmoni, ut egrederetur ab illo, potentissime imperavit. Quem deserens omnino deinceps reliquit incolumem, surgensque sanus intimavit astantibus se quemdam vidisse miræ magnitudinis serpentem mortuum a suo proprio ore delapsum. Mater autem ejus, quod voverat, reddidit, triduoque finito una cum filio, gaudens et benedicens Altissimo, ad F proprium est reversa domicilium.

*multi energumeni liberantur* — *quidam adductus a matre, vovente se monacham fore si is sanaretur, post multas in somnis visiones,* — *alapamque a Sancta acceptam liberatur*

## CAPUT V.

### *Alia S. Agathæ miracula. Historiæ Epilogus.*

Nec solum præsentibus Virgo celeberrima, verum etiam multotiens profligatis aliquibus diversis anxietatibus multa beneficia conferebat absentibus, ut ostenderetur illud Epigramma Angelicum omnino esse verissimum, Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, et Patriæ liberationem. Igitur tempore non multo post ista exempla, quæ scripsimus, peracto, quædam fœmina Messanensis Christiana Deumque timens, se quibusdam nautis orationis caussa Cataniam navigantibus sociavit. Quæ quamvis esset gravida, tamenque unius oculi lumine, et unius auris carebat auditu, ut per Deo dicatam Virginem, et Martyrem Agatham pristinæ mereretur sanitati restitui, hoc laboriosum iter arripuit. Verum marinis fluctuationibus, et fœtore sentinæ, unde quamplures nauseare solent, mulier debilis fatigata, singultu creberrimo diruptis pene visceribus cruores cœpit evomere, et intantum est angustiata, ut putaretur a sociis vitalem spiritum funditus exhalasse. Cumque sæpius concitaretur ab illis, et plus indicia mortis, quam

*etiam absentes curantur:* — *mulier lusca, aure una surda, et gravida* — *navigatione visa exanimari, sed rupta,*

*AUCTORE MAURITIO EP.*

A quam vitæ videretur habere, decreverunt ad littus divertere, ut corpus mortuum, sicut humanitas exigit, traderetur sepulturæ. Sed non invenientes habilem locum ad tale ministerium aptius adimplendum, volebant in mare corpus ejicere. Hanc enim sepulturam in tali quam maxime mortis necessitas cogit inferre. Quidam vero miles lembo vehebatur eodem, qui hoc fieri rationabili satis et modesto sermone vetabat, dicens sibi videri, illam, sive mortuam, sive vivam ad illum locum, quo properare devoverat, ab illis debere justissime deportari. Simulque illam operiens cum reliquis expectabat rei finem. Post horarum quatuor intercapedinem, mulier illa, quæ sic jacebat exanimis, oscitavit, oculos aperuit, cunctisque mirantibus et lætantibus, se vere vivere demonstravit, nautasque compellans sollicite percunctari cœpit, quis illam in illud navigium posuisset. Illis e contra dicentibus: Tu ipsa, non aliorum, sed tuis pedibus huc introisti; mulier ad se reversa sic ait: Ego pro certo novi me raptam fuisse de corpore, et extra mœnia civitatis cujusdam in quadam basilica extitisse, ubi albatorum aderat multitudo, qui cuidam Virgini venustatis eximiæ concinebant cantus suavissimi cantilenam, et eam proprio nomine S. Agatham nominabant: a qua interrogata, quid quærerem, respondi, me a b ipsius venisse suffragium, ut ab ipsa mererer diu optatam consequi sospitatem. At illa me dextra manu Crucis signo benedicens: Vade, ait, in pace, quoniam quod fideliter postulaveras, impetrasti; ad domum autem meam propera, nam ibi mea tibi promissa complebo. Nautæ vero his sermonibus animati cursu rapissimo cum muliere Cataniam pervenerunt: quæ dum coram Virgine clementissima sospitata quiesceret, nocturnalis officii personante principio, lumen pariter, et auditum, ejus interventu promeruit, cunctosque, qui videbant ista, promovit

*B videt S. Agatham et alios Cælites,*

*Catanæ sanatur:*

Laudibus immensis attollere facta Tonantis.

29 Eodem die, quo apud Cataniam hæc fuerant acta, quidam senex, Joannes nomine, jam duobus annis cæcus existens de Messana superius sæpissime nominatam veniebat ad urbem. Qui dum ad locum, qui Trium monasteriorum vocabulo nuncupatur, uno se comitante caniculo pervenisset, non casu, sed nutu Divino, ut credimus, more insolito canis ille fugiens senem dereliquit, ignarum viæ, omnique destitutum solamine. Senex autem lacrymis faciem ubertim humectans, a Deo postulabat auxilium. Cui per C orationem S. Agathæ Virginis unius oculi visum reddidit, cumque ipsa de superioribus voce delapsa commonuit, ut ad ejus Reliquias visitandas cœptum iter carperet. Paruit, et, ut ad asylum sanctissimæ Virginis venit, oravit, atque quod sibi cœlitus fuerat repromissum, integerrime utrusque luminis claritatem accepit. Deinde per nocturnam visionem ab eadem admonitus, suæ sanationis factus est prædicator, voce simul et ore pariter omnibus innotescens, per S. Agatham se fuisse divinam misericordiam assecutum.

*cæcus in eo unius oculi visum recipit,*

*Catanæ alterius,*

*et Sanctam in somnis videt.*

*Epilogus.*

30 Hæc nos de miraculis sanctissimæ Virginis Agathæ modo dixisse sufficiat. Ceterum legentes hortamur, ut si quid indecens atque superfluum in hoc sermone repererint, infirmitati nostræ attribuant; si quid vero decens et utilitati conveniens, Deo bonorum omnium largitori committant. His ergo miraculis evolutis finem teneamus, versus recitemus et hos in laudem beatissimæ Virginis.

Lætemur, Fratres, et Christum glorificemus,
Cujus tantarum de munere munus habemus.
Qui Sanctæ nobis Agathæ corpus venerandum
Reddidit, imo dedit, plus mundi rebus amandum.
Cui nil terrenum merito valet æquiparari,
Quam Deus in cœlo voluit sine fine beari.
Quo residens solio Regi copulata polorum D
Pulsat et orat eum, lapsus relevando suorum.
Olim nos linquens Orientis regna petivit,
Sed miserando suos nunc ad sua tecta redivit.
Non bene servasti thesaurum Græcia talem,
Qui viresque thronum cumulaverat imperialem.
Non fuit ille tui, sed nostri denique juris,
Sublatus furto, furtum sine crimine furis.
Qua sit apud Christum sublimi sede locata,
Quandocumque potens celeberrima Virgo beata,
Quæ per eam fiunt ostendunt undique mira,
Per quæ quamplures Sathanæ salvantur ab ira.
Orbatis visum reddit, mutisque loquelam
Præstat, et ægrotis repetit quamcumque medelam.
Credere qui dubitas, si vis, ea signa videbis,
His etiam visis nec tu reticere valebis.
Urbs felix gaudens gaudeto Cataniensis,
Nec te dira fames, nec jam ferus obruet ensis.
Ordinis ipse tui memor Ordo monastice gaude,
Tristia depellens, de tanta Virgine plaude.
Tuque Redemptori dic carmen Clerice lætum,
Sollicitans omnes ad diva negotia tecum.
Plebs etiam sacro Baptismi fonte renata,
Actus linque tuos veteres, et sis renovata.
Rex novus ad Superos vehit hos qui rite novantur, E
Trudit et inferno qui sordibus inveterantur.
Ejus convivas acceptat candida vestis,
Regis amicitias, fideique per omnia testis.
Qua qui veste caret, manibus pedibusque ligatis
In tenebras missus pœnas luet improbitatis.
Laus sit... perpes per secula cuncta potenti,
Virgineis precibus tot dona secunda ferenti.
Cui pariter mentes et corpora nostra dicemus,
Cujus tam carum de munere munus habemus.
Nos autem Virgo semper commendet eidem,
Qui non mutatur, sed permanet unus et idem.

# S. AGATHÆ MIRACULA

## descripta a Blandino monacho.

### CAPUT I.

### *Catana ope S. Agathæ servata. Curati ægri, præsertim energumeni.*

Igitur fama excellentissimæ Virginis et Martyris Agathæ plurima terrarum spatia peragrante, loco in quo venerabilis theca ipsius tenetur, certatim undique properant certis ex caussis; alii enim medelam corporis, alii suam suorumque tuitionem, alii facinorum veniam flagitantes: sed ultimi quamvis minime exaudiri videantur, non minus tamen exauditos credimus, si fideliter postulant, imo magis, quia quanto dignius poscunt, tanto citius assequuntur. Illi namque sanitatem iterum debilitaturam, isti quæ fine carent, postulant. Plus est enim electorum vitæ de digno dignum precibus aptare, quam præsenti vitæ moriturum mortuum revocare. Quod utrumque Sanctam hanc Martyrem fecisse non dubitamus. F

*Fiunt magni concursus ad S. Agathæ corpus.*

2 Revoluto igitur anno, paucos ante dies susceptionis gloriosæ Virginis, supervenientes ab Hispaniis piratæ Siciliæ insulam occupaverunt. Patratis vero quam pluribus malis, Cataniam a Gentilibus fraude arripiendam hilariter adeunt: sed fraus, Sanctissimæ meritis, Christicolis non incognita mansit. Et quamvis tantæ multitudini minime possent resistere, ostendunt se tamen promptos et agiles ad pugnandum: quibus visis, gens Deo odibilis, timore Divino perterriti, longius recessere. Eodem autem die cum Syracusanis certamen ineunt, urbem capiunt, alios trucidant, alios necant, et alios secum ducunt, nil præter mœnia, quæ secum ferre non poterant, relinquentes. Quod vero ita Cataniam præteriere, illius adscribitur

*Catana an. 1127 per eam servata,*

*direptis Syracusis,*

A adscribitur gloriæ, quæ propriæ liberatio est patriæ.

3 Cumque appropinquasset dies sanctæ solennitatis, advenit hinc inde populus innumerabilis: inter quos matrona quædam pene nobis omnibus, ut ita dicam, nota, quæ utriusque auris omnino officium amiserat, affuit. Nocte itaque orationi vacans, paullulum dormitare cœpit: affuit Interventrix muliebri habitu admodum ornata, constipata catervis lucifluis infelicibus auribus auriculares mittens, protinusque disparuit. Illa autem surgens mirabatur voces hominum. Postquam vero se perfecte cognovit curatam, exclamavit, cunctosque qui aderant, in omnipotentis Dei laudem commovit. Alia itaque privata lumine, nocte eadem tenebris depulsis ex integro restituta est luci.

*surda Catanæ sanata: alia cæca,*

4 Quinto annorum vergente curriculo, ex quo sacratissimæ Virginis et Martyris Agathæ corpus a Contantinopoli Cataniam relatum est, contigit quamdam mulierem Syracusanam, nomine Bonamfiliam, a crudeli dæmone novem annis possessam, Dei nutu hoc ordine liberari. Confluentibus quamplurimis Christianorum catervis ad diem festi Relationis sacræ Virginis, præfata mulier mentis atque salutis inops, ducatu sui mariti, nomine Petri, genere Pisana, inter ceteros devenit. Quæ cum sacræ basilicæ B propinquasset, iniquus possessor eam cœpit solito vehementius torquere, et pœnis atrocioribus vexare. Intrante vero illa basilicam, et sacris Reliquiis propinquante, idem crudelis agitator, laxatis suæ malitiæ frænis, totis viribus in eam debacchari cœpit, et quasi alieni juris possessionem, quam sibi jam tamquam eripiendam sentiebat, pene soluta compage membrorum totam discerpere: quæ dum stridoribus dentium, et clamoribus altisonis intonaret usque adeo ut sonos organorum, quæ tunc solennitatis gratia concrepabant, et voces in choro psallentium, more tonitrui maximo præcedente corusco superaret, totam ecclesiam ita perturbabat, ut nulli quiescere vel orare liceret, nisi quod vehementissimus ejus clamor cunctis Deo pie querentibus materiam parabat orandi. Quid plura? Tota nocte illa, et parte sequentis diei non modica in tantis calamitatibus expensa, ventum est ad horam, qua sacra Missarum solennia celebrari decebat. Ordinata igitur processione, cum Sacerdotes, qui sacrum feretrum suis humeris portabant, ante dæmoniacam venissent, præ- C sentia sanctarum Reliquiarum ita perturbatus est dæmon immundus, ut videres ægram anguino more torqueri, et multo plus solito vexari, nec non miserando gestu membrorum veraciter confiteri, nullam esse societatem Christi ad Belial, neque partem fidelis cum infideli. Cum sacrum Evangelium perlectum fuisset, exorcizationis sermone ad populum habito, sicut mos Ecclesiasticus exigit, admoniti sunt omnes orare Deum pro Christianissimo Imperatore, pro Regibus, et pro his, qui in sublimitate sunt constituti, et maxime pro illa misera et miserabili factura Dei, quæ in præsenti caussa crudeliter vexabatur, ut Deus, qui omnia potest, precibus et meritis sanctæ Virginis et Martyris Agathæ salutem circa illam operaretur. Tunc omnes, qui prius in silentio constituti, fraterna pietate commoti, e multis cordibus unam faciunt rempublicam, et quasi communicationem adversus immundum habitatorem, lacrymosos singultus, et præcordiales preces ad thronum Judicis dantes. Mox in commune oratur, precibus cœlum pulsatur, nomen sacræ Virginis Agathæ ab omnibus frequentatur. Quid multa?

*an. 1131 energumena Cataniam adducta, dire torquetur a dæmone, præsertim prope Sanctæ feretrum, sed omnibus pro ea orantibus,*

Dum sic fervet flamma caritatis,
Pias preces formans unitatis,
Aures pulsat... Deitatis,
Mox reportans dona pietatis.

Nam dum venerabilis Pontifex Mauritius, qui tunc episcopatum innocenti vita decorabat, Præfationem D Missæ celebriter decantaret, repentino Dei nutu, fugato habitatore, et mundato Dei plasmate, jacuit illa pene exanimis effecta, ita ut putares illum de Evangelio puerum, qui plus vexatus est exeunte dæmone, quam cum prius ab eodem fuerat possessus. Marc. 9 Quo viso cœperunt quidam pusillanimes trepidare, et, licet in vanum, vehementer formidare, ne forte cum immundo spiritu proprium exhalaret. At ubi resumpto anhelitu suæ salvationis indicia demonstravit, Deo et sanctæ Virgini gratias referendo, et suorum peccatorum confessionis exordium prosequendo, certi omnes, et de fraterna salute congaudentes, lacrymas doloris in gaudium converterunt, et in laudes omnium bonorum largitoris proruperunt.

*AUCTORE BLANDINO MONACHO. liberatur fere exanimata*

5 Sequenti nihilominus anno, item ejusdem Relationis sexto, altera muliercula, ut fertur, a dæmonio est liberata. Cum inter coruscantium miraculorum sacra præconia beatissimæ Virginis Agathæ fama celeberrimis extolleretur fastigiis, et a Siculorum non solum populis, verum etiam ab extranearum accolis provinciarum, in urbe Catanensium ecclesia, quæ ad honorem Dei ejusdemque est fabricata Virginis, satis congrua devotione veneraretur, Divina largitate et clementia multa poscentibus præ- E bebantur ibidem beneficia: nam claudicantibus gressus, dæmoniacis, debilibusque, ac variis ægrotationibus laborantibus sanitas a Domino ejus piis recompensabatur precibus. Sed quoniam sermonis prolixitas deformitatem, fastidiumque generat audientibus, brevitati idcirco verborum, simplicitatique... curavimus. Nec audita tantum, ut quidam facere solent, sed ea potius, quæ approbando vidimus, et visa approbavimus, posteris dilucidare providimus. Et no per scripturarum campos sermo noster immorando protelетur diutius, et quasi quoddam super alio disputationi magis, ut plerique in suis consuevere tractatibus, quam rei actæ narrationi, omisso proposito suppeditare videatur, Jesu christi Domini nostri præeunte in omnibus gloria, quæ per ejus famulam Agathen ipso dante operantur miracula, ejusdem largiente gratia, brevi quidem, sed veridico cupimus distinguere *a*... gloriosa.

*alia energumena an. 1132 liberata, multa alia facta miracula. Auctor visa narrat.*

a Aliquid videtur deesse.

## CAPUT II.

### *Paralyticus a S. Agatha curatus.*

F

Cum igitur Sicanorum terra pestilenti famis oppressione, demeritis exigentibus, a Domino percussa vehementissime laboraret, vir quidam in Messanensium civitate, Joannes nomine, inter suos antea honoratus coætaneos, cœpit inopia et egestate tabescere. Cumque præter asinos duos nil sibi residuum, opumve aliquid cerneret remansisse, instigatus ab uxore, regionem undique peragrabat pretio ipsos conducens asinos, quo saltem inopem sic possent defendere vitam. Talia etenim eo exercente quotidie, languore percussus valde, vix reptans, valetudine omnium amissa membrorum, solis poplitibus vehebatur et manibus. Repentino itaque obstrictus flagello, uxoris æstuante in eum ira, duplici angebatur cruciatu, insperata remuneratione a dilecta sibi conjuge reportata. Quid plura? quid faceret? quo se verteret? Cessantibus undique auxiliis, et undique invalescente infirmitate, non medicorum, ut humana consuevit calamitas, usus est suffragio, sed tota mente hærens cœlo, omnipotentis Dei Sanctorumque assidue procumbens liminibus, deprecabatur misericordiam. Quod cum per longum tempus fecisset, nocte quadam cum a B. Nicolai, ubi diu jacuerat, ecclesia, quæ parvo intervallo, in insulam, quæ vulgo Lingua dicitur,

*Famis tempore, dives quidam ad pauperiem redactus, et paralysi oppressus, divinam opem constanter implorat,*

*AUCTORE BLANDINO MONACHO*

*in somnis monitus a S. Agatha*

A dicitur, distat a civitate sita, reportatus fuisset, talis ei in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ pernoctanti divinitus ostensa est visio. Nam circa mediæ noctis horam Virgo ei inenarrabili pulchritudine decorata, veste circumdata astitit alba, tangensque latus ejus, proprio vocavit eum ex nomine, dicens : Cur tanta, Joannes, inest tibi segnities, ut ad meam domum ire minime disponas? Stupefactus itaque ad tantæ visionis magnitudinem, in ipso in quo erat somno, ab ea inquirere cœpit sollicite, quæ, aut qualis, quævе ejus esset domus, quo vel sic eloceretur, quid facere debuisset. Illa autem confestim se esse Agathen, quæ pro Christi nomine in urbe Catanensium martyrizata est, ejusdemque civitatis ecclesiam suam esse domum, ei declaravit, subnectens, ut recepturus sanitatem ad eamdem ecclesiam properaret. Lætus igitur effectus post modicum a somno evigilans, die lucescente ad maris se continuo portum, de promissione sanitatis accepta... portare fecit, ut reperto navigio Virginis visionem adimpleret et factis. Die vero mediante, sole jam laxis habenis currente, contigit, Divinæ, ut mihi videtur, voluntatis arbitrio, ut in Messanensi portu una ex Catanensium civitate navis attingeret : nautis etenim ad terram ex more progredientibus, vi-

*Catanam navigat,*

B dentes eum ad littus, ubi, ut prædictum est, se asportatum transvexerat, jacentem, caussas ab eo sollicite inquirentes, exposuit eis seriatim et Virginis visionem et infirmitatis suæ incommodum et ejusdem Virginis jussionem. Mox ita recitatis, confestim eum læti in suam navim suscipiunt, ac dantes carbasa ventis, Cataniam post triduum prospere devenerunt. Interea postquam Cataniam perventum est, ad terram e navi ponitur, ac corporis invalidam glebam baculo, manibus, genibusque sustentans, cujusdam sui noti, quæ prope littus erat, vix attigit domum : quam cum ingressus fuisset, ceram, quam secum a Messana detulerat, in candelas commutans, ac toto corpore reptans, patrato officio, omnibus eum conspicientibus spectaculum præbens, sanctæ et gloriosissimæ Dei Virginis et Martyris Agathæ poscebat ecclesiam, cupiens verum cum precibus placare luminis lumen. Mira res : tanto namque ardore mentis fervore repletus incedebat caritatis, ut contra humanum morem, quod pedum summissæ officio manus non prævalebant, dentibus adimplere, ore gestans candelas, non verecundaretur. Nobis equidem ex consuetudine a Completoriis persolvendis laudibus venientibus, subito in ecclesia apparens velut horrendum cunctis se præbuit monstrum, voceque emissa

*et ad templum Sanctæ mirabiliter adrepit,*

C ut ei aperiretur, vehementissime deprecabatur. Tunc unus ex Fratribus, cui ecclesiæ custodia commissa fuerat, aperto ostio ad eum exiens, imperavit silentium, expletoque officio, et Fratribus ad lectum euntibus, se aperturum denuo ei promittens. Quod cum ita gestum fuisset et orationem secundum propriam voluntatem ad Dominum equisisset, tenebrarum detentus caligine ante monasterii valvas per totam noctem jacens, die adveniente nervorum valetudine recuperata, ac totius corporis sanitate, ecclesiam sospes ingreditur. Fratribus itaque ecclesiam pro consuetudine introeuntibus, Deum magnificant hymnidicis vocibus, aliaque ex parte tintinnabulorum eximiis vocibus, universo civitatis, ut ad ecclesiam properaret, concitatur populus. Facta est igitur ad ecclesiam populi Christiani turba non modica, voce lacrymabili, sed pietate plena Dominum benedicens, qui per intercessionem gloriosissimæ Virginis et Martyris suæ Agathæ creaturis ut Creator dignatur descendere. Patratum est hoc miraculum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quadragesimo primo, Translationis ejusdem gloriosissimæ Virginis et Martyris Agathæ a Constantinopolitana

*ibique sanatur*

*4 Julii 1141*

urbe in provincia Siculorum in civitate Cataniæ anno D decimo sexto, Indictione quarta, quarto Nonas Julii, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Fratrum cunctorum minimus, vel servus eorum,
Blandinus scriptum dictando protulit istud,
Martyris eximiæ quo sit titulus memorandus.

## CAPUT III.

### *Energumenæ ad corpus S. Agathæ mirabiliter curatæ.*

Tempore, quo *a* Yvenus electus monasterio Catanensi præerat, mulier quædam, nomine Bona, nescimus quo justo omnipotentis Dei judicio, diabolo ad vexandum tradita, apud castrum, quod Palatiolum dicitur, erat : quam ejus consanguinei nimio affectu diligebant, ac de ejus ægritudine incredibiliter jugi mœrore afficiebantur. Qui a compluribus crebro audientes miraculorum beneficia, quæ solita pietate omnipotens Deus, beatissimæ Virginis et Martyris Agathæ intercessione, ad Reliquiarum ejus loculum devotissime venientibus assidue faciebat, manibus et pedibus vinctis prænominatam dæmoniacam ad Deo dicatæ Martyris ecclesiam sub omni E celeritate duxerunt. Contigit autem, ut prædictum Yvenum ante fores monasterii sedentem invenirent, eumque multis precibus obnixe flagitarent, quatenus miserrimam tam crudeliter vexatam omnipotentis Dei pietate ecclesiam ingredi, ac sub B. Agathæ capsa pernoctare sineret. Quia vero nox instabat, et adhuc monasterii ornamenta propter Nativitatis Domini solennitatem super altare erant, vix ab eo obtinere potuerunt, ut præfatam dæmoniacam ecclesiam ingredi pateretur. Tandem, ut supra diximus, a sæpedicto Yveno vix impetrata licentia, Dei et B. Agathæ oratorium pariter cum suis ingressa est. Illis vero ante BB. Petri et Pauli capellam stantibus et orantibus devotissime, ecce duo teterrimi et ingentes ad modum asini canes, ante illorum præsentiam subito apparuere : quibus de diabolica visione stupefactis ac tremefactis, unusquisque in frontem vexillum sanctæ Crucis protinus sibi impressit, et extemplo tetri dæmones nusquam comparuere. Tunc dæmoniacæ custodibus totam noctem pro tanto terrore insomnem ducentibus, mane facto, religiosus quidam monachus, tunc temporis sanctarum Reliquiarum reverentissimus custos, more solito pietate ductus, nimium miserrimæ mulieri compassus est, atque eam, ut parentes postulaverant, sub beatissimæ F Martyris capsam benignissime admisit, gloriosissimum Virginis caput a loculo reverenter extrahens, super sæpenominatam infirmam diutissime tenuit, suppliciter orans omnipotentem Deum, quatenus meritis et precibus Martyris suæ eam a dæmonio solita pietate liberare dignaretur. Cumque prædictus vir venerandus orationi instantissime instaret, refuga spiritus, qui omnipotentis Dei creaturam invaserat, atque sævissime vexabat, confestim ululans cum ingenti stridore exprimere ex liquido ausus est : Aufer, aufer Agathen canem; recolo enim, quod ante sui corpusculi depositionem eam instantissime tentaverim, ideoque a compluribus, quos suis peccatis exigentibus vexare permissum est, huc ad sua suffragia concurrentibus me violenter expellere non desistit. Sed firmissime scio, quod ab hoc evasurus corpore precibus suis violentius expellar.

*a*

*energumena Catanam adducitur.*

*dæmones canum specie apparent, et Crucis signo fugantur.*

*dæmon in obsessa Reliquiis S. Agathæ admotis torquetur*

8 Hæc immundo spiritu clamante, contigit illum, qui hoc miraculum ad posteritatis memoriam conscribere satagit, orationis gratia oratorium B. Agathæ devotissime ingredi, atque universa hæc sub testimonio Dei dixit, quia verum dixit, seriatim auribus

A auribus propriis, apertissimeque audisse. Tunc ille nequaquam mulieris, sed sævissimi dæmonis fore balbutientia verba protinus intelligens, eum per Patrem et Filium et Spiritum sanctum fortiter exorcizavit, quatenus nomen suum sub omni celeritate significaret. Tunc ipse audito tanto nomine, quia silere minime audebat, Æthiopem se vocari plane respondit. Sed quia, ut prædiximus, a sæpenominatis custodibus audierat, quod in præcedenti nocte duo teterrimi canes ante illorum præsentiam subito apparuerant, attentius dæmonem consuluit, ut extemplo, licet mendax, et mendacii pater, tamen diceret utrum maligni spiritus serotini canes fuissent, qui apparuerant. Tunc ille versipellis sodales suos eos fore liquido est confessus, subjunxitque, quod unus Sathan, alter illorum Persecutor nuncuparetur. Rursum illum studiosius inquirens, quam potestatem ipse, et collegæ sui haberent; illico nullam aliam potestatem se habere respondit, nisi zizanias et discordias Fratribus interserere. Prædicti vero socii mei longe ferociores, potentioresque sunt; illi namque cujusdam Falatoli Burgensis, qui Michaetus cognominabatur, sævissima nece animam extorsere. Statimque dæmoniacæ sæpenominati custodes, quod B a diabolo referebatur, recognoscentes penitus certissimum esse professi sunt.

*a Blandino scriptore de quibusdam interrogatur*

9 Tunc sæpedictus Yvenus una cum sanctis Fratribus, qui apud Cataniam degunt, inæstimabiliter admirans, sacratissimas Reliquias Apostolorum Principum Petri et Pauli, ac sacratissimi Silvestri, a quibusdam religiosis Fratribus super dæmoniacam cum ingenti reverentia afferri jussit, cumque super eam delatæ forent, extemplo refuga spiritus, beatissimi Apostoli Petri omnino silentio habito, vociferari cœpit: Tolle, tolle procul Paulum atque Silvestrum, nam me acerrime incendunt. Statimque universi Fratres ac Clerici et populus, qui circum aderant, nimio terrore stupefacti de diaboli dictis, ultra quam dici potest admirati sunt. Illum vero instanter nobis lacessentibus, ut cujus Reliquiæ essent, exprimeretur, nullatenus se ausum de prædictis B. Petri Reliquiis vel modice fari, liquido respondit; quod si forte præsumeret, ejus princeps atrocissime illum inde verberaret. Ideoque universitatem vestram multis precibus flagito, ut me deinceps numquam amplius super hoc conveniatis, potius autem hanc miseram crudelissime vexare sinatis. Quidam autem de circumstantibus, maligni spiritus precibus non C acquiescentes, imo magis ac magis eum instantius conjurantes, ut e vestigio promeret, quo possesso et defatigato vase expulsus iturus esset; ille clara voce confestim respondit, quod ad puellam quamdam, quæ Marocta nuncupabatur, apud memoratum Palatiolum commorantem, convolaturus foret, eamque sub omni celeritate atrocissime afficeret. Cumque instantius illum inquirerent, liquido respondens ait: Sine ullo scrupulo hoc ventura est, meritis et precibus hujus Virginis continuo liberanda. Mira res, et inaudita: supradicta dæmoniaca omnipotentis Dei nutu, ac beatissimæ Virginis et Martyris adminiculo, cunctis qui aderant cernentibus, a dæmonio liberata est.

*S. Petrum nominare recusat*

*ex obsesso pellitur*

10 Post anni nimirum circulum, quemadmodum refuga spiritus prædixerat, sæpe puella prædicta, nomine Marocta, maligno spiritu plena, una cum parentibus suis ad B. Agathæ oratorium properavit, atque pro Dei misericordia, hora qua religiosissimi Fratres Missarum solennia suppliciter celebrant, e vestigio a dæmonio liberata est. Tunc passim Catanienses Fratres propter puellæ miseræ liberationem nimium exultantes, immensas grates omnipotenti Deo, a quo universa bona procedunt, simulque B. Agathæ, devotissime reddidere, ac signa cum ingenti jubilo concrepuere, ad laudem et honorem Domini nostri Jesu Christi, cui sit decus et jubilatio, D tripudium et exultatio, nunc et semper et per immortalia secula seculorum. Amen.

*post annum ex alia.*

*AUCTORE BLANDINO MONACHO.*

a *Hic esse videtur, cujus apud Pirrum per 1 solam expressum est nomen; ipse ab aliquibus* Julianum, *ab pluribus* Joannem *exponi tradit: fuit autem Maurilii successor*

# SYLLOGE
## MISCELLANEORUM MIRACULORUM
# S. AGATHÆ.

J. B.

## CAPUT I.

### *Spiritualia S. Agathæ beneficia: martyrium prædictum, felix obitus etc.*

*Præter illa quæ modo commemorata sunt, exstant alia plurima S. Agathæ, tum in civitates populosque universos, tum in singulos mortales, beneficia. Delibare aliqua lubet: atque ea primum, quæ ad animarum præcipue spectant salutem, inculcatamque vel divinitus impetratam virtutis perseverantiam. Aliquot hoc in genere exempla proferemus. Primum est S. Luciæ Virgini atque Eutychiæ matri ejus exhibitum, quod ita in Actis illius narratur.*

*Beneficia spiritualia S. Agathæ,*

E 2 Cum per universam Siciliæ provinciam beatissimæ Agathæ fama crebresceret, et Syracusanus populus per millia quinquaginta ad urbem Cataniensium sitienter pergeret, ad sepulchrum S. Agathæ Virginis venerandum, contigit Luciam venerabilem Virginem, nobilissimam Syracusanorum, simul pergere, festivitatis gratia invitante, cum matre Eutychia, quæ annis quatuor fluxum sanguinis patiebatur, et nullo poterat medicorum remedio liberari. Igitur dum processionis mysteria agerentur, hæc Evangelii lectio fuit recitata, qua legitur tactu fimbriæ vestimenti Christi mulier a sanguinis fluxu sanata. Et dum hæc lectio recitaretur, dixit S. Lucia matri suæ: Si credis, mater, his quæ leguntur, crede Agathen passam pro Christi nomine, hoc meruisse ut semper in præsenti habeat eum pro cujus nomine passa est. Continge ergo sepulchrum ejus, et liberaberis.

*Apparet S. Luciæ,*

*Matth. 9*

3 Igitur cum peractis omnibus populus abscessisset, prostraverunt se ante sepulchrum ejus mater et filia, et cœperunt lacrymis flagitare suffragium. Interea dum orationis prolixitas tenditur, somnum Lucia Virgo arripuit, et vidit in somno B. Agathen in medio Angelorum gemmis ornatam stantem, et dicentem: Soror mea Lucia, Virgo Deo devota, quid F a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo? Nam et matri tuæ fides tua subvenit, et ecce salvata est. Et sicut per me Cataniensium civitas sublimatur a Christo, ita per te Syracusana civitas decoratur a Domino: quia jucundum Christo in tua virginitate habitaculum præparasti. His auditis expergefacta surrexit tremens, et ait matri suæ: Mater mea, ecce salva facta es. Per ipsam te deprecor, quæ te salvavit suis orationibus, ne tu mihi aliquando sponsum in terris nomines, nec velis de corporis mei posteritate fructum mortalitatis inquirere; sed omnia quæ mihi eunti ad corruptionis meæ auctorem, hominem moriturum, eras datura, da mihi eunti ad integritatis meæ auctorem Dominum Jesum Christum.

*post orationem ad ejus sepulchrum dormienti,*

*denuntiatque sanitatem matris,*

*et ipsi eventura,*

*et accendit amore virginitatis*

4 *Integra S. Luciæ Acta dabimus* XIII *Decembris, quæque Alcuino metro, parum licet polito, edidit Sigebertus Gemblacensis, superius citatu. Narrat eamdem S. Agathæ apparitionem atque Eutychiæ curationem S. Althelmus in libro de laude Virginum cap. 33. deque laudibus virginitatis cap. 23. Meminit et Maurolycus in Martyrologio his verbis:* Hujus sepulchrum magna Siculorum frequentia veneratur: ad quod veniens Lucia, Syracusana Virgo, sanitatem Eutychiæ matri precibus impetravit. *Eadem habet Canisius,*

A *sius, aliique. Amplificat, more solito, rem gestam Paulus Æmilius Sanctorius, istaque addit inter cetera :* Luciam, Agathæ ædem ingressam, recordatione fortitudinis rerumque gestarum, ingens invasit ardor, cum martyrii cupidine : mox contemplata Virginis corpus, crudas mammas, effulgentemque manum, uberrime flevit.

*auctore I. B et martyrii :*

5 *Alium ad lauream martyrii promerendam vel vocavit vel animavit S. Agatha, Dignam Cordubensem Virginem anno Chr.* DCCCLIII. *Ejus certamen scripsit S. Eulogius lib. 3 Memorialis Sanctorum cap. 8. Hic delibanda quæ ad S. Agatham pertinent :* Cum dies illa, *inquit,* maximum cursus sui explens metabulum, jam pene in horam nonam divergeret; Virgo quædam adolescentula, merito et nomine Digna, ex collegio venerabilis Elisabeth, cujus rationem liber secundus edisserit, Deo revelante et confortante ad palmam processit. Paullo namque ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt puellam habitu et specie percomptam Angelica, rosas et lilia manu gestantem. Quam cum de nomine caussaque sui exploraret adventus : Ego sum, inquit, Agatha, olim propter Christum diris attrita suppliciis; et nunc veni partem tibi purpurei muneris hujus conferre.

*apparet S. Dignæ*

*et prædicit martyrium :*

B Accipe libens donarium, et viriliter age in Domino: nam et reliquias rosarum et liliorum, quas in manibus servo, post te ex hoc loco datura sum migraturis. Tali denique Virgo sacratissima visu ac munere illustrata, cum e dextera colloquentis rosam susciperet, auris admixta cælestibus ab oculis intuentis elevabatur. *Cetera dabimus* XIV *Junii, quo colitur* S. Digna. *Monacha ea fuit, ut hic innuitur, in cœnobio quod Elisabeth conjuxque ejus Jeremias fundarant; ac duplex quidem, alterum viris, feminis alterum, ut idem scribit Eulogius, lib. 2 cap. 2, ad* Tabanos viculum, in partibus Aquilonis inter prærupta montium et condensa silvarum, septenis ab urbe (*Corduba*) milliaribus distantem : *cujus jam nullum extare vestigium testatur Ambrosius Morales.*

6 *Minus plerumque horroris, sæpenumero molestiæ plus, quam martyrium habet diuturna ægritudo. Quæ hic Dignam ad martyrium generose rapessendum, eadem Christianum monachum Heisterbacensem Ordinis Cisterciensis ad constanter perferendas morbi ærumnas hortata est S. Agatha, diemque obitus, licet obscure, prænuntiavit. Quod ita Cæsarius, et ipse Heisterbacensis monachus, anno* CIƆCCXXII *scripsit lib. 4 cap. 30.* Nocte quadam, *inquit,* in somnis S. Agatha Martyr

C et Virgo apparens illi, dixit : Inter ista consolatoria, Christiane, non sit tibi onerosa infirmitas hæc, quia isti LX dies reputabuntur tibi pro LX annis. Expergiscens, quia visionem intelligere non potuit, quibusdam eam revelavit. Quam quidam ita interpretati sunt, quod tantum eum purgaret a peccatis infirmitatis illius acredo, quantum LX anni in Purgatorio. Aliis videbatur, quod verius fuit, quia infirmitas illorum LX dierum, propter patientiam, esset ei pro merito LX annorum : nam in nocte S. Agathæ spiritum reddidit, qui dies fuit sexagesimus ab ea nocte qua hæc audivit. Consummatus in brevi explevit tempora multa. *Eum alii absolute* S. Christianum *indigitant, alii* Beatum, *uti diximus* IV *Februarii in catalogo Prætermissorum.*

*consolatur Christianum monachum,*

*et mortem prædicit,*

7 *Joannes Marietta lib. 12 de SS. Hispaniæ cap. 61 aliud memorat, in conventu Scalabitano, sive Santarensi, Ordinis Prædicatorum, evenisse, ut Fratre quodam* Dominico, *viro religioso, ex hydropisi decumbente, femina in valetudinarium intrarit, inque lecti ejus sponda resederit, albis induta vestibus, habitu ac specie oris corporisque supra humanam, cumque officiose consolata, abscesserit. Quo ille viso conturbatus, cum nesciret mortalem non fuisse, questus deinde est accedenti ad se uni e domesticis, patuisse aditum feminæ ad illa usque ædium*

*uti et Dominico Scalabitano,*

D *penetralia. Hic vero diligenter omnia perscrutatus, neque visum ulli quemquam externum, nedum feminam, neque patuisse fores deprehendit. Die insequenti, cum pervigilium esset S. Agathæ, vociferari æger cœpit, velle se migrare e vita quamprimum, eaque dicens exspiravit. Ex eo conjectavere, qui in illo cœtu degebant viri pii et graves, S. Agatham fuisse, quæ antea lecto ægrotantis assederat, ac tantum scilicet honorem illius impenderat virginitati, qua illibata præditum fuisse testatus est, qui hæc litteris tradidit, ejusque excipere confessiones solebat, Ægidius vir sanctus. Gesta ea sunt anno Chr.* CIƆCCLXXI. *Ita Marietta.* Dominici *hujus meminit, ac* Beatum *appellat, Leander Albertus de viris illustr. Ord. Prædic. lib. 6 fol. 261. Eumdem refert in Hagiologio Lusitan. Georgius Cardosus,* IV *Februarii, valdeque B. Agathæ cultui addictum fuisse prædicat, verum anno* CIƆCCLXII *obiisse.*

*ut pie creditum.*

8 *Aliud lubet adjungere, quod non miraculi quidem aut revelationis vim habet ac pondus, ostendit tamen quam de Sanctorum rebus gestis benigne sentire debeamus, et pietatem erga S. Agatham potest in legentium animis suscitare. Sua manu id Michael Monachus descripserat, addendum Sanctuario Capuano, si quando illud recuderetur : id porro ad nos Capua misit Sylvester Aiossa, vir humanus juxta ac doctus, ejusdem Monachi*

E *sororis filius. Ita porro ille scripserat :* Colloquebantur die quadam sanctimoniales monasterii S. Joannis Capuæ (*earum is conscientiam regebat*) de gestis sanctarum Virginum, quarum ipsæ nominibus appellabantur. Cum earum una, Victoria nomine, Agathæ Guastaferro, (quæ deinde Abbatissa fuit) minime quidem procace animo, sed inconsiderate tamen dixit : Nihil singulare admodum in S. Agathæ gestis legitur. Nam quid? acerbos quidem perpessa est cruciatus et tyranno sapienter respondit. Sed ista pleræque aliæ Virgines ac Martyres fecerunt. Evenit inde non multo post, ut quo fere tempore ad Matutinum campani æris pulsu dari signum solet, ipsa cum adhuc in lectulo esset, neque plane vigil, nec penitus somno pressa, visa sibi sit vocem cujuspiam audire, ita se compellantis : Victoria, Victoria, dicis in agone meo nihil esse magnum ac singulare : an non meministi me XXX dies apud Aphrodisiam et filias ejus esse detentam? Nec tibi id singulare videtur? His illa verbis plane experrecta surrexit, ac veniam petiit, mihique postea rem omnem exposuit. Sive autem ipsa Sancta auctore ea vel missa vox est, vel ingestum somnium, sive ex piæ illius monachæ

*Ejus Acta non magni æstimans*

*in somnis monetur*

F imaginatione ortum, valuit certe ad illius compungendum et tenera pietate emolliendum animum. Neque potest qui S. Agathæ inter illas lupas constantiam considerat, non admirans exclamare : Sicut lilium inter spinas, sic amica tua inter filias hominum, o Sancte Jesu. *Hæc pius ille vir et eruditus.*

## CAPUT II.

### *Ætnæi ignes an. Chr.* CCLII *Velo S. Agathæ repressi; id quale?*

C*elebérrima omnium fuere, quæ in refringendis propulsandisque Ætnæ incendiis cluxere S. Agathæ miracula : quippe cum non unus aliquis e populo, sed civitas universa, multaque circum oppida servata. Est Ætna Siciliæ mons, Catanæ imminens, magnitudine, atque ignibus præsertim, quibus assidue flagrat, quibusque interdum latius sparsis horribilem edit perniciem, clarior, quam ut describi a nobis aut debeat hic, aut non longe infra dignitatem possit; omnibus poetis, oratoribus, philosophis, historicis omnium ætatum memoratus; fusissime a Philippo Cluverio Siciliæ antiquæ lib. 1 cap. 8, Thoma Fazello de reb. Siculis dec. 1 lib. 2 cap. 4 Cl. Mario Aretio in Chorographia Siciliæ, Antonio Philotheo*

*Ætnæi ignes ejus ope repressi.*

A *Philotheo de Homodeis.* Montem Gibellum *nunc, vulgo* Mongibello, *accolæ nuncupant.*

10 *Ex hac igitur prorumpentes funestos ignes, patrocinio S. Agathæ sæpius depulere Catanenses, illius potissimum vela flammis torrentium modo ruentibus objecto. Ita superius Acta Latina quæ.* 3 *num.* 15. Post anni circulum, circa diem natalis ejus, mons Ætna eructavit incendium, et quasi fluvius torrens, ita ignis vehemens et saxa et terram liquefaciens, veniebat ad Catanensium civitatem. Tunc paganorum multitudo fugiens de monte descendit : et venerunt ad sepulchrum ejus, et auferentes Velum, unde erat coopertum sepulchrum ejus, statuerunt illud contra ignem venientem ad se; et ipsa hora stetit ignis divisus. *Fusius id Methodius describit cap.* 5, *et quidem Velum intra sepulchrum fuisse, texisseque virgineum corpus indicat num.* 32. Ad sanctæ Martyris sepulchrum festinantes accurrunt, preces fundunt et lacrymas : Velum, quod virginale corpus tegebat, extrahunt, bacillo in aerem extollunt : itaque armati fidentesque, grassantibus incendiis obviam prodeunt. *Metaphrastes magis ad Latina Acta accedit : καὶ ἀφελόμενοι τὸ περικείμενον περιβόλαιον τῇ λάρνακι, κατέστησαν κατέναντι τοῦ πυρός, quod ad verbum sic reddi potest :* B et auferentes circumpositum urnæ operimentum, constituerunt ex adverso ignis. *MS. Messanense pro λάρνακι habet τάφῳ* sepulchro.

*ut an. 282 Velo iis objecto,*

11 *Scribere dicitur quidam (nam cum ipsi non legimus) totum corpus Virginis oppositum ignibus fuisse, cum Veli solius et Acta vetustissima et ceteri scriptores meminerint. Ambigua tamen S. Aldelmi lib. de laude Virginum cap.* 32 *sententia est, ita scribentis :*

*non toto corpore.*

Tum Siculus cultor, flammarum fulmina cernens,
Ignibus opposuit sanctam cum corpore tumbam,
Et dicto citius sopivit damna focorum.

*aut tumba.*

*Conjectabam legendum in primo versu,* flammarum flumina, *in secundo fortassis,* de corpore grympam : *sed obstat et editum exemplar et quod penes nos est MS. vetustissimum. Alio verbo, sed sensu eodem, utitur idem Aldelmus in libro de laudibus virginitatis, ubi de S. Agatha isthæc habet :* Quin potius ut adamantinus scopulus contra illata carnificum tormenta ferro fortior induruit. Cujus rei documenta, et non fictæ veritatis indicia, Siculus indigena et Catanensis oppidi municeps concorditer adstipulantur : qui, cum Ætnæ montis incendia favillis late scintillantibus bullirent, sulfureisque flammarum globis fervida torrentum flumina in præceps currentia crepitarent, sacram C sarcophagi cymbam, qua virginale corpusculum claudebatur, quasi turris obstaculum, et muri propugnaculum, ruituris ignium imbribus opposuerunt : et mox horrendos focorum ardores obvia quæque crematuros, et liquefactas scopulorum congeries voraturos, dicto citius cum Virginis suffragio sopierunt.

12 *Sed hic quoque* grympam *scriptum fortassis ab Aldelmo; scribi certe oportuisse, quidam volunt.* Grympam *sane quidem, vel* Grympiam, *appellant Catanenses, peregrino vocabulo, ut fatentur. Eruditi quidam ab Græco γρυμπάνειν ductum volunt, quod Hesychius in Lexico interpretatur γρυποῦσθαι, συγκάμπτειν* curvare, convolvere : *quia quadruplici plicatura involutum, hastæque argenteæ appensum ostenditur ac circumfertur. Aiunt affinem Lusitanis usurpari vocem* Grimpa, *quæ alam significat e levi ferro confectam, super summa tecta locatam, cujus motu ventorum differentiæ discernuntur. Verum neque ad sacrum Velum ea significatio facit, neque ratio est cur ab Lusitania petiisse vocem eam Siculos arbitremur.*

*Velum id Grympa dictum, unde?*

13 *Est porro Velum illud (ut in observationibus MSS. Michaelis Monachi, quas ab Silvestro Aiossa accepimus, annotatum, et ab Augustino Inveges ex Petro Carrera traditum) est, inquam, Velum bysso textum,* D *quod utrimque aurei subtegminis limbus terminat ac decorat. Color ejus subobscure rubescens, qui ferme est rosæ siccæ : latitudo bipalmaris, longitudo palmorum fere sedecim. Creditur S. Agatha eo ad capitis ornamentum usa, collumque Græcarum mulierum more circumtegendum. Id Catanæ semper asservatum, principio quidem intra sepulchrum, dein crystallinæ phialæ inclusum, nunc, tenuiore serico panno tectum, insertumque sacculo tela Damascena suffulto, intra capsulam argenteam conditum.*

*quale quantumque sit?*

*AUCTORE J. B.*

*qui servetur?*

14 *Cur ab hoc potius Velo sibi petendum adversus ignes præsidium duxerint Ætnæ montis accolæ, quam ab marmorea tabella, qua id promittebatur, aliove sanctæ Virginis cimelio, caussam fuisse prædicant Catanenses, itaque traditum a majoribus; quia cum in vivis carbonibus volutaretur Virgo, illæsum ab iis velum permansisse animadverterant. At nescio an credibile sit, velo amictam, aut alia tectam veste, ab impurissimis carnificibus in hoc pertractam esse tormentum.*

*cur id adhibitum?*

15. *Narrant iidem Catanenses, Velum illud fuisse candidissimum, sed in quo diximus tormento ab igne ruborem illum subfuscum duxisse : nam picturas in veteri æde S. Agathæ spectari, quæ in carbonibus jacentem alboque tectam velo exhibent : sed et alias in Cathedrali basilica, in quibus candidum etiam velum Ætnæis ignibus objicitur. Non igitur colorem jam mutarat in carbonibus. Verum neque antiquæ sunt hæ picturæ, et fuit earum auctoribus, quæ omnibus vulgo pictoribus est, audendi quidlibet potestas.* E

*an olim album fuerit?*

## CAPUT III.

### *Ætnæi ignes per S. Agatham repressi, seculo* XII, XIV, XV.

F*uit omni deinceps ætate in hoc Velo reposita Catanensibus spes præsidii adversus funesta illa Ætnæ incendia. Quæ tamen sub Romanorum Græcorumque imperio extiterint seu prodigia montis seu Divæ miracula; quæ sub dominatu Saracenorum, ac deinceps, vel non sunt litterarum monumentis consignata, vel deinde interciderunt, ad nostram certe notitiam necdum pervenerunt. Prædicat tamen de ea universim S. Methodius cap.* 1 *num.* 2 continuis tempestatibus eam in manu habuisse miraculorum potestatem et efficientiam, *id est, sex fere post suum martyrium seculis, quando vixisse Methodium antea diximus. Menæa quoque tum ignem Ætnæum propulsatum, tum curationes quamplurimas ab ejus sepulchro fluvii instar promanantes celebrant, his verbis : Ὅρμημα ἀνένδεκτον πυρὸς ἐνθαίου (malim legere Αἰτναίου) ἀνέστειλας ταῖς εὐχαῖς, ἀγαθώνυμε, καὶ πόλιν διέσωσας τὸ σεπτόν σου, Μάρτυς, λείψανον τιμῶσαν, ἐξ οὗ τρυγᾷ τοὺς ποταμοὺς τῶν ἰαμάτων ἐν θείῳ πνεύματι. ἐν ταύτῃ γὰρ ἀθλήσασα, τὸν δυσμενῆ ἐταπείνωσας, καὶ τῆς νίκης τὸν στέφανον ἐκομίσω, πανεύφημε.* Impetum effrænatum ignis Ætnæi repressisti tuis precibus, o bono insignita nomine, et urbem servasti sanctas tuas, o Martyr, reliquias honorantem, e quibus illa fluvios colligit curationum in Divino Spiritu : in ea enim certamine suscepto hostem prostravisti, et victoriæ coronam recepisti, o undique celebratissima!

*Plurima per S. Agatham fiunt miracula,*

*Catanæ præsertim;*

17 *Enumerant Fazellus, Philotheus, Pirrus, et in MSS. Observationibus Monachus aliquot Ætnæ incendia, Velo S. Agathæ, vel ne Catanensi civitati nocerent depulsa, vel quæ improvisa illapsa erant, ne omnia absumerent, coercita. Nam etiam in horribili illa strage, quæ contigit anno* CIƆCLXIX, *(non* CIƆCLXXIX, *ut Philotheus scribit, aut ut alii* CIƆCLXXIII, *atque Cl. Marius Aretius* CIƆCLXV) *quibusdam Velum illud saluti fuit. Stragem ipsam ita breviter narrat Fazellus :* Anno salutis CIƆCLXIX pridie Non. Februarii, regnante Guilelmo II, Ætna plus solito sæviit. Rupibus namque ingentibus agroque Catanensi combustis, terræmotu

*quæ an. 1169 terræmotu eversa,*

motu suo Catanensium fines atque adeo urbem labefactavit, ut basilica corruens Episcopum una cum Clero et populo oppresserit. *Erat tunc Catanæ Episcopus* Joannes de Agello. *Hugo Falcandus, qui tunc in Sicilia vivebat, scribit viros ac mulieres ad* XV *millia oppressos. Antonius Philotheus addit :* Et nisi velo Virginis Agathæ, qui supererant, se tutati essent, actum esset de illis, furentibus et perstrepentibus undique flammis. *At Falcandus, et quod Pirrus recitat de ea strage vetustum carmen, Ætnæi ignis tunc Catanam perlati non meminerunt, sed solius terræmotus, uti et Marius Aretius.*

*multis per S. Agathæ servatis, incertum an etiam ab igne.*

*28 Junii 1329 incens. Ætnæ incendium,*

18 *Deìn anno salutis, inquit idem Fazellus,* CIↃCCCXXIX IV *Calend.* Julii, Frederico hujus nominis secundo Siciliæ Rege rerum potiente, cum per plures annos absque igne et fumo fuisset, hora diei XXIII, repente contremuit ac tonare cœpit. Mox e montis latere, quod Orientem respicit, in rupe, quæ Muscarra tunc dicebatur, nivibus eo tempore obsita, aperto novo hiatu ignis erupit : quem accrescente vespera, inscenti candente globi ac avulsa montis viscera, liquefactique saxorum orbes, velut torrens, per declivia et subjecta loca grassantes, obvia quæque absumebant..... Ejusdem Julii Idibus circa solis occasum, juxta Muscarram rupem, ac templum Divi Joannis Paparometta cognominatum, ex inferiori montis parte ex improviso hiatus alter, ac paullo post in eodem agro duo alii sunt aperti, ea vi ac violentia, ut ex quatuor his hiatibus, parvo inter se intervallo dissitis, ingentium lapidum congeries una ege ta profundas valles et ne........ in montes arduos extulerunt. Fluebat enim ex quadruplici illa voragine rivus igneus instar metallorum ex fornace liquentium, occurrentem tellurem et ingentia saxa ac arbores quæcumque non solum comburens, sed absumens : terraque ipsa, quæ paullo ante calcabatur, incanduit, ac velut spumas aquarum ad scopulos e fluctibus elisarum, hæc instar excrescentis fluminis profluvio igneo inundata ac dispersa est. Postquam vero igneus torrens diu multumque per plura montis spatia evagatus est, tribus tandem alveis sese divisit : quorum duo Orientem versus ad Aci usque loca littori propinqua plures dies decurrerunt : tertius vero contra Catanenses meatus sedirexit. Quem, priusquam fines ipsos invasisset, Velum Divæ Agathæ a Sacerdotibus e mœnibus urbis objectum extinxit, etc. *Eadem ex Fazello memorat Chiccius, et brevius in Leonardi de Flisco Episcopi gestis Pirrus, ita concludens :* Totaque pene Catana absumpta flammis, vel motu concussa corruisset, nisi Divæ Agathæ patrocinium adfuisset. *Auctor est Philotheus,* immensa tophorum et saxorum mole Catanæos ita campos devastatos *tunc fuisse*, ut in præsentem usque diem (*scripsit autem ante centum fere annos*) agri pene omnes glarea, quam indigenæ Sciaram vulgo appellant, combustisque lapidibus referti appareant.

*et horribilius aliud 15 Julii,*

*Velo S. Agathæ Catana servata.*

19 *Aliud octuagesimo post anno desævit ab Ætna incendium, sed ipsum quoque S. Agathæ ope repressum. Quod ita memoratur tom. 3 Hispaniæ illustratæ, in Indicibus rerum ab Aragoniæ Regibus gestorum lib. 3 ad annum Christi* CIↃCCCCVIII, *his verbis :* A. D. V. Id. Novemb. secunda noctis hora Ætna maximis conquassatur terræmotibus, tantoque flagrat incendio, immensos flammarum globos eructans, ut Catanæ dies illuxisse, nubesque ac faces ardentes cœlo volitare viderentur. II M. P. supra D. Nicolai templum, quod Rendæ incolæ vocant, quinque ignei crateres XII dies continenti incendio conflagraverunt, sulphureas projicientes flammas. Cinis egestus, pruinis immixtus pene Messanam, aliquotque Brutiorum oppida obruerat : cum Blanca Regina, præstantissima fœmina, Catana non excessisset. Sed cum D. Agathæ sacro corpore mœnia perlustrarentur, Divina ope urbs tanto incendio minime conflagrasse visa est. *Hæc ibi. Erat* Blanca *Navarræ Regis filia, secunda uxor Martini Siciliæ Regis, cujus nomine, ac postea soceri Martini* II, *aliquamdiu regnum administravit.*

*iterumque an. 1408 9 Novem.*

*corpore per mœnia gestato*

20 *Hoc populsati restinctique ignis miraculum ita a Matthæo Silvagio consignatum litteris accepimus; nam ipsos ejus commentarios non vidimus :* Item reperitur, *inquit,* in Chronicis S. Mariæ de Licodia : *quod est Catanense monasterium ad Ætnæ radices situm.* In nomine Domini et individuæ sanctæ Trinitatis. Noveritis, quod anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi CIↃCCCCVIII, regnante in Sicilia Rege Martino et Blanca, accidit quod die Veneris, IX Novembris... et propter hoc incendium diu noctuque non cessabant facere processiones cum Reliquiis S. Agathæ. Et tunc Episcopus Catanensis, qui tunc præsens erat in civitate, cum maxima multitudine populorum pedestrium et discalceatorum fundentium lacrymas, accessit, et asportavit usque ad locum ignis Velum et mamillam beatæ Virginis Agathæ ; qui locus distabat a prædicta civitate per spatium XII mill. Et ab illo die in antea prædictus ignis non fuit ausus venire adversus civitatem.

*velo et mamilla extra urbem.*

21 Anno deinceps salutis CIↃCCCCXLIV, *inquit Fazellus,* iterum Ætna terribili ignium ejaculatione Catanam versus cum iter arripuisset, Petrus Hierenæus Panormitanus Ordinis Prædicatorum, magna vir pietate, cum Cleri populique pompa, Velum Divæ Agathæ in occursum contra incendia detulit : quæ, quasi illud reverita, alio iter suum converterunt, ac vigesimo post die extincta sunt. Eo tempore et mons ipse contremuit, eoque motu e summo cacumine vastæ quædam rupes dissolutæ collapsæque vasta ruina in ipsam voraginem conciderunt. Unde hiatus ille perpetuus multo amplior est factus. *Philotheus ita paucis rem perstrinxit :* Quid de illo maximo profecto horroris et jacturæ incendio, quod anno circiter CIↃCCCCXLIII evenisse in historiis discimus, quo summum Ætnæ apicem subsedisse, ignibusque Divæ Agathæ velo obviatum fuisse, majorum monumentis apertissime constat ? *Eadem memorat Pirrus, atque hæc addit :* Prorex F. Petro Hierenæo perscripsit, ut regiis sumptibus Cathedrale templum, quod mox casurum videbatur, repararet. *Ea vel reparandi templi, vel avertendi incendii occasione, Joannes Piscis, vel Pixitellus, sive de Piscibus, Episcopus Catanensis, sacrum Divæ caput inspexit, ut supra dictum ante historiam Translationis § 6 num. 52.*

*iterum an. 1444*

*Act. SS. Ord. Præd.* 52

*...ac templum restauratum (velo usæ visitato)*

22 *Anno* CIↃCCCCXLVII *die* XXI *Septemb. ignes Ætna eructavit, ut flammarum jam torrentes decurrerent : sed eorum S. Agatha cursum stitit. Saxa aducta remansere, periculi beneficiique monumentum. Ita Monachus Cat....*

*atque an. 1447 21 Septemb.*

## CAPUT IV.

### *Ætnæi ignes seculo* XVI *sæpius per S. Agatham coerciti.*

*Ad ea nunc venimus quæ superiori nostroque hoc seculo evenerunt. De illis ita scribit Fazellus :* Hactenus itaque ab aliis accepta : jam jam quæ ipsi visu sumus assecuti, commemoremus. Ætna cum deficiente jam materia sulphurea et bituminosa, vel obstructis meatibus, nec ignem nec fumum per plures annos emitteret, accolæ ejus cacumen ascendentes, illæsi craterem etiam ipsum penetrabant. Sed inconstans hæc mansuetudo fuit : anno siquidem salutis CIↃ IↃXXXVI, IX Calend. Aprilis, flante Austro, et sole ad occasum vergente, nubes atra montis apicem operuit, et inter eam rubor enituit. Tum repente ex ipso cratere ignei torrentis vasta vis erupit ; paullatimque in modum fluminis, magno montis murmure ac terræmotu defluens Orientem versus descendit, lacumque

*torrens Ætnæ profluxerunt 24 Martii 1536*

A lacumque (cujus supra in descriptione meminimus) illapsus, magnam ibi repertam lapidum congeriem liquefecit : quæ supra Randatium oppidum præcipiti sed falcato volumine decurrens, ovium greges et animalia pleraque obviantia statim demersit. Ex eodem quoque summo montis cratere mirum ac horrendum visu profluvium igneum Occidentem versus, supra Brontem et Adranum oppida, eodem tempore effluere cœpit. Liquescentes enim lapides sulphurei ac bituminosi, vi ventorum depulsi, lento fluxu et intermisso, velut ferrum candens, decurrebant : et qui primum defluxerunt, sensim amisso calore, in priorem naturam ac materiam subnigram induresce-bant. Post rivus alter igneus descendens, non supra priorem fluebat, sed inter ipsius arenosam cutem et priorem ignem jam extinctum immiscens sese, cursum medium sibi sua vi faciebat; ita ut et cutis superior et superficies prioris æque esset dura. Qui vero ignis recens erat subterfluebat instar testudinis, quæ sub testa dura vivens, lente tamen graditur. Ita fluenta, quæ prius induruerant, novis cedebant, a quibus in partes disjiciebantur. Novissimis itaque B semper vincentibus, multiplicabatur incendium ad latitudinem stadii unius, profunditatemque cubitorum circiter XII. Cumque totum refixisset profluvium, lapidum molarium congeriem ab ore crateris ad terminum usque fluxus subnigram recens eructatam perpetuo reliquit. Ita lapides ipsi in eodem colore perseverant, quo defluxerant; sed quo recentiores, eo nigriores et firmiores : processu enim ævi et pallescunt et in arenas resolvuntur. Erat autem profluvii materia sulphurea et bitumine mixta. *Dein narrat, ut eversum terræmotu sit ignibusque obrutum S. Leonis templum; hæcque addit :* Circa eadem quoque loca, ad montis latera, terra dehiscente, plerique hiatus sunt perrupti. Ex quibus et fluenta ignea, et innumeri igniti lapides veluti tormento excussi, præmisso prius fremitu, in cœlum emittebantur, *etc.*

*idque multiplex,*

*et iisdem locis repetitum,*

*quam altum et latum?*

24 *Non meminit hic quidem Fazellus præsidii ab S. Agatha impensi Catanensibus suis; eo tamen præcipue immunes fuisse ostendit Pirrus, ita scribens :* Anno CIↃ IↃXXXVI quadragesimali tempore F. Bernardinus Rheginus, cognomento Georgius, unus e primis novæ Capucinorum congregationi adjunctus, vir sancti-C tate et animarum salutis zelo illustris, Catanæ ad populum verba faciens, alterius Jonæ instar, in illius civitatis vitia acerrime invectus est. Divino mox Spiritu correptus, hæc protulit verba : Audi, Catana, quæ tot tantisque vitiis involveris, audi misera et expergiscere. Ecce veniet super te malum, et nescies ortum ejus : irruet super te calamitas, quam non poteris expiare : veniet super te miseria, quam nescies. At quænam ea sit ignoras? Ecce, insperato erumpent ab hoc monte (Ætnam extenso digito indicabat, ad cujus radices urbs ea sita est) flammæ tuorum scelerum ultrices, quæ usque ad portas venient, teque usque ad fundamenta exurent, devorabunt; ac supremam tibi vastitatem afferent; nisi pœnitentiæ lacrymis, ac imploratis B. Agathæ suffragiis, Divini furoris flammas extinguas. *Hæc Pirrus ex Annalibus Capucinorum, quæ ipse ad hujus anni incendia refert; ad sequentis annalium scriptor.*

*a Catana depulsum ope S. Agathæ*

*prædictum a Bernardino Rhegino Capucino*

*in ultionem scelerum immittendum*

25 *Antonius Philotheus (quo, ut ipsemet scribit,* apud Catinam, clarissimam Siciliæ civitatem, litterarum disciplinis incumbente, *Ætnæum illud incendium contigit) fatetur quidem an.* CIↃ IↃ XXXVI *cum horribili terræmotu hiatum montis, diu jam obstructum, subito patuisse; sed pridie Cœnæ Domini aut contigisse, quæ nota temporis in eum annum non quadrat, est tamen ejusmodi ut post annorum aliquot intervallum scribenti magis ejus memoriæ inhærere quam Æræ Christianæ numerus potuerit, ac vulgo soleat : sæpe enim meminimus, exempli gratia, tremuisse terram feria quarta* D *sanctioris hebdomadæ, ventos immensum toto Belgio stragem edidisse feria secunda Paschæ, neque continuo succurrit, vel hoc anno Christi* CIↃ IↃC VI *vel illud* CIↃ IↃCXL *accidisse, nisi aut calculos Paschales consulamus, aut alia temporum signa revolvamus animo. Est tamen apud eum in diei designatione aut mendum aut confusio : nam* ad Martii decimum Calendarum, fastigium *Ætnæ* ad duo circiter millia passuum depressum corruisse *scribit; ac paullo post ait,* diem illum octavum, ante lucem Cœnæ Domini nostri Jesu Christi, Jovis scilicet ante Resurrectionis sacratissimum Paschatis diem festum *fuisse. Anno certe* CIↃ IↃXXXVI *Pascha fuit* XVI *Aprilis, anno* CIↃ IↃXXXVII, I *Aprilis, neutro igitur feria quarta præcedens potuit in* VIII *vel* X *Kalendas incidere. Suspicor utrobique* IX Kalendas *scripsisse, uti et habet Fazellus, in anno tamen discrepans. Porro anno* CIↃ IↃXXXV *Pascha incidit in* XXVIII *Martii, sive* V *Kalend. Aprilis, feria quarta præcedens in* IX *Kalendas April. sive* XXIV *Martii. Sed hæc de tempore.*

*arcidit feria 4 sanctæ hebdomadæ,*

AUCTORE I. B.

*an non ergo 1535?*

26 *Patheticе incendium, et quæ illud dederit damna, describit Philotheus, sed consentientia fere iis quæ sunt ex Fazello relata commemorat. De remedio ab S. Aga-* E *tha petito isthæc habet :* Præsentibus itaque calamitatibus, (*nocte inter diem Martii* XXIV *et* XXV) nemo ex tanta civitatis turba repertus est, mas sive fœmina, senex vel juvenis sive adolescens, liber aut servus, quin etiam pueri, ac moniales Deo velatæ, claustrisque obseratæ, qui quæve nocte illa, sub flammis pene, per civitatis compita procurrentes, in Divæ Agathæ templum (hoc erat urbis primarium) ad salutem indagandam, non se turmatim reciperent : indeque longo patrum ceterorumque ordine, corporibus etiam pubetenus, aut pedibus saltem, denudatis, (quorum unus ipse fui) ad miraculis clarum Deiparæ Virginis Mariæ Carmelitarum cœnobium, Annuntiatæ sacrum, extra civitatis muros, post Stesichori portam, (facis hodie) fundatum, maxima cum veneratione religioseque non accederent, sua, ut poterant, confitentes peccata, ac Deo Opt. Max. animas commendantes. Idque magis quod esset dies ille octavus, ante lucem Cœnæ Domini nostri Jesu Christi, Jovis scilicet ante Resurrectionis sacratissimum Paschatis diem festum. Quo factum est, ut inimicorum inter se multitudo, privatis explosis odiis, vetustisque inimicitiis posthabitis, in verum unani-F memque concordiam et pacem rectam coiret, suadente præsertim Stephano Bolano, Prædicatorum Ordinis Dominicano, Theologo non utique spernendo, summæ exemplo et verbo religionis viro; ac Nicolao Nicosiensi Minorum Ordinis Franciscano; cujus id tunc munus erat, verbum populo Catinensi Evangelicum concionandi, cujus etiam persuasione, pia opera quamplurima, ad Christi gloriam, optimum sunt sortita effectum.

*magna tunc Catanæ omnium consternatio,*

*ardor pœnitentiæ,*

*dissidentium reconciliatio,*

*suadentibus cum Concionatoribus :*

27 *Multis deinde interjectis, subdit idem scriptor :* Catinenses ceterique Ætnæi turmatim coeuntes, nimio præ terrore, contra ignis profluvium iter devote faciunt; Canonicis (quorum utpote Vexillarius Bartholomæus Monsonus, vir sanæ probatæ vitæ) Divæ Agathæ Martyris deferentibus Velum, quod Grimpiam Divæ Agathæ ipsi vocant; quippe quod in sepulchro ejusdem repertum est. Verum enimvero, quo in loco ita religiose perventum est, (mirum quidem et solius Dei Opt. Max. voluntate, intercedente pro patria Virgine Agatha) ea tota ignis congeries, cunctos campos vastatura, nec civitati intra muros parsura quidem, ni resedisset, ad sanctissimæ Crucis signum, velo illo factum, constitit, adeoque refrixit, ut pedibus etiam nudis (ut ipsi vidimus) desuper illæsis deambularetur. Quisnam mortalium voces ibi adstantium? Quis præ lætitia lacrymas ululatusve? Quis illorum, hoc viso miraculo, clamores ad æthera

*velo S. Agath. subito restinctum incendium,*

A æthera sublatos referre posset? Testor equidem, attestorque Deum, ipse ego oppressis tremore spiritibus deficiens corruebam in terram quasi moriturus, nisi amicus quidam, Laurentius de Deo, Catinensis, condiscipulus meus, inter brachia me sublatum substulisset, aquaque adspersum frigidissima, me exhalare spiritumque vitalem haurire fecisset, mirantibus aliis.

*A. Sc. Turr. 7. 11*

28 *Ac post pauca :* Incendia hæc intermissis plane temporibus totum usque in annum CIƆ IƆXXXVII fumo, terræmotu et fragore perdurarunt. *Inde factum fortassis, ut eo, quæque in ipsis sopiendis evenere miracula, non omnes ad eumdem referant annum. De sequenti anno ita scribit Fazellus*. Anno namque salutis CIƆ IƆXXXVII, Calendis Maii, Sicilia tota diebus ferme XII tonare cœpit : crebrique sonitus ac ingentes, quales ex tormentorum bellicorum ictibus edi solent, et graviores quoque, non solum Catanæ et vicinis agris, sed Panormi quoque...., et tota prope insula sunt auditi. E quibus parvo terræmotu facto, domorum concussa tecta simul et parietes nutabant.... Hi igitur sonitus mugitusque cum increbrescerent, III Id. Maii in Ætna, sub colle quem incolæ Sparverium vocant, hiatus quidam insoliti sunt aperti : e quibus B tanta ejusdem materiæ igneæ moles est egesta, ut quatriduo XV P. M. iter conficiens, obvia quæque sternendo exusserit, ac ad cœnobium usque D. Nicolai de Arenis defluxerit : ubi conglobatus, monasterio intacto, Nicolosum et Mompelerium pagos adortus, plures eorum domos exussit obruitque. Terræmotu quoque frequenti Catana et vicinæ urbes adeo sunt convulsæ, ut cives relictis urbibus ad campestria salutem sibi quæsierint. At Clerus et populus Catanensis cum incendia P. M. fere XII vicina, ac ocyus ad sese deferri prospicerent, ad aras D. Agathæ profugientes, Velum protulerunt : quo eminus porrecto, ignis constitit, ac mox sedatus est, et Ætna tonare desiit.

*sæpius renovatum,*

*in 13 Maii, 1537*

*sed eodem velo repressum,*

29 *Amplificat hæc scriptor annalium Capucinorum in hunc modum :* Ignis domibus, agris, et quæcumque inter montem et civitatem interjacebant, incendio devastatis, jam ad urbis portam pertigerat : cum opposito illi B. Agathæ velo, populoque universo ad pœnitentiam converso, piisque clamoribus ad Deum ac B. Agatham personante, stetit, Deo imperante, incendium, neque ulterius prosiliens, ibi fluctus igneos confregit ac penitus extinxit. *Fazelli, Philothei, Pirri, quippe Siculorum, potior fides : et vivebant* C *tunc quidem priores duo. Pirrus ista addit : Catanenses cum D. Agathæ Velo,* quo maxime fervebat igneus fluvius, ire pergunt. Mirum dictu : vix in ignis conspectum venerat, cum ille derepente sistitur, quamvis altius excresceret intumescens affluente ignea materia : sed mox tonare desiit Ætna, ac flammas evomere : quæ vero egestæ fuerant, in silices ferrugineos obduruerunt.

*mox ubi in conspectum venit :*

30 *Eodem anno* CIƆ IƆXXXVII (*licet quidam ad præcedentem referant*) *Mompileri ita repressum sacri Veli objectu incendium ex loci ejusdem annalibus ad nos Catanam perscriptum est. Distat* Mompilerum, (*Philotheo teste* perjucundus pagus, *quem alii* Montempilerium *vocant*) X *M. P. Catana, servatque æternum Victricis Agathæ monumentum.* Eo jam Ætnæi ignis torrens accesserat, et vero domunculas aliquot combusserat, temploque maximo, Virgini annuntiatæ sacro, appropinquarat, nec non parietem, cui altare adjunctum erat, liquefecerat, pergebatque porro, totam ædem absumpturus. Ecce autem Divæ Agathæ Velum ad Mompilerium magna cum celeritate et frequentia importatur : quod statim atque ad ædis januam incendio adversam pervenit (mirum visu) igneus torrens, Agathæ numen reveritus, illico constitit, et in saxum induruit; quod deinde, ne altari impedimento esset, partim resecandum fuit, D atque incendia in seipsis, non alia materia, tantum miraculum incisum posteris in æternum reservarunt.

*ubi et in templo Mompileriensi*

31 *Hæc inde, atque ista de eodem miraculo ex Matthæo Silvagio, qui tunc Catanæ fuit, sed ejus scripta necdum vidimus.* Tunc ignis, *inquit*, ad eorum matrem ecclesiam devenerat, et titulum ex ignis impetu jam corruerat. O stupendum cunctis gentibus miraculum! Velo igitur in navi ipsius matricis Ecclesiæ ingresso, B. Agathæ meritis, globorum ignitorum saxorumque moles ad navim prædictæ ecclesiæ minime pertransiit; sed tumor erigebatur lapidum, alibi divertens cursum. Ecce vero renovatum in Arca Testamenti miraculum, cum hoc tantum discrimen intervenerit, quod ibi aqua Jordanis perfluens, hic Ætnæ ignis, ne templo quidem sacro parcens, constiterit. *Ita ille.*

*cœpto jam absumi.*

32 *Michael Monachus in MSS. Observationibus, ex Carrera fortassis, nonnulla ab his omissa narrat, in hunc modum : Annuente Episcopi Vicario, prolatum est, sub horam precum matutinarum, sanctum Velum, comitante Clero et cunctis Religiosorum congregationibus, innumera civium multitudine prosequente, quorum plurimi luminaria gestabant, saccis amicti multi, nonnulli nudis pedibus incedebant. Ita ad Mompilerium est* E *ventum, ubi comploratio ingens erat omnis generis hominum, querentium sibi domos, vineas, possessiones ceteras incendio absumptas; reliquum esse nihil, nisi quantum humeris asportare quisque potuerat : matres parvulos liberos complexæ ulnis, ne ubi deponerent quidem tantisper, habebant, igne omnia pervadente, quippe qui et ad matricem ecclesiam jam pervenerat, partemque ejus subruerat. Mirandum autem prodigium! Illato in ejusdem ecclesiæ navim Velo, nihil deinceps in eam navim ignitorum globorum invectum; sed aggeri primum in tumulos, mox alio divertere cursum, ac tenuius fluere, demum neque e novis, quos diximus, Ætnæ crateribus, projici, ut prius globi igniti. Revertit igitur Catanam populus, B. Agathæ liberatrici suæ concinens grates. Hæc anno* CIƆ IƆXXXVII *gesta.*

*quo religiose latum :*

33 *Cl. Marius Aretius in Chorographia Siciliæ, ita hoc Ætnæ incendium atque illata Mompilerio damna perstringit :* Ac denique priore anno, et hoc quoque, quo ipse scribo, millesimo quingentesimo tricesimo septimo, mense Maio, incredibilis magnitudinis igneam massam de incenso sulphure factam, ex ipsius Ætnæ novis factis crateribus prolapsam; quæ ab aere aliquantulum condensata superficie, non velociter quidem, sed passim ruebat, colles, nemora, F saxa ac rupes, pagos etiam duos (mons pagos multos continet) Mompiler unum, quem vocant, alterum vero Licolosim, combussisse vidimus *etc.*

*tum : illata ab igne damna*

34 *Aliud Ætnæ incendium memorat Roccus Pirrus his verbis :* An. CIƆ IƆLXXVIII ex Ætna monte incendium eructavit, et passibus C fluvius igneus egressus late vastabat agros : sed sacro B. Agathæ velo coercetur. *Natalis Comes histor. lib.* 30 *ad sequentem annum refert, multoque longius grassatum : Ætna, inquit,* Siciliæ mons, maximis horrendisque ignibus exarsit, cum magnis fremitibus ac motibus terræ. Nam aperti sunt quinque hiatus, unde vis maxima flammarum erupit, quæ ad decem millia passuum fere defluxerunt in morem fluminis, cum maxima arborum fructiferarum et cultorum locorum devastatione. Ita vero alte eructabantur saxa ignita, ut quodvis acumen aspectus superarent, neque a prospectantibus ultra quoddam spatium concerni possent : quæ mox cum maximo fragore et periculo finitimorum in terram recidebant. *Hæc Natalis, qui et lib.* 17 *aliud anno* CIƆ IƆLXVI *erupisse incendium scribit, atque agrum omnem oppidi Linguægrossæ eo obrutum ac pessumdatum, Trecastagni vineas concrematas, Catanam usque defluxisse ignes, tota denique insula trepidatum.*

*Iterum an. 1578 vel 1579 coercitum sacro velo simile incendium*

## CAPUT V.

A

## CAPUT V.

*ANIMADV. PAP. 83*

### *Ætnæi ignes an.* CIↃ IↃCXXXV, *Velo S. Agathæ restincti.*

*Anno 1635 novum ex Etna profluvium*

*septifidum,*

Nostra quoque ætate, (quod enim genus calamitatis omnibus retro seculis extitit, quod nunc quoque non illatum divinitus, in scelerum ultionem, miseris mortalibus sit?) anno igitur CIↃ IↃCXXXV novus in Ætna patefactus hiatus, ignita immani mole saxa ejaculatus, simul torrentem flammeum effudit, qui in septem dein rivos partitus, ingentem late stragem dedit. Nam medii duo planitiem, quæ Roselli dicitur, estque omnium fere quæ versus Catanam ab Ætna vergunt fertilissima, depopulati: dexterior, sata, vineas, arbores depastus, Pedaræ et Trecastagnæ oppidis ruinam minabatur, cum ab hac quinque, quatuor ab illa passuum millibus abesset: trium qui sinistra fluebant, qui maximus ac longissime progressus, Iacii oppidi territorium corripuit ac vastavit.

*Velo S. Agathæ 19 Janu.*

36 Catanenses quoque ingens tam propinqui periculi metus invaserat. Hoc excitata in eorum animis pœnitentia criminum, tum adversus Tutelarem suam religio, et fiducia nanciscendi ab ea præsidii. Neque fefellit eventus. Depulsa enim Divæ Velo, ut sæpius ante, pernicies. B Id quo pacto evenerit, huc mihi Syracusis Eucharius Sartorius noster XXV Januarii nuntiavit, quod septimo ante die gestum erat, perscriptumque eo Catana ex certis et Authenticis Actis, in hanc fere sententiam.

*dicta in conspectu Missa,*

*subito restinctum,*

*pluribus locis:*

37 Indicta ad opponendum furentibus flammis sacrosanctum Velum supplicatione, processimus, nudis plerique pedibus, die XIX Januarii. Ut ad ignem ventum, oblatum Missæ sacrificium subitaria in id ara erecta, locuplete tamen apparatu: dein adhibitæ benedictiones. Mirum quanto impetu, toto tempore Missæ, liquentis metalli, aut aquæ in morem resolutus ignis, præter solitum infremuerit, seseque altare versus incitarit. Verum peractis benedictionibus, subito, omnibus inspectantibus, refrixit, induruitque in lapidem, et ne vel pedem quidem ulterius proserpsit. Hic autem erat ignis qui proprius ad Pedaram ac Trecastagnam accesserat. Medio quoque, post conceptos solemnibus verbis benedictiones, objectum est Velum: sed et is, licet incredibili fremitu contra Velum volveretur, ipsa tamen quo illud conquieverat loco, illico induruit. Idem alibi eventus. Exin reducta Catanam supplicatio: actæ sequentibus diebus gratiæ, plurimis Deo oblatis sacrificiis Missæ: fiunt nunc sumptuosi apparatus ad celebrandam Nonis Februarii anniversariam Divæ solemnitatem. Hæc Catana. C Addit Eucharius, qui Syracusis tanto ex intervallo cernebantur ignei torrentes, videri tunc desiisse, atque ordinarium dumtaxat Ætnæ craterem, e quo perpetuo ignis egeritur, conspici.

*peractis mane Divinis officiis,*

*instituta supplicatio,*

*erecta prope ignem splendida ara,*

38 Plenius aliquanto distinctiusque Carrera lib. 3 cap. 4 uti ex eo Monachus Italice descripsit: Feria sexta, inquit, die XIX Januarii, missi summo mane ab Senatu, qui eo loco, ad quem ut sanctum Velum deportaretur, decretum fuerat, altare ad Missam faciendam erigerent. Interea peracta in Cathedrali æde Divina officia sunt, multaque oblata varias ad aras sacrificia Missæ. Et quia serena et tranquilla erat aura, perducta supplicatio est ad oram planitiei, quæ Paraini dicitur, distatque Trecastagna passuum millibus sex: inde enim unus e flammeis illis torrentibus proruebat, eidem pago ac Viægrandi exitium allaturus. Huc ut pervenimus, aspeximus voracem fluvium, cujus furore absumptæ jam illic erant quercus aliquot. Vix XV ab eo passibus excitatum erat permagnificum altare, pretiosis pannis multoque argento ornatum. Locus ipse speciem præbebat ampli et elegantis theatri. Diceres artificiose efformatum a natura, ut in eo præclarum et grande aliquod rei militaris spectaculum præberetur. Neque discrepabat, qui singulis inerat sensus, minime dubiam expectan-

*Februarii T. I.*

D

*AUCTORE J. B.*

tibus victoriam ab arcano et inaspectabili conflictu, qui inter invictum Virginum Velum, rapidumque Ætnæ incendium conserendus erat.

*recitata Litania,*

*dictum sacrum,*

*habita concio,*

*ignis repressus restinctusque,*

39 Arcula, cui inclusum erat Velum, imposita altari, cœptæ decantari Litaniæ Sanctorum. Ut ad magnæ Tutelaris nostræ Agathæ invocationem est ventum, tum vero productum ex arcula Velum est, hastæque appensum. Ingens orta vociferatio et fletus circumfusæ atque in preces postratæ multitudinis. Peracta Litania, celebrata Missa est, multisque impertita Eucharistia. Inde verba ad concionem illam frequentissimam fecit e Capucinorum Ordine Sacerdos, magnumque in omnium animis sensum pietatis accendit. Dum hæc, duarum fere horarum spatio, aguntur, flammeus canalis sensim omnibus aspectantibus contrahere cursum cœpit, ac retro revolvi: eoque res majorem habuit admirationem, quod in declivi, imo et præcipiti loco fiebat. Torrens ergo præ se in petras flammeos suos vortices transmutabat, ac ripam utramque complens lapidea materie quam ejectabat, murum quemdam visus est fabricari, quo se ab sacri Veli intercluderet aspectu, in exiguum tramitem coarctatus. Erant illic mortalium non minus quinque millia.

E

*arboribus quibusdam semiustis:*

*alibi idem factum, post breviores preces.*

40 Impertita dein omnibus, sublato in altum Velo, benedictio est, illudque in arculam repositum: tum adversus alterum fluminis ignei caput, quod Pedarensium possessionibus imminebat, directa supplicatio. Dum e planitie Paraini descendimus, secundum sopiti jam torrentis ripam, quercum aspicimus, cujus truncum, cum primum veniremus, ejusdem torrentis ignis corripuerat ac depascebatur, eo jam penitus restincto, stare adhuc quidem, sed dimidia sui parte exusta. Vix mille passibus inde progressi eramus, cum nix in nos e cœlo densa cecidit, haud diu tamen, nam et gradum acceleravimus. Cum ergo in planitiem, cui ab Hedera nomen, venissemus, productum denuo Velum, hastæque affixum est, in altumque sublatum. Sed quia rursus nivem aer fundebat, solum antiphona, cujus initium est, Paganorum multitudo, cum versiculo et Oratione, recitata: eodem tamen successu; retro enim actus est fumidus vortex. Neque id tacebo, P. F. Stephanum de Salicibus, e Minorum Observantium cœtu, singulari morum integritate virum, hoc conspecto miraculo præ lætitia illacrymasse. Rubus ardebat quædam sub nostrum adventum, quam mox vidimus semiustam, sed omni jam igne carentem.

F

## CAPUT VI.

### *Res variæ, Reliquiarum S. Agathæ attactu, publice privatimque salutiferæ.*

*Res variæ attactu reliquiarum S. Agathæ salutares:*

Quæ hactenus commemorata sunt feralium flammarum prodigia, pleraque sacri Veli, quod Grympam vocant, objectu depulsa; quædam, allata in subsidium mamilla ejusdem magnæ Martyris, nonnulla ceteris ejus circum urbem Catanam religiose gestatis exuviis; nam tabula ab Angelo in tumulum ejus imposita, ac dein Cremonam delata quas ad res præsidio sit, antea diximus, cum de reliquiis ageremus. Sunt et aliæ nonnullæ res, quæ S. Agathæ reliquiarum attactu consecratæ, ad morbos sanandos ac publicas privatasque calamitates propulsandas, admirabilem vim habent: Gossypium, annuli, vela bombycina, massulæ e farina coctæ, earum fere in morem, quas e cera virgine conformatas ac solenni Pontificis Maximi comprecatione sacratas Agnos Dei vulgo appellamus, quod Agni plerisque impressa effigies sit.

*Gossypium,*

42 Et gossypium quidem Sanctæ reliquiis, ut diximus, admotum, distribui in omnem populum consuevit, salubre adversus quævis incommoda amuletum. Atque ipsas quoque Ætnæ flammas id reveritas memorant, etiam ante aliquot secula, extatque miraculi perenne monumentum.

A *monumentum. Eruperant ignei e monte torrentes, jamque ad Catanensis cujusdam coloni fructuosam cumprimis vineam magno impetu ferebantur. Quid ageret, quidve sperare auxilii posset, non inveniebat. Fugeret? at villæ servandæ cupido retinebat. Maneret? at præsens illi sibique imminere videbat exitium. Tandem hoc ei injectum divinitus consilium est. Habebat forte sacrum ejusmodi gossypium. Prius igitur quam inde abscedat, vitæque consulat, villam omnem circumcirca porrecto gossypio perlustrat, ex intervallo etiam illius particulam spinosis suspendit limitibus. Mirum visu! At quis vidit, cum, dimissa jam ante familia omni, etiam unum illum, qui tamdiu anxius substiterat, jamjamque imminens incendium abegerit? Fidem sane quidem faciunt certissima ignis vestigia. Hic enim ut ad villam accessit, sacrum illud amuletum reveritus, a præsenti gossypii munimento discriminatus est. Nec longe post, villa circuita atque indemni relicta, duo illa hinc et inde digressa igneorum amnium divortia, pariter denuo in unum alveum confluxere. Ubi autem longe lateque grassatum incendium, in saxa nigerrima, cautesque continentes conglaciatum resedit; certatim confluxere ad prodigium intuendum accolæ ac cives, sanctæque Martyris adversus tartareos hosce ignes potentiam ad cœlum extulere. Neque temporis diuturnitate abolita rei tam stupendæ memoria: stant ipsæ adhuc impendentes circum eum fundum cautes, ad memoriam posterorum gloriamque Martyris sempiternam. De hoc miraculo cecinit Petraccius antea citatus:*

*Auctore 1 II.* — *quod villæ sepibus appensum* — *eam servat,* — *igneo flumine diviso et eam circumeunte,*

B

Quam sæpe cani munere gossypi,
Quo tacta castæ membra, micantia
Auro, puellæ, damna frementibus
Cavere circum vineæ ab ignibus!

43 *Ejusdem generis est recentissimum beneficium, quod Brontis oppidi (ad montis Ætnæ radices siti, atque a Bronte Cyclope adepti nomen) incolis anno superiore* CIↃ IↃCLI *collatum est divinitus. Eruperant funesti ignes haud inde procul. Cives ad Antistitem Catanensem legarunt, qui pignus aliquod Expultricis malorum omnium Agathæ impertiri sibi adversus imminentem perniciem orarent. Misit is aliquantum sacri gossypii; nec vana fiducia: nam, (ut ipsemet iis retulit, qui hæc ad me perscripserunt) venere postmodum actum gratias, patrataque eo gossypio miracula narrarunt. Medetur idem gossypium doloribus capitis et quibuscumque aliis incommodis.*

*Brontem quoque oppidum an. 1651 tuetur,* — *et capitis dolores sanat:*

44 *Annuli quoque S. Agathæ manibus, pedibus, mamillis, aut prodigiose, qua de plura diximus, Velo* C *applicati, aut omnibus singuli, aut alteri horum, ad curandos capitis dolores, restinguenda, cum humanæ vires id nequeunt, incendia, sanandas mamillarum ægritudines, vim habent arcanam. Sane (quod est in annales hujus Domus relatum) anno* CIↃ IↃCXXXVIII, *ad aliam quamdam Brabantiæ urbem missus hinc ejusmodi annulus, quem Catana acceperamus, feminæ, cui ferali cancro altera mamilla exedebatur, opportunum remedium attulit, malo sensim evanescente. Scripsit ante* CC *fere annos Leonardus ab Utino superius citatus, plurimis adversus ejusmodi incommoda remedium a S. Agatha allatum, verba ejus sunt:* Ab inficiente infirmitate uberum innumerabiles mulieres curavit.

*uti et annuli,* — *qui et mala uberum, et incendia sistunt.*

45 *Mittuntur et Vela quædam byssina, quæ virtutem ab sanctorum membrorum Grympare attactu hauserunt, aut (cujusmodi unum hic religiose asservamus) quibus involuta aliquando sacra lipsana fuere. Exigui denique e polline panes, ad cujusque ægritudinis remedia salutares, in remotas etiam oras mitti solent. Quin et pulverem e loco ubi in testis et carbonibus volutata est Sancta, tolli ad morborum remedia, supra retulimus, Annot. d ad quæst. 3 in Latinis Actis.*

*vela quoque, et exigui panes,* — *ac pulvis*

D

## CAPUT VII.

### *Catana urbs a peste ac fame per S. Agatham liberata.*

A*b sua autem urbe, sibi, inquam, credita Catana, quod non genus calamitatis variis temporibus Agatha propulsavit? Ex Henrico Spondano, Natale Comite, aliisque scriptoribus compertum est, quam dirum in modum per universam Italiam annis* CIↃ IↃLXXV *ac duobus consequentibus grassata pestilentia sit, atque etiam Siciliam afflixerit. Nec ipsa immunis Catana fuit donec ad Agathæ Auxiliatricis patrocinium confugit. Existimatum est a Thermis Selinuntiis, quæ nunc* Sciacca, *sive* Sacca *urbs dicitur, ad Africum sita, originem mali extitisse. Nam eo appulsa navis præda Maurica onusta, visa est pestem importasse: quæ cum serpere cœpisset, ipsam quoque ita Catanam occupavit, ut tota in vastitatem abitura civitas videretur. Quid in præsenti incendio potius facerent cives ejus, quam ut ad beneficiorum inexhaustum fontem recurrerent? Educitur sacratissimum Virginis corpus e sacello suo. Numquid illa omnium ordinum frequentia comitante, quæ in aliis ejusmodi pompis adesse prope infinita consuevit? Minime vero. Sed præ contagii metu, cum religiosæ familiæ Clericorumque ordo præiret,* E *aderant magistratus atque alii quibus ad ejusmodi cæremoniam opus esset: reliqui ne adessent, publico edicto cautum erat. Sed quæ vox præconis civium pietatem inhibere potuisset, ne sanctissimæ suæ Patronæ pro patria supplicarent? Non aderant igitur illi quidem in solemni pompa; sed priusquam institueretur supplicatio, jam vel muros urbis compleverunt, vel colles extra urbem sitos occuparant.*

*Grassante Catanæ pestilentia,* — *prolatum S. Agathæ corpus,* — *populo vetito comitari,* — *e muris tamen et collibus spectante,*

47 *Ut primum e porta, quæ Acim ducit, quo Reliquiæ gestabantur, ferculum processit, quasique Agathæ ipsius vultus salutaris affulsit; omnes humi procidunt, et magno cum planctu, gemitu, lacrymis atque ululatu Divinam misericordiam implorant. Ducta pompa ad duo nosocomia, quorum alterum ad S. Antonii, alterum ad sancti Spiritus ædem, peste contactis refertum utrumque. At (quis tantum sperare ausus esset?) omnis illa jam depositorum ægrorum multitudo non sine miraculo convaluit, quasi luem sancta Martyr saluberrima aura adspirata dissipasset. Ista huc Catana scripsit Franciscus Blanditius noster, S. Agathæ promovendo honori unice devotus, qui se ea partim ab oculatis testibus audisse, partim in Bartholomæi a Paternione monachi Cassinensis, qui et ipse interfuerat, poemate, ac publicis actis in archivo senatus Catanensis asservatis legisse testatur.* F

*adita nosocomia,* — *ægri sanati,*

48 *Decretum est ab Episcopo, collegio Canonicorum et Senatu, ut quotannis publica supplicatio ad perennem gratiarum actionem habeatur. Ergo* XVI *Junii sub primas tenebras in omnibus viis urbis luculenti ignes struuntur, ad omnia vero privatarum ædium limina faces accensæ collucent. Postridie maxima religiosorum hominum ac populi frequentia, ad S. Agathæ carcerem instituitur supplicatio, atque insigni deinceps solemnitate brachium ejus aureæ thecæ inclusum per urbem circumfertur. Consignavit anniversariæ hujus celebritatis memoriam Octavius Cajetanus noster in Idea operis de Sanctis Siciliæ ad* XVII *Junii his verbis,* Catanæ supplicationes in memoriam liberatæ urbis a peste, meritis S. Agathæ Virginis et Martyris.

*decreti ignes anniversarii 16 Junii,* — *et postridie supplicatio.*

49 *Non minorem, etsi minus formidabilem, stragem Catanæ edidit anno* CIↃ IↃLXXXXI, *aeris intemperies, indeque et ex continenti trium fere annorum penuria annonæ, vulgata morborum contagio. Idem afflictæ urbi, quod adversus pestem* XV *annis ante, remedium. Productum S. Agathæ corpus, ac simul maligni aeris intemperies evanuit. Huc pertinet, quod supra retulimus Annot. c ad cap. 2 Actorum per Metaphrasten, fascinationes ac veneficia dissipari S. Agathæ patrocinio.*

*depulsi eodem modo morbi aerisque intemperies an. 1591, veneficia dissipata,*

50 *Et*

A 50 *Et quoniam de annonæ caritate sermo incidit, illud minime reticendum, quantum Catanensibus in S. Agathæ patrocinio repositum præsidii sit, ad tempestivos imbres, segetumque ubertatem. Campos habet Ca-* *sæpe imbre obtenti.*
*tana latissimos ac natura feracissimos; at quia tellus ad multum spatium in profundum patet, haudquaquam levi pluviarum aspergine contenta est, sed plenam procellarum inundationem desiderat. Contingit tamen nonnumquam, ut ejusmodi tempestates aut largiores nimbi minime progignantur, sive ob Ætnæ vapores, seu quia longe montium oppositus distant, quibus aiunt præcipue nubes foveri. Certum tunc quoque ad S. Agatham civibus suis perfugium est. Crebro enim animadversum, vix extra ædem suam prolatas ejus Reliquias, cum sudum antea cælum continuo compleri nubibus cœpit, imbrem-* ANIMADV. PAP 84.
*que opportunum profundere, factumque ut nec opinata annonæ vilitas ex summa inopia consequeretur.*

## CAPUT VIII.

### *Catana per S. Agatham contra hostes defensa.*

*Pestilentia ac fame sævius et intolerabilius est bellum, quod non solum, ut hæc, fortunas hominum exhaurit, corpora enecat ut illa, sed genus omne crudelitatis ac li-*
B *bidinis pati insontes cogit, in captis præsertim urbibus.*
*S. Agathæ ope,* *Ab hoc quoque flagello liberatam se S. Agathæ auxilio Catana gloriatur, servatam, inquam, ne in manus veniret hostium, vel, cum venisset, opportune ereptum, vel, ne extrema pateretur, defensam. Prima certe Siculorum urbium jugo est Gothico liberata anno Christi* IƆXXXV: *Ita Procopius lib.* I *belli Gothici :* Βελισάριος δὲ καταπλεύσας ἐς Σικελίαν, Κατάνην ἔλαβεν. *Chris-*
*Catana ejectis Gothis a Belisario,* *topherus Persona vertit :* Belisarius vero in Siciliam navigans, Cataniam capit. *Narrat exinde Procopius, ut non magno labore totam insulam ejusdem anni exitu recuperarit : quippe anno Justiniani* IX, *qui a Kalendis Augusti erat inchoatus, ad eam missus expeditionem, die ultimo sui consulatus, quem eo anno gesserat, Syracusis triumphali Siculorum plausu exceptus est. Hanc porro suæ urbis ante reliquas liberationem meritis S. Agathæ Catanenses adscribunt.*

52 *Anno* CIƆCXXVII *initio Augusti, sive, ut in S. Aga-* *repulsi Saraceni Hispanienses,*
*thæ miraculis supra Blandinus monachus cap.* I *num.* 2 *scribit,* revoluto anno paucos ante dies susceptionis gloriosæ Virginis, supervenientes ab Hispaniis piratæ. ... Sanctissimæ meritis ... timore Divino perterriti longius recessere *a Catana, cui imminebant.*

53 *Illustriori miraculo, ut ipsi memorant, contra Si-*
C *nanum Turcam defensi sunt divinitus Catanenses. Eam Sinani expeditionem ita breviter narrat Jacobus Augus-*
*et Sinan Turca,* *tus Thuanus historiar. lib.* 7. Sinan qui belli occasionem quæreret ... protinus in Siciliam descendit, et cum se Messanæ ostendisset, ad Catanam deflectit, quasi eam oppugnaturus, et mox Augustam petit, quod est oppidum in peninsula supra Syracusas positum, anno CIƆCCXXIX a Frederico II conditum, captaque prius arce illud capit, diripit, incendit. Id actum XVI Kal. Sextiles. *De Augustæ excidio scribit Fazellus dec.* I *lib.* 3 *cap.* 4. Ætate vero mea, anno salutis CIƆ IƆLI XVI Calend. Augusti, a Syna Solymanni Turcarum Regis classis centum circiter triremium duce, capta prius arce, igne tota est absumpta.

54 *Catanenses ita narrant :* Siciliæ oram Sinan Bassa legebat, amplius C triremium classe, missus ab Solymanno ut terrorem incuteret Christianis, ne Aphrodisium urbem, quam vulgo Africam vocant, recens Caroli V Cæsaris auspiciis a Vega Siciliæ Prorege captam, pertinaciter retinere vellent, neve præsidiis ac commeatibus munirent. Ducem igitur
*eam diripere cogitans,* incessit cupido ac rabies Catanam aggrediendi. Et stetit quidem in urbis conspectu, tranquillo mari, horas omnino decem, animos militum per præfectos exstimulans, ut in littus alacres exilirent, obvios quosque trucidarent, omniaque ferro ac flamma mis- D
cerent. Verum nova res Bassæ oculis militumque AUCTORE J. B.
objecta, eorum impetum retardavit. Totum quippe Catanense littus, arces mœniaque armato milite oppleta videbantur; sive impiorum hominum oculos inani specie ludificata est Divina providentia, seu revera cœlestis militia fuit, qualis olim Giezi conspecta, ad tuendum Elizæum missa. Fama etiam te- *sed territus visa armatorum multitudine, quamque S. Agatham, ut ferebatur;*
nuit, visam ab Mauro Duce Virginem habitu formaque multo ampliorem augustioremque humana, armis spectabilem, phalerato equo insidentem, armatorum stationibus obequitantem : hisque territum spectris, (quod Turcæ in rebus dubiis solent) sortibus consuluisse, militemne exponeret, an in alias Christianorum oras verteret cursum rabiemque. Catanam sors præteriit. Excensione ergo abstinuit, cœlesti terrore perculsus, abiitque Augustam, haud ita longe distantem Catana, eaque expugnata, sacra ac profana incendio absumpsit. *Ita ex eodem Bartholomæo monacho famaque publica, qui supra, Blandinus.*

55 *Merito igitur ista prædicat Paulus Æmilius Sanctorius :* Sæpe civitati salus Agathæ precibus me- *quomodo Vandali repulsi, incertum.*
ritisque impetrata : crebræ quoque victoriæ, non de hostibus modo Gothis, Vandalis, Mauris Sarracenisque, sed de ipso Ætnæo incendio. *Vandalos in Sici-* E
*liam sæpius excurrisse, urbesque complures partim diripuisse, partim solo æquasse, auctor est Procopius lib.* I *de bello Vandilico. Quæ iis temporibus Catanæ fortuna fuerit, nondum legi.*

## CAPUT IX.

### *Catanenses per S. Agatham ab internecione erepti.*

*Aliud beneficium ab S. Agatha impensum majoribus suis prædicant Catanenses, eos nempe contra Fredericum* II *Imperatorem Regemque Siciliæ, cum hic pari perfidia et impietate adversus Pontificem Maximum in-* *Fredericus II Imp. Catanensibus iratus omnes occidi jubet :*
*surgeret, eique obtemperantes diris modis divexaret; rerum novarum quidpiam molitos; sed mox armis oppressos, atque atroci sententia multatos, ut urbe funditus excisa, omnes neci dederentur. Cum autem tam crudeli edicto nemo intercedere, aut nefarium ejus robur mitigare verbis auderet; ecce sibi, dicta internecionis die, dum ad preces horarias Deiparæ Virgini persolvendas libellum aperit, hæc verba aureis characteribus scripta occurrerunt :* Noli offendere patriam Agathæ, quia ul- *divinitus territus,*
trix injuriarum est. *Attonitus eo viso, librum claudit, iterumque alio loco aperit; iterumque eadem objecta illi* F
*scriptura est. Tertio apertus alibi liber eamdem rursus comminationem ingerit. Territus Imperator, deliberata internecione abstinuit, ac reædificari urbem mandavit. Ne temere autem mutasse decretum videretur, edixit,* *cives transire mandat per gladios, innocue; cujus extat monumentum :*
*uti cives per medium districtorum gladiorum, illæsi tamen, transirent.*

57 *Ea viget Catanæ fama, atque eum locum, in quo nudati ad hunc ritum enses propenderunt, in ædiculam cessisse, cujus pavimentum per viam transmissum, partam effingebat, unde vico propinquo deinceps* Media-porta *nomen fuit. Ædes ipsa Beatissimæ Virgini a Gratiis sacra, a cujus dextro latere S. Agathæ imago visebatur : monumentum videlicet gratiæ, quam a gratiarum parente, atque ab S. Agatha cives sui impetrassent.*

58 *Id circiter annum* CIƆCCXXXII *aut sequentem aiunt contigisse. Nam et eo tempore Centuripæ excisæ ejusdem furore Cæsaris, magna quondam urbs ac celebris;* ex cujus inde reliquiis, *ut Fazellus dec.* I *lib.* 10 *cap.* 2 *scribit,* Augusta urbs in fabricam surrexit, *aut certe jam antea fundata, Centuripinis eo translatis populosior est facta. Jacent nunc Centuripæ, rarisque colonis habitantur, ut idem ait Fazellus : visuntur tamen ruinæ ingentes ædium, arcis, mœniumque :* Centoruis *loco nomen,*

A *men, estque in Catanensi diœcesi. De Catana Pirrus post Centuriparum excidium ita meminit :* Idem Rex Catanam, quod ab eo descivisset, solo æquare statuerat, sed dum sacras preces e libello recitaret, ter narrant hæc verba tantum in eo legere potuisse : Noli offendere patriam Agathæ, quoniam ultrix est injuriarum : eamque ob caussam mutato consilio arcem tantum in ea urbe posuisse ad rebelles coercendos, neque aliud molitum fuisse.

*AUCTORE J. B.*

*arcem illic posuit.*

59 *Ambigunt quidam, an non hæc potius Catanæ illata sit clades ab Henrico* VI *Cæsare, Friderici jam memorati patre. Ab eo certe* præsidiis et munitionibus spoliatos *Siculos,* bonisque privatos, ac diversis cruciatibus exagitatos *scribit Baronius tom.* 12 *an.* 1194, *atque ex Innocentii in epistola quadam Odoricus Raynaldus ad an.* 1198 *num.* 64. *Panormi præcipue in Tancredi ac Willelmi tertii fautores desævit, quod in Aquicinctino auctario ad Chronicon Sigeberti an.* 1194 *ita exaggeratur :* Civitatem Panormitanam, expulsis habitatoribus, pene totam destruxit. *Ast Huldrichus Mutius Chronic. German. lib.* 19 *vi captam ab Henrico Catanam scribit,* et primo furore occisos in urbe omnes utriusque sexus, nulla etiam habita ætatis ratione. *Dein ista addit :* Captis urbis primatibus et B Episcopo, qui multa perpetrarat contra Cæsarem, incendit urbem, nec passus est extingui ignem, donec omnia exusta in cinerem redacta sunt. *Unde hæc hauserit Mutius, haud equidem scio, neque admodum credibilia videntur. Nam scriptor Aquicinctinus, qui tunc vivebat, testatur* Henricum Apulienses, Siculos et Calabros ... absque sanguinis effusione sibi victoriose subjugasse; *cum Mutius, antequam caperetur Catana, commissa aliquot circa eam prælia tradat. Ipse quoque Henricus in diplomate dato* XXIV *Aprilis an.* CIↃCLXXXXV, *quod apud Pirrum extat, ita loquitur :* Nos itaque pro reverentia beatæ Virginis et Martyris Agathæ, cujus reliquiæ in Cathaniensi continentur Ecclesia, et ad honorem Domini ibidem requiescunt, attendentes etiam fidelitatem et grata servitia, quæ Rogerius ipsius Ecclesiæ Electus, fidelis noster, devotione sedula nostræ Serenitati studet exhibere *etc.*

*Id ob Henrico ejus patre actum quidam putant,*

*non satis probabiliter :*

60 *De Frederico Henrici filio facilius tale quidpiam ut crederemus persuaderet ejus et indoles primum in juventute conformata ad virtutem, ut ejusmodi prævitionibus potuerit assuevisse, et præceps postmodum effrænatoque sævitia. Multas certe quidem urbes bello captas* C *evertit funditus, ut videre est apud Raynaldum : sed Sicilienses præsertim Ecclesias dira tyrannide exagitavit; de quo Fazellus dec.* 2 *lib.* 8. Demum Fridericus omnem iram, qua Papam Gregorium IX prosequebatur, transfudit in Prælatos, quorum multos Archiepiscopos Episcoposque partim occidit, plures carceri addixit, nonnullos exilio multavit, in quibus fuerunt Cephaledensis Balduinus II, et Catanensis, cujus fuerat alumnus. *Graviora etiam apud Raynaldum varii Pontifices de eo queruntur, ac nominatim Innocentius* IV alterum Neronem *vocat, itaque Siciliæ Antistites ac Nobilitatem alloquatur :* In omnem terram vestram sonus tribulationis exivit, et in fines orbis terræ compassionis dignissimi vestri gemitus processerunt.

*at Fredericus crudelis fuit,*

*præsertim in Siculos,*

61 *Essent igitur et nobilissimæ urbis excidium, et populi universi imperata cædes, Frederici moribus consentanea, si scripto aliquo ejus ætatis probarentur. Constantissimam famam allegant Catanenses, et inscriptiones aliquot veteres. Nam in publico senatus Catanensis prytaneoca verba leguntur prægrandibus auratis characteribus exarata, ut aiunt, ab anno* CIↃCCC, *quo tempore erant in vivis forsan nonnulli, qui rem totam, si vere gesta est, spectarant, plures qui a parentibus acceperant. Visuntur eadem verba ad summum lacunar scripta templi S. Agathæ ante multos annos ædificati. Eadem habet aureis incisa laminis fastigium prænobilis illius fer-* D *culi, in quo aurea Divæ statua ac Reliquiæ pridie Nonas Februarias, ipso nempe solemnitatis ejus pervigilio, circum mœnia gestantur ab frequenti populo, qui honorifico cumprimis cultu indutus, nudisque gradiens pedibus, sancto oneri stata vice succedit. Hæc publica auctoritate senatus et Episcopi tam conspicuo loco posita monumenta pluris fieri debere contendunt Catanenses, quam si privati cujuspiam, ac fortassis in cella latitantis, et incertis ad se perlatis rumoribus temere habentis fidem, testata essent scriptura, quam Panormitani requirunt.*

*rem gestam probant Catanenses publicis monumentis,*

*illustre illic S. Agathæ feretrum.*

## CAPUT X.

### *Proles mascula obtenta, mortis periculum discussum, fugati divinitus hostes, pervigilio S. Agathæ, ejus patrocinio.*

*Quæ commemorata hactenus S. Agathæ beneficia sunt, ea fere Catanensi populo collata pleraque, vel accolis sunt. Quod sequitur ad universam Siciliæ insulam pertinebat, si ejus diuturnior fructus fuisset. Quia enim S. Agathæ resecta ubera fuere, non solum morbis mamillarum ut medeatur, sed ut lactantibus quoque adsit, adeoque et parturientibus, invocatur; imo ut prolem masculam impetret. Profitetur Petrus* II *Siciliæ Rex,* E *se filium, ea* intercedente, de manu Dei suscepisse. *Ita enim loquitur in diplomate, quod ex Registro Privilegiorum Clarissimæ urbis Catanæ legitime transscriptum penes nos est, quodque antea erat ab Roccho Pirro in Notitia Ecclesiæ Catanensis vulgatum :* Petrus II Dei gratia Rex Siciliæ. Si Reges et Principes suorum natalitia celebrantes, urbes et civitates sui regiminis immunitatibus decorant, sparguntque honores in populis qui merentur; Nos, qui Dei nutu in throno regio præsidemus, ubi desideratam prolem nobis concessit Altissimus, honores impendere, amplas immunitates et gratias fundere sine parcitate debemus. Præsentis igitur privilegii serie notum fieri volumus universis tam præsentibus quam futuris, quod considerantes insigne beneficium, quod pridie Nonas in civitate Catanæ (intercedente gloriosa Virgine Agatha, quæ Tutela regni nostri est, cujus titulo eadem civitas insignitur) de manu Dei nostri suscepimus; cum illustris Regina Elisabeth, consors nostra dilecta, filium nobis peperit, quem nos et fideles nostri Siculi propter virilis prolis carentiam longo tempore optabamus : volentes etiam *etc.* F

*S. Agatha patrona parturientium et lactantium,*

*Petro II Regi filium impetrat*

63 Datum *est illud privilegium* Catanæ, per venerabilem Damianum de Palicio de Messana, Juris civilis Professorem, regni Siciliæ Logothetam et Cancellarium, Capellæ *regiæ* Magistrum Capellanum, anno Domini CIↃCCCXXXVII, mense Februario, XII ejusdem, VI Indictione. *Qua ex Indictione, inchoata Septembri mense anni* CIↃCCCXXXVII, *vel juxta usum Ecclesiasticum Kalend. Januarii* CIↃCCCXXXVIII, *patet computatos tunc fuisse annos more Gallico, ducto a Paschate exordio.*

*anno 1338*

64 *Qui tunc Petro Regi post* VII *filias natus filius memoratur,* Ludovicus *fuit, qui anno* CIↃCCCLV, *ætatis suæ* XVII *decessit. Ejus habemus diploma, Catanæ datum* XIV Martii, VII Indictione, anno CIↃCCCLIII, *aut potius* CIↃCCCLIV, *ut ex numero Indictionis patet. In eo ita loquitur :* Divino, ut credimus, natalis nostri auctrix Agatha fuit Beata Catanæ, quia sicut nos in sua patria nasci voluit *etc. Natus erat, ut in patris privilegio dicitur,* pridie Nonas Februarii; *quando sub primam lucem B. Agathæ lipsana ex sacratissimo adyto de more preferebantur, circum pomœrium religiose gestanda, ubi fit etiamnum plane triumphali celebritate. At quo die Petri datum est diploma, pridie Id. Februarii, qui ultimus est Octavæ, eadem lipsana frequentissimo populo per totum diem adoranda promuntur.*

*Ludovicum, deinde Regem,*

*natum 4 Febr cum lipsana ejus proferuntur*

65 *Lube*

A 65 *Lubet exterum hic quoque Regem memorare, qui quod eodem S. Agathæ pervigilio certum mortis periculum feliciter evasisset, religiosiore monumento gratitudinem testatus est.* Perthraritus *is fuit, sive* Bertharidus, *Rex Longobardorum,* vir pius, fide Catholicus, justitiæ tenax, *uti prædicat Paulus Diaconus lib.* 5 *cap.* 33. *De eo ita scribit Bernardus Saccus historiæ Ticinensis lib.* 9 *cap.* 16. Majorne in isto Rege virtus, an rerum eventus fuerit, dubitari potest. Procul enim semel et iterum a patria, primo Germaniam petiit : deinde in fidem a Grimoaldo receptus, cognita ejus perfidia, ne deciperetur fugit in Galliam. Mox in Britanniam, sive Angliam, pergens, ignota voce ad patriam regnumque revocatur. Quod regnum post Grimoaldi obitum, non armis, sed populorum benevolentia consensuque recepit. Memorque periculi, quod evitaverat, cum Grimoaldi infestas manus elusit, monasterium D. Agathæ in civitatis clivo, ubi Ticini mœnia antiquissima extant, ædificavit : quod scilicet ab eo loco per funem demissus, in die festo illius beatæ Virginis, subeunte nocte discrimen evasisset, ut in posterum Deo æterno beneficii monumentum constitueret. *Evenere hæc eo tempore quo apud Francos Dagoberti nepotes regnabant. Eadem prolixius commemorat Jacobus Gualla Sanctuarii Papiæ lib.* 5 *cap.* 19 B *Antonius Maria Spelta, Stephanus Breventanus lib.* 3 *cap.* 16. *atque duo hi postremi diserte exprimunt, fugisse illum ea nocte, quæ diem S. Agathæ præcedebat. Diem non indicat Paulus Diaconus, sed fugam reditumque memorat, illudque addit :* In loco illo, qui a parte fluminis Ticini est, unde ipse olim fugerat, monasterium quod Novum appellatur, Domino et Liberatori suo, in honorem sanctæ Virginis et Martyris Agathæ construxit, in quod multas Virgines aggregavit, rebusque et diversis pariter eumdem locum ornamentis ditavit. *Hujus ecclesiæ mentio fit* VII *Januarii in Vita S. Crispini* I *Ticinensis Episcopi num.* 6. *Tradit Stephanus Breventanus in historia Ticinensi lib.* 4 *cap.* 6, *aliquas olim in arce Ticinensi asservatas S. Agathæ reliquias, deinde ad Cathedralem translatas. Easne Pertaritus e Sicilia impetrarit, haud facile dictu. Qui enim SS. Primi et Feliciani reliquiis ornasse S. Agathæ cœnobium a se conditum dicitur, cur non ipsiusmet sanctæ Virginis ibidem pignus locarit?*

*Pertaritus Rex Longobardorum,*

*in honorem S. Agathæ monasterium struit Ticini,*

*ejus pervigilio e certo mortis periculo ereptus,*

*jamque ornat reliquiis.*

66 *Cum* Damiatam *præpotentem Ægypti urbem, (quam vetus* Pelusium *esse censent plerique eruditi) anno* CIↃCCXVIII *mense Maio obsidere Occidentales Christianorum copiæ cœpissent, magnisque afficerentur incom-* C *modis, tum a viribus, tum a Saladini exercitu qui ad urbem fixerat castra; ac sæpius Nili fluminis transitum frustra tentassent; tandem pervigilio S. Agathæ, divinitus sibi missum subsidium senserunt, ipsius sanctæ Virginis (ut pie interpretari licet) patrocinio. Rem gestam ita narrat Godefridus monachus Coloniensis, qui tum vivebat :* Sane nocte S. Agathæ Virginis, Deus innovans virtutis suæ miracula, tantum pavorem Soldano Babylonis et Satrapis ejus incussit, ut relictis castris, ignorantibus etiam Ægyptiis, quos ad resistendum ordinaverant, in sola fuga spem ponerent... Itaque fugientibus Ægyptiis, Christiani certatim et alacriter absque omni impedimento hostium, et sanguinis impensa transierunt : et sic per gyrum ac firmiter obsessa est civitas. Direpta sunt etiam fugientium tentoria et universæ naves cum plurimis spoliis.

*Victoria ad Damiatam nocte S. Agathæ.*

## CAPUT XI.

### *Episcopatus Catanæ restitutus, pulsis Saracenis : varie a Pontificibus ornatus.*

Multa *sunt et præclara Catanæ urbis ornamenta : quæ S. Agathæ meritis in eam profecta, pleraque jam collegimus. Adjicere hic lubet Episcopalem dignitatem, non* primum *quidem illius respectu fundatam, (Beryllum* D *quippe memorant multo ante isthic Episcopum fuisse, ut* XXI *Martii dicetur) sed ejus potissimum et tutela conservatam, et patrocinio restitutam, ex voto, ut aiunt, quod Rogerius Comes nuncuparat, dicaturum se S. Agathæ quæ circum Catanam essent possessiones, si Saracenos debellasset : cujus tamen voti ipse in diplomate donationis non meminit. Porro* Ansgerius, *monasterii Benedictini in oppido S. Euphemiæ Prior, natione Britannus, eximiæ vir religionis, primus Catanæ Episcopus, eodem Rogerio Comite postulante, ab Urbano* II *Pontifice est initiatus. Extant apud Pirrum Rogerii aliquot diplomata, quibus et Ecclesiæ Catanensis fundatio confirmatur, et bona ei donata recensentur.*

AUCTORE J. B.

*Episcopatus antiquus Catanæ, S. Agathæ natali urbe, restitutus a Rogerio Comite, et Urbano II Papa.*

68 *Operæ pretium hic visum Urbani* II *Pont. Max. Bullam dare, cujus superius facta mentio. Hujus exemplum Catana nobis anno superiore misit Joannes Baptista de Grossis V. CL. ex autographo primum anno* CIↃ IↃLXXX, *Ind.* VIII *die* XXIV *Martii, Gregorii* XIII *Pontificis Maximi anno* VIII, *ab* Alexandro Cantono Magnæ Episcopalis Curiæ Catanensis Magistro Notario, *descriptum, additis testium,* Magnificorum Dominorum, *nominibus : indeque transsumptum manu propria Don Hieronymi Bolani Archivarii archivi Magnæ Episcopalis Curiæ urbis Catanæ, attestante ipso* E *Senatu Catanensi, sigillo apposito, et subscribente Carolo Scoto Notario, die* IX *Aprilis, an.* CIↃ IↃCLI, *Indict.* IV. *quamquam eamdem bullam edidit quoque Rocchus Pirrus Notit.* I *Eccl. Catan. num.* 6. *Ea ergo sic habet :*

*Hujus Bullæ authenticum exemplar.*

69 Urbanus Episcopus servus servorum Dei, dilecto Fratri Ansgerio Cataniensi Episcopo et Abbati, ejusque successoribus canonice instituendis in perpetuum. Sicut beatissimi Patris et Doctoris elegantissimi Gregorii I scriptis veridicis edocemur, constat Cataniensem, ubi B. Agatha et orta et passa est, civitatem dignitatis Episcopalis antiquitus gloria claruisse. Capta autem a Saracenorum populis Siciliæ insula, et illic, et per alias universæ provinciæ civitates, et Episcopalis gloria periit et Christianæ fidei dignitas interiit. Post annos vero fere quadringentos, Divina populum suum respiciente clementia per strenuissimum Comitem Rogerium Christianorum juri eadem est insula restituta. Porro idem egregius Comes, Romanæ Ecclesiæ devotissimus filius, ubique urbium antiquæ dignitatis anhelans pro tempore gloriam reformare, B. Agathæ matrem Ecclesiam Cataniæ sitam, monasterium fore disposuit : quatenus illic Fratres Dei servitiis insistentes, pro ipsius salute, pro uxoris defunctæ, et militum ani- F mabus, qui eamdem terram Christianorum ditioni suo sanguine reparaverunt, omnipotentis Domini misericordiam implorarent.

*Regist.* I *6 Ind.* 15 I *ep.* 38

*Saraceni s Sicilia pulsis*

*in ecclesia S. Agathæ monasterium statuit Rogerius C.*

70 Nos itaque tanti viri devotionem, prout dignum est, approbantes, monasterium quidem illic perpetuo permanere, præsentis paginæ auctoritate sancimus. Sed enim quia, ut prædiximus, Episcopali quondam prærogativa Cataniensium civitas illustris agnoscitur, adjicimus et præsenti decreto statuimus, ut nostro quoque tempore ad eamdem prærogativam redeat : et quicumque in prædicta Ecclesia a monachis electus fuerit in Abbatem, idem populo quoque præesse debeat in Antistitem. Porro et civitas universa et quæ circa vel civitates vel villæ vel oppida, quæ prædictus Comes eidem monasterio et B. Petro Apostolorum Principi obtulit, vel oblaturus est, et quidquid ad Cataniensem Ecclesiam ex antiquo jure pertinuisse poterit comperiri, tam in diœcesi quam in possessionibus, in Abbatis et Episcopi juridictione ex integro semper existant : idemque Abbas et Episcopus, et monasterium regulariter, et Clerum et populum universum canonice regere, Domino opitulante, procuret.

*cujus Abbatem Urbanus II simul Episcopum fore decernit,*

71 Te igitur primum post tanta tempora Cataniensis

*Auctore Urbano II Episcopum ordinat Ansgerium.*

A niensis urbis Antistitem nostris, tamquam B. Petri manibus consecratum, præsentis privilegii auctoritate donantes; tuis quoque successoribus decretum hoc ratum perpetuo permanere decernimus: ut semper a Romano Pontifice consecrentur, semper et monachis in Abbatem et populo præsint in Antistitem. Denique ut hæc perpetuo firma, integra et illibata consistant, carissimo filio nostro Rogerio Comiti, Christianæ fidei propugnatori, ejusque uxori et filiis et militibus, pro quorum redemptione Cataniensem urbem, cum tota diœcesi sua, B. Petro Apostolorum Principi, suo labore restitutam, obtulit; Dei et Apostolorum ejus gratiam et benedictionem et peccatorum absolutionem, ex Apostolicæ auctoritatis, quam indigne gerimus, vice, benevolentiamque donamus: quatenus et in præsenti eorum triumphi, eorumque acta magnifica, dona oblationesque vigeant, et in futuro præmia æternæ beatudinis inveniant.

*datque benedictionem et indulgentias Rogerio cum suis.*

72 Si quis autem (quod absit) his nostris Apostolicis constitutionibus pertinaciter obviam ire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, noverit se omnipotentis Dei et sanctorum Apostolorum indignatione graviter B puniendum, et Sedis Apostolicæ, quam contempsit, anathemate confodiendum. Conservantibus autem hæc, pax a Deo et misericordia præsentibus et futuris seculis conservetur. Amen, amen. Datum Anagniæ VII Id. Martii, Ind. XIV, per manus Joannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, anno Dominicæ Incarnationis MXCI, pontificatus vero Domini Urbani II PP. quarto.

*In refractarios pœnas statuit.*

73 *Geminum præterea* Alexandri III *Papæ diploma indulem accepimus, eadem die IX Aprilis* MDCXLI *ex archivo Cataniensi depromptum, ac Hieronymi Bolani manu transscriptum ex antiquiore exemplo, quod anno* MDCXXX, *qui antea memoratus, Alexander Cantonius Actorum magister, coram iisdem testibus contulerat, ex alio, quod erat ex autographo transsumptum anno* MCCCXLIII, XXX *Augusti, Ind.* XI, *Ludovici Siciliæ Regis anno* I, *ab Juliano de Augusta publico Notario, adscriptis supra* V *testium nominibus; ut mittendis ad Pontificem Maximum Clementem* VI, *a Priore et Capitulo sive conventu monachorum majoris Cataniensis Ecclesiæ, Procuratoribus, Syndicis, Actoribus, traderetur, ne quo itinerum discrimine autographum interiret.*

*Alexander III Papa gemino diplomate*

*(cujus authenticum exemplum penes nos est)*

74 *Erat primum diploma* datum Beneventi per manus Gratiani S. R. E. Subdiaconi et Notarii, VII Ca- C lend. Augusti, Indict. I, Dominicæ Incarn. anno MCLXVIII, pontificatus D. Alexandri Papæ III anno nono; *inscriptumque* Joanni Cataniensis Ecclesiæ Episcopo et Abbati. *Alterum* Roberto Cataniensis Ecclesiæ Episcopo et Abbati, datum Tusculani per manum Gratiani S. R. E. Diaconi et Notarii, XIII Calendas Septembris, Indict. IV, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXI, pontificatus vero Domini Alexandri III anno XII. *Subscripserant priori diplomati præter Pontificem Cardinales* XIII, IX *posteriori. In utroque insertus est paragraphus primus diplomatis Urbano II ab illis verbis* Sicut beatissimi Patris *etc. usque*, Misericordiam vero hæc imploraret. *Tum ista habentur*: Quapropter piæ recordationis Urbanus Papa, tanti viri devotionem D attendens, Electum, quem idem Comes ei transmiserat, benedixit in Abbatem, et postmodum consecravit in Episcopum: statuitque ut Catanensis civitas duplici prærogativa floreret, ut quicumque ibidem a monachis electus fuerit in Abbatem, idem populo præesse debeat in Antistitem. *Dein additur in priori diplomate*: Nos igitur ejusdem Antecessoris nostri vestigia subsecuti, te, frater Episcope Joannes, de nostris licet indignis, tamquam de B. Petri, manibus consecratum, et eamdem Ecclesiam sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio munimus: statuentes ut, quemadmodum, ab eodem Antecessore nostro constitutum est, ibidem utraque dignitas, Abbatis videlicet et Episcopi, in una et eadem persona conservetur, et electi a monachis ejusdem loci, a Romano Pontifice benedicantur et consecrentur, et nulli nisi Romano Pontifici sit Ecclesia ipsa subjecta. *Quæ brevius aliquanto efferuntur in posteriore. In utroque dein confirmantur et enumerantur Ecclesiæ Catanensis possessiones*: Pallium *quoque Episcopo donatur, et quibus diebus eo uti debeat præscribitur, ac nominatim ut in* festivitate S. Agathæ: *monetarque ut in eas virtutes incumbat, quas illa pallii dignitas postulat. Sunt quidem postea Montisregalis Archiepiscopo Catanenses Episcopi ab Lucio* III *Papa an.* MCLXXXIV *subjecti, Palliique usus ademptus successoribus Roberti, cui id Alexander posteriori diplomate concesserat; sed non quidquid in ea Ecclesia gestum mutatumque prosequi in animo est: ea hic diplomata retulimus, quia et citata antea, et ad S. Agathæ honorem spectare videbantur.* E

*eadem confirmat,*

*et Pallium donat.*

75 *Scribit Augustinus Inveges cum de S. Agathæ patria Romæ controversia esset, nullam horum Apostolicorum Brevium habitam esse rationem, licet authenticum exemplar ex autographo descriptum exhiberetur; quia neque in archivo Romano extarent, et phrasim Siculam olerent, dum Matrem Ecclesiam vocant, quam Romani Matricem solent appellare. Atqui et secundum Alexandri Breve* matricem *habet, et cur non æque* Mater *ac* Matrix *Ecclesia dici possit, haud video, cum non Siculi soli sed aliæ quoque gentes id usurpent, quarum stylum aut certe libelli supplicis Catanensium verba secutus forsitan est qui Urbano* II *erat a secretis. Nam omnia plane Brevia ac diplomata privilegiaque Pontificum omnis ætatis in Archivo Romano an adhuc asserventur, ut nullum plane vel deperditum, vel exesum vetustate, vel non illud relatum, haud equidem scio, licet id unice perrelim: at si extant, quanto piorum atque eruditorum hominum emolumento, veterum Pontificum Epistolæ ac decreta edi in lucem possent!* F

*Quidam hæc diplomata repudiant,*

*haud satis solide:*

76 *Quæ alia adversus eas Bullas præscripserunt Panormitani, ac ipsorum caussæ obessent, supra indicavimus. Sapienter profecto Pirrus*: Non ideo tamen, *inquit*, adulterinum totum esse diploma, (*Urbani*) meo judicio significarunt. *Quod erit alioqui testimonium dignum fide, si publica Acta, ab juratis tabellionibus conscripta, subscripta ab honoratis viris, ac toto senatu, suspecta habentur? Ego sane haberi minus astutus malo, quam de ejusmodi scriptorum fide dubitare.*

*alii admittunt et merito.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# THEODULA, BOETHIO, EVAGRIO,

## MACARIO, ET ALIIS, ANAZARBI IN CILICIA.

J. B.

SUB DIOCLET. V FEBR.

Anazarbus *Ciliciæ secundæ metropolis fuit; Ptolemæo lib.* 5 *Geograph. cap.* 8 Καισάρεια πρὸς Ἀναζάρβῳ, Cæsarea juxta Anazarbum: *Plinio dicta videtur* Cæsaraugusta; *nam lib.* 5 *cap.* 27: Intus, *inquit*, dicendi Anazarbeni, qui nunc Cæsaraugustani. *Ea urbs, Ecclesiam persequente Diocletiano, illustres Martyres tulit*: Theodulam, Helladium, Boethum, Evagrium, Macarium, *et alios. Qui ignoti*

*Anazarbeni Martyres Theodula, Boethus, Evagrius, Macarius 5 Feb.*

A *ignoti omnes Fastis Latinis, in Menæis Græcorum memorantur* v *Februarii : nisi quod* Helladius *ad* XXIV *Januarii pertineat, ubi de eo egimus.* Boethus (*quod* auxiliatorem *sonat*) *pridie quam martyrium finiret Theodula, coronam adeptus est; sed quia in nullo Martyrologio nomen ejus reperimus, hic eum Theodulæ a qua fidem est edoctus, adjungere maluimus. Multi alibi Martyres* Evagrii *et* Macarii; *nulli simul, nulli Anazarbi.*

*Helladius 24 Janu.*

*S. Theodulæ commemoratio 18 Janu.*

2 Theodulam *Menæa iterum* XVIII *Januarii hoc elogio celebrant :*

Theodulam gladio interemptam
Deorum falsorum servi autumant.

*ejus tormenta.* Ea ex Anazarbenorum civitate orta fuit, Diocletiano imperante. Ob Christi confessionem perducta ad Pelagium præsidem, ac valide cæsa, miranda designavit, et multos ad Christi fidem pertraxit : in quibus fuerunt Commentariensis Helladius, et Boethus, quibus præcisæ cervices : Theodulæ vero ignitis subulis ubera perforata. Dein comis e cupresso suspensa est, pedesque ei clavis ferreis confixi. Demum in ardentem fornacem cum aliis Sanctis projecta, atque post longam precationem, tendens in cœlum manus, et gratias agens, spiritum reddidit.

*an Virgo fuerit?* *Plenius totum ejus certamen* v *Februarii narratur,* B *ubi tamen trajectorum per pedes clavorum mentio nulla. Quæ vero urbs in Februario* Ἄζαρβον Azarbum, *hic* Ἀναζαρβέων πόλις, Anazarbenorum civitas *appellatur. Quam Franciscus Lahierius noster* Azarabum *vocat in magno Menologio Virginum ; nam et hanc Virginem facit, uti et Matthæus Raderus noster in Latina Menæorum interpretatione necdum excusa. Sed nullum in Menæis est verbum, unde id concludatur.*

## ACTA EX MENÆIS.

a Conservum non timuit ignem Theodula,
Quæ suas in Deo spes famulanter locarat.

*S. Theodula capillis suspensa,* 1 Diocletiano et Maximiano imperantibus, Pelagius quidam ad urbem Anazarbum est missus, ut in Christianos inquireret. Mox comprehensa S. Theodula, ad Pelagii tribunal sistitur : ubi Christum coram omnibus verum Deum confessa, capillis ad cupressum suspenditur, et mamillæ ei ferreis subulis igne candentibus perforantur. *subulis ignitis in mamillis torquetur* Tum illa Præsidem compellans : Ubi sunt, inquit, dii tui ? Ostende eos mihi, ut, quantum conniti omni facultate potero, eos b venerer. Illico demissa, ad fanum *b* Adriani ablegatur, clarum cumprimis ac celebre. In id ingressa, C fundit ad Deum preces; soloque afflatu, Adriani si- *idolum afflatu disrumpit,* mulachrum humi sternit, in tres partes disruptum. Dein ad Præsidem egressa : Intra, inquit, et auxiliatricem porrige manum Adriano deo tuo, nam gravi casu contritus est. Ille festinus accurrit, cernensque simulachrum in tres partes diffractum, in fremitum et ejulatum erupit.

*mox, ut Præsidem periculo eximat, precibus restaurat :* 2 Id postquam Imperator intellexit, primarium aulicorum Anazarbum petere urbem jubet, ut si verum esse, quod de idolo nuntiatum sit, deprehendat, Præsidem feris objiciat. Id ubi didicit Præses, ad S. Theodulæ pedes accidit, multis cum lacrymis eam deprecans, Deum suum exoret, ut comminutam statuam restauret, et in pristinum locum restituat : id si fecerit, se Christianum futurum. Deprecante igitur Deum Sancta, statim Divino nutu, quod confractum erat simulachrum, penitus redintegratum loco suo repositum est.

*iterum subulis torquetur.* 3 Quod ut comperit Legatus, inde abscedens Imperatori renuntiat. Imperator Præsidi per litteras mandat, ut Sanctam primum variis acribusque discruciatam suppliciis, acerba demum morte enecet. At Præses iterum lacerari carnes ejus ferreis subulis ignitis jubet. Quod cum fieret, et nihil se tot tormentis proficere infelix ille et perditus ægre ferret; tum Commentariensis : Da mihi, inquit, eam tor- D quendi potestatem, et nisi persuasero ut Adriano sacrificet, mihi ipsi præcide cervices. Pelagio igitur jus illi in Sanctam tribuente, jubet clavos quinque parari, ac duos quidem auribus, fronti tertium, reliquos mamillis Sanctæ infigit. Quibus alte adactis, illa mentis oculos in cœlum attollens, Deum precata est, ut robur sibi et constantiam ad intolerabile hoc supplicii genus sustinendum largiretur. Neque diu fuit, cum animadvertens Commentariensis generosam illius fortitudinem, qua acerbissima tormenta pro nihilo duceret, gnarus quod capitis sui discrimen nisi consilium succederet, esset stipulatus; eam domum suam adducit, suadetque ut secum idolis thus adoleat. Illa Deum pro ipso deprecata, piis illum sermonibus molliens persuadet tandem ut Christo det nomen. Postero mane ad Præsidis tribunal cum ea accedit Commentariensis, itaque illum affatur : Non valui veri profecto Dei famulam pervertere, atque a bona et recta via abducere. Illa me potius ex tenebris ignorantiæ extraxit, et intelligibiles cordis mei oculos illuminavit, meque ad Dominum meum Jesum Christum verum Deum adduxit. Præses, his auditis, vehementer animo excandescens, caput illi ense amputari, atque in *c* mare projici corpus imperat. Atque ita confessionem suam Commentariensis Helladius (hoc enim illi nomen) XXIV die Januarii finivit.

*EX MENÆIS GR. INTERPR. J. B.*

*deinde clavis infixis :*

*Helladium Commentariensem convertit ;*

*isque martyrio coronatur 24 Januarii :* c E

*illa in fornace illæsa,* 4 Theodulam vero jubet Præses in medium ardentissimæ fornacis incendium jactari. Verum illæsa in media fornace constitit, Deum interea exorans ac collaudans. Hic in desperationem actus Præses, exclamat : Nescio quid hac *d* violentæ morti obnoxia facere debeam. Tum quidam e circumstantibus, Boethus nomine : Mihi, inquit, istam trade. Non sum ita demens, ut quemadmodum Commentariensis, circumveniri me ab ea, inque errorem abduci sinam. Annuente illo, eam assumpsit, ac domum secum duxit. Qui et ipse beatæ mulieris sermones corde suscipiens, uti antea Commentariensis, mente immutatus est : atque postridie cum Theodula Præsidem adiit : Et quod quidem ad nos pertinet, o Dux, inquit, adsto et ego tibi, ipse quoque confitens Christum verum Deum esse, meque inanes tibi spes promissis meis fecisse. Satius est enim, ut pollicitationem frustratus, cohæres Christi efficiar; quam ut præstans quæ dixeram ad gehennæ damner incendia. Tu vero, quem par erat vero Deo nostro, qui te ex præsenti discrimine liberarat, gratias agere, et, ut pollicitus eras, ad eum accedere; non modo nihil eorum fecisti, sed palam etiam ingratus, hanc ita de te bene meritam intolerandis dedidisti suppliciis. Hæc ille.

d

*Boethum convertit,*

*qui Christum confitens, et Præsidis ingratitudinem exprobrans,* F

5 At caput ei gladio amputari Præses jussit; Sanctam vero in craticula penitus ignescente extensam, pice, oleo, cera bulliente perfundi, ut ipsa etiam craticula magis accenderetur. Et Boethus quidem ense martyrium consummans, ad Christum migravit. Beata vero Theodula Deum precata, craticulam ascendit : quæ simul ac sacrum corpus suscepit, subito confracta, scintillasque frequentes in circumstantes ejaculata, complures eorum adussit. Rejecta in custodiam Sancta, die insequenti cum luculentus rursum excitatus esset rogus, in eum præcipitata est, cum Evagrio et Macario et aliis non paucis, et beato fine potita est.

*martyrio vitam finit :*

*Theodula in ignita craticula illæsa,*

*incendio demum enecatur, cum SS. Evagrio, Macario et aliis.*

a *Paronomasia est in vocibus,* Θεοδούλη Dei famula, *σύνδουλος* conservus *δουλικῶς* famulanter. — b *Nempe, ut Spartianus scribit, Antoninus Adriano* templum pro sepulchro apud Puteolos constituit, et quinquennale certamen, et flamines et sodales, et multa alia quæ ad honorem quasi numinis pertinerent. Quare... multi putant ob hæc Antoninum Pium dictum. *Alibi quoque (ut hanc puto) templum ei statum et posita.* — c *Flumen fortassis aut stagnum, neque enim ad mare sita Anazarbus: aut certe vecti inde ad mare caduver Martyris possit.* — d *Βιοθανῆ appellat, ut sæpe alii Christianos* Biothanatos, et Biæothanatos, *uti ex antiquis scriptoribus ostendit Baronius tom.* 2 *Annal. ad an.* 138 *num.* 5.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

# REVOCATO, SATURO, FELICE,

## SATURNINO, GELASIO.

J. B.

V FEBR.

*Horum SS. nomina in Martyrologiis.*

N*uda nomina horum pugilum exhibent Martyrologia quædam vetera, certaminis tempore ac modo prætermissis. Ita Martyrologium vetus Romanum, quod S. Hieronymi vocamus :* Revocati, Saturi, Felicis, Saturnini, Gelasi. *Tres habet Beda vulgatus :* Et Sanctorum, *inquit,* Felicis, Fortunati et Saturnini. *At Fortunatum omisimus, quia aberat a duobus MSS. Bavaricis, expressus licet in editione Basileensi an.* 1563 *et Antverpiensi an.* 1564. *Hermannus Greven Carthusianus Colonien. in Addit. ad Usuardum :* Eodem die Saturi, Aviti, Felicis. *Omisimus* Avitum, *intrusum huc fortassis aliunde, ob cognominem* Avitum *Ep. Viennensem. Plures alibi passim,* Felices, Revocati, Saturnini *etc. Sed nusquam simul junctos reperimus. MS. Richenoviense qua in provincia triumphum adepti sint innuit, dum de duobus diserte explanat :* In Africa Felicis et Saturnini.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# LEGONTIANE ET DOMITIANO

## TEATE IN APRUTIO.

J. B.

V FEBR.

*Teate* ANIMADV. PAP. 85.

T*eate urbs est* Marrucinorum *in Aprutio, in edito sita colle, haud longe ab* Aterno *amne, qui nunc* Piscaria *dicitur, et mari Hadriatico septem inde millibus passuum miscetur. Nobilitavit eam urbem* S. Justinus *Episcopus, de quo* XVIII *Aprilis agemus, atque avorum nostrorum memoria* Joannes Petrus Carafa, *qui deinde* Paulus IV *Pontifex Maximus fuit ; unde et Clericorum regularium ab eo instituta religio,* Teatinorum *est dicta.*

2 *In ea urbe* SS. Legontianes et Domitianus *Martyres hac die coluntur ; ut scribit Philippus Ferrarius in Catalogo generali SS. qui tabulas citat illius Ecclesiæ ; sed locum, tempus, modum martyrii eorum ait ignorari. Neque nos alibi de iis quidquam legimus.*

*coluntur hi SS. Acta ignota*

J. B.

# DE SANCTIS MARTYRIBUS PONTICIS.

INITIO IV SEC. V FEBR.

*Martyrologio adscripti Martyres,*

H*os primus Fastis Romanis inscripsit Cardinalis Baronius, in nullis antea notos martyrologiis, istudque addidit elogium :* In Ponto commemoratio plurimorum sanctorum Martyrum, quorum alii in persecutione Maximiani plumbo liquenti perfusi, alii acutis arundinibus in unguibus cruenti, ac multis horrendis tormentis vexati, iisdemque sæpius iteratis, palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt.

2 *Sumpta sunt hæc ex Eusebii hist. Eccles. lib.* 8 *cap.* 24. *ubi summatim commemorans, quæ in variis provinciis perpessi sunt supplicia sancti Martyres, Diocletiani et Maximiani persecutione, inter cetera ita scribit :* Auditu horrenda sunt, quæ in Ponto tolerarunt. Aliorum digitis ab extremis unguibus acutæ arundines infixæ : aliis terga æris liquefacti bulliente et ignita materia perfusa, et quæ necessitati serviunt corporis partes adustæ. Alii iis quæ nominari fas non est, membris ac visceribus fœdos acerbosque, et quos exprimere reformidat oratio, sustinuere cruciatus ; quos generosi illi et æqui scilicet judices suam ostentaturi solertiam, velut eximium quoddam sapientiæ specimen, excogitabant ; inque novis inveniendis suppliciorum generibus, velut in certamine præmia reportaturi, superare invicem nitebantur.

C

*quæ pass.,*

3 *Ea aliter paullo vel interpretatur vel explicat Ruffinus lib. 8 cap.* 13 In regionibus vero Ponti, *ait,* crudeliora gerebantur. Arundines acutæ quibusdam sub unguibus digitorum infigebantur. Aliis plumbum igni liquefactum et dorso defusum usque ad loca pudenda, quibus naturalis egestio procurari solet, infundebatur. Fœminis quoque ærei candentes fustes, absque ullo humanitatis miserationisque respectu, ingerebantur per pudenda viscerum et naturalium secreta membrorum. Sed quid faciam, quod appellationes ipsæ mihi in admissis facinoribus desunt, et gestorum scelerum nec vocabula, quibus enumerari queant, inveniri possunt ? Sustinebant tamen omnia fortissimi et piissimi Martyres, cum optimi et præclari Judices in eo solo sapientiam suam omnibus futuram in admirationem censerent, si aliquod novæ crudelitatis supplicium novique generis invenissent.

*et in his fœminæ.*

F

4 *Latent nos fortissimorum pugilum nomina, quæ scripta sunt in libro vitæ. Baronius contigisse hæc certamina ait* anno nono persecutionis Diocletiani et Maximiani Impp. *qui nempe Constantini quintus fuit,* Galerio Maximiano VIII et Licinio Aug. Coss. *Eræ vulgaris* CCCXI. *Sed quamvis nonnulla Sanctorum martyria, quæ eo libro commemorat, certis annis adscribat Eusebius, pleraque tamen ita percurrit, ut quæ a* XIX *Diocletiani, quem primum persecutionis statuit, in variis provinciis gesta, summatim colligat.*

*quando?*

# DE S. CALAMANDA

## VIRGINE MARTYRE IN CATALANIA

### ex Hispanico Ant. Vincent. Domenecci.

J. B.

V FEBR.

*S. Calamandæ cultus,*

C*ujas S. Calamanda fuerit, quo perfuncta genere martyrii, certo assequi minime potui : quamobrem cogor, ut sæpe in hac historia, iterum de majorum negligentia conqueri.* Constat tamen, Calassi, ubi ejus asservantur reliquiæ, magnam erga eam vigere pietatem, multaque Deum, ejus patrocinio, largiri mortalibus beneficia. In parochiali illius oppidi ac collegiata *b* ecclesia, S. Jacobo dicata, peculiare S. Calamandæ dicatum est altare, positaque illius statua, palmæ ramum

b

*altare*

manu

A manu prætendens. *c* Est et alia ejus effigies, solum exhibens caput humerorum tenus, eleganter fabrefacta, tamque vetusti operis, ut nemo sit isthic qui se aliquando auditu didicisse affirmet, unde, quove modo eo illata sit. Extat ea effigies in ipso altari, intra cellulam, sacrarii instar conformatam : hujus vero statuæ cavum quod est, in eo sanctæ Virginis reconditæ sunt reliquiæ.

*c imago; reliquiæ,*

2 Cum F. Benedictus de Toco, Vicensis Episcopus, ecclesiam Calaffensem visitaret, percunctatus est ex Joanne Ferrando illius Ecclesiæ Canonico, unde ipsis constaret eas esse S. Calamandæ reliquias. Respondit Ferrandus : Patres nostri nuntiaverunt nobis. Probavit pius Antistes responsum, utque inolitam adversus sanctam Virginem religionem retinerent hortatus est.

*majorum traditione assertæ :*

3 Quæ lux ei dicata, Nonæ, inquam, Februarii, parem ac Dominica dies celebritatem habet eo in oppido ac vicinis locis. Peracto ejus diei admodum solenniter officio, instituitur publica supplicatio celebri apparatu ac pompa, et Divæ corpus feretro impositum circumgestant eximia cum pietate : assistunt Sacerdotes, ac Clerus reliquus, cappis (ut vocant) induti, ac sceptra ferentes, perinde ut festo B Corporis Christi fieri solet. Comitantur Jurati, sive Magistratus, propriis insignibus decori. Confluunt denique oppidani universi atque aliis ex locis ingens vis hominum.

*festi ejus solennitas,*

4 Si qua extiterit tempestivorum imbrium penuria, quæ sterilitatem agris minitetur, consuetis quibusdam ad loca religiosa supplicationibus obitis, ultimum desperatis prope rebus perfugium hoc est, ut S. Calamandæ reliquias *d* ad locum media leuca D ab oppido distantem, qui Soler Liedus appellatur, deportent. Ibi Divinis mysteriis magna solennitate peractis, habita etiam quandoque ad affluentem turbam concione, Divæ effigies atque exuviæ eo in loco aliquanto temporis spatio relinquuntur, concurrentibus undique plurimis, partim ad venerationem, partim ad custodiam divini illius thesauri. Ea porro est propitii Numinis erga populos illos benignitas, sanctæ Virginis meritis precibusque conciliata, ut negent vidisse se unquam sacra ossa Calaffum revehi absque effusa aquarum copia.

*pluvia ejus ope petita divinitus,*

AUCTORE J. B. *d*

5 D. Sebastianus Grau, in Cathedrali Barcinonensi Ecclesia Sacerdos, et Joannes Sagarra, ambo ex oppido Calaffo oriundi, asserunt se memoratis ad aquam eliciendam supplicationibus sæpenumero interfuisse, ac semper egregie madefactos domum revertisse.

6 Est Calaffi sodalitium honori S. Calamandæ devotum, cui quatuor ex eo oppido vicisque propinquis adolescentes moderantur. Celebratur festum ejus v Februarii, peragiturque Officium duplex, secundum ritum ac cæremonias Ecclesiæ Romanæ, nomenque ejus exprimitur in Collecta, quam vocant, tam in sacro quam Horis. E

*plerumque obtenta : Officium festi.*

a *Philippus quoque Ferrarius in generali Catalogo SS. eam refert, sed* Calamandram *vocat. Joannes Tamayus de Salazar* in *Martyrol. Hispan.* S. Calamandæ *Acta dat ex Domenecco : et dubitat an non una sit ex sodalibus S. Ursulæ.* — b *Domenecus in titulo hujus historiæ tradit, olim monasterium fuisse Canonicorum regularium.* — c *Tamayus ita refert.* Hæc et altare insunt in quodam capellæ sacrario, in cujus parietis visceribus sacræ reconditæ sunt beatæ Virginis et Martyris exuviæ. — d *Idem Tamayus* : ad ecclesiam oppidi Solerensis de Lledus confluunt.

# DE S. AGRICOLAO

## EPISCOPO TRAJECTENSI IN BELGIO.

J. B.

*INITIO V SEC. V FEBR.*

T*rajectum, Mosæ adsitum urbem, demigrasse Atvatuca Tungrorum S. Servatium, ibique domicilium et sacerdotii sedem fixisse, indicavimus ad* xiii *Januarii, cum de* S. Designato, *cumque de* S. Sulpitio *ad* xviii *ageremus : quod plenius* vi *Februarii ad S. Amandi Vitam disputabitur. Existimatur porro* S. Servatius, *Theodosio imperante, circiter annum* ccclxxxiii *obiisse : quod* xiii *Maii ad ejus Vitam disquiretur. Post ejus obitum, Episcopo caruisse urbem utramque ad annos minimum* cxiv, *tradiderunt nostrates* C *quidam historici : nulla nobis apparet ejusmodi interregni, præsertim tam diuturni, probabilis caussa. Quis enim credat, novem aut decem Episcopos, quot a S. Servatio ad S. Domitianum numerantur, vix* xxx *simul annos explesse?*

*S. Agricolaus S. Servatio succedit, paullo post ejus obitum*

2 *Subrogatus ergo S. Servatio est* S. Agricolaus ; *et quidem ante annum, ut conjicimus,* cccc. *Contrarium censet Harigerus Abbas, qui ante annos* dcl *Pontificum Tungrensium et Trajectensium gesta litteris tradidit. Nam cap.* 30 *ita scribit* : Tandem B. Remigio, cœlitus ad hoc prædestinato, et per repromissionem jam nato, ut eam gentem *(Francorum)* ad veri Dei cultum converteret, et Galliarum populus in unitatem fidei Catholicæ conveniret; eo, inquam, tempore Agricolaus Ecclesiæ Leodiensi præsedit undecimus. *Imo* S. Falconem, *ab* Agricolao *octavum, cum, Francis ad Christi fidem conversis, Ecclesiæ passim restituerentur, Trajectensem Episcopum fuisse, ostendemus inferius* ix *Februarii ad* S. Victoris Mosomensis *Vitam; et* xx *cum de ipso* S. Falcone *agemus.*

*quidam volunt, tempore S. Remigii,*

3 *Ægidius Aureæ vallis monachus, qui ante* cccc *annos vixit, ista ad citatum Harigeri caput addidit* : Eo, inquam, tempore, a prædicto Beato scilicet Remigio, et Rege Clodoveo, et ceteris Galliarum Episcopis et Magnatibus, celebrata est prima synodus Aurelianis, de restauratione regni et Ecclesiarum. Ibi omnis Clerus et religio monachorum dolebat de subversione Tungris urbis, nec nomen episcopale ibi quisquam subire præsumebat, ex quo Servatius inde pulsus recesserat. Convenit ergo digniori Ecclesiarum gradui, et vir vitæ venerabilis Agricolaus, agrum Dominicum exculturus, eligitur, consecratur Præsul, juxta magnanimum Servatium Sedem in Trajecto habere dirigitur : quoniam quidem Tungris dignitate pontificali semetipsam indignam fecerat, ex quo demens illum abjecit, quem singulari quon- F dam miraculo per Angelum visibiliter accepit. Annuntiatum est verbum hoc Trajecto. Placuit plebi senatuique universo. Gaudenter electus Domini S. Agricolaus suscipitur, et in basilica S. Servatii digno successori digna Cathedra locatur. *Hæc Ægidius, eademque habentur in S. Servatii* Actis, *sed, ut suo loco dicemus, parum solidis.*

*ex decreto concilii Aurelianensis id factum,*

4 *Habita est synodus Aurelianensis, ut alibi ostendimus, anno* dxviii *vel* dxix. *At neque ei S.* Remigius *interfuit, neque in Canonibus, qui extant, mentio fit ulla rerum earum, quas Ægidius retulit. Hunc tamen secutus est Jacobus Meyerus, diligens alioqui Flandricorum Annalium scriptor, qui ad an.* dxii *ista habet :* Coacta Aureliani synodus Sacerdotum, decretaque in Ecclesia permulta utilia. Inter alia Agricolaus, filius Custodis Flandriæ, de sententia Divi Remigii, factus est Episcopus Tungrorum, qui undeviginti per annos eam administravit Ecclesiam. *Fatetur Meyerus, se hæc* ex catalogo Episcoporum Leodiensium *accepisse, Joannis nimirum Placentii, qui synodum illam habitam ait anno* ccccxcviii. *floruisse vero Agricolaum* sub Apostolicis viris Gelasio, Anastasio ii, et Symmacho. *Obiit Gelasius an.* ccccxcvi. *Anastasius* ii *an.* ccccxcviii. *Symmachus an.* dxiv. *Fabulas venditat, ut solet,*

*non probant*

*alii fingunt ejus prosapiam.*

AUCTOR. J. B.

A *solet, Placentius, cum Agricolaum* filium *fuisse hariolatur* Custodis Flandriæ ex filia Regis Britanniæ.

*Reædificat oratorium S. Servatii,*

5 *Probabiliora sunt quæ de S. Agricolai rebus gestis scribit antea citatus Ægidius ex S. Servatii Vita:* Huic inter cetera virtutum insignia, quæ per eum Dominus operari dignatus est, concessum est restaurare tectum sepulcri B. Servatii, ventorum violentia pridem dejectum, quod nemo ante eum poterat. Sicque post aliquantos annos Domino serviens nocte et die, recepturus ab eo coronam gloriæ, quievit in pace. Hujus Agricolai diebus, ecclesia B. Mariæ Hoyensis, quæ ab Hunnis cum toto oppido aliquantum temporis antea fuerat destructa, a suis civibus reædificatur, et in longum versus Orientem extenditur usque ad gradus Chori sub Crucifixo; altari tamen antiquo semper remanente immobili, et semper existente in eodem loco, ubi B. Maternus primitus instituerat et dedicaverat in honore B. Mariæ Virginis. *Laurentius Melartius lib. 1 Antiquit. Hugensium scribit ecclesiam hanc a civibus reædificatam anno* CDXII, tempore S. Agricolai; *ex eo nempe præjudicio, quod ab Attila eversum oppidum fuerit; quasi non et antea Hunni in Germaniam secundam irruperint, et Wandali atque alii barbari sæpe non appellati* Hunni B *reperiantur.*

*cives Hoyenses templum D. Virg.*

6 *Si vere tempore Agricolai ea restaurata est ædes, haud dubium quin et cives ipse ad opus instigarit, et facultatibus juverit, atque eam deinde perfectam consecrarit. Totum soli ei Placentius adscribit:* Is, Hoii templum, *inquit*, ab Hunnis conflagratum refecit, et secundum eodem loco adjecit, quo Maternus prius collocaverat. *De eadem æde agemus ad Vitam S. Materni* XIV *Septembris.* D

*non ipse hoc solus.*

7 Sepultum *Agricolaum* Trajecti in æde Servatiana, *scribit idem Placentius. Ejus, una et ceterorum Trajectensium Antistitum, agitur ab Ecclesia Trajectensi commemoratio* VI *Februarii. Peculiariter tamen ei in quibusdam Martyrologiis quintus Februarii dies dicatus est. Eo die MS. Florarium SS. ista habet:* Apud Trajectum superius, depositio S. Agricolai Tungrensis Episcopi et Confessoris undecimi, et primi Trajectensis post B. Servatium. Sepelitur anno sui præsulatus quinto; in ecclesia SS. Petri et Pauli, quæ nunc S. Servatii dicitur, juxta S. Servatium anno salutis CDXVIII. *Eum quoque generali suo Sanctorum catalogo inscripsit ad hunc diem Ferrarius. Ejus etiam nomen exhibet Kalendarium Sanctorum provinciæ Leodiensis. Sive cum Florario obiisse eum an.* CDXVIII *diceremus, seu cum Meyero* CDXXX, *sive cum Jorundo Presbytero scriptore Vitæ S. Servatii, post synodum Aurelianensem,* vixisse annos plurimos digne regentem se et populum Dei, *vix usque ad S. Domitianum, qui anno* CDXXXV *concilio Arvernensi interfuit, pauculi anni superessent, in tot successores partiendi. Probabilius ergo est, quod supra statuimus ante annum* CCCC E *Episcopum creatum videri, obiisse autem fortassis circiter* CCCCXX, *adolescentibus Francorum in Taxandria et Hasbania viribus, sub Rege Pharamundo.*

*sepelitur Trajecti.*

*inscribitur Martyrologiis 5 Febr.*

*circa an. 420 mortuus.*

# DE S. AVITO

## EPISCOPO VIENNENSI IN GALLIA.

### Commentarius prævius.

G. H.

§ I. *S. Aviti familia nobilitate et sanctitate illustris. Ejus cultus sacer, scripta ab aliis commendata.*

CIRC. AAN. DXXV. V FEBR.

*Triplex nomen S. Aviti*

Tria huic *Sancto sunt nomina*, Alcimus, Ecdicius, Avitus. *Horum duo* Alcimus Avitus *fere usurpari solent: tertium* Ecdicius *legitur in titulo epistolæ, quam libris quinque Poematum præfixit ad S. Appollinarem fratrem, his verbis:* Domino sancto in Christo, piissimo ac beatissimo Apollinari Episcopo Alcimus Ecdicius Avitus frater. C *Verum prioribus duobus omissis, ultimum, more illius ævi a Romanis accepto, tanquam proprium nomen, solum usurpabat. Ita S. Hieronymo et Ennodio, ut pluribus exemplis parcamus, e tribus nominibus ultimum adhæsit. Integra enim illis hæc nomenclatio erat:* Sophronius Eusebius Hieronymus, et, Magnus Felix Ennodius.

*an Avito Imperatore*

2 *Floruit in Gallia* Avitus *alius*, ex Senatore Arverno *declaratus anno* CCCCLV Romanus Imperator; *quo avo tradunt aliqui S.* Avitum *Episcopum prognatum, atque ab illo cognominatum. Patrem S. Aviti* Isichium virum Senatorium *appellat Ado in Chronico ætate 6; et ipse* Senatorem Romanum *se nuncupat Avitus epist. 31, et* Senatorem Catholicum *epist. 25. Buchetus scriptor Gallicus parte 1 de vera origine secundæ et tertiæ stirpis Regum Francorum cap. 2, filios Imperatoris Aviti asserit esse* Isichium Senatorem, *et* Ecdicium Comitem, *ut ab hoc patruo (si tamen a patre distinguatur) S. Avitus nomen Ecdicii videatur assecutus. Sirmondus et Savaro in notationibus ad Sollium Apollinarem Sidonium lib. 1 epist. 2 et lib. 2 epist. 12 filios Aviti Imperatoris tradunt* Ecdicium *et* Agricolam: *hinc Sidonius illas epistolas inscripsit. Erat autem, teste Gregorio Turonensi lib. 2 Histor. Franc. cap. 21,* Sidonio matrimonio sociata Papianilla Aviti Imperatoris filia. *Hinc* Ecdicium *appellat* sororium suum *carmine 20 illi inscripto, et lib. 5 epist.* 16 fratrem uxoris *agnoscit, eique gratulatur* accessisse honorem patricium, *collatum* a Julio Nepote Imperatore, *qui eam dignitatem ab anno* CCCCLXXV *non integro quinquennio gessit. Meminit S. Avitus Sidonii in epist. 38 et 43, sed ante vita functi, quam ipse ordinaretur Episcopus. Colitur S. Sidonius* x *Calend. Septemb. ex viro Senatorio Episcopus factus. An hunc* suum avunculum *appellat Avitus, quem cum* Isichio patre *tradit* post fasces, *scilicet secularium dignitatum,* populorum *Ecclesiæ* fascem, *sive infulam Episcopalem* sumpsisse? *Verba ex Poemate Aviti decerpta mox integra dabimus. Aliæ Aviti Imperatoris filiæ a Bucheto proferuntur, quarum altera nupta dicitur Omnatio filio Ruricii Episcopi Lemovicensis, altera Tonantio Ferreolo Præfecto Prætorio Galliarum, quem* affinem *agnoscit Sidonius lib. 7 epist.* 12. *et S. Apollinaris frater Aviti, ut in ejus Vita MS. apud Buchetum legitur, Narbonem profectus* apud Ferreolum et Parthenium suos consanguineos hospitatus *dicitur. Fuit autem Ferreolus avus Ansberti Senatoris, ex quo et Blitilde uxore, filia Chlotarii* I *Francorum Regis, progeniti sunt majores Regum Francorum secundæ stirpis a Carolo Magno cognominatæ. Christophorus Browerus in Notis ad carmina Fortunati lib. 3 carmine 26 scribit* Alcimum Avitum Episcopum Viennensium e clarissima Aniciani sanguinis familia *oriundum esse. Quod nos alibi non legimus.*

*Sidonius patruus eius Isichius?*

*an S. Sidonius ob Papianillam uxorem avunculus dicatur S. Aviti?* F

*alii consanguinei.*

AN. HADV. PAF 86

3 *Nomen matris cum illustri utriusque parentis commendatione exponit Avitus in suo Poemate de laude Virginitatis ad Fuscinam sororem, Virginem Deo sacratam, cujus hoc initium est:*

*S. Aviti parentes S. Isichius et Audentia,*

Suscipe complectens, Christo dignissima Virgo,
Alcimus ista tibi quæ mittit munera frater.

*Deinde a versu 18 hæc de suis parentibus canit;*

Edidit

A Edidit ut quartam genitrix Audentia prolem,
Teque dedit generi partu fœcunda supremo;
Confestim parcam promittit ducere vitam.
*post 4 prolem continentes.*
Ac deinceps paribus castum servare cubile
Constituit votis carorum cura parentum.
Et quia principium tam sancti fœderis esses,
Tu simul offerris Christo, qui protinus ipsis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.

*De iisdem parentibus aliisque consanguineis sub finem Poematis a versu 648 hæc tradit, eamdem alloquens sororem :*

Te meruit primam cognatio tota patronam.
Jam te signiferam sequimur, vexillaque Christi
Te portante libens sectatur stemma parentum :
Quos licet antiquo mundus donasset honore,
Et titulis monstret generoso semper ab ortu ;
*pater deia post alios majores Episcopus factus.*
Plus tamen ornavit Divinum insigne gerentes,
Ordine quod proprio sanctas meruere Cathedras.
Non atavos jam nunc tibimet proavosque retexam,
Vita Sacerdotes quos reddidit inclyta dignos ;
Pontificem sacris adsumptum respice patrem.
Cumque tibi genitor vel avunculus, undique magni
Post fasces, placeant populorum sumere fascem ;
Suscipe quos humiles patrum ad consortia fratres
B Officio similes nectens Ecclesia junxit.

4 *De sorore Fuscina, aliisque ex sua familia Deo sacratis Virginibus, canit Avitus in persona matris illam alloquentis, a versu 75 :*

*Ejus soror aliæque ex familia vitam monasticam amplexæ :*

Ortu quarta quidem, sacro sed munere prima
Dulcis nata mihi, cœlo quam carne fideque
Bis genui, Christoque rudem de ventre dicavi.
Hactenus hoc nostrum fuerat, sed tempore ducto
Jam decet esse tuum : nam, quod servabere Virgo,
A me principium tibi pervenit. Omnia posse
Incipies, cum velle subest : vestigia fervent,
Per quæ sectato conscendas tramite cœlum :
Nec desunt exempla domi. Nam respice quantas
Virginibus florens jam nostrum stemma coronas
Miserit in cœlum, sanctas quas dogmate Mater
Severiana levans, et te conjungier optat.
Nec multo senior, nunc gaudens, Aspida quondam
Sacratum velata caput, tua munia sumpsit,
Bissenos jungens sanctis altaribus annos :
Quam licet hinc celeri tulerit sors ultima letho,
Nil tamen est subitum semper migrare paratis.
Aspice nunc columen, gemina quod Virgine fulget,
Eximiumque decus, cujus tu jure propinqua
Fuscinam Fuscina refers : nec segnius illam,
** Euphrosyne.*
Quæ pietate potens, * Graia si voce sonetur,
C Significat propriam sumpto de nomine mentem.
Queis licet emeritum cedant sua secula culmen,
Vitaque sublimi cunctis præpolleat arce ;
Has generosa tamen Matres si corde sequaris,
Gaudebunt vinci, dum proficis : ac tibi summam
Sponte dabunt palmam superanti vota Magistræ.

*Hæc tibi. At præ reliquis eminet Aviti frater S. Apollinaris, Episcopus urbis Valentinæ ad eamdem cum Vienna ripam Rhodani versus mare Mediterraneum : cujus ecclesia Cathedralis tum S. Stephano, postea huic S. Apollinari dicata est. Colitur is v Octobris.*

*frater S. Apollinaris Epis.*

5 *Hæc domestica virtutum exempla promovit S. Mamertus tum Viennensium Episcopus, quem S. Avitus in Homilia de Rogationibus grato animo vocat* prædecessorem suum, et spiritalem sibi a baptismo patrem, Mamertum Sacerdotem, cui ante non paucos annos pater carnis suæ, accepto, sicut Deo visum est, sacerdotii tempore successit. *Habuit Mamertus in Episcopatu decessorem Simplicium, quem Gregorius Turonensis lib. 2 hist. Franc. cap. 13 et 14 conjungit cum Eustochio Episcopo Turonensi, cui anno* CCCCLI *successit S. Perpetuus, et vixit Episcopus per annos triginta, quot fere arbitramur SS. Mamerto et Isichio, et eodem omnino tempore, posse assignari. Certe floruisse Mamertum anno* CCCCLXIII *et sequenti indicant duæ epistolæ S. Hilari Papæ, Basilio Consule et post ejus Consulatum scriptæ in caussa Mamerti, ob ordinatum Deensibus extra suos fines Episcopum. Eidem Mamerto scripsit epistolam* I *libri 7 S. Sidonius tum Episcopus, ergo non ante annum* CCCCLXXII, *quo ille ordinatus est. Ad eumdem aliosque Episcopos extat libellus Lucidi Presbyteri fidem suam profitentis juxta statuta Synodi Arelatensis, quam Sirmondus habitam statuit circa an.* CCCCLXXV. *Reliqua de S. Mamerto* XI *Maii ad ejus Vitam examinabuntur. Ordinationi S. Isichii successoris sacrum asserit Saussaius diem* XVI *Martii, natalem statuit* XII *Novembris, quo die alter etiam Isichius colitur Episcopus Viennensis, quem* hortatu S. Aviti Christo se dedisse *refert Saussaius. Subscripsit is Concilio Aurelianensi* V, *anno Childeberti Regis* XXXVIII, *Christi* IↃXLVII. *Epitaphium hujus tradit Joannes a Bosco in Vienna sancta, a sorore Marcella conditum, in quo dicitur juxta* S. Avitum *sepultus.*

*in baptismo pater spiritualis S. Mamertus Episc. Viennen*

D

*AUCTORE G. H. quo is tempore sederit?*

*ei succedit S. Isichius parens,*

6 *S. Isichio parenti successit filius S. Avitus, et quidem, ut ejus Acta infra habent, tempore Zenonis Imperatoris anno* CCCCXCI *vita functi. Præerant tum Burgundionibus Reges Gundobadus et Godegisilus fratres, quibus et S. Sigismundo filio Gundobadi supervixit S. Avitus, sub Godemaro altero filio ante vita functus, quam regnum illud in potestatem Francorum redigeretur. Mortuus autem est* S. Sigismundus, *juxta Chronicon Marii,* Consule Maximo, Indictione I, *ergo anno Ch.* IↃXXIII. *Nullæ ad successorem Regem Godemarum extant epistolæ S. Aviti, ut non videatur diu sub ejus regimine supervixisse. Ob necem S. Sigismundi eum plurimum doluisse auctor est Ado. Celebris est memoria ejus Nonis Februarii in plerisque Martyrologiis. MS. Romanum antiquum, quod S. Hieronymo attribuitur, post ejus certe ætatem (ut vel ex hoc loco constat) auctum, MSS. Richenaviense, Centulense et alia ita fere habent :* Vienna depositio Aviti Episcopi. *Usuardus :* Viennæ B. Aviti Episcopi et Confessoris, cujus fide et doctrina ab infestatione hæreseos Galliæ defensæ sunt. *Conveniunt fere reliqua Martyrologia. Antiquissimum Lugdunense apud Joannem a Bosco et Joannem Lievræum in Antiquitatibus Viennensibus, uti et Romanum cum nonnullis aliis* infestationem, *a qua defendisse Gallias traditur,* hæresis Arianæ *fuisse edisserunt. MSS. multa Usuardi aucta, et antiquum Coloniense* tempore Gundobadi Regis Gallias defensas *addunt. Quæ omnia congerunt Beda excusus et nonnulla MSS. In Florario Sanctorum hæc leguntur :* Viennæ B. Aviti Episcopi et Confessoris, qui obiit anno salutis IↃXX. *In Germanico additur,* corpus ibidem quiescere, multis clarum miraculis. *Maurolycus et Felicius* Adjutum *vocant.*

*hinc S. Avitus filius circa an. 490*

E

*moritur post annum 523.*

*5 Februarii celebratur ejus natalis.*

F

*Colitur* XVII *Junii alius* Avitus Aurelianensis Presbyter : *qua die ita de hoc Episcopo Galesinius :* Viennæ in Gallia S. Aviti Episcopi et Confessoris, rerum pie ac divinitus gestarum tum doctrinæ gloria nobilis. *Saussaius eodem die ejus* ordinationem *celebrat,* cujus transitu, *inquit,* insignis est dies VI Februarii; *imo* V *præcedens, quo magno eum exornavit elogio.*

*ordinatio 17 Junii*

7 *Vitæ aliquod compendium subjicimus ex codice MS. Viennensi a Petro Francisco Chiffletio transmissum. Extat etiam in MSS. codicibus Canonicorum Regularium Budecensium in Westphalia. Auctor Adone junior est, qui ex hujus Chronico et Vita S. Apollinaris fratris plurima descripsit. Reliquæ virtutes in operibus ejus elucescunt, quæ extant aut instaurata aut primum edita cura et studio Jacobi Sirmondi : a quo illustriora antiquorum scriptorum testimonia congeruntur. Et quidem Isidorus Hispalensis de illustribus Ecclesiæ scriptoribus cap. 23 hæc tradit :* Avitus Episcopus scientia * secularium litterarum doctissimus, edidit quinque libellos heroico metro compositos, quorum primus est de origine mundi, secundus de originali peccato,

*Vita scripta.*

*De libris ab eo editis testimonia, S. Isidori Hispalensis,*

** al. sacrarum*

cato, tertius de sententia Dei, quartus de diluvio mundi, quintus de transitu maris rubri. Scripsit ad Fuscinam sororem de laude virginitatis librum unum, pulcherrimo compositum carmine, et eleganti epigrammate coaptatum. *Prioris libri meminit S. Fortunatus et ipse Poeta lib.* 1 *de Vita S. Martini hoc versu :*

*AUCTORE G. H.*

*S. Fortunati,*

Quod sacra explicuit serie Genealogus olim,
Alcimus egregio digessit carmine Præsul.

*S. Gregorii Turon.*

Extant, *teste Gregorio Turon. lib.* 2 *cap.* 34, epistolæ admirabiles, qui sicut tunc hæresim oppresserunt, ita nunc Ecclesiam Dei ædificant. Scripsit etiam Homiliarum librum unum, de mundi principio, et de diversis aliis conditionibus, libros sex versu compaginatos, epistolarum libros novem, inter quas supradictæ continentur epistolæ.

*Honorii Augustodunensis,*

8 *Eumdem S. Avitum ob præclaros editos libros laudant reliqui illustratores bibliothecarum. Honorius Augustodunensis cap.* 27 *appellat* Episcopum scientia sanctarum litterarum doctum, *quo forte modo Isidorus supra legendus, non* scientia secularium litterarum doctissimum : *cum S. Avitus nulla uspiam auctoritate profanorum auctorum utatur, ne vel fabula quidem ulla suis carminibus immista : illustris interim et Orator et Poeta, ob quam scientiam a Sixto Senensi lib.* 4 *Bibliothecæ sanctæ dicitur* et secularibus disciplinis copiosissime instructus, et vitæ sanctimonia, et sacrorum voluminum cognitione conspicuus. *Bellarminus vocat* virum nobilissimum, sanctissimum et doctissimum ; *ejusque* libros sex *carminum ante memoratos, tradit esse* plane gravissimos et venustissimos, *quos solum addit se legisse. Possevinus in Apparatu sacro* valuisse et scribendi et extemporanea dicendi declamandique facultate egregie. Opera *ejus plurima* ab Arianis aliisque hæreticis, contra quos scripserat, asportata: *eorum ipsum* insaniam et furorem sæpe expertum, illorumque insidiis ad mortem usque et exilium fuisse appetitum. *Agunt de ejusdem scriptis etiam Sigebertus de scriptoribus illustribus cap.* 22, *Bernardus Moltherus in præfatione ad carmina S. Aviti Commentariis illustrata ; et qui eodem anno* CIↃ IↃXVII *primus in lucem protraxit Joannes Adelphus Mulingus.*

*Sixti Senensis,*

*Bellarmini,*

*Possevini,*

*et aliorum.*

## § II. *Captivi a S. Avito redempti, ejus ad Chlodoveum Regem Francorum epistola.*

*Qua Avitus sollicitudine et dignitatem Episcopalem susceperit, et muneri imposito studuerit satisfacere, colligimus ex pia sanctaque institutione in epistolis, homiliis et poematis ejusdem inserta. In hisce enim modo inculcat, qua cura sollicitudineque inter pericula hujus mundi sit ambulandum, facilisque in peccata relapsus evitandus : alios incitat suos ad progressum in virtute, etiam præmio salutis æternæ proposito : alios docet quantum oporteat Christo in sanctissimo Missæ sacrificio confidere, alibi ad Angelorum tutelam subsidiumque mittit. Præclara tanti viri doctrina eximiaque sanctitas non potuit diu occultari, quin mox ejus fama per orbem Christianum longe lateque delata, in familiarem notitiam attraheret Summos Pontifices, Patriarchas Orientis, præcipuos Italiæ et Galliæ Episcopos, nec non Imperatores, Reges, aliosque viros Consulares, Patricios, Senatores.*

*Virtutis et doctrina S. Aviti fama inclyta.*

10 *Firmarat in Italia regnum Gothicum Theodericus, a Zenone Imperatore ante advocatus : quo Ravennam, in quam post varios conflictus Odoacer confugerat, per triennium oppugnante, Burgundiones frequentibus incursionibus Italiam vexarant, Liguriamque incolis in captivitatem abductis, pene omnem vastarunt. Theodericus deinde victor, S. Epiphanium Episcopum Ticinensem anno* CCCCXCIV *in Galliam misit ad Burgundionum Reges Gundebadum et Godegisilum, quorum ille Lugduni, hic Genevæ residebat. Gratis a Gundobado donati S. Epiphanio captivi ad sex millia ; plurimi pecunia redempti. Aderat S. Epiphanio Ennodius, dein Episcopus Ticinensis, Vitæ illius scriptor, ex qua sequentia huc transferimus : integram illustravimus* XXI *Januarii :* Postquam, *inquit*, pecuniarum ille *allatus* cumulus effusus est, continuo ad expensas redemptionis suggessit necessaria illa, quæ ibi est thesaurus Ecclesiæ, Syagria... Dedit etiam præstantissimus inter Gallos Avitus Viennensis Episcopus, in quo se peritia velut in diversorio lucidæ domus inclusit. Quid pluribus? auro illorum ex maxima parte actum est, ne Gallis diutius servitum pubes Ligurum duceretur.

*In redimendis captivis juvat S. Epiphanium Ep. Ticinensem :*

11 *In hac recuperanda captivis libertate agnoscit S. Avitus fidelem operam collatam ab S. Eustorgio Episcopo Mediolanensi, epistola 8 ipsi inscripta. Cujus in Episcopatu successori S. Magno alterius captivi commendat redemptionem epistola* 10 *illi missa. Coluntur Eustorgius illius nominis secundus* VI *Junii et Magnus* V *Novemb. Inter utramque Epistolam interponitur nona ad S. Cesarium Episcopum Arelatensem, cui simile caritatis beneficium commendat, quo quemdam Antistitem, Maximianum nomine, imbecillitate corporeorum luminum laborantem, suscipiat peregrinum. Eodem anno, quo diximus, collato a S. Avito auro, captivos redemptos, Chlodoveus Rex Francorum adhuc Gentilis, invocato Deo S. Chlotildis conjugis suæ, victoriam de Alamannis reportavit, ac fidem dein Christianam amplectens, festo Nativitatis Christi est baptizatus. Hanc eo die solemnitatem futuram, misso nuntio, Rex Chlodoveus indicarat S. Avito, qui cum sub alio Rege, et quidem Ariana hæresi infecto, degens, non posset coram Regem Chlodoveum convenire, misit illi epistolam zelo divino aliisque virtutibus refertam, maximeque dignam, quæ hoc loco referatur. Extat num.* 41 *cum hac inscriptione :*

*aliis Episcopis commendat eam caritatem.*

*Regi Francorum Chlodoveo baptizato gratulatur*

*missa epistola*

12 Avitus Viennensis Episcopus Chlodoveo Regi.

Vestræ subtilitatis acrimoniam quorumcumque schismatum sectatores, sententiis suis variis opinione, diversis multitudine, vacuis veritate, Christiani nominis visi sunt obumbratione velare. At, dum status nostros æternitati committimus, dum, quid recti unusquisque sentiat, futuro examini reservamus, etiam in præsentibus interlucentis radius veritatis emicuit. Invenit quippe tempori nostro arbitrum quemdam Divina provisio : dum vobis eligitis, omnibus judicatis, vestra fides nostra victoria est. Solent plerique in hac eadem caussa, si pro expetenda sanitate credendi, aut Sacerdotum hortatu, aut quorumcumque sodalium suggestione moneantur, consuetudinem generis et ritum paternæ observationis opponere. Ita saluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis custodia inutilem reverentiam servant, confitentur se quodammodo nescire quid eligant. Discedat igitur ab hac excusatione, post talis facti miraculum, noxius pudor. De toto priscæ originis stemmate, sola nobilitate contenti, quidquid omnis potest fastigium generositatis ornare, prosapiæ vestræ a vobis voluistis exurgere. Habetis bonorum auctores, voluistis esse meliorum. respondetis proavis, quod regnatis in seculo : instituitis posteros, quod regnatis in cœlo.

*quem frustra obstrepentibus hostibus Christi,*

*postpositis majoribus,*

*fidem Christi amplexum,*

13 Gaudeat ergo quidem Græcia habere se Principem legis nostræ ; sed non jam quæ tanti muneris dono sola mereatur illustrari, quod non desit et reliquo orbi claritas sua. Siquidem et occiduis partibus in Rege non novo novi jubaris lumen effulgurat : cujus splendorem congrue Redemptoris nostri nativitas inchoavit ; ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pariat, quo natum redemptioni suæ cœli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit et vestri : quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo : in quo

*cum Christianis Imperatoribus Orientis*

*conferi a baptismo, festo Nativitatis suscepto.*

A quo vos animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrastis. Quid jam de ipsa gloriosissima regenerationis vestræ solennitate dicatur? cujus ministeriis etsi corporaliter non accessi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus nostris Divina pietas gratulationis adjecerit, ut ante baptismum vestrum ad nos sublimissimæ humilitatis nuntius perveniret. Unde nos post hanc expectationem jam securos vestri sacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiscumque tractabamus, quale esset illud, cum adunatorum numerus Pontificum manu, sancti ambitione servitii, membra regia undis vitalibus confoveret: cum se Dei servis inflecteret timendum gentibus caput: cum sub casside crines nutritos salutari galea sacræ unctionis indueret, cum intermisso tegmine loricarum immaculati artus simili candore fulgerent.

*regia pompa*

14 Faciet, si quid creditis, Regum florentissime, faciet, inquam, indumentorum ista mollities, ut vobis deinceps plus valeat rigor armorum: et quidquid felicitas usque huc præstitit, addet hinc sanctitas. Vellem vero præconiis vestris quiddam exhortationis annectere, si aliquid vel scientiam vestram vel observantiam præteriret. Numquid fidem perfecte prædicabimus, B quam ante perfectionem sine prædicatore vidistis? an forte humilitatem; quam jam dudum nobis devotione impenditis, qui nunc primum professione debetis? an misericordiam, quam solutus a vobis adhuc nuper populus captivus gaudiis mundo insinuat, lacrymis Deo? Unum ergo, quod vellemus augeri: Ut, quia Deus gentem vestram per vos ex toto suam faciet, ulterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia constitutas nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono thesauro vestri cordis fidei semina porrigatis: nec pudeat pigeatque, etiam directis in rem legationibus, adstruere partes Dei, qui tantum vestras erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitus imperio servituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, discernant potius gentem quam Principem. Nulla igitur patria quasi speciali sede sibi vindicet, totis quos hominum gradibus attollitis. Constat vos esse, quo communis uno solis jubare omnia perfruuntur. Vicina quidem plus gaudent lumine, sed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuum præsentibus diademate, absentibus majestate. Successus felicium triumphorum, quos per vos regio illa gerit, cuncta C concelebrant. Tangit etiam nos felicitas. Quotiescumque illic pugnatis, vincimus.

*addicit ei majores victorias:*

*rogat ut fides apud Gentiles dilatetur*

15 Inter hæc tamen Catholicæ religionis affectum servat in vobis cura miserandi: et in apice rerum omnium gubernacula continente, non minus eminet sanctitas quam potestas. Ex qua utique factum est, ut dirigi ad vos servi vestri, viri illustris Laurentii filium principali oraculo juberetis. Quod apud Dominum meum, suæ quidem gentis Regem, sed militem vestrum obtinuisse me suggero. Nihil quippe est, in quo servire non potest, commendat directum. Congaudi misso, invidi vos visuro: cui minus computandum est ad utilitatem, parenti proprio restitui, quam patri omnium præsentari. *Hactenus S. Avitus ad Chlodoveum Regem. Qui hic vocatur Laurentii filius, apud Gundobadum Regem captivus, illustres pro sua liberatione nactus est intercessores, Chlodoveum Regem, ut epistola recitata testatur, Vitalianum Senatorem, Asparis nepotem, et patricii filium (quorum ope Leo, Imperio obtento, Marciano successerat) propugnatorem fidei orthodoxæ et Synodi Chalcedonensis, ideoque postea in locum Anastasii, contra Trisagium insanientis, Imperatorem acclamatum: tum etiam Celerem Senatorem, Officiorum Magistrum, cujus virtute fractus Cabades Persa, victoria ante insolens, pacem cum Anastasio pepigit, restituitque accepto pretio urbes ante ablatas. Extant ad hos duos de Laurentii filio epistolæ S. Aviti num. 42 et 43, nomine Sigismundi filii Gundobadi scriptæ: ad quas alludit Avitus epist. 44* Domno Sigismundo *missa, cui gratulatur Laurentii filium patri redditum.* D

*mittit illi captivum desideratum.*

*a suo Rege impetratum,*

*intercedentibus Vitaliano, Celere,*

*auctore G. et Sigismundo Regis filio.*

16 *Græciam gaudere ob Principes Christianos prudenter scribit Avitus. In ea namque tot Imperatores fidem orthodoxam amplexi, continenter regnarant, Theodosius magnus, Arcadius, Theodosius junior, Marcianus, Leo, Zeno, cujus tamen nomini, ob Henoticon inductum, fœda dein labes inusta, et tum magna gloria cœperat Anastasius, professionem fidei Chalcedonensis chirographo suo testatus: quod Patriarcha Euphemius acceptum in Ecclesiæ archivis reposuerat. Contra ne verbo quidem attingit Avitus Imperium Occidentis tum penitus deletum; regnantibus in Italia Theoderico, in Gallia Alarico et Gundobado Regibus Arianis, in Africa Vandalis, in Germania et Britannia prævalentibus Paganis, quos per Chlodoveum sperat ad religionem Christianam adducendos.*

*Qui tum Fidei status per Imperium Rom.*

## § III. *Familiaris Aviti cum Rege Gundobado congressus. Labores impensi in eo ad fidem orthodoxam adducendo. Hæreses oppugnatæ.* E

C*um apud Francos hanc religionis factam esse mutationem Avitus gauderet, ingemiscebat populum sibi subjectum aliumque vicinum sub Gundobado et Godegiselo premi* Erant *enim, teste Gregorio Turon. lib.* 2 *cap.* 32 tam illi quam populi eorum Arianæ sectæ subjecti. *Tum, uti legimus apud Agobardum Lugdunensem Episcopum libro adversus legem Gundobadi,* Avitus fide Catholicus, eloquentia facundissimus, ingenio acerrimus, sacrarum litterarum expositor suavissimus, litterarum etiam secularium doctissimus, et in metris facillimus, cum eodem Gundobado frequenter de fide altercans, et dialogos in præsenti conficiens, et epistolis absenti scribens, plura et clara ingenii sui et virtutis opera reliquit. *Unum ex illis dialogis, seu collocutionibus, proponit Avitus epist.* 21 *ad Gundobadi filium Sigismundum.*

*Cum Rege Gundobado*

*dialogos de fide habitos, exponit Sigismundo filio.*

18 Quod me, *inquit*, de collocutione Regali ad notitiam vestram non detulisse culpatis, occursui meo, exacta festivitate, servaveram: quia revera indicari vobis litterario famulatu cuncta per ordinem disceptationis prolixitas perplexitasque non patitur. Nam, quantum in animis Domini mei, patris vestri, F sensisse me puto, fervet in ejus studio confecta otii fronte certamen. Nam, quod credebamus, animositate deposita, silentio temperante, subitam opportunitatem potius quam quietem requirens, non cessavit præterita induciarum brevitate, sed latuit adeo, ut nec ipsa contentionis arma, quæ quasi in nostra regione defecerant, poscantur extrinsecus, vel usque ad reditum legatorum suorum fervor meditationis expectet. Redeunti igitur mihi de eo, quod nostis, itinere, nec aliquid interim de hujusmodi propositionibus opinanti, quidquid per implicatissimos quæstionum mendacium nodos longo spatio sagax industria potuit arare, commotum est. Fervet validus prolixa disputatione tractatus, placidus tamen, nec aliquid a supercilio dominandi turbulentæ commotionis interserens; sed curavit consulte, necessitatis opportunitate provisa et rei, ut, quicumque contentionis fuisset eventus, nec superiorem tumere, nec superatum pateretur erubescere. Quid multis? Sine jactantia vobis libere dico; ad proposita, quantum mihi videtur, quod, si audissetis, potuit placere, suggestum est. Quod sane vereor, audientis plus judicio satisfacere, quam studio placuisse. Sed cum præsentiam vestram, Deo largiente, meruero, per

*nolat illius confictum frontem,*

*quæstiones mendaces,*

*animum induratum,*

me

A me seriem totius altercationis exponam. Interim sermonis cursum de fine colligite, et ex eo, quod discedenti mihi præcepit, utrum ad responsa motus fuerit, æstimate. Jussit namque, ut, quodcumque de Scripturis nostris testimonium ad interrogata protuleram, seu si forte occurrisset et aliud, ad singula, quæ tempore collocutionis aptaveram, subnotata ei ordinataque transmitterem. Quod cum sibi ex maxima parte pronuntiaret incognitum, adjecit simpliciter, sic scriptum misissem Sacerdotibus : immo magis seductoribus, et, ut adhuc verius dicam, sectatoribus suis. Unde conjicere pietas vestra potest, quamquam intento contradictori, tamen arbitro sapienti, non invalida vel absque viribus visa, quibus intentionem suorum, etsi non optat corrigi, desiderat fatigari.

*AUCTORE G. H. a contradicente ut responsa scribantur, danda hæreticis Sacerdotibus,*

19 Ego, autem, licet sciens, quantum potestatibus Divino quoque jussu, frequenter et Regibus, pro veritate non ceditur, utrum parerem, diu dubius fluctuavi : sciens certe, hominis animum timens, numquam me per hæc satisfacturum : nec minus ab eo cavendum, quam ab hoste; dum adversa acies odia privata publica obsidione circumdat. At quo, Deo præstante, polletis fastigio culminis, studio religionis, privilegio auctoritatis, allatam muris discordiam propulsate, et furentia in castris, velut per campos Emathiæ, plusquam civilia bella dispergite. Quia, cum jam dudum simus pondere duplicato et clamantium querimonia, et non audientium duritia fatigati, æquum est, si dignamini, vestram quoque severitatem, aut istic castigandis consulere, aut hic erubescentibus condolere.

*ne aversus Regis animus noceat, petit patrocinium pii.*

20 *Interim, ut docet Gregorius Turon. lib. 2 cap. 34* B. Avitus Episcopus magnæ facundiæ, rogante Gundobado Rege, scripsit contra hæresim, nihil Divinitatis habuisse Dominum nostrum Jesum Christum. *Quæ fere continentur in epistola 28 ad Gundobadum Regem, ubi ejus quæstioni respondens inter alia hæc habet :* Jubetis ostendi vobis rationem vel potius auctoritatem, qua pateat * Deum habuisse in Divinitate substantiam, priusquam sumeret de Incarnatione naturam, et per hoc perniciosissima hæresis illa vincatur, quæ Dominum nostrum ex Maria cœpisse contendens, etiam Deum Patrem in Filii execratione blasphemat *etc. Idem Avitus exigente Rege Gundobado epistola 2 et 3 refutat hæreses Eutychianorum, Nestorianorum, Photinianorum et Bonosiacorum. Bonosus Naissitanus in Dacia Episcopus, Photini veneni sectator, docuit Christum tantum adoptione esse filium Dei. Aliorum hæreses notæ sunt, et sæpius a nobis explicatæ. Sed vel maximo sudore contra hæresim Arianam decertavit scriptis integris libris, quorum aliqua fragmenta edidit Sirmondus, olim a Floro Ecclesiæ Lugdunensis Diacono excerpta.*

*Scribit Rege petente pro Divinitate Christi,*

* *forte* Verbum

*contra varios hæreticos,*

21 *Quantum vero hisce disputationibus apud Regem Gundobadum profecerit Avitus, ita refert Gregorius Turonensis lib. 2 cap. 34 :* Cum cognovisset Gundobadus assertiones hæreticorum nihil esse a S. Avito Episcopo Viennensi, Christum filium Dei et Spiritum sanctum æqualem Patri confessus, clam ut chrismaretur, expetiit. Cui ait Sacerdos : Si vere credis hoc, quod nos ipse Dominus edocuit, exequere. Ait autem : Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis. Sic et ipsos sanctos ac dilectos suos beatos Apostolos cum de futuræ persecutionis tentationibus doceret, insinuavit, dicens : Attendite vobis ab hominibus : Tradent enim vos in conciliis et in synagogis suis flagellabunt vos, et ante Reges et Præsides statuis propter me in testimonium illis et Gentibus. Tu vero, cum sis Rex, et a nullo apprehendi formides, seditionem paveseis populi, ne Creatorem omnium in publico fatearis. Relinque hanc stultitiam, et, quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. Sic enim et beatus Apostolus ait : Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Sic et Propheta ait : Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te. Et iterum : Confitebor tibi in populis, Domine, psalmum dicam nomini tuo inter gentes. Metuens autem populum, o Rex, ignoras, quia satius est, ut populus sequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faveas populari. Tu enim es caput populi, non populus caput tuum. Si enim ad bellum proficiscaris, tu præcedis catervas hostium, et illi, quo abieris, subsequuntur. Unde melius est, ut, te præcedente, agnoscant veritatem, quam, te pereunte, permaneant in errore. Nam Deus non irridetur. Non enim diligit illum, qui propter terrenum regnum eum non confitetur in seculo. Ista ille ratione confusus, usque ad exitum vitæ suæ in hac insania perduravit, nec publice æqualitatem Trinitatis voluit confiteri.

*Regi converso præcipit publicam fidei confessionem,*

Matth. 10. 32

et v. 17

Rom 10. 10

Psal 34. 18

98. 10

*sed non impetrat :*

22 *Eadem Avitus in suis deinde ad Regem Epistolis inculcavit, atque ita epistolam primam concludit :* Sed cum incomparabiliter plura sint, quæ sub præsentia gloriæ vestræ suggeri queant, illud in fine sermonis, cui non solum tribuitis, sed injungitis libertatem, Deum vosque, Divina vestraque promissione fretus, obsecro, ne diutius Sacerdotes vestri dicantur, qui sancto Spiritui contradicunt : ne deinceps coram vobis permittantur docere, qui renuunt discere : ne ad perfectionem vestram aliquantenus differendam persistant blasphemare, quod audiatis, qui nolunt sentire, quod creditis : ne tolerando imperitorum versutias et ineptias callidorum suspendamini a professione, cum jamdudum in confessione teneamini. Vobis per epistolam suam sanctus Apostolus Paulus inclamat : Quæ pax fideli cum infideli- bus? quæ societas luci cum tenebris? *etc. Regem iterum concitavit fidei Catholicæ fautorem, ubi illi scribit epist. 39.* Quidquid, *inquit*, habet Ecclesiola mea, imo omnes Ecclesiæ nostræ, vestrum est, de substantia, quam vel servastis hactenus vel donastis.

*dissuadet consortium Arianorum Sacerdotum,*

*ne confessionem fidei impedientium*

2 Cor 6. 12

## § IV. *Conversio S. Sigismundi Regis. Synodi habitæ. Episcopi instructi.*

Avitus Episcopus, *teste Agobardo libro de Judaicis superstitionibus*, quam eximius Doctor, orthodoxus et facundus extiterit, pene tota novit Ecclesia Christi. Qui, *ut idem lib. adversus legem Gundobadi tradit*, ipso Gundobado in sua perfidia perdito, successorem ejus Sigismundum Regem ad fidem Catholicam convertit : in cujus conversione recitavit Homiliam in populo, sensuum suavitate plenissimam, et verborum compositione dulcissimam. *Sigismundum autem, patre Gundobado adhuc diu superstite, Catholicam fidem amplexum esse ex epistola 21 supra relata colligimus : cui hic addamus 29 qua una indicatur zelus utriusque in extirpanda hæresi, et subditis ad veram religionem adducendis. Ita ergo* Avitus Domno Sigismundo *scribit* : Omni quidem vitæ meæ tempore debitorem me asserendi famulatus agnosco : sed impensius festivitate præsenti, quæ sollicitudinem vestram non minus explorandis hæreticorum conatibus, quam nostræ partis occupat cultibus celebrandis. Siquidem per annum quoddam contagium congregatis adversis attento vobis labore curandum est, ne alienæ calliditatis fraude pullulet, quod in Dei nomine jam vestra victoria celebrabili virtute succidit, quamlibet Christo propitio præsentibus vobis obsistat. Hinc illa sollicitudine pressior constipatio Genavensis, quæ in more originis primæ virilibus animis virus anguium sibilo feminei sermonis insonuit. Unde illud, si mereor, quamprimum scire desidero, utrum, cum Domno, clementiæ vestræ patre, mentio

*Sigismundum Regem convertit,*

*incitat ad promovendam religionem,*

A tio illius ordinationis inciderit, quæ bonorum pestem, ab infernalibus latebris excitatam, Catholicis Arianisque certantibus intromisit: vel si servatur adhuc credulitatis, imo simulationis illius dolus, quem non impressum animis, sed chartulis exaratum, paullatim in antiqua sui dogmatis credulitate revocat litterata promissio. Quæ certe si adhuc, ut cœperat, societati Arianæ communione immixta est, claret gloriosior sub Principatu vestro noster triumphus, cum duabus hæresibus in unum redactis, tam acquirentibus quam convincentibus vobis, et schismaticorum numerus decrescit et schismatum. Hinc ergo servitium curiositatis meæ dignanter aspicite, et de peculiaris Patroni vestri Apostoli festis expectationi nostræ prosperitatis et compellationis vestræ munera duplicate. *Hæc ibi. Genavensis Ecclesiæ Patronus est S. Petrus, cujus festi occasione adventabant etiam promiscue hæretici Genavam, ubi, diviso cum patre regno, Sigismundus sedem fixerat.*

*ob numerum hæreticorum minutum laudat.*

24 *Fuerunt Sigismundo, ut refert Gregorius Turon. lib.* 3, *cap.* 5 *ex priore conjuge filia Theoderici Regis Italiæ, filius nomine Sigiricus et filia Theoderico Regi Francorum nupta. De his agit titulus* 8 *inter Homilias Aviti perditas:* Homilia dicta in conversione Domni
B Segisrici, postridie quam soror ipsius ex Ariana hæresi est recepta, *cum hoc initio:* Sæpenumero Divinitate, quod dilecto suo, Principi nostro *etc. Hic est ille* Sigiricus, *quem novercæ insidiis permotus* jussit Sigismundus interfici *anno Christi* DXXII, Symmacho et Boetio Consulibus. *Extabat olim extructum Agaunense monasterium, de quo agemus* XI *Februarii ad Vitam S. Severini Abbatis. Hoc, suadente S. Avito, novis ædificiis, adscitisque, præstantibus monachis, a Sigismundo Rege tantopere est illustratum, ut passim scriptores ab eo conditum referant. Inter Homiliarum Titulos extat septima a S. Avito* dicta in basilica sanctorum Agaunensium in innovatione monasterii ipsius, vel passione Martyrum, *quorum dies natalis est* XXII *Septembris. Huc* Rex *facinoris patrati* pœnitens *juxta Gregorium Turonensem lib.* 3 *Hist. Franc. cap.* 5 abiit et per multos dies in fletu et jejunio durans, psallentium ibi assiduum instituit, *in omnibus directionem S. Aviti secutus: qui sub illius nomine plures epistolas scripsit, unam ad Symmachum Papam, quem universalis Ecclesiæ Præsulem agnoscit, et sacras petit sibi reliquias donari: extat ea num.* 27, *Mortuus est Symmachus anno* DXIV, Senatore Consule: *quo tempore Regem Sigismundum Genevæ habitasse diximus. Tres alias sub ejus nomine scripsit ad Imperato-*
C *rem Anastasium epistolas, quæ extant num.* 69, 85 *et* 86. *Prima gratias agit Sigismundus ob honoris titulos sibi collatos: altera commendat Imperatori augmentum religionis orthodoxæ, tertia exponit obitum Gundebadi Regis, cui Anastasius Imperator biennio supervixit anno* DXVIII *exstinctus.*

*Convertit Sigiricum ejus filium cum sorore:*

*suadet innovari monasterium Agaunense:*

*sub ejus nomine scribit Pontifici Rom.*

*et Imperatori;*

25 *Qui tum degebant in regno Burgundionum Episcopi, responsa S. Aviti de rebus Ecclesiasticis expetebant. Ita Victorio Episcopo Gratianopolitano se consulenti, Num hæreticis templa sint auferenda, respondit epist.* 6. *Hoc necdum expedire, ne hæretici irati, et Reges istic futuri, et alibi regnantes offendantur. Constantium Episcopum, seu Vapincensis is fuerit, sive Octodorensis, epist.* 61 *monet, ne Clericum permittat ad seculares Judices deduci, neve ulli ob levem culpam deneget Communionem. Alium Episcopum, cujus nomini parcit, ob secreta hæreticis prodita reprehendit epist.* 26, *docetque Episcopum ab hæresi conversum posse ad sacerdotium promoveri. S. Stephanum Episcopum Lugdunensem epist.* 24 *monet, virus schismatis Donatistarum fortiter urcendum esse. Colitur is* XIII *Februarii. Successorem ejus dedit* Lugdunensibus S. Avitus Veranum, *ante* venerabilem monachorum Abbatem, *uti Acta infra testantur. Adscriptus is est Martyrologio Romano* XI *Novembris, alius a S. Verano Episcopo Venciensi, filio S. Eucherii Episcopi Lugdunensis, ad* X D *Septembris in Martyrologio Saussaii relato. Verano mortuo,* S. Viventiolum, de grege Presbyterorum Dei electum, designavit Episcopum S. Avitus, *cui in eremo Jurensi degenti*, pro transmissa sella imprecatur *epist.* 17 Cathedram *episcopalem. Illi dein Episcopo sæpius scripsit, et fere de mutua invitatione ad festa, altero præsente solemnius peragenda.*

*instruit Episcopos Galliæ,*

*AUCTORE G. H.* *Lugdunensibus dat Episcopos SS. Veranum et Viventiolum:*

26 *Eminuit et S. Aviti diligentia in Synodis Episcoporum convocandis. Unius Lugduni habitæ meminit epist.* 28 *ad Gundobadum Regem:* Rediens, *inquit*, ab urbe Lugdunensi sanctus Chartenius Episcopus, in qua nobis de Concilio discedentibus, ad privata quædam negotia peragenda resederat. *Sirmondus in Notis observat diversum esse hoc Concilium a primo Lugdunensi inter Concilia Galliæ edito. Videtur eadem caussa in utroque Concilio discussa, quod canone* I *dicantur* iterato in unum congregati, in caussa Stephani incesti crimine polluti, *qui duas sorores sibi uxores duxerat: quæ Acta pluribus indicant. Nec adfuit Avitus secundo Concilio sub Sigismundo habito, ubi nec hic memoratus Chartenius, cujus Sedes episcopalis hactenus ignoratur. In simili incestu præscribit epist.* 15 *et* 16 *S. Avitus Victorio Episcopo Gratianopolitano*, E *delinquentium excommunicationem, separationem, pœnitentiam publicam, et dein gratiam reconciliationis.*

*interest Synodo Lugdunensi sub Gundobado;*

27 *Celebrius est concilium Epaonense, ad quod S. Avitus omnes regni Burgundionum Episcopos convocavit, missa epistola encyclica, quæ extat inter epistolas num.* 70 *et in Notis Sirmondi ad illud Concilium: in ea mensis September assignatur huic Concilio celebrando anni* DXVII Agapito V. C. Consule, *ut mox patebit. De loco major difficultas est. Miræus in Chronico Belgico et alibi, citato Bucherio, opinatur in monasterio Agaunensi celebratum. Verum* parochiam Epaonensem, *non monasterium, præscribit S. Avitus: deinde* locum omnium fatigatione *perpensa huic conventui opportunum: cum tamen Agaunum ultra lacum Lemanum in angulo minus commodo versus Seduuos sit situm. Sirmondus in Notis ad Avitum arbitratur*, qui S. Firmati sepulchrum nactus fuerit, a Concilii fortasse loco non aberraturum. *Legi in Vita*, illum, Turonibus relictis pervenisse ad locum, cui nomen Eona super Rhodanum, ibique consedisse: *nominque* Eonam ab Epona deflexisse. *Joannes Columba de Episcopis Valentinis et Diensibus, eumque secutus Philippus Labbeus tabella* 4 *Geographiæ regiæ, assignant Jennam, tenuem modo in Sabaudia super Rhodanum vicum, ubi* F *ingentes domorum ruinæ, quæ toto pene agro reperiuntur, ostendunt civitatem istic olim non contemnendæ magnitudinis fuisse, et lapides* Deæ Eponæ *inscripti effodiuntur, certo satis signo, eam aut loco ubi coleretur nomen dedisse, aut suum a loco cognomen traxisse. Jam vero ab Epona sive Epaona ad Epenam facilis est deflexio, unde posteriores Jenam seu Jennam excerpserint. Hic autem locus respectu omnium e toto regno convenientium Episcoporum satis opportunus apparet in meditullio situs, imo et in limitibus provinciarum Viennensis et Lugdunensis, quarum Metropolitæ SS. Avitus et Viventiolus huic Synodo præfuerunt, juxta has eorum subscriptiones:* Avitus Episcopus constitutiones nostras, id est, Sacerdotum Provinciæ Viennensis relegi et subscripsi die XVII Kalend. mensis octavi Agapito V. C. Consule Epaone. Viventiolus Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis cum Provincialibus meis constitutiones nostras relegi et subscripsi die et Consule suprascripto.

*Epaonensi an. 517. non Agauni, sed in loco super Rhodanum, Jenna nunc dicto,*

*præest cum S. Viventiolo;*

28 *Ex aliorum subscriptionibus colligimus Episcopos Vesontionensem, Ebredunensem et Darantasiensem, licet eorum urbes juxta Notitiam provinciarum et civitatum Galliæ metropoles sint, absque ulla in alios Episcopos præeminentia huic Synodo interfuisse. Et quidem*

*adsunt Episcopi regni Burgundionum partim huic,*

A *quidem Viventiolus* suos Provinciales *videtur dixisse Episcopos, qui secum erant ex Provincia prima Lugdunensi, et ex Provincia Maxima Sequanorum : hunc scilicet Episcopos Vesontionensem et Vindonissensem inde Lingonensem, Augustodunensem, et Cabilonensem : adde Nivernensem, cujus Sedes provinciæ Senonicæ postmodum subjecta est. Reliquos S. Avitus* provinciæ Viennensis Sacerdotes *videtur appellasse, scilicet Episcopos Valentinum, Albensem, Gratianopolitanum, et Genavensem, ex prima seu Consulari Viennensi; Deensem, Tricastinum, Cabellicensem, Vasensem, Carpentoratensem, Arausicanum et Avennicum saltem in Presbytero submisso, et hos ex secunda Viennensi, Segestericensem, Aptensem et Vappincensem ex Narbonensi secunda; Darantasiensem et Octodorensem ex Provincia Alpium Graiorum seu Penninarum, et Ebredunensem ex Alpibus maritimis. Hinc magnitudo regni Burgundionum agnosci potest, ad Vitam S. Sigismundi Regis latius explicanda : cingebant eos Franci, Visegothi, Ostrogothi, Alamanni. Quæ autem in dicta Epaonensi Synodo de morum disciplina et Ecclesiasticis regulis præclare a S. Avito aliisque Episcopis constituta sunt, hic memores instituti nostri non attingimus.*

*AUCTORE G. H.*

*partim S. Avito subjecti.*

B § V. *Sedis Apostolicæ defensio. Epistolæ ad Pontifices Romanos, et Patriarchas Constantinopolitanum et Hierosolymitanum.*

M*ortuo* XVI *Kalendas Decemb. anno* CCCCXCVIII *S. Anastasio Papa, legitimis suffragiis electus est S. Symmachus, cui a quibusdam factiosis hominibus pecunia corruptis oppositus est Laurentius pseudo-papa; unde cædes in Urbe grassationesque factæ : donec tandem in Synodo Romæ anno* DI *habita, Theoderici etiam Regis interposita auctoritate, damnatus est Laurentius : et sequenti anno* DII *in altera Synodo, Palmari dicta, abrogata Odoacris sanctio est, qua Romani Pontificis electionem sine consensu Regis ratam esse vetuerat. In ea Symmachus Papa, impetitus adversariorum calumniis, ultro, quasi juri suo cedens, subjecit se Synodo judicioque Consacerdotum, ut integritas ejus omnibus innotesceret. Perperam id sibi sumpsisse judicium Italiæ Episcopos censuerunt, qui per universam Galliam sub variis Regibus degebant Antistites; aptissimumque rati S. Avitum, cum elegerunt, qui communi ipsorum nomine Episcopos Italiæ, qui ad eam Synodum convenerant, corriperet, quod de Pontificis Romani caussa judicare*

C *inferiores ausi essent. Avitus id præstitit epistola* 31 *inscripta* Fausto et Symmacho Senatoribus Urbis, *quam hic subjungimus, illustre summæ per Galliam Italiamque auctoritatis S. Aviti testimonium. Ita ergo scribit :*

*S. Avitus in defensionem S. Symmachi Papæ,*

*mittit Romam hanc epistolam*

30 Primum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos Urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humanisque expeteremus officiis. Sed quia istud jam dudum per rationem temporum fieri posse cessavit, vellemus, quod fatendum est, vel ea securitatis accedere, ut, quæ in caussa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam hujus quoque nos voti non potes reddit provincia præfixis regnorum determinata limitibus, quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo ordini vestro pagina hæc aliquod moveat, quasi ab uno directa, fastidium. Quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minus per mandata, quam per litteras oneratus, quæcumque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi. Dum de caussa Romanæ Ecclesiæ anxii nimis ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes, quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat, si statum Principis obruisset : perlata est sollicitu-

*nomine Episcoporum Galliæ,*

dini nostræ ab Italia in exemplaribus sacerdotalis D formula decreti, quam de Papa Symmacho apud Urbem collecti Italiæ Antistites ediderunt. Quam constitutionem licet observabilem numerosi reverendique Concilii reddat assensus, intelligimus tamen Sanctum Symmachum Papam, si seculo primum fuerat accusatus, Consacerdotum suorum solatium potius, quam recipere debuisse judicium : quia sicut subditos nos esse terrenis Potestatibus jubet Arbiter cœli, staturos nos ante Reges et Principes in quacumque accusatione prædicens; ita non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cum celebri præcepto Apostolus clamet, accusationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in Principatum generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est? Quod Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, caussam, quam, quod salva ejus reverentia dictum sit, pene temere susceperat inquirendam, Divino potius servavit examini : perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theoderico Regi, de his quæ Papæ dicebantur, objecta patuisse.

*monet non posse ab inferioribus judicari Papam,*

Matth. 10. 17

1 Tim. 5. 19

*judicio Dei servandum,*

31 Quibus cognitis, quasi Senator ipse Romanus, E quasi Christianus Episcopus obtestor, sic Divinitatis, quam colitis, dono temporibus vestris prosperitas optata succedat, sic dignitas, qua floretis, universo orbi speciem Romani nominis, mundo labente, contineat : ut in conspectu vestro non sit Ecclesiæ minor, quam Reipublicæ status : quodque vobis Deus præstitit, prosit et nobis : nec minus diligatis in Ecclesia vestra Sedem Petri, quam in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantummodo quæ Romæ geritur caussa cogitanda est. In Sacerdotibus ceteris potest, si quid forte nutaverit, reformari : at si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus, vacillare. Nostis bene inter quas hæresum tempestates veluti ventis circumflantibus, fidei puppem ducamus. Si nobiscum hujusmodi pericula formidatis, expedit ut gubernatorem vestrum participato labore tueamini. Alias autem quæ ratio est, si nautis in magistrum furentibus non sine illorum periculo cedatur isto discrimine ? Reddet rationem, qui ovili Dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Ceterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed judicis. Quapropter reddite nobis principalem, F si tamen needum est restituta, concordiam : quia clienti vestro, venerabili Symmacho Presbytero, idcirco laborem hujus fatigationis injunximus, ut nobis in vestrarum oraculo literarum per redintegratæ pacis nuntium supplicationis nostræ referret effectum.

*custodem fidei S. Petri,*

*Ecclesiæ nauclerum,*

*ovilis Dominici pastorem.*

32 *Hactenus S. Avitus nomine Episcoporum Galliæ pro S. Symmacho Papa ad Faustum et Symmachum Senatores Urbis. Anastasius Bibliothecarius de Vitis Pontificum tradit, tum solum* Faustum Exconsulem pro Ecclesia pugnasse. *Ennodius de Fausto sæpissime agit, cujus quæsturam, præfecturam, Patriciatum et Consulatum variis locis commemorat. Fuit autem* Faustus *consulatu absque collega functus anno* CCCCLXXXIII. *Iterum* Longinus et Faustus Consules *fuerunt anno* CCCCXC. *Qui anno* DII Avienus *cum* Pompeio Consul *fuit, a Baronio num.* 1. cognomento Faustus, *idem censetur cum præcedente*, cujus filius, Avienus item dictus, anno sequenti Consulatum gessit. *Alter, cui S. Avitus suam epistolam misit, est Q. Aurelius Memmius Symmachus et ipse Patricius, qui sine collega Consul fuit anno* CCCCLXXXV. *Extant apud Cassiodorum plures Theoderici Regis ad hunc Symmachum epistolæ, a quo juxta* 22 *libri* 4, *inter alios Judex delectus est adversus magos. Hujus filia Rusticiana nupta fuit summo*

*Litteræ missæ Exconsulibus, Fausto*

*et Symmacho.*

A *mo istius seculi viro Boetio, ut per eos duos heroes Avitus maximum S. Symmacho Papæ totique Ecclesiæ patrocinium acquirere tuto potuerit. De Symmacho agendum potissimum erit v Octobris ad Vitam S. Gallæ viduæ, ejus filiæ.*

33 *Magnam etiam, Avito cum S. Hormisda Papa, Symmachi successore, intercessisse familiaritatem ostendit rerum in Ecclesia gestarum mutua per epistolas communicatio. Scissa tum pridem erat ab Romanæ societate Sedis Ecclesia Constantinopolitana, quod Acacii Episcopi, post sententiam excommunicationis a S. Felice Papa* III *anno* CCCCLXXXIV *latam, anima obstinato in hæresi ac schismate extincti, nomen e sacris tabulis eradere nollent Episcopi, frustra sæpius a summis Pontificibus, Gelasio, Anastasio et Symmacho moniti. Huic subrogatus anno* IↃXIV *Hormisda, nullam omisit diligentiam occasionemve ad communionem alliciendi Ecclesiam Constantinopolitanam, cujus aliquot provinciæ, Dardania videlicet et Illyricum, tunc sese Hormisdæ Romano Pontifici subdiderunt : quod, dum Constantinopolim destinantur Legationes, pro suo Pontifex erga S. Avitum affectu, missa epistola indicavit. Tum Avitus epistolam* LXXXVII *inscripsit*, Domino sanctis meritis præcellentissimo, in Christo gloriosissimo, et

*Cognito Ecclesiæ Constantinopolitano statu ex litteris Hormisdæ Papæ,*

*rescribit Avitus :*

B Apostolica Sede dignissimo Papæ Hormisdæ, *cujus est hoc exordium :* Dum religionis statui et plenis Catholicæ fidei regulis perspicitis convenire, ut gregem, per tota vobis universalis Ecclesiæ membra commissum, pervigil cura vestræ adhortationis informet, Viennensem provinciam superiore anno, si meminisse dignamini, datis ad humilitatem meam litteris visitastis; quæque ad me secundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatensis Ecclesiæ Clericos pervenerunt, et quidem plenissimæ sollicitudine pastorali. In quibus nos, sicut per conversionem provinciarum, id est, Dardaniæ, Illyrici, vel Scythiæ, ad communionem gaudiorum provocatis, sic admonitione cautissima, quid nos per ignorantiam prævenire possit, instruitis. *Et sub finem hæc habet :* His adjicitur, quod diversorum fida relatione comperimus de reconciliatione vel concordia Ecclesiæ Romanæ jactitare se Græciam, quod sicut amplectendum, si veraciter dicitur, ita metuendum est, ne callide simuletur. Quæsumus ergo servitio meo cuncti, ut, quid filiis vestris, fratribus meis, id est, Gallicanis, si consular, respondere debeam, instruatis; et quia securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam; orate, ut sic nos * perditorum professio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separat. Accepta III Kalendas Februarii Agapito V. C. Consule per Alexium Presbyterum, et Venantium Diaconum, *id est, anno* IↃXVII. *Hactenus ad Hormisdam Papam epistola S. Aviti, de qua videtur agere ille in epistola* II, *ita Anastasio Imperatori scribens :* Pendent anxia corda cunctorum : ab ultimis ad nos Galliis directa legatio, si quid de unitate redintegrationis sollicitudo nostra promovisset, forma secuta consulnit.

*gaudet ob conversionem Dardaniæ, et Illyrici :*

*adjicit Gallicæ Episcopos Papæ obedientes.*

C

* *al.* prædictorum

34 *Interim quamprimum* Hormisda Avito Episcopo et Universis Episcopis Provinciæ Viennensis sub *ejus diœcesi* consistentibus ita rescripsit : Qui de his, quæ ad disciplinam Catholicam pertinent, maxime sciens instrui cupit, quid studii circa mandata Divina habeat, evidenter ostendit. Non enim potest esse hujusmodi cura, nisi ubi fides fuerit infucata. Atque ideo exultamus in Domino de sinceritate propositi tui, dilectissime frater, dum te secundum directas per Alexium Presbyterum atque Venantium Diaconum litteras intuemur, et de impiis trangressoribus Eutychete atque Nestorio Sedis Apostolicæ constituta recolere, et si quid adversum eos admo-

*S. Hormisda*

*laudat fidem sinceram S. Aviti :*



nitio nostra promoverit, per quos Ecclesiæ Orientales confunduntur, inquirere. Digna plane sollicitudo fidelibus, ut de miserorum lapsibus ingemiscant, et ipsi, ne aliena polluantur contagione, provideant. Sed ne nos quidem hoc supersedisse credatis, ut ad notitiam vestram, si quid actum fuisset, competens perferret instructio. Verum breviter silentium nostrum, quod dilectio mordet vestra, purgamus. Nam quod non sæpius nostra admonitio vos frequentet, de conscientiæ vestræ et fidei stabilitate confidimus. Sollicitudo impendenda fortasse sit dubiis : satis est vitanda indicasse perfectis. *Dein post indicatam perfidiam Græcorum hæc subdit :* Et nos quidem nostræ dispensationis memores, necesse est eos repetitæ legationis officio convenire. Quo affectu salutationis suæ, si respectu Dei, si rationis intuitu non moventur, saltem pulsantibus importune et pertinaciter acquiescant, et aut ad rectam viam declinatis erroribus revertantur, aut propter impœnitens cor ab omnibus inexcusabiles judicentur, qui et moniti toties in perfidiæ obstinatione persistunt. Vos orate, et nobiscum ad Deum preces et vota conjungite, ut per opem misericordiæ ejus nostra actio laborans pro Catholicæ fidei stabilitate, promoveat immaculatos et integros ab omni transgressorum societate.... Data xv Kalen. Mart. Agapito Consule *anno Chr.* IↃXVII.

D

AUCTORE G. H.

*excusat silentium suum :*

*proponit novam legationem mittere Constantinopolim,*

*imploratis ideo precibus,*

E

35 *Hæc ad S. Avitum Hormisda Papa, qui novam legationem supra indicatam mense Aprili Constantinopolim misit; datis litteris cum professione fidei Catholicæ, tam ad Anastasium Imperatorem quam ad Timotheum Constantinopolitanum Episcopum. Sed Anastasius legatos frustra muneribus tentatos (erant hi Ennodius Ticinensis et Peregrinus Misenas Episcopi) fragilem in navem imposuit, inhibito ad ullam civitatem accessu; ut ipse in suis epistolis testatur Hormisda. Anno sequente* DXVIII *facies Ecclesiæ Orientalis cœpta immutari, extinctis Timotheo Episcopo Constantinopoleos, et Anastasio Imperatore, hujus loco purpura a Justino assumpta, illius Cathedra Joanni Cappadoci Presbytero et Syncello tradita. Tum tertia legatione Constantinopolim missa, pax Ecclesiis plene redintegrata est, Consulibus Justino Imperatore et Eutharico, anno Christi* IↃXIX, *ut testatur Joannes in sua ad Hormisdam epistola. Quam mox, nuntiatis hisce rebus, conceperit lætitiam, S. Avitus indicat missa hunc Episcopo Constantinopolitano epistola num. 7, qua tantæ rei convenientem ac necessariam constantiam eidem commendat.*

*sed ab Imperatore rejectam :*

*Joanni Episc. Constantinop.*

*commendat S. Avitus constantiam.*

36 *Turbulentis iis temporibus præerat Ecclesiæ Hierosolymitanæ S. Elias, qui neque impiæ Concilii Chalcedonensis damnationi voluit assentiri, neque a sancta cum Romanis Pontificibus communione potuit avelli; ideoque anno* DXIII, *a Sede sua expulsus, vitam in exilio finivit. Plures S. Avitus ad illum scripsit epistolas. In ea quæ extat num. 23 post acceptam sanctæ Crucis particulam missa, hæc pro gratiarum actione scribit :* Obligatus dignationi vestræ debito largitatis, per ipsum dependo gratiarum vota, per quem ad me munera pervenerunt, non quantitatis pretiis, sed salutis præmiis æstimanda. Ditastis namque sanctificationis opibus pauperiem orbis extremi, et obscuritatem solis occidui, participato nobiscum fulgidi ortus lumine contigistis. Tersit a provinciis nostris torpentis religionis rubiginem claritas doni : quæ boni semper currentis irriguo fidem nostram contemplatione munerata est, cum patefactis a pietate vestra penetralibus cœlestium thesaurorum, quidquid Catholici credere jubemur, inspeximus. Orate quod superest, ut dignis talia miseritis : commendate nos mysteriis quæ nobis committere duxistis. Ædificetur his devotio nostra, regio defendatur : ut indulto nobis pignore salutari, quos terrestris Hierosolymæ non censuistis indignos, supernæ ac cœlestis habitaculo reddatis idoneos.

F

*a S. Elia Episc. Hierosolymitano impetrat particulam sanctæ Crucis, gratias agit :*

*AUCTORE G. H. Templorum augmentum procurat.*

37 *Demum S. Aviti animum indefatigabilem in cultu templorum promovendo indicat fragmentum m operum, ubi* generali exultatione gaudet cum sceptris Catholicæ potestatis florere orationum loca. Martyrum templa, limina sacra; ornari oppida non minus Patronis quam ædibus, imo potius illustratas patrociniis ex oppidis fieri urbes.

# VITA

## *Ex MSS. Vienn. et Budecensi.*

Tempore *a* Zenonis Imperatoris B. Avitus Episcopus, sapientia et doctrina mirabilis, Deo mortalibus favente, Viennensem Ecclesiam post patrem *b* Isicium æque Episcopum *c* suscepit regendam. Hic Isicius, vir primum fuit Senatoriæ dignitatis; cui fuerant duo filii, clarissima lumina, infula sacerdotali prædití, *d* Apollinaris Valentiæ Episcopus, miraculis insignis, et Avitus, qui, sicut jam dictum est, in Viennensi Episcopatu patri successor extitit. *e* Hic adversus hæresim Arrianam, quæ tunc non solum Africam, sed et Galliam, Italiamque ex parte occupaverat, magno sudore decertavit; quod clarissima ejus opera testantur: scribit enim dialogum hæresim illam oppugnans, fidelissimo et doctissimo, immortalique ingenio, ad *f* Gundebadum Burgundionum Regem, filium *g* Gundovei. Item alios libellos duos contra Nestorium et Eutychem auctores erroris, luculentissimo, et castigato satis eloquio. Item de subitanea pœnitentia. Item consolatoriam de transitu filiæ Gundebadi. Item epistolas, ubi solvit illud, quod Dominus in Evangelio dicit: Omnis qui reliquerit domum, aut fratrem, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, etc. Item epistolarum ad diversos, libros *h* tres. Item homilias de diversis temporibus anni; et multa alia, tam prosaico, quam metrico ad eruditionem omnis Ecclesiæ Dei composuit, et multotiens pro eruditione ejus ab hæreticis usque ad exilium et mortem periclitatus est. Hic Venerabilem Abbatem monachorum *i* Veranum Episcopum Lugdunensibus dedit. Hic etiam S. Viventiolum *i* de grege Presbyterorum Dei electum, eisdem Episcopum designavit. Hujus temporibus, gravissima persecutio Wandalorum, ceterarumque gentium in Africa excanduit, et *k* Symmachus Pontifex per Africam et Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant, quingentis quinquaginta, pecunias et vestes ministravit.

*S. Isicio patri succedit Episcopus,*

*hæresim oppugnat,*

*scriptis libris claret,*

*SS. Veranum et Viventiolum Lugdunen. Eccl. præficit Episcopos,*

2 Quanta autem ab hæreticis, et a Sanctæ Dei Ecclesiæ inimicis passus sit, gesta fratris ejus testantur, quæ ita se habent. Itaque accidit ut quidam ex officio Regis Sigismundi, nomine *l* Stephanus, qui super omnem dominationem fisci principatum gerebat, defuncta ejus conjuge, sororem uxoris suæ sibi illicito conjugii consortio copularet. Qua de re Sancti ac Beatissimi apostolici viri, Avitus, et Apollinaris, qui secundum carnem germani, in Christi vero opere famosissimi fratres, omni semper in tempore, operibus mancipati divinis, nobilitate eorum cognita, prudentia, doctrinis sacris, spiritu fervente eruditi, Synodalem Institutionem servantes, cum reliquis Pontificibus simul in unum congregati, ipsum Stephanum sacra communione privari sanxerunt: ut calcata scilicet humanæ fragilitatis impudicitia, incestum, quod superna justitia damnavit, inhonesta præsumptio non audeat vindicare. Tunc Rex diræ insaniæ furore permotus, beatissimos Pontifices acerrime insidias prætendendo injuriari non desidebat. Sed apostolici atque venerabiles viri minas terreni Regis minime formidantes, imperiis cœlestibus armati, ita se Justitiæ vinculo nexuerunt, ut qualibet supplicia eisdem inferrentur, ut socii passionum, tormenta tolerarent. Visum enim illis est, ut in oppido civitatis Lugdunensium quod nuncupatur Sardinia, pariter tamquam exilio deputati, auxiliante Deo comitarentur. Videns vero Rex ille constantiam eorum incorruptibilem esse, ab ira non desinens, præcepit ut Pontifices, qui ibidem pariter residebant ad propria reverterentur, et sigillatim per singulos menses Regem opperiri deberent. Sed quia Beatissimus Apollinaris in condemnatione Stephani perseverans videbatur, ipsum primum studuit observare.

*sub Rege Sigismundo.*

*Ad impediendum incestum*

*Synodum cogit,*

*dira patitur, cum S. Apollinare fratre,*

3 Tunc omnes lacrymis divinam potentiam obsecrantes, ne se derelinqueret, valedicentes, celebrata oratione profecti sunt. In quo loco dum vir Dei morarum spatia, necessitatis causa, sustineret, ab ardenti æstu fluenta Rhodani tepefacta sunt, ut a sitientibus ex eo aqua potari non posset. Et quia nullus puteus, neque fons, unde aqua hauriri deberet, ibidem reperiebatur, beatissimus vir Dei, firmans se Spiritu sancto, et virtutibus non ignotæ potentiæ securus, confert se ad locum a Deo designatum, et secretius præcepit suis sarculum exhiberi. Quo exhibito, oratione completa, ait ad eos: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hunc locum aperite. Hoc facto, mox annuente illo qui aquas fervere jubet in corde terræ, fons exortus est; et quamdiu beatissimus Pontifex ibidem moratus est, beneficio omnipotentis Dei aquam sibi placitam semper habere promeruit. Post discessum vero ejus fons siccatus est, ut omnes agnoscerent, meritis servi Dei fontem ipsum obsequium suum detulisse, et ad pristinum cursum fuisse reversum. Cumque Rex ille virum illum apostolicum nec videre vellet, sed magis insidias prætendere studeret, qui est meritorum rectissimorum Judex, et immensæ virtutis laudabilis, celerem ultionem demonstrans, illico contigit ut ipse Rex ita vim febrium incurreret, ut potius funebris, quam vitalis esse crederetur.

*cujus precibus fons acceptus,*

4 Tunc Regina ipsius, fide accensa, alacri festinatione pervenit ad locum ubi beatissimus Pontifex residebat, et avida devotione petebat, ut intercessione ipsius, Dominus suus incolumitatis donum reciperet. Sed vir Dei abdicata mundanæ elationis offerentia, eundi famulatum omnimodis denegavit: magisque Regina illa lacrymis pedes ejus rigans poscebat vel cucullam ejus sibi præstari, quam super Regem sternere deberet. Victus fletibus cessit. Quæ cum tribuente Deo supra virum fiduciali constantia fuisset expansa, statim effugata infestatione febrium, vel si qua alia impugnatio videbatur, prosperitatis munus emeruit. His actis reminiscens Rex ille facinus quod admiserat, licet grandi confusione repletus, tamen exultans, quod suffragante Pontifice per vestimenti ejus tegmina, pristinam meruisset consequi sospitatem; præcurrens primum studuit, ut tanti miraculi, tantæque virtutis largitate latices, quos Dominus servo suo benignitatis munere tribuit, oculis visibilibus cernere mereretur. Agnita virtutis gratia venit ad virum Dei, et amplectens pedes ejus, compositus cum exultationis fletu, veniam postulabat, dicens: Peccavi, inique gessi, dum justis indignas sæpe intulerim tribulationes; nam quæ expugnari nescit Justitia cœlestis, hoc ipso quo impugnatur, fortior est. O cœlestis Regis indulgentia, qui peccantium animas non vult perire, sed culpas! o virtutum gloria, quæ per famulum suum Apollinarem, refutatis mundialibus curis, gemina gratia claruere virtutis! denique assistens pro Justitia, insaniam Regis, tumidamque ejus superbiam repressit, et orationis effectu a languore mortali quo detinebatur absolvit.

*et cuculla febris Regis sublata.*

5 *m* Hunc Sigismundum Regem Beatus Avitus post exilium in fide pietatis erudivit, qui illo agente monasterium sanctorum Martyrum Agaunensium, Mauricii,

*m eum convertit S. Avitus.*

A Mauricii, sociorumque ejus construxit : quem postmodum captum a Francis et occisum vehementissime doluit. Hic Imperatoribus et Regibus, etiam populo, per epistolas, per homelias, insuper et viva voce declamando, quasi tonitruum exitit. Hujus labore et industria baptisterii ecclesia musivo et marmore mirabiliter ornata, et pavimento venusti operis constructa, ipsumque baptisterium, cum aquæductu, et ornatu suo ad honorem Patriarcharum et Prophetarum, Sanctique Joannis Baptistæ, quanta celeritate
n a fundamentis reædificata sit, in *n* homilia quam populo in dedicatione ejus composuit, ita scribit : Antea locus quam annus expletus est. Quantus autem in Ecclesia, dum vixerit, fuerit, quisquis scire ad plenum vult, post ejus innumera in divinis labo-
o ribus opera, *o* Epitaphium ipsius legat; et quantus fuerit videre poterit.

6 Sepultus est autem in Ecclesia Apostolorum, ad sinistram partem domus, in capite longioris maceriæ.
p Hic ad *p* Elpidium Lugdunensem Diaconum, virum doctum et sanctum, unam familiarissimam, et sale
q r sapientiæ conditam scripsit *q* epistolam. Moritur *r* Anastasio adhuc Principe.

B a *Imperavit* Zeno *ab anno* 474 *ad* 491. — b *Colitur* S. Isichius 12 *Novemb.* — c *Circa annum* 490. — d *Colitur* S. Apollinaris 5 *Octob.* — e *Verbis iisdem narrat Ado in Chronico hæc de hæresibus oppugnatis.* — f *Sub Gundobada vixit Episcopus usque ad annum* 516, *quo ille mortuus est.* — g *Aliis* Gunderici, *de quo et fratre ejus Chilperico agemus* 28 *Februarii ad Vitam SS. Romani et Lupicini Abbatum.* — h *Gregorius Turon. lib.* 2 *Hist. Franc. cap.* 34 *numerat* epistolarum libros novem. — i *de SS.* Verano et Viventiolo *promotis actum* § 4 *num.* 23. — k *Anastasius de Vitis Pontificum et ex eo Ado in Chronico, de S. Symmacho Papa* : Hic omni anno per Africam vel Sardiniam Episcopis, qui in exilio erant retrusi, pecunias et vestes ministrabat. *De exulibus Sardiniæ actum* 1 *Januarii in Vita S. Fulgentii Episcopi Ruspensis, et alibi de aliis sæpe agetur.* — l *De Stephano hoc, et Synodo ejus occasione habita, egimus* § 4 *num.* 26. *Reliqua ad Vitam* S. Apollinaris *accuratius examinanda.* — m *Hinc iterum plurima ex Adone referuntur.* — n *Extat hæc titulus tertius inter homilias quæ perierunt* : In restauratione baptisterii in civitate susa Vienna. — o *In MS. Budecensi inserebatur hic epitaphium, quod subjicimus.* — p *Fuit* Elpidius *hic Medicus Theoderici Regis Ostrogothorum in Italia, cui eum carum fuisse docet Cyprianus in Vita S. Cæsarii* : Elpidius, *inquit*, Diaconus et medicus, regiæ potestati sedulis officiis cumprimis familiaris et intimus. — q *Est hæc* 35. *Extat ad eumdem epistola Cassiodori lib.* 4 *Variarum, et plures Ennodii Ticinensis.* — r *Imo sub Justino Imperatore, sub quo etiam in puteum projectus est S. Sigismundus, quem occisum doluit juxta hunc Auctorem.* D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

# EPITAPHIUM S. AVITI

*Ex MS. Budecensi et Sirmondo.*

Quisque mœstificum tumuli dum cernis honorem
Cespite concludi totum deflebis Avitum;
Exue sollicitas tristi de pectore curas.
Nam, quem plena fides, celsæ quem gloria mentis,
Quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
Nil socium cum morte tenet. Quin prospice sancti
Gesta viri : primum florescens indole quanta
Spreverit, antiquo demissos stemmate fasces,
Maturum teneris animum dum præstat in annis,
Et licitum mundi, voti virtute relegat.
Nec mora, Pontificis sic digna insignia sumit,
Augeat ut soliti felicia cœpta laboris.
Nec tamen ob summi culmen tumefactus honoris
Erigitur, seque ipse aliis plus æstimat, immo E
Subjicitur magnus, servat mediocria summus,
Distribuit parcus, pascit jejunus, amando
Terret, et austeris indulgentissima miscet :
Cunctantes suasu juvit, solamine mœstos,
Jurgia dissolvit, certantes fœdere junxit.
Dissona veridicam inficiunt quæ dogmata legem,
Hortatu, ingenio, monitis, meritisque subegit.
Unus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi
Orator nullus similis, nullusque Poeta :
Clamant quod sparsi per crebra volumina libri.
Qui vixit, vivit, perque omnia secula vivet.

# DE S. INGENUINO, SIVE GENUINO,

## EPISC. SABIONENSI, BRIXINÆ,

## Commentarius historicus.

J. B.

### § I. *Ingenuini episcopatus, publica veneratio, misericordiæ opera.*

CIRCITER AN. DCXL. V FEBR. *Episcopi Sabione*.

Sabio, *sive* Savio, *aut* Sabiona, *urbs fuit* Rhætiæ secundæ, *Episcopatu ornata, qui* Brixinam, *decem passuum millibus dissitam, postea translatus. Oppidulum nunc est Sabio, veteri fere vocabulo*
C Saben, *aut* Seben, *uti scribit Philippus Cluverius Ital. antiq. lib.* 1 *cap.* 17 *et Wiguleus Hundius Metrop.*
S. Cassianus *Salisb. tom.* 1. *Sabionensem Episcopum fuisse* S. Cassianum, *qui* XIII *Augusti colitur, atque inde ejectum, Imolæ ludum litterarium aperuisse, ac tandem puerorum graphiis enecari jussum, constans est Imolensis et Brixinensis Ecclesiarum traditio. Unde conficitur, minimum*
sub Diocl. *a Diocletiani temporibus prædicatam Sabione fidem, solumque episcopale erectum : neque enim, ille quod quidam volunt, Juliani imperio, sed multo antea tempore martyrium fecit. Post eum ibidem Episcopus fuisse*
S. Lucanus sec. 5 S. Lucanus *videtur, quem Bellunensis Ecclesia* XX *Julii veneratur, traditque* Brixinensem *Antistitem, Cælestini* I *Pontificis Maximi temporibus, circiter annum Christi* CCCCXXIV, *extitisse : quo in titulo metachronismum monet Raderus noster tom.* 2 *Bavariæ sanctæ agnosci oportere, cum Brixinæ needum esset Episcopatus, qui illuc est Sabione longe post translatus.*

2 *Altero fere post S. Lucanum seculo Sabione adhuc*
S. Ingenuinus circa an. 600. *sedit* S. Ingenuinus *sive* Genuinus, *aut (ut quidam scribunt)* Geminus. *Is Martyrologio quod* secundum usum Romanæ Curiæ *emendavit Bellinus de Padua ediditque Venetiis an.* CIƆCCCCXCVIII, *ita inscriptus est Nonis*
inscriptus Martyrologiis, *Februarii* : In civitate Brixina Sanctorum Confessorum Gemini et Albini Episcoporum, quorum vita miraculis extat gloriosa. *Eadem habet Molanus in addit. ad Usuard. et Canisius in Martyrol. Germanico : eadem, sed aliis verbis, Richardus Witfordus in Martyrologio Sarisburiensi, et Maurolycus, qui tamen perperam eos Brixiæ tribuit, ubi et Galesinius ac Felicius; et hic Germinianum qui* Geminus *est, vocat. Moler-* F
*num Roman. Martyrol.* Brixinone sanctorum Episcoporum Genuini et Albini, quorum vita miraculis exstitit gloriosa.

3 Scripsit *S. Ingenuini* Vitam Bartholomæus Tri-
laudatus a scriptoribus. dentinus, *inquit in Notat. ad Martyrol. Baronius. Recitat eam Vitam, at non omnino carentem mendis, Petrus de Natal. lib.* 3 *cap.* 85 *hancque adjicit clausulam :* Hæc Frater Bartholomæus. *Agit quoque de eo Raderus tom.* 3 *Bavariæ sanctæ; Hundius ac Christophorus, Gewoldus in citata Metrop. Janus Pyrrhus Pincius de vitis Pontif. Trident. lib.* 2. *Aventinus Annal. Boior. lib.* 3. *Velserus rer. Boic. lib.* 3 *atque alii.*

4 *Præter epistolam conciliabuli schismaticorum Episcoporum in Mariano habiti, cui* Ingenuinus *subscripsit, nihil de eo scriptum reperimus ante seculum Christianæ epochæ octavum, quo Paulus Winfridus Warnefridi filius, Diaconus Aquileiensis vixit. Hic lib.* 3 *cap.* 32 *de gestis Longobardorum, ubi tertiam Childeberti Francorum in Austrasia Regis adversus Longobardos expeditionem, Mauritio Augusto sollicitante, anno Christi* IƆXC, *ipsius Childeberti* XV *susceptam commemorat, pium Ingenuini facinus narrat, de quo mox.*

*Agit*

A *Agit de ea expeditione Gregorius Turonensis histor. Francor. lib.* 10, *ubi et cepisse Francos castella aliquot, et ab iis sacramenta exegisse, refert, ac deinde, morbis et inedia coactos, Italia excessisse. At Paulus, post alia:* Per Placentiam vero exercitus Francorum usque Veronam venerunt, et deposuerunt castra plurima per pacem post sacramenta data, quæ se eis tradiderant, nullum ab eis dolum existimantes. Nomina autem castrorum, quæ diruerunt in territorio Tridentino, ista sunt: Tesana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitana, Cimbra, Vitianum, Brentonicum, Volenes, Ennemasse, et duo in Alsuca, et unum in Verona. Hæc omnia castra cum diruta essent a Francis, cives universi ab eis ducti sunt captivi. *Pleraque hæc loca ubi sita sint, et qui modo nominentur, exponit lib.* I *Italiæ antiquæ Cluverius. Pergit Paulus:* Pro Ferruge vero castro, intercedentibus Episcopis, Ingenuino de Savione, et Agnello Tridentino, data est redemptio, pro capite uniuscujusque viri solidi sexcenti. *Minus longe pretium captivis constituit Aimoinus Floriacensis, hist. Francor. lib.* 3 *cap.* 83, *his verbis:* Pro Ferruge vero castro,... data est redemptio, per caput uniuscujusque viri solidus unus, usque ad summam sexcentorum solidorum. *Fallitur in eo quoque*

*AUCTORE J. B.*

*hic Francis multa castella in Italia vastantibus,*

*Ferruge servat,*

*incolis pretio redemptis,*

B *Aimoinus, quod hanc expeditionem contigisse velit* anno secundo cum regnum suscepisset Burgundiæ Childebertus. *Hoc enim demum post mortem patrui sui Guntramni, anno* DXCIII *suscepit. Verum ex Gregorio Turonensi, Paulo diacono, ipsoque Aimoino constat, Regem Longobardorum se tunc, late grassantibus Francis, intra Ticinensem urbem continuisse: is autem erat Autharis, qui deinde missis ad Guntramnum legatis, pacem sibi ut a Childeberto obtineret, rogavit.* Interim, *ut ait Paulus lib.* 3 *cap.* 36 dum legati in Francia morarentur, Rex Authari apud Ticinum Nonas Septembris veneno, ut tradunt, accepto moritur. *Anno autem Christi* DXC *contigisse Autharis mortem, ex S. Gregorio manifestum est; nam lib.* I *epist.* 17 *dato mense Novembri, Indict.* 9, *primo ordinationis suæ anno, ita scribit:* Quoniam nefandissimus Autharith in hac, quæ nuper expleta est, paschali solennitate, Longobardorum filios, fide Catholica baptizari prohibuit; pro qua culpa eum Divina majestas extinxit, ut solemnitatem paschalem ulterius non videret. *Idem ex Fredegario colligitur ita scribente ad annum Gunthramni* XXXI *qui est* DXCI *Christi:* Ipsoque anno Ago Dux in Italia super Langobardos in regno sublimatur. Suscepit *autem Ago, sive Agilulphus, ut Paulus*

*an. 590*

*quo Autharis R. Longobard. obiit.*

C *Diac. lib.* 3 *cap.* 36 *scribit,* inchoante jam mense Novembrio regiam dignitatem: sed tamen congregatis in unum Langobardis, postea mense Maio ab omnibus in regnum apud Mediolanum levatus est; *anno nimirum* DXCI.

5 *Porro* Ferruge *castrum,* Ingenuini *opera servatum, (quod ante nos Andreas Brunnerus noster, rerum Boicarum accuratissimus scriptor, lib.* 4 *et Cluverius Italiæ antiquæ lib.* I *cap.* 16 *animadverterunt) Verruca esse videtur, castellum a Theodorico Rege apud Cassiodorum lib.* 3 *Variar. ep.* 48 *laudatum:* Quod, *ut ait,* a positione sui congruum nomen accepit. Est enim in mediis campis tumulus saxeus in rotunditate consurgens... Hunc Athesis, inter fluvios honorus, amœni gurgitis puritate præterfluit, caussam præstans muniminis et decoris. Castrum pene in mundo singulare, tenens claustra provinciæ: quod ideo probatur magis esse præcipuum, quia feris gentibus constat objectum. Hoc opinabile munimen, mirabilem securitatem, cui desiderium non sit habitare, quam vel externos delectat invisere? *Cluverius* Verrucam *ait ab aliis dici nunc* Clusam, *sive* la Chiusa, *castellum in Athesis ripa situm, haud procul a Benaco lacu; ab aliis* Roveredo, *sive* Rovere; *inter Clusam et Tridentum ad idem flumen; at neutrum mediis in*

*Ferruge situs, ac nomen.*

campis. *Censet ipse id esse, quod ab situ* Castello della Pietra, *sive, ut accolæ loquuntur,* Castel della Preda *appellatur, quod etiamnum Principum Austriacorum præsidio, ut in finibus fere ditionis positum, anxie custoditur.* D

## § II. *S. Ingenuini schisma pro defensione* Trium capitulorum.

A*liud Paulus Diaconus* Ingenuini *factum narrat, et, quod gravi culpa non caruit, laudi vertit, acerrime* Tria capitula *defendisse. Horum caussa longis agitata dissidiis, altius est repetenda, sed breviter; a Baronio in Annalibus aliisque prolixius pertractata.*

*S. Ingenuinus defendit Tria capitula, non recte.*

7 *Cum damnatus in Concilio Ephesino esset Nestorius,* et imperiali lege prohibitum, *ut Liberatus Breviarii cap.* 10 *scribit;* ne quis libros ejus legere auderet aut defendere; *ejus fautores, Theodori Mopsuestiæ in Cilicia secunda Episcopi volumina, contra Eunomium et Apollinarem unius naturæ assertores composita (quibus ipse ita duas in Christo naturas esse docebat, ut Nestoriano errori favere videretur) circumferre cœperunt,* et simplicissimos quosque decipere cupientes, aiebant non sapuisse nova Nestorium, sed antiquorum Patrum prosecutum fuisse doctrinam. *Imo ea* E *volumina in Syrorum linguam, et Armeniorum ac Persarum malitiose transtulerunt. De his altercati inter se sunt Catholici. Theodorum impugnabant monachi Armeni, atque alii, sed præcipue Rabulas, sive Rabbulus, Episcopus Edessenus, de cujus conversione egimus ad* XV *Januarii in S. Alexandri Acœmeti Vita: defendebant, Joannes Antiochenus Patriarcha, aliique. Rabula mortuo, Ibas ejus successor epistolam scripsit ad Marim Persam, in qua Theodorum Mopsuestenum magnopere collaudans, Rabulam et S. Cyrillum perinde ac Nestorium redarguebat. In Concilio Calcedonensi act.* 10 *habita* VI Kal. Novemb. consulatu Marciani, *Christi an.* CCCCLI, *receptus est Ibas, postquam Nestorio et Eutychi anathema dixisset. Theodoretus quoque Cyrensis Episcopus, qui antea contra S. Cyrilli duodecim anathematismos aculeatum commentarium ediderat, fueratque in Ephesino latrocinantium conventu, a Dioscoro S. Cyrilli successore, episcopatu motus, in synodum Chalcedonensem admissus est, cum ei jam S. Leo Papa episcopatum restituisset, uti ex Actis synodi ostendit Facundus Hermianensis lib.* 5 *cap.* 3.

*Quæ illa fuerint?*

8 *Centum fere postquam hæc gesta erant annis, monachis quibusdam Palæstinæ instantibus, probante Pelagio Apostolicæ Sedis Diacono ac Legato, damnatus* F *est Origenes decreto Justiniani Imp. cui decreto idem Pelagius et Mennas Patriarcha Constantinopolitanus subscripsere. Tum vero Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Imperatori, cui familiaris erat, persuasit, ut ad conciliandos cum Catholicis Acephalos, tria illa Concilii capitula, quibus probari Mopsuesteni doctrina, Ibæ epistola, Theodoreti commentarius videbantur, damnaret: ita enim futurum, ut* tamquam retractata Synodus atque purgata, susciperetur ab eis per omnia et in omnibus. *Verum non id spectabat homo vafer; sed ut semel labefactata synodi auctoritate, monophysitarum, sive Acephalorum, victrix impietas impune triumpharet: nam erat ipse quoque Theodorus Cæsariensis et Origenis defensor et Acephalus, uti cap.* 24 *scribit Liberatus. Ideo autem qui unicam in Christo naturam statuentes, synodum Chalcedonensem obstinate impetebant* Acephali *appellati,* quasi sine capite, *quod variis inter se erroribus divisi, nullum certum ducem sequerentur: quos quidam præclare δεκακέρατον ὀρχήστραν vocat* decem cornuum orchestram, *ad decem eorum coryphæos alludens, quorum primi Eutyches et Dioscorus.*

*seculo 6, instigantibus Acephalis,*

9 *Arripuit Justinianus redintegrandæ (ut rebatur) concordiæ consilium, ac librum edidit, quo Tria illa capitula*

*damnata a Justiniano Imp.*

A *capitula damnabantur, eique Mennam et alios Patriarchas subscribere coegit. Plures initio intercessere Catholici, ipseque cum primis Romanus Pontifex : qui tamen postea et illi capitulorum damnationi assensus est,* salva synodi Calcedonensis reverentia, *et quintam generalem synodum, anno* ɪↄʟɪɪɪ *Constantinopoli ab Imperatore indictam ad eam finiendam controversiam, inter œcumenicas recepit.*

*et quinta synodo, tandem etiam a Papa :*

10 *Multi Episcoporum pertinaciter in Trium capitulorum defensione hæserunt : quare ab eodem Imperatore varie vexati, ut apud eumdem Liberatum videre est. Quidam schismate ab Ecclesia Catholica longissimo temporis spatio separati mansere, præsertim provinciarum Istriæ et Venetiæ, sive Aquileiensis. Paulus Diaconus de Pelagio* II *loquens, S. Gregorii Magni decessore, qui ab* XI *Novemb.* ɪↄʟxxvɪɪ *ad* vɪɪɪ *Februar.* ɪↄxc *sedit, ita scribit lib.* 3 *cap.* 20 hic Pelagius Eliæ Aquileiensi Episcopo, nolenti Tria capitula Calcedonensis synodi suscipere, epistolam satis utilem misit, quam B. Gregorius, cum esset adhuc Diaconus, conscripsit. *Fallitur Paulus, non enim nolebat Elias Tria capitula suscipere, sed rejicere ea nolebat : quod ut faceret hortabantur Pelagius et Gregorius.*

*defensa ab aliis usque ad schisma, ut ab Elia Aquileiensi, frustra admonito :*

11 *Cum mitiores conatus non succederent, acrioribus*
B *uti visum sapientissimo Pontifici. Smaragdum igitur Exarchum rogat, ut schismaticorum hominum contumaciam retundat, eorum saltem qui sub Rep. degerent, sive in Romani Imperatoris ditione. Commodum decesserat Elias, et spes erat, successorem facilius ut rationi cederet induci posse. Rem gestam ita narrat Paulus cap.* 27 *lib.* 3. His diebus defuncto Elia Aquileiensi Patriarchia, postquam quindecim annis sacerdotium gesserat, Severus huic succedens regendam suscepit Ecclesiam. Quem Smaragdus Patricius veniens de Ravenna in Grados, per semetipsum a basilica extrahens, Ravennam cum injuria duxit, cum aliis tribus ex Histria Episcopis, id est, Joanne Parentino et Severo atque Vindemio, nec non etiam Antonio jam sene Ecclesiæ Defensore. Quibus comminans exilia, atque violentiam inferens, communicare compulit Joanni Ravennati Episcopo Trium capitulorum damnatori, qui tempore Papæ Vigilii vel Pelagi a Romanæ Ecclesiæ desciverat societate. Exempto vero anno, a Ravenna ad Grados reversi sunt : quibus nec plebs communicare voluit, nec ceteri Episcopi eos receperunt. Smaragdus Patricius a dæmonio non injuste correptus, successorem Romanum Patricium accipiens, Constantinopolim remeavit. Post hæc
C facta est synodus decem Episcoporum in Mariano, ubi receperunt Severum Patriarcham Aquileiensem dantem libellum erroris sui, quia Trium capitulorum damnatoribus communicaverat Ravennæ. Nomina vero Episcoporum, qui se ab hoc schismate cohibuerunt, hæc sunt : Petrus de Altino clarissimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Junior Veronensis, Horuntinus Vincentinus, Rusticus de Tarvisio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius Bellunensis. *Cum Patriarcha autem* communicaverunt isti Episcopi : Severus Parentinus, Joannes, Patricius, Vindemius et Joannes. *Hæc Paulus; in cujus Leidensi et Hamburgensi editione Laurentius Episcopus* de Lunensis *perperam appellatur, qui* Bellunensis *fuit, ut habet Bartholomæus apud Petrum de Natalib. qui et* Maxentium Juliensem, *et* Hadrianum Polensem *addit.* Hosentium *vero appellat, qui hic* Horuntinus *dicitur Vicentinus Episcopus.*

*cujus successor Severus Ravennæ ea damnat, sed Grados reversus, in schisma relabitur, cogente Ingenuino et aliis Episcopis,*

12 *Hic Pauli animadvertendus error, qui et ante Eliam Aquileiensem ut Tria capitula susciperet monitum a Pelagio Papa scripsit, et hic schismaticos facit qui ea damnabant; cum contra schismatici fuerint eo tempore hi omnes, non solum Joanni Ravennati communicare, sed et Romano Pontifici parere, et damnationem dictorum capitulorum admittere renuentes. Paulum secutus Bartholomæus apud Petrum de Natalib. scribit* D
*Severum compulsum* communicare Joanni hæretico Archiepiscopo Ravennati, qui Romanam Ecclesiam contemnebat. *Eadem habet Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ. Alios deinceps scriptores idem tenuit error, ut Catholicos prædicarent qui Tria Capitula mordicus tuebantur; Joannem Ravennatem hæreseos nota, Smaragdum Exarchum impietatis aspergerent. Atque idem (quod mirum) Carolus Sigonius tradit lib.* I *de regno Italiæ, cetera accuratus scriptor; ut alios omittamus notæ minoris.*

*qui perperam in eo facto laudati a Paulo Diac.*

*AUCTORE J. B.*

*et aliis scriptoribus.*

13 *Fatentur quidem nonnulli Joannem et Smaragdum Catholicæ fidei zelo curasse, ut Severus Aquileiensis in gratiam cum Ecclesia Romana, damnatis tribus capitulis, rediret; sed cum is reversus ad suos in pristinum schisma esset prolapsus, ei* Ingenuinum *et collegas restitisse. Ita Brixinensis Ecclesiæ Officium Romæ approbatum, quod Gewoldus recitat :* Grassabatur autem adhuc, *inquit,* infelix illud contra quintam synodum Constantinopolitanam, Tria Justiniani Imp. capitula damnantem, schisma. Quod cum universam prope Catholicam Ecclesiam pluribus annis misere dilacerasset ; ipsumque etiam Severum Heliæ Aquileiensis Patriarchæ successorem, ac plures Episcopos infe- E
cisset ; Ingenuinus tamen una cum paucis quibusdam orthodoxis, non modo adduci non potuit ut consentiret, verum etiam Marianam synodum præsentia et auctoritate sua laudabiliter condecoravit : in qua dictus Severus Patriarcha, revocato errore, receptus fuit in gremium Catholicæ Ecclesiæ. *Sed hæc e pseudosynodi illius ad Mauritium Imp. Epistola, de qua § sequenti, clare refelluntur. Præterquam quod non recte Tria capitula* Justiniani *damnata a quinta œcumenica synodi dicuntur; sed Trium capitulorum per Justinianum, nimium sibi juris in res Ecclesiasticas arrogantem, anticipata damnatio, confirmata a synodo est.*

*Fasti Brixinenses correcti.*

*asserentes Ingenuinum et collegas schismati refragatos.*

## § III. *Pseudosynodus in Mariano pro defensione* Trium capitulorum.

I*pso statim pontificatus sui exordio, ut ad communionem Ecclesiæ Episcopos Istriæ ac Venetiarum revocaret, sedulo adnixus est S. Gregorius, ratus (ut postea Constantio Ep. Mediolanensi scripsit lib.* 3 *ep.* 2.) Justum esse, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret. *Severum ergo Aquileiensem Episcopum Romam ad synodum, mense No-* F
*vembri, Indict.* IX *anno Christi* ɪↄxc *evocavit, suis Mauritiique Imperatoris litteris. Ita enim habet lib.* 1 *ep.* 16 *ad ipsum Severum :* Et nos quidem quantum incorporatum te jampridem fuisse in unitatem Ecclesiæ gavisi fueramus, abundantius nunc dissociatum a Catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore, juxta Christianissimi et Serenissimi rerum Domini jussionem, ad B. Petri Apostoli limina, cum tuis sequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregata synodo, de ea, quæ inter vos vertitur, dubietate, quod justum fuerit judicetur.

*S. Gregorio Severum Aquileiensem Archiep. Romam evocante,*

15 *Non paruere Pontificis mandato schismatici, sed novas ad id eludendum technas concinnarunt, pseudosynodo Marianum indicta. Est* Marianum, *quod vulgo nunc Italis* Marano *dicitur, Venetiæ oppidum ad Gelinæ, sive Zelinæ, amnis sinistram ripam, in insula situm, uti Cluverius lib.* 1 *Ital. antiq. cap.* 20 *auctor est; ubi et Zelinam tradit per stagna marina in ostium defluere Stellæ fluminis, olim Anassi. Leander Albertus in descriptione Forojulii ait :* Maranum munitissimum oppidum esse, frequentia colonorum, divitiis ac nobilitate præcellens. *Sed vulgari tenetur errore, supra a nobis refutato, dum scribit* sub Smaragdo Exarcho decem hic Episcopos Romano Pontifici adhærentes synodum

*Ingenuinus et collegæ synodum cogunt Marianum,*

A synodum habuisse, qui post in Sedes suas restituti.

*AUCTORE I. B secundum [illegible] causa :*

16 *Si vera narrat Paulus Diaconus loco citato, bis Marianum convenisse Episcopos illos oportet, primum cum Ravenna reversus ad suos Severus, quæ isthic palam fuerat professus, retractavit, estque in communionem pristini schismatis receptus; iterum postquam Romam erat a S. Gregorio citatus. Tum enim ceterorum schismaticorum more, ut judicium Ecclesiasticum subterfugerent, ad Imperatorem Mauritium provocarunt, dato ad eum libello, quem Baronius recitat in appendice tomi 8 Annalium ad an.* 590, *quo e libello nonnulla visum hic delibare.*

*scribuntque ad Mauritium Imp.*

17 *Ita ordiuntur :* Suggerendum Domino nostro clementissimo ac piissimo, Domno Mauritio Tiberio humiles Venetiarum, vel secundæ Rhetiæ, Ingenuinus, Maxentius, Fonteius *etc. Deinde ut benigne audiantur obtestati, his verbis illius eblandiuntur benevolentiam :* Nam etsi nos peccata nostra ad tempus gravissimo jugo summiserunt, auxiliante nobis Domino, nullo pondere pressurarum ab integritate Catholicæ fidei invenimur ullo modo titubare. Deinde nec obliti sumus sanctam Remp. vestram, sub qua diu quieti viximus, et adjuvante Domino redire totis viribus festinamus.

B 18 *Tum narrata controversiæ illius de Tribus capitulis caussa, eu se tueri profitentur, quæque ideo perpessi sunt, atque etiamnum vel patiantur vel timeant, exponunt :* Et licet postea Imperiali pondere ad consensum damnationis Capitulorum ipsorum paullatim singuli tunc fuerint coarctati; nostrarum tamen provinciarum venerandi decessores, quibus indigni successimus, prædicti quondam Vigilii instructionibus informati, ad hoc inclinare nullo modo potuerunt. Quorum nos exempla, Deo propitiante, servantes, cum universo populo nobis credito; sequentes etiam in omnibus definitionem sancti Chalcedonensis concilii defensioni Capitulorum ipsorum et reverentiam exhibemus, et a communione damnantium eum Divina gratia abstinere dinoscimur. Et dum Smaragdus Chartularius Patrem nostrum sanctæ memoriæ Heliam Archiepiscopum Aquileiensis Ecclesiæ pro caussa ipsa pluribus vicibus contristaret; cum nostro omnium consilio atque consensu direxit ad pia vestigia Principatus vestri preces, supplicans, ut expectata Dei misericordia, revocatis omnibus consacerdotibus synodi nostræ in potestatem sanctæ Reip. ad vestræ Clementiæ præsentiam veniretur, et vestrum in caussa ipsa expectaretur judicium.

*se damnationem Trium capitulorum semper aversatos,*

*ideoque Eliam Archiep. multa passum,*

C Quod pietas vestræ mansuetudinis, ad mercedem et laudem imperii sui, clementi dignatione suscipiens, jussionem suam dedit ad prædictum gloriosum Smaragdum, ut nullatenus quemquam Sacerdotum pro caussa communionis inquietare præsumeret : sed Dei misericordia operante sustineretur, quousque compressis gentibus, ad libertatem omnes Sacerdotes Concilii sub sancta Rep. pervenirent. Deinde defunctus est memoratus Archiepiscopus noster Helias.

*donec ipse Imperator intercessit,*

19 *Paucis interjectis, prosequuntur quæ ad Severum spectant :* Post hoc ordinato in sancta Aquileiensi Ecclesia beatissimo Archiepiscopo nostro Severo, quæ contumeliæ illatæ sint, et quibus injuriis ac cæde corporali fustium, et qua violentia ad Ravennatem civitatem fuerit perductus, atque redactus in custodiam, quibusque necessitatibus oppressus atque contritus fuerit, potuit ad Domini nostri pias aures sine dubio pervenire. Nos autem tam inauditis calamitatibus Patrem et Archiepiscopum nostrum, quod nunquam sub Christiano Principe factum dinoscitur, cognoscentes afflictum, insanabilium dolorum sumus stimulis vulnerati. Nam in hoc tempore iterum cognovimus, Reverendum Papam Gregorium ad ejusdem Patris nostri exhibitionem misisse, cum sacratissima vestræ pietatis jussione, ut pro caussa ipsa communionis ad Romanam deberet civitatem deduci. D Quod audientes, quamvis certi essemus talem jussionem Domini nostri, specialiter adversariorum improba importunitate subreptam, contabuimus : et contriti atque luctu gravissimo sauciati ad ultimam desperationem pervenimus, ut ad illius judicium Metropolita noster cogeretur occurrere, cum quo caussa ipsa esse dinoscitur, et cujus communionem ab initio motionis caussæ hujus usque nunc decessores nostri et nos cum omni populo evitamus.

*dein ejus successorem Severum ideo semel captum,*

*nunc Romam evocari :*

20 *Dein Ecclesiastica auctoritate prodita, postulant ut cum devictis gentibus pacata fuerit Italia, ipsi Imperatori possint suæ* fidei atque communionis plenam reddere rationem. Nam cum quo, *inquiunt*, ipsa caussa est, et quem in communione vitamus, judicem experiri non possumus; *Romanum videlicet Pontificem Gregorium. Novum deinde telum adhibet iniqua calliditas, haud scio an non validissimum ad profanorum Principum animos permovendos; periculum videlicet, ne Archiepiscopi Galliarum sensim in Ecclesias Imperio subjectas jus sibi usurpent, dum ad eos relicto Aquileiensi Metropolita, pro suorum ordinatione Episcoporum recurrent variæ Ecclesiæ, aspernatæ illius communionem, quem cum Romano Pontifice viderint paria sentire de Trium damnatione capitulorum. Sed ipsorum præstat pessimis dolis consutam orationem audire.* E

*rogant differri donec pacata Italia ipsi Imperatori fidei suæ rationem reddant :*

21 Suggerimus etenim, *aiunt*, pie Dominator, quia tempore ordinationis nostræ, unusquisque Sacerdos in sancta Sede Aquileiensi cautionem scriptis emisimus studiose de fide ordinatoris nostri; nos fidem integram sanctæ Reip. servaturos : quod ipse novit Dominus nos fideliter toto corde et servasse et huc usque jugiter conservare. Si conturbatio illa et compulsio piis jussionibus vestris remota non fuerit, si quem de nobis, qui nunc esse videmur, defungi contingeret; nullus plebeium nostrarum ad ordinationem Aquileiensis Ecclesiæ post hoc pateretur accedere : sed quia Galliarum Archiepiscopi vicini sunt, ad ipsorum sine dubio ordinationem accurrent : et dissolvetur Metropolitana Aquileiensis Ecclesia sub vestro Imperio constituta, per quam, Deo propitio, Ecclesias in gentibus possidet; ut quod ante annos jam fieri cœperat, et in tribus Ecclesiis nostri Concilii, id est, Bremensi, Tiburniensi, et Augustana Galliarum Episcopi constituerant Sacerdotes : et nisi ejusdem tunc divæ memoriæ Justiniani Principis jussione commotio partium nostrarum remota fuisset, pro nostris iniquitatibus pene omnes Ecclesias ad Aquileiensem synodum pertinentes Galliarum F Sacerdotes pervaserant. *Et post pauca :* Nam qui aliter pio Domino nostro subrepere cupiunt, nec Dei judicium habent præ oculis, nec utilitatem sanctæ Reip. vestræ, seu opinionem pii Imperii, quam lacerari non metuunt de murmuratione totius populi partium istarum, qui persecutionem evidenter Christianis fieri suspicantur.

*verendum alioqui, ne Galliæ Archiepiscopi se in provincias intrumittant.*

*ut ante factum :*

22 *Subscriptiones ita habent :* Ingenuinus Episcopus sanctæ Ecclesiæ secundæ Retiæ hanc relationem a nobis factam subscripsi. Maxentius Ep. sanctæ Ecclesiæ Juliensis, ut supra. Laurentius Ep. sanctæ Ecclesiæ Bellunatæ, ut supra. Augustus Ep. sanctæ Catholicæ Concordiensis Eccl. ut s. Agnellus Ep. sanctæ Trajentinæ Ecclesiæ ut s. Junior Ep. sanctæ Catholicæ Eccl. Veron. ut s. Fonteius Ep. S. Felinnæ Eccl. ut s. Felix Ep. sanctæ Tervisianæ Eccl. ut supra. Horontius Ep. sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Venetinæ ut supra.

*subscribit primo loco Ingenuinus.*

23 *Ex litteris Mauritii ad S. Gregorium Papam, quas ibidem recitat Baronius, constat triplicem omnino* suggestionem *ab Episcopis* Istriensium provinciarum per Clericos aliquos *ad Imperatorem* directos *fuisse transmissam :* unam Episcoporum et civitatum, quas Longobardi *tenebant*, aliam Severi Aquileiensis Episcopi

A copi aliorumque Episcoporum, qui cum illo *erant*, et tertiam solius ejusdem Severi. *Porro Mauritius nullo de veritate atque æquitate habito diligentiori examine, inter alia sanctissimo Pontifici Gregorio ista scripsit*: Quia igitur et tua Sanctitas cognoscit præsentem rerum Italicarum confusionem, et quod oportet temporibus competenter versari; jubemus tuam Sanctitatem nullatenus molestiam eisdem Episcopis inferre, sed concedere eos otiosos esse, quousque per providentiam Dei, et partes Italiæ pace aliter constituantur, et ceteri Episcopi Istriæ seu Venetiarum iterum ad pristinum ordinem redigantur. *Lubet sapientissimi Cardinalis Baronii gravissimum verissimumque epiphonema subnectere*: More suo Imperator, præter consuetudinem piorum Augustorum, arroganti fastu non rogat, sed præcipit, quod obtinere nititur a Pontifice: id quidem minime jure Imperatorio sed tyrannico facere consuevisse, quæ suo loco dicentur inferius, declarabunt. *Ita Baronius.*

*Mauritius jubet S. Gregorium desistere:*

*quod injustum mandatum*

24 *Meminit hujus Imperatoriæ jussionis Gregorius lib. 2 ep. 32 mense Julio, Indict.* x, *anno videlicet* DXCII *data ad Joannem Ravennatem, ita scribens*: De caussa vero Episcoporum Istriæ omnia, quæ mihi vestra fraternitas scripsit, ita esse jam ante depre- B hendi in his jussionibus, quæ ad me a piissimis Principibus venerunt; quatenus me interim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro his quæ scripsistis, zelo atque ardori vestro valde congaudeo, debitoremque me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re serenissimis Dominis cum summo zelo Dei et libertate rescribere non cessabo.

*sensit S. Gregorius*

## § IV. *Quædam dicta synodi in Mariano explicata.*

*Quibus porro in Ecclesiis constitutos a Galliarum Archiepiscopis Sacerdotes querantur Ingenuinus ac socii, quæ apud Baronium sunt* Bremensis, Tiburniensis, Augustana. *Longe ab Aquileiensi provincia* Brema *distat ad Visurgim sita, urbs clara veteris Saxoniæ; quæ regio necdum Christi fidem eo tempore receperat. Vix nobis dubium est, quin* Breonensis, *aut* Breunensis, *sive* Breunensis, *hic legendum sit. Ducit eo nos Fortunatus, qui in epistola ad Gregorium Turonensem, præfixa libro primo carminum, ita suum in Galliam iter describit*: De Ravenna progrediens, Padum, Athesim, Brintam, Plavem, Liquentiam, Tiliamentumque tranans, per Alpem Juliam pendulus, montanis an- C fractibus, Dravum Norico, Œnum Breonio, Liccam Bajoaria, Danubium Alamannia, Rhenum Germania transiens *etc. Idem* Breonum loca *memorat sub finem libri 4 de Vita S. Martini*:

*Breonensis Ecclesia Sacerdotibus a Galliarum Epp. instructa;*

*(sunt autem Breones Œni accolæ.)*

Pergis ad Augustam, quam Vindo Lycusque fluentant;
Illic ossa sacræ venerabere Martyris Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Bajoarius obstat,
Qua vicina sedent Breonum loca, perge per Alpem,
Ingrediens rapido qua gurgite volvitur Œnus.

*Atque hi sunt Breones, quos describit Theodoricus Rex Gothorum apud Cassiodorum lib.* I *Variarum epist.* II *ad* Servatum Ducem Rætiarum, *ubi ita loquitur*: Quapropter Maniarii supplicatione commoti, præsentibus te affamur oraculis; ut si revera mancipia ejus Breones irrationabiliter cognoveris abstulisse, qui militaribus officiis assueti, civilitatem premere dicuntur armati, et ob hoc justitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt, dum nescio quo pacto assidue dimicantibus difficile est morum custodire mensuram, *etc. Paulus Diaconus lib. 4 cap. 4* Briones *vocat*: In regione quoque Brionum, *inquit*, sanguis de nubibus fluxit; et interim fluvii quasi rivuli cruoris emanaverunt.

*bellicosi,*

D 26 *Iidem porro videntur esse, quos Horatius lib 4. Carm. ode 14* Brennos, *aut* Breunos *appellat*:

Drusus, *ait*, Genaunos, implacidum genus,
Brennosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer.

*Multi* Brunos *vocant, aiuntque ita habere multos MSS. codices. Lambinus etiam* Breucos *haberi in nonnullis exemplaribus testatur, dubitatque* Brencos, Brennos, *an* Breunos *legendum sit. Et Ptolemæus quidem tab. 5 Europæ cap. 13* Breunos *inter Vindelicos locat. Strabo quoque lib. 4.* Vindelici, *inquit*, et Norici montana exteriora tenent magna ex parte, cum Breunis et Genaunis, qui jam ad Illyrios pertinent. *At lib. 7.* Gentes Pannorum, *inquit*, sunt Breuci *etc. Hos quoque in Pannonia inferiore ponit Ptolemæus tab. 5 cap. 16. Suetonius in Tiberio cap. 9 scribit bello* Rhætico atque Vindelico gentes Alpinas, Pannonico Breucos et Dalmatas *subactos. Quem ad locum Lævinus Torrentius censet apud Horatium* Breunos *legendum, uti et apud Plinium lib. 3 cap. 20.* Brennos *habent plures editiones Horatii; Florus item lib. 4 cap. 12.*

*AUCTORE J. B.*

*qui et Brenni, sive Breuni; nam Breuci Pannonii,*

27 *Mirum ab Acrone Brennos hosce* gentes Galliarum *dici;* Cisalpinas *a Porphyrione. Plinius inter* gentes Alpinas *recenset. Et manifeste Florus*: Noricis E animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinalis populos, Brennos, Senones, atque Vindelicos, per privignum suum Claudium Drusum perpacavit. *Vestigium nominis* Brennorum *agnoscere licet in monte qui* Benner *vulgo appellatur, in Tiroli Œnum inter et Athesim. Beatus Rhenanus lib. 3 rer. Germanic.* Prennerum *vocari ait, et ab antiquis (quorum testimonia profert)* Pyrenæum. *Dulci autem ab fido homine, qui loca illa obiverat, multa in variis montis illius et aliorum jugis, inter Brixinam et Œnipontem, cerni rudera vetustarum arcium; earum fortassis quas Horatius* Alpibus impositas tremendis *prædicat.*

*ipsi Alpini,*

*Brenneri montis incolæ,*

28 *Ex quibus omnibus patet, ad utramque Œni latus coluisse* Brennos, *sive* Breones; *non solum inter Lycum et Œnum, uti scripsit Velserus lib. 8 rer. Vindelic. Imo ad Athesim fortassis, et ultra, eorum pertigisse sedes. Certe in Vita S. Corbiniani* VIII *Septemb. dicitur Grimoaldus Bojorum Princeps per suos mandasse* habitatoribus Alpium, *ut si quando isthac vir sanctus reverteretur, cum a finibus Bojorum abire non paterentur, ac deinde subjungitur*: In ipso autem itinere Romam pergendo, cum Breones perveniret *etc. ac paullo post*: Cum autem ad Tridentinum castrum vir F Dei pervenit *etc. Ubi vero de ejus reditu agitur, post Tridentum pertransitum, subditur*: Cum autem Magiense castrum intrasset, a custodibus captus est, sicut longe superius diximus a Grimoaldo Duce præceptum esse: nec ulterius eum abire sinebant, nisi ad eorum Principem se iturum promitteret. *His ergo Alpium habitatoribus a Grimoaldo id erat imperatum. Atqui, ut mox additur, situm in eodem castro erat S. Valentini Episc. sepulchrum, de quo egimus* VII *Januarii, retulimusque ex Bucis Brunneri nostri annalibus non procul Merano Tiroleos illud fuisse castrum. Neque igitur procul inde* Breones, *aut ipsum fortassis etiam in Breonibus. Hactenus de* Breonensi, *sive* Brennensi, *aut, ut perperam scriptum apud Baronium,* Bremensi *Ecclesia.*

*etiam Tridentum versus porrecti)*

29 *Altera erat* Tiburniensis, *de qua* VIII *januarii ad S. Severini Noricorum Apostoli Vitam egimus. Refert in ea Vita Eugippius cap. 6 num. 25* cives Tiburniæ, vario cum obsidentibus Gothis certamine dimicantes, vix inita fœderis pactione, inter cetera largitionem jam in unum collatam, quam mittere famulo Dei Severino distulerant, hostibus *afferre debuisse. Et Cap. sequenti num. 29* Tiburniam *ait* Norici metropolim *fuisse, ibique* Paulinum Presbyterum, *a S. Severino* revertentem,

*et Tiburniensis, Norici metropolis;*

A *revertentem*, coactum summi sacerdotii suscipere principatum. Teurnia *est Plinio lib.* 3 *cap.* 24. *Ptolemæo* Τεουρνία. *Quam quidam* S. Viti *oppidum Carinthiæ, Cluverius* Villach *ad Dravum amnem, alii aliud interpretentur, uti ad cap.* 6 *Vitæ S. Severini litt. c annotavimus.*

*AUCTORE I. B.*

30 *De Augusta; ubi quoque Sacerdotes a Galliarum Episcopis constituti dicuntur, dubium non est, quin ea Vindelicorum metropolis sit: nam Augusta Prætoria Mediolanensi Ecclesiæ semper fuit contributa, uti animadvertit qui Episcoporum Augustanorum Vindelicorum catalogum edidit: qui et illud recte monet, id tunc videri evenisse, cum* Augusta, victis Gothis in Francorum potestatem recidit. *Id quando aut quomodo contigerit, Agathias narrat lib.* I *belli Goth. ubi cum retulisset Alemannos a Theodorico Gothorum Rege subactos ac tributarios factos; eo mortuo, ubi bellum Gothis a Justiniano illatum est, illos ait omnes undique contraxisse ad tuendam Italiam, ceteris neglectis, et subdit:* Sic itaque Alemannorum gentem per Gothos dimissam, Theodibertus in ditionem accipit: quo mortuo ad Theodobaldum filium cum ceteris et hi simul in potestatem cessere. *Successit Theodebertus, de quo hic agimus, Theoderico patri, Clodovei primi filio, anno Christi* B DXXXIII, *obiit ipse anno* DXLVIII *ejus filius Theodebaldus* DLV, *ut alibi dictum. Quod queruntur schismatici illi cum Ingenuino Episcopi, ordinatos a Gallis in Augustana Ecclesia Sacerdotes, innuunt circa illud tempus contigisse, Justiniano Augusto superstite, qui demum an.* DLXV XIV *Novemb. decessit, cum imperasset annos* XXXVIII, *menses* VIII. *Etsi tamen Francorum imperio tunc Alemanni et Vindelici subjecti minime fuissent, potuissent tamen, ut ad alias gentes, Romani Pontificis auctoritate, e Gallia ad Alemannos proficisci zelo Apostolico Antistites, ut eos a gentilitiis superstitionibus, quos ibidem refert Agathias, ad Christum avocarent; eaque occasione Augustæ Sacerdotes consecrare, cum nullus forte ei Sedi tunc Episcopus præesset; aut alibi consecratos in variis illius diœceseos locis collocare.*

*atque Augustana Vindelicorum;*

*tempore Theodeberti vel Theodebaldi Regum Austrasiæ,*

*ac Justiniani Imp.*

## § V. S. *Ingenuini conversio, exilium, mors, translatio.*

**H***is explicatis, ad* Ingenuinum *revertamur, de quo quæri ita potest: Si tam pertinaciter cum collegis mandato Sedis Apostolicæ repugnavit, quomodo Sanctus? Neque enim illa afferri excusatio potest, quæ alibi locum habet, nescisse quod Pontificis Romani esset judi-* C *cium, atque ita mera ignorantia errasse. Sciebat ille contrarium sanxisse omnes a Vigilio ad S. Gregorium Pontifices, ideoque illorum et ipse et collegæ, eorumque decessores abstinuerant communione. Fatendum igitur errasse eum quidem, fidem tamen orthodoxam semper retinuisse, et postea, malis fortassis, quæ perpetiebatur, eruditum, fuisse Ecclesiæ Catholicæ ejusque universali Pastori reconciliatum. In officiis Brixinensibus de eo ista narrantur:* Sub Autharit Flavio Longobardorum Rege Italiam devastante in exilium pulsus est: ubi ærumnis confectus, miraculis gloriosus migravit in cœlum Nonis Februarii. *Quæ eadem narrat Raderus tom.* 3 *Bavariæ sanctæ: sed refelluntur ex citata pseudosynodo in Marano secunda, habita post mortem Autharith, cui Ingenuinus interfuit, et epistolæ ad Mauritium Imp. primo loco subscripsit. Baronius ad annum* DCXXXVIII *ejus exilium refert, ab Rothari Longobardorum Rege irrogatum.*

*S. Ingenuinus primum schismaticus*

32 *Eadem Brixinensis Ecclesiæ officia tradunt,* urbem et ecclesiam Sabionensem, Theodonis III Bavariæ Ducis beneficentia, restauratam *ab Ingenuino. Negant alii Sabionam, postquam ab Hunnis et Attila eversa est, unquam instauratam; ast ei* Clusium oppidum ad pedem montis Sabonæ affixum successisse. *Si tamen Theodo* III *sumptum ad illius ecclesiæ restau-*

*an Sabionem reædificarit,*

*rationem contulit, Ingenuinum oportet jam ante ab schismate resiliisse. Neque enim Ecclesiæ hostem Theodo, qui recens Christo adjunctus ab S. Ruperti consiliis totus pendebat, eo esset favore ac munificentia dignatus: sed illud huic succurrisset, quod ad Joannem Ravennatem scripsit S. Gregorius lib.* 2 *ep.* 32 De hoc quod dicitis incensæ civitati Severi schismatici eleemosynam esse mittendam, idcirco vestra fraternitas sentit quia quæ contra vos præmia in palatium mittat, ignorat. Quæ etsi non transmitteret, nobis considerandum fuit, quia misericordia prius fidelibus, ac postea Ecclesiæ hostibus est facienda. D

*et quando?*

33 *Verisimile ergo est* Ingenuinum, *maxime postquam Theodolinda Regina, primum in partes defensorum Trium capitulorum perducta, deinde studio S. Gregorii (ut ex hujus ad eam et alios epistolis patet) ad Catholicorum communionem erat revocata, et ipsum quoque dedisse veritati manus, cum esset ceteroquin vir bonus et et misericordiæ operibus deditus, ut ex antedictis patet. Expugnavit eum fortassis S. Gregorii caritas, qua et errantes ad se revocabat, et revertentes complectebatur, ut ex epistolis ejus, præsertim lib.* 4 *ep.* 93 *et lib.* 5 *ep.* 147 *perspicere est. Illa Petrum et Prudentium Episcopos Istriæ Romam invitat, illudque extrema pagina stipulatur:* Sed seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia Divina compunxerit, sive, quod absit, in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos remeare quando volueritis, juxta promissionem meam sine læsione vel molestia relaxare curabimus. *In altera epistola ad Leonem Ep. Fanensem ita scribit:* Sicut in schismatis (*ita legendum videtur. Editio una habet,* schismatici, *alia* in schismaticis) pravo studio perdurantes, objurgandi detestandique sunt; sic ad sinum Matris Ecclesiæ redeuntes, consolandi ac nihilominus refovendi. *ac deinde Joannem quemdam* recepta ratione ad unitatem sanctæ Ecclesiæ ab errore Histricorum, Deo miserante, conversum, *operose commendat.* E

*ut multi alii opera S. Gregorii,*

34 *Eamdem sive S. Gregorii sive successorum caritatem expertus fuerit Ingenuinus, ac S. Ruperti et Theodonis Ducis, si ad hunc pro ecclesiæ Sabionensis reædificatione confugit. Corrigendum tamen quod Hundius scribit,* restaurata et urbe et ecclesia, assensu ac ope Theodonis III Ducis Bojorum primi ad fidem Christi per S. Rupertum conversi, factum esse Episcopum ac Pastorem hujus Ecclesiæ secundum, ab Helia Patriarcha Aquilegiensi consecratum. *Pridem decesserat Elias cum Theodo* III *conversus est: si recte Velserus, Brunnerus, aliique doctissimi chronologiam rerum Boicarum ordinarunt, de qua nos Ad* XXVII *Martii in Vita S. Ruperti. Neque possumus Aventino assentiri, qui S. Ingenuinum fuisse Episcopum scribit, quo tempore Amalarinda (ut scribit, quæ vulgo Amalasuntha) mortuo patre Theoderico, anno Christi* DXXVI, *Gothorum in Italia regnum pro Athalarico filio moderabatur.* F

*ita et ipse tandem conversus,*

35 *Baronius, ut antea indicavimus, ad annum usque* DCXXXVIII *et ultra, superstitem fuisse significat, atque a Rothari Longobardorum Rege Ariano (qui eo anno Arioaldo subrogatus est)* in exilium pulsum apud Brixinonem in Germaniam, ibidem diem obiisse. *At Raderus tom.* 2 *Bavariæ sanctæ in S. Lucani Vita, eumque secutus Gewoldus, negant ea tempestate Brixinam oppidum fuisse, aut ejus extitisse nomen, sed sub Ottone* III *demum mœnibus cinctum, et oppidi nomen indeptum. Verum id haud satis facile creditu, cum eruditi plerique* Brixentes, *quos Plinius lib.* 3 *cap.* 20 *inter Alpinos populos recenset, eo tractu ubi nunc* Brixino, *apud Atsacum amnem coluisse censeant; eosdemque esse quos Ptolemæus tab.* 5 *Europæ cap.* 12 Brixantas *vocat, licet eos magis Septemtrionalia Rhætiæ habitasse scribat.*

*dein pulsus in exilium,*

*non Brixinæ mortuus,*

36 *Sed quidquid de Brixinone, sive Brixente fuerit, Hundius* S. Ingenuinum *obiisse Sabionæ, atque in ecclesia*

*sed Sabione;*

A *clesia a S. Cassiano olim constructa sepultum scribit.* Translato autem postea episcopatu Brixinam, una et ossa Divi Ingenuini Ep. et Confessoris illuc translata : ubi in hodiernum diem miraculis clarus quiescit, in numerum Sanctorum relatus, cujus memoria eodem die obitus sui in Ecclesia celebratur, una cum suo post multa secula successore Divo Albuino Episcopo. *De Albuino infra agemus.*

*translatus deinde Brixinam,*

37 *Recitat Gewoldus diploma Conradi* II *Imp. datum* VII *Id. Junii anno Incarnationis Dominicæ* MXXVII *Indict.* IX, *regni ejus anno tertio, imperii primo, quo in proprium tradidisse se testatur* sanctæ Brixinensi Ecclesiæ, in honore Sanctorum Cassiani Martyris, nec non et Ingenuini Confessoris, constructæ, Comitatum quondam Welfoni commissum, ab eo scilicet termino, qui Tridentinum a Brixinensi dividit episcopatum, quousque longissime porrigitur in valle Eniana cum Clausa sub Sabione sita *etc. Corrigendus est numerus Indictionis, erat enim eo anno decima. Porro ex eo diplomate firmatur Cluverii conjectura, locum* Sablavione *dictum in Antonini Itinerario,* Sublabione *in Tabula Peutingeri, rectius* sub Sabione, *vel* sub Savione, *fuisse circa Brixinonem, a quo urbe non longe* Clausa *distat.*

*ubi ecclesia ei dicata.*

B 38 *A quo vero Brixinonem sint translatæ* S. Ingenuini *reliquiæ, non facile statuas ex Hundii catalogo, qui S. Albuinum* Sedem Episcopalem a Sabiona Brixinam transtulisse *scribit, dein Hartwico Episcopo id tribuit; quem tamen perperam anno* CIↃXXXVIII *Episcopum factum ait, si legitimum est Conradi Salici Imp. diploma, quo se quæ diximus Ecclesiæ Brixinensi tradere scribit* Hardwici Brixinensis Episcopi petitione pulsatum. *Translationis meminit in Martyrologio Galesinius his verbis :* Brixiæ sanctorum Confessorum Ingenuini et Albini : hic Brixiensis, ille Sabionensis secundus Episcopus fuit; cujus corpus multis post annis a Constantino ejus successore ad eam urbem translatum est. Utriusque vita illustris est, multis rebus divine mirabiliterque gestis. *Tria hic corrigenda; neque enim* Brixiam, *quæ Italiæ urbs est, sed Brixinum, sive Brixinonem, translatum est ejus corpus : neque secundus Episcopus Sabionensis fuit, si vera sunt quæ initio retulimus de SS. Cassiano et Lucano; quæque ipse Ingenuinus et collegæ in epistola ad Mauritium Imp. haud sane sapienter, gloriantur, decessores suos numquam induci potuisse ut Trium capitulorum damnationi subscriberent : habuerunt igitur, qui eo ævo vixerint, decessores. Et vero quis credat, si ducentis trecentisve annis vacasset Sedes Sabionensis, tunc potissimum cum et eversa civitas esset, ut volunt, et late barbari in iis regionibus dominarentur, tanto demum ex intervallo creatum illic Episcopum ?* Brixiæ *quoque* Ingenuinum *tribuit Constantius Felicius, et Maurolycus; sed hic* Geminum *vocat, ille* Geminianum.

*a quo et quando ea facta translatio ?*

*an ipse secundus Sabionensis Episcopus fuerit ?*

D

A ACTORE J. D.

39 *Translatum quoque a* Constantino, *sive* Constantio, *negant Brixinenses, sed aliquot post seculis. Est quidem in Sabionensium Antistitum indiculo post S. Ingenuinum* S. Constantius, *imo et alter* S. Constantius, *ut scribit Hundius. Unicum agnoscit Velserus rer. Boicar. lib.* 5. Habuit illa, *inquit, (Sabiona nimirum)* a Cassiano, quem puerorum stylis confossum narravimus, complures Episcopos, inter quos Ingenuinus et Constantius sanctitatis fama claruere : reliquorum nuda tantum nomina, atque ea sæpe incerta, supersunt. *Petrus de Natal. loco citato :* Cui *inquit, Ingenuino* S. Constantinus successit. Sanctum *quoque appellat Raderus noster tom.* 2 *Bavariæ sanctæ, et :* Cur illum, *inquit,* fasti sacri Brixentum præterierint, nec ulla in publicis sacris memoria dignentur, non assequor, cum in syllabo Episcoporum Brixinensium Sanctus vocetur. *Ferrarius quoque in Catal. SS. Italiæ* Sanctum Constantinum, sive Constantium *vocat.*

*ejus successor Constantius*

*Sanctus habetur,*

*non tamen colitur;*

E

40 *Quia ergo nulla* Constantii *in Brixinensibus fastis memoria sit, cum hoc die in fastos nostros non retulimus, licet Constantinus Ghinius in Natalib. Sanctorum Canonic. ita scribat :* Cui *Ingenuino* successit S. Constantinus, de quo etiam hac die memoria agitur : quorum corpora primo Brixinonem translata; postea vero S. Genuini corpus Brixiam deportatum, una cum corpore S. Albini Brixiensis pariter Episcopi tumulatum fuit. *Postrema hæc jam refutata. Memoria vero* S. Constantii *non aliter agitur hoc die, nisi quod ejus in* S. Ingenuini *Actis mentio fiat. Hundius unum illud de S. Constantii gestis tradit,* Sabionensi populo verbum Dei prædicasse, eo tempore quo Divus Haymeranus Ratisbonensibus. *Hunc Brunnerus circa annum Christi* DCXLIX *in Boicam venisse scribit. Agemus de* S. Haymerano, *sive* Emmerammo, *ad* XXII *Septembris. Corpus S. Constantii Brixinum translatum, præterquam apud Ghinium, nusquam legimus.*

*nedum hoc die:*

*ejus gesta,*

*et translatio.*

# DE S. BERTULPHO

C

## RENTICÆ ET GANDAVI IN BELGIO,

F

### Commentarius prævius.

J. B.

#### § I. *S. Bertulphi ætas, festum, effigies.*

[illegible] V FEBR.

*Renticæ in Artesia*

Rentica, *sive* Rentiacum, *aut, ut modernus quidam vocat,* Renteium, *oppidum olim in Morinis fuit,* (villam *appellat, phrasi illius ætatis, qui ante annos* DC *vixit scriptor) medio fere intervallo inter claras quondam urbes vix nominibus nunc satis notas, Teroanam et Quentavicum; ab illa propius distans; monasterio tribusque aliis ecclesiis ornatum : nunc Artesiæ castrum est, pago sat amplo adjunctum, firmum nuper ac validum, sed his annis captum a Gallis, ac munimentis nudatum. Ejus dominium, cum titulo Marchionatus, ad familiam Crojam spectat : fluviolo alluitur, qui propinquo in vico Rumelio ortus, alia celebria fama loca, Falcobergam, Areas, S. Audomari urbem, adit.* Ennenonem, Eunenonemve *infra nuncupat vetus scriptor, alii* Agnionem *et* Ennonam.

2 *Eum locum seculo Christianæ Æræ septimo, ad usque fortassis octavi initium, virtutum splendore et beneficiis illustravit S. Bertulphus, gente Alemannus, sed propitio numine in eas oras perductus. Sub Sigeberto natus dicitur, Austrasiæ sancto Rege, cujus Vitam dedimus* I *Februarii. Nec erit, opinor, qui Sigebertum suspicetur Clotarii* I *filium, qui ab anno Christi* DLXII *ad finem fere* DLXXV, *idem Austrasiæ regnum administravit. Non enim sub hoc, sed sub juniore illo Sigeberto, quod cap.* 1 *num.* 2 *Scriptor asserit,* Ecclesia Christi pacem simul et gloriam meruit *in Galliis. Regnavit porro S. Sigebertus ab anno Christi* DCXXXVIII *ad* DCLXIII, *ut, licet sub ipsa regni ejus exordia natus fuisset Bertulphus, potuerit tamen ad annum* DCC *et ultra pertingere. Atque ex his Hennem ac Ferrarium refellas, scribentes circa annum* DCC *floruisse. Circa annum* DCLXXX *obiisse conjectat Miræus. Malbranchus an.* DCLXVIII *venisse Renticam e patria,* XL *annos illic exegisse videri scribit, tantum enim spatium longo famulatui, ac cœnobii institutioni et præfecturæ deberi.*

*vixit S. Bertulphus*

*seculo 7.*

3 *Illud enimvero in dubitationem adducit Molanus,*

*AUCTORE J. B.*

A *Præses necne monasterii fuerit. Ita enim scribit*, admonitione, *edoctus, ut in ora adnotat*, Petri Simonis, Archipresbyteri Gandensis, *dein* Iprensis Episcopi : Nusquam Abbas dicitur, nec talis depingitur ; sed in habitu simplicis monachi, dextra manu innitens baculo itinerario, quia de terra et cognatione sua infideli, tamquam novus Abraham, in terram non suam propter Christum exiverit. *Contraria ut sentiamus persuadet Vitæ scriptor cap. 4 num.* 19. Unde, *inquit*, ut sapiens architectus fundamentum in cordibus discipulorum posuit ; quibus sic pastorali magisterio præfuit, ut in docendo magister, in ministrando esset minister, promptus et facilis in utroque, quia noverat Prælatis congruere utrumque..... Sic ergo subditos quosque docebat, ut in corde esset humilitas : sic eisdem subditis serviebat, ut in coercendo pia esset severitas. *Nisi quæstionem movere velimus de nomine, quid est hoc aliud quam Abbatem esse, aut, ut diserte ait*, Prælatum, *seu quocumque nomine moderatorem ac præsidem religiosæ congregationis? Neque Surius, et qui tertiam ejus operum editionem curarunt, dubitarunt titulum S. Bertulphi historiæ hunc superscribere :* De S. Bertulpho Abbate.

*Abbas factus.*

4 *Et vero Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ac*

B *Malbrancus noster scholiis in cap. 39 libri 4 de Morinis, ab Renticensibus ac vicinis, præsertim Frugensibus, quorum illi dedicata est ecclesia, Abbatem appellari, itaque a majoribus traditum, asseverant. Recitant in eam rem versus e MS. Renticensis Ecclesiæ antiphonario, quos, nondum introducto in Morinensem diœcesin Romano Officio, decantare S. Bertulphi festo die solebant : eosdem Rosweydus a Frugensi Pastore, ac plures alios acceperat. Qui huc faciunt, sunt isti :*

*ubi Renticenses et accolæ tradunt :*

Omni Bertulphus virtutum laude probatus,
Suscipit Ecclesias, prece Watmberti, moderandas,
Firmo jure quidem sibi Dux quas contulit idem.
Prælatus vero tanto reverenter ab hero,
Non formidari, sed plus quæsivit amari,
Et cura vigili Deico præsedit ovili.

*Neque Abbatem solum, sed et Presbyterum facit Malbrancus. De quo nobis non liquet. Pingi eum idem ait* habitu servili, grandi marsupio accinctum. *Locrius ait in S. Vedasti Renticensi ecclesia (quæ sola e tribus illis veteribus superest, sed lignea ; S. Dionysii monasterio plane olim diruto, dein e materia quoque restituto, sed in exilem Prioratum) pingi S. Bertulphum*, stantem sublimi in pegmate, manu sinistra librum gestante, dextera ad crumenam zonæ appensam admota,

*quomodo pingatur?*

C largasque eleemosynas egenis distribuente : aquila caput expansis alis tegente.

5 *In ea, quam diximus, S. Vedasti Renticensi Ecclesia erogari quotannis mille panes solent S. Bertulphi die, Nonis videlicet Februarii. Ejus ad eam diem inscriptum Martyrologiis nomen, non modo recentioribus Boeri, Willoti, Ferrarii, Menardi, Dorganii, Saussaii, Galesinii, Canisii, Felicii, Wionis, Ghinii ; sed antiquioribus, S. Richarii, et S. Laurentii Leodii, quorum illud Bedæ præfert nomen, hoc Usuardi, licet, ut alibi monuimus, sit Adonis ; sed utrumque interpolatum, quod hinc patet. Ita enim habet Leodiense :* Gandavi S. Bertulphi Confess. *At Centulense :* In territorio Morinorum transitus S. Bertulphi Conf. et Monachi, cujus ossa Gandæ requiescunt. *MS. Martyrol. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis, quod Molanus in addit. ad Usuardum et alii sequuntur :* In Blandinio S. Bertulphi Confessoris. *Quidam ex jam citatis auctoribus eum Renticæ tribuunt, alii Blandinio, respectu nimirum vel habitationis, vel reliquiarum . quidam eleganti ornant elogio, non pauci* Abbatem *appellant, interque hos Saussaius. Hermannus Greven, seu memoria seu calamo exerrante, ita scripsit :* Lauduno, Bertulphi Conf.

*anniversaria eleemosyna ejus festo, liberalis.*

## § II. S. *Bertulphi variæ Translationes, prodigiosus pulsus, Vita.* D

D*ucentos per annos Renticæ asservatum S. Bertulphi est corpus : dein ab Erkengario, Bononiensium Comite ac Renticæ domino, Bononiam translatum est, ne Normannorum, omnia late populantium, furori pateret ; utque* ampliori, *inquit Scriptor*, in artubus suis honore afficeretur. *Factum in Carolo Simplice Galliæ Rege* adhuc imperium obtinente : *post* DCCCXCVIII *Christi annum, quo regimini admotus Carolus ; ante* CMXXIII, *quo eum* Heribertus Comes Viromanduorum, dolo captum, Peronæ posuit in custodia.

*Corpus Bononiam translatum post an. 898.*

7 *Sublatum furtim Bononia S. Bertulphi corpus, Electus quidam* Britania oriundus, *(Armorica, opinor, quæ sola fere Britanniæ nomen ea ætate ac deinceps retinuit)* in Oditighem, *nunc* Audinghem, villa *pagi Gessoriaci juxta Itium Promontorium , recondidit ;* Adelstano Regi Anglorum venditurus. *Verum Arnulphi Magni Marchionis Flandriæ sagacitate et deprehensus crimenque confessus sacrilegus, et recuperatum cœleste illud est pignus, quodque illi conjunctum erat, ab eodem Britone Monasteriolo sublatum*, S. Gudwali Ep. *corpus. Quoniam vero* Adelstanum, *sive Æthelstanum, ad quem cum thesaurum deportare sacrilegus ille cogitabat, constat ab anno* CMXXIV *ad* CMXL E *regnasse ;* Arnulphum *vero non nisi* CMXXXIII *Christi anno*, Adalolpho, *fratre, sive* Adulpho, *vel* Adolpho, *sine liberis defuncto , Bononiæ possessionem adiisse ; consequens est ut ante annum* CMXL, *post* CMXXXIII *et ablatæ et repertæ eæ reliquiæ sint ; præsertim cum ad eas reportandas missus sit Wicfredus Teruanensis Episcopus, qui primum an.* CMXXXV *ab Arthaldo Remensi ordinatus est.*

*inde furtim sublatum, mox repertum, post an. 935.*

8 *Relatum tunc Bononiam sacrum id pignus : sed post annos aliquot Harlebecam advectum, una circiter leuca Cortraco dissitum ejusdem Arnulphi prædium ad Lisam, sive Legiam, flumen. Demum Gandavum, ad Blandinium cœnobium, quod nunc S. Petri appellatur, olim SS. Petri et Pauli, utcumque translatum est corpus.* Scriptus est de eorum adventu libellus, *inquit monachus Blandiniensis infra num.* 30. *Nos eum necdum vidimus. Id* actum constat, *ut habet Vita S. Gudwali lib. 3 cap.* 6 III Nonas Decembris, Lothario quidem Rege in sceptris Francorum jus regium agente. *Regnum capessivit* Lotharius, *Ludovici Transmarini filius, Caroli Simplicis nepos, prid. Id. Novemb. an.* CMLIV ; *decessit an.* CMLXXXVI. *Si, ut ejusmodi fieri Translationes solent, die Dominica ad celebriorem ex-* F *ciendum populorum concursum peracta est, oportet an.* CMLV *contigisse, quo dies* III *Decembris in Dominicam incidit, Lotharii Regis anno* II. *Meierus ad annum* CMLIX *refert ; sed cum fateatur eo anno* S. Gerardum *Abbatem* tertio die Octobris diem clausisse *(quod alii ad præcedentem annum referunt) qui potuit* III *Nonas Decembres Translationi interesse atque adeo præesse? Hoc vero et monachus Blandiniensis infra cap. 7 num.* 33 *testatur, et scriptor Vitæ S. Gudwali his verbis :* Venerabilis vero Abba *(Gerardus)* vota gratiarum Deo persolvens, fidele negotium fideliter suscepit, fidelius peregit : et suscepto, cum fide et tremore magno, pretiosi corporis thesauro, cum gazis membrorum nulli pretio conferendis egregii Confessoris Domini Bertulphi, magna Clericorum et monachorum comitante cohorte, in monasterium detulit BB. Petri et Pauli Apostolorum, quod situm est in monte Claro, Blandinium nomine nuncupato. Convenit autem populus utriusque sexus innumerabilis, manibus applaudens et in voce exultationis Deum benedicens, qui geminas has duarum gemmarum margaritas de inæstimabili pietatis suæ thesauro destinavit, et in ornamentum Ecclesiæ suæ cum tanto decore collocavit.

*Harlebecam, inde Gandavum allatum*

*anno 955 3 Dec.*

*susceptum a S. Gerardo Ab.*

9 *Consignata*

A *Translationis anniversaria memoria.*

9 *Consignata est in Martyrologiis Translationis hujus memoria. Ita MS. Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis :* In Blandinio, adventus corporum SS. Bertulphi et Gudwali. Cujus S. Gudwali scrinium cum in Gandavo post processionem referretur; imago Crucis inclinato vultu eum venerata immobilis mansit, neque se reflexit. *Brevius Molanus in addit. ad Usuardum, ex proprio, ut annotat, Martyrologio; Blandiniensi, ut opinor :* In monasterio Blandiniensi Gandavi castri, adventus corporum SS. Gudwali et Bertulphi. *Eadem referunt Canisius, Wion, Dorganius, Menardus, Saussaius. Solius Gudwali ita meminit eo die MS. Florarium :* Item Translatio S. Gudwali Ep. et Confess. anno salutis MC. *Verum aut hallucinatus est auctor in nota temporis, aut de tertia ejusdem Sancti agit Translatione nobis ignota.*

*an. 1073 19 Maii ad aliud altare solenniter translatum,* B

10 *Tertia S. Bertulphi facta translatio est (ut omittam particulas reliquiarum ejusdem Harlebecensi Ecclesiæ donatas, postea Angelico ministerio e flammis ereptas, et Gandavum allatas paullo ante annum* CIↃ, *absque tamen magna celebritate) sed solennis Translatio anno* CIↃLXXIII, XIX *et* XX *Maii facta; cum ex Orientali abside, sive odeo Blandiniensis basilicæ, ad novum altare in medio ecclesiæ erectum, dicatumque honori Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Christi, quod* Memoria fidelium defunctorum *nuncupatum, deportatæ sunt : uti fusius narratur infra cap. 8, 9, 10. Sed nulla hic S. Gudwali mentio fit, at S. Amalbergæ Virg. Atque in MS. Martyrologio S. Richarii, ad* XIV *Kal. Junii, sive* XIX *Maii, quo die facta Translatio est, ipsa solennitate Pentecostes, ista habentur :* Cœnobio Blandinio festivitas S. Bertulphi Confessoris et monachi. *Postridie tamen in Kalendario Blandiniensi SS. Gudwali et Bertulphi Translatio adscripta est, ritu duplici minore, ut vocant, celebranda; neque mentio fit S. Amalbergæ. Molanus in addit. ad Usuard.* XX *Maii (nam pridie ad quod diximus altare allatum S. Bertulphi corpus, populo ostensum eo die inque novam thecam impositum cum S. Amalbergæ et quorumdam aliorum Sanctorum reliquiis, uti scribit qui aderat monachus Blandiniensis) ad eum ergo diem Molanus :* In Blandinio Translatio corporum SS. Gudwali, Bertulphi, cum reliquiis sanctæ Virginis Amelbergæ. *Eadem habent Canisius, Wion, Dorganius, Menardus.*

*20 Maii in novam thecam impositum*

11 *Videntur ab hoc altari denuo in chorum translatæ S. Bertulphi et aliorum Sanctorum reliquiæ. Nam Marcus Warnewicus Belgicar. antiquitat. lib. 4 cap.* C *48 ita scribit :* In choro ecclesiæ S. Petri ferreum tabulatum visitur post summum altare, tam affabre efformatum, ut quasi crescere e pavimento videatur : ita ad omnem modernorum symmetriam proportionemque flexum, curvatum, implexumque, ut ferrum ceræ instar ductile fuisse videri possit. In hoc pretiosæ illæ capsæ asservantur, quibus Divorum condita corpora sunt; videlicet S. Bertulphi, qui, ut traditur, strepitum edere, bello aliave imminente calamitate, consuevit; S. Godewali, S. Ansberti, S. Wandregiseli, S. Wulfranni, S. Amelbergæ, et aliorum quatuor. Hoc tabulatum a Petro Pauli Gandavensi fabrefactum est, Joanne Cauwerburgio monasterii Blandiniensis Abbate.

*postea in tabulatum ferreum delatum,*

12 *De strepitu illo e feretro S. Bertulphi cieri solito ita scribit Molanus :* Solet vero, ut constanti fama Gandavi traditur, pulsum velut manibus edere circa feretrum suum, gravi aliqua imminente Divina ultione; et sic tamquam admonere fideles, ut precibus et fructibus pœnitentiæ iram Dei accensam placarent. *Hæc ille. Divinat Malbrancus lib. 6 de Morinis cap.* 38 Castellum *Renticense, quod* ad tempus poterat hostium etiam validissimorum impetus sustinere, *cessisse Normannis eam provinciam populantibus, quia* diffugerant præsidiarii, Bertulphi tumulo præsagiente commoniti. Siquidem cum aliqua gravior impenderet calamitas, non alio opus erat præsagio ac monitore : ad tumulum exaudiebatur manuum quasi plaudentium sonitus, et talis ut quisque consulto sibi posset prospicere. Fuerit vero ante Danorum adventum, reor, insolitus. *Nihil de hoc habeo pronuntiare, nisi plausum illum manuum non probari : videor enim olim intellexisse, strepitum illum fuisse veluti manu intrinsecus feretrum pulsantis. De eo publicæ calamitatis prognostico meminit quoque Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ, et Gulielmus Gazæus in Ecclesiastica Belgii historia. Consimili pulsu ab aliis quibusdam Sanctis prænuntiari solita domesticarum funera accepimus. Ubique decantatum illud, e magni illius Cid Ruiz tumulo auditum fragorem armorum, et Villelæ campanam absque cujusquam impulsu sonantem, Hispaniæ et Ecclesiæ calamitatem portendere. Quod nostra memoria sane quam luculentis damnis probatum.*

*pulsu præsagium dat publicæ calamitatis,*

D AUCTORE J. B.

13 *Antonius Sanderus rer. Gandavensium lib. 4 cap. 2 postquam S. Gudwali, Bertulfi, Amelbergæ, Ansberti, Florberti, Wulfranni, Wandregisili, Winwaloei, duarumque e sodalitio S. Ursulæ Virginum corpora, ac plurium aliorum Divorum reliquias in Blandiniensi cœnobio asservatas enumeravit; ista subdit :* Has autem et alias insuper reliquias, cum integris orto Sanctorum corporibus, auro, gemmis, argento tectis, cum vasis quoque sacris, ac alia supellectile multa ac sumptuosa, impietas Calvinistarum pretio inhiantium nuper ad annum MDLXXVIII dissipavit. *Eadem transscripsit in tomum primum Flandriæ illustratæ, nisi quod pro* impietate Calvinistarum, *seditiosos ea dissipasse scribat : at seditiosi illi, Calvinistæ fuerunt, sive Geusii.*

*Corpus sacrum cum aliis SS. reliquiis* E *an. 1578 ab hæreticis dissipatum.*

14 *Vita S. Bertulphi* veteri olim stylo descripta fuit. *Quam, Folcardi Abbatis sui jussu, elegantius perpolivit, additis Translationibus, anonymus monachus cœnobii Blandiniensis, uti ipse in Prologo testatur, et cap. 5 num. 21.* Qui nobis in terra in artubus, licet vita functis, adhuc vivit, quos signorum glorificatione venerabiles hominibus Deus facit. Eum vero, quem in mundo membris habemus præsentem *etc. spectavit autem scriptor ipse nonnulla eorum quæ commemorat. Ita cap. 8 num. 34.* Unde sicut ea, quæ a majoribus de sanctissimo Patre nostro Bertulpho didicimus, sic et illa quæ oculis ipsi vidimus, stylo tradere conamur. *Fatetur tamen in Prologo,* ex multis pauca sancti viri gesta se esse scripturum, quia temporum vetustas plura oblivioni, pauca memoriæ dedit.

*Vita circa an. 1073 scripta,* F

15 *Fallitur Arnoldus Wion, dum scribit, hanc* Vitam veteri stylo, Folcardi Abbatis Gandensis jussu, exaratam, elegantius redditam Surium retulisse in volumen primum de Sanctis. *Nusquam id Surius, quod in aliis libere profitetur, hic a se factum innuit. Reperi inter Rosweydi schedas, partem Vitæ ex veteri codice Ecclesiæ Frugensis in diœcesi Bononiensi descriptam, cum qua Surianam contuli, deprehendique passim subinde discrepare, uti fere solent manu exarata exemplaria aliquantulum differre. Deerat in eo exemplari Prologus, et miracula post mortem, ac Translationes. Extabat in MS. codice Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti brevior S. Bertulphi Vita. Nos Surianam Vitam in paullo longiora capita partiti sumus, quam fortassis ab auctore, certe quidem in Surio, erat distincta. Nam aliquam ab auctore factam partitionem ipse testatur cap. 7 num 30.*

*itaque edita a Surio,* *a nobis recensita.*

## VITA EX SURIO ET MSS.

Blandiniensi Monacho auctore.

### PROLOGUS AUCTORIS.

Quoniam quidem omnis, qui membra cujuscumque

A que honorat, totum hoc, cujus membra sunt, honorat; membra vero Christi omnes sunt Sancti; ergo et qui Sanctos honorant, Christum laudare et honorare probantur. Non tamen Christus in Sanctis suis, neque Sancti in Christo laudari egent: sed qui eos hic laudant, egent utique ut laudent. Ecce inter reliqua membra Christi B. Bertulphum, egregium corporis Christi membrum, in medium assumo: quem tanto minus laudare sufficio, quanto amplius et ingenio et vita sordesco. Sed quod minus sufficio, Sancti hujus suppleat intercessio, et qui dedit velle, dabit (credo) et posse. Cujus Vitam, veteri olim stylo descriptam, ut novo scribendi percurrerem studio, Domini Abbatis nostri *a* Folcardi obtinuit jussio, cui petenti fas non erat quidquam negare, quia speciali Sanctum hunc adeo devotione amplectitur, ut cum omnibus Sanctis specialem hunc pro omnibus fidelibus defunctis habeat intercessorem, quem ad eorumdem fidelium defunctorum *b* memoriam, et corpore et intercessione fecit esse præsentem. Sed hoc solum miror, quod humiliter a me ignavo exigere voluit, quod ipse sancto vero efficaciter exhibere valuit: præsertim cum sim incircumcisus corde et labiis, ille autem disciplinis B non mediocriter instructus Ecclesiasticis. Cujus præclara ad Sanctum devotio, quia humilitate ornabatur, quod devote humilis sancto viro exhibere valuit, humiliter devotus ab alio, licet *c* sciolo, petere non horruit. Quid ergo? Jubenti auctoritate, et petenti humilitate, non quantum debeo, sed quantum habeo Patri præsto, salva virorum illustrium majestate, qui ad hoc opus ingenio et doctrina longe me præcellunt. Sed si quid mens nostra dictando, vel manus scribendo erraverint, ejus erit et apud sanctissimum Bertulphum excusare, qui me non timuit ad hoc scribendi studium applicare. Et notandum, ex multis pauca sancti viri gesta me esse scripturum: quia temporum vetustas plura oblivioni, pauca memoriæ dedit. Sed fideli pauca multum sufficiunt: infideli autem nec multa parum satisfaciunt. Prudens igitur lector materiem magis penset, quam stylum; rationem magis, quam scriptorem: quia vinum plumbi fistula haustum, sæpe placet: bonique nuntii bajulus non quis, sed quid afferat, inquiritur.

*AUCTOR MONACHO BLANDINIENSI.*

*Auctor monachus Blandiniensis,*

*jussu Folcardi Abbatis sui,*

*viri docti.*

*hanc Vitam scribit, imperatam ex veteri.*

*a Hunc Sanderus Gandavensium rer. lib. 4 cap. 2 ad XXX Abbatem Blandiniensem fatetur, ab an. 1070 ad 1088. — b De hac alibi infra plenius in Auctor cap. 8 num. 34. — c Sciolos vulgo dicuntur qui sciunt, quo vir hic tamen est odentat. Hic posuit Auctor, pro non satis perito, quod cum ipse fateatur, sciolum se dicere non debuit.*

C

## CAPUT I.

### *S. Bertulphi ortus, adventus in Belgium, conversio.*

Cum sub glorioso Rege *a* Sigeberto Ecclesia Christi pacem simul et gloriam meruit, beatissimus Confessor Bertulphus ortum nativitatis patria *b* Alemanniæ habuit; parentibus quidem *c* honeste mediocribus, sed gentilibus. Neque enim adhuc Alemanniam *d* fides Christi respexerat, quamquam in ea hic futurus Ecclesiæ filius carnis tunc progenitores habuerit.

*a*

*S. Bertulphus gente Alemannus*

*b c*

*d*

Cujus uterque parens, paganis ritibus horrens,
Sicut spina rosam, Sanctum sic edidit istum.

Neque parum gloriæ hunc sancto viro fore dixerim, quod similem cum sanctissimo illo *e* Martino ortum sortitus fuerit. Sicut enim ille, sic iste, gentilibus parentibus processit: ille quidem Pannoniæ, hic finibus Alemanniæ.

*parentibus gentilibus*

*e*

3 Cumque adolescentiæ ingressus iter, primævæ ætatis excederet annos, naturali tantum lege doctus, in via mandatorum Domini cœpit ire et inter eos, qui non noverunt nisi barbarum frendere, dextrum justitiæ iter conatus est arripere. Sed quia non facile habuit, quod conatus est, (inter iniquos enim arduum, imo difficile fuit æquitatis jura tenere, præsertim cum ad fidem Christi indigenas illos nec ratio, nec persuasio posset allicere) maluit patria parentibusque destitui, quam consortio pravorum sordibusque gentilium pollui. Exivit ergo hic novus Abraham de terra et cognatione sua, et venit in terram et cognationem non suam. Nam arrepto itinere versus Occidentem, tandem in partes Galliarum devenit, eoque ubi *f* Taruannensium fines Oceanus terminat, mansionem accepit. D

*ex patriam deserens,*

*f*

*venit in Belgium, ubi Wambertus Comes, cum uxore, pie vivebat,*

4 Erat tunc temporis in præfata regione quidam Wambertus non infimus Comitum, cui cum divitiis par erat meritum. Huic paris conditionis conjux adhæsit, cujus ingenuitatem religio sancta et immaculata adornavit, nomine *g* Homburga. Utrisque ergo illorum cum ingenuitate sancta religio, et cum religione irreprehensibilis erat operum exhibitio. Nec defuere in argumentum religionis eorum plura virtutum opera, inter quæ illud præclare emicuit, multarum per eos constructio ecclesiarum. Nam ex facultatibus propriis in proprii juris prædio construxere cœnobium, operosa manu elaboratum, non minus a magnis cœnobiis pollens, quod honori et E nomini Dionysii Martyris titulari fecerunt. Adjecerunt etiam tres adhuc ecclesias fundare, easque non parva devotione Sanctis *h* titulare, unam principi apostolorum, aliam beatissimo Martino, tertiam S. *i* Vedasto. Quas, ut dictum est, tam ex sumptibus propriis, quam in proprii juris prædio, nuncupato Rentica, constructas venerantur omnes et colunt, præcipue qui *k* Ennenonem fluvium bibunt, cujus ripæ prædicta possessio contigua adjacet.

*g*

*varias ædificatas ecclesias.*

*h*

*i*

*k*

*hæc baptizatur*

5 In hac namque, quam præfatus sum, regione adeo fides Christi concordabat cum religione, ut facile esset eis qui quærunt Christum, illic eum invenire. Quo cum B. Bertulphus pervenisset, eumdem peregrinationis suæ locum *l* patriam credidit: quia ibi fidem Christi, qua nihil unquam jucundius habuit, invenit, et secundum illud Psalmistæ, cantabiles illi erant justificationes Domini in loco peregrinationis suæ: et ut choris fidelium posset adjungi, humiliter se petiit sacramento baptismatis insigniri. Consecutusque baptismatis sacramentum, Spiritus sancti factus est templum, et inter illius patriæ indigenas cœpit esse non jam hospes et advena, sed civis Sanctorum et domesticus Dei. Nec satis fuit jam *m* jurato in Christi sacramenta tironi, baptismatis gratiam suscepisse, sed ut clericatus signaculo arctius jungeretur Ecclesiæ, et votis optavit, et precibus exoravit: quodque devote expetiit, efficaciter impetravit. Sicque fidelium choris adjunctus, ibat de virtute in virtutem, visurus Deum deorum in Sion. F

*l*

*deinde fit Clericus*

Psal. 118. 54

*m*

6 Cumque fama viri clarissimi Wamberti conjugisque ejus percrebuisset, et, ut facile viris clarissimis est, suarum odore virtutum complures attraxissent, cor hujus famuli Dei Spiritus sanctus præveniens tetigit, et in amorem tanti viri conjugisque ejus penetrabiliter accendit. *n* Nec desiderio se passus est fraudari suo, donec se eorum præsentiæ obtulit, non modico exultans tripudio, quod tandem post longum peregrinationis suæ sudorem, unius veri Dei cultores reperisset, quos reperisse, tam carum quam rarum habebat. Unde etiam ab eis sicut sine detrimento sui separari non posse putabat, ita ipsis inseparabiliter adhærere sui lucrum sciebat; lucrum dico sui, quod ex spiritalibus magis, quam ex temporalibus divitiis conflare volebat. Horum itaque non erubuit se subdere dominio, quos Christi cernebat inhærere servitio, eisque subditus illis, serviens, ut antiquus ille Joseph, absque omni dolo.

*Wamberto se famulum addicit*

*n*

a S.

A a S. Sigebertus *ab an.* 638 *ad* 663 *Austrasios rexit, uti* 1 *Feb. ad ejus Vitam diximus.* — b *Ea ad regnum Austrasiæ pertinebat, ut ibidem* § 4 *num.* 13 *ostendimus.* — c *MS. Frugense* : honestis. — d *Non erat universa quidem S. Sigeberti ævo conversa Alemannia : aliqui tamen fidem susceperunt, ut alibi patet.* — e *De* S. Martino *agemus* xi *Novemb.* — f Taruana, *sive* Teruana, *Morinorum urbs in Belgica secunda perantiqua, excisa a Carolo* v *Imp. an.* 1553. — g *Meyeri*, Hombusa. *Ghinius et MS. Ultraject.* Hamburga. *Meyer.* Umburga. *MS Frugen.* Hemburgis. — h *Surius*, dedicarunt. — i S. Vedasti *circa id tempus translatæ erant reliquiæ, eaque in Translatione S. Audomarus visum receperat, uti* vi *Februarii ad illius Vitam, ad hujus* ix *Septembris dicetur.* — k *Ita appellat Malbrancus noster lib.* 4 *de Morinis cap.* 7 *atque ex Bertiniciis codicibus* Agnionem *Surius*, Eunenonem *MS. Frugense et Meierus.* Eunonam. — l *MS. Frugen.* palam. — m *MS.* conjurato. — n *MS.* Nec desiderii sui faciem distulit.

## CAPUT II.

### *Wamberti Comitis familia a S. Bertulpho administrata. Invidia repressa.*

*ab eo præficitur administrationi domus et bonorum,*

Nec latuit illustrissimum patremfamilias Wambertum conjugemque ejus tanti viri probitas, et assidua circa rem suam familiarem sagacitas. Unde ut intus forisque domus eorum tota custodiæ illius cederet, consulto utriusque convenit. Securus enim erat uterque rerum suarum sub custodia tam fidelis œconomi. Ideoque commissis ei omnibus, quæ sui juris erant, secundo ipsum a se gradu in omni domo B sua præficiebant. Adepta denique fidelis dispensator et prudens totius rei familiaris custodia, ne credita sibi Domini sui minueretur, sed incrementis in dies augeretur substantia, sagaci elaborabat industria. Cujus labori et voluntati pietas Divina cooperabatur; quia ad nutum fidelis œconomi res familiaris hinc inde augebatur. Unde factum est, ut Dominicis se dignum efficeret promissis, quibus remuneranda est servi *a* sagacitas fidelis : Euge, inquit, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Quæ promissio dum viro Dei tam moraliter quam spiritaliter congrueret, et hic temporaliter, et in futurum remunerari meruit spiritualiter.

*Matth. 25, 21 quæ sua industria* *a*

*et eleemosynis*

8 Nam ut temporali domino suo cum terrenis etiam commodis provideret cœlestia, pietatis in pauperes Christi effecit instantia. Insistebat enim clam eleemosynis clandestinis, Deum votis et precibus interpellans assiduis, ut hac liberalissima in domesticos fidei compassione, rem domino suo duplicaret et gratiam. Quod et factum est.

Gnaviter ille dabat; sed res data perpetuabat.

Opes dum eroganturr, augmentantur : tantoque amplius incrementum sumpsere, quanto eas manus C tribuentis in pauperes benignius dispersere. Quo in facto non solum sibi, sed et temporali domino suo hic famulus fidelis consuluit : ut videlicet his perituris permansuras in secula divitias compensaret, easque large erogando largius augmentaret. Proinde non ad oculum serviens, ad nutum dominis suis omni subjectione pendebat, quibus subjici egregium atque insigne habebat, dilectioni eorum timorem, timori dilectionem conjungens; idque secundum primi Pastoris sententiam, dicentis : Servi, subditi estote in omni timore dominis. Sicque res eo processit, ut fidelis famuli obsequium fideli æque domino magnum prærogaret beneficium, opibus non solum domi forisque multiplicatis, sed et in cœlo, ubi fures non effodiunt, neque tinea demolitur, thesaurizatis.

*auget,*

*1 Pet. 2, 18*

9 Pro his namque justitiæ operibus adversus militem Christi bella non defuere. Nam hostis humani generis, per quosdam satellites nequitiæ suæ, evomuit in Sanctum Dei virus invidiæ suæ, ut forte per hæc vasa suæ iniquitatis compesceret famulum Dei a solito opere probitatis. Et invidiæ stimulis quosdam invidorum adeo accendit, ut illustrem virum Wambertum adirent, famulumque Dei fidelissimum Bertulphum fraudis et criminis hisce verbis notarent : Considera, inquiunt, prudentissime virorum, quæ tui juris sunt : considera, quam prodige per advenam illum depereant : animadverte etiam, quid cui commiseris, quanta habueris, quanta amiseris. His derogantium verbis venerabilis vir Wambertus aures tantum, non fidem, accommodabat : fidelem enim dominum super fideli famulo quidquam pravum suspicari non decebat : præsertim cum multis experimentis didicerit, quam fidelissimus idem ipse, qui accusabatur, fuerit.

*ab æmulis accusatur prodigalitatis apud herum :*

D

AUCTORE MONACHO LANDENSI.

*miraculo defenditur,*

10 Sed cum sæpius præscripto Principi detractionis verba replicarentur, ad hoc res processit, ut loquentibus pro servo Christi miraculis, omnis iniquitas accusantium oppilaret os suum. Quod qualiter acciderit, ad describendum stylum vertere non pigebit. Nam quadam die cum sol flammivomus Ponti remearet ad umbras; contigit famulum Dei Berthulphum præ foribus temporalis domini sui viam captasse, ac in veste, qua circumamiciebatur, panem cum caseo et in vase, figuli opere composito, vinum gestasse, ut clam eleemosynis clandestinis pauperum prospiceret refrigeriis. Quo viso, invidi quasi opportunam accusationis occasionem nacti, virum illustrem Wambertum, qui tum forte præ foribus stabat, adeunt, et accusationis in virum E Dei quasi quædam argumenta hisce verbis prætendunt : Saltem nunc, Illustrissime virorum, oculata fide experiri licet, quod plus veri minusque falsi noster sermo super hoc advena habet, cujus dispensatio prodiga est, non larga, et in detrimento rei familiaris minus sollicita. Ecce enim in argumentum verbi, quod tibi diximus, ipsum nunc res tuas non sine fraude gestantem ostendimus. At ille sicut simplices facile suaderi solent, benigno, ut erat, animo, accito ad se fideli simplicique Bertulpho : Quid, inquit, tuo gestas in gremio? At ille ne de benefactis velut fraudum notaretur : In vase, inquit, hoc fictili aquam habeo, quam assulis veste hac adstrictis calefacere pergo. Cui sanus sic responsum reddidit heros : Verbis quidem tuis fidem accommodo; sed quia te in domo mea inter primos primum vilissimas gestare res admiror, id ipsum, quod verbis asseris, oculis experiri volo. Quare quæ clam gessit, palam videntibus exposuit, et secundum viri Dei sententiam, oculis videntium res apparuit. Sicque natura rerum mirabiliter mutata, et virum Dei ostendit verum dixisse, et eosdem æmulos ipsius falsa asseruisse. Unde vir illustrissimus Wambertus eum in omni domo sua fidelissimum, illos vero mendaces F esse, certioribus jam didicit argumentis.

*caseo et pane in assulas,*

*vino in aquam dicentibus verso:*

a *Sur.* diligentia et probitas.

## CAPUT XIII.

### *Virtus S. Bertulphi miraculis declarata, honorata ab Wamberto Comite.*

*Romam cum Wamberto et ejus conjuge peregrinatur*

Sæpe memoratus deinde paterfamilias, conjunxque ejus venerabilis, dum de virtute in virtutem proficerent, exemploque fidelis famuli in dies crescerent, subeundæ etiam prolixæ peregrinationis desiderio accenduntur. Et primum urbem maximam, Apostolicis nobilem pignoribus, Romam visere animo concupiunt, opereque efficaciter perficiunt. Qui super fideli famulo Bertulpho usque adeo præsumunt, ut nihil intus forisque suarum rerum relinquerent, quod non illius fidei atque prudentiæ crederent. Nec facile dictu est, quam fideliter, quamque prudenter rebus domi forisque sibi concreditis præcaverit. Sicque iter, quod Romam tendit, arripiunt, demumque ad limina Apostolorum Petri et Pauli perveniunt. Ubi corpus humi, mentem cœlo dedere, inter lacrymas ac oscula, anhela trahunt suspiria : et apertis thesauris suis, sacrosancta loca non modicis honorant obsequiis,

A obsequiis, et ditant donariis. Qui Apostolica benedictione insigniti, expletisque pro quibus advenerant, ad propria jam læti reditum maturant.

*AUCTORE VONACHO BLANDINIENSI.*

12 Cumque divæ memoriæ Wambertum, comitesque suos labor itineris jam confecti fatigasset, nec quisquam inter eos sub intempesta nocte custos equis posset sufficere, ac super hoc commilitones singulos sollicitudo non modica tenuisset; suo suggessere domino, ut se adeo fatigatos, ab excubiis nocturnis relaxaret, equisque vigiles minus lassos accommodaret. Quorum sollicitudini Bertulphus, sanctissimæ caritatis filius, mox condescendit, eisque in aures illustrissimi viri hæc verba respondit: Ad domini mei imperium vigil sub hac nocte præbebo obsequium, equosque integro numero usque ad lucem in pascua minabo; integro æque numero mane eos reconsignabo. Quid multa? Promissis effectum dedit, animalia ad pascua ejecit, totamque sub dio noctem pervigil transegit. Et ecce ex improviso apertis cataractis suis cœlum pluvias dederat, quas terra bibere non suffecerat.

*equos noctu sub dio custodit,*

Procursu cornipedes, pluviis hinc inde madentes,
Accipiunt tristem membris torpentibus imbrem.
Diriguere metu, gelidus pavor occupat artus.

B Sed moles Christi spe et fide animatus, nec loco quidem se patitur moveri: quia de supernis sperabat umbraculum in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia. Nec spes fefellit Sanctum: quia non sine miraculorum gloria, divina est gratia protectus.

13 Nam, ut diximus, sanctus vir nec loco passus est cedere, cum commilitones ejus, qui simul tunc in pascuis erant, non solum loco cessere, sed domum quantocyus, tempestate repulsi, remeavere. Sed uti illustris Wambertus, super fideli famulo sollicitus, dum sodales ejus a pascuis remeasse, ipsum vero deesse conspiceret, unum ex officio ad eumdem sub dio adhuc manentem destinavit, et ut domum rediret, iterum iterumque monens imperavit. Occurrit puer ad imperium domini sui, pervenitque in præsentiam commilitonis sui. Ubi erat cernere in glorificatione Sancti, gloriam Dei, et inauditum seculis prodigium miraculi. Nam ignea fax, coram ipso a summo cœli ad terras usque pertingens fulsit, tenebrasque hinc inde fugavit, viroque Dei sedenti, atque in quodam libro ad legendum intento, lumen non modicum ministravit. Miræ etiam magnitudinis aquila caput ipsius *a* obumbrando circumvolitabat, pluviarque incommodum alis expansis ab eo fugabat. Sicque

*neque pluvia effu i.s omnino madescit,*

*face cœlesti illustratus, et in libro legens,*

*a aquila caput tegente.*

C duplici miraculo duplex a Sancto Dei incommodum, tenebrarum scilicet ac pluviarum repellebatur, dum hinc lumine facis ardentis tenebræ, hinc aquila circumvolitante nimborum ab eo tempestas arcebatur. Nec immerito. Quia enim eum duplex armaverat virtus, caritatis scilicet et obedientiæ; caritatis quidem, qua commilitones nimium fatigatos, a labore laxabat labore suo; obedientiæ, qua et in adversis domini sui paruit imperio; ideo et duplici miraculorum gloria, divina ipsum glorificavit gratia. Neque dubium est, in illa luminis aquilæque ostensione angelicam adfuisse præsentiam, quorum ministerio tempestatis molestiam declinavit.

14 Prædictus igitur puer familiaris, viso in Dei famulo luminis ac aquilæ ministerio, maturato reditu, domino, quod viderat, retulit suo. Quibus auditis, nec mora nec requie retrahitur, donec ad locum usque, ubi famulus Dei manebat, pervenitur: non solum novitate miraculi, quod a puero suo audierat, sed etiam commiseratione in dilectum sibi Bertulphum illectus. Ubi autem miraculum, quod prius auribus acceperat, oculis etiam contemplatus est, tanto amplius stupet, quanto manifestius coram ipso intuitus est: moxque remota potestate *b* domini sui,

*spectante miraculum Wamberto,*

*b*

prosternitur pedibus famuli sui, sese reum super D nocturna ipsius afflictione, humili verborum et gemituum fatetur attestatione. Inde preces replicat, veniam orat veluti reus: qui si eum ad excubias animalium sub noctem non dimisisset, nequaquam sub dio imbrium fuisset inundatione vexatus. Num satis hic, quicumque hæc legerit, admirabitur, humilem dominum ab humili æque famulo paulo minus minoratum, dum se dominus famulo prosternit, quem sanctitate se majorem noverat? An vero vel istius sanctitatem, vel illius dilectionem, aut prorsus utrorumque humilitatem, pro dignitate quisquam prædicaverit? Tanta namque in utrisque enituit humilitas, ut dominus famulo, quod domini, famulus vero domino, quod domini erat, impenderet. Hic tamen, quia famulus domino suo, quod domini erat, debuit illi in adversis etiam obsequendo; ille autem, licet dominus, famulo suo, eo quod se sanctior erat, in quod domini fuerat exhibuit, sese illi humiliter prosternendo.

*seque ad ejus pedes abjiciente.*

15 Cernens igitur Wambertus in Sancto cum virtutum gratia etiam signorum effulsisse gloriam, quanto amplius in eo, quod posset mirari, invenit, tanto eum etiam amplius diligere cœpit. Cumque ipsum et admirando diligeret, ac diligendo admiraretur; E cur patriam parentesque reliquerit, blande sciscitatus est. Proinde adjecit investigare, cur ipsius sese domino subdiderit, cum potius ministrari quam ministrare debuerit; asserens se potius, quam illum, oportere ministrare, quem sanctitate et justitia se cerneret anteire. Hæc et his similia sciscitanti patrifamilias B. Bertulphus respondit: Caussam meæ peregrinationis effecit ratio justæ occasionis. Nam patria, qua oriundus sum, quia idolorum cultura sordnit, eam mens mea adeo habuit horrori, ut patria cum parentibus spreta, aliam alio sub sole jacentem adire non timerem. Finitoque peregrinationis meæ labore, optata tandem apud vos gavisus requie, et votorum meorum potitus sum satietate, votorum meorum, inquam, quibus diu multumque veri Dei cultores cernere concupivi. Quos hac in patria, et inter eos te Deo apprime devotum et hominibus benignum tam reperiens quam experiens, votis me adstrinxi, me de reliquo penes te manere et ad imperium tui bene optando, bene famulando pendere. Quibus auditis Wambertus vir venerabilis, tam Deo quam hominibus amabilis, gaudio non modico exultavit, et eum magis magisque honorando amavit, et amando honoravit. Cumque plenissime didicisset, eum Deo totis animæ medullis famulari velle, F cœpit et ipse, Spiritu sancto velle, ut hunc deinceps non quasi dominus famulum, sed ut carissimum amplecteretur filium. Nec solum ille, sed etiam venerabilis ejus, quam ante diximus, conjunx, non minori eum excoluit amore et honore.

*ei quærenti fatetur, deseruisse se patriam odio idololatriæ,*

*ab eo habetur instar filii.*

16 Cumque conspiceret vir clarissimus Wambertus in servo Dei, et quod miraretur, et quod diligeret, cœpit eum et admirando diligere, et diligendo venerari; adeo ut quem prius his quæ domi, deinceps etiam his quæ foris habebat, præficeret. Nec solum rebus suis intus forisque eum præfecit, sed quarumdam suarum rerum temporalium temporaliter hæredem fecit. Nam prædium sui juris, vulgo Rentica dictum, una cum ecclesiis in illo constructis cum appendiciis ipsius, illi contradidit, et donatione solemniter facta, hæredem substituit. Quam donationem et illustrium virorum testimonio, et privilegiis roboravit, atque ex suo jure in jus viri Dei de reliquo possidendum delegavit. Suscepit ergo vir Dei prædium, non sibi, sed Deo Deique pauperibus: suscepit, inquam, non cupiditate captus, sed caritate in Deum et proximum ductus. Nec caussetur quisquam, virum Dei in sua patria res proprias reliquisse, et in

*Renticam cum ecclesiis illi legitime donata.*

patria

A patria non sua possessiones suscepisse, cum in dandis accipiendisque muneribus non quid, sed quo fructu et detur et accipiatur, perpendi debeat. In hoc ergo vere Israelita, in quo dolus non erat, non quid, sed quo *c* scopo receperit, perpendi debet : quia, ut postea indiciis evidentibus claruit, eo nimirum fine quod datum est, accepit, ut Dei gloriam et proximi utilitatem exinde compensaret.

a *MS.* umbraculo — b *Idem MS.* prioratus — c *MS.* fructu.

## CAPUT IV.

### *Wamberti et conjugis obitus. monasterium Renticæ erectum a S. Bertulpho.*

Interea vir illustris Wambertus, una cum conjuge sua æque illustri, peregre profectus, iter, quod Romam respicit, denuo est aggressus, et post longa terrarum emensa spatia, Apostolica tandem ad patrocinia pervenit. Ubi tam ipse quam venerabilis conjux ejus magna animi et corporis devotione corpus humo, cœlo animum, dedere, et precibus, suspiriis, lacrymis, Sanctorum se commendant suffragiis. Nec illud silendum, quod antequam viam ingrederentur peregrinationis, fidelissimo suggessere Bertulpho, ut ubicumque eos diem ultimum claudere perciperet, illuc ad deportanda eorum corpora accurreret : hos votis omnibus sitientes, ut nec etiam post mortem tam fidelis famuli obsequio privarentur, nec adjutorio fraudarentur. Contigit itaque eos, adoratis in Urbe maxima Sanctorum pignoribus, domum repedasse et inter eundum morbo febrium laborasse. Qui tandem in villa juris sui *a* Falcomberga mansionem accepere, atque per dies languore ingravescente, *b* humanis rebus exempti sunt.

*Wambertum et conjugem iterum Romam profectos, in reditu mortuos,*

B

18 Quorum obitum B. Bertulphus ut fama vulgante comperit, tantos ac tales se amisisse magno cum fletu ingemuit; ex quorum vita etiam sua pendebat, et quibus in hac vita nihil pretiosius aut carius habebat. Nec facile in famulo Dei dolor de illorum amissione conquievit, quamquam eos de morte ad vitam transitum fecisse crederet. Sed dum hinc quidem de eorum amissione gemeret, hinc vero, de felici eorum requie gauderet; ex eo quod salubriter gaudebat, temperandum credidit hoc, quod ægre dolebat. Moxque fidelium turmis una cum Ecclesiæ ministris sibi junctis, ad deportanda eorum corpora, sicut in mandatis acceperat, iter arripuit. Quæ cum subsequentibus et præcedentibus utriusque sexus turmis fideliter transtulisset, et ad prædium sui juris Renticam pervenisset, in oratorio, olim ab eis constructo, corpora tumulis, animas commendavit cœlis.

*revehit honorifice Renticam, et sepelit :*

C

19 His ita se habentibus, quæ virtutum summa in viro Dei fuit, hinc lector palam habebit. Sanctus igitur Domini Confessor Bertulphus, suscepta a venerabili Wamberto, quam ante diximus, possessione, hoc omni elaborabat studio, ut gloriæ Dei proximorumque utilitati adscriberet, quidquid sibi in temporalibus suppeteret. Satagebat quippe sic habita possidere, quasi non possideret; sic non habita contemnere, quasi omnia possideret, ut illis annumerari posset, de quibus dicitur : Nihil habentes, et omnia possidentes. Unde ut exutus seculo, secretius Deo vacaret, eo statuit secedere, ubi contemplationis viam posset arripere. Erant namque in præfato prædio ecclesiæ numero quatuor, ab illustrissimo viro Wamberto, ut dictum est, constructæ : quarum una reliquis quantitate major, et opulentia erat præstantior. In qua vir Dei, collectis secum *c* undecim viris religiosis, secesserat, arctiorisque vitæ tramitem arripuerat. Et dignum quidem, sed difficile relatu est, quam pie ibidem adhuc in terra positus, cum Angelis Dei coram Deo sit conversatus, bene orando, bene jejunando, bene vigilando, et caritate ad Deum et proximum optime sese diffundendo. Cujus exemplo, quamplures in simili sanctitatis opus sunt excitati, et cum ipso in eodem loco viam ingredientes justitiæ, profecere in altum gradibus piæ conversationis. Sicque factum est, ut vir Dei per bona temporalia lucraretur spiritalia; per transitoria compensaret in æternum mansura. Credidit quippe, se sibi ad currendam viam mandatorum Domini non posse sufficere, nisi etiam secum et alios in bonis operibus satageret adjungere, illud et verbis et exemplis implens, quod scriptum est : Qui audit, dicat : Veni. Unde ut sapiens architectus fundamentum in cordibus discipulorum posuit, quibus sic pastorali magisterio præfuit, ut in docendo magister, in ministrando esset minister, promptus et facilis in utroque, quia noverat Prælatis congruere utrumque, præcipue cum Dominus dominorum non venerit ministrari, sed ministrare. Sic ergo subditos quosque docebat, ut in corde esset humilitas : sic eisdem subditis serviebat, ut in coercendo pia esset severitas.

*vitam religiosam amplectitur*

2 Cor. 6. 10

*adjunctis sibi sociis,*

D

AUCTORE MONACHO BLANDINIENSI.

Apoc. 22. 17

*quos prudenter et humiliter regit.*

Matth. 20

a *Alias* Falcoberga, *olim* Falkenberg *teste Malbranco; pagus est non procul Renaca, ad eumdem fluviolum, Comitatus titulo insignis.* — b *MS. Frugense* inambus rebus vale ultimum fecere. — c *Ita MS. Frugense. Surius habet,* undecumque.

## CAPUT V.

### *S. Bertulphi obitus. Ad sepulchrum miracula.*

E

Nec ab re Deo et hominibus Sanctus iste erat amabilis, quia vita et moribus probabiles homines in omni virtute visus est excessisse, et nihil minus ab apostolicis viris in omni sanctitate habuisse. Nam et excepta miraculorum ejus gloria, ex quibus multa de multis scriptorum perierunt negligentia, pauca de multis relinquens, illa sane de eo benefacta non sunt prætereunda, quæ in electis sanctitatem non solum ostendunt, sed etiam faciunt. In singulis quippe virtutibus sic perfectionem est assecutus, ut in nulla earum ulli electorum secundus videri queat. Et ut virum in omni virtute consummatum strictim depingamus, hæc lector paucis accipiat. Pauperum refrigeriis hilariter prospiciebat, nudos veste tegebat, vagis et peregrinis hospitium, egenis quibuscumque præbebat subsidium. In judicio oppressis tum consulendo subveniebat : afflictis compassionem, infirmis visitationem, mortuis sepulturam exhibebat. Caritate quoque erga Deum et proximum diffusus, Deum ex toto corde, et proximum sicut semetipsum dilexit : reddens quæ sunt proximi, proximo; et quæ sunt Dei, Deo. Erat plane sicut mente, ita et corpore pulcher, vultu decorus, mente devotus, corpore castus, animo sobrius, sermone blandus, humilitate venerandus, fide firmus, spe longanimis, caritate hilaris. In temporalibus parcus sibi, largus egenis : in spiritalibus vero et sibi prospiciens et egenis. Orationi intentus, in vigiliis sacris assiduus, coronam pro his a Domino expectabat, quam sibi vigilantibus et orantibus promisit. Non aliter coram Deo et hominibus vivebat, quam homines propter Deum docebat. Justa quidem et pia docebat; nam juste et pie vivebat. In synaxi fratrum, se primum in laudum divinarum inchoatione, novissimum exhibebat in completione. O virum in omni virtute probabilem, etiam perfectissimis viris imitabilem! Utinam nostri temporis summi in Ecclesia Sacerdotes hunc inferiorem gradu, sed superiorem sanctitate virum imitarentur : qui in eo quidem gradu, quo in Ecclesia Sacerdotibus minor apparuit, nihil minus ab ipsis in omni virtute habuit. Sed hæc abeant in sua, et succedant, quæ de viro Dei dicenda supersunt.

a

*Virtutibus floret,*

*et operibus misericordiæ :*

F

21 Consummatus igitur venerabilis Pater in omni virtute, cum bonum jam certamen certasset, cursum consummasset,

A consummasset, fidem servasset, de reliquo repositam sibi coronam justitiæ optando sperabat. Cujus votis Supernus arbiter satisfacere volens, post emeritam ipsius in hac vita militiam, ad cœlestem eum evocare disponit gloriam. Convocata ergo discipulorum caterva, clarescentibus febrium indiciis, indicat se jam resolvi, et jam futura depositione corporis sui, festinare ut introeat in gaudium Domini sui. Et percepto sacrosancto Dominici corporis et sanguinis viatico, adstantibus non sine mœrore discipulis, vale ultimum fecit, ac ipsos seseque Domino commendans, spiritum in manus Angelorum efflavit. Quem meritis maturum et annis Christus ad cœlestia evocans, ejus spiritum spiritibus angelicis aggregavit. Nam sacro ejus corpori terra, spiritui cœlum aperitur, et cui mors diem ultimum in terris clausit, vita æterna diem æternum in cœlis aperuit. Obiit sane Nonis Februarii : cujus obitum, natalem magis quam mortem dignum est appellari ; quia hic moriens, cœlis est natus, et inter intelligibilia translatus : ubi non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem Deum cernit ; tantoque promptius pro veneratoribus intervenit, quanto vicinius Divinæ majestati assistit ; tanto hic erga homines clementior, quanto illic coram Deo præsentior. Sed non parum negligentiæ arguemur, si non vel votis ei jungamur in cœlis, qui nobis in terra in *b* artubus, licet vita functis, adhuc vivit, quos signorum glorificatione venerabiles hominibus Deus facit. Eum vero, quem in mundo membris habemus præsentem, in cœlo, nisi multum nosmet abjecerimus, spiritu et intercessione sentiemus clementem.

*AUCTORE MONACHO BLANDINIENSI.*

*febri laborat :*

*Eucharistia sumpta,*

*sancte moritur 5 Febr.*

22 Discipuli proinde beati viri exequiis ipsius intererant, quem sincera semper caritate dilexerant, quibus dolor quidem de amissione confusionem, sed fides de remuneratione ejus generavit exultationem. Cujus corpus ad locum usque sepulcbri hymnis prosequuntur, funerique sacrosancto tristes, sed devoti, obsequuntur. Sicque ab eis in prædio sui olim juris Rentica, in oratorio B. Dionysii tumulum accepit : defunctusque eo in loco voluit quiescere, ubi humanis pridem rebus functus, suis pastorali cura alumnis præsedit. Cujus corpus licet tumulus clauserit, virtutes non clausit : quia loquentibus ad sepulchrum ejus miraculis, magnum in servo Christi spectaculum populis ejus virtutes exhibent.

*Renticæ sepelitur :*

23 Sanctus Domini Bertulphus, post multiplices hujus seculi labores, quibus coram Deo et hominibus C optime est conversatus, de præsenti vita ad æternam gloriam translatus, et ante Deum ab Angelis est coronatus. Cum ergo, ut prædictum est, in proprii juris prædio Rentica sepulchrum accepisset, quod cum locum, humanis olim rebus functus, elegisset, ad tumulum ejus miracula non defuere, quæ sanctitati illius præclara perhibuere testimonia. Nam cæcis visus, surdis auditus, mutis linguæ officium reparatur, et singulis morbis tanti medici efficacia præsto est : licetque cernere in gloria Sancti gloriam Dei, et in miraculis visibilibus admirari Deum invisibilem. Porro crescentibus miraculis, spectaculum crevit populis, signorumque frequentia frequentiam etiam invitavit populorum. Nam non solum rei novitate, sed etiam spe recuperandæ sanitatis undecumque concurritur : nec spe sua devotus quisque atque fidelis fallitur, dum et infirmi lætantur morbi se evasisse inclementiam, et sani nihilominus gaudent tantam se in infirmis vidisse salutem. Sicque sepulchrum Sancti in brevi adeo factum est gloriosum et celebre, ut non minus divitibus quam pauperibus pretiosum fuerit, et sicut miraculorum gloria, sic rerum creverit opulentia.

*ad ejus sepulchrum multa fiunt miracula.*

a *Hic desinebat MS. Franciscanum.* — b *Jam quippe Gandavum ad Blandiniense cœnobium translatus.*

D

## CAPUT VI.

*Corpus S. Bertulphi Bononiam devectum, inde sacrilege sublatum, industria Arnulphi Magni Marchionis Flandriæ inventum.*

Accidit interea triste malum in terris, quod sine horrore dici vix queat. Invasere enim Galliæ loca maritima sævissimi *a* piratæ, homines rapacissimi, eaque in vastas usquequaque redegere solitudines, igni, rapinis et gladio omnia vastantes. Quæ pestis dum interdum circumquaque desæviret, interdum quiesceret; hi, qui in locis post tanta mala residuis erant, suspicione hostilis irruptionis ducti, singuli de singulis locis una cum Sanctorum pignoribus migrabant, alioque ad tutiora loca declinabant. Erat quippe videre miseriam. Nam cum sæpius, quos diximus, piratæ tum terras vastarent, tum in mari latitarent, iterumque ad vastationem terrarum oblata opportunitate sese inferrent, intantum furor eorum processit, ut nec ab Ecclesiarum Dei excidiis abstinerent. Quas igni cremantes, nil in eis reliquum fecere, quod non igni, gladio, rapina absumerent : ita ut secundum illud Prophetæ, dispersi cernerentur E lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Unde factum est, ut tam monasticus quam canonicus ordo, relictis, in quibus habitabant, sedibus, fugæ operam darent, aliasque ad sedes, effossis absportatisque, ut dictum est, secum Sanctorum corporibus, migrarent, nullis aut raris citra mare relictis cœnobiis, quæ non tam suo honore, quam suorum Sanctorum privarentur patrociniis.

*a Infestantibus Gallias Normannis,*

*et in sacra sævientibus,*

*Thren. 4*

*corpora SS. alio avehuntur :*

25 *b* Carolus Rex regno Francorum Occidentalium leges dictavit, quem postea Heribertus Comes Viromanduorum, dolo captum, Peronæ posuit in custodia. Quo adhuc imperium obtinente, Bononiensium Comes fuit *c* Erkengarius genere et potentia non parum egregius. In cujus etiam ditione Rentica fuit, prædium in quo B. Bertulphi corpus tumulatum erat. Qui conspectis ad sepulchrum Sancti virtutibus, cum quanto ob miracula admirabatur magis, tanto carius amplectebatur. Sed quia omnem circa regionem irruptioni eorum, quos diximus, piratarum expositam videbat, de amissione tanti Patroni sui suisque pertimuit. Unde consilio accepto, illo eum transtulit, ubi et ipse tantarum reliquiarum securus esset, et Sanctus ampliori in artubus suis honore F afficeretur. Convocato denique Ecclesiastici ordinis conventu, animi sui votum religiosorum roboravit consiliis, efficacibusque perfecit auxiliis. Et admissis ad sacrosanctum tumulum Sacerdotibus, una cum Ecclesiæ ministris, in sanctissimorum artuum attrectatione, cum magna animi devotione assistebat. Sicque membra Sancti locello diligenter reposita, de Rentica Bononiam transferri præcepit, ubi ea tutius atque devotius servanda non ignoravit. Erat quippe Bononia sui juris, *d* munita tunc temporis civitas, mari Morinorum propinqua, mercibusque marinis præcipua, Sede insuper *e* Episcopali et benedictione consecrata. In quo loco usque ad tempora *f* Magni Arnulphi ea pignora servabantur : imo, ut verius dicam, magis servabant potius, quam servabantur. Servabant, inquam, quia Sancti ipsius, cujus membra erant, intercessione, locum eumdem ab omni infestatione liberum reddiderant.

*b*

*c*

*S. Berthulphi Bononiam*

*d*

*e*

*f*

*muniam tunc urbem*

26 Quia occasio se obtulit, ut de temporibus Magni Arnulphi mentionem faceremus, non abs re est, pauca etiam de illo conscribere, quæ et tanto viro laudem non modicam, aliisque eum imitari volentibus exemplum vivendi adferant : præsertim cum exceptis reliquis virtutibus ejus, ex hoc vel maxime gloriosus evaserit, quod Sanctum hunc, multaque Sanctorum pignora

*quod Arnulphus, Comes tertius Flandriæ,*

A pignora *g* Blandinium transferre dignus inventus est. Processit itaque hic a sanguine magnorum Regum, quem Balduino Calvo peperit *h* Elstrudis, filia Edgheri Regis Anglorum; non minus ingenui sanguinis a patre, quam a matre; quia a patre Regem Francorum Carolum Calvum proavum, a matre, ut dictum est, Edgerum Regem Anglorum traxit avum. Qui, quod in viris clarissimis clarissimum est, hanc tantam generis nobilitatem, probitatis industria decoravit. Successione proinde hæreditaria monarchiam sortitus est Flandrorum, quam adeo ampla dicendi et agendi facultate gubernabat, ut pro magna animi corporisque virtute, Magni nomen obtinuerit. Hic Blandinium, a Beato olim Amando in castro Gandavo constructum, intimo præ ceteris regni sui cœnobiis affectu complexus, studio quanto maximo potuit, provexit intantum, ut tam suis quam Apostolicis regalibusque privilegiis roborarit, multisque insuper Sanctorum pignoribus undecunque collectis ditarit. Ut vero etiam majori elegantia illud instaurarit, in archivis ejusdem monasterii lector luce clarius nosse poterit: hoc tantum hic strictim inseruisse sufficiat, quod lectori de translatione Sancti bujus, de quo sermo est, faciat satis. Quæ quidem B translatio, hujus Marchionis studio potenti accurata, industriaque prudenti est consummata.

*g* *h* *genere nobilissimus,* *Magnus dictus.*

27 Successu interea temporum, ditioni ejusdem Marchionis Bononia cessit, quam non minus honeste, quam ceteras urbes maritimas suscepit gubernandam. Quo tempore in eadem urbe accidit amissione corporis B. Bertulphi damnum, sed idem mox cum lucro sarcitum est. Nam quidem *i* Britannia oriundus, nomine Electus, officio sacrilegus, ad subripiendos sanctissimi Bertulphi artus locum observabat et tempus. Qui tandem improbi voti compos effectus, illos quadam calliditate adeptus est. Nam tempus sacrilegio, quod mente jam conceperat, opportunum nactus, ad locum, in quo sancti Confessoris membra reposita erant, temere accedit, ruptoque sigillo, ac aperto locello, corpus sanctissimum, omni thesauro pretiosius, furtim abripiens, clam discedit. Nec solum B. Bertulphi membra abstulisse sat habuit, sed etiam multorum Sanctorum pignoribus pariter sublatis, ad id usque vesaniæ processit, ut quas furto subripuerat reliquias, locello reponeret, ac in villa *k* Otidigem reconderet, pretio eas, ut putabat et volebat, *l* Adelstano Regi Anglorum venditurus. Detrimento quippe illorum, qui eas amiseC rant, lucrum suum decreverat facere: sed dispositione Dei intentio sacrilegi nullos habuit effectus. Elusit enim eum per Sanctum hunc virtus Dei, ac jam sæpe memorati industria Marchionis, qui tempore sacrilegii Bononiam veniens, de republica solemnem cum suis conventum habuit.

*i* *ab Electo Britone sublatum* *k* *l* *et inde alio abditum,* *deportandum in Angliam,*

28 Cum ergo, ut dictum est, reipublicæ prædictus Marchio consuleret, hoc maxime curabat, ut etiam rebus Ecclesiasticis ante omnia præcaveret. Erat enim sicut reipublicæ prudens orator, ita et Ecclesiæ Dei fortissimus propugnator. Unde accito memoratæ civitatis Episcopo, nomine *m* Wigfredo, vespertina jam synaxi dimissa, inter cetera quæ super Ecclesiasticis rebus plurimum curabat, hæc Pontifici dixit: Satis, Domine mi, de sacrosanctis Sanctorum pignoribus timeo, et utrum suis in locis salva sint, non parum sollicitudinis habeo. De quibus quoniam et me certiorem et vos volo esse sollicitiorem, convenit ut cum timore et fide ad Sancta Sanctorum accedatis, et in singulis utrum salva sint signacula, perquiratis. Periculosa enim sunt tempora, et quia sunt homines seipsos amantes, a manu latronum vix quidquam est tutum. Cui Episcopus: Non, inquit, horæ instantis est negotium, hoc nunc vestrum exequi imperium. Diem enim cernitis in vesperum declinare: nec fas est hac hora Sancta Sanctorum attrectare: matutinum nos potius tempus ad ea admittet: in crastinum id, quod jubetis, differre nil prohibet. Contra vero Marchio a Spiritu sancto permotus; Non est, inquit, utile differre, quod devotione magis quam temeritate fieri affectamus: præsertim cum nosmetipsos, si differatur, periclitari timeamus. Cumque Antistes excusando, Marchio niteretur instando, inclytus Marchio affectus sui effectum obtinuit, quem, ut post patuit, Spiritu sancto inspirante, adeo urgere perrexerat. Quid plura? Ad Sancta Sanctorum Antistes accessit, loculumque quo B. Bertulphi artus contineri sperabat, detexit: et ecce ob pretiosissimi corporis amissionem, magna animum confusione induit. Expavit cor videntis, irrigantur ora lamentis: et pretiosi thesauri destitutione, Marchio quoque et alii adstantes simili afficiuntur lamentatione, quæ majori non multo post consolatione sedata est.

*m* *importune cupiens videre Bononienses reliquias,*

D *AUCTORE MONACHO BLANDINIENSI.*

*ablatum intelligens,*

29 Sicut erat in glorioso Marchione mens præsaga sacrilegii, sic Spiritu sancto docente non ignara sacrilegi. Unde damno sacratissimi corporis valde ægre cognito: *n* Noveritis, inquit, detestandum hunc Britonem damnum hoc dedisse, corpusque Sancti furtim subripuisse. Quo audito, religiosi quique circumstantes Britonem correptum, super damno, quod E acciderat, convenere. Illi sacrilegium sacrilego intendebant: is e diverso, quod intendebatur, repellebat. Cumque nec suasionibus nec terroribus ad confessionem furti inclinaretur, præsentiæ Marchionis offertur examinandus. Quem blanda, imo callida Comes circumventione conventum, his allocutus est verbis: Bene, inquit, fecisti, quod Sancti corpus ablatum eo transtuleris, ubi decentius excoleretur. Hac callida Marchionis oratione magnus sacrilego pudor injectus est, moxque Comitis prosternitur pedibus, se corpus Sancti professus abstulisse, sed ea mente, quam Comes dixerat, nempe ut illo transferretur, ubi majori reverentia a fidelibus affici posset. Cui Comes subridens: Deo, inquit, gratias referimus, quia compertum habemus, quod quæsivimus. Sed ubi quod abripueras reposueris, pande. Licet enim sacrilegium colore virtutis fucaveris, non tamen virtutis est sacrilegium fecisse; nec satis credibile, ob reverentiam te Sancti alibi eum reposuisse. At ille rubore suffusus et timore dejectus, villam Oditigem mari pene contiguam indicavit: ad quam, ut ante diximus, membra Sancti deportaverat, ea videlicet delusus spe, qua sibi mare se transfretaturum, Regique, ut dictum est, Britanniæ ea pretio distracturum persuaserat. F

*n* *sacrilegii auctorem callide inducit ut fateatur,* *et ubi repositum sit, indicet.*

a *Hi fuere Normanni, qui seculo* 9 *et principio* 10 *totam Galliam crudelissime infestarunt.* — b Carolus *cognomento* Simplex, *an.* 898 *Franciæ regnum capessivit,* 912 *etiam Lotharicnse, pacemque cum Normannis sanxit, quibus et sedes in Gallia dedit: anno* 922 *Principum factione regno exuitur, quod armis repetere ausus, dein fraude Heriberti Veromanduorum Comitis capitur, tandemque in custodia Peronæ an.* 929 *mortuus est.* — c *Jacobus Malbrancus lib. 6 de Morinis cap.* 37 *et* 38 Hennekinum *hunc vocat, fratremque Balduini Ferrei facit, et Bononiensi Comitatu potitum ait per conjugem Bertham, Helgoti Comitis Bononiensis filiam, dein anno* 881 *a Normannis prælio victum, ex acceptis vulneribus, conjugemque una ex dolore obiisse. Bononiam vero jam ante expugnatam vastatamque; sed S. Bertulphi abditas servatasque reliquias. Quibus id auctoribus probet, non est otium expendere: at nec consilium, Blandiniensi scriptori, ad Caroli Simplicis tempora eam Translationem referenti, et secuturam deinceps Sancti tutelam Bononiam asserenti, accurato in ceteris, fidem derogare.* — d *Si, ut scribit Meierus, anno* 880 *eversa est a Normannis Bononia, oportet deinde reædificatam fuisse et validius communitam.* — e *Non satis solide ex hoc loco probat Molanus in præfat. ad Natales SS. Belgii,* Bononiam antiquitus proprium habuisse Episcopum: *nam cum hæc gesta sunt, et cum auctor hic Blandiniensis S. Bertulphi Vitam scripsit, erat Bononia sub Episcopo Morinensi, sive Teruanensi. Constat tamen ex veteri Notitia Ecclesiarum, utramque eam urbem olim solio episcopali decoratam. Testatur de Bononia Hincmarus Remensis, qui an.* 883 *obiit, in opusculo* LV *capitulorum sub finem capituli primi ita scribens:* Nam Atrebatis, Viromandis et Bononia, ex cujus territorio es nativus, antiquiores Sedes cum Episcopis propriis in Remorum provincia extiterunt, quam castrum Montis Lauduni inter Sedes computaretur, in quo es ordinatus Episcopus: sed quoniam a longo tempore, certis eventuum et necessitatum causis accidentibus, sicut et de pluribus civitatibus in quibusdam provinciis

*Bononia urbs Belgicæ olim Episcopalis,*

AUCTORE MONACHO BLANDINIENSI.

A provinciis legimus, illæ aliis subjectæ civitatibus suum privilegium perdiderunt. *Recuperavit proprium Episcopum Bononia, Teruana ante centum annos eversa.* — f Arnulphus Magnus, Balduini Calvi *filius*, Balduini Ferrei, *ex* Iuditha Caroli Calvi *Imp. filia nepos, anno* 918 *Flandriæ administrationem patre* Id. IV *Septembris mortuo, suscepit an.* 933 *fratre* Adalolpho *sine liberis defuncto Bononia Ternonaque potitus est.* — g *De nobilissimo hoc monasterio auctor iterum* VI *Februarii in Vita S. Amandi, qui id fundavit.* — h Elstrudis, *Anglis* Aelstryth, Ælfthrythe et Elftrita *dicta apud Guliel. Malmesburiensem* Ethelswida, *filia fuit non* Edgeri, *ut hic vitio forte librarii scriptum, sed* Elfredi, *sive* Alfredi, *qui an.* 872 Æthelredo *fratre* IX *Kal. Maii defuncto, in regnum Occidentalium Saxonum successit, postea monarchiam totius Angliæ adeptus, decessit an.* 901. V Kal. Novembr. feria 4, Indict. 4 *uti ex Hovedeno, Malmesburiensi, Westmonasteriensi et aliis patet.* Edgarus *vero, sive, ut hic scribitur* Edgerus, *pronepos fuit* Alfredi, *filius* Edmondi, *nepos* Edwardi *qui filius erat* Alfredi, *Elstrudis frater.* — i *Malbrancus ait* ex Athelstani Regis aula *fuisse. Quo auctore?* — k *Molanus.* Olideghem *Meyerus* Odingahem *Malbrancus*, Oldinghem, *additque nunc* Audinghem *dici, sitam Ambletacum inter et Witsantum.* — l *Consobrinus erat* Arnulphi *Comitis* Æthelstanus, *filius Edwardi, fratris Elstrudis, qui ab anno* 924 *ad* 940 *regnavit.* — m *Nunc jam tum an.* 900 *sedis esse cœpit Meierus, an.* 959 *obiisse. Non animadvertit eum dicto apud Trosleium in pago Suessonico, an.* 909 *subscripsisse* Stephanum Morinorum Ep. *Malbrancus lib.* 7 *cap.* 31 *ostendit an.* 935 X *Kal. Julii Bononiæ in Cathedrali D. Virginis basilica, ubi Stephanus hactenus sedem fixerat, ab Artaldo Remensi Archiepiscopo ordinatum esse Wicfridum, qui apud Flodoardum lib.* 4 *cap.* 36 *in editione Sirmondi* Wilfredus *appellatur, in editione Colvenerii* Winefredus et Wicfredus; *apud Claudium Robertum* Unifridus, Vifridus, Vinfridus. *Fuerat antea Bertiniani monasterii Præpositus, obiit* 19 *Aug.* 959. — n *Non recte interpretatur Molanus:* in villa Olideghem, mari contigua, ipsum (*Electum Britonem*) intercepit Arnulphus Magnus ... et geminata lætitia invenit apud
B eumdem corpus S. Godwali.

uti et nunc.

## CAPUT VII.

### *Corpus S. Bertulphi Harlebecam, inde Gandavum translatum.*

Cum prolixior ad scribendum historia suppetit, capitulis eas distinguere par est, ut scriptori levamen in scribendo, et lectori respiratio sit in legendo: præsertim cum prolixa materies sæpe fastidium, succincta vero nonnumquam tum scribendi tum legendi generet desiderium. His interim præmissis, reliquum historiæ prosequamur. Sacrilegio igitur callida, ut dictum est, industria Marchionis detecto, loco etiam, quo corpus Sancti clanculo repositum erat, comperto; in animum idem Comes induxit, illuc Religiosos quosdam ac fideles mittere, sanctumque corpus eo, unde ablatum fuerat, revocare. Et licet hoc animi sui consilium meliori postmodum ipse consilio mutaverit, nec Bononiam sanctas reliquias reduxerit, sicut in sequentibus liquido patebit; accito tamen una cum religiosis quibusque memoratæ urbis Episcopo Wigfredo, ad villam, ubi sacrilegus C ille sancta se reposuisse membra confessus est, eum mittit, mandans ut ea Bononiam reducerent. Et quoniam timuit tanto thesauro aliqua occasione privari, negotium, quod injunxit, mature exequi eos jussit. Illi mandata jubentis exequuntur, et ad villam Olidigem propere advecti, locum sacri corporis conscium adeunt, majoremque, quam optavere, reparandi damni materiam inveniunt. Nam cum corpore B. Bertulphi corpus etiam S. Gudwali reperiunt, et in unius inquisitione, geminorum exultant inventione. Erat quippe B. *a* Gudwalus Confessor pariter et Pontifex, alta Britonum prosapia ortus, generis quidem titulo nobilis, sed vita et moribus multo nobilior. Qui ut spreta parentum celsitudine et hæreditarii juris amplitudine, vel in monasterio, vel in Episcopatu Deo serviverit, et post plurima ac inaudita seculis miracula ex hoc mundo ad Deum transierit, liber, qui de vita et virtutibus ejus plenissime conscriptus est, liquido pandit. Corpus vero illius qua de caussa *b* Monasterioli castro deportatum, vel uti furtim inde sublatum per antedictum Britonem, corpori S. Bertulphi conjunctum, atque cum illo Blandinium translatum sit, ex libello, *c* qui de eorum adventu scriptus est, lector cognoscere poterit. Nunc vero ea tantum, quæ specialius B. Bertulphi privilegium indicare videntur, prosequente stylo commemoremus.

repertum in Olidigem,

a cum corpore S. Gudwali,

b

c

31 Gloriosus igitur Marchio, licet, ut supra scriptum est, corpus B. Bertulphi Bononiam referri jusserit, hanc tamen animi sui sententiam meliori mutavit, alioque illud censuit transferendum. Et convocatis SS. Audomari ac Bertini *d* Præpositis, illustribus etiam personis consilio adhibitis, ut ad Harlebecensem illud transferrent Ecclesiam, imperavit. Erat autem *e* Harlebeca unum ex multis sui juris prædium, flumini Legiæ adjacens: ad quod S. Bertulphum transferri jussit, translaturus illum mox Blandinium, quod speciale amoris ipsius meruit privilegium, quodque in castro Gandavo a Beato olim Amando, ut ante diximus, fundatum, Apostolicisque Petri et Pauli titulis dedicatum fuit. Cujus fundationem loci qui nosse velit, in vetustissimis ejusdem monasterii archivis poterit cognoscere. Sancti ergo corpore ad Harlebecensem Ecclesiam translato, et a venerabili *f* Theodrado, ejusdem Ecclesiæ Sacerdote, honorifice suscepto; non multo post Magnus Arnulphus cum magno se comitatu obvium pridie Calend. Decembris exhibuit, completurus tunc voti effectum sui.

D deponi utrumque Harlebecæ curat,

d

e

Gandavum postea transferendum:

f

32 Memoratæ Ecclesiæ Theodradus, quem jam dixi, tunc præfuit, cui erat non modica apud Marchionem fiducia impetrandi, quæ voluit. Qui cum intellexisset Marchionis hanc esse voluntatem, ut Sancti reliquiæ inde transferrentur, ad impetrandum quasdam ex iis, preces obtulit, et quod fideliter postulavit, efficaciter impetravit. Nam assensum petenti Comes accommodavit, reliquiasque de corpore Sancti devota tollens præsumptione, illi donavit; hoc iterum iterumque monens, ut eum Sancto honorem exhiberet, quasi in reliquiis ejus illum vere crederet præsentem. Quod ille non segniter executus, in eadem, qua Deo minister, subditis erat magister, Ecclesia, sanctissima membra summa excoluit reverentia. Quæ ibidem longo tempore honorifice servabantur, donec ea ecclesia igni cremata, de incendio divinitus sunt extracta, et reliquis ipsius membris in Blandinio restituta. Quod qualiter acciderit, sicut fidelium relatu didicimus, dicendum est in sequentibus. Nunc interim hoc aggredimur dicere, quemadmodum idem sanctus Domini Confessor Blandinium sacrosanctis artubus suis dignatus sit invisere.

parte reliquiarum S. Bertulphi Harlebecæ relicta,

E

33 Ea tempestate in monasterio Blandinio *g* Gerardus merito et officio Abbas degebat, cujus consiliis gloriosus Marchio libenter utebatur. Qui cum titulos nobilitatis nobilius etiam ornaret moribus probatis, cunctis pene Galliæ cœnobiis et præesse et prodesse dignus inventus est. Quo accito, prædictus Marchio de transferendis Sancti reliquiis, communicatis cum eo consiliis pertractat. Tum utrique ita visum est, ut memorati Sancti pignora Blandinium transferrentur. Placuit etiam ea optimatibus sententia, ut tanti Confessoris pignoribus Blandiniensis Ecclesia ditaretur. Cumque tam Ecclesiasticis quam politicis ordinibus ita esset deliberatum, sanctissimi Confessoris Bertulphi membra levantur, transferenda eo quo jam diximus, non sine magna tum præcedentium, tum subsequentium gratulatione. Nec solus hic Sanctus tunc transferri voluit, sed in consortium Translationis ejus ossa B. Gudwali adjuncta sunt; atque etiam membrum unum *h* B. Audomari cum dente ipsius, reliquiæ quoque sanctissimi *i* Bertini in augmentum gloriæ ejus. O quam lætum populis, undecumque concurrentibus, in illa die spectaculum fuit, cum ante sanctissimas reliquias hinc Ecclesiastica pompa cum crucibus et lampadibus, inde aulicus Marchionis procederet senatus cum fascibus. Et licet ex utraque parte impensus honor minor esset, quam pro Sancti meritis, omnem tamen gloriam Principum æquavit. Facta est autem Translatio hæc tertio Nonas Decembris, cum Adventum Domini Ecclesia

g

F

utrumque corpus transfertur Gandavum,

h

i

cum aliquibus reliquiis SS. Audomari et Bertini, solemni pompa.

A clesia pro more celebrat, cum etiam in adventu Sancti Christum sibi advenisse exultavit, præsertim cum in Sanctis et Electis Christum habitare nemo ambigat. Erat præcipue idoneus hujus Translationis minister una cum religioso grege monachorum Abbas, quem diximus, Gerardus, cujus prudenti dispositioni gloriosus Marchio credidit, quidquid in Translatione illa agendum videretur. Qui in monasterium Blandiniense, cui ipse tunc præfuit, sacrosanctos artus transtulit, ac in Orientali abside cum magna psallentium melodia reposuit. Ubi ad tempora usque nostra mansit corpus sanctissimum, donec in medio ejusdem ecclesiæ Memoria fidelium defunctorum a fidelibus ædificata, et in honorem incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis ac ascensionis Jesu Christi est titulata. Ad quam dignam memoria memoriam, qualiter hic sanctissimus Confessor Bertulphus sit translatus, suo mox loco dicendum differimus.

*omnia ordinante S. Gerardo Abbate.*

a *Vitam ejus dabimus 6 Junii, scriptam, ut hinc patet, ante an.* 1073 *sed tamen post translatas Gandavum ejus reliquias, cum istius Translationis meminerit.* — b Monasteriolum, *vulgo* Monstreuil, *oppidum est Gallicæ ditionis ad Quantiam flumen, a monasterio, quod isthic S. Salvius Ep. Ambianensis construxit, ut in ejus Vita cap. 1 num. 2 dicitur : asservantur isthic ejus reliquiæ appellaturque jam cœnobium illud* S. Salvii de Monasteriolo, *et cap.* Ad hæc donatione. 15 de decimis. S. Salvii de Monstrali. *Castrum illud Herluino Comiti eripuit Arnulphus Magnus Flandriæ Comes, uti narrat Willelmus Gemmeticensis histor. Norman. lib. 3 cap. 10 et alii. Auctor Vitæ S. Gudwali lib. 3 cap. 6 nulla facta sacrilegi hujus Brittonis mentione, de reliquiis Monasteriolum allatis, atque inde ab Arnulpho asportatis ita scribit:* Tandem Monasteriale venere in castrum, aliquanto tempore tanti Patroni præsentia et gratia cœlo adæquatum : ubi quia condigna sibi non colebatur reverentia, cor Magni et incly ti Marchisi Arnulfi ad multorum salutem destinati, gratia tetigit Spiritus sancti, qua intellexit in Dei sapientia ab æterno dispositum, illo humana Sancti sui non diutius debere reservari. — c *Eum libellum nondum vidimus.* — d *Hunc S. Bertinus Præpositum Malbrancus* Regenoldum *appellat.* — e *De* Harlebeca *agit fuse et eleganter Antonius Sanderus tom. 2 Flandriæ illustratæ pag.* 4 8, *ubi docet in antiquis scriptis* Hallebecam *dici, a rivo qui ex* Halle *pago profluens, isthic Legiæ seu Lisæ miscetur.* — f Theodardum *vocant Meierus ad an.* 959. *et Malbrancus. Nondum erant Harlebecæ Canonici, quos isthic postea constituit Balduinus Pius sive Insulanus, optimus Flandriæ Comes.* — g *Vitam* S. Gerardi *dabimus 3 Octob. ubi et de restauratis ab eo plurimis per Belgium monasteriis agemus.* — h *Colitur* S. Audomarus *Ep.* 9 *Septemb.* — i S. Bertini *Ab. Vitam dabimus* 5 *Septemb.*

Monasteriolum, *sive* Monstreuil.

B

Harlebeca

## CAPUT VIII.

### *Reliquiæ S. Bertulphi ad novam aram transferendæ, prius visitatæ.*

Tametsi ea, quæ fidelium hominum sermone referuntur, haud difficile ab auditoribus æque fidelibus creduntur; multo tamen certiori fide ea sciuntur,

C quæcumque oculis licet intueri. Unde sicut ea, quæ a majoribus de sanctissimo Patre nostro Bertulpho didicimus, sic et illa, quæ oculis ipsi vidimus, stylo tradere conamur. Novit caritas vestra, dignam memoria fidelium defunctorum in Ecclesia hodieque florere memoriam, quæ, *a* sicut in gestis B. Odilonis legimus, ex divina revelatione in Ecclesia primum inolevit, et non multo post auctoritate venerandi Papæ *b* Leonis per omnes bene jam Christi Ecclesiæ propagata est. Cumque hoc in plerisque locis devotius ageretur, paullatimque hujus rei religio magis magisque augeretur; adeo res processit, ut in Ecclesiis ob memoriam fidelium defunctorum, honoremque Domini, altaria erigerentur, exequiæ generaliter ac solenniter celebrarentur, eo vel maxime die, qui omnium Sanctorum solennitatem a capite Calendarum Novembrium sequitur, non incongrua videlicet ratione, ut omnium Sanctorum, quorum festum pridie præcessit, intercessio, clementissima omnium fidelium defunctorum fieret relaxatio. Sed hæc suo in loco : hoc tantum dicere nunc aggredimur, ut ipsum diem corporis B. Bertulphi, reliquiarumque sanctæ Virginis Christi *c* Amelbergæ Translatio solennem effecerit. In Blandiniensi namque Ecclesia memoriam fidelium defunctorum construxit fidelium vivorum industria, quam honorifice in ipso depositionis D sanctissimi Bertulphi die absolvit, atque in honorem Incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis atque ascensionis Jesu Christi, *d* a Radbodo Noviomensi Episcopo consecrari fecit anno Verbi incarnati millesimo septuagesimo secundo, secunda hebdomadæ paschalis feria, præsente glorioso Flandrorum Marchione *e* Roberto, cum multa optimatum et promiscui sexus frequentia.

*Commemoratione fidelium defunctorum in Ecclesia instituta,* a b

*c altare in medio templi Blandiniensis erec-* *tum, dictumque* d *Memoria fidelium defunctorum;* e

AUCTORE MONACHO B. ANDINIENSI

35 Nec multo post Blandiniensis cœnobii Fratribus placuit, ad eamdem memoriam B. Bertulphi corpus, sanctissimæque Virginis Christi Amalbergæ reliquias transferre, ut major inde confluentibus eo plebibus devotio, fidelibusque defunctis tantis intercessoribus fieret consolatio. Cumque Fratribus, ut dictum est, sanctæ Blandiniensis Ecclesiæ corpus S. Bertulphi transferre placuisset, hocque non temere fieri judicassent, consulto quidem ab eis, qui sanioris consilii tunc videbantur, definitum est, ut admissis clam nonnullis ad loculum sacri corporis Sacerdotibus, omnem reconditi sacrosancti thesauri veritatem oculis explorarent, ut testibus his reliqui Fratres ad agendum id, quod statuerant, certiores redderentur. Neque enim de sacrosanctis artubus parum dubii erat. Quippe opinio vulgi habebat, ma- E gnam de sacro corpore partem ab Harlebecensibus haberi; adeo ut Ecclesia eorum ad S. Bertulphum vulgo diceretur. Sed nec Fratres Gandenses; vel hanc appellationem, vel reliquias sanctæ Ecclesiæ Harlebecensi invidebant; cum in veteribus de Sancto conscriptis exemplaribus magnum Arnulphum eas Theodrado Presbytero dedisse legerent : quod etiam nos in hoc novo opusculo plenius descripsimus. Sed, sicut jam diximus, et adhuc expressius dicemus, eædem, quæ Harlebecensibus reliquiæ fuere, in Blandinio quiescenti corpori post aliquod tempus rursus adjunctæ sunt. Quod ut indiciis sit evidentibus compertum, prudens lector animadvertat. Paullo ante Translationem sanctissimi Bertulphi, Sacerdotes, ut dictum est, albis induti, pedibus nudi, devote potius quam temere ad sancti corporis locellum admissi, confessione primum vicissim facta, cum fide et tremore accedunt, ipsumque licet difficulter aperiunt. Tum sacrosanctum corpus pallio involutum, signaculo reperunt signatum, et partem quidem artuum adesse maximam, sed partem quoque non modicam deesse. Ubi etiam titulum hujusmodi inscriptum, corporique sancto impositum invenerunt : Hic requiescunt membra sanctissimi corporis Bertulphi Confessoris, cujus transitus celebratur Nonis Februarii, quæ Arnulphus Magnus Blandinium transtulit tertio Nonas Decembris.

*ad id translatæ S. Bertulphi reliquiæ,*

*prius aperto loculo religiose visitatæ:* F

36 Oculos hinc in partem loculi deflectunt, locellum alterum inclusum, sigilloque signatum cernunt. Gaudio itaque affecti respirant, quippe qui se haud vulgares ibi reliquias inventuros sperarent. Cautius intendunt, titulumque hujusmodi infra positum inspiciunt. : Hic locellus continet, quod residuum fuit igni de corpore sanctissimi Confessoris Christi Bertulphi. Quod legentes, satis nec intelligere nec admirari poterant. Aperto tamen locello, erat cernere quiddam divini horroris : imo vero non tam horroris quam honoris. Passim quippe pene ambusta ossa jacebant. Quæ cum diligentius hinc inde inspicerent, titulum quemdam complicatum et involutum reperiunt et aperiunt, barbaris quidem litteris inscriptum, adeo ut facilem legentibus de reconditis illic S. Bertulphi membris fidem faceret. Erat autem hujusmodi : Hic reposita sunt ossa illa egregii Confessoris Christi Bertulphi, quæ Angelus Domini de medio ignis extulit, quando Harlebeca cremata est, quæ Domina Rozala Blandinium transtulit cum Balduino filio parvulo, et apposuit reliquæ parti corporis ipsius Sancti.

*simul ex repertæ quæ donatæ antea Harlebecensibus*

AUCTORE MONACHO BLANDINIENSI.

A Sancti. Has ergo sancti Patris reliquias, quas apud nos in hoc usque tempus haberi ignoravimus, quando vel qualiter Deus per Angelum suum de medio ignis eripuerit, sicut fidelium relatu fidelius investigare potuimus, hic inserere curavimus.

a *De hac re egimus 1 Januarii in Vita S. Odilonis per B. Petrum Damianum cap. 10 num. 22.* — b *Hæc est* S. Leo IX, *qui a* 12 *Februarii an.* 1049 *ad* 19 *April.* 1054 *Ecclesiam gubernavit, vivente hoc auctore.* — c *Tres sunt* SS. Amelbergæ *in Belgio nostro celebres: prima, mater SS. Gudilæ et Reineldis, colitur* 10 *Julii; secunda, Virgo, de qua hic agitur, colitur eodem die; tertia, itidem Virgo, alias* Amalberta, *Magistra SS. Benedictæ et Cæciliæ VV. Susterensium Abbatissarum, filiarum Zuentebold Regis, colitur* 21 *Novembris.* — d *Hic est* Ratbodus II *Noviomensis et Tornacensis Episcopus, quem an.* 1068 *ordinatum scribit Joannes Cognatus lib.* 3 *historiæ Episcoporum Tornacensium cap.* 24 *et cap.* 33 *an.* 1098 *apoplexia extinctum.* — e Balduinus VI *Flandriæ Comes, ex* Richilde *Reineri* IV *Hannoniæ Comitis filia hærede,* Arnulphum et Balduinum *suscepit: hic an.* 1070 *moriens Hannoniam reliquit, Arnulpho seniori Flandriam.* Balduini *tutelam* Richildi, Arnulphi, Roberto *fratri suo commisit,* Frisio *dicto, quod ducta* Gertrude, *Florentii Hollandiæ Comitis vidua, Frisios bello vicerat. Obstitit* Richildis, *ne Robertus tutor esset: hac injuria, ac bonorum suorum, ut aiunt, damno irritatus, simul injusta ambitione, Flandriam invasit, fratrem cum filiis exturbat, Regem Franciæ Philippum cum ingentibus copiis reducentem an.* 1071 *vincit memorabili prælio, in quo et Arnulphus cecidit: demum an.* 1072 *Balduinum, eumque asserere volentes Principes, ut is deinceps intra Hannoniam sese continere coactus sit, Roberti stirpe Flandris imperitante.*

## CAPUT IX.

### B *Reliquiæ S. Bertulphi, Harlebecæ flammis ereptæ, Gandavum quoque translatæ.*

a Post immaturam *a* Arnulphi Junioris Marchionis mortem, cujus avus Magnus extitit Arnulphus, Bal-
b duinus filius ejus cum matre *b* Rozala derelictus est parvulus. Hic enim est, qui postea Prolixæ barbæ dictus est Balduinus, cujus mater Rozala, filia fuit Berengarii Regis Italiæ, quæ post mortem Arnulphi
c Principis, *c* Roberto Regi Francorum nupsit, et Susanna dicta, mutato nomine, Regina regnavit. Quæ cum adhuc vidua, et filius ejus *d* Balduinus esset infantulus, tanta in regione nostra commanentium facta est perturbatio, ut non tam ad hostile quam intestinum, bellum pertraheretur ipsa dissensio. Multi enim ea, quæ a patre pueri hujus in beneficium possidebant, in hac perturbatione, ac si propria essent, usurpabant. Quo tempore quidam nobilis prosapiæ Eilbodo Curtraci territorio præsidebat, cujus uxor
e *e* Immacin, nobilis æque prosapiæ, dicta fuit. Ipso autem Eilbodone defuncto, Balduinus juvenculus, qui ex successione hæreditaria in principatu monarchiæ Flandrensis, gratia Dei, jam convaluerat, Comitatum Curtracensem ditioni suæ, ut etiam postea C fecit, subdere cogitabat. Sed Curtracenses cum aliquanto tempore rebellassent, Harlebecenses in proximo sibi commanentes, qui dominio Balduini Marchionis subjacebant, seditionibus et inimicitiis frequenter impetebant. Illis vero fortiter repugnantibus, Curtracenses quindecim suæ partis homines, in hoc ipsos conjuratum, nocte miserunt, et ut villam Harlebecensem igni succenderent, factis sacramentis injunxerunt. Qui prima vigilia noctis advenientes, villam, ut conjuraverant, omni ex parte igni succenderunt. Flammæ autem, vi ventorum impellente, domos domibus cohærentes consumebant, Ecclesiamque S. Bertulphi ita repente invadebant, ut nihil aut vix aliquid suppellectilis Ecclesiasticæ exinde posset auferri. Erat autem in eadem ecclesia pars non minima ossium ejusdem sancti Confessoris, quam dudum venerabilis ipsius Ecclesiæ Sacerdos Theodradus a Magno, ut præscriptum est, impetravit Arnulpho, eo videlicet tempore, cum ab eodem glorioso Marchione sanctissimum Sancti corpus Blandinium transferebatur. Quæ quidem sacræ reliquiæ cum multis diebus magna ab incolis loci illius venerarentur diligentia, tunc igni videbantur absumendæ, non sine maxima omnium mœstitia. Adstabat tunc ipsius Ecclesiæ Sacerdos, Bugecinus no- D mine, summa animi dejectus mœstitudine. Decidente autem pro immensitate ignium omni ecclesiæ tecto, loculoque, in quo Sancti continebantur pignora, flammis consumpto, cum jam miserabilis de ereptione sanctarum reliquiarum omnes invaderet desperatio, ideoque lacrymabilis ad Deum Sanctumque Bertulphum omnium fieret invocatio; ecce inter ipsas flammas cœpit crepitus quidam fragorque immensus audiri, videbaturque quasi congestus in unum formicarum acervus sensim efferri, qui leniter ex ipsis flammis emergens, repente sursum est elatus, statimque super expansum Sacerdotis, quo circumamiciebatur, vestimentum, cunctis mirantibus est depositus. Qui diligenter intuens, quidnam esset, ossa vidit humana, in superficie quidem tactu ignis denigrata, et non, ut efferebantur, in unum cohærentia, sed, ut levius agnosci possent, alterum ab altero disjuncta. Tunc incunctanter adstantes, hæc S. Bertulphi intelligentes fuisse pignora, virtute divina et subvectione angelica ex ipsis ignium flammis elata, ad comparationem tanti thesauri, detrimenta rerum suarum, ignibus absumptarum, quasi nihili pendebant, Denique, tam gloriose Sanctum suum glorificanti, laudes et gratias toto corde referebant.

num tempore belli civilis,

Harlebeca a Curtracensibus incensa, temploque combusto,

e flammis miraculose extractæ,

38 Igitur Harlebecensis Ecclesiæ cives, eas ipsas E S. Bertulphi reliquias navi impositas, quoniam et ecclesia propria cremata fuit, et hostilis incursionis metus imminebat, per Legiam fluvium ad *f* Vivium castellum, tunc temporis munitissimum, deportarunt. Post aliquantum vero temporis placuit ipsis referre reliquias, iterumque navi impositas ad propriam parochiam reportare instituebant. Sed inter eundum quibusdam incidit dubitatio, utrum vere, quæ ab eis deportabantur, S. Bertulphi essent reliquiæ. Quod memoratus illorum Sacerdos Bugecinus, qui interfuit, intelligens, omni cordis intentione Deum oravit, ut pro misericordia sua evidens hujus rei signum ostendere dignaretur. Tum ecce grex avium desuper volitans apparuit, in cujus extremo agmine ales quædam candidi coloris, quæ ceteris præstantior esse videbatur, apparuit. Quam diligentius Sacerdos intuens, In nomine, inquit, Dei tibi præcipio, ut si vere hæ Sancti sunt reliquiæ Bertulphi, tu super ipsas sine mora descendas. Quo dicto, avis illa, relicto præeuntium agmine, descendit, et in gremio Sacerdotis, reliquias sanctas tenentis, resedit. Quam ille blanda manu, quamdiu placuit, cunctis admirantibus, contrectavit; itaque absterso a cordibus illorum omni dubitationis scrupulo, libere abire permisit. F

f Vivium delatæ,

novoque miraculo veræ approbatæ,

39 His gestis, Rozala, quæ et Susanna, dictæ memoriæ Domina, cum Balduino filio adolescentulo Marchione advenit, consilioque cum suis habito, reliquias sanctas inde asportavit, et in Blandiniensi Ecclesia reliquæ parti corporis ipsius Sancti apposuit, parte quadam ex eis Ecclesiæ nuper crematæ reddita. Hæc ita esse cum multi ex ore progenitorum suorum loquantur, quædam tamen fidelis mulier etiamnum superest, quæ cum jurejurando se præsentem his interfuisse memorat, et quæ jam diximus, vera esse, viva voce testatur. Et hoc satis tam auditu quam visu, quisquis eadem Sancti membra inspexit, comperire potuit, non nisi virtute Dei ex ipsis ignium flammis sacras reliquias ereptas esse, quia ut in ipsis apparet, omni ecclesia et loculo, in quo continebantur, exustis, ita sunt ab igni comprehensæ, ut nulla humani ingenii industria extrahi potuerint, et nisi angelica virtute abducerentur, in favillas vel cineres usque redigi oporteret. Sed jam ad perscribendum sanctæ Translationis ordinem redeamus.

Gandavum ad Blandiniense cœnobium deportatæ erant

a Arnulphus II, *sive* Junior, *patre* Balduino III *an.* 961 *mortuo, sub Arnulpho Magno, avo suo, in tutela remansit, nam is anno demum* 964 *decessit. Junior vero an.* 989. 30 *Martii, vel ut vult Malbrancus*

Malbrancus 10 Martii 988. — b Aliis Rosula, Meiero Rosala, Miræo Rosella dicitur, filia Berengarii II, qui an. 950 Italiæ Regis titulum assumpsit, tenuitque annis 12, eo ab Ottone I Imp. exutus, abductusque in Germaniam, Bambergæ obiit an. 966. — c Hic Hugonis Capeti filius, cum patre ab an. 988 usque ad 997 regnavit, deinceps solus usque ad XIII Kal. Aug. 1033. Huic si Rosala nupsit, repudiatam deinde fuisse censent Sammarthani. Eam an. 1003 VII Kal. Febr. Compendii obiisse scribit Meierus, Gandavi sepultam. — d Balduinus Barbatus, sive prolixæ (ut hic dicitur) aut pulchræ barbæ, obiit an. 1036 30 Maii, cum imperasset 37 annos, menses 2. — e MS. Harlebecense, quocum hoc caput collatum est, Imma. — f Meierus, Vivum. Geminus est ad utramque Legiæ ripam vaqus inter Harlebecam et Deinsam; qui ad dextram S. Eligii Vivium dicitur, S. Bavonis Vivium, qui ad sinistram.

## CAPUT X.

### *Reliquiæ S. Bertulphi et aliæ, in novam thecam, novamque aram impositæ.*

In transferendis S. Bertulphi reliquiis, gloriæ ejus gloriam hanc Christus adjunxit, ut sicut gaudii Sanctorum consors est in cœlis, ita etiam reliquiarum eorumdem secum transferendarum consors fieret in terris. Cui hoc speciale mox transferendo decus fuit, quod sacratissimam Christi Virginem Amalbergam hac sui Translatione sociam habere meruit. Quod ut factum sit, lectori paucis indicare non pigebit. Erat in Orientali sanctæ Blandiniensis Ecclesiæ apside scrinium immensa ætate in abdito repositum, quod a quibusdam Fratribus devote eo admissis est apertum, et in eo quiddam divini horroris repertum. Nam erat in eo cernere omnem pene virginei corporis Virginis Christi Amalbergæ pulverem, et plures castissimorum ossium ipsius particulas una cum vestimentis ejus et peplo, pera quoque et baculo, cilicio etiam, et sacrato pretiosi operis colorisque velo: velo, inquam, quo divinitus per a B. Willibrordum Sanctamque Gertrudem legitur velata, Deoque consecrata. Fratres ad tam sanctum spectaculum secretius admissi, reperto tam pretioso thesauro, non parum gaudebant, eamque cum corpore S. Bertulphi collocare dignum ducebant. Quod et factum est.

*Reliquiæ S. Amalbergæ Virg. simul ad Memoriam fidelium defunctorum translatæ,*

*a*

*et ipsæ visitatæ,*

41 Ea siquidem tempestate, quæ sacram S. Bertulphi reliquiarumque Virginis Christi Amalbergæ Translationem præcesserat, inundationis incommodis universa regio laborabat, adeo ut a sidere Arietis usque ad Geminos, nec pluviales cœlo nubes, nec terræ deessent imbres. Sol Aquarium exibat, prope sidus Cancri respiciebat, et tamen Aquarius plus solito imbres non cessabat effundere. Cerneres inundationem circumquaque grassari inexhaustam, et laborantibus agricolis omnem futuram messis spem adimi. Et ecce ante Translationis diem, cum se ad perscrutandum sancti Confessoris loculum Fratres, quos diximus, contulissent, eamque cum fide et tremore aperuissent, imbre suspenso serenitas mox redit, ita ut unum idemque esset, Fratres loculum aperuisse, cataractasque cœli pluvias retraxisse. In apertione quippe loculi Sancti sui, misertus est Dominus populi sui, sinum illi misericordiæ suæ aperiens, tempestatemque jubens facessere. Renovantur hic in Sancto Dei antiqua miracula, quæ non minus defuncto, quam olim viventi familiaria fuere. Qui enim jampridem sub dio positus, pluviæ incommoda non sensit; hic etiam ad artuum suorum attrectationem, imbrium suspendit inundationem, tanto nunc miraculis et virtutibus excellentior, quanto Divino conspectui præsentior. Nec alienum a fide est, Deum Sancti hujus Translationem mox futuram sic disposuisse, quem pro ea disponenda tempestatis insolentiam compescuisse credimus. Gradere nunc, bone Jesu, nobiscum, et ad peragendam sanctarum reliquiarum Confessoris et Virginis tuæ Translationem, puram nobis tribue devotionem.

*ea Translatione diuturna et nova pluvia repressa.*

42 Sacratissima dies Pentecostes XIV Calend. Junii lucescebat, cum adventum sancti Spiritus Ecclesia generaliter celebrem habuit. Qua die placuit Fratribus sacrosanctum corpus B. Bertulphi cum S. Amalbergæ reliquiis ad memoriam, quam ante memoravimus, fidelium defunctorum deportare, et die crastino de locello vetusto in novum transferre. Quod consulto quidem ab eis definitum est, videlicet ut animæ fidelium defunctorum in adventu Spiritus sancti, lætificarentur etiam adventu corporis sancti. Nam et hac celebri die plus solito confluentem plebem recepit Ecclesia, sacra ibi Missarum solennia celebraturam. Innotuit etiam res populi quæ agebatur de deportatione sanctissimi corporis. Unde complures tam hujus rei pia novitas, quam sacra Paracleti solennitas invitabat, tanto liberius confluentes, quanto diu optata tandemque hujus meritis concessa serenitate impensius lætabantur. Et tertia quidem diei hora, qua se Spiritus sanctus discipulorum olim cordibus infudit, ante Missarum solennia Fratres ad Sancta Sanctorum cum thymiamateriis et hymnis accedunt, loculum, quo sacratissimum corpus continebatur, deponunt, ac prosequente psallentium choro, memoriam, quam diximus, fidelium defunctorum adeunt, novoque altari eum imponunt, nocturnas illic in honorem Dei Sanctique hujus acturi vigilias, crastinumque expectaturi diem ad transferendas illius sanctæque Virginis, quæ simul advectæ sunt, de theca in thecam reliquias.

*AUCTORE MONACHO BLANDINIENSI.*

*19 Maii die Pentecostes,*

*magno concursu populi,*

*altari impositæ reliquiæ.*

43 Crastina porro dies populis optatissima illuxit, quæ ad divinum illud spectaculum illos undecumque invitarat. Magnam et præclaram hac die jucunditatem, magnam æque Sancto suo Omnipotens prærogavit solennitatem. Clerus omnis de adjacentibus Ecclesiis, monachorum chorus de cœnobiis, tam plebs urbana de urbibus quam vulgus promiscuum accurrit de rure, ut in futura sanctissimi corporis Translatione, optata visione fruantur. Nec piguit ob sanctissimi hujus corporis reliquiarumque Virginis Amelbergæ reverentiam, circumjacentium Sanctorum corpora suam præsentiam exhibere. Nam S. b Livinum Martyrem, et B. c Pharaildem Christi Virginem, Sanctum quoque d Gerulphumque Martyrem, singulis de suis locis obvios exhibuere, in magnaque populi prosequentis frequentia gaudii nostri participes esse voluerunt. Præterea aliæ complures reliquiæ longo illo Translationis sanctissimi Patris nostri Bertulphi, sanctæque Virginis Amelbergæ itinere processere obviam. Novum quippe gloriosumque genus spectaculi hunc invitavit populi conventum: qui sane tam frequens accurrit, ut nec ambitus, nec atrium ecclesiæ eum capere sufficeret.

*20 Maii allatis ad solennitatem alterius SS. reliquiis,*

44 Expectantibus interea in ecclesia populis, Sacerdotes ad memoriam fidelium defunctorum procedunt cum infulis, minoresque Ecclesiæ gradus cum crucibus et thymiamateriis. Populus quoque, qui tam multus convenerat, nisi quo potuit, se ad spectandum ingessit, vel religione, vel rei novitate, aut etiam spe impetrandi aliquid pro benedictione de Sancti corpore incitatus. Ei præmissa Litania, adjunctis etiam laudibus tam divino operi congruentibus, ac Sacerdotibus, qui huic sanctissimo negotio aderant, ad altare accedentibus, pretiosissimi thesauri loculus aperitur. Corpus sanctissimum sindone involutum altari imponitur; sigillo rupto, titulus pretiosæ glebæ testis legitur, cunctisque quibus accedendi vel videndi liberior facultas erat, palam exponitur. Oculis hæc cernentibus lacrymas pias pia æque lætitia exprimit, atque hæc cernentes spe cernendi etiam majora afficit. Locellus deinde minor coram exponitur, sigilli item titulus, quem prædiximus, audientibus cunctis legitur. Cumque hinc corpus sanctissimum, inde quod corpori deerat, modice igne tractum conspiceretur, testibus titulis una cum sigillis, veteri manu descriptis, facile id, quod visum est,

*præmissa Litania,*

*proponitur spectandum S. Bertulphi corpus.*

AUCTORE MONACHO BLANDINIENSI.

est, populo fidem fecit, membra sanctissimi Confessoris Christi Bertulphi integro fere numero illic reposita asservari.

45 Ex consequentibus hinc caussis constat, sanctissimi Patris hanc Translationem majoris illi per Christum honoris fuisse occasionem. Cujus pignora quia aliquanto negligentius usque ad id temporis habita fuere, majorem solito deinceps habuere reverentiam. Neque enim decuit hanc Christi lucernam sub modio, sed super candelabrum poni, ut ingredientibus in Ecclesiam Dei, in edito carissimam prætenderet præsentiam. Et ut latius sanctitatis suæ diffunderet odorem, aliquantam pignorum suorum per Ecclesias Dei passus est distributionem fieri. Quod ut fieret, devotio, non temeritas; non superbia, sed humilitas promeruit. Nam inspirante Spiritu sancto animis fidelium, ad Translationem ejus devote confluentium, persuasum est pro benedictione aliquid de pignoribus illius expetere, ut vel in modica reliquiarum ejus portiuncula singuli Sanctum quasi totum præsentem colerent, cujus ope et intercessione nihilominus se juvari confiderent. Nec fefellit poscentes Fratrum benigna caritas, nec elusa est pie poscentium devota humilitas: dum et illi, quod poscebatur, sine damno de pignoribus Sancti concedebant, et isti pro magno suo lucro vel parum aliquid de reliquiis ejusdem Patris accipiebant. Unde et apud singulos tanti hodieque habitus est, quasi apud singulos totus esset corporali præsentia, qui singulis utique totus, fideli præsens est benevolentia et amore.

(cujus particulæ quibusdam donatæ)

46 Accessit quoque gloriæ ejus ingens aliorum Sanctorum gloria, quam in terris per homines Deus, Dei sapientia, procuravit. Nam ad Sancti sui glorificationem multorum cum eo pignorum fieri voluit Translationem, licet minus idonee per nos humiles administratam; affectu tamen, quo potuimus, consummatam. Enimvero cum beatissimi Patris nostri Bertulphi corpus linteaminibus mundis involutum, diligenter obsignatum, et de theca in thecam esset translatum, accedunt Fratres tam studiose quam religiose ad transponenda in eamdem, in qua Sanctus hic repositus erat, thecam, aliorum Sanctorum reliquias, eaque attestantibus illarum titulis, his qui affuerant, coram exponuntur, affixisque sigillis diligenter cum corpore Sancti reconduntur. Acta est hæc translatio anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo tertio, Indictione undecima, [e] Alexandro Papa Apostolicæ Sedi, et Ecclesiæ Noviomensi Pontifice Radbodo præsidente, regnante Francorum Rege Philippo et Roberto Flandriæ monarchiam tenente. Translatus est autem hic sanctus Pater et pretiosus Christi Confessor Bertulphus cum supradictis admirandæ Virginis Amalbergæ, multorumque Sanctorum pignoribus de Orientali sanctæ Blandiniensis Ecclesiæ parte ad altare, quod in medio ipsius basilicæ ædificatum et consecratum est in memoriam sanctæ Incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis et adscensionis Domini nostri Jesu Christi, et in commemorationem omnium fidelium defunctorum, atque a Domino Abbate Folcardo cum iisdem S. Amelbergæ, aliorumque Sanctorum reliquiis, in locello novo collocatus, ipso cum Fratribus sibi creditæ congregationis hanc eamdem Translationem administrante, anno regiminis sui tertio, XIII Calend. Junii, coram multitudine copiosa monachorum, Clericorum ac utriusque sexus hominum. Ceterum quia hujus diœceseos Antistes huic sanctæ Translationi, diu licet expectatus, aliasque occupatus, interesse non potuit, proximo suo ad nos adventu tam præsentibus per se, quam absentibus per litteras, diem hunc festive celebrem constituit, ad laudem Christi, Sanctorumque suorum, in quibus cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum, Amen.

obsignatum, novæ thecæ imponitur.

cum aliis SS. reliquiis.

a *Hoc velum* SS. Willebrordus et Gertrudis *ei apparentes, utraque triennium moriturum denuo capiti ejus imposuerunt, ut in ejus Vita* 10 *Julii dicitur; ideoque hic additur*, divinitus *per eos* legi velatam. *Quod si expendisset Fisen noster in Floribus Ecclesiæ Leodien. non reprehendisset hunc auctorem, ita scribens*: Virginitatis velum hic (*Bertæ*) suscepit Amalberga manu Willebrordi et Gertrudis; ut quidem placet scriptori Vitæ S. Bertulphi. Sed cum ante annos ferme triginta diem obierit Gertrudis, atque adeo Willebrordum videre numquam potuerit; hoc equidem Landradæ tribuere malem. *Non ego hoc certe quidem. Non vidit Gertrudem viva adhuc virens Amalberga, sed in somnis, velumque eam est videre ab ea de capite suo sumptum, a S. Willebrordo benedici, ac denuo capiti suo imponi. Porro* S. Gertrudis *Vitam dabimus* 17 *Martii*, S. Willebrordi 7 *Novemb.* — b *Intelligitur* S. Livinus *Ep. M.* 12 *Novemb.* — c S. Pharaildis 4 *Januarii.* — d S. Gerulphus 21 *Septemb.* — e *Jam mortuus erat* Alexander II *Papa ea ipsa anno* x *Kalend. Maias, sed forsitan id adhuc Gandavi* XIII Kalend. *Junii intellectum non erat.* — f Philippus I *Galliæ Rex coronatus est* 23 *Maii* 1059, *patre* Henrico *superstite et annuente, qui anno sequenti*, 4 *Augusti decessit. Philippus vero* 29 *Julii an.* 1108.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

# INDRACTO, DOMINICA ET IX SOCIIS,

## GLASTONIÆ IN ANGLIA,

G. H.

### Commentarius prævius.

§ I. *Horum Sanctorum patria: loca peregrinatione illustrata. Ætas SS. Indracti, Guthlaci et Inæ Regis.*

INITIO SECULI VIII. V FLOR.

*Varii apud Hibernos Indracti appellati.*

Cum S. Indracto, vel Indrecto *ac deinde, in eadem Hibernia, plures ejusdem nominis occurrunt.* Indrectus *Dunchadi filius Connaciæ Rex anno* DCCCV *vita functus*, Indrectus *alter Connaciæ Rex Murdii filius anno* DCCCXCI *extinctus*; Indrectus *Episcopus de Kill-mic-duach mortuus anno* DCCCXIV; Indractus *Finniani nepos, S. Columbæ Kille Comorbanus, anno* DCCCLII, XII *Martii ab Anglo-Saxonibus interfectus*; Indrectus *Abbas Benchorensis anno* DCCCCI *defunctus*; Indrectus *Abbas Trevolensis anno* DCCCCXVII *in suo monasterio interemptus. Hos refert Joannes Colganus ad* V *Februarii, num.* 3 *ad hujus Indracti Vitam.*

2 *Peregrinatione SS. Indracti et sociorum, aliquot Britanniæ, seu modernæ Angliæ, loca celebriora reddita. Primus extructo oratorio locus est in Damnoniis, ad fluvium Tamaram, qui regiones Cornwalliam et Devoniam disterminant, ubi ortus* Tameruntha, *Cambdeno* Tamerworth, *forte et jam castrum* Tremanton *caput illustris Baroniæ, ad oram Australem non procul ab oppido et portu Plimmuto. Alia apud Belgas vicinos sunt in Comitatu Somersetano: ubi* Scaplickia *cæde et martyrio Indracti sociorumque nobilitata, in districtu, vulgo Hundredo Withligensi. Ibidem* Pedret *sedes S. Inæ Occiduorum Saxonum Regis, qui inde locum ubi sancta corpora in fovea abscondita jacebant, Divina didicit revelatione. Est autem* Pedret, *aliis* Pedridan, *Inæ regia, nunc* Pederton, *foro et nundinis adhuc celebre, in Australi provinciæ parte ad fluvium Pedredum, qui illi nomen fecit, aut ab eo accepit. Denique Glasconia, seu Glastonia, celeberrimum antiquissimumque monasterium a S. Ina Rege innovatum, ut pluribus deducimus ad hujus natalem* VI *Februarii: ad cujus monasterii templum*

*Loca in Britannia SS. Indracti et sociorum adventu et nece illustrata.*

A *plum sacra hæc pignora honorifice delata sunt. In ejusdem monasterii MS. codice, sub titulo:* De Sanctis ibidem requiescentibus, *hæc legimus:* Illic requiescit S. Indractus Martyr cum septem sociis suis. Hi vero ex regali Hiberniensium prosapia fuerunt: qui qualiter martyrisati fuerunt, in eorum gestis manifeste scriptum est. *Dein sub hoc titulo,* Nomina Sanctorum in Ecclesia Glastoniensi requiescentium sub brevitate collecta, *ita scribitur:* S. Indractus cum sociis suis.

*Tempore regni S. Inæ occisi sunt.*

3 *Tempus martyrii utcumque colligimus ex Vita S. Inæ Regis, quem ab anno* DCLXXXIX *ad annum* DCCXXVIII *imperasse Occidentalibus Saxonibus ad ejus Vitam ostendimus. Hic in Actis Rex dicitur, et curasse ut sacra pignora* Glastoniæ sepelirentur, *quem locum variis privilegiis exornavit, datis anno* DCXCIII DCC17 DCCXXI *et* DCCXXV. *Colganus miraculum pueri Guthlaci ad sepulchrum S. Indracti subito legendi scientia imbuti, de S. Guthlaco dein Eremita accipit, cujus Vitam auctore Felice coævo dabimus* XI *Aprilis, in qua accuratissime referuntur varia prodigia ac miracula, quæ huic contigerunt adhuc utero materno incluso, in ipsa deinde nativitate ac reliqua pueritia, absque ulla hujus infusæ scientiæ mentione. Unicum Colgani argumentum est,* non esset verisimile, tam ingens miraculum, et alias non tam necessarium, factum esse circa infantem aliquem nisi intuitu futuræ sanctitatis ejus. *Verum,*

*S. Guthlacus Eremita, non accepit puer ad eorum sepulchrum scientiam infusam.*

B *nisi sufficiat gloriam Dei in servo suo S. Indracto manifestari, certe quam plurima miracula ingentia et alias non tam necessaria, ex Actis Sanctorum Hiberniæ essent expungenda. Secundo cum ex quatuor locis supra a nobis relatis solam Glastoniam in Notis indicarit Colganus, innuit se in Anglicanis historiis non tam accurate inquisivisse de variis Gutlacis, quam supra eum laudavimus fecisse in Hibernis Indractis. Sed nec illud necesse est, ut hic demonstretur, in quem virum postea hic puer evaserit. Sufficit ostendi non fuisse celebrem illum S. Guthlacum, primo ob silentium omnium auctorum, etiam Malmesburiensis tum in hac S. Indracti Vita quam in Gestis Pontificum Anglorum, ubi de utroque agit, lib. 2 de S. Indracto et lib. 4 de S. Gutlaco. Secundo, Parentes S. Guthlaci procul inde habitabant inter Mediterraneos Anglos, e regia stirpe prognati, ut non videantur tum remotam in alienum regnum cum filiolo teneræ adhuc ætatis peregrinationem suscepisse; quam etiam non omisissent indicare auctores, si tanta Divina benignitas eam favore fuisset dignata. Postrema ipsa S. Guthlaci ætas cum annis vitæ S. Inæ Regis collata clare convincit in hisce Actis ejus non indicari pueritiam.*

*apud mediterraneos Anglos natus,*

C *Migravit e vita Gutlacus anno* DCCXIV *feria quarta Paschatis* XI *Aprilis, cyclo Solis* XXV, *littera Dominicali G et cyclo Lunæ* XII, *die Paschalis conveniente in* VIII *Aprilis. Vixerat autem ad annum usque* XXV *ætatis, quando habitum Ecclesiasticum assumpsit, Clero annumeratus; biennio inde absoluto, eremum ingressus, solitariam vitam per* XV *annos egit, vita functus anno ætatis* XLII, *natus circa annum* DCLXXIII. *Quo tempore Regem Inam constat nullo modo ætatem adultam attigisse; qui scilicet sedecim inde elapsis annis Rex creatus,* suasu et instituto, *sive, ut alii tradunt,* exhortatione et doctrina patris sui Kenredi, *regnum administravit, ut ipse de se Ina scribit in proœmio Legum suarum, quas refert Spelmannus inter Concilia Britannica ad annum* DCXCII, *regni ejus* IV *Præterea accurate inspecta ultima ejus ad limina Apostolorum peregrinatione, in qua, ut tradit Malmesburiensis lib.* I *de gestis Regum Anglorum cap.* 2 Romæ amictu plebeio tectus clam consenuit, *non facile judicabitur sexagenario major regnum reliquisse anno Christi* DCCXXVIII: *ut natus videatur circa annum* DCLXVIII, *quinquennio tantum S. Guthlaco senior: ac proinde ut decennis circiter fuisset tempore cædis S. Indracti, cum ea scientia puerulo Guthlaco infunderetur: si tamen id miraculum*

*circa annum 673, tum S. Ina Rege puero adhuc existente*

D *probetur; mox a translatis Reliquiis, et non post plurima etiam annorum curricula contigisse.*

AUCTORE G. H.

## § II. *Acta S. Indracti conscripta. Cultus sacer. Numerus sociorum.*

*Idem Malmesburiensis, cognomento Somerset, inter alia opera sua historica, scripsit librum de Antiquitatibus monasterii Glastoniensis, et Vitas aliquorum Sanctorum, quorum in illius monasterii ecclesia sacra pignora quiescunt: videlicet SS. Dunstani, Patricii, Benigni et Indracti, uti tradunt de scriptoribus Britanniæ Joannes Balæus centuria 2, num. 73 et Joannes Pitseus num. 201, et libro 2 de Historicis Latinis Gerardus Joannes Vossius cap. 51. Hanc autem, quam ex legenda Capgravii de Sanctis Angliæ damus Vitam S. Indracti, verisimile est, judice etiam Colgano, a Malmesburiensi scriptam esse, quod Magnum Patricium Hibernorum Apostolum in ea tradat apud Glastonienses vitam in senectute bona consummasse: uti etiam refert lib. 2 de gestis Pontificum Anglorum, titulo de Episcopis Wellensibus, sub quibus Glastonia fuit; quam illic describens, ista addit:* Jacet ibi Patricius, si credere dignum, natione Britto, B. Germani Autissiodorensis discipulus, quem a Papa Cælestino ordinatum Episcopum Hiberniensibus misit Apostolum. Qui cum multis annis in conversione illius gentis, suo

*Vitam horum Sanctorum scripsit Malmesburiensis,*

*et aliis de eisdem agit,*

E agente labore, Dei gratia cooperante, non nihil promovisset, tandem annosæ peregrinationis tædio simul et vicino senio admonitus, patriam redeundum ratus, ibi diem clausit. Subsecuti sunt magistrum* Hindraclus Hiberniensis Regis filius (cujus indole nihil dulcius, nihil sanctius) et VII Comites illius terræ spectabiles. Quos ibidem irruentibus latrunculis cæsos, in Martyres credula consecravit antiquitas. *Quod scilicet proprie Martyres non essent, in odium fidei Christi interempti: quod tamen traditur infra in Martyrologio Sarisburiensi. Solent tamen simili occasione trucidati, dum postea miraculis clari, Sanctorum catalogo adscribuntur, Martyribus adjungi, quod plerumque odio sanctioris vitæ, aut vestis monasticæ ad cædem latrones instigentur. Sedit S. Cælestinus Papa ab anno* CDXXIII *ad annum* CDXXXII, *quo* VI *Aprilis decessit: cum ante S. Patricium Episcopum consecrasse, missum a S. Germano Autissiodorensi, cujus Vitam dabimus* XXXI *Julii. Supervixit S. Patricius ad annum Christi* CDXCIII, *quo* XVII *die Martii, feria quarta, vita functus est: ut cum S. Indractus non aliter Magistrum habuerit, quam communem antiquarum Hiberniensium Doctorem et Apostolum in insula ea ad fidem Christi*

* *al.* Intrahtus

*et tradit Martyres olim habitos:*

*quomodo Indracti Magister censendus S. Patricius?*

F *adducendu. Inter discipulos a S. Patricio instructos censetur apud Jocelinum in hujus Vita num. 186 alter* S. Patricius filiolus ejus, qui post decessum Patris sui Britanniam remeans, in fata decessit, in Glasconensi ecclesia honorifice sepultus. *Hunc videntur Glastonienses cum priore confudisse: dies ei natalis assignatur* XXIV *Augusti. Sed de variis Patriciis suo loco agemus.*

*Idem cum juniore Patricio confusus.*

5 *De S. Indracto ejusque sociis hæc traduntur in Martyrologio Anglicano* V *Februarii:* Eodem die Glastoniæ in Somersetia solennitas S. Indracti Martyris, qui ex regio Hibernorum sanguine oriundus, peregrinationis caussa Glastoniam veniens, Romam proficisci cogitans ad corpora Apostolorum invisenda, cum novem aliis sociis, et Drusa sorore sua, Schapwickiæ in eadem provincia a nefariis quibusdam Saxonibus Occidentalibus anno Christi DCCVIII trucidatus est. Horum corpora postea cum magna solennitate ad Abbatiam Glastoniensem translata sunt, ibidemque honorifice terræ mandata. Ad quorum innocentiam indicandam dignatus est Deus multa miracula patrare. *Ferrarius in generali Sanctorum catalogo:* In Anglia, *inquit,* S. Indracti Martyris,

*Coluntur S. Indractus et socii 5 Februarii.*

*absque*

A *absque ulla sociorum mentione. Citat dictum Martyrologium Anglicanum, et Catalogum Sanctorum Britanniæ: forsan Hiberniæ intelligit, editum ab Henrico Fitz-Simone nostro, a quo tamen refertur* Indractus Martyr cum novem sociis.

AUCTORE MALMESBURIENSI.

6 VIII *Maii refert eosdem Richardus* Whitfordus *in Martyrologio Sarisburiensi Londini ante annos* CXL *excuso his verbis:* Item festum S. Indracti Regis Hiberniæ, qui abdicato regno Romam profectus est cum S. Dominica sua sorore, et variis aliis, qui omnes privatam duxerunt vitam sanctitate et miraculis plenam, et tandem pro fide Christi martyrio coronati sunt. *Plures cultui eorum addictos dies facile est ut suspicemur, ob eorum cædem, tum corporum absconditorum cælestem revelationem, inventionem, solemnem translationem, seu primam sepulturam apud Glastonienses: quorum vetusta ecclesia anno* MCLXXXIV *combusta;* effossa sunt corpora Sanctorum Patricii a dextris altaris, Indracti sociorumque ejus a sinistris, et S. Gildæ de pavimento ante altare, et in scriniis collocata: *ut ex anonymo Glastoniensi Chronographo tradidit Usserius in Primordiis Britannicarum Ecclesiarum cap.* 14.

*et 8 Maii:*

*eorum corpora translata.*

7 *Agit de eisdem Hanmerus in Annalibus, Hiberniæ*
B *apud Colganum in Notis ad hanc Vitam, et sororem S. Indracti cum auctore Vitæ et Whitfordo* Dominicam *nominat, quæ Martyrologio Anglicano* Drusa *est. Malmesburiensis et Capgravius in Vita cum Whitfordo Romanam peregrinationem obitam scribunt; at solum cœptam vult Wilsonus in Martyrologio. Whitfordus etiam sociam hujus itineris Romani facit sororem Dominicam, quam in oratorio Tamerunta no in Cornubia ab iis extructo tum relictam Acta ostendunt. Sororem a reditu sibi adjunxisse S. Indractus videtur socium peregrinationis ad sacra pignora Glastoniensia veneranda: hanc redeuntem, simul cum aliis trucidatam tradunt Martyrologia Sarisburiense et Anglicanum.*

*S. Dominica soror S. Indracti,*

*traditur simul occisa,*

8 Socii *in Actis, et Martyrologio Anglicano* novem *numerantur, uti etiam apud Fitz-Simonem et Hanmerum, quos solum septem scribunt Malmesburiensis et auctor Glastoniensis supra relati: sed eos ille* Comites terræ Hibernorum spectabiles, *iste* ex regali Hiberniensium prosapia *progenitos tradit; ut duo alii censendi sint ad istorum servitium assumpti.*

*et socii novem.*

# VITA

## *auctore Guilielmo Malmesbur.*

### ex Legenda Jo. Capgravii.

C

ANIMADV. PAG. 87

Postquam vero B. Patricius populum Hiberniensem ad fidem Christi in signis et prodigiis convertisset, Britanniam mari transito adveniens apud Glastoniam in senectute bona vitam feliciter consummavit. Hibernienses enim, quia de Roma S. Patricius missus eis fuerat Apostolus, urbem Glastoniam, orationis ac devotionis gratia peregrini crebro visitare solebant. Erat enim in Hibernia Regis cujusdam filius, nomine Indractus, litterarum studiis imbutus, virtutibus insignitus, et omnium morum honestate coram Deo et hominibus conspicuus: et ut gaudia possidere mereretur cœlestia, regales delicias et mundi blandimenta cum suis concupiscentiis penitus calcare, et omni affectu fugere deliberavit. Assumptis ergo secum novem consortibus cum sorore sua, nomine Dominica, peregrinationis gratia versus Romam iter arripuit. Cumque prospero navigio in Britanniam ad portum nomine Tamerunta appulsi fuissent, per longum ibi tempus in Dei servitio vitam arctissimam ducentes, oratorium, in quo orationibus jugiter vacarent, construxerunt.

*S. Indractus filius Regis Hiberniæ,*

*cum sociis peregrinationis*

*in Britannia oratorium extruit:*

2 Indractus vero baculum peregrinationis suæ ibidem in terram fixit, et sine mora radices, frondes et folia in conspectu omnium perduxit, et in maximam quercum et umbrosam processu temporis excrevit. Fecit quoque stagnum quoddam parvulum, de quo pisces juxta numerum certum quotidie sumpsit; et nec plures nec pauciores, sed absque numeri diminutione pisces in stagno semper invenit. Accidit enim, ut unus sociorum suorum tentationi diabolicæ acquiescens, piscem unum quadam die furari præsumeret, et offenso Domino, quousque pisces omnes defecissent, unus quotidie de numero diminutus est. Quo viso vir Dei Indractus obstupuit, et moram suam in loco illo Deo ulterius non placere timens, unanimi Fratrum consensu sorori suæ valefecit, et Romam cum sociis celeriter properavit.

*claret miraculis:*

D

*sorore istic relicta, Romam adit:*

3 Rediens autem in Britanniam, versus Glastoniam ad S. Patricium ire, et preces Deo fundere disposuit. Illis enim diebus Yne Rex Westsaxonum in villa nomine Pedret curiam suam tenuit, cujus ministri in villulis per circuitum dispersi erant: inter quos erat quidam iniquitatis filius, nomine Hona, Indractum virum Dei et socios a Glastonia discedentes explorans, peras eorum pecunia repletas crudelis lictor existimabat. Cumque non procul a Glastonia servi Dei recedentes, in lectis apud Shapwike quiescerent; minister sathanæ præfatus cum suis complicibus domum, in qua innocentes dormiebant, violenter ingressus, extractis gladiis illos jugulare non timebant: et assumptis corporibus sanctis in profunda quadam fovea, ne reperiri possent, illa absconderunt.

*a reditu, tempore Inæ Regis occiduorum Saxonum,*

E

*occiditur cum sociis.*

4 Rex autem Yne nocte quadam nimio ventris dolore vexatus (ut noxias deleret, ac forte mitigaret angustias) camera exivit: et respiciens in cœlum, vidit columnam quasi ignis perspicuam a loco, in quo Corpora sancta abscondita erant, in cœlum tendentem: cujus splendor suos oculos, quocumque eos verteret, sequebatur. Cumque per tres noctes eamdem visionem perspexisset, quibusdam secum assumptis, venit ad locum, et inventis Martyrum corporibus, cum magno honore apud Glastoniam ea sepeliri fecit. Indractum vero ad sinistrum cornu altaris ex opposito feretri B. Patricii, et socios suos per pavimenti circuitum ponunt. Interfectores autem innocentium cum ceteris ibidem astantes, a dæmonibus arrepti, tam immaniter sunt cruciati, qui carnes proprias adhuc vivi lacerabant, cum magnis clamoribus post modicum miserabiliter vitam finientes.

*Corpora cœlesti revelatione inventa,*

*Glastoniam deferuntur,*

*latronibus divinitus punitis.*

5 Mulier quædam idolis ab infantia serviens nullis prædicationibus ad viam vitæ converti valens, cum columnam a rege visam super Sanctorum corpora vidisset, ad corpora Sanctorum appropinquare non audens, cum confessis Sacerdoti peccatis suis baptismi gratiam consecuta fuisset, ad locum Sanctorum cum magna devotione properabat: et ubi, quod viderat, palam cunctis enarrans, octoginta utriusque sexus fidem Christi suscipere fecit. Rex enim Westsaxonum filium habens incurabili morbo percussum, quem cum ad Sanctorum sepulcra adduci præcepisset, pristinæ mox sanitati restituitur. Dives quidam Sanctorum sepulchra visitare assuetus, vice quadam uxor cum parvulo filio vix loqui valente, nomine Guthlaco, ad tumbam S. Indracti venit; et cum vigiliis fessi dormire cœpissent, apparuit infantulo vir exurgens a læva parte altaris pulcher et decorus, Clericali tonsura decoratus, et porrigens librum infantulo, ait: Vis, inquit, in hoc legere, fili mi? Illo vero se velle concedente, confestim eum docuit. Puer autem expergefactus a somno, rem matri, ut viderat, referebat; cumque Clerici puero codicem porrigerent, ipse statim legebat, et sine linguæ titubatione, quæ legerat exponebat.

F

*Multi ad fidem convertuntur:*

*æger sanatur:*

*puerulus subito perfecte legit.*

DE

# DE S. VODALO, SIVE VODOALO

## COGNOMENTO BENEDICTO, SUESSIONE IN GALLIA.

J. B.

*Monasterium est Suessione sanctimonialium Virginum Benedictini instituti, quod seculo* VII *a Christi ortu, Ebroinus Major-domus Theoderici Regis, ut in Vita S. Drausii Ep. Suessionensis,* V *Martii dicetur,* precibus suasionibusque conjugis suæ *Leutrudis* devictus, infra muros civitatis construi præcepit, dicandum nomini sanctæ et intemeratæ Mariæ matris Domini. *Juxta illud cœnobium vixit* S. Vodalus, *sive* Vodoalus, *cognomento* Benedictus, *utraque illud, vita functus, in æde sanctæ Cruci dicata, honorifice tumulatus.*

2 *Fuit is natione Pictus, sive ex Boreali Britanniæ plaga, quæ nunc Scotia dicitur. At quo tempore vixerit, certo definiri nequit; fieri conjectura potest ex ætate* Adalgardis, *quæ ea videtur esse, quam Melchior Regnaultius in compendio historiæ Suessionicæ* Hildegardem *appellat, statuitque secundum illius cœnobii Abbatissam. Prima fuit* Etheria, *ut in citata S. Drausii Vita dicitur,* ducens vitam moribus Etheriam, *ex*
B *Jotrensi cœnobio evocata. Quamdiu ipsa ac deinde* Adalgardis *locum gubernaverit, nos latet. Putamus S. Vodalum initio* VIII *seculi decessisse.*

3 *Ejus* historiolæ tomus, ut fertur, in Lugduno Clavato inter ceteras schedulas negligentia periit; *inquit posterior ejus Vitæ quam damus, scriptor. Fuit hic e Suessionum urbe, aut saltem provincia, uti num.* 3 *indicat:* Donec, *inquit,* tot virtutum pennis suffultum a nostris finibus expelleret. *Imo in ipso monasterio, aut juxta illud habitasse, sacris fortasse peragendis, aut confessionibus excipiendis monacharum addictus videtur. Ita in Prologo,* beatissimum Patronum nostrum *vocat. Et num.* 7. Id nos quotidie ad ejus tumbam fieri videmus, cujus pulverem, cooperante superna dispensatione, miraculis coruscare perspicimus. *Et num.* 15 Candelabrum ipsum sponte sua, hoc est, sine ope humana reaccensum frequenter vidimus, et cæcorum oculos oleo isto perunctos, depulsis tenebris illuminatos perspeximus. *Quæ autem scribat, ea num.* 2 *affirmat se* relatu fidelium antiquorum didicisse, et magna ex parte oculis suis conspexisse.

4 *Hanc Vitam Nicolaus Belfortius Canonicus regularis in monasterio Vinearum juxta Suessiones, e veteri codice (Suessionensi, ut remur) descripserat; contule*-
C *ratque cum alio exemplari monasterii Longi-pontis. Nos ab eo transcripsimus.*

5 *Sanctorum Fastis adscriptum* Vodalum *exhibet Molanus Nonis Februarii, his verbis:* Suessionis S. Vodali Confessoris. *Arnoldus Wion eodem die Benedictinum facit; cujus tamen monasterii alumnus fuerit, ignorare sese confitetur. Molanus, quem is solum citat, haud tradit monachum fuisse, nedum Benedictinum. Monachum tamen fuisse, inde conjecerit quispiam, quod cappa usus pro pallio dicitur. Refert eum quoque in Kalendario Benedictino Benedictus Dorganius; in Martyrologio Gallicano Saussaius cum insigni elogio e Vita, quam damus, concinnato in quo tamen improprie* natione Scytham *ait fuisse, et* in Gallias religionis amore profectum. *Vitæ scriptor eum e gente Pictorum ortum scribit, sed Pictos ipsos, quos et* Gelonos *ideo appellat,* de Scythiæ populis originem ducere: *quod et Beda lib.* I *Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum scripsit, verum fama solum acceptum,* ut perhibent, *inquit. Sed viris eruditis hoc tempore magis probatur, vere Britannos fuisse, atque idem nomen utrumque significare, gentile alterum, alterum Romanum. Neque religionis discendæ, colendæve, sed potius disseminandæ amore venisse scriptor ostendit.*

6 *Pridie Nonas cum retulerat in priori editione Februarii T. I. auctarii ad Usuardum Molanus, et post eum Canisius, atque utrumque secutus Ferrarius:*

*Initio VIII sec.*
*V Febr.*
*S. Vodalus Suessione sepultus*
*incertum quando vixerit.*
*Acta ... deperdita*
*Suessionibus ... prodes ... lo...*
*... relatio.*
*... colitur 5 Febr.*
*colitur etc 4 Febr.*

# VITA

auctore Suessionensi anonymo,

*ex MS. Nic. Belfortii Can. Reg.*

## PROLOGUS AUCTORIS.

Principio florentis Ecclesiæ Apostolicos viros legimus tam tenaciter Deo solitos adhærere, ut ejus majestatem et excellentiam aut profiterentur jugiter aut meditarentur. Et quidem patet omnibus, ea conditione et lege hominem esse creatum, ut merito debeat omnium temporum otia cœlestibus mancipare obsequiis. Levemus itaque cor nostrum cum manibus ad ipsum, et cum omni conamine imploremus, ut si ad ejus divinitatem cæci sumus, saltem os nostrum ad laudem Sanctorum suorum aperire E dignetur, qui per aridi brutum subjugale humana fecit verba proferri: et ut iisdem Sanctis, quos digne prædicare nequimus, pro merito exiguæ hujus laudis ac venerationis, et interventione ipsorum, assimilari, et tandem utcumque participare, valeamus.

*Dei vel Sanctorum laudibus vacandum.*
*Num. 22.*

2 Quia igitur de sancto ac beatissimo patrono nostro Vodoalo audivimus, et, qualiter Divinis sanctionibus intendens, ad nostros fines peregrinus et exul devenerit, quamque strenue arduum vitæ suæ cursum peregerit, relatu fidelium antiquorum didicimus; oportet ut pauca de pluribus, quæ illorum relatione accepimus, et magna ex parte oculis nostris conspeximus, ad Dei laudem studeamus attollere. De cujus quidem gestis plura admiratione digna proferri possent, si libellus de catalogo virtutum ejus haberetur: verum historiolæ ejus tomus, ut fertur, in *a* Lugduno Clavato inter ceteras schedulas negligentia periit. Nos tamen virtutes ejus prout possumus, succincte expediamus, Dominum nostrum Jesum Christum in laude ejus laudare non ambigentes, juxta Psalmistam dicentem: Laudate Dominum in Sanctis ejus. Laudemus igitur virum gloriosum, hominem magna virtute et prudentia F præditum, cujus nomen vivit in generationes generationum: hujus sapientiam populis narremus, et laudem ejus Ecclesiis nuntiemus.

*... historiola ... Acta deperdita.*
*a*
*Ps. 150. 1*

a *Id est,* Lauduno, *quomodo habet codex Longi-pontiensis. Urbs ea est Episcopalis, in provincia Remensi, in monte sita, ut nomen indicat, Gallice* Laon *dicta.* *Laudunum urbs.*

## CAPUT I.

*S. Vodali ortus, prædicatio apud Suessiones, fuga, reditus.*

Fuit namque beatissimus iste Vodoalus, ut ferunt, ex sagittifera *a* Gelonum ortus natione, qui de Scythiæ populis originem ducere perhibentur, et de quibus Poeta ait:

*S. Vodoalus, natione Pictus,*
*a*

Pictosque Gelonos.

*Virg. 2. Georg. 115*

Unde et nunc usque Picti vulgo vocantur. Inde, inquam, pro Christi nomine, classe vectus per æquora, et multas peragrans regiones, in Galliarum partes devenit, uno tantum comite commeante, nomine Magneberto. Ubi velut prudens agricola Evangelicæ agriculturæ insudans, ubicumque divertebat, dumeta horrentia pravitatis sulcabat, et fidei semina rudibus mentibus commendabat, cœlestis Magistri

*Christum in Gallia prædicat. Joan. 20 21*

93 specimen

*AUCTORE ANONYMO SUESS.*

A specimen sectatus, qui dixerat : Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Sic igitur de diversis Galliæ urbibus et provinciis, unum ovile vero pastori fidelissimus Sacerdos exhibebat : cum civitatem Suessionensium devotus accessit, et ad monasterium puellarum inclyta fama notissimum, ibi ad honorem almæ Genitricis Dei Virginis Mariæ situm, Domino ducente pervenit : in quo usque hodie de diversis undique nationibus magna sanctimonialium congregata existit caterva. Cumque illuc pervenisset, a venerabili Adalgarde Abbatissa cum omni alacritate susceptus, ad plagam orientalem juxta murum ipsius civitatis ante portum monasterii hospitiolum accepit, quod nunc usque Turris S. Benedicti vocatur.

*Suessione commoratur juxta abbatiam S. Mariæ :*

4 Sed priusquam ad speciales ejus virtutes veniamus, generaliter quodammodo vitas ipsius nobis inquirenda est. Tantam siquidem vir ille Dei, vultu serenitatem et sermone levitatem prætendebat, ut visu et auditu justitiam cunctis intimaret, atque hujusmodi dulcedine, ad sui familiaritatem quantoscumque incitaret. Sanctis vero operum exercitiis ita in seipso effloruit, ut ab omni carnis inquinamento esset alienus. Fastum tumoris, iracundiæ nævum, invidiæ B pestem, et ventris ingluviem prorsus exhorruit. Jactantiæ expers, gaudia labentis pompæ ruderibus æquiparabat. Tristitiam hujus seculi, ceu monstrum, a secreto cordis ... ut qui nec adversis inflecti, nec felicibus posset efferri. Oris etiam et auris septa ab otiosis et vanis compescuit. Gressus ejus in vacuum non cucurrerunt, nec in cassum processerunt plantæ ejus. Jejunio duplici reliquorum charismatum diademate coronavit; dum ab actu et cogitatu nefario cohibuit mentem, et ab alimentorum appetitu cohibuit carnem. De instantia autem orationis quid dicemus, cui quotidie ita incubuit, ut in ejus ore Christi laus et confessio, ac pro minuendis suis populique piaculis jugis supplicatio semper esset? Pauperum amator et pædagogus erat, ipse pauper : impletumque est in eo et supradicta Adalgarde illud vaticinium : Dives et pauper obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus. Quia revera dum pauper spiritu Vodoalus, et locuples Adalgardis, sibimet obviantes concordarent, utrique cooperatus est Dominus ; illi astruendæ fidei et veritatis constantiam, huic credendi et obsequendi conferens efficaciam.

*omni virtute splendens.*

*Prov. 22. 2*

*gratus Adalgardi Abbatissæ :*

5 Cum talis tantusque esset vir ille Domini, non C cessavit invisibilis anguis quieti ejus invidere, donec per artis suæ dolos, tot virtutum pennis suffultum a nostris finibus expelleret. Quadam namque die, cum supradicta Abbatissa, ut solebat, de cibis suis ad eum in argenteo vase transmisisset, ipseque per pedissequum suum Magnebertum statim pauperi agapen ad ostium petenti dedisset ; pauper dapibus refectus, vas secum portans abscessit. Postridie ministri vas requirentes, ut didicerunt quod factum fuerat, reversi nuntiaverunt Dominæ suæ. Quæ convocatum ad se illum increpans : Si, inquit, dapes tibi ad prandium transmisi, non jussi quod argenteum vas diriperes, mihique meum auferres. Ille graviter hoc ferens, prostratus solo, veniam pro excessibus postulat : et recedens inde, ignotas iterum adit vias, peregreque profectus, multas per novem annos peragrat regiones.

*acceptos ab ea cibos dat pauperi ; quo latrone vas argenteum furato, ipse suspectus abscedit.*

6 Factum est autem, ut medio itinere confecto, invaderet eum febris, quæ tertiana vel quartana vulgo dicitur : et valde afflictus, veniens ad oram maris, ut navem cujusdam divitis conscenderet, ad patriam cupiens remeare. Cumque ibi febre ac fame confectus per octo dies mansisset ; subito tempestate exorta, stridens Aquilo fluctus ad sidera tollit et velum in adversa fert illiditque navem. Recordatus autem Vodoali navarchus, dixit ad suos : D Ite, et peregrinum illum, qui huc nobiscum intravit reficite. Mihi enim videtur justus vir : et propter negligentiam nostram in illum, hoc, ut arbitror, patimur naufragium. Qui abeuntes invenerunt eum vix ultimo spiritu palpitantem : statimque ut illum refecerunt, tumida quieverunt æquora, soloque deducto, mare a suo stetit fervore.

*quartana laborans, tum tempestate sedata sanitati restitutus :*

7 Eadem vero nocte, apparuit ei Angelus Domini dicens : Vodoale, sive Benedicte, quid hic agis? quove pergere vis? Dominus enim me misit ad te, ut ab hac hora sanus effectus, omni febre careas. Insuper et tantam tibi conferre dignatus est gratiam, ut quicumque hoc fuerint vexati incommodo, nomenque tuum in suis memoraverint orationibus, statim voti compotes fiant. Id nos quotidie ad ejus tumbam fieri videmus, cujus pulverem, cooperante superna dispensatione, miraculis coruscare perspicimus, dum quicumque ex illo, cum plena fide, in potu sumpserunt, statim percipiunt sanitatem. Nec solum apud nos, sed etiam in Italia et Aquitania, multisque aliis provinciis, per hunc pulverem multi sanitatem receperunt. Porro dedit illi baculum memoratus Angelus dicens : Surge, ne steteris : sed summa cum festinatione Suessionem repedare E stude ; atque ad monasterium puellarum in cellam, unde digressus es, revertere : quia ibi te oportet ærumnosæ præsentis vitæ cursum consummare. Sed et hoc tibi a Domino concessum est, ut in loco reliquiarum tuarum ignis nullatenus prævaleat. Statimque ut Angelus discessit ab eo, festinanter viam arripiens, post novem annorum curricula ad civitatem Suessionensium est reversus.

*ab Angelo sanatur, promisso addito, de curandis ejus patrocinio quartanis ; jubetur que Suessionem redire :*

8 Ante vero quam portam appropinquaret civitatis, et de adventu ejus quisquam ibi adhuc sciret ; ecce unus ex famulis, qui ibi sanctimonialibus deserviebant, occultum omnibus in se habens dæmonem, cœpit currere et clamans dicere : Surgite, quia Benedictus Vodoalus jam venit, ut me hinc ejiciat : ite ergo illi obviam. Quamobrem aliquantæ ex sororibus usque ad portam monasterii eum secutæ sunt, quæ aperto ostio virum Dei stantem reperiunt. Qui protinus eumdem famulum intuens, et latentem in eo dæmonem intelligens, alapa faciem ejus percussit, et immundum spiritum ejecit. Cumque hoc divulgatum fuisset, Abbatissa cum omni congregatione obviam procedens, cum magno eum recepit honore. Itaque vir ille sanctus ex eorum numero esse videbatur, quorum species ab Eze- F chiele depingitur, dicente : Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et velut aspectus lampadarum : dum ipse ardens velut lampas ignis atque flammarum, alios etiam docendo et operando abundanti lumine respergeret vena vitæ oris ejus, et ad sui imitationem tepidorum corda accenderet.

*dæmonem, qui ejus adventum prædixerat, alapa liberat ; honorifice excipitur a religiosis :*

*Ezech. 1. 13*

*a* Censentur quidem Geloni ab aliis Scythæ, ab aliis Sarmatæ populi, sed num ab his oriundi Picti, ambiguum est.

## CAPUT II.

### *S. Vodali miracula, obitus.*

Item post longum tempus reversionis ejus contigit ut cella, in qua manebat, subito igne cremari crederetur, sed eum statim Angelus Domini in cincinno verticis apprehendit, et transportavit in insulam *a* Axonæ fluminis, incendiumque restinxit.

*ab Angelo e flammis educitur, eas restinguit.*

*a*

10 Quadam etiam die, cum monasterii muro adhærens coquina valido igne arderet, et Sorores valde perterritæ quo se verterent ignorarent ; una ex illis, quæ familiarius sancto viro adhærebat, quamque ipse antea a quartana febre, et dentium dolore curaverat, veniens dixit illi : Benedicte Vodoale, veni nosque de præsenti incendio tua eripe piissima

*quartanam et dolorem dentium curat.*

A piissima prece. Ille tollens pallium suum, quod vulgo *b* Cappa vocatur, et super eam projiciens, jussit ut illam contra ignem poneret : statimque ut contra ignem posita est, flammarum globi in semet reflexi sunt, incendiumque protinus est extinctum. Quod etiam usque hodie per baculum ejus (qui apud nos habetur) frequenter effici conspicimus : dum in ista civitate, sicubi forte incendium contigerit, illeque baculus contra allatus fuerit, continuo ignis sua virtute amissa extinguatur.

*b incendium cappa restinguit : quod virtus postea in ejus baculo fuit.*

11 Cum aliquando idem venerabilis Sacerdos Missarum solennia celebrare volens, per claustra monasterii transiret; vidit duas Sorores valde mœstas et anxias sedere. Interroganti vero eas, quonam tanto afficerentur mœrore, una respondens dixit : Quidam ex Proceribus palatii, Adalgardi Abbatissæ hanc, quam vides, vestem consuendam transmisit: ipsa autem nobis dedit ut eam consueremus : sed ego arrepto forfice nodum fili abscindere volens, particulam vestis imprudenter abscidi : ideo, Pater, angustiamur. Ille igitur prælata caritatis virtute, clypeo fidei munitus, signum Crucis super vestem exprimit : statimque integram, ut ante fuerat, restituit.

*vestem scissam, signo Crucis redintegrat :*

12 Denique Angelos in cœlo canentes ei frequenter concessum est audire. Verum quia pondus B virtutum ejus per singulas operum species declarare prolixum esset; ejus religionis ac munditiæ summam brevi epilogo collegisse sufficiat. Porro testem Deum adhibemus nihil a nobis panegyricæ adulationis insertum esse, ne forte in aliquam mendacii notam incideremus, maxime quia (ut supra meminimus) istorum apud nos gestorum series minime in schedis continetur, sed ea quæ in aliorum Patrum gestis (de quorum collegio vir iste sanctissimus fuit) didicimus, vel quæ relatu fidelium agnovimus, hic quamvis sermone impolito inserere studuimus.

*audit canentes Angelos :*

13 Sed cur diutius moras innectimus, et, quasi possit ejus obitus differri, stylum vertere ad illum formidamus? Mense Januario, cum terra nimio squaleret frigore, in validissimam ægritudinem incidens, invenit quod optabat, ut mundum desereret, ac Domino penitus jungeretur. Sentiens autem vir prudentissimus, sibi temporalem instare mortem, clausis oculis, quasi jam humana despiceret, digitum ad os tenens, Crucis signum pingebat in labiis. Defecerat spiritus et anhelabat in mortem : animamque erumpere gestiens, ipsum stridorem, quo mortalium finitur vita, in Dei laudem convertebat. C Solo animi tepore in pectore sacro palpitante, nihilominus quasi ad suos pergeret, aliosque desereret, hunc de Psalmo versiculum susurrabat : Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ. Et : Credo videre bona Domini in terra viventium. Atque ita rebus exemptus humanis, primo surgente Eoo, humentem cum jam aurora polo dimoverat umbram, croceum linquens cubile Phœbæa lustrans lampade terras, die Nonarum Februariarum, Angelicis sociatus choris ad æthera migravit. Corpus autem ejus ad monasterium puellarum deportatum est, ibique in basilica almæ Cruci dicata, ad sinistram partem, a religiosis pollinctoribus in mausoleo positum et honorifice humatum. D

*ægrotat : moribundus Cruce os signat : psalmos recitans, Ps. 25, 8 et 26, 13 moritur, — AUCTORE ANONYMO SUESS. sepelitur :*

14 Post ejus obitum factum est, ut pedissequus ejus Magnebertus cum aliis servis ad ligna de saltu præcidenda ire juberetur. Qui flens ideo et ejulans, ante sepulchrum beati viri se projiciens, ait : Domine Vodoale, ut quid me superstitem reliquisti, qui sine te vivere non possum? Cui me dimisisti, aut quis mei miserebitur gravi jugo servitutis oppressi, quod omnino ferre non valeo? Ipsa vero nocte vir Dei in visione ei apparuit, dicens : Noli timere, quia ulterius nemo te ullo gravabit servitio. Tum postea apprehensa manu ejus ait : Veni mecum. Postera die correptus febre Maguebertus emisit spiritum, et ante sepulchrum Domini Vodoali a fidelibus ac religiosis viris est sepultus.

*Magneberto socio suo mœrenti apparet, et mortem prædicit,*

15 Hujus autem cineres et ossa, cum per multa annorum spatia in eodem loco quievissent; non qualis decebat a nobis exhibebatur ei honor : unde ut diligentior illi cultus et reverentia impenderetur, iterum se virtutibus ostendere cœpit. Nostris quippe nuper temporibus, quadam nocte matutinis hymnis expletis, Sorores, quibus hoc oratorium in custodiam fuerat traditum, secundum consuetudinem venientes ut luminaria emundarent, totum pavimentum madens oleo, quod ex *c* cicendelo ante sepulcrum ejus pendente fundebatur, repererunt. Sed et cicendelum ipsum sponte sua, hoc est, sine ope humana, reaccensum frequenter vidimus, et cæcorum oculos oleo isto perunctos, depulsis tenebris illuminatos perspeximus. Postremo a diversis morbis, maximeque a frigoribus (ad quod illi dum adhuc in corpore esset specialis virtus a Domino concessa est, ut supra retulimus) quotidie recreantur. Unde popularis turba non solum ex Suessionensium civitate, sed etiam ex villis et vicis qui in circuitu ejus sunt, reddendi voti gratia ad ejus tumbam confluunt.

E *miraculis claret, c lampade ultro accensa, cæcis ejus oleo illuminatis, febribus curatis.*

16 Virtus hæc tua est, Christe, qui cuncta, quæ athletæ tui stupenda patrare videntur, operaris. Imploramus igitur clementiam tuam, bone Redemptor, ut qui Benedictum Vodoalum, pro vitæ suæ merito, signorum nitore decorasti et Angelorum consortiis sociasti, ejus intervenientibus meritis, nobis in te confidentibus, præceptis ejus obsequendi præbeas efficaciam : quatenus salutaria ejus exempla prosequentes, summæ perfectionis tuæ consortia adipisci F mereamur; Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per infinita secula seculorum, Amen.

*Ejus meritis se juvari orat scriptor.*

a Axona, *vulgo* Aine, *Campaniæ Remensis fluvius, oppidum Sanctæ Menechildis, Atiniacum, Regiteste, Castrum-Portiani, Suessionem alluit, et ad Compendium Æsaræ miscetur.* — b *Vide Gerardum Joannem Vossium lib. 3 de vitiis sermonis etc. cap. 3 pag. 371 ubi plures citat auctores hac voce utentes.* — c Cicendele *aliis, id est, vitrea lampas. In Vita breviore S. Sulpitii Pii, XVII Januarii, num. 12 cicindilum dicitur,* Cincentillus *in Vita S. Tillonis, VII Januarii, cap. 3 num. 32*

*Axona fl. Cicendelum.*

# DE BB. DOMITIANO, SIVE TUITIANO,

## DUCE CARINTHIÆ,

# MARIA EJUS CONJ., ET PUERO ANON.

### Commentarius prævius.

J. B.

§ I. *Milstadium oppidum. B. Domitiani ecclesia, et monasterium.*

*ANIMADV. PAP. 89. INITIO IX SECULI V. FEBR.*

M*ilstadium oppidum est superioris, sive Occidentalis Carinthiæ, inter Dravum Lyseramque amnes situm, ad ingentem lacum, quem Rosbacus fluvius efficit. Ipsi oppido, quod Germani* Milstat, Mylstat, Millestat, Mulstat *vocant, a mille statuis factum esse nomen putatur; uti Hieronymus Megiserus, in Annalibus Carinthiæ Matthæus Merianus in ejusdem provinciæ descriptione, Wolsgangus Lazius commentarior. Reip. Romanæ lib.* 12 *sectione* 6 *cap.* 3 *et lib.* 6 *de gentium migrationibus, pag.* 161, *scripsere. Ita et monachus Milstatensis infra in B. Domitiani*

*Milstadium Carinthiæ oppidum.*

A *Domitiani Vita num.* 2. Milstat, *inquit*, a mille statuis nomen accepit, quas ibidem populus, errore delusus antiquo, coluit. *Diploma quoque indulgentiarum Jacobi et Alani Cardinalium, quod § 3 num. 15 dabimus, ita habet :* Capella S. Udalrici in Planz, infra limites parochialis Ecclesiæ B. Domitiani in Millestatuis. *Quæ si probatur etymologia, rectius* Milstatum, *aut (ut hic)* Millestatuæ *dicetur, quam (ut vulgo apud Lazium et alios)* Milstadium, *quod Germanice sonat* urbem ad milliare, *sive milliari distantem; a Dravo fortassis fluvio, aut Lyseræ in eum sese devolventis ostio. Est certe quidem in Antonini Itinerario locus* Ad statuas, *inter Brigantium, sive Bregitionem et Arrabonam, sive Arrabonem, in medio, ut expresse additur : quæ loca Clurerius interpretatur,* Ad statuas, Dotis, *inter Bregetionem, id est,* Strigonium et Rabe *: licet Lazius dissentiat. Potuit esse et alius in Norico Mediterraneo locus,* Ad mille statuas. *An non idem ille sit, qui in Vita S. Virgilii perperam fortassis* Adundrinas, *pro* Ad andrinas, *sive* πρὸς ἀνδριάντας, Ad statuas? *Certe non inde procul is fuit.* Qui venientes Karantanis, *inquit scriptor*, dedicaverunt ibi ecclesiam S. Mariæ Virginis gloriosæ, et aliam in Liburnia civitate sua Adundrinas civitate, et in aliis quamplurimis locis. *Rectius leges:*
B et aliam in Turbinia civitate et sua Ad andrinas civitate. *Diximus supra cum de S. Ingenuino ageremus,* Tiburniam *existimari Villacum esse, ad Dravum fluvium sitam urbem, non procul Milstadio, quod hic sua, id est, Chetimari Ducis,* civitas *appellari videtur. Alii arbitrantur oppidum* Adundrinum, *sive* Adundrinas, *quasi* ad undas, *esse* Clagenfurtum; *quod a* Glano *flumine* Glanfurt *olim dicebatur : Idem* Hydrundinum *aiunt appellatum, sive ab* ὕδωρ, *quod aquam significat, sive ab* hydra, *serpente aut dracone aquatico, quem ea urbs pro insignibus gerit. Fuit sane mediæ ætatis scriptoribus familiare, urbibus nomina fingere semigræca, quadam affectatione doctrinæ, ut* Herbipolis, Ratispolis, *pro Wirtzburg et Regensburg. Sed ad mille statuas redeamus.*

*AUCTORE ANONYMO SUESS*

*sic dictum a mille statuis :*

2 *Eas statuas, sive quia populo occasionem præberent impietatis, seu quia vetera essent dæmonum tropæa, evertisse Domitianum Ducem et in proximo lacu submersisse tradit Lazius. Certe quidem istum populum* ad Christianitatem ab infidelitate convertisse *dicitur in epitaphio ejus tumbæ inscripto, primusque extitisse* fundator illius ecclesiæ. *Subscribit ita Lazius :* In matrimonio fertur habuisse Mariam Meraniæ Ducis filiam; cum qua ecclesiam in Millestadio posuit.
C *Megiserus quoque lib.* I *cap.* 5 *Meraniæ Ducis filiam ei conjugem tribuit; haud satis memor ejus quod cap. 2 scripserat, primum Meraniæ Ducem Gotfridum fuisse circiter annum* CIↃLXII, *ortum e stirpe Verlini, qui Caroli Magni Cancellarius dicatur fuisse, cum ejus in Annalibus Francorum nusquam mentio extet. Quem ille* Gotfridum *vocat, is B.* Rasso *esse videtur, Boius* Grafrath, *de quo ad* XIX *Junii agemus; nam ab hoc tum alios Proceres, tum Meranienses Duces genus traxisse asserit Lazius lib. 7. Sed posterior hic sive* Rasso, *sive* Gotfridus, *B. Domitiani ætate fuit, uti postea patebit. Est porro* Merania; *quibusdam* Maranum *dicta, oppidum Comitatus Tirolensis, juxtaque arcem Teriolas, unde provinciæ nomen, sita; quæ et ipsa olim primaria illius vulpini tractus civitas fuisse creditur, cujus Dynastæ* Duces Meraniæ *appellati, aliisque ornati principatuum titulis; qui pridem intercidere, possessionibus in varias Principum, præsertim Austriacorum, familias delapsis.*

*quos B. Domitianus evertit,*

*populo converso,*

*et ecclesiam ibi fundavit, cum Maria uxore ;*

*an Meraniæ Ducis filia?*

3 *Ex hujus Mariæ conjugis suæ dotalibus bonis monasterium Millestadii condidisse Domitianum vult Megiserus lib.* I *cap.* 5. *Lazius lib.* 6 Erbonem *ait,* Harduici Palatini Comitis Ratisponensium filium, a Cæsare Lothario (*secundo ejus nominis, qui an.* CIↃCXXV *creatus, obiit* CIↃCXXXVII) Carinthiæ Ducem creatum,.... in ecclesia S. Domitiani apud Millestadium D monachos primum instituisse : quibus Abbatem postea concesserit Albertus Tridentinus Episcopus, ex familia Attenburgensium oriundus. *Sed qui a Lothario Cæsare Carinthiæ Dux creari Erbo potuit; qui anno Christi* CIↃCII *obierat? Ita Abbas Urspergensis ad eum annum, non ad* CIↃCXL *ut Lazius putavit :* Erbo jam grandævus, nobilis de Carinthia Princeps, et quondam Palatinus in Bajoaria Comes, migravit in Domino. *Idem ad annum* CIↃCIV *Botonis Comitis morte narrata,* Hi duo fratres, *inquit,* Erbo scilicet et Boto, paterno de sanguine, Noricæ gentis antiquissimam nobilitatem trahebant, illius nimirum famosi Erbonis posteri, quem in venatu a bisonte bestia confossum vulgares adhuc cantilenæ resonant, Hartwigi Palatini Comitis filii.... Maternum vero illis erat stemma, de Saxonia Immidingorum tribus egregia, quæ et Ottonum inclytæ stirpi traditur vicina. *Quæ totidem verbis ad eumdem annum describit Stadensis. Hos Brunnerus noster lib.* II *Annal. Boic. num. 9 sequitur.*

*an Erbo Princeps.*

*obiit annum 1102*

*vir nobilissimus,*

4 *Megiserus Lazii Chronologiam secutus in Erbonis statuenda ætate, de Milstadio subdit :* Hic Erbo in monasterio Milstadiensi, in Carinthia, a S. Domitiano Carantanorum Principe olim condito, mona- E chos constituit : quibus postea Albertus Tridentinus Episcopus, ex Ortenburgicis Comitibus natus, Abbatem dedit. *Ast in Vita B. Domitiani, Benedictini Milstadium inducti ab Erbone narrantur : neque monachi ubi antea fuerint, an Canonici regulares, an seculares Presbyteri, exprimitur. Ita enim habet num.* 3. Transacto autem multo tempore, quidam Palatinus de Bavaria, Arbo nomine, ad quem pertinebat omne pene prædium, quod circa Milstad situm, qui et fundator monachorum Ordinis S. Benedicti primus illic esse cœpit. *Erbonis quoque filium* Popionem *scribit Lazius,* quædam in Millestadiensi cœnobio fundasse, et ejus ibi nomen adscriptum legi.

*Benedictinos induxit.*

5 *Quod Abbatem Milstadiensibus datum Lazius scribit ab Alberto Episcopo Tridentino, id verisimile est contigisse cum is prius illud cœnobium vel restaurasset, vel ampliasset : itaque accipiendum quod idem scribit cum de* Carnorum Principibus ex gente Francorum *loquitur, ne ea refellat quæ ipsemet de Erbone scripsit, et jam retulimus; ac plures Abbates ante Alberti illius ætatem infra nominantur. Ita autem habet Lazius pagina* 161. Huic primæ ecclesiæ Millestadiensi, *a B. Domitiano positæ,* Abbatiam primus adjecit Albertus Artenburgii Comes, et Tridentinus Præsul, circa F annum Domini CIↃCCXL. *Et cum de Artenburgiis Comitibus agit eodem libro;* Albertus secundus, *inquit*, electus in Episcopum Tridentinum, ex parochia et prima fundatione facta a S. Domitiano Duce, Millestadiensem abbatiam exorsus est ac locupletavit. *Atque in ejusdem paragraphi titulo, universim de Ortemburgiis ait :* Horum Comitum opera sunt, Millestadiensis quondam abbatia *etc. Megiserus quoque lib.* 7. *cap.* 43. Ædificaverunt, *inquit*, a fundamentis abbatiam Millestadiensem Comites Ortenburgii. *et lib. 8 cap.* 56 *scribit antequam ab Alberto Ep. Tridentino fundaretur monasterium, fuisse isthic solum parochialem ecclesiam.*

*novum monasterium construxisse dicitur Albertus Ep. Tridentinus et locupletasse*

6 *Refutat ista quod in Vita B. Domitiani monachus Milstatensis scribit :* Abbas quidam, *ait*, nomine Otto, vir strenuus et religiosus, habens in congregatione sua centum et quinquaginta homines spirituales. Hujus diebus dum fundamenta monasterii majoris jacerent, post combustionem prioris *etc. Lazius eu ante ætatem suam annis sive circa annum* CIↃCCXL (*quando et vixisse Albertum II Ep. Tridentinum jam ante retulit*) *præfuisse monasterio Ottonem Abbatem et B. Domitiani reliquias invenisse existimat. Janus Pyrrhus Pincius lib.* 2 *de Vitis Pontificum Tridentinorum, totis* CXX *annis*

*quod multo ante, refert cum...*

A *nis juniorem, quam Lazius, Albertum facit. Et Otto abbas multo quam idem statuat, senior fuit.* Albertus secundus, *inquit Pincius*, Ortemburgensis ex Carinthia, in pontificatum adscitus, sceptrum capit, et mitra insignis Ecclesiam sapientissime gubernat CIↃCCCLXIII. Scribunt qui ejus Vitam in publica acta retulerunt, eum fuisse unum ex Comitibus Œlegiæ et Ortemburgi, qui non sunt minus rerum gestarum gloria splendidi, quam generis vetustate. *Enumerat Lazius quæ Ortemburgii vel possederunt ipsi, vel aliis clientelari jure possidenda concedere soliti sint, quorum pleraque ad Austriacos pervenere, familia extincta. Ea e Spanheimiensi ad Rhenum tractum orta fertur perque Comitem Fredericum, S. Hartwici Salisburgensis Episcopi (de quo* VIII *Novembris agemus) fratrem, propagata in Carinthia, nomen mutuata ab Ortenburga arce, quam in superiore Carinthia ad dextram Dravi oram, in colle ædificarunt;* haud procul ab oppidulo ipsorum Spitall, *inquit Lazius, licet ambigat an non aliunde repetenda nomenclatio sit. Et Megiserus lib.* 7 *cap.* 2 *subscribit. Verum (ut jam insinuatum) monasterium, quod Erbo Comes Benedictinis ante annum* CIↃC *reædificarat, vel ab aliis antea possessum donarat, ducentis prope an-*

*reædificarat Otto Abbas.*

B *nis priusquam Albertus* II *Episcopus Tridentinus eligeretur, combustum fuisse, atque ab Ottone Abbate reædificatum, facile conjiciet, qui quæ infra a monacho Milstadiensi scripta referuntur, attente legerit. Forsan illud denuo ab Alberto seculo* XIV *restauratum amplificatumve est: si quidem vera narrant Lazius ac Megiserus.*

7 *Præter quod diximus, monachorum cœnobium, aliud sanctimonialium fœminarum Milstadii fuit, ejusdem instituti Benedictini. Ita monachus Milstadiensis in Vita S. Domitiani num.* 8. Nam et moniales ipsius loci multum credulæ *etc. Et in Miraculis num.* 17. Modernis vero temporibus, monialis quædam hic de Claustro, nomine Kunegundis, filia Domini Dietmari Militis de Gurck, cognomento Biel *etc. Et mox* : Item monialis de claustro, nomine Bigel. *Et num.* 22. Dum eum viderent piæ moniales miserabiliter laborantem. *Extat illud etiamnum cœnobium, aut fortassis solum pars ejus aliqua, una cum exilia aliquot domicilia cum duobus hortulis, et Sacello S. Andreæ. Monachæ tamen, prius etiam quam monachi, illic extinctæ. Habitatio earum Parocho servit, sacellum Congregationi civium sub titulo Assumptionis Deiparæ Virginis ante septennium erectæ.*

*et ad Milstadii sanctimonialium cœnobium.*

C

## § II. *Milstadium Ordini S. Georgii, dein Societati Jesu datum.*

*Quod jam descripsimus Milstadiense monachorum cœnobium, id deinde* Fridericus III Imp. in regiam Generalis Magistri D. Georgii Ordinis, assensu habito Summi Pontificis, commutavit, *uti Lazius lib.* 6 *de migrat. gentium scribit. Eum Ordinem* Fridericus III *instituit ad exaltationem fidei, et præsidium contra Turcas: confirmavit Paulus* II *Pontifex, monachis alio migrantibus, assignata ad vitam sustentatione.* Maximilianus I *addidit confraternitatem liberam et secularem S. Georgii, confirmatum ab* Alexandro VI, Julio II, Leone X. *Quæ confuse a quibusdam auctoribus tradita, distincte elucidabimus ex ipsorummet Pontificum atque Imperatorum diplomatis, ad Vitam S. Georgii* XXIII *Aprilis.*

*Milstadium Magistro Ordinis S. Georgii datum*

9 *Eo Ordine per sese dilapso, vel (ut innuit Farinus) bellis civilibus, præcipue ob religionem motis, penitus suffocato et extincto; Milstadium ad sese, ceterorumque bonorum administrationem, Austriaci Proceres retraxerunt. Tandem Milstadium,* Ferdinandi *Archiducis, qui dein Imperator eo nomine secundus fuit, munificentia, altero postquam Styriæ Carinthiæque regimen susceperat anno, Christi* CIↃIↃXCVIII, *Pontificis Maximi auctoritate, Societati Jesu collatum, in fundationem collegii et academiæ Græcensis in Styria. Quod ita gestum memorant Annuæ litteræ provinciæ Austriæ Societatis Jesu anni* CIↃIↃXCVIII, *cum* B. Domitiani *egregio encomio.* D

*dein Societati Jesu,*

*lectione I. D*

10 Annuus census collegii Græcensis auctus est additione oppidi. Id oppidum est in superiore Carinthia situm, lato admodum agro, et cultura fertili, et est ipsum loco salubri, utpote puro et jucunde ameno; nec ita novum, quod circiter annum Christi IↃCCLXXIII a Divo Domitiano, Duce Carinthiæ et Noricorum, mille idolum statuis (unde loco nomen Millestadium litteris mutatis) gentilitia superstitione celebratum. Sed bono eventu, vertit Dux tabernam idololatriæ in domicilium Christi. Hoc ita factum. Per id tempus acceperat ex rumore Dux, Divum florere Virgilium Antistitem urbis Salispurgensis, sanctimonia juxta et fama miraculorum celebrem. Hunc Deo auctore per oratores accersit, a quo fidem pro perfidia, Christum pro idolo edoctus, eversa impietate voluit piissimus Princeps, velut testem in Deum pietatis sedem eo loci fundare Religiosis S. Benedicti: et postea fuit Magistri Ordinis S. Georgii. Hinc collegio pendebatur annuum vectigal. Sed cum desiderarentur ad ampliorem nostri Seminarii et Universitatis statum paullo ampliores reditus; et consueti ægrius inde semper obtinerentur; hoc oppidum cum suis terris, juncto proventu, liberali beneficentia munifici Ferdinandi Archiducis, collegio est attributum. *Hæc ibi. Quod scriptor censet S. Domitianum aliquando idololatram fuisse, idem postea confirmabitur: nam Benedictinos non ab eo, sed ab Erbone, sive Arbone, primum seculo* XII *Milstadium introductos ante narratum est.* E

*ad fundationem collegii et academiæ Græcensis*

11 *Commorantur nunc isthic de Societate nonnulli, qui oppidanos, ac vicinos, fidei doctrina et pietate instituant. Quæ res, ut ex sequentium annorum litteris constat, feliciter inde ab initio processit. Et proximo quidem anno* CIↃIↃC *ista referunt eædem Annuæ litteræ:* Hujus loci incolas nostris subditos, licet vehementer a nobis, nescio quo errore, alienos et aversos initio habuerimus, sic tamen ratione ac humanitate nobis devinximus, ut veniam deprecati, studiosissime nos ament ac venerentur. Ab hæresi ad fidem orthodoxam rediere XL. Usum calicis, a quo sex tantum vel septem abstinuerant, omnino sustulimus: et hoc anno CLXXX sub altera solum specie communicantes habuimus. Cessavit etiam nostrorum industria in aliis parœciis ad ægros deferendi calicis consuetudo: F cessavit baptismi Sacramenti administratio hyemis tempore in triclinio: fœminis aditus ad loca claustri, etiam publica, interclusus: subditi a concionibus hæreticis, quæ vicinis in locis habebantur, revocati. *Anno* CIↃIↃCI *et Milstadienses oppidani et vicini subditi fere ad unum ad fidem Catholicam rediisse scribuntur: ut sequenti Paschate an.* CIↃIↃCII *octingenti viginti octo ad sacram synaxin confessione expiati accesserint.*

*Græci de ab hæresi et instituti ad pietatem oppidani.*

## § III. *BB. Domitiani, Mariæ, pueri anonymi publica veneratio.*

*Magna superioribus seculis erga B. Domitianum fuit populorum religio, ut ab extremis etiam Istriæ finibus Pannoniæque, non solum a Carinthia, Carniola, Styria, ad ejus visendum sepulchrum confluerent. Neque nunc infrequens aut exigua pietas. Ingens sane Nonis Februarii, ad eum venerandam concurrit accolarum multitudo: quibus etiamnum neque propitium numen, neque Sancti ipsius patrocinium deest. Nam, ut quondam plurima ejus ope facta miracula sunt, quæ infra dabimus, ita et nunc fieri non pauca dicuntur: nulla tamen (quod quidem usseculi simus) legitima auctoritate probata; imo nec nisi perpauca scriptis tradita: qui enim ejus operam experti sunt, haud id cogitant ut memoriæ posterorum tradatur.*

*B. Domitianus cultu publico et miraculis celebris olim,*

*ac nunc quoque*

*tradatur, sufficere rati si inter suos prædicent beneficium. Panes rotundi ex secali, prius statu precatione, invocato quoque S. Domitiani patrocinio, benedicti, die quinto Februarii, sacris peractis, distribuuntur in præsentes singuli; subinde ad tria millia. Adhibentur ii ad variarum ægritudinum remedia: nam febres quartanas iis pulsas, parturientes adjutas, et puncturas laterum sæpenumero curatas memorant.*

AUCTORE J. B. *per panes benedictos*

*curatis febribus, pleuritide etc.*

13 *Quando autem B. Domitiano Cælitum honores, Apostolicæ Sedis auctoritate, haberi primum cœpti, non satis constat. Pronuntiat Otto Abbas Milstadiensis, qui a* 15 *prope annis vixit, ut num. 6 diximus:* Novimus B. Domitianum, et luce clarius constat, licet a majoribus nostris non canonizatum, tamen multis sæpe signis a Domino illustratum. *Illius tamen reliquiis ab eodem Abbate inventis superscripta ab antiquo hæc erant:* B. Domitianus Dux, fundator hujus ecclesiæ. *Et Wolsgangus Lazius loco antea citato scribit,* vel ob vitæ continentiam, vel propter miracula, in Divorum numerum relatum. *Megiserus quoque non solum cap. 31 lib. 6 tradit ab Historicis* Sanctum *appellari, sed cap. 2 lib. 1 affirmat* ab Romano Pontifice, propter miracula, quæ ad ejus sepulchrum patrata essent, in Sanctorum numerum relatum. *Udalricus, postremus Celeiæ Comes, is quem ab Joannis Hunniadæ filiis per insidias necatum Lazius scribit, in publicis litteris cujusquam donationis anno* MCCCCXLIII *factæ, cum vocat* S. Domitianum, monasterii principalem Dominum; *uti idem vir eruditus significavit.*

*si non canonizatus,*

*certe* Beatus et Sanctus *publice appellatus*

14 *Præcessere jam olim relati publicæ apotheoseos præludia, reliquiarum ejus elevationes aliquot; prima per Martinum Dentum Abbatem, circiter annum* MCC, *ut ex Echonis Palatini superius asserta ætate conjicere licet. Is* reliquias B. Domitiani, *ut infra in hujus Vitæ num. 4 dicitur,* in locum honestiorem, meritis illius condignum, videlicet juxta principale altare collocare putavit: et veneratione appropriaus condigna, tumulum multo opere constructum, magno labore aperuit. *Ex deinde reliquiæ Ottonis Abbatis tempore inventæ,* in sacrario in honestum locum positæ sunt, *ut (quemadmodum idem Abbas loquitur)* condigno ab omnibus privato honore venerarentur. *Ita enim, ut ibidem dicitur,* occultabantur. *Demum ab Joanne Gurcensi in Carinthia Episcopo, Archiepiscopi Salisburgensis in spiritualibus Vicario generali, anno* MDCCCXLII, *eædem reliquiæ,* bono odore refertæ, *ex arca, in qua* non modica diligentia ac studio reconditæ *fuerant, exemptæ,* ad sacrarium ipsius ecclesiæ cum reverentia delatæ, in loco tutiori reconditæ sunt, nihil servandæ pro venerabiliori iterum ac decentiori reconditione earumdem. *Ipsum Episcopi diploma infra dabimus, in quo* B. Domitianum *diserte appellat.*

*reliquiæ secundo honorifice translata,*

*et 12, nn. 13*

*n. 15*

15 *Verisimile est, exinde rem ad Pontificem Maximum relatam, ab eoque vel decretos ei vel certe permissos ampliores honores. Ipsi enim Ecclesiæ Romanæ Cardinales, Alanus Coetivus Archiepiscopus Avenionensis, et Jacobus Ammanatus Ep. Papiensis, Beatum appellant, et* parochialis Ecclesiæ B. Domitiani in Millestatuis *meminerunt in diplomate an.* MCCCCLXIII *data, quod vel ideo hic integrum recensere operæ pretium duximus. Ita ergo habet:* Jacobus miseratione Divina tit. S. Chrysogoni, Alanus tit. S. Praxedis, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinales, universis et singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, visuris pariter et audituris, salutem in Domino sempiternam. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum ineffabili illuminat caritate, pia vota fidelium, de ipsius clementissima majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas, Sanctorum precibus et meritis juvatur. Cupientes igitur ut capella S. Udalrici in Planz infra limites parochialis Ecclesiæ B. Domitiani in Millestatuis, Salisburgensis diœcesis, congruis frequentetur honoribus, Fidelesque Christi eo libentius devotionis caussa confluant ad eamdem, quo ibidem dono cœlestis gratiæ uberius se noverint fore refectos, et a Christi fidelibus veneretur; de omnipotentis Dei misericordia, et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis vere pœnitentibus et confessis, qui dictam capellam in S. Udalrici et ipsius ecclesiæ dedicationis, feria sexta quatuor Temporum ante Nativitatis Domini, feria sexta quatuor Temporum in Quadragesima, feria sexta quatuor Temporum post Pentecostes, festivitatibus et celebritate hujusmodi devote visitaverint annuatim, et ad reparationem et conservationem ædificii, calicum, librorum aliorumque ornamentorum pro Divino cultu inibi necessariorum manus; quotiescumque porrexerint adjutrices; Nos Cardinales præfati pro qualibet die ipsarum festivitatum et celebritatum hujusmodi, centum dies Indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus vero perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium fidem et testimonium præmissorum, præsentes nostras litteras exinde fieri, nostrorumque cardinalatus sigillorum jussimus et fecimus appensione communiri. Datum Romæ sub anno a Nativitate Domini nostri millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, die vero octavo mensis Aprilis; pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pii, Divina providentia Papæ secundi, anno quinto.

*Beatus a Cardinalibus appellatus,*

*in publico instrumento:*

16 *Similia omnino extant singulorum horum Cardinalium diplomata, eodem anno et die data, tantumque ab eo quod jam retulimus discrepantia, quod illa,* Cupientes igitur ut capella S. Udalrici in Planz *etc. ita efferuntur:* Cupientes igitur ut capella S. Udalrici, infra limites parochialis Ecclesiæ S. Tuitiani, Saltzburgensis diœcesis, congruis frequentetur honoribus *etc. Appellatur enim S. Domitianus, etiam* Tuitianus.

*et aliis* Tuitianus *dicitur.*

17 *Eædem deinde S. Domitiani et sociorum reliquiæ anno* MDCCCCXCII, *uti accepimus, ex sacrario in templum relatæ sunt, atque in sepulchrum ante altare, repositæ. Eodem anno altare erectum, in quo ejus visitur radiis coronata effigies, ut Sanctorum solent. Extat quoque Milstadii vetus monachorum, qui illic habitarunt, Breviarium, in quo ad quintum diem Februarii,* B. Domitiani *priore loco ante* S. Agathæ *consignatum est nomen: idemque in antiquo ejusdem loci Missali, in excellentiæ cujusdam indicium, minio exaratum. Constat etiam illud, tres solere isthic eo die celebrari a diversis Sacerdotibus Missas, et unam quidem de communi Confessorum. Antiquata tamen ea postmodum religio est, ut non nisi duo fierent, unum de S. Agatha Virg. et Martyre, alterum hora* XII *pro defunctis fundatoribus et benefactoribus, ritu funebri. Id quoque a* XXX *circiter annis mutatum. Cœperat rursus ante annos aliquot in ara proxima sepulturæ B. Domitiani, sacrum unum de SS. Trinitate fieri, aut Beata Virgine: summum vero de tribus Martyribus Japoniis. Hoc solum nunc servatur, illo abrogato: ita tamen ut illud ipsum sacrum pro fundatoribus ac benefactoribus, vivis ac defunctis, Deo offeratur. Seculares tamen Sacerdotes de S. Agatha et sacrum et officium legunt: quod quidem necesse non est, cum, ut infra dicemus, liceat quibusvis aliis Sacerdotibus ad Societatis ecclesias confluentibus eo die Missam et Officium de tribus illis Martyribus legere; Officio S. Agathæ in aliam diem translato. Concio tamen, post sacrum de Martyribus celebratum, instituitur de B. Domitiano: ac divinis eo die finitis, distribuuntur panes benedicti, de quibus num. 12 diximus. Quod et feria v in Cœna Domini fit, sed exiguo tunc concursu. Diebus autem Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ certa cerevisiæ mensura gratis in singulos subditos erogatur.*

*Ejus alia translatio, altare, imago,*

*festum;*

*de eo Missa olim,*

*nunc concio, post eam panum distributio.*

18 *Maria*

*Maria ejus uxor Beata ;*

A 18 *Maria B. Domitiani conjux inter Sanctos etiam in ea ecclesia censetur, deque illa et marito isthæc in citato Breviario extat oratio :* Deus qui famulos tuos Domitianum et Mariam sanctificasti vocatione misericordi, et assumpsisti consummatione felici : suscipe propitius preces nostras, et præsta, ut sicut illi tecum sunt suis meritis, ita a nobis non recedant suffragiis et exemplis. Per Dominum nostrum.

*et puer anonymus.*

19 *Idem quoque statuendum de puero illo anonymo, veneratione publica pridem dignatum videri, sive eorum filius is fuerit, sive aliunde ejus illuc allatæ exuviæ sint, cum esset fortassis in odium fidei interfectus. Omnium enim simul inventæ reliquiæ memorantur ac translatæ, pari videlicet cultu honorandæ. Ita in Vita num 7.* Tunc ex improviso reliquiæ B. Domitiani et Mariæ uxoris ejus, et ossa cujusdam infantuli simul inventa sunt a prædicto Abbate et aliis Fratribus. Ad hæc superscriptio : B. DOMITIANVS DVX FVNDATOR HVIVS ECCLESIÆ, ex altera autem parte : HÆ SVNT RELIQVIÆ MARIÆ VXORIS EIVS. Quis vero puer fuerit, usque huc ignoratum est. Sed hoc probatur, quia tanta pollent sanctitate reliquiæ illæ, quod nuper quædam infantula cæca, habens albuginem in oculo.... delibuta esse, statim clare videre cœpit. ... *Ac deinde simul*

*Simul eorum translatæ reliquiæ.*

B *translatæ narrantur omnium reliquiæ, et per eas facta miracula, absque differentia ulla, omnibus accepta feruntur. Ipseque adeo B. Domitianus monacho apparens, ita loquitur :* Care Frater, non adhortaris istam congregationem, ut circa nostras reliquias se diligentius et devotius exhibeant ? *Ac deinde :* dum vota sua eisdem Sanctis persolverent. *In Miraculis num.* 28. Omnia pene miracula, quæ Christus temporaliter hominibus in ægrotis corporibus dignatus est ostendere, per reliquias S. Domitiani sociorumque ejus, in Milstad contigerunt.

*jussa ... vari.*

*simul omnibus attributa miracula*

20 *Joannes vero Gurcensis Episcopus in diplomate suo, quo eorum translationem enarrat, ita scribit :* Quod reliquiæ hujusmodi tam ipsius Domitiani quam Mariæ uxoris ejusdem ac cujusdam pueri, multis retro actis temporibus in ipsa ecclesia inventæ, ac deinde successu temporum plures hinc inde ad loca diversa ipsius ecclesiæ forent translatæ. *Deinde recenset quæ singulorum membra aut fragmenta eorum repererit, et addit :* Quibus reliquiis sic, ut præmittitur, compertis, et per nos receptis, nos illa una cum conventu prælibato, ad sacrarium ipsius ecclesiæ cum reverentia deferentes, in loco tutiori recondidimus, inibi reservandas pro venerabiliori iterum ac decen-

*pari reverentia ab Episcopo omnes recondita.*

C tiori reconditione earumdem. *Hæc ille, nullo constituto vel loci, vel situs honorificentioris, vel impendendæ venerationis discrimine.*

## § IV. *Inquisitum in B. Domitiani ætatem. Occupata a Slavis Carinthia. Eorum Rex Samo.*

**D***ifficilior de* B. Domitiani *ætate questio. Character unicus proditur, quod gentem eam* converterit ad Christianitatem. *At neque hic satis liquidus aut certus. Nam Noricum omne pridem sub Romanis Christi fidem susceperat retinebatque quinto etiam seculo post Christi ortum, uti ex S. Severini Vita VIII Januarii patet : licet plurimis barbarorum incursionibus et vastatæ provinciæ illæ omnes, et afflicta sæpius labefactataque religio fuerit. Namque antea S. Hieronymi ætate, imperantibus Honorio et Arcadio, quam fœda isthic rerum omnium facies fuerit, ex ipsius Hieronymi epistola 3 ad Heliodorum cap. 9 licet cognoscere :* Horret animus, *inquit,* temporum nostrorum ruinas persequi. Viginti et eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim et Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epiros,

*Chr...*

*cum ... S. Hieronymi ...*

D Dalmatiam cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot Virgines Dei, et ingenua nobiliaque corpora his belluis fuere ludibrio ! Capti Episcopi, interfecti Presbyteri, et diversorum officia Clericorum : subversæ ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ *etc.*

*AUCTORE I. B.*

22 *Quam tetra deinde sub Attila Hunnorum Rege, (nam lubet plurima velut saltu transmittere) quam immanis tempestas; quæ totam fere Europam populata, viciniorem tamen Pannoniis tractum eundo ac redeundo sæpius evastavit ! Post ejus mortem quid in utraque* Pannonia ceterisque confiniis Danubii *ab ejus filiis turbatum sit ; quoties ab Herulis, Rugis, Alemannis vexatæ ac direptæ Norici provinciæ; idem exequitur S. Severini Vitæ scriptor Eugippius : ubique* Tiburnia *(quæ nunc Carinthiæ urbs est* Villacum, *ut alibi diximus arbitrari viros eruditos) a Gothis obsessa, post varia certamina, redimere direptionem coacta sit. Stetit tamen utcumque etiam inter illos turbines religio : gravius concussa, ac sensim emoriens, postquam Rex Herulorum Odoacer, quotquot erant Romani nominis, migrare in Italiam compulit, anno Christi* CCCCLXXXVII, *Boetio Consule. Gothis dein videtur Carinthia paruisse.* E

*dein ab Attila,*

*et Gothis.*

23 *Tandem Slavi eam provinciam vicinasque insedere, primum ad belli auxilia exciti non magno numero, dein prædis frequentibus animati, fiduciam retinendi quæ toties pervagati erant loca, concepere. Validam eorum incursionem, nescio an primam, anno* XIII *belli Gothici, Christi* DXLVII *factam refert lib. 3 Procopius his verbis* Per id tempus Sclavinorum exercitus, flumine Histro trajecto, Illyrios omnes, ad usque Epidamnum, malis ingentibus affecere, partimque hos trucidando, partimque sine ullo ætatis discrimine in servitutem, quos licuit, abigendo, et eorum bonis direptis, desæviebant. Ad hæc et præsidia illis in locis non pauca, et quidem prævalida occuparunt ; circumvagatique omnia pro arbitrio ad rapinam quæque scrutantur. *Rursusque anno belli Gothici* XVII, Sclavini ingenti multitudine Illyrios invadentes, malis inexplicabilibus affecere. *Ea fortassis caussa erant, ut Gallorum Episcopi in Tiburniensi Ecclesia Sacerdotes constituerent, adempta Aquileiensi Episcopo illuc commeandi facultate. Id certe in pseudosynodo Maranensi an.* DXC *habita, supra in S. Ingenuini Vita hoc ipso die, Venetiarum et Rhætiæ secundæ Episcopi,* ante annos fieri cœptum *queruntur. Credibile est sub crudelissimo barbarorum dominatu extirpatam religionem esse, aut* F *fortassis etiam veterem omnem populum internecioni datum.*

*Sclavi, post diram populationem,*

*eam inhabitant.*

24 *Slavi ergo tenuere deinceps hæc loca, atque assidua fere cum vicinis, hinc Boiis, inde Hunnis, bella gessere, vario eventu. Et quidem* Tassilo, *ut scribit Paulus Diaconus lib. 4 de gestis Longobardor. cap. 7 a* Childeberto Rege Francorum apud Bajoariam Rex ordinatus ... mox cum exercitu in Sclavorum provinciam introiens, patrata victoria ad solum proprium cum maxima præda remeavit. *Quod ita Velserus rer. Boicar. lib. 3 explanat :* Anno quingentesimo nonagesimo quinto, Thassilo Slavos, graves perpetuo et infestos vicinos, bello aggreditur, quorum, præter Zechorum nationem, quæ Sarmatia effusa, Boiohemum tenuit, Quarantanorum, aut Carantanorum, alia, Dalmaticis oris progressa, Norici partem ad Hadriaticum sinum vergentem insidens, Boicam premebat. Parta victoria, maximam omnis generis prædam domum retulit. *Eadem narrat Brunnerus noster Annal. Boic. lib. 4 num. 10 et brevius Sigebertus Gemblacensis ad eumdem annum. Verum quo auctore didicit Velserus, populos illos* Slavos Carantanos *dictos fuisse, quos passim omnes Slavos, vel Sclavos Winidos vocant?* Carantani *deinde, quia Carnorum terram, aut confinia*

*vicini a Boiis*

*cur C... appellati?*

AUCTORE J. B.

A *confinia occupassent, appellati videntur. Nisi cui placeat, Carantas, quasi Carnicos Antas nuncupari. Sunt enim apud Procopium lib. 3 de bello Gothico* Antarum *Sclavinorumque gentes et vicinæ et institutis quam simillimæ. Sed subtilius id fortasse excogitatum.*

25 *Cladem paullo post recepere Boii, anno (ut Velserus Brunneri usque volunt)* DCXI. *Ita Paulus Diaconus lib. 4 cap.* 11. Hisdem ipsis diebus Baioarii usque ad duo millia virorum super Sclavos irruunt : superveniente Cacano omnes interficiuntur. *Erat Cacanus Hunnorum Rex. Mutuam aliam quidem utrinsque cladem idem memorat auctor lib. 4 cap.* 41. Mortuo Tassilone, *inquit,* Duce Baioariorum, filius ejus Garibaldus, in Agunto a Sclavis devictus est, et Baioariorum termini deprædantur. Resumptis tamen Baioarii viribus, et prædas ab hostibus excutiunt, et hostes de suis finibus pepulerunt. *Fuisse volunt* Aguntum, *memoratum Antonino et aliis veteribus locum, ubi nunc* Doblacum, *aut* Innichium, *Tirolis Comitatus oppida visuntur, non longe a Dravi fontibus. Infeliciter conjectat Lazius, cladem hanc ad Aguntum Tassiloni illatam a Samone Carantanæ* Principe, *qui illi* Samois. *At neque hic gubernaculis adhuc admotus tunc erat a Slavis, et mortuus erat Tassilo.*

B 26 *Erin ab Hunnis Avaribus turpissima oppressi servitute sunt Slavi, qua eos Samonis, hominis Franci, industria, anno Christi* DCXXIV *liberavit, quem ideo Regem sibi crearunt; cum antea, ut Procopius lib. 3 belli Goth. scribit,* Antarum Sclavinorumque nationes, non ab homine aliquo uno regerentur, sed ab antiquo plebeia communique libertate viverent, et idcirco res omnes, quæ utiles essent vel forte difficiles, in commune concilium deducerent. *Servitutis modum, ac Regis legendi occasionem ita exponit Fredegarius Scholasticus in Chronico.*

27 Anno XL regni Chlothariі *(qui an.* DLXXXIV *patri Chilperico successit, quatuor menses natus)* homo nomine Samo, natione Francus, de pago Senonago, plures secum negotiantes adscivit, et ad exercendum negotium in Sclavos cognomento Winidos perrexit. Sclavi jam contra Avares cognomento Chunos, et Regem eorum Gaganum, cœperant rebellare. Winidi, Befulci Chunis fuerant jam ab antiquitus, ut cum Chuni in exercitu contra gentem quamlibet adgrediebant, Chuni pro castris adunato illorum stabant exercitu. Winidi vero pugnabant. Si ad vincendum prævalebant, tunc Chuni prædas capiendum adgrediebant. Sin autem Winidi superabantur, Chunorum auxilio fulti vires resumebant. Ideo Befulci

C vocabantur a Chunis, eo quod duplici in congressione certamine vestitu præ[illegible] Chunos præcederent. Chuni ad hiemandum annis singulis in Sclavos veniebant, uxores Sclavorum et filias eorum strato sumebant, tributa super alias oppressiones Sclavi Chunis solvebant. Filii Chunorum, quos in uxoribus Winidorum et filiabus generaverant, tandem non sufferentes malitiam ferre et oppressionem, Chunorum dominationem negantes, (ut supra memini) cœperant rebellare. Cum in exercitu Winidi contra Chunos fuissent adgressi, Samo negotians (quomodo memoravi superius) cum ipsis in exercitu perrexit; ibique tanta ejus fuit utilitas, ut de Chunis nimia multitudo gladio Winidorum trucidaretur. Winidi cernentes utilitatem Samonis, eum super se eligunt Regem, ubi XXXV annos regnavit feliciter. Plurima prælia contra Chunos in suo regimine Winidi inierunt; suo consilio et utilitate Winidi semper superarunt. *Hactenus Fredegarius : in cujus editione per Bochelium adornata,* Samo *ortus dicitur* de pago Sennonagago, *qui forte tractus* Senna *amne irriguus in Belgio Sonegias inter et Bruxellam, quasi* Senne-gaw *dicas. Ita alibi* Listergagium, *pro Lætico pago,* Lister-gaw, *ad Lætiam, sive Lisam flumen, in Flandria. Porro ex Fredegarii narratione patet, satis diuturnam ab fœdissima gente servitutem perpessos esse Sclavos, quam tandem anno Christi* DCXXIV, *Clotarii Regis Francorum* XL, *excusserunt.* D

28 *Ita invicem tunc collisæ duæ illæ nationes, ut tamen vicinis molestæ essent, cogerentque ad auxilia Francorum respectare. Nam scribit Fredegarius ad annum Dagoberti septimum, Christi* DCXXIX. Tanta prosperitate regale regimen ... regebat *Dagobertus,* ut a cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet. Timorem vero sic fortem sua concusserat utilitas, ut jam devotione arriperent suæ se tradere ditioni : ut etiam gentes, quæ circa limitem Avarorum et Sclavorum consistebant, eum prompte expeterent, ut ille post tergum eorum iret feliciter, et Avaros et Sclavos ceterasque gentium nationes, usque manu publica suæ ditioni subjiciendum fiducialiter spondebant. *Postrema hæc aliter efferuntur in Gestis Dagoberti :* intantum ut Avari et Sclavi, ceterarumque gentium nationes manu publica ipsius ditioni se subjiciendas fiducialiter spondérent. *Quæ haud probabile est a Sclavis, saltem publico consilio, fuisse promissa, cum feliciter iis Samo imperaret, qui etiam Francos ipsos ultro irritare ausus, variis deinde cladibus affecit : vel ideo fortassis, quod hæc agitata a suis, vel subditis* E *vel vicinis, consilia intellexisset.*

quibusdam contra eum sollicitantibus Dagobertum R.

29 *Narrat id Fredegarius his verbis :* Eo anno Sclavi, cognomento Winidi, in regno Samonis, negotiantes Francorum cum plurima multitudine interfecissent, et rebus expoliassent; hoc fuit initium scandali inter Dagobertum et Samonem Regem Sclavorum. Dirigens quemdam Dagobertus Sicharium Legatarium ad Samonem, petens ut negotiantes, quos sui interfecerant, aut res inlicite usurpaverant, cum justitia faceret emendare. Samon nolens Sicharium videre, nec ad se eum venire permitteret; Sicharius vestem indutus ad instar Sclavorum, cum suis ad conspectum pervenit Samonis, universa, quæ injuncta habuerat, eidem nuntiavit. Sed, ut habet gentilitas et superbia pravorum, nihil a Samone, quæ sui admiserant, est emendatum, nisi tantum placita vellens instruere, ut de his et aliis intentionibus, quæ inter partes ortæ fuerant, justitia redderetur in invicem. Sicharius, sicut stultus Legatus, verba improperii, quæ injuncta non habuerat, et minas adversus Samonem loquitur, eo quod Samo et populi regni sui Dagoberto deberent servire. Samo respondens jam saucius dixit : Et terram quam habemus, Dagoberti est, et nos sui sumus, si tamen F nobiscum disposuerit amicitias conservare. Sicharius dixit : Non est possibile, ut Christiani et Dei servi cum canibus amicitias conlocare possent. Samo e contrario dixit : Si vos estis Dei servi, et nos sumus Dei canes; dum vos assidue contra ipsum agitis, nos permissum accepimus, vos morsibus lacerare. Ejectus est Sicharius de conspectu Samonis.

30 *Dagobertus mox triplicem adversus Sclavos concitavit exercitum, Longobardorum, Alamannorum, Austrasiorum : Austrasii re parum prospere gesta, turpiter diffugerunt. At* plurimum numerum captivorum de Sclavis Alamanni et Longobardi secum duxerunt. *Gesta hæc sunt anno* IX *Dagoberti, Christi* DCXXXVI. Multis post hæc vicibus, *inquit idem Fredegarius,* Winidi in Thoringiam et reliquos vastando pagos in Francorum regnum irruunt. Etiam et Dervanus Dux gentis Urbiorum, quæ ex genere Sclavorum erant, et ad regnum Francorum jam olim aspexerant, se ad regnum Samoni cum suis tradidit. Istamque victoriam, quam Winidi contra Francos meruerunt, non tantum Sclavinorum fortitudo obtinuit, quantum dementatio Austrasiorum, dum se cernebant cum Dagoberto odium incurrisse et assidue expoliarentur.

31 *Anno*

A *incursatque sæpius eorum provincias :*

31 *Anno sequenti, Christi* IↃCXXXVII, *Dagoberti* X, exercitum Winidorum Thoringiam fuisse ingressum *tradit idem auctor.* Anno XI regni Dagoberti, *Christi* IↃCXXXVIII, cum Winidi jussu Samonis fortiter sævirent, et sæpe transcenso eorum limite, regnum Francorum vastando, Thoringiam et reliquos pagos ingrederentur; Dagobertus ... Sigibertum filium suum in Auster regnum sublimavit ... Deinceps Austrasii eorum studio limitem et regnum Francorum contra Winidos utiliter defensare noscuntur. *Hæc Fredegarius e quibus refutes auctorem Vitæ S. Virgilii Episc. Salisburgensis, scribentem Quarantanos, cum Samone Rege, demum Dagoberti* servitio subactos esse. *Quod ab eo Aventinus, Lazius, Megiserus hausere.*

*reprimuntur auspiciis S. Sigeberti R.*

## § V. *Duces Carinthiæ ante et post B. Domitianum.*

*Duces Slavorum, etiam vivo Samone.*

*Mortuo circiter annum Christi* IↃCLX *Samone, admotus necne ad regni gubernacula filiorum aliquis sit, (nam* XXII *habebat, filias* XV*) an regia potestas abrogata, et in plures Duces partita, incertum est. Etenim fuere, etiam vivo Samone, certorum districtuum ad Slavicam gentem pertinentium Duces : ut ille, de quo § superiore,* B Dervianus Dux gentis Urbiorum : *et cum anno Christi* IↃCXXXVI *victi ab Chunis Bulgari ad Dagobertum confugissent,* IX *millia virorum, cum uxoribus et liberis, et ab eo jussi essent in Bajoaria hiemare, ac post una nocte interfici a Bajoariis universi; elapsum ex ea cæde cum* IↃCC *viris Altiaum* in marca Winidorum *servavit* Wallacus Dux Winidorum, *et plurimis secum annis retinuit.*

33 *Qui S. Virgilii Episcopi Salisburgensis Vitam seculo* XII *scripsit, B. Eberardi Archiepiscopi discipulus, de Carinthiæ post Samonem statu et Ducibus ista scribit :* Non multo post tempore cœperunt Huni eosdem Quarantanos hostili seditione graviter affligere, fuitque Dux tunc eorum Boruth nomine, qui Hunnorum exercitum contra eos videns, interim Bavaris nuntiare fecit, rogans eos sibi in auxilium venire. At illi cum magna festinatione venientes expugnaverunt Hunnos, et obfirmaverunt Quarantanos, servitutique eos Regum subjecerunt, simul et confines eorum : duxeruntque inde obsides secum in Bavariam, inter quos erat filius Boruth, nomine Karastus, quem pater ejus more Christiano nutriri et baptizari postulavit : quod ita factum est. Similiter de Chetimaro filio fratris sui fieri rogavit. Mortuo autem Boruth, jussu Francorum, Bavari Karastum, Christianum factum, petentibus eisdem Sclavis remiserunt, et illi eum Ducem fecerunt : sed postea ille tertio anno defunctus est. Iterum autem, permissione Pipini Regis, populis idem petentibus, Chetimarus Christianus ducatum suscepit ..... Mortuo autem Chetimaro, et orta tertia seditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, usque dum Waltunc Dux eorum misit iterum ad Virgilium Ep.

*Boruth Dux Carantanorum Hunnos vincit Bavarorum ope :*

*ei Karastus F. succedit Christianus, huic Chetimarus patruelis,*

C

34 *Ex his conficitur,* Boruthum *Ducem usque ad Pipinum Regem vixisse : quo annuente Chetimarus triennio post Boruthi mortem Dux Caranthanorum est creatus, qui secum Majoranum, a S. Virgilio sacerdotio initiatum,* propter doctrinam Christianæ religionis detinuit : *namque ipse Virgilius primum anno* IↃCCLXVII *Pipini penultimo, Episcopus erat ordinatus.* Walcuno *vero Dux, iterum Presbyteros ad se mitti ab eodem S. Virgilio postulavit. Obiit hic anno* IↃCCLXXXIV : *quando Walcuna, non satis constat. Qui deinde ei provinciæ præfecti fuerint, mox dicemus.*

*tempore Pipini R. Francorum,*

*dein Walcuno.*

35 *Wolfgangus Lazius* ex gentilitiis Annalibus, *ut frequens eos citat, quædam, haud satis consentientia cum iis quæ narrata sunt, refert, ut* Baruch, cum fratre Cotio, ab Avaribus Carantano regno exutum, a Francorum denuo Regibus in dignitatem restitutum : Carastum sacris undis perlutum a B. Domingo, D. Ruperti Juvaviensis Episcopi (CXXX *annis ante Carasti principatum mortui*) discipulo : Cetemarum, Carnis Principem ex gente Francorum datum. *Hieronymus Megiserus Samonem obiisse scribit anno Christi* IↃCXXXVIII, *Baruchum inde annis* XLII *imperitasse, Carastum* XIX, LVII *Chitomarum, Pipini auctoritate anno* IↃCC *Caranthanis Ducem datum : huic Valdungum filium successisse, ultimum Slavici generis. Verum hæc omnis chronologia ex ante allatis subruitur.*

*Horum Ducum Chronologia a Lazio et Megisero perturbata :*

D AUCTORE J. B.

36 *Valtunca, sive Waltcunoni, sine liberis defuncto iidem Lazius et Megiserus,* Theodonem Tassilonis Bavariæ Regis filium *Carantanis a patre anno* IↃCCLXXII *præfectum scribunt, quem eo primum anno natum Velserus tradit; qui et de Carantanis ad eum annum ista habet :* Domestici annales, Carantanos eodem anno a Thassilone victos atque subactos memorant : rem tantam, (nam ea ingens fuit Boicæ potentiæ accessio) verbo strictim significasse satis habentes. Valtuncum, quem Boiis volentibus regnasse, Virgilii amicitia ostendit, prius obiisse, in dubium, apud me quidem, non venit. *Eadem memorat Brunnerus, et belli caussam ita exponit :* Violata fœdera, descitumque a fide, quæque alia ferro vindicantur, bello ansam dedisse, etiam tacentibus litteris, intelligitur. *Nobis et dubia hæc Tassilonis expeditio, et longius prorogata Waltcunoni vita videtur. Quis enim triennio Chetimari Waltcunonisque imperium, totque motas et sopitas seditiones circumscribat?* E

*victi a Bavaris Carantanis*

37 *Ingonem dein ducem Carantanis datum volunt. Aventinus Baldungo, sive Walcunoni, aut successisse : Lazius et Megiserus Theodoni Thassilonis filio : Brunnerus eum locat anno* IↃCCXCI, *quo Carolus Magnus bellum in Pannonia adversus Hunnos gessit; cum triennio ante Thassilo Theodoque attonsi in monachos essent. Mirum si Francus hic fuit, uti Megiserus et Lazius adstruunt, nullam ejus in Francicis annalibus fieri mentionem.*

*horum Dux Ingon.*

38 *Alii Duces, citatis scriptoribus ignoti, memorantur in* historia de conversione Bojorum et Carentanorum ad fidem Christianam, *quæ circa annum* IↃCCCLVIII *scripta est; cujusque fragmentum recitat Chesneus tom. 2 Rerum Francicar. ubi anno* IↃCCXCVI Ericus *Comes adversus Hunnos cum ingenti exercitu a Carolo Magno missus dicitur : deinde Pipinus ejusdem Caroli filius, qui victoria potitus,* partem Pannoniæ circa lacum Pelessæ inferioris, ultra fluvium qui dicitur Rapa, et sic usque ad Dravum fluvium, et eo usque ubi Dravus fluit in Danubium, prout potestatem habuit, F prænominavit eum doctrina et Ecclesiastico officio procurare populum, qui remansit de Hunnis et Slavis in illis partibus, Arnoni Juvavensium Episcopo. *Quod Carolus parens ratum habuit.*

*Pulsi a Francis Hunni :*

39 *Anno* IↃCCXCVIII Imperator præcepit Arnoni Archiepiscopo pergere in partes Slavorum, et prævidere omnem illam regionem, Ecclesiasticum officium more episcopali colere, populosque in fide et Christianitate prædicando confortare. Sicut ille præcepit, fecit, illuc veniendo consecravit ecclesias, ordinavit Presbyteros, populumque prædicando docuit. Et inde rediens nuntiavit Imperatori, quod magna utilitas ibi potuisset effici, si quis inde habuisset certamen. Tunc jussu Imperatoris ordinatus est Theodoricus Episcopus ab Arnone Episcopo Juvavensium. Quem ipse Arnon et Geroldus Comes, perducentes in Slavoniam, dederunt in manus Principum; commendantes illi Episcopo regionem Carentanorum, et confines eorum occidentali parte Dravi fluminis, usque dum Dravus fluit in amnem Danubii, ut potestative populum regeret sua prædicatione, et Evangelica doctrina doceret servire Deo.

*lustrata ab Arnone Ep. Salisburgensi provincia :*

*datus Theodoricus Ep.*

40 Postquam ergo Carolus Imp. Hunnis ejectis, episcopatus dignitatem Juvavensis Ecclesiæ Rectori

AUCTORE J. B.

A commendavit, Arnoni videlicet Archiepiscopo, et suis successoribus, tenendi perpetualiter atque regendi perdonavit; cœperunt populi, sive Slavi seu Bajoarii, inhabitare terram, unde illi expulsi sunt Hunni, et multiplicari. Tunc primus ab Imperatore constitutus est confinii Comes Gonteramnus, II Werenharius, III Albricus, IV Gotefridus, V Geroldus. Interim vero dum prædicti Comites Orientalem procurabant plagam, aliqui Duces habitavere in illis partibus ad illam Sedem pertinentibus; qui Comitibus præfatis subditi fuere ad servitium Imperatoris: quorum nomina sunt, Prinniblavuga, Ceincias, Hronymar, Etgar. Post illos vero Duces, Bajoarii cœperant prædictam terram dato Regum habere in Comitatum, Hebriwinus, Albgarius, et Palco. His ita peractis Ratbodus suscepit defensionem termini: in cujus spatio temporis quidam Prinnina exulatus a Moymaro Duce Moravorum supra Danubium venit ad Ratbodum. Qui statim præsentavit illum Domino Regi nostro Ludovico...... Illoque tempore Ludovicus Rex Bojariorum misit Ratbodum cum exercitu multo ad exterminandum Ratimarum Ducem.

*Comites Avarici limitis a Carolo Magno constituti, sub iis indigenæ Duces,*

*et Baioarii:*

41 *Ducum horum Comitumque non reperio apud* B *Megiserum mentionem: recenset eos Lazius, sed non quo debuit ordine. Uterque Inguoni (anno* DCCXCII *mortuo, ut vult Megiserus) substituit Codolaum, huic Baldricum, ei Domitianum. Fuit quidem, ut ex Francicis annalibus patet, Cadoluch, sive Cadolaus Comes, Dux Forojuliensis, Dalmatiæ finium Custus; cui an.* DCCCXIX *defuncto subrogatus Baldricus: atque huic anno sequenti* pars Carantanorum, quæ ad Lindewiti *Ducis Pannoniæ inferioris* partes *a Ludovico Pio Imp.* defecerat, *sese dedidit, uti Eginhardus testatur, qui cum ac Geroltum Comitem* Avarici limitis Custodes *appellat, et* in Carantanorum provincia *anno* DCCCXXVI *versatos refert: ac tandem anno* DCCCXXVIII *Baldricum ait in ordinem redactum,* cum propter ejus ignaviam Bulgari fines Pannoniæ superioris impune vastassent. Geroltus *vero, sive* Geroldus, *ac* Geraldus *dictus, ille est, qui num. 40, quintus confinii Hunnici Slavicique Comes recensetur, diversus ab Geroldo Bavariæ Præfecto, qui num. 39 cum Arnone Theodoricum Ep. adduxisse ad Slavos memoratur, cæsusque ab Hunnis cum Erico Forojuliensi Duce an.* DCCC.

*dein alii Custodes limitis, et Carantanorum Præsides, Franci.*

42 *Lazius postquam de S.* Domitiano *egit ista scribit:* Gerholdus in Annalibus gentilitiis, una cum filiis Goteramo et Wernherigono, legitur post S. Do- C mitianum Carnis præfuisse: quemadmodum et qui sequitur, Albricus, de quo præterea in Annalibus reperi nihil: quemadmodum nec de sequentibus, Gotofredo, Geroldo, Helimbino, Albarico, Padone. *Atqui hi sunt, quos jam retulimus,* Geroldus Bavariæ Præfectus, Gonteramnus, Werenharius, Albricus, Gotifredus, Geroldus, Hebriwinus, Albgarius, Palo. *Post hos Carolomannum Ludovici* II *Germanici filium Carentanorum Ducem statuit, cui* ex nobili fœmina Carentana, sed thoro illegitimo, natus *Arnulphus, et ipse Dux Carinthiæ, dein Imperator factus.*

*Ducum illorum Comitumque interversa series et tempora apud Lazium.*

## § VI. *B. Domitiani ætas determinata, seculi octavi fine, ac noni principio.*

Q*uorsum hæc de adventu, Rege, Ducibus Slavorum Carantanorum, tam alte repetita narratio? Nimirum ut S. Domitiani ætatem reperiamus, qui* populum istum convertisse ad Christianitatem *dicitur. Non id videtur eo tempore contigisse, quo Romani Noricum tenebant, quamvis et* Domitiani *nomen Romanum, et fuit provincia Christiana. Neque enim quod asseritur, vel constructa ab eo ecclesia, barbarorum tot seculis evitasset manus, vel ejus, ut aliorum plurimorum Sanctorum, non abolita memoria esset.*

*Carinthia a S. Domitiano conversa, antea Christiana:*

44 *Deinceps, etiam postquam Romani inde emigrarant, effulsere identidem scintillæ aliquæ velut e cineribus fatiscentis religionis. Unde et (quod ante diximus) pseudosynodus in Marano habita queritur,* Tiburniæ *Sacerdotes a Galliarum Episcopis constitutos, atque antea consuevisse per Metropolitam Aquileiensem eas* Ecclesias in gentibus possideri. *Sed Slavorum immanitate cultus veri Numinis abolitus est. Quo tempore e Burgundia a Theodorico Rege ac Brunechilde avia, ejectus est S. Columbanus, sub annum Christi* DCX, *ei* cogitatio in mentem ruit, ut Veneticorum, qui et Sclavi dicuntur, terminos adiret, cæcasque mentes Evangelica luce illustraret, ac ab origine per devia oberrantibus veritatis viam panderet: *uti in Vita ejus,* XXI *Novembris, Jonas scribit. Verum ex Angelo intellexit, non esse gentis illius in promptu fidei profectus.* D

*sed defloruerat sensim religio,*

*ac post plane excisa a Slavis: quos adire divinitus vetatur S. Columbanus;*

45 *S. Columbani discipulus Eustasius, qui* XXIX *Martii colitur,* ad Bojas, qui nunc Bicarii (*forte* Bajoarii *vocantur,* tetendit, eosque multo labore imbutos, fideique lineamento correctos, plurimos eorum ad fidem convertit. *Plenius fidem per Bavariam disseminavit S. Rupertus, Wormatiensis primum, deinde Juvaviensis, sive Salisburgensis Episcopus, cujus Vitam dabimus* XXVII *Martii. De neutro, an Carantanos fines ingressus sit, constat: nedum ab hoc* B. Domitianum E *baptismo ablutum, quod aliqui divinant. Diu enim post S. Ruperti mortem, quam ad annum* DCXXVIII *Velserus Brunnerusque consignant, Gentiles fuere Slavi, ipseque cumprimis eorum Rex Samo, ut superius a Fredegario memoratum.*

*an SS. Eustasius et Rupertus adierint, incertum:*

46 *Haud multo post, S. Amandus ad Sclavos penetravit. Nam, ut scribit Baudemundus* VI *Februarii in ejus Vita,* audivit, quod Sclavi nimio errore decepti, a diaboli laqueis tenerentur oppressi. Illicque martyrii palmam se assequi posse confidens, transfretato Danubio, eadem circumiens loca, libera voce Evangelium Christi gentibus prædicabat. Paucis vero ex eis in Christo regeneratis, videns etiam sibi non satis accrescere fructum, et martyrium, quod semper quærebat, non se adepturum, ad proprias iterum reversus est oves. *Pauci illi ex iis fuere fortassis, qui supra § 4 num. 28 dicuntur Dagoberti Regis* ditioni, *sub annum Christi* DCXXXIV, se subjiciendos fiducialiter spopondisse. *Et non fuit inter eos Domitianus; quippe qui gentem universam Christo adjunxisse dicatur, quod tunc minime evenit. Hallucinatur enim, ut sæpe, Aventinus dum lib. 3 Annal. Bojor. scribit ab exercitibus Dagoberti,* Venedorum regionem in obsequium et ditionem redactam; Venedos quoque sub F jugum religionis Christianæ missos. *Supra § 4 demonstratum est, præter captivos plurimos vice unica abductos, omnem tunc Francorum de Slavis triumphum fuisse, eorum post annos aliquot, repressisse incursiones, dato Austrasiis Rege S. Sigeberto.*

*S. Amandus adiit, sed paucos convertit:*

47 *Longo post hæc intervallo temporis adhuc Gentiles fuere Slavi. Nam ab iis per Boicam latrocinia magis quam bella facientibus, anno* DCXCVII, *interfectum esse* S. Marinum Ep. *(qui* XV *Novembris cum S. Aniano Archidiacono colitur) tradunt ex Actis monasterii Rotensis Velserus lib. 4 Brunnerus lib. 5 num. 8, Raderus tom. 1 Bavariæ sanctæ. Barbaros illos, ut scribit Velserus,* Vandalos fuisse memorant, qui Slavi, id est, Venedi de proximo fuerint oportet: nam eosdem Vandalos appellare, vetus et vulgatus error.

*adhuc an. 697 erant Gentiles.*

48 *Tandem Chetimarus Dux Karantanorum Christianus, extremis Pipini Regis temporibus, Majoranum Presbyterum, a S. Virgilo Salisburgi ordinatum, secum in provinciam duxit, ac deinde Modestum Episcopum ac Presbyteros aliquot ab eodem Virgilio Salisburgensi Ep. obtinuit, ipsumque Virgilium in suam provinciam invitavit, et antea, et præsertim Modesto jam defuncto: sed cum variæ ortæ essent apud Carantanos, fortassis religionis obtentu, seditiones, neque proficisci*

*Primus Chetimarus Dux Evangelii præcones publice induxit:*

A *ficisci eo Virgilius potuit, et Latinus Presbyter inde abscedere coactus est.* Mortuo autem Ketmaro, *inquit scriptor Vitæ S. Virgilii*, et orta tertia seditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, usque dum Waltunc Dux eorum misit iterum ad Virgilium Ep. et intente postulavit, ut ad confortandam in fide prædictam terram aliquos destinaret Presbyteros. *Quod et factum est, ipseque deinde Virgilius* per Karinthiam sensim transeundo ad fines Hunnorum, ubi Trabus influit Danubium... pertransiit.

*deinde Walcuno.*

49 *Inguonem dein, scribit post Aventinum Lazius, subscribente Brunnero, Carantanis præfectum. De quo ista narrat apud eumdem Lazium et Megiserum Æneas Silvius Picolomineus :* Fama est, anno DCCXC post Christi Salvatoris ortum, imperante Carolo Magno, Ducem gentis, Inguonem nomine, ingens convivium provincialibus præparasse : et agrestibus quidem ad conspectum suum intromissis, in vasis aureis atque argenteis; Nobilibus vero et magnatibus, procul ab oculis collocatis, fictilibus ministrari jussisse : interrogatum, cur ita faceret, respondisse, non tam mundos qui urbes et alta palatia, quam qui agros et humiles casas colerent, Rusticis, qui Christi Evangelium accepissent, baptismatis unda purificatis, B candidas et nitidas esse animas; nobilibus ac potententibus, qui spurcitias idolorum sequerentur, sordidas ac nigerrimas : se vero pro animarum qualitatibus instruxisse convivium. Castigatos ea re nobiles catervatim sacri Baptismatis undam quærentes, brevi tempore, sub Virgilio et Arnone Juvaviensibus Episcopis, universos Christi fidem accepisse. *Ita ille, ex eo alii complures. Hunc ergo* Ingouem, *sive, ut scribit Lazius,* Inguonem, *esse* Prinnihlaungam *Ducem suspicor, supra num. 40 memoratum : solent enim barbara illa nomina varie a scriptoribus, diversæ præsertim nationis, exarari, ac sæpe dimidiari. Et dictus est fortassis* Inguon et Bruningwon : *unde* Prinnihlawga *detortum. Ita qui in historia de conversione Boiorum et Carentanorum* Prinuina a Moymaro Duce Moravorum exulatus; *is apud Megiserum et alios* Bryno *appellatur, atque ab eo* Bryna, *sive* Bruna, *urbs Moraviæ dicta creditur.*

*Inguon plebem Christianam epulo honorat, notatis Proceribus; idem Prinnihlaunga, sive Bruningwon.*

50 *Ea si probetur conjectura, augurari et illud licebit, qui ei videtur successisse,* Ceinciam *esse* Domitianum *nostrum, qui et* Tuitianus *dicitur, et fortassis duriore aliquo vocabulo a gentilibus suis nuncupatus fuit, quod deinde propinquior ille scriptor* Ceincias *dixerit, posteri* Tuitianus, *ac dein* Domitianus. *Quid si non* C Ceincias, *sed* Tuicias *scriptum, unde* Tuicianus *vel* Tuitianus? *Facilis enim litterarum mutatio, ut* T *in* C *transeat,* ui *in* in. *Omnino certe ad hoc tempus referendus videtur Divus hic noster, non, ut Lazius lib. 6 de migrationibus gentium, et Megiserus voluere, post Baldricum, circiter annum* DCCCXXVIII, *tempore Ludovici Pii. Et verisimile est a* S. Modesto *Episcopo baptismu suscepisse, interque illos fuisse Principes de quibus in Vita S. Virgilii :* O quanta Principum, cujuscumque religionis, obviam illi cum pompa procedentium exultatio ! *atque inter eos, in quorum manus Arno et Geroldus, supra num. 39 dedisse* Theodoricum *Episcopum narrantur.*

*post eum B. Domitianus;*

51 *Diversa ab iis quæ citato de migrationibus libro, scribit Lazius lib. 12 Commentarior. reip Romanæ, sect. 6 cap. 5. et sententiæ nostræ propiora, haud tamen satis probata, videlicet,* Waldcunonem Ducem, in Christianismo Domitianum nominatum esse, et non solum ad fidem doctrinamque salubrem suscipiendam inductum *esse a Modesto Episcopo,* verum etiam ut duo maxima in Carnorum agro templa poneret, in ruinis municipiorum quondam Romanorum, Solvensi videlicet Colonia, et Millestatuis. *Ac deinde repetit,* Domitianum Ducem B. Modesti Apostoli ductu et templum posuisse et Episcopii Sedem. *Verum jam ante ex Vita S. Virgilii retulimus, imperante* D *etiam tum Carantanis Chetimara obiisse Modestum Ep. Neque, antequam Arno provinciam lustraret, gentem universam esse conversam, quod tamen per B. Domitianum factum traditur. At cum Lazius utroque loco Inguonis historiam ex Ænea Silvio referat ac probet, si Domitianus Waltcuno fuit, certe hic non nisi rusticanam plebem convertisse dicendus erit, nobilitate adhuc errores gentilitios retinente ac tuente. Rexit igitur Carinthiam Domitianus Caroli Magni Imperatoris temporibus, paullo ante annum* DCCC *et aliquo deinceps spatio. Ita non ex vano licet, omnibus perpensis pronuntiare.*

*non idem qui Waltcuno, nec S. Modesto Ep. Sedem tantum Dux posuit.*

*AUCTORE J. B.*

## § VII. *B. Domitiani inauguratio. Gesta alia, et miracula, a quo descripta?*

A*d nostram firmandam de B. Domitiani ætate opinionem, Lazii labefactandam, facit plurimum ipsiusmet Lazii alia conjectura, Megisero quoque probata : primum illum fortassis ea solemnitate, quam citatus ante Silvius Picolomineus refert, inauguratum fuisse in Ducem Carnorum. Ita ille lib. 6 de migrat. gent. pag. 161. Nos quia illud Picolominei opus non vidimus, ritum illum, ad B. Domitiani gesta spectantem, ex ipso Lazio, sed illius verbis eum referente, describemus. Ita* E *ergo habet et citato Commentar. Reip. Rom. lib. 12 et 6 de migrationibus gentium :*

*Inauguratus B. Domitianus, ritu a posteris retento :*

53 Imperium Carinthiæ Australes obtinent, et Archiducem appellant cui ea regio paret. Quoties novus Princeps Reip. gubernationem init, solemnitatem nusquam alibi auditam observant. Non longe ab oppido S. Viti, in valle spatiosa, vetustæ civitatis reliquiæ visuntur, cujus nomen temporis abolevit antiquitas. Juxta in pratis late patentibus marmoreus lapis erectus est. Hunc rusticus ascendit, cui per successionem stirpis id officium hæreditario jure debetur : a dextra bos macer nigri coloris adstat, ad sinistram pari macie deformis equa : frequens circa eum populus et omnis rustica turma. Tum Princeps ex adversa pratorum parte procedit : purpurati ejus Proceres ambiunt. Vexillum ante ipsum et insignia principatus, Comes Goritiæ, qui Palatii curam gerit, inter duodecim minora vexilla præcurrit : reliqui magistratus sequuntur. Nemo in eo comitatu non dignus honore videtur, nisi Princeps, præ se ipse rustici speciem ferens : agrestis ei vestis, agrestis pileus, calceusque, et baculus in manu gestatus pastorem ostendit. Quem postquam rusti- F cus ex lapide venientem conspicatus est, sermone Sclavico (sunt enim ipsi Carinthiani Sclavi) Quis hic est, inclamat, cujus tam superbum incessum video? Respondent circumstantes, Principem terræ advenire. Tum ille : Justusne Judex est, salutem patriæ quærens? liberæ conditionis, dignus honore? estne Christianæ cultor fidei et defensor? Respondent omnes. Est, et erit. Rursus ille : Quo me jure ab hac sede dimovebit? At Goritiæ Comes, LX denariis abs te, inquit, locus emitur. Jumenta hæc tua erunt; bovem atque equam ostendens. Vestimenta quoque Principis, quæ paullo ante exuit, accipies. Eritque domus tua libera et absque tributo. Quibus dictis, rusticus levi alapa Principi data, bonum Judicem esse jubet : et surgens, jumentaque secum adducens, loco cedit.

*quo saxeum in prato tribunal, a rustico insessum, novus Princeps, rusticano habitu indutus, emitque, monitusque ut justitiam et fidem servet,*

54 Princeps vero conscenso lapide, nudum gladium manu vibrans, ad omnem se partem convertit, æquum judicium populo promittens. Ferunt et aquam frigidam, rustico allatam pileo, bibere, tamquam vini usum damnet. Deinde ad ecclesiam Soliensem pergit, quæ in propinquo tumulo sita est, S. Petri vocabulum habens, et olim pontificalis fuisse dicitur : ubi peractis sacrificiis Princeps rustica

*id conscendit; ac post sacra et epulas,*

*AUCTORE J. B.*

*jus dicit.*

A tica indumenta deponit, paludamentumque induit : convivatusque splendide cum Proceribus, in prata revertitur : ibique pro tribunali sedens, jus petentibus dicit, et feuda confert. *Dein subjuncta, quam prius retulimus, Inguonis historia, hoc epiphonemate concludit Picolomineus :* Hinc honos investiendi Principis rusticitati datus. *Etiam postremi Duces Carinthiæ,* Carolus *et* Ferdinandus II *ad saxeum illud tribunal (non marmoreum, uti apud Lazium et Megiserum Picolomineus scribit) inaugurati sunt : omissis tamen cæremoniis rustici cultus ac alapæ; quia fortassis tantam popularitatem tempora non patiebantur, multorum aversis a Deo et Principe per hæresim animis : sed dederunt Proceribus litteras, quas* Reversales *vocant et declaraverant nihil se de eorum privilegiis derogatum velle.* Ferdinandus III *possessionem capessivit per principem Eggenbergium Joannem Udalricum.*

*inscriptum olim tribunali nomen* Domitiani

55 *Adfuerit ei convivio, quod Inguon instruxerat, Domitianus, ejus sive filius sive agnatus, sed, quia Christianus, inter rusticos : quod ne probro esset, sanxerit vel Inguon vel ipsemet suscepturus administrationem, ut ritus ille solennis esset ad posteros.* Supersunt adhuc in campo, *inquit Lazius Commentarior reip. Rom. libro citato, pag.* 1037, tribunalis lapidei fragmenta, ubi inaugurari Dux, et dicere populis jura B solebat. *Additque, se cuncta diligentius perscrutantem,* postremo in saxo, a tribunali illo vetustate deciso, Domitiani ipsius Principis Christiani Carnorum inscriptionem reperisse ; *ut litteris antiquissimis, ut lib.* 6 *de migrat. gent monet.*

*Theodorico Ep. Sedem fundat*

56 *Quod Episcopi Sedem posuisse B. Domitianum tradunt, haud equidem abnuerim : at non ea Modesto Episcopo, sed* Theodorico *potius videtur posita; eo tamen fortassis loco, ubi antea Modestus domicilium habuerat, at nunc præpositura* D. Virginis *in Solio est, vulgo* Saal. *Quod Solvense esse, memoratum Plinio lib.* 3 *cap.* 24 *oppidum Noricorum, in Notitia Imperii sub Duce provinciæ Valeriæ,* Solva *appellatum, videtur Lazio. Nam* quas hodie ruinas amplissimas, *inquit lib.* 12 *citato,* Divæ Virginis præpositure in Solio junctas, vulgo Liburniam vocant, ego Solvensis illius Romanæ coloniæ vestigia esse adsero. Nam et ager proximus Solvensis, adhuc vulgo IN SOLFELDT, et... templum in colle editiore ruderum antiquorum positum, Divæ Virginis in Solio nominatur. *atque hoc esse templum, in quo sacris assistere Ducem die inaugurationis oportet, ait Megiserus, quod Æneas* C *Silvius supra* S. Petri *vocabat. Porro regnum isthic* et religionis et Principis exinde loco semper et in multa secula mansisse *scribit Lazius : sed fatetur se hujus Sedis Antistites, qui post ea tempora sederint, invenire non potuisse : episcopatum deinde Gurbium translatum.* Instituit *certe quidem S. Gebehardus Salisburgensis Archiepiscopus, ut in ejus Vita,* XVI *Junii, dicetur,* Sedem Episcopalem intra Carinthiam, in

*in Solvensi urbe,*

*quæ Gurcum postea translata*

loco Gurca dicto, ubi prius fuerat cœnobium sanctimonialium, cui præfecit et consecravit Episcopum Guntherum II Nonas Martii, anno Incarnationis Domini CIↃLXXII. *Sita est Gurca, sive Gurcum, aut Gurbium, ad cognominem fluvium, qui et Strasburgum alluit, exiguum oppidum ad pedem jacens editi montis, cujus in vertice arx est, Gurcensis Episcopi domicilium; Præposito Gurci commorante : ut videre est apud Mattheum Merianum.*

*mille statuæ Milstadii quando positæ? possunt stetisse ad ejus ætatem, ut Romæ Pantheon,*

57 *Quas vero statuas mille, a S. Domitiano dirutas tradunt, a colonis antea in fano gentili adoratas, quæ Millestadio oppido nomen fecerunt; eas oportet vel a Romanis illic positas, vel potius ab Illyriis loci habitatoribus, priusquam ea loca Romani subjugarent. Latinum enim nomen est, et a Romanis, non Sclavis factum. Porro si deorum erant statuæ, sive mille, seu saltem multæ, miretur quispiam, usque ad tempora Caroli Magni stetisse; neque dum Christiana quinto* D *seculo effloresceret religio, dejectas esse. Quasi non ejusmodi impietatis monumenta semper reperiant vel artis admiratores vel vetustatis. Si Romæ stetit Pantheon ultra S. Gregorii tempora, clausum quidem fortassis, at non expiatum tamen ac vero sacratum numini; an mirum illuderit in longinqua provincia, semper fere Gentilium incursionibus exposita? Si in media Italia, in cacumine Cassini montis, S. Benedicti ætate,* vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more Gentilium, a stulto rusticorum populo Apollo colebatur : circumquaque etiam in cultu dæmonum luci succreverant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificiis sacrilegis insudabat, *uti S. Gregorius in ejus Vita* XXI *Martii testatur; cur non in Norico potuerunt similia et fana et simulacra et sacrificia non omnino fuisse exterminata? In hac ipsa urbe religiosissima, in qua scribimus, evulsa stirpitus jam a mille annis idololatria, nonne supra portam burgi veteris juxta publicum carcerem, Priapi visitur saxea effigies, truncata quidem illa et deturpata, ne turpior integra esset? Nonne pari neglectu Christianorum, permanere illæ statuæ potuere atque a Sclavis postea coli? Non asseveramus tamen, licet a mille statuis factum loco nomen esse constaret, omnes aut aliquas ad B. Domitiani ætatem stetisse; sed fieri potuisse,* E *quod omnes factum tradunt.*

*in Casino fanum cultusque Appollinis.*

*Antverpiæ Priapus.*

*B. Domitiani bella :*

58 *Multa quidem B. Domitianum adversus Hunnos, perpetuos Sclavorum hostes, bella commisisse certum est : multos domi, ad excidendas superstitiones, morum immanitatem suæ gentis edomandam, Christi plantandam fidem, sustinuisse labores : at nihil horum mandatum litteris occepimus. Nam quod Megiserus, adversus Ratislaum, Brynonem, ac Hezelonem, Moravorum Duces, una cum Ratbodo, expeditionem suscepisse Domitianum scribit, haud satis persuadet cum et Domitiano posterior ætate Ratbodus fuerit, neque Domitiani meminerit, quem citat, Aventinus; qui tamen* Priuninæ *a Moymaro Duce Moravorum proscripti historiam suo more pervertit, cum purius narrata extet in historia de conversione Boiorum et Carentanorum, tomo primo scriptorum Francicorum Chesnæi.*

*gesta pauca ac miracula*

59 *Quæ certa extant de converso per B. Domitianum populo, constructaque ecclesia; reliquiis ejus inventis ac translatis, et plurimis ad eas patratis miraculis, ea ab monacho Milstatensi in commentarios succincte relata, sed fideliter. Ipse se in cœnobio Milstatensi vixisse testatur, cum num. 9 scribit :* Erat etiam unus de Fratribus in claustro nostræ congregationis. F *Et in miraculis :* Quidam scholaris Ecclesiæ nostræ. *Quamquam quæri posset, unusne et idem Miracula et Vitam scripserit. Nam qui Miracula, is non solum num.* 20 *quædam memorat anno Christi* CIↃCCLXXIII, *sed et num.* 22 *ann.* CIↃCCXCVIII *gesta, ut post annum* CIↃCCC *scripsisse necesse sit. Prior vero de Ottone Abbate loquens, (quem ei cœnobio præfuisse tradit* post non multum temporis, *quam in vacuo B. Domitiani tumulo sepultus erat Hardwicus Comes, Arbonis Palatini, anno* CIↃCII *mortui, nepos, sive, ut ex Lazio supra relatum est, circiter annum* CIↃCCXI. *ait inventas esse B. Domitiani reliquias* a prædicto Abbate et aliis Fratribus, quorum major pars adhuc manet. *Nisi quis velit ab eodem translationem illam ac priora miracula fortassis circa annum Christi* CIↃCCLXX *aut* CIↃCCLXXX *exarata fuisse; posteriora miracula annis* XX *aut* XXX *post prius editum scriptum.*

*descripta a monacho Milstatensi,*

*aut forte duobus,*

*sed fide optima*

60 *Ceterum qua fide ea narret, et unde acceperit, indicat ipse num.* 1. Mediante veritate, quæ Christus est, *inquit,* disserere volumus partim ea quæ scriptis, tum etiam quæ a prædecessoribus et majoribus nostris accepimus. *Et num.* 5. Hæc itaque fama celebris usque ad nos perlata est ab hominibus, qui hæc viderunt et interfuerunt. *Miracula vero pleraque ita*

A *ita narrat, quasi se præsente gesta, aut ab oculatis testibus sibi narrata.*

61 *Hæc vero nos ab annis compluribus Græcio accepimus a Philippo Alegambe nostro, quæ descripta aiebat e tabellis in Milstadiensi templo appensis: alia vero sibi ab iis qui Milstadii habitarant, communicata.*

## VITA. TRANSLATIO I ET II,
### auctore Milstatensi monacho.

Universis in Christo fideliter credentibus, et merita B. Domitiani quam præclara scire volentibus, inquantum valemus, mediante veritate, quæ Christus est, disserere volumus, partim ea quæ scriptis tum etiam quæ a prædecessoribus et majoribus nostris accepimus. Constat itaque B. Domitianum Ducem quondam Quarantanæ terræ extitisse, ut in epitaphio tumbæ illius in lapide ita exaratum invenimus. *a* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Hic requiescit B. Domitianus Dux, primus fundator huius Ecclesiæ, qui convertit istum populum ad Christianitatem ab infidelitate. Ad hæc sub quo tempore conversatus fuit, ibidem continebatur: sed negligentia et vitio antiquorum abolita sunt.

*a S. Domitiani epitaphium.*

B 2 Hic cum baptizatus a sancto Episcopo Ruperto fuisset, ut quidam asserunt, sive ab aliquo successorum suorum, quibus magis *b* favemus; locum adiit Milstatensem, et culturam illic dæmonum non modicam invenit, quemadmodum etymologia nominis loci illius liquido ostendit; Milstat enim a mille statuis nomen accepit, quas ibidem populus errore delusus antiquo coluit: quas ille felix exemplo *c* Bonifacii Papæ, destruxit; et eliminata omni spurcitia dæmonum, ecclesiam, quæ primitus mille dæmonibus fuit addicta, in honorem omnium Sanctorum postmodum consecrari fecit. Qui cum bona conversatione et felici consummatione cursum vitæ suæ, prout merita ipsius declarant, sine querela coram Deo et hominibus explens, juxta majorem ecclesiam est reconditus. Cujus sacrum corpus non multo post sancta posteritas, ex more recepto singulis sabbatis cum cereis et oblationibus ad vesperum excubias ad ipsius sepulchrum celebrante, et complures diversas corporum sanitates ibidem consequenter est venerata.

*b Is Milstatii idolis eversis,*

*c templum Sanctis dicat,*

*ibique sepultus, cereis et donariis honoratur,*

*a Deo miraculis:*

3 Transacto autem multo tempore quidam Palatinus de Bavaria, *d* Arbo nomine, ad quem pertinebat omne pene prædium quod circa Milstad situm est, qui et fundator monachorum ordinis S. Benedicti primus illic esse cœpit, hic quosdam de parentela sua jam defunctos, ausu temerario in prædictam ædem tumulare præsumpsit; et per hoc omnem gratiam miraculorum ademit.

*quæ, seculari in ecclesia sepulto, cessant.* *d*

C

4 Unde quidam Abbas, nomine Martinus Dautus; propterea non modice commotus, reliquias B. Domitiani ab illo loco in alium honestiorem, meritis illius condignum, videlicet juxta principale altare, collocare putavit: et veneratione appropians condigna, tumulum multo opere constructum, magno labore aperuit. Nam mirum in modum, dum ossa illa sancta levarentur, et *e* urceo novo imponerentur, columba cælitus descendens visa est in summitate urcei illius consedere; quousque terræ altius infossa, in murum sacrarii reconderentur.

*Reliquiæ elevantur,*

*columba thecæ insidente.* *e*

5 His transactis nec aliquas virtutes curationum operatus est. Evoluto autem aliquo tempore, quidam Comes, nomine Herdwicus, præfati nepos Arbonis, interficitur, et in tumulum B. Domitiani, quod jam vacuum erat, corpus ejus ponitur: quod nocte proxima ejicitur, et longe extra tumulum reperitur, et merito: quæ enim participatio luci ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? Hæc itaque fama celebris usque ad nos perlata est ab hominibus qui hæc viderunt et interfuerunt.

*profanum cadaver e veteri ejus tumulo rejectum*

D

*AUCTORE MONACHO MILSTATENSI.*

6 Post non multum temporis Abbas quidam, nomine Otto, vir strenuus et religiosus, habens in congregatione sua centum et quinquaginta homines spirituales. Hujus diebus dum fundamenta monasterii majoris jacerent, post combustionem prioris, tunc ex improviso reliquiæ B. Domitiani et Mariæ uxoris ejus, et ossa cujusdam infantuli simul inventa sunt a prædicto Abbate et aliis Fratribus, quorum major pars adhuc manet, et *f* sigillum juxta, habens imaginem Ducis in throno sedentis, gladium in manu tenentis. Ad hæc superscriptio: Beatus Domitianus Dux Fundator huius Ecclesiæ. ex altera autem parte: Hæ sunt reliquiæ Mariæ uxoris eius. Quis vero puer fuerit usque huc ignoratum est. Sed hoc probatur, quia tanta pollent sanctitate reliquiæ illæ, quod nuper quædam infantula cæca, habens albuginem in oculo,...... delibuta esse, statim clare videre cœpit. Prædictus Abbas dum præsens inventioni reliquiarum harum fuisset, fertur quasi spiritu prophetiæ ita prædixisse: Novimus B. Domitianum, et luce clarius constat, licet a majoribus nostris non canonizatum, tamen multis sæpe signis a Domino illustratum: idcirco mihi sanum videtur concilium, ex quo, nutu Dei, ossa ista sancta de locis suis mota sint, ne iterum terræ recondantur, sed in sacrario in honestum locum ponantur, et condigno ab omnibus privato honore venerentur. Quis scit si tempore sibi congruente opera Dei manifestentur in illis?

*Monasterium comburitur: construitur novum.*

*f*

*BB Domitiani, Mariæ uxoris, et infantis reliquiæ inventæ, oculi albuginem sanant:*

*transferuntur in sacrarium:*

E

7 Quo facto multis annis usque ad nos ibidem permanserunt; donec omnibus in neglectum venirent, et pro nihilo æstimarentur. Accidit autem postea, quod grando percutiens omnem circa Milstad regionem ita vastaret, quod ad ultimam pene miseriam monachos redigeret. Quod illos ita cautos et providos reddiderat, ut imminente postea periculo grandinis, eisdem exportatis reliquiis, omnis illa aeris indignatio ita sedata est, quod nullum alicujus vestigium tempestatis considerari possit.

*arcent grandinem:*

*tempestates sedant:*

8 Cum quadam die quidam monachus infirmitatem habens renum per tres menses, cum accederet, et præfatas reliquias in humeros suos levaret, statim sine mora ab infirmitate convaluit.

*ægrum sanant:*

9 Erat etiam unus de Fratribus in claustro *g* nostræ congregationis, qui raro aut nunquam de ecclesia orando aut geniculando egrediebatur: cumque quadam nocte remanens in ecclesia, ac summo labore fatigatus more suo, jamque sæpe ad dictas reliquias provolutus jaceret, vidit subito totam ecclesiam immenso lumine fulgere, et virum magnæ claritatis ad caput ipsius stare, et illi dicere: Care Frater, non adhortaris istam congregationem, ut circa nostras reliquias se diligentius et devotius exhibeant, unde cumulum non exigui commodi possint habere? Nimirum si solito neglexerint, omnem in temporalibus defectum sustinebunt. Mane autem facto, conventui visionem hanc et Fratribus retulit: quam quidam fideliter credentes, gratias Deo egere; alii illum utpote delirum et incompotem, non se visionem sed potius illusionem vidisse. Nam et moniales ipsius loci multum credulæ, quarum quædam in infirmitate, etiam in articulo mortis constitutæ, dum vota sua eisdem Sanctis persolverunt, continuo melius habere cœperunt. Et ita multis modis merita et beneficia reliquiarum illarum declarabantur: sed ne aliquibus ista probro vel derisui fierent, usque modo occultabantur. Hæc hactenus: nunc vero tam manifesta et tam crebra jam contigerunt; ut etiam hominibus tacentibus, ipsa miracula quod verum est clament.

*g*

*monitu S. Domitiani, monacho ad eas oranti apparentis,*

F

*magis honorantur:*

*ægros sanant*

a *Wolfgangus Lazius lib. 6 de migrat. gentium pag. 161 Sarcophagum B. Domitiani repertum ait ab Ottone Abbate, cum tali inscriptione* Domitianus Dux Noricorum et Carentanorum cum uxore Maria Meraniensi primus fundator hujus ecclesiæ, qui convertit

*Auctore monacho Milstatensi.*

A vertit istum populum ad Christianitatem ab Infidelitate. *At videtur ea inscriptio interpolata; cum in MS. est, sim error.* — b *Ostendimus enim supra, facile* 140 *annis post* S. Ruperti *mortem videri baptizatum esse B. Domitianum.* — c Bonifacius IV *Papa sedit a* 18 *Sept.* 607 *usque ad* 25 *(vel, ut alii,* 8) *Maii* 614. *Hic, ut habetur in libro de Romanis Pontificibus,* petiit a Phocate Principe templum, quod appellatur Pantheon: in quo fecit ecclesiam S. Mariæ semper Virginis, et omnium Martyrum. — d *De* Arbonis *hujus sive* Erbonis, *ut alii appellant, vitate et nobilitate egimus* § 1 *num.* 3. — e Viceus *hic pro sepulchro, aut thera positum.* — f *Lazius, nulla facta sigilli mentione, scribit,* ibi et imaginem ejus repertam esse, Ducis videlicet in throno sedentis, et gladium manu tenentis: hæc in ædicula juxta majorem ecclesiam extare. *Duæ sunt in cœmiterio, ad Chori latus, ædiculæ, seu sacella: unum Corporis Christi; et in illud patet e templo ingressus: alterum sacellum erat D. Virgini, nunc sacrarium e latere templi majoris. Existimatur in eo tumulatus fuisse* B. Domitianus, *in majus templum postea translatus a Benedictinis. In eodem sacello Georgiani Equites professionem emittebant, novos Milites investiebant aliaque munia obibant. Ipsum vero majus templum dedicatum fuit Salvatori, cujus statua in summo altari stetit, nunc, eo diruto applicata ad murum e regione Cathedræ. Erat et supra portam mediam templi, in lapide incisa Salvatoris effigies, ac Conradi Abbatis, habitu Benedictino insignis, humili gestu ecclesiam itidem sculptam et præsentantis. Supra portam quoque cœmiterii picta est Salvatoris imago, media inter S. Georgium ac B. Domitianum. At monasterium ipsum fertur dicatum fuisse omnibus Sanctis: unde ex Præpositi cujusdam provincialis præscripto Kalendis Novembris, ut de Patronis peragitur Officium. Dedicatio vero templi* XVIII *Octobris recolitur.* — g *Hinc patet, scriptorem hunc monachum Milstatensem fuisse.*

*B. Domitiani imago.*

*duplex Milstadii ædicula,*

*juxta templum Salvatori dicatum*

*et omnibus Sanctis.*

# MIRACULA B. DOMITIANI.

*a Ad reliquias B. Domitiani curati anno 1181*

*b paralytica,*

B Anno millesimo centesimo octuagesimo primo, quo Deus omnipotens gratiam pietatis suæ dignatus est manifestare in reliquiis *a* S. Virgilii et sociorum ejus in Salceburga, præsidente Domino Papa Alexandro III, regnante Friderico I Imperatore, et Domino *b* Conrado Archiepiscopo et Domino Udalrico Abbate in Milstad; quædam mulier paralytica annis tribus, venit, per visum admonita, ad tumbam B. Domitiani per manus amicorum delata et superposita, quæ continuo sanitatem est consecuta.

*cæca et surda, 3 claudi,*

*herniosus,*

10 Secundo puella etiam de Rottenstain arida, cæca, surda, ibidem sanitatem recepit. Tres claudi, unus de Kirchain, alter de Griffen, tertius de Circaniz, officio pedum suorum sunt restituti. De claustro quidam Frater, sicut multis innotuit, fractis et effusis jam intestinis, subito mire reintegratus est.

*insanus, ob blasphemiam punitus, 2 muti, claudus, surdus,*

11 Textor quidam dicens monachos hæc omnia facere ad deceptionem, qui statim aliena loqui cœpit et insanire, ad tumbam S. Domitiani ductus, orationibus sanatus est. Mulier de Falcanstain, octo annis muta, loqui incepit. Quidam Simeck nihil audiens, auditum recepit. Quidam claudus de Malten, recte ambulare meruit. Duo viri de Hungaria,
C unus mutus, alter nihil audiens, sanati. Mulier de Rassa, ob infirmitatem nihil valens loqui jam per sex annos, loqui cœpit.

*naufragus liberatus,*

12 Rusticus de Friebergo fluvium exundantem transire dum vellet, procella impellitur et ad ima suffocatur: qui dum nomen S. Domitiani invocat, de profundo eripitur, etiam in aridam deponitur. Duæ mulieres de Deloch, una contracta manu sanatur, altera cæca illuminatur. Mulier de Cilla cæca et nihil audiens; ex utraque infirmitate sanatur. Mulier de Karst, in plaustro advecta et contracta, pedibus propriis in sua remeat. De Gurniz mulier cæca illuminata est. Infantula de S. Georgio in Carniola contractis cruribus, erigitur. Puella de Loffe, manus habens elephantiosas, sanata est. Uxor Domini de Friberge, quæ diu surda erat, audire meruit.

*3 contracti, 3 cæcæ, 2 surdæ,*

*elephantiaca,*

*c 5 cæci, 2 surdi, debilis, 3 claudi, 4 paralytici,*

13 Rusticus de *c* Civitate quæ est in Foro Julio cæcus, visum recepit. Puer de Mihldorff septem annorum nullum pedum officium habens, ire cœpit: De Treus alius auditui suo redditur. Puella de Celchak cæca illuminatur. Pueri duo, unus de Grazlau, alter de Celsach, ex toto clauli, sanati sunt. Puella de Cilla ex toto clauda sanata est. De Pinzrau mulier ex multo tempore cæca, lumen recepit. Tres paralytici, dum se venire ad tumbam B. Domitiani D devovent, confestim sanitatem consecuti sunt. Rusticus unus de Tigrich, de cæcitate et surditate liberatur. Mulier de Ratentein non solum monocula, sed etiam media pars corporis ejus paralysi destructa, de utroque convaluit. Quidam de Vilaco, septem annis nihil videns, nube oculorum depulsa clare videre meruit. Quædam mulier de Felden contractis manibus erigitur.

*contracta,*

*5 cæci, 4 surdi, 3 monoculi, 2 muti.*

14 Postea in festo S. Michaelis quatuordecim signa contigerunt, adstantibus usque trecentis hominibus, in quinque cæcis, quatuor surdis, tribus monoculis, et duobus mutis. Deinde die natalis Domini sepulchrum S. Domitiani cœlesti lumine ita resplenduit, ut multi stupefacti illud succensum crederent. In Pentecostes vero columba cœlitus descendens tumbam illius multis cernentibus visa est intrasse. Fur dum peregrinis S. Domitiani saccum in ecclesia cum pane et aliis necessariis diripuit, dum jannam monasterii exire nititur, ab omnibus immobilis et fixus stare cernitur. Mulier obolum de Friesach ad sepulchrum allatum dum desuper pyxidi immittit, cœlitus repulsus resiliit. Caseus etiam a quodam oblatus dum ab uno furatur, domum suam non intrare permittitur, donec illum reportare co- E gatur.

*Sepulchrum collustratum; dein columba intrante,*

*sacrilegi puniti.*

*d curati 5 contracti, 3 cæci, paralyticus,*

15 Tres contracti, solis manibus et genibus reptantes, unus de Falkenstein, alter de Solio, alius de *d* Tergestina civitate, gratia Dei et S. Domitiani eriguntur. De Freiberg cæca meruit videre. De Viltring mulier manu contracta sanatur. De Friesach mulier illuminatur. De Leibach vir, qui vermibus plenus scatebat, et paralysi contractus, divinitus sanatur. Item juvenis de Leibach manum habens contractam, redintegratur. Et mulier de eodem territorio cæca, videns restituitur.

*2 muti,*

*2 leprosi,*

16 De Ponte S. Stephani vir mutus duodecim annis, per gratiam Dei et S. Domitiani lingua resoluta loqui cœpit. Item mulier de Triesach muta, eamdem gratiam consecuta est per misericordiam Dei et S. Domitiani. de S. Ægidio apud Gurus puella jam lepræ addicta, ita ut ab hominibus separari deberet; quæ cum ad tumbam B. Domitiani veniret, in reditu ita liberata est, ut ei omnes communicarent. Postea scholaris unus de Charintia, jam lepra perfusus, et abominabatur ab omnibus, per gratiam Dei omnipotentis et S. Domitiani perfecte mundatus est.

*2 energumenæ.*

17 Modernis vero temporibus monialis quædam F hic de claustro, nomine Kunegundis, filia Domini Dietmari Militis de Gurk, cognomento Biel, ita a dæmonibus dure vexabatur, quod etiam inter ceteras vexationes et insanias, quæ præ multitudine et diuturnitate enumerari non possunt, currere visa est veloci cursu tamquam cattus in summitate tectorum monalium ejusdem claustri; per gratiam Dei et suffragio prænscriptarum reliquiarum, plane et perfecte sanata. Item monialis de claustro, nomine Bigel, et multo tempore a dæmone vexata, per gratiam B. Domitiani sanata est.

*plusquam 220 miracula facta. Croata contractus curatus:*

18 Quid plura? Omnia pene miracula, quæ Christus temporaliter hominibus in ægrotis corporibus dignatus est ostendere, per reliquias S. Domitiani sociorumque ejus in Milstad contigerunt, excepto quod corpora mortuorum non sint excitata. Possumus etiam fateri sub testimonio veritatis, quod plus quam ducenta viginti miracula ad tumbam S. Domitiani patrata sunt. Nam in occulto signa perpauca fecit, sed omnia mixte in manifesto. Verumtamen et quanto major popularium conventio, tanto uberior facta est virtutum operatio. Quidam etiam de Croatia contractus et nullum officium pedum habens, cum ex industria et fide amicorum suorum ad tumbam B. Domitiani

A B. Domitiani fuisset delatus, et ibidem vota sua protrahendo de die usque ad noctem persolvens, intra matutinas adeo clamabat et vociferabatur ex erectione compagum atque nervorum suorum, quod Fratres ipsius monasterii certatim currendo et considerando, quisnam esset ita insolitus et ingens clamor, ut relinquerent illa hora prædictas matutinas imperfectas : visis vero signis et virtutibus, quæ per merita prædictarum reliquiarum factæ fuerant, ipsi Fratres cum compulsatione omnium signorum, decantaverunt cum devotione non modica, Te Deum laudamus, et alios cantus convenientes his eventibus. Mane autem facto, et celebratis Missarum solennibus, facta est specialis processio, quam idem qui sanatus fuerat præcedendo comitabatur laudans et glorificans Deum et B. Domitianum.

*surdus :*

19 Sacerdos quidam, nomine Henricus, cognomento Falsich, ex familia Ecclesiæ Milstadiensis, ita obsurduerat, quod non solum confabulationes hominum, verum etiam signorum sonum minime audiret : cum vota sua cum suspiriis circa reliquias B. Domitiani persolveret, et inde recederet eodem itinere ; cum fere ad mediam pervenisset curiam, non solum sonum campanarum, sed etiam confabu-
B lationes perfecte audire meruit.

*e infirmus,*

20 Scholaris quidam, nomine Rudolphus Wetz, filius Conradi ejusdem cognomenti ; a festo S. Georgii laborans in infirmitate gravi, usque ad festum S. Jacobi e quod est in messe, intantum quod etiam ex gravissima debilitate, incessu pedum omnino careret, a patre suo Conrado in ulnis fideliter ad monumentum B. Domitiani est delatus : et cum vota sua cum singultu et gemitu persolvisset, et Missam, quam comparaverant, pater et filius devote audierunt, confestim melius habere cœpit : et cum patre propriis pedibus, verumtamen modicum adjutus, ad domum parentum suorum remeabat : qui postmodum factus est monachus ejusdem loci, et militando ibidem Deo bene ad annos 30, factus est Abbas anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio, præsidente Domino Papa, qui celebravit concilium f Lugdunense ; et instituit dari decimam in subsidium terræ sanctæ, regnante g Domino Friderico Archiepiscopo, in die S. Bartholomæi ; et sedit in Abbatia annis sex, excepto mense uno. Cum autem resignasset Abbatiam, circa triennium iterum patiebatur dolorem inexistimabilem, habens apostema in collo ; et per hoc sibi inflationes nimiæ accreverant, intan-
C tum quod jam fere desperatum fuisset a pluribus de curatione sua ; cum idem Dominus Rudolphus, quondam Abbas, cum sincero cordis affectu, iterato vota sua ad tumbam B. Domitiani devote persolveret, et Missas votivas ibidem celebrari procuraret ; eodem die de infirmitate præscripta per gratiam Dei et B. Domitiani convaluit.

*qui dein Abbas an. 1273,*

*post alio dolore liberatus ;*

*alius epilepsia :*

21 Subdiaconus etiam de Claustro, nomine Herdwicus, et cognomento surdus, multo tempore patiebatur morbum caducum, et exinde conventus ipsius loci non modicam sustinuit inquietudinem, quia caussa caritatis toleraverant eum commorari secum in dormitorio : tandem dierum cum nimios ululatus et rugitus tamquam brutum animal ederet, una cum grabato ab ipsis Fratribus, in quo jam amens jacebat, idem Herdwicus ad tumbam S. Domitiani est perlatus, et ibidem per immensam clementiam Dei et merita B. Domitiani, mediantibus devotis Fratrum orationibus, plene et perfecte est sanatus, et multos quos postmodum supervixit annos, numquam prædictum morbum sensit.

*alius phthisi et febri :*

22 Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, sub regimine Domini Conradi, olim Abbatis Rosacensis, quidam scholaris Ecclesiæ nostræ, Haincelo nomine, in quo intantum phthisica passio invaluit, quod ab omnibus in choro vel refectorio D
secum manentibus audiri poterat, dum anhelitum resumebat : idem etiam incidit in acutam febrim, in qua dum eum viderent piæ moniales miserabiliter laborantem, voto pro eo facto ac devote reddito, ac inter celebrationem Missæ candela ad sepulchrum B. Domitiani cremata, statim non solum a febri, sed etiam a primæva ægritudine phthisicæ passionis, in integrum liberatus. Quædam etiam nobilis matrona de Liceldorff apud Felsberg, a maligno vexata spiritu, ad tumbam B. Domitiani adducta, fuit similiter liberata.

*AUCTORE MONACHO MILSTATENSI.*

*item energumena.*

*Quidam fugitivus spectris terretur,*

23 Temporibus piæ recordationis Domini Udalrici dicti Zand, contigit quemdam scholarem, Rincherum nomine, monasticæ vitæ deputatum, compedem observantiæ regularis latenter excutere, et loca voluptatum amica noctis silentio liberiori animo quæritare. Cui malignus spiritus, qui hujusmodi vani propositi auctor extiterat, tantas phantasticas illusiones in eodem itinere ante oculos suos figurabat, ut præ nimio horrore visorum phantasmatum illius corpus maxima ægritudine raperetur, cujus animam per illiciti propositi suggestionem idem satanas infecerat : qui dum diutissime in ejusdem ægritudinis lectulo teneretur, ita ut ab omnibus amicis suis de E
convalescentia sua pene fieret desperatio, visum fuit infirmanti juveni, ut si ad sepulchrum B. Domitiani referretur, procul dubio postridie sanitatis posset consequi beneficium. Amici ergo ejusdem laborantis protinus ipsum cum eorum oblatione solenni, et intenta supplicatione ad B. Domitiani sarcophagum detulerunt ; qui in eodem momento ab omni invaletudinis vinculo est ereptus.

*ægrotat,*

*ope S. Domitiani sanatur :*

24 Cum igitur non solum de hoc miraculo, sed etiam de aliis infinitis virtutibus fama B. Domitiani longe lateque succresceret quidam sartor de h Hospitali, habens filium tam immensis doloribus detentum, ut nec de loco, in quo jacebat, moveri posset vel levari : sed cum prædictus puer præ nimia imbecillitate salva vita nequaquam duci posset, pater suus incepit implorare B. Domitianum pro pueri salute obtinenda, ad sanctum sepulchrum B. Domitiani sacrificium oblaturum spopondit : qui dum votum persolvisset, priusquam ad filium remearet, quem reliquerat exanimem, reperit incolumem.

*item alius æger,*

25 Anno primo regiminis Venerabilis Domini Udalrici quondam Abbatis, venit quædam mulier Kedsch, cui divina ultio unam manum arefecerat, oculumque excæcaverat, et totius auditus beneficium surripuit : quæ dum devotissime prostrata juxta B. F
Domitiani sepulchrum, virtutem sibi fieri exoraret ; illico omnium membrorum suorum valorem et totius corporis sanitatem consecuta est. Ejusdem anni curriculo nondum expleto, pridie Nonas Octobris venit quidam vir de Gmind, cui paralysis ab utraque lateris parte deorsum usque ad crura totam vim extinxerat intantum, ut nequaquam absque baculorum sustentaculo, nec multum nec modicum, posset ambulare : qui dum juxta tumbam B. Domitiani cereos ussisset, et voto persoluto, talem sui corporis recepit valorem, ut relictis ibidem baculis et Deum et B. Domitianum glorificans sanus ad propria remearet.

*paralytica, monocula, surda :*

*paralyticus.*

a *Wiguleus Hundius in Metropoli, tom.* I *pag.* 11 (*ex Chronico Salisburgensi, uti pag.* 302 *scribit*) Anno, *inquit,* MCLXXI Vitalis, Virgilius, Hartwicus, Pontifices Juvavienses, et Pilegrinus Pataviensis, multis miraculis clarent. *Melius scriptor Vitæ et Miraculorum S. Virgilii, qui tunc vivebat* : Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXI, XIV Indictione, XIV Kal. Martii, sub Alexandro Papa III, Apostolatus ipsius XXI et ultimo ; regnante Serenissimo Principe Friderico Romanorum Imperatore Augusto, anno regni ejus XXVIII, et conregnante sibi filio ejus Heinrico Romanorum Rege gloriosissimo, Ottone de Witelinspach inclyto Duce Bavariæ ducatum tenente ; supra memorati fabricæ monasterii, quæ schismatis persecutione conflagrante, ante aliquot annos diruta et diruenda deperierat, sumptibus et jussu præclarissimi Pastoris Chunradi Salzburgensis tunc Archiepiscopi, Apostolicæ Sedis tunc in Alemannia Legati Cardinalis Presbyteri S. Marcelli.

*Inventio S. Virgilii Ep. an.* 1181

*AUCTORE JO. EPISC. GURC.*

A S. Marcelli Sabinensis Episcopi, modo autem Moguntinensis Archipræsulis, dum a fundamentis cœpit ædificari, sancti Spiritus cooperante gratia, et Divinæ majestatis suffragrante clementia, corpus B. Virgilii, quod ob immensi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit revelari. *Brunnerus noster hanc inventionem scribit contigisse anno* 1182, *sed refellitur ex Indictione* 14, *et Alexandri III Sedis tempore; nam hic* 1181, *mense Septembri decessit: erat tamen illius tunc annus* 22, *ut qui an.* 1159 *in locum Adriani IV suffectus fuerat. Annos item Friderici quomodo supputet scriptor, non video: nam anno* 1152 *electus, anno* 1155 *Romæ coronatus fuit. Sed de his ad Vitam* S. Virgilii 27 *Novembris. De* S. Hartwico *agemus* 8 *Novembris. S. Vitalis colitur* 20 *Octobris festo duplici.* — b Conradus *Comes de Wittelsbach, Archiepiscopus Moguntinus fuit; sed cathedra deturbatus a Friderico I Imp. propterea quod Alexandro III Papæ adhæreret, Octaviano (quem Imperator intruserat) repudiato. Pari vesania, alio obtentu, Adelbertum Salisburgensi solio dejecit Fridericus, Henrico quodam intruso. Cum autem anno* 1174 *pax Pontificem inter et Imperatorem coaluit, ut* Christianus *Sedem Moguntinam retineret, quam interea favore Friderici occuparat, cautum hic voluit. At cum pro jure suo constanter instaretur Conradus, Pontifex Adelberto persuasit, ut concordiæ causa, episcopatu Salisburgensi ultro cederet, quem porro retinere irato Cæsare non posset. Annuit Adelbertus: moxque a Pontifice datus Conrado episcopatus; sed mortuo deinde Christiano, maluit Moguntiam redire, ubi plures annos vixit; Adelberto Salisburgensem solium recuperante. Pluribus isthæc narrant Brunnerus tom.* 3 *rer. Boicar. et Serarius in Moguntiacis; quæ negligenter attigit Wiguleus,* Conradum *in Cathedram Salisburgensem* intrusum *scribens.* — c Forum Julium, *vel* Forum Julii, *colonia Romana in Carnorum agro fuit, sed a Barbaris non semel eversa, postea tamen restaurata* Civitas Austriæ, *vulgo nunc* Cividad di Friuli, *vel* Cividal di Friuli *dicta.* — d Tergeste, *urbs Istriæ maritima, juris Austriaci, vulgo* Trieste. — e *Is est S. Jacobus Major, qui* XXV *Julii colitur.* — f *Gregorius* X, *concilium Lugdunense celebravit an.* 1274. — g *Hic anno* 1270
B *electus, obiit* 9 *Maii* 1284, *uti Wiguleus scribit.* — h Hospitale, *vulgo* Spital, *oppidum est non procul Milstadio, ad Liseræ in Dravum influentis ostium, e regione Ortenburgio.*

*Conradus a Wittelsbach Ep. Moguntinus, et Salisburgen.*

# TRANSLAT. III B. DOMITIANI.

*a Joannes Ep. Gurcensis*

Joannes Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Gurcensis, Sanctæ Salisburg. Ecclesiæ in spiritualibus Vicarius Generalis; Universis et singulis Christi fidelibus, ad quos præsentes pervenerint, salutem in Christo Salvatore. Superni altitudo inter multivaria suæ bonitatis dona, quibus nos ad suæ beatitudinis gratiam pervenire vult, sanctas suorum reliquias etiam materialiter apud nos alto deposito esse voluit; quatenus eorum considerata præsentia, in venerationem eorum amplius attendamus, dignaque veneratione hujusmodi, Dominus nobis suo tempore januam misericordiæ suæ per illos aperiat. Proinde credimus evenisse hoc quod Universitati nostræ præsentibus cupimus fore notum.

*venit Milstadium,*

2 Pridem namque cum ad petitionem Venerabilis in Christo Fratris nostri charissimi Christophori Abbatis Monasterii Milstatensis, Ordinis S. Benedicti, Salisburgensis Diœcesis, pro consecratione
C altarium quorumdam ipsius ecclesiæ accessissemus eamdem, pervenit ad nos, fama deferente, de reliquiis B. Domitiani Fundatoris ipsius Ecclesiæ, qualiter a populo in multa ibidem veneratione haberentur, quodque eædem quondam plurima miraculorum genera coruscassent. Et cum super eo, de loco reliquiarum inquisitionem fecissemus ipsarum diligentem, nihil certi a quoquam de hoc nobis innotuit, nisi quod reliquiæ hujusmodi, tam ipsius Domitiani quam Mariæ uxoris ejusdem, ac cujusdam pueri, multis retro actis temporibus in ipsa ecclesia inventæ, ac deinde successu temporum pluries hinc inde D ad loca diversa ipsius ecclesiæ forent translatæ: prout hoc idem tam fama populi quam scripturarum monimenta quædam latius testabantur: quodque in ipsa ecclesia ante altare S. Joannis Evangelistæ quædam esset arca ipsis reliquiis attitulata, quæ et a populo in venerationem ejusdem Domitiani multa frequentaretur devotione.

*audit de reliquiis tit. Domitiani, Mariæ uxoris, et pueri*

*eas quærit,*

3 Nos itaque intellectis præmissis, fuimus super inquisitionem reliquiarum hujusmodi ampliori desiderio excitati: dieque data, assumptis nobis cum ipso Abbate, Fratribusque dicti monasterii, necnon Capellanis nostris infra scriptis, ipsam ecclesiam, arcamque accessimus, præmissisque orationibus psalmorumque frequentiis ac cæremoniis condignis, communi deliberatione ad hoc laboravimus, conati sumus arcam hujusmodi pro inquisitione reliquiarum ipsarum aperire. Qua et multo labore aperta, invenimus, concedente Domino, in medio ipsius arcæ reliquias subnotatas, non modica diligentia ac studio inibi reconditas, bonoque odore refertas. Fuerunt autem reliquiæ, primo testa capitis cum costis, tibiis ac aliis ossibus notabilioribus, ut apparuit corporis cujusdam viri. Item testa capitis cum costis ac tibiis, aliisque ossibus corporis, ut apparuit, mulieris. Item E alia testa fracta capitis, cum quibusdam costis tibiis corporis, ut apparuit, cujusdam pueri, una cum spinis dorsorum, aliisque particulis, et minutis fragmentis corporum præscriptorum. Quibus reliquiis sic, ut præmittitur, compertis, et per nos receptis, nos illas una cum Conventu prælibato ad sacrarium ipsius ecclesiæ cum reverentia deferentes, in loco tutiori recondidimus, inibi reservandas pro venerabiliori iterum ac decentiori reconditione earumdem.

*eas invenit,*

*transfert in sacrarium.*

4 In quorum testimonium præsentes jussimus fieri litteras, nostri appensione sigilli roboratas. Data et acta sunt hæc in ipsa ecclesia monasterii Milstatensis, præsentibus ibidem dicto venerabili Abbate Christophoro, nec non religiosis et honorabilibus in Christo dilectis Nicolao Priore, Friderico, Wolffgango, Simone et Martino Presbyteris, Conrado et Mauro Diaconis, Benedicto Subdiacono, Georgio Acolytho, Fratre Andrea et Fabiano Converso, Fratribus Professis ipsius monasterii Milstat. Item Urbano de Salzburga, S. Petri ibidem, Leonardo in Peroren, ac Georgio b S. Pauli Vallis Lavant, monasteriorum ejusdem Ordinis Fratribus Professis F ac Presbyteris, nec non Gotfrido Spicken Præposito, Joanne Krelober et Nicolao Erlacher Canonicis Ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai in Strasburg nostræ Diœcesis, Presbyteris et Capellanis nostris, testibus circa præmissa. Die XXVII Junii, Anno Nativitatis Domini MCCCCXLI.

*Acta inde confecta.*

a Memini hujus Joannis *Lazius Commentarior. reip. Roman. lib.* 12 *sect.* 6 *cap.* 5, *in catalogo Epp. Gurcensium.* — b *Scribit Lazius Commentarior. reip. Rom. lib.* 12 *sect.* 6 *cap.* 3 *opulentissimum totius Carinthiæ cœnobium esse* S. Pauli, *in valle Lavantina, proximum S. Andreæ civitati, quam* Flavium *Plinii esse contendit.*

# VITA S. POLYEUCTI

## PATRIARC. CONSTANTINOP., EX GRÆCIS HIST. COLLECTA.

*J. B.*

### CAPUT I.

*S. Polyeucti publica veneratio, inauguratio contra Canones.*

*AN. CHR. CMLXX V FEBR. S. Polyeuctus Patriarcha Constantinop.*

Retulere Græci in album Sanctorum, ac publice venerantur, Polyeuctum *Patriarcham, qui imperantibus Constantino Porphyrogenito, Romano ejus filio, Nicephoro Phoca, ac Joanne Zemisce, Constantinopolitanam rexit Ecclesiam, ab anno Æræ vulgaris* DCCCCLVI *ad* DCCCCLXX, *fide orthodoxa, pietate in Deum, justitiæ zelo, studioque tuendæ Ecclesiasticæ libertatis, clarus: et si nævis fortasse quibusdam non caruit, si historicorum judicio pensare acta ejus velimus. De eo isthæc leguntur in Menæis ad* V *diem Februarii:* Eodem die commemoratio Sancti Patris nostri Polyeucti Patriarchæ Constantinopolitani.

*colitur 5 Februarii,*

A litani. *Eadem habet Maximus Episcopus Cyteræus in libro qui* Βίος Ἁγίων *inscribitur.*

2 *Illustriora ejus initia reddita sunt ob decessoris Theophylacti perditissimos mores : cujus pater Romanus Lucapenus, Constantini Porphyrogeniti socer, et ipse dein Augustus appellatus, filios tres, Christophorum, Stephanum, Constantinum ad idem fastigium evexerat, ut simul eodem tempore quinque essent Imperatores, et is quidem auctoritate infimus, qui solus legitimus Constantinus, quem diximus, Leonis Sapientis filius, Basilii Macedonis nepos. Idem porro Lucapenus Theophylactum filium, annos natum duntaxat* XVI, *et quidem spadonem, in solium patriarchale intrusit.*

*successor Theophylacti*

3 *Turpissimam Theophylacti vitam, et vitæ consentaneam mortem ita describit Georgius Cedrenus :* Annum imperante Constantino duodecimum *(post submotum videlicet tribus cum filiis Lucapenum, quod* IↃCCCCXLIV *Christi anno contigit)* die Februarii XXVII, Indictione XIV, Theophylactus Patriarcha diem suum obiit, cum ei pontificatui præfuisset annos XXIII, dies XXV. Cum enim iniret, id quod contra leges Ecclesiasticas fiebat, annos erat natus XVI, et Patriarcha sub pædagogis (pro indignam rem!) aliquamdiu egit. Quamquam utinam id perpetuum fuisset! Nam eatenus visus est modeste et cum gravitate aliqua vitam

*infamissimi hominis,*

B agere. Adultior cum jam suo arbitrio vivere permitteretur, nihil eorum quæ turpissima et omnino legibus prohibita sunt, facere omisit : gradus Ecclesiasticos et Episcoporum electiones venumdans, aliaque agens aliena veri Patriarchæ officio, insano equorum studio et venationum perditus, multaque alia indecenter committens ; quæ singulatim enarrare et inconveniens et nefas est....... Hac vitæ usus ratione interiit, ex inepta equitatione ad murum quemdam maritimum afflictus. Ex quo casu cum sanguinem vomuisset ac biennium morbo conflictatus esset, aqua intercute extinctus est. *Eadem narrant Curopalates, Joannes Zonaras, Michael Glycas, ac tandem Cardinalis Baronius tom.* 10 *ad an.* 956, § 2 *et* 3 *ex Curopalate.*

4 *Sed ad* Polyeuctum *veniamus, de quo ita Cedrenus :* Eadem Indictione, tertia Aprilis Die, in *Theophylacti* locum sufficitur Polyeuctus monachus, Constantinopoli natus et educatus, castratus a parentibus, longoque tempore monastica vita cum laude functus : Imperatore eum ob gravitatem morum et insignem sapientiam, atque paupertatis studium, eo provehente. Huic non Heracleæ, ut mos ferebat,

*antea monachus, sed spado,*

*virtute clarus,*

C sed Cæsareæ Episcopus Basilius manus imposuit : quod Nicephorus (hoc enim nomen Heracleæ Præsuli erat) quia in quadam re animum Imperatoris offendisset, non sinebatur manus imponere. Quæ res vituperationem haud vulgarem creavit, non Imperatori modo et Basilio, sed et ipsi Polyeucto, quod contra sacros Canones se ordinari passus esset. *Eadem referunt citati auctores. Sed quis Curopalatæ interpretem Gabium intelligat, scribentem, Polyeuctum* Constantini alumnum atque discipulum *fuisse; nisi in Cedreno ea sic efferrentur* τῆς Κωνσταντινουπόλεως τὸ θρέμμα τυγχάνων καὶ παίδευμα*? Quam vero fraudulenta Hieronymi Wolfii interpretatio, qui quod Zonaras scribit,* ὃς παρὰ τοῦ Καισαρείας κεχειροτόνηται, *vertit,* a Cæsariensi Episcopo electus : *ne scilicet cogatur consecrationem Episcopalem et* χειροθεσίαν *homo hæreticus admittere!*

*consecratus a Cæsariensi Ep.*

5 *Cur porro ab Heracleæ Metropolita consecrari Patriarcha Constantinopolitanus deberet, caussam ita tradit Georgius Codinus de offic. Constantinop. cap.* 20. Ordinatur vero Patriarcha ab Episcopo Heracleæ; quia Byzantium olim ad episcopatum Heracleæ spectabat. *Et plenius Theodorus Balsamon scholiis in* 2 *Canonem Concilii* II *Nicæni :* Ipsa quidem urbs Byzantina, *inquit,* Archiepiscopi honorem non habebat : sed ab Heracleæ Metropolitano Episcopus aliquando in ipsa ordinabatur. Scribitur enim, quod etiamsi esset Byzantium civitas quæ per se regeretur, sed a Severo tamen Romanorum Imperatore obsessa est, et Perinthiis subjecta : est autem Perinthus Heraclea, *et post pauca :* Quod autem hodie ordinetur sanctissimus Patriarcha Constantinopolitanus, ab eo qui est illo tempore Heracleæ Metropolitanus, non est aliunde quam ex eo quod subjecta fuerit, ut superius dictum est, Perinthiis, sive Heracleanis, Byzantina civitas. Invenitur autem in Chronico Scilitzæ, quod ordinatus est Patriarcha Stephanus Syncellus, frater Imperatoris Domini Leonis Sapientis, a Cæsareæ Archiepiscopo, quod esset præmortuus Heracleæ Archiepiscopus.



D *AUCTORE J. B.*

*cum deberet ab Heracleensi,*

*nisi quando hic mortuus erat.*

6 *Qui hic citatur a Balsamone locus e Chronico Scilitzæ, extat apud Cedrenum, nam hunc auctorem ad verbum describere Joannes Scilitzes Curopalates dicitur, neque hunc habemus nisi Latine a Joanne Baptista Gabio versum. De Leone igitur Sapiente loquens Cedrenus, postquam retulit Photium Pseudopatriarcham ab eo in Harmonianorum monasterium retrusum, ista subdit :* Κατὰ πόδας δὲ Στέφανον σύγκελλον, τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφόν, ὁ βασιλεὺς πατριάρχην προβάλλεται, ὅτι μὴ τοῖς ζῶσιν ἐνηριθμεῖτο ὁ Ἡρακλείας· ὑπὸ Θεοφάνους χειροτονηθέντα τοῦ πρωτοθρόνου. *Quod satis ridicule Gabius interpretatus :* e vestigioque Stephanum Syncellum, fratrem suum, Imperator deligit Patriarcham, quod non viveret Heracleæas a Theophano primæ Sedis delectum. *Neque multo melius Xylander :* Evestigio in ejus locum Leo fratrem suum Stephanum Syncellum ingerit : quem, quia tum Episcopus Heracleæ in vivis non erat, Theophanes præses designavit. *Ita accipe hunc locum, uti et Balsamon intellexit :* Evestigio autem Stephanum Syncellum, fratrem suum, Imperator Patriarcham designat, a primæ Sedis Metropolita Theophane, quia in vivis Heracleæ Archiepiscopus non erat, consecratum. *Nam, ut videre est in Notitia Ecclesiarum apud Carolum a S. Paulo,* ordo Sedium Metropolitanorum et Autocephalorum et Episcoporum sub Apostolico throno urbis regiæ et a Deo custoditæ *Constantinopoleos, hic est, ut primus sedeat* Metropolita Cæsareæ, provinciæ Cappadociæ, *qui ideo hic* πρωτόθρονος, *id est,* primi throni *appellatur; secundus* Metropolita Ephesi, provinciæ Asiæ; *tertius* Metropolita Heracleæ Thraciæ, provinciæ Europæ; *quartus* Metropolita Ancyræ, provinciæ Galatiæ; *quintus* Metropolita Cyzici, provinciæ Hellesponti.

E *Curopalatæ et Cedreni interpretes correcti,*

F

## CAPUT II.

### *S. Polyeucti studium justitiæ. Nomen Euthymii Patriarchæ in diptycha relatum.*

M*ox ut inauguratus est Polyeuctus, illico animum adjecit ad comprimenda quæ in urbe regia grassabantur flagitia, auxilio (ut rebatur) Imperatoris usurus : in quo eum sua spes magnopere fefellit. Rem gestam ita narrat Cedrenus :* Hic tamen ita consecratus, veritatem libere professus est, multisque invectus est in avaritiam cognatorum Romani senis; *Lucapeni nimirum, qui anno* IↃCCCCXLIV, *Decembri mense, e solio dejectus, inque monachum attonsus, anno* IↃCCCCXLVIII *mortuus est. Sed pergit Cedrenus :* Et in magno Sabbato, *biduo postquam erat ipse inauguratus,* Imperatorem in magnum templum venientem, ad judicium eorum quæ fuerant acta exercendum hortatus est. Non gratum hoc Imperatori fuit. Sed et Basilius, qui deinde intimus Cubicularius factus est, senis Romani ex serva filius, per sororem suam Helenam Augustam ita Constantini animum affecit, ut non modo eum ad patriarchatum Polyeuctum promovisse pœniteret, sed et de eo per occasionem dejiciendo cogitaret. Et ad

*Polyeuctus ad puniendam quorumdam nobilium avaritiam hortatus Imperatorem,*

*eum graviter offendit.*

*AUCTORE J. B.*

eam rem suffundebat (quod aiunt) frigidam Theodorus Cyzici Episcopus. *Narrat eadem Curopalates, ex eoque Baronius, et Zonaras, qui ipsam Helenam ait, Basilio spadone instigante, occasionem quæsitasse qua patriarchatum Polyeucto eriperet.*

*Euthymii Patriarchæ controversia*

8 *Idem* Polyeuctus, *ut scribit Cedrenus*, primo sui patriarchatus anno, Euthymii Patriarchæ nomen in sacras tabulas retulit, ejus qui Imperatorem Leonem ad sacrorum communicationem admiserat, cum is quartam uxorem duxisset. *Quæ res ut intelligatur, altius aliquanto repetenda est.* Leo Sapiens *Imp. mortua prima conjuge* S. Theophanone, *cujus Vitam dabimus* XVI *Decembris, Zoen Stylani Zautzæ filiam, quocum antea, vivente legitima conjuge, consuetudinem habebat, uxorem duxit, ius benedicente Clerico quodam Palatino, qui mox gradu dejectus est, a S. Antonio Caulea, de quo* XII *Februarii agemus aut successore ejus Nicolao. Ea quoque brevi spatio temporis extincta, Eudociam ex Opsiciana provincia oriundam, forma singulari præditam, sibi junxit : et hæc in partu una cum fœtu periit. Quæ dein consecuta sunt, exponit præfatio ad Novellam Constantini Porphyrogeniti, quæ* τόμος τῆς ἑνώσεως, *vulgo* tomus unionis *appellatur, in Jure Græco-Romano :* Imperator autem ineffabili dolore correptus, quod nullos sustulisset liberos, eorum gignendorum desiderio quartam quoque ducit uxorem, Zoam Carbonopsinæ filiam (τὴν τῆς Καρβωνοψίνης Ζωὴν *ut Cedrenus,* Ζωὴν τὴν Καρβωνοψίναν) quæ Constantinum ei parit. Verum Patriarcha Nicolaus et Metropolitani ab ecclesia Imperatorem segregant : eamque segregationem nonnulli Pontificum brevi spatio definiendam, non in longum tempus extendendam aiebant, aliis in hoc non assentientibus. Itaque dissidia inter eos erant, magnaque seditio : atque Imperatorem magnopere deprecantem et orantem, alii recipiebant, alii contumaciter rejiciebant.

*Leo Sapiens Imp. quarta uxore ducta,*

*excommunicatur a Nicolao Patriarcha,*

9 Cum autem Princeps ipse prudens esset, atque unde discordia Pontificum nata esset, haud ignoraret; loco Patriarcham Nicolaum movet, Ecclesiaque expellit, ut mendacem, et qui multoties quidem jurejurando confirmasset ac promisisset, se Imperatori gratiam pœnæ facturum; at totidem viribus animum mutasset, remque data opera extraheret. Ejus loco Patriarcham constituit Patrem suum spiritualem Euthymium, virum multis annis exercitatione monastica excultum, et prophetici spiritus participem. Is Imperatorem a pœna liberum declarat, atque a vinculo diuturno absolvit, et ad communionem admittit. Sed erant adhuc multi Pontifices, qui dispensationi Patriarchæ non assentiebantur; præsertim ii qui a Nicolai expulsi partibus stabant.

*quem expellit,*

*subrogato Euthymio :*

10 Postquam autem Leo Imperator ad Dominum migrasset, frater ejus Alexander imperio potitus, Euthymium Patriarcham ab ecclesia cum contumeliis expellit, inque locum ejus Nicolaum ejectum reducit. Itaque magis etiam res Ecclesiæ turbulentæ erant, Metropolitanis inter se divisis, ac partim ejecto Patriarchæ, partim restituto adhærentibus. Neque multum temporis intercedit, et Alexander moritur : fitque Constantinus imperii hæres : qui Nicolao Patriarcha et universis Pontificibus convocatis (nam Euthymius jam ad Dominum migrarat) auctor iis fuit, ut in unam sententiam mutuamque concordiam redirent, patrique suo, etiam post mortem, communi decreto, delicti remissionem concederent; edicto canonico promulgato, quo vetaretur, ne quis in posterum ejusmodi delictum auderet admittere. *Hæc ibi : quorum Baronius partem retulit ad annum* 901 § 5 *et* 6. *ac deinde ad annum* 921 *ipsum Unionis edictum recitat; ubi de his rebus diversam ab antiquo tempore servatam esse in Ecclesia Occidentali consuetudinem ostendit, nullo posito termino ducendi uxorem.*

*sed hunc Alexander Imp. pellit,*

*unde schisma, ab utriusque fautoribus*

*dein sopitum.*

11 *Totius hujus controversiæ historiam fusius in suis annalibus recensent Græci scriptores : e quibus illud colligi videtur, alieni throni invasorem non fuisse Euthymium, sed ut vacuum et ob Nicolao relictum admitteret, Divino nutu compulsum. Aretas Cæsariensis in oratione quam de ejus laudibus ac translatione habuit, post commemoratam ejus in Olympo monte cœnobiticam exercitationem, studium paupertatis, vigilias, ista addit :* Hinc in Regis notitiam pervenit . miratur virtutis ejus egregiam indolem, amicum sibi illum adjungit, ac Patriarchæ, qui erat eo tempore, contubernalem facit. Haud ita multo post vehemens Ecclesiam tempestas invasit, quam ejus in cujus tum manu gubernacula erant, temeraria arrogantia excitarat : in quo quidem tumultu cum auctor ejus ille qui fuerat, animum despondisset, eoque sacri sui honoris repudii libellum Ecclesiæ dedisset, malus male abiit. Aderat unus is tum idoneus, qui desertum id ab eo munus susciperet. Quis enim eo qui apud omnes erat in gratia, magis qui ei muneri præficeretur aptus magisque dignus poterat judicari? Ex quo sane factum est, ut quod aliis multis usu non venit, suffragio universæ, quæ sub cœlo est, Ecclesiæ delectus sit, qui Constantinopolitanam hanc regendam susciperet. *Hæc si ita se habent, cur minus licuit Euthymio Sedem admittere, cum eam Nicolaus Mysticus reliquisset; quam olim Nectario, cum Gregorius Theologus? Quid, quod Cedrenus scribit, et Scilitzes, dici Euthymium,* cum patriarchatum detrectaret, Divina revelatione ad eum suscipiendum fuisse inductum? *Omittimus hic ultionem divinitus sumptam de Clerico qui barbam ei evellerat, et splendidissimum apparatum, quo demortui corpus in urbem relatum est.*

*Non invaserat alienum thronum Euthymius, vir sanctus;*

*sed a Nicolao relictum,*

*omnium suffragiis electus,*

*et divina revelatione inductus, admiserat.*

12 *Cum igitur omnis illa contentio dudum esset per* edictum unionis, *quod diximus, sopita; non erat tamen* Euthymii *nomen in sacra diptycha relatum, neque a Nicolao ejus æmulo, neque ab illius successore Stephano, neque a Theophylacto, qui equorum majorem quam Ecclesiæ curam gerebat, neque postremo ab ejus vicario Tryphone monacho. Peregit hoc demum Polyeuctus, sive quod æquum esset æque Ecclesiæ honorificum, notæ sanctitatis virum inter illius Antistites numerari, sive ut animum sibi Constantini Imp. reconciliaret, qui ab eodem erat Euthymio olim coronatus : Verum* eam ob rem, *ut habet Cedrenus*, quidam summorum Pontificum aliquamdiu noluerunt res sacras cum Polyeucto communes habere : sed paullo post Imperatoris voluntati obsequentes, ridendos se disceptantibus controversiam exhibuerunt.

*Polyeuctus ejus nomen refert in sacra diptycha.*

## CAPUT III.

### *S. Joannis Baptistæ manus a S. Polyeucto Constantinopolim allata. Constantini Porphyrogeniti mors. cum Romano Juniore gesta.*

Sub idem tempus, *inquit prædictus Auctor*, veneranda Præcursoris manus Antiochia Constantinopolim allata est, surrepta ab Jobo quodam Diacono. Ea cum appulisset Chalcedonem, Imperator suam emisit triremem : et illustriores Senatores procedentes obviam cum Patriarcha et universo Clero, cum cereis, facibus et suffitibus eam in palatium deduxerunt. *Rei gestæ historiam descripsit qui spectarat Simeon Metaphrastes, uti videre est apud Surium* XXIX *Augusti. Quæ ad* Polyeuctum *pertinent, hic inseremus.* Cum ergo appropinquaret Chalcedonem, *inquit*, navis quidem emissa est Imperatoria, et Pontifex cum Sacerdotibus, et quicumque ex senatu erant clari et illustres simul, ut sacram illum thesaurum inferrent in regiam : cum quibus fidelium quoque multitudo urbe egressa, mari ei navigarunt obviam, ut eum deducerent. Postquam autem fuit susceptus in manus

*S. Joannis Baptistæ manus, Antiochia allatum,*

*Chalcedone Constantinopolim deportat Polyeuctus, magna solemnitate.*

A nus Pontificis, et ejus ferebatur ulnis, et in mare ascendit, licebat videre ipsam quoque aquæ naturam placidam et tranquillam, mollibus fluctibus ante navem exilientem, et ad Imperatores usque cursum dirigentem. *Quod ait* Imperatores, *ipsum intelligit Constantinum, ejusque filium Romanum. Deinde subdit, repositum esse sacrum pignus* in medio templorum regalium. *Die* VII *Januarii (uti ad illum diem monuimus)* synaxis celebratur sancti Prophetæ Præcursoris et Baptistæ Joannis, simulque commemoratio venerabilis et sanctæ ejus manus in regiam urbem translatæ. *Eo die referunt Græcorum Menæa sacram manum primum in regia depositam ab Imperatore, anniversariam tamen celebritatem in Phorntii æde haberi, quo fuit fortassis deinde deportata. Sed de his agemus plenius ad* XXIX *Augusti.*

*cujus anniversaria memoria 7 Januar.*

14 *Non potuit suo hoc seu pietatis propagandæ, seu stabiliendæ concordiæ studio, Imperatorem sibi infensum placare Polyeuctus, cum et Helena Augusta, et hujus frater Basilius Cubicularius, et æmuli Episcopi identidem subderent faces.* Anno *ergo, ut scribit Cedrenus,* imperii Constantini *(post summotum videlicet Romanum socerum)* decimo quinto, mense Septembri, Indictione III, anno mundi sexies millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, profectus est Imperator ad Olympum montem, in speciem, ut Patrum, qui ibi vivebant, comprecationibus armatus in Syriam contra Saracenos proficisceretur; re autem ipsa ut cum Theodoro Cyzici Episcopo, qui tum ibi degebat, de Polyeucto dejiciendo consilia iniret. *Verum ipsummet e solio et vita expulit innocentis Patriarchæ vindex Deus. Nam* inde sive corporis vitio, sive rursus a filio petitus veneno, doloribus correptus discessit, et sub finem Octobris in lectica Constantinopolim reportatus est, ac consiliis suis exitum nullum consecutis mortuus nona die Novembris; *anno scilicet* DCCCCLIX, *Indict.* III. Ad extremum usque spiritum succensuit Polyeucto, et ejus depositionem animo agitavit.

*Constantinus Imp. S. Polyeucto infensus*

B

*moritur,*

15 *Divinitus tamen ut ad mortem se pararet monitus est, ni læva mens obstitisset. Etenim, ut idem Cedrenus scribit,* aliquot antequam moreretur diebus, post vesperam lapides de sublimi confertim in ipsius domum vehementi cum impetu conjecti, ingentem ediderunt fragorem. Quos Constantinus putans a cœnaculis Magnauræ deferri, per aliquot noctes custodes collocavit, si quem eorum opera deprehendere posset ista ausum. Sed ignorabat, frustra se laborare : cum id non ab hominibus, sed sublimiore aliqua profectum fuerit potestate. *Explicatius Glycas :* Nimirum hæc ab ira Divina profecta fuisse consentaneum est. *Zonaras ait* lapides illos contra Imperatorium thalamum delatos. Magnaura, *quam memorat Cedrenus, quid fuerit exponit Luitprandus lib. 6 historiæ cap. 2. ubi ad eumdem Constantinum susceptam a se legationem describit :* Est, *inquit,* Constantinopoli domus palatio contigua, miræ magnitudinis ac pulchritudinis, quæ a Græcis, ρ pro λ posita, Megaura, quasi Magna aura pro aula, dicitur.

*nocturnis portentis admonitus ut resipisceret.*

C

16 Constantino ad hunc modum defuncto, *inquit Zonaras,* Romanus filius ejus imperium capessit, qui Puer dicebatur; non quod puerili ætate regno potitus esset (jam enim vir erat), sed ad discrimen Romani avi materni, senis provectæ ætatis. Si quis autem eum Παιδίον, *id est,* Puerum dictum putet, ob vitam pueriliter actam, id quoque moribus ejus est convenientissimum. Sceptrum recens adeptus, filium suum Basilium diademate et Imperatorio nomine ornat.

*Romani Junioris (qui Puer appellatur)*

17 *Sed de Romano Cedrenum audiamus, ita scribentem :* Is magistratibus sibi benevolis atque acceptis constitutis, confirmato, ut res ferebat, imperio, eadem tertia Indictione, festo Paschatis die, filio suo coronam Imperatoriam opera Polyeucti Patriarchæ imponit in magno templo. Insequenti anno rursum ei filius in Fontano palatio nascitur, quem a patre Constantinum nominavit. Ceterum Imperator juvenis voluptatibus deditus, curam Reip. Josepho primario suo Cubiculatio, cognomento Bringæ, commisit : ipse in aliam nullam rem incubuit, quam ut cum exoletis et impuris homuncionibus, scortis, mimis atque scurris vitam transigeret. Ea propter Joannem quemdam Clericum spadonem, qui ob turpia quædam facinora sub Constantino Imperatore exturbatus erat, et monachus factus, ad ejus usque mortem abditus latuerat, Imperio potitus, monachi habitu exuit, Clericique reddito amictu inter suos recepit Consiliarios. At Polyeuctus justa indignatione concitus, vehementer Imperatorem urgebat, ut e sua familia ejiceret hominem, qui votum monasticum ejurasset. Tamen Imperatore excusante, quod negaret eum revera monachi conditiones amplexum, aut illi generi vitæ ab ullo Sacerdote votis consecratum fuisse, sed tantum ista metu Imperatoris simulasse; deceptus Polyeuctus, eum missum fecit, Josepho etiam diligentem in hac re navante operam. Ita Joannes ille usque ad mortem Romani, profanam novo instituto vitam exegit : mortuo eo, rursus monastico velatus habitu, animum tamen non mutavit.

D

*AUCTORE J. B. filium Basilium coronat Polyeuctus :*

*Romanum hortatur, ut monasticæ professionis desertorem dimittat.*

E

18 *Idem infra :* Anno mundi VI CIↃ CCCCLXXI mortuus est Romanus Imperator, XV die Martii mensis, Indict. VI *(anno scilicet Æræ nostræ* DCCCCLXIII) annos natus XXIV ..... Imperium ejus morte ad Basilium et Constantinum ipsius filios et eorum matrem Theophanonem rediit; quæ, biduo ante mortem mariti, filiam quoque peperit, cui Annæ nomen fecerunt. *Hæc illa est* Anna *B. Wlodomiri Russorum Ducis conjux, quæ caussa illi extitit Christi religionem suscipiendi. De ea Cedrenus, de Basilio Porphyrogenito Imp. loquens, Romani Junioris, ut diximus, filio;* Noctu, *inquit,* navibus adornatis Rossos imponit (nam ab iis suppetias impetraverat) quod sororem suam Annam Bladimero eorum Principi matrimonio conjunxisset. *Idem scribit Zonaras. At Scilitzes ait præfectum, classi a Basilio ipsummet Bladimerum; haud admodum, ut reor, probabiliter. Idem postea Cedrenus priusquam Basilii obitum referat,* Mortua, *inquit,* Anna Imperatoris sorore in Rossia, defuncto jam ante Bladimero marito, *etc.*

*Anna Romani filia, postea B. Wlodomiro nupta.*

## CAPUT IV.

### *Nicephori Phocæ imperium, conjugium cum commatre.* F

Quo *Romanus Junior decesserat anno* DCCCCLXIII, secunda die Julii, eadem Indictione sexta, ab Orientalibus exercitibus, omnibus a Joanne Tzimisce concitatis, Imperator Romanorum salutatur Nicephorus Phocas. *Ita Cedrenus, qui et addit :* Fertur et alius hac de re, isque probabilior, sermo : jampridem eum cupiditate Imperii, neque tam hujus quam Theophanus Augustæ amore flagrasse; cum qua et collocutus fuerit cum in urbe ageret, et sæpe ad eum Michaelem suorum famulorum fidissimum miserit. *Consentiunt Curopalates et Zonaras; sed quod Xylander* ἐντυχόντα αὐτῇ cum ea collocutum *vertit, Joannes Baptista Gabius reddit,* cum ea rem habuisse, *Wolfius* cum ea consuevisse. *Verum quis credat magis eum mulierculæ amore quam Imperii cupiditate flagrasse? Credibilius est quod Glycas scribit :* Per Orientis exercitus Phocas Imperator renuntiatur, jampridem amore tam Imperii quam Theophanonis Imperatricis potiundæ flagrans. *Hujus tamen ipsum deinde perfidia et immoderata libido perdidit.*

*Nicephorus Phocas*

*Theophanonis Augustæ amore captus,*

*ab exercitu Imperator acclamatur,*

20 *Erat Phocas, ut scribit Constantinus Manasses,* artis bellicæ peritissimus, audax, robustus, ærumnis haudquaquam

*vir bellicosus :*

*AUCTORE J. B.*

A haudquaquam cedens, incudis in morem labores constanter perferens : *non dissimulat tamen sordidam ejus avaritiam. Res bello præclare ab eo gestas Cedrenus, Curopalates, Zonaras, Glycas ac ceteri omnes deprædicant. Formam habitumque ejus describit Luitprandus in suæ ad eum legationis historia, sed exaggerate et satyrice :* Ante Nicephorum sum deductus, *inquit*, hominem satis monstruosum, pygmæum, capite pinguem, atque oculorum parvitate talpinum, barba curta, lata, spissa et semicana fœdatum, cervice digitali turpatum, prolixitate et densitate satis Jopam, colore Æthiopem, cui per mediam nolis occurrere noctem; ventre extensum, natibus siccum, coxis ad mensuram ipsam brevem longissimum, cruribus parvum, calcaneis pedibusque æqualem, villino, sed nimis veternoso, vel diuturnitate ipsa fœtido et pallido ornamento indutum, Sicyoniis calceamentis calceatum, lingua procacem, ingenio vulpem, perjurio seu mendacio Ulyssem. *ac deinde* anum incessu *vocat*, Silvanum vultu, rusticum, lustrivagum, capripedem, cornutum, bimembrem, setigerum, indocilem, agrestem, barbarum, durum, villosum, rebellem, Cappadocem. *ac post multa :* Græcorum Rex, *inquit*, crinitus,

*cujus ridicula forma satyrice descripta a Luitprando Ep.*

B tunicatus, manicatus, teristratus, mendax, dolosus, immisericors, vulpinus, superbus, falsohumilis, parcus, cupidus, allio, cæpe et porris vescens.

21 *Talis cum esset Nicephorus, amorem tamen erga se Theophanonis concitavit. Venienti ergo Constantinopolim*, obviam ei se fert, *ut scribit Constantinus Manasses*, urbana multitudo, Patriciorum ordo, prætextati, ex officinis operarii. Ante omnes alios Imperatrix cum Sacerdotibus hominem supinis manibus excipit, jamque decreto omnium ordinum Nicephorus Imperator creatur. *Primum ad Hebdomum deductus est, inde per Aureum portam in urbem regiam, cum faustis acclamationibus, plausibus, tubis, cymbalis.* Cumque ad magnum templum pervenissent, *inquit Curopalates*, Polyeuctum Patriarcham paratum curarunt, ut ei regium diadema imponeret. Hunc igitur coronat Polyeuctus in magni templi edito loco, die Dominica, XVI Augusti, Indictione VI.

*venit Constantinopolim :*

*coronatur a S. Polyeucto :*

22 Post hæc Nicephorus, *ait Cedrenus*, Antonium Studitam monachum ac Syncellum mittit, qui aula Theophanonem educat, et in palatium Petrii includat.....Vigesima Septembris die, larva deposita, uxorem duxit Theophanonem....Peractis nuptiis in novo ad palatium templo, cum in sanctuarium esset

*Theophanonem ducit uxorem,*

C intrandum, manu eum tenens Polyeuctus, ut ad sacros cancellos ventum est, ipse in adytum introit, et Imperatorem repellit, aitque : Non intromissum iri, priusquam pœnas pro secundis nuptiis luisset. Molestum id fuit Nicephoro, et ad finem usque vitæ Polyeucto succensuit. *Scribit Zonaras, ipsum Patriarcham in nova juxta regiam ecclesia nuptialia sacra peregisse. Mirum igitur est non ante ab eo monitum, si quid in secundis nuptiis inesse delicti rebatur.*

*ideoque a sanctuario eum excludit S. Polyeuctus,*

23 *Pergit Cedrenus :* Spargebatur etiam passim rumor, qui non exiguas in Ecclesia turbas dedit; unum liberorum Theophanonis fuisse a Nicephoro e sacro baptismo susceptum. Eum rumorem, ut probabilem caussam arripiens Polyeuctus, Imperatorem aut repudiare uxorem juxta sacræ constitutionis præscriptum debere contendebat, aut ecclesia abstinere. Atque hoc posterius fecit Nicephorus, uxori deditus. Et convocatis, qui in urbe tunc erant, externis Episcopis ac delectis Senatoribus, rem iis deliberandam proposuit. Ii omnes constitutionem eam Copronymi esse, eaque Imperatorem non teneri pronuntiaverunt : libellumque absolutionis subscriptum a se ipsi dederunt. Nihilominus tamen tergiversante Patriarcha, et res sacras cum Imperatore communes habere recusante, Cæsar fidem fecit, Nicephorum non fuisse susceptorem. Sed et Stylianus

*præsertim quia Theophanonis filium suscepisse baptismo ferebatur ;*

Protopapa magni palatii, a quo emanasse iste rumor D ferebatur, coram Concilio et senatu juravit, se neque vidisse neque cuiquam dixisse, quod vel Bardas vel Nicephorus factus fuisset susceptor. Polyeuctus ergo, tametsi pejerare Stylianum certo sciebat, crimen compaternitatis omisit : et qui ante urgebat, ut ob secundas nuptias pœna infligeretur, illi quoque magno delicto ignovit. *Eadem habent Curopalates, Glycas, Zonaras. Qui hic Cæsar nominatur, Bardas fuit, Nicephori pater, et ab eo Cæsar creatus. Protopapa, sive, ut in Græco est,* πρωτοπαπᾶς *est et in Ecclesiæ et in palatii Clero. De ejus officio consule Georgium Codinum. Id Zonaras circumlocutione explicat tom. 3 in Basilio Porphyrogenito :* προεχειρίσθη τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας ἀρχιερεὺς Εὐστάθιος, ὃς τοῦ τῶν ἐν παλατίῳ ναοῦ ἱερέων ἐπρώτευε. Consecratus est Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarcha Eustathius, Sacerdotum ædis Palatinæ princeps.

*AUCTORE J. B.*

*quod tunc satis probatum non est,*

24 *Quod Græci scriptores in ambiguo relinquunt, et* Polyeuctus, *cum probari non posset, dissimulavit, Luitprandus ut certum statuit*, Nicephorum perjurio atque adulterio regni apicem esse adeptum. *Ipsumque propterea Nicephorum appellat* onagrum, id est, silvestrem asinum.....ob vanam et inanem gloriam, incestumque dominæ et commatris suæ conjugium. E *Constantinus Manasses*, Ut prisci, *inquit*, rerum gestarum scriptores tradunt, quamvis Imperatrici spirituali cognatione junctus esset, nihilo tamen minus eam matrimonio quoque carnali ausus est sibi copulare. *Quod vero ait Cedrenus, certo scivisse Polyeuctum, pejerare Stylianum, id de eo forsan præcipue accipiendum, quod Stylianus jurejurando affirmavit*, nihil a se dictum fuisse *de prole Theophanonis a Nicephoro suscepta.*

*ab antiquis tamen scriptum.*

## CAPUT V.

### *Nicephori Phocæ avaritia, tyrannicæ leges de Episcoporum electione, et occisis in bello.*

*Incurrit deinde Nicephorus populi universi ingens odium, cum et gravia imponeret tributa, et immensam quamdam militibus licentiam permitteret : adeo ut (quod Zonaras scribit)* delectari videretur injuriis, quibus cives onerabantur, quamvis eorum ope ad Imperium pervenisset. Præterea continentium bellorum prætextu, novis tributis instituendis et veteribus augendis, omnisque generis exactionibus subditos premebat; quos milites quocumque venerant, nihilo clementius tractabant quam hostes. Adhæc ob frequentes expeditiones, pecuniæ inopiam caussando, F Imperatorias largitiones senatui dari solitas, ex parte imminuebat.

*Nicephorus Imp. ob tributa et avaritiam populo invisus,*

26 *Quin et sacris quoque impias manus injecit, sibique in Ecclesiasticas dignitates potestatem arrogavit. Pergit idem Zonaras :* Annua dona ab antiquis temporibus templis et aliis piis domibus attributa penitus sustulit. Decreto quoque sanxit, ne fundi Ecclesiarum augerentur, quod (ut ipse asserebat) ab Episcopis, non in Ecclesiarum utilitatem, opes illæ prodigerentur. *Imo ab ipsis etiam piis Imperatoribus legatas monasteriis ac templis donationes, quas moveri nefas erat, abolevit, uti scribunt Curopalates ac Cedrenus.*

*donata olim Ecclesiis aufert,*

*vetatque ne immobilia acquirant :*

27 Id vero omnium gravissimum, *inquit hic*, quod legem tulit, cui et Episcopi quidam leves atque adulatores subscripserunt, Ne Imperatoris injussu ullus crearetur Episcopus. Mortuo autem quopiam Episcopo, aliquem suorum mittebat qui præfinitos faceret sumptus : ipse quod de reditibus supererat, sibi rapiebat. *Qua autem ratione vim hanc iniquæ potestatis cœperit usurpare, narrat Zonaras :* Orta inter Episcopos et Patriarcham Polyeuctum de suffragiis contentione, cum illi sibi quos vellent, eligendi jus esse dicerent; hic suffragia reprehenderet, ut quæ nec sine affectibus, nec recto judicio ferrentur, operamque

*S. Polyeucto volente electiones Episcoporum sine re fieri,*

A que daret, ut ab iis judicium facturis, et ipse in consilium adhiberetur; Imperator ex hoc sumpta occasione, omnem auctoritatem designandi Episcopos sibi sumpsit, lato edicto, ne quisquam injussu suo in ullam Ecclesiam mitteretur. Mortuo igitur Episcopo, ex ministris suis in Ecclesiam vacantem mittebat aliquem, quo sumptus necessarios parce faciente, ipse sibi reliqua vindicabat.

*eas ad se trahit et redituum partem:*

28 *Parcos illos sumptus sordidumque victum Episcoporum salse describit ridetque in suo legatione Luitprandus :* octavo Idus Decembris, *inquit*, Leucaten venimus; ubi ab Episcopo loci illius, Eunucho, sicut et ubique ab aliis, inhumanissime suscepti et tractati sumus. In omni Græcia, (veritatem dico, non mentior) non reperi hospitales Episcopos. Divites sunt, pauperes sunt : divites aureis, quibus plena luditur arca; pauperes ministris seu utensilibus. Soli mensulæ assident nudæ, paximatium sibi apponentes, balneaque, tunc vitro permodico non bibentes, sed sorbillantes. Ipsi vendunt, ipsi emunt; ostia ipsi claudunt, ipsi aperiunt; ipsi dapiferi, ipsi agasones, ipsi capones. Sed, ha! caupones volui scribere; verum res ipsa, quæ vera est, veritatem etiam nolentem compulit scribere. Dicimus enim, quia capones sunt, id est, B eunuchi, quod canonicum non est : sunt et caupones, id est, tabernarii, quod contra Canones est : quorum

*hinc inhospitales Græci Episcopi,*

*parce et sordide vivunt,*

Incipit et claudit cœnam lactuca tenacem,
Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum.

Felices eos, si paupertatem Christi hæc imitaretur pauperies judicarem. Facit hoc asper nummus et auri sacra fames. Verum parcat illis Deus. Hoc eo illos puto facere quoniam eorum Ecclesiæ sunt tributariæ. Leucatensis mihi juravit Episcopus, quotannis Ecclesiam suam debere Nicephoro aureos centum persolvere; similiter et ceteras plus minusve secundum vires suas. Quodquam iniquum sit, sanctissimi Patris nostri Joseph acta demonstrant; quia cum Ægyptum totam famis tempore tributariam Pharaonis faceret, sacerdotum terram a tributo liberam esse permisit. *Hactenus Luitprandus.*

*quia tributarii.*

29 *Facile hinc perspicere est, quantum laborum et molestiarum sustinere Polyeuctus debuerit. Sed major deinde illi cum eodem profano Imperatore dimicatio fuit, quam referunt Glycas, Cedrenus, Curopalates ac Zonaras. Et hic quidem, Nicephorus, inquit*, quod in se fuit, decreto sanxit, ut milites in bello interfecti, pari cum Martyribus honore colerentur, et similibus hymnis ac veneratione celebrarentur. Et forsitan egre- C gium illud decretum ratum fuisset, nisi Patriarcha et quidam Episcopi, ac delecti e senatu, strenue restitissent, quærentes quo pacto ii qui in bellis cæderent et cæderentur, Martyres judicari possent aut Martyribus pares, quos sacrorum Canonum censura notaret, triennium a tremenda illa et sancta communione arcens?

*Idem Nicephorus vult occisos in bello, Martyres haberi :*

*impedit Polyeuctus et alii,*

30 *Qui hic præcipue citatur Canon, est* XIII *ex epistola S. Basilii Magni ad Amphilochium Ep. qui ita habet :* Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur ignoscentes iis qui pro pudicitia et pietate decertant. Recte autem forte habet, consulere ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant. *Verum hic Canon, ut annotat Theodorus Balsamon*, non est in usu, eo quod ex *eo* eveniret, si admitteretur, ut milites Sacramentorum numquam essent participes, cum in bellis alii adversus alios perpetuo versentur, ut hostes interficiant. *Subjicit deinde hanc ipsam sub Nicephoro habitam disceptationem.* Scriptum est enim, *inquit*, quod cum Imperator ille Phocas vellet eos Martyribus annumerari qui in bellis occiduntur, qui tunc erant Episcopi hoc usi Canone, Imperatoris conatum represserunt, dicentes : Quomodo eos qui in bellis ceciderunt inter Martyres annumerabimus,

*allegato S. Basilii severo Canone,*

quos Magnus Basilius, ut qui non essent puris manibus, triennio a Sacramentis prohibuit? *Ostendit tamen non defuisse in eo concilio leves quosdam homines, qui se ad Imperatoris voluntatem accommodarent.* Cum autem multi Sacerdotes, *inquit*, et unus quidem ex iis Episcopus, se manus cum hostibus conseruisse fassi essent, divina et sancta synodus, consentanee huic Canoni, et XLV ejusdem Sancti, et aliis divinis constitutionibus, volebant ipsos non amplius sacra celebrare. Complures autem et qui erant paullo magis militares, eos etiam præmiis dignos esse contendebant. *Pervicit tamen Polyeuctus cum aliis, ne decretum illud impium ferretur.* D

AUCTORE J. B.

*etsi leves quidam Imperatori subscriberent.*

## CAPUT VI.

### *Pallii Jus, et in Episcopos quosdam Italos potestas, a Polyeucto usurpata.*

S*equuntur alia Polyeucti acta, quæ quatenus probari aut excusari debeant aut possint, judicent alii. Refert ea Luitprandus in secunda sua legatione, sed infenso in Græcos omnes animo, quem passim prodit. Ita ergo inter alia scribit, ad Ottonem* I *et* II *Imperatores :* Nicephorus cum omnibus Ecclesiis homo sit impius, livore quo in vos abundat, Constantinopolitano Patriarchæ præcepit, ut Hydruntinam Ecclesiam in archiepiscopatus honorem dilatet; nec permittat in omni Apulia seu Calabria Latine amplius, sed Græce Divina mysteria celebrari... Scripsit itaque Polyeuctus Constantinopolitanus Patriarcha privilegium Hydruntino Episcopo, quatenus sua auctoritate habeat licentiam Episcopos consecrandi in Acirentila, Turcico, Gravina, Maceria, Tricario, qui ad consecrationem Domini Apostolici pertinere videntur. *Sunt nunc ex hisce civitatibus* Hydruntum et Acheruntium *Archiepiscopales; et huic quidem unita* Matera; *subjectæ* Gravina, Tricaricum, Turcium, *ubi* Anglonensis *commorari Episcopus dicitur.* E

*Jubente Nicephoro,*

*Hydrunti Archiepiscopum constituit Polyeuctus :*

32 *Aliam Luitprandus adversus Polyeuctum accusationem depromit, justam illam quidem fortasse, sed quæ non in eum proprie cadat :* Sed quid hoc memorem, *ait*, cum ipsa Constantinopolitana Ecclesia nostræ sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ merito sit subjecta? Scimus, imo videmus, Constantinopolitanum Episcopum pallio non uti, nisi sancti Patris nostri permissu. Verum cum impiissimus Albericus, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleverat, Romanam civitatem sibi usurparet, Dominumque Apostolicum, quasi servum F proprium in conclavi teneret; Romanus Imperator filium suum Theophylactum eunuchum Patriarcham constituit : cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis effecit, ut ex Papæ nomine, Theophylacto Patriarchæ litteræ mitterentur; qua auctoritate cum ipse, tum successores ejus absque Paparum permissu palliis uterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis utantur. *Ita quem accusat, ei argumentum, quo se utcumque defendere possit, subministrat Luitprandus. Quid enim? an non potuit arbitrari Polyeuctus, legitime eum honorem a Summo Pontifice esse concessum? Instat idem Luitprandus :* Est ergo meum consilium, sanctam fieri synodum; *Imperatoria nimirum auctoritate, uti illa in qua Joannes* XII *e solio Apostolico ab Ottone deturbatus est, ipso inter ceteros suffragante Luitprando. Sed ipsius reliquum consilium audiamus :* et ad eadem, *inquit, synodum* vocari Polyeuctum. [Quod si venire, et σφάλματα sua, id est, vitia superius scripta, canonice emendare noluerit; quod sanctissimi Canones decreverint, fiat.

*pallio utitur,*

*jure olim per Romanum Imp. simoniace impetrato*

33 *Sed quæ Luitprando irarum in Polyeuctum caussæ? Convivalis jocus in eum a Polyeucto conjectus,*

*sed*

*Nicephorus Luitprandum Ep. de Scripturis et Synodis interrogat,*

A *sed ab ipso satis nervose et glorianter refutatus.* Putans, inquit, Nicephorus me mensam magni facere suam, in eodem loco me satis ægrotum secum convivare coegit. Affuit cum pluribus Episcopis et Patriarcha: quibus præsentibus, plures mihi quæstiones de Scripturis sacris proposuit, quas cum Spiritu sancto afflante eleganter exposui. Novissime autem, ut de vobis ludum haberet, quas synodos haberemus, rogavit. Cui cum Nicænam, Chalcedonensem, Ephesinam, Antiochenam, Carthaginensem, Ancyranam, Constantinopolitanam edicerem: Ha ha he, ait, Saxonicam dicere es oblitus: quam si rogas cur nostri codices non habent, rudem esse, et ad nos necdum venire posse respondeo.

*cur nulla Saxonica?*

*respondet ille, in Græcia habitas multas, ubi ortæ hæreses, sed per Latinos excisæ;*

34 Cui inquam: In quo membro regnat infirmitas, illud est cauterio inurendum. Hæreses omnes a vobis emanarunt, penes vos viguerunt: a nobis, id est, Occidentalibus hic sunt jugulatæ, hic sunt occisæ. Romanam sive Papiensem synodum, quamquam essent sæpe, his non connumeramus. Romanus enim Clericus postmodum universalis Papa, Gregorius, qui a vobis appellatus est Dialogus, Eutychium Constantinopolitanum Patriarcham hæreticum ab ejusmodi hæresi liberavit...... sic Evodius B Papiensis Episcopus, propter aliam quamdam hæresim huc, id est, Constantinopolim, a Romano est Patriarcha directus; quam compressam, in Catholicam atque orthodoxam reformavit.

*in Saxonia puram fidem esse,*

35 Saxonum genus, ex quo sanctum lavacrum et Dei accepit notitiam, nulla est hæresi maculatum, ut illa synodus fieret, qua errorem, cum nullus esset, corrigeret. Rudem quia dicis Saxonibus esse fidem, idipsum et ego affirmo: semper enim apud eos Christi fides rudis est et non vetus, ubi fidem opera sequuntur. Hic fides non rudis, sed vetus est, ubi fidem opera non comitantur, sed quasi præ vetustate, ut vestis contempta, contemnitur. Sed hanc Synodum factam esse in Saxonia certo scio, in qua tractatum est ac firmatum, decentius ensibus pugnare quam calamis; et prius mortem obire quam hostibus terga dare. *Hactenus Luitprandus, quem Constantinopolim missum scribit Evodium Papiensem Episcopum, is est S. Ennodius, Ep. qui bis ad Anastasium Imp. hæreticum missus ab Hormisda Papa, ut XVII Julii ad ejus Vitam dicemus.*

*ideo synodum nullam,*

*esse de armis sive tractandis.*

## CAPUT VII.

C *Nicephori Phocæ cædes. Joannes Zimiscæ imperium. S. Polyeucti obitus.*

*Cum ita Ecclesiæ et possessiones et auctoritatem pessumdaret Phocas, brevi in eum cœlestis vindicta incubuit, et Theophanonis Augustæ machinatione, per quam ad Imperium emerserat, exitio dedit. Tragœdiam omnem exponunt Cedrenus, Glycas, Scylitzes, et breviter Constantinus Manasses. Eam a Zonara accipe:* Quamvis Theophanonem Phocas prius vehementer deperisset, postea tamen ejus congressu abstinuit, sive satietate quadam, sive continentiæ studio; namque etiam adolescentem ferunt nunquam ad eas voluptates fuisse proclivem. Illa vero vel ob eam alienationem maritum exosa, vel de filiis sollicita (quidam enim susurrabant, velle Nicephorum regiis pueris castratis, Imperium in fratrem suum Leonem transferre) clam cum Joanne Zimisce colloquitur, sive amore ejus capta (nam formæ elegantia et venustate excellebat), sive cum parem Nicephoro adversarium rata ... Succensebat alioquin jam antea Imperatori Joannes, quod ob Leonis fratris invidiam et calumnias ab eo esset militari dignitate privatus.....

*Nicephorus [illegible] imperio et vita spoliatur; a Theophanone ac [illegible]*

*sollicitato Joanne Zimisce,*

37 Cum ergo a meretrice illa magis irritaretur, adspirare ad Imperium eadem adjutrice constituit: eodemque tempore suis necessariis arcanum aperuit, D et cum iis facinus aggressus est, atque intempesta nocte lembo cum iis conscenso ad regiam pervenit, qua mari ab austro alluitur. Bucoleon is locus dicitur..... Quo cum ventum esset, sportam demissam videt, in eaque cum suis a Theophanonis ancillis attrahitur. Socii erant Michael Burtzes, et ipse Imperatori ob inconsideratam ejus iram offensus, Leo Abalantes, Theodorus Niger qui ob atrum colorem Atzypotheodorus dicebatur, atque alii duo. Igitur cubiculum Imperatoris sine strepitu ingressi (nam id quoque Theophano providebat) Nicephorum humi dormientem quidam calcibus per contumeliam somno excutit, experrectum seque attollentem lethaliter in capite vulnerat; quo ictu et corpus ejus et animus graviter est concussus. Ad Zimiscem, qui in regio lecto consederat, adductus, jam collabens et utrimque suffultus, cum rogaretur, quibus de caussis ab eo vexatus esset, nihil respondit, illud solum inclamans, Adjuva Domine.... Quidam in tergum ejus hastam ita intorquet, ut per pectus elaberetur. Tumultu ab excubitoribus excitato (jam enim insidias senserant) caput jam defuncti amputatum, per fenestram ostendunt, itaque illorum impetum comprimunt. *Hæc Zonaras. Gesta hæc sunt XI Decembris, Indictione XIII,* E *ut scribit Cedrenus, anno nimirum* DCCCCLXIX. *Addit idem Auctor, Glycasque et Curopalates, hæc eum ingeminasse:* Κύριε ἐλέησον, θεοτόκε βοήθει. Domine miserere, opitulare Deipara.

*et in sporta attracto noctu in regiam cum sociis,*

*a quibus occisus Nicephorus,*

*Deum et Deiparam invocans.*

38 *Imperium igitur iniit Joannes Tzimisces, adhibitis collegis Basilio et Constantino, Romani Junioris filiis admodum adolescentibus.* Statim vero, ea ipsa nocte, *ut narrat Cedrenus,* Basilium intimum Cubicularium (quem Nicephorus non leviter ab eo in occupando Imperio adjutus, novo dignitatis titulo ornarat, Πρόεδρον sive Præsidem appellans) ad se accersit Tzimisces, ac rerum gerendarum socium adsciscit, (*quasique imperii consortem legit,* κοινωνὸν τῆς ἀρχῆς προσειλάβετο) quippe qui et longo tempore, in Rep. versatus erat sub patre Romano seniore, et Constantino Porphyrogenito sororis suæ marito, et sæpissime contra Agarenos rem feliciter gesserat, et rebus arduis scite se norat accommodare. *Hic ut rebus agendis adhibitus est a Zimisce, illico omnes Nicephoro studentes e palatio submovet, fratrem ejus Leonem cum filiis in exilium mittit,* aliis civiles ac bellicos magistratus abrogans, suos substituit familiares, quos novo Imperatori fidos nosset. Revocati quoque quos Nicephorus relegarat, Episcopi præsertim, qui quia decreto ejus, quod ad vexandas ac spoliandas Ecclesias tulerat, subscribere noluissent, F erant ab eo proscripti. *Illud autem decretum fuisse ait Zonaras, quo vetuerat ne quis suo injussu Pontifex ordinaretur.*

*Zimisces Basilium et Constantinum collegas adsciscit, Basilium Cubicularium adjutorem;*

*a quo reducti in ordinem amici Nicephori,*

*et ab eo proscripti Episcopi revocati.*

39 Rebus hoc modo constitutis, *subdit Cedrenus,* ea ipsa nocte omni suspicione liberatus Imperator, abit cum paucis ad magnam ecclesiam, ut Patriarchæ manu accipiat diadema. Verum ingredi eum passus non est Polyeuctus, nefas esse dicens in Divinum templum introire eum, cui manus recenti adhuc et fumanti cognati sanguine stillarent: operam daret, uti pœnitentiæ opera præstaret; ita demum permissum iri ut solum domus Dei calcet. Eam objurgationem placide accepit Joannes, promittens se obedienter omnia facturum: addidit illud quoque, se manus Nicephoro non intulisse, sed ab Abalantio et Atzypotheodoro, Augustæ jussu, trucidatum. Eam igitur Patriarcha ejici e palatio imperat, et in aliquam insulam deportari; relegari etiam Nicephori percussores, et conscindi libellum edicti, quod ad confundendas res Ecclesiasticas Nicephorus ediderat. Statim igitur Tzimisces percussores istos jubet ab urbe discedere, et Theophanonem in Proeconesum relegat.

*Zimisces templo excluditur a S. Polyeucto, donec pœnitentiam agat, quam spondet;*

*eoque jubente, relegat Augustam et percussores Nicephori.*

A gat. Unde postea occulte cum profugisset ad magnum templum, eo exturbata a Basilio Cubiculario, in Armenorum provinciam est deportata, in Damidis monasterium, recens ab Imperatore conditum...... Mater quoque Theophanonis in Mantineum exilii caussa missa. Edicti etiam libellus prolatus et discerptus est, pristinaque Ecclesiæ libertas reddita.

*privatas opes suas dat pauperibus: coronatur*

40 His actis, Polyeuctus, peccati expiandi gratia pollicitum se quidquid privatus possederat, in pauperes elargiturum, Imperatorem in templum admittit, ingressumque feriis Christi natalitiis diademate ornat. *Hæc Cedrenus. Magna deinde laude Imperium sex annos et totidem menses administravit Zimisces. Cujus quæ fuerit forma, operæ pretium est ex Constantino Manasse audire :* Erat, *inquit,* hic Zimisces formosus facie, colore, capillis venustis; tolerans, misericors, fortis et virilis animi, pugnator inexpugnabilis, copia celeritateque consilii pollens, liberalis, castus, mitis, hastarum vibrandarum et arcuum tendendorum peritus, ingenuus, alienus ab ira diuturna : ut paucis denique multa et prolixa complectamur, vivus quidam paradisus gratiarum erat, ipsis Dei manibus consitus, et aureis sancti Spiritus rivis irriguus, in quo virtutum cœtus universus choreas ve- B

*ejus forma, ac dotes naturæ,*

lut agitabat, Gratiis ex adverso illis cantando quasi responsantibus. *Hæc ille, non sine poetica hyperbole.* D

*AUCTORE J. B. pietas in B. Virginem*

41 *Pietatis ejus argumenta duo referuntur a plerisque historicis, quod victis Bulgaris, Constantinopolim triumphantis more ingressurus, B. Mariæ Virginis imaginem quadrigis, magnifice adornatis, impositam, solemni pompa per urbem devexit, et victoriæ adeptæ decus adscribens. Alterum, quod aureis nummis primus Salvatoris impressit effigiem, cum hac inscriptione :* Jesus Christus Rex Regum.

*et Christum.*

42 *Post dies vero quinque et triginta ab illius inaugurationæ, decessit e vita Polyeuctus; ut ait Cedrenus. Curopalates triginta solum dies habet, Zonaras diserte* τριάκοντα καὶ πέντε. *Unde sequitur circiter* XXIX *Januarii obiisse. Ad hunc tamen diem quintum Februarii, adscriptus est Menæis, sive libris precum Ecclesiasticarum, quas etiam Catholicæ Ecclesiæ reconciliati Græci recitant, ut alibi diximus; eodemque die refertur a Maximo Ep. Cythereo. Fortassis quia eo die, octavo ab obitu, funus elatum, aut solennes celebratæ exequiæ, quod et in S. Tarasio ejusdem Sedis Constantinopolitanæ Patriarcha, centum sexaginta quatuor ante Polyeuctum annis, contigisse, infra ad* XXV *diem Februarii ostendemus.*

*Mors S. Polyeucti, ac veneratio.*

# DE S. ALBINO, sive ALBUINO. E

## EPISCOPO BRIXINENSI IN TIROLI.

*ANIMADV. PAP. 90.* — *J. B.*

*CIRCITER AN. MXV V FEBR.*

*Brixinensis Ep. S. Albuinus, Martyrologiis inscriptus,*

Brixina, *sive* Brixino, *urbs est in Tiroli, sedes (ut conjicere licet) veterum* Brixentum, *quos inter* Alpinas gentes *Plinius lib.* 3 *cap.* 20 *recenset. Hic* S. Albinus, *sive* Albuinus, *colitur, Sabionensis primum, dein Brixinensis primus Episcopus: ac Romano aliisque Martyrologiis ejus inscriptum est nomen, una cum S. Ingenuini, ut in hujus Vita supra hoc ipso die,* § I *num.* 2 *retulimus.*

*clarus miraculis,*

2 De hoc sancto viro, *inquit Hundius in Metropoli, ubi de Episcopis Brixinensibus agit,* dicuntur pleraque extare, verum mutila, et in nullum ordinem redacta. Miraculis clarus obiit Nonis Februarii. *Mirum est Acta illa S. Albuini, qualiacumque ea sint, Matthæi Raderi nostri diligentiam effugisse, si vere extant : nec enim* nisi pauca ab rerum sacrarum scriptoribus ad manus *suas* pervenisse *testatur; eaque ex Fastis Brixinensibus depromit hisce verbis.*

*nobilis,*

*gratiosus Imperatoribus,*

3 Quadringentis post Ingenuinum et amplius an- C nis, Ottone III et Henrico Sancto successive imperantibus, Albuinus Ecclesiæ Sabionensis vigesimus octavus Episcopus extitit. Hic nobili genere natus, propter admirabilem vitæ integritatem a præfato sancto Imperatore et magni habitus et præclaris beneficiis est affectus. Porro cum Sedem episcopalem a Sabiona Brixinam transtulisset, omnesque optimi Pasteris partes explevisset, demum sanctitate ac virtutum signis coruscans transivit ad Dominum. Corpus ejus corpori S. Ingenuini, multos post annos Brixinam transportato, hac ipsa obitus sui die celebriter appositum est. Amborum reliquiæ in summo altari ecclesiæ Cathedralis religiose asservantur.

*cum S. Ingenuino sepultus:*

4 *Quod de Sede Brixinam Sabione translata dicitur, id Miræus quoque in Notitia Episcopatuum, verbo* Brixina, *tradit* per S. Albuinum *esse factum : sed perperam addit circa annum* CMXXXIV *contigisse, cum, ut in Vita S. Ingenuini* § 5 *num.* 37 *diximus, jam anno* CIƆXXVII *Hartwicus Episcopus Brixinensis fuerit, post S. Albuinum fortasse quartus. Hundius de S. Albuino scribit :* Hic primus Sedem episcopalem a Sabiona Brixinam transtulit. *De Hartwico Ep.* Hic relicta Sabiona, Brixinam migravit, quam totam, ut nunc cernitur, mœnibus cinxit. *Ast in Herbardo, quem immediate ante Hartwicum locat, post Adalberonem S. Albuini successorem :* Civitatem Brixinam primo muris parum munivit.

*an Sedem Sabione transtulerit?*

5 *Verisimile est ab eodem sancto Antistite Albuino corpus S. Ingenuini esse Brixinam translatum. At non est postea, ut scribit Ghinius, Brixinone Brixiam deportatum : neque, ut idem Ghinius et Galesinius tradunt, Brixiensis Episcopus fuit Albinus : ac ne quidem (quod Constantius Felicius) peculiarem habent Brixiæ venerationem hi duo Sancti; quod et Maurolycus innuit his verbis :* Brixiæ SS. Gemini et Albini Episcoporum, miraculorum gloria illustrium. F

*an S. Ingenuini corpus? non est ipse Brixiam translatus.*

# DE S. ADELHEIDE

## VIRGINE ABBATISSA VILICENSI, IN GERMANIA INFERIORE,

## Commentarius prævius.

*J. B.*

### § I. *Vilicense cœnobium. S. Adelheydis solennitas.*

*CIRCITER AN. MXV V FEBR.*

*S. Adelheidis 5 Feb. circiter an. 1015 mortua Coloniæ,*

S*plendore natalium ac virtutis longe clarissima* Adelheidis *Virgo, Coloniæ diem obiit Nonis Februarii, anno Christi (ut quidam conjectant)* CIƆXV, *non multo certe quidem serius, citiusve; cum funus ejus curasse, utque Vilicam revehi corpus fas esset decrevisse legatur* S. Heribertus *Coloniensis Archiepiscopus, qui anno* CIƆXXI, *die* XVI *Martii decessit, quique antea ipsam ad Capitolini parthenonis præfecturam, sorore, quæ id munus gesserat, mortua, Vilica Coloniam accersiverat, seque ad illius intimam familiaritatem, eximiæ pietatis illius et prudentiæ opinione motus, applicarat. Miretur tamen fortasse quispiam, non extare ejus in Coloniensi Breviario nomen. Ea quippe*

*ubi non colitur,*

A *quippe Sanctorum magnificentissimæ urbi copia est, ut si singulis propriam instituere celebritatem velit, quot anno toto occurrant dies, iis haud æquatura multitudinem festorum sit.*

AUCTORE I. B

*sed Viliciæ trans Rhenum:*

2 *Viliciæ tamen (qui locus, vulgo* Villich, *inter confluentes Rheni et Sigæ, in diœcesi Coloniensi e regione situs Bonnæ urbis) magnam obtinet venerationem.* Sunt *isthic* duo hodie collegia, unum Canonicorum, alterum vero nobilium Virginum Canonicarum, a S. Megengoso ejusque uxore, *Adelheidis parentibus,* ampliter dotata; *ut in Fastis Belgicis et in Chronico scribit Aubertus Miræus. Fefellit tabula quæpiam chorographica Philippum Ferrarium, qui in Annot. ad suum Catal. SS. scribit:* Vileca, vulgo etiam Wileck, pagus est cum cœnobio, territorii Coloniensis, inter Juliacum et Duisburgum, ad III M. Belg. Novesio proximus. *Est sane* Wilich *pagus cis Rhenum infra Novesium, Gladbaco propior; sed diversus longe a* Vilica *S. Adelheidis. Ferrarium secutus est Simon Martinus ex ordine Minimorum in Floribus sanctæ solitudinis lib. 4.*

*non fuit Abbatissa Rindorpii.*

3 *In MS. Chronico Comitum ac Ducum Gelriæ, dicitur Adelheidis* Abbatissa præfuisse in monasterio Virginum in Rindorp prope Bonnam, quod Mengosus genitor paucos ante annos instituerat: in quo et ipse defunctus juxta conjugem sepelitur anno Domini CMXVIII. *At neque sepultus Rindorpii est Mengosus, neque illic ejus tempore cœnobium erat, nedum ab eo institutum. Est* Rindorpium, *sive* Rheindorfium, *vulgo* Swartzen-Rheindorf, *id est,* niger Rheni-pagus, *collegium nobilium Canonicarum, quibus sacra peragunt Sacerdotes aliquot, sive Canonici, uti et Viliciæ sit. Ceterumque alii subditi Abbatissæ Rindorfensis, quod ad curam animarum attinet, Viliciæ subsunt: uti nos vir eruditissimus Ægidius Gelenius docuit. Conditum id monasterium ab Arnoldo II Coloniensi Antistite, qui et illic in S. Clementis æde sepultus, tempore Frederici I Ænobarbi, uti habent Chronica Coloniensia. Videtur porro* nigrum *Rindorfium ab vulgo appellatum, ut ab altero Rindorfio, itidem nobilium Virginum cœnobio, discernatur: est hoc cis Rhenum, in ipsis fere Romanorum apud Bonnam castris, dictum vulgo* Graven-Rheindorf, *pro* Graew-Rheindorf, *quod Virgines illæ instituti Cisterciensis, uti et reliquus ordo, leucophæis, sive cinerei coloris vestibus uterentur, minus certe quam nunc albicantibus. Est et aliud trans Rhenum* Rheindorfium, *leuca una infra Mulhemium, ubi* Vipera *amnis se, ac* Dunam *ex monte Tauno natum, Rheno*

*(quod prope Viliciam, post ædificatum, diversum a Clarhemiano)*

C *infundit. Nigri autem Rheindorfii Canonicæ, iisdem fere vivunt institutis, quibus Coloniæ Virgines Capitolinæ et Ursulanæ, atque olim Cluniacensium leges amplexæ existimantur: uti idem Gelenius retulit.*

*neque ibi monialis.*

4 *Porro Wernherus* Teschenmakerus *in Annalibus Cliviæ et Juliæ fatetur, S. Adelheydis parentes templum* Vilicense ad Sigam flumen *ædificasse: vult tamen eorum filias,* alteram ad S. Ursulam Coloniæ, alteram in Rindorp moniales fuisse. *Una eademque fuit Adelheydis et Coloniæ primum ad S. Ursulam sanctimonialis, et Viliciæ deinde Abbatissa: altera Coloniæ* in monasterio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, *quod Capitolium fuisse aiunt,* Domina et Mater, *ut in sororis Vita dicitur: neutra Rindorpii, ubi nondum sanctimoniales erant.*

*ejus festum,*

5 *In ea igitur, quam diximus ad Sigam amnem, Vilica, eximia religione colitur* Adelheidis. Primarium ejus festum, *Joannis Molani ætate, ut patet ex ejus Natalib. SS. Belgii,* erat in die S. Agathæ, quod tamen annue, ad placitum Canonicarum et Canonicorum, ter aut quater repetebatur: in primario etiam festo ex Virginis fundatione distribuebatur SPINDA, ut loquuntur, duodecim maldrariorum tritici et duo vasa halecum. *Est spinda, sive spenda, a Latino* dispendere, *vel* expendere, *formata vox. Nam autem etiamnum vigeat illa Officii aut festi per annum repetitio, quam scribit Molanus, haud sane comperimus: arbitramur potius aut Translationis alicujus commemorationem agi, aut votivum sacrum atque Officium in gratiarum actionem, aut aliam quampiam ob caussam quandoque fortassis suscipi. Officium nunc* IX *Lectionum celebratur, quarum quæ* secundi nocturni *dicuntur, ex Vita Sanctæ non ita pridem concinnatæ; reliquæ de communi Virginum: additur Octavarum celebritas. Ipso die benedicitur ingens panum copia, qui post Divinum Officium ab Antistita erogantur, non pauperibus solum, sed omnibus promiscue confluentibus. Eadem panum, ex* XII *secalis modiis, sive maldrariis (ut loquitur Molanus) pistorum, distributio fit sacræ Pentecostes feriis, dicunturque* Panes S. Adelheydis, *vulgo* S. Alen brodt. *Adhibentur pellendis pecorum morbis; et longissimum sustinent tempus, mucoris et corruptionis immunes, adeo ut post sexennium quandoque formam saporemque panis retineant.*

D

*ejusque officium,*

*panumque distributio,*

*salutarium contra morbos.*

*Nomen ejus in Martyrologiis,*

6 *Inscriptum* S. Adelheidis *nomen Martyrologiis. Idem enim Molanus in addit. ad Usuard. Nonis Februarii, ita habet:* In Vilika, depositio Alheidis Virginis et Abbatissæ, miræ sanctitatis. *Eadem habent Arnoldus Wion, Benedictus Dorganius, Hugo Menardus in monasticis suis Martyrologiis. Eadem fere Canisius, Bulduinus Willotius, Andreas Bacius, Ferrarius, MS. Florarium. Meminit illius quoque Constantinus Ghinius in Natalib. SS. Canonicorum. Appellatur vero Diva ipsa* Adelheidis, *sive* Adelheydis, *quod* εὐγένειαν, *sive* Nobilitatem *significat, et contracte* Aleidis.

E

*varie expressum.*

*Bertrada soror et Gerberga mater an Sanctæ?*

7 *Hermannus Greven Carthusianus Coloniensis in addit. ad Usuard. matrem sororemque illi conjungit:* Alheidis, *inquit,* et Bertradæ Virginum, et Gerbertæ matris earum. *Aubertus Miræus in Fastis Belgicis in S. Adelheidis Vita, ejus matrem* B. Girbergam *appellat, et ad* XIX *Decembris, ubi de S. Megengoso agit, iterum* B. Gerbirgam *nuncupat. Nondum comperimus, neque Vilicensibus constat, aut matri aut sorori sacros eos honores unquam habitos, et si sit amborum satis superque testata pietas. Chronicon Coloniense* Mengosum, *Gelriæ Comitem, tradit cum uxore et duabus filiabus in Vilicense Benedictini instituti cœnobium a se fundatum, esse ingressum: quod ex filiæ Vita refellitur. Sanctam parens uterque, sed in seculo, vitam egit, unus in pristina præfectura, altera Viliciæ quidem, sed absque sanctimonialis proprio habitu aut professione.*

F

## § II. *S. Adelheydis Vita, translatio, templum, fons.*

*S. Adelheidis Translatio;*

R*eperimus in quodam libello recenti manu exarato consignari ad* XXII *Novembris* Translationem Alheydis Virginis. *Quod equidem de hac accipiendum Gelrensi Adelheide, an potius Scarenbecana, quæ in Camerensi juxta Bruxellam cœnobio instituti Cisterciensis vixit, ducentis quinquaginta post annis, haud promptum est nobis pronuntiare. Posterioris illius Vitam dabimus* XI *Junii. At senioris duplex memoratur translatio; prior, cum corpus est Colonia Viliciam revectum, post obitum haud longo spatio; altera, ut cap.* 7 *Vitæ num.* 25 *dicitur, cum e claustro monasterii in interiorem ædem corpus est, jam miraculis coruscans, transportatum.*

*Vita scripta a coætanea,*

9 *Conradus Bruwillerensis monachus in Vita S. Wolphelmi, sui quondam Abbatis, anno Christi* CIↃXCI *defuncti, quæ apud Surium extat* XXII *Aprilis, a quo Vita sit S. Adelheidis mandata litteris, ita memorat cap.* 20. Extiterat huic beatissimo viro frater germanus, Fremoldus nomine; sorores sanctimoniales duæ, quarum una Oswenda nomine, miræ simplicitatis et innocentiæ fuit fœmina; altera vero, Berta nuncupata.

A nuncupata, litterarum plurimum emicuit scientia. Hæc Vitam B. Adelheidis, primæ Vilecensis Abbatissæ, eleganti satis admodum stylo conscripsit, et plurimum religionis vel scientiæ suæ fructum in eodem loco dereliquit. *Molanus et alii* Bertradam *eam vocant.*

*unde hic edita:*

10 *Surius hanc Vitam edidit, sed stylo passim mutato. Nos primigenia phrasi eam damus e MS. codice monasterii Corsendoncani Canonicorum regularium juxta Turnhoutum in Brabantia: verum in eo geminus prologus deerat, qui Vitæ alibi præfixus. Priorem, quo Archiepiscopo Coloniensi lucubrationem suam Auctor dicat, dabimus e Surio. Secundum ad Deo sacratas Virgines, nancisci non potuimus: testatur Surius, eum se vitandæ prolixitatis caussa omisisse; ceterum profiteri in eo Auctorem,* se ea quæ scribit habere ex earum relatione, quæ S. Adelheidis adhuc viventis doctrina et exemplis institutæ fuere, tum etiam se libellum examinandum obtulisse viris doctis, et ab iis approbatum esse.

*mutilata a Surio.*

11 *Multa hic de Gelriæ Ducatus origine, primis Præfectis,* Megingosi *Comitis genere et* Gerbergæ, *eorumque pronepotibus, qui in Vita nominantur, disputari possent; si Sanctis existimaremus non magis placere,* B *ut omissis genealogiis, forte interminatis, ipsorum potius Acta illustremus. Citat sæpius hanc Vitam Andreas Chesnæus, præsertim in genealogia Domus Luxemburgicæ.*

*citata ab aliis.*

*Collegium Vilicense:*

12 *Sunt Vilicenses Canonicæ plerumque* XII, *præter Abbatissam, omnes genere illustres: Canonici morum honestate atque eruditione, at non necessario titulis nobilitatis, conspicui, quinque; quorum unus gerit Parochi munus: præter hos Vicarii* VII. *Atque ab his accurate peragitur in dies Ecclesiasticum officium.*

*ejus templum crematum bello Truessesiano,*

13 *Geminum Vilicæ templum, parochiale unum, alterum collegiatum. Hoc olim* Monasterium aureum *dictum accepimus. Bis nostra ac parentum memoria deflagravit: primum eo bello quod ante* LXX *annos Gebhardus Truchsesius adversus Ernestum Bavarum gessit Ecclesiamque Coloniensem, cujus Episcopus antea cum esset, sibi tamen conjugem feralibus sedis copularat sanctimonialem quamdam Virginem, illustri Mansfeldiorum sanguine prognatam, Scotti cujusdam magicis præstigiis dementatus. Hoc ergo bello templum cœnobiumque Vilicense concrematum: ac nuper iterum bello Suecico in cineres redactum est, quod restauratum erat templum, domusque abbatialis. Alterum vero templum, collegio licet Canonicarum propinquum, ac domus* C *Parochi utrasque vitavit flammas.*

*et Suecico,*

*pars reparata,*

14 *Pars nunc est templi illius collegiati restaurata, studio ac sumptu* Amœnæ Margaritæ de Burscheidt *Abbatissæ, ut illic quotidie sacra duo celebrentur, primum a Vicaria, summum ab Hebdomadario Canonico. Primario tamen eadem illustris Antistita, pro suo in* S. Adelheidem *pietate, illius sacellum reparavit, quod vulgo* Chorus, *aut* Capella, S. Adelheidis *vocatur.*

*et sacellum S. Adelheidis:*

*hujus sepulchrum vacuum.*

15 *Visitur Divæ ejusdem sepulchrum, ante aram nuper illi positam, in qua habitu sanctimoniali depicta, veloque amicta. Apertum id ante annos aliquot sepulchrum, sed inane repertum. Existimatur sanctæ Virginis corpus in Galliam asportatum, ante aliquot secula. Sed cum inaudisset eadem* Amœna Margarita, *ab regularibus Canonicis Budingensibus asservari partem aliquam Reliquiarum Patronæ suæ* S. Adelheidis; *allegavit ad eos Canonicum, qui deprecaretur, ut Vilicensi familiæ, omnibus Fundatricis suæ exuviis orbatæ, particulam earum aliquam redhiberent. Pervicit et sanctæ Virginis honos, qui sic amplificatum iri videbatur, et ejus, quæ petebat, reverentia, ut nefas duxerint non communicari cœlestem thesaurum. Partem igitur brachii donavere: quam summa religione susceptam, hermæ inauratæ et affabre factæ, inclusit, loculamento in eam rem sub pectore efformato: ac magnus nunc ei* honos habetur. *Est autem* Budingen, *sive* Bodingen, D *Canonicorum regularium, ut jam diximus, cœnobium, tribus circiter horis supra Siburgum.*

*Reliquiæ aliunde acceptæ.*

*nitide ornatæ:*

AUCTORE I. B.

*Fons S. Adelheydis*

16 *Fons est leuca dimidia a Vilicensi collegio distans, Orientem versus, ad silvæ initium; qui a* S. Adelheide *olim elicitus fertur, ei certe sacer est, vulgoque* S. Adelheydts putz *et* S. Alen brun, *dicitur, id est,* S. Adelheidis puteus, *seu* fons. *Narrant eam, cum circa illum locum deambulans, agrestes conquerentes audisset, magna molestia, sicca præsertim tempestate, procul ducenda sibi jumenta et pecora aquationis caussa esse, commiseratione motam, Divina ope implorata, scipione terram percussisse, unde subito luculentus ac limpidus fons erupit, qui etiamnum fluit, dicunturque ejus potione febres sæpenumero, Divæ meritis, curari.*

*salutaris contra febres.*

# VITA

## auctore Berta sanctimoniali.

### PROLOGUS I.

*ex Surio, stylo mutato.*

Domino N. Archipræsuli venerando, cunctis Christi cultoribus pro merito bonitatis amando, pauper, E vilis et peccatrix illa indigna vocari sui ancilla, præsentis vitæ post tædia, æternæ beatitudinis præmia. Confortata exemplo Abrahæ Patriarchæ, Deum familiari allocutione sæpius convenire audentis, adjiciam adhuc loqui ad te Dominum meum, fidum imitatorem ipsius Dei omnipotentis, humillime clementiam tuam implorans, ut pro ejus nomine, qui innumeris divitum donariis prætulit duo æra minuta viduæ, æneum hoc opusculum gratum tuæ dominationi sit munusculum: hocque admonearis, ut mei pauperculæ orata implere non obliviscaris: quatenus pro te intercedente sancta Virgine, cujus merita hic habentur descripta, omnia tuæ humanæ fragilitatis deleantur delicta. Nos quidem te, Præsulum dignissime, Patrem et Dominum appellantes, et loco Christi pro nostrarum virium modulo venerantes; sicut illi dicimus, cujus erga nos vices geris, Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam; ita post illum ad tuum honorem referimus, quidquid gesserimus laude dignum. Cum enim tum ob nostra, tum aliorum subditorum, vel corrigenda vel etiam propulsanda mala, labores suscipias, jure quoque ex iis, quæ Deo adjuvante recte gerimus, honor ad te redit. Sic pius ille Magister, cujus es F vicarius, seorsim quidem discipulos suos stultos et tardos corde ad credendum, vel aliis id genus modis appellabat; at coram reprehensoribus, qui eos spicas vellentes, vel alia similia facientes, carpebant, invicta ratione tuendos suscipiebat. Itaque hinc ego animata, exiguum hoc tuæ Dominationi offero munusculum, ut si qua in eo corrigenda sint, ea piorum virorum opera emendes. Si quis vero invidentia stimulante illud calumniari velit, instar ejus, quem jam diximus, Magistri, defendere ne dubites, ut cujus geris vicem, in ejus quoque vestigiis graviter insistas. Porro si quis opus emendatione indigens putet esse indignum, quod tantæ dignitatis viro munus offeratur, noverit is, tametsi calami magna est rusticitas, non parvam tamen in ipsa materia utilitatem inesse: atque ita quod stylus impolitus videtur efficere contemptibile, id insigni pretio materiæ munus effici gratissimum. Jejuno quidem sermone multa præclare gesta prosequimur, puta beatæ Matris Adelheidis Vitam: quam cum Dominus admiserit in Beatorum consortium, qui numquam non pro populo Dominum deprecantur, idque signis evidentissimis declararit; quibus meritis ad hoc honoris culmen evecta sit, tibi imprimis, deinde etiam Christia-

*Archiepiscopo Coloniensi hanc Vitam humiliter dedicat auctor,*

Psal. 113 8

Luc 24 25

Matth. 12 2

*emendendam et defendendam;*

*utilem certe.*



nis

AUCTORE BERTA SANCTIMONIALI, EX MSS.

A nis omnibus nosse profuerit. Unde etiam curandum est prudentiæ tuæ, ut sive hoc nostro, sive quovis alio stylo, isthæc ad omnium notitiam perferantur; ut sciant omnes, absque meritis nostris, Dei benignitate factum esse, ne hæc in oblivionem venirent. Pro qua re tu quoque gratias agere debebis Domino Salvatori, qui cum esset Deus, homo fieri dignatus est, vivens et regnans cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum, Amen.

## PROLOGUS II.

AD DEO SACRATAS VIRGINES,

*a Surio omissus, nec alibi repertus.*

# VITA

ex MS. Corsendoncano Canon. Regular.

## CAPUT I.

*S. Adelheydis illustris prosapia, sancta adolescentia.*

Inchoati operis Spiritu sancti gratia assit exordio, qui operatus est, quidquid boni a quoquam cœptum B vel perfectum est a mundi exordio: ut hoc etiam opus perficiatur administratione suorum donorum, in quibus consistit initium et finis omnium bonorum. Considerata autem nostræ parvitatis imperitia, trepidamus tanti operis tentare initia: perspecta vero divini muneris largitate, mens nostra non formidat; quia, testante Evangelio, Spiritus ubi vult spirat: (Joan. 3. 8) quem ut huic calamo aspirare speremus, in sanctæ Matris nostræ Adelheydis meritis fiduciam habemus: (Auctor Vitæ hujus sanctimonialis.) cujus laudabilis vitæ seriem litteris commendare conamur, nos humiles ejus ancillæ, orantes ut fomite sancti Spiritus flammescant in nobis naturalis ingenii scintillæ.

2 Cum imprimis competens videtur, ut ejus summæ nobilitatis tangatur genealogia; quam ipsius nominis prodit etymologia: deinde præsentibus et futuris, ad ædificationem, ejus sanctæ conversationis scriptis innovemus memoriam; Deique in ea mirantes virtutem ipsi referamus gloriam, qui, ut Apostolus testatur, omnia in omnibus operatur. (S. Adelheydis genus illustre, 1 Cor. 12. 6) Pater ejus Comes illustris, *a* Megengor cognominatus, sapientia, nobilitate, divitiis; exceptoque regimine et prænomine regni, ut Rex suo tempore C magnus inter Principes habebatur et nominatus. (*a* pater,) Mater vero *b* Gerbirg nuncupata, æque illi nobilissimo germine propagata, filia exstitit Ducis cujusdam, nomine *c* Godefridi, tunc temporis magni et incomparabilis viri. (*b* mater, *c* avus,) Huic enim nobili matronæ fuerunt quatuor fratres, præstantissimi inter universos illius temporis primates; quorum unus paterno nomine et honore sublimatus obiit, heu! legitimæ uxoris et liberorum jucunditate nunquam lætatus. (avunculi,) Alter vero donatus posteritate nobilissimæ prolis, atavus fuit Henrici *d* nuper defuncti Imperatoris. (*d*) Et universos perspicuos Primates, quibus adhuc *e* Teutonica Francia nobilitatur, a duobus reliquis fratribus lineam nobilitatis traxisse, vera testimonio comprobatur. (*e*)

3 Præfati igitur conjuges Megengor et Gerbirg, quatuor filias genuerunt; quarum binas spe posteritatis nuptui tradiderunt: quæ ambæ et maritali potentia et omnium bonorum et divitiarum illustres extiterunt affluentia. (sorores,) Ex quibus una, nomine *f* Remyntrudis, avia erat *g* Henrici magnifici Ducis, et *h* Atelveronis Metensis Episcopi, et *i* Frederici Ducis, *k* fratrumque suorum, magnorum scilicet hujus temporis virorum. (*f* *g* *h* *i* *k* harum duæ nuptæ.) Altera vero, *l* Alverat nominata, scilicet suæ posteritatis præclaris incrementis erat donata. (*l*) Reliquæ vero binæ Coloniæ nuncupatæ sunt servituti et legi divinæ, una in *m* D monasterio sanctæ Dei Genitricis Mariæ; quæ tanta promovebatur industria morum, observantia regularis imperii, ut digne constitueretur Domina et Mater illius monasterii. (*m* alia Abbatissa:)

4 Hæc vero, de qua nobis est sermo, in monasterio sanctarum Virginum subiit suave jugum Domini, secundum regularem institutionem S. Hieronymi. (ipsa sanctimonialis,) In qua dulcis præsignabat infantia, quantæ probitatis futura ætas exornanda esset præstantia. Nondum enim transcensis annis puellaribus, cœpit devote versari in propheticæ laribus: cujus institutione postquam se cognovit animal rationale, pervigili studio laborabat refici sapientiæ sale, quod Dominus, qui non improperando dat omnibus affluenter, fieri permisit, quia in posterum hoc multis profuturum prævidit. (a pueritia pia, studiosa,) Tali namque nutrita alimento, tantæ probitatis et virtutis cœpit crescere incremento, ut annos adolescentiæ morum gravitate transcenderet, illamque senectutem actu et habitu in se præcederet, quæ, ut habetur in scriptis, talibus Prophetæ commendatur dictis: Senectus venerabilis, nec diuturna, neque numero annorum computata. (gravis,) (Sap. 4. 9)

a *MS. Ultrajectense*, Mengengoz et Mengengos *vocat*, Mengosum *Henricus Aquilius in Chronico Geldriæ; Irenicus Germaniæ exegeseos lib. 3 cap. 80* Mendosum, *sed mendose, ut multa. Petrus Scriverius in Notis ad Aquilium*, Megengosum *hic in vita S. Adelheydis appellari scribit, licet Surio* Megengor *sit*, *Hareo* Mengegor; *Miræo* Mengo et Megengorus; *Gelenio de Coloniæ magnitudine lib. 1 syntagm. 7 pag. 94 ex diplomatis Villicensibus* Megingoz; *et ex quodam in criptione* Manguos. *Post mortem* Megengaudus, *vel (ut Surius habet)* Megengaudius *dictus. Colitur 19 Decembris. Eadem ætate floruit* Megingaudus *Episcopus Trevirensis, quem Lambertus Schafnaburgensis ad an. 1017* Megingoz *vocat, Claudius Robertus in Gallia Christiana*, Minguardum, Megningaudum, Megingotum, Megingaudum. (S. Megengaudi Geldriæ Comitis nomen:) — b *Infra num. 8* Gerburg *in MS. Ultraject.* Gerburch. *Aquilio est* Geborga, *Scriverio* Geberga, *Hermanno Greven* Geberta; *MS. Chronico Comitum Geldriæ etc.* Gerbergis, *Wernero Teschenmakero* Gerberga. (ejus uxor,) — c *Non erat hic, ut idem Teschenmaker et auctor MS. Chronici existimarunt*, Dux Brabantiæ, *in qua tres, sed longe post, imperitarunt* Godefridi. *Male etiam Simon Martinus in Floribus sanctæ solitudinis*, Godefridi Bullonii *filiam fuisse Gerbergam scribit, quæ eum totis centum annis præcessit. An autem avus S. Adelheydis* Godefridus *Ardennensis fuerit, alii disquirant. Ejus certe filius Godefridus junior, Dux Lotharingiæ inferioris, sine liberis decessit, datusque illius ducatus Gothiloni Magno fratri, antea Marchioni Antverpiensi. Consule Miræi Chronicon Belgicum, et Wassebergium. Godefrido illo seniore Ardennensi, sive Virdunensi*, dignitate morum alter illustrior, alter non erat consilio præstantior; *ut scribit Baldricus Ep. lib. 1 Chronici Camerac. cap. 100. Eadem fere Berta prædicat de patre Gerbergis Godefrido*, magnum et incomparabilem virum *fuisse*. (socer.) — d *Hic fuit* Henricus III, *Conradi Salici Imp. filius, qui an. 1056, 5 Oct. obiit.* — e *Surius* primariæ nobilitatis viri Franciæ Orientalis, quam Franconiam vocant. *Latius patere videtur quod Berta scribit, ut intelligantur provinciæ omnes quæ olim Francorum fuerant, tunc erat Germanorum, et plerique Teutonica lingua utebantur. Reliquas Francorum provincias Continuator Reginonis ad an. 939* Galliam Romanam *vocat*. Ludovicus, *inquit*, Rex Galliæ Romanæ, filius Caroli. *Erat is Ludovicus Transmarinus, Caroli Simplicis filius.* F — f *Surio est* Irmentrudis. *MS. Ultraject.* Yrmintrudis. *Andreas Chesnæus cap. 2 historiæ domus Luxemburgensis*, Ermentrudem *vocat, ejusque filiam (cujus nomen non extat) nuptam ait* Frederico *Comiti Luxemburgensi, fratri* S. Cunegundis *Augustæ.* — g *Hunc ex variis monumentis ostendit Chesnæus in Luxemburgicis, Bavariæ Ducem fuisse post patruum suum Henricum cognomento Hezilonem S. Cunegundis fratrem. Ambigue scribit Brunnerus lib. 9, pag. 805 tom. 2.* — h *MS. Ultraject.* Athelberonis. *Fuit hic* Adelbero *tertius, Metensis Episcopus factus an. 1047 ut habent Hermannus Contractus, et Sigebertus, et hic quidem vocat* virum magnæ prudentiæ et sanctitatis. *Anno 1072 obiisse tradit Schafnaburgensis.* — i *Hic factus est Dux inferioris Lotharingiæ an. 1046 ut tradit Hermannus Contractus, pro* Gozilone Ignavo, Gothilonis Magni *filio* Godefridi Ardennensis *nepote.* — k *Duos nominat Chesnæus*, Gislebertum et Theodoricum; *et illum quidem ait post fratrem* Fredericum II, *fuisse Comitem Luxemburgensem, patrem* Hermanni *Comitis Salmensis, in Regem Germaniæ electi. Quinque illis Proceribus sorores tres addit Chesnæus*, Oginam, *sive* Cunegundem, *nuptam Balduino Barbato Comiti Flandriæ;* Judtham *Guelphi Comitis uxorem, et* Gislam *Gandavi in monasterio Blandiniensi cum Ogina sorore sepultam.* — l *Sur.* Alverada. *MS. Ultraject.* Alveraet. *Teschenmakerus ex Mengoz* duabus secularibus gnatis alteram Joanni Juliæ Comiti nupsisse *scribit: at neque ipse neque MS. Chronicum* Joannem *ullum iis temporibus Juliæ Comitem produnt.* — m *Est id monasterium, ut Gelenius in sua Colonia Agrippina testatur, quod* Beatæ Mariæ Virginis in Capitolio *appellatur. Erhardus Winsheimius in Sacrario Agrippinæ scribit a Plectrude Pipini Herstalli conjuge* collegium *isthic* nobilium Canonissarum in honorem B. Mariæ fundatum: *esse nunc in ea ecclesia præter Canonissas*, in altero choro Canonicos. *At S. Adelheydis ævo monachæ fuerunt, inductæ fortassis in locum Canonissarum, ac deinde pristino instituto restitutæ, quod et Villicæ factum, ex hac Vita patet.* — n *Gelenius scribit* vitam Canonicam professam in collegio S. Ursulæ. *Sunt etiamnum, ut Winsheimius auctor est, in collegiata S. Ursulæ Ecclesia Canonissæ, illustris omnes familiæ.* E

CAPUT III.

A

## CAPUT II.

### *Vilicensis cœnobii, a parentibus conditi, præfectura.*

*a fratre in militia occiso.* *b*

Interim cum *a* Godefridus frater ejus processisset in robur virile, essetque elegantiæ ac strenuitatis miræ, Imperatorem *b* Bohemos cum exercitu adeuntem est comitatus honorifica suorum militia, omnique bellico apparatu heriliter stipatus: ubi factus belligerator insignis et fortis, meruit accipere victoriam gloriosæ mortis: cujus cadaver a suis, licet multo laboris sudore, tamen ad patriam (Deo gratias) reductum est cum honore. Hac namque adversa præfati conjuges tacti fortuna, recordati sunt, quod, teste Apostolo, præterit hujus mundi figura: cœperuntque uti mundo tanquam non utentes, toto desiderio ad cœlestem patriam tendentes, quam carentem fine scierunt numquam posse interire. Omnium igitur rerum, quæ huic filio defuncto rectæ distributionis forte ceciderunt, Deum fecerunt hæredem; ut meliori compensatione hæreditatem meruisset in paradiso deliciarum, id est, parte qua matura morte præventus caruit in hac valle lacrymarum. Tunc in loco qui Vilika dicitur, templum honorabile Domino erexit a fundamentis, illud decenter prædiorum vel mancipiorum cumulans supplementis. Amboque incolumes et sani decreverunt, propter Christum disjungi a lege conjugali: quibus tam meliori spiritus conjunctioni, et æquali cœpti operis colligatis cura, erat cor unum et anima una. Ille etiam propter frequentiam suorum et exterorum, qui illi ut Regi semper ingruebant, quasi specie tenus mundo inserviebat; prædia sua lustrando et præsidendo, Christique gratia mediante omnia prudenter et juste disponendo. Si quando vero populo paullulum remoto, aliqua quietis invenit otia, hæc vertere studuit in honesta negotia, allocutione usus Capellanorum; ut per eos *c* Teutonice exponerentur lectiones voluminum Divinorum: quas ideo tam ardenter audire expetivit, quia præceptum Jacobi Apostoli factis implere concupivit: Estote factores verbi, et non auditores tantum. Illa vero illustris matrona, prorsus a multitudine populi semota, stabilis mansit in loco ædificandi monasterii, accelerans opus structuræ instantia prudentis magisterii, semperque intenta servituti divinæ, jejuniis et orationibus invigilabat nocte ac die. Hæc enim faciendo non est dubium quin præcelleret viduas illas, quas merito continentiæ Apostolus appellat *d* veras, quæ post mariti mortem faciunt ex necessitate virtutem: quam et hæc fecit non defuncti mariti necessitate coacta, sed divini amoris igne intrinsecus tacta.

*compuncti parentes* — 1 Cor. 7. 3. — *bona ejus Deo consecrans,* — *ac Vilicense cœnobium ædificant:* — B — *deinceps continenter vivunt,* — *pater studiosus sacrarum Scripturarum,* *c* — Jac. 1. 22 — *mater jejuniis et orationibus deditæ* — C — *d* 1 Timoth. 5. 3

6 Tunc in prædicto loco adunata Virginum sedulitate, a quibus divina excolerentur servitia; filiam a monasterio sanctarum Virginum *e* redimentes prædiis, tradiderunt illi curam regiminis. Tunc namque prudens dispensatrix constituta in magni patrisfamilias domo, cœpit augeri omni studio et opere bono; maternamque subditis adhibens curam, fideliter in tempore suo erogavit tritici mensuram. Tunc exultabant in Domino pii parentes, tantum suæ prolis sibique subditarum Virginum profectum videntes: cupientesque eas adhuc excellentiorem arripere viam, rogabant ut mutato habitu, monachicæ conversationis subirent vitam. Hæc, quia adhuc juvenis cultum vestium suæ religioni congruentium, ut ipsa asseruit, multum concupivit, humili responsione illorum petitioni contraivit, affirmans Deum non quærere coacta servitia, sed quod voluntarii cordis simplex affert munditia. Cujus humile responsum attendentes, salva pietate, animum revocabant ab incepta voluntate.

*e S. Adelheydis cœnobio præficitur,* — *retenta priori professione et habitu*

7 Tunc rebus satis decenter ornatis illum locum tradiderunt, manu Imperatoris, tertii scilicet Ottonis, ad perpetuam tutelam regiæ defensionis. Qui gratia earum dilectionis, illum locum absolvit ab omni jugo secularis districtionis, donans libertati, secundum legem et constitutionem monasteriorum *f* Gandersheim, *g* Quedelenburg, *h* Asnithæ; ita scilicet, ut nullus Judex vel Advocatus inde unquam exigeret servitium, aut in ejusdem loci confiniis ageret placitum, nisi quantum placuisset Abbatissæ vel congregationi sibi commissæ: et ut in perpetuum libera frueretur potestate, Abbatissam sibi eligere in ipsa Sororum sancta sodalitate. Cujus libertatis donatio ut in perpetuum rata foret et firma, dabantur testamenta Domini Apostolici, et duorum Imperatorum, scilicet Ottonis et Henrici, manuscriptione ac sigilli impressione confirmata: quæ adhuc apud nos retinentur custodia fideli, ne posteros lateat veritas hujus rei.

D — AUCTORE BERTA SANCTIMONIALI, EX MSS. — *Curata cœnobio immunitas,* *f* *g h* — *et electionis libertas.*

a *MS. Ultraject.* Godfridus *Molanus unicum hunc* Megengori *Comiti filium fuisse censet: cui facile subscribet qui hanc Vitam accurate legerit. Neque Aquilius aut Scriverius successorem* Wikingum, *aut* Wibingum, *filium ejus unum fuisse; quod in MS. Chronico dicitur, et placet Teschenmakero.* — b *Plures susceptæ eo ævo adversus Bohemos expeditiones. Suspicamur* Godefridum *occubuisse anno* 986, *aut* 987. *Priori enim anno, ut scribit Schafnaburgensis Otto* III Bohemiam vastavit; *sequenti* iterum Bohemiam intravit et eam ad deditionem coegit. — c *Surius,* Germanice. *Non placet ea interpretatio: nostrate enim* Teutonica *dialecto, quæ Germanica lenior, affinis Saxonicæ, et Gelri, ut modo, tunc usi, et alii etiam supra Coloniam ultraque Rhenum populi; quod ex veteribus scriptis probant viri eruditi.* — d *Vulgata editio* vere viduas *habet, uti et Græca* ὄντως χήρας. — e *Explanat Surius:* Adelheidem e sanctarum Virginum monasterio, cui prædia contulerunt, accitam præesse voluerunt. — f Gandersheimium *oppidum est in ditione Brunswicensi, non procul Goslaria, a* Ganda *fluvio nominatum, uti Fabricius tradit Origin. Saxonicar. lib.* 2. *in quo amplum et magnificum Virginum cœnobium* Ludolphus *Dux, Henrici Aucupis Imp. avus ædificavit;* Otto *ejus filius rebus multis auxit et ornavit. Istic Roswitha celebris poetria religiosam vitam egit.* — g *Ædificavit hoc cœnobium* Henricus Auceps *Imp. uti plenius* 14 *Martii ad Vitam* S. Mathildis, *ejus conjugis, dicemus. Ipsius Henrici vita functi* corpus, *uti Luithprandus scribit histor. lib.* 4 *cap.* 7 in Saxoniam deportatum, in nobilissimarum ac religiosissimarum monasterio puellarum, quod in ipsius Regis prædio, vocabulo Quintelingaburch situm liquet, intra ecclesiam cum immensa est veneratione repositum. Querilnburg *vocat auctor historiæ de Landgraviis Thuringiæ cap.* 9 *Krantzius Saxoniæ lib.* 3 *cap.* 12 *de Henrico loquens,* Quedelinborg autem urbem, *inquit,* singulari cura respexit, monasterium ibi erigens Dominarum, in quo primam fecit Abbatissam filiam suam Mathildim; ecclesiam autem in honorem S. Servatii jussit consecrari. Henrico autem moriente, quod deerat et urbi et monasterio, implevit relicta ejus; *Sancta scilicet Mathildis. Novum postea templum ædificatum, cujus dedicationi an.* 1021 *adfuisse S. Henricum Imp. cum Cunegunde uxore, tradit ex veteri Chronico Quedelinburgio Georgius Fabricius lib.* 1 *Annal. urbis Misn. Porro* augustissimum *illud fuisse templum, sed* (incertum Divina ultione an fortuita calamitate) *an.* 1070 incensum atque in cineres redactum *scribit Schafnaburgensis. Situm est* Quedelnburgum *in Saxonia ad Bodam amnem, qui deinde in Salam influit.* — h *Surius* Asnithense monasterium *vocat. Quæ nunc* Essendia, *vulgo* Essen, *in antiquis diplomatis* Asnidia *dicitur, urbs Westphaliæ intra Ducatum Montensem, cum illustrium Canonissarum collegio, quarum Abbatissæ urbs ipsa et territorium paret.* — i *Imperavit* Otto III *ab an.* 984, *obiit* 1002. *Successit* S. Henricus, *qui* 1024 *obiit.*

E — *Ganderchelmium monasterium W illustre, uti et Quedolenburgum,* — *et Essendia.* — F

## CAPUT III.

### *Assumpta S. Benedicti Regula. Parentum obitus.*

Et non multo post Domina Gerburg, perseverantia Catholicæ fidei omniumque bonorum operum, Domino veniente vigilans inventa, ipso vocante est rebus humanis exempta; nimirum donanda illius beatitudinis præmio, quod vigilanti servo Dominus promittit in Evangelio. Tunc matre orbata beatissima proles, ad Deum, quem a primæva ætate dilexit, ardentius suos convertit mores: et quod utrique parenti de mutando habitu prius contradixit, tunc statuens ante oculos mentis, salubri compunctione tacta est, gratia Dei omnipotentis, et qualiter ad monasticam religionem pervenire posset secum reputabat omnibus momentis. Sapientia vero, quæ in mente sua habitationem fixit, ne hoc tam subito inchoaret interdixit: monens ut necessarios virium sumptus computaret in secreto mentis, si forte sufficere posset

*matre mortua,* — Luc. 12. 37 — *statuit assumere regulam S. Benedicti,* — *sed prudenter,*

A set ad subeundam regulam B. Benedicti, ne iis deficientibus caderet in opprobrium Evangelici dicti : Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. Nam quotidianæ refectionis hora, spretis carnibus ceterisque variis et exquisitis alimentis, monachilis edulii tantum contenta est alimentis; insciis tamen cunctis circumsedentibus, excepta una Sororum, quam bonæ conversationis merito probatam, consciam habuit secretorum. Lineis etiam indumentis foris nitebat ad oculos hominum, subtus autem laneæ vestis asperitate se afflixit propter Deum, edomans corpus nobilis et mollis naturæ ad sufferendam institutionem legis duræ.

*AUCTORE BERTA SANCTIMONIALI, EX MSS.* — Luc. 14 30 — *explorans vires suas in victu et vestitu,*

9 Cum enim necessarios virium sumptus per unum annum ita laborans computaret, eosque ad peragendum laborem inchoati operis sufficere speraret, tamen non suis confisa meritis, sed gratia Dei, diu deliberatum animi votum confirmavit effectibus rei. Tunc vocata venerabili Abbatissa, et prioribus de sancto Dei Genitricis monasterio, humili devotione illarum sese subdidit magisterio, ut per illarum doctrinam monachicæ conversationis inveniret viam; suadens subjectis materna pietate, ut hanc eamdem non dubitarent secum intrare. Hoc quibusdam illa-
B rum nolentibus, sed retro post seculum abeuntibus, illa vehementer condoluit, quia more Apostoli omnes sicut seipsam esse voluit.

*per annum : tum magistras accersit sorores cœnobio : suas ad idem propositum inducit;* — Act. 26. 29

10 Has autem, quas Dei suique caritas ne abirent irretivit, tam mirando salutis exemplo præivit, ut quamvis ceteris præesset nomine et dignitate magisterii, semetipsam tamen omnibus strinxisset omni difficultate regularis imperii : et alias, ne forte corruissent jejunando et orando, sustentare curavit, ne crescentis sanctæ religionis suffocarent initia. Nam et maternam servans in corde caritatem, et foras exercens judicii severitatem, materno affectu flagella exteriori exhibuit homini, ut spiritus salvus fieret in die Domini; zelum autem rectitudinis semper temperare curavit spiritu mansuetudinis; quia illud sua recoluit paternitas, quod justitia, si modum excedit, sit severitas. Sæpe enim correctione peracta, ut mater clementissima, compassione pia in animo tacta, sic allocuta est provectæ ætatis Sorores, quas sui alloquio dignas sancta religio et compositi effecerant mores : O quanta miseratione moveor supra filias meas, quia gravi flagello afflixi eas! Ob quod rogo et admoneo, ut vestrarum piæ admonitiones vel consolationes illis exhibeantur, ne forte abundantiori
C tristitia absorbeantur; quin potius a pravitate correctæ, Dei meæque filiæ efficiantur electæ. O quam suavia verba et benigna, æterna memoria non immerito digna! sic sic miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, duris et obstinatis secundum Apostoli præceptum, increpando, obsecrando, arguendo, tamdiu instabat, quousque animas illarum a peste vitiorum sanabat.

*quibus præit exemplo, lenis in corrigendo, et correctas consolans per alios.* — 2 Tim. 4. 2

11 Dominus itaque Megengor post obitum conjugis supervixit trium annorum spatia, ad cœlestia tendens, sapientia et justitia duce, Domino vocante, in loco qui *a* Gelrie dicitur, migravit ad Dominum ex hac luce, ab eo coronandus proculdubio. Eadem vero nocte sui obitus beatæ filiæ suæ in stratu quiescenti, ut ipsa asseruit, nec aperte vigilanti nec integre dormienti, visus est quidam astitisse, ejusque auribus dulciter cantando hæc verba prophetica fudisse : Ecce quomodo moritur justus, et nemo percipit corde. Viri justi tolluntur, etc. Cumque facto mane hanc visionem Sororibus venisset nuntiare, nondum completo sermone, nuntius superveniens, eum ex hoc seculo migrasse nuntiavit. Cujus exequiis a filia peractis, studio religiosi apparatus, in proprio monasterio una cum conjuge est honorificæ sepulturæ mandatus : qui postmodum in somnis apparuit cuidam Sororum illius monasterii, quasi glo- D
rificatus potentia et decore regalis imperii. Quem cum diutius intuita miraretur, et an ipse esset Dominus Megengor percunctaretur; ille responsione tali hilariter cœpit illam affari : Hoc nomen mihi erat adhuc corporali mole gravato, nunc vero *b* Megengaudus vocor vocabulo in melius mutato, quia absolutus vinculis peccatorum gaudio perenni fruor in consortio Patriarcharum et omnium Beatorum.

*Pater pie moritur : a (obitu filiæ in somnis indicato)* — Isai. 57. 1 — *sepelitur Vilicæ : apparet cuidam gloriosus, b Megengaudus dein dictus.*

a *Rectius MS. Ultr.* Gelre. *Surius* Gellere. *Oppidum est nunc munitum ad Nersam amnem, quod amplissimæ provinciæ nomen dedit. Originem nominis Henricus Aquilius deducit ab immani monstro, quod sub esculo delitescens, ingentem pecorum hominumque stragem edebat, sæpius horrendo mugitu* Gelre, Gelre *inclamans : eo enim a Wichardo et Lupoldo magnanimis juvenibus interfecto, arcem ab iisdem conditam eo loco,* Gelre *ideo dictam. Ast eruditi fabulam indicant. MS. Chronicon a* Gugernis *derivat nomen, quos populus constat iis fere locis habitasse, inter Rhenum ac Mosam, quorum caput* Goch *oppidum fuisse eruditi quidam conjectant. Consule Cluverium Germaniæ antiquæ lib.* 2 *cap.* 18. — b *Sur.* Megengaudius. *Obiisse Aquilius scribit an.* 1001. *alii* 1011, *teste Scriverio. Teschenmackerus* 1004. *MS. Chron.* 1008.

*Gelriæ oppidi, et provinciæ, nomen unde?*

## CAPUT IV.

### *Liberalitas, præsertim in pauperes.*

Tunc nobilissima Virgo, defuncto patre, libera rerum suarum potita facultate, summo nisu cavebat, ne aliqua occasione necessitudinis obstaculum fieret E
iis incedentibus semitas rectitudinis, memorque præceptorum S. Benedicti pii Patris, factis implevit nomen vel officium Matris, quæque necessaria victus et vestitus voluntarie præbens iis, ne forte in aliquo paterentur detrimenta greges. Hyemis tempore, matutinorum officio completo, dormitorium repetens cum ordine Sororum; lectulos puellarum visu diligenter lustravit, pedes singularum donec calori redderentur piis ipsa manibus fricavit. Nam et infirmas Sorores secundum præcepta Regulæ non solum prudentibus et sollicitis Sororibus commisit; sed et ipsa nulla caussa intercipiente quotidie revisit, et ante lectulos humiliter genua flectens, manibus capita clementer erexit, cibosque ac potus dulciter ad os porrexit : et tam largiter fletibus nobiles perfudit maxillas, ac si ex proprio utero genuisset illas. Hujusmodi vigilantia pastoris a secularibus curis oves expeditæ, tantis excreverunt profectibus regularis vitæ, ut iis fierent virtutis exemplum, quæ prius in eis hujus religionis posuerunt fundamentum.

*S. Adelheydis sollicite prospicit suis : in frigore iis subvenit : ægras quotidie visit, iisque servit :*

13 Cum igitur adjuvante Domino tam decenter ordinasset interiora, necessarioque mentem extendisset ad exteriora, memor Dominicæ exhortationis, scilicet, Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia F
adjicientur vobis; regnum Dei quæsivit cum ipsis exterioribus, fidem spemque habens de recipiendis majoribus. Nam ex possessionibus monasterii curtem unam Domino singulariter delegavit, ex cujus annuis fructibus vel redditibus quindecim pauperes vestiri et cibari perpetuis temporibus mandavit : quibus et annuatim, instante Dominico Natali, quindecim solidos statuerat dari. Alios etiam quindecim pascendos instituit ex interioribus sumptibus monasterii, quibus annuo tempore quadragesimali *a* præscriptam pretii commutationem dari, et per annum in festivitatibus Apostolorum duodecim solidos, et in singulis diebus jejunii quatuor temporum tres tantum nummos cum plena ceterarum rerum erogatione. De hac constitutione convenit sæpe unanimitatem Sororum, ne unquam solvi paterentur temporibus sui successarum; veraciter illis prædicens, si quando hujusmodi constitutionis fieret infirmatio, ut usque felicitatis proculdubio illis afforet imminutio. Quod nunc ideo litteris commendatur, ne unquam per ævum oblivioni tradatur.

Matt. 6 33 — *statuit ut perpetuo magnus numerus pauperum alatur; a neque id unquam immutetur.*

14 Quodam igitur tempore, *b* cum pene omnis mundus affligeretur inopia acerbæ famis, comperta tanta largitate famelici undique ad ipsam confluxerant,

*b*

A rant, quasi ad sinum matris, et per plateas et exitus viarum multi semivivi jacentes expectabant solitam dispensationem sui eleemosynarum. Super quorum necessitatibus misericordia mota, singulis consulere curavit devota : quia sanis et valentibus solidum cibum, id est, panem et lardum erogavit; minus vero valentibus ministravit olera aut legumina carne curiose decocta : tumidos autem et pene desperatos vita, recreavit sorbellis mixtis aqua, modica etiam farinula, et sagina, hoc summa procurans diligentia, ne cibis nimia aviditate sumptis periclitarentur corpora alimentis diu carentia. Hanc namque lampadem pietatis coram hominibus fecit lucere ad gloriam cœlestis Patris. Sed in absconso, nesciente sinistra, tantum ad largitatem eleemosynarum porrecta erat dextra : ut sæpe dum ad clamorem pauperum nummos ad manum non habuisset, clam extrahens caligas in sinum pauperis misisset.

*famis tempore pauperibus large et provide subvenit,*

*etiam proprias vestes iis largiens :*

15 Hæc et alia quæ in absconso, Patre suo cœlesti vidente, faciebat, summo nisu ab omnibus videri cavebat ; quæ per singula si tangere nostra tentaret narratio, nimirum in infinitum procederet ratio. Quapropter Dominus in ea vere sententiam confirmavit, scilicet, Omni habenti dabitur, et abundabit. B Habens enim Dei et proximi caritatem, tantam utriusque hominis meruit felicitatem, ut exterius terrenarum divitiarum bonis, interius spiritualium virtutum polleret donis : quæ instituit, auxit et firmavit sanctam religionem et scholam divini servitii, quæ semper fuerunt summa cura sui officii. Has cum frequenter ingressa, moveret de arte grammatica quæstiunculas, si qua forte suæ quæstioni congruenti responsione obviavit, mox illam materne osculando aliqua mercede donavit, et spe sui profectus, perfusa est spirituali lætitia. O Caritas magna, cunctisque aure percipientibus miranda, quæ numquam refrigerata, bono zelo semper æstuavit; quia in eo (Deo gratias) iniquitas non abundavit.

*Matth. 25. 29 inde magis abundat :*

*scholas visit, et proficientes animat.*

a Exponit Surius totidem dari solidos; id est, quindecim, ut ante. — b Herm. Contractus an. 1005. Fames magna facta est. Schafnab. an. 1006. Fames valida. Describitur ea in Vitam S. Heriberti 16 Martii.

## CAPUT V.

### *Capitolini cœnobii præfectura. Miracula.*

a Interim prædicta sorore ejus *a* Berthrada in Christo feliciter obeunte, Archipræsul sanctus *b* Heribertus, sciens hanc nostram Matrem septam omnium C virtutum munimine, voluit ut defunctæ sorori succederet in regimine Sed illa totis viribus renitebatur, seque tanti honoris indignam fatebatur. Cum ergo Imperatori Aquisgrani tunc commoranti nuntiatum fuisset, quod neque jubenti, neque petenti Episcopo consensisset; eam imperiali potentia vocabat, defunctæque sororis honore sublimabat. Mox annuente Domino declaratum est in Metropoli civitate Coloniensium, quid prius operaretur in obscuro *c* Vilikensium tugurio : et indicio ejusdem Archipræsulis, sapientia, religione, omnique sanctitate cunctis sui Ordinis decernebatur incomparabilis. Quapropter venerandus Antistes tanto amore est illi colligatus, ut ejus consiliis pareret in quacumque divinarum rerum ordinatione, eamque summa excoleret veneratione. Erat enim inter eos tam mira caritas, Deoque grata familiaritas, ut in omnibus operibus bonis unius viderentur esse moris : et jam non potest dubitare omnis homo, quin et nunc habitent in una eademque æternitatis domo. O felix in illis diebus Colonia Agrippina, in cunctis rebus bene ordinata lege Divina, dum iste studiosissimus imitator Petri, Doctor ac Rector extitit populi et Cleri, et hæc talis ac tanta Virginum Choris præfuit religione sancta!

*sorore mortua, invita fit Abbatissa in Capitolio Coloniæ,*

*familiaris S. Heriberto Ep.*

17 Hæc igitur venerabilis Virginum Domina et Mater, quam in pauca fidelem, supra multa constituit cœlestis Pater, exemplo veri pastoris geminato ovili intente invigilabat, omnibus momentis illud Evangelistæ sæpe iterans in secreto mentis : Cui multum donatum est, multum quæretur ab eo. Verumtamen quas in Vilika Domino parturiens lacte salutaris doctrinæ nutrivit, singularitatem quamdam interni affectus impartivit. Quod nulli mirum videtur, quia quod carius acquiritur, carius et possidetur. Nam omnis nitor Coloniensis gloriæ has numquam potuit ejus auferre memoriæ, quin semper doleret corporis præsentia eis aliquamdiu abesse, quæ tamen spiritu omni hora consuevit adesse. Si quando vero filiæ Matris reditum meruerunt, ac si ipsum Deum præsentem vidissent, exultaverunt. Quia ut pullos sub alas congregat gallina, sic omnes ad se traxit caritate ac benignitate mira. Vultum, habitum, omnemque singularum qualitatem diligenter prævidit : et si quæ necessariarum rerum defectum ea absente paterentur, diligenter perquisivit. Vere enim pastrix, et non mercenaria, quia numquam patiebatur gregi deesse vitæ utriusque necessaria. Plerumque enim clam cellaria ceterarumque Sororum promptuaria ingressa, vinum, carnes, pisces aliaque multa sibimet ipsi furabatur, quæ distribuit puellis minoris ætatis et Sororibus imbecillitate gravatis : ut si quid E in constituta annona defuisset, hoc suo memorabili furto suppleri potuisset. Quod ideo furtim fieri decrevit, quia Patris sui in absconso videntis retributionem elegit. Et quia de prodiga dispensatione rerum a suis frequenter arguebatur, tale furtum fecit. O furtum non immerito laudandum præsentibus, et posteris jure perpetuo commemorandum ; quod cum humano judicio maximum decernatur vitium, admiranda virtus facta est per maternæ caritatis officium! Per quod multi vadunt ad tormenta, per hoc illa virtutum et meritorum meruit incrementa.

D

*AUCTORE BERTA SANCTIMONIALI. EX MSS.*

*Luc. 12. 48 Vilicensium curam retinet,*

*easque revisit,*

*omnibus gratissima,*

*et sedulo eis prospiciens,*

*suffurans de communi, ut magis egentes juvet.*

18 O gemma Virginum pretiosa, quæ animi virtutum splendore, tam magna extitit et gloriosa, ut adhuc conversatam in hujus mortalitatis peregrinatione Dominus clarificaret virtutum operatione ! Si qua enim Sororum (quia, ut scriptum est, Non omnes possumus omnia) cantanti choro sonoræ vocis non congruebat harmonia ; correpta, vel alapis percussa a pia Matre, per omne tempus sequentis vitæ, delectabili vocis donata est claritate. Eodem modo et sæpe increpabat longa ægritudine aliquas laborantes, quia inutiliter tempus vitæ expendissent manibus non operantes quæ mox post verba increpa- F tionis a Domino meruerunt gratiam salvationis.

*claret miraculis; claritatem vocis alapa infligta confert,*

*increpatione sanitatem,*

19 Cellerariam enim aliquando, vinum de *d* cupa producentem, festinanter per nuntium accersivit : quæ in obedientia nesciens moram, ejus præsentiam velociter adivit, ore cupæ non obfirmato, sed *e* ducibulo secum in manibus asportato. Quod cum semetipsam reversa attenderet, et de effusione vini ultra quam credi posset timuisset, procuratrix sancta illam confortans pietate materna, clementer prorupit in hujusmodi verba : Nolo, Soror, ut contristeris ob eventum hujus rei, quia hoc damnum recuperabile erit per virtutem et gratiam Dei : verumtamen quid actum sit videndum eamus, et sive prospera sive adversa occurrerint, Domino gratias agamus. Quæ cum pari sollicitudine venissent, et nec una saltem gutta damnum vel diminutionem invenissent; cellераria humiliter provoluta pedibus Matris hoc memorabile factum imputabat merito suæ sanctitatis. Sed illa e contrario hoc divinæ potentiæ suæque potius ascribendum judicans obedientiæ, interdixit, ne hoc divulgaret, quamdiu præsens vita ejus corporis artus vegetaret. Illa vero nefas esse judicans hoc Divinæ virtutis indicium silentio tegi, quibusdam Sororibus secretius indicavit pro laude Dei. In iis enim,

d

e

*vinum e vase aperto ne effluat impetrat,*

*id Cellerariæ obedientiæ adscribit, et propalari vetat*

A *AUCTORE BERTA SANCTIMONIALI, EX MSS.* enim, et in omnibus quæ fecit per illam Dominus, semper refugit mundi extolli favoribus: mente revolvens nimis esse periculosum laudare felicitatem navigantis per hoc mare magnum et spatiosum, cum animus in dubio semper hæsisset, si forte ad optati portus stationem perventura fuisset. Si Pater noster cœlestis, qui cujusque operis in abscondo perpetrati conscius probatur et testis, hanc lucernam sub modio latere noluit, sed super candelabrum positam, splendore bonitatis multis lucere voluit. Quæ tum clarius mundo illuxit, postquam eam Dominus a dubio hujus navigii ad certitudinem portus perduxit.

a *Ea ab Hermanno Greven in addit. ad Usuardum, Alheidi jungitur ut* Sancta *hoc die.* — b *Rexit S. Heribertus Coloniensem Ecclesiam ab an.* 999 *ad* 1021. *Ejus Vitam dabimus* 16 *Martii.* — c *Ita etiam MS. Ultraj. At Surius atque ex eo Molanus.* Juliacensium *Citat Gelenius, loco antea citato Ottonis II diploma, quo testatur.* Nobilem *virum, nomine Megingoz, cum religiosa conjuge* sua Gerbirga *Sigæ fluvii districtum territorio Coloniensi, et construendo monasterio Vilike contulisse.* — d *Surius,* e dolio *prius æque Latinum et proprium.* — e *Idem Sur.* epistomii vertibulum, *sive vere vertibulum sit, seu potius vox epistomii insertus paxillus, eodem recidit. Idem forte* duciculus *est in Vita Urbani Ep. Lingonen.* 23 *Janu. cap.* 1 *num.* 4. illico boves disjunxerunt ligamina vasorum gladiis præsciderunt, duciculosque abstraxerunt. *Quem locum citans Gerardus Joannes Vossius lib.* 3 *de vitiis sermonis etc. cap.* 10 *interpretatur* orbem sive circulum ligneum, qui circumducitur dolio. *Propter hoc miraculum pingi S. Adelheidem cum vasculo vini scribit Molanus.*

ducibulum.

*Imago S. Adelheidis,*

B

## CAPUT VI.

### *S. Adelheydis obitus, Translatio.*

Rom. 2, 6 Sed cum Dominus, qui teste Scriptura reddit unicuique juxta opera sua, ipsam pro meritis vellet re-
*viribus deficit* munerare; cœpit paullatim viribus corporis deficere, sed solis virtutum studiis proficere: quia voce Do-
2 Cor. 12, 9 mini ad Apostolum dicitur: Nam virtus in infirmitate perficitur. Appropinquante igitur obitus sui die, cura debitæ provisionis revisit monasterium sanctæ
a Dei Genitricis Mariæ, et in festivitate *a* S. Blasii
*angina laborat:* Martyris post vespertinalem cœnam correpta est periculoso dolore gutturis: quæ post Completorium lectulo reclinata, signis innotuit cuidam Sorori, Yda nomine, quam in monasterio proprio regulariter educatam secum semper solebat habere: quæ sperans nihil esse periculi; secura revisit fomenta lectuli. Ipsa vero sciens se hoc resolvi dolore, pervigilem duxit noctem, timore mortis, quæ justo æque et impio timenda constat, quia est amara et fortis. Quod nulli mirum videatur, quia ipse Dominus appropinquante morte tristabatur. Quapropter in stratu sustinere non valens noctis moras, petensque mo-
C nasterium, orando prævenire volens matutinales horas, sicque virtute qua potuit insistendo servitio Dei, Missam sibi celebrari fecerat in ipso crepusculo surgentis diei: in qua se Dominici corporis et san-
*Eucharistiam sumit:* guinis Sacramento munivit: Sanctumque Heriber-
*S. Heriberto se suosque commendat:* tum de se suisque conveniendum adivit: qui ipsa narrante de morte ejus certificatus, ultra quam credi possit, est mente consternatus, dolens se in morte ejus ab ea separari, cui in vita indissolubili caritate consueverat alligari.

21 Adhuc tamen firmiter retinens maternæ inten-
*Vilicenses evocat:* tionis fidem, suas quæ erant in Vilika dilexit usque in finem; quibus per nuntium innotuit, se modicum tantum infirmari, ne illas immoderato mœrore contigisset turbari; rogans ut quantocyus eam venirent visendum. Quod (heu!) nescii imminentis miseriæ, in crastinum decreverunt differendum. Quo dilatio-
*pie moritur* nis interstitio sancta illa anima carnis ergastulo resoluta, gaudia paradisi, ad quæ vivens infatigabiliter suspiravit, perenniter cum Christo victura, gaudens introivit. Quod dum in Vilika suis nuntiandum supervenisset Legatus, quanti tunc gemitus, quantusque interius et exterius omnium esset luctus, piget reminisci de hac materia: quia magis flere libet, quam aliquid plus dicere de tanta calamitatis miseria.

22 Sed maximum hujus dissolutionis fore crede- D bant remedium, si saltem eam defunctam in bæreditarium dignæ fuissent suscipere monasterium: et ideo Episcopalem adeuntes præsentiam, sæpiusnumero pedibus provolutæ ipsius lacrymabiliter in- *Vilicenses corpus ejus petunt a S. Heriberto:* quirebant clementiam, ut concederet corpus apud illas humari, a quibus semper optabat se numquam separari. Qui prævidens in Spiritu sancto, quid Dominus in proximo per illam esset operaturus, contra hæc ad tempus inexorabilis mansit, et durus: et *negat is primum,* postea earum fletibus victus, monente Domino, misericordia motus movebatur super afflictas, et tandem *dein annuit.* reddens corpus multis lacrymis exoratum, sic eas allocutus est, fundens largiter ploratum: Si corpus S. Agathæ Virginis, cujus hodie festivitas colitur, habere meruissem, in præsentia, teste Deo nulla mihi inter hoc et istud esset differentia; quia non est dubium quin anima ejus pretiosa sit apud Deum. Tunc concessa Vilikensibus asportandi secum corporis licentia, ipse Deo dignus Pontifex cum utriusque sexus ordinibus, et totius urbani populi subsecutus *id navi honorifice imponitur,* est frequentia. Et Sancto corpore navi locato cum religiosi apparatus honore, nondum appositis remis, sursum contra impetum aquæ velociter ascendit absque remigii labore: qua mira divinæ ostensionis vir- E tute Dominus Colonienses intelligere voluit, quod *qua ultro ascendit adverso flumine.* suas in Vilika ejus sancto corpore orbari noluit. Tunc exequiis rite celebratis, et anima, non est dubium, exultante in Paradisi pratis; ab ipsa educata filia suæ sororis, Deo volente, successit in locum honoris: quæ omni probitate omnique elegantia vultus et staturæ in se prætendebat claritatem nobilis naturæ.

a *Colitur* S. Blasius 3 *Feb. ubi Acta dedimus.*

## CAPUT VII.

### *Miracula ad S. Adelheydis sepulchrum.*

His itaque digestis aggrediamur insignia miraculorum, per quæ illam Dominus mundo innotuit virtutibus manifestis, laudum officia persolvendis illi, cujus munere promeruit quidquid sibi operata est digne. Ante tricesimum sui obitus diem pauperibus *Ad ejus sepulchrum cæcus visum recipit;* infra claustra monasterii confluentibus ad eleemosynam, quidam cæcus cum ipsis illo venerat, ad manifestandam divinæ virtutis gloriam: qui negligentia sui ductoris incaute offendens in lapidem, quo tumulus claudebatur, corruit toto corpore prostratus, sed mox ejus meritis surrexit visui donatus. F Quo facto sopita modernæ desolationis tristitia, in omnibus tabernaculis nostris sonuit lætitia.

24 Huic enim gaudio mox majus gaudium successit, quod omne funditus abscidit dubium, quod in priori signo corda aliquorum oppressit. Mulier quædam *a* edentis vermis ulcere in cruribus graviter ve- a xata, ambulare nequivit, nisi vix baculo sus- *ex ulcere clauda sanatur.* tentata. Quæ in visu admonita, ad sepulchrum disposuit venire; ubi ejus interventu gaudia sanitatis meruit invenire. Cujus eventum rei cum hæc eadem propalasset in laudem Dei, altera quædam derogavit illi, quasi mentienti; quæ non multo post *huic miraculo detrahens altera corripitur a dæmone, ad Sanctæ sepulchrum liberatur.* correpta est a diabolo: qui multis divinorum verborum exorcismis exire constrictus, virtutes Christi, quas per Virginem suam Dominus operatus, vel operaturus erat, tandem confessus est victus; et cum mulier traheretur ad sepulchri locum, cum nimio vomitu exiens, possessam reliquerat domum.

25 Divulgatis itaque iis aliisque pluribus signis et virtutibus divinis, tantus concursus populi factus est *Maximus eo concursus,* ex longinquis mundi partibus, quantus ex vicinis: quibus pene claustra monasterii tam parva fuerant facta, ut multum disturbari videretur quies Sororum sanctæ religioni decenter apta. Eadem enim Abbatissa

A tissa adhuc vivens in corpore, memor præcepti Domini, quo in novissimo loco recumbere jussit ad nuptias invitato homini, rogavit ut si quando a mundo transiret Domino vocante, non in sacris locis, sed infra claustra monasterii tumularetur. Sed Dominus respiciens humilitatem ancillæ suæ, quia potens est in damnatione omnis creaturæ, quasi dixisset: Amica ascende superius, et erit tibi gloria; hanc honorifice intra muros monasterii receptam, cum ceteris Sanctis suis æterna fecerat celebrari memoria.

*sepeliri in claustro voluit; deinde translata.*

26 Dehinc magis ac magis ubique crebrescente signorum fama, illo tendens omnis qui vel alicujus molestiæ laborabat plaga, quasi certisssimum suæ liberationis confugium ejus frequentare non cessaverant tumulum. Inter quos venerat quidam Nobilis, pro pœnitentia cujusdam capitalis criminis ferreis nexibus Apostolica autoritate ligatus: a quibus post multa Sanctorum perlustrata limina, inibi tandem meritis illius tam evidenter est relaxatus, ut dissolutorum, proculque dissilientium vinculorum tinnitus, omnium tunc in monasterio consistentium percussit auditus. Veneranda igitur Abbatissa materteræ suæ audita pietate, hunc absolutum per aliquantum temporis magnæ humanitatis tractabat officio, una B cum germano fratre, qui proximum tamquam seipsum diligens, caritate non ficta, licet innocens, exceptis vinculis per omnia communicato labore fratris emendavit delicta. Cumque adhibito sibi tantæ pietatis fomento, emortuæ manus, vel brachia, pristini vigoris reviviscerent incremento, adjutis caballis vel vestimentis repatriare permisit magna hilaritate mentis.

*Vincula pœnitentis ibi miraculose soluta.*

*S. Adelheydis sororis filiæ, Vilicæ Abbatissa.*

27 Ad vincula ejus, S. Petri scilicet specialis patroni, cujus hoc cœnobium dedicatum est honori, quidam paralyticus, aurium atque oculorum officio privatus, ad Sacræ tumbam sanitati est donatus. Si quis pauperum aliquam illi oblationem non ex abundantia fecit facultatis, sed ex intentione promptæ voluntatis; per ejus fidelissimum interventum deinceps totius necessariæ rei meruit augmentum. De quo ne dubius maneat quisquam fidelis, illi proponimus profectum pauperculæ mulieris, qui hæc fidelissima remuneratrix apparuit nocturna visione: ut sibi ex proprio labore albam afferret potenti admonuit jussione. Quod cum se illa implere non posse respondisset propter nimiæ paupertatis impedimentum, fortiter coegit, ut surgens diluculo a vicinis in nomine suo peteret supplementum. Quæ cum nil C morata, sed facto mane cives suos rogando, sacræ Virginis curasset implere mandatum; tanti illi data est copia lini, ut non solum albam, sed etiam necessarium indumentum operaretur sibi. Quam postquam ad sepulchrum detulisset, tanta totius necessariæ rei augmenta promeruit, ut per omne tempus vitæ suæ, revolutione temporum anniversaria, bovem, aut porcum, vel alia quælibet illo detulisset donaria. D

*Paralyticus sanatus,*

*Paupercula in somnis monita,*

*albam ei offert,*

*ejus meritis locupletatur.*

AUCTORE BERTA SANCTIMONIALI, EX MSS

28 Hæc enim aliaque innumera miracula, quibus eam tunc temporis Dominus fecerat coruscare, nostræ tantillitatis stylus nequit singillatim exarare: de quibus quædam tantum quæ nostris temporibus facta et audita probavimus, non reticere conamur, ne culpæ silentii subjacere censeamur. Unicus cujusdam mulieris filius octo annos ætatis totidemque gerens infirmitatis, excepto lingua et visu, omnium membrorum destitutus erat usu. Cui sanctissima Virgo in somnis quadam nocte visa est astitisse, omnesque nervorum retractus *b* resolvisse. Cumque ex hac membrorum solutione magna vociferari cœpisset exclamatione, omnes in domo quiescentes nimio stupore perculsi, lectulo ejus advenerunt, omnibusque naturaliter compositis membris et erectis, eum velut exanimem invenerunt. Hic enim post unius horæ spatium in semet reversus, quid sibi visum esset circumstantibus innotuit; seque quantocyus cum oblatione ad tumulum sacræ Virginis deferri, patrem matremque instanter admonuit. Qui de sanitate filii gaudentes, in parando oblationem moram nescierunt: sed puero animali imposito, ipsi festinanter ambulando iter carpserunt. Tunc Deus, qui est in Sanctis suis vere mirabilis, ipsis iter agentibus E occurrere permisit infortunium mali lacrymabilis: ut dum ex hoc sublevarentur, mira opera ejus eo plus manifestarentur. Cujusdam enim fluminis pontem transeuntibus jumentum gestans puerum de ponte prosiliit: et una cum puero aquis immersum per unam fere horam nusquam comparuit. Cumque irremediabiliter de filii perditione ejulatum emitterent ex anima cordisque contritione, Sanctamque Adelheydem clamarent impiam et crudelem, nulliusque meriti apud Deum; subito viderunt jumentum una cum sessore suo ad littus pervenisse illæsum. Tunc ejulatu flentium mox verso in hilarem vocem gaudentium, cœptum peragentes iter, in festivitate *c* S. Gereonis, dum sonaretur primum matutinalis officii, Vilikam venerunt: qui mox in ipso introitu mirabilia Dei propalaverunt. Quæ cum publice prædicarentur, ipso die sanctæ sodalitatis caterva gloriam Deo canebat hymnum spiritualis melodiæ.

*infirmus et contractus a Sancta in somnis sanatur,*

*dein flumine haustus,*

*post horam emergit incolumis.*

29 Quidam a diabolo captivus, ad ejus tumulum est liberatus: qui quotquot annos supervixerat pro indicio suæ sanitatis censum illo detulerat. Quid plura? Omnibus signis, et virtutibus, quibus, excepta resuscitatione mortuorum, ullum sibi electum F Dominus mirificavit, etiam hanc mundo manifestavit. Ipsi laus et gloria per infinita seculorum secula, Amen.

*Energumenus liberatus, anniversarium munus affert.*

a *MS. Ultr.* Edelis nomine, vermis *etc. Surius solum*. Mulier quædam, ulcere in cruribus dire vexata. — b *Ita MS. Ultr. at Corsendoncanum* reliquisse. — c *Colitur* S. Gereon, *Martyr* 10 *Octob.*

# DE S. AGATHA HILDEGARDE
## PALATINA CARINTHIÆ.
### Commentarius historicus.

J. B.

### § I. *S. Hildegardis a marito præcipitata e rupe innoxie.*

AN. CIR. MXXIV. V FEBR.

*Retulimus paullo ante* Domitianum *et Mariam, Duces Carinthiæ, stabilitæ inter Slavos Christianæ religionis primarios auctores, eumque ob rem, atque alia benefacta, tabulis Cælitum adscriptos. Alia nunc occurrit ex eadem natione, eodemque die, et ipsa illustris genere, ac propter vitæ sanctimoniam publica veneratione dignata fœmina,* Agatha Hildegardis: *utrumque enim nomen jungimus, ut plerique; cum quidam* Agatham, Hildegardem *solum alii appellent. Magis etiam quam in S. Domitiani gestis, publica hic nos monumenta destituunt. Quæ a viris gravibus accipimus e Styria Carinthiaque, fideliter promemus.*

*S. Agatha Hildegardis,*

2 *Principio satis constat, injuste apud virum accusatam adulterii, indicta caussa, insontem, cum ancilla dejectam e turri ac rupe, Divina virtute servatam. Steina castellum est ad* Dravi *fluminis trajectum, ubi Diræ olim*

A *olim domicilium, nunc tumulus est. Hic decem ipsos annos Curionem egerat Thomas Drabas, cum quæ hic subnectemus, narravit Patribus Societatis* Jesu, *rogatu nostro inquirentibus; sed sola popularium relatione cognita, quia scripta olim cum templo flammis abolita.*

*AUCTORE J. B (ut retulit Pastor Steynensis in Carinthia) Palatina Carinthiæ,*

3 Paulus Comes Palatinus Carinthiæ, prosapia bellique artibus clarus, Hildegardem sibi matrimonio junxerat, pari nobilitate fœminam, sed eximia prorsus pietate: huic tutelam familiæ, dum bello ipse distinetur, commisit. Remanserat una domi germanus Comitis, incertum quo vacationis obtentu. Is desidia in libidinem solutus fratriam de incestu appellat. Sancta mulier flagitium aversata, impensius pietati se dedit, præsidio ut sibi, castarum mentium inhabitator, Dei Spiritus esset. Ille, et repulsæ dolore et supplicii metu, majus etiam scelus designat, atque innocentis accusationem occupat. Scripserat Comes, se bello confecto, reverti ad suos. Occurrit germanus, et gratulatus optatum reditum ad infaustam domum, quam Hildegardis conjugis eo absente adulteria contaminassent, demum et se ait ab ea sollicitatum ad crimen esse, vixque evadere illecebras ac vim potuisse, sæpius et Dei justitiam, et honorem familiæ contestatum. Quibus temere creditis, Comes B iracundia furens, domum evolat, familiam interrogat ubi hera sit. In superiore conclavi aiunt, ubi ut plurimum, cum Dorothea ancilla, illic ambæ concipiebant preces. Aucta suspicio, iraque. Effractis foribus irruit, ambasque precationi intentas, e fenestra proturbat in certam perniciem: erat quippe arx in præcipiti rupe sita, Dravum amnem, haud longe ab eo loco, ubi nunc est S. Pauli ædes in Mochlinga vico.

*incestum abominata,*

*de eo tamen accusata,*

*a viro e turri dejicitur,*

4 Ut dein comperit, nihil incommodi perpessas, Steinam ad S. Laurentii templum cælesti ope deportatas, a se ipse pœnas repetiit, sed iniquas ac crudeles: effodi namque sibi oculos curavit: sed illud religiose addidit, ut et templum S. Paulo construi mandaret, et animo per exomologesin expiato, septennem imperari sibi peregrinationem deposceret. Ea exacta, cum famulo duce diuturni itineris, in patriam revertit, subterque tilia quiescens, audiit campanæ in templo a se erecto sonitum, continuoque exclamans: Agnosco, ait, ubi locorum sim; simulque animam exhalavit, atque ibidem tumulatus est. Hildegardis ad annos aliquot viro superstes, XVIII rusticos Steinensi S. Laurentii ecclesiæ attribuit ut ex agris, quos ab ea colendos possiderent, in anniver- C sarium pauperum subsidium, de quo infra, quæ jus fasque esset, penderent.

*illæsa:*

*ipse excæcatus templum construit,*

*et septennio peregrinatus*

*moritur.*

5 *Hæc fere vulgi narratio. Alia verisimilior, aliqua saltem parte, Rechbergensis eodem in tractu commendatoris, hæc est.* Agatha Palatina, Paulo Hildegardo Comiti Palatino Carinthiæ nupta fuit, a quo et ipsa Hildegardæ, sive Hildegardis indepta cognomentum. Huic sedes in Prosniza arce, asperis ac præruptis in saxis fundata, supra Dravum flumen: circum saltus, ad ferarum venationem, cujus Comes perstudiosus erat, apti. Nocte quadam in iis transacta, dum sub ortum solis, villam cursim pertransit, ancillam conspicatus, Lupam nomine, vaccas mulgentem, ex ea quærit, quid Domina habeat? jamne strato surrexerit? Respondet improba, id agere Dominam quod impudicæ ac libidinosæ solent, viro absente noctes totas adulteris obsequi: atque audacter fidei adstruendæ oculos oppignerat; his certe spectasse flagitium: nisi fortassis bestiam se fuisse aut statuam credat, cum ista vidit. Ira percitus Comes, in arcem ascendit, accedit ad cubiculi fores, eas pulsat, et, quia non illico recludebantur (seu necdum thalamo surrexerat Hildegardis, seu certe pietati vacabat) perfringit; ac conjugem crinibus correptam, conculcat, atque demum de fenestra in abruptissimum D præcipitium jactat; nequidquam cum lacrymis deprecante Dorothea ancilla (nam aderat in conclavi) et heræ innocentiam attestante. Quin ipsam quoque, ut libidinum uxoris administram, de turri exturbat, Sequere, inquiens, adulteram lena. Ivere ambæ præcipites, sed innocuæ, Angelorum ministerio inter prærupta petrarum locatæ et suavissimo concentu recreatæ.

*Vel (ut alia narratio habet)*

*adulterii accusata*

*a perjura ancilla,*

*e turri projicitur, unaque Dorothea ancilla,*

*innocuæ, Angelorum ope, et cantu recreatæ;*

6 Id ubi e fenestra Comes conspexit, primum ludi sibi inani specie oculos ratus, dein ut vere incolumes esse cognovit, ad sumendam de perjura accusatrice vindictam prosilit. Verum jam illa graves (eheu) Deo solverat pœnas: nam non ipsa solum, sed et vacca, mulctrum, sedile, lac quoque, eodem omnia quo prius situ, figura, colore, in saxa penitus obduruerant. Aiunt ita etiamnum perstare: sed nemo est qui se vidisse affirmet, aut poscentibus queat ostendere. Perculsus Comes supplicii novitate, dum insontes ex inaccessis rupibus, ubi considebant, quo pacto eripiat circumspicit, subito ferri eas firmo vestigio ultra Dravum animadvertit, ingenti splendore coruscantes. Ipse quoque, in pœnam sceleris E sui, visu orbatus est: quem postea, constructo Mochlingæ in S. Pauli honorem templo, Missaque in eo audita ejusdem Apostoli Conversioni sacra luce, recepit: ac dein, ad quod se voto concepto obstrinxerat, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli sepulchra, aliaque almæ Urbis, ac Palæstinæ loca religiose invisit; domumque reversus, primo ipso die, ad meridianum Mochlingensis campanæ pulsum, prius sacra sumpta synaxi, excessit e vita.

*et accusatrice in saxum mutata,*

*flumen sicco pede transeunt, splendentes:*

*maritus visum, ad eo amissum, recipit, peregrinatur.*

## § II. *S. Hildegardis mors, templum, anniversariæ eleemosynæ, reliquiæ.*

Agatha, *cum Dorothea ancilla, in alteram suam arcem Steinam, uti diximus, divinitus transvecta, isthic perennes eleemosynas fundavit, ac S. Laurentio templum posuit, infra vero S. Margaritæ Virgini ac Martyri: ibique annorum aliquot curriculo religiose exacto, ipso S. Agathæ Virginis ac Martyris die, anno Christi* CIↃXXIV *decessit. Auditæ in ejus obitu psallentium Angelorum voces: aliis in vita ac post mortem illustrata miraculis: fertur quoque vaticinata, fore ut aliquando eæ gentes ab intemerato Catholicæ religionis cultu descisceret, sed post aliquot annorum spatium ad eam, virorum Apostolicorum studio, reducerentur. In quem dejecta fuit locum, ornant æstate rosæ ac lilia, sponte sua enata e rupibus, veluti humano cultu plantata.*

*Hildegardis templa fundat, et perpetuas eleemosynas: moritur, cantantibus Angelis, miraculis clara, et vaticiniis. Lilia et rosæ in loco lapsus.*

F

8 *Eleemosynæ, quas censu perenni constituto fundavit præcipue pane, vino, lardo constant. Eo festo* S. Hildegardis, *solemni ritu benedicuntur, distribuunturque in egenos aut cæteroquin poscentes. Panem enim ferunt in plures annos incorruptum manere: observatumque, numquam panis tum distribuendi penuriam extitisse: si Sacerdotibus atque aliis honoratis hominibus candidior quam vulgo pauperum ponitur, in furno aduri. Illud satis constat, quæ diximus, panem comprimis, ac lardum, in particulas sectum, multis præsens remedium esse ad morbos curandos, præsertim phrenesim, epilepsiam, dolores viscerum, phantasmata sagarumque præstigias. Eas porro eleemosynas, Conradus Salicus Imp. (qui, quo S. Hildegardis traditur decessisse anno, Christi nimirum* CIↃXXIV, *S. Henrico subrogatus, an.* CIↃXXVII *a Pontifice coronatus,* CIↃXXXIX, V *Junii decessit) suo diplomate confirmavit, additis privilegiis: uti et Benedictus Papa* (IX, *opinor, electus sub exitum anni* CIↃXXXIII) *qui et centum dierum Indulgentiam eo peregrinantibus concessit. Hæ postea datæ, Eucharistiam ibidem eo die sumentibus.*

*Eleemosynæ panis, vini, lardi, non absque miraculis,*

*salutares contra morbos,*

*confirmatæ.*

*additis Indulgentiis.*

9 *In eadem S. Laurentii Steinensi ecclesia, dum festo* S. Hildegardis, *anno* CIↃIↃCCXXXVIII, *ad aram Deiparæ Virgini dicatam, Missæ sacrificium offerret Pastor*

*in ea ecclesia Corpus et sanguis Christi in sacro apparent an. 1238*

*tor S. Cantiani, corpus et sanguis Christi in ejus manibus, non sub specie panis ac vini, sed propria forma apparuere; sive ipse de transsubstantiatione tunc dubitavit, sive eam veritatem altius imprimere populorum eorum animis Numen voluit. De eo miraculo rudes isti ac inconditi leguntur versus in antiquo rituali libro ejus Ecclesiæ, in membrana exarato :*

M duo c, tribus x, sed et annis addictis VIII,
Qui manet est et idem, natus de Virgine pridem,
Dat nova carne... superne sancta cruore,
Cœlica lumine, mentis acumine, unda colore.
Ad LAPIDEM gentes Agathæ festo venientes,
Omnes præsentes, ibi talia signa videntes,
Presbytero stante, Missamque Deo celebrante,
Ipso præstante, fit quod raro fuit ante.
Panis mutatur, caro tota cruenta notatur :
Vinum sacratur ita sanguis ut efficiatur.
Cunctis nosse datur : Deus id quod vult, operatur.
Presbyter orat, gratia rorat sancta cruore :
Mira latens, res sancta patens est, teste fideli,
Omnibus isthic. Laus, honor sit dic. Cunctipotenti;
Abstulit hic dubitatum sic faturæ quia genti.

*Hactenus illi versus, non numero poetico, quam sensu et syntaxi vitiosiores. Quod* ad Lapidem, *versu quinto, venire gentes dicuntur, locus ipse* Stein *indicatur; nam ea vox Teutonico sermone* lapidem *sonat : licet autem (ut alibi diximus) plebs agrestis in Carinthia, præsertim inferiore, Slavice ut plurimum loquatur; pleraque tamen locorum nomina, ut ex Chorographia patet, Teutonica sunt, quomodo et cives ac nobiles loquuntur.*

*Ecclesia illa ob miracula, a Patriarcha Aquileiensi libera constituta.*

10 Bertholdus, *qui tunc Patriarcha Aquileiensis erat, ecclesiam illam S. Laurentii in Stein, ubi corpus* S. Hildegardis *quiescit*, propter miraculorum insignia, quibus eadem ecclesia, nostris *(ut in diplomate ait)* mirabiliter refulsit temporibus; *a jurisdictione et potestate concessa ante a Patriarchali Ecclesia monasterio Eberndorfensi, cum consensu Franconis Præpositi et monachorum, exemit : utque in posterum a solo Patriarcha in omnibus dependeat, etiam quod ad secularem potestatem attinet, sanxit. Deinde concessit Plebano Steinensi absolutam potestatem*, præsentandi et confirmandi duos Præbendarios, quos Dominus Albertus Comes de Tyrolis fundavit et ordinavit : *utque* singulos colonos hujus prædictæ Ecclesiæ destituere *et* instituere valeat, ad honorem Dei, S. Laurentii et S. Hildegardis. *Acta hæc sunt Velaci, præsente* Meinhardo Comite Goritiæ, *et aliis viris Ecclesiasticis ac Nobilibus*, III Aprilis, CIƆCCXXXVIII, Indict. XI. *ipseque Comes Albertus præsens ea suo sigillo munivit. Idem Albertus (qui in suo diplomate se* Palatinum Carinthiæ, Comitem de Goritia et Tyrolis *nominat*, et Advocatum Aquileiensis Ecclesiæ et Brixinensis) *ob eamdem caussam, miraculum nempe sacrosanctæ Eucharistiæ*, quando, *ut ait*, Corpus et Sanguis Christi, non sub speciebus, sed visibiliter in manibus Sacerdotis apparuit; *proprio suo decreto exemit dictam S. Laurentii Ecclesiam ab omni jurisdictione Eberndorfensium, aut potius horum jus commutavit bonis aliis ad S. Danielem : ita ut Steinensis Ecclesia deinceps ad solos successores suos, Comites scilicet Tyrolis, et Patriarcham Aquileiensem (qui tunc erat, ut dictum est, Bertholdus, ejusdem Comitis frater) immediate spectatura esset; solusque Plebanus in ipsius Ecclesiæ subditos potestatem, antea indicatam, habiturus. Muniit hoc diploma Albertus proprio et* Comitis Hermanni *sigillo, præsente* Comite Meinardo de Goritia, *anno et die ante dictis.*

*et a Palatino Carinthiæ.*

AUCTORE G. H.

11 *Citatus codex ritualis Steinensis de hujus diei Officio ista habebat :* Eodem die transsubstantiabatur corpus et sanguis Domini, sub anno MCCXXXVIII, in ara Beatæ Virginis Mariæ in Stain ibidem. Item de nocte Vigilias peragentes post Vesperas. De mane prima Missa cantatur pro defunctis. Ipsemet Plebanus in Crypta. Secundam vero Missam cantat senior Præbendarius de Venerab. Sacramento in ara Beatæ Virginis. *Tertia Missa, et solennis, cantatur de* S. Hildegarde, *ex Communi de Vidua, uti ab oculato et aurito teste accepimus.*

*Missa hoc die de S. Hildegarde.*

*ejus reliquiæ*

12 *Idem hic vidisse se aiebat inter sanctæ illius matronæ reliquias ampullam vitream, in qua sanguis ille miraculosus diu asservatus dicebatur : Chirothecam item Sanctæ ipsius, quam cum ex arce proturbata est, dicitur perdidisse.*

*refossæ,*

*parte dempta,*

*non impune, ut aiunt :*

13 *De ceteris* S. Hildegardis *reliquiis; qui primam de ejus vita narrationem, idem et hanc tradidit, ab ore vulgi acceptam : refossas collectasque in cistulam a P. Luca Vintano collegii Societatis* JESU *Clagenfurti Rectore, Gregorio Picklero Steinensi Pastore, et quodam D. Casulio Græcensi : et huic poscenti, annuente Pastore, particulam earum datam : verum omnes intra annum obiisse, et Pastorem quidem tanta vel intemperie cerebri, vel vi doloris exagitatum, ut infantis instar cunis grandibus impositus, assidue motari deberet. Hæc vulgus : quam certe, nec si quæramus, facile erit assequi. Sæpius enim hæc (concinnata a nobis ex scriptis variis, quæ Græcio huc a Philippo Alegambe nostro ante plurimos annos missa erant) remisimus in Carinthiam peritorum judicio discutienda; nec ullum elicere responsum potuimus.*

*pars Græcium translata.*

14 *Illud exploratum, studio et impensis* Ferdinandi *Archiducis (qui deinde Imperator hujus nominis secundus fuit) atque ejus religiosissimæ parentis, sublatis ferreis cancellis ecclesiæ Steinensis, effossas esse et in unum collectas Divæ reliquias a P. Nicolao Coronio collegii Societatis Rectore : earumque partem, per D. Ursinum de Bertis Tergestinum Episcopum, et D. Griming Suffraganeum Gurcensem, Græcium in Styriam honorifice asportatam, et in monasterio novo, sacratarum Deo Virginum Archiducalium, juxta Muram amnem, depositum anno* CIƆIƆCV *sub initium Quadragesimæ.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS XXVI

# PETRO BAPTISTA, MARTINO DE ASCENSIONE, sive DE AGUIRRE, FRANCISCO BLANCO, Sacerdotibus; PHILIPPO A JESU, aut DE LAS CASAS, Acolytho, GONSALVO GARSIA, FRANCISCO A S. MICHAELE laicis;

## ORDINIS S. FRANCISCI

# PAULO MIKI, JOANNE GOTO, JACOBO, sive DIDACO KISAI;

SOCIETATIS JESU :

# COSMO TACHEGIA, MICHAELE COZACHI, PAULO IBARCHI, LEONE CATASUMARO, LUDOVICO, ANTONIO, MATTHIA, BONAVENTURA, THOMA COZACHI, JOACHIMO SACCACHIBARA, FRANCISCO, THOMA DANCHI, JOANNE CHIMOIA, GABRIELE, PAULO SUZUCHI, CAIO FRANCISCO, PETRO SUCHEGIRO :

## NANGASAKI IN JAPONIA,

J. B.

### Commentarius prævius.

§ I. *Japonia patefacta Evangelio. Ejus imperium per tyrannidem occupat Faxiba, post Taicosama dictus; ab vili ortu evisus ad summa.*

*Japoniæ situs,* Japonia regio est Asiæ magnæ, in extremo Oriente, plures complexa insulas, ab trigesimo ferme ad trigesimum octavum gradum porrectas, modicis inter se fretis euripisque discretas: *uti* B *post Horatium Tursellinum, ac Joannem Petrum Maffeium, scribit, hujus illustre subinde retenta phrasi, Nicolaus Orlandinus historiæ Societatis Jesu lib. 9 num.* 179. Tres magnitudine præcipuæ insulæ sunt, Niphon, Ximus et Xicocus. Niphon tribus et quinquaginta regnis constat, non admodum magnis: ceterum compluribus opulentis, quorum caput urbs Meacum, unde quidam reliquæ regioni dant nomen. Ab *nomen,* Niphone vocabulo, quod Sinæ paullulum immutarunt, Japonis apud nos et Japoniæ nomen increbuit. Ejus longitudo millia passuum DCC; latitudo varia traditur: ubi maxima, centum circiter et octoginta. *primariæ tres insulæ* Ximus regnis distinguitur omnino novem.... ejus longitudo centum et quinquaginta, latitudo septuaginta passuum millia fere colligit. Xicocus regna continet non plus quatuor, dimidio ferme Ximo minor. Ita Japoniæ regna universa, seu potius præfecturæ (nec enim omnia sunt ejusmodi, ut in ea regni vocabulum apte quadret) sex et sexaginta censentur. Terra vero universa Italiæ magnitudine prope par, a Septemtrione Tartaros, ab Occidente Sinas spectat, ab Oriente Novam vergit ad Hispaniam, ab Meridie vasto mari interfuso, nondum exploratum est quibus terris objaceat. *Paria fere quos* C *citavi auctores, aliqua in longitudinis distantiæque modo differentia. Quod nequit* Regni *vocabulum in multa Japonicorum apte quadrare, haud satis memorem reor, quot olim in Italia, antequam Romanorum invalesceret imperium, quot in Chananitide Reges fuerint. Erant sane ante Taicosamam veri Reges, absoluta ac libera dominantes potestate. Nunc Præfecti sunt, Regum nomine: multis ne nomen quidem mansit. Tursellinus Xicacum* Xicum *quoque ait appellari. Franciscus Solerius historiæ Ecclesiasticæ Japoniæ lib.* 1 *cap.* 1 Ximum *significare ait* regionem inferiorem, *sive* partes depressas; *appellari vero etiam* Saycocum, *quod* novem regna *sonat; uti* Xicocus, quatuor regna.

2 *De gubernatione formaque totius imperii tradit Maffeius histor. Indic. lib.* 12 *ob Regum ac Dynastarum fastum, nullum populi adversus eos esse caritatem, sed perpetuum cum metu odium:* inde crebras et occultas conspirationes ac seditiones erumpere; excussoque rectore, sceptrum ad alios aliosque, in summa rerum omnium perturbatione, transferri. Vetusta imperia, *inquit,* et Principum longa serie deductas *sunt olim subjecta;* imagines, oppido pauca reperias. Sane Japonium omne nomen uni quondam parebat Imperatori, cui titulus Vo, seu Dairi: quoad is diuturna pace in delicias atque socordiam resolutus; Præfectis et Satrapis, ac præcipue Cubis (sic enim duo primarii vocabantur, quorum alter deinde extinxit alterum) contemptui cœpit esse. Viri ergo militares, talem aliquamdiu perpessi, mox indignati dominum; tandem abrupere frænos, et suam invasere quisque provinciam. Ita momento unitas illa, et maximi contextus imperii, multas in partes ac veluti fragmenta dissiliit. *in plures dein Reges partita,* Jus tantum Dairi mansit in hunc usque diem, honorum vocabula Proceribus dividendi, quæ E pro graduum varietate mutantur identidem, certisque characteribus designantur. Inde haud spernendas cogit pecunias: alioqui pene precariam obtinet dignitatem. Summus vero et potentissimus Japoniorum omnium habetur ille, quisquis Meacum et Meaco finitima nobilissima regna (quem tractum communi nomine Tensam appellant) armis atque arcibus occuparit. *quorum primarius Cubus, Tensæ dominus: Orlandinus libro citato num.* 186 *de Dayri scribit:* Porro Dayris id hodieque juris obtinet, ut quidam quasi Præfectus honoris sit. Ejus unius in Japonia tota judicium est, quibus quisque titulis honestandus decorandusque sit. Ergo apud hunc regni Proceres, singulique Dynastæ suos quisque procuratores habent, et pretiosis inter se muneribus certant, ut ejus gratiam ineant. *Eadem fere scribit Ludovicus Guzman et Tensam, quæ et* Guoquinaynm *dicitur, quinque complecti regna ait, quorum primarium est Yamaxirum, hujus Meacum metropolis. Plura citati auctores, Maffeius præsertim, Solerius, Guzman, de terræ ipsius ac hominum natura ac indole. Sed quæ de regimine ab illis tradita, ea nunc mutata omnia, extinctaque Dairi auctoritas ac nomen ipsum. Ceteri Reges, solum fere præfecti sunt, quos statuit, mutat inque ordinem redigit, ut libitum, Imperator; qui modo est Toxoqusama, Xogusamæ F. Daifusamæ N. Is regiam Jendi habet. Nos in hoc toto* F *commentario loquemur, uti ante Daifusamam, jam* LX *ab hinc annis, res fuere.*

3 *Regio ea omnis, quam* Japoniam *appellamus,* antiquitati penitus ignota *creditur fuisse, ut Tursellinus Vitæ S. Francisci Xaverii lib. 4 cap.* 1. *et plerique censent: licet quidam* Zipangri *insulam esse existiment, Marco Paulo Veneto lib. 3 de Orientalibus regionibus cap. 2 et sequentibus memoratam. Tradit Tursellinus,* casu a Lusitanis eo tempestate abreptis, decennio antequam eo veniret Xaverius, inventam, conciliari mercibus cœpisse. *At Maffeius historiar. Indicarum lib* 12 *ex Antonio Galvano refert, institores Lusitanos tres, quorum et nomina percenset,* cum ex urbe Sionis Dodra peterent Sinas, pertinaci vento ad insulas Japoniorum abreptos anno seculi *superioris* quadragesimo secundo. *inventa a Lusitanis an.* 1542 *Quo ipso anno S. Xaverius sexto die Maii Goam appulit, cum anno præcedenti, octavo Aprilis, e Lusitania solvisset: Japoniam vero tenuit* XV *Augusti, anni* CIƆIƆXLIX, *ac fidei mysteriis illustravit. adita a S. Xaverio an.* 1549

4 *Quam vero ille plantarat vineam, ea ab solis Societatis Jesu hominibus exculta, feliciter adolevit, plurimis*

A *rimis principibus viris ac fœminis, Regibus etiam et Reginis aliquot, nobilitatis infinito prope numero, in Christi Ecclesiam cooptatis. Neque turbo ullus persecutionis per* XI. *circiter annos universam concussit: quamquam variis in provinciis modo idolorum sacerdotes Bonzii, modo Reges ac Dynastæ quidam, Christianos exagitarint. Primus tota Japone id nomen exterminare aggressus* Taicosama *Imperator, sub quo martyrii palmam adepti, de quibus hic sermo est,* XXVI *Christi athletæ. Verum ut sequentem narrationem facilius clariusque percipere lector possit, genus ingeniumque hominis, et quibus gradibus ad summum imperium evaserit, breviter exponendum videtur.*

*exculta a PP Societatis* JESU *pacifice per annos fere 40,*

5 *Quo tempore in Japoniam venit S. Xaverius, Cubus erat (ut jam appellari diximus Tensæ Dominum, summæ rei præfectum)* Quonqueniudonus, vir *(quemadmodum Franciscus Sacchinus historiæ Societatis Jesu tom.* 3 *lib.* 1. *num.* 148 *scribit)* ut inter Ethnicos, neutiquam malus. Qui *postquam* viginti annos imperium moderate bonisque artibus rexerat, et Patribus nostris habitandi jus Meaci concesserat, et Evangelii impune promulgandi fecerat potestatem; *a* Mioxindono, *quem rei bellicæ præfecerat, aliisque auxerat honoribus, interfectus est, cum fratre* Quincacusi *ac compluribus aulicis, anno Æræ Christianæ* CIↃIↃLXV. *At fratrem ejus juniorem* Cavadonum, *e perduellium manibus elapsum,* Vatandonus *excepit,* in regno Vomi nobilium *morum magnique animi Dynasta, idemque Christiano nomini amicissimus. Et deinde, Vatandoni rogatu, Rex Oaris* Cauzusandonus, *qui et* Nobunanga *nominatus, adversariorum fractis opibus, fraternum imperium restituit, aut verius titulum, potestate sibi retenta, præfectoque urbi Meacensi Vatandono. Sed cum postea in prælio ab Iquenuæ, sive Iquendæ Principe interemptus esset Vatandonus, excutere jugum illud Nobunangæ aggressus Cavadonus, cum Mixindono ac Daciandono, qui fratrem ejus trucidarant, sociat fœdus. Nobunanga cum quinquaginta millibus armatorum Meacum advolat: cui se, æquis conditionibus, quas offerebat, primum spretis, tandem, urbe expugnata, Cubus dedidit: ab eoque regnorum jure spoliatus, et ab omni reip. gubernatione, ac munerum conferendorum cura submotus, uti pridem Dairis summi monarchæ, ita hic* Cubi *nudum deinceps nomen retinuit.*

*favente Cubo Quonqueniudono,*

B

*quo occiso an. 1565,*

*subrogatur Cavadonus a Nobunanga,*

*dein rebellans vincitur:*

6 *Nobunanga, qui et virtute bellica et consilii sagacitate præstabat, brevi triginta in insula Niphone regna suæ ditioni subjecit, eratque omnibus terrori simul et venerationi. Sed dum* Faxiba *Duce adversus* Moridonum *Amanguçi Regem novemque aliorum regnorum dominum, bellum gerit, ipse Meaci ab* Aquechio, *quem antea et possessionibus ditarat, et ornarat honoribus, ac jam supplemento multorum millium ad Faxibam mittendo præfecerat, trucidatus est cum filio Jonoschedono, aut Jono Suquendono, Rege Voaris et Mino. Mox ad tanti sceleris ultionem multorum conversa sunt arma, præsertim Faxibæ, Justi Ucondoni, et Sanxi Chindonis tertii Nobunangæ filii; nam senior occubuerat, alter* Oquaxen Fungedonus, *Farimæ Rex designatus, audita patris ac germani nece, de statu mentis, præ horrore sceleris, exciderat. Primus Ucondonus tyrannum, tendentem Anzuquiama Meacum, trahentemque militum millia octo, cum ipse non nisi mille secum haberet, monitis Faxiba et Nobunangæ filio, qui tribus leucis aberant, ut agmen quisque suum accelerarent, fretus et caussæ æquitate et Crucis vivificæ virtute, magno animo aggreditur, primamque aciem fundit, unico e suis desiderato. Aquechiani ea strage perculsi, atque eminus conspicati accurrentes turmas aliquot, quas Ucondonus consulto subsequi jusserat, ratique Faxibæ, aut Nobunangæ filii, copias esse, fugam nullo ordine arripiunt. Aquechius cum acceptis vulneribus aliquot primum sese in arcem propinquam recepisset, locoque diffidens inde proripuisset, ac solus in incertum vagaretur, agnitus ab* rusticis, *trucidatusque est, duodecimo postquam parricidium perpetrarat die, Kalendis Julii an.* CIↃIↃLXXXII. *Corpus patibulo affixum. Direpta complicum bona.*

*Nobunangæ an. 1582 occisi*

C

*mortem vindicat Justus Ucondonus Christianus*

D

AUCTORE J. B.

7 *Carus erat militi, ac præsertim Ducibus,* Faxiba, *et bellicæ virtutis merito, et prudentiæ singularis opinione. Facile ergo omnium pellexit animos, ut parituros se ei, veluti vivente Nobunanga fecerant, jurarent. Ille ad occupandum Japoniæ imperium curas intendere: tantisper tamen ambitionem dissimulandam ratus, tutorem se futurum filio Jonosquedoni filii primogeniti Nobunangæ* Sabucondono, *aut* Saburodono *(variant enim scriptores) qui trimulus tunc erat, donec is adolesceret, profitetur, puerique patruum Regem Avanum, et quos sibi ille junxerat, ne Nobunangæ ditiones omnes in famuli manus devenirent, impedire molientes, compressit. Hanc omnem tragœdiam ita paucis complexus est Maffeius lib.* 12. Ea loca *(Tensæ regna)* nuper obtinebat Nobunanga, quem dixi tyrannus. Hujus in solium, a conjuratis ante hoc biennium interempti, liberis ejusdem aut pulsis aut occisis, per factionem ac vim præcipuus e Ducum numero Faxiba successit.

*Faxiba, qui post* Taicosama, *velut nepotis Nobunangæ tutor,*

*imperium occupat:*

8 *Atque hic ille est Faxiba, qui* Taicosama *dein nuncupatus, latius multo quam Nobunanga imperavit, ac demum Christianæ religioni per universam Japonem crudele bellum indixit. Is in regno Oaris natus, adeo humili loco, ut a parentibus coloni cujuspiam famulatui addictus sit.* Toquixiro *tunc illi fuit nomen. Jussus ab hero erat, quotidie fasces aliquot lignorum e vicino monte domum humeris deportare. Sedulitas ejus hoc in officio, atque assiduitas spectantibus admirationi erat. Circumsidebat quadam vespera focum familia herilis, ac largius ligna super ea reponebat, quam Toquixirus vellet, cui tanto impendio laboris starent, amice igitur monet, ligna ne prodigant. Risu excepere monitum. Ipse propius ad caminum accedit, itaque titiones ordinat, ut longe paucioribus luculentum ignem strueret, coactis qui se calefaciebant, longius, ne urerentur, absistere.*

E

*is Toquixirus antea dictus, rustico famulatus,*

*industriaque probata,*

9 *Herus, homo ut inter agrestes sensatus, ejus hac aliisque in rebus perspecta sagacitate, honestioribus eum ministeriis adhibet: quæ strenue ac dextere exequentem, decem millibus æris donat, hortaturque ut arma potius tractare condiscat; augurari enim se, secundissima eum fortuna usurum. Consilium pro oraculo accepit: ac Meacum profectus, opulento primum negotiatori operam locavit; dein viro nobili, qui Nobunangæ Imperatori erat perfamiliaris. Ab hoc jussus satagere, ut quæ ante ædes erat platea, munda identidem esset, ita sedulo id accuravit, ut ab ipso etiam Nobunanga, isthac transeunte, laudaretur.*

*dein Nobili in urbe regia:*

*innotuit Nobunangæ;*

F

10 *Ita dein fors tulit, ut cum venatu idem rediret Imperator, falco ab gestantis manu famuli elapsus in altissimam arborem evolaret: cumque magistri voce nil moveretur, intricatus vinculis suis ad ramos arboris creditus est. Toquixirum jubet herus arborem conscendere, avemque expedire. Paret hic ea velocitate, ut simius videretur: sumptoque ab hoc facto, et quia physiognomia nequaquam abludebat, agnomine, Car eum, quod cercopithecum significat, deinceps appellarunt. Interea avis, motu adrepentis territa, in aliam avolat arborem. Toquixira acclamat herus, eo spectaculo Nobunangum oblectaturus, ut ex arbore in subjectum lacum desiliat, alteramque conscendat, ac volucrem apprehendat. Is ocyssime, ac volanti similis desilit, atque alteram conscendit arborem, ita quoque celeriter, ut prius eum in summum arboris evasisse Nobunanga cerneret, quam ex aqua emersum existimaret. Prehensam avem affert Imperatori: qui benigne hominem intuitus, cum ex Oari, quod ipsius primum fuerat regnum, ortum didicisset, ultro eum in suum famulitium adsciscit.*

*ob eximiam celeritatem*

*ab eo in regiam vocatus,*

11 *Non illico, ut erat madidis vestibus, in aulam immigravit Toquixirus, sed uno alterove post die, redeunti itidem ab venatione in publica via occurrit, honestiore cultu, duobus accinctus gladiis, ab zona (Japonium*

A *nium more) dependentibus. Recreatus hoc aspectu Imperator*, Quinoxitam, *quod* sub arbore *significat, in primæ notitiæ memoriam, appellavit. Secutus in regiam* Quinoxita, *ita omnibus in rebus se gessit, ut magnam brevi apud Imperatorem sibi gratiam conciliaret. Ast hæc illi aulicorum (ut fit) invidiam et odium peperit. Omnia circumspiciunt, si qua perdere hominem, aut notare infamia possint. Neque tandem defuit obtrectationis materia. Sublatum querebatur vestiarii regii Præfectus acinacem magni pretii, vagina aureis lamellis affabre ornata. Hic Quinoxitam æmuli criminantur, ea caussa dies aliquot a regia abfuisse. Nobunanga, qui eum apprime audacem cognorat, visus est criminationi non omnino fidem detraxisse.*

AUCTORE J. B.

*et Quinoxita appellatus*

*furti accusatus ab æmulis,*

12 Quinoxitam *clanculum admonet amicus, non prius in regiam veniat, quam refutarit accusationem; aditurum alioquin vitæ discrimen. Perculsus primum eo nuntio est: dein sollicite disquirere cœpit, qua ratione insontem se, ut erat, probaret. Cogitanti in mentem venit, peculatorem illum auro magis atque ornamentis vaginæ, ut iis diffractis ac venditis nummos sibi pararet, quam chalybeæ sicæ inhiasse. Adit ergo primarii aurifabri officinam, quæritque ex eo num aurum habeat, quo egregium exornare acinacem possit. Promit faber, ejus,* B *quam diximus, vaginæ fragmentum. Quod illico agnovit Quinoxita, et, Unde illud inquit, es nactus? Emi, ait, ab Regis domestico; et eum nominat. Cave, ait, ne id alienes: nam furto sublatum est e vestiario regio; ac fortassis a te repetetur.*

*astu furem deprehendit,*

13 *Recta inde in regiam tendit, prodiitque in Regis conspectum, a quo interrogatus cur tres quatuorve dies abfuisset, intrepide respondit: Quia enim suboluerat mihi, quid de me mei sodales retulissent, in quo culpa vacabam; quamque non omnino fidem iis vestra Majestas non habuisset, quod merito dolebam; venire in ejus præsentiam ausus non sum, donec furem deprehendissem. Nunc eo comperto, adsum ut rem omnem edisseram. Exin sigillatim quid egerit, quid invenerit, narrat. Mox jubetur ire et furi caput amputare. It, et caput præcisum manu una, altera vaginæ regiæ penes eum repertum fragmentum, defert. Nobunanga indole ac solertia delectatus, nobilem et præfecturam defert locorum quorumdam, unde amplos perciperet proventus: quibus auctus, stipatores, equos, famulos alere, armaque et insignia nobilitatis parare ausus; proximo, quod gestum est, bello ita fortiter ac solerter se gessit, ac si ætatem omnem militiæ exegisset. Dignitate auro atque opibus auctus, missus cum copiis est, ut Nangafomam, egregie mu*-C *nitam arcem, oppugnaret, quam paucis diebus cepit, nusquam non ipse in omni congressu ac discrimine primus.*

*ad Regem detulit,*

*et hoc jubente occidit:*

*præfectura quadam auctus,*

*in bello strenuus, Nangafamam expugnat:*

14 *Tandem adversus Moridonam Amanguceii potentissimum Regem cum numeroso exercitu missus, Nobunangam rogavit, ut novo se nomine honestaret, quod terrorem incutere hosti posset. Lubens annuit Nobunanga, et* Faxibam Kieugen *appellavit, quod Japonico sermone* Alas supra silvam *significat:* Mori *autem, quod Amanguciano nomen erat,* silvam saltumve. *Occiso autem, ut retulimus, Nobunanga, inductas cum hoc Moridono fecit Faxiba, Meacum exercitum duxit, imperium invasit,* Cambacundoni *sibi nomen, sive* Quabacundoni, *dein* Taicosamæ, *sed aliquot post annis, sumpsit.*

*tum e[?] præficitur, Faxiba appellatus*

15 *Hæc fere de Taicosamæ ortu et ad summam dignitatem progressu, Solerius noster historiæ Ecclesiasticæ Japonicæ lib.* 12 *cap.* 8. *Quibus consentanea sunt quæ Ludovicus Froes Nangasaco in Europam scripsit Kalendis Octobris an.* CIƆ IƆXCII. Neque enim ei (*Quabacondono, sive Taicosamæ*) satis est, *inquit*, ad fastigium omnis dignitatis conscendisse, ex abjectissimo vitæ statu, qui erat secare ligna, humerisque ea in forum deferre, venumque exponere, ut haberet panem quotidianum (quemadmodum ipse suo ore non semel confessus est) verum etiam amplificatione D regni, gravissimisque bellis, conatur æternam relinquere apud omnes memoriam. *Ac post multa, denuo inculcat*, ex infimo vitæ statu ad summum dignitatis conscendisse fastigium.

*solitus olim ligna venalia in urbem portare.*

AUCTORE J. B.

## § II. *Taicosamæ regendi artes; tyrannicæ pleræque.*

N*unc occupatam tyrannidem quibus artibus* ***Faxiba*** *stabilierit, in tanta præsertim nobilissimorum fortissimorumque Regum ac Principum multitudine, breviter indicandum.* In universum, *uti libro antea citato tradit Maffeius, Japonum* acuta, sagax, ac bene a natura informata gens est: judicio, docilitate, memoria, non Eois modo, sed etiam Hesperiis nationibus antecellit: quæ res in rusticis ac pueris liquido cernitur. Illi urbanos pene mores, vegetum ingenium, ac minime agrestem indolem, præ se ferunt; hi celerius multo quam Europæi nostri, Latinas et litteras et artes arripiunt. *Quid de eo igitur censeas, qui ingenitam sagacitatem aulica tot annorum conversatione acuerat, fortitudinem tot non præliis solum sed victoriis corroborarat? Non plane falso, licet immodice, in litteris ad Lusitanum Indiæ Prætorem gloriatur sese ad* E *regnum pacificandum*, fundamenti loco tres posuisse virtutes, nempe comitatem affabilitatemque sermonis in consuetudine hominum, prudentiam consideratam in rebus judicandis, et egregiam animi fortitudinem et præstantiam. *Fuit sane Imperator magnanimus ac felix: at prudentia in astutiam, calliditatem, perfidiam, et quæ alia tyrannorum ritu sunt, degeneravit.*

*Sagax (ut vulgo Japonii)*

*fortis,*

*vafer,*

17 *Cum Tensæ regna, et quæ Nobunangæ fuerant, occupasset, retenta apud se hujus nepote puero, ne quis ejus persona ac nomine abuti ad res novandas posset, Proceres omnes Meacum evocat, velut defuncto Principi magnifice parentaturus. Adfuere plerique, nihil sinistri metuentes, ubi eos ita habuit in potestate, regna singulorum ac provincias sic commutat, ut qui Septemtrionales plagas tenuerant, ad Austrum transferret, ad Orientem qui occiduas, non facile ignotorum populorum aut novorum vicinorum viribus fisuros, ad ullam ineundam conjurationem. Hoc facto id assecutus est Faxiba, ut (quod quarto ejus imperii anno, Christi* CIƆ IƆLXXXVI, *in Indiam ad Alexandrum Valignanum scribebat Ludovicus Froes)* pari facilitate, qua quilibet paterfamilias in domesticos suos utitur, hic potentissimis Japonis Regibus imperitaret, quos pro arbitratu suo F nunc regno privabat, nunc alio habitatum mittebat, nunc in eorum dominatu omnia pro libito commutabat, majoris incrementi potentiæque ansam præcidens. *Et quidem, ut litteris anno sequenti in Europam Goa datis testatur ipse Valignanus*, propter Principum mutationem, quæ Quabacundoni (*eum tunc sibi titulum sumpserat*) mandato in viginti provinciis facta fuerat, turbæ aliquæ exortæ: *et paullo ante*, frequentes bellorum motus *ait extitisse*, quibus Nobunanga e vivis sublato omnes fere provinciæ concussæ. *Sed hos ille motus celerrime composuit. Neque deinde circum Meacum, ad quinque dierum spatium, Ducem ullum aut Præfectum* potentia vel industria clarum *reliquit, uti an.* CIƆ IƆXCIV *scripsit P. Organtinus Soldus: sed* vicinorum regnorum Dominos transtulit in partes remotiores Japoniæ. *Antiquissimam* Cubosamæ, *seu* Cubi, *dignitatem penitus sustulit: quam postea Daifusama, imperio in Xogun, sive Xogusamam filium translato, sibi denuo sumpsit.*

*regna pleraque commutat,*

*ne insolescant Principes, cavet:*

*ideo exortos motus, sedat*

*longius submovet claros Duces*

18 *Ne quos porro illa avitarum provinciarum commutatio, et ad ignotos populos regendos relegatio, irritaret; idem Faxiba, jam* Quabacondonus *dictus, novo sumptu, splendido in speciem, sed neque necessario, et gravi admodum, Principum exhausit facultates. Coegit enim*

*Principes adigit ad sumptus immodicos in ædificia, Osacæ,*

A *enim omnes ipsi magnificum et ingens Osacæ palatium extruere, ac sibi singulos; prolatis qua Sacaium urbs spectat ad quatuor millia passuum pomœriis, totidem qua Meacum. Ad multos menses* sexaginta hominum millia in effodiendis novæ arcis fossis, nulla interposita mora laborasse *scribuntur; cum Magnates ipsi, ut ceteros continerent, operi præessent. Quia vero saxorum illic inopia est, imperatum Proceribus, ea ut etiam e remotis locis curarent: unicæ urbis Sacaii incolæ ducentas naves in singulos dies pendere cogebantur. Neu quid deesset tyrannicæ severitatis,* si præfectorum architectorumque aliquis vel in minimo deliquisset, aut expectatam in promovendo opere industriam non adhibuisset, dignitate opibusque ereptis, exilio e vestigio plectebatur.

19 *Plura de his, qui cuncta coram spectabat, Ludovicus Froes: qui et alibi* tria stupendæ prorsus magnitudinis monumenta *eodem tempore molitum scribit:* primum, propugnaculum erat *in urbe Meacensi*, non procul a Dairi palatio, Osacanæ machinæ structura et magnitudine non absimile, in quo, eodem tempore quo ad Osacanam molem tanta hominum multitudo occuparetur, sexaginta quoque hominum millia diurno nocturnoque opere exercebantur..... Alterum

*Meaci,*

B monumentum, palatium erat superbum ac magnificum. Regi Japonis positum; quod antiquorum Japonis Regum palatiis nec magnificentia cedebat, nec mole. Tertium erat ingens ac opulentum templum in urbe Nara. *Fuximi deinde, duabus ab Meaco leucis, et sibi magnificum condi arcem curavit, et Dynastas coegit, ut circum eum sibi ipsis splendidas ædes extruerent: breveque spatio temporis effecit, ut ea totius Japoniæ maxima, elegantissima, locupletissima, munitissima urbs esset.*

*Fuximi*

20 *At cum bellum Sinense pararet (quod dubium est an illo regno potiundi spe, an Ximi insulæ populos ac Reges, quorum ad illud gerendum opera præcipue utebatur, atterendi conficiendique cupiditate, susceperit) sed cum illud pararet, non modo Nangoiæ, arcem sibi, tanti instar oppidi, ædificari instruique, et binas in Suscimu Fukinoskimaque, Nangoiam inter ac Coraiam sitis insulis, jussit, Præfectorum, qui administraturi bellum erant, studio, Ximanorum Regum sumptu; verum (quod prope incredibile) quantum Meaco Nangoiam est iter, viginti videlicet dierum, novo totidem erigi sibi egregia palatia, in quibus quotidie pernoctaret, mandarit. Quæ omnia celerrime peracta sunt, et eo quidem tempore quo bellum acerrime parabatur. Eaque oppressio Principibus populisque plane intolerabilis fuit, cum ipse de suo nihil impenderet.*

*ab iisdem arces sibi extrui curat, et 20 palatia pro solo itinere:*

C

21 *Aliæ præterea illi rationes fuere, Proceribus funditus exhaustis, securitati consulendi suæ. Quia enim consuetudo est in Japonia, ut clientes ac subditi dominis patronisque, anno ineunte, honorem ac reverentiam tribuant; eam ipse adversum se observari consuetudinem mandarit; ut Principes omnes ac Reges, etiam e remotissimis provinciis, ventitare ad Aulam, ac strenam deferre oporteret; extraque ordinem, ut cuique lætus, aut etiam adversus, rerum suarum cursus erat, semper munere ei aliquo colendus Quabacondonus, quo vel invidia leniretur in prosperis, vel conciliaretur in adversis favor.*

*strenas ab iisdem extorquet,*

*aliaque dona*

22 *Cum ita ceteros cogeret suo profundere, immensos ipse thesauros congerebat, partim alienis (ut dictum) largitionibus, partim solerti proventuum administratione. Vasta ac valida ædificarat in suis provinciis horrea, in quæ fruges conderet e propriis fundis collectas, idonea tempestate venum vel proponendas illic, vel alio exportandas. Retulit aliquando nostris* Aydonus Simon, *qui ei erat a secretis, ex sola oriza, quam e fundis suis divendi curaret, eum annuæ nongenta millia Gochorum, sive decies centena millia aureorum nostratium conficere. Quid de ceteris reditibus sentiemus? quid de portoriis publicisque vectigalibus?*

*thesauros congerit,*

*frugi œconomus,*

23 *Neque aut ab avaritiæ nota aberat, aut non se quandoque ad sordes plebeii quæstus abjiciebat. Circa Meacum quidem agros omnes ac prædia, e quorum proventibus multa collegia Bonziorum, aliæque quamplurimæ familiæ alebantur,* certa mensura, *inquit Froes,* ac limitibus distingui separarique jussit, ac in suum postea usum convertit. *Idem alibi scribit, agricolas sub eo in* statu miserabili fuisse, *ceterosque omnes, summæ ac infimæ conditionis, durissimo servitutis jugo oppressos.* Boioni, seu Voioni, *vasa sunt quædam fictilia, in Philippinis insulis, ubi fiunt, exigui pretii; sed quod ad liquorem, qui* Cia *dicitur, et, e quo is conficitur, herbam conservandam percommoda sint, maximi apud Japonios æstimantur, proque lapidibus pretiosis habentur. Ratus ergo Taicosama ingens se lucrum esse facturum, duos in Philippinas ablegat, qui* Boionos *quotquot haberi possent, coemerent: commercium minime regium. Certior ab illis factus, negotiatores quasdam Japonios, Christianos plerosque, Manila Philippinarum primaria urbe, plurima in Japonem vasa ejusmodi asportasse; in id operam intendit, ut ea omnia corraderet: eosque qui illa compararant, severissime multavit, ac vel inde bene magnum thesaurum conflavit: nam viros etiam primarios propterea Nangasaco Meacum vinctos adduci curavit.*

D

AUCTORE J. B.

*sed avaritia infamis,*

*et turpi monopolio.*

E

24 *Quid de illius ambitione, quid de cupiditate gloriæ dicam? Hæc ille omnia referebat. Hæc eum præcipue lues postea impulit, ut eradicatam Christianam religionem vellet, uti infra dicemus. Et fassus est ipsemet Societatis Jesu Patribus an.* CIↃIↃLXXXVI, *sese* solius nominis famæque immortalitate, quam rebus egregie gestis paraverat, contentum, *deinceps belli impetum omnem in Coraium ac Sinas, a quibus tamen nulla irritatus injuria erat, convertere velle. Neque (quod mirum est) etsi omnibus displicebat ea expeditio, quisquam tamen fuit ex tanto Regum ac Principum numero, qui repugnare aut contradicere ausus sit. Neque vero ipse aut contradicentem unquam ferebat, aut rationibus aurem accommodabat, sed, ut Justus Ucondonus dicere de eo solebat,* volebat omnes suo modo et agere et loqui. *Quid, quod Reges ac Principes, qui officii caussa ad eum adibant, perinde ac privatos aspernabatur? quod eo durius illis erat, quia qua ortus loco esset non ignorabant.*

*superbissimus,*

*neminem contradicentem patitur:*

25 *Inter hæc vitia, non deerant quæ merito laudare in eo posses. Nam illud animadversum est, post datam publicam fidem, neminem ex hostibus ab eo esse interfectum. Nobunangæ filium, ejusque avunculum Nicubæ Regem, bello victos, coactosque ad arcis, in quam se receperant, deditionem, regnis quidem, quæ tenuerant, exuit, proventibus tamen unde se sustentarent, donavit, prohibitos tantum regiam frequentare.*

F

*victis parcit:*

26 *Verum plerisque ejus benefactis majora fere admista flagitia erant. Seditiones, jurgia, pugnas edictis represserat: sed hæc ipsa crudeliter exequebatur, cum non modo reos plecteret, sed, si fuga lapsi essent, eorum cognatos; si nulli erant, servos; si neque hi, vicinos; magno subinde numero, si multi effugerant: atque ita innoxii plurimi agebantur in crucem, aliave ratione trucidabantur. Rusticis (eamdem fortassis ob caussam) arma ademerat: sed eos ipsos, quorum opera et opibus fere sustentantur regna, ad summam inopiam redegerat, ut vix necessaria iis suppeterent ad tolerandam vitam.*

*pugnas prohibet,*

*sed innoxios plectit:*

*rusticos opprimit*

27 *Pellices nemini permittebat: eaque caussa et nobilissimum Bonzium proscripserat, et in ceteros se morte animadversurum minatus erat, ni deinceps honestam ducerent vitam: ipse autem in omnem effusus erat libidinem, atque incredibilem concubinarum numerum alebat. Milites Proceresque ipsos degere in otio non sinebat; ne fortassis inertia diffluerent: at si vacatio a bellis erat, eos magnificis excitandis ædificiis, propugnaculis erigendis, veteribusve renovandis ac muniendis occupabat; ac prope servilem in modum. Alia ejus mista invicem decora*

*concubinas vetat,*

*ipse plurimas alit:*

*otiari milites non sinit, sed operibus conficit*

*AUCTORE J. B.*

A *cora ac probra enarrant, quæ ob anno* CIↃIↃLXXXII, *quo imperium invasit, ad* CIↃIↃXCVIII, *quo decessit, missæ e Japone litteræ, ac typis postea mandatæ fuerunt.*

## § III. *Favet rei Christianæ ad quinquennium Taicosama.*

*Christianos honorat:*

Hac præditus indole Faxiba, *ubi imperium capessivit, quod Christianos, ac præsertim Societatis* Jesu *homines, fideles erga Nobunangam extitisse nosset, honorifice habuit, usus que libenter eorum opera est; quoties ad illum adibant nostri, benigne admissos, familiariter alloqui solitus, uti fecisse Nobunangam meminerat. Quos uxor ejus,* Quitano Mandocoro, *dein* Mandocorosama *appellata, in gynæceo suo habebat Christianas matronas, adversus illas tantam ipse reverentiam adhibuit, ut ne verbo quidem ullo leviori pudorem earum vexaret, qui tamen cum mulieribus puellisque Ethnicis, earum sodalibus, lascive admodum conversabatur: illas autem ad sacrificium Missæ intuendum ilare, et cetera obire nostræ religionis munia patiebatur. Quin et famulos ac clientes suos gaudebat Christianis sacris initiari.*

*pias matronas reveretur:*

*alios Christianos amat;*

29 *Justum Ucondonum, cujus virtute patefactam sibi ad imperium viam, Aquechio parricida feliciter oppresso,*
B *fatebatur, præ ceteris Proceribus unice diligebat, et frequenti sermone ejus prudentiam ac fortitudinem collaudabat, ac mirari se præcipue in eo continentiam vitæque puritatem aiebat. Hæc de eo disserentem Princeps quidam, Ucondoni inimicus, interpellat, et vereri sese ait, ne fallatur Imperator, quando Ucondonum constaret, aliud moribus simulare, aliud animo reconditum gerere. At ille: Mentiris, inquit, scio Justum non aliter sentire quam vivat. At tu, cave ne de illo deinceps sic loquare. Quo tempore regna plurima, uti diximus, permutavit, et arces quæ circa Meacum atque Ozacam erant, in suam ditionem redegit, Justum rogavit ut Tacaxuhium castellum munitissimum, quod tenebat, sibi traderet, pollicitus se Christianis, qui illic et in subjecto districtu degebant, nihil inferri molestiæ passurum: ipsi vero Justo alias tribuit terras, multo ampliores ac fertiliores, cum provinciæ Acasi gubernatione. Simoni quoque Tangandano, a quo itidem castellum sibi dari poposcerat, alia largitus in regno Minoensi bona, magno Christianorum, qui in illis provinciis degebant, solatio.*

*præcipue Justum Ucondonum,*

*quem contra obtrectatores defendit,*

*et eum eo ditionem commutat:*

30 *Equitatui præerat Candera Cambixojus Simon, rei maritimæ Augustinus Ecunocamindonus, Christianæ rei columina ambo, ambo ita Faxibæ cari, ut Augustinum fere filii loco haberet: cujus parentem Joachimum*
C *Ruzam (eum enim Augustini, autem ferociore præditi indole, subito post conversionem modestia morumque facilitas, Christo, uti et matrem Magdalenam, adjunxerat) portui Murensi atque Injumaximæ insulæ, dein Sacaio præfecit: cui postea Benedictum filium subrogavit, patre supremo Ærarii Curatore constituto.*

*præcipua officia Christianis committit:*

31 *Ita Christianos ille ex virtute æstimabat, usque summa totius imperii officia committebat. Idola vero, ut res inanes ac vanas, despiciebat. Certe cum Acasi administratio Justo Ucondono obtigisset, veriti deorum sacrificuli, ne ut in Tacaxukiensi districtu nobiles omnes ad Christi sacra attraxerat, idem et illic moliretur, præsenti ipsorum damno, deorum exitio; inito consilio, horum simulachra omnia Ozacam vehunt, ad Imperatoris matrem ac conjugem, deorum cultui mirum quantum addictas, porrectoque supplice libello, obtestantur, ut exules deos gratia sua apud Quabacondonum, ipsumve Ucondonum, tueantur. Illæ spem eos bonam concipere, ac tantisper Imperatoris, expeditione tunc quapiam distenti, reditum præstolari jubent. Ozacam reverso, caussam ipsæ diligenter exponunt, utque diis patrocinetur rogant. Ille vultu subirato, ita respondit: Equidem Acaxensis provinciæ administrationem Justo Ucondono commisi: ad cujus functionem pertinet, hac de re pro arbitratu suo statuere, nullo mihi in ejus ditionem jure*

*Bonzios de deorum cultu sollicitos*

*repellit,*

*reservato. Bonzii autem, qui huc vanissimos deos advexere, eosdem, si videbitur, vel humeris suis oneri subjectis asportent, aut in mare projiciant, ipsi se a nostra præsentia quamprimum subducant.* D

*et deos ridet:*

32 *At Societatis Jesu Religiosos et videbat libenter, et familiari sermone excipiebat: neque fortassis abhorruisset a fide suscipienda, si tam facile duxisset, ejus leges observare, quam assentiri mysteriis. Laurentius erat quidam e nostris Japonius, humili loco natus, expersque nostratium litterarum, sed pius et in inculcanda divina fide industrius, ut ejus potissimum opera usus sit Deus ad Justi Ucondoni ejusque parentis Darii, Augustini quoque, et Joachimi, aliorumque illustrium virorum conversionem. Huic aliquando Faxiba, cui vivente etiam Nobunanga natus fuerat: Fierem, inquit, Christianus, si mihi rei unius veniam dares. Capis quid velim; de mulieribus. Laurentius, joco intellecto, subridens ait: Do vero libenter veniam. Esto Christianus. Nam si te mulieres secum ad inferos traxerint, at multis tamen caussa fueris, ut bene Christianam vitam vivant. Publice item coram Proceribus professus est, se religionem Christianam omnibus Japoniorum sectis centuplo meliorem judicare.*

*nostris familiaris,*

*fatetur se Christianum fore, si caste vivere posset:*

33 *Alias improvisus domum nostram Ozacæ visit; in qua cum quanto potuit honore P. Gregorius Cespedius* E
*excepit, ac multa quærenti de Salvatoris nostri imagine, quam in templo viderat, idoneis responsis satisfecit. Priusquam inde discederet, Scio, inquit, viros optimos vos esse, longeque puriorem vitam agere quam Bonzios. Quidquid religio vestra tradit, apprime mihi probatur, præter caput unicum de non ducendis pluribus simul uxoribus. Absque hoc esset, Christianam et ego fidem complecterer.*

*domum nostram visit:*

34 *Habuerat Societas* Jesu *Anzuquiamæ sub Nobunanga domum, templum, seminarium. Eo interfecto, priusquam in Aquechii manus urbs veniret, celeriter et juventus omnis, quæ in seminario instituebatur, et templi domusque supellex in insulam leucis aliquot inde distantem traducta. At postquam direptis Nobunangæ thesauris, Meacum versus revertit tyrannus; secundus Nobunangæ filius, quem patris fratrisque senioris calamitas de statu mentis dejecisse credebatur, palatio arcique et urbi splendidissimæ, quam pater tanto sumptu tot annis ædificarat ornaratque, flammas subjecit. Seminarium inde Tacaxukium translatum, Dario Ucondoni patre ejus curam suscipiente. Faxiba, ut Ozacæ, sua in urbe, domum, templum, seminarium ædificaremus, hortatus est, ac locum ultro donavit.*

*Anzuquiama eversa,*

*dat nostris Ozacæ locum etiam pro seminario:*

35 *Quanta vero humanitate et significatione benevolentiæ P. Gasparem Coellium, Societati nostræ in Japonia Præpositum, exceperit, paucis explicari non potest. Prolixe rem omnem executus est Ludovicus Froes, qui una aderat, atque ex eo alii. Asserebant aulici Christiani, quos solos adesse cum Justo Ucondono jusserat, ceteris a se dimissis, nulli unquam Regi tertiam honoris, quo nostros dignabatur, partem exhibuisse. Celebrem illum potum, qui Cia dicitur, cum propinari jussisset, regii generis matronis, sed Christianis, scyphos tenentibus, hos ab iis acceptos sua manu primum P. Coellio, dein ceteris ordine porrexit: deduxit eos ipse per universum palatium; collaudans sæpius pium eorum zelum, quo stimulante in Japoniam venissent, nihil aliud animo versantes, quam ut Dei immortalis honorem divinæque legis cultum propagando augerent. Addebat, se quamprimum medium Japonicæ ditionis partem ad Christi religionem suscipiendam impulsurum: at regno Sinarum occupato (id enim tunc meditabatur) templa ad Dei cultum promovendum ubique erigenda curaturum, et incolas ad Christianam fidem amplectendam coacturum.* F

*Provincialem Societatis humanissime excepit,*

*et multa spondet pro bono religionis:*

36 *Dein amplissimum privilegium dedit, quo cavebatur, primum nobis ut liceret per omnem Japoniam, nemine obsistente, Christi legem prædicare: tum templa nostra*

*dat ei amplissimum privilegium.*

A nostra ac collegia libera ut essent ab onere recipiendorum militum, quo Bonziorum domicilia cumprimis gravantur : postremo, ut, cum Japonii Dynastæ a subditis varia exigere munera, sane gravia, soleant, nos ab iis regia auctoritate immunes redderemur. Hujus autem privilegii duplex confecit exemplum, suaque manu signavit, ut uno in Japonia uteremur, alterum in Europam mitteremus, quo Christiani imperii Principibus innotesceret, quam cuperet ipse veræ pietatis incrementum promovere.

*Magnum inde fidei incrementum.*

37 Ea Principis humanitas, ut fere incredibilis visa omnibus qui eum norant, ita ad fidei propagationem immensum quoddam momentum attulit. Passim cœperunt homines et templa nostra crebrius frequentare, et concionibus interesse, tanta aviditate, ut quater subinde dicere de rebus divinis, frequentissimo confluente populo, die uno oporteret. Certe cum anno CIↃIↃLXXXI, vivente Nobunanga, circiter centum et quinquaginta millia Christianorum in universa Japone censerentur, scripsit in Europam Goa Alexander Valignanus anno Christi CIↃIↃLXXXVII, Faxibæ Quabacundoni quinto, fuisse tunc de nostris in Japone CXXXV, in XXII domicilia distributos, quibus ducentarum fere ecclesiarum onus incumberet, cum cura ducentorum circiter millium Christianorum.

B

## § IV. *Mota ab Taicosama an.* CIↃ IↃLXXXVII *adversus Christianos persecutio. Ejus caussæ.*

*anno 1587 persecutionem movet;*

Hoc fuit primum Faxibæ quinquennium, et ipsi fortunatum, et serendo regni cœlestis Evangelio percommodum; quasique ver quoddam Ecclesiæ Japonicæ, cujus amœnitas fertilitasque ex æquo certavere. Anno imperii sui tertio, Quabacundoni sibi, aut Cambacundoni nomen sumpsit : id septimo post anno in sororis filium transtulit, cum onere regendi, dum ipse bello Coriano distineretur, Imperii; ac se tum Taicosamam appellari jussit. Quo deinceps nomine utemur, ne amphiboliam gignat nominum multiplicitas. Æstas quædam secuta, quæ decem consequentes annos tenuit, nunc æstu torrida, nunc horrida tempestatibus, benigna subinde serenitate. Mortuo Taicosama, autumnum diceres fructibus uberem, nec tamen pruina atque imbribus carentem. Bruma successit postremis Daifusamæ annis, sub filio ac nepote prope intolerabilis. Exorandus mitiorem auram Deus, ne penitus conglaciant animi, indonei dein accipiendo semini fovendoque. At si non fallit allatus in Europam C ex India rumor, Toxogusamæ nuper mortuo qui successit filius, spem aliquam mitioris regiminis ostendit. Ad Taicosamam revertamur.

*cujus an. 1586 prognostica, terræ motus*

39 Non defuere præsagia imminentis persecutionis, sive ea divinitus edita, ne incauti opprimerentur, sive laxatus sibi ad noxam januas Inferi lætantes ostentavere. Anno certe CIↃIↃLXXXVI, terræ motus, qualis numquam ab omni retro memoria, extitit. Sacati ædes LX collapsæ: Meaci non paucæ, cum ingenti deorum delubro. Quidquid inter eas urbes spatii est assiduo XL dierum tremore agitatum. Nagafama oppidum erat mille circiter familiarum, in regno Vomi : medium dehiscens terra absorbuit, reliquum incendio haustum. Alia erat Nagafama in Vocata provincia, locus negotiatorum frequentia celebris ; post dierum aliquot succussionem, maris insolito æstu fluctibusque immodicis prostratæ ædes, ac dein omnia una cum habitatoribus in profundum rapta : sola dejectæ arcis area reliqua fuit, maris spuma adoperta. Arx alia regni Vomi munitissima, in cacumine montis sita, dies aliquot contremuit, deinde universa intra terræ viscera subsedit, ac palus quo steterat loco enata. Idem factum arce alia provinciæ Ixeiæ. Horrendi locis multis patuere hiatus, tam vasti, ut sclopo excussa ferrea pila ab ora voraginis in adversam non pertingeret : tantus vero fœtor inde exhalabatur, ut procul viatores arceret.

*aliaque portenta.*

Concussum quoque Taicosamæ palatium, haud tamen labefactatum est. D

AUCTORE J. B.

*24 Julii 1587 cum Nostris et Lusitanis familiariter locutus.*

40 Anno insequenti, Christi CIↃIↃLXXXVII, subito commota persecutio, nemine e nostris quidquam tale metuente, etiam pridie ejus diei quo ferali edicto proscripti sumus. Appulerat Firandum navis Lusitana inusitatæ magnitudinis. Accensus spectandi studio Taicosama, postulat ut adduci Facatam nostri procurent. Provincialis Præpositus, qui Facatæ erat, Dominico Montero navis gubernatori scribit, interesse plurimum rei communis, ut Imperatoris voluntati faciat satis. Advolat ille lembo Facatam : nihil æque cupere sese atque tanti Principis mandato parere, ait; verum conduci illuc adeo vastam navim, inter tot insulas, brevibus ac vadosis fretis sparsas, non posse, absque certo et navis ipsius et mercium omnium discrimine. Acquievit Imperator, et humaniter cum gubernatore nostrisque qui aderant, variis de rebus collocutus, a se sub noctem dimisit.

*postea instigante Jacuino impio medico,* E

*et aliis,*

41 Sumpta cœna, cœpit de nostris, uti solebat, honorifice ad suos loqui. Hic Jacuinus medicus, quem alii Tucunum, ac Tocunum vocant, homo vafer ac perversus, e secta quæ inter Bonzios omnium flagitiosissima, Christianam religionem sibi ait videri, existimationi et tranquillitati Imperii Japonici noxiam, quæ sacra evertat Camorum ac Fotocorum, quos deos sit omnis antiquitas venerata : Ucondonum id cumprimis maxime, ut subditos omnes ad eam complectendam aut vi cogat, aut illecebris pelliciat : sensim Regum, Principum, Nobilitatis, populique universi animos Patribus arcte devinctum iri; flectendos ab iis in quam lubuerit partem. Jacuino hunc in modum orso, non defuere alii nostræ religionis obtrectatores, ut ipse tandem quoque Taicosama aliquid sibi contra eum elabi passus sit. Male alii templis deorum, alii Bonziorum familiis ominari. Jacuinus, similes Ucondono esse Arimæ atque Omuræ Icatas; ita Reges vocant. Neminem in eorum ditionibus nisi per Deum Christianorum jurare : nimium auctoritatis potentiæque accrescere hisce novorum sacrorum buccinatoribus.

*Justum Ucondonum bonis exutum relegat :*

42 Quid multa? Subito furore inflammatus Imperator, denuntiari confestim Ucondono jubet, vel Christum (cujus sub signa ac potestatem subjungere omnes hactenus contenderit) ei e vestigio abjurandum, vel deponendas quas gerat dignitates in regno ac provinciis. Ucondonus, etsi non ignarus in quas ærumnas suos omnes secum involveret, intrepide tamen respondit, Christianum esse se, semperque id habuisse in votis, ut quæ sibi Divino munere affulsisset Evangelicæ legis notitia, eam cum clientibus communicaret. Si eum Imperator hac F caussa exuere honoribus ac bonis velit, libenter eam sententiam subire.

*de frivolis rebus expostulat cum P. Provinciali,*

43 Alium ad Provincialem Societatis ablegat Taicosama, qui sciscitetur, cur Patres tanto studio Japonios ad nostras leges amplectendas, vi etiam admota, compellant? Cur demoliantur Camorum ac Fotocorum delubra? cur Bonzios perpetuo insectentur? cur equorum boumque carnem edant, tam utilium publica animalium? cur Lusitani Japonica mancipia emant, et in exteras regiones deportent? Attonitus repentina Imperatoris alienatione Provincialis, respondet, Religiosos Societatis ex Europa tantis impensis, laboribus, periculis in Japoniam venire, ad indigenarum curandam æternam salutem, cujus spes absque Christi lege sit nulla. Eadem lege prohiberi, ne vi quisquam ad eum suscipiendum cogatur : neque apparere quæ vis fieri Japoniis, in patria, tanta utentibus libertate, eoque acumine ingenii præditis, possit. Sed vim esse tamen magnam veritatis, quæ ubi intellectum convicerit, facile voluntatem permoveat ad ea quæ recta ac sancta traduntur, arripienda. Porro cum ab Camis ac Fotokis nihil offerri præsidii ad salutem videant Japonii, multos templa eorum vel demoliri, vel æterni Dei cultui dedicare. Equina nec nostros, nec Lusitanos; bubula hos, ac nostros in eorum convictu, vesci; paratos ab

*qui apposite respondet :*

A *ab ea quoque se abstinere, si jusserit Imperator. Emere Lusitanos ab Japoniis mancipia : idque nostros vendentibus juxta atque ementibus dissuadere frustra conatos. Facile id commercii genus edicto in maritimis urbibus proposito, coerceri per Præfectos regios posse.*

AUCTORE J. B.

*44 Nondum hoc perlato ad Taicosamam responso, adest alius ab eo satelles, qui Patribus, Numini deprecando intentis, sententiam adversus Ucondonum latam exhibeat. Geminavit hic nuntius sollicitudinem eorum mœroremque. Postero die, qui S. Jacobo Apostolo sacer erat, multa in Christi religionem jactavit Taicosama : ejus præcones specie æternæ post hanc vitam salutis prædicandæ, multitudinis sibi, animos conciliare, quos ad rebellandum adversus Tenseæ Dominum, cum libuerit, impellant : opprimendum se fuisse, ni providisset. Gestire lætitia Ethnici quidam, applaudere ejus fortunæ, extollere sagacitatem. Ipse, quia caussæ irarum, quas per internuntium Provinciali renuntiarat, frivolæ erant, publico decreto edicit, propterea quod Japonia regnum sit Cami, fas non esse ut Christi ibi religio toleretur; quando ejus prædicatores, ubi ea Japonias imbuerint, templa Camorum Fotocorumque evertant, ac leges Japonicas pessumdent : mandare ergo se, ut intra dies XX omnes Japonia excedant; ne quis tamen interea dicto eos aut facto violet.*

*postridie in religionem Christianam invectus,*

*ob inceptos prætextus,*

*nostros proscribit,*

B *Negavit Provincialis, fieri posse, ut intra tantillum spatium edicto parerent; quandoquidem quæ Firandum appulerat navis, non nisi intra semestre esset solutura, neque alia in ceteris portubus esset, qua Indiam repeterent. Annuit Taicosama, ut sex menses adhuc morarentur in Japone, sed Firandum omnes se conferrent, ibique navigandi opportunitatem opperirentur.*

*45 Interea spatium datum est, et deliberandi quatenus oporteret edicto obtemperare, et circumspiciendi idonea fulciendæ Christianæ rei præsidia, ac latebras quoque, siculi iis usus foret. Scripsit Provincialis ad Proceres omnes, Ethnicos pariter ac Christianos, quoscumque favere rebus nostris sciebat : nemo omnium fuit, qui patrocinium nostri suscipere apud Taicosamam auderet; etsi ipsi Gentiles iniquum, crudele, tyrannicum edictum dicerent. Gubernator Meacensis, ac Taicosamæ frater favorem, quibus in rebus possent, addixere. Pollicita est Mandocorosama Augusta, se maritum, ubi Ozacam redisset, ut edictum rescindat deprecaturam. Alii opportunis consiliis juvere. Interea ædes nostras Meaci, Ozacæ, Sacaii satellitibus suis tradidit Taicosama, juravitque non quieturum se, donec Christianos omnes vel ad gentilitia sacra revocasset, vel expulisset e*

*nemine auso intercedere :*

C *vita.*

*46 Quam in edicto suo attulerat proscriptionis caussam, quod Japonia regnum esset Chami, cum sæpe locis variis ac temporibus repetiit. Alias palam pronuntiavit,* Patres esse extra culpam, exilio caussam dedisse quosdam ab iis institutos Christianos, qui exigua prudentia et nimio fervore contenderent, omnes suos subditos adigere ad suscipiendam Christianam religionem .... quique multis persuaserant, non solum ut sacris nostris initiarentur, verum etiam ut idola Chamis et Fotoquis everterent. Alias quoque *(inquit Froes in litteris ad Claudium Aquavivam Societatis Jesu Præpositum Generalem XX Octobr. CIƆIƆXCV datis)* cum ageret prolixe cum suis familiaribus Ethnicis, et quibusdam illorum opportunum videretur tempus, cum arctiori amoris vinculo sibi devinciendi, cœpere eum per adulationem collaudare, quod homines Societatis e Japonia exturbasset; esse enim homines improbos, et impiam profiteri legem. Tum Taicosama : Non fuit illa caussa, quam allegatis. Mihi enim nunquam aut Patres illi improbi visi sunt, aut lex eorum impia : imo ego affirmo, homines esse probos, et legem eorum bonam : sed feci quod essent exteri et peregrini, et lex illorum contraria esset Cami et Fotoki, qui sectas nostras omnesque priscas imperii nostri cæremonias funditus evertebant, cum ludibrio et ignominia nostrorum Chami. *Hæc ille.*

*postea innocentes fatetur,*

*(Ucondono solum tacite sugillato)*

*et religionem bonam asserit.*

D

*47 Sed genuinæ proscriptionis caussæ fuerunt, ejus effrænata ac præceps ambitio, insatiabilis libido, et, qui semper tyrannis adhæret, meliorum metus, interius assidue animum illius stimulante, qui penitus eum possederat, dæmone, exterius identidem instigante Jacuino, fœdissimarum ejus cupiditatum administro. Cum ergo, Nobunangæ exemplo, cogitaret statuam suam inter Camorum (qui Heroes fuerant; inque deos relati) simulacra collocare, sacraque ei constituere, et ad ea obeunda populum compellere (quod et testamento ut fieret mandavit) sentiebat eum superstitionem amentiamque explosuros Christianos. Ab iisdem vituperari jam libidines suas norat. Nam licet Ozacæ trecentas haberet concubinas, alibi etiam multas; curabat tamen per universum Japonem, velut venatione quadam, puellas forma præstantes conquiri, et ad se, cujuscumque essent conditionis, adduci. Præcipuus ejus hoc in genere adjutor Jacuinus erat, quem diximus. Hic cum Arimæ atque Omuræ et aliis Ximi locis Virgines Christianas specie commendabiles sollicitaret, ut Imperatoris sese voluntati accommodarent, generose ab iis repulsus est. Ea res ita illi vehementer stomachum movit, ut has palam minas jactarit : Quando ad eum morem Christianæ puellæ instituuntur, ut doceantur etiam Tenseæ Domino morem non gerere, efficiam ut nullus in tota Japone reliquus Christianus sit, quique talem doctrinam adolescentiæ instillet.*

*sed cogitans statuam suam adorandam proponere,*

*et timens videri a Christianis,*

*quorum filiæ nolebant ejus libidini servire,*

E

*48 Ad ipsum ergo reversus Taicosamam, queritur ita illius procalcari a Christianis auctoritatem, ut ne puellæ quidem, quæ semel Patrum doctrinam hauserint, ad ejus servitium induci se patiantur. Quid si Ucondonus aliusve ad concitandam seditionem extulerit signum? Animadverterat dudum Taicosama, Christianos, etsi moderatos præ ceteris, Regumque suorum observantes, inter sese tamen caritate, ex suæ præscripto religionis, maxime esse conjunctos. Vereri ergo cœpit ne non modo suæ lasciviæ repugnarent, atque impotentem superbiam aversarentur, sed tandem conjunctis invicem viribus et hæc ejus flagitia, et præsertim violentiam, innocentiumque oppressionem, ulciscerentur. Hæc illi et redigendi in ordinem, quem metuebat, Ucondonum, et proscribendi Patres, et ceteros Principes Christianos in Coream, si exequi destinata potuisset, transferendi, caussæ.*

*id exaggerante Jacuino,*

*eos veritus suæ tyrannidis ultores,*

*prior opprimere statuit.*

## § V. *Patres Societatis contra Taicosamæ edictum in Japone manent. Mitigatur varias ob caussas persecutio.*

F

*Coelius, Societatis Præpositus, suos omnes, late per Japonem sparsos confestim Firandum evocat, nisi si quis, rebus mature expensis, delitescere secure inter Christianos se posse arbitraretur, præsertim in tractu Meacensi ac Bungi regno; domos vero ac templa (exportata prius omni sacra supellectile, et Christianis commendata) invadentibus Taicosamæ ministris tradi ultro jubebat. Conventus indicendi caussa erat, ut sic obtemperare edicto, iniquo licet, viderentur, itaque Taicosamam placarent; ac collatis sententiis quid in hoc tanta re, unde Japoniæ universæ salus pendebat, agendum esset, statuerent.*

*Patres Firandum conveniunt,*

*50 Plerique, quam primum licuit, adfuere. Organtinus cum socio Ozacæ, alius in regno Bungensi, substitit. Secuti abeuntes Meaco, qui in seminario erudiebantur adolescentes : nam hos cum nostri remittere ad parentes vellent, permovere non potuerunt, quin ad omnem fortunam adhærere, obfirmarent animos; præter duos fortassis tresve tenellos adhuc ætate. In conventu porro hæc decreta : Quando nemo Procerum interpellare tyrannum auderet, propitiandum sedulo precibus, sacrificiis,*

*comitantibus alumnis seminarii,*

A *sacrificiis, voluntariis afflictationibus Deum, ut illius animum emolliat: at mortem adeundam potius, quam ut relinquatur, tanto petita studio, tanto adita labore Japonia; ne tot millia jam Christo adjuncta, ubi nostros metu mortis cedentes viderint, levi momento a fide desciscant: animandos potius constantiæ exemplo; sed opera ita caute adjuvandos, ne irritari Imperator possit, donec prodire in apertum certamen necessitas cogat. Ergo exhortationes haberi, catechesin tradi, administrari sacramenta in certis privatorum ædibus, secretisque oratoriis, oportere, Ecclesiæ primitivæ more. Dein jussi omnes precationibus aliarumque exercitiis virtutum comparare ad omnem eventum animos. Minime enim dubium videri, quin ubi solvisse navim, ac nostros in Japone mansisse Taicosama inaudierit, in omnes sit sententiam mortis laturus.*

*AUCTORE L. B. statuunt non discedere a Japonia,*

*sed occulte functiones suas obire,*

*et se ad mortem parare:*

51 *Is priusquam Facata discederet, primarius regnorum Arimæ et Omuræ arces everti jussit, ne Christiani, quorum ingentem esse in iis regnis numerum norat, iis occupatis sese tuerentur; tum et cruces dejici et templa subrui mandavit; urbemque Nangasacum suo præsidio teneri: quam deinde cum negotiatorum frequentia locupletari, ac numero domorum mirum in modum amplari cerneret, ratus luculentos inde proventus* B *percipi posse, Omurano Regi ereptam, sub suum redegit dominatum. Facatum obiere Reges, Arimanus Protasius ac Sanctius Omuranus, deprecatum, ne ut cum rebellibus secum ageretur, qui primi Taicosamæ se imperio subjecissent. At nihil evicerunt: nedum caussam nostram, quod statuerant, agi tam utiliter posse censuerunt. Sed celeriter reversi domum, tyranni ministros, qui jam validissimum regni Omurani castellum everterant, ac templa sex, crucesque aliquot, pecunia delinivere, ne ulterius ad dira mandata exequenda grassarentur.*

*excidium arcium suarum et templorum*

*donis impediunt, Reges Christiani.*

52 *Initio anni insequentis* CIↃIↃLXXXVIII, *cum solutura e Japone navis esset, atque induciæ a Taicosama datæ exirent; nostri, qui statuissent inde pedem non efferre, navarcho suadent, ei ut renuntiet, cum affatim et mercibus et turba nautica, sed omnino necessaria, onusta sit navis, non posse in eam tantum Religiosorum numerum recipi: aliquot se in præsenti evecturum, reliquos anno proximo. Et vero ne quorum mendacii posset, pauculos, qui Macaum initiandi sacris ordinibus mittebantur, assumpsit. Vehementer Regibus ac Principibus Ximanis, Arimæ, Omuræ, Amacusæ aliisque nostrorum probatum consilium est: eosque in urbes et castella sui juris distributos, ipsi alendos accepere. Eminuit præ* C *ceteris Protasii animus, qui et* LXX *nostros et alumnos seminarii Meacensis* XXV, *sustentandos sibi sumpsit, et ditionum, quos de Saxumano recuperarat, incolas imbui fide Christiana jussit, ut eo ipso anno ad bis mille in illis baptismo expiati sint. Dein Isafaio sororis filio ditionem, inter Arimæ et Omuræ regna sitam, quam Taicosama Riozogio eidam attribuerat, recuperat, audaci incepto: verum Lenuocamindoni Augustini, qui et mari Japonico, et summæ rei in Ximo præfectus a Taicosama erat, utrumque protexit auctoritas, culpa in Riozogium rejecta: cui tamen deinde restitui provinciam debuit cum quadam ipsius Arimani arce.*

*et nostros in suis terris alunt.*

53 *Erant Augustinus ac Simon Condera, antea Magister equitum, sed in bello Ximano exercitui haud modico præfectus, parati et ipsi bona vitamque pro Christo exponere, si aperte impeterentur. Taicosama, qui primo cum Ucondono conflictu præter fortissimi prudentissimique Ducis jacturam, dedecus se haud exiguum retulisse sentiebat, aggredi eos ausus non est. Distinebat tamen publicis rebus, et, quoad poterat, procul ab regia, occupatos: at ne verbum quidem cum iis de fide unquam commutavit. Neutri tamen, quanta merebantur, ipseque ultro ob res in Ximo præclare gestas promiserat, præmia largitus est: at Conderæ certe duo regna pollicitus, Buygense haud totum dedit, sed cum Regia tamen dignitate. Dissimulare ipsi injuriam maluerunt,* D *quam ut penitus semper a regia abesse cogerentur: cupiebant enim ita et rei Christianæ consulere, et præsertim, quid agendum esset, opportune Provincialem admonere. Augustinus autem in Junodogimu, suæ ditionis insula, Justo Ucondono, et Dario ejus parenti, atque utriusque familiæ, commodas, at devias, ædes, quæque ad victum necessaria, assignavit, uti et P. Organtino, ut in agrum Meacensem commode excurrere ac subvenire Christianis hic posset: insulæ Christianum Equitem Georgium præfecit, jussitque circa portum commorari, et prohibere aditu extraneos, præsertim Gentiles.*

*Duces Christianos reveretur Taicosama,*

*parum iis ...pens.*

54 *Qui ad Taicosamam a Dominico Montero missus cum litteris erat Emmanuel Lupius Lusitanus, ut Facatam venit, ac discessisse eum inde comperit, sequi Ozacam instituit: ubi ei post aliquot demum menses reddidit Monteri litteras. His ille lectis, incredibili iracundia exarsit, et cunctos qui in Japonia essent de Societate trucidaturum se comminatus, templa, quæ Meaci, Ozacæ, Sacaii habuerant, totius Japonis elegantissima pulcherrimaque funditus excidi præcepit, ac sacella duo et viginti Meacum inter et Sacaium, quo tractu, longo* XVIII *leucas, ultra* XXXV *millia Christianorum degebant. Junodogimam quoque insulam, gnarus isthic secessum Ucondono Patrique Organtino esse, (quid enim* E *non odorantur ac pervestigant aulici illi canes, tyrannorum renuntii asseclæ?) Augustino abstulit: nec tamen eum injuria lacesseret, alias illi possessiones, multo ampliores, in Fingensi regno dedit.*

*multa templa evertit,*

55 *Cum hæc Arimam perlata sunt, Coellius Provincialis universam existimans peti Christianitatem, Patres qui in propinquo erant, ad se accitos consuluit, quid e re Divini obsequii fore eo tempore videretur. Providendum comprimis, ne Protasio Regi aliisque Christianis Principibus, qui nostros in suis ditionibus retinuerunt periculum crearetur. Ego vero, inquit Protasius, felicem me puto, qui tot in meo regno Sacerdotes habeam. Id si Taicosamæ displicuerit, rationibus illi satisfaciam: si bellum moverit, et ego ad arma decurram: nec dubito quin auxilium, ut alias, tam æqua in caussa mihi laturus sit Deus. Sin ei aliter visum erit, bona tamen ac vitam libens pro ejus gloria profundam. Imo, quin serius ocyus intelliget, me sedem vobis in meo regno, spernentem ejus edicta, assignasse: si assentimini, ultro illi bellum denuntiabo. Abhorruere ab hoc consilio nostri, ne non se solum ac suos, sed omnes omnino Reges ac Principes Christianos in extremum periculum adduceret.*

*Regi Arimæ, ne bellum illi inferat, dissuadent nostri,*

56 *Censuit igitur Provincialis, cedendum tantisper* F *tempori, mutatoque habitu, et habitatione, clausis ædibus nostris ac templis, in occulto Christianis ac Gentilibus impendendam operam: ut quærenti Taicosamæ respondere Principes possint, occlusa esse templa, conciones nullas haberi; si qui reliqui sint in Japonia Sacerdotes, eos in privatis domibus agere, neque diu loco uno morari, ac sæpius vestimentorum formam commutare, ut non facile intercipi possint: ita amoliturus Principes a se culpam. Sapienter ista suaderi cuncti censuerant. Viginti qui adhuc scientiis studebant, cum tribus Sacerdotibus, ad arcem Quiquariam missi: Faquiranum alumni* LXXIII, *cum Sacerdote uno ac tribus Magistris: Tirones decem, ac tres Sacerdotes ad arcem Asiam. Ceteri in varias oras dimissi.*

*et ne periculum illi et aliis creent, cavent latendo.*

57 XVII *die Augusti appulere navi Chinensi in Japoniam duo e Nostris, qui et nuntiarant antequam Macao solverent, allatum nuntium, triduo post isthic adfuturos quatuor Legatos, qui Romano Pontifici consanguineorum Regum nomine obedientiam detulerant, unaque cum illis P. Alexandrum Valignanum. Missus Macaum est P. Melchior Mora, ut Valignanum ac Legatos edoceret, qui nunc Japoniæ status esset; quo consultius statuere possent, maturandumne sibi iter in Japoniam esset, an differendum, et qua ratione adornandum.*

*Redeunt ex Europa 4 Legati,*



58 *Minime*

AUCTORE I. B.

*Varius tenor decennalis persecutionis.*

A 58 *Minime constitutum est mihi omnia persequi momenta, quibus persecutio nunc intendi, mox remollescere identidem visa. Nam ut coorta post vehementem solis ardorem tempestas ita subinde parte una cæli detonat, ut sint aliæ immunes, ac mox in eas incumbit, priore serenata; nunc cum dissipata videtur, gravior exurgit; ita toto hoc decennio, quo Ecclesiam exagitavit Taicosama, nunc spes affulgebat; brevi placatum eum iri, nunc metus gravior ingruebat; urbes quoque ad provinciæ, nunc hæ, nunc illæ, vel tranquillitate fruebantur, vel novis motibus percellebantur. Sed hæc ii perscribent qui universam illius Ecclesiæ, nostræve Societatis historiam tractabunt. Nos ea solum hic exequi par est, quæ ad* XXVI *Crucifixos Martyres spectant. Illud tamen operæ pretium visum fuit explicare, (et hactenus factum est) quis ille fuerit, qui mortem iis consciverit, quibus natalibus ac moribus, qua caussa maloque moverit persecutionem, cujus penultimo anno ipsi palmam retulere. Sed hæc fortassis etiam prolixius dicta, quam quidam lectores probabunt. Nam si plura quis velet, adeat quæ Hispanice ab Ludovico Guzmanno, a Francisco Solerio Gallice, Latine ab Joanne Hayo editæ sunt rerum Japonicarum narrationes.*

*ea paullum mitigata legatione, P. Valignano ab Indiæ Prætore imposita, splendidissima, sed suspecta,*

B 59 *Redeuntes in Japoniam, quos diximus, Legatus comitabatur, aut potius reducebat Alexander Valignanus. Hunc Eduardus Menesius Indiæ Prorex Legatum suum dixit, deditque ad Taicosamam litteras ac dona, cui et Religiosos Societatis commendavit. Legatus petito prius commeatu, Nangasacum appulit die* XXI *Julii an.* CIↃIↃXC. *Multa adversus eam legationem Imperatori, natura suspicioso, suggesta ab inimicis nostræ religionis, Jacuino præsertim, de quo antea egimus. Admissa tamen est anno sequente, fuitque omnium, quas Japonii ad eum diem viderant, splendidissima; ac multum contulit ad mitigandam, si non penitus discutiendam, persecutionem. Illud quoque hosti infernali, omnes admoventi contra eam machinas, evenit, quod dici solet, ut quos aliis tetenderat laqueos, iis ipse implicaretur. Dum enim apud Taicosamam in suspicionem adducitur Legatus, quia e Societate, totaque legatio ut fictitia suasum illi est, ut denos vicenosve e Societate obsides tamdiu retineret, dum explorasset num quid lateret fraudis. Atque ita factum, quod nostri præcipue optabant, et magno mercari voluissent Christiani, ut palam in consueto habitu decem retinerentur, sacra facerent, ac verba de Divinis rebus haberent, saltem ad Lusitanos liberrime.*

*ideoque retentis obsidibus explorata,*

60 *Neque Japones ipsos latuit, pœnas repetiisse Deum*

C *ab Europæis quibusdam, qui calumniæ de vana legatione vel auctores vel comprobatores extiterant. Duo primum*

*divinitus etiam puniti Europæis, qui eam suspectarant:*

*negotiatores (alter Manila, e Peruvio alter Nangasacum advenerat, uterque non levibus beneficiis obstrictus Societati) dum non impetrant ut nostrorum intercessu, quas Lusitanis isthic pecunias debebant, eæ ne repeterentur, apud regios præfectos asseruere, (alter etiam apud ipsum Taicosamam) totam eam a nostris excogitatam legationem. Sed non multo post uni maledicæ linguæ usus specie quadam paralysis ademptus est, morte post quatuor menses insecuta, ad quam tamen pie obeundam adjutus a nostris. Alter in cujusdam freti trajectu navi eversa interiit. Eadem vindicta Lupum de Luceo, Legatum Proregis Philippinarum, oppressit. Is Peruvianum illum, (sive fidem habebat ejus de nobis mendaciis, sive hac ratione gratiam inire ab aulicis volebat) Nangoiam deduxerat ad Taicosamam: quem ille suis criminationibus vehementer in Lusitanos, ac nostros præsertim, exacerbarat; magna Christianorum Japonum offensione; e quibus* Findanocamindonus *Ixeiæ Rex, Nobunangæ gener, stupore perculsum se fuisse aiebat, cum Christianos a Christianis accusari audiret, et apud Gentiles. Verum et mercator, et qui ei favebat Lupus Legatus, ille quo diximus modo, hic dum repetit Philippinas, naufragio facto, in insula quadam, perierunt.*

D 61 *Jam et frequentibus colloquiis cum P. Joanne Rodericio Legati interprete, affabilior in dies humaniorque fiebat Taicosama, et Justum Ucondonum receperat in gratiam: sed præcipue Augustini rebus gestis moveri videbatur, ut æquior Christianis esset. Copiis adversus Sinas ducendis quatuor Duces præfecerat, suo cuique assignato exercitu. Duo Christiani erant, Augustinus et Damianus Caynocamus, Simonis Condexæ filius: habebat Augustinus secum Reges Arimæ, Omuræ, Ceuximæ, et Principem item Amacusæ, omnes Christianos, ac militum viginti millia. Cumque ab Taicosama jussus esset primum in hostes impetum facere, ceteri in Cruxima insula successum præstolari, neque nisi ad Augustini nutum progredi; ipse urbibus captis, fusis exercitibus, Rege fugato, Coraiam omnem redegerat in potestatem. Dubium tamen fuit, magis exultaret victoria Taicosama an virtutem Augustini reformidaret. Interea Christianos fructus aliquis publicæ tranquillitatis recreabat, sed et multos metus angebat, ne Taicosama, quod facturum jactarat, optimos ipsorum Reges regnare deinceps in Corea cogeret, avitis spoliatos bonis. At perquam maligne exercitibus annonam suppeditabat, abductis etiam, ne providere sibi possent, navibus: quasi confici isthic ærumnis ac laboribus peroptaret. Et vero perierunt supra* L *millia hominum, quingentæ naves.*

*et Augustini in Corea victoris.*

E

## § VI. *B. Petri Baptistæ, aliorumque PP. Minorum, in Japoniam adventus, in ea commoratio, publica prædicatio.*

*Patres Societatis tempore persecutionis multos convertunt,*

P*ropius ad Martyres accedimus. Priusquam, eo modo, quem jam dicemus, exasperaretur persecutio, hoc statu Christiana res erat, ut si paullo placabilior Taicosama fieret, spes foret gentem universam ad nostra sacra transituram. Ab Octobri certe anni* CIↃIↃLXXXIX *ad Octobrem anni insequentis,* XX *millia quingenti septuaginta Christo nomina dederunt, maturæ omnes ætatis, (non annumeratis infantibus) inque iis Dynastæ ac præcipui quique: uti Petrus Martinus, qui deinde, Japoniæ Episcopus fuit, Goa in Europam scripsit. Annis* CIↃIↃXCI *et* CIↃIↃXCII *supra* XII *millia sacris aquis lustrati. Jam sub Christi signis præter Augustinum, Justum Ucondonum, Simonem Conderam, merebant Reges, Arimæ, Omuræ, Jugæ, Zeuximæ Damianus idemque Augustini gener, Ludovicus II Goti, Damianus Caynocami Bugensis, Findanocamindonus Nobunangæ gener Ixeiæ, Paulus Tozzæ, Araquius Bomi, Constantinus Bungi, haud tamen par constantia Francisco parenti, aliique ac liberi Principes plurimi. Eo enim nostri a*

F *principio operam contulerunt, ut Nobilitatem primum lucrarentur Christo, plebe haud difficulter secutura, uti evenit.*

*præcipue Nobiles:*

63 *Jam et Societatis nomen, quo nondum adieramus, percrebrescebat, in ultimis Japoniæ oris, ipsius etiam beneficio persecutionis, dum nostram notant ac demirantur constantiam, in tot ærumnis animarum caussa hilariter perferendis: ultroque a variis expetebamur. Denique, ut in quadam epistola scribit Froes,* Deo propitio ubique in omnibus Japoniæ partibus, etiam apud ipsos Ethnicos, in tanto pretio et existimatione erat Lex nostra sanctissima, ut vix essent qui de ea perperam, ut olim, loquerentur; sed (quod merito magni fiebat) omnes lætarentur, se nunc libentissime audire, quæ ante detestabantur. Et cum omnes Christiani essent fere viri principes, nomen Christianorum non modo salutiferum, sed etiam honorificum esse cœperat. *Ita tunc ille. Ipsi urbium Præsides, atque Aulæ quoque Præfecti, et alii magistratus Gentiles, mirifice favebant. Reginæ aliæque illustres feminæ permultæ susceperant baptismum, plures in eum propendebant.*

*expetuntur variis ex locis,*

*et libenter audiuntur*

*sibi faventes habent Magnates Ethnicos*

64 *Cavebant tamen sollicite nostri, ut absque strepitu, quod dicitur, Christi negotium agerent, qui nossent quam esset ferocia Taicosamæ Japoniis formidabilis. Id unum*

*cavent ne nimio fervore offendant;*

*Augustinus*

A *Augustinus identidem suadebat, et coram, cum nostros alloquebatur, et litteris e Coraia missis, ut moderaremur zelo nostro; securius in tempestate navigari contractis paullum velis. Idem inculcabat Genfoin Meacensis Prorex Anlæque Taicosamæ Præfectus, cujus sæpius infra mentio fiet. Gibonoscius quoque urbis Meacensis Gubernator, et ipse intimus Taicosamæ, crebro per litteras aut internuntios favorem suum addicebat, modo ne quid publice turbaremus.*

*concilio Procerum Christianorum, et Ethnicorum:*

65 *Hinc illud evenit, quod anno* CIↃIↃXCVI *Froes scribit:* Quamvis persecutio nostrorum, *inquit,* totos hos decem annos suum cursum tenuerit, tamen a tribus quatuorve annis, quibus languescere cœpit, res Christiana, Divina opulante gratia, semper uberiorem habuit progressum, Taicique et aliorum adversariorum animus in Societatis homines æquior extitit. Ac superiore quidem anno, supra omnem spem humanam, huc usque tantus fuit nobilium illustriumque hominum, cum Meaci tum Ozacæ, (quæ urbes sunt totius Japoniæ facile principes, omnisque nobilitatis domicilia) ad audiendam legem nostram concursus, ut omnes, quotquot viderunt audieruntve, obstupescerent. Nobiles enim hi Domini, simul atque sacro lavacro capita subjecissent, omnibus suis amicis et B notis auctores fuere, ut similiter facerent: unde tanta hominum turba ad nos confluxit, ut Fratres nostri, cum diurnis sermonibus nocturnos addere coguntur, viribus deficiantur. *Hinc passim restituebantur quæ dejectæ fuerant ecclesiæ, et novæ ædificabantur.*

*remittente paullum persecutione,*

*plurimos convertunt:*

66 *Hic res intervenit, quæ, si tempora alia extitissent, mirifice amplificare Ecclesiam Japonicam potuisset, at nunc in maximum eam adduxit discrimen. Erant nostri circiter* CXXXIV, *Sacerdotes* XLVI, *nondum sacerdotio initiati tum Japonii tum Europæi* LXXXVIII. *Præter hos, facile sexcenti sub nostrorum disciplina degebant, quorum alii instruendis rudibus utilem conferebant operam, alii litterarum studiis informabantur, brevi et ipsi auxilium laturi ad conversionem animarum, eo opportunius, quo lingua vernacula, moribusque et forma corporis, facilius sibi gentiles suos erant conciliaturi. Advenere ipso tempore auxiliares manipuli, egregii illi quidem si sanctimoniam vitæ spectes, ac doctrinam, minus tamen tam perplexis Japoniæ rebus, aut necessarii, aut utiles, religiosissimi aliquot ordinis S. Francisci Patres, e Philippinis insulis, quæ Hispanorum ditioni parent, profecti.*

*quot tum fuerint?*

*quot adjutores?*

*PP. Franciscani ex Philippinis adveniunt?*

C 67 *Quæ eos caussa exciverit, quærere consulto hic nolo. Præcipue ipsorum zelus fuit; quo inflammati a Prorege Gumesindo Petreia, militiæ S. Jacobi Equite, impositam suscepere, si non ultro captavere, legationem, haud omnino forte necessariam. Occasio præbita ab Faranda Queymone et Faxegava, hominibus Japoniis, callidis veteratoribus, qui ultro Taicosamæ spem fecerunt fore, ut levi negotio Luzoniam (ita præcipuam insularum Philippinarum, in qua Manila urbs, appellant) aut subjiceret sibi, aut certe faceret vectigalem: eumque, et Hispanum earum insularum Prætorem, mandatis ac responsis ultro citroque perferendis, ac fallaciter interpretandis, circumvenerant; capite luituri supplicium, si Tyranno vel leviter fraus innotuisset. Sincerior Hispanus ac generosior, quum necesse esset, aut rei Christianæ in Japonia utile. Non erant Faranda et Faxegava, idonei ad tantam rem Legati, ut eludi dissimulatione aliqua facile posset. Hocque ut fieret, ne quid damni religioni consciseretur, obtestabatur Manilani collegii Societatis Rector, a Macaensibus admonitus. Maluit Prætor legationem mittere, primum eam, in qua, ut diximus,* Lupus de Liano *cum* Joanne Cobo *Sacerdote, adornatæ contra nostros calumniæ patrocinatus: deinde aliam, qua, præter Petrum quemdam Gonsalvium, functus e S. Francisci ordine,* Petrus Baptista *: a quo comites adsciti* Bartholomæus Rudericius, Franciscus de

*legationis prætextu,*

*invitati a 2 Japoniis fraudulentis:*

*Patribus Societatis dissuadentibus,*

S. Michaele, Gonsalvus Garcia: *nam sibi patefactum iri hoc pacto in Japoniam aditum, ad amplissimam animarum messem, sperabat.* D

AUCTORE J. B.

68 *Obnuntiarunt palam nostri qui Manilæ erant, quippe Gregorii* XIII *gravissima constitutione sancitum, ne quis præter Societatem* Jesu *in Japoniam Evangelii prædicandi caussa proficisceretur. Quamquam nostros magis præsens periculum movebat: quod fortassis etiam præsagierat sanctissimus Pontifex: cujus Breve,* XXVIII *Januarii, anno Christi* CIↃIↃLXXXV, *pontificatus sui* XIII *datum, recitat Ludovicus Guzmanus, sed Hispanice versum, cap.* 1 *Tractatus ad historiam Japonicam adjecti. Meminit ejusdem Constitutionis Henricus Spondanus Apamiarum Episcopus tom.* 3 *Continuationis Annalium Ecclesiast. ad an.* CIↃIↃC, *num.* XXV *his verbis:* Postquam fides Christi annuntiari Japonibus cœpisset, Gregorius XIII considerans id ministerio et opera Religiosorum Societatis Jesu factum fuisse, hac aliisque caussis motus, sub gravibus pœnis probibuit, ne qui cujuscumque gradus, conditionis, ordinis, tam seculares quam regulares, ad provincias Japonicas Evangelii prædicandi, vel doctrinam Christianam docendi, aut Sacramenta ministrandi, aliave munia Ecclesiastica obeundi caussa, sine sua et Sedis Apostolicæ expressa licentia proficisci auderent. E *Confirmavit hanc Gregorii Constitutionem, Brevi suo insertam, Clemens* VIII, *die* XIV *Martii, an.* CIↃIↃXCVII, *pontificatus sui* VI. *Philippus* II *Rex Catholicus jam ante Prætori Indico mandarat, ut eamdem Gregorii constitutionem observari curaret. Tradit tamen Spondanus, eumdem Clementem* VIII, *aliis quoque Religiosis eo proficiscendi, ad fidem Christi propagandam, potestatem fecisse; sed anno primum* CIↃIↃC, *et* cum absoluta prohibitione, ne qui insulis Philippinis, sive qualibet alia Indiarum Occidentalium parte, ad prædictas Orientales, ad ea præstanda, transire auderent.

*et diploma Pontificium apponentibus,*

*vetans ne alii Religiosi Japoniam adeant;*

*quod post revocatum.*

69 *Frustra fuere, quæ ad interturbandam eam PP. Franciscanorum expeditionem Manilæ prolata tunc sunt a Nostris. Vicit omnia zelus ipsorum, Prætorisque auctoritas: satis tum excusari cetera obtentu legationis visa. Barrezzus scriptor quartæ partis Chronicorum ordinis Minorum lib.* 10 *cap* 59 *tergiversatum aliquamdiu ait B. Petrum Baptistam in admittenda legatione, ne contra sanctionem pontificiam faceret: verum consultos viros eruditos ex aliis ordinibus, ac seculares, censuisse, non videri ea sanctione vetitam ejusmodi legationem, quæ ad publicum insularum Philippinarum bonum pertineret; cumque Sixtus* V *Brevi Apostolico potestatem Minoribus fecisset in omnibus Occidentalium Indiarum provinciis Evangelium prædicandi, haud obscure* F *decessoris sui legi derogasse, quando in confesso esset Japonem ad occiduas Indias spectare. Quid cum (quod asseverabat Faranda) maximopere cuperet Taicosama eos videre, quorum jam inaudisset sanctitatem vitæ, ac præsertim voluntariam paupertatem contemptumque rerum terrenarum; an ea negligenda occasio, illum Christianis magis conciliandi?*

*tunc æquitatis titulo explicatum et discussum,*

*cum spe conciliandi Taicosamæ:*

70 *Amplificat ista Joannes Blancones, qui Barezzi Chronica Gallice, haud optima fide, interpretatus est: nam et Patres minores ait* (quod nec bona nec reditus admittant, victu solo et amictu contenti, ut homines vere Apostolici) præ Jesuitis in Japonia receptum iri, *dixisse Farandam. Quæ omnia absunt a Barezzi Italica editione: uti et quod ait Blancones, indultum Breve illud Jesuitis a Gregorio* XIII, quod in mundanis sapientes magis quam ceteri essent. *Deinde quod ait auctor* F. Petrum maluisse legatum esse Christi in conversione animarum, quam urbis Manilæ in conservatione corporum: *id ipse reddit,* maluisse esse Christi legatum in conversione animarum, quam urbis Manilæ in conversione corporum, uti esse volunt dicti Patres: *Societatis nimirum. Quorsum illa adjecta invidiosa comparatio? aut quæ* conversio corporum, *quam*

*quæ a quodam negligenti Scriptore in invidiam Societatis falso exaggerata.*

*AUCTORE I. B.*

A *quam spectare nostros ait? Arbitror cupiditate accelerandi operis, non satis expendisse quid scriberet, uti cum ex facultate a Sixto V facta Minoribus, in Indiis occiduis prædicandi, cum ad eas spectent* Philippinæ, *ait argumentatos Manilanos, jus quoque indultum Japoniam adeundi. Quæ illa consequentia est? Quanto liquidius Borezzus.*

71. *Porro doctorum virorum, quæ retulimus, responsis confirmati sancti illi Patres, onus legationis capessivere. Illud certe quidem, de Japonia ad Occiduas Indias referendi, utcumque frivolum erat. Sola legatio, publici boni caussa suscepta, potuit fortasse censeri neutiquam voluntati Pontificis repugnare. Solverunt ergo Manila sub exitum Maii, anni* CIↃIↃXCIII, *cum Petro Gonsalvo,*

*discedunt Manila PP. Franciscani an. 1593.*

F. Petrus Baptista, *insigni vir doctrina, sanctimonia vitæ, ac prudentia,* F. Bartholomæus Rodericius, F. Franciscus de S. Michaele, *sive* de Parilla, F. Gonsalvus Garsia. *Cum Firandum appulissent, misit P. Petrus Gomius nostrorum in Japonia Præpositus, qui eos salutaret, edulíisque recrearet, et omne caritatis officium deferret: a ceteris jussit, si ad eos divertissent, omni observantia atque humanitate religiosa coli. Benigne excepti Nangoiæ a Taicosama, cui et dona a Prætore missa obtulere. Eo deinde annuente, ut Meacum et Ozacam viserent, libros a P. Gomio petiere, quorum præsidio linguam addiscerent, quam solus Garsia callebat. Gomius iis Nangazaco Grammaticam ac Dictionarium misit, tum faciles quosdam Dialogos, Modum confitendi, et alios quasdam libros, tum Japonicos tum Lusitanicos.*

*appellunt Firandum: salutantur a PP. Societatis: ituri Meacum, petunt ab iis libros.*

B

72 *Reverso Fuximum Taicosama, obtinuere Meaci ædificandi domicilii locum, edicente tamen etiam atque etiam Gubernatore, abstinerent ab habendis concionibus, aut cogendis conventiculis. Hic illi domum atque ecclesiam construxerunt, titulo* S. Mariæ de Portiuncula; *in qua primum sacra celebravere festo S. Francisci* CIↃIↃXCIV, *ibique conciones Dominicis ac festis diebus habere instituerunt. Monuerunt eos amici quidam, etiam Gentiles, rem periculi plenam videri, cum tam prope abesset Taicosama. Ipse eorum hospes Faregava, et qui in Japoniam eos deduxerat Faranda Queyman, veriti ne fortunis ac capitibus suis periculum, ubi id Imperator rescisset, crearetur, ultro rem ad Gibunoseium Gubernatorem detulere. Questus hic est, eos consilio suo non paruisse, quod sane, inquit, imperium interpretari debuissent: iterumque edixit, templum clauderent, operirent altare, conventum populi ne haberent. Erat is Ethnicus quidem, sed erga Christianos humanus. Exploraturus deinde Imperatoris animum: Vereor, ait, ne*

*construunt Meaci ecclesiam*

*in ea prædicant,*

*male iis metuente Gubernatore,*

C *Exulcerati illi Religiosi, qui se Legatos ferunt Gubernatoris Luzoniæ, Christianam legem prædicent, tinguntque homines baptismo, ut alii prius. Caverint, si sapiunt, ut iracunda voce Taicosama: aliquin de iis supplicium sumam, ad omnem memoriam terribile.*

*extrema minante Taicosama*

73 *Impune ædificata Meaci æde, ubi advenere Manila ejusdem instituti Religiosi,* F. Augustinus Rodericius, F. Marcellus Ribadeneira, F. Hieronymus de Jesu. *Quo accepto supplemento, Petrus Baptista secundum cœnobium ædificat Ozacæ, quod* Bethlehem, *appellavit. Dein Nangazacum cum F. Hieronymo proficiscitur: ubi XX dies nostrorum usi hospitio, ad ædiculam postea S. Lazari, extra urbem sitam, secedunt, ibique sacra palam faciunt, et conciones habent. Terazava Præfectus, qui Nangoiæ tunc erat, ubi id ex Vicarii sui litteris didicit, Christianorum omnium, qui sacra et conciones accederent, describi nomina imperavit, minatus se omnibus mortem allaturum. Edicit illico per præconem Vicarius, ne quis istuc ob ea ventitet. Meacum profectus Terazava, reque cum Guenisoin Aulæ Præfecto collata, Vicario rescripsit, ut dictos religiosos ex omnibus jurisdictionis suæ locis expelleret. Obtulit iis domum nostram P. Gomius Viceprovincialis: illi Meacum reverti maluerunt. Advenere dein Manila* F. Franciscus Blancus, et F. Martinus de Ascensione, *alias*

*adveniunt alii:*

*ædificant Ozacæ,*

*Nangasaki prædicant,*

*sed, turbato eorum ritu redeunt Meacum*

*iterum veniunt alii.*

de Aguirre *dictus: demum* F. Philippus de Jesu, *qui et* de las Casas, et F. Joannes, Pauper *dictus, sive* Zamorensis. D

74 *Veniam oro sanctos Martyres, quod non operosius singula eorum acta persequar. Neque ea fortassis, quæ obiter scripsi, quorumdam vitabunt reprehensionem: satis est si ipsi probent. Ad martyrium propero, cujus quia lauream adipisci, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, idea non sunt semper omnia quæ præcesserunt, aut ad illud viam straverunt, ad humanæ prudentiæ libellam exigenda: quandoquidem vel illud maxime cum ea pugnare prima fronte videri possit, quod primum Christus inculcat, ut qui ad Regum Præsidumque tribunalia, propter ipsius nomen, pertrahentur, ne præmeditentur quidem, quid responsuri sint. Fatetur certe inferius in historia martyrii, cap. 4 scriptor gravissimus, jactum fuisse, eorum vel adventu, vel commoratione, vel nimium celebri prædicatione,* modicum discordiæ semen, quod poterat magnum adferre Ecclesiæ *illi* detrimentum. *Hinc illa gloriosi Martyris* F. Petri Baptistæ *ad Joannem Rodericium Nostrum, pridie martyrii, plena sanctissimæ submissionis oratio:* Itaque meorum sociorum nomine, uti eorum Superior, ab hac hora rogo P. Viceprovincialem, et reliquos de Societate, ex toto corde, ut nobis condonent molestias, quibus eos affecimus. *Rodericius vero, ut idem subjicit historicus,* excusans piam eorum mentem et scopum, similiter ex parte Societatis veniam petiit a F. Petro, si forte aliqua in re ab ea offensus fuisset. *Plane ut mihi videantur, quæ S. Augustinus ep. 48 ad Vincentium Cartennensem Rogatianæ factionis Episcopum scribit, utcumque ad hoc propositum posse accommodari:* Cyprianus, aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula caritatis; aut hunc quasi nævum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis et copiosissime defendit, et perseverantissime tenuit vinculum pacis. Scriptum est enim: Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Accessit huc etiam, quod tamquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis. Sarmentum autem, ait Dominus, quod in me facit fructum afferat. Unde? nisi quia hærens in diffusione vitis, radicem non deseruit unitatis?

*Cur non sigillatim hæc omnia narrentur?*

*Aliquid offensionis fuit;*

*sed abstersum mutua submissione,*

E

*et ut de S. Cypriano scripsit, S. Augustinus) martyrio.*

1 Petr. 4, 8

Joan. 15, 2

## § VII. *Historia martyrii* XXVI *Crucifixorum summa fide conscripta.*

F

S*equitur martyrium illustre ac splendidum, in quo sola dignitas ac decus Deique gloria, elucet; nihil insinceræ intentionis, nihil dubii respectus immixtum. Id litteris tradidit, qui extremum certaminis, ipsum nempe Crucis triumphum spectare potuit Ludovicus Froes; quem Georgius Cardosus in Notis ad Martyrologium Lusitan.* testem oculatum *appellat. Fuit certe mense uno ante Nangasaki, inde enim* XXVIII *Decemb. an.* CIↃIↃXCVII *historiam Sinicæ legationis in Europam misit: quinto vero post Martyrum agonem mense ibidem obiit, diuturno morbo exhaustus. Is rerum Japonicarum longe scientissimus erat, per annos continuos* XXXIV *isthic versatus ac fere in regnis Tenzæ, ipsaque Meacensi regia, familiariter Nobunangæ ac Taicosamæ notus. Quantum vero hæc martyrii historia fidem mereatur, ex dedicatoria ad Claudium Aquavivam epistola licet statuere. Ita enim in ea profitetur:* Non aliud commemorabo, quam quod ab hominibus fide dignis, partim e Societate nostra, partim secularibus, qui Meaci, ubi primum orta est persecutio, et Nangasaki, ubi supplicium peractum est, præsentes fuere, et per litteras vel coram diserte patefecerunt, accepi. *Inter hos fuisse P. Rodericium ambigi non potest, cui B. Petrus Baptista pridie mortis* summatim totius itineris acta *retulerat.*

*quod descriptum a P. Ludovico Froes,*

*teste præsente,*

*perito rerum Japonicarum,*

*et certis usi testibus,*

76 *Porro*

A 76 *Porro de* Ludovici Froes *integritate, sapientia, laboribus, qui plura scire desiderat, adeat Francisci Sacchini historiam Societatis, et Philippi Alegambæ Bibliothecam. Ex hac paucula strictim delibo. Fuit igitur* Ludovicus Froes natione Lusitanus, patria Begiensis in diœcesi Eborensi. Anno CIↃIↃXLVIII, nondum Sacerdos, una cum Gaspare Barzæo, et aliis de Societate viris inclytis solvit in Indiam. In navi multam caritati suæ materiam nactus, strenue cum sociis eam exercuit, omnibus pro sua cuique necessitate succurens, tum spiritualibus auxiliis, tum corporalibus, decerpens etiam de suo viatico, quod egenis daret. Goæ prosecutus studia aliquamdiu, a Melchiore Nunnio Provinciali anno CIↃIↃLV abductus et ad salutem hominum procurandam Malacæ constitutus, annum ibi perutiliter posuit: quo evoluto Goam ad sua pertexenda studia postliminio rediit. Iis absolutis, repetita navigatione, una cum Joanne Baptista Montio, post multam jactationem, et crebra pericula demum Japoniam tenuit. In Omurana ditione facta exscensio. Ibi primis diebus, quando linguæ imperitia non poterat aliud, Baptismi conferendi curam suscepit, et brevi supra LX tinxit, nobiles omnes vel Bonzios. In Firandi postmodum vicina profectus, Taguscimæ febri ardentissima æstuavit.

*missus in Indias an. 1548 cum P. Gasparo Barzæo,*

*post studia absoluta in Japoniam an. 1563 Omuræ primum et Taguscimæ versato,*

B

77 *Multis ibi caritatis et patientiæ editis argumentis, Meacum* fine anni CIↃIↃLXIV cum Ludovico Almeida profectus, ex maris, frigorum, valetudinis nondum bene firmatæ incommoda subiit, quæ longo illo in itinere, iniqua tempestate, solennia sunt. Almeida Sacaii ad Christianorum relicto solatium, solus ipse perrexit: et Ozacæ, qua transeundum fuit, præsentissimum adiit vitæ discrimen, Bonzio Christiani nominis hoste auctore, qui designatum ad cædem sedulo vestigabat. Domicilium illi tertio mutandum fuit; nocte ac die cæca in latebra delitescendum; occulta demum semita clam abscedendum. Sic Meacum subiit exeunte Januario anni CIↃIↃLXV. *Inde paulo post pulsus, Sacaii quadriennio commoratus est: ubi multos nobiles, multosque Bonzios convertit. Meacum rediit Martio anni* CIↃIↃLXIX. *Sed mox recrudescente impiorum furore latitandum ei tantisper fuit. Expressit tandem a Nobunanga* amplum diploma, quo sedes ipsi stabilis in ea urbe permittebatur, immunitas a vectigalibus, potestas quoque libuisset excurrendi, pœnis propositis, si quis obstitisset.

*profectus deinde Meacum multis incommodis*

*et periculis;*

*inde ejectus, et Sacaii 4 annis commoratus,*

*Meacum reversus an. 1569 et sedem ac privilegia adeptus,*

78 *Aliud ei dein periculum ab importunissimo quo-*
C *dam Bonzio.* Servatus ab hoc etiam discrimine est, ad plures labores, quos Apostolico spiritu in difficillima illa provincia continuavit; donatus a Deo eximia linguæ Japonicæ cognitione.... tamque expedita curationum gratia, ut multos, quorum erat deplorata salus, virtute potius Divina, uti credebatur, quam arte medica, aut potionum efficacia, restitueret sanitati. Vixit in Japonia difficillimis temporibus ad annum usque CIↃIↃXCVII, quo pie Nangasaki, post diuturni morbi patientiam, Sacramentis munitus, in Domino, mense Julio, conquievit, expletis in Societate L annis, atque ex iis in Oriente XLIX, in Japonia totis XXXIV. *Hæc Alegambe, qui et Frois varios de rebus Japonicis commentarios recenset.*

*linguæ cognitione, et gratia curationum claro,*

*postea Nangasachi mortuo an. 1597*

79 *Post eum Ludovicus Guzman duos tomos Hispanice scripsit de rebus a Societate in India, China, ac Japonia præsertim gestis, editos Compluti an.* CIↃIↃCI, *et ipse quoque virtute ac prudentia clarus, in Societatem anno* CIↃIↃLXIII *admissus, vita functus an.* CIↃIↃCV, *de quo Nuntius quidam Apostolicus, cum de crimine illi malitiose imposito, ex tatis non minus* XL *testibus, actionem instituisset, dicere deinde solebat,* nihil se minus sanctitatis et præclarorum in eo decorum invenisse, quam fecisset in iis, pro quibus in Sanctorum Canonem referendis, ex Pontificis olim jussu inquisivisset. *Ita*

*item a P. Ludovico Guzman, viro prudente*

*et sancto.*

D *idem Alegambe, qui multa de ejus sanctitate morum narrat. Ipse autem Guzman post gloriosum beatorum Martyrum relatam cædem, ac paullo post secutum Tyranni interitum, alium tractatum attexuit, in* XV *capita distributum, in quo malevolorum in Societatem calumnias, præsertim propter Breve Apostolicum, quod a Gregorio* XIII *Pont. Max. latum retulimus, atque a Clemente* VIII *confirmatum, solide refellit.*

AUCTORE J. B.

*cum refutatione calumniarum:*

80 *Ex his duobus præcipue hausit Franciscus Solerius, quæ de Japonia Gallice vulgavit tomis duobus; sed posteriora ad annum usque* CIↃIↃCXXIV *ex Trigautio et post editis relationibus, mutuatus.*

*tandem a P. Francisco Solier.*

## § VIII. *B. Petri Baptistæ, et quinque sociorum seorsim gesta.*

Neque *quam citati scriptores, plura multo de singulis Martyribus alii tradidere, ne Annales quidem Barezzi de sex illis antesignanis triumphalis hujus turmæ, Sacerdotibus tribus tribusque aliis ex PP. Minorum Ordine. Nam qui accuratissime fertur de iis scripsisse Marcellus de Ribadeneira in historia Archipelagi, testis oculatus, nobis necdum visus. Ex aliis paucula, Froio intacta, aut aliter memorata, colligemus.*

ANIMADV. PAP. 91

*De PP. Minoribus seorsim scripta.*

82 Petrus Baptista, *ex S. Stephani castello in diœcesi Abulensi oriundus, Commissarii munus posuerat, et ut tantillum quietis caperet, atque orationi rerumque Divinarum contemplationi majore studio vacaret, in solitarium quemdam conventum secesserat, cum a Gumesindo Petreio Merinæo Philippinarum Prætore, ac civibus Manilanis, ut legationem Japonicam obiret, rogatus est. Ita Barezzus lib.* 10 *cap.* 59. *At cap.* 68, *ista addit:* Dicitur F. Petrus die solenni Pentecostes puellam leprosam, Cosmi Gioiæ Japonii Christiani filiam, sanasse; quando et rubeæ linguæ ac velut igneæ supra omnium, qui aderant, capita visæ; quorum nonnulli deinde bonis exuti, et martyrio cum ipso B. Petro coronati sunt. *De miraculis post mortem factis infra agetur. Cardosus in Notis ad Martyrologium Lusitanicum ait, cum Guardianus Emeritæ esset, missum ad Philippinas: exinde Manilæ fuisse Custodem, ut ipsi vocant; tum Commissarium isse in Japoniam.* E

*B. Petri Baptistæ patria, pietas, miracula*

83 Martinus de Aguirre, *sive de Ascensione,* Vergaræ in Guipuscoa natus *dicitur apud Barezzum, et Prædicator fuisse, successque Theologiæ Lector. Froes triginta ait fuisse annorum,* ex Varanguela Cantabriæ. Franciscus Blancus, *circiter* XXX *annorum,* ex Monteregio, *sive Monte-rey diœcesis Orensis in Gallæcia.*

*B. Martini de Aguirre patria officium. B. Francisci Blanci patria, ætas.*

84 Philippus de las Casas, *sive a* Jesu, *Mexici Hispanis parentibus natus, ea adolescens vivebat libertate ac licentia, ut ipsismet parentibus ideo prope esset exosus. Quod ita illius pupugit animum, Divina simul gratia illustratum, ut Franciscanum institutum arripere statuerit. Sumpto tamen habitu, nec satis gnarus quam cum callido hoste iniisset certamen, cessit illius illecebris, abiitque e religione. Ea inconstantia tantum dolorem parentibus attulit, ut, ne ipsorum perpetuo vulneraret obtutum, in Chinam cum negotiationis ergo ablegarint. Aliquanto post tempore, cogitantem quam periculosa in libertate, patria procul, vitam ageret, quæque in religione (Deo ad ea quoque ruminanda impellente) vidisset ac reliquisset bona, novus ardor accendit, et hæc postliminio repetendi, et toto animo divini Spiritus instinctibus obsequendi. Manilam ergo, nescio cujus negotii caussa, profectus, eo absoluto, ambit denuo religiosum habitum, et impetrat in cœnobio S. Mariæ de Angelis PP. Minorum Excalceatorum: ubi egregia approbatione peracto tirocinio, solennia demum vota professus est.* F

*B. Philippus de las Casas, juvenis dissolute vivit:*

*fit Franciscanus:*

*redit ad seculum.*

*negotiatur in China;*

*fit denuo religiosus*

85 *Hujus mutationis perlato Mexicum nuntio vehementer exhilarati parentes, supremum Ordinis in India Præsulem quem Commissarium Generalem appellant, (is tunc Mexici erat) obsecrant, filium sibi in*

*Mexicum mittitur.*

*Seraphico*

A *Seraphico illo habitu videre ut per eum liceat. Lubens piis parentibus ea in re gratificatus Commissarius, scripsit in Philippinas, ut confestim Mexicum F. Philippus mitteretur. Ea caussa navem, S. Philippi tutelæ creditam atque insignitam nomine, conscendit: qua vi tempestatis convulsa et in Urandum Tozani regni portum, uti Froes infra memorat, ejecta, ipse brevi portum æternæ beatitudinis, laurea martyrii redimitus, tenuit. Idem Froes ait, ut sacris ordinibus initiaretur missum fuisse in Novam Hispaniam: at cum in Japoniam delatus diu esset, Meacum abiisse, ut eos a Petro Martinio Japoniæ ac Chinæ Episcopo susciperet, Manilam rediturus. Verisimile est illud de visendis parentibus ignorasse Froium.*

*AUCTORE A. B. ut parentes viseat,*

*tempestate defertur in Japoniam,*

*candidatus sacerdotii.*

86 *Perductus postea cum ceteris in triumphalem campum, paratam sibi crucem positis humi genibus amplexatus, in hæc prorupit verba: O fortunatam navem! o felicem S. Philippi galeonem! O jacturam mihi minime damnosam sed omni lucro quæstuosiorem! Et cruci dum transversarium lignum inseritur, cui qui pendet utcumque insideat, fallente mensura, quam solo fortasse intuitu faber collegerat, demissius aliquanto positum est, quam ut inniti beatus Martyr posset. Quamobrem erecta jam cruce, cui sancti viri alligata ferreis vinculis bra-*
B *chia, collum ac tibiæ erant, ita subsedit pondere suo corpus, ut ea numella, quæ guttur stringebat, pene suffocaretur: magno igitur fervore animi,* Jesu, Jesu, *inclamat. Quo animadverso Judex, priusquam strangularetur, configi lanceis jubet. Atque ita primus omnium, triplici lanceæ ictu, palmam martyrii obtinuit, qui postremus in Japoniam venerat. Ita Barezzus: qui et cap.* 68 *narrat dum procellis jactaretur, in qua is erat, S. Philippi navis, ea parte cœli quæ Japonem respiciebat, Crucem candidam, figura expressam simili earum in quas dein sublati Martyres fuere, visam vectoribus ad quartam horæ partem: post in sanguineum colorem mutasse, itidem ad horæ quadrantem: demum nigra obvolutam nube. Omen Philippo martyrii fuit.*

*gaudet oblato martyrio.*

*primus occiditur, alioquin suffocandus:*

*datum ei antea omen martyrii.*

87 Gonsalvus Garcia, *Bazaini in India Lusitanis parentibus natus, et ipse multis annis negotiatus in Japonia, nescio cujus mercimonii gratia Philippinas insulas petiit. Hic dum frequens adit ad PP. Minores Excalceatos, quibus erat addictus, divinæ gratiæ instinctu illorum capessit institutum, eo fervore, ut deinde alteram a Deo impetravit gratiam, nimirum martyrii, plane inæstimabili quæstu, et in ea ipsa provincia, ubi*
C *plures annos in congerendis terrenis opibus antea collocarat. Is Petri Baptistæ individuus comes et interpres fuit, gradu quidem in Ordine suo laicus, sed sancto zelo æstuans; Taicosamæ quoque ipsi gratiosus, propterea quod amplas fortunas voluntaria inopia mutasse illum, spe vitæ æternæ, audisset. Sublatus in crucem, Japonios magno spiritu ad veritatis agnitionem provocabat. Gemina lancea ictus, in illis pii latronis verbis exspiravit:* Domine memento mei. *Barezzus, et brevius Solerius.*

*B. Gonsalvus Garzia antea in Japonia negotiatus, interpres B. Petri Baptistæ.*

88 F. Franciscus a S. Michaele, *et ipse laicus, quibusdam* Joannes *dictus, Pardiæ natus, in Palentina diœcesi, haud procul Vallisoleto, in provincia quam Conceptionis PP. Minores appellant, sacro est amictu donatus: inde majoris perfectionis studio ad S. Josephi Excalceatorum provinciam, ejusdem Franciscani instituti, transiit. In qua cum aliquamdiu laudabiliter vixisset, cum aliquot ejusdem provinciæ viris religiosis in Philippinas profectus est. Adeo vero illic sanctam vitam duxit, ut in illa Deus per eum fecisse miracula dicatur. Duo commemorat Barezzus lib. citato, cap. 75. Visit aliquando Indam mulierem, morti proximam, jamque facultate loquendi destitutam: ac simul illius ori signum Crucis impressit, ea loquelam recepit, baptismumque postulavit, et obtinuit. Inde alterius tibiam momorderat serpens, ut multi illic sunt, et immedicabile diffundentes venenum. Tibiam jam tumidam Cruce signat Franciscus, ac momento sanat. Erat in Divino obsequio fervens,* D
*in oratione assiduus, supra modum inflammatus desiderio salutis animarum, ad quarum conversionem cum majore quam ceteri fructu incubuit. Inerat ei infusa divinitus reminiscendi vis tanta, ut et linguam Japonicam exiguo temporis spatio didicerit, et fere quidquid audiret, id memoriæ firmiter infixum retineret. Propterea cupido ei Japonis adeundæ incessit, quod immensa quadam flagraret Divini honoris amplificandi, et procurandæ animarum salutis cupiditate: quam explere ut posset, inspiravit Deus beato Patri Commissario, ut eum sibi comitem adscisceret.*

*B. Franciscus a S. Michaele ex laicus,*

*miraculis clarus.*

*zelosus,*

*magna memoria præditus:*

89 *Gentilium porro conversionem ita studiose accurabat, ut si quid minus iis persuadere verbis posset, id opere ipso inculcaret. Cum Meaci sacratiore hebdomada monumentum venerabili Sacramento ab Cœna Domini in Parasceven asservando, juxta Ecclesiæ morem, concinnaret, et spectantes Japonii non satis caperent quorsum ille omnis spectaret apparatus; cum jam feria quinta Cœnæ Domini, positæ lampades ac cerei essent, et omnis illa scena adornata; neque mysterium assequi Japonii viderentur; ipse se vestibus lumborum tenus nudat, rogatque adstantem unum e Japoniis, qui deinde illi martyrii socius fuit, ut ipsi religet manus, ac fune altero publice ipsum diverberet. Præstitit hoc alter ita strenue,* E
*ut humeros illi viburibus ac plagis exararet. Interea manibus stringens Crucifixum, precabatur, ut Japoniis, qui aderant, aperiret mentis oculos, quo comprehendere mysteria nostræ religionis, illaque repræsentatione expressam Christi Passionem, possent. Ita ille illustrium exercitatione virtutum præludebat martyrio; quod diu expetitum, incredibili subiit animi alacritate. Hæc fere de eo Barezzus.*

*ut mysterium Passionis veneretur et explicet,*

*palam se flagellari curat die Cœna Domini.*

## § IX. *Vita B. Pauli Miki Religiosi Societatis* Jesu.

P*ostquam in tabulas beatorum Martyrum ab Urbano* VIII *Pont. Max. relati sunt* XXVI *Crucifixi Japonii; editus est Romæ libellus Italicus, trium de Societate* Jesu, Pauli, Joannis, Jacobi, *sive Didaci, peculiariter Acta complectens, excerpta ex P. Petri Gomii provinciæ Japoniæ Vice-Præpositi epistola, Nangasaco, ipso martyrii anno, missa. Alius item Madriti cusus commentariolus de eorum gestis ac nece, curante P. Antonio Colusso, provinciarum Lusitaniæ et Indiarum in Aula Catholici Regis Procuratore. Sumpta hæc e tomo* I *de* F
*viris illustribus Societatis* Jesu, *quem jam tunc fortassis affectum, aut saltem delineatum, anno demum* CIƆIƆCXLIII *vulgavit Joannes Eusebius Nierembergius: nisi quis hunc descripsisse ab altero velit. Ita eadem non res solum, sed et verba omnia utrobique. Plura tamen facta narrat Eusebius, tum nostrorum tum PP. Minorum ac Japoniorum; æquabili omnia stylo. Hinc quædam, a Froio prætermissa, de singulis delibabimus.*

*Peculiariter scripta de tribus MM. Societatis.*

91 *Natus est* Paulus Miki *(ita efferri Japoniis reor, quod Itali* Michi, *Hispani* Miqui *scribunt, quibus utrisque K littera in usu non est) natus, inquam, est, in regno* Ava, *quod maxime Orientale est e quatuor insula Xicoci, in loco cui* Teunocuni *nomen. Romana Relatio oriundum ait ex regno* Eva *: idem hoc quod* Ava, *et quibusdam* Aba *dicitur. Quamquam et* Deva *regnum est in Niphone, ubi Orientalior ejus plaga in Septemtrionem porrigitur; amplectiturque* Deva *oram Japonii maris quod Tartaros versus tenditur: atque in hoc regnum postea relegatum fuisse a Daifusama Constantinum Bungi Regem, et alios Christianos memorat Solerius. Alia est* Ava, *seu regnum, seu præfectura, ad Orientem spatiosi sinus, urbi* Yendo, *quæ nunc imperatoris est sedes, prætenti.*

*Pauli Miki patria,*

92 *Patrem habuit Paulus* Fandaidonum Miki, *prænobili ortum genere, Nobunangæ gratiosum in paucis, tam virtute bellica clarum, quam religione Christiana.*

*genus nobile, baptismus,*

*Initiatus*

A *Initiatus hic videtur sub annum* CIↃIↃLXVIII, *quando Paulus quoque, tum quinquennis, baptismo tinctus est; atque in eo haustam gratiam in ipsa adolescentia moribus ostendit, alienus ab omni levitate, modestus, mitis, humilis cunctisque amabilis.*

*placidi mores.*

93 *Cum undecim esset annorum, a parente traditus est P. Organtino, ut sub disciplina Societatis scientia ac virtute erudiretur. Per id fere tempus* Anzuquiamæ, *urbe primaria Minoensis regni, quam Japonii* Paradisum Nobunangæ *appellabant, seminarium erectum est, ipso Imperatore, et locum maxime idoneum, et sumptum aliquem ad inchoandum ædificium, tribuente, supplentibus reliquum præcipuis aliquot Proceribus. In hoc adscripti primum* XXV *eximiæ nobilitatis adolescentes, inter quos erat Paulus noster, et Hieronymus Fiungæ Regis filius, Regis Bungensis sorore natus, qui dein militum secutus, ad mortem usque Christianam pietatem constanter coluit. Visebat interdum ipse Nobunanga seminarium, audiebatque libenter canentes musicis instrumentis alumnos, et magnum sese fructum ab ea institutione juventutis sperare profitebatur. Docebantur autem, ut lib. 6 cap. 29 notat Solerius, non solum Japonicas sed et Latinas litteras, ac præsertim catechismum et probos mores. At non diu spem illam fovere*

*instituitur in seminario Anzuquiamensi, cum aliis illustribus adolescentibus, Latinis litteris:*

B *licuit, Nobunanga præpropere interempto, uti ante scriptum, totaque incendio absumpta cum nobilissima arce Anzuquiama. Translati primum ad Tacaxuki arcem, quæ Justi Ucondoni erat, adolescentes, postea Ozacam, Taicosamæ voluntate. Aliud erat Arimæ antiquius seminarium. Quo immediate migrarit Paulus, haud exprimitur. Constat ex Romana relatione, studia absolvisse in collegio quod Amacuzæ postea peramplum habuit Societas, haud procul Arima in Ximo, sub Joanne Amacuzadono Christiano Principe. Sed cum hoc collegium anno primum* CIↃIↃXCI *extructum sit, verisimile est Paulum studii Theologici hic metam assecutum, cum in Societate aliquot jam annos vixisset.*

*alio dein translatus:*

94 *Occubuerat anno* CIↃIↃLXXXVI *Faudaidonus Pauli parens, in eo bello quod adversus Saxumanum Regem, Bungenses provincias invadentem, gestum; sive Sunoqui Regem secutus, cui confinis Awæ provincia erat, aut fortassis aliqua parte subjecta, sive Conderam Simonem: omnes certe quidem, ut scribitur, strenui Ducis partes executus. Alia mox signa, Ducem alium sibi Paulus delegit,* JESU *Societatem ingressus, annos jam natus duos et viginti. Peracto tirocinio, spatium aliquod temporis studiis Theologiæ repetendis, perscrutandisque Japoniorum sectis dedit, uti Eusebius narrat, et universim*

*patre mortuo fit Societatis:*

C *in quadam epistola Froes de Amacuzano collegio loquens;* In collegio, *inquit*, servatur ordo in Societate consuetus. Fratribus Japoniis post humanitatis prælectiones, et epitomen rerum ad fidem Christianam pertinentium auditam, proponitur liber de sectis et erroribus Japonum, qui dicitur Buppo: ut in disputationibus, quas in dies cum Bonziis aliisque Ethnicis instituunt, eos refellere possint.

*studia absolvit,*

95 *Adhibitus dein ad publicas conciones, ita eminuit, ut inter optimos Divini verbi præcones, quos Societas in Japonia habuit, fuerit numeratus. Confluebat ad eum audiendum numerosa hominum multitudo, ac præsertim genere et dignitate illustres viri. Dicebat autem eo ardore animi, ut plurimos ad Christianam religionem complectendam permoveret. Annis aliquot in Arimensi et Orumano aliisque Ximi regnis, magna Arimondoni ac Omurandoni approbatione, ingenti semper concursu hominum et fructu concionatur, rogante Organtino, qui rei Christianæ in Meacensi tractu præerat, illuc missus est, eoque spiritu in regia illa urbe, atque Ozacæ et finitimis locis dixit, ut multos e nobilitate, e plebe multos adjunxerit Christo. Acriter Bonziorum errores ac fraudes redarguebat, non solum viva voce, sed et libris magna eruditione compositis, quibus et confirmaret Christianos, et contra vanissimam superstitionem armaret.*

*concionatur, magno fructu, in Ximo et Tenza: libros componit:*

96 *Post eversam, ut supra diximus, Taicosamæ jussu,* D *Ozacensem nostram ædem, anno* CIↃIↃXCVI *nova constituta est Ozacæ* Residentia, *sive paucorum hominum collegium.* Et licet, *inquit Froes in litteris sub exitum ejus anni datis,* domus nondum sit absoluta, tamen durante persecutione, ob concursum multorum nobilium ad audiendos nostros sermones, secus facere non potuimus. Aula siquidem Taici nunc pendet a Fuximo et Ozaca. *Hoc tempore notitiam cum Paulo contraxit F. Marcellus de Ribadeneira ex Ordine S. Francisci vir apostolicus, qui in historia Archipelagi, necdum nobis visa, ista de Paulo Miki scribit, ab Eusebio Nirembergio relata:* Bis terve ad conventum nostrum venit, *(Meaci an Ozacæ, ex Eusebio non liquet)* ac tum perspexi, virum esse silentii et modestiæ observantem, ac reipsa ostendere, quantum undecim, quot in Societate vivit, annis, addidicisset boni. Inter omnes Fratres, qui, quando in Japonia fui, concionabantur, hic sanctus Martyr apud Christianos maxime spiritualis Concionator audiebatur, ac luculentum præ ceteris fructum facere dicebatur, flagrantemque zelum declarare, non verbis magis quam affectu ipso. Quam etiam ob caussam ab ipsis Patribus Societatis laudabatur, ut bonus ac humilis Concionator, quique serio profectum animarum quæ- E reret, ac proprium in virtutibus progressum. *Hæc ille. Ac rursum alibi:* Etsi merito potest sancta religio Societatis Jesu gloriari, multos se præclaros Martyres habuisse, ab hæreticis et Gentilibus occisos; inter præcipuos tamen maximeque celebres numerari potest sanctus Frater Paulus Miqui, quod martyrio et Religionem suam et nationem illustrarit.

AUCTORE I. B.

*a F. Marcello Ribadeneira ord. Minor. laudatur, ut modestus Religiosus, spiritualis Concionator, et affectuosus ac humilis, atque illustris Martyr,*

97 *Omitto hic quæ de Paulo infra memorat Froes, conversum ab eo hominem, qui ad supplicium ducebatur, in ipsa stipantium lictorum turba; sex item alios, quo tempore sub custodia ipse attinebatur: expostulasse cum amicis ipsum liberare cupientibus: gratias egisse PP. Minoribus,* quod sub eorum umbra tantum beneficium a Divina misericordia consecutus esset: *petiisse ut sibi ac ceteris martyrii sociis facultas obtineretur confitendi ac communicandi: exhortationes ad eosdem suos socios, conciones Facatæ et alibi toto itinere, habitas: monita Fazamburo data: postremam denique e cruce concionem. Hæc, inquam, omnia omitto, ab alio memorata. Paucula aliunde addo.*

*præclara ejus facta, infra narranda,*

98 *Kalendis Januarii anni* CIↃIↃXCVII, *cum Ozaca Meacum duceretur, mirifica quadam gestiens animi voluptate, adstantibus ait: Triginta et tres vixi annos; qua ipsa ætate pro nobis mortuus est Christus. Hodiernus dies sanctissimo nomini* JESU *sacer, cujus ego Societati, indignus licet, adscriptus sum. Quarta feria est,* F *qua Judæis venditus est idem Dominus* JESUS. *Dicunt nos feria sexta, cum eo quoque, morituros. Exulto vehementer, quod vel tantilla in re Dominum meum, tanta mea caussa perpessum, imitari mihi, quamquam immerenti, liceat. Multa in carcere ad lictores, et eos qui ob crimina capti detinebantur, de divinis rebus verba fecit: et polliciti sunt quidam se, cum primum facultas daretur, Christianos futuros. Cum de Christi Passione diceret, magno id affectu et eloquentia executus est: ac mox extulit dignitatem martyrii; iis congratulando quos Deus tanta gloria dignaretur. Audiebat hæc disserentem nobilis, armorum usu clarus, quem cum aliis quinque viris illustribus, Ozacæ hoc ipso tempore persecutionis converterat ac baptizarat. Dicentis oratione motus, palam profitetur se Christianum esse, nullo mortis metu deterritus.*

*gaudet se ætate et rebus aliis Christo similem. concionatur in carcere, magno quorumdam motu:*

99 *Prima nocte quam in carcere Meacensi exegit Paulus, auditus est hæc secum verba loqui: Quam lætor, quod* XXXIII *natus annos, qua ætate Dei Filius remedium nostræ salutis est operatus, illi me immolo! quod Ozaca discessi die Circumcisionis, quo idem Dominus noster cœpit sanguinem suum nobis redimendis profundere!*

*nocte gratias agit Deo, quod in quibusdam Christo sit similis:*

AUCTORE I. B.

A *dere! vinctus hodie sum, feria nimirum quinta, qua et Christus: crastina die, sexta feria, circumvehar per compita urbis Meacensis. Fusisque præ gaudio lacrymis, Deo gratias prolixe agebat, qui sibi hanc impertitus esset felicitatem, ut ipsum modo aliquo imitaretur.*

*exultat visa Cruce:*

100 *Cum in conspectum venit Crucis sibi paratæ, Christianis adstantibus dixit, se comprehensum esse, quod Dei Legem prædicasset; exhortans ut eam ipsi firmiter retinerent, neque res ad salutem pertinentes negligerent. Hodie, inquit, mihi Pascha est. O quanta me gratia dignatus est Deus! Atque eadem sæpius ingeminabat. Japonios volentes sibi vestimenta deosculari reprehendit, neque omnino id passus est: ab Lusitanis quoque, idem parantibus, se retraxit, ostendens id sibi plurimum displicere. Omnes idoneis monitis et consiliis instruebat; multaque, plena ædificationis locutus, ab illis læto et alacri vultu sese avellens, ad crucem magno fortique animo accessit.*

*honorem sibi exhibitum aversatur:*

101 *Sublatus in crucem, eam habuit quam breviter Froes refert, ad spectatores orationem: dein animo præsenti et erecto, quosdam ex adstantibus Christianis allocutus est, jussitque salutem eos suo nomine nonnullis absentibus dicere; ac priusquam lanceis transfigeretur, ait:* In manus tuas, Domine, commendo spiritum B meum. Subvenite Sancti Dei, *et alia id genus; tandemque Creatori spiritum reddidit.*

*pie moritur.*

## § X. *Quem in Societate gradum B. Paulus Miki habuerit?*

Q*uærimus hic, non an sacerdotio initiatus fuerit Paulus, nedum an* Professus *aut* Coadjutor formatus *(uti eos appellamus, qui diu multumque probata virtute atque eruditione sua, solemnia nuncupavere vota, aut saltem publica) verum an ita admissus fuerit in Societatem, ut in numero* Coadjutorum temporalium, *quos Ordines alii* Laicos *vocant, censeretur. Motam arbitror eam controversiam, quod ab Hispanis ac Lusitanis perpetuo* Frater Paulus *dicatur. Nam quos ut vere fratres habemus, arctiori Spiritus quam carnis cognatione conjunctos, eoque vocabulo amoris, sive in litteris, sive in colloquio familiari appellamus; eorum Hispani ac Lusitani vix meminere, quin illud* Fratris *nomen præfigant: more aliis quidem nonnullis Religiosis usitato, non item, saltem universim, Societati. Neque enim cum Præpositus Generalis preces indicit pro nostris non Sacerdotibus, continuo* F. Caium, F. Titium *scribit; sed* C Titium, *aut* Caium: *nisi forte, si ambigi potest, sit is de Societate necne qui commendatur; tum enim addit, ut sacra aut preces fiant* pro Fratre nostro N.

*Coadjutor temporalis creditus a quibusdam, quia Frater Paulus dictus.*

103 *Ceterum ea de Paulo quæstio jam ante, Mutii Vitellesci Societatis nostræ Præpositi generalis auctoritate, decisa videri potest. Nam cum Romæ, (ut ex iis accepi qui adfuerant) anno* CIↃIↃCXXVII, *Sacerdos e nostris gravis ac religiosus, mihique amicus, in quadam ad domesticos exhortatione, dixisset, tres illos beatos Martyres Coadjutores fuisse; octiduo post eadem hora ac loco exhortationem habuit P. Assistens Italiæ, vetuitque R. P. Præpositi Generalis nomine, ne quis Coadjutores diceret, scriberetve.*

*id affirmari vetat P. Generalis,*

104 *Haud multo post, eorum martyrium Antverpiæ ab Æschillo, sive Seclte, Bolswertio, insigni artifice, in æs incisum est, cum hac inscriptione.* Primitiæ Martyrum Societatis Jesu in Ecclesia Japonica. B. Jacobus Ghisai LXIV annorum, meditationi Passionis et Crucis D. N. Jesu Christi singulariter addictus, B. Paulus Michi XXXIII annorum, ardens zelo animarum Japoniæ ad fidem Crucis Christi convertendarum, B. Joannes Gotho XIX annorum, ab utero Christianus, in flore innocentiæ et adolescentiæ religiosam Christi crucem portans. Trigemini Japones, anno salutis MDXCVII, regnante et mandante Taicosama, prope Nangasacum, pro nomine Domini Jesu, in Crucem acti, lanceis per latera transverberati, gloriose profuso sanguine, occubuerunt: nunc miraculis clari, Pontifice Opt. Max. Urbano VIII jubente ac volente, sacris honoribus donati, anno MDCXXVIII, natali die V Februarii, toto orbe celebrantur. Religiosis Societatis Jesu Coadjutoribus S. a Bolswert Sculptor D. D. C. Q. *Idem Præpositus Generalis ubi ejusmodi inscriptionem et imaginem vidit, eadem per nostros laminam atque aboleri mandavit.* D

*et imaginem sculptam, cum elogio, in quo id innuebatur,*

*confringi jubet.*

105 *Quibus rationibus moti quidam Coadjutoribus Paulum accensuerint, has fere esse comperi. Cur non alioquin, inquiebant, initiabatur sacerdotio, ita natu provectus? Nempe neophytus, undecim annis in Societate exactis. Atqui hic nonnullos videmus, Christianis ab omni retro memoria majoribus, non nisi* XIII *aut* XIV *anno initæ religionis Sacerdotes ordinari. Neque scio an adhuc in Japonia quisquam ad eam sacerdotii dignitatem tunc fuerit promotus.* P. Sebastianus Quimura, *Pauli fere æqualis, primus est consecratus, sed Mucai, et quadriennio prius illo Societatem ingressus.*

*Refelluntur argumenta id asserentium.*

106 *Aiebant præterea, quod Prædicator vocetur, inde consequens non esse, ut Coadjutor non fuerit, cum usu isthic receptum sit, ut concionentur etiam Coadjutores. Ut daremus hoc illis, non tamen efficerent, Coadjutorem fuisse. At ne illud quidem necesse est ut fateamur, quemquam e nostris Religiosis, qui in iis regionibus ad publicas conciones admoti leguntur, Coadjutores fuisse, id est, ex eorum genere, qui ad temporalia curanda, sublevandosque corporali servitio Sacerdotes in Societatem cooptantur. Neque enim illos arbitror ignorare, in quarta classe eorum qui se nostro instituto dedunt, reponi ab S. P. N. Ignatio cap.* I *Examinis* § 11, qui indeterminate ad id admittuntur, ad quod idonei esse, temporis successu, invenientur; nondum statuente Societate, ad quem ex dictis gradibus eorum talentum magis sit accomodatum. *Vidimus aliquando nonnullos in nonum annum ita Indifferentes permanere: cur non in Japonia etiam diutius permaneant, si ita præsidibus ad majorem Dei gloriam videatur? Si in Europa quidam justas ob caussas hærent in ultimum ætatem in gradu Scholasticorum approbatorum, cur non ultimis istis terrarum possint in Indifferentium classe perdurare? Sed ut illis hoc demus, vere Coadjutoribus quibusdam, peritis quidem rerum sacrarum, etsi linguæ Latinæ rudibus, permissum aliquando fuisse ut conciones ad populum haberent; non ideo concluditur Paulum destinatum sacris ordinibus non fuisse: neque enim hoc eo argumento, ut ipsi existimant, probamus.* E

*qui dicuntur in Japonia concionati Coadjutores Societatis,*

*videntur Indifferentes fuisse.*

107 *Verum cum a prima adolescentia sub nostrorum disciplina institutus sit in seminario, ad annum usque* XXII *ætatis, (uti ex litteris P. Petri Gomii, qui tum Societati universæ in Japonia præerat, antea relatum est) quid tandem omni illo tempore didicit nobilis adolescens? an tractandorum armorum scientiam? quasi ea a nobis peti debeat. An fors artem coquendi cibum aut cerevisiam? An suendi sarciendique vestes aut calceos? Nam in iis exerceri fere Coadjutores nostri solent. At non ministrasse alumnis, sed cum iis studuisse dicitur, quod verbum, opinor, si nihil aliud additur, liberalibus imbui disciplinis significat. In his si tot annis incubuit Paulus, cum acri ingenio sint Japones, et Latinarum litterarum artiumque capaci, eam profecto eruditionem hausit, quæ necessaria candidatis, ad sacerdotium dein præparandis.* F

*At Paulus Scholasticus fuit,*

*in seminario ad annum 22 alitus,*

108 *Atqui et in Anzuquiamensi seminario traditus Latinas litteras, ipsi sociisque, supra diximus, et de Arimensi seminario in litteris annorum* CIↃIↃXCI *et* CIↃIↃXCII *diserte asserit Froes, fuisse alumnos* Latinæ linguæ studiosos in nostris scholis. *Idem postea:* Veniam ad seminarium, ut V. P. intelligat, quid ex institutione alumnorum sit expectandum. Certe magnam omnes de se futuræ frugis spem promittunt. Nam (ut taceam ea quæ alias de iis conscripta sunt) hoc

*ubi Latinæ litteræ discebantur,*

*magno progressu:*

A hoc biennio, qui litteris operam dant, magnos progressus habuere in perdiscenda lingua Latina... Feriis natalitiis, cum Rector seminarii pro consolatione alumnorum, et Latinæ linguæ exercendæ caussa, ordinasset ut actione aliqua Natalitia Christi, mixtis Japonico idiomate intermediis, præsentarent, id tanta dexteritate et gravitate perfecerunt, ut multis excusserint lacrymas. Et qui in Europa istiusmodi viderant, confessi sunt, hos juvenes Europæis minime fuisse in agendo inferiores. Japoniis res ita placuit ut viderentur sibi esse in altera vita. *In aliis litteris scribit idem Froes :* Hoc anno editus est Catechismus Concilii Tridentini Latine, qui prælegitur in seminario. *Ergo Latine intelligebant alumni.*

*componebantur et exhibebantur Latinæ actiones :*

*prælegebatur Latinus catechismus :*

109 *Et cum de seminario Ariensi agit (est autem Arie urbs regni Arimensis, ipsa Arima major)* Seminarium, *inquit*, in quatuor classes distributum est, et scholam qua ars scribendi traditur. In una earum traduntur antiquitates Japonicæ, iis qui cursum Latinæ linguæ absolverint : quod admodum utile est, non tantum ad habendas conciones, sed etiam ad agendum cum Japoniis antiquitatum Japonicarum gnaris. Tres reliquæ classes sunt Latinæ linguæ. *Ac post pauca :* P. Vice-Provincialis hoc anno CIƆIƆXCV

*3 Scholæ erant latinæ linguæ; una antiquitatum Japonicarum :*

B ad seminarium dedita opera profectus est, ut XV ejus loci alumnos in Societatem reciperet, Lusitanos quinque et Japonios decem. Seminarii discipuli in adventu ejus multa affixere ænigmata, versus et orationes Latinas : quæ res omnibus summam attulit voluptatem... Multi sic litteris addicti sunt, ut deprehensi sint in mediam noctem chartis invigilasse. Ad fovendum autem hunc ardorem, per annum multæ orationes Latinæ habentur, lectiones et compositiones instituuntur, et præmia in eos, qui ceteris antecellunt, distribuuntur, a Seminarii auditoribus hoc anno duo dramata Latine data sunt... Quamobrem magna nobis suppetit gratias Deo agendi materia, quod in has partes, tam ab orbe Europæo remotas, inductas videamus istas Societatis nostræ exercitationes. Ac sane ita jam in perorando quidam sunt exercitati, ut dum locus idoneus occurrit non se modo ipsos, sed auditores quoque ad uberrimas lacrymas vi dicendi permoveant. Quotquot autem liberos habent in Seminario, nullum finem faciunt gratias agendi Deo, quod tantum, tum in Dei rerumque Divinarum, tum in litterarum quoque cognitione, progressum fecerint.

*affigebantur versus, ænigmata, orationes Latinæ :*

*orationes habebantur et dramata Latine.*

110 Hoc anno, *ait idem paullo inferius*, primæ classis auditores absolvere linguæ Latinæ lectiones, cum tanto fructu, ut non solum officio Magistrorum fungi, sed etiam rem Christianam juvare et sustentare possint. *Hoc alterum est, in quo exercitatum fuisse Paulum existimo, non solum in litteris Latinis perdiscendis, dum inter alumnos fuit; sed et tradendis, cum in Societate jam esset, perinde atque in Europa fieri solet. Hujus rei conjecturam sumo ex litteris jam citatis anni* CIƆIƆXCI *et* CIƆIƆXCII *ubi ista habentur :* Inter motus vero et vicissitudines hujus biennii, adjuvante Divina gratia, suus quoque nostris constitit fructus domi, tam in virtutis religiosæ quam litterariæ exercitationis cursu : sic enim res omnes constitutæ fuerunt, ut scholastici nostri et alumni seminarii, ne una quidem prælectione aliove exercitio litterario destituti fuerint; multique idonei effecti sint ad capessenda altiora studia. Sed neque Magistrorum penuria laboramus ; nam præter multos Japonenses Fratres nostros ad docendum idoneos, plurimi quoque præsto sunt Europæi. *Audis Fratres nostros Japonenses ad docendum idoneos? Et Paulum, qui unus deinde fuit e præcipuis Concionatoribus, existimas non eodem probatum experimento? Et si tam multi erant idonei ad capessenda altiora studia, etiam ex alumnis, cur non ipse iisdem tunc excultus fuisse credatur? Imo*

C

*Videtur etiam Latinas litteras docuisse Paulus,*

*uti et alii Japones.*



*fortassis et tertiam probationem subiisse? In Amacusano certe collegio, an.* CIƆIƆXCVI *erant* Fratres veterani deni, qui confecto studiorum cursu, ex usu Societatis, tertium probationis annum decurrebant. *Num in his tamen fuerit Paulus, non est unde certo liceat statuere.*

D

*AUCTORE J. B. forte et tertiam probationem obiisse.*

111 *Satis alioquin liquet eum in seminario, ac postquam in Societatem adlectus est, in Amacusano collegio, iis studiis vacasse, quibus ad sacerdotium via sternitur. In Litteris certe anni* CIƆIƆXCV *ita scribitur :* Id tantum nunc adjungam, humani generis hostem, dum videt in se parari arma per istos seminarii alumnos, multosque in dies strenuos operarios in suam perniciem in campum emitti, *etc. Clarius in Litteris anni* CIƆIƆXCII, *quid juventute illa in seminariis instituenda nostri spectarent, exprimitur hisce verbis :* Unde apparet, quanta sit expectatio de iis qui aluntur in seminariis : quorum numerus cum potuerit augeri, uti jam ordinatum est, suppeditabit copia operariorum, Parochorum et Sacerdotum pro Japonicis Ecclesiis.

*Alii etiam alumni formabantur ut fierent operarii,*

*Sacerdotes, Parochi.*

## § XI. *De B. Joanne Soan, sive Goto, et B. Jacobo, sive Didaco, Kisai, Societatis* Jesu *Novitiis.*

E

**P***rima ex India in Japoniam navigantibus* Gotus *insula occurrit, ab Macao, occiduo Sinarum emporio, quod Lusitani præcipue colunt ac nuper mœnibus firmarunt,* CCXCVII *distans leucis*, ab urbe Liampo, qui Sinarum regnis in ortum est limes, *uti Maffeius lib.* 12 *scribit, leucis* LX, *decem amplius ab ipsa Japone; pars olim regni Figensis, dein proprium nacta Regem.* Gens, *ut Froes testatur*, natura est humana et facilis. *Nostri an.* CIƆIƆLXVI Oquicoæ, *quæ urbs regia, dein* Ocuræ *sesquileucam distante pago fidem Christi prædicarunt, felici proventu; nam tum quidem varii eam amplexi, biennio post Regis filius*, Ludovicus *in baptismo dictus, multa propterea a patre, Bonziorum instigatu, perpessus : sensim tamen et domesticos et subditorum multos eodem inflexit, et quam interea duxerat uxorem, anno* CIƆIƆLXX *baptismo tinctam*, Mariæ *imposito nomine. Regno tandem post patris obitum, sed tres solum annos, potitus, magno bonorum luctu, fato cessit an.* CIƆIƆLXXIX. *Filius ei erat*, Ludovicus *et ipse appellatus : hic regno a patruo tutelam obtendente privatus, illo demum in Coraiana expeditione sub annum* CIƆIƆXCV *extincto, id Augustini favore, Taicosama annuente, recuperavit.*

*In Goto, citima Indiis insula,*

*sub Ludovico I Rege,*

113 *Ex Goto ortum ac nomen* B. Joannes Goto *duxit; Ludovico I regnante, in aliqua earum insularum (nam tres sunt, vix media leuca invicem distantes) parentibus Christianis natus, anno* CIƆIƆLXXVIII. *Verum cum Ludovico vita functo, regnum (ut jam dictum) frater occupasset, capitaliter religionem nostram exosus, multi solum ultro vertere statim ipso initio, quos ille truculenter excogitabat; et Nangasacum, inque alia Ximi loca migrarunt. In his Joannis parentes fuisse probabile fit, quia et educatus illis locis, et ibi parentes reperit, cum agendus in Crucem eo venit.*

*natus Joannes parentibus Christianis,*

F

*cum iis bonnibus exulat :*

114 *Fuerit necne in seminario alitus, ac litteris Latinis imbutus, haud pronuntiem : fuit certe catechismi doctrina in nostra æde a prima ætate egregie eruditus. Quare ex insula Xico, quæ vicina est Amacusæ (diversa ab illa quatuor regnorum insula, de qua supra) Ozacam, longo sane intervallo distantem urbem, missus est, ut P. Petrum Morejonum, sive Morejonem juvaret, Catechistæ fungens munere, ac Missam facienti ministrans. Erat candida indole, moribus integris, forti animo ; poterat certe, priusquam Ozacanæ nostræ domui apponerentur custodiæ, periculo se subducere ; noluit tamen, ac summa fide sacrarii, quod curabat, in tuto locavit supellectilem.*

*doctrina Christiana imbutus, Catechistam agit in Xico, et Ozacæ,*

*ac sacristam, nec vult fugere :*

115 *Admissus demum in Societatem, quod diu ante oraverat, sub ipsum quo comprehensus est tempus,*

A *una cum* B. Jacobo *sive* Didaco, Kisai. *Quæris ad quem gradum? Ad quem eos deinde Præsides idoneos censerent; interea* Indifferentes, *ut appellamus, permansuri. Vota tamen postea uterque, annuente Provinciali, concepit, uti Froes cap.* 13 *num.* 99 *refert. Nam quod* vota renovasse *is scribit, de solo B. Paulo Miki accipiendum est. Aliorum vota fuere, quæ* Devotionis *dicimus, quibus ut se privatim obstringant, nondum exacto tirocinii tempore, probatioribus quibusdam permittitur, quamvis per ea vere Religiosi non efficiantur, sed per illa solum apud nos, quæ biennio integro probationis elapso faciunt.*

*AUCTORE J. B. admittitur in Societatem cum Jacobo Kisai, Indifferens: uterque vota devotionis emittit:*

116 *Cum jam affigendus esset Cruci, videt parentem suum ut valedicat adventare, itaque eum prior affatur: Vide, mi pater, ut intelligas nihil saluti æternæ præhabendum; neque tibi in ea procuranda ulla socordia subrepat. Recte mones, fili, ait parens. Fac tu quoque, forti magnoque animo nunc sis, atque alacriter perferas mortem, cum eam pro divini Numinis cultu subeas. Ego quoque ac mater tua parati sumus eam oppetere Dei caussa, si ita opus fuerit. Collaudat patrem Joannes, ipsique dat Rosarium benedictum, quod habebat; matri vero ut deferat in sui mnemosynon, panniculum, quo texerat caput. Antonius Franciscus Car-* B *dim e Societate Jesu, provinciæ Japoniæ ad Urbem Procurator, in libro Romæ an.* CIↃIↃCXLVI *edito, quem* Fasciculum e Japonicis floribus *inscripsit, ita habet:* Genitor ipsemet, dolore superato, filii supplicio interfuit, rediitque ditior atque illustrior, aspersus cruore ejus. *Ipsum vero Martyrem,* S. Joannem Soan, alias Goto *appellat.*

*patri vale dicit,*

*eique ac matri dat mnemosynon.*

117 *Conspicatus notum quemdam Christianum, rogat ut cum Meacum redierit, plurimam a se salutem dicat Patribus Societatis, nominatim P. Petro Morejoni (cujus annis aliquot comes fuerat) eique referat, se Dei misericordia, ipsiusque sanctis consiliis et doctrina, cœleste bravium, quod jam prope manu tenebat, assecutum. Ut crucem sibi paratam vidit, magna animi alacritate ultro ad eam accessit. Ei vero adstrictus, adeo stabili firmoque animo perseverabat, ut obstupescerent spectantes. Exhortabatur inde ad constantiam eos qui utrinque pendebant, hinc Paulum Ibarchi, nuper admodum adjunctum Christo, illinc Ludovicum Pauli ejusdem nepotem, præstantem plane adolescentem. Dum ipsummet P. Joannes Rodericius hortaretur, forti ac generoso esset animo, neque ulli negligentiæ jam locum daret; respondit, de se ut esset nunc securus. Demum lanceæ ictus,* Jesum *ac* Mariam C *inclamans, animam exhalavit.*

*curat salutari PP. Meacenses.*

*ex Cruce socios adhortatur.*

118 Jacobus Kisai LXIV annorum, Christianus perantiquus et boni exempli, *inquit Froes,* receperat se in domum nostram, ut totum se dederet Deo: in qua magna caritate, rerum externarum curam gesserat: singulariter autem meditationi Passionis D. N. valde erat addictus. *Colussus* Coadjutorem *facit. Cardim ait,* fuisse laicæ professionis: *dissimulat Nierembergius, sed fatetur gessisse munus accipiendi ad nos ventitantes, utpote domus nostræ janitorem, omnes piis sermonibus ædificare, et quotidie Passionem Christi lectitare solitum, Japonicis descriptam vernaculis characteribus (quos eleganter efformabat) inque libello, quem assidue secum gestabat, compactam. Relatio Romana, ex litteris P. Gomii, tradit illum, itidem ut Joannem, per annos aliquot instruxisse eos qui baptismo erant initiandi.*

*Jacobus Ghisai, vir pius,*

*janitor PP. Societatis,*

*quotidie Passionem legit instruit baptizandos*

119 *Cooptatus in Societatem, perpetuo de utroque hoc munere gratias Numini agebat, quod ex janitore frater nostrorum evasisset, mox etiam martyrii consors futurus. Beatum prædicantibus eum Christianis quibusdam, seque ei invidere profitentibus, ac summa cum reverentia eum alloquentibus; ipse magna modestia et humilitate, respondit, esse se magnum peccatorem. Petentibus dari sibi quod ad zonam gestabat linteum, pro Reliquiis asservandum, turbato vultu penitus abnuit:* D *perspecto ejus studio humilitatis, extorsere id tamen, ut pignus fidelis famuli Jesu Christi. Quemadmodum plerique sociorum,* Jesu *ac* Mariæ *nomina inclamando, aliasque pietatis indices voces proferendo, expiravit. Cardim natum scribit* in Bigensi regno, *quod est in Niphone insula.*

*gaudet se admissum*

*laudatus se humiliat.*

*non vult sua ut reliquias servari.*

## § XII. *De ceteris* XVII *laicis Martyribus, præsertim Thoma, Ludovico, Antonio pueris.*

*Japonum laicorum, qui eamdem martyrii palmam adepti sunt, novem erant a Patribus Franciscanis baptismo abluti, octo a Nostris. Omnes in carcere aut itinere a S. Petro Baptista Commissario in tertium ordinem, ut loquuntur, S. Francisci adscriptos, quidam ipsorum historici tradunt, uti et Cardosus in Lusitan. Martyrologio: Breve Apostolicum infra recitandum, solum* familiares et coadjutores eorumdem sex professorum *vocat. De singulis præter ea quæ memorat Froes, parum admodum reperimus.*

*XVII alii MM. Tertiarii, aut certe familiares PP. Minorum.*

121 *Nomina quorumdam et conditio varie a Scriptoribus expressa.* Franciscus *unus e duobus Adauctis, qui ut PP. Franciscanis subveniret, Meaco eos erat comitatus, in baptismo* Caii *tulerat nomen, in Confirmatione* Franciscus *est appellatus. Qui Froio est* Cosmus Tachegia, *Eusebio Nierembergio est cognomento* Zaquiya; *Barezzo* Taquia, *prædicator; Arturo a Monasterio in Martyrologio Franciscano,* Tagnia. Petrus Suchegirus, *Eusebio* Suquexirus; *Barezzo* Xuquexicus. Michael Cozachi, *Eusebio et Barezzo* Cosaqui. Paulus Ibarchi, *Eusebio* Juariqui; *Barezzo* Ibariqui, *prædicator.* Ludovicus, *famulus Barezzo dicitur fuisse et Clericus P. Commissarii, uti et* Antonius, *quem Eusebius* Dogicum, *sive Catechistam facit.* Matthiæ *Barezzus ait prius* Martino *nomen fuisse, ex eventu* Matthiam *dictum. Arturus vocat* Martinum, postea Matthiam cognominatum. Leo Carasumarus, *Barezzo* Carasuma, prædicator; *Eusebio* magnus Dei servus Leo Carasuma Ventura, *Barezzo famulus, Eusebio* Bonaventura, *Dogicus.* Thomas Cozachi *Barezzo est Clericus FF. Minorum, et* XII *dumtaxat annorum; cum Froes ei* XV *tribuat.* Joachimus Saccachibara, *Eusebio* Sanchier, *Barezzo* Saquier. *Idem Barezzus* Franciscum *medicum, prædicatorem fuisse ait, uti et* Thomam *alterum, cui Froes* Danchi, *ipse* Xico *cognomentum tribuit; Eusebius Dogicum facit.* Joannes Chimoia, *Barezzo et Eusebio* Quizuya *dicitur.* Gabriel, *Barezzo famulus, Dogicus Eusebio est.* Paulus Suzuqui, *qui interpres erat PP. Minorum, Barezzo* Suziqui *est, et prædicator; Arturo* Sauziquius. *Ista, quamvis tenuia, sedulo contulimus, ne quid neglexisse videremur.* F

*Eorum nomina et conditio varie expressa.* E

122 *Mirabilis fuit adolescentum trium* Thomæ Cozaki, Antonii *ac* Ludovici *constantia. De* Ludovico *multa memorat Froes infra.* Thomam *scribit Eusebius, præcisa sibi ab Gentili lictore auris particula, dixisse, altius etiam amputaret, si vellet, ac se Christiano sanguine penitus satiaret.*

*Thomæ Cozaki constantia.*

123 *De* Antonio *plura narrat Barezzus, quædam iis similia quæ de Ludovico alii. Illum, inquit, quia bona indole præditum animadvertit P. Petrus Baptista, peculiari studio complexus est. Ipse ac Ludovicus rei divinæ operantibus ministrabant: cumque facile possent, priusquam caperentur, fuga elabi, Magistros sequi ad vincula et mortem maluerunt. Cum jam abducerentur, ceteris præcurrebant, revinctis licet post tergum manibus, cumque præ se ferebant alacritatem ac fervorem spiritus, ut spectantibus stuporem incuterent. Neque quidquam de eo animi ardore remiserunt; intendere eum potius visi, quo longius procedebant, insigni cœlestis gratiæ argumento.*

*Ludovici et Antonii puerorum alacritas.*

124 *Appropinquanti ad triumphi locum* Antonio *parentes occurrere, quippe Nangasaco oriundi, et Christiani:*

*Antonius parentes wortem*

*dissuadentes refellit,*

*tiani : qui licet haudquaquam dolerent obtigisse filio sortem tam beatam, amore tamen quodam humano instincti, suadere cœperunt, ne in flore adolescentiæ ultro adiret mortem, sed in maturiorem ætatem differret; nec enim tunc defuturam occasionem : addebant verbis lacrymas, ut sanctum filii propositum expugnarent. Ille, nihil puerile aut immaturum sapiens, virili judicio, gratia Divina mentem illi collustrante, perspexit quas sibi insidias teterrimus hostis, parentum opera, strueret : itaque respondit, ut illas diaboli technas penitus dissolveret. Nam confidere se dixit, divinitus sibi constantiam suffectum iri, per quam ex hac lucta victor evaderet. Supersederent igitur ipsi inanibus illis suasionibus, neque sacrosanctam fidem nostram irrisioni ac ludibrio Gentilium exponerent : nam sibi certo deliberatum esse pro illius defensione mori.*

*ac solatur :*

125 *Judex colloquentes cum filio parentes ac lacrymantes conspicatus, et ipse eorum commiseratione motus, propius accessit, atque Antonium, ne ideo parentum desideria refutaret, quod pauperes essent, admonuit : ei se in ædes suas recepto, ut proprio filio consulturum curaturumque ut ab Taicosama honore ac rerum copia augeretur. Ea velut explodens Antonius; Magna profecto foret insania, ait, pluris momentanea ac vana, quam æterna bona æstimare. Tamen, quæ polliceris, cedo an impertiri ea velis in convictu et consortio P. Petri ejusque sodalium? Minime vero, inquit Judex, tibi soli ea tribuam. Brevi igitur, ait Antonius, intelliges, quam nihili tua promissa vitamque ipsam æstimem. Neque enim aut crux percellit, aut martyrium terret. Unice potius id expeto, ejus amore, qui pro me in Cruce mortuus est. Simul se a Judice, quocum loquebatur, avertit, et* Queimon *(ita acinacem vocant ad solum usque dependentem) exuit, eumque dans matri, Hoc te solare, inquit. Pro te Deum in cælis precabor. Ne plange mea caussa, sed horum potius miserorum Gentilium. Ego ad Deum tendo, æternum ejus aspectu fruiturus : illi in sua permanent cæcitate. Ne sentiant hi, non placere vobis, ut moriar Dei caussa. Nec æquum est sane, ut non placeat, cum ipse prior mortuus sit pro nobis. Inventa dein in Antonii vestimentis epistola est, ab eo ad parentes scripta, plena divini cujusdam spiritus; qua eos solabatur, adhortans ut in suscepta semel fide constantes permanerent.*

*Judicis promissa eludit :*

*matri mnemosynon relinquit et solatium*

*antea ad parentes epistolam scripserat.*

126 *Demum cruci alligatus dum vulnus fatale expectat, psalmum* Laudate pueri Dominum, *ut secum concineret, S. Petrum Baptistam, ad cujus lævam ipse pendebat, invitat : eo sancta quadam extasi in divina absorpto, nec respondente, cum ipse orditur cælesti quodam canore planeque Angelico, ac totum pene decurrit : priusquam tamen ad* Gloria Patri, *quo psalmi terminantur, pertingeret, exturbatus e vita, illud cum Angelis recinuit in cælo. Hæc fere Barezzus. Si, quæ narrat, vere oblata a Judice sunt, bis eadem spreta a pueris, Ludovico primum, ut refert Froes, tum Antonio. Verum an acinace accinctus, manibus tamen (ut ante dictum) post tergum ligatis, ductus ad supplicium videatur, alii disquirant.*

*in Cruce canit psalmum,* Laudate pueri Dominum.

127 *Illustris duorum Adauctorum caritas, ipsi quoque Taicosamæ postea admirationem movit, eumque nostræ gentis commendationem expressit, Christianos vere viros fortes esse, et inter se arcte devinctos.* Caii Francisci *clarus cumprimis ardor extitit, ut Confirmationis paullo ante ab eo susceptæ fructum et efficacitatem posses agnoscere. Cum in custodiam conjecti sunt PP. Minores, ipse se quoque Christianum esse ultro professus est : in carcere positus visit, ad circumvectos per compita se adjunxit, ipsasque subiit carrucas. Tanta illi cupido erat martyrii. Neque fustibus aut lictorum securibus submoveri unquam potuit, vires ei ac constantiam suggerente Deo. Ozacam, Sacaiumque comitatus, perpetuo iis in carcere ministravit. Ei tandem ac Petro lictores injecere manus, sed prius utriusque peculio, unde sumptum in levamen Martyrum promebant.*

*Adauctos miratur Taicosama.*

*Caii Francisci fervor, et martyrii desiderium.*

*AUCTORE J. B.*

## § XIII. *Sanctorum Martyrum post mortem miracula. Reliquiæ.*

*NOT. 44*

*Qui in Christianis ac Gentilibus, post gloriosorum Martyrum triumphum, motus animorum extiterint, breviter ultimo capite perstringit Froes. Ipse Episcopus, quem e domus suæ fenestris spectasse omnia Barezzus scribit, sub vesperam illius diei ad locum, in quo stabant eorum affixa crucibus corpora, venisse traditur, eaque cum universa sua familia, positis humi genibus, veneratus.*

*Episcopus corpora Martyrum veneratur :*

129 *Fazamburum, minime rudem mysteriorum nostrorum (quippe qui baptismum olim petierat, eo potiturus, nisi terreni honoris quam æterni avidior, favorem mortalis Imperatoris Dei mandatis prætulisset) Fazamburum, inquam, auctor est Eusebius, obortis lacrymis, cum cerneret ita atrociter trucidari eos qui ab omnibus sancti habebantur, inde abscessisse, urbana Prætori, qui aderat, reliquæ rei executione commissa. Japonius quidam, cum vidisset quanta lætitia cuncti vitam terminassent, Deum pro salute Imperatoris aliorumque suorum inimicorum orantes, et iis qui ipsos Cruci affixerant ignoscentes; adstantem Lusitanum, magno sensu animi ac multis cum lacrymis amplexus est, profitens se Christianum, ac jam olim baptizatum esse, ipso patrini munus subeunte, sed perfide defecisse, utque ad horum etiam Martyrum cædem operam contulisse.*

*martyrio illacrymatur Fazamburus :*

*apostata resipiscit.*

130 *Multis dein illustrata miraculis eorum gloria est. Permansere exanima corpora adeo amœna specie ac gestu, quædam oculis in cælum sublatis, alia demissis decore capitibus, omnia absque deformitate ulla, ut Japonii rem plane insolitam mirarentur ac prædicarent. Cumque aliorum, qui acti in crucem sunt, quarto die fœtere soleant corpora; et a corvis, qui isthic plurimi, eorum configi rostris oculi, ac vorari; neque fœtoris ab his quidquam expiratum, neque oculos corvi læserunt, aut omnino propius advolarunt. Quadragesimo quarto post die soluturi Macaum versus Lusitani, visitavere Martyrum corpora, ut certius testari omnia possent, visaque iis digna admiratione quæ adhuc inerat forma, uti refertur in juridica informatione quam generalis Chinæ Vicarius Macai confecit.*

*Corpora formosa manent,*

*sine fœtore, nec læsa a corvis,*

*ad 44 dies integra.*

131 *Asseruere testes quidam, biduo post mortem, morsu præcisum a quopiam S. Petro Baptistæ pedis pollicem fuisse, ac multum sanguinis effluxisse, perque plures horas stillasse. Ex alia informatione, solemni ritu Manilæ instituto, testibus oculatis legitime interrogatis, constat, post* LXII *a morte dies, ejusdem P. Commissarii corpus, e cruce dependens, candidum adhuc, ter contremuisse; magnamque vim cruoris e latere, lancea, cum crucifigeretur, confosso, denuo promanasse : atque ubi id Nangasaki auditum, Christianos quosdam eo venisse linteaque complura, et papyri folia eo tinxisse.*

*e corpore B. Petri Baptistæ post 2 dies sanguis fluit,*

*iterum post 62 dies.*

132 *Admirabilius haud paullo id fuit. Venerat eo cum Lusitanis miles Italus, Joannes Baptista nomine, ipso tempore quo in crucem sunt acti beati Martyres : is pileo sanguinem excepit BB. Pauli Miki, Petri Baptistæ, Martini de Ascensione, atque alterius Japonis : quem deinde in fictili Chinica ampulla (quales Porcellanas dicimus) condidit atque asservavit. Nono post mense coram Vicario generali Episcopi Chinæ ac Japoniæ, præsentibus viris religiosis sex e S. Francisci, uno e S. Dominici familia, duobus e Societate, atque aliis testibus, quorum unus medicus erat, confractum est vasculum, inventusque sanguis omnino liquidus, ac velut recenter fusus et calens, nihil mali odoris exhalans, cum omnium admiratione.*

*Sanguis BB. Pauli Michi, Petri Baptistæ etc. post 9 menses recens.*

133 *Prima post eorum agonem feria* VI *per noctem conspecti sunt in cælo, ad eam partem qua pendebant Martyres, tres ingentes radii, ac velut igneæ columnæ, dante quodammodo cælo ipsorum gloriæ testimonium, ac*

*lumen cæleste supra corpora MM. supraque ecclesiam Societatis,*

A ac portendente eos, licet vita jam functos, lucem Japoniæ fore. Harum columnarum media cum duabus horis fulsisset, supra ecclesiam Societatis nostræ constitit, ac dissoluta est: et nox quæ antea obscura caligine horrebat, clara ac lucida extitit. In quem locum ea subsidere visa erat columna, multæ conspectæ scintillæ stellis consimiles. Per longum temporis spatium, quavis feria sexta, supra campum martyrii multæ apparuerunt stellæ, candelarum instar, quæ ad ritum quemdam supplicationum motæ, subsidebant ad nosocomium S. Lazari, quæ prima sanctorum Patrum Minorum sedes fuit, cum Nangasacum venerunt: inde vero ad locum qui Eremus Deiparæ dicitur, ferebantur.

*Auctore L. G.* — *et stellulæ* — *stellæ supra locum martyrii sæpius,* — *inde motæ.*

134 Hæc ex authentica Informatione Eusebius. Barezzus paullum diversa narrat. Nam quæ sextis feriis omnibus apparebant supra Martyrum cruces lumina, instar columnarum fuisse ait, ac geminæ supra S. Petri Baptistæ Crucem. Circa mediam Martii, itidem feria sexta conspectam ingentem igneam columnam; eam deinde in tres divisam, ac post duas horas, quæ media erat, supra ædem Societatis delatam, dissolutam, uti jam retulimus, ac noctem antea tenebrosam, diurno lumine clariorem factam. Modico post tempore apparuisse ad ortum velut sagittam igneam, mox similem ad Occa-

*id tamen omnibus diebus Veneris*

B sum; dein ad Arctum supra casam eremiticam Deiparæ conspectas plures stellas varii coloris, ac numquam visi: hoc prodigium ad horas quatuor, spectantibus Japoniis ac Lusitanis, ac præ terrore, Dei misericordiam, confuso clamore, implorantibus, durasse.

*aliud item lumen, cum omnium horrore.*

135 At stupendum est quod idem addit: Corpus S. Petri Baptistæ die fere integro disparuisse, ab hora XIII ad mediam noctem: attonitis et metu consternatis custodibus, ob intentata, si quod horum sanctorum corporum, ipsorum negligentia, sublatum esset, supplicia: tandem ultro, ipsis cernentibus, ad crucem reversum. Conjectat Auctor, forsan ivisse tunc eum ut fideli suo subsidio ac Fratri succurreret, Hieronymo de Jesu, quem jusserat Japone non excedere. Ea enim sub idem fere tempus portum urbis Meaci transeunte, saga quædam præsentibus Japoniis exclamavit, hunc unum esse ex iis qui Nanman, id est, Deum, prædicant. Nemo tamen ei manum injecit. Aut certe opem tulisse tunc beatum Martyrem putat Barezzus, amico suo Cosmo Gioyæ, quem dæmon ac domesticos ejus, postquam in ædes suas Fratrem illum Hieronymum receperat, miris terriculamentis exagitabat.

*Corpus B. Petri Baptistæ ad tempus disparet,* — *fors ut periclitanti succurrat,* — *aut a dæmone vexatum liberet.*

136 Testati quoque sunt Japonii, ut idem scribit, vidisse se crebro B. Petrum Missam celebrantem, quibus

*Visus idem sæpius post mortem celebrare*

C vivus solebat locis, cum insigni multorum Musicorum concentu multisque luminibus. Quare negabant illum in Cruce mortuum, quem sacris operantem cernebant, sed fascinatos tunc fuisse spectantium oculos ut mortuum crederent: facilius quippe sensum unum falli, quam plures: etiam audiri eum hic, non solum, ut illic, videri.

137 Addit idem scriptor, trimestri toto post martyrium elapso, corpora adhuc putredinis expertia fuisse, alba, mollia ac flexibilia: sæpius eorum visos vultus insolito splendore coruscare; præsertim B. Petri, hujusque arrectos in cœlum oculos, referentes speciem extasis, qua defixus tunc erat, cum lanceæ ictus excepit. Demum memorat Barezzus, imaginem Seraphici Patris Francisci, in Meacensi ipsorum cœnobio, sanguinem antea sudasse; atque ita portendisse, copiose sanguinem ab ejus spiritualibus filiis fusum iri.

*Corpora post 3 menses integra.*

138 Quam religiose sanguis Martyrum collectus, vestes decerptæ, expetitæ reliquiæ, partim ex dictis hactenus patet, partim refertur infra a Froio duobus postremis capitibus. Solerius noster lib. II cap. ultimo tradit, cum putrefactis ac siccatis jam Sanctorum corporibus, ossa aliqua in terram decidissent, Christianos ea religiose collegisse, et partim Arimam, partim Nangasacum, ad nostram ædem attulisse.

*Reliquiæ pie collectæ.*

139 Venit postremo legatus a Prætore Philippinarum, oblatisque de more Taicosamæ muneribus, sciscitatus est, cur interfici Religiosos illos jussisset? cur merces galeonis S. Philippi diripuisset? postularitque efferre sibi occisorum corpora liceret, utque diplomate regio caveretur, immunes ab injuria fore, si quæ simili casu ad oram Japoniæ projectæ deinceps naves essent. Respondit Tyrannus, interemptos esse Religiosos, quia edicta sua violassent, prohibitam a se Legem prædicando: spoliatam navim, quia sui juris essent, more toto Japone recepto, quæ sic in littus tempestate appellerentur labefactatis navibus merces. Nolle se huic juri, dato cuipiam commeatu, derogare. Corpora occisorum, si reperirent, sinere se ut secum avehat. Ita Guzmannus. An reperta avectaque sint, non indicat. Cardosus in Notis ad Martyrol. Lusitanicum scribit, chlamydem B. Petri Baptistæ asservari Manilæ; manumque dexteram, qua socios Cruci affixos benedixit, retinentem etiamnum figuram situmque benedicentis. Antonius Franciscus Cardim in Fasciculo antea citato, de S. Paulo Miki scribit: Sacra ejus lipsana Macai sunt jam in omni veneratione præcipua. De S. Joanne Soan: Illius cineres apud Macaum in collegio Societatis Jesu jam instar thesauri habentur. De S. Jacobo Kisai: In Macaensi collegio ejus reliquiæ servantur. E

D *PP. Minorum ut ferantur Manilam corpora, permittit Taicosama.* — *Nostrorum reliquiæ sunt Macai.*

## § XIV. Sancti Martyres Ecclesiastico officio et Missa publice honorati.

Quæ retulimus divinitus facta miracula, pleraque legitimis testimoniis, juridica informatione, probata, Romæ gravissimo Rotæ (ut vocant) judicio examinata, Urbano VIII Pont. Max. exhibita sunt. Qui, ut Ecclesiæ Japonicæ, tot Martyrum rigatæ sanguine, etiamnum atrocissima persecutionis procella exagitatæ, aliquod impenderet in terris solatium, patrocinium in cœlis; Ordini PP. Minorum ac Societati Jesu, anno CIↃIↃCXXVII, concessit facultatem celebrandi Missam et recitandi officium V die Februarii, hanc quidem de tribus Martyribus Paulo Michi, Joanne de Goto et Didaco Quizai e Societate Jesu; illis autem, de XXIII Martyribus ex Ord. Min. S. Francisci de observantia provinciæ Discalceatorum S. Gregorii, Philippinarum et Japoniæ. Breve Apostolicum, PP. Minoribus indultum, ita habet:

*Urbanus VIII permittit eos publice sacro et officio honorari.*

141 Urbanus Papa VIII ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris et Domini Nostri Jesu Christi, qui milites suos inclytos, quorum mors pretiosa est in conspectu ejus, immortalitatis corona donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris; pia Christi fidelium, præsertim Catholicorum Regum, vota, per quæ eorumdem sanctorum militum veneratio promovetur, et laudatur Dominus in Sanctis suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque, sicut dilectus filius Petrus Baptista Procurator Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Discalceatorum nuncupatorum, provinciæ S. Gregorii Philippinarum et Japoniæ, Nobis super exponi fecit, Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositi, in caussa Canonizationis viginti trium Martyrum, videlicet Petri Baptistæ, et sociorum ejus ex dicto Ordine, quorum nempe sex professi, ceteri vero laici, familiares et coadjutores eorumdem sex professorum erant, quique omnes pro Christi nomine, in oppido Civitate nuncupato Nangasaqui, extra muros, in regno Japoniæ, Cruci affixi, et transverberati fuerunt, in sacro Rotæ Auditorio, et deinde de mandato nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli S. Priscæ Presbytero Cardinale Muto nuncupato, discussa, censuerint constare de martyrio

*per hoc Breve Apostolicum.* F — *quo* — *censentibus Cardinalibus Congreg. Rituum,* — *caussa in Rotæ auditorio discussa,*

A rio et miraculis; ideoque ad actualem illorum Canonizationem quandocumque deveniri posse; Superiores vero dicti Ordinis, pro eo, quem erga eosdem Martyres gerunt, devotionis affectu, Officium et Missam de illis, donec ad solemnem eorum Canonizationem (pro qua non solum dictus Petrus, eorumdem Fratrum nomine, verum etiam carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Catholicus, ac carissima in Christo filia nostra Isabella Regina Catholica Hispaniarum, nec non universa Civitas Manilensis et Chinensis, seu Machanensis, aliique, Nobis, per eorum litteras ad nos transmissas, humiliter supplicarunt) deveniatur, ut infra, recitari posse plurimum desiderent; Nos piis eorumdem Superiorum votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel caussa, latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; Supplicationibus dicti Petri, eorumdem

*constare de martyrio et miraculis;*

*Rege et Regina Hispan. et civitatibus Manila et Macao supplicantibus ut canonizentur,*

*statuit ut de 6 professis, et 17 laicis officium et Missa dici possit*

B Superiorum nomine nobis humiliter porrectis, inclinati; De eorumdem Cardinalium consilio, Ut de eisdem Martyribus, tam ab omnibus dicti Ordinis S. Francisci Religiosis ubique existentibus, quam etiam aliis Ecclesiasticis et secularibus personis, Malinensis Diœcesis dumtaxat, ubi præcipui dictorum Martyrum pro Christi fide laborantes valde profecerunt, Officium et Missa de Communi plurimorum Martyrum, die eorum Natalis, videlicet die quinta Februarii, recitari et celebrari respective, libere et licite possit et valeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, licentiam et facultatem concedimus et impertimur: Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die XIV Septembris CIƆIƆCXXVII, pontificatus nostri anno quinto. M. A. Maraldus.

*ab omnibus Religiosis Ord. Minorum ubique, ab aliis quibusvis in diœcesi Manilensi, 5 Februarii.*

142 *Quemadmodum Paulus Miki, uti Frois cap. 7* C *narrat*, PP. Franciscanis magnas gratias egit, quod sub eorum umbra *martyrii* beneficium a Divina misericordia *ipse et socii* consecuti essent; *ita nos par est ejusdem sanctissimi Ordinis Patribus gratias habere, quod eorum præcipue diligentia ac sollicitudine factum sit, ut tribus Nostris solennes honores deferrentur. Cum enim de aliis pluribus in numerum beatorum Martyrum auctoritate Apostolica referendis, pridem esset actum a Nostris, de hisce vero, ut recentioribus (quam alii isti essent, Rudolphus Aquaviva, Ignatius Azebedius, aliique) et minus celebribus, peculiariter cogitatum non esset; Patres Minores suorum caussam, quæ cum tribus Nostris et* XVII *Japoniis erat communis, ita peregere, ut de assensu Pontificis Maximi haud admodum dubitaretur. Tunc et Nostri moniti sunt, ut rem ipsi quoque cum adjuvarent. Ergo libellum supplicem Pontifici offerunt: a quo hoc deinde Indultum impetrarunt.*

*Caussa hac, sollicitatione PP. Minorum, pene peracta,*

*etiam Societas libellum supplicem offert,*

*et hoc decretum obtinet, quo Urbanus VIII*

143 Urbanus Papa VIII ad perpetuam rei memoriam.

Salvatoris et Domini Nostri Jesu Christi, qui milites suos inclytos, quorum mors pretiosa est in conspectu ejus, immortalitatis corona donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, pia Christi fidelium, præsertim Catholicorum Regum, vota, per quæ eorumdem sanctorum militum veneratio promovetur, et laudatur Dominus in Sanctis D suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque, sicut dilecti filii Præpositus Generalis et Presbyteri Societatis Jesu nobis nuper exponi fecerunt, venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositi, in caussa Canonizationis trium Martyrum, videlicet Pauli Michi, ac Joannis de Goto, et Didaci Quizai, ex dicta Societate, qui pro Christi nomine, in oppido Civitate nuncupato Nangasaqui, extra muros, in regno Japoniæ Cruci affixi et transverberati fuerunt, in sacro Rotæ Auditorio, et deinde de mandato nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio tituli S. Priscæ Presbytero Cardinale Muto nuncupato, discussa, censuerint constare de martyrio et miraculis, Ideoque ad actualem eorum Canonizationem quandocumque deveniri posse; Præpositus vero et Presbyteri prædicti, pro eo, quem erga ipsos sanctos Martyres gerunt, devotionis affectu, Officium et Missam de illis, donec ad solenniorem eorum Canonizationem (pro qua non solum iidem Præpositus et Presbyteri, verum etiam carissimus in Christo filius noster Philippus Rex Catholicus, ac carissima in Christo filia nostra Isabella Regina Catholica Hispaniarum, necnon universa Civitas Manilensis, et Chinensis, seu Machanensis, aliique Nobis, per eorum litteras ad nos transmissas, humiliter supplicarunt) deveniatur, ut infra, recitari posse plurimum desiderent; Nos piis ipsorum Præpositi et Presbyterorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, Supplicationibus Præpositi et Presbyterorum prædictorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio; Ut de eisdem Martyribus, ab omnibus dictæ Societatis Religiosis ubique existentibus, Officium et Missa de communi plurimorum Martyrum, die eorum Natalis, videlicet die quinta Februarii recitari et celebrari respective, libere et licite possit et valeat, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur. F Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die XV Septembris MDCXXVII, pontificatus nostri anno quinto.

M. A. Maraldus.

Angelus Justinianus Not.

*Auctore J. B.*

*Cardinalibus Congreg. Rituum,*

*re in Rota, et ab ipsis discussa,*

*consentibus de BB. Pauli, Joannis, Jacobi martyrio et miraculis constare, supplicantibus pro eorum canonizatione Rege et Regina Hispan. civitatibus Manila et Macao, etc.*

E

*de iisdem tribus MM. Missam et officium legere possint 5 Febr.*

144 *Biennio post ampliatum est hoc privilegium sacri officiique legendi, et cum omnibus Sacerdotibus ad ecclesias Societatis confluentibus communicatum a sacra Rituum Congregatione, cujus hoc est Decretum:*

*Id in concessum omnibus Sacerdotibus confluentibus ad ecclesias Societatis.*

Decretum Sacræ Congregationis Rituum, de facultate dicendi Officium et Missam de tribus sanctis Martyribus, Paulo Michi, Joanne de Goto, et Didaco Quizai e Societate Jesu, in Japonia pro Christi fide crucifixis, concessa omnibus Sacerdotibus tam secularibus quam regularibus, confluentibus ad Ecclesias Societatis Jesu ubique existentes, ipsa die eorum martyrii, quæ est V Februarii.

Cum

AUCTORE J. B.

A Cum alias sub die III Julii MDCXXVII, sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo, concesserit, ut de tribus sanctis Martyribus e Societate Jesu Paulo Michi, Joanne de Goto, et Didaco de Quizai, in Japonia pro Christi fide cruci affixis, Officium ac Missa de Communi plurium Martyrum, ipsa die eorum martyrii, nempe V Februarii, ab omnibus Presbyteris ejusdem Societatis, ubique existentibus, recitari et celebrari posset; Instante Generali Patrum Societatis Jesu, Indultum prædictum, ad omnes Sacerdotes, tam seculares quam regulares, ad eorum ecclesias confluentes, extendi posse, eadem Sacra Congregatio censuit: facto verbo cum Sanctissimo, Sanctissimus annuit die XXVI Septembris MDCXXIX.

Jo. Baptista Cardinalis Detus.

F. Fulvius Benignus Secr.

*Meminit hujus indulti ad omnes Sacerdotes, ut dictum est, extensi, Augustinus Barbosa in* Summa Apostolicarum Decisionum, *Collect.* 58, *num.* 9.

*Martyres hi Martyrologiis inscripti,*

145 *Porro ab Georgio Cardoso consignata in Hagiologio Lusitano memoria est horum* XXVI *Crucifixorum. Quamvis enim plerique gente Lusitani non erant, tamen quia Lusitanorum industria patefactus Evangelio aditus in Japoniam est, Lusitani etiam quos alii illic triumphos retulere, ad se merito existimant pertinere.* Beatos *autem hosce pugiles nuncupat Cardosus. Inscripti quoque Martyrologio Franciscano ab Arturo de Monstier sex illi Sancti Minores, dein et* XVII *alii eorum familiares, sive* Tertiarii, *omnesque* Beati *appellati.*

B

*et absolute* Sancti *appellati;*

146 *Editus est Romæ liber an.* CIↃIↃCXLVI, typis hæredum Corbeletti, *auctore Antonio Francisco Cardim Societatis* Jesu *provinciæ Japoniæ ad Urbem Procuratore, hoc titulo:* Fasciculus e Japponicis floribus, suo adhuc madentibus sanguine. *Dicatus liber Innocentio* X *Pontifici Maximo; approbatus non solum a Præposito Generali Societatis Vincentio Carrafa, sed et ab Episcopo Comaclensi Viresq. et P. Raymundo Capisucco Magistri Sacri Palatii Apostolici socio. In eo libro* Elogium VI S. Pauli Michi *prætitulatur*, VII S. Joannis Soan, alias Goto, VIII S. Jacobi Kisai.

147 *Liber alius eodem anno Romæ ab eodem auctore editus hoc titulo:* Catalogus Regularium et secularium qui in Japponiæ regnis, a fundata ibi a S. Francisco Xaverio, gentis Apostolo, Ecclesia, ab Ethnicis in odium Christianæ fidei, sub quatuor tyrannis, violenta morte sublati sunt. *In eo Catalogo pagina* 6 *ista habentur:* Anno CIↃIↃXCVII, Februarii V, *sex et viginti*

C acti in Crucem, et transversis hastis confixi, Nangasachi: quos Urbanus VIII Pont. Max. Sanctorum Martyrum numero, X Julii CIↃIↃCXXVII adscripsit. Ii sunt:

*nominibus paullo aliter expressis.*

- S. Paulus Miki,
- S. Joannes Soan, nuncupatus Goto,
- S. Didacus Kisay,

} Jappones e Societate Jesu.

- S. Petrus Cozaki, ipsorum familiaris.
- S. P. F. Joannes Baptista,
- S. P. F. Martinus de Luines,
- S. P. F. Franciscus Albus,
- S. F. Philippus de Casis,
- S. F. Franciscus de Parilha,
- S. F. Gundisalvus Garzia,

} e Seraphici Divi Francisci familia.

- S. Paulus Sasuki,
- S. Cosmus Taqueya,
- S. Leo Carasumaru,
- S. Bonaventura,
- S. Antonius Deyan,
- S. Joannes Kinuya,
- S. Franciscus Medicus,
- S. Joachimus,
- S. Franciscus,
- S. Thomas Ixo,
- S. Paulus Yubaraki,
- S. Thomas Deycan,
- S. Matthias,
- S. Gabriel,
- S. Michael Conzaki,
- S. Ludovicus, puer XII annos natus,

} Patrum S. Francisci Catechistæ et familiares.

D

# MARTYRII HISTORIA

*auctore Ludovico Froes Soc.* Jesu.

## EPISTOLA DEDICATORIA.

Ludovicus Froes admodum Reverendo P. N. in Christo, P. Claudio Aquaviva, Præposito Generali Societatis Jesu.

Quantus fructus in Japonia ex Gentilium conversione et Christianorum institutione collectus, quisque rei Christianæ status anno ab hinc uno supra dimidium fuerit, a litteris annuis, hac navi ad V. P. missis, exponitur. Quibus et aliæ litteræ peculiares de adventu Reverendissimi Episcopi D. b Petri Martinez adjunctæ sunt, quæ agunt, tum de profectione ejus, visendi Taicosamæ Japonum Regis caussa, instituta, tum de opera et studio, pro ratione Pastoralis officii, ab eo hactenus in grege suo pascendo fructuose collocato. Verum, uti res Japoniæ, cum felicissimo tranquillissimoque loco esse videntur, de improviso variis tempestatibus et inopinatis calamitatibus agitari et perturbari solent; sic nova nunc multoque ante prævisa in nos persecutionis procella exorta est. De qua, et simul de gloriosa morte XXVI Christianorum, qui ex mandato Regis, partim quod Evangelium prædicassent, partim quod Christo nomen dedissent, in crucem acti sunt, deinceps agemus.

*a Auctoris aliæ narrationes,*

*b*

E

*quanta fide hæc scripta.*

2 Scopus autem in hac narratione non alius propositus est, quam nudam et simplicem percensere veritatem: quæ veritas, omnis historiæ non modo primarium ornamentum, sed etiam necessarium, quo nitatur, fundamentum esse debet. Et idcirco non aliud commemorabo, quam quod ab hominibus fide dignis, partim e Societate nostra, partim secularibus, qui Meaci, ubi primum orta est persecutio, et Nangasachi, ubi supplicium peractum est, præsentes fuere, et per litteras vel coram diserte patefecerunt, accepi. Distinxi autem totam relationem in capita, tum ut adimerem lectori fastidium, quod gignere solet nimia prolixitas, tum ut commodius et clarius particularia quædam, quæ in hanc persecutionem, voluptate et ædificatione plenissima, inciderunt, perstringerem.

F

a Hæ editæ exstant, De rebus a PP. Societatis Jesu gestis durante persecutione, *datæ ex portu Nangasachino* 13 *Decemb.* 1596; et de Legatione Regis Cinensium ad Taicosamam, *indidem*, 28 *Decemb.* 1596. — b *Primus Japoniæ Episcopus a Pio V designatus* P. Andreas Oviedus *an.* 1566, *quia in Æthiopia exigua tum spes fructus affulgeret, noluit tamen nigram illam sponsam suam deserere, cujus causa multas pertulit ærumnas usque ad an.* 1597 *quo sancte obiit mense Septembri. Secundus fuit* P. Melchior Carnerus, *Nicænus Ep. qui Macai mortuus, cum esset in procinctu ut veheret in Japoniam. Tertius* P. Sebastianus Morales, *an.* 1587 *Ulyssipone consecratus, obiit Mozambici in itinere. Quartus* P. Petrus Martinez, *an.* 1591 *Goæ consecratus, inde solvit an.* 1595, *appulitque Nangasacum* 13 *Aug.* 1596, *assumptus a Prætore Indiæ ad Taicosamam munera et litteras, quibus fidem faciebat priorem legationem, qua functus erat P. Valignanus, minime a nostris fictam fuisse, sed a se illi impositam. Meacum pervenit* 16 *Novemb. inde Fusimum, ubi Taicosamæ erat. Ozaca discessit* 7 *Decembris Nangasacum versus.*

*Primi 4 Japoniæ Episcopi.*

## CAPUT I.

*De statu, in quo Japonii Christiani fuerunt ante hanc persecutionem, et quæ illius fuerit origo.*

Quo perfectius recentis hujus persecutionis principium atque origo intelligatur, sciendum est, cum Taicosama Japoniæ monarcha ante decennium ob Legis

A Legis Evangelicæ prædicationem nos omnes sub pœna mortis toto Japone excedere jussit, visum esse Viceprovinciali aliisque Patribus, minime id temporis deserendos esse Christianos, ac proinde nulli prorsus regno excedendum. Tamen ut aliquo modo iræ regiæ cederetur, nec contemni ejus edictum videretur, atque ita mala omnia a Dominis Christianis, adhuc statum suum obtinentibus, averterentur; ordinavit idem Viceprovincialis, ne palliis vel superioribus, quas vocant, vestibus, sed prælongis tantum togis, more apud Japones recepto, dum suo ritu seculo renuntiant, uteremur; atque hac ratione in colenda vinea Domini, ut ante, persisteremus. Plane enim confidebamus, Regem, ubi didicisset nos hoc habitu remansisse, ac proinde quadamtenus suo edicto paruisse, totam rem dissimulaturum. Eamdem ob caussam Meaci et Ozacæ, ubi post hoc edictum *a* Residentiæ sunt fabricatæ, nullam tamen excitavimus publicam ecclesiam, sed tantum privatum sacellum ad sacrum Missæ faciendum, et sancta Sacramenta administranda: adjuncta forinsecus aula, in qua cum populo ageremus. Hac moderatione cautioneque, atque imprimis quod delitesceremus, effectum est, ut immunes hactenus fuerimus ab omni periculo; tanB taque hoc decennio ad fidelium numerum accessio facta sit, ut plura quam sexaginta quinque hominum millia (uti liquet ex litteris hactenus missis) sacris baptismi aquis sint abluta: exclusis infantibus, qui parentibus jam Christianis orti fuerunt.

*Patres Societatis Jesu proscripti e Japone,*

*in ea manent mutato habitu,*

*privatim sacra curantes,*

*a*

*multosque convertunt,*

4 Neque ignarus erat Rex, nos omnes in Japonia remansisse: sed factum sibi satis declarabat, quod lateremus, et mandati sui prævaricatores videri reformidaremus. Imo jam annus agitur quartus, quando animadvertens, quantum emolumenti ex navi Lusitanorum, quæ quotannis e China redit, in totam redundet Japoniam, quaque auctoritate Patres, utpote eorum concionatores et directores, apud eos valeant, quorum etiam opera pax et quies in mutuis Lusitanorum Japoniorumque commerciis hactenus alatur et conservetur; confirmavit potestatem, duobus ante annis, ad P. Visitatoris preces concessam: nempe ut decem e Patribus ob caussam dictæ navis commorarentur Nangasachi, cum additamento, ut reædificarent ecclesiam, quam ipse uno anno ante jusserat solo æquari. Ad hæc, in argumentum animi in nos reconciliati, Patri cuidam ad se aditum permisit; quem et honorifice recepit. Hac itaque de caussa et ratione illorum decem, quibus Nangasachi sedes conC cessa est, cum mediocri quiete in Japonia e Societate viximus triginta quatuor supra centum: multasque ejus provincias lustravimus, verbum Dei disseminando, nostrisque ministeriis Christianos adjuvando: ardoremque nostrum ita temperavimus, ut semper, quod Superiores optabant, plus boni communis, hoc est, ut hæc Ecclesia tot laboribus et sudoribus plantata sarta tecta conservaretur, quam privatæ consolationis, in profundendo pro Christo sanguine, rationem haberemus; quod tandem longe facilius videbatur futurum: satius enim sit semel jugulum præbere carnifici, et occumbere, quam quotidie mori inter tot pericula et ærumnas, quas pro servando vel augendo Christianorum numero sustinere oportet.

*Imperatore dissimulante,*

*et permittente reædificari Nangasachi ecclesiam,*

5 Atque hic erat rei Christianæ status: quando ex primaria urbe insularum Philippinarum, dicta Manila, quatuor Patres e S. Francisci familia, vocati nudipedes, tamquam Legati a Philippinarum Gubernatore ad Regem Japoniæ missi, appulerunt. Fuere Patres illi a Rege, quemadmodum Legatis conveniebat, recepti perhumaniter: ac tandem indicavit illis, ut ad suas Philippinas reverterent: nolle se divulgari Legem nostram in suo imperio: ideo et homines de Societate nostra ex suo mandato exulare; nec nisi ob navem Chinensem se paucis quibusdam Nangasachi sedem permisisse. Verum cum Patres urgerent, D sibi minimum copiam fieri a sua Excellentia, velut externis omnibus, spectandi magnifica et splendida urbis Meacensis opera, ut ad suos reversi ea prædicare possint; subjecit vanissimus Taicosama, sibi vehementer id arridere, imo libenter attributurum sumptus ad eam profectionem necessarios. Hac ergo potestate freti, se in viam Meacum versus dederunt: ubi aliquot menses diversati sunt in ædibus cujusdam Equitis Gentilis, qui una cum alio quodam amico illis favebat, eo quod ambo authores illis fuissent, ut in Japoniam venirent.

*PP. Franciscani ab eo, ut Legati, bene excepti, prohibiti prædicare,*

*AUCTORE LUD. FROES. permissi visere Meacum,*

*ibi subsistunt:*

6 Tempore ac ratione elapso, quoniam in hospitio multa patiebantur incommoda, tandem Patres postularunt tantum loci, quantum satis esset ad domicilium aliquod excitandum, sibi adsignari: adsignatus est percommodus, sed cum adjuncta cautione, ne sanctum Evangelium prædicarent. Verum juvantibus quibusdam Christianis, non dubitarunt postea et ecclesiam fabricari, et, quia id putabant ad majorem Dei gloriam fieri, nullis amicorum consiliis potuere ab instituto suo revocari. Probe enim amici illi norant, Patribus illis nullam a Rege fabricandæ ecclesiæ potestatem factam esse, satiusque facturos si sacellum tantum aliquod commodum, sed a conE spectu hominum remotum, extruerent, ne res tandem ad aures Taicosamæ permanaret. Educta deinde ad culmen ecclesia, cœpere dicti Patres publice, perinde atque si plenam facultatem a Rege obtinuissent, annuntiare Evangelium, permoti desiderio et zelo miseras has animas juvandi, accensique quinque *b* sanctorum ejusdem ordinis Patrum exemplo, qui dum incredibili fortitudine per Africam doctrinam Christi prædicarent, a Miramolino Rege Maroccano propriis manibus fuere contrucidati.

*obtento loco,*

*ecclesiam ædificant,*

*improbantibus amicis:*

*b*

*in ea palam prædicant*

7 Ceterum nostri, cum animadverterent hac ratione non ipsos modo, sed Societatem totam atque omnes Christianos in summum capitis fortunarumque discrimen adduci: nec alio inclinare res, quam ut uno momento pessum irent, quæ tantis sudoribus et tot annis erant ædificata; proposuerunt jam dictis Patribus (quod caritas ab iis postulabat) ut sedulo expenderent, conveniatne publice religionem Christianam, post regiam prohibitionem, etiam ex mero martyrii desiderio, divulgare: caussamque Taicosamæ præbere novam persecutionem contra Christianos Meacenses moliendi, quorum multi erant genere nobiles et recenter conversi. Quod revera futurum plus quam probabile erat, si ad ejus aures F perferatur, nullam edicti sui rationem haberi. Idem eis indicarunt duo illi Equites, qui Manila eos adduxerant, subveriti nimirum, ne et ipsi in discrimen capitis venirent, quod Patres illos in regnum suum adduxissent. Imo primarii Domini, atque adeo ipsi Aulæ Gubernatores, benevole eos commonefecerunt: eo quod modus ille agendi (aiebant dicti Domini) esset exoticus et insolitus in Japonia. Nec parum occasione hujus rumoris crevit ingens ille conversionis ardor in omni genere hominum, qui a nostris doctrinæ Christianæ rudimentis erant imbuti, et sacris aquis eluti. Quod observarant quidem Gubernatores, sed quia animadvertebant, nos rationem aliquam habere potestatis secularis, dissimulabant; interdum nos benigne commonentes, ut caute et considerate in conversionem Christianorum procederemus.

*monentur a Nostris,*

*et Proceribus*

8 Hæc prima fuit hujus procellæ occasio. Alteram non inferiorem præbuit Jacuinus Regis medicus, insignis Epicureus, et omnium divinarum humanarumque legum hostis capitalis, ac imprimis earum quæ acrius pugnant cum carne et sensibus. Dæmon itaque hoc homine tamquam instrumento in hac nova persecutione, uti et toto superiore decennio, usus est; qui nullam passus est elabi occasionem hactenus, nostris omnibusque

*a Jacuino medico,*

*homine perverso,*

AUCTORE LUD. FROES.

A omnibusque Christianis extremam perniciem machinandi. Perversam ejus voluntatem auget Regis favor, apud quem admodum est gratiosus; deinde facultates amplæ, quæ continenter novis et splendidis muneribus cumulantur. Aluit hoc odium amor sectæ, quam, licet ficte, profitetur. Fuit enim e numero Bonziorum. Unde et magnam opum suarum partem constituit expendere in reparando quodam loco, olim a Nobunanga devastato, dicto c Figenoiama, qui Meaco abest sedecim passuum millibus et magnum quondam templorum Bonziorumque numerum continebat. Dum igitur laborat in novis ædificiis dæmoni excitandis, et simul reformidat, ne propagati Evangelii luce aliquando sectarum Japonicarum tenebræ discutiantur; fit ut acerbum illud odium, in nos semel conceptum, altius semper pectori infigat. Dum igitur ex una parte Patres Franciscani pergunt palam, ut diximus, Evangelium annuntiare; et ex altera multi etiam a nostris Baptismi sacramento initiantur, ac generatim totus populus in sanctam fidem nostram propendere intelligitur; Jacuinus, stimulatus ab eo qui omnibus nostris invidet bonis, non potuit amplius venenum, quo cor ejus rodebatur, supprimere, sed arrepta occasione tanto studio quæsita, Christianorum nomen apud Regem detulit, non sine magno B fidei detrimento.

*Regi grato,*

*c hoste fidei,*

*apud eum accusatur,*

9 Tertia caussa novæ persecutionis fuit, quam jam subjiciam. Anno superiore nonagesimo sexto in regno d Tozza (insula e tribus Japoniæ maximis una est, e quo nondum lux Evangelii penetravit) appulit navis, quæ ex Philippinis tendebat in Hispaniam novam, vel Mexicum, destituta malo, temone aliisque necessariis instrumentis, ac demum tota præteritis tempestatibus conquassata, rimisque fatiscens. Vix navis advenerat, cum illico Dominus loci certiorem per litteras reddit Taicosamam, eamque illi offert mercibus opulentis refertam. Qui, ne tam opima præda unguibus suis eriperetur, confestim unum e primariis Aulæ suæ Præfectis f nomine, Gemonogium, amandavit, qui navem inspiceret, et cameræ Regiæ nomine omnes merces invaderet. Mos siquidem vetus Japonum est, ut Domino loci tantum cedant navium ligna. Abiit Gemonogius, omnibusque in Tozza quæ imperata erant perfectis, cum præda ad Taicosamam eo temporis puncto rediit, quo Jacuinus deterrima quæque in Christianum nomen erat meditus. Cumque Gemonogius, jam alter iniquitatis minister, novis suspicionibus et falsis in-C formationibus Christianorum caussam ob navis illius vectores gravaret; ac speciatim commemoraret, esse inter eos g Religiosos quosdam, qui, velut Principum Christianorum exploratores, Legis suæ divulgandæ caussa advenissent; factum est, ut Rex, jam sponte incitatus, iram omnem effuderit in Christi fideles.

*d*

*e navi Hispana in fucum redacta,*

*f*

*g novis calumniis gravantur Christiani:*

10 Verum Pater cœlestis, benignus omnium, qui ob nomen suum affliguntur, protector, prospiciens impendentis persecutionis initia, divina providentia sua, qua suaviter omnia disponit, constituit ut sub illud tempus Japoniæ Episcopus Meacum se conferret, ut præsentia sua solaretur illam Ecclesiam, et sacro Confirmationis sacramento adversus omnes hostiles incursus communiret. Ac profecto novum quoddam robur ac vivus fidei ardor in Christianorum pectoribus sensibiliter postea apparuit, ut ex historiæ decursu liquebit: talisque et tanta fuit Christianorum in dicto Sacramento suscipiendo religio; ut nec interdiu nec noctu bono illi Prælato quietem indulserint. Tanto numero ex variis longeque remotis partibus advolabant. Multumque operæ positum est, in cohibendo omnium ardore, ne vel minimus rumusculus ad aures Regis vel intimorum ejus perferretur. Atque hac de caussa coactus est Episcopus primo quoque tempore Aulam deserere. At non potuit dictus D ardor ita comprimi, quin suboleret medico: qui quoque apud Taicosamam non conticuit.

*ab Episcopo Confirmatione roborantur, Meaci et Ozacæ*

11 Atque hæc fuerunt tria primaria puncta, ex quibus præsens afflictio originem traxit, et ad octavum Decembris, ut sequenti capite dicemus, Meaci tandem in apertum erupit. Cujus rumor et fama Nangasachum delata non est, nisi ad diem ejusdem mensis vigesimum sextum, quo festum agitur D. Joannis. Primus autem nuntius allatus est per litteras quorumdam mercatorum Sacaianorum Gentilium, qui suos, quos vocant, Agentes in illo emporio commonefaciebant, ut navis Chinensis merces celeriter coemerent, quod admodum probabile esset, insequenti anno non redituram: Regem enim graviter commotum in Patres, et jam mandasse, ut omnibus nares auresque præciderentur, ac quotquot Meaci essent, e medio tollerentur; ceteri vero extra Meacum degentes Japonia excederent. Litteris autem his quia non aperte declarabatur, num nostris an Patribus Franciscanis (utrique enim Meaci degebant) Rex infestus esset; multos dies anxii et suspensi hæsimus, orationibusque et sanctis sacrificiis rem Deo commendavimus, usque ad decimum quartum diem Januarii anni nonagesimi septimi, quo a variis Christianis litteræ allatæ sunt, quibus significabatur Patres E Societatis decreto regio minime contineri. Sed nec sic animi nostrorum, qui Nangasachi degebant, acquieverunt; donec ab ipsis Patribus nostris Meacensibus litteræ afferrentur ad diem Januarii septimum decimum, ad deinde aliæ recentiores a quodam Fratre nostro in hanc rem data opera a P. h Organtino amandato, ut tanquam oculatus testis minute omnia, quæ accidissent, commemorare posset.

*Persecutio mota Meaci,*

*nuntiatur Nangasachum, cum auxesi.*

*dein vere, per expressum,*

*h*

a *Nempe postquam mitigatus paullum fuit Taicosamæ furor, qui ecclesias nostras in iis urbibus everti jusserat, uti antea diximus.* — b *Fuerunt hi*, Berardus de Carbio, Otto *Presbyter*, Petrus a S. Geminiano, Adjutus, Accursius; *quorum Acta dedimus* 16 *Januarii.* — c *De hoc Franciscus Sacchinus par.* 5 *hist. Societ. lib.* 7 *num.* 172. Excelsus mons proximus Meaco Fiyenoyama est, multiplici sinu modicas in se novem valles complectens. Arx illa Japonicarum religionum, atque princeps disciplinarum gymnasium habebatur. Ter mille Bonziorum domicilia vetustis temporibus dorsa ac juga montis et vallis sinus impleverant. Et quamquam aliquantum frequentiæ jam bella detraxerant, tamen amplis vectigalibus instructi Bonzii, auctoritateque; et sagacitate armati, Meaco ipsi terrori erant. Intra fines eorum neque fœminam penetrare, neque invehi carnem aut piscem licebat; cum tamen a Bonziorum neque animis neque corporibus ullum vitiorum abesset genus. *Hæc ille, qui deinde* lattarcarum illa bestiarum cubilia, *ut appellat, quæ excidendi caussa fuerit Nobunangæ, exequitur. Multa de hoc monte, Franc. Solerius lib.* 1 *cap.* 13 *qui* Frenoxamam et Frenoiamam *vocat, atque* 4 *leucis distare Meaco.* — d Xicoci *insulæ, de qua* § 1 *num.* 1 *egimus, primarium regnum* Tozza *est, sive* Tosa, *quo nomine et tota insula quandoque appellatur, licet quatuor complectatur regna.* — e *Imo uno et viginti annis ante Rex Tozzæ, gener Francisci Regis Bungensis baptismum susceperat*, Paulus *in eo dictus, popularium tumultis regno pulsus; in quod deinde revocatus, ecclesiam in urbe regia, hospitiumque Patribus Societatis recipiendis, tum in ea, tum in aliis regni sui præcipuis urbibus construxerat, denique eos parat accersere, novo ideo mota seditione in Nanoticam arcem profugere est coactus. Narrat id Solerius lib.* 6 *cap.* 6 *num.* 43. *Diversus nunc ab illo Rex erat.* — f Maxita Yemondonus *appellatur a Solerio lib.* 11 *cap.* 18 *num.* 1.0 *quem certum aliquorum se fuisse* Gemfoin *affirmarit, sicut se primum adiissent, aut saltem antequam versus* Urandum *(quo in portu navis erat)* Maxita *abiret.* — g *Erant* 4 *Religiosi Ord. S. Augustini, unus Dominicanus, duo Minores Discalceati ex eodem Manilensi cœnobio, e quo priores in Japoniam antea venerant.* — h Organtinus, *cognomento* Soldus *aliis, aliis* Gneccus, *natione Brixiensis, an.* 1556, *ætatis suæ* 25, *in Societatem admissus, in Indiam an.* 1567 *mense Martio profectus, in Japoniam pervenit an.* 1570, *obiit Nangasaki an.* 1609. *Multa de eo commemorantur a Sacchino, et Alegambe in Bibliotheca.*

Fiyenoiama, *seu* Frenoxama *mons, sedes Bonziorum.*

F

*Paulus Rex Tozzæ Christianus,*

*P. Organtinus Brixiensis*

## CAPUT II.

### *Quo tempore, quoque modo initium datum fuerit persecutioni.*

Cum Episcopus ad septimum Decembris Ozaca discessisset, et jam sex milliaria navigando in flumine quodam confecisset, coactus est in ejus faucibus hærere, donec secundus ventus afflaret. Sed mora diuturna non fuit: nam postero die, qui sacer erat immaculatæ Conceptioni purissimæ Dei Matris, favente aura et mari, vela fecit versus Nangasachum. Ante

*Episcopus Ozaca discedit 7 Dec. 1596.*

A Ante hunc Episcopi discessum, P. Organtinus aliique de nostris Ozacam, ejus visendi, sanctaque benedictione fruendi caussa, profecti fuerant, et ideo Ozacæ remanserunt. Ubi altera Conceptionis eos convenit Paulus Ochinda, cognatus Ciunagondoni trium regnorum Domini, retulitque P. Organtino, se audivisse a quodam medico qui invisebat quemdam consanguineum suum ægrum, quidnam Jacuinus regius medicus paullo ante Ciunagondono narrasset : Christiani, aiebat ille, quemadmodum cognovi, atque ipsi Patres magna libertate et licentia hoc tempore utuntur in propaganda sua lege : quod certe intolerabile est, et in magnum præjudicium Japonicorum regnorum, quæ diis Chami et Fotochi consecrata sunt, cedit. Dum ergo omnem venor et capto occasionem eos Regi nostro deferendi, ut severe eos castigaret, heri omnino peropportuna se obtulit occasio, Regemque nulla mora interposita de tota re certiorem reddidi. Erat, fateor, tunc quidem multis implicitus negotiis, sic ut ad sermonem meum nonnihil cunctaretur, nec responsum daret : sed non dubitabo, secundo ei eumdem inculcare sermonem, et credo, pro meritis eos castigabit. Vere tibi confirmo me toto pectore ab ista Lege abhorrere.

*Jacuinus Regem in Christianos incitat;*

B Hoc colloquium fuit Jacuini, Paulo Ochindæ, ut dicebamus, a medico enarratum. Qui medicus postea subjecit, plurimum se dolere, Jacuinum talia in Christianos moliri; se enim inter illos permultos habere amicos.

13 Hac re cognita P. Organtinus illico misit Fratrem nostrum ad Josephum Augustini fratrem, tum Ozacæ agentem, rogatum, num regi quippiam dictum esset de nostris. Cumque responderet, nihil sibi constare ; Frater ei retulit quæ a Paulo Ochinda narrata erant P. Organtino. Et mox subjecit Dominus Josephus, fieri posse, ut hæc acciderint : se enim superioribus diebus audivisse ipsum Jacuinum dicentem : Dum perpenderet res fratris mei Augustini, vehementer dolere sibi, Ducem belli tanta virtute præditum, rebusque præclare gestis tam illustrem, quo tempore summis eum conveniebat a regia Majestate affici præmiis, *a* infelicissimos contra omnium expectationem habere successus : certo autem sibi constare, nullam aliam ejus rei caussam esse, quam quod per summam obstinationem nollet renuntiare Christo, plurisque faceret Evangelium, quam deos Japonios : quorum ultrice pœna factum sit, ut superiorum annorum omnium officia et beneficia jam a rege pro nihilo habeantur.

*dolet de Augustini constantia.*

C 14 Eodem die sub noctem Dominus Josephus e *b* propugnaculo reversus, venit ad ædes nostras : et dum, ut fit, colloquitur cum Patribus, ecce intervenit famulus Christianus Farimondoni Ozacensis Gubernatoris, indicatque Dominum suum mandasse cuidam e famulis, ut quæreret ædes Patrum, easque fida custodia muniret : paullo ante Regem sibi dixisse, se velle omnes e medio tollere. Ad hunc sermonem Josephus lacrymas tenere non potuit, vidensque alia consilia quærenda, cœpit cum dira obtestatione compellere nostros, ut ante adventum ministrorum Farimondoni domo excederent, et se in locum aliquem retrusum abderent, donec de voluntate Regis manifestius constaret. Domine, respondit P. Organtinus, desiderium nostrum et gloria nostra est, pro prædicatione doctrinæ Christi Salvatoris nostri qualemcumque contumeliam, imo mortem ipsam, sustinere, et ideo omni hora parati sumus ad mille mortes pro Domino, cui servimus, et pro salute Christianorum, quorum caussa ex tam remotis orbis partibus per tot discrimina rerum advenimus, fortiter perferendas. An ergo existimas latebrarum beneficio defugiendam nunc mortem, quam Dominus noster per tam sanctam tamque gloriosam occasionem nobis offert? mortem, inquam, quæ paullo ante, a nobis

*Jubentur ædes nostræ custodiri.*

*Princeps quidam nostros invitos in unum eorum Principum domos abducit.*

D tantopere desiderata, fugiebat? Verum cum Josephus una cum aliis Christianis vehementius pergerent urgere dicessum nostrum, adderentque, si ministri Farimondoni inveniant simul quatuor Patres, Regem, si id resciverit, non nostris modo, sed etiam omnibus Christianis graviter succensurum, eo quod hactenus existimarit in toto regno Meacensi unum tantum Patrem jam ætate confectum inveniri : deinde Patres facile de crimine contumaciæ posse sugillari, quod contra expressum edictum vixerint Ozacæ. His, inquam, rationibus nostri convicti, tandem cessere, et P. Organtinus cum P. Francisco Rodriguez in domum Augustini, Pater vero Petrus Moregion, cum P. Francisco Perez in domum *c* Sachendoni secessit. *c*

AUCTORE LUD. FROES.

15 Dum autem P. Organtinus in ædibus Augustini commoratur, advertit quemdam e pueris honorariis domus, esse consanguineum cujusdam musici, qui semper, uti gratissimus assisteret Regi. Hunc ergo amandavit ad musicum, ut totius negotii summam expiscaretur. Abiit puer, et ex consanguineo cognovit verissima esse omnia quæ dicerentur : qui addidit, sibi quoque paullo ante a Rege idem dictum; occasionem autem fuisse hujusmodi : Hodie, inquiebat musicus, Tozza rediit Gemonogius cum Ciosugamo Domino illius patriæ, et schedulam attulit mercium navis. Inter cetera autem Gemonogius Regi retulit, omnes illa navi advectos esse Christianos, et inter eos multos Religiosos : remque hoc magis debere esse suspectam, quo pauciores merces, et plura arma aliaque instrumenta bellica deferret. Videtur autem id dixisse, ut hoc prætextu plures merces sibi usurparet. Tum Taicosama ira et furore æstuans respondit, se jam dixisse, pessimi exempli rem esse, si Legi Christianæ publicandæ locus detur in Japonia : cumque prohibuerit omnem publicationem, tamen Fascegavam Patribus, qui e Philippinis advenerant, eo usque favisse, ut et Legem suam annuntiarint, et ecclesiam etiam contra edictum suum fabricarint. Aderat tum præsens unus e Fascegavæ filiis, Regis aulicus, nomine Ufioio, et ad purgandum Patrem suum dixit : Excellentia Vestra recte dicit. Et ideo Pater meus minime ignarus hæc displicitura Vestræ Excellentiæ sæpius eos monuit, ut a prædicatione abstinerent. Sed quia admonitioni non paruerunt, parens meus omnes eorum fautores annotavit.

*Falsa relatione de navi Manilana;* E

*furit Rex in PP. Franciscanos,*

F 16 Non solum, subjunxit Rex Philippini Patres Legem a me vetitam, sed alii quoque prædicarunt, et inter eos senex quidam (indicabat P. Organtinum) qui, ut mihi narratur, sub specie curandorum quorumdam morborum, in hac aula homines baptizat. Certum est, utrosque luituros pœnam suo sanguine : illos quoque Nangasachanos curabo agi in crucem. Aderat id temporis præsto Cicugendonus, qui cupidus mitigandi furorem regium, magno animo et humiliter dixit : Excellentia Vestra justas iræ caussas habet, fateor, tamen hac vice etiam atque etiam rogo, ut benignitatem et clementiam suam erga Patres demonstrare velit, et vita eos donare. Quando tibi ita videtur, respondit Taicosama, tollam e medio tantum quinque vel decem, reliquos, post præcisas nares et aures, ubi in carris per urbem tractis omnium ludibrio expositi fuerint, in suas regiones, unde venerunt, amandabo. Deinde conversus ad Ufioium dixit : Hac nocte simul atque in horizonte apparuerit Luna, celerrime contende Meacum, et mandata mea exequere. Hæc sunt quæ musicus supra nominatus nostro puero honorario retulerat.

*et nostros;*

*statuitque aliquos occidere.*

17 Ceterum, ut rectius intelligatur institutum Regis, sciendum est, nostros, in partibus maxime Meacensium,

*Falsa de iis suspicio Jacuini.*

A Meacensium, præcipuam operam collocasse in convertendis hominibus genere nobilibus : iis enim ad Deum conversis, facile convertuntur reliqui. Quod animadvertens Jacuinus, credidit nos hoc quasi strategemate uti ad occupandam potius Japoniam, quam ad salutem animarum procurandam, et idcirco ex Europa in Japoniam venisse. Nam, ut supra insinuavimus, immortalitatem animæ, inter alia falsa dogmata, habet loco somnii, impieque et absurde credit, perinde hominum ac brutorum animas cum vita extingui. Hac eadem suspicione nixus, quam auxerat jam olim, antequam exulare juberemur, singulare studium Justi Ucondoni in excitanda ad fidem nobilitate, idem inculcarat in aures Regis : qui tamen tunc declaravit se nihili hanc accusationem facere. Ut autem pervenit in regnum *d* Scimo adversus Regem Sassumanum, et animadvertit multos Dominos cum asseclis suis factos Christianos, eosdemque magna inter se concordia devinctos, et Patribus vehementer addictos; cœpit memoria repetere ea, quibus Jacuinus ejus aures quondam oppleverat; et intelligere (quod tamen falso augurabatur) propagationem fidei incolumitati Imperii obfuturam. Atque hæc est vera caussa aversionis, quam jam declarat,

*inculcata Regi.*

d

*et credita, ut vidit caritatem Christianorum inter se, quæ atheus :*

B non autem vel Legis Christianæ odium, vel zelus erga idola : notum enim in vulgus est, quam parvi faciat Cami et Fotochi, uti idiomate Japonico appellantur. Nihil quoque dubitat, alteram vitam, esse rem mere commentitiam, ac proinde leges eo spectantes non esse nisi hominum decreta, ad gubernationem regnorum excogitata, ut terrore suppliciorum alterius vitæ, mortales, tamquam fræno injecto, a sceleribus arceantur.

*cur tamen cum nostris dissimularit ?*

18 Verum enimvero Taicosama tandem se colligens, et perpendens, nostra in Japone commoratione, salva permansura Lusitanorum commercia; intelligens quoque, quam ingenue et sincere remoto omni ambitionis opumve congerendarum studio, res suas agerent; ac denique legatione P. Visitatoris ab Indiæ Orientalis Prorege superioribus annis ad se, tunc Quabacundonum, instituta, permotus, nonnihil suam in nos indignationem temperavit, eoque amplius nobiscum dissimulavit quo cognovit nos minus in publicum prodire, minoreque libertate Evangelium prædicare, atque ita rationem aliquam sui Edicti habere. Postea autem videns paullatim et alios Religiosos ex Philippinis, nomine specioso Legatorum advolare, et sic in Japonia ad disseminan-

C dam Legem a se vetitam permanere; ac præterea certior factus a Japoniis negotiationes suas in Manila exercentibus, Hispanos hoc seculo nova regna sibi subjecisse; pristinam suspicionem renovare cœpit de Patribus, quasi istinc venissent, ut tandem totam Japoniam in suam redigerent potestatem.

*P. Organtinus statuit Meacum redire ad martyrium*

19 Jam, ut redeamus, unde discessimus, cum puer honorarius P. Organtino sententiam Regis narrasset, multis Christianis, qui præsto erant, visum fuit, Patribus quærendas latebras, et Taicosamæ ministris, si veniant, respondendum, eos Nangasachum cum Episcopo profectos. Sed P. Organtinus clare exponens suam sententiam : Quod, inquit, ad alios Patres attinet, sequantur consilium, quod placuerit; ego quid affectæ huic meæ ætati conveniat probe novi. Viginti et amplius annos Christianitatem harum partium Meacensium utcumque foveo et sustento, et nunc, cum tempus est in publicum prodeundi, viliter conjiciam me in latebram? cum summa incubuit necessitas, me meosque derelinquam? Absit a me : sic enim nec divino honori, nec vinculo quo Societati sum obstrictus, unquam satisfecero. Quocirca Deo propitio cras summo diluculo me do in viam Meacum versus, ut in crucem agar, vel

certe ut naribus auribusque mutiler, aut certe, ut D mecum, tamquam cum evangelii prædicatore, id agatur, quod iis collibitum fuerit. Hæc audiens P. Rodriguez, certum sibi fixumque esse subjecit, se comitari Patrem, et eamdem periculi aleam subire.

*valedicit uxori Augustini.*

20 Mirati sunt circumstantes tantam virtutem, religiosorum pectorum propriam, et propositum collandarunt. Atque ita uterque Patrum ingressus est conclave quoddam, in quo cum multis nobilibus mulieribus agebat Domina Justa conjunx Augustini, ante annos complures a P. Organtino salutaribus aquis tincta. Quæ ut intellexit Patrem venire caussa extremum precandi vale, et ad mortem Meacum properandi, sic repente indoluit, ut ne verbulum quidem, voce lacrymis et singultu interclusa, effari potuerit. At Pater contra tendere nullum hic esse justo dolori locum, et, uti conveniebat, oratione caritatis plena eam cum sociis in omnes futuros eventus animare instituit. Vidisses hic bonos illos Christianos, alios ex vehementi amore in Patrem tam antiquum, vestes ejus contrectare alios, vultu mœrorem, quo eorum pectus oppressum erat, exprimere; alios dolorem intimis animi sensibus inclusum crebro gemitu prodere. Nec deerant, qui animosiores reliquis se comites Patri offerrent, et, ut apparebat, ex E corde dicebant : Eamus et nos, et moriamur cum illo. Rebus omnibus in hac domo peractis, Pater rediit ad domum nostram, et confestim curavit advocari duos alios Patres, qui erant in ædibus Sachendoni : quibus cum paucis verbis exposuisset, quid intellexisset, quidque apud animum suum constituisset, utrumque magna amoris significatione complexus, postera luce, hoc est nono Decemb. iter Meacense cum P. Rodriguez, comitante Fratre nostro Paulo Amacusa, aliisque Christianis, ingressus est. Fidelibus, qui Ozacæ degunt, hoc consilium partim magnum conciliavit mœrorem, dum vident se destitui Patre sine spe ulla amplius eum videndi, partim etiam attulit gaudium, dum sibi persuadent Dominum nostrum hac via aditum sibi patefacturum ad illustriorem coronam, qualem solet generosis suis militibus pro sua divina voluntate impartiri.

*et aliis mœrentibus;*

*ac nostris.*

*Disponitur de nostra supellectile, Ozacæ:*

21 Ceteri duo Patres cum Fratre Paulo Michi, aliique nonnulli Christiani, qui remanserant Ozacæ, confessione generali se ad idem compararunt, simulque rationem modumque præscripserunt, quemadmodum Ecclesiæ ornamenta supellexque domestica in tuto esse possint. Dum hæc agitantur, ecce novus nuntius affertur, iram furoremque Regis in solos F Patres Franciscanos conversum. Sub noctem vero eodem die præterea cognovimus Farimondi ministros venisse quidem ad dictorum Patrum ædes, sed unum tantum invenisse, nomine Martinum de Ascensione, qui hoc ipso anno e Philippinis advenerat. Annotarunt igitur hujus Martini nomen, et alterius cujusdam Christiani, qui inserviebat sacris Missæ, ac præterea duorum puerorum : relicta autem ibidem custodia, venere ad nostrum diversorium, quibus obviam processit Christianus quidam, nomine Andreas Ongasavara, cum aliis quibusdam, affirmans ædes illas esse suas; etiamsi certa quædam earum cubicula adsignasset P. Joanni Rodriguez, suæ Excellentiæ Interpreti, in quibus commoratus fuisset Episcopus, cum per Ozacam iter haberet : nunc autem non esse ibi nisi tres, nempe Fratrem illum Paulum Michi, alium qui inserviret Missæ, et tertium qui rem domesticam curaret. Duos reliquos Patres, qui inibi erant, non nominavit, licet ante ministrorum adventum obnixe rogassent Andream ejusque socios, ut liceret ipsis comparere, tamque fortunatam cum reliquis aleam periclitari : Si enim, inquiebant, constitutum est apud Taicosamam vita nos exuere, frustra cogitamus de latebris. Adjungebant,

*apponitur custodia Domui PP. Franciscanorum.*

*nostra, trium nominibus descriptis,*

A Adjungebant, in hunc finem se relictos a P. Organtino. Verum dicti Christiani nullum his precibus dedere locum : unde et tribus tantum nominatis, dimisere ministros Gubernatoris, qui in digressu mandarant vicinis, ut illas ædes custodirent. *committitur vicinis.*

22 Noctu deinde ad domum nostram venit Sachendonus cum quodam Domino Christiano, aliisque duobus, qui binos adduxerant equos cum obfirmato animo per vim abducendi utrumque Patrem, et deportandi Sacaium, novem passuum millibus Ozaca dissitum, donec furor deferbuisset. Cumque in re tam gravi non satis suis famulis confiderent, ipsi in comitatu Patrum esse decreverant. Hic vehementer resistere nostri, et allegare, perferre ignominiam pro Christo, non esse aliud, quam sempiternam venari gloriam : se non alia de caussa patrio excessisse solo, quam ut in simili caussa occumberent. Ad hæc, si Regi certum foret, nos debere in ejus manus venire, nullum humanæ arti superesse effugium : quocirca domo illa exire, non fore aliud, quam in discrimen capitis conjicere, non modo qui eos recepissent, sed etiam qui in procuranda fuga operam suam collocassent. *alii 2 PP.* *inviti,*

23 Hoc responso sic commoti sunt supradicti Domini, ut Divini honoris zelo accensi, promiserint se nulla re a fide, quam suæ divinæ Majestati deberent, et ab officiis Christiani hominis præstandis, recessuros : nequaquam tamen se permissuros, ut Patres ibi manerent, quandoquidem tota persecutio videretur conversa in Patres Franciscanos : nec mora nostrorum in domo illa ad aliud valeret, quam ad augendam Regis indignationem in omnes Patres, omnesque totius Japoniæ Christianos. Quare neque rectæ rationi consentaneum esse, propter particulare bonum paucorum, in apertum periculum conjicere omnes. Denique rationibus adjungentes preces, coegerunt Patres in suam descendere sententiam, sed ea conditione, ut quando certo constaret Taicosamam caussa Evangelii Patres e medio tollere, ipsi quoque, ubicumque locorum essent, prodire in publicum possent et morti se offerre. Itaque exemplo B. Pauli, qui in re non dissimili Damasci permisit se a Fratribus in sporta demitti per muros; tandem domo egressi, equos ascenderunt, comitantibus illis Dominis, qui iter illud pedites, vestibus, quæ pallii loco sunt Japoniis, breviariisque in humeros rejectis, ingredi voluere Sacaium usque : unde post dies aliquot Ozacam reverterunt. *B* *a 2 Proceribus Christianis* *noctu abducuntur Sacaium*

C

*a Postquam plurimas maximasque reportarat de hostibus victorias, et legatos ultro a Sinis de pace mitti (quod vehementer optabat Taicosama) procurarat Augustinus Eucunocamindonus; quod nescio quæ propugnacula everti ii Legati postulassent, et ipsos Tyrannus indigne ejecit, et Augustinum primum e regia exturbavit, deinde jussit in Coraianum regnum reverti; ubi tamen multa adhuc præclare gessit, magis reputans quid Christianum Ducem deceret, quam quid ingratus Imperator mereretur. — b Ampla et valida arx erat, intra quam palatium Taicosamæ, de quo ante egimus, sed hoc anno 1596. 4 Septemb. horribili terræmotu convulsum ac destructum erat, supellectilis ac thesaurorum cum jactura, quæ trecentis æstimaretur auri millionibus. —* c Paulus Sachendonus, *aliis* Sacondonus, *filius primogenitus erat* Gemfoini. *De utroque iterum infra, et de Paulo quidem hoc ipso capite. — d Eam expeditionem suscepit Taicosama an. 1586 rei maritimæ Augustino, Justo Ucundono omnibus terrestribus copiis præfecto. Hic* Scimus *dici videtur, quæ passim* Ximus, *novem regnorum insula.*

*Augustinus Eucunocamindonus.* NOT. 45.

## CAPUT III.

### *De iis, quæ hoc tempore tam Meaci, quam Fuscimi acciderunt.*

P. Organtinus simul atque ex puero honoratio Farimondoni cognovit mandatum Domini ipsius, Christianum quemdam dedita opera amandavit Meacum, ut duos Fratres nostros in illa Residentia degentes redderet certiores : cumque postero die, qui erat nonus Decembris, sub meridiem illuc pervenisset, per acerbum hunc nuntium eis attulit. Verum illi pro jucundissimo exceperunt, seque mutuo animantes, in omnes futuros casus se communierunt, atque idem Justo Ucundono aliisque quibusdam Christianis significarunt; qui illico ad ædes nostras advolarunt, ut una cum Fratribus tam honorificam mortem præstolarentur. Ac brevi temporis spatio horum numerus accrevit. Nam quam primum rumor inter Christianos percrebuit, mutuis exhortationibus accensi magna celeritate ad nos accurrere. *Meaci, Nostri se invicem et alios animant ad mortem :* D *AUCTORE LUD. FROES.*

25 Interea quidam e nostris Fratribus, spiritu caritatis in proximum, cujus damnum plus eum premebat quam proprium, impulsus, prospiciensque in hujusmodi casibus multa arcana prodi per scripta, et ideo posse multorum Nobilium baptizatorum nomina patefieri, si ministri justitiæ in domo litteras aliquas reperissent, curavit diligenter omnes, quotquot inveniri poterant, ad nostros ab externis scriptas, quæri et comburi. Paullo post nostri cognoverunt Gibonoscium unum ex aulæ Gubernatoribus et administratorem Meaci, dicti Inferioris, ubi nostra est Residentia, custodes misisse ad obsidendam domum Patrum Franciscanorum, qui etiam in Meaco inferiore habitabant. *litteras externorum comburunt.* *PP. Minorum domus custoditur.*

26 Dum hæc aguntur Meaci, eodem die, qui fuit nonus Decembris, appellit P. Organtinus, cumque tribus milliaribus tantum distaret Meaco, ex Christianorum consilio præmittit Paulum Amacusam exploraturum, quo loco res essent. Paulus colloquio habito cum diversis Christianis redit ad Patrem, eodem loco ubi eum dereliquerat expectantem; commemorat, quid intellexerit, nempe iram Regis omnem potius in Franciscanos Patres quam in nostros directam : itaque consultum fore, ut Reverentia sua inibi nonnihil cunctetur, donec magis liqueat rei exitus. *P. Organtinus 3 leucis a Meaco subsistit :* E

27 Atque hic rursum Christiani renovare cœperunt et preces et rationes, ut Pater ibi hæreret, non modo ob caussam allatam, sed quia considerare deberet, quantum ipsi ejus opera in tali adversitate indigerent : atque ita varia media et opportunitates proponebant, quibus delitescere posset. At bonus Pater, qui nihil minus quam vitæ desiderio ardebat, omnes rejecit, dicens : Vel hæc nova tragœdia procuditur in caput nostrum, vel non. Si non, quid me potest absterrere, quo minus in apertum prodeam? Si vero in nos cuditur, si nos ad necem designat, an decet ut me abdam, ut velut mercenarius fugiam? Longe sane id abest a meo desiderio, quod non est aliud, quam ex pastoris Evangelici officio animam meam pro ovibus Christi ad gloriam Dei ponere. Deinde, si Rex omnino me quærit ad necem, quæ potest tam retrusa esse caverna in tota Japonia, in qua non a rabie Taicosamæ inveniar? Non ignoro hæc consilia vestra proficisci ex singulari caritatis affectu, quo in me flagratis; sed ideo satis mihi est, gratias magnas agere pro optima in me voluntate. Adjunxit et alias rationes, quibus probabat, jam advenisse tempus, quo conveniret ad Dei gloriam, Legis nostræ sanctissimæ honorem, et Reipub. Christianæ salutem, Patres tandem vexillum Christi expromere, et pro prædicatoribus doctrinæ de cœlo in terram allatæ se palam ostentare : nec debere se ab hoc instituto aut vano ullo metu aut angustia retardari, cum hoc desiderium divinæ Majestati sit acceptissimum. Atque hac ratione P. Organtinus dictorum Christianorum animis exemit omnem cogitationem redimendi vitam suam, si forte daretur occasio : quoniam id non esset aliud, quam defugere martyrium, quod Dominus Deus noster pro summo beneficio illi offerret. Id nihilominus inter eos convenit, non debere ipsum prius prodire in publicum, aut aliud quippiam palam moliri, quam de Regis voluntate certo et explorate constaret : atque hac moderatione Christiani fuere contenti. *suadentibus ut lateat, generose respondet,* F *nec vult se redimi.* *tantisper tamen ibi moraturum spondet.*

28 Eodem

A

*AUCTORE LUD. FROES.*

*Ufioius nomina Christianorum describit:*

28 Eodem die Meacum advenit Ufioius a Rege missus, ut nomina eorum Christianorum, qui patribus Franciscanis faverent, annotaret: nullaque mora interposita inquisitionem instituit, et omnium Christianorum, quotquot Meaci erant, nomina descripsit. Quorum primus fuit Justus Ucundonus, qui nunc ibi sedem suam habet. Hoc perfecto, animadvertens ædibus dictorum Patrum adhibitos custodes a Gibonoscio, et non nostris, adiit ipse Gibonoscium, eique dixit: Si custodes attributi sunt illis Patribus, ideo quod divulgent Legem suam; attribuantur et Patribus, Societatis, quia ejusdem culpæ rei sunt. Atque ut facilius id homini persuaderet, nomina quorumdam principum virorum edidit, qui a nostris essent baptizati: affirmavitque nostros in prædicandi baptizandique officio longe esse diligentiores, quam Patres Philippinos. Duabus autem de caussis Ufioius hanc rem ursit; prima erat, ut si in nostris aliqua culpa hæreret, minor appareret culpa (si modo culpa ulla erat) Patrum Franciscanorum: altera erat, quia cum pater ejus, protector eorum esset, videbat in magnum suum dedecus cessurum, si illi ob noxam aliquam castigarentur, quæ nullo modo in nostris castigata esset. Obtulit insuper illi omnium Christianorum catalogum, postulavitque ut omnibus custodes attribuerentur, ne Rex suæ incuriæ adscriberet, si forte quis odoratus scriptorum nominum caussam fuga elaberetur.

*vult nostræ domui custodes apponi:*

B

29 Divina certe providentia factum est, ut Ufioius prius nomina Christianorum in album referret, quam Gibonoscium certiorem redderet; nam, cum ipse esset Meacensis Gubernator, ægre tulit, Ufioium, se non commonito, implicare se suæ gubernationi, eoque amplius, quod ipso esset inferior: itaque homini vehementer succensuit, utpote quia res attingebat jurisdictionem. Itaque omnibus modis ejus acta rescindere conatus est, ac pro imperio illi respondit: Nescis prorsus, quid loquare; multo autem minus intelligis voluntatem Regis: nec enim Regi in mentem venit, omnes Christianos trucidare; hoc enim esset ingentem hominum multitudinem e medio tollere. An tu certo cognoscere potes, qui sint Christiani, necne? tam multi enim hoc tempore occulte sunt Christiani, ut nec ego sciam, num tu sis Christianus, nec tu scias, num ego sim: itaque vide ne rem tam absurdam prosequare. Neque hic quievit Gibonoscius; sed longius progressus subjecit: Et cur, quæso, in catalogum tuum retulisti nomen hujus? Justi scilicet, qui erat primus omnium. Num res nova est, illum esse Christianum? an latet nos, nondum decennium elapsum, cum Rex ipse Facatæ illi mandari jussit, ut ejuraret Baptismum, et quoniam non paruit, voluit illi vitam adimere, nisi propter officia varia Regi olim præstita vitam impetrasset, atque ideo tantum status ejus in fiscum redactus est? Præterea, nonne constat, Regem sæpius eum, in signum benevolentiæ, admisisse in suum conspectum? Quid ergo novi adferes Regi, si nunties Justum esse Christianum? Certe nunquam rem hanc tolerabo, nunquam subscribam tali consilio. Ædibus Patrum custodes adsignare non convenit, quia sunt ædes *a* Interpretis suæ Excellentiæ, nunc agentis Nangasachi. Fateor, respondit Ufioius, ædes esse illius Interpretis; sed semper in iisdem degunt alii Patres, qui divulgant suam Legem: atque ideo illis idem fieri debet, quod Franciscanorum ædibus. Verum non defuerunt Gibonoscio multa, quæ in favorem nostrum contra objectaret, et ideo finem dicendi faciens, clare ei indicavit, quandoquidem Taicosama sibi gubernationem urbis Meacensis et justitiæ hujus executionem commisisset, abiret vias suas. Scio enim, inquit, et probe intelligo, quid facto opus sit. His verbis auditis, nullo responso dato, Ufioius totus confusus et pudefactus domum abiit.

*objurgatur a Gubernatore*

*quod tot Christianorum nomina descripserit,*

*etiam Ucondoni, Regi sat noti.*

C

*a custodiri domum nostram*

*cur nolit Gubernator*

D

30 Insequenti die, qui fuit decimus Decembris, Gibonoscius, accuratius et animo minus obstinato expendens rem totam, existimavit custodes quoque attribuendos domui nostræ, non tam pro justitia quam pro cæremonia: licet enim præterito die de ea re arguisset Ufioium, declarando Regis mentem: tamen ne suspectus videri posset in caussa nostra, putavit ita faciendum. Eam ob rem quemdam nepotem sui Vicarii misit ad domum nostram, rogatum, quis in ea domo habitaret, et cujus curæ subjecta esset? Adventanti prodit obviam unus: Ego hic cum alio quodam (is erat Frater noster curam domus gerens) habito, quem quæris? Voca, respondit ille, socium tuum: volo enim illi loqui. Venit Frater; et hilari vultu, ut solet; illum salutavit. Tum juvenis, Dominus, inquit, Vicarius, ex mandato Gibonoscii, jussit custodes huic domui apponi. Verum quia vultum hominis fidi præ te fers, qui me non sis fraudaturus, non videtur mihi opus externis custodibus: tantum mandabo vicinis, ut ejus curam habeant. Descripto autem Fratris nostri sociique nomine, digressus, imperavit vicinis, ut hanc domum custodirent.

*jubet id dein fieri,*

*per vicinos, descriptis duorum nominibus:*

E

31 Morabantur in ea quinque de nostris; sed, Deo ita volente, unus tantum ex iis in scriptum relatus est. Nam quidam diverterat in ædes vicinas: ubi, dum cum quibusdam Nobilibus Christianis ardenter disputat de martyrio, eosque, dissolutis eorum in hoc argumento quæstionibus, ad tam illustre certamen fortiores reddit, Deo omnium rerum provisore ita disponente, in catalogum militum Christi relatus non est. Alii item tres, tunc fortuito aliis distenti negotiis, corona martyrii exclusi sunt. At ubi didicerunt, duos ante nominatos in album relatos, non parum indoluere, quod tanta felicitate excidissent: ac unus quidem sancta quadam invidia stimulatus, pro omnibus a P. Organtino postulavit, num expediret sponte adire Gubernatorem, et nomen suum prodere. Et respondit Pater, patienter expectarent: caussam enim, qua Rex moveretur ad hanc executionem, adhuc esse incertam et dubiam. Si autem res verteretur in confessione fidei faciendа, non ipsos modo, sed unumquemque certatim ad bravium coronæ in stadio decursurum. At si ratione navis Tozzanæ hæc tragœdia excitata foret, maturiore consideratione opus futurum: cui responso dicti Fratres acquieverunt.

*omissi volunt sua nomina deferre;*

*sed id illis dissuadetur*

32 Vicini, ut mandato Vicarii facerent satis, custodes domui nostræ adhibuere. Verum sicut languide illa custodia erat imperata, ita servata est languidius: nam cum interdiu unum alterumve tantum, noctu vero paullo plures gladio et hasta armatos excubitores adhiberent, placidissime tamen cum nostris egerunt.

*domus languide custoditur:*

33 Rex hoc ipso die cum ageret *b* Fuscimi, eique præsto esset Gibonoscius et Gemonogius, ambo Meacenses Gubernatores (superioris partis alter, alter inferioris) Fascegava quoque cum filio Ufioio, aliique permulti; cœpit invehi in utrumque Gubernatorem ob nimiam licentiam in annuntianda Lege Christiana, baptizandisque multis hominibus, contra edictum suum, a Patribus Philippinis et nostris usurpatam. Ipsi vero, ut se purgarent, et exemplo vindicarent se contra Fascegavam et Ufioium, qui Regi inculcarant a nostris magnam hominum turbam sacris aquis expiatam, responderunt, id verum quidem esse de Patribus Franciscanis, sed non de Patribus Societatis: se, quoniam libertas tanta eis videretur insolita, dictos Franciscanos commonefecisse, licet frustra: eos respondisse per Fascegavam facultatem prædicandi a sua Excellentia se impetrasse: itaque cum ille patrocinium illorum suscepisset, sibi quoque visum

*b Gubernatores a Rege objurgati,*

*PP. Minores et eorum fautores culpant,*

A visum fuisse hoc probabile, atque ita totum onus in Fascegavam transtulisse. Quod autem ad Patres Societatis attinet, aiebant, se certo scire, nihil eos contra suæ Excellentiæ edictum molitos. Studiose quidem sæpenumero se in illos inquisivisse, sed nihil admodum deprehendisse. In hujus rei testimonium (licet esset falsum, tantumque purgandi caussa prolatum) Gibonoscius produxit epistolam a c Tarazavandono Gubernatore Nangasachano missam, in qua scribebat Patres Societatis in illis partibus in propaganda sua fide esse admodum parcos et quietos. Qua epistola audita, ostendit se nihil habere contra Patres in iis regionibus degentes, credebatque P. Organtinum esse, qui, ut Fascegava et Ufioius affirmabant, contra legem suam deliquisset, et Tarazavondonus idem in dicta epistola innuebat his verbis : Quod ad me, inquit, attinet, omnem operam impendo, ne Evangelii cursus suum habeat processum. Vos autem cura ista vacui cursum illius non inhibetis. Verum Gubernatores, hoc postremum dictum, quod erat contra ipsos, non probarunt : probarunt autem, quod faciebat pro ipsis : atque ita nos culpa omni liberando, omnem culpam (impie vocantes culpam, studium sanctum disseminandi divinum Evangelium) in humeros Patrum Franciscanorum rejecere, B tum sui, ut dicebamus, tuendi, Fascegavamque et Ufioium accusandi caussa, tum quia in accusationem dictorum Patrum conjurarant, ut e Japonia pellerentur.

*nostros excusant,*

*c*

*etiam litteris Nangasacani Gubernatoris,*

34 Caussa autem hanc epistolam scribendi Tarazavondono hæc fuit : Superiori anno, cum versaretur in aula, et intelligeret Patres Franciscanos libere prædicare et baptizare, visum erat ei ea de re commonefaciendum Regem, maxime, quod jam quidam parati essent ad eos accusandos; quæ res non poterat non in damnum quoque nostrum cedere. Et ideo ex amore, quo nos prosequitur, conatus est periculum nobis impendens avertere : et primum admonuit ipsos Patres, viderent, quid agerent; deinde videns se nihil effecisse, dictam epistolam dedit ad Gibonoscium, ut data occasione is eam legeret Regi. Et ideo ea oblata Regi quoque nunc prælegit.

*obsistentis PP. Minoribus,*

*ut nostris consuleret.*

35 Deinde undecimo Decembris, hoc est, die sequenti, Rex, cum distineretur in spectandis sui palatii ædificiis, advocavit Gibonoscium, eique mandavit, ut morte multaret omnes Patres : qui respondit se prompte imperata facturum, et sic recessit.

*Jubet Rex Patres omnes occidi.*

36 Tunc Japonio cuidam, qui præsto aderat, in C mentem venit, aviam quamdam suam Christianam, nomine Mariam, hujus rei reddere certiorem; veritus, ne illa etiam e medio tolleretur : Gentiles enim nullum discrimen faciunt inter Patres et Christianos, sed quemque Christianum appellant Patrem. Atque ita Fuscimo, ubi ipse erat, Meacum, ubi illa degebat, trium millium intervallo disjunctum, hanc exaravit epistolam. Hodie, dum ædificia sua spectaret Rex, magno furore imperavit, ut Patres omnes, nullo excepto, interimerentur. Miseret me tui, quæ Christiana es, et idcirco volui tibi id hac epistola patefacere. Mulier fortis hoc nuntio nihil turbata est, sed hilari vultu Deo gratias egit, animoque invicto se ad tam illustrem coronam comparavit : ac vestes etiam quasdam, una cum filiola adoptiva decenni, nomine Gratia (cui, ceu pia mater, omnia bona optabat) seposuit, quibus decenter indui posset, si quando agenda esset in crucem. Et certe illa non modo ea in re animi sui robur demonstravit, sed etiam studiose procuravit, ut desiderio effectus responderet. Nam Christianis quibusdam ibi præsentibus dixit hæc verba : Ego sum parata mori pro sancta nostra fide : verum quia fœmina sum (quæ a natura timidior est) haud scio, num animum sim, aspectu nudæ crucis, abjectura : quare vos obnixe obtestor, ne lapsum talem in me toleretis, sed etiam renitentem D vi pertrahatis ad carnifices, ut cum reliquis Martyr hac vita excedam.

*Christiani omnes appellantur Patres.*

*Pia mulier ideo sibi ad martyrium vestes parat.*

*AUCTORE LUD. FROES.*

37 Eadem Maria deinde periculum factura, num desiderium filiolæ Gratiæ, quæ optabat eamdem subire aleam, esset solidum, et non puerilis potius ardor, dixit ei, se velle ipsam amandare ad suum Patrem (qui tunc in alia quadam urbe degebat) ut extra omne periculum esset. Illa autem uberrime cœpit lacrymari, dicens : Quid hoc est? nonne ego sum baptizata? Certe si Christiani omnes moriuntur, egone velim vivere? Ex quo responso Maria non solum cognovit Gratiæ constantiam, sed summam quoque percepit consolationem. Ac certe cum paullo post a suo Patre revocaretur, numquam a Maria divelli potuit. Tantum cœlestis gratia efficit in animo etiam tenero, quando semel illum occupavit.

*explorant filiolæ constantiam.*

38 Forte aderat Paulus Amacusa, cum hæ litteræ traderentur : iisque acceptis adiit alium quemdam Fratrem nostrum, hunc, ut diximus, colloquium instituentem de martyrio cum quibusdam Nobilibus, eique, remotis arbitris, in aurem dixit, quæ nova Fuscimo allata essent, ea Nobilibus illis patefaceret, si putaret eos nos conturbandos; sin secus, taceret. E Tum ille : Mihi hæc cura incumbat : nam ita sensim rem instillabo illis, ut timori nullus sit futurus locus; nec restinguam ardorem sponte ardentium, sed potius adaugebo. Paulus vero abiens revertit ad Patres, qui in alia quadam domo versabantur, eisque eadem nuntiavit. Quo facto, amplexus Patres Fratresque, non sine omnium lacrymis, abiit ad ædes nostras, quibus excubitores erant attributi : nec aliud ibi expectabatur, quam ut lictores advolarent, et omnes ad necem raperentur.

*Nostri mortem expectant*

39 Interea P. Organtinus de omnibus certiorem reddendum putavit P. Vice-Provincialem, cui scripsit in hunc modum : Epistola, quam ad R. V. nunc transmittimus, magnum et generale gaudium, tum pro ipsa, tum pro Reverendissimo Episcopo, tum pro omnibus Societatis hominibus denuntiat. Heri sub noctem Fuscimo venerunt litteræ ad Mariam de Civan, a quodam ejus nepote scriptæ, in quibus habebatur, illo ipso die Gibonoscio a Rege mandatum, ut omnes Patres interficeret. Paulus Amacusa insolita quadam lætitia exultans hoc nuntio cognito ingressus ædes nostras dixit : Tandem, Patres et Fratres carissimi, tempus illuxit profundendi sanguinem pro illo Domino, qui amore nostri profudit suum. Quo audito, magna consolatione cœpimus in- F terioris hominis præparationi attendere. Quoad exteriorem vero, exemimus ex arcis certas tunicas, pallia et lineas vestes cum stolis, ut cum hoc habitu in theatrum, velut germani Societatis filii et veri Christi servi, ac Divinæ Legis prædicatores prodiremus. Tantaque omnes incessit lætitia a Domino communicata, ut verbis eam nequeam exprimere. Ac sane agnoscimus hunc unum esse effectum gratiæ, quam continuis orationibus et sacrificiis, quæ P. N. Generalis et R. V. hoc tempore in Divinæ Majestatis gloriam pro hac provincia fieri curavit, impetravimus. Multo autem major ad hoc gaudium nostrum facta est accessio, dum animadvertimus, omnes hos quoque Christianos, tam parvos quam magnos, paratos ad nos imitandos, et ponendam vitam pro illo, qui sua posita redemit omnes. Id modo verebamur (quod alii quidam dictitabant) ne apud Deum indigni palma tam gloriosa haberemur. Omnes autem excelluit vetus ille athleta Christi Justus Ucondonus. Aderant quoque ibi alii generosi Equites, ut filii d Genofoin, qui est unus e quatuor Aulæ Præfectis; et minimus filius, nomine Constantinus, huncusque a nobis non discessit. Alii præterea, et inter eos multi Nobiles; continenter ad nos mittunt epistolas

*Lrh,*

*et ad eam se parant :*

*d*

*uti et Ucondonus ac alii Nobiles*

A epistolas et nuntios, promittentes se promptos ad succurrendum nobis, uti Patribus et Magistris suis, quando opus erit. Magnam hujus fervoris in istis neophytis partem attribuimus sancto Sacramento Chrismatis, quo paucis ante diebus a Reverendissimo Episcopo sunt consignati. Non possum hic silentio prætermittere petitionem Jacobi et Joannis, qui opellam suam præstant nobis inserviendo sacris. Hi enim quia firmiter decreverunt idem nobiscum vitæ discrimen adire, petiverunt a me in Societatem nostram prius admitti. Quibus respondi, si contingeret eos mecum occumbere, sortem eorum fore felicissimam: si non, mecum R. V. de illorum desiderio acturum. Hæc est summa epistolæ P. Organtini.

*auctore eod. Froes.*

*ab Episcopo confirmati.*

*Joannes et Jacobus petunt Societatem.*

40 In regno c Giamaco, quod unius diei intervallo abest Meaco, urbs f Nara, in his regionibus percelebris, ob sectas diabolicas, quæ in ea florent. Ad hujus urbis academiam, mandato P. Vice Provincialis, missus est e Fratribus nostris Vincentius, unus ex optimis concionatoribus et interpretibus hujus provinciæ, ut pleniorem ibi hauriret gentilitiorum errorum notitiam, ac deinde de omnibus Concionatores nostros accuratius informaret, atque ita facilius mendacii magistrum omnes redarguerent. Dum vero B in hoc studium incumbit, ecce affertur ad eum epistola, qua a Fratre nostro quodam certior fit, si cum ceteris Patribus velit esse particeps martyrii, primo quoque tempore advolet. Hoc nuntio cognito Vincentius, licet a natura pusilli et angusti animi, mox sese collegit, ac nulla mora interposita omnia sua ita componit, ut prima luce sequentis diei præsto esse posset.

*c*

*f*

*Vincentius Naræ studens,*

*spe martyrii.*

41 Hospes id videns, qui magno eum amore complectebatur, omnibus modis nititur ei persuadere, ne Meacum ante se conferat, quam exitum cognorit tragœdiæ: temeritatis quippe magnæ esse, se in fauces mortis immittere, quando facile declinari possunt. Frater gratias homini egit, pro singulari in se amoris affectu: eumque docuit, tantum abesse, ut mori pro Lege Christiana, quam annuntiaret, non modo non sibi ullum afferre fastidium, sed voluptatem animi tantam, ut beatum se reputaret, si pro ea sanguinem profundere possit: quoque notior esset sua professio, hoc majorem se meriturum ignominiam, si omnes alii de Societate cum palma martyrii hac vita excederent, ipse vero solus in vita superesset, et alicubi delitesceret. Atque ideo, si Rex prædicatores Evangelicos morte afficeret, se merito debere esse primum. De- C nique hospes, videns eum tam constantem in suo proposito, equum cum aliquot sociis, qui comitarentur, illi attribuit. Discessit itaque summo mane, cum animo tam confirmato pro Christo vitam profundendi, ut quotquot in itinere milites occurrerent, eos sui capiendi caussa existimaret emissos. Denique cum ad villam Meaco proximam pervenisset, post actas mille gratias, socios cum equo ad hospitem remisit: iter deinde suum persecutus, sub vesperam duodecimi Decembris attigit Meacum, cumque recta per medios excubitores tendere vellet ad domum nostram, ab amicis impeditus est, et quasi vi deductus in ædes, in quibus degebat P. Organtinus.

*frustra dissuadente hospite,*

*Meacum advolat.*

42 Hoc eodem die nuntiatum est Patribus Franciscanis, Regem in ipsos mortis dictasse sententiam: qui eo puncto temporis præclare demonstrarunt, quantos in sanctæ religionis schola progressus fecissent: neque enim solum non mœsto animo hunc funestum nuntium excepere, sed ingenti gaudio cum quibusdam aliis Christianis ad mortem se compararunt. Quod melius intelligetur ex parte una litterarum, quas Pater F. Petrus Baptista, Franciscanorum Commissarius, Meaco dedit ad P. F. Augustinum agentem Nangasachi. Circumdati sumus, inquit, intus et foris custodibus, et sententia mortis in Christianos nostros lata est: et ideo nomina eorum D annotata sunt. Primo die, quo custodes nobis attributi sunt, confessi sunt de peccatis; sic ut totam noctem Frater Franciscus et ego in audiendis confessionibus consumpserimus: nam ex primario quodam Christiano cognoveramus nos omnes postero die vita privandos. Ante ortam lucem dixi sacrum Missæ, et communionem Fratribus aliisque quinquaginta Christianis porrexi, arbitratus eam esse extremam: deinde omnes nos præparavimus, accepta in manus cruce, ad ponendam vitam pro Christo. Eo die ante prandium multi Japonii advenere, et per totam domum discurrere, et post eos quidam Gibonoscii Gubernatoris Meacensis Substitutus, educens secum Leonem, Paulum, Thomam, Venturam et Gabrielem, nostros prædicatores, eosque domi suæ detinuit. Ignoro, quis exitus rei sit futurus. Aiunt, quod vel trucidabit nos, vel remittet ad Philippinas. Sed nos, gratia divina adjuvante, paratiores sumus ad vitam deserendam pro Christo, quam ad repedandum in Philippinas, etsi ego tanto bono dignus non sim. Frater noster F. Martinus ejusdem est animi et spiritus. Sit Deus benedictus.

*Indicatur PP. Minoribus sententia in eos lata.*

*egregie ad mortem se parant.*

a Erat is P. Joannes Roderiguez, qui P. Valignani Legati interpres, a Taicosama inter alios retentus, proque interprete deinceps habitus, et jussus commorari Meaci. Taicosamam infirmum visit et ad cogitationem salutis excitavit; sed frustra, cum is in suis peccatis obduruisset: benigne tamen ab eo acceptus, donisque honoratus, et jussus filiolum suum Fideyori salutare. Verum, ut hic apparet, Nangasachi tunc erat, in ipso que XXVI Crucifixorum martyrio. — b In eo erat Taicosama restauratione superbi palatii aliorumque ædificiorum, quæ initio Septembris ejusdem anni terræmotu penitus prostrata erant. Hinc infra num. 30 dum ædificia sua spectaret, dicitur ivisse in Patres violentum. — c Visus quandoque Tarazava, sive Tarazavandonus, Gubernator Nangasacanus, favere nostris ac ceteris Christianis, ut plurimum tamen iis adversabatur, quibus in rebus poterat. Eumque ipsum ab ea gubernatione a Daifusama dejectus an. 1603 substituto Antonio Marayama viro prudente ac pio, cui et quatuor Assessores Christianos dedit. — d Erat hic unus e 4 Aulæ Præfectis, ac domus Sabucondoni, nepotis Nobunangæ, curam gerebat, nostris addictus; procuravitque ut P. Organtino Meaci commorari liceret. Visus et ipse aliquando in Catholicam religionem propendere, quam duo ejus filii, ut hic ac rursus infra dicitur, complexi erant. Aliquando simpliciter Foin appellatur. — e Alii Yamoto et Xamaco scribunt. — f De hac urbe pluribusque in ea idolorum templis ac Bonziorum domiciliis, fuse agit Solerius noster lib. 1 cap. 12 et 13. Distat ea urbs non longe Sacato, Euronotum versus. E

*Taruzavandonus Gubernator Nangasachensis*

*Genifoin Aulæ Præfectus.*

*Nara urbs.*

## CAPUT IV.

### *Quomodo Rex declaravit in sententia contra Patres lata, non comprehendi Patres Societatis.*

Dum nostri cum ceteris Christianis in singulas horas præstolantur ministros justitiæ, ipsamque mortem; Dominus noster arcano suo consilio immisit in F cor Gibonoscii efficax desiderium liberandi Societatis homines eorumque discipulos: et ideo sponte, a nemine nostrorum aliorumve impulsus, ad duodecimum Decembris diem Regi locutus est in hanc sententiam: Heri Excellentia V. mihi mandavit, ut de medio tollerem omnes Patres: nunc aveo cognoscere, quos nomine Patrum comprehendat, num illos quoque qui cum navi Lusitanorum advenere. Et, si placet, rationem quoque noxæ ab iis commissæ publicandam præscribat. Respondit Rex: Nescis tu, ab illis hominibus, qui cum nave Tozzana appulere, Hispaniæ subjugatum esse Mexicum et Philippinas? Jam, ut eadem via et ratione Japoniam in suam redigant ditionem, præmisere hos suos Religiosos, ad explorandas has regiones, et devinciendos sibi per prædicationem populos, deinde secuturi cum ingenti et valida classe, ut per ante subornatos sequaces Christianos aperto Marte omnia regna invadant. Decem jam anni exacti sunt, quod Legem illam prohibuerim; et illi de Societate meo edicto parent. Unde ergo hi novi homines prodeunt, et prædicare audent, quod nolo, et statum Japoniæ evertere et labefactare? Numquid hoc patiar? Respondit Gibonoscius,

*Gubernatore rogante,*

*declarat Rex edicto comprehendi solos PP. Minores*

A noscius, justas esse suæ Excellentiæ rationes, ac verum esse, quod de Societatis Patribus dixisset: addens præterea ex industria alia quædam, quæ facerent ad mitigandum Regis animum in Societatem. Quoniam igitur Taicosama tunc aperte demonstravit, se nulla re offensum a Societate, mox subjunxit: Quia Interpres noster (is est, ut diximus, P. Joannes Rodriguez) novo hoc nuntio fuerit commotus, ex nostra parte celeri navigio cures ei significari, ut cura omni solutus sit; et seni illi, qui Meaci degit, ut sit animo tranquillo et quieto. Ignovit quoque Patribus Nangasachanis, Episcopo, omnibusque iis, qui cum illo in ejus conspectum venerant.

*non nostros; jubetque id nostris significari.*

44. Hoc responso accepto Gibonoscius illico curavit advocari Christianum quemdam, nomine Jacobum, quem informatum de rebus a se apud Regem actis amandavit Meacum, cum mandato ut omnia exponeret P. Organtino; et suo Substituto imperaret, ne amplius ad domum nostram ullæ haberentur excubiæ: inde Jacobus Nangasachum abiisset, ad reddendum certiorem P. Joannem Rodriguez, et reliquos, de rebus a Rege ordinatis; sed cum deprecaretur Nangasachanam profectionem, subjunxit B Gibonoscius, ut rem commendaret alicui alteri sibi æquali: cum enim negotium sit a Rege commendatum, nihil esse cunctandum. Jacobus, ut Meacum tenuit, Gibonoscii mandata Patribus exposuit. Qui obstupefacti, mirari cœpere Divinam providentiam, qua nimirum perfectum sit, ut homo Ethnicus nostrorum patrocinium coram Rege susceperit. Ac mox custodia omnis ab ædibus nostris submota est. Pater autem Organtinus Jacobum cum litteris ad Gibonoscium remisit, quibus pro humanitate tanta immensas gratias egit, qui, ut gratas sibi fuisse indicaret, nuntiari iterum nobis mandavit, ut omni cura et metu vacui viveremus. Ceterum, cum Societatis homines exploratam haberent inconstantem Taicosamæ naturam, in omnem eventum se omnes comparabant.

*Gubernator id illis nuntiat;*

*qui ei gratias agunt.*

45 Posset hic aliquis a me sciscitari caussam, cur Rex comprehendere noluerit nos in hac sententia, cum tamen prædicemus Evangelium, et cum tot collegiis et residentiis trecenta millia animarum in Christi fide et vera pietate foveamus et alamus. Hujus quæstionis solutio etsi colligi queat ex supradicto colloquio Regis cum Gibonoscio instituto, tamen ut clarius intelligatur, addo principalem caussam fuisse Dei providentiam, qui suos thesauros distribuit, juxta profundum et impenetrabile suæ C sapientiæ judicium; cognoscensque quid conveniat ad salutem suorum electorum, pro benignitate paterna omnia dirigit ad majorem suam gloriam. Unde sua divina Majestas sciens seminatorem zizaniorum per occasiones supra allatas fideles perturbatione quadam affecisse, voluit omnipotenti manu sua hoc bonum inde elicere, ut bona voluntate laboribusque Patrum Franciscanorum remuneratis (nempe ut sex agentibus in Meacensi regno aditum daret ad palmam martyrii, atque ita eorum et quorumdam aliorum sanguine hæc nova Christi vinea irrigaretur; quinque vero reliquos permitteret regno pelli) ut, inquam, hoc consilio modicum discordiæ semen, quod poterat magnum adferre Ecclesiæ huic detrimentum, extingueretur. Magna quoque Dei provisio liquet in eo, quod sententia mortis in nos lata executioni mandata non sit: quia quantum conjicere licet ex promptitudine plerorumque omnium Christianorum pro fide occumbendi, deinde ex affectione eorumdem ad Patres Societatis, si Rex idem tentasset cum nostris, magna rerum omnium conversio ac tumultus inter Christianos extitisset.

*Caussæ mutationis Regis,*

*1 Dei providentia,*

*quibusdam palma donatis,*

*impedientis dissentiones:*

46. Si autem rem totam ad humanæ rationis calculos exigere volumus, aio tribus rebus Taicosamam revocatum fuisse a sententia in nos proferenda; D Primum est modus, quem nostri continenter tenuerunt, ut dictum est, ne illum irritarent, qui animum ejus eousque mitigavit, ut Domini quidam in suis statibus Residentias constitui voluerint, non secus atque si prorsus essemus cum Taicosama reconciliati. Alterum est adventus Episcopi ad visitandum illum, et responsum Proregis Indiæ Orientalis ab eo allatum: quo, quantum intelleximus, manus ejus omnino sunt ligatæ, sicut et ipse fassus est Gibonoscio, quando ei sententiam suam de supradicto Regis decreto exposuit. Tertium fuit commercium, quod habet cum Lusitanis, quo existimavit tanta commoda inferri Japoniæ, ut hac de caussa potestatem dederit nostris commorandi Nangasachi, et ecclesiam ædificandi. Advertebat autem facile hanc negotiationis societatem abruptum iri, si nostros omnes eodem condemnationis telo confodisset. Atque hæ sunt caussæ, quas Rex ipse ore suo commemoravit Gibonoscio, itaque et ad Tarazavandonum Nangasachanum Gubernatorem misit informationem: quamvis et aliam ex mandato Regis ad eumdem miserint Præfecti Aulæ.

*2 nostra modestia,*

*AUCTORE LUD. FROES*

*3 honor a Legato,*

*4 lucrum a Lusitanis*

47 Etsi negandum non est, plurimum opis in hanc rem contulisse industriam, qua P. Vice-Provincialis E utitur cum Dominis Aulæ, ad conservandam eorum in nos benevolentiam: nam, ut apparuit in Cicugendono et Gibonoscio, Dominus Deus illis tamquam instrumentis subinde utitur ad defensionem nostri.

*5 Proceres conciliati.*

## CAPUT V.

### *Quid acciderit Nangasachi, ejusque territorio, postquam Rex mentem suam declaravit.*

Cum Rex mentem suam in hoc negotio, modo jam dicto, aperuisset, misit ad Fazamburum Gentilem et substitutum Tarazavandoni fratris mandatum, ut Patres Franciscanos intra paucos dies Meaco abducendos *a* Nangoiam, ubi ille sedem suam habebat, inde porro duceret Nangasachum, in crucem agendos. Cum hoc mandato allatum est et decretum Præfectorum Aulæ, in quo Fazamburo animus Regis exponebatur, mandabaturque ne ullum Patrem prædicandi Evangelii caussa sineret Nangasacho proficisci Meacum; multo autem minus permitteret intra fines suæ gubernationis ejusmodi prædicationem instituti. Acceptis his litteris Fazamburus curavit vocari substitutum, P. Joannem Rodriguez et alios duos ejusdem regionis, omnibusque voluntatem Regiam F patefecit: mandavit quoque duobus Nangasachanis, ut severe prohiberent, ne ullus Japonius ecclesiam adiret; nulli item cœtus a Christianis vel aliæ res externæ instituerentur, quæ ab Ethnicis notari possint. P. Joanni deinde etiam atque etiam inculcavit, ne nostri prædicandi gratia varia loca obirent, nec rumoribus caussam darent: alioquin apud Regem tum nostros tum omnes Christianos periculum capitis fortunarumque omnium facile adituros. Denique commisit substituto, moneret tres Patres Franciscanos Nangasachi degentes, ut brevissimo quoque tempore, Collegio Societatis etiam omisso, reciperent se in navem Lusitanorum: sic enim expedire ipsis Patribus, Gubernatori et urbi; et si libentes volentes nollent parere, accerseret Capitaneum, si quis eos vellet recipere. Quod si vero aliquis fuga elaberetur, eum curaret inquirendum consignandumque Domino loci, in quo inveniretur.

*Fazamburus jubetur PP. Minores dedere morti, a*

*impedire conversiones:*

*vetat Japonios templa nostra adire.*

*suadet nostris moderationem*

*3 PP. Minores navi imponit, ut lateant.*

49 P. Joannes Nangoia reversus informavit P. Vice-Provincialem et ceteros de nostris; qui molestius, quam cogitari potest, hoc mandatum excepere. Fuit enim Vice-Provincialis coactus instructionem in omnes Japoniæ angulos transmittere, quemadmodum cum fidelibus agere debeant, revocareque

*nostri piis operibus Deum propitiant.*

*AUCTORE LUD. FROES.*

que illis in mentem, hoc esse tempus, quo in omnes futuros casus armati esse debeant; eoque applicarent magnum aliquem numerum sacrificiorum quotidianorum, jejuniorum et disciplinarum, ad impetrandum a Domino robur viriliter resistendi hostium conatibus.

50 Substitutus Fazamburi mandata de PP. Franciscanis est executus: simulque sub pœna vitæ cavit, ne ullus nauta eos reduceret in terram. Præterea Vice-Provincialis curavit agi cum Domino Amurensi et Omurano, ut viderent, qua provisione opus esset hoc tempore circa nostros in eorum ditione agentes. Responderunt dicti Domini, sibi videri, tempori nonnihil serviendum: expedire, ut pietas Christiana intra privatos parietes nonnihil delitescat, modo ne omittantur quæ necessaria sunt ad salutem Christianorum. Nec voluit Dominus Arimensis (in cujus statu extat seminarium) consentire in mutationem a P. Vice-Provinciali designatam, nempe, ut domus illa centum eoque amplius alumnorum transferretur Amacusam, locum longius remotum, et Novitiatus (qui triginta habens tirones intra sex menses erat dissolvendus) Amacusa transferretur ad ipsius statum. Neque ab hoc proposito, in tam præsenti periculo, potuit divelli. Tantopere autem semper complexus est illud seminarium, ut abiens Coraium, patruo suo, qui gubernationem status susceperat, commendarit, ut si novum aliquod edictum a Taicosama veniret, præ omnibus seminarii incolumitatem tueretur.

*Reges Arim. et Omur. censent serviendum tempori.*

*ille seminarium fovet.*

51 Augustinus agens in regno Coraiano, simul atque rumor de hac persecutione ibi increbuit, certum hominem ad Vice-Provincialem amandavit, qui ei operam omnem et studium suum offerret, et certiora ab eo cognosceret. Idem fecere Domini Nangasacho finitimi, tum Gentiles quam Christiani, mittentes data opera quosdam, qui P. Vice-Provincialem solarentur, eique omnia sua officia et auxilia offerrent.

*Proceres multi opem addicunt.*

a *Urbs est regni Figensis* Nangolo, *portu commodo, in Ximo.*

## CAPUT VI.

### *Quemadmodum secundo nomina Christianorum, qui cum Patribus Franciscanis, agebant, descripta sint.*

Gibonoscius, perspecta voluntate Regia, Substitutum suum Meaco evocavit, eique præcipit, ut in schedulam unam referret omnium Christianorum nomina, qui cum Patribus D. Francisci familiariter agerent. Is Meacum regressus, nomina eorum a Patribus exegit, et in scriptum relata sunt septuaginta capita supra centum, e quibus non erant, quos Gibonoscius volebat. Et quia Substituto illi videbatur numerus magnus, rursum curavit exigi tantum nomina eorum, qui cum ipsis Patribus agerent: unde ad Gibonoscium non est allatus catalogus nisi capitum quadraginta septem. Qui numerus cum iterum ei videretur æquo major, voluit ab iis ipsis, quorum nomina conscripta erant, inquiri; verumne esset, ipsos Patribus Franciscanis esse familiares, et si negarent, deleri eorum nomen; si faterentur, manu sua nomen proprium exararent.

*Describuntur familiares PP. Minorum:*

53 Minister quidam, cum nescio quo casu, utramque schedulam a Substituto nactus esset, cœpit nomine Gibonoscii promiscue a singulis petere, num essent Christiani: Christiani, existimantes se quæri ad martyrium, intrepide omnes responderunt, se esse, subscribendo more in Japonia usitato. Quæ non obscura fuit fidei eorum probatio: credebant enim, ne unum quidem ex iis, qui subscripsissent, necem evasurum. Denique Substitutus schedis receptis, ex omnibus selegit tantum duodecim.

*certatim Christiani dant nomina:*

*selecti 12.*

54 Nihil aliud in hoc negotio usque ad trigesimum Decembris actum est. Cujus rei caussa alia nulla fuit, quam quod Gibonoscius aliique in Aula confidebant se Regi persuasuros, ut Franciscani Patres nece exempti tantum exilio multarentur. Verum Jacuinus medicus id minime ferens, die jam nominata aditum quæsivit ad Regem, jam profectionem Ozacam parantem, eique persuasit rationibus multis, non Philippinorum modo Patrum, sed eorum quoque, qui illis familiariter adhæsissent, castigationem non esse longius prorogandam. Quare Rex iterum Gibonoscio commisit executionem latæ semel sententiæ. Qui suo Substituto præscripsit, ut quinque Patres Franciscanos cum XII discipulis domi suæ in vincula conjiceret, quo aliis Ozaco venientibus edicto regio fieret satis.

*Gubernator conatur omnes liberare:*

*impedit Jacuinus.*

55 Abiere ministri ad comprehendos jam dictos in domum Franciscanorum Patrum, et dum ordine singulos e duodecim annotatis evocant, abest forte unus, nomine Matthias, qui agebat dictorum Patrum obsonatorem. Cum non appareret, cœperunt ministri undique clamare: Ubi est Matthias? Prodeat Matthias. Proximus ostio Patrum habitabat quidam Christianus eodem nomine: qui audito nomine Matthiæ, extemplo se obtulit ministris, dicens: Ecce tibi Matthiam. Etsi non sim, quem quæritis, sum nihilominus Christianus, et horum Patrum amicus. Hoc satis est, responderunt ministri; nec enim opus est perdere oleum et operam in quærendo altero. Et sic eum socium abduxere. De quo cum sancta quadam invidia videtur dici posse: Cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim. Atque ille cum magna gratiarum actione tam felicem fortunam et conditionem suscepit. Alter vero Matthias amplius quæsitus non est.

*Matthias pro alio cognomini captus:*

56 Ultimo Decemb. Rex, ut Ozacam pervenit, jussit Patrem Franciscanum ejusque socios, ibi retentos, ut diximus, amandari Meacum. Nondum Ozacæ submoti erant ab ædibus nostris excubitores: nam cum Gubernator a Rege acriter reprehensus esset, ob nimiam libertatem Christianis concessam, non ausus fuerat sine ejus licentia submovere, etiamsi declarasset, non esse sibi propositum quidquam moliri in nostros. Qua de caussa Gubernator putavit Meacum quoque mittendum Fratrem Paulum Michi, cum Jacobo et Joanne, qui erant duo illi, quos supra diximus fuisse in album relatos. Non constat an Gubernator id fecerit, ne videretur a nobis pecunia corruptus, an certe impulsu magni amici sui Fascigavæ, qui volebat nostros eadem subire aleam.

*Ozacenses captivi mittuntur Meacum,*

*cum nostri, præter mentem Regis.*

57 Primo igitur die Januarii anni MDXCVII omnes jam nominati se in viam dedere versus Meacum: quo cum pervenissent, P. Organtinus certos homines submisit ad Gibonoscium, si qua via nostri liberari possent: existimabat enim hanc curam se illis debere, quod per errorem Ozacensis Gubernatoris contra voluntatem Regis in vincula conjecti essent. Respondit Gibonoscius, dolore se de infelici hoc casu, sed non videre medelam. Nam, inquit, si alloquar Regem, existimantem nullum de Societate fuisse Ozacæ, forte ira inflammatus iterum omnes jubebit agi in crucem.

*nititur eos liberare P. Organtinus,*

58 Quidam nihilominus Christiani, conscii contra voluntatem Regiam tres illos nostros rapi cum aliis ad necem, ministrum quemdam Ozacensis Gubernatoris conati sunt suapte sponte magna auri argentique largitione in suam sententiam trahere. Sed Dominus Deus, qui decreverat hoc beneficium præstare iis, quos pro sua occulta sapientia elegerat, non passus est, eorum diligentiam suum consequi effectum. Atque ita dictus minister, contra similium officialium morem, qui conspectu donorum facile molliuntur,

*et alii:*

*frustra.*

A liuntur, semper se declaravit inexorabilem et silice duriorem. P. Organtinus, ubi id cognovit, dictos Christianos reprehendit, ne assuefierent ad hanc rationem agendi : licet ex alia parte admiratus sit eorum studium et pietatem. Paulus quoque, hæc omnia intelligens, magnas Deo gratias egit, hunc conatuum nostrorum exitum fuisse, eoque ardentius cœpit se comparare ad martyrium. Et post dies aliquot iisdem Christianis scripsit, dolere se ob labores ab eis ad se liberandum impensos, idque in hæc verba : Hiccine amor est, quo me complectimini? Fierine potest, vos me hoc immenso Dei favore, de quo exultare et collaudare infinitam Dei bonitatem debebatis, velle privare?

*Paulus martyrii cupidus*

## CAPUT VII.

### *Quomodo omnibus aurem unam præciderint, et in carro per ludibrium circumduxerint.*

Altera Januarii, sub noctis crepusculum, epistola a Gibonoscio allata est ad Substitutum; qua mandabatur, ut postero die edictum Regis contra Franciscanos eorumque socios exequeretur : tribus vero B illis de Societate non se implicaret, relinquens eos in potestate ministri Gubernatoris Ozacensis, qui eos adduxerat. Paulus Frater optans reliquum vitæ tempus impendere in verbo Dei prædicando, quod jam multis annis fecerat, cœpit in carcere sermonem instituere cum custodibus et Gentilibus incarceratis, de sanctæ fidei mysteriis, ac singulari quodam sensu de Domini nostri Passione et martyrii excellentia. In his autem sanctis sermocinationibus totam consumebat noctem, omnibus auditoribus stupore attonitis ob zelum et efficacitatem dicentis : ac duo ex ipsis conversi, se baptismum suscepturos promiserunt.

*concionatur in carcere,*

*et quosdam convertit.*

60 Deinde sequenti die mane omnes, numero XXIV nominibus post terga revinctis pedites deducti sunt ad plateam quamdam Meaci superioris, ubi omnibus abscissa est particula ex aure sinistra. Quod Gibonoscius forte fieri procuravit (etsi Rex mandasset utramque aurem præscindi cum naso) quod nonnulla spe teneretur liberationis omnium. Cumque particulæ aurium, quæ erant nostris resectæ, a quodam Christiano (cui nomen erat Victoris, et Ozacano Gubernatori erat a secretis, ipsosque Ozaca digressos comitatus fuerat) cum a carnificibus in ter- C ram abjicerentur, sunt collectæ, et ad P. Organtinum allatæ. Quibus conspectis, et in manus sumptis, multas lacrymas, partim ex commiseratione, partim præ gaudio profudit, dicens : Ecce tibi primitias Societatis in Japone. Ecce laborum fructum. Ecce flores novæ hujus Ecclesiæ, quos Domino humiliter offero, adjunxit et alia, quæ præsentibus magnam vim lacrymarum excusserunt.

*Omnibus abscissæ particulæ sinistræ auris :*

*quæ nostris latæ ad P. Organtinum.*

61 Auribus resectis, jussere omnes reos, secundum priscum Japoniæ morem, ascendere carros, sic ut terni in singulis carris essent : nostri vero erant in postremo cincti militibus Gubernatoris Ozacensis. Spectantis populi numerus erat infinitus, non in viis modo, sed etiam in fenestris et tectis. *a* Præferebatur carris in oblonga pertica tabella, quæ continebat reorum crimen et sententiam, hac verborum forma : Quoniam hi homines ex Philippinis venere quasi Legati, et tamen remanserunt Meaci, ut legem Christianam divulgarent, quod ego superioribus annis illis severe prohibueram; mando, ut omnes una cum Japoniis, qui Christianæ Legi nomina dederunt, e medio tollantur. Itaque hi viginti quatuor crucifigentur Nangasachi. Et quoniam rursum dictam Legem in futurum tempus prohibeo; omnes hoc norint : et mando, ut fiat executio. Si quis autem edicto meo non paruerit, cum universa familia sua D multabitur. Anno primo Cheicii, ad decimum undecimæ Lunæ.

*circumducuntur in carris,*

*a prælata sententia.*



AUCTORE LUD. FROES.

62 Pater F. Petrus Baptista Commissarius, horum Christi militum fortissimus Dux, tum ad suos animandos, tum ad solandos Christianos, qui ad hoc spectaculum concurrerant, elata voce, nunc Hispanice, nunc Japonice, quantum poterat, adhibito quoque corporis gestu et motu, concionabatur. Frater autem Martinus et F. Franciscus magna cum modestia et humilitate, atque si coram Dei tribunali consisterent, procedebant, Divinæ misericordiæ se multa devotione commendantes. Illud vero spectatoribus partim lacrymas elicuit, partim magnam admirationem attulit, videre in hoc numero tres adolescentulos (qui Patribus Franciscanis in sacrificio Missæ inservierant, ac maximus quidem erat quatuordecim circiter annorum, minimus undecim) plenos gaudio, vultu angelico, manibus, ut diximus, a tergo colligatis, clara et hilari voce accinentes Dominicam orationem, et salutationem Angelicam, aliasque orationes. Ac minimus quidem, nomine Ludovicus, cum ad eum adhuc in carcere agentem Gentilis quidam primarius venisset, spopondissetque, se eum liberaturum, si vellet renuntiare bap- E tismo, audacter respondit : Imo tu etiam debes fieri Christianus, siquidem aliud medium non est ad salutem consequendam. Dum vero hi Dei servi in hunc modum per Meacum circumducuntur, nonnulli Christiani accensi desiderio eamdem cum illis ignominiam mortemque perferendi, rogabant milites, ut et ipsi conjici possent in carros; sed neutiquam assenserunt.

*zelus et pietas PP. Minorum,*

*et trium puerorum :*

*Ludovici constantia.*

*cupiunt et alii iis jungi.*

63 Tandem ad carcerem, unde excesserant, reducti sunt : cumque e carris desiliissent, Paulus adjungens se Patribus Franciscanis, eosque amplectens, magnas gratias egit, quod sub eorum umbra tantum beneficium a Divina misericordia consecuti essent. Qua ex re obstupefacti milites et aurigæ, inter se dictitabant : unde hoc genus hominum talia agentium? Ubi terrarum possent inveniri, qui perinde ac isti exultent in probris et contumeliis?

*Paulus PP. Minoribus gratias agit :*

64 Postera luce ex mandato Regis hæc prænobilis cohors imposita jumentis, traducta est Ozacam, ibique per vias ignominiose ad spectaculum proposita : sic prorsus, ut Gentiles ipsi commiseratione moti tenere lacrymas non possent, sed inter se admurmurantes dicerent : O rem ab omni ratione alie- F nam! O injustitiam magnam! Ozaca denique delati sunt Sacai, ubi quoque contumeliose per urbem sunt devecti. Postea rumor percrebuit Meaci, P. Organtinum etiam cum Sociis a Rege ad cædem designatos : qui rumor tantos motus inter Christianos, flagrantes desiderio nobiscum occumbendi, excitavit, ut Gibonoscius metu impendentis tumultus coactus fuerit certum hominem amandare, qui singulos Christianos Meaci degentes suo nomine certiores redderet, Regio edicto non comprehendi nisi Franciscanos, eorumque familiares, et nullos præterea alios. Quo nuntio Christiani conquieverunt.

*Ozacæ circumducuntur, et Sacaii.*

a *Quidam Gentiles in præcipuis urbis viis, per quas erant transituri, arenæ multum sparserunt: quod non nisi in triumphali Imperatoris ingressu fieri solet, numquam in cujusquam supplicio, etiam maximi Principis. Lictores quoque, ritu in triumphalibus pompis usitato, turbam summovebant. Ita Euseb.*

## CAPUT VIII.

### *De fervore Christianorum, hoc tempore in Ozacana urbe degentium.*

Antequam agam de profectione nostrorum incarceratorum versus Nangasachum, operæ pretium mihi facturus videor, si indicem, quis fructus, Deo auctore,

*AUCTORE LUD. FROES.*

*Victor vult nostris jungi,*

A auctore, ex hac persecutione fuerit consecutus. Percensebo tantum quosdam peculiares : nam generales facile colligi possunt ex supradictis. Prætermisso autem Paulo Sachendono cum aliis quibusdam Dominis, quorum ante mentionem fecimus, venio ad Victorem Gubernatoris Ozacani Secretarium. Hic homo bonus, ut cognovit paucos quosdam de nostris ad cædem descriptos, non solum ipse se adjungere voluit nostris, sed etiam laboravit, ut uxor cum filiis in eamdem societatem adsciscerentur : et idcirco ex ædibus suis, longius disjunctis, immigravit in alias nostris vicinas ; cumque illi quidam dicerent, satis esse, si solus ipse se in discrimen vitæ conjiciat, respondit, nec conjugi nec liberis ullum majus bonum contingere posse, quam si hujus vitæ usuram pro Christo contemnant. Imo cum Pater quidam noster auctor illi esse conaretur, ut superstes in vita remaneret, propter alios tirones et teneriores, quos in fide Christiana confortare posset, sic animo turbatus est, ac si magna injuria ab eo affectus esset.

*sequitur Meacum :*

Breviter, tantum zelum et ardorem declaravit erga nostros hoc rerum statu, ut inde ab initio ad ædes nostras venerit, et in iis diu noctuque continenter quasi manserit, donec Meacum abiit, comes Fratris
B nostri Pauli Michi, ubi illi præsto fuit in carcere, et extra illum.

a

66 De *a* Andrea Ongasavara jam dictum est, quanta promptitudine confessus fuerit se nostri hospitii esse dominum, conjiciens se suamque familiam in certum vitæ fortunarumque discrimen, si ministri justitiæ duos Patres in domo ejus deprehendissent. Cum nuntius adferretur, una cum nostris quosdam Japonios mortem oppetituros, admodum exultavit, arbitratus horam adesse, qua suo desiderio faceret satis. Ortaque inter ipsum et Victorem jam nominatum contentione sancta, uter eorum inter paucos illos esse deberet, probavit rationibus quibusdam, sibi jure felicem hanc sortem deberi.

*Andreas Ongasavara martyrii cupidus,*

67 Nec minus jucundum fuit, quod illi accidit cum suo patre : unde colligi facile potest familiæ illius mira pietas et religio. Habitabat hic Dei servus cum dicto patre fere octogenario, homine naturæ candidæ, et multis donis prædito, qui, uti recenter divinis aquis ablutus, nondum habebat magnam Christianarum legum cognitionem. Quamobrem Andreas constituit illi dextre patefacere rumores, qui per Ozacam ferebantur, ut ipse quoque in omnem eventum paratus esset ; atque in hæc
C verba eum est allocutus : Pater mi, tu nescis adhuc, quid sit martyrium. Ego autem tibi exponam. Inter omnia dona et beneficia spiritualia, quæ Dominus noster impertit suis cultoribus, palmam obtinet nomen martyrii; hoc est, si quis nullis probris nullisque cruciatibus, sed nec morte ipsa, a Christianæ doctrinæ professione deduci queat. Qui ergo ad hunc tam sublimem aspirant gradum, merito comparare se debent, ut amore Jesu Christi incensi, magna patientiæ significatione comparati sint ad tolerandos omnes insultus, damnum omne, omnemque jacturam. Ad hæc verba senex expallescens : O puerilis homo, inquit, tune ista mihi audes occinere ? An ergo patiar me tam leviter mactari ab hominibus sceleratis ? Numquid, cum videro violentam inferri manum Patri spirituali, manus cingulo implicitas tenebo? Nonne hæc foret insignis vecordia ? Ferebat bonus senex ex usu patrio semper pugionem, sed hoc sermone adjunxit et gladium, atque ita instructus et ira inflammatus cœpit sursum deorsumque ambulare, et in hæc verba erumpere : Veniant, veniant perversi illi homines, et contrucident Patres; ego tuebor eos his armis, donec et ensem et brachium mihi confringant : et tunc si vitam mihi ademerint, Martyr post generosam pugnam esse me-

*at pater octogenarius prius vult nostros ferro defendere,*

ruero. Deinde, cum paullulum consedisset, iterum D
erigens se in pedes, nunc ensem stringebat, nunc brachia nudabat, nunc in utrumque latus se agitabat, aliosque gestus hominum ad conflictum se parantium edebat.

68 Andreas animadvertens bonum senem parum esse suæ doctrinæ capacem, alias consilii sui rationes inivit, nempe ut in alias ædes eum transferret, ne contingeret aliquid ab eo fieri Christianæ patientiæ non satis consentaneum : ac denique cum debita reverentia ei dixit : Non ignoras, mi Pater, familiam nostram in Japonia esse notissimam propter officium, quod gerit in institutione morum rituumque aulicorum. Atque ideo, quia ego certo decrevi vitam pro Christo profundere, rogo te, ut cum minimo meo filiolo recipere te velis in locum magis securum, ut neque disciplina nostra, neque progenies forte extinguatur. At senex gravius hac oratione offensus institit : O hominem omnis judicii expertem ! Itane ? tune hæc mihi obtrudere audes consilia ? Numquid juveni prius moriendum, quam decrepito ? Qua fronte coram hominibus id tolerabo ? Quomodo vitam traducere potero cum tanta ignominia ? Tu, per me licet, servandæ familiæ ergo abdas te in angulum : ego non nisi post contritum E
hostium caput, Martyr esse decrevi. Hoc responsum magno mœrore affecit Andream; sed Deus tandem eum consolatus est : nam senex, animadvertens quanto studio nurus pro se et socru sua consueret vestes quasdam, quarum usus decentior esset, si quando agerentur in crucem : quamque alii in familia ardenter se occuparent in reparandis Rosariis et reliquiarum sacrarum thecis; sæpius quoque inaudiret voces illas iterari, Benedictus sit Dominus, qui ad hoc temporis punctum nos deduxit, tandem petiit, quid sibi vellet hic apparatus ? Et cum omnes respunderent, se hæc ornamenta parare pro sancto martyrio, subjunxit senex : Et mihi constitutum est vobiscum occumbere; abjectoque ense, arripuit Rosarium, pieque recitavit. Hæc fuit actionis istius catastrophe.

*neque ullo prætextu latere;*

*tandem se parat ad martyrium, ut ceteri.*

69 Omitto jam, brevitatis caussa, multos alios genere nobiles, qui ore et nuntiis sanctum animi sui propositum moriendi pro Christo, si quando in nos vel fideles omnes persecutio excitaretur, nobis aperuerunt : id tantum dico, eousque ardorem illum tum in viris tum in fœminis progressum, ut Societatis homines coacti fuerint obtestari illos, ut rem silentio premerent, donec opus esset, et rogarentur :
si enim secus fiat, verendum ne re cognita Rex majore ira effervescat, si videat tam multos genere nobiles Christianæ se aggregasse Ecclesiæ. Itaque non prius, quam a ministris Taicosamæ quæsiti essent, profiterentur libere se esse Christianos, et ad serviendum suæ Excellentiæ faciles et promptos in iis omnibus, quæ cum fide Christi et vero Dei cultu non pugnarent.

*Alii continendi fuere, ne Regem suo fervore irritarent.*

F

a *Anno* 1589 *cum* Constantinus *Rex Bungensis a fide defecisset, et* Joannum *honoratum senem Funaiensem die* 27 *Septemb. in odium religionis trucidari, ac deinde (cruce aut theca reliquiarum, quam gestare consueverat ad collum suspensa) affigi corpus Cruci jussisset;* Andreas Ongasavara *(de quo hic sermo) crucem illam aut thecam sustulit. Qua cognita Rex inquiri in auctorem mandat, morte mulctaturus ; sed deprehendi non potuit. Imo corpus ipsum Martyris biennio post Arimam transtulit ; ac demum Ozacam cum familia migravit.*

*Joram M*

## CAPUT IX.

### *Quid hoc tempore actum sit Meaci a singularibus quibusdam Dominis.*

Pater Organtinus simul atque Ozaca pervenit Meacum, misit Fratrem quemdam ad Justum, qui eum commonefaceret de edicto Regis. Quo ex nuntio tantam cepit voluptatem Justus, ut præ gaudio vix se

A se caperet, dum videret tandem oblatam occasionem una cum Patribus moriendi. Itaque confestim eques Fuscimum abiit, ut *a* Cicugendonum, a quo babuerat sustentationem, conveniret. Quo ut pervenit, in cubiculum secretum cum Domino illo digressus, mentem suam patefecit, eique obtulit duo vasa, *b* continentia liquorem dictum Cia, in Japonia nobilissimum (æstimabantur autem vasa illa quatuor vel quinque scutatorum millibus) ut pro suo arbitrio post mortem suam de iis ageret quod libuisset. Hoc sermone attonitus Cicugendonus, tandem dixit : Miror equidem tuam constantiam; sed scias me præsentem fuisse, quando Rex ira inflammatus fuit in Patres : omnis autem ejus indignatio ferebatur tantum in illos Philippinos, eorumque fautores : ex quibus si es, ægre poteris liberari, sed non sub nomine hominis Christiani. Forte, inquit Justus, Dominatio Vestra ita loquitur consolandi mei caussa. Ne dubita, respondit Cicugendonus; nam suo ore Rex diserte dixit se non velle procedere contra Patres Societatis. Ad hoc responsum conquievit Justus; rebusque confectis ab eodem Domino deductus est in primam aulam palatii, ubi in multorum præsentia idem repetivit, et circumstantibus plurimum Justi B virtutem, prudentiam et fortitudinem collaudavit.

*a Justus Ucondonus lætus morti se accingit,*

*b*

*ac Cicugendono Aulæ præfecto valedicit.*

71 Scriptum fuit anno proximo superiori, inter Aulæ Principes, duos filios Præfecti Genofoin, Regi carissimi, sacramento Baptismi initiatos fuisse : qui divina opitulante gratia ita corroborati sunt in fide, ut a Christianis pro columnis Christianæ religionis habeantur. Eorum maximus, nomine Paulus Sacandonus, vigesimum ætatis annum agens, voluntate Taicosamæ adiit statum Patris, ac praeterea a Rege obtinuit præcipuum propugnaculum regni *c* Tamba cum amplis redditibus. Cum ergo hic Paulus, in dicto propugnaculo agens, intellexisset a Rege Patres omnes in carcerem compactos (fama siquidem crescit eundo) Episcopum quoque ex itinere revocatum; famulos duos, cognoscendæ veritatis caussa, amandavit; alterum Ozacam, alterum vero Meacum, quod quinque leucis aberat, cui commisit, ut ibi hæreret, et quotidie se de omnibus rebus accurate certiorem redderet. Postea autem animo revolvens, quemadmodum remoto omni obstaculo ad coronam martyrii aspirare posset, consultum fore putavit sibi, cum octo famulis a fide et animi robore magis probatis, adeundum patrem Fuscimi degentem, dicendumque illi, se cogitare Ozocam visendi C soceri sui ergo, qui erat Dominus unius regni ; atque mihi, si de veritate famæ constaret, domum aliquam incolere, et totius tragœdiæ exitum expectare.

*Paulus Sacandonus, audito nostris moriendum,*

*c*

*statuit et se offerre.*

72 Deinde vero longius cogitando progressus, ac subvereri incipiens, se voto suo minime potiturum, si cum ordinario corporis cultu se martyrio offerat (licet enim se profiteatur nostrorum discipulum, nullum tamen ministrorum ausurum injicere in se manus) itaque constituit se radere, et habitum assumere Clerici, confisus famulos, quod omnes Christo nomen dedissent, exemplum suum secuturos. Quoniam vero unus eorum recenter, hoc est a viginti tantum diebus, salutari aqua perfusus erat, de cujus constantia nonnihil dubitari poterat, Paulus clanculum illi dixit, quandoquidem nondum satis ei exploratum esse posset, quid sit pro Christo mori, se potestatem illi facere domum revertendi. Respondit famulus : Quid ais, Domine? fateor, non multos abisse dies, quod ab Episcopo sim factus Christianus; sed per gratiam Dei satis intelligo, quanti facienda sit animæ salus. Quare si via martyrii omnium ad cœlum brevissima est, non pluris hanc vitam, quam pauxillum cineris, fecero. Sacandonus vehementer hoc responso gavisus, famulo illi donavit centum et triginta aureos scutatos ad inopis familiæ subsidium. Hinc in cubiculum secretum digressus, et ante sacram imaginem prostratus toto corde se Domino commendavit, divinam Majestatem interpellans, ut inter invictos ejus athletas annumerari posset. D

*et ad id habitum Clerici assumere :*

*neophyti famuli constantiam explorat, et muneratur :*

AUCTORE LUD. FROES.

73 Hoc ipso tempore litteras scripsit ad parentes suos et nutricem; quarum summa erat ; Quandoquidem Patres Societatis occidendi essent pro Christi Evangelio, se quoque, uti Christianum, constituisse eamdem subire fortunam. Et ne quis existimaret, ipsum temere et leviter morti se objecisse, has litteras dare voluisse, etiam atque etiam obtestantem eos, ut loco exequiarum, quas forte pro se instituturi essent, ipsi quoque ad Christi cœtum se adjungerent: et tunc ipsos vere hujus facti sui caussam intellecturos.

*indicat id parentibus, et ad fidem eos invitat.*

74 Ad hæc, ut confessionis quoque beneficio melius ad hoc certamen pararetur, occulte se contulit Meacum ubi Fratri nostro, a P. Organtino ad eum invisendi caussa misso, cum sermo de hoc argumento incidisset, dixit : In hanc usque horam nomine potius fui Christianus, quam re ipsa : sed spero me Divina adjuvante gratia in posterum serio emendaturum vitam meam, et quemadmodum convenit, rationes meas instituturum : quod si non fecero, rogo E vos, ut severe in me animadvertatis. Meaco recedens voluit unum e Societate (cum nondum constaret, an liberum nostris foret in illa urbe remanere) secum abducere, ut frequentatione sacramenti pœnitentiæ rectius in inchoata illa pie et Christiane vivendi consuetudine perseverare posset. Interea Ozaca reversus est famulus, eo missus, ex quo cum Paulus veritatem totius negotii didicisset, non minore mœrore, quam prius lætitia, affectus est, uti ipse litteris ad Vice-Provincialem aliosque nostros datis significavit. Atque hæc satis sint de Sacandono. Veniamus nunc ad fratrem ejus *d* Constantinum, et utriusque consanguineum Michaelem. *d*

*statuit magis pie vivere,*

*ac sæpius confiteri :*

*dolet dempta spe martyrii.*

75 Quo die Ozaca Meacum ad nostros nuntius delatus est, regio edicto omnes nostros addictos neci, Constantinus et Michael jam nominati, tendentes ad propugnaculum Tambanum, in nostrum simul hospitium diverterant : reque intellecta gratulabundi dixere : O quam opportune huc advenimus ! Operam certe hac vice omnem dabimus, ut, quantumvis tanto bono indigni, in numerum Martyrum accenseamur. Itaque deposito consilio pergendi Tambam, ubi erat Sacandonus, vel Fuscimum, ubi erat Genofoin, contulerunt se Meaci in abjectam quamdam domunculam ædibus nostris vicinam, præstolantes occasionem proposito suo satisfaciendi. Cum F vero in ea cum aliquot aliis Nobilibus delitescerent ; misit P. Organtinus unum e nostris ad illos in pio suo instituto confirmandos. Cujus exhortatione sic accensi sunt, ut conjectis in cœlum oculis immensas Deo gratias agerent, quod palmæ tam nobilis consequendæ occasio se obtulisset.

*Constantinus ejus frater martyrii spe Meacum venit.*

*animatur a nostris.*

76 Paullo post, ut solet fieri in ejusmodi rerum statu, alius rumor pervagari cœpit, nondum in Christianos sententiam latam : timeri autem ne ab æmulis nomen Genofoin hac occasione ad Regem deferatur, quod duos haberet filios Christiana sacra complexos. Quod audiens Constantinus, decrevit palam patri suo, cui nondum certo id innotuerat, patefacere se Christianum esse, simulque indicare sibi certum esse, una cum suo magistro P. Organtino occumbere morti pro Christo. Quare mane Fuscimum iter instituens, eo pervenit, cum Genofoin domo sua egressus tenderet ad palatium : ubi patri soli separatim breviter rem totam aperuit. Ille autem, quia summo juvenem amore complectebatur, totus ad hunc sermonem constitit attonitus, et in domum retracto dixit : Mihi certo non constitit te Christianum

*indicat patri se Christianum esse,*

*AUCTORE LUD. FROES.*

A Christianum esse. De P. Organtino potes nunc esse securus : ille enim non est in catalogo eorum, qui designati sunt ad cædem. Id vero tibi confirmo, si a prædicatione et baptismo suo non abstinet, haud longe a periculo abesse. Imo, ubi Rex mandarit omnes Christianos occidi, cogitare debes, me tibi non parciturum : satis enim multis, tum veteribus tum recentibus, abundamus exemplis parentum, qui edicto regio in proprios filios desævierunt. Ad quæ Constantinus : Hoc ipsum, inquit, est quod ego desidero. Quod enim tibi patefeci me esse Christianum, non eo feci, quo me neci eximeres, sed ut a te omnia damna futura averterem. Hoc responso audito Genofoin, subjecit, nonnihil expectaret, se postea longiorem ea de re sermonem habiturum. Ingressus ergo palatium, sedulo ex reliquis tribus Aulæ Præfectis expiscari conatus est, in quo rei totius cardo tunc verteretur : cumque nihil certo cognoscere posset, domum rediit, et conjugi suæ adhuc harum rerum ignaræ, separatim Constantini mentem detexit, et addidit; si Rex mactari omnes Christianos mandarit, se sua manu jugulaturum filium : itaque ipsa quoque omni muliebri trepidatione deposita animum virilem demonstraret. Vix verba hæc Genofoin B protulerat, cum ab amore paterno, victus cœpit amarissime lacrymari et conqueri de filio, appellans eum inhumanum et crudelem.

*et paratum morti ;*

*pater dolet, uti et mater,*

77 Interim Michael, qui Meaci manserat, tædio affectus moræ longioris Constantini sui consanguinei, ipse quoque contendit Fuscimum ad ædes Genofoin : ubi statim ab avia retractus est in secretum cubiculum, quæ ipsi conqueri cœpit de filio, quod sacris baptismi aquis se ablui permisisset : mariti quoque iras et minas commemoravit, et denique exposuit quanto in mœrore et dolore ob hanc rem ex materno affectu jaceret. Quæ vita mea erit, inquiebat illa, si carissimis meis destituar filiis, tantopere ab ingenuis moribus omnique civilitate laudatis ? Et si mea voluptas meumque solatium eousque ab illis pendet, ut noctu diuque mihi, velut venustissimi quidam flores, ob oculos obversentur, quid misella agam sine illis ? quis doloris aculeus transverberabit pectus meum, cum audiero paternis manibus amantissimorum liberorum profundi cruorem ? Heu me, quomodo hic spiritus vitam incolumitatemque tueri poterit in corpore ? Inter hæc verba, multum lacrymarum profundens imbrem, viribusque defecta, corruit in Michaelem, cui ex hoc spectaculo tam C miserabili non potuerunt non oboriri lacrymæ. Sed tamen mox se colligens, dixit aviæ : Sis æquo animo Domina, sententia regia non attinget tuum filium. Tum illa : Idem mihi meus maritus affirmavit, et ideo spe adhuc aliqua sustentor. Quibus verbis, ut Michael vidit eam aliquantum erectam, subjunxit : Etiamsi inter vivos esse desineret Constantinus; non esset tamen, mi Domina, justa tibi caussa tantopere dolendi : quia cum id fieret non ob crimen ullum admissum, sed tantum ob amorem Dei Creatoris, deberet tibi conciliare magnam voluptatem. Nimis certo verum est, respondit illa, et res extra controversiam omni laude digna, hunc adolescentem in ætate tam florida tanti facere vitam futuram, ut aspernetur præsentem : ubi ego jam cano capite ne rudimenta quidem salutis æternæ percepi. Verum, dic mihi, obsecro, cur ille peregrinæ potius doctrinæ et legi a Rege vetitæ adhærescere voluit, quam tot patrus religionibus, in Japonia receptis ? Quia, inquit, illa affert salutem, hæ præcipitant in ignes æternos. Denique ait avia, Æquo ero animo, modo ille in vita superstes sit : et roga eum, quæso, ut cum suo fratre contineat se Tambæ, donec hæc procella conquiescat. Ego interea apud Genofoin continenter adlaborabo, ut P. Organtinus Constantini magister immunis sit ab omni periculo. D

*quam immodice ob hoc lamentantem*

*consolatur Michael ejus nepos,*

*fide Christiana commendata*

78 His ita transactis, uterque, Constantinus et Michael, Meacum redierunt, ubi confessione P. Organtino facta, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum susceperunt : et cum aliquot dies ibi commorati essent, animadverterentque non eum esse negotii exitum, quem putabant, Tambam profecti sunt : unde ambo ad Vice-Provincialem scripserunt, se non parum dolere de hoc infelici rei exitu, eumque rogarunt, ut in precibus suis se apud Deum commendatos habere velit : ut suæ divinæ Majestati placeat alia opportunitate ipsos in album suorum gloriosorum militum adscribere.

*ambo confitentur et communicant :*

79 Alii duo Nobiles, qui eodem diversorio cum supra nominatis usi fuerant, et quatridui iter confecerant ad accipiendum sacrum Chrisma, dum itidem vident se suo desiderio vitam ponendi pro Christo fraudatos, ad suos revertere, relicta apud Meacenses cautione, ut si nova aliqua tempestas in Patres exsuscitetur, illico certiores reddantur, ut ejusdem felicitatis participes esse possint. Ac alter quidem horum, ut patriam attigit, mandavit domi suæ pro nostrorum afflictionibus orationem quadraginta horarum institui : cumque confluxissent omnes ejus loci fideles admodum multi, præclare et studium suum in Societatem et zelum boni communis declararunt. In hac trepidatione fortitudinem quoque suam demonstravit Joannes, XVI annorum adolescens, E Constantini cognatus; sicut et in Christianarum legum observatione, nulla re ei cedit. Is cognito Patrum nostrorum periculo, extemplo ad ædes nostras venit, ut in illustri hoc certamine se reliquis socium adjungeret.

*alii 2 Meacum veniunt martyrii spe*

*unus pro nostris preces 40 horarum indicit.*

*alterius fervor:*

80 Eodem tempore Meaci agebat quidam bonus Christianus, habens filium XVI annorum, nomine Thomam, tridui intervallo inde disjunctum. Huic pater scripsit, se constituisse vitam ponere pro Christi Lege : et idcirco se testamento (erat enim satis copiosus) ipsi relinquere certam pecuniarum summam, et alia quædam. Placuit juveni sanctum propositum patris, magnaque eum voluptate affecit : sed id non congruebat illi, hæredem conscribi in terra, posthabito cœlo : quocirca respondit : Si Gentiles secundum morem Japoniæ ingens dedecus reputant, filium, si ita occasio postulet, non occumbere cum patre; quo, inquam, prætextu deserere te potero in obitu, ex quo utrique pateat aditus ad hæreditatem cœlestem?

*item duorum patris ac filii.*

81 Potest quoque jam commemoratis adjungi Cangiurodonus, qui licet non multo tempore Christi doctrinam professus fuisset, tamen admirando quodam ardore declaravit se promptissimum ad moriendum pro illa. Deinde ejus conjunx et alii domestici ab Episcopo baptizati, qui se compararunt ad mortem, etiam in cruce subeundam. Præterea quidam Eques, qui similiter cum uxore et filiolis statuerat venire Meacum ad moriendum una cum nostris, vel certe ad comitandum eos, si exilio mulctarentur. Tum e Gratia Tangi Domina, quæ cum suo gynæceo parabat vestes necessarias ad mortem Crucis, et tam virili animo illam præstolabatur, quod quacumque hora certo ei innotuisset de Patrum Societatis interitu, etiam intempesta nocte nudis pedibus una cum sociis fœminis statuerit curriculo contendere ad supplicium. F

*alii se ad mortem generose parant ;*

*e præcipue Gratia Tangi Regina.*

82 Sed his prætermissis unum tantum litterarum Patris F. Francisci Blanci caput adjiciam, qui custodibus ad hospitium suum jam collocatis, in hæc verba Meaco ad quemdam amicum scripsit : Quotidie expectamus mortem amore Domini nostri subeundam, eaque ex re ingentem capimus consolationem ; maxime cum videamus Christianis tantum inesse animi, ut etiam carnificum moram moleste ferant.

Id

*alii Meacum idcirco advolant,*

A Id vero longe majorem nobis affert stuporem, quod et Fuscimo et ex montibus longe remotis accurrant, et dicant: Si Christiani, quia Christiani sunt, mortem oppetant propter Christum, se quoque in illam societatem adscribi debere, quandoquidem et ipsi Christiani sint. Nobis autem fas non est, cum illis sermonem illum habere. Pudet me mei, dum video homines in fide tam novitios non expavescere mortem. Huc usque ille.

*Pauci ex timore latent.*

63 Fateor, ejusdmodi desiderium moriendi non fuisse in omnibus: nec enim defuerunt quidam languidiores: nonnulli etiam in latebras se abdunt, sed tamen nullus deprehensus est, qui in hac tempestate, vel minimum signum apostasiæ dederit: nisi quod tres externa tantum fuga periculi impendentis declararint imbecillitatem suam, sed excusatione dignam, cum fuerint recentes plantulæ in media gentilitatis hyeme plantatæ. Sed redeamus ad captivos.

a *Erat is Rex Cangæ, unus e Præfectis Aulæ Taicosamæ.* — b *De iis lib. 12 histor. Indicum Maffeius.* Hæc utique certi generis, quod non nisi peritus ejusmodi rerum inspector intelligat, haud inferiori apud Japonios habentur loco, quandoquidem hæc opinione gentium constant, quam apud Europæos anuli gemmati, et baccata monilia. — c *Meaco versus ad Occidentem proximum est* Tambæ *regnum, cujus arci* Camaiamæ *præerat Paulus* Sacondonus, *cum reditu centum millium saccorum orizæ, omnemque movebat lapidem, ut totum regnum Christo adjungeret, uti an.* 1596 *scripsit Froes. Hunc tradit Solerius lib.* 14 *cap.* 2 *a patre*

*Pauli Sacondoni zelus, et mors.*

B *fidei caussa proscriptum, an.* 1602 *pie obiisse sumptis ante mortem Sacramentis, assistente nostræ Societatis Sacerdote: justa quoque ei a nostris (etsi corpus, jussu patris, traditum Bonziis erat) persoluta, Xingendoni fratris, itidem Christiani, rogatis, qui* 200 *aureorum stipem nostris donavit: hi in egenos erogarunt.* — d Constantinus Xiugendonus, *Sacondoni frater, Genofoini filius, sub exitum anni* 1594 *sacris aquis ablutus erat, cum ageret annum ætatis decimum quintum*, eleganti ingenio, suavissimisque moribus adolescens, *uti* 14 *Februarii anni sequentis in Europam scripsit P. Organtinus. Is deinde paternam dignitatem et possessiones adeptus, remissius primum colere pietatem cœpit, voluptatibus indulgere, ac nonnulla apostasiæ signa dare. Ruentem in exitium sistit Divina providentia. Apud Daifusamam accusatus ab famulo Gentili, quod Christianus esset, iracundia percitus jugulari accusatorem imperat. Mox facinoris hujusce pœnas metuens, per loca deserta, velut impos mentis, vagari cœpit. Imperator judicans, qui se ipsum regere non posset, minime alius regendis idoneum esse, facultates ejus omnes in fiscum redegit, tantillo ei relicto reditu, quantus ad stulti hominis sustentationem sat esset. Tum demum aperti ei oculi sunt. Denique agnoscens justitiam, Sacerdotem nostrum accersivit, apud eum peccata post baptismum admissa exposuit, et Christianam deinceps vitam vixit. Ita Solerius lib.* 16 *cap.* 17 *ad annum Chr.* 1609 *aut* 1610. — e *Mirabilis fuit mulieris hujus conversio, vita, mors, ut merito* Gratiæ *nomen sortita sit. Filia erat* Aquecii, *sive* Akecii, *Tangi Regis; nupta vero* Jacundono, *itidem Tangi Regi, quem alii* Jecundonum, Yetchudonum, Hicundonum *appellant. Conversa est quo tempore maritus cum Taicosama, ejusque copiarum ductore Urondono, sibi amicissimo, in Ximum profectus erat, an.* 1587. *Multa de ea memorant Froes, Solerius, Guzmanus.* Jacundoni *frater an.* 1594 *ad fidem conversus est. Ipse* Jacundonus *post* Gratiæ *mortem, tempore Daifusamæ Imp. et nostris amicus fuit, et non alienus a Christi religione.*

*Constantini ejus fratris conversio, lapsus, pœnitentia*

*Gratia Tangi Regina sanctissima*

## CAPUT X.

C *Qua ratione incarcerati Sacaio missi sint Nangasacum, et de molestiis in itinere toleratis.*

*Martyres mittuntur Nangasacum terra,*

Postquam hi servi Dei cum ignominia supra commemorata deducti in equis gregariis fuere per vias Ozacanæ et Sacaianæ civitatis, mandavit Taicosama eos terrestri itinere perduci Nangasacum, cum publicis litteris, ut de loco in locum attribuerentur illis satellites, aliaque necessaria ad iter Nangoiam usque, ubi Fazamburus eos in suam curam recipere debebat, et perducere Nangasacum. Ut autem Taicosama terrestre iter præferret marino, quod erat brevius, non alia caussa fuit, quam ut major terror injiceretur regnorum populis, per quæ erat transeundum (abest enim Meaco Nangasacum sexcentis passuum millibus terræ continentis) ut ne quis in posterum vel aspiraret ad lavacrum sacri baptismi, aut Patres reciperet.

*stipati,*

85 Sacaio itaque excessere ad IX Januarii anni MDXCVII, continenter stipati hominibus armatis. Præibat unus tabellam sententiæ, uti supra dictum est, in longa hasta præferens, qui silentio noxam imputatam innoxiis promulgabat. Molestiæ et ærumnæ hujus profectionis hujusmodi fuere, quales pauperibus et male vestitis, ac damnatis viatoribus D summa hyeme afferre solent ingentia frigora, nives, glacies. Negandum non est Gentiles, quibus ordine commendabantur, omni humanitate eos tractasse, alios commiseratione motos ob eorum innocentiam, alios reformidantes; ne si vel morte vel alio casu aliquis eorum ereptus fuisset, ipsorum incuria accidisse putaretur. Itaque equos eis procurabant, vel sedes in Japonia usitatas, quæ duorum hominum humeris deportantur, si eis opus erat. Nam crebro, etiam ad augendum meritum suum, pedibus iter conficiebant, uti apparebat ex eorum inflatione et vulneribus.

*AUCTORE LUD. FROES.*

*incommodo itinere,*

*vel quandoque humani et habentur.*

*Petrus et Franciscus eos juvantes,*

86 In hunc finem P. Organtinus Christianum quemdam, nomine Petrum, insigni virtute præditum, Meaco dimisit, qui tribus Fratribus nostris eorumque sociis necessaria, dum opus esset, e sua crumena subministraret. Fuit et alius faber lignarius, dictus Franciscus, qui eadem de caussa se adjunxerat comitem Patribus Franciscanis. Hi duo ergo, quia magna libertate agere cœperant cum captivis, eisque inservire, paucis post diebus pro Christianis et ipsi a satellitibus capti sunt, et commissi iis qui ipsis succedebant, ut omnes perducerent Nangoiam. Quam ob caussam non solum nullum E ceperunt dolorem (Meaco enim digressi erant cum desiderio tam felicem obtinendi exitum) sed etiam magna voluptate affecti sunt, divinoque Numini pro tanto munere gratias egerunt: quare et reliquum iter eximio cum gaudio prosecuti sunt, ardentibusque ad Deum precibus, aliisque piis exercitiis animum corroborarunt. Unde et singulari cœpere teneri desiderio sanctissimo Christi corpore ante obitum communicandi. Qua de re Pater F. Petrus Commissarius ad P. Rectorem Collegii nostri Nangasacani, et Paulus Frater noster ad P. Vice-Provincialem scripsit his verbis: Nullum aliud in hac vita desiderium habemus, quam aliquo die confitendi et communicandi, antequam perveniamus Nangasacum: nec enim scimus, an postea oblatura se sit ulla occasio: Patribus enim his Franciscanis, nondum hujus idiomatis satis gnaris, non possumus integram conscientiæ rationem exponere. Magno autem solatio nostro id munus obire posset P. Franciscus Pasius.

*capiuntur,*

*magno suo solatio:*

*omnes optant ante mortem communicare,*

*et confiteri*

87 Ad hanc animi præparationem porro accedebant exhortationes, quas nunc Paulus ad Japonios, nunc Patres Franciscani per interpretem habebant, iisque animabant eos ad offerendum se Domino Deo toto pectore, atque excitabant ad agnoscendam tantam Divinæ bonitatis gratiam. Quod rectius intelligetur ex sermone, quem F. Martinus ad omnes habuit per vias: qui postea in idioma Japonicum traductus, in pectore unius e Crucifixis repertus est, et est qui sequitur. Fratres, cogitare debemus nos magnos esse peccatores, neque cognoscere, quanto beneficio Dominus noster in hac exigua afflictione nos afficiat. Multi sancti, et singillatim S. Franciscus, omni studio adspirabant ad coronam martyrii, verum concessum eis non est, ut ad eam pertingerent. Hanc ipsam Deus hodie nobis offert, et non quovis modo, sed per instrumentum Crucis. A Christo impense amabantur Apostoli, et tamen Crucem non concessit, nisi duobus tribusve: ex ceteris quoque Sanctis nonnulli fuerunt decollati, alii in lebetes bullientes demersi, alii assati, alii in stagna gelu rigenti conjecti; hi in mille frusta dilacerati, isti medio corpore secti; multi e montibus præcipites acti, et in rupes ac præacutos scopulos et cantes dejecti, ut omnibus membris dissolverentur: ac denique alii atque alio genere cruciatuum tormentorumque probati spiritum suum reddiderunt Conditori. At nobis, licet immeritis, nunc paratum est tropæum, in quo ipse Filius Dei morte sua mundum restituit.

*Paulus eos exhortatur,*

F

*e F. Martinus de Ascensione*

*ostendens hujus mortis felicitatem.*

A restituit. Quod beneficium tam singulare et immensum est, ut Angelicam quoque intelligentiam excedat. Itaque comparemus nos ad perferendos fortiter omnes cruciatus a carnificibus nobis inferendos, armantes nos gloriose Christi passionis memoria, qui, licet ab omni culpa alienissimus, tamen pro salute nostra promptissime omnes molestias et tormenta suscepit. Infinita misericordia est, quam nobis declarat Dominus : nam cum pro uno etiam lethali peccato promeruerimus æternas et intolerabiles inferni pœnas, dignatus est tamen eas commutare in hanc brevem et transitoriam. Ceterum quia homo sua natura imbecillis est, nec facile aliquid perpeti potest, necesse est, ut gratiam divinam de cœlo imploremus. Toto igitur corde ad sanctissimam Dei Matrem, peccatorum advocatam, ad gloriosum D. Franciscum, ad Angelum custodem, et ad omnes Sanctos in cœlo confugiamus, ut intercedant pro nobis. Hæc summatim dixit P. F. Martinus cum magna audientium consolatione. Multa alia in hoc itinere acciderunt, ædificatione plena, sed brevitatis caussa omitto : tantum id dico, tantam lætitiam animi, patientiam et humilitatem ab hac sancta societate fuisse demonstratam, ut omnes obstupue-B rint; ipsique Bonzi asseverarint, hanc esse viam Legis Evangelicæ latius dilatandæ et propagandæ.

*Auctore eod. Froes.*

*ad constantiam excitant,*

*et gratiam petendam.*

*Displicet Bonzis hoc iter.*

## CAPUT XI.

### *De quibusdam persecutionibus eodem tempore in Christianos excitatis.*

Cum Taicosamæ edictum de prædicatione Evangelii omittenda, adjuncta pœna in transgressores et omnes qui ad eos attinerent, renovatum esset, nonnulli Gentiles Domini, tum metu edicti Regis (qui etiam ex caussa levi maximos sæpe Dominos suo statu *a* dejicit) tum ex odio, quo religionem Christianam prosequebantur, decreverunt omnes fideles suæ ditioni subjectos ad cultum idolorum compellere. Ex horum impiorum hominum numero in primis fuit Gubernator *b* Facatanus, Taicosamæ admodum familiaris, qui suis Christianis (ii millesimum attingebant numerum) imperavit, gravibus interpositis minis, ut renuntiarent Christo, omnia Rosaria ad se afferrent, ostiisque ædium suarum affigerent consuetam tabellam, in qua Gentiles scribere solent nomen idoli, cum nonnullis aliis verbis; ac putant stulti illi, has tabellas vim quamdam habere contra C ignes, morbos aliaque hujusmodi. Infideles itaque, Christianorum consanguinei, timore Tyranni, impie iis consulebant, ut externa saltem specie edicto regio parerent. Verum illi potius ad mortem oppetendam, quam ad minimum gentilitii erroris indicium dandum parati, responderunt, se hac in re non obsecuturos, ac mox quemdam studio miserant Nangasacum, qui cognosceret ex Nostris, quid citra Divini numinis offensionem in ejusmodi casu agere possint.

*Alibi persecutio :*

*a*

*b*

*Facatæ a Gubernatore,*

*contempta a Christianis.*

89 Dominus quoque *c* Firandi, qui maxime semper abhorruit a Christianis, non neglexit hac occasione quosdam in ruinam spiritualem impellere, speciatim autem *d* nurum suam, filiam piæ memoriæ D. *e* Bartholomæi. Verum illa pro sua consueta fortitudine ita sustinuit illius impetum, ut socer, deposita vincendi spe, ab ea divexanda se abstinuerit. Alii quoque Christiani, jam ad hos insultus assuefacti, forti pectore homini restiterunt.

*c*

*Firandi a Rege*

*d*

*e*

90 Nec inferiorem constantiæ laudem retulere incolæ Nozi, quibus præest quidam Dux belli : nam ut eo perlatus fuit rumor earum rerum, quæ Meaci agebantur contra Christianos, dictus belli Dux primario cuidam Christiano, jam annis gravi, nomine Leoni, imperavit, ut una cum aliis renuntiaret fidem Christianam. At bonus senex, cui nihil animæ salute D carius erat, magna libertate respondit : Occidere me potes, sed non adigere ad deserendam fidem Christianam. Cujus consilium exemplumque secuti alii, singuli sibi confecerunt crucem, ut si cogerentur abnegare Christum, ea in humeros sublata egrederentur, quasi parati in illam suffigi : nulla enim re melius impio illi posse responderi, et declarari sui animi propositum. Hac constantia ille perterrefactus, sceleratos conatus suos inhibuit, eosque in religione, qua vellent, vivere permisit. Post hæc Leo de omnibus nostros reddidit certiores, petens pro similibus certaminibus Rosaria, imagines, calculos benedictos, aliaque arma spiritualia. Sed satis sit nunc de hac materia.

*Nozii a Duce,*

*ubi omnes sibi Crucem parant.*

a *Ita (quod supra dictum) initio occupati imperii fecit : ita postea cum plerisque Ximi Regulis, aliisque : quibusdam pro regno uno aut pluribus, unius hic partem, alterius alibi, longo inde intervallo, dabat; pares utcumque proventus tribuens, nova tamen usquam moliendi facultatem præcidens. Secutus tyrannicum morem* Daifusama, *ut iis qui antea Reges veluti Præfecti essent, atque officio moveri ad nutum imperantis possent.* — b *De hoc, opinor,* *Froes in Relatione mense Decembri anni* 1596 *missa :* Facatani hoc anno visitari nequiverunt, propter Dominum ditionis, dictum Cabuicava; summum Chami et Fotoki cultorem, et sanctæ religionis nostræ hostem. *Urbs est maritima regni Chicugensis in Ximo, recædificata et amplificata a Taicosama an.* 1587. — c Firandus *una est ex insulis Ximo ad Occidentem adjacentibus, olim Regi Figuensi, qui inter novem Ximanos potentissimus, subjecta, uti et Goti insulæ : sed postea utræque proprios habuere Reges, quemadmodum Arima quoque et Omura ab eodem Figuensi divulsæ regno. Portum habet* Firandus *percommodum, urbemque ad eum positam, quæ ab insula nomen accepit, aut ei ipsa dedit. Hæc secunda est urbs, quam post* Cangoximam, *Saxumani regni urbem, fide illustravit S. Xaverius, ut in hujus Vita lib. 4 cap. 5 refertur, ubi et Figueni regni oppidum dicitur.* — d *Semper Christianæ religioni infensus fuit Firandi Rex* Fruyn : *visus quandoque favere (quia et antea Pater) ne averteret a suo portu Lusitanos, neve primarios aliquot Procerum, qui fidem susceperant, irritaret. Attamen Bartholomæo Omuræ Regi, potissimum quia Christo dedisset nomen, iterato bellum intulit cum aliis conjuratis : qui, ut eum sibi devinciret, ejus filio filiam suam* Menciam, *admodum adolescentem, matrimonio junxit : quæ aliqua a marito, plura a socero perpessa, nullisque ad annos complures Sacramentis roborata, admirabilem tamen in colenda pietate constantiam servavit; per literas identidem Nostros Omuræ commorantes consulens in arduis præsertim rebus.* — e Sumicanda, Chegabuni, *seu* Xengandoni, *Omuræ Regis filius, Rex Omuræ, Regnum cubiti adoptione, anno* 1563 *baptismum suscepit primus Regum Japonicorum, et* Bartholomæus *appellatus, Secuta* Camasama *uxor, et liberi : deinde an.* 1576 *Bartholomæi frater, tunc Arimæ Rex,* Andreas *dictus, tum hujus filii,* Stephanus *junior* 1577, *biennio post* Protasius *senior et Rex Arimæ, cum* Lucia *uxore. Fassus est paullo ante mortem* Bartholomæus, *angi se animo, quod* Menciam *filiam Firandensi Principi E[?] junxisset, licet publicæ pacis caussa. Ea tamen, annis a regimine socero, minus a marito habita.*

*Facata urbs,*

*Firandus ins. et urbs.*

E

*Mencia Omuranæ R. filia, Firandensi Principi Ethnico nupta.*

*Bartholomæus R. Omuræ, primus Regum Japoniorum Christianus.*

## CAPUT XII.

### *Quomodo Fazamburus Nangoiæ intellexerit captivos non longe abesse.*

Postremo die Januarii, cum captivi pervenissent F Facatam, humanitate consueta recepti sunt a Gentilibus, quibus magno exemplo fuerunt. Quidam ejus loci Christiani eos invisere, et sancta monita ab eis retulerunt. Paulus Frater, uti totum iter consumpsit prædicando militibus et aliis, sic noctis partem, qua hæsit Facatæ, in eodem labore impendit. Interea nuntius ad Facamburum affertur, captivos brevi adfuturos, simulque ei offeruntur patentes Regis litteræ, quibus mandabatur, ut sine cunctatione eos deduceret Nangasacum. Itaque subito cursorem destinavit ad Vicegubernatorem Nangasacanum moniturum, ut quinquaginta cruces pro reis paratas haberet, brevi enim advolaturos. Dici non potest, quanta obmurmuratio inter Lusitanos et Japonios orta sit, post audita hæc nova : numerus quoque crucium varias cogitationes peperit, cum longe major esset quam captivorum. Quantum autem desiderium quamque diuturnus ardor obortus fuerit in populo, quod tam gloriosa occumbendi conditio contigisset, res fuit admiratione dignissima : nam neque intra ædes neque publice per vias de alia re sermo haberi videbatur, quam de hac, neque facile est omnia narrando persequi, quæ particulatim accidere : unum tantum alterumve attingam, unde conjectura fiat de reliquis.

*Paulus in via et Facatæ concionatur.*

*parantur Nangasaki 50 Cruces,*

*magno populi motu*

A

*parant se multi ad mortem,*

92 Qua nocte Nangasacum perlatum est mandatum de parandis tot patibulis crucis, primarius quidam vir cum uxore sua hac illacque discurrebat, parans se ad martyrium. Decumbebant in eodem cubiculo duo ipsorum filii, alter quinquennis vel sexennis, alter undecim annorum. Hic major, audito strepitu, exiliens e lecto, cursu contendit ad patrem, sciscitaturus quid rerum ageretur : re breviter cognita, mox percontari pergit; Vobisne, inquiens, pater mi, moriendum? Cum pater subjiceret, Omnino : O, inquit adolescentulus, quanto exulto gaudio! sic enim et mihi licebit vos sequi. Deinde digito demonstrans fraterculum dormientem, Quid vero, inquit, illo fiet? Respondit parens : Nobiscum una erit Martyr. Tum juvenculus : Jam duplicatum sentio gaudium, quandoquidem omnes simul ab hoc mundo immigrabimus in cœlum. A quodam alio puero quinquenni in principe domo Nangasakensi quidam e Patribus nostris percontatus est, quandoquidem jam venirent Gentiles, ut ex Regis voluntate interimant Christianos, quid respondere cogitet, si rogatus fuerit, an sacramentum baptismatis susceperit? Respondebo, inquit puer, me esse Christianum. Sed si, subjecit Pater, eam ob rem te velint occidere, quid facies? Respondit : Præparabo me ad mortem. At quo modo? inquit Pater. Respondit puer, cum admiranda animi fortitudine, manantibus inter verba lacrymis : Usque ad mortem implorabo Jesu misericordiam. Atque hoc satis sit, ad indicandum horum Christianorum fervorem.

*etiam pueri,*

*quidam quinquennis.*

B

*Paulus sortem suam felicem ostendit.*

93 Jam, ut ad captivos redeamus; Calendis Februarii discessum est Facata : et ventum est in locum, dictum Carazu, tribus leucis distantem Nangoia, ubi Fazamburus cum satellitibus eos præstolabatur. Qui pro amicitia veteri salutans Paulum Fratrem nostrum, ejus casum miseratus est. At Paulus, Mori, inquit, pro Lege Divina, et doctrina cœlesti hominibus tradita, non est commiserationis materia. Unam tantum rem a te contendo, quantis queo precibus, ut Nangasaki breve mihi tempus confitendi et communicandi ante mortem indulgeatur. Idem petierunt PP. Franciscani. Omnia omnibus promisit Fazamburus, sed promissa non præstitit, ut postea liquebit.

*Ludovici constantia iterum tentata;*

94 Accedens deinde ad Ludovicum, de quo supra egimus, videns eum in tam tenera ætate constitutum, dixit . Vita tua in meo arbitrio est et potestate; si mihi servire velis, te liberabo. Respondit Ludovicus : De me nihil statuo : id faciam quod visum fuerit Fratri Petro. Qui respondit : Acciperet conditionem, modo Christiano ei esse liceat. Non, inquit Fazamburus, fides Christiana ab eo deserenda erit. Tum Ludovicus : Hac conditione, respondit, non cupio vivere, quia pro hac vita misera et momentanea facerem jacturam beatæ et æternæ.

C

*sed frustra.*

*pedibus ultimum itineris conficiunt.*

95 Progressi denique longius, ingressi sunt regnum Figen, et pervenerunt ad locum dictum Zucasachi, unde sequenti mane discesserunt. Et quia in singulas horas videbant se viciniores morti, maluerunt reliquum iter pedites in magno frigore, licet itineris incommodis fracti, conficere usque Sononchum, quod est in ditione Omurandoni, et Nangasacho octo vel novem abest leucis.

## CAPUT XIII.

### *Quid Sononchi acciderit, et de reliquo itinere usque ad locum supplicii.*

Ad quartum Februarii sub meridie Sinonchum appulere captivi, eodemque tempore præsto ibi fuere duo e Societate Patres, Franciscus Pasius et Joannes Rodriguez, a Vice-Provinciali missi, ut sanctum hunc cœtum sacramentis Confessionis et sacræ Synaxeos munirent. Sed quia jam Fazamburus præcesserat, et illico discedendum erat, non potuit eorum voluntati fieri satis : sic prorsus, ut P. Rodriguez pro se vix a satellitibus obtinere potuerit, ut eos salutaret et amplecteretur. Incredibilis utrimque extitit consolatio, nec vacua lacrymis mutui amoris, dum in conspectum prodiit dictus Pater : qui omnibus nomine P. Vice-Provincialis peramanter consalutatis, verbis ad tempus accommodatis, egregie ad gloriosum certamen eos animavit; et sub finem addidit, se venisse, ut eis, dicto sacro Missæ, divinum Christi corpus porrigeret; sed jam non posse, quod maturandus sit discessus : atque idcirco se Nangasachi compensaturum pro eorum consolatione, quantum posset. Paulus Frater complexus Patrem voce submissa respondit, plurimum se confidere in misericordia Divina per hanc persecutionem Ecclesiam in Japonia magnum incrementum sumpturam. Cujus rei hoc haberet argumentum, quod in ipsis persecutionis foribus, dum Gentilibus maxime erat respuenda Christi fides, ipse Ozacæ in carcere, ab iisdem coactus, sex eorum capita sanctissimis aquis perfuderit.

D

*AUCTORE LOD FROES*

*O curit us P. Roderiguez.*

*eosque animat.*

*Paulus pacem Ecclesiæ ominatur.*

E

*F Petri humilitas.*

97 Deinde Pater amplexus est F. Petrum, qui, cum summatim totius itineris acta perstrinxisset, seorsim ei magna animi submissione dixit : Facile fieri potest, nos tam cito rapi ad necem, ut nulli actioni futurus sit locus : itaque meorum sociorum nomine, uti eorum Superior, ab hac hora rogo P. Vice-Provincialem, et reliquos de Societate, ex toto corde, ut nobis condonent molestias, quibus eos affecimus. P. Rodriguez, excusans piam eorum mentem et scopum, similiter ex parte Societatis veniam petiit a F. Petro, si forte aliqua in re ab ea offensus fuisset. Quo facto, rursum cum multo lacrymarum imbre repetiti sunt amplexus. Denique ad Japonios conversus P. Rodriguez, cum illos quoque breviter commonefecisset, quanto in pretio habere deberent tam felicem e vita excessum, abiit, et cum P. Pasio celerrime Nangasacum versus properavit, ad agendum cum Fazamburo de Sacramentis cœtui captivorum, convenienter ejus promissioni, porrigendis.

*vincti in navi pernoctant, magno frigore.*

F

*cur extra urbem detenti.*

98 Sub vesperam deinde, dum descensus fit in navem (mari enim septem leucarum itinere proficiscendum erat usque in Tonchizu) ministri collo captivorum injecere funem, omnibusque manus post terga revinxere, præterquam Patribus Franciscanis; brevique tempore portum Tonchizanum tenuere : sed nocte in navi, ingens perpessi frigus, permansere. Paraverat Fazamburus Nangasachi pro omnibus viginti sex diversorium, sed veritus tumultum, quod locus esset refertus Christianis, mutata sententia, decrevit eos extra Nangasacum insequenti luce, quæ S. Agathæ sacra erat, extremo supplicio afficere. Itaque crucibus aliisque omnibus ad locum supplicii deportatis, omnia in ordinem digessit, ut momento uno omnia absolverentur. Ortaque luce tempestive curavit certiores reddi nostros, ut illico ad se mitterent P. Pasium, se adjuncturum ei ex suis unum, qui comitaretur usque ad locum patibulo proximum; ubi, postquam turba tota jussa esset consistere, possit trium de Societate, et non aliorum, Confessionem audire; aliud se nunc non posse concedere. De Communione aiebat ille, non videri necessarium, cum enim propter Christum occumbant, non indigere alio viatico.

*Nostris solis permissa confessio : ut non communio.*

99 P. Pasius cum P. Rodriguez et famulo Fazamburi mox adiit Urcamum, ubi erat xenodochium incurabilium, ibique expectavit. At P. Rodriguez longius processit, ut obviam iret moneretque post paucas horas moriendum. Quo audito hilari vultu omnes Domino nostro gratias egerunt, et speciatim bonus Pater F. Petrus, qui advenerat eques, recitans divinum Officium. Ut vero perventum est ad locum,

A cum, in quo expectabat famulus Fazamburi, P. Pasius milites subsistere jussit, et Paulo Fratre deducto in xenodochium, confessionem ejus de tota vita audivit. Hunc ceteri duo secuti sunt: et perfecta confessione omnes vota Societatis nostræ consueta *a* renovarunt, complectendo Patrem nomine P. Viceprovincialis.

*Auctore eorum Fratres vota renovant.* *a*

100 Dum P. Pasius aures præbet tribus Fratribus nostris, nonnulli e sociis, qui in platea remanserant, nixi genibus, recitabant Rosarium: alii sedentes Domino se commendabant, alii denique se invicem ad martyrium animabant. In his occupationibus eos relinquens P. Pasius, illico contendit ad Fazamburum, qui jam ad supplicii locum pervenerat, ut ab eo facultatem postularet, ut posset eosdem ad fortiter moriendum hortari; quam, licet ægre, impetravit. Interea P. Rodriguez operam suam locavit quibusdam breviter Deo reconciliandis piisque monitis ad constantiam est cohortatus. Tandem cum Fazamburi mandatum, quod expectabant, allatum esset, mirum dictu et visu dignissimum fuit, quanta celeritate se conjecerint in pedes, et obviam crucibus processerint. Fazamburus autem videns eos cum tanta hilaritate appropinquare, prorsus obstupuit: cumque caussam conjicere non posset, petiit a P. Pasio, unde B hæc hilaritas in tam funesto spectaculo? Exposuit ille homini caussam, sed quia non capiebat quæ sunt spiritus Dei, respondit: Caussam quidem esse optimam, se tamen ob eam, nullam hac vice electurum crucem.

*Parant se omnes ad mortem: quidam breviter nostro confitentur: hilares ad Cruces provolant.*

101 Agens deinde idem Pater de liberatione duorum, qui capti erant in itinere, et sententia Regia non erant comprehensi, respondit Fazamburus; Etsi comprehensi in ea non sint; tamen non posse se eos dimittere, hoc ipso quod sibi a ministris Regiis adjuncto scripto traditi essent. Cum vero subjungeret Pater; minimum expectaret, quoad a Gibonoscio haberetur responsum. Nec hoc possum, inquit Fazamburus; venirem enim facile in suspicionem acceptorum munerum. Itaque media omnia ad liberandos illos duos, quos merito vocare possumus *b* Adauctos, tentata ad irritum reciderant, ita disponente Divina, a qua omnia reguntur, providentia.

*Nostri laborant pro liberatione 2 Adauctorum,* *b* *frustra.*

102 Degebat sub hoc tempus Reverendissimus Episcopus Nangasaci, qui, dum cum bona Fazamburi venia in loco supplicii comparere non posset, per quemdam omnibus dedita opera, nominatim autem C Patribus Franciscanis, suam impertivit, adjunctis verbis amoris plenis, benedictionem. Cui vicissim P. Commissarius omnium nomine magnas gratias referri jussit, simul etiam deprecatus veniam, quod suæ Reverendissimæ Dominationi non perinde, ac par fuerat, obsecuti fuissent. *c*

*Episcopus per internuntium omnibus dat benedictionem.* *c*

a Paulus *quidem proprie vota renovavit, uti quoque scholastici fieri in Societate consuevit. Alii duo, adhuc tirones, vota conseverunt, quæ* Devotionis *dicuntur.* — b *De illiis in Martyrologio ad* 30 *Augusti S. Felicis Presbyteri et Martyris socium, ejus nomen* ignorantes Christiani, Adauctum appellaverunt, eo quod S. Felici auctus esset ad coronam. *Horum tamen non ignorabantur nomina.* — c *Lusitani oleiam ferunt, ut cibo, potu, capedits oblatis recrearent. Illi gratias egere, omniaque in carnifices et custodes distribuere, quippe aperturos sibi ostium æternæ felicitatis*

## CAPUT XIV.

### *Quomodo illi viginti sex suffixi sint Cruci.*

Decreverat Fazamburus hos homines e medio tollere in ordinario supplicii loco, in quo et tunc extabant nonnullæ cruces, sed Lusitanorum interpellatione coactus est mutare sententiam. Ex altera viæ parte versus mare eminebat collis cum planitie viginti sex crucium capace, cum suis, instar Calvariæ montis, ad ascendendum quasi gradibus. Huc ergo Fazamburus curavit in gratiam Lusitanorum, ut dicebamus, deportari cruces; qui cogitabant suo tempore in benedictorum horum athletarum Christi memoriam ibi excitare ecclesiam, eamque vocare S. Mariam Martyrum. D

*In loco peculiari occisi.*



104 Cruces apud Japonios in multandis hominibus facinorosis usitatæ, duo habent ligna transversaria, alterum ad brachia, alterum ad pedes: mediæ item cruci affixum breve lignum est ponderi corporis sustinendo, cui reus insidet velut equo. Quælibet igitur crux constat quatuor lignis, ut liquet ex effigie hic subjecta. Non utuntur clavis, sed manus pedesque alligant aut funibus, aut maniciis ferreis, quæ lignis transversariis clavis sunt affixæ. *a* Collum quoque constringunt nervo ferreo ligno infixo. Funibus item astringunt cruci et cingulum et brachia inter scapulas et cubitum, sic prorsus, ut totum corpus bene sustentetur. Deinde dimittunt crucem in fossam, lapidibusque injectis et terra obfirmant. Mox succedit carnifex lancea præacuta, machæræ ancipiti non absimili, armatus, eamque tanta vi adigit in latus dextrum crucifixi, ut penetret E in sinistrum usque ad cor. Nonnunquam duo sunt carnifices, qui dum simul utrumque latus confodiunt, transverso objectu lancearum quasi Crucis formam exprimunt. Ita fit ut rei, uno tantum sanguinis fluxu, minimo temporis puncto spiritum Deo reddant. Quod si non statim moriantur, duplicat ictum carnifex: atque ita finem faciunt.

*Japonicæ Crucis forma.* *a* *ei alligatus occidendus.*

105 Cum ergo fortes Christi milites ad hunc locum pervenissent, Fazamburus curavit collem omnem a sclopetariis et lancearii circumdari, spatio tantum septem vel octo passuum inter ipsos et cruces interposito, nec passus est quemquam propius assistere præter justitiæ ministros, P. Pasium et P. Rodriguez. Ingressu in septum facto, nova lætitia oborta est militibus Christi ex conspectu crucium. Pater F. Martinus elata voce cecinit canticum, Benedictus Dominus Deus Israel. Pater F. Petrus, oculis cœlo infixis, stabat quasi contemplatione quadam profunda absorptus. Ludoviculus illico petiit, quænam sua crux esset; eaque demonstrata, magna devotione et fervore ad eam accurrit. Fuerunt autem omnes quasi puncto temporis acti in crucem: F eo quod quilibet suum haberet attributum ministrum, et omnia necessaria singulis ad manum parata.

*Cincto a militibus loco,* *læti omnes,* *celerrime crucibus alligantur.*

106 Hic autem erat crucifixorum ordo; Alter ab altero tribus vel quatuor distabat passibus vultu Nangasacum converso. *b* Ad dexteram PP. Franciscanorum erant decem Japonii, et alii decem, annumeratis tribus e Societate, ad sinistram. Ac ab Orientali quidem parte primus erat Franciscus, is qui juvandorum PP. Franciscanorum caussa comitatus fuerat, et a milite, ut diximus, in numerum relatus, qui baptismi signaculum ante octo menses primum acceperat. Secundus erat Cosmus Tachegia, ex regno Oari, recenter item baptizatus, qui artem profitebatur acuendi machæras. Captus fuerat Ozacæ cum F. Martino, agens illorum Patrum interpretem. Tertium locum tenuit Petrus Suchegirus, alter ille, qui comitatus fuerat, ut operam suam locaret captivis. Quartus erat Michael Cozachi ex regno Isce, cujus ars erat conficere sagittas. Quinto loco sequebatur Jacobus Ghisai e Societate nostra sexaginta quatuor annorum, Christianus perantiquus, et boni exempli. Is receperat se in domum nostram, ut totum se dederet Deo: in qua magna caritate rerum externarum curam gessit; singulariter autem meditationi Passionis D. N. valde erat addictus. Proximus huic erat Paulus Michi Japonius

*b* *Ordo, ab Oriente:* *1 B. Franciscus.* *2 B. Cosmus Takegia.* *3 B. Petrus Sukegirus.* *4 Michael Cozachi.* *5 B. Jacobus Ghisai.* *6 B. Paulus Michi.*

A nius trium annorum supra triginta, a puero sacris aquis tinctus, et ante undecim annos prius in Societatem receptus. Concionator erat, magnoque ardebat zelo juvandi proximum, velut ex eo, quod jam dicam, colligi potest. Decem vel duodecim diebus ante attributas Ozacæ ædibus nostris excubias, obviam forte factus turbæ ex Magistratus edicto deducenti hominem Ethnicum, ob nescio quod scelus, ad supplicium, magno animo facta via per confertam multitudinem penetrat ad reum, concionatur homini usque ad locum ubi capite erat multandus, cedentem veritati baptizat, et invocantem nomen Jesu et Mariæ in cœlum mittit.

*zelosus concionator.*

*7 B. Paulus Ibarki. 8 B. Joannes Goto.*

107 Septimus erat Paulus Ibarchi ex Oari, qui recenter adjunctus erat Christo. Octavus fuit Joannes oriundus Goto, decem et novem annos natus, a prima pueritia in fide institutus, et denique, ut supra diximus, Societati adscriptus. Nonus erat Ludovicus puer XI vel XII annorum, qui paucis mensibus fuerat Christianus, a natura vivax, et Pauli Ibarchi ante nominati nepos. Decimus erat Antonius Nangasachanus, adolescentulus item annorum tredecim, candidæ admodum naturæ. Undecimus sequebatur P. F. Petrus ex Episcopatu Hispaniæ Avilano, vir quadraginta octo annos natus, admodum religiosus, doctus, Concionator ardens zelo animarum. B Duodecimus, F. Martinus de Ascensione ex Varaugnela Cantabriæ, trigesimum ætatis annum agens, qui anno MDXCVI cum F. Francisco Blanco in Japoniam venerat. Decimus tertius erat F. Philippus de Jesu Mexicanus, qui captus in nave diffracta ad Tozzam, venerat Meacum, ut sacros ordines acciperet ab Episcopo, et postea rediret Manilam: unde a Superiore missus erat eadem de caussa in novam Hispaniam. Decimus quartus erat F. Gonzalvus Garzia ex Bazaimo Indiæ Orientalis, qui e Japone transiens Manilam, ibi ordini S. Francisci nomen dederat, et magno spiritu Japonice concionabatur. Decimus quintus erat P. F. Franciscus Blancus ex Montergio Galliciæ, triginta circiter annorum. Decimus sextus F. Franciscus de S. Michaele ex Parilia non longe a Vallisoleto, agens annum LIII, vir bonus et humilis, uti præclare usque ad mortem demonstravit.

*9 B. Ludovicus. 10 B. Antonius. 11 B. P. F. Petrus Baptista. 12 B. P. F. Martinus. 13 B. F. Philippus a Jesu. 14 B. F. Gonsalvus Garsia. 15 B. P. F. Franciscus Blancus. 16 B. F. Franciscus de S. Michaele.*

108 XVII Matthias, qui haud multo tempore extiterat Christianus: de quo satis multa supra. XVIII Leo Carasumarus ex Oari, septem octove annorum Christianus, Patrum Franciscanorum interpres pri- C marius, et caritatis operibus apprime deditus, maxime erga incurabiles. Erat autem frater minimus Pauli Ibarchi supradicti, et patruus Ludoviculi. XIX Ventura, Meacensis, qui in tenella sua ætatula fonte baptismatis erat elutus, deinde pupillus relictus in Bonziorum ordinem desciverat: sed quodam die memoria repetens se baptizatum, per Patres Franciscanos Ecclesiæ sanctæ restitutus est: quibus inserviens tam felicem meruit fortunam. XX erat Thomas Cozachi, filius Michaelis Cozachi supra nominati, qui decimum quintum annum agebat. XXI Joachimus Saccachibara annorum quadraginta. XXII Franciscus medicus Meacensis, XLVI annorum. XXIII Thomas Dancu, vetus Christianus, item Franciscanorum interpres. XXIV Joannes Chimoia. XXV Gabriel ex regno Isce, annorum XIX. Ultimus fuit Paulus Suzuchi ex Oari, etiam Franciscanorum interpres.

*17 B. Matthias. 18 B. Leo Carasumarus. 19 B. Ventura. 20 B. Thomas. 21 B. Joachimus. 22 B. Franciscus. 23 B. Thomas Dabi. 24 B. Joannes Kinoia. 25 B. Gabriel. 26 B. Paulus Suzuki.*

109 Crucibus ergo hoc ordine defixis, mirabile fuit videre omnium constantiam, ad quam eos hortabantur, partim P. Pasius, partim P. Rodriguez. Pater Commissarius semper constitit quasi immotus oculis in cœlum conjectis. F. Martinus ad agendum Divinæ bonitati gratias concinebat quosdam psalmos, adjuncto versiculo, In manus tuas Domine. F. Franciscus Blancus etiam clara voce Deo agebat gratias. F. Gonzalvus admodum elata voce dicebat Domini- D cam orationem, et Salutationem Angelicam. Paulus Michi Frater noster, videns se consistere in suggestu omnium, quos unquam habuerat, honoratissimo, primum circumstantibus aperuit se Japonium et de Societate Jesu esse, morique propter annuntiatum Evangelium, et gratias Deo ob beneficium tam eximium agere, deinde hæc verba subjecit: Cum ad hoc temporis punctum pervenerim, e vobis neminem esse opinor, qui me credat velle parcere veritati. Declaro itaque vobis, nullam esse ad salutem viam, nisi quam tenent Christiani. Quæ cum doceat me ignoscere inimicis, et omnibus qui me offenderunt, ego libenter Regi omnibusque meæ mortis auctoribus ignosco, eosque rogo ut Christiano baptismo initiari velint. Hinc oculis in socios conversis cœpit eos in hoc extremo conflictu animare: in quorum omnium vultibus lætitia quædam apparebat, sed in Ludovico singularis; cui cum alius quidam Christianus acclamaret, brevi eum futurum in Paradiso, digitorum totiusque corporis gestu gaudii pleno omnium in se spectantium oculos convertit. Antonius, qui Ludovici claudebat latus, oculis cœlo infixis, post invocatum sanctissimum nomen Jesu et Mariæ accinuit Psalmum, Laudate pueri Dominum, quem didicerat Nangasachi in institutione Catecheseos: E in ea enim dedita opera pueris quidam Psalmi hanc in rem ediscendi traduntur. Alii denique repetebant, Jesu Maria, serena facie: nonnulli etiam exhortabantur circumstantes ad vitam Christiano dignam; hisque et aliis similibus actionibus promptitudinem moriendi demonstrabant.

*AUCTORE LUD. FROES. in cruce erant. B. Paulus Michi concionatur. omnes lætitia gestientes, (præcipue Ludovicus)*

110 Tum carnifices quatuor cœpere vaginis (quæ Japoniis usitatæ sunt) eximere lanceas: ad quarum horrificum conspectum omnes fideles acclamarunt Jesu Maria, et, quod plus, est complotatio secuta miserabilis ipsos feriens cœlos. Carnifices quemque eorum uno alteroque ictu brevissimo tempore exanimarunt. c Si quis signum adhuc vitæ daret, eum iterato ictu confodiebant. Atque hic licuit cernere Christianorum circumstantium ardorem, qui per medios satellites, fustuario eorum neglecto, ad cruces accurrere, alii ut sudaria sua Martyrum sanguine imbuerent, alii ut ex vestium limbo aliquid detraherent, alii ut reliquiarum loco aliud aliquid auferrent. Hic fuit militum Christi felix exitus, qui fortiter dimicantes gloriosam ex hoste retulere victoriam. Ut autem innocentia eorum omnibus pate- F fieret, permisit Deus, ut Fazamburus curaret hic erigi hastam, in qua descripta erat mortis sententia.

*trucidantur. Christiani irrumpunt ut sanguinem colligant.*

a *Scribit Eusebius nunquam antea adhiberi solita collo, manibus, pedibus vincula sed brachiis duntaxat, tibiis ac medio corpori: in hisce Martyribus primum illa usurpata.* — b *Petiere a Fazamburo Lusitani, ut in medio denum utrimque Japonium collocarentur Reliquis Europæi.* — c *B. Petrus Baptista dum ceteri trucidarentur, ut manu, quantum eam movere poterat, benedixit, ipsisque lictoribus ad se mactandum accedentibus. Ipse omnium postremus interfectus est, pronuntians hæc verba: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Ita Euseb.*

## CAPUT XV.

### *De pietate a Christianis post dictam necem declarata.*

Quamvis Fazamburus non parum succenseret iis, qui sancta quadam vi reliquias quasdam e servis Dei eripuissent, ideoque mandasset satellitibus, ut fustibus cogerent omnes ad repetendum Nangasachum; tamen postquam domum rediit, tam multi undique confluxere, ut aliquid de vestibus Martyrum abscinderent, ut multi in crucibus manserint non satis decenter contecti, et singillatim novem religiosi. Quare provisor confraternitatis Misericordiæ eorum corpora certis storeis, loco vestium, operiri curavit. Eadem religione

*et invito Fazamburo vestes diripiunt.*

A religione multi, etiam e remotis regionibus, tanto numero concurrere, ut Fazamburus compulsus fuerit duplicatis custodibus aditum eis præcludere; ipsisque militum ducibus sub vitæ amittendæ pœna jubere, ne ullum Crucifixorum corpus sinerent auferri. Verum nec hac severitate cohiberi potuit eorum pietas: permulti enim, prætextu aliorum negotiorum transigendorum, versus collem illum deflectebant, tantum ut reliquias servorum Dei venerarentur.

*AUCTORE LUD. FROIS*

*is severe jubet corpora custodiri.*

112 Multa alia in hoc argumento adjungi possent, quæ brevitatis caussa prætermitto. Id tantum dico, ex glorioso hoc martyrio illum extitisse fructum, quod omnes Christiani, tam veteres quam novi, egregie in sancta fide sint confirmati, vivumque æternæ salutis desiderium in se excitarint, ac firmiter apud animum suum constituerint pro confessione Christiani nominis vitam dare. Jamque animadvertunt hujus martyrii prognosticon fuisse cruces miraculose repertas alteram in a Obama anno MDLXXXIX, alteram in b Faconda, anno MDXCII. Quare et firmissima spe tenentur uberrimæ messis consecuturæ. Ipsi quoque Gentiles, qui spectaculo interfuerunt, vehementer commoti sunt ex gaudio, quo viginti illi Dei servi crucem conscenderunt, et fortitudine, qua, B certi de cœlesti præmio omnem humanam intelligentiam longe excedente, mortem tolerarunt. Et jam nonnulli Nangasachum, recipiendi sacri lavacri D caussa, quod obnixe postulant, advenerunt.

*Novus ardor additus Christianis.*

*Ethnicis stimulus.*

a Obama *vicus est tribus leucis distans Arima. Hic Michael Leonis F. an.* 1589, 24 *Decembris cum* Taræ *arboris (ut aiunt Japonis, quippe eam habere contra malignos spiritus vim creditur) truncum diffidisset, interius omnino pro natura illius arboris candida reperit, sed crucem subnigram in utraque diffissi trunci parte, ita expressam, ut insita quodammodo videretur, et una quidem paullum intra reliquum truncum velut rupsam depressa, altera tantundem extans, lævis utraque ac si dedolata esset perpolita.* Protasius *Rex semestri ante in somnis visus sibi erat videre duos ad se e cælo venientes, et audire monentes, quod levi de caussa festis diebus sacra omitteret, neque satis deinde cura ac pietate sese ad obeundam confessionem præpararet. Ceterum sciret, brevi in suis terris signum Jesu, non manufactum, detectum iri; id ipse haberet in pectore. Attonitus somnio Rex, postridie id P. Petro Gomio retulit. Postquam hunc eventum Arimam postea perlatum; profectus Obamam cum uxore et liberis Rex, crucemque contemplatus, hoc esse* JESU *signum dixit, tanto ante sibi prænuntiatum, Arimamque asportavit, atque eleganti thecæ inclusit crystallo utrinque opposito, ut spectari posset. Vulgata res per Japoniam: multi Arimam, etiam Amanguccio ac Meaco, aliisque ex regnis, concurrere; certatim expetitæ ex arbore illa assulæ, aut certe crucis imagines; atque etiam his morbi curati, pulsi e corporibus dæmones, atque anno uno proxime insequenti in urbe Arimensi baptismo expiati* 11500. — b Facunda *vicus leuca una ab urbe Umura distat. Hujus incola Matthæus quidam, Simonem filium suum jubet* 7 *Februarii an.* 1592 *in horto* caki-nocum *arborem (haud pomo absimilem, sed molliori fructu, qui, ut in Europa ficus, recens siccusque comeditur) præcidere, quia biennio fructum non tulisset, et fere sicca videretur. Paret Simon, ac dein truncum in plures partes serra desecat; harum unam securi et cuneo findit, foco struendo: cum ecce, binæ in singulis partibus intrinsecus albicantis trunci nigræ cruces apparent, apte efformatæ, geminis singulæ brachiis, pede, titulo. Res ad Nostros delata, ac sedulo examinata. Fieri undique, ut ad Obamanam, concursus. Hos reprimi oportere, cruce recondita ac reverenter asservata, censuerunt P. Alexander Valignanus ac Sanctius Omuræ Rex, ne Taicosamæ exasperaretur furor.* E

*Obamæ in diffissa arbore crux gemina inventa, prænuntiata in somnis Regi, concursu populorum celebrata et miraculis.*

*Facundæ in simili trunco an.* 1592 *quaternæ cruces reconditæ metu Tyranni.*

# VI FEBRUARII.

## SANCTI QUI VIII ID. FEBRUAR. COLUNTUR.

Sanctus Bucolus Ep. Smyrnensis in Asia.
S. Vitalis Mart. Abulæ in Hispania.
S. Antholianus Mart. Claromonte in Gallia.

S. Saturninus,
S. Theophilus,
S. Revocata,
} Martyres.

S. Dorothea Virgo,
S. Theophilus Scholasticus,
S. Christe,
S. Calliste,
} Martyres, Cæsareæ in Cappadocia.

S. Dorothea Virgo, Alexandriæ in Ægypto.

S. Silvanus Ep.
S. Lucas Diac.
S. Mucius Lector,
} Martyres, Emesæ in Phœnicia.

NOT. 46. S. Julianus, medicus, Martyr Emesæ in Phœnicia.
B

S. Mel,
S. Melchus,
} Ardachadenses,
S. Munis, Fordagiensis,
S. Riocus, Inisbovindensis,
} Episcopi, fratres in Hibernia.

S. Vedastus, Ep. Atrebatensis in Belgio.
S. Amandus, Ep. Trajectensis, Elnone in Belgio. ANIMADV. PAP. 92.
B. Andreas, Abbas Elnonensis in Belgio.
S. Finianus Ab. Mellifonte in Hibernia.
S. Ina, Rex Occid. Saxonum in Britannia.
S. Guarinus, S. R. E. Card. Ep. Prænestinus.
B. Hildegundis Comitissa Marensis, Ord. Præmonstrat.
S. Aldericus subulcus Fusseniaci.
S. Brynolphus Ep. Scarensis in Suecia.
B. Angelus a Furcio, Ord. Eremit. S. Augustini, Guasti-Amonii in Aprutio.
B. Francisca, tertii Ord. S. Francisci, Eugubii. NOT. 47.
E

---

## PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctus Fulgentius, Carthaginis Spartariæ in Hispania Episcopus, *refertur hoc die a Philippo Ferrario. De eo egimus* XIV Januar.

S. Aviti Ep. *nomen hoc die Martyrologio Aquisgranensi inscriptum, huc translatum a* V Febr.

Commemorationem animarum cognatorum et benefactorum, *hoc die in suo Martyrologio indicit Franciscus Maurolycus.* Sancta et salubris *est* cogitatio pro defunctis *(præsertim benefactoribus)* exorare, ut a peccatis solvantur. 2 *Machab.* 12.43.

Sanctæ Crucis *stata ac solemnis est* veneratio, *Pontificis Maximi auctoritate firmata, hoc die* Cervariæ; *quo oppidum est Celsonensis diœcesis in Catalania, vulgo* Cervera. *De ea agit Antonius Vincentius Domeneccus, et miracula isthic facta narrat.*

S. Siagrius, Sagericus, Sangericus, *vel* Gangericus, *discipulus S. Dionysii Parisiorum Apostoli ab aliquibus statuitur Episcopus Cameracensis, ut quidem sub Trajano Imp. ac frater* S. Taurini *Ep. Ebroi-*
C
*censis. Hic* XI *Augusti colitur, una cum* S. Gangerico *Ep. Cameracensi, qui* VI *seculo vixit. Unde illius senioris* Gangerici, *sive* Sangerici, *qui* Taurini *æqualis fuerit, confingendi occasio nata; uti infra, hoc ipso die, ad Vitam* S. Vedasti Ep. § 1 *ostendemus.*

S. Felix, Romæ. *Ita Martyrol. Aquisgranense. Multi fuere hoc nomine Martyres, quatuor Pontifices Maximi. Sitne his eorum unus, an alius quispiam, nos latet.*

S. Saturninus,
S. Theophilus,
S. Revocata V.
} *in Chronico quod Dextri dicitur, atque ex eo in Martyrologio Joannis Tamayi de Salazar referuntur,* Vianæ in Gallæcia *hoc die, anno* CCLX *martyrium passi: atque alii iisdem omnino nominibus, (nisi quod* Revocatæ *virginitatis aureola non tribuitur) anno* CCC Argenteolæ in Asturibus: *Cur dubitemus, num iidem sint, quos Martyrol. Romanum hoc die celebrat; infra indicabimus, cum de relatis in Romano agemus.*

S. Diogenes, *vel* Giogenes, natione Græcus, a Romano Pontifice missus in Gallias, a S. Nicasio Ep. Remensi ordinatus Atrebatensium et Cameracensium Episcopus, a Wandalis, *vel* Hunnis occisus, *ac* Martyr, *traditur a Massæo Locrio, Miræo, Molano, Rayssio, aliisque. De quo, in omnium Martyrologiorum, et vetustiorum Scriptorum silentio, nihil certi a nobis posse statui dicemus ad Vitam.* S. Vedasti § 1.

Multi servi Dei, sub Attila Rege Hunnorum *anno* CDL Atrebatum ferro et igne vastante, circa altaria altissimi Regis sanguinem fudisse *dicuntur in Vita S. Vedasti num.* 14. *Baldericus Ep. in Chronico Cameracensi et Atrebatensi lib.* 1 *cap.* 5 quadam vetustatis obscuritate *memoriam eorum abolitam deplorat. Hinc necdum in ullo Martyrologio eorum legimus consignatum natalem.*

Dominicus,
Vedulphus,
} *qui S. Vedasto in episcopatu Atrebatensi et Cameracensi immediate successerunt, a Massæo in Chronico mundi, et Rayssio in Belgica Christiana,* Sancti *appellantur: Colvenerius in catalogo ante Balderici Chronicon, soli Vedulfo* Beati *titulum tribuit. Agit de utroque Baldericus lib.* 1 *cap.* 12 *ubi in gestis S. Gangerici tradi ait, Vedulfum* rebus humanis exemptum ad meliora transiisse, cui *ipse merito addit* præmia pro innocentia reddita. F
*Si quid certius occurrat, proferemus* XI *Augusti ad Vitam S. Gangerici, vel alibi.* Veldulphus *porro Sedem Episcopalem Atrebato Cameracum transtulit: quod factum arbitramur, quando defunctis apud Austrasios Theoderico, Theodeberto, et Theodebaldo Regibus, Chlotarius Austrasiam, in qua Cameracum erat, regno suo adjecit, post annum Christi* DLV.

Nicasius monachus Elnonensis, *qui Sanctis* Amando *Ep. Trajectensi, et* Humberto *Abbati Maricolensi, comes fuit itineris Romani anno* DCL *tempore S.* Martini *Papæ, in antiquis chartis monasterii Elnonensis, sive Amandini,* Beatus *dicitur. De eo infra agitur ad Vitam S. Amandi. Haud tamen reperio publicum ei cultum impendi.*

Chrodobaldus discipulus S. Amandi, et Præpositus Marchianensis, *paralysi ob inobedientiam percussus, a S. Amando sanatus, vir sanctus habitus, et miraculis celebris, et* Beatus *a Raissio appellatur. De eo infra agimus in Vita S. Amandi, ubi plura in Notationibus ad cap.* 14 *Vitæ per Philippum Abbatem.*

S. Ronanus Scotus, *qui in Synodo Pharensi, sive in* Streneshealh, *nunc* Withbie, *anno* DCLXIV *habita, strenue Catholicam Paschæ observationem contra* Finanum *Ep. defendit, uti memorat Beda lib.* 3 *histor. Anglic. cap.* 25. *refertur ad hunc diem a Davide Camerario,*

A *Camerario, diciturque post eam Synodum in Scotiam rediisse, inque una Hebridum insularum, cui jam ab* S. Ronano, *nomen, sancte obiisse, circa annum* DCCLXXVIII. *Quis credat ita longævum fuisse? Insula quidem ab S. Ronano nomen obtinuit; quo, nobis compertum non est: neque an* Ronanus *ille Paschæ legitimi defensor, sit in Divos relatus. Nam quod Colganus* VIII *Januarii, ad* S. Finani *Vitam, ait in Gallia Armorica coli* I *junii, probatque ex Vita, quam Gallice Albertus Magnus Morlaix edidit, haud nobis id persuadet, cum ea Vita nil simile referat. Camerarius Regii Kalendarium citat, et Breviarium Aberdonense, in quo quidam* Ronanus VII *Februarii: an idem, non liquet.*

Commemoratio *fit hodie* Trajecti ad Mosam omnium Sanctorum illius urbis Episcoporum: *et quidem (ut ex veteri Breviario Ecclesiæ S. Servatii patet)* ritu duplici. *Eam consignarunt in suis Martyrologiis Galesinius, Canisius, Ferrarius, Molanus in addit. ad Usuardum et Natalib. SS. Belgii; etiam monasticis, Wion et Dorganius, propterea quod nonnulli eorum vulgo existimentur monachi Benedictini fuisse. De omnibus hæc recitatur Oratio, quæ etiam apud Molanum extat:* Propitiare nobis, quæsumus Domine, famulis tuis, per sanctorum Confessorum
B tuorum Servatii, Monulphi, Gondulphi, Martini, Valentini, Candidi et Amandi, et aliorum, qui in præsenti ecclesia requiescunt, merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. *Numerat ea Ecclesia* XXXI *sanctos Episcopos, quotquot isthic, et antea Tungris pontificia fulsere dignitate. Et Tungris quidem* IX *fidem prædicasse, administrasse sacra, Cathedram Episcopalem obtinuisse traduntur.* XXI *Trajecti sederunt, a* S. Servatio, *(qui Atuaticæ Tungrorum Episcopus fuit, sedemque inde transtulit Trajectum) usque ad* S. Floribertum, *cujus decessor* S. Hubertus *Leodium migravit.* S. Candidum *fatentur, Trajecti quidem in fide ac pietate propaganda laborasse, sed alterius Sedis fuisse Episcopum. Bartholomæus Fisen noster in Floribus Ecclesiæ Leodiensis scribit, hunc sextum Februarii diem omnibus simul ab ea Ecclesia consecratum,* quod quo die plerique diem obierint, ignoretur. *Quæ nobis ratio non probatur. Nam Tungrensibus, (quos ipse Trevirenses Antistites fuisse certum habet) anniversarium singulis diem ex Trevirensi Breviario ipsemet assignat: nos ceteris quoque, plerisque ex Breviariorum, aliis ex quo-*
C *rumdam Martyrologiorum fide, uti suis locis patebit. Priores porro illi hoc ordine ex Tabulis Trevirensibus apud Browerum et Fisenum recensentur:*

| | | |
|---|---|---|
| I | S. Maternus | XIV Septemb. |
| II | S. Navitus | VII Julii. |
| III | S. Marcellus | IV Septemb. |
| IV | S. Metropolus | VIII Octobr. |
| V | S. Severinus | XXIV Octobr. |
| VI | S. Florentius | XVI Octobr. |
| VII | S. Martinus | XXI Junii. |
| VIII | S. Maximinus | XX Junii. |
| IX | S. Valentinus | XVI Julii. |

*Sed mirum est, si illi omnes una Trevirorum Episcopi fuerunt, cur qui inter S. Maternum, tertium a S. Euchario, et S. Navitum undevicissimum, Trevirensem rexere Ecclesiam, non etiam Tungrensibus assignentur, sive proprii Episcopi, sive Apostoli: nisi dicantur novem illi præcipuo studio, sacra Tungris præ reliquis curasse. Illud item mireris, horum plerosque martyrii laurea coronatos, quibus retulimus diebus, celebrari ab Ecclesia Trevirensi; ab Trajectensi Confessoribus annumerari, et fere aliis diebus, ut suis locis dicemus. Post eos Tungris, at neutiquam Treviris, Episcopus fuit.*

| | | |
|---|---|---|
| X | S. Servatius, *qui Sedem Trajectum transtulit, coliturque* | XIII Maii. D |
| | S. Candidus, Ep. *aliunde advenisse Trajectum narratur, ad venerandas S. Servatii Reliquias, ibique episcopalia aliquamdiu munia exercuisse, decessisse* | VII Junii. |
| XI | S. Agricolaus | V Febru. |
| XII | S. Ursicinus | I Octobr. |
| XIII | S. Designatus | XIII Januar. |
| XIV | S. Resignatus (*Fiseno* Renatus) | I Decemb. |
| XV | S. Sulpitius (*Fiseno et aliis quibusdam* Supplicius) | XVIII Januar. |
| XVI | S. Quirillus | XXX April. |
| XVII | S. Eucherius, | XX Febru. |
| XVIII | S. Falco, *sive* Fulco, *aut* Folco | XX Febru. |
| XIX | S. Eucharius | XXVII Febru. |
| XX | S. Domitianus | VII Maii. |
| XXI | S. Monulphus | XVI Julii. |
| XXII | S. Gondulphus | XVI Julii. |
| XXIII | S. Perpetuus | IV Novembr. |
| XXIV | S. Evergisus, *sive* Ebregisus | XXVIII Martii. |
| XXV | S. Joannes Agnus | XXV Julii. |
| XXVI | S. Amandus | VI Februar. |
| XXVII | S. Remaclus | III Septembr. |
| XXVIII | S. Theodardus M. | X Septembr. |
| XXIX | S. Lambertus M. | XVII Septembr. E |
| XXX | S. Hubertus, *qui, relicto Trajecto, Sedem Leodium transtulit.* | III Novemb. |

S. Amandus, *seu* Marcus Amandus *Episcopus Castellonensis, sive Castulonensis, in Catalania, vel Bætica, memoratur in Juliani Petri Chronico et Martyrologio Hispanico, coliturque officio duplici in diœcesi Giennensi. Sacras etiam Reliquias* S. Amandi *adservari prope Perpinianum scribit Domenecus de Sanctis Cataloniæ hoc die. Eum vero hi esse putant, qui Episcopus Trajectensis nobis est; quod infra ad hujus Vitam* § XXII *refutabimus.*

Ethelburga Regina, uxor S. Inæ, *relicto conjugio et regno, facta sanctimonialis, dein Abbatissa monasterii Berkingensis in Comitatu Essexiæ prope Tamesim fluvium, beato illic fine quievit; ut infra* § 7 *ad Vitam* S. Inæ *dicitur.*

S. Mathildis Virgo et Abbatissa *in Germania, memoratur hoc die a Francisco Lahierio in Magno Menologio Virginum, nulla vel gestorum mentione, vel Fastorum Scriptorumve auctoritate. De variis ejus nominis Virginibus agemus alibi.*

S. Gerwis Virgo in Silvole *refertur in MS. Florario, et Hermanni Greven addit. ad Usuard. Necdum de ea certi quidquam comperimus.* F

Leo, *sive* Leonius, *primum Lobiensis; deinde Bertinianus Abbas* XLIII, de nobilioribus terræ Furnensis, *uti in Bertiniano Chronico scribit Joannes Iperius, hoc die anno* MCLXIII *mortuus,* Beatus *indigetatur a Ferreolo Locrio in Chronico Belgico, Guilielmo Gazæo in histor. Ecclesiast. Belgii, Hugone Menardo in Martyrol. Benedictino;* Sanctus *ab Andrea Saussaio in Martyrol. Gallicano.* Beatum *quoque facit Arnoldus Rayssius, sed ad* XXVI *Februarii refert, et cum* vigesimum ageret annum *seculo nuntium remisisse, fuisse autem* XL *in numero Abbatum. Refellit ista Iperius, et ipse Abbas, qui* XXII annos ætatis excedentem, Curialium officiis seculoque relictis, in monasterio Aquicincti monachum effectum *scribit: anno deinde* MCXXXVIII *Abbatem Bertinianum* XLIII honorabiliter inthronisatum; *atque ex ejus epitaphio diem mortis indicat:* Februi sexta, suprema tui. *In ejus laudem ista addit:* Cujus memoriam Sithienses habere debent in secula, sibi reddentes orationum pia suffragia. Nam multa in libertatibus et possessionibus acquirendis, ampliandis et defensandis, libris, ornamentis et aliis modis pluribus eis multa tribuit beneficia. *Verum nulla ei publica habetur*

A *habetur in Sithiensi, sive Bertiniano, cœnobio veneratio.*

Godefridus ex Comite Palatino monachus Hirsaugiensis, vir quondam in seculo strenuus et illustris, in religione autem fervens et devotus.... post multa bona opera in Domino quievit VIII Id. Februar. anno MLXXXVI, sepultus non sine opinione sanctitatis in medio Fratrum suorum. *Ita Trithemius in Chronico illius cœnobii. Eum Wion, Dorganius, Ferrarius, Menardus, absolute* S. Godefridum, (*Wion* Godofridum) *suis Martyrologiis inscripsere. Si in numero Sanctorum habitus fuisset, non id sane reticeret Trithemius.*

F. Simon, Minister Turoniæ, ad cujus os Spiritus sanctus in specie columbæ visus est, (*uti eum celebrat Bartholomæus Pisanus lib.* 1 *Conformitatum, fructu 8 parte* 2, *in provincia Turoniæ*) *recensetur a Francisco Gonzagua inter* Beatos *Ord. Seraphici, cum eodem elogio ; ejusque natalis ab Arturo in Martyrol. Franciscano* VI *Februarii assignatur. Verum neque ejus uspiam in Gallicano Martyrol. Saussaii, quamquam amplissimo, mentio fit ; neque aliunde quidquam de ejus veneratione comperimus.*

S. Alto Confessor. *MS. Florarium. De eo nos* XI Febr.

B S. Soteris V. M. Romæ. *Martyrol. S. Hieronymi, Beda, Rabanus, Notkerus, Maurolycus, et alii : quorum quidam* in Oriente *passam scribunt. De ea agemus* x Februar.

S. Zoticus,
S. Irenæus,
S. Iacinctus,
S. Amantius,
Martyres Romæ, *referuntur hoc die in vulgato Bedæ Martyrologio. De iis agemus cum Romano Martyrol. et aliis* x Februar.

S. Scholasticæ V. depositio *hoc die annotata est in Martyrol. Aquisgranensi. De ea dicemus* x Februar.

S. Relindis, *quæ et* Renula, Virgo, *hoc die colitur Maseæ. Fuit post* S. Harlindem *sororem secunda Abbatissa Alteikensis (ut nunc vocant) cœnobii. Porro S.* Harlindis, *quæ hic quoque a multis cum sorore refertur, peculiare festum habet* XII Octobris. *Sed præcipua utriusque solemnitas agitur* XXII Martii.

Festum Reliquiarum Atrebatensis Ecclesiæ *annotatur hoc die (occasione, opinor,* S. Vedasti) *a Molano in Natalib. SS. Belgii : qui tamen ostendit festum id peragi Dominica 2 post Pascha, et Dominica intra Octavas Corporis Christi ; uti ostendemus ad* v Aprilis, *et* XXIV Maii.

S. Quirini M. *Advectas Coloniam hoc die* Reliquias C *ostendit in Fastis Agrippinensibus Gelenius. Alii pridie, ut diximus, eam Translationem locant. De ea agemus ad* XXX April.

B. Ladislaus Gielnovius Ord. Minorum *hoc die refertur ab Arturo in Martyrol. Franciscano. At Vincentius Moraweskius in ejus Vita tradit obiisse* IV Maii.

S. Odo Cantuariensis Archiepiscopus *refertur hoc die a Ferrario. Vitam dabimus* IV Julii.

S. Pantaleonis M. *translatas Coloniam* reliquias *hoc die annotant Martyrol. Coloniæ editum an.* MCCCXC, *Hermannus Greven, Gelenius, Florarium, Doctrinale Clericorum : alii pridie ponunt. Nos de ea translatione agemus ad ejusdem Sancti natalem* XXVII Julii.

S. Helena Augusta *refertur hoc die in MS. monasterii S. Martini Treviris, MS. S. Mariæ Ultrajecti. Natalis ejus agitur* XVIII Augusti. *Translatio a pluribus ponitur* VII Februar.

Merinus *memoratur quidam ab Hectore Boetio lib.* 6 *histor. Scotorum, monachus extitisse,* insigni pietate vir, *quo tempore* S. Regulus *Abbas dicitur* S. Andreæ Apostoli *Reliquias in Britanniam, ex Achaia attulisse.* Merinus (*inquit Georgius Conæus lib.* 1 *de statu religionis apud Scotos*) aut secutus venientem, aut inventum in monastica vita imitatus est. *Regulum tradunt Adamus Regius, David Camerarius* D *aliique,* XVII *Octobris coli,* XXX *Martii Breviarium Aberdonense. Ferrarius* VI *Februarii* S. Merinum *refert, ex Martyrol. Scotico, ut ait ; non Regii certe, nec aliud vidimus. Quod addit, testari Boethium, monachum S. Basilii fuisse* Merinum, *ac reliquias S. Andreæ attulisse Patras in Scotiam ; id de eo Boethius non refert, ut, cum de Regulo erit sermo, dicemus. Dempsterus lib.* 12 *hist. Eccl. Scot. cap.* 909 *ait* homilias de Sanctis scripsisse. *Alius* Merinus Abbas et Ep. (*Dempstero ibidem cap.* 859 Mirinus) *colitur, ut ex Breviario Aberdonensi patet* XV Septemb.

S. Fausta,
S. Evilasius,
S. Maximus,
Martyres Cyzici in Propontide. *Menæa ac Menologium Græcorum, Galesinius aliique. De iis cum Martyrol. Romano agemus.* XX Septemb.

Garinus Abbas Altæ-cumbæ, Ep. Sedunensis, *refertur hoc die in Kalendario Cistersien. Divione edito : a Chrysostomo Henriquez* VI *Januarii cum titulo* Beati ; *ab Hugone Menardo in altera appendice Martyrol. Benedictini, recensetur in Catalogo SS. et BB. Ord. Cistercien. ex veteri Missali an.* MDXXVI *Parisiis edito, nullo adscripto die. Henricus Murerus in Helvetia sancta inter* XII *Sanctos Valesiæ numerat* X *loco* Garinum, *sive* Guarinum : *sed videtur* E *alius esse ab illo S. Bernardi coætaneo, facit enim eum* CC *annis S. Bernardo seniorem. De eo agemus ad* XXIII Septemb.

S. Ursicinus Ep. Trajectensis, *in Kalendario SS. provinciæ Leodiensis, hoc die, et cum ceteris Episcopis Trajectensibus, ut diximus, et iterum seorsim refertur. De eo agemus* 1 Octobr.

S. Lubentius Presbyter, S. Maximini II Ep. Trevirensis, discipulus, *hoc die refertur a Canisio, Hermanno Greven, MS. S. Maximini, et Kalendariis quibusdam. Colitur* XIII Octobr.

S. Amandus Ep. Argentoratensis *interfuit Concilio Coloniensi an.* CCCXLVI. *Ejus et S. Amandi Episcopi Trajectensis res gestæ confunduntur, uti infra ad hujus Vitam obiter dicemus, plenius de eo acturi quo die Ecclesia Argentoratensis suum* Amandum *celebrat* XXVI Octobr.

S. Justinus, *sive* Justus,
S. Maximus,
S. Valentinus,
S. Solarius,
Episcopi Argentinenses, *post S. Amandum, uti dicemus ad Vitam S. Amandi Ep. Trajectensis hoc die.* S. Justinum *inter viros Apostolicos et Patronos Argentiniensium censent Acta S. Deicoli, quæ dedimus* XVIII *Januarii. Eumquoque, et* Maximinum *ac* Valentinum F *appellant Wimphelingus et Guillimannus* Sanctos : *addunt* Solarium *Bruschius et Demochares. Si aliis quo colantur, non occurrerit proprius dies, poterunt cum S. Amando Argentoratensi referri* XXVI Octob.

S. Amandus Episcopus Wormatiensis *ejus nominis* II, *floruit tempore Dagoberti* I, *cujus sacra pignora adservantur in æde primaria, eique templum parochiale dicatum est in suburbio : ut Lectiones ad Matutinum recitantur ex Vita* S. Amandi Episcopi Trajectensis, *de quo hoc die agimus ; quando et Wormatienses Commemorationem faciunt* S. Amandi : *at solenni cultu eum celebrant* XXVI Octobr.

B. Didacus, Oxomensis in Hispania Episcopus, VI *Januarii, quo die Cisterciensi Kalendario Divione edito inscriptus erat, in* VI *Februarii fuit a nobis rejectus, quod hic eum Menolog. Cisterciense Chrysostomi Henriquez locaret.* Sanctus *quidem appellatur a Petro de Natalib. lib.* II *cap.* 72, *cujus titulus est,* D. S. Didaco Ep. *uti et a Joanne Marietta lib* 6 *de SS. Hispaniæ cap.* 83. *item a Constantino Ghinio in Natal. SS. Canonicor. ad diem* XII *Novembris.* Beatus *vero dicitur ab Hugone Menardo in appendice altera ad Martyrol. Benedictinum. Et fuit plane vir sanctus et Apostolicus, uti ex citatis auctoribus* ANNADV. AI 93.

AUCTORE J. B.

A *ribus patet, et iis omnibus qui gesta contra Albigenses, ac vitam S. Dominici scripsere; præsertim vero ex Thomæ Malvendæ Annalibus Ord. Prædicatorum, et Angeli Manrique Annal. Cistercien. tom. 3, qui duo tamen postremi Scriptores, accurati comprimis,* Beatum *eum non appellant, etsi alias illius tituli dignatione minime parci. Joannes Tamayus de Salazar in Martyrol. Hispan. ad hunc diem Vitam ejus refert ex pervetusto Legendario Ecclesiæ Uxamensis, sub cujus finem ista habentur :* Ejus corpus sanctissimum in Crucifixi ædicula tumulatum, deinceps claruit miraculis : cujus tanta suæ Ecclesiæ concivium et vicinorum accolarum veneratione colitur, ut absque ejus deprecatione nullus opus etsi minimum aggredi audet, ut propositi successus optimus consequatur a Deo. *Quæ tamen non videntur ullum publicum cultum, vel Ecclesiastica auctoritate sancitum, vel publico aliquo monumento testatum significare : nec elevatio facta aliqua vel Translatio memoratur. Quare tantisper hic eum omittimus, dum certiora assequamur. Et sane cum, ut ex illius epitaphio constat, Æra* MCCXLV, *sive anno Christi* MCCVII, D *obierit, existimat Malvenda non nisi sub anni ejus finem decedere potuisse ; licet citata ex Tamayo Vita ponat* VIII Id. Febr. *obiisse. Si quid certius de publico aliquo cultu,* Beative *titulo nobis postea constiterit, licebit cum Ghinio eum dare* XII Novembr.

S. Ansani Martyris reliquiæ *hoc die Senas a loco martyrii solenniter* translatæ *sunt, uti tradit in Vitis SS. Etruriæ Seraphinus Razzius : eaque translatio hic a Ferrario annotata. Vitam dabimus* I Decembr.

S. Lucia, Virgo Martyr, Syracusis. *Martyrol. S. Hieronymi, MSS. S. Lamberti Leodii, Aquisgran. S. Maximini. De ea agemus* XIII Decembr.

S. Gelasius Confessor *in Martyrol. Coptico memoratur hoc die. An forte* Sanctus Papa Gelasius *sit, de quo agemus* XXI *Novembris, haud scimus : an potius* Gelasius Abbas, *qui et* Anastasius *appellatus reperitur in Vitis PP. videturque referri in Menæis Græcorum.* XXXI Decemb.

# B DE S. BUCOLO EPISCOPO SMYRNENSI, E

J. B.

## Commentarius prævius.

*Circa an. Chr. C vel fere. S. Bucolus Smyrnæ Ep.*

Smyrnæ *in Asia primus Antistites fuerit* S. Bucolus, *an* Strataeas, *Eunices filius, in ambiguo est. Pionius enim in S. Polycarpi Vita, quam* XXVI *Januarii dedimus, tradit,* postquam Smyrna discessit Paulus Apostolus, suscepisse munus docendi Strataeam et alios quosdam cum ipso. *Decessor certe quidem Polycarpi fuit* Bucolus. *Ita menæa itidem a nobis in Prolegomenis* § 1 *num.* 3 *relata :* Fuit hic *(Polycarpus)* Joannis Theologi et Evangelistæ, una cum Ignatio Theophoro, discipulus, et post Bucolum sanctissimum Smyrnæ Episcopum, qui prædixerat ei sacerdotium, ab Episcopis est consecratus. *Suidas quoque, itidem* § 2 *num.* 15 *citatus,* Polycarpus, *inquit,* Joannis Evangelistæ et Theologi auditor, Bucoli autem primi Ecclesiæ Smyrnæorum Episcopi successor, qui et post ipsum secundus tenuit episcopatum.

*decessor S. Polycarpi,*

2 *Natalem* S. Bucoli *ita consignavit hoc die Molanus in addit. ad Usuardum :* Die sexta, sancti Patris Buculi, Episcopi Smyrnæ, *quæ sunt ex Horologio Græco sumpta. Et Ferrarius :* Smyrnæ in Asia S. C Bucoli Ep. discipuli S. Joannis Apostoli. *Galesinius in Notat. ad* VI *Februarii :* In Græcia S. Bucoli, Smyrnæ Ep. ut in Menologio et Horologio scriptum est. Fuit is Joannis Apostoli discipulus, habuitque in episcopatu successorem B. Polycarpum.

*colitur 6 Febr.*

3 *Res a S. Bucolo præclare gestas, a Pionio traditas esse litteris, conjicere licet ex iis quæ idem scribit in vita S. Polycarpi cap.* 1, *num.* 3 *:* Suscepit, *inquit,* docendi munus Strataeas et alii quidam cum ipso, quorum nomina, prout reperire potuero, et qui qualesve extiterint, exponam. *An is uspiam extet commentarius, necdum comperimus. Dabimus hic Vitæ ejus epitomen ex novo Anthologio, quod Romæ an.* CIↃIↃXCVIII *excudi curavit, et Clementi* VIII *dedicavit, Antonius Arcudius ; deinde ea subjungemus quæ in vita S. Polycarpi sparsim de illo dicta.*

*quæ vita unde descripta?*

4 *Celebrem fuisse miraculis, sive factis in vita, sive ad ejus tumulum divinitus patratis, ostendit Nicephorus Callistus lib.* 3 *cap.* 34 *ita scribens :* Apostolorum sectator Polycarpus martyrio est defunctus, qui post Bucolum Thaumaturgum, *sive mirandorum operum effectorem,* Smyrnæorum Ecclesiæ præfuit. *Huc facit quod de eo canunt in Menæis Græci :* Sacerdotii luce micans populos illuminasti, o Hierarcha, idolorum tenebras dissipasti ; ac per splendorem curationum, nebula passionum discussa, transisti ad inaccessum jubar, plurimum intercedens pro nobis, qui te veneramur, Beate Bucole. *Quod de miraculis in vita factis dictum videtur : illud de iis quæ ad sepulchrum contigerunt, canunt eadem Menæa :* Ut palma germinans in aula Dei, debito justis somno consopitus es, o Bucole Dei præco. Nam ante divinum tuum monumentum plantam producis miraculum videntibus. Terra quidem beatum tuum corpus obtegitur, medelas et gratias manifeste scaturiens, o gloriose Bucole, sed animam tuam simul cum electis, vere divinis refulgentem splendoribus, cœlum obtinet.

*miraculis clarus, in vita et post mortem:*

5 *Quo is obierit anno, quantove tempore Ecclesiam Smyrnensem tenuerit, nusquam diserte traditum est. Sed cum ex S. Polycarpi Vita constet, jam tum Episcopum fuisse, quando is admodum adolescens Smyrnam adductus est; tamdiu protraxisse vitam, ut jam canis resper-sum sacerdotio initiarit ; merito in eadem Vita* longum pietatis stadium percurrisse *dicitur. Si, quod quidam scripserunt, S. Joanne Evangelista Episcopus constitutus est Polycarpus ; necesse est* Bucolum *decessisse non serius, quam* LXVIII *post Passionem Domini anno,* F *cum Joannes eo ipso anno mortuus sit, uti S. Hieronymus testatur lib. de illustr. Ecclesiæ scriptorib. cap.* 9. *Is autem est annus Æræ vulgaris nonagesimus nonus, Trajani secundus. At prius etiam obiisse* Bucolum oportet, *si vere adolescens ille, de quo ad Polycarpi Vitam,* § 4, *num.* 32 *egimus, ab Joanne commissus ei fuit, et non cuipiam alteri circa Ephesum Episcopo: multoque magis, si Polycarpus est* Angelus *ille* Ecclesiæ Smyrnæ, *cui Joannes e Pathmo scripsit Apocalypseos* 2. *Nobis neutrum liquet : multoque magis eo inclinamus, ut Bucolum fuisse istum* Angelum *credamus.*

*diu in episcopatu vixit, circiter annum Chr. 99 mortuus,*

6 *Fortassis etiam non aliter constitutus Episcopus ab Joanne est Polycarpus, quam quod Episcopum futurum prædixerit : quod et Bucolus, si non verbis, certe actione ipsa moribundus designavit, et ipse cælitus edoctus : licet ab eo ipso consecratum Græci asserant in Anthologio infra, et in Menæis, ubi præter alia, S. Bucolo ista decantantur :* Postquam egregie administrasti sacram Smyrnæorum Cathedram, o prorsus benedicte Bucole, Spiritus Polycarpum post te Pastorem manu tua consecrandum adducit. *Et,* Cognita per Spiritum evocatione tua, o sapiens Bucole, successorem tuum, in gratia rationalium ovium ducem, ad altare adducis, virtutum fulgoribus coruscantem. *Refellit hoc*

*Polycarpum consecrasse, perperam asseritur*

A *hoc Pionii narratio, in qua Joannis cum vel consecrantis, vel suffragio suo deligentis, nulla mentio.*

*restitit hæreticis, sed non Marcioni*

7 *Quædam in iisdem Menæis de S. Bucolo pronuntiantur, quæ ad S. Polycarpum verius spectant :* Tuis sacris concionibus, o gloriose Bucole, exsecrandus Marcion impugnatus ejectusque est, omnis absurditatis sordes velut rabidus eructans. *Nam Marcion (uti S. Epiphanius hæresi* 22, *alias* 42, *scribit) non nisi circa Hygini Papæ, atque Antonini Pii Imp. tempora hæresim suam procudit; vixque natus adhuc erat, cum Bucolus decessit. Pugnavit tamen S. Bucolus adversus hæreses, Ebionis præsertim ac Cerinthi. Hinc ea illi laus in citatis sæpius Menæis tribuitur, quod* Dominicum gregem bonus pastor ad pascua pietatis deduxerit, omnemque hæresim, ut immanes feras, abegerit : suaque doctrina ex intelligibilis lupi faucibus populos extraxerit, et hæreticorum ora, ostio carentia, obturarit, divina sua eruditione.

*fors tunc necdum nato.*

## VITÆ EPITOME

### *ex* [a] *novo Anthologio Græco.*

B *Bucolus a S. Joanne Episcopus ordinatur,*

Hic a prima ætate innocentiæ atque integritati animum dedidit, factusque est domicilium Spiritus sancti. Quem celeberrimus ille Christoque dilectus Joannes Theologus, probatum dignisque præditum moribus reperiens, Episcopum ac pastorem utilissimum Ecclesiæ Smyrnæorum consecravit. Is initiatus et a Spiritu sancto *b* velut in publicam lampadem erectus, sedentes in errorum tenebris cœlesti luce perfudit, et per baptismum *c* filios lucis constituit, ab innumeris ac immanibus inferorum monstris liberatos. Priusquam vero migraret e vita, B. Polycarpum in eadem urbe pastorem ac doctorem ratione pollentium ovium *d* consecravit, ac demum ipse ex humanis excessit. Tumulato autem corpore *e* plantam oriri Deus fecit, quæ huc usque plurimis morbis curationem præbet.

*Polycarpum Episcopum designat*

*miraculis a morte clarus.*

a *Eadem habentur in Menæis.* — b λαμπαδουχούμενος : *qua voce sæpe utuntur Menæa.* — c υἱοὺς ἡμέρας. filios diei, *ita etiam Menæa.* — d *Aliter id narrat Vita S. Polycarpi, eque ea nos infra.* — e *Myrtum vocat Pionius in eadem Vita S. Polycarpi, sive* μυρσίνην.

## ALIA VITA

### *ex actis S. Polycarpi,* XXVI *Jan.*

C *S. Bucolus Episcopus*

Cum Smyrnæ Episcopus esset Bucolus, *Polycarpus* puerulus, ex Oriente genus ducens, *Smyrnam adductus est : quem* mulier religiosa ac Deum timens, bonisque assidue vacans operibus, Callisto nomine, *Angelico monitu, emptum* domum duxit, et gaudebat honeste illum educans, et cœlesti erudiens disciplina : *cap.* 1 *num.* 3.

*Polycarpum adventum*

*unice diligit,*

2 Bucolus *Polycarpum* unice diligebat, et maximi semper inde a prima ætate fecerat; et, quam de eo conceperat, spe exultabat, uti lætari filiorum probitate parentes consueverunt, quod prudentes nacti sint suarum facultatum hæredes. Ipe quoque mutuum Bucolo affectum rependebat : eum ut parentem reverebatur, non fucatis sermonibus, nec omnino una vice ac subito conciliata invicem caritate, sed sensim ac tacite. Aspernabatur enim eos qui dicunt : Noverat tempora opportuna, ut neque fastidium afferret, neque semper eadem placitura existimaret. Domum quidem aut munus aliud neque hic illi, valenti etiam aliis subvenire, largiri studuit, neque Bucolus accipere. Nam proprium hic lucrum censebat, adolescentis erga egentes promptitudinem : is vero Domini Jesu præceptum decenter exequebatur, tribuens non valentibus remunerari : cum quidam artificio quodam honorem venentur, majoremque minori quodammodo mercari appetant. *cap.* 3 *num.* 10.

*amicitia non temere contracta,*

*sed mutua æstimatione virtutis :*

3 Multa quoque ab eo recte gesta ipse suis oculis vidit Bucolus. Intelligens igitur vere eum Ecclesiastico ordine dignum esse, propter ætatis needum satis provectæ imbecillitatem, in Diaconorum gradu primum eum constituit, universa suffragante Ecclesia. Beatus ipse revera, qui dignus fuerit manum imponere sancto illi capiti, et suo ore benedicere tali animæ. Est enim rite electorum ordinatio probata et legitima, apud homines irreprehensibilis, conscientiæ innoxia, caussaque tranquillitatis et lætitiæ, quæ fit ab iis qui sunt in divini officii munere collocati, per fidem in Deum. *ibid. num.* 11. D

*AUCTORE J. B.*

*Diaconum eum ordinat :*

4 Crebro autem eum admonens et adhortans Bucolus, vix tandem persuasit ut Christianam fidem publice doceret, et in ecclesia catecheseos sermones haberet, (hic est enim traditus a Christo, velut principium rectæ doctrinæ, Ecclesiasticus Catholicus canon) et mysteria sufficienter interpretaretur, quæ multis occulta. *ibid. num.* 12.

*catechesin ei imponit :*

5 *Ceterum cum in dies ætate proveheretur Polycarpus,* ut jam etiam senii prænuntia floreret canities, atque albi in temporibus ridere capilli cœpissent... cernens Bucolus et maturam Polycarpo esse ætatem, et maturiorem quam pro numero annorum compositionem vitæ totius, intellexit posse eum sibi optimum consiliarium esse in iis quæ ad Ecclesiam pertinebant, et socium doctrinæ. Confirmavit autem quasique consignavit Dominus hanc ejus sententiam, idem ei per visum præcipiens. Itaque eum Presbyterum ordinavit, omni Ecclesia unanimiter eum cum magno gaudio suscipiente; cum ipse contra id munus vehementer refugeret : dicebat enim vix se pro loco uno, deque uno officio reddendæ rationi sufficere, nedum de pluribus. Addidit deinde : Si quis indignus honore, suscipere eum audet, judicium habet : sin dignus est, at priorum mercedem recipit; suscipiens veluti præmium quoddam benefactorum, sacerdotii dignitatem. Cum non sineretur plura dicere, Dei voluntati et piorum consilio cessit, initiari se sacerdotio passus, visione quoque divina, et plurimis adhortationibus permotus. *cap.* 4 *num.* 17. E

*jam canescentem,*

*divino monitu,*

*licet diu reluctatum,*

*Sacerdotem consecrat :*

6 Cum longum pietatis stadium percurrisset Bucolus, ac sæpenumero edoctus esset cœlitus qualem esset successorem habiturus, gaudens et exultans, atque veluti in sapiente dispensatore acquiescens, ita decessit, ut iminente jam morte, Polycarpi manum caperet, et primum quidem pectori suo eam apprimeret, dein vultui; ostendens quod quæcumque munia ac charismata illis sensuum facultatibus et instrumentis administrantur, corde quidem intelligendo, videndo oculis, auribus audiendo, naribus Christum aspirando, ore Deum Patrem et Filium ejus Jesum prædicando, ea omnia illi essent commissa. Quæ cum egisset Bucolus, Gloria tibi Domine, inquit, itaque obdormivit. Polycarpus vero nihil eorum tunc cogitabat : semper enim illi solum futurorum spes studiumque inerat. At qui præsentes circumstabant et hæc videbant, mutuos de iis sermones privatim conferebant, spe pleni fore ut talis sibi Pastor obtingeret. F

*divinitus intelligit cum sibi successurum,*

*idque signis patefacit :*

*pie moritur*

7 Efferentes vero B. Bucoli corpus ad cœmeterium basilicæ Ephesiacæ dictæ, *a* juxta Smyrnam sitæ, illud condiderunt, ubi nunc *b* myrtus crescit, post translationem corporis S. *c* Thraseæ Martyris : peractisque omnibus, obtulerunt panem pro Bucolo et ceteris : una vero omnium sententia fuit, ut Polycarpus offerret. Ille vero ut semper modeste et circumspecte se gerebat, quæ ad honorem suum spectabant rescindere conabatur : illi vero præoccuparant, ne aliter fieret. Cessit ergo voluntati eorum, sacrificiumque peregit. *cap.* 5 *num.* 20.

*sepultur*

*planta salutifera ad sepulchrum enata : celebrat inde exequias Polycarpus.*

a *Halloix*

A AUCTORE J. B.

a *Halloix ita exponit* Delato igitur in urbem Smyrnam Bucoli corpore (quippe in suburbanis mortem oppetierat) atque in cœmeterio non procul ab Ephesina porta tumulato. *Unde didicit foris eum obiisse? Erant certe olim extra urbes sepulchra plerumque ac cœmeteria.* — b *De hac supra dictum* — c *Colitur* S. Thraseas, *Eumeniæ in Phrygia Pacatiana Episcopus et Martyr*, 5 *Octobris*. D

# .DE S. VITALE MARTYRE,

## ABULÆ IN HISPANIA.

J. B.

IV FEBR.

*Tres in Hispania SS. Vitales MM.*

Tres *reperio, celebre apud Hispanos obtinentes nomen*, Vitales. *Primus est, qui cum SS.* Zenone et Felicula, *Romæ* XIV *Februarii, fecisse martyrium legitur. Alter, qui a* S. Sebastiano *Romæ, cum* Tranquillino *et aliis, Christi fide imbutus, martyrio deinde in Campania coronatus est* II *Julii : hunc volunt* SS. Justi *et* Pastoris *parentem fuisse. Tertius S. Agricolæ famulus et socius martyrii fuit, coliturque cum eo* IV *Novembris; sed eorum Reliquias in urbem Najaram translatas, isthic* XXVII *Novemb. celebrari scribit Joannes Marietta lib.* 2 *de SS. Hispaniæ cap.* 98.

*unus colitur Abulæ,*

2 *Colitur Abulæ* VI *Februarii, ritu duplici*, S. Vitalis *Martyr, uti ex* Ordine recitandi officium Divinum, *excuso Matriti an.* MDCXXXV, *patet. Sit necne e tribus* B *illis unus, haud equidem facile pronuntiem. Clemens* VIII *Pontifex Maximus ejus corpus an.* CIↃIↃXCV *ad Sanctium de Avila misit, Carthaginis Spartariæ tunc Episcopum, qui deinde ad Giennensem, post ad Seguntinum, ac demum ad Placentinam promotus est tiaram. Is, quia et Abula oriundus, et primum isthic Canonicus fuerat, Abulensem Ecclesiam eo pignore, anno* CIↃIↃC, *honoravit : uti Ægidius Gonsalez Davila tom.* 2 *Theatri Ecclesiastici Hispaniarum, in catalogo Episcoporum Placentinorum, testatur : ejusque iterum meminit, cum de Sanctorum corporibus Abulæ quiescentibus agit. Ipsemet Sanctius de Avila lib.* 3 *de veneratione sanctarum Reliquiarum cap.* 8 *num.* 3 *testatur corpus sibi* S. Vitalis *M. a Clemente* VIII *donatum, illudque se Ecclesiæ Abulensi, uti et quas plurimas in suo oratorio habebat Sanctorum reliquias, relicturum, in sacello, quod construi curabat, collocandas.*

*quo ejus translatum Roma corpus :*

3 Vitalem *hunc Sanctio Antistiti, et Hispanis aliis cum conjicio haberi, qui, ut ante dictum*, Zenonis *et* Feliculæ *socius fuit. Nam, ut auctor est Franciscus Bivarius Commentario in Dextri Chronicon, Sanctius* idem, non minus doctrina et scriptis, quam sanguinis claritudine decoratus, cum Gienni degeret Præsul, in lucem edidit specialem librum de vita martyrioque S. Vitalis, primi Toletanorum Archipresbyteri. *Eum librum videre adhuc nobis non licuit. Suspicamur tamen Sanctium ejus celebrare gesta ac memoriam* Vitalis *voluisse, cujus Roma corpus acceperat.*

*scriptus de eo liber a Sanctio de Avila.*

ANIMADV. PAP. 94

4 *Addit Bivarius, illum eo in libello*, Dextri testimonio narrationem suam confirmare. *Dexter autem tum ad an.* 105 *num.* 6 *consultum* Vitalem *aliosque viros sanctos a S. Eugenio de primatu Hispaniæ scribit, tum ad an* 110 *num.* 6 *ista habet :* S. Vitalis primi Toletanorum Archipresbyteri, (ex his quos venisse scimus) qui cum Zenone et Felicula venerant Toletum, Romamque ex Chersoneso reversi, mirificum certamen fuit, quod ad Ecclesias totius Occidentis scribitur. *Quæ ita interpretatur Bivarius :* Is cum Toleti E aliquandiu quievisset, ex Chersoneso (hoc est, Peninsula, seu Peniscola Valentiæ) solvens, Romam cum sociis contendit, ubi martyrii palmas acceperunt.

*creditur Hispani Archipresbyterum Toleti fuisse.*

5 *Plura de* S. Vitale *Hieronymus de la Higuera Noster in Diptycho Toletano, ac tandem hæc :* Credo (et ita narrat historia) a S. Marcello Eugenio fratrem nomine Vitalem, Archidiaconum suum, missum ad eos (*Nereum nempe et Achilleum*) consolandum, reficiendum, et recreandum : quo pietatis officio aliquod tempus transegit S. Vitalis frater S. Marcelli et Archipresbyter : quo transacto, rediit ad fratrem et Episcopum S. Marcellum. Postea negotiorum gravissimorum caussa misit eumdem Parisios, ad conveniendum S. Dionysium : inde adire jussit Clementem Papam, ut rationem ei redderet legationis suæ, et progresssus provinciæ in fide et religione. Interea S. Clemens mittitur in exilium : fuit comes exilii Vitalis, eoque defuncto rediit Romam, et sub Trajano patitur cum Felicula Diaconissa, et alio socio, præclarum pro fide martyrium. *Hæc omnia neque confirmare neque refellere animus aut otium est : quare ea citatorum auctorum fidei relinquimus.*

*Romæ martyrio coronatum*

C

# DE S. ANTHOLIANO MARTYRE,

F

## CLAROMONTE IN GALLIA,

J. B.

### Commentarius historicus.

CIRCA AN. CH. CCLV VI FEBR.

*S. Antholiani nomen in Martyrologiis.*

Arvernis in Gallia S. Antholiani Martyris VIII *Id. Februarii triumphum recoli tradunt Martyrol. Romanum, Beda, Ado, Usuardus, Notkerus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, Petrus de Natalibus lib.* II *cap.* 130 *num.* 51, *ipsumque antiquissimum Romanum Martyrol. quod S. Hieronymi appellamus. Beda vulgatus, et MS Adonis ex monasterio S. Laurentii Leodii*, Anatholium *vocant; quædam MSS.* Antholium, *Canisius* Anatolianum : *Labbeus noster ex MS. monasterii S. Laurentii Bituric.* Ancolianum; *MS. Florarium*, Antholianum vel Anatolium; *MS. monasterii S. Maximi Treviris*, Amilianum *Galesinius isto cum elogio celebrat :* Arvernis, S. Antholiani Martyris; qui in ea urbe, pro Christo sanguine profuso, illustre fidei testimonium dedit. *In Notis (nisi mendum sit ab incuria typographi)* passim in codicibus, recte exaratis, Anthoenum legi *scribit. Nos certe quidem in nullo exarato codice, quales plures habemus, ita scriptum reperimus. Neque Episcopum appellari, præterquam in unico monasterii Centulensis, Bedæ nomen præferente, in quo ita habetur :* Arvernis S. Antholiani Ep. et Mart. *Ad marginem tamen Martyrologii Usuardi a Molano editi, adscripserat, nescio e quo exemplari, Andreas Scottus noster :* Arvernis S. Antolini Episcopi et Martyris.

*varie scriptum*

*non fuit Episcopus :*

2 *Acta* S. Antholiani *S. Præjectus Arvernorum Episcopus scripsit. Ita hujus Vitæ secundæ auctor* XXV *Januarii, cap.* I *num.* 9. Passiones Martyrum Cassii, Victorini, Anatoliani et Astrebodii, ac ceterorum Sanctorum, qui in eadem urbe sanguinem fuderunt pro Christo, glorioso elucubravit stylo. *Eas nondum videre contigit Si non interciderunt, proferet atque illustrabit Ignatius Josephus a Jesu Maria, doctus vir et pius, ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum, qui dudum sacram Arvernorum historiam meditatur.*

*Acta descripta a S. Præjecto :*

3 *Prioris S. Præjecti Vitæ scriptor coætaneus cap.* I *num.* 5 *de S. Antholiano et Sociis ista refert :* Opinio vera habetur, quod in eadem urbe, sub paganis Principibus,

A cipibus, legio sancta occubuerit Sanctorum, qui pro Christi nomine proprium ibi fuderunt sanguinem. Hujus legionis Principes Cassium et Victorinum, Anatolianum quoque fuisse confirmat antiquitas. *Si de militari legione agit auctor, refutatur sane quidem, quod ad* Cassium *et* Victorinum *attinet, verbis S. Gregorii Turonensis, quæ mox proferemus: sin vero de turma Christianorum simul palmam adepta illi sermo est, verissima videtur prædicare.*

*Claromonte martyrium subiit,*

4 *Liceat autem non temere suspicari, non a Romanis Galliarum Præsulibus, sed ab Chroco Alamannorum Rege,* S. Anthonialum *sociosque fuisse interfectos. Nam S. Gregorius Turon. lib. 1 hist. Francor. cap. 30 ita scribit:* Vicesimo septimo loco Valerianus et Gallienus Romanum imperium sunt adepti, qui gravem contra Christianos persecutionem suo tempore commoverunt. Tunc Romam Cornelius, Cyprianus Carthaginem felici sanguine illustrarunt. Horum tempore et Chrocus ille Alamannorum Rex, commoto exercitu, Gallias pervagavit. Hic autem Chrocus multæ adrogantiæ fertur fuisse. Qui cum nonnulla inique gessisset, per consilium (ut aiunt) matris iniquæ collectam (ut diximus) Alamannorum gentem, universas Gallias pervagatur, cunctasque ædes, quæ B antiquitus fabricatæ fuerant, a fundamentis subvertit. Veniens vero Arvernos delubrum illud, quod Gallica lingua Vasso Galatæ vocant, incendit, diruit atque subvertit....

*sub Chroco Rege Alamannorum, Gallieni tempore*

*Gallias populato,*

5 Juxta hanc urbem Liminus Antholianusque Martyres requiescunt. Ibi Cassius ac Victorinus in dilectione Christi fraterno affectu sociati, per effusionem cruoris proprii, cœlorum regna pariter sunt adepti. Nam refert antiquitas, Victorinum servum fuisse ante dicti templi sacerdotis. Qui dum plerumque vicum, quem Christianorum vocant, ad persequendos Christianos adit, Cassium reperit Christianum. Cujus prædicationibus atque miraculis motus, credidit Christo: relictisque fanaticis sordibus, ac baptismo consecratus, magnus in virtutum operatione enituit. Nec multo post per martyrium, ut diximus, in terris sociati, ad cœlestia pariter regna migraverunt.

*sub quo et SS. Cassius ac Victorinus,*

6 Irruentibus autem Alamannis in Gallias, S. Privatus Gabalitanæ urbis Episcopus.... *de quo* XXI *Augusti*.... spiritum exhalavit. Chrocus vero apud Arelatensem Galliarum urbem comprehensus, diversis adfectus suppliciis, gladio verberatus interiit: non immerito pœnas, quas Sanctis Dei intulerat, luens.

*S. Privatus Ep. Gabalit. Mimate,*

C 7 *Cur illi de Chroco narrationi interjecta* Antholiani *sociorumque mentio, nisi quia ab eo vel militibus ejus interfecti, æque ac* S. Privatus *Gabalitanus? Nam licet ob delubrum illud Arvernicum eversum, cujus sacerdoti famulatus antea* S. Victorinus *fuerat, illius, utque una* Cassii *meminisse potuerit; at non* Liminii *et* Antholiani. *Deinde cum barbarus pœnas luisse, quas* Sanctis Dei intulerat, *dicatur; videntur ii indicari Sancti, qui immediate una cum* S. Privato *erant nominati. Denique id suo judicio confirmat doctissimus Andreas Saussaius in Martyrol. Gallicano ita scribens:* Claromonte Avernorum, natale S. Antholiani Martyris, qui pro fidei testificatione a Chroco tyranno impio, Galliarum vastatore, capitis damnatus, ibi erecto tropæo immortali, cum S. Liminio gloriosi certaminis consorte, prope mœnia urbica, in loco ubi nunc ecclesia S. Galli condita cernitur, sepultus est. *Eadem fere* XXIX *Martii de cæde* S. Liminii *prædicat. Plura de veteris* Antholiani *sociis, (nulla facta temporis, quo occubuerint, mentione)* XV *Maii:* Claromonte Arvernorum, *inquit,* natalis SS. Cassii et Victorini, qui in Christi dilectione fraterno affectu sociati, per effusionem cruoris proprii, cœlorum regna pariter sunt adepti. Quibuscum Maximus, Anatolianus et Austremonius, aliique sex mille ducenti tres sexaginta (quorum nomina Deus scit) hac truculenta strage prostrati, præclara pro Christi fide et gloria concertatione, nec spiritu nec corpore sejuncti, occubuerunt, *etc. In indice notat hoc die Martyres* 6663, *sic nimirum interpretatus legionem, quam isthic occubuisse auctor Vitæ S. Præjecti supra citatæ asseruit.* Austremonium *certe Kalendis Novembris longe ab his sejungit, quem S. Petri Apostoli discipulum facit. Lib. 1 de Ecclesiis Claromont. apud Savaronem, cap. 10 dicuntur in ecclesia S. Venerandi,* sex millia ducenti in corpore quiescere: *de quibus ad* XII *Maii agemus.*

*S. Liminius,*

*et alii 6200 Arvernis passi.*

D AUCTORE J. B.

ANIMADV. PAP. 93.

8 *Neque tamen hic reticendum, alium ab hoc Chroco esse illum Alamannorum Regem, itidem Chrocum, quo* auxilii gratia cum Constantino comitato, ac præcipue annitente, *imperium ille cepisse memoratur lib.* 11 *histor. Miscellæ cap.* 2. *At seniorem illum cum gente Wandalorum, Suevis quoque et Alanis, Gallias depopulatum scribit Aimoinus histor. Franc. lib. 3 cap.* 1, *tandem variis eversis urbibus,* Arelas expugnare nisum, a quodam milite, Mario nomine, captum, per civitates quas everterat ductum, pœnis excruciatum, interiisse. *Marius miles, fortassis ille est, qui septimus inter* XXX *Tyrannos memoratur a Trebellio Pollione,* vir strenuus ac militaribus usque ad imperium gradibus evectus. *Militavit certe is in Gallis, sub Posthumio primum,* Transrhenani limitis Duce *qui* per annos septem *Imperatorem se gessit, et* Gallias instauravit, submotis omnibus Germanicis gentibus; *ac* jam nutante Gallieni luxuria in veterem statum Romanum reformavit imperium. *Dein Lolliano Posthumii interfectore interempto, sub Victorino,* militaris industriæ viro, *atque* assertore Romani nominis, *quemque Posthumius* in participatum vocarat imperii, *idem Marius meruit, et ab hujus matre* Victorina, *vel* Victoria, Augusta et Matre castrorum *appellata, post Victorinum, admotus ipse imperio est, sed tertio die a quodam milite occisus. Hæc de Chroco tyranno, Sanctique* Antholiani *martyrio, de quo plura fortassis et certiora ex S. Cassii Vita, quam manu exaratam Savaro citat, erui possent.*

*ipse Chrocus captus necatusque a Mario,*

*uno e 30 Tyrannis*

E

9 *De ecclesia illius honori initio sexti seculi constructa, ista tradit S. Gregorius Turon. lib. 1 Miracul. cap.* 65. Antholianus autem Martyr apud urbem Arvernam martyrium consummavit. In cujus honore Alenna soror, et Placidina conjux Apollinaris Episcopi, templum ædificare cupientes, multa Sanctorum corpora, dum fundamenta jacerent, removerunt; nescientes cujus meriti essent, quorum sepulchra repererant: quæ cum viritim sepelire ea ut possent, propter aliorum sepulchrorum multitudinem, quæ locum illum ab antiquo repleverant, non haberent, congregatam ossium massam in unam projicientes foveam, humo operuerunt. Ideoque quod Deo vel sancto Martyri acceptabile non fuisset, per visum cuidam apparuit, viditque homo ille conquerentem B. Antholianum cum reliquis Sanctis atque dicentem: Væ mihi, quia propter me multi Fratrum meorum injuriati sunt. Verumtamen dico, quia qui hæc cœperunt, ad effectum perducere non poterunt. Quod ita gestum est. Erectis tamen parietibus super altare ædis illius, turrim, a columnis, pharis, heraclisque transvolutis arcubus, erexerunt; miram cameræ fucorum diversitatibus imaginatam adhibentes picturam. Nam ita fuit hoc opus elegans et subtile, ut per longa tempora rimarum frequentatione divisum, pene in ruinam pendere videretur.

*S. Antholiano templum ædificatum,*

F

*temere congestis in unum multorum SS. corporibus,*

*quod illi displicuit)*

*turri vel cupula eleganti ornatum;*

10 Quod periculum Avitus Pontifex cernens, anticipans futuram columnarum stragem, jussit tigna, asseres vel regulas amoveri: quibus submotis, nec adjutoriis columnis appositis, nutu Dei, descendentibus de machina structoribus, ut cibum caperent, recedentibusque et reliquis a basilica, dato columnæ immenso pondere cum magno sonitu super altare,

*quæ postea corruit,*

AUCTORE J. B.

A et circa altare diruerunt; completaque est ædes nebula de effractæ calcis pulvere. At Sacerdos exanguis, duorum damnorum detrimenta suspirans, ne et marmora confregissent, et aliquis deperisset e populo, scire non poterat quid damni accessisset. Nullus enim propter nebulam pulveris illuc poterat accedere. Post duarum vero horarum spatium recedente nebula, ingressi sunt vel defunctorum colligere corpora, vel columnarum fragmenta rimari. Nullum hominem periisse cognoscunt: altare quoque mirantur illæsum, in quod e tanta altitudine impactæ columnæ nihil læsionis intulerint. Quid plura? invenerunt omnia integra, cuncta contemplantur esse salvata: glorificant Martyrem: conspiciunt Dei virtutem, qui sic altare columnasque servavit inlæsas.

*nec hominibus læsis, nec altari, quod sub ea erat*

11 *Hactenus Gregorius ex MS. S. Laurentii Leodii, collato cum Coloniensi editione Materni Cholini. In hac tamen quædam aliter legebantur. Imo utrobique pro illis verbis*, Alcimæ soror et Placidina conjux *erat:* Alchima soror Placidinæ, conjux Apollinaris Episcopi. *Legitimam lectionem nos docuit Sirmondus noster in Notis ad Sidonii Apollinaris lib. 3 ep. 13. Fuit vero* Apollinaris, *cui conjux* Placidina, Sidonii Apollinaris

*a S. Apollinaris Ep. sorore et uxore id structum templum.*

B

D *filius, uti idem ostendit auctor; æque ac parens, Divorum adscriptus tabulis, ad Septembris mensis* XXV *filius, pater ad* XX, *quo et natalis agitur* S. Aviti *Ep. qui hic narratur fatiscentem* S. Antholiani *ædem sustentare aut restaurare voluisse. At quod Gregorius Turonensis ait, (si recte assequor)* a columnis transvolutos arcus pharis heraclisque; *id sic interpretor, ut arcus Telamonibus, sive athlantibus, quos* heraclas, *quasi* Hercules *appellat, aut certe columnarum majori coronidi, innixi, ac transversariis sive tignis (si lignei erant) sive lapidibus, in fastigium fornicis χωνοειδῶς concurrentibus, itaque decussatis, vincti invicem fuerint: atque ea tigna* phari *dicta sint, quia phari in modum assurgant. Clarius eum locum explanabunt, qui tectonicæ artis periti sunt.*

*Heraclæ et phari, in fornice.*

12 *In libello de Ecclesiis Claromontanis a Joanne Savarone edito, scripto vero, ut ipse censet, circa annum* IↃCCCCL, *nulla fit ædis* S. Antholiani *mentio; ut quæ penitus eversa antea fuerit. At libello priori cap. 3 dicitur in ecclesia S. Galli, intra altare S. Mariæ* requiescere *cum aliis* S. Antholianus. *Alibi tradit Savaro, eversa S. Galli ecclesia,* S. Antholiani *reliquias ad S. Illidii esse translatas.*

*S. Antholiani reliquiæ.*

E

## DE SANCTIS MARTYRIBUS

J. B.

# SATURNINO, THEOPHILO, REVOCATA.

VI FEBR.

Intercciderunt, ut innumerabilium aliorum, aut latent certe eruderandum, horum Martyrum Acta. Ita eorum meminere plurima MSS. Martyrologia, pleraque Usuardi prætitulata nomine, Parisinis exemplaribus demptis; excusa quoque, Lubecæ an* MCCCCLXXV *et Coloniæ* MCCCCXC, *Bellinus item, Florarium, Maurolycus, aliique:* Ipso die sanctorum Martyrum, Saturnini, Theophili et Revocatæ. *Refert eos quoque Petrus de Natalib. lib. n cap.* 130 *num.* 52. *At Martyrolog. Romanum, Molanus atque Hermannus Greven in addit. ad Usuardum, et Galesinius, pro* Revocata Revocatum *habent: Maurolycus* Theophilum *pro* Theophilo; *MS. monasterii Alberganis* Theopholum. *MS. S. Hieronimi duos* Saturninos *refert, sed cuncta intricate:* In Achia *(opinor in* Achaia *legendum)* Saturnini; alibi Revocatæ; Dorotæ, Theophili scholastici. Siracussa passio S. Luciæ Virg. alibi Antholiani, Saturnini. *Achaiæ quoque eo attribuit vetus MS. Ecclesiæ S. Mariæ ad Gradus Coloniæ, his verbis:* In Achaia nat. SS. Revocatæ, Theophili. *omittit* Saturninum: *quem solum memorat Martyrol. Aquisgranense, sed nullo adscripto loco. Galesinius* Romæ *passos scribit: sed familiare est illi auctori, ut quos e Græcorum Menæis in suum Martyrologium transfert Sanctos, si nullus adscriptus est locus, in* Græcia *passos addat;* Romæ, *si e Martyrologio Romano.*

*Horum SS. nomina in Martyrologiis,*

*variè expressa.*

*an in Achaia passi.*

C

2 *Vulgatum Fl. Dextri nomine Chronicon Hispaniense, his eos refert, sed ad loca ac tempora diversa; nam ad annum Christi* 260 *num.* 2 *ita habet:* Vianæ in Gallæcia prope Tudem civitatem, passi sunt sancti Martyres, Theophilus, Saturninus et Revocata Virgo, sub Julio Minervio, in persecutione Imperatoris Valeriani, quæ septima est, eadem quæ sub Decio: sexta vero quæ sub Maximino Cæsare, anno a natali Domini CCXXXIX. *Extat quidem in Lusitania urbs maritima* Viana *circa ostia* Limii *amnis, juxtaque eam, ut Franciscus Bivarius Dextri commentator scribit, Septemtrionem versus, in monte, veteris* Vianæ *ruinæ cernuntur. Eam ab Chronici auctore* Vianam *hic designari verosimilius est, quam alteram ad Bibeium amnem in Gallæcia, cujus meminit Licentiatus Molina: nam et propius abest a Tudensi urbe maritima illa Viana, et olim intra Gallæciam erat, cujus nunc angustiores sunt fines. Prudentius Sandovallius in libro de Epp. Tudensibus, huic eidem Vianæ dictos Martyres tribuit; uti et Antonius Vasconcellius noster in Descriptione regni Lusitan. pag.* 452. *Ludovicus dos Anjos de fœminis sanctitate claris in Lusitania; Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitaniæ.*

*an Vianæ,*

*nunc Lusitaniæ urbe.*

3 *Idem Dextri Chronicon ad annum Chr.* 300 *Comment.* 2 *num.* 20 *ista habet:* Argenteolæ in Asturibus sancti Christi Martyres, Saturninus, Theophilus et Revocata, pro Christo passi. *Monet Bivarius, itidem ut ad superiorem locum, et in Martyrol. Hispan. Joannes Tamayus de Salazar, de his agi in Martyrol. Romano et in Catalogo Petri de Natalibus: diversos tamen hos ab illis esse ex urbis temporumque differentia demonstrari autumant. De neutris habemus, quod pronuntiare certo possimus. Idem Bivarius Argenteolam nunc* Aviles *dici ait, alii* Medules: *Tamayus, non liquere.*

*an in oppido Asturiæ Aviles.*

F

4 *Dextri auctoritatem secutus Lahierius noster in Menologio Virginum,* S. Revocatam Virginem et Martyrem *nuncupat: cui priorem aureolam nec tribuunt, nec detrahunt, citata antea Martyrologia.*

*S. Revocata an Virgo?*

DE

DE SANCTIS MARTYRIBUS

# DOROTHEA VIRGINE, THEOPHILO SCHOLASTICO, CHRISTE ET CALLISTE,

## CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA,

J. B.

### Commentarius prævius.

### § I. *Dorotheæ. Christes, Callistes, Theophili publica veneratio.*

*SUB DIOCLET. IV FEBR. S. Dorothea ignota Græcis.*

CAPPADOCIÆ PRIMÆ *metropolis* Cæsarea, *multis nobilitata est Martyrum tropæis; vel hoc ipso die* SS. Dorotheæ *Virginis*, Theophili *Scholastici*, Christes *et* Callistes : *quorum nomina mirum est nusquam in Græcorum Menologia et Menæis extare. Extant autem in Latinis omnibus Martyrologiis. Ac vetus quidem Romanum ab Rosweydo nostro editum, ita habet :* Apud Cæsaream Cappadociæ, S. Dorotheæ Virginis, et Theophili Scholastici. *Antiquius Romanum, quod solemus sub S. Hieronymi nomine citare, die* VI *et* XII *Februarii vos refert : sexto quidem his verbis :* Et alibi Revocatæ, Dorotæ, Theofili Scolastici. B *Duodecimo vero :* Et alibi Dorotæ, Teofili. *Solet hoc die in quibusdam Ecclesiis commemoratio* S. Dorotheæ *fieri : sexto autem, Officio simplici (ut vocant) ab Romana Ecclesia colitur; ab aliis quibusdam semi duplici, ut patet ex Breviario Herbipolensi ; duplici ab aliis, inter quas Bruxellensis S. Gudilæ, et sacer Ordo Prædicatorum.*

*celebris apud Latinos,*

*in Martyrologiis Usuardi, et aliis.*

2 *Usuardus monachus hoc eam elogio ornat :* Apud Cæsaream Cappadociæ, natalis S. Dorotheæ Virginis, quæ primum equuleo vexata, dein palmis diu cæsa, ad ultimum capite punita est. In cujus confessione quidam Theophilus Scholasticus conversus, et mox equuleo idem *(paucula quædam MSS.* eodem) acerrime tortus, novissime gladio cæsus est. *Eadem habet Bellinus de Padua, aliique Romanum Martyrologium modernum addit :* sub Sapricio illius provinciæ Præside. *Quod eidem Præsidi nomen tribuit Notkerus, et MS Martyrologium Centulense.* Apritium *vocant Rabanus, Ado, Beda vulgatus, Galesinius, Maurolycus, MSS. S. Maximini, Ultrajectinum, Brugense, Bruxellense Ecclesiæ S. Gudilæ, aliaque cum Floraria.* Fabricium, *Doctrinale Clericorum Lubecæ an.* CIↃCCCCXC *excusum, Viola SS. Hymnus antiquus, sive sequentia, in veteri Missali Herbipolensi et Cracoviensi.*

*sub quo Præside passa?*

*Actorum compendium ex Adone,*

3 *Plura scribit Ado Episcopus, quæ, quia ad Acto-* C *rum explicationem faciunt, hic dare, operæ fuerit.* Apud Cæsaream Cappadociæ, *inquit*, natalis S. Dorotheæ Virginis, quæ sub Apricio provinciæ ipsius Præside, primum equulei extensione vexata, dein palmis diutissime cæsa, ad ultimum capitali sententia punita est. Cumque egrediens de prætorio duceretur ad mortem, Theophilus quidam Scholasticus ait ad eam : Eia tu sponsa Christi, mitte mihi mala de paradiso sponsi tui. Quæ statim promisit se esse missuram. Ubi ergo ventum est ad locum in quo jugulanda erat, paullisper oratione facta, protulit orarium suum; et vocato ad se quodam puero annorum sex, misit Theophilo, dicens : Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradiso sponsi sui Christi. Accipiens ille, et gratias agens quod petitionem ejus implesset, cœpit sibi faciem tergere, tantaque repente suavitate perfusus est, ita ut tota mente mutatus, cum grandi exultatione et clara voce sæpius replicaret : Benedictum nomen Domini mei JESU Christi. Ob quam confessionem mox et ipse tentus, ac suspensus in equuleo, tanta crudelitate tortus est, ut omnes circumstantes horrescerent : novissime cæso capite martyrium consummavit. *Eadem habent MSS. Martyrologia, Morinense, S. Maximini (quod alioquin alibi cum Rabano fere congruit) et Pragense; sed in hoc puer ad Theophilum missus* quatuor *annorum fuisse dicitur.*

*et Rabano.*

4 *Rabanus paullum diversa habet :* In Cæsarea Cappadociæ, passio S. Dorotheæ Virginis, et Theophili sub Apricio Præfecto : quæ cum duabus sororibus, id est, Christæ et Callistæ, quæ a fide nuper apostatarant victæ doloribus, commendata esset, ut eam averterent a Christo; eas iterum convertit ad Christum, ita ut in cupam missæ per Præfectum incensæ ad martyrii palmam pervenerint. Postea vero Dorothea ducta ad locum pœnarum, ubi et passa est, cum a Theophilo quodam scholastico derideretur, quod a sponso suo Christo et poma et rosas florentes sibi mitteret, hoc citius impetravit. Quod cum vidisset Theophilus, mox Christum confessus est verum Deum, et martyrizavit sub eodem Præfecto, capite plexus. *Priora habentur et in Bedæ vulgato* E *Martyrologio, usque ad illa verba*, rosas et mala ei mitteret. *Nam quæ in ea sequuntur, sumpta sunt ex Adone. Unde manifestum est (quod et sæpe monuimus) illud a Beda ita collectum non esse. MS. Centulense, sive S. Richarii, quod Bedæ præfert nomen, ita habet:* Apud Cæsaream Cappadociæ S. Dorotheæ Virginis sub Sapricio Judice, et Theophili scholastici. *Wandelbertus metrico suo Martyrologio ita eam inscripsit :*

Idibus octonis Martyr Dorothea coruscat.

*SS. Christe et Calliste,*

5 Christen et Callisten, *quarum in Actis S. Dorotheæ certamen memoratur, una hoc die consignant tum citati Beda, Rabanus, Notkerus, tum Maurolycus et Canisius ; Molanus quoque et Hermannus Greven in addition. ad Usuardum.* Christa et Callista *a Maurolyco, Canisio et aliis appellantur;* Χρηστή, Optima, benigna, suavis: et Καλλίστη, Optima, formosissima. *Christen Baronius tom. 2 ad an. 304 num. 70, in Actis* Christenam et Christinam ; *in Notis vero ad Martyrol. a Beda* Christianam seu Christetam, *ait appellari : solum* Christæ et Callistæ *sororibus commendatam scribit Beda, seu quisquis illius Martyrologii auctor est. Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis urbis Romæ reg. 8. eccl. 18, unam* Christianam, *alteram* Cælestenen *vocat. Has Dorotheæ ipsius fuisse sorores tradunt Martyrol. Coloniense an.* 1490 *excusum, Viola* F *SS. Canisius, Laherius in Menologio, qui et* Virgines *asserit fuisse : neutrum ex Actis satis liquet.*

*an ejus sorores?*

*S. Theophilus Scholasticus, sive Advocatus.*

6 *Molanus Annotat.* I *ad Martyrologium Usuardi hoc die, censet S. Theophilum rectius* Advocatum *quam* Scholasticum *appellari : hoc enim nomen non nisi semel, idque* per contemptum *in Actis usurpari ; esse enim Scholasticum*, declamatorem versatum solum in fictis caussis et otiosis, non in veris litibus. *Melius Baronius Annot. b. Ea voce significari ait* Rhetores et declamatores litium fictarum, qui deinde transirent ad tractandas veras : *atque* ipsos etiam Advocatos, Scholasticos *appellatos. Utrumque ex veteribus Legibus et aliis auctoribus confirmat : et quid sit* scholastice dicere, *qui* scholares, *ac* scholæ, *erudite disserit. Plura etiam Rosweydus in Onomastico ad Vitas PP. de* Scholaribus *et* Scholasticis : *et notat* scholasticum *sæpe usurpari pro viro erudito et eloquente*, etsi nec fictas caussas ageret, ut declamator, nec veras ut advocatus. *Ita S. Hieronymus de illustr. Eccles. Scriptorib. cap. 99 de S. Serapione loquens, qui* XXI *Martii colitur*, Serapion, *inquit*, Θμούεως Ægypti urbis Episcopus, qui ob elegantiam ingenii, cognomen Scholastici meruit.

§ II.

A

AUCTORE J. B.

## § II. *Acta S. Dorotheæ, et sociorum.*

*Acta unde hic edita?*

**A***cta S. Dorotheæ* ex quodam egregio MS. codice *edidit Laurentius Surius,* stylo hinc inde modice *(ut ait)* emendato. *Nos primigeniam phrasim restituimus ex Cornelii Duyn MS. codice, qui olim fuit* Fratrum sanctæ Crucis in Horen, *exaratus a* CC *fere annis* per F. Theodoricum Poll, Venlonensis Conventus Crucigerum. *Contulimus vero ea cum MS. imperialis monasterii S. Maximini Treviris, haud paullo antiquiore, sed in quo multa Sanctorum Acta, ut sæpius observavimus, aliquantum interpolata. Hic certe Hornanus codex propius ad Surianam editionem accedit. Usi sumus et MS. S. Martini Ultrajecti, in quo tamen S. Theophili certamen deerat. Brevius eadem Acta perstringit Vincentius Bellovacensis lib.* 12 *Speculi historial. cap.* 47 *et Boninus Mombritius, apud quem quod* regnante Augusto *passa dicitur S. Dorothea, restituendum,* Diocletiano Augusto. *Agit de eadem Petrus de Natal. lib.* 3 *cap.* 101. *Thomas a Kempis* 3 *parte sermonum ad Novitios ser.* 8 *num.* 9, *ubi ait, Theophilum* per martyrii palmam in paradisum lætum intrasse, sicut eidem egregia sponsa Christi Dorothea promiserat. *Omitto quæ variis linguis edita sunt ejusdem Acta, e Surianis pleraque deprompta.*

*alibi eorum epitome.*

B

*Alia suspecta in Aurea Legenda: ubi dicitur, Roma oriunda,*

8 *Alia Acta exhibet Jacobus de Voragine, in quibus hyperbolice exaggerata quædam, ut propterea haud multum absimilia apocryphis videri possint. Eorum hæc fere est summa. Dorus et Thea senatoria ambo familia Romæ orti, ut sævientis viri persecutionis declinarent, amplis relictis possessionibus, ultro in Cappadociam cum Christe et Calliste filiabus exulatum abiere. Dein pro Cæsareæ domicilio tertium genuere filiam, quam baptismo tinctam Episcopus de patris matrisque nomine Dorotheam appellavit. Hæc cum honestis artibus, ac præcipue Christianis virtutibus esset prædita, livorem in se dæmonis provocavit. Quia enim eximia floreret formæ dignitate, in ejus amorem Fabricium provinciæ Præsidem tartareus Cupido succendit. Oblatas ab eo cum conjugio opes luculentas, Christi aversata est sponsa. Præses ut contemni se sensit, amore in odium verso, in bullientis olei lebetem mergi Dorotheam imperat. Illæsam Christi virtus, ac veluti balsamo perunctam, eduxit. Hinc multis Ethnicorum amplectendæ Christianæ religionis occasio data.*

*amata a Præside,*

*oleo bullienti immersa, innoxie,*

9 *Tum novem ipsos dies inclusa carceri, ut fame interiret, annonam cœlitus, Angelorum ministerio, percepit. Speciosior inde producta, minis nequidquam tentatis ad deorum venerationem sollicitatur. Verum ea precante, columnam a Præside erectam, impositumque dæmonis simulacrum, Angeli penitus contrivere. Simul impurorum geniorum auditi ululatus, vocesque ferales: Dorothea, cur nos sic dissipas? Multa Ethnicorum millia hoc prodigium Christo adjunxit, qui deinde martyrio coronati. Interea Virgo equuleo distenditur: corpus omne flagris uncinisque dire laniatur: ubera facibus ustulantur. Semianimis in custodiam reluditur. Postridie corpore integerrimo educta, mirantibus intuentibus fuit. Antea hanc illius sorores Christe et Calliste, victæ tormentis, a Christo defecerant. His Dorothea traditur pervertenda: quas ipsa contra ad fidem revocavit. Eas propterea Fabricius colligatas cremari jussit, Dorotheæ faciem baculis converberari. At fessis jam labore carnificibus, nullum in ea verberum cernere erat vestigium. Postera luce fertur capitis in eam sententia.*

*in fame pasta ab Angelis,*

C

*prece statuam evertisse, ululantibus dæmonibus;*

*torta equuleo, flagris, uncinis, facibus, conversis et coronatis sororibus, baculis verberata, innoxia*

10 *Cum foras ad triumphi sui arenam ducitur, Theophilus Advocatus occurrit, petitque irridens, ut cum in sponsi sui, cujus sæpius meminerat, paradisum venisset, rosas sibi inde mitteret. At Dorothea inter cetera precata est Deum, ut cunctis, qui sui memores certaminis essent, propitius foret, eosque in adversis consolaretur, ac sub vitæ exitum gratiam iis largiretur, qua ad suorum pœnitudinem scelerum excitarentur: mulieribus quoque prægnantibus, suumque implorantibus patrocinium, subveniret. Voxque e cœlo audita: Veni electa mea; quæ postulasti, omnia evenient. Jam tetenderat cervicem lictori; cum puer adstitit eleganti forma, purpura stellis aureis respersa indutus, nudis pedibus, crispa cæsarie; mala tria rosasque totidem apportans in Orario: quod Auctor non recte sportulam interpretatur, licet alioquin in sportula alii divinos illos fructus, alii in orario seu sudario, alii in sinu vestimenti a puero allatos velint. Huic Dorothea: Obsecro te, Domine mi, defer isthæc Theophilo scribæ. Ipsa plexa capite est. Venit mox in prætorium puer ad Theophilum; et, Has, inquit, rosas ac poma tibi soror mea Dorothea e sponsi sui paradiso mittit. Atque ea effatus, videri desiit. Prorupit in Christi laudes Theophilus, tantoque animi sensu et verborum efficacia virtutem ac divinitatem ejus prædicavit, ut reliquus fere omnis populus Christiana sit sacra complexus. Varia ei irrogata a Præside supplicia, tandemque (sed prius baptismo lustratus, ac corporis Christi sumptione recreatus) frustatim concisus, in cœlos abiit victor.*

*precata pro sui memoriam agentibus,*

D

*Deo preces ratas habente;*

*per Angelum rosas et poma misisse Theophilo.*

11 *Hæc fere Genuensis Episcopus, nescio quæ secutus antiquiora monumenta. Eadem in Legendam Coloniæ an.* CIↃCCCCLXXXIII, *et Lovanii an.* CIↃCCCCLXXXV *excusam, transcripta sunt. Eadem fere in magnum Menologium Virginum retulit Franciscus Laherius noster, qui patrem ejus* Theodorum, Theodoram *appellat matrem.*

*Eadem alibi relata.*

E

12 *Anno Christi* CCLXXXVII *contigisse S. Dorotheæ et sodalium martyrium arbitratur Jacobus de Voragine; Alfonsus Villegas* CCLXXXIX. *MS. Florarium* CCXCII. *Canisius* CCC. *Ribadeneira, Rosweydus, Baronius,* CCCIV. *Nil certi est, nisi sub Diocletiano, aut durante adhuc ejus persecutione, passam.*

*quando obierit martyrium?*

13 Tam præclarum certamen haud putat a S. Basilio silentio prætermissum, *Baronius tom.* 2 *ad an.* 304 *num.* 70. Sed, ut aliæ complures Martyrum, qui itidem Cæsareæ passi sunt, laudationes, una cum aliis plerisque scriptorum monumentis viri sanctissimi periere; ita quoque ejus de ipsa encomium excidisse.

*creditur laudata a S. Basilio.*

14 *S. Aldhelmus Occidentalium Saxonum in Anglia Episcopus, qui an.* DCCIX *vita functus traditur, ac fuit proinde plerorumque Martyrologiorum, quæ hactenus excusa sunt, scriptoribus antiquior, libro de laudibus virginitatis cap.* 25. *ita S. Dorotheæ meminit:* Porro Scholastica ac Christina, simulque Dorothea apud Cæsaream oriunda in provincia Cappadociæ, licet dispari seculorum serie sequestrarentur, pari tamen integritatis gratia a Christo coronabantur. *Et paullo inferius:* Tertiam vero cum Sapricius, Orthodoxorum cruentus carnifex, non solum ad nuptias, sed ad nefandas quoque idolorum culturas, et ineptas gentium cæremonias cogere nequiret; confestim furibundus catastarum crudelitatem exercuit, lividas palmarum vibices exhibuit, torrentes lampadum flammas applicavit. Duabus quoque feminis, quæ nuper a fide naufragaverant, et a Christi consortio apostataverant, eamdem tradidit depravandam. Sed versa vice, earumdem probrosas apostatarum cicatrices, pœnitudinis medicamento ita salubriter curavit, ut statim ordine præpostero doctricem propriam ad martyrii palmam præcederent. Verum cum egrederetur crudele prætorium, Theophilus cum cachinnanti cavillatione flagitavit, ut de paradiso sponsi cœlestis, ad quem properare fatebatur, grata fructuum munuscula mitteret: quod cum contumelia prolatum, in veritate completum est. Nam pridie quam pateretur, et cruentis mucronibus truncanda subderetur; tria mala cum purpureis totidem rosis ad eumdem Theophilum destinasse describitur: qui hujus rei gratia, propriæ occasionem

*a S. Aldhelmo, ante fere 1000 annos.*

F

A casionem salutis adeptus, rubicundis martyrii sertis est coronatus. *Hæc S. Aldhelmus.*

## § III. *Reliquiæ S. Dorotheæ.*

*S. Dorotheæ corpus Romæ, ubi anniversaria pomorum benedictio; uti et Bononiæ*

*Octavius Pancirolus loco ante citato tradit, Romæ in Transtiberina regione ædem spectari* S. Dorotheæ, *ita appellatam fortassis, postquam in eam gloriosæ hujus Virginis illatum est corpus, cujus index inscriptio est Confessioni superposita. Addit, mala illic quotannis sexto die Februarii benedici, ad quæ accipienda mortales confluunt, et aliquod offerunt vicissim donarium, ceu gratitudinis argumentum. In Indice reliquiarum, ait in ea quidem æde Virginis corpus, particulas tamen ejus in aliis Urbis ecclesiis asservari. Masinus in Bononia perlustrata tradit, in pluribus illius urbis Ecclesiis aliquas* S. Dorotheæ *reliquias extare; atque ab sodalitio SS. Simonis et Judæ festum ejus celebrari, cum reliquiarum veneratione, pomorumque benedictione ac distributione.*

*Reliquiæ Arelate:*

16 *Arelate in Gallia, extra muros urbis, in campis qui* Elysii *dicebantur, vulgo* Aliscamps, *in ecclesia S. Honorato dicata, tum ejusdem sancti Antistitis, tum aliorum Divorum, ac nominatim* S. Dorotheæ Virginis B et Martyris *cultæ olim reliquiæ fuerunt; uti* XVI *Januarii in Historia Translationis S. Honorati ex Vincentio Barrali Salerno retulimus. Huc respexit Saussaius cum ad* VI *Februarii ita scripsit:* Arelati susceptio corporis S. Dorotheæ Virg. et Mart. cujus hodie natalem Ecclesia, tropæumque ubique celebrat gloriosum. *En sit necne Translatio, quæ* XXVIII *Martii consignata in vetusto Martyrologio monasterii S. Laurentii Leodii, haud equidem pronuntiem. Ita habet:* Item Dorotheæ Virg. et Mart. *Eadem leguntur in Florario; et in alio quodam MS. diserte additur,* Translatio S. Dorotheæ V.

*Translatio 28 Martii: an earum?*

*aliæ Ulyssipone,*

17 *Verum et alibi extant* S. Dorotheæ, *sive hujus, sive Alexandrinæ, reliquiæ. Duas enim particulas Ulyssipponem an.* CIƆIƆLXXXVII *allatas e Germania a Joanne Borgia, Viro illustri, donatasque Domui professæ Societatis Jesu ad S. Rochum, diximus* XXV *Januarii. In Rutilensi quoque Carthusia, oppido Sirk propinqua, Treviros inter et Theodonisvillam servari, cum aliis quamplurimis,* S. Dorotheæ Virg. Mart. *reliquias aliquas testatur Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico; in eo corrigendus, quod ad Mosam flumen sitam eam Carthusiam scribat, quæ est ad* C *Mosellam.*

*Rutilæ,*

*Coloniæ multiplices.*

18 *Ægidius Gelenius V. CL. lib. 3 et 4 de Coloniæ Agrippinensis magnitudine, testatur in pluribus ejus urbis ecclesiis aliqua S. Dorotheæ pignora exstare; in collegiatis* S. Gereonis, S. Severini, S. Andreæ; *parochiali* S. Pauli; SS. Joannis et Corduke, Widenbacensi, Horto S. Mariæ *Cisterciensium Virginum, in* S. Michaelis *Virginum Regularium, in* Monte Mariæ *Carmelitissarum; sed præstat ceteris, quæ in Carmelitarum virorum ecclesia visitur,* Mandibula S. Dorotheæ Virg. et Martyris, hermæ argenteæ inclusa: *quam, ut idem scribit, Carmelo Coloniensi transmisit Bartholomæus Raccolius, Generalis illius Ordinis Præses, qui deinde Episcopus Massiliensis fuit. Sacræ hujus mandibulæ meminit quoque in Sacrario Agrippinæ Erhardus Winheimius. Sed cum una e sodalibus S. Ursulæ S. Dorothea Virgo fuerit (uti in Hermanni Crombachii nostri historia Ursulana pag.* 636 *videre est) merito ambigi potest, an non aliquæ ex modo relatis Coloniensibus reliquiis, illius Dorotheæ fuerint.*

*caput in Bohemia.*

19 *Pragæ olim, vel Carelsteinii, in Bohemia asservatum ferunt S. Dorotheæ caput, a Carolo* IV *Imp. ut reor, isthuc allatum.*

# ACTA

D *ex MSS.*

## ex tribus MSS. codicibus.

## CAPUT I.

## *S. Dorotheæ confessio, tormenta.*

*Dorothea, Virgo sancta*

In provincia Cappadociæ, apud Cæsaream civitatem, erat quædam puella, nomine Dorothea: hæc quotidianis diebus, in castitate et sobrietate et puritate, Deo sedulum exhibebat officium; et cum humilitate et mansuetudine, jejuniis et orationibus insistebat. Erat autem ita prudentissima, ut vix eam pauci imitari possent viri. Omnes autem qui eam nosse potuerant, magnificabant nomen Domini nostri Jesu Christi, qui talem habebat famulam; cujus et aspectus gratus, et vita et sapientia incomparabilis erat, et immaculata virginitas. Quia ergo intantum extitit in caritate Christi perfecta, ut ad ejus thalamum perveniret, duplicavit certaminis sui palmam; et unam virginitatis coronam tenens, alteram martyrii, cum gaudio pervenit ad Christum. Quo autem ordine passa sit, gestorum evidens pagina educet.

*et sapiens,*

*comprehensa sistitur Præsidi;*

2 Cum fama sanctitatis ejus per aures hominum curreret, pervenit ad Præsidis persecutoris auditum. E Qui ingressus civitatem memoratam, id est, Cæsaream, famosissimam Christianorum præcepit Dorotheam Dei famulam coarctari. Cumque fuisset illi sedenti pro tribunali intromissa, inclinato capite orans Deum suum, stetit ante Præsidem. Tunc interrogavit eam Præses, nomine Sapricius, dicens: Dic, quæ vocaris? At illa respondit: Dorothea nomen est mihi. Sapricius dixit: Ideo exhibere te volui, ut diis immortalibus immoles, secundum imperium Principum Augustorum nostrorum. Dorothea dixit: Deus, qui in cœlo est Augustus, imperavit mihi ut ipsi soli serviam. Sic denique scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Matth. 4. 10
Et iterum: Dii qui non fecerunt cœlum et terram, a terra pereant. Videndum ergo est, cui Imperatori obtemperare debeamus; terreno, an cœlesti; Deo, an homini. Quid sunt enim Imperatores, nisi homines mortales, sicut fuerunt et isti dii, quorum effigies adoratis? Jerem. 10. 11

*recusat diis immolare*

*minas temporalium pœnarum contemnit.*

3 Sapricius dixit: Si vis evadere et reverti sana et immaculata et illæsa, pone animum tuum et sacrifica diis. Sin, alias legibus acta amaris, dabis F timoris exemplum. Dorothea dixit: Omnibus dabo Dei timoris exemplum, ut hi timeant Deum, homines rabidos non timeant. Hoc enim faciunt, quod canes rabidi; laniant enim homines innocentes: et quia ratio in illis nulla est, insaniunt, deseviunt, irascuntur, latrant et suis morsibus lacerant transeuntes. Sapricius dixit: Tu, quantum video, perseverare disposuisti in ista ineptissima professione, et vis cum ceteris mori. Audi me et sacrifica, ut equulei pœnas evadas. Dorothea dixit: Equulei tui pœnæ, temporales sunt; gehennæ autem tormenta, æterna sunt. Ut ergo æternam pœnam evadere mihi liceat, temporalia timere non debeo. Memor sum, dixisse Dominum meum: Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete qui potest corpus et animam perdere in gehennam. Matth. 10. 28

*deos ridet*

4 Sapricius dixit: Ergo timere debes deos; ne irati et animam tuam et corpus tuum perdant, si non eis sacrificaveris. Dorothea dixit: Jam tibi dixi, Saprici, quia nullo modo poteris persuadere ut sacrificem dæmoniis, quæ habitaverunt in his vanis hominibus, qui sic vixerunt, ut turpe sit etiam dicere; qui sic mortui sunt, sicut animalia, quia, cum viverent, non cognoverunt eum qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Horum ergo animæ

A animæ in igne ardent, quorum per varia metalla adoratis effigies. Et necesse erit, ut cum ipsis etiam illi in ignem æternum mittantur, quicumque relicto Creatore suo horum voluerint esse cultores. *Ex MSS*

5 Cumque hæc audisset Sapricius, vehementer iratus est, et conversus ad tortores dixit : Sistite eam in catasta, ut videns se constitutam in pœnis, vel sic consentiat diis se exhibere cultricem. Dei vero famula, cum se vidisset erectam in catasta, constanter, intrepida et non interrogata, ait ad Judicem : Quid *a* me tricas? fac quod facturus es, ut possim eum videre, pro cujus amore mori non timeo, et torqueri non paveo. Sapricius dixit : Et quis est quem desideras? Dorothea dixit : Christus filius Dei. Sapricius dixit : Et ubi est Christus? Dorothea dixit : Quantum ad omnipotentiam ejus attinet, ubique est; quantum ad humanam capacitatem, quia sensus humanæ fragilitatis vanum quidem putat, quod non in aliquo loco esse didicerit, et ideo confitemur Filium Dei ascendisse in cœlum, et sedere ad dexteram Patris sui Dei omnipotentis : qui unitatem divinitatis obtinens cum Patre suo et Spiritu sancto, invitat nos ad paradisum deliciarum suarum. *b* ubi nemora omni tempore pomis ornantur, omni tempore lilia albescunt, rosæ florescunt, campi virent, B montes virent, colles ornantur, fontes dulcorantur, et Sanctorum animæ in Christo jocundantur. Hæc si credideris, Saprici, liberaberis et ingredieris paradisum deliciarum Dei. Sapricius dixit ei : Oportet te relinquere vanitatem, et sacrificare, et accipere virum, et lætari in vita tua, ne taliter intereas, sicut et patres tui perierunt propter stultitiam suam. Dorothea dixit : Nec sacrificabo dæmoniis, quia Christiana sum; nec virum accipiam, quia Christi sponsa sum. Et hæc est fides mea, quod me introducat in paradisum suum, et ad suum thalamum me faciat pervenire.

*extensa in catasta,*

*Christum libere confitetur,*

*ejusque paradisi delicias deprædicat,*

*cumque solum sponsum optat*

*a* MS. *Ultraject.* me terres? *Max.* moraris? — *b* *Deest hæc deliciarum paradisi amplificatio in MS. S. Maximini.*

## CAPUT II.

### *SS. Christes et Callistes conversio, martyrium: alia Dorotheæ tormenta, ac cædes.*

Tunc Sapricius jussit eam duci ad duas sorores Christen et Callisten, quæ nuper apostataverant; et commendavit eam illis Sapricius, dicens : Sicut vos, relicta vanitate et superstitione Christiana, diis sa- C crificastis invictis, et remunerari vos feci; adhuc melioribus donis honorari vos faciam, si istam potueritis ab ista stultitia revocare. Cumque suscepissent eam in domum suam, et dicerent ei, Consenti isti Judici, et libera te de periculo pœnarum, sicut et nos fecimus : melius est tibi agere, ut lumen istud non consumas in pœnis, et ante tempus tuum non pereas; respondens Dorothea dixit : O si audiatis consilium, et vos idolis sacrificasse pœniteat! Bonus est enim Deus et copiosus in misericordia iis qui convertuntur ad eum ex toto corde suo. Dicunt ei Christe et Calliste : Jam semel perivimus a Christo : quomodo potest fieri ut reverti possimus? Dorothea dixit : Pejus peccatum est, desperare de Domini misericordia, quam vanis idolis immolare. Nolite ergo desperare de medico bono et peritissimo, quia potest curare vulnera vestra. Non est aliquod vulnus, quod curare se non conveniat : nam ideo Salvator dicitur, quia salvat; ideo redemptor, quia redimit; ideo liberator, quia liberare non cessat. Vos tantum ex animo ad pœnitentiam convertimini, et sine dubio ad indulgentiam pervenietis.

*traditur Christæ et Callistæ pervertenda :*

*quas, se ad apostasiam invitantes,*

*ipsa ad pœnitentiam*

7 Tunc miserunt se ad pedes ejus, flentes ac precantes, ut oraret pro eis; quatenus possent pœnitentiam suam per ipsam Deo offerre, ut indulgentiam divinam perciperent. At illa cum lacrymis misit voces ad Deum dicens : Deus, qui dixisti, Nolo mortem peccatoris, sed volo ut convertatur et vivat; Domine Jesu Christe, qui dixisti, super uno peccatore pœnitentiam agente plus gaudii haberi in cœlis ab Angelis, quam super nonaginta novem justis, qui non peccaverunt; ostende pietatem tuam in istis, quas diabolus tibi conatus est rapere. Revoca oves tuas ad gregem tuum, ut exemplo earum redeant ad te, qui recesserunt a te. D

*et spem excitat pro iis pœnitentibus*

*Ezech. 33 11*

*Deum orat :*

*Luc. 15 7*

8 Cumque hæc et his similia diceret, ecce Præses misit, et ad domum suam eas cum Dorothea fecit venire. Quas cum tulisset in partem, cœpit eas inquirere, si Dorotheæ animum inclinassent. At illæ uno ore responderunt, dicentes : Erravimus et satis inique egimus, timentes pœnas et dolores transitorios, quia sacrificavimus idolis vanis : et ideo rogavimus eam, et dedit nobis pœnitentiam, ut possimus ad Christi indulgentiam pervenire. Tunc Sapricius scidit vestimenta sua, et in furore nimio jussit, ut dorsum ad dorsum ligatæ mitterentur in cupam, si statim sacrificare noluissent. At illæ clamantes dixerunt : Domine Jesu Christe, accipe pœnitentiam nostram, et da nobis indulgentiam tuam. In iis verbis et in ista confessione durantes in cupam missæ sunt, et incensæ in conspectu S. Dorotheæ. Gaudebat autem Dorothea in hora exitus earum, et clamabat eis dicens : Antecedite me securæ de indulgentia criminis vestri, et scitote quoniam palmam martyrii quam perdideratis, sine dubio invenistis, et in amplexu vestro occurrit Pater, qui in filio perdito et recuperato lætatur. E

*illæ Christum confessæ,*

*comburuntur,*

*animante eas Dorothea :*

9 Tunc Sapricius jussit S. Dorotheam iterum in catasta levari. Cumque levata esset, tanto gaudio exhilarata est, ut probaretur vere ad desideratum pervenisse suæ devotionis *a* effectum. Dicit ei Sapricius : Quid est, quod sic vultu tuo simulata lætitia mendacem ostendis, et in supplicio posita exultationem te habere fingis? Dorothea dixit : Numquam in omni vita mea sic læetata sum sicut hodie; primo omnium de his animabus, quas diabolus per te tulerat Deo, et per me recepit Christus : hodie in cœlo epulæ sunt : de iis gaudent Angeli, lætantur Archangeli, simul omnes Apostoli et Martyres et Prophetæ exultant. Festina ergo, Saprici, et fac quod facturus es, ut possim ad istam exultationem Sanctorum occurrere, et simul cum ipsis gaudeam, cum quibus flevi in terris. Tunc Sapricius fecit circa latera ejus *b* lampades applicari. At vero Dorothea magis ac magis faciem suam Judici hilarem et insultantem ostendens, dicebat ei : Miser ad nil redactus es cum idolis tuis. F

*quæ in catasta exultat.* *a*

*lampadibus ustulatur.* *b*

10 Iterum depositam de catasta fecit diu in faciem palmis cædi, dicens : Ipsa facies cædatur, quæ mihi insultat. Cumque diu multumque cæsa iterum gauderet, et cædentes eam fatigati deficerent, hoc ordine Sapricius dictavit sententiam : Dorotheam superbissimam puellam, quæ sacrificare noluit diis immortalibus ut viveret, sed voluit absolute mori propter nescio quem hominem, qui dicitur Christus, jussimus gladio percuti. Ad hæc Dorothea cum clamore dixit : Gratias tibi ago, amator animarum, quia me ad paradisum tuum vocasti, et ad thalamum tuum invitas.

*palmis cæditur :*

*morti addicitur.*

11 Et cum egrederetur prætorium Judicis, dicit ad eam irridicule quidam Advocatus, nomine Theophilus : Eia tu sponsa Christi, mitte mihi de paradiso sponsi tui mala aut rosas. Et Dorothea dixit : Plane, quia ita faciam. Cum ergo venisset *c* in ictu percussoris, rogavit carnificem, ut eam modicum permitteret orare. Quæ dum complesset orationem, ecce puer ante ipsam apparuit, *d* ferens in orario tria mala optima et tres rosas. Cui illa dixit : Obsecro

*Theophilo promittit e paradiso rosas et poma.* *c*

*d* *mittitque per Angelum,*

A secro te, ut feras ea Theophilo, et dicas ei : Ecce quod a me petisti, ut tibi de paradiso sponsi mei transmitterem. Ipsa autem percussa gladio, cum triumpho martyrii perrexit ad Christum, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

a *MS. Hornense*, affectum. — b *MS. Ultr.* ignem apponi. — c *Sur.* ad ictum. *MS S. Max.* ad locum ubi decollanda erat. — d *Addit MS. Ultraj.* purpura indutus, discalceatus, crispo crine, in cujus veste stellæ aureæ sparsæ fuerunt. *Quæ sunt ex Aurea Legenda transcripta, ut supra diximus.*

## CAPUT III.

### *S. Theophili Advocati conversio, tormenta, mors.*

*qui apud socios promissionem ridenti*

Igitur Theophilus Advocatus Præsidis, irridens promissionem S. Dorotheæ suis sodalibus referebat, dicens : Hodie cum a percussore duceretur Dorothea, quæ se sponsam Christi dicebat, et ad ejus paradisum pergere memorabat, ego dixi illi eunti : O tu sponsa Christi, dum perveneris ad paradisum sponsi tui, mitte mihi exinde rosas aut mala. At illa ait : Plane, quia ita faciam. Cum autem hæc narraret, irridens sanctæ Virginis promissionem ; ecce et puer B ante eum cum orario, in quo ferens tria mala mirifica *ea offert :* et tres rosas floridissimas, dixit ei : Ecce sicut petenti tibi promisit Virgo sacratissima Dorothea, transmisit hæc tibi de paradiso sponsi sui.

*is Christum confitetur,*

13 Tunc Theophilus accipiens exclamavit voce magna, dicens : Verus Deus Christus est, et non est simulatio ulla in eo. Dicunt ei collegæ sui : Insanis, Theophile, an jocaris? Dicit illis Theophilus : Non insaniam patior, nec jocantis animum gero ; sed est in me rationabilis fides, ut credam verum Deum esse Jesum Christum. Dicunt ei : Quæ ratio te repente in istam vociferationem convertit? At ille : *et socus illa ostendit,* Dicite mihi, inquit, quis mensis nunc est? Dicunt ei : Februarius. Dicit eis Theophilus : Cum totam Cappadociam glaciale frigus tegat, et nulla penitus virgulta jam foliorum suorum tegmine vestiantur ; unde istas rosas aut ista mala mirifica cum suis frondibus adesse æstimatis? Dicunt illi : Hoc nos nec suis temporibus vidimus. Dicit eis : Me quem videtis, ir- *ac rem gestam serio narrat :* ridens allocutus sum euntem Dorotheam ad accipiendam sententiam percussoris. Cui quod quasi fatua esset, quæ diceret sponsum suum Christum, et quod perveniret ad paradisum ejus, insultans quasi stultæ, dixi ei : Dum perveneris ad paradisum sponsi tui, C mitte mihi exinde rosas et mala. At illa dixit : Plane faciam. Et ecce repente, posteaquam pro nomine Christi passa est, venit ad me infantulus pulcher, brevissimus, non plus quam quatuor annorum, quem ego putabam loqui non posse præ ipsa infantia. Hic a pulsavit *a* latus meum. Quem cum respexissem, tulit me in partem, et cœpit mecum ita perfecte loqui ut me putarem rusticanum in conspectu ejus, et proferens mihi orarium hoc cum his malis et rosis, dixit mihi : Virgo sacratissima Dorothea, sicut te petente promisit, transmisit tibi hæc munera de horto sponsi sui. Cum accepissem et clamarem, ille infans nusquam comparuit : quem ego non dubito Angelum Dei fuisse. Et hæc dicens clamabat : Beati qui credunt in Christum, et qui patiuntur pro nomine ejus! Ipse est enim verus Deus ; et omnis qui fidem suam ipsi committit, vere sapiens est.

*defertur ad Præsidem :*

14 Cumque hæc et his similia diceret, ingressi sunt quidam ad Præsidem, et dixerunt ei : Scholasticus Theophilus, qui usque hodie postulabat contra Christianos, et persequebatur eos usque ad mortem, hic pro foribus vociferatur, laudans et benedicens nomen illius nescio cujus Jesu Christi, et multi credunt per prædicationem ejus. Tunc Præses jussit eum introduci ad se. Cui intromisso ait : Quid est, quod foris loquebaris? Theophilus dixit : Laudabam Christum feliciter, quem usque hodie infeliciter de- D negabam. Dicit ei Præses : Miror te hominem pru- *ex viso coram eo Christum confitetur.* dentem, hoc nomen jam nominare voluisse, quod hucusque quicumque nominavit persecutus es. Dicit ei Theophilus : In hoc apparet verum Deum esse qui me convertit ab errore ad viam rectam, et fecit me agnoscere, quia ipse est verus Deus. Dicit ei Præses : Omnes in sapientiæ sapore crescunt, ut de sapientibus sapientiores fiant : tu ex sapiente insipiens repente effectus es, dum Deum dicis, quem a Judæis crucifixum, ab ipsis Christianis audisti. Dicit ei Theophilus : Hunc et ego crucifixum audivi, et errorem passus, putabam Deum non esse, et blasphemavi quotidie nomen ejus. Nunc autem pœnitentiam *priorem errorem detestans :* gerens de præteritis criminibus et blasphemiis, hunc Deum esse confiteor. Dicit ei Præses : Et ubi aut quando factus es Christianus, qui usque hodie sacrificasti? Dicit ei Theophilus : Ea hora qua Christum confessus credidi, sensi me Christianum effectum. Et ideo sic ex toto corde meo immortali Christo Dei filio credens, prædico nomen ejus verum, nomen sanctum, nomen immaculatum, nomen in quo nulla est simulatio, nulla impostura, quæ in idolis regnat.

15 Dicit ei Præses : Ergo impostura in diis nos- E tris regnat? Dicit ei Theophilus : Ergo non regnat *deos irridet :* in omnibus his simulacris, quæ homo dolavit in ligno, conflavit in ære, limavit in ferro, constabilivit in plumbo ; quæ noctuæ custodiunt, quæ araneæ texunt, quorum concava muribus et soricibus plena sunt? Mentior, si ista probari non possunt. Sed quia non mentior, justum est ut veritati consentias, et a falsitate animum tuum tollas. Decet enim, ut qui alios judicas mentientes, teipsum a mendacio auferas, et *Præsidi conatur fidem suadere :* ad veritatem, quæ est in Christo, convertas. Præses dixit : Ergo dii non sunt vivi? Theophilus dixit : Interim effigies videmus sine sensu : Dei autem sensus est invisibilis. Isti custodiuntur : ille custodit. Si ita non est, convinci debeo ratione. Si autem de potestate agitur, constat te ratione superatum.

16 Præses dixit : Ego video, infelix Theophile, quod mala morte interire desideras. Theophilus dixit : Ego vero bonam vitam invenire desidero. Præses *ejus minas contemnit.* dixit : Scias quia si in ista stultitia perseverare volueris, primum tibi adhibeo diversa supplicia, et ita demum crudeliter interfici jubebo. Respondens Theophilus dixit : Hoc ego desiderare jam cœpi. Dixit ei Præses : Consulere te oportet tibi et tuis et domui tuæ et patrimonio aut filiis aut affinibus tuis ; et non F ita præcipitem te tradere in mortem publicam, quam stulti et criminosi et incauti merentur. Theophilus dixit : Summa sapientia hæc est, ut philosophiam geram de omnibus affectibus meis et de omnibus cruciamentis tuis nihil penitus timeam. Nec hoc irrationabili temeritate, sed rationabili consideratione diffinisse me approbo, cum omnibus temporalibus rebus æterna præfero, et labentibus præpono perpetua. Præses dixit : Magis tormenta eligis, quam requiem, et mortem magis quam vitam desideras. Theophilus dixit : Ego et tormenta timeo et mortem horresco ; *duriora, æterna potius timenda supplicia.* sed illa tormenta timeo quæ finem non habent, et illam mortem timeo quæ æternas pœnas habet. Istas autem pœnas tu potes inferre, quæ in brevi tempore finem accipiunt : tormenta vero quæ idolorum cultoribus irrogantur, acrius subinde desæviunt, et finem nullum inveniunt.

17 Præses dixit : Appendatur in equuleo vir di- ANIMADV. PAP. 96 sertus Theophilus, ut verba vana acrioribus verberibus derelinquat. At ubi in equuleo suspensus est, *in equuleo cantat :* dixit : Ecce modo factus sum Christianus, quia in cruce suspensus sum. Equulei enim factura crucis similitudinem gerit. Gratias tibi, inquam, Christe ago, quia me in signo tuo levari permisisti. Dicit ei Præses : Infelix, parce carnibus tuis. Cui respondens Theophilus

A Theophilus ait : Infelix, parce animæ tuæ. Ego vero carnibus meis temporaliter non parco, ut animæ meæ in æternum parcatur. Tunc in furorem ductus Præses ungulis latera ejus attrectari præcepit, et lampadibus ardentibus exuri. At vero Theophilus nihil aliud in tormentis clamabat, nisi hoc : Christe fili Dei, te confiteor; adjunge me in numero Sanctorum tuorum. Erat autem intrepidus in vultu, et constans in vultu, ita ut non putaretur ipse torqueri.

*AUCTORE J. B. raditur ungulis, lampadibus uritur, nec videtur sentire*

18 Cumque tortores inter ipsa tormenta deficerent, hanc impius Præses dictavit sententiam : Theophilum, qui nunc usque diis immortalibus sacrificavit, et cultor eorum extitit, nunc vero prævaricator inventus est, ita ut ab iis discederet, et sectæ se traderet Christianæ, jussimus capite plecti. Theophilus dixit : Gratias tibi ago, Christe, et gaudens pergebat ad coronam supernæ vocationis : qui hora undecima conductus, meritus fuit cum iis æquam portionem, qui a prima hora usque ad undecimam operati sunt, per gratiam ejus qui glorificat Sanctos suos : cui est honor et imperium cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum, Amen. D

*morte damnatur.*

a *MS. S. Max.* ad ostium meum.

# DE S. DOROTHEA

## VIRGINE DEO SACRATA, ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO,

### Commentarius historicus.

J. B.

*INITIO IV SEC. VI FEBR. S. Dorothea Alexandrina colitur 6 Febr.*

Altera hæc est Dorothea, *cujus cum fortassis ignoraretur natalis, hic cum Cæsariensi illa nomen adscriptum Martyrologiis, ab Richardo Wytfordo primum ante fere* CXL *annos, deinde Francisco Maurolyco, Petro Galesinio, Petro Canisio,* B *Philippo Ferrario. Meminere quoque ejus Molanus in Natationib. ad Usuard. et Baronius in suis ad Martyrol. Romanum, licet hic alibi* Catharinam *eam fuisse conjectet, de qua re infra. Galesinius his eam verbis prædicat, quibus ceteri fere congruunt :* Alexandriæ, Sanctæ item Dorotheæ : quæ Maxentium et Maximinum Imperatores, Christianæ pudicitiæ et fidei hostes, fugiens, in solitudinem se abdidit : ubi in orationibus et jejuniis assidua, complures alias exemplo ad illud sanctissimæ vitæ genus adduxit. *Maximinum Galerium Cæsarem fugit Dorothea, non Maxentium; hic enim Romæ, non Alexandriæ, pari tamen atque ille vesania, et Christianam religionem, et Virginum matronarumque pudicitiam expugnabat. Wytfordus* Maximum *vocat pro* Maximino.

*vixit non sub Maxentio,*

2 *Hujus sanctæ Virginis nomen, ab Eusebio omissum, ad posteros transmisit Ruffinus, paullo aliter quoque rem ipsam quam ille, complexus, lib. 8 hist. Ecclesiast. cap.* 17 *his verbis :* Vincebatur sæpius, *Maximinus,* non solum a viris, sed etiam a fœminis, quæ verbo Dei et fidei calore succensæ, ut fœminæ quidem comprehendebantur, sed ut viri fortes in certamine coronabantur : mortem quippe promptius subire, imo C vero et ultro expetere, quam corporis maculam recipere malebant. Verum cum duobus gravissimis dominis, libidine et crudelitate præceps ageretur ; fuit apud Alexandriam Dorothea quædam, satis nobili orta familia, ingentibus divitiis et propinquis nobilibus pollens. Sed in ea ingenii atque industriæ bonum, certarumque honestarum artium studia, magis quam hæc vigebant. Formæ vero et decoris gloria tanta ei fuit, ut mirum ac speciale in ea Dei figmentum crederetur. Sed illa, quæ religione animi et honestate vitæ pulchrior quam vultu corporis esse studeret ; æquissimo mentis judicio, quod pulchrum et decorum inter homines videbatur, id potius Deo consecrare, quam usui humano statuit indulgere, et Virgo Deo sacrata persistere.

*sed Maximino Galerio;*

*nobilis, dives, docta, formosa,*

*Deo devota*

3 At ille qui Divina atque humana, libidine simul et crudelitate, fœdaret ; cognito solitus formæ, non etiam ingenii ac propositi, bono, ad temerandam Virginem, ac polluendam ejus castitatem animum intendit. Comperto vero quod Christiana esset, quæ secundum sua edicta pœnæ magis quam libidini subjicienda videretur, in ambiguo positus æstuare cœpit, et in quam se partem verteret ignorare. Sed ubi dubios animos libido, quæ ei latius dominabatur, obtinuit, et expectantem Virginem pro martyrio ad supplicium rapi, per occultos nuntios de stupro interpellavit ; illaque nefas sibi esse respondit, templum corporis sui, quod semel Deo consecraverat, idolorum cultu aut libidinis contagione polluere : proinde se quidem ad mortem paratam esse ; a crudeli vero tyranno non decere blandum aliquid aut E molle proferri, nec esse dignum resolvi erga se truces animos, quos quotidie nudatim Christianorum profusus cruor duraret.

*a tyranno interpellata de stupro,*

4 Ad quæ responsa cum ille libidine accensus acrius incalesceret, et, nisi verbis acquiesceret, vi agere decerneret ; omnibus Virgo pudicissima facultatibus suis domoque et familia derelicta, noctu clam cum paucis fidissimis famulis, et cum amicissima sibi comite castitate, discedit, atque illusum tyrannum vanum amentemque derelinquit. Sed et alias plurimas nobiles mulieres simul ac Virgines exemplo illius adortus, sed exemplo nihilominus illius paratiores ad mortem, quam ad servitutem libidinis nactus, crudelibus suppliciis allici jubet. Quæ multo promptius et lætius, quam ceteri omnes, mortem subibant, eo quod duplices sibi coronas a Domino præparandas, non solum pro pietate verum etiam pro castitate, credebant.

*vim minante, clam profugit : aliæ pro castitate martyrium subeunt.*

5 *Hæc Ruffinus in editione an.* CIↃCCCCLXXIX, *per Joannem Schallum accurata. Eadem ex illo refert Vincentius Bellovacensis Specul. historial. lib.* 13 *cap.* 10. *Agit quoque de hac S. Dorothea Petrus de Natalib. lib.* 3 *cap.* 102, *ubi post alia sic scribit :* Dum igitur F Virgo Christi ab eodem *(Maximino)* pro adulterio impetitur, accepta dilatione, timensque virginitatem amittere, nocturno silentio clam aufugit : et eremum petens, orationibus et jejuniis multo tempore vacans, in pace quievit. Cujus exemplum multæ Virgines imitatæ sunt.

*ipsa in eremo sancte vivit :*

6 *Eusebius lib.* 8 *cap.* 27 *ita scribit :* Mulieres vero, non minus quam viri, Divini verbi doctrina corroboratæ, aliæ quidem eadem quæ viri certamina subeuntes, paria quoque virtutis præmia reportarunt, aliæ ad flagitium pertractæ, vitam prius morti subjicere quam dedecori corpus maluerunt. Una quidem certe Alexandrina mulier, cum aliæ tyranni libidini cederent, nobilissima splendidissimaque cum esset et Christiana, intemperantia ac lascivia furentem Maximini animum virili constantia superavit. Illustris illa quidem rebus ceteris erat, divitiis, nobilitate, doctrina, sed decora isthæc omnia longe posthabuit pudicitiæ. Eam multis frustra tentatam blanditiis, ac mori potius paratam, interficere tamen tyrannus non potuit, cupiditate magis animum ejus occupante : eam igitur relegat, omnibus spoliatam facultatibus. Aliæ vero innumeræ, quia stupri minas, quas præfecti provinciarum intentabant, ne audire quidem sustinebant,

*dicitur autem blanditiis a tyranno tentata, relegata, et bonis spoliata.*

A sustinebant, genus omne tormenti, convulsionis, mortiferique cruciatus, tolerarunt: dignæ ille quidem profecto admiratione.

*mortua circa an. 320.*

7 *Franciscus Laherius noster in magno Menologio Virginum, eadem fere quæ Ruffinus memorat: sed interpellatam a tyranni satellitibus, dissimulatione usam ait, ac biduum postulasse, quia tunc apte comparata non esset: itaque accepta (ut Petrus de Natalibus ait)* dilatione, *clam profugisse. Conjectat vero circiter annum* CCCXX *obiisse, ac* VII *Februarii ejus natalem locat.*

*Quidam putant eam esse S. Catharinam;*

8 *Baronius tom.* 3 *Annal. ad an* 307 *num.* 31 *putat Heroidem, quam diximus, esse* Catharinam *Virginem ac Martyrem, quæ* XXV *Novemb. colitur: quæ cum* Hecaterina *diceretur ab* Hecate, *in baptismo* Dorothea *sit appellata: cum tamen apud omnes esset celeberrima, priori nomine notior etiam apud posteros extiterit. Præcipuum ejus argumentum est, quod non videntur quietura fuisse impotentis tyranni ira ac libido, ut non eam curaret retrahi e fuga: imo suspicatur, ipsam fuga lapsam* montes Arabiæ petiisse, *quo se Christiani Alexandrini recipere persecutionis tempore consuerint:* eamque fido comitatu Christianorum, conscendisse D verticem Sinæ montis: sed et.... perquisitam denuo, inventamque, atque tormentis exagitatam, fuisse martyrio coronatam; eoque corpus (ut tradunt) divinitus translatum, ubi latebras nacta fuisset in fuga.

AUCTORE J. B.

*parum probabiliter.*

9 *Solertem viri magni conjecturam, nulla tamen vetustiori auctoritate, aut solida satis ratione firmatam, haud est cur leviter amplectamur. Demus enim ab Hecate* Hecaterinam *duci posse, et non potius* Hecatæam, *aut simile quid: ubi legit* Hecaterinam *dici? In Menologio Latine edito* Catherina *est, in Menæis ac Menologio Græco αἰκατερίνα, quid hoc ad ἑκάτην? Henricum Adamum nostrum, Græce Hebraiceque doctissimum, memini ante annos* XXXV *disserere de hoc nomine, ac contendere cum ἑκαθαρίνα pro ἡ* Καθαρίνα *scriptum legisset quispiam,* Hecaterinam *fecisse. At Menæa forsan non viderat, quæ aliter longe efferunt. Sed de* Catharina *alibi.* Dorotheam *Eusebius exilio multatam scribit, Ruffinus, qui primus prodidit nomen, quod Ægyptum obeundo fortassis didicerat, non ignorasset si e fuga retracta fuisset, itaque immaniter excarnificata.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS EMESENIS,

# SILVANO EP. LUCA DIAC. MUCIO, SIVE MOCIO, LECTORE,

### Commentarius historicus.

J. B.

*AN. CHR. CCCXII VI FEBR. Emesæ Episcopus S. Silvanus,*

Emesæ, *in Phœnicia Libani, Episcopus fuit* S. Silvanus, *glorioso martyrio cum Luca Diacono, ac* Mucio, *sive* Mocio, *Lectore, perfunctus sub Maximino Galerio Cæsare, Maximiani Armentarii Imperatoris sororis filio. Eum primus, Gregorii* XIII *Pontif. Max. auctoritate, Martyrologio Romano inscripsit Cæsar Baronius ad* VIII *Idus Februarii his verbis:* Emessæ in Phœnicia S. Silvani Ep. qui cum eidem Ecclesiæ annis XL præfuisset, sub Maximino Imperatore una cum aliis objectus feris, membratimque discerptus, martyrii palmam accepit. *Nuperrime edito Martyrologii, Urbani* VIII *auctoritate recognito, habet sub* Maximiano *occisos esse. Infra ex Eusebio ostendemus potius sub* Maximino *id videri contigisse. Græci ad* Numeriani *tempora referunt, perperam: licet Numeriano imperante Ecclesiam illam, inde ab Aureliani primis imperii annis, Silvanus administrarit.*

*6 Febr.*

*sub Maximino Galerio,*

*non Numeriano.*

*cum Luca et Mucio,*

2 *Citat Baronius Menologium Græcorum, quod* Lucam Mociumque *adjungit:* Eodem die, *inquit,* sancti Martyris Silvani Episcopi, Lucæ Diaconi, et C Mocii Lectoris; qui Imperatore Numeriano, ex regione Emesenorum, martyrium passi sunt. *Galesinius quoque,* Emissæ, *ait,* in Phœnicia, sanctorum Martyrum, Silvani Episcopi, Lucæ Diaconi, et Mocii Lectoris. Ii Numeriano Imperatore, cum Christi Jesu fidem palam prædicarent, ab idolorum cultoribus ad urbis Prætorem vincti perducuntur: quos ille, perspecta eorum cœlesti constantia, primum graviter excruciatos, feris objici jussit; quarum morsibus tandem necati Deum sancte precando, ad præmium abierunt in cœlum.

*feris objectus,*

3 *Menæa ad* XXIX *Januarii prolixiori eos elogio celebrant, quod mox dabimus. Infra quoque ad* XX *Februarii memoratur in plurimis Martyrologiis* S. Silvanus, *diciturque Tyrius Martyres, qui an.* CCCIV *coronati sunt, ad constantiam animasse, una cum* S. Tyrannione *Tyri Episcopo et aliis.*

*vel 29 Januarii*

*laudatus 20 Febr*

4 *Eusebius lib.* 8 *histor. Ecclesiast. cap.* 25, *recensens illustriores Martyres, qui circa annum octavum persecutionis Diocletiani, id est, Christi* CCCX, *palmam obtinuerunt,* Silvanum *quoque nominat:* Ex Martyribus Phœniciæ, *inquit,* longe illustrissimi, omninoque sanctissimi, rationalis Christi gregis pastores, Tyrannio Episcopus... Silvanus etiam Episcopus Ecclesiarum quæ erant Emisæ: *Græce est,* τῶν ἀμφὶ τὴν Ἔμισαν ἐκκλησιῶν Ἐπίσκοπος: Episcopus Ecclesiarum quæ circum Emisam: *quia nempe non unius urbis, sed totius civitatis Emesenorum Episcopus erat. Pergit Eusebius:* Sed hic quidem bestiis esca, una cum aliis in ipsa urbe Emisa factus, choris insertus Martyrum est. *Eadem habet Nicephorus Callistus lib.* 7 *cap* 16. *ubi eum ait ἐν Ἐμέσῃ τῆς ἐκκλησίας ἄριστον ἐπίσκοπον χρηματίσαι.* Ecclesiæ Emesenæ optimum Episcopum præfuisse. *Ruffinus quoque lib.* 8 *cap.* 14. Et Silvanus Emessanorum Ecclesiæ Episcopus, qui in sua civitate bestiarum morsibus absumptus, Martyrum sociatus est choris.

*et relatus inter passos sub Galerio Maximiano*

*Februarii T. I.*

*non tum occisus,*

5 *Neque tunc tamen id contigit: sed cum persecutio primum repressa fuisset, etiam Galerii Maximiani Armentarii edicto; Maximinus Galerius Cæsar post sex menses eam denuo suscitavit non novo quidem edicto, sed Præsidibus urbium et provinciarum clam indictis ut in Christianos sævirent: id quod fuse et dilucide enarrat Eusebius lib.* 9 *cap.* 2 *et sequentibus. Nicephorus quoque lib.* 7 *cap.* 25 *et seqq. ac Ruffinus lib.* 9 *cap.* 2 *ut mirum sit Baronium tom.* 3 *an.* 311 *num.* 48 *negare* F *hæc ob Eusebio esse scripta, sed ab alio adjecta. Ita porro de S. Silvani cæde scribit Eusebius lib.* 9 *cap.* 6. In nos autem denuo exilia et crudeles persecutiones commoventur: acerbi Præfectorum singulas provincias obtinentium, contra nos tumultus rursus cientur: usque adeo, ut nonnulli ex iis qui in verbi Dei propagatione multum pollebant, ex improviso comprehensi sententiam mortis inevitabilem exciperent. Quorum tres, Emisæ urbe Phœniciæ, cum se Christianos libere profiterentur, bestiis devorandi objiciuntur: quorum unus Silvanus Episcopus erat, grandis natu, qui annos quadraginta sacerdotio functus esset. *Eadem habet Nicephorus lib.* 7 *cap.* 27.

*sed renovata a Maximino persecutione,*

*admodum senex.*

6 *At Ruffinus lib.* 9 *cap.* 6 *ita ea vertit:* Nostrorum vero rursum fuga, rursum persecutio et supplicia renovari. Judices provinciarum, tanquam gratum aliquid ex hoc Imperatori exhibentes, in nostros atrocius desævire. Igitur apud Tyrum Phœnicis urbem, tres quidam juvenes correpti, cum se Christianos esse profiterentur, bestiis subiguntur. Cum quibus et Silvanus Episcopus, XL annis functus sacerdotio, vir mansuetudine animi et ipsa jam senectute venerabilis. *Ita Ruffinus. At qui tunc cum illa gererentur, et octo annis prius Tyriorum Martyrum*

*Emisæ non Tyri.*

 *certamini*

A *certamini adfuerat Eusebius, diserte tres ait fuisse, utterque eos* Silvanum, *et* Emisæ *passos.*

AUCTORE J. B.

## ACTA EX MENÆIS GRÆC.

a

Silvanus, Lucas et *a* Mocius cruciatibus
Obtulere corpora, animas Deo.

b *Sancti capti,*

*b* Numeriano imperante mota est adversus Christianos persecutio. Relatum est ad Emesenorum civitatis Præfectum, de santo Patre nostro Silvano Episcopo ejusdem civitatis. Ac subito comprehensus est Sanctus, cumque eo Lucas Diaconus, et Mocius Lector : ac vincti omnes Præfecto sistuntur. Quos ille diligenter examinatos, ut audivit Christum solum ac verum Deum confitentes, atque idola et qui hæc venerarentur execrantes, cum blanditiis eos emollire non potuisset, ingenti iracundia percitus atque in rabiem actus, flagris eos atrociter cecidit, ac deinde D in carcerem conjectos longa inedia torsit. Deinceps per multos dies identidem interrogatos, flagellari, vinculis coerceri, fame ac siti emaciari, tandem feris objici præcepit. Producti vero in stadium, variis jam in eos immissis belluis, oraverunt ut isthic finire certamen possent. Statim suorum famulorum vota audiens Deus, eorum animas suscepit. Belluæ autem eorum corpora reveritæ, iis omnino intactis recesserunt. Nocte deinde ingruente, Christiani quidam clam eorum reliquias subripientes, magna cura sepelierunt, gratias Deo agentes.

*post varia tormenta, feris objecti, et ab iis intacti moriuntur*

a Μώκιος *quoque appellatur a Græcis qui* 13 *Maii a Latinis colitur* S. Mucius *Presbyter M. At* Mucios *Romanos* Μουκίους *vocat Plutarchus aliique.* — b *Supra monuimus non sub* Numeriano *(qui exiguo tempore cum patre Caro imperavit, et non multis post hujus mortem mensibus Apri soceri insidiis oppressus est an.* 284.) *sed sub* Maximino Galerio *Cæsare, an. Christi* 312, *occisos esse hos Martyre*

J. B.

# DE S. JULIANO MEDICO
## MARTYRE EMESÆ IN PHŒNICIA.

AN. CHR. CCCXII VI FEBR.

B

I*gnotum Fastis Romanis* S. Juliani medici Emeseni *nomen, primus adscripsit Petrus Galesinius e Græcis, atque ex eo Molanus retulit in Diarium Medicorum totidem verbis :* Hoc ipso die, ibidem *(Emesæ, nam de S. Silvano immediate egerat, de quo et nos)* S. Juliani Martyris. Hic ab adolescentia medicus, illud in adhibenda corporibus medicina spectabat, ut Christi fidem docendo, animis salutare medicamentum afferret. Is autem cum illos, de quibus mox supradictum est, Martyres e carcere in theatrum, ubi a bestiis conficerentur, vinculis adstrictos duci videret, fidei ardore accensus accurrit : Sanctos osculatur, idque supplex precatur ut fortiter agerent. Quamobrem comprehensus, in speluncam includitur; ubi capite clavis confixo, et manibus pedibusque item, animam Deo reddidit. *Breviter Ferrarius :* Emesæ in Syria S. Juliani M. *Menologium Græcorum ab Henr. Canisio e bibliotheca Sirleti Cardinalis editum :* Sancti Martyris Juliani Emeseni. *Fusius Menæa, e quibus sua Galesinius accepit.*

*S. Juliani M. Emeseni et medici nomen in Martyrologiis.*

NOT. 48

## ACTA EX MENÆIS GRÆC.

E

Christo manus pedesque vulnerati sunt clavis :
Julianus adjicit etiam caput.

Is ex Emesa civitate ortus, ab ipso flore ætatis Divinarum rerum studio deditus fuit, professus vero artem humanis corporibus medendi, majorem tamen animarum curam gessit : erat enim artis utriusque apprime gnarus. Captis igitur, tempore *a* Numeriani Imperatoris, Silvano Episcopo, Luca Diacono et Mocio Lectore, atque a cultoribus idolorum damnatis ad bestias, dum abducerentur occurrens Julianus eos amplexus est. Quare et ipse apprehensus, postquam ii sublati de medio fuere, clavis per caput, pedes ac manus trajectis, in quodam antro ita ut erat confixus, inclusus est, Deoque spiritum reddidit.

*curat is corpora animasque.*

a

*ac Martyres salutans*

*fit ipse Martyr*

a *Idem quod de S. Silvano hic dicendum, non sub* Numeriano, *sed sub* Maximino Galerio *martyrio defunctum.*

DE SANCTIS HIBERNIS EPISCOPIS

C

# MELE, MELCHO, MUNE, RIOCO,

J. B.

F

## Commentarius historicus.

### § I. *Horum* IV *fratrum natalis. SS. Mel et Melchus Episcopi Arduchadenses.*

SUB FINEM V SECULI VI FEBR.

*Coluntur hi 4 fratres, 6 Febr.*

Q*uatuor hosce fratres Martyrologio Sarisburiensi ad* VI *Februarii Richardus Wytfordus inscripsit, seu quia ita in Fastis Hibernicis reperisset, seu quia uno editos thoro, iisdem laboribus unanimi constantia perfunctos, anniversariæ memoriæ celebritate disjungi invicem non censeret oportere. Eum sequitur tomo* 2 *de Actis Sanctorum veteris Scotiæ Joannes Colganus, et de* Melo *quidem ac* Melchu *aliorum quoque Hiberniensium Martyrologiorum testimonia profert;* Munem *vero ab aliis ad* XVIII *Decembris,* Riocum *ad Kalendas Augusti fatetur referri : quamquam alibi dubitat, an non alius Decembri mense* Munis *colatur, hujus consobrinus. Wytfordi porro verba sunt :* In Hibernia festum S. Melis, S. Melki, S. Munysi Episcoporum, et S. Rioki Abbatis : fuere hi quatuor fratres, nepotes S. Patricii ex S. Darerca sorore, omnes singulari sanctimonia et magnis miraculis clari.

*Melis et Melchi variæ expressum nomen*

2 *Qui vulgo* Mel, *sive* Melus, *is supra in* 4 *Vita S. Brigidæ ex MS. codice Hugonis Wardæi, lib.* 1 *cap.* 1 *num.* 5 Maol *appellatur. Et Colganus Notat.* 9 *ad eamdem Vitam mavult* Maol, *seu* Mael, *dici (eumdem enim esse utriusque illius Hibernicæ diphthongi sonum) Latine* Mælum. Mel *passim in gestis S. Patricii et aliorum scribitur. At* Melchus, *vulgo* Melchu, *in citata S. Brigidæ Vita* Maolchu, *in Metrica num.* 12 Melchon, *passim apud Colganum* Melchuo, *ad Wytfordo* Melke *vocatur.*

3 *Eos autem S. Patricii sorore genitos, ex iisdem S. Patricii gestis liquet : nam Jocelinus monachus cap.* 50 *in editione Colgani ita scribit :* Darerca sororum ultima, mater erat Episcoporum sanctorum, Mel, Rioch et Munis; quorum pater dicebatur Conis. Hi similiter in prædicatione et itinere B. Patricium comitabantur, et in locis diversis pontificalem dignitatem sortiebantur. *Ejusdem quoque Sancti Vita tripartita lib.* 2 *cap.* 21 *apud eumdem Colganum :* Cum S. Patricius ex Britannia in Hiberniam trajecisset; S. Munis Episcopus ipsum suosque germanos fratres, S. Melem Episcopum, et S. Riochum de Inisbofinne, secutus est. Hi erant filii Conis et Darercæ, quæ fuit S. Patricii soror, ut referunt Ecclesiarum S. Patricii rectores. *Horum fratrem fuisse* Melchum,

*Omnes S. Patricium comitantur in Hiberniam.*

*sive*

A *sive* Melchuonem, *ibidem cap.* 26 *indicatur:* Profectus S. Patricius in australem Teffiam, convertit et baptizavit Maninm Nielli filium, Regis Laogarii fratrem. Exstruxit ibi in loco Ardachadh nuncupato ecclesiam, quæ in hunc usque diem Sedes est episcopalis; cui et præfecit Melem Episcopum, suum ex sorore nepotem: et cum eo reliquit Milchuonem Episcopum, ejusdem Melis fratrem germanum.

*Mel Ep. Ardachadensis,*

4 *Est* Ardachadh *in Longfordiæ Comitatu haud procul a Regito lacu, urbs episcopalis: quam post* S. Melis *obitum* S. Melchus *rexit, antea quidem Episcopalem Ordinem adeptus, ut eo ævo, nulla ei certa Cathedra adscripta, sed fratris in omnibus individuus comes et adjutor; nusquam enim illius fieri mentionem legi, quin una* S. Melis *fieret. Monasterio fortassis sub fratre præerat, de quo in Vita prima S. Brigidæ supra cap. 4 num.* 26. Episcopi sancti Mel et Melchu cum S. Brigida perrexerunt in Campum Tehtfe, quia illi Episcopi monasterium grande ibi habuerunt. *Hujus monasterii partem, aut certe contiguam ei domum,* S. Mel *incolebat cum matertera sua* Lupita, *quæ fortassis rem illius familiarem curabat. Verum ex hujus simplici quidem, tamen imprudenti, facto, utrique suspicio incestus a quopiam malevolo aspersa. Rem totam*

*isthic magnum monasterium cum Melcho regit:*

B *ita narrat Jocelinus in Vita S. Patricii cap.* 102.

5 Magni vir meriti Mel supra memoratus, qui cum fratribus suis viris sanctissimis, Munio et Riocho de Britannia in Hiberniam advenit, ab ipso S. Patricio in Pontificalem gradum promotus, ipsi in prædicatione coadjutor extitit. Hic ex proprio labore manuum suarum, more Apostoli Pauli, studuit victitare; et quod ei a divitibus datum fuerat, solebat egenis erogare. Cum isto beato viro, utpote nepote suo, commanebat in una domo, modo primitivæ Ecclesiæ, S. Lupita soror Patricii, ut ejus verbo et exemplo proficere posset in exercitio Divini obsequii. Evoluto vero aliquanto tempore, cum sanctus Sacerdos, juxta morem, media nocte surgeret ad confitendum Domino, sancta illa fœmina solebat se ad soporandum collocare, pellibusque cooperire in sancti Præsulis lecto. Nihil sinistræ suspicionis ex hoc facto fingi suspicabatur, quia ex conscientiæ propriæ puritate aliorum mentes metiebatur. Comperiens consuetudinem mulieris quispiam, nefandam fore familiaritatem ipsius cum Episcopo denotabat, denotatam in vulgo disseminabat. Et quoniam infamiæ dilatandæ janua linguis vulgi reserata patuit, res latere Patricium diutius non potuit.

*labore manuum vivit: 1 Cor. 4. 12 cohabitat cu S. Lupita matertera*

*suspicionem incestus incurrunt*

C 6 S. Patricius, si sic res se haberet, evidentius voluit experiri: convertit gressus ad habitaculum præfati Episcopi. S. Mel melius arbitrabatur, innocentiam suam probare signo quam juramento: arans tellurem in quodam colle, pisces multos et magnos cepit ex vomere in sicco, ipso etiam vidente Patricio. Taliter enim captos obtulit Sancto Dei, quasi pro miraculo; ut nulla suspicio remaneret in cordibus hoc videntium, dum tale signum fieri non soleat ab incestuoso. Soror etiam S. Patricii, collectam vestem in gremio vivis carbonibus implevit; quos sufficienter portans, et excutiens in conspectu fratris, absque ullo ustulationis vel læsionis signo, innoxiam se comprobavit.

*purgant se, Mel piscibus in sicco captis,*

*Lupita prunis carbonibus illæsa veste gestatis.*

7 S. Patricius innocentiam signis tam evidentibus probatam approbans, illos mundos et immunes pronuntiavit: attamen quod ipsis aliisque multis salubre foret, palam edicere curavit. Imprimis ergo Episcopum conveniens admonuit, ut in terra araret, in aqua vero piscaretur, ne tentare Dominum suum videretur: denique ne gloriari præsumeret in aliquo miraculo ex Divina gratia in se patrato. Denique sanxit Sanctus, ut a mulieribus viri sequestrarentur, et utrique sexui ædificia et oratoria distincta construerentur. Sic profecto, ut ait idem Patricius, nomen Dei per eos inter gentes, quibus illud prædicabant, non blasphemaretur; nec infirmis scandali occasio ulla in casu tali, vel detrahendi materia tribueretur. Quod ergo S. Patricius edixit, et statuit, observari fecit. D

*S. Patricius jubet eos non tentare Deum edendis miraculis,*

AUCTORE J. B.

*et seorsim habitare,*

8 *Idem narratur in S. Patricii Vita tripartita lib.* 2 *cap.* 29, *ubi non inter arandum pisces cepisse S. Mel dicitur, sed* in terra paullo ante aratro scissa, et imbre humectata, inter sulcos cœpisse piscari, et pisces, eosque salmones, capere. *Ac post pauca:* Et in perennem utriusque memoriam, locus in quo primum a S. Mele patratum est miraculum, vulgo AN CHORA THIRIM, id est, Piscina sicca; et secundum AN MAOIL-TENE, id est, fatuus ignis, nuncupatur. *Ac deinde:* Et sic reliquit eos *S. Patricius* in diversis domiciliis locisque, montis interjectu separatos. Melum enim reliquit ad Ard-achadh ad Orientem, sororem in Druimcheo ad Occidentem montis Bri-leith nuncupati inter utrumque locum jacentis. *Porro* S. Lupita *Virgo colitur* XXVII *Septembris, sepulta, uti Jacobus Usserius de Britannicar. Ecclesiar. primordiis pag.* 858 *tradit, in* Fearta, quæ est in orientali plaga civitatis Ardmachæ.

*in remotis domiciliis.*

## § II. SS. *Melis et Melchi cum S. Brigida familiaritas.* E

M*agna sanctis Episcopis* Meli *et* Melcho *cum* S. Brigida *Virgine intercessit necessitudo: quippe qui ejus nondum natæ divinitus cognoverunt futuram sanctitatem, et plurimum deinde provexerunt. Ita prima S. Brigidæ Vita cap.* 1 *num.* 3. In illis autem diebus, Deo instigante, duo sancti Episcopi ex Britannia venientes, intraverunt in domum Dubtachi, quorum alter vocabatur Mel, et alter Melchu. Dixitque Mel ad uxorem Dubtachi: Quare tristis es? Famulæ tuæ partus præcellet te et semen tuum. Sed tamen illam ancillam sicut filios tuos ama; quia progenies illius tuo semini multum proficiet. *Idem in 4 Vita cap.* 1 *num.* 5 *refertur, et cum amplificatione in* 5 *num.* 3.

*SS. Mel et Melchus ad ædes patris S. Brigidæ veniunt: S. Mel ejus nondum natæ sanctitatem prædicit.*

10 *Idem deinde* S. Mel *Episcopus sacram Confirmationem sanctissimæ Virgini contulit, uti ex Calendario quopiam narrat Colganus Appendice* 5 *ad Vitam S. Patricii, cap.* 4 *num.* 7. *et tom.* 2 *ad* 6 *Febr. in Vita* S. Melis *cap.* 6.

*Confirmationem postea ei confert,*

11 *Eadem postea Brigida, annos (ut vulgo tradunt)* XIV *nata*, acceptis secum tribus puellis, *ut in eadem prima ejus Vita cap.* 3 *num.* 16 *dicitur*, perrexit ad fines Nepotum Neil, ad duos Episcopos Mel et Melchu, qui discipuli S. Patricii fuerunt; et in oppidis Medi illi habitaverunt, et habebant quemdam discipulum, nomine Maccalle, qui dixit ad Mel: Ecce Virgines sanctæ foris sunt, quæ volunt velamen virginitatis de manu tua accipere. Tunc introduxit eas ante Episcopum; intuensque illas Episcopus Mel, subito apparuit columna ignis de vertice Brigidæ. Lectis ergo orationibus, Brigida capite submisso pedem altaris ligneum manu sua tenuit, et ab hac hora pes ille viridis sine ulla putredine, et sine defectu manet in æternum: oculusque ejus sanatus est, dum velamen acciperet. Aliæ vero VIII Virgines acceperunt velamen simul cum S. Brigida. *Fuse in Prolegomenis ad Vitam S. Brigidæ* § 4 *a quo ea et ubi velum acceperit; quia recentiores quidam scriptores jam dictis refragantur, disputavimus.* F

*dein sacrum velum, cum Melcho et Maccallo,*

*non sine miraculis*

12 *Melem certe et suum Episcopum appellavit et venerata est Brigida. Vitæ ejus primæ cap.* 4 *num.* 24. Alia autem die, postquam consummata est septimana Paschæ, dixit S. Brigida puellis suis: Si debeit cerevisia, quam paravimus solennitati Paschæ? Sollicita enim sum de Episcopo nostro Mel, et de hospitibus Christi. Responderunt puellæ dicentes: Deus mittet. Et cum hæc dixissent, venerunt in domum puellæ,

*excipitur ab ea convivio, aqua in vinum benedictione mutata*

*AUCTORE J. P.*

A puellæ, vas aqua plenum in humeris portantes, et dederunt illud Brigidæ, ut benediceret solito more. At vero Brigida putans quod cerevisia esset in vase, ait : Deo gratias agimus, qui dedit cerevisiam istam Episcopo nostro. Et sic conversa est aqua illa in cerevisiam, adinstar vini optimi facta fuit statim.

*ducit eam oculis dolentem ad medicum quærendum,*

13 Eodem tempore S. Brigida dolore oculorum cruciabatur. Hoc audiens Episcopus Mel misit ad eam, ut veniret ad se, quatenus ambo ad quærendum medicum pergerent, qui curaret eam. Cui Brigida dixit : Corporalem medicinam quærere nolo; sed tamen quod tu vis faciemus. Factum est autem, dum Episcopus Mel et Brigida iter agerent ad quærendum medicum, cecidit S. Brigida de curru suo in vado cujusdam fluminis, et vulneratum est caput ejus lapide, et sanguis vehementer fluebat ..... Accidit autem post hæc, ut ille medicus, quem quærebant, occurreret eis in via. Qui cum manu tetigisset caput Virginis, dixit : O Virgo, medicus caput tuum sanavit, qui multo melior me est : nullum locum invenit, ex quo effunderet sanguinem. Illum medicum semper quære, qui potest morbum ex te repellere. Tunc Episcopus ad eam dixit : Nequaquam iterum hortabor te, medicum quærere temporalem.

*sed in via, misso sanguine sanatur,*

*nec deinceps medico eget.*

B 14 Post hæc autem Episcopi sancti Mel et Melchu cum S. Brigida perrexerunt in campum Tehtfe, quia illi Episcopi monasterium grande ibi habuerunt. Cumque Sancta cum suis ibidem moraretur, quadam die Rex Tehtfe haud procul ab eis fuit in convivio; et rusticus quidam accessit, ut tolleret de mensa Regis vas quoddam pretiosum, facturæ mirabilis, et materiæ pretiosæ : et hoc vas apud veteres vocabatur Septiformis calix. Illud autem vas cecidit de manu rustici, et confractum est. Tunc iratus Rex jussit eum alligari ut occideretur. Hoc audiens Episcopus Mel, perrexit ut rogaret pro misero. Sed Rex non dimisit eum. Tunc Mel portans fragmenta vasis confracti, venit ad S. Brigidam; et illa rogavit Deum, et restauratum est vas, et redintegratum est, et miser liberatus est.

*ducunt eam Mel et Melchus Ardachadam ;*

*Mel pro reo intercedit, frustra*

*quem Brigida miraculo liberat ;*

*ducunt eam ad S. Patricium.*

15 *Ibidem cap.* 5 *num.* 34. Tunc sancti Episcopi Mel et Melchu ad S. Brigidam dixerunt : Vis ut nobiscum pergas in Campum Breg, ad S. Patricium salutandum? Brigida respondit : Ego volo ipsum alloqui, ut benedicat me. Tunc perrexerunt in viam sancti Episcopi et Brigida. Subrogavit eos quidam Clericus, habens multam familiam et vaccas et currus et onera multa, cum irent in campum Breg : sed
C nolebant Episcopi, ne tardaret iter eorum de multitudine pecorum eorum et onerum. Dixitque ad eos Brigida : Ite ante nos. Nam et ego remanebo, et compatiar istis, etc. *Porro illi ad Concilium properabant, ut ex sequentibus patet, ubi caussa S. Broni Episcopi agitata.*

*Mel acta S. Patricii scribit adhuc viventis*

16 *Idem* S. Mel *gesta S. Patricii avunculi sui mandavit litteris. Ita Jocelinus cap.* 186 *apud Colganum, et citatur ab Usserio cap.* 27 *pag.* 816. De his quæ mirifice gessit in mundo, libelli vel tractatus referuntur conscripti sexaginta sex numero; quorum pars plurima principantibus Gurmundo et Turgesio consumpta periit incendio. Quatuor tamen codices de virtutibus et miraculis ejus, partim Latine et partim Hibernice conscripti reperiuntur : quos diversis temporibus quatuor discipuli ejus, videlicet B. Benignus successor illius, et S. Mel Episcopus, et S. Lucanus Pontifex nepos ejus, et S. Patricius filiolus ejus, qui post decessum patrui sui Britanniam remeans in fata decessit, et in Glasconiensi ecclesia sepultus est honorifice, conscripsisse referuntur. *Melem citat idem Jocelinus cap.* 3. Sufficiat ergo miraculum memorasse, *inquit*, quod S. Mel Episcopus testatur se sæpius conspexisse.

*ANIMADV. CAP. 97*

17 *Videtur autem Patricii adhuc superstitis Acta* Mel *scripsisse, si verum est, quod habet Usserius in Indice chronologico ad annum* CCCCLXXXVIII. Hoc anno, ut Ultonienses Annales indicant, mortem obiit S. Mel, primus Ardachadensium Episcopus. *At Patricius anno demum* CCCCXCIII *decessit.* S. Melchum *Mele mortuo verisimile est Sedem Ardachadensem suscepisse ; sed nihil de eo deinceps reperimus.*

D *moritur S. Mel an. 488*

## § III. *S. Munis Ep. Fornagiensis.*

*S. Munis comes S. Patricii,*

M*elis Melchique frater* Munis *et ipse Darercæ Conisque filius, cum germanis suis (ut § I dictum est) S. Patricium avunculum in Hiberniam comitatus, ei diutissime adhæsit. De eo auctor Vitæ tripartitæ S. Patricii lib.* 2 *cap.* 23. Postquam in Hibernia appulissent, S. Munis reliquit baculum suum, cuidam arbusto innixum, in loco in quo moram traxerunt : nec ejus fuit recordatus, donec ad locum remotum pervenerint. Ibi autem coram sancto Antistite conqueritur se baculum amisisse. Patricius autem suaviter eum admonens, ut in Domino confidat, ait baculum esse servi Dei, servorum suorum necessitatibus potentis et (quando expedit) semper volentis succurrere. Sermones autem tales vix finiunt, cum ecce baculum super alio arbusto jacentem et præsentem conspiciunt. Tunc etiam sanctus Antistes ait : Baculos commutemus; ego tuum habeam, et tu teneas meum. Et ita factum est. Et baculus ille inter reliquias, quæ Fornagiæ apud S. Munem asservantur, recensetur.

*baculum amissum*

*procul inde, ejus merito, recuperat,*

E *et cum ejus baculo commutat :*

*mittitur ab eo Romam*

19 Cum esset S. Patricius in monte de Cruachanaigle, cujusdam consultationis gratia destinavit S. Munim ad Romani Antistitis præsentiam, qui et sacras dedit ei reliquias. *Contigisse dicitur ea legatio* XXX *annis antequam nasceretur S. Keranus artificis filius ; hic autem natus est an.* DXVI, *ubi in Indice Chronologico tradit Usserius, et nos ad ejus Vitam* IX *vel* XXIX *Septembris dicemus : ergo anno* CCCCLXXXVI *vel* CCCCLXXXV, *Romam profectus est* Munis, *cum S. Felix in Ecclesiæ præesset. In Vita tamen* Kierani, *quam habemus imperite et negligenter scriptam, neque leprosi (ut hic mox) neque reliquiarum mentio fit, et dicitur annis L priusquam nasceretur, a S. Patricio prædictus : unde consequens esset, hæc anno* CCCCLXVI *esse gesta, cum Romæ sederet St Hilarus.*

*an. 486 vel 485*

20 *Dum in itinere esset* Munis, *obiit in Hibernia leprosus quidam, S. Patricii alumnus, cujus sanctitas* Muni *reduci cœlestibus ostentis declarata est. Mortem eam breviter auctor Vitæ tripartitæ S. Patricii lib.* 2 *cap.* 24 *ita perstringit* : Contigit aliqua occasione, ob quam S. Patricius in regione Umhall existens, ejusque leprosus fuerint ab invicem separati. Leprosus autem se contulit ad locum in quo Cluainmhucnoisia est hodie. Ibi reperit arborem quamdam concavatam, duoque ejus brachia ex una radice versus Orientem protensa : inter quæ et ipse sedem sibi fixit. Cum ibi esset, venit ad eum quidam, a quo petiit an esset Christi fidelis. Qui et respondit se Christianum esse. Tunc ab eo humiliter petiit leprosus, quatenus e vicinis juncis fasciculum radicitus evulsum ; et in vase mundo haustum de aqua, ibidem mox erumpente, vellet sibi adferre. Ille jussa exequitur. Denuo leprosus petit, quatenus velit adferre instrumenta fodiendi terram, ut suum corpus ibi sepeliat : quod et alter devote fecit. Et leprosus ille est primus, qui sub humo Cluanensi sepultus est.

F *interea leprosus*

*in Cluanensi moritur,*

21 *Jocelinus cap.* 113 *secessus a S. Patricio caussam, et ut corpus exanime a lepra emundatum sit, ita narrat* : S. Patricius, sancta consuetudine ductus, quemdam leprosum secum detinebat, cui cum magna devotione cuncta pro Christo necessaria ministrabat, ulcera manibus propriis lavit, utrumque ipsius hominem quemlibet cibo competenti, reficere consuevit.

A *diu a S. Patricio alitus,* vit. Leprosus enim corporali sospitate penitus perdita, saluti animæ omnibus modis invigilare studuit, orationi jugiter incumbere, in omnibus agere semper Deo gratias. Cum autem lepræ squalore succisus, *vir sanctus,* fœtorem commanentibus ingereret; timuit ne ceteris esset horrori, ac clam et humiliter a consortio ceterorum secessit, et in quadam arbore concava, fortuito inventa, solitarius secum habitavit. *ac paullo post :* Ad petentis igitur, vel potius adjurantis, vocem pergens ad locum homo, juncum exstirpavit, et confestim perspicuus fons erupit : fascem autem de junco ad leprosum attulit, et de novi fontis scaturigine quod accidit, retulit. Ille gratias et laudes Deo *cujus meritis elicito fonte* reddidit, deinde homini dixit : Noveris, frater carissime, quod Dominus noster Jesus Christus huc te *corpus ejus ablutum a lepra mundatur,* adduxit, ut in fontis illius aqua corpus meum abluas, et in eo loco sepelias. His dictis, oculos ac manus in cœlum levans, expiravit : corpusque illius præfatus vir in fonte diluit : nullumque lepræ vestigium in eo videns, sed suavissimum repertum ibidem sepulturæ tradidit et discessit.

22 *Pergit idem Jocelinus :* Evolutis aliquantis diebus S. Munis, multarum reliquiarum Sanctorum devotus bajulus, de Roma revertebatur, et necessi- B tate coactus in loco prædicto de nocte morabatur. *et ab Angelis nocte honoratur :* Sub noctis autem silentio vidit lucem magnam circumfundere locum istum, et Angelos psallentes audivit excubias agere usque mane circa tumulati sepulchrum. *volente id auferre S. Mune,* Hæc omnia narravit ille S. Patricio, dicens se velle amovere corpus illud sanctum a loco illo deserto. S. Patricius prohibuit hoc fieri, prædicens ibidem habitaturum quemdam filium vitæ, nondum natum, Kieranum nomine, qui locum illum re- *jubet S. Patricius S. Kierano nondum nato relinqui,* pleret præclaro Sanctorum examine, et corpus illud sanctum multo sublimaret honore. Quod enim prædixit, processu temporis evenit. Est enim locus ille inter Mediam et Connactiam, in quo sita est civitas Cluanensis, in qua habetur hodie Sedes Episcopalis.

23 *Aliud prodigium memorat auctor Vitæ tripartitæ lib. 2 cap. 25 quod ad locum illum* Cluain-mic-nois *S. Munis contigit. Nam isthic pernoctaturus,* deposuit *ubi et reliquias Roma allatas,* suam thecam cum inclusis reliquiis in vicinæ arboris concavo sinu : quam et arbor ambiisse, oluctataque cortice, omnia cavitate abjecta, undique conclusa crastino mane reperta est. Mira miraculi novitate attoniti, secures aliaque ferramenta arripiunt, arbo- *sed intra arborem nocte una penitus occlusas.* rem discindere casso conantur labore. Et cum fatigati nihil proficerent, quæ contigerunt S. Patricio referunt. Patricius ad eos ait : Est quidam filius vitæ, C nondum natus, qui illis reliquiis indigebit, nempe S. Kieranus Fabri filius; cui, Divinæ providentiæ speciali favore, ita reservatæ sunt, idcirco relinquendæ.

24 S. Munis memoratus *(inquit idem Jocelinus cap. 114)* de Roma reversus, ex itineris longi fatigatione *S. Munis, amore quietis,* fastiditus usum ulterius itinerandi, precabatur S. Patricium, ut sicut fratribus suis, Ecclesias habentibus, requiem providit, sic sibi procuraret locum habitationis contemplationi congruum. Sanctus igitur Patricius illum, licet internæ quietis dilectorem, saluti tamen plurimorum profuturum sciens, obtulit illi locum aptum et optimum, dicens : Ecce collis, ecce vallis; ædifica et inhabita, ubi gratius videatur oculis tuis. Illud autem scito, quod si in valle habitaveris, plures ad Dominum animas producere *monasterium Forgnagiæ auspicat,* possis : si autem in colle manseris, pauciores acquires, ob vanitates et amœnitates oculis objiciendas, et alias caussas casusque complures. Præmonitus et præmunitus Munis a Spiritu sancto, respondisse fertur S. Patricio. Non conqueror de colle seu de valle, sed de stagno proximo; quoniam inibi regalis exstat habitatio. Crebra namque aulicorum aliorumque secularium frequentatio fiet mihi molesta, mentisque meæ sabbato ingeret impedimenta. Confirmans illum D *ablato e stagno, precibus S. Patricii Divina vi submoto* S. Patricius, asseruit facile fore Deo, huic molestiæ mederi : recedensque paullulum, preces devotas et efficaces effudit in conspectu Dei. Nocte igitur sequenti stagnum illud, cum habitaculis et habitatis in eo, tam remote transtulit Dominus, ut nullam molestiam aut gravamen inde sustineret servus ejus.

25 Sanctus enim Munis manens illic ecclesiam *reliquias et ornamenta ei donat S. Patricius,* exstruxit, cui S. Patricius de reliquiis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et aliorum Sanctorum perplurium, ac insignia quædam ad Ecclesiasticum ministerium necessaria dedit. Ipse postea, licet invitus, virtutibus clarescentibus, ad officii pontificalis promotus fastigium, signis etiam coruscans multis, migravit tandem ad Dominum. *Hactenus. Est vero* Fornagia, *sive, ut dicitur in Vita tripartita S. Patricii lib. 2 cap. 2* Forgnuidhe, in regione Cuirene, in Boreali parte Midiæ, ad ripam Australem fluminis Ethne.

## § IV. S. *Riocus Abbas Inisbovindensis, et Episcopus.*

*Quartus sanctorum horum fratrum fuit* S. Riocus, *qui in* Inisbovinde *colitur, sive in* insula albæ vitulæ. *Duæ* E *Inisbovinde duplex, ubi sita?* *porro erant ejusdem nominis insulæ apud Hibernos, una* quæ ad Occidentalem plagam ab Hibernia procul secreta, *ut scribit Beda lib. 4 cap. 4 atque ex eo, Usserius pag. 823 et meminit Cambdenus in descriptione Comitatus* Galway : *altera in* Rigio, *sive* Regito, *lacu Sinei fluminis, inter Mediam et Connactiam. In illa monasterium condidit S. Colmannus Lindisfarnensis Ep. uti cap. citato Beda refert, sed ducentis post Riocum annis. Hujus tamen monasterium in eadem insula extitisse censet Usserius. Colganus in hoc Rigiensi; quod longe verisimilius est.*

27 *Pauca de hoc sancto viro tradita litteris reperimus, Unum illud memorant, eximia præditum fuisse oris* *Eugenius, Nelli filius deformis,* *corporisque totius dignitate. Ita Jocelinus in Vita S. Patricii cap. 84.* Fuit quidam ex Hiberniæ Magnatibus, Eugenius vocabulo, qui diu prædicanti sibi resistebat Patricio ; sed verbi vivi et efficacis ratione tandem circumseptus et constrictus, ac signis irrefragabilibus convictus, credidit, atque vitalis undæ lavacro lotus in Christo renovari meruit. Erat idem dives et potens in regno, sed vultu membrorumque habitudine cunctis deformior, qui fuerunt sub ejus constituti dominio. Hic multoties super deformitate sua S. Patricio conquestus, precabatur illum, ut precum suarum obtentu, suæ larvalis faciei horro- F rem exterminaret ; ut sic Dei sui omnipotentiam, in quem omnis populus credit, experiri posset. Quadam vice S. Patricius precibus pulsatus hominis, de seipso sic verecundati et confusi, sciscitabatur ab eo, cui in forma optaret assimilari. Ille vero circumspec- *S. Rioco formosissimo,* tis cunctis in circuitu positis, prælegit speciem Riochi Ecclesiastici, custodis ejusdem S. Patricii. Erat ipse natione Brito, gradu tunc Diaconus, sancti Præsulis consanguineus, speciosus forma præ filiis hominum in finibus illis degentium. Erat nihilominus homo vitæ sanctissimæ, ut dicere posset illud Psal- *Psal. 29 8* mistæ ex sententia : Domine, in virtute tua præstitisti decori meo virtutem. Sanctus vero Patricius *precibus S. Patricii,* fecit eos in uno lecto sub uno amictu somnum capere : stansque super eos levavit puras manus in oratione Res mira et valde insolita. Cum excusso sopore a strato surrexissent, nulla in utrinsque vultu apparuit distantia ; discrevit illos tantummodo tonsura. Cunc- *similis ... fit* tos ergo hoc agnoscentes admiratio percussit ; sed hoc in se signum experti copiosior lætitia pectus perfudit.

28 *Idem in 4 Vita S. Patricii apud Colganum cap. 71, et in Vita tripartita lib. 2 cap. 116 narratur, ... simul*

AUCTORE J. B. et aliter,

A *simul qua ratione idem Eugenius, S. Patricii benedictione, longiorem corporis staturam adeptus sit. Erat autem tunc ætate provectus Eugenius hic Nelli filius, quippe multorum jam liberorum parens, e quibus Muredachus ei auctor fuerat, ut Christi fidem complecteretur, ut in citata tripartita Vita lib. 2 cap. 114 narratur.* S. Patricio admodum familiaris. *S. Patricius autem adeo ei erat familiaris, ut Conallo Endæ Cromii filio, Amalgadii Regis Connactiæ nepoti, Ængusii patrui sui fraude aditu aulæ Temoriensis exclusо, ne patris caussam agere coram Laogario Rege et* D *Eugenio, adversus regni competitores posset, ita vir sanctus præscripserit :* Ingredere nunc januis apertis, ad Eugenium filium Neill, amicum meum fidelem, qui te adjuvabit : capiesque occulte annularem ejus digitum, quod signum est inter nos semper. Eugenius autem hæc advertens, petiit quid placeat S. Patricio. *Ita lib. 2 Vitæ tripartitæ cap. 78. At de S. Rioco nihil aliud comperimus.* ANIMADV PAP. 98.

# DE S. VEDASTO

## EPISCOPO ATREBATENSI IN BELGICA II,

G. H.

## Commentarius prævius.

### § I. *Episcopatus Atrebatensis et Cameracensis quondam uniti. An alii istic ante S. Vedastum Episcopi?*

CIRCA ANNUM DXL VI FLOR. In Belgica II Atrebatum

Atrebates, *Ptolemæo Ἀτρέβατοι, quibusdam* Atrabates *et* Atravates, *notissimi Belgicæ secundæ populi, quibus quondam caput fuit* Nemetocenna, *seu* Nemetocerna, *deinde* Neme- B tacum *et* Nimetacum, *dictum : quo postea abolito nomine, ab ipso populo,* Civitas Atrebatum, *vel* Atrebatia *appellata est. Ptolemæus* Atrebatiorum *caput censuit,* Origiacum, *quod alteri ejus fere tractus oppido, vulgo* Orchies, *videri potest nomen adhæsisse. Cum deinde, seu Romano imperio inclinante, seu potius sub primis Francorum Regibus, per Gallias imperio potitis, regiones in varios pagos distinguerentur, hæc urbs Atrebatum pago* Adertisio *aut* Adartesio, *inclusa : unde incolæ* Adartesii *et* Artesii *dicti sunt : estque etiamnum inter Belgicas provincias celebris Comitatus* Artesia, *late per Morinos extensa. Qui Atrebatibus Nervii contigui erant, horum extat præclara urbs Cameracum,* et Cameracum, Sedes Episcopales olim unitæ. *antiquo etiamnum nomine appellatum. Utrique urbi iidem diu fuerunt Episcopi usque ad annum Christi* MXCIV, *quo proprius Ecclesiæ Atrebatensi datus est Antistes. An utrique præfuerit S. Vedastus, infra inquiremus. Utriusque Chronicon conscripsit Baldericus, dein Noviomensis Episcopus, ante a secretis Gerardo* I, *Lietberto et Gerardo* II, *ultimis unitæ adhuc Sedis utriusque Episcopis. Præfatur hic auctor, illud a se Chronicon contextum esse* ex Annalibus atque historiis Patrum, seu etiam ex gestis Regum, sed et ex C chartis quoque, quæ adhuc in archivo ipsius Ecclesiæ sunt : *nec ullum reperisse se ostendit harum urbium Episcopum, aliumve divini verbi præconem, S. Vedasto, de quo hic agimus, antiquiorem. Nam, ut inquit lib.* I *cap.* 5, primos earum Ecclesiarum Patres quædam vetustatis obscuritas a nostra seclusit memoria, imo ea, quæ peccatis exigentibus Gallarum Ecclesias Paganorum persecutio subvertit : quæ adeo in Christianorum populum efferbuisse legitur, ut Christiani, qui ea tempestate fuerant, per latibula Divina celebrarent mysteria. *Hæc Baldericus.*

Sub Romanis non fuit ibi Episcopus Sagericus,

2 *Inter hos Patres primos alii statuunt* Sagericum, *seu* Gangericum, *et* Diogenem, *seu* Giogenem, *Episcopos. Liber Chronicarum cum imaginibus anno* MCCCCXCIII *Norimbergæ excusus, refert folio* CXII sub Trajano floruisse Irenæum Episcopum Lugdunensem, Lucianum Bellovacensem, discipulum B. Petri, Santinum Episcopum Meldensem discipulum Dionysii, Taurinum Episcopum Eboracensem *imo Ebroicensem*, Sagericum Episcopum Cameracensem discipulum Dionysii, *et alios. Centuriatores Magdeburgenses centuria* 2, *cap.* 10, *inter Gallicanos Doctores relatis fere eisdem Episcopis,* Taurinum *eodem errore* Eboracensem Episcopum *statuunt, eique jungunt* Gangericum, *quem illius* fratrem *faciunt,* Episcopum Cameracensem, cum ante fuisset discipulus Dionysii. *Coluntur die* XI *Augusti et S.* Taurinus Episcopus Ebroicensis, *et S.* Gaugericus Episcopus Cameracensis, *quos illi antiquitatis Ecclesiasticæ perturbatores, conjunxerunt tamquam fratres et simul Episcopos ordinatos, cum pluribus seculis invicem distent. Nam S.* Gaugericum Clerus, populusque Cameracensis a Childeberto Rege Austrasiorum sibi qui S. Gaugericus est. E ordinari postulavit: *quorum* votis confestim voluit Rex satisfieri missis ad Ægidium Remensem litteris: *ut Acta illius docent.* Cœpit *autem dictus* Childebertus regnare vix lustro ætatis uno peracto, *ut tradit Gregorius Turonensis lib.* 5 *histor. Franc. cap.* I, die Dominici natalis, *anno* DLXXV; *vita functus, anno* DXCVI. *At vero memorato Ægidio, jussu Childeberti anno regni ejus* XV, *Christi* DXC, *in exilium pulso, ordinatus est Remensis Episcopus Romulfus, ut idem Gregorius refert lib.* 10, *cap.* 19. *De S. Irenæo supra memorato, qui sub initium seculi tertii martyrii palmam adeptus est, agemus* XXVIII *Junii : et de S. Sanctino* XXII *Septemb. De S. Luciano Bellovacensi egimus* VIII *Januarii ; ubi plura de tempore martyrii ejus atque aliorum Galliæ Apostolorum : plenius rursum acturi ad Vitam S. Dionysii* IX *Octobris.*

3 *Non defuisse interim arbitramur viros Apostolicos, qui in ditionibus Atrebatensi et Cameracensi, etiam cum Gentiles Imperatores dominarentur, fidem Christi plantarint, quandoquidem Morinis et Ambianis, inter quos medii erant Atrebates, Christum prædicaverint SS. Fuscianus et Victoricus, postmodum apud Ambianos* XI *Decembris martyrio coronati : quo etiam tempore SS. Piatus, Eubertus et Chrysolius, in ditiones versus Lisam* F *fluvium sitas, Christi nomen atque Evangelium intulerunt : estque Chrysolius sepultus Cominii, Piatus et Eubertus Seclini. Postquam vero fides Christi sub Christianis Imperatoribus florere cœpit, tum Notitia Provinciarum et Civitatum Galliæ ordinata est, juxta quam in Provincia Belgica secunda, sub* Metropoli civitate Remorum, *leguntur* Civitas Atrabatum, *et* Civitas Camaracensium. *Sed ea Notitia civilis potius a viris quibusdam eruditis censetur quam Ecclesiastica : Baldericus lib.* I *cap.* 7 *eam Notitiam S. Dionysio Papæ attribuit, et Ecclesiasticam credidit, qua Sedes Episcopales indicentur.*

Christiani fuerunt hi populi sub Romanis, potissimum Imperatoribus Christianis.

4 *Interea* Wandali et Alani *secundum Prosperi Chronicon,* Arcadio VI et Probo Coss. *anno Christi* CDVI, Gallias trajecto Rheno pridie Kalendas Januarias ingressi : *a quibus aliisque barbaris, ut deplorat S. Hieronymus in Epistola* XI *ad Ageruchiam viduam,* Moguntiacum, nobilis quondam civitas capta atque subversa est, et in ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti : Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus, Aquitania, Novemque populania, Lugdunensis et Narbonensis provincia, præter paucas urbes populata

passi persecutionem a Wandalis

A lata sunt cuncta : *idque annis potissimum* CDVII *et sequenti*. *Nam* Honorio VIII Theodosio III Coss. *anno* CDIX, *secundum idem Prosperi Chronicon*, Wandali Hispanias occupaverunt. *Wandalis hisce jungit Idatius* Alanos et Suevos. *Hac incursione barbarorum S. Nicasium Remensem Episcopum, cum Eutropia sorore aliisque Christianis, a Wandalis interfectum esse tradit Flodoardus lib.* I *historiæ Remensis cap.* 6. *Verum quod asserat cum eo* inter Episcopos in Galliis renituisse gloriosos viros beatissimum Aurelianensium Pontificem Anianum, Sanctum quoque Lupum Trecassinum et B. Servatium Tungrensem, aliosque nonnullos virtutibus insignes; *videri potest vixisse S. Nicasius ad Hunnorum inundationem, ut in ejus Actis legitur, quod accuratius inquiretur ad dictorum Episcoporum natalem S. Nicasii* XIV *Decembris, S. Aniani* XVII *Novemb. S. Lupi* XXIX *Julii quibus S. Servatius male jungitur, multo ante vita functus*, XIII *Maii. In posteriore illa persecutione, ut infra in Actis num.* 14 *dicitur*, Hunnorum, Rex Attila urbem Atrebatum ferro vastavit et igne, et circa altaria altissimi Regis sanguinem servorum Dei effudit, *etc. Anno hæc Christi contigerunt circiter* CDL. *Cæsis anno sequenti Hunnis Franci deinceps sub Meroveo et Childerico suum in hisce regio-* B *nibus stabiliverunt regnum, sub quibus adhuc Paganis nequiverunt Christiani ad florentem religionis cultum redire : atque ita prædictorum* Atrebatensium Martyrum gesta, *imo et nomina* a nostra memoria *(ut Baldericus ingemiscit)* vetustas obscura seclusit.

*anno 407 et 408,*

*et ab Hunnis anno 450.*

5 *Unus ab recentioribus profertur* Diogenes, *in aliqua Barbarorum irruptione occisus. Primus, quem reperimus ejus meminisse, est Christianus Massæus, qui anno* CIↃIↃIX *a Jacobo Crojo Episcopo Cameracum evocatus, ibidem scholis publicis ad juventutem erudiendam præfuit. Hic in Chronico mundi a se conscripto adnotat lib.* 13 *ad annum* IↃCXV *inter* Episcopos Cameracenses, *quorum catalogum interserit:* primum omnium eorum, qui memoriæ traditi sunt, fuisse Diogenem, Martyrem Wandalorum temporibus. *Extat ejusdem nomen in Gallico MS. catalogo Episcoporum Cameracensium usque ad dictum Jacobum Crojum, ut illius aut idem Massæus fuisse auctor videatur, aut certe alius ex ejus Chronico illum excerpsisse. Ferreolus Locrius, ad S. Nicolaum apud Atrebates Parochus in suo Chronico Belgico, ad annum* CIↃIↃC *perducto, tradit eumdem in* tabulas Ecclesiæ Cathedralis relatum, *his verbis :* Quidam Diogenes, natione Græcus, tempore Vandalicæ persecutionis, quæ crudeliter grassata est in regno, C et in Ecclesiis ejusdem regni Francorum, a Romano Pontifice in Galliam gratia prædicationis est directus, et a quodam temporis illius Remorum Archiepiscopo Episcopus consecratus. Hic primum prædicavit Atrebati. *Sic illæ tabulæ, in quibus perperam statuitur regnum* Francorum tempore Vandalicæ persecutionis *fuisse* in Gallia, *quam Clodio, qui ab anno* CDXXVIII *ad annum* CDXLVIII *Francos rexit, primus ad Somonam usque fluvium occupavit : contra quam incursionem Atrebates defensi videntur a Romani exercitus Ducibus Aetio et Majoriano, a quibus* Francos apud vicum Helenam profligatos *fuisse tradit Sidonius Apollinaris carmine* V, *sive Panegyrico huic Majoriano dicto. Quis locus fuerit* Helena, *alus* Hedena, *disceptatur : quibusdam* Lendium *est, quod oppidum* Leneuse castrum *dixit Baldericus lib.* 2 *cap.* 22 : *alus* Houdaing *aut* Olhain *pagi : nonnullis* Hesdinum *oppidum. Ceterum prima Francorum irruptione Cameracum interceptum fuisse constans scriptorum consensus est : eam irruptionem refert Sigebertus ad annum* CDXLV.

*An eorum Episcopus Diogenes,*

*natione Græcus,*

*Roma missus; at non ad Francos :*

6 *Secundo, easdem tabulas, in quibus in Gallias dicitur* Diogenes tempore persecutionis Wandalicæ directus, *quo S. Innocentius Papa Ecclesiam regebat, refutant idem Locrius, Raissius in Belgica Christiana, Colvenerius in Notis ad lib.* I. *Balderici cap.* 5, *et alii dum Roma a Siricio Papa anno* CCCXC *missum volunt.* D *At Guilielmus Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgii, missum tradit circa annum* CCCLXVIII *aut* CCCLXX, *quo Ecclesiæ præerat S. Damasus Papa. Tertio, quod silent tabulæ prædictæ, martyrium ipsi adscribunt omnes, et fere* in Wandalica persecutione : *addunt que* S. Nicasium Episcopum Remensem ; *a quo* Diogenem *et* Episcopum ordinatum, *et* ad Atrebates delegatum *scribit idem Locrius. Molanus ad* VI *Februarii in elogio S. Vedasti ait* proditum esse, Diogenem, vel Giogenem, Atrebatum Episcopum martyrii coronam Hunnoram ferocia percepisse. *In silentio Flodoardi, Balderici aliorumque antiquorum, nihil certi de hoc Diogene pronuntiare possumus, veriti aliquam hic confusionem, quam ante in Sagerico vel Gangerico ostendimus. Hunc tamen Sagericum Episcopum primum statuit Franciscus le Bar in suis collectionibus monasticis MSS. tomo* 5, *par.* 2, *ac secundum subjungit* Diogenem. *Utrumque recensent ac* Sanctum *appellant Vinchantus lib.* I *Annalium Hannoniæ cap.* 22 *et Catullius in Tornaco Syntagmate* 2. *Colvenerius priorem rejicit, quem repererat* S. Siagrium *dictum in lib. MS. monasterii Hennacensis, et* ab S. Evaristo Papa directum urbi Cameracensi Episcopum. At S. Diogenem *ait* constare ex traditione, *quam jam discussimus*, præfuisse Ecclesiæ E Atrebatensi. *Nos si aliquid certius nacti fuerimus, iterum de eo agemus* XIV *Decemb. quo die ad elogium S. Nicasii addit Molanus*, quosdam in eadem tempora referre Diogenem quemdam Episcopum et Martyrem Atrebatum. *Sigebertus* primum Atrebatensium Episcopum *statuit* S. Vedastum.

*an tempore persecutionis Wandalorum?*

AUCTORE G. H.

*num sub iis Martyr,*

*an sub Hunnis*

## § II. *Ætas SS. Remigii et Vedasti, utriusque Episcopatus. Francorum ad fidem conversio*

Francorum *originem, sedes, migrationes, et in varia regna divisionem, cum accurata epocha temporum deduximus* I *Februarii ad Vitam S. Sigeberti, eorumdem* Francorum ex prima Merovingorum stirpe Regis; *et in Diatriba de Episcopis Trajectensibus. Antequam hi Franci Gallias occuparent, jam natus erat circa annum* CDXXXV, *futurus illorum Apostolus, S. Remigius : ordinatus deinde anno ætatis suæ* XXII *Remensis Ecclesiæ Episcopus circa annum* CDLVII, *cum alterum jam annum Francis imperaret Childericus, vita functus anno* CDLXXIX; *cui tum filius Chlodoveus subrogatus, primum regni annum numerat Christi* CDLXXX. *Natus jam pridem S. Vedastus, eo tempore in virum eximium evaserat, de* F *quo et S. Remigio, hujusque fratre, ita scribit Sigebertus in Chronico ad annum* CDLXXXVI : Clarent in Galliis Remigius Remensis, et Principius frater ejus Suessionum Episcopus, et Vedastus post Episcopus Atrebantensis. *Hunc Richardus Wassenburgius lib.* 2 *Antiquitatum Belgicorum, eumque secutus Locrius ad annum Christi* CDLXXXVI, *aiunt fuisse* nepotem S. Firmini Episcopis Virdunensis, *cui dies* IV *Maii sacer est, quibus ut firmiter valeamus assentiri, vetustiora proferenda essent monumenta. Raissius in Belgica Christiana scribit eumdem* S. Vedastum *primum* a S. Remigio fuisse consecratum Episcopum Tullensem; *quod prorsus improbamus. Erat Tullum in Belgica* I *sub Metropoli Trevirensi. Nec ulla Vedasti mentio est in catalogis Episcoporum Tullensium : atque infra in Actis num.* 5 *dicitur* sanctus Dei Sacerdos, et Prædicator Evangelicus, *qui num.* 7 laudabili religione soli serviebat Deo, et dulcissimos contemplativæ vitæ carpebat fructus; *quique diu postea, ut mox dicemus*, ordinatus est Atrebatensibus Episcopus. Consecratus *quoque* Atrebatensi Ecclesiæ Episcopus a S. Remigio *dicitur in antiquis Martyrologiis infra citandis; non ergo Tullensi. Interim* Rex Chlodoveus, *cum anno* CDXCIV *victoria de Alamannis oblenta rediret*, apud Tullum

*S. Remigius natus anno 435,*

*fit Episcopus anno 457.*

*cum eo floret S. Vedastus Sacerdos anno 486*

*non fuit Episcopus Tullensis :*

*ducit Chlodoveum baptizandum ad S. Remigium :*

A lum oppidum cum agnovit: eoque socio itineris assumpto, ad S. Remigium baptizandus properavit, quod festo Natalis Christi factum esse docuimus V Februarii ad Vitam S. Aviti § 4.

*ACTORUM C. II.*

8 S. Vedastus a Rege, cui admodum carus erat, commendatus S. Remigio, ad Episcopatum Atrebatensem promotus est, sed quo tempore variant auctores. Sigebertus, qui eum ad annum CDLXXXVI claruisse dixerat, sui non satis memor ad annum DXXXI scribit primum Atrebatensium Episcopum ordinatum a S. Remigio. Eumdem annum aut præcedentem DXXX signant quam plurimi auctores, Massæus lib. 13 Chronici, Meyerus lib. 1 Annalium Flandriæ, Locrius, aliique, hoc Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum VI Februarii, differt ejus ordinationem ad annum Christi DXLII. Lectiones Breviarii Atrebatensis, cum Officiis propriis Festorum ejusdem Ecclesiæ Duaci anno CIƆIƆCXXXII recusæ, statuunt S. Vedastum ordinatum, Episcopum, urbique Atrebatæ directum, cum S. Remigius vices Hormisdæ Papæ per regnum Francorum obtineret. Quidquid sit de hoc Vicarii dignitate atque auctoritate S. Remigio concessa, quam suspectam habet Carolus a S. Paulo Episcopus Abrincensis lib. 5 Geographiæ sacræ num. 12, hoc certum nobis atque indubitatum est, ante Pontificis Hormisdæ tempora ordinatum esse Episcopum S. Vedastum. Sedit S. Hormisda a XXVI Julii anni DXIV usque ad annum DXXIII, quo vita functus est VI Augusti: ut rationes adferendæ multo magis oppugnent ante nominatos auctores diu post S. Hormisdæ obitum ejus consecrationem differentes.

*ordinatur Episcopus Atrebatensis, non anno 531, neque 530, neque 542, neque tempore Hormisdæ Papæ, facti anno 514;*

B

9 Factus est aliquot annis ante Episcopus S. Vedastus, quam e vita migraret Chlodoveus, defunctus anno DIX, die XXVII Novembris, ut alibi accurate probatum. Nam, ut in breviore Vita legitur, actum deinceps, cum diu Episcopus fuisset, ut mortuo Chlodoveo, Chlotharius filius ejus, in locum patris suffultus a Francis, regnaret, et egregie regni regimina regeret etc. Quæ Alcuinus in Vita repetit num. 17, ubi convivio cum S. Vedasto dicitur adfuisse Rex Chlotharius prædicti Regis Chlodovei filius, qui tunc temporis regni regebat sceptrum, in tetrarchia scilicet fratrum, sede ejus regia apud Suessiones constituta. Ob hanc caussam recentiores plurimi Scriptores, anno proximo post baptismum Chlodovei inchoarunt Episcopatum S. Vedasti. Ita Buzelinus noster lib. 1 Annalium Gallo-Flandriæ refert in annum Christi CDXCVI et victoriam Chlodovei de Alemannis, et suscepto baptismo ejus ad fidem Christi conversionem, ac deinde in annum sequentem CDXCVII confert consecrationem S. Vedasti in Episcopum Atrebatensem. Colvenerius in scholiis ad Flodoardum lib. 1. cap. 13 baptismum Chlodoveo censet collatum anno CDXCIX, secutus Baronium; et in Catalogo Episcoporum Cameracensium et Atrebatensium, quem Balderico præfixit, S. Vedastum tradit Episcopum factum circa annum quingentesimum. Miræus in Chronico Belgico, relato baptismo Chlodovei in annum CDXCVI, biennio post statuit Episcopatum S. Vedasti, anno CDXCVIII ita scribens: Sub hoc tempus S. Remigius Remorum Archiepiscopus religionem Christianam in Belgica restituit; Atrebatensibus et Cameracensibus S. Vedastum, Tornacensibus Theodorum, Morinensibus Antimundum, Episcopos dedit. Hæc ibi. Nos plures etiam annos inter conversionem Regis Chlodovei, et initium Episcopatus S. Vedasti interponendos arbitramur, quod medio tempore, ut in Actis legitur num. 10 et 11, moratus apud S. Remigium, dicatur vitæ meritis et virtutum claruisse exemplis, a multis visitatus ob celeberrimam sanctitatis famam, ob eamque late celebratum ordinatus Episcopus. Quæ eadem habet Baldericus cap. 7, ac tandem addit S. Vedastum cum B. Remigio ita detentum, favente Rege Chlodoveo ordinatum esse Episcopum etc. Requirimus ergo moram quinque circiter annorum interpositam, et qui baptismum

*sed sub Rege Chlodoveo, defuncto anno 509, non post baptismum ejus anno proximo,*

C

*aut secundo,*

*sed tercio circa annum 500.*

D Chlodovei referimus in finem anni CDXCIV, verosimilius ex anno obitus infra assignando statuimus consecratum esse Episcopum circa annum quingentesimum: quem cum Colvenerio etiam amplectuntur Claudius Robertus in Gallia Christiana, Raissius in Belgica Christiana, Miræus in Fastis Belgicis aliique.

10 Baldericus ubi exposuit cap. 7 libri 1, quo Zelo S. Vedastus jam Episcopus ecclesiam Cathedralem, quam istic olim fuisse arbitratus est, in novum sinceræ religionis vigorem renovarit, et cap. 8 quomodo circumjacentis provinciæ populos a falso deorum cultu ad verum Christianæ fidei notitiam perduxerit, subdit hæc eodem capite 8: Hujus temporibus habita Synodus Vienna urbe describitur; ad quam Galliarum Episcopi a B. Mamerto convocati, pene omnes convenerunt: ubi et ipsi B. Remigium, utpote divinis eloquiis eruditissimum, et præstantioris gratiæ privilegio facundissimum, venire petierunt. At vir sanctus senio gravis, cum corporis imbecillitate detineretur, beatum illuc Vedastum vicariæ sollicitudinis cooperarium direxit; ubi Episcopi communi consilio decreverunt servari jejunium, quod triduo ante Ascensionem Domini usque nunc per omnes Galliarum Ecclesias agitur. Hæc Baldericus, nescimus qua in errorem eum occasione abductus. Quæ etiam ex Tabulis Ecclesiæ Vedastinæ refert Locrius ad annum DXXX. De S. Mamerto nonnulla disputavimus ad Vitam S. Aviti Episcopi Viennensis V Februarii § 1, qui eum habuerat in sacro baptismo patrinum, eique post S. Isichium patrem suum in Episcopatu successerat: ibique diximus S. Mamertum Episcopum circa annos CCCCLX et CCCCLXX floruisse. Reliqua accuratius discutiemus XI Maii ad ejus Vitam. Ado Episcopus etiam Viennensis, cum uno loco de Litaniis ob eo institutis egisset ante obitum S. Martini (quem 1 Februarii ostendimus convenire in annum CCCXCVII) altero loco, relata ad fidem Christi conversione Chlodovei, subdit: Hoc tempore beatissimus Mamertus Viennensis Episcopus cladem imminentem lacrymis et precibus suis a Viennensium urbe removit...concepit animo Rogationes etc. Quo tempore si aliqua Synodus habita fuisset, non incommode a S. Remigio viro sexagenario, seu morbo, sive aliis negotiis majoris momenti ob Regem conversum impedito, in ejus locum Vedastus magna tum sanctitate celebris Sacerdos potuisset mitti: Verum id non factum est in dicta ante Synodo Viennensi, tum quod non tantum S. Mamerto, sed et S. Isichio mortuis, jam aliquot annis Ecclesiam rexerat S. Avitus, cujus litteras ad Chlodoveum Regem Christianam religionem amplexum, dedimus ad hujus Vitam § 4; tum etiam quod Vienna subjecta Regibus Burgundionum esset, a quibus, Arianæ hæresi addictis, non facile fuisset permissum, ut Episcopi e regno Francorum aut Gothorum, qui reliquis Gallis imperabant, ad Synodum invitarentur. Egimus ibidem § 8 de synodo Epaonensi sub S. Sigismundo Rege Catholico celebrata, ad quam nulli præter ejus subditos fuerunt evocati. Quid si Synodus 1 Aurelianensis sub Chlodovico anno Christi DVIII aut sequente habita cum Viennensi a Balderico confundatur? Certe in ea Canon XXVII præscribit, Rogationes, id est, Litanias cum triduano jejunio ante Ascensionem Domini ab omnibus Ecclesiis celebrandas. Ibi loco S. Remigii et nomine suo potuit interfuisse S. Vedastus, cujus tamen nomen, quod catalogus mutilus sit, subscriptum non reperitur.

*non supplevit in Synodo Viennensi vices S. Remigii evocati a S. Mamerto, defuncto sæculo 5,*

E

F

*sub Regibus Burgundionum.*

*an fuerit in Synodo Aurelianensi?*

11 Pars magna interim Francorum, ait Flodoardus lib. 1 Historiæ Ecclesiæ Remensis cap. 13, necdum ad fidem Christi conversa, cum quodam Raganario Principe trans Somnam fluvium post aliquandiu in infidelitatem versata est, donec superna disponente gratia, præfato Rege Ludovico (ita Chlodoveum appellat) gloriosis potito victoriis, idem Raganarius, flagitiorum sectator ac turpitudinum, vinctus a Francis

*An datus Episcopus Cameracensibus,*

A Francis traditus est et interemptus, omnisque Francorum populus ad Christi fidem per B. Remigium convertitur ac baptizatur. *Hæc Flodoardus, cujus historia recitata addit Baldericus lib. 1 cap. 4,* eos potius credi per B. Vedastum conversos ac baptizatos. Numquam enim, *ait,* S. Remigium in nostris partibus verbum Dei populo prædicasse audivimus; sed ab illo et a Rege noviter baptizato huic nostræ urbi ad convertendam gentem directum B. Vedastum cognovimus: quare illum hujus negotii auctorem credimus. *Hæc Baldericus. Fuit autem* Ragnacharius, *secundum Gregorium Turonensem lib. 2 Histor. Franc. cap.* 42, Rex apud Cameracum, propinquus Chlodovei: quo aliisque Regibus interfectis, Chlodoveus *paullo ante obitum* regnum suum per Gallias dilatavit. *Quo tempore potuit a S. Remigio Ecclesia Cameracensis S. Vedasto commendari: qua tamen de re silent auctores ævo utriusque viciniores. De Optimatibus sub Chlothario necdum ad Christum conversis infra agemus.*

*occiso Rege Ragnachario.*

## § III. *Annus obitus SS. Remigii et Vedasti.*

Mortuo *Chlodoveo* XXVII *Novembris anno Christi* DIX, B *quatuor ejus filii regnum inter se partiti sunt, quorum senior Theodoricus in regno Metensi, quod postea Austrasiorum dictum est, obtinuit Remos et Cameracenses; Chlotharius vero apud Suessiones sedem regiam habuit, et simul imperavit Atrebatibus: apud quos S. Vedastus suum zelum sub eo exercuit. Anno horum Regum primo, Christi* DX, *scripsit epistolam S. Remigius ad tres Episcopos, Leonem, quantum colligimus, Senonensem, Heraclium Parisiensem, et Theodosium Autissiodorensem, de Claudio Presbytero, in cujus caussa spretum se ab illis fuisse conqueritur.* Præsidebat tum S. Remigius Sedi Episcopali, *uti de se testatur,* quinquaginta et tribus annis, *qui ab anno* CDLVII, *quo Episcopum diximus consecratum fuisse, ad hunc* DX *congrue numerantur, quando post obitum Chlodovei has se litteras dare significat, dum* Claudium *a se* Presbyterum factum *esse ait* præcellentissimi Regis testimonio, qui erat non solum prædicator fidei Catholicæ, sed defensor; *ubi vocabulo erat illum tum obiisse innuit. Sirmondus eam Epistolam retulit inter Concilia Galliarum, ad annum Christi* DXXIII; *quo solum intuitu Petavius parte 1 Rationarii temporum lib. 6 cap. 19 et lib. 7 cap. 4, et Miræus in Chronico Belgico ad annum* 535 *inferunt S. Remigium circa annum* CDLXXI *ad Episco-* C *patum Remensem promotum fuisse. Verum eadem epistola legitur apud Andream du Chesne tomo 1 Scriptorum Historiæ Francorum absque ulla anni a Sirmondo præpositi mentione; ut eum hic annum videatur elegisse, morti utcumque modo vicinum. Præterea duo Episcopi, ad quos S. Remigius scripsit, Heraclius Parisiensis, et Theodosius Autissiodorensis interfuerunt Synodo Aurelianensi* I, *sub Chlodoveo anno* DVIII *aut sequente habitæ; cum tamen secundum tabulas Ecclesiæ Autissiodorensis apud Baronium in Notis ad* XVII *Julii, et Saussaium in Martyrologio Gallicano S. Theodosius, qui eo die colitur,* VIII *tantum annos, cum aliquot mensibus, illi Ecclesiæ præfuerit, nec potuerit vixisse usque ad annum* DXXIII. *Imo si tempus illorum, qui viginti post S. Theodosium annis eidem Autissiodorensi Ecclesiæ præfuerunt Episcopi, diligenti trutina examinetur, non videtur ultra annum* DX *diu superfuisse. Nam qui ei subrogatus est S. Gregorius,* XII *annis et mensibus* VI *ibidem Episcopus sedit, ut ex eisdem credo tabulis, asserit* XIX *Decembris ad diem ejus natalem Saussaius. Successerunt deinde SS. Optatus et Droctoaldus ob illustria patrata facinora Cœlitibus adscripti, ut singulis aliquot etiam anni sint concedendi. Colitur S. Optatus* XXX *Novembris, S. Droctoaldus* VIII *ejusdem Novembris. Et qui huic subrogatus est S. Eleutherius (cui dies* XXVI *Augusti*

*S. Remigius scribit epistolam ad 3 Episcopos anno 510, Episcopatus 53.*

*post mortem Chlodovei,*

*non anno 523,*

*prædicat ante defunctos S. Theodosio Episc. Autissiodorensi, cui scribit*

*hujus successores*

*SS. Gregorius,*

*Optatus, Droctoaldus,*

*et Eleutherius Episc. anno 531.*



*sacer est) interfuit Synodo Aurelianensi* II, *anno Childeberti et fratrum Regum* XXII, *Christi* DXXXI. D

*AUCTORE G. H.*

13 *His positis de ejusdem S. Remigii obitu facilius certi quid stabilitur. Hincmarus in ejus Vita, et Flodoardus lib.* I, *cap.* 16 *tradunt illum* cursum sancti certaminis consummasse, postquam septuaginta quatuor annos in Episcopatu Domino ministraverat, nonagesimo sexto ætatis suæ anno; *Christi aut* DXXIX, *aut, si eos completos sumamus, et quod* Idibus Januarii *ad cœlestem coronam evolarit, anno potius* DXXX. *Annos ejus Episcopatus confirmat Gregorius Turonensis libro de Gloria Confessorum, cap.* 79, *asserens illum* septuaginta et eo amplius annos explevisse. *Eumdem etiam Christi annum ejus obitu illustrem colligimus ex ejusdem Epitaphio ab Hincmaro posito, in quo dicitur sacri ejus corporis Translatio facta Kalendis Octobris anno* DCCCLII, *cum*

*S. Remigius obit anno 530,*

*13 Januarii,*

ter centenus octavus tangeret annus,
Hic Justus Domini quo petit astra poli:
Ter centum fuerant tres et deni quater anni,
Quo vitæ Francos gurgite lavit ovans.

*(error 15 annorum in Epitaphio)*

*Ubi a calculo Hincmariano, ut ad rectam alibi statutam Chronologiam deducatur, tollendi sunt anni quindecim. Baptizatum diximus Chlodoveum anno Christi* CDXCIV, *quod Hincmarus additis quindecim annis statuit factum anno* DIX, *cui dum jungit annos in Epitaphio expressos* CCCXLIII, *efficit annum* DCCCLII, *quo sacræ reliquiæ fuerunt translatæ. Ita vice versa si ab eo anno* DCCCLII *detrahantur* CCCVIII, *supererit annus* DXLIV, *cui ascripsit obitum S. Remigii; si autem, ut clare demonstratum est fieri oportere, alii quindecim anni in calculo Hincmariano superflui etiam auferantur, dictus ante annus* DXXIX *supererit. Verum quia mensis October ab Idibus Januarii sequentis anni minus distat, ad eum indicamus obitum S. Remigii potius referendum, quem supra statuimus annum Christi* DXXX. *Præclare hanc correctionem quindecim annorum contra Hincmarum confirmant S. Remigii successores* S. Romanus, Flavianus *et* Mappinius. *De S. Romano agimus* XXVIII *Februarii, ejus Sedi assignantes triennium aut summum quadriennium, obitumque ejus referentes ad annum* DXXXIII, *aut sequentem. Qui huic subrogatus est Flavius, interfuit Arvernensi Synodo sub Theodeberto Rege* V *Idus Novemb. post Consulatum Paulini junioris habitæ, is est annus* DXXXV. *Ast a Flavii successore Mappinio missus Protadius Archidiaconus subscripsit Aurelianensi Concilio* V, *anno Regis Childeberti* XXXVIII, *Christi* DXLVII.

*succedunt S. Romanus,*

*Flavius, Episcopus anno 535,*

*Mappinius, 547.*

14 *Quod S. Remigius condidit testamentum, cum reliqua Vita daturi sumus* I *Octobris, in quo nulla S. Vedasti mentio est: illud est duplici codice MS. erutum communicavimus Joanni Jacobo Chiffletio; qui in disquisitione de Ampulla Remensi vulgavit cap. 3. Quod ante extabat apud Flodoardum lib. 1 cap. 18, Brissonium lib. 7 de Formulis et solennibus populi Romani verbis. Mirum in Codice Donationum cap. 1, aliosque pluribus interpolatum est, cui secundus subscripsit S. Vedastus his verbis:* Vedastus Episcopus, cui pater meus Remigius maledixit, maledixi; et cui benedixit, benedixi: interfui quoque, atque subscripsi: *In eo testamento dotatur Ecclesia Atrebatensis hac formula:* Ecclesiæ Atrebatensi, cui Domino annuente Vedastum fratrem meum carissimum Episcopum consecravi, ex dono jam dicti Principis villas duas in alimoniis Clericorum deputavi, Ortos videlicet et Sabucetum, quibus etiam pro memoria nominis mei solidos viginti dari jubeo. *Est autem Ortos villa, vulgo* Ourton, *pagus in meditullio Artesiæ inter pagum* Housdain *et oppidum* Pernes, *cujus ecclesia S. Vedasto est dicata.* Villa *vero* Sabucetum, *vulgo* Souche, *pagus tertio lapide Atrebato distat, qua Bethuniam abitur, haud procul a monasterio Montis S. Eligii. Utriusque pagi decimas possident Canonici Atrebatenses.* F

*An S. Vedastus subscripserit testamento S. Remigii.*

*an acceperit ab eo*

*villam Ortos,*

*et Sabucetum?*

A *Atrebatenses. Forte alia particulari donatione hæc loca S. Vedasto sunt concessa. Quod huc facit, clare inde demonstratur, multum a vero abesse eos, a quibus supra diximus referri annum consecrationis S. Vedasti in Episcopum Atrebatensem, aut* DXXX, *aut* DXXXI, *aut etiam* DXLII.

*AUCTORE G. H.*

*rexit Episcopatum 40 annos :*

15 *His positis facilis via sternitur ad designandum obitum S. Vedasti, quem Acta infra num.* 18 *docent* annis circiter quadraginta Ecclesiam Christi rexisse, *Episcopum scilicet* prædictæ urbis Atrebatensis, *ut addit Baldericus cap.* 9, *et omnes prorsus consentiunt scriptores. Qui eadem Acta in Lectiones Ecclesiasticas, ad Matutinum decantari solitas, atque in Breviario Atrebatensi excusas, distribuit, dum Lectione quinta diei* VI *intra octavam refert* S. Vedastum sacrosancto Corporis et Sanguinis Christi confirmatum viatico, inter manus lacrymantium spiritum emisisse, *uti in Actis reppererat,* anno, *ultro addit* Dominicæ Incarnationis quingentesimo septuagesimo. *Quo cum etiam anno e vita migrasse scribunt Baronius ad* VI *Februarii, statuens Episcopum solum annos* XXVIII *fuisse; Massæus lib.* 13 *Chronici, Meyerus lib.* 1 *Annalium Flandriæ, Locrius in Chronico Belgico, et passim alii, secuti Chronicon Sigeberti, mire,*

*obiit non anno 570;*

B *ut supra notavimus, hic confusum : utpote in quo traditur anno* CDLXXXVI *floruisse, anno* IↃXXXI *Episcopus Atrebatibus datus, atque anno* IↃLXX *vita functus, qui juxta eam epocham, quamvis* XVI *anno ætatis diceretur cum SS. Remigio et Principio floruisse, quod nemo facile admiserit, tamen centum vitæ annos peregisset : cujus decrepitæ senectutis nulla uspiam mentio est, ut miremur a tot illustribus Scriptoribus id non fuisse animadversum. Annos ergo illius Episcopatus* quadraginta *in Actis expressos, extendimus ab anno Christi circiter quingentesimo, ad* IↃXL, *quo cum Colvenerio, Claudio Roberto, Arnoldo Raissio aliisque eum e vita migrasse juxta calculum annorum hactenus probatum statuimus : cum annum infra probaturi, dum narrabimus corpus ejus a S. Autberto anno* IↃCLXVII *translatum, et quidem post obitum ejus* CXXVII. *Buzelinus noster uti Episcopatum initum supra tradidit anno* CDXCVII, *ita obitum refert ad annum* IↃXXXVII.

*sed anno circiter 540*

## § IV. *Dies natalis S. Vedasti sacro cultu celebris.*

*6 Februarii,*

A*nnum obitus S. Vedasti apud auctores intricatum discussimus : dies, quo e vita migravit, unanimi omnium* C *consensu assignatur* VIII *Idus Februarii : quo die sacra ejus memoria in omnibus fere Ecclesiasticis Fastis celebratur. Antiquum Martyrologium MS. sub Bedæ nomine, quod olim Centulensis monasterii S. Richarii, nunc Vedastini apud Atrebates cœnobii, breviter de more sic habet :* Atrebas S. Vedasti Episcopi et Confessoris. *Beda excusus, Rabanus, Notkerus :* In Gallia, civitate Aderato, depositio S. Vedasti Episcopi et Confessoris. *Henricus Canisius ad Rabanum et Notkerum margini adscribit pro* Aderato *reponendum esse* Atrebato. *At quidni urbs illa eo etiam appellata sit nomine, ac vulgarem Gallis dederit nomenclaturam, qua eam solent* Arras *nuncupare? Martyrologium MS. cœnobii Tornacensis S. Martini :* Eodem die Atrebato depositio S. Vedasti Episcopi et Confessoris. Hic, dum plurimorum miraculorum signis rutilaret, diversis diversas impertiens sanitates, gentem Francorum barbaricam, ad fidem paullatim vocavit Catholicam. *Eadem leguntur in Martyrologio MS. Lætiensi, atque ex Martyrologio Ecclesiæ S. Vedasti referuntur in Natalibus Sanctorum Belgii a Molano editis : in his tamen,* Atrebatis, *vel* Atrebata civitate, *hæc depositio facta scribitur. Plura etiam ex sacris Fastis cœnobii Vedastini traduntur ab eodem Molano, his verbis :* Apud Atrebatam civitatem depositio B. Vedasti, qui Pontifex a S. Remigio Remorum Archiepiscopo D consecratus, et ab eodem huic civitati, gratia Salvatoris ordinante, destinatus; per quadraginta annos Ecclesiam Dei verbo prædicationis et exemplo vitæ strenue gubernavit. Ad cujus merita declaranda columna miri splendoris e cœlo super domum illius ægrotantis irradians obitum ejus præsignavit. *Eadem leguntur in Martyrologio Romano Galesinii, Germanico Petri Canisii, et in Auctario Molani ad Usuardum.*

*refertur in Martyrologiis, passim,*

17 *Hoc eodem* VI *Februarii vita functus est sub finem seculi septimi alter Belgarum Doctor S. Amandus, de quo infra agemus. Hunc et S. Vedastum plures sacri Fasti conjunxerunt. Martyrologium MS. monasterii S. Maximini prope Treviros :* Eodem die Vedasti et Amandi. *MSS. Ultrajectinum Ecclesiæ S. Mariæ, et Trevirense S. Martini :* In Gallia Vedasti et Amandi Episcoporum et Confessorum. *Eadem fere traduntur in Appendice Adonis apud Rosweydum. Usuardus MS. in vetustioribus codicibus :* Eodem die sanctorum Episcoporum Vedasti et Amandi, quorum et vita et mors plurimis extitit miraculis gloriosa : quorum prior Adartensium, sequens vero Trajectensium rexit Ecclesiam. *Posteriores loco* Adartensium *reposuerunt usitatius* Atrebatensium *nomen, quo modo in Martyrologio Romano, apud Bellinum de Padua, et in plurimis* E *MSS. ad usum Ecclesiarum Belgicarum auctis legitur. Similia sunt in MSS. Martyrologiis Adonis monasteriorum Lobiensis et Leodiensis S. Laurentii, in Florario Sanctorum MS. apud Maurolycum, Constantium Felicium, aliosque, quorum nonnullos infra referemus, cum de S. Amando agemus. Fusiora elogia contexunt Saussaius in Martyrologio Gallicano, Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Miræus in Fastis Belgicis.*

*et cum S. Amando Episcopo :*

18 *Solenni etiam cultu, prohibitis operibus servilibus, honorant hoc* VI *Februarii suum Patronum Atrebatenses, quem particulari officio per integram Octavam prosequitur Clerus. Nec hujusmodi cultus ejus diœcesi includitur : Bellioli Flandriæ, Occidentalis oppido, inhibito etiam plebi opere servili, honori S. Vedasti sacer hic* VI *Februarii hactenus fuit dies. Pleraque etiam antiqua Belgii Breviaria ejus festum recolunt, aut seorsim, aut cum S. Amando. Ita Cameracense, Mechliniense, Brugense, Blandiniense in urbe Gandensi, Leodiense, Ultrajectinum, Corisopitanum etiam in Britannia Armorica, et Sarisburiense in Anglia. Appellatur autem Anglis Vedastus* S. Zawster : *ut in Martyrologio Sarisburiensi Richardi Wythfordi videre est : De variis aliis diebus S. Vedasto dicatis infra agemus, cum Translationes sacri ejus corporis referemus. Celeberrima est S. Amandi memoria pluribus in locis ad* XXVI F *Octobris, ut infra ad ejus Acta dicemus : qua die de utroque hæc leguntur apud Adonem :* Commemoratio agitur ipsa die sanctorum Episcoporum Vedasti et Amandi, quorum vita et mors plurimis extitit miraculis gloriosa. *Uterque illo die refertur in Calendario Breviarii Trevirensis MS. et Moguntini anno* CIↃIↃVII *editi.*

*colitur festo publico :*

*et in variis Breviariis :*

*refertur etiam 26 Octob.*

## § V. *Corpus S. Vedasti translatum a SS. Autberto et Audomaro. Horum obitus assignatus.*

*Atrebatum duplex urbs.*

A*trebatum urbs duplex etiamnum est, intermedio nuper adhuc distincta muro, jam ad majorem utriusque partis securitatem dejecto. Hujus altera minor, quidem, sed antiquissima est, a S. Vedasto exculta, templo pulcherrimo, Deiparæ Virgini sacro, exornata, ac Sede Episcopali illustrata. Altera, eaque præcipua, suam originem debet S. Vedasto, qui inibi ad ripam Crientionis fluviali oratorium extruxit, in quo juxta altare aut sepultus fuit, ut nonnulla MSS. Acta persuadent, aut certe sepeliri se voluit ; licet postea suis obnixe poscentibus, passus sit se in basilica Cathedrali tumulari :* unde

A *unde tamen postea est ad idem oratorium reportatus. Successit ei in episcopatum Dominicus; huic Vedulfus, qui Atrebato relicto Sedem Cameracum transtulit. Ambo passim Sancti habentur, sed quo die aut obierint, aut cultu sacro honorentur, necdum legimus. Licebit, ubi verus natalis eruatur, de iis agere* XI *Augusti, quo Vedulfi successor Gaugericus colitur. Post Gaugericum sederunt Bertoaldus, seu Bertrandus, tum S. Ablebertus, sive Emebertus, qui et frater S. Gudilæ pro uno eodemque habentur, cum is potius fuisse videatur Hildebertus, quem præcesserunt post Emebertum SS. Autbertus et Vindicianus, ut ad illius Vitam* XV *Januarii diximus. Verum, quia* a die depositionis S. Vedasti usque ad tempus B. Autberti sex fuere Episcopi, quibus ipse septimus ad Pontificii culmen successit : *ut infra in Historia Translationis ex antiquis Actis S. Autberti desumpta dicitur, videtur nomen alicujus Episcopi intercidisse; nisi, quod hactenus nulli probatur, diversus Ablebertus ab Emeberto statuatur. Coluntur S. Autbertus* XIII *Decembris, S. Vindicianus* XI *Martii, qui in Actis S. Maxellendis* XIII *Novembris* octavus a S. Vedasto *habetur* Episcopus.

*S. Vedasto succedit post alios sex Episcopos*

*S. Autbertus,*

20 *Septimus ergo post depositionem S. Vedasti Episcopus Cameracensis Autbertus, corpus illius ex templo*
B *S. Mariæ extra antiquam urbem translatum, in oratorio a S. Vedasto extructo, in quo ab initio sibi sepulturam elegerat, solenni cum apparatu deposuit. Annus passim huic Translationi assignatur* IↃCLVIII, *ad quem hæc leguntur in Chronico Sigeberti :* Theodardo Episcopo martyrizato, S. Lambertus filius Apri Comitis Episcopatum Trajectensem illustrat gloria nobilitatis et gratia sanctitatis. *Hæc Sigebertus, cui a posteriore aliquo adjuncta vult Miræus sequentia :* Atrebatis dum corpus S. Vedasti transferretur ab Autberto Episcopo, præsentibus Lamberti Tungrensi, et Audomaro Taruanensi, aliisque sanctis Episcopis, Audomarus, qui præ senio cæcus erat, dum precibus præsentium Episcoporum et meritis S. Vedasti illuminatus esset, ægre ferens se liberatum esse a cæcitate, quam pro salute sua sibi a Deo immissam esse gaudebat, rursus ad votum suum excæcatus est. Obiit Joannes Abbas Blandiniensis, cui successit Baudemundus. *Hæc sive a Sigeberto, sive ab interpolatore scripta magnam afferunt ἀταξίαν, infra ad Vitam S. Amandi accuratius emendandam : ubi demonstrabimus, primo S. Remaclum dicto anno* IↃCLVIII *præfuisse Trajectensibus Episcopum, sicuti et Blandiniensi monasterio S. Florbertum. Colitur hic Kalendis Novembris, Remaclus*
C III *Septemb. Secundo S. Theodardum, qui S. Remaclo suffectus est anno* IↃCLX, *vixisse ad annum circiter* IↃCLXXVI, *illique* X *Septembris occiso successisse sub initium anni sequentis S. Lambertum. Tertio S. Autbertum circa annum* IↃCLXXV, *longe ante quam S. Lambertus consecraretur Episcopus, decessisse diximus etiam* I *Februarii ad Vitam S. Sigeberti num.* 53. *Hinc quarto inferimus S. Lambertum non interfuisse huic Translationi corporis S. Vedasti : quod ante Sigebertum ejusve interpolatorem non reperimus ab ullo scriptum fuisse; secuti illum plurimi, Massæus, Miræus, Locrius, ac prolixe Fisen lib.* 4 *Historiæ Leodiensis num.* 4 *et* 5 *cap.* 4 *Vitæ S. Lamberti inter Flores Ecclesiæ Leodiensis editæ. Colitur is* XVII *Septemb. Forte huic elevationi interfuit S. Amandus, et dedicationi ecclesiæ Vedastinæ S. Lambertus, ut infra dicetur.*

*et corpus S. Vedasti transfert*

*cum S. Audomaro,*

*non cum S. Lamberto, necdum Episcopo,*

21 *In Historia miraculorum a S. Vedasto diversis temporibus patratorum num.* 2 *dicitur* beatum cadaver in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ jacuisse circiter centum viginti et octo annos. *In Chronico Sigeberti ad an.* 697 *apud Miræum ex Lipsiano MS. hæc leguntur :* Translatio S. Vedasti post annos obitus sui CXXVIII. *Quos annos mox ostendemus optime Chronologiæ nostræ congruere. Male Sigebertus ejusve interpolator eos numerat ab anno* DLXX, *ad* DCXCVII, *sed priore mendo admisso in obitu ejus assignando, alterum necessario consequebatur. Locrius in Chronico Belgico decem hinc sustulit, aitque* annos circiter CXVIII *legi in tabulis Ecclesiæ Atrebatensis, quas §* 1, *cum de Diogene ageremus, ostendimus correctione sæpius indigere. Ex illis Locrius infert Translationem corporis S. Vedasti anno* IↃCLXXXVII *factam fuisse : assignato ante obitu ejusdem ad annum* DLXX, *productis itidem tabulis Atrebatensibus firmatum; veritus præterea ut ad annum usque* IↃCXCVII *in Sigeberti Chronico notatum vixerint, SS. Autbertus et Audomarus, e quibus illum tradit obiisse anno* IↃCXC, *istum vero* IↃCXCV; *utrumque post* IↃCLXXXVII, *cui anno ipse eum Translationem assignat. Verum fallitur et ipse Locrius : contra quem aliosque supra demonstratum est S. Vedastum circa annum* DXL *vita functum. Deinde nec S. Autbertus ultra annum* DCLXXV *vixit, ut jam dictum; nec eum attigisse videtur S. Audomarus. Nam suscepit hic* Taruanensis Episcopi Sedem et dignitatem agentibus Rege Dagoberto et S. Achario Noviomensi Episcopo, *uti Acta ejus ad* IX *Septembris habent : ergo factus Episcopus ante annum* IↃCXLIV, *quo vita functus est* XIX *Januarii Rex Dagobertus. At vero* postquam Morinensis, sive Taruanensis Ecclesia, *juxta eadem Acta,* triginta annorum spatio tanto fuisset potita Præsule, *decessit* V Idus Septemb. *Non ergo ultra annum* IↃCLXXIV, *superstes fuit, si non etiam prius obiit.*

*mino post obitum* 128,

*non an. Chr.* 697.

D AUCTORE G. H.

*neque* 687,

E

22 *Ut autem* Translatio S. Vedasti post obitus sui annos CXXVIII *contigerit juxta ea, quæ supra diximus, annum censemus accipiendum esse* IↃCLXVII, *quo, aliquot mensibus a Februario ad Octobrem elapsis, ultimus annus maxima sui parte præterierat. Vivebant eo tempore ambo Episcopi, qui huic Translationi præfuerunt, S. Autbertus scilicet et S. Audomarus, tum secundum Acta Translationis infra danda,* senio pressus et amissione oculorum debilior factus. *Hac se laborasse cæcitate illo anno testatur S. Audomarus in quodam diplomate, quo donat S. Bertino basilicam Sithivensem S. Mariæ, apud Malebrancum nostrum lib.* 4 *de Morinis cap.* 3 *in scholiis, ubi diploma integrum exhibetur cum hac clausula.* Actum in basilica ipsa sub die XVIII Maii, anno VI regni Domini nostri Chlotharii Regis, In Christi nomine quamvis peccator ego Audomarus nomine, absque merito, Episcopus, hanc epistolam voluntarius dictavi, et recensere audivi, et qui subterius subscribere deberent rogavi. Hæc abs ocellis feci, ut alius manum meam tenens scripsit et subscripsit. *Hujus diplomatis et alterius eodem anno dati meminit Joannes Iperius Abbas Sithivensis in Chronico Bertiniano MS. capitulo* 1, *parte* 10, *additque* hæc duo privilegia data fuisse anno VI Chlotharii; signum enim regium nec fallere, nec falli. *Quibus verbis innuit se primigenia diplomata coram inspexisse, ac diligenter examinasse. Jam annum Chlotharii* VI *incidere in annum Christi* IↃCLXVII *constat ex dictis ad Vitam S. Sigeberti §* 9, *quo etiam anno hanc Translationem arbitramur factam : atque ex S. Audomari senio cæcitateque rejicimus prius allatam sententiam eorum, qui anno* IↃCLVII *aut sequente illam contigisse scribunt.*

*sed anno* 667,

*S. Audomaro tum cæco*

F

23 *Celebritas hujus Translationis peragitur quotannis apud Atrebatenses Kalendis Octobris, et quidem officio Ecclesiastico sub ritu duplici, ut vocant : quem diem indicat Auctor Miraculorum S. Vedasti seculo nono celebrari solitum : quo etiam die plurimis nomen S. Vedasti inscriptum est Martyrologiis, MSS. Ultrajectinum S. Mariæ, et Treverense S. Martini :* Atrebatis Vedasti Episcopi et Confessoris, *quæ etiam leguntur apud Bellinum. In antiquissimo Usuardi MS. exemplari; quod penes nos est :* Apud castrum Atrabetis S. Vedasti Episcopi. *In aliis fit mentio Translationis. MS. Centulense :* Atrebas Translatio S. Vedasti Episcopi et Confessoris. *Usuardus MS. monasterii*

*I Octobris celebratur Translationis memoria,*

*seorsim,*

A *terii S. Germani Parisiis :* Translatio S. Vedasti Episcopi. *Martyrologium antiquum Coloniense.* Atrebati translatio S. Vedasti Ep. et Confessoris, qui Atrebatensem et Cameracensem rexit Ecclesias. *additur in MS. Bruxellensi :* qui a B. Remigio ordinatus, VIII Idus Februarii migravit ad Christum. *In MS. Florarii dicitur hæc* Translatio facta anno salutis DCLVIII ab Autberto septimo successore suo et S. Audomaro Episcopo. *Est is annus ab interpolatore Sigeberti traditus, ex cujus augmento non tamen accurate descripta hæc leguntur in Auctario Hermanni Greven ad Usuardum, et Martyrologio Canisii :* Atrebati translatio S. Vedasti Episcopi, cui interfuerunt S. Lambertus Tungrensis, Ausbertus Rotomagensis, et Audomarus Taruanensis, qui lumen oculorum amiserat eumque precibus sanctorum Episcoporum et meritis visum recuperasset, moleste tulit, atque, ut iterum obcæcaretur, obtinuit. *Qui hic cum S. Autberto Cameracensi confunditur, est S. Ansbertus anno* DCLXXXIX *S. Audoeno mortuo factus Episcopus Rotomagensis, de quo agemus* IX *Februarii. S. Lambertum huic Translationi non interfuisse, necdum etiam fuisse Episcopum, ante dictum est. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad* VI *Februarii hæc addit :* Calendis Octobris Translatio corporis S. Vedasti de
B loco sepulturæ in eum, in quo nunc requiescit. Transtulerunt autem beati Confessores Autbertus et Audomarus. *Plurima ex Vita et Historia miraculorum congeruntur in Martyrologio Adonis MS. monasterii S. Laurentii Leodii.*

*AUCTORE G. H.*

*et cum SS. Bavone, Piato,*

24 *In aliis Martyrologiis conjungitur cum variis Sanctis, qui ea die fere coluntur. In Adonis appendice apud Rosweydum :* Eodem die SS. Vedasti Episcopi et Bavonis Confessoris. *In MS. S. Maximini :* Alibi Vedasti, Bavonis et Piatonis. *S. Bavo quiescit Gandavi, hujus urbis Patronus : de eo ac Piato, seu Piatone, illo die agemus. In pluribus MSS. Usuardi ad usum Ecclesiarum Belgicarum auctis :* Ipso die translatio sanctorum Confessorum Germani et Vedasti, quorum primus Autissiodorensem, alter vero Atrebatensem et Cameracensem rexit Ecclesias. *S. Germani Acta dabimus* XXXI *Julii. Ado MS. monasterii Lobiensis :* Eodem die Translatio corporum sanctorum Confessorum Remigii Remensis Episcopi, et Vedasti Atrebatensis. *MSS. Leticense et Tornacense S. Martini.* In Gallia Translatio corporum SS. Remigii, Germani, Vedasti. *Martyrologium nostrum MS. sub nomine Bedæ :* Eodem die Translatio sanctorum
C Confessorum et Episcoporum, Germani, Remigii et Vedasti, quorum prior Antissiodorensem, alter vero Remensem, tertius vero Attrabatensem rexit Ecclesiam ; *additur in Usuardo Lubecæ excuso,* et Armeracensem, Cameracensem *supra appellat MS. exemplar Usuardi : sed, ut vel inde colligi potest, a posterioribus auctum. Majore menda adjungitur in Maurolyco :* Germanum translatum esse de Ravenna Antissiodorum, reliquos, *Remigium et Vedastum,* ad urbem Remensem.

*Germano Autissiodorensi*

*Remigio*

*uti scorsim 30 Sept.*

25 *Demum* XXX *Septembris, seu pridie Kalendas Octobris, eamdem Translationem referunt Molanus in Auctario Usuardi, eumque secutus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum :* Atrebati Translatio S. Vedasti Episcopi. *Saussaius in Martyrologio Gallicano :* Atrebati Translatio corporis S. Vedasti facta per sanctos Confessores Autbertum et Audomarum, qui orbatus oculorum lumine, visum tunc inexpetitum recepit, opeque ipsius Cœlitis implorata, sibi recludi lucis meatum ad exercitium patientiæ impetravit.

## § VI. *Monasterium Vedastinum. Templa S. Vedasto erecta.*

*Apud Saussaium in elogio S. Vedasti* VI *Februarii hæc traduntur :* Quiescit *Vedastus* Atrebati in sui nominis monasterio, cujus ipse fundamenta jecit ad ripam rivuli Crientionis. Sanctus vero Autbertus, septimus Episcopali serie successor, illud auxit, ac demum Theodericus Rex Christianissimus, qui ibidem sub auspiciis tanti Confessoris jacet cum Doda conjuge, munificentissime dotavit. Locus primo, *ut infra Acta num. 24 habent,* pro nobilitate sui Nobiliacus est appellatus, *præclaro præsagio, ubi nobilissima et opulentissima S. Vedasti Abbatia (qua vix alia toto Belgio illustrior) extruenda esset. Post translatas ergo sacri corporis reliquias, et in oratorio, ob ipso Vedasto ædificato depositas,* S. Autbertus, *qui dein octo adhuc vixit annos,* monasterium construxit, Fratres in obsequia divini cultus deputavit, *ut infra ex Actis ejusdem S. Autberti referemus. Verum juxta Chronicon Vedastinum,* non potuit morte præventus *anno* DCLXXV, mausoleum D. Vedasto satis illustre erigere, sed tantum extructa monachorum æde, successorem habuit S. Vindicianum, qui Theodericum Regem Franciæ, *occiso fratre Childerico anno* DCLXXX *restitutum,* conscium necis D. Leodegario *anno* DCLXXXV illatæ, ac sententia Præsulum Gallicorum damnatum, sibique commissum pœnitentia mulctandum, adduxit ad perficiendam, ornandam, locupletandam, et ad justam amplitudinem evehendam hanc insignem ac percelebrem Abbatiam Vedastinam. *Hæc ex Chronico Vedastino Locrius ad annum* 690, *Malebrancus lib. 4, de Morinis cap.* 26, *et Franciscus le Bar in Tractatibus monasticis necdum editis. Omittimus hic varia prædia concessa, privilegia immunitatis indulta, aliaque beneficia a Theoderico Rege huic monasterio collata, quorum aliqua* XI *Martii ad Vitam S. Vindiciani referentur. Chronologicas tricas, quæ circa annos regni Theoderici plurimæ sunt, ad Vitam S. Sigeberti dissolvimus, diximusque* Hattam *constitutum* Abbatem *anno* DCXC, *ac* DCXCI, a S. Vindiciano solenniter benedictum. *Huic successit S. Hadulphus, postea Episcopus Atrebatensis, cujus natalis celebratur* XIX *Maii. Reliquos Abbates recenset in suo Chronico Locrius, e quibus adscripti Cœlitibus sunt Fulco, dein Archiepiscopus Remensis, et Poppo : de illo agemus* XVII *Junii, hujus edidimus ad* XXV *Januarii Vitam.*

D

*Monasterium S. Vedasti in loco Nobiliaco*

*cœpit extruere S. Autbertus,*

*perfecit S. Vindicianus,*

*dotavit Theodericus Rex :*

E

*ejus Abbates aliquot Sancti*

27 *Extructa S. Vedasti æde, nova adornata est corporis ejus elevatio, cujus una cum dedicatione Ecclesiæ mentio fit in perantiquo Martyrologio MS. Tornacensi S. Martini ad Kalendas Octobris :* Eodem die in Gallia Translatio corporum, et dedicatio Ecclesiarum SS. Remigii, Vedasti et Germani. *Verum, ut ad* VI *Februarii Molanus de Natalibus SS. Belgii observat, ea dedicatio celebratur* XXI *Februarii :* Nono Kalendas Martii, *inquit,* Nobiliaco monasterio dedicatio ecclesiæ S. Vedasti Episcopi et Confessoris, quæ per revelationem Angelicam B. Autberto est manifestata, *scilicet extruenda, quam successor ejus S. Vindicianus et Theodericus Rex absolverunt. Idem S. Vindicianus, quemadmodum, evocato S. Lamberto Episcopo Trajectensi,* consecravit, *teste Balderico lib.* I *cap.* 26, ecclesiam in villa Hunolcorth *prope Cameracum, ita eumdem S. Lambertum adhibuisse socium hujus dedicationis ecclesiæ Vedastinæ videtur, qui ideo creditus Translationi corporis sub S. Autberto interfuisse : imo in Gemblacensi et Lipsiano MS. Chronico Sigeberti refertur ad annum* DCLVIII *ea Translatio* a Vindiciano *facta, quæ in MS. Aquicinctino, et Orteliano, nunc Domus Professæ Societatis Jesu Antverpiensis, recte tribuuntur S. Autberto : sed temporibus confusis, facile perturbantur etiam gesta ipsa Sanctorum.*

*Dedicatio Ecclesiæ 21 Februarii,*

F

*facta a S. Vindiciano,*

*et forte S. Lamberto.*

28 *Antiquissimum extat in Hannonia haud procul Malbodio monasterium Altimontense a S. Vincentio Comite, Madalgario dicto, extructum, ubi a prima sua origine fuit* oratorium quoddam in honore et reverentia S. Vedasti dedicatum, *in quo* S. Aldegundis

*In oratorio S. Vedasti Altimontensi,*

*ejus*

A *(cujus soror S. Waldetrudis nupta fuit dicto S. Vincentio)* benedictione sacerdotali cum a SS. Amando et Autberto in sponsam Christi consecraretur, Spiritus sanctus in specie columbæ velum beatissimæ Virginis capiti imposuit : *ut tradit Huchaldus in Vita S. Aldegundis* XXX *Januarii, cap.* 4. *Coluntur S. Vincentius* XIV *Julii, S. Waldetrudis* IX *Aprilis. Idem* S. Autbertus, *secundum Baldericum lib.* I, *cap.* 18, assumpto secum Amando, ecclesiam, quam S. Gislenus construxerat, in honore Apostolorum consecravit. *Colitur S. Gislenus* IX *Octobris. Utriusque hujus ecclesiæ dedicatio contigit sub Chlothario Rege Francorum, quando etiam ab eodem S. Autberto translatum fuit corpus S. Vedasti, cui solennitati forte interfuit S. Amandus; quo expuncto, cum alii scriberent eum anno* IↃCLXI *decessisse, potuit substitui, qui ab eo quartus Trajectensem rexit Ecclesiam S. Lambertus. Quæ conjectura infra ad Acta S. Amandi* § 14 *temporibus vitæ ejus accurate digestis confirmabitur.*

*S. Aldegundis Christo desponsatur.*

*Templa S. Vedasti Renticæ,*

29 *Eodem tempore* Renticæ *in Artesiæ parte ea, quam olim Morini incoluerunt,* Wambertus Comes *ejusque* conjux Homburga, *ut dicitur in Actis S. Bertulphi* V *Februarii cap.* I, *num.* 4, *præter cœnobium,* construxerunt tres ecclesias, unam Principi Apostolorum, aliam beatissimo Martino, tertiam S. Vedasto. B *At* tempore illo, quo S. Vindicianus a S. Vedasto octavus, Cameracensi Ecclesiæ præsidebat, S. Maxellendis, *ut hujus Acta testantur* XIII *Novemb.* martyrii palmam adepta *est,* et corpus in proximo pago, quem Pomeriolas vocant, terræ mandatum; *unde* post tres annos ad locum cædis Chauldericum a S. Vindiciano reportatum est constitutis illic viris Clericis, et religiosis fœminis ad debitum omni tempore officium persolvendum. *Addit Baldericus lib.* I *cap.* 23, constructam esse basilicam in honore omnium Sanctorum, præcipue quidem S. Vedasti, nec non et veneratione ipsius sacræ Virginis Maxellendis. *Est autem* Calderiacum, *vulgo* Caudri, *in ditione Cameracensi, inter urbem et castrum Cameracesium.*

*Chaulderiaci,*

*Bethuniæ,*

30 *Bethuniæ illustri in Artesia oppido duæ parœciæ sunt, altera S. Bartholomæo dicata, altera S. Vedasto, ex suburbiis, ubi ejusdem ecclesia visitur, translata. In vicino Decanatu oppidi Bassæi extat sacellum ejusdem S. Vedasti. At Cameraci, ubi* SS. Autbertus et Vindicianus *eorumque successores Sedem Episcopalem habuerunt, ecclesia Parochialis est* S. Vedasto *dicata, ad quam sub Carolo* V *Imperatore, cum hic arcem conderet, ubi ædes fuerat S. Gaugerici, Cano-* C *nici hujus ædis cum sacro ejus corpore inducti, ecclesiam S. Vedasti, nomine S. Gaugerici, auxerunt.*

*Cameraci,*

31 Transmarus *ex monacho Vedastino Episcopus Noviomensis factus anno* IↃCCCCXXXVII, dedicavit in Hereem in oppido Gandensi inter Scaldim et Legiam fluvios capellulam in honore S. Joannis Baptistæ, nec non SS. Bavonis et Vedasti, Kalendis Maii anno IↃCCCCXLI. *Ita legitur in codice MS. cœnobii Blandiniensis, de rebus potissimum Gandavensibus scripto :* *quam* capellulam, *perperam Cathedralem Ecclesiam S. Joannis interpretatur Sanderus lib.* 5 *rerum Gandavensium cap.* 1, *quasi tum extructam, quam multo post ibidem condidit quidam* Lausus, *peregrinationis in Palæstinam ad sepulchrum Domini aliaque loca sancta socius S. Popponis Abbatis, uti* XXV *Januarii in hujus* Vita *legitur cap.* 2, *num.* 6. *Einhami prope Aldenardam ad Scaldim, antequam fundaretur monasterium Benedictinorum, extitisse ecclesiam S. Vedasti traditur in diplomate Balduini Insulani Flandrorum Comitis anno Christi* CIↃLXIII *signato, apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap.* 92. *Illustris* ecclesia S. Vedasti collegiata *visitur* Augustæ Suessionum,*cui varia olim indulta diplomata edidit Melchior Regnault in Historia Suessionensi: inter ea unum est* Ludovici VII Regis Francorum, *datum* Silvanecti anno CIↃCLXXVII, *in quo testatur se* pro remedio animæ suæ et Philippi filii et prædecessorum, Ecclesiæ S. Vedasti Suessionensi et Canonicis ibi Deo servientibus in perpetuum donare duos modios vini et unum modium frumenti, *etc. De aliis eidem in Gallia, ditione Leodiensi, et Scotia, erectis ecclesiis infra agemus.* D

*Gandavi,*

*Einhami, in urbe Suessionensi,*

AUCTORE G. H.

32 *Denique tam celebris olim erat cultus S. Vedasti, ut eidem non templa solum sint dicata, sed integri a* S. Vedasto *pagi appellati, qualesduo visuntur in Hannonia inter oppida Bavacum et Quesnoium. In diœcesi Atrebatensi duæ etiam parœciæ sunt* a S. Vedasto *appellatæ, harum altera* de Marii *altera* de Neuveville *cognominatur, illa in Decanatu Bapalmensi, ista in Heninensi. In diœcesi Ambianensi sunt pagi* S. Vedasti in Calceia et S. Vedasti Daron *dicti. At plures apud Normannos, ubi in diœcesi Rotomagensi ad mutuam distinctionem cognominantur* de Seneville, Esquiqueville, Guillemecourt, *etc. Alia etiam loca a* S. Vedasto *appellata sunt in diœcesibus Constantiensi, Suessionensi aliisque.*

*varia loca a S. Vedasto nomen sortita*

## § VII. *Vita S. Vedasti conscripta. Rado Abbas* XI *Vedastinus.*

E *Inter Abbates Vedastinos ordine successionis undecimus fuit Rado, seu Raddo, monasterii, templi et cultus S. Vedasti magnus instaurator : cui ob res præclare gestas in Chronico Vedastino apud Locrium et Franciscum le Bar in monumentis MSS. hæc relicta est memoria :* Rado ad res instaurandas Divino munere datus anno IↃCCXCV, expectationi omnium cumulate respondit : qui ambustum fœdatumque incendio templum magnifice instauravit ornavitque omnibus suis partibus : imprimis magna vi auri argentique fusi et cælati in calices et thecam S. Vedasti et consimilia, tum aulæis et * vestibus byssinis, impensis sane quam maximis, parcimonia idoneum vectigal suppeditante. Missale implicatum satis (ut ferebat temporis conditio) examini venerabilis Alcuini subjecit : cujus descriptæ etiamnum apud nos extant duæ ad Radonem epistolæ, atque aliquot versus, quibus opera ejusdem posteritati commendat. E quibus videre est, magni admodum nominis fuisse Radonem, qui extrema ætate, rebus actis, pietate et canitie venerabilis, anno ex quo Christus natus IↃCCCXV mortem obiit, cum viginti annos præfuisset : post mortem ob vitæ innocentiam in terris * unus indigetum habitus.

*Rado Abbas Vedastinus,*

*cultum S. Vedasti promovet,*

* *Locrius* clara veste.

*familiaris Alcuino :*

* *Locrius* felix habitus

F 34 *Epistolarum Alcuini altera ad Radonem, Vitæ S. Vedasti, de qua mox agemus, præfixa; altera vero, ut auctor est Locrius,* communis fuit Abbati et monachis, de versuum compositione et Missalis emendatione : *quæ inter epistolas Alcuini tertia parte operum editas non habetur. Ast inter versus ejusdem extat poema* LXVI *de instauratione templi Vedastini a Radone Abbate facta, ubi ista leguntur :*

*ab hoc laudatur,*

Hæc domus alta Dei flammis crepitantibus olim
  Arsit, et in cineres tota redacta ruit ;
Sed miserante Deo, Rado venerabilis Abba
  Construxit melius, ac renovavit eam :
Plurima præsenti domui ornamenta ministrans,
  Exornans totam muneribusque sacris.
Cancellos, aras voluit vestire metallis,
  Vedasti fabricans sarcophagumque Patris.
Pallia suspendit parietibus, atque lucernas
  Addidit, ut fieret lumen in æde sacrum.
Officiis Domini fecit quoque vasa sacrata
  Argento, nec non aurea tota quidem.
Induit altaris speciosa veste Ministros,
  Ut foret egregium semper ubique decus.
Omnia mellifluo Christi devotus amore,
  Restaurans opera vir pius in melius.

*ob templum post incendia renovatum*

*et ornatum,*

Pro

*AUCTORE G. H.*

A Pro quo, quisque legas titulos, rogitare memento,
Adjuvet utque illum gratia summa Dei.

*Cultum vero sacrum in ara S. Vedasti a Radone ornata poemate* LXVIII *celebrat idem Alcuinus his versibus :*

*et altare S. Vedasto erectum :*

Pontificalis apex, meritis vivacibus aram
Vedastus sanctus hanc regit ipse Pater.
Hanc Abbas humilis vestivit Rado metallis,
In Domini laudem, ductus amore Patris.

*huic dedicat Alcuinus Vitam S. Vedasti emendatam ei præponitur brevior Vita, utraque in MSS. exstat.*

35 *Hujus Alcuini stylo extat Vita S. Vedasti in gratiam Radonis Abbatis emendata, ut initio epistolæ dedicatoriæ ad eumdem Abbatem præfatur. Quæ vero fuerit ante conscripta Vita, et Alcuini correctioni submissa, non satis constat. Andreas Chesneus tomo* I *Scriptorum historiæ Francorum inter Fragmenta, quæ gesta Chlodovei* I *exornant, edidit decerpta* ex antiqua, *ut præfatur,* et rudi Vita MS. S. Vedasti Atrabatensis Episcopi et Confessoris, quam postea Alcuinus, petente Radone Abbate, emendavit. *Extat ea Vita Atrebati inter MSS. monasterii Vedastini; quam hic priore loco damus, ac breviorem Vitam appellamus. Nulla in ea fit mentio Translationis corporis a SS. Autberto et Audomaro anno* DCLXVII *factæ, ut ante illud tempus videatur conscripta. Quod tamen plurimum differat a Vita altera ab Alcuino emendata, non improbabile* B *nobis videtur aliquam aliam uberiorem extitisse. Hanc autem Vitam ab Alcuino emendatam edimus secundo loco, jam ante excusam apud Surium, et ab Andrea Chesnæo ex vetustis codicibus MSS. insertam operibus Alcuini. Eamdem et nos contulimus cum MSS. exemplaribus Ecclesiæ Audomarensis, et monasteriorum Marchianensis et S. Maximini prope Treviros, ac duplici codice nostro. Extat eadem MS. in monasterio Vedastino et Collegio Duacensi Societatis Jesu.*

*An altera Vita post obitum Alcuini aucta,*

36 *Differre inter sese plurimum antiqua MSS. circa ea, quæ ad sepulturam S. Vedasti pertinent, infra ad Acta annotamus : imo suspicamur eadem Acta post obitum Alcuini aucta circa ea, quæ initio num. 24 referuntur post Translationem corporis, his verbis :* Porro et miracula, quæ et tum *in Translatione* gesta sunt, et quæ jam *ab ea tempore* per annos ferme centum sexaginta per merita B. Vedasti patrata sunt, nullo sunt stylo memoriæ mandata : *qui anni ab ea Translatione, anno* DCLXVII *facta ad obitum usque Alcuini non intercedunt. Mortuus is est anno* DCCCIV *ipso die Pentecostes* XIX *Maii, ut ex ejus Vita a discipulo conscripta probavimus* IV *Februarii ad Vitam B. Rabani : neque etiam ab obitu S. Vedasti idem anni numerari possunt, quod ab anno* DXL *elapsi sint ducenti sexaginta anni, ut* C *annus octingesimus habeatur, circa quem Vita hæc videtur emendata fuisse. Eadem Vita paucis omissis distributa est in lectiones sacras, quæ per octavam ejusdem in diœcesi Atrebatensi ad Matutinum in Officio Ecclesiastico recitantur; sed quod supra correximus temporis nota vitiose inserta : ut et ordinatus tradatur Episcopus,* cum vices Hormisdæ Papæ per regnum Francorum obtineret S. Remigius; *et vita functus* anno Dominicæ Incarnationis quingentesimo septuagesimo, *et demum a SS. Autberto et Audomaro translatus,* cum corpus in ecclesia S. Mariæ jacuisset circiter centum octo et decem annis : *qui prioribus annis adjuncti, annum Chr.* DCLXXXVII *aut sequentem conficiunt : ante quod tempus SS. Autbertum et Audomarum obiisse supra diximus. Eamdem vitam in suum usum contraxerunt Baldericus lib. 1 Chronici cap. 6, 7 et 9, Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Hauræus, Lippelous, et passim alii in suis operibus de Vitis Sanctorum, quorum plerique obitum ejus retulerunt in annum* DLXX. *Petrus de Natalibus lib. 3 cap. 99 ait,* circa annum Domini DC in pace requievisse. *Quæ supra satis refutata sunt.*

*uti eadem in lectiones Breviarii distributa.*

*Adhortatio ejusdem Alcuini,*

37 *Subjungimus huic Vitæ adhortationem ab eodem Alcuino conscriptam, qua inculcat imitationem virtutum S. Vedasti in Actis propositarum. Deest ea adhortatio, sive homilia parva, inter opera a Chesnæo edita, quam* D *hic damus ex MSS. monasterii Vedastini, et nostro, seu Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ. Addimus ab eodem Alcuino conditum S. Vedasto epitaphium, quod inter illius carmina extat poemate* LXVII. *Ad pleniorem præterea notitiam rerum in Translatione corporis gestarum, referimus eamdem ex Vita S. Autberti auctore Fulberto, jubente Gerardo Episcopo Cameracensi, conscripta, ut tradit Baldericus lib. 1 cap. 77. Ex S. Autberti Vita lectiones Ecclesiasticæ ad Matutinum recitantur in Octava S. Vedasti* XIII *Februarii, et in Translatione corporis* I *Octobris. Possent addi varia diplomata a Theoderico Rege, Joanne Papa et S. Vindiciano super rebus ecclesiæ S. Mariæ et monasterii Vedastini concessa : verum ea commodius ad Acta S. Vindiciani* XI *Martii discutientur.*

*et epitaphium S. Vedasti.*

*Fulbertus de Translatione corporis.*

*Haiminus Presbyter, discipulus Alcuini*

38 *Alcuini discipulus habetur Haiminus Presbyter, cui Milo monachus Elnonensis dicavit Acta S. Amandi Episcopi carmine a se descripta : cujus ibidem additur ad eumdem Milonem responsum. De quo ad calcem Vitæ ita canit Vulfaius Milonis condiscipulus :*

Hæc tuus, hæcque meus Haiminus jure Magister,
Quo duce firmavit, devia nemo petit.

*Quod huc spectat, de eo Valerius Andreas in bibliotheca Belgica ita scribit :* Hayminus Ordinis S. Benedicti, E monachus ad S. Vedastum in civitate Atrebatensi, reliquit librum de Miraculis S. Vedasti, cujus initium : Sane quæ nuper et oculis probavimus, etc. Legi is per Octavam in choro basilicæ Cathedralis Atrebatensis solet. Item sermonem de virtutibus ejusdem Sancti; incipit : Excitentur, obsecro, filii lucis, corda vestra. Fuit Alcuini discipulus, Caroli Magni condiscipulus. Obiit anno Domini 834 : *ubi numeris transversis reponimus annum 843. Nam superfuisse ultra annum etiam* DCCCXXXV, *quando Hincmarus factus est Archiepiscopus, constat ex elegia memorati supra Vulfaii, ubi ambo Milonis carmina perlecta dicuntur approbasse, et hoc apponitur de Hincmaro distichon :*

*scribit miracula S. Vedasti,*

Hæc Archipræsul toto notissimus orbi
Hingmarus verbis sustulit eximiis.

*Miracula ea fere coram observavit Haiminus ecclesiæ S. Vedasti æditu, quæ damus ex MSS. Audomarensi et duplici Antverpiensi Domus Professæ Societatis Jesu. Extant eadem in monasterio Vedastino : ex cujus codice MS. addimus ejusdem Haimini sermonem de duobus parvulis, meritis S. Vedasti sanatis : cumque sermonem contulimus cum MS. Antverpiensi nostro.*

*hic edita ex MSS.*

F 39 *Ejusdem Haimini discipulus fuit Hubertus Presbyter, qui eidem inscripsit historiam apparitionis S. Vedasti factæ moribundo, et valetudinis huic restitutæ : eam edimus ex eodem MS. nostro. Extat etiam in monasterio Vedastino.*

*uti Hubertus discipulus Haimini ;*

40 *Sequuntur deinde miracula alia a S. Vedasto diversis temporibus patrata, atque a Monachis Vedastinis collecta, occasione Elevationis corporis S. Vedasti anno* DCCCLII *factæ; idque saltem usque ad finem capitis tertii, ubi prior pars concluditur : cui sequentia postea sunt adscripta ante annum* DCCCLXXX, *quo translatum est Bellovacum S. Vedasti corpus, cujus translationis in iis miraculis nulla mentio fit. De horum aliorumque miraculorum auctoribus ita scribit Locrius in Catalogo Scriptorum Artesiæ :* Vedastini cœnobitæ anonymi Vitam D. Vedasti ab Alcuino accurate conscriptam, magnopere auxerunt et locupletarunt, additis quam plurimis miraculis, quæ precibus et meritis D. Vedasti patrata fuerunt, potissimum vero illustribus adjectis historiis, quibus manifeste constat, quam rigidam Dei vindicis manum experti sunt isti, qui bona et jura monasterii Vedastini violare attentarunt. *Proferimus hæc miracula ex MSS. Ecclesiæ Audomarensis et Collegii Duacensis Societatis Jesu, et duobus codicibus nostris : atque ex horum altero præfigimus*

*et alia Vedastini codicis secundo.*

A *gimus prologum, qui etiam cum reliqua historia extat in monasterio Vedastino.*

*Translationem et Relationem corporis scripsit auctor coævus,*

41 *Proximum locum exigit Historia Translationis S. Vedasti Bellovacum et Relationis Atrebatum, auctore anonymo, sed monacho Vedastino, qui interfuit dictæ relationi : adjungitque miracula apud Bellovacenses ope S. Vedasti patrata, quæ istic a fide dignis hominibus acceperat. Eam historiam damus ex MS. Vedastino et duplici codice nostro. Epitome ejusdem historiæ recitatur* XV *Julii Lectione* VI *ad Matutinum, quam exhibent officia propria Ecclesiæ Atrebatensis. Extat sermo in Relatione corporis B. Vedasti habitus hoc exordio :* Gaude plebs Attrebata hodierna die gratuita munerum Divinorum munificentia, per relationem gloriosissimi corporis Patroni tui et Doctoris beatissimi Vedasti oppignorata, *etc. Reliqua omittimus, ne moles, nimium excrescat, cum nihil in eo sermone historicum contineatur, præter pauca infra referenda.* Compilatus et scriptus *dicitur* anno CIƆCCCLXXVIII die Veneris ante festum Relationis ipsius. *Dein subscripsit* Joannes de Bruxella, *auctor, ut videtur, illius sermonis.*

*ut postea Joannes de Bruxella*

*ut posteriora miracula Baldericus et duo alii.*

42 *Succedunt alia miracula a tribus auctoribus et fere oculatis testibus, sed diversis temporibus conscripta. Extant ea MSS. in monasterio Vedastino; quæ tamen* B *secundo loco referuntur, habent auctorem Baldericum, in cujus Chronico Cameracensi et Atrebatensi sunt excusa lib.* 1 *cap.* 10 *et* 11. *Ultima contigerunt seculo* XIV, *quando memoratus Joannes de Bruxella vixit, forte eorum auctor. Illustrarunt etiam Vitam S. Vedasti celebres superioris seculi Poetæ, Antonius Meierus et Panagius Salius : ille libros tres de rebus D. Vedasti edidit typis Parisiensibus anno* CIƆIƆLXXX, *eosque* Ursum *appellavit : iste libros quinque vulgavit Duaci anno* MDXCI *excusos sub titulo* Vedastiados, *seu* Galliæ Christianæ : *quos nostro instituto minime necessarios omittimus.*

## § VIII. *Translatio corporis S. Vedasti Bellovacum, et Relatio Atrebatum.*

*Bellovaci parœcia S. Vedasti,*

**B***ellovaci urbe antiqua atque illustri Belgicæ* II *in regno Francorum, nono Christi seculo cultus S. Vedasti celebris erat in prima ac præcipua urbis parœcia eidem Sancto dicata, quam tamen apud vulgus frequentius appellari S. Stephani, monet Antonius Loiselius in suis de Bellovaco commentariis cap.* 2 § 9. *Quod in dicta S. Vedasti ecclesia est collegium Canonicorum, jus patronatus habet variorum hujus diœceseos locorum, uti* C *quinque aliarum urbis ecclesiarum parochialium. Tam celebris autem S. Vedasti ibidem extitit memoria, ut creditus sit uno eodemque tempore Atrebatensi et Bellovacensi Ecclesiæ præfuisse Antistes : ut infra dicitur in Historia Translationis : ubi et miracula referuntur tum ab ipso adhuc vivo, tum postea, potissimum seculo Christi nono, ibidem patrata : ob quæ historia Translationis corporis apud recentiores quosdam scriptores videtur confusa esse, quasi miracula in templo ipsi dicato facta, exegissent præsentiam corporis translati.*

*celebris ejusdem miraculis.*

*Non est corpus S. Vedasti bis Bellovacum translatum.*

44 *Petrus Louvetus in Historia Bellovacensi asserit corpus S. Vedasti duabus vicibus fuisse Bellovacum translatum; sed quo tempore prior contigerit translatio, silet. Relationem tradit lib.* 3 *cap.* 12 *factam sub Hermenfrida Episcopo, postquam ope S. Vedasti in ejus ecclesia Bellovacensi dæmoniacus fuisset liberatus : quæ infra traduntur absque ulla Reliquiarum aut corporis S. Vedasti mentione.*

*Elevatio facta an. 852, recolitur 2 Julii,*

45 *Sub Abbate Vedastino Adalardo auctoritate S. Theoderici Episcopi Cameracensis, ob persecutionem Normannicam elevatum est anno* IƆCCCLII *die* VI *Nonas Julii corpus S. Vedasti. Eum diem Atrebatenses hujus rei memoriæ consecrasse, observant Molanus ad* VI *Februarii, et Locrius ad dictum annum. In Florario MS. Sanctorum hæc eo die traduntur :* Attrebatis translatio et elevatio S. Vedasti Episcopi et Confessoris. D *Ubi plura annectuntur de priore translatione sub S. Autberto facta. Anno sequenti eadem sacra S. Vedasti ossa,* IV *Junii reposita sunt, quo die in eodem Florario MS. hæc leguntur :* Apud Atrebatum depositio S. Vedasti Episcopi et Confessoris anno salutis IƆCCCLIII.

AUCTORE G. H.

*repositio 4 Junii, facta an. 853.*

*Non fuit corpus Bellovaci 50 annis, neque translatum circa an. 843,*

*neque 5 Julii.*

46 *Saussaius in Martyrologio Gallicano unicam ad Bellovacenses constituit translationem S. Vedasti ac relationem ; sed inter utramque vult elapsos* annos fere quinquaginta, *ut mox dicetur. Hinc quia Atrebatum sacra hæc pignora anno* IƆCCCXCIII *relata sunt, Bellovacum deberent anno* IƆCCCXLIII *fuisse asportata, quo tempore adhuc latebant Atrebati, anno dein* IƆCCCLII *elevata, ac sequenti reposita, ut ante dictum, idque tunc scripta historia miraculorum confirmat. Illam autem translationem memorat* V *Julii Saussaius his verbis :* Apud Bellovacum sub secundæ Belgicæ capite, translatio S. Vedasti Episcopi Atrebatensis et Confessoris, quando ob Normannicæ incursionis metum sacra ejus gleba eam ad civitatem, quæ munitissima erat, delata, in ecclesia primum S. Stephani Protomartyris, ac postea in ædicula ad sancti ipsius Confessoris cultum constructa, condigna honorificatione reposita est : ubi miraculis præclaris emicuit; in quibus illud memorabile narratur, quod lampas ante hierothecam posita, exhausto oleo sine ullo pabulo ardere et rutilare visa est. E *Hæc Saussaius, sed cum extenuatione miraculi, cum* lampas *tradatur infra* cœlitus purissimo repleta olivo, et divino accensa lumine. *Secundo quia S. Hildemannus Episcopus Bellovacensis, ejusque successores illo oleo usi fuerunt in sacro Baptismate et Extrema unctione, non contigit illud miraculum præsente istic corpore, etiamsi Bellovaci integros annos quinquaginta quievisset, cum S. Hildemanno tum mortuo, jam istic esset Hermenfridus Episcopus, qui subscripsit privilegio monasterii Corbeiensis in Concilio dein Parisiensi anno* IƆCCCXLIV *confirmato. Præterea ecclesiam S. Stephani vocat, quæ proprie S. Vedasti est, et huic solum ædiculam tribuit : quæ in historia Translationis non leguntur. Denique diem* V *mensis Julii huic Translationi assignat, quo nec die neque mense contigit.*

*sed anno 880*

*mense Decembri,*

47 *In gestis Normannorum ante Rollonem Ducem, ab auctore coævo ad annum* IƆCCCXCVI *deductis, hæc leguntur :* Anno Domini IƆCCCLXXX Northmanni incendiis et devastationibus inhiantes, sanguinem humanum sitientes, ad interitum et perditionem regni mense Novembrio in Gandavo monasterio sedem sibi ad hiemandum statuunt : et mense Decembrio corpus S. Vedasti Vallis supra Summam in villa sua F refertur, *et inde Bellovacum. Consentit auctor historiæ Translationis, uti ad hanc observamus. Diem huic Translationi sacrum necdum in ullo Martyrologio legimus annotatum, qui fuit* XXII *Decembris aut aliquis vicinus dies, ut mox e tempore relati corporis constabit. Præerat Vedastinis* Rudolphus Abbas XX, *anno* IƆCCCLXXVII *electus, qui, uti ex Chronico Vedastino edidit Locrius,* onus obivit iniquissimo tempore, cum fractis Christianorum viribus, omnis pene patria prædæ esset barbaris. Vedastini fuga salutem sibi quæsivere, profecti Bellovacum, asportato secum B. Vedasti corpore, et quidquid erat, quod minus perditum vellent. Sed una fere fuit omnibus fortuna. Quidquid hæserat domi, direptum a barbaris : ipsa domus incensa : solum templum inustum mansit. Quidquid tuto creditum erat loco Bellovaci, fortuito ejus urbis incendio XV Kalendas Octobris anno IƆCCCLXXXVI, parum abfuit, quin totum perierit : ad B. Vedasti reliquias dumtaxat non pertinuit ea clades.

*anno 886 illæsum ab incendio.*

*relatum an. 893, die Dominica, 15 Julii :*

48 *Solennitas corporis S. Vedasti Bellovaco Atrebatum relati hactenus perseverat. Illius dies ita describitur in Historia relationis num.* 4 : Tandem quarto die egressionis a Bellovaco, in Dominica die, Idibus mensis Julii, Domini misericordia nos adjuvante, Atrebatum

A Atrebatum ingressi sumus. *Hæc testis oculatus. Conveniunt hi characteres in annum Christi* IↃCCCXCIII, *quo, Cyclo Solis* VI, *et littera Dominicali G, primus et decimus quintus Julii inciderunt in diem Dominicam. Idem Auctor coævus tradit num. 3 corpus fuisse Bellovaci* bis senos semis et eo amplius annos. *Molanus in Additionibus ad Usuardum ex propriæ Ecclesiæ Martyrologio hæc scribit :* Atrebati anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo nonagesimo tertio, Relatio corporis S. Vedasti a Bellovago ad proprium locum, post annos duodecim, menses novem, dies viginti quatuor. *Quæ eadem leguntur in Martyrologio Germanico Canisii. Verum idem Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad* VI *Februarii eadem repetit omissis mensibus et diebus : veritus forte ne quis subesset error ; quod auctor historiæ et testis oculatus menses tantum sex addat et eo amplius, scilicet diebus* XXIV, *nempe a Decembri anni* IↃCCCLXXX, *quo Atrebato Bellovacum corpus translatum diximus.*

AUCTORE G. H.

*Martyrologiis inscripta relatio 15 Julii*

49 *Eumdem relationem referunt* XV *Julii MS. Martyrologium Centulense ; quod et Vedastinum :* Atrebas relatio S. Vedasti ad proprium locum. *Antiquum Coloniense et Auctarium Hermanni Greven ad Usuardum :* Item relatio S. Vedasti Atrebatensis Episcopi et B Confessoris. *Florarium MS.* Translatio S. Vedasti Episcopi et Confessoris, cum de Belvaco Atrebatis revectus est. *At pluribus Saussaius :* Atrebati revectio corporis S. Vedasti Episcopi ejusdem Sedis et Confessoris ex urbe Bellovacensi, ubi fere quinquaginta annis quieverat in ecclesia S. Stephani proprio in sacello, cum multorum signorum coruscatione, ab eo scilicet tempore, quo ob metum Normannorum fuerat illuc ad custodiam delatum. *Hæc Saussaius, cujus opinio singularis in quinquaginta illis annis corporis apud Bellovacenses relicti constituendis, antea est refutata.*

*et 14 Julii,*

50 *Pridie Idus Julii apud Bellinum hæc leguntur :* Eodem die S. Vedasti Episcopi et Confessoris : *quæ de eadem sunt Translatione accipienda. In sermone Joannis de Bruxella, anno* CIↃCCCLXXVIII *de hac translatione scripto, hæc traduntur sub finem :* Relata fuerunt gloriosissimi Patris nostri Vedasti pretiosissima ossa Idibus Julii, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo tertio, a Bellovago ad proprium locum et Ecclesiam suam, quæ ei ab Angelis jussa est fieri hominibus, ubi per ejus merita, beneficia orationum plurima sanitatesque diversæ ægrotantium fiunt usque in hodiernam diem.

AUCTORE G. H.

C

## § IX. *Reliquiæ S. Vedasti in æde B. Mariæ Atrebatensi et Cameracensi : aliæ Duaci et Lætiis.*

*miracula. Reliquiæ Sanctorum inventæ in æde B. Mariæ Atrebati post annum 1012,*

I*perius in MS. Chronico Bertiniano capitulo* 35, *tradit* Hemfridum ejus loci *Sithivensis* Abbatem XXXV incepisse sedere temporibus Regis Roberti Francorum, ac Imperatoris Henrici primi, anno Domini CIↃXII. In Atrebatensi civitate inventas esse multas Sanctorum reliquias, ibique multa miracula provenisse. *Baldericus, non diu post ea tempora natus, hæc refert lib. 2 cap.* 13 : Ibi vero, *inquit de templo B. Mariæ cathedrali,* juxta altare Dei genitricis Mariæ, quod B. Vedastus suis diebus consecraverat, anno quidem secundo Gerardi Episcopi, multæ et multum pretiosæ Sanctorum reliquiæ inventæ sunt, ad quarum illustrationem diversa miracula, per tres circiter annos Divina clementia operata est. Leprosi enim mundati, contracti humanis usibus solidati, multique a diversis languoribus curati, sospitate donantur. *Acta Gerardi* I *Episcopi prosequitur toto fere libro tertio, ab initio ad caput usque* LXIII, *et cap.* 4 *hæc de inventis Reliquiis repetit :* Tunc etiam temporis in monasterio S. Mariæ Atrebatensium juxta altare D multorum Sanctorum Reliquias pretiosas contigit inveniri. Ad quarum quidem merita propalanda Divina clementia diversi generis signa et prodigia operante, non solum ex vicinis sed etiam longe positis regionibus, per totum fere biennium, multitudo maxima confluebat.

*aliæ post combustam ecclesiam anno 1030*

52 *Deinde cap.* 32 *refert epistolam Gerardi Episcopi ad Leduinum Abbatem S. Vedasti, qua inter cetera deplorat* ecclesiam S. Mariæ Atrebatensium, igne de cœlo adveniente, videntibus cunctis, III Kalend. Augusti totam combustam esse, *anno* CIↃXXX, *ut margini adscripsit Colvenerius, et confirmat Locrius citato Ludovico Bresinio tomo* I *Chronici MS. Artesiæ et Flandriæ. Iterum Baldericus cap.* 58 *de reliquiis S. Vedasti aliorumque Sanctorum hæc tradit :* Domnus Gerardus Episcopus dedicationem ecclesiæ in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ facturus, removit altare a proprio loco ; et effossa terra, quæ circa erat, multæ Sanctorum Reliquiæ ibidem repertæ sunt. Insuper brachium Confessoris Christi Vedasti, et non modica pars de capite ejus et de quibusdam membris. Consecrata est, igitur ipsa ecclesia II Nonas Januarii, apportato S. Vedasti corpore cum aliis Sanctis a monachis ejusdem loci. *Hæc Baldericus, qui deinde cap.* 60 *recitat epistolam Gerardi ad Henricum III Imperatorem, in qua testatur se* triginta *tum* E annos *Episcopum esse : unde colligimus eam capitis S. Vedasti inventionem contigisse circa annum* CIↃXL. *Locrius refert eam inventionem capitis ad annum* CIↃXIV ; *quod monumenta MSS. Ecclesiæ Atrebatensis addunt :* Inter cetera fuisse brachium S. Vedasti cum capite ejus et quibusdam membris ipsius, *etc. sed ex tertio Balderici loco, cujus non meminit Locrius, ea sunt desumpta.*

*inventæ circa annum 1040, cum brachio, parte capitis, aliisque S. Vedasti.*

*Alia istic facta Translatio reliquiarum anno 1267,*

53 *Arnoldus Rayssius in Hierogazophylacio Belgico agens de S. Mariæ ecclesia Cathedrali Atrebatensi, refert autographum veteris membranæ MS. post chori ambitum in tabula appensæ, in qua inter cetera ita legitur :* Anno Domini CIↃCCLXXXVII, Dominica qua cantatur Misericordia Domini *(ea est secunda post Pascha),* fuit facta translatio reliquiarum, quæ sequuntur, in ecclesia Atrebatensi a Reverendo Patre Domino Guilliermo Atrebatensi Episcopo, præsentibus venerabilibus Patribus, Abbate Montis S. Eligii, Abbate Aquicinctensi, Abbate Marchianensi, Abbate Hannoniensi, Abbate Arrosiensi, Abbate Igniacensi, Abbate de Mariolo, Abbate de Viconia, Abbate de Mortagnia, Abbate de Carocampo, ac multis aliis tam Decanis, Prioribus, quam F aliis personis Ecclesiasticis, Religiosis et secularibus. Omnibus visitantibus Ecclesiam Atrebatensem die dicta solemnitatis, ac per omnes octavas, Dominus Remensis Archiepiscopus, et omnes sui Suffraganei, quibuslibet eorum quadraginta dies de pœnitentiis sibi injunctis contulerunt. *In subjuncto dein Catalogo Reliquiarum valde amplo leguntur quasi simul junctæ* Reliquiæ SS. Vedasti, Remigii et Hilarii. *De hoc egimus* XIII *Januarii. Festum hoc Reliquiarum dicta secunda post Pascha Dominica etiamnum Atrebati quot annis colitur officio, ut vocant, Duplici majori.*

*inter quas S. Vedasti.*

*uti et Cameraci anno 1030 cum ejus baculo.*

54 Ecclesia nova B. Mariæ Cameracensis, *teste Balderico lib.* 3 *cap.* 49, *vetere diruta, a memorato ante* Episcopo Gerardo septennii spatio reædificata est, et die XVIII Octobris anno CIↃXXX solenniter dedicata, ordinatis circa altare Sanctorum corporibus, beatissimi Gangerici in cathedra Pontificali, juxta quem medium sanctorum Pontificum Autberti, Vindiciani, Hadulfi altrinsecus statutorum, interposito etiam baculo S. Vedasti cum reliquiis suis. *Hæc pluribus Baldericus. Colitur S. Hadulphus* XIX *Maii : de aliis sæpius actum.*

*Duaci.*

55 *Idem Raissius tradit in Hierogazophylacio, varias Duaci in ecclesia S. Amati repositas esse reliquias*

in

A *in particulari ferctro cum duobus instrumentis publicis, quorum alterum datum anno* CIↃCCCXXV, *alterum vero* CIↃCCCIX. *Inter illas seorsim referuntur* reliquiæ S. Vedâsti, *tum* SS. Vedasti et Benedicti Andegavensis Episcopi, *qui sedit sub Ludovico Pio, sed hactenus latet, die ejus natali incognita. Demum referuntur* de vestibus SS. Martini et Vedasti *istic esse partes. Dies harum Reliquiarum venerationi attributus est primus Aprilis, quo reconditæ fuerunt. Denique inter reliquias, quas aureis fere aut argenteis conclusas hierothecis religioso cultu servat monasterium Lætiense S. Lamberti in Hannonia ad Helpram fluvium, ipsi coram venerati sumus aliquas S. Vedasti particulas, quarum etiam meminit dictus Raissius. Reliquias ejus aliquas Brugis in ecclesia cathedrali asservari tradit Sanderus in Flandria.*

*Lætiis,*

*Brugis.*

36 *Quæ hactenus de cultu et veneratione S. Vedasti dicta, concludimus prolatis ex Officio Atrebatensi, Hymno, Antiphona et Oratione de S. Vedasto; ne quis ea quoque desideret. Evangelium ex Communi Evangelistarum legitur ex capite* x *S. Lucæ.* Designavit Dominus et alios septuaginta duos, *etc.*

*Hymnus de S. Vedasto,*

*Hymnus.*

Voce jucunda resonemus omnes,
B Laudibus sacris studium ferentes,
Atrebatensem modulando Patrem
Laude Vedastum.
Hic pius pastor gregis atque tutor,
Lux fuit cæcis, baculusque claudis,
Signa patravit, miserante Christo,
Plurima terris.
Obvio cæco comes ipse Regis
Lumen ablatum citius rependit,
Unde cernentes meruere cordis
Sumere lumen.
Summa virtutum viguit per ipsum,
Caritas cunctum superans charisma,
Vase nam sicco dederat amico
Gaudia vitis.
Lustra beluarum dedit Angelorum
Esse concentum, Dominique templum
Ac decachordo reboare psalmum
Nocte dieque.
Laus Deo Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utríusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Tempore secli.

*Vers.* Confessor sancte, et Sacerdos magne,
C *Resp.* Beate Vedaste, intercede pro nobis.

*Antiphona,*

*Antiphona.* Hic est beatus Vedastus, quem fama celebrior verbum Dei prædicaturum Chlodoveo Regi socium itineris adscivit.

*Oratio.*

*Oratio.*

Deus, qui nos devota B. Vedasti Confessoris tui atque Pontificis instantia, ad agnitionem tui sancti nominis vocare dignatus es; concede propitius, ut cujus solemnia colimus, etiam patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum, *etc.*

## VITA BREVIOR

*Ex MSS. Vedastinis, et Andrea Chesnaro.*

*Prologus Auctore.*

Omnium sanctorum Præsulum gloria, potissimum semper sollicita inquisitione, vel imitando exemplo, vel litterarum serie, memoriæ est commendanda; ut clara prorsus luce reddita, ad sui cultus imitationem, delinquentium animos studeant provocare; quatenus non solum sibi mercede lucri abunde, verum etiam aliorum profectu una congaudeant. Eritque æquus arbiter rerum Sator æternus: ut, qui illis solamina ad augendam religionis copiam tribuit, imitatoribus supplementum proficiendi præbere non abnuat. Nec fastidire quispiam audeat, in aliquibus rebus, quæ exiguæ hominibus videantur, supernæ D virtutis suffragia postulare: cum crebro in magnis ac minimis rectus Arbiter et pensando subveniat, et subveniendo, ut in majoribus convalescant, auxilium præstet. Venerandi ergo viri Vedasti, Pontificis Atrebatum urbis, memoriam posteris commendare ratum duximus, ut, unde originem duxerit, vel qualiter sanæ vitæ cursum peregerit, quemque finem habuerit, prosequi studuimus verbo.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

2 Igitur cum inclytus Francorum Rex Chlodoveus, omni industria solers, Francis regnavit, evenit, ut quodam tempore inter incendia bellorum, adversus Alamannos, gentem ferocem bellaturus pergeret. Quo cum venisset ab utroque acies, et nisi obvium hostem habuisset *a* Rheni, tam Franci, quam Alamanni ad mutuam cædem inhiarent. Commisso prælio, ita vehemens terror Chlodovei animum obrepserat, ut in ea pugna se vivendi finem horrenda anxietate trutinaret. Cumque ergo suos pene ad internecionem opprimi cerneret, tandem Divino fultus auxilio in animo, oculosque in cœlum elevatos attollit. Unicæ, inquit, potestatis ac majestatis Deus, quem Chlotildis collateranea mea confitetur, quemque humili prece die noctuque supplicare non cessat, tu mihi hodie de his hostibus concede victoriam, uti et E ego te deinceps corde credendo teneam et adorem. Cumque is hujusmodi precibus rerum Auctorem pulsaret, cessit tandem hostis, terga vertendo, victoriam Chlodoveo. Victos deinde Alamannos cum Rege in ditione cepit, ovansque ad patriam festinus rediens, ad Tullum oppidum venit.

*Rex Chlodoveus, NOT. 49.*

*NOT. 50*

*a*

*invocato Christo,*

*Alamannos vicit:*

3 Et cum jam desiderium restaret, ut celer ad baptismi gratiam confugeret, sciscitando comperit inibi B. Vedastum sub religionis cultu vitam degere, quem mox sibi itinere junxit. Dum pariter pergerent quadam die venerunt in pago Vongise ad locum, qui dicitur Grandepont juxta villam *b* Reguliacam super fluvium Axona.... Deinde ad Remorum urbem ad Pontificem Remigium, qui tunc inibi sacerdotalem Cathedram regebat, perduxit. Quo tantisper moratus, sacræ Trinitatis fidem Chlodoveus professus, baptismi gratiam recipit. Indeque progressus victor ad patriam rediens, jam dictum Vedastum B. Remigio commendavit.

*a S. Vedasto ductus Remos,*

*b*

*NOT. 51*

*baptizatur.*

4 Qui cum apud eum moraretur, et in præfata urbe Remorum vitam duceret, accidit, ut in quodam tempore aliquis ex illustribus viris ad cellulam ejus veniret. Erat enim mitis animo, alloquioque suavis. Noverat enim opem ferre miseris, mœstosque verbis fovere, ac ignavos ad sobrietatis normam restringere, omnemque religionis censuram, et exemplo monstrare, et verbis studebat edocere. Cum ergo, ut diximus, quidam de illustribus viris ad eum venisset, ille ex industria ministro jussit, ut concito gradu post salubria eflamina huic poculum vini afferret. Ille ait, nequaquam in vas, quo haurire solitus fuerat, quidquam vini remansisse. Quo audito gemens cœlum aspicit, ac mentem ad superna attollit, ut cito clemens pietas subveniret, illud recordans miraculum, quo in Cana Galilææ aquas in vini mutavit saporem, hujus necessitatis tribuat vicissitudinem. Post impletam orationem ministro urgens imperat, ut ad vas festinus properet, et quæ Dominus tribuerit, afferre festinet. Mox obediens minister celeriter venit, vasque, a quo vinum haurire solitus fuerat, superfluens reperit. Repletus gaudio imperatum munus apportat, ac de affluente munere lætus renuntiat. Quod ille statim audiens, ne favor patratæ virtutis mentem macularet, ministro jubet, ut nulli hoc in propatulo jactitando denuntiet. Sed quoad usque inter superos degerit silendo tegi jubet.

F

*S. Vedastus precibus vinum impetrat:*

5 Cumque jam celeberrima fama in præfata urbe Remorum esset, et B. Remigius eum venerationis



cultu

A cultu attollere niteretur; fuit tandem consilii, ut Atrebatum urbis eum Pontificem faceret, qui Francorum gentem ad baptismi gratiam paullatim docendo ac de industria monendo attrahere curaret. Suscepto itaque Pontificalis Cathedræ onere ad urbem Atrebatum venit, dumque muros intrare vellet, obviam habuit cæcum et claudum alimoniam postulantes. Cumque ille de Apostolico fonte hauriens, verba depromeret, ac diceret se nequaquam supplemento auri et argenti onerari; illi attentius petebant, ac de industria pecuniam ab ipso extorquere nitebantur. Ille importune opem petentibus ait: Pro auri argentique munere, si vestra fides meo committeretur affectui, Divini muneris uberius affluentia abundaretis. Illi, aiunt, sese ad omnia paratos. Inquit: Si fides vestra meis committatur dictis, pristinam sanitatem utrique vestrum Omnipotentis pietas largietur. Manuque mox oculis superposita, ac debilibus membris attrectatis, signo Crucis facto, sursum cœlos aspiciens, quæ poposcit, impetravit. Nam cæcus visum, claudus gressum recipiens, ovantes ad propria remearunt.

*AUCTORE ANONYMO EX MSS.* *fit Episcopus:* — *Act. 3* — *signo Crucis cæcum et claudum sanat:*

6 Contigit ergo ut Ecclesiam introiret, quam cernens incultam, ac negligentia civium Paganorum prætermissam, veprium densitate oppletam, ac stercoribus bestiarumque habitaculis pollutam, memoriter cordi subdidit, omnique tristitiæ colla submisit. Hæc prorsus hominis habitatio urbem frequentabat. Quæ olim ab Attila *c* Necaronorum Rege diruta, turpi fuerat squallore relicta. Ibique habitatione ursi reperta, eum cum animi dolore a vallo urbis ejecit, et ne Crientium fluviolum, qui ibi fluit, ultra progrederetur, imperavit; nullatenus illuc visus rediisse. Erat gratus penes aulam regiam, nec valebat Francorum viros a profanis erroribus ex integro retrahere: sed paullatim, quos per dulcia eflamina religioni subdebat, Ecclesiæ recipiebat sinu.

*Atrebati squalorem templi deplorat,* — B — *c* — *urso abitum imperat:*

7 Actumque deinceps est, ut mortuo Chlodoveo Chlotarius filius ejus in locum patris susceptus Francis imperaret: et cum egregie regni regimina regeret, evenit, ut aliquis vir Francus, nomine Hozinus, Regem Chlothariùm ad prandium vocaret, et inter aulicolas Regis venerabilem virum Vedastum Pontificem invitaret. At ille, non quod eis consentiendo gulæ faveret, sed quo coadunatam ad Regis prandium turbam suis salubribus doctrinis edoceret, ac per Regis auctoritatem plene ad sacrum usque Baptismum provocaret, venit. Cum ergo Beatus ille ad prandium vocatus venisset, domum introiens conspicit *d* gentili ritu vasa plena cervisiæ domi adstare. Quod ille sciscitans quid sibi vasa in medio posita vellent; responsum est, alia Christianis, alia Paganis apposita ac gentili ritu sacrificata. Cum ita sibi denuntiatum fuisset, omnia vasa signo Crucis sacravit, et omnipotentis Dei nomine invocato, cum fidei adminiculo cœlitus auxiliante dono benedixit. Cumque benedictionem Crucis signo super vasa, quæ gentili ritu fuerant sacrificata, præmisisset, mox soluta ligaminibus cunctum cervisiæ liquorem, quem capiebant, in pavimentum dejecerunt. Unde Rex miraculo perculsus, ab omni Procerum caterva sciscitaretur, quæ gestæ rei caussa fuerit, ut in propatulo sibi narraret venerandus vir Vedastus, summusque Pontifex ait: O Rex, tuorum decus Francorum, cernere potes, quanta sit diabolicæ fraudis astutia ad animas hominum decipiendas. Numquam putas hic dæmonum fuisse conjecturam, quæ per hunc liquorem corda hominum Dei per prævaricationem suffocata morti æternæ subdere studebant? Sed nunc virtute divina pulsata, et effugata dæmonis arte, scire cunctis necessarium est, qualiter ad salubria medicamenta veræ fidei Christianæ queant confugere, et superstitiones Gentilium omni nisu studeant prætermittere. Quæ caussa multis, qui aderant, profuit ad salutem. Nam multi ex hoc ad gratiam baptismi confugerunt, et sanctæ religioni colla submiserunt.

*In convivio Chlotharii Regis,* — C — *vasa gentili ritu fœdata,* — *d* — *signo Crucis frangit,* — *et multos convertit.* — D

8 Erexit ergo supradictam Ecclesiam multa per spatia temporum, annos circiter quadraginta, cursum vitæ consummans. Cum jam vellet eum Dominus de hujus vitæ ærumnis ad cœleste provocare regnum, febris corripuit, ac exitum suum denuntiavit. Nam cum in eadem urbe in quadam cellula jaceret, ignea columna cœlo delapsa super cellulæ tegumenta, per longa noctis spatia plusquam duarum horarum immobilis stetit. Quod cum vir venerabilis audisset, suum exitum denuntiavit, ac omnibus valedicens post monita salubria animam Creatori reddidit octavo Idus Februarii: felicemque de hac vita exitum agens, solum desiderium viventibus reliquit. Multi in hac hora psallentium voces audierunt in cœlo. Cum hoc funus omnes audissent, advenerunt Clerus et plebs non solum de illo oppido, sed etiam de vicinis urbibus Pontifices et Sacerdotes, ut servum Dei Vedastum Pontificem, sicut dignum erat, traderent sepulturæ. Beatum corpus in medio positum, ut mos est, omnibus accipientibus feretrum cum ipso sancto corpore, nullatenus de loco potuerunt movere. Interrogatum est a viro venerabili Scobilione Archipresbytero loci illius, quem ipse Pontifex enutrierat, quidnam esset. At ille se nescire dixit. Utique unum scio, quia cum esset in corpore, sæpius audivi eum dicentem, quia infra muros civitatis nullus defunctus requiescere deberet. Nam ipse Pontifex in oratorio, quod super littus Crientii fluvioli ædificaverat, requiescere disponebat. Sed tamen neque locus sic delectus nec monumentum paratum esse videbatur. Dum hæc ad invicem loquebantur, et quid de ipso agerent dubitabant, venerabilis vir Scobilio, mœrore cordis repletus, commovetur in lacrymis, et super corpus B. Vedasti provolutus in vocem erumpit, dicens: Heu me, heu me, beatissime Pater, quid vis ut faciam? quia jam dies declinat ad vesperum, et omnes qui convenerunt, remeare ad propria festinant. Jube te ergo portare, dulcissime Pater, ad locum quem olim tibi præparavimus. Cum hæc dixisset, accepto feretro, in quo gleba sancti corporis jacebat, levaverunt in humeris suis, nullum onus sentientes, et cum magno silentio deferentes canebant: Ambulabunt Sancti in viam quam elegisti; festina ad locum qui præparatus est tibi. Tradiderunt eum sepulturæ, sicut decuit servum Dei, in ecclesia a dextro cornu altaris, ubi ipse pontificalis cathedræ fungebatur officio. Nam actum est aliquanto tempore post, ut cum eadem domus, in qua vir sanctus vitam finierat, ignis incendio cremaretur, et pars domus consumeretur, una ancillarum fidelissima, nomine Habita, B. Vedastum cerneret, et ignem a cellula in qua defunctus fuerat expelleret: quæ sola cum lecto incombusta remansit. Quam propterea rerum Sator urere non permisit, ut virtutis suæ munere memoriale viventibus relinqueret.

*annis circiter 40 in Episcopatu peractis,* — *obit 6 Febru.* — E — *sepeliendus nequit moveri:* — *precibus fusis movetur:* — F — *sepelitur in æde Cathedrali*

9 *e* Nunc sicut superius memoravimus, unde originem duxerit, ratum ducamus. Aquitania montem habet, qui æqualibus pene spatiis Petragoricam et Lemovicam civitates dirimit. Mons ille magnus, et sui quantitate multum terræ occupans, longe lateque altitudine fere nubes penetrans si graves sunt. Super cacumen ejus antiquis et præteritis ætatibus incertum an civitas an castrum situm fuit, cujus enormitatem et munitissimam magnificentiam ruinarum indicia et moles dirutæ satis demonstrant, quanta fuerit res ipsa: nomen montis ex tunc et nunc Leucus est, ex nomine montis castrum illud etiam nomen sortitum est: sed et populus regionis illius

*e* — *origine creditur Aquitanus.*

A illius Leuci sunt dicti maxima pars Aquitaniæ usque in Oceanum. Testes sunt perpetua fama et plures scripturæ jam hodie, quod illa omnia ita nuncupantur. De Leucis ergo B. Vedastus oriundus fuit, nobilibus procul dubio natalibus, prosapia sicut ingenua, ita insigni et famosa, prædiorum affluentia, et abundantia divitiarum locupletissimis, ut nihil de seculari defuerit gloria. Puer studio litterarum felici auspicio mancipatus est: nam omnia quæ ad institutum studium attinebant, Divino suggerente suffragio, plenissime hausit. Verum in his omnibus nullo abusus est, sed gradatim ad summa aspirans, vere secundum Deum, et quæ illius sunt, demum philosophatus est, ut solum Deum et voluntatem ejus, et præcepta amplecteretur, certus de reposito fructu. Demum Beatissimus plusquam adolescens parentes fugit, divitias contempsit paternas, et gloriam et amplissimas prædiorum possessiones ita sprevit, ac si brevissimæ essent, ita patriam evasit. Applicuit tandem ita solitarius, ita vacuus ad fines qui Alemannos prospiciunt. Ibi de loco ad locum pauper exulavit pro amore Dei et vitæ æternæ. *f* Et quia tanto tempore in partibus illis conversatus fuit, incolæ illius patriæ existimaverunt illum, et adhuc existimant, in B Tullo, tunc oppido, nunc civitate, fuisse natum.

*in studiis sancte educatus,*

*versus Alamanniam profectus*

f

a *Videntur deesse duæ voces,* ad ripam *vel* circa ripas, *ut in sequenti Vita leguntur: ad quem plura.* b *Deest nomen alibi. In altera Vita dicitur* Rege pontem transeunte obviasse cæcus, *ibidem* a S. Vedasto illuminatus; *quæ hic a descriptore videntur omissa. Ut etiam in Chesnei Fragmento.* — c *Imo* Hunnorum, *ut in sequenti Vita dicitur.* — d *Hæc* maleficiis *attribuuntur in sequenti Vita.* — e *Hæc post prologum juxta partitionem ibidem factam videntur fuisse, sed quod minus certa sint, huc rejecta. Alibi pro alio prologo seorsim leguntur.* — f *Sequentia deerant in altero MS. Vedastino.*

# ALIA ACTA
## ab Alcuino emendata,
### *ex Chesneo, Surio, variis MSS.*

AUCTORE ANONYMO EX MSS

### a PROLOGUS ALCUINI.

a

b Dulcissimo dilectionis filio *b* Radoni Abbati, humilis Levita Albinus salutem.

c Dilectionis vestræ venerabile præceptum secutus, Vitam S. Vedasti Patris vestri et Intercessoris nostri, *c* emendare studui: non quod aliquid illius excellentissimis meritis dignum valuissem, sed quod nihil tuæ Reverentiæ jussis denegare ratum putavi. Idcirco ad te maxime pertinet harum laus C vel vituperatio litterarum. Utinam tibi et Fratribus, qualescumque sint, placeant. Deprecor autem, ut meum laborem orationum vestrarum solatio remunerare dignemini; et unus merear esse vestrum in caritatis communione: illius semper memores mandati, qui dixit: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem. In hoc enim mandato omnium salus consistit. Hoc cunctis pernecessarium esse constat, et maxime iis, qui gregem Christi regendum accipiunt. Quapropter tu, Carissime, gregem, quem accepisti regendum, fraterno amore diligenter erudire studeto, et sanctis admonitionibus eum per pascua vitæ deducere satage. Habes in omni opere bono Christum adjutorem, Sanctum quoque Vedastum intercessorem. Sicut magno labore domum Dei optime habes ornatam, et largissimis donis decoratam; ita tibi subjectos bonis moribus ornare contende, et eos in divina laude devotissime fac consistere, et quod Angeli semper agunt in cœlis, hoc fratres jugiter faciant in ecclesiis. Tuum est præcipere, illorum obedire. Tuum est præire, illorum subsequi. Omnium itaque in servitio Dei una debet esse voluntas, ut una fiat in regno Dei remuneratio.

Joan. 15, 12
*Abbas in caritate regendi subditi.*

2 Nullus horis canonicis se divinis subtrahat laudibus, ne propter aliquam negligentiam cujuslibet locus in conspectu Dei vacuus inveniatur: et verba D Dei in ecclesiis intimo cordis affectu proferantur, et cum magna reverentia Dei omnipotentis officia celebrentur. Omne vero ministerium Christi humiliter et devote impleatur. Omnis itaque obedientia in seculi necessitatibus fideliter et strenue peragatur. Fiat equidem inter omnes concordissima pax et sanctissima caritas, et devotio vitæ regularis. Seniores bonis exemplis et sedula admonitione erudiant juniores, illosque diligant ut filios, et illi, quasi patres, eos honorificent, illorum cum omni alacritate obediant præceptis. Tua vero, venerande Fili, conversatio omnibus sit exemplum salutis. Cave, ut nec minimus quis in tua scandalizetur vita, sed ædificetur et roboretur in via veritatis: quia tibi ex illorum salute merces judicabitur æterna. Cani capilli, extremum denuntiant properare diem. Quapropter paratus esto omni hora in occursum Domini Dei tui. Dilectio fraterna, et eleemosynæ miserorum, et vitæ castitas præparent tibi gradus in cœlum. Diligenter elabora tibi æternos dies felices. Honor secularis, quem habes, spiritualem tibi abundet in gloriam.

*cura habenda officii divini,*

*caritatis fraternæ,*

3 Festivis diebus veniente ad ecclesiam populo, fac eis prædicari verbum Dei: et quocumque vadis, Clerici, qui servitium Dei pleniter peragant, tecum E eant; sobrietate ornati, non ebrietati assueti: quorum honestas vitæ, aliis sit doctrina salutis. Curamque ubique habeas maxime pauperum, viduarum, et orphanorum, ut audias in die tremendo a Domino Christo cum aliis eleemosynam facientibus: Quamdiu uni ex his minimis fecistis mihi fecistis. Esto miseris ut pater, et caussam ad te clamantium diligenter discute, et parce in te peccantibus, ut Deus tuis parcat peccatis. Esto justus in judiciis, et misericors in debitis, magister virtutum, moribus honestus, verbis jucundus, vita laudabilis, in omni opere Dei devotus. Fratres quoque cohortare, ut sanctas diligentissime legant Scripturas. Non confidant in linguæ notitia, sed in veritatis intelligentia, ut possint contradicentibus veritati resistere. Sunt tempora periculosa, ut Apostoli prædixerunt, quia multi pseudodoctores surgent, novas introducentes sectas, qui Catholicæ fidei puritatem impiis assertionibus maculare nituntur. Ideo necesse est, Ecclesiam plurimos habere defensores, qui non solum vitæ sanctitate, sed etiam doctrina veritatis, castra Dei viriliter defendere valeant.

*ædificationis,*

*et eleemosynarum:*
Matth. 25, 40

*et studio Scripturarum,*
2 Tim. 3, 1
2 Petr. 3, 3

4 Has vero piæ admonitionis litterulas non quasi nescienti direxi, sed ut veræ caritatis in meo pectore F fidem ostenderem. Quid facit amicus, si seipsum verbis non ostendit? Si divites pauperum munuscula non spernunt, cur et vestræ sapientiæ flumina, nostræ rivulos intelligentiæ respuere debent? Nam et majores amnes rivulis augentur influentibus, et ipse Dominus viduæ laudavit duo minuta, quæ ex inopia suæ paupertatis larga manu Deo, quod habuit, obtulit. Et ego, quamvis scientia inops, tamen fraterno fidelis amore, vestræ hæc munuscula direxi pietati obsecrans, ut tam humili fraternitatis ea intuitu respicere digneris, quam nos pia devotionis caritate illa vobis dirigere studuimus. Omnipotens Deus te tuosque carissimos Fratres in omni bono proficere faciat, et ad beatitudinem æternæ gloriæ pervenire concedat.

*munuscula amice suscipienda.*
Luc. 21, 2

a *Prologus deest in MSS. S. Maximini et Marchianensi, et altera Antverpiensi, in altero Actis postponitur.* — b *Surius* Rodani *de eo jam egimus.* — c *Scilicet, ut monuimus, ante Alcuini tempora scriptam.* — d *Surius brevius:* Omnes utique obedientiam in seculi necessitatibus fideliter et strenue peragunt.

## CAPUT I.

### *Doctrina Christiana Regi Chlodoveo explicata a Vedasto.*

Postquam Deus et Dominus noster Jesus Christus ovem

Luc. 15, 4

AUCTORE ALIQUO, EX MSS.

ovem quærere perditam de cœlis in hunc mundum per virginalem venerat uterum, et tota suæ dispensationis et nostræ salutis peracta plenitudine, cum triumpho gloriæ ad sedem paternæ majestatis reversus est, ut *a* tetricas ignorantiæ tenebras toto depelleret orbe, multa sanctorum lumina Doctorum, Evangelicæ prædicationis luce fulgentia, toto diviserat mundo; ut, sicut cœlum fulgentibus ornatur stellis, quæ tamen omnes ab uno illustrantur sole; sic et lata terrarum spatia sanctis splendescerent Doctoribus, qui tamen ab æterno sole illuminati, Divina præeunte gratia, cæcas ignorantiæ tenebras veræ fidei fulgore et glorioso Christi nomine illustrarent, ut eis ministrantibus, longa ab initio mundi esuries, æternæ vitæ epulis satiaretur. De quorum numero sanctus Dei Sacerdos Vedastus et Prædicator egregius, temporibus fortissimi Regis tunc temporis Francorum *b* Clodovei, in has, Divina dirigente gratia, ob multorum salutem pervenit regiones: quatenus supernæ pietatis suffultus auxilio, populum diabolica fraude deceptum, et errorum laqueis captivum, in viam dirigeret salutis æternæ, et veræ, quæ in Christo est, libertati restitueret. Sed ut hoc acceptabili, secundum Apostolum, fieret tempore, qui ait: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; Dominus Jesus, qui vult omnes homines salvos fieri, competentem suo famulo prævidebat caussam, quomodo opportune ad ministerium verbi Dei pervenire valuisset.

*Inter Doctores Ecclesiæ claret S. Vedastus:*

2 Cor. 6. 2
1 Tim. 2. 4

6 Contigit vero præfatum Francorum Regem Clodoveum *c* Alemannis bellum inferre, qui tunc *d* temporis regno suo per se potiti sunt: sed non eos ita offendit imparatos, ut voluit. Nam fortissima collecta manu, Regi circa ripas *e* Rheni fluminis obviaverunt, unanimes bellica virtute patriam defendere, vel libera manu pro patria mori: et fortissime utrimque decertatum est: hi, ne triumphi gloriam, illi, ne patriæ perderent libertatem, in mutuam corruentes cædem. Igitur Rex nimio turbatus terrore, dum inimicos vidit fortiter pugnare, et suos pene *f* ad internecionem vinci, magis cœpit de salute desperare, quam de victoria sperare. Etsi autem needum *g* voluntate renatus esset in Christo, tamen necessitate cogente, ad Christi confugit auxilium. Et quia Reginam habuit religiosam, baptismique Sacramentis initiatam, nomine *h* Clotilden *i* oculos cum hac voce ad cælum levavit: O Deus unicæ potestatis et summæ majestatis, Quem Regina Clotildis colit, confitetur et adorat; concede mihi hodie de inimicis meis victoriam. Nam ex hac die tu solus mihi eris Deus, et veneranda potestas. Tu mihi triumphum præsta, et ego tibi servitium promitto sempiternum. Mox Divina operante pietate, terga verterunt *k* Alemanni, victoria cessit Regi et Francis. O mira omnipotentis Dei clementia! o ineffabilis bonitas! qui sic exaudit, et nunquam derelinquit sperantes in se. Quanta fide Christiani nomen illius et misericordiam invocare debent, dum paganus Rex ad unius precis effectum tantam promeruit victoriam. Cui ex antiquis hujus divinæ pietatis adæquare auxilium debemus, qui ob unius momenti lacrymas tam celebrem venturo suo servo contulit triumphum, nisi Ezechiæ Regi, qui in angustia tribulationis una tantummodo petitione promeruit, non solum a præsenti vastatione civitatem superna protectione defendi, sed etiam in eadem nocte, qua preces in divinas effuderat aures, centum octoginta quinque millia hostium lætus et liberatus occidi viderat?

*Chlodoveum, pœnitum in Christi nomine victorem,*

4 Reg. 19

7 Hæc vero victoria, de qua ante diximus, Regi populoque suo caussa fuit salutis æternæ: et ne lucerna, Sanctus videlicet Vedastus sub modio lateret absconditus, sed supra candelabrum positus, exemplis vel prædicationibus, in domo Dei lucens, ab errore idololatriæ et caligine ignorantiæ in viam plurimos educeret veritatis. Igitur superatis hostibus et rebus in pace compositis, et Alemanis suæ subjectis ditioni, Rex ovans cum laude triumphi ad patriam rediit. Et ut fidelis tantæ sibi gloriæ Largitori sponsor appareret, *l* festinavit servorum Christi sacra imbui prædicatione, et sancti baptismatis ablui sacramentis. Venit autem ad *m* Tullum oppidum, ubi sanctum agnovit Vedastum laudabili religione soli servire Deo, et dulcissimos contemplativæ vitæ carpere fructus. Hunc vero ad S. Remigium, Christi clarissimum Sacerdotem, ad Remorum properans civitatem, sibi socium assumpsit: quatenus per singulos itineris sui gressus saluberrimis ab eo imbueretur doctrinis, et Catholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis: ut paratus fide et virtutum scientia, a tanto Pontifice spirituali ablueretur lavacro, et ab illo donis cœlestibus confirmaretur quod ab isto Divina prius præveniente *n* gratia evangelicis cœptum fuerat prædicationibus. Hic ad fontem vitæ festinantem deducebat Regem: ille in fontem salutis æternæ venientem abluebat. Ambo propemodum pari pietate Patris: hic doctrina fidei, ille baptismatis unda: utrique æterno Regi Regem temporalem munus obtulerunt acceptabile. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia, a quibus Rex præfatus in via Dei eruditus et a diaboli catenis erutus, miserante Deo, portam perpetuæ lucis ingressus, cum fortissima gente Francorum credidit Christo, et facta est gens sancta, populus acquisitionis, ut annuntientur in eo virtutes illius, qui eos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.

*instruit,*

*ad S. Remigium deducit baptizandum.*

a *MSS. Marchian. et alterum Antverp.* terras. — b *Imperavit Chlodoveus a fine anni* 479 *ad* 509, *quo obiit* 27 *Novemb.* — c *Alamanni, sive Alemanni,* ξυνήλυδές εἰσιν ἄνθρωποι καὶ μιγάδες, καὶ τοῦτο δύναται αὐτοῖς ἡ ἐπωνυμία, Convenæ sunt et miscellanei homines; quod et appellatio eorum lingua indicat. *Ita lib.* 1 *de rebus Justiniani Imperatoris Agathias, secutus Asinium Quadratum hominem Italum, accuratum rerum Germanicarum, vel ipso Agathia teste, scriptorem. Et certe ipsum nomen* Alleman *Germanis Belgisque* omnem virum *significat. Habitarunt olim hi Alamanni inter fluvios Mœnum, Rhenum et Danubium, quem prætergressi pristinum locum Suevis et Francis Orientalibus reliquerunt. Hincmarus in Vita S. Remigii ait pugnatum Francos inter et Alamannos Suevosque. De singulis actum 1 Februarii ad Vitam S. Sigeberti.* — d *Alamannos post Romanorum, quibus subjecti ante fuerant, excussum imperium, pro libertate sua vindicanda acerrimos factos illorum fuisse hostes docet Ammianus Marcellinus, potissimum lib.* 28 *in Valentiniano et Valente cap.* 6. *De hoc Chlodovei cum iis bello agit Gregorius Turonensis lib.* 2 *cap.* 30. *Aimoinus lib.* 1 *cap.* 15. *Hincmarus aliique antiqui Scriptores gestum id est anno regni ejus* 15, *Christi* 496. — e *Ita etiam in Vita priore obvius hostis dicitur factus ad* Rhenum. *Circa partes Argentorato vicinas pugnam contigisse arbitramur, primo quod ab altera Rheni parte sedes Alamannorum fuerit. Secundo ac potissimum, quod, cum* Remos Suessionesque *festinans repeteret, transierit* Tullum *urbem, ac* pagum Vongisum *ad* fluvium Axonam, *quæ loca inter Argentoratum et Remos interjacent. Recentiores scriptores prælium hoc assignant* Tulpiaco, *vulgo* Zulich, *oppido Ducatus Juliacensis, sed itinere diei a Rheno distat, et erat tum sub regno Sigeberti Regis Coloniensis, qui istic secundum Gregorium Turonensem lib.* 2 *cap.* 37 pugnans contra Alamannos percussus in geniculum claudicavit, *quod in alia hostium irruptione factum fuerit: nec etiam ad sedem regiam rediturus Chlodoveus Tullum venisset.* — f *Turonensis,* exercitus Chlodovei valde ad internecionem ruere cœpit. — g *Idem.* Compulsus est confiteri necessitate, quod prius voluntate negaverat. — h *Colitur* 3 *Junii* S. Clotildis, *aliis* Chlotildis, Crotildis, Hlotild, Rothilt, Rothildis. — i *Greg. Turon.* Elevatis ad cœlum oculis compunctus corde, commotus in lacrymis, ait: Jesu Christe, quem Crotildis prædicat esse filium Dei etc. *Hincmarus addit Regem hæc monitum ab Aureliano Consiliario id fecisse. Quæ etiam leguntur in Gestis Regum Francorum.* — k *Hincmarus addit,* Alamannos videntes Regem suum interfectum, potestati Chlodovei se subdidisse, *qui eos* et terram eorum sub jugo tributario constituit. *Ast in Vita priore* Chlodoveus victor Alamannos cum Rege in ditione cepit, *quod verosimilius credimus.* — l *Ita secundum Vitam priorem,* festinus rediit, ut celer ad baptismi gratiam confugeret. *Ergo non procul circumiverit, quod factum esset, si Tulpiaco per urbem Tullensem rediisset.* — m *Tullum ad Mosellam urbs Episcopalis. Aimoinus lib.* 1, *cap.* 16. Victor Chlodoveus regrediens, Tullo civitatem devenit, repertumque ibi B. Vedastum, postea Adartensium Episcopum, comitem sui adscivit itineris. — n *MS. March.* clementia.

*Alamanni unde dicti?*

*eorum sedes*

*Romanorum imperium excutiunt*

*victi a Chlodoveo circa Argentoratum, non Tulpiacum:*

*an eorum Rex occisus?*

Tullum *urbs.*

## CAPUT II.

### *Miracula et virtutes S. Vedasti. Baptismus Chlodovei Regis.*

Sacra igitur Evangelicæ auctoritatis narrat historia, Dominum Jesum Hiericho pergentem ad confirmanda

Luc. 18. 31

A manda in fidem suæ majestatis corda populi præsentis, cuidam cæco ad se clamanti lumen reddidisse oculorum, ut per corporale unius illius cæci lumen, spiritualiter multorum illuminarentur pectora. Ita et *S. Vedastus cæcum obvium,* S. Vedastus, Deo Christo donante, per cujusdam illuminationem cæci, fidem, quam verbo prædicavit, in corde Regis miraculo confirmavit : ut Rex ipse intelligeret, tam sibi esse necessarium cordis lumen, quam cæco oculorum illustrationem : et quod Divina operata est gratia, per preces famuli sui, in oculis cæca nocte castigatis ; hoc per sermones ejusdem famuli, eadem operante potentia, per spiritualis intelligen- *Rege præsente,* tiam lucis in suo pectore perficeretur. Nam dum regia excellentia condigno comitatu cum multitudine maxima iret populi, iter agentibus illis, venerunt in quemdam pagum, qui incolarum terræ illius consuetu- a b dine *a* Vungise pagus dicitur prope *b* Reguliacam villam, quæ sita est super florigeras Axonæ fluminis c ripas. Et ecce ejusdem fluminis *c* pontem Rege transeunte cum multitudine populi, obviavit illi cæcus quidam, hujus diutissime solaris expers luminis : forte nec sua cæcatus culpa, sed ut manifestarentur opera Dei in illo, et per illius illuminationem præsentem, plurimorum illuminarentur corda spiritualiter. B Qui cum intellexisset a prætereuntibus S. Vedastum Christi servum in eodem iter agere comitatu, clamavit : Sancte et electe Dei Vedaste, miserere mei, et supernam pio pectore diligentius deposce potentiam, ut meæ subveniat miseriæ. Non aurum posco, nec argentum, sed ut mihi lumen per sanctitatis tuæ preces restituat oculorum. Sensit itaque vir Dei virtutem sibi adesse supernam : non ob illius cæci tantummodo, d sed plus propter præsentis *d* populi salutem, totum- *signo Crucis illuminat ?* que se in sacras effundit preces, in Divina fidens pietate, et dexteram cum signo Crucis posuit super oculos cæci, dicens : Domine Jesu, qui es lumen verum, qui aperuisti oculos cæci nati ad te clamantis, aperi oculos et istius, ut intelligat populus iste præsens, quia tu es Deus solus, faciens mirabilia in cœlo et in terra. Mox ille cæcus lumine recepto, gaudens perrexit viam suam. In quo loco tempore sequenti a religiosis viris ædificata est ecclesia, in testimonium miraculi istius, in qua orantibus et e credentibus usque *e* hodie beneficia præstantur divina.

9 Igitur Rex a viro Dei Evangelicis apprime imbutus doctrinis, et hoc præsenti miraculo in fide firmiter confortatus, nil moratus in via, nil dubitans in fide, sed magna alacritate animi, magna festina- C tione itineris, sanctissimum Pontificem Remigium videre properavit, ut illius sacratissimo ministerio, Spiritu sancto operante, in remissionem peccatorum, *a Chlodoveo* et spem vitæ æternæ, Catholici baptismatis vivo ablueretur fonte. Cum quo aliquantis moratus est diebus, ut Ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, et pœnitentiæ, secundum Apostolicum præceptum, prius ablueretur lacrymis, dicente B. Petro Principe Apostolorum : Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi ; et sic in nomine sanctæ Trinitatis, cœlestis 1 Cor. 14. 40 mysterii baptisma susciperet. Sciens vero beatus f Pontifex Apostolum dicere Paulum, Omnia vestra *f* g honesto cum ordine fiant : constituit *g* diem, quo Rex Ecclesiam intraret ad suscipienda divinæ pietatis h Sacramenta. Quale fuit tunc *h* Sanctis Dei gaudium, *post baptismum* qualis in Ecclesia Christi lætitia, cum viderent Jon. 3 Regem Ninive ad prædicationem Jonæ de solio majestatis suæ descendisse, et in cinere sedisse pœnitentiæ, et sub pia Dei Sacerdotis dextera, suæ Excellentiæ caput humiliare ! Baptizatus est itaque Rex cum optimatibus suis et populo, qui Divina præveniente gratia, salutaris lavacri gaudebat suscipere Sacramentum.

10 Utriusque et victoriæ ex hostibus, et suæ salutis voti compos, ad sceptra regni gubernanda D reversus est, Sanctumque Vedastum beato Pontifici *AUCTORE ALCUINO. EX MSS.* commendavit Remigio. Qui ibi moratus, vitæ meritis *commendatur S. Remigio :* et virtutum claruit exemplis, omnibus amabilis et venerabilis factus est. Fuit enim morum dignitate religiosus, caritate præcipuus, fraterna dilectione jucundus, humili pietate eximius, orationum vigilantia assiduus, sermone modestus, corpore castus, jejunio sobrius, miserorum consolator. Non de crastino cogitans, sed semper de Dei confidens clementia, omnes ad se venientes, æternæ vitæ pascebat alimento. Nullum in sua despiciebat angustia, sed piæ consolationis verbo reficiebat mœstos. Nemini vel verbo nocuit, sed fraterno amore cunctis prodesse satagebat. Unde et a quam plurimis illustribus fre- *omni virtute excellit :* quentabatur viris, ut illius sacratissimo alloquio vel in tristitia cujuslibet sollicitudinis susciperent consolationem, vel in religione Ecclesiasticæ exercitationis puram ab eo audirent veritatem. Unde et illius pia devotione *i* multi a diaboli laqueis liberati sunt, et i vias vitæ perpetuæ, superna adjuvante pietate, ingressi sunt. Scilicet multi, ut supra diximus, ob celeberrimam sanctitatis famam ejus nobilium vel plebeiorum virum Dei visitare solebant, ut consolarentur per gratiam, quæ abundabat in labiis illius, et quia ex E abundantia cordis os loquitur, et quia fraterno amore omnes diligebat, omnibus se affabilem præstabat. Aliorum salutem suum reputans lucrum, nec *omnes instruit* Dominicæ talentum pecuniæ pigritiæ obruit humo, sed quotidiano caritatis sudore multiplicare studebat, ne vacuus reveniente Domino suo, in conspectu illius k *k* appareret.

11 Igitur quidam vir nobilis et religiosus inter alios famulum venit visitare Christi, ut per eum cœlestis doctrinæ reficeretur melle. Et dum sermo dulcissimæ allocutionis in longum traheretur, et sol medium cœli transiens centrum, crescentes duplicaret umbras, nolebat vir Dei hospitem suum absque caritatis dimittere viatico : sed mandavit puero, ut si quid illi remansisset vini, caro pocula portaret amico, quatenus in utroque et anima refectus, et corpore confortatus, domum rediret. Sed propter hospitum frequentiam, et viri Dei largam erga omnes munificentiam, non arida patris caritate, aridum invenit vasculum, in quo vinum servari solebat. Mox tristis, tacito murmure, hoc ipsum puer paternis intimavit auribus. Qui verecundiæ rubore perfusus, caritatis tamen dulcedine abundans corde, in divina confisus suffragia, tacitus paulisper Deo preces effudit : nil de divino du- F bitans auxilio, nil de suæ petitionis hæsitans effectu, totus in ejus credens clementia, qui de arida petra sitienti populo fontem aquæ vivæ produxit, vel in l Cana Galileæ aquam *l* in mirabilis vini convertit saporem ; dixit puero : Vade in Dei confidens bonitate, et quodcumque inveneris in vasculo, non cunctetis nobis afferre. Qui celer paterno obediens præ- *Precibus vinum obtinet* cepto, cucurrit, et vas vino optimo superaffluens invenit : gratias Deo agens, alacri animo venienti et suis sociis propinavit amico. Qui duplici roboratus caritate, remeavit in propria. Sed famulus Christi, ne vanis jactantiæ verbis vel rumigero populi celebraretur favore, sub magna attestatione præcepit puero, omnibus vitæ suæ diebus hoc tacere miraculum, plus Deo soli cognitus esse cupiens, quam hominibus, certo sciens, omnium esse virtutum veram in humilitate custodiam, et hanc esse, quæ caritatis gradibus altissima cœli regna conscendit, ipsa dicente Veritate : Omnis qui se humiliat, exaltabitur. Matth. 23. 12

a Vungise, *sive* Vongiso; *aliis* Vungisus pagus; *in Itinerario Antonini* Vongus vicus. *In Capitulis Caroli Calvi ad annum* 853 *dum pagi per Missaticos ordinati describuntur* Vonziso; *in præcepto Ludovici pro Ecclesia Remensi* castrum Vonzense; *et apud Flodoardum* municipium Vongum; *vulgo* Vouzy, *quod pago seu ditioni subjectæ nomen dedit.* — b *In Vita priore* villam Rillugiaco. — c *Ibidem,* locus qui dicitur Grandeponte. — d *In MS. March.* seculi. *Vungisus pagus.*

AUCTORE ALCUINO, EX MSS.

*Clodoveus baptizatus nocte natalis Christi.*

A seculi. — e *Baldricus testatur adhuc suo tempore extitisse eam* ecclesiam in testimonium virtutis hujus constructam; *ut est seculo Christo undecimo. Consule postea caput 6 libri 1.* — f *MS. March.* honeste et ordinate. *In Vulgata editione legitur:* Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant. — g Diem, *inquit S. Avitus in epistola ad Chlodoveum Regem,* quo natum redemptionis suæ cœli Dominum mundus accepit, et quo Christus ortus est mundo. Unde, *addit,* nos jam securos vestri sacra nos reperit, *quæ renascitur pleno.* — h *Sonum quemdam exprimit S. Avitus:* Nobiscum tractabamus sacra illa nocte quale esset illud, cum adunatorum numerus Pontificum, manu sancti ambitione servitii, membra regia undis vitalibus confoveret; cum se Dei servis inflecteret timendum gentibus caput; cum sub casside crines nutritos salutari galea sacræ unctionis induerit; cum intermisso tegmine loricarum immaculati artus simili candore fulgerent, *etc.* — i *MS. March.* admonitione. — k *Idem* inveniretur. — l *Idem* vertit in vinum.

## CAPUT III.

### *S. Vedasti episcopatus Atrebatensis.*

Cumque viri Dei celeberrima vulgaretur fama, et caritatis in eo munificentia, et religio vitæ, et verbi *a* Dei instantia *a* longe lateque ab omnibus celebraretur, visum est beatissimo Pontifici Remigio tam præclaram Christi lucernam melius esse supra candelabrum ponere, ut splendidissimo suæ sanctitatis fulgore latius ad salutem luceret multorum, quam sub *b* unius loci *b* latebris propemodum abscondita lateret. Divina igitur dispensatione et salubri Sacerdotum consilio, ordinavit eum Episcopum, et ad prædicandum *Ordinatus Episcopus Atrebatum* verbum vitæ Atrebatensi eum direxit urbi, quatenus B populus diu in antiquis malæ consuetudinis erroribus jacens, Deo auxiliante, per assiduam sacræ prædicationis instantiam, per illum in viam veritatis, et agnitionem Filii Dei deduceretur. Qui pontificatus gradu et prædicationis officio suscepto, concitus ad jam præfatam perrexit urbem: sed in auspicium futuræ prosperitatis et salutis, Deus cujusdam miraculi testificatione ejus patefecit civibus introitum.

13 Igitur in ipsa civitatis porta duos habuit sibi obviam egenos et infirmos, cæcum scilicet et claudum, miserabili a viro Dei voce *c* stipendia postulantes. Mox sacerdos Christi, illorum condolens miseriæ, secum tractabat, quid illis solatii præstare posset. Et cum Apostolicus prædicator pecuniam in sacculis se non habere sciret, in Divina confidens Actor. 3. 6 clementia, et sanctorum Apostolorum Petri et Joannis confortatus exemplo, ait: Aurum et argentum non est mecum: quod autem habeo, id est, caritatis *d* officia, et *d* pietatem orationis ad Deum, hoc vobis præstare non differo. Et post hæc verba vir Dei ex intimo cordis affectu pro illorum miseria fudit lacry- C mas, et cum fidei puritate opem illis poscebat Divinam, vel pro illorum corporali, vel pro populi præsentis salute spirituali. Nec tam piæ et necessariæ *precibus cæcum et claudum sanat.* preces inefficaces esse potuerunt, sed ab illo, qui per Isa. 49. 8 Esaiam inquit Prophetam: Tempore opportuno exaudivi te, et in die salutis adjuvi te: mox ambo in conspectu multitudinis optatam receperunt sanitatem, hic luminis claritate ditatus, ille pedum velocitate lætatus. Ambo supernæ gratias agentes pietati, majora quam speraverant munera reportantes, domum reversi sunt. Sed et hoc miraculum sanitatis in illis, *multos convertit.* plurimis caussa fuit salutis æternæ. Videntes enim cœlestem virtutem verba consequi Sacerdotis Dei, relictis idololatriæ sordibus, in Christum credentes, vivo sacri baptismatis fonte purgati sunt.

14 Præfati vero miraculi testificatione, vir Dei favore populi suffultus, singula civitatis loca peragrans, quæsivit inter ruinas ædificiorum, si quod ecclesiæ signum inveniri valuisset. Nam in antiquis ferme temporibus, sacræ in illis locis fidei floruisse religionem agnovit; sed propter peccata habitatorum terræ illius, occulto Dei judicio, sed justissimo, tra- *e* dita est cum ceteris Galliæ vel Germaniæ civitatibus *templi antiqui ab Attila vastati,* pagano et perfido Hunnorum Regi *e* Attilæ, urbs quoque illa deprædanda. Qui propter nimiam animi sui sævitiam, nec Sacerdotibus Dei honorem, nec Ecclesiis Christi reverentiam impendere sciebat: sed D omnia, quasi tempestas immanissima, ferro vastavit et igne. Tunc in similitudinem Hierosolymitanæ 4 Reg. 25 vastationis, quæ ab impio Babyloniæ Rege facta est, venerunt gentes in hæreditatem Dei, et pollutis manibus profanaverunt sacraria Christi, effundentes sanguinem servorum Dei circa altaria altissimi Regis. Non hæc paganorum fecit fortitudo, sed populi Christiani promeruerunt peccata. Invenit vero famulus Christi antiquæ ruinas ecclesiæ inter muro- *reperit vestigia:* rumque fragmenta, veprium crescere densitates: ubi quondam psallentium chori, ibi lustra et latibula ferarum visa sunt, stercoribus et immunditiis omnia plena, ita ut vix vestigium aliquod remansisset murorum. Hæc cernens, intimo cordis dolore ingemuit, dicens: O Domine, hæc omnia venerunt super nos, Psal. 105. 6 quia peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Sed tu Domine memor esto misericordiæ tuæ, et nostris parce peccatis, et ne obliviscaris pauperum tuorum in finem.

15 Dum hæc itaque lacrymosis murmuraret querelis; ecce subito, ex ruinosis speluncis ursus prosilivit. Cui vir Dei cum indignatione præcepit, ut in deserta secederet loca, et sibi commoda inter condensa silvarum quæreret habitacula, nec ultra illius fluminis ripas transiret. Qui mox tali territus mi- *urso abitum imperat.* natione, fugit, nec unquam postea illis visus est in E partibus. O mira omnipotentis Dei in Sanctis suis potentia, quibus bestiæ ferocissimæ obedire sciunt. O miserabilis hominum audacia, qui salutiferæ prædicationis verba, a sanctis prolata Doctoribus, contemnere non metuunt. Irrationabilis bestia, in obtemperando Sanctorum præceptis, quodammodo ratione utitur humana: homo vero ad imaginem Dei Psal. 48. 13 conditus, ratione præditus, honorem suum non intelligens, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

16 Dum vero comperisset vir Dei ecclesias Christi desertas, cor populi idololatriæ erroribus infectum, ignorantiæ tenebris obcæcatum, gemino se pietatis subdidit labori. Populum sedula intentione ad agnitionem veri luminis perduxit, ecclesias ad culmen summi decoris erexit, Presbyteros et Diaconos sibi *construit sacras ædes,* in adjutorium per diversa Ecclesiarum disposuit loca, et ubi prius speluncæ fuerunt latronum, ibi orationum domos construxit: magisque divinis intendit eas ornare laudibus, quam pompaticis seculi divitiis F comere. Fuit vero pauperibus largus, divitibus affabilis, quatenus omnes vel largitate munerum, vel jucunditate verborum in viam deduceret veritatis. Sciens itaque nullatenus superba secularis potentiæ colla ad Christianæ religionis humilitatem converti vel inclinari posse, nisi per suavissimas pietatis admonitiones, Apostolico instructus exemplo, omnibus 1 Cor. 9. 22 omnia factus est, ut omnes lucrifaceret, seniores *omnibus omnia factus.* honoribus præveniens, juniores paterna dilectione admonens, ubique per officia caritatis, non sua quærens, sed quæ Dei sunt, Christi sequutus vestigia, potentium convivia non contempsit, non luxuriæ caussa, sed prædicationis obtentu, ut familiaritatis concordia, facilius verbum Dei convivantium infunderet cordibus.

17 Igitur quidam nobilis Francus, potentia clarus, Ocinus nomine, Regem *g* Clotharium, prædicti Re- *g* gis Clodovei filium, qui tunc temporis Francorum regni nobiliter regebat sceptrum, vocavit ad prandium, quod magno apparatu in domo sua Regi et suis paraverat *h* Optimatibus. Rogatus quoque est *h* Sanctus ad convivium Vedastus. Qui domum intrans *In convivio, Rege præsente, signo Crucis frangit pocula maleficiis infecta.* more sibi solito, dextera extenta, omnia sanctæ Crucis vexillo signavit. Quædam vero vascula ibi cervisia adstabant plena, sed male gentili errore dæmoniacis incantationibus infecta. Quæ mox ob potentiam

A tiam sanctæ Crucis destructa crepuerunt, et quicquid liquoris habuerunt, in terram effuderunt. Territus vero Rex et Optimates illius, hujus visione miraculi, sciscitabatur Pontificem caussam repentini prodigii. Cui sanctus respondit Episcopus : Per quasdam maleficorum incantationes, ad decipiendas convivarum animas, diabolica in his latuit liquoribus potentia : sed virtute Crucis Christi territa, sic invisibiliter de domo effugit ista, sicut visibiliter considerastis, liquorem effundi in terram. Hæc vero res multis proficiebat in salutem. Nam plurimi, occultis diabolicæ fraudis catenis absoluti, auguriorum vanitate spreta, incantationum consuetudine relicta, ad veræ religionis *i* convolaverunt paritatem, intelligentes Divinæ potentiæ efficaciam in suo famulo facere signa, nihilque contra ejus sanctitatem antiqui serpentis valere machinamenta. Et quod ille ad perditionem paraverat aliquorum, hoc Christi gratia ad redemptionem convertit plurimorum.

i

a *MS S. Maximini*, magis magisque excresceret. — b *Surius* lateribus. — c *idem* stipem. — d *MS S. Maxim.* pietatis orationem. — e *Anno Christi* 450 *et sequenti. De Attila Sidonius Apollinaris in Panegyrico Aviti, carmine* 7, *versu* 327 *ita canit* :

Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se, Belga, tuos.

Attila.

B — f *Baldricus addit*, inventam aram sanctæ Dei genitricis Mariæ inter stragem murorum illæsam divinitus servatam. *Baussius in Belgica Christiana aït eam* a S. Diogene erectam et a S. Vedasto templo constructo inclusam. *De Diogene in silentio antiquorum nihil supra § 1 ausi sumus affirmare.* — g *Chlodoveo anno* 509, *die* 27 *Novemb. defuncto successerunt quatuor filii, inter quos Chlotharius* I, *apud Suessionas sede posita, præfuit Atrebatibus.* — h *Plures ex his Paganos fuisse, eisque pocula superstitione gentili sacrata fuisse indicat Vita prior.* — i *Surius* convaluerunt.

## CAPUT IV.

### *S. Vedasti obitus, sepultura.*

Rexerat igitur præfatus Dei Sacerdos Ecclesiam Christi, Divina auxiliante gratia, annis circiter *a* quadraginta, sub magna Evangelicæ prædicationis devotione, sub magno pietatis amore, ac per id temporis multitudinem populi Catholico dogmate ad Christianæ fidei convertit sanctitatem. Claruit ubique Divinæ cognitio legis, sanctissimum Christi nomen cunctorum audiebatur in ore, floruit in moribus castissimæ vitæ honestas, ardebat in pectoribus singulorum cœlestis patriæ amor, populus statutis diebus ad ecclesiam concurrebat, festa cum magno gaudio nostri Salvatoris opportunis celebrabantur diebus, eleemosynæ circa domos uberrime pauperi-C bus dispertiebantur, verbum Dei quotidie per loca singula populis prædicabatur, hymnidicas laudes Deo horis canonicis chorus cantabat in ecclesiis. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt : beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. Omnes enim in pulchritudine pacis quiescebant, in agnitione veritatis gaudebant, in sanctitate Christianæ religionis lætabantur.

a

S. Vedastus excolit 40 annis diœcesim,

uberrimo fructu :

Psal. 143, 15

19 Postquam vero pius prædicator et sanctus Dei Sacerdos, meritis maturus et annis, præmia sui laboris accipere debuit, Deo dispensante, in eadem Atrebata civitate validæ infirmitatis febre correptus est, Divina prævidente misericordia, ut, ubi plurimum in Dei sudavit servitio, inde ad palmam æternæ beatitudinis perveniret, et inter carissimorum manus filiorum animam suo redderet Creatori. Ut vero sui famuli obitum Deus designaret, visa est nocte quadam clarissimæ columna lucis, a culmine domus, in qua sanctus jacebat Sacerdos, usque ad summum cœli, horarum ferme spatio duarum, stare fastigium. Quod cum viro Dei diceretur, intellexit statim, hoc signum suum demonstrare obitum. Vocavit igitur suos ad se filios, ut eorum precibus suam fideli Conditori commendaret animam. Et post dulces paternæ pietatis admonitiones, et extrema caritatis verba, sacrosancto Corporis et Sanguinis Christi confirmatus viatico, inter manus lacrymantium spiritum emisit. O dies sancto lætissima Sacerdoti, sed cuncto D mœstissima populo, quem tantus subito corporali vita deseruit Pastor, quem tamen spiritali nunquam deserit intercessione, si sacræ illius admonitionis verba, et probatissimæ vitæ vestigia sequi non desistat.

æger

columna lucida apparente, obitum suum prænoscit :

moritur in oratione

orationis Alcuino, ex MSS

20 Convenerunt itaque ad ultimas venerandi viri exequias Clerus et populus copiosus, aliarumque Ecclesiarum Sacerdotes, Presbyteri et Diaconi. Sed mirum : inter lacrymantium voces in terra, psallentium (ut fertur) a quibusdam religiosis viris cœtus audiebantur in cœlo : et dum digno honoris officio feretrum, in quo jacebat corpus, paratum staret in medio, accedentes movere illud non valebant. Quid vero agerent, ambigebant ; quo se verterent, nesciebant. Sciscitabantur a Scopilione Archipresbytero, viro equidem religioso, qui secretarius fuerat sermonum Sancti *b* Dei, si aliquid de sua eum testari sepultura memoraret : timentes, ne forte illis hoc ideo accidisset, quia intra murum ejusdem civitatis illum sepelire disponebant. Quibus ille respondit, sæpius eum se audisse dicentem, quod nullus *c* intra muros civitatis sepeliri debuisset : quia omnis civitas locus debet esse vivorum, non mortuorum *d*. Volebant siquidem illum in ecclesia beatæ semper E Virginis Mariæ, ubi Sedi pontificali præsederat, tumulari. Ipse vero sepulturæ suæ locum in oratorio, quod paupere sumptu, id est, ligneis tabulis prope littus *e* Crientionis fluvioli ædificaverat, fieri disposuisse cognoscitur. Quod licet ipse pro humilitate, qua semper usus est, fieri voluisset, omnes tamen, qui aderant, attendentes meritorum ejus insignia, indignum ducebant tanti viri corpus in loco humili debere sepeliri ; præsertim cum nec locus ipse habilis esset tanto monumento, nec palude obsitus foret accessibilis populo.

sepeliendus nequit moveri,

b

c

d

e

(poterat in oratorio extra muros sepeliri)

21 Dum talia inter se quererentur, venerabilis vir Scopilio, doctus virtute precum, ad solita sibi credidit arma currendum, ut videlicet oratio fidei obtineret, quod multa hominum manus viribus nequivisset. Unde cunctos hortans ad precem, ipse prior illacrymans, super corpus sacratissimum incumbens orationi, in hanc vocem, mœrore cordis affectus, erupit : Heu mihi, inquit, o beatissime Pater, quid vis ut faciam, quoniam et dies in vesperum declinat, et omnes, qui ad tuas exequias convenerunt, ad propria jam remeare festinant? Permitte, obsecro, te perferri ad locum, qui tibi filiorum cura præparatus F exstitit. Et his dictis, accipientes capulum, in quo sancti viri corpus jacebat exanime, nullum onus sentientes, portaverunt eum subjectis humeris cum alacritate animi ad sepulturæ locum. Sepelieruntque eum in ecclesia jam dicta beatæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ, in dextera parte altaris, ubi quondam pontificalis Cathedræ fungebatur officio, nobilem terræ abscondentes thesaurum.

factis precibus movetur

sepelitur in æde B. Mariæ.

22 In quo loco per aliquod jacuit tempus, quousque Domino revelante, ad locum, ubi nunc fulget ejus memoria, est a viris sanctis, Autberto et Audomaro Episcopis felici mutatione translatus. Nunc autem, quid in eodem episcopio post ejus excessum visum est dignum memoriæ, referatur. Superveniente igitur tempore, domuncula, in qua Deo dilectus diem obiit, flammis arrepta, ardere cœpit. Sed vidente quadam religiosa fœmina, Abita nomine, Sanctus adveniens Vedastus, flammas a domo discussit, et ita incolumis remansit cum lectulo, in quo vir Domini sanctam ad cœlestia regna animam emisit : ut omnes agnoscerent, quanta illius esset beatitudo in cœlis, cujus lectuli domicilium in terris ardere non potuit.

incendium apparens discussit

a *Ab anno circiter* 500 *ad* 540, *ut supra diximus.* — b *MSS Marchian. et S. Maxim.* a S. Phyteone. — c *MS. March.* infra muros *phra*[illegible] *pro* intra muros. — d *Vita ita con*[illegible] *luditur reliquis*

ANN. D. PAP. 99.

*AUCTORE ALCUINO, EX MSS.*

*An primo sepultus in oratorio suburbano?*

A *quis omissis in MSS. Marchianensi et S. Maximini.* Consilioque ab eo accepto foras civitatem in oratorio, quod sibi ipse paraverat, sepelirent Patrem. Qui mox facillime levantes feretrum portabant sanctum corpus cum luminibus laudibus et hymnis ad locum sibi placitum, sepelientes eum cum magno honore juxta altare ejusdem oratorii nobilem terræ condentes thesaurum. In quo loco divina præstante pietate usque hodie solent miracula fieri, quæ magis cernentium ore narrantur, quam dictantis stylo scribantur. Superveniente itaque tempore domus, in qua Deo dilectus obcubuit, flammas arrepta ardere cœpit. Sed veniente religiosa femina, Abita nomine Sanctus adveniens Vedastus, flammas a domo discussit et ita incolumis remansit cum lectulo, in quo vir venerabilis sanctam ad cœlestia regna animam emisit, ut omnes agnoscerent quanta illius esset beatitudo in cœlis, cujus lectuli domus in terris ardere non potuit pro cujus meritorum quoque sanctitate Divina operante pietate quotidie vel vetera narrantur miracula vel nova videntur. Felix equidem Attrebata civitas tam excellenti munita Patrono et si ruinis murorum vilescat illius tamen meritorum nobilitate clarescit Totus itaque populus pro ejus sanctitatis intercessione gaudeat et omnipotenti Deo æternas deferat laudes, qui tam clarum illis perdonavit Doctorem cujus prædicatione viam veritatis agnovit, cujus precibus si in firmitate fidei et vitæ sanctitate consistit ab omni adversitate secura permanebit et usque ad perfectam beatitudinis gloriam perveniet, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum Amen — e Crientio, *alias* Trientio, *urbem perfluit Ejus meminit Carolus Calvus apud Miræum lib. 2 Diplomatum, Belgicorum cap. 2, ubi concedit Stephano Episcopo legalis justitiæ disciplinam in civitate Atrebatensi*

*Crientio fluvius.*

## CAPUT V.

### *Translatio corporis S. Vedasti.*

B Jacuit autem in loco eodem usque ad tempus B. Autberti, qui septimus ei in Sede pontificali successit Episcopus. Is autem, ut majorum relatione cognovimus, et ut in innumerabilium hominum ore versatur, et quod oculis etiam factum probamus, dum quadam die post hymnos matutinos in *a* mœnianis consistens, rubente aurora, Orientem versus intenderet, vidit eminus trans fluviolum, qui Crientio vocatur, virum præfulgidum, virgam manu tenentem, basilicæ locum metiri Quod ille cernens, revelante Deo, visionem cognovit Angelicam, ostensumque est illi, Beatum illuc Vedastum, annuente Christo, sine dubio transferendum. Qua revelatione certior factus, invitavit ad tantum opus B. Audomarum; qui ea tempestate Tarvennæ Morinorum urbis Episcopus, in Dei rebus magnificus habebatur. Qui licet jam senio pressus, et amissione luminum videretur debilior factus, animum tamen ut acutum habens spirituali studio intentum, illico promptus, Christo gressus regente, festinus ad venerabilem pervenit Autbertum At ille quid animo gereret, et quid sibi divinitus esset ostensum, referens, pari voto communique consilio cum magno populorum gaudio, qui undique confluxerant, ad locum designatum beatissimum C transtulerunt Vedastum. In qua translatione perhibetur B. Audomarus lumen recepisse oculorum, sed illico precibus eamdem, quam ultroneus ferebat, reimpetrasse cæcitatem. Parvipendebat quippe lumen carnalium oculorum, qui lumen meruit civium supernorum.

*In visione admonitus*

*a*

*S. Autbertus transfert ejus reliquias.*

*B. Audomarus recepta visu, impetrat denuo cæcitatem.*

24 Porro autem miracula, quæ et tunc gesta perhibentur, et quæ jam per annos ferme centum sexaginta per merita B. Vedasti patrata sunt, nullo sunt stylo memoriæ tradita, excepto quod vocibus cantorum hujusmodi canitur antiphona; Hic est Beatus Vedastus, cui templum fieri ab Angelis jussum est hominibus. Est autem locus ipse non longe ab eadem urbe, qui pro nobilitate sui Nobiliacus primo est appellatus : sed procedente tempore tam insignis effectus, ut urbis nomine, quæ jam ruinis crebrioribus pene obsoluerat, vocitetur. Est namque et largitione fidelium sublimatus, et agmine monachorum, et aliorum Deo devotorum grege refertus : ubi incessanter quotidie Divina celebrantur præconia, et frequenter cœlestia facta sunt, et fiunt miraculorum signa, quæ jam magis cernentium ore narrantur, quam dictantis stylo scribantur. Felix equidem Atrebatum civitas, tam excellenti munita Patrono : et si murorum ruinis vilescat, illius tamen meritorum

*Felix Nobiliacus et Atrebatum*

nobilitate clarescit. Totusque pro ejus sanctitatis D intercessione gaudeat populus, omnipotentique Deo æternas referat laudes, qui tam clarum illi perdonavit Doctorem, cujus prædicatione viam agnovit veritatis. Cujus precibus, si in fidei firmitate et vitæ sanctitate consistit, ab omni adversitate secura permanebit, et usque ad perfectam beatitudinis gloriam perveniet. Obiit autem idem Sacerdos Christi Vedastus VIII Idus Februarii regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*reliquiis, miraculis, intercessione S. Vedasti.*

a *Suros* humanis. *Fulbertus infra ex Vita S. Autberti*, stans in mœnibus

# ADHORTATIO

## ad imitandas virtutes S. Vedasti, in Actis descriptas,

### AUCTORE EODEM ALCUINO.

*Ex MSS. Vedastino et Antverpiensi.*

Gaudete, dilectissimi Fratres in Domino, qui ad sanctissimi Patris et protectoris nostri, Sancti scilicet Vedasti, solennia convenistis, et spiritali jucunditate lætamini, et ex intimo cordis affectu E Clementiam Domini nostri Jesu Christi collaudate, qui nos ab idololatriæ erroribus ad agnitionem sui sancti nominis per hujus sancti Sacerdotis prædicationem perducere dignatus est. Sequamur unanimiter tam sancti Doctoris vestigia : non simus tanti Patris degeneres filii : sed sanctitatem vitæ illius morum nobilitate imitemur. Abjiciamus a nobis opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis, sicut in die honeste ambulemus : quia nox ignorantiæ recessit, et veræ scientiæ nobis lumen illuxit : ut filii lucis in omni castitate et pietate ambulemus. Non sint alicujus nequitiæ vel malitiæ occulta in cordibus nostris semina : quia homo videt in faciem, Deus autem corda considerat, nec aliquid illius Omnipotentiæ oculis occultari potest. Præparemus nos in omni bonitate, ut præclarus Pontifex, et pius prædicator noster Vedastus, gaudens nos ante tribunal summi Judicis in die ultimo deducat, quatenus ex numerositate filiorum illius cumulemur gloria, et nos cum illo desiderabilem audire mereamur sententiam : Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Ille de F cœlesti patria piis orationibus nostrum quotidie agonem adjuvare non desistit, desiderans * nos carissimos filios, quos paterna pietate genuit in Christo, ad gloriam perpetuæ pervenire beatitudinis. Quapropter, carissimi Fratres, unusquisque in suo ordine secundum virium facultatem, fortiter diabolicis resistat suggestionibus, ut æternam triumphi coronam cum pio parente nostro accipere dignus efficiatur. Non sunt enim condignæ, ut ait Apostolus, passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Igitur breve laboris tempus Divina nobis voluit esse pietas, et agonis nostri retributionem esse perpetuam, et pro temporali tribulatione, permanentis gloriæ mercede gaudere.

*Ad fidem a S. Vedasto conversi,*

*imitari debent virtutes illius,*

Matth. 25. 34

*æterno præmio ligaus.*

* *MS Vedast.* suos

Rom 8. 18

2 Audivimus itaque, cum Deo dilecti Sacerdotis Vita legeretur, quantam in omni bonitate habuit devotionem, quomodo per abstinentiæ rigorem suum castigavit corpus, qualiter per caritatis officia omnibus prodesse contendit. Incedamus cum omni alacritate mentis et tota virium facultate illius vitæ vestigia, ut beatitudinis, in qua regnat cum Christo, consortes effici mereamur. Nulla carnalis concupiscentia, nulla secularis ambitio impediat iter nostrum. Curramus per opera pietatis ad cœlestis patriæ portas. Expectant nos cives æternæ civitatis, et Rex ipse,

*in Vita illius descriptas.*

A ipse, qui vult omnes homines salvos fieri, nostram cum Sanctis suis vehementer desiderat salutem. *maxime caritatem Dei,* Decet enim nos illius esse cooperatores in salute nostra, qui non in tantum dilexit, ut proprio Filio suo non parceret, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Diligamus eum, quia ille prior dilexit nos : faciamus illius voluntatem, quia voluntas illius felicitas est nostra. Habeamus semper in mente, quod Matth. 19. 17 ipsa Veritas cuidam diviti respondit in Evangelio : Si vis vitam ingredi, serva mandata. Quæ sunt mandata, nisi caritas Dei et dilexio proximi? In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ. Dilectio itaque proximi in operibus misericordiæ comprobatur : Qui seculi habet substantiam, auxilietur non habenti. Qui doctrinæ habet scientiam, corrigat er- Jacob. 5. 20 rantem, dicente Apostolo Jacobo : Qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, cooperit multitudi- *et zelum salutis proximorum,* nem peccatorum suorum. Scire debemus, carissimi Fratres, quod quantas animas quisque lucratus fuerit Deo, tantas accepturus erit mercedes a Deo. Quantam gloriam habere putatis S. Vedastum in cœlesti regno cum Christo, qui tam innumerabilem populum sedula prædicatione Christo in terris adquisivit. Vel quanta sit gloria animæ illius B speratis inter Angelos, dum tantum honorem habet corpus illius inter homines? Vel quid non potest pietatis precibus impetrare in cœlis, qui tantis in mundo claruit miraculis? Sed omnibus miraculis major est Evangelicæ prædicationis instantia, et sanctæ caritatis in corde flagrantia. Valde enim viriliter accepta Dominicæ pecuniæ talenta multiplicare studuit; ideo feliciter sibi Dominum audiet di- Matth. 25. 23 centem : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Parva sunt præsentis vitæ bona in comparationem futurorum bonorum. Sed qui in his fideliter laborat, in illis fideliter requiescet.

3 Iste Sanctus, ad cujus concurrere festa voluis- *præmium cœleste cum illo accepturi,* tis, pro multorum laboravit salute, ideo plurimorum præmia in die judicii suscepturus erit. Seipsum per abstinentiæ maceravit rigorem, aliis prædicationis profuit sedulitate, ideo laudabilis omnibus extat, Proverb. 10, 7 juxta vocem sapientissimi Salomonis : Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet. Dum vita justorum laudatur, iniquitas impiorum quasi stercus detestatur ab omnibus. Quid est felicius, quam in bona conversatione a Deo perpetuæ prome- C reri beatitudinis gloriam, et omnium ore laudari? Cogitemus quotidie, qua fiducia veniamus ante tribunal summi Judicis, quid boni operis nobiscum deferamus. Æquitas illius nullius accipiet personam; sed unicuique reddet secundum opera sua : et qui plus laborat in opere Dei, plus mercedis accipiet in regno Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea viriliter suam operetur salutem. Omnibus cœlestis regni janua patescit, sed meritorum qualitas alium introducit, alium expellit. Quam miserum est hominem a gloria excludi Sanctorum, et æternis cum diabolo deputari flammis! Peccatorum sarcina animam submergit in Tartara : justitiæ abundantia ad cœlestem evehit gloriam. Frequentemus sæpius ecclesiam Christi, audiamus in ea diligentius verba Dei : et, quod aure percipimus, hoc corde retineamus, ut fructum boni operis feramus in patientia, et fraterno amore unusquisque alium adjuvare studeat. Habemus præclara sanctissimi Patris nostri abundanter exempla in omni caritatis officio, in fidei fervore, in spei longanimitate, et perseverantia totius bonitatis illius, quem tanta celebramus laude, et tanto diligimus amore, tota mentis intentione in omni conversatione sancta sequamur vestigia ejus, quatenus viam vitæ illius currentes, æternæ beatitudinis cum illo gloriam accipere mereamur, auxi- D liante nos Rege æterno Domino nostro Jesu Christo, AUCTORE FULBERTO. qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.



### VERSUS ALCUINI
*ad Radonem Abbatem*

Noli, quæso, Pater, munuscula spernere nostra.
Parvula si videas, magna hæc dilectio mittit.

### EPITAPHIUM S. VEDASTI,
*auctore eodem Alcuino.*

Hic Pater egregius Vedastus corpore pausat,
Cujus honore sacro hæc domus alta micat,
Fulcitur et tanti meritis per secla Patroni,
Per quem multa Deus signa salutis agit.
Qui sacra celsi throni vivens vestigia Christi
Lingua, mente, manu namque secutus erat.
Multiplicavit opes bis quinis forte talentis,
Nec data marsupiis lucra migravit opes.
Audiet idcirco vocem mox Judicis almi :
Intra nunc Domini gaudia sancta tui.

## HISTORIA TRANSL. S. VEDASTI, E
### Ex Vita S. Autberti Episc. Camerac.
*auctore Fulberto.*

Rerum necessitas urgebat, ut venerabilis Pater *a* *a* Canonicos suos, qui Atrebati in B. Mariæ monasterio famulabantur, visitaturus adire deberet : qui locus olim et ambitu murorum, et frequentia civium celeberrimus fuerat, sed Gentium infestatione a *S. Autbertus* prisco statu deformatus, crebris ruinis hucusque consistit. Ubi cum de rebus Ecclesiæ satis ad tempus tractasset, quadam nocte, ut illi semper erat moris, Fratribus adhuc quiescentibus, surgens, nocturnæ orationis tempus, usque in lucis crepusculum continuavit. Necdum vero cursum orationis expleverat, cum se foras, quasi pro refocillandis aliquo relevamine artubus, suspensa interim oratione, contulit : et stans in mœnibus, cœpit piæ *ægre ferens sepulturam S. Vedasti minus honorari,* meditationis motibus pulsari, quamobrem Vedastus, tantorum spatio annorum vilis sepulcri cespite clausus, debito honore careret, quem jam supernorum civium consortio exultantem, cœlestis Hierusalem ceu gemmam virtutum fulgore micantem adscivisset. Etenim a die depositionis ejus, usque ad tempus F B. Autberti, *b* sex fuere Episcopi, quibus ipse sep- *b* timus ad pontificii culmen successit, eum tot labentibus *c* annis gemma Dei pretiosa subterraneo adhuc *c* specu claudebatur, cujus sepulcrum haud longe a dextro cornu *d* altaris B. Mariæ distabat. Cum vero *d* tot egregios Christi Confessores illis fuisse temporibus audiamus, meritis sublimes, virtutibus illus- *e visione edoctus* tres, minimis in rebus sollicitiores; procul dubio manifestum est, non eorum ignavia negligentius jacere tantum thesaurum, sed Divino judicio et voluntate B. Vedasti, hoc exequendi muneris ministerium B. Autberto reservatum. Cœpit igitur animo æstuare, quonam transferri sanctus Confessor debuisset, reputans secum, incongruum fore, duo luminaria magna, angusta unius domus sede cohiberi : videlicet, ne ubi præclara Dei Genitricis memoria primatum *corpus alio transferendum esse :* nominis tenebat, tanti Patris gloria obscurior videretur : cum repente aurora rubente, Orientem versus intendens, videt eminus trans fluviolum, qui *e* *e* Trientio vocatur, virum splendidum, virgam manu tenentem, basilicæ locum metiri : ceu quondam Ezechiel secus fluenta Babylonis corpore positus, in spiritu venit ad terram Israel, ubi in visionibus Dei, templum Domini manu hominis vidit metiri. Quod

 ille

*AUCTORE HAIMINO EX MSS.*

*S. Audomarus ad id evocatur*

A ille cernens, revelante Spiritu, visionem cognovit Angelicam. Intellexit igitur vir Dei B. Vedastum illuc, annuente Christo, transferendum.

2 Beatus igitur Pontifex tali revelatione certior factus, B. Andomarum, qui ea tempestate Taruanensis urbis gregem cura pervigili regebat, ad tam solenne translationis officium invitandum æstimavit. Qui licet senio pressus, et amissione luminum debilior factus, imbecillioris tamen corporis tantum non formidabat laborem, quantum B. Autberti mandato satisfacere gaudebat. Difficultatem igitur corporis superabat caritas mentis, Christoque gressus regente, devotus ad venerandum pervenit Episcopum. At ille, cum quid animo gereret, et quid sibi divinitus esset ostensum, referret, congratulabatur visioni, et se fraternæ sedulitatis studio obedienter accinxit. Jam vero æstimari non potest, quanta confluentis populi turba eo die ad eum locum convenerit; Clerus videlicet, et utriusque sexus non ignobile vulgus. Parato igitur feretro, et omnibus, quæ necessaria videbantur, detecto sepulcro, et imposita antiphona, cum magna reverentia sanctum thesaurum sustulerunt, paratisque Crucibus et cereis, et omnigenis solennis pompæ ornatibus, cum magna

*et in solenni S. Vedasti translatione*

B plebis exultatione sanctum corpus ad locum destinatum transferre cœperunt. Transeuntes autem prædictum fluviolum, cum jam suburbanos fines contingerent, et B. Audomarus S. Autberti vestigia pedetentim prosequeretur, statim supernæ operationis in se agnovit virtutem : ut ei aperte daretur intelligi, quanti essent meriti, et is qui portabatur, et is, quem portando sequebatur. Nam depulsa longæ cæcitatis nocte, statim oculorum lumen recipit, in loco videlicet, ubi in memoriam B. Autberti f ecclesia constructa, a præsentibus adhuc cernitur in testimonium præsentis miraculi. Sed quia venerandus vir Audomarus parvipendebat lumen carnalium oculorum, qui lumen certo civium desiderabat supernorum, illico precibus eamdem, quam ultroneus ferebat, rursus impetravit cæcitatem. Qua in exhibitione miraculi non latet virtus operantis, sed superest quærere meritum optatæ virtutis. Verum subtilius speculantibus dubium esse non potest, quia præeuntibus meritis S. Vedasti, fides, ut efficeretur, obtinuit B. Autberti. Stupentibus autem, qui aderant, vario eventu miraculi, beatum corpus ad locum ab Angelo designatum honorifice transtulerunt. Quo in loco venerabilis Episcopus monasterium construxit, et ex rebus sui Episcopii in usum famulantium pro rerum opportunitate donavit : ubi juxta congruam rerum facultatem Fratres in obsequia Divini cultus deputavit.

*visum recipit*

*f*

*sed dein obtinet cæcitatem petitam.*

*Monasterium exstruitur.*

C

*Canonici Atrebati*

*ecclesia S. Autberti.*

a *Baldricus lib. 2, cap. 13 scribit suo tempore fuisse* Canonicos quadraginta, *ammd Colvenerius* totidem hodie esse, et Capellanos 62 personatus 12, regique diœcesin per 12 Decanos rurales — b *An hinc inferri possit S. Abbatem [illegible] ab Kautberto videri, nolumus asserere.* — c *Annis* 128 *ab anno* 540, *ad* 667 : *ut supra probatum.* — d *Erat aliud altare a S. Vedasto consecratum, teste Baldrico ante citato.* — e Crientio *alias dicitur.* — f *Ecclesiam illam S. Autberti, dein parochialem factam, adhuc extare, monet Colvenerius ad cap. 19 Baldrici, ubi de hac Translatione agitur.*

## MIRACULA S. VEDASTI
### auctore Haimino Presbytero,
*Ex MSS. Antverpien. et Audomarensi.*

*a S. Vedasti meritis sanantur,*

*mutus et surdus :*

Sane, quæ nuper et oculis probavimus, et ab his qui illa experti sunt audivimus, pauca de multis referemus. Ego siquidem, qui ista nunc suppleo, interfui his qui viderant mutum et surdum ante paucos annos, meritis B. Vedasti, subito percepisse et auditum aurium, et linguæ solutionem. Poterat denique loqui curatus pauper ille; sed ignorabat penitus, quid diceret, nisi quod ab aliis audisset : quippe qui

numquam ante non modo humanum eloquium, sed D nec fragorem potuit audire tonitruum.

2 Me siquidem Æditno Ecclesiæ ejusdem, in qua nunc pignora Sancti Dei servantur, contigit miraculum, quod narro. Pauper quidam, cujus oculi judicio legis seculi fuerant effossi, dum longa maceratione carceris ac nervo teneretur pedibus obstrictis, adeo pede utroque claudus effectus est, ut nervis contractis non plantis insisteret, sed repens potius genibusque innitens, magis se manibus, lignea tenens instrumentula, traheret, quam ambularet. Is dum quotidie pro foribus vel intra limen ecclesiæ Beati resideret Vedasti, quatenus ab introeuntibus eleemosynam potius acciperet, quam salutem speraret, suffragio Sancti Dei et stipem quotidianum promeruit, et pristinam sanitatem pedum recepit. Nam, sicut ipso referente cognovimus, nocte quadam, qua Theophaniæ festa celebrantur, apparuit ei quidam in somnis, hortans eum, ut ad ecclesiam, ad agendas vigilias, properaret; nec ubi antea juxta valvas templi, sed cancellis quam proxime recubaret. Quod audiens misellus ille æstuare cœpit, qualiter id faceret, conquestus se non habere, qui ei manum pro ducatu præberet. Sed modo quo potuit, quæ illi fuerant imperata, complevit. Præterea populo E ecclesiam replente, Clero autem divina cantica personante : et ecce subito claudus ille exclamans, a compedibus diutinæ implicitatis se solutum, extendit, sed humi extentus, proceriorque factus, nondum suis fidem præbens gressibus, audebat se propriis attollere pedibus ; sed aliorum fultus auxilio erexit se, et firmis deinceps usque hodie gressibus lætus incedit. Manuum vero illius sustentacula, cum manibus inreperaret, postibus ecclesiæ, quoniam recens factum est, visuntur suspensa.

*claudus,*

*in somno monitus,*

*ecclesiam ingressus .*

3 Similiter etiam vidimus paullo ante quemdam, omnibus civibus urbis illius notum, pedibus diutissime debilem, meritis Patris Vedasti pristinæ redditum sanitati.

*alter claudus :*

4 Non solum ergo animabus humanis et corporibus fidelium vir Domini opem curationis impendit; sed etiam animalibus brutis pro solatio hominum est dignatus medicari. Ante hoc ferme triennium, facta sunt hæc miracula fide poscentium, quæ narro. Dum itaque quadam die per ecclesiam vadens, ut templi æditum negotii quid acturus, obvium me habuit quidam rusticus dicens, se velle mecum paullisper fabulari : unde secedens in exedram nobis proximam, requisivi quid vellet. At ille, quasi satisfacturus, volens in terram ruere, dixit, se voti F reum, ac graviter obligatum. Anno, inquit, præterito, dum circumquaque per viciniam nostram pestis animalium grassata, pæne armenta omnia persorberet, accidit juvencos, quos habere poteram, morbo correptos, mihi desperationem subsidii vitæ hujus inferre : quoniam præter ipsos, nulla mihi spes restabat in rebus terrenis. Interea incidit mihi cogitatio, ut Domino meo pro eis supplicarem Vedasto. Qua de re obligans me voto, pollicitus sum jugeri, quod primum ex his essem araturus, proventum, servitio famulatum iri ecclesiæ B. Vedasti, imponensque jugum bobus ægerrimis, in campum araturus processi. Quibus subito convalescentibus aravi, sevi, messui, et frumentum, avenam scilicet, vendidi . et ecce pretium attuli, quantum inde nundinatus accepi. Sed ex hoc nimis trepido, et indulgentiam posco, quia non statim adimplevi promissum. Necessitate quidem compulsus, familiaris curæ necessitatibus illud tunc pretium expendi, quod nunc ejusdem quantitatis persolvo. Nam de boum meorum sospitate et fortitudine totus hilaresco.

*curantur a peste*

*invenci voto S. Vedasto facto,*

5 Simile quid evenit cuidam homini, qui vota persolvens, mihi ipsi narravit hujusmodi factum, dicens :

A dicens : Ad mercatum, inquit, veni; sed quem sedi equum, quadraginta solidis præstantem, subito moribundum amisi. *equus moribundus,* Cui, cum jam desperans, etiam capistrum a capite mœstus nimis auferrem, quidam circumstantium me confortans, ait : Animæquior, *cera promissa,* inquiens, esto, et pollicere luminaria B. Vedasto : tunc fidens in ejus meritis, ipso eodem, quo venisti equo, perventum ire poteris domum. Quod audiens, actutum vota promisi. Et ecce, dicto citius, equus ille surrexit, et pabula repetivit. Quapropter recipe ceram quam vovi. Nam massam ceræ non modicam protulerat. Quo facto gaudens, sanato caballo, quo advectus fuerat, perlatus est domum.

b 6 His igitur diebus quibus hæc gesta sunt, *b* venit quædam mulier vili quidem habitu, sed pauper spiritu, dives autem fide, et ut statim comperi, simplicis naturæ. Quæ cum, solenniter vota, prout poterat, apud sepulchrum B. Vedasti persolvisset, c meam adiens mediocritatem, *c* exenia, quæ manus ejus invenire potuit, mihi quidem obtulit, dicens : Quoniam te hujus sacræ domus ministrum cognovi, dignum duxi tibi etiam post vota peracta aliquid offerendum. Quibus non libenter adeo susceptis, delectatus ejus simplicitate, petensque ejus secessum : B aliquantisper cœpi cum ea, paucis assistentibus, sermocinari. Nam humanitatis aliquid illi impensum est. Sed inter loquendum, hujuscemodi proferens *et pecora ejus custodiæ commissa.* dicta : Licet, inquit, tam pauper videar, quoniam duris et immitibus dominis premor, pro quibus non audeo cultioribus indui vestimentis, non sum tamen adeo inops et mendica, ut putas. Pastor siquidem meus Vedastus, meique pecoris custos, non sinit me paupertate confici, ex die qua ei mea pecora commisi. Estne, inquam ego subridens, ille armenti tui præfectus ? Est plane, inquit, mihi armentarius, jam olim fidissimus. Nam ex tempore, quo illi armenti mei curam ex fide tradidi, nec pestilentia consumptum, nec captum a bestia pecus juris mei cognovi vel unum. Et, si quando pestis animalium sævit, non tamen medicamina, ut quidam, in eis requiro : quia pestem in meum pecus valere non formido. Qua de re, semper quotannis meum Dominum non cesso frequentare Vedastum. Esto, inquam ego, in ea fide fixa, et manere poteris tuta. Sum plane, inquit illa, nec possum esse de illius suffragiis dubia, quæ jam per tot annos ejus experta sum beneficia.

a *Hinc conjicere est, præfixum fuisse huic narrationi Prologum quem nondum vidimus.* — b *MS.* *Audomar.* invenit — C c Xenium, *munus hospitibus dari solitum, pro quo Galli e præposito more suæ linguæ* exenium *scribunt, i. e. pro quocumque dono acceperunt.* *Exenium.*

# SERMO HAIMINI
## IN NATALI S. VEDASTI,
### de II parvulis, meritis ejus sanatis,
### *Ex MSS. Vedastino et Antverpiensi.*

Excitentur, obsecro, filii lucis, corda vestra pro collatis beneficiis ad divina præconia. Erumpat, quæso, in vocem, quod jam ardet in mente; ut quos fides illustrat, confessio pura confirmet. Præsto est igitur materia laudis, in promptu est caussa jubilationis. Oculis cernitur, manu tenetur, utilitate sentitur : testimonium reddunt, qui fallere nescierunt. Jam sunt diserti, qui necdum perfecte didicere loqui. Psal. 8. 3 Ex ore, inquit Psalmista, infantium et lactentium Sap. 10. 21 perfecisti laudem. Omnium idem Dominus dives in *Intercessione S. Vedasti cæcus a nativitate illuminatur,* omnes, qui invocant illum, linguas infantium facit esse disertas. Docent fide, etsi nondum possunt sermone, imo Christus per illos docet, quibus tantam gratiam præbet. Ipse enim internus illuminat, qui foris per miracula coruscat. Mira fiunt omnimodis et stupenda, et quo rariora, eo sunt amplius prædicanda. Prisca redeunt, antiqua recurrunt, fre- D quenter audita patescunt. Quæ namque in sacris AUCTORE HAIMINO, EX MSS. Paginis legimus, oculis repetita videmus. Cæcus a nativitate videt. Joan. 9 Operatur etenim Christus in Ecclesia, quod jam olim gessit in Synagoga : illum siquidem et corde illuminavit et corpore; hunc, quia renatus erat, illuminavit in corpore, ut fidem torpentium resuscitaret in mente. Nostis plane, qui adfuistis, quæ hodierna die Dominus Jesus per merita servi sui, beati Patris nostri Vedasti, opera fecit; imo imperfecta supplevit. Duos scilicet ægrotos sanavit, uni lumen oculorum dedit, non reddidit : alteri quia claudus erat gressum restituit. *claudus gressum recipit,*

2 Mira dicturus sum, quod omnes mecum pariter nostis. Ipse Pater noster, sacer Vedastus adhuc præbet e tumulo, quod vivens in carne operatus est in mundo : et præclarus Senator, de cœlesti curia salutem filiorum decernit. Per exteriora denique miracula ostendit, quod in secreto Sanctorum pro animabus nostris intercedat. Idipsum, ut dixi, repetit, quod olim gessit. Meministis, Fratres carissimi, et meminisse potestis, quod directus a S. Remigio, Beatus ipse Vedastus ad prædicandum Gentibus Dei verbum, in introitu urbis Atrebatum duos egenos curaverit ægrotos, cæcum videlicet et claudum, qua- E tenus ostenderet miraculo, quod acturus erat in verbo : quoniam sicut oculos corporis aperuit ad videndum mundum, ita corda hominum semine verbi Dei per fidem illustravit ad cognoscendum Deum. Et sicut reddidit gressum pedis, ita direxit gressus fidelium ad iter operationis. Sed quia (pro dolor!) jam corda nostra torpescunt a bono opere, excitanda sunt miraculorum exhibitione. Attendite, quæso, Fratres dilectissimi, quæ facta sunt, et in quibus sunt gesta. Nam non solum providit Dei clementia, quæ per servi sui merita ageret, sed quibus tanta medicamina salutis adhiberet. Solent namque minus Dei beneficia considerantes, si quando sanationes fiunt per merita Sanctorum in corporibus hominum (heu!) quia solent dicere, non sanatos esse, quoniam credunt eos debilitates non pertulisse. Quid dicent de istis, quorum ætas non sinit eos simulare? quibus illos poterunt criminibus accusare? Ecce sunt nutrices et matres, quæ debiles attulerunt, et sanos reducunt. Quorum unus de *a* Corbeiensium a villa, quæ *b* Walgiacus dicitur, alter colonus ipsius b Ecclesiæ B. Vedasti; visu scilicet donatus Corbeien- *horum patria.* sium, qui claudus fuerat, B. Vedasti famulorum : F uterque parvulus, uterque innocens, uterque humilis et *c* rectus. c Quia est Dominus noster parvulorum, id est, humilium salus, parvulos nunc sanavit, ut nos esse humiles, id est parvuli esse discamus. Adhuc enim clamat : Sinite parvulos venire ad me, ta- Marc. 10. 14 lium enim est regnum cœlorum. Ecce amplexatus est, et sanavit, accepit a parentibus, benedixit et reddidit.

3 Agamus singuli, agamus omnes gratias Omnipotenti, qui nos revisitare, et paterna viscera Pontificis sacratissimi nobis manifestare dignatur. Excitemur de somnio pigritiæ, et per ea quæ foris mi- *Adhortatio ad virtutem.* randa cernimus, interius ad formam pietatis imprimamur. Aperiamus oculos mentis nostræ, ut æternum lumen mereamur videre. Lavemur lacrymis, ut purificari mereamur. Curramus dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant. Mundemur ab omni inquinamento mentis et corporis, sit lucerna pedibus nostris verbum Dei, sit nobis indesinenter in desiderio lumen indeficiens. Quæramus et faciamus opera lucis, non tenebrarum et iniquitatis. Curramus viam mandatorum Dei, dicamus ore et corde Deo nostro : Dirige me, Domine, in veritate tua et doce me, et gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur nostri omnis injustitia. Imploremus

*d* clementiam

*AUCTORE HUBERTO, EX MSS.*

A *d* clementiam Domini per intercessionem tanti Patroni. Omni custodia servemus cor nostrum, quoniam ex ipso vita procedit. Humili corde et supplici voce præveniamus faciem Domini in confessione, ut experiamur in mente, quod modo parvuli meruerunt in membrorum reformatione. Redeamus ad conscientias nostras, conveniamus nosmetipsos, puniamus mala quæ fecimus. Cogitemus quid in die judicii magni Dei dicturi sumus, quid excusationis habebimus, cum Doctor noster B. Vedastus cumjudicantibus Apostolis sedebit, cum ministrantibus Angelis apparebit, pro salvatis filiis exultabit. Nam qui eum audire noluerunt, jam ulterius non curabit. Quid amplius exhibere potuit? Vivens nocte dieque audientibus verba Dei ministravit: nam et verbis pluit, et miraculis coruscavit. Et jam in cælis cum Christo regnat, et adhuc nostram salutem curare non cessat. Non negligamus tanta Dei beneficia, ne nobis veniat ad cumulum damnationis, quod impenditur ad caussam salutis. Imploremus misericordiam Domini per intercessionem sancti Patris, quatenus et hic maneamus in ejus doctrina: et illic gaudeamus de æterna et communi gloria. Sic ergo in hac vita monitis ejus obedientes simus, ut communi retributione
B inibi lætemur. Paremus hic in via, quod possideamus in patria. Dominus Jesus, qui vult omnes homines salvatos fieri, faciat nos ad tantum Patronum bene operando venire, et in æterna lætitia semper cum illo gaudere. Amen.

a De Corbeia egimus 4 Januarii ad Vitam S. Adalardi primi Abbatis, et 3 Februar. ad Vitam S. Anscharii istic ab adolescentia monachi. Oppidum est Picardiæ ad Somonam fluvium. — b MS. Antverp Valgiacus. — c MS Vedast. erectus. — d MS Antverp misericordiam.

# APPARITIO S. VEDASTI,

## ET VALETUDO RESTITUTA MORIBUNDO,

### auctore Huberto Presbytero ad Haimuinum Præceptorem;

### *Ex MS Antverpiensi.*

*Prologus.*

Præceptis tuis satisfacere, peritissime Præceptor, satagens, barathrum propriæ imperitiæ usquequaque nudabo, videlicet describens cuidam nuper homini, tignario pauperculo, nomine Dagoberto, visionem revelatione sanctissimi Vedasti evidenter ostensam: tibique caussa sublimandi a stylo proprio in melius exornandam contradens; malens siquidem
C imperitiæ incurrere culpam, quam tibi, Domino meo, quippiam quod æquum fore videtur, abnegare præsumam. Audiat siquidem per subsequentia rusticitatis meæ verba, omnem rei gestæ ordinem Paternitas tua: et tunc, si quid dignum forsitan fuit memoriæ, hinc obtentu sumpto, stylo rudi, propriis ut libitum fuerit inserat membranulis.

*Dagobertus tignarius*

2 Quarta namque feria jam tertia diei hora imminente, messores Imbodi Sacerdotis, patrui scilicet mei, ab agro revertentes, juxta tuguriolum cujusdam prædicti tignarii, videlicet Dagoberti, transitum forte habuerunt: cujus equidem mulierenla præ foribus stans, tundebat pugnis crebro miserum pectus, crinesque manibus dilacerans, ejulabat, nimio quippe dolore confecta. Quam cum unus eorum percunctatus fuisset, quo dolore sic affligeretur; respondit, ob immane viri sui periculum, qui jam in ultimo vitæ exitu erat detentus: addensque, ob hoc se maxime fore afflictam, quod sine pœnitentia et communionis gratia idem vir suus ex hac esset luce sublato migraturus. Quod ille audiens, ad me festinus usque pervenit, et hæc mihi ignoranti miseranter innotuit. Quibus illico auditis, obstupui, formidans, ne forte sine pœnitentia et viatico ævi præsentis excederet metas, fieremque reus pro credita ove in

*periculose ægrot.*

die ultima magni judicii Domini: fidens tamen in D
Dei clementia, surrexi propere, sumensque mecum mysterium vivifici corporis ac sanguinis Domini, concito gradu in domum perveni jacentis: qui prolixa ægritudine tabefactus, non solum loqui nempe sed nec oculos ad videndum attollere vel paullulum valebat. Sedens vero ante stratum ejus mœstus ferme duarum spatio horarum; cœpit oculos diu clausos tandem aperire parumper, hac illacque aciem sollicitus evolvere luminum. Quod ego cernens, interrogavi eum, si me aliquatenus recognosceret. Respondit, se bene utique nosse me. Cui ego: Visne ergo secundum morem ceterorum hominum pœnitentiam sumere, et antequam hinc recedas Dominico roborari viatico? ait: O Domine, omnia quæ jusseris, si tantum dignus fuero, libenter adimplebo. Quam vocem dum auribus hausissem, lætior animo effectus, dixi uxori ejus: ut paullulum aquæ ori ejus immergeret, quatenus facilius aliqua verba exprimere posset. Quod protinus actum est. Denique pœnitentia sumpta, et Dominico edulio secundum consuetudinem accepto, ita gravis in momento extitit, ut non solum crastinam lucem, sed nec ipsius diei limitem solisve occasum posse pertingere videretur. Hoc ergo ita dimisso repedavi domum, nullatenus spem recuperationis ejus omnimodo habens. E

*post extrema Sacramenta sumpta,*

2 Facto autem vespere, et quadam jam parte noctis exacta, cernens eum uxor sua tali immobilitate sepultum, conata est eum blandiloquis compellere sermonibus, ut confortaret eum, et sui memor aliquatenus foret. Tunc vero ille tandem ab intimo pectore longa trahens suspiria, annisu tamen omni, quo poterat, ait: O gratissima quondam conjux, ut quid me tantum inquietas? Cur tantæ me gloriæ efficis expertem? Numquid non cernis omne hospitiolum nostrum infelix claritate inenarrabili enitescere? Desine me, precor, tuis amplius sollicitare querelis: et aliquamdiu his interesse gaudiis permitte, quibus nunc per modicum sum, antequam a te excitarer, potitus. Ad hæc verba mulier conticuit. Ille autem prædictam iterum sumens pausam, quæ sibi divinitus sunt ostensa, evidenti relatione hactenus propalare non cessat. Dicit, prævisum sibi B. Vedastum, Patronum nostrum adstitisse, et quid ageret, in quove spem collocatam haberet, studiosissime requisisse. Cui, cum respondisset, quod juxta possibilitatem propriam ageret, et in misericordia Dei, et in auxilio Patroni sui Vedasti, fortiter confideret, ait: Bene. Sumensque proprii oris salivam digitis, F
ut ipsi jam dicto viro visum fuit, intulit ori ejus, dicens: Cave deinceps, ne Sacerdotis, Senioris, Judicis, aut magistri te metus terreat ullus: quin potius interritus refer omnia, quæ a me tibi ex ordine jussa fuerint: et ne credas audaciæ tuæ moneo, ut vel unum silentio proprio tegas verbum: sed omeni quę personæ prout fuerit, rei veritatem, quam audis evidenter, præcipio pandas.

*in extasin raptus,*

*a S. Vedasto monitum cepit.*

3 Primo omnium juniori hujus Ecclesiæ Huberto Presbytero hujusmodi celer stude edicta referre: Præcave solerter, ne aliquando a cœptis lassescas, et ad ea quæ non prosunt olim divertas; sed cœptum iter tanta industria perseveranter conficere satage, ut ad metas ejus irreprehensibiliter usque pertingere queas. Deinde patruo ejus, Imbodo scilicet etiam hæc innotesce: Vacas enim sollicitudine in exterioribus rebus, et parvipendis nostræ utilitatem Ecclesiæ; sed nisi te ab hujusmodi sollicitudine propere correxeris, et quæ sunt apta Ecclesiæ nostræ restaurare studueris; scias et Domini et nostra usquequaque gratia carere, te majus tibi signum, quamquod ad præsens possides, adfuturum.

*dicenda Huberto Presbytero,*

*Imbodo S. [?]cereum[?] dote,*

4 Adalgiso autem, hujus Domino villæ, etiam ne ista quidem formides summa cum diligentia referre:

*Adalgiso villæ Domino,*

a Dagobertus

A a Dagobertus etenim inclytus quondam Rex Francorum, et conditor villæ istius, portiunculam quamdam terræ videlicet et vernaculorum sub b chartula et sigillo proprio nostræ contradidit Ecclesiæ: quæ usque ad improbi Echardi ævum, qui huic villæ præfuit, intemerata permansit: qui tandem ductus invidia, quod talis Ecclesiæ huic attributa foret donatio, auxit proprium scelus: et præfatam portiunculam dividens, unam partem sibi temere retinens, alteram vero eidem Ecclesiæ reliquit. Sed audacis hujus facti haud longe post meritam subiit ultionem. Nam subito Domini sui Regis privatus gratia, villaque amissa, omniumque solatio destitutus est. Ad extremum vero, dum tentaret jam senior equestrem exercere ludum, equo terratenus dejectus, fregit sibi infelix propriam coxam: ab illo etenim die usque nunc sustentaculo ligni proprium conficit iter. Quocirca et tu memor illius, ne similia quandoquidem subeas, omnia, quæ nostræ fuerunt, stude velociter restituere Ecclesiæ. Non enim ob id paupertate afficieris aliqua, si nostris in hoc parere tentaveris edictis; sed magis ditaberis, et lætior quippe quandoque efficieris. De calcis autem fornace, quam jussit contiguo loco in silva fieri, et de vicinorum auxiliis B efflagitandis ad opus aliquod peragendum, et laquearibus novis ponendis, et de ædificio peragendo, quod Herradus perficere conditor ejusdem ecclesiæ morte præventus nequivit, nihil tuæ Paternitati scribere judico: ne forte prolixitas ipsa fastidium gignat.

*Winfredo Judici,* 5 Intulit etiam ista: Sic et verbum ad Winfridum Judicem edicito mea ex parte: Ut non familiam loci hujus immerito excruciet: ne forte eamdem, quam Gillebertus olim expendit, qui eodem diu functus est officio, habeat pœnam. Nam et ipse, ut Echardus, præsidio ligni morte tenus proprium conficit iter. Reddat itaque et nummos undecim, quos ab Ebruino immerito sumpsit: qui scilicet Ebruinus, quia et ipse nostram ausus fuit inique proprio servitio subjugare familiam, intelligat se dextri luminis amisisse virtutem, filiamque propriam ita una corporis parte esse debilem, ut vix jam recuperationem adipisci amplius queat ullam. Nam et pro eisdem quippe mancipiis admodum jam dictus Hubertus, quando ab isto loco amota sunt, mœstus extitit, haud secus et Imbodus prius: nam postea ne Joannes, qui ejus neptem in matrimonio habebat, et aliquos ex eadem prosapia vernaculos, quos tenere videbatur, amitteret, assensum dedit. Suadente quidem Orico C majore, qui malitiæ hujus, aliarumque complurium caput extitisse probatur; qui et ipse pro hujusmodi infeliciter mulctatus, quotidie sceleris sui pœnas expendit meritas. *et Sacerdotibus* Præcipe etiam ex eisdem Sacerdotibus jam sæpe dictis, ut eos, quos sacramenti occasio subrepsit, per quam nostra sunt avulsa mancipia, sub arcta pœnitudine coerceant, et ad reconciliationis remedium quandoque reducant: ne forte simili suasione assensum aliquando præbere, et ad tam nefandum manus proprias extendere præsumant sacramentum. Tu vero deinceps omnia, quæ tibi præcepta sunt, evidenti narratione pandere sollicita: nec jam alicui amplius, nisi domui nostræ aliquid servitii impertire præsumas. Si enim Dominus hujus loci jam præfatus, te nostræ etiam proprio reddiderit Ecclesiæ manso, debitum cave quantum valet servitium. Si autem in hoc non evenerit, matricula tibi tantum sufficiat nostra. Non enim indigebis necessariis victus quamdiu nostris fueris subjectus ministris. In hæc quidem verba finem tandem fecit loquendi.

6 Jam vero aurora diei splendente cœpit idem ægrotus, Dagobertus videlicet, propriam alloqui leniter uxorem, interrogans eam, si haberet aliquid, *Æger petito cibo* quod comedi posset. Quæ cum se partem casei recentis habere respondisset, inquit ad eam: Affer D mihi, obsecro, simul cum eo et paullulum cerevisiæ, si habes, ut hauriam. *AUCTORIBUS MONACHIS S. VEDASTINIS EX MSS.* Quibus apportatis, comedit parumper. Qua quippe comestione confortatus, ad alterius diei, id est, sextæ feriæ auroram incibatus usque pervenit: qua plenius radiante, ait uxori suæ: Affer mihi, obsecro, solita calceamenta. Durum quidem mihi videtur, quod tam prolixo spatio ego et *dein vestibus,* parvuli mei hic sine igne consistentes, frigore nimio quatimur. Nam si plaustrum alicubi cum trionibus invenire quivero, cito me, onerato eo materia silvarum, huc affore videbis. Super quo illa admirans *ligna e silva adfert,* ac nimium stupefacta, sedibus hærebat in propriis. Ille autem cernens eam stupefactam, ait: Ne mireris, o conjux. Nam, quod dico, misericordia Domini, adjutus, et auxilio Patroni mei B. Vedasti, qui me præterita nocte confortavit suffultus, protenus impletum videbis. Quod et ita mox actum est. Nam, indutus solitis vestibus, sumptoque baculo, ac vicini sui carpentum mutuans, perrexit silvam: et, sicut prædixi, onerato plaustro, mox domum celer repedavit ad propriam. Quod tamen omnibus, qui hoc videre et audire potuerunt, valde mirabile visum est: quod is, qui tam prolixa ægritudine debilitatus, et ante triduum ad ultimum fuerat deductus tam subito E convaluerit, et tale quid ultra vires agere tentaverit: nec postea aliquid incommodi sustinuerit. *ope S. Vedasti sanatus,* Hoc tamen et ille, ut certum est, non suis viribus, sed clementia et suffragio B. Vedasti se profitetur egisse.

7 Nec tamen silentio et hoc tegendum autumo, quod *et ex blæso factus eloquens.* idem vir prius cum tardiloquus et blæsus extiterit, sed in hac revelatione tanta ditatus est copia fandi; ut plura nunc una queat hora recte exprimere verba, quam prius per totam unquam aliquatenus valuisset diem.

8 Audax et modicos Haimino pandere versus,
Incipe charta Patri, cujus tu rustica jussu
Mirandæ caussæ promisit, nempe notamen.
Ingenio non fulta licet, non arte salubri:
Nec studio quoquam tamen aude dicere tandem:
*Epilogus.* Vive valeque diu, Pater inclyte, munere Christi
Salvatus, semper tendens ad gaudia vera,
Noli, quæso, Pater, munuscula spernere nostra:
Parvula si videas, magna hæc dilectio mittit.

a *Duo fuerunt Dagoberti Reges, quibus Atrebates fuerunt subjecti, de quibus agimus 1 Februar. ad Vitam S. Sigeberti Regis, eum patre Dagoberto seniore, qui forsan benefecit Ecclesiæ Cathedrali Atrebatensi. Monasterium extructum est a Theoderico Rege ejus nepote: cujus itidem nepos fuit Dagobertus ultimus, qui regnavit ab an.* 711 *ad* 715. — b *Diploma illud necdum licuit videre.*

F

# a MIRACULA S. VEDASTI,

## FACTA DIVERSIS TEMPORIBUS,

### a Monachis Vedastinis collecta: *ex quatuor MSS. codicibus.* a

### PROLOGUS.

Luce clarius patet, dilectissimi Patres, Jesum Salvatorem a cunabulis mundi per Patriarchas prædictum, pueritiam orbis lege illustratam, adolescentiam b seculi a Prophetis vaticinatam, juventutem, ut ita dicamus, omnium elementorum ab ipso Redemptore de diaboli faucibus erutam, et instar imaginis incorruptibilis ad similitudinem Dei transformatam: et quod ipse per se gessit, quatuor mundi partibus per sua membra diffudit. Unde noverit Caritas dilectionis vestræ, beatissimum Vedastum nobis a Deo destinatum, virtutibus floruisse, religione viguisse, prodigiis coruscasse, et cujus meriti vixerit in mundo, quotidie signis demonstrari a Christo. Sed negligentia scriptorum, et desidia imperitorum, plurima videntur obnubilata, quæ fuerant ab Omnipotente collata. Nam ferrugine puerorum rodente stylum, inertia scabrosas reddidit adolescentium linguas.

a *Varius*

A AUCTORIBUS MONACHIS VEDASTINIS EX MSS.

a *Variis titulus præfigitur. In altero MS. Antverpiensi:* Incipiunt miracula S. Vedasti Episcopi in Translatione ejusdem legenda. *In altero:* Incipit præfatio de Virtutibus S. Vedasti diversis temporibus ostensis, sed nuper a Fratribus ejusdem cœnobii in unum collectis. *In MS. [illegible] hæc præponuntur verba:* Sequitur translatio beatissimi Vedasti Episcopi et Confessoris, et miracula quædam. *In MS. Audomarensi conjunguntur absque ullo titulo miraculis ab Ulmanno descriptis.* — b *Præfatio solum extabat in altero exemplari Antverpiensi. Est etiam in cœnobio Vedastino, quod non vidimus.*

## PARS I ELEVATIO
# RELIQUIARUM S. VEDASTI.

*Beneficia collata ægris. Pœna inflicta malevolis.*

CAP. I.

Sanctissimus igitur Vedastus postquam commune mortis debitum solvens, veteri suum Adæ chirographum reddens, ac Domino Jesu animam commendans, cœlestia regna petivit; jacuit beatum cadaver in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ annos circiter *a* centum viginti et octo. Dehinc translatum est a BB. Autberto et Audomaro in locum, ubi nunc servantur beata illius pignora. Sed tempore Caroli gloriosissimi Regis, filii Imperatoris Ludovici, peccatis B nostris promerentibus, infuderunt se Nortmanni intra Galliam *b* Comatam, vastantes universa, quæ sibi justo Dei judicio tradita sunt, et usque ad *c* nos irrumpere volentes, prohibiti sunt auctore Deo et precibus B. Vedasti. Sed quia nemo Deum tentare debet, cœnobitæ, nostri monasterii metuentes similia vicinis nostris, cum essent sub potestate Adalardi Comitis, adierunt venerabilem Antistitem *d* Theodericum, supplicantes ei, ut sua freti auctoritate, perquirerent ubinam essent pignora tanti Patris recondita, ut si, quod absit, vastarent locum, spes reliquiarum nobis maneret: et maxime quia ferebatur a majoribus neminem nosse, quonam in loco sepultus esset. Itaque auctoritate tanti Pontificis usi, statuerunt quæsitum iri ubicumque reperiri potuisset. Et præstante eo, qui suis pollicitus est: Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis, tandem invenerunt thesaurum, ubi spes habebatur. Profectum est ad Episcopum. At ille, ut erat benignissimus et summæ mansuetudinis vir, gratias agens Deo, actutum pervenit ad cœnobium. Quid dicam, quantus populorum conventus? quanta utriusque sexus confluentia nobilium undique et plebialium concurrerant? Quid plura? Levatus est C ille nobilissimus de cinere thesaurus, sexto Nonas Julii, Dominicæ Incarnationis anno octingentesimo quinquagesimo secundo, cujus anima lætatur in cœlis cum Christo. Venerabilis itaque Theodericus Deum laudans, et sacris sanctas tractans reliquias manibus *e* exultabat, quod patefecerit servulis suis Christus, quod diu occultaverat seculis. Cujus patrocinio munimur non solum a *f* Germanicis hostibus, sed et diaboli insidiis: cujus precibus credimus perventum ire ad indulgentiam peccatorum et æternorum perceptionem præmiorum. *g* Repositæ autem sunt reliquiæ beati viri sub sigillo Episcopali in eadem basilica, quoad fabricaretur crypta tantis pignoribus apta, ut, si similis nos tempestas, peccatis nostris promerentibus, occupaverit, facilius possint levari (quod Christus avertat) et comites fieri, imo duces fugæ et latibuli nostri.

*Corpus S. Vedasti a S. Autberto translatum,*

*a S. Theoderico Episc.*

Matt. 7, 7

*elevatur,*

2 *Julii an.* 852

3 Transactis autem ferme undecim mensibus, conventus iterum fidelium populorum, ut reponerentur reliquiæ Patris in suum loculum: concurrerunt et occurrerunt undique. Videres totam florere provinciam, et quasi post diluvium *h* Getarum tripudiare Franciam. Gaudebant omnes, lætabantur universi, ac si conspicerent, in corpore venisse Vedastum. Adest et Deo dilectus Antistes Theodericus cum Clero, fit lætitia, omnibus insultant hostibus, quibus auxiliatur Christus. *i* Reponuntur iterum D membra venerandi Patris Vedasti, in suum digno cum honore locum secundo Nonas Junii anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo tertio. Quis dicturus est, quanta inibi sunt collata a divitibus, a secularibus oblata, a devotis promissa.

*reponitur 4 Junii anni* 853.

4 Superveniente vero anniversario translationis die, fit conventus totius provinciæ, et nocturnas agentibus monachis vigilias, in medio vulgi aderat quidam pedibus debilis, ita ut calcanei natibus adhærerent. Et ecce subito, quasi a duobus tractus fuisset viris, solvuntur nervi, tenduntur venæ, fitque prolixus qui fuerat curvus. Adeptus est Vedasti precibus, quod non habuerat ex utero matris. Clamor populi attollitur, laudantium Deum et benedicentium *k* Dominum. Non credant his qui negant Christum de Virgine natum.

*Sanantur incurvus,*

5 Superest sanctimonialis servientibus Deo Fratribus deserviens in sarciendis vestibus, quam vidimus deferri contractam manibus suorum ad limina S. Vedasti, Kalendis Octobris translationis ejusdem Patris die, quæ ita reddita est incolumis, ut usque hodie membris omnibus videatur sana, et cicatricum non desint indicia. Et hoc dicimus propter eos qui E dicunt (sed absit ut dicant) hæc mendaciter ficta.

*contracta.*

CAP. II.

6 Olim gestum est, quod modo recitatur *l* Aminiacus dicitur fundus almi Vedasti super fluvium *m* Isam, in pago *n* Laudonensi. Quæ villa, quia procul erat a monasterio, omnes circum habitantes, sicut de Madianitis legitur, cum pecudibus, et quæcumque habere poterant, gregatim veniebant, vastantes et diripientes universa usque ad solum, nullo eis præbente auxilium. Qua necessitate quidam servulorum compulsus, sumpto victu venit ad monasterium, conquerens suam suorumque calamitatem. At postquam nil solatii suarum reperit querelarum, cucurrit ad tumbam Patris Vedasti. Ridiculum est, quod narro, fuit tamen verum. Exclamansque: Heus, inquit, Vedaste, si moraris hic in corpore, ut omnes fatentur, et habes aliquid honoris in cœlis, cur nos deseris? cur fruges tuas alieni diripiunt, et tua hostes pascua vineasque devastant? Nullus tibi defert. Nos tuos famulos, si panis fuissemus, forsitan absorberent. Et quoniam hic clausus es, longe non potes videre; non tibi molestum videatur, si vili gestatorio fruaris, atque hunc intra follem, ut videas la- F crymas miseriarum nostrarum. His et aliis querelis peractis, expandit peram coram sepulchro, resolvensque, Intra, inquit, ne moreris, humeris meis deferreris illæsus, et postea reverteris securus. Cerneres follem inflari, et quasi carnibus et durissimis ossibus fortiter impressis utrem impleri. Quod videns rusticus fide dives, credens se adeptum quod petierat, concito gradu ad sua revertitur. Projiciensque utrem in medio camporum inclamavit: Ah, ah, Sancte Vedaste, videsne, quomodo deripiunt adversarii, quæ tua fuere? Nullus tui nec tuorum miseretur. Cerne cunctos contra te confluentes. Mirum dictu, sed horrendum facto! Omnia pecora *o* concurrunt in se, et impetu facto tum dentibus frendentes, cornibus se appetentes, necnon pedibus totoque corpore vindicavere in sua viscera, quod admiserant in hereditate aliena; sicque dum vastaverunt, a semetipsis vastata sunt. Pastorum quoque quidam debiles redditi sunt, alii diversis cladibus attriti. Nam deinceps nullus incolarum voluit depopulari S. Vedasti prædia atque vineas, quæ tanta habebant præsidia.

*l*

*m*

*n*

Judic. 6, 5

*Depopulati agros S. Vedasti,*

*rustico ad sepulchrum ejus peregrinato,*

*o*

*puniuntur cæ.*

7 *p* Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo quinto, contigit miraculum meritis Patris nostri Vedasti, quod narro. In Britannico mari, quod nobis vicinum est, soliti sunt piscatores simul proficisci piscatum, ad capiendam balenam. Et accidit altercatio prioratus inter nostros et aliarum

*p*

*Piscatores irridentes S. Vedastum,*

A rum potestatum nautas, recusantibus illis consortium nostrorum, nisi darent solidos contubernii. Negantibus hoc nostris, conglobati omnes, qui de diversis Ecclesiis illic erant ad piscandum, subsannaverunt nostros, sicut pueri Bethel Heliseum calvum dicentes (4 Reg. 2. 23): En vestra apparebit piscatio: capietis integrum cete, quod præsentetis monachis vestris, quod hactenus non sunt contemplati, qui nec decimam partem adipisci meruerunt, et hoc ipsum nostra donatione. Mox itaque intraverunt mare, fidentes in multitudine navium et numerositate sociorum, sed spes in hominibus frustra est: quia non solum piscium nihil adepti sunt, verum cum magno evaserunt periculo. (*nihil capiunt*,) At nostri commendantes se Deo et beato Patri Vedasto, cum voto et duabus naviculis, non dubitaverunt vitam committere ventis. (*colentes, copiosam habent piscaturam.*) Et qui semper adest invocantibus se in veritate, quique Petro piscanti adduxit piscem cum auro, piscem servis suis dedit immanem. Tunc partes, quæ unicuique piscantium ex more debebantur, miserunt ut voverant, Fratribus et B. Vedasto argenti solidos duos, quot statuerant. Et, ne cui incredulum videatur, gestum est *q* primo Imperii anno gloriosissimi Ka- B roli, filii Imperatoris Hludovici, regni autem ejus trigesimo sexto, Indictione nona. Non credant istud, qui negant Jonam inobedientem *r* ventre ferino vectum ad regiones, quas ignoverat.

CAP. III.

8 Intercessione meritorum S. Vedasti etiam Britannia, quæ, ut scriptum est, nihil aliud noverat, nisi barbarum frendere, olim cœpit et Christum venerari, et Sanctos illius debito cum honore supplicare. Accidit autem, ut quidam Scottigena adiens monasterium, in quo venerabile corpus Beatissimi diem præstolatur et horam, qua remeante spiritu Sanctus in terra sua possideat duplicia, petivit humiliter, ut sibi reliquiæ darentur, in quarum memoria construeret basilicam in Scotia. (*Ablatis a sepulchro pulveribus in Scotiam,*) Quod cum negaretur ut advena, et ut impostor haberetur, accessit cum fidei puritate ad altare Dei et tumulum Patris Vedasti. Tunc pavimenti colligens cineres et pulverem, qui scopantium effugerant manus, revertitur ad sua. Quid plura? Fabricat Ecclesiam pro viribus suis et collatione fidelium. Habebat itaque idem bonus vir alvearia plena mellis et apum pro foribus basilicæ B. Vedasti. (*erecta S. Vedasti ecclesia*) Et ecce subito noctis initio, cum sibi mortales indulsissent quietem soporis, adest fur, irrumpit locum, vult sibimet possidere, in C quo noluit laborare. Et dum studuit prædari, præda factus est. Stat miser, onustus honore alieno, non honoratus propria calliditate: fit latro immobilis, nec latere poterat. Videres hominem velut simulachrum exanime, dum nec sine rapina nec cum ipsa gressum movere poterat. Cumque galli cantus instaret, surgit senior ad pulsanda matutinorum signa: invenit quod volebat et nolebat. Cognita autem re præcepit latroni, ut cum ipso mellis vase operiretur, quo ad vicini congregarentur: volens miserum Judicibus tradere puniendum. (*fur immobilis factus.*) Dein cum cubitum isset Scottus, apparuit illi senex pulcherrimi vultus et venerabilis *s* calvitiei, dicens: Nil pœnarum inferas illi misello. Christus illum *t* vinxit, non tu: et ego absolvo eum in nomine Jesu. Noveritis quoque me non vocari Badastum, sicut vestra barbaries solita est nuncupare, sed Vedastum. Et ecce subito, soluta sunt dicto citius vincula, quibus tenebatur reus occulte ligatus. Dimissoque vale, discessit illæsus. Et si quis curiose seu pervicaciter scire desiderat, unde nos ista scisse contigerit, respondemus: Nobilissimus illius indigena *u* soli, nomine Echo, relictis parentibus, abdicato patrimonio, voluntariam adgressus est peregrinationem. Nam pater illius ex regia prosapia ortus, inter primores provinciæ secundus post Regem extiterat. Quod non solum ab illo comperti sumus, qui quanto generosior habebatur, eo D vilior et pauperior videri volebat, sed et ab omnibus accolis Scoticæ telluris audivimus. Nam et hodie cognatus Fratris *x* Echonis nobiliter Scottorum sceptra gubernat. Ipse quoque religiosissime in nostro vivens cœnobio, triginta circiter annos, Christo vitam finivit. Ipse nobis sæpissime fassus est, hanc virtutem in istiusmodi verissime peractam.

9 Omissis Britanniæ vel marinorum fluctibus, revertamur ad Francigenarum agros. Dominus Vedastus quanto suavis est mitibus, tanto severus apparet pertinacibus. Temporibus *y* Hlotarii Imperatoris, filii Hludovici Cæsaris, devenit abbatia Patris Vedasti in manibus Adalardi Comitis. Et dum *z* villas Sancti suis impertiret, quidam prædives fundus, nomine Ymburius, mancipiis nobilior suis, et pascuis uberrimis, traditus est cuidam *aa* Lethardo usu beneficii. (*Tyrannicus villæ S. Vedasti possessor,*) Qui adeo grassatus est in familiam, ut minaretur universos ad mendicitatem perducendos, et qui majores in eis videbantur, pannis suarum uxorum operiendos. Uxor quoque eadem tenebatur acerbitate crudelitatis, et quia, sicut Propheta dicit, a planta pedis usque ad verticem non fuit in eis sanitas, ultio divina subsecuta est. Nam jusserat cunc- E tos adire locum, quo proprium videbatur habere possessionem. Quod renuentes, non propter superbiam, sed ne in consuetudinem haberetur, furibundus interminatus est, id acerbiter vindicandum. Tunc omnes mœsti confugerunt ad limina Sancti, conferentes cereum miræ magnitudinis. Quadam igitur die dum sederet, et satellites sibi astarent, horribili voce clamavit: eheu, quis me interficit? succurrite, adjuvate, ferte præsidium. En quidam adversarius in figura Clerici, appetit me mortificare. Et mox cunctos tantus pavor invasit, ut relicto Domino fugarentur, præter villicum ejusdem loci, nomine Rimundum, quem nullus occupaverat horror, a cujus hausimus ore, quod notamus calamo. Ipsa quoque torva inclamatio repetita est tertio. Eadem tempestate mortua est soboles, quam habebat unicam. (*punitur morte prolis et uxoris,*) Post hæc uxorem tantæ crudelitatis adjutricem languor invasit, ita ut (fama est) crustæ lardi superponerentur linguæ oris illius, et exponerentur quasi carbones nigræ: hoc dicitur cruciatu vitam finivisse. Tunc isdem Lethardus febre correptus, sed mente correptus iniit fugam quasi non esset reperturus mortem, imo reperiendus a morte. Fatebatur jam dictus noster villicus juratus F catervatim coisse corvorum multitudinem, et cornicum super illum crocitantium. Canes quoque ferebat immensos dedisse latratus ad illius discessum ad unam usque leugam. Utrum diabolica fuerit subsannatio, an fortuito fuerit auditum, non est nostrum judicare. Tandem perveniens, quo tendebat, cœpit in dies fieri debilior. Tunc, ut alter Pharao, obduratus mente, non prospiciens instare sibi ultionem Divinam, jussit parari convivium solenne, trigesimum ut putabat celebraturus uxoris diem. Adest dies statutus, et ecce moritur Lethardus secundum nomen suum, si ita volueris compositum *bb* ex Latino (*propria*) et Teudisco, mors dura, quam non sibi optamus, et prandium, quod paraverat, in suis exequiis expensum est. Sicque factum est, ut usque hodie ipsa villa omnibus sit Dominis reverenda, scientibus B. Vedastum Pontificem suorum fore defensorem, adjuvante Christi gratia, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen. *cc*

a *Ita MS. Atrebat. quos annos supra § 5 probavimus. In Duacensi annos* centum decem et octo. *Audomaren.* centum quadraginta novem. — b Gallia Comata *tribus divisa erat populis Aquitanis, Celtis et Belgis, in his erant Atrebates.* c Normanni anno 851 monasterium S. Bavonis Gandavi incenderunt, venientes urbem Rotomum usque (*ea est Rotomagum*) ad Belvacum pedestri pede pervenerunt: qua incensa cum redirent, aliqua ex parte profligati sunt. *Ita Annales Bertiniani. Erant autem Atrebates medii*

*AUCTORIBUS MONACHIS VEDASTINIS EX MS.*

A *media inter dictarum civitatum populos.* — d *Colitur* S. Theodericus *Ep. 8 Augusti. Aqui de eo Baldericus lib. 1 cap. 41 et sequentibus.* — e *Ita MS. Antverp. quæ in aliis plurimum contorta erant.* — f Dania, *unde Nordmanni venerant, Germaniæ magnæ pars erat, ubique fere Germanica lingua loquebantur. De Normannis eorumque incursionibus egimus 3 Februarii ad Vitam S. Anscharii, et alibi sæpe.* — g *Baldericus cap. 42 ait,* Theodericum quæsivisse et invenisse, *dicit facultate ad id non aliter convenisse;* inventum vero ita parasse, ut si forte metus Danorum urgeret, fugientes aliorsum deferrent. — h Getæ *accolæ Danubii, vicini Dacis, quos imperitiores cum Danis confundunt, uti alibi Gothis cum Gothis. Hic pro Normannis accipiuntur, quorum victui, et non parva, eran Gothi. De ea confusione iterum agimus 12 Februarii ad Vitam S. Benedicti Abbatis Anianæ et Indensis.* — i *MS. Audomar. interpres hoc en phonema.* Pro nihilo habent Nortmannos, quos fovet ipse Vedastus *deest in aliis MSS.* — k *Idem MS. addit:* qui est mirabilis in Sanctis suis. — l *Ita MS. Antverp. ad Duac.* Amasiacus. *Audom.* Autumacus. — m *Isa fluvius, aut forte* Isara; *(quod nomen a Romanis appellabatur* Aisia, *sive* Oesla), *aut fluviolus aliquis vicinus.* — n Laudunum, *seu* Lugdunum Clavatum, *urbs Episcopalis Provinciæ superioris in confinio Campaniæ, inter Laudunenses et Atrebates interjacent Veromandui.* — o *MS. Duac.* corruerant. — p *Peccationis hujus in MS. Antverpiensi nulla mentio.* — q *Coronatus est Carolus Calvus Imperator a Joanne Papa VIII ipso Natalis Christi die exeuntis anni 875.* — r *MS. Duac.* vento sereno. — s *Idem,* cantilei. — t *MS. Audomar.* punxit *Duac.* vexat. — u *Duac.* poli. — x *Idem MS.* S. Ethonis. — y Lotharius *perfuit Imperio ab anno 840 ad 855.* — z *Alii* Ylturus et Iburius. — aa *Alius* Letardus, Leotardus et Liethardus. — bb Letum *scilicet Lunis mors est, et* hardt *Teutonibus durum?* — cc *Hic finit prior collectio, cui videntur postea reliqua accessisse.*

## PARS II.

### *Alii injurii S. Vedasto puniti. Miracula Bellovaci facta.*

B

Temporibus *a* Pippini et Karolemanni Principum *b* Adalrico ejusdem monasterii Abbate, Comes Atrebatensis provinciæ, nomine *c* Theutbaldus, ambiebat Fratribus auferre quamdam culturam cum horto, quia sedes comitatus videbatur in *d* Domonica curte, cui villæ proxima erat ipsa cultura et hortus, sicut et usque hodie permanet. Quæ postea industria *e* Adalrici Abbatis, qui fuerat prolatissimus illis temporibus *f* medicus, tradente *g* Karlomanno Principe, cessit usibus Fratrum. Cumque mœrentes convolarent ad Deum et suum Vedastum, non sunt fraudati desiderio, quod petierunt cum voto. Nam isdem Comes dicitur adiisse *h* Principem, rogans mitti viros a latere suæ auctoritatis, qui pauperibus vim Fratribus inferrent, et suæ satisfacerent cupiditati. Jussusque est *i* Remensis provinciæ Comes his interesse altercationibus. Quadam igitur die cum post quietem æditus basilicæ S. Remigii, vir bonus et justus, inibi solus excubaret, audit quemdam voce flebili Sanctum inclamasse Remigium. Quo interrogante, Quis es? Frater, inquit Vedastus: Misisti me, Pater sancte, verbum Dei prædicare Gentibus incredulis, quod et feci gratias Deo: et ecce conglobati palatii Proceres auferunt matricularis, quod collatum est a fidelibus. Vade dixit S. Remigius, convoca Fratres et cooperatores verbi divini vicinos tibi, *k* Audoenum scilicet et Audomarum ut audiant, Bertinum cum Vulmaro et reliquos *l* maritima possidentes loca. Nec relinquas *m* Amandum; Quintinum accersi, Gaugericum suade cum gaudio venire, electus Eligius nostro non desit placito, Lucianus cum *n* luce veniat. Ipse mihi assumam B. *o* Martinum, cum Sanctis Aquitanum incedentibus, necnon *p* Medardum suos medentem, *q* Sutores quoque Augustæ Suessionum utrosque adsciscam germanos, *r* Dionysium cum suis advocabo, atque ita preperabimus in occursum tui. Quibus auditis custos Episcopo nuntiat mane. Adest et Comes, socii satisfacturus precibus. Pontifex refert Comiti quod audierat a Fratre. At ille stomachans subsannat, monachum vino sepultum narrasse somnium, et cum suis iter decrevit carpere. Et conscendens equum, ut pervenit ad ædem, in qua visio apparuit, cecidit et fracto crure manibus suorum perlatus est domum. Ast Theutbaldus, delator Fratrum, auctor tot querelarum, statuto die sessurus sonipedem, musca nares intravit et tam diu calcitravit, donec dominum terræ dejiceret, et mox fracto collo mortuus est. Sicque Fratres usque in hodiernum diem, suas res sine molestia quiete possident.

*Comes Theutbaldus hortum monasterii ablaturus,* — *obsistentibus Sanctis vicinis,* C — *collapsus moritur.*

D

11 Divina sancitur auctoritate, duorum testimonio vel trium verbum fieri ratum. Matth. 18, 16 Beatissimus noster Vedastus non contentus suis subvenire, sed et longe, ut dictum est, lateque peragrans, Christo largiente, famam suæ liberalitatis diffundens; Bellovagum adiit, *s* atque quadrivium occupavit more sibi solito, cum nusquam sibi invenias *t* circuitis Galliis basilicam suo dedicatam nomine, nisi in publico aggere. Cumque multo tempore veneraretur ab incolis, et maxime religiosis monachis et Canonicis, necnon sanctimonialibus memoria venerandi Patris, qui de silice produxit aquam, et ex nihilo vinum, ad laudem sui nominis oleum inibi manare præcepit. Cumque omnibus id foret admirationi, quidam supervenientes pro nihilo ducentes, cœperunt, habere contemptui. Et dum hæc gererentur, videntibus cunctis et qui mirabantur, et qui dubitaverant, exilivit usque ad solum quidquid olei videbatur haberi in lampade, et statim cœlitus purissimo *u* repleta est olivo, et divino accensa est lumine, ut nulli dubitarent verum fuisse, quod antea dicebatur. Unde factum est, ut Dominus *x* Bildemannus, et universi successores Bellovacensis Ecclesiæ inde sumerent oleum, tam ad baptizandum, quam ad infirmorum unctionem, adjuvante gratia Dei, Amen. E

*Bellovaci in templo S. Vedasti oleum et lumen divinitus datum.*

12 *y* Quædam mulier inibi degens voverat beato Pontifici Vedasto linteum valde bonum. Cumque sibi finem vitæ cerneret imminere, præcepit illud filiæ loco deferri destinato. At illa cupiditate ducta, ut mos est fœminis, deterius, *z* imo comparatione illius pessimum altari superposuit. Cumque eum sua egrederetur fraude, linteolum divino nutu projectum est ab altari. Videres cum impetu volasse rem insensatam, ac propriam requirentem dominam. Cumque tertio repositum esset altari, et tertio rejectum conventa est mulier, et publice confessa, reddidit Sancto, quod abstulerat furto.

*linteum voto deterius oblatum, ter ab altari avolat:*

13 Naturale scitis esse, cuncta vetustate consumi. In eadem basilica Bellovagi in honore B. Vedasti consecrata, paries lapideus ab una pene decidens fronte spatio unius cubiti quotidie lapsum minabatur. Conveniunt quibus locus fuerat commissus. Nam pauperum hospitale totius Episcopatus inibi summa cum diligentia custoditur. Et cum sollicite quæritur, utrumne destruatur murus, et ex integro reædificaretur, an cuneis et arte mechanica fulciretur, dormitum est. Et crastino paratis omnibus quæ forent necessaria tantis impensis, cernunt firmissime parietem, qui labebatur, erectum et suis compactum gressibus cohæsisse parietinis sociis. F

*paries subito firmatus:*

14 Rodente temporum antiquitate, deciderat tectum basilicæ S. Vedasti, in eadem urbe positum. Collatum est undique ac refabricatum, quod fluminis more defluxerat. Superfuit materies perquirenda, cujus longitudo non erat facile reperienda. Et ecce quidam opibus pauper, fide locuples, dixit se habere quod quærebatur, impositumque plaustro advexit illo: mensuratum a fabris et inventum est breve. Tunc mœsti, qui videbantur lætabundi, tandem respiciente corda illorum, qui respexit Petrum negantem, pura fide ad materiem præparandam accesserunt. Et, sicut testantur hodie per Deum et S. Vedastum, qui præsentes affuerant, inventa est crevisse plusquam necessarium illi foret loco. Præterea multas Dominus operatur virtutes meritis B. Vedasti in illa basilica, fide poscentium. Cujus et nos precibus adjuvari credimus, per Dominum nostrum Jesum Christum, una cum Patre et Spiritu sancto, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

*tecto reficiendo materia mire accrevit.*

a Mortuo

A a *Mortuo Carolo Martello anno* 741 *successerunt duo filii Pipinus et Carolomannus, secluso fratre Grifone natu minore, Suanhilde matre nato. At Carolomannus anno* 747 *in Italiam profectus, institutumque monasticum amplexus est. In MS. Audomar. nulla facta Carolomanni mentione habetur* Temporibus Pipini Regis : *qui in ea dignitate vixit ab anno* 752 *ad* 768. — b *Videtur legendum* Romano Abbate, *qui præfuit Vedastinis ab anno* 743 *aut sequente, ad* 747, *quo Carolomannus imperium deposuit.* — c *Aliis* Theobaldus et Theodbaldus. — d *Franc. le Bur in Tractatibus monasticis MSS. ex Chronico Marchianensi refert an.* 743, *quo* Romanus *erat Abbas*, Dominicam curtem a Carolomanno traditam B. Vedasto. — e Adalricus, *aliis* Adalericus, *ut habet Chronicon Vedastinum apud Locrium, præfuit ab an.* 747 *ad* 763. — f *In Chronico Marchianensi MS. hæc leguntur ad an.* 747 : Adalricus, arte medicinali peritissimus, Atrebatensium Abbas efficitur. — g *MS. Audomar.* Pipino Rege. — h *Idem MS.* iterum Regem : *at alia MSS.* Principem *ubique habent.* — i *Flodoardus in Historia Remensi plurimorum Comitum meminit, qui ei provinciæ præfuerunt.* — k *Coluntur hi Sancti*, Audoenus 24 *Augusti*, Audomarus 9 *Septembris*, Bertinus 5 *ejusdem* ; Vulmarus 20 Junii. — l *Alcuinus in Vita S. Richarii Abbatis* maritimam Franciam *statuit* a Scalta fluvio usque ad Sequanam, *atque ita reliquias a S. Vedasto convocandos includit Sanctos.* — m *Coluntur et hi Sancti*, Amandus *hoc* 6 *Februarii*, Quintinus 31 *Octobris*, Gaugericus 11 *Augusti*, Eligius 1 *Decembris*, Lucianus 8 *Januarii*. — n *MS. Audomar.* cum Lucio veniat : *potius si socius adfuisset*, Maximianus Presbyter et Julianus Diaconus *socii* S. Luciani *fuissent*. — o *Colitur* S. Martinus 11 *Novembris. Turones Aquitanis vicini, cum illis subfuerunt Gothis.* — p S. Medardus *Episc. Noviomensis colitur* 8 *Junii.* — q *Sunt hi* SS. Crispinus et Crispinianus *Patroni sutorum, apud Suessiones martyrio affecti : coluntur* 25 *Octobris. Hinc liquet Noviomenses et Suessiones non censeri inter maritimos Francos.* — r *De* S. Dionysio *et sociis agemus* 9 *Octobris.* — s *In MS. Audomar. interponebantur hæc verba* : Allatæ sunt reliquiæ ipsius : *quæ melius desunt in MSS. Duacensi et Antverpiensi.* — t *MS. Duacense*, in cunctis. — u *Sanssonius ad* 5 *Julii ait*

B lampadem ante hierothecam positam exhausto oleo sine ullo pabulo ardere et rutilare visam esse. *Ita male præmittit corpus S. Vedasti tunc Bellovaci adfuisse, quod post* 50 *et amplius annos eo primum translatum est.* — x *Adfuit* S. Hildemannus *S. Adalardo morienti an.* 826, *ut dictum* 2 *Januarii ad hujus Vitam, et subscripsit depositioni Ebbonis Archiepiscopi Remensis anno* 833 : *colitur* 8 *Octobris.* — y *Reliqua desunt in MS. Antverpiensi : postea adjuncta.* — z *MS. Duacense* nimio.

# HISTORIA TRANSL. S. VEDASTI.

## BELLOVACUM, DEIN ATREBATUM,

### auctore monacho coævo,

*Ex MSS. Vedastino et duplici Antverpiensi.*

### PARS I.

*Narratio rei gestæ.*

Valde dignum est, Fratres carissimi, ut in hac præsenti solemnitate beatissimi Confessoris Christi, ac carissimi Patris nostri Vedasti, omnipotenti Deo devotas laudes et gratias persolvamus : ne forte, si ejus beneficiis ingrati fuerimus, pro tali tantaque contemptus insolentia, necnon veternosa negligentia, ab illo gravius judicemur. Magnum siquidem beneficii munus nobis hodie Dominus præstitit, quando sanctissimum Vedastum Patronum nostrum diu sublatum, diuque desideratum, nobis restituendo reddidit. Quis, rogo, sermo, quæve mens concipere potest, quanta tunc hilaritas, quanta tunc jocunditas omnibus hoc in loco fuerit ; cum proprius Dominus, Sanctus scilicet Vedastus, ad proprium locum, unde (pro nefas,) per aliquot tempus peregre exulaverat, per relationem sui corporis jam jamque reverti dignaretur? Nulli prorsus dubium est, quin (heu, pro dolor!) unum pro peccatis nostris accidit, aliud vero nihilominus miserante ac tandem repropitiante Deo nobis servis suis divinitus contigit. Quod autem sublatus est, nostra fecit miseria, quod vero receptus, miserentis Dei factum est misericordia. Sed utinam, atque o utinam, numquam deinceps tam grande tamque grave malum permittat provenire Omnipotens. Verum jam summatim ac breviter dicatur, qua necessitate cogente idem terque quaterque beatissimum corpus Bellovagum delatum sit.

Solennitas recepti corporis S. Vedasti recolenda

C

2 Igitur postquam divæ memoriæ *a* Carolus Rex, et ad ultimum Imperator Augustus, qui fuit filius Ludovici æque Imperatoris, filii videlicet Magni Caroli Regis et Imperatoris, ex hac vita discessit ; *b* Ludovicus filius suus ei in regnum, nulla obstante hæreditario jure, successit : qui etiam paullo plus uno anno vitales auras carpens, hominem celerius exuit. Quo terris sublato, et, quod minime decuit vel debuit, Principibus inter se et contra se pro constituendo Rege edivisis, audientes Northmanni hanc regni desolationem (nam fama, malum quo non velocius ullum mobilitate viget, hanc illis nuntiaverat) omnes pene de suis finibus egressi, atque mare Oceanum trangressi, *d* Gallias intraverunt ; sed fines nostros, quia marinis littoribus proximiores erant, primitus invaserunt. Quibus cuncta ferro et igne depopulantibus, neminem vivere sinentibus, monasteria et cetera loca sancta evertentibus ; hoc monachi pavore consternati, et futurum prospicientes periculum (præsertim cum adhuc locus monasterii hujus afforet immunitus, nec muris esset circumseptus, nec saltem vallo circumdatus) assumpto in humeris locello, in quo ossa sancta recondita erant, actutum fugæ præsidium inierunt, et Bellovagum petierunt : quo devenientes, non *e* modicum temporis spatium ibidem exegerunt. Denique ut hæc profectio, si id necessitatis incumberet, absque alicujus moræ dilatione liberius atque expeditius posset peragi ; jam pridem hoc futuri mali presaga mente monachis prævidentibus, Antistes illorum venerabilis vir ac totius sanctitatis Pater, nomine Theodericus, eadem sancta ossa de nobilissimo mausoleo fossa humo elata *f* exposuerat ; atque in ipso jam dicto locello eumdem thesaurum omni auro Arabico pretiosiorem, honorifice commutando posuerat : susceptas ergo apud Bellovagensem civitatem has sanctas reliquias, cum summo gaudio et debita veneratione gloriosissimus *g* Odo tunc ejusdem Sedis Episcopus, quondam vero Corbeiensis monachus et Abbas, et dum Carolus Rex vixit, gloriosissimus in palatio.

a Post mortem Caroli Calvi,

b et Ludovici filii,

D

AUCTORE COÆVO EX MSS.

c

d Nordmannis irrumpentibus,

defertur corpus S. Vedasti Bellovacum :

e

E

f honorifice ab illius Episc. excipitur :

g

3 Postea evoluto aliquanto tempore, hoc est, post bissenos semis et eo amplius annos, jam monasterio muris circumsepto, turribus affirmato, vallorum ambitu circumdato, monachis etiam ex diversis patribus ad illud revertendo coadunatis, quærebatur, tractabatur, consiliabatur ; quatenus S. Vedastus ad suum reportaretur locum et proprii juris prædium. Quoniam illo absente nil boni, nec spes cujusquam boni ibi videbatur haberi : imo indies omnia retrograda erant, et in deterius cuncta diffluebant. Itaque cœnobitæ pro hoc exercendo negotio adierunt proprium Pontificem, non minus bonum quam doctum, nomine Dodilonem (qui olim ejusdem monasterii monachus atque Præpositus ab omni Clero et populo electus, velut alter *i* Gregorius, de monasterio *k* expellitur, dehinc canonice Episcopus ordinatus, gregis Christi Pastor efficitur) qui desiderium monachorum perpendens, ac preces illorum benigne suscipiens, ut erat benignissimus et in Dei rebus valde strenuus, votis precantium minime abnuit, imo magis consensit, favit, consuluit, atque suum iter non distulit. Quapropter certatim undique secus Bellovagum itum est. Ut autem illo perventum est, excepit eos honorifice et affatim humane *l* Honoratus, ejusdem urbis honorabilis Episcopus. Sanctum pignus, quod repetebatur, negare non potuit, retinere nequivit, ideoque licet invitus reddere non distulit. Voluisset tamen si potuisset, numquam tanto in sua vita carere bono. Hospitium vero illis præbuit, hospitalitatis jura non denegavit, obsequio juvit. Porro illius tanti Sancti, sæpe et semper cum honore et amore nominandi, Vedasti, prout potuit, cessit honori : quin minus, quam quod dignum erat, circa ejus honorem explere satagere demum cum regredientibus egressus est, cum repatriantibus longius comitatus est. Tota etiam civitas cum hymnis et laudibus illos prosecuta est, cantantibus et dicentibus omnibus : Via justorum recta facta est, iter Sanctorum præparatum est. Deinde quando venerabilibus Episcopis sibi in via vale mutuo dicentibus,

refertur post annos 12

h Dodilone Episc. Cameracensi,

i k

F

l permittente Honorato Episc. Bellovacensi,

et aliquo usque comitante.

A bus, Honoratus Episcopus cum suis ad sua reversus est, noster vero Pater et Pastor Dodilo cum suo comitatu cœptam carpebat viam.

*AUCTORE COÆVO EX MSS*

4 Videres ergo illud confici iter sine labore, absque difficultate, sine ullo impedimento, cum magna animorum alacritate, cum jocunda lætantium jubilatione, cum suavissima aeris tranquillitate. Quid plura referam? Præ amore illius dulcissimi Patris, qui portabatur, cuncta dulcia et suavia erant, nec aliquis gravabatur labore. Tandem quarto die egressionis a Bellovago, in Dominica die, Idibus mensis Julii, Domini misericordia nos adjuvante, Atrebatum ingressi sumus, deferentes S. Vedastum benignissimum, amantissimum Dominum, atque desideratissimum in ipsum venerabile et augustum templum, quod sibi fieri ab Angelis jussum est hominibus. Sed quis enarrare, quis æstimare possit, qui concursus et occursus populorum illic fuerit? Quot millia plebis illuc convenerint? Quæ facies rerum, qualis dignitas vel pulchritudo nobis tunc visa sit? quæ si ab inferis Maro emersisset; et noster Augustinus, ille Doctor egregius, orator facundissimus, flumen eloquentiæ, quod de cœlesti Paradiso profluens, omnem terram irrigat imbribus æthereis : si inquam,

*Recipitur Atrebati*

*maxime omnium concursu,*

B ille et ille affuisset, ad talem tamque admirandam gloriam depromendam, uterque elinguis obstupuisset, atque obstupescendo subticuisset. Quippe aderat, non parva monachorum caterva, aderat et multiplex conventus Canonicorum, Presbyterorum, reliquorumque Clericorum, aderant viri cum mulieribus et parvulis, juvenes et virgines, senes cum junioribus, ibi laudabant nomen Domini. Jam de agris et villis, per quas commeavimus, nemo subsedit, qui non cum lætitia sanctum sequeretur feretrum. De tota etiam ipsa parochia nullus se subduxit, qui ad hanc tam gloriosam non conveniret susceptionem. Omnes pariter excelsa voce Deo gratias cum Kyrie eleison referebant, Gloria in excelsis Deo cantabant, Te Deum laudamus personabant. Nihil ibi nisi laus Dei audiebatur. Credo quidem (nec vana fides) quoniam numquam et nusquam illo die lætior dies eluxit in terris. Præ nimio siquidem gaudio a plurimorum oculis fontes defluebant lacrymarum, nec tanto gaudio explere mentem valebant. Quis enim, rogo, tam saxei pectoris, vel quis tam ferinæ mentis esse poterat, qui in his et de his non compungeretur, atque in dulcissimas lacrymas non deflecteretur? O quanta rerum

*et gratiarum actione :*

C immutatio! Pro certo tunc in nobis completum est illud Davidicum : Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Nimis quidem ægre et nimis diu doluimus, lacrymavimus, tristati sumus; at nunc ex sententia res nobis cuncta geruntur.

*Psal 125 5*

5 Tali modo talique jubilatione cum exultantibus Angelis, qui sine dubio semper assistunt Divinis officiis, cum hymnis et laudibus ad sidera usque personantibus (nam totum cœlum ita plenum erat dulcisono jubilo, sicut nudatum fuerat omni mœstifero nubilo) in jam dictum templum illud sanctissimum corpus referebatur, ac perferebatur : de qua re sic tripudiabant cuncti, quasi vivus adesset B. Vedastus. Sed venerabili feretro, ut decebat, supra altare posito, omnibus rite ac solenniter compositis, reverendus Pontifex adorsus est Missas, qui deinde perveniens ad prædicationis locum, sermonem fecit ad populum, imo magis omnibus viventibus atque vivere quærentibus amplectendum; locutus est de Deo, locutus est de regno Dei, locutus est de fide Catholica, locutus est de vita æterna. Proposuit etiam exemplum cunctis Christicolis imitandum beatissimum Vedastum : in quo licet omnes virtutes placidam sedem habuerint, tamen caritas in illo magis eminuit, quæ a puero ejus vernula virtus fuit. De qua et de tota vita ejus, nec non et miraculis, ut affatim affabilis

*eo in ara posito,*

*sub Missa*

*concionem habuit Episcopus,*

*de virtutibus S. Vedasti,*

erat, retractans, nonnulla sancta et utilia prosecutus D est, et euntem plura loquendo detinuit sermone diem. Quæ vero suspiria, qui singultus, quæ ubertas fletuum illic tunc fuerit, nemo est qui sufficienter dicere possit. Deus enim omnium illorum corda visitaverat, et ad tam piam exhortationem benignissimi Doctoris, cui lacrymanti conlacrymabant, respectus Divinus illos interius inflammaverat.

6 Præterea quando in hujusmodi sermocinationis epilogo exhortatus est, suasit et admonuit Dominus Pontifex, ut hic dies Relationis corporis B. Vedasti ad proprium locum omnibus annis celeberrimus ageretur, atque in prædicto die, Idibus Julii mensis, ut ab omnibus sublimiter et solenniter hæc festivitas observaretur, divina et Episcopali auctoritate sanxit et statuit. Quod ut fieret, ore omnium se velle conclamatum est. Præcipue tamen ipsos monachos super hoc negotio compellatus est, ne ullo genere hoc statutum negligerent, quos de tam pii Patris præsentia semper gaudere oportebit : qui ejus numquam adminiculo carebunt, si eorum nimium gravis reatus non fuerit.

*et statuit diem Relationis Idibus Julii recolendum,*

7 Post hanc vero allocutionem et Missæ celebrationem Dominus Episcopus, data benedictione, dimisit in pace populum, qui omnes cum magno gaudio reversi sunt ad propria, laudantes et benedicentes Dominum in honore beatissimi Vedasti, senioris E et Protectoris nostri : cujus sanctitatis dignissimis precibus apud Dominum promereri tota devotione deposcimus, ut numquam ab eodem Patre semoti illuc perveniamus, quo eum perventum ire cognoscimus, videlicet ad beatissima ac felicissima æternæ vitæ gaudia, atque immarcessibilia semper virentis Paradisi amœnissima pascua : ubi in floriferis sedibus collocati, omnique spiritalium aromatum fragrantia delectati, Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, pro nobis hominem factum, cum Patre suo et Spiritu sancto, laudare, benedicere, glorificare, misericordias ejus in æternum cantando, valeamus : atque de ejusdem omnipotentis Dei dulcissima, exoptatissima, suavissima continua visione, quem tum facie ad faciem videbimus, cum Angelicis choris et omnibus Sanctis sine fine gaudere mereamur : cui soli est honor et gloria, laus et jubilatio potestas et imperium, decus et omne bonum, per infinita secula seculorum, Amen.

*ac data benedictione dimisit populum.*

*Epilogus.*

a *Mortuus est Carolus Calvus an.* 877, *mense Octobri.* — b *Ludovicus Balbus obiit an.* 879, 4 *Id. Aprilis in Parasceve Domini.* — c *De hac Principum altercatione videndi historici illius temporis, ac potissimum Annales Bertiniani. Tum evocatus ab aliis Ludovicus Rex Germaniæ patruelis Ludovici Balbi. Hugo Lotharii Regis ex Waldrada filius Lotharingiam invasit. Boso etiam, Richildis uxoris Caroli Calvi frater, ab uxore incitatus inhiabat regno reliquo : quo rejecto inter Ludovici Balbi duos seniores filios ex Ansgarde susceptos, anno* 880 *regnum divisum est : Ludovico Francia et Neustria, Carlomanno Burgundia et Aquitania obtigit.* — d Normannos 880 in Ganto, *sive Gandavi*, resedisse, *tradunt Annales Bertiniani : ut Fuldenses addunt eos* in Gallia prædas et incendia exercuisse, et plurima loca et monasteria depopulatos esse. — e *Ab anno* 880 *ad* 893. — f *De hac elevatione, sub S. Theoderico Episcopo Cameracensi facta, supra egimus.* — g Odo Belgivagorum Episcopus an. 870 missus est a Carolo Calvo *ad fratrem ejus* Ludovicum Regem Germaniæ, ut ad regnum Lotharii dividendum convenirent : *ut tradunt Annales Bertiniani. In Synodo apud Pontigonem anno* 876 *ultimo Junii cum aliis Episcopis confirmavit Imperium Carolo Calvo collatum.* — h *Dodilo, teste Balderico lib.* 1 *cap.* 60, Episcopus Cameracensis et Atrebatensis factus xvi Kalend. Aprilis anno 887 : *quem an.* 900 interfuisse ordinationi Herivei Archiepiscopi Remensis *refert Flodoardus lib.* 4 *cap.* 9. — i *Scilicet uti S. Gregorius Magnus, qui in Romanum Pontificem electus, alieno vestitu in spelunca delituit, ne id onus subiret; uti pluribus dicitur in Vita* 12 *Martii.* — k *Seu potius, invitus extrahitur.* — l *Flodoardus lib.* 4 *cap.* 6 *refert, quæ Fulco Archiepiscopus Remensis, cui dictus ante Heriveus successit, diversis scripserit Episcopis : inter quos fuerunt Dodilo Cameracensis, et Honoratus Bellovacensis, cum præclara hujus narrationis confirmatione.* F

## PARS II.

### *Energumenus ope S. Vedasti liberatus. Virga arida in silvam excrescens.*

Igitur miraculum quoddam, quod Deus omnipotens per

A per Beatissimum Vedastum in urbe Bellovacensi operatus est, *a* huic nostræ paginulæ inserere decrevimus : quoniam eadem die, qua urbem cum ejusdem Sancti pignoribus egressi sumus, illud a monachis, Canonicis seu laicis, viris religiosis veraci narratione didicimus; et quod majoris certitudinis est, ipsi se vidisse testati sunt. Denique fuit quidam adolescens, unius Canonicorum ejusdem loci famulus, lubricus atque lascivus : qui etiam pro quodam graviori commisso, a Domino suo sæpe numero redargutus, cum nequaquam monitis illius adquiesceret, sed (heu pro dolor!) in sua iniquitate perduraret, pedetentim ad aures plurimorum ejus culpam contigit pervenisse. Unde palam ac publica invectioni correctus atque verberatus est. Qua confusione in magnam delapsus est tristitiam, non illam tristitiam, quæ salutem operatur, sed tristitiam seculi quæ *b* mortem ingerit. Quem ita sese agentem, nec ad Deum converti volentem, justo Dei judicio invasit immundus atque malignus spiritus; nec uno tantum, uti res postea innotuit, sed multiplici dæmone antrum pectoris ejus replevit : et juste quidem satis, ut qui noluit Deo subdi volens, diabolo traderetur invitus et nolens.

*Quidam post scelera punitus, a dæmonibus obsidetur :*

9 Deinde cum tantis furiis ageretur infelix, B vinctus durissimis loris atque catenis dicitur ad monasterium S. Luciani Martyris, ibique præsentatur Domino *c* Episcopo : nam tum erat ejusdem Sedis Episcopus Venerabilis vir Ermenfridus. Tunc congregata multitudine Cleri et populi diutius et devotius pro liberatione jam dicti arreptitii in psalmis, supplicationibus, Litaniis, et orationibus plurimum laboratum est. Additi sunt exorcismi juxta morem, adjurationes et increpationes. Quibus cum necdum cederet inimicus, *d* indixit Episcopus, fontes baptisterii impleri aqua, in quam benedictam atque sanctificatam jussit immergi hominem. Cujus præcepta implere volentibus, velut pelagi rupes immota resistit fluctibus ac procellis, sic ille restitit, atque utroque pede super marginem sacri vasis altrinsecus posito, ita immobilis hærebat fixusque manebat, ut nulla virtute, nullo ingenio nulloque conamine, non solum immergi, sed nec moveri potuisset.

*in æde S. Luciani ab Hermenfrido Episc. exorcisatus, aqua benedicta immergi nequit :*

10 Tunc ille pestifer serpens antiquus insultans Episcopo dixit : Quid frustra laboratis? Nescitis cujus potestatis cujusve virtutis simus? Nam ego sum ille, qui interrogatus a Domino Jesu, sicut legitis in Evangelio, quo nomine censerer, respondi, Legio. Ego enim sum Legio : plurimi enim sumus in unum C collecti. Multiplex enim potestas mea et diffusa per omnes gentes, et omnium illarum lingua mihi adeo cognita est : quod Judæi, quibus plurimæ linguæ cognitatæ sunt experiri possunt. Tunc vocati judæi, diversisque linguis alloquentes eum, in unaquaque lingua, facile et plane ab eo responsum est eis. Post hæc jactando et gloriando se adjecit : Hodie enim fui Constantinopoli, et innumerabilium hominum stragem peregi : et ecce in prato tuo inter tuos et Comitis homines magnam discordiam seminavi, et jamjamque se interficient; et melius esset illuc ire, quam hic inaniter fatigari. Quod audiens Episcopus, jussit ire illuc. Quantocyus perrectum est, et inventum est ita esse, ut ille fallax gloriando de suis dolis dixerat : sed statim per Dei gratiam omnia pacata sunt.

*diabolus se Legionem vocat, Mat 5. 9 variis linguis loquitur : absentia refert.*

11 His ita gestis, quia jam tardior hora imminentis vesperæ incubuerat, omnes ab ecclesia, licet cum dolore, ad propria redierunt. Remansit ibidem homo jussu Episcopi : ut, si forte Deo placeret, ibi sanaretur meritis ejusdem sancti Martyris, interveniente pro hoc ipso ipsius loci beatissimis monachis. Sed cum per aliquot dies ibi moraretur; cuidam viro religioso revelatum est divinitus in somnis, ut ille male sanus ab eodem loco recedens, ad ecclesiam S. Vedasti, quæ non longe ab urbe posita erat, D velocius properat : quia in ea, miserante Deo, et ille sanandus, et in hoc miraculo amabilis Deo beatissimus Pontifex Vedastus honorandus erat. Cujus revelationi propinqui ejus fidem accommodantes, perduxerunt illum ad eamdem ecclesiam. Quo cum perventum esset, repente cœpit illum immundus ac ferox spiritus solito atrocius vexare, ac totum discerpere. Cumque hoc diutius faceret, ille saltu se proripuit extra ædes ecclesiæ, et tanto se pondere præcipitavit in terram, ut eadem terra concuti videretur. Tunc mirum in modum sanguis plurimus effluebat ex ore ejus, quem subinde non modica nigredo fellis cum magno fœtore subsequebatur.

*Obsessus cælesti revelatione ad ecclesiam S. Vedasti ducitur,*

12 Tunc demum his expletis, quod numquam et nusquam nostris temporibus auditum, vel visum fuerat, visi sunt erupisse ab ejusdem ore calvi sorices, qui etiam vespertiliones dicuntur, ita ut nullum examen apum ex suis alveariis densius contingat erumpere : unde et totum impleverunt inane aeris, quorum velamine et cœlum obductum et splendor solis obscuratus est, et nihil aliud per aliquantas horas, nisi ipsa nigredo volantium, desuper apparebat. Idem vero homo quasi exanimis jacebat, nec aliquod signum vitæ in eo remanserat. Tunc sui, qui aderant, existimantes illum esse mortuum, exequias funeri peragentes, et in medio Ecclesiæ E ponentes, excubias noctis celebraverunt. Circa quartam vero Vigiliam noctis cœpit corpus moveri, manus foras loculum extendere. Cucurrit mater (nam mater illi adhuc erat) interrogavit si viveret. Respondit : Deo gratias et S. Vedasto, quia vivo et vivam : et ejus meritis et precibus donata est mihi vita : et liberatus sum a tam gravi periculo, in quo fueram : ablata est mihi morbosa pernicies, et concessa est sanitatis optata libertas. Postulavit bibere, et bibit : ac protinus de capulo surgens, per omnia sanus et alacer extitit, nec ulterius hujus incommoditatis quidquam sustinuit. Unde cum omnibus, qui audito hujus facti rumore, undique secus longe lateque concurrerant, misericordias Domino et S. Vedasto decantans, ac hymnidicas laudes, ut dignum erat, cum gratiarum actione referens, lætus et gaudens reversus est ad propria.

*et dæmonibus instar vespertilionum exeuntibus, mortuus creditus, subito sanatur.*

13 Dicitur quoque idem beatissimus Sacerdos Dei Vedastus, uno eodemque tempore et huic Atrebatensi atque pariter *e* Belvacensi pastorali cura præfuisse et profuisse Ecclesiæ. Quod veris signorum et operum indiciis, ejusdem loci atque regionis testantur indigenæ : apud quos plus miraculorum quam F apud nostros vivens in carne fecisse narratur. Interque omnia unius mentionem agere commodum duximus. Denique cum quadam die esset in itinere, et jam pausandi hora, ac reficiendi corporis incumberet; hujus rei gratia declinavit ad quemdam amicum, scilicet in villam quæ vocatur *f* Wardara in pago *g* Vilcasino : et ipse vir et potentissimus et nobilissimus erat; cujus etiam filium jam pridem de fonte lavacri idem Sanctus susceperat : unde et familiarissimi inter se esse videbantur. A quo cum magno honore et amore cum suis susceptus, postquam cibo et quiete refecissent corpora, inter divina spiritualium sermonum colloquia dixit vir Dei ad suum hospitem : O carissime consodalis, et pars animæ meæ, volo et hortor, ut meis assertionibus assensum præbeas. Cerno siquidem hunc locum amœnissimum, et necessitatibus servorum Dei aptissimum, et Divinis rebus congruentissimum : qua de re benefeceris, si saluti tuæ consulens, illum Deo devovendo, Xenodochium cum ecclesia in eo construxeris : pro quo juxta pollicitationem Domini nostri, et in præsenti centuplum accipies, et in futuro vitam æternam possidebis.

*S. Vedastus amico et hospiti suadet, ut xenodochium exstruat,*

14 Ille

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*impigit terræ baculum,*

14 Ille vero hæc audiens, cum paullisper hæsitans bæreret : Quid, inquit Sanctus, dubitas? Ecce virgam omnimodis aridam atque decorticatam, quam manu teneo, huic terræ infigam, et si de illa arbor provenerit, experiri poteris absque ulla cunctatione vera esse, quæ dico. Qua terræ infixa valedicens amico, cœptum aggressus est iter. Nam Parisius ad Reginam *h* Hlotilt, Deo ac sibi devotissimam, quæ tunc ibi morabatur, profectum iri contendebat. Igitur virga actutum et viridescere, et cortice circumdari, et frondescere in ramos et folia, et in parvo spatio temporis facta est arbor procera, referens naturam virgæ, de qua pullulavit, nam de tilia fuit. De qua arbore processu tempore ingens silva et pulcherrima exorta est. Nam, ut ferunt incolæ ejusdem loci, quia si quid ramorum illius tiliæ, aut impulsu venti, aut avis deportatu alicubi decidisset; et deorsum mittebat radicem, et sursum in arborem succrescebat.

*accrescentem in arborem et silvam :*

15 Verum jam dictus illius prædii possessor ac dominus ammonitus verbis spiritualibus amici, atque hujusmodi miro ac nimis mirando miraculo confortatus, dedit Domino totum illud prædium, et construxit in eo xenodochiale monasterium ad susceptionem peregrinorum et pauperum : in quo multas animas per multa tempora Deo adquisitas non dubium est. Verum postea nacta opportunitate, beatissimus Vedastus revertens illuc, immensas gratiarum actiones jam dicto amico retulit : videlicet quia sibi paruit et Domino Deo suarum rerum patrimonium spontaneus contulit. Deinde ipsum locum ad utilitatem servorum Christi, et necessitates pauperum, ordinate disponens, sua benedictione consecravit, et ecclesiam Episcopali auctoritate dedicavit. Ubi deinceps totius bonitatis sanctitas floruit, omnium virtutum copia exuberavit. Nullus quippe pauperum inde eliminatus est, nullus peregrinus exclusus : omnes recipiebantur, sanabantur, reficiebantur: et inerat omnibus gaudium et lætitia in Spiritu sancto, ad laudem et gloriam sanctæ Trinitatis et memoriam beatissimi Vedasti Confessoris sui, per quem tanta bona et tam insignia miracula Deus operabatur in mundo.

*extruitur xenodochiale monasterium,*

*cum ecclesia a S. Vedasto consecrata,*

16 Præterea sciendum est, quia idem Dei Sacerdos, ubicumque opportunum fore viderat in illis partibus, et in tota Neustria usque ad fines Britannici soli, xenodochia fieri constituit. Nam regia potestas, et Principum ei in omnibus operibus suis favorem præstabant. Hujus rei gratia omnia illa xenodochia, cum ipsis ecclesiis in viis sive juxta *i* vias positis, quia ostium ejus semper viatori patuit, in ejus memoria et honore consecrata esse cernuntur, ubi laus et gloria Dei peragitur, et meritum sancti viri ab omnibus honorifice celebratur.

*uti plura in Neustria.*

a MS *Antverp.* non prætermittere decrevimus. — b *MS Vedast.* morte mulctatur. — c *In MS altero Antverp. hæc brevius ita dicuntur:* Episcopo venerabili viro Hermenfrido, *qui fuit decessor Odonis, sub quo hæ reliquiæ Bellovacum sunt delatæ.*
d *Idem MS:* In aquam baptismi sanctificatam jussit Episcopus hominem immergi. — e *Non numeratur inter Episcopos Bellovacenses: quare arbitramur eum Sede vacante, istic ditionem jussu S. Remigii Archiepiscopi* [illegible]. — f *Infra dicitur esse* villa S. Vedasti. — g *In Capitulis Caroli Calvi conjunguntur* Vircasinum et Bellovacense: *suspicamur hoc tempore* Vulxinum et Vexinum *dici, quod duplex est Normannicum et Francicum.* — h *Est hæc S. Chlotildis, sive Crotildis, uxor Chlodovei I, quæ colitur* 3 *Junii.* — i Quadrivium *dicitur supra ubique occupasse.*

# MIRACULA ALIA

## Auctore anonymo teste oculato,

### *Ex MS. Vedastino.*

Mirabilis Deus, in Sanctis suis, et respectus misericordiæ ejus in filios hominum : in nobis scilicet peccatoribus ostendens divitias bonitatis suæ inelectis autem suis jam summa pace profunctis gloriam magnificentiæ suæ. Nullius enim mortalium est meriti, quod nobis dona suæ benedictionis impendit : neque etiam nostri est muneris, quod ad cognitionem sui sancti nominis perduxit, et viam veritatis ostendit. Exuit siquidem nos vetustate antiqua perditionis, et induit novitate suæ redemptionis : abstulit errorem profanæ superstitionis, et dedit cultum veræ religionis : ostendit per seipsum, quid nobis sit faciendum atque sequendum : docuit verbis, quid sit vitandum atque fugiendum : ostendit ubi sit vita et mors : ostendit, quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt per eas. Ergo scrutemur pura mente semitas ejus, et inoffenso pede iter mandatorum ejus curramus; ut de nobis recte dicatur : Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus : in toto corde exquirunt eum. Si itaque fideliter in stadio hunc cursum itineris conficiemus, de munere retributionis in proventione gaudebimus. Nam quod fidelibus suis promittit, præmium est ineffabile : quod vero jubet, volentibus est leve et facile. Sic namque monemur Dominica jussione : Discite a me, quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Et Apostolus de præmii magnitudine. Non sunt, inquit, condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Enimvero nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se : O quam pia cœlestis patriæ gaudia Christi fidelibus præparata! Sed si nos tantæ visionis delectat gloria, non deterreat contra crudelem hostem aspera pugna. Habemus siquidem Dominum nostrum adjutorem ; si perfecto pugnaverimus animo adversus hujus mundi principem. Si ergo ad obtinendam victoriæ palmam fuerit perseverans sancti propositi voluntas, conscientia munda, sancta simplicitas, Domino opitulante, nulla erit difficultas. Nam, Veritate teste, credenti et in nullo hæsitanti omnia possibilia sunt. Incredulis vero et invitis omnia possibilia rediguntur ad impossibilia. Neque enim quidquam tam leve aut facile est, quin id fiat grave et difficile homini invito facienti. Quæ autem sit pœna impiis et incredulis denuntiata, insinuat Propheta: Flamma, inquit, eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur. Et Psalmista : Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes. Et iterum : Introibunt in inferiora terræ. O quam dura et crudelia erunt illorum tormenta, qui viventes descenderunt ad laci inferiora! Itaque omni hora vitæ nostræ his nobis est valde timendum, qui nullum de actibus nostris habemus judicium, quorum sumus habituri consortium. Verum, quia sanguis Christi est pretium nostrum, ipse vero Redemptor noster nihil aliud a nobis, quam nos ipsos requirit, præcepta autem vitæ æternæ servemus, quæ nobis dedit, et in ipsis vivemus, sicut promisit.

*Misericordia Dei illuminati,*

*servare mandata ejus debent,* Psal. 118. 1

Matth. 21. 29

Rom. 8. 18

*accepturi præmium cœleste,* I Cor. 2. 9

Marc. 9. 22

*et tormenta æterna evitaturi* Isai. 66. 24 Psal. 54. 16 et 62. 10

2 Habemus namque, ubi, et unde, quæ præcepit, faciamus, et quomodo vestigia ejus sequamur. Ipse denique mandavit mandata sua custodiri nimis, proponit nobis materiam pugnæ, Sanctorum scilicet suorum triumphos de sævissimo persecutore. Hi etenim, abjecta omni carnis cupiditate, florentem mundum spreverunt, expediti mente et corpore, sicque omnia diabolicæ fraudis machinamenta fortiter eorum devicit invictissima patientia. Succensi igne divini amoris, extinxerunt ardorem illicitæ persuasionis. Ideo ergo pulvis eorum in terra animatur, cum animæ in cœlis perpetua lætitia perfruantur. Reddunt cæcis visum, claudis gressum, mortuorum luci restituunt animata, et eorum jussioni omnis famulatur creatura. Hæc autem tua sunt munera, Christe, quæ semper agis pro tui nominis gloria et honore,

*adjuvandi a Sanctis,*

A honore, ac Sanctorum tuorum digna veneratione. Inter hos ergo tuum pretiosissimum Confessorem assiduis donans miraculis, ostendens mundo, quam sit tibi carus cœlo, qui vere dicitur Vedastus. In hujus itaque devotione et memoria, quia debitores sumus ejus, sub quadam exhortatione mandamus posteris scripto aliqua signa, quæ nostris temporibus, vel etiam nobis præsentibus, a Domino, ipsius intercessionis merito mirabiliter sunt gesta.

*et S. Vedasto, miracula patrante,*

3 Igitur in comitatu Baduano, in villa S. Vedasti, quæ dicitur *a* Wlfara, hæc res accidit nova. Erant ibi duo vicini compatres, quorum unus alteri furtim unam subripuit oviculam: sed pauper sicut de magno sæpe S. Vedastum precibus inclamat damno. Presbyter autem in ecclesia, si quis hujus rei esset conscius, quærit in populo, et interdicit verbo, seque pollicetur excommunicare in proximo. Sed nemine confitente, iterumque Dominica die, Presbytero de eadem re populos admonente, cum reus sceleris præsens inter reliquam multitudinem astaret; subito de sinu ipsius, chirothecæ quasi balatum dederunt. Quo signo populus viso, Dominum voce in altissimis glorificat, qui secreta revelat, et Sanctum veneratur Vedastum, cujus meritis hoc miraculum affirmat B factum. Satis plane inanimatæ rei ipse potuit dare balatum, qui asinæ Balaam dedit loquendi usum.

*a Ove furte sublata, chirotheca furis balatum edit:*

4 Quidam etiam de ejus familia, Witrannus nomine, quondam contractus et debilis, in hac morabatur civitate, qui se manibus et natibus per terram trahebat miserrime. Idibus vero mensis Julii, quando ad proprium locum est Relatio corporis Sancti, inter alios, ut potuit, ad sepulchrum viri Dei properavit, cum magna devotione preces fudit: sed subito miseratione Antistitis in pedes constitit erectus: ac cunctis qui hoc videre poterant, mirantibus apparuit sanus. Per omnia benedictus Deus.

*sanantur ad Sancti reliquias contractus,*

5 Sic etiam, dum sequenti tempore continuum orbis reduceret annum, in eadem festivitate venit quædam mulier cæca ad vivificos Sancti cineres orationis caussa, et per ipsius suffragia recipere meruit oculorum lumina.

*cæca,*

6 Per idem quoque temporis spatium venerat in hanc quidam *b* Theotiscus civitatem, nomine Gerardus, toto corpore ita tremulus, ut nullo modo in suo statu valeret esse, vel uno momento immobilis. Hic ergo cœpit ecclesiam Sancti frequentare, ac Missarum solenniis interesse. Quadam vero Dominica die, dum ad locum orationis ex more conveniC ret, antequam sanctum legeretur Evangelium, surrexit ire ad capitium, quasi per corrigiam sui vestimenti Sancto se ipsum dediturus. Ut autem a loco voluit redire, multis exagitationibus fatigatus, ut nobis esset mirabile intuentibus, in terram concidit, sed inde post paullulum quasi nil mali fuisset aliquando perpessus, sanus surrexit. Sic denique, ut in magnis et parvis, semper est Deus mirabilis.

*b tremulus corpore,*

7 Eadem vero tempestate parvulus quidam amborum incurrerat cæcitatem oculorum. Hunc itaque amita sua sæpe deferebat ad limina Confessoris Christi, et prostrata ante ejus tumulum lacrymis rigabat solum. Unde respectu Divinæ pietatis et intercessione almi Pontificis, præsentis recepit gaudia luminis.

*cæcus,*

8 Alio quoque tempore Scottus quidam cæcus Roma rediens, in hanc pervenit civitatem, et a suis est comitibus desertus: quem Abbas et Fratres hujus loci aliquamdiu secum morari caritatis gratia fecerunt. Sed dum hic assiduis orationibus et vigiliis insisteret, et gloriosum Confessorem Christi Vedastum sibi adesse invocaret, amissum recuperavit lumen oculorum.

*alius cæcus,*

9 His atque aliis quamplurimis Dominus militem suum insignit titulis, decoratque continuis virtutum miraculis, et nobis insinuat quorum sequi debeamus D vestigia. Sic namque novit nutrire populum suum, ut non deficiat in æternum, sed potius proficiat per singulos dies ad cœlestis vitæ augmentum. Verbis hortatur ad spem, miraculis informat ad fidem. Sed non tantopere sunt simpliciter attendenda miracula, quin magis miracula facientium vita. Nam multum nobis est cavendum, ne in hoc præsenti seculo non tantum prosint utentibus ad suffragia, quantum in futuro sint ad opprobria. Signa enim, ut Paulus ait, sunt non fidelibus sed infidelibus. Et Dominus: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Ergo qui signa et merita Sanctorum digna celebratione venerari desiderant, oportet ut devotæ mentis imitatione mores et actus eorum sequantur. Illi namque non desidia et vanitatibus hujus mundi ac carnalibus concupiscentiis vacando, meruerunt accipere, quæ modo videntur facere posse, sed jejuniis et vigiliis atque orationibus operam dando, æternæ gloriæ consecuti sunt dignitatem. Igitur et nos his exemplis instituti, Domino et Patrono nostro Vedasto fideliter serviamus, ut consortes cœlestis regni esse mereamur, quod nobis ipse tribuat, qui sine fine vivit et regnat, ut ejus gratia de nobis etiam dicatur: Mirabilis Deus in Sanctis suis. E

*AUCTORE ANONYMO, EX MS. Præ miraculis vita Sanctorum imitanda.*

*I Cor. 14. 22. Joan. 4. 48.*

a *Supra in pago Vilcassino sita dicitur.* — b *Gallice* Theois, *id est Teuto, sive Germanus.*

## MIRACULA ALIA

### Auctore Balderico Episcopo,

### *Ex lib. 1 Chronici Cameracensis, et Atrebatensis cap. X et XI.*

Pauca vero, quæ nostris diebus meritis hujus beati Confessoris a videntibus facta accepimus, nequaquam prætereunda æstimavimus. In Deriensi namque territorio quemdam ex familia S. Vedasti hominem, mali rapinatores alienæ substantiolæ inhiantes, pravis insimulationibus adorti sunt, et ob hoc suum advocatum in jus quærentes, ipsum quidem hominum ad *b* singulare certamen, quod rustice dicimus campum, provocaverunt. Qui advocatum suum affuturum pollicitus, intra hujus legis diffiniendæ terminum, sumpta pera cum baculo, ad cœnobium viri Dei pergere festinavit, caussamque proclamans, Abbatis advocatiam imploravit. Abbas autem pro difficultate longi itineris detrectavit ferre suffragium, imo divinum monuit expectare auxilium. F Omnino itaque desolatus, ad sua revertitur, solaque in Domini fisus clementia, susceptam legem refellere nequaquam æstimavit. Ergo præscripta die judicio se repræsentans, advocatiam Dei et S. Vedasti profuturam assumpsit, nullumque aliud scutum, quam peram sibi opponendam fiducialiter ad dirimendam pugnam exclamavit. Factumque est Divina operante clementia, quod, ubi obluctator alter diligenter armatus, congressu habito, illius inermis peram ingenti ictu percusserit, tanta et tam densa nebula inter eos de ipsa pera statim exoritur, ut neuter alterum videre potuisset.

*a*

*b In duellum vocatus, patrocinio S. Vedasti nebula offusa, liberatur.*

2 In una quoque ecclesia, quæ in Episcopio Leoderensi sita, in honore S. Vedasti colitur, raptor quidam pessimus, compositis fraudulenter calumniis, hominem cepit, nexisque post tergum manibus, et fune ascellis supposito, torquendum durius abducebat. Quem mox cœlitus emancipatum respiciens, equo desilit, illumque per se fore solutum, quoquo modo existimans, male verberatum, iterum arctius vinculavit: equoque ascenso repente quoque laxatum intuitus, cum furore etiam per comam arripuit, verberibusque affectum tertio per genitalia ligavit. Nec longum vero, dissolutum respexit, sicque tandem

*alius injuste vinculatus ligatus, iterato solvitur.*

A dem devictus, Divinæ potentiæ cedendum æstimavit, hoc autem meritis S. Vedasti a Deo concessum, nemo est qui dubitat.

*Auctore anonymo, ex ms.*

a *Egerat Baldericus cap. 9 de obitu S. Vedasti, ac corporis ejus translatione facta a SS. Autberto et Audomaro, atque in capite illud concludit.* Hujus post obitum miracula alias diligens lector inveniet, *quæ hactenus retulimus, ac tum hæc profert.* — b *Duella olim a arboris inducta, legitimæ probationis tum habitæ, ut ferrum candens, aquam frigidam vel calidam, alibi sæpius diximus. De iis hic agit Colvenerius, ad quem remittimus Lectorem.*

## MIRACULA ALIA FACTA SECULO XIV.

*Joannes Bursarius incitatis Scabinis,*

Anno Domini millesimo trecentesimo septimo, Joannes Bursarii, qui pro tempore inter Scabinos villæ Atrebatensis principalior habebatur, maligno spiritu agitatus, velut alter Saul, Scabinos præfatæ villæ, una cum communitate ejusdem, contra ecclesiam B. Vedasti et personas ejusdem monasterii, devote Domino famulantes, dissensionem commovit intantum, quod Scabini prædictæ villæ Atrebatensis multas injurias, violentias, oppressiones prædicto monasterio intulerunt: et, ut prædictam ecclesiam exhereditarent, totis viribus nitebantur. Et, ut pauca de multis sumamus, aliquos excessus, quos contra B prædictam ecclesiam commiserunt, breviter exprimemus. Primo siquidem cum villa Atrebatensis sit situata in fundo Ecclesiæ B. Vedasti, et in illo fundo ecclesia præfata talem dignoscatur libertatem habere, quod non liceat cuicumque fodere in dicto fundo villæ pro quocumque muro vel ædificio construendo, nec etiam licitum est cuicumque infra prædictum fundum puteos vel cellaria construere, nec fenestras qualescumque vel alias aperturas sine Dominorum dicti monasterii B. Vedasti scitu, licentia, beneplacito et assensu: non obstante libertate prædicta, præfatus Joannes, qui in malitia alios excedebat, voluit quod in præjudicium ecclesiæ B. Vedasti quædam Crux construeretur, in parvo foro, ipsorum Dominorum assensu nullatenus requisito. Insuper per Scabinos fuit inhibitum, ad suggestionem ejusdem, omnibus qui personis præfati monasterii necessaria victui ministrabant, quod nullo modo eis victualia venderent, vel aliquatenus ministrarent, licet fuisset lata sententia excommunicationis contra omnes, qui talem inhibitionem facerent quibuscumque. Quam quidem sententiam præfatus Joannes contempsit animo indurato.

*privilegia monasterii Vedastini pessumdat,*

*excommunicationem totam contemnit,*

C 2 Item inhibuit ne aliquis ligna vel carbones præfato monasterio duceret cum vectura, et quod nullus prata ad monasterium pertinentia secundum exigentiam temporis adaptaret: quia prata appropriata, ecclesiæ B. Vedasti intendebat communibus pascuis applicare. Et quia aliqui operarii suæ injustæ inhibitioni noluerunt parere, fecit eis injurias et molestias irrogari. Verum quia Religiosi viri monasterii B. Vedasti procuraverunt apud Regem, ut eorum prata sub protectione regia pararentur, præfatus Joannes ad augmentum suæ nequitiæ misit aliquos in habitu incognito, et larvatos, qui operarios monasterii ante dicti verberibus et contumeliis affecerunt. Insuper ad procurationem ejusdem Joannis aliqui de communitate villæ Atrebatensis, pisces in aquis prædicti monasterii degentes, furtive ceperunt. Unde licet prædictus Joannes plures haberet complices, tamen ipse solus, velut ille, qui principalior erat, et qui alios induxerat ad talia enormia committenda, promisit omnibus aliis, quod de omnibus excessibus præmissis eos immunes redderet et indemnes.

*subministrari necessaria vetat,*

*operarios monasterii affligit:*

3 Et cum processu temporis Religiosi monasterii B. Vedasti super præmissis deposuissent querimoniam apud Regem, ut justitia suadente ipsi in suis libertatibus remanerent; licet nondum esset adhuc D per diffinitivam sententiam determinatus processus, nihilominus tamen, quia manifesta peccata non sunt occulta correptione purganda, Deus, qui non permittit, quod excessus finaliter remaneant impuniti, sed juste, occulte vel manifeste, secundum merita vel demerita retribuit unicuique, voluit excessus istius manifeste punire, ut futuris temporibus posteris cederet in exemplum, et ut omnes timerent contra jura et libertates Ecclesiæ B. Vedasti de cetero attentare. Unde sciendum est, et diligenter memoriæ commendandum, quod prædictus Joannes Bursarii timens, ne juste ex decreto Regis pro præmissis gravibus excessibus et injustis oppressionibus puniretur, secessit per modum refugii ad quamdam ecclesiam, extra muros civitatis et villæ Atrebatensis, quæ ecclesia S. Vincentii nominatur. Unde iste, Judæ similis proditori, quia ille loculos habebat, et isto cognomine Bursarius dicebatur, cum insuper esset eidem similis in aliquibus actibus vitiosis, consimilem vitæ exitum est sortitus, quia manibus propriis se suspendit, et execrabilis execrabiliter sibi ipsi vitam corporalem extorsit in ecclesia B. Vincentii supradicta, et in tali statu fuit ostensus per duos dies omnibus, qui ipsum voluerunt videre.

*at justo Dei judicio,*

*veritus sententiam Regis, in templo suburbano*

*semet suspendit,*

E 4 Ex quibus manifeste apparet quod evidens judicium reliquit persecutionis injustæ, et fuerunt omnia bona prædicti Joannis, de mandato Regis, in recompensatione gravaminum ecclesiæ illatorum, eidem ecclesiæ et monasterio applicata, et quia Proverbiorum XIX habetur, quod flagellato pestilente, stultus sapientior erit; Scabini villæ Atrebatensis in prædicto Joanne ultionem Divinam considerantes attente, supplicaverunt humiliter Ecclesiæ B. Vedasti, quod dicta Crux in prædicto loco fieret, et recognoverunt per litteras suis sigillis munitas, quod illa Crux est in fundo Ecclesiæ situata, et in specialem recognitionem quolibet anno in festo Relationis B. Vedasti ab illis de villa Atrebatensi una columba alba deportatur in ecclesia B. Vedasti, hora qua Missa solennior celebratur, cum decenti solennitate et magna, et cum hoc in specialem recognitionem domini dicti fundi ecclesia B. Vedasti determinatam quantitatem pecuniæ de omnibus rebus venalibus, quæ super gradus illius Crucis venduntur, accipit: et gaudet pacifice ecclesia B. Vedasti de omnibus, quæ eis subripuerant Scabini villæ Atrebatensis, de fraudulento consilio Joannis Bursarii supra dicti.

*Vedastinis ex bonis illius restitutio fit,*

*Scabini reliqua privilegia confirmant,*

*et observant.*

F 5 Fuit quidam in villa Atrebatensi, qui Bertoldus de Breughii suo tempore vocabatur, in temporalibus divitiis valde potens, et quia, ut dicitur Ecclesiastici XI, Si dives fueris non eris immunis a delicto; hic avaritiæ laqueo irretitus, multas fraudulentias adinvenit, per quas posset damnificare ecclesiam B. Vedasti, et, ut obtineret intentum, specialiter, modo quo sequitur, suas augeret divitias, cupiditatis fræna laxavit. Nam idem falsas composuit litteras, quibus falsorum sigillorum falsas apposuit munimenta, nec non et falsa composuit publica instrumenta, per quæ deceptione proponebat et conabatur probare, quod Domini monasterii S. Vedasti, ratione mutui in magna quantitate pecuniæ tenebantur eidem, et cum hoc quod in magna quantitate redditutum ad vitam suam et liberorum suorum erat prædictum monasterium obligatum. Sed Deus, qui est simplex veritas, cui nulla falsitas est admixta, quoniam ut Psalmo X Psalmista concludit: Justus Dominus et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus, illius nefandi dolositatem et falsitatem detexit. Nam a peritis examinatis ejus litteris et publicis instrumentis, cum in eis essent falsa continentia deprehensa, omnia illa fuerunt juridice reprobata et sententialiter condemnata. Ipse autem sibi ipsi conscius,

*Alius Vedastinorum bona surrepturus,*

*falsa conficit instrumenta:*

*is dolo detecto,*

A cius, timens incidere in manus justitiæ secularis, se Clericum esse dixit. Unde a suo Judice ordinario tamquam criminosus in *a* prisione detentus, ibidem non post multos dies vitam ignominiose finivit, et post istius infelicem decessum illi de sua posteritate in magna paupertate diem clauserunt extremum. Nec est in dubium revocandum, quin præmissa incommoda illi et suæ posteritati evenerint, eo quod contra libertates et jura Ecclesiæ B. Vedasti injuste attentare præsumpserat et dolose.

*in carcere extinctus.* a

b 6 *b* Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo, Ægidius dictus Hakins, Gubernator castellaniæ Insulensis, multa damna intulit, et multas molestias fieri procuravit subditis Ecclesiæ B. Vedasti, qui in Castellania Insulensi in territorio, quod Allodia S. Vedasti dicitur, morabantur. Nam eos compellere nitebatur, ut essent suæ jurisdictioni subditi contra tenorem privilegiorum eidem Ecclesiæ concessorum, a tanto tempore quod de opposito memoria non existit, in quibus continetur expresse, quod subditi Ecclesiæ B. Vedasti in certis casibus debent ad Baillivum Ambianensem, qui fuerit pro tempore, habere recursum, et cum fuerunt eidem ostensæ litteræ Regiæ, quæ de prædictis expressam B faciunt mentionem. Sed omnibus præmissis non obstantibus, ipse in superbia elevatus, fultus caterva satellitum, qui erant in malitia sibi pares, de Insula per Duacum venire Atrebatum disponebat, cum intentione deliberata inferendi gravamina Ecclesiæ supradictæ tam in casu proposito, quam in aliis quibuscumque: et cum esset in via inter Atrebatum et Duacum, velut alter Saulus, furiis invectus versus villam, quæ *c* Gaverelle dicitur, subito de equo cecidit, et fuit cæcitate percussus, ita ut nullis sensibus corporis uteretur. Tunc deportaverunt eum aliqui de comitiva sua extra territorium supradictum. Et cum essent in territorio *d* de Fampous, transacto aliquo temporis intervallo rediit ad sensum, et petiit ab illis, qui sibi astabant, ubi erat: quo cognito, ipse reatum suum aliqualiter recognoscens, aliqua verba protulit, quæ consimilem sententiam continebant illis verbis, quæ dicta fuisse ab Antiocho recitantur secundo Machabæorum cap. IX Justum est subditum esse Deo. Et cum postea intraret in territorium de Haties et de Harvaing, quod est de jurisdictione B. Vedasti, iterum de equo cecidit, et cœlesti eum judicio perurgente, pristina eum debilitas corporis apprehendit, et in propria domo monasterii B. Vedasti, quæ Harvaing dicitur, dies suos C obitu miserabili consummavit. Unde ex præmissis manifeste apparet, quod facinus illius dilationem non habuit ultionis. Eo igitur sublato de medio, subditi D B. Vedasti in prædicto loco commorantes, a tempore illo et deinceps usque in præsentem diem absque calumnia in suis libertatibus remanserunt.

*Alius subditos eorum injuste affligens,* c *sensibus destitutus,* d *misere moritur.*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

7 Anno Domini millesimo trecentesimo nono, Joannes dictus Cosset, insecutus a Dominis ecclesiæ B. Vedasti, eo quod ipsis invitis, in vivariis dictæ ecclesiæ furtive pisces acceperat, in indignatione sui spiritus, contra præfatam ecclesiam male motus magnam partem communitatis villæ Atrebatensis commovit, exhortando et mendaciter asserendo, quod Domini monasterii B. Vedasti sibi appropriaverant terras, arbores, ripariam et aquas adjacentes eidem, quæ ad communitatem dictæ villæ pertinere debebant. Unde aliqui de communitate prædicta, suis fraudulentis exhortationibus concitati, sclusas vivariorum dicti monasterii ruperunt, inde pisces traxerunt, suis usibus propriis indebite applicantes, arboresque quam plurimas everterunt, et multos excessus alios commiserunt. Insuper prædictus Joannes subditis ecclesiæ B. Vedasti intulit minas graves, et his qui morabantur in domo dictæ ecclesiæ, quæ nemori est conjuncta, et Domus-nemoris nuncupatur, irrogavit injurias corporales. Et quia, ut ab antiquis temporibus est compertum, et in scriptis E diligenter redactum, Deus qui diu non patitur contra ecclesiam B. Vedasti quorumcumque malignorum insultus hunc impunitum noluit remanere. Prædictus igitur Joannes a servientibus Comitis Atrebatensis captus, et in prisione detentus, eo quod treugas fregerat, ut imponebatur eidem, licet multi ad ejus expeditionem totis viribus laborarent, post modicum temporis intervallum fuit morti sententialiter condemnatus. Unde cum egrederetur de castello Comitis, et ad extremum supplicium duceretur, et videret campanile ecclesiæ B. Vedasti, consimilia verba protulit, audientibus fide dignis: Ego sum sententialiter condemnatus, cum tamen non perpetraverim illud, quod mihi est impositum. Sed ego firmiter teneo, quod propter forefacta et damna, quæ ego contra ecclesiam B. Vedasti feci sine caussa rationabili, et fieri procuravi, istam pœnam recipio: et supplico Deo quod omnia illa, quæ contra dictam Ecclesiam injuste commisi, mihi benigne remittat.

*Alius populari commotione in Vedastinos concitata,* *agnoscit ex alia imposita culpa se morti adjudicatum* *ideo puniri.*

a *Gallico idiomate* prison *carcerem significat: ita Beka in Chronico Ultrajectino in Episcopis Conrado* 22 *Heriberto* 26, *Theoderico* 31, *et Willebranno* 35 prisionem et prisonem *dixit.* — b *Joannes Buzelinus noster lib.* 7 *Annalium Gallo-Flandriæ hæc refert ad an.* 1307 *citatis monumentis MSS. monasterii S. Vedasti, ex quibus tamen hæc damus.* — c *Buzelinus* Caverellam *scribit*, memorato cœnobio parentem. — d *Idem*, Fampousii alterius vici. F

# DE S. AMANDO EPISC. TRAJECTENSI
## ELNONE SIVE AMANDOPOLI IN BELGICO,
### Commentarius prævius.

G. H.

### § I. *Aquitania S. Amandi natalibus, vita monastica, prædicatione illustrata.*

AN. CHR. DCLXXXIV VI FEBR.

Sanctum Amandum *prædicat Hucbaldus, monachus Elnonensis, vir eruditus, in vita S. Aldegundis Virg.* XXX *Januarii,* pene toti notum orbi fuisse fama celeberrima virtutum: qui, tamquam in messe Dei strenuus operator, et multas nationes ad fidem perduxit Catholicam, et multa cœnobia virorum ancillarumque Dei construxit. *Consimilia tradit alter Vitæ S. Aldegundis scriptor, Hucbaldo senior. Ea non singillatim hic exequemur. A patria et prima monastica institutione ordimur. Dein labores in Aquitania ac reliqua Francia ab eo susceptos prosecuti, ad Belgicas provincias veniemus, in quibus antiquiora monasteria pleraque S. Amandum aut venerantur fundatorem, aut fundatorum adjutorem agnoscunt.*

*S. Amandus fama virtutum celebris,*

2 *Patriam ei* Aquitaniam *dant Harigerus ac Milo infra producendi. Verum id latius patet nomen, quam ut Garumna fluvio, velut ævo Cæsaris, terminata intelligatur Aquitania. Nam* XII *adjunctis populis, ab Celtica divulsis, ad Ligerim fluvium extenta deinde fuit, atque in notitia imperii in* Primam, Secundam, Tertiam, *distincta. Baudemundus, S. Amandi cœvus, ei patriam assignat* Aquitaniæ partes haud procul a maris Oceani littore. *Sed a montibus Pyrenæis ad Ligerim usque, Oceano partes Aquitaniæ in iii alluente, vaga nimium ea descriptio. Auctor anonymus Vitæ ex MS. Chesnæi,* quem

*natus in Aquitania in* *parte maritima.*

A *quem Aquitanum ortu arbitramur, affirmat eum* traxisse originem in pago Herbasilico, non longe a littore Oceani Galliæ. *Quæ Philippus Abbas ita explicat:* Herbatilicus loco nomen est, qui titulo nativitatis ejus insignis, sicut ab Oceano non plurimum distat, sic Aquitanicæ collimitat regioni; *ex parte scilicet Britanniæ Armoricæ adjunctus, dum hic auctor viveret seculo Christi duodecimo, SS. Benedictus Episcopus et Viventius Presbyter, ut hujus Acta referunt* xiii *Januarii cap.* 3 Herbedilicam urbem *seculo Christi quarto* attigerunt. *Verum, quod cives prædicatione S. Martini, Vertavensis monasterii fundatoris, noluerint ad fidem Christi converti, urbs Herbadilla terræ hiatu absorpta traditur. Colitur hic Martinus* xxiv *Octobris, aliquot ante nativitatem S. Amandi annis mortuus. Sunt autem et Vertavum et lacus Herbadilla, vulgo Herboge et Grand-lieu, in agro Namnetensi, duabus circiter a Ligeri leucis, jam Britanniæ Armoricæ, olim Aquitaniæ* ii *annumerata.*

*Auctore G. B.*

*pago seu Comitatu Herbadilico.*

3 *Urbe Herbadilla eversa, nomen cum dignitate Comitum diffusæ circumquaque ditioni adhæsit. Ita teste Ademaro inter Normannicos scriptores edito, variisque monumentis a Joanne Beslio in historia Comitum Pictavensium et Ducum Aquitaniæ erutis,* Rainaldus Arbatilisensis Comes anno ɪɔccccxxxv cum Northmannis dimicavit in Herio insula: et congressus anno ɪɔccccxliii cum Lamberto Comite Namnetensi ix Kalendas Julii occisus est: *quem conflictum pluribus describit Adrevaldus lib.* 1 *miraculorum S. Benedicti cap.* 33. *Ab hoc Rainaldo prognati sunt Duces Aquitaniæ et Comites Pictavorum, quorum ultimus fuit Guilielmus a schismate Anacleti Antipapæ per S. Bernardum Abbatem conversus, de quo alibi plura. Sed ad S. Amandum redeamus:* cujus parentes *vocant Baudemundus et Auctor Aquitanus* inclytos, claros sanguine *Philippus,* secundum seculi dignitatem *addit Hariyerus. Miloni Poetæ* nobilis est genitor, *et* egregia genitrix. *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii et Yepez in Chronico Benedictino ad an.* 630 *opinantur* Patrem Ducem Aquitanorum *fuisse. Aquitaniæ* Comitem *appellat Joannes Oughius in Vita S. Amandi, Belgico sermone edita.* Comitem *potius* Herbadilicum, *si conjecturæ locus sit, dicamus, sed pro ejus ævi more beneficiarium, arbitrio Regum abdicandum, uti nunc Gubernatores solent.*

B

*an parentes habuerit comites Herbadilicos?*

4 *Adolescens Amandus, vitæ monasticæ studio secessit in* insulam Ogiam, *auctori Aquitano* Oyem, *in Breviario Spirensi an.* 1477 *edito* Oye, *eodem etiamnum nomine appellatam, e regione Rupellæ, adeo insulæ Reacæ, vulgo S. Martini, propinquam, ut æstu maris defluente ex una in alteram siccis pedibus transeatur. Est nunc* insula Oyem, (*unde aliquot antiqui monasterii vestigium eruitur*) *sub ditione monasterii S. Michaelis in eremo diœcesis Lucianensis, non procul distantis. Inde Amandus, quod pater quietum in Ogia rebus Divinis vacare haud pateretur, ad S. Martini Turonensis sepulchrum profectus, precatus est Deum,* ut nunquam, *inquit Baudemundus,* eum Dominus ad solum proprium remeare permitteret, *aut sicut ipse apud Milonem Poetam,*

C

*fit monachus in insula Ogia, sive Oyem prope Rupellam,*

Ne repetam natale solum, notosque relictos,

*ejusmodi solum tenuens etiam Ogiam insulam esse, fortassis Comitatu Herbadilico ad eam usque pertingente. Auctor miraculorum S. Wandregisili* xxii *Julii,* insulam Augiam, *quæ vox ab* Ogia *non multum discrepat,* a gente Britonum excultam, *ait* adjacere pago Constantino, *quam* Augiam *attribuunt institutioni monasticæ S. Amandi Massæus lib.* 14 *Chronici, Yepez, aliique: Ogiam appellant Lambrechtus Episcopus Brugensis, et Rosweydus in Vita Belgice edita, et sitam tradunt* circa Constantiam et Macloviopolim, *urbes maritimas, illam Normanniæ, hanc Britanniæ Armoricæ: ubi insulæ aliquot sunt, et fere Anglis subjectæ. Verum ea conjectura ex hactenus dictis satis refellitur.*

*distincta ab Augia e regione Normanniæ.*

5 Aquitaniæ Episcopus *appellatur* S. Amandus *a Ferrario in Topographia ad Martyrol. Rom.* Burdegalensis *in Breviario Spirensi an.* 1509 *excuso. Sed senior Amandus is est, qui colitur* xviii *Julii, ad quem scriptæ aliquot a S. Paulino, quæ extant, epistolæ. Facilis error in eodem nomine fuit, præsertim ob junioris Amandi ad has ditiones profectionem, et populorum circumquaque in fide, pietate, ac Christianis moribus institutionem. Ultra Garumnam Aquitania* iii *est, alias Novempopulania dicta. Hanc seculo Christi sexto Vascones occupare cœperunt: quos sensim invalescentes, ac novo dominatu elatos, Franci sæpius domuerunt: Charibertus Aquitaniæ Rex, anno Christi* ɪɔcxxxi *repressos, etiam regno suo adjecit. Ad hunc Regem fugit S. Amandus, a Dagoberto ob ejus incontinentiam castigatam in exilium missus. Tunc, inquit Hucbaldus in Vita S. Rictrudis* xii *Maii* libentissime pro Christo optabat proprium fundere sanguinem, per diversa loca serendo divini verbi semen: tandem inter cetera genuinam B. Rictrudis agressus est patriam scilicet Vasconiam, ut illic et plures, et hanc pulchram sibi cœlitus infuso, quo ardebat, irradiaret lumine stellam: reputans etiam ob illius gentis sævitiam se inibi posse martyrii palmam adipisci. *Additur infra in MS. Chesnæi, eum etiam* ad loca maritima perrexisse, *et mare* Britannicum transire voluisse ad gentes Saxonum: ut eis Evangelium prædicaret, et in prædicatione cunctis diebus vitæ suæ permaneret. *Cœperunt hi eo ipso fere tempore, in Britannia, dudum occupata, ad fidem Christi converti.*

D

*alius a S. Amando Ep. Burdegalensi:*

*Vascones docet tempore exilii,*

E

6 *Baudemundus solum tradit,* S. Amandum *tempore hujus exilii* remotiora perquirentem loca, verbum Dei Gentibus prædicasse: *at deinde alterum ejus iter tempore Chlotharii* iii *susceptum num.* 18 *describit, asseritque* Vascones, gentem circa Pyrenæos saltus per aspera atque inaccessibilia loca diffusam, auguriis deditam, idola pro Deo coluisse. *Auctor quoque Gestorum Dagoberti cap.* 36 *tradit,* Vascones esse de intermontium rupibus egressos: *ubi subsecutis temporibus Bascones, lingua, moribus et vitæ instituto a reliquis Vasconibus diversos, vixisse diximus* ii *Februarii ad Vitam S. Adalbaldi mariti S. Rictrudis* § 4. *Petrus de Marca lib.* i *Historiæ Bearnensis cap* 25 *num.* 9 *omnem ab Vasconibus conatur idololatriam removere, quasi extollendæ virtutis S. Amandi studio illis a Baudemundo et Hucbaldo affictam. Opponit Episcopos Aquenses, Benarnenses, Oloronenses: addit etiam, si lubet, Bigorritanos et Vico-Julienses Conciliis Agathensi, Aurelianensi* iv *et* v, *Matisconensi* ii, *imo et Parisiensi* iv, *interfuisse, sive omnes, sive illorum aliquos; sed ante habitis, quam Vascones in illis ditionibus consederint. Agnoscit idem Petrus de Marca totius Aquitaniæ Episcopos Agathensi consilio subscripsisse, Ariano tamen Regi Alarico subjectos: quidni igitur, maxime in locis maritimis illi, ad quos Anglo-Saxones aliique a fide Christiana alieni appellebant, paganicis erroribus inhærere potuerint? Ita infra Gandenses, Antverpienses aliique populi in cultu idolorum perstiterunt, etsi Tornaci, Cameraci, Trajecti, urbibus vicinis, essent Episcopi, doctrina vitæque sanctitate clari.*

*et sub Chlothario* iii,

*adhuc idololatras*

F

*in locis maritimis:*

7 *Auctor Aquitanus infra num.* 16 *narrat* S. Amandum (*quem, nomine non multum discrepante,* Alanum *appellat*) a Rege Sigeberto impetrasse locum in Gallia, qui Vaurum dicitur, ibique cœnobium ædificasse. *Est* Vaurum *vulgo* Lavaur, *in Aquitania* i *urbs anno Christi* ɪɔcccxvii *Episcopalis facta, ex Prioratu Ordinis Augustiniani anno* ɪɔxcviii *per Isarnum Episcopum Tolosanum extructo: in cujus fundationis diplomate, apud Catellum lib.* 2 *Historiæ Occitaniæ cap.* 16, *dicitur* ecclesia S. Elani olim a fidelibus constructa, *quam Isarnus restauravit* ad honorem Dei genitricis Mariæ et S. Elani. *Meminit hujus Saussaius in Supplemento Martyrologii Gallicani* xxv *Novembris his verbis:* In agro

*an Vauri condiderit monasterium?*

A agro Tolosano S. Elani, seu Alani, Episcopi Vaurensis Ecclesiæ ad Agotum amnem in pago Lauracensi Patroni. *Celebratur et* XXVII *Novembris* S. Alanus *in Antiquo Breviario Corisopitano Britanniæ Armoricæ, eadem S. Amandi Vita in Lectiones* IX *ad Matutinum distributa : in qua traditur* locum, ubi cœnobium ædificavit, obtinuisse a Rege Aldeberto : *qui forte Charibertus est, in cujus regno Vaurum fuit, vicinum Tolosæ, regiæ sedi : ut verisimilius videatur aliquod istic cœnobium tempore exilii inchoasse S. Amandum. Potuit tamen* Vaurum *confundi cum* Vabrio, *ubi et Sedes Episcopalis ex Abbatia Benedictina eodem anno* MCCCXVII *erecta est, in cujus diœcesi extat* municipium Nanto, *quod eum* a Rege Childerico ad construendum monasterium *impetrasse aiunt Baudemundus, Milo aliique. Extat etiamnum illud monasterium S. Petro dicatum in superiori Rutenorum Marchia, prope fontes Durbii, non procul inde ad Mihaldim urbem sese in Tarnim fluvium exonerantis. Habere autem Abbatem plenum municipii et castri satis muniti dominium, tradit Ranchinus tomo* II *Generalis descriptionis Europæ a Petro Davitio editæ. Qui tum obstitit S. Amando Episcopus Mummulus, Sedem Uretiæ habuit, urbe itinere bidui distante. Fuisse vero Uceeios et Rutenos vicinosque Aquitaniæ* I *populos sub Regibus Austra-* B *siarum diximus* I *Februarii* § 3 *ad Vitam S. Sigeberti, decessoris Childerici. In Lectionario MS. monasterii Moyssiacensis in diœcesi Cadurcensi ad* VI *Februarii Vita brevior* S. Amandi *refertur, sed qui per errorem habetur* Episcopus Rutenensis, *pro Trajectensi, occasione aberrandi sumpta, quod istic Episcopus fuerit* S. Amantius, *qui* IV *Novembris colitur. Simili errore alii dictum monasterium Nanto, cum Nantua, seu Nantuaco, abbatia Comitatus Beugii, Genevam inter et Lugdunum sita, confundunt; quos commodius sub finem hujus Commentarii* § XX *et* XXI *refutabimus, uti et* XXII *illos, qui S. Amandum volunt in Hispaniam transgressum, ibique Episcopum Castellonensem obiisse.*

*extruxit Nantense apud Rutenos :*

*diversus a S. Amantio Episcopo Rutenensi.*

### § II. *Francia a S. Amando piis exercitationibus, conditisque monasteriis, exculta.*

Amandum *per quindecim annos cellæ inclusum apud Bituriges egisse, omnes tradunt. Auctor Aquitanus* Bethoricas civitatem terræ Burgundionum *adscribit. Fuerat a morte Chlodovei* I *Aurelianensi subjecta Regi, dein sub Gunthramno, Childeberto et Theoderico* II *regno Burgundionum annumerata, nomine istic Aquitaniæ,* C *cujus metropolis erat, fere oblitterato. In ea parte agri Barbonii, quæ ad Bituricensem diœcesim spectat, visitur ad Carum fluvium oppidum ab hoc S. Amando appellatum : cujus Ecclesiæ beneficia conferuntur a Priore de Monteto, seu Monticulo-monachorum, diœcesis Claromontanæ; ad cujus etiam nominationem ibidem exstat Prioratus. In quo loco, quantum conjectura assequimur, a S. Amando extructum est monasterium, num. 20 a Baudemundo indicatum : Cum, inquit,* e Vasconia in fines remearet Francorum : *eo usque enim regnum Aurelianense pertingebat. Quæ eadem innuit Milo lib. 4 cap. 2.*

*Boururibus cellæ inclusus vixit, 15 annos*

*in agro Borbonio an monasterium condiderit?*

9 *Inter loca apud Francos virtute doctrinaque S. Amandi illustrata, fuit utraque aula regia ; tam Austrasiorum Metensis, quam Neustrasiorum Parisiensis. Cum ex primo itinere Romano in Gallias rediret,* coactus, *inquit Baudemundus,* a Rege et Sacerdotibus, Episcopus ordinatus est. *Sedem illi Parisiensem assignat Joannes Serranus in Inventario Historiæ Franciæ in Dagoberto; quasi alioqui hujus incontinentiam redarguendi ei defuisset potestas. Verum, teste Harigero,* juxta morem *illius ævi* ad prædicandum est ordinatus Episcopus : *et bene exponente poeta Milone,*

*Episcopus factus,*

*non Parisiensis,*

Non Sedem propriam suscepit Pontificalem :
Sed veluti Paulus populos aggressus Eoos,
Sic iste Occiduas partes transmissus adivit,
Gentibus et sparsis sparsit pia verba salutis.

D AUCTORE G. H. *sed ad Apostolicam prædicationem ; degit Parisiis,*

*Parisios interim sæpius regressus, Reges convenit, aut facultatem varia per regnum monasteria condendi impetraturus, aut eorumdem litteris muniendus, ut verbum Dei majore cum auctoritate prædicaret, aut ipsos etiam Reges, eorumque aulicos viam salutis educturus. Ab exilio redux in veterem Regis Dagoberti gratiam restitutus est Clypiaci, villa regia, in agro Parisiensi, ultra Montem-Martyrum. Eodem tempore baptizavit filium ejus* S. Sigebertum, Chariberto Rege cum Aurelianis de sancto lavacro suscipiente, *ut refert Fredegarius cap. 62 Chronici. Carus inde S. Sigeberto Regi Austrasiorum fuit, quo urgente Episcopatum Trajectensem suscepit, eoque permittente se illo abdicavit. Ad eumdem Regem Sigebertum, Metis habitantem, S. Martinus Papa legatum misit S. Amandum, ut eum consultissime* admoneret, precaretur que, ut Episcopos Romam dirigeret *etc. quæ infra apud Philippum num. 49 leguntur.*

*Clypiaci,*

*Aurelianis,*

*Metis :*

10 *Fuit S. Sigeberto Regi uxor, nomine Imnechildis, quæ marito anno* DCLXIII *vita functo superstes, Childerico, adhuc adolescentulo, Rege constituto, Austrasios rexit : perperam vero ipsa, et uxor Bildechildis in unam eamdemque conflantur ab Hieronymo Vignerio in Tabulis Genealogicis Alsatiæ pag. 2, Philippo Labbeo in Genealogia Domus regiæ Francorum, tabula 1 num. 10, aliisque. Ab hoc Childerico Rege, et Imnechilde Regina (de qua plura diximus in Analectis post Vitam S. Sigeberti* § 1) *S. Amandum obtinuisse in agro Laudunensi Barisiacum, leuca a Conciaco, altera fere ab Oesia flavio ejusdemque Calrico remotum, legitur in antiquo MS. nostro, ubi sub finem Vitæ S. Amandi, post varia monasteria enumerata dicitur :* Cellulam quoque, quæ vocatur Barisiacus, quem locum cum adjacentibus sibi appendiciis illi Hildericus Rex et Ymnechildis Regina visi sunt condonasse : cuncta legimus ab ipso divino viro ædificata fuisse. *Eadem leguntur apud Chesnæum tomo* I *Historiæ Francorum pag. 647. Donationis diploma edidit Miræus lib. 1 Diplomatum Belgicorum cap. 3, ubi tamen nomine Reginæ Imnechildis expuncto, substituitur Bildechildis, quæ illi postea, cum virilem attigisset ætatem, uxor fuit. Philippus Labbeus in Miscellaneis curiosis cap. 4* § 3 *propter pueritiam Regis in diplomate indicatam ratus abesse debere nomen Bildechildis, judicavit reponendam Baldechildem matrem Childerici. Sed ea cum Chlotario, seniore filio, etiam puerulo, rexit Neustrasios, nec propter Optimatum* F *æmulationem potuisset vel minimum Austrasiorum regimini intendere. Ipsum diploma genuinum subjicimus.*

*a Childerico Rege et Imnechilde vidua S. Sigeberti Regis,*

E

*impetrat Barisiacum in agro Laudunensi,*

11 Childericus Rex francorum et Imnechildis Regina, viro illustri Bertuino Comiti et Bertekando Vicario. Merito largitatis nostræ munere sublevantur, qui pro parentibus nostris, vel etiam pro adolescentiæ nostræ ætate famulantur. Proinde cognoscat magnitudo vel utilitas vestra, quia nos propter nomen Domini vel amorem cœlestem, Apostolico Patri nostro Amando Episcopo, villam nostram, nuncupatam Barisiacum, sitam in pago Laudunensi, quam usque nunc fiscus noster tenuit, promptissima devotione cum universis villulis ad se adspicientibus, et cum omni integritate ad se pertinente concedimus et concessam esse volumus. Quapropter auctoritate nostra præsenti decernimus ac volumus, quod in perpetuum volumus esse mansurum, ut ipsam villam memoratam Barisiacum cum omnibus ad se pertinentibus, tam in terris, domibus, vineis, silvis, pratis, pascuis et mancipiis ibidem commanentibus, sicut fiscus noster ibidem tenuit ac possedit, et ipse Dominus Amandus ad opus monachorum suorum absque ulla contradictione vel diminoratione teneat ac possideat. Sic igitur in integrum hoc nos-

*dato hoc diplomate.*

A træ concessionis beneficium firmum esse volumus, ut jam dictus Pontifex de ipsa villa Barisiaco, et de rebus ad eam pertinentibus, habendi, tenendi, freda exigendi, mansiones faciendi, dandi, commutandi, vel, quidquid elegerint, faciendi, liberam ac firmissimam per nostram auctoritatem habeat potestatem. Insuper omnes successores nostros, per nomen Domini adjuramus, ut nullus eorum ipsam villam, cum omnibus ad se pertinentibus, Domno Patri Amando vel suis monachis auferre præsumat, vel ullam inquietudinem faciat. Quod, quicumque est ille, fecerit, judicium portet, et sententiam damnationis incurrat. Et ut hæc auctoritas circa ipsum Pontificem et monachos ejus firmior habeatur, et per tempora succedentia perpetuo conservetur, et ego, dum propter imbecillam ætatem minime potui subscribere, manu propria subtersignavi, et Regina subterscripsit. Signum Childerici Regis. Innechildis Regina subscripsi. Datum sub die Kalend. Augusti, anno II regnante Domino nostro Childerico Rege. *Philippus Abbas infra in Vita num. 60 addit*, monasterio dispositione congrua collocato præfectum esse Andream, *dein* Abbatem Elnonensem : *cui monasterio etiamnum subjectum est Barisiacum.*

AUCTORE G. H.

B 12 *Resbaci non procul a Matrona fluvio, in diœcesi Meldensi, et saltu Brigensi, extructum est a S. Audoeno monasterium, cujus ecclesiæ dedicationi interfuisse S. Amandum narrat idem Philippus num. 22. Rotomagi extat præclarum monasterium S. Amandi, ubi an. MXCVII altare extabat*, in quo olim S. Amandus Missas celebrare consueverat, *ut infra testatur Abbatissa. Est in eadem diœcesi Rotomagensi pagus* S. Amandi de Guillemecourt *dictus, cum ecclesia parochiali. Vicinus est ager Bellovacensis, et cæca muliere a S. Amando illuminata, et verbo divino prædicato ab eo excultus : in quo etiamnum extat prioratus S. Amando dicatus.*

Resbaci ecclesiam dedicat

Rotomagi est monasterium S. Amandi,

Prioratus apud Bellovacos.

## § III. *In Belgio Elnonense monasterium a S. Amando constructum : diplomatis Regio et Pontificio munitum. Menapiis sedes vindicata.*

Sanctus Medardus, *ut ejus Acta habent* VIII *Junii*, dolens civitatis Viromandensis, quam regendam susceperat, factam destructionem, veritusque iterandam Paganorum irruptionem, sano satis consilio C Sedem Episcopalem constituit Novioimi, *in agro Suessionum, apud quos antiqua tamen permansit Cathedra Episcopalis. Huic Sedi Noviomensi tunc adjuncta est Tornacensis ad Scaldim fluvium, cujus diœcesin S. Amandus assumpsit excolendam; inque ipsa urbe cellam sibi sociisque habuit, ubi favore Divino adspirante magnam sibi conciliarit auctoritatem, cum hominem suspensum, a morte suscitasset. Tunc passim, teste Baudemundo*, fana destruebantur, monasteria ecclesiæque construebantur. *Quod præstitum fuerit urbi Tornacensi, non æque commodum est in silentio antiquorum conjectare : forte molitus est S. Amandus bene inchoare, quod opere compleverit S. Eligius Episcopus, dum illustre S. Martini monasterium ibidem extruxit, degente tunc in diœcesi Trajectensi S. Amando. Cum urbe Tornacensi, et Tornacesio, seu Castellania, aut Balliragio, ut vocant, Tornacensi unam quodammodo provinciam constituit tertium membrum Amandopolis : quod oppidum ex monasterio Elnonensi excrevit, octo vicinos pagos sub sua jurisdictione complectens. Inter monasteria quam plurima a S. Amando condita, eminet maxime Elnonense, in quo et vitam in senectute sancta peregit, et sepultus e cælo adfuit hactenus benignus Patronus, ac miraculorum patrator : ut ejus propterea nomine jam tantum innotuerit notum. Nomen Elnoni dedit amnis parvulus : ita Milo infra lib. 4 cap.* 12,

Noviomensi Sedi Tornacensem unitam excolit S. Amandus :

condit monasterium Elnonense, nunc Amandinum dictum,

D
Locus est de flumine dictus,
Quod recipit largoque sinu Scarb purior effert.

*Influit Elna in Scarpum ad finem pomarii seu prati versus Septentrionalem plagam ædificiorum monasterii. Scarpus autem in Artesia exortus, primo Atrebatum, tum Duacum alluit, inde illustriora monasteria, Marchianense, Hasnoniense et Elnonense prætérlapsus, prope Mortaniam supra Tornacum Scaldi miscetur.*

14 *Philippus Abbas infra num.* 31 *tradit* urbem Menapiorum esse, quæ vulgato nomine Tornacus dicitur, *et num.* 64 Elnonem *asserit* intra Menapiorum positum fines, Propontiis Nerviisque conterminum. *Ubi manu exarato codici nostro adscriptum est :* Menapios esse Tornacenses, Propontios Bracbatenses, Nervios Hainonienses. *De hisce duobus populis etiam a S. Amando excultis infra agemus. At diœcesis Tornacensis continet præterea cum agris suis urbes, Insulas et Cortracum, et jam abstractas Gandavum cum Aldenardo, Brugas cum Aldenburgo, Slusa ruinisque oppidis. Unum qui fecerit populum, Menapios dixerit, et ad Morinos usque extendet. De utroque populo egimus in Februario ad Vitam S. Anscharii* § 5. *Menapios Morinis adjungunt Cæsar de bello Gallico lib.* 2 *cap.* 4, *lib.* 3 *cap.* 9, *lib.* 4 *cap.* 38 *et alibi, Plinius lib.* 4 *cap.* 17 : *ita* ὁμοροῦντας τοῖς Μεναπίοις Μορίνους *statuunt Strabo lib.* 4 *et Dio Cassius lib.* 39. *Adstipulantur posteriores Scriptores : nam juxta Gesta Normannorum ante Rollonem Ducem,* Normanni, Tornaco civitate omnibusque monasteriis super Scaldem fluvium anno DCCCLXXX ferro et igne devastatis, et Cortriaco castro ad hiemandum constructo, Menapios et Suevos usque ad internecionem deleverunt, omnemque terram juxta flumina *Scaldim et Legiam* consumpserunt. *De Suevis infra agemus. Eodem modo apud Auctorem ineditum, ab Oredio cap.* I *veteris Flandriæ citatum,* Normanni Taruanna urbe Morinorum vastata, omnem terram Menapiorum perambulando ferro et igne vastant. Posthæc Scaldem fluvium intrant, et omnem Brabantionum terram incendio et ferro delent. *Idem Normanni, juxta fragmentum historicum de Corbeia destructa, tomo* II *Scriptorum Franciæ*, destruxerunt ferro et igne urbem Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatensium, omne quod circa Scaldem flumen erat. *Similia refert Sigebertus in Chronico ad an.* 882. *Ludovicus Pius Imperator in Præcepto divisionis Imperii inter filios faciendæ, videtur inter Menapiorum ditionem dividere in* Menapuscon, Medenenti *et forte* Franderes, *sive* Flandram, *quibus contiguos adjungit regiones*, Bragbentum, Ainau, Austerban, Adertensem *et* Teruanensem. *At Flandros tum incoluisse loca maritima Brugas inter et fretum Zelandicum, Medenatenses partim agri Insulensis, diximus ad Vitas SS. Adalbaldi et Anscharii. Menapuscis reliqua igitur ad Scaldim et Legiam est ditio attribuenda. De aliis ab hoc populo distinctis Menapiis, seu Geuapiis, Julii Cæsaris, et Dionis, qui a Tacito Gugerni, tam fere Cliviæ dicuntur, alibi agemus. Ptolemæus dum hos Menapios confundit, multos in errorem induxit. Hunc* mirum ubique Germaniarum turbatorem *appellat Cluverius lib.* 3 *Germaniæ cap.* 1, *eumque in Gallia antiqua passim emendat Bucherius noster.*

E

F

15 *Ceterum Elnonense monasterium ex diplomate S. Martini Papæ mox dando constat, ævo S. Amandi fuisse in Francorum Austrasiorum finibus, ubi regnum Austerbantum a limite Austrasiorum appellatum esse alibi diximus. Addit Philippus Abbas*, Elnonem, sicut regni Germanici et Romani finis est Imperii, sic Belgicæ Remensis portionem, sic limitem dignosci esse Francorum : *scilicet Occiduorum, ubi posteri Caroli Calvi Francorum nomen retinuerunt. Ita auctor chronici Marchianensis et Sigebertus ad an.* 812, *dum elevationem corporis S. Amandi referunt*, Elnonense cœnobium in Francia *collocant : at vicini Cameracenses,*

in antiqua Menapiorum ditione late diffusa,

Morinos inter

et Brachantos,

sub varia appellatione.

in regno Austrasiorum,

dein Francorum occiduorum,

A ses, *Hannones, Brabanti, qui olim sub Austrasiis Regibus, dein sub Lothario Imperatore fuerant, Romano-Germanico Imperio sunt annumerati. Censetur et Elnonensis ditio,* Belgicæ Remensis portio, *cum ea ab Austrasiis ad Francos occiduos translata : cui tunc Belgicæ secundæ metropoli, suberant vicini Episcopi, Tornacensis, Cameracensis, Teruanensis, Atrebatensis : sed novis erectis in Belgio Episcopatibus, Tornacenses Episcopi subjiciuntur Archiepiscopo Cameracensi, uti et alii, a Francis separati. Demum Pabulensi ditioni attribuitur monasterium Elnonense in ejusdem loci Martyrologio infra citando : unde etiamnum, teste Buzelino lib.* 1 *Gallo-Flandriæ cap.* 17, monasterii Amandini Antistes intra Pabulanam ditionem Comes appellatur, *imo et Flandriæ Gallicanæ annumeratur. Duo extant diplomata pro hoc Elnonensi monasterio data S. Amando, quorum alterum est Regis Dagoberti; alterum vulgo S. Martini Papæ esse volunt. Prius est hujusmodi.*

*suo Archiepiscopo olim Remensi, nunc Cameracensi, in Pabulensi ditione. Gallo-Flandriæ.*

ANIMADV. PAP. 100

*Dagobertus Rex diplomate S. Amando Elnonem donatum confirmat, et a jure fisci eximit.*

16 In nomine Domini nostri Jesu Christi. Dagobertus Divina ordinante clementia Rex. Deum nobis fore propitium credimus, si ad reformandum et confirmandum religionis cultum præcipuam curam impendimus, et religioni deservientibus munificen-B tiæ et liberalitatis nostræ manum aperimus. Proinde tam præsentium quam futurorum solertiam scire volumus, quod venerabilis vitæ Amandus Episcopus, qui per gratiam Dei filium nostrum Sigebertum baptizavit, jam quibusdam ecclesiis seu monasteriis ad augmentum divini cultus constructis ac bene dispositis, Excellentiam nostram adierit, et ut non deficiens Dominicæ vineæ cultor, confidens autem de nostræ largitatis beneficio, locum situm inter duos fluvios Scarp et Elnonem a nostra liberalitate sibi concedi humiliter petierit. Qui locus licet esset propter multam silvæ densitatem ad extirpandum difficilis, tamen labori suo, imo post laborem suum, quieti et usui Deo militantium, quos ibi se jam præmeditabatur per Dei gratiam ordinaturum, videbatur opportunus. Nos igitur considerantes dignam reverendi Pontificis petitionem, tum propter potius regni nostri, ac prolis nostræ stabilitatem ac pacem, tum propter animarum nostrarum salutem, locum quem petierat, cum utraque aqua et silva circumquaque succrescente, prona animi devotione concessimus, et concessionem nostram rata legum sanctione stabilimus. Præcipimus igitur, et ex auctoritate regia jubemus, ut nulla secularis vel Ecclesiastica persona C de loco suprascripto cum aqua et silva præfato Pontifici a mea liberalitate concesso, ipsi Pontifici seu successoribus ejus ullam inquietudinem, aut refragationem, vel præjudicium sive violentiam facere tentet; sed potius hoc regalis munificentiæ beneficium tam ipse Pontifex, et quos ipse ordinaverit, quam qui ei successerint sine ulla diminoratione absque ulla calumnia et contradictione secure ac perpetualiter habeant et possideant. Quod si Divina pietas locum ipsum per industriam hujus amabilis viri ac successorum ejus, et per devotam largitionem bonorum hominum meliorari et amplificari voluerit, quidquid exinde sive in caussis, sive in fredis, sive in pratis, sive in terrarum divisionibus et reditionibus, sive aliquo modo jus fisci exigere poterat, in integrum tam præfato Patri quam successoribus ejus concedimus. Ipsum vero locum et res ad eum pertinentes, quidquid etiam largitas Principum vel devotio quorumlibet fidelium deinceps addiderit, sub tuitionis et immunitatis nostræ defensione consistere volumus. Et, ut hæc regalis auctoritas firma ac inconvulsa perpetuo perseveret, præsens præceptum manu propria subterfirmavimus, et annuli nostri impressione signavimus; successores etiam nostros, ut in hoc ipsum morem nostrum imitentur, commonemus. Datum Kalendis Maii, Indictione * 11, anno XI D regni Domini Dagoberti. Actum Parisius civitate feliciter, Amen. Gerardus Notarius ad vicem Dadonis Cancellarii recognovit. *Huc usque diploma. Annus* XI *Dagoberti convenit in annum Christi* DCXXXVIII, *quo erat Indictio* XII *non* II *neque* VII, *quæ melius abest more ejus ævi, a posteris adjuncta. Alterum diploma S. Martini Papæ est hujusmodi :*

AUCTORE G. H.
* *al.* VII

*S. Martinus Papa alio diplomate creditur monasterium Elnonense SS. Petri et Pauli eximisse e jurisdictione Episcopi.*

17 Martinus Episcopus, ultimus servorum Dei, omnibus diligentibus Deum salutem. De quotidiano sanctæ matris Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ profectu ac multiplicatione gaudere debemus, atque in vinea Domini pro mercede laborantibus auxilium ferre debemus. Unde notum fore volumus sanctæ universalis Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam et futuris; qualiter sanctæ dilectionis nostræ filius Amandus cum consensu et petitione carissimi filii nostri... memoriæ Dagoberti Francorum Regis sive filii ejus Sigeberti privilegium auctoritatis nostræ expetierit de quodam cœnobio, cui Helnonis indidit nomen, quodque etiam ab ipso consecratum est in honore beatissimi Apostolorum Principis Petri, Doctorisque Gentium, Pauli intra decursum duorum fluminum Scarp et Helnonis. Privilegium quidem sanctæ auctoritatis nostræ, nostris futurisque tem- E poribus memorato loco indulgemus. Ordinamus itaque atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de villis et facultatibus, de ecclesiis et ecclesiarum decimis, sive familia et de quibuscumque stipendiis specialiter inibi Deo servientium. Interdicimus autem in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate B. Petri Apostolorum Principis prohibemus, cujus vice huic Ecclesiæ Romanæ, auctore Deo, præsidemus : ut nullus Episcoporum ultra præsumat de reditibus, rebus vel chartis eorum, vel villis quorumque modo qualibet exquisitione minuere, nec dolos vel intermissiones aliquas facere, nec illorum ingredi monasterium, neque placita, nec aliud quid facere. Sed si qua caussa forte inter terram venientem ad partem... ecclesiæ et monasterii evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud electos Abbates et alios Patres timentes Deum sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis, finiatur.

*liberam Abbatis electionem, ac promotionem ad Ordines sacros, aliaque pro quiete monasterii concessisse,*

18 Defuncto vero Abbate non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi concors congregatio elegit, et qui electus fuerit, sine dolo et venalitate aliqua ordinetur. Pariter autem custodiendum est, ut invito Abbate ad ordinata alia monasteria, aut ad Ordines sacros vel Clericatus officium tolli exinde F monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, qui ad celebrandas Dei laudes, vel utilitates loci complendas sufficiant, de his, qui superfuerint, offerat Abbas coram quos dignos potuerit. Quisquis autem ex monasterio ad Ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem, nec licentiam habeat habitandi. Missas quoque publicas ab Episcopo in eodem cœnobio fieri omnino prohibemus, ne servorum Dei recessibus, et eorum receptaculis ulla popularibus præbeatur occasio conventiculi, nec audeat cathedram ibi collocare, vel quamlibet potestatem imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam, faciendi habeat : nisi ab Abbate ejusdem loci fuerit rogatus; quatenus monachi semper maneant in Abbatis sui potestate. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam, omni in futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatamque servari; ut et jam suæ Ecclesiæ, juvante Domino, suo tantum sint jure contentæ, et Abbas jam dicti monasterii atque monachi Ecclesiastici conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet obsequiis secularibus nullo malo subjaceant, nullis laicis viris deserviant; sed remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus divinum opus cum summa animi devotione perficiant.

A perficiant. Quicumque in Apostolicis constitutionibus

*AUCTORE G. H.*

sincera dilectione observator extiterit, benedictionem et misericordiam a Domino percipiat. At qui ea, quæ Apostolica Sedes stabilivit, pro nihilo ducere atque violare tentaverit, B. Petri Apostolorum Principis, nostrique Apostolatus auctoritate, anathematis vinculis irretitus, ut sacrilegus a sinu matris Ecclesiæ, et participatione corporis et sanguinis Christi separatus, cum diabolo et angelis ejus sententiam damnationi accipiat. Scriptum per manus Stephani Notarii et Regionarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Januario, Indictione II. Datum XIV Februarii, per manum Amandi Episcopi, bibliothecarii sanctæ Sedis Apostolicæ. *Huc usque diploma S. Martini Papæ, in quo Indictio II cum tempore Sedis ejus non convenit; IX potius ponenda, ut anno DCLI, quo infra probabimus S. Amandum Romæ fuisse, videri datum queat, ac XIV Kalendas Februarii, qui dies infra legitur in alio diplomate pro monasterio Gandensi impetrato.*

*appposito anathemate in repugnantes*

## § IV. *Ecclesiæ et monasteria a S. Amando erecta in Belgio, ad Scarpum, Legiam et Scaldim fluvios. Flandri, Antverpienses aliique instructi.*

B

Ex *monasterio Elnonensi S. Amandum adiisse vicina loca, observat Buzelinus lib. 2 Annalium Gallo-Flandriæ:* Promptum erat, *inquit*, inde quoslibet Pabulæ locos obire, ut populus, quod maxime gnavus Pater optabat, Christi legibus ad salutem animorum excoleretur. Inde facilis etiam erat Valentianas et Tornacum eumdem in finem excursio. *Et paullo inferius:* Ex eo quippe loco, postquam Ursum ei præfecisset, nunc Tornacum adire, nunc Pabulæ regionem peragrare, nunc Martianas, Duacum, Insulas, alio tendere; ubique modo concionari, modo privatim de rebus divinis colloquia instituere; eo etiam conatus appellere, ut plerosque opulentos et nobiles viros ad pietatem vehementius impelleret, certum aliis ad virtutem incitamentum futuros. Inter viros magni nominis iis temporibus ab D. Amando piis alloquiis ad virtutem incitatos, non dubito tres fratres numerare, Erchenaldum videlicet, Adalbaldum, et Sigebertum. *De iis egimus ad Vitam S. Adalbaldi II Februarii, et de Erchenoldo Præfecto palatii Chlodovei II ad Vitam S. Sigeberti.* De Adalbaldo, *addit Buzelinus*, id certum habeo, fundum hoc fere tempore D. Amando in Pabulensi ditione dedisse, condendo illic monasterio. Ad flumen Scarpum is jacet, haud procul Hamagia in extimis Pabulæ finibus. Parum cultus tunc erat is locus, multisque palustribus aquis, arundinibus, arena, nemoribus horrebat. Verum ideo S. Amandus continendis hominibus, quos relicto seculo divina contemplandi studium incendebat, aptissimum judicaverat.

*S. Amandus ex monasterio Elnonensi vicinas regiones excolit.*

*a S. Adalbaldo fundum Marchianensem obtinet;*

C

20 *Hic ergo, ut legitur in Chronico ejus monasterii,* Marchianensem ecclesiam in honorem S. Petri Apostoli in Adalbaldi Ducis allodio construxit. *Imo et monasterium, uti Hucbaldus auctor est in Vita S. Rictrudis:* Porro locum, ubi hæc, *inquit*, spiritualibus daret exercitiis operam, cum consilio et auxilio sæpe dicti Antistitis Amandi, valde sibi congruum delegit, nempe monasterium, quod Martianas vocant, ab eodem Antistite ad fluvium Scarbum exædificatum, cui disponendo et constituendo vir sanctus Abbatem præfecerat S. Jonatum venerabilem virum, cujus adhuc in eodem monasterio corpus conditum habetur. Et Amandus quidem monachos illic haberi voluit; sed Jonatus sanctimoniales ibi congregavit. Hunc ergo locum satis opportune ab hominum strepitu remotum, Dei famula Rictrudis expetiit, et B. Amando non solum consentiente, sed etiam inter

*ibique monasterium condit,*

*sanctimonialibus datum,*

Regem et ipsam pacem conciliante, cum majestatis regiæ privilegio obtinuit, ut illic se totam rebus divinis manciparet. *Additur in Chronico Marchianensi:* quoniam sua bona B. Rictrudis huic loco consecrarat, ibique Deo deservire statuerat, sanctimoniales inter servos Dei collocatas, primatus ordinem suscepisse. *Ast anno Christi* MXXVIII *ut habet Meierus in Annalibus, sub Balduino Barbato Comite Flandriæ, et Gerardo I Episcopo Atrebatensi et Cameracensi, in locum sanctimonialium introducti monachi Benedictini ex monasterio Atrebatensi S. Vedasti, quibus hujus Abbas Leduinus præfuit annis novem.* D

*præfecta iis S. Rictrudis,*

*nunc virorum est:*

21 *Quæ supra dicitur* Hamagia villa, *est hodie Prioratus Marchianensi abbatiæ annexus, olim monasterium a S. Gertrude avia S. Adalbaldi constructum, apud quam educata, et ad vitam monasticam informata est ejus proneptis S. Eusebia, filia SS. Adalbaldi et Rictrudis: a qua* Eusebia *illud* monasterium ex rebus suis hereditariis constructum *scribit Baldericus lib. 2, cap. 27. Quæ consilio atque opera S. Amandi præcipue peracta arbitramur. Ad ejusdem Scarpi alteram ripam, inter oppidum Amandinum et Marchianas, visitur cœnobium Hasnoniense; quod a Joanne viro nobilissimo, locique illius toparcha, ejusque sorore Eulalia, cum S. Amandus in vicino Elnonensi monasterio senex degeret, utriusque sexus religiosis construi cœpit; ac primus creditur Joannes præpositus monachis Abbas, sanctimonialibus Abbatissa Eulalia. Hi quoque exemplo, auxilio, consilioque, quantum conjicere ob loci vicinitatem licet, a S. Amando adjuti. Ecclesiam Deo et sancto Apostolo Petro dedicavit S. Vindicianus Cameracensis et Atrebatensis II Kalendas Maii anno Theoderici Regis IV, quo infra probamus S. Amandum defunctum esse. De origine hujus cœnobii plurima traduntur in monumentis monasticis ineditis Francisci le Bar tomo 6 par. 2.*

*an fuerit in condendo Hamaticensi.*

*et Hasnoniensi ad Scarpum?*

E

22 Cortracum *urbs ad Lisam, seu Legiam, fluvium, fidem Christi acceptam refert SS. Eligio et Amando.* Fertur, *inquit Meierus tomo I rerum Flandricarum,* S. Eligius Cortracensibus pietatis rudimenta tradisse, eorumque templum fecisse augustum, *S. Martino sacrum. At quæ istic extat* præpositura S. Amandi *cum* capella S. Mariæ, *olim prædives, spectat ad abbatiam Elnonensem, a Flandrorum sanctissimo Apostolo Amando erecta, uti ex Elnonensium relatione tradit Sanderus in Flandria illustrata. Idem* S. Eligius, *ut lib. 2 Vitæ ejus cap. 3 refertur a S. Audoeno,* Flandrensibus, Andoverpensibus, Frisonibus, Suevis, et barbaris circa littora maris degentibus verbum Dei prædicavit. Et multum *uti cap. 8 dicitur,* in Flandris laboravit, jugi instantia Andoverpis pugnavit, multosque erroneos Suevos convertit; fana destruxit, idololatriam funditus subruit. *Quæ eadem de S. Amando jure meritoque dici debent.* Suevos *immixtum* Menapiis *populum supra ostendimus, eorum vestigia exhibent pagi celebres,* Sweveghem *leucam unam Cortraco distans, et* Suevesalia *medio itinere fere Cortracum inter et Brugas, in Decanatu Thorholtano: de cujus oppidi monasterio egimus* in *Februarii ad Vitam S. Anscharii* § IV: *quod adjutorio S. Amandi nobis verosimilius videtur conditum; quando S. Bavo ejus discipulus, ut in hujus Vita I Octobris, legitur,* quocumque divini sator germinis ibat Amandus, illuc studens subsequi, et indivisibiliter adhærens Magistri lateri, ardebat sanctæ prædicationis adipe repleri, *et familiarem notitiam contraxit cum* Domino Torholtensis Ecclesiæ Presbytero, *quem Angelus Domini ad eum adduxit moribundum: de quo pluribus agemus ad Kalendas Octobris, quo Sanderus lib. 2 Hagiologii Flandriæ Domitianum conjungit S. Baroni.*

*Cortraci monasterium S. Amandi.*

F

*Suevis in Flandria prædicat*

*Thorholti monasterium extruit:*

23 *Flandrorum olim caput fuit urbs* Rodemburgum, *quam* Ardenburgum *hodie nominant, in qua post alios Flandricarum*

*et Ardenburgi*

A *Flandricarum rerum scriptores tradit Sanderus, ecclesiam fuisse Deiparæ Virgini a S. Eligio dicatam, monasterium per D. Amandum constructum, eique aliud a S. Ursmaro adjunctum ; de hoc agemus* XVIII *Aprilis.*

*prædicat Frisiis vicinis,*

Frisii *ad eam Flandriæ partem, qua brachio maris interni (Hontum appellant et Scaldim Occidentalem) a Zelandia separatur, eo ævo habitabant; in quatuor ambacta, seu præfecturas, distincti, qui cum oppidis Hulsto, Axela, Sasso, Biervlito, sicut reliqui Frisii, sub Episcopis urbis Ultrajectinæ, quæ Frisiorum metropolis erat, ad annum usque Christi* MDLIX, *quo novi in Belgio erecti fuerunt Episcopatus, permansere : qui, in divisione regni Lotharii anno* DCCCLXX *facta, videntur cum vicinis Zelandis tertiam partem Frisiorum fecisse, a Carolo Calvo cum Taxandro et Brachbanto obtentam; Ludovico Regi Germaniæ duabus Frisiorum partibus cis ultraque Rhenum, cum Comitatu Tiersterbanto et Batua relictis. His Frisiis adjuncta in Scaldis fluvii æstuariis* Calloa, *Baudemundo* Chavelaus, *Philippo Abbati* Canelaus, *Harigero* Chanalaus, *Miloni Poetæ* Calolo, *quæ metathesis est scioli scriptoris ex* Calloo, *quod etiamnum loco nomen. Calloaniæ Ecclesiæ, uniusque capellaniæ patronatus spectat etiamnum ad Abbatiam S. Petri, a S. Amando Gandavi, ut mox dice-* B *mus, extructam.*

*et Calloanis.*

ANIMADV. PAP 101.

24 *Distat Calloa altera circiter leuca ab urbe Antverpiensi, cujus expresso nomine omnium primus meminit Audoenus. Hæc Apostolos suos, a quibus fidem edocta, agnoscit colitque SS. Eligium et Amandum : eisque aliquanto juniorem Willibrordum Episcopum Ultrajectinum, cui plurima bona contulit Rohingus Antverpiensium Princeps duobus datis diplomatibus, in quibus præclara quædam S. Amandi illic opera memorat. In priore ita ait :* Ego in Dei nomine Rohingus, et conjux mea Bebelina, donamus Apostolico Domino et Patri nostro Willibrordo Episcopo, donatumque in perpetuum esse volumus, hoc est, ecclesiam, quæ constructa est infra castrum Antwerpis, super fluvium Scalde, quam Dominus Amandus Pontifex in honore SS. Petri et Pauli Apostolorum Principum, vel ceterorum Sanctorum construxit, et nos pro ipsa ecclesia, vel quidquid ibidem aspicere videtur, venerabili viro Firmino Abbati de monasterio Quercolodora locellum nostrum nuncupatum Tumme in concambio dedimus... Actum publice est hoc Weimodo regia villa cum fecit October dies viginti, regnante Theodorico Rege anno sexto, *id est anno Christi* DCCXXVI. *In secunda diplomate fere eadem re-* C *petit his verbis :* In nomine Dei ego illuster vir Rohingus, et conjux mea Bebelina, donamus ad sacrosanctam ecclesiam Petri et Pauli Apostolorum, quam Dominus Amandus in Antwerpo construxit, ubi Willibrordus Episcopus præesse videtur, donatumque in perpetuum esse volumus *etc. Integra diplomata exhibet Miræus in Codice Donationum cap.* 6 *et* 7. *Ceterum, sicuti* S. Eligius *ab Audoeno in ejus Vita non dicitur tantum* Episcopus Noviomensis *aut* Tornacensis, *sed etiam* Veromandensis, Corturiacensis, Gandensis *et* Flandrensis, *quod singulæ hæ urbes ditionesve a propriis Comitibus aut Marchionibus regerentur; ita* S. Amandus *videtur et dici potuisse* Episcopus Antverpiensis; *uti* S. Willebrordus Episcopus Ultrajectinus, *in memorato diplomate etiam dicitur* Ecclesiæ Antverpiensi præfuisse, *ea tunc urbe sub Principe Rohingo constituta : cujus donationum meminit in suo testamento idem Willebrordus :* Rohingus, *inquit,* mihi condonavit, vel tradidit ecclesiam aliquam, quæ est constructa in Antverpo castello super fluvio Scalde, in pago Renensium, cum appendiciis suis *etc.* Castrum *seu* castellum *vulgo adhuc* burgum *appellatur, uti* ecclesia burgensis, *quæ postquam* civitas anno DCCCXXXVI, *ut tradunt Annales Fuldenses,* incensa est a Nordmannis, *sub honore*

*Antverpiæ ecclesiam construit.*

*ad honorem SS. Petri et Pauli,*

*sanctarum Virginum Catharinæ et Walburgis dein est* D *restaurata. Jam fere solius Walburgis nomine agnoscitur, ut plenius ad hujus Vitam* XXV *Februarii dicetur.*

AUCTORE G. H *nunc S. Walburgis.*

25 *Socium S. Amando in convertendis Antverpiensibus fuisse S. Humbertum Abbatem Maricolensem indicat carmina a Molano in Natalibus Sanctorum Belgii* XXV *Martii edita, quæ sic incipiunt :*

Inclite, qui meritis fulges, Humberte, coruscis;
Cujus ad exemplum vitæ ac moderamina, quondam
Barbara doctrinam nacta est Antverpia Christi.

*De ejusdem Humberti cum S. Amando itinere Romano agemus infra. Quod supra in donatione Rohingi Quercolodora appellatur Firmini Abbatis monasterium,* Durini *fuisse videtur, sive* Turnini, *qui pagus est vulgo* Deurne, *Antverpia leuca una distans. Et vero suspicari licet, illud ipsum monasterium a S. Amando constructum ad firmamentum recens plantatæ isthic fidei, ac propagationem.* Quercolodoram *autem, seu* Kerckelodoram *dictum, quasi* Kercke-loo-dor ; *ab aqua (quæ* dor *aut* dur, *vel* deur, *veteri Belgica lingua dicebatur) fluente juxta silvam, seu* loo, *apud quam silvam templum erat,* Kercke, κυριακόν. *Aqua autem illa est* Scenda *amnis, qui Durinum pagum alluit. Qui hic monasterio primus creditur præfuisse S. Fredegandus, Durinensium hactenus Patronus, colitur* XVII *Julii, cui* E *forsan memoratus supra Firminus successit. Magna huic Quercolodoræ conjunctio fuit, et quædam bonorum communicatio, cum altero monasterio a S. Amando ad Sabim fluvium, ut dicemus infra, extructo : quo translatum est corpus S. Fredegandi; cum Nordmanni omnia circa Antverpiam vastarent.*

*In pago Deurne*

*monasterium Quercolodora*

## § V. *Gandenses a S. Amando ad fidem conversi. Tria ibi monasteria extructa.*

G*andavum nobilissimam hoc tempore Flandrorum urbem, maximis Europæ urbibus amplitudine parem, Baudemundus, qui istic seculo Christi septimo vixit, infra num.* 12 Gandavum pagum, *et* locum *vocat, non urbem, ut num.* 13 Tornacum *agnoscit. S. Audoenus Baudemundo aliquanto senior, in Vita S. Eligii Episcopi,* Tornacum regalem civitatem *nominat,* Gandavum *vero et* Cortracum *censet inter* municipia, *Comitis alicujus præfecturæ subjecta, et tanquam diœceses distinctas a S. Eligio administrata. Auctor Aquitanus in MS. Chesnæi infra* pagellum *vocat* in confinibus Francorum et Gentilium. *Inter hos Gandenses, licet Francis subessent, constituendi sunt, qui, teste Baudemundo,* fana atque idola adorabant, *adeo* feroces, *ut* nullus F Sacerdotum auderet *illis* verbum Domini annuntiare. *S. Amandus, contempto mortis periculo, zelo Apostolico hos aggressus, mysteria nostræ religionis edocuit : nec ob sævitiam eorum, animo fractus, etiam comitibus ad propria remeantibus, solus perstitit; et post longos sæpiusque resumptos labores fidem Christi plantavit : ac secundum Chronicon Baronianum,* idolo Mercurii contrito, araque ejus subversa, ecclesiam construxit : *atque in honorem S. Petri Apostolorum Principis ac reliquorum Apostolorum consecravit.*

*Gandenses idololatras convertit S. Amandus,*

*ecclesiam S. Petri et omnium Apostolorum construit: excipit S. Baronem,*

27 *Ibidem S. Baronem ex Hasbania ad se venientem excepit, doctrinaque et pietate instructum, in Clericum attondit; et tandem sanctissime mortuum sepulturæ mandavit. Monasterii tum conditi meminit S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus in Vita S. Livini Episcopi et Martyris* XII *Novembris :* Cum plurima, *inquit,* perlustrasset loca, convenit cum discipulis suis ad quoddam cœnobium, a vico vocabulo Gandavum nominatum, quod beatus Pontifex Amandus, extirpatis Gentilium fanis, fecit fundari, quod et ipse dedicavit ad honorem S. Petri Apostoli, et omnium Apostolorum, congregatis ibidem cultoribus, quibus præposuit Abbatem nomine Florbertum, sanctæ religionis Rectorem, dignis moribus compositum, et totius honestatis

*ac S. Livinum in cœnobio.*

A tatis exemplo refertum. A quo etiam et a ceteris Fratribus monasticæ caritatis officio susceptus est. Ibi quoque invenit mirificæ sanctitatis virum, et egregium Confessorem Christi Bavonem recentina morte in Domino pausantem, et in monasterio S. Petri sanctorumque Apostolorum a B. Amando et Abbate Florberto et devotis Fratribus condigno honore humatum, atque gloriosis miraculis coruscantem. *Hinc postea* monasterium S. Bavonis *dictum est.*

AUCTORE G. B.

*quod dein S. Bavonis dictum,*

28 *Inde* S. Livinus, in terram, Deo disponente, properavit Brabantiam : *cui ditioni hoc monasterium adscribit Ludovicus Pius diplomate, per Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 27 vulgato, his verbis:* Ludovicus Divina ordinante providentia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium solertia, quod vir venerabilis Einhardus Abbas ex monasterio, quod dicitur Ganda, quod situm est in pago Brachbatense, constructum in honore S. Petri Principis Apostolorum, ubi etiam S. Bavo Confessor Christi, corpore requiescit, detulit obtutibus nostris auctoritatem immunitatis Domini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ præstantisimi Imperatoris; et postulavit, ut paternæ auctoritati nostram quoque superadderemus. Cujus petitioni libenter assensum præ-B buimus. Data Idibus Aprilis anno, Christo propitio, Imperii nostri VI, Indictione XII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen. Signum Ludovici serenissimi Imperatoris. *Annus is fuit Christi* DCCCXIX. *Ast octo annis ante, teste ipso Eginhardo in Annalibus,* Carolus Magnus ad Scaldim fluvium veniens, in loco, qui Ganda vocatur, naves ædificatas aspexerat : *quo tempore putat dictam immunitatem huic monasterio contulisse.* Anno DCCCL Normanni monasterium S. Bavonis in oppido Gandavo incendunt. *Deín* DCCCLXXX, *quo supra diximus a Normannis Cortracense castrum constructum, iidem* Normanni mense Novembrio in monasterio Gandavo sedem sibi ad hiemandum statuunt, *ut Chronicon de Gestis Normannorum refert. Addit antiquus auctor Anglo-Saxo, cum Beda Cantabrigiæ editus,* exercitum Normannum apud Gaent in Francis annum moratum esse.

*in pago Brachbatensi situm,*

*a Normannis combustum,*

29 *Illud deinde monasterium ab Arnulpho Comite Flandriæ, ejusque filio Balduino, opera S. Gerardi Abbatis Broniensis, instauratum, sua auctoritate firmat Lotharius Francorum Rex, anno regni primo, Christi* DCCCCLIV, *in cujus diplomate apud Miræum in Codice donationum cap. 26 dicitur* monasterium in vico Gandavo positum, ubi Legia et Scaldis flu-C mina confluunt, in honore S. Petri constructum, in quo etiam S. Bavo corpore quiescit humatus. *Ut etiam ab Imperatoribus defenderentur cœnobii ejus privilegia, adlaborasse monachos colligere est ex diplomate S. Henrici anno Christi* MXII *signato, cujus hæc pars est :* Henricus Divina favente clementia Rex..., Noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet et futurorum industria, quod vir venerabilis Erembaldus Abba ex monasterio Gandensi, quod est situm, ubi Scaldis fluvius Legiæ fluvio jungitur, constructum a B. Amando Pontifice in honore S. Petri Principis Apostolorum, ubi etiam insignis Bavo Confessor Christi corpore requiescit, obtulit nobis auctoritatem immunitatis Domini antecessoris nostri scilicet Ottonis invictissimi Imperatoris. *Integram refert Miræus in libro Donationum Belgicarum cap.* 17. *Omitto aliorum Principum diplomata. Tandem anno Christi* MDXXXVII, *auctoritate Pauli III Pontificis Romani, monachis S. Bavonis veste mutata in Canonicos assumptis, et triennio post in Parochialem S. Joannis Baptistæ basilicam Gandensem, nunc Cathedralem translatis, Carolus V Imperator loco monasterii arcem ad urbis custodiam extruxit.*

*a S. Gerardo Broniensi restauratum, confirmatum a Lothario Rege Francorum,*

*Ottone et S. Henrico Imperatoribus ;*

*destructum an. 1540.*

30 *Aliud est nobilissimum amplissimumque impensis a S. Amando apud Gandenses laboris monumentum, excitatum in monte Blandinio ad honorem SS. Petri et* D *Pauli monasterium : de cujus situ atque ædificatione agitur in diplomate S. Martini Papæ quod S. Amando coram Romæ concessum volunt. Illud ita habet :* Martinus Episcopus, ultimus servorum Dei, omnibus diligentibus Deum salutem. De quotidiano sanctæ matris Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ profectu ac multiplicatione gaudere debemus atque in vinea Domini pro mercede laboris operantibus auxilium ferre debemus. Unde notum fore volumus sanctæ universalis Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam et futuris, qualiter sanctæ dilectionis nostræ filius Amandus cum consensu et petitione carissimi filii nostri divæ memoriæ Dagoberti, Francorum Regis, sive filii ejus Sigeberti, privilegium auctoritatis nostræ expetierit de quodam cœnobio, quod ipse deliminatis Gentilium spurcitiis fundo tenus extruxisse dignoscitur, cui nomen Blandinium indidit : quodque etiam ab ipso consecratum est in honore beatissimi Apostolorum Principis Petri, Doctorisque gentium Pauli; situm inter decursum duorum fluminum Scaldis et Legiæ. Privilegium quidem sanctæ auctoritatis nostræ, nostris futurisque temporibus, memorato loco indulgemus, ordinamus atque firmamus de stabilitate ipsius loci, de villis et facultatibus, de ecclesiis et ecclesia-E rum decimis, sive familia, et de quibuscumque stipendiis specialiter inibi Deo servientium, et ecclesiæ ornamentorum, atque luminariorum ac matriculariorum, hospitum atque pauperum, juxta petitionem eorum nostrorum præcellentissimorum Regum Dagoberti atque filii ejus Sigeberti, nostra Apostolica auctoritate stabilimus, corroboramus, atque inconvulsa statuimus.

*S. Amandus ibidem extruit monasterium Blandinium,*

ANIMADV. PAP. 102.

*dicatum SS. Petro et Paulo,*

*bonis dotatum*

31 Decrevimus itaque, ut liceat regulari Abbati Florberto ad præsens inibi subrogato vel constituto a filio nostro Amando, tam ipsi quam in reliquum futuris Abbatibus, in universis utilitatibus loci, divino solatio, ita omnia disponere et ordinare, absque ullius contradictione vel retragatione, ut libere invigilent mandatis Domini, secundum regulam S. Benedicti. Si quis vero (quod non optamus) temerario ausu contra hujus nostri privilegii Apostolici publica scripta agere præsumpserit, reum se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, ac a sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque perinde in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco jus servantibus et de suis bonis locum ditantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, F quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum Judicem præmium æternæ pacis inveniant. Scriptum per manum Stephani Notarii et Regionarii et Sacriscrinii S. Romanæ Ecclesiæ, in mense Januario, Indictione II. Datum XIV Kalendas Februarii per manum Amandi Episcopi Theatrapi sanctæ Sedis Apostolicæ.

*dispositioni Abbatum traditum.*

32 *Hactenus diploma S. Martini Papæ : cujus aliud supra dedimus monasterio Elnonensi indultum, in quo Indictionis numerus idem vitium habet : cui istic* IX *substituendam diximus, ut anno* DCLI *fuerit datum. Deinde* Amandus *istic* Bibliothecarius, *hic* Theatrapus *dicitur. Num forte ejus curæ commissum, ut codices in bibliotheca inspicerentur non vero auferentur?* θέα *Græcis* visio, inspectiove *est, et* ἄτραπος, *sive* ἀτράπελος, immobilis. *Miræus relato diplomate in libro Donationum Belgicarum cap.* 1, dubitat an *hæc verba,* secundum regulam S. Benedicti, glossema sint a posterioris ævi manu. *Idem in Chronico Belgico ad annum* 653 *meminit solius diplomatis, a S. Martino Papa Elnonensibus concessi. Censuit fortassis Blandiniense illud dubium esse. Certe nomen* Sigeberti Regis Austrasiorum *bis repetitur, omisso* Chlodoveo II *ejus fratre, in cujus regno erat* Blandinium, *cujusque* cum imperio consilium

*S. Martini Papæ de eo diploma expenditur.*

A consilium *habitum tradit Audoenus, dum* S. Eligius Tornacensis, Gandensis, Flandrensis *etc.* Episcopus *eligeretur. Nomen monasterio a S. Amando inditum dicitur* Blandinium; *quo vocabulo a* prisca gentilitate vocari consuevisse *tradit Philippus Abbas infra num.* 30, *cujus proinde ad notitiam non videtur diploma venisse.*

*Ejus monasterii privilegia confirmata a Carolo Magno et Ludovico Pio,*

33 *In diplomate Caroli Magni apud Sanderum* monasterium *hoc* vocatur Blandinius, a S. Amando in vico Gandensi constructus, in honore SS. Petri et Pauli consecratus. *Ludovicus Pius dato privilegio bene de eodem monasterio meritus est : illud integrum edidit Miræus in Notitia ecclesiarum Belgii, quod ita habet :* Ludovicus Divina providentia Imperator Augustus. Noverit omnium fidelium solertia, quia vir venerabilis Abbas Ainhardus ex monasterio Blandinio, quod est constructum in honore sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quod est situm in pago Gandensi super fluvium Scaldem, obtulit obtutibus nostris auctoritatem Domini et genitoris nostri Caroli bonæ memoriæ piissimi Augusti, et postulavit, ut eamdem auctoritatem nostra quoque confirmaremus auctoritate. Cujus petitioni libenter acquievimus, et hoc nostræ auctoritatis præceptum fieri jussimus. Si-B gnum Ludovici serenissimi Imperatoris. Helizachar recognovi et notavi. Datum IV Nonas Junii, Christo propitio, anno II Imperii Domini Ludovici piissimi Augusti, Indictione VIII. Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen. *Annus is erat Christi* DCCCXV. *Plurima diplomata summorum Pontificum, Imperatorum, Regum Galliæ, Comitum Flandriæ, aliorumque Principum et virorum illustrium huic monasterio concessa videri possunt in Auctario Flandriæ illustratæ Sanderi : inter quæ est Wicmanni Comitis ab Ottone I constituti, in quo monasterium a S. Amando extructum dicitur.*

*in pago Gandensi siti.*

*Aliud S. Mariæ in pago Mempisco,*

34 *Tertium ibidem monasterium a S. Amando erectum traditur apud Sanderum lib. 3 rerum Gandavensium cap. 7* Primam, *inquit*, hujus loci ecclesiam in pago Mempisco super fluvium Legiam, Deiparæ Virgini sacram a S. Basino Regulo et Martyre constructam et dotatam, B. Amandus Trajectensis Episcopus et Gandavensium Apostolus collegio Canonicorum, sive, ut veteres loquebantur, monasterio Clericorum in communi viventium decoravit. *Hæc Sanderus ex MSS. monumentis ejusdem cœnobii, quod* Altum *dicitur in Chronico Blandiniensi, et* monasterium S. Mariæ super ripam Leyæ a Normannis *cum* monasterio S. Bavonis anno DCCCL incensum. *Nunc Trunchinium dicitur a Præmonstratensibus restauratum. S. Basinus colitur* XIV *julii.*

*nunc Trunchinium dictum.* C

## § VI. *Monasteria in Bracbanto antiquo, et Hannoio, a S. Amando extructa. Diœcesis Cameracensis exculta.*

*S. Amandus in antiquo Bracbanto,*

E*x divisione regni a Ludovico Pio Imperatore in filios facta* Menapios Bracbanto *conjungi : uno solo Scaldi fluvio distingui, ex fragmento Corbeiano et Sigeberto aliisque supra ostendimus. In divisione regni Lotharii anno* DCCCLXX *inter Carolum Calvum et Ludovicum Regem Germaniæ facta*, quatuor in Bracbanto *(alius* Bracbanto*) assignantur* Comitatus, *cum his vicinis Comitatibus*, Lanoio Lonensi, Hasbanio, Taxandro, *et tertia parte Frisiorum supra indicata. Eum Bracbanti regionem fluviis Haina, Scaldi, Rupela, Dilia et Senna fere conclusam arbitramur. Ultra Scaldim pago Bracbantensi adscribi monasterium Gandense S. Bavonis ante retulimus. Quod idem de agro Teneramundano dicendum est; in quo ad dexteram Scaldis ripam visitur pagus* S. Amandi, *in scriptis antiquis* Bisserodla S. Amandi *vocari solitus, cui* Bisserodla *alia contigua est. Illi* anno CIƆCCLXVI a Roberto Guidonis Comitis Flan-

*agrum Teneramundanum videtur excoluisse*

driæ primogenito Abbate S. Amandi in Pabula, et D Leonio Domino de A *præscriptas* leges *exhibet David Lindanus lib. 3 Teneræmundæ cap. 2, additque Comitem Veldensem et Sponheimium ex Comitibus Palatinis Rheni et Ducibus Bavariæ, sed sub clientela Abbatis S. Amandi, eo potiri loco : quem Gandavum inter et Antverpiam situm prædicatione S. Amandi olim excultum arbitramur.*

AUCTORE G. H.

36 *In agro Alostano ejusdem Bracbanti, jam Flandriæ attributo, extant vici* Escha *et* Hauthem, *martyrio et sepultura* S. Livini Episcopi *illustrati, ambo in ditionis hujus meditullio, a S. Bonifacio in hujus Vita* Bracbanto *adscripti. Qua inde Aldenardum abitur, oppidum* Rotornacum, *sive* Rotnacum, *visitur; de quo Baldericus lib. 2 Chronici Cameracensis cap. 44 ita scribit :* In vico Rotnasce est monasterium Canonicorum S. Amando in honore eorumdem Apostolorum *Petri et Pauli* constructum, ubi martyr Dei pretiosus Ermes quiescit. Hoc autem demiramur, quod hunc locum tam antiquum et tam opulentum Ludovicus Pius Endensi cœnobio subjacendum donavit. *Illud monasterium eidem Herulago Presbytero a Carolo Magno, cum Sedem Archiepiscopalem, cui ille præficeretur Hamburgi erigere statueret, collatum fuisse; eaque spe diluta a se Indensi monasterio attributum, testatur idem Ludovicus Pius in diplomate, quo Archiepiscopatum Hamburgensem S. Anschario confirmat. Integrum dedimus* III *Februarii, ad Vitam S. Anscharii; in quo inter alia de Carolo Magno patente hæc ita refert :* Delegavit etiam eidem Presbytero *Herulago* quamdam cellam Hrodnace vocatam, quatenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum. Sed quia consecrationem jam dicti viri velox ex hac luce transitus pii genitoris nostri in diebus ejus fieri prohibuit; ego autem, cum in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædicti patris mei studium regni in finibus peractum, minus caute attenderem, suadentibus quibusdam, jam dictam cellam ad Indam monasterium contuli. *Hæc Ludovicus Pius, qui S. Benedicto Abbati ex monasterio Aniana in diœcesi Magalonensi, quæ nunc Montis-Pessulani est, in Narbonensi Gallia sita, Aquisgranum evocato,* hoc monasterium, mutuato de rivulo vallis vicinæ nomine Indam vocatum, a palatio sex millibus passuum distans, miro opere construi jussit; ecclesiæ dedicationi adfuit, eamque de suis copiosissime ditavit fiscis; *ut in hujus S. Benedicti Vita* XII *Februarii scribit S. Ardo Smaragdus ejus discipulus. Hinc Balderico eodem lib. 1, cap. 75 referente,* F B. Hermes Martyr Christi, Danis furentibus, et sanctas Dei casas incendentibus, de Rotnasce villa Brabatense, de monasterio videlicet, quod B. Amandus construxit, ad monasterium villæ Ende, quæ juxta Aquisgranum sita est, asportatur. Inda *illa, sive* Enda, *jam* monasterium S. Cornelii *appellatur : cujus Abbas Rainardus anno* CIƆCCLXXX *suum in Rotnacenses jus vendidit Guidoni Flandriæ Comiti. Colitur S. Hermes Martyr* XXVIII *Augusti.*

*in agro Alostano*

*extruit monasterium Rotnacense,*

*a Carolo Magno donatum Herulago,*

E

*a Ludovico Pio Indensi monasterio*

*prope Aquisgranum,*

*nunc S. Cornelii dicto*

37 *Quæ Bracbanti pars a Rotnaco ad Hainam usque fluvium interjacet, nunc Hannoniæ annexa, a Philippo Abbate infra in Vita cap. 44. Propontiorum sedes vocatur, nomine accepto a* Ponte-Scaldis, *cujus et meminerunt Itinerarium Antonini, tabulæque Peutingerianæ, et vestigium præbent rudera antiquæ viæ Romanæ. Certe inter vias, quas etiamnum ostentant Bavacenses,* sexta, *inquit Miræus in Chronico Belgico ad an. Ch.* 613, a Bavaco ducit ad Pontem Scaldis, obscurum hodie vicum primo lapide a Condato, transitoque Scaldi silvam Abbatiæ S. Amandi a silva Martaniensi separat. *In eadem Hannoniæ* Lutosa, *seu* Leuza, *oppidum exiguum est, sed laboribus S. Amandi decoratum. Nam apud sæpe laudatum Baldericum cap.* 43 *libri* 2, monasterium Canonicorum in honore Apostolorum

*apud Propontios*

*condit monasterium Lutosense*

AUCTORE G. H.

A Apostolorum Petri et Pauli est in vico, qui dicitur Lotosa, quod construxit B. Amandus, et est dives Abbatia, ubi vir Dei venerabilis Baidilo requiescit, coliturque VIII *Octobris. De hisce duobus locis Rotnaco et Lutosa ita legimus in memorato supra MS. nostro inter* monasteria ab ipso Amando, divino viro ædificata, esse illud, cui ipse sanctus vir Lotosa nomen imposuit, seu Rothnace, quod præfato *pene est* contiguum. Lutosæ *præterea mentio fit in divisione regni Lotharii anno* DCCCLXX *facta, de qua sæpius egimus.*

*ejus consilio extructa monasteria, Forestense,*

38 *In eodem Brachanto ad fluvium Sennam, seu Sinnam, qui, ubi Hallas, Bruxellas, et Vilfordium perluit, infra Mechliniam, Dilæ mox miscetur,* pagus Senonagus *est, ex quo Samo Francus, Rex Sclavorum, de quibus agit Baudemundus infra in Vita num.* 13, *oriundus dicitur apud Fredegarium in Chronico cap.* 48, *Prope hunc Sennam non procul Bruxella est* Forestum, *vulgo* Vorst, *opulentum sanctimonialium instituti Benedictini monasterium, cultu S. Alenæ Virginis et Martyris celebre : in cujus Actis MSS.* XIX *Junii dicitur* S. Amandus Episcopus domum lapideam, quam Foresti dives Christianus habebat, crescente fidei Christianæ *religione*, in ecclesiam permutasse, et in honore Dei et B. Dionisii solenniter dedicasse. *Addit*

*S. Alena,*

B *Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad* XI *Februarii*, S. Amandum inter occidentales Brabantos sæpius prædicasse, potissimum in Comitatu Bruxellensi, ibique Alenam Martyrem, et in Nivellensi Gertrudem cum matre discipulas habuisse. *De S. Gertrude ejusque parentibus et consanguineis infra agemus, ubi de Episcopatu ejus Trajectensi actum fuerit. Prope ejusdem Sennæ fontes oppidum Sogniacum accrevit ex monasterio, quod istic S.* Vincentius Comes, Madalgarius *dictus, extruxit ; qui* mundo renuntians vivificæ prædicationis S. Amandi instinctu, juxta beati Pontificis salutarem doctrinam ... factus est voluntariæ municeps paupertatis, et sanctitatis laudabile propositum gloriosæ consummationis exitu coronavit : *de quo iterum infra num.* 34 *Philippus Abbas. Baldericus lib.* 2 *cap.* 46 Sungeias *vocat;* Sunniacum *monasterium dictum in divisione regni Lotharii : de quo, ejusque fundatore S. Vincentio accuratior disserendi locus erit ad hujus Vitam* XIV *Julii.*

*Sogniacense S. Vincentius,*

*apud Nervios*

*ad Hainonem fl. Elnonense S. Gisleni,*

39 *Præterea idem Philippus Elnonensi S. Amandi monasterio vicinos assignat* Nervios, *quos supra indicatus Interpres intellexit* Hainonienses, *quorum regio in divisione regni tam Ludovici Pii, quam Lotharii* Ainau, *et* Hanoinum *dicitur, a descripto modo Brachanto diremp-*

C *tum fluvio* Hana, *seu* Hagna, *ut vocat Fulbertus in Vita S. Autberti* XIII *Decemb.* supra quem *ait a* S. Gisleno monasterium extructum, *atque a* S. Autberto et beato ac venerabili Dei cultore Amando, cum magna circumfusæ plebis exultatione ad laudem Domini et honorem Apostolorum Petri et Pauli consecratum. *Quæ etiam referunt Baldericus lib.* 1, *cap.* 18, *Otto* I *Imperator in Notitia Belgica Miræi cap.* 62, *et infra Philippus num.* 34, *qui iterum de alio S. Amandi ad monasterium S. Gisleni adventu agit num.* 54. *Quod huic monasterio circumadjectum oppidum, veteri lege ac jure agnoscit Ecclesiasticum civilemque Dominum hujus loci Abbatem.*

*S. Waldetrudis Montense Castriloci,*

40 *Altero a Gislenopoli lapide extant Montes Hannoniæ, Comitatus totius metropolis;* Castrilocum *veteres dixerunt, in quo illustre Canonicarum nobilium extat* cœnobium, a S. Waldetrude *dicta S. Vincentii conjuge*, quæ, *istic* sacri velaminis habitum sumpsit, ex prædiis propriis et dotalibus beneficiis in honore S. Mariæ conditum : *uti post alios tradit Baldericus lib.* 2, *cap.* 39. *At* S. Vincentius Altimontense monasterium, *teste Philippo Abbate*, ex proprio sumptu fundavit, *quo S. Aldegundis soror S. Waldetrudis*, cum audisset (*verba sunt Hucbaldi in hujus Vita cap.* 4) advenisse S. Amandum atque venerabilem Aut-

*S. Vincentius Altimontense ;*

bertum Episcopos, illuc properavit, ad vestigia eorum sese prostravit ... Tunc B. Amandus ita puellæ fatigatum roboravit animum, ut non solum ipsum respueret mundum, verum etiam parata fieret subire martyrium. Deducta a sanctis Episcopis in oratorium quoddam ejusdem cœnobii, in honore et reverentia S. Vedasti dedicatum, benedictione sacerdotali ab ipsis digne consecrata, sponsoque suo Domino Jesu Christo desponsata, sacræ religionis velamen suscepit et habitum, Spiritu sancto in specie columbæ velum beatissimæ Virginis imponente capiti : quod illa beatorum Christi Sacerdotum merito adscribens, Deo gratiarum actiones innumeras reddidit ... largas possessiones pauperibus Christi consilio BB. Amandi atque Autberti Episcoporum distribuit. *Illud Altimontense cœnobium hodieque a monachis Benedictinis inhabitatum distat milliari uno a Malbodio oppido ad Sabim itidem sito, quod sua initia debet illustrium Canonicarum monasterio, cui* consilio beati Præsulis Amandi, *ut prosequitur, idem Hucbaldus*, S. Adelgundis cum duabus sororis suæ B. Waldetrudis filiabus semetipsam contradidit. Harum una Madalberta, altera vocabatur Aldetrudis. *Colitur illa* VII *Septembris, hæc* XXV *Februarii, utriusque mater Waldetrudis* IX *Aprilis : omnes ad eminentem pietatis ceterarumque virtutum gradum obtinendum a S. Amando adjutæ.* D

*S. Aldegundis, a S. Amando in sponsam Christi sacrata,*

*Malbodiense,*

E

*S. Humbertus Maricolense,*

41 *Demum individuus itineris Romani comes, cum tertio limina Sanctorum Apostolorum S. Amandus inviseret, factus S. Humbertus, fundator monasterii Maricolensis in eodem Nerviorum agro, altero a Landreciaco oppido vix distantis milliari. De mutua visitatione, et* S. Amandi hospitandi gratia ad domum B. Humberti declinantis, *et hujus post alterum suum ab urbe reditum*, ad virum Dei Amandum descendentis Elnonem, *agit infra Philippus num.* 65 *ut hujus monasterii extruendi auctor et consiliarius S. Humberto videatur fuisse S. Amandus. De eo agemus* XXV *Martii.*

42 *Sunt præterea in eadem ditione quatuor tunc extructa monasteria, si non auxilio aut consilio S. Amandi, certe ejus exemplo. Fundatorem agnoscunt S. Landelinum, ab Episcopo Autberto, familiari S. Amandi amico, ex nefario prædone ad Christum conversum. Sunt autem monasteria Laubiense, Aluense, Wasloriense, et Crispinium, de quibus* XV *Junii ad Vitam S. Landelini agemus. Et hæc de exculta a S. Amando diœcesi antiqua Cameracensi, late diffusa per Nervios, et Nerviorum clientes (quos Julius Cæsar Centrones, Grudios, Levacos, Pleumosios, et Gordunos dixit, et Nerviorum* F *nomine comprehendit Tacitus, aliique) ævo S. Amandi fere Brachantos appellatos, nunc partim sub Hannonia, partim Flandria, partim adhuc Brabantia constitutos. Habebat eosdem Episcopos et Cameracensis et Atrebatensis diœcesis. In hac extructum est ab Autberto, ejusque successore S. Vindiciano celebre Vedastinum monasterium, ut supra hoc die diximus. Quid illis auxilii a S. Amando præstitum sit, in silentio antiquorum non liquet. Illustri certe zelo atque exemplo præivit. Distat Atrebato sesquimilliari versus montem S. Eligii Marcolum, antiqua Abbatia Canonicorum Regularium, a Fulberto Episcopo Cameracensi et Atrebatensi circa annum* DCCCCXL *constructa, quam Lotharius Rex in diplomate an.* DCCCCLXXVII *data, appellat* monasterium S. Amandi et S. Bertiliæ, *uti ad hujus Vitam in Januarii Appendice dictum est, ubi et in Historia miraculorum cap.* 1 ecclesia *dicitur* S. Amando *dicata, et in Historia Translationis mentio fit* Curiæ B. Amandi *apud Marcolum.*

*an alia ibidem S. Landelinus extruxerit adjutus a S. Amando?*

*quid præstitum Vedastino?*

*Marcoli in Artesia*

*monasterium, ecclesia et Curia S. Amandi.*

## § VII. *Trajectensis S. Amandi Episcopatus. Cathedra Trajecto vindicata.*

Q*uæ data nunc aliquot paravam de Episcopatu Trajectensi,*

*De Episcopatu Trajectensi Diatriba a nobis edita,*

A *jectensi, hoc et sequenti § edenda, nuper singulari Diatriba seorsim vulgari, suadentibus ita urgentibusque viris aliquot primariis: ut, quia operis nostri vasta moles non ita celeriter, atque ipsi nobiscum optant, vel a nobis perpoliri, vel a typographis procudi potest, aliquid opponeretur recentioribus quibusdam scriptoribus, ausis pronuntiare,* numquam Trajecti Cathedram Episcopalem fuisse, ac nullos vere Trajectenses Episcopos extitisse. *Contra hanc Diatribam mox prodiit exile quoddam et nullius momenti scriptum hoc titulo:* Veritatis et Ecclesiæ Tongrensis breves vindiciæ. *In quarum conclusione auctor, qui prodere nomen aut non est ausus, aut certe noluit, hoc effatum pronuntiat:* Dehinc licebit, ut Episcopi sui ab Trajectensibus Trajectenses nominentur, modo eo nomine habitationem, non Sedem caputve gentis ac diœcesis intelligant. *Ad quæ refutanda, repetimus testimonia auctorum antiquorum, gravium, integrorum, incorruptorum, quorum nullus est Trajectensis: quibus tamen olim licuit,* Veritatem, *quam indagamus,* proferre, *eosque* Episcopos, *de quibus controversia est,* Trajectenses *appellare, plerosque* a Clero civibusque Trajectensibus electos *dicere: licuit* Trajectum *nuncupare* urbem Episcopalis Sedis, urbem propriam Episcoporum; *illique urbi, uti vere* B *intelligebant, attribuere* Sedem, Cathedram, Solium Episcopale, Episcopium, Pontificium, Provinciam, Ecclesiam, dignitatem Episcopalem: *ut non videam qua verborum formula clarius, quod nos affirmamus, efferre potuerint; aut quid aliud hic intelligere adversarius possit, nisi Latinarum vocum velit novas effingere notiones.*

*hic contra obtrectatores paucis vindicatur.*

44 *Auspicati sumus sententiæ nostræ confirmationem lib. 3 Diatribæ cap. 3 a S. Servatio antea Tungrensi, dein primo Trajectensi Episcopo. Ejus Vitam, factaque post mortem miracula primus breviter attigit S. Gregorius Turonensis, qui ante mille ac sexaginta annos vixit, S. Gregorii Magni æqualis. Is lib. 2 Historiæ Francorum cap. 5 cum ea narrat, quæ gesta a S. Servatio, priusquam in Tungris relictis Trajectum migraret, ita incipit:* Erat tunc temporis apud Tungros oppidum Servatius eximiæ sanctitatis Episcopus, *etc. Ubi autem miracula refert ad ejus tumulum facta cap. 72 libri de Gloria confessorum, ita loquitur:* Servatius vero Trajectensis Episcopus, tempore Chunorum, cum ad inrumpendas prorumperent Gallias, fuisse memoratur: qui et sepultus refertur juxta ipsum pontem aggeris publici, circa cujus sepulchrum quamvis nix defluxisset, numquam tamen marmor, quod super C erat positum, humectabat. *Hæc ipsa forma est et ratio loquendi, quam et ab aliis observatam ostendimus, ubi, cum de Episcopatibus ab una in aliam urbem traductis agunt, posterioris titulum Episcopis tribuunt. Hunc tanta antiquitate, nobilitate generis, vitæ sanctimonia, rerum divinarum ac humanarum scientia clarum Episcopum, errare hic fatetur adversarius; præclara nempe adversus tantæ auctoritatis scriptorem reverentia. Quid ergo tandem de primis Francorum gestis certum erit, cum pleraque ab eo solo ceteri scriptores acceperint? Sed ne longum hic faciam, cum in Diatriba probatum sit de singulis, Trajectenses Episcopos vere habitos a coætaneis, aut ceteroquin perantiquis scriptoribus; duos hic dumtaxat ex toto eorum Antistitum numero seligam, S. Amandum, cujus Sedis occasione hæc nata disputatio est, et S. Lambertum ortu etiam Trajectensem, Ecclesiæque Leodiensis et diœcesis universæ Patronum primarium. Ostendam autem vel evulsis erasisque antiquis monumentis, ex placito adversarii nihil sciri de iis posse; aut stabilitis iisdem monumentis, eos fuisse vere Episcopos Trajectenses, sedemque seu Cathedram Episcopalem Trajecti fuisse.*

*S. Servatius Episcopus Trajectensis appellatus a S. Gregorio Turon.*

*ideo perperam ludibrio exposito.*

*S. Amandi Episcopi Ecclesia Trajectensis,*

45 *Baudemundus discipulus S. Amandi, atque ab eo Abbas Blandiniensis constitutus, de morte S. Joannis Agni, suffectoque ei S. Amando, ita scribit:* Trajectensium Episcopus migravit ad Christum. Rex ad D regendum Trajectensium Ecclesiam Amandam proposuit. *Auctor Aquitanus ex MS. Andreæ Chesnæi,* Contigit, *inquit,* ut Trajectensium Episcopus moreretur. Tunc vir Dei Amandus, a Rege coactus, et a Sacerdotibus jussus, et a populo electus, Trajectensium Ecclesiam regendam suscepit. *Milo Poeta lib.* 3 *sub hoc titulo,* Ubi Sanctus Ecclesiam Trajectensium ad regendum suscepit, *ita cecinit ante annum Chr.* DCCCXL.

AUCTORE G. H.

*Sedes Trajectensis,*

Angelus evexit celsi trans sidera cœli
Pontificem, cujus Sedem Trejectus habebat.
Quo Rex comperto, Sanctum accersivit Amandum:
Plurima Pontificum conducens agmina secum,
Præsulis ad tanti solennia, jungit honores.
Interea Sanctus sacra sublimis in arce
Ducitur ac trahitur jam dicta in Sede locatur.

*Similia habent Harigerus Abbas Lobiensis et Philippus ab Eleemosyna Abbas Bonæ-Spei in Actis S. Amandi.* Eumdem venerabilem virum Amandum, Trajectensium urbis Episcopum, *appellant monachus S. Dionysii in Gestis Dagoberti Regis cap. 24 et Aimoinus lib. 4 Histor. Franc. cap. 20. Eumdem* Amandum Trajectensium Episcopum *dixerunt Hucbaldus, monachus Elnonensis in Vita S. Aldegundis* XXX *Januarii cap.* 1 E *Stephanus Abbas Leodiensis ad S. Jacobum in Vita S. Modoaldi Episcopi Trevirensis* XII *Maii, Rainerus in Vita S. Gisleni Abbatis* IX *Octobris aliique. Usuardi omnia exemplaria typis excusa et manu exarata ad* VI *Februarii conjungunt* SS. Vedastum et Amandum, quorum prior Adartensium, sequens vero Trajectensium rexit Ecclesiam. *Verba Usuardi hactenus retinet in Martyrologio Ecclesia Romana, sed* Atrebatensium Episcopum *facit, qui Usuardo* Adartensium est, *mutata voce una claritatis caussa; ea retenta, qua prisca auctoritas Ecclesiastica stabilitur. Ipsa Martyrologii Romani verba hæc sunt:* Eodem die sanctorum Episcoporum Vedasti et Amandi, quorum vita et mors plurimis miraculis extitit gloriosa, e quibus prior Atrebatensium, alter vero Trajectensium rexit Ecclesiam. *Eadem leguntur in Adonis MSS. exemplaribus monasteriorum S. Laurentii Leodii et Lobiensis, et in antiquo Martyrologio monasterii Elnonensis, ubi sepultus Amandus est.*

*Episcopatus Trajectensis,*

*approbante Ecclesia in Martyrologio Romano,*

46 *Bartholomæus Fisen lib. 3 Historiæ Leodiensis et in Floribus Ecclesiæ Leodiensis* VI *Februarii in Vita S. Amandi, studiose nomen urbis Trajectensis declinat; cujus ne in solo quidem titulo meminit, et ubique substituit Tungros, citatis etiam hisce auctoribus, qui* Tungrorum *non meminerunt. Sed proferatur, qui integris* F *quatuor seculis ab obitu S. Amandi eum aliter, quam Trajectensem Episcopum scripserit. Ipse Notgerus Episcopus Leodiensis, ordinatus anno* DCCCCLXXI, *vita functus* CIↃVII, *ita loquitur in Vita S. Remacli successoris S. Amandi:* Inclytus Rex S. Amandum fecit in Trajectensium Cathedra sublimare; *sive ut Surius edidit:* in Trajectensi Cathedra collocare, *et in Vita S. Landoaldi,* Trajectensium Cathedræ præsidere fecit. *Notgerianus scriptor est Harigerus, cujus in Vita S. Remacli, cap. 49 Gestorum Episcoporum Tungrensium et Trajectensium verba sunt:* Beato igitur Joanne a corpore decedente, Beatus ei Amandus in Pontificio Trajectensi successerat. *En testimonia gravium, integrorum et tantum antiquorum auctorum, quorum nullus (quod sciatur) Trajecti vixit. Hi autem non solum appellant* S. Amandum Episcopum Trajectensem, *ob solam in ea urbe habitationem, sed clare pronuntiant eumdem* in Trajectensi Cathedra sublimatum et collocatum fuisse, et in Sede dicta locatum, in Pontificio Trajectensi successisse, Cathedræ Trajectensium præsedisse, et Trajectum Sedem Pontificis habuisse. *Denique* S. Amandum Trajectensium rexisse Ecclesiam *post Baudemundum, Milonem, Usuardum,*

*ejusdem Amandi Cathedra Trajectensis,*

*Pontificium Trajectense.*

AUCTORE G. H.

A *dum, aliosque confirmat Ecclesia Romana, quam propugno: a cujus sensu qua caussa alii discedant, ipsi viderint.*

*Eadem confirmant scriptores Vitæ S. Lamberti Ep. Trajectensis, Godeschalcus Diaconus Leodiensis,*

47 *Venio ad S. Lambertum Episcopum Trajectensium, at Leodiensis urbis provinciæque tutelarem Divum. Vitam ejus primus scripsit Godeschalcus Ecclesiæ Leodiensis Diaconus, jussu Agilfridi Episcopi anno* DCCLXI *ordinati, asseritque decessorem ejus* summum Pontificem Theodardum oppidi Trajectensis Cathedræ Pontificali præsedisse. *Quo* interfecto, S. Lambertus per totius plebis in Spiritu sancto unum consilium, et simul Regis imperium, favente Domino, subrogatus est, ut præesset Ecclesiæ Trajectensi. *At* S. Lamberto de Sede Pontificali *deposito,* Pharamundum in Cathedra illius constituerunt, *qui* post septem annos de Sede Pontificali et Provincia Trajectensi depositus atque repulsus est, *et* S. Lambertus cum magno honore ad propriam Sedem revocatus, *et* ad Urbem propriam regressus. *Cujus* corpus *a morte* defertur Trajectum, quæ urbs Episcopalis Sedis apud se eum reposcebat ex debito humandum; *quem* populus Trajectensis ut Pastorem bonum lamentis prosequebatur. *Hæc Godeschalcus, qui eodem, quo sanctus Martyr Lambertus occubuit, vixit seculo,*

B *forte etiam ante cædem illius natus. Si quæ tamen Godeschalco, quia Diaconus solum Leodiensis nominatur, desit auctoritas, eam firmabit sustentabitque* Stephanus affinis consanguinitati Caroli Simplicis Regis Francorum *(ut in hujus diplomate lib. 3 Diatribæ cap. 8 ostenditur)* Episcopus Leodiensis, *circa annum* DCCCCIII *ordinatus, vita functus anno* DCCCCXX, *et ipse scriptor Vitæ S. Lamberti, ex qua hæc summatim excerpo:*

*Stephanus Episc. Leodiensis,*

S. Lambertum plebs Trajectensium pariter congregata, Spiritus sancti præeunte clementia, Episcopum fieri elegit, et in loco Magistri *S. Theodardi* succedere acclamavit: Lambertus noster Episcopus fiat, Lamberte noster Episcopus eris. Ita Episcoporum benedictione consecratus, in *Trajectensis* Ecclesiæ fascibus Pontifex institutus est, in Solio Pontificali sublimatus, et Ecclesiæ Trajectensis Pastor supereminens habetur. *Verum* S. Lamberto de Pontificali Cathedra ejecto, suggestum Trajectensis Ecclesiæ latro Pharamundus invasit. *Post* infelix invasor Ecclesiæ Trajectensis expulsus est a Pontificali Cathedra, et ab eadem ejectus Provincia. Hinc beatissimus Confessor Lambertus ad propriam Sedem est reversus, Gregem suum recepit, et in Cathedra Trajectensium decenter relocatur. *Hæc Stephanus*

C *Episcopus Leodiensis.*

*Renerus monachus Leodiensis,*

48 *Tertiam Vitam S. Lamberti scripsit Renerus ad S. Laurentium monachus: ex illa hæc seligo:* S. Amandus Trajectensium Episcopus, S. Remaclus Cathedram Trajectensium Ecclesiæ suscepit. S. Theodardus Trajectensium Episcopus substitutus. S. Lambertus Trajectensium Ecclesiæ substitui debet Episcopus, Episcopatu Trajectensium *ceteris* dignior. Pharamundus ad Episcopatum Trajectensem contra jus et fas promovetur: tandem *non* tantum ab Ecclesia Trajectensi, sed *etiam* a tota Provincia expellitur. Lambertus pius Pater Trajectensium, Pastor ovibus restituitur, et in Cathedra Trajectensium decenter relocatur. *Anselmus Canonicus Leodiensis post Harigerum suum a S. Theodardo historiam exorditur, et hæc tradit:* B. Theodardus in Sede Trajectensi succedit: huic Lambertus Patronus noster ex nobilissima Trajectensium stirpe, *quo* a Sede Cathedrali expulso, devotio filiorum Ecclesiæ Trajectensium, Pastoris damnum reminiscitur, Lambertum ad Sedem Episcopii reducunt, rursus in Cathedra Pontificali sublimant. *Denique* S. Lamberto successit Hubertus. Hic cum ossibus B. Lamberti Leodium transtulit Sedem Episcopii, quæ eatenus habebatur Trajecti. *Hæc ille. Similia tradit in additionibus ad Anselmum*

*Anselmus Canonicus Leodiensis*

D *Ægidius a Leodio monachus Aureæ-Vallis:* B. Theodardus, *inquit,* in Sede Trajectensi successit: huic venerabilis Patronus Lambertus, *quem* filii Ecclesiæ Trajectensis ad Episcopii Sedem reducunt. Venerandus Præsul Hubertus a Clero et populo Trajectensi honorifice suscipitur, et in Cathedra Pontificali inthronizatur. Ipse est, qui ab oppido Trajectensi transvexit Leodium Sedem Episcopii. *Hæc ibi, quæ lib. 3 Diatribæ cap. 7 prolixius enarrantur. En clarissima testimonia non Trajectensium, sed quinque Leodiensium, virorum antiquorum, gravium, incorruptorum. Contra quos tamen exceptionem dari sibi postulat auctor Vindiciarum: si aliter* Episcopos hosce Trajectenses appellent, quam ut eo nomine habitatio, non Sedes caputve gentis ac diœcesis intelligatur. *Quid ergo significant ab iis, qui res gestas Episcoporum ex professo tractarunt, toties repetitæ ex voces,* Trajectum Urbs Episcopalis Sedis, Urbs propria, Sedes propria Episcoporum, Trajecti Cathedra Episcopalis, Cathedra Pontificalis, Sedes Cathedralis, Sedes Pontificalis, Sedes Episcopii, Solium Pontificale, Episcopatus Trajectensis, Provincia Trajectensis, Episcopi Trajectensium, Episcopi Ecclesiæ Trajectensium, Pontifices Ecclesiæ Trajectensis, Pastores et

*Ægidius a Leodio:*

*horum sententia clarissima repetitur,*

E Patres Trajectensium, ab Trajectensibus Episcopi electi? *Producantur, qui hisce contraria tradant, aut hæc negent, aut certe nomine* habitationis hospitii *aut* domicilii *usi sint.*

49 *Opponit Vindex* § 2: Contrariam opinionem tuentur apud nos, *id est, Leodienses,* quicumque antiquitatem et verum amant. Pro ea scripsit Chappavillæus, *nuper Canonicus et Vicarius Leodiensis,* eumque secuti varii. *Hæc ibi. Veneratur antiquitatem Chappavillæus, eamque sinceram atque intactam tradit. Utinam alii eum secuti essent! Inspiciatur pagina* VII *Florum Ecclesiæ Leodiensis, ubi Vitæ S. Lamberti scriptores Leodienses referuntur a nobis laudati, Godeschalcus, Stephanus, Renerus, Anselmus, Ægidius, quorum verba ex Chappavillæo protuli: at longe diversa substituit Florilegus ille. Chappavillæus repertum in MSS codicibus hunc titulum edidit:* Gesta Pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium: *Qui eum secuti sunt, expunxerunt nomen* Trajectensium.

*An Chappavillæus nuper Vicarius Leodiensis negarit, et primus quidem, Sedem Trajectensem?*

50 *Alios illius opinionis auctores protuli lib. 3 Diatribæ cap. 2, qui noluerunt eum antiquis suis Episcopis, aliisque religiosissimis atque integerrimis viris Leodiensibus, cum honorem, quem a nongentis annis tribuerunt antiqua monumenta, S. Lamberto concedere. Sed quid*

F *opponent Martyrologio Romano? In eo illustre hoc elogium, quo antiqui a nobis indicati approbantur auctores, refertur* XVII *Septembris:* Apud Leodium B. Lamberti Episcopi Trajectensis, qui cum regiam domum zelo religionis increpasset, a nocentibus innocens occisus, aulam regni cœlestis perpetuo victurus intravit. *Hactenus* lux meridiana, adeo larga ac pura splendet, *ut* quicumque antiquitatem et verum amant *etiam* apud Leodienses, *hanc* non opinionem, *sed* claram veritatis demonstrationem *non possint non amplecti; nisi malint fateri,* de S. Lamberto nihil sciri, *erasis, ut dixi, evulsisque antiquis monumentis.*

*S. Lambertus Episc. Trajectensis dicitur in Martyrologio Romano*

51 *At nostra, inquit adversarius* § 8, pro veritate tuenda unica peremptoriaque ratio est, in Conciliis et a Summis Pontificibus Episcopos nostros Tongrenses vocatos esse. *Agimus hic de* XXI *sanctis Episcopis Trajectensibus, quorum primus S. Servatius est, ultimus S. Hubertus: de quorum Sede nullus Pontifex, qui secus ac nos statuerit quidquam, adfertur. De nomine Tungrorum post translatam Trajecto Leodium Episcopalem Cathedram usurpato egimus lib. 3 Diatribæ cap. 8, ostendimusque Stephanum exactissimum scriptorem, a quo SS.* Theodardus *et* Lambertus *appellantur* Episcopi Trajectenses, *et* Sedes Cathedra, Solium

*Episcopi Leodienses a Pontificibus dicti Tungrenses, non Trajectenses*

A Solium Episcopale *attribuitur* urbi Trajecto, *semet in Epistola dedicatoria scribere* humilem Tungrorum Episcopum, *resumpto nomine* Tungrorum *pro* Leodiensi, *non vero* Trajectensi. *Sint ergo Episcopi Leodienses a Summis Pontificibus ad annum usque* ɪɔᴄᴄᴄᴄxxɪ *appellati Episcopi Tungrenses, uti etiam Stephanus se Episcopum Tungrensem scribit : nihil inde conficitur contra* xxɪ *Episcopos Trajectenses, quos Ecclesia in SS. Amando et Lamberto agnoscit,* Episcopos Trajectenses *extitisse, et* Trajectensium rexisse Ecclesiam.

*In conciliis nihil scitur de Sede Trajectensi decretum.*

52 *At* § ɪx *hic titulus præfigitur :* In Conciliis, quæ peremptoria est auctoritas, vocati Tongrenses. *Proferantur Conciliorum decreta, canones, aliave statuta, et liti finis imponetur.* De D. Servatio, *inquit,* quin Tongrensem se ipse vocarit, ambigi non potest ex Sardicensi, Ariminensique Conciliis et Agrippinensi Synodo, in quibus solis nomen ejus legitur. *At qua fide isthæc ita inculcantur? Fuerunt ea Concilia habita* xx *aut* xxx *annis, antequam in Imperium Romanum irrumperent Chuni, ob quorum ferociam cœlesti monitu S. Servatius Sedem Episcopalem Tungris Trajectum transtulit : qui ergo potuisset in iis conciliis se Trajectensem scribere? Pergit Vindex :* A D. Servatio ad Divum usque Domitianum in Synodis nomina B Episcoporum nostrorum non leguntur, adeoque inde nil possumus statuere. Nisi forsan, *additur,* Epistolam Divi Remigii producamus in tomum primum Conciliorum Galliæ relatam ad annum ɪɔxxɪv, et inscriptam ad Falconem Tongrensem Episcopum. *Sed ejus Epistolæ titulus est :* Domino vere sancto et in Christo beatissimo fratri Falconi Episcopo Remigius Episcopus, *non addito Episcopatus nomine, adeoque inde in alterutram partem nihil confici potest.* Male ergo adversarius pro titulo Epistolæ producit inscriptionem argumenti per librarium præfixi, *uti hisce verbis sibi applicandis utitur adversarius* § 10. *Sed inscriptiones illas non moramur.*

*neque S. Remigius appellavit Falconem Episc. Tungrensem.*

*S. Domitianus Episcopus Trajectensis ex propria inscriptione,*

53 De Divo, *inquit,* Domitiano res aperta est. In Arvernensi enim Synodo ad annum ɪɔxxxv ex vulgata Chronologia est hæc subscriptio : Domitianus in Christi nomine Episcopus Ecclesiæ Tungrorum, quod est Trajectum, subscripsi. Ubi diserte vocat se Episcopum Ecclesiæ Tongrorum, non autem Ecclesiæ Trajectensis, licet Trajecti nomen addatur ad exprimendum habitationis locum. *Hæc ibi, sed procul hinc, cum suo* habitationis loco, *nuper excogitato, et antiquis prorsus incognito. Traditur* Episcopi Domi- C tiani *in Concilio subscriptio, additurque hæc antiqua interpretatio a Sixto* v *Pontifice Maximo in sua Conciliorum editione approbata : scilicet ideo Trajecti nomen addi, quia* a Tungris Sedes Episcopalis in Trajectum translata est, atque inde *postea* ad urbem Leodiensem. *Et ita intellexerunt proxime secuti auctores, Baudemundus, Godeschalcus, Milo, Usuardus, Hucbaldus, Stephanus, Notgerus, aliique, quorum auctoritatem cum Sixto Pontifice Maximo tuetur Ecclesia in Martyrologio, dum agnoscit eos* Trajectenses Episcopos et Trajectensium rexisse Ecclesiam; *non vero* Tungrensium, *nisi addatur* quod est Trajectum. *Quæ verba in Aurelianensi Concilio subintelligenda sunt, licet diserte non exprimantur. Idem proinde dixi et dico de Concilio* v *Aurelianensi judicium esse debere. Occlamatur hoc a me siteri non bona fide. Quoties ea verba contorquere in adversarius potuit in mea Diatriba! at modestiæ caussa tacui. Certe plenam solutionem dedi, imo ultra quam ipse requirere adversarius posset, qui cum quadam contumelia,* supervacuam Diatribam, *et* supervacuas quæstiones *nuncupat. Dico ergo iterum, S. Domitianum Episcopum Trajectensem interfuisse Conciliis Arvernensi et Aurelianensi cum Episcopis quam plurimis Aquitanis procul a Germania* ɪɪ *degentibus, qui tum lege Romana Theodosii utebantur, ac Romani appellabantur, quibus ut clariorem Sedis suæ cognitionem daret*

*et antiqua interpretatione,*

*Domitianus, subscripsit secundum Notitiam antiquam* D *Provinciarum ac Civitatum Galliæ, illis maxime notam, cui tamen Sedis Trajectensis, quam tunc tenebat, et sub qua Tungri nuper eversi erant, nomen adjunxit. Est ergo* Trajectum, *non* Aduatuca, *caput* Ecclesiæ Tungrensis *in istis Conciliis nominatum. Verum opponitur* dici posse, voces istas, Quod est Trajectum, assumentum esse alicujus interpolatoris. *Hoc ultimum adversarii effugium est, scilicet hactenus bene insita atque ædificata evellere ac destruere. Quidni potius dicat librarios,* has voces, Quod est Trajectum *(cum viderent similes aliis Episcopis in Aurelianensi non appositas, neque enim necesse erat) tamquam superfluas expunxisse? Id enim facilius a stupidioribus fieri potuit, quam ita apte apponi. Et hoc siluit, qua fide? Fateatur ergo* rem de Divo Domitiano apertam non esse, *imo sententiæ suæ eam adversari.*

AUCTORE J. B.

*Trajectum caput Ecclesiæ, olim Tungrensis.*

## § VIII. *Diœcesis Trajectensis late diffusa : monasteria in ea extructa, aliaque S. Amando præclare gesta.*

D*iatribam de Episcopatu Trajectensi a nobis excusam in tres distinximus libros : horum primus ipsum veluti* E *Episcopatus corpus ostendit, populos videlicet ad eum pertinentes, eique subjectos. Exordimur ab ipsa Sedis Trajectensis distinctione, quia aliqui hanc et Ultrajectinam ad Rheni antiquum alveum pro una eademque habuerunt. Capite* ɪɪ *indicantur antiqui Eburones, Sunici, Condrusi, Pæmani, Segni, Cæresi populi diœcesis Trajectensis, finitimi Coloniensi, Trevirensi et Remensi Episcopatibus, uti capite* ɪɪɪ *Aduatici, Tungri, Bethasii, Taxandri, finitimi antiquæ diœcesi Cameracensi. De quibus brevitatis studio nihil hic repeto, contentus indicasse curioso lectori et Belgicæ antiquitatis studioso, istic ea a me examinata esse, et Philippum Cluverium atque alios ævi nostri Geographos emendatos.*

*Diœcesis Trajectensis, late diffusa*

ANIMADV. PAP. 103

55 *Capite* ɪv *protuli Masacos, Masegavos vel Maselandos, ad fluvium Mosam, quam accolæ* Masam *dicunt, et horum primarium fuisse Trajectum probavi : ex qua urbe Masacorum, sive in districtu Masegaviæ, primaria, extra ditionem Tungrorum, cum Sedes Episcopalis a S. Huberto Leodium transferretur, resumptum est nomen Tungrorum, trecentis et amplius annis ab Episcopis Trajectensibus non usurpatum. Erat namque, teste Godeschalco Leodiensi, auctore coætaneo,* Leodium villa non magni nominis ; *hinc ab illa nomen Episcopatui imponere minus honorificum videbatur. Placuit ergo* F *a ditione Tungrorum, in qua Leodium, ejusdemque tractus vicina urbe, in qua olim Sedes Episcopalis fuerat, nomen Episcopale repetere, potissimum quia, si verum Floriegus Leodiensis narrat,* Leodium prædium erat Ecclesiæ Tungrensis. *Ne ergo successoribus reditus ad priorem Sedem Trajectensem foret ita facilis, relicta est illius Sedis appellatio ; quod urbs ea extra Tungros esset in ditione Masacorum, seu Masegaviæ aut Maselandiæ. Rancida hæc aliis visa nomina, quæ Regia sunt et Imperatoria.* Trajectum in comitatu *seu* pago Maselandiæ *fuisse confirmant in suis diplomatibus Arnulphus Rex, postea Imperator, Zuendeboldus Rex illius filius, Carolus Simplex Rex Francorum. Ea diplomata exhibent Miræus in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 44, 46 et 49. Christophorus Brouwerus lib 9. Annalium Trevirensium, uti fusius diximus citato cap. 4 Diatribæ nostræ. In divisione regni Lotharii inter Ludovicum Regem Germaniæ et Carolum Calvum Regem Francorum, omnis ea Masacorum ditio distracta est in duos Comitatus,* superiorem et subteriorem Masau, *seu* Masegau.

*Trajectum Masacorum, seu Maselandiæ, urbs primaria,*

*a pagis in diplomatibus Regum et Imperatorum*

56 *Eginhartus Caroli Magni Imperatoris Cancellarius, vir scientia, doctrina virtuteque eximius, lib. 4 Historiæ translationis SS. Marcellini et Petri cap. 8 apud Surium 2 Junii,* Gangluden, *vulgo* Gangelt, *oppidum*

*pagus Masau apud Eginhartum,*

AUCTORE G. H.

*et tempore Episcoporum Trajectensium*

A *pidum provinciæ Juliacensis, aliquot a Mosa leucis distans*, fundum regium in pago Mosano *esse tradit. Quo tempore floruerunt SS. Lambertus et Hubertus Episcopi Trajectenses, præerat Austrasiis Pipinus Herstallius, pater Caroli Martelli, de quo Brouwerus lib. 7 Annalium Trevirensium pag.* 435 *hæc habet:* Diploma vetus inspeximus, quo ipse, *Pipinus* in villa Bagoloso, regnante jam tum Dagoberto, jacens ex morbo S. Willibrordum prædio Suvestra donat, quod prædium ipse ad rivum cognominem in pago Mosariorum situm esse confirmat, atque ut in nepotum Grimoaldi et Drogonis filiorum sit tutela, cavet. Denique cum propter morbi magnitudinem subnotare non potuisset ipse, Plictrudi conjugi dat negotium, ut ipsa donationem subscribendo corroboret. *Quæ Theofridus in Vita S. Willibrordi ita confirmat:* Idem munificus Princeps sub chirographi conscriptione anno IV Regis Dagoberti VI Nonas Martii tradidit illi *Willibrordo* villam in pago Mosariorum sitam, et a præterfluentis fluvii nomine Suestram nuncupatam, et egregiæ Blittrudis sagaci industria, ab ingenuis viris pecuniæ impendiis comparatam. *Est Sustera, sive Sustera, illustre nobilium virginum monasterium cum oppido adjuncto, circiter ter mille passus a*

*pagus Mosariorum in diplomate Pipini Herstallii:*

B *Mosa remotum, e regione fere Masaci, seu Masecæ oppidi, Trajectum inter et Ruræmundum. Nec procul ab Sustera distat relatum ante Gangluden. Demum ostendi lib. 1 Diatribæ cap. 5 Tacitum lib. 4 Historiarum eosdem Masacos appellare, et Sunicis, Tungris, Bethasiis et Canninefatibus finitimis populis conjungere: quæ hic nil opus est repetere. Caput ergo gentis Masacorum, Mosariorum, Mosanorum, seu Moselandorum, fuit Trajectum, quam totius provinciæ urbem maximam dixit Ægidius a Leodio; ubi et Reges solitos fuisse commorari colligimus ex diplomate Childerici Regis, quo donationes monasteriis Stabulensi et Malmundariensi confirmat.* Datum, *id est,* quando fecit mensis September dies VI, anno VIII regni Domni Childerici Regis, Trajecto feliciter. *Annus is erat Christi* DCLXXII, *quo S. Theodardus Ecclesiæ Trajectensis Episcopus loca monasteriis donata cum Hodone Domestico et forestarius regis jussus est determinare: non ergo anno* DCLV *occisus, ut tradunt Bucherius, Fisen atque alii, quorum opinionem auctor Vindiciarum Ecclesiæ Tungrensis* vulgatam Chronologiam, *vocat, ac Belgis Gallisque* sequentem statuit. *Sed quomodo hi manifeste in tempore Sedis horum Episcoporum errant, ita idem inferre cogitur eos in urbe Sedi assignanda errare potuisse. De*

*Mosaci populi apud Tacitum.*

C *Chronologia infra agemus.*

57 *Quantum S. Amandus in hac diœcesi Trajectensi excolenda laborarit, hic paucis inquirimus. Inter familias illustriores, quas arctiori vinculo ad virtutem caritatis Christo conjunxit, prima censeri potest S. Bavonis, ditissimi apud Hasbanos Principis, cujus mater et filia, quibus idem dicitur nomen Adeltrudis fuisse, et soror Adila habitæ sunt conspicienda sanctitate feminæ. Altera fuit et ipsa nobilissima familia B. Pipini Ducis, qui apud Austrasios Major-domus palatio Dagoberti I ejusque filii S. Sigeberti præfuit. Hujus uxor S. Itta, sive Iduberga, filiæque SS. Gertrudis et Begga Ecclesiastico cultu honorantur. Hic* Pipinus sacrum corpus S. Hermelindis Virginis levavit e tumulo, et sacrarum Virginum monasterium Meldariæ *in præfectura Camptichensi prope Thenas oppidum* instituit, prædiis multis locum ditans. Quibus Virginibus ut divinum sacrificium Presbyteri, ex monasterio S. Bavonis, quod in vicino monte, Teutonice Calfmont, situm erat, adjuncti sunt. Sed neutrum monasterium nunc subsistit, *ut allatis verbis scribit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii* XXIX *Octobris. Quia ea istic consilio impulsuque S. Amandi a SS. Bavone et Pipino erecta sunt monasteria, vix fas ambigere est.*

*S. Amandus ad pietatem instituit familias SS. Bavonis et Pipini,*

*fundatorum monasteriorum Meldariæ et Calvimontis.*

58 S. Gertrudis, *ut in ejus Vita legitur* XVII *Martii, patre* Pipino humanis exempto, inhærens matris in

D viduitate permanentis vestigio, cum quotidie multimodis sanctitatum incrementis famula Dei proficeret, venerabilisque mater ejus maximas curas animo pervolveret, quatenus cogitata ad effectum perduceret, contigit venerabilem Episcopum Amandum ad ejus domum adventare, qui tunc in Dei rebus Magnus habebatur. Tunc venerabilis Itta depoposcit, ut ab eo sibi sacrum velamen imponeretur, et ex sua domo monasterium consecraret. Quod et factum est. Nam non solum se, sed et omnia, quæ habere potuit, libentissime Domino devovit. *Illa fuere celeberrimi monasterii Nivellensis exordia, cui post S. Idubergæ matris obitum filia* Gertrudis, *ab illa olim attonsa, præfuit Abbatissa*, totumque regiminis pondus in se solam recepit. *Eadem beatissima Gertrudis magna cum veneratione peregrinos suscepit SS. Foillanum Episcopum et Ultanum fratres S. Fursei, eisque in villa hæreditatis suæ monasterium Fossense supra Namurcum, inter amnes Sabim et Mosam, extruxit. Coluntur S. Foillanus Martyr* XXXI *Octobris,* I *Maii S. Ultanus. Hanc Fossensem Abbatiam pago et Comitatui Lommensi attribuit, et Stephano Episcopo Leodiensi confirmat anno* DCCCCVII *Ludovicus Rex, Arnulphi Imperatoris filius.*

*monasterium Nivellense consecrat,*

*ejus Abbatissæ SS. Iduberga et Gertrudis,*

E

59 *Otto primus Imperator diplomate anno* DCCCCLXVI *dato, in Notitia Ecclesiarum Belgii a Miræo cap.* 62 *relato confirmat* Nivellensibus hæreditatem S. Gertrudis, sitam in pago Tessandria, super fluvio Struona, in villa quæ dicitur Bergom. *Hilsundis Comitissa Striensis, uxor Ansfridi Comitis, sed ab ejus thoro separata, illoque Episcopo Ultrajectino ordinato, fundatura monasterium Thorense, nobilium Virginum, prope memoratum ante oppidum Masecum, in quo ipsa filiaque ejus Benedicta monasticam amplexæ sunt vitam, pro dote inter alia* donavit ecclesiam de Stryen, quæ est consecrata in honore Mariæ Virginis. Montem-littoris, ubi beatissima Gertrudis corporaliter conversata est, et cellam habet a S. Amando consecratam, *uti in diplomate anno* DCCCCXCII *signato refertur apud eumdem Miræum cap.* 73. *Dictum Bergom, seu* Mons-littoris, *nunc* Berga *seu* Mons-S. Gertrudis *dicitur, estque oppidum provinciæ Hollandicæ, quamvis in ulteriori Brabantiæ ripa non procul Breda situm, olim Trajectensis, ac postea Leodiensis, nunc Silvæducensis diœcesis. Est ibidem ultra fretum Bisbossium insula, cujus reginaculæ caput est ante indicatum* Stryen.

*ejusdem S. Gertrudis Oratorium consecrat S. Amandus in oppido Gertrudis-Berg. a.*

60 *Altera Pipini et Idubergæ filia fuit S. Begga, primo nupta Ansegiso Duci, filio S. Arnulphi Episcopi*

F *Metensis (ex quorum stirpe prognati Pipinus Herstallius, Carolus Martellus, Pipinus Brevis Francorum Rex, Carolus Magnus Imperator) tum mortuo marito vidua, acceptis e Nivellensi S. Gertrudis sororis monasterio sacris Virginibus, novum monasterium ad Mosam infra Namurcum, Andanæ, sive Andennæ, condidit, quod* Ad-septem-ecclesias *(tot enim ob ea istic extructæ hodieque visuntur) solet appellari. Quæ omnia uti sanctorum parentum sororisque Gertrudis gloriosam famam honoremque amplificant, ita non minima pars laudis debetur S. Amando sanctissimæ hujus familiæ in rebus divinis Doctori ac Magistro.*

*S. Gertrudis soror S. Begga monasterii Andanensis fundatrix.*

61 *Eidem familiæ* sanguine copulata S. Gudila Virgo, *ut in hujus Vita dicitur* VIII *Jan. cap.* 1, ex ipso fonte a Gertrude sancta ejus nepte suscepta, ad ejus pedes adulta, saleque divinæ legis litterarum imbuta est. *Imo et* S. Pharaildis, *cujus Vitam dedimus* IV *Januarii,* a B. Gertrude cognata sua de sacro fonte levata, litterisque instructa pietatem a teneris annis egregie coluit. *Habetur ea S. Gudilæ soror a Molano aliisque. Fuit certe Gudilæ soror Raineldis Virgo et Martyr, quæ* XVI *Julii colitur. Earum mater S. Amelberga a dicto Pipino nuptui tradita Witgero Comiti, sed aliquot procreatis liberis, maritus Lobiensibus monachis*

*Harum consanguineæ SS. Gudila,*

*Pharaildis,*

*Raineldis, Amelberga.*

A nachis adjunctus, ipsa velamine sacro ornata, totam se Deo dedicavit Malbodii apud S. Aldegundem, quam supra diximus a S. Amando in sponsam Christi sacratam. De S. Alena in Comitatu Bruxellensi, discipula S. Amandi habita, jam ante egimus.

*Ad Sabim Monasterium a S. Amando conditum.*

62 Ad Sabim fluvium, secundo ab urbe Namurcensi lapide, monasterium idem Amandus extruxit, atque ad honorem S. Petri Apostoli Deo consecravit, ubi antiquitus fuisse congregationem sub regula monastica viventium nomen loci Moustier, seu Monstier, indicat. Adservantur istic in ecclesia collegiata Monasteriensi Reliquiæ S. Fredegandi, illuc tempore Normannorum translatæ e monasterio Quercolodora prope Antverpiam, cui illum præfuisse Abbatem supra diximus. De hac Translatione agitur in Officiis propriis XVII Julii, ad quem diem, monasterii illius conditorem fuisse S. Amandum, testantur Molanus in Natal. SS. Belg. Miræus in Fastis Belg. et Fisen in Floribus Eccl. Leod. qui eadem repetit cap. 3 Vitæ S. Amandi. Est nunc monasterium nobilium Virginum Canonicarum XVII, et collegium X Canonicorum.

*Templa S. Amandi Gelæ,*

63 Ex antiquioribus Brabantiæ Baroniis est Gela apud antiquos Taxandros oppidum cum territorio satis amplo, ubi altera parochialis ecclesia sane elegans

B S. Amando dicata est, altera S. Dympnæ Virgini et Martyri, quæ XV Maii colitur. Aliud S. Amandi antiquum sacellum Trajecti fuit, nunc intra septa collegii Societatis Jesu. Plurimi ipsum S. Amandum hujus oratorii auctorem faciunt. In agro Juliacensi prope Marcodurum Patronus est S. Amandus ecclesiæ sive sacelli Girbertzrodensis, ut constat ex antiquo loci hujus Missali anno CIↃIↃCCCLXXXVIII renovato.

*Trajecti,*

*Girbertzrodæ.*

## § IV. Sclavis ab S. Amando in Carinthia prædicatum Evangelium. Apud Wormatienses et Argentoratenses antiqui Episcopi: aliqui Amandi appellati, et Sancti.

*S. Amandus Sclavis in Carinthia prædicat.*

Sclavi anno XIII belli Gothici, Christi DXLVII, et sequentibus, transito Danubio inter alias provincias Carinthiam obtinuerunt, diu sine Rege: gravi dein ab Hunnis servitute oppressi, Regem elegerunt Samonem, natione Francum, cujus industria libertatem recuperarunt. Fuit hic Samo ex pago Sennnago in antiquo Bracbanto ad Sennam fluvium (ut supra conjectavimus) oriundus, in Regem electus anno Chlotharii II Regis Francorum XL, Christi DCXXIII, regnavit annis XXXV, ut ex Procopio, Fredegario aliisque diximus ad Vitam

C B. Domitiani Ducis Carinthiæ V Februarii § 4. Accepta horum Sclavorum eorumque Regis Samonis, notitia, S. Amandus, instructus etiam fortasse litteris consanguineorum Regis, in eodem pago Senonago religione Christiana jam ante institutorum, ultra Rhenum Danubiumque profectus est, æstuans desiderio aut hunc gentem, ejusque Regem, ad fidem Christi adducendi, aut martyrii palmam consequendi. Quid præstitum sit ab eodem Sancto in reliqua Germania, prorsus silent antiqui. Recentiores Episcopatus Wormatiensem et Argentoratensem ab eo administratos tradunt: sed vereor, ne similitudines nominis decepti ei attribuerint, quæ ab aliis sanctis Episcopis, etiam Amandis appellatis, præclare fuere gesta.

*Wormatiæ unus inter primos Episcopos Amandus,*

65 Wormatiæ Vangionum urbe Sedem olim Episcopalem fuisse manifestum est ex Synodo Agrippinensi sub Constante Constantini Magni filio, post Consulatum Amantii et Albini, IV Idus Martias, anno Christi CCCXLVI, habita. Interfuit huic Synodo Victor Vangionum Episcopus, qui, cum aliis, si qui forte ante eum fuerint, ignorentur, passim in Catalogis primus Wormatiensis Episcopus scribitur. II Amandus, qui cum innumera civium multitudine ad portam S. Servatio, Episcopo Tungrensi, obviam ruit Wormatiam intranti; uti in hujus Vita XIII Maii tradit Jocundus

D Presbyter. Ægidius in additionibus ad Harigerum de Episcopis Tungrensibus et Trajectensibus cap. 26 scribit S. Servatium Wormatiæ appropinquantem, magnifice a B. Amando urbis Præsule susceptum esse. Quæ totidem fere verbis in aliis Actis MSS. S. Servatii referuntur. Mortuus est S. Servatius Trajecti, quo Sedem Episcopalem Tungris transtulerat, anno CCCLXXXIV cum aliquot annis ante elapsis limina Apostolorum invisisset, eaque occasione Wormatiam venisset. III Vangionum Episcopus habetur Carolus. IV Crotoldus. VIII S. Rudpertus, sive Rupertus, quem Acta ejus antiqua XXVII Martii tradunt anno II Childeberti Regis Austrasiorum, Christi DCLXXVII, in Wormatia fuisse Episcopum, sed magna ejectum injuria, primum Salisburgensem Episcopum factum. Aliorum quatuor sequentium Antistitum, qui eam Ecclesiam rexerunt, nomina intercidisse in tanta Chunorum, Gothorum, Wandalorum, Alamannorum aliorumque Christianæ religionis hostium persecutione tradunt Bruschius, Demochares, Cratepolius, Claudius Robertus aliique Catalogorum Episcopalium scriptores.

*Auctore G. B. S. Servatium hospitio excepit:*

66 X Episcopus habetur S. Amandus ejus nominis secundus, qui, teste Bruschio, tanta religione ac tantis miraculis etiam claruit, quibus doctrinam Christia-

E nam confirmavit Deus, ut ei senatus populusque urbis Vangionum, templum gratitudinis ac pietatis ergo post mortem statuerent, quod hodie adhuc in suburbio situm, S. Amandi parochia dicitur. Præerat Ecclesiæ Wormatiensi S. Amandus anno VI regni Dagoberti I apud Austrasios, is est Christi DCXXVI aut sequens, quando II Kalendas Octobris Dagobertus Rex e consilio procerum, Pipini Majoris, Arnulfi Metensis Episcopi et Chuniberti Coloniensis Archiepiscopi donavit Ecclesiæ Wormatiensi civitatem Laudemburgensem. Quam donationem approbarunt postea Childericus Rex Austrasiorum, Pipinus Rex Francorum, ejusque filius Carolus Magnus, uti ex hujus privilegio constat, signato anno XXX regni illius. Hac deinde privilegium confirmarunt Ludovicus Rex, Otto Imperator, Henricus Rex, Rudolphus Rex Romanorum: quæ diplomata referuntur a Marquardo Frehero in libro de Lupoduno, posteris Laudemburgo dicto. Testatur et Bruschius in S. Amando, X Episcopo Wormatiensi, originale diploma Dagoberti Regis suo tempore adhuc integrum fuisse, in archivis Episcopi Wormatiensis. Bertramus Limburgius, collegii Societatis nostræ olim apud Vangiones Rector, de Sanctis urbis Wormatiensis a nobis interrogatus, respondit anno CIↃIↃCXXXVIII, corpus S. Amandi hujus nominis II,

*alter ibidem Amandus Episcopus.*

*an. 626,*

*sub Dagoberto Rege,*

F Episcopi Wormatiensis, adservari in Cathedrali æde, in ejusque honorem extructum templum parochiale extare in suburbio, dictum S. Amandi, ejusque festum celebrari XXVI Octobris: ac Lectionem in Breviario Wormatiensi recitari de S. Amando Belgii Apostolo, nulla facta Sedis Wormatiensis mentione. Hæc ille. Sed diversus plane est S. Amandus II Wormatiensis ab S. Amando Trajectensi, et hoc senior, jam tum Episcopus, cum iste apud Bituriges inclusus degebat, tiro adhuc vitæ spiritualis.

*colitur 26 Octobris.*

67 Est ibidem ad Rhenum fluvium nobilissima Argentoratensium Ecclesia, sub Imperatoribus Romanis Sede etiam Episcopali exornata. Certe in supra indicata Synodo Agrippinensi, anno Christi CCCXLVI habita, condemnationi Euphratæ Episcopi Coloniensis subscripsit Amandus Argentinensium Episcopus, fassus se suis epistolis ad eum deponendum ante etiam consensisse. Num aliqui ante eum ibidem Episcopi fuerint, et quinam, defectu scriptorum sciri nequit. Auctor Vitæ S. Deicoli, Lutrensis in Burgundia Abbatis, quam XVIII Januarii ex Lutrensibus membranis edidimus, de S. Amando aliisque urbis Argentoratensis Patronis circa annum MCCCCLXV hæc scripsit cap. 1: Civitas Argentina, quæ vulgarico vocabulo Strasburch

*Argentorati Amandus Episc. an. 346:*

A burch vocatur, exceptis Reliquiis principalibus, proprios se gaudet habere Patronos, quos a Domino suscepit veræ fidei fundatores, et Divini verbi prodigos seminatores, id est, Amandum, Justinum, Arbogastum, Florentium et alios nonnullos, quorum nomina in beati ordinis albo superna illa regio sine fine tenet connexa. *Hæc illa, agique de sanctorum Patronorum reliquiis toto capite innuitur : in quo Floriaci monasterii dicuntur Patroni SS.* Benedictus et Scholastica, *urbis Suessionis* S. Sebastianus Martyr, *et sic de reliquis. Primus ergo fidei apud Argentoratenses fundator dicendus est senior Amandus, qui aliquot seculis vixit ante S. Amandum Episcopum Trajectensem, cujus sacras Reliquias semper magna cum veneratione fuisse apud Elnonenses adservatas, ex infra dicendis certo constabit. In antiquo Breviario Argentinensi, anno* CIↃCCCCLXXVIII, *et* CIↃCCCCLXXXIX *excuso, celebratur* XXVI *Octobris festum* S. Amandi Episcopi Argentinensis, *Lectionibus, quæ ad Matutinum recitantur, ex Vita S. Amandi Episcopi Trajectensis decerptis : unde aliis errandi occasio data est, maxime quod eodem die etiam colatur S. Amandus Episcopus Trajectensis ob Reliquias ea luce translatas.*

AUCTORE G. H. *ejus istic olim Reliquiæ adservatæ :*

*colitur 26 Octob.*

68 *Jacobus Wymphelingus in Catalogo Episcoporum*

B *Argentinensium, anno* CIↃIↃVIII *excuso, de origine hujus Episcopatus hæc refert :* Dagobertus Austrasiorum et Alsaticorum Rex, cognita sanctitatis et virtutum Amandi fama, ipsum, ut ex Trajecto vocatus, primus Argentinensis Ecclesiæ Antistes præficeretur, effecit anno IↃXCVI. *Scilicet cum bimulus esset Amandus, utpote anno* IↃXCIV *natus, quinquaginta demum post annis Ecclesiæ Trajectensi præfectus; cum Dagobertus* I, *Francorum Rex, aliquot ante annis obiisset, diu licet post assignatum annum* IↃXCVI *et ipse natus. Franciscus Guillimannus in Commentario de Episcopis Argentoratensibus, errorem Wymphelingi chronologicum correcturus, tradit* S. Amandum ab Dagoberto Magno, Francorum Rege primum Argentinensium institutum Episcopum circiter annum Domini nostri IↃCXL, *atque in ejus Episcopatus fundationem* quidquid juris aut regiæ superioritatis in Alsatia sibi aut suis quocumque modo competeret, in Amandum et ejus in præsulatu legitimos successores liberrime transfudisse. *Quæ verba, tamquam ex vetusto scriptore (sed qui ignoratur) deprompta, magni æstimat Jodocus Coccius in Dagoberto Rege cap. 14 : additque* ad diem VIII Idus Februarii, quo S. Amandus migravit, ei publice in Fastis Argentoratensibus honorem haberi.

*perperam istic S. Amandus Trajecten. dicitur Episcopus primus fuisse.*

C *Quo* VI *Februarii in citato Breviario perantiquo Ecclesiæ Argentoratensis solemni ritu Officium de S. Dorothea Virgine et Martyre peragitur, nulla facta S. Amandi mentione. Molanus vero in additionibus ad Usuardum* XV *Novembr. hæc habet :* Argentinæ S. Amandi Episcopi et Confessoris. *Addit Galesinius : qui* illius civitatis primus Episcopus, sancte factis Evangelique propagatione, fidelem Christo Domino Ecclesiæque operam præstitit. *Hæc illi, quæ Wion et Dorganius, in sui Ordinis honorem, de S. Amando Trajectensi intelligunt. Wionem sequitur Ferrarius in Catalogo Sanctorum, et in nova Topographia, ubi* ex tabulis Ecclesiæ Argentinensis, *quas ante citarat Galesinius, asserit* Amandum primum Aquitaniæ, deinde Argentorati fuisse Episcopum, eo a Dagoberto missum. *Sed quas hi tabulas Argentinenses velint, non exprimunt. In citato antea Breviario Argentinensi Officium dicto* XV *Novembris de Feria simulque de S. Martini Octava fieri debere præscribitur, absque ulla S. Amandi mentione. Nec alibi de S. Amando a Rege Dagoberto Argentoratum misso apud antiquos scriptores quidquam reperimus. Imo qui præcipuas possessiones donavit Ecclesiæ Argentoratensi, non Dagobertus senior est, sed ejus nepos filius S. Sigeberti, et ipse Dagobertus appellatus, uti alibi pluribus ostendemus.*

69 Amandus *ergo, qui primus Episcopus Argentoratensium habetur, vixit seculo Christi quarto, atque, ut diximus, interfuit anno* CCCXLVI *Synodo Agrippinensi. Seculi illum in eadem Sede Episcopi,* II Justus, *sive* Justinus. III Maximinus. IV Valentinus, *quos* Sanctos adpellari pingique cum diadematibus, et credi inter Divos receptos esse, *tradunt Wymphelingus et Guillimannus.* V Solarius, *quem etiam* Sanctum *nominant Bruschius et Demochares.* VI Biulfus *Solarii successor a Bruschio statuitur.* VII Magnus. VIII Goarinus *seu* Garoinus. IX Landebertus. X Rodobaldus. XI Magnebertus. XII Labiolus, *alias* Ubiolus. XIII Gundoaldus. XIV Aldus, *si tamen alius,* tempore Heraclii Imperatoris, *inquit Wymphelingus, id est, tempore Chlotharii* II, *a quo Dagobertus filius Austrasiis Rex datus est.* XV Gando *(forte S. Amandus Trajectensis creditus)* vir clari ingenii, *ut ait Wymphelingus.* XVI Utho. *Addit Wymphelingus,* de horum patria, genere, vita, morte, sepulchris nihil pene se offendere potuisse. XVII Ansoaldus, *teste Bruschio,* a Rege Childerico constitutus : *attigerit forte primos ejus annos.* XVIII Rodtharius *teste eodem Bruschio,* Ducali origine et stemmate natus, ex regiæ curiæ Magistro ac strenuo equestris ordinis viro a Childerico Rege Episcopus

D *Antiqui Episcopi Argentoratenses.*

constitutus, extruente tunc S. Deodato monasterium E Vallis Galilææ, *in confinis Alsatiæ et Lotharingiæ. Hujus Deodati in Vosagi eremo socii fuerunt SS. Arbogastus et Florentius : ex his* XIX *Episcopus fuit a Dagoberto filio Sigeberti creatus* Arbogastus, *cui* XX *successit* S. Florentius, *quorum tempora alibi stabilimus.* XXI Wicgernus. Hic cellam monachorum quæ jam Ettenheim-munster vocata est, de rebus B. Mariæ fundavit, de quo in testamento Heddonis. *Ita Wymphelingus.* XXII Wandelfridus. XXIII Heddo, *sive* Etho, *aut* Ethico, *filius Ethiconis, Fratris S. Odiliæ Virginis, Alsatiæ Comitis, nati patre Adalrico, sive Athicone, et matre Beresuinda, sorore Reginæ Bilichildis, uxoris Childerici Regis.*

70 *Est autem dictus* Heddo *sive* Etho, *factus Argentoratensium Episcopus anno* IↃCCXXXIV, *quo etiam anno Carolus Martellus Frisiam vastavit, uti illa apud Hermannum Contractum conjunguntur. Zacharias Papa inter Episcopos Galliæ et Germaniæ, quibus epistolam* VI, *a Sirmondo tomo* I *Conciliorum Galliæ relatam, scripsit circa an.* IↃCCXLIV; Heddum Strateburgensem *numerat. En viginti tres Episcopi, qui ab anno* CCCXLVI *usque ad annum* IↃCCXLIV *per quatuor secula Ecclesiæ Argentoratensi ab S. Amando usque ad Heddonem præfuerunt. Nec plures aliarum Sedium Episcopi reperiuntur, inter illos, qui dictæ Synodo Coloniensi anno* CCCXLVI *cum S. Amando Argentinensi interfuerunt, eosque qui in citata Epistola Zachariæ Papæ memorantur. Nam Rotomagenses referuntur Eusebius et Reginfridus; inter quos fuerunt Episcopi* XXI. *A S. Servatio ultimo Tungrensi ac primo Trajectensi, ad S. Hubertum Trajecti sederunt* XX, *post eum Leodii S. Florebertus, ac dein Fulcarius in epistola Zachariæ memoratus. Apud Ambianenses inter Eulogium et Rambertum quindecim solum Episcoporum supersunt nomina, uti quinque tantum inter Jessen et Davidem apud Spirenses. Eadem fere reliquorum Episcopatuum ratio est, quorum Episcopi Synodo Agrippinensi subscripserant, et ad quorum successores Epistola Zachariæ missa est. Expensa nobis accurate singulorum successio : at ne cui fastidium creet, hic omissa. Udonem sive Uthonem Episcopum Argentoratensem, quem tradunt Posserinus, Vossius aliique seculo Christi decimo scripsisse, Vitam S. Amandi Episcopi Argentoratensis, necdum licuit videre.*

*viginti tres ab an. 346 ad 744.*

F

71 *Habent ergo et Wormatienses et Argentoratenses suum uterque Amandum Episcopum, quem anniversario cultu celebrant* XXVI *Octobris : qui itidem dies in Breviario Spirensi anno* CIↃCCCCLXXVII *et* CIↃIↃIX *excuso*

*Cultus celebris S. Amandi Epis. 26 Oct. Spiræ et Wormatiæ.*

*S. Amandi*

A *S. Amandi Episcopi venerationi dicatus est, quando in Officio Ecclesiastico tres Lectiones ad Matutinum recitantur ex Vita S. Amandi Episcopi Trajectensis. Eodem die in Breviario Moguntino anno* CIↃCCCCXCV *et* CIↃIↃVII *vulgato recolitur memoria S. Amandi Episcopi. Et hæc hactenus dicta sufficiant de regionibus, per quas* Dominicæ vineæ cultor Amandus, Trajectensium Episcopus, velut imbrifera nubes circumquaque pluendo discurrit, *uti prædicat totidem verbis Hucbaldus in Vita S. Aldegundis cap.* I.

## § X. *Chronologia stabilita a nativitate S. Amandi usque ad annum Christi* IↃCXXXVI.

*Chronologia ævo S. Amandi,*

Quod *Kalendis Februarii ad Vitam S. Sigeberti Regis probatum est, ejus hic jubemus meminisse lectores, scilicet Francorum Regum stirpis primæ Merovingicæ temporibus discernendis non fuisse adhibitos annos Christi, Pontificum, Imperatorum, Consulum Romanorum, aut etiam, nisi in quibusdam Conciliis Indictionum ; sed solis annis Regum invicem succedentium indicatis, solita tum dirimi discrimina temporum. Reges autem Francorum, sub quibus vixit S. Amandus, sunt hi : Chlotharius* II, *Dagobertus, S. Sigebertus apud* B *Austrasios, ejusque frater Chlodoveus* II *apud Neustrasios, tum hujus tres filii, Chlotharius* III, *Childericus primo solum Austrasiæ, dein etiam Neustriæ moderandis habenis adhibitus, ac Theodericus : quorum regni tempora accurate demonstravimus* I *Februarii ad Vitam S. Sigeberti Regis* §§ IX, X, XI *et* XII, *et in Diatriba de Episcopatu Trajectensi lib.* 2.

*sola Regum successione nixa.*

73 *Character temporis certissimus in testamento S. Amandi proponitur, dum annus signatur* Theoderici Regis II, dies XV Kalendas Maii : *post quem infra probabimus S. Amandum* VI *Februarii vita functum esse anno Christi* IↃCLXXXIV. *Hic nodum implexissimum apprehendunt, qui tribus et viginti annis prius, ejus obitum referunt ad annum* IↃCLXI : *quos infra suo loco refutabimus, postquam pari passu ostenderimus et nativitatem ejus et reliqua gesta serius reponenda. Annos eum vixisse universim nonoginta plerique cum Milone censent, ac proinde natum anno* IↃLXXI. *Nobis verosimilius videtur, natum eum esse anno* IↃXCIV, *dies* VII *Maii Nativitati illius dicata est in antiquo MS. Martyrologio Tornacensi monasterii S. Martini. His verbis :* Nonis Maii in pago Aquitaniæ provinciæ Herbatilico, nativitas S. Amandi. *Ita menses tres ad complendum nonagesimum ætatis annum requiruntur. Hic annus na-* C *tivitatis a nobis constitutus, mox in ejus ad S. Austregisilum Archiepiscopum Bituricensem accessu firmabitur.*

*Nascitur S. Amandus circa annum 594,*

74 Ab infantia, *inquit Baudemundus*, sacras Amandus litteras edoctus, cum jam adolescentiam transiens in robur migraret virile, Ogiam insulam petiit, ubi viso miræ magnitudinis serpente perterritus puer est, sicut ipsa patiebatur ætas. *At deinde* blandis a patre sermonibus irretitus, ut rursus secularem sumeret habitum, relicto solo parentibusque Turonos petiit, ubi ad sepulchrum S. Martini, coma capitis abscissa, adeptus est Clericatus honorem. Posthæc Bituricas civitatem petiit, a S. Austregisilo, ejusque Archidiacono S. Sulpitio, clementissime susceptus. *Hæc Baudemundus, quem in eumdem modum Milo exponit. At Harigerus Abbas :* Dum puer, *inquit*, adhuc esset, Ogiam insulam expetivit, *et viso serpente* pro puerili ætate extimuit. *Et* post modicum *tempus* pater eum tentavit a monasterio abstrahere; sed negotio imperfecto puerum sanctum nolens reliquit. *Philippus narrato ad S. Austregisilum adventu,* Agebat, *inquit num.* 15, pubertatis annos B. Amandus in adolescentiæ flore primævo, fervorem spiritus ab ætatis fervore non dividens. *Quæ ante annum Christi* IↃCXII, *cum ætatis* XVIII *expleret S. Amandus, fieri*

*degit adolescens in Ogia insula*

*Bituricas venit:*

*non potuisse satis est manifestum ; ut sic, quo tempore* D *in Ogia insula vixerit, facile statui possit.*

AUCTORE G. H.

75 *Decessores Episcopos Bituricenses habuit Austregisilus SS. Sulpitium Severum, Eustasium et Apollinarem, quorum primus e vita migravit anno Christi* IↃXCI, *id est,* Childeberti Regis XVI, et Gunthramni XXX, *ut qui non inde procul tunc Episcopus vivebat, scribit Gregorius Turonensis lib.* 10 *Historiæ Francorum, ubi annis Regum cap.* 24 *propositis, hæc cap.* 26 *subdit :* Obiit et Sulpitius Bituricæ urbis Pontifex, cathedramque ejus Eustasius Augustidunensis Diaconus est sortitus : *quæ ad diem* XXIX *Januarii, Sulpitii natalem, explanata. Joannes Chenu Bituricensis, in Notitia Archiepiscoporum et beneficiorum diœcesis Bituricensis describenda diligens, tradit S. Eustachium eam Ecclesiam annos* XII *rexisse, extremumque diem obiisse pridie Kalend. Januar. anno juxta computum positum secundo et sexcentesimo ad exitum dilapso. Hujus successorem S. Apollinarem tradit idem Chenu annos* IX *sedisse, ac* III *(alii* II*) Nonas Octobris obiisse : ergo anno Christi* IↃCXI, *assignato utrique tam Eustasio quam Apollinari anno ultimo imperfecto : ut citius non potuerit ordinari S. Austregisilus, in cujus Vita auctor synchronus* XX *Maii ista scribit :* Mortuo Bituricensi Episcopo Apollinari, suffectus est Austregisilus, quam functionem E duodecim annis præclare administravit, quemadmodum ab Angelo ei nocte illa fuerat prædictum, cum primos fines urbis esset ingressus, et diluculo *narravit* Sulpitio Diacono qui ei postea in Episcopatu successit *anno scilicet Christi* IↃCXXIV. *De S. Sulpitio Pio egimus* XVII *Januarii, ex cujus Vita cap.* 2 *constat, S. Austregisilo Episcopo facto, Theodericum Regem Burgundionum, cui suberant Bituriges, adhuc vixisse. Ubi is anno Christi* IↃCXIII *profluvio ventris extinctus est, Chlotharius* II *monarchiam Francorum occupavit, magno statutæ a nobis Chronologiæ firmamento. Venerit ergo S. Amandus ad Austregisilum Episcopum anno Episcopatus ejus primo, Christi* IↃCXII, *quo seu* puer, *seu* in adolescentiæ flore primævo, annos agebat pubertatis, *et sic* adolescentiam transiens in robur migrabat virile, *annos, ut diximus* XVIII *natus. Quam procul ab hac ætate absunt alii, secundum quos S. Amandus anno* IↃLXXI *in lucem editus, Bituricas dici deberet venisse quadraginta et unum natus annos !*

*cujus urbis Episcopi obierunt, S. Sulpitius Severus anno 591,*

*S. Eustachius anno 602,*

*S. Apollinaris 611 :*

*succedit S. Austregisilus.*

*hunc adit S. Amandus circa an. 612,*

76 *Hoc posito fundamento progredimur.* Bituricis, *teste Baudemundo,* cellulæ inclusus, tribus ferme militans lustris, pane et aqua corpus suum sustentavit : *quibus lustris annos quindecim exprimunt Anonymus Aquitanus, Milo Porta, Harigerus et Philippus Abbates. Sic ergo, inquit hic,* annis fere quindecim viro F Dei vivitur *sub SS.* Austregisilo et Sulpitio Pio, *ad annum usque Christi* IↃCXXVII, *quo Romam profectus ; hic a S. Petro sibi apparente admonitus, in Gallias ad verbum Dei prædicandum est reversus. Milo hoc itinere Romano relato librum primum concludit his verbis :*

Voluit hoc complere libello,
Quæ juvenilis adhuc, sed non juveniliter, egit :
Aptum opus, ut juvenis juvenem laudare mererer.

*Annum tum ex nostra supputatione agebat Amandus ætatis suæ quartum et trigesimum, quo maturam satis juventutem compleral. Secundum alios necessario egisset annum ætatis* LVII, *omnemque jam pridem prætergressus juventutem, seniles dudum attigisset annos, tantis laboribus, quos hactenus enarravimus, perferendis minus aptos.*

*inclusus ad 15 annos :*

*dein it Romam circa an. 627,*

77 *Philippus Abbas infra in Vita num.* 20, Regem Chlotharium *designat, a quo aliisque* Sacerdotibus S. Amandus *Roma regressus,* dicitur coactus in Episcopum ordinatus. *Verum quia ejus in convertendis ad fidem Christi hominibus peritia ratioque agendi Regi ceterisque innotescere primum debuit, vix hæc ante annum* IↃCXXVIII, *quo Chlotharius succedente Dagoberto, defunctus est, peragi potuisse arbitramur. Huic ordinationi*

*ordinatur Episcopus circiter 628.*

A *tioni sacer est* XXVI *Octobris, ad quem diem MS. Kalendarium Benedictinum ita habet :* Ordinatio S. Amandi *AUCTORE G. H.* Episcopi Trajectensis superioris et Abbatis Elnonensis. *Martyrologium MS. Trevirense S. Martini :* Treveris ordinatio et translatio Amandi Episcopi Confessoris. *Degebat Dagobertus Rex apud Austrasios, et frequenter Treviris, ut istic potuerit contigisse dicta ordinatio, cui ab aliis adjuncta est Translatio Elnone facta. Ast urbem Trajectensem substituunt Molanus, Wion, Menardus :* Trajecti ordinatio episcopatus S. Amandi, et Elnone cœnobio translatio corporis, *etc. Ferrarius in Catalogo :* Trajecti ad Mosam S. Amandi Episcopi : *annotatque* ordinationem intelligi aut translationem. *Omissa urbe ita legitur in antiquo Martyrologio MS. Lætiensi :* Elnone monasterio translatio corporis S. Amandi, et ordinatio ejus, et dedicatio basilicæ ipsius, et dedicatio basilicæ S. Mariæ perpetuæ Virginis. *At sequenti die hæc apud Wionem et Molanum leguntur ex Martyrologio Elnonensi :* Sexto Calendas Novembr. Elnone Commemoratio ordinationis S. Amandi Episcopi, quæ licet præcedenti die, sicut et translatio corporis et dedicatio facta fuisse credatur, tamen hac die specialius recolitur.

B 78 *Quid quoque anno Episcopus consecratus gesserit, quamvis tam exacte demonstrari nequeat, ex multis tamen certisque instrumentis reliqua ejus acta probabili indicio ad sua conabimur tempora revocare. Ac primo,* acceptio Pontificatus honore, *inquit Baudemundus,* *Gentibus prædicat : an. 629.* cœpit Gentibus verbum Domini evangelizare : *interque alia pietatis opera,* pueros transmarinos captivos pretio dato redimebat, ac spirituali regeneratos lavacro, litteris imbui præcipiebat. *Thcodericus Abbas in Vita S. Bavonis I Octobris, tradit,* Gandavensibus *tum* evangelizasse verbum Dei ; sed videntem parum se proficere, Romam abiisse : *apud* Papam de infructuoso in infructuosam gentem suo labore conquestum ; iterum ab eo in opus Evangelii animatum, Gandam *a* *reditu* rursus aggressum esse. *Chronicon etiam Baronianum, sed multis post seculis scriptum, apud Sanderum lib. 4 rerum Gandavensium cap. 3 tradit, quinto ante anno* Gandavi a S. Amando prædicatum, *atque* ara Mercurii subversa, ecclesiam constructam *esse, sed* ab incredulis *biennio ante* destructam, *quam* S. Amandus auctoritate Aicharii Noviomensis Episcopi, litterisque Dagoberti Regis munitus, Gandavum redierit. *Anno ergo* XXIX *supra sexcentesimum Gandenses aggressus, eos videtur aliquamdiu excoluisse : inde anno ejus seculi* XXX *Romam* C
*it secundo Romam an. 630.* *iisse, reversusque intellexisse oratorium, forte in privatis ædibus ante erectum,* a feroci illa gente, *a qua* omnes Sacerdotes, *teste Baudemundo,* se subtraxerant, *dejectum fuisse : tum* miseratus eorum errorem, *Gandavi prædicat an. 631,* *impetratis per* S. Aicharium epistolis Dagoberti Regis, intrepide illuc *anno* DCXXXI perrexisse. *Ibi plurimas* perpessus injurias, cæsus, in flumen præcipitatus, a sociis relictus, alimentum propriis acquisivit manibus : *ac* captivos innumeros redimens, sacro baptismate emundavit.

*Tornaci mortuum suscitat :* 79 *Hæc Gandavi. Tornaci interim sibi sociisque cellam habebat; in quam mortuum patibulo detractum curavit deferri, precibusque ad Deum fusis, ad vitam illum revocavit. Quo miraculo divulgato, ecclesiæ monasteriaque* *monasteria construit an. 632 :* *circumquaque exstrui cœpta. Forte Lutosanum et Rotnacense intelliguntur in antiquo Brachanto, non procul Tornaco sita. Notitia tunc quoque iacta in reliquo Brachanto, pago Senonago, ac vicina Hasbania, in quibus locis degebant B. Pipinus Dux, pater SS. Gertrudis et Beggæ; Walbertus parens SS. Waldetrudis et Aldegundis; Witgerus, a quo progenitæ SS. Gudila et Raynaldis, omnes viri Principes, et magno in honore habiti in aula Dagoberti Regis, qui circa annum* DCXXXII, *ut scribit Fredegarius in Chronico cap.* 58, tanta prosperitate regale regimen regebat, ut etiam gentes, D quæ circa limitem Avarorum et Sclavorum consisterent, eum prompte expeterent : ut ille post tergum illorum iret feliciter, et Avaros et Sclavos ceterasque *Sclavos adit an. 633 :* Gentium nationes usque manu publica suæ ditioni subjiciendum fiducialiter spondebat. *Præfuisse tunc Sclavis Samonem Francum ex pago Senonago oriundum, supra diximus : quem ea occasione S. Amandus ad fidem Christianam allecturus, ultra Danubium in Carinthiam vicinasque provincias profectus, annum* DCXXXIII, *quantum colligimus, in eam expeditionem insumpsit.*

80 *Interea Rex repudiata Gomatrude uxore, Nanthildem monacham conjugem acceperat, imo, teste Fredegario cap.* 60, luxuriæ supra modum deditus, tres *incontinentia* habebat ad instar Reginas, et plurimas concubinas. *Dagoberti culpata, in exilium relegatur an. 634 :* *Hanc Regis incontinentiam simul atque redarguit S. Amandus, eo jubente e regno ejus fuit expulsus circa annum* DCXXXIV. *Præerat tum Charibertus, Dagoberti frater, magnæ parti Aquitaniæ, Hispaniis viciniori : quo tunc se recepisse S. Amandum, notitiamque cum S. Rictrude contraxisse supra ex hujus Vita auctore Hucbaldo diximus. Ibi tum Vascones in fide et pietate instituti : ac forte Vauri monasterium conditum.* Dagobertus *interea* anno regni sui VIII, *Christi* DCXXXV, *S. Sigebertum* Raguetrudem strato suo adscivit, de qua eo anno *baptizat an. 635.* habuit filium, nomine Sigibertum. *Ita non sine hucte-* E *nus statutæ Chronologiæ firmamento testantur Fredegarius cap.* 59, *Monachus S. Dionysii in Gestis Dagoberti cap.* 24, *Aimonius lib.* 4 *cap.* 20. *Tum S. Amandus, qui ad loca maritima Aquitaniæ perrexerat, ad Anglo-Saxones convertendos in Britanniam insulam navigandi opportunitatem expectaturus, ab exilio a Rege Dagoberto revocatus,* S. Sigebertum baptizavit Aurelianis, Chariberto Rege *cum* de sancto lavacro excipiente : *et quod multum renuerat S. Amandus,* suscepit in filium sibi spiritualem,

Illum docturus divina lege Magister.

*Quæ pluribus Fredegarius cap.* 62, *Baudemundus et Milo infra in Vita prosequuntur. Nec diu superfuit Charibertus Rex, anno sequente, regni Dagoberti* IX, *Christi* DCXXXVI, *vita functus. Quæ omnia prolixe exponuntur* I *Februarii, ad Vitam S. Sigeberti* § 9.

## § XI. *Chronologia S. Amandi firmata ab anno* DCXXXVI *usque ad* DCL. *Triennium Episcopatus Trajectensis.*

B*enevolum Dagoberti Regis animum nactus* Amandus, *ad pristinas rediit stationes, ac potissimum Gandavense* F *revisit sacellum, ubi deinde monasterium conditum, S. Pe-* *Gandavi cœpta monasteria octo annos regit,* *tro et reliquis Apostolis dicatum, quod postea S. Bavonis appellatum est. Aliqua etiam jacta fundamenta monasterii in Blandinio, SS. Petro et Paulo postea sacrati. Hoc* cœnobium, *teste Chronographo Blandiniensi,* S. Amandus in propria persona, una cum capella Gandensi, quæ postea S. Bavonis nuncupabatur, octo annos rexit, *idque, ut ex successorum tempore constabit, ab anno* DCXXXVI, *post baptismum S. Sigeberti* *ab anno 636 :* *pace quieteque restituta. Certe annis octo sequentibus S. Amandum Gandavi sæpius fuisse arbitramur, indeque crebrius vicinos populos invisisse, tam ad dextram Scaldis ripam Antverpienses, Bracbantos, Hasbanos, Nervios, quam ad alteram Flandros, Suevos, Cortracenos, Tornacenses et fluvii Scarpi accolas, eosque frequenti pabulo divini verbi sanctorumque Christi Sacramentorum refecisse,* quibusdam ecclesiis seu monasteriis ad augmentum Divini cultus constructis ac bene dispositis. *Quo tempore* non deficiens Dominicæ vi- *Elnonense extruit anno 638.* neæ cultor, *locum designavit Elnonensi monasterio extruendo, cumque a Rege Dagoberto impetravit* anno regni XI, *Christi* DCXXXVIII, *quo is* filium suum Sigebertum in regno Austrasiæ, *teste Fredegario aliisque,* sublimavit. *Locum concessit Rex* tum propter totius regni

A regni ac prolis *ad regnum promotæ* stabilitatem, tum propter animarum salutem, *ut verba diplomatis supra dati declarant. Florebant eo tempore sancti conjuges Adalbaldus et Rictrudis, quatuor sanctorum liberorum parentes : e quibus S. Clotsendem de sacro fonte suscepisse S. Amandum circa annum* IↃCXL *diximus ad S. Adalbaldi Vitam* II *Februarii* § 4. *Hujus avia S. Gertrudis istic quoque vivebat, Hamaticensis monasterii fundatrix et Abbatissa, consilia S. Amandi in rebus suis constituendis usa. S. Autbertus anno* IↃCXLIII *Cameracensibus Episcopus datus, annos tres et triginta ei Sedi præfuit : cui fidelem operam navasse S. Amandum alibi ostensum.*

*S. Clotsendem de sacro fonte suscipit anno 640*

82 *Dagoberto Rege rebus humanis exempto* XIV *Kalendas Februarii anni* IↃCXLIV, *successit in Neustria et Burgundia Chlodoveus* II. *at S. Sigebertus Austrasiorum integrum adeptus est regnum. Eodem anno S. Florbertum utrique monasterio Gandensi præfecit Abbatem Amandus, ut ipse liberius apud utrumque Regem rem Ecclesiasticam coram promoveret, tum ut Elnone sæpius commorari posset, ac vicina monasteria vel erigere, vel fovere erecta. Fundum etiam, in quo Marchianense monasterium extrueretur, a S. Adalbaldo acceperat. Postquam autem* ecclesiam S. Petri in Blandinio constructam S. Florberto Abbati commiserat, Marchianensem *quoque*, in honore ejusdem beati Apostoli, in præfati Ducis Adalbaldi allodio conditam esse, *refertur in Chronico Marchianensi ; quod sub initium regni Chlodovei circa annum* DCXLV *et sequentem factum est.* Huic monasterio perficiendo et ornando, *teste Huchaldo in Vita S. Rictrudis*, idem Præsul Amandus discipulum suum præfecerat S. Jonatum venerabilem virum, *ordine monachorum colligendorum præscripto. Defuncto interim S. Achario Episcopo Noviomensi* XXVII *Novembris anni* IↃCXLV, *subrogatus est S. Eligius, atque anno* III *Chlodovei,* XIV *Maii, Dominica ante Rogationes sive Ascensionem Domini, anno Christi* DCXLVI, *cum S. Audoeno Episcopo Rotomagensi consecratus.*

*Chlodoveo II et Sigeberto regnantibus,*

*S. Florbertum facit Abbatem Gandensem, anno 644,*

B

*monasterium Marchianense extruit anno 645,*

83 *Q*[illegible] *eodem anno vita functus est S. Joannes Agnus Episcopus Trajectensis* XXV *Julii, qui dies sacro ejus cultui dicatus* [illegible] *de ejus electione hæc scribit Harigerus cap.* 39. Regnum Austrasiensis Franciæ Dagobertus adolescens administrabat. Lotharius pater ejus quatuor regnorum monarchiam solus regebat. Regia vero præcepta edicuntur, B. Joannem Trajectensem fore Episcopum a cunctis acclamatur : consentiunt omnes, universi lætantur : rapitur, inthronizatur. *Quod factum ante annum Chlotharii* XLII, *Christi* IↃCXXV, *quo* Dagobertus adolescens, *necdum ducta uxore Austrasiam tantum septentrionalem, in qua Trajectum, regebat. Annos Joannem minimum viginti eam Ecclesiam administrasse persuadet morientis senectus ab Harigero indicata :* B. Joannes, *inquit*, cursum vitæ præsentis explens, in bona senectute vita decessit. *Hujus S. Joannis Agni tempora innuit Sigebertus Gemblacensis in Vita S. Theodardi, de quo infra agemus, ubi tunc, antequam S. Amandus illum Episcopatum susceperit, ait*, Ecclesiam Trajectensem magna possessionem suarum quantitate fuisse mutilatam : *in eo scilicet Episcopi senio. In vulgata Chronologia Bucherii, Fiseni aliorumque S. Joannes Agnus dicitur sex tantum annos Episcopus fuisse, idque ab anno* IↃCXXXI *usque ad annum* IↃCXXXVII, *sed nulla addita ratione. At nostram epocham sequentia firmabunt. Mortuo ergo die* XXV *Junii anni* DCXLVI *Joanne Agno,* S. Amandus a Rege et Sacerdotibus coactus ad regendam Trajectensium Ecclesiam, Pontificalem suscepit Cathedram, *et* per triennium vicos et castra circumiens verbum Domini constanter omnibus prædicavit. *Hæc Baudemundus, quem Anonymus ex MS. Chesnæi ita explicat :* Tunc vir Dei Amandus a Rege coactus, et a Sacerdotibus jussus, et a populo electus, Trajectensium Ecclesiam regendam suscepit. Castra, vicos, villas circumiens, prædicando, arguendo, obsecrando, per triennium viam Dei populo demonstrabat, multique ad viam pœnitentiæ sunt conversi. *Harigerus etiam tradit*, ipsum suscepto pastorali officio, commissorum sibi sollicitudinem gerentem vicos et castra per triennium circumivisse, ac verbum vitæ annuntiasse. *Triennium illud, quo hanc Ecclesiam rexit S. Amandus, terminamus annis Christi* IↃCXLVII *et duobus sequentibus. Rex autem Austrasiorum Sigebertus, annos decem natus, ex suo erga S. Amandum Patrem spiritualem affectu, ejusque consiliis intimus S. Chunibertus, Episcopus Coloniensis urbis, ac Germaniæ* II, *in qua Trajectum erat metropolis; S. Modoaldus Episcopus Trevirensis, Amandi gentilis, ex eadem nempe oriundus Aquitania, frater S. Iduberga, de qua mox agemus; S. Autbertus Episcopus Cameracensis; quorum omnium diœceses Episcopatum Trajectensem circumcingunt aliique Sacerdotes persuaserunt, ut Trajectensem Cathedram susciperet.*

*S. Joanni Agno defuncto anno 646*

*sub Chlothario facto Episcopo Trajectensi,*

C

*substituitur S. Amandus,*

D

AUCTORE G. H.

*regit*

*per tres annos.*

84 *In hac diœcesi* B. Pipino *Duce* XXI *Februarii anno* IↃCXLVI humanis exempto, *S. Itta, sive Iduberga vidua, soror S. Modoaldi Episcopi Trevirensis,* secundum vitans matrimonium, a S. Amando Trajectensi Episcopo divinitus ad eam directo, sacrum velum sanctæque religionis habitum suscepit, *ut in Vita S. Modoaldi legitur* XII *Maii, imo ex domo* ejus consecravit monasterium Nivellense, *ut supra diximus ex Vita S. Gertrudis ; cui cellam consecravit etiam in* Monte-littoris, *jam Monte seu Berga S. Gertrudis dicto. Tum* Franciæ monarchiam Chlodoveo gubernante, *cum Sigeberto fratre,* degebat in Hasbania Bavo, *qui in conjugio* animum ad superna inflectebat, mundique deliciis spretis virtuti egregie studebat, et monachum vivebat laicus, *ut in ejus Vita refert Theodericus Abbas. Quod autem postea mortua uxore S. Amandum secutus fuerit, ut infra dicetur, innuit antea quoque ejus præceptionibus ad illa virtutis studia fuisse informatum. De Calfmontano S. Bavonis monasterio, alteroque ad Salam in eadem Trajectensi diœcesi a S. Amando extructo supra actum. Præfectus ab eodem* Marchianensi cœnobio S. Jonatus Abbas, *loco monachorum*, sanctimoniales, prout sibi visum fuerat, aggregavit, *occupato tunc sui Episcopatus Trajectensis administratione S. Amando, a quo Elnonensibus tum datum fuisse Ursum Abbatem tradit Buzelinus lib.* 2 *Annalium Gallo-Flandriæ. Quæ omnia confirmant impensos hoc triennio labores Hasbanis, Taxandris ceterisque diœcesis Trajectensis populis. Eam autem Ecclesiam ac diœcesin ne prius existimetur gubernasse, faciunt quæ plurima ante ad Scaldim Scarpamque fluvios, ut diximus, gesta ab eo præclare. Bucherius, Fiseni aliique præfuisse Amandum Ecclesiæ Trajectensi, vel ut loqui malunt, Tungrensi, annis* IↃCXXXVIII *et duobus sequentibus tradunt.*

*consecrat monasterium Nivellense,*

E

*S. Bavonem instruit,*

*S. Jonato Marchianensium, Urso Elnonensium, tunc Abbatibus.*

F

85 *Verum, quod præcipuum statutæ hactenus Chronologiæ robur est ac præsidium, quo tempore Ecclesiam Trajectensem administrabat Amandus, Ecclesiæ universæ præfuit* S. Martinus Papa, Roma *per* Theodorum Calliopam *avectus, ut ipse epistola* XV *testatur,* feria quarta XIII Kalendas Julias. *Imo præcedentem* Dominicum diem *ait convenisse in* XVI Kalendas Julias, *ergo anno Christi* IↃCLIII, *cyclo Solis* XVIII, *littera Dominicali F. Ante quod tempus, teste Anastasio Bibliothecario, viro in Actis ejusdem indagandis studioso, rexerat Ecclesiam annos sex, creatus anno Christi* DCXLVII. *Ab hoc Pontifice S. Amandum epistola missa petiisse onere Episcopatus Trajectensis liberari, constat ex ipsius Martini ad eum responso. Quæ epistola Actis Concilii Lateranensis, anno Constantis Imperatoris* VIII, *die* III *Nonas Octobris, Indictione* VIII, *(ergo anno* DCXLIX) *habiti subjuncta est, editaque a Philippo Abbate infra in Vita cap.* 5. Ex relatione, *inquit S. Martinus,*

*A S. Martino Papa,*

*anno 647 electo,*

*petit liberari onere Episcopatus Trajectensis an. 649,*

*AUCTORE G. H.*

A nus, juxta tenorem tuæ Fraternitatis epistolæ, præsentium latoris, laborum tuorum certamen cognovimus. Suggestum est namque nobis, eo quod Presbyteri seu Diaconi, aliique sacerdotalis officii, post suas ordinationes in lapsu coinquinantur : et propterea nimio mœrore Fraternitatem tuam adstringi, velleque pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, et vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, *etc. Quæ Baudemundus paucis his verbis expressit:* Multi etiam, quod dictu nefas est, Sacerdotes atque Levitæ prædicationem illius respuentes, audire contempserunt. *Eadem narrant Auctor Aquitanus, Harigerus, Milo, cujus hi sunt versus :*

*ob Cleri inobedientiam.*

Triste nefas, qui debuerant agnoscere primi,
Ac verbum Domini plebi monstrare sequendum,
Ecclesiæ gradibus prælati rite Ministri,
Rejiciunt, spernunt, contemnunt, despiciuntque,
Postponunt pelluntque probum per probra Pa-[tronum,
Quo sibi nil lucri, sed maxima damna tulere.

*Tempore Dagoberti nec S. Martinus Papa sedit nec Trajecti S. Amandus:*

86 *Plura ista huc congerimus, quo clarius liqueat de eodem tempore agere et S. Martinum Papam, et hos Vitæ S. Amandi scriptores ; ac perperam hæc transferri ab Harigero et Philippo ad regnum Dagoberti aliquot ante annis vita functi, ad cujus tamen regnum,* B *unde aberrandi occasio data est, S. Martini Pontificatum retulit Hucbaldus* XXX *Januarii cap.* 1 *Vitæ S. Aldegundis : at magis a vero abreptus Chronographus Blandiniensis apud Sanderum* annum V Pontificatus S. Martini *enormi mendo conjecit in* annum Christi ᴅᴄx, regni Dagoberti XIV. *Decepti forsan fuere hi auctores, usitata Baudemundo transitionum formula, qua indicato S. Sigeberti baptismo pergit :* His ita gestis, adveniente obitus sui die, Trajectensium Episcopus feliciter migravit ad Christum. *Verum idem Baudemundus regnum Childerici, quod* XIX *annis ab obitu Dagoberti distat, mox Episcopatui Trajectensi annectit, his solum tribus interpositis connexionum formulis,* Hæc multo post, his ita peractis, *et eodem fere tempore* vir sanctus Domini Amandus Childericum adiit Regem : *neque ulla expressa temporis mora, sed his solum positis verbis,* aliquantis diebus. *An ergo etiam sub Childerico Rege Trajectensem Ecclesiam rexisse Amandum dicemus? Sed his obiter indicatis ad epistolam S. Martini Papæ redeamus, in qua de Sigeberto Rege, non Dagoberto, hæc præscribit S. Amando :* Sigebertum præcellentissimum filium nostrum, Regem Francorum pro suæ Christianitatis remedio consultissime C admoneo, atque precare, dirigere nobis ex corpore Fratrum nostrorum dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicæ legatione fungi debeant. *Misit una S. Martinus Acta Synodi Romanæ cum epistola encyclica, ut ab Episcopis regni Sigeberti congregata Synodo confirmarentur ; quod etiam cum egisse apud Chlodoveum fratrem ejus liquet ex Vita S. Eligii, in qua dicitur* S. Martinus Papa fidem omnibus orthodoxis consentientibus contra hæreticos in Concilio editam cum subjuncta epistola Galliarum partibus destinasse, mandans et obtestans Regem Francorum *Chlodoveum*, ut viros eruditos Catholicos sibi adminiculum ob hæresim comprimendam faceret destinari : ubi tum Eligius cum sodali *Audoeno* libentissime perrexisset, nisi ei quædam caussa impedimento fuisset. *Ita Audoenus in Vita S. Eligii. Eadem fere leguntur in Vita S. Audoeni* XXIV *Augusti.*

*sed Sigeberti R. Austras.ꝛ,*

*et Chlodovei R. Neustriæ.*

## § XII. *S. Amandi tertium iter Romanum. Datus ei successor, non S. Landoaldus, sed S. Remaclus.*

*S. Amandus relicto Trajecto,*

**H**ac *usus occasione S. Amandus, dum Sigeberto Regi indicaret sanctissimi Papæ voluntatem, una ab eodem Romam eundi impetravit facultatem. Tum* ab introitus sui tempore *(verba sunt Philippi num.* 51*)* triennio D taliter evoluto, cum suam prorsus circa eos *(diœcesanos)* videret operam profligari, recessit ab eis ; privatus eligens habitare in domo Dei, quam inter transgressores titulo dignitatis excellere. *Et, ut refert Baudemundus,* pulverem de pedibus excutiens, ad alia properabat loca. *Quæ etiam in poemate expressit Milo. Tunc* beatus Confessor Amandus *(verba sunt Raineri in Vita S. Gisleni)* amabilis Deo et hominibus, quem... per triennium fere invitum tenuit Trajectensis Episcopatus, cum de eodem Episcopio reverteretur, zelo Dei, ut quondam Elias zelatus, contigit, ut visitandi et consolandi gratia adiret locum, quem incolebat S. Gislenus. A quo vir sanctus cum honorifice esset susceptus, more solito mentes fidelium, qui aderant, recreabat documentis salutaribus, inflammans eas igne Spiritus sancti. Qui imbuti pabulo sanæ doctrinæ, et accensi geminæ dilectionis ardore, ditati insuper cœlesti benedictione deducunt sanctum Episcopum tendentem ad Elnone. *Ac interposita narratione piscis e fluvio prosilientis, ac prandii sumpti, pergit :* His ita peractis, miraculorum patrator Amandus, Elnonenses Fratres revisit.

*invisit S. Gislenum:*

88 *Consentit Chronicon Elnonense apud Buzelinum lib.* 1 *Gallo-Flandriæ cap.* 45, *his verbis :* Jonatum E Marchianis instituerat B. Amandus primum Abbatem. Verum cum Episcopalem curam renuntiasset, et limina Apostolorum pro tertia vice, adjunctis sibi SS. Humberto de Maricolis et Nicasio Elnonensi monacho et discipulo, petere decrevisset, prædicto Jonato Marchianensi Elnonense cœnobium similiter duxit commendandum. *Quæ in Actis S. Humberti* XXV *Martii ita confirmantur :* Cum Humbertus, *inquit auctor,* ad quemdam locum suæ ditionis pervenisset, supervenit ibi S. Amandus Episcopus cum venerabili viro Nicasio, qui peregrinationis gratia ad Apostolorum limina pergebant. Cum ergo a B. Humberto hospitio recepti et consolati fuissent, ipse S. Humbertus eadem devotionis gratia peregrinationem cum ipsis accepit. *Hæc ibi, quæ anno* ᴅᴄʟ *facta sunt.*

*præficit S. Jonatum Elnonensibus : assumptis Nicasio Elnonensi,*

*et S. Humberto Abb. Maricolensi,*

*Romam an. 650 proficiscitur :*

89 *Romæ aliquamdiu morati sunt, ut codices, quos ante a S. Martino Papa sibi mitti petierat Amandus, majore otio sibi suisque monasteriis procuraret. Istic etiam traditur immunitatem aliaque privilegia Elnonensi monasterio impetrasse, diplomate mense Januario signato, manuque Amandi Episcopi, bibliothecarii sanctæ Sedis Apostolicæ subscripto; anno igitur* ᴅᴄʟɪ. *Ex altero S. Martini diplomate, quod sibi tum Blandinienses indultum volunt, constat S. Florbertum illorum* F *Abbatem ab Amando constitutum anno, ut diximus,* ᴅᴄxʟɪv, *adhuc eo tempore superstitem floruisse, quem Chronographus Blandiniensis Abbatem anno* ᴅᴄxvɪɪɪ *ordinatum tradit, diemque extremum anno* ᴅᴄxxxɪx *obiisse.*

*privilegia a S. Martino Papa impetrat Januario an. 651.*

90 *De reditu S. Amandi ita scribit Notgerus Episcopus Leodiensis in Vita S. Landoaldi* XIX *Martii :* Romam, *inquit,* deliberavit S. Amandus iterato adire. Romanum universalem Pontificatum Martinus Papa tum administrabat. Cui B. Amandus votum, cujus obtentu venerat, exprompsit : qui, ut sibi ad id opus peragendum suppetiæ mitterentur, poposcit. Destinati sunt ei plures, quorum nomina exciderunt, adjutores ; inter quos S. Landoaldus Archipresbyter, Amantius Diaconus, quos etiam comitatæ sunt sanctæ Virgines Vinciana et Adeltrudis cum aliis viris et mulieribus septem. *Ita Notgerus, qui hæc ad regnum Dagoberti transfert :* Per idem fere tempus, *inquit,* B. Joannes Tungrensium et Trajectensium feliciter regens Pontificatum, mortem occubuit. Dagobertus Rex, qui patre defuncto *anno Christi* ᴅᴄxxvɪɪɪ, rerum potitus auspicabiliter successerat, B. Amandum evocavit, Trajectensium Cathedræ præsidere fecit. *Ac mox indicata ejus post triennium,*

*Secum inde ducit S. Landoaldum,*

*cum aliis,*

*male Vicarium Sedis vacantis Trajectensis existimatum a Notgero,*

A *triennium inde migratione, addit :* Incompertum est deinde, quanta temporis intercapedine plebs Trajectensium fuerit usque ad B. Remaclum sine pastorali benedictione, nisi quia fama ad nos usque perferente *(post CCCL annos)* accepimus B. Landoaldum illic remansisse, et per novem annos vices Pontificis administrasse. Cui opinioni illud nos facile facit accedere, quod refertur idem B. Landoaldus specialem Patronum nostrum, Sanctum scilicet Lambertum prima pueritia nutrivisse. *Idem Notgerus, sui non satis memor, ita scribit in Vita S. Remacli* iii *Septembris :* Incompertum deinde est, quanta temporis intercapedine plebs Trajectensium fuerit sine Pastore : donec Sigebertum pater Regem Austrasiis *anno* IↃCXXXVIII præfecit, et in Mediomatricum urbe sedem habere instituit. Cui plebs Trajectensium cum electione communi Sacerdotum, cum frequentia et audientia Magnatum, cum vociferatione etiam et acclamatione omnium ordinum obtulit tale precum suarum votum, neminem sibi debere nisi Beatum præesse Remaclum, etc. *Quæ iisdem fere verbis repetit idem Notgerus in Vita S. Hadelini* iii *Februarii cap.* 1, *ubique conjungens Papatum S. Martini, cum regno Dagoberti : ut mirum non sit Harigerum Abbatem, qui suam Histo-* B *riam collato cum eo studio concinnavit, ab eodem Rege Dagoberto referre, S. Amando Episcopatum esse collatum.*

*Theoderico Abbate,*

91 *Non defuerunt deinde, qui Notgerum imitati, novem annos Ecclesiæ Trajectensi S. Landoaldum præfuisse vellent : inter quos Theodericus Abbas, integro seculo Notgero junior, in Vita S. Bavonis hæc refert :* Sanctum Papam Martinum adiit Amandus... animatur datis suppetiis, venerabili Archipresbytero Landoaldo, et Amantio Diacono. Emensis igitur Alpibus Galliam ingressi sunt : cumque videret Amandus messem quidem multam, operarios vero paucos, Landoaldum Trajecti reliquit, ubi et per novem annos vices Pontificis (nam Joannes Episcopus nuperrime obierat) administravit usque ad tempus S. Remacli. *Ita. Theodericus alios errores congerens, quasi Joanni, non Amando Episcopo, successisset Vicarius Landoaldus. Similia habet Gemblacensis in Vita S. Theodardi Episcopi Trajectensis, Renerus et Nicolaus in Vita S. Lamberti, Ægidius cap.* 49 *ad Harigerum : quos sequuntur Bucherius, Fisen et alii : adduntque,* Landoaldo S. Lambertum studio litterarum initiandum, a patre commissum fuisse. *Cujus institutionis non meminere Godeschalcus Diaconus et Ste-* C *phanus Episcopus Leodiensis auctores præcipui Vitæ S. Lamberti, Nicolao et Renero multo antiquiores : quorum ille refert cap.* 1 traditum eum a prima fere ætate viris sapientibus et historicis, sacris litteris edocendum : *at* pueritiæ annos excedentem, commendatum esse Theodardo Episcopo Trajectensi, *anno* IↃCLX *ordinato,* divinis dogmatibus et monasticis disciplinis erudiendum : postquam autem ipse adolescens per doctrinam Theodardi sapiens effectus est; virtute adultum... tam cum Pontifice, quam in domo regia militare cœpisse. *Hæc Godeschalcus, quibus similia memorat Stephanus Episcopus. Unde constat non videri ante annum* IↃCL *natum esse S. Lambertum, potuisseque inter viros sapientes, quorum disciplinæ puer commissus fuit, numerari Landoaldum a S. Martino Papa in Belgium socium adjutoremque S. Amandi missum. Non tamen continuo probamus, quod post Ægidium censent Bucherius in tabulis Chronologicis, et Fisen lib. 4 Historiæ Leodiensis cap.* 1, *et in Vita S. Lamberti cap.* 4 *hunc annum* ætatis XXI *agentem* inauguratum esse Episcopum : *quod infra docebimus non ante annum* IↃCLXXVII *factum fuisse.*

*alitsque*

*an instituerit Landoaldus S. Lambertum puerum,*

*natum circa annum 650?*

*S. Remaclus ante Episcopus,*

92 *Quid interim Episcopatu Trajectensi, cum inde abiret S. Amandus, factum fuerit, silent Baudemundus et Milo. Aderat eo tempore* in palatio S. Sigeberti Regis Remaclus, infulas Sacerdotales adeptus, ut D præsulatus officium gerens omnibus in necessitate sua subveniret : *uti testatur monachus Stabulensis in libello Vitæ ejus, quem Notgerus integro seculo junior,* quod brevius, quam ut res postularet, conscriptus esset, se extendisse *fatetur in Præfatione Vitæ a se editæ, in qua diximus nullam Episcopatus Trajectensis a S. Landoaldo per annos novem administrati fieri mentionem. Hic ergo* vir Dei S. Remaclus, *ut in ejus Vita dicti auctores referunt,* subrogatur *S. Amando,* ordinante Dei providentia, et rogante Regem plebe, Clero, senatuque Trajectensi : *ipso etiam, ut verisimile est,* S. Amando *Regi persuadente, ut eam dignitatem illi imponeret, et S. Remaclum hortante, ut suscipere dignaretur : se Romæ, ut Martinus Papa rata esse omnia velit, effecturum. Suffectus ergo S. Amando Remaclus anno* IↃCL, *sedit annos circiter decem, quos exprimi in Chronico MS. cœnobii Trudonensis, planeque supponi in Vita S. Trudonis* XXIII *Novemb. a Theoderico Abbate illius monasterii supra memorata conscripta, demonstravimus ad Vitam S. Sigeberti Regis* § X, *occasione monasteriorum Stabulensis et Malmundarii ab hoc Rege anno* VI *Episcopatus S. Remacli, Christi* IↃCLV *extructorum, et triennio post ab eo adhuc Episcopo Trajectensi dedicatorum, ut mirum sit a Buche-* E *rio, Fiseno, aliisque annos illi tres quatuorve solum attribui. Ejus quandoque apud Regem fortasse procul a diœcesi agentis, aut cæteroqui monasteriorum illorum ædificatione occupati vices supplere potuit S. Landoaldus, si novem annis, ut traditur, Trajecti sub ejus Episcopatu Archipresbyter vixit.*

*AUCTORE G. H.*

*succedit S. Amando Trajecti*

*anno 650,*

*regit eam Ecclesiam 10 annis :*

## § XIII. *Res a S. Amando præclare gestæ ab anno* DCLI *ad* DCLXIV.

In *Belgium redux anno* IↃCLI *S. Amandus, et satis vegeto corpore, annos solum* LVII *natus, non, ut plures alii statuunt,* LXXX; *et ad rerum maximarum molitionem egregio præditus animi robore; S. Landoaldo Trajecti relicto, monasteria ante extructa, potissimum Gandensia, revisit :* cujus fama longe lateque diffusa, S. Allowinus, *Bavo dictus,* Gandam venit *(verba sunt Theoderici in ejus Vita)* Amandum invenit, Clericum ait se esse velle. Gavisus Amandus, ubi videt eum nihil cunctari, sed ad omnia sustinenda paratissimi esse animi, gratias agens Deo, quasi carissimum amplexatus filium, induxit in Dominici scholam servitii, atque in ecclesia Gandensi ante aram B. Petri Apostoli, militiam Christi professum, barba et ca- F pillo tonsum, assumit in Clericatum : qui, quocumque divini sator germinis ibat Amandus, illuc studens subsequi, et indivisibiliter adhærens Magistri lateri, ardebat sanctæ prædicationis adipe repleri. *Imo* consensu sui Amandi, et loca Sanctorum et vicinos cœnobitas accingitur circuire, si forte contingeret aliquid ante inexpertum vel intentatum investigare, ad quod agendum merito se animare deberet. *Quo tempore etiam sibi* familiarem *fecit* Domlinum Thurholtensis Ecclesiæ Presbyterum.

*S. Amandus Roma reversus an. 651,*

*S. Bavonem Clericum ordinat,*

94 *S. Adalbaldum, itinere in Vasconiam arrepto, insidiis consanguinearum S. Rictrudis uxoris, anno* IↃCLII *in agro Petragorico interemptum fuisse diximus* II *Februarii. Qua occasione, forte adhuc eodem anno labente,* S. Rictrudis, *uti, tradit Hucbaldus in ejus Vita,* init cum philochristis sibi familiaribus, maximeque cum Amando sanctissimo Dei Pontifice et capit consilium salubre. Cui ille verus consultor proposuit *vitam monasticam.* Usa *ergo* consilio sui Symmistæ, Deiferi scilicet Amandi, ad opiparum convivium Regem cum Optimatibus invitat, et inter prandendum secundum salubre sui Consiliatoris Amandi inclyti Præsulis consilium, ex sinu suo prolatum capiti superponit jam benedictum ab eodem Pontifice velum,

*S. Adalbaldo anno 652 occiso,*

*S. Rictrudi suadet castitatem,*

AUCTORE G. H.

*ac vitam monasticam,*

A velum, et locum, ubi spiritualibus daret operam exercitiis, cum consilio et auxilio sæpe dicti Præsulis, qui eidem erat a secretis, elegit valde congruum; monasterium scilicet Martianas vocatum, quod ab eodem Pontifice super fluvium Scarp fuerat constructum. Rictrudis post professam Deo viduitatis continentiam, et post sumptum sanctimonialis habitus indumentum, tres quoque filias uni despondit Christo in ætate adhuc teneræ. *Ex quibus S. Adalsendis in juventute diem extremum obiit* XXIV *Decembris. S. Eusebia annos nata duodecim, circiter annum Christi* IↃCLVII, *post obitum proaviæ S. Gertrudis monasterii Hamatici facta Abbatissa, colitur* XVI *Martii. S. Clotsendis vero matri in regimine monasterii subrogata, habet suo dicatum cultui* XXX *Junii.*

*assumptam ab ea et tribus filiabus:*

95 *Interea, ut tradit Rainerus in Vita S. Gisleni,* cum *Cellæ* oratorium esset fideliter peractum, deprecatione *ejusdem* B. Gisleni a sanctissimis Christi Episcopis Autberto *Cameracensi* atque Amando, cum maximo Cleri plebisque tripudio, *sub annum Christi, quantum colligimus,* IↃCLIII, in honore Apostolorum, Ecclesiastico more decentissime est dedicatum. *Ibi* populo pasto prædicatione, nec non corroborato in fide, donato insuper Episcopali benedictione, quidam Comes nobilis, nomine Madalgerus, *(qui S. Vincentius est)* prædicantibus Episcopis, Divina inspiratione compunctus, fallaci mundo renuntiato, capite est tonsus, præfati Cameracensis Episcopi manibus, ac quia crucem Domini tollendo, vestigiaque illius sequendo, mundo volebat esse mortuus, in Altomonte *(quod cœnobium tunc extruxerat)* sub regulari habitu est reclusus. *Cujus* uxor S. Waldetrudis *marito consentiens,* cum in seculari habitu *aliquamdiu* caste degisset, proles et prædia strenue gubernans, S. Gisleno exhortante Cameracum maturavit adire, atque benedicente S. Autberto Pontifice, sacro induta est velamine, omnibus norma salutis et speculum sanctitatis *facta, monasterium Castrilocense, quod est Montibus Hannoniæ, extruxit. Nec solum adfuit S. Amandus Autberto Episcopo Cameracensi, eumque juvit in variis supra indicatis monasteriis ædificandis, sed etiam sæpius adiit S. Eligium Episcopum Noviomensem, a quo ait S. Audoenus* Flandrenses atque Andoverpenses, Frisones quoque, et Suevos, et barbaros quosque circa littora maris degentes, quos velut in extremis remotos, nullus adhuc vomer prædicationis impresserat, magna parte populi relictis idolis ad verum Deum conversos esse Christoque subjectos. *Quarum rerum nonnullæ Sancti quidem Eligii auspiciis, ab Amando tamen gestæ, in illius diœcesi, videntur.*

*oratorium S. Gisleni circa an. 653 consecrat:*

B

*S. Vincentium Comitem ad vitam monasticam inducit;*

*imitante maritum S. Waldetrude:*

*laborat in diœcesi Cameracensi et Tornacensi:*

C

96 S. Bavo *post vitam aliquamdiu solitariam, ac sub S. Florberto monasticam actam,* accersito sancto Pontifice Amando et venerabili Abbate Floreberto, integram corpusculi reclusionem obsecrat, ac vix aliquando impetrat; recluditurque manibus sancti Pontificis V Idus Novembris, *anno Christi* IↃCLV; *a qua reclusione nondum biennio elapso,* die primo Kalendarum Octobris *anno* IↃCLVII, Angelorum præsentia delectatus, spiritum exhalavit, a S. Amando *dein* sepultus: *et quidem secundum Chronicon Bavonianum,* anno Abbatis Floreberti XIII: *cujus initium retulimus ad annum* IↃCXLIV. *Aliter sentiunt de hisce annis Christi appositis et Theodericus Abbas in Vita S. Bavonis, et auctor Chronici Baroniani, qui plurimorum jam sæpius indicatum errorem secuti,* Florebertum *tradunt* Abbatem anno IↃCXVIII constitutum a S. Amando *(quem tum apud Bituriges inclusum vixisse supra ostendimus) et S.* Bavonem anno IↃCXXIX inclusum, *atque* anno IↃCXXXI sancte mortuum: *et quidem* Martino universalem administrante Pontificatum, *quem post sedecim demum annos suscepit. Sed plura magisque enormia alibi menda. Nam dicitur* Bavo uxorem duxisse Chlodoveo Franciæ monarchiam gubernante; *cum numquam integram tenuerit, sed solius Neustriæ imperium adeptus sit, et quidem puer adhuc, an.* IↃCXLVI *a morte Dagoberti patris. Deinde uxore mortua,* Gandavum usque S. Amandum quæsivit *Bavo,* Roma reversum, acceptum a S. Martino Papa sociis Landoaldo aliisque. *Præterea* apparuit felix anima S. Bavonis, in ipsa exitus sui hora, longe manenti in monasterio Nivellensi, sanctæ Virgini Gertrudi, ut mitteret linteamina condendo funeri necessaria. *Ita Theodericus, qui tamen* annum obitus S. Bavonis *adstruit* sexcentesimum trigesimum primum; *quo nata est S. Gertrudis, quæ B. Pipino patre anno* IↃCXLVI, *moriente adolescebat, ac quatuordecim erat annorum; igitur quando mortuus est Bavo secundum calculum nostrum anno* IↃCLVII, *pertigerat ad annum ipsa ætatis* XXVI, *tandemque* XVII *Martii anno Christi* IↃCLXIV *ætatis suæ* XXXIII *pie decessit. Consobrinos fuisse SS. Bavonem et Gertrudem tradit Othelboldus, anno* CIↃXIX *creatus S. Bavonis apud Gandenses Abbas, in epistola ad Otgivam Flandriæ Comitissam, Balduini Barbati conjugem, edita a Miræo in Notitia Belgica cap. 82, ubi meminit libri Vitæ S. Bavonis, quam dolemus modo non extare; nisi a Theoderico Abbate S. Trudonis multo juniore non recte annis Christi adjunctis interpolatam.* Bavone egregio Christi Confessore recentina morte in Domino pausante, atque a B. Amando et Abbate Florberto condigno honore humato, miraculisque coruscante, venit ad monasterium Gandense S. Livinus, et accipiens ab officio monasterii sumptus, qui in itinere necessarii sunt, profectus est et in terram properavit, Deo disponente, Brabantiam, *ubi* apud Escham vicum multis plagis irrogatis decapitatus est pridie Idus Novembris, *uti testatur in ejus Vita S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus. Annus martyrii ejus celebris est* IↃCLIX, *biennio secundum Chronicon Gandense post obitum S. Bavonis elapso.*

*S. Bavonem anno 655 includit:*

*mortuum sepelit anno 657,*

*non 631*

D

*pro funere linteamina mittit S. Gertrudis*

*nata an. 631,*

*mortua an. 664.*

*ejus consobrina*

E

*S. Livinus martyrio coronatur anno 659,*

97 *Sæpius S. Amandum visendorum Antverpientium ac fidem Christi docendorum caussa, in castrum, sive oppidum, Antverpiam venisse non dubitamus; sed ad hæc tempora, tertium nempe ab obitu S. Bavonis annum referimus ecclesiæ istic in honorem SS. Petri et Pauli extructæ dedicationem, ad annum scilicet Christi* IↃCLX, *quo S. Eligius* XIV *Episcopatus sui annum explebat. Eodem tempore cum S. Livino aliisque viris Apostolicis in Belgium venit fortassis S. Fredegandus ab S. Amando Durnensi monasterio, ut supra diximus, præfectus. Callonis a S. Amando post Trajectenses abdicatas infulas, verbum Dei prædicatum esse tradunt Baudemundus Milo aliique: postremis nimirum, quos jam retulimus, annis. Inter discipulos S. Livini numeratur S. Foillanus Martyr, a quo, fratreque ejus Ultano monasterium Fossense, Sabim inter et Mosam, in villa S. Gertrudis hæreditaria, extructum esse supra diximus. Eodem quoque forsan tempore Tronchiani, Ardenburgi, Cortraci condita, quæ antea retulimus, ab S. Amando monasteria, quorum ecclesiæ traduntur a S. Eligio consecratæ.*

*S. Amandus dedicat Ecclesiam Antverpiensem circa an. 660,*

F

*extruit monasteria*

98 *Extructis monasteriis Altimontensi a S. Vincentio, et Montensi ab ejus conjuge S. Waldetrude, S. Aldegundis, hujus soror, Bertiliæ matris, nuptias suadentis, illecebras aspernata, a sorore ad monasterium suum evocata est, ibique proposito servandæ virginitatis confirmato. Inde postea ad SS. Amandum et Autbertum, quos ad Altimontense monasterium venisse intellexerat, profecta, susceptoque ab iis sacræ religionis velamine in sponsam Christi sacrata, Malbodiense monasterium construxit. Quæ Regibus Chlodoveo et Sigeberto fratre adhuc regnantibus contigisse videntur. Chlodoveo post annos regni octodecim, anno Christi* IↃCLXII *vita functo, Chlotharius filius primogenitus, ejus nominis* III *substitutus, per annos circiter quatuordecim apud Neustrasios Burgundionesque*

*S. Aldegundem Christo consecrat circa annum 661.*

A *Burgundionesque regnavit : uti demonstratum est ad Vitam S. Sigeberti Regis Austrasiorum, qui et ipse anno* DCLXIII *piissime mortuus est. Intrusus inde in solium fertur Childebertus, filius Grimoaldi fratris S. Gertrudis : eo expulso, adscitus ad sceptrum Childericus, alter Chlodovei* II *filius, qui ad obitum usque fratris Chlotharii solis Austrasiis imperavit.*

*mortuo anno 664 S. Floberto,*

99 *Chlothario* III *regnante, mortuus est S. Flobertus monasteriorum Gandensium Abbas, anno regiminis* XXI, *Christi* DCLXIV, *Kalendis Novembris. Substituti sunt in monasterio S. Bavonis Aldebertus, apud Blandinienses Joannes, qui ambo testamento S. Amandi subscripserunt. Chronologiam statutam egregie confirmant Acta Joannis ex archivo Blandiniensi a Sandero edita. Ibi* Joannes vas Domini electum, mundum, sanctum, temporibus Chlotarii Regis junioris in hoc tabernaculo Dei custos vasorum Dei efficitur, a S. Amando Abbas Blandiniensibus præpositus : *cui* obtulit munus omni sanctitate plenum, id est phylacterium, quod a S. Martino Papa impetraverat, et cucullam omni veneratione dignam, qua ipse pro Pontificali cultu et honore indui solitus erat, cum ad divina mysteria celebranda sese præsentaret : et pedum pastorale incurvum, quod tempore deambu-

*Abbates creat Aldebertum S. Bavonis, Joannem Blandiniensium,*

*et huic varia donat.*

B lationis sive peregrinationis suæ portabat. *Quorum aliqua tunc forsan donata, cum S. Amandi testamento Joannes subscripsit.* Cœpit tunc temporis, *pergit Auctor,* Gandensis pagi territorium, quod primo Apostolicus Pater Amandus, velut cœlestis agricola excoluit, et vomere verbi divini exaravit, sub sanctissimo Patre atque successore suo Joanne ramos germinis expandere, et fructus vitæ perpetuæ facere. *Hæc ibi. Sub Chlothario* III *mortuus etiam est S. Eligius Kalendis Decemb. anno circiter* DCLXV. *Et in Cathedram Noviomensem subrogatus S. Mummolenus : qui et ipse testamento S. Amandi subscripsit.*

*S. Eligio subrogatur S. Mommolenus an. 665*

## § XIV. *Chronologica distributio rerum ab S. Amando summa jam senectute gestarum; ab anno nimirum Christi* DCLIV *ad* DCLXXXIII; *ætatis ipsius* LXXXVIII. *Tempus Episcopatus SS. Theodardi, Lamberti, Huberti.*

*Amandus annos natus septuaginta, auctoritate longaque prudentiæ et sanctitatis fama celebris, tota Gallia peragrata, Vascones sub Pyreneis montibus habitantes iterum adiit, sive rogatu S. Rictrudis, ut corpus S. Adalbaldi, aliquot annis ante in agro Petragorico interempti, Elnonem ad suum monasterium, ubi dein sepultum fuit, adveheret (quod ad hujus Vitam insinuavimus nobis non improbari) sive ut quos olim tempore exilii Vascones cœperat instruere, jam fidei morumque doctrina perpoliret. Verum* illis in cæcitate permanentibus, *teste Baudemundo,* ad alia demigravit loca : *atque in itinere, cæcus aqua, qua manus Antistes abluerat, aspersus, visum illius meritis recepit. Ad fines deinde Francorum venit, monasteriumque extruxit, ut supra conjectavimus in agro Borbonio, sub Bituricensi diœcesi, ubi etiamnum oppidum S. Amandi nomine extat. Quo* eodem tempore, *secundum Baudemundum,* in loco Nanto, *apud Rutenos* a Rege Childerico donato, *cœnobium condidit, passusque multas injurias ab Ucetiensi Episcopo, singulari Dei favore innoxius evasit. Ab eodem Rege Childerico anno regni* II *Kalendis Augusti, anno Chr.* DCLXVI *impetravit Barisiacum in Laudunensi agro, ubi extructæ cellulæ præfecit Andream, ut supra diximus. Ad Belgica sua monasteria fere rediit, sub annum Christi* DCLXVII, *quo Atrebati corpus S. Vedasti ex templo S. Mariæ Cathedrali ad oratorium suburbanum, quo loco nunc in altera civitate monasterium S. Vedasti visitur, a SS. Autberto et Audomaro solemni pompa translatum est : cui translationi forte S. Amandus, ut supra ostendimus, videtur interfuisse, sed ejus*

*Ab anno 665 S. Amandus Vascones instruit :*

C

*monasterium ædificat, an in agro Borbonio?*

*aliud Nanto apud Rutenos :*

*aliud Barisiaci an. 666.*

*an anno 667 translationi S. Vedasti adfuerit?*

D *nomine expuncto, quidam, rati eum aliquot annis ante mortuum, S. Lambertum substituerunt, decennio integro prius quam hic Episcopus fieret. Ita adfuit S. Amandus eidem Autberto oratorium S. Vedasti in Alto-monte consecranti ; quando sacrum velum istic S. Aldegundi collatum.*

AUCTORE G. H.

101 *Elnonense monasterium in silva extructum, ac procul ab hominum turba semotum, præcipue adamavit S. Amandus, ibique sedem senectutis suæ, ac sepulturam elegit. Inde tamen ad constituta a se monasteria visitanda, aut nova erigenda ad finem usque vitæ alio identidem profectus est : ideoque fere nonagenarius in suo postea testamento cavit, ut,* si in itinere, aut ubi finis vitæ pervenisset, Fratres vel Abba de ipso monasterio licentiam haberent, corpusculum *eo* revocandi. *Inde rogatu S. Rictrudis ad Marchianense monasterium profectus, vidit* caput S. Mauronti *ejus filii* apibus cingi, *qui ab eo* decisa coma in Clericum attonsus, *dein* Levita factus, Regia honoratus est bulla. Notarius regalium præceptorum conscribens edicta : *ut tradunt Hucbaldus in Vita S. Rictrudis et Philippus infra num. 37. Colitur S. Maurontus V Maii. Itinere ad Bellovacos instituto, cæcam istic illuminatum esse inter postrema S. Amandi gesta recensent Baudemundus, Milo aliique. Chlotario* III *anno* DCLXXVI *mortuo successit*

*Elnone degit.*

*S. Maurontum Clericum ordinat.*

E *primum Theodericus tertius fratrum, eoque mox pulso monarchiam Francorum adeptus est Childericus, postquam annos* XII *apud solos Austrasios regnasset. Mortuo etiam anno* DCLXXV *die* XIII *Decembris S. Auberto Episcopo Cameracensi subrogatus est anno* DCLXXVI *S. Vindicianus, qui testamento S. Amandi etiam subscripsit.*

*S. Autberto succedit S. Vindicianus an. 676.*

102 *Præerat hactenus Ecclesiæ Trajectensi S. Theodardus Episcopus ab anno Christi* DCLX *usque ad annum* DCLXXVI, *quo apud Nemetes* X *Septembris interemptus, martyrii lauream obtinuit. Bucherius in Tabulis Chronologicis, Fisenus lib. 3 Historiæ Leodiensis et in Vita ejusdem, aliique eorum Chronologiam secuti, ejus Episcopatum biennio circumscribunt, quasi S. Remaclo Stabuletum anno* DCLIII *secedenti suffectus, et anno* DCLV *martyrio foret coronatus. Extat illustre diploma* Childerici Regis Austrasiorum, *signatum* Trajecti VI Septemb. anno regni VIII, *Christi* DCLXXII, *in quo Rex confirmat monasteriis Stabuleto et Malmundario collatas a S. Sigeberto patruo varias possessiones.* Unde, *inquit Rex,* jussimus pro hac re Domino et Patri nostro Theodardo Episcopo, vel illustri viro Hodoni Domestico, cum forestariis nostris, ipsa loca mensurare et designare per loca denominata, *etc. Integrum diploma alibi dedimus, cui Regina Bilichildis Childerici conjux et ipsa subscripsit.* S. Theodardo *anno* DCLXXVI interfecto, consilio totius plebis et imperio Childerici Regis subrogatum esse S. Lambertum, *tradunt in hujus Vita Godeschalcus cap. 2, Stephanus Episcopus cap. 4 Anselmus in gestis Episcoporum Trajectensium cap. 5 et 6, omnes ævo ejus propinqui. Annos tum natus erat S. Lambertus circiter septem et viginti, nuper adolescens juxta eosdem auctores* a S. Theodardo Episcopo divinis dogmatibus et monasticis disciplinis eruditus. *Auctor Vitæ S. Theodardi, a Sigeberto Gemblacensi meliori stylo adornatæ, dum ab Episcopatu S. Amandi anno* DCXLVI *inchoato, ad martyrium usque S. Theodardi* triginta circiter annos *interponit (quibus* Ecclesia Trajectensis, possessionum suarum quantitate mutilata, atque irruentibus undique procellis agitata est) *necessario necem S. Theodardi ad annum usque* DCLXXVI, *rejicit. Ordinatus aliquot post illius martyrium mensibus S. Lambertus sub initium anni* DCLXXVII, *sub* Childerico Rege, qui eum *secundum Godeschalcum aliosque* præ omnibus Pontificibus et Optimatibus diligebat, *illam Ecclesiam triennio administravit. At* Childerico ab impiis carnificibus *anno* DCLXXX *in æstate* interfecto, *et Theoderico fratre ejus assecuto regnum, jussu Ebroini Palatii ejus præfecti,* de Sede sua

*anno*

*S. Theodardus Episc. Trajectensis adest Childerico Regi an. 672.*

F

*martyrium subit anno 676, 10 Sept.*

*succedit ei S. Lambertus an. 677,*

NOT 52

*anno 681 expulsus,*

AUCTORE G. H.

A *anno* DCLXXXI depositus est, et honore debito privatus, ac Pharamundo in Cathedra illius constituto, in monasterio, quod vocatur Stabulaus, septem annos peregit. *Dein Pipino Herstallio apud Austrasios anno* DCLXXXVII *in Majorem-domus, ut vocabant, assumpto, atque Ebroino a quodam Hermenfrido anno sequente* DCLXXXVIII *interempto,* Pharamundus de Sede Pontificali et de provincia Trajectensi depositus atque repulsus est: Dominus autem Apostolicus S. Lambertus ad propriam Sedem revocatus, magna universi populi exultatione susceptus est. *Actum, cujus antea nulla apud ullos auctores mentio est*, pedes suos ad evangelizandam pacem dirigens, populum sibi commissum omnimodis sacræ doctrinæ cibis reficere curavit, innumeras infidelium turmas de gentilitate vocavit ad Christianitatem.

*restitutus anno 688.*

103 *Bucherius cap. 6 Disputationis historicæ de Episcopis Tungrorum seu Trajectensium num.* 100, *tradit ab eo tempore, quo* S. Amandus a Martino Papa impetrarit veniam decedendi Episcopatu, *id est, ab anno* DCL, nullum definitum Episcoporum Trajectensium Characterem apparere ante mortem S. Huberti primi Leodiensium Episcopi, *sive* annum Christi DCCXXVII, per annos omnino septuaginta septem, quo intervallo quatuor tantum concluduntur Episcopi, Remaclus, Theodardus, Lambertus, Hubertus, omnes Sancti. *Ex his* LXXVII annis concedit S. Huberto triginta, *ejusque* ingressum componit cum vere anni DCXCVII, S. Lambertum *tradit cœpisse* ineunte anno DCLVI, *ac* labente Episcopatus sui anno XLI cæsum, XVII Septembris: *atque ita* SS. Remacli et Theodardi Pontificio *simul* quinque solum annorum spatium relinquitur: *idque ut fatetur*, absque ullo apparente charactere. *Et hæc est vulgata illa Chronologia, quam Belgas Gallosque sibi sequendam statuisse clamitat auctor Vindiciarum. At contra eum dedimus characterem, expressum annis quinto, octavo, decimo, Episcopatus* S. Remacli, *quem proinde ostendimus sedisse ab anno* DCL *ad* DCLX. *Protulimus dein* diploma Childerici anno regni VIII, *Christi* DCLXXII, *datum, cum Ecclesiæ Trajectensi præesset* S. Theodardus: *quem ex altero charactere ostendimus ad annum usque* DCLXXVI *vixisse, quo* X *Septembris cæsus est. Demonstravimus etiam* S. Lambertum *anno* DCLXXXI *e Cathedra Trajectensi pulsum (quod sub prioribus Sedis annis factum est) et anno* DCLXXXVIII *eidem Ecclesiæ redditum, occiso tum Ebroino, cujus cædem idem Bucherius retulerat ad annum* DCLXXV, *quo ostendimus Chlotarium* C *III adhuc regnasse. Nos Episcopatui SS. Lamberti et Huberti annos circiter quinquaginta assignamus, ab anno scilicet* DCLXXVII *ad annum* DCCXXVII. *Sed quot anni sint horum singulis assignandi, non æque liquet. Annorum numerum Episcopatui S. Lamberti adscripsit Reinerus cap. 27 Vitæ ejus in Epilogo:* Passus est, *inquit,* S. Lambertus XV Kalendas Octobris, anno Episcopatus sui quadragesimo sub Rege Francorum Hildeberto Theoderici Regis filio. *Verum ex calculo nostro tum sedisset S. Lambertus Episcopus ab anno* DCLXXVII, *usque ad annum* DCCXVI: *ante quem non solum obierat Rex Childebertus, sed etiam filius ejus Dagobertus junior. Non est adeo exactus Reinerus in annis computandis, qui cap. 8 tradit* S. Lambertum emicuisse inter sanctos sui temporis Episcopos, Austrigisilum Bituricensem, Eligium Noviomensem *aliosque quorum ille anno* DCXXIV, *iste* DCLXV *mortuus est, quando S. Lambertus necdum Episcopus erat, imo circa annum* DCL *tantum natus. Regnavit Childebertus ab anno* DCXCVIII *ad annum* DCCXI, *quo tempore Pipinus Dux cum amplissima potestate regno potissimum Austrasiorum præerat:* a cujus familiari, nomine Dodone, de Primatibus Palatinis uno S. Lambertum telo transfixum, animam Deo transmisisse *scribit Godeschalcus in ejus Vita.*

*Perperam negatur 77 annis ad Episcopos Trajectenses ultimos ordinandos nullum reperiri characterem,*

B

*Non fuit S. Lambertus 40 annos Episcopus,*

*neque tempore SS Austregisili et Eligii*

104 *Mortuus est Pipinus anno* DCCXIV, *a quo post obitum filii Droci, sive Drogonis, magis amatus est filius Carolus Martellus, ejusque mater Alpais instar uxoris habita. Ob hanc Principis incontinentiam reprehensam, S. Lambertus ab Alpaidis fratre Dodone interfectus est. Qui jussu Childebrandi Comitis, Chronico Fredegarii partem ultimam a capite* XCVII *adjunctam auctor coævus de Pipini familia scripsit, hæc ita narrat cap.* 102 *et seqq.* Post hæc Drocus filius Pipini a valida febre correptus, mortuus est, et sepultus in basilica B. Arnulphi Confessoris in Mettis urbe. Grimoaldus quoque ex quadam concubina genuit filium, nomine Theudoaldum. Igitur præfatus Pipinus aliam duxit uxorem nobilem et elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocavitque nomen ejus lingua propria Carolum. Crevitque puer elegans atque egregius factus est. Mortuus est his diebus Childebertus Rex, et sepultus Cauciaci in basilica S. Stephani Martyris. *Hæc auctor ille jussu Childebrandi, dicti Caroli Martelli fratris ultimis istis annis ex Alpaide nati, quum in hujus favorem* aliam uxorem Pipini *appellat. Ita* Dagobertus I tres simul habebat ad instar Reginas, *uti tradit Fredegarius cap.* 60. Drogonem, *seu* Drocum, filium Pipini mortuum esse *anno* DCCVIII *habent Annales breves in monasterio S. Nazarii ad Rhenum scripti, atque a Frehero et Chesnæo editi. Imo* tempore veris obiisse *addunt Annales ab ejus obitu cœpti, atque ex MSS. Tiliano et Petaviano sub initium tomi* II *Scriptorum Galliæ a Chesnæo vulgati. Mortuum esse Childebertum Regem anno* DCCXI *supra diximus. Quæ autem inter obitum Drogonis et Childeberti Regis narrantur gesta de ducta sive assumpta Alpaide in alteram quasi uxorem, quidni referantur ad annos interpositos* DCCIX *aut* DCCX? *Eo namque tempore accrescebat Carolus Martellus puer, forte* X *aut* XII *annorum. Ad eosdem circiter annos referri cædes S. Lamberti posse videatur: saltem, dum alius occurrat character. Certe non ante annum* DCCVII, *qui triginta in Episcopatu explerat annos, decessisse arbitramur.* S. Willibrordus Episcopus Ultrajectinus et S. Lambertus maximo sese invicem videndi desiderio inflammati, convenerunt referentes, quæ et quanta per eorum ministerium Divina gratia operata est in Gentibus. *Uti cap.* 11 *Vitæ S. Lamberti tradit Nicolaus: quibus multi utrimque anni in Episcopatu peracti innuuntur: et tamen a Bucherio, Fiseno, Joanne Roberto aliisque traditur ante occisus S. Lambertus, quam S. Willibrordus consecratus Romæ Episcopus, rediisset in Belgium. Quæ refertur revelatio martyrii S. Lamberti facta Sergio Papæ, quia antiquis scriptoribus incognita est, alibi inter apocrypha esse reponendam probavimus. Et hæc de successoribus S. Amandi in Sede Trajectensi dicenda putavimus, ne vel inde semita aliqua devia ad Chronologiam statutam infringendam aliis panderetur.*

D

*an post obitum Drogonis filii Pipini,*

*assumpta quasi in uxorem Alpaide,*

E

*occisus post an. 708?*

*non videri saltem ante an. 707.*

F

105 *Sed ad tempora Childerici Regis, facti jam Francorum monarchæ, redeamus.* S. Leodegarius Episcopus Augustodunensis, *teste Ursino auctore coævo in hujus Vita*, super omnem domum Childerici in Neustria confirmati, sublimatus erat, et Major-domus in omnibus factus: *qui* præsente Rege Childerico *cum* S. Nivardo Episcopo Remensi, et S. Mummoleno Noviomensi *subscripsit* epistolæ S. Bercharii Abbatis, *qua hic* cœnobio Dervensi *a se condito e propria sua hæreditate plures villas largitur. Cui* Berchario *idem* Rex Childericus privilegium dedit in Compendio palatio *regni Neustriæ*, IV Nonas Julii, anno III regni *Christi* DCLXXIX, *subscribentibus eodem* Leodegario, Attelano Episcopo Laudunensi, et S. Reolo Episcopo Remensi, *post obitum S. Nivardi qui Kalendis Septembris anno* DCLXXVIII *contigit, ordinato. Hic est S.* Reolus III *Episcopus, qui testamento S. Amandi subscripsit: de eo agemus* XXV *Novembris, de S. Berchario Abbate* XVI *Octobris: cujus epistola ac privilegium*

*Sub Childerico fuit Major-domus S. Leodegarius S. Nivardo anno 678 mortuo,*

*ordinatur S. Reolus Episcopus Remensis.*

A *privilegium Childerici referuntur a Nicolao Camuzato in Promptuario Tricassino post Acta ejusdem S. Bercharii. De S. Leodegario post resumptum a Theoderico anno* ꟾↄCLXXX *regnum Francorum, ab Ebroino in exilium misso, et anno* ꟾↄCLXXXV *interfecto, egimus ad Vitam S. Sigeberti Regis: prolixius acturi* II *Octobris die ejus natali.*

## § XV. *Tempus conditi a S. Amando testamenti, ejusque obitus.*

Sanctus Amandus, *quod erexerat* Elnone templum, *teste Chronologo apud Buzelinum lib.* 2 *Annalium Flandriæ*, insigni pompa dedicavit in honorem sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, convocatis Episcopis in monasterio Elnone, Reolo Archiepiscopo Remensi, Mommoleno Tornacensi et Noviomensi, Vindiciano Cameracensi et Atrebatensi, Abbate Bertino, Aldeberto, Joanne, quibus subscribentibus testamentum suum confirmavit; *idque, ut ipsi testamento adscribitur*, anno secundo regni Domini nostri Theoderici gloriosi Regis, sub die XV Kalendas Maii. *Cum autem* S. Leodegarius post Pascha *anni* ꟾↄCLXXX Luxovium profectus, aliquanto temporis

*S. Amandus consecrat templum Elnonense,*

*et condit testamentum anno Theoderici 2,*

B spatio cum Ebroino inter monachorum contubernia pœnitentiam agens tam strenue se gesserit, ut perpetuo illic in monastico instituto mansurus videretur; *antequam* Childerico inter venandum occiso, Theodericus ad regni sceptra perveniret; *arbitramur diem* XVIII *Aprilis, quo testamentum S. Amandi subsignatum est, referri debere ad annum Christi* ꟾↄCLXXXII, *quo solemnitate Paschatis peracta* XXX *Martii potuit Ecclesia dedicata fuisse feria quarta aut quinta, die* XVI *aut* XVII *Aprilis, ac deinde ab illis inductus, testamentum S. Amandus confecisse* XVIII *Aprilis feria sexta post Dominicam* II *a Paschate. Subscriptores nostram Chronologiam confirmant: ac primo Episcopi ordinati, ut supra demonstratum est, Reolus Remensis anno* ꟾↄCLXXIX, *Mummolenus Noviomensis* DCLXVI, *Vindicianus Cameracensis* ꟾↄCLXXVI. *Deinde præter S. Bertinum (qui quod ultra quinquaginta annos Sithiensi a se condito monasterio præfuerit, neutrius partis luminibus præstruit) sunt Abbates Gandenses, Aldebertus monasterii S. Bavonis, et Joannes Blandiniensis; cui* sub die Nonarum Martiarum anno regiminis XX, *Christi* ꟾↄCLXXXIII defuncto, Abbas a B. Florberto tertius, ordinante sanctisimo Patre Amando, efficitur Baudemundus magnificæ sanctitatis vir: cujus Abbatis tempore sanctissimus Pater Amandus uni-

*NOT. 53 Christi 682.*

*subscribentibus 3 Episcopis,*

*et 2 Abbatibus post annum 663 ordinatis: constituit anno 683 7 Martii Baudemundum Blandiniensem Abbatem:*

C versæ carnis viam ingressus est. Scripsit idem Baudemundus testamentum S. Amandi ejusdem viri jussu, *tum scilicet necdum Abbas. Hæc ex Chronico Blandiniensi: quæ ad proximum Februarium anni sequentis cogunt differre obitum S. Amandi. Eodem etiam, aut præcedenti anno B. Andream Barisiaco evocatum præfecit Amandus Elnonensibus Abbatem, qui quo tempore testamentum factum ibi necdum erat.*

107 *Hoc rerum gestarum ordine in singulos ferme annos producto, annum obitus S. Amandi statuimus* ꟾↄCLXXXIV *quo anno ætatis nonagesimo, cælestem gloriam ingressurus,* VI *Februarii mortalem hanc vitam reliquit, sesqui anno circiter prius quam S. Leodegarius* II *Octobris anni* ꟾↄCLXXXV *occideretur. Hinc* ad Theoderici Regis usque tempora, *ait Auctor Elnonensis, § sequenti edendus*, vixisse B. Amandum chartarum instrumento, quæ apud nos hactenus habentur, docemur. Quibus etiam diebus Ebroinus Major-domus nefandas regno Francorum inferens calamitates, B. Leodegarium diversis tormentorum pœnis excruciatum, Christi Martyrem fecit. *Hæc ibi, quæ nostram Chronologiam maxime confirmant, produntque inscitiam auctoris, dum annum Christi* ꟾↄCLXI *adscribit. Idem morienti S. Amando assignat*

*moritur anno 684,*

*altero ante S. Leodegarium anno,*

diem Dominicam, *Philippus Abbas* noctem Dominicam. D *Massæus lib.* 4 *Chronicorum* Sabbatum. *Silent auctores antiquiores. Anno* DCLXXXIV, *qua statuimus S. Amandum e vita decessisse, in Sabbatum conveniebat dies* VI *Februarii ante Dominicam Septuagesimæ, quæ a Sabbatinis Vesperis, dum solenne canticum Alleluia omittitur, potest censeri inchoata: sub cujus noctem si obierit S. Amandus, alii dixerint mortuum esse Sabbato, alii* nocte Dominica, *aut etiam cum quadam ampliatione* die Dominica, *maxime si tum sepultus fuerit. Nam diem depositionis multi a die obitus non distinguunt, ut alibi non semel adnotavimus.*

*AUCTORE G. H. Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ*

108 *Hanc diem Dominicam observant nonnulli, quia infra in Historia Translationis, ex MS. Insulensi et Surio edita, dicitur num.* I S. Aldegundis nocte Dominica in ipsa, qua B. Amandus transiit hora, in ecstasi mentis vidisse virum senem, cygneo capite reverendum, Sacerdotalibus et præclaris vestibus indutum, baculum in manu tenentem, ad superna quasi transire. *Similia referuntur a Philippo num.* 74, *et ab Hucbaldo Elnonensi monacho in Vita S. Aldegundis num.* 25, *additque ea* in Vita B. Gisleni plenius inveniri: *innuens scilicet illuc auctorem potius a se descripta, quam eo seniorem in Vita ejusdem Aldegundis, ex veteribus MSS. primo loco a nobis edita, ubi cap.* 2 E *ita legitur:* Illo in tempore erat inibi in proximo B. Amandus Episcopus multis fulgens virtutibus, qui plurimas per circuitum nationes prædicationis verbo et vitæ meritis ad Christianitatis perduxerat titulum: multaque monachorum cœnobia, et Canonicorum collegia puellarumque congregationes ad summos provexerat honores. Ostensum siquidem est Aldegundi, quasi S. Amandus transiret ad Dominum, et multitudo populi, quæ per eum crediderat Christo, sequeretur illum: ipsa quoque Virgo Christi in eodem * habere comitatu. Beatus itaque Amandus percipiebat a Domino Jesu coronam numerositatis virorum, quos Christo lucratus fuerat: benignissima vero Aldegundis bravium multitudinis puellarum a suo meruerat sponso. *Hæc illa, quæ nobis ut veriora probantur. Potuit ea visio accidisse nocte Dominica, quam alii ad horam, qua S. Amandus mortuus est, cujus hic nulla fit mentio, inconsiderate transtulerunt.*

*S. Aldegundis videt gloriam S. Amandi, nondum mortui,*

*sed adhuc viventis.*

** forte* habere

109 *Simili errore referunt Milo infra, aliique, venerandum Christi Confessorem Eligium corpusculum sancti Patris Amandi sexto decimo post transitum anno, reperisse incorruptum, ac* VII Kalendas Novembris, transtulisse; *quod factum est anno Ch.* DCXCVIII: *quasi uti in vita S. Audomari* IX *Septembris legitur*, post decessum Aicharii Mummolinus illi in F Noviomensis Ecclesiæ Cathedra successisset, ac sex et viginti annos strenue se gessisset, *atque illi tum fuisset subrogatus S. Eligius, qui in Chronico Gandensi simili mendo dicitur* circa tempora Baudemundi et Ferreci Abbatum *ad annum usque* DCC prædicasse verbum Dei in Flandris, Blandinium amplificasse, ecclesiam S. Martini Cortraci dedicasse, Brugis item et Aldendurgi, Rodenburgi et in Oostburg templa construxisse. *S. Mommoleno anno* DCXCI *successit Gundonius vel Gundumus, eoque mortuo Geralphus vel Guarulphus, quorum acta magis obscura sunt, et forte aliqua S. Eligio adscripta. Aliud mendum pluribus commune additur, scilicet* corpus S. Amandi, Lothario sacri templi æditno, esse elevatum XII Kalendas Octobris anno Christi DCCCIX, *postquam* in imis terræ visceribus usque ad annum sui obitus centesimum quinquagesimum occultatum jacuisset. *Qui idem annus a Milone tum in sermone de hac Elevatione corporis quam in præfatione exprimitur. In hoc Milo, ubi juvenis S. Amandum laudare meretur, hos promit versus.*

*Corpus S. Amandi translatum anno 698, non a S. Eligio, anno 665 defuncto;*

*sed a S. Mommoleni successore.*

*elevatum anno 809,*

*ab obitu non 150,*

Curricula annorum centum vergente recursu
Transierant, numerus pariter partitus et idem,

Transiit

*Lectura ... ii*

Transiit æthercam quo vir venerandus ad aulam:
Cum corpus tumuli disjecta mole levatum,
Incolume inventum est, et dens sublatus ab ore
Fudit sanguineas ut vivo gutture guttas.

*sed 126,*

*In his versus secundus, ut ab anno* DCLXXXIV *perveniatur ad annum* DCCCIX, *ita legendus foret*, numerus quarto partitus et idem. *Interfuerunt enim anni* CXXIV, *menses septem et dies* XIV, *a sexto scilicet Februarii ad* XX *septembris: at dum exprimitur annus ab obitu centesimus et quinquagesimus, una indicatur mendo communi annus obitus* DCLXI, *apud Elnonenses, ne oblitterari posset, lapidibus insculptus, ut ex sequentibus constabit.*

*male inde dilato anno obitus 661.*

## § XVI. *Scriptum Elnonense de anno obitus S. Amandi excussum.*

*Anonymus Elnonensis*

Quamquam *hactenus iis qui obitum S. Amandi ad annum* DCLXI *referunt, abunde satisfactum esse videatur; tamen, ne aliquem in monumentis MSS. latentem thesaurum existimemur neglexisse, addimus ex MSS. Elnonensi et Marchianensi*, Argumentum, quo tempore beatus Christi Confessor Amandus vel natus vel defunctus sit: *uti illud sub hoc titulo proferens Auctor Elnonensis, hæc ita disputat.* De tempore nativitatis et cursu vitæ atque obitu beati Pontificis Christi Amandi aliqua lectioni inserere ad plenam cognitionem legentium necessarium duximus. Qui, sicut probabili argumento historiis ac chronicis sibi convenientibus investigamus, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DLXXI, Nonis Maii mensis, in provincia Aquitaniorum, et pago præfatæ regionis vocabulo Herbaditico, ex patre Sereno, matre Amancia, nativitatis initium habuit, anno scilicet septimo, quo Justiniani successor minor cum Sophia conjuge in Republica arcem imperii tenebat: quo videlicet tempore Joannes Pontifex Romanæ Ecclesiæ in ordine Pontificum LXIII Cathedram ejusdem Urbis anno sui Præsulatus VII strenue gubernabat. Computantur autem ab anno nativitatis præfati viri Divi Amandi usque ab obitum ipsius, Pontifices Romanæ Sedis sedecim, a Joanne scilicet incipientes numerare, cujus octavo anno* Pontificatus natus est, hoc modo. Primus idem Joannes, secundus Benedictus, tertius Pelagius, quartus mirabilis Doctor Ecclesiæ Gregorius, in cujus ordinationis initio vir Domini Amandus XXII ætatis agebat annum, in obitu vero ipsius Papæ XXXV, qui erat annus a Nativitate Domini DCV, regni autem Phocæ Cæsaris annus II, sicut Beda venerabilis Presbyter in Chronicis suis refert. Et ut cœptum persequar calculum, successor Gregorii Pontificis quintus Sabinianus, sextus Bonifacius, septimus alter Bonifacius, octavus Deusdedit, nonus Bonifacius, decimus Honorius, undecimus Severinus, duodecimus Joannes, tertius decimus Theodorus, quartus decimus Martinus B. Amando familiarissimus, quintus decimus Eugenius, sextus decimus Vitalianus, cujus tertio anno Pontificatus B. Amandus est defunctus VIII Idus mensis Februarii, atque ita computati ab anno dicto Incarnationis Dominicæ DLXXI, qui erat annus octavus Præsulatus Joannis Papæ, usque ad annum Domini DCLXI, qui erat annus Episcopatus Vitaliani Papæ tertius, inveniuntur anni vitæ præfati Patroni XC, quibus præsentis vitæ munus explevit.

*sub his Pontificibus Romanis*

** Ela. Præsulatus.*

111 Simili etiam modo, si Reipublicæ Imperatores revolvas, septem in tempore vitæ præfati Patris Amandi regio officio functos invenies hoc ordine. Primum Justiniani successorem Justinum juniorem, cujus septimo anno regni natus est: secundum Tiberium, tertium Mauritium, quartum Phocam, (cujus secundo anno Imperii, ut jam diximus, qui erat annus Domini DCV, Gregorius Papa obiit: post quem B. Amandus vixit annis LXI) quintum Romani Imperii Principem Heraclium, sextum constantinum, septimum ejusdem nominis Constantinum, cujus anno regni XXIII, qui erat annus Dominicæ Incarnationis DCLXI, ultimum præsentis ævi tempus sæpe dictus Pater explevit. Quod si et Principes regni Francorum, qui tempore vitæ ejus jus regium tenuerunt, aliquis quærere voluerit, (quamquam enim id non facile propter historiarum semiplenam indaginem videatur fieri posse) diligentius animi vivacitate perspiciens, reperiet tempore vitæ ejus, hos apud Francos honore functos regio, hoc ordine. Primum Hilpericum, secundum Lotharium, tertium Dagobertum, quartum Sigebertum, ejusque fratrem Hlodoveum quintum, cujus filii fuerunt hi, Lotharius, Hildericus, ac Theodericus. Sed Lothario in juventute mortuo, ac deinde Hilderico a Francorum Primatibus interfecto, regalem, quam nuper tonsoratus amiserat, Theodericus excepit dignitatem. Ad cujus usque tempora Beatum vixisse Amandum, chartarum instrumento, quæ apud nos hactenus habentur, docemur. Quibus etiam diebus Ebroinus Major-domus nefandas regno Francorum frendens inferebat calamitates, augens de die in diem usque ad seram scelerata piacula mortem. Qui Regibus cum omni populo perturbatis, ad ultimum omnium malorum suorum cumulum, B. Leodegarium diversis tormentorum pœnis excruciatum Christi Martyrem fecit.

*Imperatoribus in Oriente,*

*et Regibus Francorum:*

*mortuum esse sub Theoderico Rege, et Ebroino Majore-domus, circa tempus martyrii S. Leodegarii.*

112 Si quis vero hunc sermonen ab exiguitate ingenioli nostri depromptum quasi minus idoneum ac veritate suffultum probabili argumento investigare voluerit, hunc monemus; ut primo annum obitus præfati Confessoris Christi Amandi, qui fuit a nativitate Domini DCLXI, diligenter memoriæ figat: quia in eo, sicut priores nostri non solum in libris, sed etiam lapidibus, ne oblitterari posset, scriptum reliquerunt, ab hoc mundo ad Dominum transiit. Unde hoc numero, quasi fundamentum, in animo stabiliter collocato: ab ipso denuo ad superiora calculando, XC annorum, quibus vixit, numerum computet, et sic ad DLXXI nativitatis Dominicæ annum, quo natus est sæpe dictus Pater, gradatim perveniet. His igitur duobus calculis uno ortus et altero obitus diligenter animo commendatis, adhibeat sibi historias Regum, qui eo tempore jus regium tenuerunt, insuper et Chronicas venerabilium Patrum, nec non et librum de Pontificibus Apostolicæ Sedis editum, eosque quasi ante et retro oculatus, hinc et inde sensus vivacitate circumspiciat, atque, qui Apostolici, quive Imperatores vel Principes B. Amando in corpore adhuc vivente fuerint, solerter consideret. Et, si post nonnullam laboris operam, rei veritatem invenire quiverit, nequaquam hæc nostra dicta, qualiacumque sint, ut opinor, reprobabit. *Hactenus Auctor Elnonensis, totus in colligendis Pontificibus Romanis, ac Imperatoribus Constantinopolitanis, quasi muris illis atque propugnaculis procul extra Galliam sitis, hæc controversia foret defendenda. Imo quasi hæc non sufficerent additur epocha illius anni* DCLVI, *qua tunc veluti firmissimo præsidio munita ea sententia nequiret deinde expugnari. Ita ergo in MS. nostro adjungitur sub titulo* de obitu B. Amandi: Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCLVI, Indictione IV, Epacta XV, Concurrente IV, Termino XII Kalendas Aprilis, Pascha V Kalendas Aprilis, Luna XXI, VIII Idus Februarii, die Dominica, Luna I, obiit S. Amandus annorum circiter nonaginta. *Hæc ibi, quæ, excepta die Dominica, conveniunt in illum annum* DCLXI, *Cyclolunæ* XVI, *Solis* XVI, *littera Dominicali C, uti etiam ex Concurrente* IV, *constat,*

*Error is lapidibus insculptus,*

A *constat, ergo* VI *die Februarii in Sabbatum incidente. Quid si epocha anni* CIƆIƆCLXI *eodem modo apponeretur, num inde conficeretur S. Amandum mille annis serius vita functum esse? Sit potius, nomine asserentium annum obitus ejus* IƆCLXI, *hæc proposita conclusio, atque ex intimis historiæ visceribus deducta.*

*Conclusio aliorum de anno 661 obitus,*

113 *S. Amandus ante Episcopus Trajectensis, Elnone in monasterio a se extructo, ab his auctoribus mortuus dicitur anno Christi* IƆCLXI, *ergo Sabbato ante Dominicam Quinquagesimæ, cyclo Solis* XXVI, *littera Dominicali C, et cyclo Lunæ* XVI, *Paschate deinde celebrato* XXVIII *Martii : anno ætatis* LXVII, *ordinationis Episcopalis* XXXIII *suscepti Episcopatus Trajectensis* XVI : *regni Chlodovei* II *apud Francos Neustrasios anno* XVII *S. Sigeberti fratris apud Austrasios* XXIII, *antequam in Neustria Chlotarius* III *(sub quo tamen Joannem Blandiniensium constituit Amandus abbatem) regnum auspicaretur, integro anno, at biennio antequam regnum Childericus apud Austrasios capesseret, qui tamen ei fundum donavit, et apud Rutenos in quo monasterium Nantense extruxit, et Barisiaci in agro Laudunensi : ac demum anno* XX *antequam Childerico occiso Theodoricus (sub quo testamentum condidit) regnum Francorum acceptt. Eadem ratione secundum illos auctores mortuus est anno* XVII, *antequam S. Reolus consecraretur Archiepiscopus Remensis, anno* XV *ante Episcopatum S. Vindiciani, anno* V *ante Episcopatum S. Mummoleni : et anno* III *priusquam abbates crearentur Aldebertus apud Gandavenses S. Bavonis, et Joannes Blandiniensium; qui tamen omnes tum Episcopi quam Abbates ejus testamento post S. Amandi proprium signaturam subscripserunt. Demum anno* XXIII, *antequam ab eo Baudemundus constitueretur Blandiniensium Abbas; anno* XVII *ante martyrium S. Theodardi Episcopi Trajectensis, et successionem S. Lamberti, et anno* XXV *ante cædem S. Leodegarii, qui eisdem fere diebus, ut traditur ab Auctore Elnonensi,* martyrium passus. *Postremo anno S. Vitaliani Papæ non tertio, ut alii volunt, sed quinto, utpote sub finem Julii anni* IƆCLVI *creati, et anno non Constantini* XXIII, *sed Constantis patris Constantini Pogonati, de quo mox agemus anno* XXI. *Horum interim annorum tam Pontificis quam Imperatoris nulla mentio fit apud Baudemundum, Auctorem Aquitanum, Milonem, ceterosque ævo S. Amandi magis propinquos.* Constantis, qui et Constantinus *meminit Herigerus, ejusque annum* XXIII, *Christi* IƆCLXV *exprimit : cui Constantis adjungit* annum ætatis S. Amandi *nonagesimum, quem etiam cum Imperio*

*plurimas continet contradictiones,*

*et temporum confusiones.*

C *Constantini, ut vocant, et pontificatu Vitaliani tradunt Auctor Elnonensis, et Philippus Abbas, asserentes ambo mirabili temporum confusione, tunc in* Francia Theodericum regnasse. *Quare de ejus sub hoc Rege obitu sit etiam opposita alteri hæc nostra conclusio.*

*Conclusio de anno 684 obitus,*

114 *Amandus autem Episcopus Trajectensis, Elnone in monasterio a se constructo mortuus est anno* IƆCLXXXIV, *ergo Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ, cyclo Solis* XXI, *litteris Dominicalibus C B, ac cyclo Lunæ* I, *Paschate dein celebrato* X *Aprilis; anno ætatis* XC, *ordinationis Episcopalis* LVI, *a suscepto Episcopatu Trajectensi* XXXVIII, *anno regni Theoderici* III, *Episcoporum Lamberti Trajectensis* VII, *Reoli Remensis* V, *Vindiciani* IX, *Mummoleni* XIX, *Abbatum Aldeberti monasterii S. Bavonis* XX, *Baudemundi Blandiniensis* I, *altero anno labente ante necem S. Leodegarii Martyris, Leone* II *Pontifice Romano, et Constantini Pogonati Constantis filii, Imperatoris anno* XVI. *Ab hoc Imperatores aliquos occasionem perturbandi hanc Chronologiam hausisse non dubitamus. Nam Regino Abbas Prumiensis, qui sub finem noni atque initium decimi seculi floruit, tempore hujus* Constantini Pogonati *tradit* Dagobertum Regem *vixisse*, ejusque filium Sigebertum, dum a S. Amando catechumenus fieret, non amplius quam quadraginta dies, natum, cunctis au-

*in omnibus clara,*

*tum imperante Constantino Pogonato,*

*non tempore Dagoberti Regis,*

dientibus AMEN respondisse. *Præterea* annum Christi B *sive ab eodem Reginone, sive ab alio, ut ad Vitam S. Sigeberti diximus, potius intrusum, apponi* IƆCV; regnasse XVII annos, *ac tamen* Justinianum *ejus* filium *successisse* anno Christi IƆCXII, *decennio integro ab immemore sui sive interpolatore sive Reginone magna cum socordia absorpto. Verum hic* Justinianus, *ab præcisis deinde naribus* Rhinotmetus *posteris dictus, Constantino patri successit anno Christi* IƆCLXXXV : *sub cujus imperio tradit idem Regino* S. Sigebertum Regem in regno Austriæ sublimatum, Chlodoveum II, *illi* Lotcovuicum natum, *eorumque patrem* Dagobertum Regem mortuum esse, et in basilica S. Dionysii sepultum. *Hos Reginonis errores exprimit Chronologus Gandensis, dum asserit* monasterium Blandinium cœptum anno Dominicæ Incarnationis IƆCX, Indictione I, Dagoberti XIV, *qui idem annus reperitur in Chronico Sigeberti, et vulgaribus his versiculis confirmatur :*

*AUCTORE G. H. neque anno 605 juxta Chronicon Reginonis,*

*descriptum a Chronologo Gandensi,*

In sexcenteno deno fundavit Amandus
Anno Blandinium, Patronum dans ibi Petrum :
Rexit Florbertus, dotavit Rex Dagobertus.

*Quin autem circa illud tempus natus baptizatusque est a S. Amando Sigebertus Rex secundum Chronicon Reginonis, illud principium fontemque omnium errorum prorsus indicamus. Inde mendum haustum a Theoderico Abbate, statuente S. Bavonem anno* IƆCXXXI *mortuum esse. Inde Elnonenses reliquam ætatem S. Amandi supputantes obitum ejus conjecerunt in annum* IƆCLXI, *quem mox lapidibus insculptum sacrosanctum existimarunt Elnonensis Chronologus, Sigebertus in Chronico, Philippus Abbas in Vita : secuti posteriores cæco quasi impetu nullum dubitandi aut examinandi locum relictum esse censentes : sufficere correctionem Imperatorum, quos errore nimium crasso a suo tempore remotos esse luce clarius videbant : relinqui posse S. Amandum, ut hominem privatum ab ceteris scriptoribus neglectum.* E

*Elnonensi,*

*aliisque.*

115 *Inter præcipuos Scriptores, qui ultimo hoc seculo Historiam Belgicam scripserunt, sunt primo Molanus et Meierus, qui ex Elnonensibus tabulis annum Christi* IƆCLXI *servarunt : Molanum describunt Rosweydus noster in Historia Ecclesiastica Belgica, in Annalibus Baronius, aliique. At Doctores Duacenses in suis ad Molanum notationibus favent Placentio mortem ejus referenti ad annum* IƆCXLV : pro quo facit, *inquiunt,* quod S. Lambertus ( qui ei post Remaclum et Theodardum successit ) legatur interfuisse elevationi S. Vedasti, quæ teste Sigeberto, facta est anno IƆCLVIII *Sed ea satis rejecta sunt tum hic, tum ad Vitam S. Vedasti. Tantum cum pace veniaque Religiosissimorum Patrum monasterii Elnonensis liceat nobis, adhibito diligenti studio veritatis ab hac intrusa traditione recedere, quam nulla prope caussa Doctores Duacenses rejiciendam judicarunt. Bucherius Joannes Roberti, Buzelinus, Fisen sæpius citati, aliique tradunt obiisse* S. Amandum anno IƆCLXII. *Tunc, inquit Bucherius,* S. Amandus moritur IV Februarii, die Dominico. F

*Ab Elnonensi, traditione recedunt Doctores Duacenses ad annum 645,*

Meierus. Ergo hoc anno, etsi ipse cum Sigeberto vocet IƆCLXI, quod et verum est; nam tunc a Paschate primum inibant anni. *Ast ab Christi nativitate cœptos tunc annos infra dicemus. Addit Meierus* Indictionem IV, *quam Bucherius* V *statuit. Demum recedit ab Elnonensibus tabulis Joannes Cognatus lib. 2 Historiæ Tornacensis cap. 34, et Malebrancus lib. 4 de Morinis cap. 10, statuentes obitum S. Amandi incidisse in annum* IƆCLXXII, *eumque fuisse Regis Theoderici* IV. *Quæ supra satis refutata sunt. De anno* IƆCLXXI *a Guichenono morti ejus attributo agimus infra* § XXI.

*Bucherius aliique ad annum 662*

*et alii ad annum 672 et 671.*

## § XVII. *S. Amandi publica variis diebus veneratio Ejus Reliquiæ.*

H*actenus anni vitæ S. Amandi universi discussi, ac* tempus.

AUCTORE G. H.

*Celebratur S. Amandus 6 Februarii, quo obiit,*

*in variis Martyrologiis,*

*aut seorsim,*

A *tempus obitus stabilitum est. In die ac mense unanimis est consensus omnium, qui eum ab aliis Amandis distinxerunt. Dies is est* VIII *Idus Februarii, sacra ejus memoria in plerisque tabulis Ecclesiasticis celebris. Eo certe quidem die inscriptum ejus nomen Calendario antiquo ante annum* ɪↃCXLI *scripto, et martyrologio S. Hieronymi adjuncto. Martyrologium MS. Centulensis olim, nunc Vedastini monasterii, sub nomine Bedæ :* Cœnobio Helnone S. Amandi Episcopi et Confessoris. *MS. Leodiense S. Lamberti sub Bedæ quoque nomine :* Eodem die natale S. Amandi Episc. et Confess. *Beda excusus, Rabanus, Notgerus :* Et in Ellone, *sive* Hellone, *corrige* Elnone, depositio S. Amandi Episc. et Confess. *MS. Tornacense S. Martini et Lætiense primo loco hæc habent :* Elnone monasterio, depositio S. Amandi Episc. et Confess. qui multorum miraculorum virtutibus pollens, inter alia fertur, quod reum, cui ante mortem a sævo Judice non potuerit vitam impetrare, post mortem a pio Judice Deo vitam impetravit et salutem. *Quæ eadem referuntur in Martyrologio Elnonensi apud Molanum in Natalib. Sanctorum Belgii, præpositis his verbis :* In Pabula ; *cujus ditionis Comitem haberi Abbatem Amandinum supra diximus : dein* Episcopus Trajectensis
B *nominatur uti supra etiam insinuavimus. Galesinius hoc cum elogio exornat :* Trajecti S. Amandi Episcopi et Confessoris. Hic illustri genere in Aquitania natus, monasticæ vitæ disciplinam a puero amplexus, parentis rogatu ab ea amoveri nullo modo potuit : sicque annis quindecim omni admirandæ abstinentiæ genere corpus maceravit. Religionis caussa Romam peregrinatus, cœlesti admonitu in Galliam rediit : ubi multis locis fidem prædicavit, complures habuit discipulos sanctitatis laude præstantes, et ab impietate innumerabiles ad Christianæ religionis cultum perduxit ; sicque in omni vita sanctissime versatus, fideique caussa multis laboribus pie perfunctus, quievit in Domino. *Canisius in Martyrologio Germanico insigne quoque ejus habet elogium, in quo dicitur* suis precibus obtinuisse Dagobertum Regi filium, a se dein baptizatum, atque AMEN respondentem, *qui fuit* S. Sigebertus : *quem ejus precibus obtentum alibi non legimus. Longioribus eumdem encomiis celebrant Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii, Miræus in Fastis Belgicis et Saussaius in Martyrologio Gallicano, qui volunt illum et* Argentoratensem ad Rhenum condidisse Episcopatum, et primum fuisse urbis illius Episcopum. *Quæ supra rejecimus.*

C

*aut cum S. Vedasto,*

117 *Hoc eodem* VI *Februarii egimus de S. Vedasto Episcopo Atrebatensi, altero Belgarum Doctore, quem cum S. Amando in pluribus sacris Fastis conjunctum istic diximus, allatis verbis Martyrologiorum MSS. Trevirensium S. Maximini et S. Martini, Ultrajectini Ecclesiæ S. Mariæ, ac potissimum Usuardi ex vetustioribus codicibus. Hunc fere consecutum Martyrologium Romanum, cujus verba supra § 7 dedimus. In MS. Martyrologio Bruxellensi S. Gudilæ, clausula adjecta dicitur* Trajectensem supra Mosam rexisse Ecclesiam. *Ast in Martyrologio Coloniensi, Florario MS. aliisque compluribus MSS. sub nomine Usuardi ad usum Ecclesiarum Belgicarum auctis dicitur,* Trajectensium tribus annis rexisse Ecclesiam ; sed infructuosum inibi cernens laborem suum, vitam eremiticam eligens in quadam cella juxta civitatem Turonicam quindecim annis cilicio semper textus *(aliis MSS.* supertectus) et aqua et pane hordeaceo sustentatus permansisse. *Quæ cum vitæ historia non consentiunt, neque Turonis, sed Bituricæ* XV *annos in cœlestium rerum contemplatione exegit, neque post relictam Trajectensem Sedem, sed sub ipsa conversionis initia. Aliter hæc efferuntur in Martyrologio MS. Leodiensi S. Laurentii, quod est Adonis, sed auctum :* Eodem die depositio SS. Vedasti et Amandi Episcoporum, quorum actus, et miracula et vitæ consum- D
matio in Ecclesiis clara et celebria habentur *(eratque antiqua manu additum)* Vedastus Atrebatensem rexit Ecclesiam, in qua etiam requiescit. Amandus vero Trajectensem tribus annis Ecclesiam rexit ; sed infructuosum inibi videns esse suum laborem, vitam eremiticam elegit, in saltum transiens Bevium : ubi nunc honorifice requiescit super fluvium, qui Scarbs nominatur. *Apud Molanum in Auctario ad Usuardum additur, cum,* benedictione ab Aichario Episcopo accepta, in pago præter fluenta Scaldi fluvii, cui vocabulum est Gandavum, verbum Domini intrepidum annuntiasse. *Maurolycus addit eum* Trajectensem rexisse Ecclesiam tempore Heraclii, *qui imperavit ab anno* ɪↃCX *ad annum* ɪↃCXLI : *post quem regnarunt ejus filii Constantinus, tum Heracleonas, singuli aliquot mensibus tantum ; dein Constans, Constantini filius, Heraclii nepos; sub cujus imperio S. Amandum tribus annis rexisse Ecclesiam Trajectensem supra probatum est. Annus obitus additur Martyrologio Germanico* DCLIII, *Florario MS. aliisque* ɪↃCLXI : *qui error supra confutatus est.*

E

*aut cum reliquis Episcopis Trajectensibus.*

118 *In Ecclesia Trajectensi hoc* VI *Februarii colitur S. Amandus simul cum reliquis Episcopis Trajectensibus; officio duplici, ut videre est in antiquo Breviario S. Servatii. Eamdem omnium Episcoporum commemorationem recolunt Saussaius, Galesinius, Canisius, Ferrarius, Molanus, aliique ac nos supra hoc die inter Sanctos in alium diem remissos de ea fuse egimus. De eadem omnium Pontificum Trajectensium celebritate agunt Wion in Martyrologio Monastico, et Dorganius in Calendario Benedictino, quod nonnulli eorum vulgo existimentur monachi Benedictini fuisse, eaque de caussa seorsim de S. Amando agunt iidem Wion et Dorganius ; uti etiam Menardus, et Kalendarium MS. Benedictinum his verbis.* S. Amandi Episcopi Trajectensis superioris, prius Abbatis Elnonensis, cui cum quidam Episcopus caussa humilitatis et hospitalitatis aquam in manibus daret, ex lotura cæcus est illuminatus. *De die nativitatis et ordinationis Episcopalis supra egimus.*

*Memoria Ordinationis, Translationis et Dedicationis ecclesiæ 26 Octobr.*

119 *Milo in historia Translationis corporis S. Amandi num. 4 tradit,* VII Kalendarum Novembrium *seu* XXVI *Octobris,* triplicem S. Amandi memoriam numeroso populorum cœtu, debito cum honore celebrari, videlicet Dedicationem sacræ basilicæ, Translationem B. Amandi, et Episcopalis honoris assumptionem. *Antiquum Martyrologium MS. Tornacense S. Martini ea ita refert :* Trajecti ordinatio Episco- F
patus S. Amandi, et in pago Tornacensi Helnone cœnobio Translatio corporis ipsius ab ecclesia sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in basilica S. Stephani Protomartyris, agente B. Eligio Pontifice; atque Dedicatio ejusdem basilicæ. *Eadem habent (omissis solum verbis,* in pago Tornacensi) *Wion, et Menardus in Martyrologio Benedictino, et Molanus ex Martyrologio Elnonensi in Natalibus Sanctorum Belgii atque in posteriore editione additionum ad Usuardum. Fusius Florarium Sanctorum MS.* Translatio S. Amandi Trajectensis superioris Episcopi et Confessoris : cujus corpus cum in cœnobio a se condito, cui Elvonis *(imo Elnonis)* nomen adhæsit, mansisset sedecim annis sepultum, post tantum temporis a S. Eligio Noviomensi Episcopo, qui floruit anno salutis ɪↃCXLIX, repertum est incorruptum : qui gratias egit summæ Deitati, quod sanctitas, quæ in vivente claruerat, in mortuo non latebat. *Quæ verba ex Historia translationis a Milone scripta sumpta : qui etiam S. Eligium adhuc superstitem fuisse dicit, quod supra refutavimus. Aliqua Martyrologia eodem die referunt S. Amandum, nulla addita solemnitatis caussa : ita Beda excusus, Viola Sanctorum, Bellinus, quædam sub nomine Usuardi excusa et MSS.* Ipso die S. Amandi

A Amandi Confessoris. *Alia MSS. sub Usuardi nomine :* Ipso die Elevatio S. Amandi Confessoris. *Hermannus Greven, et Martyrologium Coloniense antiquum :* Translatio S. Amandi Episcopi Trajecti superioris et Confessoris. *MS. Bichurii :* Cœnobio Helnone Translatio S. Amandi Episcopi et Confessoris. *Alii addunt* S. Vedastum, *illi* VI *Februarii junctum socium. Ado a Rosweido editus :* Commemoratio agitur ipsa die sanctorum Episcoporum Vedasti et Amandi, quorum vita et mors plurimis extitit miraculis gloriosa. *Habentur eadem in prima editione Auctarii Molani ad Usuardum, in Martyrologio Germanico, in MS. Trevirensi S. Maximini, ac fere in Galesinio. De utrisque ita cecinit Wandelbertus :*

> Pontifices fama, signis tumulisque coruscos
> Septimus ostendit, vero de nomine Amandum,
> Vedastumque simul meritis et tempore junctos.

*Plurimæ Ecclesiæ dicto* XXVI *Octobris hanc solennitatem celebrant, uti videre est in antiquis Breviariis Cameracensi, Leodiensi, Ultrajectensi, Brugensi, Antverpiensi, Bruxellensi, Tornacensi, Atrebatensi, Blandiniensi, Coloniensi, etc., in quorum aliquibus agitur festum duplex, in aliis solum Commemoratio. De celeberrimo S. Amandi cultu eodem* XXVI *Octobris apud* B *Argentinenses, Spirenses, Wormatienses actum supra* § IX *: quo die colitur et S. Amandus Wormatiensis Episcopus, aliusque Amandus Episcopus Argentoratensis. Martyrologium MS Leodiense S. Lamberti pridie, id est* XXV *Octobris, hæc habet :* Item Translatio vel Ordinatio, sive Dedicatio S. Amandi Episcopi et Confessoris. *Postridie, sive* XXVII *Octobris, commemorationem Ordinationis S. Amandi specialius recoli supra diximus.*

*aliquibus 25 aut 27 Octob.*

120 *Altera S. Amandi elevatio, quæ anno Christi* DCCCIX *a Lothario custode facta est, celebratur* XX *Septembris : quo die in Martyrologiis Elnonensi et Tornacensi S. Martini hæc leguntur :* Duodecimo Calendas Octobris, Elnone Elevatio corporis S. Amandi Episcopi et confessoris, cujus corpus post centum quinquaginta a transitu annos integrum inventum est, atque de oris ejus geminis ab inventore dentibus ablatis, stillæ scribuntur fluxisse cruoris. *Eadem habet Molanus in Auctario Usuardi, Wion et Menardus. Meminit ejusdem Ferrarius et MS. Martyrologium Bruxellense S. Gudilæ. In Florario MS. hæc Elevatio pridie, seu* XIX *Septembr. refertur his verbis :* In Francia apud cœnobium Elnonense Elevatio S. Amandi quondam Trajecti superioris Episcopi, C consecratoris S. Gertrudis Virginis Nivellensis, facta a Lothario custode anno salutis DCCCXII a depositione ejus anno circiter CLII, cujus corpore adhuc invento integro, cum ejus capilli et ungues, qui excrevisse videbantur, succiderentur, et de ore dentes adhibita forcipe extraherentur, sanguis inde profluxit, qui ad memoriam posterorum adhuc servatur. *Hæc ibi, numeris plerisque mendose expressis : dies fuit* XX *Septembr. annus* DCCCIX, *qui Molani aliisque est a transitu ejus* CL, *nobis* CXXVI, *ut supra probatum est. Mansit tum corpus omnium aspectibus et venerationi expositum duos et triginta dies, ac deinde sepositum, seu sacræ sepulturæ restitutum,* XXIII *Octobris, qui dies in Martyrologio Elnonensi apud Molanum celebris habetur :* Decimo Calendas Novembris, Helnone restitutio corporis S. Amandi Episcopi et Confessoris. *Eadem habent Wion et Menardus. Demum Dominica post Ascensionem Domini celebratur ultima ejus Reliquiarum translatio.*

*Elevationis 20 Septembr.*

*aliis 19 Sept.*

*Repositionis 23 Octobris.*

121 *Kalendis Octobris, qua die colitur translatio Reliquiarum S. Vedasti, in quodam Martyrologio MS. Benedictino, sed nec admodum antiquo, neque accurato, isthæc leguntur :* Translatio S. Amandi Abbatis Elnonensis et Episcopi Trajectensis. *Gemeliacum, modo Gemblacum, vetus est Brabantiæ oppidum cum monasterio : in quo S. Amandi, (ob templum forte olim ibi* D *erectum, populosque fide virtuteque instructos) cultus annotatur* XXV *Junii, quo die Molanus in Auctario Usuardi :* In Gemeliaco natalis SS. Amandi et Domnoleni Confessorum. *Saussaius socium* Domnelum *appellat. MSS. antiqua Leodiense S. Laurentii et Trevirense S. Maximini :* In Gemiliaco Natale S. Amandi. *Florarium* In Gemuliaco S. Amandi. *Hæc ibi. An qui Domnelus vel Domnolenus est, censendus sit Domnitus Torholtanus, de quo egimus num. 22, non constat. In Auctario MS. Carthusiæ Bruxellensis non antiquo ad Usuardum, refertur eodem* XXV *Junii,* Elevatio S. Amandi *: sed quænam ea fuerit needum legimus. Ferrarius* XXIV *Junii citatis tabulis Ecclesiæ Lemovicensis ad se transmissis, hæc scribit :* Lemovicis SS. Amandi et Domnoleni Confessorum. *Infra ad caput* V *Vitæ per Baudemundum littera* h *dubitamus, num Lemovici cæcus ab eo fuerit illuminatus. Corpus S. Amandi Elnone, inde Amandopoli dicta, servatur thecæ inauratæ artificiosissime elaboratæ inclusum. At magnam ejusdem cranii partem habere Patres Recollectos in Cortracensi conventu, aliquas etiam reliquias esse in nobili monasterio sanctimonialium Bronchurgensium, ac de sudario et vestibus ejus obtentis gloriari Maricolenses monachos scribit Rayssius in Hierogazophylacio Belgico. Coloniæ in Ecclesia B. Mariæ Virginis ad Gradus spectari aliquas reliquias S. Amandi tradit Gelenius lib. 3 Coloniæ Agrippinensis syntagmate 7 § 4, num. 17. Delatæ fuerunt reliquiæ S. Amandi et aliorum Sanctorum* XIX *Januarii anno* DCCCXCIV *in villam Nemmicum pagi Veromadensis, ad contractum firmandum, ut dicitur* IV *Januarii in Translatione S. Rigoberti cap. 5. Et* XVII *Januarii sit commemoratio S. Amandi in veteri Breviario Præmonstratensi.*

*Auctore G. H.*

*25 et 24 Junii.*

*Corpus Elnone,*

*aliquæ reliquiæ alibi.*

E

## § XVIII. *Vita S. Amandi a variis conscripta.*

*Quod S. Amandus testamentum, sive conjurationem de sua sepultura, fecit die* XV *Kalend. Maii, anno Theoderici Regis* II, *Christi* DCLXXXII, *scripsit Baudemundus ejus tum discipulus, uti indicat sub finem his verbis :* Ego Baudemundus peccator, jubente Domno meo Amando, hanc epistolam deliberationis suæ scripsi et subscripsi. *Hic secundum ea, quæ ex Chronico Blandiniensi supra num. 106 dicta sunt,* Joanni Abbati Blandiniensi, *qui dicto testamento subscripsit, Nonis Martiis anno* DCLXXXIII *mortuo, successit, tertius a B. Florberto Abbas, ordinante S. Amando, anno sequente* DCLXXXIV *vita functo. Quamdiu superfuerit Baudemundus, dubium est, tabulis Blandiniensis cœnobii corruptis, in quibus cum Ferreco successore traditur rexisse annis* XCV *: quos solum* XXIII *censemus fuisse. Nam Hatta primus monasterii Vedastini apud Atrebates Abbas, ut traditur in Chronico Vedastino, anno Christi* DCCVI *etiam Blandiniensibus, e quibus assumptus fuerat, datus est Abbas; e vivis dein sublatus Kalendis Februarii anno* DCCX *: ut ex eo Chronica scribit Locrius. Qui Hattæ successit Celestinus, expulsus fuit a Carolo Martello, quod Ragiufrido anno* DCCXVII *ab eo devicto adhæsisset. Hæc de tempore, quo Baudemundus ejusque successores Blandiniensi monasterio præfuerunt. Quam primo loco damus Vitam S. Amandi, hic Abbas Baudemundus scripsit : de quo in Martyrologio Elnonensi hoc* VI *Februarii ita legimus.* Baudemundus, qui Vitam S. Amandi scripsit, dicit quemdam Bonum Presbyterum sibi narrasse, quod præsens erat, cum Amandus Tornaci a Judice non obtinebat furis liberationem, quem suspensum ad vitam revocavit. *Ea num. 13 relata ætatem auctoris produnt. Eodem modo num. 22 ait se* Erchengisilo Presbytero venerabili atque fideli viro narrante didicisse, *et num. 3 ex ore S. Amandi scribit,* sicut idem vir Dei narrare consueverat

*Baudemundus scriptor testamenti S. Amandi,*

*Abbas Blandiniensis creatus an. 683.*

F

*scripsit ejusdem Vitam,*

*AUCTORE G. H.*

A consueverat, *et num.* 20 *ait se* ex Fratribus *in monasterio a S. Amando excultis* plures postea Abbates seu honorificos vidisse viros. *Videtur autem Baudemundus hanc Vitam composuisse ante primam corporis S. Amandi elevationem, factam ab obitu ejus anno* XVI, *Christi* DCXCIX : *quam alioquin non ita tacitus prætermisset, imo nec ipse Baudemundus forte tam diu vixit : Omittit idem auctor quæ per Belgicas provincias extruxit plurima cœnobia ac templa, quasi iis, quibus scribebat, sat nota. Surius eam Vitam edidit, et quidem, ut præfatur,* a Baudemundo, ut habent codices ad S. Amandum, scriptam; fortassis autem meliori stylo redditam a Milone monacho S. Amandi, qui huic historiæ alium librum subjunxit. *Est hic liber de visione S. Aldegundis, elevatione corporis S. Amandi ejusque discipulis Sanctis, a Surio huic Vitæ adjunctus; quem hic sejungimus, infra cum de Translationibus agemus, daturi, atque ostensuri non a Milone, de quo mox agemus, sed ab aliquo recentiore auctore, non absque variis mendis, ut dictum est num.* 108 *et* 109, *editum. Hanc ergo a Baudemundo scriptam Vitam damus collatam cum pervetustis codicibus MSS. duobus Domus professæ Societatis Jesu Antverpiæ, tum monasteriorum Blandiniensis, Elnonensis, Marchianensis,*

*ante annum 699.*

*hic editam ex variis MSS.*

B *S. Maximini, Rubeæ vallis, tum Gulielmi Lindani et Cornelii Duini. Contulerat et Rosweydus noster cum alio MS. Extat etiam in codice Ultrajectino S. Martini, sed phrasi passim mutata.*

123 *Aliam perbrevem Vitam Parisiis ab Andrea Chesneo accepimus, sed sub nomine S. Alani; cujus ipse partem aliquam edidit tomo* I *Scriptorum historiæ Francorum pag.* 657. *Quæ eadem extat in MS. Pragensi Bernardi Gaudonis; atque etiam edita est in Breviario antiquo Corisopitensi ad* XXVII *Novembris, ut supra diximus. Auctorem arbitramur aut Aquitanum, atque ad distinctionem ita appellamus; aut certe Britannum Armoricum. Nonnulla habet ab aliis non relata, adeoque digna, quæ hic adjungatur. Simile compendium in Gestis Episcoporum Tungrensium et Trajectensium edidit Harigerus Abbas Lobiensis creatus anno* DCCCCXCI : *quod hic vel ideo magis adjungimus, ut veritas rerum supra discussarum clarius appareat. De Harigero supra sæpius actum est.*

*Junguntur compendia aliud ex MS. Gallico,*

*aliud Harigeri ex Gestis Episc. Trajectensium.*

124 *Vitam ejusdem S. Amandi eleganti stylo descripsit Philippus Harrengius, vulgo ab Eleemosyna dictus, monasterii Bonæ-Spei apud Binchium in Hannonia Ordinis Præmonstratensis secundus Abbas, S. Bernardi æqualis et familiaris. In elogiis Abbatum Elnonensium hæc de eo traduntur :*

*Philippus Harrengius, ab Eleemosyna Abbas Bonæ-Spei*

C

Non mihi facundi laus est reticenda Philippi,
Eloquii cujus undique serpit odor.
Hugonisque ætate fragrat, quo principe gestis
Admovit calamum, Præsul Amande, tuis.

*Huic Hugoni scripsit Philippus priorem Epistolam Vitæ S. Amandi instar Prologi præpositam, eoque anno Christi* CIƆCLXIX *mortuo, scripsit alteram Epistolam Abbati Joanni ejus successori : sub quo Vitam S. Amandi in lucem edidit circa annum* CIƆCLXX. *Obiit tandem anno* CIƆCLXXXIII, *cum aliquot mensibus ante regendi monasterii munere se abdicasset. Illius hoc legitur epitaphium :*

*circa an. 1170 scripsit Vitam S. Amandi,*

Marcescit florum flos Philippus, via morum :
Sub me Sanctorum sit consors, Christe, tuorum.
Christe Jesu, non da Philippo morte secunda
Lædi, sed tribue vivere perpetuo.

*De Philippo hoc tribus locis agit Vossius in libris de Historicis Latinis, ac lib.* 2 *cap.* 49 *vocat Philippum ab Eleemosyna Abbatem Bonæ Spei : dein lib.* 3 *par.* 2 *lit. P, refert Philippum Abbatem Bonæ-Spei, quasi a superiore diversum; ac mox Philippum Abbatem Elnonensis cœnobii profert scriptorem Vitæ S. Amandi, a Meyero citatum ad annum* 661 *in Annalibus Flandriæ. Possevinus quoque Elnonensem velut ab Abbate Bonæ-Spei*

D *diversum tradit. Josias Simlerus unicum habet, et Elnonensem Abbatem facit, nisus et ipse auctoritate Meyeri : cujus hæc verba sunt.* Philippus Abbas de situ ejus *(Elnonensis)* cœnobii : Locus est, inquit, inter Menapiorum fines Propontiis Nerviisque finitimus. *Quæ verba habet Philippus infra num.* 64. *Hanc Vitam ex MSS. monasterii Blandiniensis, et Nicolai Belfortii descripsimus, contulimusque cum editione Duacena operum Philippi Abbatis, et alio vetusto codice MS. cœnobii Elnonensis : extat etiam MS. in bibliotheca Vedastina. Meminerunt Vitæ hujus a Philippo scriptæ Miræus in Fastis Belgicis et de scriptoribus Ecclesiasticis, Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, sed qui in prima hujus editione S. Amandum scribit* Episcopum Ultrajectensem, *in secunda* Leodiensem : *quo satis innuit eam sibi Vitam non fuisse cognitam. Philippi chronologiam non satis accuratam supra cœpimus corrigere, plenius ad ipsam Vitam emendaturi. Alia ad Milonem spectant sub nomine Philippi edita.*

*hic editam ex MSS. et operibus excusis.*

125 *Succedit Milo monachus ac Sacerdos Elnonensis, Harigero et Philippo multo antiquior : sed ordo rerum ab eo scriptarum hunc locum deposcit : ac primo damus, ex codice MS. Antverpiensi domus professæ, Societatis Jesu, alteroque Amandino, quam stylo soluto exaravit*

*Milo Presbyter Elnonensis,*

E *Baudemundus Vitam S. Amandi, carmine redditam libris quatuor, ac versibus Heroicis universim* CIƆCCCXVIII : *in quorum ultimo libro innexuit miraculum sanguinis e dente fluentis in elevatione corporis facta anno* DCCCIX. *Meminit hujus poematis Sigebertus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 106 *his verbis :* Milo monachus S. Amandi, scientia litterarum clarus, scripsit metrico stylo Vitam S. Amandi. Scripsit etiam ad Carolum Regem metrice librum de Sobrietate. *Ad quem locum annotat Miræus, eum* virum eruditissimum, scripsisse Vitam S. Amandi versu et prosa. Hanc Surium ad diem VI Februarii publicasse. *Quæ jam rejecimus, neque etiam, ut Surius ait, eam* meliore stylo reddidit, *sed* metrico. *Ejusdem metricæ Vitæ meminere Trithemius, Possevinus, Gesnerus, Vossius, Valerius Andreas, aliique quorum aliqui cum Miræo Vitam a Surio editam ei perperam etiam attribuunt. Opus illud a se juvene conscriptum esse indicat sub finem libri primi :*

*carmine Heroico edidit ejusdem Sancti Vitam,*

Aptum opus, ut juvenis juvenem laudare mererer.

*Dicavit illud Magistro suo Haimino, monacho Vedastino, Alcuini quondam discipulo, anno* DCCCXIII *vita functo, ut diximus ad Vitam S. Vedasti, ubi aliquot ejus tractatus dedimus. Approbarunt illud poema Wlfans monachus in subjuncta Elegia relatis viris illustribus, quorum judicio satis fortum fuisse ostendit. Sunt autem*

*ante annum 840.*

F *Episcopi Hincmarus Remensis, Theodericus Cameracensis, et Emmo Noviomensis, Adalardus Abbas, ac monachi Haiminus, et Teudingus, de quorum ætate infra agimus ad hanc elegiam : indeque colligimus circa annum* DCCCXL *poema suum absolvisse Milonem, qui etiam testes elevationis anno* DCCCIX *factæ fuisse superstites indicat his versibus :*

Si quæris testes, fidei virtute vacillans,
Huc venias, moneo : aspicies diversa virorum
Agmina, multiplicesque senes ætate verendos.

## § XIX. *Historia translationum et miraculorum S. Amandi a variis conscripta.*

Scripsit *idem Milo soluta oratione historiam Translationis corporis S. Amandi factam quindecim ab obitu ejus annis. Hanc se per traditionem* a Patribus fideliter referentibus *acceptam referre num.* 1 *attestatur : additque se* alterum de elevatione incorrupti cadaveris ejus sermonem habuisse. *In hoc sermone, sive historia Elevationis, ait num.* 12, *se hæc a* Patribus, quibus interfuere, et numerosi supersunt, audivisse : *uti ante ab eodem in poemate dictum vidimus ; atque ita*

*Scripsit idem Milo Historias Translationis et Elevationis corporis S. Amandi,*

*utroque*

A *utroque loco sanguinem, qui e dente evulso manarit, comparat cum pretioso sanguine lateris Christi. In hac eadem historia num. 9 se* Elnonensis monasterii filium, quamvis degenerem, inenarrabili pietate existere, *asserit. Demum miraculo cerei divina virtute accensi se adfuisse ait num.* 16 : Ego ipse, qui hæc qualiacumque sunt, describo, coram positus, et auribus audivi, et ignem oculis vidi : hos etiam versiculos in ipsis concentibus tanto Pontifici dixi, *ubi se Poetam ostendit, utque ante num.* 13 *refert miraculum illud contigisse anno* ƆCCCLV : *ut mirum sit sub nomine Philippi Abbatis eam historiam editam esse, quam cum codicibus MSS. contulimus : ex quibus historiam Translationis hactenus ineditam adjunximus, potissimum ex MS. Ultrajectino S. Salvatoris, et duplici codice, quem utrumque ne lacerarentur, pretio a bibliopagis redemimus : ex quorum altero etiam damus Milonis poema. In eo quoque continetur ejusdem Milonis carmen hexametrum de Cruce in modum sphæræ ingeniosissime factum, cum hoc ad Carolum Calvum Regem initio.*

*cum miraculo cerei cælitus accensi, an. 855, a se spectati.*

Accipe, Karle, precor, carmen pietate serena.

*Milonis in rebus Chronologicis errores supra refutavimus, et suis locis indicamus. Annum obitus S. Amandi judicavit* DCLXI *et S. Eligium interfuisse Translationi* B *corporis ejusdem, uti in utraque historia et Translationis et Elevationis narrat.*

127 *Extat alia Translationis corporis S. Amandi historia, ex relatione Milonis fere excerpta, adjuncta sub initium visione S. Aldegundis, de qua supra egimus § xv, num.* 108. *Enumerantur a num. 6 discipuli S. Amandi virtute ac sanctitate illustres : inter quos recensetur S. Landoaldus, cujus reliquiæ et* Gandavum *traduntur* translatæ *(quod sub finem decimi seculi factum est) et* populis fidelibus beneficia impendere : *circa quæ tempora ea increbuit opinio, quod idem* Landoaldus, *uti hic etiam narratur,* vice S. Amandi curam pastoralem in Episcopio Trajectensi egerit. *Historiam hanc damus ex MSS. Insulensi Societatis Jesu et Blandiniensi, quam Vitæ S. Amandi a Baudemundo scriptæ etiam subjunxit Surius, tamquam alium librum, uti præfatur a Milone scriptum, qui Auctore illo hactenus ignoto, duobus circiter seculis antiquior est. Huic historiæ adjungimus parvum fragmentum Chronici Elnonensis, in quo aliqua ad historiam Elevationis corporis S. Amandi pertinentia attinguntur, atque ex eo initium anni tum a Nativitate Christi seu* XXV *Decembris sumi solitum confirmatur.*

*Additur Epitome*

*post annum* 1000 *scripta,*

*cum fragmento Chronici Elnonensis.*

C

128 *Sequitur Historia miraculorum S. Amandi a Gilleberto descripta : de quo hæc traduntur apud Le Bar ex monumentis Elnonensibus :* Gillebertus Sacerdos venerabilis, primo S. Andreæ Elnone Decanus, et postea Elnonensis factus monachus, vir in divinis Scripturis eruditus, vita quoque et sanctitatis conversatione insignis, qui contra vitiorum tumultus et versutias viriliter dimicavit, et qui tam Clero et populo quoad viveret, Doctor egregius et Prædicator eximius enituit. Opuscula non spernendæ lectionis edidit de incendio monasterii sui Elnonensis, de deportatione S. Amandi per Franciam, de miraculis per Amandum in via patratis, de reparatione ejusdem cœnobii, stylo soluto et prosaico. *Quæ omnia in Historia miraculorum sæpius aucta continentur, et hic dantur ex MSS. Gandensi et Belfortii, atque editione operum Philippi ab Eleemosyna. Extant etiam MSS. in bibliotheca Vedastina. Præfatur Auctor nihil scribi,* nisi quæ evidenter obtutus probavere scriptoris, testimonium ei reddentibus ejusdem temporis monachis, Clericis, atque etiam venerandæ memoriæ et insignis famæ laicis. *Quæ de priore parte stylo soluto conscripta intelliguntur : at ubi carmine describit hominem e carcere liberatum, præmonet id esse.*

*Gillebertus testis oculatus scripsit Historiam miraculorum priorem,*

Gestum Coccei, postquam remeavimus ipsi :
Quod jam non oculis, sed fonte probavimus auris.

*Tum de suspenso olim a S. Amando suscitato agens, hac* D *cautela miraculum,* sicut quorumdam relatione didicit, legere volentibus qualicumque scripto notificare curat. *Quo autem vixerit tempore, constat ex incendio, quo monasterium conflagravit anno* CIƆLXVI. *An deinde superstes fuerit ad annum* CIƆXC, *et quæ ultimo capite subjunximus, etiam scripserit, dubium est. Ab aliis ejusdem cœnobii viris eruditis potius addita suspicamur.*

AUCTORE G. II

129 *Alia in iisdem MSS. additur Historia miraculorum S. Amandi corpore anno* CIƆCVII *per antiquum Bragbantum delato : quo tempore vixit* Gunterus monachus S. Amandi, *qui, teste Sigeberto de Scriptor. Eccl. cap.* 166, scripsit martyrium S. Cyrici metrico stylo : *cujus et hæc historia calamo potuit concinnari. Utraque hæc Historia miraculorum edita fuit sub nomine Philippi de Eleemosyna cum reliquis ejus operibus, sed uti prior auctorem habuit Gillebertum Amandinum, ita posterior potius referenda est ad dictum Gunterum, alumnum monasterii Elnonensis alumnum. Quæ subjicitur Historia mulieris suspensæ anno eodem* CIƆCVII *Rotomagi ad vitam revocatæ, editur ex MSS. Elnonensi, Insulensi, aliisque, et operibus Philippi ab Eleemosyna, scripta a Marsilia monasterii Rotomagensis S. Amandi Abbatissa, forte nitidiori stylo reddita a dicto Guntero,* E *aliove ultimorum miraculorum scriptore. Demum laborem hunc nostrum concludimus duplici Hymno olim in honorem S. Amandi cani solito, et in codice nostro MS. Vitæ S. Amandi per Milonem carmine editæ subjuncto.*

*posteriorem forte Gunterus, auctor coævus,*

*miraculum Marsilia Abbatissa*

130 *Præter ea quæ de S. Amando damus, extant nonnulla, quæ consulto prætermittimus, oratione soluta sub variis titulis congesta. Horum primum in MS. Elnonensi et Blandiniensi est hujusmodi :* Suppletio quæ addita est libello Vitæ S. Amandi a Milone monacho et Sacerdote cœnobii ipsius ; *quasi hujus suppletionis auctor esset Milo. Ast in nostro codice MS. cui prima folia recenti manu suppleta sunt, ita legitur :* Supplementum Vitæ S. Amandi a Milone monacho conscriptæ et editæ a Laurentio Surio, tomo I die 6 Febr. *Vitam S. Amandi per Baudemundum, perperam Miloni attributam supra ostendimus : quo aliquot seculis junior fuit auctor Epitomes Translationis et Elevationis corporis S. Amandi simul cum Vita a Surio excusæ. Incipit illud supplementum his verbis :* Prælato libello de virtutibus S. Amandi edito, sciendum est quantus vir idem et cujus honoris apud homines habitus est, licet ipse declinare honores mundi semper desideraret. *Deinde post indicata brevissime aliquot monasteria ab eo* F *extructa, amicitia ejus cum S. Martino Papa explicatur, atque hujus contra hæresim Monothelitarum vigilantia laudatur. Subjungitur sub titulo novo Epistola Martini Papæ ad S. Amandum, quæ infra datur in Vita per Philippum Abbatem. Tituli sequentes sunt* De obitu B. Amandi. Quo tempore Beatus Christi Amandus vel natus vel defunctus sit. *Hoc scriptum supra § 16 datum est excussumque in quo cum Auctor colligit scrupulose Pontifices Romanos atque Imperatores Orientis, quos in supra memoratis operibus ne semel quidem attingit Milo, alius ac multo recentior auctor est, qui obitus S. Amandi annum a majoribus inscriptum libris, et lapidibus insculptum tradit : quod partim a Milone, partim ejus tempore factum est.*

*Omittuntur hic alia ; Supplementum MS*

131 *Adjungitur* sermo legendus in transitu sive depositione ter beati atque gloriosi Pontificis Christi Amandi : *in cujus exordio* diem depositionis in Sanctis *tradit dici* diem natalem, *tum mortem Sanctorum comparat cum transitu Israelis in terram promissionis, eosque dum vivunt, nutriri in deserto manna cælesti corporis Christi. Prolixe deinde ostendit exemplo S. Amandi patriam, parentes divitiasque contemni debere : tum adolescentiæ ejusdem in Ogia insula peractæ adjungit gloriam in cælo collatam : ad eamque alios invitat, inculcata fide, spe, caritate cum operibus misericordiæ,*

*et Sermo MS. legendus die natali*

*concludique*

*AUCTORE G. H.*

*concludique sententia extremi judicii. Quis hujus sermonis auctor fuerit, nos latet. Aliquis Milonem imitatus eum conscripsit, ut die Natali legeretur, sicut hujus tractatus legebantur in Translatione et Elevatione corporis S. Amandi : in quibus nusquam istius Sermonis meminit, sed Vitæ per Baudemundum scriptæ :* Quia, *inquit,* Vitæ ter beati ac Deo dilecti Confessoris Christi Amandi libellus satis plene sufficienterque disseruisse cognoscitur. *Nos hic eum sermonem, quia nihil in eo, quod ad historiam pertineat, omittimus, indicatis solum primis verbis, quæ sic habent :* Quia ad anniversariam ac sacrosanctam solennitatem beatissimi Patris Amandi, Fratres dilectissimi, religioso devotionis studio convenistis, opportunum esse arbitror, ut exhortatione nostri sermonis operum illius insignia cognoscatis, *etc.*

*Alii Vitæ scriptores.*

132 *S. Amandi res gestas plures alii scripsere, Vincentius Bellovacensis lib.* 21 *Speculi Hist. cap.* 119 *et* 120, *S. Antoninus par* 2 *tit.* 12 *cap.* 8 § 9, *Jacobus de Voragine in Legenda Aurea, qui præter alios errores tradunt eum Turonis ad sepulchrum S. Martini in quadam cellula inclusum* XV *annos vixisse, quod apud Bituriges factum est, Petrus de Natalibus lib.* 3 *cap.* 100 *et Georgius Wicelius, qui eum scribunt sub Heraclio obiisse anno* DCXX. *Franciscus Haræus, Cornelius Grasius, et linguis peregrinis quamplurimi : tum varii antiqui in Actis aliorum Sanctorum, quos plerosque supra attigimus.*

*B. Adeluvva mater S. Pipponis*

133 *Everhelmus Abbas in Vita S. Pipponis* XXV *Januarii cap.* 5 *visionem a S. Amando apparente B. Adeluvæ matri ejus factam ita describit :* Adeluvva in Elnone monasterio ad S. Amandum una cum filio suo perducta, ibidem desiderii sui ex cœlestis visionis oraculo securitatem est adepta. Nam ante B. Cyrici lipsanas, eadem in vigiliis precibusque pernoctante, atque post paullulum ex diutina sui defatigatione semi-vigilante, quia eam superna respexerit exauditio, hujusmodi ad se divinitus perlata patefecit visio. Nova rerum certe facie quamplures Christi Sacerdotes in consistoriis dealbatos vidit, quos in modum coronæ divina ostensio altrinsecus positus spectaculo sibi dedit ; inter quos etiam B. Amandus, utpote ejusdem loci primus, præ ceteris promotius honestiusque residere videbatur, atque ad sententiam ipsius, sicut eum eo loci tunc decebat, omnium intuitus suspendebatur. Sed et B. Cyricum serico, gemmisque totum videbat nituisse, elegantisque pueri vultum imitatum fuisse, tum eum singulis Sacerdotum sermonem conseruisse, proque se ibidem in medio prostrata preces fudisse. Cui S. Amandus una cum pari considentium sibi consensu, Eia, inquit, bonæ indolis puer, tuum est pietatis dextram cum precibus et jam huic viduæ porrigere, quæ ante sacrosanctas lipsanas tui continuas non desistit preces admittere. Qua auctoritate venerabilem puerum Cyricum certiorem factum, ad se appropinquasse, totamque se quasi de terra, ubi jacuerat prostrata, vidit levasse. Atque hujusmodi visio hic finem sui habuit, ipsaque B. Pipponis mater mox experge-facta ad se rediit. Quæ hanc quidem visionem filio retulit, cum quo etiam ipsa eadem visionis thde animæquior facta, Virdunum se contulit, veloque piæ conversationis ex consilio beati viri sibi imposito, justitia et moribus jam cœnobialis vitæ arrisit proposito. *Colitur S. Cyricus seu Quiricus* XVI *Julii.*

*a S. Amando in visione apparente,*

*commendata S. Cyrico,*

*fit sanctimonialis.*

## § XX. *Nantua in Beugesia monasterium an a S. Amando constructum?*

*In Beugesia, Bressiæ adjuncta,*

**A***d hujus Commentarii finem duplex rejecta disputatio : sitne S. Amandus, Belgio procul, in veterum Burgundionum Oris, an vero et apud Hispanos mortuus? Beugesii ad Bressiam nunc spectant populi, S. Amandi ævo, intra Burgundiam numerati : ac nuper cum ad Sabaudiæ Duces antea pertinuisset, Salussiarum marchionatu commutata eorum ditio, et ad Coronam Gallicam translata. Gentis ejus historiam, erudito æque ac laborioso commentario illustravit Samuel Guichenonus : qui in continuatione partis* 2 *pag.* 75 *et sequentibus, agit de Nantua, vel Nantuaco, Ordinis Benedictini cœnobio, in medio sito Beugesiæ, qua Lugduno, in cujus diœcesi est, iter est, in Genevam atque Helvetiam. Hoc monasterium autumant accolæ, ab S. Amando ædificatum, ibique eum et in fata concessisse, et conditum tumulo esse. Neu vana fides queat cuiquam videri, Vita antiqua profertur, a Baudemundo scripta, sed fœde corrupta. Eam ex duobus codicibus Nantuacensibus descriptam submisit nobis Divione Petrus Franciscus Chiffletius noster : quam et Guichenonus in probationibus ad historiam Bressiæ et Beugesiæ pag.* 210 *et seqq. edidit ex Nantuacensi Breviario.*

*Nantuæ monasterii origo perperam S. Amando attributa,*

135 *Quæ Baudemundus narrat cap.* 6, *ita hic amplificata :* His ita peractis, *inquit Baudemundus,* idem vir Domini Amandus in fines remeavit Francorum, elegitque sibi locum prædicationis aptum, in quo cum Fratribus, qui cum eo per diversas provincias, multas pro nomine Christi perpessi sunt passiones, ædificavit cœnobium : atque ex eisdem Fratribus plures postea vidimus Abbates seu honorificos viros. *Et hæc quidem vere Baudemundi sunt : dein ita pergit :* Eodem fere tempore, *etc. Quæ ita in codice Nantuacensi leguntur :* Temporibus igitur Mauritii et Phocæ Cæsarum, rediens a præfatis Vaccensibus et Pyrenæis montibus Sanctus Dei Amandus, lustratis pene finibus Francorum, flagitans secretum reperire locum, in quo solitariam vitam ducere posset, liberiusque Deo vacaret ; tandem devenit in quamdam civitatulam, nomine Ozindinsem, sitam in finibus Lugdunensium, decentissime turribus eminentibus circumseptam, quæ deinceps a Sarracenis et Vandalis et Gottis, usque ad solum desolata atque diruta est. Habebat autem hæc urbs a Septemtrione montem quemdam, nomine Helnon, ex cujus nomine omnis circa regio Helnonensis vocabatur ; in cujus cacumine castrum insigne quadrato lapide et polito constructum habebatur, munitio et defensio urbis : circa cujus ambitum apparet grata planities, fœcunda pascuis atque irrigua : nemoribus consita, saltu decora, venationi atque piscationi commoda : in quam influunt duo alvei Onix et Lengis. Ab Aquilonali vero parte mons Dunicus circumcingebat eam, simili modo copioso munimine oppugnatus. Extra cujus gyrum quidam collis prospiciebatur, quem reducto paullulum sinu, in æquo complanabat natura, per quam fluvius discurrens planitiem, vocabulo Merulus, ab Alpibus progrediens, bifido cursu nando meat in quoddam stagnum juxta positum, præstans incolis piscium non modicum quæstum : quæ etiam trijugis montium cacuminibus protegebatur, scilicet Dunico, Ibico et Heenco. Præterea fons prælucidus ab rupibus profluens, saluberrimis vallem irrigat aquis : cujus vocabulum, hactenus vicus omnino retinuit. Quem locum vir sanctus, quasi a Deo sibi cœlitus offerretur, amplectens, citato gradu in Franciam rediens, Childericum adiit Regem, petens humiliter, qualiter hoc præmemoratum municipium, ad construendum habitaculum monachorum, largiri dignaretur. Nam adeo remotus et secretus erat commeantibus vel itinerantibus, ut, nisi venandi gratia, nullus ibi diverteret hospes, præter paucos ruricolas inibi degentes, qui ex contignatis lignis jamdudum basilicam in honorem Andreæ Apostoli inibi ædificaverant. Quod Rex libentissime annuit, deditque ei Rex Childericus filius Lodovei, et frater Theoderici postulatum locum Nantuacum, qui et alio vocabatur nomine secundum regionis nuncupationem, videlicet Helnone, in

*In Vita S. Amandi ibidem interpolata,*

*officia Beugesiæ Ozindinsis urbis Episcopatus,*

*mons Helnon, et regio Helnonensis :*

*et Nantuæ ab nando dicta,*

*etiam Helnone dicitur appellata :*

A in quo vir Dei sagaci studio cœpit ædificare cœnobium, non ambitionis gratia, sed ob animarum salutem. Mummulus autem præfatæ Ozindinsis civitatis Antistes valde ferebat moleste, quod idem vir Dei eumdem locum impetraverat a Rege, *etc.*

136 *Hæc Nantoacensis interpolator, pro quibus pauciola hæc habet Baudemundus :* Eodem fere tempore vir sanctus Domini Amandus Childericum adiit Regem, eumque humiliter postulavit, quatenus ei aliquod municipium ad construendum monasterium, non ambitionis gratia, sed ob animarum salutem, largiri dignaretur. Deditque præfatus Rex ei locum, nuncupatum Nanto : in quo vir Domini sagaci intentione cœpit ædificare cœnobium. Mummulus autem quidam Ozindinsis urbis Antistes, valde ferebat moleste, quod idem vir Domini eumdem locum impetraverat a Rege, *etc. Hæc Baudemundus, quem loqui de monasterio Nanto, apud Rutenos prope fontes Darbii amnis a S. Amando extructo, et de Mummulo Episcopo Uceticensi supra num. 7 ostendimus. Ast hæc interpolator suo monasterio Nantuaco ea applicaturus, ingeniose excogitavit urbem Episcopalem Ozindinsem istic vicinam, hactenus reliquis scriptoribus incognitam, quam nempe dirutam a Vandalis et Gothis asserit ; sed*

*existimata quod a Baudemundo memoratur*

*Nanto monasterium apud Rutenos.*

B *quo tempore? Num anno Christi* CCCCVI? *quando secundum Prosperi Chronicon*, Arcadio VI et Probo Coss. Vandali et Alani Gallias trajecto Rheno pridie Kalendas Januarias ingressi. *Et triennio post*, Honorio VIII et Theodosio III Coss. Hispanias occupaverunt. *Subsecuti Vandalos* Gothi, *et* Honorio IX et Theodosio V Coss. Rege Athaulpho Gallias ingressi sunt *anno* CCCCXII. *Anno sequenti Burgundiones hanc Galliæ partem, in qua Bressia etiam et Beugesia sunt occuparunt. Sed hæc tempora æque potuerit scriptor ille confundere, quam quæ tradit, temporibus Mauritii et Phocæ Cæsarum suum Nantuacum a S. Amando facultate a Childerico impetrata constructum esse. Imperium adeptus est Mauritius anno Christi* IↃLXXXII, *quod ei anno* IↃCII *Phocas extorsit ; et ipse anno* DCX *interfectus : quando S. Amandus natus circa annum* IↃXCIV, *adolescens in Ogia insula degebat, et Chlotharius* II, *dicti Childerici proavus, Francis imperabat. Hanc tamen qualemcumque chronotaxim (aut chronotaraxin potius) Natuacenses tuentur duplici diplomate in archivo suo servato, atque inde a Guichenono in Probationibus pag.* 212 *et sequenti edito. Prius est S. Gregorii Magni, Phoca regnante anno* DCIV *mortui, cujus hæc istic verba referuntur :*

*ficta urbs Ozindinsis a Vandalis et Gothis diruta :*

*temporibus confusis*

*fingitur epistola S. Gregorii Magni ad Childericum Regem,*

137 Gregorius servus servorum Dei, Childerico C Francorum Regi. Quoniam innumerabilibus mundus procellis quatitur... quid autem in aliis mundi partibus agatur, ignoro. Solummodo a Beato Amando nostro Coepiscopo didicimus, in omnibus rebus spiritalibus honestissimo vestro regimine regnum vestrum præ ceteris pace et tranquillitate, Christo tribuente, pollere. Retulit quoque vestra munificentia sibi olim concessum cœnobium in finibus Francorum positum, quod Helnone, sive Nantuacum nuncupatur, nunc a vobis affluentissime de vestris reditibus et prædiis et fiscis ad Fratrum victualia dotatum atque locupletatum : de quo vobis gratiarum dona cum benedictione misimus. Ipsum namque præfatum cœnobium, dum responsis Ecclesiæ deservirem, et ob hoc ad venerabilem prædecessorem nostrum illuc cum regrederer, poscente memorato Patre Amando atque Abbate Latercenio cum multis religiosissimis viris sanctitate præditis, basilicam ipsius loci in honorem Petri et Pauli omniumque Apostolorum honorifice consecravi, ipsique loco tale privilegium concessi, ut nullus Princeps, nec Episcopus, neque ulla judiciaria potestas ibidem præficere audeat Abbatem, nisi quem concors congregatio pari consilio et voluntate secundum Deum elegerit, sicut Benedictus Pater præcepit. Postquam electus fuerit ab illis,

*quasi is rogante S. Amando,*

*Nantuaci illo fundati*

*ecclesiam in honorem SS. Petri et Pauli dedicasset,*

*privilegia,*

prius Sedis Romanæ munus accipiat, ipsiusque benedictione fungatur, nisi assensu ejus concedatur alicui licentia. Sed neque ipsi Archiepiscopo Lugdunensi, neque ulli Episcopo committimus illi Ecclesiæ vim excommunicationis inferre ullo modo nisi Apostolica deliberatione. Sed et si quis fidelium Romam ire disponens, sumptusque ei defuerint, ipsum memoratum locum adeat, et ibidem pro posse eleemosynam Fratribus impendat, eadem forma benedictionem Apostolicam sine dubio inibi percepturus, sicuti si limina Apostolorum pervenisset. Statuimus de cetero, ut nullo modo quis hunc locum violare audeat, nec vim inferre : quod si quis temerario ausu infregerit, anathematis ultione damnetur, ita ut deinceps inviolata, illibataque hæc nostra præceptio sive interdictio conservetur. D

*AUCTORE G. H.*

*immunitates*

*et indulgentias concessisset,*

138 *Secundum diploma est Childerici Regis, ejusdem omnino momenti, quod ita incipit :* Rex Childericus, filius bonæ recordationis Clodovei, Amando Præsuli atque Abbati. Gaudeo, Frater carissime, Sanctitatem tuam opinionemque tuæ religiosæ vitæ toto orbe dilatari. Supra namque cum ad civitatem Parisius devenissemus, delata ad nos scripta Beati Gregorii Papæ, in quibus cœnobium a te constructum Nantuacense mirifice exornat, suisque præconiis exaltat. Quod ideo tuæ sanctitati mittere curavimus, ut pro magno munere ibi conservetur. Ipse quoque supradictus Papa omnino petiit, ut ea quæ ipse auctorizavit, nos more regio laudaremus atque confirmaremus... Omnia prænominata tibi et Fratribus in dicto cœnobio commorantibus, tam præsentibus quam futuris per nostri privilegii firmitatem tribuimus, quatenus pro salute nostra, vel regni nostri prosperitate, incessanter Dei omnipotentis clementiam exoretis. Hoc autem donum frater meus Theodericus ob amorem tui laudavit atque concessit. Actum est hoc donum sive privilegium in civitate Parisius anno quinto Childerici Regis. *Hæc ibi. Regnavit apud Neustrios et Burgundos Childericus ab anno Christi* IↃCLXXVI *ad* IↃCLXXX, *interemptus anno regni* IV. *Frater ejus Theodericus tum regno pulsus, ac monasterio S. Dionysii inclusus, inter monachos attonsus degebat, cujus approbatio in hac dissensione frustra conficta est. Sed quam procul hæc tempora distant ab ætate S. Gregorii Magni, et quidem needum ad Pontificatum erecti, ut, cum pro decessore suo Pelagio Papa* II *responsis Ecclesiæ deserviret, basilicam hujus monasterii consecrare potuerit? et, quod consequens est, ante annum* IↃXC, *quo Pelagius mortuus est?* E

*ipseque Childericus eam epistolam misisset S. Amando,*

*omnia approbans,*

*uti et Theodericus frater :*

*integro fere seculo juniores S. Gregorio*

F

139 *Claudius Robertus in Gallia Christiana* Nantuam fundatam *scribit* tempore Gregorii Magni Papæ, Childeberto Rege dotatore, *qui cum esset Rex Austrasiorum, S. Guntramno patruo suo anno Chr.* IↃXCIII *mortuo, in regno Burgundionum successit, vita regnisque functus anno* IↃXCVI, *hujusce regni quarto vix inito, ut diploma fundationis non potuerit datum esse anno regni quinto, multo minus Parisiis, ubi tum agebat Rex Chlotharius* II *; quæ tamen verba ex superiori diplomate Regis Childerici a Claudio Roberto translata ad Childebertum fuerunt. Ad hæc porro S. Gregorii Magni tempora fundationem hujus monasterii referendam esse persuadet diploma Lotharii Imperatoris, ex archivo Nantuacensi a Guichenono in probationibus pag.* 214 *excusum, cujus hic partem damus :* In nomine Domini nostri Jesu Dei æterni. Lotharius, Divina imperante providentia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ et nostris præsentibus videlicet et futuris notum sit, quia monachi Nantuacensis monasterii nostræ retulerunt Celsitudini, quod a quibusdam peregrinis Abbatibus aliunde venientibus, res ecclesiæ illorum, unde victum vestitumque habere continuatim debebant, seu unde familia ejusdem loci servitium illis impendere solita erat, expoliabantur

*Nantua an fundata a Childeberto Rege Burgundiæ?*

*ejus ecclesia dedicata a S. Gregorio.*

AUCTORE G. H.

A liabantur et consumebantur... Quare interrogavimus quid inde vellent, et flexis poplitibus nostra deosculantes vestigia, unanimiter exclamaverunt ex seipsis velle habere Abbatem. Quorum petitionibus ob B. Petri Apostolorum Principis venerationem, in cujus honorem memoratum cœnobium constat esse a B. Gregorio Papa dedicatum, assensum præbentes, hos Serenitatis nostræ apices fieri jussimus, *etc. Eo ut monasterium tunc crediderunt, tempore S. Gregorii fuisse ædificatum. Quam opinionem firmant relata supra* tempora Mauritii et Phocæ Cæsarum, *eidem ædificationi assignata. Quæ dum omnia ab Actis S. Amandi absunt, propria huic monasterio fuisse existimamus: quibus reliqua assuit auctor Nantuacensis, arbitratus suum Nantuacum monasterium esse illud, quod Baudemundus scripserat a S. Amando constructum esse, vocabulo Nanto, sed situm apud Rutenos, populos cum vicinis Arvenis, Gabalis, Cadurcis, Albigensibus et Uceciis, Austrasiorum regno, cui tum præerat Childericus, subjectos.*

## § XXI. *Obitus S. Amandi affictus Nantuæ. An ea monasterium S. Amandi dicta?*

S. Amandus Elnonæ in Belgio obiit,

B *Alterum addi monasterio eidem ornamentum debuit, quo plurimi circumquaque gloriabantur monachi: scilicet ut fundator ejus Sanctus fuisse, inque suo monasterio migrasse e vita diceretur, et in eo magnifice sepultus; ejusque patrocinio deinde multa fieri miracula. Quæ quia Baudemundus attribuit loco, cui vocabulum est Elnone, qui antiquitates istas Nantuacenses congmentavit, nomen illud monti vicino affinxit, in ejusque cacumine extructo castro; unde omnis circa regio Helnonensis dicta sit, ipsumque etiam Nantuacum secundum regionis nuncupationem Helnone appellatum. Verum aut non viderat ille, aut negligenter transcurrerat, quæ Elnonem in Belgio locant antiqua et certa monumenta, maximeque invicem congruentia; inter quæ sunt diplomata Dagoberti Regis ac S. Martini Papæ. Quæ si ille vidisset, non montem Elnonem, sed fluvium, alterumque Scarpum ex eo monte eliciisset. Locum Amando datum, asserit Dagobertus* inter fluvios Scarp et Elnonem situm: *et S. Martinus Papa statuit* cœnobium cui Helnonis inditum nomen, intra decursum duorum fluminum Scarp et Helnonis. *Inclamant Nantuacenses, suo Martyrologio inscriptum S. Amandi Patroni sui nomen, in hunc modum:* VIII Idus Februar.

non Nantuæ

C In diœcesi Lugdunensi, monasterio Nantuacensi, sanctissimi atque omni laude dignissimi, almi Amandi, qui dictum monasterium fundavit, cujus mors pretiosa et vita inclyta virtutibus et miraculis in cœlo et in terra effulsit: qui quondam Ultrajectensium Episcopus fuit; postea vero dicti monasterii Abbas, ubi beato fine quievit. *Hæc ita, amplificata ex Martyrologio Usuardi, in quo ita legitur:* Eodem die sanctorum Episcoporum Vedasti et Amandi, quorum et vita et mors plurimis extitit miraculis gloriosa: quorum prior Adartensium, sequens vero Trajectensium rexit Ecclesiam. *Quod autem tempore scriptoris illius Nantuacensis, non esset Trajecti Sedes Episcopalis, olim Leodium translata, apposuit Ultrajectum, urbem Episcopalem, posterioribus temporibus valde celebrem, quæ erat quidem, dum viveret S. Amandus, metropolis Frisiorum, sed adhuc a fide Christiana abhorrentium.*

141 *Annum mortis et sepulturæ S. Amandi apud Nantuacenses* DCLXXI *assignat ex Martyrologio Nantuacensi idem Guichenonus. Sed quot eum tunc oportet annorum fuisse, si cœnobium illud grandis natu condiderat, quod minimum* LXXX *ante ejus decessum annis Magnus dedicarat ante pontificatum Gregorius? Testamento quoque S. Amandi (nam et illius meminit) an subscripserunt evocati e Belgica II S. Reolus Archiepiscopus Remensis, pro Lugdunensi? et Episcopi S. Mummolenus Noviomensis, et S. Vindicianus Cameracensis,*

D

Testamentum S. Amandi,

*vice propinquorum, Bellicensis, Matisconensis aut Genevensis? et Abbates S. Bertinus Sithivensis, et Gandenses duo, Adelbertus monasterii S. Bavonis, et Joannes Blandiniensis, loco Abbatum istarum ditionum? An tum ab his Antistitibus templum istic Elnonense dedicatum, quod apud Belgas Elnonenses factum diximus? An corpus ejusdem Sancti istic etiam translatum anno* IↃCXCVIII, *et elevatum anno* IↃCCCIX? *An, ut reliqua omittamus, idem sacrum corpus inde Turnacum, Gandavum et per alia loca Flandriæ et antiqui Brachanti, anno* CIↃCVII *delatum? Certe affictum Nantuaco nomen Elnonense ignorarunt antiqui. Ita Rex Pipinus in privilegio eidem monasterio dato anno* VI *regni,* Siagrium *appellat* Abbatem monasterii Nantuaci. *Ludovicus pius in* constituto de monasteriis, quæ Regi militiam, dona vel solas orationes debent, monasterium Nantuadis *in secunda classe statuit, dona absque militia conferentium. Lotharius Imperator in memorato diplomate* monachos Nantuacensis monasterii *dixit. Albitius et Odila Comites Genevenses seculo decimo varias donationes conferunt* sacrosancto S. Petri Nantoadis monasterio. *Paschalis* II *Papa anno* CIↃC *inter alia monasteria Cluniacensibus subjecta in Prioratum redigit* Nantuacum.

variæque corporis Translationes ostendunt

Nantuam non esse Elnonem dictam.

E

*Eugenius Papa* III *anno* CIↃCXLVI *Bulla inscripta* Priori Nantuacensis monasterii, *privilegia confirmat. Quæ omnia exhibet Guichenonus in Probationibus: ast in iis nusquam* Elnonis *aut etiam* Amandi *nomen; ut perspicuum sit, omnem illam fabulam ex sola voce* Nanto *extudisse posteros. Extat apud eumdem Guichenonum epitaphium Caroli Calvi Regis Francorum et Imperatoris, in monasterio Nantuacensi, tempore Helmedii* VIII *Abbatis, sepulti. Quod qua occasione contigerit, ita refertur in Annalibus Francorum Bertinianis:* Carolum in vilissimo tugurio mortuum II Nonas Octobris aperientes, qui cum ipso erant, ablatis interaneis, et infusum vino et aromatibus, quibus poterant, et impositum locello, cœperunt ferre versus monasterium S. Dionysii, ubi sepeliri se postulaverat. Quem pro fœtore non valentes portare, miserunt eum in tonna interius exteriusque picata, quam coriis involverunt: quod nihil ad tollendum fœtorem profecit. Unde ad cellam quamdam monachorum Lugdunensis Episcopii, quæ Nantoadis dicitur, vix pervenientes, illud corpus cum ipsa tonna terræ mandaverunt.

Nantuæ Carolus Calvus sepultus.

F

142 *Edita est in Bibliotheca Cluniacensi columna* 313 Charta Lotharii Regis *de monasterio S. Amandi Cluniacensi Abbatiæ tempore S. Maioli Abbatis subjecto: quod monasterium Guichenonus Nantuacum esse ratus, eamdem Chartam a Petro Francisco Chiffletio nostro ex archivo Cluniacensi descriptam, sibique communicatam vulgavit in Probationibus pag.* 216, *quam hic damus.* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Lotharius Dei gratia Rex. Prædecessorum nostrorum consuetudines Regum obtinemus, si familiariter congruus in petitionibus fideles nostros exaudimus. Quapropter universæ sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium fidelium, tam præsentium quam et futurorum, animis notum esse volumus: quoniam Domina mea mater gloriosissima Gerberga Regina, per consensum suorum nostrorumque fidelium, accessit nostræ præsentiæ serenitatem, maternis cum jussionibus rogans: ut monasterium, quod est situm in Comitatu * Varesino in honore S. Amandi dicatum, eo quod absque Rectoribus, etiam veluti in inhabitabilibus locis, monasterio Cluniacensi suisque Rectoribus subderemus, cum suis omnibus ad se pertinentibus, tam in villis quam in prædiis omnibus, cum mancipiis utriusque sexus, pratis, vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, et egressibus et exitibus. Cui assensum præbentes,

Diploma Lotharii Regis,

de monasterio aliquo S. Amandi

* al. Tabesino

Cluniacensibus subjiciendo,

A præbentes, quod æquum fuerat, petitiones in hac jussione ut in aliis suscepimus, præfatumque monasterium S. Amandi cum omni integritate, ut jam dictum est, jam dicto Cluniacensi monasterio subdendo concessimus eo statu, ut inquantum Deus illis suppeditaverit auxilium, cum construant, locumque habitabilem, prout potuerint, reddant, quatenus cunctipotens Deus ibi jugiter laudetur cum Sanctis, Dominaque mea gloriosissima nobiscum mater, quæ hoc statuit, æternæ felicitatis præmio, Christo largiente, donetur. Et quo firmius credatur, stabiliusque possideatur, manu propria subterfirmavimus, et annulo nostræ auctoritatis insigniri jussimus. Signum Domini et gloriosissimi Lotharii Regis. Gebo humilis Quæstor ad vicem Artoldi Archiepiscopi summique Cancellarii cognovit. Datum IX Kalend. Decemb. regnante gloriosissimo Lothario Rege anno V Indictione III Actum Divionensi in palatio feliciter, Amen. *Hæc ibi. Lotharius anno Chr.* DCCCCLIV, *ab Artoldo Archiepiscopo Remensi pridie Idus Novembris in Regem unctus est ; adeoque si sequens annus integer primo regni anno attribuatur, annus quintus conveniet in annum Chr.* DCCCCLIX, *quo Indictio III ab Octobri numerari cœpta. Annum regni omisit Guiche-*
B *nonus, ratus forte eum cum Indictione III minus congruere.*

*non convenit Nantuæ dicata S. Petro,*

143 *Sed major difficultas est apud eumdem, ut probetur, quo ductus argumento scribat, memoratum locum, monasterium S. Amandi appellatum, non distingui a Nantuaco, quod tamen in diplomate Lotharii Imperatoris dicitur* a B. Gregorio Papa in honorem B. Petri Apostolorum Principis esse dedicatum ; *imo in instrumento donationis ab Albitio et Odila circa tempora Ludovici Transmarini, quo Patre Lotharius Rex natus est, factæ, appellatur* sacrosanctum S. Petri Nantoadis monasterium, *et postea* monasterium S. Petri, *cui tum præerat Abbas Arnulfus, ante Episcopus Matisconensis. Nec facile intelligi potest, quomodo mox illud monasterium esse potuerit,* absque Rectoribus, et veluti in inhabitabilibus locis, *ut de monasterio S. Amandi dictum est, cum isti pro solis* luminariis sacrificiis et psalmodia *a dictis Comitibus Genevensibus donati sint reditus plurium villarum sive pagorum, quinque in iis ecclesiarum. Præterea inter celebriora monasteria habitum fuisse Nantuacum, colligimus ex undecim Prioratibus illi immediate subjectis, qui enumerantur in* Catalogo Abbatiarum Prioratuum et Decanatuum mediate et immediate monasterio Cluniacensi subdito-
C rum. *Quando autem Nantuacenses hanc Cluniacensem reformationem susceperint, non constat. In supra indicata Bulla Paschalis Papæ* II *postponitur Nantuacum monasterio S. Martini de Campis, interjectis Silviniaco, Virgeno et Ginniaco. Fuisse autem monasterium S. Martini de Campis ab Henrico* I *Rege Francorum anno Chr.* CIↃLX *fundatum, docet ipsum fundationis diploma una cum reliqua hujus monasterii historia editum a Martino Marrierio. Aliquot deinde elapsis annis S. Hugo Abbas Cluniacensis ad Ecclesiam Nantuacensem transtulit corpus S. Maximi, assistente Odone Episcopo Ostiensi tunc in Gallias misso a Gregorio Papa* VII, *qui præfuit Ecclesiæ ab anno* CIↃLXXIII *ad* CIↃLXXXVI. *Mentio Odonis est in veteri inscriptione posita an.* CIↃLXXXV, *apud Ughellum in Italia sacra. Post reformationem ab S. Hugone inductam primus istic Prior fuit Franciscus, qui traditur apud Guichenonum aliquam bonorum commutationem anno* CIↃXCIX *cum Amato Genevensi Comite iniisse. Eodem anno creatus est Papa Paschalis* II, *qui, abdicato Abbatum nomine, voluit eos omnes, qui præessent monasteriis Cluniacensi subjectis, Priores appellari. Denique in prædicto Catalogo Cluniacensi hæc de Nantuaco habentur :* Prioratus Nantuaci Lugdunensis diœcesis, ubi debent esse viginti quinque monachi, et debent ibi celebrari tres

*Cluniacensibus postea subjecta.*

*tum valde celebri,*

*sæculo XI,*



Missæ cum nota, et debet fieri eleemosyna ter in D qualibet septimana omnibus venientibus, et debent dari tredecim præbendæ tredecim pauperibus, in festo B. Mariæ Magdalenæ et S. Petri, *scilicet Patroni.* AUCTORE G. H.

144 *Postremo etiamsi omnia in Lotharii Regis tempora convenirent, et nomen S. Amandi dicto monasterio Nantuacensi proprium foret, unde hunc Regi jus erat de illo monasterio extra suum regnum sito statuendi ? Suberant eo tempore Bressia et Beugesia Conrado Regi Burgundiæ, Alamanniæ et Provinciæ, cui nupta soror Lotharii Regis in dotem contulerat urbem et ditionem Lugdunensem. Fuit is Conradus filius Rudolphi* II, *nepos Rudolphi* I *itidem Regum Burgundiæ. De iis agunt Chesnæus lib. 2 Historiæ Regum et Ducum Burgundiæ capp. 22, 23 et 24, et Guichenonus par. 1 Historiæ Bressiæ et Beugesiæ cap. 9. Imposuit fortasse huic scriptor Nantuacensis, Lotharii diplomate ad suum etiam monasterium aptato.*

*tempore Lotharii Regis subditæ Conrado Regi Burgundiæ;*

145 *Cur autem in catalogo monasteriorum Cluniacensi Abbatiæ subjectorum non legatur ullum S. Amandi monasterium, nil certi, quod respondeamus, occurrit. Forsan postea destructum, aut aliud obtinuit nomen. Quid si reclamantibus monachis reformationem Cluniacensem non admisit, aut postea ad priorem institutionem rediit ? Hactenus etiam situm Comitatus Truhesini, sive Varesini certo assecuti non sumus.* E

*ubi illud monasterium S. Amandi fuerit?*

## § XXII. *Episcopatus Castellonensis an a S. Amando administratus?*

E*a virtutum S. Amandi per omnem fere Europam celebritas fuit, ut post aliquot secula complures eum sibi olim fuisse Episcopum aut Abbatem optarint. Quapropter nova ab Hispanis quæstio movetur, in hunc commodius locum a nobis reservata, utpote apud alios Scriptores intacta, atque ex supra dictis, potissimum ratione chronologica, dissolvenda. Fundamentum sternitur in Chronico Juliani Petri Archipresbyteri S. Justæ, in quo hæc leguntur ad annum 660, num. 336.* S. Amandus Episcopus Castellonensis in Hispania per id tempus floret, ad quem litteras mittit S. Martinus Papa. Contrahitur Amando impulsore Concilium contra Monotheletas anno Domini DCL, *mendose. Anno* DCL *legit Tamayo Salazar, de quo mox agemus. At pergit Julianus num. 337.* Florebat S. Ildefonsus Toletanus Antistes, qui prima die Decembris anni DCLIX accipitur ad Sedem Toletanam loco S. Eugenii III, qui mortuus, est ad Superos relatus die XIII F Novembris. Sed successit Ildefonso Toletano Justus in regimine monasterii SS. Cosmæ et Damiani. Sanctus vero Ildefonsus VII Idus Novembris hoc anno Concilium Toleti contrahit contra quosdam hæreticos male sentientes de virginitate B. Mariæ, quod dilatatis virginalibus claustris, ut ceteræ mulieres, peperisset sine novo quodam miraculo. Anno Domini DCLXVI *ut num. 338 pergit.* Hæreticos Gallos Theodium et Helladium loquentes de parturiendi modo beatæ Virginis Mariæ editis libris, quos ad moniales Delviensis (*alias Deibensis*) monasterii in agro Toletano positi dedicarat, confutat. Concilium multorum Episcoporum contrahit, inter quos fuit unus S. Amandus, primus Episcopus Trajectensis, deinde vero Castellonensis in Hispania, vir doctus et sanctus.

*S. Amandus Epus. Castellonensis in Chronico Juliani*

*anno 650*

*et 666.*

147 *Ita Chronicon Juliani : cujus auctoritate motus Joannes Tamayo Salazar S. Amandum Martyrologio Hispano inscripsit his verbis :* Apud Castellonenses Hispaniæ populos, S. Amandi, primo Trajectensis Episcopi, post Castellonensis, qui peragratis Italiæ, Galliæ et Germaniæ provinciis, Hispaniam adivit, Ildephonso Toletanæ Sedis Episcopo carus, cujus exhortationibus beatus Præsul Toletanus Concilium contra

*apud Tamayum Salazarium in Martyrologio Hispano,*

A Monothelitas indixit, cui interfuit Amandus, post in patriam reversus glorioso fine quievit. *Adjungit deinde Acta ex variis Scriptoribus collecta, in quibus postquam Episcopatum Trajectensem ab eo relictum narravit, hæc addit*: Episcopalis ergo oneris diruptis compedibus, ut Pontificis placitum ubivis adimpleret, Aquitanos suos, illis deposcentibus, invisit. Ibidem quantis Vaccea gens, quæ hodie dicitur, citra et ultra Pyrenæos vivens, implicaretur erroribus agnoscens, eorum miseratus excidium, illo quo æstuabat fidei zelo in illorum populos descendens, illis prædicare aggreditur, ut ab idolorum fœda abstraheret servitute: demum in Castellonensem devenit populum, ubi mirabilia patrans, Evangelici verbi semine, innumeram Christo obtulit frugem. Ex quo Castellonensis Episcopus factus, totam Hispanicam Vasconiam lustravit. At audita fama, quod Theudius et Helladius hæretici, ex Gallia Hispanias ingressi, virus sui erroris in tenera credentium viscera diffundere decernebant, B. Ildephonsum Toletanum Antistitem litteris interpellat, ut contracta Synodo adversus hæreticos gladius Ecclesiasticæ ultionis acriter elucescat. Ildephonsus, qui etiam a Genesio Episcopo Arvernensi fuerat admonitus, continuo

*AUCTORE G. H. et Actis adjunctis,*

B Concilium indixit Toleti, cui itidem Amandus interfuit, in quo damnatis hæreticis Gallis et aliis ex Concilii Lateranensis decretis, quorum Amandus Apostolicus executor extiterat, facile turbulenta illa hæreticorum seditio sedata est. His in Hispania peractis, in Galliam reversus, Childerici Regis munificentia illustre Elnone condidit cœnobium, quod postquam monasticis institutionibus vitaque exemplo stabiliisset, ejusque dedicasset basilicam, ad promeritam tot laboribus coronam in cœlum evolavit, sub annum vitæ nonagesimum, VIII Idus Februarii anno Domini DCLXXI.

148 *Hactenus Tamayo Salazar, qui prorsus de S. Amandi apud Castellonenses Episcopatu ab anno* DCL *ad* DCLXVI, *atque ejus tum ad Concilium Toletanum adventu securus, prolixe Sedem illam Castellonensem inquirit; ac triplicem* Castellonem, *seu* Castulonem *assignat, alium in Catalania ad radices Pyrenæi, alium in Navarra, ac tertiam in Bætica, quæ hodie Episcopatui Giennensi paret. Ideo nuper Episcopus Cardinalis de Moscoso et Sandoval, Giennensis tunc Episcopus, dein Archiepiscopus Toletanus, præcepit ab omnibus illius diœcesis Clericis, tam secularibus quam regularibus, qui ad Divinum officium legendum obligantur,*

*ejus officium Duplex recitatur in Giennensi diœcesi,*

C *illud de S. Amando Confessore Pontifice, ritu duplici, die* VI *Februarii recitari, datis litteris* III *Julii anno* DCXL, *cum aliquot ante annis Franciscus de Rus-Puerta edidisset historiam Ecclesiasticam regni et diœcesis Giennensis, in eaque seculo 7 cap. 2 scripsisset S. Amandum istic fuisse Episcopum Castulonensem. Verum opponit Tamayo Salazar hoc Cardinalis Baronii dictum in Notis ad* X *Decemb.* Coluntur ubique sancti Martyres, *(idem dicendum de aliis)* quorum Deus omnia in omnibus, et dives in omnes, qui invocant eos. *Dein rejicit hanc Bæticam* Castulonem, *quam Hispanice* Cazlona *vocant, quod* Marcus Episcopus Castellonensis *Concilio Toletano* X *anno Christi* DCLVI, *Æræ Hispanicæ* DCXCIV, *celebrato subscripserit: cum jam ante S. Amandus esset Episcopus Castellonensis.*

149 *Sed quidni potius hic Marcus fuit Episcopus Castellonensis in Catalania, quam in Bætica, cum velit urbem Catalaniæ olim Castulonem dictam? Secundo quidni binominis, et Marcus Amandus appellatus? Ita Laurentius Ramirez de Prado in Notis ad Luitprandi Chronicon, in quo ad an. Æræ Hispan.* 687, *Christi* 649, *traditur num.* 85 *tum habita* Synodus Hispalensis contra Monothelitas, *ubi ita addit:* Quod ut melius intelligatur, oportet observare, sanctum Pontificem Martinum Papam in litteris ad M. Amandum Episcopum Castellonensem (Castellon de la Plana vulgo) in regno Catalaniæ significare inventionem librorum a Taio petitorum, sed non expectasse, ut scriberentur Moralia... Circa materiam hujus Concilii sic scribit ad dictum Episcopum S. Martinus.... Marcus Amandus acceptis litteris a S. Martino Papa mittitur ad Reges, qui jubeant Eugenio, ut congreget Synodum Toleti. Hæc est contra Monothelitas, ut videamus, quanta sit Hispanorum Regum observantia erga sanctam Sedem Romanam, et Episcoporum obedientia, qui habita Synodo Toleti, ubi recepta est honorifice Synodus Lateranensis, et abjurantes ac detestantes hæresim Monothelitarum, mittunt Romam hanc Synodum cum Taio et M. Amando Episcopis. Et mirum est, quomodo hæc Synodus interciderit, quamquam ejus vestigia in Onuphrio et Roderico, ac Juliano Toletano, clara expressaque reperiamus. *Hæc Ramirez de Prado de binomini Marco Amando, inserta parte epistolæ S. Martini Papæ ad S. Amandum Episcopum Trajectensem datæ: omissaque priore parte ad Sedem Trajectensem pertinente, incipit ab his verbis:* Credimus autem ad vos pervenisse, quomodo a conturbatione veræ fidei et Catholicæ Ecclesiæ conculcatione

*In Catalania statuitur Marcus Amandus a Ramirez de Prado,*

D

*applicata huic epistola S. Martini Papæ ad S. Amandum Trajectensem.*

ante hos plus minus XXIV (*alii* XXV) annos a Sergio E falso Episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente Imperatorem Heraclium, exsecranda et abominanda hæresis pullulavit. *A quibus verbis infra in Vita S. Amandi per Philippum Abbatem incipimus numerum 48. Omittuntur aliqua num. 49 de Rege Francorum Sigeberto interposita; præpositis sequentibus, quæ num. 50 de reliquiis Sanctorum donatis, ac codicibus describendis referuntur. Extatne uspiam codex aliquis Conciliorum, in quo hæc seorsim tradantur? Cur non citatur si extat? Si non extat, unde ista hoc modo protruduntur in lucem? Apud Onuphrium Panvinium ab eo citatum hæc verba,* Synodus Hispalensis contra Monothelitas *ex Luitprando repetuntur ad annum Christi* DCL. *At Rodericus Toletanus lib.* 2 *Historiæ cap.* 22, *in Concilio Toletano sub Eugenio Metropolitano, mysterium sanctæ Trinitatis traditum asserit absque ulla mentione S. Amandi Episcopi Castellonensis: quo impulsore ea Synodus habita scribitur in Chronico Juliani.*

150 *His positis, censemus si aliquis eo tempore fuit in Hispaniis S. Amandus Episcopus Castellonensis, necessario alium statuendum ab S. Amando tunc Episcopo Trajectensi, ad quem S. Martinus Papa illustrem epistolam, ad finem Synodi Lateranensis anno* DCXLIX F *habitæ hactenus excusam misit. Hic relicta Sede Trajectensi, ut demonstratum est* § 12, *Romam petiit, non cum Taio quopiam Hispano, sed assumptis sibi sociis Nicasio Elnonensi, et S. Humberto Abbate Maricolensi. Dein Roma non in Hispaniam, sed in Belgium rediit anno* DCLI *acceptis adjutoribus SS. Landoaldo Archipresbytero, Amantio Diacono, Vinciana et Adeltrude Virginibus, aliisque viris et mulieribus septem. Ac mox S. Bavonem ordinavit Clericum, eumque anno* DCLV *cellæ inclusit, ac Sancte mortuum anno* DCLVII *sepelivit: S. Adalbaldo anno* DCLII *occiso, suasit S. Rictrudi continentiam vitamque monasticam: prædicatione verbi divini, dum oratorium S. Gisleni cum B. Autberto consecrat, S. Vincentium Madalgerum ad vitam cœnobiticam induxit. Dein circa annum* DCLX *dedicavit Antverpiæ ecclesiam a se extructam, ac varia in Belgio monasteria condidit, Calluanis prædicavit ad Scaldim, quorum oppidum* Chavelans *apud Baudemundum, frustra Castulonem seu Catalaunum in Bætica situm somniarunt quidam. Demum mortuo apud Gandenses Kalendis Novemb. anno* DCLXIV *S. Florberto, Abbates creavit Amandus monasterii S. Bavonis Aldebertum et Blandiniensis Joannem. Quæ omnia supra* § XIII *firmantur.*

*Non fuit noster S. Amandus in Hispania anno 649 aut seqq.*

151 *Post*

*invisit Vascones, dein Rutenos post an. 664.*

A 151 *Post hæc tempora, uti* § XIV *indicamus, Vascones instructurus versus Pirænæos saltus profectus est. Verum illis in cæcitate permanentibus, ad citeriorem Franciam reversus, monasteria extruxit, aliud, quantum ex conjectura assequimur, in agro Borbonio, aliud Nanto clare expressum apud Rutenos populos prorsus vicinos Arvernis, quorum* Episcopus S. Genesius, *ut tradit Luitprandus in Adversariis num.* 220, S. Ildefonsum anno DCLXV admonuit per epistolas de hæresi Joviniani per quosdam excitata, qui dicebant beatam Virginem in partu corruptam mansisse *etc. de S. Genesio agemus in Junii. Potuit S. Amandus aut collato cum S. Genesio studio, aut sua sponte ac zelo excitatus scripsisse S. Ildefonso, et sic occasionem dedisse confundendi res gestas hujus et alterius Amandi Episcopi Castellonensis, ut supra factum diximus cum S. Amando Episcopo Burdegalensi, S. Amantio Episcopo Rutenensi, S. Alano, sive Elano Episcopo, Vaurensis Ecclesiæ Patrono, S. Amando Episc. Argentinensi, et S. Amando Episc. Wormatiensi; quamvis aliqui horum aliquot seculis distarent a S. Amando Trajectensi.*

*Cujus Amandi reliquiæ serventur Perpiniani?*

152 *Antonius Vincentius Domeneccus libro de Sanctis Cataloniæ ad sextum Februarii tradit,* sacras S. Amandi Episcopi et Confessoris reliquias magna B cum veneratione adservari in Ecclesia Eulana urbis Perpiniani in Helenensi diœcesi : *quod de parte non minima e Belgio eo translata conatur explicare Tamayo Salazar. Verum uti aliorum, qui S. Amandi dicti sunt Reliquiæ adservatæ fuerunt apud Argentinenses et Wormatienses, licet officium Ecclesiasticum de S. Amando Episcopo Trajectensi istic recitetur; ita alterius S. Amandi in Catalania, ubi S. Amandus traditur Castellonensis Episcopus fuisse, prorsus opinamur Reliquias adservari. Meminit Amandi Episcopi Castellonensis Franciscus Portacarrero noster cap.* 14 *Vitæ S. Ildefonsi, cujus Sedem in Bætica statuit in loco jam* Cazlona *dicto.*

# VITA

## auctore Baudemundo ejus discipulo, Abbate Blandiniensi,

*Ex XI codicibus MSS. et Surio.*

### PROLOGUS AUCTORIS.

a Scripturus vitam B. Amandi, habitatorem ejus in- C voco Spiritum sanctum : ut, qui ei virtutes largiri dignatus est, mihi etiam eas sermonem tribuat narrandi : quatenus et caritati vestræ debitum servitutis impendam officium, et ne is lateat, qui omnibus modis est imitandus. Licet enim *b* tantæ rei sim impar ingenio, atque nugacitatis vel desidiæ pondere opprimar; ad illum tamen spem erigo, qui dixit : *c* Aperi os tuum, et ego adimplebo illud : maximeque vestris *d* fretus suffragiis, ut, quod meritis meis obtinere non valeo, orante pro me beatitudine vestra, opus tam arduum atque difficile, a meque hactenus indiscussum, superna opitulante gratia, possim aggredi. Prius enim scire vos cupio, me ad omnes virtutes, quas per eum Dominus, operari dignatus est attingere minime posse. Et quamvis ad omnia illius pervenire nequeam, tamen, prout Dominus vires infuderit, pauca e pluribus cursim succincteque, et ut ita dicam, breviter aggredi conabor. Indignum est enim, ut de tanto viro silere quis audeat, dum pius rerum Arbiter talem in Ecclesiasticæ culturæ campo cultorem instituit, per quem, agrum ipsius intenta operatione fidei rastro *e* colenti, ad centeni numeri redditum Christi seges excresceret. Satis enim sunt solicita circa humanum genus immensæ Divinitatis provisura remedia, dum talem ad illuminationem patriæ dignata est dirigere, misericordia D consulente. Et licet longe lateque se per rumigerulos favores divulgare noluerit, tamen, ut ait ipsa veritas, civitas in monte posita, *f* latere non potuit. Et quod mihi pace Sanctorum omnium liceat confiteri, nulli est secundus in meritis eorum, quorum agnovimus virtutes. Igitur ne prolixa oratio horrorem incutiat, generetque, ut assolet, legenti fastidium, vitam S. Amandi, qualiter a pueritia usque perfectam vixerit ætatem, qualiterve ante episcopatum vel in episcopatu gesserit, aut circa beatum finem qualis extiterit, vel qualiter rigorem mentis atque propositum tenuerit, licet rustico ac plebeio sermone, propter exemplum tamen vel imitationem, memoriæ, contempta verecundia, tradere curabo *g*.

*Auctor pauca de S. Amando seligit.*

*Psalm. 80. 11*

AUCTORE BAUDEMUNDO, EX MSS.

*f* Matt. 5. 14

*quem nulli Sanctorum arbitratur secundum.*

a *Hoc exordio utitur S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis,* 21 *Octob. et alii ejus imitatione.* b *MSS.* tanti sim impar ingenii. — c *In lectione vulgata,* dilata os. — d *MS. Lætiensi* fultus. — *e Surius,* colentem. — f *In lectione, vulgata* abscondi. — g *Subjunguntur in multis MSS.* capitula de virtutibus S. Amandi Episcopi, *quæ ut a posteris apposita negligimus, Acta more nostro distinguri. Illa tamen, si quis forte requirat, hic apponimus.*

*Capita divisionis a posterioribus facta.*

1 De initio conversionis illius. — 2 De serpente ex Ogia insula orationibus illius fugato. — 3 De responso ad patrem, qui eum secularem rursus cogebat assumere habitum. — 4 De adventu ipsius ad S. Martini sepulchrum, et de clericatus honore. — 5 De eo, quod civitate Bituricas ad S. Austregisilum petiit, et de conversatione ejus. — 6 De abstinentia ipsius, et qualiter Romam petierit. — 7 De eo quod sedente eo in extasi mentis, Sanctus eum alloquutur Petrus. — 8 De reversione ipsius in Gallias et de adsumpto Episcopatu. — 9 De pueris emptis, et instructione eorum. — 10 De reversione ipsius a Roma, et de puero in Centumcellensi loco a dæmone erepto. — 11 De tempestate in pelago orta; et oratione illius sedata. — 12 De eo, quod in navi residens, Sanctus eum alloquutur Petrus. — 13 De pago, cui vocabulum est Gandavus ab errore liberato. — 14 De mortuo suscitato. — 15 De fanis destructis, et Gentilibus conversis atque baptizatis. — 16 De eo, quod prædicationis gratia ad Sclavos perrexit. — 17 De eo, quod Dagobertus Rex Sanctum Dei virum petiit, ut filium ejus de sacro exciperet fonte atque enutriret. — 18 De eo, quod Ecclesiam Trajectensium ad regendum suscepit. — 19 De insula reperta, et mulctatione ipsius in ea, et de contemptoribus verbi Dei. — 20 De eo, quod dum gentem Wascanorum verbum Dei admoneret, ab eis repulsus sit, et de mimilogo a dæmone arrepto. — 21 De cæco, ex aqua, in qua vir Dei manus abluit, illuminato. — 22 De reversione ipsius in fines Francorum cum monachis, et de cœnobio ædificato. — 23 De conflatu ipsius ad Childericum Regem et municipio impetrato et de Mummulo, qualiter eum voluit interficere. — 24 De muliere cæca in pago Belvacense illuminata et destructo fano. — 25 De monacho propter inobedientiam soluto paralysi, et oratione ipsius sanato. — 26 De obitu vel sepultura ipsius, atque virtutibus reliquis. E

### CAPUT I.

*Vita S. Amandi, in patria, insula Ogia et Biturigibus.*

*S. Amandus ortu Aquitanus,*

*inter monachos Ogiæ insulæ exercetur :*

Amandus igitur sanctissimus atque religiosissimus, F *a* Aquitaniæ partibus haud procul a maris Oceani littore ex Christianis atque inclytis parentibus *b* editus puer est. Pater ejus *c* Serenus nomine, genitrix vero Amantia vocabatur. Sed cum jam adolescentiam transiens, in robur migraret virile, et immodicis desideriis in Christi flagraret amore, patriam parentesque relinquens, ad *d* Ogiam insulam, quæ a littore Oceani maris quadraginta distat *e* millibus, felici navigans cursu, tandem portum monasterii petiit, ibique a Fratribus spiritualibus cum magno receptus est gaudio : et quia sacras ab infantia didicerat litteras, ex hoc majori succensus desiderio, amplius quotidie in Dei rebus crescebat.

3 Quadam igitur die, dum ei a Fratribus imperatum fuisset, ut obedientiæ caussa per insulam deambularet, fit ei repente obviam miræ magnitudinis serpens, sicut idem vir Dei narrare consueverat, ita ingens atque immanis, qualis nec post, nec antea in eadem visus est insula. Quo viso, perterritus puer, sicut ipsa patiebatur ætas, quid ageret, ignorabat. Tum subito superna respectus gratia, ad orationum confugit auxilia. Statimque solo prostratus, cum aliquantisper orationi incubuisset, signum Crucis contra immanem opposuit anguem, potentique virtute verborum, ut ad latebras quantocyus rediret, imperat. Qui dicto obediens, atque ad signum viri Dei fugiens,

*immanem serpentem videns, terretur : signo crucis pellit :*

AUCTORE BAUDEMUNDO, EX MS.

A fugiens, rapidoque cursu ad latebras remeans, in eadem insula ulterius nusquam comparuit. Sicque eamdem insulam per orationem beati viri Amandi omnipotens Deus ab imminenti liberavit periculo. Hoc initium signorum ejus, ad nos multorum fama volitante perlatum est.

*patri habitum secularem suadenti resistit :*

4 Dein, *f* cum adhuc in puerili esset ætate, cœpit pater ejus blandis eum sermonibus irretire, ut quantocyus de monasterio egrederetur, et rursus secularem assumeret habitum. Cumque his atque hujuscemodi persuasionibus animum illius conaretur evertere, obtestans, nisi citius assensum daret, ut de monasterio egrederetur, jam paterna privaretur hæreditate, respondisse fertur : Nihil mihi, Pater, tam proprium videtur, quam ut Christi assumam servitium, qui est pars et hæreditas mea. De paternis enim substantiis nihil adipisci cupio : solummodo, ut Christo militem, permitte.

*Turonos ad S. Martinum abit :*

5 Sicque in eodem permanens desiderio, relicto *g* solo parentibusque, Turonis ad sepulchrum sanctissimi petiit Martini. Ibique prostratus, et profusis in oratione uberrime lacrymis, ex toto cordis petiit affectu, quatenus vir sanctus oratione sua apud Deum obtinere mereretur, ut nunquam eum Dominus ad B solum proprium remeare permitteret, sed omnem vitæ suæ cursum in peregrinatione expenderet. Cumque ab oratione surrexisset, statim comam capitis sui abscidit, adeptusque Clericatus honorem, omnem gratiam transcendebat in Clero.

*in Clericum tondetur :*

6 Post hæc vero ab Abbate ipsius loci, et a Fratribus benedictione percepta, civitatem Bituricas, ad Sanctum *h* petiit *i* Austregisilum, qui tunc in Dei rebus magnificus atque insignis habebatur. Cumque ab eo, et ab ejus Archidiacono, sanctissimo videlicet *k* Sulpitio, qui postea Episcopus claruit, clementissime fuisset susceptus, omni ei humanitate exhibita, cellulam juxta ecclesiam in superiori civitatis muro construi fecerunt, in qua cellula multis diebus ob amorem æternæ vitæ, cilicio tectus et cinere, jejuniis attritus atque inedia, hordeaceo tantum contentus pane atque aqua perpaullulum corpus suum sustentavit potius quam aluit. Sicque ibidem *l* tribus ferme militans lustris, a vino et sicera omnino abstinuit.

*apud SS. Austregisilum et Sulpitium Pium solitarius degit 15 annis,*

a In pago Herbatilico vel in Ligeris fluminis, ut supra § 1 diximus. — b Anno 594, die 7 Maii, ut dictum. — c Serranus Guillelmum de Lyra Argentoratensibus, cum alii Ducem, alii Comitem Aquitanorum appellant; perhibent Comes Herbatilicus dicitur. — d MS. Valle in Ogiam. MS. Ultraject. Ugiam. Baudinus Ogiacam. Tepe. Augiam. a melio MS. dat Chesnius, Oyem. Adjacet insulæ ... sive S. Martini non procul Rupella. — e Alii militaribus, vel cum dicta Ogia, sive Oyem, a partis S. Benedicti. — f ... aut ... verba hæc Surio, et nonnulli MSS. — g Solum notat, patria, aut propria, ut expressit Milo, et mox hic explicatur. — h Circa annum Ch. 612, ætatis 18. — i Colitur S. Austregisilus 20 Maii. De tempore Episcopatus illius et decessorum S. Eustachii et Apollinaris actum est § 10. — k Hic est S. Sulpitius Pius, successor S. Austregisili, cujus Vitam dedimus 17 Januarii. — l Sive quindecim annis, ut Milo, Auctor Aquitanus, Harigerus et Philippus habent.

*Ogem insula.* C

## CAPUT II.

### *Iter S. Amandi Romanum duplex. Ordinatio Episcopalis. Tempestas sedata.*

His ita gestis, cœlesti iterum inflammato desiderio, incidit ei cogitatio, ut ad limina beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli properare deberet. Assumptoque secum uno tantummodo comite, squalida atque devia lustrans loca, tandem Romam *a* pervenit. Ibique sancto satiatus desiderio, prædulcia in liminibus Apostolorum figens oscula, diebus ecclesiarum Dei circuibat loca, nocte vero ad sancti Petri revertebatur ecclesiam.

*It Romam a*

*loca sacra invisit,*

8 Quadam namque die jam appropinquante vespera, cum custodes juxta morem in ecclesia fecissent diligentiam, sanctus vir Domini Amandus, egredientibus cunctis, in ecclesia paullulum substitit, ibi ex devotione tota nocte vigilare cupiens. Tum vero unus ex custodibus eum inventum, contemptibiliter affec- D tum injuriis, ejecit extra ecclesiam. Sedente autem eo in extasi mentis in gradibus ante fores ecclesiæ, subito ei Sanctus apparuit *b* Petrus, blande leniterque eum alloquitur, et ut in Gallias ad prædicationem exercendam reverti deberet, admonuit. De qua visione sanctus vir Amandus hilarior redditus, accepta benedictione Apostoli atque patrociniis, feliciter remeavit in Gallias.

*ejectus ex ecclesia,*

*b a S. Petro apparente in Gallias remittitur :*

9 Cum interim paucis post transactis diebus, coactus a Rege ac Sacerdotibus, *c* Episcopus ordinatus est. Acceptoque pontificatus honore, *d* Gentibus verbum evangelizare cœpit Domini, atque seipsum in omnibus exemplum præbere bonorum operum. Erat autem piissimus, atque omni bonitate repletus, vultu serenus, eleemosynis largus, sensu sobrius, corpore castus, atque inter divites et pauperes medius : ita ut pauperes illum quasi pauperem adspicerent, divites quasi superiorem se æstimarent. Vigiliis atque orationibus deditus, sermone cautus. Si quos etiam captivos vel pueros *e* transmarinos invenisset, dato pretio redimebat, spiritalique eos regenerans lavacro, litteris affatim imbui præcipiebat, præmissaque libertate per diversas *f* distribuebat, Ecclesias. Pluresque ex his postea Episcopos, vel E Presbyteros, seu honorificos Abbates fuisse audivimus.

*c d ordinatur Episcopus Apostolicus,*

*omni virtute præditus :*

*e captivos redimit, et instruit.* *f*

10 Illud etiam non est prætermittendum, quod idem vir Dei Amandus a Roma secundo *g* rediens, ascensa navi, pervenit ad *h* Centumcellensem locum. Quadam igitur nocte dum solus, ut illi mos erat, oraret, immundus spiritus unum e famulis apprehensa manu trahebat ad mare, volens eum ibi *i* demergi. Sed idem puer, qui trahebatur, magnis cœpit vocibus clamare, dicens : Christe, adjuva me : Christe, adjuva me. Mox malignus spiritus eidem puero insultando respondit : Qualis Christus? Sed dum puer, qui trahebatur, minime responderet, ait S. Amandus : Dic illi fili : Christus filius Dei vivi, crucifixus. Statimque ad vocem illius inimicus ut fumus evanuit.

*in altero a Roma reditu g h*

*i Christo invocando subveniendo succurrit*

11 Nec multo post, cum quadam die per medium pelagus navigaret, nautasque verbum moneret Domini, subito apparuit illis miræ magnitudinis piscis. Nautæ vero, misso in pelagus rete, eumdem piscem ceperunt. Cumque epularentur, mutuisque plausibus exsultarent, subito inopinata orta tempestas est, quæ omne gaudium eorum in luctum convertit. Cœperunt autem, quidquid in navi habebant, tam ad stipendia cibi quam omne subsidium, vel etiam armamenta navis, in pelagus projicere, vehementerque F labori insistere, ut ad terras egrederentur : sed nihil omnino proficere valebant. Navis vero quassata, huc illucque a fluctibus ferebatur. Itaque omnes de vita spem nullam habentes reddiderat, statimque nautæ ad servum Dei cucurrerunt Amandum, rogantes ut Dominum deprecaretur, quatenus eos per orationem ipsius de imminente liberaret periculo. Vir autem Domini Amandus blande eos consolatus, confidere jussit, et ut de Domini misericordia fiduciam haberent, fideliter admonuit. Nautæ vero nimio fessi labore, hoc illucque in navi jacebant sopore depressi. Ipse etiam Sanctus in puppi navis residens, quiescebat. Tum ei ex improviso Sanctus apparuit Petrus, transiens per puppim navis : excitansque eum ac blanditer alloquens, ait : Noli timere Amande : non peribis, neque qui tecum sunt. Mox vero ad verbum illius sedata tempestate, tranquillitas reddita est magna. Et facto mane, omnes, qui in navi cum viro erant Dei, sani atque incolumes ad terras egressi sunt.

*saeviente tempestate, k l*

*solatur nautas,*

*apparente S. Petro,*

*impetrat tranquillitatem.*

a Circa annum Ch. 627, ætatis 34. — b Hinc omnino erga S. Petrum affectus, omnia fere monasteria ac templa a se extructa ad honorem ejus dedicavit. — c Circa annum 628. Ordinationi hunc

A *huic dicatus dies* 26 *Octobr.* — d *Tum etiam Gandavum venisse, Mercurii aram evertisse tradunt supra* § 10 *relati.* — e *Anglo-Saxones tum vendi solitos liquet ex Actis S. Bathildis Reginæ* 26 *Januarii, S. Gregorii Magni* 12 *Martii et aliorum.* — f *MS. Lætiense* relinquebat. — g *Circa an. Chr.* 630. — h *Notus Etruriæ portus, quem celebrat Plinius junior lib.* 6 *epist.* 31. — i *MS. Elnonense* demergere. — k *Surius* quæ ad cibum pertinebant, quam reliqua subsidia omnia. — l *Idem* cunctosque de vita spem omnem abjicere cogebat. Mox igitur nautæ.

## CAPUT III.

### *Verbum Dei a S. Amando prædicatum Gandensibus. Mortuus Tornaci suscitatus.*

Per idem autem tempus, cum loca vel diœceses ob animarum sollicitudinem vir Domini circumiret Amandus, audivit pagum esse quemdam præter fluenta *a* Scaldi fluvii, cui vocabulum est *b* Gandavum. Cujus loci habitatores antiquitas diaboli eo circumquaque laqueis vehementer irretivit, ut incolæ terræ illius, relicto Deo, arbores et ligna pro Deo colerent, atque fana vel idola adorarent. *c* Propter ferocitatem enim gentis illius, vel ob terræ infœcunditatem, omnes Sacerdotes a prædicatione loci illius se subtraxerant, et nemo audebat in eodem loco verbum annuntiare Domini. Quo audito, vir B sanctus magis eorum miseratus errorem, quam de vitæ suæ periculo pertimescens, *d* Aicharium Episcopum, qui tunc *e* Noviomensis urbis cathedram præsidebat sacerdotalem, adiit, eumque humiliter postulavit: ut ad Regem *f* Dagobertum quantocyus pergeret, epistolasque ex jussu illius acciperet, ut, si quis se non sponte per baptismi lavacrum regenerare voluisset, *g* coactus a Rege, sacro ablueretur baptismate. Quod ita factum est. Percepta namque a Rege potestate, et benedictione a Pontifice, illuc vir Domini Amandus *h* perrexit intrepide. Vix enim quis digne enarrare sufficiet quantas ibidem pro Christi nomine perpessus sit injurias, et quam frequenter ab incolis loci illius cæsus sit, nec non et a mulieribus vel a rusticis non absque injuria sit repulsus, verum etiam et in flumen sæpe præcipitatus. Quæ omnia vir sanctus pro nihilo deputans, verbum Domini non destitit monere, memorans illam sancti Evangelii sententiam, quæ ait: Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Comites etiam illius, qui eum fuerant germana caritate secuti, ob inediam vel sterilitatem loci ad propria remeantes, eum ibidem solum reliquerunt. Ipse vero in prædicationis permanens offi- C cio, alimentum propriis acquirebat manibus. Sane captivos innumeros redimens, sacro baptismate emundabat, et ut in operibus bonis persisterent, fideliter hortabatur.

*a b* — *Gandenses a fide alienos adit,*

*multa patitur ab incredulis*

Joan 15 13

*captivos redimit:*

13 Illud etiam operæ pretium huic schedulæ annectendum putavimus, quod viro venerabili Presbytero, nomine Bono, narrante didicimus: qui testabatur se præsentem fuisse, quando hæc gesta res est. Aiebat namque, quod Comes quidam ex genere Francorum, cognomine *i* Dotto, congregata non minima multitudine Francorum, in urbe Tornaco, ut erat illi injunctum, ad dirimendas resederat actiones. Tum subito a lictoribus ante eum præsentatus est quidam reus, quem omnis turba acclamabat dignum esse mori. Erat namque idem fur plagis jam crudeliter affectus, vehementerque cæsus, et corpore etiam semivivus. Cumque præfatus Dotto decrevisset, ut eum patibulo deberent affigere, vir Domini Amandus adveniens, obnixa prece postulare cœpit, ut ei vitam concedere dignaretur. Sed ut erat sævus, atque omni bellua crudelior, nihil apud eum obtinere potuit. Tandemque a ministris vel apparitoribus idem fur affixus patibulo est, atque extremum exhalavit spiritum. Dotto igitur domum reversus est, populi constipatus caterva. Sanctus vero vir Domini Amandus citius ad patibulum cucurrit, hominemque jam mortuum invenit: depositumque de ligno, D ad cubiculum, in quo familiariter orare consueverat, deferri fecit, fratribusque cellula egressis, ipse super defuncti membra, orationi tamdiu incubuit, lacrymis ad Dominum profusis ac precibus, donec jubente Deo anima in corpus rediit, atque cum viro Dei loqui cœpit. Adveniente itaque matutinali tempore, convocatis Fratribus, aquam jussit afferri. Suspicantibus autem illis, ut corpus ad sepeliendum, sicut mos est, abluere deberet, subito cellulam ingressi, viderunt eumdem hominem, quem mortuum reliquerant, sanum cum viro Dei sedentem, atque incolumem colloquentem: mirarique vehementer cœperunt, quod vivum videbant, quem paullo ante mortuum reliquerant. Tunc igitur sanctus vir Domini Amandus assistentes cunctos vehementissime obtestari cœpit, ut ne cuiquam unquam proderent: hoc videlicet quod per eum Dominus operari dignatus est; asserens, non suæ hoc esse adscribendum virtuti, sed misericordiæ Domini, qui in se sperantibus ubique dignatur adesse. Loto itaque omni corpore atque cicatricibus, carnem carni restituit, ita ut de plagis, quas ante pertulerat, in ejus corpore nullum indicium appareret. Sicque eum ad propriam E remittens domum, parentibus restituit incolumem.

*i*

*furem suspensum*

AUCTORE BAUDEMUNDO, EX MSS.

*a morte suscitat:*

*petit celari miraculum:*

14 At ubi hoc miraculum longe lateque divulgatum est, statim incolæ regionis illius cursu celeri ad eum cucurrerunt, et, ut eos faceret Christianos, humiliter postulabant. Fana etiam, quæ ante adorare consuerant, propriis destruentes manibus, ad virum Dei omnes unanimiter pervenerunt. Nam, ubi fana destruebantur, vir Domini Amandus tam ex munificentia Regis, quam ex collatione religiosorum virorum, religiosarumque fœminarum, statim *k* monasteria aut ecclesias construebat: verbique sacri pabulo populum reficiens, omnium corda mandatis cœlestibus illuminabat.

*templa et monasteria extruit.*

a *Ita habent MSS. Elnon. Blandin. Dunen. Lindani. ut* Scaldæ *MS Rubeæ vallis: passim* Scaldis *vocatur, fluvius notissimus; corruptis litteris* Tabuda *Ptolemæo dictus.* — b *De Gandavensium conversione ac monasteriis istic tribus a S. Amando extructis actum* § 3. — c *De ferocia eorumdem populorum agitur in Vita S. Eligii 1 Decemb.* — d S. Aicharius, Aycharius, Acharius, *vulgo* Ycotius, *decessor S. Eligii colitur* 27 *Novemb. vita functus anno* 645. — e *Noviomensi Sedi unitus tum erat Episcopatus Tornacensis, cui suberat Gandavum.* — f *Tenuit monarchiam Francorum ab obitu Chlotarii II, patris sui anno* 628 *defuncti, usque ad an.* 644. — g *Quid possint Principes Christiani circa subditos infideles, disputant Theologi. Verisimile est, S. Amandum litteras solum regias petiisse, ad conciliandam sibi apud eos populos auctoritatem, et ut ad prædicationem Evangelii audiendum invitarentur, non vero impellerent.* — h *Circa an. Ch.* 631. — i *In MSS. dicitur* Dotto, Docto, Docco; *apud Yepez* Doto, *in MSS. Chronicis Episcoporum Trajectensium* Otto. *In Vita S. Eligii memoratur* Ario Comes Tornacensis, *fortassis idem.* — k *De variis monasteriis tum cœptis extrui supra actum.* F

*Scaldis.*

*Dotto Comes Tornacensis.*

## CAPUT IV.

### *Iter ad Sclavos. Exilium S. Amandi. Baptismus S. Sigeberti.*

Cum jam vir sanctus videret prædicatione sua quosnam ad Deum converti, ex hoc majori æstuabat desiderio, quatenus adhuc alii converterentur. Audivit denique, quod *a* Sclavi nimio errore decepti, *b* a diaboli laqueis tenerentur oppressi. Illicque *c* martyrii palmam se assequi posse confidens transfretato Danubio, eadem circumiens loca, libera voce evangelium Christi Gentibus prædicabat. Paucis vero ex eis in Christo regeneratis, videns etiam sibi non satis accrescere fructum, et martyrium, quod semper quærebat, nondum se adepturum, ad proprias iterum reversus est oves, curamque gerens earum, ad cœlestia regna prædicando perduxit.

*a b* — *c* — *Sclavis Christum prædicat.*

16 Interea Rex Dagobertus, *d* amori mulierum plusquam oportebat, deditus, omnique spurcitia libidinis inflammatus, sobolem minime videbatur habere: sed tamen ad Domini confugit auxilium, deprecabaturque sedulo, ut ei filium daro dignaretur, qui

*d*

A qui post eum regni sui gubernaret sceptra. Quod ita dante Deo factum est. Cumque sibi nuntiatum fuisset, quod ei Dominus filium dare dignatus esset, magno mox repletus gaudio, cogitare cœpit, cui ipsum puerum traderet, qui eum sacro baptismate regenerare deberet. Statimque accersitis ministris, ut Sanctum perquirerent Amandum, sagaci intentione præcepit. Nam dudum ipse Pontifex, dum pro capitalibus criminibus, *c* quod nullus ex Sacerdotibus facere ausus est, ipsum redargueret Regem, jubente eo, non absque injuria de *f* regno ejus *g* fuerat expulsus. Ille vero remotiora perquirens loca, verbum Dei Gentibus prædicabat.

*auctore Baudemundo, ex ms.*

*redarguens incontinentiam Regis Dagoberti, relegatur:*

*c*

*f g*

*revocatur*

17 Cumque a ministris tandem fuisset repertus, et, ut ad Regem ire deberet admonitus memorans illud Apostoli præceptum, Potestatibus sublimioribus se subdi debere, tandem pervenit ad Regem, qui in illis diebus in villa, cui vocabulum *h* Clypiaco est, morabatur. Visoque Rex beatissimo Amando, magno repletus est gaudio: prostratusque pedibus beati viri, deprecabatur ut tanto sceleri, quod in eum perpetraverat, veniam largiri dignaretur. Sed ille, ut erat mitissimus, atque supra modum patiens, citius eum elevavit a terra, facinusque in se perpe-
B tratum clementissime indulsit. Tunc Rex ad Sanctum ait Amandum: Pœnitet me valde, quod stulte adversum te egerim. Precor igitur, ne memineris injuriæ, quam tibi irrogavi, atque preci meæ, qua summopere postulo, ne dedigneris annuere. Dedit mihi Dominus filium, non meis præcedentibus meritis, precorque, ut eum sacro digneris abluere baptismate, atque in filium tibi spiritualem suscipere. Quod vir Domini vehementer renuens, scilicet sciens esse scriptum, militantem Deo non oportere implicari secularibus negotiis, et quietum atque remotum, palatia non debere frequentare regia, e conspectu Regis abscessit. Statim igitur Rex misit ad eum virum illustrem *i* Dadonem, atque cum eo venerabilem virum Eligium, qui tunc in palatio Regis sub seculari degebant habitu, quos tamen *k* postea egregios sacerdotes, atque præclaros in meritis, signis quoque atque virtutibus fuisse plurimis compertum est. Hi vero humiliter virum Dei petierunt, ut precibus Regis daret assensum, atque filium ipsius sacro dignaretur diluere fonte, et ut eum enutrire, atque lege imbuere divina quantocyus assentiret, dicentes, quod si hoc vir Dei non renueret, per hanc familiaritatem liberius in regno ipsius vel ubicumque eligeret, haberet licentiam prædicandi, seu nationes complures per hanc gratiam se posse conquirere fatebantur. Tandem fatigatus precibus amborum facturum se esse promisit. Audiens autem Rex, quod precessus Sanctus non renueret Amandus, statim ipsum puerum *l* afferri præcepit, qui fatebatur non plus a nativitate habere, quam dies circiter quadraginta. Accepit igitur vir sanctus in manibus puerum, et benedicens eum, catechumenum fecit. Cumque finita oratione, nemo ex circumstante multitudine respondisset, Amen: Aperuit Dominus os pueri, atque audientibus cunctis, clara voce respondit, *n* Amen. Statimque eum regenerans sacro baptismate, impositoque nomine Sigeberto, Regem atque omnem ejus exercitum tunc S. Amandus magno replevit gaudio.

Rom. 13. 1

*h*

*Regi veniam petenti,*

1 Tim. 2. 4

*SS. Audoeno et Eligio deprecantibus,*

*i*

*k*

C

*l*

*m*

*baptizat S. Sigibertum, respondentem Amen.*

*n*

*Sclavi infideles.*

a *De Sclavis Carinthiam incolentibus, atque S. Amandi ad eos accessu supra actum* § 9 *et* 10. b *De Sclavorum Rege Samone, qui duodecim ex Winidis uxores habebat, agit Fredegarius cap.* 48 *et* 68, *ubi Samo Regi Sicharius Dagoberti Regis legato ita respondit:* Si vos estis Dei servi, et nos sumus Dei canes; dum vos assidue contra ipsum agitis, nos permissum habemus vos morsibus lacerare. *Et inde ejectus est* Sicharius de conspectu Samonis. c *Refert eadem Fredegarius,* multitudinem plurimam Francorum negotiantium a Sclavis Winidis in regno Samonis interfectam fuisse. *Hinc Sicharius missus repetundorum agens, ac tandem triplex a Dagoberto exercitus Austrasiorum, Alamannorum et Langobardorum expeditus est anno regni hujus* 9 *Ch.* 636 *ut cædes mercatorum aliquot annis ante contigerit, quando etiam istic fuit S. Amandus circa an. Ch.* 633. — d *Repudiata legitima uxore, assumptis tribus Reginis, et plurimis concubinis, teste Fredegario cap.* 60. — e *Baudemundus in Vita S. Rictrudis tradit eum* super hoc scelere a Pontificibus, maximeque a sanctissimo viro et mirabilium patratore operum Præsule Amando, redargutum esse. — f *Eum tum in Vasconiam abiisse, subjectam Chariberto fratri Dagoberti, diximus* § 1 *num.* 4. — g *Circa annum* 634. — h *In agro Parisino ultra Montem Martyrum: in qua villa regali Dagobertum in conjugem accepisse Gomatrudem tradit Fredegarius cap.* 53. — i *S. Dado, sive Audoenus, colitur* 24 *Augusti, S. Eligius* 1 *Decemb.* — k *Anno Chr.* 646, 14 *Maii Dominica ante Rogationes ordinati Episcopi.* — l *Aurelianis S. Sigebertus baptizatus est anno* 633. *Plura* 1 *Februarii dicta nil attinet hic repetere.* — m *Aimoinus lib.* 4 *cap.* 20 triginta. — n *Miraculum hoc primus retulit hic Baudemundus: quod plurimi dein Scriptores tradiderunt. Simile infantis responsum apponimus, quod Viennæ perscriptum his fere verbis: Anno* 1650, 4 *Februarii in Saran pago ditionis Archiepiscopi Strigoniensis, Stephanus infans quinque horarum Parocho benedicenti his verbis* Stephane vade in pace et Dominus sit tecum Amen; *distincte respondit:* Deo gratias, Deo gratias. *Cunctisque admirantibus cum Parochus solemnem illam post baptismum benedictionem repeteret, subjunxit infans tertium,* Deo gratias. *Res jussu Cæsaris examinata per Archiepiscopum Strigoniensem, et auditis legitime testibus authentice approbata est.*

D

*Francos mercatores occidunt.*

*infans ter respondet,* Deo gratias.

## CAPUT V.

### *Episcopatus S. Amandi Trajectensis. Fidei doctrina instituti Calloani et Vascones.*

His ita gestis, adveniente obitus sui die, *a* Trajectensium Episcopus feliciter migravit ad Christum. E
*b* Rex igitur, hujus viri venerabilis comperiens obitum, Sanctum accersiri fecit Amandum. Congregataque multitudine Sacerdotum, populique turba non modica, ad regendam Trajectensium Ecclesiam eum præposuit. Illo vero renuente, atque se indignum vociferante, omnes una voce clamabant, dignum eum esse sacerdotio, atque ob animarum sollicitudinem Ecclesiam magis, quam pecuniæ quæstum debere suscipere. Coactus igitur a Rege ac Sacerdotibus, pontificalem suscepit cathedram. Sicque per *c* triennium fere vicos, vel castra circumiens, verbum Domini constanter omnibus prædicavit. Multi etiam (quod dictu nefas est) Sacerdotes atque Levitæ, prædicationem illius respuentes, audire contempserunt. At ille secundum Evangelii præceptum, pulverem de pedibus in testimonium excutiens, ad alia properabat loca.

*a*

*b*

*Fit Episcopus Trajectensis:*

*c*

Matt. 10. 14

19 Igitur tandem parvam reperiens insulam, cui vocabulum est *d* Chavelaus, juxta Scaldum fluvium, aliquantis diebus cum Fratribus spiritualibus ibidem Christo militare studuit. Sed verbi Dei contemptores per biennium fere ingens attrivit plaga, ita ut eversæ domus et agri in solitudinem essent redacti: necnon etiam vici vel castra destruerentur, nullusque pene in his regionibus remaneret, qui virum Dei contempserat prædicantem.

*d*

*prædicat Calloanis,*

F

*(pœnitis Trajecten.)*

20 Nec multo post, cum a Fratribus, quos ob animarum curam per diversa reliquerat loca, rogaretur, ut eos præsentia sua visitaret, et ut verbi sacri pabulo reficere dignaretur, tandem prece accepta pervenit ad eos, audivitque ab eis gentem, quam *e* Vacceiam appellavit antiquitas, quæ nunc vulgo nuncupatur Wasconia, nimio errore deceptam, ita ut auguriis vel omni errori dedita, idola pro etiam Deo coleret. Quæ gens *f* erga Pyrenæos saltus per aspera atque inaccessibilia diffusa erat loca, fretaque agilitate pugnandi, frequenter fines occupabat Francorum. Vir autem Domini Amandus eorum miseratus errorem, enixe elaborare cœpit, ut eos a diaboli revocaret servitio. Dum autem eis verbum prædicaret Divinum, atque Evangelium annuntiaret salutis, unus e ministris assurgens, levis ac lubricus, nec non et superbus, atque etiam apta cachinnans risui verba, quem vulgus *g* mimilogum vocat, servum Christi detrahere cœpit Evangeliumque, quod prædicabat, pro nihilo ducere. Sed eadem mox hora arreptus a dæmone miser, propriis se cœpit manibus laniare, atque coactus publice confiteri, quod ob injuriam,

*e*

*f*

*et Vasconibus:*

*g*

A riam, quam Dei irrogaverat servo, hæc perpeti mereretur. Sicque in ipso constitutus tormento, spiritum exhalavit extremum.

21 Illis autem adhuc in eorum cæcitate permanentibus, dum vir sanctus ad alia demigraret loca, pervenit ad *h* civitatem quamdam. Ubi cum ab Episcopo civitatis illius honorifice fuisset susceptus, et ei hospitalitatis more Episcopus aquam in manibus funderet, secretius præcepit ministro, ut eamdem aquam, in qua vir Dei manus abluerat, diligenter in sacrario ecclesiæ custodiendam deportaret. Quod ita factum est. Præfatus namque civitatis Antistes satis fidens extitit, quod eadem viri Dei benedictio salutem fidelibus restituere posset. Eodem quoque tempore homo quidam cæcus sedebat ante foras templi mendicans, qui multo jam tempore corporalem amiserat visum. Ad quem civitatis ipsius Episopus ait : O homo, si habes fidem, ablue oculos tuos ex aqua, in qua vir Dei Amandus abluit manus. Confido enim, quod per ipsius sanctitatem, primam consequaris salutem. Cumque idem cæcus oculos ex eadem aqua abluisset, statim jubente Deo pristinum recepit visum, ita ut omnia clare videret.

*h* — *cæco visus restitutus aqua, qua laverat manus*

B

a *Joannes Agnus obiit anno* 646, 25 *Julii.* — b *S. Sigebertus, mortuo patre Dagoberto, ut probatum est* § 11. — c *Ab anno circiter* 647 *ad* 650. — d *MS. Dunni* Chanalaus. *Surius et nonnulla MSS.* Chanelaus: *melius MS. Rubeæ vallis* Chavelaus, *unde* Chalelaus *&* Calaus. *Mihi* Calolo, *aut rectius Calleo, quod vocabulum et hodiernum loco manet; de quo dictum* § 4. — e *MS. S. Maximini* Vaccium. *MS. Dunni* Vaclam. *Sunt autem* Vaccæi, *interioris Hispaniæ ad Durium fluvium populi, quorum metropolis* Pintia *fuit, nunc, ut censent viri eruditi,* Vallisoletum. *At* Vascones *degebant ante Iberum flumen inter et Pyrenæos montes, secundum Isidorum Hispalensem ab urbe* Vacca (*quam alii* Jaccam *nominant*) *ita appellati.* — f *Surius* circa Pyrenæos saltus: *desunt ea verba in MSS. S. Maxim. Rub. et Rosweydi, et sic legitur:* Quæ gens montibus per aspera. — g *MS. Ultraject. Vam. Bellovac. S. Antonius aliique* joculares *vocant.* — h *In Aquitania situm an Lemovicum? in hujus diœcesi plures pagi a S. Amando nominantur.*

*Callea.* — *Vaccæi a Vasconibus diversi.*

## CAPUT VI.

### *Monasteria a S. Amando extructa, miracula patrata.*

His ita peractis, idem vir Domini Amandus in *a* fines remeavit Francorum, elegitque sibi locum prædicationis aptum, in quo cum Fratribus, qui cum eo per diversas provincias, multas pro nomine Christi perpessi fuerant passiones, ædificavit *b* cœnobium. Atque ex eisdem Fratribus plures postea Abbates seu honorificos vidimus viros. Eodem fere tempore vir sanctus Domini Amandus *c* Childericum adiit C Regem, cumque humiliter postulavit, quatenus ei aliquod municipium ad construendum monasterium, non ambitionis gratia, sed ob animarum salutem, largiri dignaretur. Deditque præfatus Rex ei locum, nuncupatum *d* Nanto. In quo vir Domini sagaci intentione cœpit ædificare cœnobium.

*a Monasteria extruit Amandinum* — *b* — *c* — *d et Nantoense:* — *e*

23 Mummulus autem quidam, *e* Ozindinsis urbis Antistes, valde ferebat moleste, quod idem vir Domini eumdem locum impetraverat a Rege : invidiæque facibus accensus, eumdem virum Domini extinguere conabatur. Missisque agilibus viris, jussit ut eumdem virum Dei a loco ipso contemptibiliter injuriis affectum ejicerent, aut certe in eodem punirent loco. Venientesque ad eum ministri, simulato dolo dixerunt, quod ei locum aptum ad construendum monasterium ostendere deberent : tantummodo cum illis illuc properare deberet. Sed eorum fallacia, revelante Deo, latere non potuit. Cumque eum ad prædictum locum ducere simularent, non erat inscius vir Domini Amandus quo in loco eum interimere disponerent. Tandem igitur pervenerunt ad supercilium montis, ut eum ibi capite truncarent. Vir tamen Domini suis hoc ante indicare noluit, quia ad martyrium libentissime properabat. Sed subito orta tempestate pluviæ grandinisque, omnem illius montis locum tenebrosæ obtexerunt nubes, ita ut apparitores, qui ad interficiendum eum fuerant missi, amisso lumine, nihil penitus viderent. Spemque vitæ jam nullam habentes, prostrati pedibus sancti viri, veniam postulabant, et, ut eos vivos abire sineret, humiliter deprecabantur. Tum vir Domini ad consueta recurrit præsidia, scilicet ad orationum auxilia, profusisque uberrime lacrymis, tam diu orationi incubuit, donec reddita serenitate, lumine etiam apparitores recepto, non absque metu vel stupore ad propria reverterentur. Talique perculsis timore ministris, vir Domini mortem incolumis evasit.

*abducitur, dolo interimendus,* — *liberatur immissa tempestate et cæcitate latronibus;* — D AUCTORE BAUDEMUNDO. EX MSS. *hos precibus sanat;*

24 Nec illud quoque prætereundum putavi, quod Presbytero quodam, nomine Erchengisilo, venerabili atque fideli viro narrante didici. Quadam die, dum vir Domini Amandus in pago *f* Belvacensi verbum Domini prædicaret, pervenit ad quemdam locum, cui vocabulum est *g* Rossonto, secus *h* Aronnam fluvium. Eratque ibi mulier quædam cæca, quæ longo jam tempore amisso lumine, nihil præter tenebras noverat. Ingressus autem vir Dei domum illius, cœpit percontari ab ea, qualiter ei hæc cæcitas evenisset. Responditque illa, quod non ob caussam aliam ei ipsa cæcitas evenisset, nisi quod auguria vel idola semper coluerat, insuper ostendit ei locum, in quo prædictum idolum adorare consueverat, scilicet arborem, quæ erat dæmoni dedicata. Ad quam vir Domini ait : Non miror, si pro hac stultitia cæca facta sis : sed admiror clementiam Domini, qui te tam diu expectando sustentat, ut, cum Factorem et Redemptorem tuum adorare debeas, adores dæmones et idola muta, quæ nec tibi nec sibi possunt prodesse. Nunc igitur accipe securim, et hanc nefandam arborem quantocyus succidere festina, per quam lumen amisisti corporis, et animæ perdidisti salutem. Confido enim, quod, si firmiter credideris, lumen pristinum a Domino consequi possis. Deducta autem mulier puellæ suæ manibus, ad arborem citius pervenit, atque eam excidere conabatur. Tum vir Domini Amandus eam ad se advocans, signumque Crucis super oculos ejus imprimens, invocato Christi nomine, reddidit sanitati. Instructam qualiter se agere deberet relinquens : omnibus diebus vitæ suæ caste atque sobrie se exhibuit, et correctiorem vitam deinceps gerens, mores commutavit in melius.

*f* — *g h mulierem, quod arborem dæmoni dicatam coleret, factam cæcam,* — E — *jubet succidere arborem* — *et signo Crucis illuminat*

a *Hos fines in diœcesi Bituricensi locavimus supra* § 2. — b *Illi accresse oppidum S. Amandi in agro Borbonio ibidem conjectavimus.* — c *Childericus factus Rex Austrasiorum anno* 664, *et totius Franciæ an.* 670, *occisus anno* 680. — d *Apud Rutenos Aquitaniæ populos. De eo monasterio actum* § 2. — e *MS. Antverp.* Ozidensis. *Philippus Abb.* Osindensis. *Est autem* Uceciensis *in Gallia Narbonensi civitas, in antiqua Notitia provinciarum et civitatum Galliæ* Ucetinsis et Ucecinsis. — f *Bellovaci Julio Cæsari noti Belgicæ populi, eodem adhuc nomine appellantur inter Parisios, Normannos et Francos.* — g Ressontum et Ressonum, *a quo Archidiaconatus seu Decanatus hic consistens diœcesis Bellovacensis (quæ in novem Archidiaconatus rurales dividitur) e nomine appellatur.* — h Aronda *dicitur, atque hodie fluvio prope Compendium miscetur.* Arondæ *adjacentia loca pertinent ad Decanatum Ressonensem.*

F — *Ep. Bellovacensis.*

## CAPUT VIII.

### *Inobedientia punita. Obitus S. Amandi.*

Hoc quoque, quod ad cumulum laudis ejus Dominus ostendere dignatus est, non videtur silentio contegi. Quodam itaque tempore cum cuidam monacho, videlicet Præposito *a* monasterii sui Chrodobaldo nomine, per quemdam missum jussisset, ut vehicula ad vinum in usibus Fratrum monasterio deferendum præparare deberet, dicitur inobediens extitisse. Sed eum nocte eadem ultio divina subsecuta est. Nam eo iter agente, ut ad virum Dei pergeret excusationis caussa, quod vehicula minime haberet, ita dicitur omni corporis compage paralysi dissolutus, ut nec manum quidem vel pedem posset movere. Omnique

*a Monachum inobedientem paralysi percussum.*

*AUCTORE BAUDEMUNDO, EX MSS.*

A Omnique jam carne velut mortua in solo pectore vitalis anhelabat spiritus. Tenuique flatu confiteri, ut valebat, nitebatur, quod ob inobedientiam et contumaciam hæc perpeti merebatur. Igitur præfatum monachum Fratres mittentes in navim ad monasterium, cui vocabulum majores indiderunt Elnonem, ad virum Dei adduxerunt Amandum. Cumque jam vesperascente die, finitis Missarum seu vespertinarum solenniis, vir Domini ad reficiendum juxta morem isset, subito ei nuntiatum est, qualiter idem monachus ægrotaret. Leniterque, ut aiunt, subridens, dixisse fertur : adhuc majora sustinebit pericula, quia valde jactantiæ atque inobedientiæ deditus erat. Sed tamen Presbyterum quemdam, fidelem virum, ad se vocari præcepit, eidemque monacho calicem vini et fragmen panis per eumdem transmisit Presbyterum, eique mandavit, dicens : Vade, et dic monacho illi, ut sumat partem panis istius et vini, et cras, jubente Deo, cum ad eum visitandum perrexero, obviam mihi procedat, et in lectulo jacere non patiatur. Quod ita factum est. Accepta itaque idem monachus Patris benedictione, ita totius corporis recepit sanitatem, ac si nullam unquam pertulisset læsionem. Adveniente igitur sancto viro, obviam ei processit, atque cum eo loqui cœpit. Mirarique vehementer Fratres cœperunt, quod vivum et incolumem viderent, quem mortuum fere suspicabantur. Vir autem Domini Amandus indulta Fratri venia, ut mores deinceps in melius commutaret, admonuit, atque eum sanum ad monasterium direxit.

*misso pane et vino sanat.*

B

26 Alia quidem sunt multa, quæ per eum Dominus operari dignatus est, nobis quidem incognita, Deo autem nota. Sed quantum ad nostras, fidelibus narrantibus viris, perlatum est aures, si omnia cupiam persequi, dies, ut opinor, ante, quam sermo, cessabit. Nam quas per eum Dominus virtutes non edidit, cum et mortuis vitam, cæcis visum, paralyticis gressum, leprosis munditiam, surdis auditum, a dæmonibus oppressis restituit sanitatem ?

*multa patrat miracula*

27 Igitur sanctissimus Domini Amandus, cursu fideliter peracto, repletusque omnium bonorum operum fructu, adveniente sanctissimi obitus die, feliciter migravit ad Christum. Sepultusque est cum magnifico honore in loco, cui vocabulum est Elnone. In quo loco multa fiunt orationibus ejus beneficia, et laudatur ibi ab omnibus nomen Domini Jesu Christi, cui est cum æterno Patre et Spiritu sancto virtus et honor, gloria et imperium, laus et potestas per infinita seculorum secula, Amen b.

*sancte moritur :* *Elnone sepelitur* C b

a Marchianense, ut infra dicetur ad Vitam a Philippo scriptam. — b Quæ addebatur apud Surium Historia de Visione S. Aldegundis, Elevatione corporis S. Amandi, ac sanctis ejus discipulis, ab homine minus perito scripta, hic omittitur, infra, cum de Translationibus agetur, referenda.

*AN. MADV. circ. ...*

## ALIA VITA

### Auctore Aquitano anonymo,

*Ex MS. Andreæ du Chesne.*

Beatus a Amandus in pago b Herbatilico non longe a littore Oceani Galliæ, ab inclytis et Catholicis parentibus traxit originem, cujus pater Serenus nomine dictus est, mater vero Amantia nuncupata est. Hic ab infantia litteris eruditus, inspirante sibi divina gratia, relictis parentibus et patria, vitam cœnobitarum eligens, navigavit insulam nomine c Oyan, quæ distat a littore Galliæ xl. milliaribus : ibique in quodam monasterio religionis habitum assumens, cum gaudio est susceptus. Quadam vero die dum per insulam ambularet, vidit quemdam serpentem seu colubrum miræ magnitudinis. Quo viso territus puer S. Amandus, in oratione prostratus, signum Crucis contra serpentem opposuit, et ad latebram suam, ut inde numquam exiret, fugere compulit, nec ex tunc apparuit. Et sic habitatores illius insulæ a serpentino periculo liberavit. Parentes vero ejus voluerunt eum ad propria reducere, quibus minime acquievit.

*a b S. Amandus oriundus ex pago Herbatilico,* *c monachus,* *signo Crucis serpentem fugat :* D

2 Post hæc Amandus licentiam et benedictionem a Patre monasterii, quod erat prope mare, postulans, caussa peregrinationis solus in terra d Burgundiorum in civitate Betboricas multis diebus, annis videlicet xv peregrinavit, et a S. Austregisilio illius civitatis Episcopo benigne susceptus est. Ubi constructa cellula juxta ecclesiam, cilicio indutus, et pane hordeaceo et e sicera sustentatus, vitam austeram duxit. Dum autem quadam die ad quemdam orationis locum ire desideraret, hora diei quasi sexta radio clarissimo perfusus, per momentum horæ totus orbis terrarum quasi sibi apparuit.

*d includitur apud Bituriges :* *e*

3 Deinde assumpto uno comite, g asello sedens, per devia Alpium Italiam penetrans, ad visitanda sanctorum Apostolorum ac Martyrum limina et patrocinia, ad urbem Romam pervenit. Ubi deambulans per loca Sanctorum diebus, ad ecclesiam S. Petri noctibus revertebatur. Sedente autem eo in gradibus ecclesiæ in extasi mentis, Sanctus Petrus apparuit ei sereno vultu, et blando sermone dixit, ut causa prædicationis reverteretur. Gaudensque de visione, cognovit invenisse gratiam Dei, quam quæsivit.

*g Romæ* *a S. Petro visitatur.* E

4 Post hæc Amandus in Gallias remeavit, prædicans Evangelium regni Dei. Erat autem vultu serenus, corpore castus, vigiliis et orationibus deditus, sermone cautus. Sic inter Gentes anachoretarum gerebat vitam. Hic vero pueros transmarinos comparavit plurimos, et per baptismi lavacrum emundavit.

*prædicat in Galliis*

5 Rursum cum h officio Clericorum ad urbem Romam perrexit, et ab Apostolico honorifice est susceptus. Pueros vero, quos duxit, per loca Sanctorum donavit. Codices divinos utriusque Testamenti et tractatus, rediens Galliam, secum tulit. Cum autem pelago Sardiniæ navigasset, nautis de pace et caritate prædicavit. Illis vero bibentibus et manducantibus apparuit piscis ingens, qui arte piscatoria captus est, unde nautæ gavisi sunt. Orta autem magna tempestate, de vita desperantes, omnia quæ habebant, jactabant in mare. Tunc omnes servum Dei Amandum deprecabantur, ut per orationem ejus Deus illos de mortis periculo liberaret. At ille consolans eos, verbum Dei intrepidus prædicabat. Beatus vero Apostolus viro Dei Amando apparuit, dicens : Noli timere ; non enim peribis tu et qui tecum sunt. Facto autem mane reddita est tranquillitas, et omnes ad portum incolumes pervenerunt.

*h Romam adit :* *rediens in tempestate a S. Petro recreatur.* F

6 Transacto autem aliquanto tempore, audivit S. Amandus esse in confinibus Francorum et Gentilium unum pagellum, cujus vocabulum est i Gandens, juxta k Scaldis fluenta : qui propter ferocitatem gentis et terræ infœcunditatem, prædonibus derelictus est, sed profanus idololatriæ deditus. Propterea Amandus exposuit se periculo, ut habitatores loci illius a laqueo diaboli liberaret, et Deo duce illuc perrexit, ubi multas tribulationes pro nomine Christi perpessus est, et sociis suis propter inopiam victus et vestimenti ad propria remeantibus, solus remansit : et propria manu l molam vertebat, et panem cinere mixtum, quem edebat, faciebat. Sæpe etiam dum fana destruebat, a feminis virisque percussus in flumine jactus. Captivos tamen nihilominus de servitute redimens, ad baptismi gratiam perduxit.

*Gandensibus prædicat* i k *multa patitur :* l

7 Dum autem quadam die ad m Francorum curiam cultor Dei Amandus adveniens, ut Francis in unum venientibus Evangelium prædicaret, adduxerunt

m

A runt illi Comites unum vinctum semivivum, gravissimis vulneribus percussum. Deprecatus est vir Dei pro ipso, ut religiosam vitam haberet, si de illis vulneribus evadere potuisset : nihilque potuit cum illo Principe obtinere ; jussitque Comes illum hominem in ligno suspendi. Igitur suspenderunt eum, mortuumque relinquentes, domum sunt reversi. Servus autem Dei Amandus ad stipitem cucurrit, et corpus ejus ad suam cellulam portari præcepit, ubi more solito solus soli Deo pro se et omni populo preces fundere solebat. Jussitque Fratres quiescere, et cellulæ ostia claudere. Totamque noctem in vigiliis, lacrymis, et orationibus deducens, facto signo ad Matutinas, aquam portari jussit, quam Fratres more humano ad illum hominem sepeliendum putabant necessariam. Cumque cellulam fuissent ingressi, invenerunt hominem illum, quem mortuum dimiserant, sedentem atque loquentem, super quo plurimum admirari cœperunt. Amandus vero manibus suis plagas illas oleo lavit, et carnem ad alteram conjunxit, et cœlesti medicina sanum et vivum ad domum suam ire permisit.

*hominem suspensum*

*a morte resuscitat :*

8 Audito autem tanto ac tali facto, ad baptismi gratiam et pœnitentiæ lamenta populus utriusque B sexus currere cœpit, et idola atque fana ipsorum igne concremavit, et in illis locis, ubi inimicus humani generis habitabat, S. Amandus monasteria construxit, ecclesias fundavit, et ad cultum Christi populum induxit, et animas errore cæcas luce veritatis illuminavit.

*monasteria et templa extruit*

9 Deinde trans Danubium ad terras, ubi Christus non nominabatur, prædicare perrexit, ad martyrii palmam animo præparatus, ubi libera voce Evangelium salutis prædicans, aliquos ad baptismi gratiam adduxit; sed adhuc peccatis exigentibus alii verbum Dei audire noluerunt.

*Sclavis prædicat :*

10 His itaque gestis, contigit ut Trajectensium Episcopus moreretur. Tunc vir Dei Amandus a Rege coactus, et a Sacerdotibus jussus, et a populo electus, Trajectensium Ecclesiam regendam suscepit. Castra, vicos, villas circumiens, prædicando, arguendo, obsecrando, per triennium viam Dei populo demonstrabat, multique ad viam pœnitentiæ sunt conversi. Sacerdotes vero et Levitæ vocabulo, non officii merito, virum Dei prædicantem, et eis viam salutis demonstrantem, audire contempserunt. Sanctus vero Amandus excusso pulvere a pedibus suis, in testimonium illis, in solitudinem perrexit, ibique C in parva insula aliquanto tempore habitavit. Ingens autem plaga divinitus illos verbi Dei contemptores subsecuta est. Unde per biennium inopinata pestilentia castra deserta sunt, vacuæ domus, agri in solitudinem redacti sunt. Per illam omnem regionem, ubi prædicare ipse voluit, pene nullus remansit qui ejus prædicationi contrarius fuit.

*fit Episcopus Trajectensis*

*discedit, contumacibus divinitus punitis*

11 Post spatium vero temporis visitatis Fratribus, quibus per diversas provincias monasteria et ecclesias regendas commendaverat, audivit esse quandam gentem ferocissimam errore deceptam, quæ nunc Wasconia appellatur. Quæ gens per saltus Pyrenæos, per aspera et invia diffusa est loca : quæ crebris eruptionibus, pugnandi agilitate, Francorum fines longe lateque vastando contrivit. Illuc itaque caussa prædicationis accessit, ut eos ab idololatria et rapinis et a fallacia hujus mundi eriperet. Cum quadam autem die prædicaret, surgens unus ex eis, verbis risui aptis, Evangelium Christi et servum Dei Amandum detrahendo irrisit, et populum post se illa vana lætitia attraxit. Eadem hora, Divina ultione, angelus sathanæ miserum invasit, statimque omnia membra ejus contraxit, et inter pœnas confitens quod ideo patiebatur, quia servum Dei Amandum irriserat, miserabiliter expiravit.

*prædicat Vasconibus,*

*irrisore subito extincto.*

*Februarii T. I.*

12 De finibus autem Vasconum egrediens, dum D ad civitatem quamdam venisset, Episcopus illius illum suscepit, et pro reverentia hospitalitatis, aquam ad lavandum manus S. Amando detulit, jussitque ministro ut ipsam aquam servaret. Erat autem illic homo, qui lumen amiserat oculorum : cui Episcopus ille ait : Si habes fidem crede, et lava oculos tuos in illa aqua, in qua Amandus lavit manus suas, et lumen recipies. Cumque lavisset oculos, aperti sunt oculi, ut videret clare.

AUCTORE AQUITANO ANONYMO,

*lotis aqua manibus ea cæcum illuminat:*

13 Venerabilis autem senior Amandus, Christo duce, revertens in extremas Francorum regiones se direxit, egitque ibidem prædicationem apertam propter Christi nomen, et per diversas provincias multas perpessus est injurias. Construxitque cœnobium, et sicut pastor filios in Christo quotidie verbis Divinis instruens, quosdam docebat verbo, alios proprio erudiebat exemplo. n

*docet ubique in regno Francorum :*

14 Quadam die Dominica dum S. Amandus Palatinis Proceribus prædicasset, rogatus ab Episcopis et a Rege Dagoberto Missarum solemnia celebravit : finita vero oratione, privatim colloquium a Rege secretius expetiit, ipsumque Regem de capitalibus criminibus arguere cœpit. Rex vero typho superbiæ elatus, verba viri Dei audire noluit, sed iratus de E finibus ejus exire jussit. Cumque servus Dei Amandus gaudio repletus a conspectu Regis o ….. ad locum maritimum navem invenire volens perrexit, et mare Britannicum transire voluit ad gentes Saxonum, ut eis Evangelium prædicaret, et in peregrinatione cunctis diebus vitæ suæ permanere volebat.

*Regem Dagobertum arguit:*

*in exilium pellitur :*

15 Post hæc Rex correptus febribus culpam, quam in virum Dei Amandum commiserat, recognoscens, misit celeriter pro eodem, ut ad se rediret : rogans humiliter, ut sibi indulgeret, et filium Sigebertum, qui ei natus erat, baptizaret. Sanctus vero Amandus benigne Regi offensam remisit, sed timens secularibus negotiis implicari, puerum baptizare primitus renuit, sed tandem per S. Eligium et S. Audoenum, qui tunc in curia Regis morabantur, precibus et instantia flagitatus, puerum filium Regis baptizavit. Finitis vero collectis et orationibus catechismi et baptismi, cunctis tacentibus, infans ille Regis filius XL diebus, clara voce respondit, Amen. Quod pater audiens, repletus est gaudio, et compatrem suum cunctis diebus vitæ suæ habuit in magna reverentia et favore.

*revocatur*

*baptizat S. Sigebertum,*

*respondentem Amen.*

16 Sanctus autem Amandus impetravit a Rege Sigeberto locum unum in Gallia, qui dicitur q Vaurum, et ibi cœnobium ædificavit. Sed Episcopus proximæ civitatis hoc moleste gerens, jussit famulis suis, ut inde eum ejicerent, aut certe occiderent. Beatus vero Amandus eorum malitiam, Deo revelante, cognoscens, ivit cum eis ad cacumen montis, ubi eum occidere cupiebant, nec suis sociis hoc revelavit, quia martyrium affectabat; sed subito orta tempestate, pluviæ et grandines ita montem obtexerunt, quod maligni, qui eum volebant occidere, nihil viderent. Tunc sanctus Amandus tamdiu oravit, donec reddita serenitate et visu recepto ad propria redierunt. Multa quidem et alia miracula fecit Deus meritis sancti Amandi, quæ hic scripta non sunt. Hic quoque plenus dierum et operibus bonis migravit ad Dominum.

*Vauri monasterium condit.*

*occidendus cœlitus protegitur :*

*sancte obit.*

a Alanus *ubique erat, substituimus* Amandum. — b *Alii* Herbatilico. *De eo actum* § 1. — c *Hanc ostendimus esse continuam insulæ Beneo, seu S. Martini prope Rupellam. In Breviario Lotanpitano dicitur* Oyam, *alias* Ogia. — d *Bituriges cum regno Aurelianensi subfuisse Burgundionibus diximus* § 2. *Et patet ex Concilio Matisconensi* 2. *ubi Gunthramnum Regem suum agnoscunt Episcopi, inter quos erat Sulpitius Severus Biturbensis.* — e Siceræ *non meminerunt alii.* — f *Visio hæc ab aliis etiam intacta.* — g *Silent alii de asello.* — h *Et hic multa particularia narrantur ab aliis neglecta. Nihil etiam de* officio Clericorum *habetur in Breviar. Corisop.* — i *Imo* Gandens, Gandensis, *aut* Gandavum *legendum.* — k *Mendum etiam a librariis, corrigendum* Scaldis. l *Nihil alii de mola, et pane cinere mixto.* — m *Tornaci*

114 *ad*

AUCTORE HARIGERO ABBATE

A *ad Scaldim. — n Sequentia num. 14 et 15, ante numerum 10 referenda. — o Id est verbum* abiret, *aut quid simile. — p Sileat alii de his Audo-Saronius. — q R. Vauro accurate disputatum § 1 num 7. alii* Childericum Regem et monasterium Nanto *appellant. Breviarium Corisopit.* Regem Aldebertum *vocat, et loci nomen omittit.*

# ALIA VITA

## auctore Harigero Abb. Lobien.

### *Ex gestis Pontificum Tungrensium et Trajectensium.*

CAP. 41 *S. Amandus nobilibus et Christianis parentibus natus,* a

Post hæc S. Amandus, vicesimus sextus subrogatur Episcopus, de cujus vita, quia plena virtutibus habetur descripta, placuit hinc inde decerpere pauca, et ipsa ante Episcopatum ejus gestorum repetere initia. Igitur in *a* Aquitania oriundus, patrem habuit Serenum, mater Amantia est nominata: non solum secundum seculi dignitatem inclyti, verum Christianissimi.

*in Ogia insula monachus,*

2 Dum puer adhuc esset, patriam parentesque reliquit: Ogiam insulam ad occidentem maris Oceani expetivit. Illic a Fratribus gaudenter suscipitur: et, cum litteratus esset, Dei servitium frequentabat ardenter. Primum autem signorum ejus hoc fuit initium. B Eunti per viam die quadam magnitudinis nimiæ serpens occurrit. Et primum quidem pro puerili ætate extimuit, demum post fusam orationem surgens, Crucis signum opposuit, et, ut ad latebras redeat, indicit. Statim jussis obtemperans serpens, ocyus redit: et in eamdem insulam deinceps non comparuit. Post modicum tempus pater eum insecutus, a monasterio tentavit abstrahere; sed negotio imperfecto, puerum sanctum nolens reliquit.

CAP. 41 — *signo Crucis serpentem fugat*

*turbat Turonis*

*et Bituricas,*

3 Deinceps Turonicam expetens civitatem orationis caussa, B. Martini Antistitis invisit sepulchrum, ubi et comam capitis abscindens, Clericatus adeptus est honorem. Inde Bituricas deveniens a S. Austrigisilo ejusdem civitatis Episcopo, et ejus Archidiacono S. Sulpitio, postea Episcopo, devote suscipitur. Quorum suasu cellam sibi illic construxit, quam per quindecim fere annos inhabitavit, cilicio tectus et cinere, vigiliis assuetus et jejuniis, hordeaceo pane contentus, a vino abstinuit, aqua corpus sustentavit.

*ubi ad 15 annos cellæ includitur*

4 Posthaec sancto tactus desiderio, Romam profectus est, ut beatorum Apostolorum limina expeteret. Et, cum quadam nocte egressis custodibus, ipse in ecclesia delitescens, et orans *b* pernoctasset, sequenti die repertus, injuriis afficitur, et ab ecclesia propellitur. C Hac de caussa in foribus sedenti et præ cordis mœstitia extasi detento, Sanctus apparuit Petrus Apostolus, blandeque delinitum, ut Gallias prædicandi caussa repetat, hortatur. Ipse vero redditus hilarior, ad Gallias est reversus.

*it Romam* b

*a S. Petro apparente jubetur in Gallias redire*

CAP. 42 *Episcopus ordinatur,*

5 Nec mora, coactus a Rege et Sacerdotibus juxta morem ad prædicandum est ordinatus Episcopus. At ipse commissum sibi strenue implens officium, circumquaque positis verbum Dei annuntiabat, *c* monasteria construens, religionem amplare curabat: ipsaque cœnobia a prædiis et opibus, a Rege sibi et Principibus collatis, ditabat. Captivos pretio redimebat, nudis vestimenta præbebat, esurientes cibis reficiebat.

c *pro Christo pergit*

6 Item subiit animus Romam proficisci, contigitque inde revertentem Centumcellis hospitari. Cumque illic esset, diabolus unum de famulis arripiens, ad mare necandum trahebat. Qui cum Christum ad suam liberationem invocaret: diabolus autem irridendo, quis esset Christus, inquireret; *d* ait B. Amandus: Filius Dei vivi pro salute hominum crucifixus. Ad hanc vocem, disparente diabolo, ereptus est homo. Per idem pelagus, navigantibus eis, captus est piscis; cujus captura gaudium cumulaverat nautis. Sed hanc eorum lætitiam orta subito turbavit tempestas; quæ eos de vita desperantes, ad virum Dei confugere compulit. Orante Sancto, B. Petrus per puppim navem transiens, apparuit, confidere jussit, salvandos omnes promisit. Sedata est mox procella, tempestas fugata. Facto mane omnes ad terram incolumes exiere.

*iterum Roma redeuns, submergendum liberat,* d

D *tempestatem precibus, apparente S. Petro sedat*

CAP. 43 *Gandensibus prædicat:*

7 Ingressus interea Gandense oppidum, Scaldi fluentis insitum, diabolicis laqueis sic invenit irretitum, ut ejus loci homines pro Deo colerent ligna et arbores. Ceteris circumquaque positis Christi fidei subjectis isti vel propter efferos mores, vel propter infecundos cespites adhuc idolis serviebant. Igitur favente Achario Noviomensi Episcopo, regia insuper auctoritate incumbente, tanto se discrimini opposuit, nimis succensus animi fervore. Quoties injuriatus, quoties flagris est cæsus, quoties *e* ab inhonestis mulieribus est deturpatus? Quam sæpe in fluvium est præcipitatus? Ad ultimum, fugatis sodalibus, solus remansit prædicationi assiduus. *f* S. Petri cœnobium illic ædificavit: *g* S. Bavonem ex Hasbania prædonem convertit, et trans fluvium facta cellula pœnitentem inclusit. *h*

e

f

*S. Bavonem convertit* g h

E *suspensum a morte suscitat,*

8 In eodem pago reus quidam judicandus est præsentatus. Superveniens sanctus vir, pro eo, ne moreretur, Comiti preces humiliter satis effudit. Obduratus ille, beati viri precibus non intendit, quin potius damnatum hominem, primo cædi jussit, deinde ligno præcepit affigi. Postea, discedentibus cunctis, defuncti jam corpus in patibulo relinquitur; sed sanctus vir visitaturus miserum, post modicum regreditur. At, ubi jam defunctum reperit, depositum de ligno ad cubiculum, ubi orare consueverat, secum facit deferri. Et, cum juxta corpus orans pernoctasset, mane Fratres convocans, aqua lotum, vivum restituit, ita ut ne vulnerum quidem ejus saltem cicatrix appareret. Cujus miraculi novitas *i* loci illius incolis intantum profuit, ut ad eum undique concurrentes, idola sua, propriis manibus diruerent, et ea in ecclesiis construendis expenderent.

i *multos convertit*

*Sclavis prædicat.*

9 Post horum conversionem, transito Danubio, Gentibus prædicare disposuit, sed pluribus ex eis in infidelitate persistentibus, paucos tamen Christo regeneravit, ac deinde ad propria regressus est.

CAP. 44 *ob Regem monitum exul,*

10 Contigit interea Dagobertum Regem ex conjuge suscipere filium: et, quia idem Rex subita præventus ira, beatum virum cum injuria regno dudum expulerat, quod pro quodam crimine corriperetur ab eo, ductus pœnitudine, ex occasione baptizandi pueri sibi eum voluit reconciliare: et idcirco directis honestioribus viris, Eligio scilicet et Audoeno, ex commisso in eum, primum quidem veniam precabatur, deinde ut ad baptizandum filium suum veniret, obnixe rogabat. Tandem repertus vir Domini Amandus, regiæ petitioni veniendo paruit, noxam remisit, sed tantæ Majestatis filium baptizare, quasi indignus, humiliter recusavit. Sed Rege in prece perseverante, puerum quadraginta a nativitate dies habentem, catechizavit. Circumstantibus in alia occupatis, et non respondentibus, puer clara voce respondit: Amen. Sicque baptizatus, Sigebertus est nominatus, cunctis qui aderant mirantibus pariter et gaudentibus.

F *revocatur:*

*baptizat S. Sigebertum*

*respondente in Amen*

11 Posthaec B. Joanne Trajectensi Episcopo ad superna translato, Rex *k* Dagobertus convocatis Sacerdotibus plurimis, S. Amandum Trajectensibus præfecit. At ipse, suscepto pastorali officio, commissorum sibi sollicitudinem gerens, vicos et castra per triennium circumivit, verbum vitæ annuntiavit. Sed nihil se proficere cernens; quin potius Sacerdotes et Diaconos insultare sibi perpendens, dimissis eis, ad alia se loca transtulit.

k *fit Episcopus Trajectensis*

12 Chanalaus postea, insulam Scaldi fluminis, devenit: ibique cum Fratribus religiosis aliquamdiu mansit.

*Callonenses prædicat,*

A mansit. Contemptores autem verbi Dei plaga crudelis per biennium attrivit, ita ut in eo loco nullus remanserit ex his, qui sanctum virum prædicantem spreverant. Postea in Wasconiam secedens, Gentibus populis verbum salutis prædicabat. Mimilogus quidam servum Christi derisit, Evangelium annullavit, protinus a dæmone arreptus, propriis se lacerans manibus, miserabili obtutu vitam finivit. Sed et illic minime proficiens, cum reverteretur, civitatem quamdam hospitandi gratia intravit. Illo ab Episcopo civitatis honorifice suscepto, aqua manibus ejus infusa, jubente Episcopo, reservata est . de qua cæcus quidam, dum oculos intingeret, lumen recepit.

*et Vasconibus: cæcum illuminat.*

CAP 46

*monasterium Nanto extruit:*

13 Postea Franciam rediens, cum illic habitare decerneret, Hildericum Regem poposcit, ut sibi locum monasterio construendo aptum largiri dignaretur ; quem protinus impetravit. Sed Mummolus Ozilinsis Episcopus hoc ægre tulit, qui mox contra virum Dei ardentissima stimulatus invidia, in mortem ejus aspiravit. Illico misit apparitores, qui locum alium convenientiorem sibi simulate ei ostenderent, ut, dum ab hominibus eum abstraxissent, clanculo perimerent, et corpus in abdito loco projicerent. Quo Beatus ille, Spiritu sibi revelante, cognito, sitiens tamen martyrium, ad montem quemdam secutus est illos ; illicque cæcitate feriuntur inimici ; sed pœnitentes, orante Sancto, curantur.

*a periculo mortis,*

B *excæcatis hostibus, eripitur:*

14 Revertens autem Belvacum, in pago civitatis apud cæcam quamdam mulierem hospitatus est. Sciscitatus caussam cæcitatis , didicit eam adorasse arborem dæmoniis dicatam : mox illam incidi præcepit, et mulier lumen recepit.

*cæcam illuminat:*

15 Præposito monasterii cujusdam, ut ad evehendum Fratribus vinum plaustra pararet, indixit. Ille plaustra se non habere mendaciter respondit, et jussioni ejus parere ad horam distulit. Mox paralysi dissolutus, crimen inobedientiæ suæ recognovit, et navi impositus, Elnonense monasterium viro Dei deduci ur, a quo vinum et panem accipiens, mox ut gustavit, in integram sanitati restituitur, et de suis pravis moribus in reliquum emendatur.

*inobedientem paralysi percussum sanat.*

16 Alia multa miranda peregit, innumera cœnobia construxit, et opibus ditavit. Ad ultimum Elnonense monasterium inhabitavit : ubi et vitæ finem accepit octavo Idus Februarii, anno *l* Constantis, qui et Constantinus, xxiii, anno Domini *m* DCLXV, anno ætatis suæ nonagesimo.

*Elnone sancte moritur.*

C a *Adscripsit alius margini, teste Chappeavilleo*; ex pago Berbantico, *alio* Herbatilico, *ut supra dictum.* — b *Baudemundus* tota nocte vigilare cuperet. — c *Hæc post secundum iter Romanum et mortuum suscitatum facta.* — d *Imo puer jussus a S. Amando respondit secundum Baudemundum et alios.* — e *Baudemundus ait*, a mulieribus vel a rusticis non absque injuria repulsum. — f *De monasteriis Gandavi extructis actum* § 5, *et de tempore quo condita sunt*, § 11. — g *Hic inverti ordinem rerum gestarum constat ex disputatis* § 11 *et* 13. — h *Imo Tornaci.* — i Regionis illius, *ut vicini Gandenses potissimum intelligantur, ubi alio contraxisse patebit Harigerus.* — k *Imo* Sigebertus *Dagoberto aliquot ante annis mortuo, ut probatum est* § 11. — l *Sub Constantino Pogonato Constantis filio obiisse S. Amandum supra probatum est* § 16. — m *An errore typographico? alii annum legunt* 661, *qui fuit* 684.

## ALIA VITA

Auctore Philippo Harvengio de Eleemosyna, Abbate Bonæ Spei Ord. Præmonstrat.

*Ex* II *MSS. collatis cum edit. Duac.*

Epistola dedicatoria ad Abbatem Hugonem.

Reverendo in Christo Patri *a* Hugoni, Dei gratia venerando monasterii Elnonensis Abbati, et congregatis ibidem in Domino Fratribus, Frater Philippus de Eleemosyna, in semine computari, cui benedixit Dominus.

Sanctorum meritis flores adhibere sermonum, et officio scriptionis electi generis ornare præconia, D difficile probatur et arduum : maxime ubi nec vita convenit, nec scientia suffragatur. Qui enim Beatorum prædicare mores, explicare vitam, retexere gesta disponit, sic expedit vivat, ut loquitur, et factis ornet, quod oratione commendat : ne vocis propriæ testimonio redarguatur, imitatione non approbet, quod assertione prosequitur. Ab universitatis vestræ desiderabili sanctoque collegio, ad corrigendum mihi Amandi beatissimi Vita porrigitur, ut exercitio vigili recipiant obscura lucem, modum superflua, hiantia juncturam, minus habentia, supplementum. Sed quis ego, aut quid ego, cui nec meritum vitæ, nec sapientiæ condimentum, nec eruditionis cultus, ususve scribendi, tam clari spondet operis paritatem? Laudo quidem scriptoris primi diligentiam, veneror antiquitatem : placet industria : si stylus jacet, ordinem non refello. Sed facile nova cudentibus accedit invidia, nec æstuans livor detractionum caret aculeis : maxime cum in sugillatione veterum novitas induci serio videatur. Sicque antiquorum deploratur injuria, tamquam pereat illis, quidquid novis accesserit. Sed expectatur securius judicium veritatis, quam murmur timeatur invidiæ, quæ locum non habet in atrio caritatis. Hæc est, quæ nostræ præstat imperitiæ fulcimentum, E vires suggerit, ministrat audaciam; et in procellosum pelagus maniculam timidæ sedulitatis impellit. Cui tamen sinauta detur humilitas, clavus obedientia, veritas malus, antenna discretio, remex sedulitas, auctoritas velum, quod gratiæ cœlesti favorabilis aura sustollat; facile turbidi sali undosa cacumina, et tristes commotionis invidæ sinus secundo cursu poterit enatare. Quia igitur sinceritati vestræ caritatis teneor devinctus affectu; negare nequeo, si quid injungitis, maxime cum debeat honestis imperiis executio comes semper assistere, et jocunditatis afferre fructum sancta mandantibus. Nec enim debet esse, quod honestas imperat, importunum; quod dictat amor, difficile; quod persuadet utilitas, onerosum.

*AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.*

*Auctor rogatus ab Amandinis,*

*invidia aliorum contempta,*

*scribit Vitam S. Amandi :*

2 Quid autem judicari potest utilius, quam spiritualibus exercitiis exempla formare, serere moribus disciplinam, Sanctorum celebrare virtutes, et tradere posteris, quæ sequantur in sanctitate et justitia coram Deo? Sane quid est aliud Deo digni vita Pontificis , quam bene vivendi lumen eximium , speculum sanctitatis, justitiæ titulus, magisterium pietatis, forma doctrinæ, disciplinæ *b* sanctio, religionis F exemplum? Habet omnis in eo sexus, ætas, conditio, gradus, ordo, statusve, quid eligat : et in omnes abundanter emanat luminis hujus sancta serenitas. Invenit in eo pueritia quod imitetur, quid miretur, adolescentia, robur virile quid appetat, quid sequatur vigilantia senectutis. Instruitur in eo nobilitas, plus animæ quam carnis affectare delicias, et ornare natalium dignitatem decore virtutum. Humiliari et subdere status ordinis edocetur, ne perversi turbinis aura supra se raptus inaniter animus, elatione gestiens intumescat, et ad ejus sortem pertinere videatur, qui est rex super omnes filios superbiæ. Potestas eruditur non altum sapere, sed timere; et terrenæ sublimitatis eminentia, cœlestibus imperiis humiliter subjici, nec Divinam refellere voluntatem. Informatur Pontificalis auctoritas in delinquentes sic zelo rectitudinis erigi, ne mansuetudinis deserat lenitatem ; sicque judiciorum studeat æquitati, ne dissolutionem redoleat indulgentia, vel vindicta sævitiam. Convenitur prædicatorum vita, non in doctis humanæ sapientiæ verbis Evangelium ponere, sed in ostensione spiritus et virtute : ne gloriam quærens ab hominibus, gloriam, quæ a solo Deo est, non obtineat; et foris effusa, mercedis internæ munere vacuetur. Componitur

*b qua instruuntur omnes,*

*nobiles,*

*Principes,*

*Episcopi,*

*Concionatores,*

*AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.*

A nitur populorum status, non recedere a fidei fundamento, persistere in lege Testamenti, principalibus edictis esse subjectus, nec publicis executionibus adversari. Sic fructificatur omnibus unius exemplo, et in omni ejus opere, pietatis cultus et semita veritatis elucet. *populus.*

3 Laudemus Dominum, qui fecit illum, qui sicut in Sanctis suis semper est et ubique mirabilis, sic est in Amandi beatissimi virtute miranda laudabilis. Ipse in illo nomini suo dat gloriam, qui magnificavit eum in laude, qui fecit eum excelsum in verbo gloriæ, et in verbis ejus monstra placavit. Orationum itaque vestrarum patrocinante suffragio, de imperitia quidem timidus, sed de caritate præsumens, obedientia duce, quod mandastis aggredior, satisfaciens pro viribus imperio caritatis. Ad corrigenda tamen quæ primo sunt posita non ascendo, ne antiquitatis reverentiam videar minus reverenter infringere, neu styli varietas opus proferat inconcinnum, quæ sensuum pondus, et materiæ gloriam, in capacis juncturæ non conserat unitatem. Thematis igitur tenore servato, dispositisque certa sub assignatione *c* capitulis, sub divinæ pietatis et vestræ devotionis adjutorio, cum gratia sancti spiritus opus ordior imperatum. *agit gratias Deo datori sanctitatis.* *c* *implorat ejus gratiam.*

B

a *Fuit hic Hugo, ut patet ex monumentis Elnonensibus, gente Burgundus, eloquentia, consilio morumque suavitate perspicuus: ante Prior monasterii Laudunensis S. Joannis, deinde Abbas Humolariensis, postea Gualtero II ob mentem amoto, factus Abbas Amandinus XIII, ejus nominis II, anno* 1150. *Turrim incendio collapsam a superioribus fere tres in sublime eduxit: duas piscinas effodit: claustrum reparavit: tractatum extruxit: possessiones ampliavit: e vita obiit anno* 1169. *Ejus laudes celebrat Philippus in sequente Epistola.* — b MSS. satio. — c *Hanc ab auctore distinctionem capitum factam margini apponimus.* *Hugo II Abbas Elnonensis.*

## *Epistola ejusdem ad Joannem Abbatem.*

Dilecto in Christo Patri et amico *a* Joanni, Dei gratia monasterii Elnonensis Abbati, et sancto ejusdem loci conventui, Frater Philippus de Eleemosyna, servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ritu perpetuo jubetur ignis ardere jugiter in altari: cui per singulos dies Sacerdos ligna subjiciens, alimenta suggerit consummationibus hostiarum. Excubat ante fores tabernaculi litteræ legalis auctoritas, hoc interius significante Spiritu sancto, quod igne caritatis debet semper ara cordis ignescere: cui velut quotidianum fomitem, continua debet pietatis opera suppeditare fidelis et sedulus operator. Quia non est holocausti forma laudabilis, si non in conspectu Domini mutuæ dilectionis incensum in odorem suavitatis ascendat. Hæc mihi consideratio in amore vestri non permittit C vitabilem *b* fruticare defectum, sed piæ devotionis affectibus circa obsequium vestrum mens studiosa modo sinceræ caritatis invigilat, ut coram Deo rationabile sit obsequium nostrum, et utrimque proficiat oblationis hujus hostia salutaris. Sed et ad vestræ sanctitatis occursum nuper ascendere proponenti factus est mihi leo in via, cerastes in semita, duræ salutationis accessus. Audivi et conturbatus est venter meus, a voce contremuerunt labia mea, confusi sunt sensus, et status mentis emarcuit: quia tam repente sublata est de medio columna sublimis, summi artificis manu potenter expressa signo sanctitatis, gloriæ et honoris. Recessit Pastor bonus, decus ordinis, pietatis exemplum, disciplinæ sator, religionis ornatus, domicilium virtutum, consilium pacis, rectitudinis via, metator utilitatis publicæ: pauperum *c* solator, et arbiter æquitatis. Cujus uberem sapientiam, cujus industriam celebrem, monasterii status in cultu justitiæ coram Deo, et in conspectu hominum plenius auditem præclara testatur. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam non cæsos gladio filios populi mei, sed Patris communis excessum, dissidium triste praedulcis amici, lamentabilem publicæ desolationis ærumnam. D Articulus nobis hujus necessitatis impingitur, ut lacrymas funebribus dependamus obsequiis: lacrymabile nihil est illi, qui palea carnis exutus, feliciter in horreum cœleste demigrat. Cujus etsi careamus jocunda præsentia, recondere tamen debemus in thesauro memoriæ de illo quid *d* miremur: quid dulce sit imitari, quid aliis proponere gratiosum. *a* *b* *c* *Laudat Hugonem Abbatem in vivis.* *d*

5 Benedicta gloria Domini de loco suo, quæ in tanti luminis occasu, locum vestrum vindicavit a tenebris, divisionum turbines in tanta turbatione compescuit: et consolationis piæ gratiam retulit post dolorem. Gaude Pastor, in electi gregis unitate laudabili, fideli constantia gratia singulari. Gaude in provectibus ordinis et exercitio disciplinæ, gaude in cultu justitiæ et operibus sanctitatis. Gaude sacer conventus de novi subrogatione Pastoris, qui non per cancellos Simonis, vel cuniculos falsitatum, tamquam mercenarius introivit: sed vestra famulante concordia vocatus a Domino tamquam Aaron, Petri minister et Amandi successor effectus est. Quem firmum cum Petro, et amabilem cum Amando desidero feliciter inveniri. Cujus ætatem si quis minus sincere judicat vel oneri disparem, vel honori; audiat Apostolum Timotheo dicentem: Adolescentiam tuam nemo contemnat. Legat et intelligat quia Jeremias ad prædicandum puer vocatus est; Daniel puer contra senes impudicos, in spiritu judicii et spiritu ardoris districte et humiliter erectus est. Circa id ætatis David a Domino electus est et unctus in Regem, Joannes Evangelista in Apostolatus ordinem sublimatus. Utilior est multoque probabilior adolescentia cum moribus senectutis, quam senectus annosa juventutis implicita lusibus et obnoxia levitati. Cani enim sunt sensus hominis, et senectus utilis vita immaculata. Gratulamur in Domino, Fratres, quod sic uniti estis fœdere spirituali, ut et caritatis vestræ zelus in alterutrum ferveat, honestatis lumen præferens et pietatis exemplum. *gaudet Joannem ei suffectum,* *cujus juvenilem ætatem excusat.* E 1 Tim. 4. 12 Jerem. 1. 6 Dani. 13. 45 1 Reg. 16

6 Et ecce ad manum est quod quæsistis; quod jussistis, impletum est; quod mandastis, exhibitum. Non quidem, ut decuit, exaratum est, nec ut Patroni tanti reverentia vel materiæ dignitas exigebat; sed ut pauperibus ingenii tenuitas, et occupatio multiplex indulserunt. Et nunc os meum patet ad vos, cor meum dilatatur ad vos; sed præsentiam meam vobis invidet necessitatum mearum fœcunda progenies, quæ sic me trahit et distrahit, ut non quod volo, hoc faciam, sed plerumque, quod odi, cogar exolvere. Communis filius noster Frater Albertus, vice nostra, quod caritati vestræ dirigimus, exhibebit. F Bene valete semper in Domino, et orate pro nobis *e*. *Acta S. Amandi mittit a se conscripta.* *e*

a *Joannes I Abbas XIII, antea Supprior ejusdem monasterii, post annos 14 concessus* [illegible] *Gualtero Tornacensi episcopo* [illegible]*, successorem habuit Eustachium Blandiniensis Ecclesiæ* [illegible]*, virum egregium.* — b *In MS. codice, alter* fructificare [illegible] fructicarum. — c *MS.* solator. — d *Ita MSS.* [illegible]*,* mereamur. — e *Hic index* [illegible] *Capitulorum adjunctus erat in MSS.* [illegible]*. Ea in margine indicamus.* [illegible] *in capita longiuscula distinximus. Ipsorum tamen capitulorum* [illegible] *adnotamus.* *Joannes II et Eustachius Abbates Elnon.*

De nativitate et institutione beati Amandi. — 2 De conversione ejus. — 3 De dracone. — 4 Qualiter voluit eum pater revocare a conversione. — 5 De peregrinatione viri Dei. — 6 De reclusione ejus apud Bituricas. — 7 De itinere Romano. — 8 De injuria viro Dei ab æditua illata. — 9 De apparitione et solatio beati Petri Apostoli. — 10 De ordinatione viri Dei in opus prædicationis. — 11 De consolidata mensa altaris, quæ per incuriam fracta erat. — 12 De instantia prædicationis. — 13 De secunda peregrinatione ad Urbem. — 14 De puero liberato a dæmone. — 15 De pisce et tempestate. — 16 De secunda apparitione beati Petri Apostoli et sedata tempestate. — 17 De profectione viri Dei ad Gandavos. — 18 De duritia Gandavorum et constantia viri Dei. — 19 De effectu prædicationis. — 20 De resuscitatione mortui apud Tornacum. — 21 De fructu gratiæ sequente miraculum. — 22 De colloquio beati Gisleni et conversione Vincentii. — 23 De beata Aldegunde. — 24 De beata Rictrude et filio ejus Mauronto. — 25 De prædicatione Sclavis facta. — 26 De excessu Dagoberti Regis et exilio viri sancti propter correptionem ejus. — 27 De revocatione viri sancti. — 28 De infante cujus linguam Dominus aperuit in verbo præsignationis. — 29 De electione beati viri in Trajectensi Ecclesia. — 30 De mala conversatione Clericorum. — 31 De morte Regis

A Regis Dagoberti, et de missa legatione ad Urbem ad beatum Martinum Papam. — 32 Epistola Martini Papæ ad beatum Amandum. — 33 De recessu beati Amandi a Trajecto — 34 De conversione beatæ Itæ. — 35 De filia ejus sancta Gertrude — 36 De adventu sancti Amandi ad monasterium beati Gisleni, de miraculo piscis — 3 De contemptoribus prædicationis viri Dei, qui pestilentia gravi mulctati sunt 38 De blasphemo correpto a dæmone. — 39 De cæco illuminato. — 40 Quomodo vir sanctus orta tempestate manus evasit apparitorum. — 41 Quomodo Rex Hildericus dedit viro Dei Barisiacum. — 42 De muliere cæca illuminata — 43 De tertia peregrinatione ad Urbem 44 De ædificatione Elnonensis monasterii — 45 Qualiter sanctus Humbertus ab Urbe rediens venit Elnonem ad sanctum Amandum. — 46 De Præposito Elnonensis monasterii propter inobedientiam percusso et sanato. — 47 Qualiter Blandinienses monachi elegerunt sanctum Amandum post mortem beati Floreberti — 48 Qualiter Elnonensi monasterio beatus Amandus præfecit sanctum Andream discipulum suum Abbatem Barisiaci — 49 De testamento quod fecit ante transitum. — 50 Petitio seu adjuratio sancti Amandi de corpore suo — 51 De transitu ejus et sepultura. — 52 Visio beatæ Aldegundis virginis de transitu sancti Amandi.

## CAPUT I.

### *S. Amandi ortus, pueritia, vita monastica.*

*CAP. I S. Amandus genere nobilis,* Gloriosus igitur Christi Confessor Amandus, fide claris et sanguine parentibus ortus, natalium dignitatem vitæ meritis illustravit. Pater ejus Serenus, mater Amantia, nuncupatione tam celebri sobolis sanctæ nomen et gloriam felici denuntiavere præsagio. Herbatilicus loco nomen est: qui titulo B nativitatis insignis, sicut ab Oceano non plurimum distat, sic Aquitanicæ collimitat regioni. Agente itaque circa susceptum filium paternæ circumspectionis industria, præceptoris diligentiæ sacris traditur litteris imbuendus: ut ætatis primævæ rudimenta prima, liberalium studiorum cultus insignis erigeret: et doctrinam gratia condiente, ab uberibus sapientiæ, divinæ legis sugeret intellectum. Jam in *signa sanctitatis futuræ ostendit* id temporis rutilabant in puero futuræ sanctitatis insignia: et secuturi fructus ubertatem lucidi floris circumferebat aspectus. Etenim manus Domini erat cum illo; cujus operante potentia tanquam vitulus novellus promovendus ad aratrum, cornua producebat et ungulas: quibus antiqui hostis calcaret immunditiam, malitiam ventilaret. Vigebat in eo cœlestis exercitium disciplinæ, et in castris mens devota certatura regalibus, ignem et gladium ad victimam deferebat. Erat sermo fidelis, fides affectuosa, affectio sincera, sinceritas firma, firmitas constans, constantia perseverans, perseverantia non aberrans. Agebat sane quemdam senectutis ornatæ moribus castigati operis cælibatum; et in fragili corpore virilis animus et consilia matura convenerant. Et, quia semper vanitatem reprimit æstimatio C veritatis: et, ubi spiritus Domini, ibi libertas; in *seculum deserere statuit.* libertatem gloriæ Filiorum Dei reformari pius animus affectabat. Jamque salutis partus, quem a timore Domini mens sancta conceperat, in lucem gestiebat erumpere: et ad fugam seculi fidelis præsuspirabat affectus.

*CAP. II fugit in monasterium insulæ Ogiæ sancte observat institutum monasticum,* 8 Sacro igitur animum stimulante desiderio, relictis parentibus et domo paterna, in Ogiam insulam, quæ ab Oceani littore quadraginta ferme millibus distat, secunda navigatione devehitur. Ibi Deo servientium Fratrum jocunda devotione susceptus: conceptæ propositionis arcanum celebri concludit effectu: et mundi gloriam cœlestis philosophiæ conterit argumento. Abdicat generis claritatem, ut abjectus vivat in domo Dei; carnis fugit illecebras, abjicit præstigia vanitatis, renuntiat infulis dignitatum, ponit modum cupiditatibus, curiositati metas affigit: indicit vitiis bellum, famulatum virtuti prærogat, et corde non ficto viam veritatis insumit. Pauperem Christum pauper factus insequitur, et regularis disciplinæ cultum tota sedulitate novus cænobita complectitur. Pascitur jejuniis, vigiliis recreatur: laboribus hilarescit, oratione respirat, lectionum ferculis saginatur. Vincit occupationibus tædia, fastidium varie- D tate detergit, ornat meditatione silentium, motus stabilitate componit, Fratrum studiis delectatur, *AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.* imitatione proficit, ignescit exemplis, adhortationibus informatur. Justitiæ viam caritatis illustrat obsequiis, et operis gratiam salubris obedientiæ decorat ornamento. Stupet Fratrum fidelis universitas, in ætate tam fragili tantæ perfectionis ornatum, et tanquam novi sideris miratur exortum: ac de tanti commilitio bellatoris apud eos in conspectu Domini gratiarum resonat actio, et vox laudis.

9 Solet profectibus alienis tabescere mordax invidia, et iniquitatis est proprium, non sereno vultu processus innocentiæ contemplari. *CAP. III* Videt peccator et irascitur, fremit dentibus et tabescit: et ad gloriam sanctitatis turbida indignatione confunditur. Reparat antiquæ fraudis insidias, et per familiare sibi organum, radiantem novi luminis flammam, vel extinguere nititur, vel turbare. Agebat absque arbitris iter solitarium puer sanctus aliquando per *solus ambulans per insulam,* insulam, præsidentium citatus edicto: nec detrectabat obsequium, quo gratiam mereretur. Ibat igitur sibi totus incumbens, et cœlestia mente contrectans, ante altare aureum, quod est in conspectu Dei, piæ devotionis adolebat incensum. Constituebat diem solennem in condensis usque ad cornu altaris; E de mensa propositionis epulabatur exultans, et delectabatur in lætitia. Fit plerumque jocunda quies, origo discriminis: et exorta est de messe gaudiorum, planta tristitiæ. Livoris exagitatus aculeis, humani generis affuit inimicus: eamdem formam referens eamdemque naturam, qua protoplastis *obvio serpente terretur,* intulit plagam mortis; et sponsionis fraudulentæ fractos illecebra, jugo, miseræ captivitatis addixit. Subito namque serpens immanis corpore, forma terribilis, horrendus aspectu, sese sacris injecit obtutibus: et mentis sabbatum transtulit in stuporem. Facile rudes animos improvisa concutiunt, et animi statum leviter repentina subvertit accessio. Ad occursum monstri puer Domini timore corripitur, sollicitatur angustia, trepidatione confunditur, fugam meditatur anxius, sed draconis horret instantiam; nec apud eum constat, fugitare sit, an restare securius.

10 Respectus Domini semper est in electos, nec derelinquit Sanctos suos in die malorum, et in tempore superborum sine adjutorio. Reparat subito Divina miseratio fluctuantem, trepidum reficit: et æstuantis animi motus confidentiæ sublevat in profectum. F Conversus igitur ad cor, in fervorem pristinum recalescit. Spei lætioris armamenta recolligit: et felicis insigne victoriæ de promptuario divinæ pietatis expectat. *fiducia in Deum confirmatus,* Itaque solo prostratus, de priori quidem turbatione compungitur, de visitatione gratias agit: pro subventione brevis et efficax ad thronum gratiæ derivatur oratio. Auditur in excelso clamor ejus: et de cœlesti propitiatorio munus exauditionis in auxilium reportatur. Illico surgit intrepidus, et in hostem fidei signo Crucis edito, potenti verborum virtute imperat ut a finibus insulæ malitia *signo Crucis eum fugat.* draconis emigret; nec se deinceps damnis afferat incolarum. Velut *a* baleari percussa tormento, potentis imperii virtute virtus serpentis eliditur: submisso capite confusus abscedit, nec edicto recalcitrat imperantis. Vincitur in serpente diabolus, et induitur tanquam diploide confusione sua: pro ingesto timore recipit doloris anxietatisque manipulos, et, quo videtur ætas victoris infirmior, eo graviori pulsatur insania: turbatur vehementius, et amplius erubescit. *a*

11 Non capit infrunitus animus de præteritis conjecturam: *CAP. IV* jugiterque tabernacula calumniæ procax irreverentia confrequentat. Quem frangere terrore non potuit, tentat adversarius enervare blanditiis: et a sancto nititur revocare proposito *b* captiosæ satellitio *b*

*Auctoris pater ab eo visitatur sum insula ex MSS.*

*parentes eum inde abstrahere conantur,*

*respuit blanditias, minas,*

*hæreditatem :*

CAP. V.

*Turones peregrinatur, ad ecclesiam S. Martini :*

A tellitio pietatis. Ad visitandum eum cor patris everberat : jam tepentes in eo recidivat affectus. Novis suggestionibus antiqua suscitat desideria : c novumque generat in animo genitoris ardorem. His aspersa tenebris mens Sereni patris deficit a sereno ; tam dulci pignore carere non sustinet : et quasi post cineres sepulchri, vivente se filio credit orbatum. Proinde respectu divini timoris abjecto, disponit a monasteritio divellere, quem paternæ auctoritatis votiva non assignarat oblatio : et in jus hæreditatis contemptæ revocare deliberat profugum successorem. Enavigato igitur mari descendit in insulam, veniens in monasterium gratanter excipitur, consalutatisque Fratribus, a Priore loci colloquium filii postulat et meretur. Quo in partem secretius evocato, post dulcia oscula, sermonesque promiscuos de abjiciendo sacræ religionis accinctu, de reditu in patriam, de repetenda hæreditate, consilia matura procedunt, et persuasio seria subinfertur. Proponitur paternæ titulus orbitatis, teneritudinis maternæ continuus et anxius dolor, nobilitatis injuria, contribulium querimonia frequens, generalis commanentium de reversione voluntas.

12 Velut auræ tenuis sibilus a puero Domini reputantur hæc omnia, rejiciuntur paternæ preces, respuuntur blanditiæ, consilia prædamnantur. Indignationis nubem Serenus induit non serenam : contumescit animo, et in iram totus attollitur, minas congerit ad terrorem, nec contemptum suum valet æquanimiter sustinere. Tactus itaque dolore cordis intrinsecus, abdicat filium, successionis jura convellit : et exhæredationis indicit d elogium. Ille in alta mentis specula constitutus, mundo altior, quasi nihilum et inane ducit hæc omnia : vultuque ac mente immobilis, blandientem pariter ac minantem despicit patrem, sic tamen ut non reverentiæ jura confundat, nec pietatis infringat officium. Moderationis nempe retinens internæ temperiem, disponit sermones suos in judicio ; Tibi sit, inquiens, pater, hæreditas tua : Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, ipse est qui restituet hæreditatem meam mihi. Dignior est cœlestis generatio quam terrena. Mortali patri patrem præferre condecet immortalem. Spe frustratus pater, ad hanc vocem turbatus egreditur, profligata opera vacuus redit et refertur ad propria. Hoc jam secundo mirificavit Dominus Sanctum suum, tonantem se glorificans : et in conspectu ejus ad nihilum deducta est impostoris antiqui maligna perversitas.

C

13 Non est turpe cum re mutare consilia : nec improbabile causis urgentibus adhibere consensum. Motus, ut creditur, hoc impulsu servus Domini, peregrinari disposuit : ut, et laboris instantia castigatio carnis assumpta præstanter augesceret, et similes in reliquum vitaret incursus. Sicut enim fugienda sunt cum suis vitia causis, sic declinanda est ingestæ tentationis occasio. Ad malum namque facilius necessitudinum carnalium motus, quam gladiorum terror aut sævitia potestatis inclinat : et humana natura sequi, quam trahi solet semper esse paratior. Igitur ad urbem Turonicam votivæ peregrinationis primi derivantur incessus : ut beati Martini patrociniis sic destinata dirigatur intentio, et sanctorum suffragiis opus promoveatur inceptum. Ad sepulcrum sane gloriosi Confessoris in spiritu humilitatis accedens, inter devotos sacræ confessionis ascensus, hoc specialiter sibi Patris sancti meritis apud Deum postulat obtineri, ut omnis sibi in reliquum redeundi in patriam præcludatur accessus, occasio præcidatur. Quia, sicut non est tutum vicino serpente dormire ; sic inter notos et affines secularibus deditos, non est secura conversatio profitentibus pietatem. Aliquantisper in loco eodem demoratus, primitias capitis obtulit Deo, regalis sacerdotii suscipiens signum, et ecclesiastica tonsura initiatus in clerum.

D

*in Clerum assumitur*

*it Bituricas,*

*ubi a SS. Austregisilo et Sulpitio Pio excipitur :*

14 Petita postmodum a Fratibus loci benedictione progreditur, et iter repetit intercisum. Inde Bituricas, Domino ducente, pervenit : et ad urbis Antistitem hospitandi gratia declinavit. Eo tempore præsidebat ecclesiæ vir vitæ venerabilis beatus Pater Austrigisilus, cujus ornabat celebri sanctitate collegium Sulpitius archidiaconii Confessor insignis, vitæ merito et morum gratia post sanctum virum Pontifex mox futurus. Hi venientem ad se servum Dei debito susceperunt humanitatis officio : et ex benevolentia caritatis, congrua necessitati subsidia ministrarunt.

CAP. VI.

*carnem spiritui subjecturus,*

Thren. 3, 27 et 28

*cellæ includitur :*

*corpus affligit :*

*divina contemplatur,*

*annos 15.*

15 Agebat pubertatis annos Beatus Amandus, in adolescentiæ flore primævo, fervorem spiritus ab ætatis fervore non dividens, ut caperet virtus animi cum corpore pariter incrementum ; et in azimis sinceritatis et veritatis devotam consecraret Domino juventutem. Intellexit hic vir Deo plenus, sibi secretius aliquid exequendum : quo arctiori custodia, promptiori studio, vigilantia puriori, rudes ætatis lubricæ motus, et geminos carnis impetus subnervaret. Ad æterna namque tendentibus circa motus domesticos severæ castigationis est adhibenda censura, ne misere serviat animus, qui nobiliter debuit imperare. Desiderio desiderabat hoc pascha cum perfectis edere vir electus, et de hoste victoriam, conflictu quærere singulari, juxta verbum Sapientis quo dicitur : Beatus homo cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua, sedebit solitarius et tacebit, et levabit se super se. Successus congruos sancta facile sortitur intentio : et vix affectum possibilitas deserit, quem pietatis studia suscitarunt. Ad petitionem ejus, a viris misericordiæ, sancto Pontifice et fideli Archidiacono, supra murum civitatis instantia celeri cella construitur, ubi felici peregrinationis genere, peregrinus a mundo, peregrinus a carne, peregrinus a sensibus, et contubernio vanitatum, soli Deo liberius adhæreret, vacaret ardentius, fidelius obsequeretur, fructuosius militaret. In hoc voluntariæ necessitatis ergastulum, vir Dei caritatis compede vinctus ingreditur, contra vitia ingreditur, ac spiritus, contra mundi gloriam, contra spiritales nequitias circumspectione modesta et humili pugnaturus.

E

16 Fit pugnanti cilicium vestis, hordeaceus panis edulium, potus unda communis : reclinatorium terra vilibus constrata segmentis. Fit abstinentia jugis, vigiliæ frequentes, indefessa oratio, fidele silentium, meditatio sacræ legis assidua, efficax divinæ studium lectionis. Sicque libratur occupatio multiplex ut non inveniret otiositas inimica progressum, et hosti callido deesset accessus, et clauso a foris ostio, divina custodia contra turbines externos intra arcam sapientiæ, justum servaret absconditum. Sic annis fere quindecim viro Dei vivitur, et in talibus vita spiritus ejus virtutum ducens ab æterna vitæ propagines, et de stillicidiis gratiæ germinans sanctitatem, post affectati carceris labores egregios, post conflictationis eximiæ fideles excubias, post assiduos macerati corporis cruciatus, ætatis incessibus potenter edomitis, tractu temporis, quem diximus, evoluto, votivæ peregrinationis recrudescit affectus : et ad iter primo dispositum, propositi prioris memoria non segnis erigitur.

a *In MSS. est excusa*, graviori. — b *MSS.* cautiosa. — c *Excusa*, nonnunquam. — d *In altero MS.* eloquium.

CAPUT II.

A

## CAPUT II.

### *S. Amandi primum iter Romanum. Verbum Dei prædicatum.*

CAP. VII

*Spiritu Dei incitatus, cellam deserit:*

Deseritur solitaria mansio, secreti dulcis negotiosa otia laxantur in publicum: conversationis occultæ latebra, sub aspectum solis educitur. Non hic tamen usum levitate credimus servum Dei, vel absque familiari processisse mandato, quod paginæ cordis calamus scribæ velociter scribentis impresserat. Spiritualis quidem omnia judicat, et ipse a nemine judicatur, et cum Sanctorum semper imitanda sit virtus, non tamen semper imitabilis actus: et eorum pleraque opera non vivendi formam, sed privilegium divini muneris eloquuntur, in quo sunt admirationi tradita, non exemplo. Mirari liceat super hoc Dei servum, non libeat imitari: quia non in generale transit edictum privata concessio: nec in omnes diffunditur gratia specialis. Spiritus enim sanctus non ubique, sed ubi vult, spirat, et vocem virtutis prærogat voci suæ: ut, qui docetur interius, audiat, quid loquatur: et a mandatis intelligat, semitas eligens veritatis. Taliter, ut dignum est credi, vir B sanctus, uno tantum comite contentus, egreditur: et aggreditur viam, quam, Spiritu sancto dictante, conceperat, spiritalis emolumento gratiæ munerandus. Emensoque itinere, post Alpium horridam et arduam viam, post anfractuosos et lubricos vertices Appennini, post naufragosos et difficiles fluminum commeatus, Apostolici culminis Urbem jocunda perventione lætus ingreditur.

*Romam pervenit:*

*sacra loca invisit:*

Ibi ad B. Petri confessionem, cum lacrymis et oratione reverenter affusus, obsecrationibus sacris mente devotus indulget, ad reliquum vitæ tempus et ordinem postulat profutura, pietati divinæ totus innititur, et in jubilo cordis de subventione gratuita gratiarum replicat actionem. Inde ad memorias Martyrum et Sanctorum *a* titulos aviditate sedula circumfertur, et eorum suffragiis operi suo fructum a Patre luminum flagitat assignari.

CAP. VIII

*pernoctare volens in oratione,*

18 Sicut studet exequi justitia, quod suum est; sic a ferali proposito livor improbus non recedit. Justorum namque semitas obsidet sathanæ malitia pervicax, et insidiando circumvolat: ut convertat studia pietatis in scandalum. Reversus erat in una dierum B. Amandus, sicut consueverat a visitationis sacræ votivo circuitu, ut in B. Petri basilica con- C summaretur dies, et continuaretur oratio. Cumque post vespertinam synaxim, recedentibus aliis, vellet ibi solus hujus rei gratia demorari; affuit ex ædituis unus, loca sancta perscrutans in ordine vicis suæ, ne quid accideret, quod servitutis suæ turbaret obsequium.

*e templo pellitur,*

Hic cum non agnitum sibi Dei servum in loco abdito reperisset, repentino turbatus impulsu, minus civiliter attrectatum, non sine verbis contumeliæ, violenter a templi ambitu et irreverenter extrusit.

*idque patienter fert.*

Ille intra patientiæ claustra se continens, in spiritu mansuetudinis portat injuriam, calumnias despicit, molestiæ reluctatur. Non recedit ab opere sanctitatis excitatus opprobriis; sed in hymnis, et psalmis, et canticis spiritualibus, cordis et vocis ministerio consonante, servitutis suæ pensum Domino cum omni humilitate dependit. Retunditur et hic antiquus illusor, et illuditur ei judicio veritatis: quia reportat humilitas alibi solatium, et in desiderio cordis sui fraudulenta non requiescit impietas.

CAP. IX

*S. Petro præsente,*

19 Cum ergo sic exclusus, in gradibus ascensionis pro foribus ecclesiæ resideret; post orationis cursum, post pietatis lacrymas, et amoris intimi sancta suspiria, subito raptus, in excessu mentis B. Petrum videt propter assistere, aspectu læto, serena facie, claritatis habitu renitentem. Hic post visitationis D piæ munus exhibitum, post communionem suavis alloquii, post familiaritatis sanctæ lene solatium, reflectendum denuntiat iter in Gallias; ut in agro Domini laboret attentius, et super messem, quæ multa succreverat, promptus minister invigilet. Ille cœlesti certificatus oraculo, et Apostolicæ vocis roboratus hortatu, viam convertit in Gallias: et quod a mandatis intelligat, opere protestatur.

AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.

*in Gallias revertitur:*

CAP. X

*b sub Chlothario II,*

*c*

20 Regnabat in Galliis ea tempestate *b* Lotharius, vir strenuus rebus bellicis, non minor virtute quam gloria, et Christianæ fidei propugnator insignis. Hic quartus a Clodoveo (quem *c* B. Remigii constat ministerio baptizatum) præferebat in potestate clementiam, morum titulos in eminentia dignitatis, in abundanti rerum prosperitate gratiam mansuetudinis exigebat. Colebat in reverentia Pastores Ecclesiæ, donariis frequentibus et prædiis ornabat Ecclesias: et regni gloriam continuis propagabat augmentis. Ad eum cum beati viri celebris emanasset opinio, gloriosis viris *d* Andoeno et Eligio non segniter adnitentibus, qui inter aulicos Principes adhuc in seculari habitu non mediocriter eminebant, evocatur ad Regem: et Pontificali auctoritate præmissa, voluntate Principis, et Magnatorum probante consensu, in officium prædicationis ordinatur Episcopus, sicut E mos illius temporis exigebat, et ad disseminandas in Gentibus evangelicas sanctiones, ad propalandum Christi nomen incredulis, ad ponenda fidei fundamenta, cum omnium favore et gratia destinatur.

*d curantibus SS. Audoeno et Eligio, Episcopus ordinatur:*

*verbum Dei prædicat:*

21 Vir sanctus impositum suscipiens reverenter officium, studet opus Evangelistæ diligenter implere: studet et omnibus verbo proficere, pariter et exemplo: studet ad lucra spiritualia talentum sibi creditum fideliter erogare: studet annonam fidei, fidem nescientibus dispensare cum gratia: et ab idolorum cultibus ad veritatis viam revocare satagit aberrantes. Et, quia redemptionis æternæ gratiam prædicat, captivorum redemptioni miseranter insistit: ut in eis mundanæ pariter et diabolicæ jugum servitutis absolvat, et prædicationi sanctæ pondus et gratiam conferat æstimatio pietatis.

*captivos redimit,*

Si quos autem infra pueritiæ terminos redemptionis casus assignat, purificatos unda baptismatis, studiis applicat litterarum ne confundat indisciplinatio renascentes, vel obruat ignorantia promovendos. Ex his postea nonnulli, beati Patris adnitente subsidio, facti sunt veritatis assertores egregii, Sacerdotes electi, Doctores Ecclesiarum, et prælati monasteriis sancti vitæ mo- F nasticæ professores.

*eosque educat in viros præclaros*

CAP. XI

22 Dum commerciis talibus vir beatus ordinationis suæ coronat initia, ab illustri viro, quem supra memoravimus, Andoeno ad consecrationem monasterii, quod jussu prædicti *e* Regis instruxerat, invitatur. Vocatus *f* B. Faro Meldensis Episcopus, et ad opus destinatum cum B. *g* Agilo fideli opera consummandum diligentius elaborat. Cumque omnibus rite peractis ad altaris consecrationem sancti Pontifices accessissent; inæquali positione locatum superpositum marmor apparuit: differunt ad horam sancta mysteria: correctionem parant inæqualitatis inventæ: et ad reformandum mensæ declivis statutum vigilanter intendunt. Quam loco motam sancti viri dum sustentarent manibus, et inconsideratius attrectarent; delluxit in terram subito marmor elapsum, et allisum vehementius in duas partes subdita divisione dissilit. Turbati et conterriti venerabiles viri, non mediocriter contristantur, et casus urgentis incommodum verbis cæremoniæ prosequuntur. Tunc B. Amandus cum Beatis Farone, et Agilo, spe de Domini pietate præsumpta, cum lacrymis in orationem procumbunt: et affectu penetrante cœlestia, solatium tristis incommodi, de Patris æterni clementia

*e f g*

*in consecratione altaris*

*marmor lapsu fractum*

A mentia præstolantur. Surgentesque ab oratione, signo super lapide vivificæ Crucis emisso, *h* reconsolidatum marmor, in integritatem pristini tenoris aspiciunt; sed ad signum virtutis, signique memoriam, virgula subtilis in medio loco scissuræ, tamquam lineare discrimen apparuit. Fit de divino munere solennis gratulatio, consecrationis opus in gaudio consummatur, et aguntur uberes gratiæ tam celebris misericordiæ Præstitori. Audoenus igitur vir illustris, ne tam dignum opus, vel vetustas absumeret, vel occultaret oblivio, prædictum marmor litteris jussit eminentibus insigniri, certo sensu continentibus, altare præsens B. Amandi fuisse ministerio consecratum. Locum præterea *i* Jerusalem præcipiunt sancti Patres ab incolis appellari, propter crebras revelationum spiritualium visiones, et assidua miraculorum beneficia, quæ dignabatur in servis suis divina pietas ibidem multipliciter operari.

*AUCTORE PHILIPPO ABBATE EX MSS.*

*signo Crucis redintegrat.* h

i

CAP. XII

23 Inde, ne quid a titulo gloriæ, ne quid a cumulo mercedis excideret; ad loca remotiora, et irretitas idolorum cultibus Gentes, dilectus Deo et hominibus B. Amandus egreditur, ad dandam scientiam salutis plebi Domini in remissionem peccatorum eorum: ut lumen Christi splenderet in tenebris, B et notum fieret salutare Domini, et revelaretur infidelibus justitiæ cultus, et gratia veritatis. Hic labor, hoc studium viri Dei, huic operi diebus insistit et noctibus, et lucris spiritualibus ampliatur. Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.

*Gentibus prædicat verbum Dei.*

a *Edita*, tumulos. — b *Hic est Chlotharius II, cui anno 628 mortuo successit filius Dagobertus, ac sub hoc sequentia potius peracta.* — c *Quartus a Chlodoveo (non ordine regnandi, sed nascendi, habuit enim eum proavum, Chlotharium I avum, et Chilpericum patrem.* — d *Colitur 6 Februarii. De ejus vita et baptismo Chlodovei regnans hic dicemus ad Vitam S. Vedasti, uti et de baptismo Regis 6 Februarii in Vita S. Vedasti Episc. Atrebatensis.* — e *Dono a Dagoberto Rege post obitum Chlotharii, petiit S. Audoenus et impetravit locum, extruxitque monasterium, ut constat ex Vita S. Agili primi Resbacensis Abbatis* 30 *Augusti cap.* 11 *et* 12. — f *Colitur S. Faro* 28 *Octob.* — g *In altero MS.* Agasilo *minus recte.* — h *Idem miraculum in Actis S. Agili cap.* 15, *et S. Faronis narratur, et in utroque S.* Amandus *altare dedicat.* — i *Aimoinus lib.* 41 *scribit*, B. Audoenum fabricasse monasterium intra Brigensem saltum, quod Hierusalem quidem est nominatum, sed a fluviolo, super quem est situm, Resbacense dici cœnobium.

## CAPUT III.

### *S. Amandi secundum iter Romanum. Gandenses aliique instructi.*

CAP. XIII

Numquam de se vera præsumit humilitas, et quo C altius in arcem virtutis evehitur, eo arctius sua in se excrementa recolligit, et his existimat se minorem, quorum dicitur æstimatione sublimior. Poterat sufficere viro Dei cœlestis auctoritas, et Apostoli Petri fidelis inductio; quo mandante, prædicationis onus opusque susceperat. Sed ne præsumptionis notam livoris ei genius infligeret, si absque Vicario Christi, Christum evangelizaret in Gentibus, iterato Romano tendit itinere: et apud summum Pontificem, laboris et intentionis suæ summam, cum subjectionis humilitate deponit, cordis affectum verbo scintillante prosequitur; et sancti desiderii flammam, summi Patris ingerit sanctitati. Dominicæ messis opulentiam docet operariis indigere, et subventione paterna suam postulat indigentiam sublevari. Deo dignus Antistes, viri Dei miratur zelum, probat industriam, doctrinam commendat, propositum veneratur, laudat instantiam, labores extollit, compatitur periculis, profectibus delectatur. Ad supplementum igitur consortii vel laboris, probabiles et industrios viros, *a* Landoaldum Archipresbyterum, et Amantium Levitam, segregatos in opus ministerii sancti, cum aliis quorum nomina non tenemus, auctoritate Apostolica cum B. Amando delegat in Gallias. Ille voti compos, cum benedictione Patris ab Urbe digrediens, Centumcellis subvectione nautica deportatur, spe magna concipit et fidelis collegii plenitudine gloriatur. D

*Romam redit*

*Papæ votum prædicationis aperit:*

*laudatur*

*socios impetrat:*

a

25 Lætis semper imminet transgressor antiquus; et aspergine fæculenta maculare nititur gaudia beatorum. Orationi circa vesperam more solito vir Domini secretius incumbebat; cum subito malignus spiritus, unum de pueris arreptum, concussione valida trahebat in pelagus suffocandum. Ille timore noctis et hostis horrore circumdatus, stridore terribili, quoad poterat, Christi nomen frequentius inclamabat, Christi flebiliter implorabat auxilium, Christo se fideliter commendabat. Insultatorie *b* pervasor iniquus clamanti respondit: Quis esset hic Christus, cui se tam sedulo commendaret? Quo tacente, ad hanc vocem vir beatus infremuit, et clamore valido puero subintulit dicens: Responde fili: Christus qui natus est de Virgine, qui pro nobis passus est, et resurrexit a mortuis. Ad vocem confessionis dæmon confusus evanuit, et merito sanctitatis puer ab imminenti naufragio liberatur.

CAP. XIV

*puerum a dæmone submergendum*

b

*confessione Christi liberat.*

26 Ascensa dehinc nave, Thyrreni legit æquoris plagas, et sinuosos littorum prætercurrit anfractus. Cumque secum in navi residentibus, ut moris habebat, tamquam pincerna cœlestis, divini verbi nectar E infunderet, improviso piscis magnus occursu navigantium se conspectibus intulit, et vicinis incursibus navi cœpit insistere. Quem gnara piscandi turba diligentius intuens, venationis æquoreæ circumvolvit et extulit armamentis. Læta igitur divino muneri gratias agit: et in commune de tam solenni præda, refectionis subsidiæ præparantur. Epulantur et gaudent, et ducunt in lætitia diem festum, jocundi successus grata stipendia celebrantes. Incerta sui est semper mortalis infirmitas, et sicut caussas, sic rerum minime comprehendit eventus. Inter epulas et verba lætitiæ, subito facies maris inhorruit; cœlum triste sole subducto migravit in tenebras; et vehementius incumbens spiritus procellarum, violentia turbinis, et undarum crebris incursibus, lætantium mentes et statum securitatis absorbuit. Devolvitur in pelagus, quicquid ad victualia servabatur, jactantur sarcinæ, vasa cum utensilibus exponuntur, vacuatur navis omnibus, ut undosa cacumina saltu leviore supernatet, et rebus perditis sola saltem possit vita servari. Ubique metus, ubique mortis imago plurima, nec nisi suprema cogitat miseriarum comes desperatio. Supplicant igitur viro Dei, ut partes suas apud misericordiam Judicis interponat, et pro communi periculo, precum victimas F offerat Redemptori. Consolatur attonitos vir beatus, et toto corde converti monet ad Dominum, et salutis eventum de Omnipotentis sperare clementia. Inde ad orationem convertitur, familiare in omni tribulatione refugium, et pro sua suorumque salute, preces summæ porrigit Majestati. Cœlum pulsat affectibus, devotione transcendit excelsa: et valido mentis incessu, patrem misericordiarum, et totius consolationis Deum, ad remedia solitæ pietatis invitat.

CAP. XV

*inter epulas nautarum,*

*tempestatem sedaturus, orat*

27 Inter orandum vir Domini subitum rapitur in soporem, et in labore spiritus vehementi, carnis subsidit infirmitas. Adest cœlestis claviger quiescenti, et in secretarium misericordiæ, per ostium blandæ consolationis inducit, dicens ei: Surge Amande, ne timeas, non peribis: et evadent periculum, quos tibi necessitatis hujus societas aggregavit. Hoc dicto somnus pariter et procella dispergitur, et tranquillitatis optatæ refulget læta serenitas. Mane itaque facto, nave dimissa, refunduntur omnes in aridam, et de liberatione sua gratias exhibentes, ad propria diriguntur. Gloriosus Deus in Sanctis suis, qui clamantem ad se servum suum, tam misericorditer audivit, audivit potenter, efficaciter liberavit. Dignus et

CAP. XVI

*S. Petro apparente confirmatus,*

*serenitatem impetrat:*

A et ipse præconio, cujus insigne meritum, vita laudabilis, opus egregium, tantum de Domini sui gratia meruit obtinere ; ut non sibi tantum, sed et aliis proficeret ad salutem, et exurgens in exitium commune triste periculum, orationis sanctæ beneficio propulsaret.

CAP. XVII

28 Interea viam universæ carnis ingrediente *c* Lotario Rege, successor ei constituitur Dagobertus, sicut regiminis, sic virtutis et pietatis paternæ strenuus imitator. Quo regnante, B. Amandus ab Urbe regrediens, ministerium verbi, sicut assueverat, cœpit diligentius exercere, et animarum lucra profectu divini muneris operari.

*Gandavum venit,*

Hujus rei gratia, Gandavum progreditur, et sterilitatem gentis incredulæ, fœcunditate divini germinis satagit adimplere. Hic, ut liberius securiusque possit in evangelicæ sationis opus assurgere, interveniente sanctæ recordationis Aichario Noviomensi Pontifice, a præfato Rege suscepit epistolas, ut nullus verbum vitæ, jugum fidei, sacramenta gratiæ detrectaret : sicque Regi cœlesti Rege militante terreno, velociter curreret sermo sanctus, et in exitium mortis, jugulumque diaboli, duo gladii convenirent : quia felix est et jocunda communio, cum ad classicum militiæ spiritualis, erigitur terrenæ satellitium dignitatis. B

*Regis Dagoberti litteris munitus :*

CAP. XVIII

29 Populus autem ille, sicut ubere glebæ, sic ubertate gratiæ sterilis et jejunus, fanatici erroris cultibus et idolorum sacrificiis insistebat. Sicque instigante salutis adversario, dura fronte, et indomabili corde, pacis æternæ consilium respuebat, et salutaribus monitis, cervicoso reluctabatur annisu.

*Ob Gandensium duritiam,*

Satagebat nihilominus vir Domini, studio pertinaci et jugi opera, ut in diversoria mortis inductos, in regnum vitæ per gratiam sanctificationis educeret. Renitebatur impietas pietatis obsequiis : et ministrum vitæ frequentibus ad mortem trahere moliebatur insidiis. Ille spreta sui corporis morte, sæpenumero cæsus, affectus contumeliis, pulsatus injuriis, opprobriis lacessitus, frequenter præcipitatus in flumen, ab ipsis etiam mulierculis, persecutionis injuriam sustinebat.

*multa adversa patitur,*

Quarum quanto est fragilior sexus, tanto est nequior sensus, tanto affectus improbior, et procacior solet esse malitia. Fratres itaque qui eum, nimia ejus devincti caritate, secuti fuerant, et in opere Dei præstabant familiare contubernium, timore mortis, et inediæ squallore compulsi, fracti animo recesserunt, relicto eo ad propria remeantes. Ille, ne quem gravaret, et sine sumptu poneret Evangelium, propriis manibus laborabat, unde viveret, et, ut pro facultate ministraret necessitatem patientibus. C

*atque a sociis deseritur :*

*victum labore conquirit :*

CAP. XIX

30 Nihil est tam arduum, tamque difficile, quod non expugnet opera pertinax, et frequens lima complanet ; maxime cum diligentiæ comes gratia suffragatur. Aperitur tandem laboribus sanctis ostium grande, et Magnatis ad fidem cum populo confluentibus, vir sanctus in virtute Dei confringit idola, templa destruit, altaria demolitur, cultum miseræ superstitionis excludit, et abdicat deceptæ gentilitatis errores.

*populum convertit*

*idola dejicit :*

Ad laudem igitur et gloriam nominis Dei vivificæ Crucis erigitur triumphale vexillum : mutato ritu, pro fidelibus offeruntur hostiæ salutares : et carnificini libaminis cruore sublato, religionis Catholicæ cultus eucharis instauratur. Ædificatur in eodem loco fidelium sumptibus fabrica celebris, quæ in fidei domicilium solennibus edita sacramentis, sub Apostolorum Principis honore et nomine, B. Amandi ministerio consecratur.

*ecclesias construit :*

Construitur item altera cultibus divinis ecclesia, in loco quem Blandinium vocare consueverat voluptatum sectatrix prisca gentilitas : eo quod blanditiis lenis, et amœnitate præcipuus videretur. Ubi Deo servientium probata constituens officia Clericorum, curæ pastoralis officium, discipulo suo viro venerabili tradidit Floreberto. D

*AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.*

*discipulos habet SS. Florbertum et Bavonem :*

Sub illius felici magisterio, S. Bavo secretum votivæ reclusionis intravit, postquam a vanitate seculi B. Amandi prædicatione conversus est, et ecclesiastico ritu, benedictionis gratia tonsuratus. In qua, vigiliis, jejuniis, orationibus convenienter intentus, seipsum Deo patri hostiam vivam, sanctam, beneplacentem, juxta institutionem viri Dei satagebat fideliter exhibere.

CAP. XX

31 Gloriosa semper et efficax circa suos Divina dignatio, bonis meliora *d* supponit, et optima perfectionis coronat accessu. Magna et admirabilis Amandi gloria in salutari sancto : gloriam et decorem magnum posuerat Dominus super eum ; sed, quanta fuerit virtutis ejus, sanctitatisque perfectio, sequentis attestatione miraculi declaratur. Ad urbem *e* Menapiorum, quæ Tornacus vulgato nomine dicitur, vir beatus ascenderat, patriam gloria sanctitatis illustrans, et gratiam suavitatis infundens populo jam credenti. Residebat ibi Comes Dotto Judex a Rege delegatus in provinciam, ut publicis actionibus ordinem, finem controversiis, judiciis formam, culpis supplicia, justa merentibus exhiberet. Sedente eo pro tribunali, vir a lictoribus exhibetur, corruptus infamia, correptus in culpa, miserabilis pœna : cui mortis sententiam populus terribiliter inclamabat. E

*adjudicatum morti liberari petit, nec impetrat :*

Judex, sicut paullo truculentior et indulgens iræ justo amplius erat, ad clamorem plebis, in miserum, suspensionis ferale jaculatur edictum. Sed vir beatus, qui totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, miseratus addictum, partes suas apud Judicem suppliciter interponit : preces pro absolutione porrigit perituri : et dari sibi postulat animam, quam sententia supremæ damnationis involverat. Obstinationem plerumque parit elatio, et immitis nascitur de obstinatione contemptus. Immobilis manet animositas judicis, nec meritum sanctitatis advertit ; sed precum supplicatione rejecta inrevocabiliter manere decernit, quæ semel fuerat indicta damnatio. Igitur ad patibulum miser trahitur, miserabilior cruciatu, quam diffinitione crudeli ; sicque jam totus fere plagis absumptus, ut non homo, sed cadaver ereptum bestiæ videretur.

32 Mens humilis non confunditur ad repulsam ; sed in illius miseratione respirat, qui non derelinquit in finem, nec precem pauperis aversatur. Mox a facie judicis vir sanctus egreditur, et ad locum supplicii cum festinatione procedit ; sed misericordiæ gressus, manus apparitorum violenta prævesserat, et extorta laqueo vita, carnis ac spiritus objecerat triste dissidium. F Deponit itaque de ligno corpus exanime, et ad cellam, in qua orare consueverat, jubet assistentium manibus deportari.

*suspensum in cellam suam deferri curat :*

Hinc amotis omnibus, orationi totus incumbit, prodit ab intimo pectore sancta suspiria : rigat faciem piarum profluvio lacrymarum, et totis animæ viribus, in occursum Divinæ miserationis exurgit : ut ad vitam redeat sic extinctus, et ad salutis remedia denuo reparetur. Non præciditur a fonte rivus, nec vena beneficio propriæ fraudatur originis.

*precibus resuscitat :*

Pius affectus in amplexum pietatis, obvia benignitate colligitur, et petitionem filii non avertit paterna dignatio. Redit transfuga spiritus in jus possessionis ereptæ, et redivivis donata sensibus, caro mortua suscitatur, exclusis tenebris lumina revolvuntur in lucem, et corporis ingesti rigore laxato, in pristini sermonis lingua, renovatur officium. Mane itaque facto, convocatis Fratribus, aquam vir sanctus jussit afferri, ut vulnerum sordes, ut fluxi cruoris asperginem, minister devotus ablueret, ne quid pietatis deesset officio. Credunt ad obsequium funeris, ablutionis exigi famulatum, et donandum corpus existimant beneficio sepulturæ. Sed ingressi cellam, colloquentem pariter, et assidentem viro Dei,

AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.

*miraculum celari petit:*

A quem defunctum reliquerant, non sine stupore et admiratione conspiciunt, magnificantes in opere tam solenni misericordiam redemptoris. Quos vir sanctus humiliter obsecrat et obtestatur in Domino, ne publicent hoc secretum; sed silentio supprimant cautiori, quod non de merito fragilitatis humanæ, sed de indulgentia fuerat Divinitatis exceptum. Mens etenim sancta, numquam ab humilitatis tenore dissiliens, nihil aliud in operibus suis, nisi Divini nominis claritatem, nisi cœlestis regni gloriam requirebat; humani favoris illecebras et hominum laudes, tamquam virus execrabatur horrendum. Loto igitur corpore, sic carnis scissuras, et hiantia vulnera solidavit: ut nullum superesset de pristina corruptione vestigium. Muneratum taliter remittens ad propria, sanum parentibus et incolumen resignavit.

CAP. XXI

33 Frustra quæritur latebra, cum fama loquatur in publicum, nec caret ornamento gloriæ, quem glorificare Majestas æterna disposuit. Crescit in dies, lateque diffunditur amabilis Amandi nomen et gloria, et tamquam de promptuario luminis, gloriosus emicat de tanti admiratione miraculi magnificentiæ clarioris sincera serenitas. De tantæ virtutis eminentia gratiam recipit ampliorem: rigore deposito Gentilium, colla pridem dura mollescunt, odiorum sepultis aculeis, persecutionis invidia defluit in amorem: et malitiæ vepres dulcorem referunt caritatis. Cervices spontaneas subjiciunt fidei sacramentis et profligatis sedibus idolorum, sicut erroris terminum, sic exterminium deferunt feritati. Erigunt præclara dominicæ passionis insignia: et in honorem Salvatoris ecclesias et altaria sancta constituunt, ac fideli obedientia sancti Patris monita prosequuntur.

*ab Ethnicis honoratur:*

B

*templa ab eis et altaria erigi imperat.*

a *S. Landoaldum sociosque a S. Martino Papa adjutores datos S. Amando inter in ejus itinere Romano ostendimus* § 12. — b *In altero MS.* perversor. — c *Philippus tradit S. Amandum obiisse anno 661 tum anachronismum, quasi sub Chlodoveo II facta, quæ sub Dagoberto et nepotibus Chlodoveo II et S. Sigeberto contigerunt.* — d *Ita MSS. at editio,* superponit. — e *Hanc Monasteriorum sedem vindicavimus* § 3.

## CAPUT IV.

### *Conversio variorum ad vitam monasticam. Exilium et reditus S. Amandi. Baptismus S. Sigeberti.*

CAP. XXII

*a Fratulorum B. Gisleno*

Erat ex multo tempore desiderans videre eum *a* B. Gislenus, qui tamquam sidus eximium, cujus rutilans splendor ab oriente paret in occidentem, cœlesti ductus oraculo, a Græciæ finibus migrarat in *b* Gallias. Hic cum viri Dei visione pariter et *c* alloquio fuisset instructus, et in opus sanctum continua fructificatione proficeret; occasione sumpta pro dedicatione monasterii sui, quod de novo construxerat, servum C Dei diligentius studuit evocare, ut cum *d* B. Autberto Cameracensi Episcopo, novi operis fabricam, in gratiæ cœlestis habitaculum consecraret. Hic dum sacris mysticis ambo pariter insudarent, et formæ visibilis exemplar fidelium mentibus satagerent convenienter imprimere, pio conventus audito Madelgarius Comes, qui et *e* Vincentius, a sæculi vanitatibus ad divinæ convertitur obsequia pietatis. Hic, cum inter Palatinos Principes clarus et nobilis, Regique gratissimus haberetur; mundo renuntians, vivificæ prædicationis instinctu, juxta beati Pontificis salutarem doctrinam, didicit a voluntatibus suis convertere, resistere carnis *f* affectibus, proprium nil habere: factusque est voluntariæ inopiæ particeps paupertatis et sanctitatis laudabile propositum, gloriosæ consummationis exitu coronavit.

*S. Vincentium Madelgarium convertit.*

CAP. XXIII

35 Laudatur arbor a fructibus, et ex odore suo balsama comprobantur. Pretium mercibus species et usus ascribunt, venustas operis commendat artificem; servo Dei celebrem compingit ornatum, quam in Christo per evangelium genuit susceptæ sobolis generosa fœcunditas. Inclyta virgo *g* Aldegundis, quam formæ dotibus et dignitate natalium, morum gratia fecerat et fidelis institutio digniorem, pudicitiæ procos et copulæ nuptialis illecebras fugiens, in incorruptionis æternæ thalamum pervenire cum titulo virginitatis ardentius affectabat. Hæc clandestinæ fugæ, silvestrisque latibuli beneficio, de manibus elapsa quærentium, ubi ad *h* Altimontis monasterium præfatos comperit adventasse Pontifices; desiderium mora corporis non tardante, festinanter ad eos tamquam ad urbem refugii convolavit. Ad Sanctorum itaque procumbens vestigia, quid timeret, edocuit, aperuit quid optaret, quid expediret, petiit erudiri. Cujus animum fluctuantem B. Amandus diserto sermone reficiens, in arcem propositi celsioris evexit: et imposito sacri velaminis usu, sponso virgini, sponsam virginem *i* consecravit. Quæ voti compos roborata felicius, *k* Malbodium rediit, ubi primum latuerat. Ibi sancto annitente Pontifice, et *l* Dagoberti Regis munificentia suffragante, monasterium construxit Deo servientium fœminarum.

D

*g S. Aldegundem nuptias fugientem,*

*h*

*Deo consecrat:*

*i*

*k*

*l*

CAP. XXIV

*m SS. Rictrudem et Eusebiam in monasterio collocat,*

36 Simili *m* B. Rictrudis cum filia S. Eusebia exemplo, gloriosi Pontificis monitis animata, munita consiliis, adjuta precibus, evecta suffragiis, *n* Martianis monasterio, quod sanctus Pater ante *o* fundaverat, sub ejusdem discipulo *p* Jonatho Abbate, vovit et exsolvit Domino salutaris continentiæ cælibatum.

*n*

*o*

*p*

*q S. Maurontum apibus cinctum videt*

37 Filius ejus *q* Maurontus, sancto Patre divina celebrante mysteria, cum sacris astaret reverenter altaribus; vidit idem sanctus Pontifex apis volatu caput girante circumdari. Concepit hic altius aliquid perspicax animus viri Dei, et quia ministra dulcoris est, et castitatis mater apicula, fideli conjectat auspicio, perpetuæ suavitatis in eo gratiam castimoniæ merito propagari. Dehinc adolescentem secretius evocans, quid viderit, indicat: quid visio portendat, edisserit: et ad formam propositi *r* sanctioris invitat. Ille, licet amicis suadentibus, et matris connivente consilio, et hereditatis orbatæ provocante defectu, propensius ad conjugii copulam traheretur; ruptis necessitatum vinculis, salutaribus monitis animum pariter et caput inclinat, et præstito solenniter continentiæ voto, juxta morem Ecclesiasticum, beati Pontificis ministerio tonsuratur, et divinis deinceps totus mancipatur obsequiis.

E

*r*

*monachum facit*

CAP. XXV

38 Nihil relinquit intentatum sancta sedulitas, nec difficultatis objectus affectum veræ pietati eludit, vel amori sancto generat diffidentiam recusationis. Vir itaque, ne quid sibi apud Dominum meriti defluat aut favoris, non sibi parcere proponit, ut saluti consulat aliorum, et ut congreget pereuntes, offerre proprii sanguinis hostiam non recusat. Igitur ad Sclavos iter *s* dirigit, quibus necdum fuerat annuntiatum de Christo: ut in castra fidei colligat alienos, et ad gloriam Regis æterni sub signis doceat militare cœlestibus, et tyrannicis sathanæ legibus reluctari. Sed non est omnium fides, nec obediunt omnes Evangelio, quia non capiunt tenebræ luminis sacramentum; nec sementi congruit terra, quæ non humoris proprii fœcundatur impendiis. Paucis tamen ad fidem conversis, verbi divini curam delegat, et ministeria sacra disponit, ne quid posset deesse salvandis. Ipse vero ad proprias oves revertitur, cum pertinaciter et promiscue cetera turba in errorum suorum jaceret involucris: nec sibi videretur idoneum, si margaritas Domini mitteret ante porcos, et sanctum canibus erogaret. Excusso itaque in eos juxta Domini præceptum pulvere pedum, commeatu felici evocatur in Gallias, et prædicationis opus repetit intercisum.

F

*s*

*ad Slavos prædicandi Evangelii causa tendit*

*paucis conversis redit in Gallias.*

CAP. XXVI

39 Interea Dagobertus ingentibus victoriis, et rebus supra fidem prosperis factus elatior, a via justitiæ cor deflectit in facinus, et flagitiis inquinat regiam

*Dagobertum ob luxuriam increpat,*

A giam dignitatem. Conjugii violat sacramentum : et t rejecta uxore legitima, in assumptæ pellicis demigrat amplexus. Quod ubi ad sancti Pontificis processit auditum, mœrore conficitur, innocentiæ statum, ruinam virtutis, regiæ majestatis injuriam, notam feralis exempli, mentis anxietate prosequitur. Et quia justus, ut leo, confidit, et probata virtus corripit insipientes, ingreditur audacter ad Regem, sicque hominem corripit, ut gradui deferat, et sic verbum reprehensionis exponit, ut nec offensæ locum perquirat aut gratiæ. Leonis feritas non verbere, sed blanditiis regitur ; regia dignitas non reprehensione corrigitur, sed prosilit in furorem. Ad monita viri Dei, Regis animus contumescit in iram : Divinitatis honore calcato, pietatis eliminato respectu, jubet a regni sui finibus ministrum veritatis excedere : confusionis suæ reputans invenire solatium, si viri Dei removeat crudelis vindicta præsentiam. Ille vocis Divinæ non immemor, Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, dat iræ locum, et ad interminationem Regis egreditur, remotiora u penetrat loca, reclinatorium pacis exilio quæritans et labori.

*t* — *corripit* — *in exilium pellitur:* — Matth. 10. 23 — *u*

40 Nunquam tamen animus exulat a Divinis ; sed verbum præstat Dominus evangelizanti virtute B multa, et in die nubis et caliginis servum solatur insontem. Nocenti pœnas ingerit, et fructu ventris privat adulteram : quia juxta verbum Sapientis : Spuria vitulamina non dabunt radices altas, et semen ab iniquo thoro exterminabitur. Rex igitur de successione diffidens, repudium mandat adulteræ, et totus in alios transit affectus : hoc specialiter affectans, et sedulis expetens votis, ne careant sceptra regentibus, nec regia dignitas liberorum posteritate fraudetur. Tertius aptatur thalamus, et secundum Regis voluntatem virgo nobilis inducitur et fœcunda, quæ maritum sobole, regnatore subditos, regnum muneret successore. Inter hæc Dagobertus non immemor prævaricationis admissæ, ad Dominum convertitur ab ærumna delicti, dum cordi ejus infigitur terribilis spina judicii. Eleemosynis peccata redimit, obsecrationibus cœlum, donariis altaria confrequentat. Respicit Dominus humilitatem servi sui, et datur ei divino munere filius, parentum gloriatio, reparatio generis, spei bonæ titulus, gaudium subditorum. Deliberat ergo lætus et anxius pater, cui potissimum committere parvulum debeat, ad suscipienda regenerationis sanctæ salutaria Sacramenta : quem tanti muneris velit esse custodem, quem tutorem C spei suæ, quem regiæ successionis ministrum præparet et altorem.

*Rege punito* Sapien. 4. 3 — *deinde pœnitente,* — *eique filio nato,*

41 Subit animum multa cogitantis Sancti memoria, solusque apud eum non dubiæ æstimationis judicio dignus quam maxime reperitur, cui jure debeat tantæ reverentiæ tam dulcis fasciculus assignari. Protinus ex ore Regis emissis circumquaque cursoribus, quæritur servus Dei, multoque repertus labore, cum gaudio et exultatione reducitur. Regredienti Dagobertus hilaris et jocundus occurrit, et injuriæ memor, et regiæ dignitatis oblitus, ingredientis vestigia pronus amplectitur, delicti veniam postulat, et errorem suum confessione humili detestatur. Pretiosus Domini Confessor, sicut mitis semper erat, et humilis corde, plusque veniam paratus x exerere, quam vindictam, prævenit humilitatis obsequio sic prostratum, jacentem sublevat, et gratiam compensat injuriæ. Factus ille de viri Dei benignitate securior, quid postulet, aperit : et, ut indultum sibi cœlitus parvulum cœlestibus innovet Sacramentis, multa supplicatione deposcit. Vir Domini, qui nihil in mundo nisi Domini voluntatem, nil nisi cœleste requirebat imperium, ne terreni Regis familiaritatem tali videretur usurpare voluisse commercio: primo quidem renuit ; sed agente supplici Regis instantia, et idipsum supersuadentibus gloriosis viris, Audoeno et Eligio (quos adhuc regia familiaritas inter Palatinos Principes, dilectionis et fidei speciali celebrabat exemplo) reverenter annuit postulatis, et pium regiæ voluntati spopondit obsequium.

CAP XXVII — *revocatur,* — *mansuete Regem suscipit,* *x* — *et baptismum filii addicit:*

D — AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.

42 y Convenientibus itaque Aurelianis in unum Magnatis et Primoribus regni, juxta Regis edictum, deportatur ad baptisterium parvulus sancti Pontificis ministerio sacris mysteriis innovandus. Cumque præsignatione solenni, juxta morem Ecclesiasticum, catechumenum eum faceret, quantæ apud Deum virtutis esset et gratiæ, Divina pietas in conspectu hominum mirabili declarat judicio. Puer namque quadraginta ferme ab ortu habens dies, cum, oratione finita, non esset in multitudine tam frequenti, qui locum suppleret idiotæ, clara voce respondit, Amen, et omnium qui audierunt in se oculos et corda convertit. Mirantur et stupent tam insolitum, tamque solenne miraculum : beatum prædicant Regem de tam felici susceptæ prolis auspicio : puero futuræ probitatis vaticinantur insignia, commendant in rei novitate bonitatem Dei, meritum viri sancti, gratiam Sacramenti. Renovatur itaque parvulus salutaribus Sacramentis, et in novam transfertur divino munere creaturam. Fit omnibus communis exultatio, E referuntur ab omnibus gratiæ tanti muneris Largitori, et cum lætitiæ manipulis singuli revertuntur ad propria. Sic servi Dei favor et gratia gloriosius augmentatur, et quo diffusius circumfertur, dulcius enitescit.

CAP XXVIII — *y* — *S. Sigebertum baptizat,* — *respondentem, Amen.*

a *Colitur S. Gislenus 9 Octobris.* — b *Belgicam scilicet, ubi ad Haynam fluvium, a quo Hannoniæ comitatus appellatur, monasterium condidit, cui oppidum ab eo Gislenopolis dictum, accrevit.* — c *Hunc invisit, relicto Episcopatu Trajectensi, anno* 650. — d *Fulbertus in Vita S. Auberti* 13 *Decemb. refert etiam hanc consecrationem a SS. Auberto et Amando factam. Contigit circa an.* 653. — e *Colitur* 14 *Julii: in cujus Vita et S. Auberti eadem referuntur.* — f *Alterum MS.* voluptatibus. — g *Triplicem S. Aldegundis Vitam dedimus* 30 *Januarii.* — h *De Almonensi monasterio egimus* 16 *Januarii ad Vitam S. Marcelli Papæ, cujus Reliquiæ illuc sunt translatæ.* — i *Hæc, supra retulimus, facta circa an.* 661. — k *De oppido Hannoniæ Malbodio, a quo leuca distat monasterium Almonense, egimus ad ejus Vitam.* — l *Imo* S. Sigeberti, *quem tum Austrasiæ Regem fuisse, et quam plurima monasteria condidisse, diximus* 1 *Februarii.* — m *De his egimus ad Vitam S. Adalbaldi mariti S. Rictrudis* 2 *Februarii.* — n *De Marchianensi, seu Martinnensi, monasterio egimus ibidem et supra* § 4. *Eleganter id describit Buzelinus lib.* 1 *Gallo Flandriæ cap* 41. — o *Anno* 645. — p *S. Jonatus colitur* 1 *Aug.* — q *Hanc eamdem historiam refert Hucbaldus in Vita S. Rictrudis Id.* 14 *in senectute S. Amandi ... esse diximus.* — r *Alter codex,* arctioris. — s *Circa annum* 633, *ut dictum* § 10. — t *Gomatrude, quod sterilis esset.* — u *Regnum Chariberti fratris Dagoberti adiit exul anno* 634. — x *In altero MSS.* exercere. — y *Anno* 635.

## CAPUT V.

### *Episcopatus S. Amundi Trajectensis. Epistola S. Martini Papæ.* F

Sane post decessum beati a Joannis Trajectensis Episcopi, fervente circa virum Dei b Dagoberti Regis affectu, electione Cleri, petitione populi, honoratorum assensu, comprovincialium voto, servus Domini reverenter et instanter expetitur, renitens et invitus trahitur ad Cathedram, et pastorali cura dignus, omnium voce et desiderio conclamatur. Ille se honore indignum constanter edicit, oneri se fatetur imparem, non satis utilem curæ, minus idoneum dignitati. Sed pietatis subnixa zelo multorum studia convalescunt, et in Cathedra pontificali, generali omnium assensu favorabiliter collocatur. Indignum siquidem judicatur ab omnibus, si tam clara Sedes, tanti patris solatio non ornetur, si tantus Pater tanto tempore, sine titulo debeat militare, si tam fideli dulcique consilio domus regia defraudetur. Tam sinceræ devotionis instantiæ vir beatus, querulus, tristis et anxius acquiescit, et quo indigniorem se clamitat, dignior ab omnibus æstimatur, dignoque universitatis præconio, sanctæ humilitatis exhibitio commendatur. Peractis igitur, quæ in ordinatione Pontificis solent et debent solenniter exhiberi :

CAP XXIX — *a* — *b* — *Episcopus Trajectensis eligitur:* — *Episcopatum invitus suscipit*

A beri : vir sanctus omni sagacitate, et studio satagit honorare ministerium suum, prava corrigens, debilia sustentans : consolidans fracta, sana conservans, dispersa recolligens. Non exerit typum dominantis in Clero; sed forma factus gregis, omnibus se præbet humilitatis exemplum, justitiæ viam, innocentiæ speculum, castimoniæ decus, titulum sanctitatis. Æquabilem se præstat humilibus, in elatos rectitudinis erigitur zelo, corrigit in mansuetudine delinquentes ; rebelles piæ severitatis animadversione concludit. Colit diligentia subditos, pares obsequiis, reverentia summos, recreator pauperum, mœrentium consolator, plebis deliciæ, gloriæ Magnatorum ; salutis in omnes et gratiæ propagator.

*Auctore Philippo a Sate, ex MSS.* — *omni virtutum genere excellit.*

CAP. XXX. Joh. 4. 18. *conversationem malam Clericorum Trajectensium*

44 Sed, quemadmodum scriptum est, Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem; reperta est in ministris altaris tristis et ærumnosa calamitas, et inventa est eorum misera conversatio ad pondus sanctuarii minus habens. Sacerdotes namque et Levitæ, qui cœlestibus cæremoniis arctius deberent et sincerius obligari, respectu divini timoris abjecto, commessationibus et ebrietatibus, cubilibus et impudicitiis deserviebant, curam carnis agentes in desideriis, desideria patris sui diaboli, B voluptatis obscœnitatibus adimplentes. Angariatur animo vir beatus, et in fortitudinis zelum justa severitate se subrigens, constanter insistit errantibus, arguit, increpat, obsecrat opportune et importune, prædicat innocentiæ viam, et correctionis sarculo de vinea Domini densitatem veprium conatur avellere. Non facile medicamini desperata cedit infirmitas, nec libenter verbum veritatis recipit indurata malitia. Flammis educitus salamandra convivit, et, quæ in exitium dantur homini, vitam præstant venena serpenti. Sic in flagitiis suis malesana requiescit iniquitas, et prævaricationum frutices radicis malæ germinat infausta fœcunditas. Deprehensus in sphæram se convolvit ericius, et attrectantis manum spinarum cruentat aculeis. Sic malignantium rebellis et fraudulenta congeries, non solum monitis salutaribus non obaudit; sed machinationibus noxiis appetit innocentem, et pro subventionis sanctæ beneficio, persecutiones excitat et offensas.

*corrigere studet*

CAP. XXXI. *c d*

45 Rex interea Dagobertus *c* diem claudit extremum, regnantibus pro eo filiis suis Clodoveo in *d* Francia, et in Austria Sigeberto, quem B. Amandus de sacro fonte susceperat. Considerans idem vir Domini, suam nihil industriam proficere, nil conC ferre sollicitudinem, benevolentiam nil mereri, nisi contradictionum stimulos, et cuniculos odiorum, latere disposuit, et exire de medio nationis pravæ et perversæ, ne vel illis de rebellione delicti pondus accresceret, vel eorum culpis exigentibus, labor suus infructuosior appareret. Sed quia sapientis est examinare consilia, et non cito ad nova facili volubilitate prolabi, sicut per Salomonem dicitur : Omnia fac cum consilio et post factum non pœnitebis, directa ad Urbem legatione, laboris suscepti molestias, et desiderium cordis sui B. *e* Martino tunc Romano Pontifici, signatis direxit apicibus, ejus volens uti consilio, cujus suberat potestati. Quos plenis veneratione oculis vir Apostolicus, pio perlegens intellectu, plenam consolationis et reverentiæ rescripsit epistolam, cohortans eum ad perseverantiæ virtutem, qua fidelium omnium merita coronantur. Jam enim famæ discurrente præconio, vitæ sanctitas, prædicationis instantia, gratia virtutum beato Papæ innotuerant, et quem Deus perfuderat gratia, sincerius ab eo et ardentius amabatur. Destinavit præter hoc ei Sanctorum pignora, quæ postulaverat, et synodalium decretorum volumen egregium, quod *f* quinque partitum totius ipse *g* descripserat, et mandata Regi Sigeberto perferenda transmisit. Unde datur intelligi B. Amandum magni meD riti, et nominis extitisse : quem tantus Confessor, fidei columna, et universalis Ecclesiæ Pater, tantæ dignationis muneravit insignibus, cujus absentem præsentiam familiari recolligebat intuitu, quem diginus ea sui parte recolebat et dulcius, quia fidelius atque jocundius amicitiæ ratio possidetur. Ut vero prædictæ locutionis nostræ assertio, detersa dubietatis nubilo, confirmetur, præfatam epistolam ejusdem Papæ ad B. Amandum directam, huic nostro sermoni subjungere placuit, cujus iste modus est :

Eccli. 32. 24. *Legationem mittit ad S. Martinum Papam : e* — *munera ab eo accipit.* — *f g*

CAP. XXXII. *h i*

46 *h* Dilectissimo Fratri Amando Martinus.

Fraternitatis tuæ, studio pietatis congestam epistolam *i* suscipiente, animus noster relevari cognoscitur : quippe quoniam hujus seculi fluctivagas, atque transitorias, despiciens oblectationes, illa quæ perpetua et sublimia dona pro Domini Dei nostri obsequiis tribuuntur, appetere certum est. Ex relatione igitur, juxta tenorem tuæ fraternitatis epistolæ, latoris præsentium, laborum tuorum certamen cognovimus, ex quibus cœlestis patriæ ascensum humiliatis mentibus, atque contritis corporibus, vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. Nam, cum sit nulli omnino comparationi coæquandum, quod a Creatore nostro pro bonis servitiis compensatur, dum brevi atque parvo temporis spatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipsius sustinemus; consideratione refrigerii nos oportet libenti animo tolerare præsentis vitæ angustias. Sed, quantum nobis laborum vestrorum operatio magnam gaudii ubertatem induxit, tantum pro duritia Sacerdotum gentis illius conterimur, quod postpositis salutis suæ suffragiis, atque Redemptoris nostri contemnentes servitia, vitiorum fœderibus ingravantur. Quibus ad præparandam salutem, quandoquidem tanto nos necesse est importunis prædicationibus imminere, quantum perfectæ negotiationis, creditorum nobis talentorum duplicat assignatio, atque Dominicæ vocis ad suscipiendam ejus requiem persuadet assertio. Suggestum est namque nobis eo quod Presbyteri, seu Diaconi, aliique sacerdotalis officii post suas ordinationes, in lapsum inquinantur, et propterea nimio mœrore fraternitatem tuam adstringi, velleque pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, et vacationem ab episcopatus laboribus eligere, et silentio atque otio vitam degere, quam in his, quæ tibi commissa sunt, permanere, dicente Domino, Beatus qui perseveraverit usque in finem. Unde namque beata perseverantia, nisi de virtute patientiæ? Quia secundum apostolicam prædicationem omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutiones patiuntur. Ideoque, frater carissime, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans quanta pro absolutione nostri et liberatione, Creator Dominusque noster pertulerit, quibusque contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicæ liberaret.

*S. Martinus Papa laudat ejus labores,* — *a Deo remunerandos.* E — *hortatur ad perseverantiam,*

Matth. 10. 22. et 24. 13. F 2 Tim. 3. 12.

47 Propterea nullatenus in hujusmodi peccato delinquentibus, ad destructionem *k* canonum, compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit ; deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci, sed sufficiat ei lamentationibus fletibusque assiduis quoad vixerit, in eadem pœnitentia perdurare, ut commissum delictum divina gratia extinguere valeat. *l* Si enim tales quærimus ad sacros ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat; quanto magis, si post ordinationem suam quisquam in lapsum ceciderit, et prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnimodo prohibendus est, cum manibus lutulentis atque pollutis, mysterium nostræ salutis tractare? Sicque hujusmodi

*k* *monet Clericos lapsos non promovendos esse ad sacros ordines* *l*

A hujusmodi semper juxta sacrorum canonum statuta in hac vita depositus, ut ab illo qui mentis interiora scrutatur, nullumque de ovibus errare congaudet, dum aspexerit sinceram pœnitentiam ejus, in terribili judicio habeat reconciliatum. Ideoque iterum hortamur caritatem tuam, exemplo ejus qui pro nobis pati et mori voluit, promptos vos in cunctis ejus servitiis permanere. Neque nos pigeat temporales cruciatus pro Christi nomine sustinere; sed emolumenta futuræ remunerationis, hujus seculi vexationes tolerare persuadeant. Scriptum namque est: (Psal. 115, 12, 13) Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Tantum enim a nobis exigitur, quantum possumus famulatus nostri obsequia commodare. Cumque cuncta quæ nobis, ad confortandos fraternitatis vestræ animos, poterant ministrari, largiente supernæ majestatis clementia, vobis sint procul dubio manifesta; restat ut de aliis, quæ nos per sua scripta consuluit, fraternitati vestræ significemus.

48 Credimus etenim ad vos pervenisse quomodo B in conturbatione rectæ fidei, et catholicæ Ecclesiæ conculcatione, ante hos plus minus *m* quindecim annos, a *n* Sergio falso Episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente *o* tunc imperantem Heraclium, execranda et abominanda hæresis pullulavit *p* Apollinaristarum, et *q* Severianorum, *r* Eutychianistarum, atque *s* Manichæorum errorem renovantem. Quam successor ejus *t* Pyrrhus, idemque Episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam Sedem arripuit, in deterius auxit. (*indicat hæresim Monothelitarum Episcoporum Constantinopolitanorum,*) Pro qua re sæpius *u* Apostolica Sedes persuasionibus, contestationibus atque increpationibus plurimis, ammonuit eos; quatenus ab hujusmodi errore recederent, et ad lumen pietatis, ex quo lapsi sunt, remearent. Et non solum hoc facere nullatenus voluerunt; sed et nunc successor ejus *x* Paulus, temerator fidei, Episcopus Constantinopolitanus aliud nequius excogitavit in præjudicio catholicæ fidei conamen: quasi quæ a decessoribus suis hæretice exposita fuerant destruens, et imperialem *y* typum, sacrilego ausu, totius plenum perfidiæ, a clementissimo Principe nostro *z* fieri persuasit, in quo promulgatum est, ut omnes populi Christiani credere debuissent. (*in Concilio Romano damnatam esse:*) Ideoque necesse habuimus, ne pro quadam negligentia et animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpa rectitudinis C adstringamur: cœtum generalem fratrum et Coepiscoporum nostrorum, in hac Romana civitate congregare. Quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, et Apostolico mucrone, Patrumque diffinitionibus, uno ore, unoque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum synodalium in præsenti vobis *aa* dirigere, una cum Encycha nostra, ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, et tenebras illorum nobiscum, ut filii lucis, extinguere.

49 Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum execrentur: quamque suæ salutis sacramenta indiscere valeant, atque synodali conventione, omnium fratrum et Coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem Encychæ a nobis directæ scripta, una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent: (*petit subscribi ab Episcopis Franciæ:*) confirmantes, atque consentientes eis, quæ pro orthodoxa fide, et destructione hæreticorum vesaniæ nuper exortæ a nobis statuta sunt. Et Sigebertum præcellentissimum filium nostrum Regem Francorum, pro suæ Christianitatis remedio, consultissime ammone atque precare, dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum, (*et horum aliquos a Sigeberto Rege Romam mitti:*) dilectissimos Episcopos, qui Sedis Apostolicæ legatione, divina concedente propitiatione fungi debeant, et quæ in nostro concilio peracta sunt, D cum his synodalibus apicibus *bb* nostris, ad clementissimum Principem nostrum sine dubio asportari *cc* faciemus, ut nostrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipisci valeat, et sui regni protectorem invenire eum, cujus caussa flagitari dignoscitur. Hoc namque et in ejus epistola exhortari eum cognoscimus. (*Auctore Philippo Brat., ex MSS.*)

50 Reliquias vero Sanctorum, de quibus præsentium lator nos admonuit, dari præcepimus. (*Reliquiæ et mittit.*) Nam codices jam exinaniti sunt a nostra bibliotheca, et unde dare ei nullatenus habuimus; transcribere autem non potuit, quoniam festinanter de hac civitate regredi properavit. His igitur ita prælibatis, quæ a nobis per epistolam vobis scripta sunt, effectui mancipari fraternitatem vestram hortamur. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.

a Anno 646, 25 Julii. — b Imo S. Sigeberto, triennio post mortem Dagoberti. — c Anno 641, 19 Januarii. — d In Neustria seu Francia Occidentali, ut antiquiores loquebantur. — e S. Martinus creatus anno 647, in exilium deportatus anno 653, colitur 12 Novembr. — f Vide Synodi Romanæ sub S. Martino Papa habitæ anno Constantis 8, in Nonis Octobr. Indictione 8 jam cœpta, Christi 649, distincta habentur quinque secretariis, actionibus, vel sessionibus. — g In Actis S. Martini dicitur, faciens exemplaria quæ describi curaverat, intra eamdem ... Prævidimus vobis dirigere volumina. — h Extat ea Epistola in fine dictæ Synodi, et tomo 1 Conciliorum Galliæ a Sirmondo editorum. Eamdem contulimus cum MSS. Elnonensi, Blandiniensi et quibusdam aliis. — i Alii suscipiens et suscipientes. — k Hæc Pontificis verba retulit Gratianus in Decretum dist. 50 cap. 2. Qui semel post. — l Hæc quoque recitat Gratianus dist. 50, cap. 12. — m Ergo circa annum Chr. 634, Heraclii Imp. 24, quo Patriarcha creatus fuit Hierosolymitanus Sophronius orthodoxus, sub quo hæresis Monothelitarum, quæ anno Heraclii 20, Christi 630 cœperat, fuit damnata. — n Creatus est Sergius, anno Phocæ Imperatoris 7, et anno non ante Imperium Heraclii, ergo Christi 609; mortuus vero Indictione 3 apud Nicephorum in Breviario, anno 636. — o Is mortuus anno imperii 31, Christi 641, octo annis antequam hæc epistola scriberetur. — p In dicta Synodo secretario ..., S. Martinus Papa tradit Sergium unam, secundum impium Apollinarem, in Christo voluntatem et operationem instituere. Cœpit ea hæresis sub Imperatoribus Valente et Valentiniano, damnata a S. Damaso Papa Romæ in Synodo anno 373: agit de ea Sozomenus lib. 6 cap. 25. — q Severus sub Zenone Imperatore vixit. S. Martinus Papa loco citato ait Cyrum Alexandrinum ad similitudinem Acephalorum hæreticorum unam operationem in Christo prædicasse. — r Eutyches naturarum in Christo omne discrimen sustulit, damnatus in Chalcedonensi Synodo Œcumenica. — s Manichæi plurima de Christo fabula commenti erant, quorum recitat Timotheus Presbyter apud Combefis in Historia Monothelitarum pagina 451. — t Successor Sergii creatus est sub Constante anno 642. — u Pyrrhi ... S. Martini decessores Joannes IV et Theodorus. — x Sedit Paulus ab anno 1 Constantis Imperatoris ad annum 11, ab anno Christi 641 ad 652. — y Typum auctor Vitæ S. Martini appellat morbum inventæ hæreseos, quo Catholicum dogma destruitur, et omnes omnino voces sanctorum Patrum enervantur, et nec unam nec duas voluntates aut operationes in Christo Domino licet confiteri. — z Indictione 6 anno Christi 648. — aa S. Martinus, ut in ejus Actis dicitur, exemplaria per omnes Ecclesias Orientis et Occidentis direxit, et per manus orthodoxorum fidelium direxit. — bb Sirmondus in Conciliis Galliæ, vestris. — cc Ita MSS. at Sirmondus omittit faciemus.

E (*Sergius Constantinopolitanus.*) (*Severus hæreticus.*) (*Typus.*) F

## CAPUT VI.

*Variorum institutio. Miracula a S. Amando patrata. Monasteria extructa.*

Susceptis tanti Patris ammonitionibus, perstitit in ministerio suscepti regiminis vir beatus, de subditorum transgressione graves sustinens doloris aculeos, et ad salutis remedia sagaci revocans instantia detrectantes. Sed sicut per Prophetam dicitur, (Jerem. 51, 9) Curavimus Babylonem et non est sanata, sanctæ medicationis antidotum refugit indurata perversitas: ut merito posset dicere vir beatus: (Rom. 10, 21) Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi, qui ambulant via non bona, sed post peccata sua. (*Trajectum deserit.*) *a* Triennio igitur ab introitus sui tempore, taliter evoluto, cum suum prorsus circa eos videret operam profligari, recessit ab eis, privatus eligens habitare in domo Dei, quam inter transgressores titulo dignitatis excellere. Tutior est enim innocentia paupertatis, et privati secessus abjectio; quam peccatricis opulentiæ luxus, et tumentis extollentia potestatis. Ibat igitur amarus animo, in indignatione

*AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.*

A dignatione spiritus sui, malitiam miserans improborum, perditioni timens, et exhibens tristi periculo sanctæ compassionis affectum. Verumtamen manus Domini erat cum illo, confortans eum, quæ pro sterilitate derelicta, fructus pretiosi rependeret ubertatem.

*CAP. XXXIV*

*B. Ittam viduam* *pietati deditam invisit*

52 Erat in eadem regione matrona nobilis, *b* Itta nomine, natalium gloriam conversationis et morum titulis antecedens. Hæc gloriosi Ducis *c* Pipini recens defuncti viduata consortio, felicis copulæ triste divortium, mente lugubri sustinebat. Fit plerumque molestia temporalis, propositi sanctioris læta progressio, et aliquando in usum virtutis transformatur dura necessitas. Ad arcæ sinum revolat columba, cum diluvio regnante non invenit, ubi pedes porrigat in quietem. Cogitabat et hæc sancta mulier inter angores suos, maritali destituta solatio, quomodo Christo soli placere posset, et votivum castimoniæ decus thesauri cœlestis inferre sacrario: quia secunda post naufragium tabula est in virginitatis amissæ solatium vidualis continentiæ merito reparari. Divertit ad eam consolationis gratia vir beatus, initæ dudum familiaritatis sanctæ suadente commercio. Exhibetur ingredienti comis hilaritas, B depromuntur obsequia congrua sanctitati, conseritur modesti sermonis invicem grata communio. Vir

*pia ejus proposita confirmat:*

Domini ubi ad intimæ voluntatis est admissus arcanum, et deprehendere potuit ad quid sanctæ viduæ pia suspiraret intentio, congratulatione fovet, erigit admonitionibus, confirmat exemplis desiderii sancti fidele propositum. Illa sancti Pontificis hortatu facta robustior, voto se castitatis astringit, et bene vivendi arctioribus obligat institutis. Et quia non potest esse amor otiosus, sed quantus sit, opere protestatur, Beata Itta facultates et prædia cœlesti sponso consecrat quem elegit, et domum suam cœlesti purificatam sacramento, rogat in Ecclesiam

*sacrum ei velum confert:*

consecrari. Ibique inter sacra Missarum solemnia, de manu sancti Pontificis, humilitatis et castimoniæ signum, sacrum velamen accepit. Aggregato deinceps ibidem cœtu Deo servientium mulierum *d* locum ipsum possessionibus ampliavit, et multiplici diversi generis decoravit ornatu, studens omnibus fieri obedientiæ et humilitatis exemplum.

*CAP. XXXV*

*S. Gertrudem Christi sponsam consecrat*

53 Erat ei unica filia, Gertrudis nomine, quæ generis formæ dotibus clara, competitores sibi plurimos excitabat, quam pia mater de corruptionis voragine cœnulenta cupiens liberare, crinibus attonsis, et habitu demutato, sacris applicuit altaribus, et obtulit C sancto Pontifici consecrandam. Affectabat enim quam maxime, ut, quod emarcuerat in radice, germinis integritas exhiberet: et, quod in se non poterat, virginitatis in filia titulum, possideret. Sacris igitur initiata mysteriis, et mystico redimita velamine, cœpit inter ceteras virgines excellere plurimum conversatione, gratia, fide, moribus, disciplina. Nec multo post, divina operante clementia, Nivialensi monasterio præficitur, et electionis canonicæ trahente concordia, Virginum Mater, dispositione sancti Pontificis ordinatur. Ubi postmodum plena bonis operibus, et merito virtutum celeberrima, beato *e* fine quievit in Christo.

*CAP. XXXVI*

*S. Gisleni monachos adhortatur:*

54 Inde digressus vir Domini, ad monasterium B. Gisleni, de quo actum est, læta profectione dirigitur, susceptusque gratanter a Fratribus, salutis annonam poscentibus, hilari dispositione communicat. Hiatus sæpe graves patitur angusta paupertas: et quæ sibi non sufficit, alteri sufficientiam præstare non potest. Non habentibus illis, quod dignum mensa tanti hospitis judicarent, sanctus Pontifex impransus egreditur, non sine multiplici Fratrum querimonia, cum penuriam sustineret dives affectus; nec inveniret manus, quod animus gestiebat. Deducitur ergo ad navem *f* Hainæ fluvium transiturus, D sicut necessitas postulabat itineris. Jamque sibi invicem, valedicentibus viris sanctis, Amando atque Gisleno, *g* subito piscis magnus, quem lucium vocant, de flumine ultro prosilivit in terram, qui sui magnitudine multos posset reficere convivantes. Ad spectaculum novæ rei omnes cum exultatione conveniunt, et auctorem muneris Deum gratiarum actione, et laudum præconio prosequuntur. Relevatur hoc beneficio pristinæ confusionis augustia, pia compassio sancti Pontificis hilaratur, tollitur de medio jejunii dura necessitas, convivium præparatur, et ad monasterium vir Domini cum lætitia revocatur. Facta est ibi inter sanctos Patres humilis et pia contentio, dum Gisleni meritis manus hoc sanctus Pontifex imputaret, et ascriberet idem sancto Pontifici B. Gisleni simplex et devota sententia. Fit altercatio sine rancore, dissensio sine molestia, sine transgressione certatio, et variatur utrinque judicium sine præjudicio veritatis: quia ab animorum pace semper est aliena dissensio, nec ab idem sapientibus voluntatis unitas violatur. Postquam igitur Divini muneris est peracta refectio, cum gaudio revertuntur ad fluvium, et se invicem salutantes in osculo sancto, famulante navigio, per decursum fluminis ab aspectu E mutuo separantur. *h* Subvectus igitur in insulam, quæ vulgo *i* Calelaus nuncupatur, Scaldo proxima, nec multum differens a Gandavo, laboris sui reclinatorium breve, cum timentibus Deum viris ibidem habitantibus habere disposuit.

*f*

*pisce ultro se offerente reficitur:*

*g*

*h*

*i*

*Calloam venit*

*CAP. XXXVII*

*prædicat verbum Dei,*

55 Post aliquanti temporis moram, postquam nomen ejus processit in publicum, veritatis viam cœpit annuntiare finitimis, et doctrinæ salutaris beneficio, ab errore viarum suarum satagebat avertere delinquentes. Sed perit officiositas medici, cum sanari detrectat ægrotus, et mente captis ad correctionem verba sapientiæ non procedunt. Appetitum negant incolæ vitalibus alimentis, et velut tristem vomicam passi, potum salutis stomacho languente rejiciunt. Contemnitur Dei servus ab impiis, imo in servo suo Christus abjicitur, qui in illo venerat quærere et salvare quod perierat. Mandat eis libellum repudii Dominus pro repulsa, et in limo profundi deserit contempta clementia desertores, et quia sicut humilitas veniam, sic pœnam contumacia promeretur; tamquam in reos majestatis, cœlestis vindicta progreditur, continuoque fere biennio, depopulatrix in eos pestilentiæ plaga desævit, donec absumerentur omnes, qui superbe viri Dei felicibus restiterant documentis.

*contemptoribus peste multatis.*

F

*CAP. XXXVIII*

*prædicat Vasconibus,*

56 Nec multo post, cum Fratres suos quos ob animarum salutem, per diversa reliquerat loca, vir Domini circumspectione sedula visitaret, Vasconum fines ingressus est, quos idolorum cultibus, et auguriis audierat et variis erroribus occupari. Cum igitur in conventu publico, verbum veritatis et salutis ordinem perfidæ multitudini prædicaret, extollens vocem suam quidam de turba, levis, ac lubricus, de perversi cordis abundantia cœpit turpes effutire blasphemias, et in servum Dei, fideique doctrinam non sine cachinno, plena convitiis verba nimis absona jaculari. Qui statim correptus a dæmone, seipsum propriis morsibus cœpit incessere, et lanio factus corporis sui, oris hiatum, quem in sanctum Pontificem irreverenter extulerat, in sui perniciem cœpit horribilius aperire. Confitebatur nihilominus inter ipsa sui tormenta, se ob injuriam servi Dei talia sustinere, sicque ad extrema deductus, procacem spiritum pœnis urgentibus exhalavit.

*blasphemo a dæmone correpto,*

*et misere extincto.*

*CAP. XXXIX*

57 Inde cum in unam civitatum caussa prædicationis intrasset, ab Episcopo loci illius hospitio reverenter exceptus est. Cujus manibus cum devotæ hospitalitis obsequio aquam prædictus ministrasset Episcopus,

A opus, jussit quod susceptum fuerat, in sacrario reservari. Sedebat ad portam ecclesiæ vir multo tempore cæcus et mendicans, ad quem Pontifex fidelis accedens, ait : Fili, si credere potes, confide in Domino, et ablue oculos tuos aqua, unde vir Dei Amandus abluit manus suas, et visum recipies, liber ab incommodo cæcitatis. Ille verbo Pontificis animatus in fide, spem concipit ampliorem, et oppressos nube caliginis oculos ablutionis unda perfundens, de tenebris revocatur in lucem, et solis ministerio fungitur, quod primitus ignorabat. Sic humiles spiritu salvat Dominus, et in virga furoris malitiam comprimit improborum. Justoque Dei judicio, nec a vindicta maledicum liberat confessio veritatis, et fidelis a vinculo cæcitatis absolvitur. Sic servi sui Dominus clarificat vitam, clarificat opus, meritumque commendat, et se in Amando vivere, certis demonstrat indiciis.

*qua manus laverat aqua, ea cæcus illuminatur.*

CAP. XL

58 Relictis interim vir Domini Vasconum finibus, remeavit in Franciam ; veniensque ad Hildericum Regem Francorum, locum postulavit, ubi convenienter posset ædificare cœnobium. Qui secundum B regiam magnificentiam, prædium contulit ei nomine *k* Nanto. Ibi vir sanctus alacritate prompta, studio pertinaci, diligenti opera, novæ plantationis cœpit ponere fundamentum, et congregantis in ea filiis gratiæ apta ædificia præparare. Mummulus autem quidam *l* Osindensis Episcopus, moleste ferens liberalitatem Regis, et sancti viri propositum, veneno pestiferi livoris infectus, filios Belial delegavit segregatos in opus malum, qui demolirentur opera sanctitatis, et a prædicto loco servum Dei crudeliter exturbarent. Venientes igitur ad eum loquuntur verbis pacificis in dolo, et locum in quo aptius ædificaret, se demonstraturos in proximo repromittunt. Sequitur ministros nequitiæ sancta simplicitas, et licet revelante spiritu, molitionis impiæ machinam non ignoret, corde tamen et animo ad martyrium devotus aspirat, et affectat effusione sanguinis diu protensi laboris exitum coronare. Noluit tamen hoc indicare discipulis, ne vel impedimentum facerent ad extrema tendenti, vel de instanti periculo gravius turbarentur.

*k Nanto monasterium extruit: l ab Episcopo Mummulo præscit insidias sibi parari*

59 Cum igitur ad montis supercilium pervenissent, ubi disposuerant carnifices trucidare servum Dei, in judicium conversa justitia de cœlo prospe- C xit, flagellans impios, et justum protegens præ defensionis auxilio. Exoritur repentina tempestas, cœli facies densatur in tenebras, aer caliginis horrore perfunditur, et solis splendorem turbo procellosus involvit. Absconditur rerum facies, et uniformi confusione convolvitur, apparitoribus eripitur lumen, et subita cæcitate percussi, mortis proximæ discrimen horrescunt, crudelitas vertitur in timorem, transit in supplicationem ferocia, in abjectionem cervicositas inclinatur, et quem trucidare venerant, humili poscunt instantia, ut abire liberi permittantur. Movetur ad indulgentiam pietas viri Dei, et multo lacrymarum flnore perfusus, orationi fidenter incumbit, et absolutionem culpæ postulat miserorum. Aperitur pulsanti janua misericordiæ, redit erepta serenitas, sublatis turbinibus status aeris reparatur, et resolutis ad lucem luminibus, in usum diurni splendoris, cæcitate semota miseri reformantur. Igitur pœnitentia ducti de liberatione sua gratias agunt, servum Dei digna admiratione venerantur : et in pace revertentes, ad propria magnalia Dei, quæ viderant, plenius eloquuntur. Sic Dominus a seductoribus tutavit illum, et velut aqua decurrens, ad nihilum coram eo deducta malitia, nec flagellum dignæ severitatis evasit, nec a misericordiæ beneficiis extitit aliena.

*subita aeris tempestate perculsos insidiantes precibus fusis liberat.*

CAP. XLI

60 Anno itaque circiter *m* quinto, jam prædicti Regis Hilderici, dum *n* Laudum moraretur, venit ad D eum beatissimus Pater Amandus, et agente Deo, gratiam invenit in oculis ejus. Ad dilatandum itaque divini cultus obsequium, et propagandum regularis ordinem disciplinæ, nobile prædium Barisiacum nomine, cum omnibus ejus pertinentiis, regia liberalitate, et debita libertate beato viro contradidit, quod benigne cum gratiarum actione suscipiens, pro loci et temporis opportunitate, monasterium inibi dispositione congrua collocavit, congregatisque in eo Deum timentibus viris et Christi professis militiam, venerabilem et Deo dignum *o* Andream discipulum suum provida dispensatione præfecit, successorem sibi in Elnonensi monasterio mox futurum.

*AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.* *n Monasterium Barisiacum construit, o cuique Andream præficit.*

CAP. XLII

61 Cumque, ut moris habebat, evangelizandi gratia loca finitima circuiret, Ressumthum venit, quod in pago Belvacensi, super Aronam fluvium situm esse dignoscitur. Erat ibi mulier infidelis, quæ perfidiæ pœnas, cæcitatis sustinebat incommodum : et propter opera tenebrarum, tenebris addicta, plenam mortis imagine vitam ducebat inutilem. Ingressus ad eam vir Domini, caussas infortunii sciscitatur, quod sibi juste accidisse pro dæmonum cultu, et au- E guriorum observatione mulier anxia confitetur. Dehinc signo quo prævalet, ostendit arborem, sub qua profanis ritibus imbuta, dæmoni consueverat immolare. Cui vir sanctus : Si vis, inquit, pristinam recipere sospitatem, prima in contemptum superstitionis, ad excidendam arborem mitte securim, et a cæcitatis horrore sanaberis. Credula mulier vero Dei, puellæ suæ deducta ministerio, prompta ferrum librat in arborem : et quod propria virtute non expedit, adstantium manibus monet et gratulatur impleri. Stans igitur super eam vir domini, invocato Dei nomine, Crucis signo, luminis tetigit officinas, et ad lucis officium divina gratia reformavit. Dehinc qualiter amodo vivere deberet instructam, docuit in timore Dei, omni custodia servare cor suum, et actus vitæ suæ diligentius custodire : ut sicut exterius lumen in capite, sic internus splendor veritatis radiaret in mente. Mulier igitur ad monita sancti Pontificis edocta fideliter, et in omnibus facta correctior, in sanctitate et justitia vivebat coram Deo omnibus diebus vitæ suæ.

*mulierem cæcam, rejecto diabolico cultu, Crucis signo illuminat.*

a *Auctor intra triennium Episcopatus Trajectensis concludit regnum Dagoberti, et Pontificatum S. Martini, quæ supra refutata sunt.* — b *De Beltila, sive Aldeberga, agemus 8 Maii.* — c *Anno* 640, 21 *Februarii.* — d *Monasterium Novilense.* — e *Anno* 644, 17 *Martii.* — f *Juxta Hunnam jacet monasterium S. Gisleni ab eo Hannonia, Hanau et Henegau dicta.* — g *Idem refertur in Vita S. Gisleni* 9 *Octobr.* — h *Philippus in Vita S. Gisleni ait, unde Elnonem profectum, quod supra* § 12 *probavimus.* — i *Gallia intelligitur.* — k *Apud Rutenos in Aquitania.* — l *Imo Ucetiensis.* — m *In diplomate Regis supra relato exprimitur annus* 2, *Christi* 666. — n *Laudunum, seu Laudunum Clavatum, urbs Galliæ ad Picardiæ Campaniæque confinia.* — o *De B. Andrea infra hoc die agemus.* F

Nota. — In capite vii sequenti litteras *d*, *e*, *f*, male positas debere transferre ad sequentes *g*, *h*, *i*, et has sequentium loca occupare.

## CAPUT VII.

### *Tertium iter Romanum S. Amandi. Laus Elnonensis monasterii.*

Circa *a* idem tempus, disponebat vir sanctus, Romam jam tertio proficisci, ut labore peregrinationis, et orationum fructu, sicut initia sua dedicaverat, sic extrema vitæ tempora promoveret. Aggressus iter, ad *b* domum B. Humberti hospitandi gratia declinavit. Susceptus ab eo est cum omni reverentia caritatis, et omnis humanitas in procuratione diligenter exhibita. Requirit inter convivandum vir sanctus ab hospite, si cum eo velit suscepti laboris pondus insumere, si laboris velit communicare mercedi, et apostolicis se præsentare liminibus. Annuit B. Humbertus, et sequitur sancti Pontificis cum omni hilaritate consortium.

*CAP. XLIII* *a Tertio Romam proficiscitur, b S. Humbertum adjungit.*

63 Quadam

A 63 Quadam vero die, sicut mos est itinerantium, dum prandendi caussa juxta silvam viæ proximam consedissent, egrediens ursus, animal illud decerpsit, quo sarcinas deportare consueverant. Quem virtute divini nominis alligatum deducunt ad sarcinas, et loco jumenti utuntur, in suppellectilis domesticæ subvectione, et vectorem faciunt de raptore. Sic accedentibus ad Urbem viris Dei, familiari colloquio Romanus Pontifex, edoctus ab Angelo, ministerio cursoris occulte denuntiat, ut absolvant ab hoc ministerio feram: ne pompatice magis, quam religiose videantur ingredi civitatem, quæ religionis et honestatis caput esse debet in gentibus: neve spectaculi novitate concursus moveant populorum, et omnium in se voces et ora convertant. Apostolicæ jussioni sancti Patres obediunt, et absolutam ab injuncta obedientia feram, ad saltuum latebras redire permittunt, subinde respectantem, et obsequium suum signis, quibus poterat, exhibentem. Inde civitatem ingressi, digne ac reverenter excipiuntur a summo Pontifice: peractisque omnibus ad quæ venerant, et perquisitis Sanctorum suffragiis, ad propria cum gaudio revertuntur.

[illegible] sarcinas ferre jubet

[illegible] liberum dimittit

CAP. XLIV

64 Divertente Beato Humberto Maricholas, vir B Domini Amandus secessit Elnonem, quem sibi locum Dagoberti Regis munifica manus c dudum concesserat, et ad amplificandum divinitatis cultum, donatione solemni liberaliter assignarat. Locus ipse intra d Menapiorum positus fines, Propontiis Nerviisque conterminus, sicut regni Germanici et Romani e finis est imperii; sic Belgicæ Rhemensis portio, sic fines dignoscitur esse Francorum. Hic duobus in unum convenientibus fluviis, f Elnone et Scarpo, spatiosus in medio distenditur angulus, circa quem fluentis irrigua prata, pascualis ubertas, et piscatio fœcunda porrigitur; dehinc apta venatibus silva, recessus productiores offertur. Gleba nec adprime fertilis, nec jejuna, lactis et mellis copiam prærogat usibus incolarum. Huc Dei servus adveniens, præsago mentis intuitu, reclinatorium laboris, pacis domicilium, quietis habitaculum, titulum conversationis habere disposuit. Sed quia religioni congrua nondum illic ædificia collocarat, sollicite considerare cœpit, ubi ædificationis novæ fundamenta disponeret. Ingressus itaque prædictæ intercapedinis angulum, cœpit dumeta præcidere, convellere frutices, eradicare carecta, et fluvialium demetens arborum stipites, et arundineta demoliens, nativo terram vel- C lere spolians, pristinæ densitatis horrorem complanavit in aream, et regularibus officinis locum præparavit apti situm. Jactis itaque fundamentis, in honore Apostolorum Principis Petri fundavit ecclesiam, quem præcipuum suæ prædicationis auctorem, laboris ducem, molestiæ consolatorem, frequenter habuerat. Extruxit hic ardenti studio convenientes monasticæ ordini officinas, quæ nec superfluæ curiositatis ambitum, nec attritæ paupertatis angustiam redolerent. Inde retia laxat piscator sedulus in capturam, et strenuos undique colligit cœpti operis adjutores, et institutionum regularium provisores fidissimos. Conveniunt ad eum viri spiritu ferventes, zelantes legem Domini, mandata vitæ propensius amplectentes, et erectam divini servitii scholam celebri prosequentes instantia. Gaudet pastor fidelis de boni gregis augmento, et invicem grex devotus sub tanti Patris regimine, de bonorum communium profectibus hilarescit. Inde novam a fundamentis in honore Beati Andreæ Apostoli fabricari jussit ecclesiam, quam dignus Deo famulantium decoravit obsequiis. Ipse tanquam dispensator egregius, nunc exteriorum suscipit turbines actionum, nunc ad interiora velaminis non sine orationis incenso, et sancti fervoris igne progreditur, ut audiat quid in

c

*Elnone exstruit monasterium,*

d

e

f

[illegible]

eo loquatur Dominus Deus, et in servos ejus pacem D postulet et profectum.

CAP. XLV

65 Non multo post hæc elapso tempore, secundo rediens ab Urbe S. Humbertus, ad visitandum virum Dei descendebat Elnonem. Cumque jam loco propinquaret, accessit g Angelus Domini ad B. Amandum, monetque, ut egrediatur obviam servo Dei, et quanti sit apud Deum meriti, signo, quod vertice prætendit, agnoscat. Egreditur vir beatus, et de tanti hospitis gratulatur adventu, et dato pacis osculo, caput ejus retegens radiare conspicit in vertice signum Crucis, quod non tamen dabatur omnibus intueri, nisi quorum divina virtus oculos illustraret. Fit communis inter eos, ingensque lætitia, quæ non adulationis fucum, sed sinceritatis sanctæ spiraret indaginem; nihilque referret insolitum, quod non utrinsque proposito, quod non sanctitati, non ordini conveniret, nec posset hospitalitatis sanctæ legibus reluctari. Perendinato apud eum, quanto libuit spatio, post exhortationis mutuæ collationes sacras, post dulcia pietatis sanctæ colloquia, data invicem benedictione, B. Humbertus cum gaudio refertur ad propria.

g

*ab Angelo de adventu Humberti fit certior:*

*Crucem in capite ejus radiare videt.*

E

CAP. XLVI

66 Erat in cœnobio h Elnonensi, Præpositus quidam Chrodobaldus nomine, Fratrum deputatus obsequiis, et exteriori curæ sancti Patris assignatus imperio. A quo mandatum suscipiens, ut potum Fratribus tempore congruo juxta solitum ministraret, justa mandantis contempsit edictum. Sed vindictam justi Judicis non evasit. Ad excusandas excusationes in peccatis, ad virum Dei parabat ascendere, ut obductionis velo contumaciam sui reatus obnuberet: cum subito paralysis horrore convolvitur, profligantur sensus, hebescit memoria, visus caligat, hebetatur auditus, omnibusque in illo præmortuis membris, vitalis adhuc spiritus in solo pectore palpitabat. Voce tamen et nisu, quo poterat, confitebatur instanter, quod inobedientiæ culpa tantis illum malis ingesserat. Impositus igitur navi ministerio Fratrum, cursu i fluminis deportatur Elnonem. Nuntiantur hæc viro Dei, qui subridens dixisse fertur: Adhuc sustinebit majora; quia jactantiam sequitur, et obedientiæ gratiam non attendit. Dehinc per fidelem Presbyterum fragmen panis, et modicum vini data benedictione dirigit, et ut his reficiatur ediens, mandat ut obviam sequenti die, se visitaturo sine cunctatione procedat. Gustata Præpositus benedictione Patris, pristinæ redditur sanitati, et reparat obedientia vires, quas inobedientiæ reatus abstulerat. Sequenti die, venienti ad se servo Dei, læto se repræsentavit occursu, postulans veniam pro delicto, et beneficio gratias referens. Miratur universitas Fratrum, quod sanum vident, et vegeto corpore, quem quasi exanimem alienis manibus illatum viderant misere decumbentem. Agitur in commune laus Deo, et sancti Patris virtus ac meritum gloriosius prædicatur. Ipse autem correptum blande ac leniter fratrem Martianus remittit, et hortatur, ut in reliquum sibi caveat, et actus suos satagat utilius reformare.

h

*monachum inobedientem,*

*paralysi percussum,*

i

*data benedictione sanat:*

F

CAP. XLVII

67 Interea Beatus Florebertus, quem Blandiniensi monasterio jam dudum ipse præfecerat, k appositus est ad Patres suos, ingressus in gaudium Domini sui, immortalitatis regnum sortitus et gloriam. Fratres autem loci pari voto, et unanimi voluntate legatione transmissa, supplicatione qua prævalent et obsecratione non ficta, pulsant paternæ pietatis affectum, ut ad eos declinet vir sanctus, provideat monasterio quod fundavit, enutriat filios, quos de spiritali generatione suscepit, riget uberius arbusta quæ posuit, nec gregem devotum patiatur in dispersionis abire jacturam. Beatus Amandus filiorum petitione concussus, timoris pariter et amoris

k

*a Gandensibus, mortuo Floreberto, in Patrem requiritur,*

A ris subito transfixus accessu, nec Elnonem relinquere, nec sine consilio remittere volebat filios supplicantes. Sic ex studio pietatis divisus in partes, post multos sanctæ deliberationis motus, et exquisita consilia petentibus blanda humilitate respondit: Nolite, filii, nolite Patris vestri sollicitare quietem, nolite de portu revocare in pelagus, sufficit mihi paupertas mea, ut divitiæ computentur, hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Vobis non deerit, propitiante Deo, virtus cœlestis auxilii, vel nostræ sollicitudinis adjumentum. Hac voce Fratres a cursu propositæ intentionis exclusi, ne vacui revertantur implorant, et sancti Patris consulunt cum omni devotione solertiam, quid de Blandiniensis monasterii ordinatione sentiat, quid censeat adimpleri. Sanctus Pater Amandus, qui nec suos Elnonenses deserere, nec gregi deesse poterat desolato, probatæ conversationis virum, moribus insignem, moderatione præcipuum, *l* Joannem, discipulum suum tradidit eis: cui Fratrum curam data benedictione commisit, et remisit cum exultatione Blandinium.

*dignitatem illam detrectat.*

*l Joannem iis præficit,*

CAP. XLVIII

68 Sentiebat jam ex tunc beatus Pater Amandus corporis sui defectus, laboribus confectus et senio, B nec abesse longius exitus sui diem secreta inspiratione præsenserat. Evocatum igitur ad se venerabilem Andream, quem Barisiaco prius Abbatem præfecerat, constituit *m* super familiam suam, quam Domino juvante collegerat, ut in manu ejus virtus ordinis, et severitas disciplinæ, provida moderatione floreret, et ipsi vacandi Deo secretior ac liberior pateret introitus. Revocari tamen decrevit in jus Elnonensis monasterii possessionem perpetuam, quidquid Barisiaci ante possederat, de munificentia Regis Hilderici, quod usque in hodiernum diem secundum viri Dei dispensationem irrefragabiliter conservatur.

*m B. Andream Elnonensibus:*

a Imo relicto Trajecto anno 650, ut dictum § 12; ergo annis 26 ante conditum Barisiacum monasterium. — b Marchianense monasterium. — c Anno Dagoberti II Christi 638. — d Hæc ex Vita S. Huberti 25 Martii excerpta sunt. — e Imo Marchianensi de quo hæc tradit Gualbertus Marchianensis monachus apud Buzelinum in Gallo-Flandria cap. 41. Quinto loco beato Abbati Jonato vicinum et juxta positum Sanctum Chrodobaldum celebri memoria æque dignum, meritis gloriosum, sanctissimi Confessoris atque Pontificis Amandi monachum et Præpositum percussum tamen a Deo ob contumaciam, jactantiam atque pervicaciam sed humiliatum scilicet ab eodem Pontifice, conjuncta compage membrorum paralysis morbo dissoluta propter inobedientiæ vitium, erga beatum virum commissum præcipiente Magistro et non obaudiente discipulo caritatis obsequium; per virtutem Domini sanatum atque correptum. Pro cujus merito posteris demonstrando de eo tale miraculum innotuit in Marcenensi cœnobio. Quando enim prisco tempore combustum est ejusdem cœnobii templum, C tapete ejus sarcophago suppositum, prunis ardentibus undique coopertum flamma undique serviente per totum monasterium, sicut ab antiquis Patribus relatum est, omnino permansit illæsum. Ad cujus miraculi insigne oculis tam futurorum quam præsentium quotidie innovandum tapetum adhuc reservatur reconditum vel potius in revestiario ubi superponuntur albæ cappæ et cetera ornamenta, extat appositum. Ejusdem miraculi meminit Raissius in Hierogazophylacio, et Beatum appellat. — f Scarpi, cui adjacent Marchianense et Elnonense monasteria. — g Anno 684 Novembr. quo Vitam ejus dabimus. De ejus obitu actum supra § 13. — h Præfuisse Joannem usque ad annum 683 diximus ibidem. — i Anno 683 ut dictum § 15.

*Chrodobaldus Sanctus habitus,*

*miraculo illustratus.*

## CAPUT VIII.

### *S. Amandi testamentum, obitus, sepultura.*

CAP. XLIX

Solet circa posterius genitam sobolem paterna pietas esse propensior, et genuinæ caritatis ardorem semper extremis reservat affectibus. Sic Magister pietatis, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, et infirmis adhuc rudibusque discipulis vitalem suæ mortis exhibuit medicinam. Hujus imitator beatus Pater Amandus, cum sciret articulum sui transitus imminere, convocatis ad se Fratribus, post exhortationis verba, post piæ consolationis blanda colloquia, post inculcata salutis æternæ mandata, vocationis suæ tempus indicat propinquare; et, quantum eos vivens dilexerit,

*mortem suam prænuntiat:*

*Februarii T. I.*

manifestis declarat indiciis, cum nec in morte sustinet ab eorum dulci collegio separari. Facto igitur D testamento, sicut in archivis hujus monasterii continetur, stabile de corpore suo confirmat edictum, idemque constanter adjurat, precatur, monet, hortatur et imperat, ut inviolabiliter observetur. Convenerant ad eum fama sanctitatis, opinione virtutum, meritorum fructibus, et operum signis illecti, reverendæ auctoritatis, et insignis excellentiæ Patres, *a* Reolus Metropolita Remensis, Mummolenus Noviomensis Episcopus, Cameracensium Pater Vindicianus, Bertinus et Aldebertus Abbates, Joannes Blandiniensis cœnobii Pastor *b* egregius, cum aliis Deum timentibus viris, quorum auctoritate et consilio dispositionis suæ roboravit effectum. Disposuit igitur sub horribilis interminatione sententiæ, ne cuiquam liceret Ecclesiasticæ secularive personæ, corpus suum ab Elnonensi removere cœnobio, vel transferre cujuslibet occasionis obtentu; sed cum Fratribus, qui ejus inductu mundum vicerant, depositionis suæ locum præsentia sui corporis immobiliter possideret: et resurrectionis ultimæ diem cum eis fideliter expectaret, quos nec vivens deserere sustinebat, nec admittebat moriens aliquatenus dimoveri. Ut ergo omnem ambiguitatem hujus rei scire volentibus auferamus, testamentum pii Patris nobis placet ut huic operi inseramus. E

*AU TORE PHIL. P. TO ABBATE, EX MSS.*

*de sepultura statuit:*

CAP. L

70 *c* In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Amandus miserrimus et peccator. Credimus ubique Divinam nos pietatem regere et clementer salvare velle, quia et ingressum nostrum in mundum, et exitum de mundo, ante secula ipse prænoscit. Proinde omnibus non habetur incognitum, qualiter nos longe lateque per universas provincias, seu gentes, propter amorem Christi seu verbum Dei annuntiare, vel baptismum tradere, discursum habuimus: et nos de multis periculis pietas Dei eripuit, et usque tempore isto perducere dignatus est. Sed, dum jam corpore fesso et multis laboribus fatigato, jam in summa senectute pene corpore præmortuo, exitum de hoc mundo in proximo habere speramus, et quia nos Deus *d* in istum locellum, qui vocatur Elnonis, perducere dignatus est, quem super largitate regia, proprio labore visi fuimus construxisse; si nos ibi Deus de hoc mundo decreverit emigrare, peto et coram Christo Jesu filio Dei conjurare præsumo, ut nulli Episcoporum vel Abbatum, seu secularium virorum, aut quibuslibet potestatibus hoc contrarium sit, ut corpusculum meum in ipso monasterio, quod superius diximus, Elnone, inter illos Fratres requiescat, ubi jam nos ad ipsos Fratres et corpore et anima commendavimus. F

*c testamentum condit:*

*d sepulturam eligit apud Elnonenses:*

71 Et si in *e* itinere, aut ubiubi finis noster provenerit, ad ipsum locum, quem superius memoravimus, corpusculum nostrum licentiam habeant Fratres vel Abba de ipso monasterio Elnone ibidem revocare. Si quis vero contradicere, aut de ipso monasterio corpus meum per fortia abstrahere, aut temerario spiritu contradicere voluerit; imprimitus sanctæ Trinitatis incurrat offensam, et ab omnibus Ecclesiis Catholicis excommunicatus appareat, et a societate Sanctorum extraneus efficiatur: et damnationem, quam Dathan et Abiron sustinuerunt, quos infernus vivos absorbuit, ipse sustineat, et sit anathema maranatha, quod est perditio, in adventu Domini nostri Jesu Christi. Et nec sic nostram voluntatem mutare valeat; sed hæc deliberatio nostra in perpetuo firma, et inviolata permaneat. Et ut certius credatis, manu propria subscripsi: et omnibus hominibus Deum timentibus ut subscribant supplicamus et rogamus. Quam epistolam fratri nostro Baudemundo Presbytero fieri rogavimus. Facta epistola in monasterio Elnone anno secundo

*e fert anathema in transgressores.*

 regni

A regni domini nostri Theodorici gloriosi Regis sub die decima quinta Kalend. Maii. Ego Amandus peccator hanc epistolam a me factam consensi et subscripsi. Ego in Christi nomine Reolus acsi peccator subscripsi. Ego in Christi nomine Mummolenus episcopus subscripsi. Ego in Christi nomine Vindicianus acsi peccator Episcopus hanc epistolam, rogante Domno Amando, consensi et subscripsi. Ego Bertinus Abba subscripsi. Ego Aldebertus Abba subscripsi. Ego Joannes rogatus a Domno Amando, consentiens hanc epistolam subscripsi. Ego Baudemundus peccator, jubente Domno meo Amando, hanc epistolam deliberationis suæ scripsi et subscripsi.

*AUCTORE PHILIPPO ABBATE, EX MSS.*

*subscribit cum variis aliis.*

CAP. LI

72 Laudabilis zelus, invictus amor, delectabilis gratia, jocunda suavitas, mirabilis unio caritatis, quæ sic animam viri sancti vinculo pietatis indissolubili colligarat: ut in propriæ dissolutionis excessu, dissociari a Fratribus jacturam sancti fœderis æstimaret. Igitur gloriosi Pontificis imminente reverendi transitus die, cum esset in oratorio B. Andreæ, post orationum munus, post suscepta cœlestis Sacramenta mysterii, inter discipulorum manus, finito vitæ cursu migravit ad Dominum, et appositus est ad Patres suos cum gloria. Felix operum merito, felix gratia sanctitatis, felix consummatione laudabili, cui divinitus concessum est, ut ante altare beatæ Virginis B ultimum redderet spiritum, cujus se meritis adjuvari devotissime postulabat, cujus sacra vestigia tota mentis annisu studuerat imitari. Nullus enim apud Deum familiarior interventus, nullius efficacior potest esse gratia, quam illius quæ mater esse meruit, cujus pater est Deus. In qua sancti Spiritus operatione mirabili deitatis virginitatisque complexus naturarum proprietate servata, æterni Verbi communicat genituram.

*moritur*

*ante altare B. Mariæ :*

*4 die sepelitur,*

73 In quartum sane diem differtur exequiarum sancta solemnitas, ut religiosis undique convenientibus viris, justa solvantur sancto funeri et pretiosi thesauri depositio favorabilius celebretur. Excitati fama finitimi, concursu frequenti pariter, ex oppidis virisque conveniunt, ut tanti Patris venerentur exequias, et, quem viventem dilexerant, exanimem pietatis officio prosequantur. Adest de diversis evocata partibus discipulorum ejus sancta frequentia. Adsunt pietatis filii Clerus et populus adjacentes: et elatam de loco transitus sanctissimi corporis glebam, usque ad locum sepulcri, psalmis, hymnis et canticis canora cœlestibus fidelis turba prosequitur. Quæ licet de tanti Patris C felici victoria sentiat esse gaudendum, lacrymas tamen doloris, pietatis extorquet affectus: et de uno eodemque fonte, pari tenore scaturiens, disparibus excitata caussis, mœroris et gaudii vena progreditur, dum triumphanti pietas debet, ut gaudeat, et funebribus obsequiis exhibere decet, ut doleat. Sepultus est igitur in oratorio B. Petri, quod ipse fundaverat: ut, qui prædicationis auctor, adjutor in opportunitatibus, in tribulationibus consolator extiterat, in extremis promptus adsisteret, portas justitiæ reseraret intranti, et foveret in terræ gremio quiescentem. Præstantur ad sepulchrum ejus beneficia præclara poscentibus, quæ Patris sancti meritum plenius attestantur, et Confessorem suum corusca miraculis visitatio divina commendat, et in servo suo Christus se vivere gloriosis demonstrat ostentis. Qui cum Deo Patre et sancto Spiritu vivit et regnat Deus; per infinita secula seculorum. Amen.

*magno concursu*

*in oratorio S. Petri,*

CAP. LII

74 Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, quæ licet minus capacibus iter exterminii videatur, magnificat tamen eos cœlestis auctoritas et resurrectionis æternæ gloriam prædicat in defunctis. Deposito carnis onere B. Amandus, dum *f* nocte Dominica migraret ad Dominum, inclyta virgo D Aldegundis, in monasterio Malbodiensi, ante venerandum altare sanctæ et perpetuæ Virginis vigiliis et orationibus ardentius insistebat. Cum *g* subito rapta in excessu mentis, videt reverenda canitie virum, clarum sacerdotalibus indumentis, virga pastorali subnixum, cum ingenti gloria coruscæ lucis ad superna conscendere. Præcedebat, et subsequebatur euntem cuneus innumerabilis albatorum, quos e vestigio sequi, quorum dulci sociari collegio, quorum felicibus interesse gaudiis affectabat, et nisu quo poterat vestigia sequebatur. Interrogatur ab Angelo itineris duce, sciretne, quis esset ille tantæ reverentiæ et gloriæ senex, quem stiparet tam solennis candidatæ multitudinis comitatus. Quod cum se nescire virgo Domini fateretur: Hic est, inquit, servus Domini Amandus, qui cursu vitæ præsentis laudabiliter et innocenter expleto, in gaudium Domini sui, cum lætitiæ manipulis intrare festinat, ut sic ei jocunda quietis mansio post labores, et de spe translatus ad speciem manifestæ contemplationis gloria satietur. Spectabilis autem illa dealbatæ multitudinis turba, quæ pone sequitur aut præcedit, ii sunt qui sacris ejus institutionibus eruditi, Divina sententia præordinantur ad vitam: signum apostolatus ipsius in Domino, pro imitatione sancta gloriæ comites et mercedis.

*g*

*B. Aldegundis eum in cœlos deduci videt,*

*stipatum pluribus Sanctis ab eo institutis :*

E

75 Virgo Domini tegens silentio visionem nulli suorum voluit indicare, sed destinato ad sororem suam B. Waldetrudem nuntio, ad colloquendum sibi cum ea, virum Dei S. Gislenum pariter evocavit. Quibus ad locum qui *h* Mervius vocatur, occurrens, familiari colloquio mysterium sacræ visionis edisserit. Quod vir sanctus prudenter advertens, Gratias, inquit, age Deo virgo fidelis, cui dignatio et servi sui meritum, et exitus tui proximum diem voluit indicare. Proinde quod cœpisti, convenienter et solerter exequere, ut cujus exhortationis es amplexata consilium, ejus, in æternitatis gloria, collegio socieris. His dictis ad invicem recesserunt, et fidem verbis fidelis exitus applicavit.

*id indicat SS. Waldetrudi et Gisleno;*

*h*

76 Transiit autem B. Amandus nocte Dominica octavo Idus Februarii, anno ab incarnatione Domini *i* sexcentesimo sexagesimo primo, præsulatus Vitaliani Papæ *k* tertio, imperii *l* Constantini vicesimo tertio, qui ab Eracleo tertius rempublicam gubernavit. Regnante in Francia *m* Theoderico. Anno vitæ beati pontificis nonagesimo. Præstante Domino Jesu Christo: cui cum Patre et Spiritu sancto est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.

*quo anno juxta hunc auctorem obierit?*

*i*

*k l*

*m*

F

a Colitur B. Radus (?) 25 Novembr. Mommolenus 16 Octobr. Vindicianus 11 Martii, Bertinus 5 Septemb. — b Hunc Malanus [illegible] [illegible] Floribertum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] — c Gommolenus [illegible] MSS. [illegible] Blandiniensi et aliis [illegible] in Festis Belgiis. — d MS. Elnonense [illegible] — f Obiit S. Amandus [illegible] S. [illegible] dictum est § 5. — g Imo [illegible] S. Amandi [illegible] — h B. [illegible] Melbodium [illegible] — i An. 684. — k S. Vitalianus [illegible] 27 Januar. [illegible] anno 658, [illegible] annus fuit Christi 659 et quintus 661. — l Imo Constans, [illegible] anno 641, [illegible] 20 [illegible] Christi 661 [illegible] Constans pater [illegible] S. Amandus [illegible] § 16. — m [illegible] cepit regnare anno 680, [illegible] S. Amandi.

*S. Vitalianus Papa*

*Constans Imp.*

*Theodericus Rex*

## ALIA VITA METRICA

auctore Milone monacho Elnon.

*ex MSS. Antverpien. et Elnonen.*

*a* EPISTOLA MILONIS LEVITÆ, postea Presbyteri, ad venerabilem Patrem *b* Haiminum Christi Sacerdotem directa.

*a*

*b*

Reverentissimo Patri Haimino Milo devotissimus filiorum indelebilem æternæ felicitatis jocunditatem.

Perfruitus

A Perfruitus quondam vestræ mansuetudinis benignissimo afflatu, eo scilicet tempore, quo susceptus a vobis vestra immeritus merui jocundari allocutione, ac melliflua perfoveri dulcedine, gratiarum actionem persolvo. Siquidem erga exiguitatem meam tanta vestræ excellentiæ benignitas viguit, ut deinceps non cessaret, quod inflammatum erat in corde meo vestri amoris ardere incendium. Et non immerito: quippe melle pleni sincerissimæ dilectionis cordis ac corporis gesta eructantes, quæ interiora vestri pectoris habebant cubilia, facile obtinuistis, ne de fibris meis ullo unquam tenore vestra labatur amabilis mentio; sed æternaliter innovata conservetur et perduret flore immarcescibili. Qua de re fidens in tam laudabili paternitate vestra, ceu filius indidi manibus vestris ineptas meæ imprudentiæ nænias, præexercitamen scilicet ingenioli mei in vita beatissimi Amandi, suppliciter obsecrans, ut si in his aliquid fidei Catholicæ minus consonans, vel incongruum legi metricæ inveneritis, ad certæ normam regulæ misericorditer, more paterno reducatis: nec me meo dimittatis errori, contestor et obsecro per sanguinem Christi, qui fusus est pro salute populi Christiani. Quod si, misericordia supernæ majestatis præeunte, B æquas textus carminis mei obtinuerit partes; tunc una mecum hujus doni largitori, sancto scilicet Spiritui, gratiarum laudes debita exultatione persolvite: cujus munere tantum opus quivi utcumque compingere. Rusticitati autem meæ veniam dare necesse est, quia rusticatio, ut quidam ait, ab Altissimo creata est. Et quamvis difficilioribus uti potuerim aliquibus in locis verborum ambagibus, ne id facerem sum prohibitus, quia etiam credidi futurum opus istud gratius, si omnium Fratrum pateret auditibus. Faveat ergo excellentia vestra non vitiis meis, sed laboribus; ut illud percipiatis in cœlestibus, quod mortalis non vidit oculus. Valere vos optamus ad omnium fidelium profectum æternaliter.

*Fretus amicitia Haimini,*

*poema de Vita S. Amandi*

*ejus censuræ subjicit,*

*humili conscriptum stylo.*

a *Ita codex noster MS.* Incipit Epistola Milonis Levitæ; *etc. at codex Aquicinctinus:* Incipit Epistola Milonis Philosophi ad venerabilem Patrem Haiminum, *etc.* — b *D. Haimino Sacerdoti et monacho Vedastino egimus ad Vitam S. Vedasti.*

## RESCRIPTUM HAIMINI AD EUMDEM.

Infimus servus Christi Haiminus Miloni suo salutem. Carmen quod mihi, Frater amantissime, porrexisti, avida mente perlegi: sed quia non satis est legisse semel, juvit usque videre. Unde repetens a C principio non sine judiciali censura, quod ante summotenus tetigi, totum ex integro legens et inculcans, omnes in eo intentionis meæ vires impendi. Nam primo putavi me fateor in planum posuisse pedem; sed ut comperi meam exiguitatem non modo poculo fontis irrigari, sed fluctibus eloquentiæ obrutum iri, non sine cautela deinceps totum id flumen Fratribus, qui mecum sunt, quomodo sit navigandum ostendi. Et, quia in eo nec scopulum, qui fidei obstet, offendi, nec, quod legi metricæ refragetur, inveni; hortor Fratres nostros, qui a talibus studiis non abhorrent, munus hoc libenter suscipere, et obsecro, ut satius velint ad simile studium provocari, quam invidiæ facibus concremari. Novimus siquidem semper cives civibus invidere, et secundum Salvatoris dictum neminem Prophetam, sive, ut tu solitus es dicere, nullum Poetam acceptum esse in patria sua. Sed qui parvulum occidit invidia, minor esse cognoscitur qui invidet, quam ille, cui invidetur. Papæ! miror opiparum valuisse divitibus præparare convivium, quem putabam vix posse pauperibus exhibere vel gustum. Plane amantissimi Amandi ego quidem id meritis imputo, de cujus præconiis exsultare ac Christum laudare non cesso. Est igitur eloquium suave et carmen salibus dulce, leni lapsu et plano sermone decurrit oratio. Quid amplius? Dicant et D judicent sodales ut velint: ego autem arcanum cordis mei pervulgo: quia præconia tanti Patris, mi dilecte, satis abundeque tuo carmine illustrasti. Noli tamen, obsecro, ab incepto desistere, noli desidiæ aut inerti otio succumbere; noli gratiam, quæ tibi adjacet, negligere; sed, dum vacat, semper te bonis studiis exerce; et noli quod gratis accepisti, aliis denegare: noli solus bonum commune possidere velle. Hæc sola pecunia est, quæ novit expensione augeri: hæc sola est, quæ sparsa crescit, et erogata emolumenta capit: hæc est etiam, quæ absconsorem suum pœnis addicit, et bonum dispensatorem æterni muneris gloria insignit.

Macte nova virtute, vale Milo optime vates,
Haiminique tui, dic, miserere Deus.

*Haiminus poema probat,*

*commendatque aliis,*

Luc. 2. 24

*a styli suavitate*

AUCTORI MILONE, EX MSS.

*incitat auctorem ad similes lucubrationes.*

ANIMADV. PAP. 105

## a PROŒMIUM OPERIS SEQUENTIS.

a

Festa propinquabant nostri veneranda Patroni,
Instabatque dies terrigenis celebris,
b Ornabat nitidi præcelsa habitacula templi
Pervigili cura sancta caterva gregis.
Candentes tunicas atque ornamenta per aras
Ponebant texta stamine purpureo.
More parabantur solito pavimenta decenter
Marmore commixtis ordinibus variis.
Pars aliqua aptabat redolentia lumina ceris,
Formabatque chorus cantica mellifluus.
Pars et oliviferis appendens vasa coronis,
Fundebat lucem corde, manu rutilam.
Tunc me sollicitum, ne in tantis munere turmis
Parerem vacuus, istud opus rapuit,
Laudibus apta piis, florentia gesta venusti
Præsulis ut metro dulcisono canerem.
Dulce decus, pietatis opus, compingere versu
Pontificis vitam suasit amor fidei.
Quorumdam monitis Fratrum compulsus, enorme
Suscepi pondus viribus exiguis.
Antiquos probi non puduit reticere poetas,
Quis doctrina inerat vana, caduca, levis.
Fallendi studium quos cunctum lusit in ævum,
Totaque vita fuit dedita criminibus.
Carmine distincto verborum ferre cothurno,
Ac nomen laudis quærere per facinus.
Dumque per errores variis anfractibus irent,
Perfecere aliud nil, nisi mortis opus.
Aqua decepti, inferno tumulisque repositi,
Fletibus assiduis talia facta luunt.
Muta mihi et sicco languebat lingua palato,
Falsaque qui damno, vera tacere queo.
Nam meliore via Christi celebrare tropæa
Muneris intuitu spes bene fida monet.
Laus ut summa Deo, veneratio debita Sancto,
Exemplum populis sit quoque Christicolis.
Et mihi succrescat cumulato fœnore merces,
Transferar et Justi hujus ad astra prece.
Intentata tamen prius isto schemate res est,
Et quæ non didici, conor amando loqui.
Ergo Dei fidens bonitate et munere sancti
Flaminis aggredior inscius istud iter.
Quisquis erit, nostrum qui carmen rodere mavult,
Verme fero juste roditur invidiæ,
Et qui tam justo cupit aggandere labori,
Patre Deo genitus, patris amator hic est.
Ergo evangelicum primo percurrere textum,
Illius et septem sacra sigilla juvat.
Tunc melius Sancti potero properare per actus,
Principium tale si pia membra habeant c.

b

*Aliis triumphum Natalis parantibus,*

E

*Auctor poema hoc scribit;*

*non Gentilium more;*

F

*sed amore Dei et S. Amandi.*

c

a *Hæc præponebantur:* In nomine Domini incipit Vita S. Amandi Confessoris Christi, de prosa oratione in Heroicum carmen metrico stylo transfusa, habens libellos IV, edita a Milone monacho cœnobii ipsius. — b *Ita omnes ad celebranda Sanctorum festa ab annis [illegible] et amplius adhibere solitus.* — c *Hæc capita margini adscribimus, ut more nostro distinguimus: illa hic indicasse sufficit.*

Humana

AUCTORE MILONE, EX MSS LIB. I

*Capitula libri I ab auctore præfixa.*

A **H**umana Christi nativitas, et quod hunc omnia elementa Dominum fore cognoverint exponitur. — 2 Apostolorum electio passio ac resurrectio et ad cœlos Christi ascensio Spiritus quoque sancti emissio breviter indicatur. — 3 Quibus in locis Apostoli evangelium prædicaverint. — 4 Commemoratis Apostolorum successoribus B. Amandus subnectitur. — 5 Editor operis confitens inscientiam, sancti Spiritus postulat gratiam. — 6 Patria parentesque Beati commemorantur. — 7 Ubi Sanctus cognatos relinquens, Ogiam petiit. — 8 Ubi serpentem validum prece et Crucis vexillo fugavit. — 9 Responsio ad patrem. — 10 Quod ad sepulchrum S. Martini orans caput sibi totondit. — 11 Qualiter Bituricas adiit, et de abstinentia et conversatione ipsius. — 12 Ubi Romam fidei ardore proficiscitur. — 13 Ubi a custode de ecclesia pellitur. — 14 Apparente Petro ammonetur ad Gallias redire. — 15 Reditus Sancti refertur, simulque; libellus cum prece finitur.

# LIBER PRIMUS

## CAPUT I.

### *Introductio Poetica, a Christo et Apostolis ad S. Amandum. Hujus ortus.*

Arbiter omnipotens, hominum rerumque Creator,
Errorum tenebris mundo pereunte, misertus,
Virginis intravit thalamum, intactumque paravit
*Christus Incarnatus* Hospitium sibimet, clausæ quo nomine portæ
*Ezech. 44. 2.* Hezechiel signat quam nullus conditus intrat,
Ni solus, cui clausa patent habitacula, Christus.
B Utque magis stupeas quodque est mirabile dictu,
Cœlestis clausam penetravit janua portam:
Unde Maria sui genitrix effecta parentis,
Virginis antiquæ delictum deluit Evæ,
Protulit et mundo verum sine semine fructum.
*agnoscitur ab omni creatura:* Ergo ubi conspicuo processit honore Redemptor,
Et mundo effulsit Phœbo rutilantior ipso;
Pastores pecorum primi, pressique pavore,
Conspicuos cives carmen cœleste canentes
Audivere astris arrectis auribus: Auctor
Ad terras rerum quod venerit et Reparator,
Cujus in exortu cœlesti gloria regno
In terrisque foret homini pax sancta volenti.
Astra poli sensere, suus quod Conditor esset,
Ad cujus cunas stellam misere coruscam,
Hunceque suum Dominum pelagus cognoverat esse,
Se plantis cujus calcabile præbuit. Almus
Sol quoque condoluit, cum fixum stipite vidit
Flens famulus Dominum furvo velatus amictu,
Terraque cognovit, quando est concussa tremore
Horribili fractis Sanctorum rite sepulchris.
Infernusque pavens tremuit, cum claustra revulsa
Vidit, conspicuo contractis lumine valvis.
2 Sed quia terrigenæ Regem super omnia nendum
C Hunc fore credebant, simulacra nefanda putantes,
Pro dolor, esse Deus; non amplius ista manere
*eligit Apostolos,* Passus, et antiquæ nec damna videre ruinæ,
Elegit quosdam, quos gratia sola beavit:
Per quos quadrifido mundi sub cardine gentes
Salvaret, quibus ostendit miracula magna,
Defunctis vitam tribuens, dans lumina cæcis.
Venerat et quoniam supera de sede Redemptor,
Ut proprio totum salvaret sanguine mundum,
Illusus, cæsus, damnatus, dispoliatus,
*moritur,* Judicio injusto Judex justissimus, index
Justitiæ, extremo cruce fixus et inde sepultus,
*resurgit,* Multimodum superas spolium relevavit ad auras.
Inde polum penetrans, jam dictis dona remisit
*mittit Spiritum sanctum* Discipulis promissa suis, quis Spiritus ignis
Affuit in specie sanctus, dans omnia linguæ,
Qua possent mundo magnalia visa referre.
3 Hi quoque pervigili complentes jussa labore,
Partitas sibi terrarum partes adierunt,
*Apostoli Christum prædicant variis per orbem populis* Lumine conspicuo rutilantes more lucernæ
Præcelsi Proceres Petrus, Paulusque priores
Ardua Romuleæ properant ad mœnia Romæ;
Romanosque lavant melius quam gurgite Tibris,
Atque ibi constituunt primum fundamen honoris.
Hinc petit Andreas properando viriliter Achaiam
Ac nomen proprium patrando viriliter implet. D
Hinc Jacobi geminis Judæam legibus ornant.
Prisca docent simili resonare tenore novellis.
Inde Asia accedit monitis conversa Joannis:
Quam paradisiaco sitientem flumine potat.
Lampadis et Scythiæ resplenduit ore Philippus,
Atque ibi complevit proprio quod *a* nomine signat. *a*
Mattheus Æthiopas torrente ardore crematos
Ut *b* Geon eximius sacrato diluit amne, *b*
Et facit in speciem lotos candere nivalem.
Indorum tenebras discussit Bartholomeus,
Fecit et egregia splendoris luce coruscos.
Parthos sollicitus cognato more beatis
Explorat Thomas digitis, et vulnera narrat
Quæ Domini vidit post mortem in corpore vivi.
Simon Persidem dulci comitatus Juda,
Bellica quæ fuerat, verbi mucrone subegit.
Ægyptum terram, melius quam Nilus inundans,
Fruge evangelii complet quoque Marcus opima,
Semina sancta ferens. Sanctus sermone superno
Vivifico mundat populos baptismate Lucas,
Hos quoque post missi Doctores rite sequentes, *secuti varii Doctores,*
Per mundum sparsi sparserunt verba salutis:
Actus prosaico quorum sermone notati,
Et nunc usque manent, et in omnia secla manebunt, E
Carmine quin etiam quorumdam facta canuntur:
Versibus et brevibus numquam brevianda ligantur:
4 De quorum numero Confessor fulsit Amandus, *ex his S. Amandus,*
Ad cujus modo gesta manum calamumque novellum
Mittimus, et nisu prægrandia tangimus arcto,
Inspirante Deo; quia magna est portio laudis,
Illius calamo varios replicare labores:
Ac genus et patriam seu fortia scribere gesta
Ad laudem Domini, hæc cujus virtute peregit.
Quidquid enim canimus servorum in laude bonorum,
Respicit ad Dominum; cujus hoc munere sumunt,
Cum bene quid produnt justum et laudabile Sancti
Mente, manu, lingua, meditando, operando, loquendo;
Quo sine pulvis homo est; quo cum nil carius extat.
5 Nam quantus fuerit, cujus describitur actus;
Qualis in hoc virtus, pietas, devotio qualis,
Centenis nullus poterit depromere linguis,
Gutture millesono tonitrus si more boarit:
Quin minus hæc gracili sermone referre valebo, *Poetæ, eum deque laudare non valenti*
Qui rudis existens, apicum primordia vix nunc
Addidici, doctrina et verbi flumine siccus.
Quid faciam? loquar an taceam pia gesta Patroni?
Hæc quia non possum compingere carmine digno.
Sed trepidum spes illa juvat, fiducia firmat, F
Quod Sanctus mihimet poterit præbere loquendi
Vires, qui valuit mutis conferre loquelam *adest,*
Sacratis precibus, cum spes hunc firma rogaret,
Cujus et in manibus speciosis *c* Regius infans *c*
Sermonem didicit, quem numquam corporis usu
Respondit, modicumque fuit proferre latina
Verba, sed Hebraicæ deprompsit famine linguæ
Amen dulce, viri complens pia vota precantis.
Ergo, ut rite queam laudes ac gesta notare
Pontificis magni, divini postulo supplex
Flaminis auxilium, quod continet omnia, complens
Astra, polum, pelagus, terras; quo cuncta reguntur: *procurata operæ*
Cum quo lingua valet; sine quo facundia muta est.
Si tua sunt quæ narro, Deus, nunc oro precanti
Eloquii mihimet da linguæ munus honestæ.
6 Sed prius arce genus rutila celebrabile cretum
*d* Pangere gestit amor, cursimque notare beatam *d*
Progeniem justi, primoque referre priora,
Quatenus infixam radicem pagina servans
Arboris eximiæ, demum præcelsa propago
Ramorum et celsum tollatur ad astra cacumen.
Est regio antiquis Aquitania dicta colonis, *Amandus ex Aquitania,*
Bellipotens, et frugiferax, populosaque tellus:
Fertilior tamen et multum fœcundior hinc est,

Quod

A Quod talem fructum venerando protulit ortu.
Hæc tibi, rite colis quem Gallia, misit Amandum;
Nobilis huic genitor fuerat, qui jure Serenus
*patre Sereno, matre Amantia,* Est dictus, quoniam meruit generare serenum.
Egregia et genitrix est cujus, Amantia dicta.
Rem stupidus miror divino munere gestam,
Quod sibi conveniunt genitor, genitrix genitusque
Nominibus dignis donorum munera fantes :
Namque Serenus ovans, genitrix et Amantia pollens,
Non mirum est generent si talem jure puellum,
Nomine qui sancti memoretur amoris Amandus.
O felix regio, quæ talem promeruisti
Cernere, ferre virum, nutrire! hunc si tenuisses,
Non tantæ quaterent te nunc hinc inde procellæ.
Ergo Serene pater tali pro pignore salve :
Inclyta mater ave, quæ claro germine flores.

a Φίλιππος *significat amantem equorum, at bellicosum, ac generosum intelligit Milo.* — b Gehon, *secundum inter 4 flumina Paradisi, Genes. 2, v. 13* circuruit omnem terram Æthiopiæ — c *S. Sigebertus, ut supra et 1 Februarii dictum* — d *Aliud MS.* Tangere.

## CAPUT II.

*Vita S. Amandi monastica in insula Ogia. Serpens fugatus. Promissa patris contempta.*

B

Qui puer a cunis primordia forte minora
Sumere detrectans, signum dedit, imperfectum
Se nil velle sequi : summam subvexit ad arcem
Justitiæ gressum, crescens ætate Beatus.
*patria relicta,* Immodico fervens cum Christi arderet amore,
Deseruit patriam, sicut venerabilis Abram,
Cognatosque suos linquens peregrina petivit.
Est locus Oceani distans a littore magni,
Nempe quater denis, ut fertur, millibus æque :
*Ogiam insulam petit,* Insula quo præbet venientibus Ogia portum :
Quo veniens agnus lanis candentibus albus,
Excipitur niveo grege congaudente benigne :
Emicuitque brevi meritis in tempore summis.
Et quia scripturas curavit discere sacras,
*sacram Scripturam edoctus,* Quis labor est primo, sed post pretiosa laboris
Præmia, multiplici virtutum fruge replenda :
Quæque cibant animas mortali carne gravatas,
Sanctificant, curant, salvant, vegetantque, perornant:
Non sancto desiderio protectio Christi
Defuit: ad summum sed vexit culmen honorum
Talia quærentem, sitientem et amantem Amandum.
8 Hinc majora sequens operum miracula, dicam
C Qualia principio Domini devotus amator
Prælia pertulerit, et quantos inde triumphos
Corporis ac mentis superato sustulit hoste.
*celer in obediendo,* Forte dies aderat quædam, qua instabat agenda
Caussa monasterii jam dicti, quaque benignum
Eximii Fratres puerum complere volentes
Injungunt caussas operis ; quod protenus ille
Impiger exequitur, cunctis servire paratus,
Subditus obsequio famulus celeranter in omni.
Sed dum forte minus loca Sanctus cognita lustrat,
Obviat immanem horrendi corporis anguem,
Sævum, squamigerum, dirum, vastum, truculentum,
*serpentem obvium* Quem puer aspiciens, pariterque horrore pavescens
Terretur, stupet, admiratur, et anxius hæret,
*a* Attonitusque tremit, quo gressum verteret, *a* angit.
Cœlica sed Domini mox huic ut gratia fulsit,
Corruit in faciem, terram quoque corpore pressit,
Suppliciter stratus, sed mente ad sidera vectus.
Hinc quoque vexillum, nostræ quo summa salutis
*Crucis signo fugat,* Consistit, valida opposuit virtute chelydro :
Jussit et ad notas illum remeare latebras.
Letifer ast hydrus signi virtute repulsus,
Effugiens rediit, notumque relapsus ad antrum,
Ulterius hominum nusquam comparuit ulli,
Ereptusque locus tanto jam dictus ab hoste est.

Fama est serpentes *b* Marsos turbare suetos D
Exigua sibimet vallum tellure parare, AUCTORE MILONE, EX MSS LIB. 1
Quod nequeat transire cohors numerosa nocentum.
Sed meliore via multum præstantius iste
Reppulit ignitos divino famine rictus *b*
Serpentis, Sanctus prostratus in aggere terræ
Per vexilla crucis, digitis quæ pinxit in arvis.
Hoc primum patravit opus ; quod rite notatum
Linquimus, hoc aliis post narret scheda futuris.
Ergo humili voto te, Pastor Amande, precamur,
Antiquum ut pellas anguem, qui corpora nostra *pulsurus postea diabolum.*
Non curans laniare, animis magis optat acerba
Vulnifico nostris infundere dente venena,
Flammivomus flammas et spirans igneus ignes :
Qui tibi, sancte Pater, proprium transmisit alumnum
Serpens serpentem sævum (sed sæva serendo
Sævior advenit, cujus fuit ille minister)
In Centumcellensem urbem : quod tunc duce Christo
Ordine rite suo, cum illuc pervenero, pangam.
Nunc iter inceptum gradior, hydrumque relinquo.
Cresce puer virtute nova, sic ibis ad astra.
9 In puerilis adhuc ætatis flore Beatus
Succrescens, studiis virtutum intentus honestis,
Corpore erat juvenis, senior sed canus in actu ; *patri e monasterio retrahere conanti*
Quem genitor verbis compellans pluribus ambit,
Ammonet, hortatur, blanditur, postulat, orat, E
Sacra monasterii quo linquens atria sancti,
Vertat iter retro, et mundana negotia curet :
Quis labor omnis inest, quo sint sine cuncta quiete,
Fraus, furor, invidiæ, violentia, cura, tumultus,
In varios casus hominum mergentia mentes.
Verba patris Sanctus, ceu spicula toxica, temnens,
Rejicit, opposito fidei munimine fretus.
Anxius at genitor casso conamine fusa
Cernens verba, minis homo vincere talibus instans :
Ni cœptum, testatur opus, habitumque relinquat.
Mundanosque citus sese convertat ad actus,
Jam cunctis rebus, fuerant quæ more paterno
Præbendæ, heredem faceret contemptus inanem.
Sed sacer ista puer verborum verbera spernens,
Doctrina plenus divini flaminis, inquit :
Nil, pater, esse mihi proprium tam, care, memento, *egregie respondet.*
Quam summo servire Deo dum vixero; quique
Pars mea cum fuerit, pars illius esse merebor,
Sacra evangelici memoratur voce libelli.
Promisisse Deum quærenti talia Petro : Matth. 19. 27 et 28
Omnibus abjectis vos, qui mea jussa sequentes,
Cuncta caducorum sprevisti culmina honorum,
Cum Deus æthereum mundi sub fine tribunal F
Sederit, et rapidus cunctum subverterit orbem,
Exurens ignis terras, pontumque, polumque,
Tunc vos bissenis residere in sedibus, atque
Judicio faciet recto disquirere mundum.
Omnis enim, quicumque meo conductus amore
Postponit mundum, seu nomina cara parentum,
Centuplicata gerens capiet, vitamque perennem.
Inde, Serene pater, non auribus audio surdis,
Egregii memorat quæ pagina sancta libelli.
Psalmicani tibimet breviter quoque dicta citantur
Illa, quibus recinit : Dominus mea portio solus, Psal. 118. 57
Lex inscripta jubet tabulis de rupe recisis Numer. 18. 20
Levitas inter fratres non tollere partem. *divitias spernit.*
Unde, pater, curo proprium nil, nilque requiro
Terrenum, candens ac fulvum sperno metallum.
Terrigenæ teneant terras tellure tenendi.
Quid mihi cum mundo, genitor, cui mortuus exto.
Alma Maria Deum velatum tegmine carnis
In cunis texit vilis velamine panni :
Et vestis mihimet fulvo texenda metallo est ?
Vulpibus est fovea, cœlique volucribus umbra ;
Ac Dominus noster, qui totum condidit orbem,
Non habet exiguum tectum, quo membra reclinet ;
Et mihi magna domus vario pingenda colore est?

Namque

A Namque bonus non miles hic est, qui jure colendum
*AUCTORE MILONE, EX MSS. LIB. I.* Deserit aerio solum sub tegmine Regem,
Et petit ipse fugax umbrosa cacumina tecti :
Urbibus ille decem præferri nempe nequibit,
Palma et quæ fuerit capulo sine palma neganda est.
Rex meus est Christus, regnumque illius Olympus ;
Ast ego sum miles nunquam vincendus Amandus,
Militiam si servo meam ; complector at illum,
Illum et jure sequor, cujus cognomine dicor ;
Invideas mihi ne tantos, pater, obsecro honores.
Est mihi Christus amor, vestis, possessio, victus,
Et domus, et patria, et locus, et substantia, et aurum,
Viventi mihi vita est, ac lucrum morienti ;
Quo sine nil cupio, et quo cum bona cuncta tenebo.
Hæc patri attonito referebat verba Beatus,
More apis excerpens Scripturæ germine flores.
Plurima præteriens studio brevitatis omitto,
Atque ea quæ restant veloci famine curro.

*Mars.* a Augit *in miraculis per ignem præsagium.* — b Marsus *Fulxr populis ignes a Crucis fluctu[illegible] ... [illegible] naturali in altum creditum. Plinius lib. 7 cap. 2. Hic pro [illegible] ... a Milone [illegible]* — c Testatur, *pro* detestatur.

## CAPUT III.

B *S. Amandi clericatus. Vita anachoretica. Iter primum Romanum.*

Hinc desiderio quo cœperat amplius aucto,
Sanctus Amandus adit Turones, sacrumque sepulchrum
Martini petit, ac sacris prostratus in arvis,
*Orat ad sepulchrum S. Martini,* Affectu cordis lacrymans, et pectus honestum
Verberibus tundens, suspiria longa trahendo,
Has orans imo fundebat pectore voces :
O Martine sacer, quem cœlica regna retentant,
Obsecro ut obtineas apud illum, cujus haberis,
Cujus et obsequiis jugiter conjunctus adhæres,
Ne repetam natale solum, notosque recessus ;
Dirigat atque meos gressus in calle salubri,
Ut cœptum peragam cursum peregrinus et exul,
Functenus carnis donec de carcere solvar.
Hæc Sanctus tumulo sacrati corporis hærens,
Promebat multis vario et sermone querelis,
Ex oculis lacrymas fundens, ex ore loquelas.
*coma deposita, fit clericus,* Inde comam capitis ferro decidit ibidem,
Mutavitque habitum cleri sortitus honorem.
Atque velut miles terreni Regis in aula
Cingula suscipiens, pondus perferre laboris
C Ferrata sub veste solet, sic belliger iste
Ut ferret quodcumque malum laturus in orbe
Sustulit arma Crucis victricia signifer almus :
Corporis et mentis contra hostes fortis utrimque
Multimodos revehens hinc atque hinc rite triumphos,
Atque ut apes prudens intendens floribus almis
Exquirit violam, quæ terræ proxima surgit,
Sed tamen egregium præbet tingendo colorem,
Purpureosque facit Reges, populisque tremendos.
Sic humilem tenuit mentem, quæ proxima terræ est,
Sed tamen Angelicum præstat servata decorem ;
*virtutibus splendet* Condit et eximium cœlesti in sede senatum,
Qua sacer hic cordis penetralia pulchrius ornans,
Lilia lustrabat hinc, inde rosaria adibat,
Alternis vicibus per singula castra recurrens :
Quidquid conspicuo virtutum flore vigere
Vidit, hoc proprios sitientem traxit ad actus.
11 Denique iter inceptum felici tramite adiret,
*adit SS. Austrigisilum Episc. Bituricensem et Sulpitium ejus Archidiac.* Urbis Bituricæ quo pollent mœnia venit :
In qua conspicuo vernabat pontificatu
Sanctus sanctificans plebem Austrigisilus illam,
Magnificus Præsul, rebusque insignis honestis
Cujus et obsequiis sociatus in æde vigebat
Sulpitius, qui tunc erat Archidiaconus, et post
Extitit illustris meritis atque ordine Præsul,

a Noverat hic digitis ignes placare furentes, D
Ingentesque Crucis signo compescere flammas. *a*
Qui Sancti pariter Sanctum clementer Amandum
Suscepere, pie pietatis amore colentes :
Urbis et in muro cellam struxere benigne,
In qua vir Domini conclusus propter amorem
Perpetuæ vitæ degebat ad ardua tendens,
Cilicio tectus, cineris conspersus acervo.
Quales tunc poteras urbs formidare ruinas
Tam validis fueras quæ sustentata columnis !
Qualia bellantum quibus tunc tela pavere,
Quæ præfulgebas tantis defensa Patronis !
Quid fecere alii tu scis ; nam belliger iste
Fortis in arce tua quindenis constitit annis ; *XV annos,*
Firmavitque tuos ejus constantia muros.
At si conspicuis renites confisa magistris
Non nos præcellis ; micat hic speciosus Amandus
Candidior Phœbo, cuncto rutilantior auro,
Qui in te conclusus pepulit vini ore liquorem,
Non somno datur et non ullis vitæ alimentis, *in magna abstinentia :*
Hordea qui seram sumebat pabula in escam,
Post sitiens tenuis hauriebat pocula lymphæ,
Cœlestemque solo vitam constanter agebat ;
Ut corpus cruciāns, animam pascebat honestis
Virtutum dapibus, Christi præcepta secutus : E
Pro quo multiplices terra pelagoque labores
Anxius, afflictus, contemptus, egenus, anhelus,
Suppliciter Christo laudum præconia reddens,
Pertulit, atque ideo fruitur modo luce perenni :
Qui sæpe esuriit, modo cœli pane cibatur :
Crebrius et sitiens, potatur fonte superno :
Ac quondam nudus, nunc agni est vellere tectus :
Qui olim pauper erat, modo regni munere dives,
Qui memor ut nostri sit, corpore, corde precamur.
12 Et quia sanctus amor semper succrescere novit,
Multiplicesque suo cumulare labore maniplos ;
Vir Domini semper magno flagrabat amore,
Corpore lassatus, sed mentis robore fortis : *Romam proficiscitur*
Quatenus ad celsæ properaret mœnia Romæ,
Quo Petrus Paulusque solo cœloque venusti
Celsa sepulchra tenent, mundo splendentia toto,
Ecclesiæ Proceres fulgentes more lucernæ :
Quorum lingua valet reserare et claudere cœlum.
Ergo iter aggressus, quodam comitante ministro,
Squalida perlustrans, et devia quæque peragrans,
Romam pervenit miro flammatus amore.
Aspice nunc quales socios curavit habere ;
Petrum, sidereæ est cui clavis tradita portæ, *veneratur SS. Petrum et Paulum :*
Ac Paulum mundi egregium per secla Magistrum. F
O si describi possent incendia amoris,
Littera vel scriret cordis suspiria fari !
Dicere conarer quantum dilexerit illos,
Postibus in quorum sacratis oscula fixit.
Quid credas faceret, si illos in carne videret ?
Omnibus interea per singula templa diebus
Currebat, plures sociaus sibi honore sodales.
Principis et Petri sed in ædem intrabat anhelus,
Cum sol lucifluos pelago tingebat amictus.
13 His ita decursis, superant quæ gesta canamus :
Ad finem tendit quia jam pars prima libelli.
Fervens ergo illic dum sacras circuit ædes,
Intravit Petri perpulchram cernuus aulam :
Sed quoque Hunnicomus jam magnum innare parabat
Oceanum, et rutilo fulgebat Hesperus ortu.
Interea templi custodum cura repellit
Commixtam plebem, foribusque patentia claudit : *ex templo pulsus,*
Subsistensque parum vir sanctus in æde remansit,
In precibus noctem cupiens deducere totam :
Sed custos templi dum sacra altaria lustrat,
Pervigilem invenit psalmis precibusque beatum :
Felle igitur motus nimium violentius urgens
Cædibus insanis, patienter cuncta ferentem
Expulit, atque ipsum portis emisit apertis.

Nec

A Nec valuit turbare virum dulcedine plenum
Ira tumens hominis, tulit hæc quia cuncta libenter.
14 Interea ante fores templi residente Beato
Mentis in excessu, et solium penetrante supernum;
*a S. Petro apparente* Janitor ætheræ mox Petrus Apostolus aulæ
Veste alacris, vultu dulcis, sermone suavis,
Apparens, blandis solatur vocibus illum;
Hortaturque suum verbis pietatis amicum,
Ut repedaret iter, quo venerat inde revertens,
Gallorum et populis æternæ semina vitæ
*in Gallias redire jubetur,* Divinis sereret verbis, coleretque, rigaret,
Conversosque sacri baptismatis amne lavaret,
Quatenus ad Dominum tanti mercede laboris
Frugifer accedens, messis portando maniplos
Sumeret uberius cœlestis præmia regni.
15 Sanctus Apostolico tandem sermone potitus,
Insignem Romam præcelso culmine linquens,
Deseruit, Gallosque adiit medicina salubris.
Quæ spes, oro, fuit diverso limite clausas
Gentes tam sævas unum indubitanter adire,
*barbaros docturus.* Vacceios, Gallos, Sclavos penetrare feroces?
In tanta fecit quid messe operarius unus
Apparet: veniens etenim per multa laborum
Argumenta, malum tulit, impia quæque revellens.
B Sic populos evangelicos aptavit ad usus,
Verbaque sancta ferens in cœlos lucra revexit:
Quo fruitur meritis æterna in secula donis.
Cujus gesta canens quamquam sermone poema
Conficiam stolidum, volui hoc complere libello,
Quæ juvenilis adhuc sed non juveniliter egit.
*b* Aptum opus ut *b* juvenis juvenem laudare mererer,
*Ejus precibus* Criminis immensi si magna mole carerem,
Qua tamen a Domino me fidens posse levari
Pontificis hujus precibus, meritisque beatis,
Qui sibi non solum, sed cuncto profuit orbi,
Obsecro, posco, precor, jugibusque expostulo votis
*remitti sibi peccata petit Poetæ.* Suppliciter supplex, minimum ut miseratus alumnum,
Ignoscendo meæ disrumpat vincula culpæ
Christus cunctipotens hominum Reparator et Auctor.
Aurea, posco prius, propriæ quam tænia vitæ
Elluat, et funis fugiendo argenteus urnam
Confringat curvus, cunctum effundatque liquorem.
Justitiam metuo: ad pietatem curro benignam.
Sit pius oro mihi, et justis justissimus extet.
Ergo boni meritam teneant in munere palmam.
At mihimet flammas satis est transisse gehennæ,
Et veniam multo pro crimine promeruisse.
Nigra per albentes diffundens semina campos,
C Lassus fasce gravi completa luce diei
*c* Spargere jam cesso, fartoque hic fine repauso *c*.

a *Hæc fusius explanata in ejus Vita 17 Januar. cap. 8.* — b *Ætatem, qua hæc scripsit Milo, indicat.* — c *Addebatur:* Finit liber I. habet versus cccc L, *ut sequebantur capita libri* II.

*Capitula libri II* Viribus exiguis scriptor posthabitis, pro communi utilitate dicit se suos divisisse libellos, et more poetarum alloquendo, libelli sui cursum et Spiritus sancti humili prece deposcit ingressum. — 2 Ubi sanctus Episcopus ordinatur. — 3 Editor hujus operis Galliam alloquitur. — 4 De pueris emptis et instructione eorum. — 5 Scriptor hujus metri Sanctum cum laude affatur. — 6 Puerum Sanctus a diabolo in Centumcellis salvavit. — 7 Auctor operis istius increpato hoste ad gesta narranda revertitur. — 8 De tempestate in pelago orta Sancto navigante. — 9 Apostolus Petrus in navi eum alloquens pelagus commotum sedat. — 10 Gandavum pagum Sanctus pergit. — 11 Devicto per ipsum erroris principe, populus credit. 12 Meritum Beati Bavonis discipuli illius devota cum laude agitur. — 13 Scriptor hujus libri plebem rogans illius exhortans se etiam commendat.

## LIBER SECUNDUS

### CAPUT I.

*Ordo Episcopalis S. Amando collatus. Ab eo redempti captivi et instructi.*

Viribus exiguis canerem cum, Lector, Amandi
Inclyta gesta pii, communi hinc inde labori
Prospiciens pariter scribentis, sive legentis,
Quattuor in parvis partiri rite libellis D
*Auctore Milone ex MSS. lib. II.* Hæc eadem volui, capias quo fine levamen,
Et brevis tantum partito fasce laborem.
Lector enim prudens poteris cognoscere, si vis,
Quod non grammatica decurrit lege loquela,
*Carmen hoc non vanis philologis,* Rustica sed stolidis texuntur carmina verbis.
Non opus hoc orbis recitandum mitto Magistris,
Quorum sermo fluit torrentis gurgitis instar,
Grandia qui oritoni ructantes verba Maronis
Vocis olorinæ concentum gutture promunt:
Quique suum carmen dum musis suavibus æquant,
Ostendunt vanum, nullisque aptabile lucris.
Non his ergo meos versus transmitto citandos,
Sed monachis, quorum requiescit in ore salubris
*sed pius monachis scriptum.* Thesaurus, psalmi et hymni seu cantica, Christo
Quæ per templa canunt tonitrus velut ore boantes.
Petrus piscator populos piscando Poetis
Præfertur cunctis, qui sancto Flamine plenus,
Vertit multiplices uno sermone catervas.
Quo facto docuit, quod non sermone paretur
Regnum, sed Domini solidum virtute levetur.
I liber, i carmen. Tu Spiritus alme venito,
Pectoris et nostri penetralia pleniter intra,
Digno quo valeam, quæ sunt pangenda, relatu
Scribere gesta viri, mundum spargenda per omnem. E
2 Romana interea vir Sanctus ab urbe revertens,
*Roma in Galliam reversus Amandus,* Gallorum ad populos directus cœlitus ivit.
Et ceu sub modio rutilans contecta lucerna
Humanis nullum profectum visibus infert;
In base sed posita splendoris luce tenebras
Decutit, intrantique domum sua munera prodit;
Sic sic hic Christi resplendens lumine Amandus,
Illius ut cunctis fulgeret in æde ministris,
Exueretque homines tetra caligine multos,
*consecratur Episcopus* Principis imperiis compulsus, Pontificumque
Devictus monitis, est factus Episcopus; et quod
Jam pridem meritis fuerat, tunc ordine sumpsit.
Nec Sedem propriam suscepit Pontificalem,
*ad conversionem Gentilium.* Sed veluti Paulus populos aggressus Eoos,
Sic iste Occiduas partes transmissus adivit,
Gentibus et sparsis sparsit pia verba salutis.
3 Gallia gaude alacris, præclarus Apostolus iste est
Donatus tibimet. Dominus cum mitteret orbi
Lumina Doctorum, ceu stellas luce nitentes;
*Galliæ lætandum* Tunc tibi sorte pia nostrum servavit Amandum:
Quo radiata pio virtutum lumine facta es
Splendida terrigenis quadro sub climate clausis.
Per quem celsithrono credens in secula Regi,
*tantum nactæ Patronum,* Semper eris sanctum, speciosum et nobile regnum:
Qui te, conspicuus cum Judex venerit orbis,
Undique collectam, ceu pastor ovilia, ducet F
Ad Christi solium; veniensque, munera magni
Percipies Domini, tanto præeunte Patrono:
Audiet et summi vocem Pastoris Amandus:
Euge serve bone, æternis lætare tropæis,
Et mihi qui quondam fueras in pauca fidelis,
Multa super statuam te, ad gaudia nostra perintra,
Tuncque tibi caro populo Rex talia dicet.
Grex benedicte veni, regnum jam sume paratum,
Quæsitum sacris meritis ab origine mundi
Gallia tanta tui sumes tunc munera Regis,
Actus magnifici si nunc imiteris Amandi:
Qui docuit quodcumque suo complevit et actu,
Qui jugiter sacrum servans pietatis amorem,
Et qua plenus erat vultum bonitate serenans,
*hic se Amando accommodat,* Visu prodebat, quæ pectoris arca teneret.
Sobrius et sensu, renitebat pectore castus,
Largaque pauperibus præbebat dona benignus:
Hinc atque hinc medium dum se conformat ad omnes,
Divitibus dives, pauper sociatur egenis.
Qui vigil et vigilans orandi deditus omni
Tempore, parcus erat sermone, animoque suavis.
*pueros captivos redimit,* 4 Qui Sanctus hominum dissolvens rite catenas,
Si

A Si pueros aliquos captivos forte videret;
*AUCTORE MILONE EX MSS. LIB. I.* Aut mare transvectos venale cernere quiret,
Mox pretio cupidus redimebat mercifer amplo,
Vinctorum duras rumpens miserendo catenas.
Nec tamen hic studio cœptoque labore carebat;
Sed quorum vinclis solvebat corpora cunctis,
*incendit,* Internas cordis tenebras radiando fugabat,
Pellebatque omnes sacro baptismate sordes.
Ac vasis nitidis sanctum infundendo liquorem,
Dulcia rorigeris ndebat mella canistris,
Perfundens natos doctrinæ fonte novellos;
Hosque per Ecclesias linquebat Sanctus amicas,
*Ecclesiis præposuit* Libertate tamen permissa more salubri:
Ex quibus eximias plures tenuere cathedras
Pontifices, sanctosque viros actu, ore venustos,
Abbatesque almos audivimus auribus auctos.
Talia dona ubique spargebat Sanctus in orbem.

5 O memorande Pater, qua te nunc laude celebrem
Nescio, tantarum mirans insignia rerum.
Largiris pretium, captorum vincula solvis,
Ad cœlumque hac arte facis conscendere nummos.
*æterna sua laude* Et pretium et captos pretio super astra reponis,
Et vacuas saccum, dum comples munere cœlum,
Et quia mercator fueras, talem esse decebat.
B Nam tibi dona viri si mittunt religiosi,
Non majora paras servandis claustra crumenis:
Nec te, sancte Pater, solum servire supernis
Obsequiis satis est, gentesque hinc inde vocatas
Collegisse, sacro vivoque et fonte novasse:
Nec speciosa tuum jam Francia complet amorem,
Augusta et tibi terrarum venatio facta est.
Quin pelago allatos ac vasta per æquora vectos
Colligis, et pretii cupidus non tardat avarus
Te, celebrande Pater, neque carus venditor ullus.
Ille capit Regis signatam nomine dragmam,
Dragmam tuque refers, quam Christi nomine signes.
*et cœlesti lucro* Venditor ille suam lucra ad terrena reportat;
Emptor tuque tuam lucra ad cœlestia servas.
Ille suam perdit, vel clausis abdit in arcis,
Tuque tuam Regi Christo servando coronam
Egregiam fabricas, celsoque in vertice ponis,
Crudelesque lupos mites convertis in agnos,
*a* In caulisque jubes sacris astare *a* melodos,
Prædonesque feros, quibus olim vita rapinæ
In studio fuerat, dulces sine felle columbas
Efficis, ut propria expendant, qui aliena vorabant.

*a* Id est Cantatores, sic Ausonius in Profe sorib. Burdigalensibus carm. 16 ad Nepotianum:

Te fabulantem non Ulysses linqueret,
C Liquit canentes qui melodas Virgines.

*b* Id est, Strenue cantatrices. Ita Sidonius lib. 9 ep. 1. 13 Melodis insonare pulsibus. Prudentius l. hymno 9 Cathemerinon:

Da puer plectrum, choreis
Ut canam fidelibus
Dulce carmen et melodum,
Gesta Christi insignia.

## CAPUT II.

*a* *S. Amandi iter in Romanum. Puer a submersione liberatus. Tempestas sedata.*

Te neque prætereo, urbs, sed carmine visito nostro,
A Centumcellis tali cognomine dicta:
Quæ pelagi solita es discrimina sæpe levare,
Et nautas reparas, et lassos erigis artus.
Nec te præteriit, dum Sanctus ab urbe secundo
Digreditur Roma, navi progressus ab illa,
Ad te pervenit, solitos laturus agones.
Atque ibi more suo tenebris cum noctis opacæ
Oraret solus, jam, credo, advertis ipse
Exemplo similem famulum portasse laborem,
Nox horrorifera et tetra caligine noctis
Tetrior advenit, Domini fulgore lucernam
Splendentem fumo cupiens fuscare nocivo.
Et quamquam solita semper feritate rebellet,
Et cupiat radios reparare scelestus iniquos; D
Tunc tamen egregium non ausus tangere Amandum est.
Forte memor fuerat, quod quondam miserit hydrum
Ad puerum, celerique fuga conspexerit illum
Aligeris pedibus tremulum repedare retrorsum;
Cum digitis geminis traheret ceu spicula Sanctus
Signum forte Crucis cunctis penetrabile muris. *puerum submergendum,*
Ergo unum ex famulis temerarius arripit hostis,
Et trahit ad pelagus, quæris cur? mergat ut illum:
Ac lupus ut sævus niveo cum de grege raptam
Lanigeram pecudem trahit atra fauce vorandam,
Non secus hic raptor dum prædæ arderet amore,
Ferret et arreptam sævæ ad discrimina mortis;
Ille dabat puer hac repetitam voce loquelam:
Christe juva me. Christe juva. Mox ille protervus,
Qualis Christus? ait, nec verbum reddere victus
Audebat juvenis; donec bellator Amandus,
Se præsente, fera non passus fauce vorari,
Discipulum pelagique undis submergier atris, *diaboli pulso,*
Corripit arma, capit pharetram, jactatque sagittam
Salvificam puero, Satanæ sed rite superbo
Vulnificam, victor vi vincens verbere verbi,
Fili qui traheris, dic hosti, dixit Amandus:
Filius ipse Dei est vivi Christus crucifixus. E
Quem sonitum summo extimuit horrore pavescens
Hostis iners, nec stare loco præsumpsit in illo;
Sed vagus in vacuas fugiens evanuit auras.
Et præda incolumis pulso procul hoste remansit. *liberat,*
Belliger insignis sic Sanctus in orbe triumphat.

7 Hostis iners, maledicte, ferox, crudelis, inique,
Cujus nunc nomen solita feritate rebellans
Despicis, is quondam tulerat tibi, sæve tyranne,
Imperium mundi, quod captum fraude tenebas. *magna infamia diaboli*
Nec locus est cœlo, tibimet quoque terra negatur:
Tartara sola patent, intranti limina aperta
Quæ fuerant, nunc clausa manent exire volenti.
Quo tu flammivomi sine fine ardore camini
Horrore in piceo vinclis religatus acerbis
Ureris, væ væque gemens plorando sonabis.
Et si nunc aliquos deceptor callidus auges,
Consociasque feræ torrendos ignibus ollæ, *æternum cruciandi,*
Quod crescis lucris, tantas tibi crescere pœnas
Scito, tibi plus noxie, ter maledicte vorator.
Ille locus tibi condignus, sunt præmia digna hæc.
Hæc sibi regna parant, qui non tibi fortiter obstant.
Et quamquam jugibus tecum contendere bellis
Debitor existat, qui cœlum scandere curat;
Ne tamen hoc nostro inlaudatus carmine abires,
Condignas tibimet prompsi carbone camenas. F
Et merito: quia carbo manes per secla perustus.
Effuge, regna parata petens ab origine mundi.
Hactenus ergo, Pater, communi ingessimus hosti.
Probra, alapas, risus, iras, maledicta, cachinnos;
Aesputa, non versus dedimus. Nunc quæsumus omnes,
Ut quondam pueri protector, ubique tuorum
Servorum sic sis semper salvandis salvans. *a quo liberandi sumus*
Pastor noster ades, grex devotissimus iste est,
Protege, fer curam, custodi, dilige, serva *patrocinio S. Amandi.*
Nos de dente lupi, prisci de fauce chelydri;
Et, quia te fretum Domini virtute nequivit
Vincere, terrere, prosternere, habere, vorare;
Eripe, Pastor, oves, quas in præsepe verendo
Pascis ab insidiis, qui caulas circuit istas,
Ne quondam per te victor vincaris ab illo
In nobis, si nos imbelles devoret hostis.

8 Navigio quondam medium sulcando per æquor
Ibas, o benedicte Pater, divina monendo
Verba dabas nautis, et semina sancta serebas *Inter navigandum,*
Per mare fluctivagum, neque tunc operando vacabas:
Esse imitanda tui credens exempla Magistri,
Qui quondam residens turbas de puppe docebat.
Talibus intento gestis, velut Acta loquuntur,

Apparens

A Apparens piscis nautarum visibus ingens
Lætitiam stupidis infudit mentibus amplam.
Retibus et jactis fluidam cepere rapinam.
*rapio in escam pisce,* Quis piscis, Pater alme, tuos non iret ad usus?
Cœtus forte prior gaudens procurreret omnis
Obsequium præbere, suum si crederet aptum,
Felix ille foret : maculis conclusus in amplis
Gaudet muta, vorax sibi sit quod præda reperta,
*lætos nautas* Exultatque tuam piscis quia venit in escam.
Lætantur remi, depromit gaudia rete:
Nullus non alacer, quia nullus parte carebat.
Lividus ast hostis non passus, ut illa manerent
Lætitia pia vota viris; turbare tridenti
Aggreditur pelagus, fundoque revolvit ab imo,
Tempestas, inopina ruit, magnusque tumultus
*subita tempestas turbat* Ingruit, assurgunt undæ, quatiturque carina :
Nauta volat sursum, fluctu portatur ad astra,
Inde profunda petit, bibulasque resulcat arenas.
Gaudia tristitia mutant, lætoque propinqui
Omnia dispergunt, jactant amplustria navis,
Corpora nituntur saltem subducere morti.
Servatum Sancto sed hoc pro munere donum est,
Illius ut virtus meritumque nitesceret amplum;
Et quamquam validis turbentur motibus omnes,
b Ac *b* proreta suis et quassæ impendere cymbæ
B Auxilium nequeat : non perdunt funditus omne
Consilium, Sanctum sed enim celeranter Amandum
Unanimes adeunt, et opem sibi ferre precantur;
Famine qui dulci pavidos animare suetus
*...atur Amandus,* Solatur notas, promittens experiendum
Clementem Dominum, pellendum pace periclum.
Lassati tandem somno sternuntur inerti.
Ipse etiam justus residens in puppe quiescit.

9 Ne tamen, immensis submersus in æquoris undis,
Forte minor meritis, carusque lateret in astris :
Inclytus æthereæ mox Petrus claviger aulæ
*...hilaratS. ...rus,* Se sine non passus fluctus portarier illos,
In puppi recubans fraterna voce salutans
Affuit, in tanto securior inde periclo
Naufragio simili quod jactus, ita orsus amico :
Frater Amande, tuo Regi per secula care,
Ne timeas, quia turpe tibi est timuisse timore.
Nam, quamquam tumidi tollantur ad æthera fluctus,
Non te submergent, nec nunc, mihi crede, peribis
Tu neque nauta tuus, qui præsens navigat æquor.
Dextera, sed quondam quæ me ne mergeret undis,
Eripuit, te nunc isto discrimine salvat.
Mox quoque ventus abit, tempestas pellitur omnis :
*serenitatem reducens.* Placaturque salum cito missa pace per æquor,
Lætaque tunc redeunt, cum nox tenebrosa recedit.
C Incolumes udas nautæ celeranter arenas
Impressere suis plantis : Celeuma canentes,
Voce Deo plaudunt, famulique in laudibus almi
Magnificant illum, quo præcipiente procellæ
Cesserunt validæ, pontus stetit, unda quievit.
Quod si cærulei perterruit unda profundi,
Sorbuit ex illis quemquam non fauce voraci.

*a Hæc Romanum non explicat, sed quæ in reditu mira contigerunt. — b Proreta anteriori navis parti præest.*

## CAPUT III.

*Gandenses a S. Amando ad fidem conversi. Ejus discipulus Bavo sanctitate celebris.*

Inde salutiferis dum Sanctus gressibus iret,
Spargebat verbum populis, et sancta docebat,
*S. Amandus ...ela ...t propagandæ ardet :* Gentibus insinuans æterni præmia regni :
Christicolis turmis quæ dona parentur in astris;
Atque malis pœnæ quæ conserventur in antris.
Sicque plagas alacer discurrens ibat in omnes,
Sedulus ut quæstus animarum ferret Olympo :
Hæc sua lucra putans, has secum ducere curans.
Ergo avidus horum dum circuit arva Beatus,

D Gandavum pagum, quem Scald præterfluit amnis, *AUCTORE MILONE. EX MSS LIB. II*
Audivit vinclis hoste innectente teneri
Criminis, et nimia peccati mole gravari;
*Gandenses* Nec lumen verum, quod mundum fulsit in omnem,
Cæcatos tenebris quivisse agnoscere priscis.
Robore de nemorum flammantibus apta caminis
*idololatras* Idola compta manu artificum et simulacra colebant
Supplicibus votis divini nomine honoris.
Heu pudor est coluisse deos, quos flamma crematos
In primis mutare valet cineresque perustos :
Arboris et rigidis ramis flexisse verenter
*et hostes Apostolicorum virorum,* Colla superba Deo, hosti substrata indigno.
Nullus enim hanc terram fidei sulcavit aratro;
Nullus in hac jecit divini semina verbi.
Namque ferox regio et terra infœcunda removit
Pontifices cunctos, nec quisquam est ausus adire
Silvicolas apros, sævas feritate cohortes.
*aditurus* Sed labor iste gravis nostro servatus Amando est,
Quærens ergo modum, quo tantos tollere posset
Hostis ab insidiis populos sævoque tyranno
Qualiter excuteret prædam, spoliumque referret;
Dantem jura gregi Noviomi ex urbe regendo
*mandato S. Acharii Episcopi* Acharium petiit, quo cernuus iret in aulam
Regis, tunc etenim validis tractabat habenis
*et Dagoberti Regis* Francorum regnum Dagobertus Rector opimum,
E Illius et jussu sibimet mandata referret :
Quatenus in sacro qui se non fonte lavare
*protectus,* Ex illis vellet, compulsus dilueretur.
Dante Deo citius sua vota meretur Amandus.
Gandavum properat fretus virtute superna.

11 Qualibus ergo queam scriptis monstrare labores,
Quos ibi dum Verbum turbis crudelibus infert,
Pertulit, immersus fluviorum crebrius undis?
Nec tamen, ut cœptis unquam desisteret ille,
Compelli potuit, populoque furente fugati.
Vulnera non curans, nec verbera ferre recusans;
Donec æthereæ depulsis luce tenebris
Vivifica gentem vice versa in fonte lavaret.
*aggreditur diabolum istic residentem,* Nam si Sanctus ovans, correptis fortiter armis,
Expetiit hostem sævum, fortemque tyrannum
Jam dicto in castro, quo tunc caput arcis habebat :
Quo pulsus cunctis Gallorum finibus olim
A ducibus Jesu variis multisque tropæis
Venerat, ut muris, fluviis sic undique septus :
Non tamen ille sua fraudatus funditus arte est.
Innumeris etenim lectis hinc inde manipulis,
Principibusque quater geminis comitatus et ipse,
Extulit arma foras, hevamque cruore madentem
Ostentans, cecinit sævus fera classica cunctis
Viribus, et pugnam victus vincendus adivit,
F Promptus ad omne malum. Bellanti cominus atrox
Exiit hinc bellis manifestis obvius hostis,
Inde dolis variis et mille coloribus anguis
Confusus, tremulus, lassus, devictus, anhelus
Obstitit, absconsis per terga reflexa venenis,
Insidiis sua bella gerens, quo forte latenter
a *a* Subripiens letum per specula cæca pararet.
Quid majora loquar? substratis undique bellis,
*et vincit :* Hostibus et cunctis Christo moderante subactis,
Victor Amandus agens captivum nobilis agmen
Exiit, et satanæ pereunte tyrannide plebem
*baptizat incolas,* Diluit æterno melius baptismate quam Scald
b *b* Flumine suppletus Leya de parte meanti.
Et ne forte iterum redivivus surgeret hostis,
Cerberus atque trifaux fervens ardore vorandi
Contra Christicolas caput exitiale levaret;
*et instruit :* Lorica fidei vestitos, spe galeatos
Imbuit, instruxit, firmavit, consolidavit.
Urbem constituit, turresque erexit opimas
Præsens, et sacra in medio vexilla paravit,
Non ignes flantem patula de fauce draconem,
*crucem erigit.* Sed Crucis impressit digitis in fronte figuram;
Proque tubæ sonitu signorum copia facta est,

A Rex ubi Christus habet servos, sanctosque fideles.

*AUCTORE MILONE, EX MSS. LIB. II.*

12 Hæc quoque castra suo post commendavit amico,
Festinans alias ad partes belliger ire,
Fortis ubi populis ductor non deforet illis.

*S. Amandi discipulus S. Bavo,*

Bavo beate Dei, te præsens pagina signat:
A Duce tu Domini quondam conductus Amando,
Sprevisti mundum, calcasti labile seclum,
Sumens arma Crucis, propero pede bella petisti,
Ac multum spolium truculento ab hoste tulisti:
Inter quæ prædam, quam gaudens abstulit, atque
In regno proprio cupiit, si forte fuisset
Possibile, ignifluis concludere carceris antris:
Sanctas tu lacrymas fundens, pia vota, precesque,
Belligerando beans bellis, benedicte, beatis
Salvasti, et Regi summo tua dona dedisti.

*mortuum suscitat.*

Quod loquor, agnoscis, quoniam tua gesta canuntur.
Scilicet ille hostis, cum telum missile vibrans
Impositum plaustro jecit, prostravit et *c* unum
Ex famulis, canibusque feris venatio facta est.
Sed tamen incassum sua tunc tentamina fudit;
Tramite nam reduci quia post orando reductum
A mortis tenebris revocasti in luce bubulcum.
Multimodis aliis cum sanctis artibus usus
Hoc uno didicit vincendum te fore numquam.
B O quam magnificus fuerat tibi, Sancte, magister,
Qualibus ac signis præceptor fulsit Amandus
Ille tuus! quæ te talem fecere ministrum!
Namque tuis gestis Doctorem cernimus almum,
Egregium, pulchrum, mirandum, glorificandum.
Est mihi dulce tuæ textum percurrere vitæque
Sed retrahit complenda meum modulatio gressum.
Ne tamen hi versus tibi sint sine fœnore fusi;
Redde vicem, precibusque tuis me, quæso gubernans,
Obtineas veniam mihimet miserando reatus,
Atque tuo Regi junctus per secla valeto.

13 Tuque locus felix, regio fulgentior auro,
Illustrata pio justorum lumine, salve:

*Utrumque Gandenses colunt Patronum*

Plebsque decora satis, multo collecta labore
Patribus a geminis, dignum est ut amando sequaris,
Quos tibi Cunctipotens dulces pietate Patronos
Attribuit, talesque dedit miseratus amicos;
Et si te noster migrans hinc corpore Amandus
Deseruit, meritis, si credis, ubique gubernat.
Nos quoque dum precibus sacris meritisque tuetur,
Te memorans etiam, portas tibi pandit Olympi.
Plaudite dulcisonos tantis Pastoribus hymnos:
Ne ingratum reliquis gregibus videaris ovile
Carmina commiscens chartis, currente camœna,
C Vobiscum recinam, præbens insignia amoris
Erga illos monimenta mei sine fine manentis,
Quos quia conspicuos virtutum penna levavit
Sidereum ad regnum, vobis properantibus illuc
Posse patere piæ monstrarunt ostia vitæ.
Ast ego delictis, ut setis horridus hirens,

*Poeta eorum precibus juvari optat,*

Tegminis et nitidi candenti vellere nudus,
Sæva trahor miseræ miserandus ad atria mortis.
Tendite, posco, manus, et me de fauce vorantis
Tollite; raptus enim propria virtute redire
Non valeo, et quamquam patulum maxilla foramen
Hujus habet, forsan per hoc procedere possum,
Si juver auxilio vestro precibusque reducar,
Hoc quoque pro Christi faciendum nomine posco,
Ut cum vestra sagax industria juncta supernis
Sedibus extiterit, pavitans ego, quæso, requirar
Ultimus, et Petri concludar clave Beati,
Quo cum vita, salus, et perpes gloria palmæ
Vobiscum fuerit feliciter omne per ævum,
Tunc mihi sit misero, precor, indulgentia saltem
*d* Per Christum Dominum, qui secla per omnia regnat *d*.

a *Forte* subrepens *scripsit Milo.* — b Legit *adscriptum margini explicationis gratia* Legia *seu* Liso, *flumen Gandavum alluit, et hic inde Scaldi miscetur.* — c *Hic est Allowinus precibus S. Bavonis suscitatus, de quo agitur in hujus Vita 1 Octobr.* — d Adduntur: Finit liber ii, habet versus cccxxviii, *et subjungebantur capitula libri iii.*

D *Capitula libri 3*

Mediam se poeta lætatur carminis sui telegisse viam, seque arduum opus scribere ostendens; lectorem suum, ut vivifica præcepta Christi meditetur, et hortatur eloquio et docet exemplo. — 2 De mortuo suscitato. — 3 Quod factum illud celare voluerit. — 4 De fanis destructis et gentibus conversis ac baptizatis. — 5 Quod caussa prædicationis ad Sclavos perrexerit. — 6 Sermo laudis ad ipsum. — 7 Qualiter Regem increpans repulsus sit. — 8 Eidem Principi veniam postulanti facinus indulsit. — 9 Quod isdem Rex filium suum Sancto commendare volens impetrare non potuerit. — 10 Ejusdem Regis parvulus dum a Sancto catechizatur eloquitur. — 11 Res eadem laude celebratur. — 12 Ubi Sanctus Ecclesiam Trajectensem ad regendum suscepit. — 13 Quod ab eadem repulsus insulam Calalo petiit. — 14 Ad contemptores Sancti sermo dirigitur.

# LIBER TERTIUS

## CAPUT I.

### *Mortuus a S. Amando suscitatus.*

Aspirante Deo describens carmine vitam
Præsulis egregii sanctam celeranter Amandi;
Quæ longis fuerat periodis jure notanda;
Si fandi mihi larga foret seu magna facultas.
Jam mediam breviore via festinus eundo
Transgredior, binosque pedes ponendo vicissim
Computo ter geminos, dum per compendia curro.
Sic iter emensum est; reliquæ et præconia laudis,
Rhetoricus cui sermo jacet, facundia marcet, E
Hinc conor brevibus temerarius arbiter horum
Pangere versiculis, nullo complenda relatu;
Orbis verbifluus si istos conspiret in actus,
Conveniantque omnes una sub sede poetæ,
Argumententur, modulentur, philosophentur.

*Incitantur Poetæ,*

Vera quidem fateor, non omnes promere versu
Virtutum laudes, ut dignum est, credo, valebunt.
Ac, si utcumque queant extrinsecus acta referre,
Confiteor, nullo poterunt modulamine vocis
Promere pro meritis, quæ sumpsit præmia in astris,
Altius ille volat, quam garrula lingua recurrat.
En figmenta canunt lyrico sermone poetæ;

*ut figmentis relictis*

Quæ relegis cur, lector amans, cum nulla salutis
Lucra gerant animis, labor oris, pastio venti?
Quid tibi pugnaces poterunt præstare phalanges?
Qua te veste teget palla discordia scissa?
Cur doleas illa cæsas sub clade catervas?
Functi functa canant, vivens vitalia pange.
En meliora meo narrantur carmine gesta?
Non gladios, nec tela refert pharetramque Camillæ;
Sed memorat victam Christo sub Præsule mortem:
Et quæ dona dedit caro dignanter amico.

*canant a morte*

Qualiter et quondam Domini dilectus Amandus
Mortis adhuc sub lege manens, et carne gravatus, F
Mortis jura tulit; clausum quoque carcere Averni

*suscitatum*

Eripuit, vitæque hominem de morte reduxit,
Commemoro stupidus tanti formidine facti.

2 Urbs fuerat quondam, quod adhuc vestigia monstrant,
Tornacus, nunc multiplici *a* prostrata ruina
Funditus, ab turres debet cecidisse superbas.

*a Tornaci*

Est tamen inde frequens, quod a piis et merce redundat;
Nititur et geminis jam non lapsura columnis *b*.

*b*

Namque arce in media templo surgente venusto
Pontificale tenet solium: nec longe remota
*c* Nicasius recubat pretiosa Martyr in urna

*c*

Remorum Præsul, felix cui vita coronam
Præbuit, et rutilam fuso pro sanguine palmam.
Quid? multo ad castrum Francorum milite septus,
Dotto Comes rigidus, regali missus ab aula,
Venerat; et querulis impleta est curia turmis.
Ecce trahebatur magna stipante caterva
Fur vinctus multis multo pro crimine nodis,

*furem*

Conclamant cuncti, plebs omnis cominus astans
Conciunt esse reum: nihil his veniale fatetur.
His turbis Sanctus medium se injecit Amandus:
Flet, gemit, implorat, dolet, ejulat, obsecrat, orat.

Quatenus

A Quatenus huic misero misereri et parcere vellent :
Illis cunctipotens misereri ut Christus haberet.
Sed non obtinuit Sanctus, quod flendo rogabat.
Dotto Comes tumidus quoniam crudelior omni
Bellua erat, jussitque suo pro crimine furem
Stipite confixum meritas exolvere pœnas.
*suspensum* Interea est ductus, suspensus; mox quoque victus
*d* Morte *d* fera tetras animam transmisit ad umbras.
Quid tu, sancte Pater, totum memorande per orbem,
*e* *e* Tunc agis? agnellus pedibus prostratus adhæres
Sævi nempe lupi, fuge ne te sorbeat ipsum.
Erigere ad Dominum; nam quæ petis, ipse venenter
Concedens stabilem tribuet dignanter honorem.
Ergo domum Dotto est populo comitante reversus :
Ocyus ad hominem Sanctus celeravit anhelus,
Atque ubi defunctum miserum miseratio vidit
*deponit S. Amandus,* Vivifici mentem firmans spiramine flatus,
Depositum propere cognatam vexit ad ædem :
Quo fuerat solitus portam pulsare supernam,
Sternitur hinc arvis, magis inde propinquior astris :
Atque preces simul et lacrymarum flumina fundit :
*et precibus* Quæ quamvis vicina rigent confinia terræ,
Altius ad celsum volitant scandendo tribunal,
Angelico plaudente choro super æthera vectæ.
B Dicta hæc facta probant; verbum completio firmat.
Sanctus enim incubuit precibus, prostratus in arvis :
*a morte suscitat.* Nec prius ad finem felix oratio venit;
Donec ambo simul diversis cominus horis
Surgentes starent juncti (mirabile visu)
Mortuus a morte, et Sanctus de pulvere terræ.
3 O quam conspicuum Dominus dilexit alumnum,
Cui tam multa sui tribuit signacula amoris.
Denique ceu præsens nobis scriptura revelat,
Prævaluit precibus sacris meritisque beatis
Reddere distractam multo pro crimine vitam
*f* Defuncto, atque *f* animæ jam jamque in tartara lapsæ
Obtinuit veniam, Christo miserante, salubrem.
Sit laus summa Deo, qui dona fidelibus addens,
Ut possit exire animæ de carcere Averni,
Tartara disrumpens, obstacula cuncta revellit.
Interea madido discussis rore capillis
Prævia venturum jam post sua lumina Phœbum.
Terrigenis aurora suo monstraverat ortu.
At virtus complens redivivi corporis artus,
Addiderat reduces solidato robore vires,
Ergo suos læti victor, vitæque reductor,
Confessor Domini signis insignis honestis
Poscit aquas; currunt celeres, tumulanda putantes
C Membra viri, peteret lymphas quod more lavacri :
Ingressi incolumem inveniunt (mirabile dictu)
Ordine converso cernunt residere verenter.
Quis stupor hic fuerit, facti excellentia prodit.
Fur redivivus enim vitam veniamque renarrat :
*g* *g* Largitumque sibi Sanctus lætatur honorem.
Tunc igitur Fratrum sub Christi nomine plebi
Ne populis prodant factum, obtestatur Amandus,
Donec completo decedat tempore vitæ.
*attactu vulnera sanat,* Cujus sancta manus dum singula vulnera palpat,
Restituit celerem felix medicina salutem;
Nec remanet sulcus, digitus quo currit honestus.
Dicite doctiloqui, depromite digna diserti,
Qualis est medicus? quo contingente, cicatrix
Nulla patet plagis, conclusis undique cunctis.
Quo meat ista salus? quo manat ab unguine virtus?
Cessa lingua loquax, opus est hoc Omnipotentis :
Per quem tanta valet quisquis famulabilis illi est.

a *Factum id videtur superioribus bellis ipsorum inter se Francorum. Quamquam pos ea quoque a Normannis et* monasterium S. Bavonis in oppido Gandensi anno 850 incensum fuisse, *tradunt G. a Normannis* … *Bal* … *e* … *partem* Menapios, *quorum caput Forum non fuit* Tarvisios *id est Tornacum*, aliosque maritimos) *eo anno* 850 depredatam esse *referunt Annales Bertiniani. Sed hæc Milo non attigit, nisi forte poema suum post obitum Huconis, cui id dicavit, emendavit et auxerit.* — b *In MS. Amandino margini adscriptum erat*
Excidit ab ea jam proh dolor! ipsa columna.

*Tornacum contactum.*

— c *Molanus ad 14 Decembr. in Nicasio ita scribit* Hujus Martyris pignora quædam Noviomagensis quidam Episcopus obtenta, ad suam pertulit civitatem. Quæ tam apud Noviomum quam et apud Tornacum castrum, ubi nunc etiam servari perhibentur, claris referuntur illustrata miraculis. *De iis nos nil illum dicem.* — d *Aliud MS.* fere. — e *MS. Elnon.* Nunc. — f *Non quasi refugatur semel lata damnationis sen*[illegible]*, sed in similibus casibus non erat absoluta.* — g *Id est, se a Deo* [illegible] *gaudet, non vero quod honore sibi a Fratribus ideo impenso lætaretur.*

D

*AUCTORE MILONE, EX MSS. LIB. II.*

*S. Nicasii reliquiæ Tornaci.*

## CAPUT II.

*Fides per S. Amandum propagata. Sclavi auditi. Exilii pœna irrogata.*

Ergo ubi fama volans sparsit memorabile signum,
Fit populi subito multus concursus ad ipsum;
Fervere ut miraris apes per prata, per hortos
Erga purpureos flores, ac carpere morsu
Quod referant pedibus cara ad præsepia curvis.
Non secus has videas gentes insistere Amando,
Conspicuo flori, hyeme atque æstate virenti; *Gentiles,*
Quo sacrosanctum valeant baptisma referre,
Virtutumque dapes ut dulcia mella reportent,
Quis mundi Dominus prædulci pascitur haustu.
Fana dehinc vacuo nudantur honore profana, *idolis destructis,*
Illorumque cadunt, quorum crevere labore.
Inde ubi fana ruunt, vir sanctus templa reformat,
Basilicas statuens et claustra monasteriorum : E
Perfidiam fidei contundit acumine fido.
O quam magna viro concessa est gratia justo,
Multiplicem meruit fructum qui germine ab uno!
Incola vivifico sacratur fonte renascens, *baptizat :*
Præclara Ecclesiæ præcelsæ mœnia surgant.
Felix ille obitus, moritur quo plurima pestis;
Sed tamen illa salus multum felicior extat,
Qua surgente uno plures in corde resurgunt.
Hæc est, ni fallor, celsæ mutatio dextræ.
Crescit amor Sancto, laudum celebratio Christo,
Cujus in auxilio dum verbum prædicat omni
In populo, fœcunda seges de cespite surgens,
Reddit centuplicem virtutum gramine frugem.
5 Te neque Apostolica numquam purgata securi,
Ac fidei sulcis, ullo neque vomere culta,
Pertransisse virum doleas, Sclavinia tellus.
Sicut avaro etenim cum multa pecunia crescit, *Slavos adit,*
Crescit amor, summamque famem completio gignit,
Sic hic, si liceat fatuis conferre benigna,
Crescere, quo crevit, virtutum lucra bonarum
Accumulare parans, et avarior amplius extans.
Partibus et multis cum sparso semine verbi
Surgeret hinc atque hinc feliciter inclyta messis,
Comperit astrictos Sclavos errore inimici : F
Quo se martyrium pro Christo posse mereri *spe martyrii*
Confidens Sanctus, glacialem transiit *a* Istrum. *a*
Incipit et glebas duræ proscindere terræ,
Inde Evangelii semen dispergit ubique,
Per loca, perque domos, per rura et compita jactans;
Fundit aquas siccis superis de fontibus arvis,
Suggerit, immittit, concludit, complnit, ambit. *multum laborat,*
Nil facto superest, quod dignum duxit, agendum.
Is tamen ut segetem pleno non gramine votis
Respondere videt propriis, cassumque laborem
Se saxis inferre dolens, resilire retrorsum
Cernens conspicuum ferrum sulcantis aratri :
Per vacuumque tuens in spinis quærere messem,
Martyriique piam nec palmam prendere posse;
Ad proprias iterum Christo est comitante reversus *parvo fructu,*
Pastor et agnus oves, ovium dux ipse suarum.
Ne tamen incassum tantos fudisse labores
Pœniteat, longumque iter properanter adisse;
Nec quivisse aliquem, vel parvum, sumere fructum;
Paucula grana legens cœlestibus indidit horreis.
6 Te quoque, sancte Sator, dum nos comitamur euntem,
Atque tuum sequimur felicem carmine cursum :
Ignotum transimus iter, sermone meantes. *multum laudandus*
Quo

AUCTORE HILONE, EX MSS. LIB. II

A Quo nullus missus milleno ex agmine Jesum
Vivificam jecit cornu curvante sagittam.
Non Petrus, Paulus neque seminiverbius olim,
Propter opus solitum veraci errore vocatus:
Nemo alius validis quamquam confisus in armis
Cuspidis eximiam jactavit acumen in illam.
*ob primum accessum* Servatum tibimet sed hoc certamen, Amande, est :
Quoque jugo Regis rigidos non subdere quisti,
Ille amor hæc tenuit : hæc duxit honesta voluntas.
Quatenus ad Dominum perfusus fonte cruoris
Victus morte quidem, sed victor amore redires.
Qualis forte tuum texit constantia pectus?
Qualis et invictum retinens audacia robur
Fecit in ignotam regionem tendere gressum?
De qua pro donis veniebant vulnera Francis,
Rex quibus armorum valido munimine septus
ANIMADV. PAP. 106. Terga dabat fugiens Franco comitante feroce,
*sine socio.* Tu socio sine per *b* markas *c* clusasque ruebas.
Sed mihi parce, precor, quod servulus audeo supplex
Suppliciter tecum querulam conferre loquelam.
Ac votiva tui devoti sumito vota.
Inde palatinam quia nunc intramus in aulam,
Respice, Sancte, precor me nunc miseratus euntem.
Dirige tu calamum, ne promat inania, nostrum,
B Ne, dum rite tuos cupimus narrare triumphos,
Offensa inveniat regalis virga locellum,
Huc fraterna cohors precibus concurre canenti.
7 Rex Dagobertus erat, Francorum, et jura tenebat:
Sed tumidus rigida populos ditione premebat,
*Regem Dagobertum* Quique potestatis præcellens culmine cunctos,
Qui ante ipsum sceptrum gentem tenuere per illam :
Principibus durus, vitiis subjectus alumnus,
Turpiter obsceno luxu maculatus ubique
*in luxuriam effusum* Infusum Veneris portabat in ossibus ignem.
Ne tamen in messe hac spinæ compunctio surgat,
Ac cœptum deturpet opus, caussatio cesset :
Non tulit hos similesque modos constantia nostri
Pontificis, querulam sed prompsit mota loquelam :
Nec timuit renitens sævi mucronis acumen;
In multis didicit quia victor fidere bellis,
*monet* Nec pavitare ferum terreno in Rege furorem :
Quem his agressum studuit pulsare loquelis,
Scilicet æterni si limina tangere regni
Curaret, meliora suæ commercia vitæ
Crimine semoto faceret, ne forte repulsus
In chaos inferni scelerum tormenta subiret.
Et quia sunt stimuli justorum verba malignis,
*pellitur in exilium :* Mox ut dicta furens arrectis auribus hausit,
Jure licere sibi cupiens, quidquid libuisset,
C Derisum graviter Doctorem justa monentem
Reppulit, ac tali viduavit hospite regnum.
Quaque repulsus abit, Dominum quoque Gentibus in-
[fert.

*Marka* *et Markisus.* Closa

*a Id est, Danubium, De Sclavis supra actum. — b Marka, Teutonicum vocabulum, limitem provinciæ significat: quod sæpius legitur in Annalibus Fuldensibus aliisque scriptis, videlicet ad annos 788, 827, 861, etc. Quod vocabulum extensum ad totam ditionem vel provinciam limitaneam: hinc plures Marchiæ, seu Marcæ, in Germania et Italia; et Præfecti limitanei Marchisi et Marchiones dicti. — c Clusæ sunt angusti aditus, qui regionem aperiunt et claudunt. Apud Eginhardum in Annalibus ad an. 817: Bernardus Rex Italiæ omnes aditus, id est, clusas, quibus in Italiam aditur, præsidiis firmavit.*

## CAPUT III.

### *Reditus S. Amandi ab exilio. Baptismus S. Sigeberti.*

Et quamquam Princeps regalia semina jactet
In triviis, tamen hunc prolis non surgit arista;
Ni veniant sicco stillæ de nubibus arvo.
*nato S. Sigeberto,* Quod tamen ut tandem potuit cognoscere, supplex
Auxilium superis a sedibus expetit, orans
Ut sibi nascatur, quo post sua sceptra regantur.
Dante Deo meruit, quod mens devota petivit.
Nuntius ut gaudens regalibus intulit aulis,
D Quod puer ad lucem materna prodiit alvo;
Laudibus et votis auctorem prolis adorat.
Illa tamen mentem lætam cunctatio adurit,
Debeat in sancto qui fonte lavare puellum.
Ut redit ad semet captiva memoria Regis,
Discursare jubet celeres per regna ministros :
Ac Sanctum merito adduci demandat honore.
Qui tandem inventus, monitusque palatia adire, *revocatur*
Regis jam dicti sese conspectibus infert,
Quique ut adesse virum cernit, mox desilit alto
E solio, rutilumque caput diademate terræ,
Stabat forte Pii qua pes tunc pacifer, æquat,
Inflectens rigidum sancta ad vestigia collum;
Purpura pulvereis prosternitur inde favillis,
Linguaque, quæ variis dictabat jura phalangis,
Poscit, ut ignoscat scelus indulgentia sancta. *Regi veniam petenti ignoscit :*
At mitis fuerat, cui dulce, ignoscere probra,
Felle carens, placida jugiter dulcedine fervens,
Ocyus a terra prostratum in pulvere Regem
Elevat, et citius commissa piacla relaxat.
9 Alloquiturque dehinc hoc Princeps famine Sanc-
[tum :
Pœnitet, alme, tuam, Doctor, sprevisse loquelam :
Displicet, atque meo quod jussu injuria facta est.
Sed nunc illa, precor, pietatis viscera cedant : E
Est quoque dante Deo immerito mihi filius unus,
Quem tua consecret sancta ut benedictio, posco,
Vivifico ac Christi digneris fonte novare,
Utque illum doceas divina lege Magister. *filium educare renuit*
Tuque Pater pueri merito dicare secundus,
Dum gignis sobolem præclaro germine fontis.
Sed Sacer his dictis summo conamine fusis
Obstat, commemorans sibi jussum ut semina verbi
Spargeret, et gentes baptismatis amne sacraret,
Non uni tantum sed multis affore missum.
Egreditur, remanet cassata petitio Regis.
Qui quia non valuit contemptus jura mereri,
Credidit a proprii lateris custodibus ipsum
Flectendum, misit socialis amoris amicos,
Unam animam gemino sub pectore ut esse putares,
Dadonem illustrem Eligio comitante benigno, *inductus a SS. Audoeno et Eligio,*
In laicali habitu quos Principis aula tenebat.
Sed post sub pedibus sternentes labile seclum,
Ecclesias geminas stabiles texere columnæ.
Inditus ille prior, sub cujus pontificatu
Floruit in titulis Rotomagus celsa beatis :
Compar et Eligius divino munere lectus,
Quo Noviomus ut urbs vivente Antistite fulsit,
Sic micat et tumulo multis virtutibus aucto.
Salva fida fides, felix concordia aveto, F
Pontifices sancti meritorum luce corusci,
Non mihi tam tenuis de vobis sermo mearet,
Ni vos conspicuos scirem nutrisse Poetas,
Qui possunt trimoda vobis *a* parare Camœna, *a*
Nobile et auratis carmen cantare cicutis.
Vos tamen o nostros petimus relevate labores,
Et cœptum repetat jam linguæ guttula cursum.
10 Ergo preces missi devoto pectore fundunt,
Principis ut sobolem sacrato deluat amne,
Educet atque illum per libros rore migrantes.
Qui si forte preces non Principis abnuat istas,
Hujus amicitiæ tribuat conjunctio multum :
Errante in populo ut liceat conquirere lucrum,
Gentibus et multis divinum spargere verbum.
Assentit tandem carorum famine victus :
Intrat et invitus præcelsam Regis in ædem,
*b* Clypiaco qui illo residebat tempore villa. *b*
Offertur puer huic alienis vectus in ulnis *baptizat infantem*
Ille, quater deno cui sol jam fulserat ortu.
Quem manibus sacris ut sumpsit Episcopus almus,
Et fusa est præstans oratio more sueto,
Ac consignatus catechumenus extitit infans,
Et precis in finem nullus responsa referret. *respondentem Amen,*

Non

A Non confusa sonans alliso verba palato;
Sed labiis patulis et clara voce boando
Insonuit populis mirantibus ocyus : Amen.
Inde salutiferi baptismatis amne novatus,
Vivificis retulit Sigeberti nomen ab undis,
Ac post Austrasias domuit ditione catervas.

11 Hic mecum Lector laudum concurre relatu,
Dicito sermonis si fons tibi largus abundat,
Et guttis pluviæ se linguæ comparat imber.
Quis docuit puerum, quis sensus quæso suasit
*miraculi novo.* c Hebraico sonitu ignotos proferre c fritillos ?
Quis pedagogus eum hac jussit voce boare,
Quem vagitus adhuc puerili ætate tenebat ?
Enarra mihi quæso, dedit quæ schola loquelas
Ignaras ? docili quo floruit ille magistro ?
Scutica non teneros unquam ulla lacessit artus,
Nec graciles digiti parvam tenuere tabellam :
Et jam grandiloquos superat ratione sophistas.
Vocibus externis loquitur, spernitque Latinas.
A natura docet. Men quæ suggestio fundit ?
Hoc musto, o Judæa solens errare, calebant
Qui cunctas didicere brevi sub tempore linguas.
Hic, etymologia, tuus confunditur ordo,
Infans dum fatur, nomen tibi tollitur istud;
B Ne dubites asinam stolidam increpuisse Balaam,
Huc ades, hoc opus est celebrandum laude perenni.

a Pipare *præcipue de gallinis dicitur.* — b *Imo* Aurelianis, *ut dictum supra et ad Vitam S. Sigeberti.* — c Fritillus *tabula est lusoria. Hic videtur Milo pro sono accipere.*

## CAPUT IV.

### *Episcopatus Trajectensis S. Amandi.*

His ita decursis, obeuntem missus ab alto
Angelus evexit celsi trans sidera cœli
*Constituitur Episcopus Trajectensis.* Pontificem, cujus Sedem Trajectus habebat :
Sumeret ut rectis meritorum præmia libris.
a Quo *a* Rex comperto Sanctum accersivit Amandum,
Plurima Pontificum conducens agmina secum,
Præsulis ad tanti solennia jungit honores.
Interea Sanctus sacra sublimis in arce
Ducitur ac trahitur, jam dicta in Sede locatur.
Obstat et indignum se tali clamitat actu.
Sed cum more suo lustraret luce venusta
Oppida, rura, casas, vicos, castella peragrans,
Triste nefas, qui deluerant agnoscere primi,
Ac verbum Domini plebi monstrare sequendum,
*Obsistente sibi Clero,* Ecclesiæ gradibus prælati rite Ministri;
C Rejiciunt, spernunt, contemnunt, despiciuntque,
Postponunt, pelluntque probum per probra Patronum,
Quo sibi nil lucri, sed maxima damna tulere.
*discedit* Pulvis enim pedibus justis excussus in illis
Accusator erit, cum tempus venerit illud,
Præmia quo capient dextri, pœnasque sinistri.

13 Insula dicta nitet *b* Calolo de vertice Sancti
*b ad insulam Calloum* Scald juxta et gyris curvo sinuamine flexis
Præbet secessum, nautis gratissimus amnis,
Quam Sanctus, dictis cum pulsus abiret ab oris,
Reperiens, sibimet tam mœsto in tempore credens
Sufficere, et mentis purum renovare vigorem
Secretus cupiens, aliquanto mansit in illa
Tempore, multiplices studuitque levare labores.
Dum tamen ille pio frueretur cœlitus actu,
Atque polum jugibus cuperet conscendere votis,
Alba velut geminis alis innixa columba;
Æqua repulsores non distulit ultio dictos
*Trajectenses post ejus abitum* Pro meritis pulsare feros, ac digna rependens,
Qui voluere magis habilem quam reddere honorem.
Pressi multimodis ut possent scire flagellis,
Quam carus Christo fuerit, qui spretus abisset.
Plaga etenim cœlo veniens, et terra resultans,
Proterit, inclinat rigida cervice rebelles,
Evertitque domos, mores cecidisse ruina

Testatur sonitu labens et pondere grandi : D
Ac viduatus ager segete et nudatus arista, *AUCTORE MILONE, EX MSS. LIB. II.*
Ilis meritum spinæ pungentis reddit acumen *graviter puniti,*
Cum tribulis. Referunt commercia talia terræ,
Quæ tanto cultore carent, nec vescitur illis
Incola, ferre cibum quia matris in ubere tempsit.

14 Tu quoque plebs, libeat si cursim tangere prisca,
Antiquis damnis prolata hæc vulnera sentis.
Cladibus immensis non obstant mœnia firma,
Sed sternuntur humi ceu pulvis flamine venti. *urbe labefactata,*
Labunturque domus, quas non custodia fulcit.
Nec mirum, compago ruat si turribus altis
Funditus evulsa, stabilis quam linquit Amandus,
Ecclesiæ nostræ defensio, celsa columna,
Tabificos contra fremitus protectio perstans.
Quo offenso, tibi mors; nobis salvatio venit.
c Servatio servata tuo dum viveret; inde c
Flebile ne funus seu mœstum corde dolorem
Sumeret extremas in te cernendo favillas,
Transiit ad Dominum, nudam te in morte relinquens :
Qui tibi post nostrum miseratus misit Amandum,
Ut solem radiis operum fulgore micantem.
Sed tu lippa tuos oculos dum vertis ab illo,
Et densas repetis noctis horrore tenebras,
In manibusque lutum retines, dum lumina tergis, E
Ac luci adscribis quod tu minus inde tueris,
Sic votis dimissa tuis in carcere cæco es,
Ni tamen huc redeas, et lumen amando requiras, *us pænitentiam incitat Poeta,*
Quod tibi depellens, nobis miserando dedisti.
Non hinc probra tibi, nec jurgia reddimus ulla,
Illius reditu sed congaudemus ovantes,
Nunc nunc ergo tuam detergant carmina culpam,
Laudibus ejectum dignis revocare memento.
Pœniteat te jam sceleris, medicamina sunt hæc. *laudem S. Amandi,*
Ac si, ut credo, tuam placarunt vulnera noxam,
Et Sancti pietas crimen concessit enorme;
Astipulare meis, quia non sunt carmina, rhythmis.
Tu cantare vales, tu docta es plaudere versu :
Tu nosti lyrico chordas contingere plectro,
Tuque potens metrum centum reboare camœnis :
Retia ceu filis sic libros texere verbis.
Ast mihi vix tenuis decurrit ab ore susurrus :
Dum tamen alma tuis aptatur musa libellis;
Ne taceam laudare Deum, cum debitor extem,
Noster honore Dei claudatur, posco, *d* libellus. d
Laus, decus, imperium, benedictio, gloria, palma, *et honorem Dei,*
Majestas, et honor, veneratio, gratia, virtus :
Sit Patri et Genito cum Flamine vivificante,
Et nunc et semper dum secla futura manebunt :
Pro meritis Sanctum qui glorificavit Amandum F
Clare comes, curam claustris concludito cannam.
Sat sitiens etenim potavit, tollito rorem,
Flebilis et ne jam rumpatur anhelitus, istuc
Fige gradum, digitos dum tendo, quiesce parumper *e*. e

a *Rex Sigebertus, Dagoberto aliquot jam annis mortuo ut supra ostensum.* — b *Hanc lectionem supra probavimus, ubi de Caloaris actum* § 4. — c *Colitur S. Servatius* 13 *Maii* ... *is imminente ab aliis barbaris Belgii vastitate obiit, ad quod hic alludit Poeta.*
d MS. *Elnon.* labellis. — e *Addebatur.* Explicit liber III. habet versus CCCXXXVI. *et jungebantur hæc capitula libri* IV.

Scripturus vates quo hic Sanctus astra petiverit, admodum contremuisset, suosque libellos quatuor Evangeliorum libris subdens, ad finem sancti Amandi major operis et prece tendit et carmine. *Capitula libri 4* — 2 Qualiter Vasconibus verbum Dei prædicans Sanctus repulsus sit, et de monacho a dæmone arrepto. — 3 De cæco ex aqua, in qua vir Dei manus lavit, illuminato. — 4 De reditu ipsius in Gallias et cœnobio ædificato. — 5 Quomodo pro eo quod monachum Nauto a Rege impetraverit, Mummolus insidias illi paraverit. — 6 Quomodo cartellellas dividitus cæcatis vir Dei mortem evaserit. — 7 Conversio latronis per energiam ad Sanctum. — 8 De muliere cæca illuminata. — 9 Allegorice eadem res repetitur. — 10 De monacho pro inobedientia paralysi dissoluto et verbo Sancti sanato. — 11 De obitu vel sepultura ipsius. — 12 Laus loci et de elevatione corporis ipsius. — 13 Oratio auctoris hujus operis. — 14 Clausula finalis cum prece completur.

A

AUCTORE MILONE, EX MSS. &c.

# LIBER QUARTUS

## CAPUT I.

*Vascones a S. Amando edocti. Cæcus illuminatus.*

Hactenus eximios Sancti versatus in actus
Præsulis, et, quamquam pede claudo, currere quivi.
Sed nunc res metuenda nimis tractanda, nec ullis
Viribus evolitare facit, super astra petendum est :
Ut sermone sequar, quo non licet ire pedestrem.
Primi namque mei properant hac lege libelli,
Ut labor et meritum Sancti noscatur Amandi :
Quartus hic est nunc, qui in manibus cudendus habetur.
*Poemata quadripartitum 4 Evangeliis comparatur.*
Quos Evangeliis subjeci rite quaternis
Mattheus effudit donatus munere primus
Carne Deum natum, qui Virginis ubera suxit.
Hic quoque dum nostræ penetrat præcordia mentis,
Scripsi hominem genitum, qui matris ubera linxit,
Perfectum, purum, justum, dignum, immaculatum.
Excelsusque dehinc mandati famine Marcus,
Marc. 1, 3
Vox clamantis, ait, deserta per arva leonis
Insonuit, qui in morte oculis dormivit apertis.
B
Huncque sequens, quantum valui, sub carmine dixi,
Quadrifidum verbum sanctum sparsisse per orbem.
Consurgensque dehinc quod signat nomine Lucas
Jura sacerdotii veteris sermonibus *a* infert,
Quo crucis, ut vitulus, Christus mactatur in ara.
Quo lecto, Sedem monstravi pontificalem,
Conscendisse virum, fuerat qui victima viva.
Flaminis et sacri qua gratia fusa Joanni est,
Evolat ut pennis aquilæ super æthera vectus,
Principium canit, atque ante omnia tempora Verbum
Estque via simili me nunc properare necesse :
Instat enim memorare iter, quo Sanctus Amandus
Iverit ad Dominum, meritos sumpturus honores :
Viserit et requiem cœlesti in culmine partam :
Quo me nulla levat factorum penna bonorum.
Velle meos animos urit, sed posse retentat.
Currere lingua cupit ; stridet sed nescia fari.
Cordis in aure tamen si sibilus ille resultet,
Impleat et mentem, e dumnum quo tingo liquore,
Qui facit humanas asinam formare loquelas,
Indocilemque virum querulo confundere rhythmo ;
Carmine succincto quæ restant gesta notabo.

2 Eia, age, Vacceiam late, mea Musa, vagantem,
Fidentem freni, torquentem tela lacertis,
C
Pande, rogo, et vulgo vulgari voce notato.
*Vascones*
Si demas mutesque apices, Wasconia fertur
Quæ gens dura satis, variis incursibus instans,
Ictibus ac crebris hostilia tela rependens,
*feros*
Extremis fuerat Francorum finibus hostis.
Sed nunc vulnificis subtracta est pacifice armis,
Frenaque consilio tandem conducta salubri
*b*
Non hamat mor n, sed *b* pacis in oscula tractat
Illis temporibus, quis Sanctus in orbe manebat,
Ut Gallis fuerat sæva feritate rebellis,
Sic erat et Christo, reliquum qui straverat orbem :
Religionis enim nudata decore jacebat.
In noctis tenebris, nulla illustrata lucerna,
Horrendumque scelus, cui cuncta nocentia cedunt,
Quo gignente solent reliquæ concrescere pestes,
Cultum Christo habilem muta ad simulachra reflectens
*idololatras*
Idola credebat numen Deitatis habere.
Hos ubi vesanos errorum comperit actus
Præsul Amandus; ab his, quos Fratrum nomine dignos
*adit S. Amandus,*
Fecerat, accensus, horum celeranter adivit
Belliger insignis terras : ut prælia Christi
Bellaret, pariterque sui signacula Regis
Invictus miles præfatis inderet arvis.
Ut si multiplices non posset jure catervas
*a multo [illegible] rectii,*
Vincere, vel pulchram caperet per vulnera mortem :
D
Dumque ibi vivificis inferret spicula contis,
Et multos æquaret humo, falsamque deorum
Sterneret ad terram constanter relligionem;
Unus iners, facilis, male lubricis, atque superbus,
*obsistente mimo,*
Turpis et impurus scurrilia proba susurrans,
Quem merito vulgus vocitat cognomine mimum,
Obstitit infelix stolide bacchante cachinno.
Sed mox arreptus miser atro dæmone, plenus
*mox a dæmone obsesso*
Quo fuerat pridem, cum vitæ risit alumnum,
Ipse suis manibus male sano membra furore
Discerpit, scindit, disrumpit, diripit, urit,
Anteque quam patulos Erebi transcurrat hiatus,
Dat certum indicium, duce quo deductus abiret.
Ore uno stupeas millenas currere linguas.
*et extincto.*
Tandem distortus vacuatus et hospite et hoste,
Qui ingratus rediens animam violenter abegit,
Abducensque facit secum penetrare gehennam.
Qui fuit inventor culpæ, fit tortor in igne.
Et quia sunt non læta satis quæ scribimus, hinc jam
Tristibus omissis ad dulcia pergat arundo.

3 Ergo ubi gens sancto vacuata decore relicta est
Antiquis tenebris, voluit quia spernere lumen
Transmissum sibimet, quam se substernere luci :
*Aqua, qua Sancti lotæ manus,*
Lucifer ille nitens, cum jam repedaret ab illis,
Pervenit quamdam tandem lassatus ad urbem,
E
Cujus honorificis excepit Episcopus illum
Obsequiis, meritoque colens reverenter honore,
In manibus sacris latices perfudit, et ipsos
Custodem monuit clausis inferre sacellis.
Antistes namque is sat fidens extitit, illis
Optatam invalidis præberi posse medelam.
Spes neque tam firmos animos certissima lusit.
Tempore quo quidam residebat ad ostia templi
Mendicus, rebus pauper, sed lumine frontis
Pauperior, quem hac affatur voce Sacerdos :
O homo, si fidei retines in pectore lucem,
*cæcus*
Ablue aqua clausos oculos, qua Sanctus Amandus
Abluit ille manus : hoc spondeo te renovandum
Ungine, lux rediens cæcis infusa fenestris
Monstrabit, Sancti quantum benedictio digna est :
Nec vacuus credens fidei virtute redibis.
Hæc promissa, carens mox pauper lumine, credens
*illuminatur.*
Sumpsit aquas, faciemque lavit, medicina lavacro
Est comitata pio. O rerum conversio! Cæci
Dum splendent oculi, fera mortis imago repulsa est.
Dic, rogo, quisquis ades, quanta virtute Beatum
Hunc fulsisse putas, cum præsens corpore adesset,
Ac prece quam celerem quivisse referre medelam,
F
Cujus lympha manus lucis largitur honorem?
Cede loco, medice, trito cum pulvere, quid stas?
Pulvere enim cœcari oculos res notior extat.
Hæc si credis, aquæ superant collyria cuncta,
Quam mundæ sordes. O quam purgatio pura!
Quam doctus medicus, quo cuncta obscura refulgent,
De cujus digitis stillant medicamina pulchris!
Talia signa sui produnt vestigia Regis.
Quod sequitur, perpes hinc Christo gloria summo,
Dignus honor Justo, quo non pretiosior alter
Ad cœli regnum sociorum ex agmine venit.
Olevis ornata dum sponso lampade pergit,
Manat oliviferis mox igneus ardor ab ulnis,
Accendens propria reliquorum de face tædas,
Fulserit et quanto demonstrant facta decore.

*a* Codex Elnon. effert. *b* *Vasconiam, cum Milonis Regibus Aquitaniæ subjectam, explicat Petrus de Marca sub finem libri 1 et initium sequentis Historiæ Bearnæ.*

## CAPUT II.

*Monasteria a S. Amando extructa. Periculum mortis cœlitus depulsum.*

Dumque iter inceptum variis virtutibus iret,
Francorum ad regnum felici tramite venit,
Elegitque

A Elegitque locum, quo verbum spargeret aptum,
In quo, devota Fratrum comitante cohorte,
Qui varias Christi tulerant pro nomine pœnas,
*Monasterium extruitur :*
Sacra monasterii construxit claustra novelli.
Felix illa fuit sub tanto schola magistro,
De qua multiplices procedunt jure Sophistæ,
Pontificum numerosa cohors, doctique Patroni
Ecclesiæ, verbis puri, gestisque nitentes.
Gallia, jam rediit Sanctus, lætare, benignum est,
Sparge alacri flores, tibimet salvatio venit.
Hac etenim non parte cadis, qua turris olympo
Contra sanguineas acies et bella Damasci
Forte tulit caput, ultra et sidera constitit ipsa.
Nam si pervalidæ Oceani de parte procellæ
Irruerint, nullo quibunt transcendere pacto,
Passibus egregiis quo gressum fixit Amandus :
Si tamen egregii secteris jussa Magistri.
Est neque, quod timeas fervent in turbine, freta
Hoc ductore tuo, qui non debellat iniquos
Armis, sed meritis hinc usque ad sidera notis.
5 Tempore quo Princeps regnum Hildericus agebat,
Invasasque gravi bello tractabat habenas,
Dum fremerent reliquæ Martis certamine gentes,
*item aliud, concedente Hilderico Rege,*
Et gladii gladios, umbones redderet umbo;
Ac frater fratrem, genitus premeret genitorem,
B Sævaque vastaret populos populatio multos,
Tempestate gravi totum grassante per orbem;
Non turbo hic tenuit, Justique ligamine vinxit
Brachia, nec tanta rerum vertigine victus,
Liquit opus cœptum, lucris fidelibus ardens.
Sed Regem petiit jam dictum cernuus ille,
Quatenus illi aliquem præberet jure locellum.
Sacra monasterii strueret quo cœpta venusti;
Quem mox ut petiit Princeps dedit : inde repente
Talibus in rebus quoniam fuit impiger ille
Ecclesiæ jecit fundamina more sagaci.
*impediente Mummolo Episcopo :*
Dumque ibidem cœptis perstaret Justus in illis,
Mummolus invidiæ facibus flammatus acerbis,
Urbs Ozidinsis cujus subjecta, sedile
Ornabat celsum variorum gramine florum,
Indignans graviter Sanctum impetrasse locellum,
Evomuit furiis conceptum mente venenum,
Direxitque suos stimulante furore ministros
Audaces animis atque armis amplius auctos :
Illi acuens gladios, qui pacis lator in omni
Orbe fuit, superi qui prompsit pascua regni.
*in quem invehitur Poeta.*
Hunc inimice ferox, cur tali fraude repugnans
Persequeris, carumque Deo insectaris alumnum?
Audieras, tibi quæ scansurus ad astra magister
C Pacificus dederit servandæ fœdera pacis :
Cur pignus hoc, dum meditaris inania, scindis?
Cur te tanta tenet sceleris scelerata cupido?
Nonne decens fuerat sudores tergere tantos,
Ac commune bonum sociali ornare labore?
Quid facient alii, dum quæris Episcope bella,
Ac humana tuum si non natura reatum
Comprimit, ordo, gradus, neque te dilectio frænat?
Suspice, fulminei venient de nubibus imbres,
Placabitque tuos cœlestis turbo furores.
Angelicas acies, armatas, auxiliantes,
Ferre videbis opem signis victricibus amplam,
Ferre necem telis cui nunc minitaris iniquis.
Carnifices quoque pulso loquens, qui jussa volebant
*ejusque ministros,*
Patrare, et sceleris pariter consortia ferre
Quos aliena reos adduxit missio noxæ,
Qui callente dolo se fallere posse putantes
Illum, plenus erat qui puri fluminis haustu,
Fingebant falso fallaces famine falsa,
Aptaque rura satis se Sancto ostendere posse :
Si comitetur eos caussa sui hique tuendi.
*fraudulentos,*
Callidus et quanquam miles simulaverit ore,
Finxerit et tanto mendacia dicta Prophetæ,
Quem monstrante Deo nil clausum, nilque latebat
Occultum fibris, nil rectum pectoris antris. D
*AUCTORE MILONE, EX MSS. LIB. IV.*
Auribus in cujus sic mens ut lingua sonabat :
Non tamen injustis scelerum latoribus ipse
Obstitit, aut sævis monstravit terga ministris.
Tanta nec invictos animos formido pererrans
Depulit, aut stabilem liquit constantia mentem :
*martyrium illaturos S. Amando,*
Martyrii jugiter quoniam fervebat amore.
Et quamquam dederit nunc temporis optio votum
Martyris, emerito non est fraudatus honore.
Hinc superis magis est laudanda potentia Christi
Quod dedit huic palmam gratis sine vulnere mortis.
6 Jamque supercilium montis pia victima adivit,
Percussorque ferus, ceu quondam sanctus Isaac,
Utque maligna manus nimium crudelis Jesum
*in montem abducto,*
Quando furore calens, ad montis culmina nostræ
Auctorem vitæ pertraxit præcipitandum,
Si tunc posse, velut furibundum velle, habuisset.
Haud secus hic Justus, cum staret mitis, ut agnus,
Subvacuis pietate lupis, mox cœlitus atræ
Collectæ nubes oculos clausere malorum,
Nec phœbea patet digno fatis ordine lampas :
*sed cœlesti miraculo servato.*
His retrahit jubar et radios convertit in umbras,
Qui rutilo spoliare student splendore lucernam,
Lucida diffugiunt oculis, nox ingruit ampla :
Tempestasque ruit commixto grandine grandis.
Ergo solo strati culpam justumque fatentur E
Supplicium, veniam rogitant : curvatur adorans
In terram Justus, pietatis amore repletus :
Ac membra herbigeris prosternit in aggere glebis;
Nec prius absistit studio votoque precandi,
Donec ætherei se submisere furores,
Nimborum tonitrusque etiam cessere fragores.
Dumque serena illis se reddunt æthra ministris,
Noscunt quam merito sit Sanctus honore verendus.
Ite domum missi, factumque referte Patrono,
Carnifices alios ne post vos mittat Amando.
7 O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Cujus in auxilio cœlestis machina frendens
Bella parat, lumen retrahit, letumque minatur
Pro lituis tonitrus, pro telis igneus imber,
Pro parmis quassans immurmurat arduus axis.
Quid mirum est servisse tuis terrestria jussis,
Quando elementa simul quatiuntur, fervet Olympus.
Cum tibi, fida tuis spes, mors injusta paratur.
Et quamquam sint magna satis, quæ gesserit ante,
Plus tamen ista nitent, quæ cœli ex arce refulgent.
Pulcher ubique, polo, terra, pontoque coruscans,
Respice diffusos jam jam miserendo fideles;
Hisque jugem precibus sacris deposce salutem;
Quatenus invictas retinentes pectore vires, F
Nec mala nos frangant, nec mentem prospera raptent.

## CAPUT III.

### *Cæcitate et paralysi puniti, sanantur ope S. Amandi.*

Instat iter, jam jamque sequentia gesta retorquent
Carminis excursum, canitur res digna relatu.
Mentio namque viri venerandis laudibus apta est
Namque Evangelium populo dum prædicat omni,
Nescius incepti curam laxare laboris,
Lassatosque artus modica reparare quiete,
*apud Bellovacenses*
Perlustrans pagi confinia Bellovacensis;
*a* Rossontus locus est, quo Sanctus venit anhelus
Qua modicus ripis refluit, sed massus opimis *b*
Ubere frumenti copiosi et munere Bacchi :
Nec procul a tractu, quem cursus complet *c* Oromnæ
Hic fuerat mulier geminis viduata lucernis :
*mulier augurea idololatrica dedita,*
Fronte subobscura noctis simulatio vera,
Haud brevibus spatiis densa caligine durans.
Cujus nempe modum dum doctus cominus instans
Scrutatur, didicit caussas temporaque negatæ
Lucis, et auguriis justas quæsisse tenebras,
Fron-

A Calcetenus ductum metuens concludere textum.
Si refugis functum, vel dic per secula vivit:
Vivit enim angelicis sociatus vitæ catervis.
Tristitiam liquit moriens, planctumque per arva:
Lætitiam fecit cœlestibus arcibus amplam:
Terra tenet terram, concrescit pulvere pulvis,
*sepelitur* Mortuus in tumulo recubans perdona coruscat.
Ast speciosa choris anima est conjuncta supernis.
12 Nempe monasteriis per rura per oppida sparsis
Celsior et melior sese structura levavit
Helnonis nostri. Locus est de flumine dictus,
*Elnone:* Quod recipit largoque sinu Scarb purior effert:
Qui fonte ex gemino Jordanis morte meantes;
Dulcia commixtis conjungunt basia labris.
Quo tumulum retinet Sanctus virtutibus auctum.
Qui locus immenso decoratus honore nitescit,
Pax ibidem, pietas, bonitas, concordia pollet,
Spesque, fides, fraternus amor, dilectio summa.
Omne bonum retinens, ad cœli culmina tendit:
Omne malum vitans, discrimina noxia pellit.
*claret miraculis;* Nulla pericla pavens, ubi debilis omnis et æger
Vota petita, fide in medium currente, reportat.
O locus o felix fecundo germine cespes!
Cunctis macte bonis æterna in secula salve.
B Veste, ove, messe, bove, alite, melle, ape, flumine, [pisce,
Glande, sue, flore, fronde, imbre, gramine, vite,
Omnibus his polles tali moderante colono.
Omnibus his retines hoc fœcundate Patrono.
Flumina dant pisces, segetes terrestria solvunt:
Escis nempe cares nullis, quia fruge redundas.
Incola namque famem non ore sed auribus haurit.
Rem canimus miram, quæ credula corda requirit,
Vivere post mortem poteris hac scire Beatum.
b *b* Curricula annorum centum vergente recursu
Transierant, numerus pariter partitus et idem,
Transiit æthereum quo vir venerandus ad aulam,
*e corpore post 150 annos levato sanguis fluit.* Cum corpus tumuli disjecta mole levatum
Incolume inventum est, et dens sublatus ab ore
Fudit sanguineas ut vivo e corpore guttas.
Abneget hoc facile est, quisquis de corpore Jesu,
In cruce confixi percusso militis hasta,
Non credit manasse sacras cum sanguine lymphas.
Si quæris testes, fidei virtute vacillans,
Huc venias, moneo; aspicies diversa virorum
Agmina multiplicesque senes ætate verendos:
Vas quoque susceptos poterit monstrare cruores.
13 O genitor, pastor, doctor, nutritor, amator!
C Quo locus iste nitet tantorum dives honorum,
*Poeta implorat patrocinium S. Amandi* Quem cœli regnum veneranda pace receptum
Exaltat, decorat, collaudat, honorat, adornat:
Intercede piis veniæ commercia servis.
Ac largire tuis consortia lucis alumnis.
Cumque Deus veniens cunctum concusserit orbem,
Cum tremulam terram velox exusserit ignis,
Et sol detracta ceu saccus luce carebit,
Lunarisque globus furvo claudetur amictu,
Sulphur, pix, horror, tortor, tormenta, caminus
Affuerint Judexque sedens justissimus illic,
Sanctorumque cohors ornata sedilia habebit,
Inter et hos Proceres cum celsum jure tribunal
Consulibus junctis consederis arbiter orbis,
*in Judicio extremo,* Judicium et justum libris pandetur apertis,
Heu quid faciam tunc? me quis Sanctus ab ira
Conteget instanti? quæ me defensio tantis
Cladibus eripiet? cujus sub tegmine montis
Abscondendus ero, flammis ne exurar acerbis?
Quod me tunc operis justi velamen opertum
Eximet et tanti secernet ab igne camini?
Oro, tui tunc, sancte Pater, miserere poetæ,
Dextris atque tuum turmis conjunge Milonem.
Extremum sat erit vel commeruisse locellum.
Est etiam mihimet fiducia magna misello,

Hoc opere horrendos extingui posse furores, D
Schemate quod vili scriptum est sed vate fideli. *AUCTORE MILONE EX MS. LIB. IV.*
Parvus honor carmen stolidum est, sed grandia amoris
Sunt mihi vota tuis in laudibus, optime Pastor.
Et si respicias animi præcordia nostri,
In his quam fuerit nobis devota voluntas,
Non dampnanda aderit, velut æstimo, parva facultas.
Orbis honor, nostrumque decus, Pater alme, valeto,
Ante tuum tumulum jugiter recinemus, Aveto,
Tu dignus salve, nobis præbeto valere.
14 En opus, alme Deus, hominum Sator atque [Redemptor
Ad laudem obtulimus præclari Præsulis istud,
Acceptumque tuis ut sit conspectibus oro.
Omnis in ecclesiam mundus sua munera defert, *et poema Deo offert.*
Ille nitet sensu velut auro, munus et alter
Argenti eloquio portans candescit honesto,
Cantorumque chorus vocali concinit ære,
Fertur ab hoc coccus gemino bis tinctus amore,
Offert et tortam carnis maceratio byssum,
Lignum incorruptum hic corpus gerit immaculatum,
Actibus ille piis ceu pulchro splendet olivo,
Perfususque bono ut thymiamate fragrat odore.
Ast ego muniﬁcis commixtis cœtibus assum
Pauper, egenus, inops, trepidans, confusus et angens: E
Qui fero nil placitum, quod in aram ponere fas sit.
Pellis ob hoc mihi rubra genas verecundia pingit.
Hoc carmen textum caprinis offero pilis,
Meque simul hircum pro crimine mortificandum.
Sed qui pro minimo viduam quadrante beasti,
Munera quæ solvo placato suscipe vultu,
Et tua laus nostro perduret in ore per ævum,
Qui solium regnumque tenes per secla supernum.
Care, meum completur iter, requiesce, viator. *c* c

a MS *Elnonense*, pudor. — b *Hanc elevationem contigisse annis* 123 *post obitum ejus diximus* § 15. — c *Addebatur:* Explicit Vita D. Amandi Confessoris Christi de prosa oratione in Heroicum carmen metrico stylo transfusa habens libellos IV, in quibus continentur versus MDCCCXVII.

# VERSICULI *a* WLFAII a

## in confirmatione operis.

Carmina sidereos merito scandentia campos,
Ut vigeant nostro, Milo, favore petis.
Quorum vis tanta est, talique refulget honore, *Carmen Milonis probant Episcopi*
Ut nequeant nostro dicier eloquio.
Aurea materies argento cingitur albo,
Ornat et eloquium lucida massa suum. F
Non opus ut nostri decorentur famine verbi,
Ejus honore vigent, cujus amore nitent.
Hæc Archipræsul toto notissimus orbe
*b* Hingmarus verbis sustulit eximiis. b *Hincmarus Remensis,*
Hæc Pater et Dominus Cameracæ gloria plebis
*c* Teudricus tali laude beavit ovans: c *Teudericus Camerac.*
Carmina dulcisono nimium currentia plectro,
Digna manete polo, macta valete Deo.
Præbuit his stipulam præclarus Episcopus *d* Emmo, d *Emmo Noviom.*
Affigens digitis pulchra elementa suis.
Hæc Pater et Pastor Clero gratissimus omni
Mitis *e* Adalardus extulit ore pio. e *Adalardus Abb.*
Hæc tuus hæcque meus *f* Haiminus jure magister, f *Haiminus.*
Quod duce firmavit devia nemo petit.
Corpore præmodicus, sed mentis acumine magnus,
*g* Teudingus dextram præbuit ipse suam, g *Teudingus, Wlfaius.*
Quæ domus, oro, ruat tantis suffulta columnis,
Flumina nulla pavet, flamina nulla timet.
Sed tamen ut numerus septenus sit perfectus,
Septima sum tecto, Milo, columna tuo.
Sunt equidem nostro tua carmina digna Patrono,
Judicio nostro, cujus honore micant.
Virgilii pulchro suras jam cinge cothurno;
Sed supera falsum vera canendo virum.

*a Wlfaius*

AUCTORE MILONE, EX MSS.

A a *Wlfaius monachus, aliis* Wlfagus, *condiscipulus ante Milonis sub Haimino. Subsecutis mox temporibus fuisse aliquem Vulfadum Abbatem monasterii Resbacensis tradit Claudius Robertus agens de eo monasterio; ac alium Vulphadum, seu Vulphaudum, Archiepiscopum Bituricensem proferunt idem Robertus et Joannes Chenu: quos ab hoc diversos arbitramur.* — b *Hincmarus Archiepiscopus Remensis sedit ab anno 835 ad 882.* — c *B. Theodericus Episcopus Cameracensis ab anno 832 ad 863. Agemus de eo V Augusti.* — d *Emmo, vel Immo, Episcopus Noviomensis, interfectus a Normannis anno 859 aut sequenti.* — e *Varii eo tempore fuerunt Adalardi Abbates.* Temporibus Lotharii Imperatoris devenit Abbatia S. Vedasti in manus Adalardi Comitis, *et quidem* anno 852 sub ejus potestate cœnobitæ *erant, uti dictum supra in historia miraculorum S. Vedasti. Præerat et* Comes Adalardus, cœnobio S. Quintini regni Caroli Calvi 13, *apud Heremannum. Alius fuit Adalardus Abbas monasterii S. Bertini apud Sithivenses, in monasterio Elnonensi mortuus anno 864. De eo agit Iperius in Chronico Bertiniano MS. capitulo* 13, 14 *et* 15. *Eodem tempore Elnonensibus præfuisse Adalardum Abbatem, ac decessisse an.* 864 *scribit Joannes Cognatus, lib.* 2 *historiæ Tornacensis ex Chronico Elnonensi, ut, nisi per errorem aliquibus titulis sit intrusus, suspicemur eumdem esse. Paullo his antiquiores fuere,* S. Adalardus *Corbeiæ Francicæ Abbas, cujus Vitam dedimus* 2 *Junii, ejusque discipulus Adalardus, Corbeiæ Saxonicæ primus Abbas.* — f *Haiminus discipulus Alcuini, monachus Vedastinus, cujus calamo dedimus supra descripta miracula S. Vedasti: ubi diximus obiisse anno* 843. — g *In antiquo Chronici Blandiniensis fragmento infra de eo agitur et traditur,* anno 850 Teutingus ordinatus VIII Idus Martii.

# DE TRANSL. CORP. S. AMANDI,

## EJUSQUE ORDINATIONE,

### ET DEDICATIONE TEMPLI,

B

### Sermo Milonis monachi Elnonensis.

*Ex III codicibus MSS.*

Diem hodiernum sacrosanctæ festivitatis solenni devotione religiosorum conventui celebrabilem ipse revoluti temporis cursus indicit. Et quoniam plurimi in hac plebe hujus penitus expertes adhuc extant rationis, non otiosum duximus, eis notitiam tantæ ac tam gratæ pandere celebritatis. Dignum igitur, imo necessarium credimus, ut, qui ista celebrant, et quare celebrent ignorant, cognitionem hujus rei capiant, et qui hactenus minus nota festivo studio honorabant, gloriosius ac rectius jam nota excolere atque venerari discant. Quia ergo Vitæ ter beati ac Deo dilecti Confessoris Christi Amandi *a* libellus satis plene sufficienterque disseruisse cognoscitur, qualis quantusque isdem, dum adhuc mortalitatis istius ærumnis teneretur, extiterit, qualibusque inter *b* caliginosos hujus seculi anfractus virtutum signis claruerit, nec non et quam immenso miraculorum jubare terrarum tractus tam prope quam longe sitos illustraverit, atque de tenebrosa hujus seculi Ægypto, columna legis divinæque gratiæ protectione præeunte, per varias piorum profectuum mansiones ad *c* terram repromissionis, per quam patria viventium figuratur, qualique fine migraverit. His interim posthabitis ad indaganda aliqua de multis Divinorum operum magnalibus, quæ circa ipsum ejusque corpusculum post ejus obitum Divina clementia præstiterit, quanquam impolitum, dirigamus sermonis officium. Ergo ea, quæ referimus, a Patribus fideliter referentibus audivimus quorum fidem omnipotenti Deo committimus, apud quem etiam peracta quasi instantia et pro præsentibus haberi futura credimus: cui mendacium, quia ex malo est, displicere cognoscimus. Non enim beati viri merita, ut clara hominibus appareant, mendaciis egent adstrui; sed ampliora, quam explicari verbis queant, remota omni ambiguitate debent credi. Sed quia de his non pro sui, quod impossibile est, dignitate; sed pro nostri paupertate ingenioli aliquid præloquendo tetigimus, nunc, Divina nos præeunte clementia, propositum nobis iter carpamus.

*Diem solennitatem reddunt Acta cognita.*

*a Patribus accepta.*

2 Anno igitur Incarnationis Dominicæ *e* DCLXI, qua Conditor et Redemptor mundanos miseratus errores humanæ dignatus est uniri naturæ, Deo bonisque cunctis amabilis Amandus, post multa honorum actuum insignia, ad cœli aulam perenniter cum Christo, cui devote servivit, regnaturus ascendit. D Nec immerito ei introeunti cœlestia patuere palatia, pro quibus ipse in terris positus voce cantaverat indefessa. Quam amabilia sunt, inquiens, Domine virtutum, tabernacula tua: concupiscit et deficit in iis anima mea. Requievit vero anno ætatis suæ nonagesimo, *d* mense Februarii, febris tactus incommodo, die quoque *e* Dominica: cui mors via ad patriam, ac præsentis vitæ exitus, sequentis ac numquam finiendæ factus est introitus. Ad quam multiplicibus hujus mundi ærumnis absolutus, sui Domini obtutibus, plenis oleo lampadibus, virtutum scilicet piarum fertilitate, meruit apparere coruscus. Sepultus sane est debito fidelium honore in cœnobio a se ædificato, cui ex nomine fluvioli ibi decurrentis Helnonis vocabulum hæsit: quem videlicet locum quondam ipsi viro Dei Francorum Princeps Dagobertus, silvestri *f* coma non indignum, prona animi contulit devotione, rata *g* legum sanctione stabilitum. Cujus licet crebra plurimorum opinione didicerit sanctitatem, amplius tamen, ut in libello Vitæ ejus legitur, eamdem isdem Princeps in filii sui Sigiberti contra naturam mirabili propter infantiam locutione, sub sua præsentia Christo Sanctum suum mirificante, meruit cognoscere manifestam. Prædicto igitur in E loco, quia amplius ipsum ceteris a se constructis diligendo excoluit, etiam corpusculum ipsius discipulorum suorum obsequio tumulum sumpsit: sicut etiam *h* testamento terribili scripto pro hac re, quod in archivo nostri monasterii hactenus servatur, decrevit. Non tamen in ipsa, qua nunc requiescit, positus est basilica, sed in altera, quæ adhuc superest Principis Apostolorum Petri nomine dedicata. Quæ quoniam pro sui parvitate tanti Præsulis tumulo visa fuit incongrua, atque etiam secundo sexui propter monachorum habitacula inaccessa; frequenti religiosorum virorum conventui visum est, aliam magnitudine præstantem debere ædificari, quæ et utrique sexui ac confluenti illo sufficeret multitudini populari. Completo itaque Deo devotorum sumptu opere illius ædificii, tempus aderat quo illo deberet transferri.

*S. Amandus*

*Elnone sepultus*

*in ecclesia S. Petri*

3 Illis igitur diebus supererat adhuc humanis rebus venerandus Christi Confessor mirabiliumque operum patrator *i* Eligius, qui beatissimo Pontifici Amando dum adviveret, fuerat familiarissimus, ac sanctitatis ipsius non ignarus. Hic itaque ad dedicationem novæ Ecclesiæ atque ad transferendas in illam sacri corporis Reliquias, ab urbe Noviomagensi F venerat, plurima quippe in suæ diœcesis sollicitudine sagacitatis industria pollebat. Ubi vero tumulo sacro removit cooperculum, reperit insperatum divinæ virtutis miraculum, corpusculum videlicet sancti Patris, ut ibi ante sedecim annos positum fuerat incorruptum. Tunc demum tam inopinati stupefactus novitate miraculi, gratias egit summæ Divinitati, quia sanctitas, quæ in vivente claruerat, in mortuo non latebat. Ne cui forte hoc pro sui magnitudine prodigium videatur incredibile, non desunt adhuc qui mirabilius aliquid in ipsius sancti viri sacratissimo corpore nostra jam ætate miraculum se confirmant vidisse, quod etiam in *k* altero de elevatione incorrupti cadaveris ejus sermone habito, qui voluerit nostra qualiacumque sint legere, poterit cognoscere. Si enim aromata pigmentariorum arte confecta, humana nequaquam post mortem sinunt putrescere cadavera, multo magis credi decet tanti Patroni merita mirabilium operum indiciis declarata, servare potuisse membra, vascula videlicet sua, in quibus habitaverant, incontaminata. Deportatum itaque beati Pontificis Amandi corpusculum sibi præparatæ, eademque die dedicatæ, basilicæ intravit habitaculum. Ibique usque in sequentem diem famulantium

*Corpus post 16 annos incorruptum.*

*transfertur in novam Ecclesiam tum dedicatam.*

A lantium est obsequio custoditum, donec completa a præfato Antistite Eligio Missarum solenni celebratione ingens spectaculum universæ plebi præbuit ad has exequias congregatæ. Collocatum etenim in medio templi atrio coram altario corpus honorificum omnibus circumstantibus præbuit contemplandum, ejusdemque venerabilem vultum detectum cupientibus turbis monstravit intuendum: paciferos insuper ipsius sancti pedes atque manus concessit osculari virtutum operatrices. Qualis quantusque ibi stupor gaudio mixtus fuerit, excellentia tam mirabilis facti prodit. Inenarrabile et enim tunc Christicolis populis inerat gaudium, cum gemini Sacerdotes Amandus atque Eligius ordine et merito inclyti, velut duo luminaria mundi, cœlestia meritis et terrena complentes virtutum radiis, coram divino altario positi, suffragia orationum suarum largirentur turbæ circumstanti. Unus horum superata antiqui hostis tyrannide jam cum Christo, Rege scilicet suo, in cœlesti gloria triumphans; alter inter varia hujus
l mundi certamina pro eodem ut invincibilis *l* agonitheta desudans. Unus ex his ut emeritus miles jam sine labore præmia indefectiva recenses; alter contra numerosos hujus vitæ labores ac multiplicia pe-
B riculá sudoris gravatus anxietate persistens. Unus horum jure pontificali, more videlicet suo, peracto officio repausans; alter necdum terminatis solenniis,
*summo omnium gaudio* ut Pontifex Christum, Pontificum Pontificem, interpellans. Flagrante igitur in sacratissimo famuli Dei Amandi corpusculo incorruptione membrorum et meritorum, si qui intererant, qui eo vivente de si-
m gnorum ipsius magnitudine dubitaverant, *m* in mortuo, quod multiplici timoris anxietate pavescerent, videbant. Qui autem eo audito non obtemperasse
n se ejus salubribus monitis meminerant, *n* se hæc parvipendisse summo mœroris lamento plangebant. At qui ejus magisterio præcepta vitalia nuntianti inhæserant, se hæc et auribus audisse, et actibus exercuisse gaudebant. Ut vero turbis quamvis adhuc desiderantibus prædictus Antistes Eligius duxit satisfactum, pretiosissimum depositi corpusculi thesaurum altius telluri, ut tunc moris erat, credidit abscondendum, videlicet ut omnibus non pie quærentibus, inveniendi illud negaretur facultas.

4 Illius itaque translationis ac sepulturæ decus et qui aderant votis celebravere solennibus, atque suis posteris celebrandum decretis statuere salubribus, sacræ scilicet encænias basilicæ, atque die ea-
C dem deportati cadaveris prodigium memorabile, quod hactenus a nobis numeroso populorum cœtu ad hæc
*Anniversaria solemnitas dedicationis ecclesiæ, translationis corporis,* solennia confluente, anniversario septimo Kalendarum Novembrium die, debito celebratur honore. Ordinitatis itaque omnibus atque universis, quæ ad ornatum loci sive stipendia ordinis monasterii pertinebant, pro facultate sua bene congruenterque dispositis, singuli quique fidelium ad propria repedarunt, gaudentes gratias sanctæ et individuæ Trinitati super inenarrabilibus ejus agentes muneribus, quibus ab initio seculi omnibus se in veritate quærentibus est misereri dignatus. Rationem, ut credimus, hodiernæ festivitatis reddidimus, ac quid in ea colimus, utcumque his paucissimis sermonibus explicavimus, sacræ videlicet Dedicationem basilicæ atque Translationem in ipsam Pontificis Christi Amandi memorabilem. Præterea ut etiam veneranda hujus solennitas diei trino non indecora sit calculo, tertia supradictæ celebritati caussa concur-
*et Ordinationis in Episcopum* rit, Episcopalis scilicet honoris assumptio, quia reverendum Patronum nostrum hodierna die venerabiliter recolimus ordinatum, atque saluti plurimorum superna dirigente clementia, Pontificem cœlitus datum. Hæc ergo summo devotionis officio honestissime celebremus, eumdemque orationum nostrarum adjutorem et suffragatorem quæramus. D

*AUCTORE MILONE, EX MSS.*

5 Plurimum quippe in cœlestibus sedibus obtinere posse creditur jam cum Christo positus, cui in terris conversatus in omnibus bonis actibus servire studuit indefessus. Ab ipsis siquidem pueritiæ suæ crepundiis divinis famulari elegit obsequiis, ac toto corde vivificis Domini sui obedire mandatis. Nec immerito post Apostolico vocabulo vivens meruit insigniri, quorum exempla concupivit imitari. Siquidem excelsis eorum meritis dignus habitus est particeps fieri, qui patria, parentibus, ac omnibus mundi possessionibus spretis, Christi elegit discipulus effici, ut hæres ipsius mereretur inveniri, pro quo universas voluptates caduci contempserat mundi. Nec tamen Apostolicis tantum dignus est laudibus adæquari, sed etiam Angelicis spiritibus ac universis agminibus cœli; cum Archangelis summis videlicet nuntiis, summa cœlestis regni præmia Gentibus nuntians; cum Angelis sacro sacerdotio Angelus Domini exercituum, ut legitur, effectus, communia mortalibus vivendi præcepta dispensans; cum Thronis, sessorem habens Deum; cum Dominationibus in motibus membrorum carnalium sciens tenere dominium; cum Principatibus fratribus et discipulis spiritali disciplina principari non ignorans; E cum Potestatibus, Regibus vel aliis quibuslibet prave agentibus plenissima libertate contraire potestatem habens; cum Virtutibus mundum pene totum sanitatis, ac variis virtutum prodigiis complens; cum Cherubim plenitudinem scientiæ, quantum humana potest comprehendere natura, retinens; cum Seraphim ardens ipse divino amore, et incendens alios geminæ dilectionis ardore. Hic etiam cum Patriarchis multorum nutrimento filiorum pater summus, cum Prophetis cœlestium præmiorum atque infernalium tormentorum prænuntius, cum Apostolis sua relinquens ac Christum sequens, eumdemque Gentibus variis prædicans Apostolus, cum Martyribus mortificatione corporis ac persecutionibus plurimis pressus Martyr, cum Confessoribus summo sacerdotio Confessor eximius, cum Virginibus, virginitate cordis ac corporis virgo mundissimus. Quod etiam patefecit incorruptione membrorum suorum incontaminatum inventum honorabile ejus corpus. Ipse etiam cum Evangelistarum figuris participium habens, dum Verbum divinum aliis evangelizat, cum homine rationabilis homo, cum vitulo vivens hostia, cum leone fremitu prædicationis rugiens, cum aquila ad cœlestia animi puritate conscendens. F

*Comparatur S. Amandus Apostolis, Angelicis choris, ac reliquis Sanctis:*

6 Ipse etiam cum divitibus Christi dives, monasteria plurima construens et captivos redimens, cum pauperibus Christi peregrinus et pauper, illum Psalmi versiculum jugi modulatione decantans: Incola ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei; nec non et illum ipsius Domini sermonem, quem cum discipulis in monte sedens habuit continua meditatione atque opere consectans, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Illam ergo paupertatem, id est, mentis humilitatem sanctissimus Pater Amandus concupivit, et ad hujus beatitudinis initia primo festinanter pervenit, ac deinceps ad reliquarum plenitudinem virtutum perfecte sublimiterque conscendit, et idcirco percipere dignus fuit cælorum regnum talibus a Domino promissum. Id, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis cum Apostolo Paulo patienter ferens, supra modum æternum gloriæ pondus operatum est in ipso, ut id in mercede mereretur, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus diligentibus se præparavit. Hujus etiam beati Patris personæ illud convenienter aptari potest, quod David Propheta ingemiscendo clamabat: Pauper sum ego et in laboribus

*dives in Christo et vere pauper, Ps. 38. 13. Matth. 5. 3. patiens, 2 Cor. 4. 17. in laboribus, Psal. 87. 16.*

LECTIO E MILONE EX MSS.

A bus a juventute. Pauper quippe in hoc sæculo B. Amandus esse delegit, qui omnia caducorum culmina honorum, simulque hæreditatem paternam, ipsamque patriam cum parentibus deseruit, et ipsius Domini præceptum cuidam adolescenti dictum : Veni, sequere me, festinanter implevit. Illud vero quod dictum est : In laboribus a juventute mea, si opera hujus diligenter a principio consideremus, non ab his eum vacasse cognoscemus. Quos enim ille in hac miserabili vita, quæ tota ærumnis ac miseriis plena est, non pertulit cruciatus? Præterea in vilitate vestium vel etiam nuditate, nec non et parcimonia ciborum quam asperam et arctam viam incessit, cui hordeacei panis esca, et abstinentia fuit a vino cum omni sicera. Reclusus insuper quasi eremita in cella arctissima, cilicina non horruit indumenta, recubans quasi delectabiliter in cinere, suumque corpusculum fame, frigore, nuditate castigans, et in servitutem redigens, inextinguibili jugiter Divinæ dilectionis amore flagravit, viamque vitæ, quam agendo didicerat, aliis nuntiavit, talentumque sibi creditum multiplicare studuit, Dominoque suo duplicatum sua suorumque salute veridicus ratiocinator reportavit.

(Matth. 19. 21; Psal. 87. 16; inedia, et vita solitaria)

7 Hunc itaque tantum ac talem non immerito nostræ provinciæ Apostolum credi decet, nobisque B reservatum fore dicendum, cum Dominus cuncto orbi ministros verbi sui dirigeret, qui tam nomen ejus Divinorum donorum prærogativis refulget : quique in terra positus, cœlesti factus est conversatione gloriosus. Illum ergo humilibus animorum nostrorum votis obsecremus, ut, quoniam ipse jam nunc in cœlesti curia thronum judiciariæ potestatis est adeptus, nobis cum ante illud terribile omnipotentis Dei tribunal venerimus, rationem reddituri de universis nostris actibus, dignetur fieri propitius, ac pro nostris erratibus in tam tremendo examine assurgat consiliens. Minus sane, quam oportet, ibi securos nos futuros timemus, sed hac in spe fiduciam habemus : quia, quod in nobis minus habemus, ipsius suppleri poterit meritis sacris ac precibus intervenientibus, reddetque nobis ex irato Domino Patrem serenissimum, atque repræsentabit nobis ex Judice terribili Defensorem, Salvatorem videlicet nostrum, cujus beneficiis et muneribus æternis sit laus jugis, et indeficiens gratiarum actio in omnes æternitates seculi seculorum. Amen.

(datus Apostolus nobis, ; et intercessor apud Christum Judicem.)

a A Rodolphomundo scripta ; Ecb Milonis carmine expositæ. — b Ita MSS. pro caliginosus. — c [illegible] chronologia [illegible] — d [illegible] annos [illegible] — e [illegible] — f MS. [illegible] — g Diploma [illegible] 70 et 71 [illegible] S. Eligii S. [illegible] translationem [illegible] S. Amandi [illegible] — h [illegible] — i [illegible] — k [illegible] — l [illegible] — m MS. [illegible] In unoquoque multiplici timoris [illegible] pavescere videbant. — n Edit. MS. sed hæc.

C

# DE ELEVAT. CORP. S. AMANDI,

Sermo Milonis monachi Elnonensis,

*Ex iii MSS. collatis cum editione Philippi ab Eleemosyna*

## CAPUT I.

*Miraculosa corporis constitutio.*

Quia opera omnipotentis Dei enarrare, fore honorificum, per Raphaelem Archangelum cœlestis medicinæ docemur bajulum, dignum arbitramur, imo necessarium, elevationem corporis sacratissimi Pontificis Christi Amandi memorabilem non tacere. Est quippe in ea, et divini miraculi portio non minima,

(Tob. 12. 7; Prologus Auctoris.)

et ejusdem beati viri laudis ac sanctitatis materies D infinita.

2 Igitur anno Verbi carnem-facti, scilicet filii Dei pro salute ac redemptione humani generis incarnati, octingentesimo nono, qui erat annus a transitu viri Dei Amandi *a* centesimus quinquagesimus, plurima ultra solitum aquarum inundatio facta, multis in locis metas suas excesserat, atque circumjacentes fluminibus agros damnosa segetum vacuatione nudaverat. Quod periculi malum adeo usque excreverat, ut etiam incolæ fluminibus proximi habitacula avita cogerentur deserere, et in sublimibus colliculis, donec decrescerent, mutatis tabernaculis habitare. Hæc vero excrescentium aquarum copia de die in diem, augmento imbrium intumescens, etiam oras fluvii vocabulo *b* Scarpi nimietate sua impleverat, qui beatissimi Patroni nostri Amandi tumulo pene contiguus, non amplius ab eo quam viginti passibus distabat. Qui quotidiano cremento superefluens, intantum excrevit, ut ad sacrosanctam sacratissimi corporis sepulturam accederet, atque omne illud ædiculæ ipsius spatium, quod circa pedes adjacet, superfusis aquis impleret, sicque pergentibus ibi gradiendi iter negaret.

(a Anno 809 facta inundatione aquarum, ; b ; usque ad sepulchrum fere S. Amandi,)

3 Hujus itaque incommoditatis tristis eventus, E monachorum animis mœrorem non modicum intulit, præcipue vero venerabilem *c* Lotharium, sacri templi illo in tempore æditmum, non mediocriter perculit. Cujus sagacis animi industriam, operumque efficaciam, et corpora librorum nostro archivo indita, ac totius cœnobii in melius augmentata, etiamsi humana lingua taceat, fabricæ structura clamat. Hic igitur insoliti permotus novitate diluvii secum cœpit pertractare mente sagaci, quibus modis imminenti succurreret periculo, aut tali ac tantæ perniciei quali obsisteret suffragio. Sollicitus enim erat, ne usque ad pretiosissimi thesauri depositum, sacri videlicet Patris corpusculum, altius telluri, ut in altero sermone diximus, a beatæ memoriæ Antistite *d* Eligio defossum, eadem aquarum affluentia penetraret, atque ipsum circumfluа humectatione, et improbo ausu contingendo violaret. Tandem ergo ancipiti dubietate submota ad hoc se salubre consilium sustulit, Divino, ut credi decet, instinctu animatus, quatenus ipsam sacri corpusculi urnam de inferioribus ad altiora subrigeret, eamdemque deinceps ab omni hac alluvione tutissimam, limosaque palude secretissimam, sua provisione redderet.

(c a Lothario æditue, ; valde sollicito, ; d)

4 Die igitur constituta Clericorum caterva ad tantum opus congregata, fossores necessarios adhibuit, F atque sarcophago elevando, plurimam diligentiam impendit. Quod summa cautela, ut dignum erat, levatum, in sinistra parte deponi fecit, ac festiva celebritate, per ampla ædis spatia lychnis relucentibus, Missarum solemnia pro tanti Præsulis honore devotissime exorsus, super eumdem tumulum implevit. Et quamvis in circuitu ipsius sepulchri, aquatilis humor extrinsecus fuerit, non tamen intrinsecus lutulentis sordibus, seu aquæ guttulis introitus patuit. Nec immerito credibile est Deum, qui omnium creaturarum naturas, pro suo arbitrio in quascumque vult rerum species transformat, ac tumescentia maria proprio nutu, arenis quasi habenis fortissimis frenat, etiam dilecti sui cadaveri, tanti honoris beneficium præstare potuisse, ut intra ipsius urnæ vasculum, quo pretiosum tenebatur depositum, nihil intraret sordium, ut cunctis fieret ejusdem venerandi Pontificis meritum manifestum.

(elevatur corpus ejus 10 Sept. ; [illegible])

5 Expletis igitur Missarum solemniis, paucis secum quos voluit, ex monachis retentis, ceteros abscedere fecit, ac non tam temerario ausu quam fidelis animi devotione fervens, explorare diligentius amica curiositate duxit congruum, quid sub oculis positum

A positum intra uterum suum teneret vasis receptaculum: simulque æstimans necessarium, ut ad devotionem honorandam quærentium, de pulvere carnis, sive de ossibus illius tolleret aliquantum pertinentiam reliquiarum. Interea omni dubietate submota, idem archicustos ad tumulum jam in superficie pavimenti positum humiliter accessit, atque operculo lapidis quo tegebatur remoto, diligentius introspexit. Et ecce obtulit se obtutibus illius vir cano capite reverendus, abstinentiæ ac jejuniorum macore, quibus comitibus vixerat, pallidus, sanctitate morum, meritorumque præcipuus, incorruptione quoque membrorum suave fragrantium quasi aromaticus, ac toto corpore incontaminatus, hoc solo quod in sepulchro jacebat dormienti simillimus, vestimentis pontificalibus honesta pulchritudine adornatus. Res raritate sui valde mirabilis, atque pro sui magnitudine humano sermone vix explicabilis. Qui enim putaverat se putrefactæ carnis, uti in mortuis fieri assolet, reliquias inventurum, reperit ultra æstimationem, inviolati corporis memorabile prodigium. Quali hæc visio digna miraculo, quamque immenso stupori proxima fuerit, eloquentia humani ingenii effari nequit, quin minus ariditas nostri sermonis, hæc explicare, B ut decet, tenuissimis valeat verbis. Stupefactus igitur, ut par erat, tam inopinati visione portenti, omnipotenti Deo debitis laudibus benedixit, tantorumque donorum, largitori gratias egit. Congaudens etiam tanti inventione thesauri, non modico iterum cœpit sollicitudinis angore cruciari, multa animo volvens, quid ex ipso ad commemorationem sequentium pro munere deberet auferri.

*integrum cernitur,*

*incorruptum, bene olens.*

6 Ubi vero fluctuantem animum anchora consilii stabilivit, casulam, qua erat indutus, a sacratissimo ejus collo abstulit, eumdemque in latus utrumque versans, cannas arundinum fluviales, quæ sub ipso olim positæ fuerant propter humorem aquatilem, subduxit. Idque suis desideriis minus esse perpendens, nisi etiam ex corpore aliquam tolleret inviolatorum portionem membrorum, vertit audaces, ut ita dicam, ad cadaver venerabile manus, unguesque spiritualis vituli cornua producentis et ungulas, secuit. Quæ post obitum illius, contra naturam ita excreverant, ut etiam manicas manuum ejus cremento suo penetrarent. Necnon et barbam Pontificis, nostri scilicet Aaronis, post sepulturam ipsius recrescentem totondit.

*tollitur casula:*

*ungues secantur*

*radi ur barba*

7 Hæc vero omnia sibi summo devotionis obsequio recondens, nec sibi tamen, suisque desideriis C sufficere credens, ad os sacratissimum, per quod divinæ pietati, crebræ orationum preces fuerant fusæ, ac variis populis frequentes prædicationes directæ, ausus est manum mittere, atque si aliquem de dentibus illius posset eximere, studuit pertentare. Sed et cum hoc, pro eorumdem firmitate, nequiret perficere, fabrili instrumento, tenaci videlicet forcipe usus, de gingivis pulcherrimi oris duos dentes eduxit, rubicundo colore, ut credi decet, ac antiquo sapphiro pretiosiores. Mirum dictu, fidelem quærens auditorem, quod contra naturam est, mortui cadaveris de dentibus eductis stillæ fluxerunt cruoris, hujusque monimenti usque in diem hodiernum testimonium acerra præbet eburea, adhuc eodem quo infusa fuerat sanguine, cum ibi servandi mitterentur, mirabile dictu, cruentata.

*dentes duo ei extrahuntur,*

*unde sanguis fluit,*

8 Renovatum sane in hoc facto, immo iteratum Divinæ majestatis opus veneramur, quod in primo mundanæ conditionis exordio editum legendo recordamur, quando de primo parentis latere in paradiso dormientis costam eductam legimus, eamdemque in muliebrem formam effigiatam audimus. Necnon et illud quod eodem actu figurabatur mysterium, de latere videlicet Christi in Cruce dormientis cum aqua sanguinem eductum, quando patefacto vitæ fonte, D mucrone militis, manavit pretium nostræ redemptionis, atque conscisso thesauri sacculo, sponsalis margariti egressa est plenitudo. Dotalis etiam pacti supra crucem scripti stipulatio, in pulcherrimo, Hebraicis, Græcis Latinisque expressa litteris, apparuit e albo. De quibus Ecclesia ad sui Conditoris ac Redemptoris similitudinem reformata, omnium credentium mater vitalis videlicet Eva est, remota priori calamitate, effecta. Non penitus incomparabile per omnia, de quo antea diximus, nobis videtur miraculum, quando aperto ore nostri Patris, nos in Christo per Evangelium generantis, pretiosissimi stillæ fluxerunt cruoris, quo omnis hujus ecclesiæ conventus amabilis, augmentum vere percipere meruit credulitatis, casteque conjugii fœdere digna effecta est et fidelis.

*comparatur cum san guine lateris Christi,*

*AUCTORE MILONE EX MSS.*

*e*

9 Dormivit igitur vetustus ille in paradiso Adam, et ex osse proprio fabricatam suscepit *f* conjugale contubernium Evam. Quievit postea Adam novus illius antiqui protoplasti protoplastes, in crucis supplicio, et ex cruore sui lateris subarrhatam sibi aptavit Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sed corpore et spiritu immaculatam. Repræsentavit vero quadam similitudine nobis illos utrosque nostræ E plebis Pater et parens iste de proximo post centum quinquaginta annos sui obitus dormiens in sepulchro, primi Adæ similitudinem referens in osse exempto, secundi Adæ, id est, Christi imaginem præbens in cruore effuso. Quibus utrisque gestis mirabilibus, præsentem sibi Ecclesiam ad sua solemnia congregatam, quasi veram dilectionis ac fidei puritate conjugem, omnium nostrum matrem videtur acquisisse. Quæ illi propria alvo, fonte videlicet sacro filios generans, mirabile dictu, et mater perseverat et virgo. De quorum collegio etiam ego, qui ista nunc suppleo, quamvis degener, ejus inenarrabili pietate existo.

*f costa Adam,*

10 Sane illa quæ verax priscorum Israeliticæ nationis Judicum narrat historia, huic, de quo loquimur, non longe videbuntur dissimilia. Samson fortissimum omnium Judicum quærentem conjugium, rugientem in semita obvium habuisse leunculum, atque de ejusdem violenter necati maxilla, cum regrederetur, mellis sumpsisse favum, suisque convivis ænigma proposuisse obscurum. Istis hæc aliqua sui pertinentia conveniunt, porro ad credendum titubantium animos instruunt, in quibus adhuc fides frigescente caritate vel vivit, vel potius, ut ita dictum sit, mortua vivere se credit.

*Jud. 14 e favo mellis in maxilla leonis, sed non reperio*

Non itaque insanientium more poetarum, inanes et a veritate vacuas fingimus fabulas[3], neque juxta Mantuani vatis figmentum, Æneio exemplo, de tumulo Polydori auri sacra fame necati, hastilia cruenta extrahimus; sed ad laudem Domini, meritum et nomen amabile Amandi Præsulis sancti adornare desideramus. Porro si illa meretricio sermone, et culta composita persuaderi quasi vera potuerunt paganis, quæ redargutio digna inveniri poterit Christianis, si minori fide dubitent de certis, quam illi de mendaciis et incertis? Superest itaque ut aut omnipotentiam Dei negent, aut de sanctitate tanti viri dubitent, et hac insania etiam paganis deteriores extent. Sed de his jam satis dictum sit.

*3 Æneid.*

11 Igitur ablatas de corpore viri Dei Amandi supramemoratas reliquias, congruo loco, debito honore deposuit: lapidum etiam cæsores, necnon et cæmentarios adhibuit, aliaque perplura, quæ ad hoc opus apta videbantur, exquisivit. Corpus vero venerabile a die duodecimo Calendarum Octobrium, quo lotus elevatum est, usque ad decimum Calendarum Novembrium, quibus restitutum est, per triginta duos dies supra terram manere permisit, ac die eodem, magno Cleri, populique conventu congregato, in loco præparato

*Corpus alteri loco reponitur*

*22 Oct. [illegible]*

A parato recollocavit : urnamque sepulchri, non, ut antea fuerat, in profundioribus posuit, sed in superioribus, ita ut fundamentum illius videri, et lumen sub illo accendi posset, collocavit atque in eo illum psalmi versiculum, Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam, suprascripsit. Utramque vero, elevationem videlicet corporis, atque restitutionem, celebrem esse fecit, suis etiam successoribus honorabilem in perpetuo fore sanxit. Quod hactenus nos devotissime hodierna celebritate colimus, ac nostros ut ea maneat cura posteros monemus.

*AUCTORE MILONE, EX MSS.*

*Psal. 131, 14.*

12 Hæc nos cum a Patribus qui his interfuere, et adhuc numerosi *g* supersunt, audissemus, frequenti sermone narrantibus, silentio nequaquam infructuoso tegere permissi sumus : sed ad laudem Christi Pontificisque ipsius, licet vili dictatu, posteris transmisimus. Talibus et tantis usque in præsens virtutibus, ejus celebrabilis honoratur tumulus. De sanitatibus vero in basilica ejus, qua requiescit, ipsius intervenientibus meritis patratis, aliqua hic commemorare supersedimus ; quoniam de his satis in libello vitæ illius expressa cognoscimus. Siquidem ad ejus memoriam *h* cæcitas visum, surditas B auditum, debilitas gressum, et taciturnitas linguæ recipit officium. Hæc nempe quasi communia Sanctorum dona referre omittimus, quia ad ignem in ejus memoria divinitus accensum stylus festinat stolidus, cui hebes prona devotione concurrit animus.

*Varia ad ejus tumulum fiunt miracula.*

*a* Hunc eumdem annorum numerum expressit in carmine, scilicet ab anno 661, quo putabat eum obiisse. — *b* MSS. Elnon. Bodlin. et Antverp. Iscarii. — *c* Alii Illustratum scribunt. — *d* Forte in errore intrudit Herman S. Eligium. — *e* MSS. omnia, pulcherrima alio. — *f* Ita MSS. aut ... — *g* Lacerna capere vel in carmine Milo. — *h* Ea referuntur apud Baudemundum num. 24.

## CAPUT II.

### *Ignis divinu virtute accensus.*

13 Denique ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo quinto, a transitu vero beatissimi Amandi *a* centesimo nonagesimo quinto, atque ab elevatione corporis ipsius quadragesimo septimo, die vigesimo mensis Septembris, celebritas anniversaria sæpe dictæ elevationis illius imminebat, quæ minus digno devotionis studio solemnis exstabat. Siquidem *b* quotidianis diebus consueto contenta officio, nullo ferali honorabilis erat obsequio. Quam negligentiam divino correctam prodigio, sequenti manifestius C liquebit eloquio. Non enim, ut aliquid etiam in transcursu dicamus, Dei omnipotentis miracula, sive per ipsum sive per ministros suos acta, tantum ad strepitum et plausum, favoremque vulgi excitandum credimus patrata; sed ad fidem corroborandam credentium, correctionemque animarum errantium, cœlestia terrigenis monstrari opera tenemus certissime : ut, quia quotidianis præceptorum sacrorum admonitionibus non emendamur, portentis quibusdam, quasi stimulorum aculeis, corrigamur. Et quia more generorum Loth obdorati, ut periturae Sodomæ terga fugiendo præbeamus, atque ad montem virtutum ascendamus, obedire nolumus, et ut nobis sermonem divinum, qui per Loth figuratur, quasi per lusum loqui videamus, terribiliaque præcepta mortem, ac perditionem minantia, juxta Prophetam, in canticum oris nostri vertamus.

*Nonnihil negligitur ejus cultus :*

14 Quid itaque isto, de quo loqui incipimus signo, ignis videlicet divini accensione, nos admonitos putare debemus, nisi ut flammam geminæ dilectionis, Dei videlicet et proximi, in nostris cordibus accendamus, qua in conspectu summæ majestatis lucere valeamus, vitiorumque rubiginem de actibus nostris ardore illius ignis, quem Dominus noster in terram, hoc est, terrena corda misit, ad purum expurgemus : D ut depulsa plumbi, id est, iniquitatis et peccati, a nobis gravedine, ad cœleste diadema nostri Regis, quasi aurum purissimum nos præparemus ? Sed de his satis, quamvis præpostero ordine dicenda fuerint, preoccupando diximus ; nunc ad ipsius signi magnitudinem, linguæ plectro et calamo scribæ accedamus.

15 Die igitur, qui jam dictam elevationem ordine temporis præcedebat, terminata synaxi vespertinæ celebritatis, non ita pleno, ut dignum erat, apparatu luminis, neque etiam festivo conventu, ut decebat, turbæ popularis, solvebat *c* sol jam a curru flammeo igneos quadrupedes; ac fraterno amore sorori Cynthiæ vicariam functionem præbebat : hacque vicissitudine alternante, æmula nox cæruleo circumamicta peplo veniebat. Completoriisque completis, tenebrarum horror jam lucernis egebat, ac quoniam quiescendi tempus jam venerat, monachorum singuli lectisterna petierunt, custodibus in aula basilicæ relictis. Qui more sibi solito, lucernis, nocturnis horis ardere suetis, accensis atque universis per tota ædis spatia cereis extinctis, dum unus eorum, post parvissimi intercapedinem temporis, diligentiam templi observans, redisset, cereum ad Sancti E vestigia ardere solitum, ac paullo ante extinctum, fuso cœlitus ignis candore reperit radiantem. Quem dum ab aliis æstimat illuminatum, iterato credidit extinguendum. Sic a singulis vicissim sibi succedentibus tertio extinctus, tertio nihilominus apparuit cœlesti igne coruscus. Qua de re quod superat in unum convenientes, ac singuli se eumdem extinxisse memorantes, et quis ipsum reaccenderit conquirentes, ita eumdem denuo extinguendum putaverunt, ut etiam carbonem, qui ex filo remanserat, emunctoriis digitis adimerent, probare volentes utrum rursus repetito luminis candore radiatilis appareret. Necdum quippe rem tanti miraculi pleniter agnoscebant, quamdam tamen animo sollicitudinem de hoc facto jam omnimodis capiebant. Qua de re dum ipsum cereum quarto reaccensum conspicerent, stupefacti, immo perterriti, quod quasi temerario, ut ita dixerim, ausu, eidem prodigio obviare extinguendo tentavissent, ipsum totiens evindicatum a lumine, ipsi concesserunt. Quid multis ? Permissus est ejus esse juris cujus virtutis majestate tantis vicibus apparuit invincibilis. Diu itaque super hac repentini novitate miraculi gaudio summo attoniti, tandemque dormitum euntes, stupidos oculos soporiferæ tradidere quieti. F

*Cereus quarto extinctus, quarto reaccenditur.*

16 Jamque nox ipsa tanto illustrata lumine prope transierat, et aurora rubescente matutinorum solemnitas propinquabat, cum interea custodes grabatis, quibus quieverant, surrexerunt, ac de cereis septem maximis, qui ad caput viri Dei sub ipso mausoleo, intra cancellos sub conclavi positi stabant, duos gemino candore, flagrantes repererunt. Ex illo autem ad pedes posito, quem paullo ante accendi viderant, inde isti ad caput statuti accenti fuerint non dubitabant. Finitis vero matutinorum solemniis, ac die jam clarescente, vulgata facti fama, omne monachorum agmen in basilicam venit, atque summæ sanctæ et individuæ Trinitati, excelsis laudibus vocibusque jubilantibus benedixit : Missarum deinde solemnia, pro ejusdem honore Patris, ultra solitum devotissime implevit. Cujus inexplicabilis melodiæ cantilenam diutius protelatam, ego ipse, qui hæc, qualiacumque sunt, describo, coram positus et audivi auribus, et ignem oculis vidi, atque hos etiam versiculos in ipsis concentibus tanto Pontifici dixi.

*Alii cerei divinitus accensi.*

Lumen, in æthereo quo clarus haberis olympo,
Monstrasti monachis, Præsul Amande, tuis.

Da

A Da famulis ambire tuæ consortia vitæ,
Ut valeant donis participare tuis.

Hoc igitur geminum divinorum beneficiorum munus, elevationem scilicet sacri corporis admirabilem, ac dationem ignis de cœlo missi memorabilem, summo devotionis tripudio, qui affuere, celebrarunt, atque, ut a posteris eorum honoretur, decreverunt, credentes levamen adepturos æternum, qui ejus memoriam cum debita habuerint actione gratiarum.

a Periit. Milo constanter in computo ante assumpto. — b Ita MSS. at editum cotidianis diebus contempta officio nullo etc. — c Ita MSS. quorum loco editum nox propinquabat

*a*

*ANIMADV. PAG. 107.*

# a EPITOME HISTORIÆ
## Translat. et Elevat. corporis S. Amandi,
## AUCTORE ANONYMO,
### *Ex MSS. Blandiniensi et Insulensi, ac Surio.*

*S. Aldegundis videt in cœlum deduci S. Amandum,*

Beata Aldegundis, in timore sancto ab ipsis infantiæ annis Domino serviens virgo, et corpore Angelicam in terris vitam peragere studens, inter reliquas visiones sibi frequentius a supernis ostensas, dum nocte Dominica vigiliis et hymnis in ecclesia Malbodiensis cœnobii ante altare S. Mariæ incubaret, B in ipsa qua B. Amandus transiit hora, in ecstasi mentis elevata, et ab Angelo per amœna jocundæ habitationis loca deducta, vidit virum senem, cygneo capite reverendum, sacerdotalibus et præclaris vestibus indutum, baculum in manu tenentem, ad superna quasi transire, turbamque copiosam albatorum ante et post eum iter habere. Cumque quis esset requisita, nescire se diceret, ab Angelo sancto ita ei responsum est: Vir, inquit, Dei Amandus *b* migravit a seculo: et quia Sacerdos in vita extitit dignus, seque ipsum bonæ voluntatis obsequio atque sanctarum virtutum exercitio Divinæ majestati sacrificavit, tam gloriosus nunc ad gaudia sui Domini pertransiit. Turba, quam vides albatorum, hi sunt, qui per instantiam prædicationis ipsius ad exemplum tanti Magistri feliciter informati, digni Deo et Sanctorum claritati judicantur asscribi in cœlestibus. Quibus pro eo, quod Pastor extitit idoneus, in regno Sanctorum et terra viventium super eos Princeps in æternum apparebit omnimodis gratiosus.

*b* *comitatum hominibus a se edoctis.*

*c*

2 Hac itaque visione divinitus ita manifestata, *c* corpus sacrosanctum B. Amandi in cœnobio, quod idem Sanctus ædificaverat, atque Elnonis vocabulum indiderat, debito fidelium honore sepultum est: non C tamen in ipsa, qua nunc requiescit basilica, sed in altera, quæ adhuc superest, Principis Apostolorum Petri nomine dedicata. Quæ quoniam pro sui parvitate tanti Præsulis tumulo visa fuit incongrua, atque etiam secundo sexui propter monachorum habitacula inaccessa, frequenti religiosorum virorum conventui visum est, aliam magnitudine præstantem debere ædificari: quæ et utrique sexui, ac confluenti illo sufficeret multitudini populari. Ad quam venerandus Christi Confessor, qui tunc supererat, *d* Eligius corpusculum sancti Patris sextodecimo post transitum anno, integrum et omnimodis incorruptum, septimo Calendas Novembris transtulit, et, ut tunc moris erat, altius telluri commendavit.

*e basilica feminis inaccessa,*

*d*

*transfertur corpus S. Amandi, post annos 16 incorruptum:*

3 Quod ibi usque ad annum sui obitus centesimum quinquagesimum in imis terræ visceribus occultatum, longo temporis spatio jacuit: sed anno Incarnationis Domini octingentesimo nono sarcophagum, in quo quieverat, Lotharius, sacri templi æditurus, elevari faciens, reperit insperatum magni gaudii thesaurum, inviolati videlicet corporis prodigium. Obstupefactus, ut par erat, tam inopinati visione miraculi omnipotentem Deum debitis laudibus benedixit, tantorumque donorum largitori gratias egit.

*elevatur anno 809, inviolatum*

4 Congaudens etiam tanti inventione thesauri, D non modico cœpit sollicitudinis angore cruciari, multa animo volvens, quid ex ipso ad commemorationem sequentium pro munere deberet auferri. Ubi vero fluctuantem animum anchora consilii stabilivit, casulam, qua erat indutus, a sacratissimo ejus collo abstulit, eumdemque in latus utrumque versans, cannas arundinum fluviales, quæ sub ipso olim positæ fuerant propter humorem aquatilem, subduxit. Idque suis desideriis minus esse perpendens, nisi etiam ex corpore aliquam tolleret inviolatorum portionem membrorum, vertit audaces, ut ita dicam, ad corpus venerabile manus, unguesque spiritualis vituli cornua producentis et ungulas secuit, quæ post obitum illius contra naturam ita excreverant, ut etiam manicas manuum cremento suo penetrarent. Necnon et barbam Pontificis nostri Aaronis, post sepulturam ipsius recrescentem totondit.

*AUCTORE MILONE, EX MSS.*

*casula tollitur:*

*ungues resecantur:*

*barba tondetur:*

5 Hæc vero omnia sibi summo devotionis obsequio recondens, nec sibi tamen suisque desideriis sufficere credens, ad os sacratissimum, per quod Divinæ pietati crebræ orationum preces fuerant fusæ, ac variis populis frequentes prædicationes directæ, ausus est manum injicere, atque, si aliquem de dentibus illius posset eximere, studuit pertentare. E Sed et cum hoc pro eorumdem firmitate nequiret perficere, fabrili instrumento, tenaci videlicet usus forcipe, de gingivis pulcherrimi oris duos dentes eduxit, rubicundo ebore, ut credi decet, ac antiquo saphiro pretiosiores. Mirum dictu, fidelem quærens auditorem, quod contra naturam est mortui e hominis, de dentibus eductis stillæ fluxerunt sanguinis. Hujusque monumenti usque in diem hodiernum testimonium acerra præbet eburnea, adhuc eodem, quo infusa fuerat, sanguine, cum ibi servandi mitterentur, mirabile dictu, cruentata. Facta est igitur elevatio ista mirabilis XII Calend. Octobris: signis etiam in ea per supernam virtutem patefactis, fideli populo constituta est ferialis. *f*

*dentes cruenti in corpore examini.*

*e*

*f*

*Discipuli ejus Sancti,*

6 Sane Sanctorum memoria, qui per B. Amandum Domino famulari elegerunt, superius generaliter prælibata; restat nunc quorumdam nomina ad laudem præcipui Doctoris intimare, ut eorum si quis legere gesta voluerit, ex illorum virtutibus tanti Patris et idoneæ legionis signiferi merita quodammodo pensare prævaleat. Cujus tam beatæ catervæ pars quædam et honorabilis extitit *g* Andreas sanctus, ab ipso Pontifice in monasterio Elnonensi constitutus Abbas: Jonatus etiam in Marcianis cœnobio delegatus, sanctusque Florebertus cum egregio viro Joanne, unus post alterum congregationi, quæ Blandinium appellatur, præpositi, necnon Levita præcipuus, quem idem vir sanctus per revelationem detotondit, beatus videlicet Confessor Mauront-us, una cum justo et magnifico viro Humberto, qui Angelo revelante, tam sibi quam B. Amando coronam in cœlis præparatam cognovit, atque ad indicium rei certæ, eodem Angelo imprimente signum in osse, Crucis in modum implicato, visibiliter usque ad mortem deportavit.

*g*

*Andreas, Jonatus, Florebertus, Joannes, Mauront-us, Humbertus.*

F

7 Non elongatur a cœtu isto Beatorum Gertrudis, Virgo sancta, ab ipso fidei initiis insignita, et sacro velamine consecrata: quæ fideliter usque ad obitum mandatis cœlestibus obtemperans, et in vita et post exitum multis se miraculis manifestavit. Juxta seculi etiam dignitatem nobilis Allovinus, qui S. Bavo est omnium vocibus appellatus, ex paganorum ritu ad Dei cultum per Pontificem prædictum conversus, et in via præceptorum salubriter introductus, per Divinæ inspirationis gratiam in tantum celsitudinis apicem conscendere meruit, ut etiam mortuum ab inferni faucibus revocaret, et palam omnibus vitæ reconsignatum exhiberet. Cumque Reliquiis

*Gertrudis,*

*Bavo*

A invidia. Quæ ipsa cum omnibus claustris suis statim est incendio devastata, nec non et Apostolorum Principis, sed et alia c germani ipsius ecclesia d. Campanæ fundendo in pulverem sunt redactæ: diruta etiam quæque ornamenta ecclesiæ, columnas dico de pario lapide cum e analogio honestæ fabricæ. Ubi quiddam contigit relatu dignissimum, quod sicut videntes et audientes in stuporem vertit non minimum; ita lecturis, ut reor, erit veluti monstrum. Nam mox ut ipsæ campanæ a flamma sunt invasæ, cœperunt insimul, nullius nisi solius Dei impulsu resonare, ac si divinitus monerentur plangere ruinam sui et ecclesiæ, donec, ut prælibatum est, in pulverem sunt redactæ.

*c d*

*e*

*campanæ miraculose sonant.*

3 Cujus habitationis restituendæ gratia, Fratres cum f Abbate ipsius loci, ex consulto g Marchionis terræ, atque Episcoporum, petitione quoque Francorum obnixa, feretrum, quo corpusculum venerandi Patris recubabat, per Galliam detulerunt, quos cum tanto thesauro Galli ubilibet locorum honorifice et summa cum devotione susceperunt. Excessimus sane monasterio septimo Idus Junii: repedavimus in idem sub die quarto nonas Julii. Quid autem hac intercapedine quatuor hebdomadum, meritis sæpe dicti Pon-B tificis coram immensitate vulgi, in ipsa regione sit gestum, non ducit mater Ecclesia reticendum: quæ filios suos orthodoxos, filiationemque suam in bona perseverantia quaquaversum conservantes lætatur functos honore polorum. Sed hæc omittentes, jam ad ea quæ decrevimus notanda, ac memoriæ commendanda, stylum, quamquam stolidum, vertamus.

*f g*

*Corpus S. Amandi per Galliam circumfertur:*

4 Quædam itaque peragrantes loca, Cameracum urbem devenimus cluentem pontificali Cathedra. In qua propter valvas quidam insensatus constrictis arctissime in nervo pedibus residebat, qui, ut ab incolis palam factum est nobis, ob nimiam insani capitis amentiam, quamdam propinquarum suarum sauciaverat. Ubi cum honorifice ab Antistite h Lietbertho, cunctoque ipsius loci Clero recepti, hospitandi gratia commaneremus, illum miserum donari S. Amando interpellavimus, quatenus solutum vinculis corporalibus, Sanctus, cui donaretur, apud Divinam clementiam obtineret dæmoniacis absolvi nexibus. Quod et ita factum est. Nam et Pontifex nostris assensum præbuit petitionibus, et ille Pontifex noster cujus corpus deportabatur, liberam mentem eatenus captivato a summo Pontifice Christo impetravit; ita ut inde nobiscum progrediens, nullum C male sani capitis indicium ultra prætenderet.

*CAP. II*

*Cameraci*

*h*

*insanus ad mentem revocatur.*

5 Ab ipsa quoque urbe vestigia detorquentes cum immenso comitatu civium, tendebamus versus oppidum, cui vocabulum est i Coceiuto, ubi multæ aversiones ab oppidano, seu judice ejusdem loci, familiæ inferebantur S. Amandi, quæ circa ipsum degebat oppidum. Sed ubi loco, quo dispositum erat tendere, propiavimus, ecce quemdam Presbyterum ecclesiæ in honore S. Remigii extructæ, Milonem nomine, cum plebe promiscui sexus non modica, obvium habuimus, humiliter obsecrantem, ut thecam tanti Pontificis in ipsam S. Remigii ecclesiam deferri, ibique paullulum requiescere permitteremus. Est autem ab hoc loco, non multum distans quidam viculus, quem dicunt k Vermlium. In hoc jacebat mulier, strato recubans ob immensum languorem membrorum, quæ a lecto nequiverat egredi per curricula bis quinque annorum. Hæc ubi aure percepit sonos et cantus plebis eo divertentis, caussam percunctatur. Cumque didicisset corpus S. Amandi a fidelibus turmis illo transferri, continuo in hæc verba prorupit: O si daretur me saltem manibus reptantem, quasi quadrupedem ei obviam fieri! implorarem Sanctum, quatenus interventione sacra meæ suffragaretur imbecillitati. Sed cum inhianter arderet, quæ optaverat

*CAP. III*

*i*

*Coceti*

*k*

*mulier languida 10 annis*

*subito sanatur*

D completum iri, interventu tanti Patris, ejus vota clemens prævenit Divinitas, cui, quæ mortales nec optare audent, promptum est præstare. Confestim denique sanguis discurrens circa nervos membra languidæ firmavit, languore exhausit, robore consolidavit. Sicque lecto, cui clinica diuturno languore incubuerat, leniter exiliens, exorsa est pedetentim progredi usque ad limen domus, inde non contenta incedere, ut est mos mulieribus, rapto cursu accurrens arripit feretrum, narrans cum idoneis testibus, quæ circa se, et quanta suo egerit patrocinio ille miraculorum operator egregius. Tum corrigiam cervici suæ, quasi servile jugum imposuit, seque, ut erat libera, dominio Sancti mancipavit. Nec immerito, quippe qui eam, quæ quasi quadrupes vitio naturæ decreverat exire, sibi bipedem naturali usu fecerat ovanter occurrere.

*AUCTORE GILBERTO, EX MSS.*

6 Hujus etiam consobrinus quidam juvenis, liber et ipse, sex lustra et eo amplius habens, mutus a nativitate, auditum tamen et intelligentiam plene capiens adducitur, qui ob linguæ officium sibi divinitus concedendum multas Sanctorum ecclesias inviserat: sed, ut dictum sit pace eorum, tanti Patris meritis istud servabatur donum. Antiqua in hoc renovantur miracula, et alterius Zachariæ imaginaria agnoscimus surrexisse tempora. Illi innuebant cognati, quod nomen vellet filio imponi; huic itidem innuebant propinqui, qua lege vellet se subjugare servitio Sancti. Ille nutu postulavit pugilarem sibi præberi, ut quod lingua nequiverat, notarent articuli; iste nutu æque indicabat se bis binos argenteos pro capitis censu eidem Sancto soluturum singulis annis. Ille quod paginæ indere voluit, restituto mox linguæ officio, aperto sermone pronuntiavit; videamus et in hoc quam iste jocundo miraculo imitatus sit eum, ubi coram feretro assitens corrigiam cervici suæ circumposuit. Continuo denique accedens Milo Presbyter, cujus supra meminimus, in cujus et hic diœcesi natus perhibebatur et adultus, compendiose eum est allocutus. Quid, inquit, præstolaris frater? Si nequis sermone, saltem digitorum indicio sub testimonio præsentium exprime, quod tenes in mente. Conticuere omnes, intentique ora tenebant. Tunc ille, ut bis binis conatus est digitis totidem argenteos notificare, clara ac prima voce protestatus est, quod articulis nitebatur expromere. O quem et quantum, si adesses, cerneres plausum turmarum catervatim undique confluentium, Deum hymnisonis vocibus nobiscum collaudantium, præ ingenti lætitia malas effu- F sione lacrymarum humectantium! Quid proferam de hac ipsa ætate, sub qua informatus est sermone? Christus mortuum in peccatis hominem, atque in Dei laudibus mutum, passione sua hoc eodem ævo vitæ restituit, in laudes Divinas os ejus aperuit, et B. Amandus interventione sacra hunc famulum suum, qui quoquo pacto æquiparandus mortuo, quasi locutione vivificavit, eumque laudes Dei extollere fecit, atque in gratiarum actiones Deo solvendas verba formare apud Divinam clementiam obtinuit.

*CAP. IV*

*mutus,*

E

*voto facto S. Amando,*

*loquela donatur.*

7 Nec minus et illud censeo prædicandum, quod in ipso limine portarum castri prælibati vidimus mirabiliter gestum. Simul namque ut ipsa sancti cadaveris lectica oblique tenebatur transposita, quatenus plebs cervices suas ei submitteret devotione humillima; mulier quædam approperans debilem filium ulnis ferebat, qui infra unius anni pene orbitam, terram calcare nequiverat. Hic itaque, ubi eum genitrix feretro supposuit, clamitare cunctis audientibus cœpit: Depone me, mater, quantocyus ab his, quibus vehor vehiculis, quia videor mihi jam posse tibi pedissequus fieri. Ne velis, obsecro, meæ obviare saluti, tuæ quoque lætitiæ adversari. Tum illa credens eum verbis hæc proferre

*CAP. V.*

*debilis puer sanitati restituitur.*



pueritibus,

*AUCTORE GILLEBERTO, EX MSS.*

A puerilibus, aut etiam erroneis; Noli, inquit, fili mi, noli, ne ab imminenti turba comprimaris; dum non possis ad exitum rei perducere, quod effaris. Et puer, Possum, ait, mater, possum. Post hæc non præstolans responsum genitricis, ab ipsius continuo se extorsit lacertis, paulatimque tentata via, in cursum se hilariter proripuit. His et hujusmodi clemens Pontifex perpetratis circa ipsum castrum miraculorum signis, maluit, credo, oppidanos a vexatione suæ familiæ blanditiis compescere, quam minis terrere. Sed quia hæc pro capacitate ingenioli nostri taxavimus, jam ad ea, quæ restant luce clarius nitentia, calamum transferamus, ejus, ad hæc explenda, invocantes patrocinium cujus credimus meritis reputari tanta insignia gestorum.

*a Sequitur Molonis Chronologiam.* b *Monumenta Amandina tradunt incendium illud accidisse die Sabbati, in quem incidit eo anno u Februarii. Joannes Buzelinus refert idem cum miraculis adjunctis lib. 4 Annalium Gallo-Flandriæ.* — c *S. Andreæ, cujus Decanus fuit Gillebertus scriptor.* d *Numero 17 juxta monumenta Amandina et Buzelinum.* — e *Analogium est locus altior, seu pulpitum, unde leguntur sacræ Lectiones. S. Benedictus in regula cap. 9. Legantur vicissim Fratribus in codice super analogium tres Lectiones.* — f *Landrectus, qui et Fulcardus dicitur, anno 1063 Abbas constitutus, vita functus anno 1076, jacto fundamento majoris basilicæ.* g *Marchio Flandriæ, Balduinus Pius, sive Insulensis.* — h *Obiit B. Leibertus Cameracensis Episcopus anno 1076, 23 Julii.* — i *Cocium, vulgo Coussy, inter Axonam et Axonam fluvios juxta abbatiam Novigentum.* — k *Vernolium pagus vicinus in diœcesi Laudunensi, vulgo Verneuil.*

B

## CAPUT II.

### *Miracula Lauduni, Calnici, Noviomi, et Duaci facta.*

*CAP. VI* — *a Lauduni b*

Postera denique aurora finem dante, montem *a* Laudunii accessimus, ipsumque statim conscendimus, atque ibi ab Episcopo *b* Elenando, universoque ejusdem loci Clero, cum ingenti veneratione recepti eo die quievimus. Interea sol vergebat ad occasum, et ecce quemdam insani capitis adducunt, manicis pedicisque ligatum. Nox ruit Oceano, cum interim pretiosissimi illius thesauri thecam circumvallantes pueri, innuptæque puellæ, juvenes cum senioribus, incipiunt devote excubias, cum facibus et lichnis ardentibus. Cum vero jam nox medium orbem tenebat, suadebantque cadentia sydera somnos: cum ille de repente jacens sub feretro in hæc verba prorupit: Cur meos lacertos hæc astringant ligamina, aut ubinam dejectus jaceam, posco pandatis qui circumastatis. Tunc illi stupore attoniti, rati eum erratica, ut ante, verba proferre, tamen quæ sciscitabatur edocentes: Ob nimiam, inquiunt, tui capitis amentiam, ligaminum nodis obstrictus ad patrocinium S. Amandi adductus es, cujus corpus in præsenti S. Mariæ ecclesia noveris recubare. Deo, inquit, gratias mecum habetote, vis immanis abscessit dementiæ: abscedant jam nunc oro catenæ. Qui simul ac ab omni nexu immunis factus est, consignans se signaculo sanctæ Crucis, siquod, diabolo instigante, verbum adversus fidei puritatem, in ipso errore fuderat, pectus contundens, reum se professus est. Inde servum se S. Amando tradidit, cujus precibus suæ mentis columen indesinenter reputabat. Et merito ejus se subdidit servitio, cujus suffragio se eatenus mentis impotem a sævi tortoris noverat eliminatum ergastulo.

*insanus, mentis compos efficitur,* — C — *in ecclesia S. Mariæ:*

*CAP. VII* — *clauda erigitur:*

9 Illa quoque non sunt silentio prætereunda, quæ die Dominica inde nobis remeantibus, habentur supra ipsum montem cunctis cernentibus gesta. Dum itaque portas urbis in supercilio montis positas, cum ingenti cohorte promiscui sexus, ipso fervore meridiei posthaberemus, ecce mulier perplexis tibiis, serpens manibus, vultu terræ infixo accessit, cunctisque viam pandentibus feretro propinquavit. Res mira, et admodum stupenda. Ubi se bajulis immiscuit, resolutis nervis se erigens, ipsum gestatorium, mirabile dictu, constanter arripuit. O quis fremitus ab ore vulgi resonabat, quantusque fragor monachorum, Clericorum, atque laicorum in Dei laudes resultabat! Tunc erat cernere turbas undique ad hoc insigne confluentes, intantum ipsos bajulos gratia videndæ mulieris opprimentes, ut vix quispiam eorum posset movere pedes. Enimvero sapienti usi consilio, fecimus sanctum corpus per spatium circiter trium horarum, super quamdam rupem in eodem requiescere loco, ut vel sic aliquantulum respirantes, dein ab ipso descenderemus supercilio. D

*CAP. VIII* — *cæca illuminatur:*

10 Rem stupidus refero, miraque, fidelem quærens auditorem, enarro: sed non si quæ probante visu hæc titulantis acta sunt, fere sub unius horæ spatio. Continuo namque quædam secundi sexus persona accessit, quæ septem annorum rotam evolverat in mœrore cæcitatis: hæc simul ut oculis loculum tetigit, detersa caligine, amissi luminis dispendia reparavit. Quæ luci pristinæ restituta, inde nobiscum progrediens, cœpit erga se gesta Christi propalare magnalia.

*CAP. IX* — *muta a nativitate, loquelam accipit.*

11 Quædam quoque puella ab utroque adducitur parente, quam uti materna fuderat alvus, perhibebant linguæ officio ad ipsam usque diem caruisse. Hæc pariter ubi venerandi corporis receptaculum deosculatur; plectro linguæ resoluto, vocis organa in laudem Dei sustolluntur. His et hujusmodi quampluribus plebs Laudunensis exhilarans corda miraculis, quæ obtutibus nostris cernenda abstulit inexplicabilis concio promiscui sexus et ætatis, quæ etiam postmodum nobis relata sunt a fidelibus viris, grates solvebat Majestati celsitonantis. Non solum hujus, sed et ceterarum urbium indigenæ ad hæc confluentes spectacula, Deo solvebant ora vocibus hymnidicis, Divino numini laudem dicentes, quod caussa Sanctum illuc deportandi acciderit, credentes, quoniam nunquam a tanto Patrono talia suis emanarent oculis, nisi Ecclesiam ipsius incendium devastaverit. Quippe quia nec ipsum suis allatum gauderent confiniis. E

*CAP. X* — *c* — *d* — *In castello Calneio* — *cæcus puer*

12 Inde utique cum immensa vulgi alacris pressura detorquentes vestigia, processimus tendentes versus Noviomi mœnia. Jam *c* currum immergere sol Oceano parabat aureus, cum castellulum, quod vocant *d* Calneium, advenimus, ibique hilariter hospitio recepti, noctu quievimus. Ubi de mane post vigilias nocturnas quamdam vidimus matronam, quæ in gremio confovebat puerum, gestantem absque lumine lampadem, ocellos dico in capite nullam in se habentes lucernam. Hæc itaque accedens incipit effari, mediaque in voce resistit, singultu quatiente dolorem, exprimens quo afficiebatur super glaucomate filii a nativitate cæcutientis. Cum hoc, inquit, puero noctem hanc pervigilem duxi, excubans sub feretro S. Amandi. Hunc sane enixa sum mundo absque lumine naturali, et ad hoc eum huc detuli, ut radiis meritorum istius illuminaretur Sancti. Sed quia nondum voti compos effecta sum, aliquibus hujus Sancti reliquiis tangite obsecro loca lucernarum, si quo modo Divina pietas mihi condescendat supplici, ad hunc sua gratia illustrandum. Tunc dentem sæpedicti Patris, fabrili opere, auro decenter politum, baculum quoque sumentes, quo prædicationis suæ rexerat præsulatum, posuimus, ut poposcerat genitrix, super loca luminum. Parvoque expleto intervallo, mox pueri ocelluli suo utuntur officio, nulla penitus obstante caligine clarescentes numine Divino. Tunc vero quique adstantes, genitor in primis cum genitrice, volentes hoc ad certam fidem experimento deducere, offerebant ei monilia, atque candelulas, ceteraque quibus puerilis animus solet arridere, et ipse prout clare dijudicans cuncta celeriter arripiebat, mox quoque ludendo porrigentibus sibi vicissim rejiciebat. Digitis etiam innuebant, et ipse contra similiter faciebat. Nec mora Canonici prosiliunt F

*tactu reliquiarum S. Amandi illuminatur.*

A prosiliunt ad campanas, nos autem cum populo in laudes prorupimus divinas.

*Cap. XI. Noviomi obviam albato corpore S. Eligii,*

13 Dehinc Noviomum, quo ire pergebamus, pervenimus, ibique S. Eligii quondam S. Amando, dum uterque adviveret, familiarissimi loculos geminos, alterum cum monachis, alterum vero Cum Clericis obviam habuimus. Ubi ex diversis quibusque ordinibus suburbani, oppidani, Clerici cum monachis, affuere, qui nostri Patroni thecam cum immensa suscipientes veneratione, ac summa devotione in ipsam Pontificalis Cathedræ ecclesiam detulere. Tenso itaque in platea urbis nostro papilione, iidem haud sine ipsius loci Antistite *e* Baldewino reverenter recipientes, eo asportavere, tanto gaudentes hospite. Ubi nocturnis de more expletis vigiliis, matutinorum quoque nostratiu peractis solennis, en mulier affuit oppressa enormi dolore vertiginis, intantum ut sursum, aut dextrorsum, sive sinistrorsum non valens caput deflectere, foret gaudio cassa luminis. Quæ secus feretrum astans, ad ipsam usque mediantem lucem diei, ita reddita est incolumis, ut his, quibus præ dolore capitis privata erat remediis, lætificaretur coram cunctis. Nam et visu pristino statim redimita suspexit cœlos, ad gratiarum Deo solvendas actiones, et circumferens oculos respiciebat hinc inde ad circumstantes, Domini circa se mirabiliter enucleatas narrans virtutes. *(cæca illuminatur,)* B

*Cap. XII. distortus pedibus curatur,*

14 Quo facto statim per ora vulgi disperso, quidam *f* sedens pede distorto adducitur, qui propria non credens humo vestigia, juvamine fulciebatur alieno. Unde factum est, ut sanctissimi Confessoris requirens auxilium, ipsius exploraret gratiam meritorum. Nam diutius coram ejus manens tremebundus præsentia, tanti Antistitis invocabat precamina apud Divinam clementiam sibi profutura. Tandem igitur quod quærebat, reperit, et qui alienis venerat, suis vestigiis rediit, patrociniumque Sancti sibi non defore persensit. Hæc et hujusmodi quam plurima non modo his, verum et aliis urbibus in Gallia, per nostrum hunc Patronum, ut prælibavimus, ostensa sunt virtutum insignia, quæ aciei nostræ non valuerunt pertingere notitiam, præ immensitatis popularis pressura; sed qui, nolumus excedere promissa, ad præsens ea scribimus duntaxat, quorum nostros oculos non latuerunt insignia.

*Cap. XIII. g Duaci contracta mulier sanatur.*

15 Sed et illud reticere non ducimus commodum, quod *g* Duaci perspeximus insigniter perpetratum. Quædam namque inter alias incolumis processit nobis C femina, sed, nescio cui reatui obnoxia, non est inventa Sancto occurrere digna, fortassis in eum alicujus blasphemiæ rea, quam necdum digna punierat pœnitentia. Judicia enim Domini abyssus multa. Unde factum est, ut statim, ubi domum rediit, pedes ejus natibus, manus quoque pectori quasi clavis infixæ hærerent, ac sic semimortua jaceret. Hanc utique vidimus ipsi ad perfugium nostri Patroni, quasi mortuam, atque nullum penitus in se vitæ spiraculum prætendentem, quodam deferri vehiculo; sed non multo post vidimus eam pedibus resolutis ac manibus versa vice coram ipso erectam adstare feretro. Hæc sunt, quibus per Gallicam provinciam beatissimi Amandi merita, *h* ea tempestate declarare dignatus est Dominus. Cum quibus et alia, quæ ab ipsis infirmis sanitate redintegratis sub testimonio fidelium nobis sunt relata. Qualia tamen ista, quanta et illa; in omnibus operibus suis sit nomen Domini benedictum in secula, Amen.

a *De Laudunio, seu Lugduno-Clavato, supra actum.* — b *Elenandi* hujus Episcopi mentio fit in Miraculis S. Huberti 3 Novemb. c *Ita MSS. editum*, cursum. — d Calneum, *Massonio* Calnicum, *vulgo* Chauny, *oppidum non procul ab Arta flumine, e quo deductus rivus prope muros fluit inter Feram et Noviomum.* — e Balduinus Noviomensis Episcopus, postquam, *teste Buzelino lib.* 6 *Annal. Gallo-Flandriæ*, multos Ecclesiæ Christianæ gratia labores admodum fortiter collocasset. — f *Forte* incedens. — g *Urbs hæc nunc præclaram habet Academiam.* — h *MSS. et excusa habebant, etc.*

D *Auctore Gilleberto, ex MSS.*

## CAPUT III.

*a* *Ope S. Amandi carceratus liberatur, et suspensus suscitatur.*

*Cap. XIV.*

Mos fuit antiquis, necnon manet usque modernis,
Scriptoris calamum varios percurrere sulcos.
Sic variat mentem dictantis prosa, metrumque:
Unde metro canimus quiddam mirabilis actus
Gestum Coceii, postquam remeavimus ipsi.
Quod jam non oculis, sed fonte probavimus auris.
Terræ culturæ se condonabat abunde
Quidam Landricus, hic quem ditaverat usus: *(Landricus a messe)*
Solibus æstivis is cum messoribus ipsis,
Tempore quo flavas segetes jam demetit æstas,
Stans lætos fructus proprios sumebat in usus:
Cum præmissus eques mannum calcaribus urgens,
Conentus a castro venit, supra memorato
Landrico missus, et ei vim ferre paratus:
Qui nitens aliquos ab agro sibi ferre maniplos, *(raptorem arcens,)*
Mox ibi sensit agri possessorem dominari:
Denique ridiculum commisit uterque duellum;
Iste negando sua, sed et ille petens aliena. E
Tum raptor missus, rapiendi jure potitus,
Conatu cassus proprio repedat pudibundus.
Cumque statim factum foret Albrico manifestum,
(Sic castellanus per nomen erat vocitatus)
Adducatur, ait, vinctis post terga lacertis,
Landricus dirum gestans sub gutture nodum
Carceris ima simul digne satis experiatur. *(includitur carcere:)*
Ad cujus verbum fera vincula carceris illum
Vallant et vexant, sordibus ac horrore retentant
Hoc igitur castrum, sic est merito vocitatum:
Nam fera plebs ejus barathri se trudit ad actus,
Cujus fluminibus se commiscendo *b* Cocytus, *b*
Post se Coceium trudit per prava suorum.
17 Qualiter hic tetro sit carceris erutus antro,
Pandimus, auctores ut deprompsere fideles.
Nempe catenatus, vallante crepidine clausus,
In diversa trahi cœpit: mentique revenit,
Quod nuper titulis insignis Amandus honestis *(invocato S. Amando,)*
Patrarat, mutis dans verbum, lumina cæcis.
Tunc orans lacrymis, et dans suspiria cordis,
Edidit ad tantum, sic clamans, verba Patronum:
Pontificale decus, operumque patrator opimus,
Præsul Amande, tuos nunc affore posco triumphos.
Non aliquem quæris verbis uti *c* cameratis: *c*
Simpliciter dico, jam nunc mihi proximus esto; F
Si verum de te nuper deprendimus esse;
Quod per te tanta, circa confinia nostra,
Extent completa, non naturaliter acta;
Exige jam verum clemens ex hoste tropæum
Qui nimis immerito retinet me carceris antro,
Ac in me rerum coacervat quæque malarum.
Oro juves precibus, ne squallor carceris hujus
Me vexando diu subigat, mortemque minetur.
Pondera mox ferri post ejus verba resolvi
Sic cœpere simul, quod fit mirabile dictu, *(liberatur.)*
Ceu quis enim ferro manibus relevaret ab ipso.
Tum tractans sensim, capiens et iter pedetentim,
Egressusque foras venit, Judex ubi caussas
Exercendo, latus stipante satellite fultus,
Vanos sermones referebat et undique fontes;
Coram quo positus, cunctis cernentibus exit
Landricus, post se nec quemquam surgere cernit.
Sic cujus clemens miseratio vociferantem
Audivit pridem, nunc ipsum munit euntem.

*Cap. XV.*

18 Præcipuum quoddam miraculum in pago Noviomensi, a B. Amando factum, sicut quorumdam *d* relatione didicimus, legere volentibus qualicumque scripto notificare curabimus. Beato igitur Amando *d*

cum

AUCTORE GILLEBERTO, EX MSS.

A cum duodenis Fratribus in pago Laudunensi, loco qui dicitur *e* Baresetum, commorante, contigit ut Rex Francorum *f* Dagobertus die quadam *g* Compendium deveniret, cujus adventu comperto Beatus illuc Amandus pergere disposuit. Qui cum ad villam Melincolum appellatam pervenisset, in domo cujusdam viduæ, quæ unicum habebat filium, hospitandi gratia divertit. Interea quidam raptores ex Belvacensi regione venientes, quamdam inde prædam furto abductam ante se deducebant. Qui cum ab incolis ejusdem regionis se insequi perniciter cominus aspexissent, opaciore silva sese cum præda sua protinus immerserunt, nec tamen de vita securi, adversarios se insequentes pernici gressu fugiebant. Fortuito jam casu filius mulieris viduæ, in cujus hospitium Beatus diverterat Amandus, per eumdem saltum solus deambulabat. Cum caussam penitus ignoranti prædam suam latrones quasi custodiendam reliquerunt, et ipsi semet tantum salvare volentes, expeditius jam fugere cœperunt. Porro viri qui prædam de manu latronum festinabant eripere, juvenem solum cum præda a latronibus dimissa in saltu reperenrunt. Quem quia unum ex latronibus fuisse existimaverunt, comprehensum illico suspenderunt. Nec B mora, rumor excitatur, clamor attollitur, filius mulieris viduæ suspensus atque jam mortuus esse nuntiatur. Ab omnibus pene incolis circumquaque manentibus curritur ad videndum, mater etiam suspensi miserandis clamoribus ejulans cum Beato, quem hospitio susceperat, accurrit Amando. Quid plura? Intantum vir beatus super compassione mulieris indoluit, ut humi prostratus tamdiu orationi plenus lacrymis incubuerit, donec juvenem vivum et incolumem propriæ matri gaudenti et exultanti, propitiante, restitueret. Ob hoc ergo paradoxi dignam et venerabilem memoriam quædam capellula exiguo sumptu in eodem loco constructa est in honore beati Pontificis Amandi, ad laudem Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, Sanctum suum in cœlo et in terra mirifice glorificantis: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Divertit S. Amandus apud viduam,

cujus filium suspensum a morte liberat.

a Tindus hujus capitis erroneus erat in codice ... data at ... — b Cocytus fluctus infernalis, ... lugere, plorare. — c Id est ... secundatis ... — d Dum ... S. Amandi ... Auctor; quod a reliquis miraculis hunc ... separat. — e Seu Barisiacum, de quo ... 2. — f ... Childerici Regis ... Dagoberti ... hunc locum donatum ... S. Amando ... An Dagobertus filius S. Sigeberti intelligendus? — g Oppidum C elegans ad confluentes Axonæ et Isaræ fluminum.

## CAPUT IV.

*Periculum mortis amotum. Clinica sanatur.*

Stylo pandat obsequium, succedens his miraculum
Ut quod doret præsentibus, pateat subsequentibus.
Processu namque temporis, dum structura fundaminis
Ecclesia *b* resurgeret, ac valenter proficeret,
Variæ operarii occupabantur plurimi.
Quorum mittuntur gemini terram fodere sabuli
Willebertus vocabulo, Alberto sibi socio.
Hi ergo facti compares ad operandum agiles,
Exequebantur gnaviter opus injunctum pariter.
Qui unius articulo diei cum fossorio
Intrantes quidemum, mortis incurrunt laqueum,
Quos si cepit, non tenuit, sed laxum sinum præbuit:
Et quos Sathanas terruit, Præsul noster eripuit.
Quos turbavit sævitia, fovit misericordia.
Nam locus erat concavus jacens illis sub pedibus,
Terraque cum lapidibus imminebat cervicibus.
Quid multis? Moles corruit, hosque ferme comminuit.
Willebertus pubetenus detinetur intrinsecus;
Albertus autem penitus ad una scrobis truditur.
Quo concurrens vicinia, membra quærebat mortua.

Fossuri sabulum,

obruuntur terra et lapidibus,

Nam quis vivere crederet, quem tanta moles sterneret? D
Tamen vivebat merito sancti Præsulis inclyto.
Per quem mirum apparuit, quod servum morti sustulit.
Terram enim quæ ruerat, lapidumque volumina
Amoventes finitimi, vix caput semimortui,
Quod pene jam contriverant, ut petras illic jecerant,
Repperientes, extrahunt quasi cadaver mortuum.
Nullum vitæ spiraculum in eo nec anhelitum
Percipientes vividum. Nam ab hora jam tertia
Usque fere ad septimam in tenebris horrentibus
Jacuerat sic obrutus. Inde trahentes pallidum
Mortuoque simillimum, cum tractarent de loculo
Et faciendo tumulo; cernentes hunc rubescere,
Intellexerunt vivere. Hic quoque multo tempore
Post sanus vixit corpore cum illo suo compare.
Et post illum certissime perseverans servitio.

mortui creditu,

superjuerunt.

20 *c* Anno ab Incarnatione Domini CIↃXC cuidam monachorum S. Amandi, per somnium visio apparuit tamquam dehiscens cœlum, ardorem igneum flammantem emiserit. Et ecce e vestigio *d* clades ignea homines invasit, quæ contemptoribus Creatoris ardorem præconaretur Divinæ animadversionis. Hic est enim calix justæ damnationis, qui per Prophetam Hieremiam propinatur sanctæ religioni contrariis. Quod ipsa re dignatus est Dominus evidenter E declarare. Nam ardentes ad loca deferebantur *e* Sanctorum, et extinguebantur meritis ipsorum. Quid hoc in facto utrorumque voluerit mortalibus præmonstrare, nisi quod inobedienter juste mereantur ignem gehennæ, jussis vero Dominicis obtemperantes, misericorditer adipiscantur refrigerium quietis perpetuæ? Unde quibusdam in ecclesia S. Amandi quadam dierum datis refrigerio, dum signis concrepantibus astarent monachi cum cordium ac vocum jubilo, jacebat mulier foris in domo languore clinica diuturno. Quæ auribus sonitum percipiens signorum, dicensque hoc fieri pro remedio ardentium, filiam, quam domi habebat, et quemdam vocans sibi domesticum rogabat se baculo sustentandam, ab eis deduci ad oratorium. Fatebatur enim se fideliter credere, quod S. Amandus etiam ipsi valeret salutis emolumentum meritis suis divinitus impetrare. Quod et factum est. Denique ad Ecclesiam talibus sustentaculis cum gravi perveniens labore simul ac dolore, prostrata implorabat sibi tanti Patris suffragia succurrere. Cum non multo post paulatim erigens se, aliquantulum meliorata, et de augenda sibi jam confisa salute, dans manum alteram filiæ, altera baculum tenens pervenit ad altare. Ubi orans cum fide, F ex integro sanitati restituta est pristinæ. Quod sentiens surrexit, atque lætabunda remeare cœpit. Cumque dexteram ei porrigeret filia, monens eam assumere virgam in via regenda; illa exiliens et circa altare discurrens, proclamabat, se ultra ad sustentandum non egere baculo, nec alicujus adminiculo, quippe cui S. Amandi beneficiis optatæ salutis remedium divina concesserit miseratio. Quod tripudium monachorum sive clericorum Deum collaudantium, atque laicorum utriusque sexus eo confluentium, ubi tunc fuerit, tanti facti excellentia prodit. Tunc temporis agens in concilio *f* Antistes Metropolitanus Remensis Ecclesiæ, audiensque consumi homines tam gravida lue, *g* triduanum jejunium constituit agi, Ninivitarum more: quatenus divini examinis censuram placaret humilitas pœnitentium, quam offenderat contumacia inobedientium. Tantam igitur gratiam auctor omnium suo indulsit populo, ut etiam pueri parvi tam fide quam devotione, huic se manciparent constituto. Qui cernens iniquitatem verti in æquitatem, quam juste hominibus exaggeraverat, misericorditer removit ultionem, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

c

d Dum preces contra ignem sacrum instituuntur

Jerem. 25, 15

e

clinica in templo S. Amandi sanatur.

f

g

a Hæc

A a *Hæc duo capita continentur in MS. Amandino, postea adjuncta, sive ab eodem Gilleberto, seu potius alio.* — b *Ergo post obitum Lamberti, seu Fulcardi Abbatis, sub Barone, aut primis annis Hugonis.* — c *Præponebantur hæc verba instar tituli:* S. Amandi de Rizo. — d *De igne sacro illis annis grassante et cælitus denuntiato pluribus egimus* 17 *Januarii ad Vitam S. Antonii tractatu particulari post translationes, de miraculis ejusdem* § 1. — e *SS. Piatonis, Rictrudis, Martini, Deiparæ Virginis, et S. Antonii, uti ibidem diximus ex Iperlino et aliis.* — f Rainoldus, *sive* Rainaldus Contractus; *Gallice* Reure, *qui Atrebatensem Episcopatum ex mandato Urbani Papæ divisit a Cameracensi: mortuus Atrebati anno* 1093, 21 *Januarii, quo die ejus anniversarium adhuc agit Ecclesia Atrebatensis.* — g *Eodem tempore aliæ ab Episcopis institutæ publicæ preces. Ita Meyerus lib.* 2. *Annalium Flandriæ ad annum* 1092 *scribit:* Tornaci religiosa instituta supplicatio ab Radbodone Episcopo die Exaltationis sanctæ Crucis, ob pestem quam vocabant ignariam, hoc est, sacrum ignem. Magna religione sacris ubique operatum, ad procuranda quæ fiebant prodigia, placandamque Dei iram. Nam alii instar carbonum nigrescentes, alii exesis morbo visceribus tabescentes, pars truncatis miserabiliter membris, incredibile est dictu, quam multi mortales sacro illo igni sint absumpti. *Ignis sacer.*

# HIST. MIRACUL. S. AMANDI,

## CORPORE PER BRAGBANTUM DELATO,

### AUCTORE FORTE GUNTERO MONACHO ELNONENSI,

*Ex iisdem MSS. et operibus Philippi ab Eleemosyna.*

### PROLOGUS AUCTORIS.

B Multis et frequentibus modis, si curamus advertere, gratia divina visitare nos, et ignaviæ torpore depressos excitare dignatur; et modo terroribus minatur, modo paternis blandimentis infirmitatem humanam consolatur. Terroribus, ut resipiscant, peccantes increpat; blandimentis bene agentes exhortatur, ut in melius proficiant. Aliquando interna inspiratione nobiscum agit; aliquando sensibus exterioribus insolita ministrando desidiam excutit. Videns enim querelas aliquorum, quod, sicut anti quitus faciebat, prodigia nulla nostris ostendat temporibus murmurantium, renovat aliquando miracula, per corpora vel cineres etiam defunctorum Patrum, quæ viventibus ipsis concessit operari signa foris apparentia interiorum virtutum. *Miracula indicant Deum in Sanctis habitare,* Quid enim aliud prætendunt sensibus nostris opera divina, quæ per Sanctos suos operatur omnium creatrix Sapientia, nisi quod in eis habitantem intelligamus, tanquam in templo suo, cunctorum opificem, et loquentem, et facientem? Quamquam etiam ut suam demonstret omnipotentiam, per iniquos operetur ad utilitatem suorum, et ad confutandam infidelium improbitatem, C multa miracula, quas virtutes figurate solet appellare Scriptura; ut ipsa veritas attestatur in Evangelio: Multi dicent mihi, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? (Matth. 7. 22) Cum autem ad corpora Sanctorum divinitus miracula fiunt, quid aliud inde nobis cælitus innuitur, quam ut ad imitationem saltem illorum, ad bene operandum accingamur, quorum meritis talia fieri non dubitamus? *et horum virtutes imitandas esse.* Evigilent itaque mentes hominum mortifero torpore dormientium, et admota sensibus suis opera Divinitatis intelligant: ut sanitates corporum, caussæ fiant salutis animarum. Ad hoc enim frequenter in corporibus morituris sanitates reparantur, ut vel occasione tali, videntium animæ numquam morituræ ab interno languore suscitentur. Benignitas etenim Creatoris omnibus consulit, pro capacitate singulorum, beneficia singulis congruentia moderanter impertit. Sic prudentes et fide robustos, ad contemplanda cælestia erigit, ut simplices tamen et infirmos non deserat, et sensibus carnis deditos visibilia quædam et carnalia eis admovendo, ad majora et invisibilia et spiritualia nutriendo sustollat. Jam veniamus ad rem, propter quam ista prælocuti sumus, ne forte longiori præfatione legentibus onerosi videamur a.

a *Sequebantur hæc capita, quæ hic indicasse sufficit.*

D Principium narrationis rei gestæ et de muliere sanata. — 2 Item de alia muliere a contractione manus sanata. — 3 Item de tertia muliere a totius corporis debilitate sanata. — 4 De circulo supra sancti corpus in aere viso. — 5 De puella a nativitate cæca meritis Sancti illuminata. — 6 De puero contracto et erecto. — 7 De puella alia cæca a nativitate et surda, et meritis Sancti sanata. — 8 De surdo in occursu Sancti auditum recuperante. — 9 De muliere apud Turnacum sanata. — 10 De brachio mulieris contracto et sanato, et quod non omnia miracula quæ in Sancti deportatione gesta sunt, in hoc opusculo sint digesta, et quod animarum remedia per ea divinitus procurata, magis quam corporum sint amplectenda. AUCTORE GILLEBERTO, EX MSS. *Capitula miraculorum.*

### NARRATIO.

CAP. I. Sicut inspiratione divina compuncti multi fideles, pro remissione peccatorum suorum, de suis rebus et prædiis, ecclesias aut monasteria solent ædificare; sic homines nequissimi, diabolo suadente, res ecclesiis et monasteriis a fidelibus traditas invadere, diripere quotidie moliuntur, et auferre. *Corpore S. Amandi in Brabantum delato,* Hujusmodi caussa necessitatis urgente, scilicet ea quæ dudum a Regibus et religiosis Principibus, ob salutem animarum suarum, Deo et S. Amando collata fuerant in pago Brabanti, malignis hominibus auferre cupientibus, et jam violenter ablata retinentibus, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septimo, cœnobio Elnonensi præsidente Domino Abbate b Hugone, c vigesimo secundo anno ordinationis ejus, feria secunda Pentecostes deportatum est corpus Sancti in Brabantum. E Ventum est ad prædium Sancti, quod dicitur d Anduennium, et ad aliud, quod dicitur, Ad e sanctum Salvatorem. *In itinere* Populus unde multus accurrit. Ibi quædam mulier ægra per decem et octo annos, in lecto decumbens, corporis infima parte, id est cruribus et tibiis debilitata, *cruribus debilis erigitur.* audivit Sanctum transire, facit illuc se deportari, ponitur sub feretrum Sancti. Ubi per aliquot horas, præ nimio dolore volutata, populis aspicientibus repente subrigitur, ast it sana, clamor popularis exoritur, laudes Creatori communiter referuntur.

CAP. II. 3 Cum de Anduennio ad f Geraldi montem deportatum corpus Sancti, de Geraldi monte ad g Herlengovam defertur, sui juris villam; transeuntibus nobis rivulum, nomine Latam, accessit universo mixta populo mulier quædam, manum dexteram nervorum contractione sic habens debilitatam, ut nullum opus inde posset agere, accessit, inquam, ad feretrum Sancti, manum debilem fideliter applicuit, rediit, in redeundo sanitatem manus integram recepit. *Herlengovæ alia a contractione manus sanatur.*

CAP. III. F 4 Perventum est ad prædictam villam. Sequenti die lucescente, corpus Sancti, propter confluentem populi multitudinem, ab Ecclesia, quia minus erat capax, elatum est; ac sub aere nudo, lignea structura cortinis circumpendentibus decenter aptata, super collocatum. Ibi rursus alia toto corpore debilis, et cruribus misere contractis, allata subter feretrum Sancti deponitur, et prius æstuans, et deficiente spiritu pene bis exanimata præ doloris angustia, tandem extenditur, atque domum propriam gressu sana rediit, quæ delata fuerat alieno. *alia contracta erigitur:*

CAP. IV. 5 Cumque circa tertiam horam, ante sacratissimum corpus inciperent Missam celebrare (mirabile dictu) ut cunctis evidenter appareret cujus meritis hæc signa fiebant, sereno paroque sine crassitudine nubium aere, visus est in cælo circulus candidi coloris, supra corpus Sancti resplendere, tamque diu permansit, donec Sacerdos Missam explevit. *circulus candidus super corpus S. Amandi splendet.* Aderat non modica populorum frequentia, res insolita mirantium oculos perstringebat, in superioribus aeris partibus cunctis apparens occultari minime poterat.

6 Prudens lector apud se intueatur, quid per illud signum in cordibus intuentium Divina bonitas operabatur: suspiria certe lacrymæque cum gaudio mixtæ, devotionem populorum illud cum stupore cernentium testabantur. Inde perlatum est idem pretiosum

AUCTORE GILLEBERTO, EX MSS.

A pretiosum corpus super terram, unde sibi violenter a quibusdam malignis hominibus injuria fiebat, per silvas et terras quas illi per injustitiam invaserant: hos quoque Sanctus æquissime nullo resistente subjiciens mancipavit. Atque in præsentia sancti corporis, cui viventi S. Petrus Apostolus potestatem ligandi dedit atque solvendi, omnes qui deinceps de terris illis ac silvis aliquam Sancto præsumerent injuriam inferre, Fratrum qui Sanctum comitabantur, et circumstantis populi consensu, voluntate, oris et vocis proclamatione sunt excommunicati.

*excommunicantur invasores bonorum Ecclesiæ:*

CAP. V

*cæca a nativitate illuminatur:*

7 Eodem die vesperascente Sancti corpore jam ecclesiam reportato, quibusdam e Fratribus Sanctum comitatis jam quiescentibus, quibusdam adhuc vigilantibus, puellula quinquennis a nativitate cæca deducitur a matre sua, juxta feretrum statuitur, meritis Amandi Patris oculorum depulsa caligine subito divinitus illuminatur. Quæ cum se videre matri proclamasset, et infantiæ simplicis hilaritate nimis exultaret; talis etenim ætas aut simulare quod non esset, nesciebat, aut dissimulare quod esset, nequibat, rerumque circumpositarum formas, quas antea numquam viderat, admirans valde stuperet, mater ejus prima sentiens quæ filiæ contigisset, exclamat: populus dicto citius quid factum esset audiens, rei novitate perstrepit, curritur ad ecclesiam, B campanæ resonant, Fratres ocyus accurrunt, puellam ultra quam dici possit gaudentem mirantur. Experientiæ caussa panem, aliasque res oculis ejus admovent, illa manus extendere, quæcumque res oblatæ sibi circumferebantur, vultu brachiisque sequi. Quid ad hæc aliud dignius agerent, quam ut inde largitorem omnium bonorum Deum laudarent?

CAP. VI

8 In crastino parantibus Gandam adire, puer ferme quindecim annorum, de villa, quæ *h* Niuve dicitur, filius cujusdam divitis, utraque tibia contractus, ut suræ retro cruribus adhærerent, intantum ut una cutis utrorumque facta esset membrorum, delatus et loculo Sancti subterpositus, repente suris ac cruribus disjunctis horrendum exclamavit, sanguis a loco disruptionis, ac si ferro membris sectis, ubertim diutius emanavit. Ipse gressibus erectus, super pedes sanus consistens ambulare cœpit.

*contractus puer erigitur:*

CAP. VII

*puella cæca et surda curatur*

9 Sequente feria secunda post octavas Pentecostes, dum corpus Sancti deportatum fuisset super quamdam terram, de qua miles quidam Razo Demonto, Sancto faciebat injuriam, quædam puella de Ganda circiter duodennis a nativitate cæca et surda, deducitur a parentibus, coram feretro Sancti statuitur, C miseratione Divina tanti Patris exigentibus meritis, auditu et visu donatur. Quod miles cernens, divino timore corripitur, culpam de injuria fatetur, emendat Sancto quod deliquerat, postulat indulgentiam, veniam promeretur.

*pœnitentia Militis viso miraculo:*

CAP. VIII

*Tornaci*

10 Jam revertentibus et cum immensa jocunditate tanti pretii thesaurum domum revehentibus, transitum per Tornacum habebamus. Inter innumerabile vulgus quod de villis circumjacentibus occurrebat undique Sancto, quidam de rure *i* Rungiaco, privatus utriusque auris auditu, cum suis vicinis Tornacum advenit, adventum Sancti cum aliis præstolari cœpit. Cum autem aliqua mora fieret, divertens cum sociis, prandere cœpit, cum subito signa Ecclesiæ, in adventum Sancti personuere, audientibus aliis inprimis se clamavit audire, suffragantibus ipsius Patris vere digneque Amandi meritis, confessus est auditum se recepisse. Vota postmodum, ceræ scilicet ligaturam circa suum caput deferens, ad monasterium nobis videntibus devote persolvit.

*surdo auditus redditur:*

CAP. IX

11 Cumque per civitatem transeuntes jam portas egressi fuissemus, repente sequentis populi clamor post tergum nostrum extollitur, mulier debilis quam post Sancti feretrum deportabant, erecta conclamatur: corpus Sancti violentia populi retro portatum D ad locum, ubi sanata mulier stabat, subsistere compellitur; in laudem Creatoris omnium ora convertuntur.

*debilis sanatur:*

CAP. X

12 In hac sancti Patris per viam, seu per rura deportatione facta sunt et alia quædam nobis quidem absentibus, sed fidelium relatu postea nobis comperta; quæ partim tacemus, unum autem notamus: scilicet de quadam muliere, quæ apud Anduennium manebat, cujus brachium per debilitatem, ad scapulas ita retortum adhærebat, ut nullatenus illud movere, vel ad os applicare valeret. Allata est ei aqua, quam ad remedium infirmorum ad Sancti loculum admovebant. Brachium inde lavit, extendit, colum, et fusum, opus femineum ut operaretur, quod antea nequibat, efficaciter apprehendit. Mirentur alii sensibus carnis admodum signa talia virtutum, sanitates videlicet corporum, nos magis amplectamur curationes inde factas animarum. Quis enim sapiens non magis gaudeat animos dissidentium in pacem reconciliatos, odia mortifera sedata, videlicet animas a morte resuscitatas, quam parvo tempore duraturam sanitatem carnis reparatam? In omnibus autem, corporis animæque Creatorem ac reparatorem laudemus, glorificemus, benedicamus. Amen. E

*contractio brachii curatur.*

*a* De Brachanto antiquo ca[illegible] — *b* Hugo nepos Lamberti Fulcardi, perfecit ecclesiam et dedicari fecit ad honorem SS. Stephani Martyris et Amandi Confessoris. — *c* Quo eodem anno obiit sexto Idus Septembr. die Dominica littera Dominicali F. — *d* Auvaing pagus ad Honnam fluviolum. — *e* S. Saulveur pagus inter Andoniamum et Roternacum, sive Ron[illegible]. — *f* Gerardi-montis oppidum Flandriæ ad confinia Hannoniæ et Brabantiæ, ut [illegible] — *g* Herlingeven [illegible] S. Amandum, subordinatum Pastori Ninovensi. — *h* Ninove oppidum Flandriæ [illegible] S. Præmonstratensis monasterio. — *i* Vulgo Rongy, inter Tornacum et Amandopolim.

# HISTORIA MULIERIS SUSPENSÆ AD VITAM REVOCATÆ,

## descripta a Marsilia Abbatissa Rotomagensi.

*Ex MSS. Elnonensi, Insulensi, aliisque.*

Desideratissimo et in Christi membris valde venerando *a* Bavoni, Elnonensi Abbati, Ecclesiæ, omnique beato a Deo sibi credito conventui, Marsilia Abbatissa ancillarum Christi ultima, et universa Sororum congregatio in urbe Rotomagensi Deo et sancto Præsuli Amando serviens, ita de virtute in virtutem provehi, ut Dominum Dominorum in Sion valeat contemplari. Virtutibus et miraculis a Deo F nobiscum per sanctum et communem Patrem nostrum perpetratis, quoddam præclarum nobis præsentibus in ecclesia nostra, meritis ejusdem Patris nostri, gestum inserendum est miraculum, *b* quod breviter stylo exaratum vestræ sanctitati dignum duximus insinuare. Congruum est enim, ut sicut in castris Regis æterni, etsi sexu dissimiles, proposito tamen æquales, sub uno eodemque Patrono militamus; ita de virtutum ejus triumphali præconio ad honorem Dei unanimiter congaudeamus.

*Historia miraculi Rotomago transmissa*

2 Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septimo, in pago Lysacensi quædam illustris femina, non tam suis exigentibus peccatis, quam ut gloria Dei in Sancto suo latius clariscceret, tantam antiqui hostis incurrit sævitiam, ut primo malignis et variis cogitationum phantasmatibus delusa agitaretur; postremo naturali sensu perdito, hoc solummodo agendum deliberaret, qualiter absentibus cunctis, manus sibi injiceret, vel laquei suspensione, aut fluminis submersione, quoquo modo vitam abrumperet. Quod et fecisset, nisi sæpius mariti sui repentinus occursus obstitisset. Seducta enim fuerat a quadam muliercula, quæ inquieta et garrula, per domos, per agros, per plateas eam deceptoriis colloquiis

*c. 1107*

*femina ex seductione tristis et desperabunda.*

A quiis adiit asserens, quod vir ejus odio eam haberet, et alteram magis diligens, sibi in carnali copula præferret. Mox illa credula mentienti, quemadmodum olim Eva serpenti, in tristitiam, quæ mortem operatur, incidit, et immemor Dei et Christianæ fidei hoc semper machinabatur, ad hoc laborabat modis omnibus, ut qualicumque arte diabolica miseram vitam finiret. Sed divina miseratio, quæ neminem vult perire, ad multiplicandam sancti Confessoris sui Amandi laudem et gloriam, ne hoc fieret, prohibuit. Cumque maritus suus tantam insaniam intelligens, crebro eam blandis deliniret verbis et consolationibus, ut ab hoc diabolico intellectu resipisceret, et se suamque familiam tali incommodo tristem exhilararet, illa ad verba exhortationis tale responsum dabat miseræ desperationis, Hoc, inquit, nullatenus fieri potest, sed sinite me ire in infernum cum diabolo, cui prædestinata et data sum. Hoc nequam verbum nullis blandimentis, nullis promissionibus vel minis, ab ejus ore potuit avelli.

*in ecclesia S. Amandi servatur,*

3 Tunc inito salubri consilio malesanam mulierem, ad ecclesiam B. Amandi adducunt, cui hoc specialiter genus virtutum a Salvatore collatum creditur, ut ei nulla vis dæmoniaca valeat resistere. B Quapropter meritum illius inter cœlestium potestatum numerum sortiri nullo modo ambigimus, quarum ditioni virtutes adversæ subjiciuntur. Cum autem mulier a nonnullis sanæ fidei, et utriusque sexus, qui ad eam gratia visitationis et exhortationis confluebant, obnixe deprecaretur, ut se salutiferæ Crucis signo muniret, minime acquiescebat, sed illud superius dictum infelicitatis elogium repetens, conquerebatur attentius, cur tantas moras ageret eundi ad interitum perditionis. Inter quos etiam cum quidam religiosi viri, et c sagacioris ingenii propius accessissent, et eam secretius alloquerentur, composito satis sermone respondebat, infernalibus flammis et sulphureis pœnis se omnino esse traditam, quarum etiam portionem in hoc mundo detenta senserat, et quod est residuum, expectabat non multo post sibi adesse futurum. Tunc ab his, qui integræ fidei et intellectu perspicaciores erant, decretum est, ut aqua dolio infusa benediceretur et in crastino per manus Sacerdotum, cum invocatione nominis Christi, et ejus virtutis ac potestatis, ibidem deponeretur. Quibus illa sagaciter auditis et intellectis vehementer obstupuit, et acrius urgeri ac crebra trahere suspiria cœpit.

*dolio aquæ benedictæ imponenda,*

C 4 Dehinc circumspectis omnibus, calliditate diabolica exterius modestiam simulabat, cum interius inimici fureret insania. Vespere autem facto extra chorum educitur, et coram sacro altari, in quo S. Amandus Missas celebrare consueverat, statuitur. Deinde ingruentibus noctis tenebris, custodibus ad eam servandam deputatis, recesserunt qui eam adduxerant. O versutia diaboli! O dolositas serpentis antiqui in perniciem generis humani! Extemplo enim infelix mulier, ubi opportunum neci tempus reperit, fraudulenter vigiles ammonet, ut post tot excubias et labores, quos in eam impenderant, amodo quiescant, et tanta incommoditate fessi jam somno indulgeant. Fingit etiam se cum illis nimium fatigatam velle quiescere. Siquidem jam septem dies, totidemque noctes fluxerant, ex quo illuc adducta fuerat. Cumque strato parato, et satis honeste composito, paullulum se velut ad dormiendum dedisset, et per gyrum circumspiciens, neminem adfore sensisset, camisia tantum induta, parietem, qui eminentior videbatur, furtim ascendit, et partem pepli, quo caput tegebat, in summitate columnæ ejusdem parietis connexuit, de reliqua vero parte laqueum cursorium miro modo paravit, in quem collum injiciens, et cum impetu prosiliens, cum tanta vi collum

*dæmonis fraude se suspendit:*

D flexit, ut radius sanguinis de gutture d exiliens, parietis obstantis partem maculasset. Jam medium noctis transierat, et quidam de custodibus expergefactus surrexit: qui eam in lectulo non inveniens, lustrata omni ecclesia, tandem ubi pendebat locum reperit, et ingenti horrore perculsus, corpus rigidum et penitus exanimatum intellexit.

*AUCTORE FORSAN GUNTERO EX MSS.* *d*

5 Qui illico magno clamore perstrepens, quid contigisset, vociferando indicavit. Quibus auditis fit undique sanctimonialium concursus, clamor circumquaque exoritur, misera defuncta misere plangitur. S. Amandus multis gemitibus et lacrymis invocatur, ne loci sui dignitatem deperire patiatur, sed ad se currentibus clementer subvenire dignetur. Tunc accenso lumine, pendentis collum a laqueo avellitur, et cadaver exanime super templi pavimentum dejicitur. Deinde tres ex sororibus, quæ audaciores vel prudentiores esse videbantur, quia nox erat, Archidiaconum expetunt, et quid facto opus sit flentes inquirunt. Quibus ille tale responsum atque consilium dedit, ut, antequam illucesceret, cadaver de ecclesia abstraheretur, et quamlibet in foveam projiceretur. Quas redeuntes et ipse Archidiaconus subsecutus est, et cum clamantibus et circumstantibus tantam diabolicæ fraudis ammirans versutiam E astitit. Interea dum quædam sanctimonialium propius accessissent, una earum palpitantem in pectore spiritum sensit redivivum, et interdum paulatim rubere faciem, interdum vero paulatim oculos aperire, et ima suspiria interdum trahere intellexit. Circumstantes autem hoc diligentius explorantes, ingenti clamore sancti Patroni sui Amandi auxilium invocant, et pectora sua percutientes, orationum vota multiplicant. Dum hæc agerentur, cognoverunt subito Dei omnipotentis virtute, et sui gloriosi et ammirandi Antistitis Amandi interventione, animam ad corpus redisse. Illa tamen die ac subsequente nocte, postquam resuscitata fuit, sine vocis officio mansit. Tantum enim sibi inerat robur fortitudinis, ut vix a quatuor hominibus teneri posset. In crastino vero aurora illucescente, prima vox ejus fuit: Sancta Domina, pia Dei genitrix Maria, adjuva me; ac deinde ad laudem nostri Salvatoris, et ejus dilecti Confessoris os aperuit, et multimoda congratulatione omnipotenti Domino gratiarum vota persolvit. His ita gestis, accersito quodam Sacerdote, confessionem de præteritis peccatis suis plenariam fecit, et absolutionem humiliter assecuta est.

*invocato S. Amando,*

*revocatur ad vitam,*

*confitetur peccata,*

6 Ac deinde subjungit: Gratias ago tibi Domine F Jesu Christe, qui me tua gratia et S. Amandi Domini mei meritis ressuscitasti, et de manibus perniciosissimi hostis et inferni voragine liberasti. Te cum Patre et Spiritu sancto fideliter credo, te adoro, et omnibus satanæ pompis et insidiis abrenuntio. Hoc ubi mirificum longe lateque personuit miraculum, gloriosus et mirabilis Deus in sancto Præsule suo magnificatur, per quem tot signa mirabiliter operatur. Sicut enim quondam in mundo positus, latronem affixum patibulo et extinctum oratione resuscitavit, sic et nunc in cœlo vivens cum Christo, miseram mulierem, quæ suspendio interiit, suis pretiosis meritis ad vitam revocavit, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui solus et ubique cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen.

*gratias agit Christo et S. Amando.*

a *Est Bovo II Hugoni I subrogatus anno* 1107, *quo hoc miraculum contigit.* Bavo *dicitur in MS. Insulensi, in quo hæc inscriptio miraculo subjungitur.* — b *MS. Insulensis ita concludit:* Quod vestræ sanctitati insinuavimus, ut de communi nostro Patrono S. Amando unanimiter congaudeamus. Valete. — c *Idem MS.* sacrationis. — d *MS. Antverp. et excusum*, exiens.

HYMNUS

AUCTORE G. H.

A

### HYMNUS ANTIQUUS
*Ex MSS. Antverpiensi.*

Amande, Præsul optime,
Amando Christum congruum,
Audi tuorum dulcia,
Quæ concinunt gratissimo
Dum floruisti corpore
Dignus tuo qui nomine,
Sortitus es vocabulum
Vernaculorum carmine.
Præcordiorum gaudio
Mundum replesti lumine
Astrum poli nunc splendidum
Pater pius, pastor bonus,
Has recreando flumine,
Frater pupilli flebilis,
Patrem vocavit orphanus,
Cæcis ocellus lucidus,
Peritque ligno pendulus,
Quid plura miles inclyte,
Quicumque venit debilis,
Nunc Abrahæ vernantibus
De Jesu dulci corpore
Jam copulatus inclytus
Vertex rubescit gemmulis.
Nostri memor Sanctissime
(Tuus popellus adsumus)
Ut quando Jesus venerit
Non segregemur a tuo
Deo Patri sit gloria.
Candore vincis Cynthiam
Multis fuisti gentibus
Has docendo famine,
Soror gementis exulis
Matremque sensit languidus,
Claudisque pes tutissimus,
Vitam recepit mortuus.
Nostro canamus carmine?
Nullus recessit flebilis
Lætus quiescit sedibus,
Manibus labiisque sanguine
Archangelorum gaudiis,
Et colla candent infulis.
Hic exulantum corpore,
Succurre nobis, quæsumus
Cum carne qua hinc abiit,
Clemens Pater consortio
Ejusque soli Filio, etc.

### HYMNUS ALIUS
*Ex eodem MS.*

B

Ave Pater, Pastor noster,
Ave carus amor noster,
Ave Præsul gloriose,
Jure tibi laudum melos
Sed condignas tanto Patri
Corde tamen quod gestimus,
A primævo nempe flore
Moribus ævum senile
Multis et normam præbere
Mox signorum gloriosis
Triumphalis signo Crucis
Verbique virtute pellis
Virtutes et coluisti
Ipse sed occultasti
Favor ne daretur tibi
Hinc factus Præsul mactusque;
Et lucerna ardens fide,
Jure celso candelabri
Tu redemptor captivorum,
Tuque pater pupillorum,
Vigor paralyticorum,
Tu surdis auditum præstas,
Lurida tu membra purgas,
Verbis simul et exemplis
Nostra laus succumbit tantæ
Dum mundum reples doctrinæ
Famam diffundens et terræ,
Nunc precamur, Pater alme,
Et Jesum benignum posce,
Ac post hujus finem vitæ,
Annue votis poscentum,
Esse credimus quem trinum
Manet quem laus ante ævum
Pontifex egregie,
Dulce nomen, Amande.
Semper amantissime, D
Concinendo pangimus
Ferre laudes nequimus,
Plectro linguæ promimus.
Sacræ pueritiæ
Visus es attingere,
Perfectæ justitiæ,
Muneratus titulis.
Anguem sævum proteris
Ogiæ de terminis
Studio pervigili
Mente semper humili,
Sed superno numini.
Deitatis munere,
Claro lucens opere,
Sublevaris stipite
Consolator pauperum,
Tu mater orphanorum,
Effugator dæmonum;
Tu cæcos illuminas,
Mortuos resuscitas,
Animas vivificas.
Tibi datæ gratiæ,
Virtutumque munere,
Et cœli per cardines.
Vota nostra suscipe,
Nobis semper parcere,
Tecum semper vivere,
Deus factor omnium,
Atque unum Dominum,
Nunc et in perpetuum. Amen.

E

# DE B. ANDREA
## ABBATE MONAST. ELNONENSIS, AMANDOPOLI IN BELGIO,

G. H.

### Commentarius historicus.

CIRCA AN. CHR. DCXCIII. V FEBR.

*B. Andreas inter Sanctos Amandi discipulos, ultro relatus:*

Discipulus *magni Amandi fuit B. Andreas, atque illius virtutum strenuus imitator, de quo Auctor Elnonensis in Epitome Translationis et Elevationis corporis S. Amandi supra edita, atque etiam a Surio simul cum Vita ejusdem per Baudemundum excusa, ita num. 6 scribit:* Sane Sanctorum memoria, qui per B. Amandum Domino famulari elegerunt, superius generaliter prælibata restat nunc quorumdam nomina ad laudem præcipui Doctoris intimare, ut eorum si quis gesta legere voluerit, ex illorum virtutibus tanti Patris et idoneæ legionis signiferi merita quodammodo pensare valeat. Cujus tam beatæ catervæ pars quædam et honorabilis exstitit Andreas Sanctus, ab ipso Pontifice in monasterio Elnonensi constitutus Abbas. *Subduntur SS. Jonatus, Florebertus, Mauronitus, Humbertus, Gertrudis, Bavo, Landoaldus, Amantius, omnes in Sanctorum album relati.* C *Philippus in Vita S. Amandi a se edita eosdem Sanctos fere omnes recenset, atque ita de B. Andrea incipit:* Quorum unus, S. Andreas ab ipso Pontifice in Elnonensi monasterio constitutus Abbas. *Eodem modo Antonius Vincentius Domenecus de Sanctis Cataloniæ* VI *Februarii in vita S. Amandi discipulos hujus Sanctos enumerans, a* S. Andrea Abbate Senonensi *(legendum* Elnonensi,) *incipit: ut et alii passim.*

*præficitur Barisiaco monasterio extructo anno 666,*

2 *Barisiacum in agro Laudunensi a Childerico Rege Francorum donatum S. Amando diximus ad hujus Vitam, producto § 2 ipsius Regis diplomate, scripto* Kalendis Augusti anno regni II, subscribente Immechilde Regina, *vidua S. Sigeberti Regis. Annus is erat Christi* DCLXVI, *ut ibidem probatum est § 14.* Donum regium S. Amandus, *(ut in hujus Vita prosequitur Philippus Abbas num. 60)* benigne cum gratiarum actione suscipiens, pro loci et temporis opportunitate monasterium inibi dispositione congrua collocavit, congregatisque in eo Deum timentibus viris et Christi professis militiam, venerabilem et Deo dignum Andream discipulum suum provida dispensatione præfecit, successorem sibi in Elnonensi monasterio mox futurum. *Et num. 68:* Sentiebat jam ex tunc beatus Pater Amandus corporis sui defectus, laboribus confectus et senio, non abesse longius exitus sui diem secreta inspiratione præsenserat. Evocatum igitur ad se venerabilem Andream, quem Barisiaco prius Abbatem præfecerat, constituit super familiam suam, quam Domino juvante collegerat, ut in manu ejus virtus ordinis et severitas disciplinæ provida moderatione floreret, et ipsi vacandi Deo secretior et liberior pateret introitus. Revocari tamen decrevit in jus Elnonensis monasterii possessionem perpetuam, quidquid Barisiaci ante possederat de munificentia Regis Childerici; quod usque in hodiernum diem, secundum viri Dei dispensationem, irrefragabiliter conservatur. *Hæc Philippus Abbas capitulo* XLVIII *juxta ejus divisionem, cui hunc titulum sub initium Vitæ præfixit.* Qualiter Elnonensi monasterio B. Amandus præfecit S. Andream discipulum suum Abbatem Barisiaci: *quod factum esse anno* DCLXXXIII *diximus* § 15. F

*deinde Elnonensi anno 683.*

3 *Eadem ex Chronico Elnonensi referuntur tomo 8 par.* 1 *rerum monasticarum a Francisco le Bar collectarum; additurque sub finem:* Iste Andreas *(quem* sanctum virum *ante appellarat)* ecclesiam S. Martini supra Scarp construxit. Hic sepultus est in medio Ecclesiæ S. Amandi anno DCCXX, *id est, juxta computum ejus, annis novem post obitum S. Amandi ad annum* DCLXI *relatum; adeoque juxta Chronologiam nostram vixit ad annum* DCXCIII. *Referetur in Martyrologio Gallicano Saussaii* V *Februarii his verbis:* Elnonensi cœnobio in tractu Tornacensi, S. Andreæ Abbatis, discipuli S. Amandi, qui postquam cœnobium suum ad Divinum beneplacitum gubernasset, magnamque sanctitatis laudem ob merita adeptus esset, morte in conspectu Dei pretiosa placide conquievit. *Eadem die ista scribit Menardus in Martyrologio Benedictino:* Elnone in Belgio S. Andreæ Abbatis discipuli S. Amandi. *At* VI *Februarii referunt alii. Ferrarius:* In Hannonia B. Andreæ Abbatis Elnonensis. *Wilhelmus noster in Appendice ad Martyrologium Romanum a se Gallice editum, cum egisset de S. Amando*

*mortuus circa an. 693. inscriptus Martyrologiis*

*5 et 6 Februarii:*

A *Amando addit :* Eodem die in dicto S. Amandi oppido colitur S. Andreas Abbas et successor dicti Sancti, mortuus anno DCLXX. *Scilicet et ipse mortem S. Amandi ibidem retulerat ad annum* DCLXI. *Ghinius in Natalibus sanctorum Canonicorum,* Claruit etiam, *inquit,* Elnone B. Andreas, primum Abbas Barisiacensis in Cella Apostolorum, deinde Elnonensis, discipulus ejusdem S. Amandi, qui numeratur inter Sanctos Elnonenses, etsi ejus Natalis non celebretur : extatque de eo ibidem in tumulo Epitaphium.

4 *Quæ eadem verba ante dederat Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii, et deinde in Natalibus Sanctorum Belgii cum ipso Epitaphio, quod hujusmodi est :*

Hunc tumulum quique non irreverenter adite,
Andreæ Sancti loculum quia claudit et artus.
Qui pius et prudens, humilis fuit, et venerandi
Discipulus Patris, simul et successor, Amandi.
Hunc Pastor caulæ, præsentis conditor aulæ
Hugo levans, lymphaque luens, thecaque recondens,
Mundato tumulo, solenniter hic relocavit.
Febre fatiscentes ibi convaluere frequenter.

*corpus elevatum,*

*Hugoni Abbati inscripsit Philippus Vitam S. Amandi, quem ibidem observavimus vita functum esse anno* MCLXIX. *Aliud carmen adjungit Franciscus le Bar, quod et hic addimus :* D

*AUCTORE G. H circa an. 1160.*

Eximi ut humanis venerandum rebus Amandum
Contigit, adjungi Cœlituumque choris,
Barrisio accitur, ubi tecta monastica surgunt,
Hilderice, impensis ædificata tuis.
Advolat Elnonem Andreas, possessaque dudum
Barrisii dono Principis Hilderici
In jus Elnonis revocatur : Amandus ut ore
Jusserat, et scriptis sanxerat ante datis.
Occupat Andream non tantum cura peculi
Quantum Divinæ relligionis amor.
Unde piam Divo Martino suscitat ædem,
Qua fluit irriguis Scarpus amœnus aquis.
Mortuus haud caruit virtutibus : ejus ad ossa
Febre male affectos convaluisse ferunt.

*Febricitantes adjuti.*

*De Elnonensi monasterio abunde actum ad Vitam S. Amandi.*

B

# DE S. FINIANO ABBATE,

## MELLIFONTE IN HIBERNIA.

E

J. B.

*VI FEBR. Mellifonte in Hibernia*

Mellifons *insigne olim Ordinis Cisterciensis in Hibernia monasterium fuit, in Comitatu Louthiano, ultra Bovindum amnem, haud procul Drogheda urbe ; fundatum a Donaldo Rege Urielis, per eum tractum dominante. Primus illic Abbas fuit Christianus, S. Bernardi cum Eugenio III Papa in Claravalle discipulus, ac postea Lismorensis in Momonia Episcopus, Legatusque Apostolicæ Sedis,* de Ecclesia Hibernica optime meritus, *uti Cambdenus patetur in Comitatus Waterfordiensis descriptione, qui et in Ultonia* Mellifontis *meminit, uti et Jacobus Waræus in Cœnobiis Cisterciensibus Hiberniæ.*

*colitur S. Finianus Ab. 6 Febr.*

2 *Illi publicam olim venerationem obtinuit* S. Finianus Abbas *die sexto Februarii. Ita auctor Vitæ S. Finiani Lismorensis Episcopi, qui XVI Martii colitur :* Fuit et alius, *inquit,* S. Finianus Abbas, qui apud Mellifontem dicitur esse sepultus ; cujus festum colitur VIII Idus Februarii. *Ejus ita meminit Richardus Wytfordus in Sarisburiensi Martyrologio an.* 1516 *Londini excuso :* In Hibernia S. Fyniani Abbatis, genere clari, at multo sanctitate clarioris.

3 *Agit de S. Finiano ad hunc eumdem diem Joannes Colganus, citatque Hibernenses aliquot Scriptores non editos ; sed de rebus ab eo gestis, deque ejus ætate, nil certi extricat : neque* Mellifonti *assignat, sed* Insulæ S. Patricii, *quam in Bregiorum regione, Bovindo amne irrigua, atque inter mare Mediam versus, supra Droghedam, recedente, locat ; cum alibi fateatur (et vere)* Insulam S. Patricii *objectam littori Fingalliæ, quæ inter Liffium et Bovindum amnes, urbesque Dublinum ac Droghedam jacet.*

*cujus ætas Actaque ignota,*

# DE S. INA

## REGE SAXONUM OCCIDENTALIUM IN BRITANNIA I,

C

G. H.

### Commentarius historicus.

F

*ANNO DCCXXVIII. PAP. 108.*

§ I. *S. Inæ regium genus : sorores sanctæ : monasteria Abbendonense et Winburnense ab eo extructa.*

*POST AN. DCCXXVIII. VI FEBR. In Heptarchia Britannica*

Saxones, *Germaniæ borealis populi, in Britanniam venerant, ad propulsandas barbarorum incursiones ab incolis primo acciti ; paullatim vero ipsis Britannis pulsis, præter Walliam, reliquas ditiones occuparunt, Heptarchiaque constituta inter se distribuerunt. Ex his* Cerdicus *tritavus* S. Inæ, *illiusque filius* Cynricus *hujus atavus, cum anno Christi* CCCCXCV *in Britanniam appulissent, post varias de Britannis victorias, regnum occiduorum Saxonum fundarunt, in ea Britanniæ primæ parte, quam tempore Romanorum possidebant Damnonii, Durotriges, Belgæ, Atrebatii ; quamque Angli posteri in has distribuere provincias, Cornwalliam, Devoniam, Dorsetiam, Somersetiam, Wiltoniam, Southamptoniam, Bercheriam, fere omnes ex opposito Galliarum sitas. Fuit autem hic Cerdicus filius* Elesæ, *nepos* Eslæ, *pronepos* Gewisi. *Cumque Beda lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum auctor sit* Occidentales Saxones antiquitus Gevisse vocatos esse,

*regnum Occiduorum Saxonum,*

*Gevisse dicti,*

*ab hoc proavo Cerdici id nomen eos traxisse arbitramur. Ab hoc autem Gewiso ad proavum ejus* Wodenum *stirps deducitur in Chronologia antiqua Anglo-Saxonica, cum Historia Bedæ Cantabrigiæ edita. De hujus porro* Wodeni stirpe multarum provinciarum regum genus originem ducere *tradit idem Beda lib.* 1 *cap.* 15. *Cerdico anno* DXXXIV *vita functo, filius Cynricus usque ad annum* DLX *superstes regnavit, cui filius* Ceaulinus *abavus S. Inæ in regnum suffectus, anno* DLXXVII *Britannis bellum intulit cum filio suo* Cuthwino *proavo S. Inæ. Anno* DXC Ceola, DXCVII Ceolvulfus, DCXI Cinegelsus, *ex eadem omnes stirpe, regnarunt.*

*Cerdicus tritavus S. Inæ an. plicatus, quod dein tenuere Cynricus atavus, Ceaulinus abavus, alii ejusdem stirpis,*

2 *Cinegelsus primus Christianam religionem amplexus, a S. Birino Dorcestrensi Episcopo anno* DCXXXV *baptizatus est, suscipiente eum e sacro lavacro* S. Oswaldo *Rege Northumbrorum. Agit Beda de hoc baptismo lib.* 3, *cap.* 7. *Hujus Cinegelsi filius senior* Cuichelmus, *cum parente consors regni fuerat, anno post baptismum mortuus est, relicto filio* Cuthredo *anno* DCXXXIX *baptizato, dein* DCLXI *vita functo. Alter autem Cinegelsi filius* Kenwalchus *patri successit anno* DCXLIII, *et ipse triennio post baptizatus, usque ad annum* DCLXXII *vixit,*

*Cinegelsus primus Christianus,*

*Kenwalchus,*

*Februarii T. I.* 120

AUCTORE G. H.

A *vixit. Quo mortuo, inquit Beda lib. 4, cap.* 12, acceperunt Subreguli regnum gentis, et divisum inter se tenuerunt annis circiter decem. *Quot autem* Subreguli *simul istic imperitarint, non exprimit. Eorum vestigium adhuc tempore regni S. Inæ fuisse infra constabit. Qui inter hos auctoritate prævaluerunt, ab aliis in serie Regum numerantur. Ita in Chronologia Anglo-Saxonica proximus ab obitu Kenwalchi Regis annus attribuitur* Sexburgæ *Conjugi; dein ab anno* DCLXXIV Escwinus, *ab* DCLXXVI Centuinus *ex eadem stirpe Reges censentur. At Beda, nulla horum mentione facta,* devictis, *inquit,* atque amotis Subregulis Ceadvalla suscepit imperium: et cum duobus annis hoc tenuisset, tandem superni regni amore compunctus reliquit, ac Romam abiens, ibi vitam finivit. *Quæ distinctius idem Beda refert lib.* 5, *cap* 7: *scilicet* S. Ceadvallam anno DCLXXXIX, Sergii Papæ II, imperante Justiniano Augusto, anno Consulatus ejus IV, Indictione II, die sancto Sabbathi Paschalis *(is tum incidebat in X Aprilis)* baptizatum esse, et in albis adhuc positum, XII Kalendarum Maiarum solutum a carne, Beatorum esse consortio sociatum in cælis: *quæ hic hæc accuratius examinata dabimus.* Abeunte autem Romam Ceadvalla *(verba Bedæ sunt)* successit

S. Ceadvalla decessor S. Inæ:

B in regnum Inæ de stirpe regia, *ut etiam Ceadvalla, ambo eodem abavo Ceaulino Rege prognati. Hujus alterum filium Cuthwinum proavum S. Inæ fuisse supra diximus. Huic Cuthwino alter filius assignatur in Chronologia Anglo-Saxonica* Ceowaldus *avus S. Inæ, inter quem et Cuthwinum Wigorniensis et Cestrensis* Cutham *interponunt, ab Huntindoniensi lib. 4 Historiarum, et Westmonasteriensi in Floribus Historiarum omissum. Patrem habuit Ina* Kenredum *tempore regni sui adhuc superstitem, cujus* suasu et instituto *præfatur se leges suas, de quibus mox agemus, subditis tulisse.*

hujus proavus Cuthwinus, avus Ceowaldus,

pater Kenredus

3 *Apud Malmesburiensem lib. 2. de Gestis Pontificum Anglorum.* Abendoniæ cœnobium in Berkensi pago fundaverunt Cissa pater Inæ, mox ipse Ina Rex Occidentalium Saxonum, multique ab origine Reges. *Malmesburiensem describit Harpsfeldius seculo 7 Historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ, cap.* 19. Abingdonense, *inquit,* monasterium quoque hoc seculo natum est beneficio Cissæ patris Inæ. *Est autem Abbendonia oppidum elegans et frequens ad Isim fluvium, qui inde paullum digressus ab Oxoniensibus Tamam recipit: unde composito vocabulo Tamesis celeberrimus fluvius dictus.* Ipsa civitas Abbendonia, *ut ex vetusto libro Abbendo-*

S. Ina confundator monasterii Abendoniæ.

C *niensi scribit Cambdenus in Atrebatis,* famosa aspectu desiderabilis, divitiis plena, agris circumdata uberrimis, vernantibus pratis, diffusis campis et gregibus lactiferis, Sheovesham olim dicta. Hic sedes regia: huc, cum de regni præcipuis et arduis tractaretur negotiis, concursus fiebat populi. *Addit Cambdenus:* Quamprimum autem Cissa Occidentalium Saxonum Rex, monasterium sive Abbatiam construxerat, deposito paullatim vetustiore nomine Abbendan, et Abington, id est, Abbatiæ oppidum dici cœpit. *Ea qui* pater *alias* Inæ *est, hic* Occidentalium Saxonum Rex *habetur, inter Subregulos, qui juxta Bedam* divisum inter se regnum tenuerunt, *forte numerandus, et* patruus *vel* patrinus *potius quam pater Inæ censendus, nisi binominem agnoscamus Kenredum, quem cum Chronologia Saxonica, Wigorniensi, Cestrensi, Westmonasteriensi, Huntindoniensi aliisque, ipse Ina suum scribat patrem esse. Hoc ergo Abbingtoniense monasterium primum numeramus, quod post Cissam hunc fundavit S. Ina. Hic regiam aulam in australi Somersetiæ parte ad Pedredum fluvium; qui nomen illi fecit* Pedridan, *in Vita S. Indracti V Februarii num.* 3 Pedrot, *nunc secundum Cambdenum in Belgis,* Pedderton, foro tantum et nundinis celebre, quæ Henricus Daubeny a Rege Henrico VI impetravit.

cum Cissa, Rege

ac patre ejus habito, forte patruo, vel patrino,

aulam habuit in Somersetia et Hamptonia

4 *De hujus Inæ fratre et sororibus hæc traduntur in* D *Chronologia Anglo-Saxonica ad annum* DCCXVIII. Hic Ingelsus Inæ frater obiit; quorum sorores erant Cuenburga et Cutburga: hæc autem Kutburga in vitam monasticam monasterium apud Winburnam instituit. Hæc data nuptum fuit Northanhymbrorum Regi Alfrido; sed ab illo adhuc vivente, vitæ monasticæ studio sejuncta fuit. *Eadem habent Wigorniensis, et Westmonasteriensis, et utramque sororem* Sanctam *appellant. Colitur* S. Quenburga, *alias* Cuenburga, Cneburgha, Kineburga XII *Septemb.* S. Cuthburga, *sive* Kutburga XXXI Augusti. *De hujus nuptiis ita legitur in ejus Vita apud Capgravium:* Rex Northanhumbrorum Alfridus misit legatos suos ad Regem Ine Westsaxonum, rogans, uti ei suam sororem Cuthburgam daret in conjugem. Advocans igitur Rex sororem suam, Regis legationem indicavit ei. Cui Virgo respondit: Si mihi ad votum meum vivere licet, nullus certe in tota Britannia Rex mihi placere potest. Sed, quia Scriptura dicit, quod, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, quæcumque tua majestas de me ordinaverit, me sibi obedientem, quamvis non voluntarie, inveniet. In Domino enim confido, quod humilitatem ancillæ suæ respiciet, nec patietur violari claustra pudicitiæ meæ; neque un- E quam sequestrabit me a castis complexibus dilectionis suæ. Potens est Dominus et Sponsus meus me sibi etiam sub matrimonio custodire incorruptam, et, quamvis alieni secundum leges hominum nubam, potest tamen me sibi conservare inviolatam.

frater ei Ingelsus, sorores, SS. Quenburga et Cuthburga:

hanc despondet Alfrido Regi Northumbrorum:

Rom. 13. 2

5 *Fratris interea Regis Inæ imperio, aut certe consilio cedens,* Alfrido Regi nuptui tradita *(verba sunt Malmesburiensis lib. 1 de gestis Regum Anglorum cap.* 2), sed non post multum conjugio diducto, primo apud Berkengum sub Abbatissa Hildelida, mox ipsa magistra regulæ Winburnæ Domino placitam vitam transegit, *et, secundum Wigorniensem ad annum* 718 *aliosque,* monasterium Virginum Deo devotarum construxit. *Colitur S. Hildelida* XXII *Decembr. Est autem* Winburna, *Anglis a monasterio* Winburnminster, *oppidum amplum et magna habitatorum multitudine refertum, quod Romanorum putatur fuisse* Vindogladia, *cujus meminit Antoninus in Itinerario, sita in Comitatu Dorsetiæ, ad fluvium Stouram: quo S. Ina sororem suam ex monasterio Berkengensi (quod infra Londinum, non procul a Tamesi fluvio, in Comitatu Essexiæ, sub Regibus tunc Orientalium Saxonum fuit) ad proprium regnum evocarit, eique Winburnense monasterium, aut extruxerit, aut antea inchoatum perfecerit. Id colligimus ex* F *Vita S. Liobæ Virginis et Abbatissæ, quam Rudolfus Presbyter et Ludovici senioris Regis Germaniæ Confessarius scripsit,* imperio, *ut præfatur,* venerandi Patris ac præceptoris sui Rabani Abbatis *Fuldensis* provocatus, *ut dictum ad B. Rabani, dein Archiepiscopi Moguntini, Vitam* IV *Februarii* § 1. *Colitur S. Lioba* XXVIII *Septembris. In hujus ergo Vita hæc referuntur:* In Winburnino duo monasteria antiquitus a Regibus gentis illius constructa sunt, muris altis et firmis circumdata, et omni sufficientia sumptuum rationabili dispositione procurata: unum scilicet Clericorum et alterum feminarum. Quorum ab initio fundationis suæ utrumque ea lege disciplinæ ordinatum est, ut neutrum eorum dispar sexus ingrederetur. *Ea monasterium Winburnense non tam a S. Cutburga, quam a* Regibus gentis illius, *S. Ina scilicet aliisque saltem Subregulis, adjuvante Cutburga, extructum. Nam, ut idem Rudolfus addit,* huic loco post nonnullas Abbatissas et spiritales Matres, prælata est Virgo religiosa, nomine Tetta *(aut* Tecla, *ut in codicibus MSS. appellatur)* universis sanctimonialibus, quæ tum fere quingentæ aderant: *inter quas* adultam Liobam mater Deo consecravit, et supradictæ Tettæ Divinis studiis imbuendam tradidit:

deia sanctimonialis facta,

post Abbatissa,

ex'ruit monasterium Winburnense,

500 sanctimonialium.

*quæ,*

A *quæ, postquam* cœlestis vitæ studiis in monasterio floruerat, a S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, directis ad Tettam Abbatissam cum epistolis Legatis, *evocata in Germaniam est circa annum Christi* DCCXLVIII, *ut dicitur* XXV *Februarii ad Vitam S. Walburgis Virginis, quam cum S. Liuba in Germaniam venisse verosimilius est. Est hoc secundum monasterium, quod collata opera S. Inæ extructum. Colitur S. Tetta* XXVII *Septembris.*

## § II. *Glastoniense monasterium innovatum, regia S. Inæ magnificentia dotatum, privilegio munitum.*

*De novo condit Glastoniense monasterium,*

In *Chronologia Anglo-Saxonica initium regni S. Inæ his verbis describitur :* Anno DCLXXXIX Ina West-Saxonum regnum capessit, tenuitque annos triginta et septem : Monasterium autem Glastoniense extruxit. *Est illud situm in Somersetensi Comitatu, de quo Malmesburiensis lib. 2 de gestis Pontificum Anglorum, cum egisset de Episcopis Wellensibus, hæc scribit :* Omnis tractus Episcopatus illius in solo Somersetensi pago jacet, habetque tres abbatias virorum, Glastoniensem, Adelingensem, Michaniensem. Glastonia est B villa, in quodam recessu palustri posita, quæ tamen et pede et equo aditur, nec situ, nec amœnitate delectabilis. Ibi primo Rex Ina consilio beatissimi Aldelmi monasterium ædificavit, multa illic prædia, quæ hodieque nominantur, largitus. *Cambdenus antiquitatis Britannicæ diligens investigator, descripta insula Glastonia, hæc addit :* In hac floruit monasterium Glastenbury, quod admodum antiquam repetit originem, a Josepho scilicet Arimathensi illo, qui Christi corpus sepulchro mandarat, quemque Philippus Gallorum Apostolus in Britanniam misit, ut Christum prædicaret. Hoc enim et antiquissima hujus monasterii monumenta testantur, et Patricius Hiberniensium Apostolus, qui XXX annos vitam monasticam hic egit, in sua prodidit epistola. Unde hic locus a majoribus nostris dictus, Prima terra Dei, Prima Sanctorum terra in Anglia, Origo et fons totius religionis in Anglia, Tumulus Sanctorum, Mater Sanctorum, ab ipsis Domini discipulis ædificata. Nec est, cur hac de re ambigamus, cum antea docuerim Christianam religionem in prima enascentis Ecclesiæ infantia huic nostræ insulæ eluxisse, *etc. Ea monumenta exhibentur in codice MS. Glastoniensi, de quo infra agemus, eorum nonnulla profert Henricus Spelmannus ante* C *Concilia Britannica in apparatu de exordio Christianæ religionis in Britanniis num. 8 et sequentibus : de quibus accuratius agendum erit ad Vitam S. Josephi ab Arimathæa* XXVII *Julii, et S. Patricii* XVII *Martii. Sed ad Cambdeni relationem revertamur :* Cum antiqua, *inquit,* illa ædicula a Josepho posita, vetustati tandem aliquando cederet, Devi Menevensis Episcopus *(alias* David, *qui cum Cerdico proavo S. Inæ vixit, cujus natalis incidit in Calendas Martias)* novam eo loci construxit, quæ cum jam ævo fatisceret, duodecim viri a boreali Britanniæ parte profecti, eam instaurarunt : tandemque Ina Rex, hac demolita, magnificum admodum Christo, Petro et Paulo construxit templum. In cujus suprema præcinctione hos versus describi curavit :

*quod cœptum creditur a S. Josepho ab Arimathæa,*

*et reparatum a S. Davido Menevensi, aliisque :*

*versus in templo describi curat,*

7 Siderei montes, speciosa cacumina Sion,
A Libano geminæ, flore comante, cedri :
Cœlorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, et astra per [illum :
Quos docet iste stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cœli hic dogmate, clavibus alter :
Est via cui Paulus, janua fida Petrus. D
Hic Petra firma manens, ille Architectus habetur : AUCTORE G. H.
Surgit in his templum, quo placet ara Deo.
Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma salutem,
Fulgor Apostolicus Glasconiam irradiat.
A facie hostili duo propugnacula surgunt,
Quot fidei turres urbs caput orbis habet.
Hæc pius egregio Rex Ina refertus amore,
Dona suo populo non moritura dedit.
Totus in affectu divæ pietatis inhærens,
Ecclesiæque juges amplificavit opes.
Melchisedech noster merito Rex atque Sacerdos
Complevit veræ religionis opus.
Publica jura regens, et celsa palatia servans,
Unica Pontificum gloria, norma fuit.
Hinc abiens, illinc meritorum fulget honore :
Hic quoque gestorum laude perennis erit.

*ex Fortunato sumptos :*

*Integro ante seculo, quam S. Ina regnum capesseret, mortuus erat in Gallia apud Pictones Episcopus Venantius Fortunatus, eximius sui temporis Poeta, e cujus carminibus hi versus pauculis immutatis descripti sunt, ac priora sex disticha ita integra leguntur lib. 3 Poematum, num. 7 : tum duobus omissis sequens ita legebatur.*

Gallia plaude libens, mittit tibi Roma salutem : E
Fulgor Apostolicus visitat Allobrogas.

*At sequens distichon apparatur immutatum. Agebat istic Fortunatus de Ecclesia Namnetensi. Reliqui versus ex carmine de Ecclesia Parisiaca lib. 2, cap. 11, deprompti ; solum ubi* Rex Childebertus *in primo versu legebatur hoc,* Rex Ina refertus *supponitur.*

*stipendiis certos sanctos viros alit :*

8 *Sed pergit Cambdenus :* Primis his temporibus viri sanctissimi hic Deo invigilarunt, et præcipue Hibernici, qui stipendiis regiis alebantur, et adolescentes pietate, ingenuisque artibus instruebant. Solitariam etiam vitam amplexi sunt, ut majore cum tranquillitate sacris litteris vacarent, et severo vitæ genere ad crucem perferendam se exercerent. *Hæc Cambdenus, cui jungendus esset Stons Annalium Anglicorum auctor, qui in Vita S. Inæ Regis, ex publicis archivis diligentissime inspectis, multa excerpsit, Latine edita a Clemente Reynero in Apostolatu Benedictinorum in Anglia, tractatu 1, sect. 1, § 12 ; sed nos primævo stylo, ex MS. Glastoniensi eadem damus, ubi hoc titulo extant :* De Capella argentea, quam ibidem fecit Ina cum vasis suis. Fecit etiam idem Rex construere quamdam capellam ex auro et argento, cum ornamentis et vasis similiter aureis et argenteis, ac infra prædictam vetustam ecclesiam collocavit. Ad F capellam illam itaque construendam duo millia et sexcentas et quadraginta libras argenti donavit. Et altare ex ducentis et sexaginta quatuor libris auri erat. Calix cum patena de decem libris auri. Incensarium de octo libris et viginti mancis auri. Candelabrum ex duodecim libris et dimidia argenti, coopertoria librorum Evangelii de viginti libris et quadraginta mancis auri : vasa aquaria et alia vasa altaris ex septemdecim libris auri. Pelves de octo libris auri : vas ad aquam benedictam ex viginti libris argenti : imago Domini et B. Mariæ et XII Apostolorum ex centum et septuaginta quinque libris argenti, et viginti octo libris auri : pallæ altaris et ornamenta sacerdotalia undique auro et lapidibus pretiosis subtiliter contexta. Hunc ergo thesaurum, ob amorem sanctæ Dei genitricis et Virginis Mariæ, monasterio Glastoniæ dictus Rex contulit devotissime. Insuper scripto regio terras, possessiones et libertates ejusdem Ecclesiæ confirmavit. *Sunt istic enumeratæ libræ seu pondo argenti* MMDCCCXLVII *cum dimidia, auri vero* DCCLV *cum* LX *mancis seu marcis, de quibus infra num. 20 agemus.*

*Capellam auream argenteamque suppellectile ornat :*

9 *Extant aliquot privilegia Inæ Regis, huic monasterio concessa, in codice antiquo MS. ejusdem monasterii,*

*diplomate suo*

AUCTORE G. H.

A *rii, per Walterum de Monitonn istic quondam Abbatem collecto, in quo contineri perhibentur omnes copiæ monumentorum Ecclesiæ Glastoniensis, et vocatur* Secretum Abbatis. *Horum primum privilegium hactenus typis cusum necdum vidimus, verba inde aliquot excerpta profert Usserius libro de Britannicarum Ecclesiarum primordiis cap. 6. Integrum ergo hic damus, cujus hic titulus est :* Prima charta Regis Inæ. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Ina Rex decreto et consilio Præsulis nostri Aldelmi, simulque cunctorum Dei Sacerdotum suggestione, et monachorum petitione, qui in parochia West-Saxonum conversantur, hanc libertatem monachis, qui in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, et B. Patricii, omnipotenti Deo sub Abbate Hemgislo famulantur, in pristina urbe, quæ dicitur Glastingay, impendo, et hanc privilegii dignitatem super altare pono, ut sine impedimento secularium rerum, et absque tributo fiscalium negotiorum liberis mentibus soli Deo serviant, et monasticam disciplinam, Christo suffragium largiente, regulariter exerceant, et pro statu et prosperitate regni nostri, et indulgentia commissorum criminum, ante conspectum Divinæ majestatis preces fundare dignentur, et orationum officia frequentantes

*monasterium omnibus tributis liberat.*

B in ecclesiis pro nostra fragilitate interpellare nitantur. Si quis vero contra hujus decreti syngrapham venire tentaverit, sciat se coram Christo novemque Angelorum ordinibus, in tremendo examine rationem redditurum. Et pro ampliori firmitatis testamento Principes et Senatores, Judices et Patricios subscribere fecimus. Actum publice et confirmatum in lignea basilica anno ab Incarnatione Domini DCCIV. Ego Aldelmus subscripsi. *Reliquæ subscriptiones desunt. In diplomate Cnutonis Regis, quo donationes S. Inæ aliorumque Regum confirmantur in dicto MS. Codice et apud Malmesburiensem lib. 2 de Gestis Regum Anglorum cap. 11 similis clausula adhibetur :* Scripta est hujus privilegii donatio et promulgata in lignea basilica sub præsentia Regis Cnutonis anno ab Incarnatione Dominica MXXXII. *De hac lignea basilica ita scribitur in codice eodem MS. Glastoniensi et apud memoratum ante Usserium :* Anno Domini DCXXV, S. Paulinus Northanhumbrorum Archiepiscopus Glastoniam ad perendinandum venit. Hic muros vetustæ Ecclesiæ ligneo tabulatu construere fecit, et extra a summo usque deorsum in terram plumbo undique cooperire fecit : et sic illud sanctum oratorium in eadem factura usque ad combustionem ejus-

C dem ecclesiæ perduravit. *Colitur S. Paulinus X Octobris : at S. Aldelmus Episcopus Schireburnensis XXV Maii. De hoc sæpius infra agemus.*

## § III. *Privilegia alia a S. Ina eidem Glastoniensi monasterio data.*

*Altero diplomate*

A*liud ac præcipuum S. Inæ privilegium editum est a Clemente Reynero loco ante indicato, et a Spelmanno inter Concilia Britannica ad annum Ch. DCCXXV, quod cum codice MS collatum hic damus : cui hunc titulum præponit Spelmannus :* Charta Inæ Regis Occidentalium Saxonum Glastoniæ monachis conferta, in qua prædia, immunitates, et exemptiones ab Episcopo, conceduntur. *Et sic incipit :* Adjuva nos Deus salutaris noster. Quæcumque secundum decreta Canonum, atque Ecclesiastica instituta salubri concilio definiuntur, quamquam sermo tantum absque textu sufficeret, tamen, quoniam plerumque nostris temporibus tempestates et turbines secularium rerum, etiam portas Ecclesiæ pulsant, idcirco operæ pretium censuimus ob cautelam futurorum, ea quæ definita sunt, paginis scripturarum annectere, ne in posterum oblivioni tradita ignorentur. Quapropter ego Ina regali a Domino fretus

D dignitate, cum consilio Edelburgæ Reginæ, et licentia Beorthwaldi Dorobernensis Ecclesiæ Pontificis, et omnium Suffraganeorum suorum, nec non etiam hortatu Baldredi et Athelardi Subregulorum, ecclesiæ vetustæ, quæ est in loco, qui dicitur Glasteie (quam magnus Sacerdos ac Pontifex summus Angelorum Christus obsequio sibi ac perpetuæ Virgini Mariæ et B. David, multis et inauditis miraculis olim se sanctificasse innotuit) ex his quæ paterna hæreditate possideo, et in dominium peculiare teneo, locis continuis et congruentibus, concedo ad supplementum vitæ regularis, et ad usus monachorum, Brente decem hidas, Sowii duodecim hidas, Pulton viginti hidas, Dultinge viginti hidas, Bledenete unam hidam, cum his omnibus, quæ antecessores mei eidem Ecclesiæ contulerunt : Kenewalchius, qui, S. Theodoro Archiepiscopo interveniente, Ferlingmere, Boekerie, Godenie, Martineseie, Edredeseie : Kentwinus Rex, qui Glastingie matrem Sanctorum vocare solitus fuerat, et eam ab omni seculari et Ecclesiastico obsequio immunem statuit, et hanc privilegii dignitatem concessit, ut habeant Fratres ejusdem loci potestatem eligendi et constituendi sibi Rectorem juxta regulam S. Benedicti : Hedde Episcopus, qui Cedwalla, annuente, et

*laudat sanctam loci antiquitatem,*

*concedit prædia,*

*quæque antea data confirmat,*

E propria manu licet Paganus, confirmante, Lantocai, id est, Lenge; Baldred qui Pennard sex hidas; Athelard qui Pobelt sexaginta hidas, me annuente et confirmante dederunt. Quarum ego devotioni et benignæ petitioni assentio, et contra malignantium hominum et oblatrantium canum insidias regalium munimine invigilo litterarum : quatenus Ecclesiam Domini nostri Jesu Christi, et perpetuæ Virginis Mariæ, sicut in regno Britanniæ est prima et fons et origo totius religionis, ita et ipsa supereminentem privilegii obtineat dignitatem, nec ulli omnino ancillare obsequium faciat in terris, quæ super choros Angelorum dominatur in cœlis.

Igitur summo Pontifice Gregorio annuente, et ut matrem Domini sui in sinum et protectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ me licet indignum, cum ipsa suscipiente; consentientibus etiam omnibus Britanniæ Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus atque Abbatibus, statuo ego atque confirmo; quatenus omnes terræ et loca et possessiones B. Mariæ Glasteie sint quieta, et ab omnibus regiis exactionibus et operibus, quæ indici solent, videlicet, expeditione, et pontis arcisve constructione, et ab omnium Archiepiscoporum, et Episcoporum promulgationibus et

*et privilegia indulta*

F perturbationibus, sicut in antiquis ejusdem Ecclesiæ chartis ratum esse invenitur; et a prædecessoribus meis Kenewalchio, Kentwino, Cedwalla, Baldredo, confirmatum esse dinoscitur, inconcussa et illibata permaneant : et quæcumque inmerserint causæ in homicidiis, sacrilegiis, veneficiis, furtis, rapinis, in dispositione Ecclesiarum, et descriptione, in ordinatione Clericorum, in conventiculis synodalibus, et in omnibus judiciariis examinationibus, absque ullius hominis præjudicio, Abbatis et conventus dispositione definiantur. Sed et omnibus regni mei Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, et Principibus, super honorem suum et amorem meum præcipio, et omnibus tam eis quam eorum ministris super salutem corporis sui præcipio, ne ullus eorum, insulam Domini nostri Jesu Christi, et perpetuæ Virginis Mariæ Glasteie, nec ejusdem Ecclesiæ possessiones caussa placitandi, perscrutandi, rapiendi, præcipiendi, interdicendi, vel aliquid faciendi, quod ibidem Deo famulantibus possit esse in scandalum, audeat intrare.

12 Illud autem omnino omnipotentis Dei et perpetuæ Virginis Mariæ et BB. Petri et Pauli et omnium intercessione Sanctorum, interdictione interdi-

co

A co in ipsa Glastingensi Ecclesia, nec in Ecclesiis sibi subditis, videlicet Sowy, Brente, Merlinge, Schapwike, Strete, Buducaleth, Poultone nec in earum capellis sed nec in insulis, aliqua interveniente occasione, Episcopus Cathedram sibi Episcopalem statuere, nec Missas solennes celebrare, nec altaria consecrare, nec ecclesias dedicare, nec ordines facere, nec aliquid omnino disponere præsumat, nisi ab Abbate vel Fratribus invitatus fuerit. Quod si ad hæc invitatus fuerit, nihil de rebus Ecclesiæ, ne de ipsis oblationibus ipse sibi aliquid usurpet. Duobus in locis ex ipsius Ecclesiæ possessionibus duas ei delegamus mansiones, unam in Pohelt, alteram in villa, quæ Poultona dicitur, ut habeat, ubi adveniens hospitetur, vel inde veniens sese recipiat: neque enim ei ibi, nisi importunitate temporis, aut molestia corporis detentus fuerit, aut ab Abbate, vel a Fratribus rogatus fuerit nec amplius, quam cum tribus aut cum quatuor Clericis pernoctare licet. Hoc etiam provideat idem Episcopus, ut singulis annis cum Clericis suis, qui Fontanetum sunt, ipsam matrem suam, Glastoniensem videlicet Ecclesiam, feria secunda post Ascensionem Domini cum Letania recognoscat: quod si superbia inflatus eam distulerit, et quæ superius B dicta et confirmata sunt, prævaricaverit; mansiones sibi superius delegatas amittat. Abbas vel monachi, a quocumque voluerint Episcopo, qui Pascha canonicum celebret, Ecclesiastica Sacramenta in Glastoniensi Ecclesia, aut in ecclesiis sibi subjectis, aut in earum capellis percipiant.

*eximit illud ab Episcopi jurisdictione,*

13 Quisque autem hujus meæ munificentiæ et libertatis testamentum, quovis deinceps tempore, aliqua occasione cujuslibet etiam dignitatis vel professionis vel gradus pervertere, vel in irritum deducere tentaverit, sciat se cum Juda proditore, æterna confusione edacibus ineffabilium tormentorum periturum flammis. Scripta est autem hujus donationis et privilegii pagina anno Dominicæ incarnationis DCCXXV, Indictione IV, sub præsentia Inæ Regis, et Beorthwaldi Dorobernensis Pontificis, venerandorumque Antistitum Danielis, atque Fordredis, et aliorum quorum nomina inferius annotantur. Ego Ina Rex propriæ manus subscriptione hanc donationem et libertatem sub sigillo sanctæ Crucis ratum fieri decerno. ✝ Ego Eldelburga Regina consensi. Ego Baldredus Rex confirmavi. Ego Adelard frater Reginæ consensi. Ego Beorthwaldus Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopus Inæ Regis donationem et libertatem C sub sigillo sanctæ Crucis corroboravi. ✝ Ego Daniel plebis Dei Inspector acquievi. Ego Fordredus Episcopus signum Crucis impressi. Waldhere Præfectus. Bruta Præfectus. Ethelheardo Vinningæ Prefectus. Winchelni Comes cum præsentia populationis consenserunt et firmaverunt.

*anathema adjungit:*

*subscribit cum aliis*

14 *Hactenus illud S. Inæ privilegium Glastoniensibus monachis datum, ex quo colligimus primo, eam* ecclesiam *illo tempore* in regno Britanniæ primam *habitam fuisse, imo* totius religionis fontem atque originem; ac Sanctorum matrem. *Ita etiam Eadgarus totius Angliæ monarcha in diplomate anno Christi* DCCCCLXXI *dato censet* Ecclesiam Glastoniensem ex antiquo principalem in eo regno obtinuisse dignitatem; *scilicet respectu habito ad ea, quæ supra de S. Josepho Arimathæo innuimus. Secundo colligimus confirmari traditionem antiquam, qua Glastoniensis Ecclesia dicitur primitus consecrata a Christo, tum S. Davidi Menevensi Episcopo illam Ecclesiam a se innovatam dedicare disponenti apparente, quod ad hujus Vitam examinandum. Tertio reperimus S. Patricii celebrem istic memoriam fuisse, ut vetusta illa* Ecclesia B. Mariæ *simul et* S. Patricii *nomen acceperit, uti ex priore diplomate S. Inæ liquet. In charta Baldredi Regis, locum* Pennard *indicatum* concedit Baldredus Rex Hamgislo Abbati

*Sancta Glastoniæ antiquitas:*

*ecclesia a Christo dedicata:*

*celebris ibi S. Patricii memoria;*

ad supplementum honorabilis ecclesiæ B. Mariæ et D S. Patricii. *Ita sub testimonio* Regis Edgari optimatumque suorum undecim tridæ de Clitan *concessæ sunt* Ecclesiæ beatæ Dei genitricis et S. Patricio *a quodam* Ealredo. *Colitur S. Patricius* XVII *Martii, cujus apud se corpus quiescere contendebant olim monachi Glastonienses. Verum ut Jocelinus atque alii tradunt, alius isthic videtur* Patricius filiolus ejus, qui post decessum patris sui Britanniam remeans in fata concessit, in Glasconensi ecclesia sepultus honorifice. *Dies huic natalis assignatur* XXIV *Augusti: Potuit ab hoc aliusque Hibernis, qui istic alebantur, cultus alterius Patricii promoveri, qua occasione sepulturam utriusque Glastonienses confuderint. Quæ de utriusque natali plenius discutientur: nonnulla supra I Februarii ad Vitam S. Brigidæ dicta sunt.*

AUCTORE G. H.

*alter S. Patricius Glastoniæ sepultus:*

15 *De S. Ina restauratore ita habent monumenta MSS. Glastoniensia sub titulo,* De fundationibus Ecclesiarum in insula Avalloniæ, *ita enim ante a pomis Britannice dictam volunt:* Quartam et majorem construxit Ina Rex, in honore Domini Salvatoris et Apostolorum Petri et Pauli, in Orientali parte aliarum, atque primam et vetustissimam de novo reparavit. *Quarta indicantur in eodem privilegio Subreguli Baldredus et Athelardus, quorum prior inter antecedentes* Reges, *post S. Ceadwallam statuitur, et* Rex *tum adhuc superstes subscribit: qui rursum cum S. Ina memoratur in diplomate Regis Cuthredi, anno Christi* DCCXLXII *Glastoniensibus dato, quo confirmat donationes* priorum Regum Kentwynes, Baldredes, Ceadwallan, Ines et Athelardes. *Meminerunt donationum* Kentwines et Ines, *etiam alii Reges, Edmundus anno* DCCCXLI *et Canutus anno* MXXXII: *utriusque chartam edidit Spelmannus in Conciliis Britannicis: apud quem in charta quoque Eadgari Regis supra memorata recensentur prædia locaque ab Ina et aliis Regibus donata, ubi* Bekeria, *hic* Beokerie, *cognominatur* parva Hibernia. *De conjuge Regina, Archiepiscopo et Episcopis, qui privilegiis subscripserunt, infra agimus. Demum non convenit annus Christi cum Indictione. Usserius parte hujus diplomatis edita cap.* 6 *potius legit annum Christi* DCCXXI, *qui cum* IV *Indictione congruit: aut certe annus retinendus* DCCXXV *cum Indictione* VIII, *ut in sequenti Inæ charta legitur.*

*ecclesiam Salvatoris, ac SS. Petri et Pauli ab Ina extructa:*

*Subreguli, Reges habiti* E

16 *Tertium ergo privilegium Inæ Glastoniensibus datum proferimus ex eodem Codice MS. cui hic præfigitur titulus:* Charta Regis Inæ de manerio Sowy data Ecclesiæ. Siquidem salutaribus instruimur eloquiis, amicos nobis de Mammona iniquitatis faciendos esse, qui nos in æterna recipient tabernacula. F Unde ego Ina Rex Westsaxorum, una cum conjuge Ethelburge, portiunculam terræ, quæ nobis dispensatione collata est, Dei servorum mancipare usibus decrevimus, quo nobis amplior in hæreditate justorum portio tribuatur; terram videlicet, quæ sic appellatur, Sowy, duodecim manentium, Christi familiæ, quæ in Glastenburi omnipotenti Domino voluntariæ devotionis obsequium impendit, liberali munificentia collatam, cum conscientia ac consensu venerandi Pontificis Fortheres, inconvulsa collatione donavimus possidendam, atque, ut certioribus documentis præfata concessio roboretur, propriis subscriptionibus ipsius donationis titulum firmamus. Scripta est hæc chartula anno ab Incarnatione Domini DCCXXV, Indictione VIII. Ego Ina subscripsi ✝ Ego Fortherus Episcopus consensi et subscripsi. *Ibi extat ejusdem Inæ charta de* Brente *Glastoniensibus donata, in qua annus Christi magno errore annotatur* DCLXIII, *qui corrigendus* DCXCIII, *relicta Indictione* VI *quæ utrique congruit. Subscripserunt* Hedda *tum* Episcopus, Baldredus Rex, Athelbaldus Rex, *Subreguli ambo, quorum hic forte* Athelardus *supra dicitur: demum donatio facta est Hemgislo tum Glastoniensi Abbati.*

*Alia S. Inæ charta Glastoniensibus data.*

AUCTORE G. H.

A *Abbati. Et sic ea Charta prima omnium concessa fuit.*

## § IV. *Episcopatus tempore S. Inæ erecti. Australes Saxones cum insula Vecta subjecti. Leges latæ.*

*Sub Ina Rege*

*Episcopus Occidentalium Saxonum S. Hedda*

Universo Occiduorum Saxonum regno Episcopus primus fuit S. Birinus, a quo Cinegilsum Regem fidei Christianæ mysteria edoctum, et sacro baptismate ablutum fuisse supra diximus. Sedem is Dorcestriæ, (sive ut Beda habet, Dorcinæ) locarat, urbe in Oxoniensi sita comitatu ad Tamam fluvium. Ea dein urbe ad Merciorum regnum translata, Sedes West Saxonum Episcoporum posita Wintoniæ, clarissima Britannicorum Belgarum civitate, in Hamptoniæ Comitatu, quæ Ptolemæo et Antonino Venta Belgarum dicta. Hic quintus illius regni Episcopus erat S. Hedda, cum Ina regimen auspicatus : cujus privilegia ultimo loco relato subscripsit : in altero vero eisdem Glastoniensibus dato, hic Episcopus, Cedvalla Rege confirmante, prædium aliquod eidem monasterio concessit : cujus donationis in Codice MS. Glastoniensi charta peculiaris extat facta anno DCLXXX pridie Nonas Julii. Hujus se consilio usum dicit Ina in legibus suis condendis. Colitur B S. Hedda VII Julii.

*Episcopatus divisus*

18 Quo defuncto, inquit Beda, lib. 5, cap. 19, Episcopatus provinciæ illius in duas parochias divisus est, una data est Danieli, quam usque hodie (*cum scriberet Beda*) regit : altera Aldhelmo, cui annis quatuor strenue admodum præfuit ; ambo et in rebus Ecclesiasticis et in scientia Scripturarum sufficienter instructi. *Consulatus hoc Ina visum.* Rex Ina, *inquit Huntingdoniensis lib. 4*, vicesimo anno regni sui divisit Episcopatum West Saxoniæ in duo, qui unus esse solebat. Partem orientalem a silvis tenuit Daniel, occidentalem Aldelmus. *Annus ejus regni vicesimus concurrit in annum Christi DCCIX primo regni anno ad Christi DCLXXXIX assignato : ut infra dicemus Huntingdonensem in reliqua Inæ vita numerare : illumque annum morti S. Aldelmi attribuendum esse. Et sic hæc divisio citius facta est ob diploma S. Inæ, cum illo decretoque*

*anno 705*

*Præsulis Aldelmi Glastoniensibus monachis concessum* anno Domini DCCIV, *cui etiam* Aldelmus subscripsit. *Huic diplomati consentit Chronologia Anglo-Saxonica, secundum quam* Hedda Episcopus anno DCCIII diem obiit, et Episcopatum in civitate Wintoniensi viginti septem annis tenuit. *Nam anno DCLXXVI, ut in eadem legitur,* Hedda accepit Episcopatum. *Wigorniensis*

C *initium Episcopatus eidem anno attribuit, sed obitum rejicit in annum DCCV secutus Bedam loco supra indicato, ubi hæc tradit :* Anno Dominicæ Incarnationis DCCV Alfridus Rex Nordan Humbrorum defunctus est, ante regni sui vicesimum necdum impleto. Cui succedens in imperium filius suus Osredus puer octo circiter annorum regnavit annis undecim. Hujus regni principio Antistes Occidentalium Saxonum Heddi cælestem migravit ad vitam. *Hæc Beda, qui obitum Heddæ Episcopi Osredi principio adscribit. At Chronologum Anglo-Saxonicum sequitur Westmonasteriensis. Hæc de tempore divisionis : quam his verbis describit Malmesburiensis lib. 2 de gestis Pontificum*

*assignatæ provinciæ :*

*Anglorum* : In divisione Westsaxoniæ Episcopatus hoc observatum palam est, ut qui Wintoniæ sederet, haberet duos pagos Hamptoniensem et Sudreiensem, alter, qui Schireburniæ, haberet Wiltuniensem Dorsetensem, Beruchensem, Somersetensem, Domnoniensem, Cornubiensem. Schireburnia est viculus, nec habitantium frequentia, nec positionis gratia suavis, in quo mirandum et pene pudendum, Sedem Episcopalem per tot durasse secula. *Eadem scribit Westmonasteriensis.*

*Schireburnensis Episcopus S. Aldelmus,*

19 *Hanc Sedem Schireburnensem accepit S. Aldelmus ex regia Saxonum Occidentalium stirpe oriundus, ex Abbate Malmesburiensi Episcopus ordinatus a* D *S. Brithwaldo Dorovernensi Archiepiscopo. Hic* Aldelmus cum esset adhuc Presbyter et Abbas, *teste Beda,* scripsit jubente Synodo suæ gentis librum egregium adversus errorem Britonum, quo vel Pascha non suo tempore celebrant, vel alia perplura Ecclesiasticæ * caritati et paci contraria gerunt : multosque eorum, qui Occidentalibus Saxonibus subditi erant Britones, ad Catholicam Dominici Paschæ celebrationem perduxit. *Quæ certe Synodus prima est, cujus sub Ina Rege habitæ notitia extet. Vita functum S. Aldelmum anno DCCIX scribunt Chronologus Anglo-Saxo, Wigorniensis, Cestrensis, Westmonasteriensis, aliique cum auctore Vitæ ejusdem, quam dabimus XXV Maii.* Quo defuncto, *ait Beda,* Pontificatum pro eo suscepit Forthere, qui usque hodie (*dum scriberet*) superest, vir et ipse in Scripturis sanctis multum eruditus. *Hic Fortherus duobus antea relatis S. Inæ privilegiis subscripsit : alteri etiam S. Daniel Episcopus Wintoniensis, qui sacer est dies X Decembris.*

*cognatus S. Inæ.*

* *al.* castitati, *perperam.*

*cui successit Fortherus :*

*Wintoniensis S. Daniel.*

20 *Desierat jam pridem regnum Australium Saxonum adjunctum hoc tempore Occidentalibus Saxonibus. Hinc Comitatus Surreiæ, ex regno Australium Saxonum in divisione Episcopatus ante relata, cum Ham-* E *ptonia attributus Danieli Episcopo Wintoniensi. In altera autem provincia, quæ ab iis Sussexia appellatur, venerat S. Wilfridus e Northumbria pulsus, ejusque incolas ad Christi fidem perduxerat, conditoque monasterio in peninsula Selsey revocatus ad suos, tandem eodem anno DCCIX, quo S. Aldelmus, migravit e vita. Colitur S. Wilfridus XII Octobris. Post hujus obitum iterum sub S. Ina Rege Synodus habita de Episcopo Saxonibus Australibus dando, ut prosequitur Beda ante citatus, his verbis :* Quibus, *Daniel et Forthere,* Episcopatum administrantibus statutum est Synodali decreto, ut provincia Australium Saxonum, quæ eatenus ad civitatis Ventanæ, cui tunc Daniel præerat, parochiam pertinebat, et ipsa Sedem Episcopalem et proprium haberet Episcopum. Consecratusque est eis primus Antistes Eadbertus, qui erat Abbas in monasterio beatæ memoriæ Wilfridi Episcopi, quod dicitur Selesen. Quo defuncto, Ceolla suscepit officium Pontificatus. Ipso autem ante aliquot annos ex hac luce subtracto, Episcopatus usque hodie cessavit. *Hæc Beda : et ex eo Westmonasteriensis ad annum Christi DCCXI. De tempore anteriore idem Beda lib. 4 cap. 16 hæc scribit :* Qui post Ceadvallam regnavit, *is est Ina,* simili provinciam illam afflictione plurimo annorum tempore mancipavit. Quare factum F est, ut toto illo tempore Episcopum proprium habere nequiverint, sed revocato domum Wilfrido primo suo Antistite, ipsi Episcopo Gevissorum, id est Occidentalium Saxonum, qui essent in Venta civitate subjacerent. *Idem, ut ait Beda capite sequente.* Insula Vecta sita est contra medium Australium Saxonum et Gevissorum, in qua nemo gradum ministerii ac sedis Episcopalis ante Danielem, qui nunc Occidentalium Saxonum et Gevissorum est Episcopus, accepit, ob ærumnam externæ subjectionis, *qua sibi primus Ceadvalla Vectam anno DCLXXXVI subegit.*

*etiam Australium Saxonum sub S. Ina*

*(his datus Episcopus Eadbertus, dein Ceolla)*

*et Vectæ insulæ.*

21 *S. Willibaldus Episcopus Eystadiensis in Germania, in Vita S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini V Junii, Synodum sub Ina Rege habitam refert cap. 4 his verbis :* Regnante Ina Westsaxonum Rege subitanea quædam incubuerat, nova quadam seditione exorta, necessitas, et statim synodale a primatibus Ecclesiarum, cum consilio prædicti Regis, servorum Dei factum est Concilium ; moxque omnibus in unum convenientibus, saluberrima de hac recenti dissensione concilii quæstio inter Sacerdotales Ecclesiastici ordinis gradus sapienter exoritur, et prudentiori initio consulto, fideles in Domino legatos ad Archiepiscopum Cantuariæ civitatis, nomine Berechwaldum,

*S. Ina adest Synodo Ecclesiastice sui regni.*

A dum, destinandos deputarunt, ne eorum præsumptione aut temeritate adscriberetur, si quid sine tanti Pontificis agerent consilio. Cumque omnis Senatus, et universus Clericorum ordo tam providenti peracta collatione consentirent, confestim Rex cunctos Christi famulos allocutus est, et cui hujus præfatæ legationis nuntium imponerent, sciscitatus est. Tunc repente summus in Christo Archimandrita, qui prædicto præerat monasterio, nomine Wynberch; et Wintra, qui monasterio, quod dicitur Dissesburg, præsidebat; et Beorwald, qui divina cœnobium gubernatione, quod antiquorum nuncupatur vocabulo Glestingaburg, regebat, nec non et alii multi hujus sancti propositi Patres, sanctum hunc virum accitum adduxerunt ad Regem, cui et nuntium Rex et legationis notitiam imposuit, et adhibitis secum sociis direxit in pace. Qui etiam nuntio sibi imposito juxta mandatum Seniorum, prospero itinere pervenit ad Cent, et Archiepiscopo summi Pontificatus infula prædito sapienter cuncta, quemadmodum edoctus erat a Rege, per ordinem revelavit: et sic spontaneo accepto responso, post non multos dies reversus est ad patriam, præfatoque Rege et prædictis servis Dei secum assistentibus, a venerabili Ar-

*mittit S. Bonifacium ad Archiepiscopum Cantuariensem:*

*responsum accipit.*

B chiepiscopo spontaneum scienter detulit responsum, et magnum universis contulit gaudium. *Hæc S. Willibaldus a S. Bonifacio ordinatus Episcopus, natus sub Ina Rege, cum fratre S. Wunibaldo Abbate Heydenheimensi, et sorore S. Walburga Virgine, ut dicemus ad Vitam S. Richardi illorum parentis* VII *Februarii Successit Beorwaldus Abbas Glastoniensis supra memorato Hemgislo. At Wynbertus Abbas præfuit monasterio novo, seu Nuiscellensi in Hamptonia, et urbe forte Wintoniensi, in qua hæc Synodus habita est, et altera erat sedes Regia S. Inæ. Ex eo monasterio Romam abituro S. Bonifacio litteras commendatitias ad Gregorium* II *Papam dedit memoratus ante S. Daniel Wintoniensis Episcopus, qui Wynberto mortuo monachis præfecit Stephanum Abbatem; et solum interim habuit Hamptoniam ex regni hujus Saxonici provinciis in sua diœcesi.*

22 *Erat apud Cantuarienses Archiepiscopus S. Theodorus cum Ina regnum auspicaretur, cui anno* DCXC *vita functo subrogatus est Bertualdus: utriusque celebris fit mentio in præcipuo diplomate S. Inæ Glastoniensibus monachis dato: in quo prædia eis concedit aliasque immunitates atque exemptiones,* cum licentia Beorthwaldi Dorobernensis Ecclesiæ Pontificis, et omni-

*Subjectos Reges habet:*

C um suffraganeorum suorum. *Sed et* omnibus regni sui Regibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus et Principibus præcipit, ne ullus audeat intrare insulam Glasteie caussa præcipiendi, interdicendi *etc. Demum apposita cruce subscribit Beorthwaldus, et donationem Inæ Regis corroborat, sub successore ejus anno* DCCXXXI *extinctus. Beda lib. 2, cap. 5, enumerat septem Reges, qui aliis etiam Regibus Anglo-Saxonibus imperarint, quorum ultimus fuit S. Oswius Rex Nord-Humbrorum anno* DCLXX *vita functus. Quidni octavum illis adjungamus* S. Inam Regibus, præcipientem? *Sub Regibus Orientalium Saxonum erat comitatus Middelsexia, cujus tamen Episcopum Londinensem* S. Erkenwaldum suum Episcopum *in proœmio legum suarum nominat: ubi etiam in Comitatu Essexiæ S. Cuthburga soror ejus et Ethelburga conjux Berkingense monasterium ingressæ sunt. Colitur S. Erkenwaldus* XXX *Aprilis circa annum* DCXCVII *mortuus, ut ante istum annum leges illæ a S. Ina fuerint latæ, ex quibus aliquas hic recitabimus, ad res Ecclesiæ pertinentes, e civilibus aliis decerptas ex regio codice et Jornalensi a Spelmanno editas: quæ sic incipiunt.*

*Leges fert,*

23 Ego Ine Dei gratia West-Saxonum Rex, exhortatione et doctrina Cenredes patris mei, et Heddes Episcopi mei, et Erchenwoldes Episcopi mei, et omnium Aldermannorum meorum, et seniorum et D sapientum regni mei, multaque congregatione servorum Dei, sollicitus de salute animarum nostrarum, et statu regni mei, constitui rectum conjugium, et justa judicia pro stabilitate et confirmatione populi mei benigna sedulitate celebrari: et nulli Aldermanno, vel alicui de toto regimine nostro conscripta liceat abolere judicia.

AUCTORE G. H.

I Inprimis præcipimus, ut ministri Domini rectam disciplinæ sanctæ regulam juste custodiant. Postea volumus, ut totius populi conjugia sint et judicia devote conservata.

*de ministris Dei,*

II Puer infra triginta noctes baptizetur: si non sit, XXX solidis emendetur. Si moriatur sine baptismo, emendetur tota pecunia.

*baptismo,*

III Si servus operetur die Dominica per præceptum Domini sui, sit liber; et dominus emendet triginta solidis. Si servus sine testimonio Domini sui operetur, corium perdat. Si liber operetur ipsa die sine jussu Domini sui, perdat libertatem suam.

*Dominica die,*

IV Cæricseatta reddita sint in festo S. Martini. Si quis hoc non compleat, reus sit LX solidorum, et duo decuplo reddat ipsum Cyricseattum.

*ecclesiæ censu*

V Si quis sit mortis reus, et ad ecclesiam confugiat, vitam habeat et emendet, sicut consulet. Si quis corium suum forisfaciat, et ad ecclesiam incurrat, sit ei verberatio condonata.

*e asylo,*

E

VI Si quis pugnet in domo Regis, totius pecuniæ suæ reus sit, et sit in arbitrio Regis, utrum vitam habeat vel non habeat. Si quis in ecclesia pugnet, CXX solidis emendet, etc.

*pugna in ea,*

VII Si coram Episcopo testimonium suum et vadium mentiatur, CXX solidis emendet.

*perjurio,*

*Cetera extant Saxonice cum versione Latina Guilielmi Lambardi integre cum historia Bedæ excusa; ubi etiam titulis. Omnia hic producere nihil attinet. Qui hic* Aldermanni, *id est seniores viri lingua Saxonica et Germanica; ii in Lambardi editione Senatores appellantur. Quodque hic dicitur,* corium perdere, *et* corium forisfacere, *apud Lambardum est* verberibus cædi, *et* verbera promereri. Cyricseattum, *aut* Cæricseattum, *sunt* primitiæ seminum *scilicet pro tributo Ecclesiæ debitæ.* Kyriek *vel* Kerek *ecclesiam significat; ab Græco forsan* κυριακὸν Set, *vel* saet, *semen est.*

## § V *Bella S. Inæ cum Regibus vicinis. Fabula de Wallia ei subjecta jure hæreditario, aut nuptiarum.*

F

Cedwalla Romam abeunte, *inquit Malmesburiensis lib. 1 de gestis Regum Anglorum cap. 2,* regnum per Inam novatum, qui magis pro insitivæ virtutis industria, quam successivæ sobolis prosapia in principatum ascitus, fortitudinis unicum specimen, prudentiæ simulacrum: religione parem nescias. Quibus artibus vitam componens, domi gratiam, foris reverentiam mercabatur. Adeo annis duobus de sexaginta *(imo quadraginta, ut infra dicetur)* potestate functus, sine ullo insidiarum metu securus incanuit, sanctissimus publici amoris lenocinator. Prima illi in Cantuaritas expeditio, in quos nondum de incendio Mollonis ira deferbuerat. *Nam anno* DCLXXXVI, *ut habet Chronologia Anglo-Saxonica,* Rex Cadualla, *ejusque* frater Mollo Cantium vastarunt. *Quare anno sequenti,* Cadualla rursus Cantium vastante, Mollo fuit in Cantio combustus, aliique viri duodecim. *Unde Ina regnorum hæreditate a S. Cedualla suscepta, vindictam de Cantuariis erat sumpturus. Verum, ut scribit Malmesburiensis,* provinciales parumper resistere ausi, mox omnibus tentatis et viribus in ventum effusis, cum nihil in pectore Inæ, quod ignaviæ conduceret, reperissent, dispendiorum suorum intuitu, deditioni consulere* tentant regium animum muneribus,

*Rex prudens fortis, et religiosus,*

*Cantuariis bellum illaturus,*

* *supple volentes, pacem redimunt,*

AUCTORE G. H.

A ribus, sollicitant promissis, nundinantur pacem triginta millibus auri marcis; ut pretio mollitus, bellum solveret; metallo præstrictus, receptui caneret. Qua ille pecunia suscepta, delicti gratiam fecit, in regnum reversus. *Hæc ibi. Matthæus Parisius in historia Anglicana, ad an.* 1235, *tradit* tredecim solidos et quatuor sterlingos pro marca qualibet computari. *Wigorniensis ad annum* DCXCIV *oblatas Inæ scribit* ter mille septingentas quinquaginta libras. *Westmonasteriensis refert, (sed perperam) ad annum præcedentem* DCXCIII, Inam Regem, castrorum aciebus terribiliter ordinatis, combustionem Mollonis cognati sui vindicare disposuisse; Regem vero Cantiæ Withredum humiliter obviam venientem, magnam pecuniæ summam pro nece juvenis dedisse. *Polydorus Vergilius lib. 4 Historiæ Anglicanæ* a Withredo Cantiorum Rege grandi auri pondere Inam reconciliatum *tradit. At Chronologus Anglo-Saxo anno* DCXCIV *asserit et* Withredum regnum Cantuariorum suscepisse, *et* Cantuarios cum Ina intercessisse, donatis triginta viris, quoniam Mollonem prius cremaverant. Rex Withred, *inquit Huntindoniensis,* obviam ei adfuit, non cum feroci arrogantia, sed pacifica supplicatione, non cum frendentibus minis, sed rhetorici mellis dulcedine; qua Regi fero persuasit, ut, armis depositis, mulctam pecuniæ a Centensibus acciperet pro cæde juvenis, et sic lis finita ruit, pax confirmata revixit. Rex vero Centensis abhinc semper in pace regnavit.

*pecunia a Withredo Rege oblata,*

*anno 694;*

B

25 *Aliud Ina bellum cum Britonibus, seu Wallis gessit anno Christi* DCCX. *Ita Chronologus Anglo-Saxo:* Ina autem et Nun propinquus ejus, cum Gerente Rege Wallorum bellum gessit. *et Wigorniensis:* Gewissorum Rex bellicosus Ina et Nun suus proximus cum Gerente Britonum Rege bellum gessere, victumque in fugam vertere. *Huntindoniensis lib. 4 Historiarum relato obitu S. Wilfridi Episcopi, quem supra anno* DCCIX *e vita migrasse diximus, subjungit:* Anno huic proximo pugnavit Rex Ine et Nun cognatus ejus contra Gerente Regem Wales. Cujus pugnæ principio occisus est Dux Higebald, ad ultimum vero Gerente cum suis faciem ab Anglis avertit, et fugiens spolia et arma sequentibus reliquit. *Eadem refert Westmonasteriensis, sed ad annum* DCCXII. *Quis hic Nun fuerit, non additur: an forte Subregulus? uti sub eodem Ina fuerunt Baldredus et Adelardus supra relati.*

*bellum gerit contra Regem Britannum anno 710.*

26 *Hinc primo rejiciendus est Galfridus Monumetensis, qui lib.* 12 *cap.* 18 *Inam a Britonibus oriundum tradit:* Tunc Alanus, *inquit,* suggessit Cadualladro,

C

ut divinæ dispensationi pareret, et Britannia postposita, quod Angelicus ei præceperat monitus, perficeret. Filium suum Ivor, ac Ini nepotem suum, ad reliquias Britonum regendas in insulam dirigeret, ne gens antiquo illorum genere edita libertatem barbarica irruptione amitteret. Tunc Cadualladrus, abjectis mundialibus, propter Deum regnumque perpetuum venit Romam et a Sergio Papa confirmatus; inopino etiam languore correptus, duodecima autem die Kalendarum Maiarum anno ab Incarnatione Dominica DCLXXXIX a contagione carnis solutus, cœlestis regni aulam ingressus est. *Quæ eadem narrat Beda lib.* 5, *cap.* 7, *de S. Ceadualla decessore S. Inæ, qui Pontifice Sergio, die, mense et anno indicato Romæ sancte ex hac vita migravit. Sed pergit Galfridus cap.* 19. Cum autem Ivor et Ini naves sibi collegissent, quos potuerunt, associaverunt sibi, et applicuerunt in insulam, atque XLIX annis gentem Anglorum sæva inquietatione affecerunt: sed non multum profuit. ... Barbarie etiam irruente, jam non vocabantur Britones, sed Gualenses, vocabulum sive a Gualone Duce eorum, sive a Gualoe Regina, sive a barbarie trahentes.

*et perperam fingitur ab iis oriundus,*

*nepos Cadwaladri cum S. Ceadualla confuso.*

*et Rex Walliæ Anglo oppugnasse.*

27 *Hæc Walliæ Regina uxor dicitur S. Inæ in auctario ad leges Edwardi Regis cap.* 35 *ubi hæc addantur æque fabulosa:* Rex Ina cepit in uxorem suam Gualam nomine, propter quam vocata est Wallia illa terra, quæ quondam vocabatur Cambria: bigamus enim fuit. Cepit autem cum ultima uxore sua Cambriam, et Cornubiam, et coronam benedictam Britanniæ, quæ fuerat ultimo Cadwaladro Regi Britanniæ. Et universi Angli, qui tunc temporis extiterunt, uxores suas ceperunt de Britonum genere, et Britones uxores suas de illustri sanguine et genere Anglorum, hoc est de genere Saxonum. Hoc enim factum fuit per commune concilium et assensum omnium Episcoporum, et Principum, Procerum, Comitum et omnium sapientum, seniorum, et populorum totius regni, et per præceptum Regis Inæ prædicti. Multi vero Angli ceperunt uxores suas de sanguine et genere Scotorum. Proceres vero Scotorum, et Scoti fere omnes ceperunt uxores suas optimo genere et sanguine Anglorum Germaniæ, et ita fuerunt tunc temporis per universum regnum Britanniæ duo in carne una. Et taliter constituit rectum conjugium (et delevit fornicationem et immunditiam a regno) et recta judicia pro stabilitate regni, et confirmatione populorum, benigna sedulitate: et tali modo effecti fuerunt gens una et populus unus per universum regnum Britanniæ miseratione Divina. Deinde universi vocaverunt regnum

D

*non cum uxore Wallia Cambriam accepit:*

*neque mutua conjugia Anglorum, Britonum et Scotorum præcepit:*

E

Anglorum, quod antea vocatum fuit regnum Britanniæ. Universi prædicti semper postea pro communi utilitate coronæ regni insimul et in unum circiter contra Danos et Norvegienses semper steterunt, et atrocissime unanimi voluntate contra inimicos pugnaverunt, et bella atrocissima gesserunt. Erat enim prædictus Rex Ina optimus, largus, sapiens, prudens, moderatus, strenuus, justus, animosus, et bellicosus pro loco et tempore, et in Divinis legibus, et in secularibus institutis, scriptis, et bonorum operum exhibitionibus irradiavit gloriosus, rexitque regnum, confœderavit, et consolidavit, et in unum pacificavit sapientia et prudentia magna, et ubi locus adfuit, vi et manu armata. *Hæc ibi: quæ dum iis contraria sunt, quæ ex antiquis optimæque fidei atque auctoritatis probatæ historicis proferimus, quivis ut futilia difflabit. Inter fabulas quoque censemus secundum S. Inæ conjugium cum Guala, seu Wallia, Regis Britonum Cadwaladri filia, cujus nulla apud alios mentio. Fuit illi conjux* Ethelburga, *subinde in Codice MS. per errorem Sexburga dicta, e Saxonibus Occidentalibus, uti et ipse, oriunda, soror Adelardi Subreguli: quam cum illo regnum reliquisse infra dicemus.*

*neque oppugnatus a Danis et Norwegis,*

*regnum defendit.*

F

28 *In heptarchia Britannica, illustre fuit regnum Merciorum, de quo agemus* XIII *Februarii ad Vitam S. Ermenildæ Reginæ, uxoris Regis Wulfheri: huic successerunt S. Ethelredus illius frater (cujus natalis incidit in diem* IV *Maii) tum Cenredus, quo Romam abeunte anno* DCCIX *regno potitus est* Ceolredus, patriæ, *inquit Huntindoniensis,* et avitæ virtutis hæres. Ine anno regni sui XXVI pugnavit contra Ceolredum Regem Merciorum, filium Edelredi Regis Wonebirih: adeo autem horribiliter pugnatum est utrimque, ut nesciatur, cui clades detestabilior contigerit. *Ita Huntindoniensis. Idem prælium ad annum Christi* DCCXV, *referunt Chronologus Anglo-Saxo, Wigorniensis, Cestrensis, ad annum sequentem Westmonasteriensis. Locus pugnæ vocatur illis* Wodnesburh, Wodnesbirch, Wodnesbeorh, Wodenesburgh. *Silentio prætermittit hoc bellum Malmesburiensis, ejusque loco tradit* Orientales Anglos hæreditarium excepisse odium, omni nobilitate primo pulsa, post etiam bello fusa. *Sub finem hujus seculi occiso Rege S. Ethelberto, qui colitur* XX *Maii, Angli Orientales Regibus Merciorum subjecti sunt. Agit de bellis hisce etiam Ethelwerdus lib* 2. *cap.* 12.

*pugnat cum Rege Merciorum anno 715:*

29 Anno DCCXXI Ina Kinevulsum occidit. *Ita Chronologus*

A *nologus Anglo-Saxo, et Wigorniensis, qui* Clitonem Kineulfum *nominat : quo indicari observat Spelmannus Regis filium fuisse. Pergit Chronologus :* Anno DCCXXII Ethelburga Regina castrum Tantun destruxit, quod prius extruxit Ina ; et Aldbrihtus in Suthria et Suthsexia exul periit. Ina autem contra Suthsaxonas pugnabat. *Ea paucis perstringit Wigorniensis. Copiosius Westmonasteriensis,* Ina, *inquit*, exercitum grandem in Southsexiam promovit, et in eodem prælio Eadbertum, quem prius fugaverat a castro, quod Tantona dicitur, interfecit : eo quod Ina construxerat castellum prædictum. *Historicus Anglo-Saxo cædem ejus refert ad annum* DCCXXV. Et Ina, *inquit*, contra Suthsaxonas pugnabat, ibique Aldbrihtum fudit. *Aliquam confert lucem Huntindonius :* Ine, *inquit*, anno XXXVI regni ejus exercitum in Sudsexe promovit, pugnavitque contra Sudsexas potenter et victoriose, et interfecit in eodem prælio Ealdbrith, quem prius fugaverat a castro, quod vocatur Tantune, quod quidem Rex Ine construxerat ; sed, quia juvenis prædictus Ealdbrith castrum introierat, qui regius hostis erat, Edelburh Regina uxor Ine castrum cepit armis, captumque destruxit, et eum fugere compulit in Sudrei. Eadbertum *hunc Polydorus Vergilius* Aldinium B Australium Saxonum Regem *appellat. Est autem* Tantona *elegans hoc tempore oppidum in Comitatu Somersetensi, ad fluvium Thonum, qui illi nomen peperit.*

*et cum Saxonibus Australibus.*

## § VI. *Varia Inæ opera pia in regno et Romæ.*

*Corpore SS. Indracti et sociorum Mart divina revelatione invenit,*

C*um corpora SS. Indracti et sociorum Martyrum, de quibus* V *Februarii egimus, in profunda quadam fovea a latronibus abscondita essent,* Rex Yne, *inquit Auctor Vitæ*, nocte quadam respiciens in cœlum, vidit columnam quasi ignis perspicuam, a loco, in quo corpora sancta abscondita erant, in cœlum tendentem, cujus splendor suos oculos, quocumque eos verteret, sequebatur. Cumque per tres noctes eamdem visionem perspexisset, quibusdam secum assumptis, venit ad locum, et inventis Martyrum corporibus cum magno honore apud Glastoniam ea sepeliri fecit. *Hæc ibi.*

*ac transfert :*

31 Inas vir magni consilii et virtutis *(verba sunt Polydori Vergilii Archidiaconi Wellensis)* domi forisque clarus, bonis artibus vacans, ac justi æquique per omnia amans, cum animadverteret per administrationem publicarum rerum non licere sibi esse quietum, Crucem suam suscepit, ac Christum ipsum seC cutus est. Ceterum, antequam id faceret, voluit religionem suis fortunis juvare : quippe vir sapientissimus ducebat vilissimum stultissimumque esse, in alterius fidem permittere opes in varios usus erogandas, quas ille, qui acquisivisset, posset ipse largiri. Itaque Welliæ ædem ædificavit magnifico apparatu, eamque D. Andreæ Apostolo dedicavit : in qua Sedem Episcopalem collocandam curavit, et eam postea multis locupletavit possessionibus. Wellia urbs in ea insulæ parte, quæ ad occidentalem solem spectat, sita est ad radices montis, quem Mendepinm vocant. *Hæc Polydorus. Verum quæ de Episcopali Sede tradit, non satis firma et solida fide nituntur. Certe aliter sentit Malmesburiensis lib. 2 de gestis Pontificum Anglorum :* Tertius, *inquit*, Episcopatus Westsaxonum fuit apud Wellas, villam in Somersetensi pago. Ibi a tempore Regis Edwardi senioris fuerunt Episcopi. *Addit Harpsfeldius seculo 8, cap. 8 constare ante* Edouardi senioris tempora nullum ibi sedisse Episcopum. *Cambdenus in Belgis,* templum *ait habere et* Collegium ab Ina Rege in S. Andreæ honorem conditum. *Anno deinde* DCCLXVI Kinewulphus Occidentalium Saxonum Rex, *ut in ejus charta apud Godwinum legitur*, aliquam terræ partem, cum consensu Episcoporum et Satraparum, Dei Apostolo atque ministro ejus S. Andreæ humiliter adscribendo do- D navit, ad augmentum monasterii, quod situm est juxta fontem magnum quem vocitant Wielea. *Consentiente Ina Rege Danielem Britonum Episcopum istic sedisse tradit ex Chronico Glastoniensi Usserius cap.* 5.

*Welliæ templum S. Andreæ extruit,*

*et collegium*

*seu monasterium.*



AUCTORE G. H.

32 *Ex fide codicis MS. Glastoniensis bis Romam profectus est S. Ina. De primo itinere hæc istic traduntur :* Dehinc *post diplomata data monasterio Glastoniensi,* prædictus Rex Ina litteras regali signaculo signatas summo Pontifici direxit, in quibus hæc omnia prædicta cum possessionibus et libertatibus Glastoniensi Ecclesiæ continebantur scripta, simulque cum quodam scypho ex auro purissimo, et cum aliis regalibus donis, quæ idem Rex prædicto Pontifici transmisit, supplicavit et supplicando obtinuit, ut Glastoniensem Ecclesiam cum pertinentiis et libertatibus suis in sinum et protectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ susciperet, et ipsam Apostolica auctoritate in perpetuum confirmaret. His autem omnibus a summo Pontifice acceptis, eoque annuente et suscipiente, regiam pensionem per Apostolica scripta gloriose confirmavit. Et eodem anno idem Rex Romam personaliter adivit, et privilegium Apostolico signaculo corroboratum redeundo Glastoniam apportavit. E

*Papæ Romano donat scyphum aureum,*

*Glastoniensibus privilegia confirmata*

*Roma rediens adfert :*

33 *Tum forsan Ina celeberrimam eleemosynam, quam* Denarium S. Petri *vocant, Pontifici obtulit.* Rex Ine, *inquit Cestrensis,* primus omnium Regum denarium ex singulis domibus regni sui B. Petro fertur concessisse, quod diu ab Anglis Romescot, Latine vero Denarius S. Petri appellatur. *Polydorus ait se ejus* muneris obeundi caussa primum in Angliam venisse, et hanc aliquot per annos quæsturam gessisse, *quam ita exponit :* Officia autem, ejus Regis *(Inæ nimirum)* pietatis plena infinita produntur : et illud in primis, quod regnum suum Romano Pontifici vectigale fecerit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis. Fecit idem ejus exemplo, ut opinor, ductus Offa Merciorum Rex, qui non multo post id tempus regnavit. Fuit is annus salutis DCCXL. Hoc vectigal, prout quidam scribunt, auxit posthac Ethelvolphus, seu Athulphus Rex, qui totius fere insulæ imperium obtinuit. Omnis Anglia hoc tempore istud vectigal pietatis et religionis caussa Romano Pontifici pendit domesticatim collectum, et nummi illi argentei vocantur vulgo, Denarii D. Petri, quos Pontificius quæstor, quem non inscienter Collectorem nuncupant, exigit. *Quid præterea Ina hac sua eleemosyna spectarit, ex Westmonasteriensi addimus :* Fecit Ina Rex, *inquit ad annum* D 727, *Romæ domum, consensu et voluntate* Gregorii Papæ, quam Scholam Anglorum appellari fecit. Ad quam Reges Angliæ et genus regium cum Episcopis, Presbyteris, et Clericis in doctrina et fide Catholica erudiendi venirent, ne quid in Ecclesia Anglicana sinistrum aut Catholicæ unitati contrarium doceretur, et sic in fide stabili roborati, ad propria remearent. Erant enim doctrina et scholæ Anglorum a temporibus S. Augustini per Romanos Pontifices interdictæ propter assiduas hæreses, quæ in adventu Anglorum in Britannia emerserant, dum pagani Christianis permixti, sanctæ conversationis gratiam corruperant fidei Christianæ. Fecit præterea, juxta domum præfatam, ecclesiam in honorem beatæ Virginis Mariæ fabricari, in qua Anglis Romam advenientibus Divina celebrarentur mysteria ; et in qua possent, si quem ex Anglis Romæ mori contingeret, sepeliri. Et hæc omnia ut perpetuæ firmitatis robur obtineret, statutum est generali decreto per totum regnum Occidentalium Saxonum, in quo prædictus Ina regnabat, ut singulis familiis denarius unus, qui Anglicæ Romescot appellatur, B. Petro et Ecclesiæ Romanæ mitteretur, ut Angli ibidem commorantes

*Denario S. Petri Pontifici oblato,*

*regnum illi subjicit :*

*Scholam Anglorum Romæ extruit :*

*et templum S. Mariæ.*

*AUCTORE G. H.*

A vitale subsidium inde haberent. *Hæc Westmonasteriensis: quæ in primo ejus in Urbem adventu concipi disponique potuerint, in secundo vero ad perfectam executionem deduci.*

## § VII. *Regnum a S. Ina abdicatum. Vita sancte finita Romæ.*

Interim Ethelburga uxor *ejus*, femina sane regii generis et animi (*verba sunt Malmesburiensis lib. 1 de gestis Regum Anglorum cap. 2. et Continuatoris Bedæ lib. 1. cap. 3*) dum crebro viri instillaret auribus, ut mundanis rebus vel extremis annis valefaceret, et ille hortantem de die in diem differret; astu tandem vincere parat. Cum enim quadam vice apud villam ingenti tumultu regales luxus explicuissent, postera die cum discessissent, villicus ex Reginæ conscientia palatium quanta potuit deformitate, tam fimo pecudum, quam aggere ruderum infamat. Postremo in lecto, ubi cubuerant, porcam noviter enixam collocat. Interea cum jam plus milliario processum esset, illa maritum uxoriis delinimentis aggreditur, rogans, ut illuc, unde abierant, necessario pedem referant; magni discriminis rem fore, si non exaudiat. Re non B difficulter impetrata, Rex videns locum pridie Sardanapalicis deliciis parem, nunc fœda solitudine deformem, miratur, tacitoque judicio oculi rem examinantes, ad mulierem rediere. Tunc illa occasionem aucupata, lætumque subridens: Et ubi sunt, ait, Domine conjux, hesterni strepitus? ubi aulæa Sidoniis fucis ebria? ubi parasitorum discurrens petulentia? ubi Dædala vasa pondere metallorum mensas ipsas onerantia? ubi terra marique exquisita ad gulæ lenocinium obsonia? Nonne omnia fumus et ventus? nonne omnia transierunt? et væ his qui hæserint, quia simul transibunt. Nonne omnia sicut fluvius præceps et currens in mare? et væ his qui hæserint, quia scilicet trahentur. Cogita, quæso, quam miserabiliter defluent carnes, quæ modo in deliciis nutriuntur. Nonne nos, qui ingurgitamur uberius, putrescimus miserius? Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instabit cruciatio.

*A Regina conjuge pro quodam astu,*

*et persuasione efficaci*
*al. succis*

*docetur vanitatem rerum mundanarum*

39 Nec plura locuta, maritum compulit in sententiam exemplo, quam multis annis frustra insusurraverat verbo. Nam post triumphales bellorum manubias, post multarum virtutum gradus, summum culmen perfectionis meditatus, Romam abiit. Ibi, ne pompam suæ conversionis faceret, non publicis vul- C tibus expositus, crinem deposuit; sed ut solus Domini oculis placeret, amictu plebeio tectus clam consenuit. Nec deerat tanti dux femina facti: quæ, cum antea virum ad hoc audendum incitasset, tunc mœrentem verbis lenire, et labantem exemplis erigere, prorsus, quod ad salutem ejus spectaret, nihil dimittere. Ita mutua caritate connexi, temporibus suis viam hominum ingressi sunt. Non sine magnis miraculis, ut accepimus, quibus Divina dignatio felicium conjugum sæpe respondet meritis. *Hactenus Malmesburiensis.* Sanctissime cum magnis miraculis ex hac vita migrasse *traditur in Co. ice MS. Glastoniensi.*

*Romam abit:*

*ubi ignotus, vili habitu, Deo servit:*

*miraculis clarus obit:*

40 *Eadem attingit Beda lib. 5 cap. 7.* Abeunte autem, *inquit*, Romam Ceadwalla, successit in regnum Ine de stirpe Regia, qui cum triginta et septem annis imperium tenuisset, et ipse, relicto regno ac junioribus commendato, ad limina beatorum Apostolorum, Gregorio Pontificatum tenente, profectus est: cupiens in vicinia sanctorum locorum ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius a Sanctis recipi mereretur in cælis. Quod his temporibus plures de gente Anglorum, nobiles, ignobilesque, laici, Clerici, viri ac feminæ certatim facere consueverunt. *De S. Gregorio Papa II, infra agemus XIII Februarii. Juniores, quibus Beda ait regnum ab Ina commendatum,*

*reliquit regnum cognatis,*

*sunt Ethelhardus ejus successor, et Oswaldus Clito, contra* D *quem eodem adhuc pugnavit anno Ethelhardus. Huntindoniensis de Ina et successore ita scribit:* Ine Rex potens et felix, relinquens Adelardo cognato suo regnum, Romam petiit, et ibi peregrinans in terris, stipendia meruit in cœlis. *Ac recensitis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus Francorum, et variis Sanctis, qui eo regnante floruerunt, subjungit.*

*ex quibus successit Adelardus.*

41 Reges vero contigui Cedwalla et Ine, magni viribus, quod commune fuit eis cum belluis; majores vero sanctitate, quod proprium est Angelorum, et hominum, sed paucorum, egregie fecerunt. Unde Beatos dicent eos omnes generationes. Sicut et duo Reges contigui fecerunt, scilicet Edelred et Cenred, qui, relictis omnibus bonis falsis, verum et summum bonum, quod est Deus, adepti sunt. Reges ergo terræ præsentes imitamini Reges prædictos sapientes et beatos, non furiosos et infelices: quorum distinctionem opera et finis operum in præsenti tractatu demonstrant. Quatuor ergo Reges prædicti luminaria sunt omnibus Regibus terræ: ut boni, quos imitentur habeant; mali unde excusentur, non habeant. Vos etiam, qui Reges non estis, Reges prædictos imitamini, ut cœli Reges efficiamini. Si enim, cum illi majora reliquerunt, vos minora relinquere nolueritis, sancti E Reges prædicti vestræ damnationis judices erunt. Adelhard Rex Westsaxe primo anno regni sui pugnavit contra Oswald juvenem de regia stirpe regnum idem sibi acquirere conantem. *Traditur hic* Oswaldus *filius* Ethelbaldi, *forte Subreguli, inde Clito agnominatus, et eodem, quo S. Ina, pro avo Cuthwino prognatus.*

*Ina Angelis comparatur, Beatus habitus,*

*cum aliis Regibus Anglo-Saxonibus,*

*et Sanctus:*

42 *Ferrarius Catalogo Sanctorum Inam adscribit* VI *Februarii: In Anglia S. Inæ Regis. Menardus in Martyrologio Benedictino.* Romæ, *inquit*, depositio B. Inæ Regis occidentalium Saxonum. *Edouardus Maihew in Notatibus Sanctorum congregationis Anglicæ Ordinis Benedictini cum pluribus encomiis exornat:* Commemoratio, *inquit*, B. Inæ potentissimi et piissimi Occidentalium Saxonum Regis qui ... regno ipse suo omnique mundi gloriæ valedicens, Romam profectus est, ibique vitam monasticam amplexus et professus est... Obiit sanctissime Romæ monachus anno circiter Domini DCCXXVII, sepultusque ad introitum basilicæ S. Petri, ut Ecclesiæ illius tabulæ testantur. *Eadem fere referuntur in Martyrologio Anglicano. Wion lib. 4 Ligni Vitæ cap. 6,* S. Inas, *inquit*, Rex Saxonum Occidentalium XI in Anglia, artibus belli et pacis inclytus, Romam pietate motus adiens, ac regno se exuens, monasticam vitam cum magno animi fer- F vore, habitu a Pontifice sumpto, anno Christi DCCXXVI, regni vero sui XXXVII aggressus, in ea ad finem usque permansit, in Sanctorum catalogo postea relatus. *Eumdem Sanctis annumerat Hieronymus Porterus in Floribus Sanctorum Britanniæ* VI *Februarii, vitæ compendio ex Harpsfeldio potissimum descripto. Hic, ita de ejus monachatu sentit:* Beatorum Apostolorum, *inquit*, limina invisere, illisque et illorum se patrocinio ad Dei facilius gratiam promerendam, atque ibi, unde gens sua primam fidem hauserat, residuum vitæ, feriato, quieto atque tranquillo a rebus omnibus terrestribus animo, inter monachos traducere voluit. Quod et præstitit, monachumque se non palam, astanteque, ut fit, populi concione (quæ frequens sine dubio ad tam insolens spectaculum accurrisset), sed clam in solo Deo ejusque aspectu acquiescens, professus est. *Hæc ille, citatis ad marginem Malmesburiensi et Cestrensi. Illius verba dedimus, quem iste fere describit:* Romam, *inquit*, ubi non Principis vultibus expositus, crinem deposuit, et plebeio cultu amictus, inter mendicos consedit. *Ita respectu regiæ majestatis depositæ habitus et vita monastica æstimatur. Florebant tum apud Anglo-Saxonas monachi Benedictini, ex quibus erant Glastonienses, quorum monasterium a S. Ina magni-*

*Martyrologiis inscriptus.*

*relatus in Sanctorum catalogo.*

*an monachus factus Romæ,*

A *magnificentia vere regia restauratum ostendimus, quibus etiam confirmavit concessum a Kentwino Rege privilegii dignitatem, qua possent ab iis eligi et constitui Abbas juxta regulam S. Benedicti. Ex simili Abbate in Episcopum assumptus erat* S. Aldelmus cognatus *ejus*, cujus ille præcepta, *teste Malmesburiensi*, audiebat humiliter, suscipiebat granditer, adimplebat hilariter.

*et Benedictinus?*

43 *Sub eadem S. Benedicti regula vitam monasticam professæ erant ejus sorores S. Cuthburga et Quenburga. Demum quæ a cunctis laudatur tanti dux fœmina facti, erat conjux ejus Ethelburga Regina, mulier prudentissima et religiosissima, quæ Rege Romam proficiscente, et* ipsa *(verba sunt Baronii ad annum Christi* 740, *num.* 14) haud imparem fortitudine suo viro, licet in sexu fragili, se exhibens, de contemptu mundi peregregium specimen dedit. Monasticam siquidem vitam amplexa, perpetuo se ergastulo mancipavit, cum monasterium monialium sanctarum ingressa, ibidem ex Regina se in ancillam convertit, atque tantum sibi imperare delegit, probe sciens vere esse illum Regem, qui Christi amore aliis subditum se constituit, et vere imperare, qui suis passionibus dominatur. *Spelmannus ad annum* 725 *annotat* Reginam *hanc* Edelburgam primo monialem factam esse in cœnobio Berkingensi *supra memorato, in Essexia juxta Tamisim fluvium*, deinde illic Abbatissam *fuisse. Quod etiam tradunt Harpsfeldius; Mathæus aliique. Alia istic priore seculo præfuerat Ethelburga, soror S. Erconwaldi Episcopi Londinensis, ab Regibus Anglorum Orientalium progenita, quæ sanctis virginibus adscripta colitur* XI *Octobris. Cestrensis ait* Ethelburgam *conjugem S. Inæ* ad Berginsense monasterium recessisse, ubi soror ejus Abbatissa fuerat et ipsa postmodum Virginibus illis prælata, beato fine quievit. D

*Regina Ethelburga ejus uxor* *sanctimonialis,* B *dein Abbatissa in monasterio Berkingensi, beato fine quievit.*

AUCTORE G. H.

44 *In annis regni Inæ ordinandis hæc observanda. Initium ad annum Christi* DCLXXXIX *cum antiquis auctoribus retulimus; qui tamen annus, utpote non completus, in computum non refertur. Hinc qui Huntindoniensi est annus regni* XXVI, *aliis est Christi* DCCXVII, *quo pugna ejus cum Ceolredo Merciorum Rege refertur: qui eidem est annus* XXXVI *regni, a Chronologo Anglo-Saxone traditur annus Christi* DCCXXVII, *illustris victoria de Saxonibus Australibus relata. Annos regni ejus universim attribuunt Beda aliique triginta septem, quos secundum calculum datum finimus anno Christi* DCCXXVI, *et sic Westmonasteriensis*, Anno gratiæ, *inquit*, DCCXXVII Ina Rex felix et potens, Æthelhardo cognato suo regnum suum relinquens, Romam petiit, ut pro regno temporali commutaret æternum. *Alii tamen hæc referunt ad annum sequentem* DCCXXVIII, *forte propter aliquod interregnum, cujus tempus illi attribuitur. Ita Chronologus Anglo-Saxo ad eum annum:* Hic Ina Romam adiit, ibique spiritum efflavit. *Wigorniensis:* Relicto imperio, ac Æthelhardo de prosapia Cerdici Regis oriundo commendato, Rex Ina ad limina beatorum Apostolorum, Gregorio Pontificatum agente profectus est, cupiens in vicinia sanctorum locorum E ad tempus peregrinari in terris, quo familiarius a Sanctis recipi mereretur in cœlis. *Quæ ultima ex Beda ante relato sumpta. Ille cum eodem capite descripsisset S. Ceadwallam Romæ repentina morte sublatum esse, S. Inæ tempus ad quod peregrinationis, concedit: atque ita eum* Romæ clam consenuisse *scribat Malmesburiensis, aliquamdiu post annum* DCCXXVIII *superstitem.*

*Anni regni ejus,* *tempus peregrinationis,* *et vita Romæ acta,*

# DE S. GUARINO

## S. R. E. CARDINALE EPISCOPO PRÆNESTINO,

### Commentarius prævius.

J. B.

*AN. CH. MCLIX VI FEBR. S. Guarinus Ep. Prænestinus, Bononiæ natus,*

P*rænestinam Ecclesiam (cujus Præsul, uti tom.* 1 *Italiæ sacræ scribit Ferdinandus Ughellus*, ab immemorabili, unus est e septem purpuratis Episcopis, qui propiori dignitatis gradu Pontificium thronum circumstant) *sub exitum anni* CIↃCXLIV *moderandam suscepit* S. Guarinus, *Bononiæ natus, nobili familia, sive* Guarinorum, *uti Carolus Sigonius lib.* 2 *de* C *Episcopis Bononiensibus, Ughellus loco citato, et in Historia Pontificum Alphonsus Ciacconius, tradidere; sive* Fuscariorum, *uti vel idem Ciacconius vel qui ejus opus interpolavere, et Gabriel Pennottus in Historia tripartita Clericorum Canonicorum; seu denique* Fuscarariorum, *uti Onuphrius Panvinius in Romanis Pontificib. Cherubinus Ghirardaccius lib.* 2 *historiæ Bononiensis, et Officia Canonicorum regularium Lateranensium an.* CIↃIↃCXXXIV *excusa, habent. Pro Guarinis affert Ughellus S. Guarini* insignia gentilitia, bovem erectum, anhelantemque, ac collum millo circumdatum. *Alia certe illi Ciacconius tribuit, etiam in postrema editione, cui accurandæ ipse quoque Ughellus operam impendit. Forsan paternum illi ex una harum familiarum genus fuit, maternum ex altera; et si non una est Fuscaria ac Fuscararia, e tertia illi avia fuerit; ut omnes ad se partem decoris, quod ex ejus dignitate ac sanctimonia in agnatos redit, trahere merito possint. Lucii II Papæ, qui et ipse Bononiensis erat, Gerardus Caccianimicus ante dictus, consanguineum fuisse aiunt Pennotus et Ciacconius.*

*non sat constat qua familia:*

2 *Fuit primum Guarinus Clericus Ecclesiæ Bononiensis. Sed majoris perfectionis studio, institutum Canonicorum regularium complexus est: quo in loco, non satis inter scriptores convenit. Sigonius, Ghirardaccius, Ciacconius, volunt in cœnobio S. Mariæ ad Rhenum amnem sito, tribus ab urbe Bononia millibus passuum, id contigisse. Officia propria Canonicorum regularium, Ciacconii editio postrema anni* 1630, *et Pennotus lib.* 3 *cap.* 50 *asserunt Mortariæ in ditione Mediolanensi id factum. Qui obiequi ita innotescere virtutem ejus Ticinensibus potuisse, si juxta Bononiam, tanto inde intervallo, habitasset? Ughellus tom.* 1 *Ital. Sacræ, scribit* ex Canonico S. Mariæ Rhenanæ, sive, ut alii volunt, ex F monasterio sanctæ Crucis Mortaræ ad episcopatum vocatum. *Pennotus Notat.* 8 *in Officia Canonicorum regularium, ita dissidentes Scriptorum sententias conciliat:* Hunc nonnulli monasterii Rhenani prope Bononiam Canonicum faciunt: quod parum retulerit, cum essent tunc Canonici Mortarienses, Lateranenses ac Rhenani *ejusdem* professionis, si *non* ejusdem congregationis. Quam ob caussam, qui unius erant, in alterius congregationis Necrologiis et Menologiis notabantur.

*fit Canonicus regularis Mortariæ,* *vel (ut quidam volunt) juxta Bononiam:*

3 *Cum Ticinensem Episcopatum, ad quem vi ferme rapiebatur, fuga ac latebris declinasset; postea a Lucio II Papa, an.* CIↃCXLIV, *mense Decembri, Cardinalis Prænestinus constitutus est, invitus, et (ut in postrema Ciacconii editione dicitur)* imposita ei obedientiæ necessitate. *In priori vero anni* 1601 *de eo ista habentur:* Ejus etiam pietatis in miseros clarum extat monumentum, Hospitale in patria *erectum*, quod Sancti Job appellant. *Ghinius id illum* de paternis bonis construxisse ac fundasse *scribit. Ghirardaccius lib.* 2 *ad annum Christi* MCXLI *ita id narrat:* Eodem anno Guerrinus Cardinalis Fuscararius, Bononiæ hospitale construxit, quod nunc S. Jobi nuncupatur, assignatis reditibus, per quos Christi pauperibus subveniretur

*fit Ep. Prænestinus et Cardinalis an. 1144* *fundat Bononiæ hospitale:*

AUCTORE AUGUSTINO TICINENSI.

A veniretur : uti in ejus Vita, quæ penes Canonicos S. Salvatoris extat, memoratur. *At necdum eo anno Cardinalis erat Guarinus, quem ipsemet postea Ghirardaccius primum anno* CIƆCXLIV *in eum senatum cooptatum tradit. Si id ex bonis paternis, uti Ghinius auctor est, fundatum, multo ante factum fuisse oportet; post, si a Cardinale. Antonius Masinus in Bononia perlustrata, anno* CIƆCXLI *ex paternis bonis illud condidisse nosocomium scribit.*

*moritur an. 1159.*

4 *Decessit tandem meritis plenus anno* CIƆCLIX, *septuagenario major, exactis in Vita canonica annis* XL, *(uti affirmant Ghirardaccius, Ciacconius, et alii a Pennotto lib. 3, cap. 30 citati)* XV *in episcopatu, in seculo non multo pluribus* XX, *qui dicatur* ingenuæ indolis et probatæ virtutis juvenis, *luxuriem sociorum vitam aspernatus, regulare institutum amplexus. Unde refutes Ciacconium, Ghinium, Masinum scribentes eum anno ætatis* LX *obiisse. Cui hoc credibile videatur,* XCV *natum annos, fractumque senio, admotum denique infulis esse?*

*quoto suæ ætatis?*

*canonizatur ab Alexandro III.*

5 *Inter Sanctos deinde Pontificia auctoritate relatus est, et quidem (si Philippum Ferrarium audimus) ab Alexandro* III *Pontifice Maximo, qui et ipse Canonicus regularis Lateranensis fuerat, uti Pennottus memorat, atque eodem quo Guarinus obiit anno, Pontifex renuntiatus est, mense Septembri, mortuus* XXVI *Novembris, an.* CIƆLXXXI.

B

*colitur 6 Febr.*

6 *Colitur S. Guarinus a Canonicis regularibus Lateranensibus, uti ex propriis eorum Officiis patet,* VIII *Id. Februarii, ritu duplici. De eo MS. Florarium :* Item S. Narrini Episcopi Cardinalis et Canonici regularis. *Canisius, et in addit. ad Usuard. Molanus :* Præneste sancti Episcopi et Confess. Garini. *Martyrologium Romanum :* Bononiæ S. Guarini Episcopi Cardinalis Prænestini, vitæ sanctitate conspicui. *Pluribus de eo agit, sæpius ante citatus, Constantinus Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, et Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ.*

*inscriptus Martyrologiis.*

7 *Augustinus Ticinensis, Canonicus congregationis Lateranensis, qui vixit an.* CIƆD *et deinceps, inter alia scripsit* Vitam S. Guarini, *quæ et a Surio edita; e quo eam hic damus. Pennottus in Notat. ad Officia Canonicor. regular. de sancti hujus Præsulis Vita hæc testatur :* Vidi etiam eamdem illius Vitam, cum nonnullis libris D. P. Augustini editam Parmæ an. CIƆCCCCXCI, curante Severino Caleo sanctæ Crucis Mortariæ Præposito, cujus, quæ est apud Surium, compendium videtur. *Nobis adhuc majorem illam videre non licuit.*

*ejus Vita a quo scripta?*

C

# VITA

## Auctore Augustino Ticinensi,

### *a Laur. Surio ex MSS. edita.*

*S. Guarinus nobilis Bonon.*

**B**eatus Guarinus, Christi Confessor, genere præclarus, Bononiæ oriundus, ad hujus mundi caliginem illustrandam, velut splendidissimum sidus, emicuit. *a* Ex suæ prosapiæ stirpe fuit quidam *b* Septimus Episcopus, qui doctrina et religione, miraculorum patrator, Catholicam illustravit Ecclesiam. Cum autem Hierusalem proficisci decrevisset, ut inde apud Ægyptum eremiticam duceret vitam ; et Romæ parumper esset immoratus, ab Apostolico detentus, in Reatina Ecclesia Episcopus ordinatur. Ubi vero parvo tempore admirandæ religionis vitam duxit, iterum in priori perseverans proposito, in Ægypti partibus eremitica austeritate, in vasta et optata solitudine, potitus est.

a b

*a puero pietati deditus,*

2 Præclarus itaque vir Guarinus, parentum diligentia ab ineunte ætate nutritus, et moribus educatus, non lasciviis, sicut assolet puerorum ætas, sed sacris litteris intentus, sicut assidue, ita strenue quoque jejuniis, orationibus, ac divinæ contemplationi inhærebat. Itaque in dies excrescens novella D plantatio, cœlesti irrigata doctrina, sub sancti Spiritus disciplina ad religionis et vitæ Canonicæ perfectionem tendens, informis adhuc et tenera ætas formabatur. Spiritus namque pietatis devoti mentem pueri subaravit, et in cordis ejus tabula timoris Dei pariter et amoris rudimenta depingens, ad humilitatis et obedientiæ culmen mentis ejus aciem instruxit, et Divinæ gratiæ concessum sibi talentum, bonorum operum meritis continue augere promeruit.

3 Factus deinde juvenis B. Guarinus, invitis *c* consanguineis, qui de ipso posteritatem peroptabant, totis visceribus Christi vestigia complectens, majori in Ecclesia Bononiensi Clericus honorifice fuit ordinatus. Verum cum ingenuæ indolis et probatæ virtutis juvenis socios mollibus vestitos cerneret, non quæ Jesu Christi erant, sed propria quæque sequentes, ipse pauper spiritu cœpit arctius se divinis mancipare obsequiis : et puro ac sincero Dei famulatu, despectis calcatisque terrenis illecebris, forti animo cœlestia quærens, ad amabilem divini amoris perfectionem venire satagebat. Utque omnipotenti Deo ad hujuscemodi confirmandum propositum preces assiduas ardentesque effunderet, solitaria loca frequentabat, tantoque sublimius transeuntis mundi gloriam E despexit, quantum in culmine mentis agnovit nil esse in Dei amore quod possit auferri.

c

*fit Clericus :*

*ad perfectionem aspirat :*

4 His igitur sanctissimis instructus studiis, ad Canonicam sanctæ Crucis de *d* Mortaria advolans, ibique secundum D. Augustini Regulam Canonicorum habitum ingenti desiderio indutus, brevi tempore perfectionis culmen attingere meruit. Virtutum siquidem studiis annis plurimis intentus, ad ulteriora progressus est : elegitque optimam partem cum Maria, et sedens in speluncæ ostio, divinis suspensus desideriis ad æterna, sibilum sensit auræ tenuis suo cordi sine sono insonantem. Ad solatium peregrinationis, et ad ærumnas temporalis exilii demulcendas, accuratissime fodit Scripturarum puteos, in quibus vivam aquam indesinenter hauriret : et nocte mortalitatis hujus tres ab amico panes exegit : quo sic refectionis aqua potatus, et panis soliditate cibatus, ad montem denique Dei Oreb, sicut viriliter, ita feliciter divinæ contemplationis secreta penetravit.

d

*fit Canonicus regularis :*

*vacat contemplationi :*

5 Destinatus autem ad S. Frigdiani *e* Ecclesiam, in ea a concanonicis perbenigne et reverenter excipitur. Erat enim inter Fratres humilitate et obsequenti famulatu uti minister, doctor verbo, magister F exemplo. Mortem sibi quasi quotidie imminentem intentus meditabatur : quæ quidem meditatio est peccatorum omnium peremptoria, juxta quod scriptum est : In omnibus operibus tuis meditare novissima tua, et in æternum non peccabis. Ubi enim non est timor mortis, ibi dissolutio vitæ : ubi vero dissolutio vitæ, ibi peccatorum abundantia : ubi denique peccatorum abundantia, ibi et perditio animæ. Timor enim semper emendat, tollit securitatem, parit sollicitudinem, fugat torporem, animum excitat, superbiam dejicit, humilitatem nutrit, caritatem auget, et virtutes multiplicat. Timens Deum, abdicat peccata in verbo, facto, cogitatione et in omnibus motibus suis : peccatorum occasiones evitans, se, corpus totamque animæ suæ vitam a malo custodire studet illæsa. Hæc S. Guarinus assidue mente revolvens, ad Dei servitutem se præparabat, et contra carnis concupiscentias indesinenter pugnabat. Postremo sanctæ obedientiæ jugo sponte et humiliter colla subjiciens, cœlesti Domino in sanctitate et justitia servire studebat.

e

*mortem assidue meditabatur*

Eccli 7. 40

6 Contigit autem, cum post paucos annos ad Canonicam Mortariensem reverteretur, ibique aliquamdiu moratus, comperta jamdiu ante ejus fama, in dies

A dies coram Deo et hominibus clarissimis polleret virtutibus, ut nutu divino *f* Papiensis Ecclesia proprio privaretur Pontifice: sicque, inspirante Deo, communi omnium voto, tam Clerus quam populus universus B. Guarinum Episcopum *g* elegerunt. Cumque factus esset Cleri et populi concursus, ut eum levantes manifestarent electionem, cœpit B. Guarinus totis reluctari viribus, dicens indignum esse eum fieri Episcopum, qui prius non fuerit doctrina et virtutum moribus probatus. Cumque nulla ratione acquiescere vellet, cujusdam Archidiaconi occasione præstita, qui ad eum anhelabat Episcopatum, deceptis custodibus, vir sanctus, qui ante fuerat in arcto loco detentus, per fenestram dimittitur: sicque tamdiu latuit, donec alter ibi consecratus fuit Episcopus. Atque ita denique B. Guarinus suo potitus desiderio, ad Fratres suos concanonicos rediens, veluti simplex animal inter eos conversabatur. Domini namque Jesu Christi B. Guarinus fidelis imitator factus, qui cum eum turbæ facere Regem voluissent, noluit; etiam ipse per hoc imitationis exemplum præbuit, ne sub prælationis occasione, elationis tumore mentis ejus cymba periclitaretur.

*f*

*g oblatum Episcopatum Papiensem ut declinet, latet:*

*Joan. 6. 15*

*creatur Episc. Prænestinus.*

7 Post aliquantulum vero temporis, felicis memoriæ Papa Lucius II, natione Bononiensis, fama ejus
B crescente, quanta potuit instantia egit, ut B. Guarinus ad se veniret. Dei veri amicus in humilitatis custodia persistens, pie rennit Pontificis instantiam, asserens supra meritum suum esse, quod ab illo petebat: et qui in monasterio quadraginta annos egerat, reverti ad temporalem sollicitudinem timebat. Victus tandem Pontificis instantia, et Prælati sui hortatu, Romam profectus in Prænestinum Episcopum est consecratus.

*amans paupertatis, munus sancte gerit:*

8 Cumque equitatum pretiosum, aliosque Episcopales apparatus a Pontifice dono recepisset, mox venditis omnibus, pauperibus pretium erogavit. Fit interea exultatio et plausus generalis in populo, Christi favor et gloria tollitur in immensum, et S. Guarini nomen summis in urbe præconiis celebratur. Clerum insuper et populum salubri reficiebat pabulo, pauperibus alimenta et indumenta propriis manibus erogabat. Conversabatur autem in loco apud ecclesiam Prænestinam, jejuniis et orationibus plene vacans, et ceteris omnino studiis pietatis insistens, Evangelicus negotiator vitæ perpetuæ margaritam pretiosis opibus præponebat.

*liberalis in pauperes:*

9 Denique jam senectute gravatus, cupiens dissolvi et esse cum Christo, depositionem quoque sui tabernaculi *h* prævidens, universum ad se Clerum convocavit. Quamquam autem semper ei fuerit temporalis vita fastidio, tunc tamen ardentiori mentis incessu ad Christi pulchritudinem contemplandam rapiebatur. Tandem post salubria monita, voluit eum Deus iter universæ carnis ingredi, communi mortalium lege. Sequenti namque nocte totus aer immenso refulsit lumine: tanta postremo emicuit claritas, ut sereno aere jubar solis appareret. Appropinquante vero solis aurora, S. Guarinus cum claritate, carnis vinculis expeditus, ad vitam, quæ fine claudi non potest, cum gaudio migravit, sexto Februarii die. Tunc Christi Confessor omnibus carus, virtutum signis coruscans in terris, et meritis in cælis vivens, in sepulchro et ecclesia beati Martyris *i* Agapiti, Sacerdotum manibus, debita veneratione reconditur.

D

AUCTORE AUGUSTINO TICINENSI, EX MS.

*h moritur, cælo noctu lucente.*

*i*

10 Gloria sancti viri et solennitas vicinas circumquaque regiones, longe lateque dispersæ, confestim ad sui devotionem attraxere. Eadem autem die mulier quædam dæmonio vexata, Albanensem urbem circuivit, loquebaturque per eam diabolus, sic dicens: Hodie Præsul migravit ad cælum, cujus precibus ego miser expellar. Statim obsessa muliere
E beati viri sepulchrum attingente, cœpit per os ejus in sanctum virum contumelias dæmon evomere: sed precibus ejus erepta mulier, Confessoris sepulchrum festina amplexa est, et ei, cujus ministerio sic sanata erat, gratiarum vota persolvit. Unde factum est, ut viso miraculo, suspensis ante sepulchrum lampadibus, confestim sine ignis appositione, cernentibus omnibus, luminaria accenderentur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

*Energumena ejus meritis sanata:*

*lampades ad sepulchrum divinitus accensæ,*

a *Surius fatetur se locum hunc, in exemplari, quo ipse usus est, obscure expressum, nonnihil illustrasse.* — b *Ughellus tom. 1. Ital. sacr. parte 2 in catalogo Episcoporum Prænestinorum,* Septimum Guarinum *vocat, adjicit an. 1182 Episcopum fuisse.* — c *Officio propr. Canonicor. Lateran.* parentibus. — d *Inter* Mortaris, *sive* Mortarium, *vulgo* Mortara, *Novariam inter et Ticinum. De nominis origine diximus ad Vitam SS.* Amici et Amelii 12 *Octobris.* — e *Colitur S.* Frigdianus *Lucæ* 18 *Novembris. Ejus ecclesia, cujus hic fit mentio, fuit aliquando peculiaris congregationis Canonicorum regular. caput.* — f *Suspicatur Ughellus hoc contigisse sub annum* 1139 *mortuo Petro Episcopo* LXVI. — g *Ghirardaccius scribit a Papa illi oblatum Episcopatum. Ferrarius addit, etiam alios Episcopatus accipere eum noluisse.* — h *Officio Canonicor. regular.* cum divinitus præsciret, appropinquare sibi depositionem sui tabernaculi. *Con enim Victorellus in addit. ad Ciacconium.* — i *Colitur S.* Agapitus *Prænestinus Martyr* 18 *Aug.*

C

# DE B. HILDEGUNDE COMITISSA, F

## FUNDAT. CŒNOBII MARENSIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS,

### Commentarius prævius.

J. B.

POST AN. CHR. MCLXXXIII VI FEBR.

*Marense cœnobium*

Cœnobium est *Marense, in ditione Coloniensi, infra Nuersium urbem, nobilium Virginum instituti Præmonstratensis: quod, multa licet aspera perpessum superiis bellis ac seculi superioris, floret tamen etiamnum morum honestate cultuque religionis. Conditum ab annis fere* 10, *in* Meer, *sive* Mehre, *arce ad lacum sita, unde nomen, quod nostrate Teutonica lingua* mare *vel* lacum *sonat: spatiosus deinde ac commodius extra arcem, haud tamen ab hac procul, ædificatum.*

2 *Id* B. Hildegundis *construxit, ac possessionibus suis liberorumque dotavit. Ea* Hermanno *ac* Hadewige Luitbergæ *Comitibus prognata fertur, nupta* Lothario *Comiti Arensi, cujus videtur in Eyflia ditio fuisse, ac circa* Aram *flumen, ubi etiamnum præter Arenbergum, nuper Ducatus titulo decoratum,* Novæ-Aræ, *vulgo* Nievenar, *Comitatus,* Ar-villare *quoque, et* Aldenaer, *seu* Vetus-Ara, *et fortassis* Ara Ubiorum *olim. Eodem*

*fundat B. Hildegundis,*

*tractu* Sibodo ab Hochsteden Comes de Are *Steinfeldium altero ante ortum Præmonstratensium seculo fundasse traditur. Peperit Lothario Hildegundis* Hermannum *et* Theodoricum, *filiamque* Hadwigem. *At viro, filioque Theodorico mortuis, Deo se cum filia consecravit, ac Marense cœnobium condidit: matris sororisque* Gertrudis *exemplum imitata, quæ, Hermanno Comite vita functo, in* Dunwaldense *ordinis Præmonstratensis cœnobium, supra Molheimum, Colonia haud procul, secesserant Deo famulaturæ. Pia Hildegundis consilia promovit* Hermannus *ejus filius, qui jam ante eidem Ordini dederat nomen in monasterio Cappenbergensi, quod postea per annos* XI. *laudabiliter rexit. Unde Reinoldus Archiepiscopus Coloniensis in primo suo Diplomate inferius recitando ait, B. Hildegundem,* adjuncta sibi manu venerabilis filii sui Hermanni, quem tunc unicum habebat, *Deo bona sua obtulisse. Et Alexander* III *Papa in Bulla itidem paullo post proferenda,* juxta

*atque in eo Religiosa,*

*exemplo matris,*

*filio juvante:*

AUCTORE I. B.

A juxta constitutionem, *inquit*, Hermanni Cappenbergensis Præpositi, cujus juris castrum Mere noscitur extitisse. *Quare idem Hermannus* fundator Marensis *habitus. Ita* XIII *Januarii* § 10 *ad Vitam* B. Godefridi *Cappenbergensis num.* 53 *in Catalogo Præpositorum Cappenbergensium :* IV B. Hermannus Comes Arensis, ex Lothario et B. Hildegunde natus, fundator cœnobii Marensis, summa cum laude præfuit annis XL. *Et mox in alio Catalogo :* Quartus Ecclesiæ nostræ gubernacula suscepit D. Hermannus Abbas, Merensis cœnobii fundator : qui cum annis XL admodum laudabiliter præfuisset, beato fine quievit.

3 *Alios Marensi fundatrici parentes, nomen aliud ipsi filiæque, tribuunt MSS. Chronica Cliviæ, Juliæ, Gelriæ :* Arnoldus, *inquiunt*, Theodorici germanus, Comes Clivensis XVII, annis rexit XLVII, temporibus Henrici V, Lotharii II atque Conradi II Romanorum Imperatorum; tantarum quippe virtutum Princeps, quod Margaretam, Suaviæ Ducis filiam, et Frederici I Imp. sororem, in conjugem accipere meruerit : ex qua genuit Theodoricum successorem, Aleydam Comitissam de Altena, sive Marca, et Margaretam Comitissam de Meer et Aere; quæ singulari devotione permota, post mariti, viri utique bellicosissimi, necem, ex castro suo Meer prope Nussiam, abbatiam fundavit Ordinis Præmonstratensis, tunc a novo incipientis : in qua ipsa, una cum filia Margareta, seculi pompis despectis, sanctimonialis effecta, post paucos annos in Abbatissam consecrata fuit anno Domini MCLXVIII. Quæ et in Christo defuncta, in Choro ejusdem ecclesiæ cum miraculorum gloria sepulta requiescit. Insuper Arnoldum Cliviæ Comitem, ejus genitorem, matremque Margaretam, gravissimis suis moribus et vitæ sanctitate adeo pellexit et inflammavit, quod ex oratorio Comitum in Bedberch erecto, abbatiam insignem ejusdem Ordinis erigerent et magnifice dotarent.

*alibi filia Comitis Cliviæ dicta,*

*nomine Margareta*

B

4 *Eadem fere scribit Wernerus Teschenmakerus, qui Arnoldi Clivensis liberos enumerat,* Theodoricum et Arnoldum filios, mutuos vicissim successores, Aleidem Comitissam de Marcka, et Margaretam Comitissam de Aere et Meer prope Novesium. Ex eaque, *inquit*, præter filium Theodoricum Comitem Meerensem mature mortuum, duæ filiæ vicissim prodierunt, Elisabetha Randeradia, et Hildegundis Merrensis : quarum postrema, divisione cum sorore instituta, castrum suum Meerense in cœnobium ordinis Premonstratensis Vestalium anno MCLX convertit : inque eo cum Matre monachatum professa, ipsaque Abbatissa prima renuntiata, post mortem in templi Choro sepulta est.

*alibi ejus mater Margareta appellata,*

C

5 *Dissimulat hic auctor heterodoxus miracula B. Hildegundis, sed et alia (uti parum curiosus esti) peccat, ut cum antea Arnoldi Clivensis uxorem* Idam, *quæ aliis* Margareta *est, facit* Conradi filiam, Frederici Barb. Imper. sororem, *cum constet Frederici Imp. patrem non Conradum fuisse, sed* Fredericum, *Conradi* II *Imp. fratrem. Suggerit tamen quo citata Cliviæ Comitum Chronica corrigi posse videantur : nimirum, ut dicatur Arnoldi filia non* Margareta *aut* Hildegundis *fuisse, sed* Haduigis, *quæ* Hildegundem *deinde genuit. Eam enimvero* Clivensem *fuisse tradit in Annalibus laceribus Ordinis Præmonstratensis Mauricius du Pre, ita scribens :* Fridericus Archiepiscopus Coloniensis Dunenvaldense Virginum cœnobium dotat cum Arnoldo Comite Montensi : moxque illic Hadewigis Comitissa Clivensis, et Gertrudis ejus filia junior, disciplinæ regulari se subjiciunt. *At nullus eo tempore* Montensis *Comes* Arnoldus. *Clivensis autem Arnoldus, ut ex* Aleyde *filia, Adolpho* I *Comiti Marcano nupta, nepotem habuisse dicitur* Brunonem II, *anno* MCXXXII *Coloniensem Antistitem creatum, ita ex altera filia* Haduige *neptem* Hildegundem *facile est ut natus credatur :*

*quæ Hadwigis fuit,*

*sed Clivensis.*

*quæ si nupta est eo anno, quo ejus consobrinus* Bruno *Episcopus obiit* MCXXXVII; *potuerunt sane circiter annum* MCLX, *aut etiam prius, filii ejus ea fuisse ætate, ut alter Imperatorem in Italiam comitaretur, alter Præmonstratensi familiæ se addiceret. Quod de* Arnoldo *dicitur ad studium pietatis pellecto, valuisse ad id filiæ* Haduigis, *neptiumque* Gertrudis et Hildegundis, *proneptisque* Haduigis *exempla, verisimile est.* D

6 *Diutius genealogiis hisce eruendis firmandisque inhærere haud opus. Cur aliter atque Chronica illa et Wernerus sentiamus, facit Ægidii Gelenii antiquitatum sacrarum ac profanarum scientissimi viri auctoritas, qui et diplomata et primigeniis Actis transcripta, quorum sane est fides quam vulgarium genealogiarum longe certior, et iis consentientem* B. Hildegundis, *quam hic damus, Vitam ex tomo primo collectaneorum scriptorum suorum nobis singulari humanitate communicavit. Idem ex iisdem diplomatibus lib.* I *de Coloniæ Agrippinensis magnitudine, syntagm.* 7 *tradit* Reinoldum *Archiepiscopum inter alia Ecclesiæ Coloniensi* acquisivisse a B. Hildegunde de Mehre Comitatum infra Novesium, consentientibus sanctissimis Hildegundis liberis et sorore Elisabetha Comitissa de Randeradt et Luberg.

*B. Hildegundis Vita unde hic edita?*

7 Hildegundem *porro* Beatæ *titulo honestat Chrysostomus vander Sterre, monasterii S. Michaelis in civitate Antverpiensi Abbas, in Natalibus SS. Ordinis Præmonstratensis, quos ante* XXX *annos edidit. Plus illi tribuitur in libello an.* MDCXXXV *Matriti excuso, qui* Ordo recitandi Officium Divinum *inscribitur; ita enim habet :* VI S. Hildegundis Comitissæ, duplex. *Verum, extra Sanctos Hispanos, non est istius libelli apud nos auctoritas magna. Consignat enim nonnullos veluti duplici aut semiduplici officio celebrandos, qui ne illis quidem in locis, ubi eorum corpora asservantur, ullam obtinent in publicis precibus commemorationem.* E

*Non colitur Officio Divino,*

8 Beatam *etiam appellat Joannes Pagius Bibliothecæ Præmonstrat. libro* 2, *uti et* Hadnigem, *de qua agemus* XIV *Aprilis. Eam quoque et* Hadwigem *filiam eodem honore condecorat in Fastis Agrippinensibus jam citatus Ægidius Gelenius, sed eo solidius, quod e propinquo explorare omnia potuit : et in Vita, præter miracula quibus est a Deo honorata, traditur corpus his, cum esset in Conversarum (ut vocant) Choro sepultum, nocte fuisse virtute Divina exhumatum, atque Hermanni Præpositi Cappenbergensis aliorumque consilio ante summum altare conditum : postea inde etiam sublatum, et in tumbam belle sculptam honorifice repositum. Demum subditur :* Eam jam olim Beatam et Sanctam appellarunt, consuetoque Sanctorum aliorum more pinxerant; imo et invocarunt, vetusta ad eam oratiuncula teste. Cingulum ejus parturientibus, et pectinem cephalea laborantibus, ad optatum effectum profuisse, certum est. *Ita illic. Et supra relatum ex Chronicis MSS.* miraculorum gloria *mortuam refulsisse.* F

*Beata tamen appellata,*

*translata,*

*picta, invocata :*

*ejus reliquiæ, miracula.*

# VITA AUCTORE PETRO ROSTIO

## *Ord. Præmonstr. Steinfeldensi Canonico.*

Beata Hildegundis, Marensis cœnobii fundatrix, Hermannum Comitem Lidthergensem habuit patrem, matrem vero Hadewigem itidem Comitissam nobilissimam; quæ marito defuncto una cum Gertrude filiarum tertia, Deo servitura in Dunwaldense Præmonstratensis Ordinis monasterium secessit, cui prædium egregium, Zulhoven appellatum, contulisse dignoscitur.

*B. Hildegundis parentes,*

2 Piæ matris suæ exemplum secuta B. Hildegundis, Lothario Comite Arensi marito suo et Theodorico filiorum altero mortuis, alteroque Hermanno in Kappenberg monastice professo; circa annum MCLXV, postquam ad limina Sanctorum Apostolorum fuisset pere-

*maritus, filii.*

*peregrinatur,*

A peregrinata, Christum omnium bonorum suorum constituit hæredem, et in castro suo Meer sacrarum Virginum fundat monasterium. Pios ejus conatus et cœpta nonnihil remoratur Elisabetha soror ejus, primam bonorum inter eas initam divisionem retractans, et aliam sibi adjudicari a *a* Reinoldo Archiepiscopo petens et obtinens. Celebratur igitur multis Prælatis, Comitibus, Baronibus aliisque præsentibus divisio secunda : retinetque B. Hildegundis castrum Meer cum omnibus ministerialibus, hominibus, possessionibus et justitiis ejus; itemque prædium in Burich, Seist, Creveldt, olim Crinfeld, et Quirinfelt, Barmen, Hulsen, Watscherd, Winteren, Wulstorp, Overmandt juxta Mosam, Doveren et Beudert, cum omnibus pertinentiis eorum. Elisabethæ vero obtingit castrum Lidberg cum omnibus ministerialibus, hominibus, possessionibus et justitiis ejus; adhæc prædium in Steinfale, Steinfurt prope Lidberg, Scheterhusen, Zoppoldisbroig et Prumere, cum omnibus pertinentiis singulorum. Sorori jam sua portione contentæ, et omni in perpetuum renuntianti importunationi, B. Hildegundis ex consueta pietatis liberalitate, superaddit et donat prædium suum in Overmundt, in Doveren, et in B Bendert; ministeriales quoque suos in Barmen (non autem prædium ibidem) et beneficium suum in Bruche.

*cœnobii fundatio,*
*a*
*bonorum cum sorore divisio,*
*inque eam liberalitas;*

3 Monasterii recens fundati cura in spiritualibus venerabili viro M. *b* Udalrico *c* Præposito *d* Steinfeldensi, sacræ Theologiæ Doctori, ejusque successoribus commissa; B. Hildegundis, una cum Hadewige filia sua, in eo ordinem et habitum assumit Præmonstratensium : ac non multo post Virginum ad eam confluentium Præfecta, sive (ut eo tempore hujus instituti Antistite vocabantur) *e* Priorissa prima designatur.

*b c d*
*cœnobii præfectura :*
*e*

4 Animarum crescente numero, ipsa commodiore loco non procul a mari, seu lacu castrum alluente, modernum condit monasterium : cujus ecclesia S. Laurentii (cui et sacellum jam ante erectum sacrum est) anno MCLXVII extruitur, turrim habens mirabili schemate, et (ut aiunt) ad imitationem Laurentianæ extra muros urbis Romæ factam. Ferturque Theodoricus in Italia militiæ vacans, hujus sancti Martyris templum incendisse, ac ideo, quamvis de peccato dolens, a Deo subitanea morte punitus, et in Urbe honorifice sepultus esse.

*novi cœnobii fabrica,*
*turris,*

5 Porro B. Hildegundis pluseulis annis supervivens, plantationem suam cum incredibili gaudio florere videt, et fructificare suavitatem odoris : et C singulari devotionis spiritu perfusa, non diebus neque noctibus a laudibus Divinis et oratione cessat ; suisque in Christo filiabus vitæ sanctimonia prælucet, quibus ulterius ac melius de temporali subsidio providere pergit sollicita, multum eam juvante Theodorico Comite ab are et Hochstede, sui quondam mariti (ut aiunt) fratre.

*spiritualis profectus,*
*et temporalis,*

6 Novellum hoc collegium Reinoldus, ejusque in archiepiscopatu successor *f* Philippus benigno favore prosequuntur : quorum hic varia ei concessit privilegia; ille fundatrici, Reliquiarum conquirendarum studiosæ, duo donat brachia *g* SS. Felicis et Naboris Martyrum, *h* jam pridem una cum sanctis tribus Regibus Mediolano Coloniam per eum translatorum.

*f*
*Reliquiarum thesaurus,*
*g*
*h*

7 Alexander Papa III anno *i* MCLXXVIII B. Hildegundis fundationem confirmat, amplissimaque cœnobio Marensi largitur privilegia. Anno MCLXXXIII rivus, qui per vicinos agros aliorsum labebatur, per conventum ipsum ab ea deducitur.

*i*
*privilegia .*
*rivus illuc deductus*

8 Post mortem claret miraculis, quæ monasterii libris *k* bello Coloniensi direptis intercidisse videntur. Defunctæ corpusculum (ut majorum traditione accepimus) cum in Conversarum choro bis terræ mandatum esset, utraque vice sequenti die reperitur D exhumatum, et versus januam ad presbyterium ducentem utcumque directum : ideoque filii Hermanni Præpositi Kappenbergensis aliorumque consilio, ante summum altare tertio sepelitur. Ejus sacra ossa successu temporis sunt elevata, ut vocamus, et ipso sepulturæ loco in tumbam belle sculptam ac depictam honorifice collocata.

*k*
*corpus B. Hildegundis*
*auctore Petro nostro.*
*non sine miraculo, honorifice positum elevatum :*

9 Eam jam olim Beatam et Sanctam appellarunt, consuetoque Sanctorum aliorum more pinxerunt, imo et invocarunt, vetusta ad eam oratiuncula teste. Cingulum ejus parturientibus, et pectinem cephalea laborantibus ad optatum effectum profuisse certum est.

*ejus ut Sanctæ imago, invocatio*
*Reliquiæ*

10 Hermannum filium quoque Beatum habitum fuisse, ejus olim in ecclesia Marensi ad matris dextram picti testatur effigies. Quin et ossa Hadewigis filiæ (quæ matri in regimine successit, ac prima Magistræ nomen accepit) reverenter involuta prope summum altare usque ad Truchsesianæ desolationis tempora asservata fuerunt.

*filius et filia Beati.*

a *Ejus de ea transactione Diploma infra dabimus.* — b Ulricum *vocat Gelenius lib.* 4 *cap.* 62 et virum magnæ litteraturæ *fuisse, ac præclara de eo narrat.* — c Nondum enim, *inquit idem Gelenius,* in Ordine Præmonstratensi erant Abbates. — d Steinfeldia *abbatia est celebris, in Arduenna, loco saxoso, ut nomen indicat. Ædificata traditur (ut supra indicavimus) a* Sibodone Comite de Are, *circa tempora Henrici Aucupis, primum sanctimonialibus Virginibus longo tempore habitata: iis deinde ob solutam disciplinam amotis, data Canonicis regularibus, qui non multo post Præmonstratensium institutum recens exortum amplexi sunt. Primus isthic Præpositus fuit* Everwinus, *secundus hic* Udalricus. — e *Hinc corrige non solum Teschenmakerum et Chronica Gelenii citata, quæ* in Abbatissam consecratam *tradunt, sed et eos qui* Præpositam *vocant, contra Vander Sterre et ex eo Poppius* Antistitam *dixere.* Priorissam *appellat Alexander* III *infra.* — f *De hoc iterum agemus ad Bullam Alexandri* III. — g *Coluntur* 12 *Julii, ubi Nos de eorum translatione.* — h *Imo paulo ante, anno nimirum* 1164 in vigilia S. Jacobi *Coloniam eas Reliquias attulerat* Reinoldus, *uti habent Godefridi monachi S. Pantaleonis Annales.* — i *Ita, ex ipsius Alexandri Bulla ostendemus anno* 1179 *datam.* — k *Ante annos fere* 70 *a* Gebhardo Truchsesio *nimirum, cum Sede excidisset, quod* Agnetem Mansfeldiam *sibi conjugem sumpsisset, ejurata fide Catholica. Bellum illud breviter describit Famianus Strada de bello Belgico dec.* 2 *lib.* 5.

*Steinfeldia monast.*
E
*S. Hildegundis Priorissa, non Abbatissa.*

# DIPLOMA

## REINOLDI ARCHIEP. COLON.

### DE DONATIONE B. HILDEGUNDIS, ET FUNDATIONE COLLEGII MARENSIS;

*Ex MS. codice* Ægidii Gelenii.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Reinoldus Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus universis Christi fidelibus in perpetuum.

F

Quæ ad excellentem Domus Dei decorem, tempore nostri præsulatus, et per nostrum ministerium dignatio superna ordinavit, vivacitati scripturarum necessarium duximus committere; ne imposterum in re ordinatissima et ad exemplum virtutis dignissima, oblivio errorem, error turbationem possit inducere. Ideo universis præsentis ævi ac futuri, Ecclesiæ Dei fidelibus, per præsentem paginam cupimus innotescere, quod illustris matrona Hildegundis Comitissa de Are Divino inspirata consilio, dum Coloniam, *a* secundo ab Italia, Deo duce, remeassemus, castrum suum Mere et universa prædia sua, quæ ex jure hæreditario in dominium et usum ejus cesserant, ministeriales quoque suos, et numerositate et honestate valde commendabiles, adjuncta sibi manu venerabilis filii sui Hermanni, quem tunc unicum habebat, Deo in manibus nostris obtulit, ac pro remedio animæ suæ et prædilecti filii sui Theodorici quondam Comitis Arensis, totiusque generis sui, Deo et B. Petro in Colonia, nobisque et successoribus et sanctæ Coloniensi Ecclesiæ perpetuo donavit.

*a*
*B. Hildegundis Mere cum castrum dat Ecclesiæ Colon.*

2 Tam honestam autem donationem, honestissima et (ut speramus) Deo gratissima, præcessit conditio,

*in fundationem cœnobii Marensis*

AUCTORE ÆGIDIO GELENIO.

A ditio, ut juxta beatum desiderium prædictæ matronæ, nostro et Ecclesiæ Coloniensis consensu ac patrocinio, idem castrum Mere in sortem Religionis cederet, et sacræ castitatis habitaculum fieret: ut ubi quondam terrenæ viguit exercitium militiæ, nunc spiritualis militia sub B. Augustini Regula per collegium sacrarum Virginum et ancillarum Domino deserviret, essetque cura spiritualis providentiæ, et regimen ordinis in manibus venerabilis viri Magistri Udalrici Steinueldensis Præpositi, et ejus successorum temporibus ita sibi succedentibus in perpetuum.

*sub spirituali directione Steinfeldensium.*

*b* 3 Præterea concessione nostra et *b* Priorum ordinatum et firmatum est, ut omnem fructum et justitiam ex prædiis ejusdem matronæ provenientem, sive in agris, sive in vineis, sive in nemoribus et forestis, sive piscationibus et pascuis, vel in quibuslibet pensionibus et mancipiis, Merensis Ecclesia sub dominio B. Petri in integro possideret; et sub nostro successorumque nostrorum patrocinio in sustentationem sacri illius collegii omnia cederent. Prædicta autem Comitissa concedente et conferente omnem respectum ministerialium, et omne jus proveniens ex beneficiis eorum, manibus nostris et succes-

*Episcopus Colon. omnia confirmat,*

B sorum nostrorum, libere conservavimus: hoc tamen ipsi tantum Comitissæ permisimus, si quod vulgo dicitur Hergewede, ipsa vivente de ministerialibus Merensibus vacaverit, ipsa illud ex nostro mandato recipiat: omnesque eidem ministeriales, sicut ante hanc donationem, ipsi Do. Comitissæ serviant ex nostro præcepto, quamdiu ipsa superstes fuerit. Insuper si qua persona ex ministerialibus illis ad sacrum illud collegium se transferre, vel aliquid beneficiorum, quæ quondam de castro Mere tenebat, Ecclesiæ Merensi, seu sponte seu pro pecunia, libere resignare voluerit, hoc ei omni tempore sit licitum. Præterea statuimus, et sub anathemate interdicimus, ut nullus unquam Advocatus, vel subadvocatus, Ecclesiæ de Mere se audeat ingerere: quia tuitionem loci, et jus advocatiæ, nobis nostrisque successoribus omnibus specialiter reservamus.

ANIMADV. PAP. 109.

*et alia dari sinit: cavet canonicæ immunitati.*

4 Si quis autem distincte nosse voluerit prædia nostro dominio et usibus sacri collegii collata, numeret in subscriptis: primum est in Mere, secundum in Budicke, tertium in Seist, quartum in Creinueldt cum quarta parte Ecclesiæ, quintum in Barmen, sextum in Hulsen, septimum in Weschrteit, cum integra Ecclesia, octavum in Wintre, nonum in Wulkesdorp.

*enumerat bona data,*

C Ut autem Coloniensi Ecclesiæ tam grata donatio, et Merensi Ecclesiæ tam provida, tam sancta ordinatio, inconvulsa et omnino intacta permaneat, banno B. Petri Principis Apostolorum, et sanctæ Dei Genitricis Mariæ, et omnium cœlestium virtutum, et nostro, quæ facta sunt et statuta, firmissime communimus: ita si quis unquam temerarius iis obviare attentaverit, nisi cito resipiscat, omnipotentis Dei iram, et totius cœlestis curiæ vindictam incurrat. Et ut de veritate factorum vel dictorum nullus ex posteris dubitare queat, paginam præsentem, omnem seriem gestorum exponentem, sigillo nostro, quasi veritatis speculo, signavimus.

*c* 5 Hæc autem sunt nomina testium, qui huic interfuerunt donationi: Herimannus Præpositus majoris Ecclesiæ *c* Philippus Decanus ejusdem Ecclesiæ, Gerhardus Præpositus Bunnensis, Hugo frater ejus, Præpositus in gradibus, Bruno Præpositus de S. Georgio, Herimannus Præpositus Knetstedein, Gernodus Præpositus de Havenbruno, Nicolaus Abbas de S. Martino, Hermannus Comes de Saffenberg, majoris Ecclesiæ Advocatus, Adolphus frater ejus, Henricus de Vorburgh, Vice-Comes, Henricus Comes de Gelren, Wilhelmus Comes Julacensis, Ulricus Comes Arensis, Theodoricus Comes de Hoestaden, Everhar-

*et testes donationis.*

dus Comes de Seina, Engilbertus Comes de Berge, D Henricus Comes de Kuick, Gozuinus Comes de Heinesbergh, Gerhardus de Molisfurt, Conradus de Linepo, Hermannus de Hengebach, Theodoricus et Florentius de Kempenich, Hermannus de Diedichem, Engelbertus de Harnem, Everhardus de Hymbere, Rabodo et Constantinus frater ejus de Berge, Everwinus de Holze, Arnoldus Vice-Comes castri Mere, Hermannus de Werbe, Giselbertus de Berge, Arnoldus de Heilislo, ministeriales S. Petri, Gerhardus Advocatus Coloniensis, Herimannus de Alfetra, Henricus de Folmutestein, Henricus de Alphein, Herimannus Camerarius, Hermannus de Happendorp, Godefridus de Zulpecho, Gerhardus Albus de Colonia, Conradus de Burgele, et multi alii tam ministeriales quam Comites et liberi, qui testes interfuerunt. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXVI, Indict. XIIII, regnante Romanorum victoriosissimo Friderico, anno Pontificatus nostri *d* primo. *d*
Data VIII Calendr. Martii, apud Nussiam.

*Sigillum Reinoldi consuetum.*

a Ter Fredericum I Imp. in Italiam comitatus est Reinoldus. Secunda vice rediit, ut supra indicavimus, an. 1164 24 Julii. Anno 1165, 2 Octobr. consecratus est a Philippo Ep. Osnabrugensi. Anno 1166 iterum in Italiam profectus, anno 1167, 14 Augusti obiit, vir sapientia et industria mirabilis, teste Godefrido monacho; sed in hoc dignus reprehensione, quod in gratiam Imperatoris legitimo Pontifici Alexandro III adversatus sit. — b Ita appellari istius soliti Decani, ut non eruditi sciunt, Gelenius docet. Ita in 2 Diplomate: Coram nobis et Comite Hermanno de Saffenberg cunctisque Prioribus Ecclesiæ, et Nobilibus terræ. — c Philippus Heinsbergius Reinoldi successor fuit, ut post dicemus. — d Quia nimirum an. 1165 consecratus primum erat, licet diu ante electus. E

Prior *pro Decano.*

# DIPLOMA II

## EJUSDEM REINOLDI ARCHIEPISCOPI,

### *de divisione bonorum*

INTER B. HILDEGUNDEM ET SOROREM.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Reinoldus Dei gratia Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, universis in Christo renatis in perpetuum.

Suadet providentia, requirit necessitas, ut oblivionis molestiæ, quam mundanorum actuum multiplicitas, et humanæ vitæ parere consuevit fragilitas, vivacis remedio scripturæ occurramus. Ideoque præsentis scripti suffragio universis tam præsentibus quam futuris notum fieri cupimus, quod Domina F Elisabeth de *a* Randerode, priorem divisionem, quæ *a* inter sororem ejus Comitissam de Meire, Dominam videlicet Hildegundem, et inter ipsam facta fuerat, injustam fuisse conquerente, Dominorum nobilium, qui præsentes aderant judicio, secunda ei adjudicata est divisio. Utraque ergo sorores, ex nostro mandato, rursum convenientes in nostri præsentia muniti, sub alterno consensu, consentientibus etiam filiis Dominæ Elisabeth, partitæ sunt. Cessit siquidem Dominæ Hildegundi castrum Mere, cum omnibus ministerialibus ceterisque hominibus, et cunctis possessionibus ac judiciis eidem castro pertinentibus. Præterea allodium ejus in Berndeke et in Seist, in Crinuelt, et in Barmen, et in Hulsen, et in Wateschelte, in Wintre, in Wulkestorp, in Overmunte juxta Mosam, in Doveren, et in Benderth, cum omnibus eorum pertinentiis. E contra Dominæ Elisabet in hac divisione cessit castrum Litberg, cum omnibus ministerialibus ceterisque hominibus et cunctis possessionibus ac justitiis eidem castro pertinentibus. Præterea allodium in Steinfale et in Steinfurte prope Liberg, in Schetershusen, in Zopoldersburg, cum omnibus eorum pertinentiis. Utraque ergo consentiente et divisionem hanc approbante, interposita reconciliatione sincerissima, utraque *b* exfestucante *b*
in

*Secunda divisione bonorum cum sorore facta,*

A in portionem alterius in perpetuum; tunc Domina Hildegundis, ex consueta pietatis liberalitate, et ut reconciliatio hæc permaneret indissolubilis et diffinitissima, quæ vulgo dicitur Durasuna; de portione, quæ ipsam contigerat, prædictæ sorori suæ ipsa superaddidit, scilicet allodium suum in Overmunte juxta Mosam, in Doveren et in Benderth, et ministeriales suos in Barmen (ipsum vero allodium sibi in Barmen reservavit) insuper et beneficium suum in Bruchen superaddidit ita ut ipsa superstes medietatem ejus obtineat, reliqua vero medietas prædictæ sorori suæ deserviat; post obitum vero Dominæ Hildegundis idem beneficium ad Dominam Elisabeth, ejusque hæredes, integraliter deveniat.

*B. Hildegundis gratis ei aliqua donat.*

2 Nomina vero eorum qui huic divisioni interfuerunt, hæc sunt: Wilhelmus Comes Juliacensis, et frater ejus Gerhardus. Albertus Comes de Novenich. Everhardus Comes de Seina. Gozwinus senior de Heinesberg, et filius ejus Godefridus. Theodericus de Milendunc, et Hermannus de Dicke. Gerhardus de Sneida, et filius Walteri de Hengebag junior. Reinardus de Stalburg. Gerhardus de Mulesfurt. Goderamus de Freden aldenhoven. Gerardus de Randenrade, et frater ejus Wilhelmus. Gerhardus Advoca-
B tus Coloniensis, quem nos, vice nostra ut eidem divisioni interesset, delegaveramus. His itaque jam dicto modo peractis, in loco qui dicitur Pffeneich, prope Nussiam convenerant, et banc patrimonii earum divisionem sub utriusque beneplacito, et consensu filiorum ac filiarum Dominæ Elisabeth, factam esse, coram nobis et Comite Hermanno de Saffenberg, cunctisque Prioribus Ecclesiæ et Nobilibus terræ qui aderant, publice confessæ sunt. Ne vero (quod absit) secundæ hujus partitionis certitudo quantalibet temporis prolixitate denuo in incertum devolvi valeat, placuit ex consilio Prælatorum Ecclesiæ nostræ, Nobiliumque et ministerialium nostrorum, præsentem paginam sigilli nostri impressione firmari, et quemlibet contra eam aliquid temerario ausu molientem perpetuo a nobis anathemate damnari: insuper etiam nomina eorum, qui prædictæ confessioni earum interetant, placuit subscribi, quorum nomina hæc sunt: Hermannus Comes de Saffenberg, et omnes prænominati; præter ipsos etiam alii qui in subscriptione denotati sunt; Theodericus Comes de Clivis. Engelbertus Comes de Monte. Ludolfus de Dassele. Reinerus de Frudesberg. Godefridus de Esperode. Harpernus de Helpenstein, Christianus de Wivenlin-
C choven. Richardus de Schidreke. Arnoldus de Trostorp. Sibodo de Hoingem. Arnoldus Roggo. Arnoldus de Mere. Giselbertus de Berge. Fridericus de Battenburg, quidam de Brunchurst. Ewerwinus de Hohe, et cognatus ejus Bruno Spede. Constantinus de Monte. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXVI, Indictione XIIII, regnante Imperatore gloriosissimo Romanorum Friderico, anno pontificatus nostri primo. Data VIII Kalendas Martii apud Nussiam.

*Testium nomina.*

*Inferius pendet ex filis sericis rotundum sigillum Reinaldi, in quo Episcopus in sede, dextra tenens pedum, sinistra librum Evangeliorum. Epigraphe circum sigillum:*

RENOLDVS DEI GRATIA COLONIENSIVM ARCHIEPISCOPVS.

a *Castrum olim fuit, a Friderico II Ep. Coloniensi, Reinoldi decessore, expugnatum ac funditus eversum, ut habent Chronica Coloniensia, quæ* Randeroide *vocant. Oppidum nunc est, habetque arcem appositam, cujus, a Carolo V Cæsare destructæ, visuntur vestigia. Extinctis Elisabethæ, de qua hic agitur, posteris, ad Juliacenses devenit ejus dominium.* — b Exfestucare *verbum est feudale, et significat abdicare jus aut possessionem, festucæ aut virgæ traditione. Plura exempla reperies apud Ioannem Gerardum Vossium de variis glossematis lib. 4 cap. 7*

D

# BULLA
## ALEXANDRI III PAPÆ
### *confirmans fundationem Marensem.*

EX MS. EGIDII GELENII.

Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Hildegundi Priorissæ Ecclesiæ S. Mariæ de Meree, ejusque Sororibus, tam præsentibus quam futuris, canonicam vitam professis.

Cum infirmioribus membris, sicut Apostolus dicit, majorem demus honorem, ordo exigit caritatis, ut dicatis Deo fœminis, quæ mundanis spretis illecebris veri sponsi Domini Jesu Christi se vinxerunt amplexibus, tanto fortius Apostolicæ Sedis cura subveniat, quanto pro imbecillitate sexus minus sibi contra tempestates mundi sufficiunt providere. Eapropter Dilectæ in Domino filiæ, Venerabilis Fratris Nostri a Philippi Coloniensis Archiepiscopi precibus inclinati, et vestris desideriis annuentes, Ecclesiam vestram a Nobili et Deo devota matrona Hildegundi, divinitatis amore in prædio suo fundatam, et per Steinfeldensem Præpositum in sacræ religionis observantia institutam, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio com-
E munimus; statuentes siquidem, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et B. Augustini Regulam, et observantias Præmonstratensis Ordinis in Ecclesia ipsa per jam dictum Præpositum noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Ita quidem ut Steinfeldensis Præpositi magisterio Merensis Ecclesia semper intendat, et ab eo vivendi formam, emendationis recipiat disciplinam: nec aliqua ibi Priorissa ponatur, nisi quam prædictus Præpositus cum maturitate consilii secundum Deum præviderit ordinandam. Advocatus etiam, vel subvocatus nullus unquam Ecclesiæ vestræ se ingerat, vel ab alio præponatur; sed ejus tuitio et advocatiæ præsidium, in manu ejusdem Archiepiscopi et potestate consistat. Addicimus etiam, ut juxta constitutionem Hermanni, Cappenbergensis Præpositi, si quis ullo tempore aliquod beneficium ejus Ecclesiæ vestræ, cujus juris castrum Mere noscitur extitisse, aut vendere aut sponte conferre voluerit, liberam recipiendi licentiam habeatis. Praeterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futu-
F rum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, et eis quæ vobis successerint, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, Mere, Bubreke, Seist, Langenserist, Niderseist cum Ecclesia ipsius loci, Barmen, Hulsen, Walescheit cum Ecclesia ipsius loci, Wintre, Vulkesdorp, et Luppe cum omnibus supra dictorum pertinentiis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas præsumat exigere. Liceat quoque vobis personas a seculo fugientes, liberas et absolutas, ad conversionem recipere, et eas sine contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce Divina officia celebrare. Prohibemus insuper, ut nulli Sororum vestrarum, post factam in eo loco professionem, fas sit de eo loco discedere: discedentem vero absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Sepulturam ipsius loci liberam quoque esse decernimus; ut eorum

*a Alexander 3 rogante Archiepiscopo Colon. confirmat fundationem Marensem,*

*tribuens immunitatem*

*in bonis etiam acquirendis,*

*a decimis,*

*et interdicto generali;*

*sanciens stabilitatem sanctimonialium,*

*Ex MS. Ægidii Gelenii.*

eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva autem justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. *et jus sepulturæ;* Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vel grangiarum vestrarum, nullus violentiam vel rapinam seu furtum committere, aut ignem apponere, seu hominem capere aut interficere audeat. *prohibens earum turbationem ac vexationem,* Ad hæc ne ad turbationem quietis vestræ aliqua occasio secularibus hominibus præbeatur, auctoritate Apostolica prohibemus, ne aliqua unquam secularis persona, masculus sive fœmina, infra septa monasterii, videlicet infra ambitum exterioris atrii, sive interioris claustri, ullam faciat mansionem: quod si fecerit et velociter non destiterit, sicut invasor sacrorum locorum, anathemate feriatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit, præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus commodis profutura: salva tamen Apostolicæ Sedis auctoritate, et diœcesani Episcopi Canonica justitia. *sub gravibus pœnis.* Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostram constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine Divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi; quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

*Sigillum*

SIS SIS
PETRVS. PAVLVS.
ALEXANDER
PP. III.

*In circuitu sigilli isthæc habentur:* ✝ Vias tuas Domine demonstra mihi.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus SS.
✝ Ego Hubaldus Ostiensis Episc. SS.
✝ Ego Joannes Presb. Card. tit. SS. Joannis Lat. Putaachii.
✝ Ego Petrus Presb. Card. tit. S. Chrysogoni.
✝ Ego Cencius Presb. Card. tit. S. Cæciliæ.
✝ Ego Hugo Presb. Card. tit. S. Clementis.
✝ Ego Arduinus Presb. Card. tit. sanctæ Crucis in Jerusalem.
✝ Ego Matthæus Presb. Card. tit. S. Marcelli.
Ego Rainerius Diac. Card. tit. S. Georgii ad velum aureum.
Ego Gratianus Diac. Card. SS. Cosmæ et Damiani.
Ego Rainerius Diac. Card. S. Adriani.
Ego Bernardus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Dat. Tuscul. per manum Alberti S. Rom. Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis et Cancellarii, XVI Kal. Februarii, Indict. XII, Incarnationis Domini anno b MCLXXVIII pontificatus vero Domini ALEXANDRI PP. III anno XX.

a Philippus Heinsbergius, *Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Decanus, ut supra indicatum, mortuo* Reinoldo, *ipsius successor electus est an.* 1167, *obiit* 13 *Augusti* 1191. *Meminit illius honorifice Cæsarius variis locis; ac nominatim lib.* 4 *cap.* 64 *illud profert ipsius sapientissimum pronuntiatum.* Utinam esset in qualibet villa diœcesis meæ conventus justorum, qui et Deum jugiter laudarent, et tam pro me quam pro mihi commissis orarent! Puto quia tunc melior multo esset status Ecclesiæ meæ, quam modo sit. b *Hic est annus Æræ vulgaris* 1179, *ut patet ex* 12 *Indictione, et quia quidam ex subscriptis Cardinalibus non nisi mense Decembri an.* 1178 *in sacrum collegium fuerant cooptati, ut non potuerint præcedente Januario isti Bullæ subscribere, ut* Rainerius *tunc S. Adriani*, Bernardus, Gratianus, Arduinus, *etc.* Hugo *quoque, sive* Hugutio, *Decembri ejusdem anni ex Diacono Cardinale S. Angeli factus est Presbyter Cardinalis S. Clementis,* Cynthius *Presbyter tit. S. Cæciliæ ex Diacono S. Adriani. Sed solent Romani Pontifices in suis Constitutionibus signare annum ab* Incarnatione Domini, *sive a die Annuntiationis, ita ut tum signent annum qui in usu vulgari inchoatus est die Nativitatis Christi, vel Kalendis Januarii, pergunt autem Januario, Februario, et initio Martii, præcedentem annum annotare.*

*monasteria publico utilia*

# DE S. ALDERICO SUBULCO,

## FUSNIACI IN DIOECESI COLONIENSI,

### Commentarius prævius.

*J. B.*

*Circiter an. MCC. VI Febr. Fusniaci, in diœcesi Coloniensi,*

Fusniacum *eodem tempestate, qua memoratum jam ante Marense B. Hildegundis cœnobium, sanctimonialibus instituti Præmonstratensis, nobili stirpe ortis, fundatum erat, imminet* Tolbiacum *oppidum, Marcodurum inter et Coloniam Agrippinam, hujus Archiepiscopo parens, nisi quod Juliacensis Regulus quamdam illic habet, titulo Advocatiæ Imperialis, uti loquuntur, jurisdictionem. Vicum cœnobiumque indigenæ* Fussenich *appellant, eruditi quidam* Vulpiacum, *quando et nobilis olim familia, dicta* de Fussenich *(uti nos Ægidius Gelenius, eximius humanitate et scientia vir, edocuit) sese* de Vulpe, *et* de Vulpiaco *denominavit.*

*olim subulcus S. Aldericus, nunc colitur VI Februarii,*

2 *Hujus cœnobii quondam subulcus fuit, nunc Divus tutelaris est* S. Aldericus, *ab hara ad aram merito virtutum ac miraculorum ab immemorabili ævo translatus. Anniversaria ejus memoria agitur* VI *Februarii, uti infra clarius patebit.*

*non IX. ut quidam scripserunt.*

3 *Nescio quem secutus auctorem Chrysostomus vander Sterre, monasterii S. Michaelis Antverpiæ Abbas, in Natalibus SS. Ordinis Præmonstratensis, quos dudum publicavit cum Prior esset,* IX *Februarii natalem* S. Alderici *consignavit. Eum secuti Joannes Paguus lib.* 2 *Bibliothecæ Præmonstrat. Andreas Saussayus in Martyrol. Gallico, Ægidius Gelenius in Fastis Agrippinensibus. Quo eodem die libellus Madriti cusus anno* CIↃIↃCXXXV, *jam ante a nobis sæpius perstrictus, (quippe ex Chrysostomi Natalibus concinnatus a quopiam, non sine nimia amplificatione, supra eloquia eleganter in iisdem Natalibus expressa, illius sanctissimi Ordinis exhibens Fastos) is ergo libellus ad* IX *Februarii ita habet:* S. Alderici Confessoris duplex. *Cujusmodi de eo fiat Officium ex Vita liquet cap.* 3 *num.* 14.

4 *Paguus ex citatis Natalibus, et segregatis* Wssenich *(ut scribit, ac postea* Wissenich) monasterii et Ordinis MSS. codicibus, *de Alderico ista scribit:* B. Aldericus ex illustrissima Principum Franciæ prosapia ortus, a pueritia sua evidentibus virtutum signis futuræ sanctitatis indicia dedit: et integritatem mentis et corporis incorruptam conservans, et ad sanctum solitudinis otium anhelans, post visitata Sanctorum limina, seculi vanitatum pertæsus, et mundi gloria pro Christo conculcata, suavi Christi jugo collum in cœnobio Wissenich, nobilium Virginum Præmonstratensis Ordinis, Coloniensis diœcesis, subdidit. *per orinatus dicitur,* In quo factus Frater (ut vocant) Conversus et subulcus, vitam admirandæ sanctitatis et Angelicæ conversationis duxit, et velut alter S. Alexius mundo incognitus latuit. Gravissimis tentationibus exagitatus, fortiter contra communem hostem decertavit; *et multa a dæmonibus passus.*

A decertavit; a quo vir beatus sæpe flagellis cæsus durissime excipiebatur. Horrenda phantasmata, velut alter anachoreta S. Antonius, conspexit: sed fortis Christi athleta semper constans et immotus, nequissima hostis tela viriliter superavit, et eum in fugam vertit. Tandem post longum et arduum in religione agonem, feliciter ad æternam evolavit requiem, die nona Februarii. Cujus corpus communi loco sepultum, tertio exhumatum inventum est: quod demum in ecclesia Virginum, loco illo quem cœlesti luce Deus aliquoties designaverat, conditum fuit: ubi nunc in tumba elevata honorifice quiescit, et miraculis claret.

*Vita a quo scripta?*

5 *De terriculamentis et objectis, flagrisque inflictis a dæmonibus, nihil traditur in Vita: nedum ut* longum in religione agonem *habuisse dicatur, qui ex ossium, quæ supersunt, magnitudine, vix annum ætatis vicesimum attigisse, aut certe superasse, judicetur. Composuit eam Vitam ex monumentis et relatione Fusniacensium,* Jacobus Polius, provinciarum nationis Germanicæ Ordinis Minorum regularis ac strictioris observantiæ viginti per annos, atque etiam plures, Chronologus, *religiosissimus et humanissimus vir, qui et Tolbiaci, ubi puer litteras didicit, et Marcoduri in patria, ubi et* B *sanctimonialibus Virginibus, quas Annuntiatas vocant, a confessionibus fuit, et sui Ordinis monasterium Guardianus rexit, et habuit cum Fusniacensibus peculiarem notitiam, eruere accurate omnia potuit.*

*de ea cantilena*

6 *Idem nobis per litteras significavit, antiquitus cantilenam Teutonicam de* S. Alderico *compositam, in publicis supplicationibus; recepto gentis more, cani solitam: sed nunc omnino exolevisse. Idem de* S. Alderici *imagine ad nos ista scripsit:* In veste communi eum exhibet vitrea fenestra conventus Seraphici in Bethania Marcoduri, ubi et porci aliquot ut subulco adpicti.

*ejus imago.*

At magis genuino sanctiorique schemate instar peregrinantis cum baculo et orbiculari humerali eum expressit vetus pictura ad interiorem fontem claustri Fussenich, novissimis annis antiquata. Nec omnis antiquitas, quæ præcessit, aliud nos docuit. *Ita ille; qui et in Vita num.* 11 *cap.* 3 corpus *ejus*, velut simplicis famuli, extra ecclesiæ septa, communi cœmeterio illatum scribit.

# VITA AUCTORE JACOBO POLIO

### Ord. FF. Minor. strictioris observantiæ.

C

## CAPUT I.

### *S. Alderici ortus, peregrinatio, officium subulci.*

Sæculo post Christi ortum duodecimo exeunte, alto parentum sanguine mundo editus est Aldericus: Regis Galliæ filium fuisse tradidit antiquitas, idque ipsummet sub mortem fassum. Hinc ducit vir quidam eruditus conjecturam Telewinum vulgo, quasi Delphinum, appellari. At nec Delphinatus, seu Viennensis dynastia, Alderici ævo, ad Regum Franciæ ditionem spectabat, nedum ut regni hæres Delphinus nuncuparetur, inoleverat consuetudo: *a* neque Telewinus aut Delwinus indigetatur. Urbaniores enim Sant Alderich vocant, vulgus, accolarum Sant Telarich. Porro seu regia, seu qua alia Principum stirpe procreatus, majorem spretis avitis honoribus, quam alii amplificatis, splendorem ac gloriam meruit.

*S. Aldericus regio genere ortus,*

*a*

2 Solent Regum ac Principum liberi a teneris inescari historia, temporum teste, non minus hilariter quam fructuose; dum eadem omnis ævi decursum ceu in totius universi theatro quondam, contemplandum repræsentans, vitæ humanæ periodum ob oculos ponit, mundi vanitatem, Deique providentiam et judicia justa docet. Alderico, felicibus orto natalibus, illustrium personarum imagines vel a nutritoribus inculcatas, vel lectione pia haustas, nullus in dubio ponet. Didicerit ergo, inter alios, *b* S. Lucium Britannum Regem, spreta mundi pompa, in sancta peregrinatione, regnum terrenum cœlesti commutasse; S. Judocum Armoricorum Regis filium, clam vili amictum indumento, post sacra Apostolorum limina visitata, vitæ se eremiticæ addixisse: S. Richardum Anglicum Regem, aut regii sanguinis Principem, peregrinum Lucæ in Etruria obiisse: S. Adelardum Caroli Magni consanguineum in Corbeia Gallica monachum fuisse factum.

*variorum Regum et Principum exemplo,*

D

AUCTORE JAC. POLIO.

*b*

3 Talibus exemplis provocatus, vel certe eodem, quo illi permoti fuerant, Spiritu instigatus, animum a terrenarum rerum curis ad cœlestia fortius inflectens, gloriæ immortalis amore mirabiliter incensus, luxum dignitates et voluptates terrenas aspernatur, fugam capessens, e Gallia clam secedit: ac variis visitatis, religione aut Sanctorum habitatione ac miraculis celebribus locis; dein Coloniæ Ubiorum lipsanis Sanctorum Salutatis, Tolbiacum divertit. *c* Vicus is quondam, nunc oppidum; in citeriori versus Rhenum Ardenna, secundo supra Marcodurum milliario, altiori loco positum: quod hodie communiter Tulpetum, et populari voce *d* Zulpig indigetatur; Francorum Regum memoria, haud semper honestissima, celebratum ad posteros. Nam Sigebertus Rex, qui postea Clodovæi fraude, infami parricidio, interiit pugnans contra Alamannos apud Tulpiacense oppidum, percussus in geniculum deinceps claudicavit, uti S. Gregorius Turonensis tradit lib. 2 histor. Francor. cap. 27. Eo evocatus, data fide, a Theodorico Clodovæi filio Herminfredus Rex Thoringorum, dum quadam die per murum civitatis Tulbiacensis confabularentur, a nescio quo impulsus, sed Theoderici dolo, de altitudine muri ad terram corruit, ibique spiritum exhalavit; uti memorat idem auctor lib. 3 cap. 8. Denique Theodebertus, Childeberti filius, Theodorico fratri, Burgundiæ Regi, gentium multarum robore vallatus, ad Tulbiacense castrum pugnaturus occurrit, uti Jonas scribit in vita S. Columbani. ibi prælio inito, innumeræ hominum phalanges ex utroque exercitu perierunt; victus Theodebertus etc. Nec desunt viri docti, qui isthic adeptam de Alemannis victoriam, *e* voto Christianitatis nuncupato, Clodovæum I velint.

*peregre abit ignotus,*

*c*

*et juxta Tolbiacum oppidum*

*d*

E

*in Francorum historiis celebre,*

*e*

4 Tolbiacum ut venit Aldericus, sive illa majorum facta norat, sive a Deo, ne paria experiendo aliquando nosset, agebatur, alium inire statuit, multo gloriosiorem, cum mundo ac dæmone conflictum. In contiguam vallem progressus, ad nobilium Virginum, instituti Præmonstratensis, in amœna planitie situm, divertit, tacito quodam sensu efflorescentis sanctimoniæ illectus. Fussenich est loco nomen, quod Latina voce Vulpiacum haud absone appellaris. Id Ardennæ silvestri schemate plus satis jam tunc adhuc consitum, ortu suo cum monasteriorum M..ris infra Novesium et Lanquaden supra Novesium fabricarum primordiis, sub Arnoldo I Coloniensi Archiepiscopo, plane coævum: quæ tria loca sacra sub S. Norberti sanctissima disciplina hodieque laudabiliter perseverant. Erat autem modo dicti Archiepiscopi annus regiminis nonus, Conradi Romanorum Regis octavus, incarnati Verbi MCXLVII, atque Indictio X, dum idem Antistes ecclesiam *f* S. Nicolai in Fussenich, exemit, liberamque instituit, quatenus religiosa vita juxta Regulam B. Augustini canonicam, et secundum Ordinem Præmonstratensem, Domino cooperante ubi inchoaretur ac jugiter conservaretur.

F

*in Fussenich, monasterio Ord. Præmonstrat.*

*recens fundato.*

*f*

5 Aldericus itaque in loco Fussenich, novella Dei plantatione, se surculum Paradiso cœlesti inserens

A

*AUCTORE JACOBO POLIO.*

*subulcum agit*

serens mundoque incognitus manens, ex admiranda cordis submissione subulci munus modestissime elegit, a Spiritu virtutis eductus, quod ad humilitatem ceteræ virtutes confluunt, humilitate exornantur et conservantur, ne marcescant. Illa enim verissima vallis est, ad quam fluenta gratiarum decurrunt, omnium virtutum varietate implendam. Atque hic, ab alto ortus fastigio, ad haram dejectus ea functione pretium temporis redemit: siquidem a turbis sequestratus, plusculum otii nactus, a cœlestibus contemplationibus orationisque studio invictum numquam remisit spiritum.

*insigni humilitate:*

a *At quomodo, si vere primogenitus Regis, aula et patria relicta, abscessisset, tantæ rei non meminissent historici? Si Regis filius fuit, Philippi Augusti, qui Ludovici* VII *patri an.* 1180 *successit, obiitque* 1223, *filius aut frater fuit. Non omnium utriusque Regis liberorum traduntur nomina, præsertim eorum qui non fuerunt ex legitimo conjugio suscepti.* — b *Coluntur hi*, S. Lucius 3 *Decemb.* S. Judocus 13 *ejusdem*, S. Richardus 7 *Februar.* S. Adelardus 2 Januarii. — c *Ita Itinerarium Antonini*, Tolbia vicus Supenorum. *alibi* Tulbiacum Tulpiacum, Tolpiacum — d *Et vulgo* Zulg, *et in quibusdam Teutonicis instrumentis* T'Zolge, *Latine quoque alibi mentio fit* Zulpiaci pagi, *quo districtus ille, opinor, indicatur, in quo nunc* Tolbiacum, *ac vici* Geib et Fussenich. *Et supra transactioni inter B. Hildegundem Marcnsem et sororem Elisabetham Banderadensem adfuit cum aliis Proceribus* Godefridus Zulpeche — e *De qua fuse hoc ipso die ad Vitam* S. Vedasti *Ep.* — f *Constant hæc ex monumentis archivi Fusniacensis. Ædificatum fuit monasterium ad veterem S. Nicolai ecclesiam.*

B

## CAPUT II.

### *S. Alderici fons miraculosus.*

Contigit ut cum febribus colluctatus, ab humanis splendidi ortus solatiis sponte propter Deum elongatus, in campis juxta porcos resideret, ac calidæ febris paroxysmo recurrente, siti vehementer excruciatus, a femina transeunte haustum frigidæ ex hydria, quam in prædio Dirlo ad saltum dicto, sive Fur dem wald, recenter repleverat, supplex deprecaretur: repulsam passus cum improperio et imperio, ut fortis et juvenis cisternam longius dissitam, unde ipsa hauserat, adiret, sitique suæ faceret satis. Proinde Aldericus ab imo pectore longa ducens suspiria, ad Deum omnis boni fontem illico conversus, sibi, sed et pecoribus creditis, quæ corpore imbecillis longius ducere haud poterat, potum tribui postulavit confidenter. Et ecce Angelus Domini consolator adveniens, jubet humo, quam calcabat, pedum seu baculum pastoralem infigere: (exemplo eventuque consimili, uti olim *a* S. Judoco contigit) atque continuo fons omni crystallo limpidior erupit ac largissime promanavit, hodieque vena perpeti, e scrobiculo in quadro adhuc apparente, unde fodiendo fontem eliciuerat, jugiter perseverans, derivatione canalium, tam officinis dicti monasterii Fufsenich, quam toti districtui, saluberrimas aquas subministrat: cum ante exortam ejus venæ scaturiginem adaquatio pecorum remotissime petenda, molestissime obveniret, sed et humanis usibus aqua longiori distantia advehi seu bajulari solita caro, stetisset. Unde clarissima S. Alderici fama omnem regionem pervolabat.

*ex febri sitiens*

*Deum orat,*

*et Angeli jussu,*

*a pedo elicit fontem,*

C

*etiamnum manantem,*

*et commodissimum,*

7 Fons ipse sacer et miraculosus, in perenne largitatis Alderici testimonium, nullo unquam tempore fornice concamerato, aut lignorum circulo occludi, aut sequestrari potuit, (licet tentatum sæpius) quin postero mane, simili obstaculo Angelicis manibus disjecto, hominibus pecoribusque largiflius semper præsto esse posset. Aqua ejus non tantum purissima ac dulcissima vitæ alendæ, sed et in solamen languentium hausta iisdem præsentissima exhibet sanitatum munera, asthmaticis præsertim ac febribus infectis.

*omnibus semper patentem,*

*salubrem contra asthma et febres,*

8 Anno circiter MDCXXV, dum veneficio pessimorum hominum fons idem, toxico infectus, quasi in speciem concreti lactis degenerasset; incolis sacri monasterii ac vicinis jacturam dolentibus, Presbyter venerabilis Adamus Leufgen, sano consilio liturgiam solennem ad fontem deduxit: ubi dum sacræ hierotheciæ basis sive pes immersus, vivificæ Crucis signum aquæ impressisset, mox eidem pristina claritas salubritasque adfuere.

D

*nuper a toxico per ejus reliquias repurgatum.*

a *Vitam, in qua id narratur, dabimus* 13 *Decemb.*

## CAPUT III.

### *S. Alderici sepultura, Reliquiæ, veneratio.*

Conflagratio Tolbiaci, et quolibet seculo exundantes Bellonæ turbines, monumenta litteraria absumpserunt, ut de vitæ tramite aut miraculis nil aliud reliquum manserit, præter ea quæ de sanctitate sacro fonte, natalibus et conditorio S. Alderici majores constanter annuntiaverunt nobis. Hodieque ad oculum patet, quomodo arca quernea cærulea, vinculis superne et inferne vecti colligatis, eximi, et in sacris olim liturgiis circumferri consueverit.

*S. Alderici acta deperdita:*

10 Sane, Deo vitæ ejus cursum moderante, consummatus in brevi explevit tempora multa: nam placuit Altissimo citius eum de medio tribulationum educere. Agonem quippe conclusit, annos circiter XX natus, uti argumento ad oculum sunt sacra corporis lipsana, in suo ordine et dimensione requiescentia, stragulo serico colligata: caput vero solutum, bisso decenter ornatum visitur.

*moritur anno ætatis 20.*

E

11 Ante clausulam vitæ Confessario aperuit, se Franciæ Principem natum: quod dum Confessarius tegeret, multiplici Deus miraculo illustravit. Corpus namque sacrum, velut simplicis famuli, extra ecclesiæ septa, communi cœmeterio, apparatu humili, illatum. Sed dum diebus continuis tribus funus inibi inhumatum fuisset, toties ecce altero diluculo supra terram inventum fuit: simulque die noctuque visa est ardere candela, nullius hominis concurrente ministerio, ibidem loci intra ecclesiam, ubi mox in sarcophago septem pedes longo, et ad quatuor pedes pavimento altius elevato, juxta dextrum inferioris Chori introitum, ex secto lapide decenter adornato sacrum pignus conditum, sub tegmine vitreo et clathris ferreis situm, communis Justorum, fidem integram servantium, Retributoris lætum præstolatur adventum.

*corpus in cœmeterio sepultum,*

*ter rejectum, loco divinitus indicato*

*honorifice conditum,*

12 Memorant Fusniacenses, accepisse sese a majoribus, Gallos Proceres, et, qui isthac exercitum ducebant, Præfectos regios, conatos, oblata ingenti auri summa, inducere sanctimoniales, ut corpus revehi in Galliam, majori honorificentia venerandum, paterentur: eas vero constantissime pugnasse, ne dato sibi divinitus thesauro ac præsidio spoliarentur.

*Gallis petentibus negatum,*

F

13 Suecis nuper Germaniam crudelli bello vastantibus, Galliæ Regis, ipsis fœderati, auspiciis, hæretici milites Hassi Novesium occuparant, indeque agrum Coloniensem ac vicinas ditiones exagitabant. Expilatum ab iis Fusniacum, sanctimonialibus sese Coloniam recipientibus. Ibi Antistitam Adrianam Bodbergiam subiit sollicitudo exuviarum S. Alderici in tutiorem locum transferendarum. In eam rem Catharinam Modershemiam, robustam Virginem, claustri interioris coquam, Fusniacum remittit. Ossa sunt tenelli adolescentis, ut jam diximus, nec omnia, (nam variis Ecclesiis quædam antehac donata) eaque decenter composita, ut non sane ponderosa existimari potuerint. Nentiquam tamen iis gestandis Catharina sufficit. Viros duos, fortes ac validos, adhibuit, qui haud levi labore Tolbiacum ea tulerunt. Quod illud fuerit omen, haud temere affirmavero. Depositus in altera Tolbiacensium basilicarum sacer thesaurus. Illic nocte quadam ortum incendium, vicina quæque sacris reliquiis depastum, iis tamen pepercit, haud dubio cœlestis præsidii argumento. Gesta hæc anno MDCXLII.

*Fusniaco direpto,*

*Tolbiacum magno labore deportatum,*

*ibique ab incendio servatum.*

14 Vetus-

A 14 Vetustissimum monasterii Missale, charactere sat antiquo, ad diem vi Februarii sic loquitur: Alderici Confessoris, cujus memoria solenniter agitur cum vigiliis ix Lectionum. Collecta: Deus qui animæ famuli tui Alderici etc. Conventus post Missam cantat Resp. Justum deduxit Dominus per vias rectas etc. Collecta, ut supra. Nec ea res mira videatur, cum in Præmonstratensi Ordine pro B. Norberto, ejusdem Religionis Institutore, intra hominum memoriam simile Officium persolvi consueverit.

*S. Alderici festum, ejusque officium, publica invocatio,*

15 Calendarium Sanctorum diœcesis Coloniensis in Commendationum vetustis tabulis solenni charactere depictum, die vi Februarii ita habet: Alderici Confessoris, Vedasti et Amandi. Antiquissima etiam Cantualia duodecim, similiter conscripta, in Litaniis loco competenti conformiter habent: S. Alderice ora pro nobis.

## CAPUT IV.

### *S. Alderici miracula.*

Anno salutis circiter mdl loci sanctimonialis cæculis capta, B. Alderici meritis visum plenissime recepit.

*ejus meritis visus recuperatus, febres pulsæ,*

17 Anno mdcxxxii famulus nobilis matronæ Gartzen, Dominæ in Zeuel, febricitans misit pro fontis B prædicti potu salutari: quo delibato, mox convaluit, peregrinationeque in Fussenich postmodum instituta, dans gloriam Deo, publica id protestatione confessus est.

18 Anno mdcxxxiii Nonis Februarii, hoc est, pridie natalis S. Alderici, sanctimoniales, pietatis motu, cereum libræ dimidiæ supra tumbam Sancti locarunt: qui duobus diebus et noctibus continuis arsit: quod omnibus Virginibus contestantibus naturali cursu fuisset impossibile.

*cereus longo spatio non consumptus,*

19 Anno mdcxxxv mense Januario, Venerab. Pater Hugolinus Moguntinus Ordinis Minorum Strictioris observantiæ, conventus *a* Hammonensis, provinciæ Saxoniæ Vicarius, atque alibi non semel Guardianus, ob invasionem Suecorum, in ejusdem Ordinis provinciæ Coloniæ Marcodurano conventu exul, vir doctus et pius, acuta febri diu multumque laborans, post humana præsidia eventu irrito tentata, multo fervore expetiit sæpe memorati fontis aquam: qua per interpolationes, firma spe restituendæ sanitatis, absumpta, cum nil ultra suppeteret, nocte sequenti febris evanuit. Qui non diu post, ut Deo in Sanctis glorioso sacrificium laudis et gratitudinis offerret, S. Alderici conditorium invisit, D pervigilio natalis ejus in jejunio transacto, diem festum vi Februarii cum gaudio celebravit, atque duce obedientia, per me pro tempore Marcoduri in Bethania Guardianum imposita, præmissa omnia fideliter consignavit.

*febres, aqua fontis ejus pulsæ,*

AUCTORE JAC. PULIO.

20 Mense Januario vertentis anni mdcxxxviii, egomet, qui hæc scribo, gravibus catarrhis et noxiis humoribus caput pectusque infecta vix sustinens sensim defeci, tussiendo fractus adeo ut totius corporis membris dolores accrescerent, stomachus officium pernegaret, decumbando quies quæreretur, et tandem genuinus color sanguineus faciei ac manuum in pallorem maciemque instar cadaveris abiissent, et oculi intra reconditi concavam quamdam fossam exhiberent. Itaque spe sanitatis, ex judicio ipsius medici, abjecta, sabbato ante Dominicam primam Quadragesimæ, ægre halitum trahens, post confessionem Sororum Annuntiationis Beatæ Virginis Marcoduri, quarumdam auribus ingessi, quatenus Deus ultimum mihi punctum in gratia sua constitueret, ac in actualem peccatricis vitæ expiationem morbum extraheret aggravaretque, ab eo precibus unice contenderent. Insuper nocturna suffocatione stamen vitæ abrumpendum timens, sera vespera, sacra exegesi animam serenavi. Interea, sic Divino expositus E arbitrio, altius rem volvens cœpi religioni ducere, quod festum S. Alderici sciens et volens neglexissem: quod etiam ingravescente, quo affligebar, morbo, pia Patrum Societatis Jesu collegii Marcodurani instantia, Vitam Sancti firma fide extrahens, fidei tamen bonæque spei actus, ad interventionem ejusdem Sancti, (quem olim puer, ex senum traditione, languidis tutelarem didiceram) nullos direxissem: proinde stimulis internis actus, cœpi errata hujusmodi corrigere, vota de vigilia et festo S. Alderici annue celebrandis Deo offerre; et postera die pro fontis aqua asportanda socium Fratrem emittere. Nec mora. Pacatior solito quies successit; fames stomacho, totique corpori sanitas subito, supra opinionem omnium, rediere. Id cum firma fide teneam, Deo non ingratus, ingenue confiteor et præsentibus testatum facio.

*Auctor morbo molesto exhaustus, voto ei facto, sanatur.*

a Hammona, vulgo Hamm, ad Luppiam amnem sita urbs, a Suecis hisce xxx annis expugnata; ac nominatim (quod huc spectat) an. 1642 a Luneburgicis et Hassis, Suecorum fœderatis.

C

# DE S. BRYNOLPHO

## EPISCOPO SCARENSI IN SUECIA,

### Commentarius historicus.

F

G. H.

*An. Chr. mcccxvii. vi Febr. Scaræ, urbe Sueciæ,*

Adamus *Bremensis in Sueciæ descriptione, historiæ Ecclesiasticæ subjuncta, tradit ex* ipsis Suedia populis proximos Danis habitare Gothos, quorum alii sint Orientales, alii Occidentales: horum regionem Westergothiam confinem esse provinciæ Danorum Sconiæ, a qua ferunt diebus septem perveniri usque ad civitatem Gothorum magnam Scarane. Deinde Ostrogothiam protendi juxta mare, quod Balthicum dicitur usque ad Birkam. *Et infra de* Sueonia *agens, addit* per terram *iter esse* a Sconia per Gothorum populos et civitatem Scaranen, Telgas et Birkam, et completo mense perveniri Sictonam. *De Birka, Tegla et Sictona egimus in Februarii ad Vitam* S. Anscharii § ii *num.* 43. *Idem Adamus de prima in Scarane exstructa ecclesia hæc scribit lib.* 2 *Historiæ cap.* 41: Olaph Rex, in Occidentali Gothia, Ecclesiam Deo Sedemque fundavit Episcopalem. Hæc est civitas Scarane maxima, in qua petente Christianissimo Rege Olaph primus ab Unwano Archiepiscopo Thurgot est ordinatus Episcopus, qui strenue legationem suam agens in Gentibus, duos nobiles Gothorum populos Christo suo lucratus est labore. *De Olaph seu Olao Rege agitur* xv *Februarii in Vita S. Sigfridi. Præfuit Ecclesiæ Bremensi Unwanus ab anno* mxiii *ad* vi *Kalend. Februar. anni* mxxix. *Successit Turgoto Godescalcus, huic Adalwardus, quem virtutum claruisse miraculis tradit idem Adamus. Hos tres Sanctis Confessoribus magnæ Scandinaviæ annumerat Joannes Vastovius in Vite Aquilonia, quorum diem natalem necdum usquam in sacris legimus.*

*erecta Sedes Episcopalis*

*primi Episcopi*

2 *In eadem urbe* Scarane, *quæ posterioribus* Scara *et* Scaræ *dicta, floruit* S. Brynolphus Episcopus, *cujus obitum incidisse in* vi *Februarii, tradit idem Vastovius in Vite Aquilonia, et ex eo Abrahamus Bzovius ad annum Ch.* 1317 *num.* 39, *ubi dicitur consummatus*

*S. Brynolphus colitur 6 Febr.*

*AUCTORE G. H.*

A tus VIII Idus Februarii. *Quo die Balinghemius noster Kalendario Mariano;* Nascitur, *inquit,* cœlo anno MCCCXVII B. Brinolphus Vastonius Episcopus Scarens in Suecia. *Ast unde Vastonius? Forte apud Vastovium scriptorem dicere voluit. Idem Balinghemius refert* XVII Aprilis, S. Brinolphum in cœlitum numerum repositum esse, *quod* V Kalend. Maii *seu* XXVII *Aprilis factum scribit Vastovius. In pluribus Martyrologiis refertur* XXX *Julii. Eo die Florarium Sanctorum MS.* Item Brunilfi Episcopi, et Helenæ militissæ. *Molanus in Additionibus ad Usuardum:* In Suetia, S. Brunolphi Episcopi Scharensis et Confessoris. Item in Suetia B. Helenæ. *Eadem fere habent Hermannus Greven, Galesinius, Canisius, Ferrarius, qui* Helenam *postridie refert: cui S. Brynolphum, ignorato ejus natali, conjunctum suspicamur, quod vitam et miracula S. Helenæ conscripserit, teste eodem Vastovio, qui et Vitam S. Æschili Episcopi et Martyris ab eodem Brynolpho editam tradit. Colitur S.* Æschilus XII *Junii.*

*17 et 27 Aprilis*

*et 30 Julii*

*scripsit Vitas SS. Æschili et Helenæ.*

3 *Floruit in Episcopali functione S. Brynolphus sub Magno II Sueciæ Rege, Ladulos cognomento, qui Waldemaro fratri (quem nonnulli Stockholmiæ conditorem faciunt) substitutus anno* MCCLXXVII, *vixit ad annum* B MCCXC: *contra quem, ob sororem cuidam Ingemaro Dano junctam matrimonio, maxima traditur rebellio a nobilitate Suecica excitata, in eaque a primariis Ducibus ex Folchungorum familia, et Ingemarus occisus, et Junecopensis arx occupata. Qui tamen Duces, dolo ad Regem invitati, omnes misere capite plexi, aut bonis omnibus in ærarium regium redactis vitam redimere coacti sunt.* Ex hac illustri Folchungorum stirpe, patre Algotho Sture S. Brynolphus oriundus, in Galliam missus, Parisiis duodeviginti annis magna cum laude sacras litteras hausit et alios docuit, *ut scribunt Joannes Magnus lib.* 3. *de Vitis Pontificum Upsalensium in Jarulo Erlandi X Archiepiscopo, et Joannes Vastovius, qui addit,* Brynolphum ex opulenta studiorum messe in patriam reversum, Ecclesiastico ordini adscriptum, et in primis Canonicatu Scarensi, dehinc Decanatu Lincopensi exornatum, atque non multo post universo populo expetente, in Episcopum Scarensem electum esse, quo in munere, uti erat omni genere doctrinæ ac pietatis instructissimus, multos in vinea Domini labores libens sustinuit, atque eximia sanctitatis opera edidit.

*ex Folchungorum familia prognatus,*

*Parisiis studet, docet,*

*fit Episcopus:*

4 *Joannes Magnus lib.* 20 *Historiæ Suecorum cap.* 7. *de Magno Rege et S. Brynolpho hæc scribit:* In cleC rum et Ecclesiæ libertatem pio atque integerrimo studio ferebatur Rex Magnus, summopere contendens Christianum sacerdotium per omnes terminos imperii sui adeo felix efficere, ut nec Dani, nec Teutones, aut aliæ terræ liberaliores in Christi Ecclesiam videri potuissent. Fatendum tamen est, inter eum et Divum Brynolphum Scarensem Episcopum, ex illustri Folchungorum familia natum, aliquando gravem controversiam incidisse. Sed cum Rex multis argumentis considerasset ejus sanctimoniam, et vitæ integritatem, prostratus ad pedes ejus, suppliciter veniam impetravit. *Eadem aliquanto exactius narrat Olaus Magnus lib.* 16 *historiæ gentium Septentrionalium cap.* 29. Sæpissime, *inquit,* Reges et Principes Aquilonares, offensos Episcopos et prælatos ob vitæ sanctitatem et admirandam fidei constantiam, ne illatæ injuriæ Deo ultore vindicentur, recipere solent ad gratiam et favorem, quemadmodum potentissimus Rex Suetiæ Magnus, cognomento Ladulaas, cum sanctissimo Antistite Brynolpho Scarensi, seditiosis procurantibus pro hoste reputato, atque pluries ad mortem quæsito, celerrime cunctis admirantibus et congratulantibus in gratiam venit. Die etenim Assumptioni beatissimæ Virginis dedicato circa annum Domini MCCLXXXV, solenni Missa Pontificis audita, depositisque a se et satellitibus suis D omnibus armis, ante pedes altaris et Præsulis se prosternens, humillime scelerati propositi veniam sub Ecclesiæ disciplina petivit, et accepit, Pontificem in arcem suam regiam honorifice, ut secum pranderet, adducens: indeque secutum est, ut serenior conscientia Regis fieret, et Episcopo ac Clero ejus ubique daretur tranquillitas major. Quod exemplum necessitate per occasionem exorta, quantomagis et Reges et præsules, seclusis susurronibus, in mutuam gratiam redeuntes, secuti fuerint, tanto quietius et amœnius utrinsque gubernia solidantur et crescunt. *Hæc Olaus. Magno Regi defuncto circa annum Ch.* MCCXC *successit Birgerus filius, quem inter et fratres perniciosa ac diuturna discordia fuit: in eaque subditi plurima adversa ab alterutra parte perpessi.*

*Regis odium incurrit:*

*et reconciliatur:*

5 *De S. Brynolphi obitu et miraculis ista scribit Vastovius:* Quinque Scaris Ecclesiastica fundavit, dotavitque ex hæreditariis bonis beneficia, et cum in dies majora pro Ecclesiæ Dei patriæque salute aggrederetur, tandem felici cursu vitam præsentem consummavit VIII Idus Februarii, anno CIↃCCCXVII, cum sedisset in Episcopatu annos XXXVIII, miraculis in vita et post mortem clarus. *Et Joannes Magnus lib.* 20 *Historiæ Suecorum cap* 24: Nec silentio impli- E candum est, quod anno Christi CIↃCCCXVII ille sanctissimus Ecclesiæ Scarensis Pontifex Brynulphus, post multos labores, atque eximia sanctitatis opera, hoc transitorium seculum felici cursu consummavit. Sepultus in sua ecclesia Scarensi, et tandem miraculis clarus, in numerum Sanctorum dignissime est relatus.

*obiit an. 1317 miraculis clarus.*

6 *Quo tempore S. Brynolphus mortuus est, adolescebat eximium Sueciæ ornamentum S. Birgitta, in cujus Revelationibus cumulata hujus Brynolphi laus extat: nam capite* 108 *in Revelationibus extravagantibus sub hoc titulo,* De B. Brinulpho Episcopo Scarensi, quam acceptabilis erat Deo et Virgini Mariæ *hæc leguntur:* Accidit quod cum in die Purificationis B. Birgitta esset in ecclesia Scarensi, tunc sensit odorem suavissimum et insolitum. Admirans igitur de hoc, rapta fuit statim in spiritu, et videbat tunc beatam Virginem Mariam, et cum ea quemdam virum miræ pulchritudinis, indutum pontificalibus ornamentis. Tunc vero ait Virgo Maria ad eam: Scias filia, quod iste Episcopus honoravit me in vita sua et honorem opere confirmavit. Cujus vita quam acceptabilis fuit Deo, demonstravit odor, quem sensisti. Nunc autem licet anima ejusdem est in conspectu Dei, tamen corpus F ejus jacet hic in terra sine honore. Et sic ista margarita mihi dilecta locata est inter porcos. De eodem Episcopo, *(ut subditur deinde)* habetur in secundo libro cap. 30. *Ubi nomine ejus non expresso, hic titulus est:* Deprecatio Matris Dei ad Filium pro sponsa et alio Sancto, *pro quo deinde* Maria loquitur Filio dicens: Hic Sanctus, cum temporaliter vixit, fuit in fide sancta, sicut mons stabilis, quem non fregit adversitas, nulla retraxit delectatio. Fuit et flexibilis ad voluntatem tuam, sicut aer mobilis, quocumque eum impetus Spiritus tui traxit. Fuit insuper in caritate tua ardens, quasi ignis calefaciens frigidos et consumens iniquos. Nunc autem anima ejus tecum est in gloria, vas autem instrumenti ejus depressum est, et in humiliori loco jacet. Ideo, quam decet Fili mi, da corpori ejus altiorem elevationem: honora illud, quod te labore suo, quo potuit, elevavit.

*Deipara Virgo sanctitatem ejus indicat S. Birgittæ:*

*petitque a Christo filio elevationem corporis ejus:*

7 Respondit Filius: Benedicta sis tu, quæ nihil relinquis intactum, quod ad amicos tuos pertinet. Non decet, Mater, ut vides, ut lupis detur cibus optimus, non convenit, sapphirus membra conservans sana, et corroborans infirma, ponatur in luto: non etiam decet, ut cæcis accendatur lumen. Iste quippe homo, sicut in fide fuit stabilis, et in caritate ferventissimus;

*eam is tum negat ob peccata eventuram.*

*comparat S. Brynolphum cibo,*

A tissimus; sic et in continentia optime fuit ad voluntatem meam dispositus: propterea sapuit mihi, sicut cibus optimus, optime decoctus in omni patientia et tribulatione: dulcis denique et bonus in bona voluntate et affectu, melior in conatu et virili progressu: optimus et dulcissimus in laudabili consummatione. Propterea non decet, ut ante lupos talis exaltetur cibus, quorum cupiditas nescit satietatem, quorum delectatio refugit herbas virtutum, et sitit carnes putridas, quorum et vox astuta omnibus est nociva.

*sapphiro,*

Fuit etiam quasi sapphirus in annulo per famam et vitæ claritatem, per quam ostendit se esse Ecclesiæ suæ sponsum, Domini sui amicum, fidei sanctæ conservatorem, et mundi contemptorem. Propterea, Mater carissima, non decet, ut tantæ caritatis amator tamquam mundus sponsus tangatur a tam immundis; tantæque humilitatis amicus a mundi amatoribus contingatur.

*lumini;*

Fuit etiam tertio tamquam lumen positum super candelabrum, per omnium mandatorum meorum executionem: per hanc munivit stantes, ne caderent: per hanc elevavit cadentes: per hanc etiam futuros post se ad me excitavit. Hoc lumen indigni sunt videre obcæcati amore suo: hoc lumen discernere nesciunt qui habent albuginem superbiæ B: hoc lumen attrectare non valent scabiosi manibus: quia hoc lumen cupidis et suam voluntatem amantibus, est nimis odiosum. Ideo priusquam elevetur justum est, ut illi, qui immundi sunt, purgentur, et qui cæci sunt illuminentur.

8 *Hæc Christus de S. Brynolpho.* Constare autem ex Chronico Episcoporum Scarensium *ait Vastovius,* D ita evenisse, ut S. Birgittæ in visione illa revelatum fuit. Nam octoginta post annos ossa ejus ab altero ejusdem nominis atque etiam vitæ æmulo Brynolpho Episcopo Scarensi e tumulo sublevata, atque condigno collocata fuere loco. *Demum, ut supra ex Joanne Magno diximus,* in numerum Sanctorum dignissime est relatus *Quod factum esse ait Vastovius* in Concilio Constantiensi v Kalend. Maii anno CIↃCCCCXVI, Canonizationem illius sollicite constanterque; perurgente Erico XII Sueonum Rege, totoque regni senatu. *Est Ericus ille Pomeranus Daniæ simul, Norwegiæ et Sueciæ Rex a matertera sua Margareta Regina adoptatus, cui anno MCDXII defunctæ successit, et auctor habetur Chronici seu Historicæ narrationis Regum et gentis Danorum, quæ post Adamum Bremensem a Lindebrogio edita primum, et ab aliis recusa extat.*

*AUCTORE G. H. postea elevatum corpus:*

*Ipse canonizatus.* ANIMADV. PAP. 110.

*Michael O Wexionius lib. 10 epitomes descriptionis Sueciæ cap. 7 refert catalogum Episcoporum Scarensium, et hæc interserit:* XXII S. Brynolphus D. Algothi Stwre Equitis et Legiferi Westgi filius: qui postquam XVIII annis Parisiis diligentissime studuisset, Canonicum Scarensem et Decanum Lencop. egisset, tandem Episcopus Scarensis est salutatus: quam spartam annos XXXIII laudabiliter exornavit, quinque E præbendas erexit, historiam S. Æschilli et B. Helenæ Schodwikensis composuit. Obiit anno CIↃCCCXVII Post LXXXXIX annos in Concilio Constantiensi Sanctorum catalogo insertus.

# DE B. ANGELO A FURCIO

## ORD. EREMITAR. S. AUGUSTINI, GUASTI AMONII IN APRUTIO,

## Commentarius prævius.

J. B.

*AN. MCCCXXVII VI FEBR.*

*Guasti Amonii in Aprutio*

Histonium *Frentanorum oppidum fuit, Plinio memoratum lib. 3 cap. 12 in regione quarta Italiæ, atque aliis scriptoribus.* Guastum Amonium *nunc vocant, aut* Vastum Aymonis, *vulgo* Guasto d'Amone, *inter Asinellum Triniumque citerioris Aprutii amnes; ubi* antiquorum operum vestigia superesse, maximeque sumptuosi prætorii ac perpulchri theatri *Leander scribit. Hic* VI *Februarii festum celebrari* B. Angeli de Furcio, *nobis testatus est Antonius Beatillus noster, doctus vir ac sanctus,* C *litteris anno* CIↃIↃCXXXVIII *Neapoli datis. Eum quoque recenset Philippus Ferrarius in generali catalogo SS.* VIII *Id. Febr. his verbis:* Furci, pago Teatinæ diœcesis, B. Angeli Ordinis Eremitarum.

*colitur 6 Febr. B. Angelus:*

2 *Eum hoc encomio prædicat Cæsar Eugenius Caracciolus in Neapoli sacra, de S. Augustini monasterio loquens:* In hoc quoque loco habitavit B. Angelus de Furcio, (id castellum est exiguum Aprutii citerioris) eximius Theologus, qui a B. Clemente Auximano, Ordinis Generali, professor primarius constitutus studii publici hoc in cœnobio, post diuturnos labores, multis miraculis vitæque sanctitate clarus, hic beatam animam exhalavit, conspectu fruituram sui Creatoris. Quiescit nunc ejus corpus sub ara sacelli, Præsepis dicti. Cernitur autem marmor diffracti ejus sepulchri, in altari, juxta minorem januam, qua ad claustrum itur, cum hac epigraphe. HIC IACET B. ANGELVS DE FVRCIO ORDIN. S. AVG. LECTOR.

*habitavit Neapoli,*

*ibique sepultus.*

3 *Hæc Eugenius, qui in margine ista adjicit:* Vita B. Angeli est penes auctorem. *Eam nos Vitam per Antonium Beatillum ante citatum accepimus* ex codicibus sanctuarii Neapolitani S. Augustini. *Ex qua ætas beati viri cognoscitur, quam non satis in Alphabeto Augustiniano expedit Thomas Herrera, qui ab nonnullis traditum scribit, monachum fuisse anno* CIↃCCCLVI, *ab aliis* IↃCCCC, *ac demum a quibusdam an.* CIↃCCLIX. *At constat e Vita, Parisiis vixisse cum Ægidio* Romano, *Neapoli docendæ Theologiæ admotum a* B. Clemente Auximano: *quorum hunc Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano, parte 3 cap. 4 scribit an.* CIↃCCLXX *Generalem renuntiatum, anno deinde* CIↃCCLXXV *magistratu volentem abiisse, sed coactum anno* CIↃCCLXXIV *denuo eum capessere, e vita excessisse anno* CIↃCCXCI. *Cui subscribit Herrera: Clementi autem subrogatum idem asserunt Ægidium Romanum an.* MCCXCII, *quadriennio post Bituricensem Archiepiscopum esse factum.* F *Beatum vero Angelum anno* MCCCXXVII *decessisse Vitæ auctor tradit. Ferrarius ait* LXXXI *annos vixisse. Quædam horum infra in Notis expensa.*

*Vita unde hic edita?*

*obiit an. 1327*

4 *Binæ Orationes et Hymni bini adduntur in Beatilli MS. quæ operæ fuerit hic attexere. Oratio prior:* Quæsumus, omnipotens Deus, vota humilium respice, et B. Angeli Confessoris tui, vitam et mores eximii Doctoris Augustini Angelico spiramine feliciter imitantis, interventione placatus, concede, nos corde terrena cuncta despicere, et cœlestium semper participatione gaudere. Per Christum. *Altera:* Deus, qui per B. Angelum de Furcio multos ab infirmitatibus oppressos liberasti, et varios per eum morbos abstulisti, tribue, quæsumus, ut et nos ejus patrocinio omnia nostra delicta plangere valeamus, et tandem ad ejus consortium pervenire mereamur. Per Dominum nostrum.

*Oratio, de eo.*

*alia:*

5 *Hymnus ad Matutinum.*

*hymnus,*

Postquam innocensus alter Baptista,
Homo cœlestis, Angelus terrestris,
Vacans divinis eremum petisti
Religionem.
Tu qui præclari Patris Augustini
Vitam imitans, Regulamque servans,

Cuncta

A

AUCTORE G. H.

Cuncta caduci mundi despexisti,
Cœlica quærens.
Te deprecamur nos tui concives,
Gaudio plenos detegas ex hoste,
Per te salvemur etiam ex adverso
Ac gubernemur.
Per eumdem Jesum, qui in perpetuum
Cum sancto Spiritu vivet in secula seculorum Amen.

*alter;*

*Hymnus ad Vesperas.*

Angele de Furcio, Angelus tu pacis,
Natus Adalipti, genitus Albatia,
Monte te album, opere te celsum,
Erige pressos.
Præfata proles sacri Augustini,
Meritis nos tuis super Flumen triste,
Tristes ne simus, sed tui concives,
Deprecamur omnes.
Te colant omnes, patria sed tua
Lacrymanter oret, preces effundat,
Et tibi semper concinendo laudes
Rogat devotas.
Qui liberasti multos infirmos,
Libera tu Furcium populosque omnes,
Et nobis dones fontem lacrymarum,

B

Deo plangamus.
Mane quæramus, vesperi te quoque,
Sexta et Nona semper orando,
Cœlicos nos reddas, Christos devotos,
Precibus tuis.
Per te reddamus nostras a morte
Animas Christo, Deo summo Patri,
Spiritui sancto, qui in perpetuo
Regnat honore, Amen.

6 *Atque hi quidem hymni et antiqui sunt, quippe ab hujus et superioris seculi elegantia longe remoti; et pro* *ambo veteres et impoliti,* *Furciensi Ecclesia compositi. Nam et in primo, stropha tertia, et in secunda stropha secunda, concivem appellant; et stropha tertia* patriam *ejus nominant, ubi et* *decantari soliti Furcii,* *secunda* Flumen triste, *quo nunc vocabulo Furcium nuncupari principio Vitæ dicitur. Est* Furcium, *sive* Flumen triste, *ut supra Eugenius,* castellum, *sive, ut Vita MS.* castrum; Furcis *vocat Herrera, et* oppidulum *facit, Ferrarius* Furcium, pagum Comitatus Montis Oderisii. *Est autem Leandro Alberto teste,* juxta flumen Asinellam, ejus in dextera, modicum castellum Mons Dorisius, insigne tamen nomine Comitatus.

7 *Præter ergo, quod supra diximus, monumentum* C *Neapolitanum, vetustumque* Beati *titulum, marmori* *ubi ejus aliquæ reliquiæ,* *insculptum; præter celebrem in oppido Guasti Aimonii venerationem, Furcii quoque et sacellum ædificatum* est, *Ferrario teste*, in quo ejus reliquiæ servantur. *Meminit* B. Angeli de Fursis *(ut scribit) Philippus Essius in Lucomastico Augustiniano, ubi et alios citat.*

# VITA EX MS. NEAPOLIT.

AUCTORE ANONYMO.

## CAPUT I.

*B. Angelus sterilibus parentibus cœlitus promissus.*

*a b c* In regni *a* Siciliæ provincia *b* Aprutina, in *c* Teatina diœcesi, castrum est quod quondam Furcium dictum, nunc Flumen triste vocatur: in quo quidam vir fuit, nomine Adaliptus, cum sua uxore, nomine Albatia. *B. Angeli parentes* Ambo autem fuerunt secundum patriæ et seculi dignitatem non infimi, mundi substantia rerumque abun- *honesti et valde pii.* dantia fulti, copia et potentia generis conjunctorum vallati, sed maxime Dei timore ornati, caritatis erga Deum et homines igne succensi, morum honestate fulgentes, orationibus, pauperum inopumque misericordiis insistentes, ecclesiarum limina visitantes, D jejuniis, vigiliis et peregrinationibus semetipsos macerantes, devotionis cunctis actibus vacantes, et nihil aliud præmeditantes, nisi qualiter Deo placere mererentur.

2 Verum cum jam mundum ex corde sprevissent, eorum flore juventutis arescente, Divino spiramine cogitare cœperunt, ne tamquam infructiferæ arbores præcidi mandarentur vel arescerent, sicut ficulnea, cui maledixit Deus. In hoc ergo se Dei gratiam et *Matth. 21, 19* *sed steriles,* misericordiam assecuturos putabant, si ex eorum corporibus, velut ex arboribus virentibus, suisque temporibus fructibus rutilantibus, surculus prodiret in fructum suavissimum Deo. Hoc ergo orantes dicebant: Inclina Deus aures tuas, et audi preces *filium a Deo precantur,* servorum tuorum, confidenter totoque corde clamantium; et aperi thesaurum misericordiæ tuæ. Magnifica, quæsumus, nomen tuum super nos, nostrorum corporum fructum concedendo. Aufer, oramus, a nobis sterilitatis opprobrium. Neque hoc ad animi jactantiam, nec pro successorum substantia, servis tuis concedi optamus; sed solum ut ipse apud *ejus servitio dicandum.* te fructus noster fulgeat, et a tuo famulatu numquam discedat. Visita nos, quæsumus, in salutari tuo, sicut es dignatus visitare Annam Elcanæ uxorem sterilem E quæ genuit Samuelem tuum Prophetam fidelissimum. *1 Reg. 1*

3 Sic ambo orabant: verumtamen quia se putabant indignos a Deo audiri, decreverunt suum præcipuum Patronum Michaelem Archangelum super *ad id in monte Gargano patronum S. Michaelis implorant;* hoc postulatum donum invocare toto mentis affectu. Ergo vota offerunt, ac ad ejus limina ad montem *d* Garganum pergunt: ubique preces fundunt, ac lacrymas multas emittunt, atque in singultus et sus- *d* piria medullitus prorumpunt, hoc meditantes in corde et lingua pronuntiantes: Ah Michael sancte, suscipe vota flentium, et noli despicere preces tuum poscentium patrocinium, in hoc loco celebri venerabilis tuæ memoriæ, tibi magno cordis fervore porrectas. Posce pro nobis nostræ posteritatis fructum, Divinis semper obsequiis mancipandum: ipsum enim ex nunc coram te et tuo sancto altari spondemus Deo dicandum. Intret in conspectu tuo oratio nostra, et per te aures Divinas nostræ lacrymæ subeant. Confortati itaque et confisi se exaudiendos tanti patrocinii favore, ad propria remeabant gaudentes.

4 Nocte igitur sequenti, cum nec ex toto vigilarent, nec ex toto dormirent; ecce Angelus Domini *qui iis apparet cum S. Augustino,* asssistit juxta eos, nimia claritate perfusus, blandus in aspectu, jucundus in verbo et gratiosus solatio: F ad cujus dexteram adstabat quidam venerabilis Episcopalibus insigniis insignitus, sub cujus Episcopali chlamyde habitus Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini aperte patebat. Quibus stupentibus visione tam nova, Angelus ipse sic ait: Nolite timere; ego enim sum protector vester Michael Archangelus, qui adsto ante Deum semper. Ego siquidem, cum me deprecaremini, lacrymas vestras obtuli ante Deum, et nunc missus sum nuntiare vobis, vestras preces esse exauditas. Nascetur namque vobis filius, et vocabitur Angelus. Hic erit magnus coram *e filium iis promittit,* Domino, per ipsum enim Altissimus magnalia operabitur. In suis etiam tenellis annis scientiæ Divinæque disciplinæ vacabit. Ego denique ejus custos et protector ero sollicitus. Mundum ipse despiciet, *Augustinianum futurum* et hunc meo comiti adhærebit. Hic autem, de quo dixi, meus comes in hoc ministerio, est *e* Augus- *e* tinus Episcopus et Doctor eximius, cujus sub Regula militabit vester futurus filius. Et nunc ex hoc ad vos simul venimus, quoniam ipsius curam nobis commisit Altissimus. Ab ipso itaque Patre veluti fonte luminum, scientiarum omnium et sapientiæ aquam exhauriet, qua irrigabit orantium corda et florere faciet in agro Divino. His autem finitis sermonibus, *et doctum.* cum

A cum lumine immenso ab eorum aspectibus ambo pariter evanuerunt, cœlum petentes. Unde venerunt exhilarati ultra quam exprimi valeat de tanto viso et audito mysterio. Surgunt et se prosternentes in solo devotione profunda atque humili mente Deo, B. Michaeli Archangelo, et B. Augustino laudes referunt, firma sponsione voventes peramplius vacare operibus Divinis.

Siciliæ duæ. Aprutium. Teate.

a Ita vulgo duæ Siciliæ statuuntur, cis et ultra Pharum, sive fretum, quod Siciliam ab Italia dirimit idque quia ante secula aliquot tenuere Siculi Reges, uti et nunc tenent Hispani, præter Siciliam, etiam in Italia provincias quæ vulgo regni Neapolitani nomine comprehenduntur. — b Aprutium, quod veteribus Samnium fuit, unde novum illud nomen acceperit, disputat Leander Albertus in Italiæ regione duodecima. — c Teate, quæ Græci Τεατέα, Italis Tieti, et usitatius Chieti, urbs fuit antiqua Marrucinorum, capta et incensa an. DCCCI a Pipino Caroli Magni filio, post restaurata ; sita est ad Aternum flumen, sive Piscariam. — c De apparitione S. Michaelis in monte Gargano, ibique ædificata ecclesia agemus 7 Februar. ad Vitam S. Laurentii Ep. Sipontini. — c Colitur sanctissimus Doctor 28 Augusti.

## CAPUT II.

### *B. Angeli educatio, studia litterarum.*

Concepit ergo Albatia, mente peralbissima, Adelipti copulata conjugio, tunc usque fœcunditatis privata solatio, totaque mente gaudebat, munere se ditari divino ; concepit mater et peperit. Angelus B procedit ad ortum. Dicunt hoc non humanum, sed Divinum esse mysterium. Etenim ipsa hora, qua ex matris prodiit alvo, suo ab Archangelo insignitus est nomine, et vocatus est Angelus, sicut Michael Archangelus prædixerat. Super quod stupent parentes, mirantur adstantes, et lætantur hoc audientes vicini, congratulantur cognati, et in laudes Dei prorumpunt. Lactat puerum mater, donec puer expers fiat lactis, et tunc offerant illum Deo.

*Nascitur Angelus : nomen ab Archangelo accipit :*

6 Completo ablactationis tempore, divini mysterii non immemores, tradunt eum litteris imbuendum cuidam monacho Ordinis S. Benedicti, Abbati monasterii S. Angeli in a Cornaclano, distantis ab eorum dicto castro per millia duo. Erat autem ipse vir maximæ sanctitatis, vocatus nomine Mons, et frater uterinus matris ejusdem Angelici pueri, in quo monasterio indesinenter permansit sub doctrinæ ferula sui avunculi, Montis dicti, et Abbatis illius loci, quousque vir ipse sanctus Abbas vixit. Infra quod tempus nil puerile, ut mos est pueris talis ætatis, agebat ; sed nunc sui sancti avunculi stringebat complexus, nunc sequebatur incessus, nunc tacitus vitam illorum monachorum et mores contemplabatur ; nunc, utcumque ætas permitteret, devotionis operibus C insistebat, adeo ut suum avunculum, singulos monachos et cunctos alios verteret in stuporem. Non solum enim secularium puerorum, verum etiam monachorum suæ ætatis spernebat consortia. Infantia siquidem computabatur in annis, sed erat senectutis mente mirabilis.

*a litteras discit in monasterio Ord. S. Benedicti, sub avunculo Abbate,*

*gravis et serius in pueritia.*

7 Tantum etiam litterarum studia diligebat, quod ultra humanam consuetudinem, et talis ingenii capacitatem, futuri sui Patris Augustini more, ab ipso suo patruo et libris quos legere poterat, sapientiam et omnem scientiam et virtutem sitibunde sugebat, et tenaci corde servabat. O mira et inexplicabilis humani ingenii capacitas ! Nondum XVIII annos peregerat, et virtutibus et scientia Clericalem in Ecclesia ordinem meruit obtinere. Non tantum enim Grammaticæ doctrinæ atque Logicæ fines et metas attigit, profundeque philosophiæ mediis extitit non ignarus ; sed etiam naturalium omnium fines et metas possedit, ut doctus philosophus. Cum autem XVIII annos complevisset, enixe desiderabat aliis liberalibus artibus insudare. Cujus desiderio non statim annuit ejus sanctissimus magister patruus, volens cautius experiri, unde esset in etiam tenello puero tanta morum gravitas, in litterarum studiis anxietas,

*in studiis diligentissimus,*

*fit Clericus*

*studet philosophiæ :*

*ad altiora studia aspirat,*



D orationum assiduitas, cibi potusque parcitas, nullus mundi amor, affectus divinorum, compassio egenorum, vitiorum detestatio, et virtutum dilectio, intantum ut religionis omnis perfectio vigeret in eo. Hæc autem cuncta cum infra sui pectoris claustra crebro revolveret suus ipse patruus, decrevit omnino Divinis fore obsequiis et Deo sub regulari vita, et Regula quam eligeret, dedicandum, ut Deo vacare et scientiis insudare valeret liberius. Juxta quod tempus appropinquavit dies finis vitæ ipsius sanctissimi Patris Abbatis, qui plenus virtutibus migravit ad Christum. Adolescens autem Angelus, patruo suo humanitatis, morte interveniente, debitum exolvente, parentum domum repetiit.

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

*bona augurante avunculo ;*

*quo mortuo, redit domum :*

a Ita Bculith scriptum. Comaclum olim, sed procul ab eo tractu, circa Ferrariam. Quæ in Samnio Cornacla aut Comacla, non meminu.

## CAPUT III.

### *B. Angeli desiderium religiosæ vitæ capessendæ.*

Diffusa est autem ejus fama scientiæ et virtutis eximiæ, ac longe lateque per patriam nomen ejus præ cunctis ejus sodalibus vulgabatur in laudem : erat enim in verbo blandus, in opere rectus, egenis et E inopibus pius, cunctis benignus ; omnes sibi præferebat, nemini se præponebat, honesta quærebat, lasciva spernebat, plateas horrebat, ecclesias visitabat, cunctis humilis, cunctis affabilis, omnes honorabat et neminem despiciebat.

*optime moratur,*

9 Omnibus his virtutibus in ipso fulgentibus, multi et plures parentum aures pulsare non desierunt, ipsum sibi affinitate sociare cupientes, interveniente copula conjugali. Quibus tale, non aliud, præstabatur responsum : Id fiet quod Deus disposuit, et filio nostro placebit.

*expetitur a pluribus in generum.*

*responsum.*

10 Appropinquante autem termino humanæ conditionis debiti persolvendi Adelipti genitoris Angeli, decidit in lectum : ipseque Adeliptus ægrotans vocavit ad se Angelum filium suum, accersita uxore, dicens ei : Ecce, mi fili dulcissime, lumen oculorum nostrorum, et baculus senectutis, atque columna domus nostræ, scio et cognosco, te sensu et omni industria virtutis fulgere. Viginti annorum ætate completa, tempus advenit, quo te latere non decet ulterius. Requisiti sumus, si te volumus conjugali copula sociare, ad quod nostrum fuit responsum, quod id facere volumus, quod Deus ordinavit, et filio nostro placebit. Et hoc pro tanto, mi fili dulcissime, diximus, quoniam grandi mysterio, Michaele mediante F Archangelo, a Deo te impetrare meruimus : et ex tunc te dedicavimus Deo, et B. Augustino. Ab eodem Michaele sumus edocti, qualiter in Religione ipsius B. Augustini, nobis simul cum Archangelo Michaele apparentis, Deo tu debeas militare. Nunc ergo, mi fili dulcissime, elige de duobus unum quod placet. Te certe violentare recusamus, consulere autem cogitamus. Deum tibi, fili, præponimus. Nostrum fuit fundere vota, tuum est implere promissa. Audi, fili, et solve vota parentum tuorum, ut addatur gratia capiti tuo.

*pater infirmus*

*id illi proponit,*

*sed hortatur ut potius votum ipsorum impleat, quo divinitus obtentus :*

11 Auditis his verbis, devotissimus Angelus Deum glorificavit, et osculatus est pedes suorum parentum, hilarique vultu locutus est ad eos blando sermone et animo gaudente : Sciat reverentia vestra et paternitas honoranda, quoniam sicut qui invenit magnum thesaurum, et sicut qui tenet quod diu concupivit, sic et ego lætatus sum in his quæ mihi narrastis. Clareat ergo vobis et scitote cor meum, quoniam ex quo discretionis fines attigi, penitus decrevi vacare divinis, insudare scientiis, et Deo placere toto conatu. Ergo vos totis affectibus precor et oro suppliciter, si gratiam inveni in oculis vestris, in his mihi

*Angelus id cuncta habet,*



consulite,

A

AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

*dolens quod non prius sciverit :*

consulite, ad hoc me animate, meam arguite pigritiam, et pusillanimitatem repellite ; ac de cetero conjugium mihi non nominetur. In hoc autem me graviter Deum offendisse conspicio, quoniam a primis meis tenellis annis tale mihi oraculum non reserastis. O me miserum! quale et quam longum tempus amisi! Ah Deus! quomodo restaurabo deperditum? O quam infelix sum tantis bonis privatus! O quam crudeles parentes fuistis, me privantes tam optima parte! Ah Deus, si merear tantæ Religionis gremio effici dignus! O si prosperum faciat Deus iter meum, et in tanto consortio merear aggregari! Non aliam cupio uxorem, nec aliud eorum quæ sunt in mundo quæro : transit enim mundus et concupiscentia ejus.

*patre mortuo,*

12 Quibus auditis, pariter parentes ejus glorificaverunt Deum et Michaelem Archangelum, Doctorique Augustino immensas referunt gratias et laudes. Et osculans filium Adeliptus, vinculis carnis exutus, gaudens migravit ad Christum, qui semper misereatur nobis. Post mortem denique Adelipti sui patris, remansit Angelus cum sua matre et fratribus suis et sororibus per integrum annum, ad matris curandam substantiam, ut cum eo consiliaretur de suorum filiorum statu jam adultorum, ipsamque et domum totam gubernaret.

*per annum adest matri.*

B

*dein parat votum exequi :*

13 Post quem temporis circulum, ne Deo favente diutius sui desiderii frauderetur effectu, dicebat matri : Dimitte me, dulcissima mater, ne in via hac per quam ambulo, superabscondat inimicus laqueum mihi. Tempus est enim ut vadam ad eum qui me concessit tibi, et congreger indignus ad populum alterum, et in Dei famulatu altissimi En me Deus expectat, Archangelus Michael vocat, Pater Augustinus invitat. Non est æquum ultra dissimulare : impium esset ultra tardare, nequissimum me ipsum retrahere. Vadam ergo et videbo visionem tam grandem. Sive enim comedam, sive bibam, sive dormiam, semper meis auribus insonat tuba terribilis vocis mecum loquentis : Surge qui dormis ; exurge a mortuis : et illuminabit te Christus. Surgam ergo et vadam ad Patrem meum Augustinum, et dicam : Pater, peccavi in cælum et coram te : tam longam moram contraxi. Te quæso, miserere mei, quoniam pius es et misericors. Perficiam et complebo, quod præcepisti oraculo tam mirando.

14 Et convocans sorores, uterinos fratres, atque sui generis cunctos, in hæc Angelica voce verba prorupit : En, fratres mei, vobis secretum aperiam cordis mei. Decrevi et decerno a vobis corpore se-

C

*aperit id fratribus, sororibus, amicis,*

parari, iturus quo me dirigit Deus, cui dispono servire. Vos de me omnem sollicitudinem deponatis : intantum solum mei mementote, ut pro me semper preces fundatis. Est enim et erit continue vobiscum Deus ; ipsum semper timete et diligite Dominum, Matrem communem, ut convenit, honorate : alterutrum diligite, pacem et dilectionem cum omnibus habete, caritatis operibus insistite, et cunctis divinis operibus vacate.

*itaque et matri valedicit.*

15 Tunc irruens in eum Spiritus Domini sanctus, Valete, dicens omnibus, maternis pedibus osculatis, signaculo sanctæ Crucis munitus, discessit a cunctis. Orans autem in sui pectoris claustro, dicebat : Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me : dirige me Domine in veritate tua, et doce me justificationes tuas, quoniam in te Domine speravi. Tu enim, Domine, abstraxisti me de ventre, et ab uberibus matris meæ in te projectus sum. Da ergo lucernam pedibus meis, et lumen semitis meis, ne dominetur mei omnis injustitia

D

## CAPUT IV.

### *Religiosæ vitæ tirocinium. Studia Theologica.*

Ipse autem Domini Spiritus eum direxit, et duxit ad terram, *a* Vasti Aymonis vocatam; ubi *b* locus Fratrum Eremitarum S. Augustini constitutus dignoscitur, cultui Divino aptus; in quo copia Fratrum ipsorum erat, moribus, scientia, miraque sanctitate fulgentium. Cujus cum loci claustrum, ipsius ducatu Spiritus, intravit; divino instigante Spiritu, ipsius loci Prior occurrit primus. Quem cum Prior, post mutuam salutationem, ut moris Religionis talis est et devotorum fidelium, interrogaret, Unde esset, qua illuc ex caussa venisset, et quo nomine vocaretur; columbina simplicitate et Angelica voce, profunda cum reverentia, ut doctus fuerat; Angelus ego, inquit, de Furciis sum origine : huc a Deo missus sum, licet indignus, ut vestra merear caritate in hujus sanctæ Religionis habitu Deo et B. Augustino digne deservire. Juravi enim et statui tanti Patris custodire mandata, et ab ejus non declinare institutis. Hoc itaque est quod quæro, hoc est quod totis visceribus concupisco. Obsecro, Domine, exaudi preces servi tui, et precibus meis annue : quæso, nec me precantem despicias ; et fac ne redeam inanis, sed contentus et consolatus. E

*a b*

*il Vastum Aymonis, ad monasterium Augustinianum,*

*petit admitti*

17 Cum autem ipse Prior audiret, confortans eum in Dei et B. Augustini amore; convocato conventu, locutus est super devotionem hujus adolescentis tam miram. Quibus omnibus auditis, vere mirantibus Fratribus cunctis atque gaudentibus, in Fratrem tunc est receptus, traditus est denique novitiorum et Fratrum magistro, moribus, psalmodia et doctrina ornato, Ecclesiasticum officium more Religionis docendus. In ipso autem suæ Religionis introitu probationis tempus renuere voluit, ac tunc profiteri. Tanto vigebat divino fervore, et hoc instanter petebat. Cujus in hac parte desiderio non annuit Prior ac dictus Conventus, utpote juri ex eorum sanctorum Patrum institutionibus repugnanti, ac ut in illa vita et moribus informaretur, et postea ubi comperissent ejus mores respondentes verbis, uberius atque devotius ipsum susciperent jam professum. In ipso itaque novitiatus tempore ad tantam pervenit complacentiam divinam, ut cunctos ibi Fratres existentes excederet, et inter professos jam numerari posset. Completo autem probationis termino, anno videlicet et die, avidissime a Priore et a Conventu in professum Fratrem, ipso de hoc plurimum gaudente, est susceptus. F

*admittitur*

*postulat statim profiteri,*

*quod ei negatur.*

*expleto tirocinio profitetur*

18 In ipso vero post factam professionemperamplius suam misericordiam Deus mirificavit, ut jam inter homines, ut alter Daniel, vir desideriorum, appareret; micansque, ut alter Baptista, Angelus terrenus et homo videretur cælestis. Semper enim aut orationi aut lectioni vacans, cellam et scholas sectabatur, quas non deserebat, nisi cum horis statutis ecclesiam visitabat, vel cibum sumere expediebat. Quo ad tantum scientiarum lumen pervenit, ut infra quadriennium a suo Religionis ingressu, temporis spatium, omnium septem artium liberalium ac philosophiæ fines penetraret, ac scientias possideret perfecte, ac sacræ existeret non expers Theologiæ. Cunctis autem miseris erat benignus, sibi solum austerus, macerabat se jejuniis, castigabat vigiliis et domabat disciplinis. Crevit ergo ejus fama scientiarum intantum, ut gaudio repleretur patria, et exultaret suæ Religionis provincia : quæ gaudere poterat, et non immerito debebat, cum firmaretur Angeli sanctitate, et ejus prius polleret scientiæ claritate.

*sedulo studiis et pietati vacat,*

*omni virtute clarus*

19 Post hæc ad Parisiense studium mittitur anno suæ ætatis XXV. Tunc enim temporis magistratus honore

*mittitur Parisios*

A nore fungebatur F. Ægidius Romanus Doctor luculentissimus, cui complacuerant scientia, vita et mores Angelici Fratris; qui sibi mox eum recepit in socium, et in suum pariter hospitium: erat enim locus ipsius ordinis in ipsa Parisiensi civitate nimis distans a contrata seu parte civitatis ubi studium regebatur; qua de re cuncti tunc temporis pro studio accedentes, per conducta hospitia propriis in omnibus sumptibus permanebant. Permansit Parisiis ipse B. Angelus per integrum quinquennium notabiliter adjutus in studiis sumptibus et scientia ab eodem Doctore præ cunctis edoctus pariter et amatus. Valde etiam ipsum gerebat in corde, ac conabatur idem Doctor ad fructum plenæ notitiæ omnis scientiæ ipsum perducere, videns eumdem plenum Dei timore, et tota mentis acie studii cultum diligere. Extitit denique continue Doctoris ejusdem in scholis omnibus scholasticorum cunctorum actuum egregius, ut moris est studii, recollector et fidelissimus.

*cohabitat Ægidio Romano per 5 annos*

*et egregie proficit.*

a *De hoc loco dictum supra. Nominis etymon a Teutonico* Gast, *deducit Camillus Peregrinus historiæ Principum Longobard. lib.* 2 *par.* 1 *pag.* 87. *Id vero* hospitem *aut* peregrinum, *sive* externum, *significat. Unde* Gastaldus *sive* Castaldus, *qui præturam peregrinum administrat, seu qui exteris, et non domesticis Principis, jus dicit. De qua voce agit Gerardus Joannes Vossius de vitiis sermonis lib.* 2 *cap.* 8 *pag.* 211. *Atque ita* Gastum Aimonis, *erit quasi dicas* prætorium Aimonis. *At Godefridus Wendelinus in Glossario Salico vocum Aduaticarum vult* Gasti *vocabulum idem esse quod* Dominum *aut* toparcham; *probatque ex titulo legis Salicæ.* — b *Hic est* Conventus Vastinus *provinciæ Aprutinæ apud Crasenium.*

Gastum; Gastaldus

B

## CAPUT V.

### *Officia in Religione administrata. Recusatus Episcopatus.*

Completo vero integro lustro, Doctor præclarus Ægidius cernens ipsum nedum Lectoris officio et honore dignissimum, verum et magisterii culmine mereretur dotari; congregatis cunctis, servata studii forma, cum ipsius examinatione, solenne ad Lectoris officium licentiavit eumdem. Post itaque Lectoriæ onus susceptum, versus regnum et suam provinciam suos gressus direxit: et, ut præditus bonitate, et Dei timore repletus, omnique mansuetudine et devotione munitus, sicut in eundo, sic Parisiis remeando, pedester semper fuit.

*fit Licentiatus*

*redit in patriam,*

*et pedibus iter facit:*

21 Cum vero venisset, ut comperit Priorem Generalem ejusdem Ordinis sanctæ memoriæ B. Clementem esse *a* Neapoli, ex maxima devotione illico ad ipsum accessit; a quo est paterne susceptus, et peramplius cum ipsius visitationis vitæ et famæ esset conscius. Eodem autem tempore Neapolitanum studium magistro et Theologiæ Professore carebat, eratque studentium numero et virtute repletum. Importune igitur singulis diebus exposcebant, ne tempus illud ad scientias et virtutes capessendas amitterent, et ut vere cultor studii et scientiarum avide ab eodem Generali Priore opportune provideri iisdem de Doctore petebat. Aliquibus transactis diebus, beatus ipse Prior Generalis Clemens, expertus vera esse, quæ in Angelo dudum Parisiis viderat, et quæ de ejus fama didicerat tunc oculate conspiciens, eum in principali loco Magistri Theologiæ Lectorem Neapolitani Conventus et studii instituit et præfecit, conferens ipsi omnem dignitatem, immunitatem ac auctoritatem, quibus insigniri consueverunt in Theologia professi Doctores.

*a Neapoli B. Clementem Generalem salutat*

C

*ab eo Professor Theologiæ constituitur*

22 Gaudent ex hoc cuncti et lætantur Neapolitani concives, exultant studentes, congratulantur denique universi Scholarum Rectores, omnes pari voce dicentes: Euge, euge, en Deus visitavit plebem suam, quia Propheta magnus surrexit in nobis, qui dignus est accipere librum et solvere signacula ejus. Ipse autem profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem: lux autem nedum studii Neapolitani arentia corda, verum et totius Apuliæ regnum, ac totius Italiæ omnium mentes, patula suavitate, luciferaque immensitate suæ scientiæ fœcundavit. Nec mirum, quia ipse Angelus ille dicitur, de quo in figura locutus est Joannes in Apocalypsi, qui habebat potestatem magnam, et terra illuminata est gloria ejus. Est et ille Angelus, de quo *b* sequitur, qui descendit de cœlo amictus nube, et Iris in capite ejus; facies ejus erat ut sol, pedes ejus tamquam columna ignis, et habebat in manu sua libellum apertum, et Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram.

*magno omnium gaudio:*

D AUCTORE ANONYMO. EX MSS.

Apoc. 18, 1

*b* Apoc. 10, 1

et c. 14, 6.

23 Crescebat autem et multiplicatum est sub ejus doctrina studium, et studentium numerus replebatur: unusquisque scientiæ fructu ac lumine illustratus, ferventius accendebatur aviditate scientiæ. Nec immerito; quia ipse est ille fluvius, ut ejus Pater prædixerat Augustinus, in quo et elephas natat, et agnus prædicat, ac decus illius vitæ sanctissimæ partes cunctas replet Italiæ. Quapropter devotissime rogatur a devoto Neapolitano Clero, populo, simulque toto ejus studio, ut scribere dignaretur super Evangelium Matthæi asserentibus eis, quod licet Evangelium ipsum multifarie et sufficienter sit expositum, ex speciali tamen devotione, quam ad ejus gerebant doctrinam, cupiebant ex eodem Evangelio, stylo tanti Patris pabulo saginari. Quorum devotioni et desiderio justisque precibus quod poscebatur decrevit implere. Cœpit ergo et aggressus est opus tam altum, et Divino fultus auxilio, ad finem perduxit.

*promovet studia:*

E

*rogatu Neapolitanorum,*

*scribit in Evangelium S. Matthæi:*

24 Tertio vero anno sui doctoralis regiminis, comperta ejus ab unoquoque Fratre suæ Religionis, ejus sanctitate, zelo justitiæ, animi mansuetudine, caritatis fervore, et omnis virtutis vigore, perfectionis, Christianæque religionis professionis nitore eumdem esse fultum, pari voto omnes in Priorem Provincialem Regni provinciæ ipsum eligunt et exponunt in eorum provinciali Capitulo, ubi interfuit dictus Prior *c* Generalis, Frater, imo Sanctus, Clemens: cujus præcepto licet invitus provincialatus onus suscepit; remanente eidem, sicut prius, studii sæpedicti doctorali cura et regimine.

*fit Provincialis:*

*c*

25 Ejus autem vitæ cœlicæ fama simul et scientia regnum implevit Apuliæ, tantoque munere ditatus ad præsulatus apicem eligitur, et duplicem *d* Acerrarum et Melfiæ Ecclesiam, quas refugit omnimode. Tandem vitæ numerum complens, diem clausit Neapoli ultimum, in conventu sui Patris Augustini, anno salutis MCCCXXVII, VI die Februarii: cujus postea sacrum sepulchrum multa languentium corpora ad sanitatem restituit pristinam.

*recusat episcopatum*

*d*

F

*moritur an. 1327, 6 Febr.*

a *Id contigisse oportet an.* 1274 *vel* 1275 *priusquam Generalatum poneret* B. Clemens; *si enim* 81 *annos vixit B. Angelus, et* 1327 *decessit, sequitur an.* 1246 *vel potius* 1245 *natum esse,* 1270, *ætatis suæ* 25, *profectum Parisios post quinquennium rediisse Neapolim.* — b *Non sequitur, sed præcedit, ut patet ex locis indicatis.* — c *Si vera est ætatis potius quam a scriptore chronologia, debet prius ejus interfuisse huic Capitulo* B. Clemens. *Videant qui Annales tradunt conficere; quamquam errare quod scribit* 81 *annos necesse non probat. Quid si dicam* 71? *Tum vero hæc in tempus secundi generalatus cadent. Sed quomodo verum erit quod num.* 21 *dicitur,* expertum vera esse quæ in Angelo dudum Parisiis viderat? *Nisi quis dicat eum abfuisse a magistratu, Parisiis adfuisse, eoque Angelum vidisse.* — d *Seorsim ad singulas electus videtur, neque enim aut causa apparet aut modus, quo Acerram ad Clanium amnem, haud Neapoli procul, sitam Ecclesiam, cum Melphiensi ultra Vulturnum in Basilicata, invicem conjuncta fuerit. Neque Ferdinandus Ughellus, cum de Melphiensibus Episcopis agit, hujus conjunctionis meminit: qui tamen alteram Ecclesiam cum Melphiensi in perpetuum unitam a Clemente VII scribit, Rapollam videlicet, vix mille passus, ut ait, a Melphia distantem.*

ANIMADV. PAG. 111.

# DE B. FRANCISCA

J. B.

## TERTII ORD. S. FRANCISCI EUGUBII IN UMBRIA.

*AN. CIƆCCCLX VI FEBR. B. Francisca, sive Franciscbina,*

Eugubii, episcopali Umbriæ urbe, in veneratione est B. Francisca, sive Franciscbina, *e tertio Ordine S. Francisci : quomquam secundo Ordini eam Petrus Rodulphius adscribat, lib.* I *historiæ Seraph. Relig. fol.* 139 *ubi hoc eam elogio ornat :* B. Franciscbina de Eugubio, miraculis clara, jacet in urbe Eugubii, in ecclesia S. Francisci : cujus ossa asservantur in capsa lignea. Quidam peregrini Hungari experti sunt sanctitatem sponsæ Christi : deinde Eugubini cœperunt eam habere in veneratione. *Eadem, sed amplificata aliquantum, non minus re quam verbis, recitat Wadingus Annal. Minorum tom.* 2 *ad an.* MCCLV. Moritur Eugubii hoc anno, *inquit*, B. Franciscbina ibidem nata, mira abstinentia et miraculis perquam celebris. Asservantur reverenter ejus ossa in capsa lignea ad ædem S. Francisci, cujus tertium institutum suscepit. Inculta et neglecta per aliquot delituit annos; donec

*e tertio ordine S. Francisci,*

B Hungari quidam peregrini, patenti miraculo ejus virtutem experti, dignis laudibus mirificam celebrarunt. Hinc Eugubini eam in pretio habere cœperunt. *Idem tom.* 4 *ad an.* MCCCLX *num.* 3 B. Franciscam *indigetat.*

2 *Marcus Ulyssiponensis Chronic. Ord. Minor.* 2 *parte cap.* 34 *eadem habet, sed, ut supra Rodulphius, S. Claræ institutum amplexam ait, et ossa sub altari asservari, clavi obserata, ut ostendi petentibus queant : imaginem ejus in eodem pictam altari, votivis circum anathematis e cera ornatam, quæ appensa in argumentum publicæ pietatis ac miraculorum. Neque ob vetustatem aliud de ea compertum. Horatius Diola Marci Italicus interpres, et Gallicus Joannes Blanconus, non sola e cera, sed ex argento quoque et alia materia posita anathemata scribunt, testantia restitutam multis, ejus patrocinio, sanitatem.*

*reliquiæ in altari, et imago cum anathematibus,*

3 *Certior nobis illius sanctitatis, publicis argumentis decorata, testis est Ludovicus Jacobillus Fulginas in Vitis SS. Umbriæ, ubi ista, cum iis quæ relata sunt congruentia, scribit :* B. Francisca, vulgo Franciscbina appellata, assumpto tertii Ordinis S. Francisci habitu, magna sanctimoniæ opinione vixit, orationi, pœnitentiæ, mortificationi dedita. Coætanea fuit B. Delphinæ sponsæ S. Eleazari, ac BB. Luciæ Venetæ, et Joannæ de S. Maria a Balneo, quæ et ipsæ Tertiariæ fuerunt. Decessit e vita Eugubii in patria sua, VI Februarii, anno MCCLX. Corpus in lignea theca, pie efformata, reverenter collocatum est intra altare, in ecclesia S. Francisci; in eodem altari picta ejus imago, anathematis circum appensis. Multa autem Deus, meritis dilectæ hujus suæ sponsæ, miracula fecit : ac comprimis Hungaris quibusdam, qui illius corpus visitatum advenerant, benigne succurrit. Quare illud Eugubini in majori deinceps habuere veneratione.

*virtutes,*

*miracula,*

4 *Citat deinde Jacobillus Rodulphium et Arturum.* E
*Et illius quidem verba retulimus; hic autem bis eam Martyrologio suo Franciscano inscripsit;* VIII *Id. Februarii, et* IV *Nonas Martii; primo die his verbis :* Eugubii B. Franciscæ Eugubinæ Tertiariæ, quæ sanctitatis fama ubique refulsit. *altero vero :* Eugubii in Umbria B. Franciscbinæ Virginis, cujus sanctitatem miraculorum gloria exornat. *Verum ex Annotationibus utrobique additis satis liquet, unam eamdemque esse. Hinc error forsan offusus scriptori, quod nunc* Francisca *dicatur, nunc diminutivo nomine* Franciscbina : *eademque ab aliis Tertio Ordini, ab aliis secundo tribuatur. Ipse Wadingus cum tom.* 2 *scripsisset, eam anno* MCCLV *obiisse; tom.* 4 *ait non potuisse se* certum, quo vixerit, tempus invenire. *Marcus Ulysipponensis Chronicar. par.* 2 *lib.* 9 *cap.* 23 *scribit floruisse circa annum* MCCCLIX, *quo B. Delphinam ait decessisse.*

*natalis,*

*ætas.*

### TRANSLATIO RELIQUIARUM SS. MARTYRUM,

# THEODORI, TROSIMI, EVELLII, TARCITII, FELICIS, CANDIDI, THEOPHILI,

C

J. B.

## FOSSANI IN DITIONE PEDEMONTANA.

F

*AN. MDCXLI. VI FEBR.*

Fossanum *provinciæ Pedemontanæ oppidum est, ante circiter* CCCC *annos conditum, ad Sturam flumen, nostra memoria titulo Civitatis, Episcopalique solio a Clemente* VIII *Pontifice Maximo, rogante Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce, ornatum. Cathedralis basilica illustribus Divorum reliquiis* S. Juvenalis *Narniensis Episcopi, Martyrumque Thebæorum* Alverii et Sebastiani *aliorumque, locuples est. Aliæ quoque illic religiosæ ædes simili decore præsidioque nuper celebres factæ. Tres ab Joanne Nigro illius Diœcesis Vicario Generali editi Italice libri sunt de origine ejus urbis ac Præsulibus Divis, et civibus sanctimonia claris. Atque secundi quidem libri capite item secundo, allatas illuc nonnullas reliquias scribit, quas e sanctis locis urbis Romæ eductas, anno* MDCXXXVIII, XXVIII *Februarii obtinuerat Clemens Ascanius Sandrius Trottus, tabulisque legitimis et quo par erat apparatu communitas; patruo suo Federico Sandrio Trotto Fossanensi Episcopo donarat. Hic avide amplexus, quod ad suæ urbis ornamentum populique salutem spectare sentiebat, tribus illas Ecclesiis contulit, S. Mariæ Angelorum, congregationis Somascæ, et S. Catharinæ Virginum sanctimonialium : ad quas ecclesias an.* MDCXLI, *die* VI *Februarii (qui dies anniversarius erat aditi ab Federico anno* MDCXXVIII *Episcopatus) insigni pompa ac religione plausuque populi transferendas solemniter curavit.*

*Fossanum Episcopatu insignitum an. 1634,*

*variis Ecclesiis donatæ 6 Febr 1641*

2 *Erant autem harum Martyrum illæ reliquiæ :* S. Theodori *capitis sive cranii dimidium, corporisque pars magna.* S. Trosimi *tibiæ os crassum. Tibiæ item* S. Evellii *os integrum, et simile alterum* S. Tarcitii. *Et hæc Patribus Somascis donata. Sanctimonialibus autem cœnobii S. Catharinæ, os brachii* S. Felicis. *Ecclesiæ autem suæ Cathedrali reservavit pius Antistes dimidium cranii* S. Theophili, *atque os crassum tibiæ* S. Candidi.

*hæ reliquiæ,*

3 *Qui porro hi fuerint Sancti, non est nobis exploratum.* Theodori *Martyres variis locis plurimi fuere : Romæ etiam nonnulli, ut qui* XVII *Martii inscriptus Martyrologio cum Alexandro, qui* XXIX *Julii cum* Lucilla; *qui* XV *Decembris cum* Irenæo. *Horum alicujus sint memoratæ exuviæ, an cujuspiam alterius, ignoramus.* Trosimum *alium nullum novimus.* Trophimi alii

S. Theodori,

Trosimi,

A *alibi plures, non Romæ.* Evellius *Romanus Senator* S. Torpetis *constantia impulsus, Christo nomen dedit, ac Romæ adeptus est coronam martyrii. Pisis asservari corpus tradit Ferrarius, utique illius anniversariam solennitatem* XI *Maii, licet in Actis* S. Torpetis, *quæ* XVII *Maii dabimus,* V Kalendas Maii, *sive* XXVII *Aprilis, agonem consummasse dicatur.* S. Tarcitius *(ita expresso nomine) nullus : sed illustris est* S. Tarsitius, *qui Martyrologiis inscriptus* XV *Augusti. Sepultus is fuit in cœmeterio S. Callisti : reliquiæ, ut auctor est Octavius Pancirollus in Thesauris absconditis almæ Urbis, quædam in basilica S. Petri Vaticana, aliæ in Silvestri ad Campum Martium, sive in 3 Ecclesia regionis* 4.

Evellii,

Tarcitii.

...di Somascorum.

4 SS. Felices *plurimi, nec fas divinare, cujusnam potissimum fuerit sacrum illud os, quod ædi S. Catharinæ Fossanensi donatum.* S. Candidum *supra* II *Februarii in Martyrologiis memoratum : at* III *Februarii ejusdem* S. Candidi, *alteriusve potius, ab Urbano* VIII *Pont. Max. Donatum Ducis Bracciani uxori, ab hac Æmilio de Feis Equiti Volaterrano retulimus pag.* 330, *conditumque corpus in S. Augustini æde, ac capella propria familiæ Feorum : caput ad Cathedralem delatum, inque argentea theca positum. Ab hujus* Candidi *corpore avulsum os illud, quod Clementi Ascanio donatum, suspicari quis possit : ego potius alterius cujuspiam esse existimo.* S. Theophilus *Cæsareæ palmam post S. Dorotheam adeptus, hoc ipso die colitur : alii tamen alibi eo nomine insigniti Martyres.*

S. Felicis, cœnobio S. Catharinæ.

D

Auctore J. B.

SS. Candidi et Theophili Cathedrali.

5 *Horum parvo Martyrum an hoc die in tribus illis Ecclesiis memoria recolatur; an seorsim singulorum diversis diebus, nos præterit. Id solum comperimus, quod est ab Joanne Nigro litteris traditum, hoc die, anniversario inaugurationis Federici Episcopi, earum omnium reliquiarum splendido apparatu factam translationem.*

Eorum SS. anniversaria memoria.

APPENDIX

# APPENDIX

## TOMI PRIMI FEBRUARII,

SIVE

# ADDENDA, EMENDANDA, ANNOTANDA

## AD SEX PRIORES DIES.

---

## AD KALENDAS FEBRUARII.

NOT. 1. *Pagina* 1 *columna* 2. S. Eubertum Ep. *adde :*
S. Polycarpus, | Episcopi.
S. Severianus, |
*Pag.* 2, *col.* 1. *ante* S. Cinniam, *adde :*
S. Severus miles, Protector Montis-Falci in Italia.
*Ibidem columna* 1, *adde :*
S. Galla, Virgo Deo devota, in Gallia.
B *Eadem pagina expunge quæ in Prætermissorum syllabo, col.* 1 *lin.* 5 *habentur de* S. Polycarpo Episc. *Et quæ pag.* 3 *litt.* F. *de* S. Severiano Episcopo.

### DE S. IGNATIO EPISC. ANTIOCH. M.

*Pag.* 35 *col.* 1 *num.* 7 *lineа* 30 *post ista verba :* temporibus esset peracta, *reliquis deletis, hæc ex sequenti linea jungantur :* [*ex cujus Homiliа Evagrius confirmat, etc.*] NOT. 2. E

## DE SANCTIS EPISCOPIS

Hæc reponenda pag. 47

# POLYCARPO ET SEVERIANO

NOT. 3.

### Animadversio historica.

J. B.

I FLOR.

Venerationem publicam olim obtinuere Kalendis Februariis sancti Episcopi Polycarpus et Severianus. *Ita ante annos ferme* CCC *Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum lib.* II *cap.* 130 *num.* 45 *scripsit :* Polycarpus et Severianus Episcopi : quorum festum colitur Calendis Februarii. (*Coluntur* I *Febr. SS. Polycarpus et Severianus Epp.*) *Congruunt non pauca Martyrologia, partim manu exarata, partim typis excusa. In iis est quoddam e Lotharingia Campaniave Gallica allatum, quantumque ex characteris modo valeo colligere, ætate Equilini aliquanto vetustius, in quo eorum hisce verbis consecrata hac die memoria est :* Ipso die sanctorum Episcoporum Polycarpi et Severiani. *Eadem habet MS. collegii Lovaniensis Societatis Jesu, itemque* C *MS Florarium. Hermannus Greven in auctario ad Usuardum, et MS Ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis :* Ipso die SS. Polycarpi et Severiani Episcoporum. *Codex MS. Carmeli Coloniensis,* Pontificum. *Martyrologium Coloniæ editum an.* MCDLXC, *aliudque cum Doctrinali Clericorum anno eodem, et seorsim anno* MCCCCLXXV, *Lubecæ utrumque ; itemque complura MSS. Usuardi nomine insignita, sed interpolata :* Ipso die sanctorum Episcoporum Polycarpi et Severiani Confessorum.

2 *Qui vero hi fuerint sancti Antistites, qua ætate vixerint, quas tenuerint Ecclesias, minime in codicibus citatis exponitur.* (*incertum qui*) *Quidam, Bracharæ urbis fuisse altero post Christum seculo Episcopos autumant. Haustum e Juliani Petri Chronico, quod tamen non omnes eruditi probant. In eo ad annum* 107 *num.* 41 *ista habentur :* Bracharæ post S. Ovidium S. Polycarpus Episcopus Bracharensis, ad annum 130. (*an fors Bracharenses, Polycarpus* 4 *et Serenianus* 5.) *Ad annum deinde* 252, *num.* 80 *ista leguntur :* Floret memoria S. Fabiani Episcopi Bracharensis successoris Sereriani, qui successit Polycarpo : obiit x Kalend. Septembris anno CCXXX. *Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitano, ad* XXVI *Januarii, Polycarpum Ecclesiæ Bracharensis Præsulem prædicat doctrina et sanctitate præcellentem, quibus gradibus ad eam Cathedram conscenderit, quando nondum in ejusmodi officiorum petitione ambitio inoleverat. An martyrio finierit vitam, quasve res alias egerit, ait penitus ignorari. In commentariis deinde addubitat, num is fortasse sit, qui illo die ab Ecclesia Romana colitur, Smyrnensis in Asia Episcopus, fueritque Bracharа Smyrnam, uti, quod quidam ab eo citatus arbitratur, Melito Sardibus Bracharam translatus. Rodericus Acunha Archiepiscopus Bracharensis in Tractatu de illius Ecclesiæ primatu pagina* 209, *de S. Ovidio et duobus successoribus ita scribit :* III S. Ovidius Romanus, creditus Martyr, obiit ad annum CXXX vel circa. Natalitia illius celebrantur in hac Ecclesia die III Junii. IV S. Polycarpus pontificatum obtinuit per idem tempus : quando vero interierit, incertum. (*sive Serarianus,*) V Serarianus, S. Polycarpi successor, anno quo obierit ambiguum. F *Verum quibus ex monumentis ista hauserit, non indicat, neque an colatur* Polycarpus, *aut quo die, quem alioquin Sanctum appellat, non item successorem.*

3 *Joannes Tamaius Salazar, ignoratum Bracharensibus, diem transitus Episcopi utriusque eruisse se ex Equilino putat : coli quippe, ex ejus sententia, festum utriusque Kalendis Februarii, et Serenianum vocandum, quem Bracharenses cum Juliano Sererianum appellent, cum Acunha Serarianum, ut diximus.* (*aut Serenianus,*) *Recitavimus Equilini verba : nec Bracharenses ait fuisse, et* Severianum *alterum vocat, non* Serenianum. *Illud sane quam a meo genio abhorret, quorum acta fateatur ignorari, ea suopte ingenio contexere. Tamaium revereor, virum pietate, eruditione, humanitate eximium; sed mihi id licere nulla ratione cupiam, ut ab Sanctis gesta narrem, quæ nec ipse viderim, nec ullius scriptoris testimonio aut solido monumento antiquitatis firmare possim.* Polycarpum *ait natione Græcum fuisse, in Sicilia educatum, imbutumque litteris : Ovidio isthuc ob conspirationem Pisonianam relegato adhæsisse, cumque eo profectum in Hispaniam fidei mysteriis initiatum, Archidiaconum ab eo jam Præsule ordinatum : ei denique laurea martyrii sub annum* CXXX *coronato, suffectum,* (*quorum acta conficta.*) *demum*

A *demum anno* CLXXX *vel circiter decessisse : senem profecto, qui anno Christi* LXV *Ovidium Roma pulsum, in Sicilia coluerit, non omnino puer, sed ætate talium officiorum capace, puta* XV *aut* XVI *annorum, plane ut ab anno* XLIX *aut* L *ad* CLXXX, *annos* CXXX *explesse dicendus sit. Quid* Serenianus? *Ita enim vocat. Samone Gallæciæ oppido, nobili Serenorum familia natus, Bracharæ* Polycarpum *audivit, religionis Christi arcana edoctus, Archidiaconus creatus, et post Polycarpi decessum Episcopus : quo in munere annis* L *exactis, Kalendis Februarii obiit. Ista Tamaius.*

*quatenus suspicari liceat esse?*

4 *Si constaret testimoniis minime dubiis extitisse Bracharæ Episcopos* Polycarpum *et* Severianum, *et utrumque in Cælitum tabulas relatum, etsi dies esset natalis eorum incertus; non reprehenderem tamen illos qui de ipsis agi in Martyrologiis, quæ citavimus, divinarent. Sed incerta illa, nulloque modo nobis explorata : nec quem memorant.* Sererianus *aut* Serarianus, *aut certe, ut Tamaius perperam citato Equilino corrigit,* Serenianus, *in Martyrologiis notus, sed* Severianus. *An ergo hi Antistites diversi ab iis omnibus sint, quorum in sacris tabulis extant nomina, sed ipsorum ut acta et ætas, ita et Sedes ignotæ scriptoribus; an ex eorum numero qui alibi commemorantur, censendi, in incerto relinqui-* B *mus. Et sane ut hoc postremum videri cuipiam probabilius possit, ut et visum nobis antea, vetustissima Martyrologia momentum haud leve afferunt.*

*forsan S. Polycarpus Ep. M. huc a 26 Jan. translatus.*

5 *Antiquissimum Martyrol. Romanum, quod S. Hieronymi nomen præfert, ita habet :* In Smyrna civitate, nat. Polycarpi Episcopi, et Pœnis, et aliorum VII. Item, Pœnis et aliorum quinque. *Beda, Rabanus, Notkerus, et MS. S. Maximini :* In Græcia S. Polycarpi Episc. *Alii titulo Episcopi abstinent. MS. monasterii S. Cyriaci Romæ :* In Græcia SS. Polycarpi, Dionysii MM. *MS. Philippi Labbei nostri pervetustum :* Alibi Polycarpi, Pœnis, Publii, Severi Confessoris. *Martyrologium Ecclesiæ Aquisgranensis :* Natalis S. Dionysii et Polycarpi. *Fortassis ergo in aliquibus Ecclesiis quapiam ex caussa in hunc diem a* XXVI *Januarii translata* S. Polycarpi *Smyrnensis Episcopi et Martyris celebritas; atque alibi* S. Severiani *Gavalitani Episcopi a* XXV *Januarii : itaque inscripta singulorum nomina illarum Ecclesiarum Fastis, e quibus qui Martyrologia contexebant, ea transcripsere. Sed dubias hasce conjecturas nolim pro certis accipi. Qui certiora comperit, gratum a nobis inibit, si ea communicet.*

*et S. Severianus Ep. Conf. a 25 Jan.*

C

## DE S. PAULO EPISC. TRICASTINO

NOT. 4

S*Pag. 93 col. 2 post num. 6 hæc addantur : Sammarthani tomo 3 Galliæ Christianæ in Episcopis Tricastinis hæc de eo tradunt :* S. Paulum, qui urbi Tricastinæ nomen dedit, memorant diptycha, Remis natum, ac vitandæ persecutionis caussa per Rhodani fluenta, territorium Avenionis appulisse, prope montem Macerium, ubi nomine ipsius basilica insignita olim extructa fuit. Defuncto B. Torquato inauguratus est Antistes. De eo tradit fusius Pro- D prium Ecclesiæ Tricastinæ, divinitus revelatum fuisse, inquiri debere quemdam Paulum electum a Domino, ut summo fungeretur sacerdotio. Cum ergo fuisset circumquaque quæsitus, tandem providente eum sibi vas electionis futurum Divina clementia, inventus est. Et post nonnulla, quæ in ejus promotione portenta facta narrantur, uti virgæ, quæ in terram infixa miraculo effloruit, hæc subdit : Tunc Paulus intelligens erga se Dei bonitatem, et metuens deterius ejus contra se provocare severitatem, continuo colla submittens, omnipotentis Dei clementiam, cui talia in se placuit operari, deprecatus est, et ab eo postulavit sapientiam ad recte regendum populum sibi a Deo commissum. Postquam autem Dei servus complevit orationem, cuncta quæ circa se acta fuerant, sponsæ suæ adhuc in virginitate manenti dixit, quæ gaudenter accedens ad amorem virginitatis petiit, ut claustris monasterii se includi permitteret : ipse eam pro voluntate in Arelatensi monasterio congregationi sanctimonialium adjungi curavit. Tunc ordinationi Dei se ex toto committens, qui dispensat et ordinat omnia prout vult, pontificali ductus est sublimandus cathedra. Ejus vita illustrata fuit multis miraculis, propterea ipsa civitas Tricastina eum sibi elegit Patronum, ac festum ce- E lebratur prima Februarii. Sacrum corpus diu requievit in ecclesia Cathedrali Tricastina thecis argenteis inclusum, unumque ex ipsius brachiis seorsim a dicto corpore separatum, cui festum solenne dedicatum fuerat. Quod quidem sacrum corpus anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, die vicesima quarta Decembris, novatores hæretici prædictam ecclesiam violenter ingressi, profanata divi Confessoris memoria, cum reliquiis sanctorum Antistitum Amantii et Eusebii concremarunt. Hæc notantur in archivis capituli ejusdem ecclesiæ. *Hactenus Sammarthani, qui dein agunt de* SS. Amantio *et* Eusebio, *asseruntque illum coli* VI *Februarii, hunc* XXIII *Martii. S. Torquatum adjungimus S. Paulo secuti Saussaium, cujus aliquin festum celebrari* XXXI *Januarii observant tidem Sammarthani.*

AUCTORE I. B.

## DE S. TORQUATO EPIC. TRICASTINO

NOT. 5

H*Pag. 93, in fine col. 2, ista addantur : His excusis prodiit Gallia Christiana a Sammarthanis edita, in qua de sancto hoc Episcopo ista referuntur :* S. Torquatus festum habet in antiquo Vivariensis Ecclesiæ Breviario XXXI Januarii, et in Proprio Ecclesiæ Tricastinensis, in quo nihil de vita ejus specialiter notatur. Quiescit in monasterio S. Mariæ de Crudacio : ubi a novatoribus hæreticis sacrum ejus corpus combustum. Extat adhuc sacellum antiquum ejus nomini dedicatum in territorio Suzæ-Ruffæ, Tricastinæ diœcesis, sed ignoratur, quis fuerit ejus fundator. *Hæc illi : e quibus colligimus illum ipsum esse* S. Torcacum Ep. et Confess. *a Grevено* XXXI *Januarii relatum.*

*Cultus 31 Januarii.* F

*sacellum.*

*Vitæ aliqua epitome.*

NOT. 6. Repone pag. 96 ante S. Ginniam

# DE S. SEVERO

## IN MONTE-FALCO OPPIDO UMBRIÆ,

### Commentarius prævius.

J. B.

CIRCA AN. CCCCXLV. I FEBR.

*S. Severus in Monte-Falco colitur.*

Mons-Falcus oppidum est *Umbriæ*, in amœnis collibus, *ut Leander scribit*, novo quidem nomine, sed frequentissimum. *Id Ferdinandus Ughellus tom.* 1 *Italiæ sacræ, parte* 2 *col.* 172, ex Corcoroni ruinis post annum MCC ædificatum *fuisse scribit. Ludovicus Jacobillus tom.* 1 *de SS. Umbriæ, pag.* 180, *anno* MCCII. *constructum ait, ipso loco ubi antea steterat Corcoronum, sed breviore clausum circuitu. Hic* præcipuo honore, *uti tradit Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ*, colitur S. Severus Confessor, *alter (ut Jacobillus ait) ipsius oppidi Protector.*

*ejus Vita.*

2 *Acta illius damus ex MS Vita S. Fortunati Presbyteri, quem ad diem* I *Junii edemus. Italice eadem, sed prolixius aliquanto, composuit Jacobillus : attigit Ferrarius ad* XXIII *Octobris, et Ughellus loco citato cum de S. Speo, sive Spe agit, Episcopo Spoletino :* nam

*AUCTORE J. B. ædem struit S. Fortunato :*

A *nam is, quam S.* Severus *S. Fortunato Presbytero ædificarat ædem, dedicavit. Qua peracta dedicatione, illic dies octo sanctus idem Antistes substitit, variosque Presbyteros ac Clericos ibidem consecravit.*

*dedicat eam S. Spes Ep.*

3 *Cum autem nocte quadam in ea æde preces funderet* Severus, *vidit idem Spes (nam et ipse illic aderat) in ædem per patentem fenestram advolare candidissimam columbam, supraque* Severi *caput assistere, chartulam rostro tenentem; dein ea dimissa, qua venerat abscedere, in cœlumque evolare. Accedit Episcopus, sumptaque reverenter in manus charta, perlegit, quæ in ea erant scripta, hæc verba :* Corona super capite tuo pretiosa est, qua induet te Dominus. *Continuo ad* Severi *pedes procidit Episcopus, ad hujus* Severus *; invicem dein magna caritate complexi, silentium aliquamdiu tenuere, tum Deo bonorum omnium auctori gratias ambo reddidere. Episcopus precibus matutinis cum Clero suo decantatis Spoletium revertit, datis Severo ad ea quæ ædi illi opus forent, quinis auri libris, quas* Severus *pauperibus distribuit; quæ ad templi illius ornatum necessaria essent, de suo curaturus.*

*cognoscit S. Severi sanctitatem ex columbæ scriptique cœlestis indicio :*

*quod ipsimet S. Speo contigisse quidam putant*

4 *Ferrarius non supra S. Severi, sed S. Spei caput stetisse columbam innuit, ita de hoc scribens :* Claruit etiam miraculis; nam dum ecclesiam S. Fortunato

B a S. Severo dicatam consecraret, columbam super eum cœlitus advolasse, scriptumque reliquisse ferunt : Corona hodie super caput ejus pretiosa. *Idemque Ughello visum scriptumque :* Dum beatus Episcopus consecraret ecclesiam in honorem S. Fortunati Presbyteri et Confessoris, qui apud oppidum Coreoroni in ecclesia Turritana virtutibus et miraculis et Angelorum colloquio claruit, illi a Severo milite erectam; Spiritus sanctus super eum visibilis in specie columbæ apparuit, corpus S. Fortunati recondidit, et Clericos ibidem sacris initiavit, *etc. Quæ omnia de S. Speo dicta. Ambigue loqui videtur Jacobillus in S. Spei Vita XXIII Novembris.*

*Severi sanctitas*

5 *Ceterum quid post illius ædis dedicationem egerit S. Severus, ita narrat idem scriptor :* Commoratus est S. Severus annis aliquot in eadem ecclesia ad sepulchrum S. Fortunati, cujus meritis plurima Deus miracula faciebat : illic precibus, vigiliis, corporis maceratione, aliisque sanctis operibus, divinum assidue Numen propitiabat. Die quodam, cum de more orationi illic vacaret, videre circumstantes aliquot, in ecclesiam iterum advolare columbam fulgentibus plumis, quæ et super caput ejus haud exiguo spatio temporis immota constitit : ac demum sursum se at-

*miraculis atque iterata potentia columbæ*

C tollens, istæc eloqui Dei nutu audita est verba : Aspice viam, qua in cœlum eo : tu intra biennium eodem perduceris comitantibus Patriarchis, ubi societate S. Fortunati frueris : itaque in altum avolavit, ac videri desiit.

*et voce declaratur*

Severus infinitis Deo actis gratiis, quod tot tantisque donis cœlestibus sese cumulasset, eo favore penitus indignum, secessit in locum Baranum dictum, sive Varanum, ex adverso Martanæ urbis, in colle quodam situm, ad radices montis Martani, sexto lapide ab urbe Spoletina. Illic subterraneum sacellum, cum cubili, ad honorem Matris Dei construxit : atque in hoc annos ferme duos sancte vixit. Quo tempore nova illius meritis evenere divinitus prodigia. Anno tandem CCCXLV Kalendis Februarii excessit e vita. Corpus a Christianis in eodem sacello religiose tumulatum : postmodum juxta illud ecclesia parochialis posita, illius honori dicata : castellum quoque constructum, quod S. Severi etiamnum appellatur, in territorio ac diœcesi Spoletina. Translatæ hinc postea ejus exuviæ ad ecclesiam S. Fortunati, quem is tam sedulo venerari consueverat, ejusque corpori junctæ : at deinceps sub ara quadam illius ecclesiæ ad honorem ipsius erecta collocatæ sunt. Cujus Translationis anniversaria memoria illic

*sacelli Baranum.*

*in Castellum S. Severi dictum*

*1 Febr. moritur unde ad ædem S. Fortunati refertur 23 Oct.*

die XXIII Octobris celebratur : at primaria solennitas D de primo Februarii, quo et Severus alter Ravennas Episcopus colitur.

7 *De prima S. Fortunati a* S. Severo *constructa ecclesia, et de utriusque reliquiis ac veneratione, Franciscus Gonzaga de Origine Seraphicæ religionis parte* 2, *provinc. S. Francisci, conventu* 31, *qui est* S. Fortunati Montis Falcii, *ita scribit :* Constitit olim non procul ab oppido Monte-Falco Italice nuncupato, ædicula quædam sub titulo S. Fortunati, derelicta quidem, sed reditibus utcumque abundans, cujus cura Reverendissimo Domino Latino Tranensi Archiepiscopo incumbebat. Hanc igitur in justum monasterium promovere cupiens devota Communitas, Martino V Summo Pontifici, ut id sibi ex reditibus inde provenientibus, atque in præfati reverendissimi Latini emolumentis cedentibus liceret, quam humiliter supplicavit : et accepta pro votis facultate, cui Eugenius IV Pontifex quoque Maximus suscripsit, tum ex præfatis reditibus, tum quoque ex quibusdam aliis bonis a devoto Almerico de Monte Falcio, ad id opus ex testamento relictis, hoc monasterium, sub antiquiore S. Fortunati invocatione, circa annum a lætabunda Christi nativitate MCCCCXLIII, eleganter satis construxit, Franciscanisque Obser- E vantibus, quorum XII ibidem impræsentiarum usque perseverant, in habitationem concessit.

*ubi monasterium Franciscanis conditum,*

8 Tribus Beatorum corporibus sacra hæc ædes decoratur, Fortunati scilicet, in cujus honorem antiquius sacellum a Reverendissimo quoque Spoletano Episcopo consecratum fuerat; Severi a Martanis, viri sanctissimi, ejusdem sacelli auctoris atque fundatoris, et Patris Francisci a Stronconio Franciscani, cujus sanctitas tanta extitit, ut Deus Opt. Max. plura per eum miracula operari dignatus sit. Licet tertius hic beatus Pater in magna sit veneratione apud Montis Falcii accolas, primi tamen duo tanquam peculiares Patroni et Advocati, peculiari quodam devotionis atque honoris genere ab iisdem coluntur.

*in quo SS. Fortunati et Severi corpora,*

*et B. Francisci de Stroncone,*

9 *Hæc Gonzaga. Natalem* B. Francisci de Stronconio, *sive de* Stroncone, *recoli die* XV *Aprilis tradunt Arturus a Monasterio et Jacobillus : narratque hic, cum corpora S. Fortunati Presbyteri ac* S. Severi *Equitis in honorificentiorem locum transtulisse; solitum frequenter eorum sepulchra visere ac venerari, eorumque patrocinio se et oppidum Montis-Falci, cujus sunt Protectores, commendare. Non arbitror hunc esse* S. Severi *Translationem, quæ* XXIII *Octobris celebratur; sed priorem alteram, cum Varano asportatum illius corpus* F *ad ædem S. Fortunati.*

*a quo priora duo corpora honorificentius reposita*

10 *Ferrarius in generali Catal. SS. ita de eo agit ad illum* XXIII *Octobris diem ac si natalis ejus esset :* Apud Montem-Falcum in Umbria, *inquit,* S. Severi Confess. *Itemque in Catal. SS. Italiæ, ubi et illud addit, Jacobillusque postea memoratum :* Erat *S.* Severus aspectu eleganti et placido venerandoque, ut antiquæ illius imagines depictæ declarant. *Meminit tamen ibidem Translationis ; sed celebretur eo illo die, utrum non affirmat :* Apud Montem-Martanum, *inquit,* loco a Spoletio ad IV M. P. distante in ædicula sibi constructa, vitam degit solitariam... Cum diem suum ibi obiisset, miraculis clarus, ad Montem-Falcum translatus, ibi honorifice sepultus est.

*S. Severi effigies.*

## ACTA S. SEVERI

### ex Vita S. Fortunati Presb. 1 Jun.

Quidam vir, Severus nomine, cujus *a* Martanus, militiæ gerens officium, dum operaretur in agro suo, qui erat secus viam Salariam, juxta Martam, occultum thesaurum ei omnipotens Dominus palam fecit. Qui illico, arrepto gladio, bovem, cum quo arabat, in frusta concidens, ejus ventriculum cumulatum auro replevit :

*a Severus miles partem reperti thesauri fert Cæsari*

A replevit : et id quod superfuerat detulit Romam, suoque *b* Imperatori dedit. Tunc ii qui aderant ministri Augusti dixerunt : Quid dignum huic rei recompensandum est? Et accepto consilio fecit eum Imperator Magistrum militum.

*ornatur novo officio :*

2 Tunc ille accepta potestate, cœpit de hoc quod fuerat ab imperatore honoratus, ad laudem Domini nostri Jesu Christi *c* basilicam construere. Cumque *d* opere perficeret, *e* crevit fama ejus per cunctam Italiam. Patricius quidam, *f* qui residebat Ravennæ audita hujusmodi fama, inflammatus est spiritus ejus adversus eum. Misit itaque milites ex Officio suo, ut ubicumque eum reperissent, absque honore eum suis præsentarent aspectibus. Exeuntes autem illi, fecerunt ut eis fuerat imperatum.

*struit templa.* *æmuli Patricii jussu capitur :*

3 Qui comprehendentes eum, vinctum ducebant per viam Salariam : et venientes ad *g* Pontem-fractum, *h* dimiserunt viam errantes, et ceperunt semitam, *i* quæ duxit eos usque ad locum ubi S. Fortunatus *k* sepultus quiescebat. Et viderunt ibi multitudinem Christianorum ad orationem procedere. Severus autem sciscitatus est unum ex accolis loci illius, dicens : Cujus hic Sanctorum merita veneramini? Cui respondentes dixerunt : Fuit hic quidam sanctæ conB versationis Presbyter, Fortunatus nomine, ipse hic multa mirabilia ostendit, duos cæcos illuminatos, tres leprosos mundatos, unum puerulum a dæmonibus liberatum : ideoque nos eum hic adoramus. Tunc Severus hoc audiens, elevans oculos suos ad cælum, expansis manibus ait : Sancte Fortunate, si de vinculis his liberatus fuero, et in pace reversus fuero, non prius domum meam ingrediar, nisi hic in nomine tuo basilicam ædificavero.

*intelligit S. Fortunati miracula,* *eique ædem vovet :*

4 Pergentes ita milites cum eodem viro, certum iter aggressi sunt, et pervenerunt *l* Luciolis, ubi et pausaverunt. Eadem autem nocte, quando Severus ipsum votum voverat, venit S. Fortunatus *m* ad Patricium illum, qui jusserat eum ligari, dicens : Nisi Severum Magistrum militum dimitti jusseris, non te patiar vivere. Quo audito, statim direxit alios milites, qui ubicumque eum obviarent, statim dimitterent. Qui exeuntes invenerunt eum in Luciolis, qui et dixerunt ei : Misit nos Patricius, ut dimissus revertaris in pace ad domum tuam. Ille vero postquam dimissus est, voluntarie perrexit Ravennam. At ubi vidit eum Patricius, pronus in terram corruit, dicens : Ignosce mihi, Pater, et ne memineris iniquiC tates meas, quas in te exercui, quia tu justus es, ideoque peto ut indulgeas mihi *n*. Et dimisit eum *o* cum magno honore.

*ab hoc increpitus in somnis Patricius,* *eum dimitti jubet,* *et ad se ultro venientem honorat :*

D 5 Qui cum cœpisset capere iter, pervenit ad locum, ubi voverat votum : et ibi stetit, donec a fundamentis ibi fabricaret basilicam S. Fortunati, quæ *p* usque hodie cum omni veneratione posita constat. *q* Spes autem Spoletanæ civitatis Antistes abiit cum Sacerdotibus et Clero suo, et ipsum sanctum corpus cum omni diligentia condidere, et in nomine beati Confessoris ipsam basilicam consecraverunt, ubi exuberant beneficia ejus usque in præsentem diem, cujus natalis celebratur Kal. Junii, regnante Domino Jesu Christo, *etc.*

*ex voto Severus S. Fortunato ædem struit,* *dedicat S. Spes Ep.*

a *Scribit Jacobillus* Martanam, *sive* Martulam, *urbem Umbriæ antiquam fuisse, inter Tuderti Spoletique territoria, ad radices montium Martanorum, eo fere loco sitam, ubi nunc ædes visitur S. Mariæ in Pantana, diœcesis Tudertinæ : a barbaris postea eversam, ejusque ruderibus ædificata oppida* Massam et Aquamspartam. Martulæ *meminere Martyrologia 9 Julii. Ita Ado* In Civitate Martulana, S. Bricții Episc. et Confess. *Usuardus* Civitate Martulæ S. Bricții Episc. et Confess. *Martyrol. Rom.* Martulæ S. Bricții Episc. *Meminit et Ferrarius in Topographia Martyrol. Romani, mavultque* Martam *seu* Martanam *dici, quam* Martulam. — b Valentiniano 3, *inquit Jacobillus. Is a 23 Octobris an.* 425 *usque* 455 *imperavit.* — c *MSS. Lectiones de S. Fortunato,* Sanctorum basilicas construere. *Jacobillus,* altaria et ecclesias, ad Dei honorem ac Sanctorum, variis locis ædificare. *Ac deinde subdit, unam in patria ecclesiam ædificasse, in quam sæpe orationis causa secedebat.* — d *In Lectiones. At Vita MS. S. Fortunati,* opera. — e *Lectiones,* venit. — f Vaccum *sive* Guaccum *vocat Jacobillus.* — g *Omittit hunc locum Jacobillus. Videtur horum militum iter longius ab eo ponte fracto recessisse, de quo Leander Albertus in Umbriæ descriptione ista tradit.* Ad exitum deinde viæ Flaminiæ pons ex latere cocto Naris ad Narniam transitum jungit : nec procul eodem in amne grandissimis innixi pilis arcus quidam ingentes apparent nobilis ac vetusti pontis, mirabili arte facti ex lapide quadrato prægrandi : quo a collis, qui citra flumen est, radicibus, per amnem ad Narniam commeabatur. Maximum equidem et ingens id opus fuisse, quæ adhuc ejus pars superest, indicat. *Plura de eo ponte subdit idem scriptor, et alii, ac nominatim Raderus noster in Martialis lib. 7 ep. 92, ubi de eo, non tum fracto, votum poetæ vidim :*

*Martula, sive Martana, urbs Umbriæ.*

*Pons fractus ad Narniam,* E

Sed jam parce mihi nec abutere Narnia, Quincto
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

— h *Lectiones* duxerunt eum via publica errantes. — i *Addit Jacobillus* : ad latus montis Martani. — k Non multo ante, *inquit idem, Fuerat is, ut in Vita ejus dicitur,* Turritanæ Ecclesiæ Presbyter, quæ a Spoletana urbe vel paulum plus minus xii milliario posita est. *Dicitur nunc* S. Maria in Turrita, *teste Jacobillo.* — l Luciuli, *vel* Luceoli *oppidum fuit, inquit idem scriptor, Eugubium inter et Callium, urbes Episcopales Umbriæ in Ducatu Urbini, nunc eversum. Extabat adhuc tempore Ottonis I Imp. ut ex ejus diplomate, quod anno* 962 *datum recitat Baronius tom.* 10 *Annal. ad eum annum num. 3, ubi inter alia numerantur,* Urbinum et territorium Balnense, Calles, Luciolis et Eugubium, cum omnibus finibus et territoriis ad easdem civitates pertinentibus. — m Stola candida indutus, *inquit Jacobillus.* — n *Scribit Jacobillus ex aliis MSS. monumentis* S. Severi *consilio petiisse a Pontifice Maximo Sacerdotem doctum, a quo Christianæ fidei mysteria condisceret : missum ei Constantium Sacerdotem doctum et sanctum, qui eum cum tota familia baptizavit. Pontificem ait fuisse Sixtum* 3 : *qui creatus* 27 *Aprilis,* 432, *obiit an.* 440, 28 *Martii, quo et colitur.* — o Post 25 dies, *inquit Jacobillus, qui addit multa ei dona obtulisse Patricium, quæ omnia renuit accipere, præter possessionem quampiam in Spoletina diœcesi, quæ partem impensarum ad S. Fortunati ædificandam ædem suppeditavit.* — p *Exstare etiamnum asserit Jacobillus, extra oppidum Montis-Falci.* — q S. Spes, *sive* Speus *Episcopus Spoletinus fuit, ab anno (ut Ughellus scribit)* 420 *ad* 453, *quo decessit* 23 *Novembris.*

*Lucioli opp.* F

NOT. 7.

# DE S. URSO PRESBYTERO.

*Pag.* 99 *post num.* 11 *ista adde :*

Hæc de S. Urso *Presbytero commentati eramus, conjecturas sæpius, quam certæ fidei monumenta secuti, eaque, jam prælo erant excusa; cum Taurino ad nos Joannes Jacobus Turinettus collegii Societatis Jesu in ea urbe Rector, geminum Vitæ* S. Ursi *exemplar, sed mutilum alterum, utrumque ex Augustæ Prætoriæ archivis, ut censur, depromptum, misit. Non viderunt eam Vitam, neque Pennottus, cum quæ ex ea citavimus, scripsit; neque Franciscus Augustinus ab Ecclesia, cum anno* MDCXLV *Historiam Chronologicam Pedemontanæ regionis edidit; neque Ferdinandus Ughellus, cum tomum quartum Italiæ sacræ anno* MDCLII. *Nam hi* Ploceanum *inter Augustæ Prætoriæ Episcopos non recensent, cujus tamen hic luculenta, etsi parum honorifica, mentio : et Pennotus disparata de* S. Urso *scribit. Qui eam autem Vitam composuit, ex fama hausisse videtur quæ litteris traderet. Ita cap.* 1 *num.* 1 : Ut res gesta apertissime probat,

*Vita S. Ursi nunc primum edita.* *ex fama composita :*



et illius loci cives asserunt. *Et cap.* 2 *num.* 5 : Quod tamen hominibus loci illius notissimum est. *Nullam autem chronologicam notam expressit, ex qua de S. Ursi ætate statuere certi quid liceat. Forte etiam postmodum interpolatam suspicabitur, qui ab altero exemplari abesse illud reputaverit quod num.* 1 *dicitur :* Natione Scotus, Patronus contitularis Ecclesiæ, civitatis et burgi Augustæ. *Primarios Augustæ patronos esse scribit Ferrarius* S. Gratum *Ep. qui* VII *Septembris colitur, et* S. Jocundum *Ep. qui* XXX *Decembris. Tradit tamen Ughellus post Franc. Augustinum,* Sanctorum lipsana, Grati et Jocundi Episcoporum, et Ursi Presbyteri, summa veneratione coli illic in ecclesia Cathedrali.

*forte interpolata ;*

13 *Ex eadem hac Vita fraus patefit eorum, qui sub nomine Maximi Cæsaraugustani Episcopi Chronicon a se fabricatum in lucem emiserunt, in quo ad annum Christi (qui character temporis exprimi ævo Maximi nequaquam solebat) ad annum, inquam,* 560 *ista scripsere :*

*sere :* Eodem tempore floret S. Ursus, domo Arvernus, Episcopus Pacis Augustæ in Hispania, rarus fidei cultor. *Legerant S. Ursum Augustæ coli, et ab nonnullis Episcopi titulo ornari: observarant etiam fortassis ab aliquibus qui catalogos Episcoporum Augustæ Vindelicæ contexuerunt, prætermitti : ergo velut in vacuam possessionem involant, et Paci Augustæ Episcopum statuunt, qui Presbyter Augustæ Prætoriæ fuit. Georgius Cardosus, diligens alioquin scriptor, in Hagiologio Lusitanico, Chronico illi fide adhibita, Episcopum eum constituit urbis Lusitanæ, quæ Beia dicitur, quam ait olim* Pacem Augustam *nuncupatam, nec hoc fortassis facile Hispanis persuasurus.*

*Auctor anonymo, ex MSS, non fuit Pacis Augustæ Episcopus.*

## VITA AUCTORE ANONYMO,

ex veteribus MSS. eruta a Joanne Jacobo Turinetto Soc. Jesu.

### CAPUT I.

*S. Ursi Christianæ virtutes, miracula.*

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, hic subterinsertum est, qualiter beatissimus Ursus Confessor Christi, et Sacerdos Dei excelsi, *a* natione Scotus, Patronus *b* confitalaris Ecclesiæ, civitatis et burgi Augustæ, nocte ac die Christo famulans, curam gerebat officii sui in Ecclesia, quæ in honore S. Petri Principis Apostolorum ædificata, et dedicata est, extra civitatem, quæ nuncupatur Augusta, quæ priscis temporibus Pretoria dicebatur, id est, *c* urbs judiciaria. *d* Fuitque in illo tempore in eadem urbe Præsul quidam, nomine Ploceanus : sed, ut res gesta apertissime probat, et illius loci cives asserunt, ob perfidiam suam nimiamque crudelitatem, non Pontifex pastoralis curæ, sed sub veste ovis lupus rapax, et crudelissimus invasor, atque tyrannus potius extitit, quam Pontifex vel pastor. Memorata urbs hinc inde magnis et altissimis ex montibus circumsepta : sed ipsa grata et irrigua ædificata planitie. Campis namque, et pratis, silvisque, necnon et vineis egregia. Circumcingitur enim a duobus fluminibus, quorum ista sunt nomina, Duria *e* videlicet, et *f* Bauthegius. Sed omittentes ista, glorisissimam beatissimi memorati Confessoris Christi Vitam aggrediamur : quia indignum valde est judicandum, ut sileat lingua carnis pandere miracula, quæ per electos suos operatur Domini virtus, et usque nunc per servos suos, Martyres videlicet, Virginesque et Confessores utriusque sexus, immensa majestas Domini operari non desinit, sicut in hujus sancti viri Vita et gestis manifestissime comprobatur.

*Augustæ Prætoriæ secundarius Patronus S. Ursus*

*Thaumaturgus :*

2 Fuit igitur vir Dei cultor beatissimus Ursus Confessor Christi in memorata civitate Augusta, vita degens quasi agnus mansuetissimus : vultu namque simplex, sed in opere divini cultus omni studio promptus, memorans Domini præceptionis ita dicentis : *g* Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Tantam etenim gratiam Dei virtus divinaque clementia concedere illi dignata est, ut eum nullus unquam iratum, vel animo commotum videre vel sentire potuisset. Semper ex ore et labiis ejus pax et patientia sunt egressæ; non immemor jussionis Apostoli præcipientis : Patientes estote ad omnes. Humilitas vero et misericordia semper inventæ fuerunt in eo, juxta salvatoris vocem dicentis : Beati humiles, beati misericordes. Et beati Apostoli jussi surdus non erat auditor, qui ait, Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Mundumque propterea, et concupiscentias ejus calcans despiciendo, et vincendo superans, ad gaudia properabat paradisi ; attendens prædicatorem egregium, qui ait : Mundus transiet, et concupiscentia ejus. Et, Quicunque voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituetur. Et, Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Cupiens semper enim adhærere et conjungi Sanctorum cœtibus, qui jam devicto mundi caduco amore, cum Christo triumphant in cœlo; sedula mentis intentione in corde figebat, quod idem Magister gentium dixit : Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Et, Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur ab eo. Dei enim moniti auditor libentissimus, secundum vires visitabat infirmos, alebat egenos, consolabatur lugentes atque dolentes, subveniebat oppressis, viduas et advenas confortabat. Si enim aliquem irascentem, vel animo commotum invenisset, mitissimo eum sermone tamdiu alloquebatur ex Divinis oraculis, quousque animum illius in mansuetudinem verteret; attendens illud Prophetæ, Beati pedes pacem portantes : et quod ait Dominus, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur : illius quoque memorans, quod per Isaiam Dominus dixit : Super quem autem requiescam, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea? Dicebat enim cum Paulo Apostolo : Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?

*virens omni virtute Christiana floret.*

*mundi contemptor,*

*misericordiæ operibus deditus :*

3 Instanterque cursum psallendi pervigili intentione custodiens, psallebat cum Propheta dicens : Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. Apostoli non immemor præcepti, qui ait, Sine intermissione orate : centies per diem, centiesque per noctem sedula omni deprecabatur oratione. Assidue enim per noctem loca Sanctorum perlustrans fortissimus miles Christi, vexillo sanctæ Crucis armabat frontem : corpus quidem humo prosternens, mentem ad alta sustollens, et nihil de terrenis cogitans Seipsum et omnem Catholicum populum Domino commendabat, secundum monita S. Jacobi Apostoli : Orate pro invicem, ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. Ad quamcumque enim veniebat ecclesiam, statim patebant ei januæ. In die vero secundum Apostolum manibus laborabat, et exinde egentes alebat ; credens Prophetam dicentem, Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. Et, Qui non laborat, non manducet. Quid plura? Plantavit inde idem Beatissimus vineam manu sua propria juxta tugurii sui vestibulum : cui crescenti, et portanti vinum, tantam virtutem concedere dignata est Dei gratia, ut si quis infirmus pro quacumque ægritudine ex liquore ejus potaret, statim pristinam reciperet sanitatem.

*assidue orat nocte visitat ecclesias,*

*ultro patescentes :*

*die laborat*

*vineam plantat ægris salutarem*

4 Quodam vero tempore in locis illis inundatio fuit aquarum magna, intantum, ut situm loci illius vis fluvii extra ripas alveorum suorum redundaret. Jam vero fluvius, quem antea Bauthegium nominavimus, qui ex Alpibus *h* Penninis descendit, ex Orientali parte ipsam urbem circumcingit, et validissimo cursu infestus tanta crevit magnitudine, ut muros civitatis validissimo cursu arctaret, invaderet agros, vineas camposque, et prata repleret arena et petris, ita ut homines qui ibidem aderant, pene cum ipsa urbe periclitarentur. Circa ecclesiam vero S. Petri, ubi vir Dei Ursus fungebatur officio, tanta inundatio fuit, ut nullus eam ingredi, aut egredi valeret. Tunc miles Christi, et athleta Dei fortissimus ; quid ageret, quo se verteret nesciens, ad auxilium confugit Divinum, fronte armata signo fidei, dicens : In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adjutor est, ideo hunc cataclysmum non timeo. Intrepidus tamen et securus, fidens in misericordia viventis Dei, qui omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire ; ut increduli qui ibidem aderant converterentur, hanc orationem ad Dominum fudit, dicens : Domine

*fluvium horrendum inundantem*

Deus,

*precibus reprimit.*

A Deus, mundi creator, atque gubernator totius creaturæ tuæ, qui hominem, seminaque creaturarum in diluvio per Noe salvasti, et servasti; qui liberasti populum tuum filios Israel de Pharaonis manu, et exercitu ejus, et de profundo rubri maris, et abyssi gurgitibus; Jonam vero de ceti utero, et de tempestatibus abyssi et maris, et ex eorum profunditatibus salvum et illæsum per verbum tuum ad aridam reduxisti; qui per petitionem Prophetæ tui Heliæ imbrem de cœlo descendere prohibuisti annis tribus et mensibus sex; qui Petro discipulo tuo, ne mergeretur, manum porrexisti; qui in navi excitatus imperasti ventis, et mari tumescenti, et tempestatibus, et fecisti tranquillitatem magnam; adesto ad invocationem servi tui, et ne derelinquas sperantes in te : sed præcipe huic flumini invadenti hanc civitatem, et templum tuum, agros, prata, et vineas nostras, ad alveum suum remeare. Hac oratione peracta ad Dominum, eadem hora fluvius ipse ad alveum suum reversus est, ut videretur quidem quasi nec una unda extra ripas suas fuisset egressa. Omnia enim in circuitu loci illius vir Dei oratione sua a periculo cataclysmi liberavit, tamquam bonus prœliator Christi. Cui autem hunc talem militem assimilabimus? Moysi pro-B fecto et Josuæ, et Heliæ, quorum unus mare divisit, alius Jordanem retrorsum convertit, tertius vero aquas de cœlo descendere prohibuit i.

a *Desunt hæc usque* nocte ac die, *in secundo exemplari.* — b *Ferrarius* SS. Gratum et Jucundum *Patronos vocat, non* S. Ursum. *Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Historia Chronologica regionis Pedemontanæ cap.* 43 *Cathedralem Augustæ Prætoriæ Ecclesiam scribit* D. Grato Episcopo suo et civitatis Protectori dedicatum. — c *Passim omnes a Prætorianis militibus Prætoriam appellatam affirmant. Prætor alioquin ab Augusto constitutus dicitur, qui circumjacenti regioni jus diceret.* — d *Desunt hæc in altero exemplari, usque* Memorata urbs. *Porro neque Franc. Augustinus ab Ecclesia, neque Ughellus Ploceanum in Augustæ Episcoporum catalogo, qui apud utrumque valde imperfectus, recenset.* — e *Hic* Duria major *est, vulgo* Doria minor, *nam* la Dorietta *non procul Taurino in Padum influit: major longe inferius.* — f *Alterum exemplar sine aspiratione* Bautegium *vocat.* — g *Loca Scripturæ hic citata, obvia sunt, ideoque ea non adnotavimus, ne totum marginem opplerent.* — h *Duria ex Alpibus Grajis oritur, atque ex occidentali parte urbem alluit.* — i *Desunt sequentia in altero MS.*

## CAPUT II.

### *Alia S. Ursi miracula, prædictiones, obitus.*

*Segetem cum pauperibus et avibus dividit,*

Restat autem adhuc et aliud miraculum, quod per ipsum Domini virtus operata est, quod mihi visum est non prætermittere, quod tamen hominibus loci illius notissimum est. Emit igitur idem vir Dei campum C quemdam, cum segete sua desuper stante. Qui, cum ad maturitatem venisset, partem quidem aliquam ex ea metens, partem vero alteram pauperibus et avibus relinquens; memorans implevit oraculum Prophetæ dicentis : Tibi enim derelictus pauper, pupillo tu eris adjutor. Evangelii vero instructus monitis dicebat : Considerate volatilia cœli, quoniam non laborant, neque seminant, quibus non est horreum, et Pater vester cœlestis pascit illa. Conveniebantque ad eum ipsa volatilia, non quasi silvatica, sed ut domestica, et residebant super caput ejus, et super humeros illius, et pascebat ea manibus suis, postea illæsa sinebat abire. Numquam enim sine egenis, et orphanis edebat, attendens Domini promissa, qui ait : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc.

*has ut cicures pascens*

6 Cumque aves superius nominatas aleret, et resideret ante januam ecclesiæ, ubi sedulo Deo serviebat; aspiciens vidit juvenem quemdam equum domini sui equitantem, et amarissime flentem : qui cum assidue hic idem custos equorum ante jam dictum templum transiret, numquam tamen ad orationem descendit, nec caput suum Sanctorum reliquiis inclinavit.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

D Tunc beatissimus Ursus hæc intuens frequenter agentem, vocavit eum ad se, cui et dixit : Dic, inquit, mi fili, qua de caussa vociferaris, et ante januas hujus templi tam frequenter iter carpens, nec ipsam intras ecclesiam, nec etiam cervices tuas ad Deum inclinas? Indica mihi tamen, quid quæris, aut quo vadis, vel cur fles? et omnia secreta tua mihi fac manifesta. Tunc ejulans ille, ait ad virum Dei : Heu mihi, Domine, hodie cum transirem per hanc viam, ablatus est a me equus domini mei optimus, quem nimio diligebat amore, unde nimio coarctor timore : quid faciam nescio. Unde non aliud peto, nisi tuam beatissimam orationem pariter et consolationem. Tunc idem vir Dei in Domino confisus, cum magna fiducia dixit adolescenti : Vade, fili mi, ingredere, in hanc domum Domini, in qua antea non fuisti : flagita misericordissimum et amatorem omnium benignissimum Deum de salute tua : postea vero venies ad me, et quicquid necessarium fuerit pandam. Quibus ille jussis libentissime obediens, ad virum Dei concito gradu reversus est. Dixit ad eum S. Ursus : Dic mihi juvenis, quanti tibi in custodiendo, curam gerendo, commendati sunt equi? Respondit : Sex. Dicit ei S. Ursus : Quantos ad pabula dimisisti, quando hunc, quem quærere E cœpisti? Aut quis tibi talem dedit equum tam pulchrum, tamque formosum et honestum? Tunc pavefactus puer ille, videns se captum in interrogationibus S. Ursi, prosternens se ad pedes ejus cum lacrymis dixit : Miser ego, ipsum, quem equito, et quæro lugens, ipsum sedeo. Ipse vero a domino suo nullam de hoc passus est injuriam, quia S. Ursus satisfecit ejus desidiæ. Tunc demum castigavit eum S. Ursus, dixitque ad eum : Alia vice, si reversus hac eadem via in pace fueris, noli præterire Sanctorum limina, sed pro salute tua Domini misericordiam deprecare, ut prospera tibi, et commoda cuncta concedat.

*cuidam equum, quem amissum flebat licet insideret,*

*post preces ostendit,*

*docetque dum templum præterit, ingredi, et orare :*

7 Eodem tempore in quo prædicta gerebantur, et Domini virtus invicta per servum suum Ursum hoc operabatur, Ploceanus, ut dictum est, in eadem urbe Pontifex esse videbatur. Contigit autem ejusdem Ploceani ministerialem quemdam incurrisse crimen. Unde valde pertimescens, præsidium fugefecit ad ecclesiam S. Petri, ubi S. Ursus custos erat. Cumque more solito in ecclesiam fuisset ingressus, vidit eum juxta altare stantem, cui et dixit : Quidnam, inquit, peccasti, fili? Cumque puer singulas retulisset admissionis suæ culpas, cœpit eum rogare, ut apud dominum suum pro se intercederet. Egrediensque F S. Ursus venit ad Episcopum in civitatem, et prosternens se ad pedes ejus dixit : Mi domine Pater, quidam ex pueris vestris sciens se graviter deliquisse in vos, confugium fecit ad S. Petrum : unde peto, ut in ejus amore, ad quem confugit, absolutionem criminis ei concedatis, et vestræ domesticitatis concessionem. Ploceanus vero fallens in virum Dei, dixit : Vade, frater, dic ei, ut securus cum gratia veniat ad præsentiam nostram, nulla pertimescens mala. Tunc vir Dei ad puerum reversus, dixit : Vade fili mi, quia ex hac re impedimentum tibi nullum erit. Ploceanus enim Episcopus clam quibusdam sibi astantibus dixit : Nisi eum, cum exierit de ipsa ecclesia, in qua nunc latitat, mihi vinctum præsentaveritis, ejus sententiæ vos subjacebitis. Qui jussa complentes, ante eum adductus est. Qui frendens et tabescens in eum, tamquam crudelissima bestia, tamdiu a dorso et ventre flagellatus est, quousque expirare crederetur. Tunc capite ejus tonso, jussit tyrannus viscosum bitumen super illud fundi, ut vix evaderet usque ad virum Dei morte vicina. Quis autem hunc talem dicere audebit pastorem? Verum, ut dignum est, nec Christianum, sed lupum rapacem, et tyrannum sævissimum. In eo inventum est et completum, quod prædixit

*pro puero apud Episcopum intercedit.*

*qui veniam pollicitus,*

*postea crudeliter eum cædi curat :*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

A prædixit Propheta : Peccator videbit, et irascetur; dentibus suis fremet, et tabescet. Et alibi : Justus autem meus ex fide vivit. Vespere periit desiderium Ploceani, et mane justitia et fides sanctissimi Ursi semper permansit.

8 Cumque idem puer cæsus, verberatus, et decalvatus capite, et bituminatus, semivivus foras a carnificibus fuisset ejectus, vix ad virum Dei pervenit, cui et dixit : Quid, inquit, facere in me voluisti, Pater mi, ut me per illusionem quasi latronem aut homicidam egredi de hac domo Dei juberes ? Non fuit hæc excusatio ex justo, sed traditio ex iniquo. Judicet Dominus inter me et te. Tunc beatissimus Ursus ingemiscens, et quasi super filio unigenito, paterna pietate commoto viscere, dixit : Quidnam, inquit, contigit, fili ? Tunc retulit ei puer quæ gesta fuerant per singula, et ostendit ei omnia vulnera corporis sui, lateris, dorsi, ventris, omnia cæsa et decorticata, insuper et jam caput decalvatum, et bituminatum. Tunc ingemiscens vir Dei, graviterque suspirans, reputans in se quasi grandi scelere culpas admisisset, dixit : Heu, heu, super nomen quidem Pastoris, vel Episcopi hoc nomen fallaciter usurpantis ! Tunc ait ad puerum : Vade cito fili mi, dic Ploceano : Notum tibi sit, quia post paucos dies

*S. Ursus recognita.*

*prædicit malum mortem Episcopi.*

B tolletur anima tua a te, et a dæmonibus, ut dignus es, strangulaberis, et a tetris spiritibus susceptus sepelieris in infernum; ut quibus nunc usque servire studuisti, ab his recipias meritum servitutis; sicut scriptum est : Servi eritis, cui obedistis. Quare non timuisti miser Apostoli minantis sententiam ? Quicumque enim templum Dei violaverit, ut ait Apostolus, disperdet illum Deus. Tu ergo, fili mi, præpara iter tuum, quia et tu migrabis cito de hoc mundo pergens altercaturus cum eo. Ego autem subsequens ero iter vestrum, ut sim audientiæ vestræ D assistens, cum in ratione steteritis ante tribunal Judicis magni. Mira res, ac verissima, quia quicquid in illa hora prædixit, in utroque postea rei probavit eventus. Eadem vero nocte, in qua migraturum Episcopum prædixit, projectus est de strato suo a dæmonibus in humum, et sic miserabiliter expiravit. Puer vero secundum sermonis viri Dei sententiam, migravit de hac luce.

*tum pueri, ac suam :*

9 His ita peractis, viriliter et constanter intrepidus et lætus incedebat sanctus athleta Dei, jejuniis et vigiliis incessanter pernoctans, Domini præcepta memorans dicentis in Evangelio : Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere ad mensam regni sui, et transiens ministrabit illis. Tali modo Confessor Domini in timore Christi perseverans, juxta prophetiam oris sui feliciter migravit ad Christum : sociatusque, et adjunctus Sacerdotibus Christi a Severo, et Julio, inter vernantes, et immarcescibiles choros adeptus est gloriam Dei, de qua Apostolus ex Sanctorum perceptione dixit : Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta præparavit Deus his qui diligunt eum. Occurrerunt ei Angeli Dei, eum suscipientes, Martyres triumphantes, Confessores E exultantes, Virgines lampades accendentes cum gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum. Amen.

*sancte moritur.*

a Aliquot SS. Severi hoc ipso die coluntur, alii aliis diebus. Arbitror hic Ravennatem Episcopum intelligi, qui longe celeberrimus. Nam S. Severus Marialanus, qui Montis-Falci Patronus est, Sacerdos non fuit. S. Julius autem is est cujus Vitam dedimus 31 Januarii.

*NOT. 7 bis*

*J. B.*

*I FEBR.*

# DE S. GALLA VIRGINE DEO DEVOTA,

## IN BAGENO VICO AGRI VALENTINI, UT VIDETUR.

*Pone, ut hic post S. Ursum*

*Plurimi olim in Gallia, Hispania, Italia, Sancti exstitere omnis conditionis ac sexus, miraculorum gloria ac publica veneratione celebres; quorum deinde res gestæ ac nomina ipsa in hominum ignorationem devenere. Quam multos S. Gregorius Turonensis in libro de gloria Confessorum ad notitiam publicam revocavit, de quibus nulla alibi memoria ! Quorumdam commendata quidem litteris acta erant, sed latebant vel in privatorum scriniis, ipsis etiam sæpe ignota qui possidebant, vel in ignobilium ecclesiarum tenebris. Alia autem eorum, vastatione hostili, incendio, situ ipso, periere, nonnulla eruuntur subinde, ac proferuntur in lucem. Quorum de numero est S. Gallæ Virginis Vita, quam descripsimus ex vetusto optimæ notæ codice Serenissimæ Reginæ Suecorum Christinæ, Sanctorum illustriorum, a XXV Decembris ad XVI Februarii occurrentes Vitas complectente. Extrinsecus numero 5 signato codici præfixa hoc exordio præfatio est :* Omnia quæ a Sanctis gesta sunt vel geruntur, si quis voluerit studiose perquirere, et sibi et plurimis ædificationis exhibere fructum, et quasi arbor fructifera non sine caussa terram probatur occupare dum vivit, cum et ipsa suis pomis ornatur, et omnis qui ex ea fructu perceperit, saginatur. Scribimus ut in gestis invenimus, quid egerint, quid locuti sint, quid passi sint Sancti. *etc. Et merito scribere se, ut in gestis invenit, profitetur : recitat enim Vitas ut a priscis compositæ sunt scriptoribus, utque nos jam antea pleraque edideramus.*

*S. Gallæ V. obscura diudum memoria,*

C

*Vita unde edita ?*

2 *Hujus autem* Gallæ *Virginis in nullis adhuc Fastis reperimus nomen. Vixit ea, ut videtur, in diœcesi Valentina, sepulta in Bageno vico. Pluribus in eadem* Gallia *Sanctis* Galli *nomen fuit, genus etiam illustre.* Gallæ *duæ præter hanc, et Romanus aliquot, nunc occurrunt. Unius S. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum cap. 36, in basilica S. Venerandi Arvernis sepultæ, meminit his verbis :* Habetur enim ibi tumulus huic a læva contiguus, longitudine, latitudine, altitudine, omnique positione consimilis. In hujus fronte superiore habetur scriptum : Sanctæ memoriæ Gallæ. *Altera S. Galla S. Consortiæ Virginis mater fuit, ut in hujus Vita XVI Novembris traditur,* F *quæ ita incipit :* Fuit quidam vir ex ordine Senatorio, Eucherius nomine, habens uxorem nobilibus ortam natalibus, nomine Gallam : quos quidem ampla possessio et numerosa familia, thesaurorumque copia, claros in seculo fecerat, sed timor Domini, qui est initium sapientiæ, in conspectu Conditoris omnium clarius exornabat. *Hujus Gallæ Eucheriique, et filiarum Consortiæ et Tulliæ meminit Ado ad XVI Novembris.*

*Vixit in diœc. Valentina.*

*Alia S. Galla Arvernis sepulta.*

*alia SS. Consortiæ et Tulliæ mater,*

3 *At non ea est, uti Baronius existimavit scripsitque Notat.* 1 *ad 5 Octobris, cujus sepulchri meminit* Gregorius Turonensis de glor. Confess. cap 36. *Nam ea, ut diximus, Arvernis in S. Venerandi æde sepulta : altera in spelunca super* Druentiam, *viro ad Episcopatum urbis Lugdunensis electo,* illic omne vitæ suæ tempus in studio religionis exegit. *At Druentia in Alpibus ortus in Rhodanum ab lævo latere circa Avenionem influit, procul Arvernis. Et Gregorius adolescens novisse hanc potuit, cujus filia* Consortia *temporibus Sigeberti Austrasiæ Regis, post annum Christi* DLXI *non admodum ætate provecta videtur fuisse, ea certe formæ elegantia, ut Hecca unus e Primoribus Palatii*

*longe diversa ab Arvernensi.*

A *Palatii sibi eam conjugem importune ambiret. Arvernicæ autem Gallæ ita meminit Gregorius, ut cujus ob vetustatem ignota ætas esset, ac sepulchrum tantum extaret.*

*S. Gallæ V ætas.* 4 *Hæc autem* S. Galla *Virgo heroicis illis vixisse temporibus videtur, seculo Christi sexto, aut forsan quinto : nulla certa temporis nota exprimitur.*

## VITA AUCTORE ANONYMO,

### *ex MSS. Serenissimæ Reginæ Sueciæ.*

Ita pietas Divina omnes Christianos commonet, ut quicquid Deo devotæ animæ in mundo pro Christi nomine egerunt, cuncto populo in notitiam deponatur; ut dum leguntur aut audiuntur virtutes Sanctorum, major fides Christianis adcrescat. *Cur Vita hæc scripta?* Ergo ut ad nos Vita sanctæ ac beatissimæ Gallæ pervenit, caritati vestræ rustico sermone narrabo. Sed peto ab omnibus veniam, quod præsumptuosus existo. Nam si taciturnitati studere voluerimus, vereor ne tantas ac tales virtutes, quas Christus per ancillam suam Gallam operatus est, in oblivione remaneant, et caussa mercedis depereat.

B 2 Nam ipsa beatissima Galla ex illustribus parentibus orta est. Tanta in ea elegantia et affectus fuit, ut ab omnibus honor illi præstaretur. *S. Galla nubere recusat :* Nam cum a parentibus nimio amore et affectu diligeretur, voluerunt eam viro tradere, a quo ei plurimæ facultates offerebantur, quas illa ut stercus recusabat, dicens : Mihi major est Christus, cui me tota mente devovi. Et sic parentes suos blando sermone alloqui cœpit dicens : Domini parentes, obsecro clementiam vestram, ne me ulli viro conjugio copuletis : quia ex toto corde me Christo devovi, et ipsi opto esse ancilla. Nam si me volueritis post Christi amorem seculo tradi, potius meum funus vultis expectare, quam gaudia. Cumque hæc et his similia parentibus enarraret consilio divino accepto, parentes ejus permiserunt eam agere quæ vellet.

3 At illa ardentissimo amore Christi permota cœpit dicere. *Christo virginitatem suam commendat* Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, quod non permisisti famulam tuam luporum morsibus laniari, nec virginitatem meam amittere. Sed tu nosti quia integritatem corporis mei tibi reservo : tibi me tota mente et toto corde devovi. Te quæso, ut protegas me, ne inveniat in me draco antiquus locum, et ne me ab amore tuo separet : C sed tu filius Dei, qui omnia nosti, ita judicio tuo jube me venire, qualem me esse in hoc seculo vis. *velum Valentiæ accipit :* a Et cum multam orationem fecisset, quod satis longum est enarrare, ita divina potentia permota, ad civitatem Valentinam perrexit, ibique a septem Episcopis velata est

4 Unde regressa, tanto amore Christum dilexit, *sancte vivit :* ut non die neque nocte ab ecclesia Dei recederet, et nec cibum sumeret usque ad Solis occasum. Nam quantas eleemosynas faciebat, aut quantum erogabat pauperibus, longum est enarrare. *oratione ægros sanat, dæmoniacos liberat,* Cum enim multi infirmi ad ejus vestigia provolverent se, oratione sua tantum, sani revertebantur ad propria. Nam quanta corpora obsessa a dæmone, quæ diabolus obligaverat, Christus sua oratione et virtute curavit, mirum et valde longum est singula reticere. Cum enim una de famulabus suis ad hauriendum aquam pergeret, quam præ ceteris diligebat, casu faciente pedem impegit : et cum corruisset in terram, lapis stomachum suum elisit, ita ut omnes puellam esse mortuam adclamarent. Et cum sanctæ ac beatissimæ Gallæ nuntiatum fuisset, flere cœpit, et jussit eam ad se adduci. Et cum deportata fuisset, in formula, qua orabat, jussit puellam deponi : et *exanimem vitæ restituit* oratione facta, adprehendens manus puellæ, cœpit Dominum deprecari, dicens : Domine Jesu Christe, D redde illi spiritum et restitue sanitati. *AUCTORE J. B.* Statimque puella consurgens ita sana effecta est, ut omnes mirarentur qui aderant, quantas virtutes per ipsam Christus operabatur.

5 Accidit autem, ut unus Diaconus armatus a diabolo famulam sanctæ ac beatissimæ Gallæ, quæ *Diaconi stuprum divinitus cognoscit :* peculiarius ei ministrabat, ausus fuisset adulterii caussa appetere. Nam cujus fuerat incitamento permotus, ejus voluntatem faciens perexplevit. Cumque hoc ex revelatione divina sanctæ ac beatissimæ Gallæ fuisset ostensum, in ecclesia ipsum Diaconum ad se evocavit, et arguere cœpit, dicens: *cum increpat :* Cur tantum malum operatus es, ut cum famula mea adulterium exercuisses? Et cum multa excusatione Diaconus ipse denegasset, etiam et sacramenta præbuisset; egressus foras, suadenti immundo spiritu, in loco quo solebat sancta ac beatissima Galla requiescere *qui id inficians sacra administrat,* post orationem, aut cibum sumere, adulterium cum ipsa puella exercuit. Unde regressus, cum quasi lætus pergeret, *ac fulmine percutitur :* flamma descente de cœlo in modum lanceæ exustus est. Ita divina ultio super ipsum descendit, ut factis vicem reciperet.

6 Post non longum tempus, cum messium tempus advenisset, nuntiatum est S. Gallæ ab actore E suo, cum in ecclesia in oratione esset prostrata, quod *b* sou da nimam suam quidam Presbyter cum b segete tulisset. At illa dixit actori suo : Egredere foris. Et ille respondit : Quid nobis prosunt orationes tuæ? *S. Gallæ seges sublata* Quem illa per capillos adprehendens, signaculum sanctæ Crucis in frontem ipsius actoris faciens, dixit ad eum : Recede a me, et nunc videbis gloriam Dei. Cumque se in orationem projecissent, mox omnibus videntibus qui in circuitu erant, tres aviculæ parvulæ in modum hirundinum super tres molas, quæ ex ipsa segete sua fuerant *c* factæ, con- c sederunt. *ea orante fulmine absumta* Ubi dum non longum habuissent spatium, igne descendente de cœlo, messis ipsa consumpta est, ita ut nec pulvis ex ipsa appareret : et campus ipse a tonitruo et fulgore ita est redactus, ut nomen suum amitteret, et nunc Arvinolus vocetur.

7 Dein posmodum Presbyter ille pœnitentiam agens, duobus de famulis suis baptizatis, cum Crucis neophytis, viduis et Clericis. *auctori culpam deprecanti,* At illa veniens in ecclesiam, et ipse projiciens se pedibus suis veniam postulabat, dicens : Indulge mihi, famula Dei, et dimitte mihi hoc peccatum. Si vero nolueris, non recedam a vestigiis tuis. At illa respondens dicebat Presbytero : Tu mihi indulge, sancte Sacerdos; F quia istud non mea virtus, sed Christi fecit voluntas. *pretiumque offerenti, condonat.* At Presbyter rogabat eam dicens : Accipe quantum tua habet *d* existimatio, ut veniam a te promerear. d Illa respondens dicebat Presbytero : Absit a me, jam sufficit mihi : quia Christus judicavit caussam meam. Indulgeat tibi Christus, et mihi peccatrici. Tunc Presbyter lætus abscessit, dicens : Parce mihi, Christe, quia læsi famulam tuam, quam tibi video placere. Illa vero Dominum deprecabatur dicens: Domine Jesu Christe, gratias ago tibi, quia non despicis ancillam tuam.

8 Accidit ut juxta domum suam cujusdam pauperis hospitium casu ab igne concremaretur. *precibus incendium restinguit :* Cui cum nuntiatum fuisset, quod flamma ipsius foci jam domum suam vehementer valido vento incumberet; statim in orationem se sancta Virgo prostravit. Et illico videntibus cunctis ita extinctus est ignis, ut ubi conflasset, nullatenus appareret.

9 Et quanto magis illi Divinitas æterna præstabat efficaciam cujusque bonæ rei, tanto major in ipsa fides crescebat. Cum enim die Dominico Presbyter Ecclesiæ ipsius celebrare sacra mysteria ad altare accessisset, per Diaconum suum ipsam beatissimam Gallam ad convivium evocavit, dicens : Obsecro te, famula

A famula Dei, ut digneris hodie hospitium meum intrare, ut visitatione tua salvetur. At illa rememorata sancti Pauli Apostoli verbis, ubi dicit : Omnibus me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et non negavit, sed accessit, quo fuerat invitata. Cum enim fuissent expleta divina mysteria, et isset e cum famulis ac famulabus suis, unus ex populo, Petrus nomine, non f pro abjectus in persona dumtaxat, cœpit detestari ac dicere : Quo ista, quæ se sanctam esse dicit, properat? Non credatis eam caussa caritatis, sed caussa adulterii pergere. Cum enim quasi insanus multum clamaret, et diceret injurias sanctæ Gallæ statim a dæmonio corripitur.

*auctore anonymo ex mss* — *1 Cor. 9. 19* — *maledictis a quodam impetitur,* — *qui a dæmone arripitur :*

10 Antequam pervenisset ad domum Presbyteri, a quo fuerat evocata, nuntiatum est ei, quod ancilla Dei advenisset. Tunc ille extensis manibus laudabat Dominum, quod Virgo beata veniret ad eum. Cumque discubuisset, multi infirmi veniebant ad eam : et ipsa tantum faciens signum sanctæ Crucis, ac statim sani effecti sunt, ita ut omnes admirarentur tantas virtutes, quas Dominus per ancillam dignatus est efficere suam. Inter ceteros imbecilles erat quædam puella ab annis quatuor muta et surda : et cum ei fuisset oblata, statim prostravit se in orationem. Et B cum surrexisset ab oratione, aspexit in cœlum, et flere cœpit : ac deinde aquam benedixit, et dedit ei bibere ; statimque puella, quæ fuerat muta, loqui cœpit, et auditum recepit. Tunc Presbyter clamare cœpit : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tunc omnes qui erant in convivio, laudes et gratias Deo dixerunt.

*ægros sanat signo Crucis,* — *mutam et surdam aqua a se benedicta,*

11 Inde regrediens, ille qui ei crimen objecerat, cum adhuc a dæmonio vexaretur, obviam illi occurrit, multum se discerpens. Et cum eum S. Galla a longe vidisset, flere cœpit ac dicere : Domine Jesu Christe, respice eum, quia imago et similitudo tua est. Recedat, obsecro, ab eo draco antiquus, quia tu eum, Domine, sanguine tuo redemisti. Et signaculo sanctæ Crucis se consignans, accessit ad dæmoniacum, et ait : Præcipio tibi, immunde spiritus, per nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, ut recedas ab homine isto. Qui corruens in terram, statimque sanus effectus est, non solum corpore, sed etiam mente.

*dæmoniacum convitiatorem precibus :*

12 Contigit autem, ut multitudo barbarorum patriam illam, ubi S. Galla habitabat, circumvallaret : et cum omnes ad quoddam castrum fugerent, ecce duæ mulieres cæcæ cognoscentes B. Gallam esse in C illorum comitatu, rogabant eam, dicentes : Obsecramus te, famula Dei, ut digneris oculos nostros tangere. Et cum ab omni populo deprecaretur, et se excusare non posset, orationem fecit, et signans illarum oculos per invocationem Jesu Christi, statim aperti sunt oculi earum. Atque omnes hæc videntes humiliaverunt se vestigiis suis, dicentes : Gratias tibi agimus, Domine Jesu Christe, qui tantam virtutem concessisti famulæ tuæ : et sic grates agentes pervenerunt ad castrum.

*barbaris irruentibus fugit* — *2 cæcas precibus et signo Crucis illuminat*

13 Est basilica in eodem constructa in honorem D S. Petri Apostoli, a qua die nocteque B. Galla non recedebat. Cum enim prædicta gens barbarorum patriam devastasset, et ad obsidendum castrum, ubi S. Galla manebat, pene convolasset omnis, et jam muros irrumpere tentasset ; venit fidelis populus ad S. Gallam, dicens : Succurre nobis famula Dei, quia omnes perimus. Dicebat eis S. Galla : Nolite timere, quia S. Petrus in nostro adjutorio est. Et cum se in orationem projecisset S. Galla, statim omnibus videntibus, absque manu hominis maxima pars montis cum lapidibus magnis super hostes corruit, et multitudo avium inter saxa ipsa super inimicos convolabat : qui timore perterriti terga verterunt. Tunc convocans omnem populum beatissima Galla, dixit eis : Currite post eos, neminem nocentes ; quia Deus pugnabit pro vobis, et pavor Domini irruet super eos. Vos ergo persequimini eos, portantes spolia quæ reliquerant fugientes, et reddite illis. Et ita fecerunt, sicut præceperat eis. Et cum reverterentur, canebant laudes Deo, qui tanta miracula per ancillam suam B. Gallam operabatur.

*S. Petro invocato,* — *barbaros fugat :*

14 Et cum adunati fuissent omnes, locuta est ad eos : Rogo vos, dilectissimi filioli ut diligentissime corpus meum sepeliatis, qui jam appropinquabit E dies mortis meæ. Tunc cœperunt omnes flere. Et ait ad illos : Nolite flere, Fratres, Ecce hodie sunt anni g xc... quod numquam dolui, nec etiam capillo capitis mei. Vos ergo confidite in Domino. Et cum eos docuisset de verbo Dei, nullum dolorem in se sentiens, migravit ad Dominum. Statim locus ille commotus est, ut omnes admirarentur. Tunc omnes flentes et ululantes tulerunt corpus ejus, et portaverunt illud Bageno vico, in basilicam S. Stephani Protomartyris. Cum enim deportaretur corpus ejus per viam, multi infirmi advenientes tangebant corpus ejus, et sani revertebantur. Inter advenientes erat quædam mulier, quæ patiebatur fluxum sanguinis : cum sub feretro transisset, statim sanitatem recepit. Nam quantas virtutes ad sepulchrum ejus Christi ostendat, mirum et valde longum est per singula scribere. Celebratur autem dies depositionis ejus Kalendas Februarii : regnante Domino nostro Jesu Christo, cujus est honor ac laus cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti per infinita seculorum secula. Amen.

*obitum suum prædicit :* — *moritur, loco divinitus moto :* — *Bageni sepelitur :* — *multa ad ejus reliquias fiunt miracula :* — *colitur 1 Febr*

a Nobilis Galliæ civitas Valentia ad sinistram Rhodani ripam, in provincia Viennensi. Hanc enim potius intelligi Valentiam, quam quæ in Hispania peculiari regno nomen dedit, ceor, quod et culta e Gallia ad Serenissimi Regnum deceat, ut qui olim Petronium fuerit, et plurium Gallicanorum Sanctorum Vitas continet: Genovefæ, Macræ, Luciani, Hilarii, Remigii, Viventii, Rodulfi, Sulpitii Launomari, Projecti, Bathildis etc. nullius Hispani, præterquam S. Vincentii, cujus etiam in Gallia celebris veneratio, ac reliquiarum pars spectabilis. b Scriptum erat condam pinonio. Non assequor quid sit. c An farte, sive impleta? — d An potius a stimulo? — e Hinc patet, quod in titulo monuimus, non monacham fuisse, sed famulam aluisse. Deo tamen, devotam, virginitate illi consecrata. — f Ita scriptum erat. Videtur mendum aliquod subesse. g MS habebat c. xc. Suspicor solum xc, sive 90 legendum. Quod post hunc numerum deest, non conjicio. F

# DE S. BRIGIDA VIRG.

*Not. 9*

*Not. 8*

P*agina* 112 *quæ num.* 72, 73, 74 *referuntur, in unicum numerum* 72, *sive paragraphum, redigenda ; ac post illa verba,* S. Ursulæ, S. Gregorii Thaumaturgi, *hæc addenda.*

73 *Scribit Gregorius Cardosus in Hagiologio Lusitanico ad Kalendas Februarii, in loco, qui* Lumiare *dicitur, leucamque unam Ulyssippone distat Boream versus, caput* S. Brigidæ *Virginis summa religione asservari, in æde S. Joannis Baptistæ olim dicata, sed quæ S. Brigidæ nomine nunc potissimum celebretur. Attulisse illud in Lusitaniam tres Hiberni equites feruntur, ad Dionysium Regem, qui die sexta Januarii, anno* MCCCXXV *mortuus est, cum* XLVI *regnasset annos. Is tunc Odivellas, in agro Ulyssipponensi celebre monasterium, sanctimonialibus Cisterciensibus ædificabat. In eo reponendum esse sacrum illud pignus statuit. Numen obstitit, incertum qua caussa; nisi forte, ut quo propius ab urbe regia abesset, hoc majore concursu populi honoraretur. Odivellas tendentibus cælestis thesauri bajulis nox incubuit, atque admirabili portento ipse iis divinitus sublatus : postridie tamen in summa pinu, quæ ante ædem Lumiarensem stabat, conspectus, corvis duobus velut ad custodiam*

*Cujusdam S. Brigidæ caput in Lusitaniam ante annos fere 450, allatum,* — *ædi in Lumiare destinatum, duplici miraculo,*

A *custodiam illius excubantibus. Persuadere illis nitebatur æditus, ut in ea reliquias æde illas collocarent, cui eas destinare Deus videretur. Illi, quod sibi placere Rex ostenderat, exequi parant, pie eas revérenterque sumunt et asportant. Res mira! Olivellis depositæ, nocte insequenti ad priorem locum cælesti virtute relatæ sunt. Eo attoniti prodigio, neque Divinæ ausi resistere voluntati, Lumiarensi templo eas donaverunt, ibidemque quod fuit vitæ reliquum religiose exegerunt. Visitur in ea æde vetus pictura, quæ huic narrationi fidem astruit, inque pariete ad trium horum Equitum tumulum posita inscriptio. Eo autem non Ulysippone solum, ex ejusque territorio, sed ex remotis etiam locis, atque ab exteris gentibus, plurimi concurrunt mortales, propter innumera quæ Deus illic edit miracula: neque solum morbis remedia hinc petunt, sed quibuscumque aliis molestiis tenentur. Custoditur porro sanctum illud cranium perquam religiose in ædis illius sacrario; sed in duas partes dissectum, quæ in singulis thecis argenteis conditæ. Id propterea factum aiunt, quod cum die primo Rogationum, sive Litaniarum, publica supplicatione ad cœnobium Olivellense (cujus Lumiare Prioratus est) deportetur, ibique usque ad diem Ascensionis Christi relinquatur; qui interea Lumiare peregrini adveniunt, fructu* B *suæ pietatis frustrari quodammodo viderentur, non invento, quod veneratum veniebant, sacro pignore.*

*peregrinorum concursu frequentatum, clarum miraculis, in partes divisum.*

74 *Ista fere Cardosus: quæ cum pictura antiqua, miraculis, traditione accolarum, indulgentiis Pontificum sat superque testata sint; consequens videri, ait, ut quod ab Rudolpho II Cæsare donatum Joanni Borgiæ, in S. Rochi professa domo Societatis Jesu asservatur S. Brigidæ Virginis caput, alterius cujuspiam esse existimetur, et non illius celeberrimæ. Sane quidem in Lumiarensi æde S. Brigidæ caput extare testatur Philippus Osullevanus Bearrus Patricianæ decadis lib.* 10 *cap.* 3 *pag.* 142 *hisce verbis:* Divæ Brigidæ Virginis... caput, quod Lumiare non procul ab Ulyssippone urbe Lusitaniæ regni corona, servatur, innumera *miracula* edit. *Non inficior quoque, plurimas, præter hanc nostram Taumaturgam, extitisse Brigidas Virgines, etiam publica veneratione dignatas. Sed quo argumento ostendet Cardosus, harum alicujus potius esse caput, quod ædes S. Rochi possidet, quam quod Lumiare? Asseruerunt nimirum Hiberni Equites illud esse S. Brigidæ caput. At cujus? Quæ regio genere orta, Benchorense in Scotia cœnobium construxit. Nego eam esse, cujus hic Vitam damus, celeberrimam illam Thaumaturgam. Fuit hæc Dubtachi,* viri nobilis, *ex ancilla filia. Plurimi* C *quidem erant quondam in Hibernia Reguli: quorum ab aliquo genus ducere Dubtachum asserit Joannes Colganus, quem infra ad cap.* 1 *Vitæ* 2 *citabimus. Sed cum multa monasteria hæc Brigida condiderit, nullum eorum Benchorense dictum. Erat eo nomine apud Britannos cœnobium virorum in Flintensi Comitatu antiquissimum, in quo olim impium Pelagium, hostem Gratiæ Dei, vixisse quidam asserunt: sed dudum id ante S. Brigidæ ætatem conditum, neque ipsa habitasse traditur in Flintensi provinciola, neque hæc in Scotia erat. Aliud fuit apud Hibernos in Ultonia cœnobium Benchorense longe celeberrimum, sed* XXXVI *circiter annis* D *post S. Brigidæ hujus obitum a S. Congallo S. Columbani magistro fundatum, ut ad illius Vitam* X *Maii dicemus.*

*an quod in Domo S. Rochi, sit alterius Brigidæ,*

*an hoc potius,*

*ob ea quæ de illa traduntur?*

*Pag.* 117 *num.* 105 *lin.* 1 *post dabimus adde* [XII *Decembris, uti ad Prætermissos monuimus.* NOT. 9

## DE S. SORO EREMITA.

P*ag.* 199 *num.* 2 *lin.* 4 *post,* Ecclesiastica, *adde: Eamdem Vita nuper ex eodem Bibliothecæ Thuanæ MS. codice* 652 *edita est a Philippo Labbeo nostro inter* Vitas Sanctorum aliquot ad Aquitaniam spectantium *pag.* 667. NOT. 10

*Pag.* 200 *post cap.* 1, *dele Notationem a, et pro ea hæc repone:* NOT. 11

*Colitur hic* S. Amandus *Eremita, una cum* S. Domnoleno, in Genoliaco sive Geneliaco, *aut* Genuliaco, 25 *Junii, ut patet ex variis Martyrologiis perantiquis. Ejus Vitam sed mutilam, edidit in citato opere de Vitis aliquot SS. ad Aquitaniam spectantium Philip. Labbeus pag.* 481. *In ea et loci ejusdem et S. Sori ita mentio fit.* Ab his digressus montibus, relictis facultatibus, omnem monasticam normam est nactus. Nam humilia expetens, a montibus sublimibus una vallium adiens, descendens agello Petragorico, nuncupante Genoliaco, ubi tunc agmina monachorum degebant sub Abbate Savalo, et Rege Clotario; juncto sibi Soro Arvernico viro sanctissimo, atque Cypriano Dei electo, una devotione unanimes, uno diei articulo comam capitis deponentes, sanctæ religionis sese mancipaverunt in obsequium *etc. In Vita S. Cypriani, quam 9 Decembris dabimus, ita de loco eodem in Petragorica regione sito habetur.* Metuens vero mundi gloriam et pompam, Geneliacum veniens, ab ejusdem loci Fratribus affectuose accipitur. *Ac paulo post.* Pater vero suus venerabilis sicut diu desideraverat, Geneliacum veniens, rogavit eum, ut in Hispaniam rediens, patriam parentesque suos visitaret. *Fit S.* Amandi *honorifica mentio in Vita S. Amandi Eremitæ* 16 *Octob.* E

Geneliacum *vel* Geneliacum, *monasterium in Petragorico.*

## DE S. SIGEBERTO REGE FRANC. AUSTR.

P*ag.* 214 § 24 *post num.* 24 *adde* [*ita dictum* Castrum Valrense *apud Gregorium Turonensem accipi tradunt Claudius Robertus et Sammarthani in Episcopis Vabrensibus. Verum* Castrum Valrense *fuisse potius in Belgica* I *Mosam inter et Mosellam fluvios adjuncta indicant, et confirmant* Comitatus Valrenses *ibidem collocati apud varios scriptores, et in Divisione regni Lotharii anno* DCCCLXX *inter Ludovicum Regem Germaniæ et Carolum Calvum facta.* NOT. 12

*Ibidem post num.* 25 *adde* [*Cadurcensibus contigui sunt Aginnenses, de quibus Acta MS. S. Vincentii Martyris Aginnensis* IX *Junii danda:* In Aginnensis quondam urbis territorio, regione Metensium, Præses Paganorum cum civibus præfatæ urbis et populis aliunde confluentibus convenerat, cæremonias falsæ seductionis insectans. *Auctor Vitæ innuit se scripsisse, cum regio illa, quæ quondam suberat Agen-* F *nensi urbi, Metensi regno subjecta foret.* NOT. 13

*Ibidem col.* 2 § 27 *lin.* 33 *post,* libri 9, *adde:* [*Avenioni vicina est Cabellio urbs Episcopalis, quæ præcipuum Patronum colit S.* Veranum *suum Episcopum a Sigeberto* I *Rege Metensi ad Cabellicensem Sedem promotum, qui fama sanctitatis comperta eum ante ad se evocarat, cum ipse Chlothario* I *patre suo vita functo illud regnum obtinuisset, uti Acta MS.* XI *Novembris illustranda habent, et nos indicavimus* VIII *Februarii ad Vitam S.* Honorati *Episcopi Mediolanensis num.* 25. NOT. 14

# ADDENDA AD II FEBRUARII.

NOT. 1

P*agina* 269 *ante* S. Appollonii Martyris elevationem, *isthæc repone:* S. Pimenius Confessor *ad hunc diem a Georgio Cardoso inscriptus Hagiologio Lusitano. Eum olim Cœlitum honoribus dignatum fuisse colligitur ex synodo Toletana* XII, *habita* Era DCCXIX, *sive anno Christi* DCLXXXI, Regis Ervigii primo. *In ea enim, tit.* 4 *ista habentur:* Prosequente venerabili et sanctissimo viro, fratre nostro, Stephano Emeritensis Sedis Episcopo, res nobis novellæ præsumptionis usurpatione sese intulit pertractanda: tanto communionis nostræ judicio evellenda, quanto et privatis noscitur ausibus perpetrata. Dixit enim, violentia Principali se impulsum fuisse, ut in monasterio villulæ Aquis, in qua venerabile corpus sanctissimi Pimenii Confessoris debito quiescit honore, novam Episcopalis honoris ordinationem efficeret. *Quis vero hic Pimenius? Sub Dextri nomine publicatum Chronicon ad annum Christi* 130

*S. Pimenius Confessor Talaveræ sepultus.*

ista

A *ista habet :* Aquis prope Toletum nimis Eugenio familiaris S. Pimenius vir egregia virtute multaque pro Christo patitur. *Plura post Dextrum sub nomine Luitprandi edita in lucem. Nam in Chronico num.* 131 *ad annum Christi* DCLXXVI *ista leguntur :* Wamba Rex... in oppido Aquensi (quod nunc Talavera, olim dicebatur Elbora) Sede Episcopali subjecta Emeritensi, in villula Aquis, nunc Cazalegas, Sedem constituit Episcopalem, consentiente Emeritensi Metropolitano, in honorem S. Pemenii, Martyris antiquissimi, ibidem quiescentis : quod nunc diu permansit. *Exponit ista Laurentius Ramirezius del Prado vir illustris, quod positus sit Episcopus* in villula circa Elboram, vel Talaberam, in monasterio S. Pimenii. *Ast in adversariis eidem Luitprando adscriptis num.* 103 *ista leguntur :* Creditur, jussu Regis Wambanis Catholici, Quiricum Toletanum, in villula prope Aquas, oppidum Carpetaniæ, a Mauris Talaveriam dictum, in honorem S. Pimenii Pontificis et Martyris ejusdem terræ, Cathedram erexisse Emeritensi subditam. Villula illa dicta fuit a Saracenis post Vicus Cazalegas. S. Pimenius colitur I Novembris : creditur passus sub Adriano, paullo post mortem S. M. Marcelli Eugenii, anno XVI Adriani, Christi CXXXV, B Hibero et Silano Coss. anno I S. Sixti, sub S. Hermulao Toletano Pontifice et postmodum Martyre : creditur gravissimos passus esse cruciatus in monasterio suo Cazalegas, Q. Matidio Gratiliano Præside citerioris provinciæ. *Ita quem Confessorem habitum esse constat* S. Pimenium *suppositititus hic Luitprandus* Martyrem *vocat : Dexter ambigue loquitur, nam quod* multa pro Christo passum *scribat, innuere ait Commentator Bivarius, non* fuisse Martyrem, *nec* in passione ipsa vitam finisse. *Necdum procusa erant illa subdititia Luitprandi opera, cum Bivarius scriberet. Rodericus Carus ad citatum Dextri locum, notat* SS. Epigmenium et Pigmenium Presbyteros Martyres *recenseri in Martyrol. Romano ad* XXIV *Martii*, sed natales ibi taceri quoad locum. *Diserte asseritur* S. Pigmenius *Romæ passus : de* S. Epigmenio *inde colligitur, quod* S. Crescentius, *quem is baptizarat*, via Salaria gladio percussus occubuisse *dicitur in eodem Martyrologio ad diem* XIV *septembris, idque sub Diocletiano,* S. Pigmenius *sub Juliano Apostata : neuter Adriani temporibus. Male igitur ad Dextri Chronicon, qui ibi* Pemenius *vocatur, dicitur esse* S. Pigmenius, de quo Baronius 24 Martii in Martyrol. *Georgius Cardosus de Dextro et Luitprando libere pronuntiat,* cum invicem pugnantia tradunt, suspicione non carere, propterea quod MSS. exemplaria, priusquam prælo committerentur, per variorum manus iere, et quisque quod ad patriæ suæ honorem facere videretur inseruit. *Id si ita est, non modo cum invicem dissident, sed ceteris quoque in rebus merito suspecti esse debent. Existimat ergo Cardosus* Pimenium, *cujus* venerabile corpus in monasterio villulæ Aquis debito quiescebat honore, *cum esse, qui concilio* VI *Toletano*, Era DCLXXVI, *sive anno Christi* DCXXXVIII, *subscripsit* Ecclesiæ Dumiensis Episcopus. *Idem sensisse Garsias Loaisa videtur, qui ad tit. 4 concilii* 12 *Toletani, ubi corporis* S. Pimenii Confessoris *mentio fit, in margine istud annotat :* Erat Pimenius Dumiensis monasterii Abbas et Episcopus, qui subscribit in 6 Toletano. *Non est tamen id certum, cum alii quoque* Pimenii *in eadem Hispania fuerint, ut ille* Assidoniæ Episcopus, *quem anno* DCXXX *ecclesiam quamdam dedicasse ex veteri inscriptione probat Bivarius pag.* 229. *Etsi autem daremus Confessorem* E *illum* Pimenium *fuisse Dumiensem Episcopum anno* DCXXXVIII; *non tamen effert argumentum ullum Cardosus, quo probet hoc die illius natalem celebrari. Quod porro laborant quidam, ut pro* Pimenio, *vel* Pemenio, Pigmenius *reponatur, frustra sunt. Nam a Græco* Ποιμὴν *(quo nomine celebris est in Vitis PP. Abbas, qui et* Pastor *Latina voce appellatur) fit* Ποιμένιος, *quod Latine* Pimenios *efferimus. Unde* Pœmenius, *et (dipthongo œ in i mutata, cum eumdem sonum habeant)* Pimenius. *Colitur Brixiæ* XVIII *Februarii* S. Epimeneus, *vel* Pimenius, Presbyter Martyr, *ut illic dicemus. At de Romano* Epigmenio, *sive* Pigmenio *forsan et hoc* S. Pimenio *Lusitano, si de ejus natali certius nihil eruatur, agemus* XXIV Martii.

*An is antiquus Martyr.*

*et sub Adriano passus?*

*Dextri et Luitprandi Chronica suspecta.*

*An S. Pimenius Ep. Dumiensis?*

NOT. 16 *Pagina* 289 DE S. APRONIANO *Martyre, col.* 2 *post num.* 4. *Adde hæc : Masinus in Bononia perlustrata testatur, aliquas* S. Aproniani Martyris *reliquias asservari in ea urbe, colique hoc die, in æde S. Joannis in Monte.*

# DE S. ADALOGA VIRGINE

C

NOT. 17 *Pagina* 307 *num.* 5 *post* Haldelogoda, *adde : in prolixiori Vita, sive Encomio,* Hadelauga, *et* Hadelaugis.

NOT. 18 *Pagina* 309 § 13 *lin.* 6 *post* Paderbornensis in Westphalia, *adde : Hæc cum esset prælo mandata, aliam ab eodem Joanne Gamansio nostro accepimus ex duobus codicibus Carthusiæ Herbipolensis in Franconia descriptam, quorum prior exaratus erat anno* MCCCLXXX, *titulo hoc insignitus :* Vita diversorum SS. *Alter prægrandis codex, quocum eam Vitam accurate contulit Gamansius, exscriptus erat anno* MCCCLXXXIII *præfixusque titulus* Passionale. *Est ea Vita, Encomium quoddam S. Hadelogæ, sive tractatus in anniversaria ejus celebritate coram cœtu sanctimonialium recitandus, ut ex fine capituli* XIII *colligere est. Fuit auctor, pius vir ac doctus. Ita scripsisse videtur, nam in Præfatione num.* 2 *ita loquitur :* Cujus auxilii *(precum videlicet)* eo vos mihi esse obnoxias præsumo, quod et ante jam quibuscumque scribendi studiis, devotionem meam vestro mancipavi ministerio. *In secundo exemplari post hunc tractatum sequitur minor altera, quam jam edidimus, Vita, hoc præfixo titulo :* LIBER SECUNDUS. *Ast in priore MS. post tractatum illum, sive Vitam, hæc erant a librario adjecta :* Nota. Est adhuc quidam alius, licet parvus, libellus de Vita

*Vita major S. Hadelogæ.*

F B. Hadelaugæ : sed quia quædam in eo prædictis contraria reperiuntur, propter ignorantiam ejus qui scripsit eum, magis ex vaga relatione, quam scripturæ alicujus attestatione; ideo ipso relicto, tria tantum exempla satis notabilia ex eo, ad beatæ Virginis laudem, hic addenda putavi.

NOT. 19 *Eadem pagina col.* 1 § 14 *post* in magno Menologio Virginum, *hæc adde : Erat ad initium Præfationis Encomii, seu Vitæ majoris scriptum in margine :* III Cal. Aprilis. *At cap.* 8 *num.* 35 *dicitur :* Dies namque victoriæ, dies solemnitatis et lætitiæ, decimo tertio Cal. Aprilis, et miserante Domino illuxit. *At neutro die nomen ejus in aliis Martyrologiis inscriptum reperimus.*

*Habem ante breviorem Vitam, ponenda isthæc.*

## VITA

### SIVE ENCOMIUM S. HADELOGÆ

ex duobus MSS. Carthusiæ Herbipolen. descriptum a Joan. Gamansio Soc. Jesu.

### PRÆFATIO AUCTORIS.

*Pauperum Christi humillimus, Deo dicatis Virginibus.* a

Scio, filiæ Jerusalem, scio quis sim, et ubi sim, quod

A quod videlicet captivus in medio captivorum, Babylonio assidens flumini, cantare nequeam canticum, quo vos jugiter delectamini. Unde ad suscipiendum, quod injungere mihi curastis onus, diu fateor hæsitavi trepidus, timens nimirum illius incidere opprobrium, qui cœpit ædificare et non potuit consummare. *Luc. 14. 30* *Auctor a sanctimonialibus rogatus,* Cogitis enim me in laudem B. Hadelaugæ Virginis libellum edere memorialem, ut quod hactenus de nomine ejus *b* fama pervulgavit celebris, ad augmentum gloriæ vel certitudinem tenacioris memoriæ commendetur etiam scriptis. Pium quidem in hoc vestræ dilectionis laudo studium, quæ pro ædificatione fidelium, et maxime Virginum, beatæ Virginis propagari desideratis præconium. Ad hujusmodi enim obsequia beatitudini ejus merito impendenda, majorum vos cobortantur exempla. Omnes quippe Deo dilectæ Virgines, in monasterio vestro religiose conversantes, hanc ut Matrem, procuratricem ac fidelissimam apud sponsum suum interventricem debito semper reverebantur honore, dulcissimo amplectebantur amore, gaudentes crebris ad sacra ejus ossa excubiis vacare, ac ipsius suffragiis se suaque omnia suppliciter commendare.

2 Sed quibus ego laudibus filiam Sion attollere B potero, qui hymnum illi de canticis Sion, ut jam dixi, congrua modulatione personare non sufficio. Duplici ergo coarctor angustia : titubo nimirum, eo *sua tenuitate excusata,* quod non sim idoneus; excusare penitus pertimesco, ne inobediens judicer et indevotus. Vestra sane in his efficacius exerceri poterat diligentia, quibus pro puritate cordis largior affluit ingenii vena, virtutum exuberat gratia, naturalis præterea inest ejusdem *earum imploratis precibus,* sexus vel propositi notitia. Quia vero altioribus et utilioribus occupatæ negotiis, inferiori ista mandastis, imbecillitatis meæ conatum piis orationum fulcite suffragiis. Cujus auxilii eo vos mihi esse obnoxias præsumo, quo et ante jam qualibuscumque scribendi studiis, devotionem meam vestro mancipavi ministerio.

3 Mediante quoque ipsa beata Virgine, cujus præconiis in præsenti libello pro posse meo statui *ab ipsa Sancta in somnis animatus,* deservire, exaudientur orationes vestræ. Talis fiduciæ pignus ab ipsa me arbitror accepisse : nam cum petitionis vestræ in commendanda ejus memoria obtemperare decrevissem; jamque necessarios hinc inde flosculos ad contexendam sanctimoniæ ipsius coronam perquirere cœpissem; quadam nocte, eadem fatigatus meditatione, ad repausandum in lectulo me collo- C caveram. Et ecce oculis vix in somnum resolutis, videre mihi visus sum quamdam reverendi habitus sanctimonialem Virginem, quasi pendulo per aerem corpore desuper venientem meque hac voce consolantem : Pete, inquit, et dabitur tibi. Statimque, ut intelligerem dæmoniacam non esse illusionem, idcirco citius ad superiora, unde venerat, redire visa est. Ego quoque sine mora somno me discutiens, tamquam et jam corporeis eam sequi possem oculis, supplex ad cælum suspexi, optavique juxta illius sponsionem prosperum a Deo petitionibus meis præstari effectum : ex hoc jam pio credens effectu me ab ipsa beata Virgine visitatum, utpote quæ suum eo *opus aggreditur.* tempore in me recognosceret famulatum. Cujus etiam deinceps necessariam affore mihi sperans interventionem, in ejus nomine qui dat lasso virtutem, ad disserendam accedo virginalis vitæ laudem. Adstipulantur mihi certissima quædam rerum ab ea gestarum indicia, quæ tamquam uberrima totius præconii dispergere aggredior semina. Quibus ipse, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum est, dare dignetur incrementum, ut in cordibus fidelium, tamquam in agro cœlitus benedicto, justitiæ *c* proferant fructum. Amen *c*.

a *MS* Præfatio in Vitam S. Hadelaugæ Virginis. *Alterum MS.* D De S. Hadelauge Virgine Prologus. — b *Videtur ergo minor Vita postea conscripta.* — c *Sequebantur in MSS. Capitulorum tituli, qui rursum ad singula annotabantur, ut et nos adscribemus.*

## CAPITULUM I.

### *Invitatorium ad contemplandam et laudandam beatam Virginem Hadelaugam.*

Egredimini filiæ Jerusalem, et venite : egredimini, inquam, et videte Virginem inclytam, vere filiam Sion : venite, et contemplamini B. Hadelaugam, dilectam Regis æterni filiam et sponsam : considerate Virginem in semitis justitiæ vos præcedentem, et viam vobis, qua sine offendiculo gradiamini, complanantem. Egredimini ergo, et videte : egressu enim opus est et accessu, pro tam jucundo contuitu. Specialiter enim vos speculari oportet primam monasterii vestri fundatricem et præcipuam religionis vestræ metatricem. Vos igitur egredimini egressu salutari, ipso ducente, cui dictum est : Egressus es in salutem populi tui, *a* ut salvos faceres Christos *a* tuos. Porro animalis homo, qui non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, istum ignorat egressum, neque contemplari valet admirabilem in Sanctis suis Deum. De hoc namque scriptum est : Et si ingrediebatur, E ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit *invitat monachas, ut S. Hadelogam spectent :* iniquitatem sibi : egrediebatur foras et loquebatur in idipsum. Quid iste videbit in Sunamite nisi quod videri potest ab homine secundum carnem sapiente? *Psal. 40. 7 et 8* De talibus enim dictum est : Quia excæcavit illos *Sap. 2. 21 et 22* malitia eorum, et nescierunt sacramenta Dei, nec *non ut terreni homines,* mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem sanctarum animarum. Verumtamen potens est Deus, qui justificat impios, ad contemplandam Sanctorum suorum gloriam de limo profundi evocare etiam istos, iterans potentem illum misericordiæ suæ clamorem, quo ait : Lazare veni foras. Nos in- *Joan. 11. 43* terim prætereuntes attendamus magis ipsos Ecclesiæ filios, ab infidelitate per regenerationem aquæ et Spiritus egressos : an post egressum istum fidei gressibus, et virtutum profectibus veniant, et accedant, ut in Sunamite choros castrorum videant. Nam multi (pro dolor!) etiam ex his vitam fidei agentes contrariam, nec requirunt quidem Sunamitem nostram, tantaque est ignorantium vel negligentium multitudo, ut merito audiant a Spiritu sancto : Mu- *Prov. 31. 10* lierem fortem quis inveniet? (Quis enim pro raro et difficili ponitur) illicoque adjungitur : Procul et de ultimis finibus pretium ejus. F

5 Heu me miserum! qualem fortissimæ hujus mulieris elegistis præconem? Cæcum utique ducem. Numquam enim a me gloriabor inventam, ut vobis eam quasi prævius ostendam? Absit : procul enim a me pretium illius, longe jaceo sub pedibus ejus. Pretium, id est, dignitas et sublimitas meritorum ejus, quibus appretiata et glorificata est in conspectu Domini, in meis nequaquam reperitur moribus. Verumtamen, qualiscumque sim ego, vos, ut jam dixi, egredimini et videte. Nam et me ipsum, eisdem quibus vos alloquor verbis, ad similem hortor egressum, ad inveniendam mulierem fortem, meum pariter excito affectum. Scio quidem jam dudum vos cum Abraham de terra et cognatione vestra egressas, *sed ut, quod jam cœperunt,* eam aliquatenus invenisse, mihique ad invenienda ejus vestigia ducatum præstare posse; mallem tamen humilitatis gratia audire, quam docere. Nisi enim virtutum ejus gratiam ex parte in vos transfusam prægustassetis, nequaquam mihi pro describendis ejus laudibus tanto opere insisteretis. Sed si jam, ut dictum est, salutari egressu, de vitiis ad virtutes, ejus transmigrastis exemplo, quid est, quod denuo, ad considerandam eam, egredi tanta vobis importunitate persuadeo? Hoc nimirum quod etiam his, qui perfecti

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A perfecti videntur, necessario est attendendum, quod Apostolus nobis insinuat dicens : Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei. Itaque et vos, dilectissimæ, licet ad quædam hujus beatæ Virginis exempla, ducente Deo, profeceritis, ad majora nihilominus contendite, ab his quæ retro sunt egredientes, et ad contemplandum mecum anteriora procedite. Sed cum de vestra certus sum devotione, quis mihi det ut veniat petitio mea, et quod exspecto tribuere dignetur Deus? ut et is, quem paullo ante commemoravi, animalis homo, qui hactenus ad spectacula vanitatum egredi solebat, ab his tandem egressus, vobiscum veniat, et novi spectaculi vestri jucunditate condelectari discat. Veris utique constare probabit experimentis, licet sibi usque modo incognitum, quod canimus in Psalmo : Narraverunt mihi iniqui *b* delectationes suas : sed non ut lex tua, Domine. Adsint senes et juvenes hujus spectaculi participes : hic decrepiti onerosa senectutis tædia obliviscantur : isti vero lascivi inania hic deponentes ludicra studiis melioribus occupentur.

*Phil. 3, 13 et 14*

*ejus exempla imitentur :*

*Psal. 118, 85*

*b*

B 6 Adesto beata Mater, mater, inquam, assiduo partu gravida, et Virgo sine ruga, et gratulare de hac filia tua. Scimus quidem, quod collidentibus se invicem in tuo utero infantibus, frequenter concussis visceribus adeo fatigata sis, ut cum Rebecca, quæ in typo tuo præcesserat, gemens dicere potueris : Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Sæpe enim te a juventute tua expugnaverunt hi, qui honorem potius et reverentiam maternæ tuæ pietati deferre debuerant ; sed ipso, qui te dilexit, pro te dimicante, non prævaluerunt. Sunt et alii tibi filii, quorum solatio gemitus et doloris tui oblivisceris, filii pacis et caritatis, filii justitiæ et pietatis, qui in circuitu mensæ Dominicæ, olivarum comparantur novellis. Sunt et filiæ vere compositæ, non tantum ut similitudo templi circumornatæ, sed ut Spiritus sancti honorabile templum omnium charismatum affluentia dedicatæ. Inter quas et hanc beatam Virginem Hadelangam computamus, pro cujus beatitudine tibi merito congaudemus. Hæc enim cum reliquis et filius et filiabus tuis, facta est spectaculum huic mundo et Angelis et hominibus. Omnes ergo jucundemur in Domino ad laudem et honorem nominis ejus, virginali vacantes præconio, tamquam desiderabili

C astantes et inhiantes spectaculo.

*Gen. 25, 22*

*Ecclesiæ gratulatur quod tales filias habeat qualis S. Hadeloga.*

*a Vulgata versio ita habet Habacuc 3, 13 : Egressus es in salutem populi tui in salutem cum Christo tuo. — b Vulgata, fabulationes, id est, nugas, vana et mundana gaudia : vel nugaces sermones de me sparserunt.*

## CAPITULUM II.

### *Laus S. Hadelangæ ab Humilitatis gratia.*

Sicut sponsa fidelis ordinatam in se a Dilecto suo fatetur caritatem, ita nihilominus ordinandam in nobis divinam credimus laudem. Ordinata est caritas, cum in proximi amore discimus qualiter Deum amemus *a* omnipotentem. Quod si sic ordinata in nobis caritas est, ut juxta Apostoli præceptum, omnia nostra in caritate fiant ; omnia procul dubio bene ordinata sunt, quæ per caritatem ordinatam geruntur. Ergo et inde laudanda est Creatoris potentia, et quia ex caritate laudamus, ordo quidam est observandus : prius enim in Sanctis suis, postmodum vero secundum multitudinem magnitudinis suæ laudandus est. Nam quasi primordia quædam et rudimenta sunt divinæ laudationis, laudes istæ, quibus honoramus eum in Sanctis suis, quibus tanquam lacte quodammodo educati, ad laudandum eum secundum multitudinem magnitudinis suæ, quasi ad solidum cibum,

*a*

*Ordinata caritate laudatur Deus in SS.*

*1 Cor. 16, 14*

*deinde in se*

et ad Angelorum convivium, proficiamus. Quantam D enim in summa et ineffabili laudatione illa suavitatem sperare debeamus, hic aliquatenus prægustamus. Proinde tanto ferventior in primordiis his nostra fiat devotio, quanto desiderabilior est consummatæ laudis exspectatio.

8 Quod idcirco breviter prælibare volui, ut in laudanda B. Hadelanga Virgine, imo in magnificando per ipsam et in ipsa Redemptore, cœpta vigilantes progrediamur alacritate. Procedat ergo jam, et ipsa vitæ suæ consideranda nobis proponat insignia : ad quorum nos imitationem Divina provehere dignetur clementia. Procedat, inquam, et regnet. Equidem ad conregnandum cum Christo jamdudum processit ; sed et nobis nunc procedat, et regnet, id est, qualiter regnare cœperit, insinuet. In præsenti enim regnare incipiens, futuri regni jam pignus accepit, cum initium omnis peccati superbiam declinans, ipsum qui rex est super omnes filios superbiæ, humilitate dejecit. A qua virtute sumendum mihi videtur præconii ejus principium, juxta quod Dominus in Evangelio primum constituere voluit eumdem in beatitudine gradum, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

*S. Hadelogæ prima virtus humilitas,*

*Matth. 5, 3*

9 Hæc igitur ejus humilitas tanto celebriori inter E homines commendanda est memoriæ, quanto ei apud Deum majoris causa fuit gloriæ. Sicut enim ipse occultorum cognitor, non quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto offeramus, pensat, adeo ut duo viduæ minuta amplis divitum muneribus præponat ; ita etiam non tantum quod humiliamur, sed quales quantique fuerimus, qui humiliamur, examinat. Ista quippe Deo dilecta Virgo ex imperiali illo *c* Pipini famosissimi Francorum Regis sanguine orta, et ad regnum nata, de tanto regii fastus culmine ad sectandam Christi humilitatem spontanea devotione descendit. Cognatis et amicis, ut fieri solet, ad sibi familiaria excellentiæ insignia eam revocare volentibus, divina se prosequente gratia, in arrepto modestiæ proposito perseveravit. Quod spiritualis prophetiæ studium quantæ fuerit difficultatis, quam plenum tentationibus et angustiis, ipsi pene soli scire possunt, qui in tali sæcularium dignitatum sublimitate positi, imo in tanta maris altitudine periclitati, ad portum humilitatis prosequente Deo evadere potuerunt. Quantum tamen conficere possumus nos, qui humiliori loco nati et educati, altitudinem Sathanæ non cognovimus, quidquid beatæ Virginis oculis de hujusmodi altitudine occurrebat, quidquid auribus F obstrepebat, oneri erat, carnis quidem affectum illiciens, animum vero, tamquam inflicto quodam vulnere, alliciens. Aliis laudantibus, aliis vero detrahentibus, aut etiam irridentibus, varii in ejus corde movebantur tumultus, et velut quidam obstrepentium bestiarum fremitus. Præterea clientela, quæ austeritate regi consueverat imperiosa, videns Dominam mitius agentem, verbo, habitu et incessu, nil nisi mansuetudinis et humilitatis indicia præferentem, insolescebat : maxime tamen importuna, ut assolet, ancillarum garrulitas eam movebat.

*eo illustrior.*

*c*

*quo ipsa nobilior,*

*oppugnata ab amicis,*

*ac famulis,*

10 Inter hæc ipsa juxta Psalmistæ vocem turbata quidem, sed non locuta, in semetipsam citius revertebatur, recolens David, qui cum jam unctus esset in Regem, et Saulis, quem projecerat Dominus, ne regnaret super Israel, pateretur persecutionem, quam vilia quamque indigna de semetipso senserit, adeo ut persequenti se dixerit : Quem persequeris, Rex Israel? quem persequeris, canem mortuum et pulicem unum... Esther quoque Regina frequenter ejus occurrebat animo, de cujus humilitate, qua Mardochæo subdi non dedignabatur, ita scriptum est : Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther, et ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam

*imitata Davidem et Estherem,*

*1 Reg. 24, 15*

*Esth. 2, 20*

A eam parvulam nutriebat. Cujus memor B. Hadelaugis, et ad preces conversa, Deum humilitatis suæ conscium invocabat, dicens cum ipsa: Tu scis, Domine, quod abominer signum superbiæ et gloriæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et quod lætari non soleat ancilla tua, nisi in te, Deus Abraham. Deus fortis super omnes, exaudi precem eorum, qui nullam aliam spem habent, et libera eos de manu iniquorum. Facile igitur æstimari valet, quam acceptum Deo fuerit humilitatis hujus sacrificium, inter tot difficultatum certamina, quasi aurum in fornace approbatum. Hujus enim beatitudinis gratiam longe facilius pauperes quam divites, ignobiles quam nobiles assequuntur, cum et istis in despectu generis vel tenuitate rei familiaris, occasio desit elationis. Illos autem ab humilitatis proposito multa impediunt obstacula, tum divitiarum abundantia, tum obsequentium ministeria, et familiaris nobilitati jactantia, aliaque hujusmodi paupertati spiritus nimis adversa.

*et c. 14. 16 et 19*

11 Unde vos, o filiæ Jerusalem, si aliquando asperiores vobis in via humilitatis occurrerint adversitates, non cito moveamini, neque deficiatis quasi novi aliquid acciderit, cum non alia electis omnibus, nisi per angustam portam, via esse possit. Salutaria hujus sanctæ Virginis exempla plus vobis conferant B ædificationis, quam vivæ vocis documenta, ut susceptum Christi jugum mansueto et humili corde feratis, nil de nobilitate carnis, caduca mundi gloria præsumatis. Per exterioris hominis habitum tanquam per speculum interiora vestra reluceant, et ad glorificandum Patrem, qui in cœlis est, intuentium corda accendant. Prudentibus Virginibus loquor. Vos ipsæ judicate, si decet sponsas Christi pretiosarum vestium cultus et ornatus. Considerate ipsum speciosum forma præ filiis hominum, ad cujus properatis thalamum, et ipsius reformamini exemplo, cujus subarrhari meruistis annulo. Describat eum vobis Isaias: Non est, inquit, species ei neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus et desideravimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem. Et, quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Videamus et ipsius Sponsi amicos, an aliis incesserint vestigiis? Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Et ipse, quo inter natos mulierum major nemo surrexit, Joannes Baptista, vestitus erat pilis camelorum et zona pellicea circa lumbos ejus. Hæc et alia hujusmodi sanctæ C humilitatis exempla cum lacte matris ab uberibus Ecclesiæ suxistis; hæc diurna vel nocturna meditatione frequentare non cessatis. Ipse igitur magister bonus qui docet hominem scientiam, tribuere dignetur etiam operationis efficaciam, ut fiat in vobis beatitudo, quam ipse promisit, dicens: si scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea. Vellem autem eadem veræ nobilitatis insignia, eorum nihilominus insinuare auribus, qui pro nobilitate carnis vel potentia licere sibi putant omnia, si forte Apostolicum istud præceptum (quo ait: Divitibus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum) ex tantæ Virginis imitatione persuaderi eis posset. Quis enim ex his gloriosior imperiali prole Regis Pippini? Cujus igitur affectant æqualitatem in generis nobilitate, vel seculi dignitate, multo amplius optent et adipisci laborent sanctitatis consortium ex devotionis imitatione.

*imitanda sacris Virginibus.* — *quæ Sponso suo Christo similes in cultu corporis esse debent.* — *Isa 53. 2 et 3 Heb. 11. 37* — *et SS. aliis.* — *Joan 13. 17 1 Tim 6. 17*

a *Deest in* 2 *MS* omnipotentem. — b *MS.* 2, hunc nos. — c *De S.* Hadelogæ *prosapia antea actum.*

## CAPITULUM III.

### *Laus S. Hadelaugæ a virginali pudicitia.*

Ex quo electa Dei Hadelauga Virgo florem mundi calcare cœpit tanquam aridum, in semetipsa consequenter excolere studuit flores et germina virtutum, quarum perpetua viriditate florere mereretur apud Dominum. Contempta quippe nobilitatis gloria, quam hæreditario jure clarissima in se transfuderat parentela, ad primæ originis dignitatem, id est, ad beatam illam Angelorum aspirat societatem. Proinde angelicam in terris cupiens agere vitam, cœlitus inspirato virginitatis voto semetipsam sponte obstrinxit, ut etsi postmodum (ut est humana fragilitas semper incerta, futuri) nubere voluisset, obstante illa primæ sponsionis necessitate, jam quod ante licuerat, non liceret. Suspecta quoque ei esse poterat parentum voluntas, ideoque ne violenta eam ad nuptias cogerent potestate, maturius arbitrii sui libertatem voti hujus obligare voluit necessitate. Ita sane hoc se devinxit proposito, non quo nuptiis ullatenus derogaret, sed quo sine vinculo maritali Conditoris sui servitio liberius vacaret. Audierat ut Virgo prudens quia tribulationem carnis habebunt hujusmodi, et sollicti sunt pro his quæ sunt hujus mundi, quomodo placeant invicem, et divisi sunt; sed mulier innupta et Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. Æstimandum quoque aliam ei eligendæ virginitatis fuisse caussam præcedentem videlicet ex ea humilitatis gratiam, quæ tanquam virtutum mater, hanc ei primogenitam peperit et aluit filiam, id est, virginalem pudicitiam. Nisi enim vere humilis fuisset, ad propagandam sobolem et dilatandam sui generis gloriam, matrimonio jungi consensisset.

D — *S. Hadeloga Deo vovet virginitatem,* — *1 Cor 7. 28 et 34* — E *quæ ex humilitate nascitur.*

13 Videntur autem inter alia tres præcipue caussæ maximam ei in hujus ardui propositi aditu difficultatem generasse, quas, etiam me non commemorante, facile est vobis perpendere. In deliciis regalibus enutrita, pretioso vestium cultu adornata ut tantæ congruebat nobilitati, omni varietate circumdata fuerat: magnam obsequentium sibi utriusque sexus turbam sustinebat, quibus longe alias mens contrariumque dominæ suæ propositum inerat. Horum tamen audire vaniloquia, videre lasciviam, quantam putamus castis auribus et columbinis obtutibus fuisse injuriam, quam gravem variarum tentationum materiam? Quam onerosa animo ejus fuerit vexatio, vos nonnunquam proprii laboris didicistis experimento: quas pro necessariis monasterii caussis progredientes in publicum, ineptias secularium et visu et auditu contra votum perpeti oportet. Hæc ergo ei prima videtur difficultatis caussa fuisse, a qua tamen F tali se refovebat consolatione, ut ab exterioribus molestiis ad secretarium refugeret conscientiæ, gaudens alienum a se intrinsecus, quod renitenti obstrepebat extrinsecus. Secunda vero qua gravari poterat, caussa hujusmodi fuit: universa, ut nostis hominum studia, sive in divinis sive in humanis rebus coalescere ac roborari solent ex consortio coæqualium. Ideoque in omni arte vel professione similis simili quærit adhærere, et non parum emolumenti ex ipsa sibi societate credens conferri. Unde pensandum quantum et hæc beata Virgo a suis coæqualibus consilii, quantum solatii, frequenter assumpsisset, si adjacentia sibi aliqua Virginum Christi monasteria habuisset. Sed rara erant adhuc in omnibus Teutonicæ terræ partibus non solum ancillarum Dei, sed et monachorum conventicula: postmodum per divinam gratiam longe lateque propagata. Quod hinc liquido colligitur, quia ubi vestrum nunc situm est monasterium, quod pene omnibus in hac regione antiquius videtur, eo tempore illic nemorosa fuisse solitudo cognoscitur.

*ex illis difficilis, amicis contraria sapientibus* — *destituta solatio aliarum Virginum,* — *nullis adhuc fundatis in Germania cœnobiis:*

14 Nam (ut breviter aliquid de ejusdem loci antiquitate per excessum dicam) Fuldensi quoque cœnobio antiquius videtur. Quod, ut ex veracibus historiis

*nam et ea Fuldensi antiquiu. Kitzingense,*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

A toriis adnotare potui, hac ratione colligitur. Anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo quadragesimo a quinto, regnantibus in gente Francorum duobus fratribus Carlomanno videlicet et Pipino, filiis Caroli, per B. b Bonifacium Archiepiscopum Fuldensis cœnobii fundamenta initiata sunt. Porro cum Fratres sub Abbate c Sturmo noviter inibi collecti, ad monasticæ disciplinæ normam corpora mentesque toto annisu inclinassent, consilium utile inierunt, ut videlicet aliqui ex ipsis ad magna alicubi mitterentur monasteria, ubi Fratrum concordiam et regularem plenius addiscerent conversationem. Quod cum Sancto indicatum fuisset Episcopo, prudens probavit consilium, et studioso Sturmi talis industriæ injunxit negotium. Qui præparatis itineri necessariis, duobus quoque Fratribus assumptis, Romam profectus est, et lustratis in terra illa cunctis monasteriis, peracto illic biennio est regressus. Cumque ad orientalem Franciam pervenisset, morbo correptus, hospitandi et quiescendi gratia in monasterium divertit nostrum, ibique per quatuor hebdomadas cogente ægritudinis necessitate mansit. Hinc ergo antiquis vestrum videtur cœnobium, et ante jam regularibus disciplinis institutum, ubi inter ipsa Fuldæ B primordia tantis hospitibus, tam larga hospitalitatis impensa sunt officia.

*in quo S. Sturmio exceptus;*

15 Proinde illorum quoque opinio refellitur, qui B. Hadelaugam ab hoc Pippino Carlomanni germano, generis originem duxisse suspicantur. Eo enim tempore, quo Fuldense fundatum est cœnobium, ad nutum Carlomanni, qui majoris erat ætatis, omnia paterni regni disponebantur jura: et qua ratione monasterii nostri fundatrix Pippini junioris genere creditur exorta, quæ, ut dictum est, jam ante in hæreditaria possessione habitationis vestræ jecerat fundamenta? Nam cum idem Pippinus, d needum pro immatura ætate ad sustentanda regni gubernacula idoneus esset, qua consequentia filiam tantæ maturitatis habuisse credatur, quæ de paterna hæreditate aliquid hujusmodi ordinare posset? Altius ergo computanda videtur beatæ hujus Virginis genealogia, Sanctæ Gertrudis ac e Pippini senioris propinquitate gloriosa. Sed his pro demonstranda cœnobii nostri antiquitate interpositis, ad exequenda, ut cœpimus, beatæ Virginis præconia redeamus. Cui tamen, etsi pro paucitate cœnobiorum, ut supra dictum est, exterius defuerint spiritualium amicorum verba bona, verba consolatoria; aderat tamen intrinsecus Sponsi C cœlestis præsentia, de cujus allocutione veraciter protestatur dicens: Anima mea liquefacta est, ut Dilectus locutus est.

*non fuit S. Hadeluga Pippini Brevis filia:*

16 Tertia sane, quæ maxime urgeret caussa, talis æstimari potest. Puella tantæ nobilitatis titulo inclyta, divitiarum pollens abundantia, pudicitiæ quoque testimonio prædita, a quot putamus procis sese certatim prævenientibus est expetita? Regum ac Principum filii talibus se nuptiis insigniri sperabant, dotes amplissimas, pro sua quique magnitudine, proponebant, ampla terrarum spatia, familias infinitas, auri vero et argenti ac lapidum pretiosorum inæstimabilem ornatum spondebant. Quæ tametsi licite fieri soleant legitimarum obtentu nuptiarum; nulli tamen dubium, quod et hostis iste antiquus plurimas contra eam excitaverit instruxeritque insidiarum tendiculas; solitas nimirum contra virginalem integritatem exercens nimietias. Occultis quoque tentationibus carnales ei suggerebat illecebras, ut, juxta Apostolum, foris pugnas, intus haberet timores. Sed in his omnibus superavit propter eum, qui ipsam dilexit, et sponsam sibi præelegit. Plus tamen fatigata mihi videtur pugnis, quæ forinsecus movebantur, maxime pro parentum compassione, qui pro ipsa sollicitabantur. Qui aliquid horum ad gratiam me loqui æstimat, is proculdubio, ea quæ quotidiano usu inter D homines actitari solent, vel ignorat, vel scire se dissimulat. Nonne hæc et majora horum etiam circa ignobiliores quasque Virgines, pro sola carnis pulchritudine frequenter agi videmus? Nonne contentiones bellicas, incendia et homicidia pro hujusmodi zelo plerumque committuntur? Apostatæ namque angeli angelicam in hominibus vitam, a qua ipsi per superbiam lapsi sunt, præcipue oderunt, et ab hac eos præcipitare, universis malitiæ suæ artificiis contendunt. Cumque generali contra quoslibet exerceantur pugna, speciali tamen adversus nobilem hanc Virginem ferebantur invidia, eo quod et illa, in quibus sibi ad subversionem ejus maximas æstimabant opportunitates, nobilitatem scilicet, formam et divitias, forti animo calcaret. Hæc ita se habere, vos, o filiæ Jerusalem, non verbo tantum, sed gravium experimentorum argumento didicistis, quæ ad evincendum cum seculo ipsum etiam sexum ab ineunti ætate usque in præsentem diem decertare non cessatis.

*a multis procis expetita,*

*2 Cor. 7, 5 maxime molesta pugna,*

*quæ etiam minus claris accidit*

a *Alii anno* 744 *Fuldense monasterium fundatum scribunt, ut videre est in Broweri nostri Antiquitatibus Fuldensibus, et Rucelini Annalibus.* — b S. Bonifacii *Ep. et Mart. Vitam dabimus* 5 *Junii.* — c *In MS.* Sturmo. Sturmius *est et apud Browerum in subscriptione* Chartulæ S. Bonifacii de limitibus et terminis Fuldensis monasterii: *ipsi Browero nunc* Sturmis, *nunc* Sturmius; *aliis etiam* Sturmio. *Dabimus* 16 *Decembris Vitam ejus, ubi eadem quæ hic de profectione Italica, et morbo, atque Kitzingensi cœnobio curatione, narrantur.* — e *Germaniæ quidem provinciæ B. Carolomanno parebant, in quibus Franconia et Buchonia, atque in hac Fulda, in illa Kitzinga.* — d *Tali enim hoc est, patre Carolo Martello mortuo, ambo filii gubernandum regnum Francorum susceperunt, sed titulo Majorum-domus tantum; ac simul bella gesserunt. Patet ex Annalibus a Chesnio tom.* 2 *Francorum editis e MS. Joan. Tilii, ubi ad annum* 742 *ita habentur:* Carlomannus et Pippinus Majores-domus duxerunt exercitum contra Hunoldum Ducem Aquitanorum, et ceperunt castrum quod vocatur Lucas. Et in ipso itinere diviserunt regnum Francorum inter se, in loco qui dicitur Vetus Pictavis. *Et anno* 743: Tunc Carolomannus et Pippinus contra Odilonem Ducem Bajoariorum inierunt pugnam. *Item anno* 744: Iterum Carlomannus et Pippinus perrexerunt in Saxoniam. *Non potuit tamen* S. Hadeluga, *fundatrix Kitzingensis monasterii, Pippini hujus filia esse.* — e S. Gertrudis, *quæ* 17 *Martii colitur, filia fuit B. Pippini Ducis et Majoris-domus Regum aliquot Austrasiæ: hujus filia altera, Gertrudis sorore,* S. Beggæ *natus est* Pippinus, *qui* Crassus *cognominatur, et* Herstallius *ac quandoque* senior: *qui pater fuit Caroli Martelli, patris, ut creditur,* S. Hadelugæ. E

*Pippinus Brevis statim a morte patris cum fratre Franciam regit*

## CAPITULUM IV.

### *Laus S. Hadelaugæ ab orationis instantia.*

Auribus audiendi audiens beata Virgo Hadelauga loquentem sibi Dilectum, ac dicentem: Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis; efficacius de die in diem in se curabat exprimere, quod ex his intellexerat F verbis, ut cuncta honestati et virgineo pudori congrua gereret; ne quando ipsum, cui desponsata erat, offenderet. Nam non contenta in solis genis, id est, in reverentia virginalis castimoniæ similitudinem exhibere turturis; sed exprimere etiam eam satagebat in reliquis. Sicut enim avis hæc gemitum pro cantu habet, sic et ipsa mundo gaudente lugebat, sponsique præsentiam æstuanti desiderio requirens, solo lacrymarum refrigerio gaudebat. Quanto enim variis urgebatur tentationibus, tanto continuatis incumbebat precibus, ne torpente perderet incuria, quod magni laboris quæsierat industria. Filii hujus seculi, qui prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt, suis eam studiis, licet ex contraria parte, ad meliora incitabant, ut esset in virtutibus excolendis ferventior, in custodiendis vigilantior; cum illi ad congreganda et servanda ea, quæ etiam congregata et servata pereunt, tam infatigabili labore insistant. Attendens enim avaros circa quæstum temporalem tam pervigiles agere excubias, tamque periculosas perpeti angustias, ipsa immortalitatis intra se custodiens thesauros, solito prolixiores in orationibus peragebat vigilias. Videns etiam filias suas, scilicet illas, quas Isaias describit elevatas extento collo ambulare et pedibus suis composito gradu incedere, faciesque

*S. Hadeluga ad profectum attenta,*

*Isa. 3, 16 assidue orat, cum lacrymis;*

A ciesque ipsarum adulterini coloris fuco depictas renidere, genas suas turtureas, multo largioribus lacrymis infundens, spontaneo obducebat squalore, cum Apostolo gloriari cupiens et dicere : Si adhuc hominibus placerem, Christi ancilla non essem. Denique majorem fuisse orationis ejus instantiam, quam ego incircumcisis labiis eloqui valeam, ipse qui usque in hodiernum diem omnibus manifestus est earumdem precum et laborum ejus fructus protestatur : de quo in sequentibus Domino largiente dicetur.

Gal. 1. 10

18 Nunc vero qualiter ad commendandum in ea orationis studium commonitus fuerim, quod tamen etiam sine illa commonitione nequaquam neglexissem, vestræ non piget insinuare Caritati; licet noverim quosdam de diverso protinus mihi obviantes, qui dicant : Ecce somniator venit; venite et percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus; sed videamus quid illi prosint somnia sua. Atque utinam cum vero illo Joseph dicere mererer : Quoniam propter te sustinui opprobrium, et, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Ut ergo ipsius Joseph verbis utar, audite somnium meum, quod vidi. Putabam me vetustum quemdam libellum de vita et virtutibus beatæ hujus Virginis conscriptum reperisse; avido desiderio revolutum B legendo percurrere, ubi inter alia jucundum quoddam de orationis ejus perseverantia capitulum denotaverim. Cumque lectionis hujus quantum dormiens poteram suavi refectione diu delectari mihi viderer, tandem evigilans, quid viderim vel legerim, recapitulare volebam, nec quidquam præter solum illud capitulum de orandi instantia annotatum reminisci valebam; quod tamen ex integro, ut per somnum intellexeram, vigilans memoriter obtinui. Hujusmodi enim fuisse videbatur : Beatam videlicet Hadelangam, præter generale orandi studium, quo frequenter occupabatur, hanc specialem habuisse consuetudinem, ut cum quis familiarium suorum, qui ejus se commendasset orationibus, vita excederet, tam diu infatigabiles pro illius anima preces effunderet, quoad usque locis pœnalibus ereptam et in requie collocatam ex divina revelatione cognosceret. At si quando culpis ejus, pro quo supplicabat, obsistentibus, tardius præsentialiter exaudiretur, solitam nihilominus alios quosque spiritales secum pariter ad intercedendum assumere. Ipsos quoque Pontifices missa legatione convenire, ac pro defuncti absolutione humiliter flagitare, ut in communibus Ecclesiæ conventibus facta ejus commemoratione, junctis totius C populi adjuvaretur precibus.

Gen. 37. 6

*Auctor in somnis edocetur ejus orationis studium :*

*et solitam pro amicis mortuis orare, donec salvatos intelligeret.*

19 His pro devotionis meæ affectu simpliciter hic insertis, ad vos redeo, ad vos, inquam, o filiæ Jerusalem, oculos reflecto. De vestris potius testimoniis præsumo, quæ ad sacra ejus ossa excubatis, quæ virgineis choris tumulum ejus cingitis, debito obsequio honorifice frequentatis. Quod enim ipsa vivens gesserit in corpore, quam crebra fuerit in oratione, vos circa sepulchrum ejus piarum precum ostenditis assiduitate. Hujus ergo capituli textus vivacius legitur in operibus vestris, quam imperitiæ meæ explicari possit verbis. Nunc quippe publicas, nunc secretas ibi offertis orationes : ad salutandam eam et alloquendam, tamquam visibili præsentia vobis cohabitantem, certatim alterutrum prævenientes, ut tam rebus quam verbis protestari videamini, et dicere : Hæc est Virgo amatrix Virginum et populi sui. Hæc est quæ multum orat pro populo et universa civitate ista. Solita igitur devotionis hujus obsequia ferventius de die in diem exercentes, ad posteros vestros quasi hæreditario jure transmittite. Et confidenter dico, quod efficacius proderunt oculis subjecta tantæ religionis exempla, quam auribus infusa hujus præconii verba. Adsit ipsa et laudatoribus

*ad ejus sepulchrum assidue orantes moniales laudat,*

*utque pergant hortatur.*

suis et imitatoribus, meritorum et precum interventione obtinens apud Deum, ut quos delectat suavitas laudationis, labor non gravet imitandæ religionis. D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

## CAPITULUM V.

### *Laus S. Hadelaugæ a conversatione solitaria.*

Beata Virgo Hadelauga cordis sui secretarium semper paratum exhibere curabat ad offerendum Deo puræ orationis holocaustum. De quo ipse ait : Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in abscondito. Verumtamen non hoc contenta, juxta similitudinem turturis, cujus supra meminimus, solivaga gemere consueverat; quærens etiam extrinsecus secretum liberius immolandis precum hostiis opportunum. Audierat quippe cum Abraham, præcipientem sibi Dominum et dicentem : Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque offer eum ibi in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi. Quid vobis videtur? numquid Virginem tali prole fœcundari posse ambigitis? Imo quanto fuerit castior, tanto huic conceptui erit aptior. Isaac enim risus vel gaudium interpretatur. Spirituale igitur gaudium gratamque Deo jubilationis hostiam de simplici cordis ejus puritate recte dixerim progenitam, E pro qua jugiter offerenda divinitus eam frequentissime credimus admonitam. Sane in quacumque terrarum regione moraretur, a terra visionis non recedebat, quæ relictis peccatorum tenebris in luce virtutum conversabatur; sed ad perquirendum specialem quemdam magnæ visionis locum divinæ aspirationis instinctu ducebatur. Nobiliter etenim nata, et magnis divitiarum copiis onerata magis quam ornata, oblivisci festinabat populum suum, et domum patris sui : sic tamen ut possessiones hæreditario sibi jure subjectas divinæ manciperet servituti, Christum diligens, et ipsum eligens hæredem depositi sui fidelissimum custodem. Per omnes itaque prædiorum suorum fines indagare satagebat locum ab humana quidem conversatione aliquantisper semotum, quieti vero spiritualis propositi opportunum, ubi et voluntariæ paupertatis et continuæ orationis vacaret exercitio, aliasque virginalis voti æmulatrices suo provocaret exemplo.

Matt. 6. 6

Gen. 22. 2

*Sancta semotum a turbis locum quærit,*

*ubi deinde cœnobium ædificet,*

21 Præcessisse creditur, ut supradictum est, in præclara generis ejus linea B. Gertrudis Virgo, quam sacro velamine ad immortalis sponsi nuptias F ornandam mater memorabilis *a* Hytta B. *b* Amando Episcopo miræ sanctitatis obtulit viro : cujus salutaribus consiliis roborata, monasterium construxit, vitamque inibi regularem, qui filiam prædiceret, magna prædiorum copia instituit. Præcesserat etiam in eadem genealogia, neptis veneranda Virginis Gertrudis, nomine *c* Wulfruda, sub jugo sanctæ regulæ secus pedes ejus verbi Domini lacte nutrita, et ad ipsius monasterii regimen illa adhuc vivente, et ordinante provecta, aliæque spirituales Dei ancillæ in eodem cœnobio, ex antiquo et nobili Francorum genere aggregatæ. Quarum audita religione B. Hadelauga in Dei amore vehementer accensa, quotidianis profectibus ad augmenta meritorum anhelabat, formamque pietatis et justitiæ, quasi hæreditaria lege ab illis ad se transmissam, omni studio excolebat.

*a b*

*S. Gertrudem imitata,*

*c*

22 Erat eo tempore inter reliquas possessiones ejus nemus solitarium, feris duntaxat pervium, ipso videlicet in loco, ubi vestrum nunc situm est monasterium : quam ipsa solitudinem frequenter lustrare solebat, optatum quærens locum, et prosperari, ordinante Deo, exspectans desiderium suum. In qua seculi fuga et eremi indagatione sollicita non mediocrem currenti superaddere poterat stimulum memorabile

*quæ nuptias fugiens in Franconiam venisse dicitur,*

AUCTORE ANONYMO, MSS

A rabile Beatæ illud *d* Gertrudis exemplum. Quæ cum in virginitatis proposito permanere decrevisset, pater autem, licet invitam, marito eam tradere voluisset, auxilio matris, quamdiu potuit, in regno paterno delituit; sed cum diutius latere non posset, fugiendo divertit in partes Orientalis Franciæ, in locum qui *e* Karleburg in Ducatu Herbipolensi dicitur: ibique de facultatibus suis in honorem beatissimæ Virginis Mariæ monasterium construxit, quod usque in præsentem permanet diem, ubi *f* Attalongum Presbyterum, et Bernahardum Diaconum, quos secum adduxerat, ministrare constituit. Credebat enim vivum illud et sanctum habitaculum, quod in virginitate sua Deo consecraverat, per beatæ Genitricis ejus interventum sine contaminatione permansurum: ideoque in veneratione ejus etiam exterioris templi dedicari fecit ædificium.

*et monasterium ædificasse*

23 Eodem modo et beata Virgo Hadelauga visibiles et invisibiles animarum fugiens corruptores, statuerat in corde suo, imo juraverat cum Propheta dicens: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. B Cumque in supradicta solitudine continuatis precibus divinæ pietatis aures pulsare non cessaret, ut aliquo indicio cælitus sibi ostenso consolari et de affutura voti sui efficacia certificari mereretur; tandem prælectum a Domino locum manifesta revelatione designatum invenit. Fertur quippe cum sola ibidem demoraretur, post peractas nocturnæ orationis excubias, quodam tempore primo diluculo, in ipso, quo oraverat, loco tantum spatii, quantum ad jacienda monasterii fundamenta sufficeret, tam evidentibus terminis undique distinctum atque separatum reperisse, ut erigendi ædificii lineas angelico sibi ministerio præfixas nullatenus posset ambigere.

Psal. 133. *Hadelogæ dilectus designatur locus monasterii.*

a *Alterum MS* Hatto *vulgo* Vtto, et Idaberga *de qua agemus 8 Maii, mater fuit SS. Gertrudis Virg. et Beggæ.* b *Colitur S. Amandus Ep. Trajecten. 6 Febr. ad quem dein multa de eo traduntur.* — c *Hæc in Vita S. Gertrudis* 17 *Martii* Wlphetrudis *appellatur, ubi et de aliis ejus spiritualibus filiabus agitur.* — d *Hæc fuerit filia Pippini et Ittæ filia, S. Gertrudis Nivellensis soror, an ejus sororis Beggæ neptis, filia Pippini Herstalli, quæstionem hic § 3 et* 10 *Febr. ad Vitam S. Scholasticæ per Hieronymum Hammersheimium can.* 8 *Notatum.* e *Alterum MS* Karelburg. — f *Idem MS.* Atthologum, *de eo ibidem actum.*

## CAPITULUM VI.

### *Laus S. Hadelangæ a Caritate vel munificentia.*

C Gaudendum est omnibus nobis, præcipue autem vobis, filiæ Jerusalem, quia vox turturis, cujus paullo ante meminimus, audita est in terra nostra, Beatæ scilicet Hadelaugæ, quæ gemitum pro cantu edidit, nosque ad lugendum luctus sui exemplo informavit. Hic namque invenit nidum, ubi reponeret ac nutriret pullos suos. Absit autem, ut indigne feratis ac pro injuria deputetis, si ejus vos dici pullos a me audiatis, quæ magis illi detrahere videmini, si non idipsum etiam absque mea assertione confiteamini. Namque cum corporales indigentias vestras collatis prædiorum suorum beneficiis abundanter sublevat, spiritualesque vitalibus exemplorum dapibus jucundissime recreat, nonne quasi pullos turturis vice, in tranquillitate nidi pia nutrimentorum saturitate refocillat? Quis vero digne explicare valeat, quantum jucunditatis et lætitiæ beata Virgo, quam turturis nomine typice appellamus, tunc conceperit? quantas Deo gratiarum actiones persolverit, cum exaudito cordis ejus desiderio tam anxie quæsitum ei locum ostendit? Hic immolare meruit Isaac filium suum, quem tamen retinuit vivum, sicut et is quem Abraham obtulit, et hostia fuit et incolumis evasit.

*ipsa volens monachas ut pullos congregare,*

Quod qualiter fieri possit, Apostolus manifeste docet D dicens: Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Hostia quippe occiditur ut offeratur; sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum, quod et hostia dicitur et vivens; quia vivit in virtutibus, et est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia etiam huic mundo a pravis actibus est mortuum, vivens autem, quia cuncta, quæ prævalet, bona operatur. Quis vero locus ad immolandam hanc hostiam aptior inveniri potuisset terra visionis, quieta mansione solitudinis? Solitudinem vero non uniformem dico sed duplicem, exteriorem et interiorem, loci videlicet et animi. Unde Psalmista, ut exclusis a se tumultibus, absoluta libertate immolare posset hostiam hanc, optabat, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? Recordabatur fortassis columbæ illius diluvii tempore de arca Noe emissæ, quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad Noe in arcam. Cujus exemplo usus, concessum sibi, quem concupierat, quietæ solitudinis locum, gratulatur, dicens: Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Et alibi de oblatione ipsius hostiæ expressius loquens: Dirupisti, inquit, vincula mea, et sacrificabo hostiam laudis. Ita et beata Virgo Hadelanga inæstimabili replebatur jucunditate pro inventa dilectæ solitudinis opportunitate, sciens hunc locum suæ aptissimum hostiæ. Unde cum Abraham appellavit nomen loci illius, Dominus videt, et usque in hodiernum diem dicitur, In monte Dominus videbit. Vere enim locus iste pro illuminatione, quam beata Virgo hic assequi promeruit, hoc nomine honorari debuit: et semper in monte, id est, in tali virtutum celsitudine, Dominus videbit, quia oculi Domini super justos. Et sic quidem in electo solitudinis loco, laudis hostiam immolando, in dilectione Dei suos exercebat affectus.

Rom. 12. 1

*et hostiam vivam, ut Isaacum, per mortificationem offerre,*

Psal. 54. 7

ibid. 8

E

Psal. 115. 17

*fruitur optato utrimque loco reperto:*

Gen. 22. 14.

25 Verum quia duobus præceptis distinguitur caritas, ut nec sine Dei amore proximus, nec sine amore proximi recte diligatur Deus, etiam in proximi caritate miro se studio dilatare cœpit: nam jactis in eodem loco basilicæ fundamentis, congrua nihilominus ancillarum Dei habitacula circumquaque erigi fecit. Semetipsam quoque talem in Dei servitute exhibuit, ut præclara nominis ejus fama plures eo Virgines, Deo sub regulari tramite famulaturas, in brevi congregaverit: quibus pietate materna in omnibus consulens, tantam prædiorum contulit abundantiam, ut licet nil proprium haberent, ex communibus tamen redditibus omnem earum suppleret indigentiam. Sed quid vobis noto, velut incognita replico? Antiqua enim illius largitas vobis etiam hodie recens est, quodque alii de illa solis asserunt sermonibus, vos quotidianis probatis utilitatibus.

*habitacula monialibus ædificat,*

*easque sanctitatis fama congregat,*

F

26 Quanta caritate circa sublevandas proximorum necessitates inservierit, ex tunc et deinceps non tantum vobis, sed etiam omnibus qui in cœnobio vestro a generatione in generationem successerint, eadem semper munificentia declarare non cessabit. Hoc liberalitatis ejus memoriale inculcandum esset avaro, qui thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea; qui in incerto divitiarum sperat, nec in Deum dives est. Sed parcimoniæ ejus exemplum audire oporteret prodigos; qui ad abusionem munerum divinorum semetipsos adhortantur, dicentes: Venite et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis, antequam marcescant. Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum sit exors luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra,

*eisque necessaria curat,*

Sap. 2

tra, et hæc est sors nostra. Dicant e contrario Virgines, B. Hadelaugæ Virginis imitatrices; dicant, quod præclaris ejus didicerunt exemplis : Venite et fruamur bonis, quæ vere bona sunt, nec cum tempore transeunt : bonis scilicet cœlestibus, quæ numquam deficiunt. Prægustemus ea interim in spe, ut tandem satiemur in re, affluamus deliciis innixæ super Dilectum, qui paravit in conspectu nostro mensam, adversus eos qui tribulant nos, impinguabitque in oleo capita nostra : et poculum ejus inebrians quam præclarum est, poculum ex vino condito et mustum malo granatorum suorum. Non prætereant nos virtutum flores, nihil in nobis marcidum, nihil sit aridum ; sed in ipso, qui flos est campi, et lilium convallium, omnia nostra virescant, omnia floreant.

*ut Deo semper adhærere possint.*

## CAPITULUM VII.

### *Laus S. Hadelaugæ a familia.*

Postquam beata Virgo Hadelauga locum illum a Deo sibi revelatum, Bethel, id est, domum Dei appellare meruit, eo quod cum Jacob lapidem ibi in titulum erexerit oleumque desuper fuderit, ut tam opere quam voce veraciter profiteri posset, dicens : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ, ipsum locum omni diligentia interius et exterius adornare studuit. Exteriora quidem, ut matrona potens et imperiali genere vel potestate pollens, affluenti possessionum suarum administratione, propinquorum etiam tuitione procurabat; interiora vero maximæ humilitatis ac modestiæ documentis ac exemplis roborabat, contra illos detestandæ civitatis auctores, qui pro saxis lateres et pro cæmento bitumen usurpantes, dixerunt : Venite faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras. Ad quorum imitationem omnes hodie mundi amatores carnalis vitæ construunt municipium, quod ad vim ventorum et impetus fluminum facili impulsu velociter est subruendum. Hi enim ab Oriente, id est, a Christo recedentes, in latitudine vitiorum, tamquam in campi planitie, de lateribus civitatem ædificant, quia terrenis dediti, de fragili materia, mentis munitionem attollunt.

*locum exterius firmat bonis, et potentum tutela, intus documentis et exemplis ornat :*

28 Quo contra beatæ hujus Virginis sectatrices lateres in lapides commutarunt, quæ contempta terrenarum rerum cupiditate, et abdicatis carnalis vitæ illecebris, virtutum in semetipsis ædificia erexerunt, non in arena humanæ confidentiæ, sed in petra fidei, quæ Christus est. Talis denique Deo largiente fuit omnium profectus, ut quod generaliter prophetatum est de Ecclesia, specialiter quoque dici potuerit de solitudine illa virgineæ habitationi deputata : Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium, germinans germinabit et exultabit lætabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. Scissæ sunt enim in hoc deserto aquæ, et torrentes in solitudine, et quæ arida erat in stagnum, et sitiens in fontes aquarum. Ista quippe invia quondam solitudo, nunc autem frequens et jucunda fidelium habitatio, merito lætatur et exultat in Domino : quia floret sicut lilium, florido Virginum vernans contubernio, quæ dicere possunt cum Apostolo : Christi bonus odor sumus Deo. Quas et ipse Salvator lilio comparat, dicens : Sicut, lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Gloria Libani data est ei, scilicet candor virtutum : quia Libanus dealbatio interpretatur. Habet etiam decorem Carmeli et Saron. Carmelus mollis vel tenellus interpretatur. Nostis quod dura illa et obstinata Chaldæorum filia merebatur audire : Non vocaberis, inquit Propheta, mollis et tenera : tolle molam et mole farinam. Constat nimirum, quod teneræ suæ filiæ parentes parcunt, nec duris atque servilibus hanc operibus affligunt : Omnipotens ergo Deus, quasi teneram filiam vocat, quando dilectam uniuscujusque animam a laboriosis hujus mundi servitiis revocat, ne dum exterioribus actibus afficitur, ab internis desideriis obduretur. Sed Chaldæorum filia tenera et mollis non vocatur, quia mens pravis desideriis dedita, in eo, quem anxie appetit, hujus mundi labore relinquitur, ut foris mundo velut ancilla serviat, quæ intus Deum ut filia nequaquam amat. Carmelus vero scientia circumcisionis interpretatur. Ubi vero plenior hæc invenitur scientia, quam in mente virginea? Quis ad majorem munditiæ profectum ex circumcisione non manu facta pervenire valeat? Quoniam cogitans quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu, quæ non gloriatur de incorrupta carne, nisi fidei sinceritas et integritas animæ adfuerit. Unde non immerito Saron, id est, Princeps appellatur, quæ contra vitiorum barbariem principali dignitate dominatur.

*insignis illi virtutum profectus,*
Isa 35
2 Cor 2. 15
Cant 2
Isa 47 2

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS*

29 Tali decore locum istum per B. Hadelaugam fundatricem ejus Dominus illustrare voluit, cum vos de nationibus congregatas unanimes in hac domo habitare fecit. Proinde primas illas tantæ Virginis imitatrices oculis fidei contemplamini, quæ scilicet corporali ejus præsentia confortari, visibilibus admirandæ conversationis exemplis informari, vocis vivæ alloquio erudiri meruerunt. Has, inquam, vobis proponite, in quibus antiqua illa religionis forma, sicut a Sanctis præcedentibus, et ab ipsa monasterii vestri fundatrice tradita fuerat, illibata creditur viguisse. Procul ab illis pretiosarum cultus vestium, procul omnes illecebræ deliciarum : nam, ut et supra dictum est, rara erant adhuc tam monachorum quam ancillarum Dei monasteria : quantoque pauciores, tanto perfectiores fuisse constat, arctioris propositi sectatores vel sectatrices. Sed quis exprimendis eorum virtutibus inveniatur idoneus? quibus dignus non erat mundus : imo quorum munditiam ipse abhorrebat immundus. Quis denique vel solam hanc B. Hadelaugæ Virginis virginalem familiam recenseat, ut de his saltem, quæ ferventiores se ceteris in sancto exhibuere proposito, congruum sanctitatis perhibeat testimonium, et proprias singularum virtutes digno laudis præconio efferat?

*præcipue in primis ejus imitatricibus :*

30 Verum ego vel unius ex multis mentionem facere volens, capituli illius, quod de orationis instantia paullo ante præmisi, reminiscor, et quamdam ex discipulis specialem in hac virtute talis Magistræ sectatricem intueor. Hæc ergo, ut frequenter me audisse memini, inter reliquas monasterii vestri Virgines, religiosis ornatam moribus vitam ducebat, quam quotidiano lacrymarum holocausto a surrepentium delictorum maculis emundare satagebat. Cumque a Matre cœnobii ac reliquis Sororibus, ad parcendum oculis crebro commoneretur, ne cæcitatis quandoque damnum ex intemperantia pateretur; tandem responsum memoria dignum reddidisse fertur, dicens : Breves sunt hujus cœnobii viæ, notissimæ mihi omnes officinæ; si igitur is qui cæcos illuminat, me in præsenti excæcari permiserit, ad vias istas et officinas ductor mihi aliis præter baculum necessarius non erit. Credo tamen certissime quia veritatis non privabor lumine. Hæc non præsumptuose, imo plena dicens fide, in ea, quam dudum cœperat, flendi et orandi permansit sedulitate.

*qualis illa, quæ cæcitatis periculum ex assiduis lacrymis, contempsit :*

31 Quid etiam illam commemorem, quæ ante paucos annos, ut vobis referentibus agnovi, cum ingravescente languore ad mortem perducta fuisset, manifestum de se bonæ conscientiæ testimonium dedit? Nam cum ultimum ageret spiritum, jamque corpus ab extrema fuisset parte præmortuum, collectis

*et alia in morte cantans,*

A lectis in vocem viribus, subito clamare cœpit, ac dicere : Testor Deum, in cujus conspectu sum, quia vera monacha sum. Cumque voces easdem iterato clamore sæpius replicasset, solemni modulatione Kyrie eleison canere cœpit : sicque in divinis laudibus ei, cujus testimonium appellaverat, animam reddidit. Et recte juxta hoc, quod Psalmista ait : Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Virgo hæc læto fine, Deo adjuvante, diem clausit extremum, quæ prius non solum in oratione, sed et in communi collocutione vix se temperabat a lacrymis : frequenter enim inter læta Sororum colloquia, ubi gaudentibus congaudere videbatur, repente aversa facie lacrymis infundebatur ut per hoc patenter claresceret, quod in hac peregrinatione solo corpore constituta, conversationem in cœlis haberet. Multa hujusmodi sanctæ religionis indicia, de venerandis cœnobii vestri Virginibus, jam ab hac vita translatis, dicere possem, nisi brevitate spontanea ingrati lectoris fastidium excludere cogitarem.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

Psa. 125. 5

*solita in vita lacrymari :*

*et alter mulier*

## CAPITULUM VIII.

### *Laus S. Hadelangæ a misericordia et judicio.*

B Lætare igitur dilecta Deo familia, ex tam nobili B. Hadelangæ Virginis, Matris utique tuæ, germine propagata, ejus videlicet religione instituta, et largitate sustentata. Lætare, inquam, et exulta pro gloria Domini, de cujus munere talem habere Matrem ac procuratricem meruisti. Hæc enim tibi lætitia de ipsius provenit misericordia, de cujus percepisti largitate, unde te cum gaudio indefessas illi oporteat gratias agere. Misericordiam ergo *a* cantas, misericordiam superexaltas, gratuitam largitionis gratiam prædicans. Sed *b* quid de judicio faciendum putas? Nam utrumque se cantare Psalmista pollicetur, dicens : Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Utrumque se decantare fortis ille athleta ostendit, qui rebus perditis, filiis quoque pariter extinctis, ait : Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Misericordiam ergo, ut jam dictum est, Dominus tibi prorogavit, dum per concessam Matrem et magistram beatam Virginem Hadelangam necessitatibus tuis pie consuluit. Judicium vero exhibuit, cum eamdem, expleto dispensationis ejus tempore, per mortem C subtraxit. Equidem misericordia illa dulcis fuit omnibus atque cantabilis : judicium vero solis cantabile perfectis; lamentabile etiam videbatur infirmis tantæ nimirum Matris ac defensatricis morte destitutis. His enim quanto gratior atque jucundior fuerat præcedentis misericordiæ suavitas, tanto amarior est visa subsequentis judicii severitas. Cujus misericordiæ quis æstimare valeat suavitatem, nisi prius ipsius beatæ Virginis consideret sanctitatem et eminentem beatitudinis ejus dignitatem? Cui pro possibilitate virium mearum in singulis, quæ jam præmissa sunt, capitulis, testimonium perhibere studui; sed needum, ut sentio, pro meritorum ejus gloria satisfacere potui. Sed illi soli, qui præsentiæ ejus beneficia sentiebant, gratam utilitate probabant, ejus utique insignia loquendo efficacius exprimere poterant. Horum quippe aures audientes beatificabant illam, oculi videntes testimonium reddebant, eo quod liberasset pauperem vociferantem et pupillum, cui non erat adjutor.

*Cantanda Deo misericordia et judicium ;*

*a*

*b*

Ps. 100. 1

*misericordia, quod talem dederit matrem,*

Job 2. 10 et c. 1. 2.

33 Itaque ad compendium philosophica, imo divina, B. Ambrosii verba in hujus Virginis præconium non incongrue usurpata, tarditati subveniant meæ; quibus ipse electam Dei sponsam pro adolescentularum exhortatione describit, dicens : Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo D doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbo gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens : intenta operi, verecunda sermonibus, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere; nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando vitavit inopem? Eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil tortum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa species corporis simulachrum fuerit mentis, et figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendit ingressu, nihil intus latere tenebrarum, tamquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam, alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturæ defuisse? Hic nulla intermissa tempora, hic congeminati jejunio dies : et si quando E reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Huc usque B. Ambrosii verba. Verum ut de misericordia, quam commendare cœperam, breviter concludam, ad perhibendum suavitati ejus non inconveniens testimonium, germinantem ex ea usque in hodiernum diem sufficere autumo fructum. Nam et Psalmista ait : Etenim Dominus dabit benignitatem et suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Fructus iste apud vos et in vobis est : unde si quis nostris sermonibus non credit, veniat ad vos, et efficacius ipsis doceatur rebus. Proclamet igitur hujus sanctæ familiæ unanimis devotio : Misericordias Domini in æternum cantabo. Sed absit, ut de judicio contristetur; illo, inquam, judicio, quo misericordia ista per B. Hadelangam ad tempus exhibita, interveniente ipsius morte, subtracta videtur. Nam et qui misericordias Domini in æternum sese cantaturum promittit, protinus etiam de judicio subdens adjungit : In generatione et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

lib. 2 de Virg.

*cujus sanctitatem Auctor laudat, verbis S. Ambrosii de D. Virg.*

*et operibus ipsarum monialium ;*

Ps. 84. 13

Ps. 88. 1 et 2

34 Restat igitur considerare vobisque demonstrare, quare judicium hoc, non tam lamentabile fuerit, quam cantabile : quia duo hæc semper individua, F misericordia videlicet et judicium Domino decantanda sunt. Sane quantum ad ipsam beatam Virginem attinet, de qua agimus, satis ei desiderabile ac jucundum videbatur hoc judicium, ut, quod semper concupierat, dissolvi et esse cum Christo mereretur. Desiderium ejus in bonis repletum fuerat, locum Domino et tabernaculum Deo Jacob, sicut voverat, jam dudum intus et foris invenerat, et consecraverat, plures religionis suæ sectatrices Deo dicatas in proposito suo confirmaverat. Contemptis divitiis pauper deservierat pauperibus, eorumque etiam in posterum provida pietate consuluerat necessitatibus : denique humilitatis ac ceterarum virtutum recondito intrinsecus abundabat thesauro, oleum indeficiens cum lampadibus advenienti præparans Sponso. Sed ne diutius his immorer, dicam breviter, quod solum sanctitatis sufficeret titulo, quia Mater vestra virginitatis ac voluntariæ paupertatis longo coronata est martyrio. Non semel devotam Christo cervicem persecutoris opposuit gladio, sed in ara cordis hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, semetipsam quotidiano mactare solebat holocausto.

*judicium cantandum, ob mortem B. Hadelogæ,*

*quam semper optarat,*

35 Itaque filiæ Jerusalem, venite et videte, Dei filiam et Martyrem cum corona, qua coronavit eam Dominus

A Dominus in die solennitatis et lætitiæ. Dies namque victoriæ ejus et coronæ, dies solennitatis et lætitiæ, decimo tertio Calendas Aprilis, ei, miserante Domino, illuxit. Hac die vocem dilecti sese invitantis audire meruit, dicentis : Veni de Libano sponsa, veni de Libano, veni, coronaberis. Hodie beata Virgo ex hujus vitæ liberata angustiis sociari meruit choris Angelorum, quorum vitam imitari studuerat in terris. Hodie factus est in pace locus ejus, et in Sion cœlesti habitatio ejus : plena dierum, plena illustratione fidei et veritatis, viam ingressa est universæ carnis, et apposita ad populum suum. Populus iste est non solum Sanctorum omnium, ab hac peregrinatione ad patriam illam cœlestem redeuntium; verum etiam Angelorum, qui populus sunt civitatis illius. Unde Apostolus, Accessistis, inquit, ad Sion montem, et civitatem viventis Dei, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis. Huic populo apponuntur, qui pleni meritorum gratia, mox ac ab hac peregrinatione et vita emigraverint in requiem et societatem Angelorum assumuntur. Tunc enim dicuntur apponi, cum nulla jam remanet sollicitudo vel periculum peccati. Quod intuens *d* Apostolus, ait : Ante mortem ne laudes hominem quemquam. B

*sancte obiit 20 Martii.*

Hebr. 12 22

*d*

36 Cum ergo huic populo apponenda beata Virgo Hadelauga, secura conscientiæ fiducia profiteretur dicens : Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quid ei tristitiæ de sententia sortis ultimæ inesse poterat? Sociarum tantummodo Virginum, quas jam derelictura erat, piam sollicitudinem gerebat : sed hanc ei, cui de omnibus cura est fideliter committebat. Ipsis enim, ut supra dictum est, triste videbatur hoc judicium, neque continere poterant piam inundantiam lacrymarum. Veruntamen etiam ipsis cantabile fuit judicium istud potius, quam lamentabile ; quo tam fidelem ad Dominum interventricem præmittere meruerunt, non amittere. Ibi enim posita, constantius pro nobis ac sincerius interpellat, ubi jam nullum superest corporeæ fragilitatis obstaculum, quod ab intentione perfectæ contemplationis animam Deo inhærentem ullatenus præpedire valeat. Cum adhuc mortalitatis pondere premeretur, humiliter cum ceteris electis confitebatur, dicens : Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ; ibi autem in ipso fonte scientiæ C novit, quid nostris necessitatibus congruat. Proinde, filiæ Jerusalem, nolite flere super illam, sed super vos ipsas flete, et flentes atque orantes ipsius vos patrociniis commendate. Desiderium cordis ejus jam olim exaudivit Dominus, ut iste, quem incolitis, per eam sublimaretur locus : quanto magis pro templo sancto ipsius, quod estis vos, piis intervenientem precibus exaudiet propitius? Quo autem pacto quantocyus Sanctorum pro nobis preces, exaudiantur, cujusdam venerandi Patris forti sententia compendiose instruimur : quem cum in hora transitus sui frequens discipulorum circumstetisset turba, quidam ex illis in hæc proruperunt verba, Pater, inquiunt, non ambigimus, te ad Dominum quantocyus migraturum, et ad vitam æternam perventurum. Quapropter paternitatem tuam deprecamur, ut nostri memor esse digneris, et ibi preces pro dilectis tibi fundere discipulis, quia multum nobis confidimus profuturum, quod talem præmittimus Patronum. Qui subito eos intuens, Exhibete, inquit, vosmetipsos dignos et tales estote in moribus, ut rite valeam orare pro vobis, et ita faciam quod postulatis. Idipsum etiam a vobis beatam Matrem vestram exigere noveritis, ac si eamdem exhortationem ab ipsius ore susciperetis.

*pro filiabus suis Deum deprecatura in cœlis.*

Rom. 8. 26

*modo se dignas exhibeant.*

*Februarii T. I.*

a *Ita* 2 *MS al* cantans, superexaltans *etc.* — b *Idem*, de Judicio quid sentis. — c *MS.* 2, Nam hi. — d *Non Apostolus id ait, sed Ecclesiasticus c.* 11. v. 10. D

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

## CAPITULUM IX.

### *Laus S. Hadelaugæ a glorioso sepulturæ ejus loco.*

Digne admirari et laudare non sufficio disciplinam et sapientiam beatæ Virgini Hadelaugæ a Domino collatam, qua primum excolere studuit semetipsam, deinde electam divinitus et sua facultate et sollicitudine fundatam congregationem vestram. Hic sibi spiritualem, quamdiu in corpore viveret, providerat requiem : hic etiam optabilem exanimato corpori suo pausationem, dicens exultante spiritu in Deo salutari suo : Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Idem quoque athleta Dei B. *a* Gallus Confessor Dei dixisse memoratur, reperto in solitudine loco humanis habitationibus opportuno, ubi cum aliis Deo sub regulari tramite servientibus, usque ad mortem conversari, et post mortem honorifice sepeliri meretur. Etiam simili studio prudens Virgo hæc et sibi et vobis in hoc prospicere voluit, ut eo loco sacra ejus ossa tumularentur, ubi frequentibus orantium et psallentium Virginum choris cingerentur. Et per subjectum oculis mausoleum ipsius quotidie memoria innovaretur. E Ipsæ hoc melius recognoscitis, quæ tanto studio ejus tumulum frequentatis ; quod religiosa hujus devotionis sedulitas et ipsius proficiat gloriæ, et ædificationi vestræ. Nonne cum tumulo ejus statis, merita ipsius recolitis, singularum virtutum gratiam sollicite retractatis, atque ad imitationem ejus Deo adjuvante pervenire optatis? Ita meritorum ejus gloria semper accipit incrementum, dum et defuncta disciplinæ vobis quodammodo exhibet magisterium. Quod enim aliis cum ea, dum adhuc viveret, conversantibus aspectus contulit exterior, idipsum vobis et multo amplius fidei acies interior. Et recte coram ipso altari accipere meruit sepulturam, ubi in precibus et lacrymis semetipsam Deo vivam offerre consueverat hostiam.

*a*

*sepulchrum ejus a monialibus honoratum, cum fructu spirituali,*

*coram altari.*

38 Est et aliud quoddam indicium, imo quasi privilegium, quod eumdem suæ sepulturæ vendicaverit locum, innocentem quemdam puerulum, Rachaud nomine, suis manibus de fonte baptismatis susceptum, et post modicum in ipsis albis defunctum, ibidem sepeliri fecerat, ut is tamquam impollutus metator ejus sepulturæ locum anticiparet, cui sancto et innocenti ipsa postmodum sancta et innocens congrue succederet. F Ita Jacob Patriarcha in terra repromissionis, ubi lapidem erexerat in titulum, sepeliri desiderabat, cum in Ægypto moriturus filium suum, scilicet Joseph, juramento astringeret dicens : Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, et facias mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum Patribus meis, et auferas me de hac terra, condasque in sepulcro majorum. Idipsum etiam deinceps coram omnibus filiis suis ad se congregatis, cum jam obiturus esset, confirmavit dicens : Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Ethæi, contra Mambre in terra Chanaan quam emit Abraham cum agro ab Ephron Ethæo, in possessionem sepulcri : et ibi sepelierunt eum et Saram uxorem ejus : ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge, ibi et Lia condita jacet. Paullo ante quoque ipsi filio Joseph commemorare voluit, quod in Ephrata, loco videlicet Dominicæ Nativitatis gloria consecrando, matrem ejus tumulaverit. Postremo ipse Joseph in hora suæ mortis fratribus quod post mortem suam visitandi essent a Deo prædicens,

*ubi antea quidam puerulus recens baptizatus.*

Gen. 47. 29 et c. 49. 29

*Patriarchæ in terra sancta sepeliri voluerunt.*

AUCTORE ANONYMO EX MSS.

A adjuravit eos: Asportate, inquit, vobiscum ossa mea de loco isto: quod et factum est in exitu Israel de Ægypto. (Gen. 50. 24) Nequaquam vero arbitrandi sunt tam sancti Patriarchæ frustra tantam gessisse curam pro sepeliendis corporibus suis, cum fidelium sit ista securitas, non ideo minus integram vel gloriosam corporum suorum futuram resurrectionem, si vel negligenter in abjecto quolibet loco sepeliantur, vel etiam insepulta, ob inimicorum rabiem, relinquantur, vel pro eorum libidine a feris alitibus dilacerata absumantur. Magis ergo considerandum est in eis pium sanctumque desiderium, quod in ea potissimum terra sepeliri optabat, qua ipsius Salvatoris sanguinem effundendum, corpusque ejus tumulandum, spiritu prophetico prævideraut. Videtur tamen in hoc et illud nihilominus pensandum, quod in tanta sollicitudine corporum suorum, non tantum sibi, sed et filiorum suorum posteritati in hac parte voluerint prospicere. (*ut eorum monumenta posteris prodessent*) Ut enim gens illa absque consilio et sine prudentia aliquando saperet et intelligeret ac novissima provideret, unde melius commoneri poterat, quam tantorum Patrum exemplis? Quæ vero efficacior esse posset exhortatio auribus infusa, ad recolenda vel sequenda virtutum exempla, quam B oculis subjecta eorum, quos sequi debuerint, sepulchra? Sanctorum ergo Patrum monimenta fidelibus et obedientibus sunt in adjutorium, tanquam pium quoddam æmulandæ religionis incitamentum: rebellibus autem solummodo ad damnationis testimonium, veritate attestante, quæ talibus ait: (Luc. 11. 47) Væ vobis, qui ædificatis monimenta Prophetarum, patres autem vestri illos occiderunt. Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam quidem ipsi eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Qui quorumdam Justorum sepulturam venerando exornant, sed aliorum vitam odiis insectantur; per obsequium quidem quod defunctis impendunt, eorum a quibus persecutionem passi sunt, iniquitatem abhorrere videntur; quam tamen ipso odii livore imitari convincuntur. Ac per hoc et ipsi ut homicidæ, nisi resipuerint, in eadem erunt damnatione. Abrupta quippe sententia pronuntiatum est: (Joan. 3. 15) Quia omnis qui odit fratrem suum, homicida est, et omnis homicida non habet partem in regno Dei, nec vitam in se manentem.

39 Sed inter hæc, tanquam dicatur mihi, Redi prævaricator ad cor, memetipsum considerare compellor, dum enim venerandam Virginem, ac Virgi- C nis Hadelaugæ memoriam, verborum foliis exornare studeo, inter folia ipse fructum in memetipso requirens, sed dignum non inveniens, graviter ingemisco. (*Auctor preces implorat, ut non solis foliis verborum, sed fructibus boni operis Sanctam honoret*) Sicut enim post flores et folia fructus arboris consequenter requiritur, sic inter verba operationis bonæ et conscientiæ mundæ fructus a nobis exigitur. Prævaricatores primi perdito vitæ fructu, ad sola folia confugerunt: unde sibi perizomata ad contegendam turpitudinem, id est, argumenta ad excusandas excusationes in peccatis, contexentes, a paradiso voluptatis pelli meruerunt. Ficus quoque, in qua esuriens Dominus folia sine fructu reperit, ipsius maledictione aruit. De ligno autem illo, quod plantatum est secus decursus aquarum, prius dicitur, quia fructum suum dabit in tempore suo, et deinde, quod folium ejus non defluet: quia profecto melior est fructus foliis: prius est facere quam docere; qui enim fecerit et docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum. (Matth. 5. 19) Vobis itaque, o filiæ Jerusalem, angustias cordis mei commendo, ut ad sepulchrum beatæ Virginis, ubi frequenter orare soletis, mei quoque benigne memineritis, quo tandem ipsa interveniente, ad cujus laudem verborum folia effero, fructum illum aliqua ex parte attingere merear, quem Apostolus commemorat dicens: (Gal. 5. 22.) Fructus autem Spiritus sunt, caritas, gaudium, pax, patien- D tia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia et castitas. Ipse enim, de quo specialiter dictum est, Erit sepulchrum ejus (Isa. 11. 10) gloriosum, quique glorificantes se glorificat, etiam ejus memoriam longe ante nostra tempora glorificavit, et glorificare non cessat: sicut e contrario contemptores suos non solum in vita, sed et in sepultura ignobiles ostendit. Superbo quippe, cui Deus resistit, exprobatur et dicitur: Omnes Reges gen- (et c. 14. 18) tium dormierunt in gloria, unusquisque in domo sua: tu autem projectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus et obvolutus, cum his qui interfecti sunt gladio, et descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum. Non habebis consortium cum eis, neque in sepultura. Ubi enim nunc Regum et tyrannorum Christianæ fidei adversantium sepulchra, superstitiose quondam a Gentilibus constructa? Ecce in ecclesiis et ecclesiarum cœmiteriis religiosa devotione procuratur fidelium sepultura, et immortalis est electorum memoria, apud Deum et apud homines nota: illorum vero periit recordatio, nec replicatur aliquando, nisi in maledicto. Ad piscatorum sepulchra mundus certatim confluit, illos in inferno sepultos abominatur et horrescit. E

a S. Galli Vitam, in qua id refertur, dabimus 16 Octobris.

## CAPITULUM X.

### *Laus S. Hadelaugæ a Translatione sancti corporis, et signorum gloria.*

Dicturus aliqua breviter de translatione B. Hadelaugæ Virginis, cogitare mecum cœpi de priore ejus sepultura, cur videlicet talis ac tanta Mater, quæ congregare semper studuit filias populi sui, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, humiliore prius et obscuriore loco, id est, in crypta oratorii, fuerit tumulata, quæ potius in editiori aliqua parte basilicæ quam ipsa fundaverat, dotaverat atque ditaverat, sepelienda fuisse videtur. Sed fortassis Virgo Deo dicata, privatisque precibus assueta, locum hunc secretiorem ceteris, ideoque otio hujusmodi, imo laborioso negotio, aptiorem amplius dilexerat ac frequentare consueverat. Et ita, quem vivens pia divinæ servitutis assiduitate specialius sibi vendicaverat, sepeliendo etiam corpori suo non incongrue dedicaverat. (*S. Hadeloga in crypta sepulta, quia ibi orare solita, vel ex humilitate, ut alii Sancti.*) Tantum quoque in electorum cordibus fervet sanctæ humilitatis desiderium, ut plerique cadavera sua eadem vilitate atque abjectione ab aliis tractari optent atque præcipiant, qua semetipsos, dum adhuc viverent, atterere consueverant. F Unde *a* B. Arsenius, cum vicinam agnosceret horam obitus, ait discipulis suis: Judicari habeo vobiscum ante tribunal Christi, si permiseritis quempiam de corpore meo facere aliquid. Et illi dixerunt: Quid ergo faciemus, quia nescimus mortuum vestire vel sepelire? Et dixit senex: Nescitis mittere funem in pedem meum, et trahere me in montem? Divus etiam Hilarion *b* cum ægrotare cœpisset, multique ad eum de Papho viri religiosi convenissent, maxime quia dixisse eum audierant, jam se ad Dominum migraturum, et de vinculis corporis liberandum, omnes adjuravit, ne puncto quidem horæ post mortem reservaretur; sed statim eum in eodem hortulo, in quo habitaverat, terra operirent, sicut vestitus erat, in tunica cilicina, cucullo et sago rustico. Poterat ergo etiam Mater vestra ejusdem humilitatis voto desiderasse atque ordinasse, ut cum defuncta fuisset, in loco illo humili et obscuro sepulturam acciperet.

41 Sive autem ipsa hæc disposuerit, sive ab aliis, absque ejus petitione, gestum fuerit; constat sine omni ambiguitate, divina provisum ordinatione, ut hic

*Swanehildis Abbatissa,*

A hic primo exequiarum tempore posita, postmodum ad eminentiorem locum, tamquam lucerna super candelabrum ponenda, fidelium transferretur devotione. Nam cum in eadem crypta multis jam annis sanctum requievisset ejus corpusculum; sed beatitudinis ejus laudabile meritum semper acciperet incrementum; inter alias quæ monasterio vestro præfuerunt Matres spirituales, electa est matrona venerabilis, nomine c Swanehildis, ad supportandum ejusdem pondus regiminis. Quæ dum cogitatione intenta et collocutione assidua B. Hadelaugæ retractaret merita, extolleret præconia, displicere tam ipsi, quam cunctis Sororibus cœpit, quod ab oculis hominum in depresso illo cryptæ loco abscondita ejus sepultura fuerit, cujus vita splendida totam Ecclesiæ domum illustravit. Itaque ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, pro ædificatione sanctæ Ecclesiæ, prudenti consilio de ejus meditabatur translatione, suæ potissimum, omniumque filiarum suarum saluti hoc studio cupiens providere: sperabant enim certissime intercessionis ejus speciale promereri suffragium, cui devotionis suæ specialem famulatum impenderant. Deinde continuatis precibus divinæ clementiæ religiosa vota commen-

*aliorum consilio*

B dat, quatenus beneplacitum voluntatis ejus, optatum effectum gratiæ hujus consequatur. Sacerdotibus etiam Ecclesiæ conceptum insinuat desiderium, quorum suppliciter efflagitat auxilium, reverenterque expectat decretum. Quibus concorditer annuentibus, et cum gaudio cooperantibus, præmissa communi oratione, beatæ Virginis tumulus aperitur, collecta in unum dissoluti corporis ossa egeruntur, et secus altare, ubi nunc recondita sunt, venerabiliter collocantur.

*in templum transfert:*

42 Loculum autem illum ligneum prioris sepulturæ, tam ipsæ monasterii vestri Virgines, quam ceteri fideles pro benedictione reliquiarum per particulas inter se diviserunt. In quo ad declaranda beatæ Virginis merita, tale remedii genus humanæ infirmitatis divinitus indultum est. Febricitantes plerique inde sanabantur, hoc videlicet ordine, ut lignum ipsum poculo, quo reficiendi et refocillandi erant, immitteretur. Et ita salutari gustu, sedato febris ardore, incolumitati pristinæ redderentur. Nam et lignum ipsum ad ejusdem medicinæ usum a compluribus longo dicitur tempore conservatum.

*ligno sepulchri curatæ febres.*

43 De ipsis etiam virginei corporis reliquiis, avida fidelium devotione, multa quidem clam detracta; C sed quædam ex his hoc modo sunt revelata, suoque mausoleo restituta. Nam quidam, qui hæc subripuerat, in foramine muri, secus altare proximum involuta diligenter et obtecta absconderat, sed Deo, ut creditur, ordinante, ne ea tolleret, inhibitus reliquerat. Deinde cum res exigeret, ut operis quippiam in eadem sanctuarii parte fieri oporteret, quidam ex operariis reliquias, quæ obvolutæ et reconditæ fuerant, reperiens, in sinu suo lætus abscondit; æstimans videlicet invenisse se rem aliquam proprio usui necessariam. Domum autem reversus, ubi quod detulerat furtum detexit, ecce domus tota velut ex odore pretiosissimi repleta unguenti fragrare cœpit. Unde palam intellexit sancti alicujus corporis has esse reliquias, adiensque Matrem monasterii, quæ invenerat restituit, et rem ex ordine patefecit. Ipsa igitur, cujus essent reliquiæ indubitanter agnoscens, mirabilem in Sanctis suis Deum debita gratiarum actione glorificat. Nam et unum ex digitis beatæ Virginis, quem furtim subtractum sciebat, inter cetera inventum recognoverat. Ex tunc et deinceps apud omnes, qui hæc et alia ejus insignia cognoverunt, magis magisque in veneratione habita est memoria ejus signis declarata et virtutibus. Religiosa, inquam, devotione fidelium usque in hodiernum diem celebre ejus frequentatur mausoleum: D occurrent turbæ sexus utriusque vota ferentes, et optata illic beneficiorum suffragia impetrantes. Nec ambigo nominis ejus gloriam a generatione in generationem suavissimo semper bonæ operationis odore diffundendum, ut filii qui nascentur et exurgent narrent ea filiis et nepotibus suis.

*aliquæ ejus reliquiæ sublatæ,*

*restitutæ,*

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS.*

*in majori dein sunt veneratione:*

44 Senserat veneranda Mater Swanehildis commendandam posteris beneficiorum ejus gratiam, quam tanti æstimavit ut, licet in loco sancto prius tumulata ejus ossa, in editiorem tamen ac celebriorem transferri curaverit. Vos quoque nihilominus de illa magnifice in bonitate sentitis, et in simplicitate cordis eam imo ipsum Dominum per illam quæritis, testimonium perhibentes, quia contra omnia humanæ fragilitatis pericula multum valeat deprecatio ejus assidua. Exauditum est pium Swanehildis desiderium, ut debitum maternæ reverentiæ mereretur exhibere famulatum. Præstitit et vobis miserator et misericors Dominus, ut vestra quoque, ad impendendam ei honorificentiam, semper invigilet servitus. Nam præter solita quotidiani famulatus officia, mausoleum ejus operoso atque decoro ambitu cinxistis, et nunc super omnia, etiam scriptis commendari ejus præconia voluistis. In quo tamen opere E hoc solum meæ imputatur temeritati, quod majora viribus præsumpsi, et materiam hanc digniori et eloquentiori conservandam indignus et impeditioris linguæ, mihi præcipiendo usurpavi. Verumtamen sincera voluntas vestra suo non privabitur premio, tametsi mea tarditas vestro satisfacere non potuerit desiderio: sed sicut in veneratione beatæ hujus Virginis vestra nititur industria vel coæquare, vel etiam superare devotionem præcedentium; ita nimirum supererit et vobis in hac parte, in quo exercere se debeant subsequentium studia. Quid enim mirum, si usque in finem mundi glorificetur in terris, quæ etiam post finem ejus sine fine glorificabitur in cœlis? Deum autem laudantes in Sanctis ejus, ut scriptum est, quantumcumque potuerimus, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus. Benedicentes igitur Dominum, exaltemus illum, quantum possumus: major est enim omni laude: exaltantes, inquam, illum repleamur virtute, ne laboremus, non enim perveniemus.

*honorificentius reposita:*

*sepulchrum ornatum.*

a Narratur hoc lib. 3 de Vitis PP. num. 163, et lib. 5, libel. 15, num. 9, Vitam S. Arsenii dabimus 19 Julii. — b Id habetur sub finem Vitæ S. Hilarionis, quam dabimus 21 Octobr. — c Alterum MS habet, Swenehildis. In margine prioris MS. ista adscripta erant: Nota. Ista Abbatissa, scilicet Swanehildis, non est mater B. Hadelogæ, quæ dicebatur Chunehildis. De matre egimus § 3 F num. 13 pag. 300. Bucelinus in Chronologia monasteriorum Germaniæ, fol. 77 verso, defunctam a S. Hadeloga statuit D. Schwelnhildem, et a xxvi D. Barbaram, Comitissam de Castel obiisse circa an. 1304. Unde conjicere licet, vixisse Swanehildem, et corpus S. Hadelogæ transtulisse, seculo 10, sive inter annum Christi 900 et 1000.

*Translatio S. Hadelogæ quo tempore facta?*

## CAPITULUM XI.

### *Laus S. Hadelaugæ a disciplinæ zelo etiam post obitum ejus ostenso.*

Nostis filiæ Jerusalem, multisque jam dudum longe lateque innotuit, quantis bonis beata Virgo hactenus nobis commendata cœnobium vestrum cumulaverit, quam certa præsentis vitæ stipendia Deo hic militantibus ex abundanti prædiorum suorum collatione providerit, hoc nimirum intendens, ut quibus tantum solatii subministravit in via, pro eis et cum eis lætificetur in patria. Ad hæc beatæ et gloriosæ Virginis Mariæ locum ipsum dedicari voluit, ut intemeratæ virginitatis ejus exemplo, virginalis hic semper pudicitia germinet, nova de die in diem sanctæ religionis gratia pullulet. Ipsum ergo locum, in quo pervigili cura majestati divinæ quotidiana obsequia præparavit, et ubi sacra ejus ossa venerabiliter recondita

*sanctitate monialium augetur ejus gaudium et gloria:*

AUCTORE ANONYMO, EX MSS

A condita sunt, frequentius visitat, jucundius illustrat, jugi precum suarum tuetur instantia. De se jam quidem secura, vestri gerit sollicitudinem, contemplans et videns vestræ conversationis ordinem, disciplinæ vigorem, morum maturitatem, vigiliarum et orationum instantiam, et paratam ad omne opus bonum industriam. Si enim in talibus vos studiis invenerit, specialius præ ceteris Sanctis habere creditur gaudium, eo quod irrigari divinitus videat hortum plantationum suarum, et inebriari partus sui fructum, laudans et glorificans ipsum bonorum omnium largitorem in hymnis et confessionibus, dicens : Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam ; et tamquam assumpta voce Apostolica ad vos converti videtur, ac dicere : Gaudium meum vos et corona mea, sic state in Domino carissimæ. Quæ est enim mea spes, aut gaudium aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus ? Vos enim estis gloria mea et gaudium.

Psal. 64. 10

Phil. 4. 1

46 At si, quod absit, a via mandatorum Dei declinantes, et his contraria agentes vos invenerit, procul dubio offenditur, fragilitati vel ignorantiæ compatitur, temeritati vero irascitur ? Adeo quippe B capiti membra concordant, sicque divinæ inhærent justitiæ, ut cum ipsum Dominum, qui caput est Electorum, peccando offendimus, illorum nihilominus offensam incurramus : quodque illius æquitati adversatur, eorum injuriæ deputetur. Quod licet cunctis fidelibus certa semper ratione constet atque constiterit, nonnumquam tamen ad eruditionem infirmorum Sanctis post transitum suum visibiliter apparentibus et delinquentes quosque redarguentibus, palam innotuit. Cujus rei cum perplura in Sanctorum gestis inveniantur exempla, videtur etiam huic capitulo hic aliquid hujusmodi de hac beata Virgine, pro sanctitatis ejus testimonio, inserendum. Fuit antiquitus in monasterio vestro Virgo quædam ceteris negligentior, nec animum adhibens disciplinæ studiis, quæ Seniorum venerabilium proponebantur verbis, ostendebantur exemplis. Cumque frequentius admonita, et regulari correptione castigata, nequaquam levitatibus suis gravitatis manum imponeret, ipse magistrorum optimus qui quos amat arguit et castigat, per istam antiquam Magistram vestram B. Hadelaugam a solita eam lascivia corrigere dignatus est. Nam cum nec in oratorio Dei vel Angelorum præsentiam cogitans sese cohiberet, die quadam solito C irreverentiæ motu ad tumulum ejus incaute processit : et ecce ipsa subito visibiliter ei obvians, extensa manu alapam in faciem ejus dedit : sicque eam tam terrore visionis insolitæ, quam ictu dextræ, a lascivia restrinxit, ut deinceps semper modestior fuerit. Ecce quomodo et qualiter sibi concinunt Sanctorum gesta ! quam simili efficacia prævalent ! Monachus ille beati Patris a nostri Benedicti, qui tempore orationis ad evagandum de oratorio nigrum puerulum sequi videbatur, ab eodem Patre pro cæcitate cordis sui virga percussus, nil ultra persuasionis a nigro puerulo pertulit, ac si ipse antiquus hostis eodem verbere percussus fuisset. Nihilominus et Virgo lasciviens a Matre vestra alapam accipiens, ita postmodum disciplinæ patiens conquievisse dicitur, tamquam ipse lasciviæ spiritus, qui eam instigare solebat, eamdem plagam sustinuisset.

immodestiori monialis apparet et alapa eam corrigit :

a

47 Quidam Frater in eadem ecclesia mansionarii fungebatur officio, qui licet quotidie deserviret in sanctuario, inconsiderate tamen vivens ipsum Dominum, cui per exterius ministerium obsequi videbatur, perversis moribus et immundis cogitationibus de cordis sui b proturbabat habitaculo. Præterea ad offensionis cumulum, juxta prædictæ Virginis sepulchrum temere sibi collocaverat lectum, ut illic

b

ædituum circa sepulchrum irreverenter

lasciviens ipse pausaret, ubi virginea illius ossa in D somno pacis conquiescunt. Eadem quippe contemptus sui temeritate, qua Deum ipsum irritare non timebat, electæ etiam sponsæ ejus merita parvi pendebat. Sed non in longum sine ultione male usurpata abuti permissus est licentia; nec beata Virgo tumulum suum impune tali exhonorari injuria pertulit. Nam cum quadam die in eodem se loco, velut securam habiturus quietem, collocasset; ecce adest ipsa, cujus tumulum contempserat, adest, inquam, severa petulantiæ castigatrix, studiosa disciplinæ propagatrix, et gravi cum indignatione inutilem illum ac temerarium arguens æditunm, tam vehementi plaga palmam ei in faciem misit, ut longo post tempore illa parte capitis vel faciei, qua percussus fuerat, non modicum dolorem sustinuerit. Sed in se reversus, et majorem vanitatis ac præsumptionis metuens vindictam, de correctione sua cœpit esse sollicitus : longeque remoto a parte sepulchri lectulo suo, eam, cujus semel tantum senserat manum, debito semper venerabatur honore. Simile mihi videtur ex parte hoc miraculum isti, quod de c S. Equitii Abbatis tumulo B. Gregorius in Dialogorum libro refert : cujus corpus dum in B. Laurentii Martyris oratorio esset humatum, super sepulchrum illius rusticus E quidam arcam cum frumento posuit, nec quantus qualisque vir illic jaceret perpendere ac vereri curavit. Cum repente turbo cœlitus factus, rebus illic omnibus in sua stabilitate manentibus, arcam, quæ superposita ejus sepulchro fuerat, extulit longeque projecit; ut palam cuncti cognoscerent, quanti esset meriti is, cujus corpus illic jaceret. In hoc quidem similia sibi videntur hæc signa, quod in utrisque a contemptorum injuria, Sanctorum defenditur sepultura; in hoc vero, quod apud vos gestum est, manifestior atque districtior disciplinæ severitas est demonstrata. Nam etsi lectus juxta sepulchrum irreverenter positus turbine veniente desuper subito non dejicitur, ipsa tamen, quæ contempta videbatur, apparente contemptor in lecto redarguitur, plaga punitur, sicque lectum suum propriis manibus removere compellitur. Viderit auditor, de his quid sentiat, quia unusquisque in suo sensu abundat : ipse quod sentiam breviter dico. Supradicta duo tantum signa ad sepulchrum B. Hadelaugæ Virginis ostensa, etiamsi alia deessent, sufficere mihi videntur ad commonitionem fidelium, pro exhibenda sanctitati ejus congrua semper honorificentia totius infidelitatis ambiguitate remota. F

cubantem arguit et cædit :

c

48 Nuper quoque eadem Virgo negligentem quemdam Fratrem ad orationis instantiam per visionem commonuit nocturnam ; qui licet ex monasterii vestri non fuerit familia, pro necessitate tamen paupertatis suæ ex largitate vestra temporalis vitæ percipiebat stipendia. Sed cum ex eleemosynis pauperum Christi viveret, nec tamen in paupertate spiritus debitam bonorum omnium largitori servitutis suæ devotionem exhiberet, Sancta hæc sæpe jam dicta per visionem ei apparens, redarguit eum dicens : Quid inerti sopore depr imeris, et pro eis, quæ temporaliter te sustentant, persolvenda orationum officia negligis ? Quam cum ille humiliter percunctaretur, quænam ipsa esset, quæ ad orationem eum hortabatur; Ego sum, ait, loci illius fundatrix, unde tu sustentaris ; ego sum, inquam, illa, de qua frequenter audisti, Hadelaugis nomine, cujus juri per Dei gratiam et locus ipse et omnia ad eum pertinentia recte ascribuntur.

alium negligentem monet.

a Hinc conjicere licet, auctorem fuisse Benedictinum. Quæ hic narratur monachi emendati historia, scripta est a S. Gregorio lib. 2 Dial. cap. 4 relata etiam 15 Januarii in Vita S. Mauri cap. 2 num. 10 pag. 1041. b Ita legendum videtur. MS. habebat, perturbabat. c S. Equitii Vitam dabimus 7 Martii ex S. Gregorii Dial. lib. 1 cap. 4. ubi hæc punitio irreverentiæ erga ejus sepulchrum narratur.

CAPITUL.

A

AUCTORE ANONYMO, EX MSS.

## CAPITULUM XII.

### *Laus cantici a recapitulatione virtutum.*

Meministis, filiæ Jerusalem, quod in principio hujus opusculi tamquam ad gratiam vos novi cujusdam invitaverim spectaculi; in quo electam Christi sponsam beatam Virginem Hadelaugam in vestitu deaurato, circumamictam varietate, præsentandam spopondi. In cujus promissionis executione etsi satis fecisse non videor exspectantium capacitati, imperantium tamen obediens fui auctoritati. Ecce enim quantum potui in hoc contemplari spectaculo, vestro proposui judicio, sciens pro certo, pauca hæc pervigili sanctæ meditationis vestræ multiplicanda studio. Si enim oculis lippientibus meis tantam sublucere potuit, quantum Dilectus ipse, cujus annulo subarrhari meruistis, sereno cordium vestrorum aspectui revelabit? Nam ubi frequentior dilectio, ibi nimirum est et purior contemplatio. Si ergo vel ex his, quæ a me vel dici, vel a vobis latius excogitari potuerunt, accensus est in divinis laudibus vestræ beatitudinis affectus; omnes quotquot in hoc spectaculo cordis oculos aperuimus, quotquot auscultando beatæ Virginis præconio aures audiendi adhibuimus, fidem dicendi audiamus : imo unitis vocibus ac mentibus, ipsius, quam hactenus laudavimus, laudem

*Per desertum ascendit S. Hadeloga*
Cant. 8. 5

B laudando consummemus, dicentes : Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? Recapitulatis igitur breviter ejus virtutibus, quas huc usque latius digessimus, qualiter verba cantici hujus juxta easdem virtutes ei conveniant, attendamus. Gaudet enim in hoc Mater nostra Ecclesia, si quod de ipsa generaliter intelligitur, dilectæ filiæ suæ specialiter adscribatur. Mirantur ita Angelicæ Virtutes Virginem ascendentem, id est, in virtutum gradibus proficientem : quia sicut Sanctorum Patrum testatur auctoritas, hoc obtinere Virgo nititur viribus cum gratia, quod habet Angelus ex natura. Magis ergo miratur Angelus in Virgine meriti dignitatem, quam in semetipso naturæ felicitatem. Angelicæ itaque admirationi nos fragiles multo majori stupore perculsi, voces nostras adjungere optemus, dicentes : Quæ est ista, quæ ascendit per desertum? Licet terram desertam, inviam et inaquosam, qua mundus iste intelligitur, B. Hadelanga virtutum profectibus supergressa mystice dicatur, nil tamen obstat etiam ad litteram desertum illud hic accipi, quod, ut supra dictum est, primum

*ut virgula fumi*

C incolere, et in quo vestrum fundare cœnobium meruit. Ascendit tunc per hoc desertum, quia hic sæpe conversationis studia exercens, in perfectionis culmine fixit animi gressum. Hic tamen etiam hodie ascendit, ac deinceps ascendere non desinit, ubi inchoata per eam sanctæ religionis opinio quotidianis incrementis promovetur, ubi nomen ejus debitis laudibus attollitur, et memoriale ejus usque ad consummationem seculi non derelinquitur. Qualiter autem ascendere cœperit, aperte innuitur cum protinus subditur : Sicut virgula fumi. Per virgulam, quæ nec robur habet, nec altitudinem, recte accipimus humilitatem, in qua primus est gradus ascendere volentibus ad sapientiæ altitudinem. Qui enim vere est humilis, nullam habet fiduciam fortitudinis, sed depressis totius præsumptionis conatibus. In Deo, inquit, salutare meum et gloria mea. Deus auxilii mei et spes mea in Deo est. Eamdem virtutem etiam supra in spectaculo beatæ Virginis prævium constituimus. Id notandum, quasi virgula fumi dicitur. Et quare virgula fumi dicitur? Fumus cum nequaquam habeat splendorem, nonnumquam habere potest bonum odorem. Ejus itaque humilitas fumo

D similis, id est, terra et despicabilis visa est insipientium oculis; sed tanti odoris fragrantiam Dilecto exhibuit, ut vere dicere potuerit, Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Unde et ejusdem fumi suavitas exprimitur, cum protinus adjungitur : Ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii. Quia mater virtutum est humilitas, non potest esse solitaria, sed cohærentium sibi et de se progenitarum earumdem virtutum pigmentis condita; ut licet præsentis vitæ amatoribus obscura videatur, semper tamen odorifera apud Deum inveniatur. Signanter autem et ordinate speciales quædam hic insinuantur virtutes per denominatas aromatum species. Primo enim myrrha, deinde ponitur thus, et fortasse pro eadem ordinis ratione pulvis pigmentarii est ultimus. Generalem itaque de his prius quæramus intelligentiam, postmodum vero speciale, huic beatæ Virgini coaptandam. Per myrrham, quæ vermibus et putredini resistit, continentia vel mortificatio carnis; per thus, quod in Dei sacrificio adoletur, studium orationis; per pulverem pigmentarium, fructus eleemosynarum intelligitur; quæ bene pulvis dicuntur, quia de terrena substantia fiunt; pigmentarii, quia suavissimum odorem reddunt. Hinc est quod Cornelio misericordiæ operibus et orationi insistenti ab Angelo dicitur : Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ acceptæ sunt in conspectu Dei. Hoc de mysterio, nunc videnda ipsius or-

*ex aromatibus myrrhæ, etc.*

E dinis ratio. Continentiam vel mortificationem carnis, præparationem quamdam, vel, ut ita dixerim, idoneum esse instrumentum ad expeditam orationis instantiam Apostolus ostendit; qui de instituendo virginitatis proposito loquens, dicit : Porro ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ut id, quod bonum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento obsecrandi Domino. Et ad conjugatos : Uxori, inquit, vir debitum reddat, similiter uxoribus viri faciant. Et deinceps de consequenda orandi libertate : Nolite, inquit, fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Prior ergo myrrha thure; quia per continentiæ propositum, ad puræ orationis pervenitur studium. Utrasque vero has virtutes priores esse eleemosynis manifesta docet ratio, cum istæ intra nos, illæ vero sint extra nos. Minus quippe unicuique est honorare Dominum de sua substantia, et de primitiis frugum suarum, quæ ex terra gignuntur quam de bonis interioribus, quæ de cordis thesauro proferuntur. Nam et Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum, de fructibus terræ sacrificium Domino offerre

1 Cor. 7. 5

F consueverat. Sed quia de radice cordis pullulantem caritatis ac justitiæ non habuit fructum, divinæ dignationis non meruit respectum.

50 Et his generaliter præmissis, ad specialem intellectum B. Hadelaugæ Virgini congruentem nunc redeamus. Ipsa equidem primo myrrhæ fumum de se respersit, cujus mira suavitate delectatum sibi sponsum attraheret, et adolescentulas ad ejus amorem incitaret, cum virginitatis ei votum obtulit, et fideles quosque suæ castitatis exemplo irradiavit, ac si tam opere quam voce proditeretur, dicens : Surrexi, ut aperirem Dilecto meo, manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Et vere probatissima : nam et aliæ fideles animæ, etiam post carnis lapsum, per pœnitentiam resipiscentes in se myrrham reparare satagunt continentiæ. Sed ista est myrrha electa, myrrha probatissima ubi gaudium est de incorruptione, non remedium post corruptionem. Sciens autem juxta quod in libro Sapientiæ dicitur, quoniam aliter non posset esse continens, nisi Deus daret (et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum) adiit Dominum, et deprecata est illum ex totis præcordiis suis; quod est suavem obtulisse

*castitatis exemplo, ut myrrhæ odore, Virgines traxit*

Sap. 8. 21

AUCTORE ANONYMO EX MSS.

*thus orationis mortificationi jungens:*

A obtulisse fumum thuris, et ut juge fieret hoc boni odoris sacrificium, elegit sibi in solitudine locum offerendis precum hostiis opportunum. Noverat enim duo hæc, id est, mortificationem carnis et orationem cordis, inseparabiliter semper exercenda, et alterum sine altero, aut parum aut nihil prodesse. Nam si quis carnem mortificet, sed orare dissimulet, superbiæ arguitur; si autem solis tantum orationibus contentus carnem mortificare neglexerit, prævaricationis culpa condemnatur, dicente Domino, Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? Alterutrum ergo sibi ista suffragantur, dum constet quod alterum sine altero reprobatur. De pulvere autem pigmentarii, id est, eleemosynarum fructu, quantus fuerit et sit, vestrum, o filiæ Jerusalem, testimonium sufficit, quæ locum ipsius, quem talibus illa exercitiis primum dedicavit, hæreditarium possidetis, et de collatis munificentiæ ejus beneficiis quotidiana præsentis vitæ solatia habetis.

## CAPITULUM XIII.

### *Clausula laudis S. Hadelaugæ.*

Ecce hæc est Mater vestra; si tamen proprie
B describendo vobis illam præsentare valuit parvitas mea. Hæc est illa Esther vestra, quæ pro liberatione populi sui non pepercit animæ suæ, non apud Principem terrenum, sed apud Regem Regum pro salute filiarum suarum, imo et omnium fidelium solita fiducialiter interpellare. Hæc Aman superbum Israeliticæ gentis adversarium, principem videlicet tenebrarum, potenter expugnavit, omniaque fraudis ejus machinamenta prævalentibus prudentiæ suæ consiliis evacuavit. Ecce Judith vestra exemplar castitatis et totius speculum virtutis, quæ gladio spiritus, quod est verbum Dei, viriliter dimicans, caput principis militiæ præcidit. Ecce Debbora Prophetis vestra per quam Dominus nova elegit bella, quæ virorum bellatorum aciem præcessit, ut in manum mulieris traderetur Sisara. Ecce benedicta inter mulieres, victrix illa Jahel, quæ percussit Sisaram, quærens in capite vulneris locum, et tempus valide perforans: cujus quanta fuerit fortitudo, qua boni Ducis ac propugnatoris more semper ex adverso ascenderet, murumque pro domo Israel opponeret, hinc liquido patet, quod prima in regionibus nostris, ut fidelis tradit antiquitas, virgineæ habitationis fundamenta jecit, et quasi Angelorum castra, virginalis militiæ coadunavit agmina.

*Comparatur antiquis Heroïdibus, Judic. 5. 8 et 26*

C Solet in congressu prœliantium quisque fortissimus et ad omnem periculi eventum imperterritus, ad hoc præ ceteris eligi, ut in ipsa ordinatæ aciei fronte signa præferens, ab incursione hostili sequentem muniat exercitum, et magnanimitatis suæ exemplo corroborare possit etiam trepidum. Hic igitur si prævaluerit, sequentes se triumphare facit, si cesserit vel corruerit, reliquos plerumque in fugam convertit. Hujusmodi ducatus electio tanto magis in spirituali observatur prælio, quanto instantior est invisibilis militiæ pugna, et atrocior victoria. Multo quippe facilius ei resistitur, qui comminus dimicans, manifeste cernitur, et humana fragilitatis pondere lassatur, quam ei, qui invisibiliter et infatigabiliter sine corporeæ molis obstaculo colluctatur. Proinde quis æstimare valeat, quanta fortitudine beatam hanc Virginem ipse Dominus virtutum corroboraverit, quæ ad debellandum fortis armati principatum et confirmandum Virginalis militiæ tirocinium in prima fronte constituitur? Quantas tunc contra illam antiquus ille adversarius artificii sui machinas credendus est erexisse, videns eam non solum manu factum Deo templum semel extruxisse, sed viva ipsius templa verbo et exemplo incessanter extruere, atque roborando instaurare? Cum enim magnæ sit difficultatis

*fortis contra tentationes.*

duram et rastro eatenus intactam proscindere terram, quanti est laboris novam sanctæ religionis complanare viam, et verbo ædificationis carnalium emollire duritiam? unde et ipsa gloriosius triumphavit, quo primos illos tentationum impetus in solitudine, quam elegerat, sibi occurrentes, difficiliori labore toleravit, ceterisque sequacibus suis deinceps planiorem viam dereliquit. Ad anniversarium itaque depositionis ejus diem solenniter agendum unanimi devotione aggregamini: ad hujus jucunditatis gratiam annua revolutione celebrandam vosmetipsas mutua alacritate adhortamini. Et omni quidem tempore tam in corde quam in ore vestro quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut bene ordinata musicæ harmonia; in hac vero potissimum die, qua primum gaudiis cœlestibus meruerat associari, vos quoque specialius ipsius tripudio congratulamini: hodierna die pro veneratione debita Matris et Dominæ vestræ certatim confluentem monasterii familiam cum gaudio excipite, largioribus eleemosynarum stipendiis pauperum viscera recreate: viduas et orphanos consolationis vestræ participes facite. Talibus enim fructibus justitiæ ipsa præcipue abundare solebat: ideoque merito jucundatur, si eadem in vobis studia recognoscat, si maternæ conversationis forma in filiarum resplen- E
deat vita.

## CAPITULUM XIV.

### *Oratio laudantis.*

Ecce vere Sion filia illustris et beata Virgo Hadelauga, civis Sanctorum et domestica Dei. Ecce isti sunt paupertatis meæ flosculi, quibus gloriosum sepulturæ tuæ locum aspergere volui; quos tamen non ita obtuli, quasi te dignos vel beatitudini tuæ necessarios, aut perfectioni quidquam collaturos; sed ut nostris sensibus tui aliquatenus odoris gratiam infusuros. Ceterum tu post flores istos, jam ad maturitatem fructus, Domino ducente, pervenisti. Jam non ut quondam langues amore ne dicas: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo; sed ipso, quem amaveras et amas, sine omni languore feliciter perfrueris. Sub illius umbra, quem desideraveras, jam consedisti, et fructus illius dulcis gutturi tuo: jam Agnum, quocumque ierit, sequeris; jam canticum illud solis ejus comitibus concessum, jucundissime concinis. Ibi ergo jam secura de propria beatitudine, peregrinantium ærumnis compatere, tuis deditos præconiis et congaudentes gaudiis, sereno vultu conspice, F
illumque Sponsi tui faciem, ipsis etiam Angelis desiderabilem, pio nobis interventu effice placabilem. Memor esto specialiter specialis familiæ tuæ, memor esto congregationis tuæ, ab initio a te per misericordiam Dei fundatæ atque possessæ, semperque orabis pro populo hoc et pro civitate ista, sed et pro universa Ecclesia, cujus electa et specialis esse meruisti filia. Hanc etenim et ad contemplandam et laudandam, imo ad dandam ipsi Sancto Sanctorum magnificentiam et gloriam in primordio sermonis invitaveram; gavisuram utique de prospero partus sui proventu; eo quod talem genuerit filiam. Sed exacto jam spectaculo, in quo fidei nostræ oculis eras proposita, unusquisque revertatur in sua: non quod satietas spectandi spectatoribus fastidium genuerit, sed quod nostræ quoque domui, id est, conscientiæ providere ac consulere gravis nos necessitas perurgeat. Vereor enim, ne plures e nobis, qui spectaculo aderant, non alacres, sed pectora sua percutientes, ad se redeant, eo quod bonorum, quæ hic ostensa sunt, gratiam in semetipsis minime recognoscant. Verumtamen miserator et misericors Domine, patiens, et multæ misericordiæ, vincens in fortibus, compatiens fragilibus, justorum via, peccatorum venia, illis præparans

*Auctor gratulatur ejus felicitati:*

*eam invocat.*

A præparans gloriam, his prærogans misericordiam; in te potissimum sermo claudendus est, qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit. Multa quidem, ut aliquis sapiens ait, dicimus et deficimus verbis: consummatio autem verborum tu es in omnibus, cui soli est omnis gloria, honor et imperium per infinita secula seculorum. Amen.

*Post illud Encomium, sequitur brevior Vita in Passionali Herbipolensi: pars solum in altero MS.*

*Ejus vitæ cap.* 1 *num.* 1 *ista verba lin.* 3, quem Agnum sine macula sequitur... rex stola circumamictus candida... laudem hujus Virginis Virgo mater Ecclesia devote suspiciat; *ita restitue:* quem Agnum sine macula sequitur grex beatorum stola candida: laudem vero Virginis hujus mater Ecclesia devote suscipiat.

NOT 20 *Pagina* 309 *num.* 2 *lin.* 33 *ad* amicam suam, *adde hanc notationem: « Addit MS. Herbipolense »* Sanctam videlicet Gertrudam, quæ tunc temporis in Nivilensi monasterio præfuit. — *Quod parum cohæreat iis quæ ibi excripsimus.* — NOT 21 *Pag.* 310 *lin.* 3 *post*, in impatientia furoris, *adde: Suppl. MS. Herbipolense* ut videlicet, quam emollire nequibat ad faciendam voluntatem patris, stimulis incitaret adversus patrem malitiosæ simultatis. *Deinde sequentes litteræ mutandæ d e f.* — NOT. 22 *Eadem pagina num.* 5 *E lin.* 25 *post* Kuccingus, *adde, ex MS. Herbipolense*, Kiczingus, vel secundum alios Kigs.

## DE SS. MARTYRIB. EBBECKESDORPIEN.

NOT 23 Pag. 319 in fine adde

B § VII. *S. Gosberti Ep. Osnabrugensis Vitæ epitome ex Officiis propriis ejusdem Ecclesiæ.*

Gosbertus, quartus in ordine, Osnabrugensi Ecclesiæ præficitur Episcopus: qui gente Suecus, D cum S. Anscharius, præstantissimus illius populi et aliorum Apostolus, Evangelium prædicaret, ejus discipulus et insignis collaborator fuit in convertendis paganis, vir pius ac doctus, nec non mire sanguinem suum pro fide Christi profundere anhelans. Itaque cum Ericus Rex Daniæ, magnus Christianorum persecutor, in Saxoniam ad damna Ecclesiis inferenda, magno exercitu instructus, properaret; Gosbertus pro Ecclesia sibi commissa et grege suo vigilans, ipsemet ad defensionem eorum in aciem progressus, ab infidelibus Danis, cum aliquot aliis Episcopis, pluribus Ducibus ac Comitibus, pro fide Christi trucidatus, martyrio, quod diu desideraverat, gloriosus occubuit.

*AUCTORE ANONYMO, EX MSS. S. Gosberti Ep. Osnabrugensis epitome Vitæ,*

36 *Hæc pro Lectione* IV *ad Matutinum recitantur: reliqua desumuntur ex Officio de Communi unius Martyris et Pontificis. Colitur autem III Februarii sub ritu duplici. Sunt ea Ecclesiæ et diœcesis Osnabrugensis officia typis mandata auctoritate et jussu Reverendissimi et Illustrissimi Principis ac Domini, D. Francisci Guilielmi Ecclesiarum Osnabrugensis, Ratisbonensis, Mindensis ac Verdensis Episcopi, cum Præfatione ad Clerum Urbis ac Diœcesis Osnabrugensis, signata* III Nonas Februarii, S. Gosberto Episcopo in hac Sede prædecessori ac Martyri sacro anno Christi MDCLII. E

*cultus sacer 3 Febr.*

# ADDENDA AD III FEBRUARII.

## DE S. BLASIO EP. SEBASTENO MAR.

NOT. 24 P*agina* 337 *post num.* 16 *adde* [*Verum hæc omnia ad Dagobertum Regem Austrasiorum, filium S. Sigeberti referenda potius videntur. Consule ad hujus Vitam dictam I Februarii pag.* 231 *num* 1.

NOT. 25 *Pag.* 338 *col.* 2 *ante* Addendum *lin.* 2 *ante finem num.* 23 *adde: Extat Bononiæ templum parochiale* S. Blasio *dicatum, ubi digitus ejusdem Sancti asservatur, et catenulæ, quibus sese flagellasse, macerandæ carnis gratia, traditur: eæque volentibus osculandæ exhibentur. Ædes item nosocomii S. Mariæ Servorum,* S. Blasii *appellatur, picturis eximiæ artis ornata. Ita item, ubi Pepolæ familiæ altare. In S. Petri basilica* C *præcipua pars capitis* S. Blasii *asservari dicitur, inque S. Joannis in Monte aliquæ reliquiæ. Duæ illic congregationes opificum Patronum sibi eum adoptarunt, ejusque ædem cum muneribus religiose adeunt hoc die: qui ex pellibus pecorum membranam conficiunt; quique lanam carminant. Ita Masinus in Bononia perlustrata.*

*S. Blasii reliquiæ Bononiæ,*

NOT. 26 *Pag.* 338 *num.* 24 *lin.* 15 *ante*, In Sicilia, *adde: In eadem Lusitania castrum est* Belver *diœcesis Guardiensis, ubi inter alias Divorum illustres reliquias digitus* S. Blasii *asservatur intra ædem anachoriticam, quæ a* S. Blasio *nomen habet, ubi Sancti ejusdem ope miracula fieri testatur, et quoddam narrat, Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitano ad hunc diem pag.* 338. *Idem duas alias in Lusitania eremiticas mandras* S. Blasii *nomine celebres memorat, unam in* Marcelo do Mattoterritoru *Brigantini; alteram in* Botabarrali *pago Diœcesis Ulyssipponensis: atque illa caput sancti cujusdam pastoris servari, in hac sancti item agricolæ caput, utrumque miraculis clarum scribit: verum utriusque ætatem res gestas, nomen, festum, sese assequi non potuisse, ideoque existimare, neque coli officio Ecclesiastico, neque nota vulgo nomina.*

*in castro Belver,*

*aliquot in Lusitania eremandræ dicatæ*

NOT 27 *Pag.* 361 *pro* Dierstorffius *corrige*, Sierstorpfius, *et adde: Gymnasii Laurentiani Regens, ac Facultatis Theologicæ, necnon Capituli Metropolitani et S. Cæciliæ Senior.*

## DE S. LAURENTIO ILLUMINATORE EPISC.

*Pag.* 367 *post num. hæc adde:* NOT 28

F*arfarensis monasterii Annales scribebat anno* MDCXLIII *Gregorius Romanus Abbas S. Matthæi, qui in typus excusi prodierint needum comperimus. Quædam ex autographo nobis communicata. Duos sese alios sequi Gregorius profitetur, qui Chronica ejusdem monasterii concinnarunt, primus anno* DCCCLX; *alter, cognomento* Catinensis, MXC. *Ipse* S. Laurentium *a Syria in Italiam venisse scribit anno ultimo Juliani Apostatæ, cum* Suzanna *sorore,* Joanne *et* Isaaco *discipulis, ac circa annum* CCCCXXX *Farfarense monasterium ædificasse, atque* XXV *annis administrasse: successisse ei Isaacum, sed* F *post annos aliquot Spoletium migrasse, ibique cœnobium S. Marci ædificasse: hunc admodum senem visum fuisse* S. Gregoriæ *Virgini, quæ adhuc vivebat, cum S. Gregorius Dialogos scriberet. Quæ ratio temporum haud facile nobis probari potest. Annus Juliani secundus, qui et ultimus, fuit Christi* CCCLXIII. *Demus* S. Isaacum *tunc annorum* XV *fuisse (neque enim multo adolescentior censeri potest e patria peregre abiisse) natus igitur fuerit anno* CCCXLVIII. *Ab eo anno ad* DXC *Christi, quo S. Gregorius Pontifex creatus est, anni numerantur* CCXLII. *Quis credat duorum hominum ætatem tantum explevisse spatium temporis? imo* S. Isaacum *Abbatem quis supra* CLXXVIII *annos vixisse? Scribit de eo S. Gregorius lib.* 3 *Dial. cap.* 14, *quem locum ad* XXIII *Januarii pag.* 494 *citavimus cum de* S. Gregoria *ageremus:* Prioribus quoque Gothorum temporibus fuit juxta Spoletanam urbem vir vitæ venerabilis, Isaac nomine, qui usque ad extrema Gothorum tempora pervenit, quem nostrorum multi noverunt, et maxime sacra Virgo Gregoria, quæ nunc in hac urbe Romana juxta ecclesiam B. Mariæ semper Virginis habitat. *Sed de* S. Isaaco *plura ad* XI *Aprilis. Verosimilius est, quod jam statuimus, seculo sexto, sub annum forte* DXXVI *venisse eum in Italiam: et quidem non admodum adolescentem, ut ex iis quæ deinceps de eo narrat S. Gregorius, conjicere*

*Quando is dicatur in Italiam venisse,*

*cujus comes ad extrema Gothorum tempora pervenerit:*

A *jicere licet. Nec priora Gothorum tempora, quibus floruisse* Isaacus *dicitur, intelligi ea debent, quibus Alaricus et Athaulphus Italiam urbemque Romam populati sunt sub annum* CCCCX; *sed postquam Ostrogothorum Theodorico Rege firmatum est in Italia regnum anno* CCCCXCIII *usque ad ejus mortem* DXXVI. *Quæ vero extrema dicantur Gothorum tempora, inde patet, quod extinctum sit regnum illorum a Narsete eunucho anno* DLIII.

10 *S. Laurentium scribit idem Gregorius Abbas Episcopum Sabinensem fuisse, nulla facta mentione Episcopatus Spoletini.* Cum autem, *inquit*, aliquando suam diœcesim inviseret, pervenit ad casalem Turrianum, sic a fluviolo dictum, qui nunc prope monasterium Farfense fluit, Rianus nuncupatus. Et in fundo Acutiano, sub monte Mutella (ubi tunc erat immensa silva nemini pervia, et a teterrimo dracone custodita) delectatus tanta solitudine, se dedit contemplationi et orationi. Inde suis orationibus dracone fugato, parvum oratorium construxit in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, cujus imaginem (quæ nunc extat in tabula lignea depicta, et, ut creditur ex continuata traditione, a S. Luca Evangelista) secum e Syria portaverat: et ædificatis aliquot cellulis, prima hujus cœnobii fundamenta jecit. Hic ergo per annos circiter XXX sanctissime vivens, monasterium auxit, non solum spiritualiter, multis ad Divinum Servitium sub ejus magisterio confugientibus; sed etiam temporaliter, pluribus acquisitis tam emptu quam sub pia largitione fidelium. Ubi ergo dæmon sub specie draconis habitabat, Virgo, quæ caput draconis contrivit, honorari cœpit.

*draconem precibus fugat:*

*cœnobium Farfense ædificat*

*et dotat*

B

11 Interim Susanna obeunte, et in dicto oratorio a Laurentio sepulta, paulo post idem Laurentius meritis clarus obdormivit in Domino, et prope sororem suam a discipulis fuit sepulturæ traditus. De S. Laurentio hæc habentur in bulla *Joannis VI Papæ*. Laurentius quondam Episcopus venerabilis memoriæ, de peregrinis veniens, in fundo, qui dicitur Acutianus, territorii Sabinensis, venerabile monasterium sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ constituit, et propter religiosam ejus conversationem, et Divini servitii sedulitatem illadem secum conversantium, loca quædam tam emptu, quam ex oblatione fidelium acquisivit, *etc.*

*moritur:*

*laudatus a Joanne VI Papa:*

D

12 *Ac post pauca ita scribit idem Abbas:* Quod autem Laurentius fundator, sicut et Thomas restaurator, fuerint Sancti, apparet ex antiquissima traditione, et ex quibusdam fragmentis antiquissimi Breviarii manu Longobardica descripti. Insuper usque ad annum MDLXXXVI nos celebravimus dies festos dictorum Sanctorum, recitantes eorum officium; sed cum quidam Prior, nomine Gregorius a Perusio, tulisset dictum officium, asserendo non esse ex Apostolica auctoritate; rursum illud reassumere non valuimus, respondente sacra Rituum Congregatione, nos non debuisse illud dimittere: cum autem dimissum sit, non esse reassumendum. *Hæc ille.*

*olim cultus ut Sanctus.*

*Pag. 363 col. 2 D lin. 5 dele Annotationem l, et hæc substitue: l Hic a Jacobillo inter Sanctos Umbriæ ad XVIII Februarii refertur, ut illic in Prætermissorum syllabo monebimus.* NOT. 29

## DE S. ANSCHARIO ARCHIEP. HAMBURG.

P*ag. 394 col. 1 lin. 36 post*, Martyrem Pastor, *adde:* [*Utramque Vitam S. Anscharii cum Originibus Hamburgensibus nuper edidit Petrus Lambecius Hamburgensis: cujus etiam opera et studio in lucem edita sunt typis Regiis Parisiensibus Georgii Codini et alterius cujusdam anonymi excerpta de Antiquitatibus Constantinopolitanis, ac Latina versione, et Animadversionibus necessariis adornata. Hic autem ad has* S. Ancharii *Vitas præfatur se eas Parisiis descripsisse* ex pervetusto *codice membranaceo manuscripto monasterii* S. Germani, *eo, ut opinatur, ex Corbeia Gallica delato. Cum hac editione Vitam utramque iterum contulimus. Priorem etiam exhibuit nobis alter codex MS. Monasterio Westphaliæ a Bernardo Rottendorffio* V. CL. *nobis amicissimo transmissus; sed hic plerumque cum ea Vita quam Philippus Cæsar edidit, congruebat.* NOT. 30

E

*Pag. 417 col. 2 num. 16 lin. 7 pro* Nonnum Witmarum, *Lambecius edidit, nomine* Witmarum. NOT. 31

*Pag. 428 num. 56 lin. 3 a fine pro* initium, *Lambecius* meritum *habet.* NOT. 32

# ADDENDA AD IV FEBRUARII.

NOT. 33 P*agina 452 col. 1 post* S. Eutychium *Mart. Romanum, adde:*

C

## S. FIRMUS MARTYR, GENUÆ.

NOT. 34 *Pag. 453 col. 1, adde: Multa quoque de* S. Anciraldo *eremita Martyre, qui in Lusitaniam ex Germania venerit, eo revertens a latronibus sit trucidatus, memoravit in Hagiologio Lusitanico Georgius Cardosus, citatos hac de re auctores secutus. Fatetur tamen eumdem sibi videri, qui* Meinradus *alibi appellatur: nec mirum esse, ab aliis coli* XXI *Januarii (ad quem diem illius Vitam dedimus) ab aliis* IV *Februarii; id cum sæpius evenire ob Translationes aliasque causas.*

Ardinga Martyr, *Lamecensis in Lusitania Regis filia, hoc die ab eodem Cardoso inscripta est Hagiologio Lusitanico. Ea ut* Theodoni, *regis sanguinis Principi, virtutis bellicæ fama celeberrimo, nubere posset, patrem Maurum reliquisse, eumque collactanea puella confugisse ad Christianos, et eorum mysteriis imbuta, tinctaque baptismo fuisse traditur: quod ut comperit parens clam eo venisse, eamque suffocasse traditur. Ejus in Descriptione regni Lusitaniæ pag. 559 ubi Sanctos illius regni enumerat, Antonius Vasconcellius noster num. 26 ita meminit:* Urbs Lamacensis, Principis Ardingæ interitu nobilis est: quam Rex pater (quod relictis Maurorum deliriis, Christianorum ritus amplexa esset) furore percitus suffocavit. *Ejus alii quoque meminere; Angelus Manrique tom. 2 Annalium Cisterc. ad annum* 1170 *cap. 8 num. 5 pag. 505; Ludovicus de Anjos in Vitis Sanctorum Lusitaniæ, atque alii; sed nemo coli eam scribit, aut diserte* S. Ardingam *appellat. Vixisse ea dicitur circa annum* CMXCV.

F

*Pagina eadem post* Simeonem Abbatem, *adde:* NOT. 35

B. Felicianæ *Virginis memoria extat Conimbricæ in Lusitania, in cœnobio sanctæ Crucis Canonicorum regularium. Juxta hoc olim gynæceum extitit, quod novem incolebant ejusdem instituti feminæ, pleræque illustri, aut etiam regio, genere ortæ. Hic* Feliciana *obiisse traditur anno* MXCIII *magna sanctitatis opinione: ejusque reliquiæ ad nostram usque memoriam auratæ thecæ inclusæ inter alias Divorum exuvias cum veneratione asservatæ, nuper intra basim Crucifixi in ara sacrarii repositæ sunt. Ita fere Georgius Cardosus in Hagiologio Lusitanico. Meminerant illius Gabriel Pennotus in historia Canonicorum regularium parte 2 cap. 59 § 10, et Angelus de Anjos libro de sanctis feminis Lusitanis § 64 pag. 171. At neque Beatam appellant, neque hoc die obiisse tradunt, et nomen reticent, quod ex alio scriptore expressit Cardosus.*

*Pag. 454 col. 2 D ante* S. Simeonem senem, *ista pone:* NOT. 36

S. Goldrophes *Prior fuit Canonicorum regularium monasterii S. Petri de Folques, quod septem circiter*

*leucis*

A *leucis distat Conimbrica. Ejus res gestæ interciderunt, at plurima ad ejus reliquias fieri miracula scribit in Hagiologio Lusitanico Georgius Cardosus. Isthic solum os tibiæ asservatur, ut ait, reliqui corporis exuviis a quodam Episcopo Conimbricensi, qui ejus ope sanitatem recuperarat, asportatis, incertum quo. Sed Folquesium ingens hominum multitudo, e longinquis etiam locis, confluit hoc die, sed multo etiam major (quando de eo forsan plura dicemus)* VII Septembris.

DE S. VERONICA MATRONA. D

NOT. 37 **P***ag.* 458, *col.* 1 *ad finem* § 3 *adde :*

*Masinus in Bononia perlustrata, coli præterea S. Veronicam scribit in æde S. Christinæ, ubi proprium habet altare; inque S. Pauli Barnabitarum, in sacello Crucifixi. Nicolaus Guerrosius de sanctitate Christiana Ecclesiæ Trecensis, ad annum* 50 *num.* 23 *fol.* 12 *testatur* Os tibiæ S. Veronicæ adservari in diœcesi Trecensi in monasterio Belliloci : *quod ad Albulam flumen situm, ferunt primitus Augustiniani fuisse instituti, at circiter annum* MCXL *Præmonstratensem regulam accepisse. Consule Sammarthanos tom.* 4 *Galliæ Christianæ, pag.* 155. *et Belliloci in Galliâ.*

NOT. 38. Hæc repone pag. 463 post S. Eutychium.

# DE S. FIRMO MARTYRE.

## GENUÆ IN LIGURIA.

**P**ost Officia propria Sanctæ Genuensis Ecclesiæ, ex Apostolica concessione, Eminentissimi et Reverendissimi Domini D. Stephani Cardinalis Duratii Archiepiscopi Genuensis B jussis recognita, et iterum edita *Genuæ anno* MDCXL, *adjectum est*, Kalendarium Sanctorum, qui in particularibus Genuæ ecclesiis celebrantur. *In hoc ad* IV *Februarii annotatum est, coli in æde* S. Sebastiani, *quæ sanctimonialium est,* S. Firmum Martyrem, *cujus ibi extent reliquiæ. Quis hic fuerit, nos latet. Forsan Roma Genuam allatæ reliquiæ Sancti illius* Firmi, *qui Romæ* 2 *Februarii cum* Fortunato, Feliciano, *multisque aliis consummasse martyrium traditur, uti pag.* 287 *retulimus : forsan alterius, qui tamen idem ille existimatus sit, et cum dies secundus Februarii festo Purificationis duplici secundæ classis occupatus esset, tertius fortassis S. Blasii ; in hunc diem illius rejecta celebritas. Plures certe in Martyrologiis* Firmi *memorantur.* *S. Firmi reliquiæ Genuæ*

DE S. GELASIO MARTYRE.

NOT. 39 *Pag.* 464, *col.* 2. *E post num.* 6 *adde :*

**M***asinus in Bononia perlustrata, testatur, coli Bononiæ in æde S. Mariæ de Caritate* S. Gelasium Martyrem, *cujus illic sunt reliquiæ. Alterius e Forosempronicnsibus* Gelasiis *hic commemoratis eas esse arbitramur potius, quam* S. Gelasii *Placentini, qui hoc ipso quoque die colitur, sed Martyr non fuit.* *S. Gelasii reliquiæ Bononiæ*

DE S. GELASIO PUERO PLACENTINO. E

NOT. 40 **P***ag.* 470, *col.* 2, *num.* 3 *lin.* 2 *post* SS. Italiæ, *adde : Petrus Maria Campus Ecclesiasticæ historiæ Placentinæ parte* 1 *lib.* 5 *ad annum* 429 *scribit, cubiculum illud* S. Opilii *fuisse in ecclesia S. Antonini, a qua is numquam recedebat. Gelasium autem, ut propius intueretur insolitum illud spectaculum Angelorum cum fratre colloquentium, conatum in ejus cubiculum ingredi, cujus ostium apertum repererat ; sed vi occulta primum sibi pedes a limine repelli sensisse ; dein tamen ingresso conspectum esse in medio Geniorum cælestium Christum Salvatorem, cum splendidissimis signis suæ sacræ Passionis, consedentem a dextris Patris æterni : cumque vultum suum gloriosum ad* Gelasium *vertisset, eique contemplandum aliquandiu præbuisset, pronuntiasse tandem verba illa,* Sinite parvulos venire ad me. *Unde innocenti puero spes salutis injecta, animusque ad sublimiora excitatus : sed consummatus in brevi explevit tempora multa.* *S. Gelasius, puer Christum videt.*

C

# AD V DIEM FEBRUARII.

F

DE S. AGATHA VIRG. MART.

NOT. 41 **P***ag.* 615, *col.* 2, *post num.* 98 *adde : alibi in iisdem Menæis* τῆς πατρῴου λύτρωσις patriæ redemptio *vocatur : ac mox, ne dubitetur quæ illa sit patria, istud accinitur :* Στολιζέσθω σήμερον ἡ ἐκκλησία πορφυρίδα ἐνδόξως καταβαφεῖσαν ἐξ ἁγνῶν αἱμάτων Ἀγάθης τῆς μάρτυρος, χαῖρε, βοῶσα, Κατάνης τὸ καύχημα. Ornetur hodie Ecclesia gloriosa purpura, tincta puro sanguine Agathæ Martyris, Salve, exclamans, Catanæ gloria.

NOT. 42 *Pag.* 637, *col.* 2, *post num.* 10 *ista adde :*

*Quas ad Acta* S. Agathæ, *atque inferius ubi de ejus miraculis agitur, citavimus MSS. Annotationes Michaelis Monachi Canonici Capuani, ex dein editæ a Francisco Antonio de Aressis Canonico itidem Capuano, ex Theol. professore, atque inter alia hæc ad calcem adjecta. Ex ecclesia nunc monachorum est Montis Virginis : cum autem vetustate fatisceret ac ruinam minaretur, restaurata nuper est Eminentissimorum Cardinalium Francisci et Antonii Barberinorum cura et impensis : nam invicem in ejus Ecclesiæ titulum successerunt. Supra fores ista legitur inscriptio :*

*Februarii T. I.*

ÆDEM SANCTÆ AGATHÆ
MAGNO OLIM GREGORIO
VENERABILEM,
INCLYTIS DE CÆLO PRODIGIIS
ILLVSTREM,
NVPER VETVSTATE SQVALLENTEM
CARDINALIS ANTONIVS BARBERINVS
IN HANC SPECIEM REDEGIT,
ANNO VRBANI VIII PONT. MAX.
PATRVI XIII.

*Est hæc supra templi januam in ipso exarata lacunari :*

ÆDEM FRAN. CARD. BARBERINVS
AVRATO LACVNARI CONTEXIT
ANNO M DC XXXIII.

*Tertia supra ipsam majus altare itidem in lacunari :*

AGATHÆ
VIRGINIS SANCTISSIMÆ
MARTYRISQVE FORTISSIMÆ.

*Pag.* 639, *col.* 2, *post num.* 24 *adde : Lucemburgi quoque Belgicæ primæ celebri urbe, suisque Principibus apprime fideli, extat in æde Societatis Jesu aliquæ S.* Agathæ *Virginis ac Martyris reliquiæ. Eas* Alexan- NOT. 43

 dro

A dro Wilthemio, *qui nunc Rector est illius collegii, ante duos annos donavit* Carolus Rachtius *Pastor oppidi Machariaci, quod ad læram Mosellæ amnis supra Treviros, tertio lapide ab ipso Luxemburgo, situm, vulgo,* Grevemachera, *sive* Comitis Machera, *aut* Comitum Machra *appellatur, quod olim a Comite quopiam Luxemburgensi muris circumdatum creditur. De iis reliquiis idem* Wilthemius *præclaram, planeque sua dignam eruditione dissertationem edidit, septem capitibus distinctum: quæ hic profecto tota inseri mereretur, nisi esset jam in doctorum hominum manibus, et multa contineret fusius disputata, quam ad propositum nostrum necesse sit. Sunt ex reliquiæ in vitrea phiala, sive lenticula, eaque perexigua, inclusæ: et, quod consequens est, non magnæ molis, sed pretii quantivis, ut cap. 7 egregie disserit scriptor. Est ergo pulvis ossium, quantulum fere capere Avellanæ nucis putamen queat, et frusta ampullæ, seu lagunculæ vitreæ, incrustata sanguine, quem copiosum in plurimis atrocissimisque cruciatibus invicta Virgo fudit, collegerunt de more, qua per carnifices licuit, Christiani, saltem cum extinctæ corpus tumulo condiderunt, in quo ea quoque lagunçula ac forte plures, repositæ tunc fuere: ut cum postea sæpius apertus, atque ut fit succussus, idem tumulus est,*

*Luxemburgi in Belgio*

*intra lenticulam vitream pulvis ossium S. Agathæ et sanguis.*

B *earum aliquæ fractæ sunt, sed particulæ nonnullæ in exilem, quem diximus, lenticulam insertæ sunt, titulo hoc apposito,* De S. Agatha Virgine. *Videtur autem, ut idem conjectat* Wilthemius, *jam ante quatuor minimum secula in Belgicam nostram sacrum illud pignus allatum.*

D

DE SS. XXVI CRUCIFIXIS.

**P***ag.* 747, *col.* 2 *ad* § XIII *ista præpone: Cum hic paragraphus pridem esset excusus, moniti sumus Roma a viro gravi et erudito, ne, quæ de sanctorum horum Martyrum miraculis ab nonnullis auctoribus mandata sunt litteris, temere in opus nostrum transcriberemus. Nam quædam eorum, præsertim de incorruptis corporibus, luminibus noctu supra eadem corpora ac Nangasakensem nostram ædem apparentibus, B. Petri corpore ad diem unum ex hominum oculis sublato, etc., plurimis usque gravissimis testimoniis infirmata esse. Id si nobis antea compertum fuisset, totum eum paragraphum omisissemus. Nunc cum expungi, nisi aliud substitueretur, non posset; nec facile nobis esset, nisi longo temporis spatio, quæ solide revicta essent, quæ probanda viderentur, assequi; ea quæ in variis scriptoribus reperissemus, ita ut impressa jam erant, proponi lectoribus posse existimavimus: sed quatenus ea suscipi debeant, hic præmonitis. Ex nempe mortalium animos tenebræ occupant, ut quæ ab levibus etiam hominibus acceperint, ea avide complectantur, et mox diluere chartis gestiant.* NOT. 44

*Pag.* 755, *col.* 1 *c dele Annotationem* c *post cap.* 2 *et hæc repone: Diversus hic* Paulus Sachendonus *videtur a* Paulo Sacandono *Camanaæ arcis Præfecto, Genfoini filio, de quo fuse cap. 9 ac præsertim Annotat.* c *agetur.* NOT. 45 E

# AD DIEM VI FEBRUARII

NOT. 46 **P***agina* 771, *in syllabo Sanctorum, quorum eo die agitur memoria, post* S. Julianum *medicum et Martyrem, col.* 1 *adde:*

S. Amantius, Episcopus Tricastinus in Gallia.

NOT. 47 *Ibidem col.* 2 *post* B. Franciscum, *adde:*

S. Theodori,<br>
S. Trosuni,<br>
S. Evellii,<br>
S. Turritii,<br>
S. Felicis,<br>
S. Candidi,<br>
S. Theophili,

Martyrum Translatio, Fossani in Pedemontana ditione.

NOT. 48 Reponenda hæc sunt pag. 786, post Acta S. Juliani

G. H.

# DE S. AMANTIO
## EPISCOPO TRICASTINO IN GALLIA.

SECULO V, VI FLOR.

C **Q***uæ in Gallia Narbonensi, et hodierna Delphinatium provincia extat* urbs S. Pauli Tricastinorum, *Episcopum habet Jacobum Adhemarum anno* CIƆIƆCXLV *a fratre suo Francisco Archipræsule Lugdunensi consecratum: cujus industria Sammarthani accuratiorem seriem Episcoporum nacti tomo* 3 *Galliæ Christianæ ediderant: in qua decem primi* Sancti *appellantur hoc ordine:* Sulpitius, Eusebius, Torquatus, Paulus, Restitutus, Bonifacius, Amantius, Maximinus, Castorinus, Michael. *Ex his maxime celebris est* S. Paulus, *qui urbi Tricastinæ nomen dedit: de quo egimus supra Kalendis Februarii, eique junximus* S. Torquatum, *mutato Saussaium, cujus tamen festum* XXXI *Januarii celebrari deinde didicimus.* S. Restitutus *colitur* VII *Novembris, ac* S. Amantius *hoc* VI *Februarii: sex aliorum dies natalis ignoratur. De* S. Amantio *ista solum habent Sammarthani:* S. Amantius festum habet in Proprio Ecclesiæ, quod celebratur VI Februarii, sed nihil de eo specialiter annotatur. *De reliquiis ejusdem ista traduntur ibidem in elogio S. Pauli ex archivis Capituli ejusdem Ecclesiæ:* Sacrum corpus *S. Pauli* anno CIƆIƆLXI, die XXIV Decembris novatores hæretici prædictam ecclesiam *Cathedralem* ingressi, profanata dixi Confessoris memoria cum reliquiis sanctorum

*Episcopi* 10 *Tricastini Sancti:*

*ex his S. Amantius colitur 6 Febr.*

*Reliquiæ sunt a Calvinistis combustæ.*

Antistitum Amantii et Eusebii concremarunt. *De tempore, quo decem hi sancti Episcopi floruerunt, nihil certi constat. Nam S. Paulus subscripserit Concilio Valentino* I Gratiano Aug. II et Equitio Coss. anno CCCLXXIV, *addubitavimus ad ejus Acta. Seruti dein* SS. Restitutus *et* Bonifacius, *post quos sedit* S. Amantius, *Christi quinto seculo: subrogati dein* SS. Maximinus, Castorinus et Michael: *post eos* Florentius Episcopus, *qui anno* IↃXVII *Epaonensi Concilio subscripsit.* F *floruit 5 seculo.*

DE S. VEDASTO EP. ATREBATENSI.

**P***ag.* 801 *ex Vita accuratius descripta, et ad nos ex ipso monasterio Vedastino serius submissa, paucula emendanda. Nam* 2 *lin.* 2 *pro* regnavit, *lege* regnaret. NOT. 49

*Ibid. lin.* 5 *ita emenda:* [Quo cum venisset, ac utraque acies sibi obvium hostem habuisset, Rhenique alveum transire vellet; cumque utrimque hostium cunei astarent, et tam Franci, quam Alamanni ad mutuam cædem inhiarent; commisso prælio, *etc.* NOT. 50

*Ibid. num.* 3, *lin.* 7 *post* Axiona *adde:* [obviumque habens cæcum, multorum annorum spatia ab hac luce damnatum, petiit a B. Vedasto, ut pro se immensæ pietatis postularet auxilium, ut lumen, quo carebat, NOT. 51

A carebat, ipso impetrante recipere denique mereretur. Ille fisus de misericordia Domini, dexteram levavit, super oculos cæci signum Crucis imposuit, statimque lumen oculorum recepit : ibique a Christianis hominibus basilica constructa esse videtur, ubi in ejus honore multa miracula fiunt.

## DE S. AMANDO EPIC. TRAJECTENSI.

NOT. 52 P*ag.* 845, *col.* 2, *lin.* 4 *a fine pro* DCLXXX, *lege* DCLXXIX. *Qui error de anno cædis Chilberici Regis in sequentibus reperitur. Accuratius ea Chronologia texitur supra ad Vitam S. Sigeberti, et in Diatriba mea de Tribus Dagobertis Regibus, in qua lib.* 4, *cap.* 7 *anni Sedis* S. D Lamberti *Episcopi Trajectensis, ejusque exilium sub Dagoberto* II, *et cædes sub Pippino Herstallio deducuntur, examinata denuo cum hæc pars Februarii esset excusa.*

*Pag.* 847, *col.* 1 *lin.* 29, *post*, debere, *sequentia reliquis deletis sic legenda :* [*ad annum Christi* DCLXXXI, NOT. 53 *quo solennitate Paschali peracta* XIV *Aprilis, potuit Ecclesia dedicata fuisse feria tertia aut quarta sequente, ac deinde ab illis inductus testamentum suum confecisse* XVIII *Aprilis feria quinta post solennitatem Paschalem. Subscriptores, etc.*

# ANIMADVERSIONES EXTEMPORALES

## Danielis PAPEBROCHII, Hagiographi,

## NUNC PRIMAM EX MSS. EDITÆ.

## IN PRÆFATIONEM TOMI I HAGIOGRAPHI.

ANIMADV. 1. *Pag.* XVII, *col.* 1, *lin.* 43. *Propositum etc. in marg. Vide præfationem generalem ad Januarium, Cap.* 2. § VI, *pag.* 3.

In Februario ex voluntate P. Bollandi notatur litteris J. B. et G. H. quisquam partem potissimum elaboraverit.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI I FEBRUARII.

ANIMADV. 2. Ad *Elenchum Sanctorum diei I Februarii* S. Ignatii Deiferi acta græca deinceps ab aliis edita fuerunt; itemque vindiciæ Epistolarum ejus; quibus omnibus uti debet qui sanctissimi martyris acta aliquando recognoscat. Ejus brachium Novariæ; aliæ reliquiæ alibi. S. Ephrem testamentum græce exstat et habemus vitam græce desumptam ex MS. Florentino. S. Eliæ junioris martyrium sub Saracenis ex MS. Siguerii descripsimus. Inde illud edidit Combefis in Triade in 8. S. Michael cujus vitam scripsit Theodorus Metochita et S. Pachomius cujus acta debemus Gregorio Decapolitæ quum a Saracenis similiter occisi fuerint, possent hinc ob materiæ similitudinem jungi. S. Brigidæ vitæ chronologiam correctam vide in Commentario de S. Patricio ad 17 Martii. S. Severi Urbevetani vita ex MS. Caroli Strozzi exstat in Musæo, itemque S. Severini, Martani civis; ex MS. Jacobilli ejusdem manu. B. Verdianæ miracula recentiora Italice exstant eaque habemus in Musæo.

ANIMADV. 3. *Pag* 1. S. Pionii actaque latine exstant apud Lipomanum ad 11 Martii petenda ex bibl. Veneta. Murerus Helvetiæ sacræ fol. 139. agit hac die de Anonymo episcopo cujus corpus in Kolm honoretur. Davidis, Simeonis et Georgii fratrum, in Lesbo, acta et alliera græce et latine exstant in musæo.

ANIMADV. 4. *Pag.* 3, *col.* 1. De S. Godermundo qui sanctus dicitur, 3 martii, non firmus ausi homini Helvetico fidere. De Andrea Ordinis Minorum operæ pretium est inquirere Augustæ qualem nunc cultum habeat.

ANIMADV. 5. *Pag.* 8. Chronologia de S. Petro conferenda cum Præfatione ad Aprilem de Pontificibus et (si opus) corrigenda.

ANIMADV. 6. *Pag.* 36 *Ad finem num.* 12. Adde ex Itinerario nostro quæ ipsi vidimus In, ol tadi.

ANIMADV. 7. *Pag.* 40. Acta sancti Pionii non tantum mutila sunt post § 4; sed verbotenus fere ex græcis accepta, proindeque prorsus superflua;

ANIMADV. 8. *Pag.* 49, *n.* 1. l. 1 ult. nullum habet sensum. N. Q. Narratio de conversione, si digna, petatur ex aliquo MS., tamen videtur prorsus superflua, quia majoris fidei est, quæ sequitur.

ANIMADV. 9. *Pag.* 54. In Commentario de S. Ephrem omittantur num. 39 et 40 de ejus cum Abrahamo patruo Mariæ amicitia quia ostendimus in Martio horum ætatem longe posteriorem fuisse.

ANIMADV. 10. *Pag.* 65. Annot. *b* de Abrahamo omittatur vel mutetur

ANIMADV. 11. *Pag.* 78. In fine de S. Æmilio, quid si Marianus dux, Valeriæ et Æmiliæ (quæ sunt Italiæ regiones) causam dederit, plures martyres distinguendi, et Æmilius sumptum proprie sit ex titulo ducatus? Omnia hæc tam obscura sunt, ut potius inter prætermissos referendus hic fuerit.

*Pag.* 87. Rubeus citat Vitam, ex monasterio S. Donati sibi allatam senis, quæ requirenda. ANIMADV. 12.

*Pag.* 102. In commentario de S. Brigida n. 13 Vitæ metricæ auctor meminit regulæ S. Benedicti in Hibernia, ergo non sub annum 730, sed post subactam ab Anglis insulam; quare deberet hæc vita poni ultimo loco aut potius tota omitti, et solum annotationes ex ea sumi. *n.* 7. propositum dubium de hymno facilem habet ex commentario Patriciano solutionem, ubi de regibus. *n.* 24. adducitur locus ex Vita 4, in qua mentio Canonicorum, ergo et hæc est serius scripta, nec potest Animoso tribui, prout habet conjectura proposita. *Num.* 14. § 8. Totus debet ex commentario Patriciano immutari. Notandum etiam quod S. Brigida nutricem habuerit Christianam; ergo post S. Patricii adventum nata est, etiamsi ei annis triginta supervixit, nisi qua alia ratio suadeat longiorem vitam ei dare. § 12. De S. Gilda rejiciendus ad 29 Januarii, et videtur junior esse Brigida. ANIMADV. 13.

*Pag.* 133, *n.* 102 Corrigenda vel notanda enormis hyperbole de voracitate Lugdani. ANIMADV. 14.

*Pag.* 153, *n.* 61. Dicuntur duodecim Pontifices fuisse ætate S. Brigidæ et N. 63 fit mentio S. Benedicti. ANIMADV. 15.

*Pag.* 155, *n.* 2. Roacht Scotice sonat legem videtur Scoticum hodiernum intelligendum esse, id esset Saxonicum non Hibernicum. Vita quarta videtur omittenda, posset sufficere una exprimi, cum vita ultima quinta quæ satis ingeniose ordinata atque ornate digesta. ANIMADV. 16.

*Pag.* 156. *In Vita* 4, *num.* 8. Notandum quod fiat ibi mentio Canonicorum. ANIMADV. 17.

*Pag.* 162. *num.* 18 Dicitur Bearus prædicasse ante Patricium; quod refutavimus in hujus actis. ANIMADV. 18.

*Pag.* 172. *Vita quinta n.* 1 Scripta postquam Anglia dominos cœpit habere Normannos, Hibernia autem adhuc suis regebatur. Auctor etiam Scotiam vocat Albaniam et Scotos ab Hibernis distinguit. ANIMADV. 19.

*Pag.* 186. *n.* 3. Initium corrige quia Ferrarius habuit chartas Dempsteri, ante quam is ederetur, et ex ipso accepta retractat, tacito ejus nomine in admonitione ad Lectorem. ANIMADV. 20.

*Pag.* 188 S. Severi Abrincensis Vitam et Translationem ex alio MS. haberi propter multos defectus esset optandum. ANIMADV. 21.

*Pag.* 195. Nota Gothicum characterem dici Teutonicum seculi superioris. ANIMADV. 22.

*Pag.* 199. S. Sori vitam edidit etiam Labbeus in Bibliotheca MSS. ANIMADV. 23.

*Pag.* 201, *lit.* C. Dele notationem et scribe. *Parasitus hic videtur pro discipulo seu commensale accipi; non tam usum vocis apud Latinos, quam etymologiam respiciente auctore.* ANIMADV. 24.

*Pag.* 206, *col.* 1, *lin.* 16. *In marg. An. Chr.* DLXIII adde. ANIMADV. 25.

adde : *Vide Exegesim preliminarem tom.* III. *Aprilis pag.* VII.

ANIMADV. 26. *Pag.* 206. Pro commentario de S. Sigeberto videnda Diatriba accuratior et stemma genealogicum ante tomum III Martii *num.* 11. De Tornaco capto videri posset Chiffletus; itemque de Childerici corpore ibidem invento. *Num.* 23 male supponitur verum esse Ansberti et Blithildis, filiæ Clotarii, matrimonium, abunde refutatum a compluribus.

ANIMADV. 27. *Pag.* 219, *col.* 1, *linea* 26. *Die sexta Decembris*, Supple : *At mortuum esse* X *Calendas Januarii anno* XLIX *regni sui tradunt* Aimoinus lib. 2, cap. 29, *auctor vitæ S. Droctovei* X *Martii, Guaguinus* et alii : quæ omnia *arguunt primum regni annum.*

*Pag.* 222, *n.* 79, *lin.* 26. Dele annum 663 non esse annum emortuale S. Sigeberti, ostensum est ab aliis. Habetur mortuus anno 656. ANIMADV. 28.

*Pag.* 225, *n.* 102. De Theodorico, quasi is filius fuisset Childerici mutandum est, totum juxta dicta in stemmate nostro, ubi ostendimus videri filium Dagoberti III *N.* 103. displicet in titulo concilii Suession. annus Christi. Dele etiam aut muta de anno unctionis Pipini, quia probatio, quæ citatur ex diplomate anno Christi intruso vitiato, firma non est. ANIMADV. 29.

*Pag.* 245 et 248. Quæ de S. Brigida senioris ætate adstruuntur, corrigenda sunt juxta dicta in tomis Martii. ANIMADV. 30.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI II FEBRUARII.

ANIMADV. 31. *Pag.* 268. *Ad Elenchum Sanctorum diei 2 Februarii.* — Acta Græca S. Cornelii Centurionis exstant. —S. Sophronii et Amphilochii orationes in Hypapanten adhibendæ; sed oratio S. Sophronii quum sit a Combefisio inserta bibliothecæ Concionatorum posset omitti. Inquirendum in cultum Simonis de Cassia Cassiæ in Umbria, ubi *ossa ejus in capsula servantur.* S. Adalbaldi Vitæ Epitome unica abunde sufficeret, cum res, quæ continentur non sunt magni momenti.

*Ad finem num.* 16. Addenda hic aliqua ex translatione S. Augustini. ANIMADV. 32.

*Pag.* 308, *n.* 9. Quæ traduntur de Benedictina Regula, in Anglicanis tunc cœnobiis, non probantur. ANIMADV. 33.

*Pag.* 310, *num.* 7. In monasterio S. Hadelogæ dicuntur servisse Clerici, non Benedictini. ANIMADV. 34.

*Pag.* 313, *col.* 2, *lin. penult.* Citatur chronicon Erici Pomerani, Daniæ Regis, quod alibi ostendimus falsum titulum ferre. ANIMADV. 35.

## IN ACTA SANCTORUM DIEI III FEBRUARII.

ANIMADV. 36. *Pag.* 320. *Ad Elenchum Sanctorum diei 3 Februarii.* S. Blasii et septem mulierum acta græca exstant. De S. Laurentio Illuminatore aliqua ex Chron. Farfensi quære ad 20 Sep.; ubi de Thoma, abbate Farfensi, dicendum erit. — S. Berlendis vitæ duæ sunt in museo; sed silentio præteritæ de industria, ut videtur. — S. Blasii acta ex Lectionario Romano S. Petri promissa num. 7 commentarii et S. Blasii alia acta græca in Vallicellana bibliotheca Romæ, Cod. B. 14 f. 46. Allatius censet esse Metaphrastæ. Exstat insuper Encomium per Theodorum Cyzici Metropolitam ibidem Cod. B. 34 f. 132. — Blasii Sebasteni acta prima et secunda solo stylo differunt; tertia recentiora sunt; quarta omnino indigna quæ ederentur; in omnibus continentur aliqua quæ egent castigatione, ut de Nicopoli, vicina Sebaste, de sexaginta gentilibus focum ingressis pro asserendo Deorum cultu aliaque istiusmodi. S. Blitmundi Vita petenda ex ejus monasterio Ambianis. — S. Bertiliæ Vita prolixior, quæ ab auctore translationis num. 4 citatur, adhuc requirenda. Acta SS. Phileæ et Philoromi græco-latin. edita a Combefio in 8°.

ANIMADV. 37. *Pag.* 321. Zachariæ socii S. Francisci cultus Alanquerii in Lusitania videtur satis certus; inquirendum esset in monumenta.

ANIMADV. 38. *Pag.* 324. S. Blasius, episcopus Oretanus, vereor ne fictitius sit occasione reliquiarum S. Blasii Sebasteni; quo nomine solum coluntur ab incolis.

ANIMADV. 39. *Pag.* 338. Adde : *Servanturque in speciosa Hierotheca alba cum aliis sanctorum Martyrum Pontificum* lipsanis; et Deus quidem dono P. Dunis Societatis Jesu domui huic mansit; particulas ex Hollandia advectas accepit Pater Tirinus, Domus præpositus, a P. Joanne Viringo, *uti testatur in suis hac de re litteris, anno* 1625 *conscriptis.*

ANIMADV. 40. *Pag.* 358. Simplicii Viennensis neque sanctitas, neque cultus probatur, nam Saussaius levis fidei est; ergo melius poneretur inter prætermissos.

ANIMADV. 41. *Pag.* 363, *num.* 19. S. Anatolius posset asseveratius Scotis abjudicari unde enim Hiberno nomen Græcum?

ANIMADV. 42. *Pag.* 363. Ducæ etiam honorantur SS. Remedius et Tigridius; verisimiliter sunt iidem.

*Pag.* 367, *num.* 5, sub finem. Corrigendum, quod ibi dicitur de canonicis Regularibus Spoleti institutis, quasi nulli ante S. Benedictum fuissent in Italia monachi. *Item pag.* 368, *num.* 8 sub finem, quasi monachus factus S. Laurentius susceperit Regulam S. Benedicti, quæ ante restaurationem Cassini non fuit dilatata. ANIMADV. 43.

*Pag.* 381, *num. et pag.* 383, *num.* 3. Si accipiatur Dagobertus II nihil obest, quin ducatum etiam sub hoc gesserit Odelardus, imo optime ordinabitur chronologia. N. 6, excusandus videtur Odelardus, quod miraculum poposcerit in eo casu, ubi dubitari poterat, an grata esset Deo oblatio, conjuncta cum injuria filiæ, nisi Deus supremus omnium Dominus expresse, indicaret, se nolle filiæ rationem haberi. ANIMADV. 44.

*Pag.* 387. Pro nota F. hæc substituantur : *Litanias, quæ sæpius iterato* Kyrie eleison *inchoantur, intellexit Bollandus; sed nec hæc vulgi erant. Existimo igitur intelligi cantica sacra vulgari lingua composita, quibus identidem intercurrebat, per modum intercalaris* Kyrie eleison, *antiquæ ecclesiæ etiam in Occidente usitatissimum : qualem unam vetustissimam memini ab ancilla rusticana (est enim simplicitas rustica antiquitatis retinentior) audivisse sæpius : neque aliunde factum puto, quod cantilenæ piæ, per tempus Natalitiorum usque ad Purificationem vulgari lingua etiam in templis cani permissæ, in hodiernum usque diem apud Brabantes vocentur Leysons sive Leyseus, voce, scilicet ex* Kyrie eleison *more gentis decurtata. Fortassis etiam ejusmodi cantilenæ majoribus nostris serviebant, pro ipsa introitu missæ, quem quia sequitur* Kyrie eleison, *ideo ipsum dictis modulis apti inter crebatur, sic ut non esset opus seorsim repeti. Sed clamor* Kyrie eleison *tam vulgaris erat ut populus, itinerante et passim miracula faciente S. Berardo,* Kyrie eleison *ingeminaret. Quid, quod popularis ille clamor pars est solemnitatis dedicationis Ecclesiarum? Vide præterea litanias Carolinas, ubi* Kyrie eleison *non semel inseritur.* ANIMADV. 45.

*Pag.* 395. Nithardi cultus non probatur, adeoque non esset seorsim hic ponendus, maxime cum ejus omnia gesta excerpi debeant ex Vita S. Anscharii. ANIMADV. 46.

*Pag.* 397, *num.* 7. *Rastris* corrige *rastis.* Metiuntur enim Germani viam per *rast*, quod significat interquiescendi ANIMADV. 47.

quiescendi spatium sed locum; ad singulas autem rastas videas trabes transversas erectas, quibus acclines rustici imponunt tantisper quæ dorso gestant alligata onera.

ANIMADV. 48. *Pag.* 403, *num.* 30 in fine. Expungenda, quæ ex auctoritate Pseudomarcellini dicuntur.

ANIMADV. 49. *Pag.* 407. *Sunon*, in margine *Stemphi*.

ANIMADV. 49 *bis*. *Pag.* 433. Vita metrica S. Anscharii prorsus est superflua est cum mere ex prosa in versum coacta sit, nulla re addita, adeoque auctoritatis longe minoris sit quam prima. Eadem Vita pessime, pluribus locis est interpuncta, ita ut sensus non habeatur.

*Pag.* 451. Liafdagius melius prætermitteretur, quia cultus nullus probatur. ANIMADV. 50.

# IN ACTA SANCTORUM DIEI IV FEBRUARII.

ANIMADV. 51. *Pag.* 452, *col.* 1, *lin.* 20 Addatur: *S. Alexander, Confessor, notatus hoc die apud Autissiodorenses.* Agitur de illo in Vita S. Germani, Episcop. Autissiodorensis per Constantium.

ANIMADV. 52. *Pag.* 452. *Ad Elenchum sanctorum diei* IV *Februarii.* S. Nicolai Studitæ acta græca exstant in Musæo, eadem edita apud Combefis Tom. II Auctarii. — Theophili pœnitentis acta græca habemus sed mutila; integra exstant Parisiis. — B. Gilberti, fundatoris Canonicorum vitam et institutiones vide in Tomo II Monasterii anglicani ex antiquo MS. codice. — B. Joannæ testamentum habetur in tomo V Spicilegii Dacheriani.

ANIMADV. 53. *Pag.* 455, *num.* 3. Citata ex Dextro omittantur vel refellantur.

*Ibidem.* Citatum de translatione sacri vultus libellum petii ex Vaticano et transmissus ad me per P. Manderscheidt, anno 1670, 12 Julii.

ANIMADV. 54. *Pag.* 457. Hymnus imprimatur, junctis duobus versiculis in unam lineam.

ANIMADV. 55. *Pag.* 458, § IV De conjugio S. Veronicæ et Amatoris totus fabulosus melius omittetur: vel tanquam fabulæ rejiciantur; imprimis explodendus Luitprandus, Amatorem faciens Carmelitam.

ANIMADV. 56. *Pag.* 461, *num.* 4 Quidni legatur *Romæ in foro Symphronii, etc?* Certe cum Ferrarius testetur solum ab anno 1584 Forosem. Pronenses martyres illos colere ut suos, justa datur caussa suspicandi eos nihil de ipsis cognovisse. Quomodo audem ignoti esse poterant, si ibi passi?

ANIMADV. 57. *Pag.* 466, *col.* 2, *lin.* 17. *Minus complete editus* adde: *De successore Philææ S. Donato vide* 22 *Maii quo colitur.*

ANIMADV. 58. *Pag.* 473. Abramii elogium ex Menæis non meretur seorsim sub titulo poni, sed poterat ipsi commentario apte satis inseri; quod deinceps in breviculis istis observandum.

ANIMADV. 59. *Pag.* 486. S. Vincentius Episcopus Tricassinus, nisi melius probetur cultus referatur ad prætermissos.

ANIMADV. 60. *Pag.* 493. Historia metrica de S. Theophilo vix meretur hic inseri, præterea est plurimis locis vitiosissime interpuncta, nec libuit errata annotare.

ANIMADV. 61. *Pag.* 498 De S. Laetphardo non est credibile fuisse Britannum aut fratrem naturalem Ouastantii. Nomen enim ejus Francicum aut Saxonicum est. Patuit Romæ in notitiam Coadwallæ venisse et fraternitatem spiritualem cum Ouastantio contraxisse; cujus tamen episcopatus Cantuariensis valde suspectus est etiam si solos exules ei subjectos fuisse dicas. — § 5. Vitæ epitome omittenda.

*Pag.* 505, *num.* 8 sub finem. *Quo fuit Februarius bis sex*, adde *id est, anno Bissextili, qualis fuit prænotatus annus* DCCXLIV. ANIMADV. 62.

*Pag.* 508, *col.* 1, *lin.* 20. Dele verba: *Quo Beda mortuus est.* ANIMADV. 63.

*Pag.* 516, *num.* 46. *Adde: et rursum in præfatione ad tomum* II *Martii, num.* 11. ANIMADV. 64.

*Pag.* 518. De ossibus S. Cæciliæ Fuldam translatis quæri potest, quomodo ossa cum hac sancta inventa sint incorrupta. Haud dubio, fuerunt aut supposititia aut alterius synonymæ martyris. ANIMADV. 65.

*Pag.* 523, *num.* 2. sub finem. Ubi de insigni Alberti Brandeburgici studio instruendi auro argentoque sacrarium, agi potest de thesauro Moguntino, quem ipsimet anno 1660 vidimus. Vide Diarium nostrum. ANIMADV. 66.

*Pag.* 539. Nicolai Studitæ Vita, a Combefisio ineptissime versa, deberet verti de novo. ANIMADV. 67.

*Pag.* 554. De S. Remberto non debuisset agi, nisi 11 Junii, quo præcipue colitur: sed quia pridie occurrit S. Ascharius, eodem studio utriusque Acta fuerunt elucidata. In secunda editione deberent hæc mutari. Fortassis invenietur interea Vita sincerior. ANIMADV. 68.

*Pag.* 566. De S Gemmulo, quod caput sustulerit, affine aliis similibus commentis, ex picturis non bene intellectis ortis. Posset requiri per Mediolanenses originale MS. ex vico Ganna prope Varesium. ANIMADV. 69.

*Pag.* 567. S. Gilberti acta plenissime accipienda tomo II monastici Anglicani f. 669. Compendia forte omittenda: forte et commentarius prævius restringendus aut mutandus. Vide Chronicum Riveti in Spicilegii tomo VIII, p. 425. Reliquiæ Caprolæ. ANIMADV. 70.

*Pag.* 579. B. Joannis Valesiæ miracula, collecta per Gregorium, et liber de ea a P. Gabriele scriptus, per Franciscam Villelune citatus in processu num. 49. Utrumque curavimus peti Burgis ex Archivio Annuntiatorum anno 1670. Accepimus 1° dictum librum ex authentica copia anno 1771; originale non est super; 2° miracula impressa, quorum Gregorius non est auctor; sed solum curavit edi, ut est in Privilegio Regis; 3° Informationes pro caussa canonizationis, impressas Bituribus anno 1664; 4° Quædam miracula excepta anno 1633 a Cancellario Penel; 5° librum Gallicum in-4° per Ivonem Magistri, inscriptum: *Miroir des Annontiades.* ANIMADV. 71.

# IN ACTA SANCTORUM DIEI V FEBRUARII.

ANIMADV. 72. *Pag.* 597. *Ad Elenchum sanctorum diei* V *Februarii.* — De SS. Ingenuino et Albuino Bartholomæi Tridentini elogium habemus. — S. Vodali lectiones antiquæ; item sunt in Musæo. — S. Sabæ Junioris Acta græca ex MS. Valcellensi excerpsimus. — B. Domitiani ducis Vita collecta ab uno ex nostris exstat in Musæo; addita miracula recentiora; quæ hinc sumenda et fors quædam alia de ejus uxore. — S. Agathæ Martyrium græce et Encomium per Methodium græce nacti sumus post impressum Februarii.

*Pag.* 598. De B. Benvenuti Recinetensis cultu, vide Sanctos Recinetenses italice in 4° f. 87. — De S. Stanislao martyre Ordinis Minorum, anno 1218, vide Martyrologium Baronii cum notis Patrum Polonorum, de B. Suento Slava, vide ibidem. ANIMADV. 73.

*Pag.* 607, *num.* 39. Agitur de Vitis per Metaphrastem. Vide Allatium, an in iis sit ista de S. Agatha. — *Num.* 41. Fuerat Henxtovius, P. Bollando carissimus, qui quod ille verterat duplici recognovit et emendavit labore; videndum ne contemptui id ducant ANIMADV. 74.

cant Siculi, pueri versionem in sua causa proferri.

ANIMADV. 75. *Pag.* 609, *num.* 56. De familia Altifloris est commentum; tunc non erat istud cognomen.

ANIMADV. 76. *Pag.* 613, *num.* 82. De Menologio Basilii Imp. jam egimus in Martio et Februario, est apud Ugellum. Cogitamus illud totum edere.

ANIMADV. 77. *Pag.* 626. Acta Metaphrastæ imputata nil habent, cur hic poni mereantur, nisi forte ne Panormitani querantur; possent in secunda editione omitti.

ANIMADV. 78. *Pag.* 629, *col.* 2, *lin.* 1, *in margine. Scribit* P. *Josephus de Lariis Neapoli* 1696 *hanc orationem non esse S. Methodii, nec esse antiquam, sed modernam uti probari dicit. Nel Giornale dei litterati dell anno* 1686.

*Pag.* 640, *col.* 2, *lin.* 8. *Et patriæ liberationem.*

ANIMADV. 79. Adde hæc: *Verum cum hisce litteris sensus propemodum infiniti possent aptari: Quis nos securos reddet eas sic legi ex Ponentis mente deberi? Quid si legas:* Mauritius Sanctæ Sedis Hujus Dignus Episcopus Posuit Lapidem, *anno scilicet ut infra indicatur Episcopatus sui* III *id est Christi* MCXXVII. *Certe nec latina nec græca acta (Quæ perperam Metaphrasti imputareris facile probantur esse Mauritio antiquiora, qui anno jam dicto Constantinopolim Catanaris corpus retulit). Sicut ipsemet scribit.*

*Pag.* 644, *litt.* E. Placet Tarcassius legere, ut sit

ANIMADV. 80. compositum ex *dard* seu *targ*, telum, jaculum et *casse* capsa. Omnino enim suspicor vocem esse Normanicam, quam ipse auctor pharetram vertit, non intelligendo scilicet sagittarum thecam ex humeris pendilem, sed jaculorum majorum armorium; quorum jaculorum duo sibi invicem superpositæ capsam unum quadratam longam instar sarcophagi facere poterant. Sed plane obscura est hujus vocabuli origo, Græcis et potissimum italis multo magis noti quam Normannis. De hac origine vide Cangium V° *Tarcasia* et etymographos Gallos V^is^ *Carquois*, *Carcasse*.

ANIMADV. 81. *Pag.* 646. Hymnus melius imprimeretur junctis duabus lineis in unum versum, qui male dividitur in duos. — Multis in locis maxime in Italia servantur ejus reliquiæ.

ANIMADV. 82. *Pag.* 654, *num.* 21. B. Petri Hieremiæ Vita data est ad 3 Martii; ubi num. 18, eadem fere narrantur.

ANIMADV. 83. *Pag.* 657. Anno 1669, Catanensis urbs pene absorpta ac desolata fuit, in ipsam penetranti incendio; non dubito, quin tragœdia hæc a Siculis sit descripta plene et cum laude S. Agathæ, quæ extremum miseris effugium ac pene frustrandum aliquandiu fuit.

ANIMADV. 84. *Pag.* 659. In fine cap. addi possent, quæ de pluviis, ope S. Agathæ impetratis, narrantur in Vita P. Colgani hujus Sanctæ devotissimi.

ANIMADV. 85. *Pag.* 664. *De SS. Teatinis, col.* 1, *lin.* 5. Justinus, *de quo* XVIII *Aprilis agemus*, corrige, *de quo agimus in supplemento Januarii ad diem* XIV.

ANIMADV. 86. *Pag.* 666, *num.* 2 *et seq.* Tangitur matrimonium Ansberti et Blichildis tanquam fuerit filia Clotharii. Quid si hæc fuerit filia filii ejus, aut aliter neptis.

ANIMADV. 87. *Pag.* 696. Vitam S. Indracti, omissis primis novem lineis fabulosis, mallem inchoare ab his verbis: *Erat in Hibernia regis cujusdem filius.*

ANIMADV. 88. *Pag.* 697, *num.* 5. De S. Vodalo frivolum nimis est, quod ibi de cappa adfertur pro adstruendo monachatu.

ANIMADV. 89. *Pag.* 699. *Milstadium, quod Germanice sonat urbem ad milvarium,* imo *ad molendinum Lyseræ fluvio impositum: mul* enim *mil* pronuntiatur; sic in actis num. 3, Mildorf.

ANIMADV. 90. *Pag.* 719. Brixinæ inquirendum an extent, quæ citat Hundius, S. Albini miracula.

ANIMADV. 91. *Pag.* 741, *num.* 81. Marcelli de Ribadinera Historia Archipelagi Ordinis Minorum requirenda pro Martyribus Japonensibus.

# IN ACTA SANCTORUM DIEI VI FEBRUARII.

ANIMADV. 92. *Pag.* 771. *Ad Elenchum Sanctorum die* VI *Februarii.* S. Amandi translatio corporis; conferenda cum edita, exstat in Musæo. Item hymni de eodem. — S. Vedasti miracula aliquot, addenda aliis, habemus in forulis nostris; item sermonem in relatione corporis. — S. Dorotheæ Acta cuidam Justinæ Tergestinæ applicata fuerunt. Exstant exempla multa similia. — De B. Domno presbytero, qui omissus est, vide Theatrum Sanctorum Parmensium

ANIMADV. 93. Pici.

*Pag.* 773, *col.* 2, *lin.* 62. *B. Didacus.* Adde: *Vide Ægidium Davila in Theatro ecclesiastico Hispaniæ ubi inter Episcopos Oxomenses pag.* XXX *dicitur hic* Didacus coli solemni *officio.*

ANIMADV. 94. *Pag.* 776. De S. Vitale col. 2. multa allata sunt ex Dextro, quæ expugnanda.

ANIMADV. 95. *Pag.* 777, *num.* 7, *lin. ult.* Vita S. Cassii, quam citat Savaronus dabitur ad 15 Maii.

ANIMADV. 96. *Pag.* 783, *num.* 17. Notanda forma equulei, crucis similitudinem gerens.

ANIMADV. 97. *Pag.* 788, *num.* 17. Corrige, quod dicitur S. Mel Patricii superstitis Acta scripsisse, itam chronologiam num. 19.

ANIMADV. 98. *Pag.* 790, *col.* 2, *lin.* 4. Explodenda quæ de Eugenio et S. Rioco referuntur; et similia in Sancti alterius Actis.

ANIMADV. 99. *Pag.* 807. Conclusio ex MS. Maximini lit. *d.* frustanea est, cum sint eadem verba et solum contractiora ex Vita, quæ imprimitur, ut liquet ex quarto et quinto capite.

ANIMADV. 100. *Pag.* 827. Suppositium est Amandinum sub nomine Dagoberti privilegium. Vide tomum II Aprilis.

ANIMADV. 101. *Pag.* 829, *num.* 23, *lin.* 4 *fine.* Omitte: *Quæ metathesis est Scwb scriptoris* et pone loco etiam: *nunc nomen* Calloo *id est* Nemus calvum.

ANIMADV. 102. *Pag.* 830. Diplomata Martini Papæ pro Elnonensi et Blandiniensi monasteriis sunt interpolata.

ANIMADV. 103. *Pag.* 835, *num.* 54. Vide quæ de Ehuronum pagis notavimus ex Annalibus Sanmaximianis Trithemii.

ANIMADV. 104. *Pag.* 864. Vita secunda et tertia S. Amandi videntur superfluæ.

ANIMADV. 105. *Pag.* 883. Vita metrica per Milonem melius forte omittetur.

ANIMADV. 106. *Pag.* 892, *num.* 6. Per Markas clusasque vulgari locutione *door slot en sloot*.

ANIMADV. 107. *Pag.* 903. Epitome translationis omittatur.

ANIMADV. 108. *Pag.* 913. Insignis est primus paragraphus de Ina Rege; cetera omnia fabulosa aut suspecta; nec satis probatur cultus; quare satius omittetur hic tractatus, melioribus alio relatis. Quærenda Vita S. Guarini integra Parmæ edita anno 1491, cum opusculis de S. Augustino. Scripsi mense Decembri anni 1670, petens. Vide insuper de eo Vindicem Breviarii Ticinensis, auctore Joanne Baptista de Gasparis.

ANIMADV. 109. *Pag.* 928, *num.* 3. Pro explicatione vocis *Hergewede* consulendus aliquis jurista Coloniensis. Vide Cangium v° *Hergeweth.*]

ANIMADV. 110. *Pag.* 935, *num.* 8. Eriens Rex auctor Chronici perperam asseritur, ut ostenditur alicubi a me ad vitam Guilielmi, abbatis Roschildensis, ad 6 Aprilis.

ANIMADV. 111. *Pag.* 940, *ad marginem.* P. Josephus de Luciis anno 1696 10 Julii scribit alios acerras esse in Apulia quorum episcopatus potuerit cum Melphiensi fuisse conjunctus.

INDEX

# INDEX HISTORICUS
# IN VITAS SANCTORUM
## TOMI I FEBRUARII.

*Appositu est* † *nota iis, quibus alibi* Sancti *aut* Beati *titulus tribuitur. Poterat S aut B præfigi; sed fors oculo quidpiam pervestiganti litterarum diversarum occursus moram injecisset.*

*Quia autem* Sancti *illi, quorum in hoc tomo memoria aut res gestæ illustrantur, peculiari Indice ante a propositi sunt, de illis hic non agitur.*

*Compendiarias status, laureolæ, temporis, aut locorum notas facile quivis perspiciet, scilicet* R. Rex, Com. Comes, M. Martyr, V. Virgo, Ep. Episcopus, Hisp. Hispanus, 5 sec. quinto seculo *etc. significare, quæ ad majorem perspicuitatem adduntur.*

A


*Aaron Britannus Armoricus* 252 *b*
† *Aaron et Julius MM.* 389 *f*
*Abagarus Rex Edessæ epistola Christi notus* 62 *e* 63 *e d*
*Abba, Juda disc. S. Ephræmi* 64 *e* 77 *e*
† *Abdalus mon.* 454 *b*
† *Abel Ab. Lobien. Arch. Remen.* 505 *e*
† *Abdellas Presb.* 473 *a*
† *Ablius Ep. Alexandriæ* 15 *f* 16 *a b*
† *Ableberlus Ep. Cameracen.* 795 *a*
† *Abraham Patriar. memoria* 599 *d*
† *Abraham eremita* 54 *b e f*
*Abraham disc. S. Ephræmi* 64 *f* 77 *e*
*Abrahamus Ep. Ostracinæ* 477 *b*
† *Abundius Diac. Spoletii* 366 *b*
*Acephali hæret.* 278 *f* 279 *e*
† *Acepsimus Ep. M.* 472 *e*
*Achillas Hegum. Studitarum* 554 *e fit Archiep. Nacoliæ* 554 *d e*
† *Adalardus Ab. Corbeien.* 425 *a* 433 *e d* 434 442 *f* 931 *d*
*Adalardi Abbates SS. Quintini, Vedasti, Bertini, Amandi* 898 *a*
*Adalardus Comes Ab. Vedastinus.* 799 *e* 815 *d*
*Adalbertus Archiep. Hamburgen.* 407 *f* 563 *f ejus laus* 434 *a b c d*
*Adaldagus Archiep. Hamburgen.* 451 *b e*
*Adalgardis, Hildegardis Abbat. Suession.* 697 *a* 698 *f*
*Adalgarius Ab. Corbeiæ Saxonicæ Archiep. Hamburgen.* 398 *a b* 413 *e* 561 *a* 568 *e d* 563 568 *c d* 569 *e* 570 *e f* 571 *d e*
*Adalgarius Diac. mon. Corbeiæ Saxon.* 561 *a*
*Adalgisus Comes Ludovici Pii* 90 *b*
*Adalgisus in Artesia* 9 *sec.* 842 *f*
*Adalgisus pater B. Angeli de Furnia* 936 *e*
*Adalledrus Ab. Elnonensis* 904 *e d*
*Adalricus ab. Vedastinus* 816 *b*
† *Adalsendis V. filia S. Rictrudis* 297 *b* 301 *d* 302 *b e* 303 *d* 304 *e* 305 *f*
*Adam et Evæ ejectio e Paradiso* 454 *d*
*Addo Proph. pat. S. Azariæ* 322 *b e*
*Adela filia Dagoberti II R. Austrasiorum* 233 *b*
*Adelardus R. Occident. Saxonum* 922 *d* 922 *e*
*Adelberonus Ep. Metensis* 11 *sec.* 722 *e* 722 *f*
*Adelbodus Ep. Ultrajecti* 373 *e d*
*Adelginus Dux S. Sigeberti R. Austras.* 230 *e* 235 *e* 236 *e*
*Adelhardus mon. Fuldæ in parquæ... donatus* 9 *sec.* 537 538
† *Aderitus Ep. Ravennas* 83 *e*
• *Adelstanus R. Angl.* 682 *a* 689 *b* 690 *d*
† *Adelwina mater B. Popponis* 854 *b*
*Adolphus Ep. Leodien.* 372 *b*
† *Adrianus M. Cæsareæ* 321 *f*
*Adriani Imp. idolum Anazarbi in Cilicia sub Diocletiano* 663 *e* 663 *a*
*Adventitius Ab. et Ep. Metensis* 517 *e f*
† *Advinus Ep. in Gallia* 454 *d*
† *Adulphus Ep. Cameracen.* 378 *a*
*Æganus Major-domus Chlodovei II* 299 *d*
*Ægidius Arch. Remensis* 209 *e d* 790 *d*
*Ægidius Ep. Abrinc.* 188 *a*
*Ægidius Hakins Gubernator Castellaniæ Insulensis* 14 *sec.* 822 *f*
*Ægidius Romanus Ord. S. Augustini* 939 *a*
*Ægidius Ord. Min. in Basilicata prov.* 3 *d*
*Ægil Ab. Fuldæ* 508 *f* 535 *b e f*
*Æneas a S. Petro sanatus* 284 *a*
*Ængus, Æneus e stirpe regia Hibern.* 155 *f* 157 *e*
† *Æschylus Ep. M.* 936 *b* 937 *b*
† *Ætherius Ep. Barcinon.* 4 *sec.* 6 *a*
† *Africanus Ep. Lugdunen.* 364 *f*
† *Agapitus Ep. Ravennas* 80 *b* 83 *e*
† *Agapitus M. Prænestinus* 925 *e f*
† *Agapiti rel. Fuldæ* 522 *ab* 524 *f*
† *Agatho Ep. Liparitanus* 290 *a*
† *Agathodorus Ep. Terracon.* 1 *sec.* 6 *a b*
† *Agathodorus M. in Chersoneso* 287 *b*
† *Agathodorus M. Sardibus* 287 *b*
*Agilius, Agulfus, Episc. Metensis* 294 *c*
† *Agilulfus Ep. Colonien.* 377 *d*
† *Agilus Ab. Resbacen.* 871 *f* 872 *b*
*Agnellus Ep. Aciti* 697 *c*
*Agnellus Ep. Equilinus* 598 *a*
*Agnellus Ep. Tridentin.* 598 *b* 676 *a* 677 *a* 678 *f*
*Agnes Blesensis Com. filia* 5 *sec.* 484 *d*
*Agricolaus Præses Liciniï* 335 *b c e* 341 *a e* 343 *e* 346 *e* 350 *a d* 351 *e* 352 *f* 353 *b e f* 354 *a* 355
*Agricius Ep. Trevir.* 378 *b f*
† *Aicharius Ep. Noviomen.* 861 *a* 888 *e*
† *Aida filius Degilli Hibern.* 114 *e*
† *Aidanus Ep. Hibern.* 116 117 *e f*
† *Aidus filius Bricci* 117 *d e f*
*Aimoinus Floriacensis scriptor* 215 *e*
*Aistulfus Ep. Moguntinus* 396 *d* 397 *e*
*Alabingus Italus* 9 *sec.* 519 *e f*
*Alamanni unde dicti, eorum sedes, Romanum imperium excutiunt* 804 *e victi a Chlodoveo R. Franc. circa Argentoratum, non Tolbiacum* 804 *f*
*Alanus Arch. Avenion. Carlin.* 702 *b e*
*Alanus III Dux Britan. Armor.* 253 *e*
*Alaricus R. Gothorum cæsus* 218 *a*
† *Albeus Ep. in Momonia* 114 *f*
† *Albanus M. Moguntiæ* 90 *d* 97 *f* 98 *e*
*Albatia mater B. Anselmi de Fa...* 936 *e*


† *Albericus*

† Albericus Ep. Ultrajectinus 233 e 317 f
Albericus Romæ dominans 10 sec. 717 c
Albertus Archiep. Hamburg. 269 a 313 c
Albertus i Ep. Trident. 13 sec. 700 f
Albertus ii Ep. Trident. 14 sec. 700 f 701 a
Albertus Brandeburg. Arch. Moguntinus et Magdeburg. 506 d e 506 f 528 f 529
Albertus Palatinus Carinthiæ 729 b c
Alcima soror S. Apollinaris Ep. Arvern. 777 e 778 a
† Alcuinus Flaccus magister B. Rabani 508 b a 510 510 513 f 531 f 532 a scriptor Vitæ S. Vedasti 798
Aldebertus Ab. S. Bavonis 7 sec. 845 a 882 a
Adalbertus Comes Austrobantiæ 300 e
† Aldegundis V. 796 f 832 c 844 f 847 d 874 c corpus 48 d
Aldegundis mater B. Rabani 530 b
† Aldelmus Ep. Schireburn. 918 a b c educatus in monast. S. Maildulphi 601 a b c
† Aldricus Archiep. Senonen. 512 f
† Alena V. M. 832 a
Alethrus Ep. Cadurcen. 359 e
† Alexander fundator Ord. Acæmetorum 544 a b
† Alexandri i Papæ reliq. Fuldæ 519 b 520 a c 521 c f
Alexander ii Papa 694 d
Alexander iii Papa 573 b c 618 c 662 b 929
Alexander vi Papa 580 e 583 b
Alexander Patriar. Alexand. Jacobita 2 f
Alexander Ep. Lincolnien. 572 e f 573 a 576 c d
Alexander Imp. Orient. 10 sec. 714 c
Alexander Valignanus Soc. Jesu in Japonia 737 f
Alexander Wilthemius Soc. Jesu 969
Alexander circumforaneus Smyrnæ 3 sec. 44 a
Alexandrini Patriarchæ Jacobitæ 30 b
Alfridus R. Northumbriæ 914 d 918 b
Algothus Stewre pater S. Brynolphi 935 b
Alildus R. Hibern. 154 c
Alipius Ep. Sellæ in Ægypto 477 b
Alotu Neronis Judex in Hispania 10 c
† Alnotus armentarius 393 d
† Alpinus Ep. Catalaunensis 479 f
Alphonsus vi R. Castellæ 7 e
Alphonsus vii R. Castellæ 255 c d
Alphonsus viii R. Castellæ 256 c
Altfridus Ep. Hildesheim 314 b 315 e 511 d e 517 d 533 e 539 a f 564 a
† Altini M. rel. Trecis 481 e f
† Alto Conf. 771 b
Alueral sor. S. Adelheidis 722 e 723 a
† Amalberga V. 392 f 393 b 683 d e 691 b 692 693 b e
† Amalberga mater S. Gudilæ 382 d 506 c 837 a
† Amalbergæ tres in Belgio 692 a
Amalharius Ep. Gal. sub Carolo Magno 418 b 438 c
Amalarius Ep. Trevirensis 396 c
Amalarius scriptor 396 c
† Amandus Ep. Argentoratensis 773 e 837 f 838 a b f
† Amandus Ep. Burdegalensis 359 c 824 c
† Amandus Ep. Wormatiensis 773 f 837 d 838 f
Amandus, Amantius, in Aquitania 199 e 200 a e 202 f
† Amandi Ep. reliquiæ prope Perpinianum 772 f 859 a
Amandus Ep. Castulonensis Hisp. 771 d 857
Amandus Ep. bibliothecarius Papæ 7 sec. 828 a Theatrapus dictus 830 f
Amantia mater S. Amandi 869 b 885 a
† Amantius Ep. Rutenen. 825 a b
† Amantius Diac. 843 a 903 f
† Amati templum Duaci 305 f 306 a corpus 48 b
† Amator maritus S. Veronicæ 458
† Ambrosius vidit in spiritu obitum S. Martini 87 217 a
† Ambrosii Ep. Mediolanensis obitus 217 a
† Ammonius Presb. M. Alexand. 466 f 467 a
† Amnichadus reclusus Fuldæ 2 c
† Amolwinus Ab. Lobien. 505 e f 506 c
† Amphilochius Ep. Iconii 272 a
Amphilochius Ep. Sidæ Pamphil. 272 b
† Amsilonius rel. Latiniaci 322 a
† Anacletus Papa 16 17
† Anastasiæ V. M. rel. Fuldæ 527 d
† Anastasius Sinaita Patr. Antiochiæ 35 b
† Anastasius M. in Italia 366 b alius ab eo colitur 5 Dec. 366 b
Anastasius tortor sub Leone Armeno 549 f 550 d
† Anathasius Ep. in Oriente 15 b
† Anatolius Patriar. CP. 362 a
† Anatolius Ep. Laodiciæ 361 f
Anatolius Ep. Adanæ in Cilicia 362 f
Anatolius Hegumenus Studitarum 544 e 550 b
Anaundus, R. Sueciæ exul 9 sec. 407 c 420 f 440 d
† Anciradus Erem. M. 453 a
† Andreas Apost. Achaiæ 884 d ejus ordinatio 599 a
† Andreas Archidiac. Fæsulanus 245 b 246 a 248 a b
Andreas an Coptus, qui aliis Isidorus Pelusiota 479 c d
Andreas Cardinalis Ord. Minorum 3 c
Andreas Fremottus Archiep. Bituric. 584
Andreas Ep. Atrebaten. 297 f
Andreas Oviedus Soc. Jesu 751 a
Andreas Ongasavara Japon. 754 e 762 b c d
Andreas Silvius Archiprior Marchianensis 297 f
Anfridus in Sueciam missus 9 sec. 406 f 428 d 445 d
† Anianus Ep. Alexandriæ 16 a
† Anianus Ep. Aurelianensis 290 f 791 a
† Anianus Archidiac. 706 f
Aunchadius, Animosus, Ep. Kildarien. an scriptor Vitæ S. Brigidæ 102 d 141 f
Anna R. Oriental. Saxonum 391 e e
† Anna Prophetissa fil. Phanuelis 322 a
Anna fil. Romani Imp. nupta Bladimero Principi Russorum 715 e
Anna hæres Britanniæ Armor. nupta Ludovico xii R. Franc. 580 d e
Anna soror B. Joannæ Valesiæ 580 b c 592 f
Anomii hæretici, aliis Eunomiani 68 f
Annulo R. Daniæ 9 sec. 404 c d
Ansalogus Ep. Salisburgen. 2 e
† Ansani M. reliq. Senis 774 d
Ansbertus Dux 299 a
Ansemundus dux Viennæ 6 sec. 369 c
Ansgerius Ep. Catanen. 661 c d f
Ansigisus maritus S. Beggæ 229 c 236 e
† Anthimus Ep. Nicomediæ M. 466 a b
† Antoninus M. Placentiæ 470 d
† Antonius Cauleas Patr. CP. 714 a
† Antonius Ab. 261 e 263 e
Antonius Barberinus Cardinalis 969 c
Antonius Archiep. Pragen. 16 sec. 36 f 37 a
Antonius Anicien. Ep. 203 f
Antonius Ep. cum S. Chrysostomo 362 f
Antonius Meverus Porta 799 a
Antonius Studita 556 f
Aphrodisia Ethnica Sicula cum S. Agatha 621 e 624 e 627 b 632 a 652 e f
† Apollinaris Ep. Bituric. 839 c d
† Apollinaris Ep. Ravennas 6 a 82 e
† Apollinaris Ep. Arvernor. 777 e f
† Apollinaris Ep. Valentin. 666 c 667 674 a
Apollinaris hæreticus 69 a e 71 f 278 e f 279 a ejus libri 71 f 867 a e
† Apollonius M. 269 f
† Aquilæ et Priscillæ reliq. Fuldæ 525 b 527 c d
Aquila matrona Belg. 8 sec. 380 c
Arbo, Erbo, Dux Carinthiæ 709 c
† Arbogastus Ep. Argentorat. 838 d

*Arcadius Ep. CP.* 475 *d*
† *Arcadius Ep. Juliobrigensis Hisp.* 1 *sec.* 6 *a*
*Ardgarius Presb. in Suecia* 321 *a* 406 *b* 420 *c* 420 *f* 421 *e f* 440 *e f*
† *Ardinga M. in Lusitania* 958
*Ardingus Ep. Florentinus* 261 *d*
† *Ardo Smaragdus mon. Anianæ* 516 *e*
† *Aredius Ab. Gal.* 203 *b*
*Ariani hæretici* 65 *c* 69 *a*
† *Arnaldus Ab. Patavinus* 266 *a*
*Arno Ep. Salisburg.* 705 *e f*
*Arnoldus* I *Archiep. Colonien.* 929
*Arnoldus* II *Archiep. Colonien.* 720 *b*
*Arnoldus Com. Chiriæ* 12 *sec.* 926 *a b*
*Arnoldus pater S. Arnulphi* 299 *a*
† *Arnulphus Ep. Metensis* 299 *a secedit in eremum* 220 *c*
*Arnulphus Presb.* 9 *sec. e Purgatorio liberatur* 566 *f*
*Arnulphus sen. Com. Flandr.* 682 *e* 688 *f* 689 691 *b c* 694 *c*
*Arnulphus junior Com. Flandriæ* 692 *b*
*Arovandrun hæreticus* 4 *sec.* 54 *e* 65 *c* 77 *c*
*Artaxerxes R. Pers.* 4 *sec.* 473 *a d*
*Artemius Ep. Senonen.* 270 *b*
*Artoldus Archiep. Remensis* 857 *a*
*Asa R. Judææ* 322 *f* 323 *b*
*Aser Patriar. memoria* 599 *d*
*Asclepiades cum S. Pionio captus* 40 *c f* 42 *f* 44 *e* 46 *a*
*Aspala cognata S. Aviti* 598 *a*
*Asterius Sophista Arrianus* 278 *f* 279 *d*
† *Astrebalu M. Arvern.* 776 *f*
*Atalongus Presb.* 308 *e cum S. Gertrude fugit* 958 *b*
† *Athanasius Ep. in Oriente* 45 *b*
*Athanasius Ep. Cæsaraugust.* 4 *b* 6 *b c* 7 *c*
*Athanasius Ep. Troadis* 286 *f*
*Athanasius Studita* 547 *c d e*
*Athelardus Subregulus Angl.* 916 *b* 917 *f*
*Attelanus Ep. Laudunensis* 237 *c*
† *Atticus Ep. CP.* 475 *c*
*Atticus vir Consularis sub Trajano* 19 *b f*
*Attila vastat Atrebatum* 306 *c d*
*Attila in Pannoniis* 370 *c d*
† *Atto Ep. Pistoriensis* 258 *e*
*Atto Ep. alius scriptor Vitæ S. Verdianæ* 258 *b*
*Attola, Attelanus Ep. Lauduneu.* 209 *e*
*Audentia mat. S. Aviti* 598 *a* 666 *b*
† *Audoenus Ep. Rothomag.* 229 *e* 816 *c* 871 *d e f* 892 *c*
† *Audoeni Ep. Rotomag. Translatio* 4 *a*
† *Audomarus Ep. Taruanensis.* 816 *c transfert corpus S. Vedasti* 794 795 807 808 810 *obit* 795 *d*
† *Audomari corpus* 48 *c*
*Aufridus Ep. Ultrajecti* 269 *b* 315 *f* 317 *f*
† *Avitus Ep. Arvern.* 777 *f*
*Avitus Imp.* 666 *b*
† *Augustinus Arch. Cantuariæ* 292 *a f* 293 294 295 296 *c* 390 *a*
*Augustus Ep. Concordien.* 678 *f*
*Augustinus Ticinensis auctor Vitæ S. Guarini Ep.* 924 *b*
*Augustinus Rodericius Ord. S. Francisci in Japonia* 740 *b*
*Augustinus Dux in Japonia* 738 *c d* 753 *b d*
† *Aurelianus M. Romæ* 3 *sec.* 269 *f*
† *Aurelius Ep. Armenus* 539 *e f*
† *Aurelius M. Romæ* 269 *f*
† *Aurelius Conf. Afer* 3 *sec.* 328 *b c d*
† *Austrabertæ corpus* 48
*Austrasiorum Francorum origo, magnitudo Imperii ac limites* 208 209 210
*Austrechildis uxor S. Gunthramni* 870 *c*
† *Austremonius M.* 777 *c d*
† *Austregisilus Ep. Bituric.* 376 *c* 839 *d* 860 *a b* 864 *c* 866 *b* 870 *c* 886 *d*
† *Autbertus Ep. Cameraci* 382 *d* 385 *d* 874 *c*
† *Autbertus Ep. Cameracensis obit* 795 845 *d transfert corpus S. Vedasti* 794 795 813 *extruit monasterium S. Vedasti* 796 *reliquiæ* 800 *f*
*Autbertus mon. Corbeiensis soc. S. Anscharii* 416 *b e* 436 *f* 437 *e*
*Autharis R. Longobard.* 676 *b* 680 *b*
† *Auxentius erem.* 6 *b*
† *Aychardi Ep. corpus* 48

B

**B***aasas R. Israel* 322 *e f*
*Babylonius Diac. Conf. Pictavis.* 598 *c*
*Baccheus, Barthenus, fr. S. Brigidæ* 177 *c*
*Badurardus Ep. Paderbornæ* 517 *a*
*Baldredus Subregulus Angl.* 916 *d* 917 *c*
*Balduinus Calvus Com. Flandr.* 689 *a*
*Balduinus Barbatus Com. Flandr.* 691 *f* 692 *a* 693 *a*
*Balduinus Pius Comes Insulas muro cingit* 48 *d*
*Balduinus Belga* 8 *sec.* 379 *e*
† *Baractalis M. Spoletii* 366 *c*
*Barbara Com. de Castel in Germania* 964
*Barbatus Pontifex Gentilis* 1 *sec.* 285 *d*
*Bardas Cæsar* 553 *e f* 554 *a f* 555 *a*
*Bardesanes hæreticus* 77 *c* 78 *c*
† *Bartholomæus Apost. Indiæ* 884 *e*
*Bartholomæus Rodericius Ord. S. Francisci in Japonia* 939 *f*
† *Basilides M. in Creta* 545 *f*
† *Basilius Magnus* 49 *f* 70 *d* 74 *f* 75 *e* 76 77 *an Carmelita* 474 *d e*
† *Basilius Ep. Bracaren.* 1 *sec.* 6 7
† *Basilius Ep. Carthagin. Hisp.* 1 *sec.* 8 *f*
*Basilius Ep. Cæsareæ Capp.* 10 *sec.* 713 *c*
*Basilius Macedo Imp.* 545 *c* 544 *f* 555 *a* 557
*Basilius Imp. fil. Romani Imp.* 715 *c d e f* 718 *c*
† *Basillæ V. et M. rel. Fuldæ* 521 *c d* 527 *b c*
*Baudemundus Ab. Blandinien.* 847 *b scriptor Vitæ S. Amandi* 851 *d e* 882 *a*
*Baugulfus Ab. Fuldensis* 524 *a* 530 *d f* 536 *b*
† *Bavo* 796 *a* 828 *f* 836 890 *a* 903 *f corpus* 48
*Bavo, Bovo, ad Corbeiæ Saxon.* 561 *b* 563 *c*
*Bebelina Domina Antverpiæ* 8 *sec.* 829 *a*
† *Beda* 507 *e f* 508 *a*
† *Begga* 230 *f* 836 *e*
*Belisarius Catanam liberat* 659 *b*
† *Benedictus Ab.* 260 *c*
*Benedictus V Papa Hamburgi mortuus* 318 *a*
*Benedictus de Toco Ep. Vicensis* 665 *b*
*Benedictus Ep. in Aquitania* 4 *sec.* 824 *a*
*Benevenutus laicus Ord. S. Francisci* 598 *a*
† *Benignus Ep. Padiensis* 205 *d*
† *Benignus disc. S. Patricii* 788 *c*
*Benjamin Patriarchæ memoria* 599 *e*
*Ben Belga* 8 *sec.* 379 *e*
*Beorthwaldus Archiep. Cantuar.* 916 *d* 917 *b*
*Beorwaldus Ab. Glastonien* 919 *a*
*Berengarius Ab. Corbeiæ Gall.* 10 *sec.* 197 *e f*
*Berengarius R. Italiæ* 692 *b*
*Berengarius Comes sub Carolo Calvo* 401 *c*
*Berenice mater Herodis Agrippæ* 456 *d*
*Berillus Ep. Bostrenus scriptor* 464 *d*
*Bern, Biorn R. Sueciæ* 9 *sec.* 407 *e* 417 438 *e*
*Bernohardus Diac. cum S. Gertrude fugit* 308 *f*
*Bernardinus Rheg mus Capucinus.* 655 *b*
† *Bernardus familiaris S. Gilberti* 573 *a* 575 *e* 578 *a* *pro S. Joanne de Craticula agit* 251 *e*
*Bernardus Ab. Hirsfeld. disc. B. Rabani* 533 *d*
*Bernardus Coloquus Soc. Jesu* 611 *a*
*Bernarius Comes, Præf. Hamb.* 9 *sec.* 419 *e* 439 *f*
*Bernoldus Ep. Argentorati* 411 *e* 412 *b* 418 *c* 439 *b*

† Beronicus

† *Beronicus M. Antiochiæ* 456 *e*
*Berselanus Domesticus S. Sigeberti* 235 *e*
† *Berta Abb. Blangiacen.* 298 *f*
*Berta uxor S. Ethelberti R.* 391 *e*
*Berta sor. S. Wolphelmi scripsit Vitam S. Adelheidis V.* 720 *f* 721 *d*
*Bertefridus Ep. Ambianen.* 434 *c e*
† *Berthaldi rel. in Calvo-monte Gal.* 365 *f*
*Bertholdus Patriar. Aquileien.* 729 *b*
† *Bertinus Ab.* 816 *e* 847 *b* 882 *a corpus* 48 *d*
*Bertoaldus Ep. Camerac.* 794 *f*
*Bertolfus mon. Fuld. disc. B. Rabani* 533 *d*
*Bertolphus Ab. Mediolacensis* 517 *e f*
*Bertrada V. soror S. Adelheidis* 598 *d* 720 *e*
*Bertrandus de Molin Ab. Caduini* 462 *a*
*Bertrudis Reg. Chlotharii II uxor* 299 305 *e*
*Bertulphus Ep. Trevensis* 93 *a*
† *Beryllus Ep. Catan.* 623 *c d* 661 *c d*
*Bertandus, Bertrendus, Ep. Catalaunen.* 209 *d*
*Bilichildis uxor Childerici Rex Francorum* 232 *f* 231 *e*
† *Birgitta vidua* 4 *e* 934 *e revelationes* 114
† *Birinus Ep. Dorcestrensis* 913 *d* 601 *b*
*Biso Ep. Paderbornæ* 317 *e*
*Blanca uxor Martini R. Siciliæ* 654 *c d*
*Blandinus mon. scriptor Miraculorum S. Agathæ* 618 *a f* 643 *a* 644 *f* 648 *e* 650 *d*
*Blatha coqua S. Brigidæ* 133 *f*
*Bletmacus R. Hibern. 7 sec.* 452 *f*
*Blithildis filia Chlotharii R.* 299 *b* 305 *e*
*Bobo Dux S. Sigeberti* 235 *e*
† *Bonifacius fundator Fuldæ monast.* 519 *c* 723 *d* *Arch. Mogunt.* 309 *f* 207 *c*
*Bonifacius IV Papa* 295 *d*
*Bonifacius Marchio Etruriæ 11 sec.* 79 *a* 87 *e*
*Bonifacius Conversus in Claravalle* 269 *b*
† *Bonitus Ep. Arvernorum* 210 *e* 211 *e*
*Bonosus Naissitanus Ep. hæret.* 670 *b*
*Bonzii Sacerdotes Japoniæ* 734 *b* 766 *a* 758 *a*
*Borboriani hæretici* 65 *e*
*Boruth Dux Caranthanorum* 705 *b*
*Bova Ab. Elnonen.* 910 *e*
† *Brandanus fil. Neimi* 115
† *Brandanus fil. Finlogæ* 114 *f* 118
*Brandubius R. Hibern.* 101 102
*Breuni populi* 679 *c d*
† *Briccius Ep. Turonen.* 217 *e*
† *Briccius Ep. Umbriæ* 366 *b*
† *Briga familiaris S. Brigidæ* 182 *a b*
† *Brigida Abernethi in Scotia mortua* 108
† *Brigida junior disc. S. Monennæ* 107 *d e*
† *Brigida V. M. Ursulana* 4
*Brigida V. Hiberna a S. Brigida sanata* 122
*Brigitta Abb. Ratisponæ* 3
*Brisso frater Palladii exul* 362 *f*
*Broon Ep. disc. S. Patricii* 123 131
*Broetsech, Broccn, mater S. Brigidæ* 118 119 135 *f*
† *Broganus Cloen Hibern.* 102 *e f*
*Brudeus, Bridius, R. Pictorum* 108 *e f*
† *Bruno Archiep. Colon.* 313 *f*
*Brunuart Ab. Hirsfeld. disc. B. Rabani* 513 *c* 517 *e f*
† *Burchardus Ep. Herbipol.* 270 *f*
*Burchardus Comes ad Danos missus 9 sec.* 428 *a b* 445 *c*
*Bugerinus Presb. Harlebecæ* 692 *d e*
*Buo Scotus* 598 *e*

C

*Cadraelis Rex Britonum* 498 *d e f* 500 *d e f*
*Cadualadrus fil. Cadraelis R. Britonum* 499 *b c*
*Cadualladrus R. Walliæ* 920 *c*
† *Cæciliæ V. rel. Fuldæ* 524 *f* 525 *a*
† *Cæsarius Ep. Arelat.* 668 *d c*
*Caii Caligulæ anni Imperii* 18 *e*
*Caldonius Ep. Afer 3 sec.* 330 *c*
† *Callisti Papæ rel. Fuldæ* 522 *c d* 527 *d*
*Callistus II Papa* 563 *a*
† *Calocerus Ep. Ravennas* 83
*Calpurnius Afer 3 sec.* 327 *a*
*Calvisianus Consularis in Sicilia sub Diocletiano* 603 *c d e*
† *Camelianus Ep. Trevensis* 93 *e* 439 *d f* 482 *a c*
† *Candidæ V. reliq. Fuldæ* 527 *b c d*
*Candida Afra 3 sec.* 327 *a*
† *Candidus Ep. Trajecti degit* 764 *d*
† *Canicus Hibern.* 117 118
† *Capito Ep. Lucen. Hisp. 1 sec.* 6
† *Carolomannus Princ. Franc. dein Monachus* 505 *b* 956 *Rex appellatus* 519 *c d*
† *Carolus Borromæus* 572 *d e* 610 *c d*
† *Carolus Magnus* 510 *a vincit Nordalbingos, et pro eorum conversione laborat* 397 *c e* 410 *e f* 418 *c* 438 *e* 564 *f ejus diploma pro monasterio Blandinio Gandavi* 822 *d obitus* 414 *d* 435 *b*
*Carolus IV Imp.* 36 *d e f*
*Carolus Calvus R. Franc.* 441 *f* 443 *d Nantuæ sepultus* 856 *e*
*Carolus Simplex R. Franc.* 688 *e*
*Carolus VIII R. Franc. frat. B. Joannæ Valesiæ* 580 *a* 580 *d* 582 *c* 584 *f* 585 *a*
*Carolus Martellus Princ. Francorum* 225 *c e pater S. Hadelogæ* 308 *f* 307 *b*
*Carolus Dux Valesius, e quo Reges Valesii* 580 *a*
*Carolus Arch. Mogunt. fil. Pippini R. Aquitaniæ* 91 397 *e* 511 *a b e d* 533 *e*
*Carolus mon. Fuldæ disc. B. Rabani* 511 *b c* 533 *e* 542 *e*
† *Carpus, Papylus, Agathonice MM.* 39 *d*
† *Carterius Presb. M. Cæsareæ Cappad.* 187 *d*
† *Cassianus Ep. Sabionen.* 675 *c d* 681 *c*
† *Cassianus monachus* 478 *b*
† *Cassius et Victorinus MM.* 776 *f* 777
† *Castor Presb.* 453 *f*
† *Castuli M. pes Fuldæ* 521 *e f* 527 *c d*
*Casyn filius Naimân Hibern.* 117 *c*
† *Carpophorus Presb. Spoletii* 366 *b*
† *Carthagus Hibernus* 452 *f*
† *Cataldus Ep. Tarentinus* 644 *f*
*Cataphryges hæretici* 39 *a b* 44 45
*Cathanus Ep. Hibernus* 4 *a*
*Cathari, Novatiani hæretici* 65 *c f* 69 *d*
*Catharina Riccia Ord. Prædicat.* 269
*Catla Sueca 9 sec.* 421 *f* 422 *a* 440 *f*
*Cavadonus Princ. Japoniæ* 731 *a b*
*Cauchitæ hæretici* 65 *c*
† *Ceadwalla R. Saxon. Occident.* 499 *b c* 913 *e* 917 *d* 919 *f*
*Celer Dux contra Cabadem Persam* 669 *e*
† *Cellacus Ab. Kildar.* 110 *f*
*Ceolla Ep. Austral. Saxonum* 918 *e*
*Ceolredus R. Merciorum* 918 *e*
† *Cerealis M. corpus Interpniæ* 333 *c e*
*Cethuberta V. a S. Patricio consecrata* 97 *b e*
*Chamus e ditis Japoniæ* 654 *a b* 733 *a*
*Chararicus R. a Chlodoveo occisus* 218 *c*
*Charibertus R. Parisiorum obit* 219 *e*
*Charibertus R. Aquitaniæ* 220 221 *a b*
*Chartenius Ep. Gal.* 671 *c d*
*Chetimarus Dux Carantanorum* 705 *b c* 706 *f*
*Childebertus R. Parisiorum obit* 219 *c*
*Childebertus R. Austrasiorum aulam Metis habuit non Argentorati* 213 *e tempus regni stabilitum* 218 *c f* 220 *a R. Burgundiæ* 220 *a obitus* 220 *c*


Childebertus

*Childebertus filius Theoderici R. Franc. obit* 226 *d*
*Childebertus fil. Grimoaldi intrusus R. Austrasiorum et pulsus* 221 *e f* 231 *f*
*Childericus pater Chlodovei* I *quamdiu regnarit* 208 *d*
*Childericus filius Chlodovei* II *Rex Austrasiorum* 222 *b d* 224 *a b c d dat S. Amando Barisiacum* 825 879 *d et Nanto* 824 *f* 844 *d c* 886 *f* 879 *b* 895 *a. non Nantuam* 855 *c cedit Dagoberto* II *partem regni* 231 *b dat diploma pro Stabulao et Malmundario* 236 *a fit R. Neustriæ* 224 *b occiditur* 224 *c d*
*Childericus ultimus R. Franc. in monachum attonsus* 226 *e f* 505 *d e*
*Chilienus mon. scriptor Vitæ metricæ S. Brigidæ* 102 *e* 141 *e*
*Chilperici* I *R. Neustrasiorum tempus regiminis stabilitum* 219 *e obitus* 219 *f*
*Chilpericus, Daniel dictus, filius Childerici R. fit R. Francorum* 226 *d*
*Chlodericus F. Sigeberti Claudi R. Colonien.* 218 *e*
*Chlodomires R. Aurelianensium obit* 219 *b*
*Chlodoveus* I *R. Franc.* 208 *a S. Vedasto instructus* 793 *a* 901 *e f baptizatus* 668 *Consul et Augustus* 207 *d obit* 219 *e f*
*Chlodovei* II *regni magnitudo* 211 *e f tempus regni* 221 *e f* 222 *a obitus* 221 *a*
*Chlodovei* III *R. Francorum et regnum obitus* 226 *b*
† *Chlodulphus Ep. Meten.* 235 *d Domesticus S. Sigeberti* 237 *e*
*Chlotharius* I *R. Francorum obit* 219 *b proceres gentiles habet* 802 *b c* 806 *f*
*Chlotharius* II *R. Francorum* 299 *c* 305 *e anni regni, obitus* 220 *d*
*Chlotharii* III *Regis Fran. anni* 14 *regni vindicati* 222 *f* 223 224
† *Chotildis Regina Franc.* 718 *e* 801 *b* 804 *b*
*Chosroes R. Persarum* 487 *c*
*Christianus Stabulensis scriptor* 8 *sec.* 377 *e* 379 *e*
*Christianus mon. Heisterbacen.* 453 *c d* 652 *c*
*Christina Abb. Gundersheim* 314 *b*
*Christophorus Ab. Milstadii* 712 *c e*
*Christophorus Papiensis lanus Ord. S. Francisci* 598 *e*
*Chrocus R. Alamannorum* 3 *sec. Gallias vastat* 777 *a occiditur* 777 *d*
*Chrodobaldus disc. S. Amandi Præpos. Marchianensis* 771 *f* 863 *f* 880 *d* 881 *b*
*Chrysogonus an S. Jacobi discip.* 5 *f* 7 *c*
† *Chrysolius M.* 47 *c e*
*Chunehildis mater S. Hadelogæ* 964
† *Chunibertus Archiep. Colonien.* 209 228 *d* 229 *b* 231 *e* 235 *b* 236 *e*
*Cicagendonus Japon.* 753 *e f* 763 *a*
*Cissa R Occid. Saxonum* 914 *a*
*Claudii* I *anni Imperii* 18 *c e*
† *Clemens* I *Papa* 16 *e* 17 456 *b f* 457 *a b*
*Clemens* VIII *Papa de scriptis Granatæ inventis* 11 *a b*
† *Clemens Presb. Volaterranus* 333 *f*
*Clemens Auximanus Generalis Ord. S. Augustini* 935 *e* 940 *a*
*Clemens Hegumenus Studitarum* 544 *e* 556 *e f*
*Clodebergis filia S. Gunthramni* 370 *c*
*Clodeildis filia S. Guntramni* 370 *c*
*Clodio R. Francorum* 308 *b*
† *Clodoaldus fil. Chlodomiri R.* 557 *b*
† *Clotsendis Abb. Marchian.* 297 *b* 301 *d* 302 *f* 303 *c* 305 *c* 304 *e* 840 *f* 844 *a*
† *Coalianus Ep. Hibernus* 125 150 *f* 151 *d*
*Coenredus R. Merciorum* 388 *e*
*Cogitosus scriptor Vitæ S. Brigidæ* 101 135 141 *e*
† *Colmanus Ep. Daacen. Hibern.* 322 *d*
† *Columba Ab. Hiensis* 118 164 *a f corpus Duni* 110 *f* 117 *inventum* 110
† *Columba Ep. in Dunkel* 107 *d*
† *Columbanæ V. reliq. Fuldæ* 524 *f*
† *Columbanus ab. Luxovii* 295 *c* 296 *c d*
† *Columbanus missus ad Slavos* 706 *c d*
† *Columbanus Ab. Gandavi mortuus* 269 *e*
† *Conidrius Ep. Monæ ins.* 104 *e*
† *Comgallus Hibern.* 118
*Comites temporarii* 302 *c d*
† *Compagnus Patavinus* 266 *b c*
*Conaldus R. Hibern.* 127 *d* 165 *a*
*Conallus R. Hibern.* 127 164 *d f* 165 *a b*
*Conanus* III *Dux Brit. Armoricæ* 251 *c*
† *Concordiæ M. caput Fuldæ* 521 *e f* 527 *b c*
*Cond, Cuind, Constans Constantinus, Keuchchatthadi R. Hib.* 155 *f* 157 161 *a e*
† *Conlaudus Ep. Kildarien.* 116 *e f* 133 *e f* 141 *a* 170 *b*
*Conradus Arch. Mogunt. et Salisburg.* 710 *c* 712 *a b*
*Conradus Grassis Ab. Ital.* 84
*Conranus R. Scotiæ* 492 *f*
† *Constantinus imp.* 343 *d* 348 *e foret Christianus in Perside* 477 *f Capuæ templum erigit* 638 *f*
*Constantinus Copronymus Imp.* 342 *c*
*Constantinus Porphyrogenita Imp.* 544 *d* 550 *d c*
*Constantinus Imp. fil. Leonis Sapientis* 713 *a* 715 *a b* 718 *e*
*Constantinus Imp. filius Romani Imp.* 715 *e* 718 *e*
*Constantinus Monomachus Imp.* 641 *b c*
*Constantinus Romanus Placentiæ* 471 *a*
*Constantinus Lascaris interpres Vitæ S Agathæ* 605 *f*
*Constantinus illustris Japon.* 757 *f.* 763 *e f* 764 765
*Constantius Ep. Octodoren.* 671 *c*
*Constantius Ep. Sabionensis* 598 *b* 681 *c*
*Constantius Ep. Vapincen.* 671 *c*
*Corbcrenus Princ. Gal.* 188 *e f convertitur ad fidem* 189
*Cornelia Afra* 3 *sec.* 327 *a*
† *Cornelius Papa a Novatianis patitur* 330 *a b rel. Fuldæ* 522 *c* 527 *c d*
*Cornelius Dubenius Ep. Dunensis* 3
*Corpreus Regulus Hibern.* 127
*Cosrhoes R. Persarum Antiochiam vastat* 35 *d*
† *Crescens Ep. Viennen.* I *sec.* 8
† *Crispinus et Crispinianus* 808 *f reliq. Fuldæ* 527 *d*
*Crispus Ep. Leontinus* 290 *b*
† *Ctesiphon Ep. Vergii Hispan.* 4 5 6 7 9 *c* 10 12 *f*
† *Cuanna, Cuona, Cuannachæus, Ab. Hibern.* 452 *f*
*Cubus Quinquenindonus Præfectus Japoniæ* 731 *a*
*Culcianus Præses Alexandr. sub Diocletiano* 469 *b c d*
*Cunihildis mater S. Hadelogæ e Carolo Martello* 309 *a b*
† *Cuthburga sor. S. Inæ Regis* 914 *b d*
† *Cyriacus, Largus et Smaragdus MM.* 289 *c d*
† *Cypriani et Justinæ reliq. Tolosæ* 200 *e*
† *Cyrillus Ep. Alexandr.* 474 *e b f* 475 *d e f* 479 *c*
† *Cyrillus Ep. Hierosol.* 270 *f*
† *Cyrini M. corpus Antverpiæ* 333 *d e*
† *Cyprianus Ep. Carthaginen.* 325 326 327 *reliq. Moissiaci* 200 *e*
† *Cyprianus ab. Gal.* 200 *a e* 203 *f*
† *Cyprianus magnus M.* 495 *e*
† *Cyprianus et Savinus MM.* 200 *c*
*Cyprianus Studita* 9 *sec.* 550 *f* 551 *a*

D

**D***aci Scythis annumerati* 25 *d*
† *Dado Cancellarius Dagoberti* I 827 *d* 862 *b*
*Daganus Ep. Scotorum* 295 *a*
*Dagoberti* I *R. Franc. gesta quando scripta* 215 *d tempus*

*tempus regni Austrasiorum* 220 c d 228 e *obitus* 221 d e 230 b *bellum cum Armoricis* 498 f 499 a b 501 d e *circa S. Amandum gesta* 861 a 862 a 865 d 874 d f 875 b f 892 b *diploma Elnonensibus datum* 827 a c
*Dagoberti* II *ætas* 228 d 231 e *regnum* 225 b 232 233 *ejus filius, et plures filiæ* 232 b 233 c d
*Dagobertus* III *R. Franc. obiit* 226 d
*Dagobertus tignarius* 812 c 813 c
*Daifusama R. Japoniæ* 730 d e
† *Dalmatius Ep. Rutenorum* 210 f
*Dan Patriar. memoria* 599 d
*Dangmarus frater S. Brunonis Ducis Saxoniæ* 214 e
*Dani irrumpunt in Brabantiam* 386 c
† *Daniel Ep. Wintoniensis* 917 b 918 a 919 a
† *Darerca soror S. Patricii* 107 e *mater SS. Melis, Melchi Munii, Rioci Epp.* 786 *et seqq.*
† *Daria Hiberna* 134 c 170 f
† *Daria mater S. Ursulæ* 105 e
† *Datus Ep. Ravennas* 83 c
† *David Ep. Menevensis* 115 b 915 a 916 917
*Decii Imp. tres Consulatus ordinati* 600 d 621 d 622 c
*Decius et Gratus Coss.* 39 f 42 e 46 f
*Demetrius Præfectus Scepseos* 1 *sec.* 284 e d *conversus* 285 *an Sanctus* 286 c d 287 c d
† *Deodati Ep. corpus Latiniaci* 322 a
*Dervianus Dux Urbiorum Sclavorum* 704 f
† *Desiderius Archiep. Vienn. M.* 293 a b
† *Desiderius Ep. Cadurcensis* 210 f 211 b 233
† *Designatus Ep. Trajectensis* 772 c
*Deusdona Diac. Romanus* 520 a b 521 a b
*Didacus Ep. Oxomen. in Hispania* 773 f
*Didacus Velasquez Hisp.* 12 *sec.* 255 a 256 a b
† *Didius Presb. M. Alexandr.* 466 b 468 a
*Diedo Ab. Fuldæ* 53 a d 509 d 510 e
† *Digna V. Cordubensis M.* 652 a b
† *Dignæ et Emeritæ W. reliq. Fuldæ* 524 f
*Diocletiani persecutio* 468 b
*Diogenes an Episcopus Atrebatensis et Cameracensis? an Martyr sub Wandalis aut Hunnis* 791 b c
*Diogenianus Ep. Albigæ* 359 d e
† *Dionysius Ep. Parisien.* 808 a
*Dionysius Brissonettus Ep. Maclovii* 250 c
*Dionysius Exiguus Ab. Romanus Æræ Christianæ introductor* 18 c
*Dioscorus hær.* 278 e 279 e f
*Dodilo Ep. Cameracen.* 817 e 819 a
*Dodo Ep. Mimigardevorden.* 316 a d
† *Dominici mon. M. corpus Barani* 98 c
*Dominicus Ep. Atrebat* 771 f 794 f
*Dominicus Meliten. Ord. Minorum* 3 e
*Dominicus Ord. Prædic. Hispanus* 453 e
*Dominicus Scalabitanus Ord. Præd.* 652 c
*Domitiani Ep. Trajecten* 772 d 835 e
† *Domitianus anni Imperii* 18 e f 19 a
*Domlinus Presb. Torholtanus* 828 f 851 d
† *Domninus Diac. Placentiæ* 470 d e 471 c d
*Domneva mater S. Mildredæ* 391 c d
† *Donatiani corpus* 48 c
† *Donatus Ep. Fæsulanus* 245 b
*Dorothea ancilla S. Hildegardis* 728 a b
† *Dorotheus M. Nicomediæ* 468 c
*Dotto Comes Tornaci* 7 *sec.* 861 c 863 e f 891 a
† *Drausius Ep. Suessionen.* 598 e
† *Droctoaldus Ep. Autissiodoren.* 794 c
*Drogo Ep. Osnabrugen.* 316 a
*Drogo Ep. Metensis* 396 b 411 e 439 a 528 c d e
*Druogo Ep. Mimidonen. Minden.* 413 b 413 d e
*Druthmarus Stabulensis* 8 *sec.* 377 e
*Duces olim temporarii* 300 c
*Dudo Ep. Paderbornen* 269 b 315 f 316 a 317 d
*Dulcidius Ep. Podiensis* 204 f
*Duptacus pater S. Brigidæ* 103 c 118 119 120 137 d e 156 a c.
*Durandus Ep. Leodien.* 373 c
*Dynamius Ep. Engolismen.* 359 d e

E

*Eadbaldus R. Cantii* 295 d
*Eadbertus Ep. Austral. Saxonum* 918 d
† *Eanswyda Angla* 391 e
† *Earcongota V.* 391 d 392 b
*Ebbo Ep. Remensis* 396 b c 409 f 411 f 418 e f 428 c d e 438 c d e 438 445 f *factus Ep. Hildesheym.* 517 a
*Ebion hæreticus* 278 f 279 a c d
*Ebroinus Major-domus* 224 f 225 c *occiditur* 224 c
*Ecelinus tyrannus Patavii* 267 d e
*Echehardus Ord. Minor.* 13 *sec.* 318 c
† *Echenus Hibern.* 133 134 183 a
† *Edburga fil. S. Ethelberti* 391 c f
*Edgarus R. Angl.* 689 a
† *Edwinus R. Northumbriæ* 391 c f 498 e f
*Egbertus R. Cantii* 391 c 392 b
*Egbertus Archiep. Eborac.* 508 a
*Egbertus disc. B. Rabani* 533 d e
*Egbertus Com. Hamburgi sub Carolo Magno* 410 e
*Egebertus Ab. Fuldensis* 533 e
*Egilmarus Ep. Osnabrug.* 413 b d e
*Eilbodo Præses Cortraci* 2 *sec.* 692 b
*Einhardus Ab. Selgenstettensis* 517 d e f 518 e
† *Elduidus Glocestriæ* 453 a
† *Eleranus Sapiens scriptor Vitæ S. Brigidæ* 101 a 142 a
*Elenandus Ep. Lauduncnsis* 905 c
† *Eleucadius Ep. Ravennas* 83 b
† *Eleutherius Ep. Autissiodor.* 793 c
† *Elias Patriar. Hierosol.* 673 e f
*Elias Ep. Aquileien.* 677 a 678 b
† *Elgius Ep. Noviomen.* 229 e 376 a 816 c 845 b 847 e 871 d 903 c 906 f
† *Elisabetha vidua* 306 f
*Elisabetha mater Caroli* IV *Imper.* 36 c d
*Elisabetha uxor Petri* II *R. Siciliæ* 660 e
*Elisabetha Com. de Randeradt* 926 d 928 f
*Elisabetha Ord. Francisci Ameriæ* 153 e
*Elisabetha Ord. S. Franc. Panormi* 453 d e
*Elisachurus Ab. Centulensis* 511 a
*Elissa corpus S. Blasii sepelit.* 343 b d 357 e
*Elladius Presb.* 4 *sec. exul* 362 e f
*Elstrudis filia Edgari R. Angl.* 689 a 690 a
† *Elpidius Ep. Toletan.* 1 *sec.* 6 b c
*Elpidius Diac. Lugdun.* 5 *sec.* 675 a b
† *Emebertus Ep. Cameracen.* 795 a
† *Emerentianæ V. M. rel. Fuldæ* 524 e f 527 c d
*Emerita Afra* 3 *sec.* 327 a
*Emma uxor Eadbaldi R. Cantii* 391 c e
† *Emmeramnus Ep. Ratispon.* 682 b
*Enmo Ep. Noviomensis* 897 f
*Enrratius pictor in Asia* 5 *sec.* 287 a
† *Engelmudus M. in Hollandia* 4 a
*Engesus R. Hibern. a S. Patricio baptizatur* 161 b c
*Engilscalcus Comes sub Carolo Calvo* 401 c d
*Eochadius, Echu, R. Hiber. pater S. Cinniæ* 96 97 *a S. Patricio ressuscitatus* 97 f
*Eochod Fionn filius Regis Hibern.* 155 f 156 a 157 b
*Eogan e stirpe regia Hibern.* 155 f 157 c
*Ephraim Patriar. memoria* 599 e
*Ephraim Ep. Hierosolim.* 2
† *Ephrem Ep. Asturic.* 1 *sec.* 6 b
† *Epiphane M. Siculu* 289 d 290 a
† *Epiphanius Ep. Ticinen.* 668 c d
† *Equitius Ab.* 964
*Erbo Princ. Carinthiæ* 12 *sec.* 700 c d e 701 d 709 c

*Erchenoaldus*

*Erchenoaldus Major-domus* 221 d *an frater S. Adalbaldi* 299 a 304 e f 305 e f
† *Erconwaldus Ep. Londinen.* 407 f 919
*Ercombertus R. Cantii* 391 c
*Ericus Pomeranus R. Daniæ et Sueciæ* 935 b
*Ericus, Horicus R. Suecorum in Divos assumendus* 425 d e 443 b *vide* Horicus.
*Ercus Episc. Hibern. discip. S. Patricii* 128 129 165 f
*Erembertus Presb. in Sueciam missus* 407 a 426 d 443 f
*Erkengarius Comes Bononiensium* 688 e
*Erlafridus Comes Calbæ 9 sec.* 540 c
*Erlarius Diac. 9 sec.* 88 a 90 a
*Erluinus Ep. Camerica* 297 e 372
*Erlulphus Apost. Islandiæ* 269 b
*Ermenberga Angla* 391 c
† *Ermenburga Angla* 391 c
*Ermenfridus Ep. Bellovacen.* 819 b
*Ermengida Angla* 391 c
*Ermenredus fil. Eadbaldi R. Cantii* 391 c
*Ermentrudis soror S. Adelheidis* 722 c d f
† *Erminilda Regina Merciorum* 388 e 389 f 391
† *Erminus Ep. et Ab. Lobiensis* 504 e 505 d
*Ernulfus fr. S. Adalbaldi* 299 a 304 e
† *Ecsius Ep. Cartesæ Hisp. 1 sec.* 4 5 6 7 9 10
*Eth Ep. Hibern.* 123 182 e
† *Ethelbertus R. Cantii* 293 294 295 391 b 391 c
† *Ethelburga V. Abb. Angla* 307 e
† *Ethelburga uxor S. Edwini R.* 391 e f
*Ethelburga uxor S. Inæ Regis in Anglia* 772 e 916 c 920 e 921 a 922 a b 923 a c
† *Etheldreda* 388 c 390 b 392 d
† *Ethelredus R. Merciorum* 391 d 392 b
† *Ethelredus et Ethelbrictus frat. MM.* 391 e
*Etherius Abb. Suessionen* 696 f
† *Etherius Ab. Lugdunensis* 293 a b f
*Ethne Huachach Regina Hibern.* 161 b
*Evantina a S. Cornelio Centurione conversa* 285 d e f
† *Eubulus M. Cæsareæ* 321 f
† *Eucharius Ep. Baturic.* 839 c d
† *Eucharius Ep. Trajecten.* 772 d
† *Eucherius Ep. Lugdunen.* 365 e
† *Eucherius Ep. Trajectensis* 772 d
*Euchitæ hæretici* 65
*Eudæmon Præsul Decii Smyrnæ* 45 e f
*Eudocia uxor Basilii Macedonis Imp.* 555 b c
*Eudoxius Arianus Ep. CP.* 278 e f 279 d e
† *Everardi corpus* 48 d
*Everardus Ep. Placentiæ* 470 f 471 b c
† *Eugeniæ V. reliq. Fuldæ* 524 f 527 c d
† *Eugenius Ep. Valentiæ Hisp. 1 sec.* 6 b
† *Eugenius Ep. M. in Africa* 4 b
*Eugenius III Papa* 253 e d f 254 d *favet S. Gilberto* 573 a b 576 e 578 a
*Eugenius Hegum. Studitarum* 554 e f
*Eugenius Hibernus Nelli fil. 5 sec.* 789 e f 790 a
*Eugenius in Asia 6 sec.* 286 e f
*Eulogius Ep. Sebastenus* 331 f
*Eunomiani hæretici* 65 e 69 d *auctor Eunomius* 278 f 279 e
† *Evodius Ep. Antiochiæ* 16 a 17 18 c 24 d
*Euphemius proditor Siciliæ* 641 e
† *Euphrasius Ep. Illiturgi Hisp. 1 sec.* 4 5 6 7 e 9 c 10 a 462 c
† *Euplanucius M.* 320 f 333 b
† *Eupli Diaconi M. Acta* 603 e d e 603 f 604 a b
† *Eusebia Abb. Hamaticensis* 828 d 874 d
† *Eusebia Abb. filia S. Rictrudis* 298 a f 302 b e d 303 304 305 *corpus* 48 d
† *Eusebius Ep. Tricastinus* 943 e 963
† *Eusebius mon. Placentiæ* 471 a
*Eusebii historia et Chronicon explicata* 39
† *Eustasius disc. S. Columbani* 706 c d
† *Eustochius Ep. Turonen.* 217 e f 218 e
† *Eustorgius II Ep. Mediolan.* 668 c d
† *Eustratius M. Sebastenus* 335 a b c
† *Eutropiæ V. reliq. Fuldæ* 527 b c d
*Eutropius Ep. Ptolemaidos* 477 c
*Eutyches hæresiarcha* 277 c
*Eutychiani hæretici* 877 a e
† *Eutychianus Papa M.* 599 c
*Eutychianus scriptor Vitæ S. Theophili Pœnitentis* 487 d
*Eutychianus ex Cataphrygibus Smyrnæ 3 sec.* 44 c
† *Eutychius Patr. CP.* 487 d
† *Eutychius Ab. Ital.* 369 a c
*Euthymius Patriarcha CP.* 713 714
† *Evergisus, Ebregisus Ep. Trajecten* 772 d
† *Evurtius Ep. Aurelianensis* 290 f
† *Exuperius Ep. Tolosæ* 359 d e


F


† **F***abianus, aliis Flavianus, Papa* 83 e 84 c *rel. Fuldæ* 521 e f
*Fabricius Ep. Placentiæ Ital.* 470 f 471 f
† *Falco, Fulco, Folco, Ep. Trajecten.* 772 d 835 b
*Faramundi R. Franc. tempus* 208 b
† *Farannanus Hibern.* 452 f
*Farimondonus Gubernator Ozacæ in Japonia* 753 b c 755 b
† *Faro Ep. Meldensis* 871 e f 872 b
*Faroaldus Dux Spoletinus* 368 f 369 c
*Fascagiuua Japon.* 753 e f 756 e 760 a
† *Fausta V. et Evilasius Mart.* 773 d
† *Faustus Presb. M. Alexand.* 466 b 468 a
*Faustus Senator Romanus 5 sec.* 672 c f
*Fazamburus Japon.* 747 c 759 e 760 a 766 f 768 a b c 769 e f
*Feidlimidh R. Hiber.* 155 f 157 b
† *Felicia V. Casulitana M.* 597 f
*Feliciana V. Conimbricæ in Lusitania* 968
† *Felicitatis matris 7 filiorum rel. Fuldæ* 521 c d 527 b c d
† *Felicissimi Diac. brachium Fuldæ* 521 e f
† *Felix I Papa M.* 599 c
† *Felicis rel. Fuldæ* 527 b c
*Felicis et Naboris brachia 2 Maræ* 927 e
*Felix Ep. Beliernsis* 321 a 332 e 365 d
*Felix Ep. Carthag. Hisp.* 332 e
*Felix Ep. Tarvisinus* 678 f
*Felix Presb. furatur reliq. SS. Severi, Vincentiæ et Innocentiæ* 90 e f
*Felicis Consulatus in synodo Aurelianensi I adscribendus* 218 e f
† *Ferdinandus R. Hispan.* 462 d e
*Ferdomnach Ep. Kildariæ* 102 e
*Ferrandus Ep. Septensis* 580 e
*Ferreus Ab. Blandinii* 847 e
† *Ferreolus Ep. Ucetiæ* 211 a 299 a b
*Fiacha, Fiacus, Snighe filius R. Hib.* 155 f 157 b
† *Fiacrius* 101 a 459 c e
† *Fidolus Ab. 6 sec.* 480 a b c d e f
† *Fiecus Archiep. Lageniæ* 101 e f
† *Finanus Lobhar* 117
† *Findanus inclusus Rhinovien.* 340 d
*Fingenius Hibern.* 398 d
† *S. Finanus Ep. Lismorensis* 912 e
† *Finnanus Cluanerard.* 117 a
† *Finianus auditor S. Gildæ* 116 c
† *Fintanus ab Hiber.* 3 e
† *Fintanus mon. Rhenovien. Hibern.* 116 f
† *Firmilianus Ep. Cæsareæ Cappad.* 269 f
† *Firminus Ep. Virdunensis* 791 f
† *Firminus Ep. Ucetiæ* 211 a
*Firminus Ab. Durnæ prope Antverpiam* 829 b 830 a


*Flavius*

Flavius Ep. Remen. 793 *d*
Fluvius Ep. Carnoten. 484 *d*
Flodulfus Domesticus S. Sigeberti 236 *e*
† Florbertus Ab. Ganden. 830 *a* 840 *e* 844 *f* 873 *c* 903 *e*
† Florebertus Ep. Leodien. 377 *c d* 382 *e* 384 *f*
† Florentius Ep. Trevir. et Tungren. 772 *c*
† Florentius Ep. Argentorat. 838 *d*
Florus Diac. Lugdunen. 670 *b*
Folcardus Ab. Gaudensis 683 *e* 694 *d*
Folciardus sub S. Sigeberto 237 *c*
Folchungorum familia in Suelia 936 *b c*
† Folquinus Ep. Teruanensis 300 *d* 401 *c d*
Fonteius Ep. Feltrien. 598 *a* 677 *a* 678 *f*
Fordredus Ep. Schireburn. 917 *b* 918 *c*
Formosus Papa 412 *f* 413 *c d*
† Fortunatus Ep. Tudertinus 260 *b c*
† Fortunatus Presb. in Umbria 944 955
Fortunatus Ep. Afer 3 sec. 329 *b c*
Fotulus Ep. Scotus 321 *c*
Fotochus e diis Japoniæ 753 *a b*
† Franciscus Xaverius 730 *e f* 766 *d*
† Franciscus de Stroncone Ord. Minor. 944 *c*
Franciscus R. Franc. 581 *a*
Franciscus Dux ultimus Britan. Armor. 580 *b c*
Franciscus Barberinus Cardinalis 969 *c*
Franciscus Arch. Rotomag. 17 sec. 196 *d*
Franciscus Pasius Soc. Jesu in Japonia 765 *e* 767 *e f* 768 *a b c*
Franciscus Perez Soc. Jesu in Japonia 753 *d e*
Franciscus Rodriguez Soc. Jesu in Japonia 753 *e f* 754 *c d*
Francisci de Rosieres diplomata suspecta 234
Franco Ep. Leodiensis 373 *d* 413 *b d*
Francorum origo, nomen, sedes, migrationes, potentia contra Romanos 206 207 208
Freculphus Ep. Lexovien. 511 *c d* 514 *d e* 528 *b* 532 *c*
† Fredegandus Ab. Duraæ prope Antverpiam 829 *d* 837 *a*
Fredegarius Chronicon usque ad cap. 90 scripsit 215 *e* Discrimen unius anni cum Greg. Turonen. 219 *a*
† Fredericus Ep. Ultrajecti. M. 514 *c f* 528 *b*
Fredericus Ænobarbus Imp. 576 *f*
Fredericus II Imp. 659 *e f* 660 *b*
Fredericus Dux Lotharingiæ inferioris II seculo 722 *c f*
Fredericus Com. fr. S. Hartmici 695 *a*
Fridericus II R. Siciliæ 654 *a*
Fridericus Arch. Salzburgen. 711 *b*
Fridericus Archiep. Colonien. 926 *c*
Fridburgis Sacra 9 sec. 421 *e f* 441 *a*
† Frigidianus 924 *e* 925 *d*
Frisii in hodierna Flandria 829 *a*
Frithewaldus pater S. Osithæ 107 *d e f*
Frodobertus Ab. Cellensis 93 *b d*
Frumoldus fr. S. Wolphelmi 720 *f*
Fulcardus Præpositus Insulen. 15 sec. 48 *e*
Fulcuinus Ab. Lobiensis 373 *d e*
† Fulberti rel. Latiniaci 322 *a*
Fulbertus Ep. Cameraci 500 *c* 502 *a*
Fulbertus scriptor Vitæ S. Autberti 798 *c*
† Fulgentius Ep. 771 *b*
† Fuscianus et Victoricus MM. 790 *c*
Fuscina soror S. Aviti 598 *a* 667 *a b*
Fuscina senior cognata S. Aviti 598 *a* 667 *b*

G

Gabriel Maria Confessarius B. Joannæ Valesiæ 581 *f* 582 *f* 583 *e*
Gad Patriarchæ memoria 599 *d*
Gais, Guais, Huais, Hibern. 123 124 159 *a*
Galerius Maximianus 348 *f*
† Galla mater SS. Consortiæ et Tulliæ 948
† Galla Arvernensis 948
Galleunus an cum S. Ignatio passus 2
† Gallus Ab. 952 *f*
Ganardus R. Pictorum 108 *e f* 109
Garcia Lopezius Padilia Mag. Ord. Calatravæ 15 sec. 257 *a*
Garibaldus Dux Baioariorum 704 *a*
Garinus Ab. Altæ-cumbæ Ep. Sedunensis 773 *d e*
Garipertus Domesticus S. Sigeberti 235 *e*
Garsias I Magister Ord. Calatravæ 256 *b c*
† Gaudentius Ep. Novarien. 320 *c*
Gaufridus Ep. Carnotensis 3 *e*
Gaufridus secretarius S. Bernardi 253 *a b*
† Gaugericus Ep. Cameracensis 790 *c* 794 *e* 816 *c*
† Gausbertus Ep. Osnabrug. 2 Febr. et pag 419 *b e f* 424 *e f* 426 *e f* 428 *a b* 439 *d e* 442 *d*
Gebehardus Ep. Spiræ 517 *a*
Gelasius Papa 454 *d*
† Gelasius Conf. 774 *d*
† Geminianus Ep. Mutinensis 79 *b* 79 *f* 85 *f*
† Geminianus M. 320 *f* 323 *c*
† Geminus Ep. Nisibensis 598 *a*
Geminus Presb. Antiochiæ, scriptor 464 *e*
Gemonagius Præfectus aulæ Japoniæ 752 *b c* 756 *e f*
Genosofin Præf. aulæ Japoniæ 757 *f* 763 *f* 764 *a*
† Gentianus M. 198 *b*
† Georgius M. Patronus Melitæ 609 *f* Ejus Ordo a Friderico III Imp. contra Turcas institutus 701 *a d e* rel. Fuldæ 524 *f*
Georgius Albericus scriptor historiæ Translationis S. Sigeberti 242
Georgius Maniaces Dux II sec. 640 641 *f* 643 *d e*
† Gerardus Ab. Broniensis 682 *f* 690 *e f* 830 *a*
† Gerardi Com. Auriliacen. reliq. Podii 205 *a*
Gerardus I Ep. Cameracen. 800 *c d*
Gerardus Comes sub Carolo Calvo 401 *e d*
Gerardus Notarius Dagoberti I 827 *d*
Gerardus Vossius interpres et scholiastes operum S. Ephræm 49 52 55 58 60
Gerberga Abb. Gandersheim 314 *b*
Gerberga uxor Lotharii R. Franc. 856 *f*
Gerberta mater S. Adalbaldi 298 *f* 302 *a d* 303 *a b*
Gerberta, Giberga, mater S. Adelheidis 598 *d* 720 *e f* 721 *a b c*
Gerente R. Walliæ 920 *b*
† Gereon M. 727 *e f* 728 *b*
† Germanus Patriar. CP. 321 *f* rel. Basi in Gal. 366 *a*
† Germanus Ep. Autissiodor. 796 *a e*
† Germanus Ep. Capuæ 638 *f* 633 *a*
† Germanus Ep. Monæ inf. 104 *f*
Geroldus Archidiac. palatii 9 sec. 528 *b c*
Geroldus Com. sub Ludov. Pio 411 *e f* 418 *e f* 438 *e*
† Gertrudis V. Abb. Nivell. 230 *d e* 306 *b* 308 *d e* 382 *e* 693 *b* 964 *e* 790 *e* 836 *e* 844 *d* 878 *b c*
† Gertrudis in Franconiam fugit 308 *e f*
† Gertrudis vidua Abb. Hamatici 297 302 *a b d* 828 *d* 844 *a*
† Gertrudis rel. Podii 205 *a*
Gervasius Ricobaldus Canon. Raven. scriptor 507 *e f*
† Gerulphus M. 693 *f*
Gerungus Ab. Hirsaugien. 537 *a b*
† Getreis V. in Siluolde 772 *e*
† Getulii M. reliq. Treeis 481 *e* 482 *a b*
Giboniscius administrator Meaci 754 *d* 755 *a b e* 757 *a* 758 *d* 759 760
† Gildas Sapiens unus, Albanus et Badonicus dictus 114 115
† Gildæ corpus Glastoniæ 696 *b*
† Gilbertus Ep. Meldensis 453 *f*


Gilbertus

† Gilbertus Ab. Novemfontium 454 c
† Gilberti Ab. corpus Tolosæ 454 d
Gilberti varii in Anglia 572 b c
Gillebertus Elnonensis scriptor miraculorum S. Amandi 853 c 904 d
Gillebertus Judex Atrebat. 9 sec. 813 b
Gisla uxor S. Stephani Reg. Hungar. 3 f
Gislebertus Ep. Noviomen. 904 c d
Gislebertus corpus S. Agathæ Catanam refert 643 644
† Gislenus Ab. 372 a 832 b 842 c 844 a 874 b 878 c d 882 d corpus 48 d
Gislocardus Ep. Virdunensis 209 f 236 e f
† Goar Presb. 378 b 379 a b
Godebaldus, Egorbaldus, Ep. Herbipoli 517 a
Godefridus R. Daniæ contra Carolum M. 406 d
Godefridus Dux Daniæ gener Lotharii R. 405 564 a
Godefridus Dux avus S. Adelheidis 722 b c
Godefridus fr. S. Adelheidis 723 a c
Godefridus mon. Hirsaugien. 12 sec. 773 a
Godiva Comitissa Angla 2 sec. 390 a
Godo Ep. Metensis 235 e
Goedermundus Ep. in Islandia 3 e
† Goldrophes Prior Can. Regul. in Lusitania 968
† Goudulphus Ep. Trajectensis 772 d
Guntherus Ep. Salisburgen. 373 c
† Gorgonius M. Nicomediæ 468 c
Gormon R. Daniæ 8 sec. 406 c
Goscelinus scriptor Vitarum Sanctorum 291 a Vitæ S. Werelurgæ 388 f
Goselinus jurat in corpore S. Agathæ referendo 640 641.
Goteschalcus hæreticus a B. Rabano condemnatus 517 c d 541 a
Gothi alii a Vasconibus 301 a 304 f
Gozwinus senior de Heinesberg 929 a
Gramatius Ep. Vindonissæ 210 d
Gratia Regina Tangi in Japonia 764 e 765 b
Gratia puella Japonæ 757 c d
† Gratianus Ep. Turonensis 215 f
† Gratus Ep. Augustæ Prætoriæ 5 sec. 98 d f
† Gregorius Magnus 677 e f 678 e f 680 d e 855 c 916 e mittit viros Apostolicos in Angliam 292 293
† Gregorius ii extruit templum S. Agathæ 637 f
Gregorii iv Papæ decretum pro S. Anschario 411 418 e f 423 e 442 a
† Gregorius vii Papæ 7 e
Gregorius xv Papa 583 b c
Gregorius Patr. Antiochenus in locum S. Anastasii exulis substitutus 35 c d
† Gregorii Nysseni oratio de S. Ephræmo 69 et seqq
† Gregorius Ep. Autissiodor. 793 c d
† Gregorius Spoletinus Presb. M. 454 d
† Gregorius Ep. Turonensis contra obtrectatores defensus 832 b c
† Gregorius Ultrajectinus 233
Grimoaldus Major-Domus S. Sigeberti 222 d 230 f 231 d e 233 d e 236 e f
Gualdo mon. Corbeiæ, scriptor Vitæ metricæ S. Anscharii 353 b 433 a b 434 c
† Gudila V. 382 d 383 d e 836 c
† Gudualus Ep. 682 e 690 d f
Guduruu Danus pirata 9 sec. 407 a
† Gubertus Gemblaci 454 c
† Guilielmus Roscaldensis 253 d
Guilielmus Archiep. Rotomagen. 2 sec. 194 a
Guilielmus Com Essexiæ 13 sec. 574
Gundanus an Beatus 321 e
Gundobadus R. Burgund. 669 670 674 a b
† Gunifortus et Gaiaboldus fratres 186 b
Guntharius Arch. Colonien. 9 sec. 397 e 423 a b
Guntherus Ep. Gurcensis 708 a b
Guntherus Elnonensis an scriptor miraculorum S. Amandi 853 d 909 b
† Gunthramnus R. Burgund. 369 f 370 a peccata, virtutes, a lepra liberatio 201 f 202 anni regni discussi 219 c d 219 e f obitus 220 a
† Guthlacus Erem. Angl. 695 c d


## H


Hadeboldus Ep. Colon. 396 c 417 a
Hadelinus Bietlot scriptor Vitæ metricæ S. Hadelini Presb. 375 a
Hadewigis filia B. Hildegundis 926 e 927 b
Hadewigis Comitissa Lidtbergen. 925 e 926 f
† Hadrianus M. Cæsareæ Palæst. 454 a
Hadrianus Ep. Polensis 398 b 677 c
† Hadulphus Ab. et Ep. Atrebaten. 796 c
† Hadulphi reliq. Cameraci 800 f
Haiminus mon. Vedastinus scriptor miraculorum S. Vedasti 798 c e 810 c 811 b 812 b 813 e 882 f 897 f
Haistulphus Archiep. Moguntinus 528 ab
Halitgarius Ep. Cameracen. 405
Halpdanus Danus 8 sec. 404 c
Harigerus Ab. Lobiensis 373 e f 374 d e
Harmonius hæreticus 77 c d 78 d
Haroldus R. Daniæ 10 sec. vide Herioldus. 451 f
Haroldus Ep. Slesvici 451 b
Hartmundus Ab. S. Galli 513 d e
† Hartuicus Ep. Salisburgen. 701 a
Hathomuda Abb. Gandersheim. 314 b
Hatto, Hoddo Arch. Moguntiæ 413 c d
Hatto Ab. Fuldæ 509 e 510 e 515 e 516 e
Hatto Ab. Vedastinus 796 e
† Haimeranus Ep. Ratispon. 681 e f
Haymo Ep. Halberstadii 509 d 510 e 516 e 517 a d e 531 f 542 f
Haymo Ep. Virdunen. 373 c
† Hedda Ep. Saxon. Occiden. 916 d 918 a
† Hedwigis 306 f
† Helena Augusta 773 c
† Helena in Suecia 936 b 937 b c
† Helena V. M. Ursulana 4 a
Helena Augusta fil. Romani Imp. 714 a
Helena uxor Manuelis Patricii 9 sec. 555 c d
Heligaudus Ep. Verdensis 316 a b 418 e
Helisea corpus S. Blasii sepelit 343 d 357 e
Helizachar Cancellarius Ludovici Pii 831 b
† Helladius Commentariensis M. in Cilicia 662 d 663 d e
Helinandus Ord Cisterc. 321 d
Helpericus disc. B. Rabani 513 d e
† Helvens Ep. in Momonia 114
Helvidiani hæretici 205 c e
Hemgislus Ab. Glastonien. 916 a e
Hemmingus R. Daniæ 9 sec. 404 d
Hemmingus Danus in Walchra occisus 404 c d
Henricus Magnus Archiep. Remen. 297 f
Henricus Ep. Bellovac. frat. R. Galliæ 253 a b
† Henricus Imp. 723 a b majores 314 c d diploma monasterio Gandensi S. Bavonis 830 b
Henricus Anceps Imp. 724 a b c majores 314 b d c 724 a b
Henricus iii Imp. fil. Conradi Salici 662 e f 721 b
Henricus v Imp. 662 f
Henricus vi Imp. 660 a
Henricus ii R. Angliæ S. Gilbertum defendit 573 e f 576 c e
Henricus Dux Bavar. pater S. Henrici 314 d
Henricus Com.Ponthenuren. 12 sec. 253 d
Henricus Hezelo frater S. Cunegundis 722 f
Heraclitus scriptor 3 sec. 268 c
† Herculanus Ep. Perusinus 366 c
Herdwicus Com. Carinthiæ 709 c
† Heraclianus Ep. Pisaurien. 84 e
Heraclides Ep. Heracleæ Arcadiæ 477 a


† Heribertus

† Heribertus Arch. Colonien. 725 c 726 b c
Heribertus Ab. Judaini 373 d e
Heribertus Comes Viromanduorum 688 e
Herulachus Presb. Hamburgi 410 f 418 d 438 f
Herigarius Suecus a S. Anschario conversus 321 c 418 b 438 d 440 c e f miraculis illustris 420 421 422 c d
Herimbertus Ep. Mindensis 406 e
Herioltus R. Daniæ 8 sec. 404 c
Herioltus R. Daniæ 9 sec. 404 c e f baptizatur 416 b c 416
Herlolfus Presb. Germ. 9 sec. 527 a
Hermannus Arch. Colonien. 9 sec. 397 f 413 a 413 c d
Hermannus præp. Cappenberg 925 f 927 c
Hermannus Comes Libergensis 925 e 926 f
† Hermelindis V. 836 c
Hermenburga filia Henrici III Imp. 364 c f
† Hermetis M. reliq. Rotnaci 830 d Salingenstadii 519 b
Herminfridus Ep. Bellovacen. 799 b
Hermogenes Ep. Rhinocoruræ 477 b
† Heron Ep. Anthiochenus 18 19
† Hesychius Ep. Ægypti M. 464 e 466 b c 468 a b
Hetti Ep. Trevirensis quando sederit 396 b c 418 e f 517 d e
Heyngerus Didascalus Belga 10 sec. 374 c d
Hezelo Ep. Tullen. 373 c
† Hidulphus Dux 506 c
† Hieronimus Presbyter in solitudine degit 52 c d
Hieronymus de Jesu Ord. S. Francisci in Japonia. 740 c 748 b
Hieronimus Setinus Italus 258 a b 259 c
† Hilarius Ep. Gabalorum 210 f
† Hilarii reliq. Atrebati 800 f
Hilarius Hegumenus Studitarum 343 a 356 f
Hildebertus Ep. Cameracen. 795 a
Hildeboldus Archiep. Colonien. 517 d e
Hildegrinus Ep. Halberstadii 316 e 510 f
† Hildelitha Angla 307 e f
† Hildemannus Ep. Bellovacen. 799 d 816 d
Hildi, Hildiwinus, Ep. Virdunen. 9 sec. 90 b
Hilduinus Ab. S. Dionysii 515 e 519 a 528 b c 542 e
Hincmarus Archiep. Remensis 541 a 897 f
† Hinna V. Hiberna 116 a 134 b
Hinna, Hymna V. Hiber. 5 sec. 97 a
† Hippolyti M. reliq. Fuldæ 525 a
† Hippolytus Bostrenus 454 d 464 b c
Hippolytus Ep. Carthag. Hisp. 332 e
† Hiscius, Esicius Hisp. 1 sec. 12 f
Hogerus Archiep. Hamburgen. 398 a
Homburgu Comitissa Teruanæ 684 a
Honoratus Ep. Bellovacen. 818 a 819 d
Honorius III Papa 461 a
Horicus R. Daniæ fil. Godefridi 408 b c 424 b 425 c d 427 e f 442 b 444 a 444 d
Horicus junior R. Daniæ 404 b f 412 e d 427 e f 445 b
† Hormisda Papa 673 a b c 883 e
Horuntinus Ep. Vicentinus 677 e 678 f
Hori, Horib Comes Sleswici 9 sec. 428 a 445 b
† Hoyldis V. reliq. Trecis 481 b
Hubertus Archiep. Cantuar. 574 f 575 a
† Hubertus Ep. Traject. 377 c 772 d
Hubertus Presb. scriptor miraculorum S. Vedasti 798 e 812 b f
Hucbaldus mon. Elnonensis scriptor Vitarum SS. 297 d
Huelus ab Arturo R. occisus 115
† Hugonis corpus 48 d
Hugo Capetus R. Franc. 580 a
Hugo II Arch. Turonen. 12 sec. 253 b c
Hugo Archiep. Vesuntionen. 364 e
Hugo Ab. Elnonen. 12 sec. 867 d 909 e
Hugolinus Moguntinus Ord. Min. 933 b
Hugo Lupus Comes Cestriæ 390 b c
† Humbertus Ab. Maricollen. 829 c 832 e 842 d 879 f 880 a 903 e
Humbertus Ep. Herbipol. 515 a 525 e f 526 b 527 a b 528 a b
Humbertus Dominus Salinarum 364 e
Hunni Constantinopolitanos vexant 548 a b
Hunni pro quibuscumque barbaris 382 d 383 e f

I

Ibarus, Iborus, Eburius Ep. Hibern. 125 a 162 e 184 b 185 c
Ibas Ep. Edessenus 676 d e
† Idaberga, Ita vid. 836 c 877 f
† Ignatius Patriar. CP. 244 f 245 c 533 b f
Ignatius an Ep. Moguntinus 36 c
Illandus R. Hibern. 154 c 161 b c
Imbolus Presb. Atrebaten. 812 f
Imma, Immacia Matrona Cortraci 11 sec. 692 b 693 a
Immo Ep. Noviomensis 300 d
Immechildis uxor S. Sigeberti R. 232 237 c e
Indalecius Ep. Urci Hisp. 1 sec. 4 5 6 7 9 c 10
Indrecti illustres in Hibernia 694 c
Ingela V. 598 d
Ingo Dux Carantanorum 705 d e 707 a
† Innocentis M. corpus Merbecæ 9 sec. 387 a
† Innocentius I Papa 362 a
† Innocentii Papæ I reliquiæ in Saxonia 314 b c
† Innocentii Subdiac. M. corpus Antuerpiæ 333 c d
† Innocentii Thebæi inventio 98 f
Innocentius III Papa 461 d
Innocentius Ep. Rutenorum 211
† Irenæus Ep. Lugdun. 28 a 33 a 792 c e
† Irmina filia Dagoberti II 233 c
† Isaac Syrus in Italia 366 c d
† Isaaci Patriarchæ memoria 599 c d
Isdandula in Perside 4 sec. 472 f
† Isichius Ep. Viennen. 666 b 667 674 a
† Isidorus Alexandrinus M. 598 f
Issachar Patriarchæ memoria 599 d e

J

† Jacobi patriar. memoria 599 d
† Jacobi Majoris Apostoli discipuli habiti 4 e an ab eo Episcopi in Hispania ordinati 4 5 corpus in Galleciam advectum 5 c e f 6 a, prædicatio, martyrium, translatio, inventio, miracula, cultus, discipuli 7
† Jacobus Apost. fil. Alphæi 454 a
† Jacobi App. Judæam excolunt 884 d
† Jacobus Palmanus M. Ord. Minor. 267 d e
Jacobus Raymerus de Gosman Ep. Catanæ 642 d
Jacobus Amanatus Ep. Papien. Card. 702 b
Jacobus de Trecis Capellanus Urbani V 461 e
Jacobus Tirinus Societatis Jesu 332 f
Jacuinus Medicus Japon. 735 d 736 c 522 a 753 a b 760 d
† Januarii et Magni Diac. reliq. Fuldæ 525 a 525 c d 526 b d e f
Joachimus Princ. Brandeburgicus 529 d
Jocesinus, Jocelinus, pat. S. Gilberti 576 a b 577 d
S. Joannis Bapt. manus CP. 714
† Joannis Evang. 774 b 775 a Apostolus Asiæ 884 d an ordinarit SS. Ignatium, Polycarpum Papiam Episcopos 17 f 18 a ejus discipuli 13 a 24 f Martyr 432 e obitus 87 d 263 a
† Joannes Chrysostomus 475 a b Ejus concio de reliquiis S. Ignatii Antiocheni 33 f 34
† Joannes Eleemosynarius 320 c
† Joannes Agnus Ep. Trajecten. 772 d 841 b c
† Joannes I Ep. Spoletinus 366 c 368 b

† Joannes Penariensis 366 c d 368 a
Joannes VII Papa 460 e
Joannes Ep. Hierosolymitanus 52 c
Joannes archiep. Toletan. 12 sec. 255 e
Joannes Archiep. Ravennas 7 sec. 677 c d
Joannes Pixitellus Ep. Catanen. 642 e f
Joannes Ep. Gurcensis 712 e
Joannes Ep. Parentinus 677 a b
Joannes Ep. Tornacensis 461 f
Joannes Zimisces Imp. 718
Joannes de Cursi Italiæ Princ. 12 sec. 112 b
Joannes Com. Castroduni 5 sec. 484 d
Joannes Comes ab Hibernia 113 a
Joannes Abb. Blandinii 7 sec. 845 a
Joannes Couwerburgius Abbas Blandinien. 683 c
Joannes Ab. Elnonen. 12 sec. 868 b
Joannes I Ab. Hasnoniensis 828 d e
Joannes Ab. Cistercien. in Brit. Arm. 11 sec 251 d
Joannes Trithemius scriptor Vitæ B. Rabani Mauri 505 d 529 a
Joannes Standoneus Doctor Paris. 580 f
Joannes Hegumenus Ord. Acœmetorum 544 a b
Joannes Junior asceta in Sicilia 598 c
Joannes mon. Elnonen. poeta 297 d
Joannes mon. Fuld. disc. B. Rabani 533 d e
Joannes Bonus de Lennis in Viridi-Valle 599 a b
Joannes Pauper Zamorensis Ord. S. Francisci in Japonia 740 d
Joannes Nangoia Soc. Jesu in Japonia 760 a
Joannes Rodriguez Soc. Jesu in Japonia 754 e f 759 a f 767 e d 768 e
Joannes Bursarius Scabinus Atrebati 14 sec. 822 a
Joannes de Bruxella scriptor sermonis de S. Vedasto 799 a
Joannes fr. SS. Solennis et Aventini Epp. 484 d e
Joannes Æthrius 4 sec. exul 362 e f
† Jonatus Ab. Marchianensis 828 c 841 e 842 e 874 d 903 c
Joramus an 1589 M. in Japonia 762 f
† Joseph et Athala MM. 472 e f
† Joseph Patriarchæ memoria 599 d
† Josephus ab Arimathia an Glastoniense monasterium in Britannia condiderit 915 a b
† Josephus Ep. Thessalonicæ 547 e f 552 f
Josephus Princ. Japon 753 a b
Judæ Patriar. memoria 599 d
† Judicael R. Brit. Arm. 499 a e Rege monachus 253 c e
Juditha Imperatrix uxor Ludovici Pii 515 d
† Judocus 931 c
† Julianæ V. M. reliq. in Bohemia 37 a
† Julianæ V. M. Ursulanæ ossa in Bavaria 249 f
† Julianus M. Arvern. 202 d f
† Julianus mon. Edessæ 54 b c d
† Julius I Papa 80 c. 83 f
Julius II Papa 583 b c
Junior Ep. Veronen. 598 a
Justa Japonica uxor Augustini 751 c d
† Justiniani M. reliq. Treviris 481 e f
Justinianus Imp. 676 f 680 a ejus bellum Persicum 487 c
† Justinus, Justus, Ep. Argentorati 773 e
† Justinus Ep. Teatinus 661 b
† Justus Archiep. Cantuarien. 294 a b 294 f 295
† Justus Ep. Volaterranus 331 a
Justus Ucondonus Princ. Japoniæ, Christianus 731 a b 733 f 735 a b c 736 b 738 c 755 c 757 f 763 d

K

Karastus Dux Caranthanorum 705 b c
Keuredus pat. S. Inæ Regis 913 f
† Keranus Hibernus 788 e 789 b
† Keranus Sagerensis 114 c
† Kertenus Ep. Clochoren. Hibernus 117 b
† Kyneburga Angla 391 d 392 b
† Kynesuida Angla 391 d 392 b
Kygilertus Ep. Moguntin. 8 sec. 337 b
† Kylianus M. 525 b

L

Ladislaus Gielnovius Ord. Minor. 773 c
† Lambertus Ep. Traject. 377 e 379 e 772 d 795 a 796 f 834 843 b 846
† Lamberti rel. Latiniaci 322 a
Lambertus Com. Namnetensis 9 sec. 824 a
Lampetius Ep. Cassii in Ægypto 477 b
Lamprotate loculum S. Ephræmo curat 67 b
† Landelinus 498 f 824 a corpus 48 d
Landina mulier Etruriæ 264 f
Lando Archiep. Remensis 299 a 304 c
† Landoaldus Archpr. 374 a b 843 a b 903 f
Lanto Ep. Augustanus 517 a
Laodicius Præfectus Maximiani 289 c
† Lafra V. Hibern. 123 f 158 f
† Laurelianus M. Romæ 269 d
† Laurentius Ep. Hibern 268 f
Laurentius Ep. Sipontinus 638 e f
† Laurentius Patronus Montaone. 259 b
Laurentius Ep. Bellunen. 598 a 677 c 678 f
Laurentius Dunelmensis an scriptor Vitæ S. Brigidæ 102
† Lazarus in Gallias venit 465 f
† Leo IX Papa 691 e 692 a
Leo X Papa 583 b
Leo Philosophus Ep. Thessalonic. 244 d e
Leo, Leonius ab. Lobiensis et Bertinianus 772 e
Leo Isauricus 548 a b
Leonis Armeni, persecutio 545 b 547 548 549
† Leodegarius Ep. Augustodun. 847 c captus, occisus 225 b e corpus transfertur 225 e
Leofricus Com. Angl. 11 sec. 390 b
Leonardus Patronus Montaone in Etruria 259 b
Leoninus Ep. Viennen. 369 c
Lepidus Smyrnæ sub Decio 45 c f 46 a
Leudericus Ep. Bremensis 397 c
Levi Patriar. memoria 599 d
Leuterius Dux Alamanniæ 7 sec 231 a b
Liæ uxoris Jacobi memoria 599 e
† Liberius Ep. Ravennas 83 b
† Licinius Ep. Andegaven. 294 d
Licinius Ep. Turonen. 217 f 218 c
Licinius Imp. 343 c d 348 e
† Lidorius Ep. Turonensis 216 a
Liemarus Archiep. Hamburg. 398 a 562 e f
Lietbertus Ep. Cameracen. 48 c 905 c
† Limonius M. Arvernæ 777 b e
Liutbertus Ab. Hirsaugi disc. B. Rabani 513 c d e 517 d e 532 c d
Liudwardus Ep. Paderborn. 315 b
† Linus Papa 16 e 17
Linus, Limnus Presb. cum S. Pionio captus 40 c f 42 44 c f
† Lioba V. Angla in Germania 307 e 906 b c ossa Fuldæ 527 b c
† Livinus M. 694 b 829 e 844 c
Longinus Ep. M. in Africa 4 b
Loth memoria 599 e
Lotharius I Imper. 515 e f
Lotharius R. Lotharii Imp. filius 423 a b 441 d
Lotharius Imp. 8 sec. 90 d
Lotharius R. Franciæ 856 e 857 e
Lotharius R. Cantii 391 d 392 b
Lotharius Com. Arensis maritus B. Hildegundis 925 e f 926 a f
Lotharius æditaus Elnonen. 900 d 904 e

† *Lucas Evang.* 884 c
† *Lucanus Ep. Sabionen.* 675 c
† *Lucia V. M.* 789 *a ad sepulchrum S. Agathæ* 636 *b c d corpus CP.* 642 *a*
*Lucia Veneta 3 Ord. S. Francisci* 940 c
† *Lucianus Ep. Bellavacensis* 790 c 817 *a* 819 *b*
† *Lucianus Ep. Leontinus* 290 *e*
† *Lucianus Presb. Nicomediæ M* 466 *a b*
† *Lucianus in Africa pro fide captus* 326 333 *b*
† *Lucius R. Britannus* 931 c
*Lucius* II *Papa* 254 *b d*
*Ludericus Ep. Brem.* 517 *d e*
*Ludolphus Dux avus Henrici Aucupis* 723 *e f*
† *Ludovicus R. Franc.* 580 *a*
*Ludovicus Pius Imp.* 90 c 515 *d* 516 *c acta pro S. Anschario* 409 410 411 415 416 417 418 419 436 437 438 442 *a* 565 *a. Acta pro conversione Danorum* 416 *f b c f* 436 *pro conversione Suecorum* 417 437 *diploma pro monasterio Gandensi S. Bavonis* 830 *a Blandino* 830 *a*
*Ludovicus* II *Imp. R. Italiæ* 246 *c d e*
*Ludovicus* I *R. Germaniæ* 313 *f* 397 *e* 412 *c* 412 *e* 422 *d e f* 425 *c d* 431 *f* 441 *d* 515 *d* 540 *d e f* 541 *d e* 542 *f*
*Ludovicus* II *R. Germaniæ* 561 *a* 562 *c d e* 563 *b* 567 *f*
*Ludovicus* III *Rex Germaniæ* 314 *a*
*Ludovicus Balbus R. Franc.* 817 c
*Ludovicus* XI *R. Franc pater B. Joannæ Valesiæ* 580 *a* 582 *c d* 584 *f*
*Ludovicus* XII *e Duce Aurelianensi, R. Franc. maritus B. Joannæ Valesiæ* 580 *b d e* 582 *c* 584 *f* 592 *d e f*
*Ludovicus* XIII *reliquias SS. expetit* 195 *a*
*Ludovicus R. Siciliæ* 660 *e f*
*Ludovicus Ep. Albigiorum* 580 *e*
*Ludovicus Froes Soc. Jesu in Indiis et Japonia vixit, scriptor martyrii* XXVI *Cruxifixorum in Japonia* 740 *a*
*Luidolfus Ep. Heidelsheim 9 sec.* 315 *c*
*Luidolphus Presb. scriptor Vitæ S. Severi mp. Ravenn.* 79 *f* 81 *c* 88 *a d*
*Luitbertus Arch. Mogunt.* 315 *b* 317 *e* 367 *b*
*Luitdolphus Dux Saxoniæ 9 sec.* 314 *a b*
*Luitgardis uxor Ludovici* II *R. Germ.* 314 *a*
*Luithardus Ep. Puderborn.* 563 *c* 568 *a f*
† *Lullus Archiep. Moguntinus* 542 *b c d e*
† *Lumanus Ep. Hibern. scriptor Vitæ S. Patricii* 788 *c*
*Luparia Christiana in Hispania 1 sec.* 9 *c e f*
† *Lupita soror S. Patricii* 787 *b*
† *Lupus Ep. Cabilonensis* 294 *c*
† *Lupus Ep. Trecensis* 440 *b*
*Lupus Ab. Ferrariensis disc. B. Rabani* 512 *f* 513 *a* 515 *f* 528 *b c*
*Lupus Servatus Germanus* 513 *c d* 517 *e* 543 *b*
*Lutharius Ep. Paderbornen.* 317 *e*
† *Lutrudis, Luttendis vel. Corbeiæ Saxon.* 568 *b*
*Lysius Dux Licinii Imp.* 334 *f* 343 *c d* 353 *c d*

M

*Macarius Alexandrinus* 269 *e*
*Macarius Ep. Metelitarum* 477 *b*
*Macarius Afer 3 sec.* 326 *f* 331 *d*
*Maccaleus Ep. dat velum S. Brigidæ* 105 *a* 120 *e* 136 *a b*
† *Machaldus Ep. Monæ ins.* 104
† *Maclovius* 251 *a b*
*Macedonia cum S. Pionio capta* 40 *c f* 42 *f* 44 *e*
*Magdalenæ reliq. Podii* 205 *a*
† *Magnebertus socius S. Vodali* 699 *c*
*Magnus Ep. Mediolan* 668 *c*
† *Magnus Ladalaas R. Sueciæ* 936 *c*
*Mathilda Abb. Zellingæ* 525 *d*
† *Maildulphus in Anglia* 601 *c d*
† *Malachias Archiep. Hibern.* 578 *b*
*Malachias Ep. Dunensis* III *d c f*
† *Maldegarius* 322 *a*
† *Mamertus Ep. Viennæ* 358 *b patrinus in baptismo S. Aviti* 667 *c d*
*Manassis Patriarchæ memoria* 599 *e*
*Manegoldus Præpos. Ebbeckestorpii* 318 *d*
*Manichæi hæretici* 65 *c* 877 *a e*
*Manuel Patricius sub Basilio Imp.* 550 *c* 555 *c d* 556 *b*
*Manziorum familia Patavii* 266 *a b* 267 *d*
*Mappinius Ep. Remen.* 793 *d e*
*Maras disc. S. Ephræmi* 65 *a* 78 *c d*
*Marbodus Ep. Redonensis scriptor Vitarum Sanctorum et poematum* 488 *b c*
† *Macduachus Ep. Duacen. Hibern.* 322 *d*
† *Marcellini et Petri reliq. Salingenstadii* 519 *a*
† *Marcellinus Ep. Ravennas* 83 *b c*
† *Marcellus Papa M.* 289 *c d*
† *Marcellus Ep. Trevir. et Tungren.* 772 *b*
† *Marcellus M. Cabillone* 202 *e*
† *Marcellus Ord. Acæmetorum* 544 *a*
*Marcellus Consul sub Trajano* 19 *a f*
*Marcellus Ribadeneira Ord. S. Francisci in Japonia* 740 *b*
† *Marcianus Ep. Ravennas* 83 *b*
† *Marcianus M. Lucæ* 2 *b*
† *Marcion hæreticus 2 sec.* 775 *a*
† *Marcionistæ hæretici* 65 *c*
† *Marcus Evang. in Ægypto* 15 *e f* 884 *e*
† *Marcus eremita apud Schetim* 269 *a*
*Marcus Villalva Ab. Fiterii* 257 *b*
*Marcus mon. discip. S. Chrysostomi* 474 *f* 475 *a*
† *Margarita Regina Scotiæ* 296 *f* 297 *c*
† *Maria neptis Abrahæ erem.* 54 *d e f*
† *Mariæ V. reliquæ in Galliis* 458 *c e d*
*Maria Afra 3 sec.* 327 *a*
*Maria a Baluca 3 Ord. S. Francisci* 940 *c*
*Maria Cassiobolitis* 23 *b o*
*Maria Matrona in Japonia* 757 *c d*
*Maria Manrica uxor Cancellarii Bohemiæ* 38 *e f* 37 *b*
*Maria Victoria Fornera Fundatrix Annuntiatarum Genuensium* 581 *a*
*Marianus Valguarnera Eques Panormitanus* 611 *a*
† *Marinus Ep. M.* 706 *f*
*Marsilia Abb. Rotomagensis* 910 *e*
† *Martha et Magdalena in Galliis* 455 *f*
† *Martha an profluvio sanguinis liberata a Christo* 460
† *Martialis Ep. Lemovicen.* 458 *b c d*
† *Martinianus Ep. Remen. rel. in Holsatia* 408 *a*
† *Martinus Papa* 234 *a b*
† *Martini Papæ diploma Elnonensibus datum* 819 *Gandensibus* 829 844 *f epistola ad S. Amandum* 876
† *Martinus Ep. Turon.* 384 *d ætas digesta* 215 216 217
† *Martinus Ep. Trevir. et Tungren.* 772 *c*
† *Martinus Ep. Dumen.* 598 *c*
† *Martinus Vertavensis* 824 *a*
† *Martini reliq. Podii* 205 *a*
*Martinus Peresius Magister Ord. Calatravæ* 256 *b*
† *Martyres* 29 *in Palestina* 454 *b*
† *Maternus Ep. Tungr.* 666 *c* 772 *b*
*Mathilda uxor Henrici Aucupis* 314 *d*
† *Mathildis V. Abbat. German.* 772 *e*
† *Matthæus Æthiopas docet* 884 *e*
† *Maura V. in Campania Gall.* 481 *c*
† *Maurentius M. Forosempronii* 464 *f*
*Mauritius Imp.* 678 *a f*
*Mauricius Ep. Catanen.* 618 *c d scriptor hist. Translationis S. Agathæ* 642 644 649 *d*


† *Maurontus*

† *Maurontus* 297 *c* 300 *b* 302 *e* 303 *c* 304 *b c* 845 *d* 874 *d*
† *Maurorum Mart. reliq. Trecis* 481 *e f*
† *Maurus Ep. Placentiæ in Italia* 470 *d e*
*Maurus Ab.* 597 *f*
† *Maxellendis* 795 *a* 797 *a*
*Maxentius Ep. Juliensis* 598 *a* 677 *c* 678 *f*
† *Maximinus Ep. Trevir.* 378 *b* 379 *b*
† *Maximinus Ep. Argentorat.* 773 *e*
*Maximianus Imp.* 348 *f*
*Maximinus Galerius Imp.* 788 789
† *Maximus M. Cyzici.* 773
† *Maximi M. rel. Fuldæ* 524 *f*
*Maximi Imp. congressus cum S. Martino* 215 *f*
*Maximus disc. S. Jacobi* 5 *f* 7 *c*
*Maximus Presb. 3 sec.* 331 *a b* 331 *d e*
*Maximus scriptor 3 sec.* 269 *a*
*Mechtildis Dagoberti* II *uxor* 232 *c*
*Mechthildis soror S. Hedwigis* 306 *f*
† *Medardus Ep.* 816 *c*
*Meginfridus mon. Fulden. scriptor* 506 *f* 532 *c* 533 *e f* 543 *a*
† *Megengosus pat. S. Adelheidis* 719 *f* 721 *a* 722 *b c d* 724 *c d*
*Meinhardus Comes Garitiæ* 729 *b c*
† *Mel et Melche Epp. Hiberni* 6 *Febr.* et 119 120 136 *c* 157 *f*
*Melantius Arch. Rotomagen.* 294 *d*
† *Melchisedechi memoria* 599 *c*
† *Mellitus Archiep. Cantuarien.* 294 295 296
*Menapii late diffusi inter Morinos et Braghantos* 826 *d* 873 *d e* 880 *a earum sedes in Flandria* 206 *f* 207 *a*
*Meanus Arch. Tolosanus* 292 *c*
*Mercurius puer an Martyr Calari Sard.* 4 *e*
*Mercianus puer Anglus* 391 *d* 392 *b*
† *Merianus Ab. Ep. Scotus* 773 *d*
*Merinus mon. Scotus* 773 *c*
*Meroveus R. Franc. quamdiu regnavit* 208 *b*
*Merwalus pater S. Mildredæ* 391 *d* 392 *b*
*Messaliani hæretici* 65 *f*
† *Methodius Patriar. C. P.* 244 *f* 552 *e ejus oratio de S. Agatha et aliis* 607 608 629
*Methodius junior Patriar. CP.* 608 *b*
† *Methodius Ep. Pataræ, Olympi, dein Tyri M.* 270 *b*
*Metrodorus Marcionista Smyrnæ 3 sec,* 42 *c d* 46 *e f*
*Metrophanes Arch. Smyrnæ* 340 *e*
† *Metropolus Ep. Trevir. et Tungren.* 772 *b c*
† *Mevennus* 253 *d e* 254 *b*
*Michael* I *Curopalates Imp.* 548 *a b* 552 *e*
*Michael* II *Balbus imperator* 545 *c* 550 *e d* 552 *b c d* 641 *c d*
*Michael* III *Imper.* 553 *d e* 554 *f ejus depravati mores.*
*Michael Paphlago Imp.* 641 *a*
*Michael Calaphatus Imp.* 641 *b*
*Michael Studita scriptor Vitæ S. Theodori Studitæ* 544 *f*
*Michael illustris Japon.* 765 *a b c*
† *Milburga Angla* 391 *d* 392 *b*
† *Mildreda Angla* 391 *d* 392 *b*
† *Milgida Angla* 391 *d* 392 *b*
*Milo Presb. auctor Vitæ metricæ S. Amandi* 852 *d et miraculorum* 852 *e f* 882 *f* 897 *c* 898 *a*
*Misdates R. Persarum* 473 *a*
† *Modericus Ep. Aresitensis* 299 *a c*
† *Modestus Ep. Salisburg.* 707 *c e*
† *Modoaldus Ep. Trevir.* 234 *b*
*Modwena V. Hiberna* 107 *c*
† *Moedhog Hibernus* 102 *b*
† *Molingus Ep. Hibernus* 117 *d*
*Molle fr. S. Ceadwallæ R.* 919 *f*
† *Mommolenus Ep. Noviomen.* 845 *b* 847 *e* 882 *a*
† *Monenna Hiberna* 104 *a b* 107 *d alia junior* 107 *f*
† *Monitor Ep. Aurelianensis* 290 *b*
*Montanus Afer 3 sec.* 326 *f*
† *Monulphus Ep. Trajectensis* 772 *d*
*Mouricus R. Britonum* 500 *b*
† *Moyses Conf. Romæ* 329 330 331
*Mummulus Ep. Uceticensis* 863 *c d e* 866 *f* 880 *a* 895 *b*


N


*Naitfrohc Presb. Hibernus* 123 *d*
*Nanthildis Dagoberti* I *uxor* 301 302 304
*Narcissus Ep. Neroniadis, sive Irenopolis* 471 *e f*
*Narses, Narseus R. Persarum* 473 *a b*
*Naucratius Studita* 544 *f* 547 *e f* 552 *e* 556 *c d*
† *Navitus Ep. Trevir. et Tungr.* 772 *b*
*Nectanus R. Pictorum* 109 *c*
† *Nennidius Hibernus* 130 *c* 168 *d e f* 169 *a*
† *Neophyta et Isidora MM.* 289 *d*
† *Neophytus Ep. Leontinorum* 283 *d*
*Nephthali Patriarchæ memoria* 599 *d*
*Nepus Nepos Ep. Abrincensis* 187 *e*
† *Nerei et Achillei reliq. Fuldæ* 522 *c* 527 *b c*
*Neronis anni Imperii* 18 *f* 19 *a*
† *Nestor Ep. Palentiæ 1 sec.* 6
*Nestorius* 277 *b c*
*Neuhul Ab. in Scotia* 321 *e*
*Neustrasiorum Francorum origo* 208
*Negil R. Hibern.* 97 *a c*
† *Nicasii Ep. Remen. reliq. Fuldæ* 527 *c Tornaci* 891 *a* 882 *a*
*Nicasius Elnonen. disc. S. Amandi* 771 *f* 842 *d*
† *Nicephorus Patriar. CP.* 545 *a* 548 *c d* 550 *c d*
*Nicephorus* I *Imp.* 550 *d f*
*Nicephorus Phocas Imp.* 716 717
*Nicephorus Ep. Heracleæ 10 sec.* 713 *c d*
† *Nicolaus Ep. Myræ* 555 *c d*
† *Nicolaus* I *Papa* 545 *a ejus decretum pro S. Anschario* 411 422 *b c* 441 *d e*
*Nicolaus Patriar. CP.* 617 *a* 714 *a b*
*Nicolaus Archiep. Vesontionen.* 364 *e*
*Nicolaus Sfondratus Ep. Cremonen.* 640 *c e*
*Nicolaus de Biedma Ep. Giennen.* 462 *d*
*Nicolaus Sacchetus Ep. Volaterranus* 333 *e*
*Nicolaus Tudescus Ab. Panorm.* 618 *d e*
*Nicolaus Nicosiensis Ord. Prædic.* 655 *e*
*Nicolaus mon. Claravall. 12 sec.* 252 *e* 253 *a b* 254 *b*
*Nicostratus Ep. Novatianus* 331 *a*
† *Nilus discip. S. Chrysostomi* 475 *a b*
† *Nivardus Ep. Remen.* 846 *f*
*Nobunanga R. Oaris in Japonia* 721 *a b d* 736 *c*
*Nona an soror S. Amandi* 382 *a* 383 *b c e f*
*Norfridus mon. Corbeien 9 sec.* 423 *b c*
*Normanni varius martyrio afficiunt in Saxonia inferiore* 313 *c*
*Notgerus Ep. Leodien. scriptor Vitarum S. Hadelini* 373 *b c e f S. Remacli* 373 *f S. Landoaldi* 374 *a b*
*Nothelmus Ep. Cantuarien.* 321 *a*
*Notingus Ep. Veronen.* 516 *c*
*Novatianus schismaticus descriptus* 328 329. *Antipapa creatus* 329 330
*Novatus Afer adhæret schismati Novatiani* 329 331 *a*
*Numeria Afra 3 sec.* 326 *d e*
† *Numerianus Ep. Treviren.* 237 *c*


O


*Odelbaldus Ep. Ultrajecti* 413 *d e*
*Odelardus Com. pater S. Berlendis* 382 *a b*
† *Odilo Ab.* 694 *d*


† *Odo*

† Odo Ep. Cantuarien. 773 c
Odo Ep. Bellovac. 817 e 818 f
Odo Ab. S. Victoris Parisiis 12 sec. 253 d
Odoacer in Pannoniis 706 c d e
Offa R. Merciorum 921 e
Oleph, Olaus, R. Sueciæ 9 sec. 407 c 425 cd 443 a
Olido Hibernus 5 sec. 161 c d
Ommatius gener Aviti Imp. 666 c
Onastancius Ep. Londriarum in Cambria 499 f 500 d f
Ophitæ hæretici 65 c
† Opilius Placentiæ in Italia 470 d e f
Opimanus Romanus Placentiæ 471 a b
† Optatus Ep. Autissiodoren. 793 c
Orestes Protospatharius Siciliæ 612 a b
† Orestis reliq Sebastiæ 336 b c
Organtinus Soc. Jesu in Japonia 752 e 753 754 755 c 756 f 757 e 760
Orontius Ep. Vicentinus 598 a
Orthulphus Comes in Bavaria 2 sec. 249 f
† Ositha 7 sec. 107 108 a b
Oslava uxor Ermenredi Angli 391 c
† Oswaldus Rex Northumbr. 498 e f
Oswenda soror S Walphelmi 720 f
Otfridus Presb. disc. B. Rabani 511 c d
Otgarius Ep. Moguntinus 81 b 90 d e 396 b 418 ef 513 e 516 f 521 b c 528 b c 536 b 539 c 539 e f 540 b c
Otgerus, Otgarius Ep. Aistadii 516 e
Otho baiulus S. Sigeberti 230 f 231 a
† Otto Ep. Bambergensis 563 b c
Ottonis I Imp. majores 314 c d
Otto III Imp. 723 e
Otto Ab. Milstadien. 701 a 702 b 708 e
Otto Dux Saxoniæ 9 sec. 314 c
† Oudoceus Ep. Landavensis 500 b
† Ovidius Ep. Bracharen. M. 942 f

P

† Pachomius Ep. Ægypti M. 468 a
† Pamphili Presb. E. rel. Fuldæ 521 e f
Panagius Salius Poeta 799 a
† Pantaleon E. 598 f reliq. Coloniæ 773 c
Papianilla fil. Aviti Imp. 666 c
† Papias Ep. Hierapolit. 13 a 17 f
† Papias, Diodorus, Claudianus MM. Attaliæ 454 a
† Papiæ et Mauri rel. Fuldæ 521 e f 527 c d
† Papoleuus Ab. Stabulensis 377 c d
Pappolus Ep. Carnotensis 484 c
Parthi sub Persarum nomine relati 25 a
† Paschalis Papa 409 e f 418 f 439 c
Pasqualina socia B. Angelæ Fulginatis 453 f
† Paternus erem. Gal. 6 sec. 187 e Ep. Abrinc. 195 e
† Patiens Ep. Lugdunen. 365 e
† Patricius Ep. et Apost. Hiber. 122 125 126 689 a b avunculus SS. Melis, Melchi Munis, Rioci 786 et seqq. convertit Monam insulam 104 c baptizat S. Machaldum 104 sepelitur Duni 110 a f 127 b invenitur corpus 110 111
† Patricius filiolus S. Patricii 796 f
† Patricius junior Glastoniæ quiescit 107 e
† Patricius an Martyr Hispaniæ 2 f 10 d 12 e
Patricius Præses Ravennæ 5 sec. 945 a b
Patricius Larchranus Hibernus 3 c e
Patroclus Archiep. Arelaten. 35 d
Paulliani hæretici 65 c 66 a
† Paulinus Archiep. Eboracen. 294 a b 916 b
† Paulinus Ep. Treviren. 378 b 379 a
Paulinus Ep. Antiochenus 52 d
Paulinus Presb. disc. S. Ephræm 54 f
Paulinus Presb. 5 sec. 359 d
Paulonas apostata 4 sec. 53 f 65 b 77
† Paulus Apost. an in Hispania fuerit 7 e 8 b c d
† Paulus Ep. Narbonensis 1 sec. 8 c
† Paulus an Tricensis Ep. 9 sec 92 93
† Paulus M. Afer 3 sec. 327 a b
Paulus IV Papa 664 b
Paulus V Papa 583 b c
Paulus Patriar. CP. hæret. 877 b c
Paulus R. Tozzæ in Japonia 752 f
Paulus Ep. Corinthi 617 a
Paulus Comes Palatinus Carinthiæ maritus S. Hildegardis 727 f
Paulus Diac. Neapoleos Latine vèrtit pœnitentiam S. Theophili 487 e f
Paulus Samosatenus 279 a e
Paulus Amacusa Japon Soc. Jesu 754 d e 755 d e 757 e f
Paulus Ochindu Japon 753 a 753 a b
Paulus Sachendonus Japon 753 d 763 b c 765 a
Peada Rex Middelenglorum 391 d 392 b
Pegasius Ep. Petracorii 359 d e
† Pelagia Antiochena V. M. 14 d e
† Pelagia Tarsensis meretrix M. 14 e
Pelagius Ep. Oretensis 7 b
Pelagius Judex Ciliciæ sub Diocletiano 663 b
Penda Rex Merciorum 391 d 392 b
† Peregrinus Placentiæ in Italia 470 f 471 c d
† Peregrinus M. Autissiodori 335 b
† Perpetua V. M. in Africa 2 e
† Perpetua et Felicitas MM. 4 b
† Perpetuus Ep. Turonen. 217 f
† Perpetuus Ep. Trajectensis 772 d
Perpetuus Ep. Abrincensis 187 e
Pertaritus R. Longobardorum 660 f
† Petronilla filia S. Petri 263 a
† Petrus Ep. convertit S. Cornelium Centurionem et alios 283 284 Pontificatum cœpit Antiochiæ 15 d 25 a an constituerit S. Ignatium Episcopum 15 16 17 Ordinat primos Hispaniæ Episcopos 5 f 7 d destinat in Hispaniam 4 e fundat Ecclesias Occidentis et Africæ 8 f apparet S. Amando 860 d 864 f 871 e 872 f 886 a 889 b instar medici apparet S. Agathæ 622 f 625 c d 628 e 633 a
† Petrus et Paulus Apostoli Romam excolant 884 d
† Petrus Ap. Alexandr. M. 464 e 468 a
† Petrus Thaumaturgus Ep. Argivorum an auctor Vitæ S. Athanasii Ep. Methonensis 615 616 f ejus Vita 617 a b
† Petrus Ep. Bracaren. 1 sec. 5 f d 7 c
† Petrus Ep. Spoletinus 368 e
Petrus Bembus Cardinalis 606 a
Petrus de Castro Arch. Granaten. 11 a
Petrus Ep. Altini 598 b
Petrus Ep. Atrebaten. 297 e
Petrus Subertus Ep. S. Papuli. 458 c
Petrus senior Ep. Ravennas 6 sec. 82 a
Petrus Ep. Sebastenus 336 a b
Petrus II S. Siciliæ 660 d
Petrus Cellensis 250 f 254 a
Petrus Siculus Legatus Basilii Imp. 616 e f
Petrus Sys Prior Dunensis 321 e
Petrus Hieremias Panormit. Ord. Prædic. 654 d e
Petrus Ferrer. Ord. Minorum 3 e
Petrus Martinius Soc. Jesu dein Episcopus Japoniæ 738 d e 750 e f
Petrus Moregiau Soc. Jesu in Japonia 753 d e
† Pharaildis V. 693 f 694 d
† Philippus Apost. Scythiæ 884 e
Philippus Arch. Colonien. 927 c 928 b e 930 a
Philippus I R. Galliæ 694 d e
Philippus Luxemburgius Cardin. 580 e
Philippus Spinellus Nuntius Clementis VIII in Bohemia 36 e 37 a
Philippus Harrengius Ab. Bonæ-Spei scriptor Vitæ S. Amandi 852 b 867
Philippus Coptis, alias Theophilus Ep. Alexandrinus

*nus* 479 c d

*Philippus Villanus auctor Vitæ S. Andreæ Archidiac. Fæsulani* 247 e

*Philostorgius Ep. Scepseos* 286 f 287 e f

† *Phocas M. in Ponto* 4 a

*Photius Patriar. CP.* 554 a d e

† *Piatus Apost. Tornacensis M.* 47 48 b c 748 e

*Picti, nam iidem olim, qui Britanni* 697 c

† *Pimenius Ep. Dumiensis* 952 d e

† *Pimenius conf. Talaveræ sepultus* 951 f an Martyr 952

*Pilatus ob Christum condemnatum a Tiberio Cæsare in exilium actus* 456 a *ejus Acta de Passione Christi qualia* 455 e

† *Pippinus Dux pater S. Gertrudis* 228 c f 229 e f 230 c f 836 b

*Pippinus Herstalius fit Major-domus Austrasiorum* 225 d *obit* 226 304 c *Rex dicitur* 308 d e *S. Halinum invisit* 379 e f

*Pippinus Brevis Princ. Franc. fit Rex* 226 523 f

*Pius Ep. Hispali* 1 *sec.* 5 f 7 c

*Placidina uxor S. Apolinaris* 777 e 778 a

† *Plato Hegumenus Saccudeonis* 544 d 552 f

*Plinius ad Trajanum de Christianis* 20 b 20 28 e f

*Ploccanus Episcopus Augustæ Prætoriæ* 946 b 947 f 948 b

*Polemius, Polemon, hæreticus* 279 a e f

*Polemon Æditnus Smyrnæ Decii Imp.* 41 a 43 a f 44 a b c d 45 e

† *Polycarpus Ep. Smyrnæ* 2 c 13 a b 16 f 17 f 18 a 21 d e f 22 33 24 28 a 33 a 39 774 775

*Polycarpus Ep. Bracharen. an Sanctus* 942 c e

† *Polychronius Ep. Virdunen.* 439 d

† *Priscus Ep. Lugdun.* 369 f 370 c

† *Poppo* 854 a

† *Præjectus Ep. Arvern.* 776 f

*Priamus an Rex Francorum* 208 b

† *Primi et Feliciani reliq. Ticini* 662 c

*Privatus Ep. Gabalitanus* 777 b

† *Probus Ep. Ravennas* 83 c

† *Processus et Martinianus MM.* 638 a b c

† *Proculus Ep. Ravenn.* 83 b

† *Proculus Ep. Carsulanus et Interamnensis* 366 c

*Proculus Ep. Massilien.* 358 d

*Promotus Ep. Dunensis* 484 b

† *Prosper Ep. Aurelianensis* 290 f

*Protasius Ep. Aquiensis* 293 a b

*Protasius Ep. Octodorensis* 98 f

*Protasius R. Arimæ in Japonia* 737 d e

† *Proti et Hyacinthi rel. Salingenstadii* 519 b

† *Prudentius Ep. Trecensis* 92 d 480 c d

*Ptolemeus Lucensis scriptor Ordinis Prædicatorum* 507 e f

*Pupuquius Calaritanus an Martyr.* 597 f

*Pyrrhus Patriar. CP. hæret.* 877 a e

Q

† *Quenburga sor. S. Inæ Regis* 914 b

† *Quintianus Ep. Arvernorum* 210

*Quintianus Judex Siciliæ pro Decio* 690 d e 605 b c 621 d f 622 623 624 625 626 627 628

† *Quiricus* 854 b c

† *Quirinus M.* 598 f *reliq. Coloniæ* 773 c

*Quintilianus Proconsul Smyrnæ sub Decio* 46 c d f

† *Quintinus Veromanduensis* 188 d 816 c

† *Quirini Ep. M. rel. Fuldæ* 522 c 524 c d f

*Quirillus Ep. Trajectensis* 772 d

R

*Rabulus Ep. Edessenus* 676 d

† *Rachelis memoria* 599 d

† *Radbertus Ab. Corbeiæ* 433 c d 434 d

*Radbodus Ep. Noviomen.* 691 c d 692 a 694 d

† *Radegundis V.* 320 c

*Rado Ab. Vedastinus* 797 d e f 803 b 809 c

† *Radulphus Ab. Suession. Ep. Bituric.* 517 e f

*Radulphus Ep. Morinensis* 461 f

*Radulphus Dux Thuringiæ 7 sec.* 231 a b

*Ragnarius Princ. Cameraci* 792 f

† *Ragenfredis corpus* 48 d

*Ragimbertus Presb. 9 sec.* 428 b c 445 e

*Ragnacharius R. a Chlodoveo* 1 *occisus* 218 b c

*Ragnerus, Raginarius. Dux Normannorum in Gallia 9 sec.* 404 f

*Rainaldus Com. Arbatiliscensis 9 sec.* 824 a

† *Raineldis V. M.* 382 d e 383 d 837 a

*Rainoldus Ep. Atrebatensis* 909 a

*Raphael Volaterranus scriptor* 334 b

*Rapotho Comes de Tauris in Bavaria* 11 *sec.* 249 e f

*Rathodo Ep. Noviomagi* 48 c

*Ratharius Ab. Fulden.* 508 f 509 d e 510 b 531 f 532 f 536 e f

*Ratherius Lobiensis* 373 d

*Ratoldus Ep. Suessionensis* 411 e 418 e 439 b

*Rayurrius Ep. Aurelianen.* 48 c

*Rebeccæ memoria* 599 d

*Regentrudis Dagoberti* II *R. filia* 233

† *Reginæ corpus* 48 d

*Reginarius Comes sub Carolo Calvo* 401 b 430 e 447 f

*Reginbaldus Chorepiscopus 9 sec.* 521 f 524 c 527 b c 542 f

*Reginbertus Baro Seldenburen.* 337 c

*Reginfridus fil. Halpdani R. Daniæ 9 sec.* 405 c

*Reginfridus R. Daniæ fil. Godefridi* 404 e

*Reginharius Ep. in Germania 9 sec.* 90 f

*Regino ab. Prumien. scriptor* 507 a *ejus Chronico anni Christi intrusi* 227 d e

*Reginoldus Aistettensis Ep. sciptor Vitæ S. Blasii* 335 f

*Reginoldus fr. Regum Daniæ* 404 d

*Reginolsus Presb. Germ. 9 sec.* 525 e f

*Reinbrandus Ep. Arhusæ* 451 b

*Reinoldus Archiep. Colonien.* 926 d 927 c 928 929

† *Relindis V. Masecæ* 773 b

† *Remaclus Ep. Trajectensis* 321 a 374 a 374 377 379 e 598 f 843 d *Episcopatus* 222 b 231 d

† *Rembertus 4 Febr. et* 315 b c *Scriptor Vitæ S. Anscharii* 398 c

*Rembertus Danus Presb. in Suecia* 407 a 428 b 445 c

*Rementrudis soror S. Adelheidis* 722 d f

† *Remigius Ep. Remorum* 816 c *quo anno natus, et Episcopus factus* 791 e f *Chlodoveum baptizat* 851 e 805 *S. Vedastum Ep. Atrebaten. ordinat* 802 e 806 a b *obit* 792 c d *reliq. Atrebati.* 800 f *Bremæ* 402 c *cultus sacer* 796 b e

*Remigius Ep. Bituric.* 369 f 370 c d

*Renula Ausemundi Ducis filia 6 sec.* 369 e

† *Reolus Ep. Remen.* 846 f 881 f

† *Restituta V. M Neapolitana* 4 a

*Restituta V. an Mar. Calari in Sardinia* 4

*Restituta mater S. Eusebii Ep. Vercel.* 4

† *Restitutus Ep. Tricastinus* 963

† *Revocatus, Satyrus, Torvilus, Secundus MM.* 3 f

*Ricardus Lavynham Carmelita* 114

† *Richardus R. Anglo-Saxonum 6 Febru. etc.* 453 f 931 d

*Richardus* I *Dux Normanniæ* 187 f 193 a 195 e

*Richardus Penbrochiæ Comes, expugnator Hiberniæ* 113 c e 114 a c

† *Richarius Ab.* 302 b c 305 c

† *Richildis V.* 249 f 250 a c

*Richolsus Arch. Moguntin.* 542 c d

*Richomeres an avus S. Adalbaldi* 299 e

† Rictrudis

† *Rictrudis* 297 *et seqq.* 828 *a b* 844 *a b* 874 *d corpus* 48 *d*
*Ripuarii Franci* 207 *c d lex eorum* 212
*Robertus Archiep. Rotomagen.* 187 *f*
*Robertus Bloet Ep. Lincolnien.* 572 *e f*
*Robertus de Quercetu Ep. Lincolnien.* 168 *f*
*Robertus R. Franc.* 692 *b*
*Robertus Frisius Com. Flandriæ* 691 *d* 694 *d*
*Robertus de Goudelcort Præpositus Duaci* 298 *b d*
*Rodericus Didacus Mag. Ord. Calatravæ* 256 *c*
*Rodulphus fil. Herioldi R. Daniæ* 344 *a*
*Rogerius Archiep. Eboracen.* 573 *e*
*Rogerius Comes Siciliæ* 661 *c e*
*Rohingus Dominus Antuerpiæ* 8 *sec.* 828 *c* 829 *c*
*Rollo Dux Normanniæ* 405 *d*
† *Romanus Ep. Remen.* 793 *d*
† *Romani mil. M. rel. Fuldæ* 522 *c* 527 *d*
*Romanus Imp. fil. Constantini Imp.* 715 *c*
*Romanus Lacapenus Imp.* 713 *a* 713 *f* 718 *e*
† *Romulus Ep. Monæ ins.* 104 *f*
*Romanus Scotus* 7 *sec.* 771 *f*
*Roric frater Herioldi R. Daniæ* 344 *a* 404 *c*
*Rossa, Rossæus e stirpe regia Hibern.* 155 *f* 157 *c*
*Roswithæ sanctimonialis permuta* 488 *d*
*Rotgerus Præpos. Sempringami* 577 *a*
*Rothardus Ep. Suessionen.* 541 *c*
*Rothardus Ep. Cameracen.* 373 *c*
*Rozala Comitissa Flandriæ* 11 *sec.* 691 *f* 692 *a f*
*Rualenus Prior Claravallis* 252 *e*
*Rubem Patriar. memoria* 599 *d*
*Rudolphus Wets Ab. Milstadii* 711 *a b*
*Rudolfus Presb. Fuldæ* 533 *c e scriptor Actorum B. Rabani Mauri adhuc Abbatis* 507 *b* 518 *e et Vitæ S. Liobæ* 507 *c. Confessarius Ludovici Regis Germaniæ* 507 *d*
*Rufinus auditor Decii Imp. Smyrnæ* 41 *f* 46 *a*
† *Rufus et Zozimus MM. Philippis* 28 *d e* 33 *a*
† *Rupertus Ep. Salisburgen.* 705 *c d* 706 *d e et Wormatien.* 837 *d*
*Rupertus Ep. Bambergen.* 563 *b*
† *Rusticus Ep. Lugdunen.* 365 *c*
*Rusticus Ep. Tarvisinus* 598 *b* 677 *c*
*Ruthardus pater B. Rabani* 530 *b*
*Ruthardus disc. B. Rabani Episcopatum Halberstadiensem renuit* 512 *a* 533 *c d*


S


*Sabbas* 8 *sec. Hegumenus Studitarum* 544 *d e*
*Sabbas a Callistrato Hegumenus Studitarum* 9 *sec.* 554 *e f*
*Sabbatinus e sociis S. Francisci* 269 *c*
*Sabellius hæreticus* 68 *f*
*Sabelliani hæret. in Gallia* 205 *e*
*Sabina cum S. Pionio capta* 40 *b e* 42 *f* 44 *c* 45 *f* 46 *a*
† *Sabinus Ep. Placentiæ in Italia* 470 *d f* 471 *a c d*
*Sagericus non fuit sub Romanis Ep. Cameracensis* 790 *c*
*Salii Franci* 207 *c e f eorum lex* 212 *c d*
*Salome soror Herodis* 456 *d*
*Salomon Ep. Constantiensis* 412 *c e* 423 *b* 441 *d f*
† *Salonius Ep. Genuensis* 365 *c*
† *Salvator Ep. Belunensis* 320 *c*
† *Salvii corpus* 48 *c*
*Samo Francus R. Sclavorum Winidorum, an Belga?* 704 *b c bella gerit contra Dagobertum* 1 *et S. Sigebertum* 704 *d e f*
*Samuel Ep. Dublinen.* 102 *a*
*Samuel Ep. Wormatien.* 517 *a*
† *Samuel a Pythonissa reductus* 41 *c d e* 45 *c d*
† *Sanasolus Presb.* 453 *b*
*Sancius* III *R. Castellæ* 255 *d e f* 256 *c* 257 *b*
*Sanctius* IV *R. Aragoniæ* 7 *e*
† *Santinus Ep. Meldensis* 790 *c e*
† *Sapientia V. M. Ursulana* 4 *d*
*Sapor senior R. Persarum* 471 *f*
*Sapor R. Persarum persecutor* 472 *a b*
*Sapor R. Persarum a S. Cyriaco conversus* 473 *a*
*Sapricius Præses Diocletiani in Cappadocia* 779 *b c* 780 *e* 781 782 783
† *Saræ memoria* 599 *d*
*Sarubertus Præses Belgæ* 10 *sec.* 374 *b*
† *Saturnini reliq. Pauli* 205 *a*
† *Satyrus M. in Africa* 3 *f*
*Saxones occidentales in Anglia, et eorum primi Reges* 913 *c d e f*
*Saxonum in Germania sedes* 207 *b c e*
† *Scholastica V.* 773 *b*
*Sclavi Winidi* 230 *c*
*Sclavi a S. Amando instructi* 837 *b* 840 *c* 861 *f quando ad fidem conversi* 396 *e f*
*Scubilio Archipresb. Atrebaten.* 802 *d* 807 *d* 808 *c*
*Scoti quivis externi apud Gallos dicti* 361 *a b* 364 *b*
† *Scupilio erem. Gal.* 6 *sec.* 187 *c* 195 *e*
*Scythis Daci annumerati* 25
† *Sebastiani deus Fuldæ* 521 *e f rel.* 527 *e d rel. Suessione* 519 *a*
*Sebertus R. Orientalium Saxonum* 295 *d e*
† *Secundus Ep. Abulæ* 1 *sec.* 4 5 6 7 8 9 *e* 10
† *Secundus M. Ameriæ* 463 *f*
† *Secundus M. in Africa* 3 *f*
† *Senanus Ep. Hibernus* 135 *f* 170 *c d*
*Septemtrius an Martyr in Hispania* 2 10 12
*Septimius Quartinus Ep. Reatin.* 924 *b* 925 *d*
† *Serenus Ep. Massilien.* 293 *a* 294 *c*
*Serenus pater S. Amandi* 869 *b* 885 *a*
*Severianus Ep. Bracharen. an S. Severianus* 942 *e f*
*Sergius* II *Papa* 516 *d*
*Sergius Ep. CP. hæret.* 876 *a e*
† *Servatius Ep. Tungren. et Trajecten.* 666 *a* 772 *c* 666 *a* 633 *f* 790 *f* 833 *b c* 834 *b*
*Severiana cognata S. Aviti* 598 *a*
*Severiani hæretici* 857 *c d* 858 *a*
† *Severianus Ep.* 3 *f*
*Severianus Afer* 3 *sec.* 326 *f*
† *Severinus Ep. Colon.* 384 *d*
† *Severinus Ep. Trevir. et Tungren.* 772 *c*
† *Severus Ep. Trevir.* 139 *d*
† *Severus Presb. Conf.* 3 *e*
† *Severus M. Ravennæ* 2 *c* 79 *an Episcopus* 79 80 *f* 83 *b*
*Severus Ep. Antioch. hæret.* 278 *c* 279 *d* 367 *a d*
*Severus Ep. Aquileien.* 677 *a* 677 *c d e* 678 *c f*
*Severus an Ep. Rotomagensis fuerit* 187 *b*
*Severus Sulpitius Presb.* 2 *b*
*Severus* 4 *sec.* 475 *c d*
† *Sexburga* 389 *c d* 391 *c* 392 *d*
*Sichardus Ab. Stabulensis* 377 *d*
† *Sidonius Appollinaris Ep. Arvern.* 666 *e*
*Sidonius relictis Novatianis conversus* 331 *a b d*
*Sigebertus* I *R. Austrasiorum aulam habuit Metis, non Remis* 213 *obit* 219 *c*
*Sigebertus* II *a Chlothario* II *occisus* 220 *b*
*Sigebertus Claudus R. Colonien. occisus* 218 *b*
*Sigebertus Gemblacensis scriptor Vitæ S. Sigeberti Regis* 214 *a b*
*Sigefridus R. Daniæ* 8 *sec.* 399 *b* 404 *alius R. Daniæ* 9 *sec.* 404 *d*
*Sigefridus Danus Gallias vastat* 405 *d* 564 *a*
*Sigefridus Comes maritus S. Berthæ* 299 *a* 304 *c* 305 *f*
*Sigericus fil. S. Sigismundi* 671 *a*
† *Sigismundus R. Burgund.* 669 *d e* 670 671 674 *b f*
*Silvanus Ep. Troadensis* 283 *d* 286 *b d*
*Silvanus Ep.* 4 *sec. exul.* 362 *f*


*Silvanus*

*Silvanus Consiliarius Siciliæ sub Decio* 623 c 625 f 628 e f
† *Silvester eremita Trainensis* 642 c
*Simeonis Patriarchæ memoria* 599 d
† *Simeon Ep. Hierosol.* 17 a 19 b c
† *Simeon Ep. Seleucien. M.* 472 c d
† *Simeon senex* 269 a 322 d 454 c
*Simeon disc. S. Ephræmi* 64 f 77 e
† *Simeonis Metaphrastæ sanctitas, doctrina, Vitæ SS. expolitæ, variis modis* 606 607. *Iis an Latina Acta præferenda* 602 f
† *Simon et Judas App. in Perside* 884 e
*Simon Ab. Præmonst. in Lotharin.* 269 c
*Simon Ab. Alcmeen. et Bertinianus* 453 c
*Simon de Cassia* 269 d
*Simon Minister Turoniæ Ord. S. Francisci* 773 b
*Simplicius Ep. Parisius* 294 d
*Sinan Dux Solymani* 659 b c
† *Sinerius Ep. Abrincensis* 188 a *reliq. Parisius* 195
† *Sinicu Ep. Remensis reliq. Hamburgi* 407 d
† *Sisinnius et Saturninus MM.* 289 c f
† *Sixtus Ep. Remensis* 405 e *reliq. Hamburgi* 407 d
† *Sixti et Sinicii Epp. Remen. rel. Fuldæ* 527 c d
*Smaragdus Ab. S. Michaelis Lotharing.* 516 d
*Smaragdus Patric. Ravennæ* 677 a d 678 b
*Societas Jesu excolit sola pacifice per annos* xl. *Japoniam* 731 a *honoratur a Taicosama R.* 731 b *dato amplissimo privilegio* 735 a, *proscribitur* 736 b *innocens declaratur* 738 e *occulte functiones peragit* 737 a *protegitur a Regibus Christianis* 737 b *multos tempore persecutionis convertit* 738 e c d *aucta ad* 134 *religiosos* 739 b *advenientes Minoritas humanissime excipit* 740 a
† *Solus* 523 d
† *Solarius Ep. Argentorat.* 773 c
† *Solennis Ep. Carnoten.* 483 d e f 484 d e
† *Sophronius Ep. Hierosol.* 271 c
*Sophronius Hegumenus Studitarum* 553 c d
† *Soteris V. M.* 773 b
† *Spes Ep. Spoletinus* 944 a b 945 e f
† *Spes Ab. in Italia* 368 f 369 c
† *Starteri rel. Fuldæ* 522 c
† *Stephanus apparens* 387 e *rel. Capuæ* 639 a
† *Stephanus Ep. Lugdun.* 365 e 671 c
*Stephanus* IX *Papa an coluitur* 2 e
*Stephanus Patr. CP. fr. Leonis Sapientis Imp.* 713 d e
*Stephanus Ep. Leodiensis* 834 a 835
*Stephanus Com. Penthenurensis* 12 *sec.* 251 b 253 a
*Stephanus Officialis S. Sigismundi R.* 674 d e 674 a b
*Stephanus Notarius S. Martini* 828 a 830 f
*Stephanus Bolanus Ord. Prædic.* 655 e
*Stephanus mon. Gandensis* 9 *sec.* 297 c
*Stephanus Taccius Soc. Jesu* 611 a
*Strategius Ep. Atrabatus* 477 b
*Studius fundator monasterii Acœmetorum CP.* 544 a
† *Sturmo Ab. Fulden.* 530 d 536 e d
*Suevi populi hodiernæ Flandriæ* 826 d 828 e f
† *Sulpitius Pius Ep. Bituric.* 376 e 839 e 860 b 866 b 870 d 886 d
† *Sulpitius Severus Ep. Bituric.* 840 d
† *Sulpitius, Supplicius, Ep. Trajecten.* 772 d
*Susanna soror S. Laurentii Ep. Spolet.* 369 c
† *Syagrius Ep. Augustodunen.* 293 b 369 f 370 e
† *Symmachus Papa* 672 b e *f extruit templum S. Agathæ* 638 a
*Symmachus Senator Romanus* 672 e f 674 b
† *Symphorianus M. Augustodani* 364 e

T

† *Tabitha ressuscitata* 283 f
† *Tabra et Tabrata Mart.* 97 f
*Taicosama imperium Japoniæ occupat, e vili ortu enixus ad summa* 730 731 *regendi artes, tyrannicæ plerumque* 731. 732, *favet Christianis ad quinquennium* 733 *movet persecutionem* 734 735 737 752 753 *sententiam mortis fert* 758 759
*Tanquardus fr. S. Brunonis Ducis Saxoniæ* 314 e
† *Taraghta V. in Anglia* 433 f
† *Tarahata V. Hiberna* 321 f
*Tarazavandonus Gubernator Nangazachi* 757 a b 759 c
† *Tarsitia V.* 299 b c
*Tassilo Dux Baiovariorum* 703 f 704 a
† *Taurinus Ep. Ebroicensis* 790 c
*Telephon Gentilis* 1 *sec.* 285 c d
† *Telmus Ep. Laudavensis* 500 a
*Terentius Smyrnæ sub Decio* 46 a
† *Ternanus, Tervanus, Ep. Pictorum* 296 e f
† *Tetta V. Abb.* 914 f
*Teudingus mon.* 9 *seculo* 897 d 898 a 904 c
*Thadiocus Ep. Eboracensis in Cambria* 499 f
† *Thecla V. Anglia in Germania* 306 307
† *Thecla V. M.* 342 d f
*Theobaldus an avus S. Adalbaldi* 299 d
*Theodradus Presb. Harlebecæ* 690 d 691 b e 692 c
† *Theoctisti varii* 471 c f
† *Theodardus Ep. Traject.* 237 d 377 d 379 e 772 d 832 f 843 b 845 e
*Theodebaldus R. Austras.* 680 a *obit* 219 a
*Theodebertus* I *R. Austras.* 680 a *obit* 219 a
*Theodebertus* II *R. Austrasiorum fil. Childeberti* 293 b c *obit* 219 c d 220 a b
*Theodefridus Ep. Tullensis* 236 e f
*Theodelinda Regina* 680 d
*Theodericus* I *R. Austrasiorum* 212 *de obit* 219 a
*Theodericus* II *R. Burgundionum et Austrasiorum* 293 b e *obit* 220 b
*Theodericus fil. Chlodovei* II *R. Franc. pellitur* 224 a b *recipit regnum* 224 e f *anni regni stabiliti* 225 *obitus* 226 b *dotat monasterium S. Vedasti* 796 d
*Theodericus* II 8 *sec. R. Francorum* 226 f
*Theodericus filius Childerici ultimi R. Francorum Clericus Fontanellensis* 227 a
*Theodericus Ab. Dunensis* 461 f
*Theodericus R. Italiæ* 672 b d
† *Theodoricus Ep. Mindæ* 2 *Febr. etc.* 563 c 567 f
† *Theodoricus Ep. Cameracen.* 799 c 814 b 814 d 817 e 898 a
† *Theodoricus Ab. Andaini* 269 f
*Theodoricus* I *Ep. Metensis* 321 e
*Theodoricus Ep. ad Slavoniæ conversionem* 705 e f 708 a b
*Theodoricus Comes ab Arc* 927 e
*Theodoricus de Celtis a Canonico Leodiensi Crucigerorum Huii fundator* 371 c
*Theodoricus a Monasterio Ord. Minor.* 269 f
† *Theodora Imperatrix* 544 b c 545 e
*Theodoretus Ep. Cyri* 475 a 676 e
† *Theodorus Arch. Cantuar.* 389 e 916 d
*Theodorus Ep. Cyzici* 9 *sec.* 714 a 715 b
† *Theodorus Ep. Ægypti M.* 464 e 466 b e 468 a
† *Theodorus Studita fit Abbas* 547, *ejus exilium* 548 *verbera* 549 550 *libertas reddita* 550 *mors, translatio* 552 d
† *Theodorus et Theophanes frat. Conf.* 552 d
† *Theodori templum Ravennæ* 84 b
*Theodorus Ep. Mopsuestenus* 676 d
*Theodorus Hegumenus Studitarum* 554 e f
*Theodorus discip. S. Jacobi* 4 e 5 f 7 e
† *Theodosius Ep. Autissiodor.* 793 a b
† *Theodosius in Scopulo* 597 c
*Theodosii Magni anni Imperii digesti* 216 a b d
*Theodosius Hegumenus Studitarum* 554 e
† *Theodulphus Ep. et Ab. Lobien.* 505 e 506 c


† *Theodulus*

† *Theodulus Ep. Sedunen.* 98 *c*
*Theoduvinus Ab. Lobien. 8 sec.* 505 *d c*
*Theofredus Ep. Tullensis* 209
† *Theonestus Ep. Augustæ Prætoriæ* 97 *f* 98
*Theopemptus Ep. Cabasorum* 477 *b*
*Theophanes Ep. Cæsareæ Capp. 9 sec.* 713 *c*
*Theophanes Studita* 545 *b*
† *Theophanon uxor Leonis Sapientis Imp.* 714 *a* 715 *e f* 718 719
† *Theophilus Ep. Cæsareæ Palæst.* 282 *c d*
*Theophilus Imp.* 752 *d e*
*Theophilus Ep. Alex.* 474 *b* 475 *c d f* 479 *c d*
*Theophilus Ephesius Romæ docet* 534 *d* 535 *a*
*Theophilus Magister equitum Decii Smyrnæ* 45 *e*
*Teophilus Lydiates 9 sec.* 555 *e* 556 *c*
*Theophylactus Patriar. CP.* 713 *a b* 717 *e*
† *Theudilas, Isaac, Laurentius MM.* 366 *c*
*Theon Ep. in Ægypto 5 sec.* 477 *b*
*Theonus Londoniensium Ep in Cambria* 499 *f*
*Theutbaldus Com. Atrebatensis* 816 *b c*
*Thomas Apost. Parthos docet* 884 *e*
† *Thomas Archiep. Cantuar.* 574 *a* 576 *e* 577 *d* 578 *b*
† *Thomas Ab. Farfensis* 368 *e* 369 *c*
*Thomas Stubbs Dominicanus Anglus* 114
*Thomas tyrannus CP. 9 sec.* 552 *b c*
† *Thraseas Ep. M.* 775 *f* 776 *d*
† *Tibba Angla* 391 *d* 392 *b*
*Tiberius Imp. cupidus videre Christum* 455 *c f* 456 *b* 457 *a anni Imperii* 18 *d*
† *Tiburtii, Valeriani, Maximi rel. Fuldæ* 524 *f*
† *Tigernacus Ep. Clunensis Hib.* 116
*Tihardus Presb. Gal. 10 sec.* 197 198
† *Timotheus* 284 *b c*
*Timotheus Studita* 547 *c f*
*Titi anni Imperii* 18 *e*
*Titus fr. S. Nicolai Studitæ* 547 *d*
*Tongri, Toringi dicti* 208 *a*
*Tonantius Ferreolus Præf. Prætorio Gal.* 666 *f*
† *Torculus M. in Africa* 3 *f*
† *Torquatus Ep. Acci Hispan.* 4 5 6 7 9 10
*Toxogusama R. Japoniæ* 730 *d e*
*Triani anni Imperii* 19 *a* 19 *persecutio mota* 19 *c d fuit Antiochiæ* 19 *c d epistola ad Plinium de Christianis* 20 *e* 25 *a* 33 *a*
*Triclinus Belga 8 sec.* 379 *e*
† *Trophimus Ep. Arelaten.* 8 *e* 358 *e f* 599 *e*
*Trophimus a S. Cornelio Papa receptus* 329 *f*
† *Trudonis studia, sacerdotium* 222 *b*
*Trutmannus inclusus Erfurti 8 sec.* 337 *a*
† *Tryphon M. socius S. Respicii* 4 *e* 269 *f* 322 *d* 552 *b*
† *Turturini reliq. Fuldæ* 522 *c*
† *Tyrannio Ep. Tiri* 785 *c*


U


† *Udalrici capella* 702 *c d*
*Udalricus Ab. Milstadii* 710 *c* 711 *e d f*
*Udalricus Com. Celeiæ* 702 *a*
*Udalricus Præpos. Steinfelden.* 927 *a* 928 *b*
*Ufiojus Japon* 753 *e f* 756
† *Ultanus Ep. Ardbrecanus scriptor vitæ S. Brigidæ* 101 *a* 102 142 *a*
*Unwanus Archiep. Bremen.* 933 *e*
*Uraranes Seganesma R. Persarum* 473 *a*
† *Urbani Papæ rel. Fuldæ* 521 *f* 524 *c d f*
*Urbanus* II *Papa* 618 *b* 661 *c d*
*Urbanus* IV *Papa* 461 *e*
*Urbanus* VIII *Papa prohibet scripta circa Granatam reperta* 10
*Urbanus relictis Novatianis conversus* 331 *a b d*
*Urias Propheta* 6 *d*
† *Ursicinus Ep. Trajectensis* 772 *e* 773 *e*
† *Ursmarus Ep. et Ab. Lobiensis* 504 *e* 505 *a b c* 506 *c*
† *Ursulanæ 3 Brigida, Helena, Sapientia* 4 *d*
† *Ursulanæ V. corpus Maricoli* 599 *a*
† *Ursus Ep. Trecensis* 92 *f rel. Trecis* 481 *e f*
† *Ursus et Victor Mart. Solodori* 98 *c d*
*Ursus Ab. Elnonensis* 841 *c*


V


*Valentiniani hæretici* 65 *c* 67 *b*
† *Valentinus Ep. Argentorat.* 773 *e*
† *Valentinus Ep. Trevir. Tungren.* 772 *e*
† *Valeria et Polena VV.* 454 *d* 499 *f* 500 *c*
† *Valerius M. Lucæ* 2 *b*
*Vascones 7 sec. idololatræ a S. Amando instructi* 824 *d e* 845 *a b* 863 *a* 865 *c* 878 *e* 879 *a* 894 *b*
*Vedulphus Ep. Atrebat.* 771 *f* 794 *f*
† *Venantii M. Ariminensis corpus Fuldæ miraculis splendet* 522 523 524
† *Venerandus Ep. Arvern.* 359 *d*
† *Venica aut Venisa an Veronica?* 459
† *Veranus Ep. Lugdun.* 365 *c* 671 *e* 674 *b*
† *Veranus Ep. Venciensis* 365 *e*
*Verus Ep. Turonen.* 217 *f* 218 *c*
*Vespasiani anni Imperii* 18 *c*
† *Victor Ep. Placentiæ in Italia* 470 *f*
† *Victor Diac. Placentiæ in Italia* 470 *d f* 471 *c d*
† *Victoris rel. Fuldæ* 521 *f*
† *Victor, Victorinus, Nicephorus, Claudius, Diodorus, Serapion, Papias MM.* 3 *f*
† *Victoria Abb. Placentiæ* 470 *f*
† *Victoria vidua a Wandalis occisa* 452 *a*
*Victoriana Capuana sanctimon.* 652 *d e f*
*Victorinus Ab. Placentiæ* 471 *b*
*Victorinus Ep. Gratianopolit.* 671 *b c*
*Vigo an pater S. Adalbaldi* 299 *b*
*Vincentii M. reliq. Fuldæ* 524 *f*
† *Vincentius Comes* 796 *f* 832 *a* 844 *b* 874 *c corpus* 48 *d*
*Vincentius Ep. Cracoviæ. Ord. Cister.* 269 *c*
*Vincentius Japon Secretarius Gubernatoris Ozacani* 762 *a*
† *Vindemialis, Eugenius, Longinus* 3 *f*
† *Vinciana et Aldetrudis VV.* 842 *f*
† *Vindicianus Ep. Cameracen.* 795 *a* 796 845 *d* 882 *a*
*Vingbertus disc. B. Rabani* 533 *d*
† *Virgilius Arch. Salisburg.* 701 *d e* 705 *a b c* 707 *a b c Inventio corporis* 712 *a*
*Virgilius Archiep. Arelatensis* 293 *a* 294 *c*
† *Vitales 3 Martyres in Hispania* 776 *a*
*Vitalianus sub Leone* I *Imp.* 669 *c*
*Vitaliani hæretici* 65 *e* 66 *a*
† *Vitus M.* 564 *e* 571 *d e*
† *Viventiolus Ep. Lugdun.* 365 *c* 671 *c e* 674 *b*
*Vivianus Cardin.* II *sec.* 112
*Vodelbaldus Ep. Ultrajectinus* 413 *b d*
† *Volusianus Ep. Turonen.* 218 *c*
*Volusianus sub Tiberio* I *Imp.* 456 *c*
*Vulfolendus Ep. Bituricen.* 234 *a*
† *Vulmarus* 816 *c*


W


*Wala Ab. Corbeiensis* 416 *c* 436 *d*
*Walafridus Strabo scriptor* 507 *a Vitæ ejusdem* 512 533 *c* 536 *c*
† *Walburgis V.* 391 *d* 454 *a*
*Walburgis V. Westphalica* 569 *f*
*Walcuno Dux Caranthanorum* 705 *c d e* 707 *a b c*
† *Waldetrudis vidua Abb.* 321 *f* 454 *a* 796 *f* 832 *c* 832 *e* 844 *b corpus* 48
*Waldo Ab. Fuld.* 517 *f*
*Waldgarius Ep. Verdensis* 316 *a* 423 *a* 517 *a*

*Wallacus Dux Winidorum Sclavorum* 705 *a b*
*Walterus Ep. Tornac.* 13 *sec.* 48 *e*
*Wambertus Com. Teruanæ* 684 *d* 684 *c* 686 687
*Wandali quivis externi milites dicti* 361 *a*
† *Wandresigilus Ab.* 683 *c corpus* 48 *b c*
*Warinus Comes Ludovici Pii* 90
† *Wasnulfi corpus* 48 *b*
*Werembertus Ab. S. Galli* 513 *d*
*Werenfridus Ab. Stabulen.* 373 *d f*
† *Widekindus Dux Saxoniæ* 314 *d*
*Wigbertus Ep. Verdensis* 316 *a*
*Wigbertus Ep. Hildesheimen.* 315 *d*
*Wilfredus Ep. Morinorum* 682 *e* 689 *c*
† *Wilfridus Archiepiscopus Eboracen.* 224 *f* 225 *a* 918 *b c*
† *Willehadus Ep. Bremensis* 397 *c* 408 *c f* 571 *d*
*Wilhelmus Com. Juliacensis* 929 *a*
*Willelmus Ep. Norvicen.* 591 *d f*
*Willelmus* II *Dux Normanniæ* 194
*Willelmus Præpositus Casletanus* 13 *sec.* 48 *e*
*Willelmus Ab. Laudensis* 13 *sec.* 48 *e*
*Willericus Ep. Bremensis* 397 *c* 418 *c*
† *Willibrordus* 693 *b* 694 *e* 829 *b c*
*Wilteburga filia Penda R. Merc.* 107 *f* 108 *a b*
*Winandus Ord. Prædic. Trajecti* 3 *d*
*Winfridus Judex Atrebat.* 9 *sec.* 813 *b*
† *Winnori corpus* 48 *b*
*Wisa matrona Belg.* 8 *sec.* 380 *e*
† *Witeburga V.* 388 *f* 390 *f*
*Witgerus pater S. Gudilæ* 382 *c* 383 *d*
*Withredus R. Cantiorum* 920 *a*
*Witmarus mon. Corbeiæ Galliæ* 321 *b* 415 *e in Sueciam abit* 417 *e d* 438 *a*
*Wlfains monachus poeta* 9 *sec.* 897 *e*
*Wofelmus Ep. Mimigardevord.* 413 *b d*
*Wolfoaldus Major-domus Austrasior.* 225 *b*
† *Wolphelmus Ab. Brunvilleren.* 720 *f*
*Wormarus Ab. S. Bavonis* 374 *a*
*Wratisluus Prnstain Cancellarius Bohemiæ* 38 *e f*
† *Wulfhadus et Ruffinus MM.* 388 *e*
*Wulfheri R. Merciorum liberi* 388 389 392
† *Wulfrannus Ep.* 686 *e corpus* 683 *c* 48 *b*
*Wynbertus Ab. Nuyscellen. Angl.* 919 *a*

X

*Xogusama R. Japoniæ* 730 *d*

Y

† *Yborus Ep. Hibern.* 125 184 *b* 185 *c*
*Yvenus Ep. Catanen.* 650 *d*

Z

*Zabulonis Patriar. memoria* 599 *d*
† *Zacharias Papa* 519 *c*
*Zacharias S. Francisci socius* 321 *d*
† *Zarchæus Ep. Cæsareæ Palæstinæ* 16 *a* 282 *c*
*Zaram R. Æthiopum* 322 *e f*
*Zegerus Ord. Prædic.* 3 *e*
† *Zeno Ep. Veronæ* 264 *d*
† *Zenonis Diac. reliq. Fuldæ* 525 *a*
*Zenobius disc. S. Ephræmi* 65 *a* 77 *d*
† *Zephyrinus Papa* 15 *a* 83 *f* 84 *c*
† *Zosimus Papa* 358 *d f*
† *Zoticus, Irenæus, Hyacinthus, Amantius MM.* 773 *a*

# INDEX TOPOGRAPHICUS
# IN VITAS SANCTORUM
## TOMI I FEBRUARII.

*Quæ loca Sancti alicujus morte, reliquiis aut singulari cultu nobilitata sunt; iis Sancti illius adscriptum nomen, sed ea sæpe pagina solum expressa, qua de Sanctis singulis, locisve agi cœptum, licet frequenter eorum mentio fiat.*

*Omissa sunt ea regionum et urbium nomina, quæ passim, etiam pueris, nota, ut Italia, Hispania, Gallia etc., Roma, Constantinopoli, Hierosolyma.*

A

Abendonia monast. Angliæ 914 a
Abernethum urbs regia Pictorum 108
Ablaton pagus Galliæ 301 f
Abrinca ur. Galliæ. *S. Severus Ep.* 187
Abula ur. Hispan. *S. Vitalis M.* 776
Acci ur. Hispaniæ ubi sita 9 c d
Acerrana ur. Ep. Campaniæ 940 a
Acheruntium ur. Italiæ 717 e
Acrita promont. Bithyniæ 552 b
Adana ur. Ciliciæ 362 d 364 b *S. Theophilus pœnitens* 486 489 e
Adartensis pagus 300 a 303 f
Adranum op. Siciliæ 655 a
Æthnæ incendium a S. Agatba restinctum 629 b c 648 652 653 654 655 656
Africa. *SS. Publius, Saturninus, Maurianus, Libosus, Vincentia et 24 socii MM.* 37 *SS. Victor, Marinus, Perpetua, Julia et alii* 74 *MM.* 288 *SS. Felix, Felicitas et alii MM.* 331 *Revocatus, Saturus, Felix, Saturninus, Gelasius MM.* 664
Agaunum monast. innovatur a S. Sigismundo 671 b c 678 e
Aguntum op. Tirolis 704 a
Alamannia gentilis 7 sec. 684 c sub Austrasiis 210 b lex tum subditis data 212 e
Alatrium ur. Ital. 369 b
Alba Helviorum ur. Gall. 93 f
S. Albani monast. Moguntiæ, *reliquiæ S. Vincentiæ uxoris S. Severi* 90 f 91 c
Albiga ur. Gall. sub Austrasiis 210 e
Albis Albia flu. 412 c 418 c b 422 e f 437 d 439 c
Aldenarda op. Flandriæ 48 d
Aldenburgum Sedes Episcopalis, Lubecam translata 396 f
Alethum ur. Britanniæ Armoricæ. *S. Joannes de Craticula Ep.* 250 b 251 d 252 b
Alexandria. *S. Phileas Ep. Thmuitarum, Philoromus Tribunus militum et alii Mart.* 462 *S. Dorothea V.* 788
Alta-specula arx Bavariæ 249 b
Altum-monasterium Moguntiæ. *reliq. S. Innocentiæ fil. S. Severi* 91 c d
Altus-mons monast. Hannoniæ 832 e 874 d
Amacusa ur. Japoniæ 760 b
Amandopolis in agro Borbonio 825 c 844
Amandopolis in Belgio 826 827 840 f
Ambianum ur. Gall. 197 f 198 b e
Amura ur. Japoniæ 760 a
Anazarbus ur. Ciliciæ 486 c *SS. Theodula, Boethus, Evagrius, Macarius et alii MM.* 662
Andenna monast. ad Mosam 836 e
Andernacum ur. Germaniæ 213 d
Anduennium pagus Belg. 909 e
Ancinum ur. Gall. *SS. Agrippanus Ep. et Ursicinus MM.* 24
Antegia pagus Belgii 380 e
Antiochia. *S. Ignatius Ep. M.* 13 *templum Fortunæ, Tychæum* 34 35 prope Antiochiam *S. Petrus Galata eremita* 94 Antiochiæ *terræmotus an.* 526 *factus* 367 d
Antonium pagus Belgii 381 f
Antverpiæ *ecclesia a S. Amando extructa* 829 a b 844 e *Corpus S. Fortunati M.* 339 *reliq. S. Agathæ* 639 d *reliq. et sacellum S. Blasii* 338 d f
Anzuquiama ur. Japoniæ 734 c
Apolloniadis lacus in Mysia 548 e f
Aprutium ditio Ital. 936 c
Apulia ur Curlandiæ 427 a c 444 c
Aquiscinctum monast. Belg. *rel. S. Blasii* 339 b
Aquisgrani non fuit sedes regia S. Sigeberti 213 d
Aquitania 802 f 816 c 859 f sub Francis, Legem Romanam Theodocii servavit 212 d o
Aquitania III, Novempopulonia 301 a
Araria, Lugdunum dicta 293 b c
Arbela ur. Persidis. *S. Abramius Ep.* 471 472 d c
Ardachadh monaster. ur. Hibern. 122 b 123 b *SS. Mel et Melchus Epp.* 787 a
Ardenburgum op. Flandriæ 828 f 847 e f
Arelate ur. Gall. *rel. S. Dorotheæ V. M.* 781 a
Argenteola in Asturibus 778 e f
Argentoratum ur. Germaniæ 804 f 837 f non fuit sedes regia Childeberti Austrasii 213 c *Primi* XXIII *Episcopi* 838 c d e
Argeus mons Cappadociæ 341 a c 354 a
Arida-Gamantia silva Belgii 497 e
Arima ur. Japoniæ 736 f 760 b
Arisidium Sedes Ep. Gall. sub Austrasiis 211 a
Armenia 29 c
Aroasia monaster. Belgii. *reliq. S. Ignatii Antiocheni* 36 a *S. Agathæ* 639 d
Aronda fl. Gall. 863 d f 895 f
Artesia prov. Belgii unde dicta 790
Arverna sub Austrasiis 210 d *S. Anatholianus M.* 776 c
Ascum pagus Belgii 383 d
Asnitha, nunc Essendia, monast. et opp. Westphaliæ 723 d f
Atanum, Atense monast. Gall. 203 b
Atrebatum in Belgica a *S. Vedastus Ep.* 790 *sub Wandalis et Hunnis* 790 e Atrebatensis Episcopatus unitus Cameracensi 790 b separatus 909 *a*
Aucampus Hybern. 537 d
Avaricum littus, ejus Comites et Præsides 705 f
Audomaropolis ur. Belgii 48 a *rel. S. Blasii* 336
Augia ins. prope Normanniam 824 c
Augusta Prætoria *S. Ursus Presb.* 97
Augusta Vindelicorum 643 b c
Augustamnica prov. Ægypti 473 e f
Aurelianum ur. Galliæ 825 c 862 d 893 a *S. Flosculus Ep.* 290 *S. Sicharia V.* 290
Aureus mons Burgundiæ 353 c 354 a
Austerbantum ditio Belgii 209 e 300 a 305 f 826 f
Austria ad Danubium, alia ad Mœnum olim 208 f
Austria, Austrasia, Auster regnum Francorum 209

ditiones varias continet Belgii, Germaniæ, Galliæ 209 210 211 212
Autissiodorum ur. Gall. *S. Julianus M.* 334
Axona fl. Gall. 298 f 698 f 700 a 801 c

B

Backum monast. Saxoniæ infer. 563 c d
Bacum locus Etruriæ 247 d 248 e
Baduanus Comitatus Gall. 821 a
Bagenus vicus Galliæ, *S. Galla V.* 948 950
Baioca ur. Gall. 188 d f
Banna fluv. Hibern. 146 f 147 c
Baranum, jam Castellum S. Severi, opp. Umbriæ, 944
Bardena monast. Angliæ 392 c f
Barisiacum monast. Franc. extructum 825 c d e f
Barium. *rel. S. Blasii* 338 a
Barolis. *rel. S. Blasii* 338 a
Barsena circa Albim 408 c
Basconiæ ditiones 301 a
Basseroda S. Amandi ad Scaldim 831 c
Bavaria olim sub Austrasiis 210 c lex tum subditis data 210 d
Bauthegius fl. Pedemontii 946 c
Begardum, Begarium monast. Britanniæ Armoricæ 251 b c
Belgica I et Belgica II pars sub Austrasiis 209 e
Bellipratum monast. Belg. *rel. S. Agathæ* 639 d
Bellovacum ur. Gall. 799 816 d 817 818 819 863 d 867 b 895 b
Belver Castrum Siciliæ *reliq. S. Basilii* 967 c
Berkingum monast. Angl. 307 e 914 d
Berlinum ur. Germaniæ 530 a
Berna flum. Hibern. 151 c d
Bethunia ur. Artesiæ 797 b
Bevera pagus Fland. *rel. S. Blasii* 339 d
Beugesia prov. Galliæ 854 c d
Bevronia fl. Gall. 188 c
Birca ur. Sueciæ regia 417 b 418 a 420 f 426 a 438 e 442 a 446 b
Birra monast. Hibern. 115 b
Bithinia provincia Prætoria 21 a b *S. Vindemianus eremita* 99
Biturica ur. Aquitaniæ 482 a 839 d 860 b 866 b 870 b 876 d *S. Carterius Presb.* 177 *B. Joanna Valesia Regina Franciæ Fundatrix Ord. Annuntiatarum* 579 Urbs Burgundionum habita et Bethorica dicta 825 b 843 f 845 b
Blandinium monast. Gandense 688 f 690 d e 691 e S. Amando extructum 831 S. Martini Papæ et Caroli M. diplomatis munitum 834
Blangiacum monast. Belg. *reliq. S. Blasii* 339 b
S. Blasii monasterium antiquum German. 339 b
Bononia ur. Italiæ *patria S. Guarini Ep.* 923 b 924 b *reliq. domus S. Veronicæ* 458 b *reliq. S. Agathæ* 639 b *S. Dorotheæ V. M.* 785 a *S. Apromiani M.* 952 a *S. Blasii* 967
Bononia ur. Galliæ 682 d f Episcopalis olim 689 f
Borsinum opp. Gall. *reliq. S. Remedii Ep.* 366 a
Bragbantum antiquum 826 d 830 a 831 c
Breach *cella S. Brigidæ* 106 d
Brechina ur. Scotiæ 500 d
Brecllæ monast. Belg. *reliq. S. Ignatii Antioch.* 36 a
Breg, Breach in Hibernia 106 d 123 128 b 139 e 161 b c 164 d 165 e
Brema ur. Saxoniæ inferioris 412 c *S. Rembertus Archiep. Hambergensis* 559 Episcopatus Hamburgensis unitus 397 422 423 f 441 b c
Breonia in Alpibus 679 b
Bride hay *S. Brigidæ insula* prope Glastoniam 107 c
Briximon monast. Saxoniæ inferioris 408 f
Brixina in Alpibus *S. Albinus Ep.* 719 *corpus S. Ingenuini Ep. Sabionensis* 681
Brontes opp. Siciliæ 655 a 658 b
Brugæ ur. Flandriæ *reliq. S. Blasii* 339 c *S. Vedasti* 808 a
Brunetteshusen sedes Ducum Saxoniæ 314 b
Brunsvicum extructum 314 e f
Buchonia regio Germaniæ 519 c 524 b
Bulingtona ur. Angl. 577 a d
Buranum apud Venetos, *corpora SS. Ursi, Albani et Dominici MM.* 98
Burburgum op. Flandr. *rel. S. Blasii* 339 c
Busaium monast. Britan. Armor. 251 c
Buxerias locus Gall. 485 a

C

Cador regio Hibern. 138 a d
Cadomi monasterium extructum 194 a d
Caduinum monast. Gall. *Imago S. Veronicæ miraculosa* 462 a b
Cadurcum ur. Gall. sub Austrasiis 211 a
Cæsareæ Palæst. *S. Cornelius Centurio* 281 282 283 c.
Cæsarea Cappadociæ 70 d 74 f 75 e 77 b d 713 c e f *S. Blasius Armentarius* 337 *SS. Dorothea V. Theophilus Scholasticus, Christe et Calliste Mart.* 779
Cæsarea Philippi 450 b c
Calassus opp. Catalaniæ. *S. Calamanda V. M.* 665
Calatrava a Mauris extructa, 255 c d *B. Raimundus Ord. fundator* 254 255 e f
Calderiacum in ditione Cameracensi 797 a
Callistratia ur. Galatiæ 555 a
Callou prope Antverpiam a S. Amando exculta 829 a 862 f 866 f 878 d 893 c
Calucium, Calnicum in Gallia 906 e
Calvimontia loca Gall. 365 e *SS. Oliveria et Liberore VV.* 365
Cambria recepit Epp. exules e Britannia pulsos 500 c
Cambrona monast. Belg. *Rel. S. Agathæ* 639 d
Cameracum 905 b a Francis occupatum 5 sec. 208 a sub Austrasiis 209 d Episcopatus unitus Atrebatensi 790 b an S. Vedastus ejus Episcopus 792 f ejus ibi ecclesia 797 b reliquiæ 800 f *rel. S. Blasii* 339 d. *S. Agathæ* 639 d
Cantuaria ur. Angliæ *S. Laurentius Archiep.* 291 Ejus Episcopi apud Britones in Cambria exules 500
Capella Ozæ locus Campaniæ Gall. 481 a
Capitolium monast. Coloniæ 723 a
Capris ins. *Reliq. S. Agathæ* 639 a
Capua a Ludovico R. Italiæ capta 246 d e *rel. S. Blasii* 338 a *S. Agathæ* 639 a
Carinthia olim Christiana a barbaris subacta 703 b c a Slavis inhabita et Samone R. 703 Duces varii 704 705. Christiana sub B. Domitiano 706 *S. Agatha Hildegardis Palatina* 728
Casaecongidunum monast. Belg. 376 a a S. Sigeberto R. extructum 235 c d e
Castellum Florentinum oppidum Etruriæ *S. Verdiana V.* 257
Castello triplex in Hispania 858 a
Castellonensis Episcopatus non est a S. Amando Ep. Trajectensi administratus 857 858
Castri locus monast. Montibus 832 c
Castrodunum op. Gall. *S. Aventius Ep.* 483
Catalaunum sub Austrasiis 209 d
Catanæ gloria S. Agatha 600 an in ea urbe nata 615 616 617 618 619 templum et corpus 640 f urbs servata 648 f
Cathenesia regio Pictorum 103 b c
Caucoliberis ur. Hispan. 10

Cella pagus Arduennæ *S. Hadelinus Presb.* 370 379
Cella S. Gisleni opp. Belgii 372 a 831 d
Cellisclinium monast. Hib. 107 c
Centumcellæ portus Etruriæ 369 b 860 d f 885 d
Centumfontes, Cifuentes, opp. Hisp. *S. Blasius Ep. Oretanus M.* 324 c d.
Cestria ur. et monast. Angl. *rel. S. Wereburgæ* 389
Chalcis in Græcia 270 b
Chamum vicus Helvetiæ *corpus et cultus Sancti Episcopi Belgæ anonymi* 249
Cherronesus Thraciæ 554 e 555 a
Chiniacum nunc op. S. Agrippani 204 e 205 f
Chori, Curlandia 427 444 b
Chrysopolis, Vesontio, in Burgundia 363 c
Cilicia duplex 486 a d e
Cirolos prope Toletum 255 f
Claravalla *reliq. S. Ignatii Antioch.* 36 a
Claromonte ur. Arvernorum *S. Anatholianus M.* 776
Classis opp. prope Ravennam 82 b c 87 f 88 a
Cliach, monast. S. Brigidæ 106 f
Clioch, campus Hibern. 129 130
Clusium opp. in Alpibus 680 d
Clypiacum 825 d 862 a 892 f
Cocceium in Gallia 905 b 906 c d
Colonia Agrippina 417 a 423 f 437 c 441 a d e an metropolis regni Austrasiæ 213 d *reliq. S. Ignatii Antioch.* 36 a b *S. Brigidæ* 113 b *S. Blasii* 339 d *S. Agathæ* 640 a *S. Dorotheæ. V. M.* 781 b
Compendium opp. Galliæ 230 d e 674
Compostella *reliq. S. Blasii* 338 c
Condacum pagus Brabantiæ 383 d 384 b
Condatum opp. Hannoniæ 381 f
Constantia ur. Gall. 195 e *patria S. Severi Ep. Abrincensis* 188 c
Constantia ur. Alamanniæ 210 c
Constantinopolis. *S. Nicolaus Conf. Archimandrita Studitarum* 544 *S. Polyeuctus Patriarcha* 713 *Ibi fuit corpus S. Agathæ* 641 642
Coraia ins. Orientis a Japonibus occupata 738 c
Corbeia Gallica 398 d f 402 b ejus laus 433 b c 433 d e 608 b *S. Præcordius presb.* 196 b
Corbeia Saxonica 398 d 398 d f 416 a 436 540 a 568 b
Corinthus ur. 617 a 644 a b
Corneclanum monast. Italiæ 932 b
Cortracum ur. Flandriæ 828 f 847 e Comitatus 11 sec. 692 b c
Cremonæ *tabula sepulchri S. Agathæ* 640
Creta a Saracenis occupata 244 b 541 a *S. Basilius Ep. Conf.* 244
Crispinium monast. belg. 505 a *rel. S. Blasii* 339 b
Crudacium monast. Gall. ad Rhodanum *S. Josserandus monachus* 93 f
Cruidbeca pagus Fland. *rel. S. Blasii* 339 d
Cruthinia regio Hiberniæ 127 c f
Cultui locus Hibern. 123
Cydonia ur. Cretæ 536 c
Cygnæus mons 308 c


D


Dacia pars Scithiæ habita 25 c
Damiata ur. Ægypti victoria Christianorum celebris 661 b
Daniæ Reges 9 sec. 403 404 fides illata 405 415 416 423 424 427 436 441 442 444 445
Daphne suburbium Antiochiæ 35 c
Dentilini Ducatus ubi situs 209 b 211 f
Diesthemum an Disbargum 207 f
Ditmarsia 296 d 402 c
Divodurum ur. Metensis 213 a
Dorovernia, nunc Cantuaria ur. Angliæ 291 d c
Dorstena ad Lippiam 402 f
Dorstatum, Durostadum ad Rhenum 417 a 537 f
Druimduchan monast. Hibern. 97 b
Duacum ur. Flandr. 828 b 907 b sub Comitibus Hannoniæ, dein Flandriæ 300 e *templum S. Amati* 305 a *reliq. S. Adalbaldi Ducis* 298 b *S. Blasii* 339 d *S. Agathæ* 639 d *S. Vedasti* 801 a
Dumbarton arx Scotiæ 503 c 504 d
Dunum opp. Hibern. 127 *S. Brigida sepulta* 110 c unde dictum 110 c 111
Duria fl. Pedemontii 946
Durna pagus prope Antverpiam 829 c d
Durostadium ad Rhenum urbs olim magna cum variis templis 402 f 403 a


E


Ebbeckesdorpium monaster. Saxoniæ inferioris, *SS. Theodoricus Ep. Mindensis, Marquardus Ep. Hildesheimensis, Bruno Dux* xi *Comites* xiv *Satellites regii aliique Mart.* 312
Ebolum op. Ital. *rel. S. Blasii* 338 a
Ebroica ur. Gall. 193 d f
Edessa ur. Mesopotamiæ. *S. Ephrem Syrus* 49
Elia monast. Angliæ 389 c 392 c
Einhamum monast. Flandriæ 787 c
Eliberis ur. Bæticæ 10 a *S. Cæcilius Ep.* 4
Elno flum. 827 a
Elno, nunc Amandopolis, monasterium Belgii a S. Amando constructum, diplomatis Dagoberti i et S. Martini Papæ munitum 826 827 840 f 845 c *S. Amandus Ep.* 823 *B. Andreas Ab.* 912 *reliq. S. Adalbaldi Ducis* 298 a 306 b
Elsa flum. Etruriæ 260 d 263 b c
Embilani Comitatus antiqui incolæ 402 e
Emesa ur. Phœniciæ *SS. Selvenus Ep. Lucas Diac. Mucius Lector* 785 *Julianus Medicus* 786
Enneno fluv. Bel. 684 e
Epaona, Epiena, locus in Sabaudia 671 d e
Ephesus ur. Asiæ 21 f
Epidamnum ur. Græciæ 28 29 30
Erfurtum ur. Turingiæ. *Corpus S. Severi Ep. Ravenn.* 91 *templum S. Blasii* 337 a
Ernus fl. Scotiæ 108 c d
Essendia opp. Westphaliæ 723 f
Eugubium ur. Umbriæ *B. Franciscu in Ord. S. Francisci* 939
Eureceyum an Ebroica 193 d 194 a


F


Facata ur. Japoniæ 766 a d f
Faconda vicus Japoniæ 758 a d
Fæsulæ ur. Etruriæ 247 e *S. Brigida V.* 245
Falcoberga pagus Artesiæ 687 b d
Fanum. Fortunæ in Piceno 265 e
Farfense Fafarense monast. Ital. Fundatum 364 c d 368 d
Farria, Herlichlandia ins. 408 a
Femini ditio Hibern. 129 130 a 167 d 168 d
Ferna sedes Ep. Hibern. 101
Ferruge castrum circa Alpes 676 a b c
Fionia insula Daniæ 408 a
Firandus ins. et ur. Japoniæ 736 c 766 c d
Fiterium monast. Hispan. *B. Raimundus Ab. fundator Ord. Calatravæ* 254 255
Flandriæ antiquæ termini 401 a fide Christi cœpta imbui 401 a
Flumen-triste, olim Furcium castrum in Aprutio 936 c
Fochart villa Hibern. 156 e 157 c *S. Brigida nata* 104 f
Folconsta monast. Angl. 391 c


Folkingamium

Folkingamium Baronatus Angliæ 572 b c
Forestanum monast. prope Bruxellas 832 d *vel S. Agathæ* 639 d
Fornagia monast. Hibern. *S. Munis* Ep. 788 d 789 c
Fortha æstuarium Scotiæ 503 c *SS. Aquilinus Geminus, Gelasius, Magnus, Donatus, Gelasius, Geminus, Donata* 463
Forum-Sempronii ur. Umbriæ *SS. Laurentius et Hippolytus Mart.* 288
Fossanum ur. Pedemontii. *Reliquiæ SS. Theodori, Trosimi, Evellii, Turcitii, Felicis, Candidi, Theophili MM.* 940
Francia, Francorum terra cis Ligerim 378 b 379 a Francia Teutonica 11 sec. 722 b e Francia maritima 817 b
Frangetius mons Belg. 377 e
Frankenford ur. Germ. 413 b
Frisia an a S. Anchario conversa 402
Fulda monast. German. 519 c *B. Rabanus Maurus Abbas et Archiepiscopus Mogunt.* 506 studia vigent 534
Furcium castrum in Aprutio, *patria B. Angeli Ord. Eremit. S. Augustini* 936 c
Furiosus fl. Burgundiæ 363 c
Fusmacum in diœc. Coloniensi *S. Aldericus subulcus* 931
Fucamum ur. Japoniæ 731 e 756 e 757 c e 763 f

G

Gadaltana ditis Galliæ sub Austrasiis 210 f
Galatia. *S. Petrus eremita* 94
Gandavum 797 b 799 f S. Amando excultum, monasterium S. Bavonis erectum 829 839 860 864 f 873 889 e *S. Bertulphus Ab.* 682 d e f *rel. S. Blasii* 339 c
Gandavorum Baronatus in Anglia 572 b
Gandersheimium monast. et opp. Brunswicensis ditionis 723 d e f
Gamma pag. ditionis Mediolan. *S. Gemmulus M* 571
Garganus mons 936 e 937 a
Gela in Toxandria 837 a
Gelria ur. Belgii inde dicta 724 e d
Geneliacum monast. in Petrogorico 954 d
Geracium castrum Siciliæ 647 c
Gerardi-mons opp. Fland. 901 a f *rel S. Blasii* 339 c
Germania i et ii, et Transrhenana sub Austrasiis 209 e f 210 a b
Gertrudis-berga opp. Hollandiæ 836 d
Gesilli locus Hibern. 125 b c
Gevisse regnum Occid. Saxonum in Anglia 913 c
Giamacum regnum Japoniæ 758 a
Giennum ur. Bæticæ. *Imago S. Veronicæ miraculosa* 461 a b
Girbertzroda in agro Juliacensi 837 b
Glastoniense monast. Angliæ creditur a S. Josepho ab Arimathia conditum, a S. Ina R. innovatum, dotatum, privilegiis munitum 915 916 917 *Ibi multi SS. vixerant* 107 *et obiit aliquis S. Patricius* 107 b *degit S. Brigida* 107 *SS. Indractus, Dominica, et 9 socii Mart.* 695 a
Glindelachan ur. Episc. Hibern. 113 114
Græcium ur. Styriæ. *reliq. S. Hildegardis* 729 f
Granata a Mauris condita 10 in ea scripta reperta sunt prohibita 11
Gravina ur. Italiæ 717 e
Groenlandia 407 d 408 b
Guastum. Amonium opp. in Aprutio. *B. Angelus a Furcio Ord. Eremit. S. Augustini* 936 938 d
Guengempum monast. Britan. Armor. 251 d f
Gundersheim monast. Saxoniæ 314 b
Gorcum ur. Ep. Carinthiæ 708 b

H

Haina fl. 878 c
Hamatica monast. ad Scarpum 828 d
Hamburgum ur. ad Albim 318 a 419 c 439 f Sedes Episcopalis 396 417 418 564 diœcesis termini 396 d Episcopi suffraganei 396 a f Bremensi unita Sedes 397 a 422 423 f 441 b c *S. Anscharius Archiep.* 391 *S. Rembertus Archiep.* 559
Hamelburg op. German. 524
Hamtona prov. Angl. 393 a e
Hannonia sedes Nerviorum, sub Austrasiis 209 e
Harlebeca in Flandria 682 e 690 d e 691 b d e f
Hasnonium monast. ad. Scarpum 48 b 828 e
Hassaroldt monast. ad Mœnum 523 e 525 b
Haverholma monast. Angl. 575 a
Haurincurtiana silva Belg. 498 a
Hay campus Hibern. 159 b monast. S. Brigidæ 106 f
Hehamburga monast. Angl. 389 c 394 a
Heligenstad in Holsatia 408 e
Heliopolis 95 f
Heraclea Sedes Metropolitæ 713 c d e b
Herbadilla ur. et locus ad Ligerim 824 a
Herbasiliens, Herbatilicus pagus Aquitaniæ 823 f
Heresi monast. Westphaliæ 569 a
Herlengova pagus Fland. 909 f 910 d
Hibernia Scotorum patria 248 f in plura regna divisa 103 a ab Anglis subacta 111 b c *S. Cinnia V.* 96 *Mel, Melchus, Munis, Riocus Epp.* 786
Hierosolyma. *Hypapante Domini, sive Purificatio B. Mariæ V.* 270
Hildesheimium ur. Saxoniæ inferioris. *S. Marquardus Ep.* 315 c d
Hirsaugia monast. diœc. Spirensis 539 e 540 e
Hochbuochi, Hamburgum 396
Hohenwartum vicus et monast. Bavariæ. *S. Wolfholdus Presb.* 249
Holsatia 396 a e
Holtekircha in Alamannia 523 a d 525 e 526 b
Hoblinium pagus Belg. *rel. S. Hadelini* 372 d
Homberch pagus Belg. 383 b
Honnonis-curia monast. Belg. *S. Lietphardus Ep. M.* 901 b
Hydruntum ur. Italiæ 717 e

I

Ilium op. Hellesponti 282 d
Inda monast. Belg. 411 c 831 e
Inisbovinde duplex in Hibernia. *S. Riocus Ab. et Ep.* 789 d
Insulæ ur. Belg. *corpus S. Euberti Ep.* 47 48
Irenopolis ur. Ciliciæ. *S. Joannes Ep.* 471
Islandia 408 b
Italica ur. Hispan. 281 e f 282 b

J

Jacium castrum Siciliæ 645 a
Japonia regio trium potissimum insularum in Oriente 730 inventa 730 exculta a Patribus Societatis Jesu 730 persecutione Taicosamæ R. Turbata 734 *et seqq. Martyres* XXVI 730 *et seqq.*
Jendo ur. regia Japoniæ 730 a
Jenna, Epaona vicus Sabaudiæ 671 e
Joppe ur. Palæstinæ 283 f 284 c
Jutiæ prov. Daniæ Sedes Episcopales 407 f

K

Karleburgum in Franconia 938 b d
Keltra monast. Hibern. 102 153 e
Kentibrutum in Zurichgauw. 520 a
Kildaria

Kildaria ur. Hib. sedes Ep. 101 f unde dicta 106 incrementum 101 *S. Brigida V.* 99 *S. Darlugdacha V.* 176
Kitzingum op. Franconiæ. *S. Hadeloga Virgo* 306

L

Labrati provinc. Hibern. 130 b 167 e
Ladenensis regio Pictorum 103 b c d
Lætiæ monast. Hannoniæ 372 a *reliquiæ S. Ignatii Antioch.* 35 *S. Blasii* 339 a *S. Vedasti* 801 a
Lagenia regio Hiber. 101 d *patria S. Brigidæ* 103 c d
Latiniacum monast. opp. Gall 305 a b d 322 a
Laudunum ur. Gall. 825 e f 879 d 906 b 907 f sub Austrasiis 209 d
Legia flu. Flandriæ 694 d 827 828 829
Lemovica ur. Gal. 802 f
Leontini ur. Siciliæ. *S. Rhodippus Ep.* 289
Lerma op. Hisp. *Caput S. Blasii Ep. Oretani* 324 f
Lescia fl. Arduennæ 370 e
Lessinia opp. Hannoniæ 371 f
Lethglasse, nunc Dunum Hibern. 126
Leticus pagus aut ditio Belgii 300 b 305 f
Liba regio prope Constantinopolim 548 a f 554 d
Lichtolvesbah in German. 524 b
Litte Campus Hibern. 114 125 132 136 c 160 b f flu. 123 f 162 b 165 c
Liminga monast. Angl. 391 c
Lingonis *reliq. S. Anatolii* 360 b
Lipara insula 289 b 290 a
Liptinæ palatium 504 b 505 a c
Lobium monast. Belg. *S. Ulgisus Ep. et Ab.* 501 504 oppidum dicitur 505 f
Lochgarloch in Scotia 504 d
Lotharingia pro Austrasia 383 d
Luavadum, nunc opp. Hibern. 132
Lubacum locus Etruriæ 247 d
Luca ur. Etruriæ. *S. Æmilius Dux* 78
Lucioli op. Italiæ 965 b e
Lugdunum, Araria dictum 293 f *S. Lupicinus Ep.* 364
Lugdunum Clavatum 697 d e
Lumiare in Lusitania. *Caput S. Brigidæ* 951 a b
Lutosa opp. Belg. 371 f 379 b a S. Amando excultum 832 a
Luxemburgum *dens S. Blasii* 339 a *rel. S. Agathæ* 969
Lydda ur. Palestinæ 283 f 284 c

M

Macaum in portu Chinensi. *Reliq. SS. Pauli Miki, Joannis Goto, Jacobi Kisai Mart. e Societ. Jesu* 748 d
Macloviopolis ur. Britanniæ Armoricæ. *S. Joannes de Craticula Ep.* 250
Magnesia ur. Asiæ 21 d f
Malbodium op. Hannoniæ 832 c 874 d *Rel. S. Blasii* 339 a
Malmundarium monast. Belg. 377 a 378 d a S. Sigeberto extructum 236
Mancha, Macha, locus Hibern. 127
Maratea op. Ital. *rel. S. Blasii* 337 f
Marchianæ monast. Belg. 828 c d 841 a 874 d 890 *rel S. Blasii* 335 c
Marense monast. ditionis Colonien. *B. Hildegundis Comitissa* 925
Mareolum monast. Artesiæ 832 f
Marianum, Marano, op. Venet. 677 f
Maricolæ monast. Hannoniæ 832 e 880 a
Martana, Martula, ur. Umbriæ 944 945
Matera, Maceria, ur. Italiæ 717 a
Maselandia, Masegavia 835 e f 836 a
Massiliæ provincia sub Austrasiis 211 d e
Meacum ur. Japoniæ 730 b f 733 a 740 a b 751 d 752 d 754 d 757 c 759
Mechlinia ur. Belgii. *rel. S. Blasii* 340 b
Mecklenburgum Sedes Episcopalis erecta, ac translata Suerinum 396 f
Medenatensis ditio 300 b
Mediolanum. *rel. S. Blasii* 338 c
Meldaria in Brabantia 836 c
Melita insula 609 e f
Mellifons monast. Hibern. *S. Finianus Ab.* 912
Melodunum ur. Gal. *rel S. Blasii* 338 d
Melphia ur. Lucaniæ 940 a b
Melrosa monast. Scot. 508 c
Menapiscus, Mempiscus ditio Belgii 818 e 819 a
Merania op. Tirolense 700 c
Merbeca pagus Brabantiæ. *SS. Berlendis, Nona, Celsa VV.* 381
Mercia a Danis subjugata et liberata 395 a
Messana ur. Siciliæ 645 a
Messena monast. Flandriæ 387 d
Methaa locus Hibern. 126
Methona ur. Peloponnesi 644 b
Metis 825 d Sedes regia Austrasiorum 212, 213 *S. Sigebertus R. Franc. Austras.* 206
Metopa castrum Mysiæ 548 e f
Mevenni monast. Britan. Arm. 253 e 254 b
Mildorpium in Holsatia 396 f 402 c
Milstadium op. Carinthiæ unde dictum 699 e f monasterium ibi extructum, variis subjectum 700 701. *BB. Domitianus Dux, Maria conjux et puer anonymus* 607
Mimate ur. Gal. *rel. S. Blasii* 338 d
Minda ur. Saxoniæ. *S. Thendericus Ep.* 315 a
Mitylene ur. Lesbi 554 e 555 a
Mompilerium locus Siciliæ 656 e
Mons-Falcus opp. *S. Severus Miles* 943
Mons-Fortis opp. Britan. Armor. 353 a
Monspessulans ur. Gal. *reliq. S. Blasii* 338 c
Montao locus Etruriæ 259 b
Mosegavia, Mosanus pagus 835 e f
Murciæ ur. Hisp. *monast. S. Veronicæ* 458 a
Mummin regio Hibern. 128
Mochlinga vicus Carinthiæ 728 a e
Moguntia metropolis Francorum Orientalium 503 a *reliq. S. Vincentiæ uxoris S. Severi* 90 *et Innocentiæ filiæ* 90 a *B. Rabanus Maurus Archiepiscopus* 506
Mona insula a S. Patricio conversa 104 b c
Monasteriolum, Monstreuil op. Gal. 690 d 691 a
Monasteriolum in diœc. Laudunensi. *Sudarium S. Veronicæ miraculosum* 461 e
Montes ur. Hannoniæ 832 e
Morsella pagus Belgii 382 d 384 d
Mortaria op. ditionis Mediolan. 923 e 924 d

N

Nacolia ur. Phrygiæ 554 e
Nanceium, *corpus S. Sigeberti* 242 d
Nangasachum ur. Japoniæ. *SS. Petrus Baptista et socii, Ord. S. Francisci, Paulus Miki, Joannes Goto, Didacus Kysai Societatis Jesu. Et* XVII *Japones Mart.* 730
Nangofama ur. Japoniæ 732 a
Nanto monast. Aquitaniæ 824 f 855 a 863 e 879 b
Nantua monast. Benghesiæ non est a S. Amando constructum 854 855 non est ibi S. Amandus mortuus 856 d Cluniacensibus quando subjectum 857 a
Nara ur. Japoniæ 758
Natolia regio Asiæ unde dicta 555 a
Nauplia ur. Argivorum 617 b

Neapoli

Neapoli *reliq. S. Ignatii Antiocheni* 35 f *S. Blasii* 338 a
Neapolis in confiniis Traciæ 27 f 28 c
Neostadium ur. Austriæ. *caput S. Brigidæ* 112
Neronias, aliter Irenopolis ur. Ciliciæ 471 d
Neustria Francorum regnum, unde dicta 208 f limites 209 b 211 e f 212 a b
Nicopolis ur. Asiæ 242 c 349 f
Nienheersen monast. Westphaliæ 559 c
Nili ostia 473 e f
Nivella monast. et opp. Brabantiæ 836 c
Ninive opp. Flandr. 910 a
Niphon ins. Japoniæ 730 b
Nisibis a Persis occupata 473 b *an ibi natus S. Ephræm* 51 e f
Nobiliacus monast. S Vedasti 796 d 808 c 810 a
Nordalbingia, Saxonia antiqua, Holsatia 395 e 412 c 431 a Carolo Magno subacta 395 c 418 d
Nordana ditio Frisiæ Orient. 564 b
Nordvicum locus Hollandiæ 564 c
Norwegiæ Episcopales Sedes 408 b
Novempopulonia, Aquitania III 301 a
Novigentum opp. Galliæ. *S. Probatius Presb.* 557
Noviomum ur. Gall. 906 f
Nozu in Japonia 766 c

O

Obania vicus Japoniæ 770 a b
Odivellas monast. Lusitaniæ 950 951
Oelegia Comitatus 701 a
Ogia insula prope Rupellam 824 b 839 c 859 f 869 d 885 d
Oldesalia opp. 207 c
Olympus in Lycia 270 b
Omura ur. Japoniæ 736 f 760 a
Opacum locus Etruriæ 247 b
Orbetellum opp. Etrur. *rel. S. Blasii* 338 a
Orcades Ins. 408 b
Oretum Germanicum opp. Hisp. 255 b c
Oretum ur. Hisp. *S. Blasius Ep.* 324
Origellia ditio Hibern. 96 c
Ortenburgum in Carinthia 701 a
Ortos vicus Artesiæ 793 e f
Osnabrugum ur. Westphaliæ. *S. Gosbertus Ep.* 316 c d
Osseckum monast. Bohemiæ 36 c e
Ostergaus pagus Frisiæ 402 e 430 f 448 b
Otideghem pagus Morinorum 689 b e 690 a c
Ozaca ur. Japoniæ 732 f 734 d 740 b 753 a c 754 d e f 760 e f 761 e f 764

P

Pabulensis ditio Gallo-Flandriæ 300 b 305 f 824 e 828 b c
Pannoniæ vastatæ tempore S. Hieronymi a Gothis et Sclavis 703 b c d e
Panormus ur. Siciliæ 660 a *an ibi nata sit S. Agatha* 611 612 613 *ecclesiæ et reliq.* 640 *reliq. S. Blasii* 338 c
Papia ur. Ital. 921 f
Parisii 825 d academia 508 a b *reliq. SS. Severi et Sinerii.*
Patara in Lycia 270 b
Parthia sub Perside habita 25
Patavium. *B. Antonius Peregrinus* 266
Pedret regia S. Inæ 694 696 d 914 b
Pelusium ur. Ægypti. *S. Isidorus mon. Presb.* 473
Penolacum opp. Umbriæ 367 e f
Pentapolis in Mari mortuo 43 d e
Perona opp. Gall. 305 a 688 e
Petracoricum in Aquitania 301 e 306 b 802 f
S. Petri de Gomeleo monast. Hisp. 256 a
S. Petri de Valle monast. Gall. *reliq. S. Ignatii Antioch.* 36 a
Petroburgum monast. Angl. 391 d 392 b
Pherme mons Ægypti 479 c d
Philadelphia ur. Asiæ 21
Philippi ur. Macedoniæ 22 a 22 c d f 28 c 30 b
Pisanus portus 264 c
Pisaurum ur. Italiæ 84 f
Placentia ur. Ital. *S. Gelasius puer* 470
Placentiæ Hisp. *reliq. S. Agathæ* 639 b
S. Placidi monast. Sicil. *reliq. S. Ignatii Antioch.* 26
Podium ur. Gall. *SS. Agrippanus Ep. et Ursicinus Mart.* 204
Pons-fractus ad Narniam flu. 965 a d
Pontus regio Asiæ. *SS. Martyres sub Maximiano passi* 664
Prænestæ. *S. Guarinus Ep. Cardinalis* 923
Praga. *caput S. Dorotheæ V. M.* 783 c *reliq. S. Agathæ* 639 e *olim caput S. Ignatii Antioch.* 36
Prenetum emporium Bithyniæ 554 c
Princeps insula Bithyniæ 552 c 553 a
Prosniza arx Carinthiæ 728 c
Prusa ur. Bithyniæ 550 c e 552 b
Pryconnesus in Propontide 554 e 555 a
Puteoli ur. Campaniæ 28 a 30 c
Pythia locus Bithyniæ 554 a c

Q

Quedelenburg. monast. et opp. Saxoniæ 723 d e
Quercolodora prope Antverpiam 829 b d

R

Raguza *reliq. S. Blasii* 338 a
Ramsola monast. in diœc. Bremen. 408 f
Randatium opp. Siciliæ 655 a
Randeroda in Juliacensi ditione 929 d
Rathesthorph monast. sub Fulda 527 a
Ravenna, *SS. Severus Ep. Vincentia uxor. Innocentia V. filia* 79 89
Reate ur. Italiæ 924 c d 925 d
Reguliaca in Gallia 801 e 805 c
Remi sub Austrasiis 209 c non fuit sedes regum Sigeberti I 213 c
Renensis ditio ad Antverpiam 829 c
Rentica in Artesia 797 a *S. Bertulphus* 681 684 e 686
Resbacum monast. Galliæ 826 a 871 e f 874 b
Rhegium ur. Italiæ in Brutiis 30 c
Rhinovia Helvet. *reliq. S. Blasii* 340 d
Rhiustri Comitatus Frisiæ 402 d
Rindortium monast. diœc. Colonien. 720 b
Ripa ur. Daniæ. ecclesia prima 406 b 427 e 445 d Episcopalis 408 a *S. Liafdagus Ep. M.* 450
Rocca Amatoris in Gallia 458 e
Roma. *SS. Fortunatus, Felicianus, Firmus et alii* XXIV *Mart.* 287 *S. Aprovianus Commentariensis M.* 289 *S. Eutychius M.* 463 *S. Ignatius Antiochenus occisus* 28 *reliquiæ* 35 *caput in templo Societatis Jesu* 37 *rel. S. Blasii* 337 f *S. Dorotheæ V. M.* 781 a *Ecclesiæ et reliquiæ S. Agathæ* 636 637 638 e *S. Veronicæ sudarium* 454 b 455 e 460 461
Robeeca pagus duplex Belgii 387 c d
Rosnethum in Scotia. *reliq. S. Modani Ab.* 503 e 504 d
Rossontum opp. Gall. 863 d f 895 f
Rotomagum 817 f *corpus S. Severi Abrinc.* 192 f 193
Ronacum opp. Flandr. 413 e monast. a S. Amando extructum, datum aliis 831 d e
Runglacum prope Tornacum 910 b
Ruthena ur. Gall. sub Austrasiis 210 f
Rutilæ monast. Belg. *reliq. S. Dorothea V. M.* 781 b


Saballinum

S

Saballinum monast. Hibern. 97 d e
Sabinensis an S. *Laurentius Ep.* 369 a
Sabio, Savio ur. Rhætiæ. *S. Ingenuinus Ep.* 643 d 675
Sabucetum pagus Artesiæ 793 e f
Sacajum ur. Japoniæ 755 b 761 a
Sala, Isala fluv. 207 c
Salandia, Saliorum terra 207 c
Salinæ ur. Burgundiæ e quæstuosis salinis dictæ. *S. Anatolius Ep.* 359
Salingenstadt ad Mœnum 519 b c
Saxonia antiqua, varia migratio 395 e
Scaldis fluv. 827 829 866 877. Sotoaldis dicitur 864 f
Scara ur. Sueciæ. *S. Brynolphus Ep.* 933
Scarpus fl. Belg. 827 a 828 b c
Scapwekia *cæde S. Indracti nota* 695 a f 696 e
Scepeia monast. Angl. 389 d
Scepsis ur. Hellesponti. *S. Cornelius Centurio Ep.* 281 282 d f 283 b 284 285
Schireburnum ur. Angl. Episcopalis 917 918
Scodinga in Burgundia 359 d 360 d 363 c
Sconia prov. Daniæ 407 f
Scopetum monast. Etruriæ 247 a b c
Scotia pro Hibernia 103
Sebastia ur. Cappadociæ, aliis Armeniæ, *S. Blasius Ep. 2 pueri 7 mulieres MM.* 334
Seburgum ur. Curlandiæ 426 f 427 e 444 b
Seclinium op. Belgii. *S. Eubertus Ep.* 47 48
Seibostorf vicus Bavariæ 250 a
Selandia ins. Daniæ 408 a
Seleucia ur. Syriæ 26 30 a
Sempringam monast. Angl. *S. Gilbertus Fundator* 572 *Ordinis monasteria* 574 b
Sesmarus fl. Belgii. 376 b
S. Severi monast. prope Ravennam 87 88 90
S. Severi monasterium Gall. 188 b ejus reliq. 194 a
Siciliæ situs 644 f Siciliæ duæ 936 c
Sida ur. Pamphyliæ 272 a
Simætbus fl. Siciliæ 624 e 625 b 626 a
Sinna flu. Hibern. 132 c 153 e 154 d 159 e
Sinonchum ur. Japoniæ 767 c
Siponti *reliq. S. Agathæ* 638 d e
Sisiacum monast. Gal. 195 e
Sleptum ur. Episc. Hibern. 101
Slesvicum ur. Daniæ Anglorum sedes: ecclesia prima 406 b 424 c 427 f 433 a 445 b 571 a
Smyrna ur. Asiæ 21 26 27 30 e f 549 f 550 c 644 a *SS. Pionius Presb. Dionysius, alter Pionius et* 13 *Martyr.* 37 *S. Bucolus Ep.* 774
Solac ad ostium Garumnæ 458 d e
Solemniacum monast. Aquitaniæ 375 f 376 e f
Soler-Liedus op. Catalaniæ 665 d e
Solium, Saal, op. Carinthiæ 708 b
Sonniacum op. Belg. 381 f
Spoletium in Umbria. *S. Laurentius Illuminator, Ep.* 365
Stabulaus monast. Belg. 376 b 377 a a S. Sigeberto extructum 235 236 *bruchium S. Hadelini* 372 d
Stada ad Albin 402 f
Steina in Carinthia 728 b 729 a b
Steinfeldia monast. Ardennæ 927 a 928 b
Sterlinia ditio Scotiæ 503 c
Stowa locus Angliæ 393 d e
Strath-Erna prov. Scotiæ 108
Studium monast. CP. *S. Nicolaus Conf. Hegumenus* 158 varii Hegumeni relati 543 et seqq.
Sturmaria 396 d
Suerinum Sedes Episcopalis 396 f
Suessio ur. Gal. 797 c *S. Vodalus Benedictus* 696



Suecia. *S. Nithardus Presb.* M. 395 fides illata 8 sec. 417 418 419 420 421 424 425 427 428 437 439 440 442 443 444 445
Summontorium arx Bavariæ 249 b e 250 a
Symbatha in Judæa *S. Azarias Proph.* 323
Syracusæ ur. Siciliæ 649 a

T

Tailten locus Hibern. 123 f 158 b d
Talavera. *S. Pimenius* 951 f
Tamerunta locus Angliæ 694 f
Tantona op. Angliæ 921 a b
Tarenti *mamilla S. Agathæ* 644 c d
Taurini Synodus sub Zosimo 358 d
Teate ur. Aprutii 936 c *SS. Legontianes et Domitianus Mart.* 664
Tehtfe regio Hibern. 122
Telman vicus Persidos. 474 a
Temoria ur. regia Hibern. 155
Tener, Tenera fl. 387 c d
Teruana, ur. 684 d diœcesis 401 d
Teutonica lingua 723 c e
Theba regio Hibern. 157 c e
Thebais 263 d e f
Thessalonica. *S. Basilius Ep. Conf.* 244
Thmuis ur. Ægypti. *S. Phileas Ep.* 462 e
Thuringia sub Austrasiis 209 f 110 a an tum lex subditis data 212
Tiburnia in Noricis 680 a
Tiburnia ur. Carinthiæ 703 c
Ticini monast. S. Agathæ 661 a
Timis, Tumnis, *reliq. S. Berlendis* 385 e f
Toletum. *cranium S. Blasii* 324 f
Torholtum monasterium Flandriæ an a S. Amando extructum 828 f donatum S. Anschario 401 b 411 b 418 e 439 a eidem ablatum 401 b 422 d 430 f 441 b f 447 e Comitum sedes 401 a *S. Rembertus educatus* 560 a 562 a 565 b
Tornacum ur. Belgii 47 c e a S. Amando excultum 827 861 c d 873 d 910 b *rel. S. Blasii* 339 b *cultus S. Venisæ* 459
Toxiandria-locus in Brabantia 207 e
Trajectum ur. ad Mosam. Sedes Episcopalis asseritur et vindicatur 832 833 834 835. Sedes regia 837 b urbs primaria Masacorum 835 e f 836 a b *S. Amandus Ep.* 823 862 874 *S. Agricolaus Ep.* 666 *Omnes Episcopi Sancti* 772 c d
Trallis ur. Asiæ 21
Trecæ ur. Gall. *S. Aventinus Presb.* 479
Trescaltum vicus ad Scaldim 497 e 501 a e
Triburia regia villa Germ. 413 c
Tricaricum ur. Italiæ 717 f
Tricastinum opp. Gal. *S. Paulus Ep.* 92 *S. Torquatus Ep.* 93
Tricengeham monast. Angliæ 394 a
Troas ur. Phrygiæ 27 28 30 286 b
Trunchinium monast. prope Gandavum 831 b
Tullum ur. Belgicæ 1 791 f 804 d
Tulpiacum. Tulbiacum opp. 804 f 931 d 932 e f
Tungri metropolis Toringorum 208 a
Turcicum ur. Italiæ 717 e
Turintona ur. Angl. 577 b e
Turonum ur. Gal. 860 b 870 c 886 d primi Episcopi 216 a 217
Tyane ur. Cappadociæ. *S. Agathodorus M.* 287

U

Ucecia ur. Gall. 863 c e sub Austrasiis 210 f
Ultrajecti schola antiqua 402 a *rel S. Blasii* 339 c 942 b c
Ulyssippo. *caput S. Brigidæ* 113 a *reliq. S. Blasii* 131 338 c

338 c *S. Dorotheæ.* 779 d e
Urbs-Legionum duplex in Britannia 389 e
Ursula Coloniæ. prope Berlinum. ur. Germ. 529 e


V

Vabrense castrum 951 e
Vaceia pro Vasconia 303 a 303 f
Valencenæ ur. Belg. *cultus S. Venisæ* 459 d e f
Valentia ur. Galliæ. *S. Galla* V. 948
Valliacum op. Gall. ad Axonani fl. S. *Præcordius Presb.* 196 c
Vapincum ur. Gall. SS. *Tigrides et Remedius Epp.* 365
Varesinus Com. Gall. 856 f 857 c
Varesium op. Lombardiæ 571 c
Vasconia duplex 301 a 303 a d 304 a c f
Vaurum opp. Aquitaniæ 824 e 865 f
Vecta inf. Angl. 918 e
Velinus lacus Umbriæ 367 e 368 a
Vellava ur. Vellaunia reg. Gal. 204 205
Verda ur. German. 412 c 422 f 441 c *S. Erlulfus Ep.* 316 a b c
Verginiensis tractus Etruriæ 264 e
Vernlacum prope Suessionum urbem 305 e
Vesontio ur. Burgundiæ 361 a 363 c
Vetus-castrum loc. Gal. 188 c
Viana ur. Lusitaniæ 778 c e
Viconia monast. Bel. *rel. S. Blasii* 339 b
Vienna ur. Gall. *S. Simplicius Ep.* 358 *S. Philippus Ep.* 369 *S. Evantius Ep.* 370 *S. Avitus Ep.* 666
Vilcasinus pagus 819 e f
Vilica monast. dioc. Colonien. *S. Adelheidis V. Abbat.* 720
Villessa monast. German. 318 b
Vindonissa ur. Ep. Alamanniæ 210 b
Viria fl. et opp. Gall. 188 d f 194 a
Visera, Vesera fl. Gal. 200 b f
Visetum op. Bel. *rel. S. Hadelini* 372 c d
Vivaria ur. Gal. ad Rhodanum 93 f
Vivium castellum Flandriæ 692 e 693 a
Volaterræ ur. Etruriæ. *Corpus S. Candidi M.* 334 *reliq. S. Blasii* 338 b *pars cranii S. Agathæ* 638 e
Vungisus pagus Gal. 801 e 805 b f


W

Wagria 396 c
Walchra ins. Belgii 403 b f
Walgiacus in Picardia 811 e
Wallia regio Britanniæ unde dicta 920
Wandalia 396 f
Wardara in Gallia 819 e f
Weduna monast. Angl. 389 d 393 a d e
Wellia ur. Angliæ 920 c
Welna, wenalao prope Hamburgum 409 a 419 a 439 c d
Wentica pagus Belgii. 388 c 389 b
Westphalia unde dicta 539 f 540 b
Winburna monast. Angl. 307 d e 914 d
Wincella prope Moguntiam 541 f
Wintonia ur. Angl. 918 d
Wlfara villa S. Vedasti 821 a
Wodnesburh in Anglia 920 f
Wormatia 837 c


X

Xamclium locus Thraciæ 554 e
Xicocus ins. Japoniæ 730 b c
Ximus ins. Japoniæ 730 b c 754 a


Y

Yerga mons et monast. Navarræ 254 f


Z

Zacynthus insula Ionii maris 462 a
Zellinga monast. ad Mœnum 525 d
Zandapa ur. Mysiæ 555

# INDEX ONOMASTICUS
## TOMI I FEBRUARII.

*Indicantur brevi collectione voces barbaræ, vel minus usitatæ atque etiam tituli dignitatum, potissimum si addita significatione explicentur, ut cui vox aliqua minus obvia occurret, dispicere possit, nunc hic similis existat. Non interim culpamus, qui vocabula ab illustribus scriptoribus licet ferreis accedentibus seculis, usurpata admittunt, cum illi potuerint tractatus periisse, in quibus auctores etiam aureæ, ut vocant, ætatis usi ejusmodi fuerunt verbis. Ita Magnus Felix Ennodius dixit,* Sacerdotem antiquis et modernis legibus obsequentem, *et M. Aurelius Cassiodorus* modernos expositores *scripsit, ac passim posteriores scriptores eam vocem usurparunt : ne quis sciolus grande nefas conclamet, si cui viro alioquin erudito, et ad rem magis quam verba attento, vox eadem similisve exciderit.*


A

Abstultus, *ablatus* 209
Agonotheta, Agonitheta, *pro pugile* 200 *c f* 899 *a* 900 *b*
Aldermanni, *senatores* 919 *c d*
Analogium, *pulpitum ad sacras lectiones recitandas* 905 *a* 906 *a b*
Archimandrita, *pro Episcopo* 84 *d f*
Archisterium, *episcopalis Sedes* 82 *e*
Auca, *Auser Silvestris* 393 *d*

B

Biothanati, *Christiani dicti* 664 *a*
Bladum, *frumentum* 577 *f* 578 *f*
Blatteum, *purpureum* 142 *b* 143 *d*
Bostar, *boum stabulum* 144 d 145 *d*
Brasium, *hordeum vel frumentum maceratum ad coquendam cerevisiam* 121
Brisia, *genus herbæ* 167 *c* 168 *d*

C

Celibatus *pro sanctimonia aut sacerdotio* 84 *c f*
Caldarium, Caldaria, *lebes* 136 137
Camerata verba, *tecta, involuta* 907 *e* 908 *b*
Cappa, *pro pallio* 699 *a*
Carrotium, *genus vexilli* 580 *b d*
Cellæ unda, *pro vino* 142 *c*
Chorepiscopus, *Vicarius Episcopi* 522 *b*
Cicendelum, *vitrea lampas* 699 *d* 700 *a*
Clocca, *campana* 428 *a* 428 *e* 566 *b*
Clusæ, *angustiæ viarum* 891 *e* 892 *e*
Consolo, *active* 233 *d*
Corium perdere, corium foris facere, *verberari* 919 *e*
Cum reliquos fratres, *cum accusativo pro ablativo* 233 *f*

D

De conditiones vestras, *cum accus.* 233 *e f*
Digno, *active* 233 *f*
Diœcesis, *pro provincia Archiepiscopi* 541 *a c*
Ducibulum, *epistomii pars* 725 *e* 726 *a*

E

Epilotes, Ependytes, *vestis monastica* 482 *e*
Episcopium, *pro diœcesi Episcopali* 191 *a c*
Eulogia, *varia* 200 *f*
Exenium, *xenium* 811 *a b*
Extestucare, *jus abdicare* 929 *d*

F

Fiatur, *pro fiat* 234 *a*
Ficones, *genus calceamenti* 133 134 186 *f*
Foresta, Forestis, *silva* 236 *c f* 237 *d e*
Forestarii, 237 *d e*
Fredum, *compositio pacis* 411 *b d*
Fritillus, *pro sono* 893 *a b*

G

Gerba, *manipulus spicatum* 577 *f* 579 *a*
Getæ, *pro Danis aut Normannis* 814 *d* 816 *a*
Grangia, *horreum* 577 *f* 578 *f*
Grunna, *locus uliginosus* 140 *a f*
Grympa, Grympia, *velum S. Agathæ* 653 *a b* 655 *f* 658 *c*

H

Heraclæ, *in fornice* 778 *d*
Hypatante, *Occursus Domini.* 270

I

Idoli *et* imaginis, *differentia* 548 *f*

K

Καλλίνικοι, *Martyres, victoriosi* 551 *a*
Kyricseatum, *primitiæ frugum* 919 *c d*
Kyrieles, *pro Litanus* 387 *d e*

L

Leudes, *populi* 209
Leuva, *leuca* 235 *e f*
Libellatici *in Africa qui* 330 *a*
Liti, Litones, Lidi, Liddi *homines eidem Principi ut membra obstricti* 411 *b d*
Lotharingia, *pro Austrasiorum regno* 383 *d e*

M

Maldradia, *mensura* 720 *d*
Maldrani, *mensura frumenti* 541 *f*
Mansionaticus, *hospitium* 411 *b d*
Mansus, *domus rustica cum agello* 188 380 *e* 381 *d*
Markæ, *limites provinciarum* 892 *a c*
Marsi, *pro veneficis, incantatoribus* 885 *d*
Mater et Matrix Ecclesia 662 *f*
Mattola, *teges e juncis* 384 *f* 385 *b*
Modiolus, *in rota* 387 *c d*
Molinus, Molinum, 140 *f* 141 *a*
Morgangeba, *matutinale donum* 211
Muffula, *chirotheca* 381 *e*

N

Necys, Netos, *Mars Hispanis* 9 *c*
Necaroni, *pro Hunnis* 802 *b* 803 *a*


Orarium

O

Orarium, *pro stola Sacerdotali* 578 *a f* 579 *a pro linteo* 782 *d*
Orthodoxia *festum Græcorum ob restitutum cultum imaginum* 553 *b*

P

Palificare, *declarare* 82
Parata, *alimenta hospitum* 411 *b d*
Pedules, *laneı calcei* 578 *c d*
Phari *in fornice* 778 *d*
Phrontisterium, *pro monasterio* 470 *a* 471 *a*
Pipare, *carmine eloqui* 892 *f*
Polyandrum, *sepulchrum* 559 *b e*
Præripium, 559 *b e*
Præsulatus, *pro diœcesi Episcopali* 191 *a c*
Presbyterium, *locus in choro apud Benedictinos* 237 *e* 237 *b c*
Prisio, *carcer* 822 *f* 823 *e*
Pro nos *cum accusativo* 233 *f* 234 *a*
Protopapa, *in Oriente* 716 *b*
Protospatharii *dignitas* 556 *c*

R

Roma *pro Italia aut Imperio occidentali* 28
Rosetus, Roseta, *paxillus, ne rota excidat* 124 125 162 *b*

S

Sacrificati *in Africa qui* 330 *a*
Sampsia, *genus herbæ* 167 *e* 168 *d*
Schola militaris 202 *f*
Scholasticus, *pro viro erudito et eloquente* 780
Sciolus *pro non satis erudito* 684 *a b*
Scopare 203 *c*
Secretarium *explicatum* 627 *f*
Segnum, *genus vestis* 125 *e* 126 *b* 163 *d*
Senior, *pro Principe, hero* 422 *d* 423 *a*
Sentis, *argentea, fibula, gemma* 139 *b f*
Simultas *pro conspiratione* 193 *a*
Sophista, *honoris titulus* 509 *c d*
Sparha, *latior gladius* 556 *c*
Spinda, *seu* Spenda, *mensura* 720
Stirpare, *stirpitus evellere* 205
Synodus collectus *mascul. genere* 120 *c*

T

Tabulata, *facies plana* 153 *a f*
Telonius, *masc. genere pro vectigali* 237 *a*
Theotiscus, *Germanus, Teuto* 821 *b d*
Tonna, *vas* 202 *c f*
Tonsilla, *palus sive uncinus ad naves detinendas* 559 *b e*
Tripassalum, Τριπάσσαλον, *trifurcata pertica* 57
Turcasia, Tharcassius, Tharchasius, *pharetra* 643 *f*
Typus, *in hæresi adstruenda* 775 *b f*

V

Vacceia, *pro Vasconia* 303 *a f*
Vicedomini *in Ecclesia dignitas* 486 *f*
Vicus, *pro oppido* 381 *d*
Viceus, *pro sepulchro* 709 *c*

W

Waso, *cespes* 382 *b*
Wantus, *chirotheca* 380 *c* 381 *c*

# INDEX MORALIS
# IN VITAS SANCTORUM
## TOMI I FEBRUARII.

Non sola hic virtutum aut vitiorum nomina expressa, sed rerum omnium vocabulæ, quarum notitia ad virtutum vitiorumque tractationem visa est accommodata : ut sint veluti universales loci communes, qui postmodum ex toto opere ampliores poterunt confici.

### A

Abbates Sancti, Tuianus in Britannia Armorica 198 Raimundus Fiterii Ord. Cisterc. 254 Modanus in Scotia 503 Ulgisus Lobiis, simul Episcopus 504 Bertulphus 682 Andreas Eluonensis 912 Finianus Hibernus 913 Abbas sancte vivit B. Rabanus 536 b c Abbas Catanensis diplomate Urbani u simul Episcopus ordinatur 651 d e f Abbatis munus deponit S. Aventinus in senectute solitariæ victurus 480 f

Abbatissa S. Adelheidis V. 720

Absens absentes juvat S. Brigida 130 e

Abstinent vino et carne Benedictini Fuldenses 534 c S. Modanus 504 d B. Rabanus Archiep. 540 e Abstinentia S. Ephræm. 71 c S. Anscharii 429 b c

Aceto plagæ S. Ignatii M. perfusæ 28 e

Actiones S. Rembertus e vultu apparentis S. Anscharii dirigit. 400 a Actus heroicus in tentatione factus quam utilis 133 a

Adeps S. Blasii positus ante digitum ejusdem liquescit, remotus coagulatur 338 a

ab Adolescentia pius et mortificatus S. Probatius 558 b

Advocatus S. Theophilus M. 783

Ægrorum curam misericors agit S. Ephræm 78 Ægris salutaris vinea S. Ursi 945 f Ægros oratione sanat S. Galla 949 e vide Morborum genera.

Aer lucidus fulsit nocte qua in agone fuit S. Guarrinus 925 a b Aeris intemperiem et morbos enascentes reliquiæ S. Agathæ compescunt 658 f

Æstu maris Chrismo S. Brigidæ obrutum in littore non corrumpitur 131 a

Ætnæ saxa ignita altissime ejecta 656 f incendia prodigiosa 654 a f 656 a b c d terribilia 607 e iis liberatur Catana ut, per velum S. Agathæ 615 a 653 f 657 a b c d

Afflatu oris S. Theodula idolum disrumpit 663 c in Afflictionibus et patientiæ occasionibus tota vita fuit B. Joanna Valesia 582 c Afflictos consolari Deo perfacile 130 f

Alapa inflicta energumeno, ejicit dæmonem S. Vodalus 698 e S. Agatha 647 e vocis claritatem S. Adelheydis confert 725 f sanctimonialis immodestiam corrigit S. Hadeloga 955 c Alapis cæditur S. Agatha 622 b Alapam rusticus levem impingit Duci Carinthiæ in ejus inauguratione 713 f

Altare supra corpus S. Jacobi Apostoli erigunt discipuli eique id dedicant 6 b Altare lapideum a S. Brigida lusu puellari extructum, Angelus sua opera perficit 131 b c Altare S. Veronicæ sudario Romæ a Pontifice erectum 460 e super Altare in templo S. Agathæ nubes cœlitus descendit 637 b ex Altari S. Alexandri, ter posita dona peccatoris ter divinitus dejecta 520 e f

Ambitiosus Theophilus, ut officium honorificum reciperet, dæmoni se devovet 490 b c

Amor Beatorum erga hominem pium 415 b Amor inter Beatos mutuus 777 f

Anachoretæ nolentem cedere loco laicum cum uxore ventus trans mare projicit 129 d Anachoretica vita S. Aventini 482 d

Anates silvestres vocatæ a S. Brigida mulceri se sinunt 134 d

Anathema ad reliquias S. Alexandri appensum, desiderans emere, contractione membrorum punitus, post confessionem culpæ, gratis obtinet 520 b c ob Anathema furtive retentum ad reliquias S. Venantii, Clericus a dæmone obsidetur 522 f

Ancillam Christi se vocat S. Agatha 625 a Ancillæ semini postponitur semen Dominæ 156 b c

Angelus significat S. Amando, adventum hospitis S. Humberti, jubetque illum huic obviam ire 880 d e Angelus excitat S. Brigidam, ut moneat patrem de adventu hostium 131 a Angelus S. Brigidam Fæsulanam ex Hibernia in Italiam, cum mensæ cui assidebat prandens, transfert 248 a b Angelus ex incendio extrahit S. Vodalum cincinno verticis 698 f Angelus S. Cornelium Centurionem ad S. Petrum mittit ut ab eo erudiatur in fide et baptizetur 283 f Angelorum manu, præcipitata S. Hildegardis excipitur et cantu recreatur 727 c d Angelicos cantus frequenter audit S. Vodalus 699 a b Angelos alternis hymnis SS. Trinitatem laudantes vidit S. Ignatius M. et ad normam illam instituit cantum in Ecclesia Antiochena 13 f Angelos cum orante fratre Opilio colloquentes videt et audit S. Gelasius puer 470 f Angelus vinculis solvit S. Cornelium Centurionem 285 d e Angelus incarceratos duos orante S. Patricio, cuternis fructis per aera transportat 110 e Angelus apparens a febre S. Vodalum liberat 698 d Angelus juvat S. Brigidam in ligno oneroso transferendo 134 c Angelus custos orationes S. Brigidæ Deo offert 131 d benedictione omnem saporem tribuit aquæ 131 b altare a S. Brigida cœptum ergi perficit 131 b Angelus acceptam a S. Brandano Eucharistiam defert ad S. Brigidam 115 b Angelorum præsentia recreatus moritur S. Baro 844 b c Angelorum cantus auditus in morte S. Hildegardis 728 e Angelum funeri S. Agathæ assistunt et inscriptionem cum tabula tumbæ apponunt 623 f 626 a Angelorum ferentium animam patris sui in cœlum voces audit S. Berlendis 381 a 384 e Angelorum concentus circa tumulum leprosi 789 a

Anguem a se conculcatum precibus sanat S. Aventinus 493 d

Animas baptizatorum nitidas dicit Angliæ Dux, non baptizatorum idolatrarum sordidas ac nigras 707 a in Anima Christum circumfert S. Ignatius M. ideo Theophorus dictus 14 b Animæ morientium in specie columbæ visæ ad cœlos volare S. Blasii Armentarii 358 a et S. Aventini 485 c Anima S. Amandi cœlum ascendere specie venerabilis Sacerdotis visa a S. Aldegunde 847 d e 883 d pro Animabus defunctorum eleemosynas debitas non distribuens fideliter, graviter ab umbris defunctorum verberatus moritur 739 e f pro Animabus defunctorum eleemosynas debitas expendere negligenti non applicantur orationes, quæ pro eo defuncto fiunt 540 a

Annuli ex contactu Reliquiarum S. Agathæ, salutares

res 658 c Annulum *aureum a S. Brigida oblatum recusat S. Finianus : quem dum lavat manus miraculose reperit* 117 *b*

Annuntiatarum *duplex Ordo a duplici fundatione* 581 *a b*

Anser *comestus, collectis ossibus et reliquiis revixit apud S. Wereburgam* 394 *c* Anserem *captivum, ceteri clamoribus et volatu per gyrum requirunt* 393 *b c* Anseres *silvestres, jussu S. Wereburgæ ex agro domum adducuntur more cicurum avium* 393 *b*

Apis *caput S. Mauronti altari ustantis circumvolans continenter casteque victurum demonstrat* 874 *e ideo a S. Amando in Clericum tondetur* 845 *d*

Apostatæ *a fide duæ sorores, a S. Dorothea conversæ ad pœnitentiam* 779 *d*

Apparens *S. Petrus suadet S. Amando reverti ex Italia in Gallias ad prædicandum* 860 *c* 864 *e* 866 *b* 871 *c* 887 *a* Apparens *S. Blasius admonet Christianos anachoreticæ viventes, ad mundi contemptum* 337 *a* Apparens *S. Remaclus S. Hadelino, locum ac fontem ei commodum ostendit* 375 *b* Apparet *hora mortis anima S. Bavonis S. Gertrudi, petens linteamina corpori sepeliendo necessaria* 844 *d* Apparet *post martyrium sudore diffluens S. Ignatius M.* 28 *b* Apparet *post mortem in gloria magna S. Megengor* 724 *c* Apparet *S. Agatha inter Angelorum et Virginum chorus S. Luciæ M.* 636 *c* 651 *f* Apparens *S. Sigebertus Rex, jubet corpus suum ex templo ruinoso alio transferri* 238 *b d e* Apparente *per somnium B. Joanna Valesia curatus tibiarum dolor* 589 *c* Apparentes *SS. Augustinus, Laurentius, Mellitus contractum sanant* 297 *a* Apparet *defunctus Sacerdos Sacerdoti Missam celebranti* 594 *a*

Apostoli *habiti Danorum et Suecorum S. Anscharius* 397 *a Flandrorum Eubertus* 47 *Hispaniarum Apostoli septem* 4 *b An S. Paulus fuerit in Hispania dubitarunt aliqui* 8 *b a promissum veniendi in Hispaniam, si non venisset, excusatum a mendacio* 8 *a b*

Aqua *circumquaque exundans, templum S. Verdianæ non est ingressa, longe altior ipso limine templi* 264 *e Aqua ab Angelo custode S. Brigidæ benedicta omnem saporem continet ut manna* 131 *c* Aqua *salubris variis morbis, ex lapidibus sepulchri S. Severi emanat* 88 *a Aqua benedicitur cum intinctione reliquiarum S. Blasii* 340 *c* Aqua benedicta 12 *leprosos sanat S. Brigida* 123 *e cæcos et leprosas* 121 *e uxorem marito reconciliat* 124 *a mutam et surdam sanat S. Galla* 950 *b* Aqua *qua S. Amandus manus abluerat, cæcus visum recipit* 863 *a* 879 *a* 894 *d e* Aqua *qua pedes S. Brigidæ abluti, ægra sanatur* 122 *e* Aqua *qua corpus S. Obitii mortui ablutum, sanantur infirmi* 579 Aqua *reliquiis B. Raymundi consecrata medetur infirmis epidemia* 257 *a in* Aquæ *ferventis lebete* 5 *detinetur illæsus S. Blasius Armentarius* 357 *d* Aquam *in cerevisiam convertit, S. Brigida* 120 133 *d* 787 *f* 788 *a in vinum S. Anscharius* 409 *f die solemni S. Berlindis* 382 *a b* 385 *a* Aquam *frigidam bibit princeps Carinthiæ in sua inauguratione* 707 *f* Aquæ *tantum hausit demens ut crepuerit* 113 *f in* Aquis *sicut in arida ambulat S. Blasius* 343 *a*

Aquila *raptum puerum candum, qui cedere nolebat locum Anachoretæ, salvum dimittit in littore* 129 Aquila *alis expansis pluviam arcet a S. Bertulpho* 686 *b c*

Ara B. Mariæ *inter muri ruinas illæsa servatur* 807 *a*

Arbor *quædam apud Japonios credita vim habere contra malignos spiritus* 770 *c d* Arbores *et ligna Gandavi tempore ethnicissimi coluntur* 861 *a b* Arbor *olivæ divinitus floret ad sepulchrum S. Torquati* 9 *e* Arborem *ex baculo S. Severi Abrincensis natam nemo lædere poterat, aut profano contactu impune violare* 189 *a b* Arborum *cortices in lardum convertit S. Brigida* 134

Archimandrita *S. Nicolaus Studita Conf.* 544

Arenam *gentiles spargunt, qua Martyres erant transituri instar Imperatoris triumphantis* 761 *f*

Argentum *divinitus accipit, quo reum a morte redimit, S. Brigida* 134 *a* Argenti *massæ in fluvium projecta, ad ejus manus nando pervenit, cui destinatur a S. Brigida* 134 *a*

*ab* Arianis *recepto templo cum Missa celebrari cœpisset, dæmon in porci specie effugit* 637 *b*

Armentarius *S. Blasius Cæsareæ Cappad.* 357

Articularis morbus *ope B. Joannæ Valesiæ curatur* 584 *c d* 595 *a*

Artifices *in Japonia cum Religiosis martyrium subeunt* 768 *f*

Arundines *acutæ sub ungues digitis Martyrum infiguntur* 664 *e f*

Astus *sanctus* 185 *e* Astus *Imperatoris et Imperatricis ad rebellium Ducem capiendum* 640 *c d* 641 *f* Astus *quo Regina Regem ad mundi contemptum induxit* 922 *a b*

Auctoritas. *S. Anscharii apud divites et nobiles* 431 *b*

Aves *silvestres ex manu S. Arnulfi micas edunt* 493 *d* Avis *candida jussu pii Sacerdotis, super ossa S. Bertulphi considens, ejus esse ossa vera comprobat* 692 *e f*

Aures *Martyribus Japonia præcisæ* 761 *c* Auribus *S. Theodulæ clavi infixi* 663 *d*

Aurum *pro Numine habet Theophilus* 475 *f* Auro *argentoque exornatur locus super Reliquias SS. Januarii et Magni* 526 *b*

Auriga *S. Brigidæ ex voluntate S. Patricii, etiam Sacerdotis munus agit* 127 *a*

B

Baculus *S. Vedasti, inter reliquias positus* 800 *f* Baculus *per oblivionem relictus, divinitus S. Mauri allatus* 788 *d* Baculum *viatorium porrigit Angelus S. Vodalo ad iter adhortans* 698 *b c* Baculus *S. Severi Abrincensis humi defixus in arborem crescit* 189 *a et S. Indrecti* 696 *c et S. Vedasti, in signum voluntatis divinæ de ædificando xenodochio* 820 *a* Baculo *monitu Angeli terræ infixo S. Aldericus fontem elicit* 932 *b* Baculo *S. Vodali incendium reprimitur* 699 *a S. Amandi cæcus illuminatur* 906 *f*

Balneo *non usus B. Robanus Archiep.* 540 *e*

Baptizari *vult filium Dagobertus Rex per S. Amandum* 859 *f* 875 *c inter* Baptizandum *S. Sigebertus* 40 *dierum infans, respondet* Amen 862 *c alius infans* Deo gratias 862 *c ut* Baptizaretur *Rex Echu, mortuus revixit* 97 *b c d* Baptizatur *victoria per Christum obtenta Rex Clodoveus* 801 *e* 804 *d* Baptizatur *S. Brigida ab aliquibus specie Clericorum comparentibus* 173 *f* Baptizatorum *animas candidas existimat Dux Inguo* 707 *a inter* Baptizandum *sanitas collata* 442 *d*

Barba *S. Amando post mortem attonsa* 903 *d* Barbæ *S. Agrippani capilli morbos in facie nascentes miraculose curant* 205 *d* Barbam *S. Polyeucto evellens a Deo punitur* 714 *c*

Barbaros *invocato S. Petro fugat S. Gallus* 948 *c d*

Benedicendi *panem, vinum, fructus, semina, aquam, die S. Blasii Mart. formulæ* 340 *c prosunt omni plagæ gutturis* 340 *a b c* Benedicit *S. Ephræm discipulis moriturus* 64 Benedictione *S. Brigidæ Fratres contra se invicem armati, se in via non agnoscentes, tanquam alienos salutant* 127 Benedictione *S. Brigidæ cæcus illuminatur* 134 *ne mergatur, servatur* 132, *alii oculi nequeunt* 128 Benedictionem *S. Brigidæ negligens sarcinas in via amittit* 129

Benedictini *soli quondam in Archiepiscopos Cantuarienses assumebantur* 499 *f*

*ob* Beneficium *per S. Agatham acceptum, monasterium*

rium in honorem ejus extruit Rex Longobardorum Pertaritus 661 a

a Bestiis dilaceratus S. Silvanus Ep. cum sociis 785 b c e f Belluæ corpora Sanctorum tangere verentur 786 d

Blanditiis fœminarum S. Agatha a fide non obstrahitur 624 f

Blasphemans S. Sigebertum punitur ore ad aures retorto: sanatur osculo reliquiarum 241 a b c Blasphemus in S. Aventinum Ep. sensibus destituitur: intercessione ejus sanatur 485 e

Blæsus a S. Vedasto eloquens factus 813 e

Bona sibi oblata acceptando S. Gertrudis, manum e sepulchro extendit 384 a Bono publico incommodans, graviter ægrotat 126

Bovem, et porcum cum pane sufficiente devorans, a S. Brigida ad temperantiam adducitur 133 Boves convalescunt voto facto ad S. Vedastum 810 f Boum carnes tam utilium Reipublicæ cur ederentur a Christianis, objicit offensus Taycosama Japonum Imp. 735 e

Brachium sanatur per B. Joannam Valesiam 586 d 588 c 596 a ad reliquias S. Venantii 522 b c

Bubulcus S. Aldericus in Germania 930

Butyrum ex urticis factum a S. Brigida 134 Butyri modica quantitate magnum vas implet S. Brigida 120

Byssus vestis Pontificiæ quid significet 566 f

## C

Cadavere Regis mortui, cui victorias S. Brigida promiserat, allato ad locum pugnæ, victoria obtinetur. 131 e Cæci illum inati ope S. Vedasti 821 b c etiam a nativitate 811 f ope B. Rabani 539 e benedictione S. Brigidæ 134 c aqua a S. Brigida benedicta 121 e ramo palmæ a S. Verdiana benedicta 262 c signo Crucis a S. Remberto 562 c ad reliquias SS. Amandi 907 a 910 b Adelheydis 703 a Domitiani 710 c d e Agathæ 645 d 648 c Lietphardi 523 e f Venantii 523 e in Translatione S. Liephardi 502 c variorum SS. 525 b ad S. Obitii tumulum 579 f ex attactu loculi S. Amandi 906 d, etiam a nativitate apud S. Amandi feretrum. 910 a oleo lampadis S. Vodali inuncti 697 e 699 d S. Stephani monitu locum sacrum visitans 387 c a Cæcitate liberatus S. Audomarus, eamdem a Deo precibus obtinet 795 b f 796 a

Calceis S. Gilberti podagricus liberatur 578 c

Calculum per visionem apparens B. Wolfholdus eximit gravissime laboranti 250 a

Calumnia per infantem loquentem liberatur discipulus S. Patricii 123 d Calumniatores a Deo puniti 738 b Calumniatrix in saxum conversa 728 d

Campanæ non pulsatæ sonant moriente S. Verdiana 262 e Campana Villelæ, nullius impulsu sonans, calamitatem Hispaniis præsagit 683 d Campanæ ardentes nullo trahente sonant 905 a b Campanæ pulsatæ, quarum funes sepulchralem locum B. Raymundi pertingunt, aerem discussa tempestate tranquillant 257 a

Candela noctu ardens designavit locum sepeliendo S. Alderico in templo 932 e

Canes latratus insuetos dant ad discessum tyranni 815 f Cani famelicæ compatitur S. Brigida non sine miraculo 175 c Canis, jussu S. Hadelogæ, ducit et ostendit locum in silvis, occisi domini 311 a b occultos prodit homicidas, et morsu dilacerat 311 a b

Cantus Angelorum in cælo, frequenter audit S. Vodalus 699 a b Cantus forma in Ecclesia Antiochena instituta ad formam cantus Angelorum SS. Trinitatem collaudantium 13 f. Cantando Sanctosque invocando, lucida nebula inter se et hostes intercidente, evadit S. Molingus 117 d Cantare in aurem filiæ S. Adelheydis visus est pater S. Megengor: Ecce quommodo moritur justus 724 c d Canit, aquæ ferventi immersus S. Blasius Armentarius 357 f

Capreæ ob imprecationem S. Brigidæ non prolificant 113 c

Capillis Angelus S. Vodalum ex incendio extrahit 698 f Capillis suspensa e cupresso S. Theodulæ M. 663 a c

Capite plexi S. Abrahamius Ep. 474 a S. Agrippanus Ep. 205 d Aprunianus Commentariensis 289 f Blasius Ep. Sebastenus, 2 pueri et 7 mulieres 342 343 Paulus et Simeon 358 e Phileas Ep. et Philoromus Tribunus militum 632 Theoctistus 471 Abramius Ep. 471 Boethus Cilix 663 Theophilus Advocatus 788 Caput decollatus S. Adalbaldus defert ad templum, in quo humandus 304 d Caput abscissum, cervici reponit S. Gemmulus et ad Episcopum usque venit 572 d Capitis dolore laborat S. Brigida 182 e Capitis dolorem passi, ad S. Aventini sepulchrum confluunt 493 e invocato S. Aido convalescunt 117 f vena lapsu aperta, et sanguine imminuto, Capitis sanitatem S. Brigida consequitur 182 f Caput S. Candidi M. argenteæ thecæ inclusum 334 a

Captivum S. Fidolum redimere S. Aventinus per visionem admonetur 480 c Captivos redimi non permittens, graviter a Deo punitur 480 a Captivi ab Episcopis redimuntur 468 a S. Anschario 429 c 430 a a S. Remberto Ecclesiæ suppellectile vendita 569 f Captivos pueros redimit S. Amandus et erudiendos præceptoribus tradit 860 c 871 e et 888 a ex iis multi facti Episcopi, Abbates, Presbyteri 860 f

Carbones pedibus S. Ignatii M. substrati 29 a Carbonibus vivis non adustæ vestes ostenderunt innocentiam suspectæ de incestu mulieris 787 c Carbonibus ignitis insistendo puella S. Brigidæ vicit carnis tentationem 133 a

Carcerem triennalem pro imaginum defensione patiuntur SS. Nicolaus et Theodorus Studitæ 549 f 554 c ad Carcerem pro fide, læta quasi ad epulas it S. Agatha 622 c Carcere aperto, fugientibus custodibus non vult egredi S. Agatha 625 e 638 e Carcere liberatur miraculose solutis catenis ad invocationem S. Amandi 907 b f ad Carcerem S. Agathæ instituitur supplicatio 658 f

Cardinalis, S. Guarinus Ep. Prænestinus 923

Carmelitarum Ordinis an S. Basilius antequam suum ordinem data nova regula fundaret 474 e

Carnem suam macerat variis mortificationibus S. Rabanus 537 e 537 f Carnem propriam lacerant a dæmone possessi qui S. Indractum occiderunt 697 a Carnes candidam vestem S. Brigidæ non maculant 133 d Carnes pro pauperibus multiplicatæ festo S. Brigidæ a S. Finiano distributæ 116 Carnes a die consecrationis S. Berlindis non comedit 384 f Carnibus abstinent Benedictini Fuldenses 528 534 c d S. Modanus Ab. 504 a S. Gilbertus 576 f Carnibus et vino abstinet S. Rabanus Archiep. 540 e

Castitatem vovent, capillo uno sibi præciso S. Hadeloga V. 309 f B. Itta vidua opibus præpotens et filia S. Gertrudis forma excellens 878 a b Castitatem nupta Regi S. Ositha conservat et sumit habitum monasticum 108 e ob Castitatis amorem S. Hadeloga procos Reges Regumque filios contemnit 310 a aula patris expellitur 310 c ob Castitatem periculum mortis incurrens mire liberatur 550 pro Castitate martyrium habeant Sanctæ 788 e S. Dorothea domo relicta in eremum fugit 788 e Castratus a parentibus S. Polyeuctus CP. 713 b

Casu in foveam periculoso lapsus, servatur, meritis S. Joannæ Valesiæ 593 d e

Catenæ ultro solutæ duobus captivis, auxilio S. Sigeberti 242 a b c Catena argentea pauperibus a S. Brigida donata reponitur miraculose in loco quo orare consueverat 124

Cathedram Episcopalem pro sella sibi missa precatur S. Avitus S. Viventiolo 671 c

Casu

Cellam monasterii ut paradisum amat S. Rabanus 532 f Cellæ inclusus S. Amandus vivit 15 annos 825 c 34 annos S. Verdiana 260 e ejus Cella in sacellum post mortem convertitur 263 e ad Cellam S. Brigidæ civitas magna extructa 105

Cera bulliente S. Theodula M. perfunditur 664 a Cereus quot annis in honorem Martyrum suorum offertur a Forosempronienſibus 464 f cum Cereis et Oblationibus ad sepulchrum S. Domitiani excubant Christiani 709 b Cereum vetat sibi morienti accendi S. Ephræm 63 a Cereorum accensorum usus in Purificatione S. V. Mariæ apud S. Cyrillum Hierosolym. Episc. 271 a Cereos tres pro Purificatione S. Virginis accendi curat moriturus S. Anscharius 432 a Cerei extincti, divinitus accenduntur ad tumulum S. Amandi 902 e in Translatione corporis S. Lietphardi 472 a

Cerevisia ex aqua facta miraculose apud S. Brigidam 121 in Cerevisiam aquam ad balnea paratam convertit pro indigentibus S. Brigida 179 e Cerevisiam auget miraculose S. Brigida pro 18 Ecclesiis 121 f pro hospitibus 179 e f Cerevisiæ certa mensura subditis distribuitur diebus Nativitatis, Epiphaniæ, Circumcisionis, in oppido Milstad 702 f

Cerussas et pictos vultus mulierum arguit S. Petrus Galata pulchro argumento 95 b

Cervus fracta cervice concidit ad cellam S. Sori in victus necessitate in Deo fiduciam ponentis 201 c d Cerva venatores fugiens in antrum B. Aventini se recipit 483 b

Cæremoniæ quibus Carinthiæ Duces olim inaugurabantur 707 c

Chirographum quo se diabolo devoverat, recipit per Deiparam Virginem pœnitens Theophilus 492 c

Chirotheca ablata prodigioso balatu furem prodit 821 a Chirothecam manu porrexit mortua Matrona induens se e fundos S. Hadelina tegare 380 f

Chorum psallentium monachorum, cœlum reputabat B. Rabanus 532 f

Chrisma S. Brigidæ æstu maris non corruptum 131 a

Christiani sunt Filii Dei, gentiles vero, canes : sed malos Christianos, mali canes lacerant 704 e. Christiani ob peccata sua ab ethnicis premuntur 704 e Christiani Japones sponte numina sua offerunt Tyranno ut martyrium subeant 731 e f Christianos Diocletianus tota sua potentia extirpare non potest. 465 b

Christus visibiliter apparet in hostia consecrata 729 a Christus Deiparæ V. petenti negat elevationem corporis S. Brynolphi ob peccata viventium 934 f Christum in anima circumfert S. Ignatius Martyr 14 b Christum confitetur S. Dorothea 781 f 782 a S. Theophilus 783 a Christum contra maledicos defendit S. Pionius 45 b c d Christi pueri bajulus et B. Virginis ac S. Josephi famulus S. Amator maritus S. Veronicæ 458 Christum adesse sibi et suis præsentem videt per somnium S. Anscharius Archiep. et re ipsa id postea experitur 431 b Christum ad civitatem suam Edessam invitavit Abagarus Rex 631 b c Christum quemcumque hospitem vocat S. Brigida 120 f

Cibaria in solemnitatem festi parata pauperibus distribuit S. Brigida, pro quibus subito alia dona accepit 125 d Cibo vili vescitur S. Adelheydis carnibus abstinens 724 a Cibus ordinarius S. Berlindis panis et aqua 384 f Cibum non sumebat B. Rabanus nisi prius vitam Christi meditando percurrisset 537 c sine Cibo, sola Eucharistia sacra 20 annos vivit puella in Anglia 174 a Cibum per cervum ad cellam in S. Sori adductum providit Deus in se confidentibus 201 c d Cibum ab Angelis S. Dorothea accepit 780 e Cibos divinitus subito pro hospitibus obtinet S. Brigida 130 d iterum famenti sibi et suis Comitibus 128 e Cibi augmentati miraculose in mensa S. Brigidæ et S. Patricio extructa 124 Cibos magi cremat S. Brigida 120 Cibo comparatur S. Brynolphus a Christo 934 f

Cilicio vestitur S. Aventinus 482 e S. Amandus 870 f in Cinere et sacco jacet orans S. Aventinus 482 e

Cingulum B. Hildegundis parturientibus prodest 926 e 919 d Cinguli B. Virginis partes Pragæ servantur 276 a

Circulus candidi coloris supra corpus S. Amandi de cælo resplendet 909 f a

Citharizandi ignari pulchre citharizant jussu et benedictione S. Brigidæ 129

Civitas Catanensis, patrocinio S. Agathæ mirabiliter ab hostium invasione liberata 649 a 658 c d Civitas ethnica promissis in honorem Christi eleemosynis ab hostibus liberatur 421 c Cives obsessi ab hoste, Claves Civitatis feretro S. Anatolii Ep. imponunt et hostem repellunt 360 f Civitates decorantur et sublimantur Sanctorum Reliquiis 651 f Civitati et patriæ S. Agathæ ut offensus parcat Imperator, miraculose monetur 659 e f

Claudi sanantur a S. Vedasto 811 d e B. Rabano 539 d ad feretrum S. Amandi 906 c ad sepulchrum S. Adelheydis 726 e S. Agrippani, ad reliquias S. Venantii 522 e 524 a B. Domitiani 710 c d in templo S. Vedasti 810 d e

Clavis in mare projecta in pisce reperta redditur 168 f Clavibus Civitatis saluarum, feretro S. Anatholii impositis, cives servantur 360 f

Clavis, caput, pedes, manus, S. Juliani medici configitur 786 b Clavis affixus rogo, vivus cremandus S. Pionius M. 42

Clerum sine ruga sanctum vult S. Martinus Papa 876 f de Clericorum institutione scribit B. Rabanus 528 a Clericos non permittendos trahi ad judices seculares docet S. Avitus 671 b Clerus corrupti moris non facile corrigitur a S. Amando 876 b Clerici insolentes in mortem B. Rabani Archiep. conspirant. 540 d Clerici habitu visus est S. Vedastus oppressorem subditorum Ecclesiæ velle interficere 815 e f

Clinica, ad Reliquias SS. sanatur 525 f in templo S. Amandi 908 e

Cœlum laboribus et meritis acquirendum indicat Sacerdoti Cœlum petenti S. Brigida et oratione sua impetrat 185 c in Cœlo sedem sibi positam audit orans ante reliquias S. Blasii 340 e ad Cœlum voce cœlesti evocatur S. Cornelius Centurio 286 a b Cœlos ascendentem S. Amandum cum comitatu per ipsum salvandorum videt S. Aldegundis 882 d 903 a b Cœlestes cantus ope Angeli Custodis audit S. Brigida 131

Cogitabat semper de Deo S. Brigida, sanctior S. Brendano cogitationem de Deo intermittente 118 f

Columba humeris S. Basilii insidens dicenda suggerit 70 d Capiti insistens S. Severi, Episcopatum ei deferendum indicat 83 c d e velum capiti S. Aldegundis, dum in sponsam Christi consecratur, imponit 795 e Columba deferens scriptum indicat S. Spro sanctitatem S. Severi de Monte-Falco 944 a Columbæ specie anima S. Blasii Armentarii visa est ex ore ejus evolare in cœlum 357 f Reliquiæ S. Blasii designatæ 340 d Columba cœlitus delapsa super reliquias B. Domitiani sedit 709 c

Columna ignea usque ad cœlos alta designat S. Basilium Magnum 75 c d visa supra caput S. Brigidæ cum sacrum velamen ab Episcopo peteret 121 c 787 f ubi corpora S. Indracti et sociorum jacebant, 696 e f 921 c ea visa, ethnica obstinata ad fidem convertitur 696 e supra domum S. Vedasti apparens mortem ejus prænuntiat 794 c 807 d e

Comedens flet S. Gilbertus, quod ad eam necessitatem natura humana adjecta esset 576 f

Cometa super palatium B. Joannæ Valesiæ mortem ejus designat 594 b c

Comites Martyres Wigmannus, Bardo et alii ix in Saxonia inferiore 312 Comitissa S. Hildegundis 916

Commentariensis, S. Apronianus M. 289

Concionatur B. Rabanus Archiepiscopus in vicis et pagis

*pagis* 542 *b* Concionatur *egregie et utiliter in Japonia B. Paulus Miki Soc. Jesu* 743 *b c* Concionantem *S. Basilium, publice laudat S. Ephræm* 74

Confessario *mortuo, pœnitens sine capite visus est S. Brigidæ* 117 *d* Confessarius *caput pœnitentium morale* 117 Confessarium *sibi esse sumendum ex Ordine S. Francisci, voce cœlesti B. Joanna Valesia docetur* 582 *e* Confessione *facta perditur jus dæmonis ad obsidendum peccatorem* 520 *b* de Confessionibus *negligenter peragi solitis Rex Protasius in Japonia per somnium monetur* 770 *b d* Confiteri *et Communicare cupiunt ad Martyrium deducendi in Japonia* 743 *e* Confitetur *per visionem ipsi Christo peccata S. Anscharius, et remissionem consequitur* 415 *e* Confitetur *publice peccata pœnitens Theophilus* 492 *d e*

Confirmationis *Sacramento cæcum illuminat S. Rembertus Archiep.* 571 *c*

Conjuges Sancti *Severus Ep. Ravennas et Vincentia* 79 *Adalbaldus Dux et Rictrudis* 297 *Domitianus Dux Carinthiæ et Maria* 699 *monasticam vitam procreatis liberis amplexi S. Vincentius Comes et S. Waldetrudis* 844 *ab S. Amelberga et Witgerus Comes* 837 *a* Continentes *vivunt post quartam prolem parentes S. Aviti* 671 *b c parentes S. Adelheidis ut devotioni vacent* 723 *b per* Conjugia *mutua diversi populi in unum coalescunt* 922 *d e* Conjugio *Regis relicto, S. Ethelburga Regina, fit sanctimonialis* 770 *a* Conjugium *recusat S. Galla V.* 949 *c S. Dorothea* 780 *b*

Consolatur *infirmum apparens S. Agatha* 652 *c*

Constans *S. Rembertus nunquam respectu vel persuasione humana a justo proposito amoveri passus* 570 *c d* Constantia *in tormentis et morte S. Pionii* 41 42 46 *S. Agathæ* 621 *e f*

Contendit *numquam cum ullo fideli S. Ephræm* 61 *a b*

Contemplationi *locum aere serenum eligebat S. Anscharius* 409 *b*

Contemptores *prædicationis S. Amandi a Deo puniti* 862 *f* 865 *e*

Contracti *sanantur ope S. Berlendis* 387 *e a S. Anatolio* 174 *d ad fletum S. Amandi* 909 *e a S. Adelheide in visione apparente* 727 *c ad tumulum S. Verdianæ* 264 *f ad reliquias S. Amandi* 907 *b S. Vedasti* 814 *d aliorum Sanctorum* 525 *d e*

Conversationem *cum illegitimo Episcopo aversatur S. Nicolaus Studita* 554 *a* Conversationem *cum hæreticis Regi Gundubado dissuadet S. Avitus* 670 *d*

Conversi ad fidem *Dani et Sueci a S. Anscario* 416 *b Sclaui a monachis Corbeiensibus* 563 *e Cretenses a S. Tito* 546 *a Gandenses a S. Amando* 829 *S. Sigismundus R. Burgundiæ recepta sanitate per cucullam S. Aviti* 674 *b Rex Angliæ visis verberibus S. Laurentio Episc. Cantuariensi a S. Petro Apostolo inflictis.* 296 *b* Convertit *magum morientem S. Brigida apparens in veste candida* 134 Convertitur *ad fidem irrisor S. Dorotheæ M. acceptis Paradisi rosis et martyrium subiit* 779 *c d* 780 *d* 782 *f* 783 *a b c* Convertere *in Japonia nobilitatem primo student* 738 *e*

Cor *volens dare Christo B. Joanna Valesia, non invenit* 583 *d in* Corde *S. Ignatii Martyris in aureis litteris inscriptum nomen Jesu* 14 *c* Corda *duo in disco sibi offerri et velut ad epulas invitari a Christo et B. Virgine videt B. Joanna Valesia* 583 *d*

Corpus *mortificat varie B. Joanna Regina* 582 *d* Corpus *tremulum a S. Vedasto sanatur* 821 *b* Corpora *Sanctorum honorifice tumulata* 141 *a* Corpus *S. Jacobi Apostoli translatum in Hispanias* 6 *inventum* 7 Corpus *S. Sigeberti Regis in theca argentea repositum* 241 *b* Corpori *S. Aventini sepeliendo, temere et arroganter manum injiciens, punitur: pœnitens facti sanatur* 486 *b* Corpora *defunctorum Sanctorum non minus patriam suam tuentur, quam corpora bellatorum vivorum* 610 *e* Corpus *S. Verdianæ, orantis situ inventum, genibus flexis, oculis et manibus in cœlum elatis* 262 *f* Corpus *S. Aventini divinitus in pristinum reponitur locum* 486 *b* Corpus *S. Pionii inter flammas illæsum* 46 *f* Corpus *S. Lietphardi jubetur per visionem monialis cæca visitare, et ad ecclesiam transferre et in dextra parte altaris collocare* 501 *a b c f* Corpora *Sanctorum, barbaris irruentibus, ad tutiora loca adportantur* 688 *e ob* Corpus *S. Lietphardi non honoratum, pecora emoriuntur* 461 *c* 501 *a b* Corpus *S. Ursi circumlatum in supplicatione, et pluviam et serenitatem incolis tribuit* 98 Corpus *suum, Constantinopoli Catanam vehi jubet S. Agatha* 643 *e et tardantes in via apparens admonet* 644 *b S. Wereburgæ miraculose translatum ad locum ab ea designatum* 394 *f* Corpus *S. Adelrici in cœmeterio sepultum ter exhumatum miraculose: tandem honestiori loco sepultum, permansit quiete* 932 *e S. Hildegundis bis inter Conversas sepultum bis miraculose exhumatum: ante altare sepultum quievit* 927 Corpus *S. Severi Abrincensis moveri non potuit nisi promisso templo ædificando* 193 *d e f S. Lietphardi nisi itinere ad locum a Deo destinatum arrepto* 502 *b d S. Vedasti nisi post preces præmissas* 802 *e* 807 *d e f* Corpus *S. Agathæ, suaviter fragrat in tumba* 642 *e* Corpus *B. Joannæ Valesiæ post* 58 *annos integrum* 586 *d sanguine manat ab hæretico pugione transfixum* 584 *d ex punctura aciculæ* 586 *d f S. Wereburgæ post* 9 *annos integrum et floridum* 394 *c S. Amandi post* 150 *annos* 851 *a b e cujus ore extracto dente sanguis stillat* 841 *b c S. Sigeberti post annos* 572 *integrum* 241 *a* Corpus *B. Joannæ Valesiæ ab hæreticis infestatum ter ingemiscere auditum est* 584 *e f* 589 *b combustum* 587 *e*

Corvorum *multitudo congregata super insanientem tyrannum crocitat* 815 *f*

in Craticula *ignita extensa S. Theodula M. pice, oleo, cera bulliente perfunditur* 663 *f* 664 *a*

Crucifixi *Christi nomine percellitur dæmon* 860 *e* 872 *d* 888 *d e* Crucis *Christi particulam S. Avitus a S. Elia Ep. Hierosolymitano accipit* 673 *e* Crucis *Christi laudes scripsit B. Rabanus* 528 *a* 529 *e* Crux *erigitur, ubi sanitas reddita est in Translatione S. Lietphardi* 502 *c* Crux *in capite S. Humberti rutilans denotat ejus sanctitatem* 880 *d* Cruces *in meditullio arborum in Japonia inventæ* 770 *b d e* Crucem *sibi parant Christiani Japones, paratiores Cruci affigi quam Christum deserere* 766 *e* Cruce *signatum fluvium transit cum suis sine navi S. Brigida* 132 Crucis signum *facere coram dæmonibus, a Mago prohibetur S. Theophilus* 490 *b* Crucis *signo dæmon vincitur a S. Verdiana* 264 *b dæmon sub specie mulieris latitans, pellitur* 495 *d serpens fugatur a S. Amando* 860 *a* 869 *e f* 885 *d immobiles equites uni loco affixi a S. Brigida* 134 *a ostium pauperculæ collapsum restauratur a S. Hadelino* 381 *a vasa cerevisiæ confringuntur a S. Vedasto et Ethnicorum multi hoc signo convertuntur* 802 *e* 806 *a* Crucis signo *benedicens per visionem S. Agatha infirmas sanat* 648 *a ægros sanat S. Galla* 950 *b immedicabilem oculi morbum tollit S. Petrus Galata* 95 *b e cæcos illuminat S. Rembertus* 557 562 *e S. Galla* 941 *e cæcum et claudum sanat S. Vedastus* 802 *a* 803 *b* 806 *b* Crucis signo *et oratione mutæ loquelam impertit S. Hadelinus* 380 *d* Crucis signo *loquela agonizanti redditur* 742 *c tibia a morsu serpentis sanatur* 742 *c moritura sanatur a S. Nicolao Studita* 555 *e*

Crumena *zonæ appensa S. Bertulphi ob eleemosynas pingitur* 663 *b*

Crus *abscindendum insanabile per B. Joannam Valesiam curatur* 586 *f*

in Cubiculum *S. Nicolai Studitæ delatus infirmus, ab eodem apparente sanatur* 557 *a*

Cucullo *S. Aviti Rex infirmus sanatur* 674 *e*

ad Culinarium *officium, ut coquus non desit duorum dierum iter, puncto unius horæ imperio S. Brigidæ conficitur* 125 *b*

in Cunis *grandibus positus agitari debuit Pastor, læ-*

*sus cerebro* 729 *d*

Curiositas *dæmonis* 95 *f*

Currebat *energumena per tecta velociter ad instar felis* 710 *f*

Curru *S. Brigidæ vectus infirmus sanatur* 122 *b f*

Curru *decidens S. Brigida læditur, et auctor lapsus subito moritur* 130 *b* Currus *benedictione S. Brigidæ, sine paxillis ferreis currit* 124

Curvum *sanat S. Brigida* 125

Cute *spoliata Martyrum corpora spectanda exponebantur a Tyrannis* 468 *f*

D

Dæmon *voluntati voluntatem Dei facientium obsequi cogitur* 182 *c* Dæmones *alii aliis ferociores* 651 *a* Dæmoni *se tradit Theophilus ambitione excæcatus* 490 *b c* Dæmon *puerum ob matris imprecationem aufert, orantibus ad sepulchrum S. Verdianæ reddit* 264 *b* Dæmonem *pigritiæ caussam videt S. Brigida* 122 Dæmon *sub specie mulieris a latronibus spoliatæ et fame ac frigore confectæ, tentat intromitti in cellam S. Aventini* 490 *d* Dæmon *equitem præcipitaturus, a tergo equitis sedens apparet S. Aventino* 493 *c* Dæmon *cruciari se a S. Remberto vociferatur* 570 *c* Dæmon *expulsus super templum S. Agathæ strepitum ingentem excitat* 637 *b* Dæmones *canum specie apparent* 650 *e f* Dæmon *sub porci specie, exit ex templo Arianorum, cum introductis SS. Reliquiis in illo Missa celebrari cœpisset* 737 *b* Dæmones *egressi ex energumenis specie muscæ* 525 *c vespertilionis, diem obscurant denso agmine* 819 *d e* Dæmoniaci, *sive energumeni liberantur a SS. Petro Galata* 95 *b f a S. Berlende* 388 *c ad corpus S. Sigeberti* 241 *e ad sepulchru S. Guarini* 925 *d S. Verdianæ* 264 *b ad reliquias S. Agathæ* 645 *d* 646 *a* 649 *b c Alexandri M.* 519 *S. Venantii* 523 *a c S. Domitiani* 710 *f Regis filius a S. Remberto Archiep.* 570 *c Jubia filia Regis Persarum a S. Cyriaco* 473 *b* Energumenus *liberatum se per S. Adelheydem anniuo ad ejus tumulum donario testatur* 728 *a b* Energumena *mordens feretrum Reliquiarum liberatur* 525 *f* Energumenus *toto mense sine cibo et potu vivens, ad reliquias S. Præcordii liberatur* 198 *c d e* Dæmoniacus *hæret nulla vi mobilis* 819 *b c varus linguis loquitur et absentia refert* 819 *b e* Dæmon *ex una obsessa in aliam migrat* 651 *e a* Dæmone *corripitur maledictis impetens S. Gallum* 940 *a* Dæmon *Suecos a fide Christiana suscipienda absterret, falsa eis per falsum Prophetam prædicendo* 425 *b e*

Debilis *puer ad Reliquias S. Amandi sanatur* 905 *f*

Decimas *detentas comburi curat S. Gilbertus* 577 *f* Decimas *redituum dat pauperibus S. Anscharius* 429 *e*

Decretum *non mutare, et tamen damnatis ad mortem parcere, quo modo potuit Fredericus II Imperator* 659 *e f* Decretum *Archiepiscopi ad exigendum, juramentum super miraculis B. Joannæ Valesiæ* 585 *d e f*

Dedicata *Ecclesia Glastoniensis in Britannia a Christo* 917 *e S. Agathæ a S. Gregorio Pontifice* 637 *d Ecclesia Antverpiensis a S. Amando Episc.* 844 *e*

Defunctorum *commemoratio in Ecclesiam ex revelatione divina inducta et a Leone Papa per omnes pene Ecclesias propagata* 691 *e pro* Defunctis *assignatas eleemosynas detinens avarus Procurator Monachus, a defunctis graviter verberatus tertio post die moritur.* 538 *b c d e*

Denarius *S. Petri ex Anglia Romano Pontifici quotannis mitti solitus* 921 *e*

Dentium *dolori et anginæ patrocinatur S. Blasius M.* 339 *f* Dentium *dolore liberata monialis a S. Vodalo* 698 *f* Dente *S. Amandi contacto cæcus illuminatur* 906 *f* Dentes *Leonum Molæ vocantur a S. Ignatio M.* 29 Dei *præsentiam et recollectionem internam ut retineret, oculos amittere voluit S. Daria* 134 *c* Dei *præsentia deterrita a peccatis, ad meliorem vitam conversa meretrix* 74 *f* Deo *uxoris S. Chlotildis invocato Chlodoveus R. victoria potitus, fit Christianus* 668 *c* 801 *e* 803 *b c*

Deum *et Matrem ejus abnegat Theophilus* 490 *b c* Deorum *Ethnicorum scelera enumerantur* 26, 30, 31, *in* Deorum *numerum Ericum Regem defunctum referendum dæmon per falsum prophetam Suecis promittit* 425 *e* Deos *deridet S. Agatha* 625 *a* Deos *ethnicos, ridet Taycosama Rex Japoniæ ethnicus* 734 *b*

Desperans *zelotypa mulier suspendit seipsam, sed intercessione Deiparæ Virginis et S. Amandi ad vitam revocatur et spem salutis æternæ* 911 *a b c d e f* Desperatum *peccatorem conversum ad pœnitentiam videns S. Gilbertus flet præ gaudio et alios ad gaudium excitat.* 577 *a*

Detrahens *sanctitati S. Sigeberti amentia gravi punitur, et confessione culpæ ad sepulchrum ejus sanatur* 239 *e*

Devotionem *cum studiis conjungit adolescens B. Rabanus* 531 *b*

Diaconi *SS. Ephræm* 51 *Confessor Celerinus* 325 *Martyr Lucas Emesenus* 785

Digito *S. Brigida petram perforat* 170 *e* Digitorum *unguibus acutæ arundines infiguntur Martyribus* 664 *f*

Dignitatem *ab Imperatore oblatam spernit S. Ignatius M.* 30

Diligentia *in studiis B. Rabani* 532 *b*

Discipulus *Alcuini B. Rabanus* 531 *f* 532 *a* Discipuli *B. Rabani clariores, Episcopi, Abbates, alii* 533 *c d e* Discipulos *non nisi pios et regulæ monasticæ observantes ad studia sacræ Scripturæ admittit B. Rabanus* 534 *b* Discipulum *S. Gilbertus in Magistrum, et superiorem, cui obediat eligit* 578 *b*

Discordias et zizania *serere se dæmon fatetur* 651 *a*

Divites *et docti contempta mundi vanitate Martyrium subeunt* 465 *e* 470 *a*

Docendo *scientias B. Rabanus, docet simul et pietatem* 534 *a* Doctor *in omni scibili perfectus primus inter Germanos B. Rabanus* 534 *f*

Dominus *visis miraculis ad famuli S. Bertulphi pedes se abjicit* 686 *d*

Domum *perdere, quam S. Brigidam domo sua expellere maluit Magus* 157 *b* Domus *ab igne intacta in qua S. Gilbertus orat* 578 *c e* Domo *S. Ittæ vidue sacrum velum suscipientis monasterium consecrat S. Amandus* 841 *e*

Dormientem *irreverenter circa sepulchrum suum arguit S. Hadeloga apparens* 964 *e* Dormientem *S. Hadelinum, ne solaribus uratur radiis, obumbrat Angelus* 378 *e* Dormitura *lapidem multa tectam capiti supponit S. Berlindis* 384 *f*

Dotem *puellis pauperibus Melitenses cives die S. Agathæ conferunt* 609

Duces *Sancti, Æmilius Lucæ* 78 *Adalbaldus maritus S. Rictrudis* 297 *Domitianus in Carinthia* 703 *f* Dux Martyr *Bruno in Saxonia* 312 Ducum *Aquitaniæ et Comitum Pictavorum origo* 824 *b*

Duellantem, *S. Vedasto se committentem nebula protegit, et duellum dirimit* 821 *e*

E

Ecclesiæ *in Occidente et Africa a S. Petro vel ejus successoribus institutæ* 8 *f* Ecclesia *Christianorum prima in Britannia, Glastoniensis* 917 *c ad* Ecclesiæ *Romanæ Ordinem et officium invitat Hispaniam Gregorius* VII *Papa* 7 *f* Ecclesiæ *Euphrates dicitur S. Ephræm* 68 *b c* Ecclesiarum *bona tuetur S. Sigebertus* 233 *c ab oneribus civilibus eximit Ludovicus Imp.* 409 *c* Ecclesiæ *S. Vedasti subditus coram reliquiis auxilium poscit contra oppressores et obtinet* 814 *c f* Ecclesiæ *bona invadentes puniti a Deo* 813 *a b* 814 *e* 816 *e alius se suspendit* 822 *b c alius falsis instrumentis sibi deberi probare volens, in carcere ignominiose moritur* 822 *f*

Ecclesiasticos

Ecclesiasticos caste vivere debere docet falco avis S. Brigidæ 113 Ecclesiasticis gradus et Episcopatus simoniace venditi 712 b Ecclesiasticos reditus Nicephorus Phocas inique usurpat et Ecclesiasticos vetat augeri fundos 717 a Ecclesiasticis injurius ex alia caussa, falso sibi imposita, agnoscit se a Deo propter Ecclesiasticos puniri 823 d e Ecclesiasticos subditos injuste affligens, equo cadens excæcatur 823 a b

Educandus, ad monasterium ducitur novennis B. Rabanus 530 d Educatus pie a parentibus S. Nicolaus Studita 564 a

Eleemosyna data pauperibus non perit danti 124

Eleemosynas in pane, vino et lardo perpetuas fundat S. Hildegardis 728 f ob Eleemosynas distribui solitas, pingitur S. Bertulphus cum crumena zonæ appensa 663 f ut Eleemosynam semper dare possit, marsupium ipse portat S. Rembertus Archiep. 568 e Eleemosynaria S. Hadeloga Virgo Mater pauperum vocatur 309 b Eleemosynaria S. Brigida quidquid in domo patris invenit, dat pauperibus 121 butyrum dividit in 12 partes quasi pro 12 Apostolis, unum majorem ceteris partibus pro Christo faciebat, Christum vocans, quemcumque hospitem 120 patrem suum et Regem ipsum se reddituram Christo dixit si eos peteret 121 pauperibus tribus datura vas argenteum, uno ictu illud in tres æquales partes dividit 184 e f ex Eleemosynis S. Brigida cum sociabus vivit 178 d Eleemosynarium S. Severum Abrincensem vestibus spoliatum et domo hyeme exclusum, equi habitu suo calefaciunt, et nives circumquaque cadentes ejus locum non attingunt 189 c pecunia pauperibus distributa divinitus in saccum antiquum Eleemosynariæ reposita. 422 b in Eleemosynam distributas fabas, miraculose suo hero reddit S. Verdiana 260 a voto facto Eleemosynarum in honorem Christi civitas ethnica ab hoste servatur. 421 c Eleemosynæ, juvant animas in purgatorio 539 a

Energumeni vide Demoniaci

Epileptici liberati ad sepulchrum B. Joannæ Valesiæ 595 d e B. Domitiani 771 b

Episcopi SS. Martyres, Cæcilius Eliberitanus Hisp. 4 Ignatius Antiochenus 13 Agrippanus Podii in Galliæ 204 Theodoricus Mindensis, Marquardus Heidesheimensis 315 b Erlulphus Ferdensis, Gosbertus Osnabrugensis 315 Blasius Oretanus in Hisp. 324 Blasius Sebastenus 334 Liafdagus in Dania 450 Phileas Thmuitarum in Ægypto 464 Abramius Arbelarum in Perside 471 Lietphardus Britannus 901 Silvanus Emesenus 785 Episcopus Confessor tormenta perpessus Basilius Cretensis et Thessalonicensis 244

Episcopi Sancti, Eubertus Apostolus Flandriæ 47 Severus Ravenn. 79 Tricastini Paulus 92 et Torquatus 93 Severus Abrincensis 187 Victus 198 Belga anonymus in Helvetia 249 Joannes de Craticula Macloviensis 250 Cornelius Centuriq sceptr 281 Rhodippus Ep. Leontinus 290 Flosculus Ep. Aurelianensis 290 Laurentius Cantuariæ 291 Anatolius Salinis 359 Lupicinus Lugduni 364 Tygrides et Remedius Vapinci 365 Laurentius Illuminator Spoleti 366 Viennenses Simplicius 358 Philippus et Evantius 369 Ansgarius Hamburg. 395 Joannes Irenopoli in Ægypto 471 Aventinus Castroduni 483 Vincentius Tricassinus 486 Ulgisus Ab. Lobiensis 504 Rabanus Maurus Moguntinus 506 Rembertus Hamburgensis 559 Agricolaus Trajectensis 665 Avitus Viennensis 661 Ingenuinus Sabionensis 675 Polyeuctus CP. 713 Albinus Brixinensis 719 Buculus Smyrnensis 774 Mel, Melchus, Munis, Riocus Hiberni 786 Vedastus Atrebatensis 790 Amandus Trajectensis 823 Guarinus Prænestinus Cardinalis 923 Brynolphus Ep. Scarensis 933

Episcopatum sibi deferendum ut effugiat amentiam simulat S. Ephræm 78 Episcopatum oblatum recusant S. Theophilus 489 e f B. Angelus de Furcio 939 c amore religiosæ vitæ et studiorum, Ruthardus 511 ne vi compellantur fugiunt S. Guarinus 924 f Solennis frater S. Aventini 484 e Episcopatum sibi a S. Petro oblatum in somnio videt S. Anscharius 430 ne Episcopatus in Anglia vel ad horum vacaret sine Pastore, S. Augustinus adhuc vivens ordinat successorem S. Laurentium 300 a in Episcopum ordinatur S. Aventinus fratre electo fugiente 484 e f Episcopus S. Severus Ravennas ex textore pannorum 82 86 in Episcopum, Novatianus ab ebriis Episcopis coacte manus sibi imponentibus consecratur 330 b in Episcopum consecrari noluit S. Otto, nisi annulo et baculo pastorali a Pontifice Romano accepto 563 b c Episcopatus pallium mittitur Roma S. Augustino in Angliam 294 b Episcopatus duo in unum conjuncti 423 b Episcopatum invitus accipit S. Amandus 875 f Episcopus novus solenni processione in urbem inducitur 500 c Episcopi debent imitari virtutem Sanctorum antecessorum 16 c Episcopatus onera spiritualia, per se ipsum visitando diœcesim exercet B. Rabanus 542 a b Episcopus S. Laurentius, ob virtutes et miracula a se facta cognominatus Illuminator 366 f ab Episcopo, bonum vitæ exemplum, populus requirit 571 d e f ab Episcopis Theodoricus Rex Francorum ob necem S. Leodegarii, damnatus pœnitens Abbatiam locupletat 796 d Episcopatus adjutorem assumit senio et morbo afflictus S. Rembertus 570 c Episcopatum apud infideles subditos deserere volens S. Laurentius a S. Petro dure verberatur 296 a Episcopatum deserit S. Amandus propter corruptos subditorum mores 878 a Episcopatum dimittunt amore solitudinis et contemplationis S. Severus Abrincen. 191 b S. Arnulphus 499 f S. Laurentius Illuminator 366 f fit monachus et Abbas 367 f Episcopum S. Anscharium spernens punitur a Deo 430 e Episcopi ab Frederico 2 Imp. partim occisi, partim incarcerati 660 b Episcopi Græci inhospitales quia pauperes 717 a sordide et parce vivunt 707 a Episcopi contumaces et schismatici, auctoritate secularium reprimendi 677 a Episcopus pœnitens ad communionem tantum laicorum admissus 321 d

Epistola Plinii ad Trajanum, qua consulit quid faciendum Christianis 20 a Epistola Trajani responsoria 20 e Epistola S. Aviti ad Chlodoveum 1 Christianum factum 668 e 669 a b c Epistolæ decies mille conscriptæ ab S. Isidoro Pelusiota 477 e Epistola adhortatoria S. Remberti Archiep. ad moniales 569 a b c ad Epulas sacras a Christo invitatur B. Joanna Valesia 583 d

Equi indomiti, dati S. Brigidæ subito mansuescunt 122 Equos fessis viatoribus in via occurrens dat S. Brigida et alios dono accipit 122 Equi sponte sua bene currunt auriga verbi Dei prædicatione occupato, et vultu ejus ab equis ad auditores averso 125 Equus post jugum currus S. Brigidæ depositum ultro ad currum recurrit, et jugum remdait 125 Equi habitu calefaciunt S. Severum Abrincensem vestibus propter pauperes exutum 189 c Equum pro redimenda captiva dat S. Rembertus 570 b Equus loco procedere nequit nisi reliquiis S. Alexandri salutatis 520 e Equis alligatus et per aspera tractus moritur S. Hippolytus 525 b Equum conscensurus Sapor Rex Persarum, Valeriani Imperatoris Romani cervici pedem imponit 487 b Equi morsu et calcibus Tyrannum in fluvium dejiciunt 624 a 626 d Equorum majorem quam Ecclesiæ curam gerens Patriarcha CP. Theophylactus Equitando ad murum afflictus lethalem morbum contrahit 713 c 714 e Equi et canes venatorum, qui locum S. Hadelini attigerunt morte puniti 379 f Equi subito suffocantur gustato ex rapina frumento 386 c Equi morbus inruento S. Vedasto sublatus 810 f Equiti a tergo assidentem dæmonem et præcipitium ei præparantem precibus suis dejicit S. Aventinus 493 d

Equuleo torquentur S. Agatha 622 f S. Dorothea 779 b c

Eremitæ Sancti, Petrus Galata in Syria 94 Vendimianus

*mianus in Bythinia* 99 *Sorus apud Petrocorios* 199 *B. Angelus de Furcio Ord. S. Augustini* 935 *S. Judocus Armoricorum Regis filius* 931 *c d*

Ethnici *cibos comedere noluit S. Brigida* 158 *d*

Ethnicos *testimonio Socratis redarguit S. Phileas* 465 *b* Ethnici *a Christianorum ligato* canes *appellantur* 704 *e*

Evangelium *prædicat Sclavis S. Amandus* 837 *ad* Evangelium *prædicandum S. Winfredus peregre proficiscitur* 503 *a* Evangelium *cœlitus demissum accipit S. Brigida pro S. Aydo.* 118

*ad* Eucharistiam *devota B. Joanna Valesia* 583 *d in* Eucharistia *Corpus Christi sindone, seu Corporali, excipi, docet S. Isidorus Pelusiota* 478 *f* Eucharistiam *misit S. Brandanus per Angelum ad S. Brigidam communicandam* 115 Eucharistiam *diebus Dominicis sumendo sine ullo cibo ad* 20 *annos vivit puella in Anglia* 174 *b* Eucharistia *sacra sumpta vultus S. Theophili sicut sol effulsit* 493 *a b* Communionem *ob leve delictum non negandam docet S. Avitus* 671 *e in* Eucharistia *in sacro elevata Christus apparet in Stenensi S. Laurentii Ecclesia* 729 *a in* Calice *consecrato sanguinem videt incredulus* 115 *formam hirci furto sublati a tenente calicem S. Brigida* 132

Examinat *suam continentiam frequenter B. Rabanus* 537 *d* Examinis *particularis species quædam fuit in usu S. Brigidæ et ejus sociabus* 178 *d*

Excommunicat *incestuosum S. Nicolaus Studita et ab Ecclesiæ ingressu arcet* 553 *e f* Excommunicati *Acacii nomen jubetur a Romanis Pontificibus et sacris tabulis expungi* 673 *a* Excommunicatur *Leo Sapiens Imp. a Nicolao Patriar.* 714 *b* Excommunicationem *minatur inobedientibus Urbanus* 2 *Papa* 662 *b Diplomati suo repugnantibus S. Martinus Papa* 828 *a*

*ad* Exequias *S. Amandi magnus concursus* 882 *b S. Martini ad duo millia monachorum* 217 *e*

Exercitus *ingens Æthiopum a Deo perterritus, fugit et deletur a Rege Judæorum* 323 *a* Exercitus *Christianorum parvus, magnum ethnicorum Britonum exercitum superat* 498 *f* Exercitus *mutuam stragem videt, ob castitatem a morte liberatus* 551 *f*

Exhæredatur *S. Bertendis a patre ob levissimam causam* 384 *a*

Exilium *et peregrinationem voluntariam ad patientiam exercendam suadet S. Brigida Sacerdoti* 185 *e* Exilium pro fide *subeunt parentes S. Dorotheæ* 780 *b Episcopi in Africa et Sardinia* 555 674 *b S. Amandus ob correcta Regis peccata* 874 *f* 875 *a* 892 *b c* Exulat *ultro ne Alexandriæ pax interturbetur, S. Petrus Ep.* 466 *c d in* Exilio *moritur S. Elias Hierosolymitanus* 673 *e*

Existimationem *sui parvam habendam, inter exercitium virtutum docet S. Isidorus Pelusiota* 478 *a*

Exorcistæ *personam ludicre repræsentantem, dæmon serio invadit.* 45 *f*

*in* Extasi *adest S. Severus morienti Episcopo Mutinen.* 84 *c d*

*ex* Externis actibus, *bene judicat de interioribus Taycosama R. Japonum* 734 *b*

F

Faciem *S. Verdianæ* XXXIV *annis nemo virorum vidit, nec illa ullius viri* 261 *b* Facie *detecta videri moniales prohibet S. Gilbertus* 572 *e f* Facies *Theophili pœnitentis post Eucharisticum epulum sicut sol lucescit* 493 *a b* Facies *SS. Theodori et Theophanis, versibus incisis fœdatur, ob imaginis cultum* 552 *d* Facies *S. Dorotheæ baculis verberata* 780 *c*

Fœmina *nobilis, contra legem templum monasticum ingressa, a dæmonio correpta moritur* 539 *b* Fœmina *contra prohibitionem S. Sori ad cellam ejus veniens, uno oculo privatur cum omnibus domesticis* 203 *c d* Fœminis *templum S. Laurentii Cantuar. Archiep. intrare prohibitum* 296 *f vide* Mulier. Fœminas *ad templum monasterii certo tempore admittit S. Ursmarus* 506 *b* Fœminarum *conspectum vitans eremita, etiam S. Brigidam videre noluit. Quare nec pro benedictione obtinenda ad eam ivit* 129 *b* Fœminarum *conspectum cavens S. Sorus matrem videre vel ab ea videri noluit* 203 *a b* Fœminarum *aspectus servis Dei cavendus* 203 *c d* Fœmina *martyrium forti animo expectat* 756 *b*

*in* Fame *publica per Germaniam* 300 *peregrini aluntur a B. Rabano* 541 *f* Fame *pro imaginum sacrarum defensione cruciantur SS. Theodorus et Nicolaus Studitæ* 549 *d* Fame *cruciati SS. Silvanus, Lucas et Mocius MM.* 786 *a*

Famulum *S. Bertulphum, ob sanctitatem hæredem bonorum dominus instituit* 685 *f*

Fastus *monasticæ vitæ non convenit* 485 *e*

Fax *a cœlo ad terras pertingens fulsit per noctem, orante sub dio S. Bertulpho* 686 *b* Faces *adhibentur in Translatione manus S. Joannis Baptistæ* 714 *f*

Fundatores *B. Raimundus Ordinis Calatravæ* 255 *f S. Gilbertus Ordinis Sempingrumensis* 572

Febricitantes *sanati ex scypho S. Gilberti bibendo* 578 *d ligno sepulchri S. Hadelogæ* 965 *c ad corpus S. Agripani* 205 *f S. Probatii* 559 *per intercessionem B. Joannæ Valesiæ* 583 *e* 587 *a* 588 *b c* 591 *a* 594 *e aqua e fonte S. Alderici hausta* 933 *b ope S. Vodali per Angelum* 698 *d S. Severi visi ex sepulchro suo ad infirmum in Episcopali habitu prodire* 85 *d* Febris quartana *per S. Vodalum tollitur* 698 *f* Febrilem morbum *S. Gilbertus alium pro se pati volentem transfert* 578 *c d*

Femur *curatum per B. Joannam Valesiam* 590 *e f* 591 *a*

Feræ *dolorem patientes, congregantur ad S. Blasium, et per impositionem manuum sanatæ, recedunt* 341 *a*

Ferrum, *candela deficiente, ardet ad reliquias S. Agrippani* 205 *f* Ferro *vulnerari nequit cliens S. Bertendis* 386 *e* Ferro ignito, *secreta fœminarum Martyrum transfiguntur* 664 *e f*

Festum *S. Blasii Ragusæ ad quatriduum prolongatur* 330 *c* Festum *labore violanti manus contrahitur* 386 *d* Festo die *frumentum collectum igne cœlesti combustum* 431 *a* Festo die *SS. Januarii et Magni MM. fruges demessæ, cœlesti igne consumuntur* 526 *f* Festum diem *violantibus, gravis pœna ab S. Ina Rege constituta* 919 *c*

Fidei *professionem facit coram Deipara Virgine sibi apparente pœnitens Theophilus* 491 *f* Fidei *Catholicæ professionem publicam suadet S. Avitus, Regi Ariano Gundobado* 670 *e d ob* Fidem Christianam *omnes dignitates et officio justus Ucondonus in Japoniæ regno relinquere paratus* 735 *d* Fidem Christianam *bello defendere Rex Protasius in Japonia paratus etsi impar viribus* 738 *e pro* Fide *mortem cum gaudio suscipit B. Paulus Miki* 743 *f* Fidem Christianam *prædicat in Britannia Josephus ab Arimathia* 915 *a b apud Gandenses S. Amandus* 873 *e ut in* Fide Catholica *erudirentur Angliæ Reges et Episcopi futuri, schola a S. Ina Rege Romæ erecta* 921 *e ad* Fidem Christianam *converti respuens urbs Herbadilla, terræ hiatu absorbetur* 824 *a a* Fide *S. Theodulum avertere conati ad eum convertuntur,* 663 *d e* Fidem *in promissis fallens, graviter a Deo punitur* 480 *a*

Filium *Regi Dagoberto S. Amandus a Deo impetrat* 850 *b B. Angelum de Furcio parentes steriles oratione et peregrinatione ad S. Michaelem, et hoc apparente accipiunt* 928 *b c d Petro Regi Siciliæ S. Agatha* 660 Filios *plebeis sterilibus cur impetrabat a Deo S. Brigida, et non Magnatibus?* 127 Filium *Rex Sigismundus necari jussit suasu novercæ* 671 *a* Filius *patrem a peccato non avertens punitur morte* 476 *c* Filiæ *caussa Deus benefecit matri* 119

Fimbriæ *vestis Christi attactu un sanata S. Veronica* 458 *f*

Finio

Fimo repletum a Regina palatium, Regem S. Inam ad mundi contemptum inducit 922 a b

Flagellatio acerrima tolerata a SS. Nicolao et Theodoro Studitis pro imaginum defensione 549 e f et seq. Flagellari se publice curat B. Franciscus a S. Michaele, pro conversione Japonum 742 d Flagellis laniatur S. Dorothea 780 c S. Agatha 625 a

Fluvium sine navigio transeunt S. Hildegardis cum ancilla 728 e Cruce signatum S. Brigida cum suis 132 Fluvium horrende inundantem precibus reprimit S. Ursus 948 a b trans Fluvium latæ puellæ invocantes S. Brigidam 132 Fluvio supernatat cum mola alligata B. Quirinus, oratione obtinet a Deo submersionem 525 a Fluvium mutare alveum S. Brigida cogit 134 140 b

Foco bene instructo Taycosama ad imperium viam sibi aperuit 731 e

Fons erumpit lapsu capitis S. Agrippam præcisi 205 b baculo S. Hadelini 380 c et Adelheydis contra febres salutaris 721 e Fontem eliciunt S. Laurentius Archiep. in arenti loco 296 f precibus et Crucis signo S. Arentinus 495 e precibus S. Avitus 674 d Fontem sitientibus ubi fodiendus esset ostendit S. Brigida 128 d Fons S. Adelrici nequit tegi 932 c Fontes morbis salubres S. Anatolii 360 a SS. Oliveriæ et Liberatæ 366 c S. Adelrici maxime febricitantibus 932 c Fons S. Adelrici toxico infectus, instar lactis concrescit: Reliquiis S. Adelrici signatus claritatem et vim pristinam recipit 932 c

ob Formæ defectum B. Joanna Valesia a patre despicitur 582 e Formosum ex deformi, efficit oratione S. Patricius eique simillimus cui similis esse volebat deformis 789 e f

in Fornacem ardentem S. Theodula cum aliis projecta 663 a

Fortuna subita et inspirata S. Severi 88 89 a b Taycosamæ, ex lignorum sectore, Monarchæ totius Japoniæ 731 d e f Fortuna adversa coactus S. Ephræm ad monasticæ vitæ propositum 57

Frigore post cruenta flagra cruciatur S. Nicolaus studita 549 d

Fronti S. Theodulæ clavus infixus 663 d

Fruges festo die SS. Januarii et Magni demessæ, cælesti igne conflagrant 526 f Frumentum Christi se dicit devorandus a leonibus S. Ignatius M. 29 f Frumento horreum Episcopi ad adventum S. Brigidæ divinitus repletum 125

Fulmine dejicitur statua Juliani Imperatoris, in loco statuæ Christi posita 460 d Fulmine absumitur seges S. Gallæ furto sublata 949 c contra Fulmina, tabula S. Agathæ exponi solita 640 d Fulmine percutitur Diaconus in peccato administrans sacra 546 b c d

in Funere B. Joannæ Valesiæ arthritis curata 590 a Funeri S. Agathæ Angeli visibiliter assistunt 629 a

Fures redeunt ad S. Brigidam cum equis ablatis putantes se domum venire 125 Furem chirotheca baluta prodit 821 a Fures ad B. Domitiani reliquias immobiles 710 e Furatus mel ex alvearibus ex opposito templi S. Vedasti, immobilis hæret, ope S. Vedasti liberatur 815 c Furtiva lana, dono oblata ad Reliquias S. Venantii evanescit 523 f Furtim S. Bertulphi corpus sublatum Bononia ut redderetur Angliæ Regi 682 d 689 c

Furnum calentem ingressus S. Severus Abrincensis non læditur 192 a b

Furore punitur a Deo oppressor subditorum Ecclesiæ S. Vedasti 815 f Fustibus cæditur S. Blasius 350 b

G

Gemmis ornata inter Angelos S. Agatha apparet S. Luciæ 651 e

Gentilis viri cibos comedere noluit S. Brigida, nisi prius ille baptizaretur 123 Gentilis S. Cornelius Centurio, fuit vir probus et Deum timens 283 f pro Gentium conversione sibi inimicarum orat S. Anscharius 428 e

Genua flectit Horas Canonicas dicens S. Gilbertus ad singula verba Dei vel Domini 576 c

ex Germanis, primus Doctor B. Rabanus 534 f

Gibbus Volusiani sudario S. Veronicæ sublatus 456 c

Gladii mensuram excedentes Saxones occidit R. Dagobertus 229 a inter Gladios strictos transire jussi capite damnati, ope S. Agathæ liberantur 641 b c Gladium nudum gerens in omnem se partem gyrat dux Carinthiæ in prima inauguratione 707 f Gladio occisi SS. Theon et 2 pueri 48 Dorothea V. 782 vide Capite plexi

Globus igneus et Candelæ quasi accensæ supra templum visæ ante mortem S. Gilberti 578 e

Gossypium ex contactu Reliquiarum S. Agathæ salubre, et Ætnæ incendium avertit 658 a b

Græcæ linguæ necessarium studium 534 e Græcam linguam per Orationem S. Basilii divinitus discit S. Ephræm 75 f

Grandinum tempestas reliquiis B. Domitiani avertitur 709 e

Gratias Deo agens in martyrio S. Theodula moritur 663 a

ob Gulæ vitium purgatorium, patitur Arnulphus Presb. 566 e

Gutturis dolorum, et suffocationum ex osse vel spina piscium constitutus Patronus S. Blasius 336 f 339 c 341 b

Gutturis morbus sanatur ope B. Joannæ Valesiæ 589 e 590 c

H

Hæreditatis partem, quæ filium mortuum contingebat, pauperibus pii parentes distribuunt 723 b

Hæreses a Græcis ut plurimum ortæ 718 a Hæresim in Hibernia futuram prædicit S. Brigida 126 Hæretici libri, ne usui Hæreticis essent, omnia folia S. Ephræm conglutinat 71 Hæreticos pejores dæmone vocat et corvis comparat S. Ephræm 66 d e Hæreticos jure a se impugnari ostendit S. Isidorus Pelusiota 478 a b ob Hæresim occisi, non coronam fidei sed pœnam perfidiæ capessunt 331 f

Halecum duo vasa distribuuntur pauperibus die S. Adelheydis 720 b

Hectica laborantes, ad sepulchrum Hectica mortui S. Episcopi sanantur 249 d

Herbæ in pascuis S. Brigidæ una nocte recrescunt 113 Herba ad pedes statuæ Christi enata, ubi crescendo fimbriam attingit, morbis medetur 460 d

Hernia curatur ad corpus S. Veridianæ 265 a f per B. Joannam Valesiam 588 e 590 b f

Homicidæ excæcati ne S. Amandum occiderent 863 d 865 f 867 b 879 a Homicidii conscius Rex Theodoricus ab Episcopis damnatus, pœnitentiam agit 796 d

Honor a Rege, S. Saro Eremitæ exhibetur 202 a b Honorem amissum ut recuperet, dæmonum opem implorat Theophilus 490 b c

in Horto sepulchrum Christi et Crucem curat erigi B. Joanna Valesia 583 a

Hospites venturos divinitus intelligit S. Brigida 116 his tractandis præter consuetudinem lac emulget 133 Hospitalitas pauperis S. Brigidam excipientis 133 f ob Hospitalitatem factæ expensæ, divinitus restituuntur 133 f Hospitale extruit Bremæ S. Anscharius 409 b Bononiæ S. Guarinus 923 f

Hostes ejecti Catana ope S. Agathæ 659 b c arcentur a loco ubi erat corpus S. Vedasti

Humanitas et caritas, erga domesticos B. Rabani 531 c

Humilis S. Wereburga Regis filia monasterii officia omnia

*omnia obit* 392 *d* Humilis *Regina Ethelburga monialibus monasticam vitam amplexa inservit* 923 *a b* Humilis *S. Anscharius, discipulum S. Rembertum sibi præponit* 567 *c d* Humilitas *S. Ephræm* 7 *B. Rabani* 532 *c S. Hadelogæ* 332 *b*

Hyacinthus *vestis Pontificiæ quid significet?* 566 *d*

Hymnum Te Deum laudamus *et S. Athanasii symbolum moribundus S. Anscharius prælegi curat* 432 *b c* Hymnus *S. Damasi de S. Agatha* 600 *a alius S. Isidori Hispalensis* 601 *c de sudario S. Veronicæ* 457 *f*

I

Idololatras *servos vocat S. Agatha* 525 *a* Idololatris *capitalem pœnam Rex Asa edicit* 323 *c* Idolorum *cultrix excæcata, a S. Amando visum recipit* 863 *d* 879 *c* Idolum *oris afflatu in tres partes disrumpit S. Theodula, et restituit* 663 *c*

Igne *combusti SS. Cæcilius* 10 *d Pionius Presb.* 42 *b* 46 *e Theodula, Evagrius, Macarius et alii Cilices* 663 *Christe et Calliste* 722 *d* Igneus globus *visus in loco quo mater S. Brigidam ferens utero dormiebat* 119 *f* Ignea columba *visa supra domum in qua erat parvula S. Brigida* 120 Ignis *S. Brigidæ sacer, perpetuo conservatus* 113 *eum violans demens factus* 114 Igne fulmineo *vivus conflagrari ob S. Laurentio Archiep. hospitium negatum* 296 *e in* Igne, *puer vivus inventus et illæsus invocata S. Verdiana* 263 *d* Ignis *fornacis, ne lædantur Martyres, extinguitur* 342 *d* Ignis Ætnæ *instar fluvii labitur per agros, obvia etiam saxa liquefaciens* 656 *a b c* Ignis sacer *divinitus in homines immissus sævit* 908 *e* 909 *a curatus a S. Berlenda* 388 *d vide* Incendium.

Imaginem *pingere volenti visibiliter apparens S. Cornelius Centurio, seipsum spectandum præbet* 287 *d* Imago *S. Blasii Ragusæ pecuniæ imprimitur* 337 *a* Imago *S. Bertulphi cum crumena zonæ appensa, e qua eleemosynas distribuit* 682 *c* Imago sudarii *S. Veronicæ Romæ* 460 *in diœc. Laudunensi* 461 *e f Caduini in Aquitania* 462 *b Genuæ urbe Batetæ* 462 *b miraculis claret* 462 *a* Imaginis *sacræ et idoli differentia* 549 *a ob* Imaginum *defensionem Sacerdotes in exilium pelluntur* 548 *c d* Imaginum *cultoribus factus versibus inrisis cruciatur et fœdatur* 552 *d* Imaginem *B. Virginis curru triumphali Constantinopolim invehit Zimisces Imp. victoriam de Bulgaris eidem adscribens* 719 *c* Imago *S. Francisci Meaci sanguine sudat, præsignans martyrium suorum Religiosorum* 748 *c*

Imperator *Nicephorus in palatio noctu occisus, cooperante uxore* 718 *c d* Imperatore *Valeriano Sapor R. Persarum equum conscensurus pro scabello usus* 487 *a* Imperium *deponit Diocletianus, pertæsus, quod Christianos exstirpare nequiret* 465 *b*

*in* Inauguratione *Principis Carinthiæ quærebatur Justusne judex esset et Christianæ fidei cultor* 707 *e*

*ab* Incendio *præservatur templum, posita in eo statua S. Theoderici Ep. Mindensis* 318 *d cella in qua oberat S. Vedastus* 802 *e* 807 *f* Incendium *reprimitur interpositione Reliquiarum S. Anatolii* 364 *b extinguitur opposito baculo S. Vodali* 699 *a historia passionis S. Agathæ* 640 *c precibus S. Gallæ* 949 *f* Incendium Ætnæ *velo S. Agathæ repressum* 624 *a* 626 *a*

Incredulus *insania punitur* 710 *c*

Increpando *infirmus tanquam otiosam vitam agentes, sanat S. Adelheydis* 725 *e*

Indulgentiæ *datæ ab Urbano Rogerio Comiti Siciliæ* 662 *a e stantibus S. Udalrici capellam* 702 *d*

Inedia *torquetur S. Eutychius per* 12 *dies* 463 *d vide Fames.*

Infans 8 *horarum baptizatus, ter respondit* Deo gratias 862 *e* 40 *dierum S. Sigebertus* Amen 862 *e* 865 *f* 866 *e* Infans *prodit verum parentem interrogante S. Brigida* 123 *d* Infans *mortem S. Verdianæ publicat* 262 *f* Infans *ab S. Indracto apparente librum legere subito discit et lecta intelligere* 697 *b*

*In* Infernum *cadere animas sicut nivem videt S. Obitius* 579 *c*

Infidelis *puer punitur morte suorum fratrum* 128 *e*

Infirmitatis 60 *dies meritis adæquari* 60 *annis sanitatis indicat S. Agatha apparens* 652 *c* Infirmus *annis* 80 *S. Fiunnus* 117 Infirmis *cibum ministrat S. Adelheydis* 724 *e f* Infirmi *sanantur a S. Agatha apparente* 647 *b a S. Vedasto apparente* 812 *e f* 813 *d*

Infortunium *S. Brigidæ, fortuna fit aliorum* 122

Infortunia *et afflictiones cessant, corpore S. Lietphardi honorifice sepulto* 501 *a b*

Inhospitales *Græciæ Episcopi* 717 *a* Inhospitalitas *quorumdam igne fulmineo punita* 296 *e*

*pro* Inimicis *tortoribus orat S. Abrahamius M.* 474 *a*

Injuriam *non pati, sed facere, malum esse docet S. Isidorus Pelusiota* 478 *f* Injuriis *civium et pressuris delectatur Nicephorus Phocas Imp.* 716 *e*

Innocenter *ad mortem damnatus, ope S. Verdianæ liberatur* 265 *f* Innocentia *Christianorum a Plinio declarata Trajano Imp.* 20 32 Innocentiam *post mortem apparens Regi declarat infamatus ab eo Clericus* 310 *d* Innocentem *percutiens coram S. Wereburga facie ad tergum reflexa punitur* 393 *d* Innocens *S. Hildegardis adulterii accusata, et a marito ex rupe præcipitata, illæsa servatur* 728 *a*

Inobediens *S. Brigidæ punitur lepra* 126 *a alius subito risu moritur* 170 *e f* Inobediens *monachus paralysi percussus* *d* 864 *a* 867 *b* 880 *e* 896

Insanus *donatus S. Amando, usum rationis recipit* 905 *e alius ad reliquias ejus* 906 *b*

Insidiæ *ab Episcopo invido structæ S. Amando, divinitus impediuntur* 879 *c*

Instructores *adolescentum regiis stipendiis in Britannia aluntur* 915 *e*

Iratus *per totam vitam monasticam numquam visus S. Ephræm* 77 *e* Iracundiæ *motum nec verbo, nec alio unquam signo ostendit S. Rembertus* 570 *c* Iracundum *levi ictu S. Sigebertus mansuetum reddit* 576 *e*

Irridet *deos S. Agatha* 622 *a* Irridens *prædicantem S. Amandum a dæmone correptus moritur* 863 *a* 865 *d* 878 *e* 894 *d* Irridens *S. Patricium subito moritur* 104

Iter *divinitus acceleratum* 647 *b* Iter *divinitus propter S. Brigidam retardatum* 125

J

Janua *templi ultro de nocte aperitur S. Urso in eo oraturo* 937 *e*

*Jejunat per tres dies nihil manducans S. Arentius* 842 *e* Jejunant *in pane et aqua in profestis Deiparæ Virginis S. Walterus et S. Margarita* 275 *d e* Jejunanti *spreta hospitalitate lardum in colubrum conversum, per S. Soranum restitutum* 200 *e* Jejunantibus *inobedienter, lardum in serpentes conversum* 125 Jejunat *et orat in templo S. V. Mariæ* 40 *diebus pœnitens Theophilus* 491 *a* Jejunio 40 *dierum, animam ex purgatorio liberat S. Rembertus* 566 *e f* Jejunant *Suevi adhuc ethnici ob victoriam Christi auxilio obtentam* 427 *d*

Jesum Christum *non cessabat inclamare inter tormenta S. Ignatius M.* 14 *e vide* Christus

Judæus *magus Theophilum ad devovendum se dæmoni adducit* 490 *b* Judæos *S. Pionius captus monet* 41 43 *a b evitandos Christianis docet* 45 *b* Judæi *sepulchrum S. Agathæ in veneratione habent* 625 *a*

Judex *iniquus a Deo punitus teste S. Vedasto* 812 *b* Judicem *moneri curat S. Vedastus, ne hominibus innocentibus noceat* 812 *b* Judicaturus *ut bene causam perspiciat, monetur S. Cyrillus a S. Isidoro Pelusiota* 476 *e* Judicium *Dei timet S. Ephræm* 60 *e f id futurum probat*

*probat* 63 *f* Judicia *hominum erronea* 75 *d e*

*a* Jurisdictione *Episcopi monasterium eximitur, cura S. Inæ R.* 917 *a*

Justitia *Dei in puniendo peccata S. Ephræm et aliorum* 56 *in* Justitiæ *signum, cum gladio evaginatum gyrat se in omnem partem Dux Carinthiæ in inauguratione* 707 *f*

Juventutem *in litteris instrui curat Notgerus Ep. Leodiensis* 373 *e in* Juventute *dissolutus, tandem religiosus factus et Martyr* 741 *f*

L

Labore *manuum victum S. Amandus quærit* 873 *b*

Lac *pro sanguine fluit lacerata carne SS. Martyrum fœminarum* 342 *c* Lacte *abluta est, nata S. Brigida* 119 Lacte *ex aqua facto et epoto, infirmum sanat S. Brigida* 122

Lacrymas *assiduas* S. Ephræmi Pelagus *vocat S. Gregorius Nyssenus* 69 *f* Lacrymas *S. Brigidæ, Christus ex oculis detergit* 152 *f* Lacrymas *devotæ sanctimonialis cæcus S. Gilbertus videt* 576 *e* Lacrymatur, *quoties vult ex devotione S. Anscharius,* Lacrymarum *donum a Deo consecutus* 429 *d et discipula S. Hadelogæ orans cum periculo cæcitatis* 960 *a b*

Lampades *divinitus accensæ in templo S. Agathæ* 637 *b ante sepulchrum S. Guarini* 925 *d S. Severi Ravennatis* 814 *b S. Vodali* 697 *c* Lampades *ante altare S. Verdianæ diutissime ardent nec oleo affuso, nec lychno addito* 263 *f* Lampas *ante Hierothecam S. Vedasti sine oleo, ardere visa* 797 *c* 817 *b c* Lampas *vitrea ad S. Verdianæ sepulchrum lapsa nec confracta nec eversa; nec extinctum lumen* 263 *e*

*furtiva* Lana *ad Reliquias S. Venantii dono oblata, evanescit* 523 *f*

Languida 10 *annis ad reliquias S. Amandi sanatur* 905 *c d*

Lapis *vestigia, quæ orans pro Christianis tempore pugnæ posuerat S. Rembertus, retinet* 564 *a* Lapides *fontis, in quem S. Gemmuli decollati sanguis decurrit, rubescunt* 572 *d* Lapidem *capiti supponit somnum captura S. Berlendis* 384 *f ad* Lapidem *super quem nata S. Brigida signa patrantur* 104 *e* Lapidibus *impetiti Martyres* 472 *f* Lapides *noctu in domum, Constantini Imp. conjecti mortem ejus præsagiunt* 715 *b* Lapis molaris *S. Brigidæ miraculo consecratus, in incendio illæsus* 140 *c d e* Lapis molaris *invocata S. Brigida de alto monte præcipitatur illæsus* 140 *c* Lapis molaris *nulla vi moveri potest, ut grana magi infidelis commolat* 140 *c d*

Lardum *in panem conversum* 121 *ex cortice arborum factum* 134 *contra caritatem jejunanti in serpentem conversum* 200 *d* Lardum *die S. Hildegardis benedictum, valet ad phrenesim, epilepsim, sagarum præstigias tollendas* 728 *f*

Lascivus *juvenis a dæmone obsessus* 819 *a* 819 *a b c liberatus in templo S. Vedasti* 819 *c d e* Lascivus *Diaconus sacra administrans fulmine perit* 949 *d e*

Laterum *dolor sublatus a B. Joanna Valesia* 596 *a*

Latronum *Princeps factus postea S. Episcopus* 104 *f*

Latrones *qui S. Indractum occiderant a dæmone possessi, carnem propriam lacerantes moriuntur* 697 *a*

Laus *Sanctorum unde sumenda* 68 *d*

Lecticæ *usum dissuadet feminis S. Ephræm* 67 *c d*

Lector *S. Mutius Emesenus* 785

Leonum *dentibus velut frumentum se corrodi optat S. Ignatius M.* 14 *f ab iis devoratur* 28 *a* 32 *f*

Leprosi *sanantur aqua benedicta a S. Brigida* 121 129 130 *b c a S. Soro* 204 *f* 202 *a b ad corpus S. Verdianæ* 263 *c ad reliquias B. Domitiani* 710 *f* Leprosum *fratrem sanat primo occursu S. Arentinus* 495 *c a* Lepra *post mortem mundatus* 789 *a*

Libido *causa aversionis Taycosamæ Japonum Monarchæ a fide Christiana* 736 *c d* Libidine *tentatam monialem aspere arguendo, liberat, S. Gilbertus* 576 *e*

Liber *S. Brigidæ, Angelo dictante, conscriptus* 113 *e*

Libri *inventi in monte Granatæ Pontificiis bullis suspensi* 10 *f* Liber *quo significatur donum scientiæ, ab Angelis S. Ephræm oblatus* 70 *f* Librum *Christianum inique raptum detinens paganus, graviter punitur* 420 *a b* Libri *S. Chrysostomi a S. Isidoro Pelusiota comparantur lyræ Orphei* 475 *c* Libros *contra gentiles scribit S. Isidorus Pelusiota* 479 *a* Libros *in novum et vetus testamentum scribit B. Rabanus* 535 *e et alios plurimos* 539 *d* 542 *e f* Libri *Nestorii, imperiali lege prohibiti* 676 *d*

Ligna *ex silva cædere jussus, a labore et servitute eripi petit Magnebertus, et obtinet morte impetrata a S. Vodalo* 699 *c ex* Lignorum *sectore Taycosama Imperator Japoniæ* 731 *d* Lignum *viride sine putredine manet attactu S. Brigidæ velamen accepturæ ab Episcopo* 787 *f*

Lingua *excisa obit S. Carion* 48 *b* Lingua *S. Leodegario exsecta* 223 *b c* Lingua Lignea *S. Basilii Scripturam legentis visa* 75 Linguæ rubeæ *in capitibus Christianorum in Japonia die Pentecostes* 741 *e* Linguis *variis dæmon per energumenum loquitur* 819 *b c*

Linteum *deterius oblatum altari, rejectum ter divinitus ab altari* 816 *e*

Liquor *salubris ex saxo, vestigio S. Agathæ signato emanat* 613 *f*

*ex* Litaniis *nomen S. Sigeberti delens punitus, et sanatus nomine rescripto* 239 *b c* Litanias *calcando et lavando se cantat S. Anscharius* 429 *e*

Litteris aureis *miraculose scriptis monetur Imperator, ne in patriam S. Agathæ sæviat* 639 *e f*

Locis duobus *uno tempore visus S. Severus* 84 *c d e in* Loco sacro *metentes gramen divinitus puniuntur* 318 *c in eo pecora non pascenda* 388 *e d* Loca sacra, *ubi quiescebant Sanctorum corpora, negligi queritur S. Theodoricus* 318 *f* Loca sacra *adire pro oculorum illuminatione monetur cæca a S. Stephano* 387 *d* Locus orationis *S. Remacli infirmis utilis* 376 *a* Locum *S. Hadelini, venatoribus temere ingressis equi et canes extinguuntur* 379 *f eodem* Loco *pœnitentiam agit S. Landelinus, quo ante latrocinari consueverat* 504 *e* Loco *quo vitam conservarat monasterium extruit Rex Longobardorum* 661 *a b*

Lumen *errantibus viatoribus noctu divinitus præferri impetrat S. Brigida* 130 Luce *circumfunditur S. Laurentius Archiep. noctu ad sæpes cubans* 296 *e S. Hildegardis innocenter adulterii accusata* 728 *e S. Blasius inter tormenta* 343 *a* Luce *fulget carcer S. Agathæ* 625 *e* 628 *d e cubiculum moriente S. Soro* 203 *f et S. Hilario et cum abeunte lumine anima migrat* 91 *e f* Lumen et Odor *circa pie morientem fratrem S. Brigidæ Fæsulanæ* 248 *e* Lumine cœlesti *illustrantur S. Joanna Valesia moritura* 584 *a* 594 *d et Martyrum corpora* 747 *e* Lumini *a Christo comparatur S. Bryualphus* 935 *a* Luminaria *in sui memoriam S. Blasius jubet accendi et eleemosynam pauperibus dari* 345 *b*

Lunam *in sinum descendere vidit gravida mater S. Gilberti* 576 *a* Lunatici *curati ad corpus S. Arentini* 486 *b*

Lupus *porcum raptum dimittit propter S. Blasium* 341 *d* Lupi *porcos S. Brigidæ donatos ad eam ducunt* 134 *e*

Luscinia *Ecclesiæ S. Basilius* 70 *d*

*ad* Luxuriam *provocantem fœminam repellens liberatur morte* 551 *c*

M

Magus *prædicit S. Brigidam mirabilem futuram* 119 *a* Mago *serviebat cum matre sua S. Brigida* 120 *d* Magum *morientem convertit apparens S. Brigida* 134 *cd*

Mala punica *pro insignibus gestant Granatenses* 10 *in veste Pontificia quid significent?* 566 *c d*

Maledixit *nulli unquam S. Ephræm nisi apostatis et hæreticis* 61 65 Maledictio *justa morbum*

*lum caussat* 126 164 *a b* Benedictio *sanitatem reddit* 126 Maledictione *S. Brigidæ frater ejus oculum perdit* 177 *f* Maledicente *matre, et inferos filio imprecante dæmon eum aufert, qui ad sepulchrum S. Verdianæ incolumis redditur* 264 *b* Maledictis *impetens S. Gallum, a dæmone obsidetur* 950 *a*

Mamillæ *S. Agathæ amputantur* 622 *f* 625 *c a S. Petro apparente curantur* 623 *a b* 625 *c* 628 *c ex* Mamilla *arida S. Agathæ, lac sugit infantula* 644 *c* Mamillæ *sanatæ per S. Joannam Valesiam* 588 *d*

Mancum *sanat S. Brigida* 121

Mansuetus *et patiens in persecutionibus B. Rabanus* 543 *d* Manum *ex qua Eucharistiam promiserat se in agone sumpturam S. Brigida, mundissimam servat S. Ninnidius, nihil ea profanum tangens* 168 *f* Manus *Dominæ aruit, qua ancillam violenter a S. Brigida abstraxit* 129 *d* 131 Manum *e sepulchro extendit S. Gertrudis ut acceptet bona oblata* 384 *a* Manus *S. Joannis Baptistæ Antiochia Constantinopolim solemniter delata* 714 *f* Manus *contracta, sanatur ad Reliquias SS.* 525 *b S. Venantii* 523 *b SS. Januarii et Magni MM.* 526 *b* Manuum *dolor sublatus ope S. Joannæ Valesiæ* 595 *d* Manum *contritam architecti, manibus suis fovens, sanat S. Obitius* 579 *e*

Maria *Deipara invocata capellam raptam ex ore lupi eripit pastor* 310 *c* Mariæ *V. encomia brevia* 489 *a b* Maria *V. monet puerum Anscharium ut pueriles mores relinquat* 414 *c d sanctitatem S. Brynolphi indicat S. Birgittæ et illius Elevationem petit a Christo* 934 *c d e S. Cyrilli partes tuetur quod pro sua gloria decertasset* 476 *b* Maria *Virgo intercessionem promittit Theophilo apostatæ pœnitenti* 492 *a ei veniam peccatorum impetrat et chirographum quo se diabolo obstrinxerat, reddit* 492 *e prædicit quinquennium adhuc S. Joannæ Valesiæ, fundandum ab ea ordinem Annuntiatarum* 582 *c* Mariæ *V. victoriam obtentam adscribit Zimisces Imp.* 719 *e ob amorem erga* Mariam *Franciscanus Gabriel Maria nuncupatur* 583 *e* Mariæ *V. capilli et lac a S. Veronica in Gallias allata* 458 *c d*

Maris *tempestatem sedat S. Rembertus* 562 *e super* Mare *ambulat siccis pedibus S. Laurentius Archiep. Cantuar.* 296 *d*

Marmor *fractum Crucis signo redintegrat S. Amandus* 871 *f*

Martis *simulachrum colebant olim Hispani* 9

Martyrum *celebritas convivium a S. Chrysostomo dicitur* 14 *d* Martyr *voto et voluntate S. Anscharius* 423 *f* 432 *e ei* Martyrium *incruentum voce cœlesti promittit* 415 *b* Martyrium *expectans vincula collo suo et sororum imponit S. Pionius* 40 *ad* Martyrium *animat S. Dignam S. Agatha* 64 *a b* Martyrii *coronam S. Luciæ prædicit* 636 *e* Martyrium *suum impediri vetat S. Ignatius Antiochenus* 27 Martyrium *passi pro fide ad* 16000 *sub Rege Persarum Sapore, quorum nomina sciebantur, et alii innumeri* 472 *d* Martyres *alacri animo videns morientes apostata convertitur* 447 *d inter* Martyres *collocatur puer patienter tolerans inflictum vulnus* 415 *f*

Mater *sepulta, ut filiæ penes se sepeliendæ locum daret, in partem unam recedit* 85 Matri *sanitatem impetrat S. Lucia* 651 *f* Mater et filia Sanctæ *Ermenilda et Wereburga* 388 *c f*

Materia *pro templo S. Vedasti restaurando divinitus prolongata* 816

Matutini *conventus Christianorum ad sacros Hymnos decantandos* 33

e Medico *S. Blasius M. fit Episcopus* 343 *e*

Mel *divinitus S. Brigida obtinet* 134

Membrorum *debilitas depulsa per S. Joannam Valesiam* 591 *f*

*pro* Memoribus *suæ passionis S. Dorothea Deum precatur* 780 *d*

Mendicus *superbus cum S. Brigida altercatur de eleemosyna* 130 *f* Mendicando *vivit in patria ignotus B. Antonius Peregrinus* 267 *a*

Menstruos *feminarum morbos S. Veronica seu Venisa curat* 459 *c d*

Meretricem *ad peccatum provocantem S. Ephræm convertit* 69 *f* 70 *d* 74 *c*

Merita *æqualia sua et S. Remberti divinitus cognoscit S. Anscharius* 400 *a* Merita *in morbo* 60 *diebus, æquantur meritis* 60 *annis in sanitate* 641 *b*

Miles *S. Severus de Monte-Falco* 944 *a* Milites *inhumani et feri, bestiæ ac leopardi vocantur a S. Ignatio M.* 27 Milites *in bello occisos voluit Nicephorus Phocas Imp. pro Martyribus haberi* 717 *b*

*cum* Mimis *et scurris occupatus Romanus Imp. Imperium Cubiculario regendum relinquit* 715 *d*

Miracula *fieri cessant ad tumulum S. Domitiani, profanis prope eum sepultis* 709 *a* Miraculo *non credentes a dæmone arrepti* 385 *c* 726 *f et ad sepulchrum S. Adelheydis liberati* 726 *f* Miracula *per Sanctos facta Deum in Sanctis habitare designant, nosque ad imitandas virtutes Sanctorum excitant* 909 *c*

Misericordia, *S. Brigida, etiam super brutum animal movetur* 175 *c eminet ea virtute* 178 *d ex* Misericordia *aliqua carnes cani gravidæ et famenti porrectæ, divinitus compensantur* 175 *e ut* Misericordiæ *opus exerceat, pericula mortis contemnit virgo* 550 *a*

Missam *absens quotidie audit S. Brigida* 131 *f* Missæ *inservit S. Anscharius Archiep.* 429 *c post* Missas *decem pro se celebratas apparens defunctus mortem S. Joannæ Valesiæ prædicit* 594 *a* Missam *facit S. Polycarpus pro S. Bucolo Ep. Smyrnensi defuncto* 775 *f*

Mœnia *quasi plena militibus visa a Turcis Catanam oppugnare volentibus* 659 *c*

Monachi Sancti *Josserandus Crudati* 93 *Isidorus Pelusiota Presb.* 473 Monachi *olim Scripturæ sacræ scientes* 543 *a* Monasticam *vestem et vitam induit, factus Archiepiscopus S. Rembertus* 568 *b c* Monasticam *vitam amplexi S. Ethelredus Rex* 392 *c S. Ina Rex* 922 *e f et Regina uxor* 923 *a b S. Wereburga Regis filia* 392 *c S. Cuthburga Regina* 914 *d e S. Aldegundis, sanguine et forma nobilis* 874 *c d S. Adelheydis Comitis ditissimi filia* 722 *c d S. Modanus e regio stemmate* 503 *f S. Isidorus Pelusiota dives et doctus* 474 *b* Moniales *videri facie detecta prohibet S. Gilbertus* 578 *a b* Monasteria *extruunt xii S. Sigebertus Rex* 235 *c varia S. Gilbertus* 572 *f* 573 *Hamburgi S. Anscharius* 409 *a Fuldæ Bonifacius* 519 *e* Monasteria *et templa extructa a S. Amando* 829 *e f* 830 *d* 831 *d e f eorum privilegia a Regibus confirmata* 830 *b* 831 *a Monasteria fundat S. Ina Rex* 914 *a* 916 *d privilegia indulget* 916 *e eximit a jurisdictione Episcopi* 916 *e* Monasteriorum *frequentiam cur optat Archiepis. Coloniensis* 930 *d*

Moneri *varios de variis jubet S. Vedastus apparens moribunda a se sanata* 812 *e f* 813 *a b*

Monstrosus *a SS. Augustino, Laurentio, Mellito, Ep. Anglis sanatur* 297 *a*

Mores *leves et pueriles relinquere monetur a B. Virgine S. Anscharius adhuc puer* 917 *e f* Mores *et habitus corporis Nicephori Phocæ Imp. descripti* 716 *a*

Mortem *sæpe recogitant B. Rabanus* 537 *d e S. Guarinus* 924 *e a puero S. Rembertus* 565 *c* Mori *maluit iterum post baptismum quam vivere resuscitatus Rex Hyberniæ* 97 *c d e* Mortem *præsciunt suam S. Brigida* 185 *e f S. Joanna Valesia* 584 *a S. Severus Ep. Abrincensis* 191 *c d S. Ursus* 948 *d S. Galla* 941 *e S. Sarus* 203 *f S. Rembertus* 571 Mortem *prædicit suæ puellæ S. Brigida* 135 185 Mortem *B. Joannæ Valesiæ defunctus prædicit Confessario ejus* 594 *a* Mortem malam *Episcopi crudelis prædicit S. Ursus* 948 *a b* Mortem *impetrat a S. Vodalo, servitutem pertæsus* 607 *f* Morientem *magum convertit S. Brigida apparens in veste candida* 134 *c d* Moribundus *S. Anscharius*

*Hymnum*

Hymnum Te Deum laudamus, et S. Athanasii symbolum curat prælegi 432 b Moribunda S. Hadeloga cantat, solita semper sana flere 960 a b Moriturus judicium Dei timet S. Ephræm 63 b a Morte præservatur miles ob castitatis actum 601 a b Mors S. Martini, S. Ambrosio revelatur 217 a Morte Caroli Magni Imp. compunctus S. Anscharius ad strictiorem vitam accingitur. 414 e Morte filii parentes ad sanctiorem vitam excitantur 723 b Mortua matrona chirothecam S. Hadelino porrigit significans ei legatos a se fundos 380 f Mortuum resuscitat S. Laurentius Archiep. 296 f Mortem simulans coram S. Patricio vere mortuus est 104 f

Mortificatio heroica plurimi valoris 169 f Mortificatio heroica carnis continentiam perpetuam a Deo obtinet puellæ S. Brigidæ 133 Mortificatio et labores Apostolici pro martyrio reputantur S. Anschario 432 f

Mulieres vitandæ Sacerdotibus 472 f cum Mulieribus conversari periculosum 577 f sub Mulieris specie fame et frigore confectæ, cellam S. Aventini adit dæmon 495 d propter Mulieres Taycosama Japonum Imp. Christianam fidem non sequitur 734 c d

Mundi vanitatem Regina, S. Inæ Regi quo pacto ostendit 922 a b Mundana omnia, fumi instar habuit redivivus a mortuis Rex Hyberniæ 97 Mundo contempto vitam monasticam amplexi. Vide Monachi

Munera peccatoris ter super altare S. Alexandri posita, ter ab eo divinitus dejecta 520 e f

in Muscæ specie dæmon ex ore energumenæ ad Reliquias SS. ejicitur 525 c

Musica suavis cœlestis quasi ab apibus formata audita, ante Translationem Corporis S. Sigeberti 238 f

Muti sanati a S. Vedasto 810 per B. Joannam Valesiam 589 a signo Crucis a S. Hadelino 380 d ad reliquias S. Venantii 523 b Domitiani 710 c f S. Agathæ 643 d e aliorum SS. 525 b SS. Januarii et Magni MM. exclamans Kyrie eleison 526 aqua benedicta a S. Galla 950 b Mutæ 2 sanguine e vulnere S. Brigidæ profluente sanantur 122 Muta interrogata respondit S. Brigidæ, facta mox eloquentissima. 134 d

N

Nasci orto sole, bonum omen 156 d Nata S. Brigida in limine implevit prædictionem; nascituram eam nec intra nec extra domum 119 ante Nativitatem S. Gilberti vidit Mater lunam in sinum descendere 576 a

Navis cum Reliquiis furto ablatis divinitus detinetur 338 c Navis adverso fluvio divinitus acta ad excipiendas S. Venantii reliquias 524 b Navis S. Probati ultro sine remige transvehit homines 559 b Navis corpus S. Adelheydis sua sponte contra fluxum ad destinatum locum vehit 726 d Naufragus invocato B. Domitiano ad littus ejicitur 717 d Naulum injustum exigens a peregrinis ad reliquias S. Alexandri, nervis et membris obrigescit; voto facto sanatur 521 b

Nebula divinitus interjecta, S. Molingus ex hostibus eripitur 117 duellum dirimitur 821 c

Nephriticus dolor curatus per B. Joannam Valesiam 590 b

Nervis cæditur S. Blasius Armentarius 357 c Nervorum contractiones curatæ per B. Joannam Valesiam 589 d ad reliquias S. Venantii 524 b SS. Januarii et Magni 526 c vide Contracti

Nives non cadunt, ubi B. Severus Abrincensis ob pauperum necessitatem vestibus exutus stabat 189 d Nivibus reaccenduntur cerei in translatione corporis S. Lietphardi 502 b

Nocte tota vigilare cupit S. Amandus Romæ in templo 860 c sedet vestitus S. Gilbertus 576 f Nocturnus grassator spectris territus infirmatur 712 c

Nomen B. Angelo de Furcio a S. Michaele datum 937 b Nomen, in cœlo mutatum, S. Megengor 724 d Nomen suum a Barbaris corruptum indicat S. Vedastus 815 d Nomine S. Brigidæ invocato plectendus capite miraculose evadit 128 Nomine S. Petri Galatæ audito dolor mitescit 96 c Nomina dæmones sibi varia imponunt 651

Nubes cœlitus descendit super altare S. Agathæ 637 e Nubecula candida supra templum in obitu B. Joannæ Valesiæ 584 b Nubes crassissima diem obscurat, cum sententia de divortio B. Joannæ Valesiæ ferretur 580 f ex Nubibus sanguis fluxit 679 c

Nubere Regibus et Principibus ob virginitatis amorem recusat S. Hadeloga 309 e 956 d ne Nubat, oculum unum tolli S. Brigida petens a Deo obtinet 121 c Nuptias fugientem puellam insequentes immoti hærent 134 b Nuptias juvenis S. Agrippanus fugit 205 c S. Agatha in Melitam insulam 609 e Nuptias incestuosas damnat S. Avitus Episcop. 674 c vide Conjugium, Castitas, Virgo.

O

Obediens S. Nicolaus Studita videtur voluntatem suam non habere 547 a Obedientiæ virtute præcipiens mortuum abire, moribundam sanat S. Gilbertus 579 c Obediens S. Adelheydi non imposito epistomio vasi vinum integrum reperit 725 f

Oculi fenestræ animi 203 a cohibendi 70 d Oculus non custoditus caussa tentationis est puellæ S. Brigidæ 133 Oculi armatorum contra se dissidentium fratrum decepti, ne frater fratrem occurrentem agnosceret 127 Oculorum illusio cumulum stipularum pro urbe incendentium 127 Oculis orbari mavult puella, quam a præsentia et cogitatione Dei abstrahi 134 e Oculi eruti S. Leodegario 225 c Oculos sibi effodi curat Comes Carinthiæ ob innocentem uxorem ex rupe præcipitatam 727 b Oculorum dolor et timor tollitur a B. Joanna Valesia 586 e 588 e meritis S. Alderici 933 b Oculus redditus S. Brigidæ velamen sacrum ab Episcopo accipienti 787 f Oculorum visum recepit S. Audomarus in Translatione corporis S. Vedasti, quo iterum privari a Deo impetrat 808 e 810 a b vide Cæci.

Odor gratissimus in cubiculo moriente S. Soro 203 f ex Corpore mortuæ S. Verdianæ per 18 dies 663 b ex sepulchro S. Berlendis 386 f in ejus ecclesia 388 a b

Œconomiæ curam aliis committit spiritualibus vacaturus B. Rabanus 542 b c

Oleaster precibus S. Agathæ enatus, redarguit incredulitatem 624 f 626 f

Oleum ex Sanctorum ossibus manat 818 b Oleo cœlitus repletur lampas et accenditur in templo S. Vedasti 799 e 816 d Oleum in lampadibus ardentibus non deficit ad reliquias S. Agrippani 205 f Oleo lampadis S. Raymundi Ab. dolor capitis tollitur 257 b S. Vodali, cæci illuminantur 697 c 699 d Oleo sacro sanat infirmos S. Anscharius 431 e Oleo bullienti S. Theodula perfunditur 664 a illæsa exit S. Dorothea 780 b

Olera aquatica ad fontes suos ut crescant a Deo impetrat S. Brigida 130 e Oleribus vescitur B. Rabanus 537 f

Orationes pro se moriturus S. Ephræm postulat 64 b c Orat in stagno aquæ gelidæ S. Brigida 132 c Orationes ejus offert Angelus custos Deo 131 Orat B. Blasius pro iis, qui ad suum patrocinium recurrent. 347 e f Orationi ejus promittit Christus se satisfacturum 344 e Orationes, suffragia, satisfactiones, justo Dei judicio aliis applicantur animabus, quamvis pro aliis offerantur a viventibus 539 a b Oratione suscitat mortuum Regem S. Patricius 97 e d e Orans S. Opilius cum Angelis visus et auditus est colloqui 470 f Oranti B. Adelheidæ ad Reliquias B. Cyrici apparent Sancti et B. Cyrico eam commendant 854 b Orante S. Remberto captiva monialis, catena rupta evadit 570 b Ora-

tione *ad S. Brigidam fusa, bellua marina periculum evadit* 118 *d* Orationis *locus S. Remberti pro Christianis contra Normannos orantis perpetuo gramine viret* 564 *a* Oraturo *S. Urso de nocte in templo janua ultro aperitur* 946 *f*

Ordo S. Benedicti, *primus in Germania ante omnes alios ordines* 535 *b ex* Ordine Benedictinorum *quot Papæ, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi Sancti* 535 Ordinem militarem Calatravæ *S. Raymundus, Ab. instituit* 255 *f* Ordinis Crucigerorum *in Belgio fundator Theodoricus de Cellis* 371 *c* Ordinis Eremitarum S. Augustini *B. Angelus a Furcio* 935 Ordo Franciscanus *per vulnera Christi designatus* 582 *e hujus* Ordinis *Petrus Franciscus, Martinus de Ascensione, Franc. Blancus, Philippus a Jesu, Gonsalvus Garsia, Franc. a S. Michaele Mart. in Japonia* 729 *Francisca* 3 *ordinis* 940 Ordo *inter Metropolitas quo ad dignitatem* 714

*ex* Ore *suo enasci vitem per universam terram extensam vidit S. Ephræm* 70 *e f*

Osculo *materno dignatur S. Adelheydis puellas in studio proficientes* 725 *b* Osculo *veneratur Sanctos ad martyrium productos S. Julianus medicus M.* 786 *b* Osculando *feretrum S. Amandi, muta loquelam consequitur* 906 *e*

Ossa *S. Bertulphi ex medio igne per Angelum erepta* 691 *f in gremio Presbyteri miraculose reposita* 692 *d ejus ossa, ab aere eis insidente declarata* 692 *e f ob* Ossa *Sanctorum ab ædificantibus templum temere effossa et in unum locum congesta queritur S. Anthelianus propter se illos injuriam passos* 777 *f vide* Reliquiæ

Otium *Presbyteri Irnulphi in Purgatorio expiatur* 566 *e*

Oves *precibus a Deo obtentæ sine custode eunt ad pascua et redeunt* 114

P

Palatina *S. Agatha Hildegardis Carinthiæ* 727 Palatium *Imperatoris in stabulum hostes convertunt* 562 *c* Palatium *fimo repletum et ruderibus deformatum, vanam gloriam mundi S. Ivo ostendit* 922 *a b*

Pallium Episcopale *mittit S. Anschario Gregorius IV* 418 *f Episcopo Catanensi Alexander III et dies quibus eo uti debeat, præscribit* 662 *e* Pallio *Constantinopolitanus Episcopus non utitur nisi permissu Pontificis Romani* 717 *e* Pallio *S. Fodoli opposito incendium repressum* 699 *a*

Palmæ *benedictæ ramo S. Verdiana cæcæ visum restituit* 262 *e*

Panem Christi mundum *se vocat S. Ignatius M.* 29 Panis *multiplicatur meritis S. Brelendis superne miro conditus* 387 *b* Panes *morbis salutares S. Agathæ,* 658 *c S. Adelheydis* 720 *e f* Panis *ex fundatione S. Hildegardis, distribui solitus, si candidior pro honoratioribus pareretur, in furno miraculose aduritur* 728 *f* Panis *S. Hildegardis, diu non corruptus manet; sanat phrenesim, dolores viscerum et sagarum præstigiarum* 528 *b* Panis *S. Domitiani, juvat parturientes et laborantes febri et puncturis laterum* 702 *a* Panis, *vinum, fructus, semina, die S. Blasii benedicta, pellunt dolores gutturis et dentium, anginam* 340 *a b c d* Pane *et vino a S. Amando accepto sanatur paralyticus* 861 *a*

*a* Papa *evangeli audi licentiam pro Episcopi petunt* 109 *e ubi facit S. Amandus* 872 *e* Papa *Archiepiscopatum S. Anschario collatum confirmat et pallium mittit* 411 *f* Papæ *munera mittit propensus ad fidem Horicus Rex Danorum* 9 *sec.* 412 *d* Papa *consulendus super Episcopatuum permutatione* 423 *b* Papam universalem Ecclesiæ Pastorem *S. Avitus agnoscit* 671 *b* Papam, *judicio Episcoporum Italiæ subjectum negat S. Avitus* 672 *d e* Papæ *Ecclesiam a se ædificatum S. Ina Rex commendat, et confirmationem libertatum petit* 913 *a*

Paralytici *sanantur ope B. Joannæ Valesiæ* 591 *e umbra S. Brigidæ* 123 *lotione S. Brigidæ* 122 *e aqua et sale ab ea benedictis* 122 *e eundo ad Reliquias S. Agathæ* 646 *d e ad sepulchrum S. Adelheydis* 727 *e B. Domitiani* 710 *b c d e* 711 *e*

Parentes et liberi *SS. Severus Ep. Ravenn. et Vincentia, horum filia Innocentia* 79 *Adalbaldus Dux et Rictrudis, liberi Maurontus, Eusebia, Adelsendis, Clotsendis* 297

Paries *in ruinam inclinatus in templo S. Vedasti una nocte divinitus reparatur* 810 *e*

Passione Christi *per visum ostensa, animatur S. Anscharius ad multa toleranda* 426 *de* Passione Christi *quotidie meditatur B. Rabanus* 537 *b in* Passionis Christi *memoriam scapulare rubrum in Crucis formam ante pectus ferunt Annuntiatæ* 581 *b*

Pastor equorum *S. Severus Abrincensis Dominum suum ad fidem convertit ejusque fit Patrinus* 189 *c d e f*

Pater filium *B. Joannem Goto ad martyrium constanter perferendum hortatur:* patri *filius curam salutis æternæ commendat* 746 *a*

Patientissima *omnium injuriarum B. Joanna Valesia* 584 *b ejus* Patientiæ *actus insignis* 593 *a* Patiendi *pro Christo zelus S. Ignatii M.* 14 *a* Pati *pro Christo quid et quale opus* 427 *f* Patitur *innocens multa S. Joannes Episcopus Macloviensis* 252 *d carcerem S. Ephræm* 58 *e f* Patienter *fert expulsionem e templo S. Amandus* 871 *e* Patienter *tolerans lethale vulnus, puer ab altero puero sibi inflictum, inter Martyres collocatur* 415 *f*

Patriam *et civitatem suam mundum universum dicunt sapientes* 610 *c*

*in* Patria *ignotus mendicato vivit S. Antonius Peregrinus* 266 *f de* Patria *S. Agathæ contenditur apud Pontificem Romanum* 611 *a argumenta pro Panormitana civitate* 611 612 613 *pro Catanensi civitate* 614 615 616 617 618 619 Patriam *propter barbaros gentilium mores S. Bertulphus deserit* 684 686 *e ut* Patriam *numquam videret orat puer S. Amandus* 860 *b*

Paupertas *S. Ephræm nihil in terra possidentis, non marsupium, non baculum neque aliud quidquam* 61 *e* 71 *e in* Paupertate *voluntaria B. Antonius Peregrinus suis sororibus mendicus incognitus servit* 266 *e in* Pauperis *persona Christo sacras vestes donat S. Brigida* 139 *f* Pauperibus *in Quadragesima pedes lavat S. Anscharius eosque mensæ adhibet* 430 *a* Pauperes *famis tempore trecentos alit B. Rabanus* 541 *f* Pauperes *certo numero alendos præscribit S. Adelheydis Abb.* 724 *f* Pauperibus *manu propria, eleemosynas dat S. Guarinus Ep. Cardinalis* 925 *b* Pauperibus *discum ex suo prandio primo implet S. Gilbertus et discum Christi vocat* 576 *f* Pauperibus *jubet ea dari S. Ephræm moriturus quæ in funus suum daturi erant aliqui* 62 *b ob* Pauperem *S. Fodolum cibo non refectum a nautis, tempestas oritur: eo refecto sedatur* 698 *d* Pauperi *non fur is ad honorem aditus* 89 *a*

Peccata *arguens Regis Dagoberti S. Amandus pellitur* 862 *a* 871 *f* 875 *a* Peccati *carnalis occasiones fugit S. Gilbertus* 577 *f ob* Peccata, *jus conceditur dæmoni obsidendi peccatorem* 520 *a* Peccatorum *confessione facta, jus amittitur* 520 *a* Peccato *per visionem apparentis sibi mortui Presbyteri arcetur monialis* 310 *f pro* Peccato *sororis pœnitentiam agit S. Celerinus* 326 *b* Peccata *mulieris profanæ pœnitentis, oratione S. Basilii Magni, divinitus ex charta deleta* 76 77 Peccata *sibi remissa audit, orans ad Reliquias S. Blasii* 340 *e* Peccatorum *veniam per B. Virginem obtinet Theophilus* 496 *d*

Pecora *S. Vedasti curæ commissa a peste et feris libera conservantur* 811 *a b*

Pectinibus *ferreis laceruntur pro fide mulieres MM.* 342 *e S. Blasius* 34 *f* Pecten *B. Hildegardis dolore capitis laborantibus salubre* 926 *e* 927 *d e*

Pectus

Pectus *lapide tundit B. Joanna Valesia* 583 *a*
*per* Pedem *dextrum designatur exercitus Christianus, per* pedem *sinistrum exercitus Scythicus* 54 *b c d* Pedibus *nudis Paulus* II *Pontifex Romanus sudarium S. Veronicæ in processione portat* 461 *d* Pedes *clavis confixi S. Theodulæ M.* 663 *a* Pedes *distorti curantur ad reliquias S. Amandi* 907 *b* Pedum *debilitas per B. Joannam Valesiam* 587 *f*

Pellices *subditis prohibet Taycosama Japoniæ Imperator Ethnicus* 733 *e*

Pera *duellantis percussa, tantam nebulam exhalat, ut uno alterum non vidente, duellum dirimi debuerit* 821 *e*

Perdita *fibula aurea recuperatur in itinere ad Reliq. S. Venantii* 523 *e*

Peregrinantur *ad limina Apostolorum S. Hildegundis* 926 *f pœnitens Luydolfus* 88 *b c S. Amandus* 860 *c* 871 *a b Cadruelis filius Regis Britanniæ* 501 *d ad S. Jacobum S. Verdiana* 260 *b et Romam, pro quadragesimali devotione* 260 *e ad loca sacra mendicans S. Antonius Peregrinus* 266 *f* Peregrinanti *ad corpus S. Agathæ vim inferre tentans obmutescit* 645 *f* Peregrinationem *septennem pœnitens Cames Carinthiæ sibi imponi postulat* 727 *b* Peregrinationi *dediti Angli, ad loca sancta visenda* 922 *c S. Richardus ei immortuus* 931 *c d item S. Lucius Rex* 931 *c d*

Personarum *respectu non ducuntur S. Nicolaus Studita* 554 *a B. Rabanus* 537 *b* Personam *variam sumit S. Anscharius pro varia conversatione* 431 *c B. Rabanus* 537 *b*

Pestem *sedat S. Aventinus* 495 *e S. Agathæ prolatæ Catanæ reliquiæ* 658 *e*

Philosophus *Philæus M.* 465 *c*

Phthisicus *sanatus ad sepulchrum S. Domitiani* 711 *c*

Pice bulliente *S. Theodula perfunditur a tyrannis* 664 *a*

Pictori *Angelus in somnis ostendit exemplar picturæ pingendæ* 113

Pigritia *locum dæmoni præbet* 122

Piscatores *irridentes S. Vedasti piscatores, nihil capiunt: irrisi integrum cete extrahunt* 815 *a* Pisces *vivos in fluvium rejicit ex misericordia S. Aventinus* 493 *d* Pisces *accepti pro S. Indracto numquam numero minuebantur* 696 *d* Pisces *in sulcis agri capit S. Mel Ep.* 787 *c* Piscis *Lucius cailit. S. Amando in prandium* 878 *c d* Piscis *in carnem mutatus S. Berlendi* 382 *c e* 385 *a*

Plebeiis *quam aliis pronior ad succurrendum B. Brigida* 100 *b c*

Pleuritis *per S. Joannam Valesiam curata* 588 *a*

Plumbo liquato *perfusi Martyres* 311 *c* 664 *c f*

Pluvia *obtinetur ope S. Gemmuli* 572 *a expositis reliquiis S. Præcordiæ* 197 *f S. Agathæ* 659 *a S. Calamandæ Reliquiis in agrum elatis* 665 *d e* Pluvia *diuturna, in translatione Reliquiarum S. Bertulphi repressa* 693 *a c* Pluvia *S. Bertulphum orantem aquila alis protegit* 686 *b c d* Pluvia *messores S. Brigidæ non tangit* 133 *b in* Pluvia *siccus Herigarius manet in signum veræ fidei* 420 *d*

Podagra *curatur ope B. Joannæ Valesiæ* 587 *d* 591 *d* 595 *f aqua qua pedes S. Brigidæ ablati* 182

Pœnitentiæ *commendatio* 492 *d e f* Pœnitentia *delet peccatum* 132 Pœnitentium *salvatorum exempla* 991 *c d* Pœnitentia *Principis latronum* 104 *f S. Sigismundi Regis* 671 *b Theophili* 488 *a b* Pœnitentiam *peragit S. Landelinus, ubi latrocinatus ante fuerat* 504 *c*

Poma *nolens dare leprosis, maledictione S. Brigidæ, pomarium sine pomis invenit* 122 Poma *et rosas a S. Dorothea promissa S. Theophilo Angelus e cælo adfert* 782 *f* Poma *in templo S. Dorotheæ quotannis benedicuntur et distribuuntur* 781 *a*

Pons *magnus et firmus corruit sub persequentibus S. Cæcilium et socios* 9 *c*

Porta *Ecclesiæ ope S. Brigidæ miraculose extensa et prolongata* 141 *c* Portæ *Spoletinæ clausæ, ne S. Laurentius Illuminator ingrederetur, divinitus aperiuntur* 368 *b*

Possessionis *transferendæ ritus per chirothecas, cespites, festucas, baculos* 382 *b* 384 *a b*

Prædestinationem *suam et S. Remberti post triduanam orationem intelligit S. Anscharius* 398 *d illi revelat* 566 *a*

*in* Prædicationis *subsidium est corpus S. Jacobi in Hispaniam a discipulis delatum* 5 Prædicante *S. Brigida cum suis Virginibus, Rex ad fidem convertitur* 109 *c* Prædicatores *verbi Dei sunt aratores, seminatores* 126 *ad* Prædicandum *gentibus mittitur S. Anscharius voce cælesti* 417 *c visione cælesti animatur* 425 *a* Prædicandi *munus in Japonia a Romano Pontifice, soli Societati Jesu committitur* 739 *c d*

Prædicitur *voce cælesti, nascituram S. Agatham, quæ templa Junonis et Apollinis per Siciliam devastaret* 609 *c* Prædicit *S. Mel S. Brigidæ nondum natæ futuram sanctitatem* 787 *e* Prædicit *sanitatem Imperatrici Eudociæ S. Nicolaus Studita* 555 *b c alteri sanitatem et varios Magistratus* 555 *d e annonam triduo post suam mortem advehendam* 556 *c d* Prædixit *S. Hildegardis recessuram Carinthiam ad tempus a Catholica fide* 728 *e*

Præfatio Missæ *a S. Ambrosio composita de S. Agatha* 600 *e*

Presbyteri SS. Martyres, *S. Pionius Smyrnæ* 37 *Nithardus in Suecia* 395 Presbyteri SS. *Leo Pictavis* 91 *Ursus Augustæ Prætoriæ* 97 *Carterius apud Bituriges* 187 *Præcordius Corbeiæ* 196 *Wolfholdus in Bavaria* 249 *Hadelinus in Belgio* 374 *Isidorus Pelusiota monachus* 473 *Aventinus Trecis* 480 *Prudentius Novigenti in Gallia* 557 Presbyter *pro peccato pœnitens ad communionem tantum laicam admittitur* 331 *d e* Pretium *S. Brigidæ si vendenda esset inæstimabile, judicio Regis proclamatum* 177 *b*

Prolem *masculam impetrat S. Agatha Regi Siciliæ* 660 *e*

Promissis Dei *firmiter credere, monetur voce cælesti S. Anscharius* 431 *f*

Propheta *Azarias* 322 Propheta *S. Patricius sanctos post se nascituros et nomina eorum prædicit* 118 *c varia infans adhuc S. Brigida* 120 *b*

Providentia Dei *elucet in converso latrone* 104 *in perdita re recuperata* 133 *c in cibo S. Soro subministrato* 360 *f*

Prunas *ardentes illæsus in gremio portat S. Anatolius* 310 *d*

Psalmos *devote pro varia occupatione varios recitat S. Anscharius etiam retia texens* 429 *c*

Puella *decennis martyrium affectat* 756 *b*

Pueri *duo cum S. Blasio martyrium subeunt* 342 *c* Pueri *primariis Japonis ad martyrium se offerunt* 767 *a b c* Pueri *tres in Japonia ad Martyrium cantantes ducuntur* 761 *d occiduntur* 769 *a* Puer *cantando* Laudate pueri Dominum *Martyr obit* 747 *c* Puer *S. Ignatius M. an fuerit* parvulus *quem Christus ostendit discipulis de primatu disputans* 18 *d* Pueros *infidelium coemit S. Anscharius et in fide instruit* 417 *c* Puer *S. Rembertus ob modestiam et devotionem in templo, clericali habitu induitur a S. Anschario* 565 *b* Pueritia *S. Verdianæ sancta* 259 *f S. Gilberti a domesticis contempta* 577 *d e S. Ephræm insolens, et a Deo punita* 55 *f*

Pulvis *a sepulchro S. Berlendis temere abrasus in sanguinem convertitur* 386 *f* Pulvis *e loco, ubi in testis et carbonibus volutata est S. Agatha, morbus medetur* 658 *c* Pulvere *tumbæ S. Violati epota febris curatur* 698 *a* Pulvis *ex pavimento tumuli S. Vedasti pro reliquiis adservatur* 815 *b c*

Purgatorii *breves pœnæ, S. Anschario longissimæ visæ* 414 *f* Purgatorium *patiens anima S. Remberto se commendat, et liberatur jejunio* 40 *dierum* 566 *e f revelat se liberatam* 567 *a*

Purificationis

Purificationis Deiparæ Virginis celebritas antiqua, in Palæstina et Phœnicia 270 271 apud Syros, Cyprios, Asiaticos 271 apud Græcos Constantinopoli 272 apud latinos 273 Purificationis festo B. V. campanarum sua sponte sonantium mirus concentus auditus : nisi cum candelis ardentibus B. Virginem hymnis cœlestibus collaudare 275 pro Purificationis festo Oratio S. Sophronii 276 et seqq.

Purpura vestis Pontificis quid significat 556 d

Puteus Martyrum sanguine plenus 463 d

Q

In Quadragesima hospitalitatis jure S. Brigida comedit 125

Quercus S. Brigidæ benedictione sacrata, miraculis clara 105

R

Radius solis in quo suspensa vestis S. Brigidæ, ad mediam noctem durat 131

Rapinas comedentibus militibus sanguis in ore et manibus apparet 87 ex Rapina gustato frumento equi moriuntur 386 c

in Raptu, olim existens corpore, missam S. Brigida Romæ audit 131 f

Reges sunt viva lex 476 d in Regem inauguratur Sapor adhuc in utero matris 472 b Reges S. Ansharius libere monet 400 b Reges in Japonia ad fidem conversi 766 e Regis filius S. Winfredus, peregre ad Evangelium prædicandum proficiscitur 503 a Reges Sancti Sigebertus Francorum Austrasiorum 206 Ina Saxonum Occidentalium 914 Regis filia S. Wereburga 388 Regina S. Joanna Valesia 579 eu monialibus ancillatur 923 a b ob Regnum cœlorum a S. Patricio promissum unicæ filiæ, ut Christo virginitatem consecret Rex Hiberniæ permittit 79 b ad Regnum Dei se currere clamat currens ad ingressum religionis 130 a Regno relicto fit monachus S. Ethelredus 492 f Romam, ut baptizetur, proficiscitur Ceadwalla Rex 499 e 913 e S. Ina Romæ in vili habitu senescit 69 d Regnum S. Indractus, virtutis amore cum sorore relinquit 696 a c

Regulæ observantes monachos ad sacræ Scripturæ studium admittit B. Rabanus, non alios 534 b Regula Annuntiatarum continet decem primarias virtutes Deiparæ Virginis, hujus revelatione ex Evangelio conrinuata 583 a b Leone x approbata 581 f supra ægrum posita sanitatem confert 583 b e

Regimen monasterii suscipit puella duodennis S. Eusebia 301 f

Reliquias Sanctorum portum Christianorum dicit S. Chrysostomus 34 b c honorandas docet S. Isidorus Pelusiota 477 d iis locus honestus quærendus 519 e ad loca ab hoste securiora transferendæ 500 b 817 d Reliquias S. Gregorius Papa in templum S. Agathæ infert 937 d e Reliquias S. Severi Abrincensis expetit Ludovicus xiii Rex Galliæ 195 Reliquiæ transferuntur solemniter S. Theodori Studitæ 552 f S. Ignatii 34 S. Venantii 522 523 524 S. Agathæ 645 b c in Reliquiarum elevatione S. Vedasti summa populi lætitia 693 e Reliquiæ SS. cum cereis, crucibus, cantibus deducuntur ad Ecclesiam 521 e d super altare reponuntur 814 d cum lacrymis a populo spectantur 694 a exornantur a B. Rabano 527 d e f argenteo feretro recluduntur 506 c auro et argento ornantur a Carolo iv Imp. 36 e Reliquiæ S. Lietphardi in quo templo essent reponendæ divinitus ostensum 499 f 501 a ad Reliquias suas visitandas hortatur S. Agatha 646 b ad Reliquias invisendas Romam proficiscitur S. Indractus 695 f Reliquiæ Roma in Franciam allatæ sub Carolo Magno 519 c ex Reliquiis caput S. Sixti semper serum defert S. Anscharius 408 e Reliquiæ S. Pexcordii instar fulguris noctu coruscant 196 f ad Reliquias S. Alexandri servum mutum curatum, ejusdem Ecclesiæ servitio tradit dominus 521 a Reliquias suas diligentius habendas monet apparens S. Domitianus 703 a 709 f Reliquias minus religiose attrectans R. Chlodoveus in amentiam incidit : Reliquiis auro gemmisque exornatis sanatur 221 f Reliquiæ furto surreptæ, ad pristinum locum divinitus translatæ 338 c Reliquias SS. discoopertas S. Carolus Borromæus inspiciens, tabulam S. Agathæ discooperiri præ veneratione noluit 634 f ad Reliquiarum præsentiam horror invadit circumstantes 90 c Reliquias S. Hildegardis qui loco moverant omnes uno anno mortui 729 d ad Reliquias S. Severi dæmones vires amittunt 91 b c Reliquiæ in cavitate arboris conclusæ, pro Sancto nascituro reservantur 789 b Reliquias Calvinistæ comburunt 93 c in loco ubi combustæ nulla herba crescit 93 c f

Renum dolor curatur ope S. Joannæ Valesiæ 587 b 590 d ad reliquias B. Domitiani humeris impositas 709 e

Respectus humanos non curans S. Gilbertus, magnatibus neganda negat, simplicibus concedenda concedit 576 f

Restituit inique acceptam pecuniam judex, jussu S. Vedasti apparentis 813 b

Resurgere optat in linteamine a S. Brigida contexto S. Patricius 126 Resurrexerunt mortui S. Patricius ad adventum S. Brigidæ 152 b c puer, ex hujus attactu 156 d suspensa mulier intercessione B. Virginis et S. Amandi 911 a b c d e f mortuus a patibulo depositus a S. Amando 860 c d 865 a 866 d 873 e f 891 c 908 a b Rex Hibernus alteram vitam testatus 79 c d e

ex Revelatione divina omnia agit S. Anscharius 565 e Revelatur S. Ambrosio mors S. Martini 216 d S. Bucolo successor S. Polycarpus 269 f

Rixas se concitasse gloriatur dæmon 819 b c Rixantium manus ad percussionem elatæ obrigescunt ; ope S. Brigidæ curantur 122 b f

Rosas e paradiso S. Dorothea mittit Theophilo 779 c Rosæ et Lilia sponte prodeunt ex rupe, post præcipitatum S. Hildegardem 728 e Rosas et Lilia gestans S. Agatha apparet S. Dignæ 652 a

Ruina templi nemini nocet, patrocinio SS. Martini et Sigeberti 239 e neque Ruina turris templi S. Anatholiani 777 f in Ruina templi conservantur ope S. Cornelii Centurionis 283 in Ruina gravi obrutus manet vivus, ope S. Amandi 908 c d

ex Rupe præcipitata S. Hildegardis, a Deo conservatur 728 a

S

Sacerdos tacita norma vivendi et regula est 476 d eremita sanctior debet esse et cum mulieribus caute conversare 478 c d Sacerdos ex voluntate S. Patricii est auriga apud S. Brigidam 123 Sacerdotium ex humilitate refugit S. Polycarpus 775 e

Sale plagæ S. Ignatii M. conspersæ 296 Salem ex lapide facit S. Brigida 133 c

Sancti invocantes se adjuvant in omni periculo 127 c d curam habent locorum et personarum a Deo commissarum 815 e f 310 f invocantur a SS. Vedasto et Remigio, contra invasores bonorum Ecclesiasticorum 816 a Sanctitas etiam in splendore et honore locum habet 75 d e Sanctitati S. Sigeberti detrahens amentia punitus ad sepulchrum ejus sanatur 239 e

Sanguis fluit eruto dente S. Amandi 150 annis mortui 897 b 901 c 903 e Sanguine manant reliquiæ SS. Aquilæ et Priscæ 525 b Sanguinem S. Blasii colligunt mulieres et eo se inungunt, dein Martyres factæ 345 e Sanguis e vulnere S. Brigidæ profluens mutos sanat 122 Sanguinis fluxu laborantes sanantur a S. Nicolao Studita 557 a et S. Veronica seu Venisa 459 d Sanguis in ore et manibus militum rapinas comedentium apparet 87

Sapphiro

Sapphiro *comparatur a Christo S. Brynolphus* 434 *f*

Satellites regii Martyres, *Aderamus, Alfuinus et alii* XII *in Saxonia inferiore* 312 *e*

Saxo *alligatus S. Secundus mergitur* 463 *f in* Saxo *vestigia pedum S. Agathæ impressa manent Catanæ* 628 *a*

Schola *pro Anglis in fide erudiendis Romæ erecta a S. Ina Rege* 921 *e* Scholæ *in Anglia hæresi pullulante a Pontificibus Romanis interdictæ* 921 *f*

Scientia *divinitus imbuitur Guthlacus ad sepulchrum S. Indracti* 595 *b*

Scriptum *indicans sanctitatem S. Severi de Monte Falco defert columba S. Speo* 944 *a*

Scyphum *aureum cum aliis bonis S. Ina Rex donat Pontifici Romano* 921 *d* ex Scypho *S. Gilberti bibentes febricitantes sanantur* 581 *b*

Sensus exteriores, *mortis fenestras appellat S. Modanus* 504 *c*

Sepeliri *se prohibet in templo aut sub altari S. Ephræm* 61 *e aut cum Sanctis, aut splendido funere honorari, aut corpus condiri* 62 *a b c sed in cœmeterio inter peregrinos* 63 *b*

Sepulchrum *Christi cum cruce in horto extrui curat B. Joanna Valesia* 583 *a* Sepulchro *uno conditi SS. Patricius, Columba et Brigida* 110 *e ejus violator capite plexus* 112 *e* Sepulchrum *S. Bertendis ligneum, conversum in lapideum* 358 *c vix gravitare aut terram premere videtur* 386 *a* Sepulchrum *S. Cornelii Centurionis subito enascente rubo circumtegitur* 286 *a non visitari conqueritur* 286 *b* Sepulchrum *S. Domitiani cælesti lumine illustratur columba intrare visa* 710 *e corpus profani hominis recunditum noctu ejicit* 709 *c* Sepulchrum *S. Agathæ etiam Judæi et Ethnici venerabantur* 624 *a S. Sigeberti visitare pœnitens a S. Dionysio jubetur* 240 *b ad* Sepulchrum *S. Bertulphi strepitus fit imminente publica calamitate* 683 *a c in* Sepulchro *Cid Ruiz fragor armorum auditus indicat malum imminens* 683 *d* Sepulchrum *Lietphardi incognitum profanans, interitu pecorum punitur* 501 *a in* Sepulchro *diu vixit pane et aqua victitans S. Petrus Galata* 94 *f*

Sepulchrum *ingressus orans expirat S. Severus Ep. Ravennas* 87 *c*

Sermonem stultum *numquam ex ore suo exiisse testatur S. Ephræm moriens* 69 *c*

Serpentes *et S. Verdiana ex eadem patina vescuntur,* 261 *c eorum caudas præcisas contactu restituit* 261 *e ad ejus aram* Serpentem *in somno ingressum evomit* 264 *d* Serpentes *non nocent S. Aventino* 495 *c fugantur signo Crucis a S. Amando* 860 *a* 864 *d* 866 *a* 869 *e f* 885 *d*

Servitutem *pertæsus, mortem per S. Vodalum impetrat* 699 *c*

Silentii *et cellæ amans B. Rabanus* 531 *a* Silentium *strictius in Quadragesima et Adventu servat S. Verdiana* 261 *b*

Silva *ex baculo Vedasti arido enata* 821 *a*

Societatis Jesu *SS. Paulus Miki, Joannes Goto, Jacobus Kisai Martyres in Japonia* 730

Solem *adorare respuit S. Ibramius* 474 *a a* Solis *radiis, dormientem S. Hadelinum Angelus obumbrans protegit* 378 *c*

Solitudinis *amore, Abbatiam S. Aventinus deponit* 491 *a* Solitudinem *petit Modanus Ab.* 504 *d amat S. Anscharius* 429 *a*

Somnum *longiorem vitaturus clavriculis parieti affixis capite nutante percussus excitatur S. Sorus* 201 *a* Somnum *sedendo caput vestitus S. Gilbertus* 577 *a*

Sorores *novem Scotæ caste et sancte vivunt* 108 *f* Sorores Sanctæ *Oliveria et Liberata Virg.* 365 *Gudila et Raynildis* 837 *a*

Sors *favet Christianæ fidei apud Suecos Ethnicos* 426 *d* Sorte *missa cognoscunt adfuturum contra hostes Christum* 427 *b* Sortium *casu Turca a Cabinensi civitate impugnanda avertitur* 659 *d*

Spectris *nocturnis territus ad B. Domitiani tumbam sanatur* 711 *d e*

Spiritus Sanctus *in specie columbæ visus ad os Simonis Franciscani* 773 *b vide* Columba.

Sputo *S. Sorus fœminam contra prohibitionem ad se venientem uno oculo excæcat et domesticos ejus* 203 *c d*

Stagnum *noctu siccatur, ne S. Brigida in aquis gelidis orans crucietur* 132 Stagnum *Aula cum habitatoribus in alium locum translata ad preces S. Patricii* 789 *c*

Statua *profana in sacro loco posita fulmine dejecta* 460 *d* Statuam *æneam Syrophœnissa Christo erexit* 460 *b c* Statua *S. Agathæ magno cum fragore faciem jam ad Turcas convertit et perterritos solvere obsidionem cogit : cum nullis jaculis tangere possunt* 610 *a* Statuas *mille Milstadii evertit B. Domitianus* 700 *c*

Stella *exire ex loco, in quo erat S. Agathæ caput, visa est energumeno suoque capiti assidere* 647 *f*

Struma *laborans sanatur per B. Joannam Valesiam* 586 *e*

Stuprum *facere volens excitate a Deo percussus* 96

Submersus *ope S. Adelheydis vivus emersit* 727 *c*

Subulcus *monasterii S. Aldericus virtutis exercendæ amore* 931 *f*

Subulis *ignitis mamillæ S. Theodulæ perforantur* 663 *c*

Sudarium S. Veronicæ, *vultum Christi expressum habet* 454 *e an triplicatum* 463 *b a S. Veronica Romam allatum* 455 *f* 456 *a b c sanat Tiberium Imp.* 456 *a b c Gibbum Volusiani* 456 *c* Sudarii *S. Veronicæ singulari cultu Ferdinandus Hispaniæ Rex, Mauros fugat, Hispalim aliaque oppida iis eripit* 462 *e erga* Sudarium S. Veronicæ *pia Germanorum devotio* 463 *b*

Sudore *diffluens post Martyrium apparet S. Ignatius M.* 28

Surdi *sanati ope S. Agathæ* 649 *a S. Bertendis* 388 *d S. Vedasti* 810 *e ad feretrum S. Amandi* 913 *e ad reliquias S. Venantii* 524 *e B. Domitiani* 710 711

Surda *fit contemnens visitare S. Agathæ, reliquias eas visitans sanatur* 646 *d*

Suffitus *in funere suo adoleri prohibet S. Ephræm* 63 *b*

Suspectus *de incestu S. Mel innocens purgat se miraculo piscium in sicco captorum* 787 *b c*

Suppellectilem *sacram, auream et argenteam curat S. Ina Rex* 915 *f*

Supplicationes *institutæ Catanæ ad S. Agatham pro beneficio liberationis a peste* 658 *f*

T

Tabulatum ferreum *ingeniosissime confectum, ubi corpora S. Bertulphi, et aliorum quiescunt* 683 *c*

Tactu *S. Brigidæ lignum virescit inter flammas illæsum* 178 *b* Tactu *sepulchri S. Sigeberti sanantur infirmi* 239 *f* Tactu *suo sanant graviter saucium S. Verdiana* 262 *b infirmos S. Anscharius* 440 *d vulnera S. Amandus* 891 *c*

Talpæ *in agro Augustensi non reperiuntur virtute S. Grati* 99 *a*

Tapete *Chrodobaldi sarcophago suppositum prunis ardentibus coopertum non ardet* 881 *b*

Tauris *cæduntur pro SS. Imaginum defensione SS. Nicolaus et S. Theodorus Studitæ* 549 *e*

*ob* Temperantia *S. Nicolaus Studita tota vita monastica, numquam iis quæ impugnant ventrem explevit* 553 *d S. Rembertus cum fame a mensa abibat* 568 *d*

Tempestate *puniuntur nautæ, qui infirmum sine cibo famentem neglexerant* 698 *d* Tempestatem *maris sedat S. Petrus apparens S. Amando* 87 *e* 860 *e f* 866 *c* 889 *b c* Tempestas *aeris et aquarum inundatio tollitur, qua Reliquiæ S. Venantii feruntur* 523 *a*

Templo *promisso ædificando movetur corpus S. Severi, Abrincensis ante immobile* 193 *f* Templo *promisso S. Fortunato,*

Formato, liberatur e carcere S. Severus de Monte-Falco 945 a b Templum certæ figuræ ædificandum sibi monet S. Cornelius Centurio 286 e Templum primum in Dania extructum 407 b Templum B. Virgini erectum ejus monitu 6 f Templum ædificare S. Vedasto, monetur S. Autbertus, et reliquias in eo deponere 808 d e b 809 f Templa plurima S. Amandus ad honorem S. Petri dicat 864 a Templum pro devotione et sepultura Anglorum, [illegible] Romæ S. Ina Rex Angliæ 921 Templum in exp[illegible]nem delictorum et pro Imperii incolumitate a Cremonensibus extructum 640 b Templum Neapoli fundatum S. Blasio ab anginæ epidemiam ab urbe depulsam 336 f Templum domum suam vocat S. Agatha 650 a Templum primus ingreditur, postremus egreditur S. Nicolaus Studita 546 e Templi valvæ ultro aperiuntur oraturo noctu B. Wolfholdo, et post abitum ultro clauduntur 249 f et S. Urso 946 c Templum S. Verdianæ, aquarum inundatio miraculose intactum reliquit 264 e ad Templum suum visitandum a S. Agatha æger admonetur et sanatur 650 a b c Templi architecti ope Joannæ Valesiæ illæsi servati cum terra obruerentur, et lateribus supra se cadentibus 593 d Templum S. Laurentii Archiep. Cantuar. feminis ingredi non licitum, ingredi volens S. Margareta Regina Scotiæ subito morbo impeditur 296 f ad Templum sui monasterii S. Ursmarus accedere feminas permittit certo tempore 505 b f nullo tempore B. Rabanus 539 b in Templo monasterii S. Ursmarus non permittit mortuos sepeliri 506 b ex Templo ab Arianis profanato, dum sacrum fit Catholicum, dæmon in porci specie fugit 637 b sub Templum S. Agathæ dæmon strepitum excitat 637 b Templi incusor quamvis pœnitens, subitanea punitur morte 927 b Templum deorum orante S. Cornelio Centurione motu terræ eversum 283 c

Temporis puncto iter duorum dierum confecit auriga S. Brigidæ 125 b

Tentato non compatiens punitur tentatione 94 b d Tentantes a fide S. Dorotheam abducere feminæ ad fidem sunt conversæ 779 c d 782 c d Tentationibus mulierum S. Agatha seduci non patitur 621 f Tentatio carnis carbonibus ignitis superata a puella S. Brigida 133

Terræ motus cum mugitu terræ et maris prodigioso 244 f horrendi in Japonia 735 b Terræ motus fit dum S. Agatha pro fide torquetur 623 e 626 a in loco ubi S. Gallo moritur 948 e

Testarum fragmentis torquetur S. Eutychius M. 463 e d super Testas acutas et carbones vivos S. Agatha volutatur 622 d e

Textorum congregatio S. Agatham Patronam suam habet 638 c ex Textore Episcopus Ravennas S. Severus 89 a

Theca argentea corpus S. Sigeberti Regis reconditur 240 f Theca aurea brachium S. Agathæ 658 f

Thesaurum repertum indicat Cæsari S. Severus miles 915 a b

Tibiarum inflatio curatur a B. Joanna Valesia 586 e item tumor 587 a dolor 588 e f et exulceratio 589 f Tibiæ dolore invocato Christo, liberatur Heraclius Suecus 120 c

Timore divinitus immisso fugiunt Turcæ arma Christianorum 664 b c

Tintinnabulum a S. Gilda fusum et projectum in mare, venit ad S. Brigidam 115 Tintinnabula vestis Pontificum veterum quid significent 566 e

Tormenta immania Martyrum describuntur 468 f in Tormentis exultat S. Agatha 622 f 628 e

Traditio possessionis vel dominii fit variis instrumentis 382 b

Tremor corporis curatur a S. Vedasto 821 b

Tribunus militum S. Philoromus M. 464

Tributum quot annis S. Ina colligi in suo regno pro Romano Pontifice jubet 921 e et Tributis eximit Monasteria 921

Tristitia S. Anscharii ob Martyrium sibi denegatum 431 c

Tumba cum corpore S. Cornelii Centurionis nullo movente ingressa est templum illi ædificatum 286 f ante altare manet immobilis 286 f

Tumor ventris et corporis sanatur ope S. Joannæ Valesiæ 589 d

Tunicæ æreæ candentes igne parantur Martyribus mulieribus 342 c

Turras cum gladio invadere visus S. Paulus 607 e

Tyrannum S. Agathæ equi morsu et calcibus laceratum in fluvium demergunt 629 a in Tyrannum grandis ultio divina 815 e f Tyrannice opprimens villicos S. Vedasti, cum uxore et filio moritur, vindicante S. Vedasto 815 e f

## U

Ubera ignitis subulis S. Theodulæ perforata 663 a c facibus ustulantur S. Dorothea 780 c 782 e vide Mamilla

Ulcera curantur ope B. Joannæ Valesiæ 587 c d 591 d e ea Ulcera ungit et ligat 595 c

Ululant, dæmones conquerentes dissipari sua simulachra a S. Dorothea 780 c

Umbra S. Brigidæ paralyticum sanat 123 158 e f

Unguenta infirmis applicata manu S. Joannæ Valesiæ efficaciora erant, quam alienа manu 595 c

Ungulis raditur suspensus S. Pionius 46 c Ungulis et lapidibus latera S. Ignatii M. lacerantur 29 c

Ursus accurrens Martyris peremptores interimit 463 f

Ursi in cellam admissi pedem saucium curat S. Aventinus 482 f Ursum e templo deserto exire jubet S. Vedastus 802 b Ursum, onera jumenti occisi, cogit subire S. Amandus 880 a

Urticas in butyrum convertit S. Brigida 134

Uxorem, propinquos, honores contemnit martyrii desiderio S. Phileas 470 a Uxoris precibus e captivitate liberatus, maritus S. Joannæ Valesiæ 580 b eam dirempto matrimonio repudiat 580 d e ab Uxore Christiana Viodimirus Dux Russiæ conversus 715 e Uxoris sanctæ monitis, Rex Ina ad perfectionem virtutis quærendam incenditur 922 a b Uxores quod plures duci prohiberentur Christianis, Taycosama Japoniæ Imp. a fide abhorret 734 c

## V

Vaccam præter consuetudinem ter mulget in die in magna copia lactis S. Brigida 133 contra Vanam gloriam remedium S. Anschario divinitus ostensum 429 b

Vas cum aqua benedicta a S. Brigida cadens nec concutitur, neque aqua effunditur 126 f ex Vase aperto vinum miraculose detentum non effluit, Cellaria obediente S. Adelheide 725 f Vas pretiosum fractum precibus S. Brigidæ redintegratum 122 b 788 b ob Vas casu a rustico confractum, rusticum Rex jubet occidi 122 e 788 b

Velum sacrum ab Episcopo accipiens S. Brigida, oculum recipit 177 f Velum sepulchri S. Remberti miraculose ab igne non combustum 573 a Velum texens S. Agatha, prius finiendum ait quam de nuptiis ad quas cogebatur, cogitandum 609 f Velo S. Agathæ Ætnæ incendium repressum 615 a 624 a 629 b Vela byssina applicantur velo B. Agathæ 658 c Velum S. Aldegundi, dum in sponsam Christi consecratur, columba cælitus affert 796 f

Veneficas aderat dæmoniaca, ideo ante templum S. Verdianæ a dæmone suffocatur 265 e Veneficia, fascinationes patrocinio S. Agathæ tolluntur 628 e 658 f

Ventrem bestiarum optat sibi sepulchrum S. Ignatius M. 28 b

Verberans innocentem coram S. Werburga faciem ad tergum

tergum aversa punitur 393 d e

Verbum Dei prædicantem S. Patricium, tres dies et noctes audit populus reputans unam horam 164 c Verbum Dei semper ante sibi sumptionem audire cupit S. Brigida 178 e Verbis asperioribus redarguens Monialem a libidinis tentatione liberat S. Gilbertus 576 e

ob Verecundiam S. Agatha recusat dare sua vulnera curanda S. Petro specie medici apparenti 628 b c

Vespertilionum specie dæmones ex energumeno ejecti totum aerem obscurant 819 b c d

Vestigium pedis S. Agathæ, saxo impressum sudat liquorem morbis salutarem 613 f

Vestes non plures hyeme, nec pauciores æstate induit S. Gilbertus 578 b Vestes rusticas indutus Princeps Carinthiæ antiquitus inaugurabatur 707 f Vestem album sibi donari postulat S. Adelheydis a paupere muliere, qua data, locupletatur 727 b Vestis S. Brigidæ in radio solis suspenditur 131 carnium semicoctarum attactu non maculatur 133 Vestis pro duobus pauperibus a S. Brigida divisa, duplex integra redditur 134 b Vestis scissuram signo Crucis redintegrat S. Vodalus 699 a Vestes sacræ sacerdotales divinitus orante S. Brigida celebraturo Sacerdoti allatæ 133 f Vestes parant nobiles in Japonia Matronæ quibus decenter in cruce pro fide pendentes tegantur 762 e 764 e Vestes ultro exuit S. Pionius comburendus 42 b Vestes Martyribus Japonensibus pro Reliquiis, a Christianis distractæ 770 b d Vestes suas vetat pro reliquiis sumi moriturus S. Ephræm 615 Vestes Deiparæ Virginis S. Veronica serum detulit 459 a b Vestes Canonicorum induit Fredericus Imp. ut sudarium S. Veronicæ videat 461 f

Viatoribus utilis S. Brigidæ benedictio 129 errantibus noctu lumen divinitus præferri impetrat S. Brigida 130 e Via divinitus complanata pro visitatoribus S. Brigidæ benevolis 168 a

Vices suas, in custodiendo igne sacro mortua S. Brigida obit 113

Victoriam de Bulgaris relatam B. Virgini adscribit Zimisces imperator 719 c Victoriam S. Jacobus Hispanis obtinet de Mauris 7 Frisiis S. Rembertus precibus de Normannis 564 a Victorias perpetuas Regi obtinet S. Brigida 131

Victum S. Amandus labore conquirit 873 b Victus austerus S. Modani 504 a

Videt miraculose in distanti regione prœliantes S. Brigida et aliis, ut videant, signo crucis oculos aperit 128

Viduæ monasticam vitam amplexæ, velo suscepto a S. Amando Episc. 841 B. Hildegundis Comitissa 925 f 926 a Haderigis Comitissa 926 a

Vigiliis torquetur S. Eutychius M. 463 c d eas assumit S. Ephræm 71

Vincula sibi et sociis mox capiendus induit S. Pionius 40 e 42 f 43 a Vincula ter divinitus soluta 821 f Vincula ferrea ob scelus a pœnitente assumpta divinitus dirumpuntur ad sepulchra SS. Dionysii et Sigeberti 240 c d e

Vinea S. Ursi ægris salutaris 937 f Vinum cum osculo cælitus S. Helveo missum 114 d Vino tribus granis expresso tria vasa S. Sorus replet 202 e Vino precibus S. Vedastus vas vacuum replet 801 a 805 e Vinum S. Aventino augetur 2 c Vinum in aquam conversum 685 d Vino abstinent Benedictini Fuldenses 534 e S. Modanus Ab. 504 a B. Rabanus 537 f tribus lustris S. Amandus 860 b c

Virgines Sanctæ, Cinnia 96 Brigida 99 Darlugdacha 133 a Brigida Fæsulana 245 Vereana 257 Sicharia 291 Hadeloga 306 Oliveria et Liberata 365 Berlendis, Nona, Celsa 381 Wereburga 388 Adelheidis 720 Dorothea Alexandrina 788 Goa 948 Virgines Martyres Agatha 600 Calamanda Hisp. 665 Dorothea 779 Virginitas eximie laudata et sibi comparata 477 d ob Virginitatis florem S. Lucia matri sanitatem impetrat 636 c eam Christo, S. Agatha denuntiat 651 f in Virginitatis S. Brigidæ testimonium, lignum altaris attactu ejus fit viride 178 b

Virgis pro fide cæditur S. Aramius 474 d Virtutes descriptæ S. Nicolai Studitæ 547 a b S. Bertulphi 687 e S. Inæ Regis 920 e S. Amandi in episcopatu emicantes 876 a Virtutem jussu S. Brigidæ unam, unaquæque eligit Virgo, in qua se potissimum exercere debeat 178 d in Virtutum progressu SS. Ermenilda et Wereburga, mater et filia sancte concertant 392 d

Visio S. Anscharii de purgatorio, Sanctorum sede, et Deo in lumine 412 d e f de sanctitate S. Remberti 566 b Visione cælesti animatur ad prædicandum Gentibus 425 a

Visitando S. Agathæ reliquias ejus exemplo ad martyrii desiderium incitatur S. Lucia 652 a

Vita bona doctrinæ ac eloquentiæ anteponitur 477 f Vita laboriosa et austera pro Christo, Martyrium vocatæ a Deo 415 f 431 d f 432 e Vita Angelica S. Isidori Pelusiotæ 475 c Vita austera S. Verdianæ 259 f Vitam infanti sua benedictione prædicit S. Nicolaus Studita 555 e Vita præsens, cælesti futuræ, stultæ prælata ab ethnico Rege 131

Voluntatem Dei facientibus dæmones obsequuntur 182 c

per Vomitum dæmon ejicitur ad Reliquias SS. Januarii et Maci 526 d e

Vorans bovem integrum in prandio ad justam cibi mensuram per S. Brigidam reducitur 133 e

Voto facto ad Martyrum sepulturam sanantur varii 319 e f Voto facto ad S. Agatham e Sicilia Saracenos pellit Comes Rogerius 661 e Votum persolvere negligens a pristinum morbum relabitur 241 f differens morbo punitur 596

Vox rauca curatur alapa a S. Adelheide inflicta 725 e f Voce e cælo audita invitatur ad cælum S. Dorothea 780 e ad martyrium animatur S. Aprunianus 289 e S. Cornelius Centurio audiens, Corneli veni ad me 286 a Voci Sanctorum mortui obediunt 85 a

Vulnera divinitus sanantur S. Brigidæ 121 d S. Dorotheæ 780 e Vulnus ope S. Verdianæ curatum 264 f et ferro ejecto 264 Vulnerari gladiis nequit cliens S. Berlendis 386 d

Vultus illuminatus infantis S. Brigidæ 173 e ex Vultu apparentis S. Anscharii colligit quid facere, quid non, debeat S. Rembertus 570 e 400 a

X

Xenodochium Rex a lepra mundatus construit 202 d Xenodochium ædificandum placere Deo, indicat baculus in terram defixus efflorescens 820 a

Z

Zelus Japonensium Christianorum ad Martyrium subeundum 761 f 762 763 764 766 767 Zelo indiscreto tyrannus offensus persecutionem infert 751 f 753 e

Zona morbi curantur S. Petri Galatæ 96 S. Brigidæ, ea mendica dives effecta 124

FINIS.

IMPRIMERIE CATHOLIQUE DE VICTOR BERTUOT, A MONTAUBAN.

FALVEY MEMORIAL LIBRARY
VILLANOVA UNIVERSITY

DATE DUE

DISCHARGED

VILLANOVA UNIVERSITY
BX4655.A2 v.004
3 9346 00067334 5

FOR REFERENCE

NOT TO BE TAKEN FROM THIS ROOM

CAT. NO. 1935 LIBRARY BUREAU